FRATRIS

DOMINICI SOTO,

SEGOBIENSIS, THEOLOGI, ORDINIS PRÆDICATORVM, PVBLICI APVD SALMATICENSES PROFESSORIS,

IN QVARTVM SENTENTIARVM COMMENTARII.

PROOEMIVM.

SENTENTIAS Patrum, quas Petrus Lombardus, de sacra Theologia bene meritus, in quatuor libros graphicè digessit, animus mihi semper tulerat à primo libro exordiri vt meo tenui calamo totas exponerem. At verò quoniam mihi, alijs laboribus iam protrito, omnes cernunt vires in dies elangueſcere, metuentes ne me in medio curſu ſpiritus deficeret, inſtantius precando ex me multi efflagitarunt, vt à quarto libro rem auſpicarer, quem libris de Iuſtitia & iure adhiberem. Sunt enim huiuſmodi materiæ adeò tum germanæ, tum præcipuè moribus populi componendis, informandiſque accommodæ, ac perinde tam Iuriſconſultis, quàm Theologis ſcitu neceſſariæ, vt facilè mihi perſuaſerint, ſi qua mihi ſuppetit ſcribendi facultas, nullibi à me fructuoſiùs collocari potuiſſe. Annui ergo, diuino numini confiſus, petentium votis. Qua de cauſa, cùm eum bis iam publicitus prælegerim, hoc vigeſimo anno noſtræ prælegendi prouinciæ, quo, velut in Iubileo, iugo ſoluti, ocio donamur, hic idem liber tertiò nobis interpretandus aſſignatus eſt. Nihil verò aliud quàm operepretium duxi (neſcio quonam ſit ab alijs calculo denotandum) breuiuſculum textum ſententiarum compilare, qui ſit veluti epitome, vbi Theologiæ axiomata, & veritates, quæ vel omnibus citra controuerſiam, vel probatiſſimis autoribus receptiſſimæ ſunt, compendiosè & lucidè connecterentur. Nam Sententiarum Magiſter, licèt ſua laude non careat, longè tamen diuerſum habuit propoſitum: videlicet, aſſerta cuncta & ſcita Patrũm, etiam ſi multa ad eandem pertinerent ſententiam, congerere. Qui quidem labor tunc temporis, dum ſtudioſi nimia librorum raritate laborabant pretioſiſſi-

Textum autor adornat ab illo Magiſtri paulò diuerſum. Mag. Sentẽtiarum.

Digitized by Google

mus fuit. Iam verò quando priſcorum opera in tanta ſunt nobis copia impreſſa, congeſtio illa non apparet vſque adeò neceſſaria. Præterquam quòd nec ita multa luce ordinis fulget, quippe quod de eadem re multis in locis meminerit, & in eodem loco de rebus diuerſis. Neque verò concluſiones ex autorum dictis tam liquidò enucleauerit. Id quod, ſalua eius nominis celebritate, occaſionem ſcriptoribus deinceps obtulit, vt rem Theologam minori multò, quàm par erat, ordinis perſpicuitate tractarent, ac ſubinde eiuſdem ſacræ facultatis ſtudioſis cauſam dedit, vt & temporis non mediocre diſpendium, & ſtudiorum non minorem iacturam facerent. Quamobrem D. Thom. in Summa diſpoſitiorem alium ordinem ſecutus eſt. Quod autem nos in præfato textu molimur, hoc prorſum eſt, vt concluſionum epitome, quæ ſunt quæſtionibus examinandæ, in fronte cuiuſque diſtinctionis appendatur. Ita vt poſſit etiam ſeorſum quaſi enchiridon in ſubſidium memoriæ circunferri. In proceſſu ergo operam pro mea virili dabo, vt ordine D. Thom. cuius potiſſimùm expoſitor prodeo, obſeruato, à Magiſtri ſerie quàm minimè potero deflectam. Imò verò diſtinctionum quinquagenario numero cum ipſo conueniam. In quarum ſingulis, ſi quid aut varium, aut diuerſum inter ambos Patres ſeſe obtulerit, lectorem admonendum curabo. Deus ergo Optim. Maxim. in quem vnicè cogitatum noſtrum iactamus, ea nobis ſuggerat, quæ à me, & ad Theologos, & de hac diuina ſapientia pro rei dignitate dicantur: nempe, vt inter tam multos rei huius autores atque interpretes labor noſter non ſit ſuperuacaneus, ac ſubinde moleſtum potiùs onus, quàm vtilis fructus. Quo vtique malo poſtquam chalcographorum vſus percrebuit, ſcientiarum omnium ſcholæ plurimùm laborant. Nam, vt nihil probatis autoribus detraham, nonnullos (quod bona venia dixerim) offendas, quos non tam docendi facultas, quàm impreſſionum facilitas allexit, vt aliena incomptè tranſcribendo, ſuam ſcribendi libidinem traduxerint. Quem ego lapidem cùm præſpexerim, ſi in eundem impegero, abſurdiùs deliquiſſe me fateor. Sin verò aut quæ apud graues autores ſubobſcura extant, elucidando, ſiue quæ alij minoris notæ commenti ſunt, reſecando, ſiue aliqua pro captu noſtro adhibendo, locupletando, amplificando, & in ordinem dirigendo, quidpiam emolumenti in gazophylacium Domini mea diligentia & labor improbus contulerit, ipſi luminum fonti, cuius Eccleſiæ cenſuræ aſſerta noſtra ſubmittimus, acceptum referatur. In cuius proinde laudem & gloriam totum conferendum eſt.

Ordo procedendi. Quinquaginta diſtinctiones proponuntur.

Chalcographia nonnihil nocet.

Pollicitatio autoris.

Digitized by Google

DISTINCTIO PRIMA

DE

SACRAMENTIS

IN GENERE.

Textus. Cap. 1.

QVM quartus hic sententiarum liber de Ecclesiasticis sacramentis definiendis, adiecta beatitudinis contemplatione, sit institutus, ratio docendi postulat, vt ab eisdem in genere prælibandis exordiamur. Quocirca de sex: nempe, de eorum quidditate, necessitate, effectibus, tam de principali, qui est gratia, quàm de altero, qui est character, de causa denique eorum, ac numero, præsenti distinctione nobis præfandum est. Igitur si ex multis vocis significatis, vnicum, quod ad rem pertinet, vsurpemus: Sacramentum (vt ex verbis August. 10. de ciuitate Dei colligitur) est sacræ rei signum, seu inuisibilis gratiæ visibilis forma. Est enim signum 2. de doctri. Christ. eodem autore, res præter speciem, quam ingerit sensib. aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire. Lotio namque sacramentalis, qua minister sub certa verborum forma corpus foris intingit, latentem animæ ablutionem, quæ fit à culpa per gratiam, designat, secundùm illud eiusdem Aug. tract. super Ioan. 80. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Sacramenta ergo, vt in concilio Florentino expositum nobis est, tribus perficiuntur: videlicet, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Sex in hac 1 dist. proponuntur.

Aug. 10. de ciu. Dei c. 5. de consec. dist. 4. can. Sacrificium. Aug. 2. de doct Christ. c. 1.

Aug. super Ioan. tract. 80. 1. q. 1. can. Detrahe. Concilium Florent.

Eorum autem, vt venerabilis Hugo lib. 1. par. 9. de sacramentis autor est, trina fuit necessitas: scilicet, eruditio, humiliatio, & exercitatio nostra. Nam cùm prouidentia diuina sit, vnicuique rei iuxta suam naturam, & ingenium suauiter prospicere: & intellectus noster suapte natura sensuum adminiculo vtatur, congruens fuit, vt per hæc visibilia signa de latentibus mysterijs diuinitus erudiremur. Mox quoniam in morbum inde collapsi sumus, quòd mundi nos elementis, relicto Deo, subiecimus, id nobis antidotum congruebat, vt sensibilibus quoque elementis imperio Dei subiecti, nostram edomaremus superbiam. Ac demum, quia Christiana religio otiosa esse non debuit, eiusmodi sacramentorum cæremonijs nos decuit exercitari.

Cap. 2. Hugo l. 1. par. 9. de sacr. c. 3.

Sunt ergo sacramentorum nouæ legis effectus duo. Prior, idemque potissimus, gratia iustificans, secundum verbum Apost. ad Ephe. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt ipsam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Cui eod. tra. super Ioan. Aug. alludens, Vnde, inquit, ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur: nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Et in epist. 23. ad Bonifacium, super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Sicuti Spiritus, inquit, sanctus, sic & ipsa aqua nostræ regenerationis est causa. Et de Eucharistia ait Christus, Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ne in ambiguo maneret, sacramentum ipsum esse causam eiusdem æternæ vitæ, subdit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hoc ergo sacramenta nostra illis antiquorum præstant, vt concilium idem Florentinum nos docuit, quòd cùm illa, vt ait ad Galat. Paul. infirma essent, egenaque elementa, inquinatos (vt ait ad Hebr. 10.) sanctificabant ad emundationem carnis, non animæ. Quocirca non nisi vt signa futuræ Christianæ veritatis instituebantur: nostra verò vt quæ ex Christi latere pendentis in cruce promanârunt, virtutem habent: eiusdem conferendæ gratiæ, quam significant. Nàm lex, inquit Ioan. per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

C. p. 3.

Aug. tract. 80. super Ioan. 1. can. Detrahe. Aug. ep. 23. ad Bonifac.

Ad Gal. 4.

Ioan. 1.

Neque verò sacramenta Euangelica tantùm gratiæ efficacia sunt, verùm & tria eorum alterum habent effectum, qui est character. Ait quippe 2. Corint. 1. Apost. Qui vnxit nos Deus est, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Signare autem characteris munus est, vnde Aug. li. 2. contra Parmenianum de secularis militis charactere loquens. An minus fortè, inquit, hærent sacra-

Cap. 4.

Aug. l. 2. cõt. Parm. c. 13. 1. q. 1 can. Quod quidã

Digitized by Google

menta Christiana, quàm corporalis hæc nota? (scilicet, quia miles insignitur.) Est autem character, tum facultas aliquid sacrum suscipiendi, aut agẽdi, tum subinde distinctiuum signaculum. Baptismi namque charactere ad reliqua sacramenta Christi suscipienda adornamur, quo perinde, ceu eius grex, à reliquis orbis gentibus seiungimur. Character verò confirmationis est, quo velut pugiles eiusdem Christi ad eius fidem publicitus propugnandam insignimur: atque adeò à cæteris nuperrimè baptizatis, qui sunt (vt ait Petrus) sicut modò geniti infantes, dignoscimur. Sed & ministri sacramentorum characterem ordinis, qui facultas est ea administrandi, suscipiunt, quo subinde reliquo orthodoxorum cœtui antecellunt. Meritissimò ergo concilium Florentinum tria hæc sacramenta nos cum Armenis adnuit characterem imprimere.

1 Petr. 2.

Concilium Florent.

Cap. 5.

Sed & sacramentorum causa primaria Deus ipse fuit, qui & iuxta nostram naturam hæc nobis subsidia contulit, & per ipsa intimè, ceu principalis causa, sua nariua autoritate gratiam infundit, iuxta illud ad Rom. 8. Deus est, qui iustificat. Cæterum & ministri secundùm ipsum, eorum administratione fungentes, causa eiusdem gratiæ instrumentalis existunt. At verò Christus, cui ea ratione, qua rex est regni cœlorum, data est (ipso fatente) omnis potestas in cœlo & in terra, quemadmodum inquantum Deus diuinam habuit in sacramentis autoritatem, sic & inquantum homo excellentiæ potestatem: nempe, vt cuius virtus operatur in sacramentis, eius nomine eadem sanctificentur: & qui ea solus instituit, eorum valeat effectus absque ipsis elargiri. Ipse ergo est, qui per ministros suos sacramenta dispensat, secundùm oraculum illud, quod Baptistæ cælitus affulsit. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Illam autem excellentiæ potestatem (ait super eumdem locum Aug.) potuit quidem, si vellet, in seruum aliquem transferre, noluit tamen, nequis in seruo spem collocaret. Contulit tamen ministerium, inquit, in bonos, & in malos. Quare siue paganus sit qui baptizat, (vti ait Isido.) siue Iudæus (vt ait Nicolaus) siue hæreticus, siue denique probus, siue improbus, sacramentum non inde mutatur. Nam, vt ait ibidem Aug. Baptismus talis est, qualis ille, in cuius potestate datur, non qualis ille, per cuius ministerium datur. Vnde contra Gresconium lib. 3. cum sit inter ministros alius alio melior, non est melior baptismus, qui per meliorem datur, & nullo modo est malus, qui per malum datur, quando idem baptismus datur. Quia baptisma non est ministrorum, sed eius, (nempe Christi) de quo ait Ioann. Ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto.

Rom. 8.

Matt. vlt.

Ioan. 1.

Aug. tract. 5. super Ioa.

Can. Romanus, & can. A quodam de cõsec. dist. 4. De cons. dist. 4. can. Baptismus. Aug. contra Gresconiũ lib. 3. c. 6.

Numerus denique sacramentorum (vt in eodem concilio Florentino decernitur) septenarius est. Quorum, etsi perfectionis ordine Eucharistia, quæ Christi corpus & sanguinem in se continet, omnium sit præstantissimum, generationis verò talis nectitur ordo. Baptismus, quo in Christo renascimur. Confirmatio, qua in eius gratia irroboramur. Eucharistia, qua spiritualiter reficimur, ac nutrimur. Pœnitentia, qua sanamur. Extrema vnctio, qua perpurgamur & confouemur. Ordo, quo ad publica sacramentorum ministeria instituimur. Ac demum coniugium, quo ad idoneam nostri generis propagationem, sexus, alter alteri copulatur. Horum autem tria sunt simpliciter necessaria, tametsi paulò differenter. Baptismus siquidem per se simpliciter, & absolutè singulis personis, iuxta illud, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Pœnitentia verò per accidens illis, qui in mortale crimen fuerint prolapsi, iuxta illud Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Sed ordo necessarius est, non quidem singulis, attamen Ecclesiæ. Reliqua quatuor sunt secundùm quid necessaria ad commoditatem Christianæ vitæ. Tametsi matrimonium quatenus officium naturæ, necessarium sit etiam reipublicæ.

Ca. 6.

Ioan. 3.

DISTINCTIONIS PRIMÆ

QVÆST. I.

DE DEFINITIONE SACRAMENTI, ET EIVS PARTIBVS.

S. Thom. 3. par. quæst. 60.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramentum sit in genere signi.

IN primo capite textus materiam primùm libri designauimus: quæ est de Sacramentis, & de beatitudine. Cùm enim sacra Theologia in Dei contemplatione versetur, ille autem, vt est in Apocalypsi, sit α, & ω. principium & finis; speciosa distributio est, vt lib. primo de eius diuinitate, qua ratione in se subsistit, quatenus nostrum fert ingenium, consideratio præmittatur. Et in secundo de creaturis, qua ratione ab ipso dimanant, disputetur. In tertio verò de Christi incarnatione subtexatur sermo: quippe qui initium & caput est nostri in Deum regressus. Ac demum in quarto de eius sacramentis, quibus, veluti suis ipsius organis, ad eius beatitudinem perducimur. Itaque sicut secundus ad primum, sic se habet ad tertium quartus. Nam sicut formatio mundi per creationem, opus est puri Dei, sic & hominis reformatio per sacramenta, redemptionis opus est incarnati Dei. Hoc igitur aureo circulo, quo egredimur à Deo, in ipsumque regredimur, Theologa eius cognitio concluditur. Atque hanc ob rem cùm Theologia aut de rebus sit, aut de signis, in tribus primis libris agitur de rebus, vt de trinit. deq; creaturis, & de Christo: atque in hoc quarto plurimùm de signis. Sacramenta enim sunt sanctificationis signa. Attamen Diuus Thom. rem locupletius amplificans, prima parte suæ Summæ duos primos libros complexus est: & secundam de moribus interserens, in tertiâ duos alteros complecti proposuerat. Nam vsque ad quæstionem quinquagesimam nonam mysteria Christi prosequutus, à sexagesima, quam hic facimus primam, de sacramentis sermonem inierat. Quem per intempestiuum obitum non nisi vsque ad nonagesimam protendere licuit. Fit ergo consequens, vt prima libri huius diuisio sit in duo. Nam prima tractatio vsque ad distinctionem quadragesimam secundam de Sacramentis instituitur: secunda verò inde vsque ad finem de beatitudine. Exigit autem philosophicus ordo, vt generalis rei meditatio, speciebus omnibus communis, peculiares singularum antecedat. Quapropter prima distinctio de Sacramentis in genere præiacitur. Et quamuis Petrus Lombardus in duas partes eam subsecuerit (nam in secunda parte de circumcisione sermonem subnexuit) illum nos tamen sermonem in secundam distinctionem reiecimus: tum quòd generalis Sacramentorum consideratio absque vllo additamento, instam distinctionem explet: tum quòd circuncisio, cùm inter præparatoria baptismi connumeretur, congruentius in alia distinctione collocatur. Et quamuis Petrus Lombardus quatuor tantùm de Sacramentis in genere quæsita proposuerit, tamen luculentius illam in quinq; Diuus Thomas partitur. Quocirca textum in sex capitula distribuimus. Iuxta quem perinde numerum, eluci latio huius distinctionis sex quæstiones exposcit. Adornamus autem, vt præfati sumus, ordinem D. Tho. articulatim prosequi. Non quidem eius literam, vt iacet, transcribendo: hoc enim grauis moles verius esset, quàm necessarium opus, sed (quod in libris de Iustitia & iure obseruauimus) paraphrasticam eius narrationem præmittendo: hoc est, eius sententias variato aliquatenus stylo explicando. Nam cùm eorum qui publicè diuum Thomam profitentur, non infimus labor sit, eius conclusiones dignoscere, earumq; rationes informare, eos decreuimus hoc angore liberare. Itaque vt opere commemorato fecimus, sic modò ex eius doctrina, & nostris commentis, & amplificationibus vnam perpetuam extruemus orationem.

Apoc. 21. *Ordo quatuor librorum sententiarum.*

Ordo D. Th. me in summa.

Diuisio quæ- hu- mus libri.

Prima dist.

Ordo D. Th. imitandus.

Proponitur ergo quæstio prima de Sacramenti definitione: quæ octo complectitur articulos, quorum primus est de eius genere. Nam vt libro 1. de offi. autor est Cicero: Omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, vt intelligatur, quid est, quod dicitur: Et cùm definitio ex genere constet, & differentia, Aristotel. 2. poster. capitulo 5. docet genus eius prius rimandum, vt inde ad perscrutandas differentias descensus fiat. Quæstio igitur est, Vtrum Sacramentum sit in genere signi: sicuti homo est in prædicamento substantiæ, & calidum in prædicamento qualitatis. Et arguit diuus Thomas in contrarium tripliciter. Primò, Sacramentum dicitur à sacrando, sicuti medicamentum à medicando: ergo potius in genere actionis, & causæ, quam in genere signi collocatur. Rursùm Sacramentum videtur aliquid occultum significare; iuxta illud Tobiæ 12. Sacramentum regis abscondere bonum est; res autem occulta non habet rationem signi, cùm signum secundùm Augustin. 2. de doctrinâ Christianâ debeat esse sensibile. Tertiò denique arguitur. Sacramentum nonnunquam idem est, quod iuramentum: vt 22. quæstio. 5 can. Paruuli Iuramentum autem non est signum, sed veritatis confirmatio.

Quæst. prima de sacramenti definitione.

Arist. 2. post. c. 5. Quæst. articuli.

Respondet autem vnica conclusione affirmatiua. Sacramentum ponitur in genere signi, hoc est, sacramentum est quoddam signum. sicut homo quædam substantia. Cuius autor est Augustin. 10. de Ciuitate Dei, capitulo quinto. quod refertur de consc. distinctione quarta, capitu. sacrificium. vbi ait: Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij sacramentum, id est, sacrum signum est. Vbi & altera eiusdem figuræ assuitur eiusdem Augustini definitio: nempe, quòd sacramentum sit inuisibilis gratiæ visibilis forma. Quocirca diuus Thomas non tam contendit conclusionem ratione constabilire, quàm velut receptissimam ab Augustin. & sanctis Patribus præsupponere. Et ideo ratio quam subiungit, potius est conclusionis expositoria, quàm demonstratoria. Rationem autem accersit ex Aristotel. 4. Metaphysic. tex. 2. vbi docet analoga esse, quæ inter se ad idem significatum proportionem habent: quæ ideo ab eadem forma diuersimodè denominantur. Vt, sanum, primùm dicitur de animali in quo formaliter est sanitas: mox de medicina, quæ eius est causa, ac subinde de vrina, quæ est eius signum. Et pari modo est de hoc nomine sacramentum sentiendum.

Conclu.

Aug. ost.

Arist. 4. Met. tex. 2.

Ad cuius vtique intelligentiam notandum est, sacramentum à sacro derinari: sicut medicamentum à medicina. Nisi quòd medicamentum significat medicinam per modum causæ efficientis, veluti honestamentum honorem, quem alteri deferimus. Sacramen-

Expositio articuli.

Digitized by Google

tum autem significat rem sacram generaliter, hoc est, rem quæ vel in se habet sanctitatem, vel illam efficit, vel per illam efficitur, vel illi dedicatur, vel illam repræsentat: vt patet in nomine, sanum. Vnde sacramentum primum omnium idem significat, quod sacrum mysterium in quo latet sanctitas, sicuti sanum significat animal. Quæ quidem vsurpatio celeberrima est in sacris bibliis. non sic autem apud Ciceronem, alioſque id genus priscorum Latinos. Enimuerò Tobiæ duodecimo, vbi Græcè habetur: Mysterium regis abscondere bonum est. Latinè legimus, sacramentum regis, &c. Et ad Ephes. primo, Græcè est, vt notum faceret mysterium voluntatis suæ; & interpres traduxit, sacramentum. Idem ad Ephes. quinto, & Sapient. secundo, & Apoc. 17. Itaque in scriptura sacra idem est sacramentum, quod sacrum arcanum. Et vt obiter id notemus, Euseb. lib. 2. de præparatione Euangelica, arbitratur mysterium dici à *misos*, quod est scelus, seu odium, quasi scelestum sit, & odiosum secreta pandere. Refragatur autem orthographia. Etenim *mistos* per iota scribitur Mysterium verò per ypsilon. Quare, vt ait Nucerinus Græcè doctissimus, non sit nisi ex *myo*, quod est claudo, & *stoma*, quod est os, quo perinde illi admonentur, quibus secretum committitur, os compescere, vtpote quòd dum interrogantur, non eis liceat nisi pressis labris musitare. Vnde Dionys. cap. 1. Eccles. Hierarc. ait, quòd profanæ multitudini fas non est, vel ipsa mysteriorum signa contingere. Quapropter Ethnicorum sacerdotibus mos erat cùm de sanis exibant, vbi responsa deorum accipiebant, musitantes digitoque ori admoto secreta celari.

Igitur (vt ad argumenta D. Thom. respondeamus) per hanc acceptionem soluitur secundum. Respondet. n. ipse quod ratio illa procedit accipiendo sacramentum pro eo quod est sacrum secretum: quale est Dei & regis, & reipublicæ: quod quidem propterea sacrosanctum reputatur, quod grande sit nefas, illud quod ad rempublicam pertinet, violare: sicuti ciuitatis muros, & publicos magistratus. Haud tamen expressit quo in prædicamento sacramentum sic acceptum reponatur; id autem reliquit ex ratione conclusionis colligendum. Ponitur enim in prædicamento qualitatis: sicuti sanum dictum de animali. Est enim continens in se sanctitatem: ac si dicas, sanctum & sacrum.

Secunda acceptio huius vocis sacramentum, fuit Ethnicis Latinis solennis: haud tamen in sacra pagina reperitur. Apud Latinos, inquam, antiquos sacramentum idem est, quod iuramentum, seu iusiurandum. Atq; illud potissimum quo milites militiæ addicebantur. De quo Vegetius libro 2. de re militari. Milites iurare solent: & ideo sacramenta militiæ dicuntur. Imò & ipsi milites sacramentarij nuncupabantur. Apud Ciceronem & Liuium creberrima sunt testimonia, atque adeo apud Iurisconsultos, vt C. Si aduersus venditionem l. 2. Sacramenta puberum sponte facta, &c. inuiolabiliter custodiantur. Ac subinde ad ius Canonicum eadem est significatio deriuata, vt 22. quæstione quarta canon. Qui sacramento. & quæstione quinta canon. Paruuli. vbi cauetur ne periuri ad sacramentum, id est, ad iuramentum amplius accedant. Ad eandem propemodum significationem refertur & illa iuridica, quæ est apud Cicero. libro de Orat. Sacramento contendere. Erat enim lis, quando litigantes certum æris pondus deponebant: sicuti modo fit, cùm appellatur ad Cæsarem depositis mille quingentis aureis, & ille qui vincebat, resumebat suos numos: alterius verò pecunia, qui causa cadebat, erat sacro ærario dedicata, quæ ideo dicebatur sacramentum.

Atqui ex hac nominis significatione responsio tertij argumenti sancti Thomæ colligitur. Ad quod ipse hoc solùm respondet, quòd cùm iuramentum quandam habitudinem habeat ad rem sacram per quam fit, meritò dicitur sacramentum. Silet tamen in quo prædicamento ponatur. Intelligit verò poni in prædicamento actionis: sicuti sanum dictum de medicina. Est enim actio quædam & confirmatio quæ fit per sacra.

Tertia demum significatio huius vocis est: qua significat sensibilia signa gratiæ. In qua vtique significatione non modò apud Ethnicos non reperitur, cuius quidem ratio est, quòd neque res ipsa sacramenti gentilitati innotuerat: verùm neque in sacra scriptura nominantur sacramenta. Sed speciatim Baptismus circuncisio, peccatorum remissio, vnctio, &c. Imò verò Dionysij interpres generali nomine non appellat ea, nisi symbola, vt est Græcè. Quamobrem præter manifestarios hæreticos, sacramentorum veritatem & gratiam abnegantes, quibus quæst. 3. respondebimus, etiam alij Latini nobis obganniunt, quòd voce minus Latinâ vtamur. Quare nollent vocari nisi vel symbola, vel sacra, vel mystica signa. At verò non debet nobis vitio dari, quòd nouis inuentis rebus, vt lib. 1. Academicarum Quæstio. permittit Cicero, noua adaptemus nomina. Quare Hieronymus, Augustinus, & Lactantius lib. 3. de vera sapientia cap. 26. & lib. 4. cap. 22. & vetustissimus Tertullianus aduersus Marcionem lib. 1. non abhorret ab hoc nomine, Sacramentum, in hac nostra significatione. Nam si dicuntur symbola, hoc est, latentis gratiæ indicia, cur non & sacramenta? Sicuti iuramentum, quia per sacrum fit, sacramentum dicitur. Quapropter secundùm hanc acceptionem sacramentum ponitur in genere signi: sicuti sanum dictum de vrina.

Vnde ad primum argumentum emendatius respondet impræsentiarum D. Tho. quàm in 4. q. 1. Illic namque ob autoritatem Magistri, tenentis, sola nostra esse proprie sacramenta, quia efficacia sunt gratiæ, non autem antiqua, admisit sacramentum dici a sacrando, sicut medicamentum à medicando, & ideo poni in prædicamento actionis: quam opinionem ferè omnes doctores sequuti sunt. Hic verò, re oculatius inspecta, id negat, dicens, quòd licet medicina nomine medicamenti significetur per modum causæ efficientis, tamen sanctitas nomine sacramenti non significatur, nisi aut sub ratione formæ, aut sub ratione finis. Baptismus n. significat gratiam, non quatenus illam efficit, sed quatenus per illam ij, qui baptizantur, formaliter ab originali abluuntur. Sacramenta verò vetera significabant gratiam per modum causæ finalis, quæ per Christum nobis erat conferenda, vt arti. proximo rursus explicabitur.

Ex his omnibus in calce solutionis tertij argumenti optimè infert D. Tho. corollarium, quòd hæc vox sacramentum non æquiuocè illa tria significat, quæ tribus argumentis proposita sunt, sed analogicè, videlicet, significando proportionem: quam illa tria habent ad vnam formam: scilicet, sanctitatem, secundùm varias habitudines ad illam: vt superioribus exemplis monstratum est.

Super hæc autem est mens conclusionis contemplanda, ac subinde patentius demonstranda, ac demùm perpendendum quidnam referat, sit ne sacramentum in genere signi. Igitur cùm dicimus sacramentum constitui in genere signi, non accipimus vocem sacramenti pro ipsa materialiter: nam hoc pacto etiam vox, homo, est signum. Est ergo deridicula quorundam interrogatio, quænam vox sit sacramentum, complexane, an incomplexa. Non n. de vocibus, sed de rebus sermonem inimus, quas hic dumtaxat intendimus definire. Illam ergo ablutionem aquæ in baptismo, vnctionemque in confirmatione cum adiunctis ibi verbis dicimus esse in genere signi. Hoc est, propterea esse sacramenta, quod gratiam illic reconditam institutione Dei repræsentant. Quandoquidem non voces tantum, verum & res ipsæ. vt 2. de doctrina Christiana autor est Aug. institui possunt ad significandum: idque potissimum à Deo earum conditore, cuius imperio subduntur vniuersa. Signum n. inquit, est res, præter speciem, quam ingerit sensibus aliquid aliud faciens ex se in cognitionem venire. Signorumque alia sunt naturalia, vt fumus ignis, & vestigium pedis: alia data, vt tubæ sonitus in bello. Cuius generis sunt sacramenta diuino placito instituta.

Tametsi Christus sacramentorum institutor naturæ etiam ipsarum rerum rationem habuerit. Nam vt Epistola 23. ad Bonifacium ait Aug. quem refert Magister: sacramentum eius similitudinem gerit, cuius signum est. Si enim non haberent similitudinem rerum, quarum sacramenta sunt, propriè sacramenta non dicerentur. Ob similitudinem namque inter spiritualem corporalemque ablutionem baptismus institutus est, ad significandum abluentem gratiam, & propter similitudinem passus corporis & animæ, sacramentum in pane & vino constitutum est ad refectionem significandum animarum. Quòd si arguas, subinde consequi naturalia signa, vt fumum, & vestigium, esse signa data ad placitum: nam Deus illis tribuit naturam, per quam significant, negatur illatio: quoniam Deus non imposuit illa ad significandum, sed tantùm

creauit,

Sacrum mysterium.

Euseb.

Nucerinus.

Dionysius.

Respons. 2 arg. S. Tho.

Sacramentum pro mysterio in prædicamento qualitatis.

Sacramentum pro iuramento iurando.

Vegetius.

C. Si aduersus vendi.

Sacramento contendere.

Respons. tertij arg. S. Thom.

Sacramentum pro iuramento in genere actionis.

Tertia significatio.

Cicero. Vox sacramentum.

1. Arg. S. Tho.

Mens concl.

Sacramenta imaginé rei gerunt, quam significant.

August.

Notandum

Digitized by Google

creauit, vt essent: naturaliter autem consequitur, vt effectus suam causam repræsentet, sicuti res vnaquælibet sibi similem. Flatus enim ille Ioann. 20. quo Christus Apostolos Spiritu sancto repleuit, non ex impositione, sed naturaliter repræsentabat Spiritum sanctum: quare non erat sacramentum. Actionem autem aquæ, et vnctionem olei per adiunctam verborum formam accommodatiùs ad significandum sanctitatem animæ: ob idque sacramenta non gratis & merè liberè sunt imposita ad significandum gratiam, sicuti nomina & verba ad significandum res, sed ratione similitudinis rei ad rem. Ob idque ait Hugo li. 1. de sacra. par. 9. c. 1. quòd sacramentum ex similitudine repræsentat, & ex institutione significat gratiam. Quapropter ridiculum esset sacramenta vocare terminos, aut propositiones.

Ioan. 20.

Hugo.

Notanda sacramentorum institutio, vt scopus totius materiæ.

Hoc autem supposito demonstranda restat conclusio: nam D. Thom. (vt diximus) ceu Augustini, sanctorumque assertionem illam præsupponit, cuius ideo sola expositione contentus est. Repetamus ergo primum eius argumentum. Sacramenta Euangelica non modò signa sunt gratiæ, verum & causæ, vt q. 3. patebit: cur ergo sacramentum non in genere locatur actionis. Et confirmatur. Virtus sacramenti Euangelici, vt ea q. artic. 4. patebit, reductiuè ponitur in prædicamento qualitatis, vbi ponitur gratia & charitas, quas instrumentaliter producit: haud ergo sacramentum in genere signi existit.

Ad rei huius intelligentiam meditatissimè sacramentorum institutio consideranda est, cuius ratio, ceu scopus totius sacramentorum materiæ, est hic statim in initio ob oculos proponenda. In Christo namque Domino nostro & eius passione duo sunt animaduertenda: nempe quòd in cruce fuit tum redemptor noster, per quem salutem spiritualem consequimur, tum subinde religionis noster institutor. Illic namque tamquam primus princeps sacerdosque noster sese obtulit sacrificium pro nostra reconciliatione. Ex quibus alia duo similia colligitur inesse sacramentis nostris, quæ inde effluxerunt. Primum quòd sunt remedia, & medicamina nostra contra peccati morbum: deinde; quòd sunt religionis nostræ cæremoniæ. Instituit enim illa, vt simul essent & officia, quibus Deum coleremus, & beneficia, quibus nobis ipse vicissim vitam spiritualem impenderet, iuxta historiam illam Samaritani Lucæ 10. Christum significantes, qui vinum & oleum plagis semiuiui imponens, vulnera eius alligauit, quod sacerdos & leuita non fecerat: quoniam lex illa vetus animam non sanctificabat. Vt enim putre vulnus acumine vini exuritur, dolorem autem olei lenitas mitigat, sic & sacramenta nobis medentur. In sacramento pœnitentiæ id oculatius conspicias: sanè vbi rigor ille increpandi castigandique crimina, atque ignoscendi lenitas nostris medendis plagis accommodantur. Pari modo Deus antiquis Hebræis illa sacramenta instituit, quæ simul essent & religionis cæremoniæ, & gratiæ significatrices, quæ vel tunc conferebatur in remissionem originalis, vt in circuncisione, vel per Christum erat in noua lege conferenda.

Notanda sacramentorum institutio, vt scopus totius materiæ.

Similia.

Ex his ergo planè colligitur substantiam sacramentorum esse, vt sint signa gratiæ, non autem vt sint causæ. Sunt quippe in hoc instituta, vt per ipsa, ceu per religionis professionem beneficium salutis confiteamur, quod nobis Deus sub illis impendit. Cùm enim nos sensuales simus, decuit (quod quæst. sequenti latius patebit) vt per hæc sensibilia signa ignorantia nostra, quam ex peccato originali contraximus, de diuinis edoceremur, ac perinde admoneremur, quemadmodum per Deum iustificamur. Nam dum baptizamur, lotione illa profitemur spiritualem ablutionem diuinitus tunc nos recipere, iuxta illud Matt. vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; & dum sacramentum Eucharistiæ recipimus, fatemur tunc spiritualiter à Deo refici. Iuxta illud Ioann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. De quibus ideo beneficijs eidem Deo nostro gratias debemus, qui quidem per sacramenta & nostræ vtilitati consuluit, & suam à nobis gloriam vicissim expostulat. Quòd autem sacramenta causæ eiusdem nostræ salutis, existant, ad necessariam confessionem fidei, & religionis minimè pertinet: sed (vt q. 3. videbimus) sub disputationem cadit, estque priuilegium sacramentorum nouæ legis. Ob idque sacramentum non ponitur in genere causæ. Genus enim est de substantia rei. Egregiè hoc docet Gregorius in illa definitione sacramenti, quæ refertur 1. q. 1. c. Multi. citarique solet ex August. in lib. corporis Christi, vbi ait: quod sacramenta ob id dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretius operatur salutem. Non ergo est substantia sacramenti, quòd sit causa, sed quòd sit signum effectus, quem illic diuina virtus secretiùs operatur. Quapropter quod illico ibidem subdit, sacramenta dici a secretis virtutibus, non intelligit à virtutibus, quæ sunt in sacramentis, sed a virtute diuina, quæ secretius sub illis operatur. Præterquam quod illic de sacramentis nouæ legis loquitur, quæ appellauerat baptisma, chrisma, &c. quæ, vt infra patebit, virtutem habent instrumentalem sanctificandi.

Ratio conclusionis egregiæ.

Soluuntur arg. facta.

Soluta ergo restant argumenta modò facta. Nam ad primum reddita est ratio cur sacramentum in genere actionis non ponatur. Ad alterum verò respondetur aliam esse rationem sacramenti, quod quantum ad suam substantiam est in genere signi; aliam verò instrumentalis virtutis, quæ peculiaris est sacramentis nostris. Hæc n. ad speciem qualitatis reducitur, quæ est naturalis potentia.

Scriptura facræ testimonia.

At ne solum inuentum scholasticorum existimetur, sacramentum esse in genere signi, non solum autoritate sanctorum & ratione, verùm & testimonijs sacræ paginæ corroboratur. Primùm ex illo Luc. 22. & 1. Cor. 11. vbi Eucharistia ostenditur, vt passionis signum, rememoratiuum. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et baptismum Paulus ad Rom. 6. signum esse ait sepulturæ, qua consepelimur Christo. & primæ ad Cor. 15. c. illo verbo: Qui baptizantur pro mortuis; insinuat immersione illa atque emersione baptismi, resurrectionem eorum designari, qui in Christo moriuntur, & ad nouam vitam resurgunt.

Refert scire sacramentũ esse in genere signi.

Animaduertendum ergo est, quanti referat scire, sacramentum esse in genere signi. Primùm n. id refert, vt Christianis compertum sit, quò tendat sacramentorum religio. Pertinet enim ad hoc, vt in illis diuina beneficia agnoscamus, Deoque ipsa referamus accepta. Deinde id etiam ad hoc confert, vt sciamus vtrum esse propriè sacramentum, tam illis legis Mosaicæ, quam nostris vniuocè, hoc est, eadem ratione conueniat. Enimuerò si de substantia sacramenti est esse causam gratiæ, tunc non vniuocè, sed æquiuocè de illis & nostris prædicabitur. Id quod D. Tho. in 4. dist. 1. q. 2. subiequenter ad opinionem, quam illic sustinebat, conceßit. At verò iuxta illam, quam hic secundum rei veritatem edocet, nempe quòd sacramenti intrinseca ratio non est nisi esse gratiæ signum, genus vniuocum est & illis & nostris. Quare & hoc censendus est hic emendasse, sicuti illud quòd sacramentum non dicatur a sacrando. Quocirca illa tam propriè fuerunt sacramenta, quam nostra, ceu signa gratiæ per Christum conferendæ. Licet non essent tam perfecta propter virtutem, quæ in nostris est conferendi eandem gratiam. Quemadmodum equus tam propriè est animal, quam homo, tametsi non tam perfectum. Quapropter condemnantur illi, qui aiunt sacramentum vno modo accipi generaliter, vt comprehendit vetera: alio stricte, vt peculiariter prædicatur de nostris. Imò verò absolutè dictum non accipitur, nisi vno modo: vniuocè ad antiqua & nostra. Sicut animal non accipitur nisi pro vt est cunctis animantibus commune. Igitur si dialecticam explanationem cupis, hæc enunciatio, Sacramentum est signum, essentialis prædicatio & quidditatiua est, sicuti homo est animal: hæc verò, sacramentum est causa gratiæ, indirecta & accidentaria: veluti animal est risibile. Sed si dicas, sacramentum euangelicum est causa gratiæ, est prædicatio propria: veluti homo est risibilis.

Dialectica explanatio.

In calce hic denique Dialecticæ studiosi forsan scisciteantur: quod nam sit hoc genus seu prædicamentum signi, in quo sacramentum ponitur. Arist. namque decem duntaxat prædicamenta distribuit, ad quorum capita res omnes reducuntur, quæ in aliquo sunt prædicamento. Quocirca Scot. in 4. dist. 1. q. 2. ait signum poni in prædicamento relationis: quare tunc non esse generalissimum, sed genus subalternum illius prædicamenti. Ratio eius est, quod signata non dicitur nisi per respectum ad signatum, vt patet per respectum ad filium. Perparui tamen ad rem Theologicam hoc refert. nihilominus forsan vero similius est, genus signi non esse inter decem prædicamenta, sed extra

Interrogatio

Scotus.

Digitized by Google

tranagari, tanquam aliud generalissimum ad omnia entia rationis, qualia sunt, vniuersale, genus, species, &c. atque in isto ordine poni sacramentum. Nam vt 5. Meraph. autor est philosoph. decem prædicamenta tantum sunt entium realium; hæc autem modò nominata censentur entia non realia, sed rationis. Nam nulla res per naturam est vniuersalis, sed per operationem intellectus abstrahentis naturam vnam. v. g. omnibus animalibus vel hominibus communem. Et pari modo signa significantia ad placitum, vt voces & literæ, ac pariter sacramenta, per solam operationem intellectus imponentis ea ad significandum sunt signa. Et ideo quantum ad eorum formalem rationem dicuntur entia rationis. Dixerim signa ad placitum significantia, nam illa quæ significant à natura, vt fumus & vestigium pedis, quia significare habent ex natura rei, dici possunt entia, non rationis, sed realia. Hæc autem indigna sunt in quibus Theologus tempus terat. Grauiorem autem dubitationem hoc secum affert argumentum. Genus & species in eodem sunt prædicamento, vt animal & homo: specialia verò sacramenta sunt in genere actionis seu passionis. Est n. Baptismus ablutio quædam, & sacramentum Confirmationis chrismatio seu vnctio, & susceptio sacramenti Eucharistiæ nutritio & refectio (vt singulorum locis patebit) quæ omnia designant actiones seu passiones, ergo sacramentum in eodem prædicamento collocatur. Respondetur. Sacramenta vniuersa quatenus sacramenta, hoc est, ratione suæ formæ, quæ est significare gratuitos effectus, collocari in genere signi. Singula tamen secundum suas naturales substantias collocari in genere actionis seu passionis, vt argu. probat & d. 3. & subsequentib. patebit. Quemadmodum statua ratione suæ naturalis substantiæ collocatur in genere substantiæ: est n. aut lignum, aut lapis, sed ratione artificiatæ formæ est in genere qualitatis.

Argu.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omne signum rei sacræ sit Sacramentum.

CONSTITVTO iam sacramento in suo genere, exploratur eius differentia, per quam eius definitio perficitur. Quam ob rem non quæritur, vtrùm omne signum sit sacramentum: planum siquidem est signa naturalia, vt fumum, & vestigium, quin verò neque voces ipsas esse sacramenta, sed sunt aliæ signorum species, veluti animal multas species sub se continet. Sed quæritur an omne signum rei sacræ sit sacramentum, sicuti omne animal rationale est homo. Quod est quærere, vtrum hoc solum quod est, esse rei sacræ, sit tota differentia, quæ signum constituat in specie sacramenti. Nam certè si Scholasticos alios Doctores consulas, longiores multò comminiscuntur definitiones.

Concl.

Attamen D. Thom. vnicâ conclusione respondet, quòd omne signum rei sacræ, inquantum homines est sanctificans, est sacramentum. Quoniam cum Deus, vt in textu dicebamus, vnicuique rei iuxta naturam suam consulat, & rationale hominis ingenium sit per ea quæ foris patent, abscondita deprehendere, fit vt sacramentum nihil aliud sit, quàm sacræ rei signum ad hominum sanctitatem pertinentis. Haud verò additio illa quempiam fallat; Inquantum est sanctificans homines. Non n. est sensus, quòd signum inquantum est sanctificans, sit sacramentum. Alioqui solis euangelicis conueniret, quæ sunt gratiæ causa, sibique ipse doctor contradiceret, qui articulo præcedenti negauit sacramentum dici à sacrando: & hic in solutione secundi argumenti fatetur, cæremonias quasdam vetustæ legis fuisse sacramenta, licet non sanctificarent. Sed sensus est, quod signum rei sacræ, quæ non quomodocunque est sacra, sed sanctificans, sit sacramentum. Quod & Mosaicis sacramentis competebat. Nam circuncisio gratiam sanctificantem significabat, licet illam non efficeret. Adiecit ergo illam particulam ad explicandam sacramenti naturam quæ à sanctificandis hominibus illud sortitur nomen.

Responsio 1. arg. S. Thom.

Per idque respondet D. Th. argumento suo primo. Omnes n. creaturæ signa sunt sacrarum rerum: nempe, diuinarum perfectionum, vt sunt omnipotentia, sapientia, &c. Siquidem per hæc visibilia, autore Paulo, inuisibilia Dei conspicimus, nihilominus creaturæ non sunt hac ratione sacramenta. Et ratio est, quia non significant res illas diuinas, quatenus non sacrant, sed tanquam supremas suas causas, quæ per tales creatos effectus repræsentantur.

Rom. 1.

Ex hac conclusione colligi solet, sacramenta esse signa practica; sunt n. alia signa quædam speculativa, vt voces: in hoc s. præcisè institutæ, vt conceptus significent, alia verò practica, quæ efficiunt quod significant; vt verba consecrationis: Hoc est corpus meum: & illa verba Christi ad Lazarum: Veni foras; per quæ eum luci restituit. Et hoc modo sunt qui putant sacramenta esse signa practica. Veruntamen per hanc rationem sola Christiana sacramenta hoc nomine digna essent: quandoquidem Mosaica non sic erant sacramenta, vt efficerent quod significabant. Si ergo vis, vt qualitas hæc etiam circuncisioni congruat, dic sacramentum omne esse signum hac ratione practicum, quod significat rem sacram vel actum, qua ratione res illa vel actio homines sanctificat. Siue sanctificatio per sacramenta fiat, vt in nostris: siue solâ actione Dei, vt in circuncisione, iuxta illud Greg. Quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretius salutem operatur. Reliqua n. vetera sacramenta neutiquam erant practica.

Sacramenta sunt signa practica,

Contra hanc autem definitionem duo solent extrui argumentorum ordines. Alter s. metaphysicus ad Theologum non ita multum referens: alter verò Theologis proprius. Priorem Scotus dilatat in 4. d. 1. q. 2. Vt enim quidpiam definiri valeat, quinque habere debet. Primùm vt sit ens positiuum secundùm Arist. 1. Topic. Cæcitas enim quæ priuatio est, non definitur nisi per visum, cuius est carentia. Debetque esse res per se vna. vt 7. metaphy. habetur: nam plurium rerum plures sunt definitiones, non vna: vt homo albus non definitur quidditatiuè, sed alia est definitio hominis, alia verò albedinis. Tertiò conuenit vt sit ens reale, vt patet 5. metaph. tex. 14. quia ens rationis non est simpliciter res quæ habeat quidditatem, vt possit finitione quidditatiua definiri: vt monstrum, quod ratio fingit esse chimæram. Oportet item esse compositum aut ex partibus, vt homo, aut saltem ex genere & differentia, vt Angelus: quare Deus non est definibilis. Ac demum esse debet res vniuersalis. Et quidem sacramento tres cæteræ conditiones palam insunt. Est enim quid positiuum, compositum ex materia, s. ex rebus & verbis, & ex genere & differentia limitatum. Est denique vniuersale ad plures species sacramentorum & indiuidua. Sed tamen neque videtur esse per se vnum, neque reale: quoniam constat ex reb. & verbis, quæ sunt genere diuersa: & iam supra confessum est esse ens rationis. Ad primum autem respondetur, quod, vti 5 metaphy. tex. 7. ait Arist. contingit aliqua esse in vno genere plura, & in altero vnum: vt domus quæ in genere substantiæ est plura: nempe lapides & ligna, in genere qualitatis est vnum, propter vnam formam: quam nihil refert esse in vna vel in pluribus rebus. Idemque de statua, & omnibus artificialibus sentiendum. Et pariter sacramentum, licet ex rebus & verbis constet, vt baptismus ex aqua & forma verborum, quæ sunt res naturales diuersæ, tamen illæ in genere signi faciunt vnum. Accedit enim verbum, ait Aug. ad elementum & fit sacramentum. Quare ablutio vt materia & verborum forma: vti ar. 6. ait D. Th. integrauit vnum signum ablutionis animæ, & consecrationes panis & vini sunt vnius signum spiritualis refectionis, quæ instar fit cibi & potus. Et quamuis homo albus secundùm Philosophum per se non definiatur, quia albedo cum homine non faciunt vnum per se, sed definitur per accidens ratione albedinis, nihil de hoc disputamus: satis est, quòd forma sacramenti & materia faciant vnum signum, instar materiæ & formæ in artificialibus. Quod idcirco addiderim, quoniam compositio materiæ & formæ in baptismo non est essentialis: quare sacramentum baptismi (vt d. 3. videbimus) non supponit pro aggregato ex ablutione & forma verborum, sicut homo pro composito ex materia & forma, sed pro ablutione connotando significationem, quam habet à forma, sicuti nomen statuæ non supponit pro coniuncto ex ligno & forma artificiata, sed pro ligno illam connotando. Idemque de omnibus sacramentis dicendum, atque adeò de ipso generico nomine, sacramentum. Ad secundùm autem respondetur, quòd sacramentum non est merum ens rationis, vt monstrum, quod fingitur, sed in rebus verè realibus consistit: tametsi significatio, quæ est eius ratio, sit ens rationis.

Ordo metaphysicus argumentorum. Scotus. Quinque requiruntur, vt res sit definibilis.

Arist. 5. Metaph.

Consistit

Consistit enim in conceptione mentis. Quare non digladiamur an definitio eius sit quidditatiua propriè: satis enim est esse quidditatiuam eo modo, quo ens rationis habet quidditatem. Quicquid enim mente concipimus, possumus aliqua definitione explicare, etiam chimæram: imò & Deum ipsum, quamuis reuera nulla sit definitione quidditatiua comprehensibilis. Neque in hoc est theologo vlla faciendæ mora.

Ad rem ergo theologicam propiùs, quòd definitio hæc, Sacramentum est sacræ rei signum, sit iusto breuior, arguit venerabilis Hugo de sancto Victore, vir egregiæ autoritatis, li. 1. de sacramentis, par. 9. cap. 2. Nam literæ, inquit, sacræ sunt reconditorum sensuum signa, & imagines, & crux, sunt sacrarum rerum signacula: & tamen non sunt sacramenta. Quapropter prædicta, inquit, descriptio ad interpretationem, siue expositionem vocis magis quam ad definitionem referenda videtur.

Hugo de S. Victore.

Vrgentius autem in eandem sententiam arguit D. Thom. secundo argum. Omnia, quæ in antiqua lege fiebant, erant signa rei sacræ: nempe Christi, in cuius figuram, vt ait Paulus primæ ad Corinth. 10. omnia contingebant illis; & ad Colos. 2. ait, legem illam vmbram fuisse futurorum, corpus autem Christi: & tamen non erant sacramenta. Sed & alij explicatius argumentantur. Esus agni paschalis, signum erat rei sacræ, nimirum occidendi Christi: & serpens æneus, quem (vt legitur Num. 21.) Moyses suspendit in ligno, signum quoque, quod esset Christus cruci affigendus: & transitus maris rubri, indicium erat gratiæ baptismalis: & fluxus aquæ de petra, prognosticum lauantis nos aquæ lateris Christi: & manna de cælo cadens, præsagium Christi, qui fuit verus panis de cælo descendens. Vnde Paulus: Omnes, inquit, in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Imò verò vniuersa sacrificia & oblationes, quibus peccata expiabantur, vmbra esse videbantur sacramentalis gratiæ, quam nostra conferunt sacramenta. Quin etiam aliquatenus iustificabant, mundabant enim a lepra, lustrabantque homines ab alijs maculis, vt possent limina templi adire, secundum illud ad Hebræos nono: Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non animæ: nam qui mortuum tangebat, immundus erat.

2. arg. S. Thom.

Heb. 9.

Ad hæc & ante scriptam legem coniugium primorum parentum signum fuit rei sacræ: videlicet sacramentum, vt ait Paul. ad Ephes. quinto Christ. & Ecclesiæ: & sacrificium Melchisedech in pane & vino, Eucharistiam nostram, & Christi sacerdotium, vt est in Psalm. 109. & ad Hebræ. 7. præsignabat. Sicuti oblatio Abel de pinguibus ouium, oblationem agni immaculati: & tamen non erant sacramenta de quibus loquimur.

Ante legem scriptam asseritur fuisse sacramenta.

In noua lege.

Adde quod & in noua lege multa fuere signa rei sacræ, quæ non erant sacramenta. Vt columba cælitus super Christum descendens, & ignitæ linguæ super Apostolos: ac denique verba illa ipsius ad Magdalenam, Lucæ septimo: Remittuntur tibi peccata tua; signa fuerunt sanctificationis eius: & tamen non erant sacramentum: quippe cum Christus absque sacramentis potetat crimina condonare. Non ergo definitio hæc ad rationem sufficit sacramenti.

Hugonis definitio.

Igitur Hugo propter suum argumentum, aliam est definitionem sacramenti meditatus. Ait enim Sacramentum est corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam. Ex similitudine scilicet repræsentans. Quoniam, vt articulo præcedenti diximus, propter similitudinem, quæ est in materia sacramenti ad effectum gratiæ institutum est, vt accedente verborum forma significet gratiam. Quod autem adiecit, gratiam continens, ad efficaciam sacramentorum nouæ legis spectat. Quamobrem eandem definitionem Magister Sententiarum, qui sub id temporis fuit, paulò scilicet Hugone posterior, explicatius expressit dicens: Sacramentum propriè sic est signum gratiæ Dei, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat. Dixit propriè, vt vetera excluderet sacramenta, quæ (vt quæstione tertia videbitur) non erant causa gratiæ: atque adeo, vt ipse arbitratus est, nec erant propriè sacramenta. Inde ergo cœptum est inter Magistri interpretes definitionibus sacramenti longioribus vti, quam artificiosis. Ait quippe Scot. in 4. distinctione prima, quæst. secunda, sacramentum esse signum sensibile, gratiam Dei, vel eius effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Atque alij addunt, cuius virtute operis operati confertur gratia, quibus alia superaddunt multa. Definitiones autem huiuscemodi præterquam quòd antiqua sacramenta non comprehendunt, sed sola euangelica, quæ gratiam conferunt, artem definiendi nequaquam referunt. Autore enim Cicerone Rhetoric. libro quarto definitio esse debet breuis circumscriptaque quædam rei explicatio. Quare Arist. sexto topic. secundam eius labem notat, si superfluum quidpiam contineat, quod resecari possit. Quandoquidem definitio communis debet esse animi conceptio omnibus disputantibus: ob idque nihil eorum quæ sub iudice sunt, debet in ea poni. Disputatur autem vtrum sacramenta gratiam conferant, quod non soli hæretici, verum & scholarium multi, si non voce, re tamen (vt quæstione tertia patebit) negant. Rursus si alius quam Deus instituere valeat sacramenta, licet falsum sit, tamen disputatione indiget. Imò an debeant esse sensibilia signa disputabimus. Quare hæc non debent definitionem intrare. Quibus ergo comptæ istæ definitiones placent, non possunt in eandem conuenire: quare vnus quilibet suam comminiscitur. Meditato igitur opus est: quod non desinimus impræsentiarum sacramentum, vt solis euangelicis peculiariter conuenit, sed in genere, quod, vt articulo præcedenti constituimus, vniuoce commune est antiquis & nostris, illisque tam propriè, quam istis conueniens.

Scotus.

Cic. Rhetoric. 4.

Arist. 6. topic.

Definitionis natura.

Satis ergo pro definitione est dicere: Sacramentum esse sacræ rei signum: si rei sacræ significatum satis perspiciamus. Ad cuius intelligentiam illius semper meminisse oportet, quod articulo præcedenti, tanquam scopum præsentis materiæ oculis præfiximus: nempe ad sacramentorum naturam duo essentialiter pertinere, sunt enim tum medicinæ & remedia, quibus nostris Deus peccatis medetur, tum etiam cæremoniæ religionis Christianæ, quibus nos ipsum vicissim colimus. Ex quo nihil colligimus, quod substantia fidei nostræ est per hæc sacramenta doceri, ac perinde eorum exercitio confiteri, quemadmodum Deus nos eorum susceptione sanctificat. Quod autem illa sint eiusdem sanctificationis causa instrumentalis, non pertinet ad religionem fidei, sed hoc tantum, vt ait Gregorius, quòd sub eorum tegumento diuina virtus nostram operatur salutem. Haud ergo opus est in definitione sacramenti aliud ponere, quam quòd sit signum rei sacræ. Quæstione enim tertia de nostris disputandum restat, vtrum singulari priuilegio gaudeant eandem efficiendi gratiam. Quo circa Vualdensis nobilissimus autor tom. secundo de sacramentis, capitulo 20. illam præcisam definitionem ait esse in vniuersum patribus receptissimam. Igitur vt ad definitionis sensum descendamus, cum dicitur sacramentum esse signum rei sacræ, non accipitur res sacra pro re quomodocunque sacra, hoc est, Deo dicata, vt doctissimus alias Hugo suo argumento arbitratus est, videlicet aut pro sanctis, quos eorum imagines repræsentant, veluti & crux repræsentat Christum: aut pro sacris sensibus, quos literæ sacræ significant, sed pro gratia gratum faciente, eiusque actione: ipsa enim Theologorum vsu simpliciter & absolutè nuncupatur res sacra, vtpote quæ Deo, in quo suprema consistit fœlicitas, animas consecrat: ad quam perinde consecrationem vniuersa quæ in ecclesia consecrantur, vt altaria, sacerdotes, & vasa, & reliqua ordinantur & referuntur: Quapropter neque sacramentum eandem gratiam quomodolibet significat, sed, vt S. Thom. docet, qua ratione est in actu sacrandi, sanctificandique, & expurgandi nos à peccatis. Ablutio enim illa baptismi est sacræ rei signum: quia significat nos tunc spiritualiter abluj, sicut abluitur corpus, & susceptio Eucharistiæ est signum spiritualis cibationis, quæ tunc actu fit. Itaque sacramentum est signum sacræ actionis, siue quæ tunc fit in anima, vt in nostris sacramentis, siue quæ futura est per Christum. Sacramenta enim legis veteris gratiam per Christum futuram prætignabant. Et quoniam sacramenta, huiusmodi actiones, quæ per antonomasiam sacræ dicuntur, designant, simpliciter dicuntur res sacræ. Cùm enim sacrosanctam Euchari-

Thom. Vual. Definitionis sensus.

Sententiarum Magi.

stiam

ſtiam conſecramus, dicimur rem facere ſacram. Idemque de cæteris ſacramentis dicere poſſumus: vnde & ſacerdotes, ſacramentorum miniſtri, vt 1. ca. Eccleſiaſticæ Hierarch. ait Dionyſ. ſacri dicuntur: videlicet ſacris ordinibus ſacrati, & ſacramentorum miniſterio ſacrantes.

S. Thom. limatius quam magiſter reſpondet.

Vnde ad argumenta propoſita longe limatius D. Thom. quam Sententiarum Magiſter, eiuſque aſſeclæ, reſpondet. Ille namque illam ſolam virtutem in antiquis ſacramentis contemplatus, qua carnem, vt ait Paulus, non animam emundabant: quia gratiam non conferebant, cuncta negat fuiſſe propriè ſacramenta: quoniam mundatio illa non erat propriè res ſacra, nec ſanctitas. At verò S. Thom. conſiderans nonnullas illarum cæremoniarum præfigurando ſignificaſſe euangelicam gratiam, quatenus per Chriſtum erat exhibenda, licet gratiam talem non conferrent, concedit nihilominus eiuſcemodi cæremonias verè & propriè fuiſſe ſacramenta: dummodò religionis cauſa ad id ſignificandum eſſent inſtitutæ. Exempli gratia. Circunciſio propriè erat ſacramentum: nam erat ſignum ad cultum religionis ſpectans: ſignum ſcilicet gratiæ, quæ virtute fidei Chriſti per eandem circunciſionem applicatæ conferebatur, licet ipſa circunciſio illam non conferret. Quoniam conferre gratiam non eſt de eſſentia ſacramenti in genere. Pari modo eſus paſchalis agni, tametſi alij id negent, ſacramentum erat propriè, vt S. Thom. tertia part. quæſtione 73. docere videtur: quoniam inſtitutus erat religionis cauſa, tanquam ſignum prognoſticum paſſionis Chriſti, cuius ſanguine ſeruati ſumus, vt Iudæi in Ægypto ſanguine agni. Quare Paulus primæ ad Corinth. quinto: Paſcha, inquit, noſtrum immolatus eſt Chriſtus; alludens ad paſſionem, cuius agni immolatio ſacramentum erat. Quo fit vt ad rationem ſacramenti non ſit vniuerſim opus, vt proximè gratiam ſignificet, qua ille formaliter ſanctificatur, cui ſacramentum admouetur, vt facit baptiſmus: ſed ſatis eſt ſignificare rem ſacram: nempe, Chriſtum per modum, quo nos ſanctificat. Nam & noſtra Euchariſtia, non modo quatenus gratiam ſignificat, ſed quatenus rememoratiua eſt paſsionis Chriſti, ſacramentum eſt. Eadem ergo ratione quia illa occiſio & manducatio tanquam religionis cultus eiuſdem erat paſsionis prognoſtica, ſacramentum erat. Et hoc eſt quod innuit D. Thom. ſuperiori articulo in ſolutione primi, dicens quod ſacramentum ſignificat ſanctitatem per modum cauſæ formalis, vt baptiſmus ſignificat illam, qua baptizatus formaliter mundatur ab originali: vel finalis, quemadmodum ſacramenta vetera, vt eſus agni paſchalis ſignificabat gratiam per Chriſtum nobis conferendam.

Circunciſio.

1 Cor. 5.

Alia cæremonia non erant ſacramenta.

Hinc ergo fit nullum aliorum, quæ inter arguendum recenſebamus, fuiſſe ſacramentum. Nam illa purgatoria ſacrificia, licet eſſent religionis gratia inſtituta, tamen quia (vt ait Paulus) non attingebant animam, in qua propriè eſt res ſacra, non dicebantur abſolutè ſacramenta, ſed cum diminutione: puta egena & infirma, vt ait ad Galat. quinto Paul. hoc eſt, corpus expiantia. Niſi forſan aliqua ſigna eſſent conferendæ gratiæ per Chriſtum. Reliqua verò etſi ſigna eſſent & figura gratiæ euangelicæ ſanctificantis, tamen non erant tanquam religionis cultus inſtituta. Serpens enim æneus non fuit ſuſpenſus ad religionem colendam, ſed in medelam illius plagæ, quæ tunc graſſabatur in populum. Et manna de cælo cadens aquaque de petra fluens ad cibandum tunc, potandumque populum fuit: & tranſitus maris, vt hoſtiles manus effugeret. Quare nullum eorum erat ſacramentum. Idemque & de matrimonio in lege naturæ reſpondendum, quòd tantùm erat officium naturæ, non autem religionis cæremonia. At matrimonium Chriſtianorum, ad cultum etiam pertinet religionis, poſtquam eſt ſacramentum. Appellauit autem Paul. illud primorum parentum ſacramentum, hoc eſt, præſagium & prognoſticum myſterium coniugij Chriſti & Eccleſiæ.

Concilium Florent.

Concinit ergo diſtinctio hæc D. Thom. decreto concilij Florentini: vbi legales cæremoniæ diuiduntur in ſacra, & ſacrificia, & ſacramenta. Sacra enim erant templa & eius vaſa: ſacrificia verò illa, quæ illic offerebantur: ſed ſacramenta, illa quæ per modum religionis & cultus euangelicam gratiam præſignabant.

Oblatio Melchiſedech.

De oblatione autem Melchiſedech Chriſti ſacerdotium, vt ait Paulus deſignante, ſit ne probabile fuiſſe ſacramentum, quæſtione proxima arti. tertio dicturi ſumus. Oblatio verò Abel non magis fuit ſacramentum, quam oblatio Cain, licet vtraque ad cultum attinebat, quoniam non erat inſtituta ad ſignificandum euangelicam gratiam, ſed vt Deus tanquam rerum creator & parens coleretur.

Pari ratione nec in nouo teſtamento miſsio columbæ, ignitarúmue linguarum fuit ſacramentum: nempe, quod non erant inſtitutæ ad religionis cultum. Neque verò crux, licet eius adoratio religionis officium ſit; quia nõ ſignificat rem ſacram per modum ſacrantis, ſed Chriſtum paſſum, ſeu rem quampiam. Et eadem ratione nec verba Chriſti ad Magdalenam, aut ſacramentum erant, aut ſacramenti forma: quia non erant inſtituta ad religionis cultum, ſicuti verba ſacerdotis, Ego te abſoluo.

3. Argu. Aqua luſtralis non eſt ſacramentum.

Supereſt autem tertium argumentum S. Thom. Conſecratio altaris & vaſorum Eccleſiæ eſt ſignum rei ſacræ, quatenus ſacræ, & multo euidentiùs aſperſio aquæ luſtralis, & tamen nullum iſtorum eſt ſacramentum: aliàs cum ſint euangelica, eſſent plura, quam ſeptem.

Ad hæc omnia eadem ratione negat aliquod eorum eſſe ſacramentum: quia non conferunt perfectam ſanctitatem, ſed ad illam diſponunt. Tametſi potuiſſet nonnihil diſcriminis inter hæc conſtituere. Nam conſecratio templi & vaſorum nec ſignificat, nec efficit ſanctificationem hominis, quod ſupra dictum eſt, nomine rei ſacræ deſignari, ſed conſecrationem illarum rerum: aqua verò luſtralis benedicta pertinet ad ſanctitatem hominis: quandoquidem peccata venialia remittit. At verò ne quis eum redargueret, quod conſecrationes vaſorum ordinem haberent ad Euchariſtiam, per quem homines ſanctificantur: & ideò apparere ſacramenta, maluit reſpondere illas conſecrationes non eſſe ſanctificatorias propriè, ſed præparatorias & diſponentes ad noſtram ſalutem: videlicet, ad paſtum Euchariſtiæ: & ideò neque eſſe ſacramenta, ſed tamen à ſacramento, ad quod referuntur, denominantur ſacramentalia. Sed & aquam luſtralem, quamuis expreſſiorem præ ſe ferat ſacramenti effigiem, tamen quia gratiam non confert, quæ eſt perfecta ſanctitas hominis, patiter negat eſſe ſacramentum. Veruntamen quia tollit eius impedimenta abigendo dæmones, augetque eius feruorem remittendo venialia, eſt ſacramentale quoddam. De hoc autem inferius quæſtione ſexta, articulo primo, latiùs, vbi exponenda ſunt verba Alexand. de conſecr. diſtinct. 3. ca. Aquam, quibus videtur eam aſſerere eſſe ſacramentum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſacramentum ſit ſignum vnius rei tantum.

DEFINITIONE ergo ſacramentorum ob oculos poſita, ſex ſubinde articuli ſubnectuntur, quibus membratim luculentiùs exponitur. Hoc itaque præſenti, quid nomine rei ſacræ denotetur, exquiritur. Cùm enim dictum fuerit ſacramentum rem ſignificare homines ſacrantem: ſacrare verò commune verbum ſit tam cauſæ efficientis quàm formalis, imò & finalis, neceſſe fuit percontari, vtrùm nomine rei ſacræ omnes iſtæ cauſæ deſignentur. Atqui vnica Diuus Tho. concluſione reſpondet, affirmans ſactamentum non eſſe ſignum vnius tantum rei, ſed illarum trium cauſarum. Nam cùm ſacramentum ſanctificationem noſtram ex Dei inſtitutione repræſentet, cuius cauſa efficiens, paſſio Chriſti fuit, formalis verò, gratia & virtutes, ſed finalis, vita æterna, neceſſe eſt vt horum ſit omnium ſignum. Ex quo fit conſequens, vt à tribus ſignificatis tria ſubinde ſortiatur nomina. Eſt enim ſignum præteritæ paſſionis commemoratiuum, præſentisque gratiæ demonſtratiuum, & finalis gloriæ prognoſticum.

Concluſio articuli.

Sacramentum ſignũ triplex.

Sententia hæc vniuerſalis omnium Patrum eſt, quam nemo in dubium reuocare poteſt, quippe quam non modo ratio aſſignata declarat, verùm & ſacra ſcriptura affirmat, confeſſioque Eccleſiæ comprobat. Etenim de formali cauſa, quæ eſt gratia, iam ſatis monſtratum eſt, quemadmodum per ſacramentum ſignificetur: alias verò duas, quinimò omnes tres ad Roma. ſexto Paulus docet, baptiſmate deſignari: vbi ait: Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Vbi docet baptiſma eſſe

Expoſitio articuli.

Rom. 6.

paſſionis

Digitized by Google

passionis commemoratiuum. & addit continuò: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quibus verbis admonet esse demonstratiuum gratiæ, ac subinde virtutum, quæ cum ipsa nobis donantur, per quas spirituali gressu ambulantes, vitam degimus nouam. Et subdit: Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Subindicat ergo nobis idem baptismus vitam æternam, ad quam nos perducit. Quare tum Diony. 2. cap. Eccles. Hierarc. tum & Damas. lib. 4. c. 10. Baptismum affirmat fuisse typum mortis Christi & sepulturæ, trina scilicet mersione significantem, tum tres diuinitatis personas, tum triduum sepulturæ Christi. Sed in sacrosancta Eucharistia res etiam est perspicua. Ait siquidem Christus, Lucæ 22. Ho est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Est ergo Eucharistiæ sacrificium, signum passionis rememoratiuum. Præmiserat autem dicens, Dico enim vobis, Ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Et rursus: Non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. Præsignat ergò regnum Dei. Et Paul. primo ad Cor. 11. Quotiescunque mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Quo vltimo verbo aduentum finalem iuxta verbum ipsius Christi Ioan. sexto designat: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Vnde Ecclesia in antiph. corporis Christi: O, inquit, sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis eius: mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Atqui in prima collecta missæ mentio primi modi fit: Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, &c. Et in secunda fit secundi. Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine vnitatis & pacis propitius dona concede, quæ sub oblatis muneribus mysticè designantur. Ac demum in tertia fit mentio tertij: Fac nos quæsumus Domine diuinitatis tuæ empiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.

1. Argu. S. Thom. Arguit autem D. Thom. primo loco, quòd tunc sacramentum esset signum ambiguum, quod fallendi occasionem offerret: sed negat illationem. Non enim illa tanquam multa promiscuè & absque ordine significat, sed tanquam in vnum relata: sicuti homo materiam significat & formam, ex quibus vna res compingitur. Significat enim, vt ait in solutione secundi, passionem vt causam: gratiam verò, vt effectum & formam per quam sanctificat, ac denique gloriam, cuius gratia pignus est.

Dubium. Dubium autem ex hac solutione suboritur, quodnam istorum trium prius significet. Apparet namque sacramentum primùm ac potissimùm causam finalem, hoc est, gloriam tepræsentare, quippe quæ prima est potissimaque omnium causa, deinde efficientem, videlicet passionem. Nihilominus respondetur cum S. Doctore in initio quarti, principem eius significatum esse causam formalem, quæ est gratia vt sanctificans. Non enim significat illa tria secundum gradus, quos inter se habent, sed quatenus ad nostram sanctificationem referuntur, quæ quidem sanctificatio formaliter ac perinde proximè fit per gratiam: & ideò alia duo tanquam causas gratiæ consignificat.

Vt demonstratiuum multa significat. Ad hæc id etiam adijcito, quòd sacramentum tanquam signum demonstratiuum non tantùm gratiam significat, quæ iustificationis est virtus & forma, sed etiam alios eius effectus, vt sacramentum Eucharistiæ corpus subindicat Christi & sanguinem, quæ sub speciebus continet, ac subinde gratiam quam sumentibus impertitur, atque adeò fidelium vnionem & communionem, &, vt est in collecta, vnitatem & pacem. Cuius auctor est August. quem D. Thom. ex lib. sententiarum Prosperi citat. In sacramento enim, inquit, altaris est duplex res significata. Scilicet corpus Christi verum & mysticum. Quamobrem Scot. in 4. distinctione 1. quæstion. 2. art. 3. non satis ducit in definitione sacramenti ponere, quòd sit gratiam Dei significans, sed addit vel effectum eius gratuitum. Censet enim corpus Christi non esse gratiam, sed effectum gratuitum. Okam verò in initio Quarti satis existimat: si dicatur, effectum gratuitum significans. Nam hoc nomine tam gratia comprehenditur, quam corpus Christi: quare alij eius discipuli vocant idem corpus gratiam substantialem. Hæc autem omnia ob id isti multiplicant, quod renuunt in definitione solenni persistere: scilicet, sacræ rei signum, vbi cuncta comprehenduntur. Imprimis enim, quòd aliqui comminiscuntur Deum in se esse gratiam increatam, ineptissimum est. Gratia enim, vt ad Rom. vndecimo admonet Paul. non est nisi donum hominibus absque suis meritis gratis impensum. Quocirca Spiritus sanctus non secundùm se, sed secundum sua dona dicitur gratia. Ob idque non est incongruum, quod Scot. & Okam aiunt, existentiam corporis Christi in altari esse effectum gratuitum: sicut est ipsa incarnatio Christi. Iuxta illud Ioann. tertio: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Ac proinde si vera esset Magistri Sententiarum opinio in 1. distinctione 27. Quod Spiritus ipse sanctus nobis donatur, posset quoque dici gratuitus effectus. At verò nihil opus erat id definitioni adijcere: nomine siquidem rei sacræ etiam corpus Christi comprehenditur: quippe quòd non significatur illic, vt in se est sanctum, sed vt nos est per gratiam sanctificans. Et vice versa si nobis Deus sub aliquo signo aliud quidpiam donaret, quam gratiam iustificantem, putà prophetiam aut donum linguarum sicut dedit Apostolis, illud esset signum effectum gratuitum significans: & tamen non esset sacramentum.

Impugnantur Scot. & Okam.

Dubium. Quòd si quis scire desiderat, vtrum omnibus sacramentis, tam noui quam veteris testamenti, hæc trina significatio conueniat. Respondetur, etsi, quod euangelicis, largo modo, id cunctis congruat, propterea quòd gratiam designant, virtute passionis Christi, ad vitam æternam nobis impensam, haud tamen effigiem & imaginem tam expressam præ se ferunt eiusdem passionis quam baptismus & Eucharistia. Nisi de ordine sacerdotali dixeris, quòd sacerdos in altari sacerdotium Christi refert. Nec opus est tam presstim ista exigere, vt omnibus æquè congruant. Sacramenta verò antiqua non tam commemoratiua præteritorum erant, quam futurorum prognostica. Sicuti enim sacramenta nostra gloriam præmonstrant, sic & illa Christum & eius gratiam, ac subinde gloriam præsignabant. Agnus verò paschalis sic erat prognosticus passionis Christi, vt esset etiam commemoratiuus liberationis populi ex Ægypto per sanguinem agni, qui eiusdem præfuerat Christi vmbra. Sabbatum autem commemoratiuum erat quietis Dei septima die à rerum creatione: atque alia festa aliorum item beneficiorum, sed tamen non erant sacramenta: quia gratiam non significabant. Circuncisio verò fuit demonstratiuum gratiæ: nam per abscissionem pelliculæ membri generationis denotabatur illic culpam condonari, quæ per generationem contrahitur. Sicuti & alia sacrificia & expiationes suas etiam munditias corporum demonstrabant, quas Deus ibidem operabatur. Attamen quia absolutam animæ sanctitatem nec præstabant, nec indicabant, iam supra diximus non fuisse sacramenta.

Sacramenta vetera.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

Conclusio. QVINQVE subsequentes articuli in expositione illius vocis, signum, expenduntur. Vnde quia in definitione tantummodo affertum est sacramentum esse signum, quæritur iam nunc, vtrum semper oporteat esse rem sensibilem. Perspice quam seruat D. Thomas, ne ea quæ sub iudice sunt, in definitione ponat, sed in disputatione. Respondet autem affirmatiua conclusione. Sacramentum debet esse sensibile signum, secundùm illud August. super Ioann. tractat. 80. quod refertur prima quæstione 1. capitulo Detrahe. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, vbi tam verbum quam elementum, hoc est, tam forma quam materia, res sensibilis affirmatur. Et ratio est, quam semel iam suprà tetigimus. Nam Deus, vt Sapient. octauo habetur: Omnia disponit suauiter, vnicuique, vt Matth. 25. legitur, secundum proprium virtutem tribuens. Cùm ergo humanum ingenium sensibus suapte natura erudiatur, atquè adeò per sensibilia, vt ait Paulus, inuisibilium notitiam adipiscamur, congruens fuit, vt sensibilibus signis gratiam salutis celebretur,

Rom. 1.

Digitized by Google

ceremur, quam nobis Deus sub eisdem signis impertitur.

Expositio articuli. Dionys. Conclusio est Patribus à tempore Apostolorum solenniter receptissima. Hoc enim interstitium Dionys. capitulo primo Ecclesiastic. Hierarch. inter cælestem, & Ecclesiasticam Hierarchias constituit, quòd illa ex rebus intelligibilibus, hæc verò ex sensibilibus constet. Ob idque ait, quòd principes nostri visibilibus symbolis cælestia sacramenta texuerunt: ideoque sacramenta vbique & signa, & symbola, hoc est, indicia appellat. Quapropter omnes vniuersum Patres (vt articulis præcedentibus satis superque monstratum est) consenserunt, sacramenta ex visibilibus formis, rebusque corporeis constare. Visibile autem, quia is sensus præstantissimus est, audibilia quoque, & tangibilia comprehendit. In sacramento enim pœnitentiæ, & matrimonij, tam materia, quam forma non sunt nisi audibilia verba, conceptus explicantia. *Dubium.* At dubitet hic tamen illico quispiam. Quid opus erat, vt nos Deus doceret quemadmodum nobis salutis beneficia conferret? Satis enim fuisset nobis, si nos latenter sanasset. *Solu. dubij.* Respondetur per id ipsum documentum, quod in primo artic. præfixum reliquimus: videlicet, necessum fuisse, non quidem Deo, sed nobis, vt per cæremonias religionis nostræ eadem beneficia sub illis nobis impensa cognosceremus: nempe, vt gratias seruatori nostro continenter referremus. Quam quidem cognitionem per sensus nobis suggeri, propinarique decuit.

Okam. Veruntamen cætu sanctorum non obstante, Okam initio statim Quarti commentus est non esse sacramento necessarium, vt sit sensuale signum. Nam si Deus spirituale, inquit, aliquod remedium peccati instituisset, illud esset verè sacramentum: vt si sanxisset per solam meditationem suæ passionis, aut per delictorum mentalem detestationem, indulgentiam eorundem fieri delictorum. Ad hoc autem satis est respondere, definitionem non docere quid Deus potuisset, sed quam re vera sacramentorum materiam instituerit: instituit autem eam in rebus sensibilibus.

1. Arg. S. Thom. Meditatior autem, ac doctior responsio est, quam hic S. Tho. speculatur. Arguit enim ipse primo loco, aliquos esse effectus intelligibiles, vt scientiam respectu demonstrationis: effectus autem omnis est signum suæ causæ: non ergo omnia signa sunt sensibilia: quod ideo in sacramentis videtur posse contingere. Et respondet, vnumquodque ab eo denominari, quod ei per se primò conuenit. Quæ autem re primò nobis innotescunt, sunt sensibilia: quibus ideo secundùm *August.* Augustinum, secundo de Doctrina Christia. primò conuenit esse signa. Intelligibilibus verò conceptibus id non competit, nisi per sensibilia. Eodem ergo pacto respondemus Okam: videlicet, quòd contemplatio, & contritio non essent propriè signa, nisi exteriùs sensibiliter prodirent, atque adeò nec essent propriè sacramenta. Eò vel maximè quod, vt modò differebamus, sacramentis genuinum est, vt sint religionis cæremoniæ, quæ esse propriè nequeunt, nisi externa sint exercitamenta, & plurimùm per ministros Ecclesiæ applicita. Quare Dionys. eodem loco, vt articulo secundo dicebamus, sacerdotes appellat sacratos, & sacrantes, illuminatos, & illuminantes, perfectos & perficientes.

2. Arg. S. Thom. Igitur per hoc ad argumenta secundum & tertium D. Thom. respondetur. Arguit enim secundo loco. Sacramenta pertinent ad cultum, vel regnum Dei: res autem sensibiles non videntur ad eundem cultum pertinere, secundùm illud Ioan 4. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Et ad Roma. quarto: Non est regnum Dei esca, & potus. Et secundùm August. primo libro de libero arbitrio: res sensibiles minimè bonæ sunt: non ergo in illis sacramenta debuerunt constitui. Respondetur autem quòd etsi sensibilia in sua natura minima sint bona respectu spiritualium, tamen quatenus eorundem sunt spiritualium indicia, præcipui sunt momenti ad nostram eruditionem. Qua ergo ratione meritò sunt in vsum sacramentorum assumpta.

De baptismo paruulorum. Posset verò hic quispiam de baptismo paruulorum arguere, quòd cùm minimè ea, quæ circa eos fiant percipiant, superuacaneum illis est sensibile signum. Respondetur tamen satis esse ad sacramenti rationem vt sit per se significans. Infantibus autem sicuti ipsi non per se actu credunt (licet habitum fidei recipiant) sed per suos susceptores, qui eorum vice fidei obseruantiam protestantur, ad quam idcirco obseruantiam illos obligant: sic satis est, vt per ipsos etiam sacramentale signum percipiant. Quando autem baptismus non fit solenniter, ille ipse, qui priuatim baptizat, vt nomine infantis credit, ita & eius nomine fidem per sensibile signum profitetur.

Aliud autem argumentum hic se offert de corpore Christi in sacramento: quòd (vt distinctione 8. videbitur) sacramentum est, & tamen non est signum illic sensibile. Ad hoc verò (quod illic repetendum restat) bifariam respondetur. Primò, quòd corpus Christi non dicitur sacramentum nisi per synecdochen: qua nomen totius dicitur de parte. Est enim corpus Christi non tam sacramentum, quàm virtus sacramenti: nempe, sensibilium specierum, qua suscipientes recipiunt gratiam: ob idque respectu specierum est res, respectu verò gratiæ est sacramentum. Et ideo sicut virtutem baptismi non opus est esse per se sensibilem, ita neque corpus Christi. Satis quippe est totum sacramentum Eucharistiæ esse signum sensibile. Secundò respondetur idem corpus illic & sanguinem esse sensibilia, non per se, sed sacramentaliter per species panis & vini illud repræsentantes. Quemadmodum & character baptismalis, qui, vt quæstione 4. videbimus, res etiam est & sacramentum, per exteriora baptismi signa fit sensibilis. Quamobrem, vt in 4. distinctione 1. quæstione 1. ait D. Tom. character & corpus Christi verum non dicuntur sacramenta, nisi quatenus signis sensibilibus coniunguntur. Quocirca melior est prior solutio. Et pari ratione indissolubilis vnio matrimonialis, quæ sacramentum est vnionis Christi, & Ecclesiæ, per verba exteriora sentitur.

Durand. Durandus autem in 4. distinctione 1. quæstione tertia de sacramento matrimonij cæteros autores redarguit, quòd non sit signum sensibile, etiam si sit sacramentum (de quo tamen non omnino certus est.) Nam sacramentum, inquit, illud, sine verbis contrahi potest per literas, aut per nutus. Veruntamen argumentum hoc debilissimum est: quoniam literæ & nutus signa censentur sensibilia. De Durando verò inferius iterum art. 6. Actius autem argumentum sumitur ex cap. Sufficiat 27. quæstione secunda, vbi Nicolaus Papa ait, ad matrimonium sufficere consensus eorum qui contrahunt. Idemque Alexand. tertius, capitulo Cùm locum. de sponsalibus decernit, vbi Panormit. super verbo, sufficit, notat solum consensum contrahentium sufficere, ita vt nihil aliud requiratur. Et idem ait gloss. super d. ca. Sufficiat. Vnde nonnulli colligunt Panormitanum tenere, quòd non solùm verba non requirantur, verùm neque aliqua exterior expressio, sed quòd sufficiat internus consensus. At verò nec Panormitan. hoc videtur significare, neque censendus est tali errore hallucinatus. Alias indignus esset, vt eius opinio recitaretur, tantùm abest, vt vlla ei deberetur de hac re fides: quoniam sacramentum matrimonij non est simplex donatio, sed contractus do vt des, atque adeò requirit non qualemcunque consensum, sed mutuum amborum. Mutuus autem esse neutiquam potest nisi vtriusque consensus alteri constet: quod sine verbis, aut literis, aut nutibus fieri nequit. Id quod ipsissimus Alexand. cap. Licet. de sponsa. duorum admonet dicens, oportere vt vterque in suo mutuo consensu verbis consuetis expressè alterum recipiat. Quo fit vt in mutis & verecundis saltem nutus requiratur, vt patet capitulo. Cùm apud, de sponsal. Et vbi sponsalia de futuro præcesserunt, si copula subsequatur, ipsa signum reputatur matrimonium perficiens, vt articul. sexto clarius explicabitur. Quando ergo Pontifices aiunt solum consensum sufficere, non fit exclusio cuiuscunque signi exterioris, sed solùm docetur, quod non requiritur consensus parentum, vt scitè ait illic Panormitan. nec copula carnalis. Imò nec consensus in illam, vt patet de beatæ virginis immaculato coniugio. Neque requiritur benedictio per Ecclesiæ ministros, quæ ad solam solennitatem spectat. Quinuerò nec certa verborum forma, vt in reliquis sacramentis. Nam illa capituli, Licèt. Ego accipio te in meam, quamuis sit accommodatissima, atque adeo vbi fieri potest commodè vsurpari debeat, nequaquam tamen est simpliciter necessaria, sed solus exigitur mutuus consensus. Cùm autem dicitur mutuus, palàm docetur debere esse expressum, quæ quidem expressio per signum sensibile fit.

27. q. 2. can. Sufficiat Panorm.

Sola copula signum.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Vtrùm requirantur determinata res ad sacramenta.

SI sacramentum signum debet esse sensibile, vt proximè definitum est, quod quidem ex materia & forma, vt suprà dicebamus, conficitur, explorandum de vtraq; restat. Et primum de materia, vtrùm vnicuique sacramento res determinatæ coaptentur. *Conclusio articuli.* Et respondet D. Thom. hac affirmatiua conclusione, plus asserente quàm quæsitum fuerat. In sacramentis nouæ legis oportet vti rebus ex diuina institutione determinatis. Hanc primum exemplo baptismi commonstrat, de quo Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. *Ratio.* Id quod & de cæteris intelligitur. Rationem autem subdit huiusmodi. In sacramentorum vsu, & cultum diuinum est considerare, qui est hominis ad Deum: & deinde sanctificationem, quæ vice versâ à Deo promanat in hominem: & quia res determinare ad eum tantùm pertinet, in cuius sunt potestate, fit vt non homini, sed soli Deo, in cuius potestate est nostra sanctificatio, competat res sacramentorum nouæ legis condere, & determinare, quibus homines ipse sanctificat, iuxta illud 1. Corinth. sexto. *1. Cor. 6.* Abluti estis, sanctificati estis. Id est, quia abluti, ideo sanctificati. Perpende rationem. Si enim sacramenta ad religionis tantummodo cultum spectarent, quanquam aliquod inde argumentum sumeretur, quòd à Deo essent determinanda (vtpote cuius arbitrij est quibus velit cæremonijs coli, vt in lege antiqua fecit) non tamen esset vsque adeò efficax argumentum, quoniam possunt quoque homines alios atque alios instituere Dei cultus & ritus, vt Ecclesiæ Christianæ moris est. Verùm quoniam sacramenta nouæ legis eadem, & cultus ratione habere decebat, & simul virtutem per quam Deus nos iustificaret, ex hac secunda parte solus ipse debuit ritus illos instituere, sub quibus nos sanctificaret: vt certissima essent documenta nostræ salutis. Quare nomine rerum non solùm res ipsæ intelliguntur, vt aqua in baptismo, & oleum in confirmatione, verùm & actus ipsi sensibiles, scilicet eorum applicatio, vt ablutio & vnctio, vt artic. proximo ad secundum autor est. D. Thom. Constituit enim Deus non solùm quibus rebus, verùm & quibus earum vsibus sacramenta constarent.

Expositio articuli. Conclusio hæc quoniam in singulis sacramentorum suis exemplis liquebit, non est quòd nos hic debeat remorari. Videtur autem D. Thom. eam plùs nimio ad sacramenta nouæ legis restrinxisse, nam cùm & vniuersas cæremonias testamenti veteris, quamuis instrumenta non erant, quibus Deus gratiam conferret, idem ipse instituerit, consequens fit conclusionem non nostris sacramentis peculiariter adaptandam, neque eius rationem esse efficacem: videlicet, quòd euangelica sacramenta, quia instrumenta sunt, quibus ipse nostram operatur salutem, debuerint ab ipso solo institui. Respondetur autem, quòd cæremonias illas non eadem ratione, qua nostra sacramenta per se ipse Deus instituit: scilicet, vt essent gratiæ instrumenta, sed quia prognostica erant venturi Messiæ, quæ res erat supranaturalis, cuius ideo populus ille instinctu naturæ certa figura per viam religionis instituere nequiuerat. Quapropter res illæ sacramentorum veteris testamenti non se habebant vt materia, sicut res sacramentorum euangelicæ legis se habent respectu verborum ad constituendum vnum instrumentum conferendæ gratiæ, sed tanquam futurorum prognosticæ.

Mos Ecclesiæ. Cæterùm contra eandem conclusionem videtur mos Ecclesiæ militare, vtpote quæ multa circa sacramenta instituit, quæ Christus præteriuit, vt exorcismos in baptismo, vnctionesque illic, & in ordinibus, & in sacramento altaris cæremonias plurimas. Non ergo sola institutione Dei sacramentorum res determinantur. Facilis tamen responsio est, quòd hæc nec sacramenta sunt, nec de eorum essentia, sed sacramentalia, vt quæstione quinta videbimus.

Sacramentum pœnitentiæ & matrimonij. 1. Argum. Grauius autem dubium auget sacramentum pœnitentiæ, & potissimum matrimonij, in quibus nullæ sunt res determinatæ, sed sola verba. De hoc autem articulo sequenti latiùs contra Durandum.

Argumentum primum D. Thom. est huiusmodi. Non minori certitudine Deus in sacra scriptura significatur, quam eius gratia in sacramentis: sed illic ipse signis diuersis & metaphoris designatur, vt nunc lapide, nunc verò leone aut igne: ergo simili ratione potest gratia cuiuslibet sacramenti multis indeterminatisque signis significari. Responsio autem, quæ sub obscura videtur, consistit in hoc, quod etsi diuersis rebus sensibilibus per metaphoram Deus significetur, id vsu venit propter diuersas eius virtutes. Ob idque sicut Spiritui sancto incumbit vnicuique diuinæ virtuti suam propriam metaphoram coaptare, ita quoniam vnum quodlibet sacramentum suam habet peculiarem gratiam, eundem Spiritum sanctum decuit vnicuique sacramento res certas applicare.

Cauendum in sacris à profanis metaphoris. Hic ergo sanctè admonendi sunt sacrorum expositores & concionatores, ne signis profanis temerè vtantur ad sacros sensus exprimendos. In quo nonnulli plurimum oblectantur. Quamuis enim pictoribus atque poëtis comœdijs vti liceat, & imaginibus ad mores hominum taxandos, vt in Sardanapalo lasciuiam, & in Mida auaritiam contempleris, & in Parmenone vafriciem, nemini tamen in sacris ita licerè fas est profanis vti, sed illis, quæ Spiritus sanctus secundùm Ecclesiasticos interpretes reuelauit. Etenim qui propterea quòd aduersarium nostrum diabolum, leonem appellat Petrus, quem Christus deuicit, imagine Herculis leonem lacerantis Christum significaret: vel ob id quòd eundem Satanam, qui animas in suam cauernam obtrudebat, superauit, effigie eiusdem Herculis Cacum claua tundentis eum repræsentaret, plus nimio esset profanus, ac fortasse blasphemus. Quapropter qui in Rosa fragrante mysteria scripturæ sacræ sub profanissima imagine secularium aulicorumque virorum, ac mulierum profanare apud nos cœperunt, meritissimò sunt prohibiti.

2. Argu. S. Thom. Pari modo respondet D. Thom. ad secundum, quod in corporalibus medicamentis, eò quòd diuersæ res eidem medendo morbo habere possunt naturales virtutes, possunt medici alterum pro altero adhibere. In salute spirituali secus censendum. Decuit namque diuersis effectibus gratiæ, quæ in diuersis latent sacramentis, diuersas res coaptari.

Tertium. In tertio argumento docet sub lege naturæ sua etiam viguisse sacramenta, non tamen per expressam institutionem Dei decreta, sed solo interiori instinctu, quo homines ad Dei culturam mouebantur. Et ideo non fuit necesse eadem sacramenta apud omnes extitisse, sed in diuersis prouincijs diuersa. At quoniam quæstio proxima de sacramentis legis naturæ singularis nos manet articulus, illuc vsque est de hoc supersedendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in significatione sacramentorum requiratur verba.

QVEMADMODVM de rebus, quæ ad sacramenti significationem attinent, sic & de verbis disputatur an sint necessaria. *Conclusio articuli.* Et respondet D. Thom. simplici affirmatiua conclusione: nempe, verba quoque esse necessaria. Quam doctè profectò triplici ex capite corroborat. Primò ex parte causæ sanctitatem nostram efficientis, quæ principem habet locum in sacramentis. Vt quemadmodum diuinum verbum carne vestitum nos sanctificat, sic & per sensibile signum verbo informatum id nobis beneficium præstet. Secundo ex parte hominis, qui sanctificatur. Nam cùm ex anima constet & corpore, congruens fuit, vt sacramentum per sensibile elementum corpus tangeret, & per verbum ab anima crederetur, secundum illud Augustini super verbum Ioan. decimoquinto. *Aug. tract. super Ioan.* Iam vos mundi estis propter sermonem meum. Vbi ait. Vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat? non quia dicitur, sed quia creditur. Et tertio ex parte significationis, ad quam, vt secundo de doctrina Christiana idem auctor est, verba inter homines principatum obtinent. Sunt enim res quædam, quæ non ex institutione significant, sed natura sua. Fumus quippe & vestigium naturaliter non fecit, vt significarent, sed quoniam effectus signa causarum suarum existunt, significant illas. Gemitus verò, & nonnullas interiectiones, licèt significandi causa eadem natura genuerit, sunt tamen muta signa. At verò verba in hoc prorsum data sunt nobis, vt expressa

essent nostrorum conceptuum signa. Quo fit vt sacramentorum res absque verbis imperfecta sint signa. Tinctio enim aquę ablutionem ob suam humiditatem significare potest, & propter suam frigiditatem, refrigerium. Ob idque necessarium fuit, vt aduenies verborum forma: Ego te baptizo, restringeret res ad significandum ablutionem animæ. Et hoc est, quod supra citatus Hugo ait, sacramenta ex similitudine repræsentare, & ex institutione significare gratiam.

Ex materia. Hic primum omnium hoc adnotatu opus est, quòd hactenus D. Thom. non dixit sacramentum constare ex materia & forma, sed ex rebus & verbis. Quæ quidem sententia ex illo modo loquendi August. desumpta est. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. *Innoc.* Quod Innoc. de baptismo, Cap. Non vt apponeres. etiam vsurpat.

At scisciteris fortasse, huiusmodi sacramentorum partes quidnam autoritatis habeant: nimirum vtrùm in solo testimonio sanctorum fundentur, an verò in sacra scriptura? Respondetur, quòd quamuis sub his terminis rerum, & verborum sacris eloquijs non sint expressæ, ex ipsis tamen colliguntur. Ait enim Paul. *Ephes.* ad Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Quod Chrysost. & Græci de verbo sacramentali intelligunt, quanquam Hieronymus non nisi de verbis scripturę. Quin verò Christus *Ioan. 3.* Ioan. 3. ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua. Et Mar. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, &c. Ecce aquam & verba. Et de sacramento Eucharistiæ. Accepit panem & fregit, &c. dicens: Hoc est corpus meum; vbi exprimuntur panis & verba. Et de extrema vnctione Iacobus admonet presbyteros, vt orent super infirmum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Quare quòd sacramenta rebus & verbis constent, veritas est Catholicæ fidei, cuius perinde negatio hæresis esset manifestaria. At verò quòd res nuncupetur materia, verba verò *Materia & forma.* forma, vt sanctus Thomas in solutione secunda loquitur, doctorum vsus obtinuit. Nec tamen est cur hoc illis vitio detur. Primitiua enim harum vocum significatio ex re mechanica ortum duxit. Rude namque saxum & lignum materia est arti subiecta, ex qua artifex suas statuas aut res alias efformat. Inde autem physicis ea significatio in vsum venit: postquam duas partes compositi agnouerũt. Eam enim ob rem primo Physic. Philosophus per analogiam ad artificialia materiam *Arist. 1. physic.* rimari docet in naturalibus. Tertiò Mathematici eundem significatum in re secretiori vsurparunt: nam genus in definitione materiam censent, quæ differentiæ subijcitur contrahenti illam ad constituẽdam speciem. Licuit ergo eodem iure theologis in re simillima eisdem nominibus vti. Nam cùm res sacramenti confusè indiscreteque significent, vt exemplo baptismalis aquæ modò declarabamus, per verborum formam ad certum effectum gratiæ: scilicet, ablutionem significandum coarctantur. Pari modo cùm vnctio fieri possit vel ad leniendum, vel ad medendum vulnus, & certè ad confouendum irroborandumque vires, vt in pugilibus, per formam confirmationis accommodatur ad significandum robur fidei. Et cùm ex pane & vino multa fieri possint, per formam sacramenti altaris applicantur ad significandum transsubstantiationem eorum in corpus & sanguinem. Quapropter res se habent vt materia, quæ per verborum formam limitatur & perficitur. Et ideo ex ambobus, sicut ex materia & forma, vt in solutione secunda autor est Diuus Thom. vnum resultat sacramentum. Hoc demum doctorum idioma factum *Concilium Florent.* concilium Florentinum sua autoritate comprobauit, dicens omnia sacramenta tribus perfici: scilicet, rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, & persona ministri. Ac subinde suas singulis sacramentis materias & formas attribuit.

Durand. At Durand. concilio antiquior in 4. distinct. 1. q. 3. molestiam hic nobis exhibet de sacramento matrimonij, de quo non sanè sentit, negans esse propriè sacramentum nouæ legis. Ait quippe nihil illi supra id, quod habebat in lege naturæ, & in veteri testamento additum, nisi fortè indiuisibilitatem. Quapropter aduersus hos tres articulos tribus modis arguit. Primum, vt art. 4. prænotauimus, arguit, quòd in matrimonio non sint res sensibiles, quoniam nutibus & literis celebrari potest. Secundò arguit contra conclusionem articuli præcedentis, quòd non in omni sacramento sint res: quam videntur res à verbis distingui, quandoquidem sibi inuicem contra ponuntur, & tamen in sacramentis pœnitentiæ & matrimonij nullæ discernuntur res præter verba. Imò è conuerso in matrimonio, vt dictum est, non semper verba exprimuntur. Tertiò addit, quòd in istis duobus sacramentis saltem in matrimonio, nullatenus posset distingui materia & forma: nam materia est, quæ se habet vt res respectu verbi, & illic nullius contrahentium verba censeri possunt forma, quæ verba alterius informet. Atque ob id maximè, quòd verba contrahentium de pari (vt ait) se habent: neutra ergo esse possunt materia, vt altera sint forma. His argutijs labefactare sibi videtur hanc rerum & verborum materiæque & formæ conditionem, concludens non esse omnium sacramentorum generalem. In cuius sententiam videtur Adria. in 4. in fine secundæ quæstionis de baptismo subscribere.

Respondetur Durando. At verò ad primum iam suprà à nobis responsum est: nempe, nutus & literas matrimonij signa esse sensibilia, quæ quidem verborum loco habentur. Ad *D. Thom.* reliqua verò duo facilè D. Thom. in 4. dist. 26. q. 2. artic. 1. respondet, quòd cùm tam pœnitentia quàm matrimonium non per rem aliam, quàm per actum suscipientis perficiatur, in neutro horum sacramentorum alia est necessaria materia, quàm actus suscipientis sensui subiectus, qui quidem vicem habet elementi. De quo ait August. Accedit verbum ad elementum, &c. Quocirca non vsque adeo strictè accipitur hic nomen rerum contra verba, sed res appellatur quidquid esse potest materia sacramenti, vt distinguitur à forma, licèt sit etiam verbum. Huius autem causam præter locum modò citatum explicatiùs enarrat quoque idem sanctus Doctor eodem 4. dist. 14. q. 1. arti 2. dicens, quòd quemadmodum corporalium medicinarum quædam in sola passione ægri consistunt, vt emplastri impositio, quædam verò in eius actione, vt exercitatio: sic in quinque sacramentis nulla requiritur suscipientis exterior actio præter intentionem: quare in illis requiritur materia quasi extrinsecus apposita, vt aqua, oleum, &c. At quoniam in pœnitentia & matrimonio actus suscipientis sunt necessarij, illi gerunt vicem materiæ. Et quidem in pœnitentia res perspicua est. Nam confessio pœnitentis significationem habet informem, & ad multa indifferentem, atque adeò materialem. Potest enim fieri gloriationis causa, more illorum, qui lætantur cùm malè fecerint, deinde ad capiendum consilium: prærerea, vt via sit condemnationis, sicuti reus iudici confitetur. Et ideo forma illa sacerdotis, Ego te absoluo, denotat, confessionem illam esse sacramentalis pœnitentiæ. Neque hoc iam in dubium reuocare licet, quandoquidem *Concilium Florent.* concilio Florentino sancitur, quod quasi materia pœnitentiæ sunt illi tres actus, contritio, confessio, & satisfactio. Hoc est, materia sunt peccata contrita, *In matrimonio.* & confessa, & satisfactioni exposita. In matrimonio verò paulò pluris difficultatis est, materiam & formam discernere. Quare concilium Florentinum licet reliquis sacramentis easdem consignet partes, matrimonio tamen non item, sed tantùm causam, qui est mutuus consensus per quem sacramentum celebratur. *Petrum Palud.* Petrus vero Paludanus in 4. dist. 1. q. 4. bifariam matrimonio materiam & formam adscribere nititur. Primùm quòd materia sint ipsæ personæ contrahentes. Itaque eandem existimat materiam in qua, & ex qua. Hoc autem ineptum est. Quoniam materia sacramenti pars eius essentialis esse debet: suscipiens autem non est pars, sed subiectum sacramenti. Secundò ad rem propinquius, ait consensum vnius esse materiam, consensum verò alterius, formam. Veruntamen cùm partes istæ sacramenti, vt iam constitutum est, res debeant esse sensibiles, neq; modus iste satisfacit, Eo præsertim, quòd consensus causa sunt efficiens matrimonij: non ergo sunt materia. Quocirca Capreolus in *Capreolus.* 4. dist. 26. in solutione septimi in omne se latus vertens quatuor multiplicat dicendi modos: nam his nunc prædictis addit, quòd consensus interni sunt materia: externa verò verba, forma: cùm tamen vtrunque deberet ponere signum sensibile. Præterquam quòd verba incongruentissimè dicuntur conceptuum internorum forma. Sunt autem quibus videtur D. Thom. in 4. dist. 1. arti. 3. ad quintum. tenere consensus contrahentium verbis expressos esse materiam, benedictionem verò sacerdotis, qui sacramentum consecrat, esse formam. Cùm tamen doctor ipse sanctus d. 26. q. 2. ar. 1. expressè contrarium doceat: nempe, quòd verba, qui-

bus

bus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma, non autem benedictio sacerdotis: quippe quæ ad essentiam sacramenti non pertinet, sed ad formæ solennitatem.

Resolutio quæstionis. Ad dubium ergo facilè cum eodem sancto doctore respondetur, verba, seu nutus, seu literas, quibus consensus mutui exprimuntur, sibi inuicem esse materiam & formam. Et hic fuit primus modus dicendi Capreoli, in quo debuisset perstitere. Etenim cùm id censeatur materia, quod est informe: forma verò id, per quod species perficitur: consensus verò vnius matrimonio conficiendo non sufficiat, sed alter alteri adiunctus illud conglutinet, fit, vt vnus sit materia, alter verò forma. Et quamuis posset quis fingere verba prius prolata: vt verba mulieris in solenni matrimonio esse materiam, & alia superuenientia esse formam, congruentius tamen ambo censentur sibi mutuò esse materiam & formam: tum quod nil refert vter coniugum prior consentiat, tum maximè quòd posterior etiam consensus per priorem informatur: & ideo æqua ratione vterque ab altero pendet. Et per hoc respondetur argutioni, quam insinuat Durand. Nempe, quòd in matrimonio quilibet coniugum de pari se habet ad matrimonium quare neutrius verba esse possunt aliorum forma. Respondetur, inquam, argumentum potiùs concludere, vtriusque verba pari iure esse sibi inuicem materiam & formam, quòd planè fatemur. Quemadmodum in numeris quamuis vltima trium numerata vnitas compleat ternarium: tamen, quia quælibet in illa specie pendet ab alia, vna quælibet potest considerari vt forma, & reliquæ vt materia.

Supereſt verò postremum argumentum. Quando solis sponsalibus de futuro præcedentibus superuenit coniugalis copula fit matrimonium: vt habetur extra de sponsal. c. Veniens, & tamen neque sponsalia præcedentia sunt materia, nec superueniens copula, forma. *Argum.* Respondetur, quòd si copulatio affectu maritali non fiat, sed fornicario, non perficitur coniugium: si verò illo fiat affectu, tunc eadem copula virtute præcedentium sponsalium est in vtroque coniugum sensibile signum consensuum maritalium interpres. Itaque copula eadem respectu vnius est materia, & respectu alterius, forma: & viceuersa.

Corollariũ adnotandũ. Ex quo responso hæc subsequitur appendix maximè adnotanda, quòd nisi verba de futuro præcesserint, quamuis vtroque mente intrinsecus in matrimonio consentiente, sese thoro commisceant: ita vt tunc nullo alio signo suos consensus sibi inuicem significent, nullum resultat matrimonium. Id quod Palud. loco citato in 4. d. 1. q. 4. probè adnotasse mihi videtur: quoniam copula per se non est consensus matrimonialis sufficiens signum.

1. Argu. S. Thom. Primum argumentum D. Tho. facillimum est. Arguit siquidem, rei sacramenti quædam esse verba, atque adeò dum rebus verba adhibentur, superuacaneam esse congeminationem. Responsio autem est, res non esse perfecta verba, sed quasi muta: & ideo indigere verbis, per quæ earum significatio fiat expressior.

2. Arg. Ex qua ratione & solutio secundi enascitur, quod quidem articulo primo inter disputandum an sacramentum sit res vna, prælibauimus. Cùm enim res & verba diuersarum sint specierum, videntur non posse vnam constituere. Respondetur verò, quòd & si in genere naturæ sint diuersa, tamen in genere signi in vnam coëunt significantiam, vt expositum est: & ideo instar materiæ & formæ artificialium (vt illic explanatum reliquimus) faciunt vnum: eò quòd significatio rerum per verba perficitur. Nomine autem rerum, actiones ipsæ comprehenduntur, vt ablutio & vnctio, &c.

3. Argu. Tertium argumentum est. Sacramenta nouæ legis, vt lib. 19. contra Faustum autor est Aug. Mosaicis successerunt: in eorum autem vsu nulla leguntur necessaria verba: sit ergo vt neque in nostris sint operæpretium. Subijcitur verò responsum, quòd cùm illa prænuntia fuerint venturi Christi, non ita perfectæ erant significationis, ac nostra. Loquebatur enim illis patribus olim Deus, vt ait Paulus, in prophetis, nouissimè autem nobis in filio, qui cùm verbum sit carne vestitum, condecens fuit, planis nobis vt verbis loqueretur. Et ideo quod illic res mutæ quasi sub vmbra mustrabant, vt immolatio agni, abscissio præputij, &c. id sacramenta nostra expressis verbis adaperiunt. Quare vt illic nullæ erant res sacramentorum, vt artic. præcedenti diximus, quæ essent sicut materia sacramenti, sic nec erant tunc necessaria verba tanquam forma. Quamuis credibile sit aliquem fuisse tunc verborum vsum, etiam in circuncisione: nam & de sacerdotibus, qui illa ministrabant sacramenta legitur Num. 6. Sic benedicetis filijs Israël. Benedicat tibi Dominus, custodiat te, &c. Et de illis, qui illa susciebant, scribitur Deuteron. 16. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, &c. Verba autem illa Num quinto quibus sacerdos in expurgatione adulteræ vtebatur, quam si absque culpa erat, bene dicebat: sin verò in culpa, maledictis respergebat, nihil ad rem, quoniam cæremonia illa zelotypiæ non erat sacramentum.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm requirantur determinata verba in sacramentis.

Conclusio. NON satis est nosse verba in sacramentis requiri, nisi scianus, an in vnoquoque requirantur determinata & certa. Ad quod Diuus Thomas hac respondet affirmatiua conclusione. Multò magis requiritur in sacramentis nouæ legis determinata verborum forma, quàm determinatus rerum vsus. Vnde Christus determinatis verbis venerabile sacramentum confecit dicens, Hoc est corpus meum. Neque Apostolorum arbitrio commisit, quibus verbis baptizare vellent: sed edixit, vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Atqui ratio conclusionis ex similitudine rerum naturalium eruitur. Nam in compositis ex materia & forma initium determinationis & ordinis ad rem constituendam à forma enascitur, quæ rationem speciei complet. Materia verò non exigit his aut illis dispositionibus aut organis præparari, nisi secundùm exigentiam formæ, quæ eius est finis. Pari ergo iure in sacramento determinatio materiæ, puta aquæ, aut olei non requiritur, nisi secundum aptitudinem ad formam: quare si rebus opus est determinatis, multò magis verbis. Hactenus D. Thom. Accedit autem & ex superioribus noua ratio. Diximus enim res sacramenti non significare, ceu verba, ad placitum, sed proportione, & analogia rerum materialium ad spiritualia, qualis est ablutionis corporis ad mundiciem animæ: hæc autem significatio confusa est. Quocirca condecens fuit vt earum significatio per verborum adiectionem fieret perspicua.

Expositio articuli. Conclusio præsens vsque adeò vera est atque omnibus recepta, vt sit habenda pro fide catholica. Colligitur enim ex sacra pagina, vt modo dicebamus. Et in concilio Florentino tanquam sacra veritas proponitur. Habet nihilominus nonnihil ambiguitatis, vtrùm vniuersis sacramentis sit iure diuino adscripta certa verborum forma, cuius variatio sacramentum irritaret. Nam in matrimonio, vt proximè visum est, nulla sunt certa verba necessaria. Et in baptismo, vt suo loco videbimus, Apostoli vsi sunt alia forma. Et Græci non dicunt. Ego te baptizo, sed baptizetur seruus Christi. Imò de sacramento Eucharistiæ proprio loco disputabimus, vtrum forma tota consecrandi calicem sit tota de necessitate sacramenti, an solùm de necessitate præcepti.

Vtrum formæ sacramentorum sint, de iure diuino. Interrogatio hæc tribus conclusionibus absoluitur. Prima, Omnia sacramenta institutione diuina, nempe Christi, verba habent eatenus determinata & definita, vt planè effectum gratiæ talis sacramenti repræsentent. Probatur. Nam vt quæst. 5. monstrabitur, solus Deus est, qui potest instituere sacramenta: qua vtique potestate factus homo tanquam autor gratiæ functus est. Cui autem competit sacramẽtum instituere, eidem soli incumbit & res & verba essentialia sacramenti præscribere, quibus eiusdem sacramenti effectus designatur. Atqui eodem ratio illa pertinet, quam articulo quarto Diuus Thomas tractabat, nempe quòd eidem soli cui competit salutem & gratiam per sacramenta elargiri, congruit & res & multò iustiùs verba definire quibus eandem sanctitatem operatur.

2. Concl. Secunda conclusio. Non omnium sacramentorum formæ eodem gradu explicitæ sunt à Christo. Imò in triplici sunt ordine. Quædam enim sunt in euangelio expressæ, vt forma baptismi. Matthæi vltimo: Baptizantes eos in nomine Patris, &c. Et forma consecrationis, Matthæi 26. Hoc est corpus meum, &c. Aliæ verò sunt quæ ex euangelio facilè depromuntur, & per Apostolorum traditionem. Ecclesia habet tanquam de fide receptissimas: vt patet de forma sacramenti pœnitentiæ. Ego te absoluo, quæ ex loco illo elicitur Matth. 16. Quodcunque solueris super

Digitized by Google

terram, erit ſolutum & in cælis. Extant enim in Eccleſia Chriſti documenta complura verboteaus ab Apoſtolis edocta ſecundùm illud, 2. Theſſal. 2. Seruate traditiones quas accepiſtis, ſiue per epiſtolas, ſiue per ſermonem, hoc eſt citra ſcripturam. Et 1. ad Corinth. 11. Cætera (inquit) cùm venero diſponam: quæ tamen diſpoſitio nuſquam in ſacris Biblijs legitur. At verò ſacramentorum inſtitutiones, ac perinde materiæ & formæ, non ſunt inter Apoſtolorum traditiones, tanquam eorum inſtituta cenſendæ. Diſtinguit enim Paul. 1. Corinth. ſeptimo inter Dei mandata, & ſua. Præcipio enim, inquit, non ego, ſed Dominus. & infrà. Nam cæteris ego dico & non Dominus. At quicquid de eſſentia ſacramenti eſt, non tantummodò vt Apoſtolorum eſt cenſendum. Qui porrò vt quæſt. 5. monſtrabitur, ſacramenta inſtituere nequiuerant, ſed ita eſt exiſtimandum quaſi ab ore Chriſti ipſi ſuſceperint, & Eccleſiæ promulgauerint. Et idem eſt de alijs tribus formis: ſcilicet, Confirmationis, Extremæ vnctionis, & Ordinis. In tertio ordine eſt forma ſacramenti matrimonij. Haud enim explicatiorem Chriſtus tradidit, quàm quæ iure naturæ coniugalem aſſenſum exprimere ſufficit, quibuſcunque id verbis aut nutibus fiat. Illa enim forma in cap. Licet. de ſponſal. duorum. Ego accipio te in meam, &c. etſi ſit congrua & ideo dum matrimonium fit ſolenniter ſeruanda, haud tamen eſt neceſſaria. Ratio autem eius triformis diſcriminis eſt, quòd ſacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ omni populo ſimpliciter ſunt neceſſaria. Nam niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, & manducauerit carnem filij hominis, non intrabit in regnum cælorum. Et ideo illæ formæ ipſiſſimis verbis explicatæ ſunt à Chriſto. Poſt hæc duo peccatoribus etiam neceſſaria eſt pœnitentia. Quare eius formam licèt non tam liquidò inſinuauerit, tamen dicens Matth. 16. Quodcunque ſolueris, & Ioann. 20. Quorum remiſeritis peccata, illam deſignauit. Quocirca etſi Eccleſia verbum, abſoluo, elegerit, tamen per verbum, remitto, perfici poteſt ſacramentum, licèt non abſque culpa mutetur. Ob idque D. Tho. in 4. diſtinct. 14. ſtatim quæſt. 1. ad ſecundum, ait non eſſe vſque adeò determinatam in pœnitentia, quàm in Euchariſtia & baptiſmo: eò quòd nec in cõſecratione materiæ conſiſtit, veluti Euchariſtia, nec in vſu & applicatione, vt baptiſmus & confirmatio: ſed in remotione potiùs materię, nempe peccatorum. At quoniam confirmatio, & ordo, & extrema vnctio non ſunt ſacramenta vſque adeò neceſſaria, non exiſtunt eorum formæ tam perſpicuè ab ore Chriſti in Euangelio prolatæ, Apoſtoli nihilominus ab illo audientes, illas docuerunt Eccleſiam. Reliqua verò quæ Eccleſia ornatus & religionis gratia in ſacramentis adhibuit, de eorum neceſſitate nequaquam exiſtunt, vt benedictiones deprecationeſque baptiſmi, & ſacrificij miſſæ & ſacramenti pœnitentię & cæterorum. Reliqua argumenta de forma baptiſmi & conſecratione calicis ſuis proprijs locis adnotabuntur.

Notabile.

Sacramentũ matrim.

Ratio notanda.

Matt. 16.

Perſpice autem primum argumentum literæ. Salus, quæ per ſacramenta conquiritur, eadem eſt apud omnes: voces autem vt ait lib. 1. Periher. Ariſtot. diuerſæ ſunt in diuerſis linguis: ergo non requiruntur determinata verba, ſed alia apud Latinos, & apud Græcos alia. Reſponſio eſt, concluſionem non ſic eſſe intelligendam, vt ſacramenta eadem verba in omni natione expoſtulent, ſed ſic determinata in qualibet lingua, vt in vniuerſis nationibus idem ſit ſenſus. Nam vt autor eſt Aug. ſuper Ioan. c. 15. Verbum in ſacramentis non operatur, quia exteriori ſono vocis dicitur, ſed quia intus mente creditur. Idem autem ſenſus verba faciunt, ſeu latinè, ſeu græcè, ſeu hebraicè proferantur.

1. Argu. S. Thom.

Secundum argumentum eſt. Verba ratione ſignificationis exiguntur in ſacramentis, contingit autem per diuerſa verba idem in eadem lingua ſignificari. Nam quod ſignificat, baptizo, idem reddit abluo, & tingo, nullum ergo eorum eſt neceſſariò præſcriptum. Reſponſio verò eſt, quòd inter plura eiuſdem ſignificationis verba, illud aſſumi debuit in ſignificationem ſacramenti, quo præcipuè vniuerſaliuſque homines illius idiomatis ad id ſignificandum vtuntur. Sicuti & res illæ vſurpantur, quibus vſitatius illa actio exercetur, per quam ſacramenti effectus deſignatur: putà aqua in baptiſmo, quo fit ſpiritualis ablutio.

2. Argu.

Hæc autem regula quamuis ab omnibus ſit receptiſſima, geminum tamen includit ſenſum. Dubium ideo ſecum affert, vtrùm illa vſitatiſſima vox eatenus ſit neceſſaria, vt per eius mutationem irritum fiat, & caſſum ſacramentum, an duntaxat contrahatur culpa, manente ſolido ſacramento. Quod quidem dubium confeſtim articulo proximo reſerabitur, vbi de verborum permutatione diſputaturi ſumus.

Dubitatio.

Interim autem animaduertendum eſt, non ſolum illam vocem cenſeri præcipuam, & vſitatiorem quæ eiuſdem linguæ natiua eſt: verùm & illam nonnunquam quæ ab alia lingua celebri vſu fuerit recepta. Baptizo, enim nomen Græcum eſt, quo tamen omnes nationes Chriſtianiſmum profeſſæ vtuntur. Sicuti & nomen Chriſmatis, quod vniuerſæ in forma confirmationis vſurpant.

Animaduertendum.

Potuiſſet ergo Caietan. impræſentiarum illam ſubticere cenſuram, qua videtur Eccleſiæ curam ſubmordere. Inſinuat enim conſultius fuiſſe non introducere verba græca ſacramentorum in Eccleſiam Latinam. Nam qui rudes, inquit, ſunt linguæ, ſignificatum vocis non ita lucidè percipiunt, ac ſi dixiſſent audiſſentque. Ego te abluo, & ego te vngo vnguento ſalutis. Quæ quidem cenſura non erat hic neceſſaria. Imò verò vniuerſalis Eccleſia non temerè, ſed conſultiſſimè verbum retinuit græcum, quamuis hebraicè fuerit à Chriſto prolatum: eo quod primum Biblia in græcum, quod vniuerſalius idioma tunc erat, traducta ſunt: imò Apoſtoli eodem vſi cenſentur. Poſtulabat namque maieſtas ſacramenti baptiſmi, quo profeſſio fit fidei regeneratioque in Chriſto, vt eodem verbo nationes omnes Chriſtianæ vterentur, vt vel per hoc vnitas fidei in Chriſtiana vniuerſitate ſplendeſceret. Præterquam quod & propter amplitudinem ſuæ ſignificationis ſeruatum eſt. Significat enim idem quod, mergo, abluo, & tingo, quibus tribus modis baptiſmus fieri poteſt. Et ideo non decuit per aliquod illorum transferri, ne eius ſignificatus coarctaretur. Quandoquidem per quodlibet miniſtratus baptiſmus verum ſit ſacramentum. Eadem ratione propter verbi dignitatem interpretes aliena verba reſeruant. Vt Emanuel, Epheta. Et idem eſt de Chriſmate, imò ipſum verbum, baptizo, ſeruauit interpres Iudic. 12. Baptizabat ſe fonte. Et Eccleſiaſt. 34. Qui baptizatur à mortuo, quid proficit eius lauatio? Neque eſſe vllus poteſt tanta ignorantia cæcutiens, cui non per vſus ſolennitatem notiſſimum ſit, quid baptizo ſignificet & Chriſma.

Contra Caietan.

Baptizo.

Tertium argumentum adhibet D. Tho. vt decretum Zachariæ exponat, cano. Retulerunt. de conſecrat. d. 4. Vbi eos, quos quidam ſacerdos baptizauerat in nomine patria & filia & ſpiritua ſancta, vel fortè, patrias, pro legitimè baptizatis ducit. Eſt ergo argumentum. Corruptio rei cuiuſlibet ſpeciem variat, vt cùm vinum ſit acetum, corrupta autem verba non mutant ſacramenti ſpeciem: vt Papa decernit in illiteratis, & balbis; non ergo determinata verba eſſentialia ſunt ſacramento. Reſponſio autem quatuor habet membra. Primum. Ille qui de induſtria corruptè verba proferret, non videretur ſacramentum conficere, quia non videretur id intendere, quod facit Eccleſia. Secundum aſſertum. Vbi autem quis non de induſtria, ſed errore vel lapſu, vel balbutie linguæ id facit, corruptio autem ſit tanta, quæ omnino ſenſum auferat loquutionis, non videtur perfici ſacramentum. Tertium. Si verò non taliter auferatur ſenſus loquutionis, nihilominus perficitur ſacramentum. Subdit autem huiuſmodi diſcriminis percipiendi non nullum indicium: videlicet, quòd quando corruptio fit in initio dictionis, tunc plurimùm ſignificatio legitima mutatur, & ſubſtantia nominis, vt ſi pro patris, dicas, matris: aut pro filij, milij. Variatio autem, inquit, in fine dictionis vt plurimùm mutat coniugationem. Sic enim legendum eſt, aut declinationem: non, conſignificationem, vt patet in ſubiunctis verbis. Quæ tamen coniugatio ſecundùm Græcos variatur, etiam ſecundùm principium dictionis in declinationibus verborum. Augent enim verba in principio per modos & tempora. Vbi ergo ſola declinatio variatur, vt pater, patris, patrem, ſubſtantia nominis manet. Et ideo baptiſmus illius capituli. Retulerunt. vbi per ignorãtiam dicebatur patria & filia, toleratus eſt. Quamuis. n. inquit D. Tho. eiuſmodi verba corruptè prolata nihil ſignificent ex virtute impoſitionis: non autem intelligas ſingula per ſe verba, nihil ſignificare, quia patria patriam ſignificat, & filiam, filia, ſed tota oratio propter incongruitatem non ſignificat ex impoſitione: nihilomi-

3. Arg. De conſ. d. 4. can. Retulerunt.

Quadrimembris reſponſio.

nus

nus ex accommodatione vsus: nempe, quia illam baptizando sacerdos proferebat; eundem reddebat sensum, ac si dixisset in nomine Patris & Filij. Itaque licèt singula verba significationem mutarent; tota nihilominus oratio legitimum sensum ex vsus accommodatione retinuit. Huic autem regulæ minùs fidens adhibet quartum membrum: scilicet, consultiùs attendendam esse corruptionis quantitatem: quoniam tam à principio quam in fine esse potest tanta corruptio, quæ legitimum sensum auferat, tamque vtrobique tenuis vt illum obseruet. Vt tamen responsio hæc vna cum conclusionibus subsequentis articuli perspicaciùs examinetur, illum subiungamus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum.

SVPERIORI articulo annexum est perscrutari vtrùm formæ sacramentorum, quam diximus certis determinatisque verbis constare, aliquid addere liceat, vel subtrahere, vel mutare. Ad quam quæstionem D. Tho. præfixo in capite documento sex conclusionibus respondet. Documentum est, quòd in huiusmodi mutationibus duo sunt attendenda. Vnum à parte eius qui sacramentum ministrat, nempe intentio, quæ omnino necessaria est: alterum verò ex parte significationis verborum.

1. Concl. Circa prius membrum statuitur prima generalis conclusio. Si minister per mutationem verborum, seu addendo, seu subtrahendo intendat alium ritum inducere qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur sacramentum perficere, quia non videtur intendere quod Ecclesia intendit.

2. Concl. Posterius verò membrum ex parte significationis verborum subdistinguitur: nam cùm verba secundùm sensus operentur, tunc dicitur secunda conclusio. Si per eiusmodi mutationem aut subtractionem tollatur debitus sensus verborum, etiam si intentio debita adsit, non perficitur sacramentum: nam id tollitur quod de eius substantia existit. Quare, vt ait Didymus in libro de Spiritu sancto, qui baptizaret, aliquod trium nominum Trinitatis prætermittendo, sine perfectione baptizaret. *Didymus.*

3. Concl. Tertia conclusio. Si verò per mutationem non tolleretur debitus sensus, talis mutatio, quia non tollit id quod est de sacramenti substantia, non aufert eius veritatem. Et ad hoc propositum adducit Græcorũ morem, qui non dicunt, Ego te baptizo, sed baptizetur seruus Christi; vbi idem retinetur sensus. Quocirca, qui de forma consecrationis corporis subtraheret particulam, enim, non subinde perfectioni sacramenti obsisteret: nam legitimus maneret sensus.

4. Concl. Quarta conclusio. Qui eiusmodi minutiora prætermitteret, peccaret quidem, si ex contemptu vel negligentia id faceret.

5. Concl. Quinta & sexta conclusiones peculiariter ad additionem spectant. Est enim quinta. Si quis aliquid formæ sacramenti apponat, quod sit corruptiuum debiti sensus, veritatem tollit sacramenti: vt si quispiam ex Arrianis diceret, baptizo te in nomine Patris maioris & Filij minoris.

6. Concl. Sexta conclusio. Si verò talis additio legitimum sensum non excludat, non tollitur sacramenti veritas: siue in principio, siue in medio, siue in fine id fiat. Vt si quis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus sancti paracleti, vel si in fine addat, beata Virgo te adiuuet: nam cum hæc adiectio non fiat in eodem casu eodemque tenore, planum est non fieri, vt partem formæ. At verò si sub eodem tenore adderetur: scilicet, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & beatæ Virginis, quantum ad vim verborum attinet, non esset sacramentum: quoniam inducitur virgo Maria quasi eius nomine, sicut Patris & Filij celebretur sacramentum. Quod est pestilens error contra illud Paludan. 1. ad Corinth. primo: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Esset nihilominus consulenda baptizantis intentio. Nam si nomen virginis non sic induceretur quòd ipsa gratiam conferret, sed tanquam aduocatrix & adiutrix ad illam impetrandam, sacramentum extaret.

Igitur vt vniuersa permutatione species ob oculos simul colligas, quinque sunt numero: Nempe corruptio, de qua in calce superioris articuli: additio, & subtractio, de quibus impræsentiarum. Ac denique interruptio temporis & verborum transpositio, de quibus infernus in solutione tertij. Quo autem hæc omnia per ordinem acutiori examine expendantur, primam conclusionem reprobare videtur Paludan. in 4. distinctione tertia quæst. 1. affirmans, quòd quamuis baptizans per verborum mutationem inducere intendat errorem, nihilominus, dummodo intendat id facere, quod facit Ecclesia, neque tanta sit corruptio, quin seruetur legitimus sensus, perficitur sacramentum. Nam tunc cuncta seruantur, quæ sunt de substantia sacramenti. Græci namque conficientes in fermentato, errorem sustinent, quòd sic Christus confecerit, neque in azymo conficere liceat: & tamen verè confecerant. Idem ergo erit de mutatione formæ: si maneat legitimus sensus. Item hæretici semper in illo versantur errore, quòd sua Ecclesia sit Catholica, cuius quidem Ecclesiæ intentionem habent, dum baptizant: & tamen si secundum veritatem facere in genere proponant, quod Ecclesia Christi, verè baptizant. Vt Lutheram quamuis credant Christum non esse in sacramento altaris, tamen si consecrantes id intendant facere quod vera Ecclesia profitetur, verè consecrant. *Permutationes quinque. Paludimpugnatio.*

Ad hoc autem respondetur Diuum Thomam nunquam negasse, quin vbicunque interfuerit intentio faciendi quod facit Ecclesia, verborumque legitimus sensus, verè perficiatur sacramentum, si modò simul adsit suscipientis intentio, de qua posthea dicturi sumus. Est enim hæc constantissima veritas, quam Augustin. contra Donatistas vbique confirmat: præcipuè libro 6. de baptismo contra illos capit. 25. & refertur de consecratio. distinctio. 4. cap. si non sanctificatur. Ait quippe baptismum Christi, id est, verbis Euangelicis consecratum, vbique eundem esse. Et ideò baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi. Vnde in Florentino concilio, vt in textu retulimus, tribus decretum est sacramenta perfici: videlicet, rebus tanquam materia, & verbis, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. At sanctum Doctorem profectò neque à suis discipulis satis hic intellectum video. Cùm enim duo ad sacramentorum veritatem attendenda doceat: scilicet, & intentionem faciendi quod Ecclesia facit, & integrum verborum sensum, quantum ad priorem rationem duas simillimas conclusiones constituit. Prior est in responsione tertij superioris artic. Ille qui de industria corrumpit verba sacramentalia, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, ac perinde neque videtur perficere sacramentum. Posterior est hic prima. Qui intendit per mutationem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perficere sacramentum: quia non videtur habere intentionem Ecclesiæ. Vides quòd vtrobique ob id negat sacramentum perfici, quòd non adest intentio Ecclesiæ. A contrario ergo sentit: si illa adesset, etiam hæreticus baptizaret, dummodò seruaret legitimum sensum. Exempli gratia. Græci vt infrà, distinctio. 2. artic. 1. iterum videbimus, baptizant dicentes. Baptizetur seruus Christi, illa cauentes dissidia. 1. ad Corint. primo, ne quis putet baptizari à Paulo vel ab Apollo, quasi virtus sacramenti ab homine promanet. Et conficiunt in fermentato. Illi tamen ritus permittuntur ab Ecclesia nostra, vt in concilio Florentino sub Eugenio patet. Et ideo sic baptizantes, seruant intentionem Catholicæ Ecclesiæ. Vnde si nostra Ecclesia illos execraretur condemnaretque ritus, profectò non verè perficerent sacramenta: quia illos inducentes intentioni Ecclesiæ aduersaretur. Et hoc habetur expressè in ca. citato retulerunt, vbi ait Papa, quòd si ille sacerdos baptizans in nomine patria, noluit inducere errorem: videlicet, Deum habere filiam, baptismus valebat: alioqui minimè: quia non seruaret Ecclesiæ intentionem: vtpote, quæ cum illo errore stare simul nequit. *Respondetur. Aug. cont. Donatistas. Sensus Tho.*

Sed rogas, quid si quis verba mutaret de industria: intendens scilicet corrumpere ritum, seruando tamen intentionem Ecclesiæ: vt si quispiam forsan sciens & prudens baptizaret sicuti sacerdos illius capituli. In nomine patria & filia & spiritua sancta: non quidem quasi hæreticus ab intentione Ecclesiæ deficiens, sed suo arbitrio volens vti mala grammatica: sicut si in consecratione diceret, Hoc est corpus meus. Profectò certò crediderim verè tunc confici sacramentum:

licèt illa mutatio non careret culpa. Nam illic seruaretur quicquid est de substantia sacramenti. Illa siquidem verba ex accommodatione vsus perinde retinerent legitimum sensum consultò & per culpam prolata, ac si sine culpa proferrentur ex inscitia aut ex balbutie: quoniam modus proferendi significationem non mutat, quæ ex accommodatione vsus oritur. Secus si vellet errorem inuchere dicendo filia, ac si Deus habeat filiam fœminam: nam tunc non seruaret intentionem Ecclesiæ, vt idem illic Papa admonet. Cùm Ecclesia non intendat baptizare nisi in nomine Patris & Filij.

Defenditur D. Thom.

Sed tunc fortè ex hac sic asserta sententia inferas, ergo falsa fuit assertio sancti Thomæ vniuersalis, quòd qui de industria corrumpit verba, non conficit sacramentum. Nam nulla esset excusatio, si diceremus, eum id intelligere quando corruptio tanta esset, quæ sensum legitimum tolleret, quandoquidem illa corruptio, etiam si non sit ex industria, sed ex ignorantia, tollit veritatem sacramenti: vt ipse statim subdit. Responsio ergo est, quòd istam ob causam non simpliciter negauit illic perfici sacramentum, sed cum moderamine dixit, videtur. Voluit enim docere, quòd vbi quis de industria corrumpit verba, etiam si seruetur ex accommodatione vsus debitus sensus, tunc quantum colligitur ex illa sua voluntate, censendus ille est non habuisse intentionem Ecclesiæ. Et ideo nisi aliunde constiterit legitimam habuisse intentionem, sacramentum habendum esset pro irrito. Si tamen aliunde constaret legitimam habuisse, tunc illa verborum corruptio veritatem non euacuaret sacramenti. Et eadem ratione hic vbi loquitur de mutatione ritus non simpliciter ait, quòd vbicunque mutatur ritus, cassum sit sacramentum, sed ait, videtur non subesse intentionem Ecclesiæ: quæ ideo si aliunde constaret adfuisse, sacramentum perficeretur. Grauiter ergo hallucinatus est Paludan. non animaduertens, aliud esse eum qui hæresi infectus est, sacramentum ministrare, aliud verò in ipsa administratione errorem suum impingere. Haud enim ob id, quòd qui sacramentum administrat hæreticus est, synceritas veritasque sacramenti tollitur, sed ob id quòd errorem illic intendit profiteri. Id quod profectò negare erroneum est. Enimuerò licet Arrianus esset qui crederet filium minorem patre, si tamen id non poneret in forma, sed intenderet id quod Ecclesia intendit, baptizaretque nostra forma, verè baptizaret. Si tamen in forma errorem suum poneret, profectò non baptizaret: quoniam non simul cohærere possunt, vt quis dicens, & filij minoris, tunc habeat intentionem Ecclesiæ, quia nec eius confessionem profitetur: Et ideo Diuus Tho. non simpliciter dixit quod baptisma Arrianorum non esset validum: sed si fieret in nomine patris maioris, &c. Vnde in concilio Arelatensi, quod refertur de consecra. distinctio 4. Canon. de Arrianis, & canone. Ab antiqua, qui est Gregorij, non simpliciter præcipitur, vt Arriani venientes ad Ecclesiam baptizentur, sed vt interrogentur qua forma fuerint baptizati. In canone autem, hi verò simpliciter Bonosiani & Cataphrygæ iubentur denuò baptizari: quia peruersa confessione Trinitatis baptizabant. Et pariter Donatistæ licet crederent eos, qui ab hæreticis baptizantur, iterum baptizandos, quando tamen nostra forma baptizabant, verè baptizabant: si verò errorem suum in forma baptizandi ponerent, dicentes. Si ego hæreticus sum, aut si tu hæreticus es, non te baptizo, sed si sum catholicus, tunc certè non intenderent facere, quod Ecclesia facit, atque adeò neque verum ministrarent sacramentum, quoniam Ecclesia absolutè intendit, vt per quemcunque ministrum, & cuicunque detur baptismus, sit validum sacramentum, licèt hæreticis in peccato existentibus gratiam non conferat. Neque hoc orthodoxorum vlli in dubium reuocare licet. Sicuti si Lutheranus credens corpus Christi non re, sed in figura esse in sacramento, intendens illum errorem, diceret, hoc quodammodo est corpus meum, certè non conficeret: quia nec sensum Ecclesiæ, neque eius intentionem præ se fert: secùs si nostra vteretur forma, id intendens, quod Ecclesia.

Hallucinatio Paludani.

De consecr. dist. 4. Can. de Arrianis.

Luther.

Errores in substantia verborum.

Hæc de erroribus ex parte intentionis. Errores autem in verborum mutatione, dum seruatur intentio, ad duo reducuntur. Si enim corruptio, vel additio, vel subtractio, &c. significationem mutet, non sit sacramentum, si verò seruet, est sacramentum. Exempla igitur à primo capite exordiamur. Dictum enim est in superiori articulo in solutione secundi illa esse vtendum voce in vnaquaque lingua, quæ illi est frequentior in vsu. Quamuis autem aliam eiusdem significatus eidem substituas, non euacuatur sacramentum, vt si pro, baptizo, dicas, abluo, aut tingo. Nam & Paul. ad Roman. 6. baptizatis ait, abluti estis. Et Cypria. in epistola ad Cœcilium verbum baptizantes, transfert per hoc quod est, tingentes. Quod verbum Hie. super Matthæum capite vltimo, & alij Patres sæpe vsurpant. Non autem satis tutus auderem dicere sacramentum valere: vbi diceretur, ego te immergo. quoniam cum immersio non semper ad abluendum fiat, debet per formam restringi immersio ad significandam lotionem. Nisi quòd fortè ex accommodatione vsus, mergo, tunc, esset, baptizo. Neque si diceretur ego te mundo aut compurgo: nam debet significari peccatorum illic mundatio per modum ablutionis, sicuti neque in forma sacramenti pœnitentiæ liceret dicere, Ego te abluo à peccatis citra violationem sacramenti: quia effectus proprius illius sacramenti est condonari peccata, per modum absolutionis, vt facit iudex. Non tamen eneruaretur pœnitentiæ sacramentum, si diceretur, remitto tibi peccata, vt suprà diximus, quoniam eodem verbo vtitur Christus Ioannis vltim. Eodem iure qui in altari pro, hoc, diceret, illud, verè consecraret. Nam quamuis illud Latinè aliud quàm, hoc, significet: nonnunquam tamen pro eodem vsurpantur. Vtrùm autem nomina Patris & Filij liceat mutare in genitoris & geniti, distin. 3. in materia baptismi disputabitur.

Forma baptismi.

Forma sacramenti pœnitentiæ.

Forma Eucharist.

Adde, quòd si ex vsus accommodatione, duo nomina eandem habeant significationem, per vtrumque verè fit sacramentum. Vt si quis absoluendo nobilem diceret, Ego absoluo vos. Et pariter qui absoluendo Cæsarem, diceret absoluo maiestatem vestram, quamuis ridiculus esset, qui illa reuerentia vteretur, vere tamen absolueret. Sicuti, si è conuerso Episcopus diceret. Nos absoluimus te. Ratio istorum est, quòd vbiuis idem est verborum sensus, eadem existimatur forma. Cùm ergo accommodatio vsus vim in secularibus sermonibus obtineat, non est cur non eandem quoque retineat in sacramentis.

Ex vsus accommodatione.

Adde quòd & figuratus loquendi modus ex accommodatione vsus retinet in sacramentis legitimum sensum. Etenim secundùm primæuum verborum sonum forma illa, Hic est calix, &c. non significat versionem vini in sanguinem: imò in calicem. Cæterùm, quia per synecdochen continens accipitur pro contento, vel per metaphoram, calix accipitur pro passione qua effusus fuit sanguis: vt proprio articulo explicaturi sumus, synceritas sacramenti seruatur.

Figurata locutio.

Percontetur hic autem quispiam fortassis, vtrùm si quis apud se ipsum imponeret nomina idem significantia, quod forma Ecclesiæ, vt si consecraret per cifras. H. E. C. M. substantiam eneruaret sacramenti? Respondetur. Proculdubiò eneruaret. Haud enim satis est verba ipsi ministro significare, sed habere debent solennem significatum vsu linguæ apud omnes. Quare, si ille apud plebem posset imponere voces idem significantes quod, Ego te baptizo, verè baptizaret per illa.

Interrogatio

Idem in corruptione verborum animaduertendum, nempe, quanta sit corruptio. Qui enim pro corpore diceret: Hoc est cor meum, profectò non consecraret. Sunt autem peiores, quàm scrupulosi & morosi, qui putant si pro, meum finali, m, dicant meum per, n, non consecrare. Est enim deridendus scrupulus. Hispani namque ægrè proferimus, m, in fine. Imò si pro, est, velocitate linguæ dicatur, es, nullus exurgere debet scrupulus, quoniam, t, post, s, in fine difficile etiam Hispani proferunt. Ex accommodatione enim vsus seruatur legitimus sensus: sicuti in balbutientibus. Per hæc de reliquis mutationibus facile vnus quilibet iudicabit, de quibus infra dist. 3. art. 5. iterum redibit sermo. Circa hæc tamen omnia vnum est remedium, vt re dubia iteretur sacramentum. At verò non vbique æquale periculum offertur. Nam in sacramentis non iterandis, vt in baptismo, periculosius est propter tenuem scrupulum sacramentum iterare: at vbi dubium rationabile est, iterandum est sub conditione. Si non es baptizatus, &c. iuxta tenorem capituli. de quibus dubium, extra de baptismo & eius effectu. In alijs verò vt in Pœnitentia & Eucharistia, minus dubium sufficit, vt forma iterari possit.

Exempla corruptionis.

Remedium.

Superest autem quarta conclusio Diui Thomæ expendenda,

Digitized by Google

De permutationis culpa.

pendenda, qua ait illum, qui mutationem quamlibet siue negligentia, siue ex contemptu facit, peccare, licèt debitus custodiatur sensus: vt si quis formæ consecrandi corpus voculam, enim, adimeret. Quæstio enim est quale quantumque delictum existat. Ad quod duabus conclusionibus respondetur. Prior est. Eiusmodi delicta sunt in genere sacrilegij: quod vtique est religioni contrarium, quo scilicet res sacratissima violatur. Ex quo plane sit genere suo esse mortalia. Est enim ratione obiecti & materiæ grauissimum.

1. Concl.

2. Concl.

Secunda conclusio. Potest nihilominus vel ratione leuitatis materiæ, quia tenuissima est corruptio, vel quia deliberatio non fuit plena, vel ex leui negligentia fieri veniale. Cùm enim hac triplici de causa genus omne peccati, etiam si sit iuri naturali ac diuino aduersum, fiat veniale, non est cur non & in præsenti materia id ipsum accidat.

Prudentis regula.

Si autem scire cupiatis, quo discerniculo iudicabitur quando est tam grauis mutatio, vt sit mortalis: & quando tam tenuis, vt sit venialis, profectò iudicio potiùs prudentium arbitrandum est, quàm certa regula constituendum. Primum omnium, vbi de industria tanta fieret vel mutatio vel corruptio, vt sacramenti integritas vitiaretur, nec maneret legitimus sensus, citra dubium esset mortale sacrilegium, idemque enormissimum. Imò etiam si fieret ex notabili negligentia, vix posset excusari à mortali. Fieret quippe insignis iniuria rei sacræ. Tametsi negligentia potuerit esse tam modica: nempe, tam præcipitata prolatio, vt non esset grauior, quàm venialis. Quinetiam posset casus adeò repentinus accidere, quo ministri animus ab eo quod agebat diuelleretur, vt etiam si formam sacramenti prætermitteret, nulla constitueretur in culpa. Vbi autem mutatio aut corruptio non aufert legitimum sensum, vix ad mortalem culpam condemnarem: nisi id ex contemptu procederet, vel in re graui ordo præceptioque Ecclesiæ violaretur. Qui enim sacramenti despectu aut fastidio voculam, enim, inter consecrandum corpus, demeret, culpa se fortè mortali contaminaret, dixerim fortè: quoniam & contemptus ratione tenuitatis materiæ potest esse venialis. Si autem fieret ex negligentia, quantumuis crassa & supina, corruptio hæc atque aliæ eiusmodi paruæ, non essent nisi veniales. Imò quamuis non adhibeatur diligentia proferendi, m, finale in meum, vel si fortè non proferatur, t, in verbo est, nullam profectò reor culpam incurri. Deus enim non est tam istarum minutiarum obseruator.

In mutationibus.

In mutatione verò, vbi verba sunt æquipollentia: vt si pro baptizo, dicas, abluo: aut pro absoluo, remitto, culpa quidem est, non autem vt arbitror, mortalis: nisi fortasse ratione scandali. Idem de eo existimandum, qui patrio vulgarique idiomate ministraret sacramenta: vt, si Hispanè quis diceret. *Yo te bautizo, o yo te absoluo.* Imò verò dum seculares, præsertim mulierculæ in graue periculo infantes intingunt, fortasse consultius vterentur patria lingua: sanè cùm Latinam ineptissimè proferant.

Transgressio præceptionis Ecclesiæ.

Diximus transgressionem ordinationis Ecclesiæ impingere nonnunquam peccatum mortale. Quod intelligitur etiam vbi verba & cæremonia de essentia sacramenti non fuerint corrupta. In forma namque consecrationis calicis sola prima verba, Hic est calix sanguinis mei; sunt de essentia sacramenti. Qui autem subsequentia proferre negligeret, lethaliter delinqueret. Imò qui sine cæremonijs missæ consecraret: & sacerdos, qui sine catechismis & exorcismis solenniter baptizaret, atque Episcopus, qui sine præscriptis cæremonijs solenniter ordinaret. Qui verò in ablutione sacramentali illas precationes, Misereatur tui, &c. silentio præteriret, non ob id esset reus mortalis culpæ: quoniam non sunt in tanto gradu ab Ecclesia institutæ.

Formæ sacramenti matrimonij.

Forma autem sacramenti matrimonij non est, vt suprà diximus, de iure diuino, nisi quatenus consensus coniugalis exprimit: nulla ergo est culpa qualitercunque mutetur. Tametsi cùm sacramentum solenniter celebratur, seruanda est forma Ecclesiæ, Ego te accipio in meam; &c. quæ præscribitur capit. Si inter, de desponsatione impuberum.

1. Argu.

Primum argumentum D. Thom. est, Nihil addere fas est verbis sacræ scripturæ: ergo neque verbis sacramenti: quandoquidem ab Spiritu sancto sunt pariter instituta. Responsio autem consistit in distinctione antecedentis ac subinde consequentis. Sicut enim sacris oraculis licet aliquid addere ad expositionem, non tamen quod substantiam significationis demutet, sic & verbis sacramentalibus licet addere, verbi gratia, patris omnipotentis, &c. non tamen patris maioris & filij minoris.

2. Argu.

Secundum argumentum ex Aristotele 8. Metaph. dicentis, quòd, vt in numeris, sic in formis quæcunque additio speciem mutat. Consistit enim perfectio speciei in indiuisibili. Cùm ergo verba, sint sacramentorum formæ, quælibet additio mutaret speciem. Respondet autem, quòd cùm verba ratione sensus significati habeant vicem formæ, mutatio verborum non mutat speciem, nisi mutetur sensus.

3. Argu.

Tertio argumento tanguntur duæ aliæ variationes formarum, hactenus intactæ. Quæ sunt interruptio & transpositio. Requiritur enim sicut certus verborum numerus, sic & certa eorum continuatio & ordinatio. Si ergo additio & detractio quandoque licent, fit vt fas sit etiam verba pausando interrumpere, ac perinde transponere. Responsio verò superioribus simillima est. Si enim interruptio est tanta vt intentio pronuntiantis intercipiatur, tollitur sacramenti veritas. Secùs si sit parua. Idemque de transpositione sentiendum.

Vbi adnotandum est interruptionem vsu venire posse, aut per simplicem cessationem & pausationem. Vt si quis postquam dixerit in nomine Patris, tantam faceret pausam, vt subsequentia verba non connecterentur cum prioribus in viam orationem, tunc non esset sacramentum. Si autem esset parua morula, vt propter tussim aut aliud accidens intepollans tempus, nihilominus esset sacramentum. Potest tamen fieri per interpositionem peregrini verbi, vt si postquam dixerit sacerdos, Ego te baptizo in nomine Patris, diceret ministro: porrige aquam, aut quid simile. Hoc enim vitium non ad additionem reducitur, sed ad interruptionem: nihilominus non euacuaretur sacramentum, si postea reliqua apponeret verba, secùs si longam extraneamque orationem interfereret.

Si intercidatur intentio.

Quid autem si interciſa fuerit intentio? Cœpisti, verbi gratia, consecrare dicendo, Hoc est, & tunc mente dixisti, Nolo consecrare. Respondetur quòd si intentione illa negatoria durante reliquum formæ proferas, manifestum est non perfici sacramentum. Si autem illico pœnitentia ductus priorem integras intentionem, quam habebas à principio, & continuas formam, non video cur non sit sacramentum: quandoquidem toto tempore prolationis formæ adfuit legitima intentio.

Transpositio

Simili iudicio de transpositione arbitrandum. Siue enim dicas, Te ego baptizo, siue, Te in nomine Patris baptizo, & Filij, & Spiritus sancti, sacramentum conficis, quamuis non sine aliqua culpa. Imò quamuis dicas, vt ait Scotus in 4. dist. 1. quæst. 2. In nomine Filij & Patris, dummodo errorem non intendas inducere, quòd filius sit principium Patris, sacramentum non cassatur. Cauendum tamen est ne transpositis terminis significatio permutetur. Nam quamuis dicendo: Hoc, corpus meum est, legitimus seruetur sensus, vt pronomen sit subiectum, &, corpus meum prædicatum, perinde ac si dicas, Hoc est corpus meum, tamen si dicas, Meum est corpus, profectò dubium esset grauissimum, esset ne sacramentum. Nam tunc pronomen demonstraret determinatè corpus: ob idque non significaretur aliquid fieri corpus, sed quòd corpus Christi esset corpus Christi. Quapropter pronomen, hoc, vagè (quod aiunt) & in confuso debet illud demonstrare, quod sub speciebus continetur: quod priùs est panis, pòst verò corpus. Sed de hoc articulo proprio in materia Eucharistiæ.

Scotus.

Digitized by Google

Quæstio secunda,

DE SACRAMENTORVM NECESSITATE, ET INSTITVTIONIS CAVSA ET TEMPORE.

S. Thom. 3. part. quæst. 61.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

SECVNDVM Capitulum textus præsentis distinctionis erat, de sacramentorum necessitate & institutionis causa. Pro cuius ergo examine subiungitur quæstio secunda, quatuor continens articulos. Quorum primus est. Vtrum fuerint ad humanam salutem necessaria. Fit autem præsens titulus propter Neotericos theologos perpendendus. Putant enim, vt est videre apud Gabrielem distin. 1. quæstione 2. nulla prorsus necessitate, aut ex parte Dei, aut ex parte finis, sacramenta esse instituta, sed solum necessitate consequentiæ: scilicet, si Deus sic res ordinauit, necesse est sic fieri. Quæ profectò theologia, vt bona venia dixerim, deridicula est. Haud enim potest in dubium verti, quin quod Deus prædestinauit, id sit subinde futurum. Theologi autem est in huiusmodi Dei institutis rationes perscrutari diuinæ voluntatis: cur scilicet id prædestinauerit, nam nisi sic fore expediret, nunquam id prædestinaret. Etenim quamuis Dei voluntas à nulla superiori causa pendeat, disponit tamen pro sua sapientia (vt ipsa cap. 8. affirmat) omnia suauiter, à fine vsque ad finem fortiter attingens, hoc est, omnia in suos proprios filios referens. Secus de hominum prædestinatione: quoniam cur Iacob dilexerit, Esau verò odio habuerit, nulla est creata causa. Cùm ergo sic Deus in rebus liberè agat, vt tamen nihil temerè, sed per summam prudentiam, meritò quæritur, cur sacramenta instituerit. Et planum est non extitisse aliam causam, quàm vt per eadem sacramenta congruentissimâ suauitate nostram operaretur salutem. Necessarium quippe, vt crebrò ex 5. Metaphy. citare solemus, (inter alias eius acceptiones) à fine sumitur, idque bifariam. Etenim vno modo necessarium est id, sine quo finis neutiquam obtinetur: vt victus, ad vitam. Altero modo, sine quo commodè & congruè ad ipsum non peruenitur: vt equus, ad longum peragendum iter. Neutiquam ergo ambigimus, quin Deus cuius potestas nulli alligatur creaturæ, absque sacramentis potuisset nostris mederi morbis, sicuti Magdalenæ & multis crimina absque sacramento condonauit. Sed congruentiam sacramentorum decentiamque exploramus. Respondet ergo Diuus Tho. vnica affirmatiua conclusione: nempe, sacramenta necessaria esse ad humanam salutem, idque tribus de causis. Quas quidem venerabilis Hugo eloquentissimè simul ac locupletissimè libro primo de sacrament. ante Magistrum Sententia. differuit, part. 9. capit. 3. Is enim coætaneus eius fuit, imò paulò senior sub annum centesimum post millesimum. Prima sumitur ex diuina prouidentia, cui natiuum est vnicuique secundum suam naturam prouidere. Est autem natura nostra vt per sensibilia (vt ait Paulus) inuisibilia intelligamus. Et ne huc rursus reuertamur, causa sic locupletanda est. Cùm omnis religio, siue vera sit, siue falsa, in cultura Dei sui consistat, nequit gens vna, cùm corporei simus, in vnam religionem coalescere, vt contra Faustum lib. 9. author est August. nisi aliquo signaculorum seu sacrorum visibilium consortio coadunetur, quibus palam sibi constet eadem religione colligari. Christiana verò religio hac (quæ meditatissimè consideranda est) ratione cæteris præstat, quòd cùm Ethnici per sua sacrificia bona temporalia à suis dijs postularent, Hebræi verò per sua nonnullas leprarum mundationes à vero Deo obtinerent, & sub circuncisione per fidem venturi purgationem quoque originalis maculæ, nobis adeò fuit Christus noster mirificè beneficus, vt sacramenta instituerit, per quæ, si modò à nobis dignè suscipiantur, non quidem peteremus, sed certo certiùs consequeremur haud qualiacunque bona, sed re vera eius gratiam, nostrarumque animarum salutem. Quapropter consentaneum fuit, vt talia sacramenta nobis daret, quæ signa essent, quibus beneficium doceremur, quod sub illis nobis elargitur: atque adeo religiosè profiteremur idem nobis ab ipso beneficium impendi. Hac enim de causa suprà diximus sacramentum constitui in genere signi, vt sicut per naturales creaturas, autore Paulo, virtutes Dei, quibus rerum naturalium causa existit, cognoscimus, sic per eiusmodi sacramenta eiusdem virtutem, qua super naturam nos saluat & beat, doceremur. Vnde scitè Hugo sacramenta vasis comparat, quibus pharmaca propinantur. nempe, vt qui infirmi sumus, per vasis effigiem medicaminis virtutem intelligamus. Itaque hæc prima causa sic ex parte nostra congruentiam ostendit, vt præcipuè in diuinum honorem referatur.

Secunda ratio sumitur ex conditione miseri lapsus nostri, quo de illa innocentia, in qua creati sumus, cecidimus. Decuit enim antidotum morbo respondere. Etenim quamdiu Adam in illo perstitit statu, vniuersis dominans corporalibus, solo Deo subdebatur: dum verò se in misero pomo corporalibus subdidit, Deum abnegauit. Si ergo nos post eius lapsum in nudis spiritualibus occupasset, cùm temporalibus nostrapte natura dediti simus, non tam promptè ad illa spiritualia animum applicaremus. Per hæc autem corporalia, quibus affecti sumus, ad illa diuina capessenda allicimur. Hugo tamen & Sententiarum Magister aliter hanc causam inducunt. Nempe, vt homo, qui ob superbiam Deo se subduxerat, istis sacramentorum elementis in sua comparanda salute subderetur: quasi ab illis pendens, vt suam vilitatem recognoscens, per humilitatem edomaret superbiam.

Tertia ratio sumitur ex studio rationis humanæ, quæ præcipuè in sensibilium varietate delectatur. Dum enim homo in statu innocentiæ persistebat, sola diuina contemplatione fruebatur: ad hæc autem ima per peccatum demissus, rerum varietate gaudet. Id quod Christus in illis sororibus nos admonuit, quarum actuosa Martha erga plurima se sollicitante contemplatrici Mariæ dixit, vnum esse necessarium. Si ergo puris spiritualibus homo iuberetur vacare, esset à sua natura violenter abstractus: quod certè ægerrimè ferret. Morem ergo Deus nobis gessit, vt sacramentorum varietate oblectati, ad nostram comparandam salutem essemus propensiores. Delectat enim nos nunc basilicas extruere, mox sacrificia celebrare, deinde orare, & nonnunquam hymnos cantusque intonare diuinos. Alijs incumbit sacramenta ministrare, atque alios expedit suscipere: per quæ quidem virtutum munera à cunctis idolorum seruituribus distrahimur. Id quod in illis Neophytis noui orbis experimento comperitur. Mirum enim in modum istiusmodi cæremonijs exhilarantur, per quas à sua idololatria semouentur. Optimè ergo tandem colligit diuus Thom. hominem per sacramentorum institutionem congruenter naturæ suæ per sensibilia erudiri, & dum sibi per corporalia subuenitur, subiectum se illis cognoscens, humiliari: ac demum per salubria sacramentorum exercitia, à noxijs actionibus præseruari. Abeant ergo Lutherani atque alij, quos Hugo subnotauit, hæretici, qui putant nos quasi idololatras in istis sensibilibus nostram collocare salutem. Non enim credimus ista nobis præcipuè eam efficere, sed Deum in ipsis. Neque ab ipsis illam expectamus, sed à Deo per illa, vt ipse nobis prouidentissimè iussit. Nam & præter rationes præfatas aliam nihilò debiliorem habemus: nempe, vt per sensibilia signa solùm magis illiceremur ad inquirendam salutem, verùm & certiores efficeremur illam fuisse consequutos. Si enim mera spiritualia nobis proposita essent, non tot viæ nobis paterent ad inquirendum gratiam. Modò autem aliud gratiæ munus obtinemus per baptismum, aliud per confirmationem, aliumque atque alium effectum per Eucharistiam & alia sacramenta. Imò verò si per solam (verbi gratia) contritionem aut alium quemuis animi motum proposita nobis esset salus, socordiores segnioresque ad illam conquirendam essemus: dum tamen sacramentorum præceptis incitamur, solicitiores sumus in opere, instantiusque ad sacramentales gratias anhelamus. Ad hæc & tutiores euadimus, adeptos eas fuisse. Nam cùm animi motus nos lateant, certè quàm rarissimè tuti essemus, an contritio vel deuotio vsque ad gratiæ consequutionem pertingeret. Dum verò sacramentum suscipimus,

Quæstionis titulus.

Sententia Theologis indigna.

Necessariũ.

Conclusio articuli.

Hugo.

1. Ratio.

Præstantia religionis Christianæ.

Hugo.

2. Ratio.

Hugo.

3. Ratio.

Insulares.

Contra Lutheranos.

Alia ratio.

pimus, vbi certò credimus, nisi per nos steterit, ex pacto diuino nobis conferri gratiam, multò certiores reddimur nostræ salutis. Eò præsertim, quòd sæpenumerò per sacramentum cum attritione beneficium gratiæ adipiscimur, cuius attritio non esset efficax. Hæc contra hæreticos nostræ tempestatis libuit paulò latiùs meditari. Sanè qui dum religionem Christianam, istis sacramentis sensilibusque exercitijs de medio sublatis, ad solos animi affectus reuocare contendunt, otiosam, ac desidem, situque torpentem efficiunt. De hac verò re non semel, sed sæpe recurret sermo.

Arg. D. Th. Argumenta D. Tho. quàm facillima sunt. Primum est authoritas Pauli 1. ad Timot. 4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Vsus autem sacramentorum corporalis est. Respondetur, quòd etsi corporalis exercitatio, quatenus corporalis, non sit multum vtilis: exercitatio tamen sacramentorum non purè corporalis est, sed spiritualis ratione significantiæ & efficaciæ.

Secundum. Secundum est alia authoritas apud ipsum Apostolum 1. ad Cor. 12. sufficit tibi gratia mea: non ergo sacramenta sunt necessaria. Responsio autem est ad consequentiam, quòd etsi gratia Dei vobis ad salutem sufficiat, nihilominus quia nobis, vt dictum est, conuenit illam per sacramenta recipere, ad eam ipsam sunt nobis necessaria. Sicuti ad vitam sufficit victus & vestitus, tamen ad id ipsum necessarium est terram colere, & ouium vellera tondere.

Tertium. Pari modo respondetur ad tertium, quod est hoc. Posita sufficienti causa ponitur effectus: sufficiens autem causa nostræ salutis fuit passio Christi, per quam, vt ait Paulus ad Rom. 5. reconciliati sumus Deo: ergo sacramenta sunt superuacanea. Negatur enim similiter consequentia. Requiritur namque vt per sacramenta fiat nobis eiusdem passionis applicatio, cuius virtute nostram operantur salutem. Quemadmodum etsi ad fabricam ars sufficiat, non tamen instrumentorum necessitas excluditur, quorum vsus est necessarius.

Aliud arg. Quod si rursum arguas. Ad consequendam salutem sufficit obseruatio mandatorum, iuxta illud euangelicum: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: ergo sacramenta redundant. Respondetur, quòd eiusmodi obseruatio sine fide & gratia præueniente non sufficit. Nam sine fide (vt ait Paulus) impossibile est placere Deo. Ad illam ergo fidem & gratiam requiritur baptismus, quæ si perdatur, exigit pœnitentiam. Quare & inter mandata sunt etiam præcepta sacramentorum: non solùm ad illam primam gratiam ineundam, verùm & ad alios effectus gratiæ, quales sunt confirmationis & Eucharistiæ, quib. debilitas, quam per peccatum contraximus, irroboretur, vt legis naturalis mandata valentiùs obseruemus. Vnde Deus per legem iubet, & per sacramenta iuuat.

ARTICVLVS II.

Vtrum ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

POST explicatam sacramentorum necessitatem, cùm non sint de iure naturæ, sed super naturam nobis donata, proximum est, vt tempus exploremus, quo fuerint instituta. Sunt autem, de quibus hæsitari potest, tres temporum differentiæ. Prima dum innocens natura integra vigebat. Secunda ab ingressu peccati in orbem vsque ad Christum incarnatum: ac demum tertia ab eius protinus incarnatione. De prima ergo temporis mora disputatur hoc secundo articulo. Et respondet D. Thom. breuissima conclusione negatiua. *Conclusio.* In statu innocentiæ ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Probat primò, quoniam sacramenta nobis sunt, vt dictum est, spirituales medicinæ: vt autem ait Christus, Matth. 9. non est opus valentibus medicus: tunc autem nullum erat peccati vulnus: ergo nec sacramenti necessitas. Quòd enim sacramenta, medicina sint, iam supra per exemplum illius Luc. 10. commonstrauimus, qui incidit in latrones, cuius vulneribus curandis Samaritanus, hoc est Christus, vinum & oleum, hoc est sacramenta, porrexit. Ex qua vtique sacramentorum natura quæst. 1. firmissimum elicimus argumentum, quòd nonnunquam sacramenta conferant primam gratiam, alias nunquam sanitatem conferrent, atque adeò neque essent medicamina, sed de hoc ibi. Secundo id probat D. Thom. locupletiùs hoc pacto, Sacramenta, vt proximè constitutum est, ob necessitatem duntaxat humanæ salutis sunt instituta: tunc autem temporis illis homo non indigebat. Nam vel indigeret, quatenus ordinantur ad remedium peccati, vel quatenus ad perfectionem animæ conferunt, hoc est, quatenus ad religionis culturam spectant: neutra tamen ratione sacramentis tunc opus erat. Cuius quidem ratio ex rectitudine illius status colligitur. Tunc enim superiora inferioribus dominabantur, neque vllo pacto ab illis pendebant. Enimuerò iustitia originalis id præstabat, vt quemadmodum mens humana subdita erat Deo, in quo & ratio gratiæ consistit, & exclusio culpæ, ita vires animæ inferiores, scilicet sensuales, subderentur rationi superiorum intellectualium, atque ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem fuisset, si anima vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliqua corporalia, vt fit in sacramentis, perficeretur. *Ratio S. Th.*

Vide quemadmodum Diuus Thomas non modò explodit ab illo statu necessitatem sacramentorum ad comparandam gratiam, qua remittuntur peccata, verùm ad obtinendum quodcunque gratiæ genus, quæ per culturam virtutum nobis accrescit: imò neque ad scientiæ perfectionem sentit fuisse necessaria. Est autem ratio hæc secunda subobscura, & ambigua. Potest enim intelligi aut de solo Adam, aut de sua quoque sobole, quamdiu ille status duraret. Quare primùm disputandum nobis est de scientia, mox de gratia. De priori membro Caietanus hic disputat, nescio tamen an neruum tetigerit. Arguit enim dictum Diui Thomæ, scilicet, vires superiores in illo statu non dependisse in acquirendis scientijs à viribus inferioribus, non intelligi de posteritate Adæ, sed de ipso duntaxat viuente. Fuit namque discrimen, quod Adam tanquam semen humanæ naturæ omnium fuit scientiarum lumine perfusus, posteri verò eius non fuissent nati cum scientijs, sed illas progressu temporis adminiculo etiam sensuum acquisiuissent. Vt 1. par. quæst. 101. sanctus ipse doctor author est. Quapropter ait Caietanus, quòd D. Thom. non loquitur de communi illo statu, sed de primo parente, in quo solo re vera fuit ille status. Quòd si & de Adam quis contra arguat, quòd etiam in vsu scientiarum infusarum vtebatur phantasmate, nam eius intellectus eiusdem erat speciei cum nostro, imò & scientia eius cum nostra, & vt ait Philosophus 3. de anima, text. 39. necesse est intelligentem phantasmata speculari, quare & vires eius superiores ab inferioribus pendebant. Respondet Caietan. quòd cùm scientias per infusionem susceperisset, non vtebatur phantasmate, quasi ab illo dependens in sua perfectione, sed vtens illo quasi inferiori. Nihilominus fatetur, quòd nec filij Adæ indiguissent sacramentis: quia geniti fuissent in gratia, vt ait D. Thom. 1. par. quæst. 100. cum qua recepissent dona intellectus & perfectionem supernaturalis scientiæ, ad quam requiruntur sacramenta. *Expositio articuli.* *Declaratio rationis. Caietan.* *Arist. 3. de anima.*

Maior autem, vt salua eius reuerentia loquar, quòd neget sermonem hic haberi à D. Tho. de toto illo statu etiam si perdurasset in filijs Adæ, cùm planè quæstione præsenti de tribus temporis differentijs loquatur, quorum prima erat ille status. Quin etiam magis mirandum est, quod agnoscat conclusionem hic Diui Thomæ toti illi statui congruere: scilicet, tam primo parenti, quàm eius posteris, & tamen conclusionis rationem soli Adæ adaptari. Cùm vtique ratio conclusioni debeat adæquari. Mentem ergo D. Thomæ vt percipias, adnotato quòd scientiarum perfectio, alia est naturalis, atque alia supernaturalis. Hic autem non loquitur de priori, sed de posteriori. Hæc enim nobis peculiariter per sacramenta donatur, vt infusio fidei, donorumque intellectualium. Igitur cùm ait illo statu indignum fuisse mentem perfici per inferiora, non loquitur de naturali perfectione. Nam & de Adam 1. p. q. 64. art 3. concedit quòd quantum ad modum scientiæ anima eius experimentis profecit: sed loquitur de perfectione, hoc est, de supernaturali diuinorum notione, quæ simpliciter perfectionis nomine censetur, quam nos per sacramenta recipimus & docemur: in illo autem statu absque illis per infusionem ipsa conceptione reciperetur, & facillimo parentum negotio perficeretur. *Contra Caietan.*

De necessitate verò sacramentorum in illo statu ad gratiæ acquisitionem Alexander Alen. 4. p q. 1. Memb. *Mens S. Tho.*

Digitized by Google

Alexand. & Durand.

artic.1. non absolutè,sed per distinctionem respondet. Cuius quidem sententiam Durand. in 4. d.1. q. 2. vltrò amplexus est. Aiunt quippe ambo,quòd si nomine sacramentorum intelligantur illa remedia gratiæ,qua remittuntur peccata;planum est in illo statu nulla fuisse, propterea quòd neque erant peccata. Si autem eodem nomine intelligamus sacrificia & signa, quibus fit protestatio fidei de Deo saluatore, quibus quidem sacrificijs augetur gratia, minimè negandum est, inquiunt, illic fuisse eiusmodi sacramenta. Nam neque negandum est fuisse illic religionis cultum, qui in protestatione fidei consistit. Huiusmodi autem protestatio fit oblationibus & sacrificijs, quæ non solùm sunt necessaria ad propitiandum nobis Deum, quem piaculis habemus offensum, verùm & ad gratiarum actiones de beneficijs susceptis,quæ vtique in illo statu recipiebantur amplissima. Hanc autem opinionem refert

Contra Alexand. & Durand.

D. Thom. jn 4. dist. 1. artic. 2. quæst. 2. quam refutat dicens, non solùm non fuisse tunc necessaria sacramenta ratione peccati, verùm neque ratione eruditionis aut alia de causa. Et primò vt hanc sententiam comprobemus, quamuis illa tunc extitissent sacrificia, profectò neutiquam mererentur sacramentorum nomina: quia non fuissent causa gratiæ, nisi per modum meriti sicut virtutum opera. Oblationes enim non aliter sunt gratiæ causa quam eleemosynæ & ieiunia. Sed præterea probatur quòd neque illa sacrificia tunc erant necessaria. Imprimis Hugo loco citato, cui magister sententiarum d. 1. subscribit, nullam necessitatem sacramentorum in illo statu agnoscit. Nam homo,inquit,ante peccatum sine medio Deum videbat, hoc est, satis cum sine corporalium adminiculo agnoscebat. Per peccatum autem habuit vt nequaquam diuina queat capere, nisi humanis exercitatus. Hæc ille. Nobiscum sentit Scot. 4. d. 1. q. 3. & Palud. eadem d. &. q. Et probatur ratione, fortasse valida, Protestari fidem contingit tripliciter: aut per interiores actus, quibus Deum confitemur esse vnum & trinum, ac perinde seruatorem glorificatoremque nostrum: eumque subinde laudamus. Secundò per virtutum officia & exteriores etiam laudes. Atqui duo hæc protestationum genera religionisque munia non negamus quin illo fuissent statu. Nam fides sine operibus, vt ait Iacobus, mortua est. Fuisset namque cum primis contemplatio, deinde prolium generatio & educatio & obedientia filiorum erga parentes, & omnium erga Deum in abstinentia ab esu ligni scientiæ boni & mali. Hæc autem non appellantur nisi largissimo modo sacrificia,sed fuissent merita apud Deum. Tertio modo protestamur fidem per sacrificia, & oblationes. Hæc autem quòd non fuerint tunc temporis necessaria, probatur. Quatuor enim quinquéve aut sex de causis nobis sunt eiusmodi sacrificia congruentia. Primum vt per hæc pro peccatis nostris satisfaciamus: tunc autem nulla fuissent peccata. Secundò vt per ea dignoscatur religio nostra ad exteris sectis. Non enim vniuersus orbis eiusdem est religionis. Hæc autem causa illic cessasset: essent quippe omnes veluti in cælo eiusdem religionis, eodemque ore adorantes vnum Deum. Tertiò sunt nobis in hunc vsum, vt nobis mutuò cõstet eandem religionem colere. Etenim quamuis totus mundus eandem profiteretur, tamen eo quòd corporei sumus, fieri nisi per ista externa sacrificia non posset vt nobis inter nos mutuò constaret vna religio. Qualis enim Deus adoratur, talia sacrificia instituuntur. Illic autem omnibus constaret natos esse in gratia Dei, in eiusque seruitio & obedientia, sicuti in cælesti patria, viuere. Quartò sunt nobis operæpretium vt per ea seruemus memoriam beneficiorum Dei: sicut per sacrificium missæ memoriam perpetuamus passionis Christi, qua seruati sumus, docemurque quantum illi debemus: illic autem qua opus eruditione supernaturalium? Nam simul cum gratia imbuerentur donis necessarijs. Præterea parentes facillimo negotio erudirent natos: quare huiusmodi exteris elementis nihil opus haberent: sed sicut angeli Dei in paradiso semper omnes Deum laudibus colerent. Sed ais. Saltem eorum vsus opportunus fuisset ad reddendum Deo gratias, videlicet vt de receptis ab ipso partem ei rependerent, secundùm illud 1. Paralip. 29. Tua sunt omnia, & de ijs quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Sed in contrarium facit, quòd causa ista vana esset in nobis, nisi ea quæ Deo offeruntur, in vsum templorum ac ministrorum cederent: tunc autem cùm non essent sacramenta, non essent ministri, neque verò templa, quia nec aëris inclementia tectis egeret, sed simplici corde & ore laudum encomia Deo dicerent. Facere autem sacrificia qualia tempore Mosis, nempe litare pecudes & pecora nisi ratione significationis, quæ tunc non fuisset necessaria, vanum futileque censetur.

Ratio valida.

Alia egregia ratio.

His demum accedit quòd tunc omnia fuissent communia, quare nullus posset de proprio quicquam offerre: neque alius indigeret vt ab alio sibi quippiam suppeditaretur: atque adeò tunc eiusmodi oblationes nullius essent emolumenti, neque idcirco vllius vel meriti, vel laudis.

1. Arg. S. Thom.

Argumenta ergo duo D. Thomæ satis soluta sunt. Primum enim est. Tunc homo indigebat gratia, ergo & sacramentis. Cuius consequentia non valet. Nam etsi gratia indiguisset, non tamen ea per sensibilia conquirere.

Secundum est. Homini secundùm suam naturam vt dictum est, congruunt sacramenta, tunc autem habuisset eandem naturam, ergo eadem illi conuenirent sacramenta. Negatur tamen consequentia: quoniam natura non haberet eundem statum, vt partem superiorem deceret per inferiorem de supernis edoceri.

Matrimoniũ Adæ.

Tertium argumentum est. Matrimonium Adæ, secundùm Apostolum ad Ephes. 5. Sacramentum magnum fuit in Christo & Ecclesia: ergo ante peccatum fuit sacramentum. Distinguitur autem antecedens. Matrimonium enim, non quidem quatenus est sacramentum, fuit in illo statu institutum, quia non erat tunc instrumentum passionis Christi gratiam conferens, sed in officium naturæ.

Durandus.

Sed arguis, saltem erat sacramentum eo modo quo dictum est suprà,esum agni paschalis fuisse propriè sacramentum: quia signum rei sacræ in lege nostra futuræ. Negatur assumptum: quoniam non fuit institutum quasi actus religionis ad id significandum, sed in officium duntaxat multiplicandæ naturæ, vt patet Genesis primo & secundo. Veruntamen ex consequenti, vt ait diuus Thom. hoc est, ex sua ipsius coniunctionis natura significabat vnionem Christi cum Ecclesia, sicuti vnumquodque suum simile. Quare vbi ait Paul. sacramentum fuisse Christi & Ecclesiæ, sacramentum accipit pro eo quod est mysterium. Adde cum Durando loco citato, quòd neque illam Christi cõiunctionem significasset nisi hominum lapsus fuisset futurus: quoniam si nullum extitisset peccatum, Christus non fuisset carne indutus, in qua sibi desponsaret Ecclesiam: quare & ipsa eius significatio ad statum peccati refertur. Sed prior solutio per se satis est solida.

Alia arg.

Alijs tamen argumentis solet conclusio impugnari. Deus enim propensior est in misericordiam, quam in iustitiam: præscius autem humanorum scelerum prouidit ante peccatum Adæ infernorum ignem, ergo æquiori ratione debuisset tunc prouidere sacramenta. Eò vel maximè quòd & salutiferas herbas, & quæ corporeis ægritudinibus medicandis erant necessaria antequam morbi essent, creauit. Adde quòd prouidentissimus quisque medicus non modò præsentaneis ægritudinibus medetur, verùm & ab illis quæ timentur, sanos præseruat: debuit ergo statum illum Deus sacramentis exornare, vt homo ab illa culpa, quam postea contraxit, præseruaretur.

Ignis inferni.

Respondetur tamen quòd & si propensior sit Deus ad clementiam, nihilominus debet suauiter omnia secundùm rerum naturas & indigentias disponere, ignis autem inferni fuit elementaris, atque adeò ad opus creationis pertinens. Aut enim debuisset illum locum tunc creare vacuum, aut si alia eum substantia oppleuisset, debuisset illam post peccatum corrumpere vt infernum illum illic accederet ignem: quod creandi sapientiæ non congruit. Vnde vt habetur Eccles. 18. Qui viuit in æternum creauit omnia simul. Idque de purgatorio quod vnus est sinus inferni: & de naturalibus herbis & alijs medicaminibus respondendum est: nempe quòd omnia pertinent ad creationis opus. Præterquam quod perhorrendus ille ignis, Satanæ & angelis eius destinatus fuerit. Quorum quidem peccatum ante statum innocentiæ præcesserat. Vnde Christus Matt. 25. Ite, inquit, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Illi enim quoniam per pœnitentiam reuocari in gratiam nequiuerant, statim post culpam illuc obtrusi sunt: hominibus autem,

tem, qui per resipiscentiam & erratorum pœnitudinem euadere tormenta illa possunt, non est paratus niti ad terrorem, vt eum caueremus, nisi nostra impœnitentia similes nos dæmonibus efficeret.

Ad rem ergo vt redeam, sacramenta non sunt res naturales, sed supernaturaliter instituta in remedium peccati. In illo autem statu per iustitiam originalem congruentissimè illis ac sufficientissimè prospectum erat, vt illo durante statu nec peccatum homines facerent, neque metuerent, quia nec ignorantia nec corruptis affectionibus laborabant. Quare nec alia præseruatiua opus habebant medicina. Sanè quæ non applicatur, nisi illis, quib. morbus timetur. Præsertim cùm vius sacramentorum illic locum non habuisset, superuacanea fuisset eorum institutio, etiam ad præseruandum. Sed iustitia originalis commodissimè id illis præstabat. At cùm liberum arbitrium non habuissent confirmatum in gratia, cadere ab illa potuerunt, ac subinde ceciderunt.

Argumentum de peccatis venialib. Postremum argumentum inde sumi potest, si admittitur, potuisse in illo statu committi peccatum veniale: non quidem aduersus D. Tho. qui id negat, sed aduersus Scotum, qui cùm illud concedat, negat tamen vllo illic fuisse opus sacramento. Responderet ille tamen, quòd peccata venialia ad sui remissionem nullam expostulant sacramenti virtutem. Sanè quòd per talia peccata gratia non perdatur, quæ sit per sacramentum recuperanda: sed poterant remitti per internam pœnitentiam, aut per alium æquiualentem motum charitatis in Deum. Et pariter responderet ipse ad argumentum secundùm suam opinionem, quòd etiam si Adam non peccasset, Christus venisset, atque adeò instituisset sacramenta. Responderet, inquam, quòd non venisset tanquam redemptor, atque adeò neque vllum instituisset sacramentum. At profectò efficacius ex superioribus colligitur, quòd non venisset.

ARTICVLVS III.

Vtrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse.

SECVNDAM temporis differentiam superiori articulo designauimus a lapsu prioris Adam, vsque ad restaurationem secundi: nempe, Christi. De hac ergo temporis intercapedine quæritur, vtrùm tunc debuerint sacramenta institui. Ad quod D. Thom. vnica conclusione affirmatiua respondet: nempe, quòd ante aduentum Christi necesse fuit quædam sacramenta instituì. *Conclusio.* Hanc primò probat autoritate August. 19. contra Faustum, dicentis sacramenta quæ celebrabantur prænuntia fuisse venturi Christi: erat autem necessarium eius aduentum prænuntiari. Ratio autem est eiusdem necessitatis expositoria. Sacramenta enim eò sunt ad humanam salutem necessaria, quòd sensibilia signa existunt inuisibilium rerum, quibus homo sanctificatur: nemo autem sanctificari vnquam post lapsum Adæ potuit, nisi per Christum: quem vt ad Rom. 3. ait Paul. proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Oportebat ergo Christi aduentui antecessisse visibilia signa, quibus ipsum venturum homines protestarentur, quæ quidem signa dicuntur sacramenta.

Perpende primùm omnium conclusionem. Quoniam licèt autoritas Augustini de sacramentis Mosaicis intelligatur, tamen D. Thom. ampliorem constituit conclusionem: quæ scilicet non solùm ad legem scriptam, sed ad legem naturæ suo gradu potest adaptari. Et ratio est subinde notanda. Nam cùm sacramenta sint religionis indicia, quibus profitemur diuinitus nos obtinere salutem, quam omnes per Christum suscipimus, necesse est, vt quotquot eius fide saluantur per sacramenta eandem protestentur fidem.

Sunt autem argumenta Doctoris sancti considerate meditanda. Dictum enim est in solutione tertij primi articuli, per sacramenta passionem Christi hominibus applicari: vnde fit consequens passionem ad sacramenta comparari, sicuti causam ad effectum: effectus autem non antecedit causam, sed è conuerso: nulla ergo ante eandem passionem fuerunt sacramenta. Respondetur, quòd passio Christi respectu veterum sacramentorum erat veluti causa finalis, eo quòd ad ipsam significandam erant instituta: causa autem finalis non præcedit tempore suum effectum, sed intentione. Artifex enim cudit lapides, dolatque ligna ob extruendam domum, à qua futura domo per intentionem mouetur ad opus.

Examinatio responsi. Hæc autem responsio potest tyroni theologiæ scrupulum injcere. Passio enim Christi fuit causa salutis tam antiquorum quam nostræ, non solum finalis, verùm meritoria & efficiens, vt D. Tho. 3. p. q. 49. art. 1. docet. Imò autoritas hæc citata Paul. id ostendit: quippe, qua asserit propitiatorem iustumque iustificantem. Cum ergo fuerit salutis nostræ efficiens causa, quo modo ait D. Tho. quòd fuerit finalis respectu veterum sacramentorum? Respondetur, quòd non negat fuisse causam efficientem vniuersæ gratiæ, quæ post lapsum Adæ fuerit hominibus collata. Quod illicò post verba modò citata ostendit Paul. ad Roman. dicens, per fidem fuisse propitiatorem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei. Quasi diceret, omnium præcedentium delicta remisit Deus propter Christi passionem, quæ ideo quando exhibita fuit, tunc omnem gratiam quæ post Adæ præuaricationem hominibus donata est, & meruit & effecit. Et ideo sustinebantur antiqui patres in limbo quoad vsque eadem passio fuisset exhibita. Sed tantùm ait S. Doctor, quod erat vt causa finalis, non gratiæ antiquorum, sed veterum sacramentorum: nostrorum autem vt efficiens. Deus enim factus homo instituit nostra, non illa: sed instituebantur à Deo tanquam prænuntia signa futuræ passionis. Et rursum passio operabatur in antiquis per modum causæ finalis, per fidem scilicet applicata: in nobis autem operatur per sacramenta ceu per sua instrumenta. Et ideo dicturi sumus quæstione sequenti quòd sacramenta nostra conferunt gratiam, tanquam signa fidei Christi memoratiua eiusque adeò passionis instrumenta. Antiqua verò minime: sed per fidem passio tunc operabatur quam sacramenta illa prænuntiabant. Cur autem necesse fuerit Christum per illa sacramenta prænuntiari, alia quæstio est. Haud enim decuit ipsum in mundi primordijs incarnari, vt 1. q. huius tertiæ partis art. 5 ostensum est. Imò decuit multis antea seculis expectari, tum vt humanum genus suam necessitatem magis cognosceret, tum etiam vt tam excelsum mysterium tam multis seculis expectatum & prænunciatum, fieret cùm aduenitet credibilius, & ideo sacramenta debuerunt esse eius prænuntia.

Quæstio celebris de fide. Hic præterea celeberrima illa quæstio nonnullum locum habet, vtrùm semper in lege naturæ fuerit vnicuique ad salutem necessaria fides, quæ per supernaturale auxilium donaretur. Dixerim fidem supernaturalem, quoniam de fide, si intelligas de cognitione vnius remuneratoris Dei, in quæstionem non cadit, dicente ad Hebræos 11. Paulo, sine fide impossibile est placere Deo. Neque verò in dubium cadit, quin semper fuerit auxilium speciale necessarium ad conuersionem in Deum, confirmante Christo Io. 6. Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum. Et contraria est Pelagianorum hæresis: nempe, quòd liberum arbitrium sufficeret, vt 2. 2. q. 6. art. 1. ait D. Thom. At cum illico Paul. eandem fidem explicans subiunxerit. Accedentem ad Deum oportet credere, quia remunerator est: dubitare quis posset, vtrum in lege naturæ potuisset sapiens aliquis naturali lumine cognoscere, Deum esse, & remuneratorem esse: qui quidem per auxilium speciale, quo eius supernaturam voluntas moueretur, conuerteretur in Deum. Itaque illa naturalis cognitio intelligeretur nomine fidei. Neque verò in dubium vertitur, quin semper cum gratia iustificante infunderetur supernaturalis habitus fidei, spei & charitatis, sed tantùm loquimur de actuali cognitione ad conuersionem adulti necessaria. Ad hæc neque ambigere vllus potest, quin vniuersis fuerit necessaria fides Christi saltem implicita, vt hic ait D. Tho. & 2. 2. q. 2. ar. 7. Nam, vt ait Petrus, Act. 4 Non est aliud nomen datum hominibus in quo oportet nos saluos fieri: Et 1. ad Corinth. 3. Paul. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quæ quidem asserta ad omne tempus à lapsu Adæ referenda sunt. Vnde Aug. lib. de correctione & gratia. Illa fides sana est, qua credimus nullum hominem, siue maioris, siue ætatis paruæ liberari à contagio mortis & obligatione peccati, nisi per vnum mediatorem Dei & hominis, Iesum Christum. Diceret autem quispiam

forsan,

forsan, illam naturalem cognitionem quòd Deus est, & remunerator est, implicitè referri ad Christum, licèt in quacunque ætate, vt ait loco proximè citato D. Tho. fuissent proceres, qui explicitam supernaturaliter haberent, vt Iob 19. Scio quòd redemptor meus viuit. &c. qui plebem docerent. Minoribus tamen illa cognitio naturalis à maioribus mẽdicata cum auxilio speciali voluntatem mouente fortè quis diceret sufficere. Neque deficerent huiſmodi opinioni apparentia argumenta. Primum est ex Paul. ad Rom. 1. asserente, quòd cùm gentes Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Et loquitur de cognitione naturali, per ea quæ facta sunt ad inuisibilia penetrante. Præterea arguitur ratione, quòd Paul. non aliam fidem exigere videtur ad salutẽm necessariam præter illam quod est, & remunerator est: hæc autem naturali lumine videtur acquiri posse. Ad hæc. Videtur in lege naturæ nullum fuisse præceptum nisi naturale: propterea enim dici videtur lex naturæ: fit ergo inde consequens nullum extitisse tunc præceptum supernaturalis fidei habendæ: quòd si tale tunc non extabat præceptum, consequi sanè apparet quòd nec talis cognitio fuisset singulis necessaria. Antiquis enim in lege Moysi, & nobis, quoniam illa supernaturalis fides necessaria est, præceptum subinde datum est disponendi nos ad eam recipiendum. Si ergo tunc non erat tale præceptum, apparet nec fuisse tunc actum supernaturalem fidei necessarium, ad recipiendam gratiam. Eandem opinionem D. Thom. visus est sequi super illud ad Romanos 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, id est, per legem naturalem ostendentem eis, quid sit agendum, licèt non excluditur quin necessarium sit spirituale auxilium ad mouendum affectum. Hæc ille in secunda illius loci expositione. Quare illud ad Ephes. 2. Fides donum Dei est, glossaret illa opinio, & de fide explicata lege veteri & nostræ necessaria, & de illa quæ in lege naturæ reuelabatur maioribus per quos minores docerentur.

Apparentia argumenta.

S. Thom.

Quapropter hanc conclusionem olim sub dubio defensauimus in impressione prima Veneta libri nostri de natu. & grat. lib. 2. cap. 11. Re tamen postea oculatiùs inspecta, in impressione Parisiensi & Salmanticensi sententiam mutauimus, quam puto esse assertu necessariam. Nempe quòd nulli vnquam patuit salus, nisi per fidem quæ supernaturale donum est. Ad hoc autem probãdum non opus est loca sacra sanctorúmve Patrum, quæ innumera sunt, coaceruare, quibus asseritur neminem sine fide, vt ait Paulus, iustificari. Hoc enim est in re non dubia testes instaurare non necessarios. Sed in hoc incumbendum est, quòd illa fides semper fuit singulis requisita, quæ est donum supernaturale: illa scilicet actualis cognitio, vt se quisque in Deum conuerteret.

Responsio autoris.

Probatio conclusionis.

Hoc ergo præterquàm quòd nomen fidei assensum designat non naturaliter conquisitum, sed diuina authoritate susceptum, multis probatur & authoritatibus & rationibus. Primum enim illud ad Ephes. 2. proximè citatum, gratia estis saluati per fidem non ex vobis, ne quis glorietur: donum enim Dei est; vbi fides asseritur gratiæ donum, licèt Iudæis peculiariter dictum sit, ãe omnibus tamen pariter intelligitur, vt Diuus Thomas 2. 2. quæst. 6. artic. primo enarrat. Per fidem enim supernaturalem homo eleuatur vt se in Deum conuertat. Id quod & ratio commonstrat. Nam cùm voluntas intellectu ducatur, quodcunque ille bonum ostendat, potest ipsa amare, ex quo fit, quòd si ipsa nequit sine speciali diuina ope in Deum conuerti, pari auxilio intellectus egeat, qui ipsam illuminando dirigat. Et hæc ratio est, quam Diuus Thomas 2. 2. q. 2. artic. 3. insinuat, nempe, quòd cùm natura hominis à superiori natura pendeat, hoc est, ordinetur ad supernaturalem fœlicitatem, non sufficit in hac vita ad eius perfectionem naturalis cognitio, sed requiritur supernaturalis, quæ est cognitio fidei. Atque huc germanè atrinet citatum illud verbum Christi Ioan. 6. Nam postquam dixerat. Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum (vbi planè de speciali subsidio sermo fit) subdit, Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me: discere autem intellectualem fidem designat quam asserit esse à patre. Vnde D. Thom. 1. 2. quæst. 113. artic. 4. vbi loquitur de motibus quibus homo in Deum conuertitur, vt iustificetur (quos quidem motus planum est esse supranaturales, eo quòd iustificatio opus est supranaturale) ait primùm esse motum per fidem, secundum illud ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & cæt. Vbi planè asserit locum intelligi de motu fidei supernaturali. Tertiò id palàm constat ex illo secundæ ad Corinth. 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Vbi cogitationis voce motus fidei designatur. Vnde cùm Pelagiani coacti suam hæresim retractare: nempe, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, id saltem retinere pertenderent, quòd initium fidei esset à nobis, & de hoc quoque errore condemnati fuere. Quocirca cùm eodem errore & Aug. antequam esset Episcopus laborauerit, vt in l. de prædestinatione sanctorum ca. 3. patet, illum postea, vt libr. 2. de bono perseuerantiæ capit. 20. & libr. 1. retracta. cap. 23. constat, retractauit, asserens ob istam Pauli authoritatem, neque vllum initium fidei esse à nobis. Quapropter in concilio Mileuitano capitu. 4. sub anathematis commination defi-nitur vtrumque esse donum Dei, & scire quid facere debeamus, & eligere quid faciamus. Idque in synodo Tridentina confirmatum est.

2. Cor. 3.

Pelagiani.

Concil. Mileuitanum.

Ad vim ergo argumenti quod contra obiecimus, Paulus non exigit aliam fidem ad salutem, quàm credere quia est, & inquirentibus se remunerator est: ad hanc autem cognitionem lumine naturali poterant philosophi pertingere, illamque populos docere. Respondetur quòd non satis erat sub lege naturæ qualemcunque remunerationem Dei cognoscere, sed aliquam supernaturalem. Et hic est veritatis neruus. Requirebatur inquam fides, quòd Deus aliqua sui contemplatione & societate deberet suam beare familiam: hoc enim paulò ante admonuerat Paulus, vbi definiens fidem, prædixerat esse sperandarum substantiam rerum, argumentum non apparentium: id est, cognitionem æternorum supernaturaliumque bonorum: quæ ideò lumine naturali non apparent. Erat ergo necessaria fides, quòd in participatione illorum æternorum bonorum consisteret nostra fœlicitas, quæ subinde supranaturale esset beneficium, naturæ vires excedens, quod quidem Deus sua benignitate suis cultoribus impendit.

Vis arg.

Veritatis nerus.

Philosophi autem id non cognouerunt, sed opinabantur in campis Elysijs sedes beatorum esse positas, quorum fœlicitas esset quædam requies, non autem quòd Dei consortio fruerentur. Et quamuis aliqui arbitrarentur viros virtute illustres in cælum rapi, non tamen faciebant illos deos per veri Dei consortium. Et quanquam Aristoteles contemplatiuam fœlicitatem in contemplatione substantiarum separatarum collocauit, non tamen eò attigit, vt cognosceret quòd sempiterna fœlicitas in contemplatione Dei consisteret. Sed arguis. Satis erat hoc primoribus reuelare qui ea plebem docerent. Respondetur quòd plebeij non poterant sine auxilio speciali Dei id firmiter credere. Sicuti neque illi quibus nos modò fidem nostram prædicamus, assentiri ei dignè, nisi diuina ope suffulti valent. Imò verò nec fides qualiscunque mediatoris sufficiebat, nisi aliquam originalis peccati notitiam haberent, pro qua ille erat interceſſurus, quam certè notitiam lumine naturali, vt in materia circumcisionis dicturi sumus, attingere nequiuerant. Vnde S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. Vbi hanc constituit conclusionem. Maiores, inquit, sub illa lege per reuelationem explicitè cognoscebant futurum mediatorem, quem suis sacrificijs quodammodo præsignabant: minores autem sub velamine illorum sacrificiorum habebant velatam cognitionem. Et in solutione 3. sic, inquit, saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non tamen fuerunt salui sine fide mediatoris in diuina prouidentia implicita. Credentes enim Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos, fidem habebant Christi mediatoris implicitam. Et Augu. Hypog. libro 3. fide, inquit, non alia, nisi quæ nunc est, salui facti sunt omnes sancti, qui ab exordio vsque ad finem mundi salui facti, faciendique sunt. Et quamuis hæc & similia sanctorum dicta glossari possent, quòd sit eadem tantùm ex obiecto: scilicet, quantum ad credibilia implicitè, vel explicitè, tamen profectò etiam intelligitur quantum ad modum: scilicet, quòd sicut nobis est supranaturalis, ita & vniuersis, iuxta illud Sapient. 9. Mitte sapientiam de cælis sanctis tuis. De qua cælesti sapientia infra. Nam per sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi

Philosophorum placita de fœlicitate.

Fides mediatoris.

Ioan. 6.

S. Thom.

Augusti.

Sapien. 9.

Domine

Domine à principio. Sed de hoc satis, quia locus præsens plura non gratis fert.

Ad arg. contrarium. Ad argumentum autem in contrarium ex Paul. ad Roman. 1. desumptum respondetur, ob id gentes condemnasse, quòd Deum, quem naturali lumine cognouerant, non subinde qualiter ius naturæ iubebat, coluerint: quod si ius illud naturæ seruassent, Deus illis altiori fidei radio affulsisset, vt sani fierent.

Aliud vero argumentum petebat, vtrùm in lege naturæ fuerit præceptum aliquod diuinum supernaturale fidei, & spei, & charitatis: de quo pergimus quàm primùm dicere.

2. Arg. S. Tho. In secundo igitur argumento Diuus Thom. explicat confusionem, quam in genere de tempore ante aduentum Christi constituerat, quod quidem tempus duas habuit differentias: scilicet, ante Abraham, & post ipsum. Est igitur argumentum. Sacramenta (vt 19. contra Faustum author est Augustinus) debent statui humani generis conuenire, ille autem à lapsu Adæ vsque ad Christum nunquam fuit mutatus: ergo nec debuerunt mutari sacramenta, vt præter illa, quæ erant in lege naturæ alia statuerentur in lege Moysi. Est autem responsio bimembris. Primùm enim, ait statum humani generis à peccante Adam vsque ad seruatorem Christum dupliciter posse considerari. Vno scilicet modo, quantum ad rationem & substantiam fidei, atque hoc pacto semper idem permansit. Sanè quòd vniuersi (vt modò dicebamus) per vnam fidem venturi seruabantur. Alio modo quantum ad maiorem intentionem peccati, expressioremque cognitionem de Christo: progressus namque humani generis, vt à suæ creationis primordijs in dies distantiùs elongabatur, ita ad Christum propinquiùs accedebat, & ideo per incrementa temporum & ratione recessus à suo exordio peccatum valentius in humanum genus grassabatur, adeo vt ratione per ipsum obtenebrata, mandata legis naturæ homini ad rectè viuendum non sufficerent: & ratione accessus ad Christum necesse erat vt fidei quoque sacramenta augerentur. Vnde *Gregor.* Gregorius, fidei, inquit, cognitio per temporum incrementa creuit. Vtraque ergo de causa tempore Abrahæ circuncisio, & pòst tempore Moysi alia sacramenta fuerunt legi naturæ adhibita. Et per hoc dissoluitur argumentum. Addit verumtamen secundo eorundem sacramentorum interuallum: nempe, quod illa, quæ fuerunt in lege naturæ ante Abraham, fuerunt indeterminata: quia tunc non fuit determinatè homini præfixum quibus sacramentis vteretur, sicut fuit Abrahæ circuncisio præscripta. Id quod ob vtramque causam commemoratam fuit necessum: scilicet, & propter caliginem legis naturalis, & vt esset determinatior fidei significatio.

Quæstio. Circa hoc autem vltimum verbum dubium exurgit illi simile, quod de statu innocentiæ disputauimus, quamuis obscurius, videlicet: Vtrùm in statu legis naturæ ante Abraham fuerint aliqua sacramenta. Potest autem quæstio intelligi tam de sacramentis in remissionem peccatorum, sicut sunt nostra, quàm de sacrificijs & oblationibus ad protestationem fidei. Et quidem de sacramentis ad remissionem actualium nulla opus est disputatione: constantissimum enim est, neque in lege naturæ, neque verò in lege Moysi vllum fuisse huiusmodi sacramentum. Imò hoc legi Euangelicæ proprium est, vt sacramentis in remissionem peccatorum actualium abundet. Quapropter nescio quid in mentem venerit Durand. in 4. d. 1. q. 5. vt assereret vnctionem sacerdotis in antiqua *Contra Durand.* lege fuisse sacramentum, gratiam conferens, sicuti sacramentum ordinis in noua: inde enim fieret consequens, vt actualia remitteret, quod reuera nulla probabilitate viget. Nam cùm sacerdotium illud non esset spirituale, neque ad administranda sacramenta spiritualia conferentia gratiam vim haberet, veluti est modò sacerdotium Euangelicum; nulla per illam vnctionem conferebatur gratia ratione operis, sed ex merito forsan & deuotione illius qui vngebatur. At de sacramentis in remissionem originalis, an videlicet fuerit in lege naturæ sacrificium aliquod singulare diuinitus institutum, sub iudice est. Hæc autem ambiguitas distin. proxima inter disputandum de circuncisione enodanda venit. *Scot.* Tenet enim Scot. in 4. quæst. 3. affirmatiuam partem, quam illic examinabimus. Restat ergo in præsentiarum quæstio solùm tractanda de sacramentis, si hoc nomine appellemus sacrificia, & oblationes ad protestandam fidem, placandumque Deum, illique gratias referendas: vtrùm scilicet in lege naturæ ante scriptam fuerint aliqua eiusmodi supra legem naturæ diuinitus instituta. Et quidem venerab. Hugo. *Hugo.* libr. 1. de sacrament. p. 11. capite tertio ait, sacramenta legis naturæ non fuisse ex præcepto obligantia, sed ex voto, inquit, celebrabantur secundum quod vnicuique sua dictabat mens, vt fidem suam alijs exteriori signo profiteretur. Quandoquidem sententiam ad literam refert, approbatque Diuus Thomas in 4. dist. *D. Tho.* 1. quæst. 2. artic. 6. quæstiun. 3. Hæc autem verba intelliguntur de sacramentis, quæ suo modo ordinabantur ad deletionem peccati vel originalis, vel actualis. Dicemus enim in materia de circuncisione, quòd licèt peccatum originale per actum interiorem tunc remitteretur adultis, & per eundum actum posset fides applicari paruulis sufficienter, vt originale illis remitteretur: nihilominus erant aliqua sacrificia ad id etiam adhibita, quæ suo modo appellabantur sacramenta (vt ait D. Th. in 4. d. 1. art. 2. quæstiun. 3.) De his autem in materia circuncisionis disputabimus. Nunc autem de sacrificijs, & oblationibus ad protestandam fidem, qualia sunt in lege nostra disquirimus.

Est ergo sententia Dur. in 4. d. 1. q. 2. quæ duo habet membra, Primùm n. inquit, ante Abraham fuisse quidem non sacramenta propriè, sed tamen sacrificia & oblationes ad protestandam fidem, vti de statu innocentiæ prædixerat. Secundò ait illa sacrificia fuisse necessitatis in communi: scilicet, vt aliquid tunc homines facerent, sed in particulari erant voluntatis, quia non arctabantur ad hoc vel illud sacrificium, imò vnus quilibet posset, quibus vellet vti. Non tamen explicat vtrùm illud præceptum necessitatis in genere esset diuinum, an tantùm naturale. Profectò res est non parum ambigua. Nam quòd esset aliquod præceptum diuinum protestandæ fidei ex eo colligitur, quod supra definitum est. videlicet fuisse sub illa lege necessariam cognitionem aliquam fidei supranaturalem: si ergo illa cognitio erat necessaria, fit vt etiam fuerit præceptum diuinum, tum illius habendæ, tum etiam protestandæ: nam, vt ait Paulus ad Romanos decimo, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quare qui præcepto diuino fidem tenentur habere, simili eandem protestari constringuntur. Quandoquidem nuda natura ad id, quod supra ipsam est, obligare non valet. Attamen ex altera parte apparet nullum fuisse tale præceptum: quoniam lex naturæ hoc sonare videtur, quòd solis naturalibus præceptionibus fuerit contenta. Id quod Diuus Thom. quæstione præcedenti, articulo quinto ad tertium insinuare videtur, dicens, quòd tunc homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu mouebantur ad Deum colendum.

Durand. *Præceptum fidei.*

Ad hanc ergo quæstionem, quam alij affirmanter, alij negantes expediunt, sub tali conclusionum moderamine respondendum arbitror.

1 Concl. Prima conclusio sit. Sub lege naturæ ante Abraham fuit diuinum præceptum in genere habendi, ac perinde modo aliquo protestandi supranaturalem fidem. Hanc puto conclusionem superius valido argumẽto demonstratam. Si enim erat supranaturalis cognitio ad salutem necessaria, fit vt quandò reuelaretur, præceptum esset illam recipere. Arguitur n. sic. Seruanti ritè ius naturæ Deus singulari auxilio illo tempore affulsisset lumine fidei: ergo ille, cui illa reuelatio fiebat, tenebatur illi assensum præbere: illa autem obligatio à sola natura non poterat oriri: ergo erat diuina. Secundò arguitur. Demus quibusdam proceribus eiusmodi reuelationes tunc temporis fieri, vt D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. ait, vt Iob, & nonnullis Sybilliis atque alijs: Si illi postea eandem fidem plebeios docerent, ac debitis coniecturis persuaderent, sicut modò nostri prædicatores apud Insulanos faciunt, tenerentur auditores illam suscipere, vt si Enoch, & Noe illud præstarent docendi officium. Et tamen illi promulgantes fidem, tunc non iniungebant præceptum: ergo illud erat omnibus diuinitus positum.

Et confirmatur. Propterea nunc præceptum est vniuersis hominibus positum suscipiendæ fidei Christianæ eiusque protestandæ: quinimo spei, & charitatis, quia motus isti sunt ad salutem necessarij. Cùm ergo in omni lege eandem habuerint necessitatem, fit vt semper eadem extiterint præcepta.

At propter argumentum in contrarium formatum

2. Concl.

subiungitur secunda conclusio. Nullum ante legem Moysi fuit præceptum exterius scriptum diuinum, neque de fide, neque de vlla re alia, præter naturalia, sed tantum internum. Hanc itidem conclusionem probat præfatum suprà argumentum: hoc enim sonat nomen legis naturæ. Distinguntur namque tres leges: scilicet, naturæ, scripta, & Euangelica. Scripta autem dicta fuit, propterea quòd illam scripto Deus tradidit Moysi, consequitur ergo vt status legis naturæ nullum habuerit scriptum exterius præceptum, neque in genere, neque in singulari, imo verò neque consilium scripto datum.

Tres leges.

Et confirmatur quia si aliquod fuisset, illud profectò fuisset vniuerso orbi positum, idque Moyses, qui omnia ab Adam vsque diuina fide denarrauit, in sua historia non prætermisisset. Atque hinc eliciemus dist. seq. quæst. de circuncisione, argumentum aduersus Scot. qui ait fuisse in lege naturæ diuinum sacramentum pro remissione originalis: nam tunc profecto necesse esset concedere fuisse vnicum in toto orbe quòd nullatenus nisi scripto potuisset quouis gẽtium euulgari, quare tunc non diceretur ille status legis naturæ. Hæc fuit expressa assertio S. Thom. q. præcedenti articulo 5. ad 3. vbi ait, quòd sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu mouebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum vterentur. Atque idem ait in præsenti solutione ad 2. scilicet, ante legem non fuisse determinatè præfixum homini, quibus sacramẽtis vteretur, sicut fuit per legem. Cùm verò, ait, interiori instinctu, non solùm intelligit naturali, imò quandoque supranaturali. Vnde in 4. dist. 1. quæst. 2. artic. 6. in fine. similiter ait, quòd in lege naturæ fides ipsa, quando tempus habebatur, instigabat, vt se aliquibus signis exterioribus demonstraret Et 1.2. quæst. 103. art. 1. ait ante legem scriptam fuisse cæremonias colendi Deum, non quidem authoritate alicuius legis determinatas (& intelligit legis diuinæ) sed solùm a voluntate & deuotione hominum Deum colentium. Nihilominus, inquit, credendum est fuisse aliquos viros præcipuos spiritu prophetico pollentes, qui ex instinctu diuino, quasi ex quadam priuata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum qui interiori cultui conueniret, ac perinde congrueret ad significanda Christi mysteria. Vnde illud 1. ad Corinthios decimo. Omnia in figura contingebant illis, etiam statui naturæ quodammodo adaptari censet. Lex ergo naturæ (vt argumentum supra factum dissoluamus) non ideo dicebatur, quòd nullum tunc esset præceptum supranaturale, sed quòd nullum tale exterius scriptum & determinatum continebat.

3. Concl.

Quod si quæras: quomodo ergo præceptum illud diuinum erat tunc temporis inditum & promulgatum? Audi conclusionem tertiam. Illud præceptum diuinum fidei, spei, & charitatis inspiratum fuit Adæ, atque in illo toti orbi: nam in ipso tunc vniuersitas humani generis continebatur, fuit autem deinceps per patres suæ posteritatis, nempe, per Seth, Enoch, Noe, &c. viua voce deriuatum. Hanc conclusionem docet D. Thom. in hac 3. part. q. 70. artic. 2. vbi ait, quod patres ante legem scriptam familias suas instruxerunt de diuinis per modum paternæ admonitionis. Vnde & Dominus dicit de Abraham, Genes. 18. Scio quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se vt custodiant viam Domini. Hæc ille. Atque eadem ratione fuit etiam promulgatum in gentiliratem per insignes personas, vt per Iob, &c. Et sæpenumerò priuatim multis reuelabatur, qui legem naturæ more, & vsu seruabant. Quod si arguas. Ad impossibile nemo obligatur, cognitio autem fidei excedit naturæ vires: ergo nullum extat eius præceptum. Hoc iam locum alium vbi disputetur, exigit. Sed respondetur interim ad id obligare tale præceptum, vt non resistamus speciali auxilio Dei, quòd seruanti ius naturæ ipse impertitur.

Argum.

Ecce (vt ad rem præsentem descendamus) quo pacto in lege naturæ fuerit præceptum diuinum protestandæ fidei in genere, non autem in particulari de hoc vel illo protestationis modo.

4. Concl.

Quapropter quarta subnectitur conclusio. Aliqua sacrificia & oblationes in particulari, vt decimæ & primitiæ aliæque id genus fuerunt in illo statu ab vnaquaque bene instituta republica instinctu naturali posita, & est verisimile multa fuisse scripta, & nonnunquam ex instinctu diuino deriuata. Conclusio est D. Thom. quo ad vtramque partem loco citato 1. 2. quæst. 103. articu. 1. Quæ quidem sacrificia & oblationes erant de iure positiuo, sicut modò sunt sacrificia & oblationes nostræ, quæ non sunt sacramenta. Ius enim naturæ vniuersos admonebat, qui vnum Deum agnouerant, vt eius fidem debito modo protestarentur, iuxta illud Dauidicum. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: & præterea (vt dictum est) proceres ad id diuinis inspirationibus instigabantur. Quocirca præcepta illa non erant eadem apud omnes, sed vnaquæque natio, prout spiritus sibi supernaturalis suggerebat, suis abundabat præceptionibus, quæ obligabant etiam sub reatu mortali. Dixerim à republica bene instituta. Nam plurimæ adeò fuerunt scelerum, idolatriæque caligine obductæ, vt vix vllus rationis vsus in illis vigeret. Et hoc est, quod ait in præsentiarum S. Thom. ante legem non fuisse præfixum homini, quibus sacramentis vteretur: scilicet, lege diuina, sed hoc permittebatur legi naturæ, vt quæst. præcedenti articulo quinto ad 3. prædixerat. Quòd autem talia essent sacrificia confirmatur autoritate illa citata August. libro decimonono contra Faustum. In nullum nomen religionis coadunari homines possunt, nisi aliquo sacramentorum visibilium consortio colligentur. Secundò probatur ratione suprà relata. Post vitiatam naturam protinus homo indiguit, tum per visibilia de supernis erudiri, tum etiam per illam & fidem protestari, & Deum placare, & ab ipso beneficia postulare: in hæc autem officia necessariæ erant oblationes, atque alia religionis symbola. Item tertiò. In omni mundi ætate necessarius fuit religionis cultus, atque adeò necessarij sacerdotes, vt de sacerdotijs Ægypti Genesis quadragesimo septimo legitur: necessaria ergo fuit aliqua decimarum primitiarumque ratio in eorum alimoniam.

Psal. 4.

Sed forsan hic quispiam ex eadem autoritate August. argumentum informet. Si enim vna religio sine certis signis coalescere nequit, cùm omnes veri Dei cultores eandem religionem colerent, fit vt eisdem deberent sacrificijs vti, quod nisi per diuinam institutionem, & reuelationem contingere nequiuerat. Respondetur autem, quòd si hæc ratio efficax esset, non solùm concluderet fuisse præceptum in genere, sed singularia mandata diuina, non solùm contra originale, verùm & de certis cæremonijs, vt in lege scripta, & nostra, quod nemo concedit. Satis ergo fuerit omnia illa sacrificia, & oblationes eatenus conuenire, vt vnius veri Dei professionem referrent, licèt essent inter se variæ. Cuius rationem egregiè D. Tho. 3. part. q. 70. art. 4. ad 2. argumentum, quod infrà videbimus, assignat. Cum enim, inquit, ante Abraham nondum homines fideles seorsum ab infidelibus ad cultum vnius Dei adunari cœpissent, nondum necessum erat diuinis præceptionibus in particulari erudiri, atque adeò neque eisdem vniuersum orbem teneri, sed vnamquamque nationem pro temporum diuersitate suis proprijs. Vnde statim homine lapso, ex duobus fratribus Cain quidem de frugib. terræ obtulit, Abel verò de pinguibus ouium. Quocirca sacrificia illorum fratrum non fuerunt, vt Alexander Alensis insinuat 4. par. q. 1. memb. 2. art. 2. ex institutione diuina expressa in particulari, sed solùm in instinctu interiori etiam naturali, quò ad Dei cultum instigabantur, iuxta verbum Hugonis citatum, vbi ait, sacramenta legis naturæ non fuisse ex præcepto obligantia, sed ex voto, inquit, celebrabantur secundum quod vnicuique dictabat sua mens, vt fidem suam alijs exteriori signo profiteretur.

S. Thom.

Quinta conclusio. Illa sacrificia, & oblationes minimè virtute operis (quod aiunt operati) gratiam conferebant, atque adeò neque propriè erant sacramenta veluti nostra, sicuti neque sacerdotes illius seculi erant tam propriè sacerdotes, imò verò non aliter quàm nostræ oblationes, quæ non sunt sacramenta. Quòd enim non conferrent gratiam expressè affirmat D. Th. in 4. q. 2. ar. 6. quæstiuncu. 1. dicens, quòd quando illa signa adhibebantur, quibus fidei protestatio fiebat, non erant efficacia remissionis culpæ, quamuis poterant esse meritoria.

Interrogatio

Sed rogas, Cur ergo appellabantur sacramenta?

sicut

sicut D. Thom. in 4. d. 1. q. 2. art. 2. & Alex. & omnes doctor. secundùm Hugonem loquuntur. Respondetur quòd cùm sacramentum idem sit, quod peccati medela, & nos habeamus septem medicamina adeò excellentia, vt virtute operis efficacia sint gratiæ, sola illa nomine sacramenti veneramur, reliqua verò, quæ eadem virtute carent, non item. In lege autem naturæ, quoniam nullum tunc morales medicamen huiusce modi habebant, illa sacrificia, quibus fidem protestabantur per quam salutem obtinebant, suo modo censentur nomine sacramenti.

3. Argu. Tertio argumento S. Thom. procedit contra id, quod dictum est in solutione secundi: scilicet, quòd sacramenta legis Mosaicæ explicatiùs fidem Christi significabant, quàm illa legis naturæ, eo quòd quantò Christi aduentus, per sacramenta illa significatus, propinquiùs aduentabat, tantò institui eius fidei explicatiora decebat. Cuius tamen contrarium apparet. Nam vt est in Psalm. 19. & ad Hebr. 7. ait Paul. Sacrificium Melchisedech, quod fuit in lege naturæ, apertiùs repræsentauit sacerdotium Christi, quàm sacrificium Aaron, quod fuit in lege scripta. Reipondet D. Thomas quòd etsi ratione materiæ: nempe, panis & vini, quod vt habetur Genes. 14. erat sacrificium Melchisedech, expressiorem similitudinem haberet sacrosancti sacrificij nostri missæ, tamen rei contentæ in nostro sacramento: nempe, Christo occiso similiora erant sacramenta legis Mosaicæ, & inter ea potissimùm immolatio paschalis agni.

Sacrificium Melchisedech. At postquam in sermonem incidimus sacrificij Melchisedech, quamuis in quinta conclusione proximè negauerimus in lege naturæ vllum fuisse prorsus reuera sacramentum, haud tamen esset prorsus à ratione alienum illud excipere, affirmareque fuisse sacramentum: scilicet, quòd fuerit à Deo institutum propter significationem: quia soluens illi Abraham decimas in mysterio recognouit sacerdotium Aaron subditum iri sacerdotio Christi, vt Paulus loco citato edisserit. Qua ratione illic memoratur, fuisse sacerdotem Dei Altissimi. Veruntamen non est necessaria consequentia. Nam sicut Cain naturaliter obtulit fruges, & Abel de ouibus, aliaque alij, ita & Melchisedech instinctu naturæ, & fortè fidei, offerebat panem & vinum. Erant enim lege naturæ proprij sacerdotes, qui vbi verus colebatur Deus, pro populo offerebant, orabantque. Quibus suo ordine & gradu illud etiam Pauli ad Hebræos 5. congruebat. Omnis pontifex ex hominibus assumptus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, &c.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.

Conclusio. TERTIA denique temporis differentia est post Christum natum. De qua hic D. Thomas vnica conclusione respondet. Oportet quædam noua sacramenta esse in noua lege Christi. Probatur primò authoritate Augustini sæpe contra Faustum citati libro 19. capite 13. Sacramenta enim, inquit, veteris legis sunt ablata, quia impleta, & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et super Psam. 73. Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, fœliciora. Secundò probatur ratione. Sicuti antiqui patres salui facti sunt per fidem Christi venturi, ita & nos per fidem eiusdem nati, & passi saluamur: sunt autem sacramenta signa quædam fidem protestantia, qua iustificamur. Futurum verò aliter quam præteritum, & præsens significantur, vt eodem libro ait Augustinus capite decimo sexto. Eadem siquidem res aliter annunciatur facienda, aliter facta, sicut ipsa hæc verba, passurus & passus, non similiter sonant. Oportuit ergo noua sacramenta in lege Euangelica institui, quibus ea per Christum significentur impleta, quæ sacramenta veteris legis pronunciabant futura.

Explicatio articuli. Articulus præsens non est, quòd vllum nobis, facessiat exponendi negotium. Est enim perspicuus si hoc dumtaxat consideretur, quòd fides antiquorum, & nostra eadem fuit ex parte obiecti solis temporum differentijs enunciationum variata. Nam & ipsi, & nos credimus Christi natiuitatem, passionem, &c. sed ipsi futuras, nos verò præteritas: quare differentia quæ est in verbis, seruatur in sacramentis.

1. Arg. S. Thom. Argumentum primum sancti doctoris est quòd veniente veritate debuit cessare figura: gratia autem, & veritas, vt legitur Ioannis 1. per Christum facta est: cùm ergo sacramenta sint gratiæ, & veritatis signa, nulla debuerunt post ipsum permanere. Responsio autem sumitur ex Dionysio, quinto capite cœlestis Hierarchiæ. Nempe, quòd status Euangelicus medius est inter statum legis veteris, & statum gloriæ. In cælo ergo vbi omnis veritas erit patentissima, nullus erit sacramentorum locus: nobis autem, qui adhuc per speculum, vt ait Paulus & in ænigmate Deum cognoscimus, sacramenta congruunt, quibus delatenti sub illis gratia erudiamur. Ad vim ergo argumenti respondetur, quòd præsente veritate Christi debuerunt cessare figuræ, & vmbræ antiquæ, quæ illum præsignabant venturum, non tamen signa velatæ gratiæ, quæ per eius passionem recipimus. Imo verò ob id, quod sol ipse iustitiæ præsens affulgebat, author in cruce redemptionis nostræ, atque adeò sanctificatricis gratiæ ea debuit sacramenta instituere, quæ essent tum explicatiora signa gratiæ, tum subinde eiusdem conferendæ efficacia instrumenta.

In cælo nulla sunt sacramenta.

2. Argu. Secundum argumentum sumitur ex discrimine inter patres, & nos. Illi enim, vt ad Gal. ait Paulus, quia erant parui, sub elementis mundi seruiebant. Iam verò temporis plenitudine præsente non sumus nos parui: non ergo debemus ijs elementis subiugari. Responsio verò est, quod illa dicebantur infirma, & egena elementa, quia gratiam non continebant, & ideo quasi serui erant sub illis. Nos verò quia charismatum beneficio per ipsa donamur, non vti serui sub illis existimus, sed quasi liberi eorum gratia perfruentes.

3. Argu. Tertium argumentum. Apud Deum vt habetur Iacobi 1. non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: hæc autem sacramentorum submutatio videtur nonnullam voluntatis mutabilitatem Deo impingere: non ergo eum decet. Responsio autem est, hoc non pertinere ad diuinam mutabilitatem, sed ad varietatem humanæ conditionis pro diuersis ætatibus. Non enim mutabilis existimatur paterfamilias si alijs legibus instruat liberos, dum sunt paruuli, & dum sunt adulti, aliterque in æstate familiæ prouideat, & aliter in hyeme. Nam & lex ipsa naturalis, quæ in statu innocentiæ iubebat omnia esse communia, natura deinde lapsa, ius peperit gentium diuidendarum rerum.

Quæstio tertia,

DE PRÆCIPVO EFFECTV SACRAMENTORVM, QVI EST GRATIA,

S. Thom. 3. part. quæst. 62.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sacramenta sint causa gratiæ.

1. Concl. TERTIVM capitulum textus distinctionis præsentis fuit de præcipuo sacramentorum nouæ legis effectu, qui est gratia. De quo idcirco præsenti quæstione agendum. Est ergo primus idemque generalis articulus, vtrùm sacramenta sint causa gratiæ. Ad quam quæstionem D. Thom. quatuor conclusionibus respondet. Prima est generalis, & fundamentalis. Necesse est dicere sacramenta nouæ legis per aliquem modum causam esse gratiæ. Et dum ait, necesse, denotat hoc non esse fas in dubium vertere, sed ab omnibus esse contitendum. Ob idque rationem subdens ait. Manifestum n. est quòd per sacramenta nouæ legis homo Christo incorporatur. Manifestum est, inquit, vt de baptismo ad Galat. 3. Apost. pronunciat dicens. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: membrum autem viuens Christi nemo nisi per gratiam fieri potest.

2. Concl. Secunda conclusio, Non satis rei sit si quis asserat sacramentum esse causam gratiæ, non quidem aliquid operando, sed quia sacramentis adhibitis Deus per se solus in anima gratiam operatur. Sunt enim qui hac tenentur opinione. Id quod exemplo plumbei dena-

Digitized by Google

rij declarant. Aiunt enim sacramenta non veriùs esse causam gratiæ, quàm si rex talentum auri cuipiam pollicitus, plumbeum signaculum, quasi testem sui promissi, ei daret, vt quando illud sibi præsentaret, promissum solueret talentum. Clarum n. est plumbum illud non esse causam donati talenti, sed signum donandi. Sic aiunt quippiam Christum nobiscum pepigisse, vt quoties quis sacro fonte intingeretur, per suam ipse diuinam virtutem eius animam gratia abluere-

Bernardus. ret. Fulciuntur isti Bernardi, vt putant, suffragio, qui in quodam sermone de cœna Domini ait. Sicut inuestitur canonicus per librum, abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersæ sunt traditæ sacramentis.

Probat autem D. Thomas aduersum istos contrariam conclusionem suam: quoniam modus iste non transcendit rationem signi. Nam illud plumbeum sigillum nullatenus causa, sed signum penitus regiæ promissionis seu ordinationis esset. Nec liber est causa, sed signum traditionis canonicatus. Ob idque hac ratione sacramenta nouæ legis à veteribus nihil distarent: cùm tamen omnes sancti dicant illa tantùm signa fuisse fidei, qua homines iustificabantur: nostra verò efficere quod significant.

3. Concl. Tertia conclusio. Cùm duplex sit effectrix causa: nempe, principalis, in qua primùm inest virtus agendi: & instrumentalis, solus Deus tanquam causa principalis est, esseque potest causa gratiæ. Probatur. Hoc enim interest inter causam principalem, & instrumentalem, quòd principalis agit propria virtute suę formæ, qua intendit passum sibi simile proferre. Instrumentalis verò non nisi virtute superioris seu tanquam eius virtus. Ignis siquidem ignem gignit, per calorem tamen, quia eius est virtus. Egregiè ergo hanc conclusioni autoritatem Petri accommodauit. Effectus enim causæ principalis nihil aliud est, quàm quædam eiusdem causæ participatio. Ignis quippe, dum ignem generat, aut homo, dum hominem, suam genito naturam impertitur: gratia verò est quædam participatio diuinæ naturæ: iuxta illud 2. Petri 1. Magna nobis &

2 Pet. 1. pretiosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ: eam ergo solus Deus elargiri valet.

4 Concl. Quarta conclusio. Sacramenta nouæ legis, ceu instrumenta Dei, & peculiariter passionis Christi, causa sunt gratiæ. Adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam eis conferendam. Et quòd instrumentorum similitudinem gerant, probatur. Nam instrumentum, quia non agit virtute propria, non attingit formam geniti vt eam sibi assimilet, sed assimilatur principali agenti: actio namque instrumenti duplex est: scilicet propria: vt serræ, serrare: altera verò altior quam ab agente sortitur: vt serrare ex arte appositè ad extruendum lectum: quare lectus non assimilatur serræ, sed arti quæ est in mente artificis. Pari ergo modo cum propria actio aquæ non sit nisi corpus abluere, assumpta tamen est a diuina prouidentia, vt sit instrumentum abluendæ animæ. Et ideo baptizatus non assimilatur aquæ, sed virtuti Christi: iuxta illud verbum citati Pauli. Quotquot baptizati estis Christum induistis. Confirmatur nihilominus

August. conclusio gemino loco Augustini. Priori scilicet tractatu 80. super illud verbum Ioann. 15. Mundi estis propter sermonem, &c. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat? Posterior verò est libro 19. contra Faustum: Hæc omnia, scilicet sacramenta sunt & transeunt: virtus tamen, scilicet Dei, quæ per ea operatur, iugiter manet. Cùm igitur Deus per ista sacramenta operetur, iuxta illud ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, fit vt sint eius instrumenta.

Expositio articuli. Quæstio præsens inter omnes princeps est, quæ hactenus sunt disputatæ. Neque tam parui refert eius veritatem nosse, quàm multi neotericorum arbitrati sunt, credentes perparum interesse quomodo sacramenta euangelica sint causa gratiæ. Primum ergo omnium phrasin, scholarium vsu receptam, audiamus. Aiunt enim sacramenta nouæ legis ex opere

Ex opere operato. operato gratiam conferre: quod quidem verbum non modò in sacra scriptura non extat, verùm neque apud antiquos patres reperitur. Quare etsi D. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. arti. 5. illius meminerit, quoniam tunc fortè illud idioma serpere incipiebat, non tamen quasi ex sua opinione: sed ait ipsum sacramentum à quibusdam dici opus operatum: hic verò in summa illud non vsurpat: est enim verbum barbarum. Operatum namque veriùs actionem, quam passionem significat: sicuti operari. Quare sacramentum exhibitum non potest subinde dici operatum. Nonnulli verò scholastici, quo patentiùs discrimen aperirent inter gratiam, quam quis, vel diuinitus adiutus suis meritis auget, vel qua suscipiens sacramentum ob suam deuotionem auctiorem suscipit: & illam quæ per ipsum sacramentum institutione diuina tanquam per eius instrumentum confertur, illam vocem in scholas inuexerunt. Quod profectò non erat necessarium. Enimuerò si dicamus sacramentum gratiam per seipsum seu virtute operis efficere, aut conferre, vel, sicut ait S. Tho. causare, satis gratia sacramentalis designatur, ab alijs vtique distincta quæ per meritum suscipientis sacramentum aut ex merito studiosè operantis accumulatur. Vbi ergo Latinè cuilibet loqui libuerit, ab hoc barbarismo abstineat. Tametsi in scholis vanum sit Theologis adeò esse verborum affectatoribus quo minus indulgere nonnunquam vulgo debeant suum fandi modum.

Duo tractanda. Ad rem ergo descendamus. Duo sunt in præsenti quæstione tractanda. Prius scilicet de re quæ prima conclusione asserta est: nempe, necessarium esse sacramenta nouæ legis per aliquem verum modum esse causam gratiæ: posterius verò de modo eiusdem sententiæ asserendæ. Circa prius membrum videndum est, quo gradu confitendum sit sacramenta Euangelica gratiam efficere, vtrùm hoc scilicet vsqueadeò sit catholicum, vt contrarium sit hæreticum: nempe, ceu sacræ scripturæ aut iuri pontificio dissonans. Nam quòd hoc negare, hæreticum non sit, inde videtur colligi, quòd in sacra scriptura non apparet expressum. Pro altera tamen parte sunt ibidem sacra oracula, æquipollentibus propemodum verbis id asserentia, & præterea sanctorum testimonia, id ipsum contestantia, ac demum Ecclesiæ decreta, quibus id definitum videtur. Etenim de baptismo cum primis ait Christus Mar. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Nam quamuis rigore verborum solùm affirmetur in baptismo conferri gratiam, ac subinde esse eius certissimum signum, in quo, vt q. 1. art. 1. dicebamus, consistit substantia sacramenti, nihilominus eiusmodi locutio causam etiam videtur designare. Nam etsi Genes. 17. per simile de circumcisione legamus; s. Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: tamen illic sola exprimitur circuncisionis necessitas: non tamen habetur, quòd circuncisio saluos faceret, sanè cùm iliam Paul. ad Rom. 4. tantùm appellet signaculum fidei, quæ quidem tunc fides sola, vt supra dictum est, iustificabat, Christus autem componens cum fide baptisma, admonet, quòd baptismus perinde ac fides saluum faciat baptizatum.

Vtrum sit de fide sacramenta gratiam conferre.

Sacra testimonia.

Lutherus. Quia ratione Luth. de hac hæresi condemnatus est: nempe, quòd sola fide, nullo autem sacramento fatebatur hominem iustificari: vt in articulo primo eorum qui à Leone condemnati sunt, est videre. Callidè tamen, quæ sua erat vafricies, veritatem hanc repellebat, dicens quòd cùm in negatione ibidem non subdatur nisi, qui verò non crediderit condemnabitur, indicium est solam fidem esse necessariam. At verò, vt nos contra ipsum lib. 2. de nat. & grat. cap. 10. commonstrabamus, affirmatio est fida negationis interpres. Et ideo pariter intelligitur, qui verò non crediderit vel non fuerit baptizatus, dummodo possit, condemnabitur. Sed facta est tantum fidei repetitio, eo quòd qui non baptizatur, censetur id facere defectu fidei. Nam vbi est copia baptismi, fides sine illo non est legitima. Eodem pertinet citatum testimonium Pauli ad Galat. 3. Quotquot baptizati estis, Christum induistis. Cui accinit aliud, ad Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Hoc est, virtus passionis eius per baptismum nobis admota est. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum & peccatis commortui. Cui & aliud ad Titum 3. consonat. Saluos nos fecit per lauacrum. Nam vocula, per, modum efficiendi instrumentalem & organicum designat: videmus enim per oculos, & per literas loquimur. At quoniam etiam instrumentum effectiuo casu exprimitur (scribimus enim calamo) ait ad Ephes. 5. Mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et de sacrosancta Eucharistia Ioan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem: habet vitam æternam. Vbi quamuis primo verborum

sonitu

sonitu non designetur nisi quòd illic conferatur gratia tanquam sub illo signo, subdit tamen: Caro enim mea verè est cibus: verè scilicet animam cibans: sicuti materialis cibus causa est alendi animal: & sanguis meus verè est potus. Et de pœnitentia, Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Vnde planè colligitur sacerdotes remittere peccata, & verè absoluere, vt est concilio Constantiensi decretum, haud verò aliter quàm per sacramenta remittunt. Christo namque tanquam capiti proprium erat sacramentorum gratiam absque illis impertiri.

Ioan. 20.

Testimonia sanctorum.

Accedunt & sanctorum testimonia, quorum autoritate sacra pagina est interpretanda. Vnde Augustinus de baptismo parvulorum, & refertur de consecrat. dist. 4. canon. filius. Per fidem, inquit, & baptismum eius à peccato homo per iustificationem liberatur. Quæ quidem dexterrima illius glossa est, qui crediderit, & baptizatus fuerit. Et super Ioānem loco iam citato. Quæ est ista virtus aquæ quæ corpus tangit, & cor abluit? Et in epist. 23. ad Bonifacium super illud. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ait quòd sicuti Spiritus sanctus, sic & ipsa nostræ regenerationis est causa: ille scilicet principalis, & ipsa instrumentalis: vt sanctus Tho. in præsentiarum declarat. Super quo loco Cyril. lib. 2. super Ioannem cap. 42. egregia vtitur allusione. Ait enim quòd cùm homo constet ex anima & corpore, quemadmodum viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter quam ignis viribus vrit, sic Spiritus sancti operatio ad diuinam aquæ reformatur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt. Et in eundem locum Chrysost. hom. 25. super Ioan. ait, quòd aqua baptismi animas rationales parit. Et Orig. super Nu. Hom. 5. per aquam, inquit, baptismi repurgatæ sunt animæ nostræ. Cui & Ambros. concinit lib. 1. de sacrament. c. 5. & refertur de consecrat. d. 4. canon. Per aquam. Per aquam, inquit, baptismi transitus est de terrenis ad cælestia. Et infrà. Non omnis aqua sanat, sed illa quæ habet gratiam Christi. Et supràcitatus Gregor. Canon. Quod apud. Quòd apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides. Ecce sicut fides tunc sola, sic modo aqua iustificat. Et Beda super 3. capit. Luc. Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Cui adstipulatur Chrysost. super Ioan. de consec. dist. 4. Canon. Nunquam. ait: Nunquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset nisi tactu Dominici corporis fuisset tacta. Et Hugo vir egregiæ autoritatis lib. 1. de sacramen. p. 9. cap. 2. ait, quod sacramentum debet esse ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem & spiritualem gratiam. Ex quibus demum omnibus sententiarum Magist. in 4. di. 1. illam collegit particulam definitionis sacramenti: nempe, quod sit signum gratiæ cuius imaginem gerat, & causa existat. Ac subinde excellentiam nostrorum sacramentorum dignoscit, qua veteribus præstat, videlicet quòd illa promittebant tantùm & significabant, nostra verò dant salutem. Quæ quidem sunt verba Aug. super Psal. 73. ac denique assertissima confessio Innocentij Papæ. in ca. Maiores. extra de baptismo & eius effect. Idque adeò vniuersi patres vt receptissimum axioma celebrant. Præsertim cùm super his omnibus iam nunc decretum extet concilij Florentini sub Eugen. 4. vbi hæc fere verba Augustini referuntur: videlicet, quòd illa sacramenta veteris legis non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant, nostra verò septem & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Sed explicatissimè iam modò in concilio Tridentino session. 5. in Prologo Canon. 5. decretum est, vt qui per Iesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negauerit, anathema sit. Et Session. 7. canon. 6. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm æternæ sint acceptæ per fidem gratiæ vel iustitiæ, anathema sit. Cùm ergò concilia hæc, vt catholicam veritatem hanc constituerint: atque adeò aduersus Lutherum, vt dictum est, fuerit contrarius articulus damnatus, nullus sit reliquus ambigendi locus. Quocirca (vt ad propositum dubium respondeamus) qui sub his verbis generalibus negauerit sacramenta esse causam gratiæ, non poterit non subinde temeritatis reus fieri: vtpote patrum vniuersitatem abnegans; imò nec poterit non haberi sacrilegus aduersum sacram scripturam sanctorum interpretamento explicatam: ac demum nec poterit ab hæresi contra Ecclesiasticas definitiones excusari. Dixerim sub his generalibus verbis: quoniam si gratiam conferant disponendo, vel per virtutem quæ sit qualitas sibi inhærens, vel absque illo: non est in sacris definitum.

Cyril.

Ambros.

Greg.

Beda.

Hugo.

Sentent. Magister.

Augustin. Innoc.

Concilium Florent.

Conc. Tridentinum.

Respon.

Proximum ergo est vt de secundo membro dicamus: nempe, quomodo sunt causa. De hac enim dubietate tres sunt dicendi modi. Vnus quippe est, quem D. Thom. secunda conclusione refutat: nempe, quòd sint causa, vt isti loquuntur, sine qua non: scilicet quòd Deus statuerit ad eorum præsentiam gratiam conferre. Quæ quidem opinio est ferè omnium doctorum: puta Alex. in 4. p. q. 8. membr. 2. artic. 5. Et Bonauent. in 4. d. 2. q. 3. Et Okam in 4 q. 1. & Richar. d. 1 artic. 4. q. 1. Et Scot. d. 1. q. 4. & 5. Et expressè Durand. ead. distinct. q. 4. Vbi ait nullum sanctorum posuisse in definitione sacramenti, quòd essent causa gratiæ, præter solum Magistrum Sententiarum. Sed nescio quo charactere hoc dictum subnotem. Sanè cùm tam multi citati autores, licèt non dicant sacramenta esse causam, dicant tamen conferre, & donare gratiam, purgareque & sanare animam à peccatis, &c. Est etiam opinio Marsilij in 4. q. 2. art. 3. atque aliorum inferioris notæ, quos citare minime opus est. Sunt enim veluti hedera aliorum sequaces. Omnes ergo isti vnica formidine tenentur. Nempe quod cùm gratia sit spiritualis supernaturalisque forma & qualitas, quæ idcirco nequit educi de potentia materiæ, ac subinde neque nisi per creationem, vti anima rationalis, produci, impossibile concessu arbitrantur, quod creatura, qualia sunt res sacramentorum & verba, possit illam producere. Atque hac de causa statim in fronte Quarti libri, multas paginas de creationis materia compingunt: cùm tamen his non fuerit illic locus. Concedit namque imo egregiè probat D. Tho. 1. p. q. 45 art. 5. adeo esse proprium Dei, creare, vt hoc nulli creaturæ nec tanquam creationis instrumento possit impertiri. Nam instrumentum non potest ad opus artificis eleuari, nisi aliquam circa eandem materiam habeat actionem propriam. Nequiret enim statuarius in sculpenda statua ascia vti, nisi eandem posset ad lapidem admouere. Cùm ergo creatio fiat ex nihilo, creatura autem ad nihilum admoueri nequeat, sed ad materiam, fit vt neque instrumentum esse possit creationis. Quamuis ergo hoc agnouerit S. Tho. non tamen ideo metuit dicere sacramenta gratiam conferre, sanè quod ad hunc effectum non opus est vt creatura creet, quemadmodum inter eius explicandam opinionem patebit. Igitur vt ad prænarratam opinionem reuertamur: tametsi à tam multis defensetur, tamen quod scripturæ sacræ sanctorumque & Patrum & conciliorum assertis non satisfaciat, profectò planissimum est. Nam, vt ait S. Tho. nihil aliud sacramento isti tribuunt, quàm quòd sit signum applicatæ fidei, quod profectò nec Lutherani negant. Cùm ergo Ecclesia contra illos sanciuerit sacramenta conferre gratiam, aliud quidpiam altius sensit, nempe verè & propriè esse causam, & non præcisè Deum ex pacto illam absque vllo instrumento producere.

Prima trium opinionum.

Creatura creare non potest.

Lutherani.

Enimuerò quòd hoc non sit, sacramentum causam esse gratiæ, profectò confessio est quorundam ipsorum, qui opinionem sustinent. Durand. namque acutè hoc agnouit, & ideo dixit quod nemo vsque ad Magistrum Sentent. dixit sacramentum esse causam gratiæ, quòd quàm sit veritati etiam sacri euangelij contrarium, iam proximè monstrauimus. Et Gabri. in 4. dist. 1. q. 1. adeò idem planè fatetur, vt quo sacramentum sustineat nihil efficientiæ habere circa gratiam, neque in ratione instrumenti, subsequenter cum suo Aliaco id ipsum de omnibus causis naturalibus adstruat. Ait siquidem nec solem illuminare, nec ignem calefacere, sed Deum solum ad eorum præsentiam. Vide quomodo isti vniuersum rerum naturalium ordinem euertant, ludibrioque exponant. Profectò frustrà, vt omnium est philosophorum confessio, Deus fecisset & cælos, & elementa, & omnes secundas causas, si eas reliquisset ociosas, & non potiùs ad agendum aptas instituisset. Quocirca Commentator 9. Metaphy. commento 7. huius opinionis patronos (nam fuit antiquorum delirium) non arbitrabatur cerebrum habere ad philoso-

Durand.

Commentator.

Digitized by Google

phiam idoneum. Et 2. Sentent. dist. 1. artic. 4. D. Tho. stultitiam potius quam opinionem censent. Nam vt alia omissa faciamus argumenta, ex hac opinione fit planè consequens non constare nobis solem esse lucidum, aut ignem calidum. Etenim si nec ille illuminat, nec hic calefacit, quomodo eorũ natura a nobis percipietur? Mox cõsequitur hominem esse causam creationis animæ rationalis, quandoquidem ad eius præsentiam Deus illam producit. Ac denique tertiò pari leuitate deberent isti concedere intellectum nostrum aut voluntatem nullum actum producere, sed Deum ad eius præsentiam. Ac subinde nec dum bonum volumus, nobis apponeretur ad meritum, nec dum mala per voluntatem proponimus, aut opere exequimur, imputaretur nobis ad culpam. Imò sequeretur, quòd Deus ad præsentiam voluntatis nostræ produceret odium sui ipsius. At superuacaneum est de hoc quemquam solicitum esse, satis enim superque cum istis, 2. Physic. digladiati sumus.

Scotus impugnatur.

Scotus autem licèt non verbis, re tamen negat sacramenta esse causam gratiæ. Ait quippe ob id duntaxat dici eius causam quodammodo actiuam & instrumentalem gratiæ, quòd eorum susceptio est dispositio ad gratiæ infusionem necessitans, non quidem per formam intrinsecam, nec per dispositionem, sed per assistentiam Dei causantis illum effectum. At profectò modus iste loquendi non altiùs eleuat sacramentum, quàm vt sit merum signum: & quòd Doctores citati aiunt, causa sine qua non Quoniam hoc pacto nil aliud facit sacramentum quàm Dei assistentiam per certitudinem significare. Causa autem sine qua

Causa sine qua non.

non, vt 2. Physic. disputabamus, nisi ad aliquod quatuor causarum genus reducatur: videlicet, nisi moueat, aut effectum recipiat, aut forma sit, aut finis, nullatenus, nisi per abusum, est causa, aut forsan per accidens, veluti si citharœdus ædificet. Isti autem nullam sacramento efficientiam tribuunt, sed soli Deo: perinde ac dum dæmon cum malefico paciscitur, vt quoties certa protulerit verba, ipse quippiam faciat miraculo simile. Tunc enim verba illa malefici non sunt causa, sed signum. Dicere autem quòd sacramentum nihil efficiendo sit causa, abusus loquendi est. Neque verò exemplum quod de motu Scotus subiungit: videlicet, quòd licèt sit causa respectu termini, tamen nullam habet actionem ad illum efficiendum, vlla est contra nos exceptio. Quoniam motus, si passiuè accipiatur, non est causa, sed acquisitio termini: calefieri enim est calorem recipere. Neque verò si accipiatur actiuè propriè est causa, sed ipsissima actio. Sunt enim tria & re & nomine distincta: nempe causa, actio, & effectus. De merito autem, quod etiam asserit esse causam præmij, & tamen non causare actiuè, illico dicemus.

Responsa Scoti confirmat.

Ex his fit consequens responsa, quæ Scotus ad Magistrum & ad Aug. comminiscitur, nihil ad rem facere. Tribuit Magister sacramento duo: scilicet, quòd sit, signum gratiæ: cuius similitudinem gerit, & causa existit. Et respondet Scotus, quòd causam existere nihil aliud est, quàm signum esse efficax: & non ait efficax, hoc est efficiens, sed certò significans actionem Dei: cùm tamen Magist. hoc in priori membro intellexerat. Ait item August. Quæ est ista virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluit? Et respondet Scot. quòd virtus illa nihil aliud est, quàm veritas significandi. Et ad discrimen, quod ex Doctoribus sanctis Magist. collegit inter sacramenta veteris legis & nostra: nempe, quod illa non conferrent gratiam, nostra verò conferunt. Respondet, discrimen non esse vniuersale, sed intelligi de aliquibus antiquis: nempe, de cæremonijs. Cùm tamen patres generaliter discrimen statuerint. Quare nec circuncisio (vt Scot. arbitratur) quod, inferius patebit, illam conferebat.

Comment. Scot.

Sed hoc tamen in Docto. subtili magis miror, quòd, vt fateri caueat sacramentum esse instrumentum efficiendæ gratiæ, negat instrumentum naturale actiuum esse. Imò ait calorem, quem ignis in aquam inducit, non effectiuè expellere inde frigus, sed formaliter: quia sunt formæ sibi inuicem repugnantes. At verò maior repugnantia in dictis est, quòd expellat & non actiuè, cùm expellere actionem per se sonet. Imò verò cùm agens secundum Philosophum non agat nisi per contactum, nisi calor virtus esset ignis, per quam frigus superaret, nunquam illud expelleret. Quapropter licèt omnes formæ contrariæ sint eodem subiecto incompatibiles, non tamen se mutuò pellunt quatenus formæ, sed quatenus actiuæ & passiuæ. Albedo enim, quia non est actiua qualitas, nunquam nigredinem expelleret, nisi ratione qualitatum primarum, quæ sunt actiuæ. Quin verò ait, quòd cùm ad præsentiam vnius corporis, aliud eodem loco pellitur, intrans non expellit aliud, nisi in genere causæ formalis. At verò quis neget, cùm ego moueor motu meo interfecare aërem.

Secunda opinio.

Illa ergo opinione dimissa, in cuius confutationem longiusculè digressi sumus, secundus modus est; sacramenta esse causam gratiæ, non quòd illam attingant, sed quòd subiectum disponant producendo aliam formam: nempe, characterem in illis tribus sacramentis, quæ ipsum imprimunt, vt sunt baptismus, confirmatio, & ordo: cætera verò producunt, vt aiunt, ornatum quem consequitur gratia. Hanc opinionem primus eorum, quos viderim, docuit Alex. Alen. p. 4. q. 8. memb. 3. artic. 5. & expressius q. 19. membro. 2. quem subinde secutus est D. Tho. in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quam ceu priscam refert & de veri. q. 27. artic. 4. ad 3. Permansit autem apud Capreolum d. 1. q. 1. & apud Palud. eadem dist. & quæst. & penes Thomistas alios præter Caietanum Isti autem præter autoritatem, quam existimant esse S. Tho. hac se ratione communiunt, quòd ista via sic fateri censent sacramenta esse causam gratiæ, vt simul concedere caueant, eam qualitatem ab illis creari. Et vtuntur exemplo generationis hominum: Pater namque animam quidem prolis non gignit; vtpote quæ diuinitus creatur: disponit tamen ac præparat materiam in quam inducatur, id ergo sacramentalis actio secundùm istos facit respectu gratiæ.

S. Thom.

Impugnatio secundæ opin.

At verò opinio hæc paulò quàm præcedens tolerabilior est. Inprimis enim constantissimum est D. Tho. neutiquam in illa vt isti putant perduraſſe. Nam alias procùldubio eam hoc loco iteratò affirmaret, cùm tamen id non fecerit, sed asseruerit sacramenta gratiam absque vllo intermedio efficere. Accedit quod duas quæstiones in præsentiarum distinxit: priorem scilicet hanc, vbi constituit sacramenta conferre gratiam, qua efficimur participes naturæ diuinæ ac subinde grati Deo: & posteriorem quæ subsequitur, vbi idem de charactere adiecit, & tamen si character esset dispositio gratiæ, de illo sermonem præmisisset. Sed ratione arguitur. Character tam spirituale accidens est, quàm

1. Ratio.

gratia, idemque diuinitus impressum: ergo si hac de causa sacramentum non potest gratiam conferre, eadem profectò nec characterem imprimere. Idemque argumentum de quacunque alia dispositione militat, quam finxeris esse præuiam: vel ad gratiam, vel ad characterem. Secundò character, vt quæstione proxima videbimus, forsan non est qualitas ab anima distincta: & quamuis sit, non tamen est sic dispositio gratiæ vt sint in eodem subiecto Imò quamuis gratia vt Doctor sanct. 1 2. q. 111. art. 4. docet, sit in essentia animæ, tamen character non est nisi in intellectu. Vnde aliud argumentum colligitur: nempe, quòd sicut potentiæ fluunt ex animæ essentia: sic character cõsequitur gratiam: licet dum obex opponitur, sine illa imprimatur, vt dist. sequenti explicabitur. Est enim potestas colendi Christianam fidem, ad quam homo per gratiam baptismatis adstringitur: id autem quod posterius est, minimè ad id præparat, quod prius infunditur. Quare sacramentum non potest ad gratiam disponere characterem ante gignendo. Dicitur autem character quodammodo dispositio ad gratiam, eo quòd ad vsum gratiæ, nempe, ad cultutam fidei requiritur character.

2. Ratio.

3. Ratio.

Contra orna.

Sed id quod de ornatu fingitur multò est minoris probabilitatis. Est enim absque vlla necessitate rem superuacaneam multiplicare: quod 1. Physi. Arist. antiquis vitio apponit. Ecquis enim credat sacramentum pœnitentiæ aut Eucharistiæ, ob id quod characterem non imprimit, ornatum impingere, qui gratiæ in anima antecedat? Cùm gratia per se sit ipsissimum animæ ornamentum & decus. Et secundò id confirmatur. Cùm quis numine adiutus sese ad Deum per contritionem vertit: tunc Dei gratiam absque vllo præuio ornatu recipit: ergo & dum per sacramentum pœnitentiæ in eandem gratiam reuocatur. Frustra ergo nonnulli discipuli D. Tho. ista se opinione contorquent. Plurima namque eorum quæ super Magistrum Sententiarum, quasi aliena congerens commentatus est, post maturius digestè collimauit in summa.

Vera sententia.

Est ergo tertia opinio, vt arbitror, tum omnium sanctorum Patrum, tum adeò D. Tho. quam si poste-

ri dex-

Digitized by Google

ri dexterè voluissent intelligere, absque vlla, vt reor, renitentia amplexati fuissent. Igitur rei veritas est, sacramenta eo sensu conferre gratiam, quo hominem absque vlla intermedia dispositione Deo gratum acceptumque faciunt, pro eo quòd vel viuum membrum Christi, atque adeò Dei filium constituunt dum primam gratiam conferunt, vel dum illam augent, ipsum arctiori amicitia cum Deo semper conglutinant. Et quoniam potissimum argumentum, quod contrarios autores ab hac veritate alienat, est, quòd inde consequi censent creaturam creare, animaduertendum est, quòd ad hoc vt homo sit Deo gratus quantum ad rei naturam attinet, nihil refert id per gratiam fieri quæ sit distincta qualitas, aut absque vllo, quod in nobis sit, tali accidente. Nam Deo quempiam esse gratum, nihil aliud est quàm ab ipso esse dilectum, atque ad cœlestem fœlicitatem acceptum. Et inter homines ego non sum amico meo gratus, per aliquam, quæ in me sit, qualitatem, sed quia ab illo diligor, ac subinde obiectum sum dilectionis suæ, qua me prosequitur. Pariter ergo fieri possit inter nos & Deum: scilicet, vt ipse per suum amorem vt rei veritas est, me diligeret, & ego ipsum per meum, absque alia qualitate à qua denominarer gratus. At verò quoniam Deus eum quem diligit, participem consortemque, vt ait Petrus, facit suæ naturæ, confert illi formam illam, qua ad esse diuinum eleuatur. Tametsi Scot. quod non est præsentis speculationis, aliam qualitatem, quæ sit gratia præter charitatem non agnoscat, cùm tamen distinctissimæ sint res (licet connexæ) quòd ego Deum diligam, & quòd dicor ab illo dilectus.

De gratia quomodo concedum.

Sanus sensus.

Igitur qui sanè intelligere cupit, quomodo sacramenta gratiam conferant, id primum constituat oportet, fingendo nullam eiusmodi qualitatem esse necessariam. Nam profectò patres nunquam de illa disputare cogitarunt, imò res est non adeo antiqua. Enimuero in concilio Viennensi propter paruulos ante vsum rationis sacro fonte intinctos sanxerunt, vt probabilius: & nuper in Tridentino vt certius, qualitates illas quæ sunt gratia & virtutes, baptizatis infundi, sed hoc tantùm à tempore apostolorum docti, docereque postmodum posteros contendebant, quòd sacramenta nouæ legis in hoc sensu gratiam conferrent, quod homines facerent Dei amicos, siue per qualitatem id fiat, siue sine illa, vt inter homines accidit. Quare S. Tho. illius hic qualitatis non meminit. Hoc ergo modo primùm constituamus: sacramenta euangelica gratiam conferre, & deinde ad argumentum respondebimus de illa qualitate, qualem sacramenta videntur creare.

2. Arg.

Arguitur ergo sic primò. Per sacramenta euangelica communicatur nobis virtus passionis Christi, eò quòd ex eius latere pendentis in cruce effluxerunt, quod Mosaicis non conueniebat: virtus autem passionis est, nos membra Christi efficere, vt in baptismo per quem in Christo complantamur, & tanquam eius membra nos vegetare, atque adeò facere vt tanquam filij cohæredes Christi diligamur à Deo: hoc autem est Deo nos facere gratos. Etenim vti omnes ob id in Adam peccauimus, quòd in ipso veluti in seminario totum genus humanum continebatur, ideoque eius voluntas fuit, vt nostra reputata, ac subinde & nobis imputata: sic quotquot in Christo per baptismum renascimur, in ipso sumus Deo grati. Sicut enim ille cum tota sua posteritate inuisus fuit Deo: ita & Christus cum sua sobole eidem complacuit. Quam quidem vocem propterea pater protulit in baptismo Christi, vt per idem sacramentum denotaret nos incorporari Christo, ac perinde fieri illi gratos.

Simile.

3. Arg.

Quòd si quis inde negauerit consequi sacramentum esse causam gratiæ, secundò explicando etiam num argumenti vim arguitur. Hæc causalis est vera: quia homo baptizatur, virtute operis fit Deo gratus, qui alia sacramenta recipit fit gratior: ergo sacramenta sunt causa gratiæ. Tam vera enim est ista. Quia hic baptizatur fit filius Dei, atque adeò ei dilectus: quàm ista, Quia Philippus à Carolo genitus est, fit ei filius, à quo subinde diligitur: quare sicut generatio carnalis est causa dilectionis paternæ, sic & baptismus est causa diuinæ gratiæ. Et hoc est quod patres iuxta testimonia sacra nos docuerunt. Nam disputare de illa qualitate, nihil ad hanc Theologiam referebat.

Argum.

Quòd si arguas de circumcisione pariter causalis hæc verè enunciabatur. Quia hic circunciditur fit gratus Deo: & tamen in subsequentibus negabimus circumcisionem contulisse gratiam, ergo veritas huius causalis ad id non sufficit. Respondetur negata illa priori præmissa. Haud enim quia paruulus circuncidebatur, fiebat Deo gratus: quippe cùm circumcisio non fuerit instrumentum, vt diximus, passionis Christi, sed quia applicabatur ei fides per circumcisionem, quæ erat signum eiusdem passionis.

Argum. quod sacramentum creet gratiam.

Sed antequam argumentorum series longiùs procedat, arguitur contra. Iam constitutum est ab Ecclesia hominem non fieri gratum nisi per qualitatem ei inhærentem: ergo si sacramentum est causa faciendi hominem gratum, est subinde causa eiusdem qualitatis: illa autem non educitur de potentia materiæ, vt calor: sed est spiritualis supraque naturaliter per creationem producta: ergo si sacramentum est causa illius, fit vt sacramentum verè creet, quod omnes & Diuus Tho. omnibus creaturis conuenire negant, etiam in ratione instrumenti.

Sacramentum esse causam moralem reprobatur.

Hoc argumentum est, quod negotium nobis facessit. Ad quod docti quidam respondent, sacramentum non esse causam gratiæ ad modum causarum naturæ, vt ignis est causa caloris illum attingendo, hoc est producendo, sed per modum causæ moralis, quia Deum mouet, vt illam qualitatem producat: veluti qui alium prece aut pretio aut consilio mouet ad aliquod conferendum beneficium. Quæ quidem sententia partim scopum tangit, in hoc scilicet, quòd ait non omnino accidere in sacramentis vt in causis naturalibus, sed quòdammodo mouere Deum. Quòd autem id faciant ad modum causarum moralium, minimè rei consonat. Neque verò D. Thom. aut vllus sanctorum Patrum talem vnquam similitudinem agnouit. Causa namque moralis non est instrumentum illius qui mouetur ad principalem effectum, sed alterius, qui mouet ipsum. Preces enim aut pretium, aut consilium vel metus quibus Petrus mouet Paulum ad aliquod beneficium conferendum, aut ad aliquid operandum, non sunt instrumenta Pauli, quibus beneficium conferat: quia nec sunt eius effectus, sed sunt instrumenta Petri. In sacramentis verò contrarium accidit. Non enim Deum mouent ad conferendam, concreandamque gratiam, quasi priùs natura mouentia, quàm ipse, sed sunt instrumenta eius instituta motaque ab ipso, quibus gratum facit hominem concreando illam qualitatem quæ est gratia. Sicut enim ignis per calorem operatur, & artifex per instrumenta, sic Deus per sacramenta, dando illis virtutem agendi, operatur gratiam. Quare in hoc potiùs similitudinem præ se ferunt causarum naturalium. Ait quippe D. Thom. vt paulò inferiùs artic. 5 videbimus, gratiam à Deo deriuari in homines per humanitatem Christi tanquam per instrumentum coniunctum, & per sacramenta tanquam per instrumenta separata.

Infra art. 5.

3. Arg.

Atque ex hoc elicitur tertium argumentum ad principalem conclusionem. Christus per suam humanitatem quam in cruce obtulit, fuit nobis causa gratiæ, tanquam per instrumentum coniunctum, idque tripliciter, vt illic ait D. Thom. scilicet, satisfactoriè offerendo illam in pretium redemptionis: & meritoriè, quia erat infinitè gratus Deo: & tertiò effectiuè, qui tertius distinctus modus (vt 3. part. q. 49. art. 1. explicatissimè ait autor ipse) inquantum caro Christi erat instrumentum diuinitatis, quod quæst. 5. art. 1. iterum contra Durand. & Scot. repetendum nobis est. Itaque sicut illa voce, Lazare veni foras, instrumentaliter suscitauit mortuum: & tactu digitorum sanabat oculos, sua denique humanitate faciebat miracula. Et quod ad rem maximè facit, verbo illo Matt. 9. Remittuntur tibi peccata tua: remissionis gratiam paralytico largitus est, ita per eandem humanitatem fuit nobis efficiens causa gratiæ: ergo cùm sacramenta ab eadem passione effluxerint, ipsis ceu instrumentis separatis vtitur ad reddendos nos Deo gratos. Nisi quod passio fuit causa vniuersalis gratiæ quantùm ad sufficientiam, sacramentum vero est, per quod nobis eadem applicatur quantum ad efficaciam: videlicet, ad aliquem eiusdem gratiæ gradum adipiscendum.

4. Arg.

Et quarto ad idem arguitur. Sicuti Apocalyp. 5. ait Ioan. quod lauit nos Christus à peccatis nostris in sanguine suo. & de martyribus cap. 7. quod lauerunt stolas in sanguine agni. & Paul. 1. Corinth. 1. sanguis Christi emundat nos ab omni delicto, sic & ad Ephes. 5. ad baptismum alludens ait: mundans eam (scilicet

Digitized by Google

Ecclesiam) lauacro aquæ in verbo vitæ: ergo Christus sicut sanguine suo tanquam instrumento coniuncto, ita baptismo suo tanquam instrumento separato facit nos Deo gratos, quod quidem similitudinem potiùs naturalis instrumenti quam causarum moralium gerit. Fateor equidem quatenus meritoriè Christus per passionem nobis fuit gratiæ causa, similitudinem habuisse nostrorum moralium meritorum, attamen sacramenta fluxerunt inde etiam quatenus fuit causa efficiens. Item ministros sacramentorum nonnihil moralis similitudinis habere fateor cum ministris principum, quibus facultatem conferunt negotium aliquod transigendi. sed tamen vt quæstione sequenti de charactere videbimus, virtute characteris sacerdotalis aliquid altiùs habent.

Responsio Caietan.

Igitur ad argumentum de creatione aliter hic Caietan. respondet, negando scilicet sacramentum creare illam qualitatem, quæ est gratia, ideo quòd illa, cùm sit accidens, non producitur, sed comproducitur ad productionem hominis grati: quare non fit ex nihilo atque adeò non creatur, sed concreatur. Et pari ratione eadem gratia per peccatum non annihilatur, quia cùm per se non desinat esse, sed ad desitionem hominis grati, non vertitur in nihilum. Et videtur esse responsio

S. Thom.

S. Tho. 1. 2. q. 110. art. 2. ad. 3. vbi ait, quòd accidentia non producuntur, sed comproducuntur ad esse subiecti, eorum enim est produci quorum est esse, accidentium autem, vt habetur 2. Metaph. non est esse, sed inesse.

Creaturam creare in subiecto reprobatur.

Ex hac autem responsione subsequi videtur, quòd licèt sacramentum illam qualitatem non creet, concreat tamen faciendo hominem gratum. Ex quo rursum aliqui ex nostris inferunt non esse conueniens, quòd creatura aliquid creet in subiecto, licet illud non possit extra subiectum. Quod profectò ego nequaquam concederem. Nam creare aliquid in subiecto, est ipsum producere non educendo de potentia subiecti, quod esset producere ex nihilo perinde ac si fieret extra subiectum.

Sententia autoris.

At vero vt postremum hic verbum addamus quamuis verum sit qualitatem illam non creari à Deo, sed concreari ab ipso (vt ibidem ait S. Tho. dum per ipsum fit homo gratus) non tamen ita facilè concederem concreari à sacramento: neque id vnquam dixit S. Thom. licèt instrumentaliter concurrat ad constituendum hominem gratum. Nam quando accidens educitur de potentia subiecti, quæcunque causa producens subiectum comproducit accidens: vt sol generans plantam, congenerat eius accidentia: attamen cùm illa qualitas non educatur de potentia subiecti, sed sit supranaturalis producta per concreationem à Deo, illa qualitatis productio non immediatè attingitur à sacramento, & ideo diximus non habere omnino similitudinem causæ naturalis.

Resolutio totius materiæ.

Dicamus ergo in summa, vt hic tandem insinuat Caiet. quod sacramentum est instrumentum Dei ad hoc immediatè attingens vt faciat hominem gratum, quod est esse causam gratiæ formaliter abstrahendo à qualitate, sicut inter homines, qui facit duos amicos, est causa amicitiæ illorum, sed quia apud Deum non nectitur amicitia, nisi per eiusmodi qualitatem, idem sacramentum est consecutiuè causa mediata, quod Deus faciendo hominem gratum concreet illam. Et hoc arbitror adeo esse planum, vt ægerrimè possit impugnari. Suppeditat namque natura nobis aliquod exemplum: homo enim neque animam gignit, neque concreat, sed creatur à Deo, verissimè tamen gignit hominem, eo quod est causa coniunctionis animæ cum corpore. Pariter ergo sacramentum est instrumentum immediatum faciendi hominem Deo gratum, consecutiuè autem & mediatè faciendi, vt Deus concreet illam qualitatem, quæ virtute sacramenti informat hominem. Quamuis sit discrimen, quòd anima cùm sit substantia per se existens, creatur, gratia verò, quia est accidens, concreatur.

Simile ex natural.

5. Argu.

Quintò ad principalem conclusionem arguitur. Fac aliquot seculis contigisse amicitiam conglutinari inter homines & Deum absque aliqua qualitate, vt fit inter homines: profectò nulla existeret difficultas in intelligendo, quomodo sacramentum esset causa gratiæ. Igitur si postmodum institueret, vt cuicunque amico infunderet illam qualitatem, nihilominus intelligitur esse causa eiusdem gratiæ & consecutiuè illius qualitatis.

Sextum.

Sextò ad eandem principalem conclusionem arguitur. Gratia est causa gloriæ, non autem ex suæ ipsius natura, quatenus qualitas est, sed ex institutione diuina, neque verò tantùm causa sine qua non, sed verè causa, vt cuique illam habenti Deus conferat gloriam: pari ergo modo & sacramenta sunt causa sanctificandi hominem, quod fit per infusionem eiusdem gratiæ.

Septimum.

Præterea & septimò, argumentum meriti, quod Scotus putat nobis refragari, potius suffragatur. Ait quippe meritum esse causam præmij, & tamen non habere causalitatem eius actiuam. Et Caietan. negat

Caietan.

antecedens. Nam meritum, inquit, est à merente, præmium autem à præmiante. Gratiam enim & gloriam dabit Dominus. Ego verò illud lubens concederem antecedens, negarem tamen non habere causalitatem respectu præmij. Ecquis enim neget operas mercenarij causam esse mercedis? Nam & si soluens illam sit proxima eius causa, nihilominus mouetur ab opere mercenarij, vt illam rependat. Et sic Deus profecto merita nostra, quæ ab eius gratia dimanant, in causam sui glorioſi præmij affert. Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Ideo venite, &c. percipite regnum: sic ergo quia iste baptizatus est, fit Deo gratus, perinde ac si nulla opus esset qualitate, quæ est gratia: in quo sensu verissimum est esse causam gratiæ. Quocirca Scotus concedens sacramentum causam gratiæ, veluti meritum est causa præmij, negare non debuit esse verè causam.

8. Argu.

Octauo arguitur, quòd sacramentum superno & ineffabili modo gratum Deo efficiat hominem. Verba sacramentalia, Hoc est corpus meum, modo ineffabili sunt causa instrumentalis transsubstantiationis panis in corpus. Neque videre mihi videor cur hoc

Scotus.

Scotus loco citato negauerit. Sunt namque, vt omnes fatentur, verba practica, id scilicet quod significant efficientia. Sicut enim Christus illis verbis consecrauit: sic & eisdem tanquam eis, in quibus sua inest virtus, nobis contulit vt consecraremus, quare multò efficacius, quàm ignis aërem in flammam, transformant totam substantiam panis in corpus. Neque vlla (vt Scot. credit) illi accedit annihilatio, vel creatio: sed transsubstantiatio huius in hoc: quę vltimo instanti prolationis perficitur. Id quod in materia Eucharistiæ apertiùs fiet: ergo eadem ratione Deus & dare potuit, & verè sua institutione sacramentis vim dedit organicam sanctificandi hominem, quod est ipsum facere Deo gratum.

Hoc est corpus meum.

Alteram argumentorum phalangem aduersarij D. Thom. obmoliuntur, arbitrati eum ita sacramentis virtutem adscripsisse, ac si sit distincta qualitas perinde sacramento inhærens inest atque albor papyro, vt est videre apud Scotum, Durand & alios. At verò artic. 4. vbi de hac virtute D. Tho. ex professo disputat, vim eorundem argumentorum facillimè diluemus: nimirum demonstrantes S. Doctorem nunquam eiusmodi virtutem eo modo, quo isti ei imponunt, excogitasse. Sed satis est res & verba ad illud officium Deum instituisse, & per eius ministrum ad eundem effectum applicari. Itaque vt vno exemplo cuncta deprehendas, virtus aquæ baptismalis non est nisi motus eius: scilicet, ablutio corporalis facta sub sacra verborum forma ad abluendam animam. Et pariter de vnctione olei in confirmatione, & extrema vnctione sentiendum.

De virtute sacramentorum.

Argumentum Scoti.

Sed arguit nihilominus Scotus sic in contrarium. Instrumentum non fit aptum ad opus per vsum, sed priùs debet habere formam, qua agat: serra namque, nisi priùs habeat dentes, non potest assumi in vsum serrandi: pari ergo modo si sacramenta sunt instrumenta & causa gratiæ, debent priùs habere virtutem: quam tamen D. Thom. assignare nequit. Respondetur quòd aqua baptismi per hoc quòd natura sua abluendis corporibus apta est, fit idonea, quæ ad similem spiritualem vsum animæ diuinitus assumatur. Atque hoc insinuat August. cum ait: Quæ est ista virtus aquæ, quæ corpus tangit & cor abluit?

Veruntamen per hoc responsum non vsquequaq; vis argumenti eneruatur. Respondendum quippe restat, quando sacramentum gratiam conferat. Nam toto tempore prolationis verborum id facere nequit, eò quòd gratia, cùm res sit indiuisibilis, in vno temporis momento pro lucitur. Si dicas illam produci in instanti postremo, iam tunc verba elapsa sunt, quæ ideo nihil tunc operantur. Ad hoc autem, licèt forsan vtro-

libet

libet modo dicas, eodem recidat, consideratiùs tamen respondetur verba simul cum ablutione toto tempore prolationis illam conferre: quandoquidem non diximus sacramentum illam qualitatem immediatè attingere, sed hominem facere gratum: id autem fit per totam actionem sacramenti. Quare concedimus quodam modo illam qualitatem fieri antequam sit. Hoc est, sacramentum antea applicari cuius virtute fit. Si autem actionem Dei consideres, in postremo verborum prolatu infunditur.

Vt ergo dictorum summam colligamus. Sacramentum per se (quod aiunt) ex opere operato, hoc est, ratione ipsius operis homini applicati cõfert gratiam, quæ dicitur sacramentalis, præter illam quæ merito suscipientis vel ministrantis sacramentum donatur. Itaque si duo æquali prorsus animi motu baptismum sitiant, sed alter, quia non habuit copiam non suscepit, alter verò suscepit, hic assequetur aliquem gradum gratiæ, quo ille orbatur. Vnde in materia Eucharistiæ admonendi maximè sunt sacerdotes, vt nisi euidens in infirmo impedimentum demonstretur, non cessent Eucharistiam illi porrigere. Putant enim idiotæ idem esse adorare, & suscipere: quod est erroneum, nisi quantum ad præcepti impletionem. Nam qui non suscipit, licèt iusta id fiat de causa, sacramentali gratia non donatur. Hoc quippe sonat verbum, ex opere operato, quod est dicere, ratione realis applicationis sacramenti. Aliorsum enim tendunt verba August. crede & manducasti: vt illic explicabitur.

Admonitio.

Crede & manducasti.

Sequitur secundò, nonnunquam ex sola vi sacramenti infundi gratiam, quæ sine eius applicatione nulla infunderetur: vt liquidò in puerorum baptismo constat ante vsum rationis. Quinuerò & adultos, dum attriti accedunt ad sacramenta, eo scilicet animi motu, qui ad obtinendam gratiam non sufficit, disputabimus infra gratia, virtute sacramentorum suffundi. Sunt enim medicinæ per se salutem conferentes, nisi obicem inueniant. Sed de his, suis singulorum locis explicatior adhibebitur elucidatio.

Corollariũ.

1. Arg. S. Thom.

Primum argumentum S. Thom. est Signum & causa non videntur in idem coincidere, nam esse signum, propriè conuenit effectui respectu causæ: sacramenta sunt signa: ergo non sunt causæ. Responsio est, quòd causa principalis non est signum effectus: vt ignis nec est fumi signum, nec caloris: licèt calor esset occultus: sed è conuerso effectus est signum causæ. Causa verò instrumentalis, quando est manifesta, cùm ipsa sit quodam modo effectus, eò quòd mouetur à principali agente, dici potest signum occulti effectus. Et ideo sacramenta euangelica sunt simul & signum & causa gratiæ. Ex quo infert eadem nostra sacramenta perfectè habere rationem sacramenti. Non dicit, verè, quoniam aliqua ex antiquis verissimè quoque erant sacramenta, vt nostra: vt q. 60. arti. 2. ad 2. expressè fatius est D. Thom. sed nostra sunt perfecta propter efficaciam quam habent gratiæ. Nam veritas sacramenti in eo seruatur, quòd sit sacræ rei signum, vt illic expositum est. Perfectio verò in hoc, quòd sit eiusdem sacræ rei causa.

Alia est veritas sacramenti. alia verò perfectio.

2. Arg. S. Thom.

August.

Secundum argumentum est. Corporale non potest agere in rem spiritualem, cùm corporalis actio sit extensa, subiectum verò spirituale, indiuisibile. Quare, vt 12. super Genes. ad literam ait Augu. agens honorabilius est patiente: mens autem hominis est subiectum gratiæ: sacramenta verò sunt corporalia. Responsio est, quòd cùm duplex sit actio instrumenti, altera scilicet propria, vt quæ ei secundum propriam formam conuenit, vt secuti scindere, altera verò quam recipit ex principali agente, vt facere lectum, in quantum est artis instrumentum, tamen nequit instrumentalem actionem perficere nisi exercendo propriam. Securis enim scindendo facit lectum. Pari modo propria actio aquæ est abluere corpus: per virtutem autem Dei eleuatur, vt abluendo corpus animam emundet. Et hoc est quod ait Aug. Quę est ista virtus aquæ, quę corpus tangit & cor abluit? Cum ergo hic audis duas instrumenti actiones: videlicet propriam & quam recipit ab artifice, ne intelligas, priori actione posse per se moueri securim sine aliquo mouente. Sed hoc tantùm quòd forma securis indifferens est ad faciendum lectum, vel arcam, vel aliud quodvis artificiatum, sed tantum est illi proprium scindere. Quòd autem scindat sic vel sic, hoc recipit ab arte. Itaque non tam sunt duæ actiones, quàm duæ rationes eiusdem actionis: & prior est materialis, & quam recipit ab artifice, est formalis priorem determinans. Et pariter in sacramento, tactus aquæ est sicut materialis actio, fieri autem ad abluendum animam, est sicut formalis ratio determinans illum ad talem effectum. Hoc autem art. 5. explicatiùs differendum est.

Expositio.

Arguit autem Scot. in 4. d. 1. qu. 5. hoc non esse possibile in sacramentis, vt actio corporalis & spiritualis vnà concurrant: quoniam actio corporalis sacramenti indiget temporis successiũ: virtus autem Dei est infinita quæ agit in instanti. Respondetur autem, quòd quemadmodum in causis naturalibus Deus vtitur cæli motu ad producendos effectus, sic vtitur actione successiua sacramenti ad producendam gratiam, hoc est, ad faciendum hominem sibi gratum: licèt id non perficiat vsque ad finem prolationis verborum.

Scotus arguit.

Tertium argumentum est. Illud quod est proprium Dei non debet creaturæ attribui: gratiam autem largiri est proprius effectus Dei. Respondet ad minorem, quod efficere gratiam ceu causam principalem est proprium Dei quod nemini participatur: efficere autem tanquam instrumentum potest ipse creaturæ impartiri: eo scilicet modo qui explicatus est.

3. Arg. S. Thom.

ARTICVLVS II.

Vtrum gratia sacramentalis addat supra gratiam virtutum & donorum.

CIRCA titulum quæstionis notandum, quòd gratia communiter dicta, est gratia gratum faciens nudè considerata: ea scilicet præcisa ratione, qua facit hominem Deo gratum: cum qua simul infunduntur virtutes & dona in potentijs. Gratia verò sacramentalis dicit eandem gratiam gratum facientem in ordine ad effectum peculiarem sacramenti, qui est vel regeneratio, vt in baptismo, vel alimonia spiritualis, vt in Eucharistia, &c. Quæritur ergo vtrùm gratia sacramentalis alia sit ab illa virtutum & donorum, quippiamque illi addat. Et respondet D. Thom. vnica conclusione bimembri. Sicut virtutes & dona addunt supra gratiam communiter dictam quandam perfectionem, determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit supra eandem gratiam communiter dictam & supra virtutes & dona quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit supra gratiam virtutum & donorum.

Responsio.

Probatur vtraque pars conclusionis. Gratia secundum se considerata, vt 1. 2. q. 110. doctor declarat, est habitus perficiens essentiam animæ, tribuens illi supranaturale quoddam diuinum esse, iuxta illud 2. Petri 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Vnde sicut ab essentia animæ ordine naturæ fluunt eius potentiæ, quibus operatur, sic quando gratia infunditur, simul tanquam ab illa diffluentes infunduntur virtutes: nempe, fides, spes & charitas, & aliæ morales, ac subinde dona Spiritus sancti, quæ existunt in potentijs, quas ad suos actus perficiunt. Quocirca gratia non est proximum principium operandi, sed essendi spiritualiter, & ideo non est in potentijs, sed in essentia animæ, virtutes autem & dona non sunt per se gratia gratum faciens, sed eius virtutes & instrumenta ad operandum. Dicuntur tamen gratia, generali nomine, quia sunt gratuita dona: atque hoc modo dicuntur addere supra gratiam. Sacramenta verò ordinantur ad alios effectus peculiares gratiæ, vt baptismus ad regenerationem spiritualem: confirmatio ad robur spirituale, & Eucharistia ad alimoniam, vt infrà q. 6. patebit: ergo gratia sacramentalis aliquid addit supra gratiam communiter dictam, & supra virtutes & dona: nempe, singularia auxilia ad certos effectus Exempli gratia. Dum paruulus ante vsum rationis, vel adultus per baptismum recipit gratiam, cuius effectus est regeneratio spiritualis, simul suffunduntur potentiæ virtutibus: dum tamen postea recipit sacramentum confirmationis, recipit augmentum eiusdem gratiæ ad hominem corroborandum in fide, quasi tunc perfectam ætatem spiritualem recipiat. Cùm autem recipit Eucharistiam, augetur illi eadem gratia gratum faciens ad effectum spiritualis alimoniæ: qui quidem effectus sunt singulares præter virtutes & dona. Itaque licèt sacramenta

Digitized by Google

suos omnes effectus fortiantur infundendo vel augendo gratiam gratum facientem, ordinantur tamen ad diuersos effectus gratiæ, quos propriè significant. Confirmat autem D. Tho. eandem conclusionem egregiè. Nam si gratia sacramentalis nihil adderet supra gratiam communiter dictam & virtutes & dona, frustra tantus sacramentorum numerus esset institutus.

Expositio articuli.

Quæstio hæc celebris est inter antiquos: sunt tamen de illa opiniones duæ. Vna, quòd gratia sacramentalis eadem est prorsus cum gratia communiter dicta, neque quicquam illi addit. Nam gratia, quæ infunditur in sacramentis, non est nisi gratum faciens, quæ tam per virtutum officia augetur, quàm per superuenientia alia sacramenta. Quam opinionem

Pet. Palud.

Pet. Paluda. in 4. distinctio. 1. quæstio. 3. ait esse communem. In cuius confirmationem adducit quinque rationes. Quare secundum hanc opinionem gratia sacramentalis solo nomine differt a gratum faciente: scilicet, quia infunditur per sacramenta.

Impugnatur opinio.

Hæc tamen opinio sufficienter impugnatur ratione S. Tho. Nam si gratia sacramentalis nihil aliud esset prorsus quam gratia gratum faciens nudè considerata, nihil opus erat tanta sacramentorum frequentia. Sufficeret enim baptismus, quo gratia cum virtutibus infunditur. Nam dicere quòd solùm sunt instituta ad augmentum eiusdem gratiæ, non satisfacit: tum quòd satis posset augeri exercitio virtutum, tum maximè quòd ad hoc satis erat vno sacramento, quod iterum atque iterum reciperetur. Profectò si baptismi effectus non esset alius, quàm infundere & augere gratiam, nulla esset causa cur non posset iterari. Sed propterea non iteratur, quod est regeneratio spiritualis, quæ non debet esse nisi vna. Et pariter posset iterari confirmatio. Cùm ergo Christus septem instituerit sacramenta, nouos effectus prospexit in singulis. Verbi gratia: Qui confirmatur, vngitur in fronte chrismate: qui verò in extremis vngendus est, vngitur oleo in alijs membris: si autem sacramenta non seruirent, nisi ad augendam gratiam, quid opus esset illa diuersa cæremonia? Imò quid opus esset tunc aliud sacramentum ministrari sub forma ablutionis: atque aliud sub forma absolutionis? & aliud sub forma cibationis? Secundò arguitur. Ille qui non est confirmatus, quamuis per virtutum exercitamẽta habere possit copiosiorem gratiam, quàm confirmatus, nihilominus caret illo dono gratiæ, nempe robore adultæ fidei, quod est in confirmato. Tertiò arguitur. In statu innocentiæ fuisset gratia gratum faciens cum omnibus virtutibus: & tamen non fuisset gratia sacramentalis cum suis effectibus: ergo sunt quadam ratione diuersæ. Quartò denique virtutes, quæ cum gratia infunduntur, sunt connexæ: nulla enim sine alia infunditur: gratiæ autem virtutesque sacramentales minimè: quia quælibet seorsum producitur. Vide quanti referat quæstionis huius solutionem perscrutari.

Secunda opinio D. Thom.

Est ergo secunda opinio D. Tho. quòd gratiæ sacramentales addunt supra gratiam communiter dictam & virtutes, auxilia quædam ad diuersos effectus. Hoc autem discipuli eius diuersimodè interpretatur. Petrus enim a Palude loco citato, licèt non adeò clarè loquatur, tamen in vltimis verbis quæstionis subindicat, eiusmodi auxilia esse diuersos habitus. Itaque, vt censet, præter gratiam & virtutes & dona in baptismo peculiaris habitus regeneratiuus infunditur, & alius in confirmatione corroboratiuus, &c. Hos verò habitus

Paludan.

Capreol.

Capreolus in 4. distinct. 3. quæst. 3. non alios agnoscit, quam characterem in tribus sacramentis, quæ characterem imprimunt, & in cæteris ornatum. Quocirca longius a mente S. Tho. hac parte loquitur, quàm Paluda. Primum quòd vt in articulo præcedenti diximus, assertio illa ornatus, fictio est sine re, tum quòd character ad aliud negotium ponitur quàm sit ille, de quo in præsentiarum loquimur. Effectus enim primus ac præcipuus sacramenti baptismi est hominem in nouam vitam regenerare: quòd fit per gratiam. Character autem consequitur infusionem fidei, in intellectu, ad distinguendum Christianum à cæteris infidelibus, & nonnunquam sine gratia. Et pariter effectus præcipuus confirmationis est corroborare hominem ad profitendam fidem: character autem est signum illius roboris.

Contra Pa. tram à Palud.

Attamen neque opinio Paludani multò verisimilior est. Primùm quòd ponere alios habitus infundi per sacramenta, est res absque necessitate multiplicare. Enimuerò baptismus non per alium habitum hominem regenerat, quàm per gratiam gratum facientem: neque Eucharistia per alium pascit, quam per eandem. Sed sunt diuersi effectus eiusdem gratiæ. Quapropter Caietanus certiùs attigit veritatem, quam bene ex verbo D. Tho. colligit. Nempe quòd gratia sacramentalis nihil addit supra gratiam gratum facientem & virtutes & dona, quòd sit habitus, sed solùm concursum actualem Dei ad singularem effectum. Hoc enim sonant verba D. Tho. scilicet, auxilium quoddam. Enimuerò loco citato, 1. 2. q. 110. art 2. gratiam generali nomine dictam diuidit in auxilium speciale, quod est actualis motio Dei gratuita, & gratiam gratum facientem, quæ est habitus essentiæ animæ. Quocirca hic auxilium vocat gratiam, quam sacramentalis addit supra communem. Vnde fit vanum esse, quærere pro quo supponat gratia sacramentalis: sunt enim qui autumant supponere pro auxilio Dei actuali: imò sunt qui dicant supponere pro Deo: quia dicunt auxilium non distingui à Deo auxiliante. Veritas autem est, quòd supponit pro ipsa gratia gratum faciente sub ea connotatione, quòd eius virtute Deus sacramentum recipienti ad aliquem certum effectum subsidium affert. Itaque gratia confirmationis est gratia gratum faciens, quæ tunc vel infunditur, vel augetur, virtute cuius Deus auxiliatur confirmato ad confitendam publicitus fidem.

Caietan.

Sed contra. Inde sequitur esse, vt ait Paludanus, permanentem habitum: nam manet ille habilis ad plures actus postea quocunque tempore exercendos. Negatur consequentia. Illud enim auxilium nihil aliud est quàm quòd virtute gratiæ confirmationis Deus est noua lege paratus ad opitulandum illi in publica confessione fidei inter eius hostes: non quòd sine confirmatione non possit illi auxiliari: sed quod eius virtute adhibetur noua ratio subueniendi. Pariter virtute gratiæ ordinis paratus est Deus opem ferre sacerdoti ad exercenda sua ministeria, & virtute gratiæ matrimonialis ad dignè exercẽdam rem vxoriam, nisi homo eidem auxilio renitatur. Et hanc suam esse mentem aperit inferiùs D. Thom. quæstio. 72. artic. ad 3. Vbi gratiam confirmationis ait, quantùm ad communem rationem gratiæ, addere nihil super baptismalem, sed quæ priùs inerat augetur. Addit tamen aliquid effectiuum specialis effectus: nempe auxilium, & per hoc specie differt ab illa. Hanc arbitror fuisse priscorum sententiam, vt Alexandri Alis 4. par. quæstio. 8. memb. 4. artic. 1. vbi ait quòd gratia sacramentalis, quantùm ad substantiam, eadem est quæ gratum faciens, quam virtutes & dona subsequuntur: sed datur quantum ad aliud, hoc est, aliud includit auxilium. Idem videtur sentire Bonau. 4. libro distinct. 1. principali quæstiunc. 6. vbi ait. quod sacramentalis gratia supra gratiam virtutum addit aliquem effectum. Idemque sentit Richardus de media Villa distinct. 1. artic. 4. quæstiuncul. 4. licèt parum differenter hoc explicet. Ait enim gratiam sacramentalem per se immediatè ordinari ad sanandum naturam per originalem culpam læsam. Et sic per baptismum remittitur originalis labes: & per confirmationem corroboratur anima: & per Eucharistiam cibatur. Eadem autem dicitur gratum faciens, ea ratione qua hominem facit gratum. Virtutes autem conferuntur potentijs, quibus perficiantur ad operandum.

Alexand.

Bonauent.

Richard.

Argumentorum ergò primæ opinionis ad probandum eandem esse omnino gratiã communiter dictam sacramentalem, primum est. Gratia communiter dicta & sacramentalis non differunt, nisi sicut sanitas, quæ fit per naturam, & illa quæ fit per artem. Quoniam sacramenta sunt medicinæ: eadem autem sanitas est, quæ fit per naturam & quæ per artem, vt 7. metaph. ait Arist. ergo eadem est gratia. Respondetur ad maiorem, quòd non sic solùm differunt: imò quamuis per virtutes, quæ cum gratia communiter dicta infunduntur, homo efficiatur habilis ad operandum, tamen gratiæ sacramentales adferunt nobis auxilia contra languorem naturæ. Itaque ad eadem opera concurrunt virtutes & illa auxilia, sed tamen diuersis rationibus. Exempli gratia. Ad fidem firmiter protestandam fides ipsa concurrit: imò & fortitudo, quæ est virtus moralis: sed insuper adhibetur per confirmationem auxilium, sicuti ad rem vxoriam dignè exercendam concurrit temperantia: sed gratia sacramentalis nouam fert opem. Alia sunt huius figuræ, quæ quilibet potest

Argumenta prima opinionis.

apud

apud Paludan. videre, & facilè diluere.

Argumentum aliud.

Contra hanc verò sententiam militare aliud videtur postremum hoc argumentum. Si gratia sacramentalis aliqua ratione à gratum faciente differt, sequitur, quòd ille qui plura sacramenta recipit, & per peccatum mortale à gratia cecidit, dum postea à peccato resurgit, non solùm ad gratiam gratum facientem resurgat, verùm & ad sacramentales, secundùm proportionem conatus, quo resurgit: quandoquidem non est maior ratio, vt resurgat ad vnam quàm ad alias: consequens tamen videtur falsum. Sint enim, verbi gratia, Petrus qui non aliam recipit gratiam quàm gratum facientem in baptismo: Paulus verò fuit præterea confirmatus: sed nihilominus Petrus exercitio virtutum in gratia æquali gratum faciente existit cum Paulo: delinquant ergo ambo æquali culpa, resurgantque postea æquali conatu, tunc clarum est ad gratiam æqualem gratum facientem ambos resurgere: ergo Paulus non recuperat gratiam nouam virtute confirmationis, alias illa esset auctior: quòd si gratiam confirmationis non recuperat, cum recuperet illam quæ est gratum faciens, fit vt inter se differant. Respondetur, quòd licèt ad gratiam æqualem & amicitiam Dei resurgant, nihilominus Paulus recuperat illam cum auxilio speciali gratiæ confirmationis quo caruit Petrus. Idemque de alijs sacramentis sentiendum.

1. Arg. S. Thom.

Primum argumentum S. Th. est. Per gratiam virtutum & donorum sufficienter anima perficitur, & quantum ad eius essentiam, & quantum ad potentias: Gratia autem non ordinatur nisi ad animæ perfectionem: ergo gratia sacramentalis superuacanea est. Respondetur ad maiorem, quòd gratia virtutum & donorum sufficienter animam perficit quantum ad generalem ordinem studiosè agendi, sed tamen gratia sacramentalis addit singularia auxilia Dei respectu singularium effectuum modo exposito.

2. Arg.

Secundum argumentum est. Gratia ordinatur ad compurgandum animam à peccatis, ex quibus omnis defectus inserpit, per gratiam autem virtutum & donorum sufficienter excluduntur omnia peccata: nullum est enim peccatum, cui non sit aliqua virtus contraria: gratia ergo virtutum & sacramentalis cùm ad eosdem defectus tollendos referatur, eadem sunt. Responsio autem est, quòd per virtutes & dona satis excluduntur peccata quantum ad præsens & futurum, vtpote per quæ obsistitur ne homo peccet. Sed tamen per sacramenta Deus fert nobis opem respectu præteritorum. Per baptismum enim remittitur nobis originale, & per confirmationem corroboratur debilitas, quam inde contraximus: & per pœnitentiam remittuntur actualia peccata commissa: & per Eucharistiam cibamur ad reficiendum spiritualem calorem, quem nobis peccata restrinxerant: & per extremam vnctionem absterguntur peccatorum reliquiæ: per gratiam ordinis adiuuamur aduersum torporem & segnitiem, vt dignè administremus sacramenta: ac denique per gratiam matrimonij speciali auxilio debilitatur mala concupiscentia.

Sacramentorum auxilia.

3. Arg.

Tertium argumentum est. Omnis additio vel subtractio in formis, vt 8. metaphy. Aristot. docuit, speciem variat. Si ergo sacramentalis gratia aliquid addit supra gratiam virtutum & donorum, equiuocè gratia dicitur: vnde fit consequens, vt cùm definiuimus sacramenta nobis conferre gratiam, non inde certiores facti simus, quòd aliqua Dei amicitia inde nobis accrescat. Est autem responsio notanda, nempe, quòd gratia sacramentalis non est prorsus diuersa à gratia communiter dicta: sed habet se sicut species ad genus: gratia enim communiter dicta idem est, quod supranaturale donum, quod est commune ad gratiam gratum facientem, & ad quæcunque gratuita auxilia: gratia verò sacramentalis, vt expositum est, dicit infusionem gratiæ gratum facientis, vel eius augmentum cum certo auxilio, & ideo habent se sicut homo ad animal.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sacramenta noua legis contineant gratiam.

QVÆSTIO hæc videri legenti potest superuacanea: nam postquam definitum est sacramenta nouæ legis gratiam conferre, inde fieri videtur consequens gratiam continere: siquidem effectus omnis in sua continetur causa. Mouetur autem ad maiorem explicationem. Est namque modus loquendi sumptus ex Hugone loco supra citato lib. 1. de sacr. p. 9. c. 2. dicente, quòd sacramentum nouæ legis ex sanctificatione continet inuisibilem aliquam & supernaturalem gratiam, quem quidem loquēdi modum concilium Florentinum in instructione Armenorum suscepit: vbi habetur, quòd nostra sacramenta & continent gratiam, & dignè suscipientibus conferunt.

Conc. Florentinum.

Quapropter suppositā distinctione D. Th. facilibus conclusionibus respondet. Distinctio est. Aliquid dicitur esse in alio multipliciter: scilicet in loco, vt conuentus D. Stephani est Salmanticæ: vel in tempore, vt qui viuimus, modò sumus, ac multis alijs modis. Duo autem sunt ad propositum: quare duæ statuuntur conclusiones.

Prior conclusio.

Prior est. Gratia continetur in sacramento nouæ legis tanquam in signo: eo quod per diuinā institutionem est signum eius certissimum. Atque hoc pacto gratia quoque continebatur in sacramento circuncisionis veteris legis: vtpote, quæ institutione diuina certissimum erat gratiæ signum sub illa cæremonia collatæ. Quod autem res significata contineatur in signo, quando signum est certum, non est fictio, sed veritas. Quando enim cuipiam rex chirographum confert, quo vel magistratum, vel aliud quodpiam beneficium pollicetur, in illo signo beneficium illud continetur. Cùm ergo Deus sacramentum tanquam signum instituerit sub quo gratiam proculdubio collaturus est, eadem gratia continetur in illo.

Posterior conclusio.

Posterior conclusio. Gratia continetur in sacramento nouæ legis tanquam in causa instrumentali. Effectus enim continetur in causa, quæ perfectè est causa, tanquam in eius virtute vnde emanat, sicuti arbor & seges in semine. Dixerim autem in causa per se: nam effectus causæ per accidens non propriè continetur in illa. Cùm enim citharœdus est medicus, sanitas non continetur in citharœdo, sed in medico. Et cum fodiens vineam inuenit infossum aurum, thesaurus ille non continebatur in fossione illa, vtpote quæ ad illum effectum minimè referebatur. Tripliciter autem contingit effectum contineri in causa. Vno modo tanquam in causa vniuoca: vt filius continetur in patre, qui est eiusdem speciei & ordinis: & hoc pacto gratia non continetur in sacramento, vtpote cùm gratia sit spiritualis, sacramentum verò sensibile, atque adeo non sunt eiusdem speciei. Secundo modo tanquam in causa æquiuoca: vt, homo continetur in Sole, qui est alterius speciei & ordinis: nam sol & homo generant hominem. Sed neque hoc pacto gratia continetur in sacramento. Nam causa æquiuoca formam habet propriam, permanentemque agendi virtutem: sicut sol per eminentem virtutem naturalem, quæ in ipso permanet, hæc inferiora producit. Quo vtique modo virtus gratiæ non est in sacramento. Quare hoc pacto gratia est in solo Deo, cuius propria virtute & authoritate, quæ altioris ordinis est gratia in nos effunditur. Est ergo gratia in sacramento nouæ legis tanquam in virtute instrumentali recepta à superiori agente: sicuti lectus est in dolabra & in serra. Per virtutem enim Dei sacramentum gratiam confert.

Tripliciter effectus cōtinetur in causa.

Expositio articuli.

Res est plana, in qua nihil immorandum est. Sed hoc tantùm adnotandum, quòd sacramentum non per accidens est causa gratiæ, sed per se instrumentalis, eademque ex institutione diuina certissima: quippe quæ ad illum effectum ordinatur vt instrumentum artis, & non sicut dicebamus de fossione thesauri. Alias gratia non contineretur in illis.

2 Arg. S. Thom.

Primum argumentum D. Th. est facillimum. Gratia non est in sacramento, neque tanquam in subiecto, neque tanquam in vase: quia vas est locus, gratia cùm sit spiritualis non est in loco. ergo nullatenus est in illo. Argumentum hoc fecit ad exponendum illud Ezech. 9. Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua, vbi vas non accipitur pro loco, sed pro instrumento, interfectionis. Et hoc pacto gratia est in sacramento, non vt in subiecto aut in vase, si accipiatur pro loco, sed si accipiatur pro instrumento. Inde autem sumptum est vt vas pro interfectionis instrumento accipiatur, quòd gentiles in vase propinabant reis lethale venenum. Secundo arguitur. Sacramenta in hoc instituta sunt, vt per illa gratia recipiatur. Gratia autem non potest de subiecto in subiectum transire: ergo si postea est in anima, non erat prius in sacramento. Rest-

to. Respondetur argumento concluli, gratiam non esse in sacramento tanquam in subiecto: alioqui eadem non transiret in animam, sed quia infunditur a Deo in animam per sacramentum, est in Deo tanquam in causa principali, & in sacramento tanquam instrumentali, ac demùm in anima tanquam in subiecto.

Tertiò arguitur. Spirituale, etiamsi sit in corporali, non tamen continetur ab illo: vt anima non continetur à corpore, sed ipsum continet: quia ipsum conseruat. Ergo etsi gratia sit in sacramento, non continetur ab illo. Respondetur, quod quando spirituale permanenter est in aliquo tanquam in subiecto, illud potiùs continet quam contineatur ab illo: quando verò est in illo secundum esse fluens, hoc est, emanat ab illo, aut fit per illud, non inconuenienter dicitur contineri in illo, tanquam in causa vel principali, vel instrumentali.

ARTICVLVS IIII.

Virtùm sacramentis sit aliqua virtus effectrix gratia.

ET hic quoque articulus ad exponendum modum quo sacramenta gratiam conferant, adhibetur. Tribus ergo conclusionibus respondetur. Prima

1. Concl. est. Illi qui ponunt sacramenta non esse propriè gratiæ causam aliquid operando, sed tanquam signum ad cuius præsentiam Deus illam solus operatur, nullam in sacramento affirmant esse virtutem, præterquam illam solam, qua Deus est sacramento assistens. Illam autem opinionem satis suprà articulo primo reprobatam reliquimus.

2 Concl. Secunda conclusio. Illis, qui affirmant (vt res habet) sacramentum nouæ legis esse causam instrumentalem gratiæ, necessarium est simul fateri, quod in illo sit quædam instrumentalis virtus ad eundem effectum. Atque hæc est assertio Aug. super Ioan. vbi ait. Vnde tanta vis seu virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat? & Beda super Lucam: Dominus, inquit, tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis.

3. Conc. Tertia conclusio. Virtus principalis agentis habet permanès & completum esse in natura: sicuti est virtus Dei ad conferendam gratiam: virtus autem instrumentalis, quæ est in sacramento, habet esse incompletum & transiès ex vno in aliud: scilicet, à Deo in hominem: velut motus est actus imperfectus, & fluxus quidam ab agente in patiens. Probatur conclusio. Virtus enim instrumentalis eandem proportionem habet ad virtutem principalis agentis, quam habet instrumentum ad ipsum principale agens. Instrumentum autem vt dictum est, non operatur nisi motum à principali: ergo virtus instrumenti, hoc est, sacramenti, non est nisi motus & fluxus transiens à virtute, quæ permanet in Deo ad animam suscipientis sacramentum.

Expositio articuli. De hac virtute vt D. Tho. docet, sunt duæ opiniones. Prima Scoti & neotericorum ferè omnium, quòd in sacramento nulla est præter diuinam illic assistentem. Sed tamen hæc opinio negat sacramenta ad gratiam concurrere, quod iam suprà impugnatum est. Alia est S. Tho. & antiquorum omnium vt illic monstrauimus, quòd sacramenta sunt instrumenta conferendæ gratiæ: ad quam fit consequens aliquam eis inesse instrumentalem virtutem à principali agente, nempè à Deo illis impressam. Quænam autem res sit hæc virtus, discipuli S. Tho. diuersè sentiunt. Sunt enim tripartiti. Paludanus in 4. dist. 1. q. 1. & Capreo. eodem loco arbitrantur præter motum, verbi gratia, quo aqua baptismi abluit, inesse in ipsa & verbis quandam qualitatem diuinitus impressam, quæ sit virtus conferendæ gratiæ. Nisi quòd Palud. existimat illam ex parte subiecti, & ideo arbitratur illam esse corpoream. Capreol. verò ex parte effectus, qui spiritualis est, eam considerans, ait esse spiritualem. Et in hoc similiùs loquitur & veritati & dictis S. Tho. qui in primo argumento spiritualem eam appellat. Contra hanc autem opinionem tam Durand. in 4. d. 1. q. 4. quàm Scotus d. eadem q. 5. multis modis argumentantur. Primum quòd si est corporalis, non potest effectum spiritualem, qualis est gratiæ, attingere. Si verò spiritualis, nequit in subiecto corporali existere. Anima enim, quia est in toto corpore & in qualibet parte, intelligitur animare corpus: habitus autem vel actus spiritualis, cùm sit impartibilis, recipi in corpore quanto non intelligitur: sicuti neque corporale accidens potest spirituali subiecto inhærere. Secundò, quia qua ratione ineſt rebus, quæ sunt materia sacramenti, deberet inesse verbis, imò & ministro, quandoquidem omnia sunt de eius essentia: vnam autem virtutem in subiectis tam diuersis collocare, dissonum rationi est. Si autem in singulis singulæ essent virtutes, iam non vna virtus, sed plures essent, quæ esset maxima rerum multiplicatio. Imò de verbis arguitur, quòd cùm sint entia successiua, neque vni dictioni continuetur alia, neque verò syllabæ syllaba, in qualibet deberet esse sua virtus. Quòd si dicas non esse nisi in vltima: eò quod tunc confertur gratia, in contrarium facit, quòd tota verborum forma concurrit ad gratiam: quare in tota deberet esse: quod tamen difficillimum intellectu est. Nam si illa virtus est permanens, non potest rei successiuæ inhærere. Si autem est fluens, sicut oratio, tunc satis est illam virtutem esse motum aquæ, & verborum, quo institutione diuina, vt inquit Aug. corpus tangitur, & cor abluitur.

Palud. Hæc autem atque id genus plura argumenta Palu. & quod suum ingenium est Capreo. multò fusiùs loco citato dissoluere contendit. Id autem in præsentiarum superuacaneum duxerim, eò quòd licet possent vtcunque dilui, arbitror tamen istam opinionem neque rationi, neque D. Th. esse germanam. Est enim entitates, quas vocant, nulla cogente necessitate multiplicare.

Vera opinio D. Thom. Est ergo mens D. Th. vero consonantissima: quam Caiet. loco præsenti scienter exponit, Nempe virtutem sacramentorum nihil aliud esse, quam motum quem recipiunt. Hoc autem multis probatur. Primò ratione communi instrumenti. Prædixerat enim D. Tho. art. 1. causam instrumentalem non agere per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo mouetur à principali agente: & hoc modo sacramentum esse causam: non ergo habet aliquam formam agendi præter naturalem virtutem abluendi, sicut serra non habet nisi dentes. Vnde sicut serra mota per artem non recipit aliam virtutem fabricàdi lectum, quàm motum serrandi hoc vel illo modo: ita aqua baptismi non recipit à Deo autore gratiæ, virtutem aliam, quàm motum, quo per eius ministrum ex sua ipsius institutione mouetur intentione faciendi hominem ei gratum. Idem hic prorsus ait S. Tho. Nempe, quòd virtus instrumentalis sacramenti habet esse transiens à Deo in hominem, sicuti motus, qui trãsit ab agente in patiens. Alludit huc autoritas Bedæ: scilicet, quòd dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Vbi vox illa, vis, non significat qualitatem aliquam aquæ impressam, sed tantùm eius idoneitatem ad illum effectum: hoc est, quod tunc aquam Christus ad illud destinauit officium, quæ quidem quodammodo fuit inchoatio virtutis, ergo cùm postea reuera Christus eadem aqua ad eundem effectum per suum ministrum vtitur, nihil ei confert aliud quàm motum.

Arg. contr. Quod si contra arguas. Dum quis emittit sagittam secundùm opinionem magis communem, & Arist. 8. physi. magis assonantem imprimitur in ea impetus, alias nequiret sagitta, postquam à sagittante elongatur, moueri, cùm motus ille sit violentus. Sacramentum autem videtur instrumentum separatum à Christo: non enim est sicut manus eius, aut calamus quem solo motu moueret: ergo pari modo imprimit in eo aliquam virtutem. Respondetur autem per interemptionem minoris. Imò hoc argumentum rem elucidat: cum enim artifex mouet instrumentum tactu coniunctum, vt calamum vel serram, nihil aliud illi inprimit, quàm motum: secùs autem dum mouet instrumentum separatum, vt sagittam: respectu verò Dei omnia sunt instrumenta coniuncta, eò potissimum quod Christus in quantum homo exercet sacramentalem actionem per suum ministrum, cui ideo est instrumentum coniunctum.

1. Arg. S. Thom. Argumentorum solutionibus S. Thom. veritatem apertiùs confirmat. Est enim primum idipsum quod Scot. & Durand. faciunt. Virtus gratiæ collatiua est spiritualis, sicuti ipsa gratia: virtus autem spiritualis esse nequit in corpore, neque tanquam ei propria: quoniam cùm virtus rei profluat ex eius essentia, sicuti potentiæ ab anima, non potest eandem essentiam transcendere: & tamen spiritus transcendit essentiam corpoream, neque sicut recepta ab alio, nam forma recipitur ad modum recipientis: quare spiritus non est

in cor-

Paludan. *Contra arg. Durand. & Scot.*

in corpore, nisi anima, quæ est in qualibet parte corporis. Respondet autem quod licet virtus spiritualis non possit esse in corpore per modum permanentis, potest tamen, quãdo est instrumẽtalis, esse in illo, quãtenus illud corpus mouetur a substantia spirituali ad effectum spiritualem. Ecce illa virtus non est nisi motus. Et subdit exemplum apprissimum. Sicut corporalis vox eò quòd ab spirituali intellectu mouetur cum intentione significandi, per illum motum generat quoque spiritualem effectum in mente audientis. Idem est de musico qui fides percutit lyræ: Oportet n. meminisse illius duplicis motus instrumenti, quem supra denotauimus. Quorum alter est eius proprius, alter verò artificis, & prior est materialis respectu posterioris, posteriorque priorem informat. Enimuerò si quis absque arte chordas lyræ tangat, nullam certè musicam, sed rudes tantummodo edet sonos, illarum proprios: dum autem per artem mouentur, recipiunt motum artis qui est virtus faciendi musicam. Idem est de calamo, si moueretur ab illo qui scribere nescit, tatum duceret ineptas lineas per proprium motum calami: dum autem mouetur ab illo qui est scribendi peritus, delineat characteres. Pari ergo modo in sacramento, verbi gratia, baptismi, si quis puerum abluere, non intentione Christi, & motu ab illo instituto, tantùm abluere corpus motu proprio aquæ. Quando verò aquam illam mouet intentione Christi, facit hominem Deo gratum

Exemplum

Duplex motus instrumenti.

Eodem tendit solutio secundi, quod est hoc. Omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis, & ad aliquem gradum boni, virtus autem sacramenti non apparet in quo prædicamento ponatur, quia neque est substantia, neque qualitas, &c. Neque apparet quo gradu sit inter bona. Sunt enim tres bonorum gradus in hac vita. Infima namque sunt bona temporalia, vtpotè quæ non sunt ad æternam felicitatem necessaria, inter quæ non annumerantur sacramenta quippe quæ sunt de necessitate salutis. Alia sunt media, vt potentiæ naturales animæ, quibus benè & malè possumus operari, quibus neque sacramenta connumerantur cum sint virtutes supranaturales. Alia sunt maxima bona, vt gratia & charitas & reliquæ virtutes animæ, quæ tantùm sunt ad bene operandum, ad quem vtique gradum sacramenta non videntur attingere. Respondet autem persistendo in eo, quod huiusmodi virtus non sit nisi motus diuinitus influxus. Motus autem non est per se in prædicamento, sed reducitur ad genus sui termini, tanquam imperfectum ad perfectum, vt alteratio ad genus qualitatis, & augmentatio ad genus quantitatis: quia illa, dum passiuè accipitur, est imperfecta acquisitio qualitatis, & hæc quantitatis. Eodem ergo modo virtus sacramenti non est propriè in aliquo genere, sed reducitur ad genus & speciem perfectæ virtutis: videlicet qualitatis, in quo ponuntur gratia & charitas & cæteræ virtutes, quæ virtute sacramentali infunduntur.

2. Arg.

Expositio S. Aug.

Caue ergo, ne contendas sanctum Doctorem redarguere, eò quòd quæst. 1. asseruerit sacramentum ponit in genere signi, nunc autem dicat virtutem eius reduci ad genus qualitatis. Aliud enim est loqui, vt illic admonuimus, de sacramento in genere, & in vniuersali, quatenus est commune nostris & antiquis, quod in eo consistit, quod est esse signum: aliud verò de virtute sacramenti nouæ legis, quæ est productiua gratiæ. Præterea adnotato, quòd virtutes infusas collocamus in prædicamento qualitatis, vbi ponuntur acquisitæ. Tametsi quatenus sunt supranaturaliter infusæ, posset dici quòd transcendunt omne prædicamentum, sicuti Deus.

3 Arg. S. Aug.

Tertium argumentum est. Si talis virtus sacramentis inest, non efficitur nisi per creationem à Deo, inconueniens autem videtur, vt protinus peracto sacramento tam insignis virtus dispereat. Respondet quòd quia talis virtus non recipitur in sacramento nisi quatenus ipsum a Deo mouetur, hoc est, quatenus & benedictione & applicatione ministri accommodatur ad vsum, nihil absurditatis est, vt vsu illo sacramenti transeunte, virtus simul dissiuat, quæ erat eius motus. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania. Nec mirum quòd aquam, hoc est, substantiam corporalem ad purificandam animam dicimus peruenire: peruenit planè & penetrat cõscientiæ vniuersa latibula. Quamuis enim ipsa sit subtilis & tenuis, benedictione tamen facta subtilior occultans vitę causas, ad secreta mentis subtiliora pertransit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm sacramenta nouæ legis habeant virtutem à passione Christi.

ARTICVLVS hic optima consequentia superiori adiungitur. Enimuerò quoniam dictum est sacramentis inesse virtutem diuinam, tanquam Dei instrumentis, consequens est inquirere vtrùm illa virtus effluat à Deo secundum suam diuinitatem, ceu virtutes naturales rerum, an verò à Christo in quantum est homo, & si ab ipso, vtrùm à tota eius vita efficaciam habuit, quandoquidem per totam meruit nobis gratiarum Charismata, an verò à passione eius peculiariter, potiùs quã a natiuitate, vel a resurrectione. D. ergo Thom. supposita distinctione duabus conclusionibus respondet. Prior est. Virtus salutifera à diuinitate Christi per eius humanitatem in sacramenta deriuatur. Probatur. Sacramenta, vt dictum est, sunt velut diuina instrumenta: instrumentum autem respectu principalis agentis duplex est: vnum scilicet coniunctum tãquam eius membrum: atque aliud separatum, vt baculus. Et per coniunctum mouet separatum. Vt homo manu mouet baculum. Causa autẽ principalis gratiæ, Deus est, & peculiariter filius: nempe, Christus: instrumentum verò sibi coniunctum, est eius humanitas, per quam nostram est operatus salutem: iuxta illud Pauli ad Romanos 8. Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne: instrumentum autem separatum est sacramentum, atque adeò sicut motus ab homine, per manum pertingit ad baculum, sic & virtus gratiæ a Deo per humanitatem deriuatur in sacramenta.

Prior conclusio.

Posterior conclusio est magis particularis. Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, per quæ scilicet sacramenta virtus eiusdem passionis nobis quodammodo copulatur. Et est egregia demonstratio. Sacramentum enim vt à quæstione prima hucusque sæpe repetiuimus, ad duo ordinem habet, videlicet, & vt remedium sit & medicamen ad expianda peccata seu originalia, seu actualia, quæ transeunt actu & manent reatu, & præterea vt tanquam religionis cæremoniæ animam ad Dei cultum perficiant. Vtraque autem ratione specialiter deriuantur à Christi passione. Priori scilicet, quia Christus præcipuè per suam passionem liberauit nos à peccatis nostris, non solùm efficienter & meritoriè, sed etiam satisfactoriè: posteriori verò, quia per eandem passionem initiauit ritum Christianæ religionis, offerens se ipsum; vt habetur ad Ephes. 5. oblationem & hostiam Deo. In cuius ideo memoriam præcepit nobis offerri quotidianum sacrificium missæ, ad quod vniuersa nostra sacramenta & sacrificia referuntur. Colligitur ergo conclusio quòd specialiter sacramenta à virtute passionis Christi habent efficaciam. In cuius signum ex latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua & sanguis. Quorum prius pertinet ad baptismum, posterius vero ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta.

Posterior conclusio.

Hic primùm omnium adnotandum est instrumentum coniunctum bifariam dici, scilicet aut per informationem, & continuationem vt membrum: aut per contactum. Vnde baculus dicitur separatum vt opponitur coniuncto priori modo: sed tamen dicitur coniunctum posteriori modo respectu instrumenti separati, id est, quod elongatum ab agente mouetur, vt sagitta. Quemadmodum artic. 1. & 4. diximus sacramenta esse instrumenta Deo coniuncta per assistentiam: quibus ideo Deus non aliam imprimit virtutem, quam motum: sicut homo nullam aliam imprimit baculo. In præsentiarum ergo accipitur coniunctum, vt membrum: & separatum vt baculus qui est per contactum coniunctus.

Expositio artenir.

Arguitur autem quòd humanitas Christi non fuerit eius instrumentum. Etenim instrumentum coniunctum per continuationem non dicitur nisi membrum: vt oculus, manus, &c. Humanitas autem est tota natura. Respondetur argumentum probare in homine puro humanitatem non esse instrumentum: attamen quia Christus absque humanita-

Arguitur de huma. Christi.

Digitized by Google

te erat per se suppositum diuinum, dum illam assumpsit, in qua etiam homo subsisteret, quodammodo dicitur per eam tanquam per instrumentum humana opera exercuisse.

Ex latere Christi fluxit sanguis & aqua. Canones.

Cæterum auctoritatem illam glossæ ad Rom. 5. quod ex latere Christi effluxit aqua & sanguis, quibus potissimè sacramenta designantur, hæretici iam pridem bifariam deprauare conati sunt, vt de celeb. missa. cap. In quadam. & Clem. de sum. trin. & fid. cath. refertur: videlicet, quòd non aqua exierit, sed phlegmaticus humor, in quem ideo aquam calici infusam conuerti aiebant: propterea quod aqua pura ex homine exire non potest. Secundò censebant humores illos non exisse de Christo mortuo, sed de viuente: nam à cadauere exire non consueuerunt. Quare quod ait Ioan. cap. 19. quòd cùm milites vidissent eum mortuum, non fregerunt ei crura: vnus eorum lancea latus eius aperuit, non abitrabantur eodem ordine gestum, quo Euangelista refert: sed per recapitulationem vulnus lateris retulisse, quod antea factum fuerat. Vterque autem est error duobus allegatis locis condemnatus. Imò verò Euangelista satis vtrumque respuit. Ait siquidem aquam exiuisse cum sanguine, idque post mortem. Nam cum dicat, non fregerunt ei crura, sed vnus militum, &c. coniunctio, sed, continuationem significat. Quòd autem aqua exierit, miraculo tribuitur, ad designandum sacramentum baptismi. Quale autem miraculum illud fuerit, infrà distin. 3. art. 4. vbi hoc rursus argumentum redibit, disputabitur.

Argum.

Hoc autem ex hac veritate argumentum emergit: Si fluxus ille defuncto iam Christo contigit, nequiuit esse meritorius, sanè cùm Christus, nisi quamdiu erat viator, mereri non potuit, gratiam autem sacramentorum Christus in cruce meruit, non ergo per illum fluxum collata est sacramentis virtus eandem conferendi gratiam. Ad hoc autem bifariam responderi potest. Primum quod cum tam anima, quàm corpus mansissent diuinitati coniuncta, potuit tunc diuinitas ipsa per illas partes humanitatis mereri. Hæc autem solutio non apparet legitima: nam cùm anima esset à corpore separata, non erat tunc Christus homo, atque adeò nec viator, cuius proprium est mereri. Ideò secundò respondetur, quòd Christus per suam passionem trifariam, vt hic ait D. Thom. operatus est nostram salutem: scilicet, efficienter quatenus humanitas instrumentum erat eius coniunctum omnium operum, quæ ipse fecit: ac meritoriè, nam solus ipse potuit mereti alijs de condigno, & satisfactoriè effundendo sanguinem in pretium salutis nostræ. Post mortem ergo licèt ille fluxus non potuerit esse meritorius, potuit tamen esse causa instrumentalis gratiæ, vel, si verbum D. Tho. spectes, potius signum patratæ salutis nostræ per passionem. Vbi enim dixit, consummatum est, significauit illa spiritus exhalatione mysterium redemptionis perfectum iri, in cuius signum effluxit aqua & sanguis, quasi tunc esset apertus fons, ex quo gratia sacramentorum scaturiret, ac subinde cælorum ianua recluſa, quò nos eadem sacramenta perducunt.

Respons.

1. Argu.

At verò contra hanc sententiam arguitur. Tota vita Christi, & singulæ eius actiones ab instanti suæ conceptionis fuerunt nobis meritoriæ: nam totam vitam pro salute nostra obtulit Deo patri, atque adeò per totam meruit nobis remissionem peccatorum, sicuti per passionem: ergo non peculiarius à passione, quàm à tota vita deriuata est sacramentorum virtus. Quod si dicas passionem fuisse magis meritoriam, hoc non satisfacit. Primum quia tunc satis esset dicere magis deriuari à passione, quàm ab alijs mysterijs. Et tamè D. Thom. ait, quod specialiter deriuata est à passione. Si autem dicas, quòd per passionem, quia erat opus pœnale satisfacit, & non per alia opera, hoc falsum est: nam licet operibus pœnalibus peculiare sit esse satisfactoria, tamen omnia meritoria sunt eo ipso satisfactoria. Præterquam quòd Christus multa alia opera pertulit pœnalia, vt circuncisionem, ieiunia, sitim & famem, ac alios labores.

2. Argu.

Secundò arguitur. Quodcunque opus Christi fuit infinitè meritorium & satisfactorium: quia erat suppositi infinitè grati Deo: non ergo passio fuit opus magis meritorium, aut satisfactorium, quàm aliorum quodlibet.

Ad hæc argumenta responderi vno modo posset, vt in 3. dist. 18. & 19. respondere videntur Durand. & alij: quòd licèt Christus quolibet opere meruerit nobis sufficienter, quia infinitè, nihilominus per passionem meruit nouo actu: & ideo meruit aliud & alio modo, & fortè ampliori. Itaque id quod debebatur ratione prioris actus, debebatur nouo debito ratione subsequentis. Hæc tamen solutio profectò non ad plenum satisfacit: nam si quodlibet opus oblatum fuisset, & acceptum tanquam totale meritum & pretium redemptionis, superflua essent opera subsequentia. Præterea, non magis nos per passionem redemisset, quàm per alia opera: cuius contrarium sacra testimonia affirmant: atque adeo nec sacramenta ab eadem passione potius quàm ab alio quolibet eius opere habuissent virtutem. Respondetur ergo quod de vita Christi, quantùm ad eius meritum & satisfactionem attinet, ita sentiendum est, ac si tota fuisset vnus actus ex pluribus partialibus actionibus constans, quæ quidem vita consummata fuit in passione. Enimuerò cùm Christus redempturus nos esset à peccatis, quæ per Adam contraximus, & illi si de ligno scientiæ boni & mali ederet proposita fuerit pœna mortis. (Vnde Paul. Per vnum hominem introiuit peccatum in orbem, & per peccatum mors) decuit vt Christus non nisi per suam mortem plenè satisfaceret à peccatis: quare hæc fuit potissima & sapientissima Dei constitutio. Ex hoc ergo sit consequens, quod cordatissimè in præsentiarum animaduertendum est, Christum & si per quemlibet actum nobis meruerit, nullum tamen obtulisse, tanquam plenarium meritum, totalemque satisfactionem redemptionis nostræ: sicuti si per vnam actionem prolixam statuisset nos redimere, non singulas partes obtulisset tanquam integrum pretium redemptionis, sed tanquam partem. Consequitur ergo, quod per passionem non solùm magis meruit, aut satisfecit, quàm per alium actum, sed quod tunc expleuerit, ac persoluerit redemptionis pretium. Quapropter vbique sacræ scripturæ passioni meritissimò attribuunt redemptionem nostram, vt citatum est ad Roman. tertio & Apocal. 1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et tunc fuimus Deo reconciliati, iuxta illud ad Rom. quinto. Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Et tunc fuimus redempti à maledicto legis, iuxta illud ad Galat. tertio: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Et tunc liberati sumus à potestate dæmonum. vnde Ioan. 12. imminente passione dixit Christus: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Tunc demum aperta est nobis ianua cælestis, secundùm illud ad Hebr. 10. Habemus fiduciam in introitum sanctorum, scilicet cælestium, in sanguine Christi.

Respons.

Impugnatio.

Responsio legitima.

Valde notanda.

Effectus passionis.

Vnde ad argumentum in contrarium respondetur, quòd etsi per quamlibet actionem Christus meruerit nobis, & quidem merito, quod ratione suppositi de se erat infinitum, quantum ad sufficientiam: tamen quantum ad oblationem & applicationem non fuit oblatum, tanquam totale, sed tanquam pars illius, quòd erat in passione consummandum. Vnde licèt singula eorum meritorum fuerint quoad sufficientiam infinita, tamen quoad efficaciam quanto plura fuerunt, tantò plus gratiæ confertur nobis per sacramenta. Volo dicere, quòd si tantum Deus passus esset, & nullum aliud fecisset opus, non tantum nobis impenderetur gratiæ quando efficimur eius membra. Absurdum enim est negare, quin singulis operum Christi respondeat in nobis singularis effectus gratiæ: alias frustra, quantum ad nos attinet, tot fuissent exhibita, cùm tamen totam vitam in nostrum commodum dispenderit. Ecce qua ratione virtus sacramentorum etsi generaliter à tota vita Christi, tamen specialiter ab eius passione deriuetur.

Arguitur autem postremò contra hanc sententiam. Sacramenta fuerunt ante passionem instituta, vt Eucharistia in cœna Domini, & baptismus etiam Ioan. tertio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. atque adeò (vt inferiùs videbimus) iam inde habebat suum effectum mundandi ab originali: ergo eorum virtus non deriuatur à passione. Respondetur, quòd etsi antea fuerint instituta, instituebantur tamen quasi post passionem tanquam eius instrumenta duratura, atque eius virtute efficaciam habitura. Eò vel maximè quòd (vt modò dicebamus) tota vita Christi reputanda esset sicut vna eius actio

in pas-

Digitized by Google

in passione consummanda, vnde iam ipso viuente passio erat in fieri, atque adeò virtute passionis dabat illis Christus vigorem. Nihilominus nec baptismus, nec aliud sacramentum aperiebat tunc ianuam cælestem antequam passio esset exhibita, quare tunc sacramenta sunt plenariam virtutem sortita.

1. Arg. S. Thom. Primum argumentum S. Tho. sumitur ex August. super illud Ioannis, Verbum erat in principio apud Deum, vbi ait, quòd verbum, prout erat apud Deum, viuificat animas: secundum autem quod factum est caro, viuificat corpora. Passio autem Christi pertinet ad carnem: virtus verò sacramenti ad viuificandas animas, ergo talis virtus à solo verbo diuino emanat, & non à passione. Responsio autem est, sensum Augustini esse, quòd verbum, secundùm diuinitatem est agens principale viuificandi animas, hoc est, effundendi gratiam in remissionem peccatorum: carnem autem & mysteria in ea peracta causam instrumentalem, qua ratione virtus sacramentorum effluxit à passione. Vita tamen corporalis Christi non solùm tanquam instrumentum, sed tanquam causa exemplaris, fuit causa salutis nostræ, docendo nos operari, iuxta illud Ioan. 13. Exemplum meum dedi vobis, &c. & primæ Petri 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et eadem de causa (vt ait Paul. ad Philippenses 3.) reformabitur in gloria corpus humilitatis nostræ configuratum corpori charitatis suæ: & hoc est, quod ait Aug. quòd caro factum viuificauit corpora nostra.

2. Arg. S. Thom. Secundum argumentum plusculum difficultatis affert. Arguitur enim quòd licèt virtus sacramentalis emanauerit à Christo, non tamen magis ab eius humanitate, quàm à diuinitate, nec magis à passione quàm à natiuitate: imò quàm à tota vita. Sacramenta namque à fide Catholica pendent, iuxta verbum Augustini suprà citatum, verbum Dei perficit sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur, confessio autem fidei ad diuinitatem Christi primùm refertur, ac perinde ad totam vitam, quam in humanitate transegit. Nihil ergo restat, cur magis à passione quàm à reliquis mysterijs deriuetur. Respondetur, quod aliud est loqui de virtute Christi absolutè, & aliud de virtute peccatorum remissiua. Virtus enim Christi, simpliciter, sicuti & Christus ipse, formaliter copulatur nobis per fidem: nam, vt ait Paul. ad Ephes. 3. Per fidem habitat Christus in nobis. Quare credentes in eum incorporamur ipsi tanquam eius membra, virtus verò sacramentalis est causa instrumentalis peculiaris ad remittenda peccata, siue originalia, siue actualia (vt dictum est.) Remissionem autem hanc Christus per passionem operatus est: secundum illud ad Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Vbi fidem cum sanguine coniunxit in diuersis casibus, eò quòd fides est causa formalis per quam illi copulamur: sanguis verò est causa instrumentalis eiusdem remissionis, quæ propriè à diuinitate (vt diximus) tanquam ab agenti principali, & à passione instrumentaliter deriuatur.

3. Arg. S. Tho. Tertium demum argumentum est. Sacramenta ordinantur ad nostram iustificationem, secundum illud 1. ad Corinth. 6. Abluti estis, iustificati estis. Iustificatio autem tribuitur resurrectioni, secundùm illud ad Rom. quarto. Resurrexit propter iustificationem nostram: ergo ab illa potiùs quàm à passione virtus sacramentorum emanauit. Responsio autem est, quòd cum iustificatio duos dicat terminos, s. à quo, qui est peccatorum remissio, & ad quem, qui est noua vita per gratiam; prior attribuitur passioni, posterior verò resurrectioni. Quare Paulus ambos coniunxit dicens: Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Virtus autem sacramentalis est peccatorum remissoria.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm sacramenta veteris legis essent causa gratiæ.

CONSTITVTO, sacramenta nouæ legis gratiam diuina virtute, tanquam Dei instrumenta, continere, & conferre: subsequitur articulus postremus de sacramentis antiqui testamenti, vtrum eandem habuerint virtutem, an potius in hoc fuerint à nostris differentia, & deficientia. Et respondet D. Th. tribus conclusionibus.

1. Concl. Prima. Non potest dici, quòd sacramenta veteris legis conferrent gratiam iustificantem per se ipsa, id est, propria virtute. Conclusio hæc similiter potest & de sacramentis nouæ legis affirmari. Nam si sacramentum aliquod, vel aliqua creatura virtutem ex se haberet iustificandi, superuacanea fuisset passio Christi, quam in hunc tantùm effectum pertulit; vnde Paul. ad Galat. 2. si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est.

2. Concl. Secunda conclusio. Nec dici potest, quòd ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam iustificandi. Probatio autem est pulcherrima. Supponitur enim tam veteres quàm nos, imò vniuersos post peccatum Adæ per solam Christi passionem obtinere salutem, iuxta illud ad Roman. 5. Reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius. Cùm autem nulla causa valeat, nisi per eius applicationem suum effectum assequi, nemo nisi per applicationem eiusdem passionis, salutem consequitur. Applicatur autem causa patienti dupliciter, scilicet vel per solam internam intentionem, sicut finis, per quam mouet agentem: aut per realem exteriorem que actionem, quemadmodum applicatur causa efficiens, quando passum attingit. Ait ergo Diuus Thomas passionem Christi bifariam nobis, nempe, cunctis mortalibus copulari, nimirum & per fidem (vt artic. præcedenti dicebamus) & per sacramenta. Differt tamen inter istas applicationes, quòd applicatio per fidem fit per actum internum animæ, applicatio verò per sacramenta fit per vsum externarum rerum. Nihil autem prohibet, id quod est posterius tempore copulari per actum animæ alicui præcedenti homini. Finis namque antequam sit, concipitur ab agente, & secundùm quod est apprehensus & desideratus, mouet ipsum agentem. Id autem quod non est in rerum natura, non potest esse, mouere secundum vsum exteriorum rerum, nam hoc habet rationem causæ efficientis, quæ non potest esse posterior effectu, sicut causa finalis. Ex his ergo colligitur conclusio. Nam passio Christi exhibita, quæ tunc fuit causa nostræ iustificationis, potuit tanquam causa efficiens virtutem præbere sacramentis nouæ legis, vt eorum vsu conferretur gratia, non autem sacramentis antiquis: quia cùm nondum esset exhibita, non poterat applicari nisi dumtaxat tanquam causa finalis per fidem, per quam ideò illi patres iustificabantur, sicut & nos vbi non esset copia baptismi, per actum internæ fidei formatæ iustificaremur. Infert appendix corolarium. Sacramenta ergo illa veteris legis non in aliud seruiebant, nisi vt essent protestationes eiusdem fidei, quatenus scilicet futuram passionem, eiusque effectus præsignabant.

3. Concl. Tertia conclusio. Patet ergo, quod sacramenta veteris legis nullam habebant in se virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solùm significabant fidem, per quam illi homines iustificabantur. Conclusio colligitur ex superioribus: nam si neque habebant illam virtutem de se, neque tanquam instrumenta passionis Christi, non restat quomodo aliter habuissent.

Expositio articuli. Quæstio præsens egregium aperiebat nobis locum disputandi de discrimine, non solùm inter sacramenta noua & vetera, verùm & inter totam legem illam Mosaicam, & euangelicam: pro eo, quòd vt Paul. Rom. 3. & Galat. 2. affirmat, ex operibus legis (& loquitur cum Iudæis) non iustificabitur omnis viuens. & Hebr. 9. appellat illam iustitiam carnis. Vnde Ioan. 1. Lex, inquit, per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Quare illa vocatur lex scripta, nostra verò gratiæ. At verò quamuis locus præsens in hanc nos disputationem euocare videatur, nequit tamen tam lucidè hic res tractari quàm dist. proximè sequenti. Prior namque eius quæstio de circuncisione instituitur, in cuius artic. 4. ex professo disputatur, vtrùm sacramentum illud conferret gratiam iustificantem. Expectandus ergo nobis est locus: vbi illic hæc pro captu nostro elucidabuntur. Quare in præsentiarum sicco pede prætereamus.

1. Arg. Primum argumentum S. Thom. est Sacramenta nouæ legis habent efficaciam ex fide passionis Christi, fides autem eadem fuit illis nobiscum communis, iuxta illud 2. Corinth. 4. Habemus eundem spiritum fidei, ergo sacramenta illa perinde ac nostra conferebant gratiam. Responsio autem est, quòd cùm illis passio solùm futura applicaretur, ap-

Digitized by Google

plicatio fiebat dumtaxat per internam fidem tanquam causæ finalis. Nobis autem applicatur passio per fidem tanquam iam exhibita, atque adeò tanquam causa efficiens, quæ secundùm realem vsum sacramentalium verum operatur.

2. Arg. Secundum argumentum est. Per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur, secundùm illud Leuit. 8. Cùm sanctificasset Moyses Aaron & filios suos in vestitu eius, &c. sanctificatio autem fit per gratiam: ergo illam conferebant. Respondetur, quod illa sanctificatio non erat per gratiam gratum facientem, sed tantùm figuralis Christi, per quam ministri templi diuino cultui dedicabantur.

Tertium autem argumentum totum vsque ad distinctionem sequentem exponendum reseruatur, vbi eisdem prorsus verbis repetitur. In cuius solutione patebit quod circuncisio gratiam non conferebat.

Quæstio quarta,

DE CHARACTERE.

S. Thom. 3. part. quæst. 63.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sacramentum imprimat aliquem Characterem in anima.

QVARTVM capitulum, in textu adiectum fuit de Charactere, qui secundus effectus quorundam sacramentorum nouæ legis existit. de quo ideo subsequitur q. 4. Cuius primus ar. non de hoc aut illo sacramento, sed sub forma generali indefinitè proponitur. Vtrum sacramentum nouæ legis imprimat characterem in animam. Art. enim sexto disputabitur, quibus hoc peculiariter sacramentis conueniat. Et respondet D. Thom. vnica affirmatiua conclusione. Omnes fideles per aliqua sacramenta aliquo spirituali charactere insigniuntur. Probatur primò authoritate Apostoli 2. ad Cor. 1. Qui vnxit nos Deus est, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Signare autem characterem importat, qui est signatio quædam. Authoritati autem subiungitur ratio, ex natura sacramenti desumpta. Sacramenta namque, vt sæpissimè resumpsimus, præterquam quod sunt medicinæ, quibus Deus nostram nobis confert salutem, sunt & cæremoniæ & officia, quibus ipsum colimus, ceu eius milites bellum aduersus dæmones carnisque tentamenta sustinentes: in militia autem sæculari illi, qui dant nomina sua, aliquo charactere insigniuntur, vt in militari religione apparet, vbi alij signantur cruce in pectore rubea: atque alij alba: ergo consequens est, vt qui per sacramenta spirituali militiæ deputantur, aliquo indelebili signo consignentur, quod characteris nomine appellatur. Confirmatur tertiò eadem conclusio authoritate Augustin. 2. libro contra Parmenianum, quam nos protinus exponemus. Ait quippe. Si militiæ characterem in corpore suo non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam imperatoris confugerit, ac prece fusa, & venia impetrata militare iam cœperit, nunquid homine liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An fortè minùs hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota?

Conclusio. *Augustin.*

Expositio articuli. Primum omnium de hac characteris assertione dubium est, quàm fuerit antiqua, quamque subinde certa. Sunt enim qui putent, neque ita multum esse priscam, neque omnino creditu necessariam. Character enim, vt Hier. si eius est, lib. triformis interpretationis ait, Græca vox est idem prorsus significans, quod signum, seu insigne quoddam, & figura. Tametsi quod illic habetur: videlicet, Character per, a, in penultima significare impressam formam: character verò per, e, significare ferrum quo imprimitur, correctione forsan indiget, pro, character, legendum sit cauterium. Nam character per, e, nusquam græcè reperitur. Est autem character, non quæcunque forma aut signum, sed illa quæ vel cauterio, vel alia via, etiam per generationem imprimitur. Vnde ad Hebr. 1. vbi ait de Christo Paul. quòd est figura substantiæ patris, græcè est character substantiæ. Et in Apocal. cap. 13. & subseq. Bestiarum characteres nominantur, figuræ illæ, quas in fronte vel in manu gestabant.

Character.

Scotus. Scotus ergo in 4. d. 6. q. 9. tenuissimam opinionem ostendit se habere de charactere. Contendit enim probare, huiusceмodi assertionem neque è sacris literis, neque ex sanctorum Patrum testimonijs colligi posse, neque verò per rationem naturalem. Et subiungit, quòd cum neque Magister Sententiarum, neque Gratianus de consecra. distin. 4. vbi sententias Patrum de baptismo compilauit, de charactere mentionem fecerit, indicium est non esse effectum ita multum necessarium. Quinuerò idem argumentum facit de August. contra Donatistas, quem putat de charactere non meminisse. Quapropter conatur omnes authoritates Characteris infirmare, & aliorsum glossare. Et arguit (licèt nomine aliorum characterem negantium) quòd non est ponenda in operibus Dei pluralitas sine necessitate, nulla autem videtur, inquit, necessitas ponendi characterem. Item arguit, quòd si character esset ponendus, imprimetur nonnunquam absque gratia: vt in ficto, qui baptizari quidem vult, sed gratiæ obstaculum obijcit: consequens autem videtur Dei sapientiæ dissonum: videlicet, vt eius inimico tantum conferat beneficium. Nihilominus propter solam Ecclesiæ autoritatem tutum non existimat ipsum negare. Ad eundem modum loquuntur recentiores. Quare Durand. d. 4. quæst. 1. solùm ait, omnes modernos confiteri imprimi characterem. Et addit, quòd de charactere baptismi nulla est probabilitas, tametsi de charactere ordinis sit nonnulla, cuius rationes articulo proximo expendemus. Imò & hic Caiet. exemplo ferè Scoti loquitur. Ait quippe è sacra scriptura characterem non elici, sed Ecclesiæ autoritate, non multùm antiqua. Alludens fortè ad autoritatem Innoc. in cap. maiores. De bapt. & eius effectu. vbi impressionem characteris affirmat, vel ad tempus Aug. quo cum Donatist. litigauit.

Durand.

Caiet.

Characteris assertio. Sed reuera nescio an hæc verba tam Scoti, quàm Caiet. & Durand. sint satis circunspecta. Et ideo pro constanti habenda est præsens hæc conclusio. Aliqua sacramenta nouæ legis characterem imprimunt. Quæ quidem tanquam veritas à tempore Apostolorum Ecclesiæ receptissima proculdubio est suscipienda, siue talis character res sit ab anima vel ab intellectu distincta, siue secùs. Enimuerò si characteris dogma authoritate Ecclesiæ receptum est, vt Scotus ipse, & Caiet. ac omnes affirmant, inde fit consequens ex sacris literis secundùm Apostolorum traditionem id recepisse. Nam res tanti momenti, quanti sunt sacramentorum effectus, non minori authoritate fidelibus tradidisset, quàm Apostolorum dogmate instructa. Vnde Tho. Waldensis nobilissimus antiquitatum scrutator tomo 2. de sacramentis cap. 109. erroris loco apponit Ioanni Witcleff, quòd aduersus Christianorum characterem obmurmurasset. Aiebat enim Hæreticus ille quarto Trialo. c. 15. quòd quidam multiplicant in ordinibus, & sacramentis characteres sine fundatione & fructu, & sine scriptura sacra. Contra quem ait. Docuit nos semper à primæua fidei institutione mater Ecclesia, quomodo ex sacramentorum quorumdam acceptione relinquitur in Christi membris signaculum saluatoris, quòd expresso nomine voluerunt appellare characterem. Quocirca verba Scoti non sine indignatione refert: nempe, quod hoc non fundetur in sacra scriptura, sed in sola traditione Ecclesiæ. Nam si August. (inquit) contra Hæreticos aliam non habuisset arguendi viam, nisi quia Ecclesia tum superstes sic docebat, nulla tenus eos deuicisset, nec tam prolixis disputationibus opus esset. Officium ergo Theologorum est Ecclesiæ dogmata in sacris eloquijs fundare. Rursus si oporteret semper patentissima scripturæ loca efferre, nihil catholicus posset contra Hæreticos proficere, quia rarissimæ sunt tam euidentes. Satis ergo est testimonijs secundùm sanctorum interpretamenta vti. Quandoquidem vt 1. Ethic. autor est Philosophus, non semper exigenda est demonstratio, sed vnum quodque, prout fert rei natura, exigendum est. Et idem, inquit, Wald. de charactere sentiendum: nam quod vniuersa Ecclesia olim sanxit, ab Apostolis venisse credimus. Et profectò quando nullum aliud esset testimonium, id satis inde comprobatur, quòd in cap. Maiores. & vbicunque apud antiquos habetur characteris memoria, non fit mentio tanquam rei quæ

Waldens.

tunc

tunc instituebatur, sed tanquam de re omni memoria hominum antiquiore.

Sed multa præterea, eademque egregia illic Wald. in hanc sententiam recenset. Primùm illud ad Eph. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Super quo verbo Hieron. in annotationibus ait. Symbolum Spiritus sancti in die baptismi accepistis, nouum signaculum habere cœpistis. Et Haymo. Sigillati & assignati estis Deo in diem redemptionis. Quamuis hunc locum D. Thom. art. 3. de gratia interpretetur. Deinde illud 2. ad Corint. 1. quod hic refert S. Tho. Qui vnxit nos, Deus: & qui signauit nos, Deus, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Loquitur enim Apostolus de vnctione, quæ fit per gratiam, ex qua duplex oritur effectus, scilicet, baptizatos consignari, quod est proprium characteris, & pignus accipere gloriæ, quod est ipsa gratia. Tametsi pignus pro arrha accipiatur. Pignus enim, vt ait 1. par. sermo. 21. August. est, quod dum non soluitur pretium, apud creditorem deponitur, & pretio soluto repetitur. Arrha verò est pars pretij, quæ non repetitur. Et talis est gratia, quippe quæ gloriæ inchoatio est, & cum ipsa permanet consummata. Expendenda ergo est vis prædictæ autoritatis. Accidit enim hominem consignatum esse baptismi characterе absque gratiæ pignore: nempe, quando quis baptizari proponit & baptizatur, sed tamen obicem opponit gratiæ. Idemque contingit dum per peccatum amittitur gratia, manente fide mortua cum charactere. Ecce ergo rationem cur sancti & Ecclesia ab Apostolis edocta characterem fatetur. Nempe, vt cognoscatur, quis est Christi miles, etiam dum non pro dignitate militat, sed peccando militiam deserit. Videlicet, vt sicut rex militem de infidelitate cõuincit, quòd non secundum suum insigne militauit: sic Christus in die iudicij corruptos Christianos inde condemnet, quòd non secundum suum characterem hostium incursus sustinuerint. Nam qui non credit, id est, qui fidem nunquam suscepit (vt habetur Ioann. 3.) iam iudicatus est. Colligamus igitur, quòd cum sacramenta duo habeant, vt identidem commemorauimus, scilicet, vt sint tum peccatorum medicamina, tum & religionis cultus: ratione priori conferunt gratiam, ratione verò posteriori nonnulla characterem.

Hinc ergo sumitur ad rem secundum argumentum. August. n. & antiqui Patres aduersus Donatistas, non aliunde argumenta petebant ad probandum, quod baptizati ab hæreticis non erant rebaptizandi, nisi quòd hæreticus quamuis esse desertor militiæ Christianæ, nihilominus dum nomine Christi baptizabat, Christianum characterem baptizato imprimebat. Quapropter non erat alter imprimendus, sed ille comprobandus. Itaque his erat, quòd illi dicebant, baptizatos ab hæreticis, eò quòd gratiam non reciperent, esse baptizandos: Catholici verò quòd quia characterem Christianum recipiebant, si modò tuissent nomine Christe baptizati, non erant rebaptizandi. Vnde illo loco, quem hic D. Th. citat 2. lib. contra Parmenianum c. 15. & refertur 1. q. 1. canone. Quod quidam. elegenti similitudine characteris regij ad hoc propositum characteris baptismi vtitur, dicens. Quòd si de desertor militiæ, nempe, hæreticus, priuatum aliquem nota militari signet, hoc est, charactere Christiano quando eum baptizat (vtitur enim metaphora) dum postea ille signatus, id est, baptizatus ad clementiam imperatoris confugerit, videlicet, ad Ecclesiam venerit, ac prece fusa, & impetrata iam venia militare cœperit, nunquid homine illo liberato atque correcto character ille repetitur, id est, iterato baptismo nouus imprimitur? Quasi dicat, nullatenus repetendus est: sed ille receptus ab hæreticis agnitus approbatur. Non enim minus hærent sacramenta Christiana, hoc est, characteres per ipsa impressi, quàm corporalis hæc nota, qua scilicet seculares reges suos milites insigniunt. Idem fermè repetit aduersus Gresconium lib. 1. c. 30. & de baptismo contra Donatist. lib. 6. c. 1. & concione super gestis cum emerito Donatista, & super Ioannem tractat. 6. In quibus omnibus locis characterem baptismalem, qui esse sine gratia potest, affirmat. Et priori loco contra Parmenianum characterem itidem sacerdotalem commonstrat, virtute cuius ait, sacerdotem hæreticum verè baptizare (vt eodem canone. Quod quidam. refertur) imò & Eucharistiam conficere.

Et 3. part. sermone 117. appellat omnes Dominicas, quotquot habent characterem Dominicum, etiam si ab hæreticis fuerint baptizati: quia non nomine Pauli aut Appollo, sed nomine Christi baptizantur Idem in epistola ad Bonifacium contra Donatistas: Plus, inquit, habet iuris, quia in eis (scilicet, baptizatis ab hæreticis) Dominicus character agnoscitur. Et infrà. Neque enim si regio charactere quisquam à signatore desertore signetur, hoc est, ab hæretico, & accipiat indulgentiam, in aliquo eorum character ille rescinditur. Et libr. 2. contra Petilianum. Destruimus, dum baptizatus ab hæreticis venit ad Ecclesiam, perfidiam desertoris, non destruimus characterem imperatoris. Hæc demum homil. 4. super canonicam Ioannis. Videat, inquit, baptizatus quicunque si habeat charitatem, vt tunc dicat: natus sum ex Deo: si autem illam non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vocatur, scilicet Christianæ militiæ. Ob hæc ergo & similia testimonia Inn. in ca. maiores. de bapt. & eius effectu, eos qui fictè baptizantur suscipere characterem absque gratia testatur, sed ait Caiet. litem illam de non baptizandis hæreticis, non esse antiquam, & inde ortam esse characteris assertionem. Imò verò est antiquissima: nempe ante annum 40. ab orbe redempto. Cæterum nec tunc cœpit characteris religio, quin potiùs tanquam res esset à temporibus Apostolorum è sacra scriptura collecta, sic illios hæreticos Aug. assertione characteris expugnabat. Quare idem Vualdensis cap. citato 110. Dionysij, qui Apostolos vidit, autoritatem characteris affert, quam S. Thom. artic. seq. citat. Et Damascen. lib. 4. cap. 10. ait, quòd per baptisma primitias Spiritus sancti accipimus, & initium alterius vitæ fit in nobis, i. primitiæ regenerationis, & signaculum, & tutela, & illuminatio. Scotus verò ait, idem esse regenerationem & signaculum: cum tamen Damascenus intelligat, per regenerationem fieri sigillum, hoc est, characterem. Missa alia complura facimus egregia loca, Isidori, Cyprian. Ambr. Anselm. & aliorum, quæ Vualdensis eodem loco in eandem sententiam congerit.

Haud ergo fas est negare, quin aliqua sacramenta characterem imprimant, si nolumus hæreticis applaudere. Eò præsertim quòd in concil. Florent. iam sancitum est, tria sacramenta, nempe, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem characterem, i. spirituale quoddam signum à cæteris distinctiuum in anima imprimere indelebile. Quamobrem hæc tria sacramenta non sunt iterabilia. Alioqui nulla existeret causa cur non vt cætera, iterum reciperentur. In cuius demum postremam confirmationem accedit, quòd hæc tantum tria vnctione chrismatis in fronte per modum crucis aut in vertice capitis celebrantur, per quam vtique vnctionem prædicta characteris impressio designatur, licèt non tunc, sed quando sacramentum perficitur, imprimatur. Vnde Hieron. super illud citatum 2. ad Corinth. 1. Signauit nos, &c. Signauit, inquit, nos Spiritu sancto, vel chrismate. Et Anselm. super illud ad Ephes. 4. In quo signati estis, &c. Signati, inquit, estis, id est, diuisi à grege diaboli per Spiritum sanctum signo crucis.

Et de charactere baptismi contra Durandum est egregia ratio: nam per baptismum necesse est signum imprimi, quo Christiani ab infidelibus dignoscantur. Gratia verò gratum faciens esse nequit huius distinctionis signaculum: nam & esse potest homo in gratia antequam baptizetur, aut Christianus fiat, vtpote per desiderium baptismi: & rursum potest fieri Christianus sine accessione gratiæ, vt patet in eo, qui obicem illi opponit.

Respondetur ergo ad Scoti argumenta, quòd etsi in sacra scriptura non fiat expressa nominatio characteris: colligitur tamen inde, tum per sanctorum interpretationem, tum per Ecclesiæ morem ab Apostolis vsque deductum, cui ideò insanum est reclamare. Sed hoc est plusquam mirandum, quòd neget Augustinum vllam apud Donatistas de charactere fecisse mentionem, cùm tam crebrò (vt modo diximus) rem characteris contra ipsos in hac significatione inculcauerit, indeque conuicerit baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos. Quare ad illud commune dictum Scoti & aliorum, quòd non sunt res multiplicandæ sine necessitate. Respondetur, quòd non est exigenda necessitas omnino simpliciter. Multa enim Deus fecit, quæ potuit aliter facere,

Pignus & arrha quid differant.

Caieta.

Damasc.

Scotus.

Collectio.

Concilium.

Concilium Florent.

2. Argu.

Hieronym.

Lis cum Donatistis.

Contra Durr.

August.

Respondetur Scoto.

Ratio characteris.

Digitized by Google

ſed ſuauiùs ſic fecit, & ſatis eſt Doctores Eccleſiæ ſic nos docuiſſe. Nec verò ratio naturalis deeſt, quæ characteri patrocinetur. Suffragatur enim ei ſimilitudo & exemplum, quod à re militari D.Th. imò & ſæpiſſimè D. Aug. adducit.

Poſtrema denique ratio, quam nobis obmolitur, ſ. quòd fieret conſequens vt Deus fictè accedenti ad baptiſmum beneficium characteris conferret, pariter contra eum ipſum militat. Negare enim non poteſt, quin cuicunque accedenti cum intentione ſuſcipiendi ſacramentum Eccleſiæ, exiſtenti tamen in peccato mortali, infundatur fides mortua, quæ eſt etiam beneficium ſupranaturale Dei. Pari ergo modo eſt concedendum, quòd imprimitur character, vt Aug. de illis qui ab hæreticis baptizantur, frequenter repetit. Neque Gratianus rem characteris ignorauit, quippe qui 1. q. 1. c. quod quidam ſententiam Auguſt. de charactere retulit. Neque verò Magiſt. Sent. de charactere ſubticuit, imò diſtinct. 6. ex verbis Auguſt. adſtruit, quòd baptizati ab hæreticis ſeruato charactere Chriſti, non ſunt rebaptizandi.

1. Arg. S. Thom. Primum argumentum S. Th. eſt. Character ſignificat ſignum diſtinctiuum (vt illico patebit) membrorum Chriſti ab infidelibus: diſtinctio autem illa fit per æternam prædeſtinationem, quæ nihil ponit in prædeſtinato. Dicitur enim 2. ad Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, nouit Dominus, qui ſunt ſui: ſuperuacaneus ergo eſt character. Reſpondetur, negando conſequentiam: quoniam per prædeſtinationem diſtinguuntur homines quantum ad deputationem ad gloriam: ſed tamen per characterem, quantum ad deputationem ad agendas actiones religionis Chriſtianæ. Ex quo fit, quòd vt multi fuerunt prædeſtinati, quib. nunquam fuit impreſſus character, nempe, qui in lege naturæ & ſcripta in gratia obierunt, & præſertim boni angeli: ita nunc multi ſunt Chriſtiani charactere inſigniti, qui non ſunt prædeſtinati.

2. Arg. S. Thom. Secundum argumentum eſt. Character eſt ſignum diſtinctiuum: ſignum autem debet eſſe ſenſibile, quod ſcilicet, vt 2. de doctrina Chriſtiana autor eſt Auguſt. præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud facit in cognitionem venire: ſed nihil, quod eſt in anima eſt ſenſibile: ergo nullus illic extat character. Prior reſponſio eſt, quòd eſt ſignum ſenſibile non per ſe, ſed per ſacramentum. Poſteriùs verò reſpondet, quòd non oportet characterem propriè eſſe ſignum, quia nec eſt ſacramentum: ſed res ſacramenti, ſcilicet effectus eius. Dicitur autem per ſe ſignaculum per quandam ſimilitudinem, quia eſt quid animæ impreſſum ad configurandum Chriſtianum ſuo redemptori, atque ad diſtinguendum illum ab alijs, qui non ſunt eius membra. Et hæc ſecunda reſponſio videtur magis legitima. Tametſi prima fuit etiam neceſſaria: quoniam alias fieret argumentum, quod cùm character ſit ſignum diſtinctiuum Chriſtiani gregis inter homines: debuit eſſe ſignum hominibus perceptibile. Percipitur ergo per ſacramentum: nam cum ait Pau. baptizatos gratia baptiſmatis vngi, ac ſubinde conſignari: inde cognoſcimus ſignatos eſſe eos qui baptizantur. Quamuis etſi characteres in via non cognoſceremus, ſatis eſt, quòd in die iudicij reuelabuntur nobis.

3. Arg. S. Thom. Tertiò arguitur. Sicut per ſacramenta nouæ legis diſcernuntur fideles ab infidelibus, ita & per ſacramenta veteris: ſed per illa nullius imprimebatur character: ergo nec per noſtra. Ad hoc argumentum Scotus in 4. diſt. 6. q. vlti. reſpondet, quòd dici poteſt circunciſionem contuliſſe characterem. Cuius ſequaces id etiam affirmatius aiunt. Et poſſet eorum opinio inde fulciri, quòd ſicut noſter baptiſmus profeſſio eſt noſtræ legis, ſic & circunciſio illius Moſaicæ: quare ſicut nunc charactere inſignimur ad colendum Deum ſecundum Chriſtianam militiam: ſic deberet ille populus inſigniri ad obſeruãtiam ſuæ legis. Nihilominus D. Thom. abſque diſcrimine negat, vllum ſacramentorum illius legis characterem impreſſiſſe. Et ratio eſt, quoniam, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 9. Sacramenta illa erant tantum iuſtitia carnis, quæ ſcilicet non per ſe attingebant ad mundandam animam. Atque adeò neque vllam habebant ſpiritualem virtutem conferendi gratiam, vel aliud quidpiam ſpirituale. Et quòd nullus eſſet character ordinis clarum eſt, ſiquidè ſacerdotium illud non erat ſpirituale. Neque verò circunciſio erat ianua ſacramentorum ſpiritualium, ſicut noſter baptiſmus, quare non recipiebatur illic poteſtas ad ſuſcipiendum aliqua ſacramenta ſpiritualia, ſed ipſa carnis circunciſio, quæ (vt ait Paul.) erat ſignaculum fidei, erat perinde character, quo populus ille à reliquo orbe diſtinguebatur.

Scotus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm character ſit ſpiritualis poteſtas.

ABSOLVTA quæſtione an eſt: nempe conſtituto characterem eſſe, ſubſequitur peripatetico ordine quæſtio quid eſt? Videlicet vtrum huiuſmodi character ſit ſubſtantia, an verò ex aliquo accidentium genere. Et reſpondet D. Thom. tribus concluſionibus.

1. Concl. Prima. Character importat quandam potentiam ſpiritualem ordinatam ad ea quæ ſunt diuini cultus. Et primò quòd ſit potentia, probat ex ſufficienti diuiſione, ſuppoſito quòd non eſt ipſa eſſentia animæ, ſed aliquod eius accidens. Quicquid enim eſt in anima, vt 2. Ethicor. Philoſophus docet, vel eſt potentia, vel habitus, vel paſſio. Paſſio autem facilè tranſit: quare character, quia (vt infrà patebit) indelebilis eſt, non eſt paſſio. Habitus verò non eſt indifferens ad bene vel male agendum, ſed ad vnam partem determinatus. Neque enim vitioſo habitu bene vtimur, neque virtute malè. Charactere autem & bene vtimur, cùm adeſt virtus: & malè cùm abeſt, ſicuti intellectu & alia quauis potentia. Reſtat ergo vt ſit potentia. Quòd autem huiuſmodi potentia ſpiritualis ſit ad diuinum cultum exercendũ, probatur. Sacramenta ea ratione characterem imprimunt, qua per ea (vt ſuprà dictum eſt) homines ad Dei cultum, non vtcunque, ſed ſecundùm Chriſtianam religionem addicuntur. Vnde Dionyſ. 2. cap. Eccleſ. Hierarch. cùm diciſſet, quòd Deus quodam ſigno tradit ſui participationem accedenti ad baptiſmum, ſubiungit: Perficiens eum diuinum & communicatorem diuinorum. Diuinus autem cultus conſiſtit vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo: per baptiſmum enim diſponimur ad ſuſcipienda ſacramenta, & per ſacramentum ordinis creantur ſacerdotes ad illa adminiſtranda: ergo character eſt potentia, vel paſſiua ad ſuſcipiendum, vel actiua ad conferendum res diuinas.

Dionyſ.

2. Concl. Secunda concluſio. Character eſt potentia inſtrumentalis. Probatur. Nam virtus perpenditur è natura ſubiecti, character autem eſt in miniſtro, qui ſecundum Ariſt. 1. Politic. eſt inſtrumentum quoddam. Ait enim quòd ſeruus & iumentum ſunt inſtrumenta quædam. Ait verò, quædam, id eſt, quodammodo: quia non ſunt prorſum inſtrumenta, vt malleus, ſed viuentia quæ ſe mouent.

3. Concl. Tertia concluſio. Character non eſt in prædicamento directè tãquam genus vel ſpecies, ſed reducitur ad ſecundam ſpæciem qualitatis, quæ eſt naturalis potentia vel impotentia. Probatur. Virtus ſacramenti (vt q. præced. art. 4. diximus) non eſt in prædicamento directè, ſed reducitur ad primam ſpeciem qualitatis, quæ eſt habitus, propterea quòd eſt inſtrumentum, quo producuntur gratiæ & virtutes: ſed pari modo character eſt potentia inſtrumentalis, ergo reducitur in eam ſpeciem quæ eſt naturalis potentia.

Expoſitio articuli. In primis poſtquam quæſtio hæc dè quidditate characteris initur, ſupponendum eſt quid eſt. Sed quia illa definitio ex autoritate Dionyſ. elicitur, eandem prius autoritatem examinemus. Hanc, inquam, Dionyſ. autoritatem, quam hic D. Thom. ad primam concluſionem allegat, & vniuerſi Doctores ad idem propoſitum citant, refert illic c. 110. Waldenſ. Scot. verò cui Dur. d. 4. q. 1. adhæret, negat vllum habere ſenſum de charactere. Sed ait, quod illic fit mentio de ſigno, quo Hierarcha, j. pontifex manum illi qui baptizabatur imponens ſignabat eum, adſcribebatque catalogo catechumenorum. Wald. verò Scotum inſimulat, quod locum Dionyſ. perperam intelligat. Et reuera, ſi legitimus textus è Græco deſumptus conſulatur, ſic habet. Eum verò, nempe ad baptiſmum accedentem diuina beatitudo (ſeu diuina maieſtas) in ſuam participationem recipit, & proprio lumine, tanquam quodam ipſi ſigno tradit: diuinum perficiens & communicantem diuinorum partis & ſacræ ordinationis. Hactenus ergo non loquitur de Hierarcha, hoc eſt, de pontifice, ſed planè de Deo, qui baptizatum facit ſui

Wald.

parti-

Digitized by Google

participem. Et ideo cum ait, Diuino lumine, manifestè significat gratiam gratum facientem, qua (vt ait Petrus) efficimur diuinæ consortes naturæ. Ob idque dicens, proprio lumine, tanquam quodam ipsi signo (vt quod sentio verè fatear) appositio est, & quam rhetorici dicunt definitionem. Quasi dicat, proprio lumine gratiæ, quod est sibi signum, hoc est, sui similitudo: nam per hoc nos facit sui participes, quòd nos facit sui similes. Et ideo subdit. Diuinum (scilicet hominem) perficiens, & communicantem partis diuinorum, id est, effici eum participem suorum bonorum, & sacræ ordinationis, hoc est, religionis Christianæ. Sed nihilominus appellatione luminis gratiam possumus intelligere, quatenus charactere nos consignat, & facit Christi gregem, ac perinde diuinorum communicantes, hoc est, sacramentorum participes. Quapropter (vt artic. subseq. patebit) gratia est signum, quo deputamur ad participationem diuinorum in Ecclesia triumphanti, & character, quo deputatur ad cultum in hac militanti. Vnde subsequitur in text. Quorum est symbolum (hoc est indicium) sacrum à Hierarch puta à pontifice aduenienti donatum signaculum, quod profectò arbitror intelligi de signo crucis in fronte, quod est characteris signaculum. Bene ergo D. Thom. subscribente Waldense, inde elicit characterem esse, per quem homo fit aptus communicare diuina, s. sacramenta: vt per sacramentum baptismi fiat homo aptus ad suscipienda reliqua, & per sacramentum ordinis potens ad eadem administranda. Atque hinc colligitur definitio characteris, quam ponit D. Thom. in solutione secundi. Est n. signum sanctæ communionis fidei, & sanctæ ordinationis, j. quo fidem per sacramenta profitemur. Articulo tamen sequenti aliam prolixiorem subiungemus definitionem.

Character quid.

De tertia verò conclusione, nempe, de constitutione characteris in prædicamento, adeò inter Doctores controuersatur, vt tot sint sensus quot capita, suppudeatque omnium opiniones recensere. Eo potissimum, quod quæstio est in visceribus metaphysices abstrusa, & ideo cunctis molestior, quàm Theologis necessaria. Haud tamen pollumus sic silere quin aliquid dicamus.

Prima opinio Dur.

Prima opinio est Durandi loco citato d. 4. q. 1. qui cùm negauerit characterem, negat subinde in aliquo esse prædicamento. Sententia ergo eius est, Characterem neque vllam esse quantitatem, neque vllam prorsus rem seu (quod aiunt) entitatem ab anima quoquo pacto distinctam, sed esse merum ens rationis. Itaque sicut numisma, quando princeps eius valorem vel auget, vel minuit, nihil prorsus acquirit, sed institutione regis fit huius aut illius pretij, quod est ens rationis ex mera regis voluntate resultans: sic qui baptizatur, nihil præter gratiam & virtutes acquirit, sed institutione Dei fit idoneus ad recipiendà alia sacramenta: & qui ordinatur fit potens illa conficere, & hoc est habere characterem. Commodius exemplum est. Cùm Papa creat episcopum, vel rex prætorem, aut scholasticus magistrum, nullam prorsus rem, quæ ipsi inhæreat, illi creatæ accrescit: sed hoc duntaxat, quod per institutionem fit potens aliqua facere, quæ antea non poterat. Probatio eius potissima est, quia, vt habetur Ecclesiast. 24. Qui sapientiam elucidat vitam æternam habebit, hoc autem modo Theologia fit plana & perspicua, illis verò entitatibus multiplicatis obscurescit. Et confirmatur ex modo loquendi D. Thom. Ait quippe, eo quod homines deputantur ad ministeria Dei characterè insigniri. Deputare autem solum dicit actum voluntatis deputantis, atque adeò solum est ens rationis in deputato. Accidentarium verò est militi deputato ad militiam quòd corporali aliquo insigni denotetur. Pari ratione negat virtutem sacramentorum ad conferendam gratiam. Sed contra characterem baptismi peculiarem informat rationem: nam character, inquit, etiam si poneretur, non debet poni nisi potestas actiua. Baptizatus autem nihil potest agere erga sacramenta, quod non possit agere etiam non baptizatus: nam nihil potest agere nisi baptizare, & hoc etiam potest non baptizatus. Item aduersus sacramentum ordinis arguit. Quia sicut virtus, quæ ponitur in sacramentis, non ponitur nisi per modum transeuntis, quæ cessante sacramento cessat: sic & character in ministro, qui (vt fatetur Sanct. Thom.) est quoddam instrumentum, non deberet poni nisi pro articulo, quo sacramentum administrat: ponitur autem ab omnibus indelebilis, sibi ergo ipsis repugnant.

Durand. contra characterem.

Hæc, fateor, opinio, quantum ad id quod ponit, characterem non esse rem distinctam à subiecto, nunquàm mihi visa est à veritate ita multùm aliena. Cum quodam tamen moderamine. Nam profectò istarum rerum multiplicatio, vbi excusari potest, nullibi mihi arrisit. Moderamen tamen est, quòd quamuis quispiam non censeat characterem rem esse ab intellectu distinctam, non tamen subinde negandum est sacramentum characterem imprimere, esseque qualitatem secundæ speciei. Enimuerò quanquam Nominales negent quantitatem distingui a re quanta, non ideo negare debent, quantitatem esse aliud prædicamentum à substantia, imò nec concedere debent formaliter, quòd substantia sit quantitas: sed quòd est res quæ est quanta. Item neque negare illis licèt, quin motus augmentationis terminetur ad quantitatem & non ad substantiam. Nam per hoc quòd res illæ habent diuersas definitiones, possunt huiusmodi diuersæ enunciationes vtcunque verificari. Et quamuis dicant potentias re non distingui ab anima, nihilominus anima est substantia: intellectus verò & voluntas sunt in secunda specie qualitatis. Etenim quando sancti patres characterem dixerunt imprimi in sacramentis, forsan nihil cogitabant, esset ne res distincta, an verò eadem cum anima: (sicuti superiori quæst. de gratia adnotauimus) quando dixerunt, quòd sacramenta conferunt gratiam. Quare si quis hoc modo sentire voluerit, nihil prorsus reiuerim. Neque verò argumenta in contrarium multum vrgent. s. Quòd cùm character sit terminus actionis realis, debet esse res realis. Item, quòd cùm sit potestas agendi aliquid reale: nempe, suscipiendi, aut administrandi sacramenta, non est merum ens rationis. Eadem n. argumenta currunt de prætore & iudice à rege instituto. Institutio siquidem est actio realis, per quam facultas sit illi exercendi reales actiones iuridicas, & tamen nihil acquirit nisi respectum rationis. s. quòd est persona instituta ad illud officium. Et confirmatur responsio. Nam quando Deus ipse instituit Dauidem in regem, & quando Christus instituit Petrum in suum vicarium, præter gratias & virtutes nihil resultauit in illis electis nisi respectus rationis: nihilòminus acquisiuerunt potestates reales ad hunc sensum quòd fuerunt ad reales actiones realiter instituti. Eodem ergo pacto dici potest, eò quòd per baptismum quis adscisciturin Christianam rempublicam, fieri potentem recipiendi eius sacramenta, & per hoc quòd ordinatur fieri potentem illa ministrare, & illæ potestates dicuntur characteres: licèt non sint ab anima realiter distincti.

Responderur ad argumenta de charactere.

At verò consonantius sanctorum dictis est, ac perinde probabilius, quòd character sit res distincta ab anima: nempe, vt illi modi loquendi, qui cum sint locutiones tranfitiuæ, videntur distinctionem inter rem impressam & subiectum cui imprimitur insinuare, syncerius obseruentur. Videlicet. Characterem imprimi: qui indelebiliter intellectui inest, & similes. Item Deus operatur ad modum naturæ, ergo sicut potentiæ animæ secundùm Aristot. distinguuntur ab anima: sic & potentiæ quas Deus infundit. Et quod maximum est omnium argumentum. Gratia per quam homo acquirit diuinum esse, est qualitas ab essentia animæ distincta: & virtutes à potentijs: ergo & character, qui per modum potentiæ in intellectu insculpitur.

Sententia probabilior.

Et per hæc ad argumenta contraria respondetur quòd opera Dei altiora sunt operib. hominum. Cum enim homo alterum diligit, nihil in dilecto exurgit præter ens rationis: nempe, quòd obiectum est dilectionis. Deus autem ei quem diligit, gratiam infundit cum virtutib. quæ quidem sunt distinctæ qualitates. Deum enim quempiam amare, est bonum ei facere: ergo quamuis rex, cum prætorem instituit, aut Papa eum creat episcopum, nullam rem in eo nouam creet, quia non potest, Deus tamen qui potens est, & omnia suauiter disponit, quando hominem per baptismum signo sui gregis sigillat, aut sacerdotem instituit, characterem illi imprimit. Quapropter, vbi S. Thom inde quòd homo deputatur ad cultum Dei, infert characterem recipere, loquitur non de deputatione quacunque, sed de illa qua deputatus perficitur. Electio autem Petri in pastorem, & Dauidis in regem non requirebat characteris impressionem.

Argumentorum responsio.

Et ideo ad aliud arg. Durand. respondetur, quòd

Digitized by Google

hoc est magis elucidare sapientiam. Neque hac ratione res sine necessitate multiplicantur, est enim congruentia maxima.

Ad aliud autem, quod addit contra characterem baptismi. Respondetur non esse necessarium omnem characterem esse potentiam actiuam. Confert enim character baptismi tum ad configurandum nos Christo, tum ad discernendum nos ab alijs, qui non sunt sui gregis, ac demum est potestas passiua recipiendi alia sacramenta, quæ nemo non baptizatus recipere valet. Neque ideo sit consequens (vt quidam arguunt) quòd dicat imperfectionem, eò quòd pati, impotentia est & imperfectio. Etenim pati, quod est imperfectio, non est nisi quando subiectum contra suam naturam patitur, vt quando aqua calefit.

Pati nonnunquam est perfici.

Ad postremum denique argumentum contra characterem ordinis, respondetur, quòd non est necesse ministri potentiam transeuntis recipi, vt virtutem sacramenti. Sacramentum n. non est nisi merum instrumentum, quamdiu aptè applicatur: quapropter sua virtus non est nisi motus. Minister autem etiam dum non operatur, retinet ministri potestatem: quia est instrumentum viuens ac per se operans. Quis enim dicat sacerdotem dum dormit non habere sacerdotalem potestatem.

Secunda opinio Sco. quod character sit relatio.

Supposito autem characterem esse rem distinctam, nosse restat, sit ne relatio aliqua realis, an verò res absoluta. Est ergo 2. opinio Scoti loco citato in 4. scilicet d. 6. q. 10. characterem non esse nisi relationem realem. Probatio eius est, quòd quando aliquid nobis occultum saltare possumus minori posita entitate, qualis est relatio, non opus est gratis concedere esse rem absolutam: ad omnia autem, quæ de charactere dicuntur respondere possumus, si sit quædam relatio: ergo non est asserendum esse rem absolutam. minor patet, nam character baptismi est quædam similitudo nostri ad Christum, dissimilitudo autem ab infidelibus: Character autem sacerdotalis, quidam respectus eminentiæ sacerdotis ad subditos.

Arg. 3. D. Tho.

Hanc opinionem tangit D. Tho. argu. 3. Character enim, inquit, est signum sanctæ communionis fidei, signum verò est in genere relationis, non autem in genere potestatis, non ergo est potestas de secunda specie. In solutione autem concedit signum importare relationem ad rem significatam. Concedítque perinde characterem dicere relationem, non autem quòd sit ipsamet relatio, sed eius fundamentum.

Explicatio relationis.

Ad intellectum autem solutionis, quæ cùm sit metaphysica, non est adeo clara, aduotandum est, relationem semper habere in suo subiecto fundamentum aliquod. Vt similitudo, quæ est oui ad ouum, vel in albore, vel in figura fundatur. Quocirca illo supposito fundamento, relatio illico consequitur in subiecto, si terminus existat: vt cùm carbo rubere incipit, fit similis rebus alijs rubeis: sic & dum nigrescit, fit similis nigris. Hanc ob rem Philosophus 5. Physic. tex. 10. ait ad relationem non esse per se motum duabus de causis. Primò, quia potest quid fieri simile sine mutatione sui: eò enim, quòd alter fit albus, efficior ego sine mea mutatione illi similis. Vnde argumentum sumitur, relationem non esse rem à fundamento distinctam. Secundò, quia ad positionem fundamenti consequitur relatio: vt per hoc quòd ego canescam, sine alio nouo motu efficior similis alijs canis. Quocirca cùm esse relationis, non sit esse in se, sed esse ad aliud, propriè non producitur, sed simul cum suo fundamento nascitur. Ait ergo D. Thom. quòd fundamentum relationis, verbi gratia, similitudinis, vel dissimilitudinis, quam dicit character, non potest esse anima ipsa, vel aliqua eius potentia, alias ipsa posita connasceretur relatio, & sic omnis anima seu omnis intellectus haberet relationem ad Christum & ad infideles, quam importat character: quod constat esse falsum: ergo fundamentum talis relationis non est intellectus, qui est subiectum eiusdem relationis, sed aliqua res absoluta: nimirum supernaturalis potentia, quæ per actionem sacramenti in eodem intellectu producitur. Sicuti per actionem ignis producitur calor in ligno, qui est fundamentum relationis similitudinis ad alia calida. Et illa res est character. Scotus verò ait sustineri posse, quòd character sit res absoluta, & probabilius quod sit relatiua: quoniam hæc, inquit, ratio D. Thom. non concludit. Nam licèt relatio intrinsecus aduenies non acquiratur immediatè per aliquem motum (vt ait Aristo.) sed per illum, quo producitur fundamentum: tamen relatio extrinsecus aduenies potest de nouo produci sine productione alicuius fundamenti. Appellat relationē intrinsecus aduenientem illam, quæ posito fundamento & termino illico exurgit, vt similitudo, æqualitas, &c. Extrinsecus autem aduenientem illam, quæ posito fundamento & termino non statim profertur, & ideo producitur per nouum motum: & talis, inquit, est character. Hæc autem distinctio, si locus hic esset de illa disputandi, mera inuentio Scoti est, & petitio principij. Nulla enim esse potest relatio extrinsecus aduenies ad mentem eius secundum Aristotelicam doctrinam. Impossibile namq; est esse relationem & non consequi naturaliter ex eius fundamento & termino. Nam ipsissima relationis natura est esse habitudinem inter duo, quibus subinde positis ponitur. Et exempla sua manifestè sunt contra Aristot. Ait, inquam, Scotus, quòd per motum localem acquiritur, vbi, quæ est mera relatio. Et sic stat mobile esse & locum, & non consurgere relationem, sed illam immediatè acquiri per motum. At verò cùm Aristo. expressè dicat per motum localem acquiri, vbi, sicut per alterationem, qualitatem, & per augmentationem, quantitatem: nihilominus dicat ad relationem non esse per se motum, sine distinctione intrinsecus, extinsecúsue aduenientis, manifestissimè docet, vbi, non esse relationem, sicut re vera non est, sed est esse in tali loco, ex quo consequuntur relationes distantiarum ad alia loca. Nec aliud exemplum de agente & patiente illi suffragatur. Ob id enim quòd stat ignem esse & aquam, & tamen non esse relationem actionis, arbitratur relationem illam acquiri immediatè per alterationis motum, atque adeò esse extrinsecus aduenientē. Et tamen Arist. ipse ponit exemplum, quod ad actionem non est per se motus, eo quòd est ipsemet motus seu alteratio, seu augmentatio, &c. Et ideò fallitur Scotus attribuendo subiectis id quod est proprium fundamenti. Ignis siquidem & aqua non sunt fundamenta relationis actionis, & passionis, sed subiecta. Fundamentum autem relationis actionis est ipsum agere, & fundamentum relationis passionis ipsum pati. Et ideo actio, est prædicamentum absolutum. Posita autem actione & passione non stat, quin sequatur relatio, qua agens denominatur agens, & altera qua passum denominatur patiens. Idem dicendum de relatione dextri & sinistri in columna respectu hominis. Non enim fundamentum illius est homo, aut columna, sed vbi & situs in quo est homo, qui quidem acquiritur per motū, in quo loco si ponatur homo, columna fit dextra. Attende ergo semper ad fundamenta, & nullam reperies relationem extrinsecus aduenientem.

Nulla est relatio extrinsecus aduenies.

Est igitur profectò solidissima ratio S. Th. quòd si character esset, relatio non haberet aliud fundamentum, quàm intellectum: & ideo posito intellectu poneretur illa relatio, quòd cùm sit falsum, fit vt character non sit relatio, sed relationis fundamentum, quòd actione sacramenti producitur, cum quo oritur relatio. Et ideo est relatiuum secundum dici, vt scientia: quod scilicet explicatur per relationem quam secum importat, sed non est relatio secundum esse. Imò verò (vt hoc vltimum verbum addam) Scotus, qui tam vrgenter harum rerum multiplicationem reprehendit, debuisset distinctionis relationum à suis fundamentis condemnare, quippe quæ, vt in prædicamentis, & 5. Physic. disputabamus, mera sunt figmenta. Habemus ergo contra primam opinionem, quòd character est res distincta ab anima, & contra secundam, quòd est res absoluta: vnde cum prædicamenta simpliciter absoluta sint tantùm substantia, & quantitas, & qualitas, inter reliquos omnes doctores conuenit nec esse substantiam, neque quantitatem, sed qualitatem. Cum autem qualitas quatuor habeat species, adhuc lis non extinguitur.

Solida ratio S. Th.

Est ergo tertia opinio Richardi in 4. d. 5. ar. 1. q. 2. quòd character propriè non est in prædicamento, eo quòd est qualitas supernaturalis, & Aristo. in prædicamentis non posuit nisi res naturales. Quare in secunda specie ponit naturalem potentiam vel impotentiam. Habet nihilominus similitudinem cum omnibus fermè speciebus, nempe cum prima, quæ est habitus & dispositio, inquantum est habitus disponens ad gratiam, & cum quarta, quæ est forma vel figura, inquantum configurat nos Christo.

Tertia opinio Ri.

Aristot. 5. Physi.

Scotus.

Verun-

Digitized by Google

Impugnatio opinionis.

Veruntamen hæc opinio non tangit scopum: nam etsi Deus non sit in prædicamento, ob id quòd nullatenus limitatur: habitus autem supranaturales, quos infundit, non sunt eadem ratione infiniti, quin possint in eodem poni prædicamento, in quo sunt habitus acquisiti, vt suprà de virtute sacramenti diximus, sunt enim entitates finitæ. Et quamuis character aliarum qualitatis specierum imaginem præ se ferat, nihilominus inquirimus in quo eius quidditas consistat, & hoc est quærere in qua specie ponatur.

Quarta opinio Alex.

Igitur quarta opinio post tres recitatas fuit, quòd sit in prima specie qualitatis, vt scilicet sit habitus vel dispositio. Et hæc est opinio Alex. Alensis 4. par. q. 19. memb. 1. art. 2. Ratio eius est, quia (vt quæst. præced. diximus) persistit in hoc, quòd potissima natura characteris sit esse dispositionem ad gratiam. Id quòd Scotus cùm distinct. 1. negasset, post dist. 6. quæst. 10. approbauit. Hoc autem attic. 4. monstrabitur esse falsum. Haud enim characteris natura est ad gratiam disponere. Neque enim est in essentia animæ, vbi est gratia, sed in intellectu: neque natura sua est prior quàm gratia, sed consequitur fidem, quæ quando suo ordine viua producitur, posterior est quàm gratia.

Reprobatio opinionis.

Interim tamen contra hanc opinionem ratio. S. Th. satis habet efficaciæ. In prima n. specie non ponuntur nisi habitus: qui natura sua determinati sunt vel ad bonum, vt virtutes: vel ad malum, vt vitia. Character autem quædam facultas est in baptizato ad verè suscipiendum sacramenta, siue digne illa suscipiat, siue indignè. Qui n. in peccato recipit Eucharistiam, verè sacramentum recipit, licèt malè. Et pariter character ordinis facultas est ministrandi sacramenta, etiam si in peccato illa sacerdos ministret. Ex quibus omnibus elicitur opinio S. Tho. nempe, characterem esse potentiam in secunda specie qualitatis. Nam potentia non est nisi facultas operandi indifferenter ad bonum & ad malum. Ex quo fit, gratis Scotum concedere, quod potest poni vel in prima, vel in secunda specie. Arguit quippe contra rationem D. Tho. Habitus n. inquit, indifferens etiam esse potest ad bene vel malè agendum, sicuti potentia. Nam possunt esse actus indifferentes, vt ambulare, & loqui, ex quibus similis habitus potest ingenerari. Respondetur autem, nullum esse actum in particulari indifferentem: nam si habeat bonum finem, bonus est: sin verò illo careat, malus, neque est dare medium. Atque adeò multò minori probabilitate affirmantur habitus indifferentes.

Quinta opinio S. Tho.

Arg. contr. S. Thom.

Vnum autem argumentum restat hic contra D. Tho. Contulit n. characterem cum virtute sacramenti, ex hoc scilicet, quòd character erat virtus instrumentalis inferens non directè, sed reductiuè poni in prædicamento, sicuti virtus ponitur sacramentalis. Virtus autem sacramentalis (vt dictum est) reducitur ad primam speciem qualitatis, vbi est gratia & charitas, quas producit: ergo æqua ratione character debuit reduci ad primam.

Expetia authoris resp.

Respondetur autem. Id quod non ponitur directè in genere, sed reducitur ad genus, hoc habet ex eo quòd est quodammodo imperfectum in illo genere. Hæc autem imperfectio, alia consideratur in virtute sacramentali, & alia in charactere. Virtus siquidem sacramentalis dicitur imperfecta, quia est motus, sicut alteratio est acquisitio qualitatis, quæ est in fieri, & ideo reducitur ad illam speciem, in qua est perfectus terminus. Character autem non habet illam rationem imperfecti, quam motus: habet n. esse permanens & indelebile: sed sicut instrumentum habet imperfectam rationem causæ respectu causæ principalis, & ideo reducitur ad illam speciem, in qua est potentia naturalis, licèt ipse sit supranaturalis.

Sexta opinio Marsil.

Sexta nihilominus opinio, vt ordinem argumentorum D. Tho. sequamur, est quod character ponitur in quarta specie qualitatis, quæ est figura. Quam quidem opinionem amplexatus est Marsilius in 4. qu. 4. ar. 2. conclu. 7. Arguit igitur D. Tho. primo loco. Character idem esse videtur quod figura: nam, vt suprà dictum est, vbi ad Heb. 1. habetur. Figura substantiæ eius Græcè legitur character. Figura autem est quartæ speciei qualitatis. Responsio tamen S. Tho. est egregia per distinctionem maioris præmissæ, quòd character dicitur figura, non per proprietatem, sed metaphoram. Figura namque (vt ait Philosophus) est terminus quantitatis, quare vbi non est quantitas, nec est propriè figura. Character autem res spiritualis est, & inuisibilis. Dicitur verò per translationem figura: quia per illum spiritualiter consignamur, tanquam membra Christi quæ sumus capiti nostro similia. Res autem non ponitur in prædicamento secundum id, quod per metaphoram de illa dicitur.

1. Argu. S. Toom.

Resp. opt.

7. opinio. 1. Arg. S. Thom.

Septima opinio est, quòd sit de tertia specie, vbi ponuntur sensibiles qualitates, color & calor, & cæt. Vnde arguit Diuus Tho. secundo argumento. Character est lumen quoddam, vt ex Dionysio iam citatum est. Lumen autem est sensibilis qualitas: nempe, obiectum sensus, ergo est in tertia specie. Respondet autem eodem modo, quo ad primum: quod character non est sensibile lumen, sed per metaphoram veluti gratia dicitur lumen. quemadmodum enim illa peccatorum tenebras abigit, sic & character quædam est intellectus lux ad colendum Deum. In tertia verò specie solùm ponuntur qualitates sensibiles.

Argum.

Quòd si quis contra arguat. Ad fugandas peccatorum tenebras sufficit gratia: ad illustrandum verò intellectum sufficit lumen fidei cum donis sapientiæ, & scientiæ, & intellectus, ergo character nullatenus est lumen. Respondetur, quòd dicitur esse lumen quoddam propter autoritatem Dionysij, non tamen est lumen sicut fides, quæ (vt ait Paulus) est cognitio rerum sperandarum: character namque non est cognitio, sed dicitur lumen, quia est facultas colendi Deum in hac militari vita secundùm cognitionem fidei, vt art. 4. emunctiùs explicabitur.

Resp.

4. Argu. S. Thom.

Quartum verò argumentum S. Tho. est. In definitione characteris, secundùm autoritatem Dionysij, ponitur signum (vt argumen. 3. citatum est) signum autem habet rationē effectus, vt fumus respectu ignis, potentia autem rationem dicit principij: ergo character non ponitur in secunda specie quæ est potentia. Respondetur ad maiorem, quòd character secundùm se non est sensibile signum, sed adiunctus sacramento sensibili: secundùm se autem non habet nisi rationem principij. Igitur cum multa characteri adscribantur, scilicet esse potentiam, esse signum & figuram, & relationem, necesse est, vt quæ dicta sunt summatim colligamus. Character, inquam, quantum ad suam quidditatem natiuamque definitionem, est qualitas, quæ est supernaturalis potentia, est autem fundamentum proximum relationum, quibus efficimur similes Christo, dissimilesque infidelibus: est denique figura & lumen per metaphoram, ac demum contectus sensibili sacramento est sensibile signum. De singulis trium characterum dicemus articulo 6.

Epilogus.

ARTICVLVS III.

Vtrum Character sacramentalis sit Character Christi.

Sensus quæstio.

TITVLVS hic propter genitiuum, Christi, diuersos potest exhibere sensus. Vnus est, Vtrum character qui est in nobis, sit eiusdem rationis cum illo qui est in Christo. Et quæstio hæc non est disputabilis, nam Christus (vt infra ar. 5. ait D. Tho.) vt nullum recipit sacramentum nouæ legis, ita neque vllum habuit characterem, nisi consubstantialem patri: quia vtique ratione appellauit eum Paulus figuram substantiæ eius. Neque verò indiguit, quoniam suoptè iure eminente potestate capitis pollebat ad administrandum si voluisset sacramenta, (nam recipere non egebat) & ad diuinum fidei cultum instituendum. Alius sensus est, vtrum character noster imprimatur à Christo, tanquam à causa efficienti principali. Et neque de hoc sensu ambigitur. Sensus ergo præsentis quæstionis est vtrum character sacramentalis sit, quo configuramur Christo, tanquam eius milites: sicut in bello crux alba dicitur esse character vnius regis, crux verò rubea, alterius. Nam cùm per religionem & Deum colamus, quatenus Deus est vnus & trinus: & Christum inquantum hominem, & redemptorem nostrum, quæstio emergit, vtrùm per characterem trinitati, cuius est nostra confessio, configuremur, an potiùs Christo. Ad quam quæstionem D. Th. respondet supposita distinctione tribus conclusionibus. Distinctio est, quòd character est signaculum quoddam, vt ex eis quæ dicta sunt patet, quo aliquid insignitur, ad aliquem finem ordinatum. Sicuti sigillum nummi, quo in vsum commutationum cuditur, & signum militum, quo ad militiam deputantur. Fidelis autem homo ad

Digitized by Google

mo ad duo destinatur. Primò quidem ad fruitionem gloriæ triumphantium. Secundò ad cultum fidei militantium.

1. Concl. Prima ergo conclusio est. Fideles deputantur ad gloriam signaculo gratiæ, iuxta illud Ezech. 9. Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium. & Apoc. 7. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.

2 Concl. Secunda conclusio. Per characterem deputatur homo ad cultum huius militiæ, quæ consistit in recipiendis, tradendis, administrandisque sacramentis. Quæ quidem conclusio iam satis suprà demonstrata est.

3. Concl. Tertia conclusio. Character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secũdùm sacramentales characteres. Probatur, quoniam cultus Christianæ religionis à sacerdotio Christi deriuatur, qui sese primus sacrificium in cruce obtulit. Quapropter characteres nihil aliud sunt, quàm quædam participationes eiusdem sacerdotij Christi ab ipso deriuatæ. Confirmat eandem tertiam conclusionem altera characteris definitione, quæ superius data est. Est enim distinctio à charactere æterno impressa animæ rationali secundum imaginem consignans trinitatem creatam trinitati creanti & recreanti, & distinguens à non configuratis secundùm statum fidei. Vnde cùm character æternus sit Christus, qui secundùm Apostolum est figura substantiæ patris, fit vt character configuret nos Christo. Quod autem ait, consignans nos trinitati creanti & recreanti, alludit ad professionem fidei trinitatis, quæ nos & in natura creauit, & in gratia recreauit. Colimus tamen illam charactere Christi insigniti.

Expositio articuli. Quæstio est facillima, quæ nullius eget discussionis, sed hoc tantùm notandum, quòd conclusio tertia plus respondet, quàm fuerat quæsitum. Interrogatum enim est, vtrum character sacramentalis esset character Christi, & responsum est, quòd est character Christi, non vtcunque, sed secundùm eius sacerdotium. Christus enim caput nostrum, & noster redemptor fuit: & rex subinde regni cælorum, ac demum sacerdos, de quo Paulus ad Hebræos nono: Christus, inquit, assistens pontifex futurorum bonorum, æterna redemptione inuenta. Et quatenus rex posuit nobis leges, redditurusque est bonis & malis, prout quisque gessit in corpore. Sed quatenus sacerdos re & verbis constituit diuinum sacrificiorum, sacramentorumque cultum, offerens se in cruce hostiam viuam Deo patri. Ob idque virtus sacramentorum ex eadem passione promanans & gratiam nobis instrumentaliter confert deletricem peccatorum, & characterem, qui est sacerdotij potestas ad colendum Deum, iuxta illud 1. Petri 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, &c. Omnes enim Christiani quatenus sese Dei cultu sacrificant, regales sacerdotes dicuntur à Christo rege.

Christi epistola.

Autoritates D. Tho. exponit. Illas autem autoritates Ezechiel. & Apocal. quas hic Diuus Thomas citat, Vualdensis loco suprà citato intelligit de charactere. At Diuus Thomas germaniùs arbitratur conuenire gratiæ, & ideo nos illas in primo articulo prætermisimus. Gratia enim est, quæ velut Thau in fronte gementibus & dolentibus medetur, & quæ seruos Dei propriè secernit ab alijs. Nam stat quempiam habere characterem in peccato, quando est seruus diaboli, & è conuerso gratia absque charactere in lege naturali & scripta faciebat seruos Dei.

1. Argu. Primo argumento Diuus Thomas pergit exponere illud ad Ephesios quarto. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis: non de signo characteris, sed de signo gratiæ. Hæc siquidem est, quæ Spiritui sancto attribuitur in quãtùm ex amore procedit, vt Deus nobis aliquid gratis largiatur. Amor autem attribuitur Spiritui sancto, vnde 1. ad Corinthios 12. Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem spiritus. Tametsi Spiritui sancto etiam tribui potest, charactere insignire, quatenus gratiam consequitur.

2. Argu. Secundum argumentum est. Character habet rationem signi: est namque signum gratiæ, quæ per sacramentum confertur, gratia autem à tota trinitate animæ infunditur, secundum illud Psalm. Gratiam & gloriam dabit Dominus: ergo character non debet Christo attribui. Respondetur, quòd character est res respectu sacramenti, hoc est, eius effectus, sed est sacramentum respectu vltimi effectus, id est, signum quodammodo gratiæ. Et ideo dupliciter aliquid characteri adscribitur. Vno modo quatenus est quodammodo sacramentum: & sic est signum inuisibilis gratiæ, eo pacto quo artic. 1. ad 2. expositum est. Alio modo secundum propriam rationem characteris: atque hac ratione est signum cõfiguratiuum alicui principi, penes quem est authoritas eius qui per characterem ad munus aliquod deputatur, sicuti milites insigniuntur charactere ducis: & hoc modo character sacramentalis est character Christi. Memento hic illius, quod in calce præcedentis articuli diximus, nempe, characterem ratione sacramenti exterioris, quo designatur, esse quodammodo sensibile signum gratiæ, per se autem est figura Christi metaphoricè.

3. Arg. Tertio arguitur, Character imprimitur, vt eo homo ab infidelibus discernatur, saltem character baptismi: distinctio autem sanctorum ab alijs fit per charitatem, vnde filij perditionis characterem quoque bestiæ, hoc est, satanæ (vt patet Apocal. 13.) gestare dicuntur: charitas autem non attribuitur Christo, sed magis Spiritui sancto, secundum illud ad Romanos quinto. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; vel patri, secundum illud 2. ad Corinthios vltimo. Gratia Domini nostri Iesu Christi: & charitas Dei: ergo character non est Christo adscribendus. Responsio autem est, distinctionem seruorum Dei in ordine ad sempiternam gloriam à seruis diaboli in ordine ad postremum supplicium fieri per charitatem: distinctionem verò militantium in acie Christi in hac vita, siue sint membra viua, siue mortua, ab alijs qui Christum non adorant, fieri per characterem.

Character dæmonis. Illud tamen adnotato, quod charitas attribuitur Spiritui sancto, quatenus charitas ipsa est amor: patri verò, quatenus ipse est omnium bonorum principium sine principio. Character autem dæmonis non habet propriam rationem characteris, nam character proprius effectus est sacramenti, sed vel obstinata malitia, qua quis est filius perditionis, vel professio idololatrici cultus, quia opponitur characteri, dicitur abusiuè character.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm character sit in potentijs animæ, sicut in subiecto.

Prior conclusio. Posterior conclusio. Postquam visum est quid est character, proximum est explorare de eius subiecto. Cùm enim sit spiritualis potestas, sit vt nec sit in corpore, nec in sensu, sed in anima, vel in eius potentia. Quæritur ergo, vtrum sit in essentia animæ, sicut gratia, an in intellectu, sicut fides, an verò in voluntate, sicut charitas. Et respondet Diuus Thomas duabus conclusionibus. Prior est indefinita. Character non est, sicut in subiecto, in essentia animæ, sed in eius potentia. Posterior est specialis in solutione tertij. Character est in intellectu. Probatur prior conclusio duabus rationibus iuxta duas characteris qualitates. Est enim signum, quo Christo configuramur; configuramur autem trinitati non secundum essentiam animæ, sed secundũ eius potentias: ergo character est in aliqua potentia, eò quòd Christus vna est trinitatis persona. Secundò habet character, vt sit potestas colendi Deum vel suscipiendo, vel tradendo sacramenta: iste autem cultus consistit in quibusdam actionib. actiones verò exeunt proximè à potentia: ergo character est in potentia. Hinc fit gradus ad posteriorem conclusionem probandam. Isti enim diuini cultus ad fidei protestationem attinent, quæ fit per exteriora signa secundum definitionem characteris suprà assignatam. Est enim signum sanctæ communionis fidei: ergo in eadem est potentia, in qua est fides: nempe, in intellectu.

Expositio articuli. Quemadmodum de characteris quidditate, sic & de eius subiecto plurimæ variantur opiniones. Et quòd ab ijs in quibus minor est probabilitas exordiamur. Prima opinio est Durandi, loco citato, distinctione quarta, quæstione prima, quòd character non est in anima, sed in potentia executiua administrandi sacramenta. Nullatenus enim characterem baptismi agnoscit ob rationem iam suprà reprobatam. Sed si aliquis, inquit, ponitur, est in sacerdote: cuius ideo character hæret in lingua, & in manibus, quibus ac-

Prima opinio Dur.

cipit

cipit consecratque species sacramentales. Et probat, quia character cùm non sit cognitio, sicut fides: neque hominem ad cognoscendum perficiat, non est in intellectu, atque adeò cùm nec ipsum perficiat ad appetendum, non est in voluntate: sed quia est ad instrumentaliter operandum, scilicet ad ministrandum sacramenta, ponendus est in organis quibus illa administrantur. Idque confirmat exemplo artis, quæ cum sit ad cognoscendum est in intellectu: sed tamen virtus operatiua musici & scribentis est in manu, idque per modum transeuntis, sicut est virtus in sacramentis. Itaque non manet, inquit, nisi quamdiu lingua est in vsu administrandi sacramenta.

Repræs. tio opinionis.

Est autem opinio hæc delira. Primum enim character est potestas spiritualis, sicut gratia: compertissimum ergo est esse in anima. Quare Diuus Thomas non reuocat in quæstionem: an sit in anima. Et concilium Florẽtinum, quasi confessionem omnium constantissimam affirmat, tria sacramenta characterem animæ imprimere. Et exemplum artis nihil ei patrocinatur: nullus enim habitus vel virtus est in manu artificis, nisi forsitan agilitas ex vsu: sed tota virtus agendi est ars, quæ est in intellectu, illa enim mouet manus. Item character ordinis per ordinis susceptionem imprimitur, & indelebiliter inest, non ergo per modum transeuntis, vt est omnium generalis confessio etiam concilio approbata. Ridiculum enim esset asserere, quòd cùm sacerdos ordinatur reciperet characterem, qui tamen non est in illo, nisi quando administrat sacramenta. Fieret enim consequens, vt si nunquam administraret nunquam esset in illo. Præterea vt in solutione 3. ait D. Th. character post hanc vitam permanet, potentia autem corporea omnis corrumpitur, ergo non est in illa, sed in potentia incorruptibili. Ad hæc character vnus non potest esse in lingua & in manibus: deberent ergo esse plures: imò alius deberet esse in faucibus: atque alius in palato: quæ sunt organa vocis. Sed quid immoramur cum homine contendere, qui asserit per sacramẽtum aliquid imprimi corporale, & extensum, & qui numerum negat ternarium characterum, quos Ecclesia tradit?

Conc. Florentinum.

Reſponſio.

Ad eius ergo argutionem respondetur, quòd quamuis character non sit habitus cognoscitiuus, vt fides, est tamen facultas ipsius fidei ad colendum Deum, sicut ipsa docet. Itaque sicut ars est cognitio practica, ita fides characterе vtitur ad opus, & ideo dicitur quoddam lumen, quod pariter est in baptizato ad suscipienda sacramenta sicut in ordinato ad administranda. Quapropter vt in baptizato non potest esse in membro corporali, sed in anima, ita neque in ordinato.

Secunda opinio Marſilij.

Secunda opinio, vt ordinem argumentorum Sancti Thomæ sequamur, est eorum, qui putant characterem esse in essentia animæ. Quam opinionem sustinet Marsilius in 4. quæstione quarta, articulo primo. In cuius fauorem arguit Diuus Thomas primo loco. Character dicitur esse dispositio ad gratiam: gratia autem est in essentia animæ, vt 1.2. quæstione 110, visum est, dispositio verò debet esse in eodem subiecto, in quo forma recipitur, ergo est in essentia animæ. Respondet autem, quòd character (vt monstrauit) est potestas ad colendum Deum, ob idque proximè disponit ad illas actiones & receptiones sacramentorum, quibus Deus colitur, sed qui illas homo dignè exercere non valet absque gratia (iuxta illud Ioannis quarto. Eos qui adorant Deum, in spiritu & veritate adorare oportet.) ex consequenti diuina largitas confert cum characterе gratiam ad dignè eosdem actus exercendos, quare remotè disponit ad gratiam. Non debet autem esse in illo subiecto, in quo est forma, ad quam remotè disponit, sed in eo, in quo est actio ad quam disponit proximè. Quare Alex. loco supra citato 4. parte quæsti. 19. quamuis dicat, characterem esse dispositionem ad gratiam, collocat tamen eum in intellectu.

1. Argu.

Quomodo character intelligatur eſſe diſpoſitio ad gratiam.

Hæc autem responsio nonnulla egeт excussione. Posset enim quispiam falli, arbitratus gratiam sacramentorum non conferri nisi ex consequenti propter characterem ad dignè eius actiones explendas, quod est falsissimum. Nam gratia est primarius sacramentorum effectus, vt in capite præcedẽtis quæstionis Sancti Thom. confessus est. Ordinantur enim (vt sæpissimè diximus) sacramenta ad duo, scilicet & in remedium tanquam peccatorum medicinæ, & ad colendum Deum. Quorum prius potius est, & quia peccata non remittuntur, nisi per gratiam, illa est effectus omnium sacramentorum potissimus, quem omnes alij consequuntur. Alioqui si gratia non conferretur nisi propter characterem, non omnia illam conferrent, nisi tantùm tria.

Ex ijs fit planè consequens, characterem non esse propriè dispositionem ad gratiam. Primùm, quia non est in eodem subiecto. Secundò, quia consequitur fidem: est enim (vt eius definitione docemur) signum sanctæ communionis fidei, fides autem suapte natura consequitur gratiam. Enimuerò vt nos Diuus Thomas 1. 2. quæstione 110. articulo quarto scientissimè docuit, quemadmodum ab essentia animæ effluunt potentiæ, sic & a gratia, quæ perficit animæ essentiam, effluunt potentiarum virtutes, vt fides, charitas. Quapropter vbi gratia cum virtutibus infunditur, priùs natura ipsa, quàm illæ infunditur, atque adeò quàm fides, quam consequitur character. Ex quo fit, vt character nõ dispositio sit gratiæ, sed eius effectus. At verò quoniam consequitur fidem, siue mortuam, siue viuam, accidentarium est, vt in illo, qui gratiæ obicem opponit, sine ipsa imprimatur character, ob id quod sine gratia donatur fides mortua. Atque eam ob rem non ait Diuus Thomas quod character sit dispositio ad gratiam, hoc enim dixerat in 4. quod in summa deseruit, sed hoc ait hic dumtaxat, quod cum vsus characteris sit Deum colere, quod sine gratia dignè fieri non potest, qui dat characterem, ex consequenti dat gratiam, non quod ipsa consequatur ex characterе, ita quòd effectus sacramenti prior sit character, quàm gratia in non opponente obicem, imò priùs natura dat gratiam ad remissionem peccatorum, quàm characterem ad cultum, sed quòd Deus prouidenter, dum dat characterem, qui est potentia operandi de se indifferens ad bene vel malè agendum, tribuit gratiam non opponenti obicem etiam ad hoc, vt vsus characteris sit perfectus. Colligamus ergo, quòd si characterem cum habitu gratiæ conferamus, non est eius dispositio. Si autem vsum characteris ad vsus gratiæ referamus, tunc in gratia duplex est vsus. Prior ad remittendum peccata, & iste suapte natura est prior, quàm vsus characteris, qui est colere Deum. Posterior verò vsus gratiæ est, bene colere Deum, & ad hunc quodammodo disponit vius characteris. Prius, inquam, natura est colere Deum simpliciter, quàm bene colere, & hoc est ex consequenti ad characterem, conferre gratiam ad hunc vsum. Et hac ratione character non secundùm se, sed secundùm suum vsum quodammodo dicitur dispositio ad gratiam. Quocirca non opus est, vt sit in eodem prorsum subiecto. Ex quo fit: quòd character, licèt (vt articulo proximo dictum est) ratione visibili sacramenti dicatur signum gratiæ, non tamen illam veluti sacramentum confert. imò tam ipse quàm gratia est effectus sacramenti.

Secundum argumentum D. Tho. eodem tendit. Potentia enim, inquit, animæ non videtur esse subiectum, nisi tantummodo habitus vel dispositionis, essentia autem est subiectum potentiæ: character verò, (vt dictum est) non est habitus vel dispositio, sed potiùs potentia: ergo potiùs est in animæ essentia, in qua est intellectus, quàm in ipso intellectu. Respondet autem perquàm egregiè per distinctionem minoris, quòd character non est potentia naturalis, alias esset in essentia, sed supranaturalis, & idcirco sicuti gratia perficit animæ essentiam dando ei esse supranaturale, sic character supranaturaliter perficit intellectum, qui est potentia naturalis, non autem perficit tanquam habitus. Nam habitus perficit potentiam determinando ipsam ad actus bonos vel malos: character verò perficit intellectum supranaturaliter simpliciter ad agendum siue bene, siue malè.

2. Argu.

Tertium quoque argumentum D. Tho. eundem habet scopum. Potentia enim animæ vel cognoscitiua est, vel appetitiua: character autem neque est habitus cognoscitiuus, neque appetitiuus: ergo in neutra est, & multo minus in vtraque. ergo est in essentia. Respondet autem concedendo quòd neque propriè ordinatur ad cognoscendum, neque ad appetendum, sed ad operandum, scilicet ad protestandum fidem, & ideò quia fides est in intellectu, & illic est & character, vt iam suprà expositum est.

3. Argu.

Et per hanc sententiam soluitur argumentum Marsilij, quo suam fundat opinionem. Character enim, inquit, est signum eorum, quæ in sacramentis confe-

Reſpõdetur Marſilio.

runtur:

runtur: ea autem essentiam animæ perficiunt, vt gratia & virtutes. Item quia anima est, quæ per characterem adscribitur ad cultum, ergo eius ineit essentiæ. Respondetur autem ad primum negando characterem esse signum eorum quæ per sacramenta conferuntur: sed facultatem profitendæ fidei, quæ est in intellectu. Et quamuis anima, imò totus homo per ipsum deputetur diuino cultui, non tamen ideò esse debet in anima, sed in illa potentia, vbi est fides, quæ nos ad diuinum dirigit cultum.

Tertia opinio S.Tho. Aquinatis ad mentem D.Tho.

Est ergo tertia opinio eademque verissima sanct. Thom. character est in intellectu. Vnum autem argumentum contra ipsum exibit. Character (vt in eius definitione art. proximo dictum est) consignat trinitatem creatam trinitati increatæ: & ideo in præsenti art. primum argumentum cur sit in potentijs, & non in essentia animæ, fuit, quòd imprimitur animæ secundùm quod est imago: imago autem non sumitur secundùm vnam potentiam, sed secundùm omnes tres: ergo est in omnibus tribus, scilicet, in memoria, intellectu, & voluntate. Propter hoc argumentum D. Thom. in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. dixit, quòd quamuis insit soli intellecti, nihilominus est in alijs potentijs mouendo eas, sicut virtus vnius potentiæ solet alijs imperare: quia omnes concurrunt ad cultum diuinum, atque adeò vtuntur illo. Hic autem non dicit nisi quòd est simpliciter in intellectu. Rationem ergo hanc præter superiores subscribere possumus, quòd cùm per tres omnes potentias trinitati configuremur, sic tamen quod memoria repræsentat patrem in quo est generandi fœcunditas: intellectus autem filium, qui per modum intellectus gignitur: voluntas vero Spiritum sanctum, qui per modum voluntatis aspiratur, sit vt character, quia est configuratio Christi, collocetur in intellectu ipsum repræsentante. Quocirca non probavit hic characterem esse in potentijs, eo quod imago trinitatis sit in ipsis, quasi volens characterem esse in omnibus, sed per analogiam.

S.Thom.

Assignatur ratio.

Scotus.

Quarta nihilominus opinio est Scot. distinct. 6. citata q. 11 quod character sit in voluntate. Cuius duo sunt fundamenta. Vnum, quod est dispositio ad gratiam. Alterum vero, quod gratia est idem quod charitas. Vnde cùm charitas sit in voluntate, manifestè sequitur eidem inesse characterem. Et confirmatur, quoniam character est obligatio quædam ad diuinum cultum, voluntas autem ob id quod libera est, sit proprium obligationis subiectum. Vtrumque autem suorum fundamentorum falsum est, quoniam neque gratia est charitas, vt secundùm D. Thom. 1.2. q 110. artic. 3. solemus sæpe repetere, neque vero character est dispositio ad gratiam, vt iam dudum differebamus.

Argum. Caiet.

Aliter verò arguit Caiet. Character est potestas colendi Deum, vt dictum est: ergo pertinet ad virtutem religionis: virtus autem religionis, quoniam pars est iustitiæ, voluntati inest. ergo ibidem est character. Ad hoc verò satis Diuus Thomas respondit articulo tertio, quòd quia character non est potestas ad appetendum, non est in voluntate, neque verò determinatè ad bene vel ad malè operandum. In voluntate autem non sunt, nisi habitus determinati vel ad bonum, vel ad malum, & ideo religio quæ determinatur ad bonum est in voluntate: character autem, licèt ad religionem pertineat, attinet tamen ad illam mediante fide: est enim potestas protestandi mysteria fidei.

ARTICVLVS V.

Vtrùm character insit animæ indelebiliter.

DEMONSTRATO subiecto, id est, cuinam potentiæ character inhæreat, subsequitur constituere modum, quo insit, nempe vtrùm per modum passionis transeunter, vt sacramenti virtus: an verò permanenter. Et si permanenter, vtrùm per modum habitus, vt charitas, quæ quamdiu gratia manet, durat, & illa corrupta, perit: vel vtrum sit diuturnior, quàm gratia: nimirum sicut fides, quæ abeunte gratia permanet mortua. Imò verò vtrùm firmius hæreat, quam fides: nam hæc per actum infidelitatis corrumpitur in hæretico. Vtrùm ergo in illo permaneat character, & in apostata & in cælo, & in inferno, ita vt nisi anima annihilata, non pereat? Respondet Diuus Thomas vnica conclusione affirmatiua. Quemadmodum intellectus perpetuus est, & incorruptibilis, sic character qui in illo exitit, indelebiliter manet in anima. Probat primò authoritate Augustini supra inducta aduersus Parmenianum lib. 2. vbi ait, non minus hæretes sacramenta Christiana, quam militarem notam: illa verò, quamuis miles militiam deserat, si reuertitur, non noua imprimitur, sed antiqua cognoscitur, & approbatur. Ratio autem sumitur ex sacerdotio Christi, cui per characterem configuramur. Character enim sacramentalis, vt articulo tertio dicebamus, est participatio quædam sacerdotij Christi, nempe spiritualis potestas colendi Deum per sacramenta: quare Christo non competebat habere characterem: quia per se ipse absque vllo sacramenti adminiculo plenissimam habebat omnium potestatem in cælo & in terra: vnde character noster deriuatio est potestatis illius. Sacerdotium autem Christi fuit æternum, secundum illud Psalmi 109. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: ergo & sacramentalis character est æternus. Confirmatur ratio aliorum similitudine, quæ inde deriuantur. Omnis enim sanctificatio, quæ per Christi sacerdotium fit, est perpetua, vt consecratio templi, & calicis, & similes, dum subiecta non destruuntur, semper durant. Cùm ergo anima, cui character imprimitur, sit perpetua, fit vt & ipse indelebiliter insit.

Expositio articuli.

Conclusio hæc confessio vniuersalis est omnium doctorum, qui characterem agnoscunt. Quæ quidem etiam concilij Florentini assertio est. Et ratio ex eius natura elicitur secundum autoritatem Augustini aduersus Donatistas. Inde enim (vt iam dictum est) colligebatur baptismum neutiquam esse iterandum, neque sacramentum ordinis, quòd licèt Christianus etiam sacerdos in peccatum incideret, aut in hæresin laberetur, per quam perditur fides, & in apostasiam, semper in illo manet signaculum Saluatoris. Itaque cùm gratia contrarium habeat quodcunque mortale crimen, per quod corrumpitur, & fides hæresim: character verò nullum contrarium patitur, per quod actione humana deleri possit. Dixit enim actione humana, nam si character res est distincta à subiecto, planum est per omnipotentiam Dei absolutam posse deleri manente intellectu. Sed conclusio asseritur de potentia Dei ordinaria.

Expositio rationis S.Tho.

Est autem nonnihil obscuritatis in ratione Sancti Thomæ, ob id quòd character deriuatur à sacerdotio Christi, inferentis esse indelebilem potentiam: nam & virtus sacramenti est virtus instrumentalis eiusdem Christi, & tamen est corruptibilis. Respondet Caietanus, etiam virtutem sacramenti esse sacramento coæuam, hoc est, tamdiu durare, quamdiu ipsum durat: nam sacramentum non est, nisi dum applicatur. Character autem habet subiectum perpetuum, & ideo est perpetuus. At verò forsan & altera solutio adhiberi potest: nempe quòd character non solùm inde est indelebilis, quòd deriuatur à potestate Christi, sed inde quoque quòd est quædam configuratio eius sacerdotij. Sacramentum enim (vt dudum dicebamus) est merum instrumentum: character vero est quædam potestas: qua efficimur consacerdotes Christi, atque adeo sacerdotes in æternum, sicut est ipse.

1. Arg.

Primum argumentum Diui Thomæ est. Quòd aliquod accidens perfectius est, eò diuturnius: gratia autem est charactere perfectior: ergo suapte natura diuturnior: & nihilominus deletur, ergo & character est delebilis. Responsio autem ad consequentiam dirigitur, quæ ideo negatur quod non sunt cætera paria. Gratia enim, quia inest animæ, non tanquam instrumentum, sed tanquam habitus, habens in ipsa esse completum, insequitur naturam ipsius subiecti, scilicet animæ, quæ cùm sit per liberum arbitrium mutabilis, in causa est, vt gratia adsit, & absit. Character verò non inest, nisi tanquam virtus quædam instrumentalis sacerdotij Christi, & ideo non sequitur mutabilitatem subiecti, sed æternitatem principalis causæ. Itaque quòd sit indelebilis, non prouenit ex maiori eius perfectione, sed ex natura principalis agentis. Neque quòd gratia sit delebilis, prouenit ex minori eius perfectione, sed ex natura subiecti. Et eodem recidit si dicas, quòd gratia potest habere contrarium per liberum arbitrium: character verò minimè.

2. Arg.

Eadem ferè solutio est secundi argumenti, quod

est

est huiusmodi. Character est deputatio ad diuinum cultum, per apostasiam autem fit transitus ad alium cultum: vt si quis Christianus in sectam Mahumeticam transfugiat, ergo saltem illum apparet characterem amittere. Respondet autem cum Augustino eodem libro secundo contra Parmenianum, quod etiam in apostatis, & transfugis permanet character, & ideò cùm resipiscunt, ad Ecclesiam regressi non rebaptizantur. Et ratio est, quia virtus instrumentalis à solo agenti principali pendet, & non ex arbitrio subiecti: quare quomodocunque se Christianus per voluntatem moueat, permanet character Christi.

3. Arg. Tertium argumentum est. Cessante fine, cessat medium ad finem: alias frustrà maneret, sicuti frustra post resurrectionem esset matrimonium, quia nulla est futura generatio: sed post hanc vitam nullus futurus est religionis cultus per sacramenta: ergo tunc non manebit character. Respondet Diuus Thomas, quòd licet non manebit cultus, manebit autem eius finis, nempe sempiterna possessio & fruitio Dei. Et ideo in bonis manebit character ad gloriam, in prauis verò ad ignominiam, sicuti in militia sæculari contingit. Nam & emeriti milites insigne semper seruant militare, etiam si domi sedeant; & qui militiam deseruerunt, eodem insigniuntur, dum publicitus ad supplicium rapiuntur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per omnia sacramenta noua legis imprimatur character.

QVONIAM hactenus non nisi indefinitè monstratum est sacramentum nouæ legis characterem imprimere, restat demum quærere, an vniuersum omnia sacramenta eundem sortiantur effectum. Et respondet Diuus Thomas duabus conclusionibus.

Prior conclusio. Prior. Licet omnia sacramenta gratiam conferant, non tamen omnia characterem imprimunt. Probatur: ad duo enim semper dicimus sacramenta esse instituta, scilicet & in remedium peccati, & in diuinum cultum. Prior autem ratio vniuersis congruit, vnde & cùm peccata non nisi per gratiam remittantur, cunctis competit gratiam conferre. Non autem omnia directè ad diuinum cultum ordinantur, & ideò adhibetur posterior conclusio. Per tria tantùm sacramenta character imprimitur, scilicet per baptismum, confirmationem, & ordinem. Conclusio est omnibus in confesso, & sic determinatur in concilio Florentino. Cuius prima potissimaque ratio sumitur ex ritu Ecclesiæ, secundum quem hæc tantùm tria sacramenta non sunt iterabilia, cum reliqua quatuor iterentur. Atque adeò hæc tria chrismate celebrantur. Rationes verò singulorum quatuor particularium, cur scilicet characterem non imprimant, suis proprijs locis afferendæ sunt. Nihilominus hic Diuus Thomas summatim & perfunctoriè nonnullas tangit: declarando hæc tantùm tria sacramenta directè referri ad diuinum cultum. Pertinet enim sacramentum ad huiusmodi culturam tripliciter. Vno modo per modum actionis: scilicet quòd ipsamet susceptio vel administratio sacramenti sit diuinus cultus. Secundo modo per modum agentis: nempe, vt per talem actionem constituatur homo minister eiusdem cultus. Et tertio modo per modum patientis: videlicet, vt per eandem actionem fiat illa facultas exercendi eundem cultum. Et quidem per modum actionis vniuersa sacramenta pertinent ad Dei cultum: nam omnium susceptio & administratio est actus & exercitium diuini cultus. Quatuor autem nihil amplius habent, quàm quòd ad cultum attinent per modum actionis, & ideò non imprimunt characterem. Venerabile, inquam, sacramentum Eucharistiæ, tam dum consecratur, quàm dum suscipitur, est actio diuini cultus. Haud tamen illic suscipitur noua facultas aut suscipiendi, aut administrandi alia sacramenta. Imò (vt ait tertio capitulo cælestis Hierarchiæ Dionysius) est potiùs omnium sacramentorum consummatio & finis: sanè quo Christus ipse, in quo non est character, continetur. Pari ratione nec per susceptionem sacramenti pœnitentiæ suscipitur noua facultas, sed restituitur homo in pristinam dignitatem gratiæ. Neque in sacramento Extremæ vnctionis, vtpote quòd migrantibus iamiam ex hoc sæculo confertur. Neque verò per matrimonium vlla spiritualis fit coniugibus potestas, sed fiunt duo in carne vna. At verò per sacramentum baptismi aperitur reliquorum ianua, & ideò illic fit potestas reliqua suscipiendi, atque adeò agendi ea secundum Christianam religionem, quæ ad propriam conferunt salutem. Et in confirmatione recipit homo, quasi fide iam adultus, robur ad resistendum publicis hostibus fidei. Ac demum in ordine potestatem administrandi sacramenta. Fit ergo consequens, vt per hæc tria imprimatur character. Et hæc in præsentiarum vsque ad singulorum loca sufficiant. Illam autem opinionem ornatuum, quam (vt quæstione præcedenti dicebamus) Diuus Thomas in quarto, distinctione prima quæstione prima sustinuit: videlicet, reliqua quatuor sacramenta ornatum imprimere, postmodum, vt illic diximus, re maturius perspecta, deseruit: cuius ideo in summa nullam mentionem fecit. Quare non opus est vt vllum contra illam verbum repetamus.

Baptismus aliorum sacramentorum ianua.

Opinio ornatuum.

1. Argu. Primum argumentum D. Thomæ est. Per omne sacramentum fit homo particeps sacerdotij Christi: sed character sacramentalis est participatio eiusdem sacerdotij: ergo per omne sacramentum imprimitur. Respondetur per distinctionem maioris, quòd per omne sacramentum fit homo particeps eiusdem sacerdotij: quia ipsa susceptio est cultus, per quam recipitur gratia virtute passionis eius: non tamen per omne recipitur noua potestas, atque adeò neque character.

2. Argu. Secundum argumentum est. Character est quædam animæ consecratio: sed per omne sacramentum consecratur anima, ergo omne sacramentum imprimit characterem. Respondet per distinctionem minoris: per omne enim sacramentum consecratur anima, hoc est, à peccato emundatur per gratiam: non tamen si consecratio vsurpetur pro deputatione ad cultum ministrandum aut suscipiendum.

3. Arg. Tertium argumentum est. Character est res & sacramentum: sed omni sacramento nouæ legis est signare aliquid quod sit sacramentum, & aliquid quod sit res, & tertium quod sit vtrumque: ergo per omne sacramentum imprimitur character. Respondet negando consequentiam, quia licèt character sit res & sacramentum, non tamen quicquid est res & sacramentum, est character. Dicitur enim aliquid res sacramenti, quia est effectus eius: & ideò character est res. Et dicitur sacramentum, quia signum gratiæ vbi non opponitur obex: & ideo character est sacramentum. In sacramento autem Eucharistiæ, corpus Christi verum, est res, quia effectus sacramenti, & sacramentum seu potiùs virtus sacramenti, quia confert gratiam. An verò in omni sacramento signandum sit aliquid quod sit res & sacramentum, in singulis disputabitur.

Quæstio quinta,

DE SACRAMENTORVM MINISTRIS.

S. Thom. 3. part. quæst. 64.

ARTICVLVS I.

Vtrùm solus Deus operetur interius ad effectum Sacramenti.

POST sacramentorum effectus, subsequitur vt de eorum causa disputemus. De qua re quintum erat capitulum textus. Est autè duplex, vt in illo loco dicebamus: scilicet primaria, quæ est Deus; & secundaria, quę est minister, de quarũ vtraq; præsenti quæst. differendũ est. Quocirca sicuti de vniuersis sacramentis definitũ est, esse instrumenta Dei ad conferendam gratiam, sic in isto primo artic. propter ministrum interrogatur: Vtrùm solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti; an verò etiam minister. Vbi palàm est sermonem fieri de sacramentis nouæ legis, de quorum effectibus duabus præcedentibus quæstionibus disputatum est. Vnde & D. Tho. eadem distinctione (vt illic) suppositа, duabus similibus conclusionibus respondet. Bifariam enim contingit quidpiam ab aliquo fieri. Vno modo tanquam à principali agente. Atque alio tanquam ab instrumento.

Sacramenta ad cultũ diuinum tripliciter pertinent.

Dionys.

Digitized by Google

1. Concl.

Prima ergo conclusio sit. Solus Deus tanquam principale agens interdum sacramenti effectum operatur. Probatur ratione duplici. Primò, quia nihil operatur vbi non est. Solus autem Deus potest intus in animam illabi, vbi sacramenti effectus infunditur, id est, solus illic per essentiam adesse, quia est vbique, homo verò minimè: ergo solus ipse illic immediatè operatur, hoc est, tanquam causa, quæ non ab alia dependet. Secundò, quia gratia est à solo Deo, iuxta illud Psalmi: Gratiam & gloriam dabit Dominus. Et iuxta illud ad Romanos 8. Deus est qui iustificat. Ac subinde character, qui patiter est res spiritualis intus animæ inhærens, ab illo solo produci potest.

2 Concl.

Secunda conclusio. Secundo modo, id est, ministerialiter homo potest ad eosdem internos effectus gratiæ, & characteris pertingere applicando sacramenta. Nam eadem fermè est ratio sacramenti & ministri (vt suprà dictum est.) Quapropter vt sacramentum, ita & minister suam virtutem à Deo principali agente recipit.

Expositio articuli.

Circa primam conclusionem adnotandum, autoritatem Dei in conferenda gratia sacramentorum, quam hic Diuus Thomas appellat principalem causam, in hoc consistere, quòd sit naturalis, à nulla alia prorsus dependens, vt possit siue per modum meriti, siue per modum sacramenti, siue absque vlla creata causa illam infundere. Quemadmodum primo Angelo, & primo parenti, & sanctificatis in vtero illam contulit, ad modum quo mundum creauit. Conuenit enim hoc Deo, sicut soli lucere, & igni calefacere: quare potest gratum hominem facere, siue intus cor mouendo, siue absque vllo motu, vt infantulis illam influit. Quæ ideo autoritas, vt artic. 4. monstrabitur, per nullam Dei potentiam est puræ creaturæ communicabilis, esset enim facere alium Deum.

Minister quomodo est instrumentum.

Circa secundum autem parum immorandum est. Qui enim modum, quo sacramentum est causa gratiæ, quæstione tertia explicitum intellexerit, facilè & hunc subinde intelliget. Hoc tamen semper obseruato, quòd minister non est merum instrumentum, quod nullatenus mouetur, nisi ab alio motum. Est enim viuens quod se mouet, quamuis à Deo sit institutus, & ad eius ministerium moueatur. Atque in hoc habet similitudinem cum instrumento. Quòd autem minister gratiam conferat, non solum assertio doctorum est, aut solius Ecclesiæ, verùm apertiùs è sacris literis colligitur, quàm quòd illa per sacramenta infundatur. Habetur enim Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: peccata autem, nisi per gratiam, remitti nequeunt: ergo sacerdotes per eadem sacramenta ad gratiæ infusionem concurrunt. Et ita in concilio Constantiensi conclusum est, & in concilio Florentino: vbi habetur, quòd sacramenta tribus perficiuntur: scilicet, materia, forma, & ministro. Patet præterea conclusio ex forma sacramenti pœnitentiæ: Ego te absoluo, quæ ex illis verbis colligitur Matth. 18. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Verum est quidem secundum Magistrum Sententiarum (vt infrà in materia pœnitentiæ videbimus) sensum esse. Ego ostendo te absolutum. Monstrabitur tamen illic, non esse nisi, Ego te absoluo, tanquam Dei minister. Si ergo minister absoluit, concurrit ad gratiam sacramenti, per quam fit absolutio.

Assertio Euangelica.

Concil. Constantiense.

Confirmatur deinde ex forma baptismi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sensus n. non est præcisus. Ego te corporaliter abluo, sed certè spiritualiter in anima: aliàs non opus esset addere, in nomine Patris, & Filij, &c. hoc est, in eius potestate. Nam ad abluendum tantùm corpus, diuina illa potestate minimè opus erat. Nefas ergo esset negare, imò hæreticum, ministrum ad internum sacramenti effectum concurrere.

Hæresis est negare ministrum concurrere ad gratiã. Obiectio.

Huic tamen sententiæ obijcere quis posset argumentum hoc. Sequeretur, non solùm ministros administrandis sacramentis deputatos, verùm & illos, quibus ex officio id non incumbit, ad gratiæ effectum concurrere. Vt dum laicus puerum baptizat, nam pari modo & sacramentum applicat, & formam profert. Consequens autem inde apparet falsum, quòd nomine ministri solùm illi comprehendi videntur, qui ad id sunt diuina institutione conscripti, sicuti sunt sacramenta ad eundem effectum instituta.

Notandum.

Circa hoc argumentum notato, quinque sacramenta non nisi à proprijs ministris, qui ordinis charactere ad id deputati sunt, administrari posse. Baptismus verò, quoniam sacramentum necessitatis est, potest tempore necessitatis à laico exhiberi. Sacramentum autem matrimonij, quantum ad necessitatem sacramenti, non habet alium ministrum quàm ipsos contrahentes. Posset ergo quis forsan tenere, quòd minister baptismi quando non est sacerdos, non concurrit ad gratiam, propterea quòd non est diuinitus ad id institutus. At verò contrarium multò certius est, imò arbitror certissimum, ob id quòd eadem vtitur forma, qua vtitur sacerdos: scilicet, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ ideo non intelligitur de ablutione corporali, sed certè de spirituali, vt subiuncta verba, in nomine Patris, &c. ostendunt. Atque adeò si non ablueret animam, falsa esset forma. Vnde ad argumentum in contrarium respondetur, quòd quamuis laicus non sic dicatur institutus, quòd sit ad id muneris consecratus, est tamen eatenus delegatus, vt in necessitate possit eodem munere fungi, quamuis etiam si extra necessitatem sacramentum ministraret, licèt delictum committeret, nihilominus baptizaret.

Ministri matrimonij ipsi contrahentes.

Diluitur.

2. Argu. De matrimonio.

Secundò ad id arguitur. Contrahentes matrimonium sine alio tertio ministro, verè conficiunt sacramentum: ergo recipiunt gratiam, & non nisi suo ipsorum ministerio: ergo ministri non consecrati conferunt gratiam. Probo primum assumptum si id forsitan quis negare contenderet dicens, vbi inter partes sine sacerdote aut alio ministro contrahitur matrimonium, non esse verum sacramentum conferens gratiam: propterea quòd in concilio Florentino tribus asseritur perfici sacramentum, scilicet, materia, forma, & ministro, quorum si aliquod defecerit, non est sacramentum. Arguitur, inquam, contra hoc. Minister matrimonij non est necessarius quando sponsos benedicit: nam tunc certè ratum est iam vinculatumque matrimonium per mutuum consensum, quandoquidem solennitas illa non est de necessitate sacramenti. Neque verò concurrit ad gratiam, quando adesset sponsis præstantibus mutuum consensum interrogando vtrumque an alterum velit capere in coniugem. Quoniam minister nullatenus concurrit ad gratiam, nisi applicando materiam & formam sacramenti: vt in baptismo: Ego te baptizo. & in confirmatione: Ego te chrismo, &c. Vel solam formam, vt in sacramento pœnitentiæ, Ego te absoluo. Vel saltem sacramenti virtutem, vt cùm sacerdos consecratã buccellam porrigit. Ille autem minister in matrimonio neque formam applicat, neque materiam, & ideo neque virtutem. Nam materia & forma sunt illa verba à contrahentibus prolata. Ego te accipio in meam, vel in meum. Atque adeò ipsi proferentes sunt ministri applicantes materiam & formam: ac subinde conferentes sibi ministraliter gratiam. Quocirca concilium Florentinum non affirmat requiri consecratum ministrum ad sacramentum, sed ministrum. Vnde sicut in baptismo laicus, qui applicat materiam & formam, est minister, sic & in matrimonio contrahentes ipsi.

Maius dubium.

Profectò vrgentissima sunt argumenta hæc, quòd minister non consecratus ad gratiæ collationem concurrat. Extat nihilominus in contrarium argumentum. Sequeretur enim inde quòd infidelis posset Deo coagere ad conferendam gratiam. Patet, si cum intentione Ecclesiæ baptizaret: nam (vt art. 9. videbimus) infideles possunt vtique sacramentum baptismi administrare. Respondetur nihil absurditatis habere consequens: nam veram etiam profert formam. Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Maius autem dubium esset, si quisquam sæcularium, etiam infidelium, qui consecrare nequeunt, consecratam hostiam temerè porrigeret Christiano, apparet enim illum non conferre gratiam: nam & puer ante vsum rationis eandem posset porrigere, quinuerò simia. Respondeti ergo potest talem ministrum non efficere gratiam: quoniam non applicat formam, sicut in baptismo, & in matrimonio: sed solum corpus, quod per se est virtus conferendæ gratiæ. Quod quidem corpus eandem conferret, etiamsi qui porrexit, intentionem non haberet ministrandi sacramentum, dummodò suscipiens legitimam haberet intentionem. Secùs de sacerdote, qui cùm virtutem habeat consecrandi, quando sacramentum administrat, ad gratiam concurrit.

Hæc

Alia quæstio.

Hæc autem quæstio aliam suscitat. Arguitur enim inde fieri consequens, vt in quocunque ministro etiam non consecrato deberet esse virtus conferendi gratiam: siquidem ob id, quòd omne sacramentum confert gratiam, in quolibet virtutem diximus inesse. Consequens autem apparet falsum, quoniam in solis consecratis inest character, qui est potestas administrandi sacramenta. Petrus Palu. in 4. distinct. 1. quæst. 1. cui Capreolus eadem d. & q. subscribit, ait virtutem conferendi gratiam existere in ministris consecratis, non autem in illis qui non consecrantur. Alij verò sunt qui putant ridiculum esse, talem virtutem ministris attribui, dicentes, quòd illam isti ob id fingunt, quòd censent ministros attingere productionem illius qualitatis, quæ est gratia, per modum causæ naturalis: sicuti ignis attingit ignem quem producit in ligno. At verò quamuis non illa ratione qualitatis illius productionem attingant, vt quæstione tertia de sacramento monstrauimus: nihilominus negari non debet, quin in ministris consecratis sit virtus permanens conferendæ gratiæ formaliter, id est, faciendi hominem gratum Deo. Tota namque q præcedenti constitutum est, characterem ordinis esse potestatem administrandi sacramenta (idque in materia ordinum est iterum repetendum) sicuti character baptismalis est potestas eadem suscipiendi. Cùm ergo per sacramenta gratia conferatur, id est, homo fiat Deo gratus, consequitur, vt idem sacerdotalis character sit potestas conferendi gratiam, sicut & character baptismalis potestas est eiusdem suscipiendæ. Et hoc est, quod ait D. Tho. ministrum sortiri interiorem effectum ex virtute principalis agentis, quod est Deus. Haud tamen displicet: ministrum causam esse (vt quidam autumant) morali similem, hoc est, familiari. Quemadmodum enim quis facit potestatem seruo redimendi captiuum dando illi redemptionis pretium: sic se quodammodo habet minister sacramenti conferendo sacramentum, quod Christus in hoc remedium constituit. Quamuis sacramento, vt q. 3. disputabamus, eadem similitudo nequeat tam propriè coaptari, quia non est instrumentum viuum, cui negotium demandetur, sicuti ministri: sed est merum instrumentum instar instrumenti artificis, quod ab agente nihil recipit, nisi motum, & applicationem ad opus. Sed tamen illa non obstante similitudine non est negandum, quin in sacerdote existat ad id muneris vera virtus, nempe character. Iam enim suprà discrimen constituimus inter illum, qui ab humano principe ad aliquod deputatur officium, & sacerdotem: nam in illo nulla vtique à principe creatur virtus ad agendum, in hoc verò dum minister sacramentorum instituitur, character imprimitur. Imò & quando applicat sacramentum cum intentione Dei, illa etiam applicatio virtus est instrumentalis Dei, vtpote motus sacramenti. Atque hanc solam à Deo recipit ille minister, qui per consecrationem non est deputatus: vt laicus dum in necessitate baptizat: atque illi, qui matrimonium contrahunt. Et eo pacto subintelligi etiam potest verbum D. Tho. quòd etiam isti ministri sortiuntur interiorem effectum ex virtute Dei: quia eius intentione & nomine sacramenta administrant.

Palud.

Argumenta S. Thomæ procedunt ad probandum, quòd non solus Deus, sed minister ad gratiam concurrat. Et responsiones in hoc ipsum tendunt, vt conclusiones explicent, scilicet, quòd solus Deus concurrit, vt causa principalis, minister verò minimè, nisi vt instrumentalis, applicando sacramentum. Est ergo primum argumentum. Interior sacramenti effectus est, vt homo purgetur à peccatis, & illuminetur per gratiam: ad ministros autem Ecclesiæ pertinet purgare, illuminare, & perficere, vt quinto capite Ecclesiasticæ Hierarch. author est Dionysius: ergo non solus Deus, sed etiam ministri interius operantur. Responsio autem est, quòd purgatio illa non intelligitur de interiore per gratiam: sed diaconi dicuntur purgare: quoniam officium suum est, & immundos à cœtu fidelium eiicere, & eos qui recepturi sunt sacramenta, catechismis, aliisque salutaribus monitis disponere. Similiter & sacerdotes illuminare dicuntur sacrum populum, non quidem gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo, vt illic ait Dionysius. Est autem hoc verbum apprimè adnotandum in confirmation m illius, quod quæstione 1. constituimus, & nunc proximè retulimus, quòd sacramentum non attingit immediatè infusionem qualitatis, quæ est gratia: aliàs sacerdos tradendo sacramentum illam quodammodo infunderet. Sed est causa hominis grati, perinde ac si gratia non esset distincta qualitas, mediatè autem & consecutiuè est causa quare illam Deus faciendo hominem gratum concreet. Et eodem pacto minister suo gradu ad eandem gratiam concurrit admouendo sacramentum.

1. Arg.

Nota.

2. Arg.

Secundum argumentum plusculum secum difficultatis adfert. Est autem huiusmodi. In collatione sacramentorum quædam orationum suffragia proponuntur, vt maximè in baptismo cernitur: sed orationes iustorum acceptiores sunt apud Deum, quàm aliorum quorumlibet, secundùm illud Ioan. 9. Si quis Dei cultor voluntatem eius facit, hunc Deus exaudit: ergo maiorem videtur effectum sacramenti ille consequi, qui ipsum à bono recipit ministro: atque adeò & minister aliquid operatur ad infusionem gratiæ. Intendit autem concludere, immediatè per autoritatem sicut Deus, quod est falsum. Ob idque inter respondendum quinque ait. Primum, quòd preces illæ, quæ in sacramento funduntur, offeruntur nomine Ecclesiæ: quæ quidem, licèt minister non sit Deo gratus, semper exauditur, secundùm illud Matthæi 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo. Quòniam Ecclesia semper est Deo accepta. Secundum assertum est. Nihil prohibet quominus deuotio viri iusti: nempe, sancti ministri, ad hoc aliquid operetur. Tertium est, quod sacramenti effectus non impetratur oratione Ecclesiæ, aut ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in sacramentis. Quod est dicere, non datur ille per modum meriti, sed virtute operis, quod vocant operatum. Ex quo subsequitur quartum, quòd effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum, vt ait August. contra Gresconium, & refertur de consecr. distinctione quarta, canon. Si inter bonos. Subdit tamen quintò, quòd ratione deuotionis ministri aliquid recipiens sacramentum potest annexum sacramento recipere, quod tamen minister non per se facit, sed impetrat à Deo, vt ipse ad ipsam donet. Circa hanc solutionem disputandum erat, vtrum baptizatis propter preces, aut parentum, aut ministrorum, aut alia quauis causa copiosior gratia infundatur, dum baptizantur: cuius affirmatiuam partem & Scot. in 4. d. 4. q. 7. & Caietanus sustinent. Extat tamen inferius distinctione sexta quæst. prima artic. sexto: quæstio in terminis, vtrum baptismus habeat in omnibus æqualem effectum: & ideo vsque ad illum locum expectanda est disputatio hæc.

Quinque D. Th. assertæ 1.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

At negatiuè illic de paruulis respondebitur: scilicet, quòd nemo illis potest mereri gratiæ augmentum, quia nemo alteri meretur huiusmodi gratiam, nisi de congruo merendo illi bonum motum in Deum, quem tamen paruulus habere non potest: secùs de adulto, cui amicus potest mereri talem motum, vt in Deum conuertatur, sicut Stephanus Paulo: & ideo exponendum est hic quid prosint preces Ecclesiæ & ministri: deinde quidnam est illud annexum quod ait S. Thom. posse virtute talium precum adiungi. Respondetur ad primum, preces Ecclesiæ ad hoc prodesse, vt Deus, si adultus recipit sacramentum, obicem eius tollat, vt effectum recipiat, & deuotionem ei augeat. Deinde (quoad paruulos) vt ad vsum rationis peruenientes pro dignitate gratiam officijs colant quam tunc recipiunt, eosque à dæmonum incursibus protegat, atque alia quæ sine bono paruulorum motu illis tunc de congruo alij mereri valent. Ad quod etiam congruè deuotio boni ministri conducere potest.

Consilium est bonis vti ministris.

Quocirca non est vana religio bonos ministros, etiam baptismi, procurare, dummodò non credatur per malum non dari idem baptismi substantialis effectus, qui est gratia cum virtutibus & charactere. De ministerio verò mali ministri articulo quinto. Annexum ergo illud, quod S. Thomas ait precem ministri impetrari posse recipienti sacramentum, potest esse vel in adulto (vt dictum est) bonus motus, vel in paruulo aliquæ egregiæ dotes, & gratiæ gratis datæ: sicut de Nicolao legitur, quod iam inde ab incunabulis aliqua abstinentiæ, aliorumque virtutis seminum documenta de se præstabat. Quinuerò & aliquod temporale beneficium & corporale, sicuti de Constantino nonnulli referunt, qui fonte baptismatis (forsan Syluestri precibus) à lepra mundatus est.

Nicolaus.

Constantinus.

Digitized by Google

3. Arg. Tertium argumentum facillimum est. Homo dignior est re inanimata: aqua sacramenti ad gratiam concurrit, vtpotè quæ secundùm Augustinum corpus tangit, & cor abluit: ergo & homo. In responsione tum similitudinem constituit inter sacramentum & ministrum, quòd tam hic quàm illud virtute Dei ceu instrumentum concurrit: tum etiam dissimilitudinis nonnihil, quòd sacramentum est sicut instrumentum mortuum, minister autem sicut viuum, quod applicando sacramentum concurrit ad gratiam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sacramenta sint solum ex institutione diuina.

HIc titulus in primis intelligitur de sacramentis nouæ legis, quæ virtutem habent & robur sanctificandi. Et respondet vnica conclusione affirmatiua. Solus Deus est sacramentorum institutor. Probat primo, quia ille tantùm rem instituit, qui robur & virtutem illi tribuit, vt exemplo patet instituentium leges. Etenim quia solus rex (aut respublica) vim potest legi tribuere ad obligandum, ille solus potest eam instituere: sacramento autem solus Deus impertiri potest virtutem sanctificandi, ergo ille dumtaxat potest sacramentum instituere, quod talem habeat virtutem. Secundò eadem ferè ratione, præterquam quòd explicatior est, arguitur. Sacramenta instrumenta sunt spiritualium effectuum: instrumentum autem virtutem habet à principali agente, agens verò respectu sacramenti duplex est: scilicet instituens & vtens: virtus autem sacramenti ab eo, qui eo vtitur, deriuari non potest: nam & ipse in virtute superioris agit, quandoquidem non nisi per modum ministerij operatur: fit ergo vt eadem virtus ab eo tantum deriuetur, qui sacramentum instituit. Cum ergo (vt supra dictum est) eiusmodi virtus à Deo promanet, consequitur, vt ipse solus sacramenta instituat.

Expositio articuli. Quæstio hæc in duplici sensu disputari potest: videlicet, de possibili, aut in facti contingentia. In præsentiarum autem solùm loquitur posteriori modo: nempe, quod reuera solus Deus instituit sacramenta nouæ legis: articu. autem 4. disputabitur, an Deus eiusmodi potestatem potuerit suis ministris committere: & dabitur affirmatiuum responsum. At verò quoniam in prima ratione de possibili etiam hic concluditur, solùm Deum hoc posse, ad conciliandum ambos articulos notandum est: Instituere sacramenta bifariam cuipiam competere posse. Vno modo tanquam causæ, cui suapte natura, suopteve iure & autoritate proprium est. Altero verò modo per commissionem. In præsenti ergo art. probatur non modò quòd solus Deus instituerit, verùm quòd nemo alius per se potuerit sacramenta instituere. Quocirca rationes præsentes non solùm vt congruentiæ existimari debent, verùm vti demonstrationes, quas ratio fert Theologa. Etenim sicut nemo legem instituere potest, nisi qui vim habet gubernandi: ita neque sacramenta, quæ instrumenta sunt gratiæ, nisi qui talem virtutem illis potest impartiri. Quamobrem contra hunc sensum nullus potest vllum argumentum obijcere, quod vllius sit momenti. Quinuerò eadem ratio non modò apud D. Th. concludit, & apud omnes, qui in sacramentis nouæ legis virtutem agnoscunt sanctificandi: imò & apud Scotum & alios, qui illam negant, sed aiunt signa esse certa assistentis iustificatricis virtutis Dei. Talia inquam, signa nemo nisi Deus instituere potest: nisi fortè ex eius commissione, vt art. 4. patebit.

Distinctio notanda.

Trina temporum differentia. Colligitur ergo ex superioribus trina temporum differentia. In lege enim mera naturæ vsque ad Abraham nullum fuit (vt quæst. 2. disputabamus) sacramentum à Deo exterius institutum, sed hoc tantùm quòd vnaquæque natio instinctu interiori, ac naturali, quam supernaturalis etiam lux fidei vtcunque illustrabat, aliqua religionis sacrificia instituebat, quibus fidem vnius Dei protestaretur, quæ subinde sacrificia erant de iure positiuo humano, quemadmodum & nunc Ecclesiæ leges. Et ratio erat: quia eiusmodi sacramenta non habebant virtutem conferendæ gratiæ, neque verò figurabant Christum nisi implicitè & valde obscurè. Abrahæ verò Deus circuncisionem imperauit, eò quòd iam inde coadunandus erat vnus populus in Dei cultum, quod antea factum nondum fuerat. Ac subinde sacrificia veteris legis omnia fuerunt à Deo instituta, non tamen illa ratione qua nostra sacramenta: sed ob hoc tantummodo (vt suprà diximus) quòd præsagia erant venturi Messiæ, quem populus ille naturaliter agnoscere exspectareque nequiuerat. Nostra verò sacramenta propter supranaturalem virtutem, quam habent sanctificandi, à solo Deo possunt, ceu à primario autore, instituti. Vnde quod de sacramentis affirmamus, & de eorum partibus essentialibus sentiendum est, videlicet, quod neque materiam, neque formam, nec ministrum necessarium potest Ecclesia, vel alius quispiam mutare, nisi solus Deus.

Nota. Et nota, quòd cum in conclusione solum Deum asserat posse instituere sacramenta, in solutione primi ad ipsum de Christo asserit, respectu legis gratiæ quatenus Deus & homo est. Nam quatenus Deus primæuam supremamque habet ad id autoritatem, & in quantum homo iure proprio redemptionis id sibi congruit, iuxta illud Matth. 28 Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.

Dubium. Dubitatio autem occupare forsan lectoris animum potest, vtrùm omnia prorsum sacramenta Euangelica à Christo ipso fuerint instituta, & quo firmitatis gradu id credendum est. Et ratio hæsitandi inde descendit, quòd potuit (vt artic. quarto videbimus) id muneris alijs committere. Possemus autem ab hac dubitatione in præsentiarum supersedere, eo quod de singulis in suis proprijs locis id ad amussim disserendum est. Nihilominus in communi nonnihil dicendum, eo quòd hæretici in hac quæstione nobis aduersi sunt, & inter nonnullos catholicos nonnihil variatur. *Lutherа.* Hæretici, inquam, vt Lutherani, vix baptismum ex omnibus sacramentis reliquum faciunt, negantes Christum vllum aliud instituisse, sed inuenta esse Ecclesiæ. Igitur vt aliquo propositionum numero respondeamus.

1. Concl. Prima aduersus hæreticos fuerit. Quamuis ex sacra scriptura non tanta euidentia, quàm ipsi desiderant, sacramentorum numerus colligeretur, abundè id esset autoritate Ecclesiæ, quæ spiritu sancto regitur, constabilitum. Nam & sacra Euangelia, quæ ipsi recipiunt, non aliter quàm autoritate Ecclesiæ tenemus, secundum illud August. Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me moueret autoritas. Cùm ergo sacramenta non sint minoris necessitatis, imò si ad eorum virtutem sanctificãdi spectes, maioris, satis esset Ecclesiæ authoritas ad probandum illa á Christo fuisse instituta, vel per eius commissionem ab Apostolis.

2. Concl. de sacramentorum institutione. At quoniam hic non est locus cum hæreticis contendendi, sit secunda propositio. Quinque sacramenta adeò certum est à Christo fuisse instituta, vt ex catholicis nemo sit, qui neget. Enimuero de baptismo nec hæretici negant secundùm illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et extat præceptum eius Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et illic legitur, quòd omnes eius discipuli baptizabãt. Et Matthæi vltimo præscripta est ab illo forma. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Et de Eucharistia Matthæi 26. extat testimonium, quando suum ipse corpus consecrauit, vt D. ipse Paulus 1. ad Corinth. 11. exponit. Quod perinde qui negant, manifestarij hæretici habentur. Et illic, vbi subiunxit: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, palam monstratur Apostolos sacerdotes instituisse, quod est sacramentum ordinis. Quapropter & ordinem sacerdotalem non dubium quin Christus in cæna instituerit. Cui adiunxit, & diaconos, quorum illico post ascensionem in Actis Apostolorum creberrima fit mentio. De matrimonio autem habetur Matthæi 19. vbi, quò Iudæorum duritiam cordis denotaret (quapropter concessus illis fuit libellus repudij) perpetuam vnionem indissolubilis matrimonij docuit, concludens. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Atque adeò illic sacramentum matrimonij instituit. At quoniam hæ autoritates non omnes adeò sunt perspicuè negotium concludentes, S. Tho. vsque ad propria loca illas reseruauit. Pœnitentiam autem non defuerunt qui dicerent à Iacobo fuisse institutam cap. 5. vbi ait. Confitemini alterutrum peccata vestra. Id autem falsissimum est: institutum

enim

Digitized by Google

enim fuit illud sacramentum, tum Matth. 16. & 18. per illa verba: Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: tum expressiùs Ioan. 20. Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Potestas enim illa remittendi peccata, institutio fuit sacramenti pœnitentiæ. Vnde iam olim in quadam extrauagante condemnatus fuit de hoc errore quidam Hispanus Osomensis, qui aiebat, sacramentum confessionis non esse de iure diuino. Quocirca de istis quinque sacramentis probè statuitur secunda conclusione. Hæreticum scilicet esse negare, hæc omnia instituta fuisse à Christo.

3. Concl. Tertia. Non vsqueadeo constat hæreticum esse, negare sacramenta confirmationis & extremæ vnctionis fuisse ore Christi proprio instituta: esset tamen hæreticum negare esse de iure diuino. Nam etiam si admitteretur, Apostolos illa instituisse, id tamen ex Christi commissione fecerunt. Prima pars conclusionis probatur: nam de confirmatione (vt in eius tractatu videbimus) fuerunt variæ opiniones. Nec apparet in scriptura expressus locus vbi ea Christus instituerit. *Alexander.* Quapropter Alexander Alensis quarta parte quæstione vigesimaquarta in concilio Meldensi credit fuisse institutum, cui videtur adhærere Bonauentura in quarto, distinctione septima, quæstione prima, quod suo loco monstrabitur esse falsum. Sacramentum verò extremæ vnctionis *Hugo.* Hugo libro secundo de sacramentis parte decimaquinta, capitulo secundo ait institutum fuisse a Iacobo, vt legitur capite quinto; quam sententiam ipsis ijsdem verbis amplectitur Magister in 4. d. 23. Secunda verò pars conclusionis, scilicet, hæreticum esse negare, esse de iure diuino, probatur, quoniam Deus solus est, qui suapte autoritate sacramentorum institutor exitit, atque adeo nisi ex eius commissione nemo illa instituere valet. Quapropter non est tuta (vt suo loco videbimus) opinio Alexandri, quòd scilicet, neque ab Apostolis fuerit sacramentum confirmationis institutum. Nam licèt concilium Ecclesiæ generale instinctu Spiritus sancti vtatur, non tamen dicitur fungi commissione Dei. Commissio enim sonat viuam vocem, qua ad Apostolos Christus vtebatur. Quare Apostoli ipsi credendi sunt idem sacramentum administrasse.

4. Concl. Quarta conclusio. Iam verò profectò temerarium esset, negare omnia sacramenta fuisse à Christo instituta, nam sacramenta sunt Ecclesiæ fundamentum, quod (vt ait Paul.) nemo alius ponere potest, nisi Christus Iesus. Eò potissimum, quòd cùm solus Deus (vt dictum est) virtutem sanctificandi possit illis tribuere, de quo nemo ambigit, neque citra insignem errorem ambigere potest, non est credibile, quòd Deus eorum institutionem cuipiam commiserit. Sed confirmationem promisit, Ioan. 16. dicens, Si abiero mittam Paracletum ad vos. Qui quidem die Pentecostes illos confirmauit. Et deinceps, vt instructi ab ipso erant, cœperunt populos confirmare. Et pariter dicèdum est de extrema vnctione quòd Christus illam instituerit: licèt eandem, sicuti & confirmationem Apostolis reliquerit propagàndam, vt autor est D. Thom. 4. dist. 23. q. 1. art. 1.

1. Argu. Primum argumentum D. Thom. est huiusmodi. Illa quæ sunt de iure diuino in sacra scriptura traduntur: adhibentur tamen multa in sacramentis, quorum nulla est in sacra pagina memoria, vt oleum chrisma, & huiusmodi, non ergo solus Deus potest sacramenta instituere. Respondet duo. Primum, quod illa, quæ institutione Ecclesiæ adhibentur, non sunt de necessitate sacramenti, sed adiunguntur ad deuotionem excitandam hominum, & ad reuerentiam exhibendam Deo. Secundum est, quòd omnia, quæ sunt de essentia, à Christo sunt instituta, & quamuis omnia non sint in scripturis expressa, nihilominus Ecclesia familiari Apostolorum traditione illa citra scripturam recipit: iuxta illud 1. ad Corinth. 11. Cætera cùm venero disponam.

Argum. Contra primum autem responsionis membrum arguitur. Ecclesiæ donata est à Christo plenissima potestas remittendi peccata, iuxta illud citatum Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo. Et secundùm illud, Ioan. 20. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, sicut misit me viuens pater, ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c. Vbi nulla est adiecta eiusdem potestatis restrictio, ergo illa virtute potest Ecclesia sacramenta vel instituere, vel variare ad remittenda peccata. Et confirmatur, quia eadem virtute Ecclesia instituit aquam benedictam, atque alia sacramentalia ad remittendum venialia, & indulgentias ad remittenda peccata quoad pœnam.

Responsio. Ad hoc autem respondetur, quòd cùm peccata mortalia non nisi per gratiam quoad culpam remittantur, cuius quidem gratiæ Deus est principalis autor, ex ipsa natura rei constat, talem virtutem remittendi mortalia crimina, non esse datam Apostolis nisi sacramentis alligatam, quorum virtus à Deo ipso deriuatur. Secùs de remissione venialium, quæ citra gratiæ infusionem remitti possunt, ac de remissione satisfactionis debitæ pro mortalibus, quorum pœnæ eadem ratione extra sacramenta condonari possunt.

2. Argu. S. Thom. Secundum argumentum est. Sacramenta sunt signa quædam: res autem sensibiles naturaliter nonnullæ significant, nec potest dici quorundam significationibus Deum præ alijs delectari: quandoquidem omnia, quæ fecit, vidit esse bona: sed dæmones suis quibusdam signis illiciuntur, iuxta illud Aug. lib. 21. de ciuitate Dei cap. 6. Illiciuntur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit delectabilibus pro sua diuersitate diuersis, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis: non ergo videtur Deus sacramenta instituisse. Responsio autem est, quòd res sensibiles aptitudinem quandam habent ad significandos spirituales effectus ex sui natura: sed ista aptitudo institutione diuina ad specialem significationem determinatur: sicuti aqua ablutionem suapte natura significans, institutione diuina determinatur ad significandum ablutionem animæ à peccatis. Vnde Hugo supra citatus lib. 1. de sacramentis par. 9. cap. 2. sacramentum, inquit, est, ex similitudine repræsentans & ex institutione significans. *Hugo.* Quod ergo Deus has vel illas res ad sacramenta præelegerit, non est quòd ipse ad alias inanimes præ alijs afficiatur, sed quòd congruentius res significantior ad effectum sacramenti accommodetur. Illud autem quod de dæmonibus ait Aug. sic intelligitur, quòd cùm dæmones non sint carnales, neque cibis, neque venereis, vti animalia, delectantur, sed vt spiritus oblectantur signis, quibus innotescunt. Vnde qui immunditiæ & libidini præsunt, igne delectantur: quare in quodam Veneris fano lucerna legitur perpetuo igne dæmonum incantamento olim arsisse. Et qui superbiæ præficiuntur, genu flexionibus oblectantur. Et hunc in modum de alijs sentiendum.

3. Arg. S. Thom. Tertium argumentum est. Apostoli vicem Dei gesserunt in terris: secundum illud 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, id est, ac si ipse Christus donasset, ergo videntur Apostoli sacramenta instituere potuisse. Respondetur, Apostolorum facultatem & eorum successorum non esse, nisi vt sint vicarij Dei quantùm ad Ecclesiæ regimen, quæ quidem per fidem fideique sacramenta constituta est. Vnde sicut non licet eis fidem aliam, aliámve Ecclesiam constituere, ita neque alia sacramenta, quàm illa, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, quibus Ecclesia fabricata est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus in quantum homo potestatem habuerit operandi interiorem effectum sacramenti.

IN duobus superioribus articulis disputatum est de causa prima suprema que, tam sacramentorum, quàm eorundem effectuum, qualis est Deus, qui suapte natura & autoritate, tum & sacramentorum gratiam operatur, tum & ipsa sacramenta instituit. Iam verò hinc sermo incipitur de ministris. At verò quoniam Christus vtrumque complectitur: nam quatenus Deus suprema causa est, & quatenus homo supremus minister pulcherrimo ordine duos Diuus Thom. articulos de ipso interserit. Est ergo hic ordine tertius, vtrum Christus in quantum homo sit causa gratiæ sacramentorum. Et respondet quatuor conclusionibus. Ad quarum intellectum adnotandum, triplicem esse potestatem sacramentorum,

Digitized by Google

nempe ſupremam per propriam autoritatem, infimam per meritum miniſterium: & mediam per quandam miniſterij excellentiam. Prima conuenit Deo. Secunda puris hominibus. Tertia verò Chriſto, quatenus Eccleſiæ caput eſt.

1. Concl. Eſt ergo prima concluſio. Chriſtus inquantum Deus operatur in ſacramentis per autoritatem. Erat ſiquidem verè Deus. Atque hanc fortè autoritatem deſignauit Matthæi 19. Vt ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. Quaſi diciſſet, vt ſciatis, quòd filius hominis eſt ipſiſſimus Deus, qui per ſuam naturam virtutem habet, vt ſibi libuerit ſiue per meritum aut ſacramentum, ſiue abſque vlla prorſus creata cauſa peccata condonare.

2. Concl. Secunda concluſio. Chriſtus in quantum homo operatur in ſacramentis interiores effectus meritoriè & efficienter. Hanc iam ſupra q. 3. art. 1. & art. 5. demonſtrauimus. Tripliciter namque diximus paſſionem Chriſti fuiſſe cauſam noſtræ ſalutis, ſ. meritoriam, effectiuam, & ſatisfactoriam. Tertius verò modus hoc loco, quia ad rem non facit, prætermittitur.

3. Concl. Tertia concluſio. Chriſtus quemadmodum inquantùm Deus pollet in ſacramentis autoritatis poteſtate, ſic & in quantum homo fungitur poteſtate miniſterij præcipui, hoc eſt, per excellentiam. Prior pars probata eſt, & poſterior inde colligitur, quòd reliqui miniſtri, ſicuti & ſacramenta quæ adminiſtrant, ſunt Chriſti inſtrumenta ſeparata, vt baculus reſpectu hominis. Humanitas verò eſt inſtrumentum coniunctum, vt manus. Inſtrumentum autem coniunctum excellentius eſt.

4. Concl. Quarta concluſio. Excellentia hæc conſiſtit in quatuor. Primum in hoc, quòd meritum & virtus eius paſſionis operatur in ſacramentis. Itaque ſacramentorum virtus ab eius paſſione dimanat (vt ſuprà dictum eſt) non autem ex aliquo reliquorum miniſtrorum merito. Secundum membrum eiuſdem excellentiæ eſt, quòd in nomine Chriſti ſacramenta celebrantur & ſanctificantur: non autem per inuocationem alius miniſtri. Et ratio eſt: quòd virtus eiuſdem paſſionis per fidem Chriſti quam inuocamus copulatur nobis ſecundùm illud ad Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Vbi (vt ſuprà diximus) tam cauſa formalis, quam inſtrumentalis eiuſdem applicationis deſignatur. Tertiò eadem excellentia in hoc conſiſtit, quòd Chriſtus potuit inſtituere ſacramenta. Et ratio eſt, quòd cùm non niſi per inſtitutionem virtutem ſanctificandi obtineant: & virtus illa ex eius paſſione deriuetur, ad ipſum quatenus per humanitatem redemptor eſt, pertinet ipſa inſtituere. Quarta denique excellentia Chriſti poteſtatis eſt, quod poteſt effectum ſacramentorum ſine ipſis præſtare. Cuius ratio eſt, quòd licèt effectus dependeat à cauſa, vt ſacramentum à Chriſto: cauſa autem non dependet ab effectu. Vnde ſicut Deus ſine cauſis ſecundis poteſt earum effectus producere, ſic Chriſtus ſacramentorum gratiam abſque eorum adminiculo.

Expoſitio articuli. Circa primam concluſionem nihil notandum eſt, ſed circa ſecundam hoc vnum meditatione repetendum · quod bis iam antea tetigimus, ſcilicet q. 3. articulo 1. & artic. 5. nempe, quod paſſio Chriſti non fuit ſolùm cauſa meritoria gratiæ noſtræ, ſed efficiens & inſtrumentalis, contra quam Scotus diſt. 2. q. 1. & Durand. d. 5. q. 3. ſenſerunt, dicentes non fuiſſe cauſam niſi meritoriam. Ob id enim, quod hunc modum cauſæ in Chriſto nunquam autores præter D. Tho. vt bona venia dixerim, intellexerunt, accidit illis, vt neque intelligere poſſent, quemadmodum ſacramenta eſſent verè inſtrumentalis cauſa gratiæ. Quod autem Chriſtus per paſſionem fuerit verè cauſa efficiens, videtur Ioann. capite 1. docuiſſe, vbi ait. Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Cùm enim Chriſtum cum Moyſe contulit, de ipſo quatenus homo loquebatur. Et cùm ait, facta eſt, non ſolùm meritoriam cauſam deſignat, ſed quòd etiam per paſſionem inſtrumentaliter in genere cauſæ efficientis illam fuerit operatus, iuxta illud Apoc. 5. Lauit nos in ſanguine ſuo. Tenuiſſimè ergo Durand. illic ſentit de Chriſto dicens, quòd ſolùm in quantum Deus operatur effectum interiorem ſacramenti, & non in quantum homo. Hoc enim verum eſt tanquam per propriam innatamque autoritatem, vt 1. concluſione dicebamus. Attamen & inquantum homo non ſolùm meritoriè (vt ipſe ait) verùm & effectiuè per poteſtatem diuinitus ſuſceptam fuit etiam cauſa gratiæ. Quod patet ex illo Ioan. 20. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata remiſſa erunt, &c. Cum enim dixit data, non ſolùm intellexit de illa æterna, quam per diuinam habuit generationem, ſed de illa quam accepit in quantum homo. Efficientia enim hæc (vt locis citatis explicuimus) in hoc conſiſtit, quòd ſicut tactu oculorum cæci reſtituit ei viſum, & ſicut pictor manu pingit, ſic & paſſione ſua per humanitatem tanquam inſtrumentum ſibi eſſet ad hoc officium vnitum, fuit cauſa faciendi nos gratos Deo. Itaque illa paſſio quatenus ſuppoſiti infinitè grati offerentis illam Deo, erat infinitè meritoria quoad ſufficientiam, & quatenus per illam ſoluebatur pretium erat ſatisfactoria, & quatenus inſtrumentum coniunctum Dei erat inſtrumentalis cauſa gratiæ ad modum qui. q. 3. art. 1. de ſacramentis expoſitus eſt. Illa n. qualitas, quæ eſt gratia oculos multorum faſcinauit, ne adduci poſſent vt crederent vel ſacramenta vel paſſionem eſſe cauſam gratiæ, credentes inde ſequi, quod creatura illam crearet qualitatem. Paſſio ergo fuit inſtrumentum immediatum conſtituendi homines in gratia Dei, perinde ac ſi nulla exiſteret talis qualitas. Conſecutiuè autem cauſa extitit mouendi Deum, vt creando homines gratos illam concrearet.

Contra opinionem Scoti & Durandi.

Quinque arg. S. Tho. Eandem concluſionem quinque ſuis argu. D. Tho. comprobat. Cùm n. vt Io. 1. legitur, ſuper quem Spiritus ſanctus deſcendit, ſit qui baptizat in Spiritu ſancto, quod eſt internam gratiam infundere, & Spiritus ſanctus deſcenderit ſuper eum non in quantum Deum, ſed inquantum hominem, fit vt illa etiam ratione Spiritum ſanctum conferat, non quidem autoritatiuè, (hoc enim habet in quantum Deus) ſed per humanitatem inſtrumentaliter. Vnde flatu illo & voce Ioan. 20. Accipite Spiritum ſanctum, donum eius Apoſtolis contulit ad remittendum peccata per gratiam.

Secundò id patet ex illo Matth. 9. Sciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terris dimittendi peccata. Quem locum ſiniſtrè illic Durand. intelligit, ſcilicet præcisè in quantùm Chriſtus erat Deus, & ſolùm miniſterialiter in quantum homo. Imò verò non ſolùm fuit ratione humanitatis miniſter ſacramentorum, verum & autor gratiæ modo expoſito.

Eodem etiam pertinet tertium argumentum. Nam cùm eidem competat ſacramentorum inſtitutio, cui competit operari, tanquam ſuperiori cauſæ interiorem eorum effectum, & Chriſtus in quantum homo illa inſtituerit, fit vt eadem etiam ratione talem producat effectum.

Quartò cùm nullus poſſit abſque ſacramento eius effectum conferre: niſi propriam habeat virtutem in eundem effectum: & Chriſtus in quàtum homo remittat peccatum ſine ſacramento, vt patet in Magdalena, fit vt ſecundum humanitatem poſſit etiam conferre gratiam.

Quintò idem ex eo confirmatur, quòd virtute paſſionis eius ſacramenta habent efficaciam. Ex quo fit vt per eandem paſſionem ſit cauſa gratiæ ſub eiſdem latentis. Omnia igitur argumenta ad hoc direxit, vt probaret, quòd Chriſtus, in quantum homo per natiuam autoritatem operaretur interiorem effectum ſacramentorum. Omnium autem ſolutionem committit lectori ex concluſionibus eliciendum: videlicet, id argumenta non concludere, vt patet in argumento, Sed contra: quoniam virtus, quæ in ſacramentis ſecretiùs operatur ſalutem, vt Aug. & Gregor. aiunt 1. q. 1. can. Multi. eſt diuina, quare non competit Chriſto niſi qua ratione eſt Deus. Concludunt autem, quòd per autoritatem excellentiæ, quatenus homini ſibi collatum, eundem effectum per humanitatem tanquam per proprium inſtrumentum producat. Atque eandem ob rem tanquam rem claram non curauit argumenta ſoluere, ſed dixit omnium ſolutiones ex ſuperioribus colligi.

Dubium. Circa ſecundam autem excellentiam eſt dubium quomodo ſacramenta ſanctificantur in nomine Chriſti.

Solutio. Ad quod ſunt qui reſpondeant, vt Durand. loco citato, illud intelligi de more antiquo, quo Apoſtoli vtebantur baptizando in nomine Chriſti: qui quidem mos iam ceſſauit. At verò S. Tho. non ſingulariter de baptiſmo, ſed vniuerſim de omnibus ſacramentis id affirmat, neque rem arctat ad priſcum tempus, ſed ſimpliciter de præſenti loquitur: quare ſenſus

Digitized by Google

sus non est ille, sed quòd vniuersa sacramenta nomine eius sanctificantur, hoc est, celebrantur: atque inuocatione eius administrantur, quasi sacramentorum ministri eius fungantur vice & autoritate. Vnde emanauit illa reprehensio Paul. 1. ad Corinth. 1 qui sese iactabant vel à Paulo, vel ab Apollo baptizatos. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quasi dixerit, non nisi solo nomine Christi. Atque in hoc sensu ipse se S. Th. argumento vltimo exponit. Verum est tamen, quòd ex hac generali conditione omnium sacramentorum, per reuelationem emanauit vsus ille priscus baptizandi in nomine Christi.

Circa tertiam itidem excellentiam adnotandum, quòd Christo tanquam regi regni cœlorum competens fuit, cuncta remedia ad illum finem prouidere, atque adeò sacramenta instituere, quibus non solùm per modum meriti, sed per modum causæ efficientis, vt dictum est, virtutem gratiæ effectricem elargitur.

Atque eadem ratione & quartam excellentiam eodem plano sensu percipere oportet, quam Durand. loco citato in eadem hærens salebra, non pro dignitate intellexit. Ait quippe, quod Christus nunquam sine sacramento contulit effectum sacramenti, nisi in quantum Deus, sed in quantum homo dumtaxat eundem effectum meruit. Haud ergo sic præcisè intelligendum est. Imo verò quando Magdalenæ dixit, remittuntur tibi peccata tua, per illa verba (tametsi non fuerint sacramentalia) tanquam per instrumentum contulit ei gratiam, sicut per illud verbum Epheta, quod est aperire, cæco oculos aperuit. Et sicut per consecratoria verba. Hoc est corpus meum, transsubstantiatur panis in corpus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare.

SVBSEQVITVR de ista potestate Christi, an potuerit illam alijs communicare. Et respondet D. Tho. sub distinctione duabus conclusionibus.

Prior conclusio.

Prior est. Potestatem autoritatis, quam Christus habuit in quantum Deus, nemini communicare potuit, sicut nec suam essentiam: quæ eadem res est, quæ sua autoritas: fit enim plana conclusio ex illo, quod art. 1. dicebamus. Hæc siquidem diuina autoritas in hoc consistit, quod sit Dei naturalis, à nulla alia causa dependens, vt gratiam conferre possit, non solùm merendo aut satisfaciendo, sed prorsus pro suo libito id efficiendo. Sicut enim sol illuminat, & ignis calefacit, sic ipse potest facere quemcumque voluerit sibi gratum: quare hoc implicat contradictionem creaturæ communicari.

Posterior conclusio.

Posterior conclusio. Potestatem excellentiæ, quam habuit in quantum homo, potuit ministris communicare quantum ad omnia quatuor membra. Potuit, inquam, Apostolis & subinde Ecclesiæ tantam gratiæ plenitudinem impertiri, vt eorum meritum ad sacramentorum effectum operaretur: & vt ad eorum inuocationem sacramenta sanctificarentur, & vt sacramenta possent instituere, & vt eorum effectus absque ipsis solo suo imperio producerentur. Et ratio est: quia instrumentum coniunctum, quanto fuerit fortius, tantò efficacius virtutem suam instrumento separato impingit, sicut manus baculo.

Expositio articuli.

Conclusionem hanc, quòd redemptor potuerit potestatem excellētiæ Apostolis communicare, Scholastici in verbis Augustini fundant tract. 5. super Ioan. Quæ retulit Sentent. Magist. in 4. d. 5. Ait quippe potuisse Dominum Iesum, si vellet, transferre a se baptizandi potestatem, constituere que in aliquo seruo suo, & tantam vim dare baptismati translato in seruo suo, quantam vim haberet baptisma datum à Domino, sed noluit, &c. Idque probat ex illo Ioann. 1. Ego nesciebam illum: quod hic Diuus Thom. allegauit, & refertur de consecrat. distinct. 4. can. Baptismus. Dicit enim quòd Ioannes non nouerat potestatem baptismi ipsum Dominum sibi retenturum (scilicet excellentiæ) si autem non esset communicabilis, non dubitaret Ioannes an Christus illam non esset communicaturus. Accedit & gio. 1. Corinth. 1. quam D. Thom. citat in solutione secundi, quæ est hæc. Potuit Christus eis dare autoritatem baptismi, quibus contulit ministerium. Autoritas autem supra ministerium non erat nisi potestas excellentiæ. Et subiungitur ratio hæc. Nihil, quod Christo in quantum homini communicatum est, communicari puro homini repugnat, quandoquidem humanitas eiusdem speciei est in Christo & in cæteris hominibus, cùm ergo illa potestas excellentiæ fuerit illi collata in quantum homini, fit vt sit etiam alijs communicabilis.

Ratio conclusio.

Nihilominus de singulis membris eiusmodi potestatis sunt qui ambigant, potueritne ea Christus communicare alicui. Et primùm excellentia prima, quòd potuerit communicare alicui, vt scilicet virtus sui meriti operaretur in sacramentis, non caret dubio, eodemque non facili. Nam vt proprium meritum vnius personæ vim habeat in sacramentis necessario exigitur, vt illi possit alijs de condigno mereri quod ad gratiam capitis spectat, qualis fuit in Christo, hoc autem non est puro homini possibile, ergo neque est communicabile. Quinuerò si Duran. in 3. distinctione 20. quæstione 3. & in 4. dist. 5. quæst. 4. audiendus est: neque Christus ipse aut alijs, aut sibi ipsi de condigno mereri valuit apud Deum. Enimuerò meritum de condigno expostulat & vt sit debito æquale, & vt sit ipsum alias in debitum. Nam si ego do quod alias debebam, non satisfacio pro eo quod modò debeo. Deo autem, vt ait Arist. 8. Ethic. æquale reddere non possumus, & quicquid ei tribuimus, priùs illi pro beneficijs acceptis debebamus. Quare Christus per humanitatem, quæ finita erat, nequiuit Deo æquale reddere, & quicquid redderet, iam pro beneficio suscepto incarnationis debebat tanquam patri.

Arguitur de prima excellentia.

Durand.

At verò Durando illico de Christo respondebimus. Quòd autem purus homo non possit mereri alteri de condigno; atque adeò neque eius meritum possit operari in sacramentis, probabili opinione tenet Pal. in di. 5. q. 1. Et probatur, quia nemo mereri valet sacramentorum virtutem, nisi potuerit satisfacere pro peccatis omnium hominum, eorumque vniuersos gradus gloriæ mereri. Hoc autem arguit infinitam potentiam, quæ puræ creaturæ communicari non potest.

Palud.

Et ad maiorem elucidationem arguitur secundò. Id quod humanitati Christi quatenus diuino verbo in vno supposito vnitæ competebat, non potest puræ creaturæ communicari, sanè cùm talis coniunctio fieri nisi in persona diuina nequeat. Quòd autem Christo de condigno meruerit gratiam, proque vniuersis peccatis satisfecerit, conueniebat ei ratione eiusmodi vnionis, inquantum scilicet erat Deus & homo. Elicitur minor ex illo Ioan. 1. vidimus illud (scilicet incarnatum verbum) quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, hoc est, ideo plenum, quòd vnigenitum à patre, & ideò de plenitudine eius omnes accipimus. Vnde Leo Papa in sermone de Natiuitate. Nisi esset, inquit, Deus non afferret remedium. Et in Extrauagant. Clementis sexti. Vnigenitus, in serta in Cle. Dudum. de pœniten. & remissio. Non tantum, inquit, Christus guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed copiosum velut quoddam profluuium nosci tur effudisse. Sanguis ergo propter vnionem ad verbum fuit de condigno meritorius & satisfactorius. Et confirmatur, quia S. Tho. 3. part. q. 1. art. 2. ad 2. ait, quod puri hominis satisfactio sufficiens esse non potuit pro peccato satisfactione condigna per adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ.

Ioann. 1.

Leo Papa.

Cle. Dudū.

S. Thom.

Et tandem ex his quæ hactenus dicta sunt arguitur. Christus per humanitatem, quasi per instrumentum diuinitati coniunctum operatus est redemptionem nostram: è cuius ideo passione effluxit sacramentorum riuulus; habere autem naturam creatam diuinitati coniunctam, non potest puræ creaturæ communicari. Quapropter D. Thom. super illud Ioan. 1. lectio. 14. licet dicat Christum potuisse communicare Petro: vt nomine ipsius conferrentur sacramenta, tamen de alijs excellentijs sub dubio id enunciat. Apparet ergo neque esse vsque adeò certum quod hic affirmat.

Responsio. Dupiex ratio meriti condigni.

Igitur, vt veritas in præsentiarum eluceat, notandum est duplex esse meritum, atque adeò satisfactionem de condigno, vt D. Tho. loco proximè citato. 3. par. q. 1. adnotauit, alterum scilicet secundùm perfectam rationem condigni meriti & satisfactionis, quæ consistit in hoc, quòd adæquatio meriti ad debitum

bitum teneat se, non ex parte illius, cui fit satisfactio, sed solùm ex parte satisfacientis. Et hoc modo nec mereri nec satisfacere vllo modo potest puræ creaturæ communicari, vt illic idem ipse ait. Ad hanc enim virtutem requiritur, vt ipse qui meretur & satisfacit, per se sit infinitè Deo gratus, atque adeò infiniti valoris, quem possit suo merito, & satisfactioni tribuere, quod non potest nisi diuinæ personæ competere. Et hæc fuit causa incarnationis Christi. Nam etiam si nullam habuisset gratiam creatam, quia erat suppositum diuinum, & opera eius, licèt exercita per humanitatem, quia actiones sunt suppositorum, erant infiniti valoris, satisfecisset. Quare hoc non conueniebat humanitati, nisi quatenus verbo diuino coniunctæ. Et hoc est quod argumenta à nobis proximè instructa conuincunt, non esse creaturis communicabile: sed alia est ratio & meriti satisfactionis de condigno, non quidem simpliciter, absolutè & perfectè, sed ex suppositione: nempe, suppositæ gratia Dei. Atque hæc ratio merendi & satisfaciendi de condigno est, quam hic asserit D. Tho. posse communicari Ecclesiæ vel vni puræ creaturæ, cuius vnica hæc demonstratio sufficit. Quicquid non repugnat in rebus fieri, Deus per se facere potest: in hoc autem nulla est repugnantia, aut si vlla est, aduersarius eam demonstrare tenetur. Quod profecto faciet nunquam. Potuit enim Deus (vt exempli gratia dicamus) gratiam capitis Diuo Petro, aut beatæ Mariæ impertiri, hoc est, tantam elargiri gratiæ plenitudinem, vt eius opera acceptarentur ad meritum & satisfactionem pro vniuersis piaculis humani generis. Hoc autem non se teneret simpliciter ex parte satisfacientis, sed ex parte illius cui fit satisfactio, nam fundaretur in gratia, quam Deus ei priùs contulit. Vt si meus mihi crediror pecuniam suppeditaret, quam illi pro debito persoluerem. Quare neque argueret infinitam virtutem, nec fieret per instrumentum coniunctum diuinitati, sed per gratiam diuinitus susceptam. Et eadem ratione posset tale meritum & satisfactio operari in sacramentis, hoc est, vt sacramenta essent velut instrumenta applicandi meritum indulta dimanaret, fit ergo Deum posse huiusmodi virtutem communicare, quinuerò & Christum ipsum in quantum hominem. Hic enim est sensus D. Thom. vt bene hic Caieta. adnotauit. Nam qua ratione ipse illam suscepit, eandem alijs participare potuit.

Argum. At forsan hic quispiam, argutè inferat, non solùm per gratiam susceptam, sed quasi per propriam, quemadmodum Christus, posse purum hominem mereri de condigno: nam gratia baptismalis, quippe qua efficimur membra Christi, quodammodo nostra est, quod enim caput nostrum meruit, nostrum reputatur. Quare Paul. 1. Corint. 1. Christus factus est nobis sapientia & iustitia, & sanctificatio. Potuit ergo tanquam membro Christi cuipiam communicari gratia capitis, vt de condigno mereretur alijs. Respondetur, quod etiam si gratia postquam efficimur Christi membra, sit quodammodo nostra, nihilominus nemo nascitur natura sua eius membrum, sed quod in ipso renascamur est mera gratia: qua de causa semper nostrum meritum procedit ex suppositione susceptæ gratiæ. Ex his sequitur pariter potuisse communicare Ecclesiæ vel alicui discipulo, vt eius nomine sacramenta sanctificarentur. Atque adeò tertiam, vt Ecclesia vel Apostoli possent sacramenta instituere, non obstante quòd Scotus in 4. dist. 1. q. 3. art. 2. & Durand. d. 2. q. 1. & Gabri. d. 1. q. 2. asseueranter adstruant solum Deum posse instituere sacramenta. Quorum ratio illuc tendit, vt nec hanc virtutem possit alijs communicare. Aiunt enim illius solius esse signum certum gratiæ instituere, cuius est eandem gratiam influere: solus autem Deus potest illam infundere. Subiungunt verò creaturam posse institutionem diuinam sacramenti promulgare, vt Iacobus promulgauit institutionem diuinam sacramenti extremæ vnctionis. Et confirmatur istorum ratio, nam Magist. Sentent. in 4. d. 5. inter exponendum verba Aug. de hac communicatione excellentiæ, asseruit Deum posse communicare creaturæ, vt interna mundatione per gratiam cooperetur Deo, & ex consequenti posse ei communicare, vt simul cum Deo ipso creet, nam plus est illam gratiam infundere, quam creare. In quo quidem Magist. Sentent. non tenetur, imò reprobatur. Pariter ergo reprobanda est hic sententia S. Thom. Nihilominus vera est assertio D. Thom. vt quæ ex verbis Aug. suprà citati planè colligitur, quib. ait Christum suam potestatem baptismi, quam sibi retinuit, potuisse alijs impertiri.

Scotus. Dur.

Mag. Sent.

Idcirco ad istorum argumentum respondetur, non solùm illum, qui propria autoritate internum sacramenti effectum operatur, posse sacramenta instituere, verùm & illum qui per gratiam capitis sibi participatam potest pro alijs de condigno mereri & satisfacere. Enimuerò quemadmodum Deus statuit, vt ad præsentiam sacramenti, quod ipse instituit, statim per ipsum gratiam infunderet, potuit etiam sancire & pacisci, vt applicato quocunque sacramento, quòd ille sibi amicissimus & gratissimus homo institueret, propter eius meritum, quod ex gratia, quam illi Deus ipse contulerat, procedebat, assisteret ad conferendam gratiam per idem sacramentum. Quare illud tam certum esset signum gratiæ, quàm alia quæ ipse instituit, nam pariter etiam a sua diuina institutione & pacto promanaret.

Interpr. Magistri. Ad id autem, quod de Magistro insertum est, forsan quis dicet eum intellexisse, posse hominem concurrere cum Deo ad iustificationem, quasi per suam autoritatem. Itaque sicut Deus dedit igni virtutem propriam & naturalem calefaciendi, ita posset homini impertiri, vt per se haberet virtutem iustificandi non solùm merendo & satisfaciendo, sed efficiendo vt Deus, quod in prima conclusione assertum a nobis est esse impossibile: nam hoc esset facere illum Deum. Non est autem credendum sic fuisse Magistrum excæcatum. Respondetur ergo id dumtaxat fuisse opinatum, quòd posset homo vnà cum Deo immediatè concurrere ad illam qualitatem, quæ est gratia, atque adeò concurrere ad creationem. Quod, vt ait D. Thom. in solutione secundi, est impossibile. Et idcircò meritò in hoc non tenetur. Æqua ratione potuit Christus communicare Ecclesiæ, vel alicui iusto: vt gratiam sine sacramento conferret per suum meritum de condigno merendo illam de condigno per suam gratiam capitis.

Collectio summaria. Collige ergo quinque membrorum sententiam. Gratiam quippe alteri conferre, hoc est, hominem facere gratum accidit quinque modis, s. autoritatiuè, & effectiuè, id est, nec merendo illi, nec satisfaciendo pro illo, sed faciendo eum gratum, sicut ignis calefacit. Et hoc ita est proprium Dei, vt sit impossibile creaturæ communicare. Secundo modo applicando sacramenta, & hoc habent ministri Ecclesiæ. Tertio merendo alteri de congruo conuersionem in Deum, id est, quòd ipse alter conuertatur. Et hoc pacto quicunque iustus potest alteri mereri gratiam, sicut Stephanus Paulo. Quarto modo merendo illi primam gratiam de condigno perfectè, & ad æqualitatem: vt dignitas se teneat simpliciter ex parte satisfacientis. Et hoc propriè ita conuenit Christo ratione vnionis ad suppositum diuinum, quòd nemini id, vt diximus, possit communicare. Quintò merendo alteri de condigno primam gratiam, & sic satisfaciendo pro peccatis, non quidem simpliciter, vt modo dicebamus, sed ex suppositione, id est, suppositæ gratia capitis sibi indulta. Et hanc potuit Christus creaturæ communicare.

Atqui per hæc patet solutio secundi argumenti S. Tho. quod est huiusmodi. Maius est ex impio iustum fieri, quam cælum & terram creari, vt August. super illud Ioan. 14. Maiora horum faciet, autor est, creare autem cælum & terram Deus non potuit communicare creaturæ, ergo nec iustificare impium, quod Christus fecit per potestatem, quam habebat in sacramentis. Respondet argumentum concludere quòd nemini potuit communicare, vt per potestatem autoritatis iustificaret, quod est proprium Dei. Tametsi potestas illa excellentiæ per comparationem ad alios ministros dici etiam potest autoritatis, secundum gloss. super illud 1. Cor. 1. Diuisus est Christus, vbi habetur, quòd potuit eis dare autoritatem baptismi, quibus contulit ministerium.

Hoc supposito explorare superest vtrum Christus hanc potestatem excellentiæ alicui communicauerit, vel totam, vel aliquam eius partem. Arguitur namque illam reuera communicasse. Ait siquidem Paul. ad Coloss. 2. Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in corpore meo pro corpore eius, quod est Ecclesia, supplere autem ea, quæ desunt passionum Christi id esse vide

tur,

Digitized by Google

tur, quòd sanctos per suas passiones mereri alijs de condigno, perinde atque meruit Christus per suam: ergo communicauit illis, vt proprium meritum operaretur in sacramentis. Et confirmatur, nam ex hoc capite, nempe, ex thesauro satisfactionum sanctorum fons exscaturiuit indulgentiarum, vt in Extrauag. supra citata Vnigenitus, de pœnitent. & remiss. autor est Clemens sextus. Si ergo ille thesaurus applicatur nobis per indulgentias, applicari etiam nobis censebitur per sacramenta. Respondetur nihilominus nullatenus potestatem excellentiæ Christum Ecclesiæ vel Apostolis, vel vlli creaturæ communicasse: quoniam hoc eius dignitati maximè congruum erat, vt sibi illam propriè retineret. Assertio est expressa Diui Augustini loco supra citato, cuius aliquas adfert congruentias, quas in argumentis refert D. Tho.

Augustin.

Arg. Arguit siquidem primo loco argumento Aug. contra Maximum. Si potuit Christus communicare illam potestatem & noluit: ergo inuidus fuit: non autem fuit inuidus, ergo si non communicauit, est quia non potuit. Et respondet illam non communicasse, non quia non potuit, vel quia inuidus fuit, sed propter nostram vtilitatem, videlicet, vt spem nostram, vt ait Aug. non in seruo, sed in ipso Domino collocaremus: cuius ope & opera iustificamur. Si enim in seruorum inuocatione salutem consequeremur, illos potissimum coleremus. Qua ratione Apostolus 1. Corint. 1. eos obiurgat, qui putabant se vel à Paulo, vel ab Apollo, vel à Cepha baptizatos, quasi illi fuissent pro ipsis crucifixi. Quare alius se iactabat esse Pauli, alius Cephæ, alius Apollo.

3. Arg. Secundam autem congruentiam adducit argumento tertio, quod est huiusmodi. Christo quatenus caput est Ecclesiæ, competit, vt ab ipso gratia deriuetur in alios, secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus: hoc autem non videtur communicabile, nam tunc multa essent capita. Respondet autem argumentum non probare Christum non habuisse facultatem communicandi illam excellentiam, sed non fuisse congruum illam communicare, ne essent multa capita. Tunc enim diuersa à diuersis institueretur sacramenta, vt vnum esset vnius Apostoli, aliud alius.

Dubium. Quòd si ex me sciscitaris, quo gradu confitendum sit Christum talem potestatem excellentiæ non communicasse, nec merendi pro alio, nec certè instituendi sacramenta, quæ artic. 2. proculdubio concluſimus à Christo fuisse cuncta instituta. Respondeo, licèt non ausim contrariam assertionem hæreticum errorem appellare, ob id quòd neque in sacra pagina, neque in sanctis synodis hanc veritatem definitam sit reperire: tamen illam profectò negare, temerarium esset, hoc est, absque vlla ratione assertum, & contra autoritatem Aug. suprà adductam: imò periculosum & sacris literis ægerrimè consonans, & Ecclesiæ professioni dissonum: quæ certè nullam aliter cognoscit ministrorum potestatem in conferenda gratia, quàm per sacramentorum administrationem; secundum illud 2. Corint. 3. Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Et 1. Corint. 4. Sic nos existimet homo vt Dei ministros, & dispensatores mysteriorum Dei, quasi dicat, nullam superiorem habentes potestatem, &c. Ad obolendam. de hæreticis excommunicantur qui aliter de sacramentis, quàm Ecclesia Romana senserint. Et quod nemini fuerit communicatum, quòd eius nomine conferatur sacramentum, patet, quoniam iussio Christi est, vt Apostoli non baptizarent nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & quoties Eucharistiam celebrarent, in eius memoriam id facerent. In summa concilium iam Florentinum decreuit sacramenta conferre gratiam: ergo cùm Christus fuerit eorum autor, plus quàm temerarium esset concedere, quod alij præter ipsum absque eius expressa commissione, vel instituere possint sacramentum, vel materiam aut formam, quicquamve, quod ad sacramenti necessitatem pertineat, vllo pacto immutare.

Conc. Florentinum.

Ad illud ergo quod allatum est ex Paulo ad Colos. 1. respondetur, latum interesse discrimen inter passionem Christi & Apostolorum seu cuiusque iusti: nam passio Christi fuit nobis causa gratiæ meritoria, satisfactoria, & vt dictum est, efficiens per modum redemptionis, qua nos quo ad sufficientiam constituit iustos: sacramenta autem sunt remedia nostræ iustificationis, atque adeò instrumenta eiusdem passionis, per quæ idcirco sola passio Christi applicatur. Neque hoc fuit sanctorum passionibus communicatum, vtpotè qui non sunt nostri redemptores. Attamen ordinatione spiritus sancti eorum passiones in thesauro Ecclesiæ repositæ sunt, vt nobis applicentur per indulgentias. Nam licèt passio Christi infinita fuerit quoad sufficientiam, tamen quoad efficaciam non applicatur in sacramentis, nisi secundum certum gradum; & deinde per nostra opera, secundùm quod nos ipsos per Dei auxilium disponimus. Passiones autem sanctorum applicantur per autoritatem Ecclesiæ ad id supplendum, quòd nobis deest. Quare id minimè ad potestatem attinet excellentiæ.

Respons.

ARTICVLVS V.

Vtrum per malos ministros sacramenta conferri possint.

POSTQVAM duobus primis articulis de Deo visum est, qui principalis est autor virtutis sacramentorum, & in duobus sequentibus de Christo, qui potestatem eorum habuit excellenter, subsequuntur alij duo articuli, in quibus de qualitate ministrorum, quibus merum incumbit ministerium, disputatur. Quæritur ergo quintò, vtrum per malos ministros sacramenta conferri possint. Ad quod respondet D. Th. vnica conclusione. Ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali. Probatur authoritate Aug. loco citato tract. 5. super Ioan. dicentis, nouisse Ioannem potestatem baptismi Christum habiturum, & sibi retenturum: sed ministerium transiturum in bonos & malos. Et subdit. Quid tibi facit malus minister vbi bonus est Dominus? Ratio autem est liquida. Ministri enim Ecclesiæ instrumentaliter operantur: eadem enim est ratio. vt 1. Politic. autor est Arist. ministri & instrumenti: instrumentum autem non agit secundum propriam formam & virtutem, sed virtute eius à quo mouetur, ob idque accidentarium est instrumento inquantum est instrumentum, qualemcunque habeat formam, præter illam, quæ instrumentalis est: sicut accidit corpori medici infirmum esse aut sanũ, si modo intellectus arte medica polleat: accidit quę subinde & fistulæ, per quam aqua transit, argenteane sit an plumbea.

Conclusio.

Augustin. tractat. 5. super Ioan.

Expositio articuli.

Quæstio præsens, quanquam iam nunc temporis nullius sit ambiguitatis, eò quòd asserta conclusio solenniter fit ab Ecclesia receptissima, fuit tamen olim propter hæreticos molestissima. Ministrorum enim qui mali sunt, multi sunt gradus. Alij. s. sunt abiectissimi, vt infideles, qui fidem nostram nunquam susceperunt. Mox apostatæ, qui eam omnino abnegarunt. Deinde hæretici & schismatici. Præterea illi, qui licet non per hæresim sint præcisi, tamen per Ecclesiasticam censuram sunt suspensi & irregulares. Ac demum in infimo gradu sunt christiani ministri peccato mortali irretiti. Et conclusio præsens de vniuersis intelligitur in suo cuiusque gradu. Itaque & laicus infidelis baptizans, verè baptizat, & sacerdotes hæretici, schismatici, & apostatæ verè consecrant, & episcopi verè ordinant. Malus siquidem sacramenti minister bifariam intelligitur: videlicet, & cui id quod est de essentia sacramenti deest, & hic est illegitimus, vt si non sacerdos consecrare præsumeret, aut absoluere: aut si quis absque legitima intentione Ecclesiæ, aut sine forma, aut vera materia baptizare tentaret. Atque hunc planum est non perficere sacramentum. Sed alia est malitia extra essentiam sacramenti, ad mores scilicet pertinens, & hæc ei non officit, quominus celebretur sacramentum. Ait quippe Philo. 2. Ethic. posse quempiam esse bonum artificem, vt pote pictorem, aut argentarium, licèt non sit bonus homo. Et per hoc soluitur argumentum. Si cui occurrerit. Ineptum instrumentum artifici impedimento est, vt si serra non sit bene dentata, aut calamus malè temperatus: ergo pariter ministri vitium sacramento officit. Respondetur, inquam, quòd si minister habeat illa quæ sunt de essentia sacramenti, satis habet, quoad integritatem instrumenti, quatenus est instrumentum.

Conclusionis sensus.

Minister malus bifariam.

Philos.

Atque hoc docet Diuus Thom. argum. tertio, quod est huiusmodi. Si desit aliquod eorum, quod debitum est inesse sacramento, non perficitur sacramentum, sed debitus minister est, qui caret macula, secundùm illud Leuitici 21. Homo de semine tuo, qui

3. Argu.

habuerit

habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: ergo sacramentum illius vanum est. Respondetur autem ad minorem, quòd bonitas morum in ministro non est de essentia sacramenti, sed ad decentiam eius pertinens.

Quòd si cui appareat petitio principij dicere, quòd malitia morum est accidentaria, & non de essentia, attendat bene autoritatem August. interpretantis verbum Ioannis. Cùm enim Christus ipse sit, qui baptizat in Spiritu sancto, internam scilicet gratiam infundendo, fit, vt qualitas ministri, per quem sacramentum applicatur, accidentaria sit. Sicuti, quod hortorum aqua (quod est illic exemplum Aug.) per lapides transeat, non obstat quominus fructus eosdem proferat, quos si per canales aureos transiret. Ad quod maximè pertinet doctrina primi articuli præsentis quæstionis, vbi concluſum est, solum Deum tanquam principale agens ad gratiam sacramentorum concurrere: deuotionem autem ministri iusti nihil ad eundem effectum, qui confertur virtute sacramenti attinere: & ideò ille non datur melior per meliorem ministrum. Id quod rursus distinct. 6. art. 6. luculentius est demonstrandum.

Exemplum Aug. ist.

At quamuis veritas hæc iam sit Catholica, duo tamen præcesserunt eius contrarij errores. Prior solemnissimus Donatistarum, qui aiebant, baptismum ab hæreticis datum non esse legitimum, sed iterandum. Et ratio erroris fuit, quod non discernebant inter duos effectus baptismi, qui sunt character & gratia. Potest enim baptismus, vbi obicem gratiæ inuenit in peccatore qui baptizatur, characterem absque gratia imprimere, ac subinde mortuam fidem. Status ergo litis erat, quòd Donatistæ aiebant, quòd cùm hæretici tam suscipientes, quàm conferentes sacramentum in peccato existerent, eorum baptismus non conferret gratiam, ob idque nullius esset valoris. August. verò & catholici demonstrabant satis esse, vt per characterem verè faceret Christianos, vt non denuò iteraretur, sed dum illi baptizati reconciliarentur Ecclesiæ & pœnitentiam agerent, tunc virtute sacramenti præsuscepti reciperent remissionem originalis, atque adeò omnium actualium, iuxta verbum August. de consecrat. dist. 4. Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cùm fictio veraci confessione recesserit. Præterquam, quòd si qui baptizatur ab hæretico, aut nondum ad vsum rationis peruenit, aut catholicus est sine mortali obice, gratiam pariter cum charactere suscipit. De hac ergo re plurimos Aug. conscripsit libros: nempe septem contra Donatistas in genere, contra Cresconium, contra Parmenianum, & aduersus Petilianum, de vnico baptismo. Atqui illo errore commaculatus fuit Cyprianus Carthaginensis episcopus, vir alioqui doctissimus, simulatque integerrimus, postmodum martyr. Extat enim eius epistola ad Iubaianum, vbi eundem errorem compluribus sacrorum oraculis roborare contendit, vt per illud, Ite baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quam, inquit, confessionem, qui integram non habet, Trinitatis fidem habere nequit. Et per illud, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Aliaque eiusdem sententiæ adducit multa, quæ omnia per ea, quæ dicta sunt, soluuntur. Qui enim baptizat in nomine Trinitatis, in illo nomine & gratiam sacramenti confert, & fidem; licèt ipsa careat, baptizat enim autoritate Spiritus sancti, quem Christus etiam in hunc effectum eis contulit, qui eo carent. Neq; verò primus autor eius erroris Cyprianus fuit, sed Agrippinus quidam (vt Augusti. lib. 1. de baptis. cont. Donat. refert.) Qui quidem error vsque adeò deinceps succreuit, vt concilium extet inter opera Cypr. octoginta Episcoporum eiusdem dogmatis. Vtrùm verò Cypria. viuens errorem illum deposuerit lib. 2 contra Donat. cap. 4. dubitat August. licèt illicò capit. 5. illuc annuat, quòd in illo vsque ad mortem perstiterit. Sed tamen vbertate charitatis, vt dixerat lib. 2. cap. 18. error ille compensatus ab illo est, & passionis falce compurgatus. Post obitum autem Cypriani coactum est concilium Carthaginense primum præsidente Grato Episcopo, vbi decretum est hæreticorum baptisma si fiat intentione & forma Ecclesiæ esse omnino validum. Cui quidem concilio, vt idem ait August. si Cyprianus interfuisset, pro sua eximia humilitate, & pacis desiderio in sententiam Patrum veniisset. Quocirca absit, vt vllo vnquam fuerit tempore ceu hæreticus existimatus: nam sua ætate non erat ille error ab Ecclesia condemnatus. Pòst verò temporis ex eisdem Augustinianis disputationibus, ex alijsque subinde patribus multa decreta in dist. 4. de conse. relata sunt. Vnde quòd baptismus à pagano collatus sit validus, habetur ex Isidoro canon. Romana. Et quod collatus à Iudæo, habetur ex Nicol. canon. A quodam. Et quòd hæretici verè baptizent, si formam seruent trinitatis, habetur canon. Siqui. & Quamuis. vbi decernitur, quod hæretici baptismum in suam pernitiem accipiunt, nihilominus verum. In summa quòd baptismus siue à iusto, siue ab iniquo, siue à quocunque conferatur, sit validus, habetur canon. Si inter. & can. Baptismus. & 1 q. 1. cano. Non nocet. & multis alijs.

Donatistarum hæresis

Status litis.

Cyprian.

Agrippa.

Cyprian.

Concilium Carthag.

Canones.

Has veruntamen sacrosanctas sanctiones non multum reueritus Erasmus, audi quæ verba in præfatione super Cyprianum) scribere ausus est. Porrò qui diuersam, inquit, sentētiam (scilicet catholicam aduersus Cyprianum) sequi maluerunt, mihi quidem non tam argumentis videntur commoti, quàm fauisse ei parti, quæ magis abhorreret à schismate. Et infrà. Quòd si res ab argumentis humanis penderet, & nisi concordia fauorem vbique mereretur, potiùs haberi poterat quod sequitur Cyprianus, quàm quod est receptum. Hæc ille. Erasmo namque anabaptistæ (vt bona venia dixerim) numquam satis displicuerunt.

Erasmus.

Sunt autem nonnulli canones, qui prima facie videntur huic catholicæ sententiæ aduersi, vt 1. q. 1. can. Non sanat. qui est Ambrosij de catechizandis rudibus, vbi ait: Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit. Quod quidem verbum Scotus in 4. d. 5. q. 2. arbitratur intelligi, quando quis extra Ecclesiam baptismum suscipit, vt fiat discipulus baptizantis hæretici. At reuera si legitima seruetur intentio Ecclesiæ tam in conferente, quàm in suscipiente, baptismus valet, licèt baptizatus velit esse hæreticus. Et ideò dexterius intelligitur secundum Gratianum in canon. statim proximo, Hi qui. de baptismo, quem perfidi non seruantes formam Ecclesiæ administrant; vel planiùs profectò glossari textus potest, quòd non sanat baptismus receptus in hæresi, vel in peccato mortali, quia non confert gratiam. Et ad autoritatem Pauli, quæ illic subijcitur ad Roman. 14. Omne quod non est ex fide peccatum est, respondetur posse tam collationem sacramenti, quàm susceptionem esse peccatum, seruata substantia sacramenti, iuxta verbum August. 1. quæst. 1. canon. separati. vbi ait, quòd iniqui formam Ecclesiæ habere possunt in baptizando, virtus tamen in eis esse non potest, licèt per illos in alios transeat.

Canones qui videntur veritati aduersi. Scotus.

Sententia autoris.

Omne quod non est ex fide.

Maiorem autem videtur habere difficultatem cano. Qui perfectionem. ead. causa & q. vbi ait Innoc. Qui perfectionem Spiritus sancti, quam acceperant, perdiderunt, non dare alijs plenitudinem possunt. Sed tamen hoc intelligitur de plenitudine quoad executionem sacramenti susceptí. Vnde benè ait illic glo. quòd Episcopus quantumcumque hæreticus, & schismaticus, & apostata sit, tamen verè ordinat, sed tamen ordinatus irregularis est, ne possit exercere ordines. Atque hoc pacto intelliguntur plures canones eiusdem causæ & quæstionis, de ijs qui per simoniam ordinantur. Sunt enim omnes ab administratione sacramentorum suspensi: & in hoc sensu dicuntur sacramentum conferre non posse: veruntamen si ea administrent, legitima sunt, præter sacramentum pœnitentiæ. Qui enim à iurisdictione suspensus, vel quocunque modo eos, qui non sunt ei subditi, absoluit, non perficit sacramentum.

Canon. qui perfectionem.

Post Donatistarum errorem, fuit etiam error pauperum de Lugduno, quem Ioannes Hus & Ioannes Witcleff complexi sunt: videlicet, quod Deus quemcunque prælatum, vel viatorem suspendit à suo officio vel ministerio quando incidit in mortale. Verba sunt Witcleff, quæ refert Thomas Vualdensis tomo 2. de sacram. canon. tertio, vbi per multa capita eumdem errorem impugnat. Quem etiam D. Tho absurdum ostendit 4. lib. contra gentes cap. 77. Nam secundum istos hæreticos non solùm sacramentum ab hæretico collatum, verùm & à quocunque, qui mortali crimine fordescerer, nullum esset. Simile huic dogma tenet Armacha. lib. 10. cap. 4. nempe, quòd temporale dominium, per quodcunque mortale delictum perditur, siue regnum sit, siue quodcumque inferius.

Secundus error qui fuit Witcleff.

Vvaldensis.

Armachanus.

Quam-

Digitized by Google

Quamplurimis autem iaculis delirium hoc confoditur. Primum enim si similitudinem naturalium, vti Basilius ait in hexamero, spectes, Deus soli virtutem fulgendi tribuit, & cælis mouendi, terræque & animalibus generandi, quæ perpetuo in illis permaneret; quam vtique virtutem ob nulla mortalium scelera & flagitia rebus naturalibus adimit, sed solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: debuit autem multò consultiùs, atque adeò certiùs nobis in rebus spiritualibus prospicere: firmiori ergo ratione ministris Ecclesiæ perpetuam contulit potestatem, quæ, quantumuis mutatis eorum moribus, nunquam mutaretur. Quare & characteres ordinis, qui facultates sunt administrandi sacramenta, indelebiles sunt.

Et aperitur secundò huius rationis radix. Dona Spiritus sancti, quæ non in vtilitatem eorum quibus conferuntur, sed in publicum omnium commodum Deus suæ reipublicæ donat, ea quidem propter perditos eorum mores minimè subtrahit, vt patet de dono prophetiæ, & sanitate, &c. Vnde, vt Matth. 7. legitur, multi iniqui dicent in die iudicij: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Quibus Christus respondebit, Nescio vos: potestas autem administrandi sacramenta in communem vsum Christianæ reipublicæ tribuitur ministris: ergo ex moribus possidentium neutiquam pendet.

Et tertio ad maiorem huius explicationem arguitur. Effectus sacramentorum sunt supernaturales, ad quos ideo producendos nulla bonitas ministri sufficit: ergo neque vlla malitia, quæ bonitati est contraria, potest illos cohibere quominus à Deo producantur. Maledictus enim homo, vt Hiere. 17. legitur, qui confidit in homine: si autem ex ministrorum bonitate nostra penderet salus, mukum fiduciæ nostræ in hominem esset iactandum, quod Deo, in quo tota est collocanda, iniuriosum esset.

Accedit quartò in eandem rationem, quod characteres, vt q. præcedenti dicebamus, non imprimuntur vt habitus virtutum & vitiorum, qui potentias determinant, perstringuntque ad bene vel malè agendum, sed per modum potentiarum, quæ sunt ad vtrumque indifferentes. Quare sicut character baptisinalis potentia est suscipiendi sacramenta siue benè siue malè, ita & character ordinis potestas est vtcunque modo administrandi.

Ad hæc quinto Sacramentum, vt suprà dictum est, virtute operis gratiam confert, quod alij dicunt ex opere operato: ergo hoc fit virtute diuina, quæ à bonitate ministri nullatenus dependet.

Præterea sextò. Effectus non debet assimilari instrumento, sed principali agenti, vt domus non debet assimilari dolabræ aut ferræ, quæ est instrumentum, sed arti, quæ est in mente artificis: ergo quamuis minister sacramenti gratia careat, nihilominus Deus per sacramentum illam confert, per quam suscipiens similis ei fiat, non ministro.

Iam septimò in eandem sententiam August. eodem tract. quinto super Ioann. adducit illud Apostoli 1. Corinth. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Ex quo loco analogia exurgit; quòd si morum malitia nihil naturalibus fructibus obstat, ita neque supranaturalibus, quos Deus ingenerat. Legitur enim Ioan. 4. discipulos Christi baptizandi munus exercuisse, inter quos non dubium quin nequam Iudas idem obierit officium. Quapropter ait August. aduersus Donatistas (quod refertur 1. quæstio. canon. Dedit) Dedit baptisinum Iudas, & non baptizatum est post Iudam. dedit Ioannes, & baptizatum est post Ioannem: quia, qui datus est à Iuda, baptismus Christi est, qui à Ioanne, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi etiam per Iudæ manus datum baptismo Ioannis rectè præponimus.

Insuper & octauò arguitur. Nemini iurisdictio ob peccatum mortale subtrahitur, tametsi isti hæretici negent: Iubet enim Petrus, 1. Petr. 2. dicens: Filij obedite præpositis vestris, non solum bonis & modestis, sed etiam discolis. Imò & Christus ipse Matth. 23. de antiquis Pharisæis, de quibus minor extabat ratio. Super cathedram, inquit, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum autem opera illorum nolite facere: vrgentiori ergo ratione in peccatoribus noui testamenti manet iurisdictio & potestas.

Et nonò arguitur. Consecrationes basilicarum, altarium, & vasorum Ecclesiæ perpetuæ sunt, tamdiu scilicet permanentes, quamdiu ipsæ durant: cùm ergo hæc in ministerium sacerdotum sint consecrata, congruentiùs & eorum consecratione sunt indelebiles.

Denique & postremò arguitur. Si vera esset istorum vesania, cuncta essent spiritualia in ancipiti & ambiguo: peccata namque mortalia non modò secretissimè committuntur, verùm & interno ipso actu cordis, de quo homines iudicare non possunt: si ergo quouis crimine Ecclesiastica potestas ministris deperiret, nemo esset certus an verè à suo prælato absolueretur, aliáve sacramenta legitimè reciperet: quæ cùm sint causa gratiæ, maxima conturbatione & confusione vexarentur fideles. Quo igitur Ecclesiæ autoritate cuncta concludamus, meritissimò eiusmodi hæresis in concilio Constantiensi sessi. octaua contra Ioannem Witcleff, & sessi. decimaquinta aduersus Ioannem Hus fuit anathemate condemnata.

Argumenta contrariæ opinionis ad hæc ferè reducuntur, quæ facit S. Thom. Quorum primum est. Sacramenta nouæ legis ordinantur ad emũdationem culpæ & collationem gratiæ: peccator autem immundus est, & gratia caret: ergo neque alium mundare valet, secundum illud Ecclesiast. trigesimoquarto. Ab immundo quis mundabitur? Neque gratiam conferre, quia nemo dat quod non habet. Vnde Paul. Rom. septimo. Minor, inquit, à maiore benedicitur. Respondetur autem, quòd minister nec per se mundat, nec gratiam confert nisi per applicationem sacramenti, quod est Christi illam infundentis.

Et pariter respondetur ad secundum, quod est huiusmodi. Qui charitate caret, præcisus est à Christo, vtpotè per quam, vt habetur 1. Ioan. 4. Et in Deo manemus, & ipse in nobis: præcisus autem non potest esse instrumentum causæ, à qua præscinditur. Respondetur, inquam, quòd etsi ille, qui charitate orbatur, mortuus sit, vt habetur primæ Ioann. tertio. Qui non diligit, manet in morte, atque adeo sit præcisus; potest tamen Christus vti instrumento mortuo, dummodò sit ei coniunctum per intentionem Ecclesiæ id administrandi, quod ipse instituit. Quare ad autoritatem Pauli respondetur, quod satis est cum qui benedicit, esse maiorem dignitate & officio, quam eum, qui benedicitur, licet probitate & merito apud Deum sit inferior.

Quòd si contra aduersarij illud nobis obiecerint Ioann. 20. vbi Christus Apostolis potestatem remittendi peccata non contulit, nisi simul eis donando Spiritum sanctum: Accipite enim, inquit, Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Respondetur prouidentissimum Deum, cuius perfecta sunt opera, nemini potestatem impertiri administrandi sacramenta, cur non simul & gratiam infundendam curet, vt quod sanctum est sanctè perficiat: si autem ille ob suam culpam eadem gratia caruerit, non idcirco Deus suis sacramentis deest, quo minus per ea internum fructum in suscipientibus operetur. Vnde August. eod. tractat. quinto super Ioann. & refertur de consecrat. distinctio. quarta canon. Baptismus. Ego dico & nos dicimus omnes, quia iustos oportet esse tanti iudicis ministros, si ministrare iustè voluerint; si autem noluerint esse iusti, qui in cathedrà Moysi sedent, securum me fecit magister meus, de quo Spiritus eius dicit. Hic est qui baptizat. Item non timeo adulterum, non ebriolum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur. Hic est qui baptizat.

Postremum autem istorum argumentum, quod ipsi vrgentissimum existimant, est huiusmodi. Peccatores administrantes sacramenta mortaliter peccant, iuxta illud Dionys. primo capitul. Eccle. Hierarc. Malis non est fas nec tangere symbola, id est, sacramentalia signa: Deus autem nemini cooperatur ad malum: nam vt ait Iacobus capit. primo: Deus intentator malorum est: ergo Deus ad illas actiones non concurrit, atque adeò nec illis tanquam instrumentis suis vtitur ad conferendam gratiam. Respondetur verò ad consequentiam per distinctionem consequentis: illa quippe ministri actio considerari potest, aut tanquam humana, qua ratione est peccatum, atque hac ratione ad illam Deus non coagit peccatori.

Inuestigatio horum errorum. 1. Argu.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Octauum.

Nonum.

Decimum.

1. Arg. S. Thom.

2. Argu.

Obiectio.

3. Argu.

Digitized by Google

tori. Secundo modo potest intelligi, tanquam supernaturale diuinumque instrumentum ad conferendam gratiam, qui est proprius effectus Dei. Et hoc pacto nihil absurditatis est Deum illa ad bonum effectum vti. Nihil enim repugnat, quin Deus, licet non sit causa peccatorum nostrorum, illis tamen vtatur in bonum, quemadmodum peccato hominis vtitur, tum vt illum pudore confundat, ac subinde ad pœnitentiam inducat, tum vt alios à simili patrando deterreat.

ARTICVLVS VI.

Vtrum malè ministrantes sacramenta peccent.

POSTQVAM definitum est sacramenta per malos ministros exhibita, esse valida, consequens est inquirere: An eisdem ministris delictum sit illa exhibere. Apparet enim cùm diuinum ministerium exerceant, non peccare. Respondetur nihilominus duabus conclusionibus. Prior. Non est dubium, quin malè exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum peccent. Probatur, nam operari id quod iustum est, non secundùm quod oportet, vt Philoso. lib. 2. Ethic. autor existit, peccatum est. Ministri autem Dei, qui ei, dum eius ministerium exequuntur, non assimilantur, operantur non vt oportet, iuxta illud Leuitici 19. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et Ecclesiast. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: ergo tunc peccant.

Prior conclusio.

Posterior conclusio. Eiusmodi peccatum genere suo est mortale. Probatur: quoniam licèt sacramenta secundùm seipsa incontaminabilia sint; illa tamen indecens eorum administratio ex parte ipsius administrantis, & ad contaminationem sacramentorum pertinet, & subinde ad irreuerentiam Dei, quæ genere suo est mortalis. Confirmantur pariter ambæ conclusiones ex Dionys. 1. cap. Eccles. Hierarch. dicentis, quòd malis non est fas nec tangere symbola, id est, sacramentalia signa. Et in epistola ad Demophilum ait. Talis (scilicet peccator) audax videtur sacerdotalibus manum apponens, & non timet, neque verecundatur diuina præter dignitatem exequens, & Deum putans ignorare, quæ ipse in semetipso cognouit, & decipere æstimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, & audet immundas infamias (ne dicam orationes) super diuina signa Christiformiter enunciare.

Posterior conclusio.

Expositio articuli.

Quæstio hæc nonnullas offert dubitandi causas, & primum omnium inter malos ministros discernendi sunt illi gradus, quos articul. præcedenti distinximus: de apostatis, hæreticis, & quacunque ratione ab Ecclesia præcisis: nempe, siue excommunicati sint, siue suspensi, siue irregulares, aut degradati. Et inter non præcisos alij sunt publici peccatores, alij occulti. Præterea dijudicandum est vtrùm solenniter illa administrent tanquam ex officio, an verò priuatim baptizando. Rursus vtrum sese ingerant, an necessitate cogantur. Nam secundùm huiusmodi qualitates augetur minuiturue peccati quantitas, dum sacramenta administrant. Ob idque conclusiones præsentes in genere constituuntur: nempe; Administrationem sacramentorum in peccato, peccatum esse, idque genere suo mortale. Postmodum namque ad singula, descendendum est, vtrùm nonnunquà excusari possit à tali culpa.

Conclusio prior probatur.

Et quidem conclusio prior, quòd sit aliquale peccatum in dubium reuocari non potest: nam id, quod sanctum est, indignè tractare ratio ipsa naturalis statim admonet esse peccatum. Peccatori namque, vt est in Psalm. 49. dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Si enim lingua res sanctas tangere delictum est, manu illas & officio contrectare, grauius erit. Et Deuter. 16. Iustè quòd iustum est exequeris.

At verò secunda, quòd sit mortale genere suo, non apparet vsque adeo certa. Etenim (vt artic. proximo visum est) morum probitas ministri non ad essentiam, sed ad decentiam attinet sacramenti: omittere autem id, quod non est de essentia, non est vitiare sacramentum, sed non illud meliori modo possibili tractare: eiusmodi autem omissio non est cur censeatur mortalis. Si quis enim non oret, aut eleemosynam eroget, quam benè possit, non ideò mortaliter delinquit; vt si sacris cooperto capite, aut indebitè recubans, aut garriens interfit.

Docta hic distinctione Caietanus respondet. Exhibitio siquidem sacramenti bifariam consideratur. Vno modo ex opere, quod aiunt, operato: scilicet, ex obiecto tanquam opus exhibitum, hoc est, tanquam Dei instrumentum, quo ipse vtitur ad gratiæ infusionem: & secundum hanc rationem probitas ministri non est de eius essentia, vtpotè sine qua suum sortitur effectum. Sed altero modo consideratur, vt opus operantis: videlicet, vt actio humana exiens à ministro: atque illa ratione requirit, vt reuerenter fiat: eo quòd cùm homo tunc sit minister Dei, ipsi coagens, debet simili sanctitate, qua ipse, operari.

Contra secundam conclusionem.

Responsio. 1. Argu. S. Thom.

In contrarium autem videtur argumentum militare, quod primo loco facit S. Thom. Quemadmodum Deo in sacris ministratur, sic & per omnia opera charitatis, secundùm illud ad Hebr. vltim. Beneficentiæ & communicationis nolite obliuiscì; talibus enim hostijs promeretur Deus: peccatores autem non peccant, si in peccato opera charitatis aliarumque virtutum exerceant. Respondet autem sapienter, quòd reliqua virtutum officia nulla sunt consecratione sanctificata, sed sunt partes iustitiæ, quas si iustus iustè exequatur, iustificatur adhuc; sin minùs, peccatorextra gratiam per eas disponitur, vt illam suscipiat. Sacramenta verò in seipsis quandam habent mysticam sanctificationem, & consecrationem: quare genere suo exigunt similem sanctitatem in ministro, vt suo ministerio respondeat, qua idcircò sanctitate si careat, indignè se ministrum exhibet. Perspice duas Sanct. Thomæ rationes, antea enim monstrauit peccatum esse mortale ex genere suo propter irreuerentiam ministri respectu Dei, quia non se præstat illi conformem: modò autem id probat ex obiecti sanctitate similem in ministro exposcente. Confirmatur præterea vtraque ratio ex autoritate superius allegata Ioan. vigesimo. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Christus enim suis ministris gratiam impertitur, vt patet in collatione sacramenti ordinis, vt sua munera dignè administrent, sicut eandem confert in baptismo, vt baptizati eadem sacramenta dignè suscipiant. Itaque collatio illa gratiæ obligationem insinuat tum dignè ministrandi, tum dignè suscipiendi sacramenta: quapropter indignè id exequi, peccatum est.

Responsio.

Sed roges. Cur mortale? Nam tractare indignè sacra non semper est mortale (vt supra diximus) vt osculo tangere hostiam consecratam in peccao, aut indignè illam adorare, aut sacrorum vasa & vestes indignè contrectare. Respondetur hæc omnia esse sacrilegia, sed tamen ex obiecti quantitate pensandum est, quando sit mortale, vt in furto. Sacramenta enim quia sunt, non vtcunque sancta, sed dum exhibentur, per Dei virtutem sanctificantia, suapte natura & ingenio ostendunt indignam eorum collationem esse genere suo lethalem. Secus de alijs sentiendum, quæ minutiora sunt. Quocirca quamuis Adria. in quæstio. de baptismo artic. tertio in secunda part. existimet, quòd eleuare consecratam hostiam de terra aut luto in peccato mortali, sit etiam mortale, non est vero simile: nam illic nulla est administratio sacramenti, nec illud est opus, ad quod ministris conferatur gratia, vt teneantur peccata deponere antequam illud præstent seruitium. Quare potiùs credo illud esse opus religionis atque adeò virtutis, si non adsit sacerdos alius, qui digniùs possit illam leuare, & reuerenter fiat.

Adrianus.

Aliud arg.

Accedit in confirmationem conclusionis argumentum. Sacramentum indignè suscipere, vtpote obicem accipiendæ gratiæ opponendo, est mortale peccatum. Qui enim, inquit Paulus, 1. Corinth. 11. manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini scilicet, quia non discernit cibum illum ab alijs profanis, sed veluti ad mensam sœcularem, sic ad contremendum altare accedit. At neque minister qui sacramentum in mortali exhibet, perinde actionem illam exercet, ac si esset profana & sœcularis: ergo pariter est contaminator sacramenti, atque adeò lethaliter sacrilegus.

1 Cor. 11.

Confirmatur conclusio canonibus sacris.

Hanc conclusionem latè comprobat D. Aug. lib. 2. contra epistolam Parmeniani Donatistæ. Congerebant namque hæretici illi complura sacrorum testimonia, quòd improbi ministri administrantes sacramenta contra Dei nutum id facerent, atque adeò pd illa Deus neminem iustificaret. Et respondet Aug. eiusmodi testimonia id tantum comprobare, quòd illi lethale sacrilegium committerent: nihilominus

Digitized by Google

sacramenta ipsa solida permanerent Dei instrumenta ad iustificandum. Atque ex eius libris multa congesta sunt decreta 1. q. 1. vt cano. Per Esaiam. vbi citatur illud Esaiæ vltim. Facinorosus qui sacrificat mihi vitulum, quasi canem occidat, & qui coquit similaginem, quasi sanguinem porcinum, & qui offert thus in memoriam quasi blaphemus. Et cano. Omnia. Omnia, inquit, sacramẽta obsunt indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus. Et canon. Quod quidam. Separati, inquit, non dubium quin dare possint sacramenta, sed tamen illa perniciosè tradunt. Idem in canon. Remissionem. & canon. Necesse est. Munda, inquit, sit manus, quæ sordes diluere curat: scriptum enim est Esa. 25. Mundamini qui fertis vasa Domini. Et de consecrat. distinct. 4. canon. Baptismus. paulò antè citato. Iustos, inquit, oportet esse tanti iudicis ministros, si iustè ministrare voluerint. Et Leuit. 22. Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Et Exodi 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificentur, ne fortè derelinquat eos Dominus: Si ergo sacerdotes antiquæ legis qui egena illa sacramenta, vti ait Paulus, nihilatenus sanctificantia tanta cum sanctitate ad altare accedere iubebantur; quantò grauiori sacrilegio sacerdotes Euangelici commaculari creduntur, dum sacramenta, quæ de latere Christi ad sanctificandum animas effluxerunt, non pro dignitate contrectant? Vnde de temporibus ordi. c. Quæsitum. admonitum est, vt sacerdotes, qui sunt in crimine sub interminatione diuini iudicij sint obtestandi, vt in testimonium suæ damnationis in susceptis ordinibus non ministrent.

Corollarium. Ex his fit consequens, quòd quanto quis maiore culpa, aut magis præcisus est, absurdiùs peccabit; vt apostata quàm hæreticus, & hæreticus quàm suspensus, & degradatus quàm simpliciter excommunicatus, & publicus peccator, quam occultus. Item ex parte sacramenti grauius sacrilegium esset Eucharistiam celebrare, quàm aliud administrare sacramentum. nam propter reuerentiam corporis Christi illic contenti ait peculiariter Paul. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Haud enim tantùm edere & bibere, verùm & consecrare in peccato mortali lethale esset: nam est actus ille excellenter hierarchicus. Tametsi qui confitetur se celebrasse in mortali, ambo vno verbo confitetur. Dictum est autem administrare sacramentum in peccato mortali esse mortale ex genere: nam ex imperfectione actus non erit mortale; vt si quis fureturr ouum. Hæc autem imperfectio potest attendi ex parte obiecti, vt si quis in peccato contrectaret vasa sacra. Item licet contrectaret sacramenta non tamen actione perfecta.

De diacono & subdiacono. Quocirca dubium est de diacono, & subdiacono in sacramento altaris ministrantibus: nam ex vna parte apparet esse mortale, si in peccato administrent: confertur namque eis dum ordinantur gratia, vt dignè administrent. Quare (vt suprà diximus) obligatio inde resultat dignè administrandi. Ex altera verò parte durum profectò apparet, illos tam acriter condemnare. Ad hoc in primis respondetur, quòd cantare in peccato epistolam in Ecclesia etiam publicè ei qui nõ est subdiaconus, nullum est peccatum: mos enim est sacristarum. De diacono autem, & subdiacono vbi solenniter administrant, qui dixerit propter argumentum factum peccare mortaliter, nihil affirmauit quod sit improbabile. At verò lubentiùs dicerem non esse mortale, nam etsi gratiam ad hoc recipiant, tamen imperfectio actionis admonere videtur, non esse tam strictam obligationem, quàm in sacerdote: siquidem per illam lectionem Euangelij & suam administrationem nullam operantur sanctitatẽ, nisi, vt dictum est, imperfectè.

De prædicantib. in mortali. Ex administratione sacramenti gradum hic fecit Caiet. ad prædicatores, vtrùm prædicare in peccato mortali, sit mortale. Quæ quidem ambiguitas ex duplici capite dirimenda est Primò ex obiecto, vtrùm illud sit officium alicui ordini annexũ, & ad id munus exequendum gratia conferatur. Secundò ratione effectus, & fructus prædicationis qui impeditur, dum fit in peccato mortali. Et ratione prioris capitis ait *Caieta.* hic Caietanus esse mortale: quia prædicare, inquit, est actus, ad quem minister consecratur: nam eius, ait, minister ex officio est Episcopus primò, & secundariò sacerdos. At profectò ex isto capite non est cur officium prædicandi, dum fit in mortali, sit mortale. Nam primùm ex iure diuino prædicare non est officium annexum ordini sacro; imò prophetæ antiquitus prædicatores erant, essentque modò si existerent: & eremitæ patres prædicabant in eremo, nec tamen erant sacerdotes, neque ideo mos ille reprobatur. Quinuerò Gregor. 1. dialogorum libro, quendam laicum Equitium nomine laudibus commendat, quod prædicaret populo. Adde quod in ordinatione sacerdotum nulla fit mentio prædicandi; neque illis deceret absque maiori examine parem facultatem impartiri. Nam de diacono iam supra diximus, quòd datur ei potestas legendi Euangelium, & docendi articulos fidei. Tametsi Ambrosius super illud ad Ephes. 4. Dedit quosdam Euangelistas, dixerit nomine Euangelistarum comprehendi etiam diaconos, quibus olim Euangelizare licuit sine cathedra. At verò iam non possunt sine episcopi facultate. *Ambros.*

De iure autem positiuo prædicare omnes prohibentur, nisi fiat sacerdotes, vt 27. q. 1. capit. Adijcimus. est videre. Et de Hæreticis. cap. Sicut præcipitur. cohibentur laici prædicare. Et cap. Excommunicamus. le. 1. eod. tit. sub excommunicationis sentẽtia prohibetur prædicare nisi cui ex officio vel commissione incumbit. At verò neque hinc sequitur omnib. sacerdotibus ex officio id competere, neque ipsis solis. Quòd enim non omnibus, patet ex decretis concilij Constantiensis sessione 8. & 15. vbi condemnatur Ioan. Witcleff, & Ioan. Hus dicentes, vniuersis sacerdotibus virtute suæ ordinationis incumbere officium prædicandi. Imò requiritur episcoporum licentia, iuxta illud Paul. ad Rom. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Verum est tamen, quòd vbi sacerdoti confertur beneficium, cui annexa est animarum cura, conceditur subinde ei prædicandi munus. At verò etiam ex diaconi commissione episcopi prædicare possunt: imò episcopi non sacerdotes. igitur ex isto capite prædicare in peccato mortali non est mortale, quia non est officium, ad quod per ordinem sacrum confertur gratia. Atque re perfectiùs perspecta, id ipsum tenet ipse Caietan. in summa, verbo, Prædicatorum peccata.

Alterum caput. Alterum verò caput maiorem infert difficultatem. Vnde subdit illic Caietan. prædicare in peccato mortali esse mortale propter iniuriam, quæ fit prædicationi, iuxta illud Psalmi 49. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Existimasti iniquè, quòd ero tui similis; quasi bona iubens, & mala faciens? Arguam te, & statuam contra faciem tuam, id est, te ipsum tuis proponam oculis, vt in te cernas, vtrùm tua prædicatio tuis sit moribus congruens. Et Paul. ad Roman. 2. Qui prædicas non furandum, furaris, &c. At verò hoc moderamine Caiet. suam sententiam mitigat, vt intelligatur, dum prædicator prædicat studio & animo prædicandi indignè: nam si cum tremore & reuerentia malens prædicare dignè, officium exerceat, non esset, inquit, peccatum mortale.

Bona dist. Sed forsan aliter æquiùs distinguendum est, vt si sit peccator publicus, prædicare profectò non posset absque mortali crimine: nam tunc propter scandalum directè fructui prædicationis obstat, iuxta verbum Gregor. in pastorali. Necesse est cuius vita despicitur, eius prædicatio contemnatur. Et Arist. 10. Ethic. Dum sermones, inquit, moribus dissonant, contemnuntur, & veritatem interimunt. Quare vt Paul. loco citato ad Rom. 2. ait per huiusmodi prædicatores, qui prædicant non furandum, & publici sunt latrones, nomen Dei blasphemari inter gentes. Quando verò quis est occultus peccator, qui nullum sinistrum dedit exemplum, & tunc maximè quando ex officio incumbit, non esse peccatum tum timore, & reuerentia prædicare: nam posset sua prædicatio esse fructuosa. Contemptus verò semper est mortalis. Vt si quis tam impudenter prælicationem vilipenderet vt indignum non putaret illam in peccato exercere. *Gregor. Arist.*

Vt ad rem igitur redeamus, ordinemque D. Thom. sequamur, quæritur secundo argumento, vtrùm similij se culpa conuoluant, qui ab huiusmodi nequam ministris sacramenta suscipiunt. Arguitur enim. Qui alicui in peccato communicat, reus ipse eiusdem fit sceleris, secundùm illud ad Roman. 1. Digni sunt morte *2. Argu. S. Thom.*

non solum ij qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus; si autem mali ministrando peccant, illi qui ab eisdem sacramenta suscipiunt, illis communicant in crimine: ergo & peccant, quod apparet inconueniens. Respondetur autem sub distinct. Dupliciter siquidem contingit ministrum esse malum, sc. aut dum toleratur ab Ecclesia, aut dum non toleratur, sed est ab ipsa præcisus: videlicet, quia degradatus est, vel suspensus, vel excommunicatus. Duæ igitur constituuntur conclusiones. Prior conclusio. Si minister ille nequam toleratur ab Ecclesia, tunc licet ab illo sacramenta suscipere, neque vllum delictum est. Et est ratio: quia cùm permittente Ecclesia suo quisque vtatur iure, non censetur tunc homo communicare scelesto illi ministrò in quantum delinquens est, atque adeò nec eius sceleri, sed functioni Ecclesiæ cuius minister existit. Posterior conclusio. Si autem ab Ecclesia non toleretur, sed sit vel degradatus vel suspensus, vel excommunicatus, non licet ab eò sacramentum suscipere, imò est peccatum. Cuius ratio est: quia tunc qui sacramentum ab eo suscipit, facit contra obedientiam Ecclesiæ.

Prior conclusio.

Posterior conclusio.

Conclusionum elucidatio.

Vtraque autem istarum conclusionum nonnihil adfert difficultatis. Prior scilicet, quia si tam generaliter veritatem contineret, sequeretur, quod liceret etiam peccatorem non præcisum inducere ad conferendum sacramentum. Et pariter si secunda tam strictim esset intelligenda, sequeretur, quòd nec in extrema necessitate fas esset à præciso sacramentum expetere. Quorum vtrumque consequens videtur rationi dissonum. Igitur vt ab argumentis abstineamus, perspectius per octo subsequentes propositiones ambas conclusiones elucidabimus. Videas namque inter doctores tanta confusione, & perplexitate rem hanc pertractari, vt vix inde certi quidpiam venari queas.

Prima propositio.

Prima itaque propositio sit. A quòcunque sacramentorum ministrò, non præciso, sed tolerato ab Ecclesia, dummodo paratus sit sacramentum ministrare, licet cuicunque illud suscipere, siue in necessitate, siue extra, si modò ex officio aut priuilegio posset illud ministrare: nam nisi vel prælatus sit, vel delegatus, nemo potest extra mortis articulum sacramenta exhibere. Exempli gratia; licet mihi per diplomatis priuilegium, quem maluero confessarium eligere, sunt plures ad audiendas confessiones sedentes, quorum Petrum ego scio in concubinatu viuere, tunc quamuis possim eligere alium probum, licet etiam mihi eligere Petrum. Imò verò si ille est doctior, qui sapientius valeat meam conscientiam discutere, consultiùs fecero, si eum præ alijs elegero. Verùm est, quòd si in cæteris omnes sint pares, nonnulla culpa erit illum præoptare; nunquam tamen erit mortalis, nisi forsan tam esset publicus peccator, vt mea eiusmodi confessio scandalum offerret populo. *Scot.* autem in 4. d. 5. quæst. 2. dicit, cæteris paribus semper eum esse eligendum, cui id ex officio incumbit. Quin etiam dum occurrente extrema necessitate baptismi laicus probatus adest, & sacerdos improbus, citius eligendus est sacerdos qui baptizet, quàm laicus. Quod quidem (cùm tunc baptizare sine solennitate in peccato non sit peccatum, vt infrà videbimus) verum est. Si autem solenniter esset baptizandum, potiùs eligendus est ille, qui creditur sine peccato suo functurus munere. Conclusio hæc vniuersis est citra controuersiam assertissima, atque hunc sensum facit prior propositio S. Thom. quam & eius ratio inducta demonstrat. Qui enim sic suscipit sacramentum, nullo modo cooperatur peccato alterius: solùm enim ille dicitur cooperari alteri qui eius peccati causa est; in hoc autem casu cùm conferens sit paratissimus, & suscipiens nullatenus eum moueat, fit vt neque eius peccati simul causa. Eò potissimè, quod non postulat vt alter peccet, sed vt sacramentum det, quod potest respiscendo iustè facere. Adhibent nonnulli rationem, quòd cùm quisque sit bonus existimandus, ille qui petit, existimare debet peccatorem illum mente conuertendum antequam officium suum præstet. At verò hæc existimatio non est necessaria. Quinimò quamuis petens sciat, quòd ille non sit contritionem habiturus, nil refert, quia alter sibi solus est causa; sicuti dum quis ab exposito vsurario mutuum fœnerato petit. Textus est expressus 15. q. 8. canon. Scisciteantibus. vbi Nicolaus ad consulta Bulgarorum eandem conclusionem decernit: scilicet, vt à quocunque sacerdote siue adultero, siue alia sinistra fama resperso (quousque iudicio episcoporum reprobetur) communio percipienda sit. Quoniam mali administrando se tantummodo lædunt, &c. fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Hæc ibi.

Scot.

In contrarium autem militare videtur tex. in canon. Si qui sunt. 81. d. vbi Gregor. cohibet, omnes officijs eorum presbyterorum interesse, qui sunt in publico concubinatu. Respondetur, canonem intelligi de notoriè concubinarijs, qui olim suspensi erant ab officio; & ideo interdicebatur populus ne eorum sacra audiret, vt patet can. Nullus. & can. Præter. d. 32. Iam verò arbitror illud non esse in vsu quousque per sententiam condemnentur; imò si postea corrigantur, non sunt ipso iure suspensi, vt habet glos. in dicto can. Nullus.

Aliter autem contra ea quæ dicta sunt arguitur. Sequeretur inde licitum esse ab eo sacerdote, qui paratus est sacramentum simoniacè vendere, illud mercari. Item quamuis quis crederet per suam auricularem confessionem confessarium vel in libidinem concitandum, vt si honesta puella ipsi confiteretur: vel in homicidium irritandum, vt si qui patrem sacerdotis occidit, non alium nanciscì posset, cui confiteretur, quàm eius filium, qui timeretur mortem patris simili damno vindicaturus. Respondetur neutiquam huiusmodi consequentias valere. Et quidem de baptismo, an scilicet, propter eius extremam necessitatem in periculo mortis infantuli liceat eum à simoniaco emere, non ad hunc locum disputare pertinet, sed ad materiam simoniæ. Quare D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad hoc respondit, & nos satis copiosè lib. 9. de iustitia & iure q. 6. art. 1. id discussimus. Sed alia emere sacramenta omni proculdubio nullo modo licet: hoc n. qui faceret, non solùm cooperaretur flagitio ministri, sed per se ipse scelestus esset: quoniam sacramentum non solùm vendere, verùm & coëmere, peccatum est.

Respondetur ergo præsentem conclusionem solùm intelligi de peccato præcisè, quod est administratio sacramenti, hoc n. ille qui petit, dum minister paratus est, euitare non cogitur. Secùs de alijs adiunctis. Haud ergo puellæ in tali casu aut homicidæ licet confiteri eiusmodi sacerdoti, vt in 4. d. 17. q. 3. art. 3. autor est S. Tho. Neque hoc in dubium venire potest, vt illic fusius disputabimus. Nam (vt ait Bern.) quod pro charitate institutum est, contra charitatem militare non debet.

Secunda propositio.

Secunda propositio. Nemini licet eiusmodi improbum ministrum non paratum, neque offerentem sacramentum ad id inducere, nisi vel petentem necessitas cogat, vel exhibentem officium obliget. Probatur: quia quempiam in peccatum inducere, peccatum est, eò quòd sit causam dare peccandi. Et sicut de damno ait regula iuris, sic & qui causam culpæ dat, culpam dedisse videtur. Quemadmodum neque licet eum, qui ad id non est paratus ad mutuandum cum fœnore inducere.

Argu.

Quòd si contra vt superiùs, arguas. Ille qui sacramentum pœnitentiæ petit, non inducit alium vt delictum faciat, sed vt sacramentum conferat, quod respiscens ipse exhibere iustè potest. Respondetur quòd si ille qui inducit, scit, aut credit alium non esse conuertendum, licèt non concurrat formaliter ad eius peccatum, concurrit tamen materialiter ad illud opus, quod scit in illo fore peccatum. Vt si quis delectationis gratia, & non vt faciat malum, succenderet ignem, quo scit arsuras alienas segetes, neutiqam à culpa eximeretur. Secùs quando ille est paratus, quia tunc petens neque mouet ad crimen formaliter, neque materialiter.

Tertia propositio.

Tertia propositio. Licitum est eum qui non est præcisus, & quem scio indignè administraturum sacramentum, inducere si sit meus prælatus.

Quarta propositio.

Quarta. Licet etiam eundem inducere, quamuis non sit meus prælatus, ego tamen sim in necessitate sacramenti constitutus. Has duas conclusiones adstruit in præsentiarum Caiet. & (vt credo) probè & rectè. Probatur ergo tertia. Prælatus meus, etiam extra necessitatem, tenetur mihi nisi ab Ecclesia cohibitus sit, quoties petiero sacramentum ministrare, ergo dum peto, & induco, & cogo, meo vtor iure,

qui

qui autem vtitur iure suo, vt est in c. Cum Ecclesia Vulterana, de electio. & in l. Iniuriarium. ff. de iniurijs, nemini iniuriam facit: ergo licitum est petere. Eodem prorsus modo arguitur ad quartam conclusionem, quoniam dum quis extremæ subest necessitati, vnusquisque ei, si potest, tenetur opem ferre; atque adeò id petens ius habet vnumquemlibet inducendi ad administrandum sacramentum. Quod si arguas. Inducere ad malum de se est malum, ergo nullo casu licet. Respondetur, hoc non esse propriè inducere ad malum, sed inducere ad id, quod ius est petentis: quod quidem alter facere tenetur, atque adeò bene facere: quare si non vult se in gratiam Dei recipere vt id faciat, sua erit culpa. Et idem est in extrema necessitate. Secùs extra hos duos casus: nam tunc non habeo ius inducendi ad collationem sacramenti.

Cõclusionis moderatio.

Hic autem non præteribo hanc moderari necessitatem. Hæsitabit enim lector, vtrùm solùm necessitas implendi præceptum Ecclesiæ, etiam circa articulum mortis, faciat sibi ius inducendi peccatorem non paratum, vt ei administret sacramentum. Exempli gratia. Sub articulum Paschatis confiteri teneor, habeo indulgentiarum gratiam, vt possim eligere confessarium, vtrùm possim inducere non paratum? Respondetur, si sit meus prælatus possum quidem, quia cùm ipse teneatur, ius habeo illum vrgendi. Alium verò ministrum minimè: nam licèt priuilegium mihi facultatem faciat quemlibet eligendi: nemo autem, qui meus non est prælatus, tenetur meam audire confessionem: quare ego non habeo ius compellendi; atque adeò nec inducendi, sed solùm in extrema necessitate mortis: quia cum confessio & absolutio hominem possit facere ex attrito contritum, periculum est, ac perinde, vbi sacerdotis copia haberi potest nefarium crimen absque sacramento absolutionis de vita decedere. Et multò æquius sacramentum baptismi in extrema necessitate à quocunque, quantumuis peccatore exigitur. Atque hæc de malo ministro non præciso.

De ministro præciso. Concil. Constantiense.

In transitu autem ad præcisos præmittenda est constitutio Constantiensis concilij paulò post tempus D. Th. celebratum, vbi ad consulendum timoratis conscientijs indultum vniuersis Christianis est, vt possimus cum quolibet excommunicato communicare, tam in sacris etiam recipiendis, quàm extra sacra, duobus præcisè exceptis casibus; videlicet si sit aut nominatim excommunicatus, aut manifestus clerici percussor. Tametsi text. ille non sit in concilio Constantiensi, sed in Basiliensi. At verò vt D. Antoninus 3. par. titu. 25. cap. 2. refert, decretum illud in concilio Constantiensi fuit definitum, & statim in Basiliensi sub Martino quinto receptum. Adria. autem in 4. in quæst. de confessione, art. 3. de clauibus, ait concilium Basiliense excepisse super Constantiense vniuersos notoriè excommunicatos ob quodcunque crimen, quod nulla possit tergiuersatione celari, & ita ipse dictum decretum sustinet. At verò hoc esset timoratas conscientias illaqueare, quibus Constantiensis synodus consultum voluit. Nam sæpe in dubio versatur vtrùm crimen sit vsqueadeò notorium. Quapropter vsus Ecclesiæ tam amplam exceptionem non recipit nisi illam dumtaxat concilij Constantiensis, quam quidem constitutionem, vt Antoninus (inquit) Papa Martinus viua voce in perpetuum confirmauit.

D. Anton.

Adrianus.

Quinta propositio.

Hac ergo præiacta constitutione subijcitur quinta conclusio. A quocunque per simplicem excommunicationem præciso (si non fuerit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clericorum) sitque paratus sacramentum ministrare, licet cuicunque tam in necessitate quàm extra, sacramentum percipere, perinde ac si non esset præcisus. Si autem fuerit nominatim excommunicatus, aut manifestus clericorum percussor, minimè licet. Conclusio hæc nulla indiget, præter authoritatem concilij, alia probatione.

Dubium.

Dubium autem hinc emergit; vtrùm eiusmodi excommunicatum non nominatim liceret perinde inducere, ac si non esset præcisus in duobus superioribus casibus, scilicet, vel quo esset inducentis prælatus, vel quo inducens esset in extrema necessitate sacramenti. Et ambiguitatis ratio est, quòd qui non est excommunicatus, per solam animi contritionem licitè potest conferre sacramentum, ad quod inducitur. Si autem sit excommunicatus, quamuis non nominatim, etiam si sit in gratia, non potest iustè id perficere antequam absoluatur ab Ecclesia: quare alter inducit eum ad id, quod sine culpa facere nequit, quod apparet nefas, eo præsertim, quod in dicto concilij decreto subditur. Per hoc autem non intendimus ipsos excommunicatos in aliquo releuare; aut eis quomodolibet suffragari. Propter quod verbum Adrian. in qu. de baptis. art. 3. in 2. argumento ad oppositum tenet huiusmodi excommunicatos ministrando sacramenta peccare, quamuis alij licitè eadem ab illis recipiant. Paludan. autem in 4. distinct. 5. quæst. 2. ait excommunicatum in extrema necessitate baptizando non peccare, propter necessitatem illius sacramenti, de cæteris autem silet.

Adrian.

Paludan.

Sexta propositio.

His tamen non obstantibus addiderim conclusionem sextam. Licet eiusmodi prælatum excommunicatum, sed non nominatim etiam extra necessitatem, ad sacramenti collationem inducere. Primò enim quispiam probare hoc posset dicens, quod quamquam ipse minister iniquè agat, nihil ad inducentem, qui vtitur iure suo; sicuti qui petit iuramentum ab infideli, quem certissimo scit iuraturum per falsos deos. At quoniam nimis est rigidum hominem compellere, qui non possit ab excommunicatione absolui, ac perinde (vt Adrian. putat) nec sine peccato ministrare, secundò id efficacius probatur. Illi, inquam, citra nominationem excommunicati administrantes sacramenta casu, quo petens habet ius petendi, & inducendi, nempe quia parœchianus eius est, si modo per internum animi motum conterantur, nulla inficiuntur culpa in excommunicatione ministrando sacramenta. Hoc enim ex dicto concilio colligitur. Cùm enim consulendo timoratis conscientijs in bonum petentium concessit illam excommunicationem cum excommunicatis, ex rei consequentia concessit ipsis excommunicatis, vt sacramenta præberent quando alias tenerentur. Alioqui non satis fuisset petentibus consultum, nam tunc illi ministri perplexitate complicarentur, vtrinque scilicet, siue sacramentum præberent, siue secùs, peccatum timentes. Imò possent se iustè defendere, allegantes se non posse id facere sine scelere, quod nulla prorsus de causa vlli fas est committere.

Sententia autoris.

Septima propos.

Huic ergo conclusioni septimam adiunxerim. In extrema necessitate pariter licèt quemcunque inducere, etiam excommunicatum non nominatim, nec clericorum percussorem. Quæ quidem conclusio eodem rationis vigore comprobatur; quandoquidem tunc quisque potest eum quocunque taliter excommunicato communicare. Itaque quo rem concludamus, idem est prorsus de illis permissis in concilio Constantiensi, quod de alijs superioribus, toleratis ab Ecclesia. Hanc igitur ob rem cùm audieris, toleratum ab Ecclesia, intellige non nominatim excommunicatum, nec percussorem clericorum. Cùm verò audies præcisos, intellige nominatim excommunicatos, aut percussores clericorum, atque alios, quos protinus explicabimus. Quòd ergo continuò in concilio subnectitur. Non intendimus eos tamen releuare, &c. eatenus intelligitur, quòd illi excommunicati nec possunt suscipere sacramenta, nec ad ea conferenda sese ingerere, nisi iure compulsi. Quare si non sint prælati, aut petens in extrema necessitate, nullo modo nec à quouis requisiti debent sacramenta administrare. Neque verò in hisce casibus excusantur, nisi per contritionem apud Deum emendati; quoniam ministrare in peccato extra necessitatem baptismi, vt confestim videbimus, semper peccatum esset.

Nota resolutionem.

Octaua propos.

Octaua denique conclusio. Ab illis, qui præcisi sunt; videlicet, aut per excommunicationem pronunciati, & nominati, aut per notoriam clericorum percussionem excommunicatione condemnati: neutiquam licèt sacramentum suscipere, neque eos inducendo, neque etiam si ipsi sint parati dare, neque si sint prælati. Hoc patet, quia esset contra obedientiam Ecclesiæ, & hic est sensus secundæ conclusionis Sanct. Thom. in hac solutione 2. Sed contendum est de illis quantum ad hoc, ac si non essent sacramentorum ministri.

At verò animaduertendum est, quòd nomine excommunicatorum nominatim veniunt hæretici, schismatici, & apostatæ, si sint hæresis, apostasiæ, aut schismatis condemnati, atque etiam simoniaci, atque adeò omnes qui per sententiam fuerint pronunciati, & condemnati alicuius criminis, cui annexa est excommunicatio: & præterea quicumque proprio nomine propter aliquod aliud delictum fuerit pronunciatus

Digitized by Google

excommunicatus. Pariter nec licet à degradatis, qui in perpetuum præcisi sunt, nec ab alijs, qui per publicam sententiam sunt suspẽsi, nec ab irregularibus, quoniam concilium solùm permittit communicationem cum ijs qui non acriori censura tenentur, quam excommunicatione. Vtrùm verò ab hac generali conclusione vllus sit excipiendus casus extremæ necessitatis, noua quæstio est, quam iamiam excutere properamus.

3. Arg. S. Thom. Est ergo tertium argumentum sanct. Thom. Nulla in lege Dei contingit perplexitas: quia sic homo cogeretur desperare, quasi non potens peccatum euadere: sed si mali peccarent sacramenta tradendo, essent perplexi, quia etiam quandoque peccarent si sacramenta non traderent, puta cùm officij necessitas eos cogit. Habetur enim 1. Corinth. 9. Væ mihi si non euangelizauero: necessitas enim mihi incumbit. Quandoque etiam propter periculum; vt si infans periculo mortis subiectus peccatori baptizandus offeratur. ergo peccator non contrahit, nouam culpam sacramentum administrando. Responsio autem est trimembris. Primum enim ait, quod peccator dum necessitas officij occurrit, potest per internam pœnitentiam gratiam inire cum Deo, & tunc iustè ministrare.

Primum assertum.

Distinctio. Ad huius autem & subsequentium intellectum supponenda est illa superior distinctio mali ministri, qui esse potest aut præcisus ab Ecclesia, aut toleratus. Et quidem D. Thom. absque vlla hic restrictione loquitur, tametsi de illo sermonem videatur facere, qui non est præcisus: nam dicit prælatum, dum officij necessitas occurrit, per pœnitentiam contritum posse exhibere sacramentum. Et tamen si esset præcisus, hoc non sufficeret, vt ritè id faceret, nisi absolueretur ab excommunicatione. Interpretandum ergo hoc est iuxta illius tenorem, quod diximus in sexta conclusione proximè posita. Quòd si peccator vel nulli subest Ecclesiasticæ censuræ, vel est toleratus iuxta tenorem concilij Constantiensis; scilicet, quòd non est nominatim excommunicatus, &c. tunc sufficit ei interna pœnitentia, vt rectè administret. Secùs si sit omnino præcisus.

Secundum dictum. Secundum autem dictum S. Thom. est, quòd in articulo necessitatis non peccaret, qui existens in peccato baptizaret, in casu, in quo laicus baptizare posset: quia tunc non se exhiberet ministrum Ecclesiæ, sed necessitatem patienti subueniret. Neque hic distinguit inter præcisum, & non præcisum. Per hoc autem, quòd dicit in casu, in quo posset etiam laicus baptizare, insinuat, quòd etiam si sit sacerdos, potest in tali casu inculpatè baptizare.

Durand. Durand. autem in 4. distinct. 5. quæst. 2. quorundam opinionem refert, quamuis illam non retineat, quòd nullus peccator sine discrimine inter præcisum, & non præcisum, sacerdotem vel laicum quamuis extrema ingruat baptismi necessitas, potest absque culpa baptizare. Et rationes opinionis sunt duæ, his, quas D. Th. insinuat, contrariæ. Prior, quòd nunquam occurrit necessitas baptizandi in peccato: nam in potestate cuiusque est se in gratiam per Dei auxilium constituere vt rectè baptizet. Secundò, quia nemo potest baptismum administrare nisi vt minister Ecclesiæ; nam in tanta necessitate omnes sunt ministri, quare qui tunc in peccato baptizat, omnino peccat.

Probatur sententia S. Thom. Nihilominus vera stat sententia D. Th. quæ omnino, etiam Durandi, confessio est; quòd quamuis solenniter baptizare in peccato, nemo absque noua culpa valeat, tamen in necessitate absque solennitate non est peccatũ. Et ratio capitalis est: quia tunc homo non se exhibet, vt minister in hoc sensu, quòd gratiam ad id muneris susceperit, quod quidem per hoc ostenditur, quod laicus etiam tunc baptizat. Quare cùm omnes tunc sint ministri, nullus propriè destinatur. Atque hinc emergit secunda ratio; quòd cùm necessitas vniuersos homines tunc cogat baptizare, durissimum creditum est omnes tunc in eas angustias cogere, vt teneantur pœnitudinem habere peccatorum: quod reuera sæpe difficillimum est, non solùm, vt exploretur discutiaturque conscientia, ad quod in illo momento necessitatis tempus non suppeteret; verùm neque vt legitima semper habeatur in genere scelerum detestatio.

Dubium de præcisis. Dubium autem, quod hic nonnihil videtur habere difficultatis, est: an videlicet ista sententia vsque ad præcisos etiam illos, qui neque à concilio Constantiensi tolerantur, protendatur, vt baptizando non peccent. Scotus namque & Paludan. distin. 5. quæstio. 2. ac subinde Adrian. in quæstio de bapt. artic. 3. quorundam referunt opinionem tenentium, quod non liceat ab huiusmodi ministris nec sacramentum baptismi in extrema necessitate recipere. Imò si ille, qui baptizari optat, adultus est, & alius non adest minister, baptismo flaminis sit contentus. Si verò pater cupit suum infantulum baptizari, nec ipse tamen habet manus aut linguam, vt id nato suo præstet, neque alium sortiri potest ministrum, quam præcisum, potiùs debet, inquiunt, illum mori permittere, æternaliter periturum, quàm illo vtatur ministro: quia vbi non est nisi minister præcisus, perinde est, ac si nullus adesset. Sed reuera nullum talis opinionis autorem legi: citatur enim in illam sententiam in margine Scoti Ricard. in 4. dist. 5. artic. 3. quæ. 3 vbi expressè contrarium tenet, sicut hic Sanct. Thom. qui etiam illic cum eo allegatur. Non ergo in quæstionem vertitur: vtrùm ab eiusmodi præcisis sacramentum suscipere liceat, quandoquidem art. præcedenti constitutum est, ab ipsis hæreticis baptisma posse celebrari. Et quòd in tanta maximè necessitate sit eiusmodi susceptio laudabilis, est expressa sententia August. lib. 1. de vnico baptis. & refertur 24. quæstio 1. canon. Si quem fortè. *August.* vbi quendam laude commendat, qui in articulo mortis baptismum ab hæretico & petijt, & suscepit. Et Adrian. refert Chrysostomum (vt allegatur, inquit, in lib. cano pœnitentialium) in hæc verba. Si qui infirmitate detentus morti appropinquauerit, & sacerdos vel clericus defuerit, tunc ab alio in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizari poterit: pœnitentia autem & communio à nullo suscipienda est, nisi à catholico. Quasi dicat, baptismum verò etiam ab hæretico. *Chrysost.* Rationem autem huius veritatis subdit Scotus, quod præceptum superioris plus obligat, quàm inferioris. In necessitate autem Deus præcepit baptismum suscipi nullum determinando ministrum: ergo prohibitio Ecclesiæ cohibentis præcisos ab illo munere in hoc casu cessat. Quòd si ratio hæc alicui petitio appareat principij, eo quòd cùm Ecclesia diuino spiritu agatur, dicere ille posset, præceptum diuinum intelligendum esse secundùm Ecclesiæ determinationem, atque adeò si ipsa prohibet à præcisis in necessitate baptismum suscipi, Deus id approbat. Formatur sic argumentum. Quod consultissima Ecclesia in illo arctissimo casu quo paruulo aliter succurri non potest, nullatenus creditur vetuisse, quo minus à quouis possit sacramentum suscipi: nam & si præcisos communicare cum cæteris prohibeat, tamen in temporalibus, quando quis extremam patitur necessitatem, aut famis, aut morbi, minimè eum vetat ad præcisos recurrere, qui ei subueniant. Quòd si contra ex dicto S. Thom. arguas, sanè qui in solut. 2. absolutè dixit, non licere, ab illo qui non toleratur ab Ecclesia, sacramentum suscipere, quia hoc esset eius peccato communicare, vbi insinuat tam peccare eum qui suscipit, quàm ipsum qui confert. Respondetur, vt benè hic ait Caietan. ipsum subintellexisse exceptionem quam expressit in 4. d. 5. q. 2. ar. 2. quæstiun. 5. scilicet in extrema necessitate baptismi, quando etiam à Pagano & Iudæo suscipi potest.

Si autem adultus in articulo mortis desiderio ardet baptismi, tunc, vt illic ait Sco. non caret dubio, an possit à præciso suscipi, dum non est alius ministri copia, pro eo, quòd tunc cum baptismus flaminis sufficiat, non videtur extrema necessitas ingruere. Omnibus tamen, inquit, pensatis melius esset, vt suscideret. Hæc ille. At verò si tunc potest, proculdubio, vt bene ait Adrian. tenetur suscipere. Alias baptismus flaminis nihil ei prodesset.

Dubium vlt. Res ergo, quæ postremam dubitationem offert, est: vtrùm ipsi præcisi in illa extrema necessitate sine solennitate baptizando vbi nullus alius adest minister, peccent: nam postquam absolutè absque vllo moderamine præscinduntur, videntur peccare. Nihilominus respondetur tunc, non peccare. Nam si tunc Ecclesia illos cohibere cogitaret, non satis prouidè baptismi necessitati prospiceret, quoniam cùm non sint facienda mala, vt inde eueniant bona, iustè se illi à functione tunc baptizandi excusarent, vtpote quod sine culpa præstare nequirent. Quocirca prouidentissima Ecclesia, quamuis hæreticos, atque alios absolutè præscindat, neutiquàm tamen hunc casum cogitat comprehendere. Imò vt superiùs de concilio

Constan-

Digitized by Google

Constantiensi, ita & nunc dicimus, quòd permittens nobis in extrema necessitate baptismum à præcisis suscipere, subinde permittit ipsis illum conferre. Quare hoc secundum dictum S. Thom. absolutè de quolibet malo ministro præciso, siue non præciso intelligitur, quod scilicet non peccat baptizando.

Ex quo demum amplissima colligitur conclusio. Vniuersos mortales nemine excepto ministros esse baptismi in extrema necessitate, si modò defectus naturæ non obstet: nam (vti ait dist. 6. q. 1. Scotus) cùm tria sint ad baptismum necessaria: nempe materia, forma, & intentio, & manum habere debet, qua aquam aspergat, linguam quæ formam proferat, & sanam mentem, qua id facere intendat quod Ecclesia iubet.

Tertium dictum S. Th.

Tertium dictum eiusdem Sanct. Doctoris est, quòd vno excepto baptismo; in cæteris sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, non sunt excusandi eiusmodi peccatores, si in peccato eadem administrent. Imò neque illa sacramenta fas est ab ipsis suscipere. Verùm verò ab eiusmodi præcisis vbi nullus haberi potest alius minister, in extremo articulo mortis sacramentum pœnitentiæ suscipere liceat, in materia de confessione examinandum restat.

Sacramentum matrimonij.

Sacramentum autem matrimonij in peccato contrahere, propterea peccatum est, quòd opponitur obex recipiendæ gratiæ, non autem ex altero capite: eo scilicet quòd contrahentes (vt suprà diximus) sunt ministri: quoniam non sunt ministri consecrati, sed sicut laicus in necessitate baptizans.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Angeli possint sacramenta ministrare.

POSTQVAM homines definitum est esse sacramentorum ministros, sequitur de Angelis, tam damnatis, quàm beatis, de quibus D. Thom. quatuor conclusionibus respondet.

1. Concl.

Prima. Ad homines pertinet dispensare sacramenta, & in eis ministrare; non autem ad Angelos. Probatur præcipuè ex illo ad Hebr. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum (qualia sunt sacramenta) Angeli namque non sunt ex hominibus. Et subiungitur ratio. Tota sacramentorum virtus à passione Christi derivatur quam pertulit inquantum homo, cui in natura homines similes sumus, non autem Angeli: imò secundùm eandem passionem, vt legitur ad Heb. 2. modico ab illis minoratus est: ergo homines ministri esse debent illius non Angeli.

2 Concl.

Secunda conclusio. Nihilominus ipse potest Christus Angelis virtutem tribuere eadem ministrandi sacramenta. Probatur, quia sicut virtutem suam sacramentis non alligauit, quin possit sine ipsis eorum effectum largiri; ita neque alligauit eam ministris, quo minus possit eandem functionem aliis committere.

3. Concl.

Tertia conclusio. Si constaret aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perfici, habendum esset pro rato: quippe cùm, vt nomen Angeli sonat, nuncij sint veritatis; constaret subinde voluntate diuina id perfecisse: sicut constat templa quædam Angelico ministerio consecrata.

4 Concl.

Quarta conclusio. Si verò dæmones eiusmodi sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum existimandum, quia cùm sint spiritus mendaces, timendum esset ne fallere contenderent.

Expositio articuli.

Quæstiuncula hæc facillimæ expeditionis est. Quamuis Caietan. inter D. Tho. & Scotum litem intexere contendat, quæ forsan nulla est. Ait quippe Scotum tenere d. 5. q. 1. Angelum posse sacramentum baptismi conferre, quia potest loqui & immergere puerum cum intentione Ecclesiæ. At verò cum duplex sit sacramentorum minister; alter ordinarius, scilicet per latam à Christo legem constitutus, de quo Sanctus Tho. primam adstruit conclusionem quòd ille sit solus homo; alter verò per commissionem, de quo subdit in secunda, quòd possit esse Angelus: Scotus nihil discrepare videtur, sed similiter ait, quòd si bonus Angelus baptizaret, credendum esset diuino præcepto id facere, atque adeo baptismum tenere. Etenim sicut in festo Michaëlis legitur quòd prohibuit ne homines Ecclesiam in monte Gargano dedicarent: quippe quod sibi illud officium diuinitus esset commissum: ita Deus potest sacramentum baptismi per Angelum perficere. Nemo ergo est qui neget via ordinaria non nisi homines institutos à Christo sacramentorum ministros. Primum propter autoritatem illam ad Hebr. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, &c. Secundò quia Christus Matth. 28. solis hominibus dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Tertiò propter congruentiam egregiam: nam Christus, vti ait Paul. nunquam Angelum assumpsit, sed hominem in quo humanum genus redimeret; quare & hominibus eum decuit sua committere ministeria. Imò hac ratione id non commisit nisi viatoribus. Nempe vt ministri, & quibus ministratur, eiusdem essent militiæ, vel actu, vel potentia: nam baptismi, vt dictum est, quilibet homo potest esse minister. Quare dum in concilio Florentino sancitur tribus perfici sacramentum, scilicet materia & forma & persona ministri, homo illic designatur.

Conc. Florentinum.

Veruntamen his nihil obstantibus potest idem redemptor noster similem extraordinariè potestatem Angelis bonis committere, propter aliquam excellentiam personæ quæ baptizatur, tanquam egregium miraculum fidei, sicuti de Clodouæo Francorum Rege in vita Remigij legitur; quòd cùm ad fidem conuersus sacro fonte tingeretur, neque haberetur copia chrismatis, columba rostro illud in ampulla aduolando attulit. Igitur Caietan. illud argumentum, quod Scoto obmolitur, tenetur ipse in fauorem D. Tho. dissoluere. Arguit quippe Caiet. Angelum propterea non posse baptizare, quòd non potest loqui, vt homo, sed æquiuocè: nam locutio hominis est actio viuentis: cum autem Angelus in assumpto corpore loquitur, non nisi linguam mouet corporis vita carentis. Respondetur autem satis esse, vt angelus, tanquam Dei minister, baptizet, quòd voces humanas nutu Dei, efformatas proferat, quibus Dei mentem, cuius potestate loquitur, significet. Veluti de rubo, vt Exo. 3. legitur, locutus est Moysi. Ego sum Deus patris tui, &c. Quinetiam eadem ratione nihil obstat, quo minus animabus beatis possit idem Christus committere vt resumptis corporibus id perficiant. Imò si D. Petrus huc rediret, posset sine noua commissione ratione characteris, quem habet indelebilem sacerdotalem sacramenta ministrare, sicuti dum erat viator, vt ex solutione 2. colligemus.

De Clodouæo.

Argumentum Caiet.

De dæmone.

De dæmonibus autem damnatis maius esset dubium. In primis ergo licèt constaret à demone hominem aliquem baptizatum, non esset illud sacramentum habendum pro rato, quia cùm sint illi patres mendacij, non esset credendum legitimam habuisse intentionem.

Nota.

Quid autem si certissima reuelatione constasset, habuisse legitimam intentionem Ecclesiæ, adhibuisseque veram materiam & formam? Apparet quidem inde, tunc verum resultasse sacramentum, vtpote vbi omnia conuenerant, quæ sunt de essentia sacramenti.

Alex. Alen.

Ad hoc Alex. 4. p. q. 16. membro. 4. ait, neque illud esse pro sacramento ducendum. Et ratio est, quòd cùm lege à Christo hactenus, edita, nullus sit minister sacramentorum, nisi homo institutus: nullus angelorum, nisi ex eius speciali dispensatione est minister. Quare etsi liquidò constaret conuenisse illuc materiam & formam & intentionem, deesset nihilominus legitimus minister, nisi apertissima reuelatione constaret id dispensatione & iussione Dei fuisse factum. Nunquam tamen credendum est, Deum talibus sacramentorum ministris vsurum, quibus homines sanctificat.

1. Argu. S. Thom.

Argumenta S. Thom. facillima sunt. Primum est. Angeli secundùm Dionys. de cæleſt. hier. superiores ministri sunt quàm homines: quicquid autem potest inferior, potest superior: ergo Angeli sunt sacramentorum ministri. Responsio autem est, argumentum concludere, ea quæ homines more suæ naturæ per sensibilia sacramenta faciunt, Angelos superiori modo efficere: purgando scilicet, illuminando, & perficiendo.

2. Arg.

Secundum argumentum est. Homines sancti, vt habetur Matth. 22. sunt in cælo similes Angelis: aliqui verò eorum, qui fuerunt presbyteri ratione characteris sacerdotalis, quem habent indelebilem, possiunt sacramenta conferre si huc redirent: ergo & Angeli. Negatur consequentia: quia licèt sint hominibus in gloria similes, non tamen sunt in materia & sacerdotio. Concedit ergo D. Th. quod beati possiunt, vt nouissimè diximus, potestate ordinaria sacramenta ministrare.

3. Argu. Tertium argumentum est. Homines mali possunt sacramenta ministrare, ergo & diabolus qui est malorum caput. Negatur consequentia: quoniam homines peruersi non per malitiam, per quam sunt membra diaboli, sed per Dei institutionem conferre possunt sacramenta.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

Concl. AD tractatum ministrorum attinet de eorum intentione inquirere, an sit necessaria. Ad quam quæstionem D. Tho. vnica respondet conclusione. Oportet in ministro esse intentionem per quam id intendat facere, quod per formam significatur. Probatur primò, quia sacramentalis actio debet esse humana, hoc est, iudicio deliberata: ergo debet ex intentione ad proprium effectum dirigi, sicut actio artificis. Quæ enim absque intentione fiunt, vt 2. Phy. ait Philosopus, casualia sunt, & fortuita, quod actioni, quæ fit à ministro Dei maximè derogaret. Secundò, id quod ad multa indifferens est, per aliquid debet ad vnum determinari. Illa autem ablutio, quæ fit in baptismo, ad multa ordinari potest, vt ad corporalem munditiem, ad sanitatem, & ludum, &c. ergo opus est ad illum vnum effectum baptismi per ministrum determinari, vt scilicet baptizare intendat baptismo Ecclesiæ: quemadmodum id per formam significat. Ego te baptizo in nomine Patris, &c.

Expositio articuli. Conclusio præsens non solùm intelligitur quantum ad decentem sacramenti ornatum: imo intentio de eius existit essentia, quemadmodum in concilio Florentino declaratum est. Quinuerò est de iure diuino, nam vbi Christus Apostolis dixit, Matth. 28. baptizantes, ea intentione eis iussit munus exequi qua ipse sacramentum instituerat. Et idem de Eucharistia. Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. Et de pœnitentia: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. In summa ea ratione discipulos suos sacramentorum ministros sibi substituit, vt sua ipsius intentione huiusmodi obsequia perficerent.

Scotus. At verò quoniam non sat est theologis, dicere, sic Deus instituit: imò cùm ille cuncta suauiter disponat, rationem eos reddere condecet, cur sic Deus instituerit. Alex. 4. par. q. 13. memb. 1. art. 1. dicit rationem esse, propter reuerentiam sacramenti. Attamen si intentio non esset necessaria, vel nulla, esset irreuerentia illam omittere, vel saltem sine illa sacramentum perficeretur. Ob id ergo S. Thom. aliam rationem adducit quamuis eam paulò differenter posuerat in 4. d. 6. q. 2. art. 2. cum Richardi eadem d. ar. 1. hoc modo. Vbi plura ad vnum effectum concurrunt, oportet per vnum coniungi, vt aliquo modo vniantur: in sacramento autem concurrunt & materia, & forma ad vnam sanctificationem, oportet ergo vt vna intentione ministri coniungantur. Scot. verò d. 6. q. 5. hanc rationem impugnat, dicens, satis esse, vt illa plura institutione Dei instituentis faciant vnum signum & causam. Attamen impugnatio hæc multò minùs videtur habere efficaciæ, quam ratio: quoniam minister habere potest intentionem aliam, quàm fuerit diuina institutio: & ideo requiritur in eo intentio similis intentioni Dei. Exactiùs nihilominus illam hic rationem D. Tho. explicat dicens, quòd opus est illam actionem sacramenti, quæ de se indifferens est ad plura, per intentionem ministri determinari ad illum effectum, ad quem Deus illam instituit.

Argum. Quòd si in contrarium arguas. Superius D. Tho. q. 60. ar. 7. docuisse per verborum formam determinari materialem actionem ad illum effectum, ac proinde non opus esse alia intentione. Negatur consequentia: quia illa verba, Ego te baptizo, nisi illa essent intentione vestita faciendi quod facit Ecclesia, nunquam ablutionem ad sanctificationem referrent. Itaque intentio proximè determinat formam, & per formam materiam.

1. Arg. Hoc autem explicatiùs S. Tho. in solutione primi exponit. Arguit siquidem. Minister in sacramento non operatur nisi tanquam instrumentum: actio autem non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum illam, quæ est in principali agente mouente instrumentum, ergo sufficit intentio Dei sine alia ministri. Respondetur secundam præmissam solùm habere locum in instrumentis inanimatis, quæ non agunt per cognitionem: calamus namque non propria, sed sola intentione scribentis mouetur. Minister autem, vt sæpè diximus, non est merum instrumentum, sed animatum; vtpote qui licèt moueatur imperio directioneque superioris, nihilominus etiam suum adhibet consensum, & ideo requiritur in ipso intentio similis principali agenti, vt scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia.

Dubitatio. Circa hoc tamen postremum verbum adnotandum est, de huiusmodi intentione trinam esse ambiguitatem. Prima versatur circa eius obiectum; quid nempe debeat minister intendere: & hæc tangitur præsenti verbo. Secunda circa eius existentiam; videlicet, an semper requiratur internus mentis actus, an verò sola sufficiat externa verborum prolatio: & hæc tangitur in 2. argumento. Tertia, vtrùm ille actus debeat esse præsens, dum sacramentum confertur, an verò sufficiat esse in habitu vel in virtute. Et quidem de primo membro S. Tho. nihil aliud dicit, quàm quòd requiritur intentio faciendi quod facit Christus & Ecclesia. Atque id in conc. Florentino sub eisdem verbis determinatum est. Et profectò hoc satis est ministris nosse. Scotus verò ad huius luculentiorem explicationem in 4. d. 6. q. 5. distinguit de obiecto huius intentionis. Potest enim, inquit, quis primò intendere abluere hominem. Atque hanc primam intentionem ait esse requisitam, alias non esset actus humanus, vt supra dictum est. Secundò, inquit, potest ferri intentio in finem illius ablutionis, aut supremum, qui est facere hominem Dei filium per gratiam, per quam acceptatur ad gloriam: aut proximum, qui est facere illum Christianum, hoc est, membrum Christi, seu viuum seu mortuum, quale fit sine gratia per fidem informem. Ait ergo non requiri intentionem, quæ feratur in illum supremum finem: quoniam paganus dum baptizat, haud credit per illam cæremoniam baptizatum illum diuinitus acceptari in vitam æternam: requiritur tamen, vt feratur in proximum finem. Et quidem conclusio hæc quantum ad priorem partem, certissima est ex iure canonico, nam 1. q. 1. can. Spiritus sanctus, refertur historia Ecclesiastica de puero Athanasio, qui fingendo se episcopum ludo baptizabat pueros, intendens Alexandriæ episcopum repræsentare, hoc est, id facere intendens, quod ille solebat. Quos ipse Alexander verè baptizatos censuit, & tamen puer ille tunc nihil de vita æterna cogitabat. Et can. Non illud. De consect. d. 4. ait ad Bonifacium Aug. quòd licèt quis nõ propter finem vitæ æternæ, sed propter aliquem temporalem finem baptizet suos paruulos verum est sacramentum (intellige si fiat cum intentione Ecclesiæ.) Quinimò vt art. 10. apud D. Tho. patebit, licèt quis intentione peccandi mortaliter baptizaret, intendendo scilicet adulterium vel homicidium, si tamen vnà intenderet facere, quod Ecclesia facit, esset baptismus. Quòd autem requiratur intentio faciendi hominem Christianum, non aliter probat Scotus, quàm vt illa lotio distingueretur ab alijs profanis, & fieret intentione Christi, qui id intendit. Nihilominus neque ista requiritur expressa & in particulari, sed confusa & in genere faciendi quod Christus & Ecclesia facit, quicquid illud sit. Quare nec duæ requiruntur expresse, scilicet, vna abluendi, & altera huius effectus, sed hæc sola generalis modò dicta. Ob idque prudenter S. Thom. de nulla præterea meminit. Neque verò concilium Florentinum, sed hanc omnino Diuus Thomas ait sufficere.

Concilium Florent. Scotus.

Non requiritur expressio huius vel illius Ecclesiæ. Contra hoc autem arguitur. Inuestigando vtrùm requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia Romana vel Catholica. Hæretici namque non habent huiusmodi intentionem, imò neque Græci ad Romanam Ecclesiam specialiter aspiciunt. Respondetur, quòd neque hoc exprimere opus est, sed sufficit generalissima intentio faciendi quod Christus instituit, vel orthodoxa Ecclesia, quæcunque illa sit. Quare licèt hæreticus erret sitne sua Ecclesia vel alia, verè baptizat. Imò nec requiritur vt formaliter dicat, quod facit Ecclesia, sed satis est si intendat talem cæremoniam in remissionem peccatorum facere, vel quòd per illam Deo sit ille dedicatus. Imò, vt statim de Athanasio puero dicemus, satis est intendere id facere, quod facit Episcopus: vel sacerdos, hæc enim omnia eandem habent virtutem.

Digitized by Google

2. Argu. S. Thom.

In secundo argumento tangitur secunda difficultas. Arguitur enim. Nemini esse potest nota alterius intentio: si ergo intentio ministri ad sacramenti substantiam sit necessaria, tunc ille qui suscipit certus esse nequit an susceperit: & cùm aliqua sint sacramenta ad salutem necessaria, vt baptismus, nemo certitudinem habere posset suæ salutis. In responsione autem impugnata vna opinione, sequitur altera. Ait siquidem quorundam opinionem fuisse, quod etsi mentalis intentio ministri sit necessaria (audiui quosdam legere, specialis, sed si ad literam attendas, nullatenus legendum iudicabis nisi, mentalis) tamen vbi illa deest, defectum illum in pueris, qui baptismum flaminis habere nequeunt, supplet Christus, qui interiùs baptizat: adultis verò baptizari cupientibus, sua fides & deuotio sufficit. Reprobat autem hoc D. Tho. dicens, quod licèt id sustineri posset quantum ad gratiam iustificantem, non autem quantum ad characterem, qui verè facit Christianum: nam ille per solam deuotionem suscipientis sine sacramento in re non imprimitur. Solutio ergo vera est, quod cùm minister in persona totius Ecclesiæ agat, cuius est minister, prolatio formæ satis exprimit intentionem Ecclesiæ, quæ ad susceptionem sacramenti sufficit, nisi contrarium exterius vel ex parte ministri, vel ex parte suscipientis exprimatur.

Exponitur mens D. Tho. Palud.

Vt autem ab hoc postremo verbo exordiamur, videtur hic D. Tho. insinuare nullam exigi intentionem ministri interiùs in mente, sed satis esse exteriorem verborum prolationem. Quam quidem opinionem Palud. dist. 6. q. 2. art. 3. vt probabilem recitat, non tamen tanquam S. Thomæ, sed aliorum eam nomine refert. Aiebant enim illi, quod in sacramentis, vbi minister non est principale agens, sed merum instrumentum, non requiritur mentalis intentio faciendi, quod Christus vel Ecclesia facit, sed solùm applicandi illam materiam, & proferendi illam formam, tunc enim intentio Ecclesiæ sufficit. Nam dum Dominus per seruum rem suam vendit, licèt seruus ille minimè intendat transferre rei illius dominium, non vitiatur contractus. Et dum quis per interpretem confitetur, aut per nuntium contrahit matrimonium; quanquam interpres aut nuntius nihil intendat nisi proferre verba, sacramentum & contractus tenet. Et dum quis stuppam applicat igni, quamuis non intendat illam inflammare, nihilominus inflammabitur. Et apparet eidem opinioni verbum Aug. patrocinari quinto tracta. super Ioan. quod refertur 1. q. 1. can. Dedit. vbi ait. Non timeo ebriosum in actu baptizandi. Ebrius autem nequit intentionem habere. Item illa historia can. Spiritus sanctus. ea. causa, & q. de puero Athanasio, qui ludo baptizabat pueros, vbi idcirco nullam videbatur habere intentionem Ecclesiæ, cuius tamen baptisma Ale. ratum habuit. In matrimonio autem, dicebat illa opinio, requiritur intentio contrahentium: quoniam contrahentes non sunt mera instrumenta, sed principales causæ ipsum cõtrahendi. Et pariter in omni suscipiente sacramentum: quia suscipiens non est instrumentum, sed ille qui sanctificari intendit.

Durand. & Alexand.

Dur. autem d. 6. q. 2. hanc opinionem impugnat, atque Adri. in q. de bap. art. 3. quæstiun. 4. Nisi quòd Dur. non recitat eam tanquam S. Th. sed Adria. est, qui ei ipsam propter hæc verba impingit. At profectò vt est falsissima, ita nullatenus est S. Th. Primum n. si nulla esset intentio necessaria faciendi quod facit Ecclesia, vana esset assertio doctorum, & concilij Florentini, qua definitur requiri præter materiam & formam, intentionem ministri: nam in hoc, quod dicitur, materia & forma intelligitur, quod velit tam materiam applicare quàm formam: actus n. exterior & volitio interior pro eodem reputantur. Cùm ergo insuper addatur requiri intentionem, alia intelligitur. Item quia tunc si quis merè iocando aliũ baptizaret, non intendendo facere quod facit Ecclesia, sed solum volendo applicare materiam & formam, quas ipse applicat, esset verus baptismus: quod est erroneum. Ad hæc si intentio suscipientis requiritur, vt infrà d. 5. art. 7. patebit, ob id quòd ille est subiectum recipiens, multò efficacius requiritur in ministro: nam actio potiùs pensatur ex parte agentis, quàm ex parte passi.

Est sententia S. Th.

Et quòd illa non sit opinio S. Thom. palam hic est manifestum. Ait n. quòd requiritur intentio (quod quidem nomen sonat actum mentis) quo determinentur materia & forma ad talem effectum. Requiritur ergo secundum eum intentio, non solùm applicandi materiam & formam, sed ipsius effectus, quem subinde explicat in solutione primi, dicens quòd licet in instrumento inanimato non requiritur intentio, requiritur tamen in eo quod est animatum: atque adeò requiritur in ministro intentiò faciendi, quod facit Christus & Ecclesia. Non ergo credendus est illico in solutione 2. sibi contradixisse. Quapropter Palud. hanc etiam censet opinionem S Thom.

Ad argumenta contraria opinio.

Vnde ad argumenta alterius opinionis respondetur, quod quando Dominus vult per voluntatem & prudentiam serui negotium transigi, profectò eius intentio etiam requiritur: Christus autem voluit per ministros sacramenta administrari, tanquam per illos, quibus negotium demandabatur, & ideo requiritur in ipsis intentio faciendi quod ipse instituit. Ad illud autem Augu. Non timeo ebriosum. Respondetur, non dixisse ebrium, qui est ille, qui actu caret rationis vsu. Ille enim non magis potest baptizare, quàm mente captus: ebriosus autem habere quandoque potest rationis lumen, vt baptizet. Ad aliud autem de historia Athanasij respondet bene Hugo lib. 2. part. 6. cap. 13.

De Athanasio puero Hugo.

quòd hominem quidpiam facere ioco, stat dupliciter. Vno modo, fingendo se facere, quod non facit: vt cùm quis in comœdia fingit se lugere, & non luget: & per talem fictionem non fieret sacramentum. Altero modo verè id faciendo licèt ioco: & isto modo faciebat ille Athanasius: ludendo enim intendebat facere quod Episcopus faciebat, non solùm applicare materiam & formam. sed facere quicquid ille intendebat, quod perinde valebat, ac si habuisset intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Secus si per merum iocum id fieret. Ait enim August. lib. 7. contra Donatistas cap. 53. & refertur de consecrat. dist. 4. can. Solet. quod, vbi totum ludicrè, & mimicè, & ioculariter ageretur, vtrùm approbandus esset ille baptismus, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum esset expectandum. Hæc ille. At verò vbi res esset dubia, non opus esset miraculum expetere, sed denuò iterandum esset sub conditione sacramentum.

Exponitur S. Thom.

Tandem ad Adria. qui arbitratus est illam reprobatam opinionem fuisse S. Tho. respondetur cum Caietano, quòd ex eius argumento debuisset elus mentem expiscari: argumentum enim instituebatur non de intentione si requiratur, sed solùm de certitudine suscipientis: & ideo non somniauit dicere sufficere in ministro prolationem verborum sine mentali intentione faciendi quod facit Ecclesia, sed illam prolationem sufficere ad conscientiam suscipientis pacandam: nempe, vt certò credat ministrum talem habuisse intentionem: nisi contrarium alia via certiùs constiterit.

Dubium graue.

Sed ais. Illa non est euidens certitudo. Fatemur quidem ingenuè, sed nec requiritur euidens, sed illa satis est ad conscientiæ quietem: quoniam neque semper certitudinem habemus, an ministri sint verè sacerdotes, sed cùm videmus homines probos vti forma, & materia Ecclesiæ, credimus sanas etiam, Christianasque habere mentes dum sacramenta ministrant. Grauius tamen profectò dubium emergit ex primo membro solutionis, vbi videtur D. Tho. consentire quòd si desit intentio ministri, Christus in pueris supplebit defectum, saltem conferendo gratiam. Hoc enim vsqueadeo non est certum, vt sit temerarium credere. Id quod vbicunque locus occurrerit, admonere non cessabo. Est enim opinio, quam (vt Gabr. refert) ex Alex. 4. par. q. 13. membro 1. ar. 1. solutione ad 4. multi eliciunt. Quam & Dur. loco citato. d. 6. q. 2. pro certa affirmat. At verò Alex. in illa non perstitit, nec verò potuit. Nam vt d. 6. q. 1. ar 6. latè disputabimus, nemo alteri primam gratiam meretur, nisi merendo illi bonum motum in Deum, quo se per Dei fauorem ad illam præparet. Hoc enim soli reseruatum est Christo. Alioqui non redderet Deus vnicuique secundùm opera sua, & prout gessit in corpore. Cùm ergo paruulus ante vsum rationis talem motum habere nequeat, & sacramentum ei nullum applicetur, nihil illic Deus supplebit. Stat enim lex generalis. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Quare ille peribit propter peccatum originale. Aliàs confiteri deberes, quòd etiam si nulla applicaretur puero exterior cæremonia baptismi, Deus suppleret defectum, siue id esset ex incuria parentum, siue secus: nam puer nihil fecit cur non saluetur. Ex

quo rursus sequeretur, quòd baptismus non esset ad salutem necessarius: quod est manifestè hæreticum. Præterea confirmatur: quoniam sequeretur, vt si postea constaret ministrum non habuisse intentionem, non opus esset illum puerum baptizare saltem propter gratiam illi infundendam, nisi propter præceptum parentum: quod est falsum. Ac demum sequeretur, quòd si sacerdos non intenderet consecrare, pariter Deus suppleret defectum, quod est assertum temerarium. De hoc autem d. 5. art. 2. latiùs. D. ergo Th. in præsentiarum noluit id dicere, quod prima facie sonat, vt ab alijs allegatur. Cùm enim illam opinionem recitaret quoad supplementum gratiæ in puero & in adulto; postea tamen in impugnatione nihil resumpsit de puero; imò quia non erat hic locus de illo disputandi, id prætermisit: sed de solo adulto resumpsit, quòd licet per deuotionem recipiendi sacramentum, possit suppleri defectus sacramenti, vt infundatur gratia, non tamen vt imprimatur character Nimirum insinuans, quòd de puero non habente deuotionem neque quoad gratiam suppleri possit.

3. Arg. Tertium tandem argumentum tertiam ambiguitatem eneruat. Arguitur enim. Intentio hominis non potest esse circa id, ad quod non est attentus: ille autem, qui sacramentum ministrat, quandoque ad id non attendit propter mentis diuagationem: ergo tunc non perficeretur sacramentum. Respondet autem, sufficere habitualem intentionem, vt scilicet cum sacerdos accedit ad baptizandum, id intendat facere quod Ecclesia præcipit. Vnde si dum est in officio, mens aliorsum rapitur, in virtute prioris intentionis perficitur sacramentum.

Triplex intentio. Hic autem animaduertendum est secundum Scotum d. 6 q. 6. triplicem esse intentionem; scilicet, habitualem, & actualem, & mediam virtualem. Habitualis est habitus, qui est in dormiente, quando de re nihil cogitat. Vnde prima sit hic propositio. Habitualis intentio non sufficit ad sacramentum: quoniam sacramentalis actio, vt supra diximus, debet esse actus humanus iudicio deliberatus: habitus autem solus non sufficit facere actum deliberatum, nisi aliqua interueniat mentis aduertentia. Habet quis habitum misericordiæ, sed fortè nihil de illa virtute cogitans proijcit pecuniam, quam pauper colligit, ille actus non est misericordiæ, imò potest esse indeliberatus. Item medicus artem habet, qua sibi mederi potest, tamen nihil de sanitate meditans deambulat & sanatur: illud tunc exercitium non fit ex arte. Pariter si quis habens habitum baptizandi, qui hodie semper fuit mente alienatus, licèt fortè materiam, & formam applicet puero, non esset baptismus, defectu intentionis. Et confirmatur hoc. Dormientes & amentes vice versa ex habitu multa faciunt in somno & in amentia: nam habitus, vti ait Arist. operatur ad modum naturæ: atque adeò nonnunquam ex impetu absque deliberatione: quare dormiens profectò posset ex habitu baptizare: qui tamen baptismus defectu intentionis non esset baptismus, imò nec actio libera. Requiritur ergo vt aliquis mentis actus ministri præcedat in sacramẽto.

1. Propo.

2. Propo. Secunda propositio. Neque actualem intentionem functioni sacramenti adesse requiritur propter rationem D. Th. Obligaret n. nos Deus ad impossibile: quandoquidẽ humanum ingenium adeò est lubricum, vt cogitationem non diu in re vna retinere possit. Vnde Aug. in lib. de libero arbitrio. Non est, inquit, in potestate nostra, quin visis tangamur.

3. Propo. Ex his ergo colligitur propositio tertia. Requiritur semper aut actualis intentio aut saltem virtualis. Probatur à sufficienti diuisione: quia si habitualis non sufficit, & actus non semper requiritur, fit vt absenti actu requiratur, & sufficiat virtualis intentio. Hæc autem est quando præcessit intentio actualis, quæ mouit potentias ad agendum, qui quidem motus cessante priore intentione semper durat, nisi per contrarium actum interrumpatur. Triuiale exemplum est, dum quis proponit visitare Apostolorum limina, & in medio itinere edormit, atque alia cogitat: manet n. tunc virtus primi propositi.

Est autem deridicula opinio, vt illic bene ait Scotus, dicentium illam primam intentionẽ imprimere virtuti motiuę membrorum virtutem illius finis, ad quem mouẽtur, qui durat postea, sicut proiectorum impetus. Est inquam ludicra opinio, quoniã nihil aliud est manere in virtute, quàm initio mouisse mẽbra ad illum finem.

Forsan ergo quispiam D. Thomam remordeat, quòd hic dixerit habitualem intentionem sufficere. Enimuerò, vt hic ait Caiet. non ipsum latuit differentia hæc; imò licèt dixit habitualem, expressit tamen virtualem, dicens sufficere, quòd sacerdos accedens ad baptizandum intendat facere quod facit Ecclesia, in cuius intentionis virtute postea operatur. At vocauit habitualem, quia fortasse tempore suo non sic vocabatur: quoniam operatur ad modum habitus permanenter absente actu. Imò posset esse virtualis intentio sine habitu. Vt si quis modò inciperet sacramenta ministrare, nondum genito firmatoque habitu

Bona dubitatio. Ac forsan hic quispiam pulsaret animum, quanta scilicet intercapedo temporis sufficiat, vt illa, quæ præcessit intentio, neque in virtute duret. Planum enim est, quòd si sacerdos illa die, qua nascitur infans, proponat illum baptizare, sed tamen in toto dierum octonario, nunquam amplius de eo cogitet; sed sicut dum quis barbam absque vlla cogitatione fricat, sic illum fortuito octauo die baptizet; profectò videtur baptismus ille absque legitima intentione fieri. Ad hoc autem non opus est alia responsione, quàm verba S. Th. repetere. Ait namque virtualem intentionem requiri, vt quando sacerdos ad sacramentum ministrandum accedat, tunc intendat facere quod facit Ecclesia. Itaque requiritur tam proxima intentio, vt illa moueat membra, vel ad eundum in Ecclesiam, vel ad præparandum se, &c. ita vt tota illa actio sit actus humanus in virtute prioris deliberationis.

Vrgens dubium. Multo autem vrgentiùs mouet, quod sunt multi sacerdotes, qui nunquam cogitant facere quod facit Ecclesia: imo forsan qui in tota vita sua nunquam illam intentionem sub illa forma habuerunt. Propterea dicunt aliqui, exigi quidem vel actualem, vel virtualem intentionem ad applicandam materiam, & formam in baptismo, vel ad proferenda verba in Eucharistia, &c. vt tales actiones sint humanæ; sed tamen de fine illo, faciendi quod facit Ecclesia, sufficere habitualem intentionem. Sed tamen si hoc nomine intelligatur habitus genitus ex pluribus similibus actibus, forsan neque hic requiritur, quia fortassis sacerdos neque huiusmodi actus vnquam habuit. Respondetur ergo, quod non requiritur semper intentio formalis huius, quod est facere quod facit Christus, vel Ecclesia, sed aliqua cõfusa, in qua hæc includitur. Dixerim exempli gratia, quòd si quis ordines sacros suscipit intentione vt sit sacerdos, & minister Ecclesiæ, & postea consueuerit celebrare, & alia administrare sacramenta, neque vnquam per actum contrarium cogitat aliter ministrare, quàm Christus Ecclesiaque iubet; illa consuetudo, quæ nominari potest habitus, sufficit, vt quoties per actus humanos administrat, intendere censeatur facere quod facit Ecclesia.

Responsio notanda.

Ex his ergo fit consequens neque dormientem, neque amentem defectu intentionis posse sacramentum conferre. Quòd si contra arguas. Si quis dum iuit dormitum, vel in amentiam lapsus est, habuit intentionem suscipiendi baptismum, illumque postea in amentia, vel in somno suscipiat, baptismus tenet, vt in cap. Maiores. de bapt. ait Innoc. ergo & pari ratione si quis dum iuit dormitum, vel incidit in amentiam, propositum habebat conferendi sacramentum, illud erit ratum, licèt in somno, vel amentia illud conferat. Negatur consequentia: quoniam recipiens non est agens: cui ideo hoc dumtaxat est necessarium, vt obicem non opponat, vt illic ait Innoc. conferens verò est agens: qui ideo tenetur per operationem humanam sacramentum ministrare.

Dubium. Postremum denique dubium est de errore, qui contingere assolet in intentione, vt si cui cæco ministro, qui putat se baptizare Petrum, supponeretur Ioannes, quem ille pro Petro baptizaret: Apparet enim nullum esse sacramentum, tum quod cùm dicit te, intentionem non dirigit ad illum, tum etiam quod matrimonium errore personæ quassatur, vt si quis putans ducere Mariam, ducat Annam.

Hostiensis. Syluest. verb. Baptismus 3. §. vlt. refert Hostiensem dicentem, quòd error in sexu, vt si quis intendens singulariter baptizare masculum, cui nomen Petrum imponit, baptizaret puellam, sacramentum tolleret. Secùs si intenderet baptizare hunc. Tunc enim vtriuslibet eum sexus putaret, baptisma valeret. At verò vana hæc est in præsentiarum sexus distinctio. Quinimò, vt audiui nonnunquam pernicioſa.

Nota historiam.

Fertur

Fertur namque accidisse Lusitaniæ, quòd cuidam iam prouecta ætate, qui semper fuerat fœmina existimatus, prominuerint foras viri membra, quæ illuc vsque habuerat ventre inclusa (sæpe enim contingere solet) qui ideo iterum fuit baptizatus. Quod quidem error fuit sacrilegus rebaptizationis: sed tantùm fuerat illi commutandum per Episcopum nomen fœmininum in masculinum. Fuit ergo consilium eorum qui theologiam non ex proprijs rationibus, sed mera extraneorum authoritate tractant. Abiecta ergo huiusmodi distinctione, quæ ad rem nihil pertinet, obseruandum hoc documentum est: quòd si quis haberet intentionem singularem baptizandi Petrum, s. filium regis, cum exclusione cuiuscunque alterius; videlicet, vt si mẽte diceret, si non est filius regis non te baptizo, tunc si quem alium baptizaret, seu masculum seu fœminam, sacramentum non esset validum: quia non interfuisset intentio baptizandi illum, qui baptizatur. Sed eiusmodi minister sacrilegus esset; suo scilicet abutens ministerio: debet enim quisque prius explorare quem baptizat, & intentionem dirigere ad hunc. Et tunc licèt cogitatione speculatiua arbitretur esse Petrum, sit tamen alius quicunque siue masculus, siue fœmina, baptismus tenet: quia in intentione illa practica, qua scilicet applicat huic baptismum, continetur intentio Ecclesiæ. Secùs autem de matrimonio, vt ait D. Th. in 4. d. 30. q. 1. ar. 1. ad 3. quoniam character baptismi non imprimitur ex intentione baptizantis directè, sed ex sacramento: quare intentio illic ministri solùm seruit ad applicandum sacramentum, quod cuicunque baptizato illum imprimit. Vinculum autem matrimonij directè oritur ex consensu vtriusque partis: quare qui non intendit ducere Mariam, sed Ioannam, si substituatur Maria, vti Iacob accidit, nullum contrahit matrimonium. Iniurium enim esset, vt quis arctissimo illo vinculo illam sibi copularet, cuius nunquam habuit affectum.

Salutifera admonitio. Admonet demum in calce S. Th. vt licet hæc vera sint, nihilominus studiosè minister satagat conseruare actualem intentionem in functione sacramenti, idque potissimùm in sacrosancto Eucharistiæ mysterio, vt illic iterum admonebimus. Tametsi illud non sit semper in hominis potestate. Quapropter conquerebatur Psalmista dicens: Cor meum dereliquit me. Hæc autem actualis intentio non sic est intelligenda, vt minister semper mente dicat; intendo facere quod facit Ecclesia, aut intendo baptizare, sed vt mente operi assistat: scilicet, attendat quomodo consecret, & quomodo abluat puerum in remissionem peccatorum; quomodo illic Deus Spiritus sancti gratiam influat; quomodo in Eucharistia panem in corpus transsubstantiet, & vinum in sanguinẽm in memoriam Christi passi. Atque his similia mente, quàm maximè attentè queat; reuoluat.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm fides ministri sit de necessitate sacramenti.

QVONIAM intentio sacramenti videtur in eo esse non posse, qui eiusdem sacramenti nullam habet credulitatem, meritò quæritur: vtrùm ad habendam huiusmodi intentionem necessaria sit fides. Et respondet D. Tho. vnica negatiua conclusione. Non requiritur ad perfectionem sacramenti fides eius (scilicet sacramenti.) *Conclus.* Probatur autoritate Aug. contra Petilianum. Mementote sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, vt illa non sint, vel minus sancta sint. Et subijcitur ratio; quòd cùm minister solùm instrumentaliter operetur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi: virtus autem ministri propria est tam fides quàm charitas: ergo sicut non requiritur in eo charitas, nam & peccatores possunt sacramenta ministrare, ita nec requiritur fides, imò & infideles quoque possunt esse sacramentorum ministri.

Expositio articuli. Præhabitis illis, quæ art. 5. & 6. pertractata sunt, nihil hic superest adhibendum, nisi vt intelligatur conclusio non solùm de fide infusa, quæ non est necessaria, verùm & de actu circa aliquem articulum fidei. Mox discretio sacramentorum fiat. Baptismum namque etiam infideles, qui nunquam fidem nostram susceperunt, exhibere possunt, vt can. Romanus. & can. A quodam. de conf. d. 4. decretum est. Reliqua verò sacramẽta quia non nisi à sacerdote conferri possunt, & qui baptismatis vnda non est lotus, sacerdos esse nequit; fit vt nisi ab illo, qui fidem suscepit, ministrari nequeant. Possunt tamen ab hæreticis, qui fidem amiserunt, confici, ita vt sint valida, præter sacramentum pœnitentiæ, quod iurisdictionem exigit. Tametsi ipsis ministrantes peccent. Matrimonium autem licèt inter infideles contrahatur, non est in illis sacramentum. Hæc omnia ex superioribus apertè eliciũtur.

Est autem 1. arg. S. Thom. fides, vt ait contra Iulia. Aug. intentionem dirigit; qui enim in Deum non credit, neutiquam potest in ipsum officia sua referre: intentio autem necessaria est, ergo & fides Respondetur quod potest contingere defectus fidei in vna veritate & non in alia: potest enim quis errare credens nullum esse licitum iuramentum, & nihilominus rectam habere fidem circa sacramentum: quare huiusmodi homo dum sacramentum ministrat, dirigere intentionem valet. Si verò circa ipsum etiam sacramentum erret, arbitratus per illam cæremoniam nihil fieri, nihilominus credere potest Christianam Ecclesiam per illas cæremonias intendere mysterium aliquod: quare id genus homo, licèt infidelis sit prorsus, nihilominus per illam actualem credulitatem potest id intendere, quod Ecclesia facit; per illam enim intentionem applicatur fides Ecclesiæ, credentis saluificam gratiam per sacramentum infundi. *1. Arg.*

Sed rogas quid si nulla existeret in toto orbe fides? Respondetur casum esse legi Euangelicæ reluctantem: nempe, pollicitationi illi Christi, Lucæ 22. Orabo pro te, vt non deficiat fides tua. Quare non amplius duraturus est mundus, quàm fides. Attamen licèt id per impossibile admitteretur, si modò memoria maneret Christianæ Ecclesiæ, intentio faciendi quod Christus instituit., aut quod Ecclesia Christiana, dum superstes erat, faciebat, sufficiens esset ad baptismum. Collige hinc ergo, quòd non solùm non requiritur fides aut in actu, aut in habitu alicuius articuli; verùm neque vlla sacramentalis virtutis credulitas, sed quamuis quispiam, quicquid facit Ecclesia, arbitretur esse ludicrum, si tamen id faciat quod ipsa intendit, verè baptizat. *Dubitatio.*

Sed saltem vtrùm illa cognitio requiratur, quam S. Th. exigi affirmat, s. quòd baptizans non ignoret Ecclesiam catholicam intendere per ea quæ exterius aguntur sacramentum præbere. Respondetur, neque hoc esse necessarium. Imò licèt putaret Ecclesiam huiusmodi cæremonias non seriò tanquam res vtiles, sed ioco facere, dummodo ipse intentionem ad hoc dirigeret, vt quicquid ipsa siue ioco, siue seriò, vel quomodocunque faceret, hoc ipse perficeret, verum esset sacramentum: nam profectò omnia concurrunt, quæ sunt de necessitate sacramenti. Sed ob hoc idem S. Tho dicit, quòd qui ignoraret Ecclesiam id facere tanquam sacramentum, nunquam id curaret facere cum intentione Ecclesiæ, sed iocandi gratia. Quin etiam de suscipiente dicendum est; quòd etsi crederet Ecclesiam ioco id facere, dummodò id intenderet suscipere, quod Ecclesia intendit, susciperet sacramentum, eiusque characterem, non tamen gratiam: quoniam error ille intellectus peccatum ei esset, atq; adeò obex gratiæ. *Dubitatio.*

Secundum argumentum est. Qui vera fide caret hæreticus est: hæretici verò inania falsaque sacramenta conferunt, secundum verbum Leonis papæ in epistola ad Leonem Augustum, & refertur 1. q. 1. can. Manifestum. ergo fides est necessaria. Respondetur autem hæreticos, qui non seruant formam Ecclesiæ nullum conferre sacramentum, vt suprà dictum est: qui autem illam seruant, sacramentum quidem conferunt, non tamen gratiam; iuxta verba August. ad Petrum, & refertur 1. q. 1. can. Firmissimè. dicentis, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem. Ait verò S. Tho. hoc intelligi de hæreticis manifestè præcisis: nam tunc qui sacramenta ab illis suscipiunt, peccant; atque adeò obicem gratiæ ponunt. Excipe tamen casum necessitatis baptismi, in qua neque qui ab eis baptizantur, neque ipsi baptizantes peccant, si absque solennitate id faciant, vt art. 6. dictum est. Sunt præterea qui Ecclesiæ ritus peruertunt: & de istis loquebatur Leo, quorum vesania in Alexandrina sede omnium cælestium sacramentorum lumen extinguebatur, scilicet decor: licèt vera sacramenta conferrent. Me- *1. Argum.*

Cyprianus. minit S. Tho. de Cypriano, qui &, vt suprà diximus, errore illo fuit attactus, quòd hæretici non possent sacramenta conferre, secundùm quem subsequebatur, vt fides sit ministro necessaria. Sed ait Aug. libr. 1. contra Donatistas, quòd luce charitatis, si quid in eo purgandum erat, passionis falce sublatum fuit. Ait verò, Si quid in eo purgandum fuit, quòniam cùm ille error, vt art. 5. diximus, sua ætate non fuisset condemnatus, non solùm non fuit pertinax, verum nec forsan peccauit mortaliter. Similem exceptionem facito in solutione tertij argumenti de excommunicatis, qui licèt ratione characteris sacramenta conferant, peccant tamen conferendo. Et pariter qui ab illis recipiunt, nisi in necessitate baptismi; aut quia ignorant esse excommunicatos. Præterea illos excipe, qui sunt excommunicati non nominatim, iuxta sanctionem concilij Constantiensis articu. 6. expositam.

3. Argu.

ARTICVLVS X.

Vtrùm intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

CVM fuerit conclusum, intentionem in sacramento esse necessariam, necessum est scire de eius qualitate, an recta etiam exigatur. Et respondet D. Tho. sub dist. duabus conclusionibus. Vno enim modo potest intentio non esse recta, quando minister non intendit sacramentum perficere, sed deridere & fallere.

1. Concl. Et de hac sit prima conclusio, quòd talis peruersitas tollit veritatem sacramenti, quia tollit essentiam sacramenti, cùm eius obiectum tollatur, quod est facere, quod facit Ecclesia. Moderatur autem conclusionem dicens: Præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat. Non quod si talis adsit intentionis peruersitas, sub dubio sit esse sacramentum; imò nullum est, sed quòd quando exteriùs non propalatur, ambigitur, qualis fuerit intentio, & ideo præsumitur fuisse legitima. Alio modo potest intentio ministri accidentariè peruerti quantum ad id, quod sequitur sacramentum, vt si quis intendens verè baptizare, simul intendat peccatum aliquod, vt abusum puellæ quam baptizat; aut sub speciebus quas consecrat, venenum alicui porrigere.

2 Concl. Et de hac ait secunda conclusio, quòd talis intentionis peruersitas veritatem sacramenti non tollit. Et ratio est, quod cùm intentio conficiendi sacramentum ab altera non pendeat, fit vt neque propter ipsam desinat esse legitima.

Expositio articuli. Res est clarissima, quam iam suprà art. 8. tetigimus. Si enim quis dum alium baptizat, intendit facere, quod facit Ecclesia, quamcunque aliam illi coniungat scelestissimam impientissimamque intentionem, sacramentum conficit, etiam si finem proponeret supremo sacramenti fructui ex diametro contrarium. Vt si Satanicus homo quempiam baptizaret, vt postea Christianus ille peius nomen Dei blasphemaret, ab illoque apostataret. Eiusmodi autem minister, qui nefarias intentiones sacramentali adiungeret, grauissimum scelus committeret, idque duplex. Vt si per sacramentum intenderet homicidium, esset homicida & sacrilegus: & si fornicationem, fornicator & pariter sacrilegus: nã illa intentio esset cõtaminatrix, violatrixq; sacramenti, per quam scilicet fœdissimè pollueretur.

Graue sacrilegium.

1. Argu. Primum argumentum S. Thom. est. Intentio ministri debet esse conformis Ecclesiæ intentioni, sed hæc semper est recta: ergo & in ministro talis esse debet. Respondetur intentionis Ecclesiæ duas esse rectitudines. Vnam scilicet conficiendi sacramentum, & hæc est sacramenti essentialis ipsum perficiens. Alteram verò quantum ad sanctum vsum, quæ in meritum cedit. Et ideo minister, qui priorem sine posteriori habet rectitudinem, perficit quidem sacramentum, sed caret merito, imò demeretur supplicium.

2. Arg. Secundò arguitur. Peruersa intentio deterior esse videtur, quàm iocosa: sed iocosa tollit sacramentum, ergo & peruersa. Posset quidem responderi ad maiorem, non semper in sacramento aliam peruersam intentionem peiorem esse quàm iocosam: imò qui vt fidei Christi subsannaret, minimè cæremonias sacramenti repræsentaret, peius quàm fornicator peccaret. At quoniam neruus in hoc non consistit, negatur consequentia: quoniam iocosa intentio tollit substantiam intentionis necessariæ; peruersa verò non.

3. Arg. Tertiò arguitur. Peruersa intentio totum opus vitiat, iuxta illud Lucæ 12. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit: sacramentum verò secundùm Aug. contra Petilianum, per malos homines non vitiatur: ergo vbi est peruersa intentio, nullum est sacramentum. Respondetur per iniquam intentionem vitiari functionem sacramenti, quatenus est opus ipsius ministri: est enim ei delictum; non tamen quatenus est opus Christi gratiam conferentis. Sicuti si seruus siniſtra intentione pecuniam domini erogaret pauperibus, quàm ipse bono animo illi commiserat vt iustè dispenderet.

Quæstio sexta,

DE NVMERO ET NECESSITATE SACRAMENTORVM.

S. Thom. 3. part. quæst. 65.

ARTICVLVS I.

Vtrùm debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ.

POSTREMVM capitulum textus fuit de sacramentorum numero, de quo præsenti quæst. per quatuor articulos disputatur. Quorum primus est, plura ne sint, pauciorave quàm septem. Et quamuis hæc sit tituli forma, tamen non quæritur de numeri certitudine: illa siquidem Ecclesiæ traditione & vsu citra disputationem constantissima est. Sed de eius conuenientia, hoc enim est theologi officium, vti ait Petrus Apostolus, 1. Pet. 3. rationem reddere eorum dogmatum, quæ Ecclesia per Spiritum sanctum sanciuit. Conclusione ergo vnica respondetur huiusmodi. Conuenienter septem sacramenta Ecclesiæ ponuntur. Quam quidem conclusionem ex duabus illis celeberrimis qualitatibus sacramentorum, quas ab initio per totum decursum, ceu duo lumina præ oculis adduximus. Probatur: Sunt enim tum religionis cæremoniæ, quibus nos ad Deum colendum perficimur, tum medicamina, quibus Deus vicissim depulsis nostris spiritualibus morbis nostram operatur salutem. Ex quorum vtroque capite mirificè profectò D. Tho. eiusmodi congruentiam ac decentiam deducit. Nam quantum ad primum instar corporalis vitæ in spirituali perficimur. In corporali verò, cùm homo sit ciuile animal & sociale, duabus rationibus perficitur; scilicet, & quantum ad propriam personam, & respectu aliorum, quatenus reipublicæ membrum. Respectu autem propriæ personæ bifariam: nimirum tam per se acquirendo, quæ sibi conueniunt; quàm per accidens ea quæ nocent obstacula propellendo, vt morbos, atque alia id genus incommoda. Per se autem sibi conuenientia acquirit tria. Primum scilicet per generationem esse & viuere, quod aliorum est omnium primum fundamentum. Atque huic in spirituali respondet baptismus, quod (vt ad Titum. 3. ait Paul.) est lauacrum regenerationis. Vnde Christus Ioann. tertio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Secundò per augmentum acquirit homo iustam ætatem, ac subinde virium virtutumque robur ad exercenda opera vitæ. Atque huic augmentõ in vita spirituali respondet confirmatio. Vnde baptizatis Apostolis dictum est, Lucæ vlt. Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Tertio denique requiritur in homine nutritio per quotidianum cibum, sine quo temporalis vita consistere non posset. Et vicem huius in vita spirituali gerit Eucharistia, secundùm illud Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ecce tria, quæ homini ideò per se conuenire dicuntur in vita temporali, quòd si illam haberet perpetuam, vt in statu naturæ integræ, nullo alio indigeret, imò hæc tria illi sufficerent. At quoniam ex peccato multa incurrit detrimenta, tam corporalia quàm spiritualia, in vtraque vita indiget duobus alijs remedijs; vno scilicet ad sanitatem comparandam quando incidit in morbum; &

b

locum

locum huius in vita spirituali tenet pœnitentia, iuxta illud Psalmi, Sana animam meam, quia peccauit tibi; atque altero ad recuperandam pristinam valetudinem ex langnore per dietam & exercitium. Cui in vita spirituali respondet extrema vnctio, quæ remouet peccatorum reliquias, hominemque adeò ad iter cælestis gloriæ capessendum paratum reddit. De qua re Iacobi 5. Et si in peccatis sit, remittentur ei. Ecce quinque sacramenta, quæ homini quantum ad suam propriam personam congruentia sunt. Respectu autem humanæ societatis duobus præterea modis homo perficitur: vno scilicet, suscipiendo potestatem administrandæ reipublicæ. Et imaginem huius in vita spirituali gerit sacramentum ordinis: secundùm illud ad Hebr. 7. Sacerdotes hostias offerunt, non solùm pro se, sed etiam pro populo: altero modo, quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium in vtraque vita. Est enim & officium naturæ & sacramentum gratiæ, quo idcirco licèt generentur homines naturaliter filij iræ, in hoc tamen procreantur vt renascantur filij gratiæ.

Eisdem ferè rationibus colligitur idem numerus si sacramenta considerentur quatenus sunt medicinæ & remedia contra peccatum. Nam baptismus institutus est contra carentiam vitæ, quæ fit per peccatum originale, Confirmatio verò contra infirmitatem, & imbecillitatem, quæ est nuperrimè natis, hoc est, in neophytis incipientibus Christianam vitam. Sed Eucharistia contra labilitatem, quam ex originali contraximus ad assiduè cadendum, recidendumque identidem in peccata. Sicut enim in vita temporali humidum, quod per continentem caloris actionem consumitur, per assiduos cibos recuperamus, ita fit per sumptionem sacri alimenti altaris. Pœnitentia verò valet cõtra actualia peccata post baptismum commissa. Ac demum extrema vnctio contra reliquias peccatorum: nempe, contra corruptos habitus & inclinationes, quæ nobis ex vsu peccandi relinquuntur. De his enim peccatorum effectibus latè docteque D. Tho. 1. 2. q. 85. disserit.

Subdit autem hoc loco quosdam numerum sacramentorum venari per quandam adaptationem eorum ad septem virtutes, fres scilicet theologas, & quatuor cardinales, & contra tria peccatorum, quatuor autem pœnalitatum genera. Cùm enim Christus ab omni nos culpa & pœna per sacramentorum gratiam & virtutes liberauerit, & ex culpa originali præter labilitatem in mortale & veniale, omnis potentia per aliquam pœnam fuerit læsa, vt intellectus per ignorantiam, & voluntas per malitiam, & irascibilis per infirmitatem, ac denique irascibilis per concupiscentiam; virtuti fidei respondet baptismus contra culpam originalem. Spei verò extrema vnctio contra venialem. Charitati autem Eucharistia contra malitiæ pœnalitatem charitati contrariam. Sed ordo coaptatur prudentiæ contra pœnam ignorantiæ, & iustitiæ pœnitentiæ contra peccatum mortale. Temperantiæ autem matrimonium contra pœnam concupiscentiæ. Ac demum fortitudinis confirmatio contra infirmitatem.

Expositio articuli. Conclusio præsentis articuli; vt initio dicebamus, non est solùm doctorum assertio, sed Ecclesiæ orthodoxæ catholica fides: quam ideo negare hæreticum esset. Hunc enim numerum concilium Florentinum in Instructione Armenorum expressit; vnde & Tridentinum postea eundem suscepit numerum. Et in cap. ad abolendam. de hæret. tanquam hæretici excommunicantur qui aliter de sacramentis Ecclesiæ senserint, quàm docet Ecclesia Romana.

Igitur vt Deus septem dictum curriculo mundum creauit, sic & Christus septem sacramentorum ordine recreationis mysterium nobis impertitur, quæ illuminandis perficiendisque nostris septem virtutibus ceu septem splendidissimæ planetarum stellæ sub fidei firmamento nobis irradiarent, nostrisque medendis scelcribus, quæ per septem plagas Ægypti designantur salutifera essent medicamina. Rationem autem huius numeri Alexan. 4. par. quæst. 8. membr. 7. artic. 2. quem ferè omnes doctores sequuntur, hoc secundo modo, quem in calce D. Thom. subiunxit, explicat, quare illo dumtaxat idem doctor sanctus in 4. distinct. 2. contentus fuit. Hic verò alterum excogitauit modum multò suculentiùs rem exprimentem: quem deinde Durand. dist. 2. q. 2. complexus est. *Alexan.*

Quocirca qui S. Thom. non in summa, vbi deberent, sed in quarto legunt, sine causa eundem modum Durando attribuunt, connumerantes D. Thomam cum reliquo vulgo in opinione Alexandri. In secũdo autem modo scias id quod dicitur, sacramentum extremæ vnctionis ordinari contra culpam venialem, postmodum in eius proprio loco examinandum esse, imò reprobandum: quia non ordinatur nisi contra languores, qui criminibus nostris & delictis relinquuntur.

1. Argu. Primum argumentum S. Tho. est. Vna est diuina virtus, vnaque Christi passio, qua Christus, vt habetur ad Hebr. 10. vna olatione consummauit nostram salutem: ergo vnicum debuit esse sacramentum. Negatur autem consequentia: quia vna causa principalis ad plures effectus pluribus vtitur instrumentis, qualia sunt sacramenta.

2. Argu. Secundùm argumentum est. Sacramenta instituuntur contra defectus peccati: illi autem sunt tantum duo, scilicet culpa & pœna: ergo duo tantum sufficiebant sacramenta. Respondetur ad minorem, quòd licèt culpa sit vna genere, habet tamen plures species: & pariter pœnæ sunt diuersæ, vt in postrema parte articuli dictum est: quare sacramenta condecuit esse plura.

3. Arg. Tertiò arguitur. Sacramenta pertinent ad actiones hierarchicas, vt Dionysius lib. Ecclesiasticæ hierarchiæ autor est: illæ autem sunt tantum tres, scilicet purgatio, illuminatio, & perfectio; ergo tria satis erant sacramenta. In responsione autem addit tertium modum colligendi septenarium sacramentorũ numerum, considerando illa quantum ad Ecclesiasticam hierarchiam. In hierarchia namque considerantur & illi, qui sacra tribuunt, & illi qui illa suscipiunt, atque actiones ipsæ. Quantum ad agentes ministros institutum est sacramentum ordinis, per quod potestatem conferendi sacra accipiunt: & quantum ad suscipientes sacramentum matrimonij, per quod homines ad Dei culturam generantur. At verò quantum ad actiones purgatio sola non potest sacramento nouę legis congruere. Purgatio enim est illa, per quam homines præparantur ad sacra, quod in veteri lege fiebat per legales sacramentalesque purgationes: sacramenta verò nouæ legis, quia gratiam conferunt, non illo præcisè modo purgant, sed expurgant animas à peccatis, simul illuminando per infusam fidem. Atq; hoc potissimum pertinet secundum Dionys. ad baptismum, & propter recidiuum relabentium in actualia, ad pœnitentiam & extremam vnctionem. Perfectio autem quantum ad robur virtutis ad ambulandũm in via Dei, conuenit confirmationi, sed quantum ad assequutionem finis spiritualis omnium sacramentorum in hac vita competit sacrosanctæ Eucharistiæ.

At verò contra hoc Diui Thomæ responsum, est argumentum, quòd Dionys. illic non recensuit sacramentum matrimonij, neque verò pœnitentiæ: quare tantùm explicuit quinque. Respondetur autem cum D. Tho. in 4. distinct. 2. quæst. 1. art. 2. quòd Dionysij intentio illic non erat, omnia pernarrare sacramenta, sed actiones hierarchicas, per quas homo & consecrat, & consecratur. In baptismo namque, confirmatione, ordine, & extrema vnctione, per vnctionem consecratur homo, & in Eucharistia consecrantur corpus & sanguis. In pœnitentia verò & matrimonio nulla fit consecratio. Prudentia tamen D. Thomæ fuit, hæc eadem duo sacramenta ad illam hierarchiam reducere. Atqui Durando neganti vt dist. 1. diximus, matrimonium esse sacramentum, in eius proprio loco respondebitur.

4. Argu. Quartò arguitur ex August. qui lib. 19. contra Faustum ait sacramenta nouæ legis esse numero pauciora quàm sacramenta veteris: illic autem etsi circuncisio baptismo respondeat; & esus agni paschalis Eucharistiæ; & consecrationes sacerdotum ordinibus; & expiationes peccatorum pœnitentiæ; ac demum erat matrimonium: nullum tamen erat sacramentum respondens aut extremæ vnctioni, aut confirmationi. Egregia profectò est responsio, videlicet, quòd quia per confirmationem datur Spiritus sancti robur, quod illi legi non competebat, quia non abundabat sacramentis conferentibus gratiam sicut nostra, in qua est plenitudo Spiritus sancti: & extrema vnctio præparat hominem ad cæli ingressum, cuius ostium nondum erat apertum: non fuit tunc sacramentum indultum, quod istis responderet. Nihilominus propter multitudinem sacrificiorum, & cæremoniarum illius legis septem nostra sunt illis pauciora.

Digitized by Google

5. Argum. Quintò denique arguitur. Luxuria non est peccatorum grauissimum: ergo cum in remedium aliorum nullum fuerit institutum sacramentum; fit vt nec debuerit in remedium concupiscentiæ institui sacramentum coniugij. Responderi quidem in superficie posset, quòd quia matrimonium erat necessarium officium naturæ, factum est sacramentum contra luxuriam. At verò quia argumentum probare contendit satis fuisse vt maneret tanquam officium naturæ & virtutis temperantiæ, nec fuisse necessarium institui tanquam sacramentum; respondetur idcirco fuisse institutum sacramentum gratiæ, quod fomes ille concupiscentiæ ex originali culpa relictus, non solùm personam, sed naturam humanam inficit: Ob hoc enim originalis culpa dicitur peccatum naturæ; quare abluta persona per baptismum à culpa traducitur ille fomes cum natura per generationem. Secundò quia concupiscentiæ proprium est plurimum iudicium absorbere rationis: quare cum inter omnia officia naturæ, matrimonium sit maximè necessarium, decuit ad illam exhibitantiam reprimendam illud status sacramentum, quod esset gratiæ efficax.

Aliud arg. Ecce argumenta quinque soluta, quib. contenditur, non debuisse tot sacramenta institui. Possumus autem & hoc adhibere. Sacramenta sunt in remissionem peccatorum instituta: tria sunt tantùm peccatorum genera; vt originale, mortale, & veniale: ergo dumtaxat baptismus, pœnitentia, & extrema vnctio formaliter distinguuntur in ratione sacramenti. Argumentum est Guilielmi cuiusdam de Rubione, quo conuictus, ait sola hæc tria sacramenta formaliter distingui: reliqua verò materialiter, tanquam dispositiones, aut perfectiones horum. Vt ordo est dispositio ad omnia conferenda, & matrimonium quodammodo ad omnia suscipienda; Eucharistia verò finis est omnium, sed confirmatio est baptismi perfectio. At verò opinio hæc iam est extincta. Imò sacramenta omnia formaliter distinguuntur ex suis proprijs peculiaribusque effectibus. Sicut enim in vita temporali alia est species motus, vel mutationis generatio, qua acquiritur esse; & alia augmẽtatio, qua acquiritur quantitas; & alia nutritio, qua conseruatur esse; & alia sanitas, qua pellitur morbus; atque alia vegetatio contra debilitatem valetudinarij: sic in vita spirituali formaliter distinguuntur baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, & extrema vnctio. Inter ordinis autem sacramentum, & matrimonium, quorum hoc ad procreandos naturales filios, illud verò ad propagandos spirituales instituta sunt, liquida est differentia.

1. Argum. quod sunt plura. Sunt deinceps & argumenta alia, quòd debuerint esse plura. Primum, (quod apud S. Tho. est sextum) sanctificationes altaris & vasorum Ecclesiæ, atque aqua benedicta videntur esse sacramenta. Negatur tamen, imò consecrationes illæ sunt dispositiones ad sacramenta perficienda, vt ad Eucharistiam & reliqua.

Aqua benedicta. Aqua verò benedicta, ait S. Thom. valet tum contra dæmonum insidias, tum etiam ad remissionem venialium, ac perinde ad idoneam sacramentorum tam collationem, quàm susceptionem: & ideo dicitur aqua lustralis, id est, purificatoria, & expiatoria. Atque hoc pacto intelligendus est can. Aquam. de consecrat. dist. 3. qui est Alexan. 5. vbi ait aquam sale conspersam valere ad coinquinatorum sanctificationem, & purgationem. Ex quo nonnulli scioli sibi videntur elicere esse sacramentum. At verò ipse sese exponit, sanctificationem vocans, purgationem à venialibus.

De con. d. 3. can. Aquæ.

Sed arguis. Illum habet effectum ex opere operato: ergo est sacramentum. Conceditur antecedens: Haud enim tantùm per modum meriti, vt reliqua virtutis officia, quæ augendo charitatis feruorem & meritum, remittunt venialia; sed virtute operis illa abluit ad modum sacramenti. Negatur tamen consequentia, qua infertur esse sacramentum, vt D. Th. q. 60. art. 2. docuit: quoniam nec est signum, nec causa gratiæ: atque adeò non perfectam sanctitatem, sed dispositionem operatur. Si enim esset sacramentum, non potuisset ab Ecclesia institui: eatenus enim penitus protenditur eius facultas, vt possit sacramentalia instituere.

7. Arg. S. Thom. Septimò arguit S. Th. ex Hugone, componens enim ille oblationes, & decimas, & sacrificia veteris legis, ait omnia tria fuisse sacramenta: ergo sicut sacrificium altaris est sacramentum, pariter sunt & decimæ & oblationes. Respondetur tam oblationes, quam decimas sub vtraque lege, naturæ & scripta, eò fuisse habita loco sacramentorum, quòd erant nostrarum figuræ. Quare cùm in nostra lege desierint esse figuræ, fit vt nec sint nomine sacramenti digna.

8. Arg. Octauò arguitur. Tria sunt peccatorum genera: sed contra originale sunt instituta sacramenta baptismi & pœnitentiæ: ergo contra veniale debuit aliud adhiberi. Hoc argumentum non currit contra alios doctores: quippe cùm plerique omnium censeant sacramentum extremæ vnctionis ordinari contra veniale. At quoniam S. Th. non dicit nisi valere contra reliquias peccatorum; respondet, quòd cùm ad delectionem venialis non requiratur gratiæ infusio; qui est effectus sacramentorum nouæ legis, nullo opus fuit sacramento ad eius remissionem, sed remittitur per lustralem aquam, & tunsionem pectoris, atque alia id genus sacramentalia.

Alia minora arg. His autem alia appenduntur minutiora argumenta. Primum. Multa sunt ordinum sacramenta, vt diaconatus, & subdiaconatus, imò verò episcopatus censeri potest ordo: multò enim magis apparet rationi consonum, vt episcopo conferatur gratia & character ad administrandam suam diœcesim, quàm sacerdoti: ergo plura sunt quàm septem.

Secundò. Corpus Christi sub speciebus panis consecratis est sacramentum, quod adoramus: nempe, continens rem sacram, & pariter sanguis sub speciebus vini: præterea sumptio eiusdem corporis & sanguinis est sacramentum gratiam conferens: & in matrimonio consensus amborum sunt sacramentum: nam per illos gratia confertur, & postea dicitur manere sacramentum matrimonij, quia manet vinculum: ergo sunt plura, quàm septem.

Tertiò. Martyrium est sacramentum: nam virtute operis gratiam confert non ponenti obicem, sicut baptismus.

Responsa. Hæc autem atque his similia non est hic disputandi locus, sed suis singulorum sedibus. In materia namque ordinum d. 24. videbimus diaconatum & subdiaconatum ordines esse partiales, qui cum sacerdotio in vnum coeunt sacramentum; & de episcopatu videbimus distinct. 24: non deesse, qui eum velint facere sacramentum conferens gratiam, connumerantes illum sacris ordinibus, pro eo quòd plus, inquiunt, gratiæ episcopo ad suam administrationem necessarium est, quàm sacerdoti ad suam. At verò, vt illic D. Thom q. 3. art. 2. author est, neutiquam hoc dici potest, quia episcopus non accipit nouam potestatem supra corpus Christi, ad quod omnes ordines referuntur, sed solùm supra mysticum. Quare gratia episcopo necessaria non est noua, præter illam quam accepit in sacerdotio. Et licèt aliquam potestatem indelebilem recipiat; non tamen propriè characterem, nisi dicas characterem sacerdotis amplius in episcopo extendi ad conferenda noua sacramenta: scilicèt, confirmationem & ordines.

Pari modo de sacramento altaris, vt suo loco videbimus, dicendum corpus sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini duo esse partialia sacramenta, ex quibus vnum constat. Est enim vnum conuiuium, quod ex cibo & potu fit integrum. Sumptio autem non tam dicitur sacramentum, quàm sumptio sacramenti; neque illa propriè gratiam confert, sed corpus ipsum, quod sumitur; sicut neque consecratio est sacramentum, sed species corporis & sanguinis. Est enim discrimen inter Eucharistiam, & alia sacramenta, quæ consistunt in vsu. Aqua enim baptismi non habet in se virtutem sanctificandi, sed illa virtus est in vsu per modum transeuntis: quare baptizatio ipsa est, quæ gratiam confert, sicut chrismatio in cõfirmatione, &c. Sacramentum autem Eucharistiæ non est eius vsus, sed species corporis & sanguinis: quapropter res istæ contentæ sunt virtus per quam gratia confertur. In matrimonio verò consensus mutui sunt sacramentum: ibi namque gratia confertur, sed postea manet insolubile vinculum quod non est sacramentum, sed effectus sacramenti.

Martyrium autem non esse sacramentum dist. 3. artic. vlt. disputabitur, vbi monstrabitur esse baptismum sanguinis. Haud enim gratiam confert tanquam signum eius ad id institutum, sed per modum meriti tanquam actus fortitudinis.

Arguta. Quòd si arguas. Secundùm illam opinionem; qui tenet sacramenta non aliter conferre gratiam, quàm

in genere

in genere signi, videtur pari ratione non solùm martyrium, sed omnia officia, quæ ex charitate procedunt esse sacramenta, quandoquidem propter illa nobis Deus gratiam impertitur. Respondetur primò illam opinionem esse falsam. Secundò, etiam secundùm eam est lata differentia, nam sacramenta sunt signa ex institutione diuina gratiæ, quæ sub illis confertur. Opera verò charitatis non sunt hoc modo diuinitus instituta tanquam signa gratiæ, sed suapte natura tanquam virtutum officia, si modò ex gratia fiant, sunt merita apud Deum ex pacto ipsius conducentis operarios in vineam suam, vt quod iustum fuerit reddat eis.

ARTICVLVS II.

Virùm sacramenta secundùm ordinem prædictum in priori parte præcedentis articuli conuenienter ordinentur.

Conclusio. POST sacramentorum numerum sequitur de eorum ordine: nam ordo in numero est, & numerus ordine lucet. Et respondet D. Thom. vnica conclusione: Debitus ordo septem sacramentorum est huiusmodi, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Probatio autem triplex habet membrum. Primum, cùm vnitas naturaliter sit multitudine prior, illa quinque sacramenta, quæ ad perfectionem cuiusque personæ attinent, priora suapte natura sunt, quàm ordo & matrimonium, quæ respectu multitudinis sunt instituta. Ordo autem quia ad filios procreandos gubernandosque spirituales refertur, prior est matrimonio, per quod generantur filij naturales, & carnales. Secundò inter illa, quæ ad perfectionem vniuscuiuslibet personæ diriguntur, illa tria naturaliter præcedunt, quæ per se vitæ spirituali competunt, quam pœnitentia & extrema vnctio, quæ per accidens illi ad remouendum noxia adiunguntur. Pœnitentia verò, per quam sanitas recuperatur, prior natura est quàm extrema vnctio, per quam conseruatur. Tertiò denique inter tria illa priora manifestum est primum esse baptismum, per quem fit regeneratio, acquiriturque spirituale esse. Mox confirmatio, per quam virtus augetur, roboratur, & perficitur. Deinde Eucharistia, in qua finis in hoc seculo totius christianæ vitæ consistit.

Expositio articuli. Res est clarissima, quæ nulla indiget discussione, si hoc dumtaxat animaduertas, quod hic non exploratur perfectionis ordo inter sacramenta, de hoc enim art. proximo dicendum restat. Neque vero ordo generationis eorum accidentarius. Nam præter baptismum, qui necessario primùm requiritur, quippe sine quo nullum aliud potest recipi, inter reliqua nullus est necessarius ordo. Potest enim pœnitentia recipi ante confirmationem, imo & Eucharistia. Rursus & matrimonium potest esse validum absque Eucharistia vel pœnitentia. Sed constituimus ordinem, qui ex natura rei colligitur. Et post baptismum, vt vsu primitiuæ Ecclesiæ docemur, illico si Episcopus aderat, neophytus confirmabatur, ac subinde porrigebatur Eucharistia: quia qui post baptismum non incidit in mortale, nullo indiget sacramento pœnitentiæ. Errant ergo qui sacramentum pœnitentiæ ordine administrationis Eucharistiæ præferunt.

1. Argum. Primum igitur arg. D. Tho. est secundum Paul. 1. Corint. 15. Prius, quod animale est, deinde quod spirituale: per matrimonium autem generatur animalis homo: ergo prius est quàm baptismus, quo regeneratur spiritualis. Respondetur, quòd matrimonium quatenus ad vitam animalem ordinatur, nihil habet spiritualitatis, sed est officium naturæ: hac igitur ratione non habet certum ordinem inter sacramenta. Quatenus autem est sacramentum, quia minimum habet spiritualitatis, collocatur vltimum.

2. Argu. Secundò per sacramentum ordinis suscipitur potestas administrandi alia sacramenta: agens autem prius est actione: ergo ordo est prior baptismo, & cæteris personalibus. Respondetur, quod agens debet esse prius in se perfectum, quàm alia perficiat: & ideo sacramenta, quæ personam propriè exornant, priora sunt illis, quæ respectum habent ad aliorum perfectionem.

3. Argu. Tertiò. Eucharistia est spirituale nutrimentum, confirmatio verò comparatur augmento: nutrimentum autem est causa augmenti: ergo prior est Eucharistia confirmatione. Inter respondendum concordiam conciliat inter Dionysium, & Magistrum Sentent. Dionys. namque lib. de Ecclesiastic. hierarch. anteponit Eucharistiam confirmationi. Magister verò in 4. in initio distinctionis 2. præponit confirmationem, & vterque est sustentabilis. Nam nutrimentum antecedit augmento, sicut causa effectui: augetur enim homo per nutrimentum. Subsequitur verò augmentationem sicut conseruans hominem, in quantitate & virtute perfecta. Priorem ergo rationem secutus est Dion. posteriorem verò Magister: cuius opinio à pluribus est recepta. Tametsi ead. dist. D. Th. q. 1. ar. 3. aliam subiunxerit rationem: nempe, quòd Dion. ordinem magis aspexit dispensationis, quàm effectuum. Nam Eucharistia, inquit, in primordijs Ecclesiæ illico conferebatur baptizatis; non autem confirmatio. Hoc autem intelligendum arbitror, quia Episcopus non præsto aderat vniuscuiusque baptismo: nam quando erat præsens, crediderim, vt suprà diximus, quòd protinus baptizatum ad minus, si erat adultus, confirmabat, & fortè antè quàm Eucharistiam sumeret. Infantulis autem conferebatur Eucharistia, vt q. de sumptione Eucharistiæ adnotabimus. Et forsan sine confirmatione. Nam confirmatio aliqualem cognitionem in suscipiente exigit, vt distin. 7. videbimus. Hanc igitur ob causam priùs de confirmatione, quàm de Eucharistia à doctoribus tractatur. Quibus & alia adiungitur ratio, vt infrà apud S. Tho. q. 73. art. 1. videbitur, quòd augmentum est perfectio intrinseca quantitatis hominis, mutatio verò fit per sumptionem extrinsecus cibi; intrinseca autem perfectio dignior est.

Dionysius & Magister conciliantur.

4. Arg. Quartum argumentum est. Pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam: ergo est prior. Respondetur ad antecedens, quòd illa præparatio non est per se necessaria, sed per accidens: nam si homo innocenter sine peccato mortali viueret, nulla indigeret pœnitentia, iuxta illud 2. Paralipo. vlt. Tu Domine iustorum non posuisti pœnitentiam iustis; & ideo consequentia non est valida.

Hic ergo adnotandum, vbi non est peccatum mortale, nullam esse necessariam confessionem neque propter præceptum Ecclesiæ semel in anno; quoniam illud non est nisi determinatio iuris diuini: iure autem diuino sacramentũ pœnitentiæ non est institutum, nisi ad recuperandam gratiam, & amicitiam Dei, iuxta illud Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul petibitis: per peccatum autem veniale, neque amicitia perditur, neque homines pereunt. Quare præcedenti articulo dixit Diuus Tho. ob peccatum veniale nullum esse sacramentum institutum, saltem de pœnitentia (quicquid alij de extrema vnctione dixerint) certum est. Et reuera si peccata venialia cadunt sub præcepto Ecclesiæ, nunquam canon iussisset, vt vnusquisque omnia sua peccata confiteretur: quandoquidem de venialibus id non sit humano more possibile.

5. Argu. Quintò denique arguitur. Extrema vnctio, quæ non datur nisi iamiam decessuris, propinquior, quam reliqua sacramenta, est, vltimo fini beatitudinis: ergo est sacramentorum vltimum. Respondetur conclusionem consequi, si intelligatur de sacramentis quæ ad vnam personam spectant. Ordo autem & matrimonium sunt postrema.

ARTICVLVS III.

Virùm sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter sacramenta.

POST ordinem sacramentorum, sequitur eorum exploranda comparatio in perfectione. De qua re D. Thom. duabus conclusionibus respondet. Prior. Sacramentum Eucharistiæ est inter omnia sacramenta potissimum. Probatur tripliciter. Primò ratione eius rei quam continet: est n. sub eius speciebus Christi corpus substantialiter. In reliquis verò non nisi quædam eius virtus participata, vt q. 3. visum est. Id autem quod est per essentiam, præstantius est eo quod fit per participationem, vt ignis, quam alia calida. Secundò quia sacramentum Eucharistiæ, vt hactenus crebrò diximus, est cæterorum finis. Sacramentum siquidem ordinis ad eius consecrationem institutum est: baptismus verò ad eius susceptionem ordinatur, ad quam etiam perficitur homo per con-

Prior conclusio.

Digitized by Google

firmationem. Pœnitentia autem & extrema vnctio est, sicut præparatio ad eius sumptionem. Matrimonium saltem sua significatione hoc etiam sacramentum attingit, quatenus coniunctionem significat Christi & Ecclesiæ, cuius vnitas per sacramentum Eucharistiæ designatur, ea ratione qua Christo illic per nostram incorporationem vnimur. Vnde Paul. ad Ephes. 5. Sacramentum hoc (scilicet matrimonij) magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Tertiò, id probatur ex sacramentorum ritu, nam vt 3. cap. Ecclesiast. hierarc. autor est Dionys. pleraque sacramenta in Eucharistia consummantur. Ordinati namque illico communicant, & etiam baptizati si sint adulti. Imò & in primitiua Ecclesia (vt in q. de suscipientibus Eucharistiam patebit) etiam paruulis porrigebatur Eucharistia.

Posterior conclusio. Posterior conclusio. Aliorum sacramentorum comparatio adinuicem potest esse multiplex: quare secundùm diuersas qualitates habent se, sicut excedens, & excessum. Nam si necessitatem spectes, baptismus est omnium potissimum, eò quòd sine illo neque poterit esse salus, neque vllum aliud recipi sacramentum. Si verò perfectionem consideres, ordo post Eucharistiam alijs præcellit. Deinde confirmatio. Pòst verò pœnitentia & extrema vnctio ob id, quod non per se, sed per accidens, vt dictum est, sunt necessaria ad remouendas incidentes culpas. Et inter hæc duo, pœnitentia est maioris necessitatis ad delenda peccata; extrema verò vnctio est maioris perfectionis: quia putificat etiam peccatorum reliquias. Refertur enim ad pœnitentiam: sicuti confirmatio ad baptismum. Nam sicut absterſa per baptismum originali culpa augetur per confirmationem gratia: sic respectu actualium delictorum vsu venit in pœnitentia & extrema vnctione.

Expositio articuli. Perspicua hæc omnia sunt & cuicunque peruia. Sed si quis arguat non Eucharistiam, sed baptismum omnium esse simpliciter perfectissimum, eò quòd cùm sacramenta ordinentur in nostram salutem, illud apparet simpliciter perfectissimum, quod est simpliciter necessarium: negatur, ex necessitate argui simpliciter perfectionem; imò ex ipsa rei substantia æstimanda est: substantia autem sacramenti est id, quod in se continet. Et ideo Eucharistia est simpliciter perfectissimum, baptismus verò secundùm quid. Aliàs eadem ratione diceres pœnitentiam esse pariter perfectiorem, quia existenti in peccato magis est necessaria. Et quòd fortitudo est magis perfecta quàm iustitia, quia in bello est magis necessaria. In summa quòd pecunia est magis perfecta sapientia: quia pauperi est magis necessaria. Quæ omnia falsissima sunt.

Sed si rursus in D. Thom. insurgas, vbi ait, pœnitentiam & extremam vnctionem esse dispositionem ad Eucharistiam: eò quòd tunc sequeretur prius esse infirmum vngendum, quàm consecrata viatica buccella ei porrigeretur. Respondetur, quòd extrema vnctio non perinde est præparatio ad Eucharistiam, vt pœnitentia, sed quodammodo quantum ad effectum. Sanitas enim animæ est præparatio, vt vniamur Christo, & quia extrema vnctio perficit illam sanitatem, dicitur præparatio ad Eucharistiam. At verò ad illam suscipiendam sufficit pœnitentia, per quam remouentur peccatorum culpæ. Postmodum verò per extremam vnctionem remouentur eorum vestigia & cicatrices, vt dignè accedentes in cælo ad illam mensam, quam Christus nobis disposuit, edamus & bibamus supra cælestem Eucharistiam, hoc est, eius glorioso corpore & sanguine facie ad faciem saturemur; iuxta illud eius verbum Matth. 26. Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, quo illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.

1. Argu. Primum argumentum S. Tho. est de matrimonio, quod inter respondendum prætermiserat. Bonum commune præstantius est particulari, vt 1. Eth. Arist. autor est, matrimonium autem ordinatur in bonum commune propagationis humani generis; Eucharistia verò in fructum peculiarem sumentis: ergo illud præstantius est. Respondetur priorem præmissam esse veram cæteris paribus: matrimonium autem ordinatur in bonum naturale & temporale; ordo verò sacramentorum æstimatur penes rem spiritualem, qua vtique ratione Eucharistia est maximum, & matrimonium minimum.

2. Argu. Secundò illa videntur digniora sacramenta, quæ superiores expostulant ministros: confirmatio autem & ordo non nisi per Episcopos conferuntur: ergo sunt digniora, quam sacramentum Eucharistiæ, quod simplex sacerdos conficit. Negatur maior præmissa, ordinem enim & confirmationem, non quia digniora, sed quia per ipsa instituuntur ordinati & confirmati ad publica officia, principibus quales sunt Episcopi, conferre incumbit, instar reipublicæ humanæ. Sacerdotes quippe ordinantur ad administranda populo sacramenta: per confirmationem autem Christiani instituuntur ad propugnandam fidem aduersus publicos hostes. Quòd si arguas, aquam baptismalem tum valeat ad colendam fidem, valere quoque ad illam tuendam: Respondetur, gratiam baptismalem opem ferre contra peculiares hostes fidei in propria persona; scilicet, contra infestationem carnis & dæmonum: gratia autem confirmationis ad defendendum illam aduersus publicos hostes: nempe, aduersus hæreticos, tyrannos & infideles. Idcirco per illam constituitur homo publicus miles fidei.

3. Arg. Tertiò arguitur. Illa sacramenta sunt potiora, quæ vehementiorem habent virtutem, tria ergo sacramenta characterem imprimentia perfectiora sunt, quàm Eucharistia. Negatur vtique consequentia: nam per characteres configuramur sacerdotio Christi: maior autem virtus inest Eucharistiæ, per quam ipsi Christo incorporamur.

4. Argu. Quartò denique arguitur. Illud est præeminentius sacramentum, ex quo aliud pendet: sine baptismo autem non potest Eucharistia suscipi: ergo est præeminentior. Respondetur argumentum solùm probare præeminentiam baptismi respectu necessitatis. Imò inde præstantia Eucharistiæ arguitur, quòd est posterior generatione, posterius enim viuit fœtus anima rationali, quàm sensuali. Subdit autem D. Th. quòd sicut ordo, &, confirmatio sunt digniora sacramenta ratione ministri à quo conferuntur, sic & matrimonium ratione significationis est dignissimum, significat enim, vt ait Paul. ad Ephes. 5. coniunctionem Christi & Ecclesiæ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm omnia sacramenta sint de necessitate salutis.

SVPEREST demum post sacramentorum perfectionem, & circa eorum necessitatem perscrutari, an omnia sint necessaria. Et respondet D. Tho. sub distinctione duabus conclusionibus. Necessarium enim, vt 5. Metaphysic. tex. 6. ait Philosophus, multis modis dicitur. Accipitur enim & pro naturali, vt necesse est graui, si permittatur, deorsum ferri; & leui, sursum: & pro violento, vt necesse est iaculum proiectum moueri, & quod ad rem pertinet respectu finis, atque id dupliciter. Vno modo simpliciter, vt sine quo finis obtineri nequit, vt cibus est necessarius ad vitam. Atque alio modo secundùm quid, vt sine quo attingi commodè non potest: quemadmodum itineri longo peragendo necessarius est equus.

Prior conclusio. Est ergo prior conclusio. Primo modo necessitatis tria sunt sacramenta necessaria, licet diuersimodè. Baptismus enim est per se simpliciter, & absolutè cuicunque singulari personæ necessarius; pœnitentia verò per accidens, supposito scilicet peccato mortali: sed sacramentum ordinis est quidem simpliciter necessarium, non tamen singulari personæ, sed Ecclesiæ in communi, hoc est, fidelium vniuersitati; imò cuicunque prouinciæ. Probatur, quia sine sacerdotibus, & Episcopis non posset diuinus cultus administrari, iuxta illud Prouerb. 11. Vbi non est gubernator, populus corruet.

Posterior conclusio. Posterior conclusio. Secundo modo necessitatis reliqua quatuor sacramenta sunt necessaria. Probatur, quia confirmatio, vt suprà diximus, quodammodo perficit baptismum: sicut extrema vnctio, pœnitentiam. Matrimonium verò Ecclesiæ multitudinem per propagationem conseruat. Sed Eucharistia est spiritualis alimonia ad reficiendam virtutem, quæ assidua infestatione dæmonum, & sensualitatis quotidie deteritur.

Expositio articuli. Neque hic quippiam est, quod nos debeat remorari, nisi quòd forsan quis dubitet cur matrimonium non est in priori conclusione collocatum. Quandoquidem sicut ordo, sic & ipsum est reipublicæ neces-

sarium?

sarium. Respondetur, quòd ratione spiritualitatis, quatenus est sacramentum non est simpliciter necessarium, sed quatenus officium naturæ, quod illi in lege naturæ pariter competebat, & ideò non connumeratur inter ea sacramenta nouæ legis, quæ sunt simpliciter necessaria.

1. Argum. Primum igitur argumentum D. Tho. iam est solutum, quod est hoc. In operibus Dei nihil est superfluum, quia esset frustra: id autem quod non est necessarium est superfluum: ergo omnia sacramenta sunt necessaria. Respondetur namque ad minorem negando, id quod non est simpliciter necessarium, esse subinde superfluum. Satis est enim, quod sit secũdo modo necessarium ad finis commoditatem.

2. Argu. Sed in secundo argumento maior ineſt difficultas. Sicut de baptismo Ioan. 3. legitur. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: ita Ioan. 6. de Eucharistia. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; ergo sicut baptismus, ita & Eucharistia est sacramentum simpliciter necessarium. Respondet breuissimè, quòd illud verbum Eucharistiæ secundum Aug. in commentarijs eiusdem loci, intelligitur de manducatione spirituali, & non de sacramentali.

Contra hanc autem solutionem est argumentum & ad rem, & ad hominem. Nam sumptio Eucharistiæ est in præcepto diuino, quòd Ecclesia determinat fieri semel in anno: atque ipsum D. Tho. infra, quæst. 80. art. 11. in hoc testimonio Christi fundat: ergo manducatio Eucharistiæ non solùm spiritualis, sed realis est simpliciter necessaria priori modo necessitatis.

Argu. Ad huius intellectum animaduertendum est, aliquid esse necessarium simpliciter bifariam. Vno modo necessitate finis, & altero necessitate præcepti. Id dicitur necessarium necessitate finis, sine quo finis obtineri non potest. Et isto modo tria sacramenta prioris conclusionis sunt simpliciter necessaria, & Eucharistia quantum ad manducationem spiritualem per fidem, vt docet August. & nos infra distinctio. 8. artic. 3. declarabimus. Vbi eadem quæstio mouebitur; vtrùm Eucharistia sit ad salutem necessaria. Etenim quia ipsa est proprius finis baptismi, ad quem ille ordinatur per fidem, quæ recipitur in baptismo, suscipitur Eucharistia in voto. Et hoc est quod ait Augustin. crede & manducasti. Necessitate autem præcepti sumptio Eucharistiæ in re est necessaria. Quare Diuus Thom. quæstio. 73. artic. 3. Tam baptismus, inquit, quàm Eucharistia sunt sacramenta necessaria; diuersimodè tamen: quod si rogas, cùm verba citata de vtroque sacramento sint sim ilima, vnde illa discrepantia fingitur; illic eruemus causam ex natura rei. Nam baptismus est necessarius ad inchoandam spiritualem vitam: quare sine illo in re vbi copia eius adest, non possumus inire primam gratiam cum Deo, quod est esse necessarium necessitate finis. Eucharistia autem est necessaria sicut consummatio baptismi, & ideo sumptio eiusdem Eucharistiæ in voto sufficit ad gratiam, licet vis maneat præcepti vt tempore ab Ecclesia destinato suscipiatur in re.

3. Argu. Tertium argumentum est. Sine baptismo potest quis assequi salutem, nisi adsit eius contemptus, vt distinctio. tertia, art. 11. patebit: sed omnium sacramentorum contemptus pariter nocet saluti: ergo omnia sunt pariter necessaria, Respondetur, omnium quidem contemptum esse delictum: sed differentia est, quòd alia sacramenta non suscipere, etiam si ad sit copia illorum, non est contemptus, vt de ordine & matrimonio patet: imò & de Eucharistia & pœnitentia, quando non viget præceptum Ecclesiæ: Baptismum autem, vbi adest oportunitas, non suscipere contemptus est. Atque hoc arguit ipsum esse solùm sacramentum simpliciter necessitatis. Et hæc de sacramentis in genere. De qua re distinctio prima fuerat instituta.

* *
*

DISTINCTIO SECVNDA.

DE CIRCVNCISIONE, ET BAPTISMO IOANNIS.

Textus. Cap. 1. PRÆMISSIS in Prologo, quæ de Sacramentis in genere prænotanda occurrebant, ordo nos docendi commonere videbatur, tractatum illico Christiani baptismatis exordiri. At quoniam duæ antiquitus cæremoniæ, nempe circuncisio, & Ioannis baptizatio illustris huius nostri sacramenti præambulæ antecesserunt, decet, vt hac prius secunda, d. legentium oculis proponantur. vt enim circuncisio præparatorium sacramentum nostri baptismi extitit, ita & Ioannis baptisma sacramentalis quædam fuit eiusdem dispositio.

Definitio circuncisionis. In priori ergo parte distinctionis huius quatuor de circuncisione nosse oportet, Fuit enim, si definitionem cupis, sacramentum applicandæ fidei in remissionem originalis. Seu incisio præputij tanquàm signaculum, vt ait Paulus, iustitiæ fidei. Fuitque, vt libro quarto Orthodoxæ fidei Damascenus ait, signum distinguens Israël à reliquo orbe,

Damasc. Cap. 2. Institutendæ autem circuncisionis causa multiplex refertur. Prima namque princepsque fuit: vt ex Hugone libro primo de sacram. par. 11. colligitur, quod crescente ex vna parte scelerum colluuie, ex altera verò Christo iam aduentante, charactere illo membri generationis oportuit tum originis labem, quæ radix omnium malorum fuit, tum etiam fidem generandi ex illis patribus Christi, qui vnica fuit nostræ salutis causa, apertiùs significari. Quapropter congruentissimè in Patriarcha illo Abraham (vt Genes. 17. legitur) pacto præceptoque Dei sacramentum illud fuit institutum. Tunc enim & flagitia ardentius flagrabant, & fides Christi ex eius semine venturi in patre illo quàm firmissimè viguit. Propter quod ait ad Roman. Paulus: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, ac proinde illi dumtaxat eiusque semini huiusmodi sacramenti præceptum iniunctum est.

Hugo. Rom. 4. Caſ. 3. Sed & eius ritus congruentissimi fuerunt. Primùm, vt tantùm in masculino sexu, illoque fieret membro per quod & originis lues deriuatur, & Christi generatio ex illo semine denotabatur futura. Atque octaua die, vt & circuncisionem spiritualem, quæ fit in anima per gratiam Christi, & omnimodam spoliationem mortalis carnis, quæ in resurrectione perficienda est, præsignaret. Vtraque enim, spiritualis scilicet & glorioſa circuncisio, octaua die fit. Nam cùm lex vetus, vt libro sexto contra Faustum auctor est Augustinus, nomine sabbati, quæ septima dies est designetur, lex gratiæ per Dominicam significatur. Qua ideo Christus resurrexit, tum gratiam nobis impertitus, tum & resurrectionis pollicitus gloriam.

Aug lib. 6. contra Faustum c. 3.

Digitized by Google

Cap. 4

Ac quamuis sub circunciſionis ſignaculo gratia ad remiſſionem originalis culpæ infunderetur, non tamen eam circunciſio, vt noſter baptiſmus, ſed fides illo ſacramento applicata præſtabat. Nam Paulus ad Galat. quarto indiſcriminatim cuncta illius temporis ſacramenta infirma egenaque elementa cenſet, quaſi nihil gratiæ ad ſalutem conferentia. Eademque adeò ſola fides ante circunciſionem in lege naturæ contra eandem originis maculam vnicum remedium erat. Iuxta verbum Greg. 4. libro Moralium. Quod apud nos valet aqua baptiſmi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium circunciſionis.

Gal. 4.

Greg 4. lib. moral. de conſec. diſt. 4. capit. Quod apud.

Cap. 5.

In altera diſtinctionis parte duo itidem de baptiſmo Ioannis ſunt contemplanda. Fuit quippe decentiſſimum, vt ritus ille ante Chriſti baptiſma Deo inſpirante imperanteque inſtitueretur, iuxta illud Ioan. 1. Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c. Nempe, vt illic tactu ſuæ mundiſſimæ carnis (vt ait Beda) Chriſtus aquas ad ſuum baptiſmum conſecraret, ac perinde populo innoteſceret, tanquam ille qui futurus erat in Spiritu ſancto baptizatus. Sed & Iudaici quoque illius populi cauſa, eundem ritum inſtitui decuit, vt lotionis illius aſſuetudine ad Euangelicum baptiſma afficeretur, & pœnitentia, quam illic Ioannes prædicabat, ad eundem idoneè ſuſcipiendum præpararetur. Vnde Redemptor ipſe Matth. 21. Baptiſmus, inquit, Ioannis vnde erat, è cœlo, an ex hominibus? quaſi dicat, è cœlo.

Veruntamen baptiſmus ille gratiam iuſtificantem nemini contulit, teſtante id ipſo Baptiſta Matth. 3. Ego enim, inquit, baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne. Imò verò nec ſacramentum fuit propriè, ſed ſacramentale quoddam noſtri baptiſmi. Ex quo fit conſequens, vt qui in Ioannis baptiſmate (vt Actuum 19. legitur) eſſent baptizati, iterum Chriſti baptiſmo tenerentur intingi.

DISTINCTIONIS SECVNDÆ,

Quæſtio I.

DE CIRCVNCISIONE.

S. Thom. 3. part. quæſt. 70.

ARTICVLVS I.

Vtrùm circunciſio fuerit præparatoria, & figuratiua baptiſmi.

DISTINCTIONEM præſentem in duo partiti ſumus. Prior namque pars tractatum circunciſionis continet, poſterior verò diſputationem baptiſmi Ioannis. Nam etſi D. Tho. de circunciſione in calce tractatus de baptiſmo quæſtionem ſubiungat, viſum tamen mihi eſt, tum quòd antiquius ſacramentum, tum quòd ad noſtrum baptiſma quaſi præambulum fuit, ſermonem eius anteponere, cumque illo, qui eſt de baptiſmo Ioan. coniungere: vt iſtæ ambæ ceremoniæ aditum nobis ad materiam baptiſmi aperiant. Eſt ergo q. 1. art. 1. Vtrùm circunciſio fuerit præparatoria. Ad quam hac affirmatiua concluſione D. Tho. reſpondet. Circunciſio fuit præparatoria figura baptiſmi, quam probat autoritate Apoſtoli ad Coloſſ. 2. Circunciſi eſtis circunciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed circunciſione Ieſu Chriſti conſepulti ei in baptiſmo. Vbi baptiſmum Apoſtolus ob id circunciſionem appellat, quòd per antiquam circunciſionem præfigurabatur; ſcilicet veritati ipſi nomen figuræ accommodans propter eiuſdem culpæ remiſſionem, quæ illic fiebat per fidem, & hic per ſacramentum. Rationem præterea ex eodem D. Aug. hic S. Th firmiſſimam ſubiungit. Fides namque antiquorum Patrum, & noſtra, eadem eſt: nam ea, quæ illi futura credebant, nos facta confitemur, iuxta illud 2. Cor. 4. habentes eundem ſpiritum fidei credimus: circunciſio autem erat eiuſdem fidei proteſtatio, & profeſſio, ſicuti apud nos baptiſmus: ſecundùm illud ad Galat. 5. Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. Vnde ad Rom. 4. Paul. Abraham, inquit, accepit circunciſionem tanquam ſignaculum fidei, quo ſcilicet homines tunc cœtui fidelium aggregabantur, veluti modò per baptiſmum fit; ergo conſequens vt fuerit illa huius præparatoria figura.

Conclusio articuli.

Animaduertendum eſt in præſentiarum Manichæos in circunciſionem abſurdiſſimè fuiſſe blaſphemos. Aiebant n. nunquam bonum Deum & honeſtum in illo depudendo membro regenerationem ſui filij præſignaſſe, ſed inuentum fuiſſe mali turpiſſimique Dei: qui pueros illos vulnere cruciare cõſtituit. Quam quidem blaſphemiam D. Aug. lib. 6. contra Fauſtum cap. 3. retundit, dicens, quòd ſecundùm Paulum ad Titum 1. omnia ſunt munda mundis, ac potiſſimum Deo: qui ideo decenter ea parte potuit tum originis labem, tum & Chriſti genituram deſignare. At præter Manichæos etiam Pelagiani, quia vitium originale non agnoſcebant, ſubinde ſacramentum circunciſionis tanquam eius remedium abnegabant. Contra quos idem Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum capitulo tertio concluſionem hanc Diui Tho. affirmat. Cuius gratia Sanct. Doctor præſentem articulum ſcripſit.

Expoſitio articuli. Manichæorum blaſphemia.

Pelagianorum hæreſis.

Auguſt.

Videri tamen hic cuipiam poteſt Diuum Thom. initialem articulum prætermiſiſſe: debuiſſet namque priùs neceſſitatem circunciſionis declarare. Nam cùm vt quæſtione 2. diſtinctionis præcedentis oſtendebamus, omni tempore legis naturæ fuerint aliqua ſacrificia conſtituta, quæ ſuo modo erant ſacramenta, etiam in remedium originalis culpæ, nulla apparet neceſſitas circunciſionem adhibendi. Hanc tamen neceſſitatem ſuprà eadem quæſt. 61. artic. 3. ad ſecundum explicuit. Nam cùm proceſſu temporis quantò plus humanum genus à ſuo elongabatur initio, peius peccata rationis lucem obſcuraſſent, & quantò propiùs aduentus Chriſti appropinquaſſet, tantò debuiſſent fidei ſacramenta explicatiora inſtitui, decuit vt tempore Abrahæ ſacramentum inſtitueretur, quod explicatiùs tùm originalem maculam, tùm etiam aduentantis Chriſti generationem luculentiùs declararet. Sententia eſt Hugonis lib. 1. de ſacramentis, parte 11. cap. 6. ac deinde Alexandri Alenſis quarta parte quæſt. 7. membro ſecundo, & Diui Thomæ in 4. diſtinctione 1. quæſt. ſecunda. Quocirca neceſſitas circunciſionis non fuit ſimpliciter ad delendum peccatum: nam antea enim etiam delebatur per fidem Chriſti, vt paulò inferiùs explicabitur, aliter applicatam, ſed vt eadem fides ad illam abſtergendam maculam expreſſiori ſigno applicaretur.

Contra S. Thom.

Hug. li. 1. Alexan. Alenſis.

Contendit hic Alexander & D. Thomas circunciſionis definitiones accumulare, quæ diuerſa eius qualitates explicant. Fuit enim, ſi ad primarium eius effectum attendas, circunciſio ſignaculum curationis ab originali. Sed in hoc non differebat à baptiſmo, niſi intelligamus fidei ſignaculum dumtaxat & nõ cauſa gratiæ iuxta verbum citatum Pauli ad Romanos quarto. Nam baptiſmus ſic eſt ſignaculum, vt ſit etiam cauſa gratiæ Fuit etiam ſignum: vt ait libro 4. Damaſcenus capit. 26. diſtinguens Iſraël à reliquo gentilium orbe. Hic enim fuit ſecundarius eius effectus.

Definitiones circunciſionis.

Damaſc.

At verò nos in textu exactius forſan ſacramentum hoc duobus modis definiuimus. Nam cum ſacramenta, vt diſtin. 1. quæſt. 1. art. 1. monſtrauimus, &

gene-

Digitized by Google

generaliter signa sint, & peculiariter actiones quædam & passiones, vtraque ratione commodissimè definiuntur. Primò, vt sacramentum ponatur loco generis, loco autem differentiæ effectus peculiaris eiusdem sacramenti. Et secundo modo, si illa actio vel passio fungatur vice generis. Priori ergo ratione circumcisio est sacramentum applicandæ fidei in remissionem originalis culpæ: & posteriori, est incisio præputij tanquam signaculum iustitiæ fidei. Ambabus enim rationibus definitio generalis sacramenti, scilicet, sacræ rei signum, ad hoc singulare adaptatur. Et quoniam illic fiebat professio fidei, conferebaturque gratia ad eius culturam, illic imponebatur circumciso nomen, quasi ille tunc nomen suum daret in illam religionem. Quare licet Angelus attulerit de cælo nomen Iesus, non illud ipse ei imposuit, sed iussit Ioseph vt sic eum vocaret, quod ipse in die circumcisionis fecit.

Definitio legitima veteris.

1. Argu. Similitudines circumcisionis bapt.

Sed est primum argumentum S. Tho. Figura similitudinem aliquam cum figurato habere debet: circumcisio autem nullam videbatur habere baptismi: siquidem cùm illa ferro, hic autem aqua fiat.

Ad hoc argumentum aliter in 4. quàm hic respondet. Non enim tantùm similitudinem cum baptismo decuit habere, verùm & expressiorem significationem tum originalis culpæ, tum curationis à Christo exhibendæ. Culpam autem designabat, primò; quia in membro generationis sculpebatur, per quam contrahitur. Secundò, quia circulariter fiebat, ad denotandum quòd priùs persona Adæ infecit naturam, quæ quidem natura singulas postea personas commaculat. Et tertiò, quia dolorem contra delectationem concupiscentiæ excitabat. Sed in sanguinis effusione significabat passionem qua Christus vitium illud erat curaturus, cuius vtique generatio chatactere quoque illius membri designabatur. Quæ potissima eius institutionis causa fuit: videlicet, vt tam celebri sacramento nasciturus Messias mentibus illius gentis impingeretur. Hic autem dumtaxat adducit similitudinem cum baptismo. Nam præter effectum spiritualem remissionis culpæ, forma ipsa sacramenti erat quædam imago baptismi. Etenim sicut in circumcisione auferebatur carnalis pellicula, ita & in baptismo expoliamur à carnali conuersatione. Et est doctrina Diui August. loco suprà citato contra Faustum libro sexto, & Damasceni loco proximè allegato. Illic enim quod generationi necessarium erat non amputabatur, sed membri operculum, quod ſùperfluam voluptatem gignit. Et pariter in baptismo non expoliamur à conuersatione carnis, quæ est vitæ necessaria, vt cibo, & potu, & cæteris; sed relinquere tunc profitemur superfluam concupiscentiam, quæ ex originali culpa successit. Quocirca, vt comprehensim mysteria circumcisionis colligamus, fuit signum in primis distinctiuum illius populi à reliquis gentibus, memoratiuum originalis culpæ: ac suo modo eiusdem purgatiuum, quatenus per fidem illic applicitam diluebatur: figuratiuum baptismi, allegoricum Christi, morale, quo admonebantur homines castitatem seruare, atque anagogicum deponendæ corruptibilitatis carnis & sanguinis in postrema resurrectione glorificatorum corporum.

Aug. & Dam. loc.

Circumcisionis mysteria.

2. Argu. Secundum argumentum facile est. Paulus primæ ad Corinth. 10. potius meminit maris, per quod priscus populus per desertum transiuit, & nubis, qua fuit protectus tanquam figurarum baptismi, dicens quòd in nube & mari fuerunt baptizati, ergo illæ potius res, quàm circumcisio fuerant figura. Respondetur, quòd res illæ quantum ad materiam baptismi, eiusque virtutem, expressiorem continebant effigiem baptismi: baptizamur enim in aqua, & Spiritu sancto, vt habetur Ioan. tertio: qui quidem Spiritus nube illa præsignabatur, & hoc tantùm significauit Paulus. At non erant sacramenta sicut circumcisio: quæ ideo dicitur sacramentum præparatorium baptismi.

3. Argu. Tertium denique argumentum est. Baptismus Ioannis fuit etiam præparatorius baptismi Christi, si ergo idem etiam habebat circumcisio, alterum superfluebat. Respondetur, quòd baptismus Ioannis, non fuit verò sacramentum, vt infrà dicemus, nec fidei professio, sed quædam dispositio ad exercitium baptismi, quia fiebat in aqua, & ideo dici potest sacramentale quoddam baptismi. Circumcisio autem erat verè sacramentum, & fidei quidem professio, quam etiam in baptismo profitemur, & ideirco longè propinquiùs ad rationem baptismi accedebat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm circumcisio fuerit conuenienter instituta.

SI ergo necessaria fuit modo exposito circumcisio, scire restat, vtrum tempore congruo fuerit instituta. Nam arguitur quod instituì debuerit illico post peccatum, vtpotè in cuius remedium instituebatur: vel si institutio eius differri debuit, oportuisse videtur vt in lege Moysi fieret, cuius legis sacramentum erat: & tamen non fuit instituta nisi tempore Abrahæ. Respondet nihilominus Diuus Thomas vnica vt apparet conclusione; videlicet, Conuenienter circumcisio instituta fuit in Abraham. Sed est notandum, quòd non solùm ait, tempore Abrahæ, sed in Abraham, duas scilicet innuens conclusiones. Vnam, quòd tempus Abrahæ fuerit huiusce modi institutioni aptum. Alterum verò, quod ipsi tantùm, suoque semini inter mortales fuerit præcepta. Et primo probat simul ambas: quia institutio fuit facta à Deo, Genes. 17. cuius perfecta sunt opera. Secundò sic. Duplex fuit ratio instituendæ circumcisionis: videlicet, vt esset professio fidei Christi, & vt per illam singularis populus, vnde Christus erat nasciturus, à reliquo secerneretur orbe. Vtraque autem ratio reperta fuit in Abraham: nam & ipse primus iussus à Deo fuit egredi de terra sua: & de generatione sua, vt Genes. 12. legitur. Ipsique postmodum, vt Genes. 22. habetur, prima facta fuit promissio nascituri Christi ex suo semine, in quo omnes gentes benedicerentur: ergo in ipso fuit congruentissimè illud circumcisionis sacramentum institutum.

1. Concl. 2 Concl.

Hic primum circa tempus Abrahæ aduertendum est, illud fuisse initium tertiæ ætatis mundi. Durauit enim mundi infantia vsque ad diluuium annis 1656. Pueritia vero inde vsque ad Abraham fermè 500. annis. Ortus enim fuit anno mundi 1948. Cùm autem 75. esset annorum, vt legitur Genes. 12. iussus est egredi terra sua, & cognatione sua, quippe quæ in generationibus Nembroth, plena iam erat spurcitia, & idololatria. Paulo enim ante eius ortum Ninus in Babylone idololatriæ initium fecerat: vtpote qui Belo patri diuinos honores instituerat. Et quoniam cum idololatria semper nefandum vitium successit, illo etiam tempore viguit Sodomorum, Gomorrhæorumque spurcitia. Deinde cùm 99. annorum esse cœpisset, vt legitur Genes. 17. fœdus pepigit cum Deo seruandæ fidei venturi Messiæ, atque adeo in signum fœderis præceptum accepit circumcisionis, quo à reliquis gentibus discerneretur. Instituta fuit ergo circumcisio anno ab orbe condito 2048. Deinde effluxit tertia mundi ætas: nempe, adolescentia quadringentis annis, & eo amplius, vsque ad latam legem per Moysen. Atque inde processit quarta vsque ad Dauid, & quinta vsque ad captiuitatem Babyloniæ. Et sexta vsque ad Christum, qui initium fecit septimæ, anno 3960. Vnde fit vt inter ortum Abrahæ, & ortum Christi interfluxerint duo annorum millia adiectis 12.

Expositio articuli.

Initium idololatriæ per Ninum.

Instituta circumcisio quando.

Hæc ergo ad intellectum articuli huius adnotare opus fuit. Per hæc namque primum & secundum argumentum D Thomæ facilè diluuntur. Haud enim illico post peccatum Adæ necessaria fuit circumcisio, vel ad explicandam originalem maculam, vel ad exprimendam veritatem fidei venturi Christi. Nam Adam ipse vtriusque diuinitus doctrina imbutus erat, quam suam posteritatem viua voce docebat. Sed illa fides propter successentia in dies gentium, scelera tempore Abrahæ, vt dictum est, obnubilabatur & tenebrescebat.

1. Argum. S. Thom.

Secundum argumentum est, quòd cùm per circumcisionem, vt ait Paulus ad Galat. quinto fieret, legis professio, condecere videbatur, vt non in Abraham, sed in Moyse, per quem lata est lex, institueretur. Respondetur autem potiùs fuisse congruum, & ad rem necessarium, vt populus antè in vnam religionem coadunaretur, quam illi scriberetur lex: nam legis fundamentum, religio est, quippe cum lex ad bonum publicum populi referatur; coadunatio autem populi fit aliquo signo sensibili. Nam, vt ait sæpe citatus August. libro 19. contra Faustum, non potest sine signo sensibili coadunari religio. Quapropter decuit peculiarem illum populum illo charactere ante legem insigniri. Addit autem illos patres, qui fuerunt ante legem, fa-

2. Arg.

Digitized by Google

milias suas de diuinis per modum paternæ admonitionis instruxisse, iuxta verbum Domini de Abraham, Genesis 18. Scio quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini. Hoc autem verbum in duplici sensu legi potest. Primo modo, vt solum intelligatur de patribus succedentibus inter Abraham, & legem; vt de Isaac, Iacob, & reliquis. Non enim ait ante circunciſionem, sed ante legem, vt tacitæ obiectioni responderet. Si enim circunciſio tanto temporis curriculo ante legem fuit præcepta, & non fuit scripto promulgata, quomodo potuit durare in memoria hominum vsque ad legem? Et respondet, quòd viua voce parentum ad filios, filiorumque ad nepotes. Et hic est legitimus sensus huius literæ. Nihilominus verum est quòd ante circunciſionem etiam patres edocebant suas familias de diuinis viua voce, & quantum ad notitiam originalis culpæ, & quantùm ad fidem, per quam remittebatur, licèt ante tempus Abrahæ iam illa notitia contenebresceret.

3. Argu. Tertium argumentum maioris est ponderis: nam esto tempore Abrahæ debuerit circunciſio institui, non tamen apparet eius soli semini præcipi debuisse; imò cùm figura esset baptismi, qui vniuersis populis conferendus erat, debuit & ipsa pariter vniuerso orbi iniungi. Et quidem D. Thom. hoc tantùm respondet, quòd cùm baptismus perfectionem in se salutis contineat, ad quam Deus vniuersos mortales euocat, iuxta illud 1. Timoth. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri, debuit vniuersis exhiberi; circunciſio verò non erat nisi figura quædam Christi, qui ex illo singulari populo nasciturus erat, & ideo non debuit nisi illi populo iuberi.

Circunciſionis institutio. Quo autem responſio apertior fiat, adnotanda sunt institutionis verba Genes. 17. Sunt enim huiusmodi. Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te. Et loquebatur Deus peculiariter Abrahæ. Circuncidetur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me, & vos. Vbi pronomina illa secundæ personæ toties repetita designant præceptum soli illi genti positum. Sed est præterea notandum discrimen inter sacramentum circunciſionis, & alia, quæ fuerunt iuris naturæ. Illa enim, vt distinct. 1. q. 2. dicebamus, non fuerunt determinata præcepto diuino exterius, sed tantùm erat obligatio interior, vt aliqua fieret fidei protestatio, quam singulæ nationes suis proprijs sacrificijs designabant, quoniam sola fides patentum, quocunq; signo etiam interiori applicita, vt infrà patebit, delendæ originali culpæ sufficiebat. De circunciſione autem fuit positum peculiare præceptum. Et hoc est, quod ait venerabilis Hugo lib. 1. de sacramentis, par. 12. cap. 2. videlicet, sacramenta antiquiora secundum voluntatem hominum fuisse instituta, circunciſionem autem præcepto Dei, idque adeò fuit primum, quod de sacramentis in sacra pagina reperitur. Itaque verbum illud, circuncidetur ex vobis, &c. editionem præcepti designat. Ad cuius vtique vehementiorem exaggerationem subditur. Masculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit; delebitur anima illa de populo suo, qua pactum meum irritum fecit.

Discrimen inter circunciſionē, & sacramenta legis naturæ.

Circunciſionis præceptum.

Delebitur. Verbum autem delere, bifariam exponi solet, quemadmodum nomen pacti de duplici pacto intelligi valet. Nam si delere, ad perpetuam animæ damnationem referatur, tunc non quadrat, quòd pactum intelligatur de illo tunc cum Abraham initio: nam cum paruulus ante vsum rationis non circunciſus pactum illud non frangeret, quia culpam non committebat, non erat cur idcirco damnaretur. Et ideo August. 16. de ciuit. Dei cap. 27. ad illam deletionem alludens, ait, nomen pacti referendum esse, non ad illud, sed ad aliud antiquum, Adæ propositum. In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris: scilicet, spirituali, & mortalitate corporali. Itaque sensus sit, anima cuiusque incircunciſi peribit ob peccatum originale, quod ab Adam frangente Dei pactum contraxit. Et hunc sensum sequitur Hugo loco citato, & antiqui patres. Alijs autem violentus apparet eiusmodi sensus: videtur enim litera de pacto præsenti loqui, & deleri animam de populo potiùs alludere ad vitam corporalem, quæ in sacris literis vocatur anima: vt sit sensus, capite plectetur homo ille: At profectò si circuncidi legatur passiuè, non quadrat interpretatio hæc: nam paruulus ob id, quòd non circuncideretur, nullam merebatur corporalem pœnam. Sed tamen Hebraicè legitur circuncidere actiuè, puta clausus (sic enim vocabatur incircunciſus) qui non circuncidet carnem præputij sui, peribit, &c. Et sic legit August. Et tunc potest verbum adaptari ad adultos, qui nisi suam carnem suorumque liberorum circuncideret, pœnam subirent mortis. Et profectò vtraque lectio suitineri potest. Imò arbitror vtrunque simul sensum in illis verbis contineri. Nam quòd absque circunciſione nulli tunc masculo illius populi post octauum diem pateret salus, certiſſima fides est. Quòd autem supplicium capitis esset adulto non se, aut suum filium circuncidere, non est dubitandum: nam idem supplicium extat nunc Christiano, & Christiani filio, si baptizari se, aut prolem suam renueret. Et confirmatur ex illo Exodi quarto, vbi legitur, quòd Deus voluit Moysen perimere, eo quod proles suas masculinas non circunciderisset. Stat ergo sententia, quod circunciſio fuit soli semini Abrahæ à Deo ante legem præcepta.

Hugo.

Aug. 16. de Ciu. c. 27.

Arguitur nihilominus contra singulas particulas. Primùm sequeretur præceptum illud potiùs censendum esse legis naturæ, quàm scriptæ; eo quòd pluribus quàm quadringentis annis ante scriptam legem fuerit positum. Consequens tamen videtur falsum: nam cùm per circunciſionem fieret professio legis scriptæ, vt ait Paulus ad Galatas quinto, & solis Hebræis fuisset posita, & cessante lege cessauerit, apparet potiùs præceptum legis Mosaicæ. Respondetur autem, præceptum illud quodammodo dici posse legis naturæ, quantum ad tempus institutionis: commodiùs autem & significantius dicitur præceptum legis scriptæ, propter rationes modò tactas. Præcepta namque naturalia vniuerso orbi sunt posita: circunciſio verò solis Hebræis mandata, tanquam præparatio quædam ad legem scriptam, vt dictum est. Et hoc est, quòd Christus docuit Ioan. 7. Moyses dedit vobis circunciſionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, scilicet, Abraham, & sua sobole. Imò verò hoc etiam circunciſio à lege Moysi differebat, quod ipsa à solo Deo immediatè per Angelum fuit præcepta, lex autem per Moysen data. Et ratio discriminis fuit, quòd verum sacramentum conferens gratiam, (vt supra diximus) à solo Deo debet institui, qui autor est gratiæ: quare Christus solus nostra instituit sacramenta: morum autem leges condit Deus per legislatores, iuxta illud Prouerbio. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

Argu.

Secundò arguitur contra solutionem D. Thom. quòd quia baptismus perfectionem continet salutis, debet dari vniuerso orbi: circunciſio verò, quia tantùm erat figura Christi, non nisi illi populo. Nam postquam circunciſio ad delendum originale instituebatur, quod vniuersos mortales infecerat, semper viget argumentum, quòd quamuis esset figura Christi, nihilominus deberet vniuersis proponi.

2. Arg.

Tertiò Hieremiæ 9. legitur. Ecce dies venient, dicit Dominus, & visitabo super omnem, qui circunciſum habent præputium, super Ægyptum, & super Iudam, & super Edon, & super filios Ammon, & super Moab. Vbi ait Hieronym. omnes illas gentium nationes habuisse in more circunciſionem, licèt non essent Israelitæ.

3. Arg.

Quartò confirmatur ex historia Ismael, qui circunciſus fuit, vt legitur Genes. 17. ergo sua soboles, eadem lege tenebatur, & tamen fuit excluſus præcepto Domini à familia Abrahæ, vt legitur Genes. 21. Eijce ancillam, & filium eius. Idemque fit argumentum de Esau, qui separatus est à familia Isaac, iuxta illud Paul. ad Rom. 9. Iacob dilexit, Esau autem odio habuit. Ergo non solùm semen Abrahæ tenebatur circuncidi.

4. Argu.

Et quintò arguitur. Abraham non solùm iussus est filios circuncidere, verùm & seruos tam vernaculos, quàm emptitios, qui non erant de sua familia, eosdemque præceptum exequens circuncidit, vt Gen. 17. legitur: ergo non sola Abrahæ generatio lege circunciſionis obligabatur.

5. Argu.

Ad secundum respondetur, quòd cùm fides venturi Messiæ tam esset sublimis, & creditu difficilis, non eam illico Deus in vniuersum orbem euulgauit, quoniam non erat tanti mysterij capax, sed selegit præstantiſſimum tunc omnium mortalium Abraham, cui mysterium seorsum concredidit. Et quia credidit ex Sara iam sterili super naturam suscepturum prolem, quæ erat mysterium Christi ex virgine nasciturj, patrem eum tum secundum carnem vnigeniti filij sui, tum se-

Ad secundum.

cundùm

cundùm ſpiritum, vti ait Paul. Rom. 4. Omnium credentium elegit. Ob idque iuſſit eum exire de domo, & cognatione ſua, vt in regione illi conſignata ſemotus à reliquo orbe, illo circunciſionis charactere inſignitus, tanquam ſeminarium Chriſti vitam degeret. Quare & inditum eſt illi nomen, Abraham, quod eſt, pater multorum. Vnde ad formam argumenti reſpondetur, quòd circunciſio duo habuit. Fuit enim & remedium contra morbum, & præceptum: & tanquam remedium fuit vniuerſaliter propoſita gentibus cunctis, quæ illam ſua ſponte vellent recipere, vt legitur Exod. 12. Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circuncidetur prius omne maſculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ. Sed tamen quia non ſolùm propter originale, vt diximus, ſed propter myſterium generandi expectandique Chriſti potiſſimum inſtituebatur, illi populo peculiariter fuit in præcepto, atque adeò in illo generationis membro. Reliquo verò orbi ſufficiebant ſua ſacrificia, vt antea.

Circunciſio duo habuit.

Ad tertiũ. Ad tertium reſpondetur. Gentes illic commemoratas religionem circunciſionis ſuſcepiſſe, non tanquam ſacramentum, quod iuxta verbum Pauli, profeſſio erat ſeruandæ legis Iudaicæ, ſed propter imitationem, quia placebat eis illa cæremonia. Qua ratione etiam Mahumetus ſuæ familiæ illam iuſſit: quare per illam non mundabantur originali; velut ſi modo aliquæ gentes baptizarentur abſque intentione profitendi legem euangelicam. Et ideo Deus propoſuit illas gentes in exemplum Iudæis, dicens, quòd cùm ipſi, ſcilicet Iudæi, incircunciſi eſſent corde, legem præuaricantes, non plus illis proderat circunciſio, quàm Amonitis, aut Moabitis.

Ad quartũ. Ad quartum verò reſpondetur, quod deſcendentes ab Iſmael, qui dicuntur Agareni ab Agar eius matre, & deſcendentes ab Eſau, qui dicuntur Idumæi, licèt primi eorum parentes fuiſſent circunciſi, tamen quia iuſſu Dei fuerũt excluſi à familia Abrahæ, nõ tenebantur lege circunciſionis, ſed ſaluari poterant in lege naturæ. Secùs de decem tribubus cenſendum eſt, quæ ſub Ieroboam ſeceſſerunt à reliquis duabus, vt refert hiſtoria 3. Regum 12. nam illa non fuit excluſio à familia Abrahæ, diuiſio vnius populi in duos: quare illi, qui ſeceſſerunt, nomen retinuerunt Iſraëlitarum.

Dubitatio. Quod ſi me roges, vtrum ſi quis illius populi per apoſtaſiam tranſiret ad gentilitatem, teneretur nihilominus filios ſuos circuncidere. Reſpondetur, quòd reuera tenebatur, ſed poſtmodum lapſu longi temporis poſſent ſui poſteri laborare ignorãtia inuincibili legis Moſaicæ, & ideo poſſent ſaluari ſicut reliqui in lege naturæ.

Ad quintũ. At verò quintum argumentum maioris eſt momenti tam de vernaculis, quàm de emptitijs ſeruis. Sunt enim qui teneant affirmatiuam partem: videlicet, quòd Abraham, & quicunque Iudæus teneretur circuncidere famulos, & ſeruos ſuos, etiam inuitos. Cuius ſententiæ fuit Caiet. ſuper eodem loco Geneſ. 17. propterea quòd ait textus, Abraham circuncidiſſe omnes vernaculos domus ſuæ, j. qui in domo ſua nati erant, vniuerſosque, quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ. Vnde infert quod etiam paſtores, & procuratores ſuos, & eorum filios circuncidere tenebantur. Abulenſis verò ſuper Geneſ. 17. & ſuper Exodi 12. qu. 56. diſtinctius loquitur. Ait quippe, quòd tenebantur Iudæi circuncidere emptitios ſeruos, non autem alios, qui liberè ſtruiebant. Eò quod ſeruus, vt ait Philoſophus Ethic. 5. & Poli. 2. eſt poſſeſſio domini, & ideo ſicut de equo ſuo, ita valet de illo liberè diſponere.

Caiet. *Abulenſis.* *Ariſt.*

Sententia autoris. Reſpondetur ergo primum, quod reuera amplitudo opinionis Caiet. de mercenarijs neutiquam ſuſtineri poteſt: nam cùm illi qui non deſcendebant ex ſemine Abrahæ, non tenerentur lege illa circunciſionis, nullum erat ius eos cogendi. Imò verò neque opinioni Abulenſis meo calculo ſuffragarer; quinuerò arbitror nec ſeruum, nec liberum, qui non deſcẽderet ex ſemine Abrahæ, vigore illius legis fuiſſe inuitum circuncidendum. Et ratio eſt, quia lex illa ſemini dumtaxat Abrahæ, vt ait Hugo lib. de ſacra. par. 12. c. 2. poſita fuit, vt diſtingueretur à reliquis mundi gentib. igitur ſi quis ſeruus vel bello caperetur vel emeretur pretio, nõ ſubinde obligabatur illi legi, atque adeo nec poterat vi vlla circuncidi, niſi ſua ſe ſponte vellet eidem religioni mancipare. Et confirmatur hoc planè. Qui circunci-

Hugo.

debatur, vt ait ad Galat. Paul. debitor efficiebatur vniuerſæ legis faciendæ: nemo autem inuitus poteſt legibus alicuius reipublicæ, cuius ille non eſt membrum, vinciri. Adde quòd ſi inuiti illi circunciderentur, non reciperent gratiam remiſſionis originalis, ſicut neque modò qui coacti & reclamantes baptizarentur. Iniuria ergo illis irrogaretur maxima, ſi circunciderentur inuiti. Neque vlla ratione credendum eſt, quòd domini deberent ſeruos ob id ſolùm circuncidere, vt dignoſcerentur eſſe ſuæ familiæ: nam cùm illa cæremonia eſſet inſtituta ad applicandam fidem venturi, & ad ſuſcipiendam illam legem, illi, qui renuebant illam ſuſcipere, non erant charactere illo conſignandi: aliàs eſſet mendax ſignum. Et ſequitur præterea, quòd ſi inuitus circunciſus vellet poſtea ſua ſponte fieri Iudæus, neutiquam illi poſſet applicari ſacramentum: quia nullum ei reſtaret reſcindendum præputium. Multò ergo minus tenebantur domini circuncidere mercenariorum infantes, & vernaculos deſcendentes ex hominibus liberis, niſi conſentientibus parẽtibus, ſi illos haberent. Qui autem naſcerentur domi ex ancillis vel ſeruis iam Iudæis, iure poterant circuncidi: nam & qui modò filij ſunt Chriſtianorum, ad baptiſma cogendi ſunt. Item infantuli ex ſeruis non Iudæis nati, ſi eſſent parentibus orbati, poſſent ante vſum rationis à dominis circuncidi, eò quod haberent eorum curam, ſicut modò poſſent baptizati.

Notandum

Excluſio cauilli.

Si quis autem contendere pergat, quòd Iudæus non deberet admittere mercenarios in domum ſuam, niſi ſe vellent circuncidere, gratis loqueretur. Cur enim non poſſent admittere famulos incircunciſos? Præterquàm quòd Exodi 12. expreſsè habetur, quòd aduena, & mercenarius non deberent edere paſchalem agnum, quia non erant circunciſi. Vnde colligitur, in domibus Iudæorum fuiſſe famulos incircunciſos.

Exod. 12.

Expoſitio legis circunciſionis. Alexander.

Ad legem ergo illam Geneſ. 17. quòd vernaculi & emptitij ſerui erant circuncidendi, reſpondetur intelligendam eſſe conditionaliter, ſi vltrò ipſi vellent. Et ita tenet Alex. 4. p. q. 7. membro. 3. art. 2. Et colligitur hic ſenſus ex verbis illis Exod. 12. de eſu paſchali. Omnis autem ſeruus emptitius circuncidetur, & ſic comedet. Hoc eſt, ſi comedere voluerit, circuncidatur priùs: ſin minùs, ad conuiuium minimè admittatur. Atque hac ratione Gen. 17. bis ponitur. Circuncidetur, vt priùs ſit abſolutum præceptum, poſteriùs verò conditionale: Infans octo dierum circuncidetur in vobis, omne maſculinũ in generationibus veſtris. Hactenus eſt præceptum. Tam vernaculus, quàm emptitius circuncidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra. Hoc eſt conditionale, ſi vellent. Nam cùm hæc tria poſtera mẽbra ſub eodẽ contextu connectantur, & eos, qui non erant de ſtirpe, manifeſtum ſit nõ potuiſſe cogi, planum ſit idẽ eſſe, tum de vernaculis, tũ etiã de emptitijs ſentiendũ. Quocirca dũ præceptũ reſumitur: Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima eius de populo ſuo, quia pactũ meum irritum fecit, nihil reſumitur de vernaculis, aut emptitijs, aut alienis ab illa ſtirpe: quia non erat illis ſimpliciter neceſſaria circunciſio, ſed ſoli ſemini Abrahæ, cũ quo pactum initum erat. Quòd autem Abraham circunciderit vniuerſos mares familię ſuę, ait Bonauentura li. 4. d. 1. fuiſſe opus ſuperabundantis iuſtitiæ. Haud tamen crediderim vllum renitentem circunciſiſſe inuitum, ſed cùm eſſet vir integerrimus, & eximiæ autoritatis apud ſuos, omnibus religionem illam perſuaſit, & ſic circunciſi ſunt vniuerſi.

Nota egregiam expoſitionem.

Bonauent.

Quartum denique argumentum D. Th. eſt de ſexus diſtinctione. Spiritualis circunciſio, nempe baptiſmus, indiſcriminatim vtrique ſexui conuenit: nam autore Paulo ad Galat. 3. in Chriſto Ieſu non eſt maſculus, & fœmina: figura autem debuit veritati cõgruere, incongruè ergo ſolis maſculis data fuit. Hic nota, ſi quæratur cur circunciſio ſub tali forma fieret in maſculis, & non in fœminis, ridicula fit quæſtio: nam fœminis accõmodari non poterat. Sed tamẽ quęſtio eſt, cur fuerit inſtitutum illud ſacramentũ, quod ſolis maſculis poſſet accommodari. Reſpondet igitur D. Tho. duas rationes illius diſtinctionis. Prior eſt omnium potiſſima: nempe quòd data fuerit in ſignum fidei, quẽ iam ſupra diximus maſculum Abraham ſuſcepiſſe vẽturi Chriſti ex ſemine ſuo. Qua de cauſa ait Paul. Galat. 3. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: & ideo maſculis peculiatiter congruebat. Item quia data fuit ad expreſ ſionem peccati originalis, quod peculiariter ex præua-

4. Arg. S. Tho.

Nota.

Digitized by Google

ricatione viri Adæ contraximus: nam licet Eua prior deliquerit, tamen si ipse non peccasset, nos originalem labem non contraxissemus, dicente Paulo: Omnes in Adam peccauerunt; ideoque masculis, & in membro generationis signata est. Baptismus verò, quia virtutem continet Christi, qui est vniuersalis causa gratiæ & salutis omnium, vtrique sexui adaptatur. Hugo autem lib. 1. de sacra. par. 12. cap. 2. aliam comminiscitur causam: nempe, quòd sacra scriptura per masculinum sexum, animam: per muliebrem verò, carnem significare solet: & ideo, vt ostenderetur circumcisionem animabus conferre salutem, sed carni non auferre corruptionem, iussa est masculis. Adde & quartam ad temperandam libidinem, vt suprà diximus: fœmellis ergo relictum est beneficium legis naturæ: videlicet applicatio fidei per illud sacrificium, vel actum ante Abraham consuetum.

Hugo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ritus circumcisionis fuerit conueniens.

EXPEDITA institutione circumcisionis, sequitur de eius ritu, vtrùm fuerit conueniens. Ad quòd D. Tho. breuissimè affirmatiua conclusione respondet, nempe fuisse conuenientem: fuit enim institutà in signum fidei, cui idcirco explicandæ omnia seruiebant, quæ illic exercebantur. Nam erat institutio Dei, cuius sapientiæ non est numerus; determinare autem omnia conuenientia ad finem, opus sapientis est. Ritus verò ille refertur in glo. super illud ad Roma. 4. signum accipit circumcisionis.

Conclusio.

1. Argum. S. Thom.

Restat nihilominus membratim singulas eius cæremonias ordine argumentorum D. Tho. exequi. Prima erat, quòd fiebat in membro generationis. Arguitur ergo. Circumcisio erat quædam fidei professio, vt dictum est: sed fides est in intellectu cuius operationes sunt in capite: ergo in capite debuit fieri. Nam eadem ratione nobis tanquam effigies characteris eiusdem fidei, crux chrismate signatur in fronte. Respondet D. Tho. triplici de causa fuisse in membro generationis. Primò, quia signum erat fidei, qua Abraham credidit è suo semine nasciturum Christum. Secundò, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Et tertiò, quia fiebat ad reprimendam concupiscentiam, quæ operculo illo ardentius concitatur. Adde quartò secundùm Aug. libr. 6. contra Faustum, cap. 3. quòd quia circumcisio significabat expoliationem carnis per vitam spiritualem in via, & mortalitatis per gloriam in patria, congruè fiebat in parte, ex qua effectus & carnalis & mortalis exoritur.

In membro generationis.

Auguſt.

Obiectio.

Nihilominus contra solutionem arguitur. Esto, deberet sacramentum illud, originalis culpæ in membro illo consignari, apparet non debuisse per circumcisionem fieri, sed satis fuisset aliqua vnctio, sicut fit nobis in fronte. Benignitas enim Dei pœnam sensus nemini, nisi propter actualem propriam culpam, infligit: quapropter pueri absque sacramento decedentes, non nisi pœna damni plectuntur: alioqui si propter peccatum Adæ illud pendebant supplicium, filius (contra id quod habetur Ezechiel. 18.) portaret iniquitatem patris. Cùm ergo patuuli nullum commisissent peccatum, dura apparet lex, quæ illa plaga tenellos infantes affligebat. Atque eo potissimum, quòd fœmellæ nullo percutiebantur vulnere. Neque verò in lege naturæ aut gratiæ vllum fuit aut est sacramentum molestiam inferens. Quamobrem Sephora (Exod. 4.) quia cum Idumæa esset, cogebatur propter maritum Iudæum circumcidere suos pueros, conquerebatur apud ipsum dicens: Sponsus sanguinum tu mihi es.

Dilutio.

Ad hoc respondetur, quòd cùm Deus sit autor tam naturæ quàm gratiæ, liberè potuit sacramentum fidei, cuius applicatione conferebat gratiam, cum aliquo detrimento naturæ instituere. Sed tamen quoniam suauiter cuncta disponit, id non caruit congruentissimis causis iam supra explanatis. Respondetur ergo, quòd etsi infantes ante vsum rationis non habeant personam actuali culpa maculatam, contrahunt tamen vitiatam naturam iuxta illud Paul. ad Ephes. 2. Natura sumus filij iræ: ratione cuius, mortalitati atque adeo varijs morbis nascuntur obnoxij: & ideo nulla fiebat eis iniuria, si ad delendum peccatum originale tantillum illud doloris & vulneris paterentur. Vnde hoc non est prorsus filium portare iniquitatem patris. Imo cùm omnes, vt ait Paul. in Adam fuerint præuaricati, pœnam pendebant suæ culpæ: sicuti cum alijs corporum calamitatibus affligimur. Atque illic locum quodammodo habere poterat sententia illa Exodi 20. Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios. Secùs autem de pœna sensus, quæ infligitur in alio seculo. Nam peccato originali solùm respondet pœna damni quoad animam, & mortalitas corporum, quam consequuntur infirmitates, & calamitates temporales huius vitæ, quibus annumerabatur circumcisionis plaga. Pœna vero sensus æterna nemini, nisi propter eius actuale delictum decernitur. Atq; inibi habet verum, quod filius non portat iniquitatem patris. In lege autem naturæ, quia non erat tanta explicatio necessaria aut originalis culpæ, aut venturi Christi, neque tale sacramentum erat necessarium, & multo minus in lege gratiæ, cuius onus leue est, & iugum suauissimum.

Secunda cæremonia circumcisionis erat, quòd fiebat cultello. Et sunt qui putant, vt refert Hugo li. 1. de sacram. par. 12. addendum esse petrino. Huic sententiæ applaudit Magist. in 4. d. 1. propterea quòd Sephora vxor Moysi, vt Exodi 4. legitur, illo instrumento circumcidit filium suum, & Iosue 5. eodem iussus fuit populus circumcidi. In contrarium autem est solutio argumenti secundi D. Thomæ, illud enim instrumentum erat tunc circumcisioni aptius, cuius frequentior erat vsus, sicut nunc est aqua in baptismo, & panis in Eucharistia. Culter verò ferreus est magis in vsu, quàm petrinus, & sic concluditur petrinum non fuisse de necessitate circumcisionis, neque tale præceptum legitur, neque creduntur illo Iudæi fuisse vsi: quare in hoc non tenetur Magister. Vnde Hugo loco citato ait Sephoram ob festinationem petram illam arripuisse, quia videbat mortem marito imminere, eò quòd filios non circumcidisset. Iosue verò ob typum & figuram veri Iesu Christi, quem Paul. 1. Corint. 10. petram appellat, illud instrumentum elegit.

2. Argu. S. Thom. Culter lapideus secundum Magistrum necessarius. 2. Argu.

Non erat necessarius.

Hugo.

Tertia cæremonia erat de tempore. Designabatur enim eidem sacramento octauus dies, iuxta verbum legis. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Arguitur ergo tertiò contrà. Circumcisio perinde ac baptismus erat remedium originalis culpæ, baptismus autem nullo tempore differtur, dum necessitas poposcerit, ne puer damnationem incurrat. Item potest vltra octauum diem differri: non ergo erat cur circumcisio necessariò fieret in octauo die. In responsione D. Th. tria dicit. Primùm, quòd octauus dies designabatur duplici de causa, vna propter mysterium. Locupletius tamen Hugo loco proximè citato, lib. 1. par. 12. hanc rationem edisserit. Sunt enim tres circumcisiones. Prima sacramentalis in carne exteriùs manufacta, vt ait Paul. Secunda spiritualis in anima, quæ fit per gratiam Christi, quam vocat idem Apostolus non manufactam. Tertia denique gloriosa, quæ erit in patria per expoliationem mortalitatis. Et tam secunda, quàm tertia fiunt octauo die: nam lex vetus (vt autor est Aug. lib. 6. contra Faustum ca. 3. & 16. de ciu. c. 26.) nomine Sabbati designatur, quod est septima dies. Lex verò gratiæ designatur per diem dominicam, quæ est octaua. Per quam etiam denotatur finalis resurrectio post septem ætates mundi. In quorum testimonium Christus die dominica resurrexit. Igitur cum circumcisio illa carnalis figura esset duarum sequentium, iussa fuit die octauo fieri, ita vt neque præueniri, neque præteriri posset. Secunda causa est literalis propter teneritudinem infantilis carnis, quæ ante illum diem ægerrimè ferret tantum dolorem. Vnde etiam & de alijs animalibus Leuitici 22. cauebatur, ne ante diem octauam offerrentur. Ait quippe lex, Bos, ouis, & capra cum genita fuerit septem diebus, erit sub vbere matris suæ: die autem octaua & deinceps offerri poterunt Domino: & si dilataretur tempus, duricies forsan carnis dolorem augeret. Secundò ait D. Thom. quod octauus dies erat de necessitate præcepti propter significationem mysterij: nam illa erat forma legis. Infans octo dierum circumcidetur in vobis: ita vt illam præterire esset peccatum mortale, quamuis occurreret in Sabbato, iuxta illud Ioan. 7. Circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt non prætereatur lex Moysi. Itaque illa non censebatur violatio Sabbati. Tertio addit quod non erat de necessitate sacramenti. Nam prætermisso octauo die semper manebat

3. Arg. S. Thom. De octauo die.

Hugo. Tres circumcisiones.

Secunda causa.

præce-

præceptum circuncisionis, atque adeo erat verum sacramentum. Quarto denique addit secùndùm quosdam propter periculum imminentis mortis potuisse diem illum præueniri. Quam sententiam amplecti videtur, licèt sub dubio, Sententiarum Magister in 4. distinct. 1. Sicuti modo præuenitur baptismus. At vero in hoc non tenetur, imo sequenda est sententia Hugonis lòco citato lib. 1. de sacramentis par. 12. ca. 2. videlicet, non licuisse vlla necessitate illum diem præueniri propter significationem mysterij. Vnde super illud Prouerb. quarto de Salomone. Vnigenitus eram coram matre mea, ait glo. alium Bethsabee paruulum, eo non fuisse computatum, quod ante octauum diem mortuus, nomen non accepit, atque adeò non fuit circunciſus, quia in circuncisione indebatur nomen. Saluabantur ergo tunc masculi vita ante octauum diem defuncti, per fidem parentum applicatam; sicut tunc fœmellæ: atque omnes vtriusque sexus in lege naturæ. Secùs de baptismo, qui quolibet die ministrari potest.

Magist. 4. l. d. 1. reprobatur.

Hugo.

Dubium autem hinc duplex emergit. Vnum scilicet, vtrùm illa applicatio fidei deberet fieri per aliquem actum exteriorem ad modum sacramenti. De quo dubio illico ar. sequenti in solutione 2. videbimus, vbi de sacramento legis naturæ dicendum nobis est.

Alterum verò est hic dubium peculiare; vtrùm si in lege Moysi puero ante octauum diem nullatenus periclitanti, sed sano applicaretur fides parentum per sacramentum legis naturæ, valeret ad delendum originale. Arguitur namque pro parte affirmatiua. Illa applicatio ante legem scriptam quocumque die fieret, esset valida, & per legem Mosaicam non fuit reuocata: nam mansit in fœmellis, quibus cùm primùm nascerentur, posset applicari: ergo si eodem tempore applicaretur masculis, valeret. Secundò. Applicatio illa virtute operis conferebat gratiam ad modum sacramenti: ergo quòd puer esset in periculo mortis, an verò sanus, nihil ad rem referebat. Forsan quispiam propter hæc argumenta diceret applicationem illam etiam sano puero valuisse, sed nihilominus octauo die fuisse circuncidendum ratione præcepti, vt fieret Iudæus. At vero solutio hæc nulla probabilitate sustineri potest: nam cùm sacramentum illud circuncisionis institutum esset pro masculis ad remissionem originalis, certum est, vt sicut modò non nisi per baptismum illud remittitur, ita nec tunc nisi vrgente necessitate per aliud remittebatur. Et ideo dicendum omnino de illa cæremonia legis naturæ, sicut nunc de sacramento extremæ vnctionis. Itaque sicut materia huius sacramenti non est homo quicunque, sed ille qui grauiter infirmatur, cui mors timetur, ita quod si sano applicaretur, non esset sacramentum: pari modo in lege Mosaica si ante octauum diem sano puero applicaretur fides ad modum legis naturæ, nullam ei gratiam conferret.

Bonum dubium.

Reprobatur secunda.

Solutio vera.

Vnde ad argumentum primum respondetur, modum illum applicandi legis naturæ fuisse per legem circuncisionis reuocatum pro masculis, nisi extrema necessitas vrgeret. Referebat ergo esset ne puer sanus, an in periculo mortis.

Alia dubitatio.

At verò scrupulus non prorsus extinguitur. Demus illud applicari puero ante octauum diem, cui mors timebatur, vtrùm omnibus periclitantibus indiscriminatim remitteretur originale? Apparet enim non omnibus: nam si postea illi viuerent, circuncidendi erant, dum periculum euaderent: ergo euadentibus illis non antea, sed per circuncisionem expurgabatur originale.

Marsil.

Marsil. in 4. q. 2. art. 1. ait fidem applicatam puero ante octauum diem contulisse tunc ei gratiam, si esset moriturus: si autem victurus, minimè. Hoc autem non est vero simile: tunc enim collatio gratiæ dependeret ex futuro contingenti, cùm tamen Deus non nisi simpliciter eam conferat. Item forsan etiam si moriturus esset negligentia medici, posset nihilominus superuenire alius, per cuius diligentiam superuiueret: imò id fortasse per miraculum accidere posset, non tamen deberet infusio gratiæ ex tot fortuitis euentis pendere. Indubiè ergo respondendum est, quòd dum pueri secundùm iudicium prudentium periculo imminentis mortis laborabant, applicanda erat fides sicut in lege naturæ, & tunc vniuersis conferebatur gratia; sicut nunc omnibus infirmis per extremam vnctionem, licèt sint euasuri. Si autem superuiuerent, circuncidendi erant vt fierent Iudæi, sicut nunc baptizandi etiam essent, si qui in maternis vteris sanctificarentur.

Refutoria responsio.

Restat tamen ambiguitas circa secundum dictum. Vtrùm in præceptum illud octaui diei aliqua de causa caderet dispensatio, vt procrastinaretur. Apparet enim inde pars negatiua, quòd qua ratione non poterat præueniri, nec posset differri: nam etiam per dilationem violaretur significatio mysterij. Sed tamen ab altera parte est argumentum, quòd si fortasse octauo die infantulus aliqua teneretur ægritudine, quæ periculum mortis offerret, si circuncideretur, nimis esset rigida lex, quæ paruulum propter circuncisionem in tales periculi anguſtias conijceret. Et augetur dubium. Populus in deserto, vt legitur Iosue quinto, quadraginta annos oberrauit incircunciſus. Qui quidem (vt art. sequenti videbimus) ob incertum tempus præliandi, quia deberent semper esse parati, excusatus fuit. Pari igitur ratione poterat miser infirmus excusari. Quod si dicas elapso sine culpa octauo die, postmodum puerum saluari in sola fide parentum sine circuncisione, sicut ante octauum, nulla est veri similitudo: quia ante octauum præuentio mortis excusabat eum à circuncisione, qui tamen esset post octauum diem superstes, si per negligentiæ culpam esset incircunciſus, semper tenebatur præcepto obnoxius, vt probè autor est Hugo loco citato: ergo pariter si iusta de causa non esset tunc circunciſus. Fit ergo profectò consequens, dubium non esse, quin infirmitatis causa liceret diem octauum differre. Et ita certò credo, alias crudeliſſima esset lex: imò verò crediderim, quòd si semper præsentaneum esset propter circuncisionem periculum mortis, liceret infantem sinere incircunciſum mori quocunque tempore post octauum diem, & tunc saluaretur, sicut ante octauum: nam propter significationem mysterij, non esset inteficiendus puer. Cùm autem fieret à morbo liber, esset sub præcepto circuncidendus, sicut circunciſus est populus Iosue 5. & quacunque ætate circuncidebantur proselyti ex gentibus venientes ad Iudaismum.

Dubium.

Obiectio.

At percunctetur quispiam, vtrùm qui essent in vtero sanctificati tenerentur ad circuncisionem, vt Hieremias & Ioannes. Apparet enim fuisse lege circuncisionis solutos, sanè cum propter remissionem originalis fuerit instituta, quam gratiam illi iam habebant. Respondetur proculdubio fuisse eidem legi subiectos, sicuti etiam si quis modo sanctificaretur in vtero teneretur ad baptismum, quia est præceptum professionis legis, & tale erat illud. Quare Ioannes circunciſus fuit, & illic susceptit nomen. Etenim sicut modò in baptismo, sic in circuncisione indebatur nomen profitentibus tunc legem.

Dilutio.

Christus autem nulla lege ad circuncisionem tenebatur, quia neque virili semine, quo originale contrahitur, genitus erat, ac subinde neque linea masculina naturalis erat filius Abrahæ. Susceptit autem (vt autor est 3. par. D. Thom. q. 37.) sicut sua voluntate mortem nostram, sic & sua sponte circuncisionem. Primò vt se ostenderet veram habuisse carnem contra Manichæum, atque adeo legalem fuisse filium Abrahæ per Ioseph; naturalem verò per virginem. Mox, vt circuncisionis ritum re ipsa approbaret, excusationemque subinde Iudæis tolleret, ne ipsum tanquam incircunciſum repudiarent. Deinde, vt obedientiæ virtutem suo nos exemplo doceret. Ac denique ne qui similitudinem carnis peccati assumpserat, remedium carnalis peccati respueret, & sic legis onus sustinens ab onere nos legis liberaret, secundùm illud ad Galat. 4. Misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.

Christi circuncisio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm circuncisio conferret gratiam iustificantem.

TANDEM disputandum de circuncisionis effectu; vtrum perinde atque baptismus gratiam conferret. Et quamuis de sola gratia proponatur quæstio, respondetur etiam de charactere. Et in qu. D. Tho. duo expedit. Primum enim excludit tres opiniones circa hoc errantes, ac deinde tribus conclusionibus veritatem docet. Ad intellectum autem rei præsentis adnotandum: neminem vnquam antiquorum Theologorum ausum fuisse adæquare virtutem circuncisionis virtuti baptismi, ob id quòd Paul. ad Gal. quarto vocat sacramenta antiquæ legis egena, & infirma, & ad Galat. 2. quod primo argumento hic referetur,

fertur, ait quòd ex lege, cuius professio erat circuncisio, non erat iustitia. Hoc autem discrimen inter circuncisionem & baptismum vel potest fingi in effectu ipso gratiæ, qui non sit æqualis, vel in modo eandem gratiam conferendi. Igitur quotquot discrimen in modo non agnouerunt, ob id constituerunt illud in effectu. Conuenerunt ergo omnes in illum effectum, quod in circuncisione auferretur peccatum originale: fuit enim hæc confessio patribus semper omnibus receptissima, quorum illico testimonia recitabimus. Dicebat ergo prima opinio, quòd circuncisio solùm auferebat peccatum, non autem conferebat gratiam. Et hæc videtur fuisse Magist. Sent. in 4. circa finem. 1. d. Est tamen opinio, quæ vt erronea repudiatur. Culpa enim non potest nisi per gratiam remitti, secundùm illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Ob idque alij moderatiùs dixerunt circuncisionem contulisse gratiam quantùm ad effectum remissionis culpæ, non autem quoad effectus positiuos implendi mandata legis, ne fateri cogerentur legem antiquam fuisse sufficientem ad iustitiam, atque adeo superfluum fuisse aduentum Christi. Sed neque ista positio sustineri valet: tùm quòd illic conferebatur gratia sufficiens ad perueniendum ad gloriam, qui est vltimus effectus gratiæ & legis; tum deinde quòd sequendo modum naturæ, effectus formales & positiui priores sunt negatiuis. Priùs enim natura in genere causæ formalis inducitur gradus caloris in aquam, quàm similis gradus frigoris expellatur: licèt in genere causæ materialis prius sit expulsio vnius quàm introductio contrarij: quare gratia in genere causæ formalis, prius natura quàm expellat peccatum facit amicum. Tertij igitur dixerunt, quòd in circuncisione conferebatur gratia quantùm ad illum effectum positiuum, qui est, facere amicum, dignumque vita æterna; non autem quantùm ad reprimendam concupiscentiam, quæ impedit impletionem mandatorum. Atque hanc opinionem tenuit D. Tho. in 4. d. 1. q. 2. art. 4. quæstiun. 3. quia nondum rei punctum coniecerat. Diligenter tamen considerando, eam postmodum opinionem meritissimò reiecit. Minima enim gratia, si adsit, valet cuicunque concupiscentiæ resistere, omnemq; vitare mortalem legis transgressionem: nam & minima charitate, quę gratiam concomitatur, plus diligitur Deus, quam cupiditas desideret milia auri & argenti, atque omne tẽporale bonum.

1. opinio.

2. opinio.

3. opinio.

His ergo refutatis erroribus, ad quæstionem respondet tribus conclusionibus, veram constituendo differentiam inter circuncisionem, & baptismum, non in re ipsa gratiæ, sed in modo illam conferendi.

Prima conclusio. In circuncisione conferebatur gratia quoad omnes eius effectus. Hanc reliquit tanquam superioribus rationibus confirmatam.

1. Concl.

Secunda. Aliter conferebatur in circuncisione gratia quàm in baptismo. Probatur. Nam in baptismo confertur gratia virtute ipsius baptismi, qua vtique virtute pollet tanquam instrumentum passionis Christi iam exhibitæ. In circuncisione verò conferebatur gratia, non ex virtute circuncisionis; sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circuncisio Itaque circuncisus illo signo profitebatur se tunc suscipere huiusmodi fidem, vel adultus nomine paruuli. Confirmatur ex illo Paul. ad Roman. quarto. Abraham accepit signum circuncisionis signaculum iustitiæ fidei: quia scilicet iustitia proueniebat ex fide significata, & non ex circuncisione eam significante.

2. Concl.

Tertia conclusio bimembris est. Baptismus imprimit characterem, quem circuncisio non imprimebat. Et ratio est, quia baptismus, cùm sit instrumentum passionis Christi, incorporat nos Christo. Character autem est signum membri Christi. Circuncisio verò erat tantum signum fidei venturi Christi, cuius nos eramus futura membra; & ideo non imprimebat spiritualem characterem, incorporantem ilios veteres Christo, sed ipsamet circuncisio erat corporalis character, professionem eius fidem. Secunda pars est, quòd eadem ratione baptismus confert copiosiorem gratiam, quàm conferebatur sub signo circuncisionis: nam instrumentum Christi iam passi efficacius est ac virtuosius, quàm fides venturi.

3. Concl.

Præsentem materiam dist. præcedenti qu. 3. quæ apud D. Thomam est 62. art. 6. tetigimus, sed in hunc eius proprium locum reposuimus. Et quidem opiniones antiquorum negantium sub circuncisionis cæremonia gratiam fuisse conferri solitam quoad omnes eius effectus, satis à Diuo Thoma reprobatæ sunt. Supersunt nihilominus recentiorum scita, quæ D. Thomæ aduersantur, perpendenda. Vbi tria primùm omnium supponendum est fuisse operum genera in veteri lege: nempe Moralium, iudicialium, & cæremonialium. Moralia enim fuerunt eadem ipsa quæ in lege Euangelica: scilicet, decem præcepta decalogi. Iudicialia verò alia diuersa, vt de vxoribus ducendis: videlicet, vt nemo vxorem nisi de sua tribu sibi copularet, vt Num. vlt. legitur, & quod frater illius qui absque liberis defunctus esset, vxorem eius duceret. Quæ quidem lex extabat Deut. vigesimoquinto, atque alia id genus cæremonialia. Sed erant numero quamplurima. Vt esus agni paschalis, oblationes, vnctiones, lotiones, atque huiusmodi reliqua.

Tria genera operis legis.

Igitur quantùm ad moralia, nullum extat prorsus inter ipsos, & nos discrimen. Haud enim ratione operis gratiam conferebant, nisi per modum meriti; sicut apud nos, dummodò procederent ex fide Christi formata; alias essent quidem moraliter bona, non tamen grata apud Deum. Hoc enim est, quod Paul. prioribus octo capitibus ad Roman. & ad Galat. disertissimè constituit, quòd nullius opera legis valuerunt vnquàm, nec valent sine fide Christi placere Deo. Et quia illam gratiam (vt art. proximo dicebamus) in sua passione vniuersis meruit, dicitur nostra lex gratiæ: iuxta illud citatum Ioannis. Lex per Moysen data est, quæ scilicet dumtaxat iubebat, non autem iuuabat. Gratia verò, & illarum figurarum veritas per Iesum Christum facta est. Idem etiam prorsus de iudicialibus sentiendum est.

Moralis.

De cæremonialibus verò Scotus in 4. d. 1. q. 6. quem Durand. d. 1. q. 5. & ferè omnes eius posteri sequuntur, distinguit. Ait enim solam circuncisionem gratiam virtute operis contulisse, veluti noster confert baptismus Reliquarum autem cæremoniarum nullam tali viguisse virtute; sed omnino perinde ac reliqua opera quando fierent in gratia, illam per modum meriti augerent, & quando in peccato, essent tantummodò opera moraliter bona. Et quantùm ad reliquas cæremonias, facilè D. Thomas, & vniuersi in eandem sententiam consentiunt. Sed tamen de circuncisione est inter nos & ipsum discrimen, quod ex ijs, quæ distinct. 1. q. 3. art. 1. disputauimus, ortum habet. Scotus enim, & Alexander, ac plerique alij, quos ibidem citauimus, non agnoscunt sacramenta nouæ legis esse gratiæ causam, nisi tanquam signum, vt illic expositum, expugnatumque reliquimus. Quocirca neque vllam illis virtutem tribuunt agendi, sed solùm significandi, vt art. 4. illic retulimus. Si autem sacramenta euangelica hoc tantùm haberent, nullatenus à circuncisione differrent: nam & illa etiam eatenus erat verum sacramentum, quatenus erat signum certissimum gratiæ, quæ illic conferebatur. Qui ergo tenuerit sacramentum conferre gratiam, non esse aliud, quàm illam significare, fateri consequenter cogitur circuncisionem gratiam contulisse. Itaque quod Scotus & Durand. & eorum consortes dicunt circuncisionem contulisse gratiam, id non est, quia agnoscant fuisse verè causam, sicut D. Thom. & nos in tota illa q. 3. demonstrare de euangelicis contendebamus. Et quando nos negamus sacramentum illud gratiam contulisse, in re non negamus quod Scotus affirmat: nempe, fuisse signum, sed negamus id sufficere, vt censeatur fuisse causa conferens gratiam. Quapropter totum dissidium est de ratione conferendi gratiam, in quo consistat. Neque verò verbalis est tantum controuersia, sed verè realis. Ob idque nihil opus est hic noua disputatione, præter illam, quam tota illa quæstione produximus ad probandum, quòd nostra sacramenta verè sint causa instrumentalis passionis Christi; atque adeo conferendi gratiam, non autem antiqua. Apostolus namque absque illo discrimine omnia illa sacramenta, vt etiam circuncisionem comprehendat, appellat egena, & infirma elementa, quasi de se virtute operis nihil gratiæ præstantia. Cui consonantissimè concilium Florentinum loquitur, decernens illius legis sacramenta non contulisse gratiam; vnde non modo circuncisionem non excipit, verùm & illam notare videtur. Quam ideo Paul. Rom. 4. solummodò appellat signaculum iustitiæ fidei. Hoc est gratiæ iustificantis quæ per solam fidem conferebatur, quam ideo iustitiam iam ante circuncisionem, vt ibidem ait Apostolus, susceperat Abraham per fidem. Quocirca vt legi idem

Scotus.

Status litis inter S. Tho. & Scot. & alios.

Discrimen inter S. Tho. & alios.

Expositio articuli.

Paulus

Paulus nunquam attribuit iustificationem patrum, ita nec vlli sacramento, sed soli fidei. Vnde ad Heb. 11. Sicuti Abel, Enoch, & Noe circumcisionem præcedentes, per solam fidem ait fuisse obedientes Deo, ita & de Abraham, qui circumcisionem recepit, fide, inquit, obediuit in locum exire, & fide Iacob moriens filios benedixit, & fide Ioseph, & fide Moyses, & fide denique omnes ait Deo placuisse.

Conuenit ergo in præsentiarum inter D. Thomam & Scotum ac suos consortes in prima conclusione, s. quod in circumcisione conferebatur gratia. Differt autem in secunda; quod illam gratiam circumcisio non exhibebat, vt noster exhibet baptismus, sed sola fides. Et hoc pacto diximus distinctione præcedenti, q. 1. posse circumcisionem dici signum practicum, eò quòd per fidem sub eo velatam conferebatur gratia. Alia verò quæ propterea dicebantur sacramenta, vt eius agni paschalis, quòd gratiam per Christum conferendam prænunciabant, non poterant dici signa practica.

Argumentorum mens notanda.

Est autem mens argumentorum S. Tho. notanda, ne lector decipiatur. Videtur enim arguere ad probandum partem negatiuam, scilicet circumcisionem sua virtute non contulisse gratiam, quasi partem affirmatiuam ipse teneat, quod est falsum. Igitur cùm ait, videtur quòd circumcisio non conferret gratiam, intendit arguere contra primam suam conclusionem quòd neque illic conferebatur. Ait enim Paulus ad Galat. 2. si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est, id est, sine causa. Sed circumcisio erat quædam obligatio legis implendæ, vt idem Apostolus Gal. 5. refert; ergo eadem ratione si ex circumcisione esset iustitia, Christus gratis mortuus esset; quod quidem consequens est hæreticum. Nam, vt ait idem Apostolus ad Ro. 8. quia impossibile erat legi iustificare, misit Deus filium suum, &c. Sed vide quam sit breuis responsio. Ait quippe quod argumentum procederet, si aliter ex circumcisione esset iustitia, quàm per fidem passionis. Quasi dicat. Non conceditur, quòd ex circumcisione quasi ex sua virtute esset iustitia sicut virtute baptismi: hoc enim probat Apostolus: sed ex circumcisione, id est, ex fide passionis per circumcisionem applicata, quod quidem nihil necessitati passionis obstat.

Augustt.

Videntur autem plura sanctorum testimonia à parte Scoti aduersus Diuum Thom. depugnare. Vt est illud August. quod præsenti art. allegat D. Thom. & refertur de consecrat. d. 4. can. Ex quo. Extat autem lib. 2. ad Valerium de nuptijs, cap. 11. Verba sunt hæc. Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei (quæ erat tunc signaculum iustitiæ fidei) ad significationem purgationis valebat paruulis originalis, veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis ex quo institutus est. Haud enim legendum est, ad sanctificationem, vt referri solet, sed ad significationem, vt habet verus textus. Nam in sanctificatione purgationis non cohærent verba. Respondetur ergo comparationem non esse omnimodam. Baptismus siquidem valet, vt instrumentum, circumcisio verò vt signum, vt ipse se Aug. exponit, dicens valere ad significationem, vt signum iustitiæ fidei. Pariter D. Thom. q. 62. art. 6. ad 3. glossauit simile Bedæ testimonium in homilia circumcisionis, quod refert & Hugo lib. 1. de sacram. par. 12. c. 2. & Magist. Sent. in 4. d. 1. Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ tempore gratiæ consueuit. Haud enim docet, circumcisionem virtutem habuisse efficiendi gratiam; sed fuisse signum fidei necessarium ad remissionem originalis, sicut nunc est baptismus. Et pariter intelligitur illud Gregorij, quod protinus artic. 2. hic adducitur; videlicet, pro ijs, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis hoc egisse, quod apud nos agit baptismus. In summa, vt hoc discrimen perspectum sit, differentia est, quòd baptismus & sacramenta Euangelica sunt verè causæ instrumentales conferendæ gratiæ, vt calamus scripturæ: circumcisio vero non nisi applicatio causæ. Admotio enim ignis ad stupam, non est causa inflammationis, sed ignis ipse qui applicatur. Itaque applicatio non est agens, sed conditio agentis, vt agat.

Bedæ. Hugo.

Secundum argumentum, quoniam latioris est disputationis, in calce subijcitur.

3. Arg.

Tertium vero sumitur ex historia Iosue 5. per quam constat populum Israel illis incircuncisis, qui illic natcebantur, quadraginta annos per desertum diuagatum fuisse. Si ergo circumcisio ad delendum peccatum necessaria erat, consequens fit, vt totus ille populus in sempiternum perierit. Respondet autem quatuor. Primùm, quòd poterat ille populus citra contemptum mandatum circumcisionis prætermittere, tum quòd cùm nutu Dei mouerentur, nesciebant quando essent castra mouenda, aut illis etiam contra hostes bellandum, quod sine periculo nuperrimè circumcisorum paruulorum fieri nequibat. Tum etiam quòd, vt ait lib. 4. Damas. capit. 26. Cùm in solitudine ab alijs gentibus semoti tunc viuerent, nullo opus habebant distinctionis signo. Secundò ait, quòd cùm Augustinus nihilominus eosdem incircuncisos appellet inobedientes, vt pater in glossa illius loci, quæ extat lib. 6. quæst. vet. testam. super Iosue cap. 6. necesse est verbum illud intelligi de illis, qui sic per contemptum fuerunt incircuncisi. Tertiò ait fortasse illic nullum fuisse mortuum incircuncisum, secundùm illud Psalmi. Non erat in tribus eorum infirmus, sed soli illi censentur illic mortui iudicio Dei, qui ex Ægypto egressi fuerant, quia omnes erant circuncisi. At quia textus non ait solos illos in deserto perijsse, sed omnes inde egressos, præter quos fortè alij in deserto nati mortui ibidem sunt, additur quòd si quis forsan eorum, qui in deserto nati sunt, mortem illic obijt, saluatus est per fidem parentum signo legis naturæ applicatam, sicut paruuli ante octauum diem. At verò in ingressu terræ promissionis omnes circuncidi iussi sunt petrinis cultris in figuram Christi, qui est per metaphoram petra, cuius virtute vniuersi cælestem patriam ingressuri sumus. Quare illa illic vocatur secunda circuncisio; videlicet, solennis totius populi post illam, qua Abraham suam totam familiam circunciderat. Itaque prima fuit propter solennem confessionem fidei Abrahæ, qua fideles viam huius seculi percurrimus: & secunda propter significationem patriæ, quam per eandem fidem ingrediemur.

Damasc.

Augustt.

2. Circuncisio.

4. Arg. S. Tho.

Quartum argumentum petit differentiam aliam inter circumcisionem & baptismum. Arguitur enim. Introitus cælestis regni non nisi per peccatum occluditur. Circuncisis verò ante Christi passionem non patebat ad regnum aditus: non ergo recipiebant remissionis gratiam. Respondetur, quòd in circuncisione auferebatur originale peccatum (nusquam ait per circumcisionem, sed in circuncisione) ex parte personæ, quia persona manebat grata, tamen remanebat impedimentum intrandi regnum ex parte totius naturæ, quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo neque baptismus viuente Christo aperiebat regnum cæleste. Et vice versa in circumcisione, si in suo vigore post passionem permansisset, idem aperiretur.

Contra rationem S. Thom.

Est autem ratio hæc S. Tho. non vsque adeo perspicua, nam pariter in baptismo licèt originale peccatum personæ remittatur, nihilominus natura manet infecta, vt baptizatus eandem sic infectam traducat per generationem in prolem. Quare non apparet huiusmodi differentia satis solida. Respondetur non in hoc differentiam consistere, quam D. Tho. constituit, sed in impedimento ingrediendi regnum. Post baptismum namque licèt natura maneat infecta quantùm ad eius traductionem in proles, tamen persona adeo manet grata, vt protinus baptizatus euolet in cælum, si de vita protinus decedat, eò quòd Christus pretium redemptionis totius naturæ humanæ in cruce persoluit, cælorumque subinde valuas aperuit. Sed in lege veteri quanquàm persona Deo esset grata, tamen quia tota natura manebat in debito, detinebatur in limbo, quasi in depositio, quousque pro ea Christus pretium penderet: iuxta illud Paul. Roma. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum (nempe ab orbe condito) in sustentatione Dei, (quo scilicet illos in limbo sustinebat) ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore. Quasi tempore passionis generalis fuerit totius naturæ redemptio peracta quoad sufficientiam pro illis qui vellent baptismum susçipere.

Quintum arg. S. Tho. est. Peccatum originale non dimittitur sine actuali, quia (vt ait Aug.) impium est à Deo, dimidiam sperare veniam; sed nusquam legitur, quòd per circumcisionem remitteretur alicui actuale delictorum: ergo neque remittebatur originalis macula. Respondet D. Tho. quòd adultis remit-

tebantur

tebantur simul cùm originali omnia actualia, vt modo per baptismum, non tamen omnis pœna, quoniam baptismus, eò quod est instrumentum passionis iam exhibitæ, copiosiorem gratiam influit, quam circuncisio; non modò quantum ad intensionem, vt theologi loquuntur; verùm & extensiuè quàtùm ad remissionem pœnæ, secundum illud ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Per baptismum n. renascimur spiritualiter, iuxta verbum Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Renasci autem est in nouam vitam resurgere. Et hoc significatur cum dicitur, Non intrabit in regnum cælorum. Quasi per baptismum, valuæ cælorum pandantur absque transitu per purgatorium. In circuncisione verò, cùm non esset nisi signaculum fidei, non tam affluenter infundebatur gratia. Vnde, quod ait August. hic citatus contra Iulianum circuncisionem valuisse ad expurgationem originalis, sicut nũc valet baptismus: non dicit omnimodam valoris æqualitatem, sed quòd tunc remittebatur originale per fidem circuncisione applicitam, vt nunc per baptismum.

Dubitatio egregia.

At verò sententia hæc S. Tho. profectò ambignitate non caret, scilicet quod adulti, quando circuncidebantur consequebantur remissionem, non solùm originalis, sed etiam actualium peccatorum. Videtur enim, id non solùm sentire ratione meriti, sed etiam ratione fidei instar sacramenti, quatenus per circuncisionem applicabatur. Hoc enim petebat argumentum. Nam alias etiam si non circunciderentur, per actum contritionis conuerterentur in Deum, licèt tenerentur postea præcepto circuncisionis. Item sentire videtur, imò ita credo sentit, quòd adulti præter gratiam merito respondentem reciperent gradum illum virtute applicatæ fidei per sacramentum, quem paruuli recipiebant. Attamen in contrarium militat non infirmum argumentum. Sequeretur enim, quòd si quis cum fide, quæ tunc requirebatur Dei & Messiæ, non nisi attritus sic ad circuncisionem accederet, vt sacramentum vellet suscipere in remissionem peccatorũ, reciperet gratiam, sicuti dist. 6. dicturi sumus de accedente ad baptismum. Probatur, quia consequenter dicendum est illam fidem sic applicatam iustificare eum, qui non opponeret obicem. Et reuera S. Tho. non aliud discrimen constituit inter baptismum & circuncisionem, quàm quòd in circuncisione non tam copiosa conferretur gratia, nec fieret remissio totius reatus pœnæ; cæterum actualia omnia remitterentur. Profecto arbitror hanc esse opinionem S. Thomæ.

Opinio S. Thom. Aegu.

Sed arguitur contra. Illi, qui attritus accedebat, per circuncisionem non augebatur fides, neque circuncisio gratiã conferebat: neque ipsa per se fides vim habet ad modum sacramenti remittendi peccata: ergo si illa fides sola cum attritione non sufficiebat ad iustificationem, fit vt neque cum circuncisione. Item paulò nos inferiùs dicturi sumus quòd in lege naturæ adulti neutiquam poterant obtinere remissionem, nisi per veram contritionem & conuersionem: quia fides non poterat aliter eis applicari, quàm per proprium actum: ergo cum circuncisio non conferret gratiam: idem de Iudæis dicendum videtur.

Responsio.

Respondetur ad primum, quod licet fides per circuncisionem non augeretur, nihilominus aliter applicabatur per illud sacramentum, atque eam ob rem ex pacto Dei, qui illud instituerat, conferebatur gratia. Et est simile, si opinionem Scoti & Durandi spectes, dicentium, baptismum non conferre gratiam, nisi tanquam signum, ad cuius præsentiam ex pacto Dei confertur. Quare nihil discriminis inter ipsum & circuncisionem ponunt. Similiter ergo nos dicimus, quòd ad præsentiam circuncisionis virtute fidei sic applicatæ Deus conferret gratiam. Nos enim circuncisioni nihil, quod isti tribuunt, auferimus. Ad aliud respondetur diuersam esse rationem: quoniam in lege naturæ nullum erat peculiare sacramentum diuinitus institutum applicandæ fidei.

Sequitur in calce secundum argumentum, quod egregiam tangit difficultatem, de sacrificio expurgandi originalem culpam in lege naturæ. Quod est huiusmodi. Ante institutionem circuncisionis sola fides ad iustificationem sufficiebat, secundùm sententiam Grego. 4. libr. Moralium, quæ refertur de conse. d. 4. c. quod apud. Quod apud nos, inquit, valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides. Respondet D. Thom. in hoc fuisse similitudinem legis naturæ & scriptæ, quòd sicut ante circuncisionem sola fides iustificabat tam paruulos, quam adultos, ita & data circuncisione. Sed erat differentia, quòd ante circuncisionem nullum requirebatur signum eiusdem fidei protestatiuum. Et ratio erat, quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus ad cultum vnius Dei cœperant adunari. A tempore tamen Abrahæ necessaria erat protestatio fidei per circuncisionem. Probabile tamen est, inquit, quòd etiam in lege naturæ parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei, sicuti adulti pro se etiam preces & sacrificia offerebant.

Expositio articuli.

Hic ergo celebrem illam quæstionem examinemus, quam d. 1. q. 7. art. 3. hic polliciti sumus enucleare, de sacrificio delendi originalis, quod erat in lege naturæ. Et primùm ait S. Thom. solam fidem tunc iustificasse, sicuti in lege scripta. Vnde illud theologorum axioma ortum habuit, quòd tunc paruuli saluabantur in fide parentum. Atqui fides illa erat, de qua ad Hebr. 11. Paul. ait. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est. Et nomine remuneratoris intelligit Christum, de quo legitur Actuum 4. Non est datum aliud nomen sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Illud enim de tota mortalium vniuersitate à lapsu primi parentis vsq; ad finem mundi intelligendum est. Requisita fuit ergo in omni seculo naturæ corruptæ, vt loco citato constituimus, supernaturalis aliqua mediatoris cognitio, licèt confusa, vt D. Th. 2. 2. q. 2. ar. 7. luculenter docuit.

Nota de fide.

Duæ quæsita.

In præsentiarum igitur solùm duo sunt exploranda. Vnum scilicet, quomodo illa fides erat applicanda tam paruulis, quàm adultis. s. vtrùm actus fidei requireretur, an verò habitus sufficeret, vel applicantis, vel Ecclesiæ: alterum verò, vtrum necessarium esset sacrificium aliquod exterius, quod esset sicut sacramentum, quo illa fides applicaretur. Ad hoc vtique ne nos opinionum turba conturbet, prima responsionis conclusio sit hæc, de qua nullatenus controuertitur. Nullus habitus fidei charitate formatus erat in applicante necessarius.

1. Concl.

Imò etiamsi in peccato mortali esset, sicuti modò qui baptismum confert nihil nocebat paruulo. Assertio est D. Tho. in 4. d. 1. q. 2. artic. 6. quoniam fides tunc virtute propria quodammodo velut sacramentum absque merito applicantis iustificabat.

S. Thom.

At verò vtrum requireretur fides tunc formata Ecclesiæ, cuius ministrum ille agebat qui eam applicabat, ambigitur. Durand. quippe in 4. d. 1. q. 8. id putat fuisse requisitum: quoniam arbitratus est, fidem tunc non sanctificare per modum sacramenti, quia, inquit, in lege naturæ nullum erat. Et ideo necesse est, inquit, dicere, quòd iustificabat per modum meriti & suffragij. Meritum autem sine charitate nullum est, & ideo eam vim illa applicatio habebat, ex fide formata Ecclesiæ. At profectò neque illa charitas tunc in tota Ecclesia requirebatur, vt bene ait Palud. ead. dist. q. 5. art. 3. quoniam & nunc etiam si per impossibile nulla esset charitas in tota Ecclesia, baptizans intendens facere quod facit Ecclesia, verum conferret sacramentum. Fallitur ergo Duran. in suo merito & suffragio: imò tunc applicata fides instar sacramenti, vt illic ait D. Th. iustificabat.

Durand.

Reprobatio.

Secunda conclusio. Neque requirebatur in applicante vllus habitus fidei formatus, neque informis. Nam sicut modò infidelis baptizans verum confert sacramentum, ita & tunc qui applicabat fidem. Par enim militat ratio. Eandem probat illic D. Th. egregiè, quoniam fides tunc erat medicina totius naturæ, & ideo non iustificabat, qua ratione erat actus personæ, sed ratione obiecti, quia scilicet erat fides Christi. Cæterùm addiderim cum Paludano contra Durandum, quòd etiamsi nullus habitus fidei esset in tota Ecclesia, satis esset, vt applicans intenderet facere quod Ecclesia faceret, quando vera Dei cognitione pollebat. Idem enim, vt suprà diximus, nunc in baptizante sufficeret. Quod si rogites. Quid ergo erat dicere, in fide parentum, si neque in illis requirebatur? Respondetur axioma inde traxisse originem, quòd parentum cura est proles suas religione instituere, & mortales non alia lege liberos imbuunt, quàm ipsi profitentur. Nihilominus si infidelis in vera fide infantulum Deo

2. Concl.

Paludan.

offerret,

Digitized by Google

offerret, quamuis nullis esset fidelibus parentibus ortus, valeret oblatio, siue suus ille filius esset, siue alienus.

3. Concl.

Ex his ergo colligitur tertia conclusio. Requirebatur, sufficiebatque in applicante aliquis actus fidei: nempe, cognitio aliqua, qua puerum illum Deo offerret, qui est omnium remunerator. Quem quidem actum nemo poterat per naturam consequi, sed vel per reuelationem peculiariter illi factam, vel per aliorum suggestionem & doctrinam, quibus talis fuisset facta reuelatio.

Cognitio originalis culpæ.

Atqui ex his consequitur, in omni republica benè instituta viguisse tunc etiam cognitionem aliquam originalis culpæ, alias neque vila irradiare potuisset mediatoris fides. Quæ quidem cognitio, vt lib. 2. de natura & gratia, cap. 11. dicebamus, nequit esse naturalis, sed fuit per reuelationem susceptа, & per ora parentum in filios deriuata. Dispersò verò per orbem humano genere, vbi lex naturæ more & vsu seruabatur, semper fiebat quibusdam proceribus aliqua reuelatio expressa Christi Seruatoris, vt S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. exemplo Iob, Sibyllarumque & aliorum monstrat, quibus à Deo illa originalis lues innotescebat, quam alijs prædicabant. Minoribus verò satis erat habere Christi fidem in diuina prouidentia implicitam, credendo D. Th. Deum esse liberatorem hominum, vt illic subdit. Quare dum suas proles sub hac fide Deo dicabant, satis erat ad delendam originalem maculam: tametsi illam non expressè nouissent.

Præcipua quæst.

Alterum verò dubium pluſculum ambiguitatis offert: videlicet, vtrùm in lege naturæ aliquod esset signum extrinsecus necessarium, per quod ad modum sacramenti applicaretur fides. Scotus namque in 4. d. 1. q. 3. & explicatius q. 7. partem sustinet affirmatiuam, cui eadem d. subscribunt Duran. q. 8. & Palu. q. 5. Et intelligunt, si verba eorum expendantur, fuisse illud necessarium ex institutione diuina, atque adeò propriè sacramentum, vt erat circuncisio. Ratio enim eorum est, quòd nunquam Deus pro sua immensa bonitate humanum genus destituit, quominus remedium illis præberet ad delendum originalem culpam. Illud autem debuit esse certum signum gratiæ: certum autem esse non potuit, nisi esset à Deo institutum: homo enim talem certitudinem habere non posset, nisi ei constaret signum illud à Deo fuisse acceptatum, qui solus remissor est condonatorque culparum. Hinc etiam colligunt debuisse esse sensibile, sicuti fuit circuncisio, & sunt nostra sacramenta. Nam homines viatores, nisi per huiusmodi sensibilia signa, non possumus certiores fieri gratiæ, quæ nostros sensus latet.

Scotus.

Secundò arguunt tam Scot. quàm Durand. Adultus, qui vsu rationis pollebat, poterat quidem per propriam fidem quamuis informem mereri sibi de congruo primam gratiam, qua ei remitteretur originale, iuxta illud Roman. 4 Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: at verò fides vnius non potest alteri prodesse, nisi per aliquem actum applicetur. Et quòd actio illa debuerit esse sensibilis, probat Durandus secundùm suam opinionem: quoniam prodesse alteri non poterat applicatio illa, nisi per modum meriti aut suffragij. Quare debebat, inquit, per illum actum applicari fides Ecclesiæ, quæ semper est informata charitate: fides autem Ecclesiæ non potest applicari nisi per actum exteriorem, quia nihil ipsa de occultis iudicat. Quòd si dicas non per modum meriti, sed instar, vt dictum est, sacramenti applicationem tunc temporis valuisse, tunc validius istorum opinio irroboratur. Illud enim, quod illam vim habet, vt illo posito infundatur gratia, non potest purus homo instituere, sed solus Deus. Hac enim ratione d. 1. q. 5. monstrauimus solum Deum posse instituere sacramenta. Quòd si illud Deus instituit, profectò apparet vt ad modum naturæ humanæ, quæ sensibilis est, fuerit sensibile signum, vt in lege scripta & nostra vsu venit. Enimuerò distinct. 1. quæst. 1. artic. 4. monstrauimus ob id sacramenta esse debuisse sensibilia signa, quòd nos nostrapte natura per sensus cognitionem de rebus abconditis mendicamus, & Deus vnicuique secundùm suum ingenium prouidit.

Ad hæc. Quicquid tunc remittebat originale, quia ad instar sacramenti faciebat, idem esse decebat pro paruulis & adultis: pro adultis autem fatetur Gregorius valuisse virtutem sacrificij: ergo illa erat etiam pro paruulis necessaria.

Responsio.

His tamen nihil obstantibus D. Thom. in præsentiarum partem edocet negatiuam, dicens, quòd ante institutionem circuncisionis non requirebatur aliquod sensibile signum protestatiuum fidei. Idemque explicatius in 4. distinctio. 1. quæst. 2. articu. 6. quæstiuncu. 2. vbi recitat opinionem contrariam, quòd requireretur signum exterius, qua repulsa, ait probabilius alios dicere, quòd sufficiebat sola fides sine vllo exteriori signo. Hic autem non ait probabilius, sed assertissimè illud affirmat. Et ratio potissima sua vtrobique est verbum Gregorij: scilicet, pro paruulis sola fides. Nã glossa Scoti, quòd sola fides intelligitur cum actu exteriori ipsam protestante, manifestè aduersatur textui: quoniam tunc non esset differentia secundùm Gregor. inter paruulos & adultos, cùm tamen Gregor. dicat, pro paruulis sola fides, pro maioribus autem virtus sacrificij. Quapropter Durand. cuius ingenium est liberè loqui, ingenuè fatetur Gregorium non posse in alium sensum glossari: & ideo ait opinionem suam fuisse, non requiri actum exteriorem, sed non oportet, inquit, eum teneri.

Durand.

Conclusionis confirmatio.

At præter autoritatem Gregorij, quæ certè non debet ita temerè repulsam pati, arguitur sic. Illa quæ expressa autoritate Ecclesiæ, vel scripturæ non constant, maximè si supernaturalia sunt, non debent nisi ratione certa constitui: cùm ergo in lege naturæ nullibi legatur illiusmodi sacramenti institutio, recurrendum est ad eius necessitatem, quæ certè nulla est: nam cùm fides tantundem deberet paruulo apud Deum applicari, cui soli peccatorum culpas remittere competebat, fit vt per actum interiorem tam commodè applicaretur, quam per exteriorem: nam illa applicatio non erat nisi paruulum illum Deo offerre, quod actu mentis commodissimè fieri poterat. Item quia circuncisio ob id instituta fuit, vt significaret Messiam descensurum ex semine Abrahæ, cui data iustaque fuit, quæ quidem necessitas antea non habebat locum.

Ad hæc Augustinus sepè citatus 19. lib. contra Faustum nullam aliam necessitatem huiusmodi signaculorum visibilium allegat, nisi quod in nullum nomen religionis homines possunt coadunari, nisi aliquo signaculorum visibilium consortio colligentur: tunc autem nulli mortalium erant coadunati in veram religionem Dei, sed erant per orbem dispersi: ergo nullum tunc extabat eiusmodi visibile signum diuinitus tanquam certum & singulare ad id necessarium institutum. Hæc enim fuit alia causa institutionis circuncisionis, vt scilicet populus ille antequam legem susciperet, per illud signaculum circuncisionis coadunaretur. Itaque, vt mentem S. Thomæ vno verbo deprehendas, memento, in lege naturæ nullum fuisse sacramentum necessarium, in singulari diuinitus institutum, vt distinctione prima quæstione secunda articu. 3. latissimè demonstrauimus: licèt fuissent sacrificia, in vnaquaque natione diuersa, quibus per suos sacerdotes verum Deum colebant. Loquimur enim de illis hominibus, in quibus cognitio veri Dei vigebat. Contraria verò opinio tenet fuisse certum sacramentum diuinum applicandæ fidei ad remissionem originalis culpæ.

Mens S. Thom.

Potissimum argum.

Potissimum autem omnium, quæ me aduersus illam opinionem mouent, argumentorum est, quod distinct. illa tetigimus. Illud enim signum exterius aut erat ex institutione humana, aut diuina: non ex humana, vt autores contrariæ opinionis planè confitentur: quia tũc non haberet illam certitudinem, quod illo posito conferretur gratia: imo essent apud diuersas nationes diuersissima, quod non congruit sacramentis, in quibus præter meritum conferretur gratia. Si autem esset institutum à Deo, vt ipsi contendunt, illud profectò deberet esse vnum in toto orbe, sicut in lege scripta fuit vnum in populo Israël, & apud nos vnus baptismus. Cùm enim esset supernaturale, & ad applicandam fidem supernaturalem, nulla erat ratio, cur Deus aliud instituret in vna natione, atque aliud in alia. Quinuerò si sacramentum erat diuinitus institutum; atque adeò ad salutem necessarium, ad eandem opinionem consequitur, vt esset sub arctissimo præcepto vniuerso orbi propositum: nam sacramentum ad salutem necessarium semper habet annexum præceptum, vt de circuncisione patet, & nostro baptismo. Si autem detur fuisse vnum sacramentum, idemque sub præcepto constitutum, fit vt non potuerit in vniuersum euulgari nisi scripto: quod esse falsum inde patet, quod

Digitized by Google

tunc illa lex non diceretur naturæ, sed scripta, sicut lex Moysi. Prætetea vel in aliqua Ethnicorum historia memoriæ id proditum fuisset, vel saltem Moyses, qui Dei numine omnia ab orbe condito scripsit, illud enarrare non prætetmisisset. Nam si apud aliquos vnum illud sacramentum fuisset celebratum, id maximè in illa patrum linea ab Adam vsque ad ipsum, quos ipse percensuit. Accedit demum authoritas Hugonis lib. 1. de sacr. par. 11. cap. 3. vbi ait sacrificia in lege naturæ non fuisse necessitatis, sed pro voto quævis natio sua instituebat. Et S. Thom. (vt suprà visum est) q. 61. art. 3. dicit, in lege naturæ non fuisse homini præfixum, quibus sacramentis vteretur.

Hugo.

Ad hæc tandem accedit, quod interrogati illi neophyti ex Iudæis qui in Hispania morabantur, imo & illi ipsi, qui in eadem caligine perseuerant, quos egò Venetijs, & Romæ, & in Germania vidi, vtrùm aliquod signum ad modum sacramenti legis naturæ applicent suis fœmellis, ridentes respondent, nunquam talem ritum inter eos fuisse auditum, sed tantùm eas offerunt Deo, nullo signo certò seruato. Et tamen (vt modo dicebam) si in aliqua natione signum illud debuisset durare, erat in illa, vnde Abraham genus duxit. Imò verò si talè fuisset illucusque sacramentum, quando circuncisionem Deus illi indixit, eum pariter admonuisset, vt in fœmellis idem legis naturæ sacramentum perpetuò obseruaret. Quod cùm non admonuit, coniectura fit nullum fuisse.

Præterea solutiones argumentorum contrariæ opinionis rem dilucidius illustrant. Ad primum enim conceditur, quòd Deus nunquam humanum genus sine remedio destituit: remedium autem fuit in lege naturæ non quidem sacramentum vllum, sed sola fides mediatoris, iuxta illud Actuum 4. Non est datum aliud nomen sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: applicationem autem illius (quia non erat sacramentum) non opus erat tunc à Deo institui singulariter & determinatè, vt in lege scripta vel gratiæ: sed satis erat, vt instinctu naturali, instigante etiam fide ipsa, vt dist. 1. quæst. 2. art. 3. declarabamus, vnus quilibet suas offerret proles Deo. Quapropter necessarium opus erat eiusmodi certitudinem ab aliquo signo exteriori venari.

Ad argumenta contraria opinionis.

Ad secundum respondetur, falsissimum esse adultum de congruo potuisse sibi per fidem informem mereri primam gratiam (vt lib. 2. de natura & gratia cap. 4. pro meo captu me constituisse arbitror.) Tametsi ad rem modò parum referat. Imò sicut ille modo, qui est in peccato mortali per auxilium speciale debet se disponere conuertendo se in Deum, cui Deus gratiam sine merito infundat, aliàs (vt ait Paul.) gratia non esset gratia: ita & tunc adultus motu fidei per auxilium speciale Dei, tum intellectu illustrante, tum voluntate alliciente conuertebatur in Deum, iuxta illud: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Quare dispositio illa qua ratione in genere causæ materialis natura præcedit gratiam, nullius habet rationem meriti. Et illud ad Roman. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, peruersè profectò ad meritum congrui allegatur: quando enim illum actum credendi habuit Abraham, iam erat in gratia (vt illic lib. 3. capitu. primo explicuimus) quare reputari illi ad iustitiam, fuit reputari ad meritum de condigno: illud enim solum apud Deum dicitur suo gradu iustitia. Ad rem autem concedimus illo modo fidem non potuisse paruulis prodesse, sed instar sacramenti applicata. Enimuerò cùm originis labes ex aliena parentis culpa contrahatur, misericordiam Dei condecet, vt per eius fidem aliena actione applicatam eam deleat. Attamen cùm illa applicatio tunc temporis non esset sacramentum, nec opus erat vt esset sensibilis.

Nullum est meritum de congruo respectu primæ gratiæ.

Ioan. 6.

Credidit Abraham Deo, &c.

Ad aliud Durandi iam suprà responsum est. Negauimus enim illam applicationem habuisse rationem meriti aut suffragij: quare illa ratione non oportebat applicari fidem Ecclesiæ per actum exteriorem, sed fidem Christi, quæ dicitur Ecclesiæ, per quemcumque actum, quo Deo paruulus offerretur.

Ad aliud, iterum atque iterum negatur, quòd applicatio illa instar sactamenti tunc operetur. Hic enim latet anguis, qui autores istos vbique mordet: sed fides ipsa illum habebat effectum quomodocunque applicaretur, etiam interiori mentis actu.

Atqui eodem mucrone iugulatur aliud argumentum, quòd sacramenta debuit semper Deus nobis instituere sensibilia ad modum nostræ naturæ. Id enim nos libenter concedimus, sed negamus illam applicationem fuisse vllo pacto sacramentum, nec illa quicquam operabatur, sed applicata fides: sicuti admotio ignis ad stupam non calefacit, sed ignis ipse admotus: vt suprà de circuncisione dicebamus: nisi quòd illa erat sacramentum, vt puta signum conferendæ salutis per Christum, & ideo erat sensibilis.

Ad aliud, conceditur, quicquid tunc remittebat paruulis originale, remisisse & adultis: nempe, vnicam fidem, vt expresè loco citato in 4. dist. 1. quæst. secunda art. 6. quæritur. 3. astruit S. Thom. Ait quippe, quòd sicut modò adultis, vbi non est copia aquæ, sufficit actus fidei (scilicet baptismus flaminis.) Ita & tunc, imò à fortiori, sola fides sufficiebat, nisi quòd paruulis valebat applicata instar sacramenti, adultis verò non nisi per modum conuersionis in Deum, vt nuperrimè explicabamus. Haud enim adultis poterat applicari fides per alienum actum. Et hoc est irrefragabile argumentum, nullum tunc fuisse sacramentum necessarium applicandæ fidei pro paruulis; alioqui valuisset etiam adultis vt circuncisio olim, & modò baptismus. Quod ergo addit Gregor. pro maioribus virtus sacrificij, non id dixit, quasi sacrificium exterius illis necessarium esset ad applicandam suam fidem, sed quòd postea habita opportunitate fides ipsa instigabat, vt se aliquibus signis exterioribus demonstraret, quæ essent protestationes eiusdem fidei. Illa autem signa, inquit D. Tho. quando adhibebantur, non erant efficacia remissionis culpæ: id enim sola fides perficiebat: quare neque erant sacramenta.

Neque in adultis requirebatur nisi fides.

Nota.

Greg.

Ex quo fit consequens quod tunc nullatenus adultus potuit fieri ex attrito contritus: quia illis tunc fides non per modum sacramenti conferebat gratiam; neque vllum erat, quod talem effectum præstaret, qualem nobis baptismus. Quare contraria opinio tenens aliquod tunc fuisse propriè sacramentum, subsequenter dicere habet, non exegisse aliud in suscipiente adulto, quàm quod non opponeret obicem. Quod profectò falsissimum est, cùm adulto nullum posset applicari sacramentum, nec verò fides per alienum actum.

Optimum corollarium.

Ex his ergo quæ de circuncisione dicta sunt, atque adeò de sacramentis antiquæ legis, colligere discrimen operæpretium est inter leges illas & nostram. Nempe, vt frequentia scripturæ loca, & præcipuè Pauli, dextrè intelligamus, quibus latissima interualla inter legem veterem & nouam constituuntur. Posset enim quispiam arbitrari, vbi Paul. ad Roman. 3. & Galat. 2. ait, hominem non iustificari ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi. Et vbi ait Ioannes cap. 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est; hoc discrimen inter legem illam vetustam & nostram constitui, neque verò aliud quàm hoc sacramentorum, quòd scilicet illa non conferrent gratiam, nostra verò illam efficerent, quod reuera falsum est.

Discrimina latissima inter legem veterem & nostram.

Igitur ad rectum horum similiumque intellectum primum omnium animaduertenda est conuenientia inter omnes leges. Hoc enim à lapsu primi hominis commune semper fuit omni legi & sæculo, vt non nisi per vnicam fidem mediatoris, magis minusve implicitam vel explicitam, patet ret vlli vnquam mortalium salus, iuxta citata testimonia, Actuum 4. & ad Hebr. 11. Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, &c. & accedentem ad Deum oportet credere, &c. Atqui hoc est, quod Paul. ad Roman. 3. vsque ad 8. & ad Galat. 2. vsque ad 5. caput constituere contendit. Quare cùm ait, Arbitramur iustificari hominem per fidem, & non ex operibus legis, non intendit peculiare interstitium inter legem veterem & nostram constituere, vt nonnulli falso arbitrantur, dicentes de operibus legis antiquæ illic propriè haberi sermonem: scilicet, de illis cæremonijs obseruationibusque legalibus. Imò vt Augustin. in lib. de spiritu & litera cap. 14. planè docet, de omnibus moralibus operibus, & Decalogi præceptionibus id intelligitur. Cùm enim populus ille de hoc sese iactaret, quòd per opera legis, quam diuinitus susceperat, & virtute propria circuncisionis amicitiam Dei promeruisset, contendit aduersus illos probare, quod nullius gentis opera, neque gentilium, neque illorum, neque verò ipsa circuncisio, nisi quatenus fide Christi erant subnixa, digna erant gratiæ apud Deum, & vitæ æternæ. Idemque

Notabilis conuenientia omnium sæculorum.

Augustin.

de no-

de nostris pariter dixisset quibuscunque operibus, si per se considerentur, absque fide Christi, & diuina ope. Itaque non constituebat differentiam inter legem & legem, sed inter opera cuiuscunque legis, siue naturalis, siue scriptæ, quamuis diuinitus conditæ, siue humanæ, & fidem Christi: scilicet, quod sola fides per Dei auxilium tribuit quibuscunque operibus totius mundi, vt sint Deo grata, atque ad vitam æternam accepta. In summa errorem illum illic Paulus condemnat, qui postea Pelagium excæcauit dicentem, posse hominem viribus naturalibus proprijsque meritis gratiam Dei promereri.

Pelag.

Sed roges. Quid ergo discriminis inter legem veterem, & nostram interest? Respondetur non vnum, sed multa.

Excellentia prima legis nostræ super veter.

Prima enim eadem que omnium fundamentum, excellentia legis nostræ est hæc, quam modo insinuabamus: scilicet, quòd illam virtutem & gratiam, quæ causa fuit, vt opera cuiuscunque mortalium post hominis lapsum Deo essent grata, nemo vnquam nisi solus Christus autor nouæ legis, operatus est, iuxta illud ad Hebr. 9. vbi ait Paul. mortem Christi intercessisse in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento: remissionem, inquit, accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vnde quod ait Ioan. De plenitudine eius nos omnes accepimus, ad vniuersos mortales à præuaricatione Adæ vsque ad finem mundi refertur.

Ioan. 1.

Secunda excellentia.

Et hoc est, quod subdit. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, vbi secunda adnotatur excellentia ex parte datoris vnius, & conditoris alterius legis. Enimuerò Moyses non condidit, sed dedit legem, quam Deus condiderat, quæ per se non iustificabat. Gratia autem, per quam illa iustificabat, per Iesum Christum non solùm data, sed facta est. Et pariter veritas, nempe, lex Euangelica, quam non tantum ipse dedit, sed fecit, quæ idcirco dicitur veritas: quod illa Mosaica erat eius vmbra. Et hoc est, quod ait Paulus ad Galat. 2. Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est (id est, sine causa.) Et hæc est ratio quare illa dicitur scripta ad differentiam legis naturalis: nostra verò lex gratiæ. Videlicet, quòd Christus eius lator, qui summa fuit gratia mundo collata, legem vtique condens, qua nos doceret quid agere deberemus, gratiam simul contulit, qua illam dignè apud Deum implere possemus. Et propterea ait Paul. ad Rom. 7. quòd lex vetus iubendo docebat cognitionem peccati: nostra verò iuuando iustificat.

Tertia excellentia.

Atqui hinc colligitur tertia excellentia: videlicet, quòd lex illa scripta fertur in tabulis lapideis, nostra verò in cordibus, iuxta illud Hieremiæ cap. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Lex n. Euangelica non fuit primò tradita in scripto, sed diuino ipso ore Christi viua viuificanteque voce vsque ad audientium corda penetrante, vbi adiutricem gratiam, qua illam impleamus instillat. Vnde 2. ad Corin. 3. Paul. Epistola, inquit, estis Christi ministrata à nobis, & scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Quarta excellentia.

Ex eadem prima excellentia, subsequitur & quarta quantùm ad sacramenta: videlicet, quòd in lege naturæ nullum fuit singulari institutione Dei determinatum, & præfixum, atque adeò nullum extitit propriè sacramentum illius applicandæ fidei. In lege autem scripta fuerunt quidem propriè sacramenta: nempe, verè signa gratiæ per Christum promerendæ & efficiendæ: in hoc enim ratio proprie sacramenti consistit. Nullam tamen gratiam contulit. Quare nullum fuit perfectum, sed omnia infirma (vt ait Paul.) & egena. Nam etsi circuncisio fuerit sacramentum necessarium ad applicandam iustificatricem fidem: tamen de illa perinde atq; de lege probat Apostolus Rom. 4. neminem iustificasse, sed tantùm fuisse signaculum iustitiæ fidei. Lex verò euangelica non solum ad remissionem originalis, verùm & ad alios gratuitos effectus sacramentis affluit, quæ tum propria, tum etiam perfecta sunt: vtpote quæ gratiæ non tantùm signa sunt, verùm & instrumentales causæ. Atq; hac etiam de causa lex gratiæ dicitur: nempe, quòd tam multis abundet instrumentis, quibus illam suis cultoribus dispensat.

Quinta excellentia.

Quinta hinc subsequitur excellentia, quod lex illa ianuam cæli non aperiebat, sed id solus autor nostræ Euangelicæ præstitit. Vnde modus tunc loquendi de mortuis erat, quòd in infernum descenderent, vt Iacob Genes. 37. Descendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum. Et Iob 17. Infernus domus mea est. Nempe [illegible] quantòuis essent gradu in amicitia Dei, ad li[illegible] nihilominus descendebant, vt illic aduentum [illegible] xti præstolarentur. In lege verò Euangelica, bonam, inquit Paul. voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum Et ad Philipp. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo: quasi inter egressum huius vitæ, & ingressum cæli nulla interfit remora, nisi quam nostra fecit culpa. Vnde Christus ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso.

Sexta excellentia.

Sexta subinde additur excellentia, quòd cultores illius legis non plenè & perfectè merebantur filiorum Dei nomen: nam quamuis essent regni hæredes, non tamen in eius possessionem admittebantur, atque adeo seruorum habebantur loco, iuxta verbum Pauli ad Gal. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, &c. Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus. Qua vtique ratione ait de Christo Ioann. cap. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, &c. Non quòd omnes ab Adam vsque per eandem fidem gratiam recepissent, sed quòd post Christum passum filij in paternam hæreditatem fuerint admissi. Vnde Paul. Roman. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum (sicuti sub antiqua lege) in timore (scilicet seruitutis) sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Qui quidem cùm antea non fuisset incarnatus, non erat antiquitas digna, vt mortales tunc eius dicerentur cohæredes.

Septima excellentia.

Septima ergo excellentia, vt rem concludamus, Euangelicæ legis est, quòd eius gratia perfectum obtinuit, absolutumque, & completissimum nomen gratiæ, quod quidem gratiæ legis antiquæ in hac sublimitate non competebat. Non dixerim antiquitus non viguisse inter patres propriam rationem gratiæ apud Deum: id enim sacræ paginæ aduersaretur: Fuerunt siquidem multi sancti patres sub illo testamento in amicitia Dei, tum viuentes, tum etiam morientes. Propria enim ratio gratiæ in eo consistit, quod hominem acceptum faciat ad vitam æternam, siue illico post mortem, siue aliquo post tempore conferendam. In qua ambigere non licet, quin fuerit innocens Abel, cuius viuentis munera, morientisque patientia Deo placuerunt. Et de Abraham Genes. 15. legitur, quòd credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Qui igitur, vt habetur Iacobi 2. amicus Dei appellatus est. Et de Moyse legitur Ecclesiastici 45. quod fuit Deo dilectus, & de multis alijs id adstruit Paul. ad Heb. 11. Et de Ioanne Baptista egregium encomium contexuit Christus; vbi inter natos mulierum maiorem neminem fuisse pronunciauit. Quinuero in lege naturæ etiam Iob legitur fuisse iustus & rectus & timēs Deum. Et de alijs compluribus id creditur. Sacratissimam autem virginem eo hic inter patres illius legis non connumeramus, quam tamen cælestis paranymphus gratia plenum pronunciauit, quod cùm non esset ante Christi passionem mortem obitura: fit vt nec deberet ad limbum descendere, sed illico super choros Angelorum euolare, quare ad gratiam noui testamēti pertinet.

Illa ergo hic prætermissa, quod gratia illorum seculorum ad completum, absolutum, perfectumque gradum gratiæ non pertigerit, argumentum est, quod amici, illi quidem sunt, quibus ea omnia sunt communia, in quibus ius amicitiæ fundatur: ea vero, in quibus amicitia inter Deum & homines fundamentum habet, sunt illa cælestia sumpiternæ vitæ: illa autem ante Christum passum nemini Deus concessit: ergo homines illorum temporum non erant in gratia Dei absoluta & consummata. Profecto si quis ob crimen aliquod læsæ maiestatis suis esset mulctatus bonis, quamuis postea veniam principis obtineret, quousque illum in integrum honorem, & statum pristinum restitueret, non diceretur, in eius amicitiam perfectam reconciliatus, sed potiùs semper esse in debito, ac subinde in depositio seruari quousque pretium illius patrati sceleris alius pro illo persolueret.

Digitized by Google

Hoc autem exemplo ait Paul. Rom. 3. Christum remissionem præcedentium delictorum suo sanguine fecisse, eorum, s. omnium hominum, qui illucusque fuerant in sustentatione Dei. Ergo qui suo Christus gratiam redemptionis, ex qua illi pēde[illegible]meruit fecitque in cruce, non erant in perfecta [illegible] Dei.

Accedit, quòd si perfectè fuissent [illegible] & amici, loco filiorum fuissent tractati: nam amicus Dei, filius subinde eius est, atque adeo iu hæreditatem paternam fuissent recepti. Inter homines namque ob id filius, nisi mortuo patre, hæreditatem non adit, quòd temporale patrimonium vtrique non sufficit: regnum autem infinitum Dei mundis infinitis sufficeret; & nihilominus, vti ait Paul. sicuti paruuli sub tutore continebantur patres illi vt serui, quousque more humano (vt ad Hebr. 9. Paul. ait) morte intercedente Christi hæreditatem adirent. Quinuerò & in hoc etiam habebantur vt serui, quòd secreta diuina non illis communicabantur, vt in lege noua. Quare Christus ad eorum differentiam ait Euangelij cultoribus. Ioan. 15. Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Secreta siquidem prudentissimus quisque non seruis concredit, sed amicis pandit. Gratia ergo illius legis non ad iustum suum culmen ascenderat. Qua vtique ratione (quod rem maximè confirmat) nomen gratiæ apud Deum in hac Euangelica significatione vix vno aut altero loco in toto testamento veteri reperias, sed solùm nomen iustificatricis fidei, qua Pau. ad Hebræ. 11. (vt paulò antè dicebamus) omnes iustos tam in lege naturæ, quàm in scripta ait Deo obedientiam præstitisse.

Secreta.

Gratia raro antiquitus nominata.

Sic ergo cultores illius priscæ legis contemplari licet, ac si ciues qui regis maiestatem læsissent, veniam ab illo deprecantes, nec repulsam omnino paterentur, neque verò omnimodam obtinerent indulgentiam, sed expectare regium filium iuberentur, qui eorum veniam apud ipsum promereretur.

Contemplatio patrum antiqua legis.

Quæstio secunda,

DE BAPTISMO IOANNIS.

S. Thom. 3. part. quæst. 38.

ARTICVLVS I.

Vtrùm fuerit conueniens baptismum Ioannis ante baptismum Christi diuinitus institui.

DE BAPTISMO Ioannis D. Th. hic in summa in hoc sacramentorum tractatu nihil meminit, propterea quod superiùs di. 38. inter enarrandam vitam Christi de illo satis prædixerat, vnde nos articulos quæstionis huius desumpsimus, eo quòd exactiùs illic, quàm in 4. rem definierit. At verò quoniam D. Tho. sæpenumerò solet maioris elucidationis gratia materias in minutissimos articulos dispertiri, nonnunquam in subsequentibus eos, qui facillimi fuerint, in breuius compendium perstringemus. Igitur licèt sex septémve ipse multiplicet, quatuor nobis, quibus illos comprehendamus, satis erunt.

Primò ergo de eius institutione quæritur, an fuerit conueniens. Et arguitur à parte negatiua. Omnis sacramentalis ritus ad aliquam legem pertinet, vt patet in antiquis & nostris: Ioannes autem non fuit alicuius legis institutor, nec in illo vlla incœpit lex noua, sed vt Lucæ 1. habetur, fuit tantùm propheta altissimi: prophetarum autem non fuit ritum aliquem introducere nouum, sed ad legis positæ obseruationem populum inducere: ergo nihil opus erat baptismate illo, eo potissimè, quod populus ille tanta baptismatum superfluitate redundabat, vt amplior multiplicatio nocua appareret. Legitur enim Marci 7. quòd Pharisæi & Iudæi non manducabant, nisi crebrò manus lauarent, abundabantque baptismatibus calicum, & vrceorum, &c.

Secundò, quòd non fuerit diuinitus institutus ex ipso proprio nomine constat, si enim à Deo fuisset institutus, non diceretur baptismus Ioannis: propterea enim baptismus Christi non dicitur Pauli nec Apollo, vt 1. Corint. 1. ait Apostolus, cùm tamen Christus ipse Matth. 21. Ioannis ipsum appellet, interrogans, è cælo an ex hominibus fuerit. Sed præterea tertiò id inde confirmatur, quòd nullum fuit vnquam diuinum sacramentum, quod non aliquibus miraculis esset confirmatum. Ob hoc enim Dominus (vt Exod. 4. legitur) Moysi potestatem dedit signa faciendi. Et ad Hebr. 2. ait Paulus. Fidem nostram, dum principium accepit, contestante Deo, signis & prodigijs fuisse confirmatam. Item sacramenta diuinitus instituta, vt quæstione præcedenti dicebamus, præcepto aliquo debent esse proposita: de Baptista autem legitur Ioan. 10. quòd signum fecit nullum: neque verò de eius baptismo vllum extat in Euangelio præceptum: ergo nec fuit diuinitus institutus.

In contrarium est locus ille Ioannis 1. Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c.

1. Concl.

Ad hanc quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Conueniens fuit, vt ritus ille baptizandi Ioannis baptismum Christi antecederet. Probatur rationibus quatuor. Prima est Aug. super Ioan. tract. 5. quia oportebat Christum ab illo baptizari, vt tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam conferret aquis, quæ essent materia baptismi sui. Secundò, vt illic Christus innotesceret populo, iuxta verbum ipsius Baptistæ, vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. Confluentibus enim ad eum turbis, eum annunciabat esse Messiam, qui baptizaturus erat Spiritu sancto & igne, atque adeò agnum, qui tolleret peccata mundi. Id quod vt super Ioan. cap. 1. ait Chrysost. commodiùs fiebat, quàm si Ioanni per singulos vicos & domos discurrendum esset. Tertiò, vt suo baptismo affuefaceret homines ad baptismum Christi. Vnde Greg. in quadam homilia, ideo Ioannes, inquit, baptizauit, vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum Dominum nascendo præuenerat, baptizando quoque baptizaturum præueniret. Quartò, vt ad pœnitentiam homines inducens eos ad dignè suscipiendum baptismum Christi præpararet. Vnde Beda super Ioan. capit. 1. Quantum, inquit, catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptismus Ioannis ante baptisma Christi.

Chrysost.

Greg.

Beda.

Secunda conclusio. Baptismus Ioannis partim fuit à Deo, partimque ab ipso Ioanne. Nam si ritum baptizandi consideres, familiari Spiritus sancti reuelatione ad id Ioannes fuit missus, vt verba citata monstrant. Qui misit me baptizare, &c. Si autem effectum, nihil in eo fuit, quod Ioannes ipse non posset præstare. Quoniam, vt illico dicturi sumus, gratiam non conferebat, sed tantum abluebat corpora.

2. Concl.

Tertia conclusio. Baptismus ille non fuit sacramentum. Contrarium asserit D. Thom. in 4. distinctio. 2. quæstio. 2. artic. 1. Tamen 3. part. quæstio. quam hic tractamus, art. 1. in solutione 1. mutato proposito hanc conclusionem affirmat, dicens, quòd non erat per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi.

3. Concl.

Expositio articuli.

De baptismo Ioannis Matth. 3. complura scripta reliquimus. Fuit enim apprimè condecens, vt quemadmodum erat apud Malachiam præcantatum, Deus Baptistam mitteret, ceu Angelum ante faciem Christi, qui præpararet viam eius ante ipsum. Nam cum tunc temporis Iudæorum superbia ipsos eousque excæcasset, vt Messiam cum pompa & throno temporali venturum expectarent; ipse tamen venturus esset sedens super asinam & pullum subiugalem, vix vllus populi eum agnosceret, sed omnes repudiarent, vt proceres fecerunt. Fuit ergo maximè operæ pretium, vt eius præcursor tam stupenda vitæ sanctimonia antecederet, vt idem ipse Messias posset existimari; vt postquam tantam nanciscereturautoritatem suo ipsius testimonio, populum ad Christum vt ad verum Messiam remitteret. Atqui vt hanc autoritatem Christus illi conciliaret, tam egregio laudum encomio illum ad turbas commendando extulit. Ob idque cùm circuncisio tam chara illis fuisset, tantique eam, vt quam à Deo acceperant, æstimarent, durissimum erat, vt illam relinquerent, baptizantique Christo fabri filio auscultarent. Et ideo oportuit, vt Ioannes de genere sacerdotum, quibus oportebat circuncisionis cæremoniam tueri, illo baptizandi ritu ab illa diuerso populum demulceret, & ad baptismum

Congruentia baptismi Ioan.

Christi

Christi incliuaret. Hac ergo ratione tam prima, quam secunda conclusio probatur : nempe, & quòd ritus ille fuit decens, & quòd ideò fuit Deo inspirante institutus.

Adnotanda differentia.

Adnotanda est tamen differentia inter illum ritum & circuncisionem, & nostra sacramenta. Nam circuncisionem Deus ipse instituit, iussitque nostra sacramenta Christus. Ritum tamen illum Ioannes instituit, licèt diuinitus affulsus. Aliud est enim Deum ipsum per se aliquid instituere, aliud verò hominem diuinitus afflatum. Nam sacramenta Deus instituit : sacramentalia verò, atque alias cæremonias Ecclesia per appulsum Spiritus sancti. Quare sacramenta dicuntur de iure diuino, sacramentalia verò & leges Ecclesiæ de iure pontificio. Ob idque non est dicendum simpliciter baptismum Ioannis fuisse de iure diuino, sed cum moderamine (vt ait S. Tho) fuisse à solo Deo, inquantum Deus in homine operatur.

Argum.

Sed arguis. Ergo isto modo cæremoniæ sacramentales, quas Ecclesia iusciuit, possent dici de iure diuino. Negatur consequentia: quia Ecclesia solùm vtitur speciali inspiratione in genere & manutenentia quadam, ne in suis sanctionibus erret. Ioannes autem specialem & expressam reuelationem ad modum prophetæ suscepit illius ritus : neque verò solam reuelationem & instinctum, vt id faceret, sicuti de Christo legitur, quòd fuit ductus ab spiritu in desertum, sed vt credibilius est, præceptum etiam audiuit diuinum vel mente, vel certè voce: hoc enim sonat & admonet verbum: Qui misit me. Quamobrem D. Tho. benè ait in 4. distinctio. 2. quæst. 2. artic. primo, quòd Ioannes suum baptismum instituit præcepto diuino, vnde institutio ipsius fuit à Deo per autoritatem, & à Ioanne per ministerium. Itaque Ioannes non fuit nudus minister, vt ministri sacramentorum Christi, qui nihil faciunt nisi applicare sacramenta. Sed fuit institutor, præcepto tamen Dei. Quorum vtrumque simul docuit nos Christus Matth. 21. dicens : Baptismus Ioannis vnde erat, è cælo, an ex hominibus? Quasi dixisset, Ioannis erat tanquam institutoris & ministri, cælitus tamen præceptum acceperat.

Ad primum argum.

Igitur ad primum argumentum in capite factum respondetur, quòd etsi in Ioanne nulla lex cœperit, cuius ipse fuerit lator, cœpit tamen noua, cuius fuit dispositor. Vnde Matth. 11. Prophetæ & lex vsque ad Ioannem: ab eius tamen diebus regnum cælorum vim patitur. Quare ritus ille nullatenus ad antiquam legem pertinebat, sed ad Euangelicam. Non quidem tanquam sacramentum, hoc enim constituere legislatori reseruatur, sed tanquam dispositio & præparatio. Ac proinde ad id quod subditur, respondetur, Ioannem non tantum fuisse prophetam, sed plusquam prophetam. Vnde August. super Ioann. tract. 1. baptizare, inquit, nulli vnquam prophetarum aut iustorum conceßum fuit, vt eius diceretur baptismus; sed soli Ioanni, qui sic fuit terminus antiquæ legis, vt initium esset nouæ, tanquam homines ab illius cæremonijs & ritibus auertens, ad huiusque obseruantiam subinde conuertens. Quapropter eius baptismus non est ea tritiua pendendus, quo illa Iudæorum inania baptismata, quæ præter corporis munditiam nihil aliud egregium præstabant.

Ad secundum.

Ad secundum respondetur, baptismum Ioannis ob id fuisse permissum ministri nomine appellari, quòd sola corpora abluebat, non animam, secundùm illud Matth. 3. Ego baptizo vos in aqua, ille baptizabit in Spiritu sancto: quare nihil faciebat, quod homo non posset facere. Baptismus verò Christi intus mundat animam: quare non potest tribui ministro, vt Paulo, Cephæ, aut Apollo, sed Christo, qui autor est gratiæ. Secunda ratio est, vt ait in 4. S. Tho. quam hic declarauimus : nempe, quòd Ioannes institutor fuit illius baptismi. Quinuerò ipse solus eius promulgator soluseque minister, quantum ad vsum ; quippe cui peculiariter fuit commissum ministerium, vt nemo alius illo ritu baptizaret.

Ad tertium

Ad tertium respondetur, quòd cùm tota Ioannis doctrina & operatio ad Christum ordinaretur, qui & suam ipsius prædicationem & Ioannis, signorum multitudine confirmauit, non decuit eundem Baptistam vllo clarere miraculo, ne homines in illum sicuti in Christum oculos conijcerent; sed omnes ad solum Christum attentionem dirigerent. Vnde Ioannes quærentibus quis esset, non miraculis, sed solo Esaiæ testimonio respondit: Vox clamantis in deserto, &c. Tametsi eximia vitæ sanctimonia pro multis miraculis valeret ad suam autoritatem adstruendam. Mirabile enim erat, vti ait illic Chrysostomus, in humano corpore tantam pœnitentiam videre. Præcepto autem illius baptismi non opus erat publico, quod in sacram scripturam postmodum referretur, eo quòd non erat nisi perexiguo tempore duraturus, sed satis erat per intrinsecam reuelationem inditum fuisse Ioanni.

Nullum erat præceptum.

Quòd si arguas. Si Ioannes tenebatur baptizare, consequitur, vt & populus etiam baptizari obligaretur, atque adeò necessarium erat præceptum publicum. Negatur populum peculiari præcepto diuino obligari tunc ad illum baptismum : quia nullum eiusmodi extat mandatum, neque ille erat ad salutem necessarius, sed forsan iure naturæ conuincebantur, vt viro tanta morum doctrinæque claritudine splendenti audientes essent.

Circa tertiam conclus.

Circa tertiam verò conclusionem hoc certum est, neminem illum ritum censuisse perfectum sacramentum vti sunt euangelica : quia, vt illico patebit, gratiam non conferebat. Quòd tamen esset proprie sacramentum, sicut illa veteris legis, est argumentum: quòd ratio sacramenti in hoc consistit, vt sit signum gratiæ, vt erat circuncisio, & esus agni paschalis : baptismus autem ille perinde erat signum baptismi Christi, atque esus agni paschalis signum erat cœnæ Dominici altaris.

Secundò arguitur. Illic erat vera materia, & vera forma. Ait enim Magist. in 4. dist. 2. Ioannem baptizasse in nomine venturi : nihil ergo deerat quominus verum esset sacramentum. Item Hugo lib. 2. de sacram. p. 6. c. 6. appellat eum sacramentum, dicens, in baptismo Ioannis per intinctionem aquæ solum sacramentum dabatur.

Hugo.

Igitur propter hoc verbum Hugonis omnes antiqui consenserunt, illum fuisse propriè sacramentum eo modo, vt ait Alexander quarta par. quæst. 9. membro secundo, quo sacramentum dicitur sacræ rei signum, eò quòd fuit signum baptismi. Idemque asseruit Mag. in 4. d. 2. ac perinde ibidem S. Tho. At verò multò doctiùs id negauit in summa. Ad rationem enim sacramenti non sufficit, vt sit signum significans sacramentum nouæ legis. Nam illo modo etiam transitus maris rubri diceretur propriè sacramentum, quod tamen dist. 1. q. 1. art. 1. inter cætera non nominauimus ; sed debet significare, vti illic dixit S. Tho. actionem aliquam ipsius Christi sanctificantis, sicut esus agni paschalis significauit eius passionem qua nos sanctificauit, & pariter cœnam, quam ipse cum Apostolis cœnauit, eos sui corporis communione sanctificans ; quod baptismo Ioannis non conuenebat. Item, licèt ille ritus significaret baptismum Christi, non tamen fuit propriè ad id significandum institutus, sed ad præparandum homines ad ipsum recipiendum, sicut catechismi, & exorcismi. Quare Beda super Ioann. suprà citatus.

Responsio autoris.

Beda.

Quantùm catechumenis, inquit, nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantùm profuit baptismus Ioannis ante baptismum Christi, vbi baptismum Ioannis catechismis comparat, quorum similitudinem artic. proximo explicabimus.

De forma baptismi Ioan.

Id autem, quod de forma subiunctum est, multo minus mouet. Nam profecto ingenuè me fateor non intelligere, cur doctores tam asserte dixerint, Ioannem baptizasse in nomine venturi. Tametsi opinio fuerit Hieronymi, & Ambrosij. Collegerunt enim illud ex illo Actuum 19. vbi Ephesij à Paulo rogati in quo essent baptizati, respondernnt, in Ioannis baptismate ; quibus Paulus, Ioannes, inquit, baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent. Inde namque

Hieron.

Hieron. super Iohelem cap. 2. & in epistola de viro vnius vxoris, ait Ioannem baptizasse in nomine venturi. Idemque Ambr. libr. de Spiritu sancto. Ex quibus Hugo loco citato lib. 1. part. 6. cap. 6. & Magist. Sentent. d. 2. & Alex. de Ales, & S. Tho. non solum in 4. sed in 3. par. q. præsenti art. 6. ad 5. argumentum eandem opinionem ebiberunt. At vero (vt Durand. in 4. distinct. 2. q. 2. benè ait) profecto quicquid sit de conclusione, tamen ex illo loco illa forma non colligitur. Quoniam ibi non dicit Paul. Ioannem vsum esse illa forma, sed quod inter baptizandum, vt ait super Matth. Chrysostom. homilia 4. præcedebat, vt

Ambros. Mag.

Durand.

Digitized by Google

crederent in eum qui esset venturus. Nam & si iam in carne venisset, erat nihilominus venturus ad baptizandum in Spiritu sancto, suamque laturus legem, quam nondum tulerat. Et ideo aiebat. Qui post me venturus est, ante me factus est. Id est, qui post meam prædicationem & baptizationem in aqua prædicaturus baptizaturusque est in spiritu, remissurusque adeò peccata. Et confirmatur, quod non vteretur illa forma. Eodem n. modo baptizauit Christum quo alios: Christum autem non est credibile baptizasse in nomine venturi, quandoquidem eundem ipsum esse cognoscebat. Item circuncisionis, quæ erat verum sacramentum, sub quo per fidem conferebatur gratia, nulla legitur certa forma, ergo multo minus necessaria erat in baptismo Ioannis. Profectò multo fuisset congruentius, vt Iudæi in sua circuncisione illa vterentur forma: qua tamen non vtebantur. Meritò ergo illic Durand. & in eodem loco Scotus aiunt fortasse Ioannem nulla fuisse vsum forma. Quod sanè ratione deinde optima confirmatur. Fuit namque ritus ille medius inter sacramenta nostra & vetera: in materia siquidem conueniebat cum nostro baptismo: cum antiquis verò in hoc, quòd gratiam non conferebat. Et quia forma in hoc tantùm adhibetur, vt exprimat effectum interiorem animæ, qui à ministro per Dei autoritatem procedit, & illic nihil fiebat quod purus homo non posset præstare, non opus erat dicere in nomine venturi. Ob id enim nos dicimus in nomine Patris, & Filij, &c. vt Trinitatem exprimamus, in cuius virtute confertur gratia. Quare si pariter Ioan. baptizaret in nomine venturi, denotaret, illic gratiam infundi: quod proprium erat venturi beneficium. Neque quod illic continuo subditur: His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu, illi opinioni suffragatur. Nam cùm venturus, & Dominus Iesus, idem esset, non bene verba cohærerent, vt propterea quod erant baptizati in nomine venturi, baptizarentur in nomine Domini. Imo quia Ioannes in forma baptismi nomen Domini non nominauerat, illo sunt nomine baptizati. Fateor autoritatem Hieron. & Ambros. quos tam multi sequuntur, grauissimam esse: veruntamen coniecturæ sunt istæ in contrarium nihilominus vrgentes.

Optima ratio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in baptismo Ioannis gratia daretur.

DE effectu illius baptismi quæritur qualis fuerit. Apparet enim contulisse gratiam. Primo ex illo Mar. 1. fuit Ioann. in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, eiusmodi quippe remissio non fit nisi per gratiam. Secundo ex illo ibidem loco, & Matth. 3. vbi habetur, eos qui à Ioanne baptizabantur, confiteri peccata sua: confessio namque peccatorum ad eorum indulgentiam, quæ fit per gratiam, ordinatur.

In contrarium est illud ibidem apud Matth. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, &c.

Prior conclusio.

Ad quæstionem duabus breuissimis conclusionibus respondetur. Prima est negatiua. Baptismus Ioannis gratiam non conferebat. Probatur: quoniam tota doctrina eius & operatio, præparatoria erat ad Christum, sicut inferioris ministri est præparare materiam ad formam, quam inducturus est principalis artifex. Vt in extructione ædium ministrorum non est nisi lapides quadrare, quibus secundum artem architecti construendum est ædificium. Gratia autem conferenda erat hominibus per Christum, secundum illud Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Cauillari autem quis posset rationem hanc quæ Sanct. Thomæ est, dicens tantum probare quòd Ioannes non per propriam autoritatem conferret gratiam, non autem, quòd nec tanquam minister Dei eam conferret: quandoquidem eius baptismus diuinitus erat institutus. At verò ratio bene intellecta, bona est. Non enim tantùm huic nititur fundamento, quod Ioannes non erat nisi minister Christi: nam & eius ministri postea per sacramenta conferebant gratiam. Sed in hoc fundatur, quòd non erat minister nisi tanquam præparans materiam, eo quod antecessit Christum, eiusque baptismi institutionem. Quare suus baptismus non erat ad gratiam conferendam institutus. Et est quidem ratio dumtaxat conclusionis expositoria: nam conclusio non indiget ratione, qua probetur: quippe cùm sit de fide loco citato Matth. 3. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, &c. ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Quasi dixisset, virtus quidem mea ad corpus tantum aqua materiali pertingit, sed virtus, quæ fortior est, Christi spiritu & igni vsque ad animam penetrabit. Vnde Greg. in quadam homilia eundem locum exponens. Ioannes, inquit, non spiritu, sed aqua baptizat, quia peccata soluere non valebat. Et Ioan. 2. vbi idem Baptista cum negasset se esse Messiam, interrogatur cur in aqua baptizaret, respondit. Ego baptizo in aqua, quasi dicat, non in spiritu, &c. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & super eum manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Vnde Augustin. in Enchiridio, quod de consecrat. d. 4. refertur. Non regenerabantur, inquit, vel renascebantur, qui baptizabantur baptismo Ioannis, sed præparabat viam Domino Christo, in quo solo renasci poterant, qui parabantur. *Augustin.*

Secunda conclusio. Effectus baptismi Ioannis erat præparare ad gratiam per Christum conferendam. Hæc iam supra probata est, vbi diximus baptismum illum fuisse quodammodo sacramentale baptismi Christi. Quare citatus illic Beda comparat illum doctrinæ catechumenorum. Nam sicut catechumeni ante baptismum priùs, & quantum ad intellectum per catechismum eruditur de fide, quam professuri sunt, ac deinde quantum ad effectum peccatorum redarguuntur, admonenturque renuntiare diabolo, ac demum peccatorum remissio illis promittitur. Sic & Ioannes admonebat, vt in Christum crederent; & peccatorum populum redarguens remissionem illis per Christi baptismum pollicebatur: atque assuefaciebat populum illo lauandi ritu, vt paratior ad baptisma Christi fieret. Et ideo sicut catechismi & exorcismi sunt dispositiones proximæ & quodammodo intrinsecæ baptismo; sic baptismus Ioannis erat dispositio remotior, & quodammodo extrinseca. *2. concl.*

Vis autem primi argumenti, quod contra fecimus, in expositione illius loci Marci consistit. Fuit Ioannes baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. At bifariam legi potest. Vno modo, quod baptizaret baptismo suo prædicando eundem esse baptismum pœnitentiæ: non quòd esset sacramentum pœnitentiæ, sed quod inducebat ad pœnitentiam: eo quod qui illum suscipiebant, profitebantur se pœnitentiam acturos, ad quam baptismus ipse alliciebat, per hoc quod lotio illa corporalis mundities animæ significabat, quæ fit per pœnitentiam. Itaque, vti ait illic Hieron. gratia, quæ per baptismum Christi danda erat quodammodo per paranymphum initiabatur. Secunda autem lectio esse potest; quòd erat baptizans baptismate suo; prædicans autem baptismum Christi, qui est baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum: Prædicabat enim dicens: Ille vos baptizabit in Spiritu sancto. *Ad 1. arg.* *Hieronym.*

Secundus autem locus apud Matth. plusculum difficultatis habet, quomodo scilicet, illi ad baptismum Ioannis confluentes confitebantur peccata. S. n. Tho. in hac q. quam interpretamur, nihil aliud ait, quam quod confessio illa peccatorum non fiebat ad eorum remissionem statim per baptismum Ioannis exhibendam, sed consequendam postea per pœnitentiam & baptismum Christi, ad quem pœnitentia præparabat. Concedit ergo aliquam illic fieri confessionem; quam vero facerent, non explicat. Et hic inferius q. 68. art. 6. ait quod accedentes ad baptisma Ioannis confitebantur peccata, vt secundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur. Vbi in superficie videtur sentire, quod esset illa confessio sacramentalis. Quòd autem penitus id non sentiat, manifestum hic fit, vbi ait, quòd in baptismo Ioannis nulla recipiebatur gratia. Quod si baptismus, sacramentum non erat, fit vt neque illa confessio. *De confessione antiquæ legis.*

Atque eam ob rem Caiet. in expositione illius loci super Matth. ait, quòd non confitebantur vocaliter, sed per id ipsum quod abluebantur, confitebantur se esse peccatores. Itaque ablutio illa erat confessio. Interpretatio tamen illa non videtur consona textui, vtpote cùm tanquam duo illic connumerentur, baptizari, & confiteri peccata. Et est præterea contraria Diuo Thomæ dicenti, quod secundum qualitatem *Caieta.*

peccato-

peccatorum imponebatur eis pœnitentia.

Abulens. Abulensis autem super eundem locum dicit, quod confitebantur vocaliter, non tamen exprimendo peccata sicut nos. Attamen præterquam quod etiam in hoc contradicit S. Thomæ, qui ait qualitates peccatorum illos tunc exprimere, aduertatur verbo confessionis. Nam confessio generalis, putà, cùm quis dicit: Ego sum peccator, non est propriè confessio peccatorum: hæc enim sonat expressionem aliquam, vt iudex de illis iudicet.

Th. Vald. Thomas igitur Vualdensis tomo 2. de sacramentis cap. 136. monstrare nititur in lege veteri apud Iudæos in more fuisse peccatorum confessionem expressam. Confitebantur scilicet, inquit, grauia peccata; potissimum tria, adulterium, homicidium, & blasphemiam, non tamen peccata cordis. Attamen nullum profectò eorum, quæ adfert, testimonium id planè conuincit. Nam maximè illud Leuitic. 16. vbi legitur quòd oblato hirco emissario sacerdos imponens ei manus orabat pro peccatis populi. Vnde colligit Vualdensis iam tunc sacerdoti, per confessionem clanculum fuisse narrata? At reuera consequentia nulla est: nam illa confessio non erat nisi generalis, sicut sacerdos modò in Ecclesia orat pro peccatis populi.

Sententia autoris. De hac ergo re vnum certissimum est, quòd in lege antiqua non fuit confessio sacramentalis, in qua conferretur gratia. Sola enim circuncisio erat eiusmodi gratiæ signum ad delendum originale. Aliud autem sacramentum ad remissionem actualium, error esset concedere fuisse in illa lege. Et ratio est, quia sacerdotes illi claues spirituales non habebant, quibus dictum à Deo esset. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Quare nihil in illis sacramentis spirituale reconditum latitabat præter cultum religionis, & corporis ablutiones in figuram spiritualium, quæ in lege Christi erant futuræ: iuxta illud Paul. ad Heb. 9. Sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus (hæc n. erant cæremoniæ expiandi piaeula) inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, hoc est, ad tollendas irregularitates, quæ ex peccatis contrahebant. Obligare autem Hebræos illos ad detegenda sua occultissima crimina sacerdoti minori præmio quàm nobis propositum est; vt s. per eundem sacerdotem vice Dei fungentes omnia remitterentur, durissima esset lex.

Nota. Alterum, quod hic subijcimus, est, quòd forsan illi genti moris erat confiteri sacerdotibus in templo peccata publica, vt sacerdos pro delinquente oraret, & fortasse clanculum etiam aliqua confitebantur, non vt gratiam tanquam per sacramentum susciperent, sed vt aliqua salutaria monita & consilia à sacerdote audirent, & illis forsan castigatorias aliquas pœnitentias imponerent, vt ait D. Th. Nam erant tunc quàm plurimæ oblationes animalium legales pro expiatione diuersorum peccatorum constitutæ. Atqui eiusmodi confessiones fuisse tunc consuetas, ex prædictis verbis Matth. non tenuiter confirmatur. Cùm n. ait Euangelista eos, qui baptizabantur à Ioanne confiteri peccata sua, non solùm hoc dicit propterea quod Ioannes pœnitentiam prædicabat præparatoriam baptismi Christi; sed quod forsan mos ille solemnis erat illis quoties ad aliquam tem sacram accederent. Eadem autem confessio multùm ex verbis Lucæ 3. innotescit. Ait n. quod homines diuersæ sortis & status diuersa documenta à Ioanne tunc suscipiebant. Diuites n. quærebant quid facerent. Et respondebat, quòd qui haberet duas tunicas daret vnam non habenti. Publicanos verò idem quærentes commonebat, vt nihil aliud reciperent quàm constitutum eis esset. Sed & militibus imperabat, ne quempiam concuterent, neque calumniam facerent. Et hoc est quod ait Euangelista, Ioannem prædicasse fructus pœnitentiæ. Et D. Tho. eis pœnitentias fuisse determinatas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm conueniens fuerit vt Christus inter alios baptismo Ioannis fuerit baptizatus.

1. Concl. QVAESTIONIS titulus duo implicat, vnum an fuerit condecens Christum baptizari. Alterum, an fuerit congruens vt non ille solus, sed alij præterea eodem baptismate intingerentur. Duabus ergo conclusionibus respondetur. Prima. Conueniens fuit Christum baptizari baptismo Ioannis. Nam suo ipsius non solùm superfluum fuisset, verùm & valde indecens. Fit enim ille in remissionem peccatorum, quorum nullum ipse contraxit.

Et posset quidem statim conclusio generalibus rationibus demonstrari. Qui n. pro nobis factus est homo, nec dedignatus est vsque ad mortem crucis obediens esse, semper voluit in officijs religionis, ceu vnum quemlibet de plebe se exhibere, nisi quòd egregiùs id faciebat. Quare & circuncidi se permisit, & offerri in templo. Atque adeò cùm populus tunc religionis gratia ad baptismum Ioannis conuolaret, profectò quando nulla alia interueniisset ratio, simul cum alijs concurreret. Sed deinde par erat vt ritum illum, qui suo diuino appulsu erat institutus, suo ipse opere approbaret. Præterea etiam oportebat, vt honorem illum Ioanni ad augendam eius autoritatem deferret. Quæ quidem autoritas, vt paulò ante dicebamus, ad perhibendum testimonium de ipso erat eidem Ioanni necessaria.

4. Congruentia. At præter has tres congruentias, quarta eademque inter particulares potissima sumitur ratione sui baptismi, quæ iam suprà explicata est, s. vt vim regenerationem (quod ait Beda) conferret aquis, in qua materia suum confestim institueret baptismum: nempe, vt verus ipse baptismus alteri extemplò succederet: qui fuerat eius præparatio. Vnde Ambro. super Luc. capit. 2. Baptizatus, inquit, est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, qui peccatum non cognouit, baptismatis vim haberent ad abluenda peccata.

5. Congruentia. Quinta congruentia sumitur ratione assumptæ humanitatis, quæ licèt non in illo, in nobis tamen peccatrix est. Etenim sicut Chry. in imperfecto hom. 44. ait. Quamuis ipse non esse peccator, tamen naturam susceptit genere suo peccatricem, in similitudinem carnis peccati: propterea etsi pro se baptismate non indigebat, tamen in alijs carnalis natura eo opus habebat. Vnde Greg. Nazian. baptizatus est Christus vt totum veteranum Adam immergat aqua.

Sexta. Sexta fuit ratio, vt nostram captaret obedientiam. Vt enim ait Aug. in sermone de Epiphania. Facere id voluit prius, quod faciendum omnibus imperauit. Et hoc est, quod ipse dicit. Sic decet nos implere omnem iustitiam, iuxtà verbum Ambros. eodem loco super Lucam. Hæc est iustitia, vt quod alterum facere velis, prior ipse incipias, vt tuo alios horteris exemplo.

Septima. Hanc autem decentiam nisi aliam septimam esse velis, egregiè disserit Aug. super Ioan. tracta. 4. Voluit namque nobis exemplum obedientiæ relinquere, quam suo baptismo singulari obligatione debemus. Est enim eius baptismus tantæ necessitatis, vt vbi eius opportunitas datur, nulla sanctitas sine illo sufficiat. Voluit ergo quamuis innocentissimus baptismo illo, qui figuram præ se ferebat pœnitentiæ, subijci, vt omnem excusationem baptismi sui cuicunque præscinderet. Contingere enim posset, quod quis ante baptismum, vt Cornelius & Paul. singulari morum probitate polleret, & fide etiam apud Deum; tuncque idcireo diceret nullo indigere baptismate, quòd nullum in se agnosceret peccatum. Admonitos ergo voluit Christus vniuersos baptizari se volens, nullum prætextum innocentiæ homines ab eius baptismate excusare.

2. Concl. Secunda conclusio. Alios etiam decuit ante & post Christum eodem Ionn. baptismate baptizari. Primò patet ex historia Euangelica, quæ cùm sancto flamine gubernetur, non potuit non esse decentissima. Legitur enim Matth. 3. quòd postquàm alij baptizarentur à Ioann. tunc venit Iesus, vt baptizaretur. Et Ioan. 3. refertur, quòd baptizatus Iesus morabatur in Iudæa, & ibi baptizabat, & tunc Ioannes baptizabat in Ænon iuxta Salim. Plures huius conclusionis congruentiæ precedentibus art. positæ sunt, scilicet: vt Iudæi per doctrinam Ioannis & pœnitentiam & assuetudinem ad baptismum Christi suscipiendum præpararentur. Sed aliam illic super Ioannem affert Auguſt. videlicet, quòd si solus Christus illo baptismate fuisset lotus, facilè existimari posset, fuisse præstantius baptismate eiusdem Christi: vtpote quod nemo præter ipsum fuisset dignus illum recipere. Quòd autem illico baptizato Christo non debuit Ioan. a baptizando cessare, consilium fuit, primò, ne plebs existimaret illum zelo id vel ira facere, eò quod videret Christum per suos discipulos baptizare, & ne ipsi discipuli Ioannis acriori inuidia vterentur, sed Ioannes eos erudiret

Auguſt.

ac deliniret, mittens eos ad Christum. Præterea, quia illud baptismatum confluium non debuit fieri in puncto, sed suauiter: vt aliquantulo tempore ambo cõcurrerent, quousque Christus satis esset populo manifestus. Atque adeò sicut in morte Christi incipiente Euangelica lege, synagoga non fuit de repente sopita, sed decuit eius cæremonias tantisper seruari, vt cum honore sepeliretur, sic & de baptismo Ioannis censendum.

Argumenta in contrarium solvũtur.

Sunt autem contra has conclusiones tenuissima argumenta. Contra priorem quidem, quia debuit Christus honori suo consulere: suscipiens autem cum reliquo vulgo baptisma illud pœnitentiæ, quod homines confitentes peccata recipiebant, videbatur sese peccatorem profiteri, cùm tamen esset innocentissimus agnus, qui ad tollendum venerat peccata mundi. Nam si circũcidi se permisit, id fecit vt legis vinculum, licèt illo non esset obligatus, impleret, ne si violator illius esset, repudiaretur a populo. Baptismi autem Ioannis nulla erat obligatio. Imò si exemplum à rerum natura ducamus, sicut primum cælorum mouens, immobile est, sic illum, qui fons erat baptismi, baptizari non decuit.

Respondetur autem, quòd vt dictum est, non fuit baptizatus vt aquis ablueretur, sed vt illas ablueret. Et licèt in aliquam veniret sinistram suspicionem, non tamen ob id ea debuit prætermittere, quæ per ipsum fieri conueniebat. Omnes enim eiusmodi suspiciones post resurrectionem erant diluendæ. Vnde sicut debuit circuncidi, vt vetustam legem impleret: sic & baptizari, vt nouam suam ritè & rectè inchoaret. Postremum autem argumenti verbum hoc tantùm concludit, quòd cùm fons fuerit & caput baptismi Euangelici, qui fit in Spiritu sancto, non debuerit illo baptizari.

Argumenta contra 2. conclusionem.

Contra secundum verò conclusionem arguitur. Baptisma Ioannis, vt Aug. ait super Ioan. tract. 4. & 5. in hoc institutum fuit, vt Christus baptizaretur: ergo ille solus debuit baptizari, saltem post ipsum nemo: nam vt ipse fatebatur Baptista, vt Christus manifestaretur in Israel venit in aqua baptizans: manifestatus autem fuit, dum fuit baptizatus, & illic eius cœpit baptismus, ergo illic debuit baptisma Ioannis cessare. Imò id videtur loco citato Aug. asserere dicens: Baptizatus est Christus, & cessauit Ioannis baptisma.

Præterea, si ob id conueniebat, alios illud recipere baptisma, vt ad Christi sacramentum præpararentur; quotquot erant baptismum Euangelicum suscepturi debebant illud antea recipere, & tamen nulli aut ex gentilibus, aut ex pueris leguntur illud suscepisse.

Chrysost.

Ad primum iam responsum est, quòd licèt vt Christus illo ritu baptizaretur, vna fuerit ex eius institutionis causa, non tamen sola. Et quamuis dum baptizatus est, fuit manifestus: non tamen satis quousque ipse per suos discipulos baptizasset. Quare, quod ait Aug. Baptizauit Christus, & cessauit Ioannis baptisma: non intelligitur eodem temporis momento, sed paulo post cùm Ioannes Herodis iussu captus esset. Vnde Chrys. eodem loco super Ioan. Existimo, inquit, propter hoc præmissam esse mortem Ioannis, vt eo sublato de medio Christus maximè prædicare inciperet, vt omnis affectio ad Christum transiret, & non vltra his, quæ de vtroque erant sententijs scinderetur. Ad postremum denique respondetur quod ob eandem allegatam causam, scilicet quòd ille baptismus erat præparatio sacramenti Christi, pueri, qui ante vsum rationis nec eruditi poterant, neque ad rem aliquam affici, non debebant illum suscipere. Neque verò gentes, Iudæorum ritu erant ad viam salutis præparandæ, sed soli Christo, qui vt legitur Genes. 49. erat expectatio gentium, opus illud reseruabatur. Eo vel maximè, quod cum Christus ipse inhibuerit Apostolis ante resurrectionem in viam gentium declinare; multò minus congruebat, vt eosdem Ethnicos Ioannes ad suum baptismum admitteret.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum baptizati baptismo Ioannis deberent postea baptismo Christi baptizari.

QVAESTIO hæc satis per conclusionem articuli secundi decisa erat. Nam si baptisma Ioannis gratiam non conferebat sacramenti Christi, non excusabat, quin esset post recipiendum, sed propter quorundam errorem denuò mouetur. Inter respondendum ergo refelletur primo erronea illa opinio duabus rationibus. Ad eandem vnica conclusione affirmatiua respõdetur. Opinio illa prima fuit Magist. Sent. in 4. d. 2. vbi illos, qui à Ioanne baptizati erant, sic distinguit. Illi n. inquit, qui nescientes Spiritum sanctum esse, in illo baptismate spem suam posuerunt, baptizari postea tenebantur baptismate Christi. Et de illis intelligitur locus ille Act. 19 vbi baptizati à Ioanne, denuo baptizati leguntur in nomine Domini Iesu. Illic verò, qui spem non posuerunt in baptismo Ioannis, & Patrem & Filium & Spiritum sanctum credebant: non fuerunt postea baptizati, neque verò indigebant, sed impositione manuum Apostolorum Spiritum sanctum receperunt.

Opinio Magist.

Reprobatur opinio Magist.

Hæc autem secunda pars huius assertionis erronea est, & (vt inquit, D. Th.) irrationabilis, in qua ideo non tenetur Magist. Imò generaliter ponitur conclusio. Quotquot baptizati essent ab Ioanne erant postea baptismo Christi baptizandi. Patet primo authoritate Aug. tract. 1. super Ioannem, vbi ait: Qui baptizati sunt baptismate Ioannis, oportebat, vt baptizarentur baptismate Christi. Et probatur ratione duplici. Prima, quia baptisma Ioãnis, vt dictum est, neque conferebat gratiam, neque characterem imprimebat, sed erat solùm in aqua, vt ipse ait Matth. 3. ergo quantumuis quispiam spem suam in illo non collocaret, sed fidem haberet certam Christi, in quem suam iactaret spem, non posset per solam illam fidem, & spem vllo modo characterem Christi recipere; imò verò fortè nec gratiam, nisi adiuncto proposito recipiendi baptismum Christi, quem tunc Ioannes prædicabat baptizaturum in Spiritu sancto. Sicuti modò quis potest per baptismum flaminis illam recipere. Dixerim fortè, quia siquis inuincibiliter ignorasset statuendum à Christo post resurrectionem baptismum sub præcepto, posset per modum meriti subijciendo se Ioannis prædicationi, gratiam consequi; quandoquidem baptismi obligatio non cœpit currere nisi post resurrectionem. Secundò, quando aliquid in sacramento omittitur, quod est de eius necessitate, non satis est supploeri, quæ defuerunt, sed oportet totaliter innouari: vt siquis baptizatur in vino cum debita forma, non satis est vt postea tingatur aqua sine forma, sed totum debet integrari: substantia autem baptismi Christi non tantum in hoc consistit, quod fiat in aqua, sed potissimùm in Spiritu sancto, iuxta verbum Christi Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Baptismus verò Ioan. non fiebat in Spiritu sancto, sed, vt ipse ait Matth. 3. solum in aqua: ergo postea non satis erat supplementum illud Spiritus sancti per manus impositionem adhibere, sed totum erat innouandum, vt s. homo tingeretur aqua in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Aut sicuti illic Actuum 19. legitur, in nomine Domini Iesu.

Conclusio.

Res est satis clara, sed si aliqua sunt emergentia dubia argumentis examinantur.

1. Argu.

Arguitur ergo primò. Ioan. non fuit Apostolis inferior: quippe de quo ait Christus Ioan. 11. Inter natos mulierum non surrexit maior: qui autem ab Apostolis, imò ab alijs discipulis baptizabantur, non rebaptizabantur, sed vt de baptizatis à Philippo legitur Actuum 8. per impositiones manuum Apostolorum recipiebant Spiritum sanctum: ergo idem de baptizatis à Ioanne sentiendum est. Ad hoc autem, quod Magistrum Sententiarum mouere potuit, respondet August. super Ioan. tract. 5. & refertur de consecrat. di. 4. can. Aliud. & 1. quæst. 1. can. Dedit Iudas. dicens, post Ioannem baptizatum esse, quia non dabat baptismum Christi, sed suum; post Iudam verò minimè, quia dabat baptismum Christi. Nam baptismus talis est, qualis est ille, cuius potestate datur, non qualis ille, cuius ministerio datur. Et idem erat de baptizatis a Philippo, idemque esset de baptizatis à quouis infideli. Manuum verò illa impositio, quæ Apostolis super baptizatis fiebat, non denotabat non recepisse gratiam in baptismo, sed erat confirmatio, quæ, ideo quando non erant alij Episcopi, ab alijs fieri non poterat quàm ab Apostolis: sicut modò non datur nisi per eorum successores Episcopos. Illo verò tempore descendebat Spiritus sanctus visibiliter super Apostolos.

Aug.

2. Argu.

Secundum argumentum est. Multi ex Apostolis baptizati sunt baptismo Ioannis, quia multi fuerant eius discipuli, & tamen non leguntur baptizati postmodum baptismo Christi: ergo baptisma Ioan. non

opus

opus erat baptismi Christi. Ad hoc etiam idem Aug. respondet epist. ad Seleuc. dicens. Intelligimus discipulos Christi fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis sicuti nonnulli arbitrantur, siue (quod magis credibile est) baptismo Christi. Hoc autem d. 5. art. 2. pressius dilucidabimus, coniectantes fuisse baptizatos Christo in mortali carne viuente. Quinuero & Ioannes ipse, vt ibidem simul cum Chrysost. & Hieron. adnotabimus, fuit etiam eodem Christi sacramento intinctus.

3. Arg. Tertiò arguitur ex allegato loco, Actuum 19. argumento Magistri Sent. legitur namque ibidem, quod Ephesij interrogati an Spiritum sanctum accepissent credentes; responderunt, neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. Et rursus requisiti in quo essent baptizati, dixerunt in Ioannis baptismate. Et illico sequitur. Baptizati sunt iterum in nomine Domini Iesu. Tota ergo causa, quare oportuit eos denuò baptizari, fuit, quia non receperant Spiritum sanctum, iuxta verbum Hieron. super Iohelem cap. 2. & in epistola de viro vnius vxoris dicentis. Qui Spiritum sanctum nesciebant cùm baptismum à Ioanne receperunt; iterum baptizati sunt baptismo Christi. Et idem ait Ambros. in lib. de Spiritu sancto. Quorum testimonio hallucinatus Magist. dixit, non omnes baptizatos à Ioanne oportuisse à Christo baptizari, sed eos dumtaxat, qui Spiritum sanctum non acceperant, quia spem in Ioanne collocauerant. Respondetur autem, quod Hieron. & Ambros. non faciunt illam diuisionem, sed intelligunt, quòd omnes baptizati à Ioanne denuo baptizati sunt, quia virtute illius baptismi eo quod non esset baptismus Christi, non receperant Spiritum sanctum.

Postremum arg. Postremum argumentum posset adhiberi, quòd si baptizabat in nomine venturi, non erat iterandus baptismus in nomine Domini Iesu: quia idem erat. Nos autem iam suprà nostram opinionem declarauimus, quòd fortè credibilius est, illa forma non fuisse vsum: cuius vnum argumentum hoc ipsum fecimus. At verò D. Th. & alij contrarium opinantes respondent in hoc, quod dicebat, venturi, insinuasse non baptizare baptismo Christi, qui nondum fuerat institutus.

DISTINCTIO TERTIA.

DE BAPTISMI DEFINITIONE, ET EIVS PARTIBVS.

Cap. 1. His ergo præiactis, ad baptismum sacramentorum primum descendamus.

Definitio baptismi. Est n. baptismus, vt ex Christi verbo Ioan. 3. colligitur, sacramentum regenerationis ex Spiritu sancto.

Ephes. 5. Et vt Apostolus ad Ephes. 5. insinuat, lauacrum seu ablutio aquæ in verbo vitæ ab originali culpa. Quod doctores explicatiùs aiunt. Baptismus, est ablutio corporis, exteriùs facta sub præscripta verborum forma. Vnde August. tract. 15 super Ioan. Tolle, inquit, aquam, non est baptismus. Et tract. 80. verbo baptisma consecratur. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

Aug. tract. 15. sup. Ioa. Aug. tract. 80.

Cap. 2. Christus autem Seruator noster hoc sacramentum illic instituit, vbi vim ei tribuit sanctificandi: nempe vbi baptismate Ioannis inde tinctus vim regeneratiuam (vt ait Beda) contulit aquis. Vnde August. in sermone Epiphaniæ. Ex quo Christus, inquit, in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Eius autem necessitatem vniuersis mortalibus postquam resurrexit indixit: vti Apostolos in orbem dimittens ait: Docete omnes gentes, &c.

Materia ergo necessaria baptismi est aqua simplex: nempe, quæ legittimam aquæ speciem seruet: admonente Christo, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Huiusmodi quippe elementum, vt quo viuentia procreantur regenerandis mortalium animis aptum erat, præterquam, quòd adeò vbique peruium est, & commune, vt exuberantissima eius copia necessitati baptismi maximè congruat. Cap. 3. Ioan. 3.

Forma autem verborum illa est, quam Christus docuisse iussisseque modo dicebamus. Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vbi confessio expressa fit Trinitatis, cuius fidem baptismate profitemur. In huius enim testimonium in baptismate Christi tres omnes Trinitatis personæ comparuerunt: videlicet, Pater in voce, Filius in carne, & Spiritus sanctus in effigie columbæ. Vnde Zacharias Papa can. in synodo de consec. d. quarta, Perfectus, inquit, Christianus nemo est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus. Nam si quis vnam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset. Tametsi Apostoli, vt in Actis Apost. crebrò legitur, flamine sancto aspirati, vt nomen Christi celebrarent, in tempus vsi sunt forma baptizandi in nomine Christi, quem vsum iampridem Ecclesia dimisit. Cap. 4.

Forma verò actionis solennissima est immersio, qua Christi sepultura commemoratur, iuxta verbum Apost. ad Rom. 6. Quicunq, baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Vnde Chrysost. super Ioann. cap. 3. Sicut in quodam sepulchro in aqua submergentibus nobis capita vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, deinde nouus rursus ascendit. Quinuerò olim in honorem S. Trinitatis, vsus trinæ mersionis fuit celeberrimus, vt inter canones Apostolorum can. Si quis presbyter extat. Hæc autem forma non est de necessitate; quinuerò trinæ mersionis vsus quàm rarissimus est. Cæterum quamuis vnica mersio, vbi commodè fieri potest obseruanda sit, tamen iustis de causis nonnunquam licitè prætermittitur. Cap. 5.

Atqui cum autore ad Eph. 4. Apostolo, sicut vnica fides, ita & vnicum sit baptisma, haudquaquam illud iterari licet: nam quod vnum est, geminari non debet: vnde qui contrarium sentiunt hæretici sunt, & sacris canonibus aduersi. de consec. d. 4. c. Rebaptizare. quinimò & Apostolorum symbolo, vbi vnicum confitemur baptisma in remissionem peccatorum. Cap. 6. Ephes. 4. De consec. d. 4. can. Rebaptizare.

Veruntamen licèt vnicum sit baptismi sacramentum, tria tamen hoc nomine denotantur, propterea, quòd & baptismus tam sanguinis quàm flaminis sacramenti baptismi vicem supplent. Nam & martyrium Apocal. septimo illis designatur lotionis verbis. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Et baptismum flaminis insinuauit. Esa. cap. quarto dicens: Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Cap. 7.

Digitized by Google

Hierusalem lauerit in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Horum autem baptismatum excellentissimum est sanguinis, iuxta verbum Domini Io. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

DISTINCTIONIS TERTIÆ,

Quæstio vnica.

DE BAPTISMI SVBSTANTIA, ET PARTIBVS.

S. Thom. 3. par. quæst. 66.

ARTICVLVS I.

MATERIA baptismi, qui primum sacramentorum est, atque adeò eorum initium & caput, quatuor distinctionibus, vt in textu propositum est, absoluetur. Prima est de essentialib. partib. baptismi: quæ vnica q. per duodecim articulos distributa elucidabitur. Proponitur ergò primus articulus de definitione baptismi. Nam licèt interrogatio non fiat, nisi de eius genere, sitne ablutio, an ipsa aqua, totam tamen definitionem perscrutatur. At quoniam in baptismo tria est considerare: videlicet, id quod est sacramentum tantum; & id, quod est res, & sacramentum; ac denique id, quod est res tantum, tribus conclusionibus respondetur. Id enim, quod est sacramentum tantùm, est signum sensibile exterius interioris effectus: in hoc n. consistit propria ratio sacramenti. De hoc igitur asseritur prima conclusio. Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum. Quæ quidem definitio à Magist. Sent. d. 3. constituitur. Fuit enim inter Hugonem, & ipsum nonnulla, saltem verbalis, differentia. Definiuit, inquam, prius Hugo sacramentum in genere, lib. 1. de sacr. p. 9. c. 2. vt d. 1. q. 1. visum est, quod esset corporale, vel materiale elementum, &c. Et postmodum lib. 2. p. 6. c. 2. subsequenter dixit, quod baptismus est aqua diluendis criminib. sanctificata. Vnde quidam collegerunt, sacramentum non esse actionem, sed materiam ipsam, s. aquam. Exactiùs autem Magistet dixit esse ablutionem, seu actionem, seu passionem. Quod patet primò ex illo Eccles. 34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? vbi baptismus dicitur lauatio. Secundò id confirmatur ratione. Cùm sacramenta nouæ legis sanctificationem operentur, vbi perficitur ratio sacramenti, vbi perficitur sanctificatio: in aqua autem non perficitur sanctificatio, tametsi in aqua virtus instrumentalis insit, non permanens, sed fluens in hominem, qui sanctificationem recipit, vt d. 1. q. 3. explicatum est: sed sanctificatio perficitur in vsu, & applicatione ipsius aquæ, quæ est lotio: per quam virtus aquæ effluit in hominem: ergo sacramentum baptismi est lotio.

Definitio baptismi. 1. Concl.

Hugo.

2. Concl.

Secunda conclusio. Res & sacramentum est character: est enim res per externam ablutionem significata, est tamen signum, vt d. 1. q. 4. expositum est, internæ gratiæ.

3. Concl.

Tertia conclusio. Gratia ipsa iustificans, seu iustificatio, quæ per ipsam fit, est res tantum, significatur enim, & non significat.

Expositio articuli.

At quoniam variæ definitiones tam ab antiquis patrib. quam à neotericis scholasticis baptismo adscribuntur, notandum est, rem quamlibet ex omnibus eius partibus, causis, & effectibus posse, aut definiri, aut quodammodo circunscribi. Vnde Damas. lib. 4. c. 26. propter argumentum primum, quod hic affert D. Tho. videlicet, quod baptismus debet manere in baptizato: ablutio autem non manet, definiuit ipsum ab effectu, dicens quòd est regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio: quæ vtique omnia permanent in baptizato. Atque hac ratione Altisiodorensis libr. quarto tract. tertio capitu. 2. dixit baptismum non esse solam ablutionem, sed aggregatum ex ipsa & charactere manente in anima. At verò cùm character sit effectus baptismi, nequit eius esse pars. Respondetur ergo ad hæc, quòd baptismus quantum ad id, quod est propriè sacramentum tantum, non est res permanens, sed actio transiens. Dicitur enim quisque baptizatus, quia ablutus in forma Ecclesiæ: permanent autem illi effectus, quos exprimit Damas. Quare illæ prædicationes, baptismus est regeneratio, & sigillum, &c. non sunt identicæ, sed causales, id est, baptismus est sacramentum, per quod fit regeneratio & sigillatio, &c. Ac si dicas. Ignis est calefactio. Permanent, inquam, duo eius effectus: scilicèt, character indelebiliter, iustificatio verò amissibiliter. Character namque est sigillum, vt dist. 1. q. 4. expositum est, quo secernuntur Christiani ab extraneis. Ac subinde est animæ custodia. Nam suapte naturâ ipsam custodit, nisi per suam libertatem homo illam amittat. Gratia autem iustificans, seu ipsa iustificatio ob id dicitur regeneratio, quòd est inchoatio spiritualis vitæ.

1. Arg. S. Thom.

Damasc.

Altisiodorensis.

Definitiones legitimæ.

At verò quoniam, vt distin. præcedenti circa circunciſionem dicebamus, baptismus & sacramentum est, & actio quædam vel passio, vtroque modo aptissimè definitur adijciendo loco differentiæ id, quod proprius eius effectus est. Vnde definitiones duas, quas in textu posuimus, exactè puto esse constructas: scilicet, Baptismus est sacramentum regenerationis ex aquâ & Spiritu sancto: & est ablutio aquæ in verbo vitæ ab originali culpa. Quarum prior ex Christi verbis: posterior verò ex Paulo colligitur. Vbi autem ait D. Tho. Baptismus est ablutio corporis exterior sub certa verborum forma: Verbo illo, exterior, significatur id, quod est tantùm sacramentum: nam res sacramenti est ablutio animæ interior, iuxta illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Nascimur enim ex Adam, vti ad Ephes. 2. ait Paul. natura filij iræ, & per baptismum renascimur in Christo filij misericordiæ: secundùm illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinib. neque ex voluntate carnis (scilicet, vt ex Adam) sed ex Deo nati sunt.

Prima consideratio.

Perpende quo nos honore dignetur Deo plenus Euangelista. Non enim satis duxit vocare nos filios adoptionis, vt crebrò Paulus, sed (quod Christus est per naturam) ex Deo nos per gratiâ appellauit natos. Dicitur etiam baptismus illuminatio, eò quòd illuminatio fit per intellectualem fidem, cuius baptismus sacramentum est, & protestatio. Vnde ad Hebr. decimo Apostolus, Rememoramini, inquit, pristinos dies (scilicet dum baptizati estis) in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. Alijs etiam nominibus nuncupat hoc sacramentum Chrysostomus in illa oratione ad baptizatos quæ incipit. Quàm dulcis (vt est ipsa dulcissima.) Dicitur enim expurgatio: nam per baptismum, vti ait Paul. expurgamus vetus fermentum, vt simus noua conspersio. Appellatur & sepultura & plantatio, & crux Christi: nam omnia hæc insinuauit idem Apostolus Roma. sexto, dicens, quòd complantati, & consepulti sumus Christo per baptismum, & quòd illic vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.

Chrysost.

Arguitur.

Arguitur autem contra rationem, quà baptismus dicitur esse illuminatio: nempe quia baptismus est protestatio fidei. Vniuersa sacramenta, vt d. 1. q. 1. constituimus, sunt quædam protestationes fidei. Diximus n. esse religionis cæremonias, quibus fidem colimus, confitentes sub huiusmodi signis beneficia nos gratiæ suscipere: ergo omnia essent illuminationes. Respondetur, cætera sacramenta, generaliter dici protestationes fidei. Quia membratim per singula profitemur peculiaria gratiæ munera suscipere. Vt per Eucharistiam, spiritualem pastum: & per pœnitentiam, sanitatem ab actualium peccatorum morbis. Cæterùm baptismus peculiari sua natura, & per antonomasiam est, dicturque sacramentum fidei, vt epistola 23. ad Bonifacium ait Augustinus. Et refertur de consecratione di. 4. can. Nihil est: quia per ipsum confitemur profitemurque totam fidem illam suscipientes, familiæque nos Christianæ mancipantes, obligantesque nos adeò ipsos ad obseruantiam totius Christianæ legis. Et ideo est regeneratio & introitus ad fidem. Quocirca vbi ait S. Tho. quòd est protestatio fidei, intelligit no-

uam

uam totius fidei professionem & susceptionem, ac subinde illuminationem. Eramus enim, inquit, Paulus, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Per alia verò sacramenta eandem fidem per partes colimus, quam in baptismo totam suscepimus.

Dionys. Potest item baptismus per causam finalem circunscribi, quemadmodum Dionysius c. 2. Eccles. Hierar. ipsum definiuit, dicens esse quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad eorum susceptiuam opportunitatem formans nostros animales habitus. Est siquidem finis baptismi proximus adaptare nos ad reliqua suscipienda sacramenta; vtpotè quæ non nisi baptizato exhiberi valent. Finis verò vltimus eius est vita æterna: & ideò subdit, ad supercælestis quietis anagogem (hoc est, ad excelsam contemplationem) nostrum iter faciens. Quòd autem subiungit. Sacræ & diuinissimæ nostræ regenerationis traditio; effectus est proximus, vt dictum est; baptismalis gratiæ.

Duplex materia baptismi. iung. Potest præterea definiri per causam materialem. Sed duplex est eius materia: scilicet, remota, vt aqua, qua fit ablutio, & proxima, quæ est ipsa ablutio, quippe cui proximè adiungitur verborum forma: ego te baptizo. Hugo igitur definiuit per materiam remotam, dicens; baptismus est aqua diluendis criminibus per verbum Dei sanctificata. Quapropter, vt in solutione secundi, ait D. Thom. aut auscultandus non est, aut est certè glossandus in sensu causali, hoc est, Baptismus est ablutio quæ fit per aquam. Nam quòd non sit aqua, sed ablutio, nomen ipsum in primis palam clamat. Est enim baptismus Græcè verbale nomen, idem significans quod ablutio, seu tinctio. Et deinde ratio quam modò tetigimus. Substantia enim baptismi est illa, quæ explicatur per formam: forma autem est: ego te baptizo: hoc est, ego te abluo: ablutio ergo est baptismus, qui est res successiua: aqua verò est res permanens.

Baptismus est ablutio.

Ad hæc; sacramentum, vt distinctio. 1. quæstione prima explicuimus, significat non simpliciter gratiam, sed eius actionem: scilicet, iustificationem hominis, quæ est ablutio animæ: illa autem non per aquam, sed per externam ablutionem significatur: quæ fit per aquam, sicuti iustificatio per gratiam. Ablutio ergo est sacramentum baptismi. Et confirmatur præterea authoritate Apostoli ad Ephesios 5. Mundans eam lauacro aquæ. Vnde Augustinus tract. 15. super Ioannem planè infert nihil aliud esse baptismum, quàm lauacrum: & tractat. 80. colligit, quòd baptismus est tinctio in aquâ verbo vitæ sanctificata. Quare illud quod subdit: accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum; non sic intelligitur, vt ipsum elementum aquæ fiat sacramentum, sed vt Magister dist. 3. ait, ipsa ablutio facta in elemento fit sacramentum. Seu potiùs vt hic in solutione ad 3. explicatiùs ait S. Thom. In ipso homine per vsum aquæ fit sacramentum.

Augustt.

Ablutio passio. Ex quo fit, vt scitè ait Richardus in 4. distinctio 3. & Scot. d. 6. q. 2. quòd & si actio & passio secundùm philosophum 3. physicorum idem sint motus, diuersas connotantes relationes; vt motus ad calorem est actio, quatenus procedit ab igne, & passio quatenus in ligno recipitur; tamen baptismus potiùs est ablutio, quatenus passio recepta in homine, qui abluitur: quandoquidem in ipso recipitur sacramentum. Sunt enim sacramenta, cæremoniæ illæ quibus iustificamur, atque adeò actiones quatenus in nobis recipiuntur. Vnde si quis simul eadem aquæ aspersione plures baptizaret, tot multiplicarentur baptismata, quot essent homines illa recipientes.

1. Arg. Cæterùm quamuis hæc vera sint, maiori etiamnum opus habent elucidatione. Arguitur ergo primò contra rationem D. Th. nempe, quod quia sacramentum nouæ legis operatur iustificationem, actio ipsa exterior est sacramentum. Circuncisio non conferebat gratiam, & nihilominus non culter, sed ipsa præputij incisio erat sacramentum: ergo illa non est adæquata ratio. Respondetur, quod licèt hoc D. Th. ad maiorem explicationem afferat, satis tamen est ad rationem sacramenti, quòd sit signum iustificationis: & ideo, quia non per cultellum, sed per illam expoliationē pelliculæ significabatur purgatio originis culpæ, actio illa erat sacramentum, sicuti modo ablutio.

Secundum. Secundò arguitur, sacramentum altaris post consecrationem & ante sumptionem dum latet in pixide est sacramentum: tamen non est actio. Respondetur, non intelligi conclusionem sic vniuersaliter, quòd omne sacramentum consistat in actione. Est enim sacramentum id quod continet sacrum: interest autem, vt infrà d. 8. q. 1. videbimus, inter Eucharistiam & reliqua sacramenta, quòd reliqua non habent in se virtutem vllam sanctificandi, nec significandi, nisi in ipsorum vsu: & ideò actiones ipsæ seu passiones recipientium sunt sacramenta: scilicet, ablutio, vnctio, &c. Species verò consecratæ significant virtutem, quam continent: nempe, corpus & sanguinem, quæ sunt sanctificandi virtus: ideoque verè sunt sacramenta. Consecratio verò & sumptio dicuntur non tam sacramenta, quàm consecratio & sumptio sacramenti, vt illic patebit.

Tertium. Tertiò arguitur. Baptismus, vt d. 1. q. 1. tetigimus, & infrà est iterum repetendum, constat ex materia & forma, quæ sunt ablutio & verborum prolatio: supponit ergo pro toto composito: sicuti homo pro coniuncto ex materia & forma, atque adeo non est ablutio, sed totum aggregatum. *Scotus.* Scotus in 4. di. 3. q. 1. licèt vtramque partem probabilem existimet; gratiùs tamen huc propendet, quod baptismus supponit pro toto aggregato, eò quòd relatio significandi sacramentalis in toto fundatur. Et Marsi. in 4. d. 3. art. 1. affirmatiùs id asseuerat. Sed reuera & theologia & philosophia vna voce reclamant. Vnde Diuus Thom. ac subinde Richardus de media Villa eadem dist. & quæst. secundùm veram philosophiam Arist. 2. physic. respondent, quòd baptismus non est velut compositum in genere substantiæ; sed sicuti res artificiata, cuius tota substantia est ipsa materia. Statua enim non supponit pro aggregato ex ære & forma, veluti homo pro corpore & anima, sed pro ære, habente talem formam: sicuti album non est compositum ex papyro & albedine, sed corpus habens albedinem. Sic ergo baptismus, cùm idem sit quòd ablutio, vt nomen sonat, de qua rogo alia re, quàm de ablutione affirmetur? Ecquis enim dicat, dum mulier ait, ego lauo lintea, ablutionem esse aggregatum ex ablutione & verbo? Arbitratur autem Scotus subiectum relationis sacramenti, scilicet significandi, esse totum aggregatum: & ideo totum esse materiam pro qua supponit sacramentum: quod profectò est falsum: nam forma non est pars materiæ, sed ablutio facta sub illa forma, est tota materia suscipiens formam. Sed quid pluribus opus est? Cùm ipse in definitione dicat: baptismus est ablutio hominis, &c. vbi eadem res per subiectum & prædicatum significatur, quo pacto dubitare potest, quominus baptismus pro sola ablutione supponat? Hoc autem verissimum est, quod supponit pro ablutione connotando fieri sub tali forma. Nam vt ait Augustinus, si detrahas verbum ab elemento, nihil manet nisi mera aqua & ablutio sæcularis & profana. Igitur indubitanter deberet Scotus affirmare relationem significandi non in aggregato ex ablutione & verbis fundari, sed in ablutione, quatenus sub illis fit verbis. Nam vt hoc physicis demus, duplex est fundamentum relationis, alterum remotum, quod ab illa denominatur, alterum verò proximum, quo mediante illa relatio inest, sicut homo est, qui denominatur pater mediante actu generandi. Pariter ergo ablutio est, quæ denominatur baptismus significans effectum gratiæ mediante verborum forma, quæ idcirco à philosophis nuncupatur, fundamentum quo.

Quartum. Per hoc soluitur aliud argumentum, quod sit quartum. Dictum est d. 1. sacramentum poni in genere signi: species autem & genus in eodem esse debent prædicamento: baptismus ergo non est actio vel passio, sed signum. Respondetur, inquam, cum D. Tho. in 4. d. 3. q. 1. quòd quamuis ratio cunctis sacramentis communis sit, esse signum latentis gratiæ, qua ratione habent, vt sint sacramenta, nihilominus rationem illam sortiuntur à forma, in qua vt diximus dist. 1. consistit perfecta ratio significandi. Attamen res artificiatæ non ponuntur in genere ratione formæ, sicut species substantiæ, sed ratione materiæ, quæ est tota eorum substantia. Statua enim & domus non collocatur in genere qualitatis, nisi secundùm quid, ratione formæ. Simpliciter autem sunt in genere substantiæ, vbi sunt ligna & lapides. Pariter ergo baptismus in quantum sacramentum quidem est in genere signi, sed simpliciter in genere actionis vel passionis. Posset vtique definiri ratione formæ sic: baptismus est sacra-

mentum

mentum ablutionis, &c. Sed tamen aptius per materiale genus, quod est proximum definitur.

Quintum. Quintum argumentum est Nominalium. Ablutio nihil aliud est, quàm aqua ipsa qua res abluitur: ergo eodem recidit dicere: baptismus est ablutio, & dicere, est aqua.

Glossator decreti. Bernardus super ca. Detrahe. prima quæstione 1. citat Gandulphum quendam dicentem, baptismum esse aquam: ex quo infert asinum posse bibere sacramentum. Quam vtique quæst. Scotus in 4. distin. 6. q. 3. meritò appellat asininam. Alij verò recentiores aiunt, quòd asinus sacramentum bibere potest, non tamen potest bibere sacramentum. Sunt autem in theologo futilia hæc verba. Et quando concedendum esset ablutionem esse aquam, lubentius dicerem, non esse nisi hominem, qui abluitur. Iam enim dictum est, ablutionem in præsentiarum vsurpari passiuè. Legitima autem solutio est, nec ablutionem actiuam esse aquam, neque verò passiuam, hominem; sed ablutio est actio & passio. Nam si prædicamenta realiter distinguantur, res est plana. Et quamuis non distinguerẽtur tanquam res & res, licèt in sensu identico motus & actio & passio, essent eadem res, quæ est substantia, nihilominus in sensu formali falsissimum est, substantiam esse actionem vel passionem. Quandoquidem ad veritatem huiusmodi sensus non sat est, quòd sint eadem res: siquidem ob solam diuersitatem definitionum substantialium Arist. appellauit propositiones immediatę veritatis negationes illas in quibus vnum generalissimum negatur de alio: vt substantia non est qualitas, neque relatio, neque actio. Quocirca si quis insiterit quærens quænam res est ablutio? respondetur nihil aliud, quàm quòd est actio vel passio. Ob id enim Arist. constituit decem prædicamenta, vt cùm responsio peruenerit ad vnum generalissimum, illic interrogatio sistatur. Quapropter ineptiùs alij distinguunt, baptismum accipi dupliciter: vno modo pro aggregato ex ablutione & verbis: alio modo pro sola ablutione: isti namque, vt clarè loquantur, inepta proferunt.

Legitima solutio.

6. Argu. Nihilominus esto baptismus sit ablutio, arguitur sextò, quòd definitio non sit satis plena. Si enim quis seipsum baptizaret, aut certè alium, sed tamen vel inuitum, vel iam baptizatum, vel sine legitima intentione, esset ablutio sub certa verborum forma, & tamen non esset baptismus: ergo definitio curta. Propter huiusmodi argutias Scotus in 4. dist. 3. quæst. 1. longiorem hanc comminiscitur definitionem. Baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis facta ab alio in aqua, verba simul certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione diuina ablutionem animæ à peccato. Et Gabriel addit, quòd sit ablutio hominis viatoris, facta in aqua elementari fluida ab alio, cum legitima intentione, &c. Huiusmodi autem comatas definitiones, iam diximus dist. 1. q. 1. esse à peripatetica definiendi arte alienas: quippe quæ suffarcinationes potiùs existunt vniuersorum, de quibus sigillatim disputandum est, quàm definitiones, quæ communes esse debent animi conceptiones, atque adeò nil dubietatis continentes. Enimuero vtrùm quis possit seipsum baptizare, aut si requiritur consensus positiuus baptizati, & similia, in disputationem postmodum sunt proferenda. Præterquam quòd Gabriel plurima in definitione inculcat non necessaria. Ecquis enim dubitet non posse nisi viatorem baptizari, cùm in patria non sint sacramenta? Item quid opus est dicere, in aqua elementari & fluida? Quandoquidem quæ non est elementaris, non est aqua, neque verò nix & grando. Vno ergo verbo possumus ad omnia respondere, dicentes, vt paulò ante tetigimus, in definitione intelligi genus, quod est sacramentum: hoc est, baptismus est sacramentum lotionis, &c. Quando autem aliquid eorum, quæ in præfatis argumentis tanguntur contingit, non est sacramentum, atque adeò nec baptismus. Secundò respondetur omnium solutiones comprehendi, cum dicimus. Baptismus est ablutio sub certa forma verborum; quæ quidem postmodum peculiaribus articulis est explicanda: vtpote ego te baptizo. Quam quidem formam falsò profert qui seipsum baptizat, & qui baptizat in aqua, quæ non sit vera aqua, nam illa non est ablutio: & qui sine legitima intentione baptizat, quoniam verba debent esse conceptuum signa, vt ait 1. Periher. Arist. & qui inuitum vel iam baptizatum baptizat, siquidem accusatiuus, te, non solum alium significat à baptizante, verum illum præcisè qui legitima est materia baptismi.

Definitio Scot. & Gabriel.

Vera responsio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm baptismus fuerit institutus post Christi passionem.

POST definitionem baptismi, quæ eius substantiam explicat, protinus subsequitur disputatio de eius institutione. Supponimus enim ex d. 1. quæst. 5. omnia sacramenta nouæ legis à Christo esse instituta, & idcirco quæritur, vtrùm baptisma ante eius passionem, an verò postquam resurrexit instituerit. Ad quod D. Th. sub distinctione respondet duabus conclusionibus. Aliud quippe est loqui de institutione baptismi, vt saluificam haberet virtutem: aliud verò de vsus eius necessitate.

1. Concl. Est ergo prior conclusio. Baptismi sacramentum fuit institutum à Christo Seruatore nostro ante eius passionem. Tunc scilicet quando in Iordane baptismate Ioannis intinctus fuit. Probatur ratione. Sacramenta nouæ legis ex sua institutione, vt dist. 1. qu. 3. ostensum est, gratiam conferunt iustificatricem; baptismus autem illam tunc virtutem suscepit, quando Christus baptizatus fuit, iuxta illud Bedæ in homilia Epiphaniæ. Tactu mundissimæ suæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis: ergo tunc institutus est. Accedit & testimonium Augustini in quodam sermone eiusdem celebritatis. Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.

2. Concl. Secunda conclusio. Necessitas vtendi sacramento baptismi indicta fuit hominibus post passionem & resurrectionem. Probatur primò, quia cessatio vnius legis fit obligatio alterius: figuræ autem antiquæ legis, atque adeò eius vinculum in Christi passione & resurrectione sopita fuêre: ergo tunc cœpit obligatio nouæ, cuius baptismus professio est. Secundò per baptismum configuramur, vt ait Paulus, passioni & resurrectioni Christi, quatenus tunc peccato morimur, & ad nouam iustitiæ vitam resurgimus: ergo oportuit priùs Christum pati, & resurgere à mortuis quam indiceretur hominibus necessitas configurandi se illi: siquidem exemplaris causa prior esse debet effectu.

Expositio articuli. Vtraque verò conclusio grauem offert disputationem. Quocirca, vt à prima exordientes, id quod est notissimum supponamus, negari nequit, baptismum fuisse ante passionem Christi institutum. Sed forsan quispiam in introitu statim hæsitet, quidnam opus erat circuncisionem aboleri, vt eius vice subrogaretur baptismus: quandoquidem sub circuncisione originalis culpa deleretur? Ad hoc respondetur, ex illo fundamento supra iacto Hugonis lib. 1. de sacram. par. 11. cap. 6. & lib. 2. par. 6. cap. 3. Quanto Christi humanatio propinquiùs aduentabat, tanto debebant esse sacramenta suæ fidei clariora. Vnde sicut circuncisionem oportuit in lege scripta institui, vt figura vêturi: sic, imò multo congruentiùs, decuit incarnato iam Deo in lege gratiæ sacramenta gratiæ ab ipso gratiæ autore institui. Primum ergo omnium baptismus in hoc circuncisioni præstat, quod vt d. præcedenti dictum est, illa erat huius figura: hic autem illius veritas. Secundò, quia illa erat peculiari populo & sexui indicta: hic autem omnibus gentibus & sexibus vniuersalis. Christus siquidem, vniuersorum redemptor vnam totius orbi Ecclesiam compegit. Tertio quantùm ad efficaciam illa erat tantum signum gratiæ, quæ nec omnem pœnam condonabat, vt proxima distinct. visum est, nec characterem habebat annexum: hic autem non solum signum, sed instrumentum passionis Christi est, gratiam conferens in remissionem omnium culparum & pœnarum, ianuamque subinde cæli aperiens, atque adeo perfectissimam amicitiam Dei concilians. Sunt enim amici, vt philosophorum axioma admonet, quibus omnia sunt cõmunia, in quibus amicitia fundatur; bona autem in quibus fundatur amicitia Dei, sunt dona cælestia, quibus per baptismum, nisi obstaculum nos ipsi opponamus, illico vita defuncti petimur. Quapropter circuncisionis forma non tam expresè exprimebat gratiam, nisi per modum expoliationis à peccato: baptismus autem per modum perfectæ ablutionis. Ac proinde illa non dicebatur simpliciter regeneratio, sicut dicitur baptismus, vt patet Ioan. 3. Nisi quis renatus, &c. Ac demum postrema differentia est,

Dubitatio.

Hugo.

Baptismi excellentia.

quod

Digitized by Google

quòd illa cum dolore applicabatur: hic autem fit in aqua, cuius tactus suauissimus est.

Ad tempus autem vt reuertamur, si Alexandrum Alensem 4. parte quæstio. 12. memb. 3. & Richardum in 4. distin. 3. artic. 5. inspixeris, pluries aiunt institutum fuisse baptismum, secundùm eius diuersas qualitates. Haud tamen opus est tam multis incisionibus rem confundere, sed satis est dicere fuisse institutum quantum ad vim generatiuam ante passionem, & quantum ad obligatiuam post passionem, vt hic ait D. Tho. & Hugo lib. 2. de sacram. part. 6. cap. 4. Gessit se namq; in hac re Christus instar medici: qui prius apud pharmacopolam salutiferum conficit pharmacum, virtutem habens quoscunq; sanandi, qui illo vtantur. Postmodum verò præcepto iubet ægrotis illo vti, tanquam eis ad salutem necessario.

Hugo.

Aptum exemplum.

Enimuerò quod passionem præcesserit tam institutio, quàm vsus baptismi Christi, in dubium reuocari non potest. Ait quippe Redemptor ipse Ioan. 3. ad Nicodemum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et dicit ex aqua & Spiritu sancto, ad designandum suum baptisma. Nam Ioannes vt ipse cap. 1. fatetur, solùm baptizabat in aqua non iustificante, sed in pœnitentiam. At de Christo, super quem descendit Spiritus sanctus, hic est, inquit, qui baptizat in Spiritu sancto. Et quamuis necessitas illa, nisi quis renatus fuerit, non nisi ad tempus post passionem referatur, quando cœpit obligatio; tamen saltem ostenditur quantùm ad virtutem iustificantem iam fuisse institutum: Quia verisimile est, hoc illum discipulum admonuisse, vt eodem se baptismo regeneraret, quod & ipse fecisse creditur. Atqui illo verbo non potest introire in regnum Dei, significatur introitus cæli, quem circuncisio non præstabat. Accedit & testimonium ex vsu. Nam illico eodem capitulo subiungitur; quod ipse baptizaret & omnes venirent ad eum. Quamuis capitulo 4. dicat Euangelista, quod non Christus, sed discipuli eius baptizabant. Nec dubium est quin baptismo Christi, vt diserte Augustinus docet in epistola ad Seleucianum, quæ est 108. Nam præter eius authoritatem accedit ratio. Quoniam cum ipse non baptizaret, sed discipuli eius: si illud esset baptisma Ioannis, potiùs Ioannes quam Christus diceretur baptizare. Neque verò discipuli Ioannis vsque adeò conquererentur, quòd Christus plures baptizaret, nisi diuersum esset baptisma. Ad hæc cùm illos ad prædicandum dimisit, vt Matt. 10. & Luc. 10. legitur, fortasse & baptizandi munus illis etiam demandauit.

Ius baptismi Christi ante eius passionem.

At verò etsi certum sit, ante passionem institutum hoc sacramentum fuisse, non tamen ita perspicuè constat, quando. Quinimò Scotus in 4. distinct. 3. q. 4. sub dubio articulum illum temporis reliquit. Nam quando Christus baptizatus est, non vsus est (inquit) baptismo suo, neque eius forma, sed Ioannis: quare tunc solùm videtur designasse aquam in materiam baptismi. Et quando dixit Nicodemo: Nisi quis renatus, &c. non est verisimile, quod tam celebre sacramentum tunc in conclaui coram priuata persona instituerit. Respondetur autẽ, postquam constat institutum fuisse ante passionem, non ita multum referre quando. Secundò adijcimus cum D. Tho. & Magistro Sententiarum dist. tertia, qui eandem tenet opinionem: quod illud instituerit, cùm baptizatus fuit in Iordane, eò, quod tunc vim contulit aquis. Quam opinionem videtur amplexus Hugo loco citato.

Scotus.

Tempus institutionis.

Quòd si arguas, virtutem baptismi non esse permanentem, sed transeuntem, atque in vsu, & applicatione aquæ consistentem: quare tunc nulla fuit aquis impressa qualitas. Respondetur, esto ita sit, nihilo seciùs tactus ille, quo aquam designauit in materiam baptismi, dicitur quodammodò virtus; atque adeò facto ipso consecrauit ipsum vsum aquæ in illum effectum, facto, inquam, non Ioannis baptizantis, sed suo proprio tangentis aquam. Tametsi D. Tho. non dicat facto solo sacramentum instituisse. Imò credendum est, illic explicuisse formam sui baptismi, quia (vt ait Ioannes) multa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in Euangelio. Quare tunc apparuit Trinitas: nempe, vox Patris, persona Filij, & columba Spiritus sancti, cuius quidem Trinitatis nomine consecratur baptisma, apertiq; sunt cæli ad quod nos transmittit. Et quoniam datum fuerat Ioanni signum, vt super quem videret columbam descendentem, ipse foret, qui baptizaturus erat Spiritu sancto, consequens sit, vt illico Christus formam sui baptismi præscriberet.

Quinque autem extant argumenta, quibus argui potest, baptismum ante passionem institutum, atque adeo illum, quo discipuli tunc temporis baptizabant, non fuisse Christi. Tria sunt D. Thom. Primum hoc Sacramenta nouæ legis efficiunt gratiam virtute passionis Christi, ex cuius latere, vt ait glossa ad Ephes. 5. effluxerunt. Et præsertim baptismus, dicente ad Rom. 6. Apostolo. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: causa autem debet effectum præcedere. Cùm ergo tunc temporis passio non fuisset exhibita, baptismus non conferebat gratiam, ac subinde nec erat baptismus Christi. Et confirmatur autoritate Chrysostomi homilia 28. super illud Ioannis 7. Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Vbi ait, quòd ante Christi resurrectionem non fuit datus Spiritus sanctus in sacramentis. Quam vtique opinionem sequitur Theophilactus super cap. 3. Ioannis.

1. Argu.

Secundo arguit D. Thomas, Sacramenta nouæ legis efficaciam habent ex mandato Christi: mandatum autem Christi non est nisi post passionem positum. Matth. vlt. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. ergo baptismus non fuit ante passionem institutus.

2. Arg.

Tertiò. Baptismus est sacramentum necessitatis, ergo vbi primum fuit institutus cœpit obligare; sed ante passionem non obligabat, eò quod circuncisio suam retinebat virtutem: ergo neque ante passionem fuit institutus.

3. Argu.

Quartò deinde arguitur. Forma baptismi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti nusquam in euangelio legitur, nisi post resurrectionem loco modo citato. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Quare nunquam videntur Apostoli antea illa fuisse vsi.

4. Argu.

Quintò. Ministri proprij baptismi sunt sacerdotes: Apostoli autem non fuerunt sacerdotio initiati, nisi in cœna Domini: antea ergo non baptizabant baptismo Christi.

5. Argu.

Propter hæc argumenta non deerunt fortsan qui dicant baptismum Christi non fuisse institutum, nisi post eius passionem, Matthæi 28. Quo videtur alludere Leo Papa in epist. 62. ad episcopos Siciliæ, quæ refertur de consecr. d. 4. cano. Propriè. Cuius verba sunt. Qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ (scilicet baptizandi catechumenos) diem legitimum eum esse (videlicet Paschatis) in quo orta est & virtus, & species actionis quando Dominus postquam resurrexit discipulis eius formam & potestatem tradidit baptizãdi, dicens: Euntes docete omnes gentes baptizantes, &c. De quo vtique eos & ante passionem potuisset instituere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Et can. Si quis statim proximo, ait quòd Christus regenerationis potentiam sanxit quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismi.

Leo Papa.

His veruntamen non obstantibus neutiquam aliud defendi posset, quàm quòd Apostoli ante passionem baptizarent baptismo Christi. Non solum propter autoritatem Augustini & Bedæ; verùm propter rationes factas, & communem omnium opinionem quæ ex euangelio colligitur. Et est præterea glossa super illud Lucæ 3. Baptizato Iesu. Baptizatur Dominus non mundari indigens, sed tactu mundæ carnis aquas mundans, vt vim abluendi habeant. Vnde ad primum argumentum respondet hic D. Thom. quòd baptismus etiam ante passionem Christi efficaciam habebat ab ipsa passione: scilicet in genere causæ finalis, quia nondum erat in re. Aliter tamen quam sacramenta veteris legis: nam illa erant figuræ tantùm: baptismus autem virtutem habebat à Christo institutore. Etenim si passio ab ipso habuit virtutem, quæ effluxit in sacramenta, ipse potuit eandem virtutem dare baptismo ante passionem. Eò vel maximè, quod tunc viuente Christo passio quodammodo erat inchoata: tota enim eius vita fuit nobis meritoria. Quare cùm per baptismum illa merita applicarentur, erat quodammodo instrumentum passionis. Tametsi ianuam cæli tunc nequaquam aperiebat: hoc enim non habuit quousque Christus resurrexit à mortuis. Et ad autoritatem Chrysostomi respondet D. Thom. super Ioannem dicens, illud testimonium Ioannis. Spiritus

Responsio.

Responsio 1. argu.

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

nondum erat datus, sic intelligi, quòd ante passionem non dabatur in signo visibili, sicut postmodum (vt infra patebit.)

Ad secundũ. Ad secundum respondet D. Tho. quòd cum hòmines non deberent cæremonijs duarum legum coarctari, & circuncisio duraret vsque ad passionem, noluit præceptum baptismi ponere vsque post passionem, vt esset tam Iudæis, quam gentibus generale: nihilominus tamen ante præceptum voluit ipsum instituere in exercitium, præcipuè in populo Iudæorum vt illi sacramento assuescerent, ob idque ex tunc adeò habuit efficaciam conferendi gratiam. Sententia est Hugonis loco citato lib. 2. par. 6. cap. 4.

Ad tertiũ. Ac perinde respondet ad tertium, quòd cùm sacramenta non sint obligatoria nisi à tempore positi præcepti, nihil vetat baptismum fuisse institutum ante passionem, & non obligare nisi post eam.

Ad quartũ. Ad quartum de forma, qua tunc temporis vtebantur Apostoli, nulla est in Euangelio scripta memoria. Neque verò tenuem egomet mihi coniecturam fecerim, quòd fortè tunc baptizassent in nomine Christi, de qua forma dicturi sumus artic. 6. Et coniectura mea est, quòd cùm Ioannes, vt Actorum 19. legitur baptizaret dicens, vt in eum, qui venturus esset post ipsum, crederent, forsan docuit illos Christus baptizare in nomine suo ipsius, vt se illum ipsum ostenderet, de quo loquebatur Ioannes. Atque hac fortasse ratione acriori inuidia remordebantur discipuli Ioannis: ideoque missi sunt ab illo sciscitatum à Christo an esset ille, qui venturus erat Ac proinde forsan (vt ait Leo) primùm data est forma baptizandi in nomine Patris, &c. Matth 28. postquam Christus resurrexit. Magister verò Sentent. in 4. d. 3. ait, quòd illam formam illis tradiderat ante passionem, quod fortè est probabilius, vtpote quò videtur D. Tho. alludere hic inferiùs in calce artic. 6. nec desunt rationes. Prima quòd Ioanni reuelatum fuerat eum baptizaturum in Spiritu sancto. Secunda, quòd illic tota, vt diximus, comparuit trinitas. Tertia, quòd si Christus, vt illico dicemus, quempiam Apostolorum baptizauit, non est credendum dixisse, Baptizo te in nomine meo, sed in nomine patris, &c.

Ad autoritatem autem Leonis respondetur, quòd cùm passio antequam esset exhibita, non potuisset esse causa efficiens gratiæ, sed solùm finalis; & baptismus non habuerit perfectam rationem sacramenti regenerationis, vt cæli claustra reseraret, nisi per passionem; ideo ait quòd illucusque non fuit institutum sacramentum in sua plenaria potestate, ac subinde cum vi obligatoria. Ad quod etiam alludit illud, 1. Petr. 1. Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Atque illud ad Ephes. 5. Tradidit semetipsum pro ea (scilicet Ecclesia) mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et ista plenaria potestas sacramentorum dicitur effluxisse de latere Christi in genere causæ efficientis.

Ad quintũ. Ad quintum demum respondetur, non opus fuisse proprios ministros baptismi instituì ante ipsum sacramentum.

Ex his colligere poteramus alterius quæstionis solutionem, quam distinct. proxima tetigimus: vtrum scilicet Apostoli fuerint baptismate Christi ante passionem initiati. Sed tamen eam vsque ad d. 5. artic. 2. reponimus, vtpote quod illi loco vbi de suscipientibus baptismum magis congruit.

2. Concl. Secunda conclusio amplius nobis negotium exhiberet differendi de tempore cessationis legalium, obligationisque legis nouæ, nisi quod hanc materiam propriè D. Tho. prima secundæ tractat quæst 103. & nos latissimè lib. 2. de Iustitia & iure ventilauimus quæst. 5. art. 4. Sunt nihilominus hic tum aliqua inde accersenda, tum nonnulla etiam propriè adhibenda. Tria quippe tempora secundùm Augustinum distinximus: videlicet, tempus antiquæ legis vsque ad Christi passionem & resurrectionem, quo scilicet tota lex, etiam legalia, & cæremonialia viua erant, & obligantia. In quo etiam Hieronymus cum illo conuenit. Secundum ab ipso articulo passionis & resurrectionis, à quo lex vetus extincta fuit, & mortua, & lex nostra cœpit obligare, in quibus duobus etiam consentit Hieronymus. Addit autem August. quòd non illicò vt mortua fuit, erat quoque mortifera, sed licebat eam vsque ad promulgationem euangelij seruare, minimè autem spes in ea erat collocanda, sed vt synagoga honorificè sepeliretur.

Tria tempora de cessatione legalium.

Et hoc est secundum tempus Augustini, in quo dissentit Hieronymus dicens, protinus vt fuit mortua fuisse mortiferam. Ecclesiæ verò vsus, & Concilium Florentinum sententiam approbat Augustini. Tertium tempus fuit post promulgationem euangelij, ex quo iam lex vetus est mortifera.

Concil. Florent.

S. Thom. quatuor documenta. Ex his secundum D. Thom. colligimus quatuor documenta. Primum quòd etsi ab institutione baptismi fuerit in consilio vsque ad passionem & resurrectionem, nihilominus circuncisio cum tota lege veteri manebat tunc in præcepto. Secundum, quòd statim à passione Christi & resurrectione, vt tota lex vetus totam suam vim perdidit, & iustificandi, & obligandi, adeò vt nec sub consilio maneret; ita baptismus & tota lex noua cœpit esse, non solùm in consilio, verùm & in præcepto; licèt illi, ad quos non pertingeret promulgatio, ignorantia excusarentur. Tertium dictum est, quòd nihilominus (vt ait August.) nonnullo tempore post passionem licebat mortuam legem veterem seruare, vt synagoga cum honore sepeliretur. Quartum denique assertum fuit post sufficientem promulgationem nulla prorsus ratione legem veterem citra impietatis crimen seruari posse. In his omnibus vniuersi ferè cum D. Thom. consentiunt.

Scotus. Scotus autem in 4. d. 3. q. 4. quodammodo discrepat in tribus. Primum quantum ad baptismum, videlicet quòd ab eius institutione, non solum vsque ad passionem (vt nos dicimus) verum vsque ad sufficientem promulgationem Euangelij mansit solum in consilio, & non in præcepto. Itaque sub articulum passionis aut resurrectionis nihil discriminatum est de illo, sed cœpit esse in præcepto post sufficientem promulgationem. Secundò differt quantum ad legalia: nam quicquid sit de alijs, ait circuncisionem non mansisse in præcepto vsque ad passionem, sed vsque ad institutum baptismum, & inde cucurrisse sub consilio cùm baptismo. Neque verò ait illud consilium circuncisionis extinctum in passione, sed perdurasse vsque ad sufficientem promulgationem. Et hoc est tertium in quo differt à D. Thom. dicens quòd ab institutione baptismi vsque ad sufficientem promulgationem, neque baptismi, neque circuncisionis erat præceptum; sed apud Iudæos vnus quilibet eorum liberè poterat circuncidi, vel baptizari.

Probatur opinio D. Thom. & communis. Asserta autem D. Tho. illic satis corroborauimus. Enimuerò quòd, legum confinium, quo vetus quantum ad vim obligandi expirauit, nouaque obligare cœpit, fuerit articulus passionis, & resurrectionis, inde palàm constat, quòd vetus illa lex figura erat & vmbra futuræ Christi redemptionis per passionem, & resurrectionem, vmbra autem per lucis præsentiam aboletur. Vbi ergo Christus dixit consummatum est, & velum templi in duo fuit discissum, vetus extincta est, & noua emicare cœpit quoad vim obligandi; instar naturalium, quorum vtique corruptio vnius, generatio est alterius. Quo alludit illud Redemptoris Matth. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere. Fuit enim sub illo temporis articulo vetus impleta. Accedit illatio Paul. ad Roma. 7. vbi ex eò quòd sumus liberati à peccato, infert, nos pariter esse iugo legis exemptos: liberatio autem prima in morte fuit, ergo & secunda. Et subiungit aptissimum exemplum coniugatæ mulieris. Quemadmodum enim illa morte viri libera fit matrimonij lege; ita & synagoga morte Christi à legis vinculo. Deinde adhibetur & aliud planum testimonium eiusdem Pau. Hebr. 7. Translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat: in morte autem ttanslatum fuit sacerdotium priscum in alterum Christi: tũc enim Christus assistens põtifex futurorum bonorum introiuit in sancta, æterna redemptione per sui corporis hostiam inuenta. Tuncque confirmatum est eius sanguine testamentum nouum, quod, vt eadem epistola c. 8. legitur, veterauit prius. Hæc demum confirmat autoritas tam Augustini, quàm Hieron. qui licet aliter dissideãt, tamen (vt est videre in epist. 19. August.) in hoc vnanimes cõsentiunt. Verba Augustini sunt. Venit fides, quæ primis illis oblationibus prænunciata est, post mortem, & resurrectionem Domini reuelata: & tunc illa sacramenta vetera amiserunt vitam officij sui.

August.

Adde contra Scotum, quòd si reliqua antiquæ legis mandata vsque ad passionem obligârunt, cur non & circuncisio, quæ professio erat totius legis, non illucusque perdurâsset sub præcepto? Nam reuera eius argumentum nullius est vigoris. Arguit siquidem.

Præce-

Digitized by Google

Argu. Scot. Præceptum baptismi totaliter aufert circuncisionem, ergo & consilium eiusdem baptismi tollit circuncisionis necessitatem, relinquendo eam sub consilio. Hæc autem collectio solùm illic haberet locum, vbi præcepta illa secum pugnarent. Cui enim præcipitur virginitas, omnino interdicuntur nuptiæ; & ideo consilium virginitatis tollit necessarium nuptiarum præceptum. Consilium autem baptismi perinde secum patitur præceptum circuncisionis, vt in quadragesima consilium orationis simul esse potest cum præcepto ieiunij. Quapropter licèt Iudæus vellet suas proles baptizare, quæ per baptismum donarentur gratia remissionis originalis: nihilominus, quia tenebatur Iudaica lege vsque ad passionem, tenebatur perinde masculos charactere circuncisionis insignire. Veluti, licèt quis modò aliunde gratia perfunderetur, nihilominus teneretur sacro baptismate initiari.

Obiectio. Quòd si quis nobis illud obijciat Christi Matth. 11. Omnes prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerũt. Vnde colligi videtur in Ioanne ante Christi obitum cessasse legem veterem. Respondetur, nullam ibi fieri mentionem de cessatione legis, sed de prophetia: nempe, quod Ioannes fuit vltimus prophetarum antiquæ legis, in quo subinde cœpit prædicari noua, vt Lucæ 16. legitur. Lex enim, inquit, & prophetæ vsque ad Ioannem. Ex quo regnum Dei euangelizatur. Ipse enim primus cœpit prædicare pœnitentiam: quia appropinquaret regnum cælorum, quod illucusque prophetarum vaticinijs, legisque figuris fuerat præsignatum. Quare & illud fuit Christi prothema: & tunc baptisma suum, quòd erat suæ legis initium, instituit. Itaque confinium prædicationis fuit in Ioanne, qui Christum digito indicauit, qui fuit veritas Mosaicæ legis: Confinium autem cessatæ obligationis vnius legis, alteriusque exortę fuit in morte & resurrectione. Quod autem in concilio Florentino habetur, legalia veniente Christo cessasse; non intelligitur cùm primùm natus fuit, sed veniente, & per passionem & resurrectionem legem complente: iuxta illud ad Hebr. 6. Sacrificium & oblationem noluisti: tunc dixi, ecce venio: corpus autem adaptasti mihi: per quod scilicet oblatum in cruce sacrificia vetera expirauerunt.

Dilutio.

Concilium Florent.

1. Argu. Firma ergo extat hæc pars, quòd lex tota Mosaica durauit vsque ad passionem. Quòd autem non inde cœperit obligare noua: duplici via arguitur. Primum enim apparet ante passionem fuisse obligationem, ex illo Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod si cum D. Thom. in solutione ad 3. sic exponas, quòd respiciat futurum tempus post passionem, videtur primùm omnium Augustinus reclamare lib. de fide ad Petrum cap. 3. dicens, ex illo tempore, quo dixit Christus: Nisi quis renatus, &c. fit vt nemo possit sine baptismo introire in regnum Dei. Vbi videtur insinuare, quòd ex illo temporis articulo cucurrit baptismi necessitas.

Augus.

2. Arg. Secundò id apparet ex verbo adiuncto. Oportet vos nasci denuò. Oportet, scilicet de præsenti, non oportebit. Et confirmatur: quia Nicodemus, quærebat salutis remedium & legem, qua posset saluari; responsio ergo illa Christi videtur, id tanquam iam tunc necessarium illi proposuisse.

Tertium. Deinde tertiò arguitur. Alia præcepta Christi obligabant ante passionem, vt præceptum adhibendæ fidei eius dictis. Illud enim Ioannis 15. Si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, palam edocet, quòd tunc quando prædicabat, tenebantur audientes illi credere. Quare & illud Luc. 22. Hoc (scilicet celebrationem Eucharistiæ) facite in meam commemorationem. ex illo momento vim habuisse videtur obligandi.

Quartum. Præterea quartò. Si id, Nisi quis renatus, &c. non fuit præceptum tunc positum, sequitur, nullibi extare præceptum baptismi in Euangelio expressum: nam illud Matth. 28. Docete omnes gentes baptizantes eos, &c. potiùs apparet præceptum Apostolis impositum, vt munere fungerentur, tum docendi, tum etiam baptizandi, quam populis propositum suscipiendi baptisma.

Quintum. Ad hæc quintò. Sub articulum passionis & resurrectionis nullam Christus edixit legem: ergo ab illo articulo non cœpit obligare lex noua, sed vel antea, vel postea.

Sextum. Postremò denique & sextò arguitur. In passione dixit Christus: Consummatum est: ergo tunc abolita est lex vetus, ac subinde inchoauit obligatio nouæ ante resurrectionem: non ergo debuit dicere S. Tho. quòd necessitas indicta fuit post resurrectionem.

Scotus. Secunda via arguit Scotus loco citato, quòd lex euangelica non cœpit statim obligare à resurrectione Christi. Nullus enim, inquit, aliter se nunc habet ad aliquam legem, quàm priùs, nisi quia est sibi aliter promulgata; sed post passionem Christi nemini fuit lex euangelica promulgata, quousque Apostoli eam diuuigarunt: ergo illucusque nullus tenebatur baptismi lege aliter quam ante passionem. Et pari ratione sibi habet persuasum Iudæos vsque ad eiusmodi promulgationem solennem, quæ Hierosolymis facta fuit die Pentecostes, atque in alijs subinde locis alijs temporibus, legi circuncisionis obnoxios fuisse, eo nempe quod illis nondum erat lex euangelica euulgata.

Responsio ad primum Ad hæc autem suo ordine respondetur. Ad primum scilicet, quod cum Augustinus ait. Ex illo tempore, non intelligit ex illo momento, quo Christus id dixit Nicodemo, sed ex illo Christi tempore. Comparat enim illud ad tempus legis veteris, quorum vnum cessauit alterumque cœpit in morte & resurrectione Christi. Simile namque phrasi dictum est Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis: & tamen liquidum est minimè ex illo temporis momento obligasse. Sanè cùm tunc nondum esset sacramentum Eucharistiæ institutum.

Ad secundum. Ad secundum autem respondetur, verbum oportet, non significare necessitatem inde incipientem, sed conditionem legis euangelicæ quam ille prædicabat, cuius vinculum ligaturum erat post passionem. Quasi dicat, oportet eos qui legem meam fuerint professi dum vim obtinuerit obligandi, nasci denuò. Quare tunc Christus Nicodemo non id tanquam præceptum ex tunc obligans edixit, sed legem futuram docuit. Vnde Hugo lib. 2. de sacramen. par. 6. cap. 5. Quando Christus, inquit, Nicodemo dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. amico reuelatum est consilium: Quando verò postea dixit: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine Patris, &c. informandis omnibus expositum est præceptum.

Hugo.

Ad tertium Ad tertium negatur præceptum vllum peculiare euangelij ante passionem obligasse, tametsi Christo homines credere tenerentur. Illa enim obligatio non oriebatur ex præcepto euangelico, sed ex lege veteri: nempe, ex illo Deute. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum. Qui autem verba eius audire noluerit, qui loqueretur in nomine meo, ego vltor existam. Item proueniebat ex oraculis prophetarum, & figuris illius legis quæ Christum prædixerant fore Messiam, atque adeò Deum, qui vt lex etiam docet naturalis, mentiri nescit. Itaque cum dixit: Nisi quis renatus fuerit, &c. adhibenda illi erat fides in sensu, quo id loquebatur. Illud autem: Hoc facite in meam commemorationem, non obligabat, nisi pro tempore quo essent Apostoli sacrum illud facturi, quod non erat nisi postquam corpus fuisset trãditum, sanguisque eius effusus.

Ad quartũ. Propter quartum autem argumentum sciolus forsan quispiam suspicabitur, non extare in euangelio præceptum baptismi: esset tamen error absurdissimus: nam quando non essent nisi illa duo loca in argumento adducta, abundè rem comprobant. Cùm enim ait Christus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Vbi necessitatem baptismi pro tempore suæ legis orientem expressit, palam fit consequens, aut tunc, aut alias eiusmodi posuisse præceptum. Enimuerò cum in baptismo fiat legis professio, & sit catholica fides, ad suam ipsius legem vniuersum orbem perstrinxisse, planum euadit, præceptum baptismi aliquando posuisse. Idemque ex altero loco colligitur. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. Quo enim præcepto illos docere, baptizareque iussit, alterum includitur, quo audientes constrinxit vt crederent, & baptizarentur. Vnde subditur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Quemadmodum vbi Ioan. 20. potestatem largitus est Apostolis remittendi peccata, præceptum inclusit sacramenti confessionis.

Ad quintũ. Ad quintum. Conceditur in passione nullam fuisse legem à Christo indictam. Ad argumentum verò inde collectum vno modo responderi posset, non omnia euangelica mandata fuisse per Christum ante

ſuam paſſionem poſita, ſed nonnulla poſt reſurrectionem, vt mandatum baptiſmi Matth. 28. atque alterum de ſacramento pœnitentiæ, Ioan. 20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Quod ſi verum eſt non tota lex euangelica ab articulo ſtatim paſſionis & reſurrectionis vim obtinuit obligandi. Atque huc alludere videtur D. Thom. in 2. argumento. Ego verò pro mea ingenij tenuitate crediderim (nec S. Thomæ ſententiæ hoc repugnat) Chriſtum ante paſſionem, ſaltem verbo priuatim, propoſuiſſe omnia ſuæ legis mandata, quæ erant ad ſalutem neceſſaria, qualia potiſſimum ſunt ſacramenta: licet forſan non omnium formas & ritus tunc expreſſerit. Et coniectura mea eſt, quòd ante paſſionem ipſe munus prædicandi perfecit, ex quo conſequi apparet, & totam ſuam legem inſtituiſſe, per quam abolenda erat antiqua; idque inſinuaſſe cùm in cruce dixit: Conſummatum eſt. Quamobrem D. Th. 1.2. quæſt. 103. ar. 4. in paſſione & reſurrectione ait mortuam fuiſſe antiquam legem, nouam ſubinde inchoatam: id quod nos loco citato de Iuſtitia & iure locupletiùs confirmauimus. Inſinuauit tamen omnia illic tunc poſita mandata tanquam ab articulo paſſionis & reſurrectionis vim obligandi obtentura. Quapropter cum dixit: Ite, docete omnes gentes, &c. non expreſſit mandatum gentium obediendi Apoſtolis, quaſi illud iam Apoſtolis ipſis conſtaret à tempore paſſionis vigorem habuiſſe. At quia ante paſſionem non fuerant permiſſi ad gentes diuertere, ſed ad oues dumtaxat ire quæ perierant domus Iſrael, iam tunc fecit illis facultatem liberè quocunque gentium peragrandi. Ob idque conſultò ſubdidit Matth. 28. Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis; quaſi iam antea totam tuliſſet legem. Atque idem de pœnitentia coniectandum. Crediderim enim quando ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit, ſacramentum pœnitentiæ tradidiſſe, ſed tamen poſtea peculiariter tradidit eis Spiritum ſanctum, vt illo perfungerentur munere.

Sententia autoris.

Ad ſextum.

Ad ſextum denique argumentum, reſpondetur quòd etſi moriens protulerit, Conſummatum eſt, referendum eſt tamen ad reſurrectionem, vbi completa eſt redemptio & iuſtificatio noſtra, atque adeò lex vetus. Habet enim iuſtificatio duos terminos; ſcilicet à quo, qui eſt mori peccato, & ad quem qui eſt in nouam vitam reſurgere. Vnde Apoſtolus Rom. 4. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Ob idque lex vetus non ſolùm paſſionis, verùm & reſurrectionis figura erat, quæ idcirco illucuſque non erat perfectè completa. Atque hanc ob rem ſancti patres totum triduum paſſionis & reſurrectionis pro vno duxerunt puncto, quo teſtamentum vetus antiquatum eſt & nouum exortum, id quod in præſentiarum D. Thom. ſcientiſſimè docuit.

Egregia annotatio.

Ad argu. Scoti.

Ad alteram verò arguendi viam, qua Scotus contendit, nec legem veterem ceſſaſſe, nec nouam obligaſſe, niſi poſt ſufficientem promulgationem in vna qualibet prouincia, negatur quòd nullus aliter quam prius ſe habeat ad legem, antequam illi ſit promulgata. Imò verò cum primum pontifex vel rex edicit publicitus in curia, legem, vniuerſos obligat: tametſi illi, ad quorum notitiam non peruenit, excuſentur per ignorantiam. Etenim dum præco in ciuitate diſtante à curia euulgat legem, non ponit illam, neque tunc obligat, ſed declarat poſitam eſſe tollitque adeò ignorantiam excuſantem. Pari modò dum Apoſtoli promulgabant legem, non erant legiſlatores, ſed legem à Chriſto conditam enunciabant, atque adeò tollebant ignorantiæ excuſationem. Ac perinde Iudæi poſt reſurrectionem non erant obſtricti ſimpliciter circunciſionis lege, ſed erat obligatio ex ignorantia procedens: quia ſcilicet non putabant extinctam ſuam legem. Et re vera contra aſſertum Scoti quo ait, Iudæos tunc liberè potuiſſe aut baptiſmo, aut circunciſione vti, exiſtit inelucta bile argumentum. Aut enim loquitur de Iudæis, qui inuincibiliter ignorabant euangelium, aut de illis, qui illud vel ſciebant, vel culpabiliter ignorabant. Si de prioribus, falſum eſt potuiſſe baptizari, & non circuncidi: nam ex ſua ignorantia obligabantur circuncidi. Si de poſterioribus itidem falſiſſimum eſt, nam ſimpliciter tenebantur baptizari. Cùm eis iam eſſet lex euangelica promulgata. Nullos ergo poteſt aſſignare Iudæos, qui poſt reſurrectionem poſſent alterutrum ſub conſilio eligere. Reliqua loco citato, 2. libr. de Iuſtitia & iure amplificantur.

Contra Scot.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aqua ſit propria materia baptiſmi.

DEFINITIONE inſtitutioneq; baptiſmi conſtabilitis, ſubſequitur, vt de eius partib. dicamus in duobus, ſ. articulis de materia, atque in alijs quatuor de forma. Quæritur ergo tertiò. An materia baptiſmi ſit aqua. Diſtincta namque ſuprà nobis eſt duplex materia baptiſmi, ſ. proxima, & remota. Proxima quidem eſt ablutio, vt ſatis probatum eſt. Quæritur ergo modo de remota: nempe in quo liquore debeat ablutio baptiſmi fieri. Et reſpondet D. Tho. vnica affirmatiua concluſione plus aſſerente, quàm quæſitum eſt. Ex inſtitutione diuina aqua eſt propria materia baptiſmi. Non ait hæc vel illa aqua, ſed omnis & ſola illa quæ re & nomine verè ſit aqua. Probat vtramque partem ex illo citato Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto. Vbi diuina inſtitutio explicatur. Quocirca concluſio eſt de fide, expreſſa in Euangelio, ſubinde per Eccleſiam receptiſſima, vt capit. In quadam. de celebratione Miſſarum. vbi Innocent. probat veram aquam exiuiſſe de latere Chriſti ad ſignificandum, non niſi in vera aqua poſſe fieri baptiſma. Et in concilio Florentino habetur, quòd vera & naturalis aqua ſit huius ſacramẽti materia.

Conc. fidei.

Adducit autem D. Tho. quatuor conuenientias, ſed ſi vis eas locupletiùs amplificare, lege Hieronymum in Epiſtola ad Oceanum, vbi aquas ad hoc propoſitum per multis laudibus accumulat, atque Ambro. lib. 1. ſecundoque de ſacramentis. Prima ergo conueninentia ſumitur ex natiua ipſa baptiſmi ratione quæ eſt regeneratio ſpiritualis, cui idcirco aqua congruit, eò quòd viuentium genituræ accommodata eſt. In ipſo namque mundi primordio ante quàm terra quicquam proferret, luxque emicaret de cœlo, ſed dum tenebræ informem rudemque illam molem operirent, ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Quaſi mundus ex aqua & ſpiritu formandus, eſſet, qui in homine ex aqua itidem & Spiritu ſancto erat reformandus. Adde quòd, vt inibi ait Hieronymus, primum viuentium ſenſibilium ex aqua egreſſum fuit: quinta quippe die dictum eſt. Producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile. Quemadmodum baptiſmus ſenſata pennataque profert animalia in cælum euolantia. Atque adeo illic inſinuatum eſt, cuncta viuentia, vt hic ait D. Tho. ex humidis ſeminibus progigni, aqueoque humore coaleſcere, & vegetari. Vnde Thales Mileſius (vt 1. Phyſic. retulit Ariſt.) primum omnium rerum principium poſuit aquam. Huc etiam pertinet, quod plantata illa paradiſo terreſtri fons illico in quatuor celeberrima flumina ad quatuor mundi plagas erupit, qui diuerſam illic arborum varietatem procreando viuificaret. Veluti ſacroſanctus Eccleſiæ fons ad quatuor mundi partes promanans, cunctis nationibus vitam perhibet ſempiternam. Hac namque ratione in benedictione ſacri fontis illorum fit mentio quatuor fluminum. Atque in huius figuram Ezech. c. 47. aquas egredi conſpexit ſubter limen domus ab oriente, ad quas vniuerſi venientes, ſanabuntur, inquit, & viuent. Quapropter in Paſchate Eccleſia ſuper baptizatos viſionem illam egredientis aquæ de templo canit.

Hiero. ad Oceanum.

Geneſ. 1.

Thales.

Secunda conuenientia ſumitur ex effectibus baptiſmi: quibus aquæ proprietates competunt. Eſt enim effectus baptiſmi primus animam perpurgare, aqua verò inter omnes liquores obtinet, vt rem ab eis omnibus emundet. Oleum namque vinumque & ſanguis & reliqui non mundant, ſed polluunt. Aquam verò vniuerſis ſordibus abſtergendis aptiſſimam natura produxit.

2. conuenientia.

Et per hoc ſoluit D. Tho. ſecundum argumentum: nam licèt vinum alijque humores nonnunquam in vſum abluendi aſſumantur, ſaltem odore rem inficiunt, quem aqua diluit. Cuius inſtar, aqua baptiſmi omnem culpæ maculam & pœnam prorſus abluendo auferr. Secundo aqua ſua frigiditate ſuperfluitatem temperat caloris: qua ratione etiam competit baptiſmo, cuius ſecundus effectus eſt ardorem concupiſcentiæ mitigare, & ſedare. Tertiò aqua ſua diaphaneitate eſt luminis ſuſceptiua: conuenit ergo ſacramento fidei: per quod illuminamur. Atque hæc ſacramentalis aquæ ſupracæleſtis dignitas deſignata

Ad 2. arg. S. Thom.

videtur

videtur in ipsa mundi conditione. Haud enim modo sub firmamento Deus aquas condidit, verùm & super ipsum cælum congelatas alias, ac subinde instar crystalli prælucentes. Et Ezech. ca. 1. quasi aspectum crystalli horribilis super Euangelistarum capita conspexit ad significandum sacramentum fidei, quo suo lumine super cæios nos euehit.

Ad 1. arg. S. Tom.

Ac per hoc D. Tho. soluit argum. 1. Apparet enim ex hac parte congruentiùs debuisse fieri baptismum in igne, qui est elementum illuminans: potissimum cum Ioan. prænuncians Christi baptisma dixerit: Ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Respondet, inquam, quòd baptismus non est illuminans, sed sacramentum fidei illuminantis, & ideo facit nos aptos ad susciendum lumen. Quare ignis potiùs designat fidem illuminantem, diaphaneitas verò aquæ aptitudinem baptismi. Quod autem dixit Ioannes: Baptizabit vos in Spiritu sancto & igne, aut intelligitur secundum Hiero. de ipso Spiritu sancto qui in linguis igneis apparuit, aut de igne tribulationis, vt ait super Matthæum Chrysostomus Nam tribulatio fideliũ & peccata purgat, & concupiscentiam restinguit. Aut secundum Hilarium, quia baptizatis in Spiritu sancto supereſt iudicium ignis.

Baptizabit vos igne.

3. conuenientia aquæ.

Tertia conuenientia quare materia baptismi est aqua, est ad significandum mysteria Christi, quæ in eo celebrantur. Ait enim Paul. Rom. 6. consepeliri nos per baptismum, complantatiq́ue Christo. Hæc autem significatio nec per terram fieri posset propter suam densitatem, nec per aerem propter suam raritatem, nec per ignem, quia nos combureret. Fit ergo (vt Chrysosto. super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. annotauit) commodissimè per aquam baptismi.

Chrysost.

Colossa.

Quocirca Paulus ad Colossen. secundo inquit: Consepulti ei (scilicet Christo) in baptismo, in quo & resurrexistis. In aqua namquè velut in quodam sepulchro submergentibus nobis capita vetus homo sepelitur, vt ait ibidem Chrys. & submersus deorsum occultatur, & deinde rursus nouus ascendit.

4. conuenientia.

Quarta denique conuenientia aquæ in baptismo est ratione suæ communitatis. Cùm enim baptismus generale sit sacramentum vniuersis necessarium, debuit eius materia vbicunque esse in promptu, vt absque vllo dispendio aut temporis, aut pretij applicatu esset facillima. Accedit & demum ratio si Euangelij cultores cum patribus vetustæ legis conferamus. Illi siquidem cùm, vt ait ad Galat. 4. Paul. veluti carnales serui essent in tiliore seruientes, ferreo illo aut petrino circuncisionis sacramento congruè exercebantur, quod vlcere illo eos remissæ culpæ admoneret. Nos autem, qui, vt ait idem Apostolus ad Romanos 8. non accepimus spiritum adoptionis filiorum, non quidem talibus instrumentis, sed suauissimo sacramento, quod fit in aqua, donari debuimus: quæ quidem aqua de latere Christi exiuit, qui est vera petra, quam (vt Exod. 8. refertur) Moyses virga fidei percutiens, aqua manauit, vt populus in deserto sitibundus potaretur.

3. Arg.

Vnde responsio colligitur ad 3. argumentum S. Thomæ, quod est eiusmodi. Sacramenta Ecclesiæ fluxerunt è latere Christi pendentis in cruce; inde autem non aqua solum, sed etiam sanguis manauit, ergo vtroque debet fieri baptismus. Potissimum cùm sanguis passionem eius repræsentet, cuius virtuti nititur baptismus. Vnde Apoc. 1. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Respondetur, inquam, quod ex latere Christi effluxit aqua ad abluendum, & sanguis ad redimendum. Et ideo aqua conuenit baptismo, & sanguis sacramento Eucharistiæ, in quo fit passionis memoria. Aqua verò baptismi à sanguine virtutem habet, ob idque apud sanctos patres dicitur aqua sanguine rubricata, vt in Inno. ait, ca. maiores. de bapt. Quocirca in vtroque dicimur abluti. In sanguine scilicet tanquam in instrumento coniuncto Christi: atque in aqua tanquam instrumento separato. Quartum quintumq́ue argumentum nullam præ se fert ambiguitatem.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ad baptismum requiratur aqua simplex.

NON satis est nosse aquam esse baptismi materiam, nisi vlterius doceamur, quænam eius mutatio inhabilem reddat, vt sit materia. Ideo quæritur, vtrum requiratur aqua simplex & pura. Et respondet D. Tho. duabus conclusionibus in calce articuli. Prior. Qualitercunque transmutetur aqua, dummodò non soluatur species aquæ, potest fieri baptismus. Si verò soluatur species aquæ, non potest fieri baptismus. Ambas autem conclusiones vno simplici verbo probat. Propria materia baptismi est aqua: ergo vbicunque seruatur aqua, est baptismus, vbicunque verò non seruatur, non erit baptismus. Nomine autem aquæ intelligitur simplex & pura: hoc est, vbi seruatur species aquæ. Ad cuius intellectum notandum, aquam suam puritatem, & simplicitatem bifariam posse amittere, s. & per admixtionem alterius corporis, & per alterationem, quorum vtrumque tam accidere potest per artem, quam per naturam. Ars autem per se in hoc deficit à natura, quod non potest formam substantialem præbere, sed accidentalem: vt est forma statuæ, vasis, &c. Quando autem per artem applicatur agens naturale suo passo potest mutare speciem: quare panis coctus forsan differt specie à massa, vt cineres à ligno, & magi Pharaonis, vt Exod. 8. legitur, applicando corruptibilia virgis & aquæ fecerunt serpentes & ranas. Fit ergo, vt vbi non fit transmutatio in aqua nisi per puram artem, tunc non soluatur species aquæ, quare in tali aqua potest fieri baptismus. Vt si per artem mutaretur color, aut odor, aut sapor aquæ, aut si gutta vini admisceretur. Nisi forsan admixtio fieret tanta vt esset potius res admixta, quàm aqua. Vt si aquæ apponas plurimum vini, aut terræ, in vino illo lymphato fieri nequit baptismus, ac multò minùs in luto. Similiter per naturam transmutatio soluit speciem, sicut aqua irrigans terram calore vitis, vertitur in vinum, & calore oliuæ, in oleum. Quare in illis fieri non potest baptismus. Aliquando autem huiusmodi naturalis mutatio non soluit speciem; siue per alterationem fiat, vt dum aqua calefit: siue per admixtionem, sicut in aqua turbida, aut in salsedine maris, quæ secundùm Aristot. per admixtionem, fit terrestrium partium. Quapropter in eis fieri potest baptisma.

Prior conclusio.

Posterior conclusio.

Aqua potest suam puritatem amittere vel per admixtionem alterius, vel per alterationem.

Hic primum omnium ad diluenda minutiora dubia, quæ hoc loco submoueri solẽt vnico opus est breuissimo fundamento: nempe, quòd omnis, & sola aqua pura & simplex, videlicet quæ retinet substantiam aquæ, legitima est materia baptismi. Quamuis accidentalem puritatem, & simplicitatem non habeat. Veluti si sit calida, vel amara, vel turbida, &c. Vnde quamuis omnes fere adstruant debere esse elementalem, tamen D. Thomas prudenter illud subricuit, quia forsan quis contenderet aquam, quæ est purè elementum specie ab aqua maris, & ab alia nostra vsuali ob id distare, quod purum elementum à quibuscunq; secundis qualitatibus purũ est, vsualis verò aqua illis plurimum est infecta. At verò siue specie differant, siue conueniant, impertinens est ad nostrum propositum. Nam cum tam elementalis, quam nostra verè sit aqua vtraque sufficiens est ad baptismum, quamuis nostra non esset elementalis. Enimuero (vt in materia Eucharistiæ videbimus) siue vinum rubrum, & album eiusdem sint speciei, siue specie differant, in vtroque potest Eucharistia celebrari, quia vtrumque est verè vinum. Quare vt bene ait Scot. d. 3. qu. 3. differentias nosse specificas rerum, nec theologo incumbit, nec decretorum prudenti, sed physico.

Expositio articuli.

Omnis & sola aqua substantiam aquæ retinens, est baptismi materia, quamuis ei desit puritas accidentalis.

Scotus.

At fortasse hic quispiam addubitet, fieri ne possit, vt vna aqua differat specie ab altera, si vtraque sit vera aqua. Atqui Nominales nihil hæsitant id fieri posse, quia aiunt, id omnipotentiæ Dei minimè repugnare duas aquas creare specie differentes. Loquuntur autem superficie tenus, visçera philosophiæ minimè penetrantes. Enimuerò si aqua nomẽ est speciei specialissimæ, vt hic D. Thom. sapienter arbitratur, repugnantia est manifesta Deum id posse facere: nam species specialissima non est per aliam differentiam substantialem contrahibilis: quare Deus homines duos specie differentes nequaquam condere potest. Aut, n. vterque esset præcisè animal rationale, & tunc non differrent specie, aut alter eorum præter rationalitatem aliam vlteriùs substantiæ differentiam haberet, & tunc ille certè non esset homo, sed quippiam aliud. Quare benè ait S. Th. quod vbi solueretur species aquæ per aliam substantialem differentiam, non esset verè aqua. Arbitrãtur quippe aquam esse speciem specialissimam. Qui autem diceret elementum aquæ, & aquam maris, aut quamlibet aliam differre specie, fateri reneretur aquam esse specie subalternam sicut est canis, quæ in plures species dispartitur.

An aqua ab aqua specie distinguatur.

D. Thom. negat.

Digitized by Google

1. Argum. Primum igitur argumentum D. Th. est. Aqua quæ apud nos est, non est pura, hoc est, purum elementum, potissimum aqua maris, & aliæ, quæ sunt qualitatibus secundis affectæ, & tamen in his nostris fieri potest baptismus. Respondet, alterationes aquæ, quæ sunt apud nos, non mutare speciem aquæ substantialem, & ideo esse veras aquas. Bifariam enim hoc potest contingere: Primum vt salsedo maris, & aliæ similes aquæ infectiones non insint aquæ, sed particulis terrestribus illi commixtis. Atque huc videtur alludere Arist. & hic S. Thom. dum ait, id fieri permixtione terrestrium partium. Sed secundò nihilo secius probabiliter dici potest, vt ait Palud. dist. 3. q. 3. quòd etsi elementum ab intrinseco habere nequeat qualitates secundas natiuas, nihil vetat quominus forinsecus possit eas peregrinas recipere.

Solutio.

Paludan.

Nix & grando non sunt vera aqua. De niue autem, & gelu, & grandine diuersa est ratio. Sunt enim qui arbitrentur non differre specie ab aqua, sed ob id tantum non posse in illis celebrari baptisma, quòd non sunt liquida. At re vera hæc non est causa, quia in niue bene posset puer madefieri. Causa ergo est, quòd nix, & grando, re vera non sunt completè aquæ, & ideo nec sunt lotioni aptæ. S. verò Thomas censeret differre specie, idque ego crediderim, vt spissitudo & densitas manifesto sunt documento. At verò quoniam sunt species imperfectissimæ, facillima alteratione transmutantur in aquam. Et ideo in illa aqua, in quam nix, & grando resoluitur, baptismus fieri potest: sicuti in vapore, & rore eleuato à terra, dum ad iustam condensationem aquæ peruenerit.

2. Argu. Secundum argumentum est. In sacro fonte admiscetur chrisma: quo puritas synceritasque aquæ videtur amitti, & nihilominus illic fit solennis baptismus. Respondetur, per illam admixtionem non solui speciem aquæ: sicut neque soluitur per elixationem carnium, aut piscium in aqua: quare in huiusmodi aquis fieri quòque valet baptismus: nisi forsan tanta fuerit resolutio corporum elixatorum, vt liquor plus illius pinguedinis habeat, quàm aquæ, ita vt illa non sit verè aqua. Si autem rursus aliqua arte posset inde exugi, exprimique pura aqua, esset sacramento idonea, sicuti & illa quæ exprimeretur ex luto. Et pari ratione si à vino lymphato posset per artem extrahi aqua: siquidem antequam immisceretur, erat aqua.

Aqua ex latere Christi profluens fuit aqua pura. Tertiò arguitur. Aqua fluens ex latere Christi pendentis in cruce fuit signum baptismi, & tamen non videtur fuisse aqua pura, sed phlegma: nam in corpore mixto non sunt elementa in actu: ergo non requiritur aqua pura. Respondetur, illam non fuisse humorem phlegmaticum, vt quidam dixerunt, quia in tali humore non potest fieri baptismus, sicut neque in sanguine, neque in vino. Fuit ergo aqua pura miraculosè egrediens à corpore mortuo, sicut & sanguis, ad comprobandam veritatem Dominici corporis contra Manichæorum errorem: vt per aquam comprobaretur, fuisse mixtum ex quatuor elementis, & per sanguinem ex quatuor humoribus. Hæc est sententia Innoc. vt d. 1. q. 3. art. 5. dicebamus, in ca. citato. In quadam. de celebr. missa. adducentis illud 1. Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Testimonium, s. quòd Christus esset verus homo constans ex anima & corpore. Per hoc n. quòd inclinato capite voce magna tradidit spiritũ, testatus est se habuisse animam. Per hoc verò, quòd manauit aqua & sanguis, testatus est se habuisse corpus non phantasticum, sed verum.

An aqua illa fuerit de nouo creata. Sub dubio tamen relinquit vtrum fuerit naturalis, an verò miraculosa, de nouo creata? At verò, quòd non fuerit de nouo creata, validissimum est argumentum: tunc enim non esset testimonium veritatis corporis Christi: nam etiam in phantastico miraculosè potuit creari, veluti & in aere. Quapropter exitus ille aquæ nullum præberet documentum solidi corporis. Arbitror igitur argumentum perurgere, miraculum non fuisse illud, vt aqua crearetur: sed prorsus hoc, vt ait D. Tho. quòd exiret de corpore mortuo. Vbi innuit, quòd de viuente sine miraculo posset exire. Poterat enim siue in stomacho, siue in venis existere. Et ideo ait deinde Innoc. per miraculum fuisse corpus ex elementis compositum in illam aquam resolutum: sicuti viuens sudorem emisit, quasi sanguinis guttas. Sanguis autem fortassis citra miraculum manare è corpore potuit tam recenter defuncto, vigente adhuc in eodem sanguine calore, vt exiliret. Amputato namque homini capite sanguis cum impetu prosilit.

Resp. neg.

Hic autem adnotato opus est, quòd sudor, & lachrymæ nullatenus aquæ sunt ad baptismum idoneæ: nam etsi sint resolutiones corporum, non tamen aquæ puræ, vt illa, quæ de latere Christi exiuit. Et multò minùs vrina, est enim digestionis egestio.

4. Argu. Sudor, lachryma & vrina, non sunt ad baptismum idonea: secùs de lixuio & aquis sulphureis. Ceruisia, &c. Quartum argumentum est. Lixiuium, atque sulphureorum, & balneorum aquæ non videntur esse puræ (vt ex amara proprietate calefaciẽdi, & exiccandi coniectura fit) & tamen apparet baptismum in ipsis posse celebrari. Respondet autem concessa minori: quoniam sunt verè aquæ: transitus enim ille per cineres, aut per illas venas non prorsus substantiam aquæ destruit. Paluda. verò præsenti distin. q. 3. contrarium censet. At re vera absque ratione. Tametsi non negauerim, quin tantum possit commisceri cinerum in aqua, tantumque exustionis fieri, vt lixiuium alia sit species quàm aqua. De ceruisia verò & ptisana, atque id genus potabilibus liquoribus; quorum in multis partibus frequens est vsus, ambigere non licet, quin sint aliæ species ab aqua, in quibus idcirco sacramentum baptismi perfici non potest. Quoniam neque illi, qui voto adstricti sunt ieiunare in pane & aqua, possunt huiusmodi potibus vti. Nisi quis de ptisana dubitet, propterea quod non est nisi aqua ex hordeo, quod est frumentum, expressa. Sed tamen neque illam in tali ieiunio admitterem: nam verè est potus ab aqua differens. Imò neque si ex pane cocto calido distillaretur aqua, vt solet officio ignis, admittenda esset in baptismo: quoniam non est certum esse veram aquam.

Cauendum ne in dubijs liquoribus baptizetur. Est veruntamen hic adnotanda regula, quòd cùm in quibusdam non satis deprehendi valeat, sit ne in vera aqua, dum res est dubia, cauendum est ne in huiusmodi liquoribus quispiam baptizetur, quo si forsan fuerit baptizatus, solenni remedio vtendum est, vt huiusmodi puer sub illa conditione baptizetur, si non est baptizatus, &c.

5. Argu. Quintum demum argumentum est de aqua rosacea, ac de alijs herbarum succis, deque alchimicis aquis: sed de istis nulla extat dubitandi ratio. Palam enim est non esse aquas, tametsi cum addito propter apparentiam sic æquiuocè appellentur, sed sunt expressiones omniũ humorum, ex quibus herbæ componuntur. Ars verò alchimica nunquam ad hoc pertingit, vt possit formam veram substantialem auri, vel aquæ, ceu natura ipsa producere.

Succus herbarum non est vera aqua.

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc sit conueniens forma baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Forma baptismi duplex. EXPLICATA materia baptismi, subsequitur de altera eius parte, quæ est forma. Est autem forma duplex. Altera verborum, quæ est de essentia baptismi: atque altera actionis, vtpote mersionis. De priori disputatur in duobus articulis, ac de altera in alijs duobus. Quæritur ergo quinto vtrùm forma baptismi conueniens sit illa, quæ exprimitur Matthæi 28. Et respondet D. Thom. vnica conclusione. Hæc est conueniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Probatur ex Christi institutione loco citato. Euntes docete omnes gentes baptizãtes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Subiungit autem subinde rationem. Baptismus per suam formam consecratur, secundum illud ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et Augustinus lib. de vnico baptismo, ait baptismum verbis Euangelicis consecrari. Cùm autem consecratio huiusmodi à causa efficienti deriuetur, consequens fit, vt in forma debeat eadem causa efficiens exprimi. Illa autem est duplex, scilicet principalis, quæ est trinitas, & minus principalis, quæ est minister. Vtraque ergo debet ibidem explicari. Quare illa est legitima forma.

Conclusio.

Ratio.

Expositio articuli. Hic primum omnium meminisse oportet illius asserti Scot. di. præsen. q. 3. & 4. dicentis, formam propriè baptismi non esse, nisi relationem significandi, qua baptismus est formaliter sacramentum. Et quia ipsa relatio, vt ipse probabilius indicat, fundatur in ablutione simul & verbis, tam ablutio quàm verba, inquit, dicitur materia: tametsi verba respectu ablu-

Scotus reijcitur.

tionis

tionis quodammodò dicatur forma. Quod quidem assertum non ita multum theologum est. Nam relatio non est forma de qua in præsentiarum loquimur: licèt sit ratio, qua ablutio denominatur signum ac proinde sacramentum. Neque verò verba nisi ineptissimè dicuntur materia: imò vt diximus distinct. 1. quæst. 1. artic. 6. eo quòd determinant contrahuntque ablutionem ad significandum talem effectum gratiæ, omnino sunt, dicunturque formæ: instar formæ in naturalibus, quæ determinat materiam. Quocirca relatio illa significandi, vt artic. 1. monstrauimus, non fundatur in verbis, ita vt verba simul cum ablutione denominentur baptismus; sed fundatur in ablutione mediantibus illis verbis. Nam satis illic demonstratum est, quod baptismus, hoc est, ablutio non supponit pro toto aggregato ex ablutione & verbis; sed pro ablutione, quæ est materia proxima, sicut statua pro ære habente formam.

Secundò, adnotandum est, quatuor in baptismo discerni: videlicet, actum ipsum, deinde personam recipientem, præterea causam principalem, ac demum ministrum. Quæ idcirco omnia congruit, vt in forma exprimantur: & ideo quatuor sunt membra formæ. Ego, te, baptizo, in nomine Patris, &c. Quapropter conclusio præsens de congruitate intelligenda est; non autem, quantum ad omnia de necessitate.

1. Argum. S. Thom. Sitne pronomen ego de essentia.

Igitur, vt ordinem D. Thom. imitemur, primo argumento quæritur, an pronomen Ego, sit de essentia. Arguitur enim. Actus potiùs principali agenti, quàm instrumento adscribitur: in sacramento autem minister est, vt instrumentum, vt dist. 1. dictum est, & qui principaliter baptizat est Christus, secundùm illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat: ergo incongruè ait minister. Ego te baptizo, sed deberet dicere. Christus te baptizat. Et confirmatur. In verbo, baptizo, intelligitur pronomen ego: ergo eius expressio superfluit. Præsertim cùm Christus Matt. 28. illius pronominis non meminerit. Atque iterum confirmatur. Græci non apponunt illud pronomen, sed aiunt. Baptizetur seruus Christi, & tamen, vt in concilio Florentino sancitum est, verè baptizant: ergo pronomen illud non est de essentia.

Ad hoc respondet D. Thom. quòd minister etsi sit causa minus principalis, est tamen causa proxima, & immediata: nam causa principalis concurrit tanquam id, in cuius virtute fit actio: & ideò congruè minister ponitur tanquam exercens actum. Et hoc expressit Christus dicens: Baptizantes, vbi exercitium attribuit discipulis. Cùm autem adhibetur. In nomine Patris, &c. exprimitur princeps causa, in cuius virtute fit opus. Græci autem metuentes dissidium illud, de quo Apostolus 1. ad Corinth. 1. meminit, quod alij gloriabantur baptizari ad Apollo, alij à Paulo, &c. cauent in forma explicare ministrum, & ideo baptizant per tertiam personam dicentes. Baptizetur seruus Christi, &c. At quoniam exprimunt actum baptizandi, qui reuera ab ipsis ministris cum inuocatione Trinitatis exercetur, verè baptizant.

Collige ergo de essentia baptismi esse, vt exprimatur actus, qui exercetur à ministro, cum inuocatione Trinitatis, vt habetur in concilio Florentino, nam illic virtualiter subnotatur minister. Quando autem per primam personam exprimitur actus, illic virtute ipsa locutionis subintelligitur minister. Vt si quis dicat, baptizo te in nomine Patris, &c. in verbo subintelligitur pronomen: quare, ego, non est de essentia, sed de congruētia ad maiorem expressionem. Quod si contra hoc postremum assertum obiecceris illud Alexandri. 3. de baptismo, & eius effectu, cap. Si quis puerum. vbi ait, quòd si quis puerum in aqua immerserit, in nomine patris, &c. & non dixerit: Ego te baptizo, non est puer baptizatus. Respondetur, vim illic quæstionis non consistere in pronomine ego, sed in expressione actus. Vult ergo definire pontifex, quòd licèt quis mergat in nomine Patris, &c. non exprimendo verbo actum baptizandi, non baptizat. Si verò dicat. Baptizo te, sufficit ad essentiam.

Quod si scisciteris quanta esset culpa baptizare sine expressione pronominis, profectò censeo non esse mortalem, nisi fortasse graue suboriretur scandalum, quod nunquam arbitror posset tam magnum oriri.

At contra illam Græcorum formam est argumentum, quòd non sit valida. Si quis in forma sacramenti inducere contendat errorem, non perficit sacramentum, vt si Arrianus diceret. Baptizo te in nomine Patris maioris, & filij minoris, &c. aut si Lutheranus diceret. Hoc est quodammodo corpus meum, intendens non esse re, sed in figura. Græci autem intendunt per illam formam inducere errorem: nempe, quod nos attribuentes ministro actum baptizandi, dissidium serimus, quod abominatus est Paulus, atque adeò à nobis non celebrari legitimum baptisma, sed esse baptizandos eos, qui à nobis baptizantur, vt habetur de baptismo & eius effectu cap. finali: ergo illi non conficiunt sacramentum.

An forma Græcorum sit valida.

Ad hoc nos iam satis suprà distin. 1. q. 1. art. 7. & 8. respondimus. Duas ergo ex illis articulis generales regulas repetamus: vnam scilicet de intentione ministri quæ formam viriare potest: atque alteram de verborum mutatione. Prima. Quocunque errore ille qui baptizat infectus sit, illum autem in forma non inducat, sed legitimam intentionem Ecclesiæ, & necessaria formæ verba seruet; verè baptizat. Si autem illum errorem in forma induxerit, error tamen ille intentionem Ecclesiæ secum permittat, & necessaria verba proferat, verè perficit sacramentum, alias minimè. Quocirca, quando ille error toleratur ab Ecclesia, vt loco citato artic. 6. expressè ait D. Tho. nihil eiusdem Ecclesiæ intentioni officit.

Mala ministri intentio si intentionem Ecclesiæ secum admittit non vitiat sacramentū

De mutatione autem verborum colligitur secunda regula. Dum mutatio, siue sit additio, siue demptio, siue transpositio, siue corruptio, verba necessaria non corrumpit, seruata legitima intentione, sacramentum perficitur. Si autem quidpiam verborum, quod necessarium est, destruxerit, cassum fit. Cùm ergo Ecclesia errorem Græcorum toleret, ferat scilicet, vt credant perperam nos baptizare; nil repugnat, quin illi habeant legitimam intentionem faciendi quod Ecclesia facit, & cum verè ponant in forma omnia, quæ sunt de essentia, fit vt verè baptizent. Secùs autem si Lutheranus dicat. Hoc est quodammodo (hoc est, in figura) corpus meum: nam ille error non secum patitur intentionem Ecclesiæ: quæ quidem intendit consecrare verum corpus. Et pariter Arrianus, licèt ipse crederet patrem esse maiorem filio, vbi tamen errorem non induceret in forma, posset quidem habere intentionem Ecclesiæ. Si autem in forma diceret, patris maioris, intentioni Ecclesiæ aduersaretur, quæ baptizare intendit in nomine, & fide trium personarum æqualium. Pari modo si quis baptizaret in forma cap. Retulerunt. de consecr. dist. 4. In nomine patria & filia, intendens Deum habere filiam, non baptizaret, secùs si ex balbutie pro, filij, diceret, filia. De his autem in citatis articulis amplissimè diximus. Hoc autem præterea admonuerim, quòd forsan error Græcorum non illucusque protenditur, vt putent nos non baptizare: nam citatum capit. finale nihil aliud refert, quàm quòd Græci eousque cæperunt abominari Latinos, vt baptizatos ab ipsis ausu temerario rebaptizare præsumerent. Forsan quia nos pro hæreticis ducebant, & cum Donatistis existimabant baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos.

Forma mutata non corrumpens verba necessaria, sacramento non obstat.

Percontaberis autem, quid si Latinorum quispiam apud nos Græcorum forma vteretur, vtrùm verè baptizaret: quòd si sic baptizaret, quantam committeret culpam? Ad primum membrum Innoc. alioqui vir doctissimus, in cap. 1. de bapt. & eius effectu respondet, quòd si quispiam apud nos baptizaret sub hac forma. Baptizet, vel baptizat te Christus, vel Petrus, vel sacerdos, se demonstrato; vel baptizeris à Christo, vel à tali homine, non baptizaret, quia non seruaret formam latinam. Veruntamen in alia prouincia, quæ nostram formam nunquam recepit, verè baptizaret. Et alludit ad Græcos verè baptizantes.

An si quis Latinorum vtatur forma Græcorum, verè baptizet.

Multa hic tamen complicat Innocen. Primum quòd apud Græcos idem est dicere, baptizetur seruus Christi, ac si diceretur, baptizeris in Christo, vel baptizet te Christus. Atque hoc probè quidem: nam ipsi non intendunt dicere, baptizetur seruus Christi à me, aliàs pariter dicerent. Ego te baptizo, sed baptizetur seruus Christi ab ipso Christo. Quare similiter dicere possent: Baptizet te Christus. De hoc autem quod subdit, baptismum sub illa forma si apud nos à latino vsurparetur, non fore tunc baptismum, meritò profectò, salua tanti viri autoritate, reprehenditur ab

Innoc. negat

Responsio est aff.

Adriano in 4. q. 1. art. 2. id quippe nullam habet probabilitatem. Enimuerò cum vbicunque seruantur omnia, quæ sunt de essentia sacramenti, fiat sacramentum; & in illa Græcorum forma seruentur omnia (alias nec illis esset sacramentum) fit vt etiam apud nos sit sacramentum. Vnde fit consequens, vt quicquid est sacramentum apud aliquos, fit pariter apud omnes. Quoniam Ecclesia nequit formas apud diuersas nationes variare quantum ad suam essentiam, ac proinde nec quantum ad hoc, quòd teneant in vno loco, & non in alio. Sed vbicunque exprimitur actus baptizandi cum persona baptizati, & inuocatione trinitatis, vt habetur in concilio Florentino, fit baptismus. Secùs quantum ad culpam baptizantis si non seruat formam Ecclesiæ. Neque verò obstat illa forma per tertiam personam. Baptizet te Christus: nam si per passiuam quis dicere potest, baptizetur seruus Christi à Christo Iesu, vt intelligunt Græci; cur non poterit verbum verti in vocem actiuam? Eò præsertim, quòd in confirmatione Constantini Imperatoris, vt patet in prologo ante Synodum Nicænam, vsus est Syluester illa forma. Signat te Deus sigillo fidei in nomine Patris, & Filij, &c. Quia vtique ratione, & in sacramento pœnitentiæ, licet quis diceret, Absoluit te, vel Absoluat te Christus; verè absolueret; quamuis peccaret. Nam & forma extremæ vnctionis est, Indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum, &c. In summa si expressio solius ministri sufficit, vt exercentis actum, Ego te baptizo, cur non sufficiat expressio Christi, qui per suum ministrum baptizat?

Occurritur obiectioni.

Sed forsan quis arguat. Hæc forma videtur excludere actionem ministri, quasi ipse non baptizet, quam quidem actionem Christus ministris attribuit, dicens: Baptizantes eos: sicuti & actionem remittendi peccata eis pariter adscribit, tanquam ministris Ioan. 19. Quorum remiseritis peccata, &c. ergo forma hæc non est legitima. Secundò, quia in verbo, baptizo, intelligitur non solùm ablutio interior, verùm & exterior, illam significans; iuxta verbum Augustini: Quæ est ista virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluit? Christus autem, vt libri 3. contra literas Petilia. cap. 49. idem ait Augustinus non abluit exterius, sed interius. Sacerdos, inquit, exterius tangit corpus, & Christus interius abluit, secundùm illud Ioann. 1. Super quem videris, &c. ipse est qui baptizat in Spiritu sancto: ergo necessarium est personam ministri vel exprimere, vel subnotare. Respondetur, quòd vtraque ablutio fit, & à Christo per ministrum, & à ministro vice Christi.

Christus nō solum interius baptizat, sed etiā exterius per ministrum.

Quare non solùm est verum, quod Christus baptizat interius, sed etiam exteriùs. Nam cùm Ioann. 3. affirmatum esset, quòd Christus baptizaret: statim cap. 4. declarat Euangelista, quòd ipse non baptizabat, sed discipuli eius. Baptizat ergo Christus exteriùs per discipulos, & vicissim internam gratiam mediante actione discipulorum infundit. Augusti. ergo hoc duntaxat vult dicere, quòd Christus per se quidem tangit cor, non autem per se corpus. Igitur vt summatim cuncta comprehendamus, si quis in forma actionem ministri excluderet dicens. Baptizet, vel absoluat te Deus, vel Christus quem ego nullatenus baptizo, aut quem ego non absoluo, profectò non baptizaret, quia aduersaretur intentioni Christi, & Ecclesiæ; sed si illa non fiat exclusio, sufficiens est forma exprimendo solum Christum, qui intelligitur per suum ministrum baptizare. Quo fit, vt si forma Græcorum esset. Baptizetur seruus Christi à Christo & nullatenus à me, certè Ecclesia illum errorem non toleraret, sed tolerantur subticere nomen ministri, cuius tamen actio illic intelligitur.

Qui in forma excludit actionem ministri, nō perficit sacramentū.

Longe autem minus probabilitatis habet aliud quod Innocen. subdit: videlicet, quod non esset baptismus si quis diceret. Ego Petrus, aut ego sacerdos baptizo te, & baptizetur seruus Christi à me Petro, sese designando. Quia hic nihil sanè de essentia formæ variatur. Imò quamuis baptizans crederet illam esse necessariam formam, ita quod sine illa expressione forma non esset sufficiens, illa ignorantia non tolleret veritatem sacramenti: quia licet esset cōtra scientiam Ecclesiæ, potest tamen cum illa ignorantia extare legitima intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

De culpa verò mutantium formas Ecclesiæ: vt si Latinus apud nos vteretur forma Græcorum, re vera genere suo esset peccatum mortale. Nam postquam Ecclesia dicitur illos tolerare, signum est grauem esse errorem credentium nos perperam baptizare: & ideo qui apud nos vteretur illa forma intendens illum errorem, grauissimo delinqueret peccato. Quinuerò licet eundem errorem non intenderet, sed pro libito suo vellet vti illa forma, vix posset propter scandalum & suspicionem eximi a mortali. Quamuis fortasse secluso scandalo in secreto non esset grauiùs quàm veniale. Nihilominus Ecclesia grauiter sacerdotem ob suspicionem puniret. Vtrum autem Græci peccent Scot. præsenti. dist. q. 2. artic. 2. dicit, quod aliquando eis fuit licitum propter permissionem Ecclesiæ. Si autem postea Ecclesia latina id prohibuit, peccant. At verò nusquam talis prohibitio legitur, & ideo non peccant: imò forsan peccarent vtendo nostra forma propter scandalum, quod apud illos orietur. Alia verò additio. Ego Petrus, vel ego sacerdos te baptizo, nihil culpæ aut quam minimum affert.

Græci non peccant sua forma vtendo.

De mutatione autem verbi, baptizo, in alia æquipollentia, an scilicet dicere liceat, Ego te abluo, tingo, mergo, &c. non parum inter doctores controuertitur. Innoc. enim loco citato in cap. 1. de bap. ait non esse baptismum, si quis dicat balneo, vel abluo. Et glossator Decreti super can. Multi. de consecr. dist. 4. ait non esse sacramentum, si quis dicat. Ego te mergo. Et ex theologis Alexand. 4. par. 13. memb. 3. art. 3. idem sentit. Et Gabriel dist. præsenti. q. vnica circa finem: quia, inquit, hæc verba non sunt synonyma cum verbo, baptizo, eò quòd, baptizo, non quamcunque ablutionem significat, sed hanc sacram.

De necessitate verbi: baptizo.

At verò iam supra dist. 1. de his satis superque dictum est. † Licet enim vti verbis loco verbi, baptizo exprimentibus eundem actum & effectum: nam tunc nihil mutatur, quod sit de essentia sacramenti. Quandoquidem etsi Christus Hebraicè protulerit illam formam, nihilominus Ecclesia retinuit verbum Græcum, baptizo, rationibus per nos illic allatis. Et Hierony. eodem loco super Matth. pro, baptizantes, semper legit, tingentes. Et Augus. baptismus, inquit, est tinctio aquæ, &c. Tutiùs ergo possumus dicere, abluo, vtpote quòd explicatius significat naturam baptismi, quàm tingo. Eò potissimum, quòd cùm vnusquisque possit in sua lingua baptizare, atque adeò nomina patris & filij maternis vocibus pronuntiare; non est cur non & verbum baptizo possit alia voce exprimere. Ad hæc, cùm Apostolus ad Ephes. 5. baptismum appellet lauacrum aquæ, nullus sit reliquus metus, quin pro, baptizo dicere liceat, lauo, sicuti sæculares in extrema necessitate baptizantes dicere nonnunquàm consueuerunt. Imò vt artic. 7. videbimus, cùm quis per effusionem, vel aspersionem baptizat, quamuis non dicat nisi, Ego te aqua vel infundo, vel aspergo, erit baptismus. De verbo autem, mergo, obscurius esset dubium: quia mergere non tam propriè significat abluere, aut intingere, cùm fiat etiam ad suffocandum, & ad alios effectus. Attamen ex accommodatione vsus quando fit sub illa forma, idem valet quod abluo. Imò, baptizo, omnia illa significat. Vnde quamuis verba non sint omnino synonyma, eodem prorsus modo significantia, satis est vt eundem sanctum effectum ex vsus accommodatione repræsentent. Quocirca si quis diceret. Ego te balneo, non ita tuto asserere auderem esse baptismū: quia balneare alium effectū significat. Multò autem minus si quis diceret. Ego te mitto, aut conijcio in aquas: non enim vsqueadeò laxanda est licentia. Quare hoc modo baptizatos consilium esset sub conditione denuò baptizare. Qui autem diceret. Ego te mundo ab originali, non baptizaret: quia baptismus non quomodocunque mundat; sed per formam ablutionis, quæ ideo explicanda est. Sicut in sacramento pœnitentiæ non licet dicere, Ego te abluo à peccatis tuis; sed Ego te absoluo. Quod autem pro, baptizo, posset dicere episcopus baptizamus, & pro te, vos, si regem baptizaret, iam distinct. 1. satis id affirmauimus, vbi de omnibus formæ mutationibus; videlicet additionibus, detractionibus, transmutationibus, corruptionibus, & interpollationibus adeò copiosè dissertum à nobis est, vt nihil aliud quam fastidium generaret eorum repetitio. Quo loco & intellectum can. Retulerunt. de consecrat. dist. 4. interpretati sumus.

Licet, eo sensu vt per hoc substantia sacramenti non violetur, quamquam ea mutatio non fiat sine peccato: vt idem sup. expresse docuit d. 1. q. 1. a. 1. post medium.

Secundum argumentum D. Thomæ est. Eum, qui actum quempiam exercet, non oportet illum exprimere: vt qui docet, non indiget dicere. Ego vos doceo, quia actu ipso docendi id exprimit. Sicuti ille qui se munit signo crucis, non opus est vt dicat. Ego me si-

Mergo.

gno,

gno, sed faciendo signum se signat. Quinuerò in sacramento Eucharistiæ consecrans non dicit. Ego consecro corpus. Ergo vbi Christus dixit. Docete baptizantes, non præcepit, vt id dicerent, sed vt id facerent.

Cur in baptismo sit potius dicendum, Baptizo quam in Eucharistia, Ego consecro.

Respondet D. Tho. non esse idem de alijs actibus, & de actionibus sacramentorum: nam actio sacramentalis debet significare id quod fit interiùs. Ablutio autem in aqua ad multos effectus fieri potest, & ideo nisi per formam accommodaretur ad significandum hunc peculiarem, vaga, confusaque esset significatio. Et ideo, vt habetur ca. 1. de bapt quamuis quis puerum mergat in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, nisi explicet cum intentione actum baptizandi, non baptizat. Nam cum etiam in omnibus actionibus prophanis, vt ad Colos. 3. refert Pau. debeamus inuocare nomen Domini, fit vt neque illa inuocatio sola, in nomine Patris, &c. exprimeret sacramentalem actionem. De sacramento verò Eucharistiæ diuersa est ratio: nam illud non consistit in vsu & applicatione sacramenti, sed in consecratione, quæ fit per verba. Hoc est corpus meum.

2. Argu. D. Tho.

Tertio argumento quæritur de pronomine, Te, an sit necessarium. Sæpe namque baptizatur surdus, imò plurimum puer nihil audiens: at vt Eccles. 32. legitur, vbi non est auditus, frustra sermo effunditur: ergo non opus est sermonem ad baptizatum dirigere, dicendo, Ego te, &c. Responsio autem est, illa verba non solùm proferri, vt apud baptizatum significent, sed ad explicandam sacramenti efficaciam, quæ illi applicatur. Qua vtique ratione etiam ad creaturas irrationales solet exorcismus dirigi: vt cum dicitur: Exorcizo te creatura salis.

Pronomen, Te.

Necesse est exprimere personam quæ baptizatur.

Ex hac ergo solutione collige necessarium esse personam, cui sacramentum applicatur, exprimere. Quapropter decretum Florentini concilij, vbi habetur satis esse ad essentiam sacramenti, vt actus ministri baptizantis cum inuocatione trinitatis exprimatur: sic intelligendum est, vt exprimatur actus, & eius applicatio ad recipientem: quia non satis exprimitur actus, nisi exprimatur subiectum in quod terminatur. Neque de hoc controuersia est, sed est firma sententia, quæ quidem primum colligitur ex verbis Christi, baptizantes eos. Item ex natura ipsius sacramenti eruitur, quæ consistit in vsu, & applicatione materiæ ad subiectum: quare nisi illud etiam exprimatur in forma, non satis exprimitur actus. Atq; idem patet in sacramentis confirmationis, pœnitentiæ, & extremę vnctionis. Non enim satis esset dicere. Ego chrismo, vel absoluo, nisi addereres, Te. Pari modo non esset baptismus si solummodo diceres, Ego baptizo in nomine Patris, &c. Potest tamen per passiuam exprimi. Tu baptizaris à me, licet culpa esset formam sic mutare; vel in tertia persona sub communi nomine, velut Græci dicunt, baptizetur seruus Christi. Quocirca pariter esset baptismus, si quis loco pronominis diceret. Baptizo hunc vel Ioannem, vt loco citato ait Gabriel. Nam illa expressio tanta est, quanta quæ per pronomen fit.

Argum.

Sed contra hoc fit argumentum. Si liceret loco, Te, dicere, Petrum, sequeretur quòd si putans baptizare Petrum, baptizaret Ioannem, vt si baptizans esset cæcus, cui traderetur alter pro altero, non esset verus baptismus: quia non baptizat eum quem intendit. Quemadmodum & in matrimonio, si quis putans ducere Mariam, duceret Ioannam, non esset matrimonium. Consequens tamen est falsum: nam intentio Ecclesiæ est baptizare hunc quisquis sit. De hoc satis suprà diximus dist. 1. q. 5. artic. 8. Et ideo hic sat est consequentiam negare. Quemcunque enim sacerdos arbitretur baptizare, semper in illo virtute manet intentio Ecclesiæ, quæ est baptizare hunc, siue dicat hunc, siue te, siue Ioannem. Quicquid namque sacerdos intellectu putet, non habet intentionem negatiuam, vt si non sit Ioannes, eum non baptizet; alioqui sacrilegus esset, & sacramentum non perficeret. Debet enim determinatè baptizare hunc. Secùs autem in matrimonio, quod quidem cùm sit vinculum perpetuæ cohabitationis, errore substantiæ personæ vitiatur. Reuise quæ illic adiecimus.

Error ministri circa personam baptizandam non vitiat sacramentum.

Nemo se potest baptizare.

Ex hac solutione colligitur neminem posse seipsum baptizare, vt ait D. Tho. in solutione ad 4. & decernitur in cap. Debitum. de baptis. & eius effectu. Exigitur enim distinctio inter baptizatum, & baptizantem; aliàs forma, Ego te, &c. esset falsa. Quare & Christus etiam ab alio; scilicet, à Ioanne voluit baptizari. Addit nihilominus Inn. in eodem ca. quòd Iudæus, qui seipsum in aquam sub forma baptismi immersit, si absque alio baptismo de vita decessisset, ad patriam protinus euolasset propter sacramenti fidem: at non propter fidei sacramentum.

Igitur de 4. argumento D. Thomæ. An scilicet vnus possit plures simul baptizare, vnúue à plúribus, nihil hic amplius, quoniam dist. seq. art. 6. peculiaris de hoc redibit quæstio. *4 Argu.*

Neque verò quintum magni est momenti: quo arguitur, eò quòd baptismus virtutem habet à passione Christi, debere eius mentionem in forma fieri: nam etsi virtutem inde recipiat (quare ipsa passio principalior est causa, quàm baptismus) tamen quia eadem passio instrumentum est trinitatis, non opus est, vt exprimatur vel ipsa, vel Christus, nisi in nomine filij. Adde: quòd si quis baptizaret in nomine Patris & Christi & Spiritus sancti, verum esset baptisma. Si autem diceret Christi in quantum hominis, volendo eum tali ratione æquare trinitati, baptismum vitiaret: nam Christus quatenus homo non infundit gratiam propria autoritate, id est, increata, sicut in quantum Deus. Si autem quis post tria nomina trinitatis adderet, & Christi, intelligens per suam humanitatem instrumentaliter infundere gratiam baptismi, verum perficeret sacramentum: sicuti si adderet, & beatæ virginis, intelligens non nomine eius, sed eius precibus gratiam donari, sed nonnulla esset culpa illa verborum superfluitate vti. *5. Argu.*

Sextum argum. est. Nomen designat proprietatem rei: sed tres sunt personarum proprietates, s. paternitas, filiatio, & spiratio passiua: ergo tria nomina. Atque adeò dicendum est, non singulariter, in nomine, sed pluraliter, in nominib. Respondet, quod etsi sint tria nomina personalia, est tamen vnum essentiale Dei: & cùm virtus, quæ in baptismo operatur, pertineat ad essentiam: nam (vt est theologorum axioma. Opera trinitatis indiuisa sunt ad extra) dicendum est, in nomine, & non in nominibus. *6. Arg.*

An baptismus conflet si dicatur: In nominibus.

Apparet nihilominus responsio hæc non satis lucida. Emergit siquidem dubium. vtrum dicere in nomine, sit tantum de præcepto baptizantis, vt non peccet; an verò de essentia baptismi, vt si dicat in nominib: nullum sit baptisma. Et ratio dubitandi est, quia si quis diceret repetendo, in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti, profectò baptismus esset, quia idem repetitur nomen: cur ergo non, si dicat, in nominibus? Item quæritur quid hic voce nominis intelligitur: si enim intelligitur inuocatio, quid obstat tribus inuocationibus inuocare personas? Si autem intelligitur autoritas, aut virtus, quid nam vetat illam pluraliter inuocare, postquam est in omnibus personis? Quòd si dicas intelligi nomen Dei prout est commune trib. deberemus tunc dicere in nomine Dei.

Hugo. Quid nomine intelligatur.

Hunc locum egregiè tractat Hug. lib. 2. de sac. p. 6. c. 2. vbi ait, quòd cùm nomen idem sit, quod notamen, sit vt nomen designet notitiam rei: quare qui latissima fama nomen suum celebrauit, magnum dicitur habere nomen, iuxta illud Psalm. 8. Quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Notitia verò Dei habetur per fidem: ergo idem est dicere in nomine, quod in fide patris & filij, &c. Et quoniam eadem est fides trium personarũ, dicendum est in nomine, & nõ in nominib. Atque huic expositioni maximè illud consonat euangelicum. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Vbi fides cum baptismo quasi forma cum materia coniungitur. Atque illud deinde ad Ephes. 4. vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Imò nomen non solum internam fidem significat; verùm illam ore confessam. vnde ad Rom. 10. Paul. Corde, inquit, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: quasi salus illa, quam baptismate comparamus, fidei confessione nobis obueniat. Vnde baptismus dicitur sacramentum fidei, id est, quo fidem inuocatione trinitatis profitemur. Quapropter non illa perplacet Magistri interpretatio d. 3. vt in nomine, idem sit quod in inuocatione, & confessione trinitatis: nam hoc ipsum dicere in nomine Patris, &c. est ipsa inuocatio & confessio. Inuocatio autem non fit inuocatione. Designatur ergo fides Dei vnius & trini, quæ habent quidem diuersos articulos personarum; sed tamen ad vnam primo terminatur essentiam, quæ communis est tribus. At verò quamuis ex-

positio

positio hæc legitima sit, quam Alex. 4. p. q. 13. memb. 32. & D. Tho. præs. d. in 4. art. 2. secuti sunt, nihilominus non ineptè exponi etiam potest in nomine, hoc est, in autoritate, potestate, & virtute patris & filij, &c. quod in presentiarum D. Tho. insinuat. Quemadmodum prætor id quod facit, nomine, id est, autoritate, regis facit. Enimuerò non solum hac confessione Deum trinum confitemur; verum & eius potestate & fauore salutem, atque nos eius gratiam per baptismum consequi. Id quod etiam designamus dicentes in nomine Patris, &c. secundum illud Psal. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Atque illud; Deus in nomine tuo saluum me fac. Quod quidem nomen omnipotentiam Dei significat.

Non valet sacramentū si dicatur: In nominib.

Vt ergo ad dubium respondeamus. Marsi. q. 3. ar. 4. ait, quòd si quis, saltem ex ignorantia, vel lapsu linguæ, pro eò quòd est, nomine, diceret nominibus, non audet definire non esse sacramentum, si intentionem habeat Ecclesiæ: nam fortè, inquit, Deus ratum haberet. At verò contra facit, quod si ille, qui sciens & prudens sic loqueretur, non perficeret sacramentum, profectò neque si ex ignorantia id proferat. Igitur cum Magistro Sentent. præs. distin. respondetur particulam, in nomine, esse de essentia sacramenti; ita vt si dicatur in nominibus, nullum erit. Atque adeò hic est sensus S. Tho. in præsentiarum. Ait enim Hiero super illud Ephe. 4. vnum baptisma, quòd non baptizamur in nominib. patris, &c. sed in vno nomine, quod intelligitur Deus: qui, s. vnus est, vbi Hiero. docet nomen in præsentiarum non accipi personaliter, sed essentialiter.

Vnde ad argu. fateor, quòd licèt quis diceret in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti, perficeret quidem sacramentum; quia non ideo asserit esse plura nomina, sicut qui diceret in nominibus, sed idem essentiale Dei nomen repetit commune tribus. Quocirca qui diceret in nomine hoc, quod est, pater, & in nomine, quod est, filius, & in nomine, quod est Spiritus sanctus, non baptizaret, benè tamen, qui diceret in nomine Dei Patris, &c. quia nomen non refertur ad illa personalia, sed ad hoc essentiale. Qui autem non diceret, in nomine, sed in virtute patris, &c. ait Inn. in c. 1. de bap. eum non perficere sacramentum, quia virtus non dicit totum quod nomen: Et forsan verum ait. Nam etsi hic D. Tho. vim huius quod est nomen, per id quod est virtus exprimat; tamen cùm nomen suo ambitu & fidem sonet & virtutem, & autoritatem, & potestatem, &c. nefas esset aliquod illorum loco huius, quod est nomen, subrogare. Imò præterquam quod esset crimen, nequaquam esset tutum illud existimare sacramentum. Imò deberet sub conditione iterari.

Dubium erit si dicas: In virtute.

7. Argu.

Septimum arg. D. Thom. plusculum ambiguitatis habet. An videlicet liceat personas trinitatis per alia exprimere nomina, quàm patris, &c. Arguitur n. persona patris multis alijs nominibus significatur: nempe, innascibilis, genitoris; & persona filij nomine geniti, & verbi: & persona spiritus sancti nomine procedentis, & paracleti, & amoris, &c. ergo satis est dicere, in nomine genitoris, & geniti, & paracleti. Respondet, quòd sicut in materiam baptismi assumitur aqua, eò quòd eius cōmunior est vsus ad abluendum: ita ad significandas personas diuinas assumuntur illa nomina, quæ magis sunt in vsu in lingua, in qua fit baptismus. Hæc autem sunt pater, filius, & spiritus sanctus, quare in alijs, inquit, non perficitur sacramentum. Hic primum omnium supponit D. Thō. baptismum (id quòd in 4. d. præsen. art. 2. ad. 4. expressè affirmat) in nomine trinitatis, nisi personæ exprimantur, non esse sacramentum, quæ quidem (præterquam Caietani, quem art. sequ. confutabimus) omnium est generalis confessio.

Nullum est sacramentū, vbi tres personæ Trinitatis distinctè non exprimuntur.

Hoc ergo interim nunc supposito suboritur dubium; vtrum per alia nomina satis sit easdem personas exprimere. Et quidem sententia est omnium concors doctorum, non esse sacramentum, nisi his nominibus exprimantur personæ. Fuit enim sententia Altisio. loco citato li. 3. tta. 3. c. 4. quæstiunc. 4. Alex. 4. p. q. 13. memb. 3. art. 3. Bona. d. præs. q. 5. & Ric. ar. 3. q. 3. & Sco. & Durand. q. 2. Marsi. q. 3. art. 4. ac subinde aliorum minoris notæ, quos non opus est allegare. Benè ergo ait Gab. d. præs. esse opinionem omnium Theologorum. Contrarium tenet gl. in can. Multi sunt, de consec. d. 4. Ex Theologis autem Pal. d. præs. q. 1. hæsitare cœpit. Caiet. verò audenter affirmat non annullari sacramentum si quis dicat, in nomine genitoris & geniti, & procedentis ab vtroque. Et adducit rationes quinque. Primum autoritatem Nicolai de consec. d. 4. can. A quodam. vbi ait in nomine Christi ideo valere baptismum, quia vnum & idem est significatum, ac si dicatur, in nomine Patris, &c. vbi subinde docet satis esse explicare personas nominibus æquipollentibus. Genitor autem & genitus & procedens eadem personas significant, quas pater & filius & spiritus sanctus. Neque obstat, inquit, argumentum in contrarium, quòd genitor significat actum notionalem de formali, scilicet, generationem, pater verò relationem paternitatis: nam non est, ait, habenda ratio significati formalis, sed materialis, putà personæ, quæ vtroque nomine significatur. Et confirmatur ratio: quoniam suprà d. 1. q. 1. ar. 7. dictum est, satis esse vt nomina ex accommodatione vsus idem significent: vt si dicat quis baptizamus, pro baptizo, aut in nomine patria, pro patris: genitor autem & genitus & procedens ab vtroque ex accōmodatione vsus idem significant, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus: quoniam neque nomina Patris, &c. virtute significationis proprie significāt personas diuinas, sed generatim vniuersos etiam patres, & filios creatos, sed vsu loquendi significant propriè illas personas, & pariter genitor & genitus. Secundum testimonium est autoritas Ambrosij in lib. de Spiritu sancto ca. 3. vbi ait, quod nomine Christi, quod est vnctus, intelligitur pater, à quo vnctus est, & Spiritus sanctus, in quo est vnctus. Multò autem explicatius eædem personæ explicantur nomine genitoris & geniti. Tertia autoritas est concilij Florentini, vbi decernitur, quòd si exprimatur actus qui per ministrum exercetur cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum. Et 4. quia si quis inuocet Trinitatem nomine genitoris & geniti & procedentis, tam perfectè eam inuocat, ac si dicat Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et qui fidem eiusdem Trinitatis per illa nomina confiteretur, legitimè illam confiteretur. Et quintò arguitur, quia si quis diceret, in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti, plenum administraret sacramentum: cur ergo non si dicat geniti? In summa ait, quòd Christus iubens baptizare in nomine Patris, &c. non coarctauit ministros ad illa verba; quod est dicere, non accepit illa materialiter tanquam necessaria, sed solùm vt exprimerentur illæ personæ legitimis nominibus.

An pro nomine Patris, &c. sufficiat alijs verbis vti aquipollentib.

Caiet. affirmat.

Proponuntur eius rationes.

Et quidem fateor argumenta ista nonnullam præ se ferre probabilitatem, eò vel maximè, quòd sacramentum pœnitentiæ, quod Christus instituisse videtur sub illis verbis, Quorum remiseritis peccata, Ecclesia administrat sub illo verbo absoluo. Ac demum arguitur. In quacunque lingua licet proprijs nominibus personarum vti: esse tamen potest aliqua, in qua non est proprium nomen patris, sed per periphrasin explicatur. Sicut Cantabri non dicunt Deum, sed supernum Dominum, & Galli non dicunt auum, sed magnum patrem. Quare baptizantes in illa lingua non dicent patris, & nihilominus perficient sacramentum. Cur ergo non liceat dicere genitoris. Atque ob id potissimum quòd etiam Latini sæpè pro patre dicunt genitor. At verò quoniam in verbis sacramentalibus non licet ad libitum loqui, neque forsan tam rationibus enitendum est, quàm testimonijs sacris secundum vniuersorum Doctorum interpretamenta expositis: profectò non esset satis tutum singulari opinioni Caietani, contra vniuersalem Doctorum adhærere. Nam primum glossa, quam assertioni D. Thomæ assuere conuitur, nulla prorsus est. Ait quippe sensum S. Tho. non esse, quòd alijs nominibus non perficeretur sacramentum quantum ad sacramenti essentiam, sed quantum ad præceptum. Itaque peccatum esset mutare illa nomina, nihilominus valeret sacramentum. Glossa hæc, inquam, manifestè aduersatur textui. Nam vbicunque aiunt Doctores non perfici sacramentum, intelligunt nullum esse. Quare D. Thom. voluit tenere cum toto cœtu Doctorum. Neque arbitratus est hoc cadere in dubium. Et ratio Altisiodorensis est, quam omnes sequuntur, quod forma sacramenti virtutem habet ex Christi institutione: constituit autem Christus virtutem hanc in forma baptismi illis peculiariter verbis impertiri, quæ hypostases personarum significant, ideò quòd cùm

Non est satis tuta opinio Caiet.

illa

Digitized by Google

illa in omni lingua habeantur tanquam propria personarum nomina; condecentissimum ergo fuit, vt sacramentum, in quo professio fit fidei ad confessionem, sub illis nominibus esset coarctatum.

Ad argu. Caietani.

Igitur argumenta Caiet. non sunt tanti vigoris. Ad id enim, quod adducit ex can. A quodam. respondetur, non concludere quòd nomine Christi possit nunc conferri sacramentum, sed tunc quando erat dispensatio, vt artic. sequenti videbimus. Et eodem pacto respondebitur ad Ambrosium. In vtroque enim Caiet. diuersus est à D. Thom. scilicet quòd valeat baptismus in nomine genitoris, & geniti; & quòd modò valeat in nomine Christi. Neque illud de accommodatione vsus tantam vim habet in proposito: nam quando Christus instituit formam sacramenti, siue fuerit tunc Matt. 28. siue ante, quando fuit baptizatus, nulla erat forma ex accommodatione vsus significans propriè & singulariter personas trinitatis, sed ipse instituit illa, quæ sunt propria. Personæ namque non constituuntur per actus notionales, qui significantur nomine genitoris & geniti: sed per relationem patris & filij & spirationis passiuæ, quam importat Spiritus sanctus. Quare illa habentur pro nominibus propriis, sicut si pater appellaretur Petrus, & filius, Ioannes. Quod autem adducitur ex concilio Florentino, nullius est vigoris: nam quod dicitur sub inuocatione Trinitatis, intelligitur sub expressis nominibus, vt in verbis proximè præcedentibus fuerat explicatum. Ad quartum verò respondetur, quòd etsi extra sacramentum abundè quis confiteatur Trinitatem sub illis nominibus genitoris & geniti & procedentis, non tamen in sacramento propter Christi institutionem. Ad quintum autem iam suprà diximus, quòd si loco filij quis dicat Iesu Christi, non coarctando ad id, quod est in quantum homo, plenum est sacramentum: quia Iesus Christus etiam est nomen personæ diuinæ, sicuti filius; sed in quantum homo habet creatam potestatem, quæ non est illa essentialis communis tribus, & ideo non esset sacramentum. Ad aliud negamus Christum non coarctasse ad illa verba: nam quamuis non accepit illa materialiter, tamen iussit illo pacto exprimi personas. Ad aliud de sacramento pœnitentiæ respondetur, quòd non solùm per verbum, remitto, sed per verbum absoluo Christus dixit: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Eò præsertim, quòd actionem sacramenti liberiùs possumus per verba æquipollentia efferre, quàm personas trinitatis, quarum est necessaria confessio. Ad postremum respondetur, quòd qui non habent nomen proprium patris, aut filij, non coguntur vti nisi illo, quod pro proprio ducunt. His ergo vtrinque iactatis, vel (quod tutius est) opinionem communem doctorum contra Caietanum sustinendam omnino censuerim, vel saltem problema eousque relinquitur dubium, vt si quis sub alijs nominibus quàm Patris & Filij & Spiritus sancti baptizaretur, esset iteratò sub conditione baptizandus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in nomine Christi possit dari baptismus.

QVAMVIS articulo superiori satis constitutum sit personarum trinitatis expressionem necessariam esse in baptismo: tamen propter vsum Apostolorum primum, qui (vt legitur Actuum 8.) nomine Christi baptizabant; quæritur peculiariter, vtrum in nomine Christi possit dari baptismus, sic vt verus esset, licèt modò quis illa forma vteretur. Nam de culpa nemo dubitat, quin ab eo, qui sic hoc tempore baptizaret, committeretur. Et Diuus Thomas non respondet in forma, sed tamen vnicam conclusionem negatiuam constituit, quæ in virtute alteram continet respondalem. Conclusio est: Quicquid desit ad plenam inuocationem trinitatis, tollit integritatem baptismi. Probat conclusionem dupliciter. Primò ratione sic. Sacramenta, vt suprà dictum est, ex institutione Christi habent efficaciam: ergo si aliquid prætermittatur eorum, quæ ipse circa baptismum instituit, efficacia caret: nisi fortè speciali eius dispensatione, qui suam virtutem sacramentis non alligauit, illa fiat prætermissio: Christus autem instituit sacramentum baptismi dari in nomine Trinitatis expressis personarum nominibus: ergo si aliquid eorum omittatur, non erit baptismus.

Quidquid desit ad plenam inuocationem Trinitatis, baptismus non subsistit.

Respondet autem tacitæ obiectioni, quæ ex verbis Ambrosij in lib. 1. de Spirit. san. c. 3. emergit. Verba autem eius hæc sunt. Si patrem dicas, & filium eius, & spiritum oris eius pariter indicasti. Et si spiritum dicas, & Deum patrem à quo procedit spiritus, & filium, quia filij quoque est spiritus, nuncupasti. Quare vna persona prolata, si integra sit intus fides, plenum est, inquit, sacramentum. Et accedit autoritas Euangelij. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Vbi vna sola persona nominatur. Concludit ergo Ambros. quòd propter horum nominum mutuas relationes vna nominata persona, si in mente sit omnium fides, satis est ad sacramentum. Hic autem Ambrosij locus magnum antiquis negotium interpretandi facessit: quoniam neque Magist. neque vllus vnquam hoc concedere ausus est ei, vt prolatio vnius personæ in baptizando sufficiat. Vnde Altisiod. lib. suæ summæ tract. 3. c. 4 q. 2. quem Alexand. atque omnes post sequuntur, bifariam assertum hoc glossat. Vno modo, quod intelligat plenum tunc esse sacramentum, hoc est, plenam fidem eius, qui sacramentum administrat, non autem quod sacramentum sit integrum. Sed glossa hæc non est nisi merum diuerticulum: nam Ambr. videtur de sacramenti plenitudine sermonem habere. Et ideo idem adhibet glossam secundam; videlicet quod intelligatur plenum sacramentum in tempore necessitatis: vtpote si vna prolata persona moriatur puer, aut baptizans obmutescat. Tunc n. inquit, Deus supplebit quod omissum est. Attamen secunda hæc expositio multò præ se fert minus autoritatis, vt d. 1. q. 5. artic. 1. & 8. visum est, & infrà d. 7. art. 2. latiùs. Sunt enim vt art. 11. patebit, tria baptismata, quorum vnum est necessarium. Quando autem non concurrit integra forma, nullus est baptismus fluminis: baptismus autem flaminis fieri nequit, nisi per actum mentis proprium ipsius qui gratiam est consecuturus. Quare cùm paruulus talem actum habere nequeat, sine integra forma baptismi nullum habet remedium nisi baptismum sanguinis; quod modò ad rem non pertinet: & ideo tunc non modò nulla est certitudo, quòd Deus suppleat id quod deest, verùm neque id tutum est, imò temerarium asserere. Expressè enim enunciauit Redemptor. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Ob idque sapienter venerabilis Hugo lib. 2. de sacramen. par. 6. cap. 2. non audet illud fictitium supplementum approbare. Igitur cùm D. Thom. vidisset sententiam Ambrosij per nullam glossam posse turò defendi, prudenti modestia, tacito eius nomine, eius rationem dissoluit. Et potuisset quidem negari, quòd nomine patris intelligatur Spiritus sanctus: nam nomen patris solùm refertur ad filium. Hoc tamen prætermisso respondet, quod licèt in nomine Patris implicitè intelligatur filius, non tamen id sufficit ad perfectionem sacramenti. Quoniam sicut requiritur visibilis materia, ita non sufficit interna Trinitatis fides, nisi sensibilibus verbis exprimantur personæ: vt scilicet forma, quemadmodum diximus artic. præcedenti, confessioni respondeat illius qui baptizatur, credentis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Corde enim, inquit Paul. creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Confirmat deinde Sanct. Thom. conclusionem authoritate Euangelica: nam in baptismo, quo baptizatus fuit Christus, tres personæ distinctæ sensibiliter apparuerunt: nempe Pater in voce, Filius in carne, & Spiritus sanctus in columba. Tunc ergo D. Thom. insinuat fuisse formam Trinitatis institutam, sed Matth. 28. repetitam, & iussam.

Ambrosij sent. examinatur.

Altisiodor.

2. Conclusio.

Ex hac ergo conclusione oritur altera, quæ in hac virtualiter continetur, videlicet, Baptismus in nomine Christi tantùm, nunc temporis non est validus. Probatur, quia in tali forma non exprimuntur Trinitatis personæ more per Christum instituto. Confirmatur præterea conclusio duobus testimonijs. Prius est Pelagij Papæ ad Gaudentium de consecrat. dist. 4. can. Si reuera. cuius verba sunt. Si ij, qui in locis dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodò in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cuiusque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis; cui respondet & can. Multi. eiusdem pontificis. Accedit & testimonium Didymi in lib. de Spiritu sancto. Licèt quis enim, inquit, posse existere mente alienus, qui ita baptizare conetur, vt vnum de prædictis nominibus

(scilicet

(scilicèt trium personarum) prætermittat, tamen sine perfectione baptizabit

Q. perplexa de baptismo in nomine Christi.

Sententia hæc D. Th. de nomine Christi perplexa etiamnum magis est, quàm illa præcedens de genitore & genito, propterea quòd plures, maiorisque autoritatis aduersarios sustinet. Quamuis habeat quidem præcipuos patronos, quales sunt. Altisiodorensis lib. 3. tract. 3. ca. 4. q. 2. & Alexan. 4. par. q. 3. memb. 3. art. 2. & Bonauen. præsenti d. q. 3. & Paluda. q. vnica, & Marsil. q. 3. atque alij iuniores. Richar. namque

1. sent.

præsenti d. art. 2. q. 3. neutram partem definire audet, sed ait baptizatum nomine Christi sub conditione esse rebaptizandum. Atque sub eodem dubio vacillat Scotus eadem distin. q. 2. Aduersariorum autem tenentium baptismum in nomine Christi valere, primus fuit (nisi Ambrosium primum censeas) Athanasius in lib. de Trinit. & Spiritu sancto, & Cypria. epist. ad Quirinum, Beda super Luc. cap. 2 atque autor imperfecti homilia 3. super Matth. Deinde venerabilis Hugo lib. 2. de sacra. par. 6. cap. 3. & secundum ipsum Magist. Senten. præsenti dist. quos sequuntur Canonistarum glossæ in ca. A quodam. & can. Multi. de consecrat. d. 4. Sed inter omnes hic Caietanus assuetanter id adstruit, quem Adrianus Papa q. 1. art. 2. quæstiun. 2. imitatur. Ac totus quidem neruus opinionis S. Tho. ex Christi verbo suum habet robur: scilicet, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Vnde colligit absque eius speciali dispensatione non posse huiusmodi expressionem prætermitti. Caiet. autem contendit autoritatem hanc infringere, dicens eiusmodi Christi institutionem non coarctari ad voces, sed ad eorum significata. Quare satis est, inquit, implicitè & confusè significentur, sicut significantur nomine Christi; imò, vt ipse vult, nomine trinitatis.

Authores contraria sent.

Impugnatur Caiet. de nomine Trinitatis.

At profectò, vt cum bona venia loquar, vix potest glossa hæc à nota nescio quali excusari. Vnde vt prius de nomine trinitatis disputemus, non modo D. Thom. in 4. d. præsenti art. 2. quæstiun. 2. atque omnes, quos hic proximè in eius sententiam de nomine Christi citauimus, omni procul dubio negant nomine trinitatis sic prolatæ perfici sacramentum; verum neque Ambrosius contrarium dixit, neque vllus eorum, qui nomine Christi propter Ambrosij autoritatem sufficere arbitrantur; de nomine trinitatis id vel opinari ausi sunt, vt est videre apud Hugonem, & Senten. Magistrum, atque alios. Iussit Christus baptizare in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, vbi singularum personarum nomina exprimuntur; atque eadem, quæ relationes significant, quibus hypostases constituuntur; quo ergo ausu quis sufficere dicat, vt confuso nomine trinitatis personæ implicitè denotentur, ac si nihil inter expressissimam illam prolationem, & generalissimam trinitatis vocem interst?

Sanctorum testimonia.

Accedunt expressa sanctorum testimonia, vt est illud Fulgentij celeberrimum. Mysterium enim, inquit, illud redemptionis nullo modo habetur si Patris & Filij & Spiritus sancti nomen subtrahatur. Atque illud Didymi in lib. de Spiritu sancto. Si quis ita baptizare conetur, vt vnum ex prædictis nominibus omittat: scilicet, Patris & Filij & Spiritus sancti, sine perfectione baptizabit. Atque sententia omnium expressissima Zachariæ pontificis in ca. In synodo suprà citato. Vbi ait, quod perfectus Christianus nemo est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus. Et subdit, quòd si quis vnam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset. Sed vide lepidam Caietani glossam: ait quippe Papam ibi intelligere, si quis Trinitatem explicitè vel implicitè non nominauerit. Ait Papa non esse verum Christianum nisi qui baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & quòd si vna prætermittatur persona, non est verum baptisma: vbi planè docet sigillatim singulas Trinitatis personas necessario exprimendas; & reclamat Caietanus sat esse eas implicitè nominare. Adiungitur demum & autoritas iuris canonici, vbicunque enim ibidem legitur in nomine Trinitatis, intelligitur personarum expressio. Id quod prudens Innoc. de sum. Trinitate & fide catho. ca. Firmiter. sapienter admonuit, dicens, sacramentum baptismi, quod ad Dei inuocationem (alludens ad illud, nomine) indiuiduæ Trinitatis; videlicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, consecratur in aqua, &c. Vnde quod can. A quodam. de conse. d. 4. Nicolaus Papa in nomine sanctæ Trinitatis valere baptismum, inquit, id in can. Multi. ea. d. explicat Pelagius dicens, quod Christus nos admonuit in nomine Trinitatis mergere, dicens, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Atque idem lib. 4. c. 20. docuit Damasce. Quocirca si apud aliquem sanctorum inueniatur baptismum in nomine Trinitatis sufficere, vt allegatur Bernar. in quadam epistola. intelligitur expressis tribus nominibus, vt bene ait Marsi. q. 3. art. 4.

Caiet. Glossæ.

Innoc.

Iam verò rationem huius veritatis subijciamus. Enimuerò cum sacramentum baptismi sit sacramentum fidei, necesse est in illo integram fidem confiteri & profiteri: sub nomine autem trinitatis solum significatur personarum numerus; non autem ordo & habitudo earū, & proprietates. Non s. exprimitur an personæ sint tres, an verò nullum habentes ordinem. Ad fidem autem non modò necessarium est confiteri esse tres, verum & eo ordine distingui, vt sint pater & filius & spiritus sanctus. Vnde si arguas. Nomine trinitatis earum virtus exprimitur, imò nomine vnius personæ tota autoritas, quæ est in singulis: ergo sufficit nomen vnum personarum confiteri, aut vnam personam. Negatur consequentia: quia opus est exprimere quomodo illa virtus & autoritas participatur à singulis. Qui enim diceret in nomine Patris tantum, quamuis in ipso denotaret filium, non tamen confiteretur, æqualem esse eandem potestatem in filio, veluti cùm ait, in nomine Patris & filij, &c. Hæc demum omnia planissimo Aug. testimonio ad Neophytos, quod refertur de consec. d. 4. can. Prima igitur. ac denique celeberrimo Ecclesiæ vsu confirmatur. Interrogatur n. inquit Aug. ter ille, qui baptizatur, proximè ante mersionem, an credat in patrem, & an credat in Iesum Christū, & an credat in Spiritum sanctum. Et postquam ad singula disiunctim respondet, credo, baptizatur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ad denotandū quod sicut aperta sigillatimque distincta personarum trinitatis confessio requiritur in baptizato, ita earundem expressio exigatur in forma. Et hoc est, quod ait D. Th. requiri formam sensibilem, sicut materiam: Quare glossa Caiet. nulla est, s. satis esse sensibilem nominationem trinitatis, licèt confusam. Debet n. exprimi forma, vt à baptizato, vel eius susceptore audiatur expressa fides, quam confitetur. Quod autem in interrogatione subditur, Credis in sanctam Ecclesiam, &c. non perinde sumitur (vt ibidem ait Aug.) Atque credere in Deum. Ecclesia siquidem non est primus autor salutis nostræ; sed credimus illam esse sanctam quæ in Deum credit, & ideo non est de necessitate formæ, vt Ecclesiæ nomen proferatur. Et quamuis dicamus credere in Iesum Christum, propter eius incarnationis mysteria, nihilominus in forma non ponitur nisi nomen filij, vt secundùm diuinitatem eum nominemus, quæ sibi communis est cum patre & spiritu sancto. Igitur de baptismate in nomine trinitatis nullatenus arbitror hæsitandum, sed negandum prorsus validum esse. Quare ego sic baptizatum non sub conditione, vt in re dubia, sed absolutè tanquam non baptizatum baptizarem.

Cum baptismus sit sacramentū fidei, requisit distinctas personarum expressionē.

Aug. & Ecclesiæ vsus.

Sed & de nomine Christi sunt validissima hæc eadem argumenta, quæ modò desumpta sunt tam ex Euangelio, quàm ex his canonum textibus, atque ex sanctorum alijs. Ad hæc autem adhibentur & duo canones Pelagij ad Gaudent. eadem epistola, qui referuntur de consec. d. 4. can. Si reuera. & can. Multi sunt. In quorum priori ait Papa baptizatos in nomine Domini sine cuiusque dubij ambiguo esse rebaptizandos in nomine trinitatis. Et in posteriori ait, quòd cum multi in nomine Christi vnica mersione se asserant baptizare, Euangelicum nihilominus præceptum admonet, vt trina mersione fiat baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Glossa autem Caieta. est pontificem non negare baptismum in nomine Christi valere, sed in nomine Domini. At reuera glossa hæc ingratissima est textui. Enimuerò nunquam ad pontificem delatum est aliquos baptizatos fuisse præcisè in nomine Domini, quia nullus vnquam talis extitit vsus apud Apostolos, sed semper in nomine Iesu Christi, vt patet Actuum 2. 8. & 10. At quoniam mos erat Apostolis solemnis, Christum appellare Dominum, vt cum post resurrectionem apparuit eis. Dominus, inquiunt, est. Pontifex pro eodem accepit, in nomine Iesu Christi, & in nomine Domini. Quod autem Act. 2. & 19. allegatur quosdam baptizatos in nomine Domini Iesu, vel intelligitur Iesu Christi: vel

Baptismum in nomine Christi tantum, non valere.

si satis

si satis eis erat dicere in nomine Domini Iesu, eadem est censura quæ de nomine Christi. Itaque quouis te vertas, pro eodem accepit pontifex nomen Domini, & nomen Domini Iesu, seu Iesu Christi, & neutrum censet sufficere iam modò ad baptismum. Nam gloss. in c. Multi. dicens non prohiberi baptismum in nomine Christi, contraria est textui. Et pariter gloss. Caiet. dicentis, quòd solùm illic pontifex prætert baptismum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, illi qui fit in nomine Christi. Cum enim dicat pontifex licet multi vnica mersione in nomine Christi baptizent, nihilominus Euangelicum esse præceptum baptizare in nomine Trinitatis; s. Patris & Filij & Spiritus sancti, etiam trina mersione, non solum prætert hoc illi, sed dicit hoc necessarium: nempe, de præcepto. Neque verò illò modo stare potest glossa, solum illic eos reprehendi, qui vnica mersione baptizabant: siquidem præceptum Euangelicum nec est de vna, nec de trina mersione, vt art. sequ. patebit, sed de forma baptizandi in nomine Patris, &c. Vnde expressè pontifex non ait, nisi quòd Euangelicum præceptum dicente & tradente Domino, solum nos admonet, vt in nomine Patris baptizemus. Quòd autem subdit, etiam trina mersione, non refertur ad præceptum: sed ad congruum stylum baptizandi, qui tunc more celebrabatur. Profectò & prior apertus est textus & posterior apertissimus, in fauorem S. Thom. Nec video quomodo eorum sensus valeant aliorsum diuerti. Quibus præterea Florentinum concilium adiungitur: nam cùm illic Græcis præscribatur forma baptismi, permittaturque illis dicere: Baptizetur seruus Christi, sed nihilominus admoneantur, vt non nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizent, egregium est testimonium non censeri legitimum baptismum sub nomine Christi: aliàs eius inibi fuisset adiecta mentio.

Gl. & Caiet. reiiciuntur.

Fundamenta ergò contrariæ opinionis sunt tria hæc, quæ trib. hic argumentis D. Th. tangit. Primum s. ex more Apostolorum, qui (vt Actuum 8. & reliquis allegatis locis legitur) baptizabant in nomine Iesu Christi.

An Apostoli baptizauerint in nomine Christi.

Vbi ante responsum D. Tho. id non silebo, quòd mihi semper verò simillimum visum est, videlicet quòd nunquam Apostoli solennem formam Euangelij baptizantes prætermiserint. Id quod non propter autoritatem Armacani affirmauerim, qui li. 8. de quæstionib. Armenorum c. 3. & infra eandem opinionem sequitur. Scio enim non esse de Ecclesiæ tam benè meritum, vt tanta sit dignus autoritate; sed quòd alijs coniecturis adducar. Conijcio enim morem illum Apostolicum baptizandi in nomine Domini Iesu, causa baptismi Ioannis fuisse introductum. Fuerant enim Hebræi & Samaritani, atque alij circumiacentes sic ad illud baptisma affecti, vt multi forsan illo baptismate tincti renuerent baptizari baptismo Christi, atque alij non baptizati peterent baptizari baptismo Ioannis. Præterquam quòd alij iactabantur se baptizatos vel à Paulo, vel Apollò, vt 1. Cor. 1. docet Apostolus. Et idcò admonebant eos quos baptizabant non baptizare alio baptismate, quàm Domini Iesu. Non quòd dicerent: Baptizo te in nomine Iesu, quasi illa esset forma, sed quòd admonebant eos baptizare baptismate Domini Iesu, & in nomine & potestate eius. Sed tamen sub illa forma, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Atque ad hoc alludit illud Actu. 19. Cùm enim Paulus venisset Ephesum, quæsiuissetque in quo essent baptizati, respondérunt, in Ioannis baptismate. Tunc ait illis Paulus, Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesu. Atque his auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu Christi, hoc est, sicut Ioannes non baptizabat sub illa forma: Baptizo te in nomine venturi, sed dum baptizabat, admonebat vt crederent in eum qui venturus esset, sic baptizare in nomine Domini Iesu erat baptizare in fidem eius, sicut ait ad Cor. Paul. Quotquot baptizati estis, in Christo Iesu baptizati estis. Et ad idem pertinere videtur illud Act. 8. de eunucho, qui cùm interrogatus an crederet ex toto corde, respondisset, Credo filium Dei esse Iesum Christum, baptizauit eum Philippus, in nomine forsan eiusdem Iesu Christi modo exposito. Et forsan huic sententiæ applaudit Damas. lib. 4. c. 10. dicens quod baptizari in Christo significat, credentes in Christum ablui; confessionem tamen edoctos in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quasi hæc sit forma baptismi. Quapropter Apostoli remotas gentes fortè non baptizabant, nisi simpliciter in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Illa n. formâ Abdias Babylonicus Episcopus refert Thomam Apostolum Indiæ regem baptizasse.

1. Respons.

Quòd si hæc interpretatio non omnibus arrideat, saltem vehementer opinor nomen Iesu Christi ipsi formæ solenni immiscuisse, dicentes: Baptizo te in nomine Patris, & Filij Iesu Christi, seu, qui est Iesus Christus, & Spiritus sancti. Etenim ad commendandum nomen Iesu Christi nihil opus erat formam solennem prætermittere. Imò ad eius commendationem maximè referebat docere eundem esse Patris Filium, qui erat Iesus Christus, quem ipsi prædicabant. Atque adeò hoc inde forsan in vsum Ecclesiæ relictum est, vt catechumeni postquam interrogantur, an credant in Deum Patrem omnipotentem, interrogentur an credant in Iesum Christum: licèt iam non ponatur in forma nisi filius. Atqui secundum istam interpretationem non opus est recurrere ad reuelationem, vtpotè sine qua illi poterant eiusmodi adiectionem facere. Neque verò dubium est, quin id ipsum modò liceret. Quinimò in insulis, vel inter infideles, vbi noua fieret Euangelij prædicatio, non solum nulla esset culpa, verum fortè esset operæpretium baptizare dicendo: In nomine Patris & Filij, qui est Iesus Christus, & Spiritus sancti.

Secunda.

Veruntamen propter autoritatem & honorem multorum patrum, qui arbitrati sunt Apostolos quandoque baptizasse in nomine solum Iesu Christi, subtacitis alijs Trinitatis personis: Accedit tertia solutio D. Th. quæ est ferè generalis omnium: videlicet, illum eos morem speciali reuelatione Christi suscepisse, vt eius nomen, quod Iudæis erat scandalum, Gentibus autem stultitia, ob id honorabile, amabileque redderetur, ad eius inuocationem Spiritus sanctus visibiliter descendebat. Contraria verò opinio ait, eiusmodi reuelationem merum esse comentum, quia nec legitur vbi facta fuerit, neque vbi fuerit reuocata. Neque verò Ambrosius morem illum ad illam reuelationem refert, sed ad mysterium: quia nomine Christi omnes personæ denotantur. Status ergo controuersiæ in hoc puncto consistit: nam si solùm ex reuelatione fiebat, vera est opinio S. Th. quod scilicet iam cessauerit, postquam Ecclesia vsum illum baptizandi iam modo repudiauit. Si autem non ex reuelatione sic baptizabant, sed quia nomen Christi tantum valet, quantum nomen patris, &c. cùm nunc idem nomen eandem retineat significationem, sit consequens, vt si talis baptismus modò fieret, solidus esset.

Tertia. Si Apostoli baptizauerunt in nomine Christi, opus fuit ad hoc reuelatione diuina.

Hoc autem non possumus liquidis rationibus commonstrare, sed solum coniecturis suadere. Igitur quod solum tunc ex reuelatione id facerent, si tamen sic baptizabant, primum argumentum est quòd D. Thom. satis esse putat. Christus præcepit baptizare in nomine Patris, &c. contra institutionem autem Christi, cùm sit diuina, nemo nisi ex eius dispensatione agere potest: ergo tunc erat dispensatum.

Probatur 1.

Secundum autem argumentum adhibebo. Iam modò non licèt baptizare in nomine Christi; imò profectò esset peccatum mortale, & tanquam tale puniretur ab Ecclesia. Nam quicquid sit, pro tempore Nicolai autoris canonis. A quodam Iudæo, iam ab illo tempore inauditus est talis baptismus. Et cùm tam multi authores negent baptismum tali modo iam valere, sacrilegium certè esset solenni forma omissa, quæ certa est, dubiam vsurpare. Hoc ergo supposito, quod credo nullus contrariæ opinionis negaret, sic arguitur. Ecclesia nullam fecit prohibitionem huius specialem, sed censet talem baptismum fieri contra præceptum Christi, vt expressè habetur in dicto cano. Multi sunt. contra quod quidem præceptum non fiebat tempore Apostolorum: hæc autem varietas esse non potest, nisi quia tunc erat dispensatum, & modò non.

Secundò.

Tertiò arguitur. Si Apostoli illo sæculo non ex dispensatione & iussu Christi illa forma vtebantur, sed quia æquipollebat alij Euangelicæ sibi propositæ: consequitur, vt promiscuè vterentur vna aut altera, ita vt quandoque baptizarent in nomine Patris, &c. & tamen illo tempore, quod refertur in Actibus Apostolorum propè ascensum Domini, nunquam leguntur baptizasse, nisi in nomine Iesu Christi: ergo signum est aliquo tempore habuisse mandatum sic

Tertio.

Digitized by Google

baptizandi, quo fortè ipsis viuentibus cessante, cœperunt in alijs regionibus solenniter baptizare in nomine Patris, &c. Et quartò tandem confirmatur, quia si tunc ille vsus non ex dispensatione manabat, sed quia idem est in nomine Christi, & in nomine Patris, &c. re vera nulla apparet ratio, cur Ecclesia nunc non permittat absque vllo discrimine vtramq; formam. Baptizabant ergo sub illa forma ex reuelatione.

Solvitur 2. Argu. petitum ex S. Ambrosio

Secundum fundamentum eiusdem opinionis, est Ambrosij libro 1. de Spiritu sancto capite 3. quod est secundum argumentum D. Thomæ. Ait quippe, nomen, Christus, idem esse quod vnctus, quare eodem nomine intelligitur pater, a quo vnctus est, & Spiritus sanctus, in quo vnctus est S. verò Tho. respondet neutiquam D. Ambrosium assignare absolutam rationem, vt forma in nomine Christi de se tantum valeat, sicut in nomine Patris, &c. sed eatenus hoc dixisse, vt explicaret, quòd illa dispensatio non erat omnino contraria præcepto baptizandi in nomine Patris, &c. quia saltem in illa intelligibiliter. j. implicitè quantùm ad mysterium includebantur tres personæ. At verò nisi dispensatio adsit, non est sufficiens de se forma ad sacramentum: vtpote, quod earundem personarum sensibilem exigit expressionem.

Nota de Ambro.

Veruntamen expositionem hanc contraria opinio adscititiam & fictam arbitratur, pro eo quòd Ambr. nihil de dispensatione meminit, sed tantùm ad significationem nominis recurrit. At verò licèt de illa non meminerit, necessum tamen est eius sententiam vel sic interpretari, vel certè subterfugere; vt videtur S. Th. fecisse. Enimuerò si tanta esset fides in hac parte Ambrosio arroganda, non solum in nomine Christi, verùm & in nomine solius Patris, aut solius Filij, aut solius Spiritus sancti esset legitimus baptismus: quoniam in vna, inquit, persona cæteræ intelliguntur.

Adrianus.

Quod tamen nullus vnquam voluit hactenus illi concedere, nisi solus Adrianus, qui tortuosissimè glossat can. In synodo dicens, quòd intelligitur nomine vnius personæ non perfici sacramentum, quando baptizans intendit solam illam personam confiteri, & non alias. Quæ quidem expositio profectò iniuriosa est textui, & sacramento. Requiritur n. sensibilis oris expressio personarum qualis corde creditur; iuxta verbum sæpe citatum Pauli. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Si ergo neque Hugo, neque Magist. nec vllus antiquorum, Ambr. de hac re subscribere ausus est, nihil mirum si neque in expositione de nomine Christi simpliciter sustineatur, sed vel glossetur, vel cum omni veneratione eius autoritas dissimuletur; postquam Euangelium, & dicta aliorum sanctorum reclamant. Etenim quod in nomine Christi intelligatur pater vngens, & spiritus in quo vngitur, minis reconditum mysterium est. Primum n. quamuis non esset vnctus à patre, sed vel à propheta, vel ab angelo, fuisset verè vnctus. Et Psalmus non dicit, nisi: Et vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ; nihil inter patrem & Spiritum sanctum distinguens, quamuis Act. 10. dicatur: quem vnxit Deus Spiritu sancto. Imò quicquid charismatum vel vnctionis Christus in quantum homo percepit, à tota Trinitate susceptit, cuius opera sunt extra indiuisa. Ad hæc demum fortasse non opus erat Apostolis exprimere nomen Christus: nam vt habetur Act. 2. & 19. & alijs locis, etiam sæpe habetur, quod baptizabant in nomine Domini Iesu. Quicquid autem de hoc sit, certè non baptizabant in nomine Christi, propter mysterium illud, sed vt amabile illud nomen redderetur: atque adeò ex dispensatione id faciebant.

Solvitur arg. 3 petitum ex Nicolao Papa can. A quodam Iudæo.

Tertium fundamentum, atque adeò Achilles contrariæ opinionis est authoritas Nicolai Papæ ad consulta Bulgarorum de consecrat. dist. 4. cano. A quodam Iudæo. quam S. Th. 3. arg. refert. Et fatcor hoc esse maximum eorum molimen. Ait quippe pontifex, Qui in nomine tantùm sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Actib. Apostolorum legitur) baptizati sunt, (vnum quippe, idemque est, vt S. ait Ambr.) rebaptizari non debent. Planè ergo censet, baptismum in nomine Christi esse validum, non propter dispensationem; sed quia idem est, vt ait Ambrosius, quod in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Respondet autem D. Th. nihil aliud, quàm quòd cùm Nicolaus dictum suum ex duobus præmissis confirmet: scilicet, ex vsu Apostolorum, & autoritate Ambrosij, eisdem solutionibus fit illi satis.

Expenditur S. Thomæ responsio.

Hæc autem responsio à patronis contrariæ opinionis elusio potius iudicatur, quam dilutio autoritatis. Nam vel vult sentire, quòd determinatio Nicolai ad tempus Apostolorum referenda sit, ita vt dicere voluerit tunc temporis valuisse baptismum. Et ita Duran. & Palud. præsenti dist q. 1. interpretantur. At profectò glossa hæc nihil habet amicitiæ cum textu. Quoniam Nicolaus per quingentos, & plusquam quinquaginta annos distauit ab ascensu Domini: quare si Apostoli per totam dispensationem sic baptizabant, iam diu illa dispensatio cessauisset; & tamen tunc suo tempore baptizatos sub nomine Christi approbat. Vel vult dicere S. Tho. quòd Nicolaus ratum habuit baptismum ministratum ab illo Iudæo, ob id quòd eandem habuisset reuelationem, quam Apostoli. Et hæc est interpretatio Matsilij. At verò neque ista glossa textui est grata: quoniam papa nullam facit reuelationis mentionem; sed ait, ordinario iure valere baptismum, quia illa forma æquipollet alteri in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et ideò apparet hic, & quandoq; mihi etiam apparuit inextricabilis nodus contra D. Tho.

Sed tamen sensu responsionis eius consideratius perpenso, non adeò apparet difficilis. Videtur enim dicere, quod postquam Nicolaus soli vsui Apostolorum, & autoritati Ambrosij subnixus est, noluit Papa maiorem sibi arrogare fidem, quàm habuit Ambrosius: & ideò licèt re vera arbitratus fuerit pontifex, quòd tempore suo valeret baptismus in nomine Christi, non hoc decreuit, tanquam articulum fidei; sed solum tanquam opinionem, quam putauit esse Ambrosij. Et ideò non obstante sua assertione teneri potest, & debet contraria opinio, quæ autoritate Euangelij, & aliorum pontificum, & sanctorum patrum validiùs comprobatur. Nam re vera si textus Zachariæ & Pelagij perpendas, multò vehementiùs rem vrgent, quòd eiusmodi baptismus nunc temporis non valeat in nomine Christi, quàm verba Nicolai ostendant voluisse contrarium definire tanquam de fide: summi namque pontifices, quod extra concilium decernunt, non semper constituunt tanquam articulum fidei, maximè quando autorem citant: sicuti si dispensarent in voto solenni, & in matrimonio rato non consummato, non propterea condemnant contrariam opinionem tanquam erroneam, sed sequuntur illam opinionem, quam alij fortè pontifices non sequerentur. Optimè ergo se excusat D. Tho. aliam solutionem Nicolao tribuere, quam quòd Apostoli baptizabant in nomine Christi ex dispensatione, sicque fuisse intelligendum Ambrosium. In summa ergo, aut nulla profecto est in contraria opinione probabilitas, aut certè tenuissima. Quare non solùm qui modo baptizaretur in nomine Christi rebaptizandus esset, vt Ricar. & Sco aiunt, verùm fortasse etiam tanquam non baptizatus absque adhibita conditione. Ex quo fit consequens, vt postquam Ecclesia tam multis retroactis sæculis illam formam respuit, & sola, quæ exprimitur in Euangelio, vtitur, proculdubio esset tunc lethale facinus sub prædicta forma in nomine Christi baptizare.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm immersio in aqua sit de necessitate baptismi.

HACTENVS de forma verborum disputatum est, nunc sequitur de actionis figura, vtrum necessaria sit mersio, an verò aspersio sufficiat, vel effusio. Ad quod D. Tho. duabus conclusionibus respondet. Prior. Quamuis tutius sit baptizare per modum immersionis: quia hoc communior habet vsus, potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel per modum effusionis ex vase. Ait quippe Paul. Hebr. 10. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Et Ezechiel. 36. Effundam super vos aquam mundam. Qua vtique forma Laurentius legitur baptizasse. Ratio autem conclusionis est, quòd cùm aqua in sacramento assumatur ad ablutionem corporis, ablutionem animæ significantem: ablutio verò non solùm immersione, verùm etiam effusione, & aspersione fieri possit, vno quolibet istorum modorum celebrari potest baptismus. Subiungit autem causas quatuor, ob quas non mersione, sed alijs modis fiat. Prima scilicet propter ma-

Prior conclusio.

Causa propter quas immersio omitti possit.

gnam

gnam baptizandorum multitudinem. Leguntur namque Actuum 2. & 4. vna die tria millia, altera verò quinque millia baptizati, quod per mersionem fieri nequiuerat, sed vel aspersione, vel effusione. Secunda necessitas esse potest inopia aquæ non sufficiens ad mersionem. Et tertia languor baptizantis, sustinere non valentis baptizandum. Atque adeò quarta baptizandi morbus, cui a mersione periculum immineret. Posterior conclusio ex hæc priori colligitur. Mersio non est de necessitate baptismi, sed de congruitate. Atque hæc in solutione primi argumenti confirmatur, quod est hoc.

Posterior conclusio.

1. Argu.

Sicut vna fides, ita & vnum baptisma, vt habetur ad Eph. 4. plurimum autem baptismus non fit nisi per immersionem: ergo nullus est alius admittendus. Responsio autem est, in baptismo aliquid esse de essentia, vt ablutionem, iuxta illud ad Ephes. 5. vbi Apostolus baptismum appellat lauacrum aquæ: aliud verò accidentarium: nempe, vt ablutio hoc vel illo modo fiat.

Ex his igitur conclusionibus collige mersionem esse in baptismo vsque adeò † congruentem, vt nisi ob aliquam causam necessariam, vel saltem honestam, & rationi consonã, non debeat aliter fieri. Si autem absq; vlla prorsus causa fiat vel per aspersionem, vel per effusionem, erit nihilominus sacramentum, culpam tamen baptizans committet. Tametsi in nullo casu crediderim esse mortalem. Neque verò hæ solæ causæ, quas hic D. Tho. recenset, excusare à culpa non mergendi possunt: nam & honestas excusabit. Etenim dum vir adultus baptizatur, non est immergendus, sicut Christus non fuit immersus, sed per effusionem baptizatus. Imò si filij principis eodem honore baptizentur, nulla esset culpa. At verò non ob quamcunque causam est immersio prætermittenda: scilicet quia infantulus nimis est parentibus dilectus, ne frigeſiat, aut ne ploret, &c. Quod ergo ait D. Tho. tutius esse mergere, intellige extra articulum necessitatis & honestatis: nam dum infantulus infirmatur, tutius est non mergere: & cùm adultus baptizatur, decentius est ei aquam superfundere. Tametsi, vt ait ad Neophytos August. & refertur de consec. d. 4. can. Prima. Toti tunc honestè nudi intingebantur in fonte.

† *Nunc vsitatius est ad fieri per aquæ effusionem; seruanda tamen est propria Ecclesiæ consuetudo. Vide sequ. §. Hæc præter illa.*

2. Arg. S. Thom.

Contra hoc autem est argumentum 2. D. Tho. In sacramento baptismi contepelimur Christo, iuxta illud Apost. Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: sepultura autem significari non potest nisi immersione. Ait quippe Chrysost. super illud Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto. Sicut in quodam sepulchro submergentibus nobis capita vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, deinde nouus rursus ascendit: immersio ergo videtur necessaria. Et confirmatur permultis autoritatibus sacrorum canonum de consecr. dist. 4. videlicet can. De trina. & can. Eodem modo. per quos constat ritum mergendi fuisse semper in Ecclesia solennem. Imò & canon. Multi sunt, asserere videtur hoc esse præceptum Euangelicum.

Respons. S. Thom.

Respondet D. Tho. in virtute tria. Primùm enim fatetur necessariam esse in baptismo aliqualem Christi sepulturæ repræsentationem. Et hæc est multò cordatior locutio, quàm Paluda. dist. præsenti q. 3. aliorumque dicentium, non semper opus esse in baptismo talem apparere repræsentationem. Secundò subinde confitetur ob testimonium Pauli, & sacrorum canonum vsque adeò esse mersionem magis, tum vniuersalem, tum laudabilem, vt citra causam (vt modo dicebamus) non sit prætermittenda. Tertiò denique subdit in alijs duobus modis nonnullam extare sepulturæ repræsentationem: nam siue aspersio fiat, siue effusio aquæ, dum illis subijcitur vel caput, vel alia pars hominis, fit quasi sepultus illa aqua. Canon autem Multi. iam supra expositus est: videlicet, præceptum Euangelicum illic non referri ad trinam mersionem, sed ad formam verborum in nomine Trinitatis. Cypr. lib. 4. epistolarum epistola 7. & refertur de consecra. dist. 4. can. Nec quemquam. meminit aspersionis, & profusionis aquæ: attamen potiùs de aspersione aquæ benedictæ super ægros videtur loqui, quàm de aqua baptismi.

Cypr. aspersionis mentio.

Sed arguitur contra eiusmodi baptismatum figuras. Sequeretur, quòd si dum quis mergendo baptizat, diceret: Ego te aqua aspergo, vel è conuerso dum aspergeret, diceret: Ego te immergo, non verè baptizaret, quia mentitur. Ad hoc imprimis respondetur, quòd si dum mergit dicat: Ego te immergo, & dum aspergit, Ego te aspergo, & dum effundit, Ego te aqua infundo in nomine Patris, &c. est vere baptismus; sed nonnulla erit culpa mutare formam solennem. Ob id enim diximus distin. 1. q. 1. inter alias causas retentum esse in Ecclesia verbum Græcum, baptizo, quod omnes illas formas comprehendit, & pariter Latinum, abluo. Aspergo autem, & infundo tantum posset dare scandalum, vt esset culpa mortalis. Qui autem dum mergit dicit aspergo vel è conuerso, mendax est: quoniam tamen mendacium illud non attingit sacramenti substantiam, nam vtrumque verbum ex accommodatione vsus tantùm valet sicut baptizo, fortasse erit verum sacramentum: tametsi non vsque adeò id affirmauerim, quin forsàn propter scrupulum sit sub conditione iterandum.

3. Argu. An sufficiat quamlibet corporis partem perfundi.

Tertium argumentum D. Tho. est huiusmodi. Si sine mersione totius corporis posset fieri baptismus, quamlibet corporis partem sufficeret aqua perfundi, originale autem peccatum, cuius ablutioni baptismus deseruit, in toto est corpore: ergo citra mersionem nequit fieri commodè. Respondet, quòd si totum corpus perfundi commodè non potest, oportet caput perfundi, in quo principium animalis vitæ manifestatur. Est enim externorum membrorum præcipuum, vtpotè in quo vigent tam interni, quam externi sensus. Vnde licèt per generationis membra traducatur originale, tamen quia baptismus illum traductionis actum non abluit, sed pollutam animam, commodius caput, in quo sensus sunt animæ, quàm illa membra, abluitur. Patres autem antiquæ legis, quia spe Christi peudebant ex suis lumbis procreandi, in illis membris sacramentum remittendi originalis susceperunt.

Conueniens. tius caput tingitur.

Hanc formam tingendi caput insinuat Chrysost. loco proximè † citato, & Aug. homilia super Ioannem capitu. 9. & refertur de consec. dist. 4. can. Postquam. Postquam enim, inquit, vos credere promisistis, tertiò capita vestra in sacro fonte demersimus. Quocirca nisi causa id legitima prohiberet, legitimus baptismi ritus est caput intingere: quare absque causa id prætermittere peccatum est. Imò si consultò quis baptizans nollet intingere caput, sed brachium, aut tibiam, tantum posset scandalum dare, vt mortaliter delinqueret, & hoc sonat verbum D. Tho. oportet. Non autem tantam importat necessitatem, quinetiam si præter caput bona pars corporis intingatur, sit integrum sacramentum.

† *Super illud: Nisi quis renatus, &c.*

Sed arguis. Ergo quantum ad integritatem, satis esset intingere digitum vel manus, vel pedis. Respondetur, quod quantum ad culpam res attinet, quãto minor pars intingeretur, maior esset; sed quantum ad necessitatem sacramenti quandoque esset certum vt si totum pectus, aut scapulæ infunderentur: aliquando vero dubium. Vnde si solus digitus intingeretur, profectò non esset res certa, sed esset eiusmodi sacramentum sub conditione iterandum. Videbimus namque distin. 5. art. 11. apud D. Thomam, dum infans ex vtero matris extrahit non caput, sed solam manum, in illo membro esse baptizandum, nihilominus postquam totus in lucem prodierit, esse sub conditione rebaptizandum.

Si minima pars tingatur. Sub conditione est rebaptizandum.

Atque idem de aqua respondendum, si quis hæsitauerit an sit certa quantitas necessaria; respondendum, inquam, illam esse necessariam, quæ sufficit, vt homo dicatur ablui. Si autem tam exiles essent tamque paucæ guttæ, vt reuera non censeretur ablutio, non esset sacramentum. Et aliquando etiam maneret res dubia, vt esset sub conditione iterandum.

De aqua quantitate.

Ecquid autem si tantum capilli capitis aqua perfundantur, quæ neque ad carnem, neque ad faciem, neque omnino ad cutem corporis descendat, apparet enim ex vna parte esse baptismum, quoniam vulgari idiomate caput tunc dicitur ablui: ex altera verò apparet non esse baptismum, eò quòd aqua verè corpus non tangit: & tamen Augu. ait: Quæ est ista virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluit? Reuera hæc non sunt vsque adeo certa, vt absque vllo scrupulo definiri queant. Crediderim tamen esse baptismum: quia capilli suo modo partes sunt capitis: nam licèt sint eius excrementa, viuunt tamen sine sensu, quandoquidem crescunt. Non tamen omnino scrupulosum hominem condemnarem, si cum conditione eiusmodi baptizatum rebaptizaret.

De capillis.

Digitized by Google

De veste. Dubium autem grauioris solutionis est, dum aqua vel effusa, vel aspersa nullam corporis partem attingit: neque verò capillos, sed dumtaxat vestes; vtpotè si quis obtectis manicis manibus, & personata facie omnino contectus baptizaretur siue aspersione, siue immersione, siue effusione. Apparet enim huiusmodi homo verè baptizatus: nam vulgo verè dicitur aspersus, & immersus, & effusus aqua. Sed tamen ab altera parte pugnat, quòd, vt modò citatus August. insinuat, debet aqua corpus tangere, tamen hoc pacto non tangit.

Sententia autoris. Reuera res est quodammodo anceps. Et licèt quis forsan possit in partem affirmatiuam vergere, tutior mihi apparet negatiua. Nam præter autoritatem citati Augustini, baptizare idem est, quod abluere, siue aspersione, siue quacumque alia forma fiat: & tamen ille, qui vndequaque contectus intingitur, propriè non abluitur. Vnde S. Thom. infra q. 68. art. 11. de necessitate baptismi, inquit, est, quòd corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur. Item arguitur. Si quis in culeum insutus, hoc est, in bouino vtre inclusus baptizaretur, taliter vt aqua nullatenus eum tangeret, non esset baptismus, vt Gabri. dist. 4. q. 2. asseruit; quamuis non fortasse ob illationem, quam ipse facit: ex eo scilicet, quòd in vtero matris non potest fœtus baptizari. Etenim ratio huius non est, ob id solum, quòd aqua non pertingit ad fœtum, sed ob id præsertim quòd etiam si viuat, non est omnino per se suppositum, sed reputatur aliquid matris. Attamen alia ratione, ille qui sic in bouino vtere inclusus mergitur, non censetur baptizatus: videlicet, quia verè ille non abluitur, quare falsa esset forma, Ego te baptizo; alias deberes concedere, quòd etiam inclusus in lignea capsa posset baptizari, quòd esset absurdum. Colligamus igitur, quòd si quis sit inclusus in ligno, vel corio, vel ferro, vt si sit cataphractus, vel certè obuolutus panno (indifferens enim est ad substantiam sacramenti) non est sacramentum. Saltem crediderim huiusmodi hominem sub conditione baptizandum. Quòd si mihi Acta Apostolorum obieceris ca. 2. & 4. quibus referuntur tot hominum millia vno die baptizata, vbi apparet per aspersionem fuisse celebratum baptismum, atque adeò non attigisse aquam omnes, nisi vsque ad vestes. Respondetur, nullatenus credendum, ita temerè fuisse aspersos, sed transibant coram ministro (nam plures erant ministri) bini & bini, aut fortè terni, vel quaterni, vt super singulorum capita certo iactu, vel effusione caderet aqua, sub illa forma. Ego te, aut vos baptizo in nomine Patris & Filij, &c. Quod enim Paludanus ait distinct. 1. quæst. 1. prope tertiam conclusionem: videlicet, quamuis aqua nullatenus tangat eum qui baptizatur, Deum id supplere, temerè dictum est, & arbitror peius esse quàm falsum, quod dist. quæst. 5. artic. 2. latiùs disputabimus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm trina mersio sit de necessitate baptismi.

NON modò à primordijs Ecclesiæ celebratus vsus fuit mersionis in baptismo, verum & solennissimum trina mersione ipsum perficere. De qua ergo trina mersione quæritur vtrùm sit necessaria. Respondet D. Tho. tribus conclusionibus. Prima. Quantum ad necessitatem attinet baptismi, accidentarium est, & nihil referens vnica, an trina mersione fieri. Primò conclusio probatur autoritate Gregorij ad Leonardum Episcopum, quæ refertur de consec. d. 4. ca. De trina. Reprehensibile enim, inquit, esse nullatenus potest infantem in baptismo vel ter, vel semel immergere. Secundò probatur ratione superioris articuli. De essentia namque & necessitate baptismi solùm est vt fiat ablutio: modus autem mergendi, aut effundendi est accidentarius: ergo à fortiori quod vna fiat, vel trina mersio. Et confirmatur ratione, quam illic adfert Greg. Quoniam in tribus mersionibus & personarum Trinitas, & triduum sepulturæ Christi significatur: in vna verò & diuinitatis singularitas, & Christi mors vna designatur.

1. Conclu.

2. Conclusio. Cur introducta trina mersio. Secunda conclusio. Diuersis temporibus nouis exurgentibus causis secundùm Ecclesiæ sanctiones quandoque institutus est vnus modus, quandoque alius. In principio namque orientis Ecclesiæ quidam de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominem, vti Arriani, existimantes, nec dici filium Dei nisi propter meritum, quod præcipuè habuit in morte. Qui ideo hæretici non in nomine Trinitatis, nec trina mersione baptizabant, sed in commemoratione mortis Christi mersione vna. Contra quos institutus est modus baptizandi trina mersione in nomine Patris, & Filij, &c. vt habetur ead. distin. can. Si quis presbyter. qui est inter canones Apostolorum. Vbi sacerdos baptizans in morte Domini deponi iubetur. Atque ad id pertinet canon Pelagij, Multi sunt. Postmodum verò orta hæresi Donatistarum rebaptizantium eos qui baptizati erant ab hæreticis, in odium illius hæresis inhibita fuit trina mersio, iussumque vt vna sola baptizaretur, vt est videre in concilio Toletano quarto, quod ead. dist. refertur. cano. Propter. Verba canonis sunt. Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismatis mersionem. Tamersi in illo concilio alia datur causa: scilicet, ne quis putaret tres esse Deos.

Cur postmodum abrogata.

Tertia conclusio S. Thomæ est trimembris. Cessante huiusmodi causa communiter seruatur in baptismo trina mersio, & ideo grauiter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non obseruans. Nihilominus tamen esset baptismus.

3. Concl.

Hic præter illa, quæ præcedenti art. notata sunt, vix quippam noui restat, nisi quod tempore D. Th. vsus semper celebrabatur trinæ mersionis, qui quidem iam ratissimus est. Sed præterea notandum, quod quilibet sacerdotum in solenni baptismo debet ritum Ecclesiæ matricis obseruare, vt ait dist. præsenti. Palud. q. 3. art. 2. non autem Ecclesiæ Romanæ, aut Metropolitanæ Archiepiscopi. Alioqui, ait D. Tho. grauiter peccaret. Et nescio an intelligat mortaliter, arbitror tamen vt suprà diximus secluso scandalo non esse mortale; imò occurrentibus causis suprà proximè narratis nulla est culpa. Neque dum priuatim in necessitate baptizatur infantulus: tunc n. nullus est mergendi vsus.

Expositio articuli.

1. Argu. ex S. Aug. Primum argumentum S. Tho. est autoritas quædam D. Augu. quæ refertur can. suprà citato. Postquam vos. de consecrat. distinctio. 4. Vbi docet baptizandorum capita tertiò in aquam mergi consueuisse. Et subdit: Rectè tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine sanctæ Trinitatis. Rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui tertia die resurrexit à mortuis. Tertiò repetita immersio typum Dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo. Vtrumque autem, scilicet, tam expressio Trinitatis, quàm figura sepulturæ Christi, est necessaria in baptismo: ergo & trina mersio. Respondet, quòd cùm Trinitas sit principale agens in baptismo, debet eius effectus ad subiectum per formam pertingere, & non per materiam. Agens enim naturale non per materiam, sed per formam assimilat sibi passum: & ideò in baptismo per verborum formam applicatur Trinitas baptizato: quare vsum materiæ trina fieri mersione, congruum quidem est, non autem necessarium. Sepultura autem Christi etiam vna mersione, quinuerò aspersione, vel effusione quodammodo, vt † suprà dictum est, significatur. Sed tamen triduum eius non fuit de necessitate salutis: nã si vna die fuisset mortuus, satis ad nostram fuisset salutem. Sed triduum fuit necessarium ad ostendendam veritatem mortis. Trina ergo mersio non est, propter illud tridui mysterium ad baptismum necessaria. Collige autem ex his verbis (id, quod † supra contra Caietanum aliàs instituimus) non satis in baptismo Trinitatem in confuso & implicitè nominare, sed necessarium esse personas exprimere.

Responsio.

† *ait præced. §. Respondet.*

† *a. 6. huius §. At profecto.*

Secundum argumentum sumitur ex verbo Pelagij can. Multi sunt. de consecrat. d. 4. vbi Euangelicum præceptum admonere vt in nomine Trinitatis trina etiam mersione baptisma tribuatur. Respondet autem D. Tho. quòd Papa non intelligit trinam mersionem esse de mandato Christi nisi in suo simili, in hoc scilicet, quòd præcepit baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Planiùs tamen videtur responsum, quod nos suprà dedimus; scilicet, id quod ait pontifex Euangelicum præceptum, solùm ferri in illud quod baptismus fiat in nomine Trinitatis. Quod verò subditur, trina etiam mersione, congruentia dumtaxat est, quæ ex dicto præcepto colligitur.

2. Arg. Ex Pelagio Papa.

Tertium denique argumentum est. Si trina mersio necessaria non esset, in prima perficeretur sacramen-

3. Arg. ex ratione.

tum:

Digitized by Google

tum : quare duæ reliquæ rebaptizationem subolerent. Respondetur autem, quòd ex intentione ministri Ecclesiæ, qui intendit vnum baptismum trina mersione perficere, fit vt ex omnibus tribus vnum dumtaxat euadat baptisma ; iuxta verbum Hierony. super epistolam ad Philipp. licèt ter baptizetur, id est, immergatur, propter mysterium Trinitatis, tamen vnum baptisma reputatur. Si verò in singulis mersionibus integram proferret formam, tria intendens baptismata, ter baptizaret, atque adeò tanquam rebaptizator peccaret grauissimè.

Occurritur obiectioni. Sed arguat quis fortè contra. Ex priori membro huius solutionis consequeretur, quòd si sacerdos trina mersione, vnicum intendens baptisma, duas vel vnam omitteret, nullatenus baptizaret: nam cùm intentio sit necessaria, & illa non referatur nisi ad omnes simul, licèt in prima totam proferat formam, non erit baptismus. Et confirmatur autoritate D. Thomæ in quarto, præsenti distinct. articulo quarto dicentis, quòd si trina intendatur immersio, baptismus non perficitur nisi in extrema. Consequens autem est falsum : nam si trina immersio de se non est necessaria, intentio ministri non facit eam necessariam. Argumentum est Caietani, ad quod benè respondet negando primam illationem: intentio enim ministri fundatur in ritu Ecclesiæ, quæ non constituit trinam mersionem tanquam necessariam, sed tanquam congruentem. Quare si totius formæ prolatio non perficiatur vsque ad tertiam mersionem, illucusque non confertur sacramentalis gratia, licèt virtute omnium tunc infundatur. Et hoc est, quod ait S. Thom. in 4. vbi enim fiebant tres mersiones, ad prolationem vniuscuiusque nominis, scilicet patris, &c. fiebat vna. At licèt intentio trium habeatur, si tamen vnica tantùm fiat cum forma, illa sufficit. Quocirca Paludan. d. præsenti. q. 3. circa finem non est hac in parte audiendus: Ait siquidem, quòd si intentio referatur ad tertiam mersionem, illucusque non sit sacramentum, quod nisi intelligat quando forma non antea tota profertur, falsum dicit.

Caietani responsio.

Palud. reijcitur.

Quando autem forma integrè profertur in prima, ait Caietanus duas subsequentes non esse partes sacramenti : quia prolatio, inquit, formæ, & mersiones debent esse simul. Occasione autem huius verbi, quia hanc quæstiunculam Diuus Thomas non tetigit, quæritur demum in calce materiæ & formæ baptismi, vtrùm debeant simul concurrere. Et quidem sub his generalibus verbis res non est dubia, sed planum est prolationem verborũ, ac materiæ vsum debere simul concurrere. Etenim cùm verbum ipsum, baptizo, præsens designet tempus, nisi tunc simul fieret opus, falsa esset forma. Et confirmatur, quia si, vt ait August. verbum detrahas ab elemento, non erit nisi ablutio quædam profana, & mera aqua. Dubium verò est, quando simul debeant concurrere : nam glo. in can. Detrahe 1. q. 1. intelligit, quòd punctim mathematico more. Itaque si eodem instanti adæquatè, quo verbum profertur, puer non mergatur, vel intingatur, non erit sacramentum. In eandem sententiam religiosissimè, ne dicam superstitiosè, subscribit Caiet. quòd lib. 1. q. 16. eandemque pluribus, quàm opus est, rationibus confirmare nititur. Vnde concludit saltem necessarium esse, vt pars aliqua prolatæ formæ simul cum aliqua parte actionis concurrat, licèt non sit necessarium, vt adæquatè incipiant, & desinant esse simul. At verò benè ait Scotus d. 6. q. 3. cum Richardo d. 3. art. 4. q. 1. non debere vsque adeò strictim hoc, simul, intelligi, sed morali modo, hoc est, vt humanus habet vsus. Qui enim phyalam ori admouens ait, ego bibo, & continuò bibit, simul censetur id dicere & facere : & pariter si dicat crucem osculor, & statim osculum porrigat. Pari ergo ratione si quis priùs dicat, ego te baptizo, vel ego te chrismo, & protinus mergat, vel chrismate vngat, sat est. Illud enim proximum tempus censetur humano more præsens. Sic ergo intelligendum est verbum Euangelicum. Baptizantes eos in nomine Patris, &c. Quocirca licèt paululò antè finiatur prolatio formæ, nihilominus mersio continuo subsequens pars erit sacramenti. Sicut quando baptismus fit vnica mersione, nihil periculi est si prolata tota forma confestim post verbum, Spiritus sancti, fiat immersio. Nullum inquam est dubium, quin minister attentus esse debeat, vt simul applicando materiam verba proferat. Neque omnimoda careret culpa si negligens in hoc esset. Si tamen non tanta intercederet diligentia, non ideo sacramentum censendum est nullum. Et multò minus periculi existit in consecratione ordinum, de qua illic Caietan. disputat, si prius dicat Episcopus, accipe potestatem consecrandi, &c. & continenter absque notabili mora initiandus calicem cum hostia tangat: quoniam, accipe, non est nisi imperandi modi, exigens vt audiens, vel simul, vel illico accipiat. Si autem tantum temporis interuallum interciperetur, vt secundum vsum humanum forma & actio non essent simul, tunc nullum perficeretur sacramentum. Quapropter si Episcopus semel tantum omnibus diceret, accipite potestatem, &c. & illi postmodum successiuè longo temporis tractu attingerent calicem, res esset valdè dubia; & fortè, vt illic ait Caietan. non fieret sacramentum † De qua ergo re suo proprio loco in materia ordinum iterum recurret sermo. Pari modo si quis postquam protulit verba, aliud negotij ageret antequam applicaret materiam.

Q. Vtrùm materia & forma baptismi debeãt simul concurrere.

Sent. Caiet.

Recte Scotus requirit tantum cõcurrentiam moralem.

† *inf. d. 24. q. 1. ar. 2. §. Quod autẽ.*

Solet hic subinde de huiusmodi mersionibus disputari, vtrùm etiam cum periculo mortis illius qui baptizatur, sint faciendæ. Disputat hoc Scotus in quarto distinctio. quinta, quæstio. 3. & Paludan. distin. 3. quæstio. 3. & distinct. 6. quæst. 1. & plerique alij. Exempli gratia. Si puer est morti vicinus, & consuetudo viget ter mergendi, vtrùm facienda sit trina mersio. Atqui de hoc nulla subest hæsitandi ratio : haud enim cum illo periculo seruanda est consuetudo, sed semel est ille mergẽdus. Imò satis esset, quinuerò satius, leuissimè aspergere. Alias, inquit, Paluda si sacerdos ritum Ecclesiæ de trina mersione tunc seruaret, & interim moreretur in prima, nondum completa forma, damnaretur quidem ille, & sacerdos maneret irregularis. Hoc autem secundum nescio ex quo canone Ecclesiæ colligatur, quamuis graui sacrilegio & homicidio delinqueret.

In mortis periculo sufficit simplex immersio.

Quid autem si nulla sit aquæ copia, quæ citra periculum applicari possit: vt si non sit nisi altus puteus, aut flumen sub altum pontem fluens, nec tamen suppetit vas ad aquam hauriendam. Omnes aiunt saltem pannos esse funè demittendos in aquam, posteaque super puerum in formam baptismi exprimendos. Quid verò si nec adsint panni? Tunc cuncti, & quidem benè, respondent, quòd si adsit cribrum aut calathus, quo possit commodè funè puer immergi, & emergi, demittendus est. Quod si res in has redigatur angustias, vt nec sit tale vasculum, quæritur vtrùm tunc puerum iam iam moriturum, de quo nulla est reliqua spes salutis, liceat in flumen, vel in puteum sub forma baptismi proijcere, vt saltem antea quàm spiritum exhalet, gratiam suscipiat baptismalem. Apparet enim hoc esse licitum: quoniam spiritualis vita præferenda est corporali, & tunc maximè quando de corporali nulla sit spes reliqua. Panormitanus in cap. Non vt. de baptismo. narrat simile factum contigisse, & ait probabile esse talem puerum sic proiectum fuisse vere baptizatum, si tamen viuus aquam attigit. Et Grabri. dist. 4. quæst 2. allegat Olkot idem tenentem, ac dicentem quòd Deus tunc perficiet, quod baptizans perficere nequiuit. Neque ipse id reputat improbabile. Scotus verò loco citato, & Paluda. & reliquus Theologorum cœtus duo aiunt. Prius scilicet, quod illa proiectio sit peccatum mortale homicidij. Posterius, quòd nec sit baptismus. Nam baptismus, inquit Sco. ordinatur ad vitam baptizati, illa autem proiectio ordinatur ad mortem: quare deficit recta intentio ad baptismum necessaria.

Vtrum liceat puerũ in puteum proijcere, vbi non suppetit aliud remedium.

Panorm.

Scotus.

Quo autem hæc omnia perspicuè diluantur, nonnulla asserta subiecerim. Primum. Baptizare puerum cum intentione ei nocendi in vita temporali, imò eum occidendi, vel alio sinistro proposito, licèt peccatum sit graue, non tamen tollit veritatem sacramenti, si cum forma adsit etiam intentio verè baptizandi, vt dist. 1. q. 5. art. vlt. dicebamus. Nam vbi omnia concurrunt, quæ sunt de necessitate sacramenti, solidum est sacramentum. Nihil autem repugnat, vt simul dum quis intendit puerum baptizare, eius procuret mortem; videlicet, nimio rigore frigoris, aut caloris aquæ eum offendendo. Secundum assertum est. Proijcere in flumen vel in puteum, absque intentione, & arte leuandi ipsum, non est baptismus. Probatur : quia cùm illa proiecto non habeat formam mersionis, quippe quam nulla succedit emersio, neque aspersionis, neque infusionis aquæ, fit vt neque formam gerat ablutionis, quæ est ad baptismũ necessaria.

Sententia autoris per propositiones.

1. Propos.

2. Propos.

Digitized by Google

Quòd enim Deus suppleat quod in baptismo fluminis omittitur, nisi per baptismum flaminis illius qui baptizatur d. 5. artic. 2. demonstrabimus absque vlla probabilitate affirmari. Quòd autem ille sic proiectus censendus sit Christi martyr, ridiculum est. Tertium dictum sit, quòd siue sit baptismus, siue minimè, esset tamen graue peccatum homicidij, ex quo irregularitas incurreretur. Secùs si dum manibus sacerdos puerum mergit, casu elaberetur in aquas: tunc n. baptismus esset, & culpa careret. Quarta propositio sit. Si fune posset commodè puer immergi, & viuus emergi, dummodo aqua corpus tangeret, verum esset baptisma, etiam si fieret cum periculo mortis. Patet, quia illic concurrunt omnia necessaria ad baptismum, quoniam non est de necessitate baptismi, vt minister puerum manibus teneat. Quinta propositio quo ad culpam. Quando puero si baptizetur periculum creatur, ita vt mors inde illi immineat, non est dubium, quin sit differendus baptismus. Quare qui illum tunc baptizaret, homicida esset, & irregularis: non enim facienda sunt mala, vt inde eueniant bona. Neque Christus, cuius iugum suaue est, & onus leue, cum periculo mortis sua nos iussit sacramenta suscipere. Quid autem si nulla sit spes vitæ pueri, timetur tamen ex baptizatione acceleratio mortis. Videtur namque non esse baptizandus: nam anticipatio mortis genus quoddam occisionis iudicatur. Materia hæc, cum moralis sit, non est nimia subtilitate tractanda. Respondetur ergo, quòd quando per multum temporis acceleratur mors, genus esset homicidij, & nunquam esset licitum. Quando verò minima esset acceleratio, non censeretur homicidium, quia minimum pro nihilo reputatur. Ex quo fit, quòd vbi aqua præstò est ad manum, accidere non potest tantum periculi: nam si dum infans moritur mergi non potest, satis est vt tenuissimis guttis aspergatur. Aspersio autem illa non potest sensibilem temporis mortem anticipare. Neque verò esset ambigendum, quin puer posset cum periculo aliqualis accelerationis mortis ad locum asportari, vbi esset aqua: haud enim sunt hæc adeò scrupulosè tractanda.

3. Propos.

4. Propos.

Quid faciendum quando mors accelerare-tur baptizando.

Vbi tamen aqua non est sic parata, sed in alto puteo, vel flumine, tunc restat supremum dubium; vtrùm si aqua per aliam artem hauriri nequit, potiùs sit puer sine baptismo mori permittendus, quàm cùm vel certo, vel multùm probabili periculo mortis baptizetur. Cuipiam namque videri posset potiùs esse baptizandum; quoniam vita spiritualis præferenda est temporali, & illi puero nulla nisi per baptismum patet salutis via. Nam in lege veteri, vt distinct. præcedenti dicebamus, licèt in periculo mortis puer non circumcideretur, patebat illi salus per remedium legis naturæ. His tamen non obstantib. procul dubio in nullo casu vllus est cum tali periculo mortis baptizandus, videlicet vt baptismus sit ei causa vel mortis, vel multæ eius accelerationis: præsertim quamdiu spes eius vitæ durat: quare in his multa opus est prudentia. Sed censendum est de illo, ac si nulla esset aquæ copia. Nec mirum si perire sinatur postquam omnis homo nascitur filius iræ. Deus enim satis prouidit aquam, quæ communissimum est elementum. Si autem sine periculo mortis applicari non potest: iudicium Dei abyssus multa, qui Iacob dilexit, Esau autem odio habuit.

Postremum dubium.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm baptismus possit iterari.

HIc articulus de iteratione baptismi, quamuis eum Magist. Sententiarum distin. 6. vbi de ministris agit, collocet; tamen ad hanc attinet distinctionem: spectat namque ad formam & figuram baptismi, quæ pluribus fit mersionibus. Respondet ergo D. Th. vnica negatiua conclusione. Baptismus iterari non potest. Eandemque primo fundat in autoritate Apostoli ad Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma. Nam sicut vnicus est omnium Deus, ita & vna fides, & vnum commume baptisma gentibus vniuersis necessarium. Atque adeò idem est à quocunque ministro fiat, siue à malo, siue à bono, siue ab hæretico, siue ab infideli. Quare à quouis ministretur non est iterandum. Sed tamen autoritati quatuor adhibet confirmatorias rationes. Prima sumitur ex intima ipsa natura baptismi. Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, qua scilicet homo veterem exuit vitam, & nouam induit, secundùm illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Vnius autem vitæ vnica est generatio: ergo sicut carnalis natiuitas non iteratur, ita nec baptismus. Vnde Aug. super illud Ioan. 3. Nunquid potest iteratò in ventrem matris suæ introire & renasci? Sic tu, inquit, intellige natiuitatem spiritus, quo modo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis. Quomodo enim vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Secunda ratio sumitur ex similitudine baptismi ad mortem Christi: nam per ipsum commorimur, consepelimurque (vt ait Paulus) Christo. Christus autem semel tantùm mortuus est: non ergo baptismum iterare licet. Propter quod ad Hebræ. sexto, quibusdam rebaptizari se volentibus improperat, quòd contendant Dei filium in semetipsis iterum crucifigere. Vbi ait glossa, vna Christi mors vnum baptisma consecrauit. Tertia ratio alludit ad effectum baptismi, qui est indelebilis character, qua ratione sicut calices & reliqua vasa non nisi semel consecrantur, ita nec baptismus iteratur. Quapropter Augustinus secundo libro contra Epistolam Parmeniani: Character, inquit, militaris non repetitur: non enim minus hæret sacramentum Christi, quàm corporalis nota militum, sed permanet etiam in apostatis. Quare redeuntibus ad Ecclesiam per pœnitentiam, non repetitur baptismus. Quarta demum ratio eruitur ex alio eius effectu, qui est originalis culpæ remissio: vnde sicut illa non iteratur, ita nec baptismus. Quia vt ad Rom. 5. ait Paulus, sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.

Conclusio negatiua.

Probatur rationib.

Conclusio præsentis articuli citra controuersiam est vniuersis orthodoxis receptissima. Est enim sanctionibus Ecclesiæ multis decreta, vt can. Hi qui. prima quæstione prima. vbi Leo papa in eadem autoritate Pauli ad Ephesios quarto, quam hic affert Diuus Thomas, eandem fundat veritatem. Et de consecratio. dist. 4. cano. Non licet. qui est concilij Carthaginensis 4. & can. Rebaptizare. qui est August. ad Maximum, cuius verba sunt. Rebaptizare hæreticum hominem peccatum est; rebaptizare autem catholicum hominem, immanissimum scelus est. Duplex siquidem est huius sancti dogmatis membrum. Quòd enim quis rebaptizari aut rebaptizare contendat, bifariam contingit. Aut quia baptizatus est ab hæreticis, & quia per tale baptisma gratia non suscipitur, rebaptizari procurat. Et hæc fuit Donatistarum secta, de quibus dist. sequenti redibit sermo. Atque hoc licèt sit peccatum, videtur tamen nonnihil excusationis habere. Aut quia absque vlla causa id procurat, & propterea hoc dicitur immanissimum scelus, quod ex suspicione defectus baptismi nascitur, quasi vnus non sit sufficiens ad iustitiam. Ex quo fit eodem scelere fœdissimè se complicare Anabaptistas, qui infantulos baptizatos, cùm venerint ad vsum rationis iterum rebaptizant. Anabaptista enim idè est quod rebaptizator, nisi quod per antonomasiam isti sic appellantur. De quibus inferius redibit disputatio. Quinuero & lege ciuili extat Codex. Ne sanctum iteretur baptisma. Et est in odium Donatistarum iniuncta irregularitatis pœna tam rebaptizatis quàm rebaptizantibus, quod in calce articuli referendum nobis restat. Ecce quibus testimonijs conclusio constabilitur, fitque certissima.

Expositio articuli.

Donatista baptizatos ab hæreticis rebaptizabant.

Anabaptista, i. rebaptizator.

At verò de rationibus nonnihil variunt doctores. Scotus namque dist. 6. q. 7. ait, quòd ratio initerabilitatis baptismi est institutio diuina, cuius non est aliqua causa prior, nisi eius voluntas. Sed tamen institutio illa fuit rationabilis. Hactenus ille. Attamen huiusmodi institutionem diuinam non legimus in Euangelio expressè. Imò venerabilis Hugo lib. 2. de sacramentis par. 6. cap. 13. non eam censet nisi institutionem sanctorum Patrum. Verba eius sunt. Apostolus dicit: Vna fides, vnum baptisma: hac enim autoritate vniuersi vtuntur. Quod ergo vnum est, geminari non potest: quapropter valde rationabili definitione à sanctis patribus institutum est, vt qui semel sacramentum baptismi percepisse cognoscitur, nulla ratione illud iteratò accipiat, siue in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, hoc est, siue à Catholico, siue ab hæretico fuerit baptizatus. Hæc ille. Alludit enim ad partitionem Augustini proximè explanatam.

Hugo.

Crediderim tamen hoc dogma ab ipso Apostolorum tempore fuisse certissimum. Imò non solùm

iure

Iure diuino baptismum non posse iterari.

iure pontificio, sed & iure diuino, vt Scotus innuit, constabiliri. Sic enim semper Paulinum illud ad Ephes. 4. vnus Deus, vna fides, vnum baptisma à patribus intellectum fuit, vt à quocunque daretur, non esset iterandum. Atque eam ob rem contra rebaptizatores adiectum est in symbolo Nicæno. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Vnum scilicet, quod si legitima intentione, materiaq́; , & forma fiat, iterari non debuit. Reducitur ergo conclusio præsens ad articulum fidei. Neque verò Christus pro suo mero arbitrio id de quibusdam sacramentis instituit, & non de alijs; sed natura ipsa baptismi id exigente, quod alia iterabilia sacramenta, scilicet, pœnitentia, matrimonium, & extrema vnctio non expostulant. Quare rationes istæ, quas D. Th. adducit, non solum tanquam congruentes sunt auscultandæ, imò tanquam necessariæ iuxta naturam sacramenti. Natura enim ipsa generationis spiritualis, Christianæq́; professionis secum intimè adfert vt non nisi semel fiat. Quocirca vbi Christus Ioan. 3. dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, appellans baptismum regenerationem, docuit non posse bis eadem ministrari. Vnde

Rebaptizatio non est sacramentū

conclusio non solùm sic est intelligenda, quòd rebaptizatio sit peccatum, & sacrilegus sacramenti abusus, verùm quòd nec sit sacramentum. Itaque materia baptismi sit homo non baptizatus, sicuti materia consecrationis Eucharistiæ sunt panis & vinum non consecrata. Qui enim species consecratas iteratò consecrare tentaret, nullum faceret sacramentum.

Soluitur obiectio.

Arguitur autem contra. Ergo rebaptizatio non est peccatum, nec adeò pœna dignum, quandoquidem nullum geminatur sacramentum. Negatur consequentia. Imò ob id est peccatum, quòd iterari tentatur id, quod non est iterabile. Veluti si quis viuente vxore alteram duceret.

2. Ratio. S. Thom. defenditur.

Secundam verò rationem D. Thomæ ideo illic Scotus redarguit, quòd minimè illam fideliter refert. Ait siquidem rationem non concludere, quia baptismus virtutem habet à passione Christi non esse iterandum: quoniam & alia, inquit, sacramenta iterabilia, inde quoque virtutem suscipiunt. Attamen D. Thom. non adfert hanc rationem, sed quod per baptismum commorimur peccato, consepelimurque, & configuramur morienti Christo. Itaque ratio fundatur non in hoc quòd baptismus virtutem habet à passione Christi, sed in similitudine ad eandem mortem, quæ reliquis sacramentis non conuenit. Ob idque Paul. ad Hebræ. 6. ait, eos, qui semel sunt illuminati (scilicèt lumine fidei baptismalis) gustauerunt etiam donum cæleste (scilicet regenerationis) & prolapsi sunt, non rursus renouari posse ad pœnitentiam, crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Quod Nouatus hæreticus siniſtrè intellexit, impossibile, s. absolutè esse, eum qui post baptismum cadit, rursus veniam obtinere posse. Cuius idcirco vesaniam retundit Augustinus de vera & falsa pœnitentia capite tertio, eò

Augustin.

quod Apostolus in compluribus locis homines ad pœnitentiam commonet. Ipse ergo se Apostolus exponit dicens, iterum crucifigentes filium Dei, hoc est, iterum se baptizari contendentes. Per baptismum namque configuramur crucifixioni Christi, veterem hominem quoad culpam & pœnam exuentes, & induentes nouum. Vnde quoniam signum veræ rei assimilari debet, sicut vnica fuit mors Christi, ita vnicum debet esse baptisma. Ideoque concludit illic Augustin. quòd per illud verbum Pauli consuetudo Ecclesiæ est, non baptizare nisi semel. Per pœnitentiam autem licèt crucifixionis Christi efficiamur participes, non tamen prorsus similes. Atqui hæc est receptissima doctorum expositio, vt Dam. in lib. 4. cap. 10.

Hieronym. expositio.

& reliquorum. Tametsi Hiero. contra Iouinianum eundem locum de pœnitentia intelligat; glossat namque impossibile, id est, difficile est peccatori per pœnitentiam in viam reuocari. Sed certè verbum illud: Iterum crucifigentes, demonstrare videtur non esse nisi sensum de iteratione baptismi. Et confirmatur, quoniam Paulus illic contra quosdam sermonem inierat, qui perinde de baptismo censebant, ac de baptismatibus antiquæ legis, quæ cum ad ablutionem corporalium sordium instituta fuissent, iterum atque iterum repetebantur. Amouet ergo errorem illum: quoniam baptismus, cum omnem prorsus pœnam & culpam diluat, iterari non indiget; imò nec verè potest, sicut non potest homo renasci corporaliter. Vnde quando peccator per pœnitētiam resurgit, non renascitur, sed ad eandem vitam redit, in qua natus fuit per baptismum.

Iam verò & idipsum Apostolus ad Roma. 6. exhortari contendebat Romanos: nempe, vt mortui per baptismum cum Christo cauerent, ne vitam, quam illic nacti erant, amitterent. Quia quod Christus mortuus est peccato, mortuus est semel. Quasi dixisset. Sicut ille non potest iterum mori, ita nec nos ei ipsi per baptismum iteratò commori. Atqui hac eadem ratione Hier. appellauit pœnitentiam, secundum tabulam post naufragium; nempe quod baptismus sit ceu integra nauis, quæ postquam fracta est, recuperari non potest, sed per pœnitentam deinceps seruamur. Ex his igitur Paulinis locis similiter colligitur sententiam non iterandi baptismi esse de iure diuino.

Pœnitentia 2. Tabula.

Contra hoc igitur illico militat quintum argumentum D. Thomæ. Eucharistia est sacramentum commemoratiuum dominicę passionis perinde ac baptismus: iuxta illud, Hęc in mei memoriam facietis. Imò magis commemoratiuum, cùm sit præstantius sacramentum. Sed Eucharistia iteratur: ergo & baptismus est iterabilis. Respondetur, quòd consecratio Eucharistiæ non iteratur sub eadem materia, & in hoc est baptismati similis. Sumptio autem eius dissimiliter est memoria passionis: nam in baptismo commemoratur mors, eò quòd per ipsum commorimur Christo, regeneramurque in nouam vitam. Per sumptionem verò Eucharistiæ commemoratur passio, quatenus illic porrigitur nobis Christus passus, quasi paschale conuiuium, iuxta illud primæ ad Corinthios quinto: Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis synceritatis, & veritatis. Homo autem semel nascitur, sæpissimè tamen cibatur.

Soluitur arg. contrarium de Eucharistia.

Defenditur 3. ratio S. Tho. ex natura characteris petita.

Tertiam deinde rationem Diui Thomæ de charactere idem Scotus infirmari ibidem contendit. Nam quòd baptismus non sit iterandus, res est, inquit, à primordijs Ecclesiæ antiquissima: quòd autem characterem imprimat, à tempore forsan Augustini in opinione esse cœpit: ergo impressio characteris non est causa, quòd non sit iterandus baptismus. Et consolidatur ratio. Sententia non iterandi baptismi notior est multò & certior quā impressionis characteris. Nam illa, vt diximus, est de fide, hæc verò non item. His verò nihil obstantibus, ratio hæc tertia est in præcipuis & necessarijs non iterandi baptismum. Enimuerò Augustin. non solùm illo loco contra Parmenianum, quem hic citat D. Tho. verùm & vbique contra Donatistas, vt dist. 1. quæst. 4. latius deduximus, & d. proxima repetemus, hoc vno ariete hæreticos concutit, ad probandum, quòd baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi, quòd etsi gratiam non suscipiant, quia sunt extra Ecclesiam, suscipiunt nihilominus indelebilem characterem Christianæ militiæ, qui quidem character, cùm veniunt ad Ecclesiam, ab ipsa Ecclesia recognoscitur. Et ideo tunc valere incipit illis baptismus, quando per pœnitentiā conuertuntur, vt refertur can. Tunc valere. de consecra. distin. 4. Accedit autoritas Florentini concilij, quo decernitur illa sacramenta non esse iterabilia, quæ characterem imprimunt: quomodo ergo ratio characteris excludi potest, ne sit causa non iterandi baptismum? Respondetur ergo Scoto, quòd etsi nomen characteris non fuerat forsan ita notum & frequens in Ecclesia ante tempus Augustini, nihilominus res ipsa fuerat semper confessissima: nempe, quod per quædam sacramenta consecrabantur suscipientes ad aliqua obeunda munia, vt di. 1. q. 4. expositum reliquimus: & ideò illa non erant iterabilia, quia consecrationes illę erant indelebiles, quas verò postea Ecclesia appellauit characteres.

Augustin.

Concil. Florent.

Respōdetur Scoto.

Quarta ratio negari non potest, sicut nec prima, quia est æquali euidentia manifesta.

Responsio autem primi argumenti. San. Thomæ est attentè meditanda. Est enim argumentum. Baptismus videtur institutus ad ablutionem peccatorum: peccata autem iterantur: ergo & iterandus est baptismus: quandoquidem misericordia Christi culpas exuperat nostras. Et poterat quidem responderi, quòd cùm baptismus ad remissionem potiùs originalis peccati, quod non iteratur, sit institutus; pœnitentia verò ad remissionem actualium, hæc iteratur, ille verò minimè. At verò quoniam responsio hæc nimis est superficialis, medullitùs respondet quòd cùm baptismus in virtute passionis Christi operetur, fit, vt sicut pecca-

1. Argu. Cur baptismus iterari non debeat, quandoquidem iterentur peccata.

Digitized by Google

tum subsequens non sic tollat passionem, vt sit iteranda, ita nec tollat baptismum: sed impedit vtriusque virtutem. Quare satis est, vt per pœnitentiam illud impedimentum tollatur iterum atque iterum quoties peccatur, vt baptismus suum effectum recuperet. Tametsi non sit necessarium, vt semper auferatur & culpa & pœna, qui est plenus effectus baptismi. Alioqui nulla opus esset post pœnitentiam satisfactione. Sed recuperatur vita spiritualis baptismi quoad gratiam, & secundùm quantitatem contritionis & satisfactionis quoad remissionem pœnæ. Imò verò peccatum veniale, licèt non sit impedimentum baptismi, vt vitam tollat, remittit tamen feruorem, & aliquem impingit reatum pœnæ.

2. Arg. Cur baptizati a Ioanne rebaptizabantur potius quam baptizati ab hæreticis.

Secundò arguit D. Thom. Ioannes Baptista præcipuo fuit præconio Christi commendatus: nempe, cum de eo affirmauerit, non fuisse inter natos mulierum maiorem: baptizatos verò à Ioanne, vt legitur Actuum 19. Paulus & reliqui Apostoli rebaptizabant: ergo decentius qui ab hæreticis baptizantur, sunt rebaptizandi. Respondetur diuersam esse rationem: nam baptismus Ioannis non erat Christi, nec gratiam conferens, nec characterem imprimens: baptismus verò hæreticorum est Christi, characterem imprimens; quinuerò gratiam paruulis conferens, qui suis erroribus non consentiunt. Vnde Aug. super illud Ioan. 1. Sed ego nesciebam eum, quod refertur 1. q. 1. can. Dedit. Ecce post Ioannem baptizatum est, post homicidam non est baptizatum: quoniam Ioannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi; quod quidem sacramentum tam sanctum est, vt nec ministrante homicida polluatur.

3. Argu. Paulianistæ Cataphrygæ & Bonasiani erant rebaptizadi

Tertiò arguit ex decreto Nicæni concilij, quod refertur 1. q. 1. can. Si quis confugerit. vbi decretum est, vt Paulianistæ, & Cataphrygæ ad Ecclesiam venientes rebaptizarentur. Ex quo idem de omnibus hæreticis censendum apparet. Responsio autem est, quòd baptizati ab hæreticis in forma Ecclesiæ non sunt rebaptizandi, vt habetur de consecra. dist. 4. canon. De Arrianis, quod est decretum Arelatensis concilij, & can. Ab antiqua, ex Gregorio ad Quiricum. Nam Arriani dum baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non apponendo in nomine Patris maioris, verùm ministrabant sacramentum. Illi verò suprà nominati in concilio Nicæno, & Bonasiani, quos illis Gregorius annumerat eadem distinctio. & quæstio. can. Hi verò quia neque Christum credebant esse hominem, neque Spiritum sanctum confitebantur, ac perinde neque in nomine veræ Trinitatis baptizabantur, erant cum reconciliabantur cum Ecclesia, baptizandi. De his autem dist. sequenti iterabitur sermo.

4. Argu. De bapt. sub conditione.

Quartum argumentum de illis instituitur, de quibus dubium est sintne baptizati, qui eam ob causam sub dubio baptizandi videntur. Respondet autem S. Thom. per decretalem Alexandri tertij De quibus dubium. De baptismo & eius effectu. quòd illi sub conditione sunt, non quidem rebaptizandi, sed his verbis baptizandi. Si baptizatus es, non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Vbi adnotandum, quòd rebaptizatio, neque sub conditione, vllo pacto est licita. Quare illa secunda non censetur rebaptizatio, sed conditionalis baptizatio. Qua idcirco, si accidat illum fuisse baptizatum, non est sacramentum.

Reprehenduntur Sacerdotes, qui extra morale dubium, non verentur sub conditione baptizare.

Circa hanc igitur solutionem, de duobus abusibus, qui inter ignaros sacerdotes creberrimi sunt, admonendum est maximè. Sunt, inquam, qui nullum periculum imminere putant, dummodo sub conditione rebaptizent: & ideo non solùm non admodum perscrutari curant, sitne puer baptizatus; verùm etiam si constet esse domi baptizatum, iterum sub conditione solenniter eum in Ecclesia sacro fonte baptizant, quod est immane sacrilegium. Neque vllo pacto a censura irregularitatis huiusmodi sacerdotes excusantur: nam forma hæc baptizandi, solùm in illis permittitur (vt ait canon) de quibus dubium est. Quare nisi morale sit dubium, hoc est, quòd dum controuersia oritur, facta diligenti indagine definiri non valeat, puerum esse baptizatum necne, nemo est rebaptizandus, quamuis sub conditione fiat. Audi Augustinum, quem de hac re d. 1. q. 5. artic. 8. in can. Solet. de consecrat. d. 4. citauimus. Ait quippe: quòd quando quis ludicrè, & mimicè, & ioculariter fuisset baptizatus, deberet diuinum iudicium per miraculum

Augustin.

alicuius reuelationis explorari antequàm ad rebaptizationem recurreretur. Non dico in vsu esse huiusmodi postulare reuelationes, sed eatenus hoc meminerim, vt admonitos habeam sacerdotes quanta sit diligentia adhibenda priusquam conditionalis baptizatio fiat. Quòd si mihi Scotum obieceris dist. 6. quæst. 8. dicentem, non teneri quemcumque sacerdotem facere strictam diligentiam & exquisitionem, an vetula infantulum baptizauerit. Intelligitur quando de hoc nulla est quæstio. Tametsi semper consilium sit id interrogare. Noui namque in quibusdam Ecclesijs tantam inoleuisse huius rei peruersitatem, vt ferè omnes domi baptizati in Ecclesia rebaptizentur. Adeo vt viderim inter quendam ciuem & suum plebanum hanc contestatam litem, quòd quamuis constantissimum esset filium suum baptizatum domi, nihilominus expostulabat, vt iterum in Ecclesia baptizaretur, quia sic erat consuetum: qua de re renuentem sacerdotem coram Episcopo in iudicium euocauit, parumque abfuit, vt causam vinceret.

Scoti sententia exponitur.

Alter abusus eorum, qui extra mortis periculum recenter natos domi baptizant.

Ex hoc alter enascitur paulò minor abusus: nempe, quòd omnes, cùm primum nascuntur, indiscriminatim, etiam si nullo subsint mortis periculo, baptizentur. Qui quidem abusus in causa est, quod multi vel rebaptizentur, vel nunquam solenniter baptizentur. Nam est adnotandum, quòd quomodocunque laicus baptizet, etiam sine necessitate baptismus tenet, atque adeò non est iterandus, quod di. seq. ar. 3. repetendum est, vbi subinde patebit peccatum esse laico mortale, extra necessitatem baptizare. Haud ergo id fieri debet, nisi vbi periculum imminet, sed expectandum est quoad possit in Ecclesia baptismus solenniter celebrari.

Quale dubium requiratur ad baptizandum conditionaliter.

Quod si sciscitaris quale debet esse dubium, vt baptizatio conditionalis fiat. Respondetur, quò dum præmissa solerti indagine neutri parti possit assentiri, sed suspensus semper manet animus, sitne baptizatus infans necne, tunc est res dubia, conditionalem baptizationem expostulans. Si verò assensus sit probabilis partis affirmatiuæ, & nullus negatiuæ, tunc nec sub conditione licèt baptizare. Quare bene ait Palud. in 4. d. 6. q. 4. vnum testem sufficere, vt vetulam, quæ baptizauit, vt non sit licitum puerum amplius baptizare. Tametsi ad condemnandum eum qui rebaptizauit vel rebaptizatus est, cum sit actus iuridicus, duo aut tres exigantur.

Palud.

Fit præterea ex his consequens, homines iam ætate prouectos ex Christianis natos, interque Christianos enutritos ob nullum scrupulum esse rebaptizandos: nam illa præsumptio pro certitudine habenda est, donec certissimis forsitan argumentis contrarium probaretur, vt benè admonet Innocen. Papa in capitu. Veniens. de presbytero non baptizato. Eo præsertim, quòd vbi ignorantia inuincibilis contingit, tunc homo articulum vsus rationis excedens per officia charitatis obtinet remissionem, tam originalis quàm actualium, & per reliqua sacramenta: vt idem fatetur pontifex, capit. Apostolicam. eod. titulo. Sicuti vsu etiam venit per baptismum flaminis, vbi non est aquæ copia. Si quis autem in nemore paruulus esset inuētus, de quo dubium existeret quibus esset parentibus natus, deberet sub conditione baptizari. Expositi verò infanti si inscriptum ferant fuisse baptizatos, quamuis nomen testis non prodatur, nullatenus sunt rebaptizandi; imò si per ætatem iudicarentur ante mensem aut viginti dies nati, ego neutiquam eos auderem baptizare. Ætas enim sufficiens esset testimonium susceptibatismi inter Christianos, nisi ex colore, vel alio indicio suspicio oriretur vehemens, esse prolem infidelis serui. Illi verò qui inter infideles nati sunt etiam ex parentibus Christianis, & postea redemptis parentibus, aut mortuis superstites sunt, postmodum cùm ad nos veniunt, nisi manifestis indicijs constet esse baptizatos, baptizandi sunt: nam præsumptio est non fuisse baptizatos. Et de istis intelligendi veniunt canones Paruulus. Placuit. Cum itaque. Si nulla. de consecrat. dist. 4.

Quid censendum de expositis.

Maximè ergo cauenda est rebaptizatio. Quando verò quempiam domi baptizare vsu venerit, deferendus postmodum in Ecclesiam est, adhibendique illi sunt catechismi & exorcismi, qui defuerant, iuxta cautionem canonis, Spiritus sanctus. 1. q. 1. videlicet, quòd adimplere ea debent, quæ sacerdotibus moris sunt.

Can. Spiritus sanctus.

Cautis-

Cautissimè autem glossam super eo. verbo lege: scilicet, non esse reiterandum sacramentum, licet non sit perfectum. Est n. intelligendum quando sacramento nihil defuit, quod de eius esset substantia, vt casu præsenti, aut si paruulus non fuit chrismate infignitus: tunc n. satis est suppleri quod defuit. Si autem defuit vel forma quæ in submersione non fuit prolata, non satis est posit vnam aut duas horas formam proferre, sed iteranda est mersio. Aut si aquam, in qua quis baptizatus est, postea constiterit non fuisse veram aquam, sed rosaceam, non satis est postmodum mergere, nisi etiam simul forma repetatur. Aliter enim neque primum, neque secundum esset sacramentum. Imò in secundo omnes sunt solennitates repetendæ, eò quod primum nullum fuerat sacramentum: licèt nonnisi Iuristæ, vt ait Paluda. distinctio. 6. quæst. 4. id sine vlla probabilitate negent.

Qualiter monstra baptizanda.

Ad hunc locum etiam disputatio pertinet, an monstrum debeat gemino baptismo intingi. Non autem de omni monstro dubium est, vt si quis cum tex digitis nascatur, aut vno tantùm crure; sed si ex præcipuis membris aliqua haberet gemmata, vt si haberet duo capita, aut duo pectora, &c. tunc enim videtur geminandum esse baptismum, ac si duo essent homines, aut sub illa forma esse baptizandos, Ego vos baptizo. De hoc autem certissima est, quæ fallere nequit, regula, quòd vbi constiterit vnicum esse suppositum, simplici forma baptizandum est: vbi verò fuerint duo, geminandus est baptismus. Rarissimè autem accidere potest vt sint duo, nisi vbi duo essent integra capita, & pectorum diuisio: sic vt altero quiescente capite, alterum vitales operationes haberet. Quando autem caput, & pectus vnum est, etiam si ex vmbilico alter homuncio enascatur, ab humeris integer, quod monstrum & suo tempore Paludan. vidisse ait, & ego mea ætate conspexi, non nisi vnicum est suppositum; tametsi possit ille pendulus ante alterum mori, læsionem enim illius totus sentit.

Quæ rebaptizantia fiant.

Vnum hic autem D. Thom. prætermisit punctum quod ad pœnas attinet tam rebaptizatorem, quàm rebaptizantium. Capitulo namque. Ex literarum. de apostatis, condemnatur irregularitatis acolytus, qui rebaptizanti ministrauit, & Codice, Ne sanctum baptisma iteretur. l. 1. ait Cæsar. Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita vsurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse censemus. Quamuis hæc non nisi allegatio iuris canonici sit. pœna liquidè irregularitatis Ecclesiastica est, de qua vtique constituenda nihil ad Cæsarem: lege autem 2. supplicio etiam capitis addicitur tam rebaptizans, quàm rebaptizatus. Tantum enim tunc erat hæreticorum odium Donatistarum, vt iure etiam ciuili à rebaptizatione tam atrociter arcerentur. Atqui can. Eos quos. de consecra. dist. 4. multis aliis pœnis Felix papa eosdem subijcit Anabaptistas. Et c. Quibus. pronunciantur irregulares, qui scienter rebaptizantur, pœnitentiæque septem annorum subduntur. Qui verò ignoranter id fecerint, ab eadem pœnitentia liberantur; sed nihilominus irregulares censentur, ne ad sacros ordines absque graui necessitate promoueantur. Veruntamen textus hic, etsi quantum ad eos qui scienter rebaptizantur, nihil dubietatis habeat; tamen quantum ad ignorantes dubium gignit: de qua ignorantia intelligatur, iuris ne tantùm, an etiam facti. Palud. namque dist. 6. quæst. 4 sustentabilem autumat intelligentiam de ignorantia facti: puta quòd si quis se esse baptizatum legitimè ignorans iterum baptizetur, aut si baptizetur ignorans se rebaptizari, ille citra vllam culpam sit irregularis: nam irregularitas, inquit, citra culpam incurritur. Et fuit opinio Antoni. 3. parte tit. 14. c. 11. §. 12. Et argumentum sumit ex verbo canonis, scilicet. Qui bis baptizatur ignoranter, licèt pœnitere non egeat, non potest tamen ad sacros ordines promoueri Si enim, inquit, tantum haberetur sermo de ignorantia iuris, quoniam illa peccatum est, non diceret, pœnitere non indiget. At verò opinio est intolerabilis. Mirabile namque est, quòd propter factum alterius, qui me inscium rebaptizat, fiam ego irregularis. Par enim ius esset, vt si infans ante vsum rationis rebaptizaretur, irregularis fieret. Cuius contrarium plane decernitur 1. q. 4. can. Placuit. & ca. Qui apud. Eninuerò licèt irregularitas aliqua citra culpam contrahatur, non tamen sine actu libero, nisi forsan aliqua sis corporis fœditate vitiatus. Qui enim secundis subiectus fuit nuptijs, aut personam agens publicam iudicis, malefactores perimit, liberè id egit. Adde quòd cum irregularitatis multiplex sit genus, illa quæ ob significationem, qualis est bigamia, vel ob indecentiam, qualis est sanguinis effusio & corporis vitium, constitutiua est, potest quidem citra culpam contrahi. Illa verò, quæ in pœnam culpæ decernitur, quæ idcirco proprie dicitur censura irregularitatis, qualis hæc præsens apparet, re vera non est cur extra culpam incurratur, iuxta illud Gregor. Res, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. De constitutio. ca. Cognoscentes. Ad hæc rebaptizans ignoranter nullo iure, irregularitatis condemnatur: multò ergo minùs qui sic rebaptizatur. At verbum illud canonis permultos fallit. Sanè qui non attenduut illud, non pœnitere, posse intelligi non de pœnitentiæ virtute, sed sic, quòd qui ex ignorantia iuris, scientes factum, rebaptizantur, non indigent perferre illos septem annos pœnitentiæ illic expressos: licèt pœnitere illos deoeat peccati, & irregulares manere quousque ex graui necessitate cum illis dispensetur. Quare ex illo verbo non conuinci legem illic ferri de ignorantia facti protinus excusante. Præterquam quod vt Scotus ait dist. 6. q. 8. textus ille nec pontificis est, nec concilij, sed Theodoreti cuiusdam Cantua. Episcopi: quare non facit fidem, sed grauem opinionem.

Irregularitas.

Ignorantia facti excusat ab irregularitate.

Habemus ergo, vt illic ait Scotus ignorantiam facti excusare ab irregularitate. Intelligitur tamen quando talis ignorantia est inuincibilis & inculpabilis. De ignorantia autem iuris grauius est dubium. Scotus namque ibidem tenet non excusare ab irregularitate. Duplex enim hic consideranda venit ignorantia iuris, scilicet, aut diuini, quo rebaptizatio prohibetur: aut iuris ca. quo pœna irregularitatis imponitur. Ignorantia autem diuini iuris neminem excusat, inquit, a culpa. Neque iuris can. pœnalis excusat à pœna. Qui n. inquit Scot. manus violentas in clericum injicit, licèt canonem excommunicationis ignoret, etiam inuincibiliter nihilominus excommunicatur, quia satis est dare operam rei illicitæ, cui illa pœna iniuncta est. Similiter ergo, inquit, censendum in præsentiarum de ignorante canonem. At verò id quod de excommunicatione Scot. sentit, cui multi etiam iurisprudentium consentiunt; profectò mihi non est vsque adeò certum, vt distin. † 18. vbi de excommunicatione differendum est, explicatiùs repetam. Sententia namque excommunicationis nemo nisi ob solam culpam inobedientiæ Ecclesiæ irretitur, iuxta illud Euangelicum: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Ecclesiam autem nemo dicitur non audire, nisi vel eius mandatum nouerit, aut nosse teneatur, ita vt eius ignorantia sit culpabilis. Si quis ergo daretur, qui inuincibili ignorantia laboraret canonis, profectò probabilissimum apparet eius censuram in foro Dei nõ incurrere: tametsi in foro exteriori eius excusatio non audiretur. De hoc autem illucusque nihil modò definitur. Sed de alijs pœnis, qualis est irregularitas, diuersa forsan est ratio.

Quid de ignorantia iuris? Scotus negat.

† legendum dist. 22. vbi ad a. 2. q. 1. § Quartus demum casus, Author id exequitur quod hoc promittit. Matth. 18.

Igitur in summa respondetur. Primùm sacerdotes, quibus ex officio baptizare incumbit, neutrius ignorantia iuris neque à culpa, neque ab irregularitate excusantur: quoniam tenentur vtrumque scire, tam diuinum quàm canonicum. Deinde illi, qui ius diuinum scire tenentur, licèt pœnam canonicam & ciuilem inuincibiliter ignorent, illam tamen incurrunt: excepta forte excommunicatione propter rationem factam Vt qui hominem occidit, licèt ignoret inuincibiliter irregularitatem inde exurgere, irregularis nihilominus fit: nam eiusmodi pœnæ consequuntur culpam, quam quisque scire tenetur. Sicuti fur, licèt ignoret suspendi supplicium, illud iure persoluet. Nihilominus addiderim, quod forsan potest quis habere inuincibilem ignorantiam ipsius iuris, rebaptizationem prohibentis: nam quanquam fundetur in Euangelio, est tamen adeò reconditum, vt non omnes plebei illud teneantur scire. Quocirca si quis rusticorum puer, ignorans prorsus se malè facere, aut alium rebaptizaret, aut ab alio paruulo rebaptizaretur, fortasse quoniam nullam commisit culpam, nullam contraheret irregularitatem.

Sententia Authoris.

Qui scienter peccat contra legem, eius pœnam etsi ignorat incurrit.

De dispensatione verò Scotus illic distinguit, quòd cum illo, qui solenniter rebaptizaret, aut rebaptizaretur non posset nisi Papa dispensare. Quando verò priuatim id fieret, dispensatio forte pertineret

Quis ab hac irregularitate dispenset.

ad

Supplicium capitis.

Rebaptizati irregulares.

Quid si citra rebaptizentur.

Palud. & Anton. affirmant esse irreg.

Impugnantur.

Digitized by Google

ad Episcopum. Hæc ille. At verò quando quis scienter absque ignorantia rebaptizatur vel rebaptizat, certè nisi per Papam cum illo dispensari non potest, vt probè Sylvest. admonuit verb. Baptismus 5. §. 3. Et idem est, dum ignorantia est culpata. Nisi ex priuilegio, vel in gratiam religionum, vel alia quauis causa indulto. At sunt præterea causæ ad dispensandum perpendendæ: nam cum huiusmodi pœnæ in odium hæreticorum fuerint constituræ, si quis eo rebaptizatur, quòd fuerat ab hæreticis baptizatus, difficilius cum illo dispensandum est. Si verò aliam ob causam minoris notæ, mitiùs cum illo agendum. At de dispensatione irregularitatis iterum in tractatu ordinum copiosius. †

† dist. 25. q. 1. a. 2. & 3.

ARTICVLVS X.

Vtrum ritus quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit conueniens.

HIc Diuum Thomam forsan quis de ordine indebito reprehendat. Inter ritus namque etiam catechismi & exorcismi connumerantur: de quibus ipse qu. 70. tractat in calce materiæ baptismi. Vbi omnes doctores tam de catechismis, quam de omnibus ritibus simul disputant. Quid ergo opus fuit de ritibus hoc loco articulum interserere? Respondetur, quod catechismi & exorcismi non tam ad formam baptismi attinent, quam ad eius præparationem, & ideo de illis tanquam de præambulis baptismi in fine materiæ disputandum est. Ritus autem baptismi sunt vnctiones, atque aliæ cæremoniæ, quæ ad solennitatem formæ baptismi attinent; meritò ergo inter disputandum de forma baptismi, quæritur de ritu an sit conueniens. Respondet D. Tho. sub distinctione duabus conclusionibus. Eorum enim quæ in celebratione baptismi peraguntur, quædam sacramenti substantiæ necessaria sunt, quædam ad eius solennitatem pertinentia. Est ergo prior conclusio. De necessitate quidem sacramenti sunt tria, nempe, forma, minister, & materiæ vsus. Alij addunt quartum, scilicet, intentionem. Hanc verò D. Thom. nomine ministri intelligit: loquitur enim formaliter, vt aiunt, qualiter nemo minister dicitur, nisi qui ministerij sui intentionem habet dum illud exercet. Quare in concilio Florentino tribus modis dicitur constare sacramentum, nempe, ministrum cum intentione pro vno connumerando. Probatur conclusio. De essentia sacramenti sunt causæ intrinsecæ, id significantes quod intus operantur; hæ autem sunt forma, quæ est principalis causa, & minister, qui est ceu instrumentalis, & vsus materiæ, quæ internam ablutionem designat. Quod si arguas formam non esse causam principalem, sed Deum: nam & totum sacramentum, vt suprà dictum est, concurrit vt instrumentum: Respondetur non sic vocari formam, principalem causam, quasi primam & supremam, quæ est extra sacramentum, illa siquidem Deus est, sed principalem inter intrinsecas sacramenti. Sciolus aliquis nobis forsan opponat, præter has causas requiri etiam intentionem baptizati. Respondetur autem Diuum Thomam non negare eiusmodi intentionem esse necessariam; imò id, q. 68. artic. 7. demonstrat. At verò baptizatus nec est pars nec causa sacramenti, de quibus in præsentiarum loquimur, sed subiectum, ipsum sacramentum recipiens.

Defenditur ordo à S. Th. seruatus.

Prior conclusio. De sacramenti necessitate sunt forma minister & vsus materiæ.

Occurritur obiectioni.

Posterior conclusio. Cætera omnia, quæ in ritu baptismi fiunt, non ad eius necessitatem pertinent. Hæc tribus rationibus declaratur. Solennitas namque baptismi primùm ad hoc confert, vt deuotio fidelium excitetur. Si enim simpliciter fieret ablutio, facilè posset apud plebeios in vilipendium venire: sanè qui non pluris eam penderent, quàm si sæcularis esset profanaque lotio. Per illum autem cæremoniarum decorem, puta exorcismorum, catechismorum, & vnctionum, benevolentia attentioque hominum efficacius captatur, vt sese ad diuinorum adorationem considerati⁹ erigant: Secundò deseruiunt ijdem ritus ad rudium ineruditorumque docilitatem & instructionem. Nam cùm cognitio nostra à sensu incipiat, per illa sensibilia signa vulgus aut instruitur, aut certè ad inquirendum excitatur, quæ sint illa mysteria, quæ sub illis latent. Tertiò, quia orationes illæ, & benedictiones, & sufflationes, &c ad cohibendos arcendosque dæmones plurimùm iuuant, ne sacramenti donis conferendis obstent. Atqui vsqueadeò hæc vera sunt, vt qui eiusmodi cæremonijs obganniunt, hæretici omnino sint. Et reuera Germani ab istis cæremonijs vituperandis & explodendis exordium sumpserunt. Vnde subinde gradum facilè fecerunt ad ipsa labefactanda exterminandaque sacramenta.

2. Concl. Cætera non sunt necessaria.

Ad quod valeant cæremoniæ.

Inter ritus autem primùm venit tempus, de quo arguit D. Thom. primo loco. Christus, vt supra dictum est, dum baptizatus est à Ioanne, sacramentum instituit, quoniam nunquàm aquæ baptismi purgare peccata credentium possent (vt ait Chrysosto. de consecra. dist. 4. can. Nunquam) nisi tactu dominici corporis sanctificatæ fuissent: illud autem celebratur sub festum Epiphaniæ: ergo illic potiùs, quàm in vigilia Paschæ, aut Pentecostes debuit baptisma solenniter celebrari. Respondet autem, quòd Christus non fuit baptismate suo tinctus, sed Ioannis. Christiani verò non baptizantur nisi baptismo Christi, qui efficaciam habuit ex passione, iuxta illud Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et ex Spiritu sancto, iuxta illud Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Et ideo congruè delecta sunt tempora illa duo celebrando solenni baptismo: videlicet, vigilia Paschæ, in qua fit memoria passionis & resurrectionis, post quam resurrectionem Christus præceptum posuit de baptismo: & vigilia Pontecostes, quando Apostoli repleri Spiritu sancto, tria millia hominum baptizâsse leguntur.

1. Arg. S. Thom. De tempore baptizandi.

Vigilia Paschæ & Pentecostes ad solemnem baptismum conuenienter determinata.

Ritus ergo iste plurimis canonibus sancitus extat de consecr. distin. 4. illis scilicet. Non ratione. Duo tempora. & sequentib. & cano. Propriè. Leo Papa easdem causas refert cur illa duo tempora, videlicet, vigilia Paschatis & Pentecostes, fuerint solennitati Baptismatis selecta. Et cano. Si quis. Facit argumentum, quod adduxit huc S. Thom. nempe, quod festo Epiphaniæ, quando Christus fuit baptizatus, debuit celebrari. Et respondet eodem modo quòd non fuit ille baptismus Christi. Et tandem in subsequentibus canonibus concluditur, quod nisi vrgente necessitate nemo debet nisi illis duobus temporibus baptizari. Tunc enim temporis quia frequentes adulta ætate tam ex Gentibus quam ex Iudæis fidei Christi nomina sua dabant, detinebantur in catechumenorum schola, vbi fidem edocti illis festis babtizari solebant adulti paruuli verò, qui catechismis non egent, quocunque tempore baptizabantur. Vnde vsus relictus est Ecclesiæ illis duabus vigilijs Litanias & benedictiones canere. Et in collecta missæ: Hanc igitur oblationem, verbum illud adijcere, Pro his quoque quos regenerare dignatus es, &c. fit enim allusio ad illos neophytos tunc baptizatos. Deinde Dominica in albis ijdem ipsi ex ordine in Ecclesiam prodibant stolis albis candidati, hoc est, induti stolis lineis innocentiam repræsentantibus, quam baptismus illis præstiterat, cereosque accensos gestantes, quorum lumine lumen fidei referebant. In quorum introitu canebatur illud graduale, Quasi modo geniti infantes lac concupiscite, &c. Postmodum verò quando rarissimè adulti baptizabantur, cessauit ille ritus, & quocunque tempore indiscriminatim baptizantur pueri. Congruit autem si fieri potest vt baptizentur octauo die. Consilium tamen esset, vt in insulis, vbi denuo noua plantatur Ecclesia, mos ille priscus quoad fieri posset obseruaretur.

Antiqua consuetudo Ecclesiæ, circa catechumenos.

Secundum argumentum est de vnctionibus. Apparet enim ad idem sacramentum non pertinere diuersarum materiarum vsus: fit autem baptismus in aqua, nihil ergo ad ipsum pertinet vsus olei. Respondetur aquam pertinere ad substantiam, oleum verò ad solennitatem. Fit autem bis vnctio, primò antè baptismum simplici oleo benedicto in pectore, & inter scapulas. Secundò post chrismate in vertice capitis. Vnde oleum illud dicitur oleum catechumenorum: nam ante baptismum non fuut nisi catechumeni. Chrisma autem, vt ait Innocentius de sacra vnctione cap. vnico. non conuenit nisi Christiano iam baptizato. Christus namq; à chrismate dicitur, & à Christo Christianus. Vnctio autem illa in pectore & in scapulis significat tunc Christianum fieri Christi athletam. Amb. lib. de sacr autor est. Pugil namque, vt in more erat apud ethnicos, oleo vngebatur ad consolidandos neruos, & corroborandas carnes. Innocentius verò illic ait vnctionem pectoris significare donum

2. Argu. De vnctione

Oleum catechumenorum.

Cur fiat vnctio in pectore.

Spiritus

Spiritus sancti, quo error ignorantiæ abijciatur, fidesque suscipitur, ex qua iustus viuit. Vel quia in pectore cor est, munitur illa vnctione homo aduersus hostem, vt libro 2. de sacrament. parte 6. cap. 11. ait Hugo, ne deinceps ei immunda & noxia persuadere possit: nam vt ait Redemptor: † De corde exeunt cogitationes praua. Vnctio autem inter scapulas significat Spiritus sancti gratiam ad excutiendam negligentiam, torporem, bonamque subinde operationem exercendam, quia fides sine operibus mortua est. Nam in scapulis, vt ibidem ait Hugo, vigor portandi oneris est, & baptizatus fortitudinem accipit ad portandum onus Domini. Concludit ergo Innoc. quod per sacramentum fit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fit fortitudo laborum. Ad eundem sensum pertinent verba Rabani de consecratio. distinct. 4. cano. Deinde. Primuerò quamuis in baptismo Pharao cum suo exercitu, hoc est, diabolus cum suo scelerum satellitio submergatur, non tamen illico Christianus terram promissionis ingreditur, sed longa asperaque illi via deserti restat contra Hiebuseos, & Pherezæos, hoc est, contra monstrifica tentamenta carnis dimicaturo. Post baptismum verò chrismate baptizatus in cerebo insignitur à presbytero, in signum quòd sit Christi regni particeps, & à Christo Christianus deinceps vocatur. Sententia est eiusdem Rabani libro de institutione clericorum. Innocentius autem eodem cap. de sacra. vnctione ait fieri in cerebro, quia sapientis sensus in capite residet, vt Christianus paratus sit, vti ait Petrus, omni petenti se de fidei ratione reddere. Significat ergo signum illud crucis in vertice capitis chrismate delinitum characterem Christi, quo Christianus à reliquis gentibus dignoscitur, vexillum militiæ suæ in eminentia capitis præferens. Quam quidem vnctionem capitalis verticis (vt lib. 2. de sacra. part. 7. c. tertio refert Hugo) Syluester Papa instituit.

Nullo autem pacto presbyteris permittitur in fronte baptizatos chrismare, sed licubi, vt audisse me memini, post crucem verticis alteram adhibeant in fronte, manifestarius abusus est, contra can. Presbyteri, de conse. q. 4. qui est Gregorij. Neque vlla est responsio tantùm illic prohiberi presbyteris, ne confirment: aliàs dixisset Papa, ne confirmarent. Imò quoniam nulla fit chrismatio in fronte nisi confirmationis, expressè iubet, ne presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate præsumant, sed baptizandos vngant: (in pectore scilicet & inter scapulas, & baptizatos in vertice cerebri) vt episcopi postmodum confirment in fronte. Nam in primitiua Ecclesia; præcipuè dum celebrabatur solennis baptismus, vt est videre apud Dion de Eccle. Hier. confestim episcopus baptizatos confirmabat. Postmodum verò dum crescente Christianorum populo raritas esset episcoporum, presbyteri munus sibi illud vsurpabant signandi neophytorum frontes, quorum ideo audaciam Gregor. cohibuit. Quamuis postea, vt ipse scribit Ianuario, quod refertur canon. Peruenit. dist. 95. id ad tempus concesserit presbyteris: videlicet, vt confirmarent. Iam verò nullatenus eis chrismare frontes permittitur. Vnde Rabanus lib. de institutione clericorum. Signatur, inquit, baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per pontificem verò in fronte: vt in priori vnctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur. Quare nec D. Thom. hoc loco, nec vllus doctorum refert chrismationem à presbytero fieri nisi in vertice capitis. Neque quenquam decipiat quod Inno. dicto c. de sacra vnctione post vnctionem in vertice capitis subdit. In fronte vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur quod credit. Eandem enim vnctionem frontis paulò inferius declarat esse episcopalem confirmationem. De qua dist. 7. disputatio nos expectat.

Tertium argumentum tangit mysterium lineæ vestis. Arguitur namque. In Christo non est distinctio masculi & fœminæ, vt ait ad Col. 3. Paul. Barbari & Scythæ: cur ergo baptizati induuntur candida veste? Respondetur non ea ratione indui, vt perinde atque religiosi suis induuntur cucullis, ita non liceat Christianis nisi vestibus illis vti. Sed tum in signum innocentiæ, quam vnusquisque per baptismi regenerationem adipiscitur: quam subinde vitæ puritatem & candorem tenetur semper moribus exhibere: tum perinde, vt prognosticum sit gloriæ resurrectionis in corpore & anima, ad quam & eadem nos regeneratio destinat, & eiusmodi vitæ synceritas perducit. Admonetur præterea Christianus, vt ait loco citato Hugo, sacro illo velamine diademate se regni & sacerdotali dignitate potiri. Ad vltimum datur, inquit, cereus accensus in manum eius. Hic enim cereus, vt suprà diximus, lumen fidei refert, cuius sacramentum est baptismus: quod scilicet lumen vniuersis Christianæ religionis officijs anteferendum nobis est, vt mandatum illud Euangelicum impleamus: † Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Quam quidem lampadem qui inextinguibilem seruauerit, inter sapientes virgines cum sponso cælesti ad nuptias introibit. At verò & verbum illud Apocalyp. 5. ad Christum. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, huiusmodi cæremonijs non obscurè designatur: quandoquidem super fontem baptismi, ceu sacerdotes vngimur, & sacerdotali stola induimur, sancto que fidei lumine, quasi totam vitam hostijs & sacrificijs mentis & corporis Deo sacrificaturi instituimur. Meritissimò ergo contra hæreticos concludit quarto argumento D. Thom. huiuscemodi sacros ritus solennitati baptismi sic non esse necessarios, vt tamen nec sint superflui; imò maximum ornamentum sacramentis afferre. De catechismis autem & exorcismis, infra dist. sexta.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm conuenienter describantur tria baptismata.

DE trino baptismate, Sent. Magist. dist. 4. meminit, non autem concinnum videtur obseruasse ordinem; sed occasionem inde nactus, quòd de suscipientibus rem sacramenti absque sacramento illic loquebatur, trium baptismatum mentionem miscuit: cum tamen eiusmodi baptismata ad formam baptismi quodammodo attineant; atque adeò ad hanc dist. qua de eiusmodi forma tractamus. Ordinem ergo D. Thom. secuti, quærimus hic subsequenter vtrùm conuenienter describantur tria baptismata. Ad quam quæstionem licèt D. Thom. vnica expressè conclusione respondeat, duabus tamen, quæ in illa continentur, claritatis gratia respondemus. Prior. Tria sunt peccati remedia, quę vocantur baptismata: nempe baptismus aquæ, martyrium & pœnitentia, seu quiuis actus peccati remissorius. Conclusio est glossæ super verbum Apost. Heb. 6. Baptismatum doctrinæ. Ait enim pluraliter sic dici, quia est baptismus in aqua, & in pœnitentia, & in sanguine. Et martyrium quidem nuncupatur baptismus sanguinis ab effectu effusionis eius. Motus verò cordis appellatur baptismus flaminis, à causa, quia flamine Spiritus sancti inspiratur. Sed baptismus aquæ à sua materia sumit nomen fluminis. Posterior conclusio. Baptismus tam sanguinis quàm flaminis ob id nominatur baptismus, quod vterque supplet vicem baptismi aquæ. Vbi insinuat D. Th. solum baptismum aquæ absolutè & simpliciter censeri baptismum, ac perinde esse sacramentum: reliqua verò non item: atque adeò neutrum tam esse baptisma quàm sic propterea appellari, quod suppleat vicem baptismi. Probatur prior conclusio ratione. Baptismus aquæ efficaciam habet tum à passione Christi, cui per ipsum configuramur, tum etiam ab Spiritu sancto, cuius donum est baptismalis gratia: quare & baptismus ipse effectus quodámodo tam passionis est, quam Spiritus sancti. Effectus autem dependet quidem à causa, non tamen è conuerso causa ab effectu. Quapropter valet quisque effectum baptismi aquæ absque ipso baptismo consequi; vtpote per martyrium, per quod sicuti per baptismum, assimilatur homo passioni Christi. Quare de martyribus legitur Apocal. 7. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Lauare enim idem est, quod baptizare. Nam quamuis opus sanguinis sit rubricare, tamen propter innocentiam occisi agni, & eam, quam martyres inde assequuntur, dealbare dicitur. Eadem ratione potest quispiam virtute Spiritus sancti effectum itidem baptismi

aquæ

Matt. 15. — *Cur inter scapulas.* — *Vnctio in vertice.* — *Innoc.* — *Ingere in fronte solus permittitur Episcopus.* — *Rabanus.* — *Innoc.* — *Rabanus. De vestibus candidis.* — *Cereus accensus.* — *† Matt. 5.* — *Prior conclusio. Tria sunt baptismata, aqua, martyrij, & pœnitentia.* — *Posterior conclusio.* — *Solus baptismus aquæ est sacramentum.* — *Sanguis Christi dealbat.*

Digitized by Google

aquæ absque ipso consequi, & absque sanguinis effusione propter motum Spiritus sancti, quo mouetur cor ad credendum, & diligendum, ac pœnitendum de peccatis; qui ideo motus, baptismus dicitur pœnitentiæ, iuxta illud Esa. 4. Si ablauerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij (scilicet discussionis cordis) & spiritu ardoris. Colligitur ergo conclusio, videlicet, tam martyrium quam pœnitentiam, quoniam baptismi vices supplet, baptismum congruè nominari. Et confirmatur autoritate August. lib. de bapt. contra Donatistas c. 22. quæ refertur de cons. dist. 4. can. Baptismi vicem. Baptismi enim, inquit, vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in paradiso, beatus Cyprianus non leue documentum assumit. Quod etiam atque etiam considerans inuenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod baptismo deerat, posse supplere: sed etiam fidem confessionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest.

Augusti.

Patres triplicem baptismum agnoscentes.

Assertio hæc trium baptismatum solennis est, non modò inter scholasticos, verùm & inter sanctorum proceres, qualis est August. loco hic proximè citato: & de fide ad Petrum lib. 6. quod refertur can. Firmissimè. de consecra. dist. 4. & lib. 13. de ciuit. Dei cap. 7. & Hierony. super illud ad Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma. Et ex Græcis Gregor. Nazianzenus Orat. 2. de Epiphanijs. & Cyrillus super Leuit. lib. 2. Et Bernard. latè in Epistola 60. atque Hugo lib. 2. de sacram. part. 6. cap. 7. Et egregiè Vualden. tomo 2. de sacramen. c. 96. & 97. Quinuero & in sacra scriptura sermo hic fundamentum habet. Nam de passionis baptismo præter illud, quod citatum est Apocal. 7. extat illud Lucæ 12. Baptismo habeo baptizari. Et Marci 10. Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? De baptismo autem flaminis præter illud citatum Esaiæ 4. extat illud Actuum 1. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, & igne, non post multos hos dies. Quamuis locutio hæc metaphorica sit. Infusio namque gratiarum, quæ sæpe in sacra scriptura aquarum nomine designatur (vt Canticorum 4. Puteus aquarum viuentium, & Ioan. 4. Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons salientis in vitam æternam) dicitur baptismus.

Cyrillus.

Testimonia scripturæ.

Sunt alia baptismatum genera apud Damasc.

Sunt autem quædam alia baptismatum nomina, & genera, quæ lib. 4. cap. 10. Damascenus vsque ad octo vel nouem connumerat, vt D. Thom. argumento tertio arguit, cur ergo non nisi tria hæc reliqui omnes patres distinguunt? Respondetur, nihil ad propositum illa referre: quoniam hic loquimur de baptismatibus, quæ vicem baptismi aquæ supplent, parem scilicet effectum producendo. Quem quidem effectum reliqua baptismata non conferunt: sed sic appellantur, quia vel sunt figuræ vel dispositiones baptismi. Vt diluuium, quod fuit figura baptismi quantum ad seruationem: nam sicut illic paucæ animæ in arcam conclusæ vitam seruârunt corporalem; ita qui per baptismum Ecclesiam ingrediuntur, vti ait Petr. cap. 3. 1. canonicæ, vitam spiritualem adipiscuntur. Et transitus maris rubri, qui ideo fuit nostri baptismi figura, quoniam sicut illic submersis Ægyptijs liberatus est Israëliticus populus à seruitute Pharaonis: ita & in baptismo extinctis peccatis à Satanica eripimur tyrannide. Vnde 1. Cor. 10. Omnes baptizati sunt in nube & in mari. Fuerunt etiam in lege veteri baptismata diuersa, quorum ad hoc propositum Apostolus ad Hebr. 6. meminit, quibus variæ corporum lues & lepræ purgabantur in figuram nostri baptismi, quo animæ sordes abluuntur. Baptismus verò Ioannis dispositio fuit nostri. Igitur quoniam nullum istorum gratiam supplendo vicem sacramenti conferebat, tria tantùm connumerantur baptismata.

Diluuium.

Transitus maris.

Baptismus Ioannis.

Cur martyrium & pœnitentia baptismata appellentur.

Prima igitur dubitatio animum pulsat, vt rationem exploremus vnde baptismatum appellatio originem traxerit. Arguitur enim. Si propterea quòd motus cordis & pati pro Christo baptismi vicem supplent, baptismata dicuntur, consequens fit, vt omnia charitatis officia tam interna, quàm externa eodem iure deberent dici baptismata: nam baptismi vicem supplere nihil aliud esse videtur, quam gratiam conferre, vel augere: quod quidem munus vniuersis virtutum officijs per Dei auxilium conuenit: Quòd si dixeris debere esse actus peccatorum remissiuos, arguitur ex Cyrillo loco citato super Leui. vbi septem eiusmodi actus connumerat. Qui sunt baptismus, martyrium, eleemosyna, iuxta illud Lucæ 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et dimittere fratribus debita, iuxta illud † Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus, &c. atque alia id genus charitatis officia. Secundò arguitur. Sicuti baptismus sacramentum est gratiam conferens, ita & sex reliqua sacramenta: ergo res illæ quæ baptismi vicem supplent quia gratiam conferunt, supplere etiam censentur confirmationis vicem, & Eucharistiæ & pœnitentiæ, &c. ac subinde nominari possunt quodammodò confirmationes, Eucharistiæ, & pœnitentiæ, quod tamen non est in vsu. Gratis ergo illud priuilegium peculiariter tribuitur baptismo.

Obiectio ex Cyrillo.

† *Matth. 6.*

Responsio.

Respondetur hanc Theologiam inde duxisse ortum, quòd baptismus in euangelio ad remissionem originalis culpæ necessarius instituitur: † Nisi quis renatus fuerit, &c. Et qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. Hinc ergo hæretici colligebant præter baptismum aquę in re nemini patere originalis remissionem, atque adeò nec salutem. Sancti ergo Euangeliorum interpretes, ne negare contra Euangelium viderentur vnicum esse baptismum necessarium, prudenter docuerunt illas actiones, quæ per se sine baptismo ad remissionem originalis sufficere possunt, illius sacramenti vicem supplere, ac perinde appellari baptismata. Qualis est conuersio in Deum aduenlente vsu rationis; vbi includitur baptismi votum vel formaliter: vel (quemadmodum opinor) virtualiter. Vt quando est ignorantia inuincibilis baptismi, quod d. 5. art. 2. commonstrabimus. Ac præcipuè martyrium. In lege autem naturæ cõuersio non erat baptismus flaminis: cùm tunc nullum extaret baptismi præceptum. Breuiter omnis actus, qui originalis peccati est remissiuus; atque adeò qui baptismi votum formaliter aut virtualiter includit, baptismatis appellationem meretur. Vnde August. Ber. Hugo, & diserte Vualdensis locis suprà citatis sic contra hæreticos arguebant. Neminem Deus ad impossibile obligat: ergo licèt præceptum quantumuis strictum baptismi posuerit; nihilominus vbi nulla adest baptismi possibilitas, vel vbi inuincibiliter ignoratur, voluntas obtinendi peccatorum remissionem, pro baptismo facto in aqua, à Deo reputatur. Nam & qui dixit: Nisi quis renatus fuerit, &c. Pariter dixit: Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet. Ezech. 18. Et (quod ad martyres attinet) similiter dixit: † Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt ponat animam suam pro amicis suis.

† *Ioan. 3. Mar. vlt.*

† *Ioan. 15.*

Atqui Cornelius, vt legitur Actuum 10. antequam baptizaretur à Petro in gratia erat, quippe cuius eleemosynæ iam Deo placuerant. Et Paulus antequam baptizaretur ab Anania conuersus fuerat baptismo flaminis. Et eodem decimo capitulo ait Petrus: Quis prohibere potest, vt baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Baptismus ergo flaminis cum voto realis baptismi antequam sit aquæ copia sanctificat. De hac autem re infra distinct. 5. art. 2. iterum. Ecce igitur cur baptismo hoc congruit priuilegium: nam cætera sacramenta non sunt instituta ad remissionem originalis; sed ad alios effectus gratiæ conferendos. Patet deinde quod baptismus sanguinis & flaminis solùm illi principaliter charitatis actus sunt, qui baptismi votum quodammodo includunt. Quare contritio Christiani hominis peccatorum actualium non tam propriè dicitur baptismus flaminis, quàm virtus pœnitentiæ. Quocirca Cyrillus eleemosynam, & alias actiones misericordiæ, quibus peccata dicuntur remitti, non vocat baptismata, sed remissiones peccatorum. Tametsi extenso nomine non modò tales contritiones; verùm omnes charitatis motus dici queant baptismata.

Cornelius & Paulus ante baptismum iustificati.

Argumẽta in contrarium.

Veruntamen duo, triaue restant in contrarium argumenta. Primum est. Sanctificatis in vtero contingit baptismalis effectus sine baptismo: item innocentibus occisis pro Christo: quoniam vtrisque sine baptismo donata est gratia remittendi originalis; & tamen illic nullus interfuit baptismus flaminis, quippe qui ante vsum rationis nullibi locum habet: ergo supplere vicem baptismi non sufficit ad baptismum flaminis. Secundò arguitur, quòd neque id requiratur. Christus baptizatus est baptismo sanguinis, iuxta illud Lucæ 12. Baptismo habeo baptizari, & quo modo coarctor? Imò etiam baptismo flaminis, vti Apostoli,

qui

qui baptizati sunt Spiritu sancto, & igne, & tamen neuter baptismus in Christo suppleuit vicem baptismi: vt qui nullius egebat remissione peccati.

Responsio.

Ad primum respondetur: quod baptismus flaminis non dicitur ipsa iustificatio & remissio, sed motus animi per quem fit, & ideo in illis infantulis nullus fuit baptismus flaminis. Ad secundum de Christo respondetur, quòd licèt non ita propriè, tamen largo (vt proximè dicebamus) modo quicunque actus charitatis, quia de se remissiuus est peccati, licèt illud actu non remittat, dicitur baptismus flaminis. Et quia in Christo tam internus actus, quàm passio, heroicum fuit officium charitatis, vtrumque appellatur baptismus, tametsi baptismi vicem, quia illa non egebat, minimè suppleuerit.

Charitas fuit baptismus extra genus aquæ & sanguinis.

1. Argu. S. Thom. petitum ex D. Paulo.

Aduersus hanc autem baptismatum assertionem pugnare videtur sententia Paul. ad Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma. Quod est primum argumentum S. Thomæ. Cùm enim non sit nisi vnica fides, vnum tantum debet esse baptisma. Ad quod superficie tenus posset quis respondere Apostolum illic loqui de baptismo, prout est sacramentum. Sed tamen solutio non facit rei satis: nam cùm Apostolus conferat cum fide baptismum, sicut simplex est ratio fidei, ita non debet esse multiplex baptismi genus. Legitima ergo responsio est, vnicum esse simpliciter baptismum, in quo virtute reliqua continentur. Desiderium namque baptismi, vbi non est aquæ copia, quod est baptismus flaminis, ob id sufficit ad salutem, quòd voluntas baptismi pro eius facto reputatur. Et pariter martyrium, vbi facultas sacræ vndæ non supperit.

2. Argu. S. Thom.

Quod autem in præsentiarum præcipuè notari debet, est quod diuus Tho. argumento secundo docet, videlicet, ex alijs solùm baptismum aquæ esse, dicique propriè baptismum. Arguit namque. Baptismus est sacramentum: solus autem aqueus est sacramentum: ergo reliqua non sunt baptismata. Et respondet argumentum concludere alia non esse propriè baptismata, quia appellatione baptismi solùm intelligitur sacramentum baptismi. Sacramentum siquidem habet rationem signi, debet scilicet, ex Dei institutione esse signum gratiæ, quam in lege noua efficit, quod non conuenit martyrio. Neque verò baptismo flaminis, quamuis dicatur baptismus pœnitentiæ: quia non dicitur pœnitentia, vt est sacramentum absolutionis sacerdotalis, sed vt est virtus, & motus animi peccatorum remissiuus. Nominantur ergo alia baptismata, non quia conueniant cum baptismo in ratione signi, sed in effectu. Quapropter neque baptismus flaminis, neque verò sanguinis potest facere hominem ex attrito contritum, sed solus baptismus aquæ re vera susceptus.

Martyrium & pœnitentia appellantur baptismata quia cum baptismo in effectu conueniunt.

Ex hac ergo prima discrepantia inter baptismum aquæ, & reliquos assignata subsequitur secunda, videlicet solùm baptismum fluminis esse in præcepto Euangelico in remissionem originalis labis. Nisi quis renatus fuerit, &c. Martyrium autem non est simpliciter in præcepto, nisi tantum in casu necessitatis ad defendendam fidem. Et baptismus flaminis nonnunquam extra tempus præcepti inspiratur: nam tunc solùm voluntas baptismi est in præcepto, quando baptismus est suscipiendus.

Atque hinc colligitur tertia differentia: quòd reliqua duo baptismata nullatenus obligationem baptismi aquæ tollunt vbicunque copia eius haberi potest; sed tunc illa baptismata valent ad salutem, quando aqua non inuenitur. Si enim martyr baptizari renueret dum posset, non haberet rectam fidem, nec illi prodesset martyrium; neque baptismus flaminis illi sufficeret, qui baptismum respueret. Quo fit vt si quis desiderio baptismi ante eius susceptionem, vti Cornelius, gratiam consequatur, nihilominus postmodum opportunitatem nactus tenetur ipsum suscipere. Alioqui per præcepti neglectum ab eadem gratia decideret. Hæc omnia latè D. Aug. lib. 4. contra Donatistas cap. 21. & subsequentibus edisserit. Ait quippe tunc fidem & cõuersionem cordis valere ad salutem, & si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest. Et infra. Tunc impletur inuisibiliter confessio fidei, cum mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et refertur de consecrat. dist. 4. can. Baptismi vicem.

Ex quibus rursum infertur, quod dum quæritur vtrum baptismus sanguinis & flaminis sufficiant ad salutem, non est absolutè concedendum sufficere, sed duntaxat secundùm quid, vtpote non habita baptismi copia. Imò absolutè est fatendum baptismum aquæ esse simpliciter ad originalis remissionem necessarium, iuxta verba Euangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Si quis crediderit, & baptizatus fuerit, &c. Nam si alia baptismata aliquo modo sufficiunt; hoc est, quia voluntatem includunt baptismi, qui haberi nequit.

Baptismus sanguinis & flaminis non absolutè, sed tantum non habita baptismi copia sufficiunt ad salutem.

Elicitur demum ex his omnibus reliqua baptismata minimè characterem imprimere, sed solum baptismum aquæ, quem ideo iterari nefas est. Baptismus autem flaminis nihil obstat quominus sæpe & sæpius iteretur.

Præter hæc autem, quoniam de martyrio duo in hac solutione secundi asserta sunt: videlicet & supplere vicem baptismi, & non esse sacramentum; vtrumque examinandum est. Videtur namque non supplere baptismi vicem. Etenim per se actus ipse exterior non confert gratiam: sed confirmat illam, quæ ab actu interiori procedit, vt ait Alex. 4. par. q. 22. memb. 5. & Bonauentura dist. præsenti art. 1. q. 1. Actus n. exterior virtutis sine interiori non est meritorius. Quare & D. Tho. art. subsequenti solutione 2. affirmat martyrium non habere rationem baptismi si sit sine charitate. Imò 1. 2. q. 20. art. 4. docet, actum exteriorem non addere bonitatem vel malitiam super interiorem. Quod si dicas satis esse vt actus exterior simul cum suo interiori gratiam conferat, tunc sequitur non differre à baptismo flaminis: atque adeò non esse tria baptismata: quoniam tota eius virtus consistit in actu interiori charitatis, qui est baptismus flaminis, ex quo habet vt sit meritorium, vt expressè D. Tho. affirmat 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. Sunt qui hoc loco diuersè ex diametro ab scopo aberrant. Enimuerò Armacha. lib. 8. capit. 37. vt sustineat martyrium sine actu interiori non conferre gratiam, negat infantes ab Herode pro Christo occisos virtute effusi sanguinis vllam recepisse gratiam: quare eos, qui non fuerant circuncisi, perijsse autumat. In cuius sententiam subscribit Adrianus quæstiunc. 3. de bapt. ad 3. arg. Hæc autem opinio peior est quam falsa, repugnat, inquam, autoritati Ecclesiæ martyrium innocentium celebrantis. Quod si respondeant isti, Ecclesiam non celebrare nisi festum eorum qui erant circuncisi: bifariam redarguuntur. Primum, quod est quàm maximè probabile, quosdam gentilium fuisse tunc vesana illa Herodis rabie trucidatos: quandoquidem à bimatu & infra omnes indiscriminatim in circuitu Hierusalem interfecti leguntur, vbi gentiles etiam nonnulli commorabantur: quare Ecclesia absque vllo discrimine omnes pro sanctis ducit cum Augustino in quodam sermone Epiphaniæ, & alijs partibus in concionibus Innocentum. Secundò, quia quamuis omnes fuissent circuncisi, nisi aliqua gratia & priuilegium apud Deum illis per illam truculentam necem accreuisset, non dicerentur sancti: Ecclesia enim non celebrat vt sanctos, quoscunque credit esse in gloria; alioqui paruulos omnes decedentes in gratia baptismali sanctorum solennitati extolleret, sed illos prorsus, qui apud Deum locum habent insignem. Neque verò pro martyribus haberentur. Laureola namque, martyrij non donatur nisi cum aliqua gratiæ laurea. Quocirca qui non fuerunt circuncisi, sanguine suo baptizati sunt. Ioannes ergo Maioris in 4. distin. 4. quæst. 3. vt Armachano contradicat, nonnihil in alterum extremum à veritatis linea declinat, Ait, inquam, quòd sicut ad sacramentum nulla requiritur interna volitio, vt patet in paruulis, sed per baptismum ascribuntur Christianæ familiæ; ita neque exigitur ad martyrium, sed per ipsum paruuli adscribuntur Christianæ militiæ, vt patet in occisis pro Christo. Ex quo deinde infert, martyrium ad modum sacramenti conferre gratiam (vt ait) ex opere operato, ac demum colligit verè esse sacramentum.

Proponitur argumentũ quo videtur martyrium non habere specialem baptismi rationem.

Redarguũtur Adrianus & Armacha. docentes infantes pro Christo occisos, si non erant circumcisi, in suo sanguine non fuisse baptizatos.

Igitur vt inter hæc extrema veritatem constituamus, sit prima propositio. Ad martyrium in aduito, qui potest internum habere actum, exigitur charitatis affectio qua velit pro Christo mortem oppetere, sicuti ad baptismum, volitio qua velit baptizari. Est enim per se actus charitatis, iuxta illud Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, &c. Et 1. Cor. 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Diffusius id disserit Vualdensis, tomo 2. de sacrament. cap. 105.

Sententia Authoris. Vt aduitus prosit martyrium, requiritur charitatis affectus.

Digitized by Google

Non autem in paruulis.

Secunda propositio. In paruulis ante vsum rationis eiusmodi actus non requiritur, vt patet in occisis pro Christo. Sunt qui dicant gratiam illis & salutem speciali priuilegio contigisse; attamen non arbitror aliud fuisse priuilegium quàm martyrij. Nam vt baptismus per se habet conferre gratiam, ita & quando paruuli ante baptismum pro Christo occiduntur, ilia infunditur. Etenim si Turca castrum aliquod in Christi odium incenderet, paruuli inibi concremati, quamuis non baptizati, in Dei gratia decederent. Imò & fortasse existentes in maternis vteris, licèt baptismo aquæ tingi non possint. Quare in his duabus propositionibus nil arbitror differre martyrium à sacramento baptismi. Imò sicut Ecclesia fidem suam paruulis applicat per baptismum, ita & suam Christus charitatem per martyrium.

Martyrio omnis culpa remittitur.

Neque differunt in hac tertia, quòd sicut baptismus, ita & martyrium omnem remittit culpam & pœnam. Nam vt habetur c. Cum Marthæ. de celebra. missa. iniuriam facit martyri, qui orat pro martyte, quandoquidem ab Ecclesia vt sanctus colitur.

Martyrium non esse sacramentũ.

Quarta conclusio. Martyrium non est sacramentum. Probatur primo ratione Sancti Thomæ in præsentiarum, quia non habet rationem signi. Haud, inquam, in hoc institutum est à Christo, vt sit gratiæ signaculum & instrumentum, sed est suapte natura egregius actus virtutis charitatis & fortitudinis, defensionisque fidei, cui ratione meriti, vt reliquis virtutum officijs gratia respondet, licet longè quàm alijs copiosior. Secundò probatur, quia martyrium non confert gratiam ex opere operato omnino ad modum sacramenti. Haud n. supra illam quæ martyri per modum meriti debetur, alius adhibetur gradus, vt in baptismo, vbi præter meritum suscipientis, vt dist. 1. quæst. 3. explanauimus, confertur gratia virtute operis tanquam instrumenti passionis Christi. Quod non perspexit Maioris quãdo dixit martyrium ex opere operato conferre gratiam. Nihil enim ex opere operato adiungitur, nisi detur supra rationem meriti. Tertiò arguitur. Martyrium characterem non imprimit, nec constituit hominem Christianum, si aliâs non fuit baptizatus. Aliàs, si postea ille lethaliter vulneratus per miraculum viueret, non teneretur amplius ad baptismum aquæ, quod est erroneum. Quinuerò si martyrium imprimeret characterem, pariter eundem imprimeret, quamuis qui patitur, obicem opponeret peccati mortalis. Nam baptismus etiam si obex gratiæ obsit, † vt infra videbimus, characterem imprimit. Hæc autem omnia sunt planè concessu absurda. Præterea quartò contra ipsum arguitur. Si martyrium esset sacramentum, plura essent sacramenta quàm septem contra Ecclesiæ traditionem. Nam solutio eius, videlicet, martyrium connumerari baptismo, nulla est, tum quòd si modo actus fortitudinis institueretur, vt esset sacramentum remissiuum originalis, nihilominus profectò differret à baptismo; cùm ergo martyrium sit talis fortitudinis actus, etiam differt. Tum quod circuncisio modo simul curreret cum baptismo, quamuis eundem haberet effectum, diuersum tamen esset sacramentum.

Tertiò.

† dist. 6. q. 1. a. 7. §. Hic primum omnium.

Quarto.

Baptismus flaminis requirit conuersionem ad Deum; martyrium non item.

Fit ergo ex his consequens martyrium non supplere vicem baptismi ex opere operato tanquam sacramentum, sed per modum meriti. Neque hoc differt à baptismo flaminis. Differt tamen ab illo (vt argumentum supra factum dissoluamus) quod baptismus flaminis debet esse conuersio in Deum per detestationem peccatorum, aut per propositum benè viuendi, dum quis primo venit in vsum rationis: martyrium autem nunquam talem detestationem requirit, sed hunc solum actum, volo mortem pro Christo perpeti: hic enim cum ipso exteriori opere sufficit ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum quoad culpam & pœnam, si non opponatur obex complacentiæ alicuius criminis.

Rursum baptismus flaminis nõ remittit semper totam pœnã martyrium autem sic.

Atque hinc sequitur aliud discrimen, quod reliqui actus, qui sunt baptismi flaminis, non remittunt semper totam pœnam nisi habito respectu ad maiorem minoremve ipsorum intensionem; martyrium autem quacumque charitatis affectione offeratur, plenissimum hunc fortitur effectum; Nam volitio mortis pro Christo pro summa reputatur charitatis excellentia. Hoc patet, quoniam Ecclesia, vt quemcunque martyrem catalogo sanctorum adscribat, nullum aliud experimentum explorat, quàm quòd pro Christo passus est. Idem confirmatur ex Augustino lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 7. dicentis, quod quicumque non percepto generationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si lauarentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, &c.

Auguſt.

Arguitur ad idem etiam ratione. Qui diligit Deum, diligitur à Deo. Ioan. 14. sed maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis: ergo propter solum amorem Dei expressum in martyrio, quis diligitur à Deo. Id idem demum sancitur de consecrat. d. 4. can. Catechumenum. vbi ex professo ex verbis August. ad Fortunatum probatur quod per martyrium confertur gratia eodem modo quo per baptismum.

ARTICVLVS XII.

Vtrum baptismus sanguinis sit omnium potissimus.

Baptismus flaminis præstat baptismo aquæ, & vtrumque baptismus sanguinis excedit.

SVBSEQVITVR tandem vt hæc inuicem baptismata conferendo exploremus quis sit potissimus. Et affirmatur vnica bimembris conclusio. Baptismus flaminis est potior & perfectior baptismo aquæ; baptismus vero sanguinis ambobus excellentior. Probatur primò ex Aug. ad Fortunatum, vbi ait: Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote: martyr coram persecutore, quod difficilius est. Ille post confessionem aspergitur aqua (quod est suaue) hic sanguine (quod est acerrimum) ille per impositionem manus pontificis recipit Spiritum sanctum, hic templum efficitur Spiritus sancti, quod magis est honorificum. Secundò probatur ratione. Illud baptisma est excellentius, in quo excellentiùs diuinæ causæ operantur: tale autem est martyrium: ergo est excellentius. Probatur minor, nam baptismus flaminis & sanguinis, eo sic appellantur, quòd supplent vicem baptismi aquæ; at licet tam passio quàm Spiritus sanctus ad omnia tria concurrat, excellentius tamen ad baptismum flaminis, sed excellentissimè ad baptismum sanguinis. Passio namque concurrit in baptismo aquæ per modum figuralis cuiusdam repræsentationis, quia per ipsum consepelimur Christo, quod repræsentatur in aqua materiali. In baptismo verò flaminis concurrit per spiritualem affectionem ad eandem passionem; dignior autem est affectio, quàm repræsentatio. Sed in martyrio per operis imitationem, quia verè martyr moritur, quod est omnium potissimum. Similiter etiam virtus Spiritus sancti in baptismo aquæ operatur per latentem virtutem actionis aquæ: in baptismo verò flaminis per cordis commotionem, quod est dignius: sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis affectum, pariter & effectum, secundùm illud Ioann. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Probatur primo.

Secundo.

Spiritus sanctus perfectissimè operatur in martyrio.

Plerique doctorum, vt Alex. 4. par. q. 22. memb. 5. Bonauent. præsenti dist. art. 1. q. 2. & Durand. q. 8. & Palud. 3. nullum horum baptismatum dicunt simpliciter alijs antecellere: sed habere se omnia, vt excedens & excessum. At verò cum comparatio debeat fieri in ijs, quæ rebus comparatis per se conueniunt, profecto simpliciter est cum D. Tho. sentiendum, vt baptismus flaminis sit simpliciter perfectior aqueo; & martyrium vtroque propter rationem præfatam, nam quod per se conuenit his baptismatibus est, quòd sunt Spiritus sancti, Christique passionis instrumenta; perfectio autem instrumenti simpliciter attenditur penes modum, quo a principali agente mouetur: cùm ergo tam passio quàm Spiritus sanctus excellentius baptismum flaminis quàm aquæ moueat, & excellentissimè per baptismum sanguinis, ille est excellentior, & hic excellentissimus.

Probatur tertio per solutionem 2. arg. S. Th. quia baptismus sanguinis includit baptismum flaminis.

Accedit ratio solutionis secundi argumenti, quod est huiusmodi. Baptismus sanguinis non valet sine baptismo flaminis, qui est per charitatem, iuxta illud 1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: baptismus autem flaminis sine baptismo sanguinis valet: ergo baptismus sanguinis est perfectior. Et respondet argumentum potius contrarium conuincere: nam eò quòd baptismus sanguinis præ-

Digitized by Google

supponit baptismum flaminis, illumque includit, nec solùm quemcumque, sed præstantissimum charitatis actum, cui superaddit præstantissimum externum opus, fit vt sit illo præstantior.

Soluitur 3. Arg. Et ad idem adijcitur solutio tertij: quod est huiusmodi. Sicut baptismus aquæ habet efficaciam à passione Christi, ita & passio Christi ab Spiritu sancto, secundùm illud Heb. 9. Sanguis Christi qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum pro nobis, emundauit conscientiam nostram. Ergo cùm baptismus flaminis sit proprium instrumentum Spiritus sancti, ille est potior. Respondet, quod etiam baptismus sanguinis non solum est instrumentum Spiritus sancti, vt visum est, verùm & eminentius motum.

Probatur quarto per comparationem effectuum. His demum rationibus accedit, quod præstantia baptismi penes eius effectum est pensanda: longè autem copiosius confertur gratia per martyrium, quam per baptismum aquæ: vel aliud baptisma flaminis: nam quo quis maiore charitate diligit, maiore diligitur, atque adeò cumulatiorem habet gratiam: maiore autem charitate diligit martyr, quam baptizatus (imò gratia baptismalis est minima) & pariter martyrium remittit culpam omnem & pœnam, quare maiorem tribuit lauream gratiæ, super quam adiungit laureolam triumphi: est ergo simpliciter præstantissimum baptisma.

Soluitur 1. Arg. Qui autem dicunt baptismum aquæ alijs præeminere, primum argumentum faciunt, quod est hic etiam Sancti Thom. primum. Est enim sacramentum imprimens characterem, ac proinde simpliciter in præcepto, quod alijs non conuenit. At verò S. Thom. respondet, comparationem non fieri in ratione sacramenti, vtpote quæ non est omnibus communis, sed peculiaris baptismi aquæ; sed in eo quòd omnia sunt instrumenta passionis & Spiritus sancti.

Alexandri obiectio. Alexan. autem & reliqui arguunt, quod baptismus aquæ sit præstantior, tum quòd confert gratiam remittentem mortale & veniale: baptismus autem sanguinis non, sed conseruat gratiam, quam homo per actum interiorem adipiscitur, & remittit veniale. Hoc autem est falsum, quia licèt martyrium sine intrinseca charitate non mereatur gratiam, nihilominus verè illam meretur: nam actus exterior & interior pro eodem reputantur: actus enim exterior non est nisi consummatio interioris. Quis enim neget per opera exteriora virtutum homines mereri incrementum gratiæ? Quod autem addunt baptismum aquæ plures saluare, quam martyrium, hoc est, accidentarium, quia pluribus applicatur.

Sed arguunt etiam quod baptismus flaminis præstet baptismo aquæ & sanguinis, quia est iterabile remedium contra peccatum, cùm nec baptismus nec martyrium iterentur. Hoc autem nihil est, imò propterea baptismus & martyrium non sunt iterabilia, quia perfectius repræsentant passionem Christi.

Baptismus flaminis suapte natura tollit omnem pœnam. Vnum autem argumentum posset sciolos fallere quod baptismus aquæ sit perfectior baptismo flaminis, eò quòd semper remittit culpam & totam pœnam, baptismus verò flaminis sæpe relinquit aliquid pœnæ per satisfactionem expiandum. Respondetur autem, baptismum quoque flaminis totam pœnam suapte natura remittere, si completam habeat intentionem; sed quia ab illa nonnunquam deficit, non semper totam abstergit, sicut baptismus sanguinis, qui eò quod est volitio mortis, totam delet.

DISTINCTIO QVARTA.

DE MINISTRIS BAPTISMI.

Cap. 1. DE SACRAMENTORVM quidem ministris in genere satis superque distinctione prima scriptum reliquimus. De illis, qui baptismi sunt peculiares, facillima erit consideratio. Ministri quippe sacramenti huius post Episcopos sunt ex officio omnes presbyteri, non tamen diaconi, aut subdiaconi. Sententia Isidori est in Epistola ad Ludifred. & lib. 2. de officijs. Atque adeo Gelasij Papæ in Epistola ad Episcopos per Siciliam & Laconiam constitutos. Presbyteri enim eò quòd potestate fungunter consecrandi corpus Christi verum, eadem subsequenter per baptismum possunt homines ad eius corpus mysticum admittere. Diacones verò, quia (vt nomen ipsum Græcè admonet) non sunt, nisi sacerdotum administri, id nisi in necessitate nequeunt. *25. c. Perlectis. De consec. d. 4. c. Constat. 93. dist. c. Diacones.*

Quin etiam laici, vt ibidem ait Gelas. cuiuscunque sint sexus, ordinis & sectæ ob vrgentem necessitatem idem valent sacramentum absque solennitate exhibere. Nam in Christo IESV, vt ad Galat. 3. ait Paul. non est masculus & fœmina, Iudæus & Græcus. At quoniam, vt 1. Corinth. 11. idem ait Apostolus, caput mulieris vir est, & viri Christus, neque in præsentia viri mulieri baptizare fas est, neque verò laico, si sacerdos adsit. Qui autem laicus extra necessitatem eiusmodi munus vsurpat, lethale sacrilegium committit. Et qui ab illo tunc recepit, si modò ad vsum rationis peruenerit, simili se culpa commaculat. Quapropter characterem quidem suscipere potest, gratiam verò non item. *Cap. 2.*

Plures autem si vnum baptizare contendant, dummodo & vterque materiam applicet, & legitimam formam simul proferant, sacramentum quidem perficiunt; veluti si plures eandem hostiam consecrarent. Tametsi turpi contentionis culpa deturpentur. Si autem sicut partiales se ingerant, vt non vterque seorsum, sed ambo complexim id facere contendant, sacramentum non conficitur. Quare mutus & mancus vnum simul baptizare nequeunt. *Cap. 3.*

At neque solo baptizante opus est, sed & susceptorem, qui neophytum de fonte leuet, interesse oportet, vt Dionys. libro 2. Eccles. Hierarch. autor existit. Est enim baptismus spiritualis regeneratio: ac subinde pædagogo regeniti indigent, qui nutricis instar lacte eos Christiano lactet, & ceu patronus erudiat. Quo fit, vt susceptor ille affinitatem quandam cum clientulo suo contrahat. Atque adeò subsequitur vt ipsum in necessitate debeat doctrina articulorum fidei mandatorumque decalogi, atque horum similium imbuere & instruere, dicente in quodam sermone Paschal. August. Vos ante omnia tam viros quàm mulieres, qui filios in baptismate suscepistis, moneo, vt vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. *Cap. 4. Aug. in ser. Pasch.*

* *
*

Digitized by Google

DISTINCTIONIS QVARTÆ,

Quæstio vnica.

DE MINISTRIS BAPTISMI.

S. Thom. 3. par. quæst. 67.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ad officium Presbyterorum pertineat baptizare.

DE Sacramentorum ministris vt in textu habetur multiplex est consideratio: vna scilicet, generalis de ministris vniuersorum, quam quidem considerationem fusè distinct. 1. q. 5. tractauimus, vbi cuncta quæ de re illa ventilari solent, pro virili nostra discussimus. Aliæ verò sunt particulares de cuiuslibet sacramenti functione. Quare post illum tractatum minimè hic de ministris baptismi superfluit. In hac autem distinctione ordinem Magistri Sentent. S. Thomam secuti, eò deseruimns, quod ipse priùs in d. 4. de effectibus baptismi disputauit, post verò in 5. & 6. de ministris, & permixtim de suscipientibus baptisma. Cùm tamen lucidus legitimusque ordo secundùm naturam deposcat, vt post constitutam baptismi substantiam, quæ materia & forma constat, de causa eius, hoc est, de ministris, mox de subiecto, puta de suscipientibus; ac denique tertiò de eius effectibus disseratur. Attamen quoniam isti articuli facillimi sunt, aliquos eorum in pauciores redegimus, neque omnino ordine Diui Thomæ obseruato: nam forsan articulus secundus splendidiùs priorem locum obtinebit. Quæritur ergo, vtrùm baptizare ad officium propriè presbyterorum pertineat, an vero etiam incumbat diaconis. Et respondetur duabus conclusionibus. Prior. Sicut ad sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotium refertur) ita & ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare. Determinatio est canonum, Perlectis. d. 25. &, Constat. de consecrat. d. 4. qui sunt Isidori. & Diacones. 93. d. qui est Gelasij. Et ratio est, quia officium proprium sacerdotis est consecrare Eucharistiam, & ideo Christus in cœna eos ordinauit. Illud autem sacrosanctum sacramentum est vnitatis & pacis, secundum illud 1. Cor. 10. Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & calice participamus: Per sactamentum autem baptismi fit homo particeps illius vnitatis, fitque subinde ei ius accedendi ad mensam Domini: ergo sacerdos, cui incumbit porrigere populo buccellam, officium habet baptizandi. Eiusdem enim causæ est totum facere, & partes ad ipsum totum disponere.

Prior conclusio. Proprium est sacerdotum baptizare.

Posterior conclusio. Ad diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere sactamentum baptismi, sed in eius collatione & aliorum sacramentorum assistere & ministrare maioribus. Conclusio est eiusdem Gelasij Papæ in prædicto can. Diacones. quem hic citat D. Tho. Diacones enim, inquit, propriam constituimus obseruare mensuram. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant. Nisi prædictis ordinibus fortassis longius constitutis necessitas extrema compellat: quod etiam laicis Christianis facere plerunque conceditur. Et probatur ratione ex ipso nomine elicita. Vt enim autor est Dion. c. 7. cœlestis hierar. potestates cælestium ordinum (ac perinde Ecclesiasticorum officia) ex eorum nominibus accipiuntur: diacones autem Græcè idem est, quod Latine ministri, à diaconeo, quod est, ministro: ergo eorum officium non est sacramentum perficere, sed ministerium præstare tam in sacramento Eucharistiæ, quàm in reliquis. Idem confirmatur autoritate Isido. eod. c. Constat. vbi ait quod baptisma non à diaconibus, sed à sacerdotibus est tractandum. 25. d. c. Perlectis. idem Isidorus ait ad diaconum pertinere assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, vt in baptismo, chrismate, & patenâ, & calice in altari, &c.

Posterior conclusio. Non est proprium officium diaconi baptizare, sed baptizanti & alia sacramenta conferenti assistere.

Diaconus namque ministrum sonat.

Prior conclusio planissima. Et pari ratione probatur officium esse presbyteri absoluere à peccatis, & in extremis vngere infirmos; nam vnum ad susceptionem Eucharistiæ disponit, atque alterum reliquias expurgat peccatorum, quæ in peccatore relinquuntur. Secus autem de sacramentis confirmationis & ordinis, vt suis locis videbimus. Vnum autem adnotandum est quod solenniter baptizare nemo alius valet quam plebanus in sua parœchia, nisi vel ex priuilegio, vel ex plebani facultate.

Expositio articuli.

Neque vero posterior conclusio aliquid offert, quod adnotare debeamus, nisi vnum argumentum quod ex ordinatione diaconi elicit hic Caiet. In expositione namque officiorum eius dum ordinatur, habetur: Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare. Vbi insinuatur in altari debere diaconos esse sacerdotis ministros, in baptismo vero baptizatores. Ad hoc Caiet. respondet, illis tribui potestatem baptizandi ex commissione Episcopi vel presbyteri, ex qua etiam possunt prædicare. Id probat ex can. Diacones. quem citat tanquam Pelagij, de consecratio. d. 4. Non autem est nisi Gelasij in epistola ad Episcopos per Siciliam & Laconiam constitutos cap. 9. & refertur 93. dist. Neque illic habetur nisi quod absentibus episcopo & presbytero possunt in extrema necessitate baptizare, quod etiam laicis conceditur. Neque Isidorus can. Constat. de consecr. dist. 4. Neque S. Tho. eis aliquod aliud singulare priuilegium adscribit, vt patet in solutione tertij. Quod n. de beato Laurentio legitur plurimos baptizasse; dicit hoc illi fuisse permissum in absentia maiorum vrgente necessitate, quod quidem possunt laici, At verò quamuis in iure hoc non sit expressum, non tenuis ex eorum ordinatione sumitur coniectura plus quidpiam præ laicis habere. Fortè enim in primitiua Ecclesia, vbi raritas erat sacerdotum, & multitudo baptizandorum, committebant episcopi, aut etiam presbyteri diaconibus, vt solenniter baptizarent, quod laici non possunt. Iam vero in tanta copia sacerdotum vsus ille aboleuit. Quamuis forsan in insulis, vbi rarissimi essent sacerdotes, non esset absurdum id ipsum fieri.

Soluitur obiectio petita ex diaconi ordinatione

Caietani responsio.

S. Laurentius plurimos baptizauit, sed ex commissione.

Primum argumentum Sancti Thomæ aduersus priorem conclusionem est hoc. Sub eodem præcepto Christus iniunxit Apostolis Matth. 28. baptizare, & docere, & prædicare: sed docere, quia est perficere, episcopi officium est (vt tradit Dionys. quinto, & sexto capitu. Ecclesiasticæ hierar.) ergo ad episcopos tantum pertinet ex officio baptizare. Respondet autem duo. Primum, quod cùm vtrumque Apostolis commiserit, quibus episcopi succedùnt (d. 68. can. Quorum vices) vtrumque eis incumbit. Secundùm est, quod officium prædicandi commisit Apostolis tanquam per ipsos exercendum, eò quod sit excellentissimum sapientiæ munus. Vnde Actuum 6. ipsi dixerunt: Non est æquum derelinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis: officium autem baptizandi, ad quod non illa exigitur sapientia, commisit eis, vt per alios exercerent, vnde Apost. 1. Cor. 1. Non misit me Christus baptizare, sed Euangelizare. In cuius signum vt Ioan. 4. legitur, Christus non baptizabat, sed discipuli eius.

Soluitur 1. Argu. S. Thom. contra 1. Concl.

Christus cõmisit Apostolis ac proinde Episcopis eorum successoribus, vt per se prædicent; baptizent autem per Presbyteros.

Caue autem ne hoc sic intelligas, vt presbyter noua commissione episcopi indigeat ad baptizandum, postquam est sacerdos: sed dicuntur episcopi per presbyteros baptizare, quia presbyteri sunt eorum adiutores: à quibus proinde tum ordines recipiunt, tum etiam parœchiarum iurisdictiones.

Nota actum prædicandi ob id conuenire Episcopis, quod prædicare est perficere: quare supponit personam iam perfectam: status autem Episcoporum est status perfectionis, id est, eorum qui iam sunt perfecti. Vnde sicut ignis, quia perfectè calidus, virtutem habet propriam calefaciendi, sic Episcopi prædicandi: religiosi autem sunt in statu perfectionis tendentes in perfectionem. Quibus potius idcirco competit perfici, quàm perficere. Attamen iam non modo omnes presbyteri curati in suis diœcesibus, verum religiosi ex indulto Apostolico prædicare possunt, vt patet in Clem. Dudum. De sepultur.

Soluitur 2. Argu. petitum ex officio admittendi ad remp.

Secundum argumentum est. Ad principes; quales sunt in Ecclesia Episcopi, pertinet quemque in rempublicam admittere, sed per baptismum homines adscribuntur Christianæ reipublicæ: ergo solis

Episco-

Digitized by Google

episcopis congruit ex officio baptizare. Solutio autem est, quod ad principes maiora attinent in republica, vt creare auratos equites, comites & duces: ad eorum autem prætores, qui sunt eis auxiliares, creare minora officia: & ideo episcopis incumbit sacerdotes ordinare. Per sacramentum autem baptismi non admittuntur homines nisi ad infimum gradum in populo Christiano, quos ideo sacerdotibus congruit baptizare.

Soluitur 1. arg. contra 2. concl.

Tertium argumentum nullius est momenti. Primum autem contra secundam conclusionem est hoc. Simul Dominus Matth. 28. iniunxit officium docendi Euangelium, hoc est, prædicandi & baptizandi: sed ad officium diaconi spectat prædicare, vt constat ex eius ordinatione: ergo baptizare. Respondetur, ad diaconum non pertinere ex officio aliter euangelizare, quàm catechizando catechumenos, hoc est, docendo articulos fidei, & alia quæ ad Christianismum sunt necessaria. Prædicare verò, hoc est, euangelium docere & interpretari, est officium proprium episcopi, quod & curatis etiam presbyteris competit in suis parœchijs. Quod etiam, vt rectè ait Caietan. diaconibus, dummodo egregiæ sint eruditionis & autoritatis, committi potest: vt Vincentio martyri legimus à Valerio commissum.

Diaconis ex officio competit catechizare: prædicare autem, ex commissione.

Soluitur secundum.

Secundo arguitur. Ad officium diaconi pertinet purgare, vt 5. c. cælestis hierarch. autor est Dionys. purgatio autem effectus potissimum est baptismi, secundum illud ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: ergo diaconi est baptizare. Respondetur ad minorem, quòd baptismi non solùm est purgare, sed etiam illuminare, vt idem Dionys. ait illic cap. 2. & ideo non competit nisi sacerdoti cuius est illuminare. Diaconi autem munus est purgare, tam præparando catechumenos ad baptismum, quàm immundos à sacris repellendos.

ARTICVLVS II.

Vtrùm laicus possit baptizare.

1. Conclu. Laicus potest baptizare.

CVM aliorum sacramentorum laicus non permittatur esse minister, meritò dubitatur, an sit in baptismo admittendus. Et respondetur quatuor conclusionibus. Prima. Laicus potest baptizare. Quæ quidem conclusio canonibus suprà citatis Gelasij & Isidori definita est. Cuius vtique ratio ex suprema necessitate ducitur: spectat enim ad misericordiam Dei, qui vult omnes homines saluos fieri; vt in ijs, quæ sunt maximè ad salutem necessaria, promptissima prouideat remedia: inter omnia autem sacramenta baptismus est maximè necessarius: nam neque paruuli aliud prorsus habere possunt remedium suæ salutis; neque adulti possunt aliter, quàm per ipsum plenam remissionem consequi quantum ad culpam & pœnam: ergo condecens fuit, vt quemadmodum materia eius est aqua, cuius vsus vbique haberi potest facillimè; sic & minister esset quicunque hominum, quamuis nullis ordinibus initiatus.

2. Concl. Etiam mulier.

Secunda conclusio. Sicut masculos laicus tanquam minister Christi, ita & fœmina in necessitate baptizare potest, vt habet decretum Vrbani Papæ 30. quæst. 3. can. Super quibus. vbi ait: Vt baptismus sit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine sanctæ Trinitatis baptizauerit; hoc est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et idem decernitur can. Mulier. de consecrat. dist. 4. Ratio autem est, quia Christus est, qui principaliter per ministros baptizat, secundum illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum descendentem, &c. hic est, qui baptizat: in Christo autem, vt habetur ad Colos. 3. non est distinctio masculi & fœminæ, ergo vtrumque sexum potuit Christus in ministrum eligere.

3. Concl. Et Sacerdos in præsentia Episcopi; non tamen fœmina in præsentia viri.

Tertia conclusio. Non debet mulier baptizare si adsit copia viri, sicut nec laicus præsente clerico in sacris: nec alius clericus præsente sacerdote, quia (vt 1. Corint. 11. legitur) caput mulieris est vir, & caput viri Christus: quem clericus & maximè sacerdos repræsentat.

Quarta conclusio. Sacerdos verò potest in præsentia episcopi baptizare: eò quod sibi ex officio incumbit.

Expositio articuli.

Conclusio prima facillima est more & vsu compertissima. Quòd autem ait D. Tho. non aliter adultos quàm per baptismum posse obtinere veniam quoad culpam & pœnam, sanè intelligito. Apparet enim falsum, cum non solum per martyrium eadem plena fiat remissio, verum & nonnunquam per baptismum flaminis, quando est egregiè intensus, qualem habuit latro in cruce pendens, & Magdalena.

Quo sensu dixerit S. Th. adultis non contingere plenam remissionē sine baptismo.

Caietanus ergo respondet intelligi de integro baptismi effectu, qui includit characterem, hunc enim alia baptismata non imprimunt. At verò S. Tho. non videtur ad characterem annuere: quoniam dumtaxat loquitur de plena remissione culpæ & pœnæ. Ob idque fortassis nihil aliud dicere voluit, quàm quòd etsi per martyrium idem effectus obtineri possit, illud est quando facultas baptismi haberi non potest, quare ex hoc etiam capite concluditur materiam eius & ministrum debere esse vbique in promptu. Præterquam quod oportunitas martyrij quàm rarissimè vsu venit, sicut & baptismus flaminis, qui vt culpam & omnem pœnam remittere queat, debet esse tam excellenter intensus, vt vix vnquam contingat. Baptismus autem sola intentione Ecclesiæ susceptus id præstat.

Laicus non nisi in necessitate baptizare potest.

Nihil ergo restat adnotandum, nisi quòd quemadmodum dist. præcedenti artic. 9. admonuimus, rem laico, neutiquam licet, nisi in extrema necessitate baptizare, vt in can. Diacones. distinct. 93. & canon. In necessitate. de consecr. distinct. 4. cautum est.

Idque sine solennitate.

Primum argumentum S. Thomæ contra hanc primam conclusionem, est. Baptizare (vt proximè dicebamus) est officium sacerdotis, ea autem, quæ sunt ordinis committi nequeunt non ordinato. Respondetur, baptizare solenniter esse proprium sacerdotum, quod laico permittendum non est: secus sine solennitate, quia non est de necessitate sacramenti. Quo fit, vt distinctio præcedenti admonuimus, quod si laicus extra necessitatem baptizet, nihilominus tenet sacramentum: neque est iterandum, quamuis laicus ille peccet quidem: vt benè admonet sanctus Thomas. Quòd si sciscitaris quantum esset peccatum, mortale, scilicet, an veniale, responsum vsque ad articulum proximum expecta.

Et absque exorcismis.

Secundum argumentum. Maius est baptizare, quàm exorcizare & catechizare: hæc autem laicus facere non potest: ergo nec baptizare. Negatur consequentia: quia baptizare non conceditur laico quia minus; sed quia est magis necessarium. Reliqua verò pertinent ad solennitatem, quæ non spectat ad laicum.

Quantum peccet mulier, in præsentia Laici, Diaconi aut Sacerdotis baptizando.

Circa secundam conclusionem notato, omnem vtriusque sexus, ac perinde hermaphroditum & quemcunque posse baptismi esse ministrum, vt articulo subsequenti iterum repetemus.

Circa tertiam verò dubitare quis posset, quanta esset culpa ordinem illum peruertere, vt inferior in præsentia maioris sese ingereret ad baptizandum. Respondetur, quod mulierem in præsentia laici viri baptizare, nunquam est mortale. Quoniam cum laicus minimè habeat ex officio id, non vsurpatur eius munus; sed est quædam indecentia venialis, eademque leuissima, imò aliquando nulla, vt si obstetrix peritior sit baptizandi quàm rusticus, qui fortè adest. Pari ratione non erit mortale, si laicus præsente diacono baptizet; quoniam nec diacono illud ex officio incumbit, sed est veniale. In præsentia autem sacerdotis grauius esset dubium, eò quòd vsurpatur id quod ad eius officium attinet. Et ideo profectò saltem renuente sacerdote censeretur peruicacia mortalis; tametsi cùm baptizatio non fiat solenniter, non est admodum grauis.

Soluitur 1. Argu. S. Thom. contra 3. concl.

Primum argumentum Sancti Thom. est. Mulieri non permittitur docere secundùm illud primæ ad Corinthios decimo-quarto: Turpe est mulieri in Ecclesia loqui. Et secundùm aliud primæ ad Timothæum 2. iam citatum. Quod etiam decernitur concilio Carthaginensi, & refertur de consecrat. distin. 4. can. Mulier. sed pariter Christus dixit: Docete & baptizate: ergo neque fœminis permittitur baptizare. Respondetur autem, quòd sicut mulieri non permittitur solenniter docere, ita nec solenniter baptizare. Sed sicut in necessitate ei conceditur priuata monitione aliquos instituere, sic & priuatim baptizare. Atque ad idem fermè pertinet secundum argumentum cum sua solutione.

Soluitur tertium.

Tertium verò est. In baptismo, aqua se habet vt maternus vterus generationis (vt Aug. ait super illud

Ioann.3. Nunquid potest homo in ventrem matris iterato introire & renasci?) Baptizans verò gerit viri vicem, quod fœminæ competere nequit. Respondetur, quòd in generatione carnali, quia vterque sexus operatur secundùm propriam naturam, non potest fœmina vices supplere viriles: in generatione verò spirituali baptizans non vtitur virtute propria, sed Christi, quæ vtrique sexui communis est. Subdit autem id quod præcedenti artic. de laico dixerat; nempe, quòd etiam si extra necessitatem baptizaret fœmina, sacramentum valet, nec est iterandum. Peccaret tamen non solùm ipsa baptizans, verùm & omnes, qui ad hoc operarentur, & baptismum ab ea suscipiendo si essent adulti, & quidem mortaliter si solenniter baptizarent, & sanè impudentiùs quàm si esset vir. Imò citra solennitatem peccatum esset mortale, vt art. statim subsequenti monstrabimus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre.

EMERGIT autem ex supra dictis grauiusculum dubium, vtrùm non baptizatus possit baptizare. Quod quidem Diuus August. 2. lib. contra epistolam Parmeniani cap. 13. indecisum reliquit. Cùm enim in cunctis liberis contra Donatistas contendisset baptismum ab hæreticis collatum esse verè sacramentum, neque esse iterandum; nihilominus dixit: Hęc quidem alia quæstio est, vtrùm ab ijs, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum est sine autoritate tanti consilij, (nisi legendum sit concilij) quantum tantæ rei sufficit. Nihilominus affirmatiua conclusione respondetur, cui altera adhibetur. Est, inquam, prior conclusio. Potest etiam non baptizatus baptizare. Post sæculum enim Augustini Ecclesia hanc decreuit, suscepitq; dubio procul tanquam necessariam, & indubitabilem veritatem. Suscepit enim primum sententiam Isidori, cano. Romanus. de consecrat. distinctione 4. vbi ait: Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat; sed spiritum Dei sub ministrare gratiam baptismi, licèt paganus sit qui baptizat. Extat & sententia Nicolai Papæ ad consulta Bulgarorum. cano. statim proximo. A quodam Iudæo. Vbi decernitur quòd qui in nomine sanctæ Trinitatis; videlicet, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, baptizati sunt ab illo, qui nesciebatur Iudæus (ne esset, an Christianus; non essent rebaptizandi. Idemque in concilio Florentino. Et ratio conclusionis est, necessitas suprema baptismi, quæ sicut vulgatissimam materiam, ita & quemuis mortalium, si sit mentis compos, in ministrum admittit. Quo fit, vt sententia Gregorij, canone, Quos à paganis. eadem distinctio. vbi ait: Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuò baptizes in nomine Trinitatis mandamus; intelligenda sit, eò quòd non erant baptizati in nomine Trinitatis, vt suo ipse verbo denotat. Subsequitur eiusdem conclusionis appendix, quòd duo se possunt pagani mutuo baptizare.

S. August. non voluit definire.

Quanquam id non nisi in necessitate liceat.

Posterior conclusio. Si verò extra articulum necessitatis id facerent, vterque peccaret grauiter: scilicet tam baptizans quàm baptizatus, ob idque impediretur effectus sacramenti, qui est gratia, quippe cuius obex est peccatum mortale. Esset nihilominus verum sacramentum characterem imprimens.

Expositio articuli.

Prior conclusio disputatione non eget. Sed hoc tantum ex istis articulis est eliciendum: quod dist. 1. art. 5. constituimus. Omnem scilicet hominem, nemine ex vniuersitate humana excepto, posse baptizare, dummodo sit sanæ mentis, vt intentionem habeat Ecclesiæ, & membris polleat quibus & formam proferat, & opus exerceat: nempe, linguam & manum.

Quantum peccet laicus baptizans extra necessitatem.

Circa secundam verò disputandum illud dubium est, quod ex duobus articulis præcedentibus huc vsque reiecimus; scilicet, vtrum laicus baptizans extra necessitatem peccet mortaliter: atque adeò qui à laicis baptizantur, & eis cooperantur. Ac perinde circa præsentem conclusionem idem disputandum de baptizato à pagano extra eandem necessitatem. Caietan. enim hic, quia multa dubia in vnum consarcinat, minùs lucidè ad singula respondet. Ait quippe laicum quandocunque, siue in necessitate, siue extra solenniter baptizet, peccare quidem mortaliter: sed tamen absque solennitate extra necessitatem baptizando dummodo citra contemptum id faciat & præsumptionem, sed credens se bene facere, non peccare mortaliter. Probat quia grauius est quempiam seipsum baptizare, quàm baptizare alium extra necessitatem, Nihilominus Innocen. in cap. Debitum de baptis. eum, qui seipsum baptizauit, adeò excusat, vt dicat ipsum euolasse ad cælos: ergo à fortiori laicus excusatur baptizans sine necessitate. Quin etiam eos, qui à pagano extra necessitatem baptizantur, excusat à peccato mortali, si bono corde id faciant. Glossatque subinde assertum D. Thomæ (quo ait impediri effectum baptismi) quod intelligatur de plenissimo effectu quoad culpam & pœnam, qui quidem per venialem etiam culpam impeditur.

Caietani sententia proponitur.

At verò hæc sententia Caiet. vel sanè intelligenda est, vel non est toleranda. Igitur vt perspicua fiat responsio, membratim per has conclusiones respondendum arbitror: suppositа priùs tamen distinctione quòd aliud est opus aliquod per se esse peccatum, aliud verò posse ignorantia inuincibili excusari.

Sententia Authoris.

Sit ergo prima conclusio. Laicum solenniter baptizare, siue in necessitate, siue citra, semper est mortale sacrilegium. Est enim vsurpatio sacerdotalis muneris. Imò eiusmodi baptizator fieret irregularis, vt habetur de clerico non ordinato, cap. Si quis. De hac autem conclusione nemo est qui dubitet.

Laicum baptizare solenniter, semper est P. M. cui annexa est irregul.

Secunda conclusio. Laicum, vbi nulla imminet extrema necessitas, etiam absque solennitate baptizare, genere suo est pecccatum mortale, licèt minus graue. Sententia est Ricardi in 4. dist. 5. art. 4. quæst. 1. Quin verò Palud dist. 5. quæst. 1. & Sylvest. verbo Baptismus. 3. arbitratur tunc quoque baptizantem incurrere irregularitatem, quod & ego ipse vehementer opinor, quoniam cap. citatum nihil meminit de solennitate. Quare gloss. dicit quod quicunque baptizauerit quasi ex officio, est irregularis. Vnde neminem excipit nisi baptizantem in extrema necessitate. Nam qui baptizat extra necessitatem: baptizat quasi ex officio. Enimuerò cum baptizare sit proprium officium sacerdotis, quod quidem ius sola summa necessitas tribuit laico, vbi illa non intercedit, ille baptizat, quasi ex officio. At quicquid de irregularitate sentias, confirmatur conclusio quoad peccatum mortale. Si religiosus, aut quiuis sacerdos in aliena Ecclesia sacramentum aliquod administraret sine licentia episcopi vel parochi; peccaret mortaliter, vt patet in can. Interdicimus 16. q. 1. Quin verò qui id præsumunt sunt excommunicati, vt apparet in Cle. 1. de priuilegijs: quæ quidem pœna nisi ob peccatum mortale non imponitur: ergo & qui sine necessitate baptizat, prælato non consentiente, (vt consentire non debet) pariter peccat mortaliter. Ad hæc baptizare in domo priuata est peccatum mortale, vt palàm fit in clem. vnica. de Baptis. vbi sic baptizantes iubentur ab episcopo castigari, etiam si sacerdos baptizaret: ergo à fortiori peccat laicus. In summa baptizare sine solennitate (sicut celebrare sine vestibus sacris) est peccatum mortale, ergo vbi extrema necessitas celerem baptismum non exigit, etiam sacerdos peccaret sic baptizando: nedum laicus.

Similiter est genere suo M. si baptizet extra necessitatem & forte contrahitur irregularitas.

Baptizans domi extra necessitatē.

Tertia conclusio. Si quis laicus inuincibiliter ignoraret posse citra extremam necessitatem baptizare, excusaretur à culpa. Quod si hoc noluit dicere Caieta. nihil peculiare attulit: nam hoc generale est in omni culpa, in quam cadere potest ignorantia inuincibilis. Pari enim modo si accidere illic posset ignorantia inuincibilis, quòd liceat laicis baptizare, solenniter excusarentur à culpa. Quocirca neque illa restrictione opus erat, quod tunc non peccatur mortaliter, quoniam tanta esse potest ignorantia, quòd nec peccaretur venialiter, imò exurgeret meritum. Hac enim de causa Innocent. eum excusat qui seipsum zeli ardore baptizare conatus est. quem idcirco dignum censuit, qui in cælum euolaret.

Nihilominus ignorantia inuincibilis excusat.

Quarta conclusio. Qui baptizanti laico extra necessitatem extremam cooperatur, peccat mortaliter, vt si pater infantem suum illi traderet baptizandum. Tunc autem non impediretur baptismalis gratia: quoniam infans ante vsum rationis non peccat atque adeo non opponit obicem. Sed si adultus se laico subderet baptizandum, nisi ignorantia inuincibili excusaretur; mortaliter delinqueret, atque adeò gratiam non reciperet, sed solum sacramenti characterem.

Peccant quoque mortaliter cooperantes.

Digitized by Google

rem. Et multò id certiùs accideret, si quis extra necessitatem exhiberet se pagano, a quo baptizaretur, vt hic asserit D. Tho. Non, inquam, reciperet effectum sacramenti. Quapropter glossa Caietani nihil ad rem facit: scilicet, quod non reciperet totum eius effectum: quoniam si non interesset ignorantia inuincibilis, citra dubium esset peccatum mortale, quare nec gratiam susciperet: & de hoc D. Tho. loquitur. Si autem talis adesset ignorantia, omnino excusans totus reciperetur effectus.

De baptismo per simoniam.

Hic de illo ministro, qui non nisi per simoniam baptismum administrare vellet, disputatio se offerebat, vtrum liceret in extrema necessitate paruuli sacramentum ab illo pretio redimere. At verò quæstio hæc ad materiam simoniæ pertinet. De qua re D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 2. respondet, & nos lib. 6. de Iustitia & iure, q. 6. articulo 1. satis diximus.

1. Argum. S. Tho.

Argumenta D. Thomæ facillimæ sunt solutionis. Primum est. Nemo dat quod non habet: non baptizatus non habet sacramentum: ergo nec dare illud potest. Respondetur, quod cum baptizans non adferat nisi exterius ministerium: Christus autem sit qui interius baptizat, potest non baptizatus baptismum administrare: quia baptismus non est illorum (scilicet ministrorum) sed eius, nempe Christi. Quod quidem verbum D. Tho. citat tanquam Nicolai Papæ, sed tamen non est nisi Aug. contra Crescentium, & refertur de conse. d. 4. can. Si inter.

Secundum.

Et similiter respondetur ad secundum, quod est: non baptizatum, cùm ad Ecclesiam non pertineat, non posse tanquam eius ministrum baptizare. Respondetur, inquam, quod quamuis ad Ecclesiam non pertineat re (scilicet fide) neque fidei sacramento; pertinet tamen intentione & similitudine, quatenus intendens facere quod facit Ecclesia, vtitur eius forma, atque hoc pacto dicitur eius minister.

Tertium.

Tertium argumentum est. Maius est sacramentum conferre quàm suscipere: non baptizatus vero nequit alia sacramenta suscipere: ergo nec vllum conferre. Respondetur, quod reliqua sacramenta sicut nec recipere potest, ita nec conferre: baptismum autem propter eius necessitatem permittitur vt conferat. Vnde licet conferre sacramenta solenniter, quia præsupponit potestatem ordinis, sit maius quàm suscipere, tamen conferre baptismum tanquam ministrum extremæ necessitatis, minus est quàm ipsum suscipere.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum plures possint vnum baptizare.

HACTENVS in hac quæstione dictum est simpliciter de ministris, quinam esse possint baptismi. Quæritur ergo, an plures possint simul concurrere ad vnum baptisma. Et S. Tho. supposito vno fundamento distinguit tres modos, quibus id possit contingere, ac subinde tribus conclusionibus respondet. Fundamentum est, quod cum sacramentum baptismi virtutem habeat à forma, quam ideo Apostolus ad Ephes. 5. appellat verbum vitæ; ex forma ipsa perpendendum est, an baptismus à pluribus collatus sit validus. Possunt ergo plures vnum baptizare, dicendo simul omnes. Nos te baptizamus in nomine Patris, &c. Et sic dicunt quidam baptismum non valere, propterea quod mutatur forma Ecclesiæ, quæ est. Ego te baptizo. Ratio verò istorum nullius est ponderis: quoniam mutatio formæ de se substantiam non tollit sacramenti, quandoquidem Græci verè baptizant, & nihilominus plus mutant formam nostram dicentes, baptizetur seruus Christi, quàm mutetur quando singulare baptizo vertitur in plurale baptizamus.

Trib. modis potest vnus à pluribus baptizari.

Non videtur esse sacramentum si plures baptizando dicant: Nos te baptizamus.

Nihilominus propter aliam rationem ponitur prima conclusio. Baptismus sub illa forma à pluribus collatus, Nos te baptizamus, videtur non esse sacramentum. Probatur. Homo non propria autoritate baptizat, sed vt minister Christi, eius vices gerēs: Christus autem, qui principalis est causa baptismi, vnus est: ergo & minister vnius baptismi debet esse vnus. Quod quidem Apostolus ad Ephes. 4. significauit, dùm de tribus asseruit vnum quodlibet debere esse vnum: scilicet, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Si ergo vnus Dominus est vnius baptismi, vnus debet esse minister. Quando autem plures dicunt. Nos te baptizamus, singuli asserunt se ministros, quod quidem videtur esse contra rationem huius mysterij, atque adeò talis contraria intentio videtur excludere substantiam sacramenti. Secundo modo possunt simul duo ad vnum baptismum concurrere, non sub forma pluralis numeri, sed singularis, vt vterque dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Quod fieri contingeret, quando duobus de possessione beneficij curati litigantibus, vterque vellet munus baptizandi sibi vendicare.

2. Conclusio.

Et casus hic subdistinguitur. Nam si alter alterum prolatione formæ præueniret, ait secunda conclusio. Qui prius formam profert, ille solus baptizat, idque inde manifestum fit, quod ponit omnia quæ sunt de essentia sacramenti. Quare licèt ille non haberet ius baptizandi, sed alter qui posterius profert verba; secundus ille esset sacrilegij reus, & tanquam rebaptizator puniendus.

3. Concl.

Tertia conclusio. Si autem simul omnino verba proferrent, & simul puerum mergerent, vel vterque illum aspergeret, vterque baptizaret, quare verus esset baptismus. Illi tamen puniendi essent, non tanquam rebaptizatores, sed de contentione illa, quæ ordini baptizandi iniuriosa est.

Expositio articuli.

Quæstio præsens non est tam facilis, quàm apparet. Primò propter perplexitatem contextus, quam profecto Caieta. in præsentiarum tam multa verborum congerie extricare contendit; vt intricatiorem relinquat. Deinde propter rem ipsam. Quòd ergo plures vnū possint baptizare bifariam contingit. Vno modo, si sic concurrant tanquam partiales ministri, vt, cùm in sacramento duo sint actus, aquam scilicet applicare & verba proferre, neuter totum faciat, sed alter mergat, alter verò verba proferat, vt si muto puerum mergente, mancus verba proferret. Et de hac baptismi forma respondet S. Thom. in solutione argum. 3. negando illud esse sacramentum, quod ideo illic protinus disputabimus. Alio modo possunt concurrere non prorsus vt partiales causæ, sed sic vt quilibet res ambas faciat. Et vt ab ijs, quæ certiora sunt, exordiamur, potest vno modo contingere secundùm tenorem secundæ conclusionis: vt scilicet vterque simul aspergat, proferatque totam formam, sed alter alterum tantillo tempore præueniat. Et de hoc baptismo nulla est cōtrouersia. Totus enim confertur à priori: & alter rebaptizat. Aut potest esse vt simul iuxta tenorem tertiæ conclusionis concurrant. Et tunc dicit S. Tho. baptismum valere, si vterque in singulari numero proferat veram formam, & vterque aspergat. Atqui conclusio hæc adeò est certa, vt non multum habeat difficultatis. Enimuerò vterque tunc applicat omnia, quæ necessaria sint ad sacramentum: scilicet, materiam, & formam, & intentionem per se ipsum absolutè baptizandi independenter ab altero, & vterque inuenit materiam legitimam: nempe, catechumenum non baptizatum: ergo vterque baptizat. Et confirmatur, quia aut neuter baptizat, aut solus alter, aut vterque. Primum defendi non potest, cùm illic sint omnia requisita ad sacramentum: neque verò secundum, cum vterque eodem momento concurrat: ergo vterque pariter baptizat, atque adeò neuter rebaptizat, sed vtriusque forma verissima est.

Plures vnū baptizare, contingit bifariam.

Si plures aspergant vnum, & singuli dicant: Ego te baptizo, siue id simul faciant, siue non, valet baptismus.

Quocirca non opus est hic tot verba consumere quot Caieta. inculcat ad explorandum, an quia sunt duo agentes, duæ sint actiones, ac subinde duo baptismata. Haud enim dubitamus, quin sint duæ prolationes verborum totales, & duæ aspersiones, quarum vtraque per se sufficeret, si aspergendo baptizent, etsi simul mergant, quamuis sit vna mersio, nihil refert: nam vterque mergit. At verò licet sint duæ actiones, vnum tamen simpliciter resultat sacramentum ab vnitate subiecti: quia vnus baptizatur, atque vnus Christus vna interna actione gratiam infundit. Diximus enim d. 1. q. 1. ablutionem passiuè esse sacramentum: quare non multiplicatur nisi ex multiplicatione subiecti. Simile est peruium de duobus simul vnam eandem hostiam consecrantibus, quos D. Thomas quæstione octuagesima secunda artic. 2. concedit, idem ambos sacramentum perficere. Quæ sententia vniuersalis est omnium autorum. Quoniam illic, vt patet in ordinatione sacerdotum, singuli totam formam super legitimam materiam proferunt.

Erit tamen vnus baptismus, propter vnitatem subiecti.

Simile est de duob. consecrantib. eand. hostiam.

Arguitur autem contra hoc. Illi sunt duæ actiones, quarum quælibet per se sufficeret ad baptismum: ergo gratia baptismalis virtute baptismi collata esset duplo maior, quàm si ab vnico ministro fuisset exhibitus, vt

Soluitur obiectio petita ex pluralitate actionum.

Digitized by Google

exemplo patet rerum naturalium: vbi n. duo paria calida eidem susceptibili admouentur, duplus calor producitur: ergo baptismata duplicatur. Ad hoc negatur primo hæc postrema consequentia: nam etsi gratia cumulatior esset, non ideò sacramentum esset nisi vnum, quia vnus baptizatur. Secundò negatur illic gratiam auctiorem dari, neque rectè similitudo à naturalibus trahitur, vtpote quæ secundùm vltimum potentiæ agunt. In actionibus namque liberis id non est necessarium. Possent siquidem duo eandem simul nauem non velociùs mouere, quàm si vnus eam traheret. Pari ergo modò Christus tunc amborum actionibus vtitur pro vna, vt tanquam per vnum sacramentum vnicam operetur remissionem peccatorũ æquali gratiæ gradu.

Soluitur arg. Durun.

Arguit verò Durand. in 4. dist. 3. q. 3. solutionem hanc secundum illam tantum opinionem valere, quæ nullam asserit in sacramento inesse virtutum, sed tantum ex pacto Dei ipsum conferre gratiam, tunc enim non maiorem per ambas actiones confert. Secùs secundùm illam, quæ eiusmodi virtutem attribuit sacramentis: nam tunc illa per duas actiones multiplicatur. Attamen distinctio hæc nullius est roboris: nam virtus sacramenti non naturalis, sed vt dist. 1. q. 3. diximus, sola motio diuina, per modum transeuntis, qua Deus actione ministri ad illum sacramentalem effectum vtitur. Quapropter in illo casu vtraque actione vtitur tanquam vna, eo quod vnicum sit sacramentum.

Deus pluribus istis actionib. vtitur tanquã vna.

Marsilius autem in Quarto, quæstione quarta, articulo quarto, dubio duodecimo, aliter arguit. Sequeretur enim, inquit, ex hoc casu, quod si duo cæci eodem modo simul baptizarent, at quia neuter alterum videret, vt rebaptizare caueret, sub conditione vterque baptizaret, dicens: Si nullus te alius modo baptizat, ego te baptizo: alias non. Sequeretur: scilicet, quod ambo simul baptizarent. Nam de neutro militat plus ratio quàm de altero: quare vtriusque videtur conditio impleta. Respondetur autem, vt ipse benè respondet, argu. esse ex his, quæ dialectici insolubilia vocant. Nam si admiseris. Petrum illo casu baptizare, protinus subsequitur Ioannem non baptizare: quia non impletur eius conditio: & pari ratione ad affirmationem in Ioanne priùs datam consequitur negatio in Petro. Quare censendum est neutrum baptizare: quia vtraque pars alteram perimit. Sunt ergo eiusmodi conditionales intentiones sacrilegæ: præterquam in solo casu per Ecclesiam concesso, quo scilicet ambigitur, an qui baptizatur, fuerit antea baptizatus.

Quid si plures totam formam & materiam singuli adhibentes intendant partialiter baptizare?

At quoniam diximus baptismum valere si vterque per se absolutè intendat baptizare, quid si neuter id intendat nisi simul cum altero: videlicet, vt quanquam vterque dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. intelligat tamen, non solus, sed partialiter simul cum altero. Existimari enim profectò posset legitimum sacramentum. Nam sicut duæ actiones illæ perinde ac vna faciunt sacramentum, ita duæ illæ intentiones vnam integrare videntur: atque adeo nihil ad substantiam sacramenti deesse censetur. Nihilominus secùs censendum arbitror: nam forma illa singularis numeri, Ego te baptizo, ex institutione Ecclesiæ significat id fieri tanquam à totali ministro, & cùm intentio non illi pariter respondeat, vt sit totalis, fit vt forma sit falsa. Præterquam quod ipsa intentio illegitima videtur. Nam quando quis & materiam simul & formam applicat, Ecclesia non finit intentionem esse ab alio pendentem, sed præcipit, vt sicut materia & forma sunt totalia instrumenta, quæ possunt totum effectum perficere, talis etiam sit intentio.

An verè baptizent si singuli dicant: Nos te baptizamus?

Dubium autem potissimum restat de prima conclusione. Ait enim D. Tho. quòd si ambo pariter pluraliter dicant: Nos te baptizamus, nullum esset sacramentum. Et intelligit quando vterque & materiam applicat, & totam formam profert. Et re vera hoc difficultate non caret.

Durand. affirmat contra S. Thom. 1. Argu.

Vnde Durand. loco citato dist. 3. quæst. 3. cùm de reliquis conclusionibus huius articuli cum Diuo Thoma consentiat, hanc tamen planè negat. Et arguit quidem ad hominem: putat ex concessis ex D. Thoma sic primò contra eius rationem, quæ est, quòd sicut vnius baptismi vnus est Dominus, ita vnus debet esse minister. Aut enim, inquit, requiritur vt re vera sit vnicus minister, aut quòd quilibet exprimat se vt vnum. Si primum tunc D. Tho. sibi contradicit: nam in tertia conclusione dicit, quòd duo possunt concurrere ad vnum baptismum. Si autem id tantum requiri dixeris, vt quilibet singularitet se explicet, vt in tertia fertur conclusione. Arguitur contra. Explicatio ministri non est necessaria, vt q. 66. artic. 5. D. Tho. concedit, præsertim quod Græci dicentes: Baptizetur seruus Christi, non exprimunt ministrum. Deinde arguit secundò, quòd etiam si requiratur illa expressio melius fiat pluraliter: primum, quia inde resultat assimilatio quædam ad tres personas Trinitatis, in quarum potestate datur baptismus. Secundò, quia Christus pluraliter dixit, baptizantes. Tertiò, quia illo modo congruentius exprimitur vnus consensus omnium, quàm si quilibet dicat: Ego te baptizo. Quartò demum sic arguitur, quòd sit expressio singularis vel pluralis, nihil ad sacramenti substantiam refert, dummodò Trinitas, in cuius virtute sacramentum confertur, exprimatur.

Secundum.

Tertium.

Quinuerò ante Durand. Petrus de Palud. in 4. dist. 3. q. 2. de hac conclusione multum hæsitauit. Imò licèt pro & contra fuerit multis argumentatus, tamen nisi honor D. Thom. illi obstitisset, in contrariam partem videtur declinare. Arguit n. præterea, quod quando in veteri lege licebat plures vxores vni viro nubere, poterant ambæ simul dicere: Nos te in virum accipimus; ergo pariter, Nos te baptizamus. Accedit quod plurale æquipollet singulari geminato. Idem enim est, Nos hæc affirmamus; ac si dicas: Ego, & ego. Si ergo dicentibus singulis, Ego te baptizo, valet sacramentum, eadem ratione valet dicendo: Nos te baptizamus. In summa, in concilio Florentino nihil aliud sacramento necessarium requiritur, quàm materia & forma & persona ministri cum intentione Ecclesiæ. Quod autem vnius sacramenti nequeant plures esse ministri, in sacra pagina, neque inter sacros canones habetur: illud autem in hoc fundare, quòd sicut vnus est Christus, ita vnus debet esse minister, exilis coniectura est.

Paludanus in affir. quoque videtur inclinare.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Ptopter hæc ergo argumenta conclusio hæc etiam nostris dura est, tum ad intelligendum, tum ad credendum, nihilominus fortè est vera. Primum igitur plurale illud, Baptizamus, non est intelligendum loco singularis, ac si Episcopus baptizaret: nam tunc idem esset ac si vterque diceret: Ego te baptizo, vt in tertia conclusione: sed intelligitur complexim, vt de duobus trahentibus nauem. Secundò notandum, quod cum eandem conclusionem D. Tho. in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 1. absolutè asseruerit, hic tamen eam non tam assertè ponit, sed ait, videtur. Item ne sibi D. Tho. in hac & in tertia conclusione videatur contradicere, notanda est latissima differentia, quam neque aduersarios, neque nostros video satis perspexisse. Quando enim vterque dicit singulariter. Ego te baptizo, cum sua propria intentione & forma, vterque est totalis minister, ab altero non dependens, ob idque vterque sine altero eisdem verbis sufficeret: quare vnus alteri accidentariè adiungitur, & alter alteri: quoniam neque iuuat, neque obstat, ideoque vterque baptizat. Quando verò complexim dicunt, Baptizamus, videntur non per se vterque, sed complexim ambo intendere baptizare. Itaque ambarum intentionum vtraque ab altera per se pendet, quasi per se vterque adiutorium alterius expostulet. Et hoc est, quod ait S. Thom. esse duos ministros, scilicet partiales. Quare benè in hoc suam fundat intentionem, quòd sicut Christus est vnus, deberet esse vnus minister, & non complexim duo. Quod si Palud. & Durand. inspexissent, forsan aliquid de rigore arguendi remisissent. Eò præsertim quòd D. Tho. hoc non asserit, nisi tanquam probabile dicens, quod ista complexa intentio videtur contraria intentioni Christi, atque adeo excludere substantiam sacramenti. Et certè est quàm maximè probabile.

Responsio Authoris cum S. Th.

Qui dicunt: Nos te baptizamus, videntur singuli partialiter ad baptismum concurrere, ac proinde nihil efficere.

Vnde ad primum arg. Durandi prætermissis Caietani responsis, quæ rem magis offuscant, concedimus re vera exigi vnum per se ministrum vnius sacramenti. Neque verò hoc repugnat tertiæ conclusioni: nam illic per se vterque est vnus independens ab altero, & vterque per se facit totum effectum sacramenti; & facerent duo sacramenta, si duæ subessent materiæ, sed accidit quòd duorum vterque faciat: sicuti cùm duo ad eandem hostiam consecrandam conueniunt. In proposito autem, quia neuter totum facit, sed ambo intendunt id facere, nihil fit.

Solmuntur arg. contraria. Primum.

Ad aliud, conceditur non requiri expressionem

Secundum.

Digitized by Google

ministri, sed tamen requiritur, vt non sic exprimatur, vt denotentur duo complexim ministri. Quod quidem seruatur in forma Græcorum; dicentes namque: Baptizetur seruus Christi, non exprimunt à pluribus.

Tertium.

Et per hoc soluitur aliud, quo arguebatur, melius exprimi pluraliter: quia per hoc quod dicunt, Baptizamus, non solùm intelligunt intentionum concordem, sed complexionem, vt ambo simul faciant, non vterque, & ideo vitiatur sacramentum. Et quòd illic repræsententur tres personæ, nihil ad rem: nam illæ non concurrunt vt plures, sed vt vnus Deus, & ideo dicitur, In nomine, & non, In nominibus. Et quando Christus dixit: Baptizantes, intellexit, quia loquebatur pluribus, vt vnus quilibet baptizaret. Ad aliud vero Paludani argumentum, quod plurale idem valet, quod singulare geminatum, respondetur fallacissimam esse regulam, nisi secundum sanam dialecticam intelligatur. Si enim dicas, Petrus & Paulus sunt Apostoli, quia illic plurale accipitur diuisiuè, rectè sic resoluitur, Petrus est Apostolus, & Paulus est Apostolus. Si tamen dicas, corpus & anima integrè componunt seu integrant hominem, quia hoc accipitur complexiuè, non benè sic fiet resolutio, Corpus integrat, & anima integrat, nisi integrare partialiter (quod dicunt) acciperetur. Atque si duo, qui non in solidum, sed vtroque ab altero pendente essent iudices, dicerent: Nos iubemus, non benè resolueretur, Ego iubeo & iste iuber, sed Ego & iste iubemus, vt vnus actus ambobus coniunctim tribuatur. Pari forma in proposito, Nos baptizamus, non valet tantùm, sicut Ego baptizo & iste baptizat, sed sicut Ego & iste baptizamus, & sicut Ego baptizo partialiter, & iste partialiter, quod certè vnitati sacramenti repugnat. Quare nullum est simile, quod de duabus sumitur fœminis, quæ nubentes vni viro dicunt: Nos te in virum accipimus. Tum quòd matrimonio non est certa verborum forma necessaria, tum quod verbum illic diuisiuè vsurpant, hoc est, Ego te accipio, & ista te accipit. Ob quod vtraque verum dicit.

Quartum.

Plurale non semper idem valet quod singulare geminatum.

Quintum.

Sextum. Vnius sacramenti conuenit vnum esse ministrum.

Ad concilium autem Florentinum respondetur, quòd sufficit persona ministri dummodo rectam adferat intentionem agendi tanquam minister. Et quamuis de hoc non extet testimonium vel scripturæ vel canonici iuris, profectò optima est ratio, quòd cùm minister non in nominibus, sed in nomine Dei baptizet, ac perinde inuocatione vnius Domini Iesu Christi, vnicus esse debeat minister.

Dubium.

Ex his autem emergit dubium, quid si dicentes baptizamus, vterque per se intenderet totaliter baptizare, sicuti si vterque diceret: Ego te baptizo. Apparet n. tunc legitimum esse baptismum, sicut tertia asserit conclusio: quoniam & forma & intentio similiter in vtroque reperitur. Respondetur in primis, hunc non esse casum D. Thom. propterea enim dixit, videtur: quia illud verbum plurale complexiuam intentionem significat. Quasi dicat, si aliunde constaret seorsum quemlibet intendere baptizare, aliud est iudicium. Nihilominus profectò neque illo modo certum esset baptismum valere: nam neque omnino perinde est, ac si vterque præcisè diceret, baptizo. Nam per verbum plurale vterque vnam copulatiuam profert, scilicet, ego baptizo & iste baptizat. Quare licèt prima pars sit legitima forma, adiungitur tamen altera impertinens: ac si dixisset: Ego te baptizo, & iste tenet librum. Quare si illud tanquam necessarium adiungeret, vitiaretur forma; si autem adiungeretur tanquam impertinens, verus esset baptismus. Et ideo re vera sic baptizare periculosum esset, atque adeò peccatum: & idcirco qui sic baptizaretur, in dubio esset sub conditione baptizandus.

1. Argum. S. Tho.

Primum argumentum S. Thom. contra primam conclusionem est. Cùm in multitudine vnus includatur, apparet vt quicquid vnus possit facere, possint & multi, licèt non è conuerso: cùm ergo vnus possit baptizare, apparet & simul plures idem posse. Respondet, priorem præmissam intelligi, in his, quæ virtute naturali agunt, secus in sacramentis, vbi ministri agunt voluntate Dei, qui constituit, vt cùm baptisma sit vnum, ministerium non diuidatur in plures, ad sensum expositum, vt complexim plures operentur.

Cur plures non possint vnum baptizare, cum vnus id possit.

2. Argu.

Secundò arguitur. Difficilius est vnum agens agere in plura, quàm plura agere in vnum; vnus autem potest simul plures baptizare, ergo & plures vnum. Respondetur itidem ad maiorem id intelligi in naturalibus: in ministerio autem baptismi potest quidem vnus seruata materia & forma & intentione plures simul baptizare in necessitate, vt visu venisse conjicitur, quando (vt Actuum 2. legitur) ter mille baptizati sunt, & quoties periculum aliquod moram non ferret. Forma autem tunc apta esset. Ego baptizo vos in nomine Patris, &c. aspergendo omnes. Tunc enim, vos, diuisiuè accipitur, atque adeò tantum valet quantum singulare geminatum Te & Te. Et quamuis actio, vt puta aspersio, esset vna, formaque vna, nihilominus tot sunt baptismata, quot ex intentione asperguntur. Quoniam, vt dist. 1. quæst. 1. dictum est, ablutio baptismi accipitur passiuè, & ideo ad multiplicationem subiecti, dum plures baptizantur, multiplicantur baptismata. Sic autem vnum plures baptizare extra casum necessitatis peccatum esset, quidem, vt ait Scot. dist. 6. quæst. 2. mortale: quia non seruatur forma Ecclesiæ. At verò si citra scandalum secretò id fieret, non est cur tam graue peccatum censeatur.

Et eo casu tot sunt baptismata quot personæ baptizatæ.

3. Argu.

Tertium argumentum est. Baptismus est sacramentum maximæ necessitatis; sed potest casus contingere vbi duo simul debeant baptizare, vtpote si infantulo periclitanti adessent tantùm duo, vbi alter truncatus esset vtroque brachio, alter verò mutus, tunc enim mutus deberet infantem aspergere, mancus verò proferre formam.

Ephes. 5.

Missam hic primùm facimus opinionem, quam Paluda. in 4. dist. 2. & Duran. quæst. 3. arguendo referunt: nempe, quòd mutus posset nutibus baptizare, est enim hæreticus error: ait quippe Christus: Baptizantes eos in nomine Patris, &c. Et Paul. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et can. In synodo. de consecrat. dist. 4. ait Zacharias Papa. Qui vel vnam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma esse verum non posset: Nutus autem non sunt nomina. Debet enim, vt ait August. accedere verbum ad elementum, vt fiat sacramentum. Caieta. autem ait mancum illum posse capite baptizare, si mutus alligaret illi vasculum aquæ quod ille flectendo caput verteret super puerum proferendo formam. Sed rem in eas angustias perstringamus, vt nullum præsto sit vas, nec aspergendi modus nisi manib. S. ergo Th. negat tunc esse baptismum: quoniam ille qui verba profert, dicere verè nequit: Ego te baptizo; cùm ipse non mergat: atque adeò neque, Nos te baptizamus: nam plurale hoc debet resolui in hanc: ego baptizo & iste baptizat. Marsilius autem in 4. quæst. 4. arti. 4. dubio 11. ait verum esse baptisma, & sic in tali casu fieri debere. Adducit simile de duobus consecrantibus vnam hostiam. Et Caiet. post longam disputationem deserit hic D. Thomam, dicens, ingenio suo magis apparere baptismum. Nihilominus opinio D. Thomę est ferè omnium, vt Alexandri 4. part. q. 16. memb. 6. & Sco. dist. 6. quæst. 2. Paluda. autem lubricè loquitur, & tãdem non audet D. Thomam deserere. Sed ait illum baptismum non valere, quamuis dicat, hoc magis esse verum ex determinatione Ecclesiæ, quàm ex ratione. Et fortè alludit ad capi. Quorundam. distinct. 23. de Episcopo imponente manus, & presbytero legente benedictionem, sed illico nos videbimus nullam illic haberi determinationem, sed recurrendum est ad naturam sacramenti, & formæ an sit vera. Atqui profectò multò videtur conclusio in hoc casu verior: scilicet, sacramentum non valere, quàm in casu primæ conclusionis, quando vterque & materiam & formam applicat. Nam Latinè falsa est illa forma, Nos te baptizamus, cùm re vera ille, qui profert, non baptizet. Quare neque si forma Græcorum ille vteretur dicens: Baptizetur seruus Christi, baptismus valeret: nam debet eundem reddere sensum, vt qui verba profert, materiam applicet, vt scilicet denotetur illic actus ministri. Nam re vera (quantumuis isti subterfugiant) planus sensus Euangelij, Baptizantes in nomine Patris, & cæt. est, vt diximus, diuisiuus; vt quisque dum baptizat, dicat totum, quòd facit. Suffugium autem Caietani est, quòd baptizo, potest idem valere, quod abluo, & isto modo falsum, inquit, diceret ille mancus, quia ille non abluit. Alio verò modo accipitur pro integro sacramento: & sic verum ait dicens: Nos te baptizamus; nam Baptizo includit materiam & formam, quas ambo simul applicant. Quare verbum, inquit, non sic est resoluendum vt ait S. Thom. Ego baptizo, & iste baptizat: sed Ego, & iste complexim baptizamus, sicuti cum duo illi

Resp. sio S. Th. eos nõ posse verè baptizare.

Marsil. & Caiet. affirmant contrarium.

S. Thomam sequuntur Alexander, Scotus, & Paludanus.

Suffugium Caietani.

iudices,

iudices, qui non sunt insolidum, sed connexi, dicunt: Mandamus. At verò profectò distinctio illa commentitia est, & suo se gladio iugulat. Nam baptizo, in forma sacramenti nihil aliud significat, quam abluo, nisi quòd fit cum certa intentione, & forma. Fac enim eos baptizare per verbum Abluo. Quare si mancus non abluit, re vera neque baptizat Atque adeò non est simile illud de duobus iudicibus; nam ibi illorum vterque partialiter mandat. Mancus tamen neque partialiter baptizat: baptismus enim pro ablutione supponit, cuius ille nec partem facit. Fit ergo vt etiam si complexim dicat, Ego & iste complexim baptizamus, falsa sit forma. Secus autem est vbi multi simul consecrant; nam singuli totum faciunt perinde ac si vnus solus consecraret.

Si mancus non verè ablust, nec verè baptizat.

Præterea contra istos arguitur. Sequeretur eadem ratione valere baptismum, quem plures sic celebrarent, vt vnus mergeret, & alius diceret, Nos te baptizamus, aliusque apponeret in nomine Patris, atque alius in nomine Filij, aliusque in nomine Spiritus sancti. Profectò discrimen nullum appareret, & tamen nefas esset hoc concedere esse baptisma.

Rationes in fauorem S. Thomæ.

Adducitur aliud argumentum in fauorem D. Th. ex d. 23. cap. Quorundam. cuius casus est, quòd dum cæcus Episcopus ordines ministraret, ipso superponente manus, presbyter benedictionem legebat, quod quidem factum illic condemnatur. Attamen caput illud re vera directiùs contra nos militat, quàm pro nobis: quippe cùm illic sacramentum illud valuisse insinuetur. † Ait siquidem Toletanum concilium, vt illi, qui gradum peruersè adepti sunt, ipsum amittant. Nos ergo respondere tenemur: nam si illic duo simul perfecerunt sacramentum, fit, vt & duo simul baptismum conferant, vnus materiam, atque alter applicando formam. Ad hoc autem duo respondemus. Primùm, quòd illic non refertur, in ipsa actione, qua imprimitur character, concurrisse presbyterum cum episcopo. Aliàs nullum fuisset sacramentum: non solùm ob hanc causam; verùm etiam, quia simplex sacerdos non potest conferre ordines. Character enim non imprimitur per impositionem manus, sed per traditionem materiæ, & potestatis. Secundò neque est idem in collatione ordinum, quod in baptismo: nam illic non exprimitur actus pontificis, scilicet, Ego te ordino, vel ordinaris à me. Quare non esset tantum periculum, quòd alter applicaret materiam, alterque formam. Tametsi neque illud admitterem.

† *eod. cap. Quorundã.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm in baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum leuet de sacro fonte.

INTER ministros, suo etiam ordine, & gradu accedunt susceptores, quos vulgus patrinos appellat; de quibus ergo interrogatur, an sint necessarij? Et respondetur duabus conclusionibus. Requiritur aliquis in baptismo, qui baptizatum de sacro fonte, quasi in suam institutionem & tutelam, suscipiat. Probatur autoritate Dionys. cap. 2. Ecclesiast. hierarch. vbi ait, quòd sacerdotes assumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem susceptori & duci. Et probatur similitudinis ratione. Spiritualis enim regeneratio, quæ per baptismum fit, carnali assimilatur, iuxta illud primæ Petri secundo. Sicut modò geniti infantes rationabile, & sine dolo lac concupiscite: in generatione autem carnali, paruulus nuper natus nutrice indiget, & pædagogo: fit ergo, vt & nuper baptizatis adscribendus sit aliquis, qui eorum vice fungatur, eos de his instruendo, & informando, quæ ad fidem, Christianamque vitam attinent. Et præsertim, quòd presbyteri publicæ administrationi parœchiæ attendẽtes, nequeunt specialem illam curam paruulorum gerere, qua illi indigent. Id quod Dionys. vlt. cap. Eccles. hierarch. hisce verbis admonet Diuinis nostris ducibus (id est Apostolis) ad mentem venit & visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quòd naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in diuinis pædagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub diuino patre & saluationis sanctæ susceptore.

1. Conclusio.

Recenter in Christo natus susceptore indiget, sicut paruulus nutrire & pædagogo.

2. Conclusio.

Secunda concluſ. Eiusmodi susceptor obligatur ad habendam curam illius quem in suam tutelam suscepit, si modo necessitas immineat. Probatur primò autoritate Aug. in illo sermone Paschali, qui iam in textu relatus est. Vos ante omnia, tam viros, quàm mulieres qui filios in baptismate suscepistis, moneo, vt vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ratio autem in proxima conclusione satis explicita est. Vnusquisque n. ad illud officium exequendum obligatur, quod suscepit: qui ergo pædagogiam alterius suscepit, pædagogum eius agere in necessitate tenetur. Necessitas autem pro tempore & loco perpendenda est. Si n. quis inter infideles beneficium baptismatis susciperet, qui illius tunc esset susceptor, teneretur illum erudire, eò quòd parentibus naturalibus & fidelibus magistris esset destitutus. Sed vbi neophytus inter Christianos nutritur, possunt susceptores excusari, præsumentes, quòd à parentibus vel ab alijs idem præstatur officium. Nihilominus tamen si contrarium præsentiscerent, tunc iam necessitas ingrueret; vt suum exequerentur munus: eo præsertim si sentirent corruptis contra fidem moribus illos imbui.

Susceptores ex officio tenentur instituere quos susceperunt.

Conclusiones præsentes præter Dionysij autoritatem celebertimo Ecclesiæ more iureque adeò pontificio sunt receptissimæ, canonibus multis, vt 30. q. 1. & de consecrat. d. 4. cano. In catechismo. & cano. Non plures, &c. Vos autem. qui est hic citatus Augustini. Attamen susceptor non est de substantia sacramenti: quare in necessitate vnicus solitariè potest baptizare, vt in solutione 2. ait S. Thom.

Quæ autem filios spirituales docere debent, admonet Aug. eodem citato can. dicens, quòd debent semper eos admonere, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant. Et ante omnia symbolum, & orationem Dominicam eos doceant. Hæc ille. Adde & decalogum, & ea, quæ prima sunt Christiani rudimenta.

In primis Christianorum rudimenta.

Atqui in eiusmodi spirituali genitura affinitas contrahitur triplex inter baptizantem, eademque ratione inter susceptorem, & eum qui baptizatur, s. paternitas, compaternitas, & fraternitas. Paternitas quidem inter baptizantem & baptizatum, & pariter inter susciptientem & eundem baptizatum, non autem ad baptizati filios protrahitur. Et compaternitas inter baptizantem & parentes baptizati, & pariter inter susciptientẽ & eosdem: nam inter baptizantem & susciptientem nulla contrahitur affinitas. *a* Fraternitas autem contrahitur inter filios & filias baptizãtis seu susciptientis, & ipsum baptizatum. Et huiusmodi triplex spiritualis affinitas impedit matrimonium contrahendum, & dirimit si post contrahatur, contractum. De his cognationib. habetur loco allegato, 30. q. 1. can. Si quis. & can. Nosse. can. De eo. & de cognatio. spirituali c. fi. Et eo. ti. li. 6. c. Nedum, &c. Quamuis. vbi habetur quòd quamuis non debeat esse nisi *b* vnus susceptor, si tamen sint plures *c* omnes eandem affinitatem contrahunt. Tractatque latè Sylvest. verb. Matrimonium 8. §. 7. vt nos videbimus proprio loco. *d*.

Triplex olim affinitas ex baptismo.

Argumenta verò D. Tho. contra primam concluſ. nullius sunt momenti. Primum est. Christus, quando baptizatus est à Ioanne, non habuit susceptorem, ergo nec alij debent habere. Consequentia autem nulla est, tum quòd illud non erat sacramentum, tum quòd Dominus non baptizabatur vt regeneraretur, sed vt regeneraret. Secundum est, quòd cùm in generatione sufficiat pater & mater: in baptismo autem, vt Aug. ait in quodam sermone Epiphaniæ, baptizans, est sicut vir generans, & aqua sicut mater pariens: non est opus alio. Respondetur autem ad maiorem, quòd licèt ad genituram & partum sufficiant pater & mater, nihilominus ad educationem & nutritionem requiruntur alij, nisi vbi imminente necessitate fit solitariè baptismus.

Tertium arg. est de adulto, qui non videtur indigere pædagogo. Respondetur autem necessarium illi esse, non propter imbecilitatem corporalem, sed propter spiritualem.

Contra secundam verò est primum arg. Non instructus instruere non potest, sed nonnunquam admittuntur imperiti & rustici, vt sint susceptores: ergo illi spirituales filios erudire non obligantur. Respondetur autem, quòd vbi esset necessitas, putà, dum aliquis adultus ex Sarracenis, vel ex alijs infidelibus ad fidem conuerteretur, necesse esset illi virum doctum in susceptorem adhibere, qui illum probè erudiret, vt loco citato Dionysius admonet. Vbi verò

a *Hodie per Conc. Trid. ſſ. 24. c. 2. de refor. matri. iſt. a ſpiritua lis fraternitas eſt ſublata.*

b *Idem Cõc. permittit vt vnus & vna baptizatum leuent.*

c *Intellige (ſecundum quod reſpõdit congregatio) niſi vnus eorũ, qui ad hoc electi fuerint, prius tetigerit. Quod ſi vnus electus eſt, ille ſolus cognationẽ ſpiritualem contrahit.*

d *diſt. 42. q. 1. a. 1.*

hæc

Digitized by Google

hæc necessitas non ingruit, omnes promiscuè admittuntur. At verò hac de causa infidelis non permittitur esse susceptor, vt in concilio Moguntino cautum est, quod refertur de consecratione distinct. 4. can. In baptismate. Quapropter licèt in iure non sit expressum, tamen neque hæreticus esset in susceptorem admittendus. Tametsi odiosa iura non sunt amplianda, & textus non excludit nisi non baptizatum. Neque valet consequentia, si infidelis potest baptizare, quod possit esse susceptor. Nam baptizare est de necessitate; non autem, vt susceptor interueniat. Quocirca, vt illic ait glossa, si infidelis baptizat, contrahit subinde affinitatem, non autem si sit susceptor: quia dumtaxat est facto, non iure. Secùs autem hæreticus, qui iure permittitur.

1. Argu.

Cur pater non permittatur filium suum suscipere.

Secundùm argumentum est. Filius magis potest à patre instrui, quam ab extraneo: nam à quo quis recepit esse, debet & disciplinam suscipere, vt 8. Ethic. autor est Philosophus: ergo congruentiùs pater naturalis esset susceptor, quàm alius extraneus. Respondetur, quòd cum generatio spiritualis alia sit à carnali, alium debet sortiri patrem. Quare pater naturalis non admittitur susceptor nisi in extrema necessitate, vbi alius non posset haberi, vt colligitur ex capit. Peruenit. 30. quæstio. prima. Et quidem ratio Sancti Thomæ non est adeò efficax, sed adducta est tanquam congruentia prohibitionis Ecclesiæ. Non enim est decens, vt qui operam carnalem dedit generando filio, generationi spirituali minister assistat, nisi id necessitas, quæ legem non habet, efflagitet.

Monachi non possunt suscipere baptizatos.

Quinuerò & abbates, & monachi ab hoc munere arcentur, vt patet can. Placuit 2. q. 1. & can. Non licèt 1. de consecra. distin. 4. Adeò enim monachus, vt nomen eius admonet, debet esse incluſus, vt huiusmodi commercijs non se immiscere liceat. Imò adeò eos Gregorius 18. quæst. 2. can. Peruenit. cohibet compatres fieri, vt fortasse peccatum esset non minus, quàm mortale.

3. Argu.

Tertium argumentum est. Plures melius possent neophytum instruere, quàm vnus; ergo congruentius esset, vt plures essent susceptores, quàm vnus, quod tamen Leonis Papæ decreto prohibitum est; vt patet de consecr. dist. 4. can. Non plures. Respondet Sanct. Thom. rationem eius prohibitionis esse: quia vbi est multitudo, ibi est disciplinæ confusio, & ideò decretum est vt sit † vnus tantum susceptor.

† intellige secundum ius antiquum.

Hic in primis ad ignorantium eruditionem adnotandum, quòd affinitas spiritualis non contrahitur nisi à baptizante, & ab illo dumtaxat, qui puerum leuat de fonte. Et fortasse causa prohibitionis ne essent plures, fuit, ne plures contraherent affinitatem, quæ impedit matrimonium. Quare neque ille, qui defert in templum infantem, neque mulier, quæ illum à susceptore recipit, vt pannis inuoluat, neque vllus eorum qui in comitatu procedunt, affinitatem contrahit. Hoc patet: quia omnia iura, quæ de patrinis (vt dicunt) loquuntur, sub his verbis id exprimunt, quæ sunt suscipere, & tenere, vt patet canonibus citatis, de consecrat. distin. 4. can. In catechismo. & quinque continuò subsequentibus. Et 30. quæstio. 1. can. Peruenit. & can. Nosse. Quapropter neque ille qui catechumenum super fontem ante baptismum teneret, nisi postea baptizatum susciperet, aut eum, dum aspergeret, teneret, contraheret affinitatem, quia non esset susceptor. Imò vbi ille, qui baptizatur, adultus est, non indiget in catechismo ab aliquo teneri, sed baptizatum in suam tutelam suscipere. Et hoc speculandum est in verbis Dionysij citatis, scilicet. Sacerdotes assumentes baptizatum tradunt eum susceptori & duci.

Susceptoris munus proprie non est suscipere catechumenum, sed baptizatum.

Ex quo fit consequens munus proprium susceptoris non esse respondere nomine infantis, quando quæritur an credat in Deum Patrem, &c. respondere, Credo. Alij enim id facere possunt, & faciunt. Tametsi congruum sit, & decens, vt ipse idem qui susceptor institutus est, puerum ad catechismum teneat, illamque fidei professionem nomine pueri faciat. Vt enim Isidorus lib. 2. de officijs ait, referturque de consecrat. dist. 4. can. Paruuli. 1. Paruuli alio profitente baptizantur: quia adhuc loqui vel credere nesciunt. Et Aug. in enchiridio, quod refertur can. Paruuli 2. eod. distinct. Paruuli, fideles rectè vocantur, quia fidem per verba gestantium quodammodo profitentur. At quando nullus esset susceptor, mater Ecclesia (vt can. statim proximo docetur) os maternum paruulis præbet, vt sacris mysterijs imbuantur.

Atqui ex his rursus consequitur, quòd quando baptismus fit priuatim in necessitate, illic contrahitur affinitas: non autem postmodum in catechismo, qui fit in Ecclesia. Nam vt ait glossa super cano. In catechismo. de consecr. di. 4. & D. Tho. in 4. d. 42. q. 1. art. 2 compaternitas in catechismo contracta licèt impediat matrimonium contrahendum, quia nonnulla esset culpa cum filia contrahere, non tamen dirimit contractum. Quòd si arguas. Sequeretur quòd aliquis necessitate compulsus contra suam voluntatem contraheret affinitatem, vt si pater pueri, vel alius in necessitate mortis baptizaret puerum, quod quidem ei non licèt non facere. Consequens tamen videtur absurdum. Ad hoc respondet S. Thom. loco citato in 4. art. 1. quòd si baptismus antecedat matrimonium, contrahitur affinitas omnimoda, vt nec liceat contrahere, & si contrahatur, sit dirimendum. Sed tamen si matrimonium iam contractum est, tum quantum ad eius vsum nullum contrahitur impedimentum. Quare si pater vel mater baptizet in tali casu, reddere nihilominus potest & petere debitum. Et idem est, si ex ignorantia inuincibili fiat, vt si mulier baptizaret filium, quem ignorat esse sui coniugis.

DISTINCTIO QVINTA.

DE SVSCIPIENTIBVS BAPTISMVM.

Cap. 1.

POST hæc, quæ de ministris baptismi absoluta sunt, ordo nos legitimus admonet, vt de susciptentibus subsequenter dicamus. Iam enim primum satis constat, vniuersos mortales ad ipsum susciptendum obligari: vtpotè sine quo nemini salus obuenire potest, secundùm illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Veruntamen cum Deus multò sit ad indulgendum propensior quàm ad vlciscendum, & malorum voluntatem loco facti æstimet: Qui odit enim, inquit, fratrem suum homicida est: & qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: fit vt & voluntatem baptismi, vbi facultas susciptendi non suppetit, pro facto ipso ducat. Eo præsertim quod neminem ad impossibile obligare cogitat. Haud tamen absque necessitate eius susceptio differenda est, iuxta illud Ecclesiastici 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Quapropter infantes, qui nullo indigent catechismo, cùm primùm fieri commodè possit, baptizandi sunt: adulti verò vbi satis fuerint fidei rudimentis imbuti, nisi mortis periculum, quæ nullam fert legem, sacramentum accelerare poposcerit.

Matth. 5.

Baptismus non est sine ratione differendus.

Cap. 2. Affectum peccati mortalis retinentes à baptismo arcendi.

Illi autem, qui mortalibus criminibus sordent, antequam ab ipsis voluntatem euellant, neutiquam sunt ad sacrum baptismi fontem admittendi. Vetus ergo homo, vti ait Paulus Rom. 6. crucifigendus nobis est, vt per baptismum in Christo consepeliamur: & vetus expurgandum fermentum. vt simus noua conspersio. Vnde Petrus, Act. 2. Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Eis verò qui vnda baptismatis intinguntur, nulla sunt satisfactionis opera iniun-

genda·

genda. Nam cùm per hoc sacramentum plenissimè Deo incorporemur, iuxta illud ad Galat. 3. Quotquot baptizati estis Christum induistis: sic Christi satisfactio nobis illic participatur, vt nulla sit opus alia satisfactione: iuxta verbum Ambrosij super epist. ad Rom. Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, neque planctum, vel etiam opus aliud, sed solam fidem, & omnia gratis condonat. Quapropter neque ab illis, qui ad baptismum accedunt, vlla est exigenda vocalis confessio, sed illa eis sufficit, qua interna cordis compunctione dolent coram Deo.

In baptismo nulla est imponenda satisfactio.

Atqui ex his consequens fit, vt & suscipientis intentio, in adulto formalis, & in paruulo interpretatiua Ecclesię sit ad sacramentum necessaria. Enimuerò cum quisque per baptismum nouam profiteatur legem, non inuitus, sed spontaneus ei se subdere debet, atque adeò intentionem adferens accipiendi sacramentum. Nam, vt ait Aug. Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Vnde Ecclesia nemini, nisi rogato an baptizari velit, baptisma confert. Fides autem quamuis ad adipiscendam rem sacramenti, putà salutis gratiam, necessaria sit, tamen ad suscipiendum sacramentum, eiusque characterem, minimè. Nam hæretici verum baptisma & conferunt, vt suprà dictum est, & suscipiunt.

Cap. 3. In adulto formalis, in paruulo interpretatiua, baptismi suscipiendi intentio. August.

Fides suscipientis non est omnino necessaria.

Hactenus de adultis. Sed & infantes, quoque (vt Dionys. in libro de Eccles. hierar. autor est) diuini nostri duces (hoc est Apostoli) probauerunt ad baptismum recipi. Nam cum, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, introire nequeat in regnum Dei; si baptismatis beneficio priuarentur, omnium essent remedio destituti, quod vtique concedere impietas in Deum esset: vult enim (autore Paulo) omnes homines saluos fieri. At cum, vt August. ad Dardanum autor est, nemo nisi prius natus renascatur: quamdiu infans in vtero incluſus est, neutiquam baptizari potest, quoniam neque baptismatis fluctus ipsum valeret contingere. Sed neque infidelium filios, rationis vsu nondum fungẽtes Ecclesia vnquam inuitis parentibus baptizare consueuit. Nam præterquam, quòd id absque iuris violatione, quod parentes habent educandi instituendique suas proles, fieri nequiret: fidei quoque propter periculum apostasiæ irrogaretur iniuria.

Cap. 4. Cap. vlt. Infantes baptizandi.

1 Tim. 2. Sed non in vtero materno.

Nec inuitis parentib. infidelibus.

Amentes quoque & furia correpti, nisi mortis ingruente periculo, nequaquam sunt baptismate abluendi: illo tamen vrgente secundum illum temporis articulum iudicandi sunt, quo à sana mente ceciderunt: nempe, vt si tunc voluntatem demonstrarunt baptismi, baptizentur; sin autem, minimè. Idemque de dormientibus obseruandum.

Amentes quoque nisi in necessitate baptizãdi non sunt.

* *
*

DISTINCTIONIS QVINTÆ,

Quæstio vnica.

DE SVSCIPIENTIBVS BAPTISMVM.

S. Thom. 3. par. quæst. 68.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes teneantur ad susceptionem baptismi.

QVONIAM agens & patiens correlatiua sunt, postquàm dictum est de ministris baptismi, continuò subsequitur vt de suscipientibus dicamus. Et quidem primus articulus generalis est. Vtrùm omnes lege baptismi teneantur. Et D. Th. vnica bimembri conclusione plus respondet, quàm fuerat percontatus. Quærierat enim, vtrum præcepto omnes ad baptismum teneantur. Et respondet duo, quòd omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus. Probat testimonio illo Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Cui adnectitur aliud in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. Baptizatis tantùm iter salutis esse credimus. Et subiungitur deinde ratio. Ad id enim vniuersi homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt: manifestum est autem, nulli nisi per Christum patere salutem. Vnde Apostolus Roman. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ: baptismus verò in hoc institutus est, vt per ipsum regeniti, Christo incorporemur, eiusque membra efficiamur, iuxta illud ad Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis: ergo est ad salutem necessarius.

Conclusio.

Gal. 3.

Conclusiones istorum duorum articulorum magni refert & nosse & credere: quia non modò ab hæreticis concutiuntur, verùm & à catholicis quantum ad modum loquendi non satis syncerè docentur. Et primò dignoscendum est inter duo membra præsentis conclusionis. Aliud enim est quidpiam necessarium esse ad salutem necessitate finis, vt distinctio. 3. art. vltim. dicebamus, atque aliud esse in præcepto. Id enim dicitur necessarium necessitate finis, sine quo nemo gratiam consequi valet, tametsi præceptum non habeat; vt patet in paruulo, qui sine sacramento gratiam non consequitur, licèt illi ante vsum rationis non sit in præcepto. Imò verò (vt in materia de contritione dicemus) existenti in mortali peccato pœnitentia cordis est necessaria necessitate finis, & tamen non caret probabilitate, quod non sit de illa singulare præceptum, præter illud quod est de confessione quando eam Ecclesia præcipit. E conuerso charos venerari parentes, non occidere, audire missam die festo, & similia; non sunt necessaria necessitate finis: quia sine illis, quando materia præcepti non occurrit, quicunque in gratia esse potest; sed tamen materia occurrente, præceptum est illa facere. Alioqui qui iustus est, à gratia excidet. Diuus ergo Thom. inde probat baptismum esse in præcepto, quòd est ad salutem necessarius: quare hoc secundum priùs constituendum est. Et quidem contra hanc Euangelicam veritatem inter Manichæorum perfidias, hæc fuit insignis, vt August. libr. hæresum cap. 46. autor est, baptismum in aqua nihil cuique salutis afferre. Eundemque subinde impietatis errorem hæresiarcha ille Vuitcleff (vt Thomas Vualdensis tomo 2. de sacram. c. 101. refert) sustinere contendit. Et quoniam orthodoxi patres catholicam veritatem in illa Euangelica sententia Ioann. 3. fundant: Nisi quis renatus fuerit, &c. eius sensum præuaricabatur dicens, non intelligi de regeneratione in aqua materiali, sed de alia inuisibili: scilicet, quæ effluxit de latere Christi. Quod est dicere: Nisi quis fidem habeat passionis Christi, non lauabitur in illa aqua. Aliàs, inquit, si de aqua materiali intelligeretur, omnes paruuli ab illo temporis momento mortui sine

Expositio articuli.

Aliquid potest esse necessarium necessitate finis, & nõ necessitate præcepti.

Probatur baptismum esse necessarium ad salutem, cõtra Manichæos, & Vvitcleff.

baptismo,

Digitized by Google

baptismo, deperissent; quod impium esset concedere. Atqui in fauorem eius facere videtur similis illa phrasis Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: atque illa, quam supra S. Thom. quæst. 65. ar. 4. citauit Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis· ex quibus non tam certò videtur colligi, quòd sacramentum, vel pœnitentiæ, vel Eucharistiæ sit necessitatis.

Examinatur illud Io. 3. Nisi quis renatus, &c.

Hic antequam sanctos interpretes consulamus, quos illic abundè Waldensis allegat, per ipsa Christi verba eius sensus rimandus est. In primis ergo Christus locutus est illic Nicodemo, sicut nouissimus Adam (vt ait 1. Corinth. 15. Paul.) qui ad restituendum nobis vitam venerat, quam in primo Adam perdideramus. Et ideò ait: Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei, hoc est, Sicuti nemo vita corporali viuere potest nisi nascatur ex Adam, qua homines nascuntur filij iræ: ita neque spirituali vita misericordiæ, nisi nascatur ex me. Quare roganti Nicodemo, quomodo posset homo in ventrem matris iteratò introire, & renasci? rem exponendo, subdit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Videlicet, vt quemadmodum ipse Spiritu sancto in ventre matris conceptus fuit, ita nos in aqua vicem matris (vt Aug. in sermone Epipha. ait) gerente, per Spiritum sanctum regeneremur filij Dei. Vnde sequitur. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Hæc autem metaphora illi singulari aquæ, quæ de latere Christi effluxit, non quadrat. Erat n. illud mysterium adeò reconditum, vt id tunc Nicodemus capere non posset: qui tamen ad Christum, vt ab illo instrueretur, venerat. Planè ergo de aqua materiali loquebatur.

Per aquam in illa Dominj sententia non intelligi aquam spiritualem, sed materiale. Probatur ex scriptura.

Accedit & interpretamentum Pauli Rom. 6. quod enim Christus appellauit renasci ex aqua, expressiùs ipse appellauit baptismum, dicens: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti n. sumus cum illo per baptismum in mortem. Sepulturam ergo censet mersionem illam in aqua materiali. Deinde & illo mandato Matth. 28. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. planum est Christum de eodem sacramento fuisse locutum, quo prædixerat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Tamen dicens: In nomine Patris, &c. ostendit visibilem illic baptismum se iubere. Vnde sequitur apud Marc. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: Qui verò non crediderit condemnabitur. Si enim de sola aqua lateris Christi esset sermo, cum illa non nisi per solam mentis fidem nobis possit adiungi, dixisset tantum, qui crediderit saluus erit: vbi autem adiecit: Et baptizatus fuerit, visibilem aquam significauit, per quam fides applicanda nobis erat. Quapropter libr. 2. de sacram. par. 6. capit. 7. Hugo, Ecce, inquit, dubium non est, qui vbi fides est, & baptismus est, salus est.

Atqui in huius rei confirmationem coniunxit Paul. Ephes. 5. cum aqua Verbum, dicens: Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ; vt scilicet baptismum nostrum, qui sub verborum forma fit in aqua, designatet.

Ex S. Augustino.

Vnde August. de fide ad Petrum capitul. 3. Ad regnum Dei diuersis temporibus per sacramenta, quæ ad fidem incarnationis suæ Christus instituit, illi peruenerunt, quos Deus gratis nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedenti saluauit. Ex illo autem tempore, quo Saluator noster dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; absque sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia Catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Et cap. 30. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro Christo suo sanguine baptizantur; nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic fuerit per baptismum liberatus. Et lib. de origine animæ ad Renatum capit. 18. Quis, inquit, Christianorum ferat, cùm dicitur ad æternam salutem posse quenquam peruenire; etsi non renascatur in Christo, quod per baptismum fieri voluit?

Probatur idem ratione.

Accedit demum & ratio, quòd cùm nemo vnquam post præuaricationem Adæ, nisi per fidem Christi salutem assequi voluerit, sicuti in lege scripta circuncisionem Deus instituit, per quam eadem eius fides necessariò applicaretur, vt per illam cæremoniam profiterentur homines per fidem venturi saluos ipsos fieri: sic, multoque vrgentiore ratione, postquam salutem in cruce Christus operatus est; decuit vt visibili sacramento eadem nobis passio applicaretur, per quod similiter profiteremur beneficio eiusdem passionis remedium nobis obuenire salutis. Vnde fit, vt sicut nisi per passionem ipsam, ita nisi per baptismum gratiam cum Deo inire possimus. Id quod Paulus epistola ad Titum nos docuit: nam cum cap. 2. de Christo dixisset, quòd dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, quasi nos per passionem redemerit: eadem phrasi cap. proximo de baptismo subiecit; quod secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. In cuius figuram filij Israël non nisi per mare rubrum ab Ægyptiaca seruitute liberati sunt, attestante Apostolo: Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Quare Augu. tract. 11. super Ioan. Mare, inquit, rubrum baptismum Christi, eius sanguine rubricatum & consecratum significauit.

Mare rubrũ figura baptismi Christi.

Hic igitur sensus sententiæ Christi adeò fuit olim omnium consensu receptus, vt etiam ipsi hæretici Pelagiani, qui nullam originis contagionem in paruulis fateri volebant, nihilominus ob hoc illos sacra baptismatis vnda intingebant, quod non aliter sperabant, posse in regnum Dei introire. Putabant, inquam, sine baptismo posse eos quidem habere vitam æternam, non tamen in cælo. Vnde Aug. lib. 1. de peccatorum meritis, qui est de baptismo paruulorum capit. 20. Terrentur, inquit, Pelagiani sententia Domini dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum, & propterea conantur paruulis non baptizatis innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere: sed quia baptizati non sunt, eos à regno cælorum faciunt alienos. Noua quadam & mirabili præsumptione: quasi salus æternæ vitæ possit esse præter Christi hæreditatem, & præter regnum cælorum. Conuincit ergo Aug. hæreticos illos, quòd cum obstaculum ingressus regni cælorum non sit aliud quàm culpa, ob id sine regeneratione ex aqua & Spiritu sancto, nemo potest illuc introire: quòd non nisi per eandem generationem vllus potest remissionis gratiam peccatorum assequi.

Pelagiani etsi putarũt infantes nõ baptizatos habituros vitam æternam, non tamen in cælo.

Habemus ergo, baptismum necessarium esse necessitate finis. Vnde ad illam similem verborum figuram Luc. 13. citatam. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis. Respondemus, id prorsus de peccatis mortalibus demonstrare, quod hæc apud Ioan. de originali: nempe, quòd actus virtutis pœnitentiæ, qui est contritio, perinde sit necessarius ad gratiam comparandam, qua illa remittantur. De alia verò simili sententia Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. iam supra dist. 1. q. 6. art. vlt. enarrauimus discrimen, quod infra dist. 8. art. 3. fiet magis manifestum: nempe, quòd cùm baptismus sit necessarius ad inchoandam vitam, est perinde ad ineundam gratiam necessarius in re: Eucharistia verò cùm non sit nisi finis sacramentorum, non est ad id necessaria nisi in voto. Est tamen pro tempore opportuno realiter suscipienda sub præcepto.

Virum sit præceptum de baptismo.

Sed esto baptismus, vt constitutum est, necessarius sit necessitate finis, arguitur non esse in præcepto: nam id maximè ex hoc loco Ioann 3. colligeretur. Quod falsum esse probatur, tum quod hæc conditionalis satis saluari potest in sensu exposito de necessitate finis: tum quòd vt Wiclef arguebat iam inde cucurrisset baptismi præceptum. Cuius contrarium dist. 3. art. 2. demonstrauimus. Si autem dixeris eiusmodi præceptum Matth. 28. sub illis verbis fuisse edictum: Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. non satis id concluditur: nam præceptorius ille sermo ad Apostolos, vt baptizarent, dirigitur; non ad gentes, vt baptizarentur. Quòd si aliud allegaueris Marc. vlti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit condemnabitur: dupliciter id redarguitur. Primò quòd non apparet sensum esse, vt qui non fuerit baptizatus, ob id singulare peccatum damnetur, sed ob originis labem, atque alia peccata, quibus fuerit homo irretitus, sicut ille quem actualium non pœnitet, non ob illam singularem impœnitentiam, sed ob illa peccata, quæ antea commisit, peribit. Secundò, quia in negatione non resumitur, nisi, Qui verò non crediderit, neutiquam adiecta baptismi mentione.

Argumẽta neg. partis.

Digitized by Google

Conclusio aff. est Catholica, contra Manichæos, & Pelagianos.

Propter hæc forsan non desint inter sciolos, qui temerè asseuerare audeant non esse iure diuino præceptum baptismi. Contra quos statuitur conclusio. Adeò certum est baptismum esse tum ad salutem necessarium necessitate finis, vt expositum est, tum subinde in præcepto, vniuersos mortales obligante, vt sit planè catholica veritas, eiusque contraria assertio aut dubitatio, manifestaria hæresis. Hoc patet ex illo loco Augu. quo inter hæreses Manichæorum, hanc etiam connumerat, quòd baptismus non esset necessarius. Et Pelagiani de hoc itidem condemnati sunt, quòd ad remissionem originalis contagij non censebant esse necessarium; sed ad introitum regni cælorum. De qua re Thomas Waldensis tomo 2. de sacr. cap. 96. & infra per octo aut decem capitula quam plurimis (vt solet) sanctorum testimonijs disserit. Sed illis prætermissis, ex Euangelio præceptum hoc colligamus. Et primum quando nullus alius esset locus, præter istum Io. 3. Inde planè colligitur aliquando tale præceptum Christum posuisse: nam si hoc loco, vt monstratum est apertè asseritur necessitas baptismi ad salutem; inde subinfertur quod Christus diuinum præceptum de eodem sacramento edixerit. Quare sapienter D. Thom. non alio vtitur medio, nisi quòd homines ad illud tenentur, sine quo non possunt consequi salutem. Etenim si sæculares principes leges non ferunt, nisi de his, quæ ad salutarem republicæ finem conferunt; nullo Deus mandato vniuersos mortales debuit arctiùs perstringere, quàm baptismi; vt sine quo nemo ad supremum humani generis finem pertingere potest.

Probatur ex scriptura.

Baptismus est necessarius ad salutem, ergo est in præcepto.

Secundò nihilominus arguitur. Ad dignoscendum quando huiusmodi conditionales præceptum significent; huiusmodi regula vtendum est. Si postquam homo in gratia est iam constitutus, non amplius ad tale opus tenetur; defendi potest non fuisse necessarium, nisi necessitate finis. Exempli gratia. Quia homo dum est in gratia, non amplius ad contritionem constringitur, defensabile est verbum illud: Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis; solam ingerere necessitatem ad assequendum finem: scilicet, gratiam. Non negauerim præceptum esse confessionis iure diuino: (est enim hæresis contra quendam Magistrum Osomensem condemnata. Colligitur namque eiusmodi præceptum ex illo Ioann. vlt. Quorum remiseritis peccata remissa erunt, vt suo loco patebit) sed loquimur de contritione extra tempus illius præcepti. At verò quoniam etiam postquàm homo est in gratia, obligatur aliquando iure diuino accipere sacramentum Eucharistiæ, signum est verbum illud: Nisi manducaueritis carnem filij hominis; præceptum inducere. Alioqui cessante fine, hoc est, posita gratia, cessaret necessitas. Ad propositum ergo. Baptismus non solùm est necessarius ad cõparandam primam gratiam, vt patet in pueris, & in adultis habentibus baptismi copiam; verum & postquàm catechumeni per baptismum flaminis sunt in gratia, vbi adfuerit facultas, tenentur baptizari: ergo certum documentum est, esse necessarium, non solùm necessitate finis; verùm & necessitate præcepti. Probatur secunda præmissa gestis compluribus historiæ sacræ. Primò ex ipsa historia Nicodemi: nam vt Aug. trac. 11. super Ioan. adnotauit, iam tum ille ad Christum in eius fide, & gratia accedebat, & nihilominus Dominus ei dixit, necessarium esse baptismate renasci. Videlicet, vt vniuersos admoneret mortales, quòd quantumcunque polleant fide & charitate, nihilominus tenentur baptisma suscipere. In cuius signum refert Euangelista paulò antè in calce secundi capituli, quòd licèt multi crederent in nomine Christi videntes eius signa, quæ faciebat: ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis. Eadem quippe ratione quantauis quispiam charitate non baptizatus ferueat; non est ei administrandum sacramentum corporis & sanguinis Christi, neque vllum aliud Ecclesiasticum antequam baptizetur. Quinuerò non modò Aug. & sancti; verum & Apostoli ipsi, eiusmodi præceptum nos docuerunt, illis etiam necessarium, qui sunt in gratia: Petrus enim, vt legitur Actuum 2. his, qui iam compuncti erant corde, quærentibus quid facerent, pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu. Nulla ergo cordis compunctio à baptismi lege quempiam excusat. Et Eunuchus doctrina fidei per Philippũ imbutus, vt Act. 8. refertur, quis, inquit, prohibet me baptizari? Et Paul. Act. 9. post eius conuersionem baptizatus est. Idemq; de Cornelio Act. 10 narratur. Et infrà ait Pet. Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur ij, qui Spiritum sanctũ acceperũt sicut & nos? Colligitur ergo ex ijs certissima fides, baptismum esse in præcepto.

Atqui habita fine baptismi (ni minorum gratia) eius necessitas ad hoc durat. vt patet exemplo Nicodemi.

Cornelius.

Accedit nihilominus & Christi edictum Matthæi 28. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. nam etsi forma præcepti ad discipulos tantùm spectare videatur, nihilominus inde conuincitur inclusum esse mandatum omnibus gentibus positum, vt baptizarentur. Tum quòd præceptum ipsum in gentium commodum ponebatur, & tanquam res illis ad salutem necessaria; tum etiam quòd eisdem verbis data est Apostolis, & eorum successoribus potestas ac iurisdictio (vt verba præcedentia docent) quam Christus habebat adducendi gentes ad fidem; frustra autem esset illa iurisdictio in Apostolis, nisi præceptum haberet annexum in subditis, vt obedirent.

Præterea & illud Mar. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, in eiusdem præcepti confirmationem, manifestam rationem affert. Est enim sensus. Ob id vos ad euulgandum Euangelium mitto, quòd nisi quis vobis obedientiam fidei præstiterit, baptizatusque fuerit; sciat se saluum fieri non posse. Atque eam ob rem non solùm denotatur esse cunctis fidem necessariam, & baptismum, vt à peccatis liberentur; verum quòd cùm tanti sua cuiusque referat spiritualis salus, singulare sit quoque præceptum, tum fidei, vbi legitimè prædicatur; tum etiam baptismi. Atque adeò vniuersi infideles, ad quos euangelij præconium peruenerit, præter alia crimina contra ius naturæ, nouo positiuæ (vt aiunt) infidelitatis subijciuntur nisi credant & baptizentur. Quod autem in negatiua resumptione solùm dictum est: qui verò non crediderit sine mentione baptismi, Bernard. in Epistola 77. ad Hugonem, vnde id ipsum desumpsi, lib. 2. de sacrament. par. 6. cap. 7. sic interpretatur, quòd vbi facultas baptismi, non adest, sola fide & voluntate homo baptizatur per baptismum flaminis. Hæc Bernard. Nihilominus, vt ex parte affirmatiua, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, colligitur quòd ei, qui dum potest non baptizatur, nec fides sufficit, nec voluntas, ad salutem.

Sicut est, singulare fidei præceptum, sta etiam baptismi.

Ad hæc propterea quod circuncisio professio erat legis antiquæ, præcepto illius, populus ille tenebatur; iuxta illud Genes. 17. Anima cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de populo suo: in baptismo autem fit professio legis Euangelicæ: ergo fortiori argumento, vniuersus orbis eius præcepto obligatur.

Atqui ratio hæc sic explicatius instruitur. Vniuersus mundus tenetur Christo credere, eiusque adeò legem suscipere & colere, iuxta illud Ioann. 15. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Et rursus: Si non venissem, & opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: baptismus autem est fidei legisque Christi susceptio: ergo ad illum vniuersi mortales tenentur. Vniuersi, inquam, etiam illi (si qui sunt) inuincibili eius ignorantia laborantes. Tametsi per ignorantiam illam excusentur à culpa huius singularis præcepti; licèt non ab illa quòd non seruant naturæ legem; vt fide illuminentur. Id quod illicò declarabimus. Sed & aliter eadem ferè ratio formatur. Vniuersus orbis tenetur esse vnum ouile sub vno pastore Christo, iuxta illud Ioan. 10. Fiet vnum ouile & vnus pastor. Et de summa Trin. & fide cath. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur: baptismus autem, vt in concilio habetur Florentino, est vitæ spiritualis ianua, per quem & membra Christi, & de corpore Ecclesiæ efficimur: ergo vniuersus orbis ad illum suscipiendum tenetur. Quòd si sanctos in eandem sententiam desideras præter iam citatum August. est Hier. qui eod. loco super Matt. Docete omnes gentes, ait iussisse Apostolis, vt gentes fidem ac baptisma, quæ essent obseruanda præciperent. Et Bernard. epist. 77. iam citata, ait hoc esse ex præceptis præcipuum.

Quemadmodum tenentur omnes legem Christi suscipere; sic etiam baptismum, per quem ipsa lex suscipitur.

Hieron.

Ad illud igitur argumentum Witcleff, quòd si illa verba ad Nicodemum præceptum denotarent baptismi, sequeretur ex eodem temporis momento cœpisse vniuersos ligare. Waldensis loco citato videtur id concedere propter verbum Aug. iam suprà citatum de fide ad Petrum cap. 3. quod etiam in li. de origine animæ. Ex illo tempore, quo Saluator noster dixit: Nisi quis renatus fuerit, &c. nemo sine baptismo aut martyrio habet vitam æternam. At verò, vt

Item, exemplo eorum, qui etsi cõpuncti corde baptizari tussi sunt, ab Apostolis. Eunuchus. Paulus.

Solsitur Argu. Wiitcleff.

Digitized by Google

D. Ber. epist. citata 77. ait, nulla probabilitate fulcitur. Locuplete namque supra d. 3. art. 2. demonstrauimus, totam legem veterem vsque ad articulum mortis & resurrectionis Christi in suo durasse vigore, atque adeò nullum Christi mandatum, nisi inde obligare cœpisse: non n. obligationes ambarum legum debuerunt concurrere, sed finis vnius fuit initium alterius. Neque verò decuit, vt misericors Christus prius fuisset sua lege condemnator, quàm sua morte Saluator. Quare baptismus illucusque vt non fuit necessarius, ita nec sub præcepto. Quod ergo ait Aug. ex illo tempore, intelligitur, quòd tunc cœpit innotescere lex baptismi, licèt non obligare. Vel rectiùs. Ex illo tempore, non significat ex illo momento, sed ex tempore Christi. Iam n. diximus, quòd Christus viuens debuit suam condere legem priuatim inter Apostolos, licèt non nisi post mortem vim esset obligandi obtentura. Cui quidem sententiæ illud Matt 10. non dissonè congruit. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Cœpit ergo obligare quando post resurrectionem dixit: Ite, docete omnes gentes, &c. Hoc autem ad Nicodemum dictum explicatiùs loco nunc citato enodauimus. Vide locum.

Baptismus ante Christi passionem non fuit in præcepto.

Matth. 10.

Argumentum primum Diui Thomæ facillimum est. Per Christum non est arctata via salutis: sed ante eius aduentum poterant homines sine baptismo saluari: ergo & post. Respondetur, quòd cum fides Christi semper fuerit necessaria, iuxta illud sæpè citatum Actu. 4. Non est datum aliud nomen hominibus, &c. sæculorum successu, quo propinquius ad Christum accedebatur, magis ac magis innotescere debuit. Quocirca in lege naturæ sola (vti ait Greg.) cum sacrificiorum oblatione sufficiebat. In lege autem scripta per circuncisionis signaculum masculis fides venturi applicabatur. Et ideo in lege gratiæ licèt per illam incorporemur Christo, secundum illud ad Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris, tamen fuit decentissimum, vt postquam iam expectatus aduenerat, explicatiori signo eius fides & passio nobis applicaretur. Quoniam res præsens alio verbo significatur, quàm præterita vel futura. Quocirca inde non fit, viam salutis fuisse arctatam: vtpotè cum via illa nunquam fuerit nisi vna Christi fides, quæ semper fuit eadem; sed fuit potiùs luculentissimè nobis explicata: quandoquidem sicuti abluti sumus sanguine Christi, sic & baptismo abluti illi consepelimur.

Soluitur 1. Argu. S. Tho.

Secundum.

Secundum argumentum est hoc. Baptismus maximè videtur in remedium originalis peccati institutus: ergo ille, qui baptizatus est, cùm iam sit à contagio illo ablutus, non ampliùs poterit illud in proles traducere. In solutione D. Tho legentem ad secundam partem suæ summæ refert: nempe, ad primam secundæ q. 81. ar. 3. vbi ait per baptismum reuocari quidem hominem quantum ad mentem, sed permanere inordinationem partium corporis, secundum quam homo generat.

Mysterium autem hoc explicat Aug lib. 2. de peccatorum meritis, & baptismo paruulorum c. 3. & quatuor sequentibus; & contra Iulianum lib. 6. Arguebant enim Pelagiani, quòd cùm Adam peccator peccatores genuerit, multò iustius ille, qui iustus est, generabit iustos. Nam si vt 1. Cor. 7. ait Apost. sanctificatur vir infidelis propter vxorem fidelem: eadem ratione parentes fideles generabunt fidelem filium, atque adeò filij fidelium non sunt baptizandi. Sed huiusmodi argutiæ inanes erant. Etenim, vt ait Paul. Rom. 5. sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Itaque sicut omnes homines eo quòd nascuntur ex Adam, natura, vt ait Paul. nascuntur filij iræ (displicuit namque Deo in illo omnis eius soboles) sic & qui renascuntur per baptismum in Christo, nascuntur filij gratiæ: est enim filius, in quo benè Deo complacuit. At verò, quia baptismus non tollit nisi culpam hominis, remanet semper fomes peccati in natura carnali inclinans ad malum. Ideo namque ait Paul. Rom. 7 Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis: & quia homo non spiritu gratiæ, sed membris corporis generat, in quo lex illa peccati perdurat, generando filios Adæ, generat filios iræ, quod est traducere originale peccatum.

August. Per baptismum tollitur culpa originalis, sed fomes peccati perseuerat, vnde fit vt parentes quamuis baptizati filios generent peccatores.

Sed arguis. Sæpe homo dum gignit, rem illam vxoriam iustè & meritoriè exercet: atque etiam ex gratia; ergo generat ea ratione, qua est per baptismum regenitus, atque adeò non traducit tabem illam originis. Respondetur, quòd etiamsi parentibus officium illud coniugale sit personale meritum, nihilominus quia actione procreant naturæ corruptæ, quæ quidem corruptio ex Adæ præuaricatione contrahitur; licèt secundum personam actum generandi ceu Dei filij exerceant, tamen secundùm naturam generant tanquam filij Adæ. Qua vtique de causa & mulier cum dolori bus parit. Hominem ergo nasci in peccato originali nihil aliud est, quàm nasci secundùm naturam filium Adæ, in quo omnes peccauerunt. Illud autem de vxore fideli vafrities erat contra hoc propositum adducere. Haud n. est sensus, quòd si infidelis ducat vxorem fidelem, eo ipso sit iam ipse fidelis. Sed loquitur Paulus de sanctificatione legali, vt ipse se exponit. Nam cùm lex naturæ sit, vt duo diuersarum legum non possint matrimonio copulari: in fauorem tamen Christianismi, quando vxor fidelis est, potest cum viro infideli habitare, si ille sine iniuria saluatoris vult cum eadem coniuge permanere.

Quo sensu dictum sit ab Apostolo virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem.

Tertium.

Tertium argumentum est. Si qui modò nascerentur sanctificati in vtero, iam sine originali contagio nascerentur, ac perinde in gratia: ergo illos non opus est baptizare. Negatur autem consequentia: quoniam carerent charactere Christiano, qui nō nisi per baptismum imprimitur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sine baptismo aliquis possit saluari.

CVM definitum sit, baptismum esse ad salutem necessarium, inde apparet manifestè consequens, nemini absque ipso patere salutem: quapropter alicui articulus præsens superuacaneus videri posset. Nihilominus ad explicandum illa, quæ baptismi vicem supplere possunt, necessarius fuit. Respondet ergo D. Tho. per distinctionem duabus conclusionibus. Bifariam enim cuipiam potest deesse baptismus. Vno modo re & voto, vtpotè qui ideo non baptizatur, quòd baptismum iniquo animo respuit.

Et ideo asseritur prima conclusio. Absque baptismo in re vel in voto nemo potest saluari. Nam qui Dei præceptum, atque illius præsertim rei, quæ ad salutem est necessaria, contemnit, non potest amicitiam cum eo conciliare: qui autem baptismum renuit, ipsum contemnit: ergo, ille non saluabitur. Alio modo potest deesse baptismus re quidem, sed non voto: vt cùm quis desiderio flagrans baptismi, antequàm eius adsit facultas, mortem obit.

1. Conclu.

Et propter istos subiungitur secunda conclusio. Potest homo sine baptismo in re, dummodò eius habeat votum, salutem consequi. Probatur, votum illud ex fide nascitur per charitatem operante, ergo sufficit ad salutem. Deus enim, qui suam virtutem sacramentis non alligauit, per illum internum motum, gratiam infundit, iuxta verbum ad Galat. 5. In Christo Iesu nec circuncisio valet, nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Vnde Ambrosius de Valentiniano, qui catechumenus sine baptismo vita decessit. Quem regeneraturus eram, inquit, amisi, veruntamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.

2. Concl. Potest baptismus in voto, sufficere ad salutem.

Probatur exemplo Valentiniani Imperatoris.

Conclusiones istæ dist. 3. art. 11. quo tria distincta sunt baptismata, satis expositæ sunt, vbi conclusum est baptismata sanguinis & flaminis supplere posse baptismi vicem. De solo autem modo loquendi potest Magister corripi, qui in 4. dist. 4. vbi verbum illud Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, restringit ad illos qui baptizari possunt. Vel sic. Nisi quis ea fuerit regeneratione regenitus, quam facit baptismus. Illa autem fit, inquit, non tantum per baptismum, sed per pœnitentiam & martyrium. At verò quamuis in re idem sit, modus tamen loquendi non ita syncerè Christi sententiæ maritatur. Et ideo quemadmodum illic annotauimus, & verba Euangelica sonant, dicendum est baptismum esse simpliciter necessarium Pœnitentia verò & martyriū non simpliciter sunt dicenda sufficere, sed secundum quid, & cum moderamine: scilicet, vbi baptismi copia haberi non potest. Hanc enim ob rem illa duo baptismi nomen sortita sunt, vt illic exposuimus, quòd non iustificant, nisi supplendo vicem baptismi, vt August. lib. 4. contra

Et quia Pœnitentia vicem baptismi supplet.

Digitized by Google

Donatistas cap. 22. quod refertur de consecrat. distinct. 4. can. Baptismi vicem, auctor est. Enimuerò ad hoc quòd vnumquodlibet istorum trium per se diceretur sufficere, requireretur, quòd vbi baptismi facultas adesset, optio daretur, vt quis posset vel baptizari, vel martyrium perpeti, vel solum actum pœnitentiæ habere: cum verò tunc necessarius sit baptismus, sit vt simpliciter sit asserendus necessarius, & alias non, nisi in eius absentia, dicendum est sufficere.

Sicut & martyriũ.

Quòd autem martyrium vicem suppleat baptismi, docet August. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 7. & in epistola ad Seleucianum, quæ est 108. & de fide ad Petrum cap. 3. & ca. 30. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit, &c. pariter dixit (Ioan. 15.) Maiorẽ charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et Matth. 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego cum coram patre meo. Et, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Anima namque illic pro vita vsurpatur. In summa, vt est in Psalmo, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quæ autem pretiosior, quàm quæ Deo dedicatur? Concludit ergo Aug. locò citato de ciuit. Dei, dicens: Neque tanti sunt meriti, qui cùm mortem differre non possent, baptizati sunt; quanti sunt ij, qui mortem differre cum possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad eius baptismum peruenire. De martyrio autem dist. 3. ar. 11. satis ostendimus, quòd perinde ac baptismus culpam remittit & pœnam.

Psal. 115.

Baptismum autem flaminis citra martyrium nonnulli olim arbitrati sunt non sufficere, de quo ideo argumento D. Bernard. ad Hugonem scripsit, vbi contrarium monstrat. Nam vt loco citato distinctio. 3. artic. 11. dicebamus, neminem Deus ad impossibile obligat. Vbi ergo quisque desiderio baptismi tenetur, quem adipisci non potest, nihil aliud ab eo exigit, sed eius voluntatem pro facto reputat. Est enim multò propensior ad indulgendum, quàm ad puniendum. Cùm ergo malorum solam voluntatem pro factis æstimet, ait enim: Qui odit fratrem suum, homicida est. Et, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: iam mœchatus est in corde suo: fit vt & bonum baptismi effectum pro facto ipso acceptet. Sed non opus est in re manifesta amplius immorari. Retulimus enim illic, & art. huic proximo historias Actuum Apostolorum, quibus refertur, Paulum, Eunuchum, & Cornelium, & plures alios ante baptismum fuisse iustos, qui ideo si illum obtinere non valuissent, nihilominus in cælum commigrassent.

1 Ioan. 2. Matt. 5.

Argumenta D. Thomæ secundæ conclusioni obijciuntur. Videtur enim primùm locus ille Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, conuincere quod votum baptismi sine eius susceptione non sufficiat. Respondetur nihilominus, quod cùm homines, vt 1. Reg. 16. legitur, videant quæ parent, Deus autem intueatur cor: ille, qui per baptismum regenerari cupit, corde quidem apud Deum regeneratus est, iuxta verbum Apostoli Roman. 2. Circuncisio cordis est in spiritu, non in litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Et hinc colligitur solutio tertij argumenti, quod est hoc. Sacramentum baptismi est de necessitate salutis: ergo non sufficit eius votum sine re ipsa. Respondetur, inquam, ob id dici necessarium, quòd vbi copia eius haberi non potest, sine eius voluntate, quæ apud Deum pro facto reputatur, nemini contingit salus.

Soluitur 1. Argum. S. Tho. quã contra 2. Concl. obijcit.

In secundo autem argumento paulò durior locus opponitur ex lib. de Ecclesiast. dogmat. qui refertur de consecrat. dist. 4. can. Catechumenum. Vbi sic legitur: Nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, vbi totum sacramentum baptismi completur: Catechumeni autem sunt illi, qui votum habent baptismi, quem nondum receperunt: ergo votum sacramenti sine re non sufficit. Et Syluius Papa in epistola ad Episcopum Taraconensem admonet, vt desiderantibus fontem salutarem omni celeritate succurratur, ne regnum & vitam perdant. Vnde consequi videtur desiderium baptismi non sufficere ad vitam æternam.

Soluitur 2. Argu.

Propter hæc argumenta non defuerunt tempore Innocentij, qui in ambiguo essent, vtrùm catechumenus defunctus ante baptismum viam salutis ingrederetur. Quam quidem ambiguitatem apud eundem pontificem depoluerunt, vt refertur in can. Apostolicam de presbyt. non baptizato. Nam si Corn. & Eunuchus & alij in Actibus Apostolorum referuntur Deo ante baptismum placuisse, illud fuit propterea, quòd baptismum inuincibiliter tunc ignorabant. De catechumenis autem, qui notitiam eius habent, censere isti poterant, non posse sine ipso in re vitam æternam possidere. Nihilominus prædictus pontifex contrariam illic veritatem tanquàm catholicam definit. Quare hæreticum esset de illa dubitare. Ait, inquam, presbyterum, qui sine vnda baptismatis extremum diem clausit, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseuerauerit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum, incunctanter esse asserendum. In cuius confirmationem allegat Augustinum libro quarto de bapt. contra Donatistas capitul. 22. licèt falsò in textu allegetur libro octauo de Ciuit. Dei. Cuius verba sunt. Baptismus inuisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed necessitas excludit. Citat & Ambrosium de obitu Valentiniani, idem asserentem de Valentiniano qui catechumenus obijt. Idem etiam ipse Innocent. affirmat in capitul. Debitum. De baptismo, vbi ait, quòd Iudæus, qui seipsum baptizauit, si tunc sine alio sacramento moreretur, protinus in patriam euolasset propter fidem sacramenti sine sacramento fidei. Quocirca concilium Tridentinum sessione 6. capit. quarto ad literam conclusionem D. Thomæ sub distinctione decreuit: scilicet post promulgatum Euangelium posse quemque per sacramentum baptismi in re vel in voto saluum fieri. Et est ratio manifesta: nam si illi, qui in Actis Apostolorum referũtur, propter ignorantiam inuincibilem per fidem implicitam per charitatem operantem indulgentiam adepti sunt, multò æquius qui desiderium habent expressum baptismi morte prærepti idem beneficium obtinebunt.

Per votum baptismi hominem saluari posse docet Innoc. 3.

Locum ergo citatum de Ecclesiasticis dogmatibus quidam sic exponunt, vt de sola præsumptione intelligatur: videlicet, quòd vbi catechumenus in mora est suscipiendi sacramentum, quod recipere poterat, si morte præoccupetur, condemnari præsumatur. Planior verò est solutio D. Thomæ. Illic enim non habetur catechumenum defunctum non obtinere gratiam, sed non habere vitam æternam. Sensus ergo est, quod licèt in gratia decedat, non statim peruolat in cælum: quia non recepit plenarium effectum baptismi quoad culpam & omnem pœnam. Et ideo subiungitur. Excepto martyrio vbi totum sacramentum baptismi (scilicet quoad culpam & totam pœnam) completur. Saluabitur ergo ille, sed per ignem purgatorij, vt 1. Corint. 3. ait Apostol. Atque huic applaudit illud, quod habetur in primo concilio Braca. cap. 35. vbi legitur multas preces pro catechumenis in Ecclesia fieri, qui sine baptismo vita perfuncti sunt.

Exponitur cap. Catechumenũ.

Contra priorem autem assertam conclusionem obijciuntur alia præterea argumenta, primum de adultis, deinde paruulis, quòd possint sine baptismo, sineque eius voto saluari. Primum enim de Apostolis nullibi legitur fuisse baptizatos, cum tamen potuerint, neque de sacratissima virgine.

Soluuntur arg. contra 1. concl.

Ad hoc de Apostolis tribus conclusionibus respondetur. Prima. Apostoli post latum præceptum baptismi, scilicet post ascensum Christi tenebantur Euangelico sacramento baptizari. Patet, quia lex baptismi est vniuersalis, comprehendens, vt hactenus monstratum est, vniuersos quantacunque fide & charitate pollentes.

Fuerintne Apostoli baptizati.

Secunda. Deus, qui virtutem suam sacramentis non alligauit, potuit cum ipsis dispensare, vt non baptizarentur. Quapropter Chrysost. homilia 1. super Acta Apostolorum in ea fuit opinione, quòd Apostoli non fuerunt baptizati, nisi baptismo Ioannis, & postea in Pentecoste baptismo flaminis, iuxta illud Actuum 1. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

S. Chrysost. negat.

Tertia conclusio. Longè probabilius est, imò sic pro certo tenendum, quod Apostoli fuerunt baptizati baptismo Christi, vt Diu. Thom. 3. par. q. 38. art. 6. & Scot. in 4. dist. q. 6. autumant. Probatur: nam postquam de lege constat, non autem de dispensatione, temerarium est asserere, cum ipsis fuisse dispensatum. Eò potissimum, quòd neque ad eorum hono-

Probatur responsio aff. rationibus.

rem

rem quicquam conferebat, neque ad vtilitatem Ecclesiæ, vt benè illic ait Scotus. Imò quod non fuerit dispensatum, fuit multò decentius. Tum quòd cum ipsi essent familiæ Christi primitiæ, eiusque legis promulgatores, non decebat, vt Christianismum, quem alijs prædicabant, non ipsi reciperent, & tamen charactere Christiano sine baptismo insigniri non poterant. Deinde baptismus est professio legis Euangelicæ; expediebat autem vt eandem legem via communi & regia susciperent: ergo baptizati sunt. Præterea indecens erat, vt sacramenta, quæ alijs ministrabant, ipsi non suscepissent. Ad hæc manifestum est, fuisse sacerdotes, quin verò Episcopos, susceperuntque sacram Eucharistiam: hæc autem sacramenta Ecclesiæ sine baptismo recipi non possunt: ergo non expediebat, vt Christus super tot legibus absque vlla causa cum illis dispensaret.

Eadem probatur ex Augustino.

Accedit demum & sententia August. id asserentis in epistola 108. ad Seleucianum, quæ refertur de consecra. dist. 4. can. Quando. & lib. 3. de origine animæ, quæ refertur ibidem can. Si eos. Et priori loco refert aliam opinionem, quod non fuerint baptizati nisi baptismo Ioannis, sed ait magis esse credibile, quod fuerint etiam baptizati sacramento Christi. Quin verò sentit, fuisse baptizatos Christo viuente ante eius passionem. Ait quippe ministerio baptismi non defuisse, vt haberet baptizatos seruos, per quos reliquos baptizaret. Cum ergo iam Christo viuente baptizarent, consequens fit, vt quamuis tunc simpliciter non tenerentur, quia nondum erat præceptum positum, nihilominus essent baptizati, vt exemplo Christi, qui antequam prædicaret, baptizatus est, characterem ipsi prius reciperent, quem alijs imprimebant. Alias redargui possent cur non ipsi reciperent, quod persuadebant alijs. Atqui credibile est, vt se mutuò ipsi baptizarent. Nisi forsan dixeris, quòd ne non baptizatus alium baptizaret, Christus prius Petrum abluit, deinde ipse alios. Atqui forsitan, vti idem ait Aug. id Christus sub articulum lotionis pedum significare voluit dicens Petro: Qui lotus est, (scilicet baptismo meo) non indiget, nisi vt pedes lauet. Illud autem Actuum 1. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies, auctiorem gratiæ copiam denotat, quam in die Pentecostes etiam visibiliter in linguis igneis receperunt.

Verisimile est eos fuisse baptizatos ante Christi passionem.

Ioan. 13.

At de Ioanne Baptista res est magis ambigua: nam cùm mortuus fuerit antequam Christus præceptum obligatorium baptismi ferret, nunquam illo fuit obligatus: quare cùm illico fuerit in carcerem coniectus, aliqua fit coniectura, non fuisse illo sacramento initiatum. Accedit præterea, quòd Ioannes ad legem Euangelicam non pertinebat, nisi tanquam disponens, vt verbo illo Christus innuere videtur. Qui minor est in regno cælorum, maior est illo. Quare in festo suæ natiuitatis non canitur, Credo: His tamen non obstantibus rationi multò consonantius est, & ita piè tenendum, quòd fuerit baptizatus baptismo Christi, quòd D. Thom. loco citato etiam tenet. Imò Chrysosto. super Matth. cap. 5. illius videtur sententiæ, quòd fuerit protinus ab ipso redemptore lotus, postquàm illum baptizauit. Idque adnotauit in illo Christi responso, quòd dedit Ioanni dicenti: Ego à te debeo baptizari. Sine modo. Quasi dixisset. Sine me prius hoc abs te officium recipere, & ego tibi statim id ipsum rependam. Atque eam historiam ait in quibusdam apocryphis libris scriptam fuisse. At verò profectò in re tam illustri maximum argumentum est negatiuum. Si id, inquam, accidisset, minimè id dissimulasset Matth. suæ historiæ contexere. Quicquid autem de hoc sit, Hierony. tamen eodem loco tanquam certum affirmat, quòd sicut Christus fuit baptizatus ab illo in aqua, ita & ipse vicissim erat à Christo in spiritu baptizandus. Et intelligit baptismo Christi. Neque verò deest optima ratio, quod cùm erga Christi baptisma tam officiosum sese Ioan. præstiterit, non est vero simile, vt sine illo sacramento mori se sineret, quo fieret Christianus.

An S. Ioan. Baptista Christi baptismum susceperit.

Matth. 11.

S. Chrysostomus & S. Hieron. affirmant.

Sed & de sacratissima virgine ibidem etiam Sco. ait fuisse baptizatam, nisi forsan ob id fuerit excepta, quòd fortè in conceptione filij sui totam habuit plenitudinem gratiæ, ad quam Deus disposuit illam peruenire. At profectò cùm de Deipara cælorum regina id semper asserendum sit, quod saluis sacris eloquijs, ad cumulum honoris eius conducit, credendum est fuisse baptizatam. Hæc enim Scoti ratio non consonat virginis meritis. Quis enim ambigat, quin cùm merita præmium præcedant, per tam egregia omnium virtutum officia, quæ post sacratissimum partum accumulauit, cumulatior etiam in dies excellentior illi accresceret gratia? Fuit quidem gratia plena ante conceptionem filij quantum par erat, vt fieret Christi mater. Attamen gratia illa non fuit eo modo summa, vt non posset deinceps meritis augeri. Neque vero si sententiam illam teneas, quod fuerit in gratia genita, ab omnique culpa præseruata, eius excellentissimæ sanctitati derogat, imo ad honorem eius apponitur quod charactere sacramenti, quod Christus instituerat, fieret Christiana, quandoquidem quicquid gratiæ recepit, in virtute passionis Christi obtinuit, cuius sacramentum baptismus est.

Quid de sanctissima Virgine?

Grauius autem dubium de pueris est ante vsum rationis, quibus sacramentum aliqua de causa applicari non potest. Et quidem de illis, qui in vtero clausi sunt, artic. 11. disputabimus. De illis autem qui nati sunt, sustinet hic Caiet. quòd dum baptismi facultas non adest, si signo crucis cum inuocatione Trinitatis muniantur, sufficit eis ad salutem. Hæc autem Dei supplementa, vbi sacramentum, vel quidpiam eius essentiæ deest, adeo mihi nunquam persuaderi poterunt, vt si ingenuè quod sentio dicere mihi liceat, semper fuerim arbitratus, non solum temerè & absque vlla prorsus ratione asserta; imo præter sententiam Euangelicam, & nonnunquam contra. Et quo omnia ob oculos ponam, vt simul eorum error pateſcat, gradatim illam referam, quæ in superioribus tetigimus, atque in hunc locum reiecimus. In primis distinct. 1. q. 5. artic. 1. retulimus opinionem Scoti in 4. distinct. 7. & Caietani super illum articulum dicentium, quod præter gradum sacramenti, adijcitur nonnunquam paruulis per meritum parentum, & ministrantium aliquis gradus gratiæ. Sed contra hanc opinionem, d. sequenti, quæst. 1. artic. 6. disputabimus. Nam nemo potest alteri de congruo gratiam mereri; nisi merendo illi bonum motum, quem tamen paruulus habere non potest. Deinde art. 8. † eiusdem quæstionis inter agendum de intentione ministri citauimus opinionem, quam aliqui impingunt Alexandro Alensi 4. par. quæst. 13. memb. 1. in qua tamen vt illic patet, non perdurauit, sed est opinio Durandi dist. 6. q. 2. quòd vbi intentio ministri defuerit, adulto deuotio sua sufficiet: paruulo verò summus sacerdos Christus id supplebit conferendo gratiam. Postmodum verò distin. 3. art. 6. opinionem retulimus Altisiodorensis lib. 3. tract. 3. cap. 4. q. 2. dicentis, quòd si sacerdos non proferret integram formam, scilicet tres Trinitatis personas, Deus supplebit quod omissum fuerit. Et postea art. 7. allegauimus Paludanum dist. 1. q. 1. paulò ante tertiam conclusionem dicentem, quod si baptizans non tangat aqua illum quem baptizat, Deus supplebit, & gratiam conferet. Similiter D. Thom. in 4. d. 24. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 3. ait, quod dum quis non baptizatur sacerdotalem ordinem suscipit, nullum postmodum sacramentum confert, tamen piè credi potest, quòd quantùm ad vltimos effectus sacramentorum summus sacerdos supplebit defectus. Ad hæc accedit modò opinio Caiet. quòd paruulos sine sacramento, dum applicari non potest, Deus ab originali liberabit. Idemque dicturus est infra ar. 11. de illis qui in vtero moriuntur. Et fuit opinio, quam vt piam & credibilem asseruit Gerson in tertia parte, sermone de natiuitate virginis, consideratione 2.

Exactius perpēditur An in necessitate Deus suppleat paruulis defectum baptismi.

† q. 5. dist. 1

Durand.

Altisiod.

Palud.

D. Thom.

Gerson.

Atqui opinio bifariam potest intelligi. Vno modo, quòd illa signatio cum inuocatione Trinitatis, aut aliquid simile, sit tanquam pro regula certa, & vniuersali habenda, ceu priuilegium præter legem: vt semper sit sufficiens, propter necessitatem: quæ quidem esse videtur assertio Caietani. Altero modo, vt non sit regula certa, quod semper sufficiat, sed quod piè credendum sit aliquando Deo placere puerum sine baptismo saluum facere. De hoc ergo secundo membro dicemus in fine. Primum autem fateor me non intelligere, quomodo valeat citra errorem defendi.

Sententia autoris aperitur.

Nam primum, quòd sit aliud ordinarium remedium diuinitus institutum, manifestaria hæresis est, siquidem tanquam firmissimam legem Christus illud edixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum. Et, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui verò

Probatur contra Caiet. Deum ordinariè paruulis defectum sacramenti non supplere.

Digitized by Google

non crediderit, condemnabitur. Et ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis. Et ad Epheſ. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Vnde cùm in lege naturæ ſola fides ſufficeret aliquo actu applicata paruulis, & in lege ſcripta neceſſariò fuerit per circunciſionem applicanda: illa omnia per baptiſmum excluſa ſunt; qui ideo ſolus ſacramentum applicandæ eiuſdem fidei permanſit.

Primò. Simili ergo ferè ratione impugnatur opinio hæc: nam ſi illa conſignatio, quam ait Caiet. vel quæcunque alia commendatio pueri haberetur tanquam regulare & vniuerſale remedium, quòd ſemper ſufficeret, profectò perinde eſſet ac ponere, quantum ad effectum gratiæ, aliud ſacramenti genus. Et arguitur ſic in contrarium. Illud non poteſt aſſeri niſi tanquam priuilegium Dei: id autem nullibi legitur, ſed nuda lex. Niſi quis renatus fuerit, &c. Et, Qui crediderit, &c. ergo pluſquam temerarium eſt illud aſſerere. Nam dicere, quòd propter neceſſitatem piè credendum eſt, nullius eſt roboris. Etenim cùm Chriſtus ſatis prouiderit inſtituendo ſacramentum cuius materia vbique eſt in promptu, & peccatum originale natura ipſa contrahamus, nihil amplius à Dei miſericordia exigendum eſt. Imo vt ait Alexan. loco proximè citato, miſericordia Dei non debet aliquid facere, quod ſit in præiudicium ſuæ prouidentiæ. Quare illa iſtorum pietas non eſt rationi concors, ſed diſcors.

Secundò. Deinde, ſecundò, vt ait D. Tho. quod lib. 6. art. 4. vbi idem quod nos modò, definit, nuſquam apud Aug. & ſanctos patres reperitur, baptiſmi vicem ſuppleri niſi per baptiſmum ſanguinis, aut flaminis, vt patet libro 4. contra Donatiſtas, quod refertur de conſecra. diſt. 4. can. Baptiſmi vicem, Cùm ergo paruuli habere nequeant baptiſmum flaminis non poſſunt baptiſmum aquæ ſupplere, niſi per martyrium, ſicuti innocentibus occiſis pro Chriſto vſu venit. Illo ergo ſecluſo non niſi vnicum remedium baptiſmi aquæ illis reſtat. Quare D. Tho. infrà quæſtio. 73. art. 3. expreſsè ait pueros nullatenus per votum baptiſmi poſſe ſuſcipere eius effectum, ſed ſolos adultos. Atqui hoc argumentum efficaciſſimum eſt aduerſus omnes recitatas opinones, dicentium, quod vbi deeſt vel forma, vel materia, vel intentio, Deus ſupplebit. Enimuerò cùm illic nullum ſit ſacramentum nulla eſt maior certitudo, quòd Deus ſupplebit, quàm ſi abſque vlla cæremonia infans ſolus moreretur in eremo. Nam deficiente re aliqua, quę eſt de eſſentia ſacramenti, totum reſiduum pro nihilo reputatur

Tertiò. Et tertiò iudicio meo irrefragabiliter arguitur. Baptiſmus flaminis, vt præſenti art. D. Thom. optimè declarat, debet eſſe actus, qui procedat ex fide per charitatem operante. Itaque niſi ſit vera contritio, & dilectio Dei, nunquam adulto ſine baptiſmo in re ſuffiſcit ad ſalutem. Dum ergo, vt vult Caie. paruulo applicatur ſine baptiſmo fides, vel paruulus recipit gratiam per meritum applicantis, aut virtute operis inſtar ſacramenti: non primum, tum quòd poteſt ille actus applicantis non procedere ex gratia, atque adeò neque eſſe meritorius: tum quòd etiam ſi eſſet meritorius ex gratia, non poſſet alteri mereri, vt ſæpè diximus, primam gratiam, niſi merendo illi bonum motum in Deum, quem paruulus habere non poteſt. Si autem dixerit id fieri inſtar ſacramenti, iam recidit in primum abſurditatis barathrum, quòd ſit præter baptiſmum aliquod remedium ad modum ſacramenti. In lege quidem naturæ applicabatur fides per ſolum actum parentum etiam internum: illud autem iam prorſus ceſſauit, & ſolus baptiſmus ad id muneris eſt ſuperſtes. Quo fit, vt illa benedictio nullatenus ſit neceſſaria; ſed ſi per illam ſaluaretur puer, abſque illa etiam per Dei miſericordiam fieret ſaluus, vt ſanctificati in vtero.

Quartò. Quartò arguitur. Vel illa exterior ſignatio crucis neceſſaria eſt, vel ſecùs. Si eſt neceſſaria, facis illam habere quodàm modo vim ſacramenti ad applicandam fidem, atque adeò concedis baptiſmum ad id non eſſe ſimpliciter neceſſarium, quod eſt erroneum. Quòd ſi illa non eſt neceſſaria, ſequitur ſolum votum interius parentis ſufficere, quod nemo eſſet tam inſolens, vt concederet.

Quintò Quintum adhibetur argumentum, quod art. ſupriori faciebamus, Nemo ſaluari poteſt, niſi in gremium Eccleſiæ recipiatur, ſaltem inter illos, qui ignorantia inuincibili Euangelij non laborant (quicquid ſit de alijs,) vt patet cap. Firmiter. de ſumma Trin. & fide catho. nemo autem in gremium eius recipitur niſi per baptiſmum; vt in concilio Florentino habetur: ergo paruulus, qui vicem eius ſupplere non poteſt, nequit ſine illo ſaluus fieri.

Sextò. Sextò arguitur, vt in materia circunciſionis arguebamus de puero ante octauum diem. Aut per illam cæremoniam crucis recipiunt gratiam ſoli pueri, qui ſunt ſine baptiſmo morituri, aut omnes periclitantes, etiam ſi ſint mortem euaſuri. Si primum, ſubſequitur, quòd diuinum illud beneficium recipiendæ gratiæ dependet ex futuro contingenti, quod eſt conceſſu abſurdum. Si ſecundum, ſequitur quòd multi paruuli dum poſt baptizarentur, nullam tunc reciperent gratiam, cùm iam ſint ab originali mundi: nam gratia baptiſmalis ad ſolum illum effectum confertur.

Idem oſtenditur ex teſtimonijs S. Auguſtini. At verò præter rationes teſtimonia ſunt ſanctorum innumera, potiſſimùm Auguſt. quibus prædicta opinio, tanquam hæreſis repudiatur. Primus enim eſt locus ille, quem citat D. Thom. de Eccleſiaſticis dogmatibus. Baptizatis tantùm iter ſalutis eſſe credimus. Cui conſonat illud eiuſdem Aug. lib. de peccatorum meritis, & baptiſmo paruulorum, & refertur can. Nulla. de conſecra. d. 4. Vbi nulla, inquit, præter baptiſmum ſalus promittitur infantibus: quia infantes, ſi per ſacramentum, quod ad hoc eſt diuinitus inſtitutum in credentium numerum non tranſeunt, in tenebris manent. Et ibidem canon. Baptizandi 1 Gelaſius papa iubet, quòd in lãguoris incurſu adhibeatur baptiſmus, ne fortaſſis ægrotans eritio præuentus, ſine remedio ſalutari abſcedat. Quæ quidem verba palàm docent nullum aliud eſſe remedium. Id quod idem Aug. epiſt. 28. ad Hieronymum de origine animæ his verbis edocet. Quiſquis dixerit, quòd in Chriſto vitificabuntur paruuli, qui ſine ſacramenti eius participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam: vbi propterea cum baptizandis paruulis feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto viuificari non poſſe. Perpende: Non aliter. Et lib. 1 de peccat. merit. & baptiſ. paruu. cap. 18. hiſce verbis eandem opinionem execratur. Quis Chriſtianorum ferat, cùm dicitur ad æternam ſalutem poſſe quenquam peruenire ſi non renaſcatur in Chriſto, quod per baptiſmum fieri voluit? Atqui lib. de fide ad Petrum, capit. 27. quod refertur can. Firmiſſimè. de conſecra. diſtinctio. 4. affirmatiſſimè id conſtituit. Et in primo tomo conciliorum epiſtola 72. inter epiſtolas Leonis, quæ tamen eſt Aurelij, iubentur quarto loco Pelagiani confiteri, infantes non baptizatos, non ſolùm regnum cælorum, verùm neque vitam æternam habere poſſe. Quod ſi dicas hæc & ſimilia teſtimonia contra Pelagianos eſſe congeſta, qui peccatum originale negabant. Reſpondetur id verum eſſe, neque illo ſenſu contra virum egregiè catholicum ſunt à nobis allegata; ſed in hoc tantùm quòd cum tam inculcata vniuerſalitate condemnetur, pueros abſque baptiſmo ſaluari poſſe; non liceat exceptionem vllam facere aliter applicandæ fidei, quam certè (ſi vera eſſet) Auguſtinus vel ſanctorum aliquis aliquando feciſſet.

Ad hæc, propter hanc eandem opinionem, quam Auguſt. errorem ab illo Pelagianorum differentem cenſuit, quatuor illos libros de anima, & eius origine ſcripſit contra Vincentium Victorem, qui ſuſtinebat paruulos ſine baptiſmo ſaluari poſſe, vt patet libro 1. qui eſt ad Renatum cap. 9. Et libro ſecundo, qui eſt ad Petrum presbyterum capit. 12. vbi ait, quòd neque Pelagiani, ſi peccatum originale cognouiſſent, ſalutem pueris abſque baptiſmo auſi fuiſſent promittere. Iſte tamen (ſcilicet Vincentius) cum peccatum originale catholicè fateatur, nihilominus ait, ſine baptiſmo eos poſſe, ſaluos fieri. Quæ, inquit, magis eſt vecors, quàm miſericors vanitas. Sic enim Saul 1. Reg. 15. viſus eſt ſibi miſericors, quando pepercit Agag regi Amalech, quem Deus occidi præceperat. Et tandem lib. 3. ca. 9. Noli, inquit, credere, noli dicere, noli docere infantes antequàm baptizentur morte præuentos, preuenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorũ, ſi vis eſſe catholicus. Et in calce eiuſdem libri inter errores Pelagianos ſextum connumerat: Infantes antequam baptizentur morte præuentos peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum. *1. Reg. 15.*

Præterea & ex alio loco Marc. vlt. idem Auguſt. eandem ſententiam demonſtrat: Qui crediderit, &

baptiza-

Digitized by Google

Paruuls sine baptismo non sunt de numero credentium.

baptizatus fuerit, saluus erit. Ait quippe eodem lib. 1. de baptis. paruul. ca. 27. & inculcatius lib. 3. cap. 2. proculdubio paruulis idem esse credere, quòd baptizari, atque adeò baptizatos in numero credentium connumerari, ac perinde eos qui non baptizantur, inter eos qui non credunt, censendos. Quare illi, inquit, nec vitam æternam habebunt, sed ira Dei manet super eos. Et rursus eod. cap. lib. 1. de ouibus, inquit, Christi esse non incipiunt paruuli nisi per baptismum. Quare profectò, inquit, si hoc non accipiunt, peribunt. Et iterum: Nec regnum cælorum, nec vitam paruuli habere possunt, si filium non habeant; quem nisi per baptismum eius habere non possunt. Innumera sunt, quæ in hanc causam conferri possent, sed hæc sufficere prudentissimo cuique debent, ne vel suspicetur, vt vbi aliquid substantiæ baptismi defuerit, siue formæ, siue materiæ, siue intentionis, Deum id ratum habiturum, vt defectum suppleat. At multo id minùs suspicandum, vbi baptismus applicari non potest.

Examinatur, An saltem specialis Dei beneficio paruulos sine baptismo saluari non contingat.

Sed restat secundum membrum suprà distinctum. Esto non sit lex ordinaria, vt semper Deus suppleat sacramenti defectus, vtrùm saltem credendum sit aliquando paruulum absque baptismo eiusdem Dei beneficio saluum fieri. Respondetur primò, quòd dubitare non licet, quin id pro suo beneplacito possit facere: quippe cùm sacramentis suam non adstrinxerit virtutem. Attamen, quòd id quandoque faciat, nisi ipse nobis reuelauerit, neutiquam est nobis asserendum, sed semper loquendum secundùm legem, quam in Euangelio explicuit. Item si id nonnunquam fecit, non est propterea, quod aliquid sacramenti applicetur puero sine eius integritate: quia illud nullius est valoris. Nec propter necessitatem; quia non potest applicari baptismus: nam de illa causa nulla est lex lata. Nec propter signum crucis, aut aliqua verba conantium applicare puero fidem. Neque verò in paruulis propter meritum parentum, vt dist. 6. quæst. 1. art. 6. patebit. Sed certè propter diuinam prouidentiam scilicèt, quia tales paruulos ad aliquod egregium commune bonum creat. Quemadmodum sacratissimam virginem in vtero gratiæ plenitudine dotauit, vt idonea esset Dei mater. Et Hieremiam, & Ioannem sanctificauit in vtero. Hæc autem priuilegia ob id confitemur, quod de sacris literis colliguntur.

Soluuntur argumenta contraria. Primum.

Tenemur autem argumentis contrariæ opinionis respondere. Primò enim arguit sic Caieta. Fides non fuit maioris vigoris apud veteres, quàm est apud nos: sed non obstante præcepto circuncisionis, dum necessitas ante octauum diem vrgebat, sufficiebat fides parentum applicata per signum legis naturæ, eò quòd vt legitur Genes. 17. non licebat antea puerum circuncidere: ergo & modò, non obstante præcepto baptismi, sufficit in simili necessitate applicare illam fidem cum signo crucis. Respondetur autem concesso fidem apud nos non esse minoris virtutis, imò est multò maioris, quàm apud veteres: nam ratio natiua fidei est credenda docere. Et nostra est explicita tam Trinitatis, quàm incarnationis, in illis autem non fuit nisi implicita. Item pluribus sacramentis applicatur, copiosiusque gratiam confert, cælorumque valuas aperit. Haud tamen subinde sequitur, quod si Hebræorum pueris poterat applicari ante octauum diem per aliud quàm circuncisionis signum, possit nobis vnquam aliter, quàm per baptismum. Est enim ratio longè diuersa, quod tunc quoniam ante octauum diem inhibuerat illis Deus circuncisionem, consequens erat, vt remedium illis permitteret, quod erat in lege naturæ, sicut pro fœmellis, quibus non erat aliud remedium. Nunc autem quoniam baptismum instituit, qui cum primum infans in lucem editur, ei valet applicari, nihil mirum si nullum aliud subsidium reliquerit. Festinetur ergo (vt proximè citati August. & Gelasius aiunt) & curratur ad baptismum. Si verò mors illum præuenerit, iudicia Dei abyssus multa. Sic enim ipsissimus Aug. lib. 1. de peccatorum meritis, & baptis. paruu. capit. 21. Et de bono perseuerantiæ lib. 2. cap. 12. Pelagianis respondet. Cur scilicet ex duobus infantulis alter morte ante baptismum præuenitur, alter verò illud recipit beneficium, non est alia causa, nisi quod Iacob dilexit, Esau autem odio habuit. Quamobrem ait ad Rom. 11. Pau. incomprehensibilia esse iudicia Dei. Atqui eodem pacto respondetur si obieceris illud Paul. 1. ad Timot. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri: illud enim, prætermissis alijs sensibus intelligitur de voluntate antecedenti, quam alij vocant conditionalem. Per ipsum enim non stat quo minus vniuersi saluentur, sanè cum sufficiètia remedia cunctis prouiderit. Si autem aliqui, imò quamplurimi non saluantur, vel sua ipsorum est culpa, vel illa, qnam ex Adam traxerunt.

Cur iam fides non possit paruulis applicari sine baptismo.

Secundum.

Secundum argumentum Caiet. est. Adultis in necessitate sufficit baptismus flaminis, quo recipitur baptismus in voto: sed innocentes paruuli non debent esse deterioris conditionis: ergo in simili necessitate cùm non possint habere voluntatem propriam, sufficit eis votum parentum. Ad hoc autem respondetur, Caietanum non animaduertisse, quòd adulto votum baptismi, non nisi per modum conuersionis in Deum prodest: paruulus verò, neque propria voluntate, neque aliena potest vllo pacto conuerti. Quapropter D. Th. nequaquam ait sufficere votum baptismi nisi soli adulto. Quinuerò in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. quæstiun. 2. facit idem argumentum hoc modo. Ætas puerilis magis est ad misericordiam inclinans, quàm adulta: sed paruulis non remittitur originale per solam fidem, & contritionem alienam sine baptismo: ergo neque adultis per propriam. Et respondet concessa vtraque præmissa, negando consequentiam. Nam oportet, inquit, quòd in pueris, vt saluentur, sit aliqua causa salutis: & quia non possunt habere proprium motum, non possunt modò saluari sine sacramento. Quare plus, inquit, valet adultò propria fides, quàm paruulo aliena.

Respondetur ad authoritatem S. Thomæ.

Ad id autem, quod supra retulimus ex eodem sancto Doctore ead. dist. 24. videlicet, quod licèt sacerdos non baptizatus nihil faciat administrando sacramenta, piè tamen creditur, quòd Deus supplebit, respondetur id dixisse secundum communem aliorum opinionem, quam certè in summa non sustinuisset, vt ead. d. disputabimus.

De ignorantione baptismi, an excuset.

Postrema tandem dubitatio huius articuli, qui iam non potest non esse prolixus, est, vtrùm possit quis modò alicubi ignorantia inuincibili, à susceptione baptismi excusari?

Arguitur enim contra conclusionem præsentis articuli, quòd aliquis sine baptismo in re, vel in voto possit saluari. Quamplurimę enim nunc sunt gentes in orbe, quæ in caligine sunt ignorantiæ Euangelicæ legis. Ait enim Christus Ioan. decimoquinto. Si non veniissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Et rursus: Si non veniissem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et Paul. Roman. 10. Quomodo credent nisi audiant: quomodo autem audient sine prædicante? Sunt autem frequentes per orbem barbari, qui nihil de fide nostra audierunt: ergo illorum ignorantia non est culpabilis. Atque adeò si eodem modo, quo in lege naturæ satis erat, conuertantur in Deum, gratiam recipient remissionis peccatorum, absque vlla cognitione baptismi. Quandoquidem & Ezech. 33. legitur: Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Vbi dies pro momento quocunque vsurpatur. Est enim Deus multò promptior ad indulgentiam, quàm ad vltionem. Vnde cùm de iusto illic subdat. Iustus non poterit viuere in iustitia sua in quacunque die peccauerit: fortiori ratione, quouis momento se impius conuerterit, obtinebit veniam.

Ezech. 33.

Psal. 18.

Neque verò obstat verbum Psalmi: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum (scilicet Apostolorum) quos cælorum nomine illic regius Psaltes designat, vt eorum ignoratio non careat culpa. Primum enim multi illud glossant. In fines terræ: scilicet, in fines quartæ mundi partis, quam nos habitamus. Et August. non sic illud intelligit, quasi iam impletum: sed more Prophetarum assertum, qui ad exaggerandam rei certitudinem id quod futurum est præteriti voce vaticinantur: prædicatio enim, inquit, Euangelij in totum orbem non erit perfecta vsque ad finem sæculi, iuxta illud Matth. 24. Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Et quãuis cum Chrys. hom. septuagesimaseptima super Matth. concedamus, iam tunc suo tempore in totum orbem Christianam tubam personuisse, quod videtur Apostolo ad Rom. 10. magis consonum: nihilominus certum est aliquas iam esse regiones, in quibus ante mille hinc retrò annos eius memoria fuit extincta. Quare illi perinde hac de re cæcutiunt, ac si nunquam in orbe fuisset illa promulgatio facta. Nam etsi quando cœpit lex apud illos Euangelica obliuioni tradi, vel

post centum annos, obliuio fuisset illis culpabilis: iam modò illi qui propter maiorum culpam ignorant, nulla tenentur ignorantiæ culpa.

Sententia Authoris aperitur.

Hic primum omnium illius meminisse opus est, quòd dixi. 1. q. 2. art. 3. constituimus: nempe, nemini post lapsum Adæ expositam fuisse salutem nisi per supranaturalem fidem vnius mediatoris vel implicitam, vel explicitam. Atqui non voco implicitam solum habitum fidei, qui cum gratia in conuersione infunditur, sed actualem cognitionem in vniuersali, quòd Deus sit remunerator. Itaque cum quis lumine naturali affulsus in bonum honestum suam vitam referebat, atque adeò in Deum, vt naturalem hominum finem, Deus protinus intellectum eius superno lumine irradiabat, & speciali auxilio eum conuertebat. Igitur quantumuis ignorantia hoc sæculo inuincibilis apud aliquas gentes admittatur, nihilominus vnicuique adultorum ad suam conuersionem idem supernaturalis motus implicitæ saltem fidei necessarius est, vt scilicet in Deum mente assurgat liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, vt ait S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Neque verò huic sententiæ vllo pacto id repugnat, quod idem Doctor sanctus 1. 2. q. 89. art. 6. censet, nempe, cùm primum quis venit ad vsum rationis, teneri se in Deum conuertere: nam primum, quod sibi menti occurrit est de se ipso deliberare. Quare si se in debitum finem ordinauerit, gratiam remissionis originalis consequetur. Ex quibus verbis quispiam colligere posset S. Thomam sensisse id posse sine supernaturali lumine fidei accidere, quod falsissimum est, nam ipse 1. 2. q. 111. art. 6. expresè tenet, neminem posse facere quod in se est sine auxilio speciali. † Quare vbi primum quis conatum naturalem apponit, Deus supernè illi affulget, & opitulatur.

Semper fuit ad salutem necessaria fides Mediatoris saltem implicita.

† *Vide Medinam 1. 2. q. 109. a. 11. quæstiunc. 3. Vtrum hoc tempore requiratur fides explicita?*

Sed tamen dubium hinc emergit, vtrum supra ilam implicitam fidem quæ in lege naturæ sufficiebat, necessaria sit etiam nunc temporis ad salutem, quæ sit per gratiam, fides explicita Christi, atque adeò baptismi. Et ratio ambigendi est, quòd si illa est necessaria, apparet continuo subsequi, vt nemo sine eiusmodi fidei explicatione in gratia possit esse cum Deo. Cuius contrarium videntur argumenta proposita conuincere. Respondetur nihilominus prima conclusione, quam D. Thomas ibidem 2. 2. q. 2. constituit. Vbi distinguens inter tempus præcedens Christi aduentum & subsequens ait, quod quamuis in lege naturæ & Mosaica satis fuisset fides implicita Christi, licet in Mosaica erat quodammodo explicatior, tamen nunc, tempore gratiæ reuelatæ tam maiores, inquit, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi, præcipuè quantum ad ea quæ in Ecclesia communiter solennizantur, & publicè proponuntur, vt sunt articuli Trinitatis & incarnationis. Neque verò conclusio hæc sub his saltem verbis, quòd nunc temporis necessaria sit ad salutem in vniuerso orbe fides explicita Christi, ex illis est veritatibus, quæ opus habent sanctorum testimonijs suffulciri. Imò est ipsissima fidei nostræ confessio, cuius contraria negatio, aut dubitatio hæresis esset manifesta. Dixerim sub his terminis, fides explicita, nam quid teneantur rustici explicitè credere, puta an articulos omnes & præcepta, &c. id disputare permittitur. Probatur conclusio ratione planissima. Professio Euãgelica idem est prorsus, quod confiteri fidem Christi explicitam: hoc enim docet præcipitque Euangelium. Cum ergo, vt art. 1. probabamus, mortalium vniuersitas teneatur credere Christo, eiusque Euangelio, consequens est, vt teneantur habere fidem explicitã eademque sit ad salutem necessaria. Christus id ipsum nos edocet dicens Mar. vlt. Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Quid ergo omnis creatura credere debet? Certè Euangelium ipsum, quòd Christus prædicari iussit. Quid autem est credere Euangelio Christi, nisi fidem explicitam habere de Christo? Quam qui non habuerit, condemnabitur. Est ergo iam nunc fides explicita tum necessaria ad salutem, tum subinde in præcepto. Deinde baptismus, vt art. 1. demonstrauimus, est tum necessarius ad salutem, tum etiam in præcepto vniuersum orbem obligante; iuxta illud sæpissimè resumptum Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. baptismus autem est professio Euangelicæ legis, hoc est fidei, explicitæ Christi: quare simul componuntur, Qui crediderit, &

Sententia S. Thomæ eff.

Probatur primò.

Secundò.

baptizatus fuerit: ergo eodem modo est necessaria fides Christi explicita. Tertiò, idem discrimen patefacit nobis Apostolus ad Galat. tertio, vbi ait: Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio Iesu Christi daretur credentibus. Et continuo subiecit ad nostrum propositum. Prius autem quàm veniret fides (nempe Euangelica) sub lege custodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat: ergo sicut antea sufficiebat ad salutem velata fides; ita & nunc requiritur reuelata. Audi Augustinum, libro 19. contra Faustum capitulo 14. Antiqui enim, inquit, iusti sacramentis suis intelligebant venturam prænunciari reuelationem fidei: ex qua, licet adhuc cooperta, & abscondita etiam ipsi viuebant. Et in calce capituli, Nunc autem reuelata est fides, in quam inclusus erat populus quamdiu sub lege custodiebatur. Hæc ille: Ad quid autem reuelata? Nisi vt hoc sæculo sic explicita perinde obliget, atque antiquitus illa abscondita.

Tertiò.

Idem ostenditur ex Augustino.

At profectò dignior est conclusio, quàm vt sanctorum testimonijs indigeat, loquatur nobis Athanasius in fidei Symbolo. Quicunque vult saluus esse, ante omnia, inquit, opus est, vt teneat catholicam fidem. Quid est, quicunque? Reuera quicunque post promulgatum Euangelium in toto orbe fuerit, est futurusque sit. Fides autem catholica, inquit, hæc est, vt vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in vnitate veneremur. Et percensitis diuinitatis articulis, subdit. Sed necessarium est etiam ad æternam salutem, vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Ac demum subiunctis articulis humanitatis concludit. Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. In summa propterea lex Euangelica dicitur lex gratiæ reuelatæ, quia obligat habere fidem Christi explicitam. Vnde in concilio Tridentino sessione 4. decreto 1. decernitur, quod sine fide nostra catholica impossibile est placere Deo, & vocat fidem catholicam, quæ explicatur in Symbolis tam Apostolorum, quàm Athanasij, & Nicæni.

Ex Symbolo Athanasij.

Ex hac autem conclusione exurgit vis argumenti proximè facti, quod nemo sine huiusmodi fide iam nunc vlla orbis plaga saluari possit. Statuitur autem nihilominus secunda conclusio. Quamuis præceptum fidei explicitæ absolutè obliget vniuersum mundum nihilominus possunt multi ignorantia inuincibili ab eadem obligatione excusari. Sunt n. multi, qui de fide nihil audierunt: & tamen sine prædicante (vt ait Paul.) nemo credere potest. Conclusio est. S. Thom. 2. 2. q. 10. art. vbi distinguit de infidelitate, quòd alia sit purè negatiua, qualis est in illis, qui nihil de fide audierunt: alia verò contraria fidei vtpotè illorum, qui fidei promulgationem audientes, illam vel repellunt, vel contemnunt. Et subdit hanc posteriorem esse peccatum speciale, priorem verò minimè. Quare illi, inquit, negatiuè ignorantes condemnabuntur quidem propter alia peccata, quæ contra ius naturæ committunt, non autem propter peccatum infidelitatis.

Nihilominus ob huius fidei explicitæ obligatione inuincibilis ignorantia excusat.

Contra hoc autem posterius membrum arguitur. Si illi ius naturæ seruassent, Deus illis propriè succurrisset, vt eos speciali auxilio ad se conuerteret: ergo non sunt excusabiles, atque adeo singulari infidelitatis peccato tenentur. Posset cuipiam in superficie rem consideranti, argumentum, apparere contrarium sententiæ S. Tho. distinctio tamen illud facilè diluit. Cognitio enim fidei saltem implicita, primum necessaria est necessitate finis, vt vnusquisque conuertatur in Deum. Ac deinde est in præcepto: sicuti de baptismo in superiori ar. definitum est. Atqui quatenus est in præcepto excusatur homo ab eius culpa per ignorantiam inuincibilem. Et hoc est, quod ait S. Tho. illos infideles non condemnari ob singulare peccatum infidelitatis, sed popter alia contra ius naturæ. Quod est dicere. Si aliquis, verbi gratia, illorum in decem peccatis existit contra ius naturæ, non ob id contrahit vndecimum, quod non habet supernaturalem fidem. Si autem eiusmodi fides consideretur, vt necessaria necessitate finis, vtpotè quod sine illa nemo exire potest ab alijs peccatis; hac ratione non possunt illi excusare se apud Deum dicentes quod caruerunt lumine fidei, sine quo non poterant pœnitentiam agere. Respondebit n. Deus per ipsum non stetisse, sed per illos, quibus si ius naturæ seruassent, manum porrexisset adiutricem.

Soluitur obiectio.

Fides implicita necessaria est necessitate medij & præcepti.

Ex hac secunda conclusione subsequitur tertia.

Quod

Digitized by Google

Quod si eiusmodi homines, qui sunt per meram negationem infideles, eo modo quo ante Christi aduentum erat necessarium conuerterentur: scilicet per specialem Dei opem, iuxta verbum Christi: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum, tunc illa conuersio placeret Deo, reciperetque eos in gratiam suam. Hoc manifestè ex dictis subsequitur: nam si non ad aliud tenentur, iam faciunt quod debent, atque adeò eodem momento sunt in gratia, iuxta verbum Ezechielis † supra citatum. Conclusio est etiam D. Tho. 2. 2. q. 10. citata, ar. 3. ad 3. & 3. p. q. vt videbimus, 79. ar. 4. ad 2. argumentum. Et vtrobique id probat per historiam Cornelij, Act. 11. qui antequam fidem explicitam à Petro docererur, placuit suis eleemosynis Deo. Idem contigit Eunucho antequàm erudiretur à Philippo, atque alijs, quos supra ex Actis Apostolorum retulimus: qui per fidem implicitam in gratiam diuinam recepti sunt. Quare conclusio non est pecularis S. Thom. verùm omnium vniuersalis. Ad hoc enim propositum eod. c. 10. ait Petrus. In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam acceptus est illi.

Ioan. 6.

† Impietas simply, &c. cap. 33.

Hinc autem emergit ambiguitas, quod conclusiones istæ prima & tertia videntur secum inuicem manifestè pugnare. Si enim fides explicita est hoc tempore ad salutem necessaria; vt prima asserit conclusio, videtur inde consequi, quod sine illa nemo possit in gratia Dei constitui, quod affirmat tertia.

Quo sensu dicatur fidem Mediatoris explicitam esse hodie ad salutem necessariam.

Hanc ergo quæ apparet discordiam sunt qui tali distinctione componant. Aiunt enim salutis nomen bifariam capi posse. Vno scilicet modo pro illa vita æterna, quæ erit in cælo, de qua sola, (vt rentur) loquitur Christus, Ioan. 3 Nisi quis renatus fuerit ex a- & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et Apost. Act. 4. Non est datum aliud nomen hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Alio modo accipitur pro salute, quæ in hoc sæculo fit per gratiam. Aiunt ergo tertiam conclusionem, loqui de hac secunda salute, vtpote quam ignorans inuincibiliter Euangelium per fidem implicitam adipisci valet. Prima verò conclusio loquitur de illa salute supracælesti; quare pro constantissimo habent, neminem postquam sufficienter fuit Euangelium promulgatum potiri posse fœlicitate æterna, quæ est in cælo sine explicita cognitione fidei.

Quod si in contrarium arguas. Si quis in gratia per fidem implicitam existens de hac luce demigraret, obtineret gloriam, ad quam per gratiam erat acceptus, & tamen sine fide explicita; ergo illa non est ad vitam æternam necessaria. Negant casum esse possibilem. Non, inquam, admittunt posse ilium hominem mori antequam fiat illi expressior fidei reuelatio. Deus enim, inquiunt, qui facienti quod in se est nunquam in ijs deficit, quæ ad salutem sunt necessaria, explicatiorem ei fidem reuelabit, aut interius, aut per hominem, aut per Angelum: sicuti Paulum misit ad Ananiam, à quo erudiretur: & Angelum ad Cornelium, vt accerseret Petrum: atque alium qui Philippum raperet ad instruendum Eunuchum.

Reprobatur quorund. explicatio.

Hanc autem theologiam, vt exilitatem ingenij mei ingenuè fatear, persuadere mihi nunquam potui. Imò, vt bona venia eorum loquar, qui me docere possunt arbitror, & absque vllo fundamento, & contra quàm rei veritas habet, inuentam.

Primò.

Arguitur ergo contra. Primùm enim illa salutis distinctio, quòd alia fit hic per gratiam, & alia in cælo per gloriam, nusquam apud antiquos doctores tamquam ad hoc propositum necessaria reperitur. Imò verò vna est eademque salus diuersos habens status. Salus enim hic incipit per fidem & gratiam, iuxta illud Psalmi: Psal. 40. Sana animam meam, quia peccaui tibi: & in patria consummatur per visionem. Quare ipsa eadem salus est, tàm hic quàm in patria per se vita æterna: vtpotè quæ per corporis mortem non interciditur, sed continuatur in patria. Differentia tamen est quòd hic habet statum mutabilem per nostrum liberum arbitrium; in patria verò habet esse fixum & immobile. Atque hic est sensus illius Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Scilicet, vt cognoscant te hic per fidem, per quam vita æterna inchoatur, & in patria per visum in quo consummatur. Vnde fit, vt quicquid affirmetur ad salutem necessarium, siue fides, siue baptismus, intelligatur ad inchoandam salutem per gratiam. Nam præcepta non dantur de fine, qualis est gloria, sed de medijs ad obtinendam conseruandamque gratiam. Quapropter quando Christus dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, profecto similiter diximet, non potest in meam conciliari gratiam. Nam vt Aug. supra citatus contra Pelagianos inquit, Propterea sine baptismo non patet introitus ad regnum cælorum, quòd sine illo non potest fieri remissio peccatorum, quæ fit per gratiam. Igitur cum gratia sit acceptatio ad gloriam, gratis dictum est, quod aliquid requiratur ad obtinendam gloriam, quod non erat requisitum ad obtinendam gratiam, atque adeò quòd fides implicita sufficiat ad gratiam, & nihilominus explicita requiratur ad gloriam. Quòd si non requiritur, non est cur negetur posse quempiam cum fide implicita sine alia reuelatione mori.

Secundò.

Quo autem res perspicacior fiat, arguitur secundò. Ad obtinendam vitam æternam, quæ est in patria, nihil aliud requiritur, quam seruare mandata, iuxta illud Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: ille autem, qui est in gratia per fidem implicitam seruat mandata, alias non esset Deo gratus: ergo totum habet quod requiritur, vt obtineat gloriam. Quare nil opus ei nouam reuelationem expectare antequam de hac vita commigret.

Tertiò.

Tertiò ad maiorem etiamnum explanationem arguitur. Præcipuum illius opinionis fundamentum est illud Actuum 4. Non est aliud nomen datum sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: illud autem nullatenus conuincit, vt postquam homo sit in gratia, requiratur alia expressior eiusdem nominis cognitio ad gloriam. Primùm, quia salus illic non accipitur tantùm pro gloria, sed pro salute quæ fit per gratiam. Nam dicit præceptum (quòd non datur de gloria, sed de medijs ad gratiam) & necessitatem finis, vt quis obtineat remissionem peccati originalis. Cùm ergo ille, de quo loquimur, obtinuerit gratiam, fit vt habeat eiusdem nominis fidem, quæ illi sufficit. Deinde arguitur. Cognitio illa nominis Christi, quæ hoc loco designatur, non solùm nobis, verùm & cunctis mortalibus post præuaricationem Adæ fuit ad salutem necessaria, vt D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. docet: quæritur ergo, vtrùm hoc sæculo aliam nouam obligationem explicitæ fidei adhibeat super illam, quam ante aduentum Christi adferebat, vel nullam. Si aliquam: ergo ignoranti inuincibiliter non sufficit fides implicita, vt sit in gratia. Si nullã: ergo eadem fides implicita ei sufficit ad gloriam, sicut sub lege naturæ. Item sicut dixit Petrus: Non est datum aliud nomen sub cælo, &c. ita dixit Paulus: Sine fide impossibile est placere Deo: ergo solum exigitur ad obtinendam vitam æternam illa fides, per quam homo placeat Deo: sed per fidem implicitam homo Deo complacet, vt manifestè constat postquam est in gratia: ergo nulla prærerea fides expectanda est ad obtinendam gloriam. Eodem modo respondetur, si illud objcias, 1. Corint. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: illud enim pariter de omni sæculo intelligitur post Adæ culpam, attamen qui per fidem implicitam conuertitur, fundamentum habet in Christo Iesu.

Hebr. 11.

Quartò.

Quartò demum, vt rem concludamus, arguitur. Quidpiam sine necessitate ad obtinendum gloriam exigere, temerarium est: dicere autem quòd post fidem implicitam, quæ ad gratiam sufficit, exigitur explicita ad gloriam; est rem sine necessitate excogitare: nam postquam nulla illi fideli pro tunc restat præcepti obligatio, neque verò necessitas finis, quandoquidem iam ille est in gratia, atque adeò absolutè secundum illum statum acceptus ad gloriam, gratis excogitatur aliud quicquã exigi: quãdoquidem cuicunq; existenti in gratia aperta est cæli ianua: nisi aliquæ peccatorum reliquiæ eum in purgatorio remorentur.

Quintò.

Ad hæc quinto. Fides explicita, quam prima conclusio asserit necessariam, certè non aliter est necessaria, quàm sicut baptismus, necessitate præcepti & finis ad obtinendum indulgentiæ gratiam. Quare qui per ignorantiam ab illo præcepto excusatur, nullam habet eiusdem fidei necessitatem. Vnde qui dicunt esse necessariam ad gloriam, & non ad gratiam, affirmant non esse necessariam necessitate præcepti, quod est falsum.

Digitized by Google

Sextò.

Adde sextò, quòd cum illa reuelatio, quam sæpissimè apud remotissimas gentes sine miraculo fieri non possit, deberent frequentia miracula sine necessitate admitti. imò & consequens fieret Deum non satis prouidè saluti humanæ per ordinaria media prospexisse: siquidem absque miraculis illi non consuluerit.

Igitur mallem profectò nullam ignorantiam fidei explicitæ inuincibilem inculpabilemque admittere in toto orbe, quàm concedere quod existenti in gratia aliud sit necessarium medium ad obtinendam gloriam, atque adeo quod sine noua reuelatione mori ille non posset. At quoniam eiusmodi ignorantiam negare, esset præter omnium opinionem, concludimus, salua censura doctiùs iudicantium, quod qui ignorantia inuincibili euangelij laborant sine fide explicita, per solam implicitam quemadmodum gratiam, ita & gloriam obtinere possunt.

Authoris explicatio. Nimirum fidem explicitam Mediatoris hodie deo necessariam ijs omnibus quos ignorantia inuincibilis non excusat.

Quapropter vt argumenta, quæ contraria videntur, dissoluamus, ad illam conclusionum apparentem repugnantiam respondetur concedendo, fidem explicitam post passionem & resurrectionem Christi, vt ait prima conclusio, esse simpliciter ad salutem necessariam: non modo ad introitum regni cælestis, vt ait impugnata opinio; imo & ad obtinendam gratiam remissionis peccatorum. Cùm autem infertur: ergo sine illa nemò potest gloriam aut gratiam consequi, distinguitur consequens. Si n. sermo de illis fiat, qui ignorantia inuincibili non excusantur, conceditur consequentia. Si verò de illis qui in illa cæcutiunt, negatur. Exemplum extat apud S. Tho. nam quamuis hic simpliciter dixerit, sine baptismo in re vel in voto nemini posse obuenire salutem, nihilominus infrà quæst. 69. articu. 4. dicit, quod sufficit votum implicitum ad remissionem peccatorum, & idem profectò diceret ad gloriam, quia nullibi insinuauit aliud quidpiam ad illam obtinendam requiri, quàm remissionem peccatorum. Vis autem euangelicæ legis ea est, vt postquam ille, qui per fidem implicitam gratiam obtinuit, promulgationem euangelij audierit, tenetur illam explicitè credere, baptismumque subinde suscipere. Alias gratiam Dei perdet, quam susceperat. Dictum n. est iam supra baptismum necessarium esse etiam illis qui sunt in gratia, atque adeo explicitam fidem. Ob idque qui eam legem audientes non susceperint peribunt. Atque hic est sensus Aug. in lib. de prædestinatione sanctorum, cap. 7. vnde contraria opinio ineluctabile argumentum sibi videtur assumere. Vbi ait: Non sine fide Cornelius orabat, &c. sed fi posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus, qui illi diceret quæ oporteret audire. Non enim cogitauit Augustinus Cornelium, aut non potuisse mori sine fide explicita: aut quòd vita defunctus non reciperetur in gloriam, sed solum voluit docere, quod baptismus est simpliciter necessarius, & in præcepto etiam illi qui est in gratia. Et propterea missus est ad eum Petrus, qui eam legem cum doceret, quæ simpliciter erat necessaria. Et in hoc sensu dixit, quòd sine illa explicita fide Cornelius non poterat esse saluus: scilicet, quantum est de se, nisi esset ignorantia excusatus: fuit autem dignus pro suis meritis, vt in illa ignorantia non moreretur. Hoc siquidem ex Euangelio colligitur: Docete omnes gentes, quasi dicat, antè quàm doceatis, nemo est in culpa, quamuis explicitè non crediderit, atque adeò sine tali fide iam illi apertæ sunt cælicæ valuæ.

Matth. 28.

Eodem modo soluitur illud Ioan. 8. Si non crediderit is, quia ego sum, in peccato vestro moriemini. Intelligitur enim facta promulgatione, quàm ipse tunc Christus faciebat. Et vt summatim omnia comprehendamus, quicunque locus in scriptura de necessitate fidei explicitæ Christi loquitur, intelligendus est secluſa ignorantia inuincibili. Vnde sapienter in concilio Tridentino sessio. 6. cap. 4. hoc modo decretum est. Translatio à statu à quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest. Non ait ad statum tantummodò gloriæ, sed ad statum gratiæ. Quare necesse est id glossari secluſa inuincibili ignorantia. Et ideo ait, post promulgatum Euangelium: id est, illo loco & gente vbi fuerit promulgatum. Et eodem modo illud est glossandum extra. de summa Trin. & fide Cath. vbi habetur, quòd extra vnam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam nec salus est, nec remissio peccatorum. Sermo namque illic manifestè de illis fit, quos ignorantia inuincibilis non excusat: videlicet de paganis, qui fidem nostram, quam suscipere potuerunt, neglectui habent. Et de hæreticis, schismaticis, & apostatis, qui ab Ecclesia defecerunt.

Conc. Tridentinum.

Secundum autem argum. illius opinionis est, quod quempiam fallere poteit. Discrimen est quantum ad legem Euangelicam inter tempus quo nondum erat sufficienter promulgata, atque aliud post sufficientem promulgationem. In priori autem poterant homines saluari, veluti tempore legis naturæ per fidem implicitam, imò & Iudæi per suam circuncisionem, & pueri viuentium in lege naturæ per applicationem paternæ fidei; sed illa sacramenta omnia cessarunt: ergo iam nunc temporis requiritur fides explicita. At profectò si argumentum hoc eos neruos haberet, quos ipsi putant, non modò concluderet necessariam esse illam fidem explicitam ad obtinendam gloriam, imò & ad recipiendam gratiam, vt nulla admitteretur ignorantia inuincibilis: nam discrimen illud quoad remissionem peccatorum intelligitur. Respondetur ergo primum obligationem legis Euangelicæ quoad fidem explicitam non incœpisse post sufficientem promulgationem, imò statim post Christi resurrectionem, vt dist. 3. articul. secundo ostendebamus. Sed quibus non erat lex promulgata, excusabantur ignorantia inuincibili. Quapropter quatenus res ad adultorum conuersionem attinet, nulla est prorsus differentia inter illos quibus tunc nondum erat Euangelium promulgatum, & eos qui modò ignorantia eius inuincibili laborant. Et idem, credo, diceret Scotus: nam solo nomine à nobis differt. Ait quippe, illos quibus non est facta promulgatio non teneri lege; nos autem dicimus, teneri quidem, sed tamen per ignorantiam excusari à culpa, quod sanè in re idem est. Igitur sicuti paulò post tempus Pentecostes illi, qui de Euangelio audierant, per fidem implicitam salui fiebant quoad gratiam & gloriam: ita & illi, qui modo ignorantia inuincibili offunduntur. Quare nulla maior vrget necessitas postquam sunt in gratia, vt mori non possint sine explicita fide.

Ad 2. argc

Differenter applicabatur fides paruulis per circuncisionem ante & post Christi passionem.

Discrimen autem est latissimum quantum ad sacramenta, videlicet, quod tunc ante sufficientem promulgationem durabat illa applicatio fidei instar sacramenti, quæ admouebatur paruulis in lege naturæ: atque adeo in lege Mosaica circuncisio, non quidem tanquam vim habens sacramenti (illam siquidem in morte Christi perdidit) sed tanquam illa applicatio quæ fiebat in lege naturæ, vt dist. 1. quæstio. 2. explicatum est. Post sufficientem verò promulgationem illa omnia abolita sunt, nullumque adeò sacramentum contra originis labem, neque applicatio fidei præter vnicum baptismum extat. Ex quo sequitur in vniuerso orbe præter Christianorum angulum nullum prorsus paruulis remedium existere: sed omnes propter originale damnantur. Neque culpa in Deum reijcienda est, sed in eorum parentes, qui ius naturæ non seruant, vt diuinitus illustrentur. Imò quamuis illi, de quibus hactenus locuti sumus, qui per fidem implicitam propter ignorantiam inuincibilem sunt in gratia, fidem suam per aliquod sacrificium applicarent natis suis, nihil illis prodesset quousque notitiam haberent baptismi.

Soluitur obiecto petita ex S. Thoma.

Cæterum postquam diximus neminem antiquorum doctorum illam opinionem sustinuisse, id exploremus. Arguitur ergo contra nos. D. Tho. in 3. d. 25. q. 2. art. 1. disputans vtrum fides explicita sit necessaria ad salutem: Respondet affirmatiuè. Et obijciens contra de puero qui nutriretur in nemore: Respondet, quod cùm veniret ad annos discretionis, Deus illi fidem reuelaret, aut per hominem, aut per angelum. Idemque ait Durand. ead. dist. q. 1. & vtroque antiquior Alex. Alensis 2. par. quæst. 119. memb. 1. Respondetur autem nunquam prædictos autores, aliosue eiusdem ætatis docuisse, vt postquam homo sit in gratia per implicitam fidem, alia exigatur explicatior ad consequendam gloriam: neque illam distinctionem vnquam excogitarunt, sed loquuntur de reuelatione illius fidei, quæ est necessaria ad remissionem originalis, quæ fit per gratiam. Nisi quod D. Tho. in sententijs, vbi cum reliquo vulgo crebro loquebatur, & Durand. & alij vocant explicitam fidem, hoc est, supernaturalem, credere, vt ait Paul. quod Deus sit, & remunerator sit, quam nos tamen vocamus implicitam, respectu illius, quæ audientibus Euangelium est necessaria,

Digitized by Google

saria, qui scilicet credere tenentur Trinitatem explicitè, & incarnationis mysteria. Vnde D. Thom. illam priorem fidem loco iam citato in 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. argumentum, vbi consultiùs loquitur, non vocat explicitam, sed sub alijs verbis expressit: scilicet, quod haberent fidem de diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos. Quam quidem reuelationem Durand. in 4. dist. 4. q. 7. dicit non esse necessariam, illico postquam homo venit ad vsum rationis illi fieri. Sed tamen D. Tho. loco citato 1. 2. q. 89. art. 6. insinuat quod cum primum de se homo rectè deliberat, recipit diuinam opem, sine qua non potest facere quod in se est. Qua quidem ope & eius intellectus illuminatur, & eius affectus eleuatur in Deum. Quæ quidem fides, vbi ius naturæ ritè & rectè coleretur, profectò sine alio miraculo vel per internam inspirationem, vel per maiorum doctrinam, quibus reuelationes elucebant, poterat minoribus affulgere.

Nota. Sed tamen crediderim nullibi iam gentium vllum per solam fidem implicitam in Deum conuerti: quoniam adeo lumen naturæ inter paganos obtenebratum vbique est, vt nisi Euangelica tuba illis prius intonuerit, nemo vnum Deum, vt hominum liberatorem & reconciliatorem agnoscat & suscipiat. Vereor ne iusto prolixius rem hanc amplificauerim, sed nescio paucioribus in re scitu necessaria mentem aperire meam.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit baptismus differendus.

QVONIAM, vt supra visum est, quædam erant antiquitus tempora celebrando baptismo destinata, & præterea nonnulli viri illustres vsque ad postremam ætatem baptizari distulerunt, quæritur vtrùm id fuerit legitimè factum. Respondet D. Tho. quinque conclusionibus. Aut enim de pueris quæstio mouetur, aut de adultis.

1. Concl. Prima ergo conclusio est. Pueris non est differendum baptisma. Primùm, quia cùm non sint institutionis capaces, vt feruentius conuertantur, vana esset illa dilatio. Deinde quòd cùm nullo alio remedio valeant obtinere salutem, periculum esset ne mors eos absque baptismate eriperet.

2. Concl. Secunda conclusio. Adultis non statim vt conuertuntur est sacramentum baptismi conferendum, sed differre eum oportet vsque ad certum tempus. Nam primùm cùm per affectum baptismi possint in Dei gratiam admitti, non eis periculum impendet sicuti paruulis. Præterea dilatio illa ad tria conferens est. Primùm ad Ecclesiæ cautelam: nam cùm vt 1. Ioann. 4. legitur, non sit omni spiritui credendum, sed probandi sint spiritus an ex Deo sint, non de prima facie sunt iudicandi qui baptismum petunt, sed examinandi ne fictè accedant. Secundò & eisdem ipsis conducit: nempe, vt de fide quam professuri sunt, instruantur, & Christianis imbuantur moribus. Tertiò & id ad reuerentiam sacramenti pertinet, vt statis temporibus, nempe, Paschatis, & Pentecostes, deuotiùs ac reuerentiùs sacramentum suscipiant.

3. Concl. Tertia conclusio. Eiusmodi autem dilatio triplici ex causa est prætermittenda. Primum, quando qui baptismum petunt satis iam tunc sunt instructi, vt Eunuchus & Cornelius, quos idcirco (vt legitur Actuum 8. & 10. Philippus & Petrus illico baptizarunt. Secundò propter infirmitatis præsentaneum periculum. Vnde Leo Papa: Hi, inquit, qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, & naufragij vrgentur, omni tempore debent baptizari. de consecrat. dist. 4. can. Hi qui.

4. Concl. Quarta conclusio. Si qui tempus ab Ecclesia destinatum expectant, repentina morte præoccupantur, antequam eis baptismus possit administrari, suo desiderio saluantur: licèt per ignem, vt præcedenti art. dictum est. Nam cùm absque sacramento in re non fiat peccatorum remissio quoad culpam & pœnam, poterit remanere aliquid purgatorio igne perpurgandum.

5. Concl. Quinta conclusio. Qui vltrà tempus ab Ecclesia institutum baptizari differt, peccat quidem, nisi necessaria causa prælatique licentia interueniat. Sed tamen & illud peccatum cum alijs delere potest vel contritio, quæ supplet vicem baptismi, vel ipsum superueniens sacramentum.

Expositio articuli. Articulus præsens superiorum est expositor, & ideo supponenda est conclusio. 1. art. nempe vniuersos mortales baptismi præcepto teneri tanquam rei ad salutem necessariæ. Sed quia præcepta affirmatiua, licèt semper obligent, non tamen ad semper, explorandum supereſt vtrum aliquod sit præfixum tempus aut diuino iure aut pontificio, quod sine baptismo præterire peccatum sit, vt ait quinta concl. Et primò de iure diuino præciso nullum in pagina noui testamenti extat. Quare secluso iure Ecclesiastico per solum prudentium arbitrium constituendum est tempus: videlicet, vt cùm quis fuerit in mora, tunc delictum illi sit aut se aut puerum suum baptizare. Et hoc comprobat locus ille Ecclesiastici 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Perfecta namque conuersio in Deum, est regeneratio in Christum per baptismum. Ille autem dicitur esse in mora, qui opportunitatem prætermittit. Opportunitas verò est, cum quis iam est satis instructus, & temporis decentia adest, neque legitimum aliquod obstaculum baptismum prohiber.

An iure diuino determinatum sit aliquod baptismi tempus.

Pueri, statim, id est, quando commode fieri potest, baptizari debent. Vnde vt à prima conclusione de pueris exordiamur. Cùm puer statim baptizari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis die, aut tertia, aut quarta, sed quando commodè potest in Ecclesiam asportari & mergi, quod est octauo, vt moris est, aut decimo, aut duodecimo die. Trium namque quatuorve dierum dilatio delictum non affert. Veruntamen diutius id procrastinando, peccatum committerent, idemque mortale. Nam esset sine causa diutiùs obligationem rei sacræ prolatare. Quòd si quis interrogare pergat, vbinam extat præceptum parentes obligans suas baptizare proles. Respondetur, quod mandatum ipsum baptismi adiuncto iure naturæ, quo vnusquisque suos liberos & eos quos sub cura sua alit, educare, instituereque tenetur, & in viam salutis dirigere, vniuersos mortales constringit, vt eosdem, qui sub sua tutela degunt, illo sacramento intingant, sine quo salus esse non potest.

Adultis similiter pro opportunitate ad baptismum tenentur. De adultis autem statuitur secunda concl. Vbi quis primum vsum attingit rationis, sicut tenetur de se bene deliberare, ita & baptismi lege deuincitur. Probatur per ea quæ suprà dicta sunt. Quia cùm sit ad salutem necessarius, fit vt vbi primum quis tenetur suam instituere vitã, obligetur illum suscipere. Nisi quòd, vt nuper dicebamus, poterit quis inter infideles per ignorantiam inuincibilem à culpa eximi, perque fidem implicitam saluari. At quando prædicatio Euangelica ad ipsum peruenerit, tenetur postquam nactus fuerit opportunitatem sacramentum suscipere. Quòd si absque vlla prorsus causa diutius distulerit, peccatum erit contra ius diuinum mortale. Nam præceptum ipsum de se obligat sub reatu mortali.

Soluuntur duæ obiectiones. In contrarium autem videntur se duo offerre argumenta. Primum est, Præceptum diuinum baptismi eodem pacto obligare videtur, quo præceptum confessionis, & præceptum sumptionis Eucharistiæ: hæc autem, secluſa temporis constitutione, quam fecit Ecclesia, non obligant nisi semel in vita, quandocunque id fuerit, etiam in supremo mortis articulo: ergo neque lex baptismi obligat statim in ætatis exordio. Secundò id sanctorum historijs confirmatur. Nam D. Martinus, vt hic Caiet. refert octo annos catechumenus fuit, & pariter Ambros. & August. longo tempore, vt eorum historiæ referunt. Et Constantinus magnus, vt ipse Ambrosius in oratione de obitu Theodosij commemorat. in postremo vitæ tempore baptizatus fuit.

Prima. Ad primum respondetur, longè interesse inter baptismum, & confessionem & Eucharistiam: nam baptismus est necessarius ad inchoandam spiritualem vitam, siquidem est regeneratio, per quam efficimur membra Christi, & per quam in militiam Christianam conscribimur. Et cùm tota vita, vt ait Iob, militia sit super terram, ineunte ætate suscipiendum est militiæ sacramentum. Vnde Chrysost. Homilia 1. super Acta Apostolorum, eos acriter inculpat, qui baptizari vsque ad finem vitæ differebant: quasi tunc se militiæ adscribentes, quando de bello recedendum est. Adde quòd sine baptismo reliqua suscipere sacramenta non possumus, quibus Christiana religio colitur: & ideò ne aliorum beneficio sacramentorum frustremur,

in primæua ætate charactere Christiano insigniri debemus. Præceptum autem merè diuinum confessionis satis impleretur, quando verisimiliter possent omnia peccata præterita in memoriam reuocari, quod tempus Ecclesia præfixit esse annum. † Sed de hoc, & præcepto Eucharistiæ, suo loco dicemus.

† De præcepto sumendæ Eucharistiæ dist. 12. q. 1. c. 11. §. Prouisus autē. De præcepto confessionis, dist. 18. q. 1. c. 4. §. Agendum.

Ad aliud respondetur, in primitiua Ecclesia baptismum apud illos sanctos in tanta fuisse habitum veneratione, vt pro singulari humilitate & reuerentia ducerent tanto sacramento non antea initiari, quàm omni virtutum genere essent prouecti. Constantinus autem non id consultò distulit vsque ad mortem, sed mors præter metum illi accidit, & ideò tunc baptizatus est. Iam verò nūc temporis, tanta temporis dilatio non est consilium, sed satis est expectare donec catechumeni ad iustum sint catechismis eruditi.

Quid de iure Ecclesiastico.

Hactenus de iure diuino. Subsequitur ergo inquirere, vtrùm de iure Ecclesiastico aliqua sint nunc tempora, vltra quæ baptismum differre peccatum sit. Arguit D. Tho primo loco sic. Leo Papa vniuersis Episcopis per Siciliam cōstitutis, vt de cons. d. 4. can. Duo tēpora. refertur. Duo, inquit, tempora, s. Pascha & Pentecoste à Rom. pontifice legitimè sunt præfixa. Cuius rationem in cano. Proprie. qui proximè sequitur, explicat: videlicet, quòd cùm baptismus à passione & Spiritu sancto virtutem sortiatur, in tempore, quò celebrata fuit passio, & in alio, quo Spiritus sanctus descendit, & præceptum baptismi promulgatum est, debet solennis celebrari baptismus, & non sub festum Epiphaniæ, vt in can. Si quis. idem Leo docet, quamuis illic fuerit Christus baptizatus: nam illud baptisma non erat suum: ergo nō statim etiam audito baptismi præconio sunt homines baptizandi, sed illa sunt expectanda tempora. Respondet D. Tho. argumentum concludere, non de pueris, qui instrui non egent, sed de adultis, qui illa tempora præstolari deberent, nisi periculum mortis instaret, vt can. citato. Hi qui. Et can. Baptizandi. idem ait Papa.

Expenditur 1. Arg. S. Tho.

De huiusmodi verò temporibus dist. 3. arti. 10. fusiùs locuti sumus. Et can. Ante viginti. & can. Non liceat. de consec. d. 4. decernitur, quod baptizandi ante viginti dies vel tres septimanas, postquam nomina sua dederint, non baptizentur, sed symbolum discant. De qua re Aug. lib. de fide & operibus copiosè disserit. Quod si sententiam Chrysostomi obiecerīs, qui hom. 1. citata super Acta Apostolorum, contendit ad baptismum properè festinandum esse. Respondetur id intelligi, vt hic ait D. Tho. quando catechumeni satis sunt instructi, tunc enim neque in primitiua Ecclesia expectabantur illa duo tempora, vt patet de Cornelio, & Eunucho, & de illis tribus millibus qui Actuum 2. vna die baptizati leguntur, atque de alijs quamplurimis. Quare illa tempora non sic instituebantur, vt alijs anni temporibus omnino esset à baptismo supersedendum, sed solum erant instituta pro solenni celebratione baptismi quæ fiebat cum litanijs, & alijs solennibus cæremonijs. Vnde quod illic reprehenditur, ne alijs temporibus fiat baptisma, solum in illos dirigitur, qui contendebant, in festo Natiuitatis & Epiphaniæ eandem baptismi celebritatem faciendam, quæ in Paschate fiebat, & in Pentecoste.

Etiam olim extra tempora Paschæ & Pentecostes ministrabatur baptismus adultis, sed non cum eadem solennitate.

Dubium autem hinc emergit circa quintam conclusionem, qua ait D. Tho. illa tempora præterire peccatum esse. Arguitur enim sic primo. Ecclesia præter ius diuinum non potuit præcepto cogere infideles non baptizatos, vt tali tempore baptizarentur, nisi eos tantum, qui parentibus Christianis essent progeniti. Nam, vt 1. Corint. 5. autor est Apostolus, de his qui foris sunt nihil ad nos: ergo licet catechumeni illis tunc temporibus baptizari renuerent, non peccarent.

Soluuntur 2 argumenta contra 5. conclusionem.

Secundo arguitur. Quicquid de illo sæculo fuerit, iam verò, nunc ætatis nullus est vsus obseruantiæ illorum temporum: quare nullum erit peccatum illa prætergredi.

Primum.

Ad primum respondetur longè præceptum baptismi ab alijs Ecclesiasticis differre. Nam cum præceptum, verbi gratia, confessionis & Eucharistiæ iure diuino non obliget infideles, sed solos Christianos, Ecclesia non potuit determinare illud tempus sub præcepto, quod obligaret nisi Christianos: quare infideles sub illo non comprehenduntur, quousque sint in familia Christi. Præceptum verò baptismi orbem obligat vniuersum, & ideo cum primum Euangelium cuipiam incipit innotescere, habita oportunitate tenetur baptizari. Quocirca sicut Ecclesia Christianis tempus sacramenti pœnitentiæ & Eucharistiæ iure præscripsit, potuit & cunctis notitiam habentibus baptismi tempora præfigere, quibus opportunè ipsum ad quem iure diuino tenentur, suscipiant, quod ideo tempus iure ipso diuino obseruare tenentur. Frustraneum n. esset præceptum baptismi affirmatiuum, si nunquam tempus mandati definiretur. Veluti si quis fieri ciuis teneretur alicuius reipublicæ, statuendum esset illi tempus, quo tādem ius illud perfoluere stringeretur. Quinuerò ex pacto, quod petentes baptismum cum Ecclesia ineunt, iure ipso naturæ & gentium perstringuntur statuto tempore Ecclesiæ sacramentū suscipere, nisi iudicio eiusdem Ecclesiæ tempus illud præuenire, vel dilatare expedierit. Sicuti in religionibus dum quis habitum induit, tenetur præfinito tempore solenne votum emittere, nisi legitima aliqua causa obstiterit. Qui enim baptizari postulabant (vt de consec. dist. 4. can. Baptizandi. 2. patet) dabant nomina sua quæ presbyter scripto suscipiebat, quo quidem chirographo Ecclesiæ suam fidem adstringebant, vt sacramentum tempore sibi statuto susciperent.

Ecclesia pro vniuersis hominib. potuit certa baptismi tempora statuere.

Secundum.

Ad secundum verò respondetur, quod cum tempora illa non fuerint prò paruulis, vt dictum est, instituta, sed pro adultis, & iam non sit inter nos in vsu adultos baptizari, nisi quam rarissimos, videtur illorum temporum obseruatio iam exoleuisse. Attamen cùm in canonibus citatis tanta increpatione culpentur, qui tempora illa transgrediuntur: dicendum est vt suprà dist. 3. art. 10. dicebamus, quòd si in nouo orbe, vel alibi vbi fides nunc primò diuulgaretur, ritus ille duorum temporum obseruaretur, qui profecto meritissimo esset obseruandus, eadem lex rigorem obtineret, vt eorum transgressio peccatum esset mortale. Nunc autem qui baptismum peteret, seruare tenetur tempus, quod Ecclesia illi constitueret.

Soluitur 2. Argum. S. Tho.

Secundum argumentum D. Tho. sumit ex can. Iudæi. de consecrat. dist. 4. vbi concilium Agathense propter Iudæorum perfidiam frequenter ad vomitum redeuntium præcepit, vt octo menses inter catechumenos detinerentur antequam baptismum susciperent, ex quo fit vt non statim omnibus liceat illum suscipere. Respondet D. Tho. illud decretum fuisse propter metum, ne fictè baptismum susciperent, vt Christianos peruerterent. Nihilominus vrgente infirmitate idem eis permittebatur baptismus. Postmodum verò Gregorius, vt patet can. Ne quod absit. metuens ne longa dilatio eos à proposito reuocaret, indulsit vt post quadraginta dies baptizari possent.

Tertium.

Tertium argumentum D. Thomæ est oculatiùs meditandum. Omnis religionis fructus ille esse videtur, vt habetur Esa. 17. vt auferatur peccatum, sed quò diutiùs baptismus differtur, peccatum magis auferri videtur vel diminui, ergo est differendus. Probatur minor, quia peccata, quæ post baptismum committuntur propter ingratitudinem fiunt grauiora, quare ex dilatione baptismi minuitur culpa. Secundò, quia cum baptismus omnem culpam & pœnam deleat, quò tardiùs suscipitur, plura remittit.

Cur olim quidam baptismum diutius differrent.

Hic notandum, quòd in primitiua Ecclesia ob has causas multi baptismum differebant, imò præter has ob hoc etiam quòd perperam locum illum Paul. ad Heb. 6. intelligebant. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt (id est baptizati, &c.) si prolapsi sunt, rursus reuocari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes in semetipsis filium Dei. Contra quos Chrysostomus prima illa bis citata homilia super Acta Apostolorum obiurgationem instruxit. Sensus enim Pauli, vt dist. 3. art. 9. cum Augustino & alijs sanctis elucidauimus, non est, nisi quod non est possibile iterum baptismum suscipere, in quo sub figura Christus crucifigitur. Deinde illic Chrysostomus reprehendit, quod metuerent post baptismum relabi, & non timerent ante baptismum identidem prolabi. Sed & super Epistolam ad Heb. cap. 13. iterato eosdem insimulat, & refertur cano. Quando quis. de consecrat. dist. 4. Quando quis enim, inquit, propterea peccat, vt sanctum baptisma in nouissima sua expiratione suscipiat, fortassis non adipiscitur. Egregiè ergo D. Thom. respondet, quod baptismus non solum præterita diluit crimina, imò gratiam & opem conferat ad præcauenda futura. Atque hic finis & fructus est, qui potissimum in religione est expetendus, scilicet non peccare: nam hic ad

Chrysost.

Digitized by Google

innocentiam pertinet, qua Deo præclarius seruitur. Deinde peccati admissi remissionem procurare, iuxta illud 1. Ioan. 2. Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis: sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Quare ob prædictas causas non est baptismus differendus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccatores sint baptizandi.

CVM de baptismi necessitate & tempore satis dissertum sit, subsequuntur quinque articuli, quibus conditiones examinantur eorum, qui eum, si ratione vtantur, debent suscipere. Et primum quoniam ad remissionem peccatorum institutus est, meritò interrogatur, vtrum omnibus peccatoribus indiscriminatim sit permittendus. Quare D. Thom. per distinctionem respondet duabus conclusionibus quibus nos tertiam subiungemus. Peccator enim dupliciter quis censetur. Vno modo propter reatum præteriti criminis, hoc est, peccati mortalis, aut originalis. Et de hoc statuitur prima conclusio. Huiusmodi peccatoribus est baptismi sacramentum conferendum: quippe quod in hoc institutum sit, vt peccatorum sordes mundentur: secundum illud ad Ephes. 5. Mundans eam (scilicet Ecclesiam) lauacro aquæ in verbo vitæ.

Prima conclusio.

Secundo modo quispiam dicitur peccator propter voluntatem quam habet peccandi, & propositum perdurandi in peccato. Et de istis subnectitur secunda conclusio negatiua. Huiusmodi peccatoribus non est conferendum baptisma. Et intelligitur de illis, qui sunt in proposito peccati mortalis: quia complacentia venialis vt non obstat gratiæ, ita neque obstaculum est suscipiendi baptisma. Probatur conclusio quadrupliciter. Primò ex effectu baptismi. Per baptismum enim homines Christo incorporantur, iuxta illud ad Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Qui autem voluntatem habet mortali sceleri affixam, non potest Christo esse coniunctus, iuxta illud 2. Corint. 6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Vnde Augustin. in li. de pœnitentiæ medicina, cap. 2. inter loquendum de illis qui ad suscipiendum baptismum accedunt: Nullus, inquit, suæ voluntatis arbiter constitutus potest nouam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat. Et refertur de consecrat. dist. 4. can. Omnis qui. Secundò id patet: quoniam in operibus Christi Ecclesiæ nihil debet fieri frustra: id autem frustra fit, quod fine suo caret: sed finis baptismi est hominem à peccato mundare: manere verò in peccatorum sordibus è diametro huic contradicit, quod est mundari, sicuti lux tenebris. Tertiò, quia in sacramentalibus signis nulla debet esse falsitas: falsitas vero signi est, cui res significata non respondet; qui autem baptismo se subdit, significat se ad interiorem ablutionem disponere & præparare. Sed qui propositum peccandi mortaliter adfert, obicem baptismo opponit, tantum abest, vt se ad illum præparet. Quartò denique arguitur ex Augustin. ad hoc ipsum proposito dicente: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te; hoc est, quin tu ad id coopereris; loquitur enim de adultis. Qui autem in peccato mortali persistit, non cooperatur suæ iustificationi. Repugnat ergo Dei beneficio, quod per sacramentum impartitur, vt ei qui prauam voluntatem gerit, administretur.

2. Cond. Peccatores mortalis peccati affectum retinentes baptizari non debent.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Tertia conclusio, quæ in solutione tertij adnotabitur, sit. Si peccator permanens in peccato cum intentione Ecclesiæ baptizetur, verum suscipit sacramentum, & characterem cum mortua fide sine gratia.

3. Concl.

Expositio articuli.

De prima conclusione nulla vnquam extitit controuersia. Secundam tamen ob id Diuus Thomas consulto fulcire curauit, quod in primitiua Ecclesia non erat quibusdam tam certa adeo vt compulsus fuerit Augustin. librum contra illos de fide & operibus edere. Et Chrysosto. homilia vigesima prima ad populum multa egregiè in idem argumentum contulit. Aiebant enim cuicunque credenti ministrandum esse baptismum, etiam si animum haberet in peccatis obstinatum. Quod si opus esset vt moribus Christianis imbueretur, oportere aiebant, vt baptismus ante omnia præcederet: nam eo ordine ait Christus Matt. vigesimo octauo. Baptizantes eos in nomine Patris, &c. docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis. Etenim prius admittendi sunt discipuli in scholam, quàm mores eiusdem doceantur. Afferebant & illud Marci 9. Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus. Atque illud Matt. decimotertio. Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Et parabolam illam patrisfamilias Matthæi vigesimo secundo, qui parato conuiuio misit seruos ad exitus viarum, vt quoscunque inuenirent, euocarent ad nuptias. Et Luc. 14. additur, vt debiles etiam, cæcos, & claudos introducerent: quibus morbis spiritualia vitia significantur; cui etiam applaudere videtur, quod baptismus, vt habetur 1. Pet. 3. per arcam Noë fuit designatus, in qua tamen fuerunt animalia immunda cum mundis permista. Ad hæc adijciebant & illud Matt. 13. vbi Christus inhibuit Apostolis ne zizania ante tempus eradicarent, sed sinerent ea crescere vsque ad diem iudicij. Et eapropter conquerebantur, quod ante tempus præiudicarentur. Quinuero eousque eorum velania progrediebatur, vt dicerent solam fidem cum baptismo necessariam esse ad salutem. Sic enim ait Christus Marci vlti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Ac subinde affirmabant baptismate consecratos quamuis in peccatis morerentur saluos fieri, licèt per ignem, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Et subditur. Si cuius opus arserit (scilicet ædificantis fœnum aut stipulam) detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit sic tamen quasi per ignem. Igitur vt ex Augu. illic colligitur, eodem morbo illi peccabant, quo Indi noui orbis à nostris referuntur labòrare. Vigebat enim illo sæculo plurium vxorum abusus, & quia cogebantur ante baptismum cum sola prima remanere, ægerrimè legem illam, vt durissimam, ferebant.

Heresicorũ argumenta ad probandum quosm. peccatores esse baptizandos.

Nihilominus qui hæc commentabantur, absurdissimam hæresim sustinebant. Nihil enim in rebus tam tam contrarietatem inuoluens reperiri potest, quàm quòd infinita Dei bonitas eos, qui mali, sunt, in suam amicitiam admittat. Nam quod Deus quenquam diligat, est ipsi bonitatem elargiri, quæ in eius gratia consistit. Et cum voluntatem non necessitate, sed secundum eius naturam liberè moueat, neminem ad se trahit, nisi eum qui liberè consentit. Quare cum baptismus sit regeneratio quædam in vita spirituali, quæ in amore Dei consistit, nemini ratione vtentium conferendus est, nisi in amicitiam Dei vltro consentiat, quod nisi peccata, quibus inimicitia Dei fouetur, respuerit, facere nemo valet. Vnde in Psalmo 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Et Iob 9. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti (hoc est, in delictis perduranti.) Ob idque Petrus Actuum 2. tribus illi millibus baptismum optantibus, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Et Actu. 3. Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Quasi sine pœnitentia nemini sit baptismus applicandus. Et eundem locum ad hoc propositum adducit D. Augustinus ad Salactitanum, & refertur de consecratione distinctione quarta, canon. Agunt.

Ostenditur contrarium ex ratione & scriptura.

Non Petrus baptizandos hortabatur ad pœnitentiã.

Quòd si alios baptismi effectus contemplemur, id ipsum perspectissimè videbimus. Ait enim ad Rom. 6. Apostolus, per baptismum in Christo nos consepeliri, atque in ipsum complantari. Debet ergo qui baptizatur commori peccato veteri, vt per nouam gratiam fructificet. Vnde subdit. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Et 2. ad Corinth. 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Et 1. ad Corint. 5. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, & 1. Pet. 3. Saluos nos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Et Christus Matt. 7. Nolite sanctum dare canibus. Ac demum Ioannes ad baptismum Christi homines disponens, pœnitentiam eis vt agerent, prædicabat, vt per eundem baptismum ingredi possent regnum Dei.

Similiter S. Ioann. Bapt.

Digitized by Google

Soluuntur argumenta contraria.

Igitur vt ad argumenta contraria respondeamus: negatur ad primum quempiam per baptismum in Christianam scholam admittendum, si fuerit adultus, antequam mysterium intelligat, & vltro se velit magisterio mancipare: quod nisi odium Christi deponat, cuius familiæ sociatur, facere non potest: neque id potest deponere, vt ait Augustinus, nisi præteritæ vitæ eum pœniteat. Neque enim in scholas humanas quispiam nisi docilis & benevolus recipitur: Christus autem prius dixit: Docete omnes gentes, quàm diceret, Baptizantes. Et postea repetendo dixit ea quæ docere deberent.

1. Arg. S. Tho.

Quod si illud objiciatur quod in figuram baptismi prædictum fuit Ezechiel. 13. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Vbi denotatur peccatores fonte baptismatis abluendos. Respondet D. Thom. in solutione primi, quod intelligitur de peccatoribus, qui ablui volunt à peccatorum maculis, ab ipsis recedendo.

2. Argum.

Ad aliud Matth. 9. de medico respondet in solutione secundi, quod Christus sapientissimus medicus bifariam peccatoribus medetur: scilicet interius voluntatem præparando, vt bonum diligant, malum odio habeant: & exterius per ministros applicantes baptismi medicinam. Ministri ergo non debent medicinam extrinsecus apponere, nisi ei quem iudicauerint intrinsecus à Christo sanari. Christus autem non sanat, nisi vltroneum: nempe, qui vult morbum per eius detestationem euadere.

De sagena bonos & malos colligente.

Ad aliam verò similitudinem de sagena respondetur, non id pertinere, vt baptismo intentione Ecclesiæ colligendi sint illi, qui in eam ingredi renuunt: sed ad id, quod si contigerit aliquos in peccato baptizari cum intentione suscipiendi quod Ecclesia confert, verè sint baptizati, vt ait tertia conclusio, fiantque perinde Ecclesiæ membra, quod art. 8. iterum est repetendum. Quamobrem tolerandi sunt vsque ad finem iudicij, tanquam ad Ecclesiam per fidem mortuam pertinentes. Ad idemque attinet similitudo arcæ Noë. Vnde licet ad cœnam serui patrisfamilias, debiles, cæcos, claudos inuitassent; tamen ille, qui sine veste nuptiali ingressus fuit, acriter est à patrefamilias reprehensus, ad denotandum, quòd etsi peccatores omnis generis sint ad baptismum euocandi, non tamen sunt admittendi, nisi qui veterem vestem exuerint, vt Christum, iuxta verbum D. Paul. in epistola ad Galatas capite tertio, per baptismum induant.

Zizaniorũ parabola.

Parabola verò de zizanijs perperàm ab illis allegatur: Christus enim non præcepit zizania simul cum tritico seminare, sed illa, quæ inimicus homo seminauerat, tolerare: per baptismum autem seminatur fides: quare non est conferendus nisi illis qui triticum esse volunt. Si verò diabolus postea in eorum cordibus zizania seminauerit, tolerandi sunt.

Postremum verò argumentum multò erat impudentius: quo putabant solam fidem sine operibus satis esse cum baptismo ad salutem. Quare Augustinus illi libello titulum fecit De fide, & operibus, quo scilicet demonstrauit, non fidem quamcunque, sed illam prorsus, quæ per charitatem operatur, efficacem esse salutis, iuxta verbum Paul. 1. Corint. 7. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed fides, quæ per charitatem operatur. Quamobrem ingentissima erat blasphemia dicere quod Christiani morientes in peccato mortali, saluarentur per ignem. Locus n. ille Apostoli 1. Corinth. 3. de ædificantibus super fundamentum fidei lignum, fœnum & stipulam, vt eod. lib. Augustinus cap. 16. expositor est, non intelligitur, nisi de leuioribus culpis, quas veniales vocant, quæ quidem ingressum cœli non prohibent, sed purgatorio igne expurgantur.

Quid sit ædificare super fundamentum fidei, lignũ, &c.

3. Arg. S. Thom.

Tertium denique argumentum, quod postremum sit, facit hoc D. Thom. Nullum est peccatoribus subtrahendum subsidium, per characterem autem homo iuuatur, vt se ad gratiam disponat, & per fidem etiam mortuam: ergo licet quis gratiæ obicem opponat, baptizandus est si vult, vt charactere consignetur. In hoc argumento primò notandum, quemadmodum hic D. Thom. pro certa supponat conclusionem illam tertiam quam nos suprà adhibuimus: videlicet, nonnunquam in peccato verè recipi sacramentum sine gratia, quamuis peccatum sit, ipsum sic suscipere & conferre. Et ideo respondet, quòd cum baptismus sit sacramentum fidei, fides autem informis non sit ad salutem sufficiens, atque adeo nec sufficiens fundamentum, sed illa, quæ per dilectionem operatur, (vt Augustinus lib. citato de fide & operibus ad hoc propositum docet) fit, vt nec baptismus salutem ei conferre possit, qui in voluntate peccandi est: quippe quæ voluntas formam viuentis fidei, hoc est, gratiam excludat. Qua vtique ratione consequitur, vt nemo sit per impressionem characteris ad gratiam disponendus, quamdiu in eo apparet peccandi animus. Hæc autem litera attentè legenda est: haud enim negat quin fides informis, & character baptismalis nonnulla sit præparatio ad gratiam, vt distin. 1. quæst. 4. expositum. Neque verò negandum est, quin fides mortua sit aliquale fundamentum ad salutem, quatenus est cognitio veritatis. Sed ait optimè D. Thom. illam dispositionem mortuæ fidei & characteris, non esse illi conferendam, qui voluntatem habet gratiæ reluctantem: esset siquidem hoc hominem ad gratiam cogere, quod est contra morem, prouidentiamq; Dei, qui neminem inuitum, sed tantum spontaneos & consentientes ad se conuertit.

Peccatum est impœnitentem baptizare.

Ex his omnibus colligitur prima conditio adulti, qui baptizandus est: videlicet ne obice sacramento obsistat. Atque inde rursus fit consequens vtrumque, mortaliter peccare, & sacrilegium committere, si tam eum, qui cum voluntate peccandi accedit ad baptismum; imò ad quodcunque suscipiendum sacramentum, quam eum, qui sciens taliter quempiam accedere, illi confert. Est n. sacramenti contaminatio: quandoquidem contra eius finem & suscipitur, & confertur. Finis siquidem cuiusque sacramenti est gratiam conferre vel augere. Hæc autem conclusio aliam excitat dubitationem: videlicet, quisnam sit obex gratiæ, vtrum, s. ad tollendum obicem requiratur vera contritio, an verò attritio sufficiat, qui est dolor propter supplicia, vel alia temporalia incommoda. Imò verò an satis sit, vt accedens merè negatiuè se habeat, vt videlicet ei peccata neque placeant, neque displiceant. Hæc autem dubitatio distinctione sequenti art. 9. qui est de fictè accedentibus ad baptismum, aptiùs dissoluetur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

Conclusio negatiua.

CIRCA primam concl. præcedentis artic. qua decretum est peccatoribus non opponentibus obicem baptismum esse conferendum, quæritur vtrum eiusmodi peccatoribus sit imponenda pœnitentia, sicut in sacramento pœnitentiæ, hæc n. censeri secunda conditio posset. Et respondet D. Th. vnica negatiua conclusione. Ei qui baptizatur, pro quibuscunque peccatis non est aliqua satisfactio iniungenda. Probatur primò autoritate Ambrosij super illud Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei, dicentis: Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, neque planctum, neque opus aliud, sed solam fidem, & omnia gratis condonat. Et refertur de consecr. dist. 4. can. Sine pœnitentia. Deinde ratione sic confirmatur. Per baptismum commorimur Christo, hoc est, eius morti incorporamur, secundùm illud Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti n. ei sumus per baptismum in mortem: mors autem Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, non solùm nostris, sed etiam totius mundi, vt 1. Ioan. 2. habetur: ergo omnia illic nobis condonantur, atque adeò iniuria eidem morti baptismoque irrogaretur, si satisfactoria opera illic imponerentur: quasi ille ad plenissimam satisfactionem non esset sufficiens.

Ratio.

Expositio articuli.

Inpræsentiarum nihil est disputatione dignum, præterquam si quis arguat. Quemadmodum in baptismo, ita & in sacramento pœnitentiæ commorimur passioni Christi: nam sicut baptismus, ita & pœnitentia, imò omnia sacramenta, vt distinct. 1. q. 3. artic. 5. monstratum est, virtutem habent à passione Christi: sed in sacramento pœnitentiæ imponuntur opera satisfactoria: ergo & in sacramento baptismi sunt imponenda. Et confirmatur id maximè secundò. Quamuis passio Christi fuerit quantum ad sufficientiam infinitè meritoria & satisfactoria, nihilomi-

Proponuntur arg. contraria.

nus

nus quoad efficaciam non operatur, nisi quatenus applicatur: vt si quis se conuertat per actum vnius gradus, recipit gratiam vt vnum, & si per actum dupli, recipit duplam; &c. Et pariter per quodcunque sacramentum confert Deus certum gradum gratiæ, etiam per ipsum baptismum, vt d. 1. q. 3. art. 1. visum est: ergo eadem ratione eidem baptismo correspondet certus satisfactionis gradus sicut sacramento pœnitentiæ, atque adeò pro reliquis debitis iniungenda est alia satisfactio. Et tertio arguitur. Conclusio præsens videtur in errorem Lutheranorum impingere de iustitia imputata. Aiunt quippe iustitiam Christi patientis in cruce sic nobis imputari, ac si nos ipsi illam pateremur, ac perinde nobis esse infinitam: vnde inferunt nulla nobis esse necessaria satisfactoria opera.

Ad primũ.

Per baptismum commorimur Christo, & non per alia sacramenta.

Ad primum respondetur, negando per sacramentum pœnitentiæ, aut quoduis aliud, præter baptismum, commori nos Christo. Aliud enim est virtutem habere à passione Christi, quod conuenit omnibus sacramentis: aliud verò eandem repræsentare passionem, quod soli conuenit baptismo, vt d. 3. ar. 9. modo statuimus: per illam n. submersionem configuramur Christo morienti: iuxta verbum Pauli: Complantati sumus similitudini mortis eius, & ideo illic totum veterem hominem deponimus, & in nouam vitam tanquam membra Christi regeneramur, quod in nullo sit alio sacramento.

Ad secundũ.

Et pariter respondetur ad secundum, quod licèt, quantum ad efficaciam gratiæ, non nisi certus gradus conferatur per baptismum, sicut per cætera sacramenta; nihilominus ratione iam dicta, quia per ipsum incorporamur Christo, efficimurque eius membra, satisfactio eius reputatur plenaria nostra; per sacramentum verò pœnitentiæ, non regeneramur neque incorporamur Christo, sed per claues Ecclesiæ recuperamus salutem, quam per proprium actuale peccatum amiseramus, & ideo satisfactio ipsius non applicatur nobis nisi secũdum proportionem actus quo resurgimus. Et ideo ab ipsis sacerdotibus qui illic sunt iudices, imponuntur nobis satisfactiones per pœnas.

Ad tertium

Quare ad tertium respondetur, quod si Lutherani hoc soli baptismo peculiariter tribuissent, quòd illic iustitia Christi, cuius efficimur membra, nostra reputatur; non errassent: sed quia hoc generaliter fidei attribuunt, vt scilicet nulli credentium vlla opus habeant satisfactione, ob id sunt hæretici. Sed de hoc iterùm dist. seq. art. 2. vbi disputabitur vtrum per baptismum condonetur omnis pœna.

2. Argu. S. Thoma.

Clarescit ergo iam solutio argumenti primi D. Tho. quod est huiusmodi. Ad iustitiam Dei pertinet, vt nullum delictum impunitum relinquatur, iuxta illud Ecclesiastes vlt. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium: opera autem satisfactoria imponuntur pro peccatis commissis: ergo sunt baptizatis imponenda. Respondetur enim concessa maiori, sed tamen illam satisfactionem plenè fecit Christus pro baptizatis; eò, quòd, vt ait Aug. lib. de baptis. paruulo. per ipsum incorporamur Christo, tanquam membra capiti, & satisfactio capitis communicatur cæteris membris, sicuti homo è conuerso, qui homicidium manu perpetrauit, capite plectitur. Vnde Esai. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Hoc tamen, vt proximè expositum est, sacramento pœnitentiæ non conuenit.

2. Argu.

Secundò arguitur. Opera pœnalia non modo imponuntur in satisfactionem, sed in exercitium, vt per fructus illos pœnitentiæ, homines occasiones caueant, offendiculaque peccandi: nuper autem baptizati illo maximè exercitio indigent, ergo sunt illis imponenda. Respondetur, quod opera pœnalia sunt difficilia, neophyti autem sunt vt tenelli. Quare vt Petrus 1. Petri 2. ait: Sicut modo geniti infantes lacte tractãdi sunt, & educandi, non grossiori esca, vt illo modo ad perfectiora promoueantur, vt ait glossa super illud Psalmi. Sicut ablactatus super matre sua. Vnde Christus, vt patet Matth. 9. discipulos nuperrimè conuersos à ieiunio excusauit, dicens non posse filios sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus, eos, s. proprijs vberibus lactans.

Christus discipulos recenter conuersos à ieiunio excusauit.

3. Argum.

Tertiò arguitur. Non minus debet homo Deo, quàm homini satisfacere: catechumeno autem iubendum est, vt quæ hominibus debet, retribuat: ergo & vt satisfaciat Deo. Negatur consequentia: quia Christus, vt dictum est, pro ipsis ad iustum satisfecit Deo: homini autem homo per iustitiam commutatiuam reddere tenetur quod debet, alioqui in peccato permanebit: permanentibus autem in culpa, vt dictum est, non est sacramentum conferendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur peccata sua confiteri.

TERTIAM conditionem posset quis peccatori adscribere, vt ante baptismum confiteretur. Quæritur ergo an sit necessarium. Et respondet D. Tho. per distinctionem tribus conclusionibus. Confessio n. altera est interior, quæ fit Deo; atque altera exterior vocalis, quæ fit sacerdoti.

1. Concl.

Prima ergo conclusio est. Confessio interior est ad baptismum necessaria, vt, s. quis peccata mente recogitans dolorem eorum in genere apud Deum habeat: iuxta verbum Aug. † suprà citatum. Nemo suæ voluntatis arbiter nouam potest inchoare vitam, nisi eum veteris pœniteat.

† lib. de pœnit. medicina cap. 2.

2. Concl.

Secunda conclusio. Confessio vocalis, quæ singulorum criminum fit sacerdoti, non est ad baptismum necessaria. Primò, quia cum eiusmodi confessio fiat ministro Christi, pertinet ad sacramentum pœnitentiæ, quod quidem ad baptismum, cum sit ipse ianua sacramentorum, non requiritur. Imò verò neque esset sacramentum, neque absolutio conferret gratiam. Secundo, quia cùm confessio ad hoc ordinetur, vt sacerdos Ecclesiæ claubus vtens, pœnitentem tum absoluat, tum etiam ad satisfactionem adstringat, hæc omnia tunc vana essent: quoniam ante baptismum vsus clauium Ecclesiæ locum non habet, atque adeo nec absolutio, nec satisfactionis impositio. Cuncta namque per passionem Christi, vt dictum est, sacramento applicatam condonantur. In sacramento verò pœnitentiæ, quia fit per claues Ecclesiæ, debet sacerdos, sicut iudex, satisfactionem arbitrari. Tertio, quia ipsa particularis confessio esset propter verecundiam confitenti pœnalis: catecuhmeni autem, ne à baptismate deterreantur, nulla sunt affligendi pœna aut molestia: non ergo ab illis exigenda est particularis auricularisve confessio, sed sufficit illa generalis, qua secundum Ecclesiæ ritum abrenunciant Satanæ, atque omnibus pompis eius. De qua ideo confessione intelligenda est glossa Matth. 3. quæ ait in baptismo Ioannis datum fuisse exemplum baptizandis confitendi peccata, promittendique meliora.

Probatur confessionẽ exteriorem baptizandis non esse necessariam.

3. Concl.

Tertia conclusio. Si qui ex baptizandis ex deuotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda: non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed vt contra peccata consueta, spiritualis eis informatio vitæ traderetur.

In hoc articulo nulla offertur dubitandi ratio, nisi circa primam conclusionem de dolore, qui requiritur, peccatorum ante baptismum, requiratur ne vera contritio. Hoc autem iam art. 4. in depositio seruauimus vsque ad articulum nonum distinctionis proximæ, vbi de fictè accedentibus habendus est nobis sermo. Sed & circa tertiam hoc etiam notandum, quod qui ex deuotione vellent ante baptismum confiteri, non sunt sacramentaliter absoluendi, vt benè hic adnotauit Caiet. quoniam illud, vt modò dicebamus, non est sacramentum. Nihil tamen vetat quin possint precatoriè absolui per deprecationem illam. Misereatur tui, &c. Quamobrem sacerdos non illo arctissimo vinculo sigilli confessionis teneretur peccata illa celare, vt pœnas illas strictissimas iuris teneretur pendere, si reuelaret. Esset profectò nihilominus grauissimè puniendus tanquam violator sacramenti baptismi, cuius dispositio erat illa confessio. Haud tamen esset consilium eiusmodi catechumeno peccata occulta, si grauia essent, sigillatim pandere, sed sic sub compendio, vt consilia caperet viuendi. Et cum audis ante baptismum non esse necessariam confessionem, intellige, neque peccatorum præcedentium baptismum posthodum ipso suscepto, confessionem faciendam: fieret n. iniuria baptismo, quasi illic non essent omnia condonata. Quare illa peccata nunquam sunt materia confessionis, atque adeò si illa sola baptizatus ille confiteretur, non esset sacramentaliter absoluendus.

Peccata ante baptismũ commissa, non sunt materia cõfessionis.

Digitized by Google

1. Arg. S. Tho.

Primum argumentum S. Tho. est. Qui baptizabantur à Ioanne, vt legitur Matth. 3. confitebantur peccata sua: baptismus autem Christi perfectior est: ergo eandem confessionem requirit. Respondetur verò per discrimen inter illud & nostrum baptisma: illud n. non remittebat peccata, sed erat baptismus pœnitentiæ; nostrum verò omnia per passionem Christi, cui incorporamur, remittit. Quocirca ad illud accedentes confitebantur peccata, vt secundum qualitatem eorum pœnitentia decerneretur (quod suprà dist. 2. q. 2. art. 2. satis expositum reliquimus) nostrum verò baptisma, vt ait Ambr. sine pœnitentia exteriori celebrandum est.

Baptismo Ioannis cur præmittenda confessio.

2. Argum.

Secundo arguitur. Qui abscondit scelera, vt habetur Proueib. 28. non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Ante baptismum requiritur pœnitentia, iuxta illud Actuum 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Ad secundum respondetur, satis esse ei, qui baptismum postulat, Deo per intrinsecum dolorem, Ecclesiæ verò per illam generalem abrenunciationem Satanæ, sua detegere crimina. Ac demum ad tertium, quòd confessio vocalis est pars sacramentalis pœnitentiæ, quæ illic, vt dictum est, non requiritur, sed sola sufficit interna pœnitentiæ virtus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ex parte baptizandi requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi.

CONSEQVENTER quæritur de intentione baptizandi an sit necessaria, sicuti d. præcedenti ostensum est in baptizante requiri. Et respondetur vnica conclusione. Ex parte eius, qui baptizatur, requiritur voluntas seu intentio suscipiendi baptismum. Probatur. Per baptismum homo moritur veteri peccati vitæ, quandam que subinde nouam inchoat viuendi rationem, iuxta illud ad Rom. 6. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, vt quo modo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: ergo sicut homo ratione vtens, quo vitæ præteritæ moriatur, † vt ait August. eiusdem eum vitæ oportet pœnitere, ita vt nouam inchoet; exigitur, vt eius habeat inchoandæ voluntatem, quæ quidem inchoatio fit per susceptionem sacramenti, atque adeo requiritur, vt eius suscipiendi intentionem habeat. Et confirmatur ex ritu Ecclesiæ, quæ iubet, vt veniens ad baptismum interrogetur, quid petat, & an baptizari velit, vbi respondens se baptismum petere, & velle baptizari, suam aperit voluntatis intentionem.

Conclusio est neg.

† loco sup. cit. de pœnit. medicina c. 2.

Expositio articuli.

De hac quæstione quamuis variæ versentur opiniones; tamen nulla est bene sustentabilis, nisi quam hic D. Tho. concludit. Et primò hic notandum, quod non disputamus de actu, qui requiritur ad consequendum rem sacramenti (scilicet gratiam) puta de dolore peccatorum, de quo d. seq. art. 9. sed de intentione ad suscipiendum sacramentum, & christianismi characterem. Quam quidem intentionem hic affirmat D. Tho. esse necessariam. Et est vniuersalis doctorum confessio, vt Alexandri Alensis 4. par. quæstio. decimaoctaua, membro primo. Et Bonauenturæ in 4. dist. 4. art. secundo quæstio. prima. Et Scoti eadem dist. quæst. 4. Et Durand. quæstione septima. Tametsi inter hos nonnulla sit (licèt fortè verbalis tantùm) differentia. Nam Scotus censet in adultis necessariam esse intentionem, in paruulis autem minimè. Durandus verò ait in paruulis necessariam esse, licèt non formaliter, tamen interpretatiuè. Id quod Scotus fortassis non refutaret, quia non negat nisi requiri in paruulis formaliter, & propriam sicut in adultis. Est etiam opinio Ricardi dist. sexta, art. secundo, quæstio. 3. Et Petri à Palude eadem distin. quæst. 2. Et Sylvest. verb. Baptismus 4. §. 14. Et Adriani, quæstio. 1. de baptismo, artic. 3. Et certè rationes, quas hic D. Tho. adfert, satis esse deberent, vt res in quæstionem non verteretur.

Doctorum cum S. Tho consensus.

Attamen est primum glossa super can. Solet. de consecrat. distinct. 4. dicens, quod si baptizans intendat baptizare, qualemcunque intentionem baptizatus habeat, recipit sacramentum. Et alia glossa in calce capituli Maiores. de baptismo & eius effectu. affirmans, quod si qui baptizatur ore consentire dicat, licèt corde dissentiat, sacramentum recipit. Caietanus verò impræsentiarum medio modo videtur incedere; si tamen medium esset, in quo virtus consisteret. Ait quippe intentionem in baptizato non esse per se necessariam, & solum per accidens in adulto ad tollendam contrariam voluntatem renitentem sacramento: Vnde si fortè contingeret, vt homo neuter ad baptismum accederet, hoc est, nec consentiens, nec dissentiens, sed negatiuè se habens, ille verè reciperet sacramentum.

Cōtra quasdam Canonistarum glossas.

Caietani opinio.

His igitur sic propositis, veritas est subsequentibus tribus propositionibus constituenda. Prima contra illas commemoratas glossas. Nemo per vim, hoc est, simpliciter inuitus baptizandus est, neque si baptizari cogatur sacramentum suscipit. Simpliciter inuitus is dicitur, qui absolutè dissentit. Hæc n. conclusio decreta est ab Innocentio in dicto cap. Maiores. aduersus contrariam opinionem: propterea, quod tunc inde sequeretur, inuitum quempiam ad obseruandam Christianam fidei regulam compellendum, quod Christianæ religioni contrarium est. Cum enim Deus cuncta suauiter disponat, id maximè de fide & lege euangelica constituit, vt nemo nisi cōsentiens Christianus fiat. Eo præsertim, quod cum fides non possit rationibus naturalibus, & conuincentibus demonstrari, obsequio voluntatis suscipienda est: qui autem sacramento fidei dissentit, fidei ipsi consentire non valet. Quapropter glossæ illæ tum contra veritatem, tum etiam contra textus ipsos apertè pugnant. Si autem duntaxat loquerentur quantum ad forum Ecclesiæ, tunc, vt ait loco citato Scot. verum est, quod si ille qui intus dissentit, exterius voce consentiret, compelleretur ab Ecclesia seruare fidem, & legem Christi, quamuis reuera non esset Christianus, quia ipsa tantum iudicat de exterioribus.

1. Concl. Qui simpliciter inuitus baptizatur, sacramentum non suscipit.

Reȳciuntur glossæ citatæ.

Secunda propositio. Si quis absolutè in baptismum consentiret, quamuis conditionaliter metu mortis inuitus esset, sacramentum verè susciperet quantum ad characterem, & fidem mortuam, non autem gratiam. Assertio etiam est eiusdem cap. Maiores. Vt si quis terroribus ac supplicijs vehementer perculsus, vt mortem euaderet, baptizari consentiret, Christianus fieret. Etenim, vt 3. Ethi. ait Arist. ille quanquam conditionaliter nolit, absolutè tamen vult. Vnde illud iuridicum emanauit, coacta voluntas voluntas est. 15. qu. 1. can. Merito. Et de istis intelligitur decretum concilij Toletani distin. 45. can. De Iudæis, quod Iudæi hoc pacto à Sisebuto Visigotthorum Hispaniæ rege baptizati, essent ad fidem & legem Christi cogendi. Tametsi prohibeatur illic nequis sic per violentiam baptizetur. Est n. sacrilegium: quanquam rex ille pietate forsan, non secundùm scientiam adductus eos ad baptismum compulisset. De hac autem ad baptismum & fidem compulsione paulò pòst artic. 10. latius. Eadem propositiones Alexander, & Bonauen. locis citatis constitutissimas habent: quoniam nullo sunt pacto citra errorem contra determinationem Ecclesiæ dubitabiles.

2. Propos.

Quòd si contra hanc secundam obieceris, huiusmodi consensum coactum in sacramento matrimonij non valere; respondetur diuersam esse rationem. Quoniam matrimonium est contractus naturalis & ciuilis, & hac ratione si per iniuriam metu mortis celebretur, iure ipso ciuili inualidus est. Secùs de sacramento baptismi, quod cum natura ipsius sacramenti characterem imprimat, quomodocunque quis consentiat, iure diuino obligatur. Quare qui Christianus esse renuit, morti potiùs succumbere debet, quàm se sinere baptizari, ne illam irroget baptismo iniuriam. Atque idem † suo loco de sacramento ordinis affirmabimus: nempe, quòd qui consensu per metum mortis extorto ordinatur, verè ordinatus est. Ac perinde tenetur continentiam seruare propter sacerdotalem characterem. Tametsi licèt votum per talem metum emitteretur, nō teneret. Hæc autem non est præsentis loci ad vnguem examinare.

Soluitur obiectio petita ex ratione matrimonij.

† inf. d. 25. q. 1. a. 2. §. Hinc autem.

Tertia propositio. Quamuis opinio Caietani non sit eodem gradu, quo superior erronea; est tamen (vt cum veneratione loquamur) falsa, imò per se requiritur in adulto intentio & voluntas. Itaque si daretur quispiam nec assentiens, nec dissentiens, non susciperet sacramentum. Et primum quòd suam arbitratus est esse opinionem D. Thomæ in 4. d. 6. q. 1. art. 2. quæstiun. 3. certè id inde non planè colligitur. So-

3. Propos. Contra Caiet. asseritur in adulto requiri consensum positiuum.

lum

lum n. ait quòd non requiritur aliquid causans ex parte susscipientis, sed solum impedimentum remouens: puta contrariam voluntatem, ad quod, inquit, requiritur intentio & voluntas ad susscipiendum sacramentum. Dicere autem quòd intentio susscipientis non est causans, hoc est, concurrens actiuè ad sacramentum, non est planè dicere quòd non requiratur per se, sed quòd tota actio attribuitur Deo & eius ministro per sacramentum, passum enim non concurrit actiuè, sed receptiuè. Nihilominus cum absque distinctione per se, & per accidens, dicat requiri intentionem & voluntatem, illa per se requiritur ad aptè & idoneè susscipiendum, vt quicquid sit de opinione; quam habuit in 4. hic tamen, vbi considerati⁹ loquitur, expressè ait S. Thom. per se requiri, sicut per se requiritur aliqualis pœnitentia veteris vitæ. Quapropter non tantum Scotu, & Dur. vt Caiet. citat, hæc est opinio, imò apertiùs est S. Thom atque adeò distortè illum glossat, quod sit intelligendus secundum id quod semper de facto inuenitur: quia aduleus non reperitur neuter. Imò profectò intelligitur per se, quod, etiam si inueniretur, non reciperet sacramentum. Hoc namque probat ratio D. Thom. Si enim ad inchoandam nouam vitam requiritur voluntas abijciendi veterem, à fortiori intentio capessendi nouam, atque adeò ad hunc finem susscipiendi baptismum. Quoniam plus requiri videtur ad inchoandam nouam, quod est quid positiuum; quàm ad relinquendam veterem, quod videtur mera cessatio.

Probatur ex ritu Ecclesiæ, & ex S. Aug.

Secundò & ritus Ecclesiæ profectò id maximè comprobat, vt sit S. Tho. & loco citato Ricar. Ait n. Aug. lib. 4. de baptismo contra Donat. ca. 20. & refertur de conse. d. 4. can. Cum pro paruulis. Cum paruuli nec corde credere valeant, nec ore confiteri, alij pro eis respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat (nempe pro adulto) non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est. (s. Ioann. 9.) Ætatem habet, ipse pro se loquatur. Vbi Aug. tanquam per se necessarium admonet, vt adultus per se baptismum petat, dicens se velle baptizari, suam explicando intentionem & voluntatem.

Caietani responsio reijcitur.

Conatur autem Caiet. rationem sic infringere, quòd eodem Ecclesiæ ritu petitur à baptizando, si credit in Deum Patrem omnipotentem, &c. Et tamen constat, non requiri talem fidem nec in baptizato, nec in baptizante, neque in patrino. Vt si paruulus ab infideli baptizaretur. At verò fuga hæc nihil valet: quoniam licet talis fides non requiratur pro tunc in paruulo, nihilominus extat in Ecclesia cuius illi sunt ministri. Et ideo virtute illius responsi, Credo, cogitur postmodum ipse paruulus annos discretionis ingressus, eandem fidem sustinere, quare interpretatiuè credit. Et eadem ratione, vt ait Durand. interpretatiuè intendit, vultque baptizari. Secundo differentia est inter paruulum & adultum, quam ponit Aug. quod sicut pro paruulo respondent ministri Ecclesiæ, ita adultus debet respondere pro se: ergo sicut paruulus interpretatiuam habet intentionem, ita adultus debet eam habere formalem.

Probatur 3. ex 1. arg. S. Thom.

Tertiò id confirmatur ex solutione primi argumenti S. Thomæ quod est huiusmodi. Baptizatus non se habet vt agens, sed vt patiens: intentio autem non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis: ergo nulla requiritur in baptizato. Et respondet, quod in iustificatione, quæ fit per baptismum, passio non est coacta; sed voluntaria. Et hoc est punctum discriminis, Caieta. enim arbitratur baptizatum esse passum merè naturale, veluti stupa dum incenditur, & tamen non est nisi liberum: & ideo requiritur in eo intentio non quidem agendi, sed tamen recipiendi. Atqui dicere, eum qui baptizatur, esse passum liberum, non est petitio principij, vt ipse cogitat: imo est demonstratio, quod cum baptismum susscipere, sit nouam fidem, & legem profiteri, nouamque militiam; liberè illum debeat quisque susscipere: sicuti ille, qui in aliquam religionem, aut in sæcularem militiam conscribitur. Adde, quod sicut baptismum conferre est actus humanus, ita & ipsum susscipere. Stupidum n. esset hoc negare: actus vero absque intentione non est humanus.

Quarto.

Et ideo quarto loco accedit argumentum Durandi huiusmodi. Adultus simili se modo debet habere ad fidem, & ad fidei sacramentum: credere autem nemo nisi volens potest: ergo neque baptizari. Respondet vero Caiet. priori præmissa peremptà, quoniam credere, inquit, consistit in actione voluntaria: baptizari autem est quoddam pati. Hæret tamen semper in eadem salebra, putans, quod quia baptizari non est agere, sit merè pati: cum tamen non sit nisi voluntariè recipere, atque adeo per intentionem. Quoniam ipsum baptizari est fidem susscipere. Quare sæpissimè contra Donatistas ait Aug. quod baptizari est credere. Quocirca Christus vtrumque coniunxit. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hoc est, qui assensum vobis præbuerit, vt & fidem accipiat, & baptismum susscipere velit, saluus erit.

Quintò ex sol. secundi.

Quintò id confirmatur ex solutione 2. argumenti S. Tho. quod est hoc. Vbi id prætermittitur, quod est de substantia baptismi, iterandum est sacramentum: si ergo intentio baptizati esset necessaria, cùm de illa alijs non constet; quicunque petere posset vt denuò baptizaretur. Respondet planè, quod si in adulto deesset intentio, baptizandus esset, & si de illa dubitaretur, baptizandus esset sub conditione. Quid clarius ad docendum, quòd si daretur homo, neuter, non esset baptizatus?

Sexto ex solut. tertij.

Et confirmatur sextò ex solutione tertij: arguit enim. Baptismus contra originale institutus est: originale autem contrahitur per voluntatem alienam primi parentis: ergo non requirit intentionem propriam. Et respondet, quòd etiam ordinatur contra actualia: vbi palàm edocet, quod sicut ad remissionem actualium requiritur actus eorum detestatiuus, ita & ad susscipiendum baptismum. Imò verò addiderim ego, quòd etiam si daretur adultus cum solo originali, dum baptizaretur, exigeretur ab eo intentio baptismi susscipiendi in remissionem originalis culpæ, qua ipse commaculatur, & ad ineundam vitam Christianam.

Soluuntur argumenta Caietani.

Argumenta verò Caietani sunt duo: eorumque potissimum sumit ex postremis verbis capituli Maiores. de bapt. vbi ait Inn. quòd tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem cõtrarię volũtatis non inuenit obsistentem. Ex quibus verbis infert satis esse, vt non insit contraria voluntas. Deberet autem non ad tigorem dialecticum verba perpendere, sed more iuridico ex præcedentibus interpretari. Ait enim illic pontifex, quod dormientes & amentes, si priusquam amentiã incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, licèt baptizentur, non susscipiunt characterem. Secùs autem si priùs catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Vnde tales, inquit, in mortis articulo consueuit Ecclesia baptizare. Cùm ergo subiungit: quòd tunc sacramentalis operatio non inuenit obicem voluntatis contrariæ, planè intelligit, quòd in virtute inuenit voluntatem, & assensum baptismi, quæ voluntas præcesserat. Quare non ponit medium inter nolitionem, & volitionem baptismi. Est enim ille casus metaphysicus, sed loquitur moraliter, vt non ponere obicem, sit habere consensum saltem in virtute.

De dormientib. & amentibus.

Probatur septimo.

Imò ex verbis ipsius pontificis colligitur septimum argumentum contra Caieta. Si quispiam, qui nunquam de baptismo cogitauit, qui l. neque annuit, neque renuit baptizari, dormiens, aut in amentiam incidens baptizaretur, ille profectò censeretur neuter secundùm Caietanum, qui non haberet contrariam voluntatem: & tamen secundùm decretum Innocentij non esset verè baptizatus: ergo non sufficit non opponere obicem, sed exigitur affirmatiua voluntas. Imò verò non opus est ponere dormientem, aut amentem, sed si quis vigilans, qui nihil vnquam de baptismo audiuit baptizaretur à Christiano, nesciens quid ille faceret, vtrum ioco, vel seriò ipsum lauaret, vel ad refrigerandum ipsum, vel alia de causa, profectò secundùm Caieta. censendus esset vere baptizatus: quoniam nullum opponit obicem: & tamen nefas esset hic concedere, quoniam ignorantia, vt ait Aristo. causa est inuoluntarij. Essetque adeò contra verba ipsius textus Innocentij: ergo requiritur intentio.

Quod si Caieta respondetur in his casibus esse dissensum præsumptum, propterea quod quilibet dissentire præsumitur in mutationem sui status, nisi consentiat: tunc iam concedit, quod nemo potest statum mutare nisi consentiens: atque adeo cùm baptismum susscipere sit statũ institutumque assumere viuendi, illic etiam requiritur per se consensus. Item sacramẽta non debent fundari in præsumptione, sed in certitudine: præsumptio namque est in aliorum opinione, & non in

Digitized by Google

baptizato. Præterea ille qui de baptismo nihil audiuit, non magis præsumitur dissentire quã consentire: nam fortasse cum primum illam religionem audiret, eam amplecteretur. Imò præsumi posset, quod iam de illo cogitabat: quare si præsumptio sufficeret, ille existimaretur baptizatus, quod non est asserendum.

Occurritur obiectioni. At forsan nos hic Caietanus reconueniat. Si quis postquam religionem baptismi audisset, intellexisset-que eius mysterium, videns se à Christiano baptizari, taceret neque assensum exprimens, neque dissensum, ille haberetur pro baptizato: ergo non requiritur consensus, sed satis est non opponere obicem contrariæ voluntatis. Negatur profectò consequentia. Est enim latum discrimen: nam ignorantia, vt dictum est, facit inuoluntarium. Vbi autem quis sciens & prudens baptizatur, tacendo (vt ait iuris regula) consentire videtur: imò in virtute consentit, præsertim in re tanti momenti, & vbi ingens non interuenit metus.

Probatur idem octauo. Octauo arguitur. Si ille, qui nec assentiens, nec dissentiens baptizaretur, verum sacramentum susciperet, sequeretur, quòd absque eius consensu esset ab Ecclesia compellendus Christianam seruare fidem, quòd ibidem Inno. pro re absurdissima ducit. Ad quod Caiet. non aliter respondet, quàm quod vno inconuenienti dato, s. quod ille baptizaretur, aliud contingit, quòd ille esset de iurisdictione Ecclesiæ ratione sacramenti, & tamen non esset compellendus: quia non consensit. Sed profecto hæc duo videntur repugnantiam inuoluere, vt quis sit de iurisdictione Ecclesiæ, & non possit cogi, vt Christianè viuat.

Nono probatur ex Conc. Carth. Nono demum etiam hæc omnia confirmantur ex concilio Carthaginensi 3. cap. 34. quod refertur de consecrat. dist. 4. can. Ægrotantes, licèt malè allegetur ex concilio 4. vbi habetur, quod ægrotantes, qui pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur. Et ex concilio Arausicensi † cap. 12. vbi habetur, quod subitò obmutescens baptizare, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. Vbi ostenditur, quod sicut pœnitentia, ita & baptismus requirit voluntatem susciendi: imo & sacramentum confirmationis, ordinis, & extremæ vnctionis, vt suis locis videbimus. Quare ab infirmo antequam rationis lumen illi extinguatur, requiritur, vtrum, dum opus fuerit, sacram vnctionem recipere velit.

† Est Arausicanum 1. sub Leone 1.

Dissoluitur 2. Argu. Caiet. petitum ex baptismo parvulorum. Secundum argumentum Caietani nullius est ponderis. Arguit quippe. Quod non est de necessitate sacramenti in vno recipiente, non est per se de necessitate à quocunque recipiatur: sed intentio non est necessaria in paruulo: ergo nec de necessitate per se in adulto. Ad hoc n. primũ negari posset maior, vt patet. Imò verò cũ susceptio baptismi sit assumptio nouæ professionis, de essentia est vt vbi esse potest, sit actus humanus. Atq; hac ratione requiritur per se, & de essentia intentio in adulto, & non in paruulo, vt ait Scotus. Luculentius tamen forsan respondebitur cum Durando concessa maiori, negando minorem: imo inuertendo argumentum affirmatiuè sic. Quod est de necessitate sacramenti in vno susciente, est & in quocunque: intentio est necessaria in adulto: ergo & in paruulo. Non autem formalis, sed interpretatiua, vt expositum est, per intentionem Ecclesiæ, quæ paruulum per suos ministros & baptismo offert, & baptizat.

Soluitur aliud argumentum. Aliter autem contra conclusionem arguitur. Nemo ad impossibile obligatur: sed vix est humano more possibile, vt quispiam intentionem mentis propter eius diuagationem firmiter retineat: ergo licèt dum quis baptizatur, intentionem non habet præsentem, nihilominus sacramentum suscipit. Ad hoc argumentum satis responsum est distinctione prima q. 5. art. 8. vbi diximus nec sufficere habitualem intentionem, nec requiri semper actu præsentem, sed sufficere virtualem. Habitualis enim est habitus qui esse potest sine actu, imò cum contrario actu. Vt si quis toties voluisset baptizari, vt habitum genuisset. Et quod hæc non sufficiat, patet: nam si ille postmodum dissentiens baptizaretur, dici posset habitualiter consentire; tamen non susciperet sacramentum. Requiritur ergo; quod habuerit intentionem actu, quæ ipsum ad baptismum induxerit, licèt dum baptizatur, aliorsum eum mente diuagari contingat: illa enim dicitur virtualis. Sed est discrimen inter baptizantem & baptizatum; quod ille, qui baptizare alium proposuit, si contingeret vt dormiens vel amens baptizaret, baptismum non conferret: quia non esset actus tunc humanus. Si autem proposuisset baptizari, tunc licèt baptizaretur dormiens aut amens, vt habetur in ca. Maiores. esset baptismus: quia præcedens propositum sufficeret vt susceptio illa censeretur voluntaria. Itaque actio baptismi requiritur vt sit voluntaria de præsenti dum fit: passio verò satis est vt per antecedens propositum sit voluntaria.

Sufficit intentio virtualis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm fides requiratur ex parte baptizati.

SICVT de baptizante, ita & de baptizato interrogatur, vtrùm sit illi necessaria fides. Et respondetur per distinctionem duab. conclusionibus. Duo n. efficiuntur in anima per baptismum: scilicet, character, & gratia. Est ergo prima conclusio. Recta fides est in eo qui baptizatur necessaria ad consequendum vltimum baptismi effectum: nempe, gratiam & remissionem peccatorum: secundum illud Roma. 3. Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi. Durat n. semper sermo de adultis: nam paruuli nullum habere queunt actum fidei. *1. Concl.*

Secunda conclusio. Ad susciendum sacramentum eiusque characterem cum mortua fide, non est in susciente necessaria recta fides, sicut nec recta fides baptizantis, dum modò adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramenti, s. materia & forma & intentio baptismi conferendi & susciendi. Probatur, quoniam baptismus, vt suprà dictum est, non perficitur per iustitiam illius qui confert aut susciit, sed per virtutem Dei, vt habetur de consecr. distinctione 4. can. Baptismus. *2. Concl.*

Expositio articuli. De neutra istarum conclusionum quidpiam nobis supereset disputandum: nam vtraque ex ijs, quæ dicta sunt, manifesta consequentia elicitur. Definitum enim est arti. 4. eos, qui in peccato persistunt, obicem sacramentali gratiæ opponere, atque adeò salutem per sacramentum non susciere. Cùm ergo infidelitas, vt hic quarto loco arguit S. Tho. sit peccatorum grauissimum, fit vt qui in ea persistit gratiam baptismi non consequatur, vt prima asserit conclusio, atque adeò, vt in solutione respondet, neque huiusmodi infidelis sit ab Ecclesia baptizandus, alioqui esset sacrilegium. Nihilominus si quis infidelis sacramentum intentione Ecclesiæ susciat, erit verum sacramentum sine gratia. Et hoc est, quod asserit secunda conclusio. Quæ quidem planè infertur ex ijs, quæ dicta sunt distinctione 1. quæst. 5. art. 5. & dist. quarta, art. etiam quinto, vbi definitum est hæreticos verè posse & baptizare & baptizari, si vterque intentionem Ecclesiæ afferat ad baptismum; licet baptismus illis ad salutem nil conferat, quousque baptizatus ad Ecclesiam reducatur, iuxta verbum August. de consecratione, distinctione quarta. † Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cùm fictio veraci confessione recesserit. Est & assertio Gregorij ad Quiricum eadem distincti. can. Ab antiqua. quem hic citat D. Thomas. Ab antiqua enim, inquit, patrum institutione didicimus, vt qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola confessione fidei ad sinum matris Ecclesiæ reuocentur. Quod verum non haberet, si recta fides esset ad baptismum necessaria: nam tunc postea non sufficeret confessio fidei, nisi iterum reciperetur baptismus. Vtramque simul conclusionem adstruit de baptismo contra Donatistas August. libr. 3. capitulo decimoquarto. Et refertur de consecrat. distinctione quarta cano. Sicut in sacramentis. Non interest enim, inquit, cùm de sacramenti integritate tractatur & sanctitate; quid credat, aut quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed nihil interest ad sacramenti quæstionem. Et de Ecclesiasticis regulis & libro secundo ad Orosium, quæ eadem distinctione referuntur can. Si qui. & can. Quamuis. idem docet.

† Canone, Tunc valere. Gregor.

August.

Primum argumentum San. Thomæ est. Dum Christus Matth. 28. baptismum præcepit, fidem illi præmisit: ergo est in susciente necessaria. Respondetur, quod cum illum Dominus, quatenus homines ad salutem perducit, instituerit, solum concluditur fidem esse ad collationem gratiæ necessariam, vt ait prima con-

1. Argu. S. Thoma.

clusio,

cluſio, iuxta verbum eiuſdem redemptoris: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.

Secundum petitum ex eo quod baptizandos Eccleſia interrogat de f. de.

Secundo arguitur. Nihil in ſacramentis fruſtra fit: ſecundùm autem Eccleſiæ ritum ille qui baptiſmum poſcit, interrogatur an credat in Deum Patrem, &c. ergo illa fides exigitur. Reſpondetur, intentionem Eccleſiæ dum homines baptizat, eſſe eos à culpa mundare, ſecundum illud Eſaiæ 27. Hic eſt omnis fructus, vt auferatur peccatum: ideo quantum eſt de ſe, non intendit dare baptiſmum niſi habentibus rectam fidem, ſine qua non eſt remiſſio peccatorum. Quocirca de recta fide baptizandos interrogat. Si tamen ſine ea quis baptiſmum extra Eccleſiam ſuſcipiat, percipit quidem ſacramentum, ſed non ad ſalutem, vt Auguſt. lib. 4. contra Donatiſtas edifferit, qui adducit can. Eccleſia. ead. diſt. 4. de conſecra. Ait quippe, Eccleſia paradyſo comparata indicat nobis, poſſe quidem baptiſmum eius, homines etiam foris accipere; ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem accipere vel tenere.

Quo ſenſu dictum ſit a B. Tho. Eccleſiam non intendere baptizare, niſi habentes fidem rectam.

Falli autem quiſpiam poſſet verbo D. Thomæ, quo ait, Eccleſiam non intendere dare baptiſmum, niſi habentibus rectam fidem. Apparet enim inde conſequi, eos qui ſine illa baptizantur, non ſuſcipere ſacramentum, cuius contrarium aſſerit ſecunda concluſio. Igitur non eſt ſic intelligendum; quod intentio Eccleſiæ ſit conditionalis, Quare qui ſub illa conditione adultum baptizaret, Si habes rectam fidem ego te baptizo: ſin minus, Minimè, ſacrilegus eſſet. Sed vult dicere D. Tho. quòd Eccleſia diligenter perſcrutatur per ſuas interrogationes, vtrùm qui baptiſmum petit, rectam habeat fidem. Et poſtea præſupponens iam ipſum habere, abſolutè eum baptizat. Quare licèt ea careat, euadit, baptizatus. Sicuti qui ſacramentum ordinis confert, licèt dicat ſe non intendere excommunicatos ordinare, nihilominus abſolutè omnes ordinat, etiam ſi ſint excommunicati. Eſt enim baptiſmus, vt articu. quarto, dicebamus, ſicut ſagena, qua licèt piſcator non intendat niſi bonos colligere piſces, colligit tamen nonnunquàm peſtilentes.

3. Argu.

Tertium argumentum eſt. Ad baptiſmum requiritur ſaltem intentio recipiendi ſacramentum Eccleſiæ: ſed baptiſmus eſt ſacramentum rectæ fidei, vtpotè per quod incorporamur Chriſto, quod non fit niſi per rectam fidem, ſecundùm illud ad Eph. 3. Habitare Chriſtum per fidem in cordib. veſtris: ergo ſimul cum intentione ſacramenti requiritur recta fides. Reſpondetur, quòd qui non habet rectam fidem circa alios articulos, poteſt eam circa hoc ſacramentum habere Qua etiam abſente, ſufficit ad ſacramentum intentio ſuſcipiendi quod Eccleſia tradit.

Quartum.

Quartò. Infidelitas eſt grauiſſimum peccatum: peccatores autem non ſunt baptizandi: ergo neque fide carentes. Reſpondetur, argum. probare eum, quem conſtat fide carere, non eſſe baptizandum: ſed nihilominus ſi baptizetur, ſacramentum ſuſcipit, ſed non ad ſalutem.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm pueri ſint baptizandi.

POST quinque artic. quibus de adultis ſuſcipientibus baptiſmum diſputatum eſt, ſubſequuntur tres alij de pueris ante annos diſcretionis. Et primum in genere, An ſint baptizandi. Et reſpondet D. Tho. vnica concluſione affirmatiua, quam probat tripliciter. Primò autoritate † Dionyſij, quæ in hac re eſt firma & antiquiſſima, ſ. à temporib. Apoſtolorum. Diuini n. inquit, noſtri duces (ſcilicet Apoſtoli) probauerunt infantes recipi ad baptiſmum. Secundò adhibetur ratio ex Paul. ad Rom. 5. elicita: Si vnius delicto mors regnauit per vnum (ſcilicet per Adam) multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt, cuius vtique documentum eſt mortalitas, cui ſunt ſubiecti: illa n. in pœnam eiuſdem peccati in omnes pertranſijt, vt idem ibidem, ait Apoſtolus: ergo multò magis pueri poſſunt per Chriſtum gratiam accipere & iuſtitiam, vt regnent in vita æterna: id autem aſſequi, niſi per baptiſmum nequeunt, iuxta illud Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei: ergo non modò condecens, verum & neceſſarium eſt illos baptizari; videlicet, vt ſicut per Adàm damnationem naſcendo incurrerunt; ita per Chriſtum ſalutem renaſcendo conſequantur. Tertio adhibetur ſecunda ratio. Fuit enim quam congruentiſſimum, vt recenter nati baptiſmatis vnda tingerentur, vt iam inde ab ineunte pueritia moribus Chriſtianis educati firmiùs in Chriſtianiſmo perſeuerent. Quam quidem rationem eodem loco Dionyſ. aſſignat, iuxta illud Prouerb. 22. Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.

† *c. 7. Eccleſ. Hiera.*

Pueros eſſe baptizandos.

Expoſitio articuli.

Quæſtio hæc in primordijs Eccleſiæ, ac potiſſimùm ſub ſæculum Auguſtini, magnam Eccleſiæ faceſſit moleſtiam. Prima enim hæreſis (vt art. 1. diximus) de baptiſmo, fuit Manichæorum (vt ait lib. de hæreſib. cap. 46. Aug) qui aiebant, baptiſmum in aqua nihil cuiquam ſalutis afferre. Quam quidem blaſphemiam poſt ſæcula multa ab Orco reuocauit Witcleff, vt 2. tomo de ſacram. c. 46. refert Waldenſis. Aiebat enim ille, quòd cùm Chriſtus poſſet ſine illa ablutione gratiam infundere, non eſſet neceſſaria, ac minimè infantib. Alioqui per incuriam parentum, imò ſæpe ſine cuiuſquam negligentia vſu venire poſſet, vt paruulus æternaliter periret. Aliorum autem error fuit de infantibus peculiaris, quem Innoc. ca. Maiores. extra de bapti. refert: ſanè qui ob id aiebant inutiliter infantib. baptiſmum applicari, quòd actum fidei & charitatis, quæ vti ait Pet. † operit multitudinem peccatorum, habere non valent. Ad quod quidem argu. diſt. proxima q. 1. ar. 6. reſpondebitur. Pelagiani autem fuerunt, qui hanc veritatem peruertere totis neruis conati ſunt, negantes vllam paruulos contrahere originis labem, vt ar. 1. recitauimus. Primùm quippe negabant, ab Adam vllam deriuari per progaginem culpam. Secundò arguebant, quòd ſi peccator ipſe peccatores genuit, multò æquius eſt credere vt baptizati iuſti, iuſtos etiam progignant, atque adeò nullo indigeant baptiſmo. Tametſi paruulos ipſos baptizabant non in remiſſionem originalis; ſed vt poſſent introire in regnum cælorum: iuxta verbum Domini: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Itaque (vt putabant) ſi abſque baptiſmo decederent, poſſent quidem permanere in amicitia Dei, tamen extra regnum cælorum. Contra quorum perfidiam Aug. tres libros illos edidit ad Marcellinum de peccatorum meritis, & baptiſmo paruulorum. Et ſex alios contra Iulianum Pelagianum. Et Epiſt. 23. ad Bonifacium. Vbi multis teſtimonijs comprobat, propterea ſine baptiſmo non poſſe paruulos intrare regnum cælorum, quòd ſine ipſo nequeunt remiſſionem obtinere originalis culpæ, quam contrahunt. De qua re poſtmodum indictum fuit Mileuitanum concilium, in cuius c. 2. quod refertur de conſecr. di. 4. can. Placuit. 3. eadem hæreſis condemnata fuit. Verba autem concilij ſunt. Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit eos in remiſſionem peccatorum non baptizari, anathema ſit. Illud autem concilium multis poſtmodum pontificum ſubſcriptionibus confirmatiſſimum fuit, vt reſcripto Innocentij Papæ ad eandem ſynodum, & Epiſtola Leonis pontificis 56. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum.

Manichæorum hæreſis circa baptiſmum.

VVitcleff.

† *1. Ep. c. 4*

Pelagianorum error.

Ad quid paruulos baptizabant.

Auguſtinus contra illos docet paruulos baptizari ad remiſſionem culpæ orig. Item Concilium Mileuitanum.

Et reuera ſuppoſito peccato originali, negare paruulis neceſſarium eſſe baptiſmum, ingentiſſima eſt eademque impientiſſima hæreſis. Alteri n. duorum capitum innitebantur hæretici. Pelagiani quidem, quia originalem maculam non agnoſcebant Witcleff verò, quòd cum Deus abſque hac ablutionis cæremonia gratiam poſſet infundere, ſuperfluam exiſtimabat. Quòd autem originis contagione quotquot ex Adam naſcuntur, inficiantur, adeò ſunt teſtimonia ſacra manifeſta, vt contra id negantes ſigne potiùs quàm rationib. ſit agendum. Ait n. Dauid Pſal. 50. ſe in iniquitatib. fuiſſe conceptum. Et eandem ob cauſam Iob 3. diei maledixit, in qua natus fuerat. Et Paul. Rom. 5. Per vnum, inquit, hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors. Imò ob id ait, mortem in omnes homines pertranſiſſe, quòd in illo omnes peccauerunt. Et c. 3. Cauſati, inquit, ſumus Iudæos omnes & Græcos ſub peccato eſſe: quia non eſt iuſtus, quiſquam. Et inferiùs. Non eſt diſtinctio, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Et ad Galat. 3. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio Ieſu Chriſti daretur credentibus. Hæc autem omnia verbo Ieſu Chriſti eluceſcunt. Ob id enim, vt ſupra diximus,

Paruulos originis contagio infectos eſſe.

Digitized by Google

vsus est illo verbo, Renatus, vt intelligeremus omnes in Adam (vt ait Paul. ad Ephes. 2.) nasci natura filios iræ, egereque subinde renasci in Christo, vt Aug. ait eod. lib. † de baptismo paruulorum. Generante enim, inquit, carne tantummodo contrahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu sancto non tantum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum. De consecr. dist. 4. can. Generante. sic enim legendum est, non, Regenerante.

† l. 1. c. 13.

Si paruuli contrahunt p. orig. ergo sunt baptizandi.

Constituto autem, peccatum per generationem contrahi, blasphemia esset in Deum insignis negare paruulis necessarium esse baptisma, vtpotè qui tam latum infantium statum omni prorsus remedio destitutum reliquisset. Nam cauillus ille Witcleff, quòd Deus posset sine baptismo gratiam eis conferre, solidissimis rationib. repulsatur. Primum enim congruentissimum fuit saluti nostræ (quod initio primæ distin. dicebamus) vt cùm eam nisi per exhibitam passionem Christi (vt nos) aut per eius fidem venturi (vt olim) nemo assequatur, nemini diuinitus participaretur, nisi aliquo modo eadem passio & fides homini applicaretur, vt illa ratione diuinum beneficium recognoscentes gratias Deo rependeremus. Qua vtique ratione & in lege naturæ paruulis applicabatur fides: & in lege scripta data fuit circuncisio pro paruulis octo dierum natis, & nobis baptismus quo eadem applicatur passio. Si n. Deus latenter nobis inscijs nos saluos faceret, cultus deperiret, quo nos ipsum per sacramenta colimus.

Nec dici potest Deum sine baptismo eos saluare.

Præterea ex eadem opinione fieret consequens, vt nunquam paruulus originale contraheret. Nam si nullum esset expectandum sacramentum, neque Deus prolis natiuitatem expectaret, vt noxam illam infantulo indulgeret. Atqui adeò eodem instanti, quo conciperetur, illam illi abstergeret: & eadem ratione eum ab illa præseruaret.

Meritissimò ergo ait Aug. lib. de fide † ad Petrum, quod refertur de consecr. di. 4. Firmissimè tene, non solùm homines ratione vtentes, verùm etiam paruulos, qui sine sacramento baptismi de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Quamuis quòd paruuli puniantur pœna sensus, non communiter teneatur. Quamplurima in hanc sententiam locis citatis idem Aug. luculentissimè disserit. Vnde in lib. 1. de baptis. paru. c. 20. loco illo Ioan. 3. Qui credit filio, habet vitam æternam, qui verò incredulus est filio, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum; infantes quoque comprehendi autumat. Quib. baptizari, inquit, credere est; non autem baptizari, incredulos esse. Idque cap. 27. repetens, concludit infantes absque baptismo non solùm regnum cælorum, verùm nec salutem obtinere.

† c. 16.

Paruuli sine baptismo decedentes iuste damnantur.

Ad aliud, quod tanquam absurdum inferebat V Witcleff, videlicet, vsu venire posse, vt propter incuriam parentum, imò citra illam posset casu aliquo infans absq; baptismo vita defungi atque adeò perire, respondetur, quod dum puer absque baptismo moritur, non priuatur vita æterna propter peccatum patris, sed propter illud originale, quod ex Adam ipse contraxit. Deus n. nihil nobis debet, & ideo si remedium quod pro sua misericordia instituit, non applicatur puero, nulla querela contra eum resultat.

In solutionibus argumentorum D. Th. intentionem explicat, & fidem paruuli, & pœnitentiam, quæ videntur ad baptismum requiri. Hæ enim erant hæreticorum argutiæ, quòd cùm ad baptismũ requiratur fides quæ per dilectionem operatur, & pœnitentia, & pueri nequeant eiusmodi actus habere, inutilis illis esset baptismus. Responsio verò catholicorum erat, quòd cùm originale peccatum non propria voluntate, sed aliena (nempe Adæ) contrahatur, pueri quoque aliena voluntate (s. parentum & gestantium) baptizari volunt & petunt, fidemque profitentur, &c.

1. Argu. S. Thoma.

Arguit ergo D. Thom. primo loco sic. In eo qui baptizatur, requiritur (vt dictum est) intentio suscipiendi sacramentum, hanc autem pueri rationis vsu carentes habere non possunt: ergo nec baptizari debent. Respondetur autem, quòd regeneratio spiritualis, quæ fit per baptismum, similitudinem in hoc gerit carnalis natiuitatis; quòd sicut puer in vtero matris inclusus non proprio nutrimento, sed matris sustentatur: ita pueri ante annos discretionis in gremio matris Ecclesiæ constituti: non per se ipsos, sed per actum eiusdem Ecclesiæ salutem suscipiunt. Vnde Aug. li. de peccatorum meritis & remissione, † quod refertur can. Mater de consecr. di. 4. Mater, inquit, Ecclesia os maternum paruulis præbet, vt sacris mysterijs imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quòd fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, cùm per eorum verba gestantium diabolo & huic sæculo renunciare monstrantur? Eadem ergo ratione dicuntur intentionem habere, quam ipsi significant qui eos gestant.

† l. 1. c. 19. & 25.

Secundum.

Pari modo respondetur ad secundum, quod est huiusmodi. Baptismus est sacramentum fidei: pueri autem habere non possunt fidem, quæ quidem ex voluntate pendet, vt August. dicit super Ioan. tract. 26. Nec satis est respondere, quòd salui fiunt in fide parentum: nam contingere potest, vt & parentes, & qui baptizat, & qui baptizatum de fonte leuat, omnes sint infideles: ergo pueri non sunt baptizandi. Responsum, quod tria habet aut quatuor membra, colligitur ex Aug. in epistola ad Bonifacium, vbi ait primò, & refertur can. In Ecclesia de consecr. dist. 4. In Ecclesia saluatoris, paruuli per alios credunt, sicut ex alijs, quæ in baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Quapropter secundò addit S. Tho. quòd non impeditur eorum salus etiamsi parentes, & baptizantes, & eorum susceptores sunt infideles. Nam, vt ad eundem Bonifacium Aug. ait: Offeruntur paruuli ad suscipiendam spiritualem gratiam: non tam ab eis, quorum gestantur manibus (quamuis & ab ipsis, si ipsi boni fideles sunt) quàm ab vniuersa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur; quibus placet, quod offeruntur, & quorum charitate ad communionem sancti Spiritus adiunguntur. Vnde infertur tertiò, quod infidelitas propriorum parentum, etiam si eos post baptismũ dæmoniorum sacrificijs imbuere conentur, pueris non nocet, quia vt Aug. ibidem ait, puer semel per aliorum voluntatem regeneratus, deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, vbi nulla sua voluntate consentit, secundum illud Ezechiel. 18. Sicut anima patris mea est, ita & anima filij. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Quartò demum conuenientiam constituit inter originalis culpæ & communicationem fidei. Nam cum Adam peccauit, non erant homines per se separatim viuentes, sed tota natura humana in illo continebatur, omnes (vt ait Paul. Rom. 5.) in ipso peccauimus: atque adeò inde culpam contrahimus, quæ per gratiam baptismalis vndæ diluitur. Pari ergo modo fides vnius, imo totius Ecclesiæ paruulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui vnit Ecclesiam, & bona vnius alteri communicat.

Paruuli in fide Ecclesiæ baptizatur etiamsi eorũ parentes, susceptores & minister sacramenti sint infideles.

Simili modo dicendum est de pœnitentia paruuli. Arguitur ergo tertiò. Baptisma, vt 1. Petri 3. habetur, homines saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum: paruuli autem suo non vtentes arbitrio, neque bonam habent, neque malam conscientiam, neq; verò intellectu pollent idoneo, vt interrogarentur: ergo nec sunt baptizandi. Respondetur, quòd sicut non per se ipsos, dum baptizantur, credunt, ita nec per se ipsos, sed per alios interrogati confitentur fidem Ecclesiæ, cui aggregantur, & pariter conscientiam consequuntur bonam, respondentes abrenunciare Satanæ, & pompis eius: non quidem actu proprio, sed habitu infuso per gratiam iustificantem.

3. Arg.

Paruuli in baptismo per alios respondent & per alios credunt.

Circa solutiones istas primum ex superioribus meminisse opus est, susceptores (quos Aug. gestantes, vulgus autem patrinos appellat) non esse de essentia sacramenti. Imò si quis priuatim puerum absque alio tertio baptizaret, verum esset sacramentũ. Tunc n. intentio sua baptizandi reputaretur pro intentione Ecclesiæ, & pro renuntiatione, qua renuntiaret Satanæ, vt puer baptizaretur. Secũdò id etiam manifestum est, puerum non credere formaliter per fidem Ecclesiæ; quippe quæ eius intellectui non inest. Neque verò fides, & charitas Ecclesiæ concurrit per modum meriti ad ipsum iustificandum, vt Durand. arbitratur. Cuius opinionem d. 2. q. 1. ar. 4. satis refutauimus. Imò quamuis nulla esset charitas in tota Ecclesia, neque meritum, per sacramentum ipsum virtute operis, tanquam per Dei instrumentum gratia baptizato infunderetur. Quin etiam, vt illic. & d. 1. q. 5. arti. 9. adnotauimus, quamuis præter legem per impossibile daretur, nullam superstitem esse fidem in tota Ecclesia, quicunque pue-

Etiamsi in Ecclesia nulla fides & nullum meritum foret; nihilominus paruulis posset valide baptismus conferri.

rum

rum intentione faciendi quod Christus instituit, baptizaret, legitimum perficeret sacramentum. Sed eiusmodi ritus meritissimo ab Ecclesia instituti sunt, iuxta tenorem arti. fidei, quo credimus vnam sanctam Ecclesiam, & sanctorum communionem. Quæ quidem communio in hoc præter alia constitit, vt Ecclesia pueros ante vsum rationis, quasi in gremio gestet, illisque sacramenta offerat, & pro eis preces fundat, vt d. & q. citatis ar. 1. explicuimus. Atque adeò intentio Ecclesiæ reputatur pueri.

Num parvuli verè credere dicantur.

Hæc ergo sic constitura causam nobis hæsitandi offerunt, vtrùm pueri verè dicantur credere. Arguitur n. à patre negatiua. Credere actum dicit, quem illi habere nequeunt, licet habitum infusum per baptismum recipiant, quo tamen vti nequeunt. Præsertim, quòd credere est dispositio præuia ad dignè suscipiendum baptismum, vt ar. 4. dictum est. Habitus verò infusus non est dispositio suscipiendi baptismum, sed eius effectus. Atqui intentionem, fidemque ministri, iam diximus non esse suam ipsorum infantium formaliter. In contrarium est sententia illa Redemptoris: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, quæ cùm sit generalis, pueros etiam comprehendere videtur. De hac ergo re duæ sunt sententiæ diuersæ, vna, s. Lutheri, quæ non modò hæresis, sed dementia est manifesta. Sic n. mordicus tenuit solam fidem sufficere ad salutem, vt diceret, pueros etiam ante vsum rationis verè actu credere. Sed delirium est tanquam hæreticum condemnatum, vt patet apud Rossensem, in 1. art. ad Leonem decimum. De quo nos lib. 2. de natura & gratia, meminimus c. 10. Alij verò ex catholicis non satis percipere valentes, quo modo pueri credant, aiunt, verbo illo Saluatoris: Qui crediderit, &c. non comprehendi pueros, sed solos adultos. Præmiserat n. Docete omnes gentes: pueri autem doceri non possunt, sed adulti. At verò vt illic ex Aug. colligimus, profectò & pueri censendi sunt credere dum baptizantur. Enimuerò Aug. lib. 1. de peccat. merit. cap. 20. enarrans locum illum Ioan. 3. Qui credit in filium habet vitam æternam: qui verò incredulus est filio, non habet vitam æternam, sed ira Dei manet in illo: ait infantes baptizatos credentium numero adscribi ab Ecclesia, & qui non baptizantur eodem numero excludi. Et multis interiectis concludit ca. 27. Quis, inquit, nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari? Quos quidem etiam ait esse de ouibus Christi, quæ vocem eius audiunt, eumque agnoscunt. Ex quo fit, illis etiam annumerari, de quibus ait Christus: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Et can. Nihil est. de consecrat. dist. 4. asserit; credere esse fidem habere, pueros autem fidem habere propter fidei sacramentum, & conuertere se ad Dominum propter conuersionis sacramentum. Censet, ergo sanctus ille pater infantes credere, non solùm per habitum infusum, vt Inno. ait c. Maiores. extra de baptismo. sed quia id ipsum quod est baptizari, est Euangelium suscipere, obligarique ad eius legem & fidem, hoc est, ad legem suo tempore seruandam, fidemque confitendam. Quod idcirco meritissimò existimantur credere: nam perinde valet ac si illi ratione vtendo id ipsum reciperent Euangelium.

Lutherus stulte asseruit paruulos habere actum fidei.

Responsio ad quæstionem ex B. Aug.

An parvuli baptizati, priusquam adoleuerint, sint adigendi ad fidem complendam.

Quapropter inde altera soluitur grauissima quæstio, vtrùm pueri baptizati postmodum rationis luce illis affulgente, compellendi sint ad fidem: nam Anabaptistæ, hoc est, rebaptizatores propterea baptizatos in infantia, postea in adolescentia rebaptizãt, quòd putant neminem propter baptismum ante rationis vsum susceptum posse ad legem cogi: alias inuitus traheretur ad Euangelium: contrà quam Christus instituit præcipiens: Docete omnes gentes. Quinimò non modò qui apertè sunt hæretici, verùm & Erasmus in proœmio super Matth. hæc verba non est scribere veritus. Si placeret maioribus Ecclesiæ, deberent paruuli, cùm ad ætatem adultam peruenerint, interrogari an vellent tenere fidem susceptam. Quòd si nollent, deberent relinqui suo arbitrio. Perpende si verba hæc sint in Christiano ferenda. Respondetur ergo paruulos baptizatos postmodum compellendos ad fidem. Primùm enim si sint parentibus Christianis nati, res est extra controuersiam manifesta. Sunt siquidem de republica Ecclesiæ, eiusque iurisdictioni subiecti: quare licèt in infantia non baptizarentur, possent in ætate adulta ad baptismum, etiam sub ignis supplicio, compelli. Si autem sint filij infidelium, quamuis nullatenus

Erasmi & Anabaptistarum error.

Responsio ad.

sint inuitis parentibus baptizandi, nihilominus quomodocunque baptizentur, postea ad fidei culturam constringi, vt illicò dictum fuit. Est enim, vt paulò antea diximus, in concilio Toletano 4. sancitum, quod refertur di. 45. can. De Iudæis. & citatur ab Innocentio cap. Maiores. de baptismo. Vbi habetur, quod Iudæi vi a Sisebuto baptizati, cogendi sunt ad fidem: tametsi concilium strictissimè prohibeat, ne deinceps vis vlla baptizandis inferatur.

Probatur ex Conc. Toletano.

ARTICVLVS X.

Vtrùm pueri Iudæorum vel aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.

QVONIAM dictum est pueros dum baptizantur, ore gestantium tanquam Ecclesiæ ministrorum, intentionem suam aperire, dubitatio inde exurgit, vtrum Iudæorum vel aliorum infidelium filij, reclamantibus parentibus sint baptizandi? Nec sine mysterio sub diuunctione Iudæi atque alij infideles nominantur: quia non apparet omninò par ratio de omnibus, vt argumento secundo videbimus. Et respondet D. Tho. per distinctionem duabus conclusionibus. Aut enim fidelium filij vsum rationis habent, aut secùs. Prima ergo conclusio est. Infideles habentes rationis vsum licitè moneri possunt, & induci ad suscipiendum baptismum, etiam inuitis parentibus. Probatur. Cùm primum enim quis annos discretionis attingit, incipit, quantum ad ius diuinum & naturale suæ esse potestatis & arbitrij: ergo tunc vt potest inuitis parentibus matrimonium contrahere, quòd est iuris naturæ, ita, imò æquiùs baptismum suscipere, quod est iuris diuini. Secùs de ijs, quæ sunt ciuilis iuris. Haud enim statim liberum est, de suis bonis proprio arbitrio disponere, vsque ad legitimum annum, vt emancipari possit à paterna potestate.

Prima conclusio. Filij infidelium ad annos discretionis peruenientes, possunt si consentiat, inuitis parentib. baptizari.

Secunda conclusio. Filij infidelium nondum vsum liberi arbitrij habentes non debent inuitis parentibus baptizari. Probatur primò ex concilio Toletano 4. ca. 56. & refertur d. 45. ca. De Iudæis. Cuius verba sunt. De Iudæis autem præcipit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri. Illos enim paruulos inuitis parentibus baptizare, perinde est ac adultis vim inferre. Et deinde confirmatur ratione triplici. Primò, quia secundùm naturæ ius quamdiu paruuli sibi prouidere non possunt, sunt sub cura parentum, quibus ideo incumbit lege eos & moribus iustituere & educare: Quare iniuriosum esset illos hoc expoliare iure. Vnde etiam pueri antiquorum, (quod d. 2. q. 1. art. 4. explicabamus) olim dicebantur saluari in fide parentum. Secundò quia contra facere periculosum esset: nam propter naturalem affectum ad parentes facile ad infidelitatem reuerteretur, quod in iniuriam cederet fidei. Tertiò confirmatur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ nunquam eiusmodi paruulos inuitis parentibus baptizare consueuit.

Secus, si nondum annos discretionis attigerunt.

Quæstio est tum celeberrima, tum subinde grauissima, quam D. Thom. non hic tantum, sed & 2. 2. q. 10. artic. 8. quantum ad adultos, & art. 12. quantum ad paruulos tractat, vbi easdem conclusiones corroborat. Et quidem prior illam nobis offert disputationem, vtrùm infideles adultos non solum admonere, atque ad baptismum inducere liceat, (vt ait hic Diuus Thom.) verum, & minis quoque ac terroribus cogere. Atque si res ab altissimis radicibus esset deducenda, vastissimus nobis hic dicendi campus expanderetur. Esset enim differendum, vtrùm ob scelera & flagitia, quibus ius naturæ fœdissimè violent, illegitima, s. nefandaque venere abutendo, humanis vescendo carnibus, atque idola colendo, possent à Christicolis bello impeti. Ambiguitas verò hæc non in eo posita est, vtrùm eiusmodi corruptos homines acerrimo digni sint supplicio capitis. Nemo enim hæsitat, quin sint dignissimi, non modò ipsi qui faciunt, verum (vt ad Rom. 1. ait Paul.) ij etiam qui consentiunt facientibus: nempe eorum principes, quibus naturali iure cura demandata est, vt subditos suos corrigant. Sed punctum dubitandi hoc est, vtrum Christianis principibus legitima sit autoritas & facultas eos puniendi. Ad iustitiam enim vindicatiuam non sat est crimen dignum esse supplicio, verum exigitur vt à proprio iudice exerceatur. Neque verò rerum consequentia vlla est, quam miror nonnullos plurimi æstimare, scilicet Deus anti-

Expositio articuli.

Vtrum minis & terroribus cogere liceat infideles ad baptismum.

qui-tus

quitus gentes terræ promiſſæ Iudæis propter ſuas idolatrias, & alias impietates deleuit, vt Deut. 9. legitur: ergo nobis licèt ob ſimilia crimina infideles pérequi. Deus enim vniuerſalem iuriſdictionem habet in vniuerſum orbem, principes autem Chriſtiani non niſi in ſibi ſubditos, qui præterea hoſtibus ſibi infeſtis bello reſiſtere poſſunt. De quibus Deut. 20. præcipiebat Deus eiſdem Iudæis, vt cùm exirent ad bellum, ſcilicet contra ſuos hoſtes, primum eis pacem offerrent, quam ſi renuerent, bello aduerſus illos agerent. Quòd autem nos, infideles, qui aduerſus nos nihil obmoliuntur, armis debellare poſſimus, oſtendendum eſſet, quo iure nobis competat. Videtur enim Paul. 1. Cor. 15. reclamare dicens: Quid enim mihi de ijs qui foris ſunt, iudicare? Nam eos qui foris ſunt Deus iudicabit. Quaſi dicat: Eorum iudicium, qui in Eccleſiæ ſocietatem non ſunt recepti, Deo reſeruandum eſt. Vnde colligitur, quòd licèt Eccleſia in potentia & habitu iuriſdictionem habeat in omnem orbem ſi fidem ſuſceperit, actu tamen vim coactiuam exercere non poteſt, niſi in eos, qui eam ſua ſponte ſuſceperint, niſi fortè vel terras noſtras inuadant, vel nobis alia ſint ratione infeſti.

Hæc autem quæſt. multas ex peregrinis locis extra lineam huius artic. huc concitaret. Et ideo ea prætermiſſa, hoc prorſus in præſentiarum de huiuſmodi adultis infidelibus perſtringendum eſt, vtrum ſola ratione fidei, vt ſcilicet eam ſuſcipiant, minis ac terroribus, imò aperto bellorum impetu ſint cogendi. Ad quam quæſt. Scot. in 4. d. 4. q. 9. affirmanter hiſce verbis reſpondet. Crederem religioſè fieri, ſi & ipſi infideles parentes cogerentur minis & terroribus ad ſuſcipiendum baptiſmum, & ad conſeruandum poſtea ſuſceptum. Nihilominus communis doctorum conſenſus eſt in contrarium. In primis D. Tho. quamuis non hic tam expreſsè, tamen loco citato 2. 2. q. 10. ar. 8. ait eos, qui nunquam fidem noſtram ſuſceperunt, neutiquàm eſſe ad eam compellendos. Et arti. 12. ait, quòd ſunt inducendi ad fidem, non coactione, ſed perſuaſione. Eandemque tanquam certiſſimam veritatem aſſeuerat in 4. Ricardus diſt. 6. art. 3. quæſt. prima, & Petrus à Palud. diſt. 4. quæſt. 4. & Durand. q. 6.

Scotus affirmat.

Sed ſent. negans eſt communis.

Igitur vt res ex ordine procedat, tribus concluſionibus reſpondet. Prima. Eccleſia Chriſti primùm, ac perinde vnuſquiſque mortalium ius habet tam diuinum, quàm naturale promulgandi Euangelium vbique terrarum. Probatur primò ex illo Marci vlti. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. quaſi dixiſſet. Quam ego poteſtatem in hac parte habeo, vobis confero: habuit autem poteſtatem in totò orbe prædicandi: ergo illam nobis contulit. Secundò. Iure naturæ vnuſquilibet libertatem habet & facultatem docendi alios, eisque perſuadendi illa, quæ facere tenentur: ſed vniuerſi mortales (vt art. 1. conſtitutum eſt, tenentur Chriſtianam fidem, eiusque ſacramentum ſuſcipere: ergo vnuſquilibet poteſt id vniuerſis vſque ad perſuaſionem ſuadere. Id quod tertiò ſic confirmatur. Poteſt quiſque quemcunque ea quæ ſunt iuris naturæ docere; neque illo docendi iure priuari valet: ergo & ea quæ ſunt Euangelicæ fidei, vtpotè quæ nec minus ſunt obligatoria, & magis ſunt ſalutaria. Non dico, vt poſſit cogere aut conuincere: nam ſupernaturalia intellectum non conuincunt, ſed tamen ea docere & explicare quiſque iure ſuo valet. Res eſt clara.

1. Concl. Eccleſia immo ſinguli homines ius habent vbique prædicandi euangelium.

Secunda concl. Si quis eandem prædicationem nobis impediret & cohiberet, iure poſſemus eius violentiam etiam armis propulſare niſi vbi experimento comperiremus ſcandalum inde oboriri in iniuriam fidei. Exemplum eſt. Si princeps aliquis tyrannus aliquam nobis prouinciam prædicandi gratia adeuntibus vi ingreſſum prohiberet, aut ſi dum prædicamus carceribus manciparet, vim illam vi poſſemus repellere. Primùm, quia ius noſtrum, in prima concluſione aſſertum, nobis ille auferret. Deinde quoniam & indigenis illius prouinciæ atrocem irrogaret iniuriam, prohibendo ne tubam Euangelicam auſcultarent. Illos autem, qui nos audire nollent, compellere vt nos audirent non poſſemus, vt paulò inferius confirmabimus: quoniam ius nobis tantum ineſt prædicandi: cogere autem vt credant, vel vt audiant, iam eſſet ad fidem eos perſtringere, quod non licèt. Dixerim niſi ſcandalum orietur: nam ſi eiuſmodi bello prouincialibus ſcandalum daremus, vt odium fidei conciperent, atque adeò aduerſus illam recrudeſcerent, ceſſandum eſſet.

2. Concl. Contra ius iſtud impedientes poteſt Eccleſia armis procedere, ſecluſo tamen ſcandalo.

Tertia concluſio. Neutiquam licet quenquam vel ad fidem, vel ad baptiſmum cogere. Hæc concluſio planis tum ſacræ paginæ, tum etiam conciliorum & ſanctorum teſtimonijs firmiter comprobatur. At quoniam autoritates rationibus eluceſcunt, à rationibus exordiendum eſt. Vbi primum fundamentum, quod tam eſt manifeſtum, vt nemo id poſſit inficiari, ob oculos præfigendum eſt. Videlicet. In ratione promulgandæ fidei omnia media ad ipſam ſeminandam ex ipſa eius natura ſunt perpendenda, atque ad hunc ſcopum dirigenda, vt nulla ei inferatur iniuria, ſed ſecundum eius naturam promulgetur. Natura autem prima fidei eſt, ob id, quod ſupranaturalis exiſtit, non eſſe hominibus in hoc ſæculo demonſtrabilem, vt poſſit intellectus ad ipſam amplectendam conuinci, iuxta illud Eccleſiaſtici 3. altiora te ne quæſieris (id eſt, ratione naturali ne fidei myſteria perſcruteris) plurima autem ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi. Ex quo palam fit conſequens, vt D. Tho. 2. 2. q. 2. ar. 9. & q. 4. art. 1. colligit, vt ſuapte natura non niſi per ſpontaneum voluntatis obſequium diuinitus per gratiam motæ ſit acquiſibilis, iuxta verbum Paul. 2. Cor. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Id quod tract. 26. ſuper illud Ioan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum, diſertè docet Aug. vbi ait neminem à Deo inuitum trahi, ſed ſpontaneo amore, vt trahit ſua quemque voluptas: & cum tractio per fidem fiat amore viuentem, colligit, in ſola hominum voluntate diuinitus mota conſiſtere. Hinc ergo elicitur prima ratio. Baptiſmum nemini conferre licet, vt art. 8. demonſtrauimus, niſi ei qui fidem habere præſumitur: nam cum permanenti in peccato non ſit conferendum ſacramentum, & infidelitas grauiſſimum ſit crimen, ſacrilegium eſſet infidelem baptizare: ad fidem autem nemo cogi poteſt: ergo neque ad baptiſmum debet. Et per hoc ſoluitur vnum argumentum, quod rem maximè declarat. Poteſt ciuilis princeps, maxime ſi maiorum conſilium capiat, aut reſpublica per ſuos magiſtratus reliquis ciuibus inuitis leges condere, aut alienas ſuſcipere. v. g. Poterat reſpublica Romana leges Athenienſium inuitis plebeis ſuſcipere, eosque ad obſeruandum cogere, vt Numa Pompilius Romanorum rex multas Albanorum, aliorumque leges ſuis ciuibus tulit: ergo pari modo ſi princeps aliquis infidelium, aut magiſtratus reipublicæ legem Chriſtianam ſuſcipere decerneret, poſſet ciues omnes ad baptiſmum compellere. Negatur inquam conſequentia. Eſt enim peramplum diſcrimen, quod leges principesque ciuiles non obligant, niſi ad actus exteriores, quos tantùm iudicare & punire poſſunt: lex autem Euangelica per fidem corde ſuſcipitur, ac proinde ſingulariem perſonarum conſenſum requirit. Vnde receptio fidei debet eſſe perſonalis, vt vnuſquiſque eam figillatim ſuſcipiat. Quare nullus poteſt neque à tota republica cogi.

3. Concl. Nihilominus ad baptiſmum & fidem cogere nemmem licet.

Quia fides neceſſario debet eſſe ſpontanea, qua qui caret, baptizandus nõ eſt.

Occurritur obiectioni petita ex poteſtate principum in ſuos ſubditos.

Secundò id confirmatur ex verbo Chriſti, Prædicate Euangelium; &, Docete omnes gentes. Non ait, vi ipſum obtrudite, ſed docendo perſuadete, & qui ſua ſponte crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Non ait, condemnabitur à vobis, vt propter infidelitatem eum morte plectatis, ſed condemnabitur condemnatione æterna: illi ſcilicet ſaluti contraria, de qua præmiſerat, ſaluus erit: ſcilicet ſempiterna ſalute.

Confirmatur ſecundò ex verbis Domini.

Tertiò. Intentio Chriſti fuit perſuadere orbi fidem, quæ per charitatem operatur: nam illa ſola eſt, quæ filios nos Dei facit, iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius: charitati autem nihil eſt magis aduerſum quàm vis, iniuria, & metus: neminem ergo ad fidem eiuſmodi violentijs licitum eſt cogere, ſed tantùm amore allicere & perducere.

Tertiò ex intentione eiuſd.

Quartò id euidentiſſimè & vrgentiſſimè ex legibus confirmatur, quas Chriſtus Matth. 10. cùm diſcipulos prædicatum dimiſit in orbem, eis præſcripſit, quæ quidem omnes pacem illam ſupra cæleſtem, quæ (vt Paul. ait ad Philipp. 4.) exuperat omnem ſenſum, mirificè redolent. Cùm n. fides, quæ naturali ratione demonſtrari non poterat, ſupernaturalibus miraculis eſſet perſuadenda, non alia illis iuſſit vt facerent, quàm quibus poſſent humanos animos ad fidem conciliare.

Quarto ex regulis Prædicatoribus ab eo datis.

Non

Digitized by Google

Non enim ait, sanos plagis afficite, aut viuentes trucidate, aut dæmonib. seruientes, dæmoniacè tractate, & pro eiusmodi inferendis iniurijs bona illorum tanquam mercedem vestram ab illis eripite. Sed infirmos, inquit, curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite, neque pro tam ingentibus beneficijs quicquam repetentis imo quia gratis accepistis, gratis date. Et subdit. Non aurum neque argentum, &c. Ne vti ibidem ait Hieron. si aurum & argentum haberent, non causa salutis hominum viderentur, sed causa lucri prædicare. Neque vllam feratis virgam (scilicet potestatis) ne vllam belli imaginem illis offeratis. Quinuerò intrantes domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui. Quod quidem verbum, vt eod. loco super Matt. considerati⁹ aduertimus, non deprecatoriè tantùm accipitur, sed assertoriè, hoc est, Ecce vobis pacem afferimus, pacemque annunciamus Euangelicam. Et quo eandem pacem sublimiùs efferret, Ecce ego, inquit, mitto vos non sicut lupos ad lacerandas deuorandasque oues, sed sicut oues in medio luporum: videlicet, vt quos lupos inueneritis, ouino ingenio tractetis, & quam possitis maximè, in ouium mansuetudinem transformetis. Vnde Chrysost. homilia 34. super hunc locum. Erubescant, ait, igitur qui contra facientes, quasi lupi aduersarios suos persequuntur, cum videant innumeros lupos (nempe gentiles) ab ouibus vinci paucissimis: scilicet ab Apostolis. Et certè quamdiu sumus oues, facilè hostes vincimus: cùm verò in naturam luporum transimus, tunc superamur. Tunc enim nullum à pastore nobis patrocinium adest, qui non lupos, sed oues vult habere. Vbi Chrysostomus admonitos nos curauit, quemadmodum Christus successui prædicationis non faueat, quando norma eius prædicandi non seruatur.

Quinto.

Si infideles euangelio respuunt, diuino iudicio sunt relinquendi.

Sed rogas. Quid si prædicationem nostram repudiantes, abiecerint nos? Audi quintum idemque efficacissimum argumentum. Quicunque, inquit, non receperint vos, neque audierint sermones vestros: non ait persistentes cogite vt vos audiant, sed exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedib. vestris (videlicet, qui in die iudicij illos accusaturus exurgat.) Amen dico vobis, tolerabilius erit in die iudicij terræ Sodomorum aut Gomorrhæorum, quàm illi ciuitati. Quasi dicat. Vindicta illius repulsæ, non ad vestrum, sed ad meum attinet supremum iudicium. Qua vtique de causa, paulò antea diximus quòd non possumus infideles, vt nos audiant, compellere.

Sextò idem ostenditur ex verbis Apostolorū.

Sed perspice, vt sextum adhibeamus argumentum, quàm his legibus consonent Apostolorum monita. Paul. Ephe. 6. Succincti lumbos vestros (non in feritate) sed in veritate, induti loricam (non ferri) sed iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Et ad Philipp. 2. Vt sitis sine querela, & simplices filij Dei; sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ. Et 1. Pet. 2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operib. vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Et Iacobus, vt eius refert historia, cum Hermogenes ad eum ligatus traheretur, tum vinculis absoluto ait, vade quò voluetis liber: non n. vult Dominus, vt aliquis inuitus conuertatur. Nescio ergo quisnam hæc mente intuitus dicere pergat, fas esse, quenquam ad fidem, vel ad fidei sacramentum minis & terroribus cogere.

Septimò confirmatur ex pacifico Christi aduentu.

Iam alia via arguitur septimò. Quamuis gentes omni scelerum genere sorderent, Christus suo primo aduentu in carne non venit ad exigendum ab eis erratorum pœnas, sed vt eis per pœnitentiam conuersis omnia condonaret. Est n. duplex visitatio: altera medici ad infirmum, vt illi medeatur: atque altera iudicis ad reos, vt eorum vlciscatur scelera. Christus ergo suo primo aduentu in carne visitauit nos oriens ex alto, vti medicus. Vnde Matth. 9. Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus. Quare dies natiuitatis eius, vt ait ad Titum Paul. dies fuit, qua apparuit eius benignitas & humanitas. Dies autem iudicij appellatur dies iræ, de qua Dauid: Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Et hoc aduentuum interstitium denotauit Christus Ioan. 3. dicens: Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vnde Lucæ vltimo: Quoniam sic scriptum est, & sic oportet Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Quare hoc fuit prothema prædicationis Baptistæ, ac subinde Christi: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Prædicatio ergo Euangelicæ fidei non debet esse minis & terroribus instructa, sed benignitate referta & beneuolentia, qua possint homines ad pœnitentiam reuocari. *Matt. 3. & 4*

Psal. 74.

Idque octauò etiamnum ex illo Lucæ 9. confirmatur, vbi cùm Iacobus & Ioannes repulsam à Samaritanis passi fuissent, dixerunt Domino: Vis dicamus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Sed conuersus Dominus increpuit illos dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. Quæ quidem mansuetudo quem postea fructum fecerit, tunc postmodum apparuit, dum ipse Saluator per Samaritanam introductus, propter suam ipsius loquelam ab eisdem fuit Samaritanis receptissimus. *Octauò.*

Nonò arguitur. Christus per fidei doctrinam humilitatem, paupertatem & mansuetudinem, docere studuit mundum. Discite enim, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. Et beatos prædicauit pauperes: quoniam ipsorum est regnum cælorum: & mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Huic autem doctrinæ è diametro aduersatur superbia, auaritia, & ira: ergo ille qui infideles, vt fidem Euangelicam susciperent, armorum strepitu territaret, id quod verbis persuadere contenderet, re ipsa dissuaderet. *Nonò.* *Matt. 11.* *Matt. 5.*

Decimò hac excellentia lex nostra inter alias, cum Mahometi perfidia comparata, resplendet; quòd illa tanquam quæ nulla ratione persuaderi poterat, vi & armis in mundum obtrusa est: nostra verò per homines inermes & mites sola veritatis energia mundum vicit, iuxta illud 1. Ioan. 5. Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. *Decimò.*

Vndecimò. Si fides, cùm rationis naturalis lineam excedat, per violentiam gentibus prædicaretur, vel ipsa exosa fieret, quasi tyrannis existimaretur, & diaboli figmentum rationi repugnans: vel Deus inde blasphemaretur, quod infideles putarent non fuisse potentem legem suam, si sancta esset, sanctiori via in orbem introducere. *Vndecimò.*

Duodecimò idem probatur ex definitionibus conciliorum & Patrum testimonijs. Conc. Tol. 4.

Duodecimò denique veritas hæc inde confirmatur, quod nullum vnquam aut sanctorum pontificum, aut conciliorum, vbi fidei zelus cum prudentia coniungitur, memoriæ proditum est, talem cogendi modum ad intrudendam fidem, vel docuisse vnquam, vel certè permisisse. Imò tum sanctorum patrum concilia, tum & singulorum sententiæ eiusmodi coactionis opinioni vnanimiter contradicunt. Et primùm concilium iam citatum Toletanum quartum ob id præcepit nemini ad credendum, atque adeò neque ad baptismum vim inferri, quòd salutis beneficium non nisi per Dei gratiam donatur, qui cui vult miseretur, & quem vult indurat: atque homines, inquit, non sunt inuiti saluandi, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens perijt, sic (vocante eum gratia Dei) propria mentis conuersione quisque credendo saluatur: ergo non vi, sed libera arbitrij sui voluntate & facultate, vt conuertantur suadendi sunt, non potiùs impellendi. Hactenus synodus. Non ergo intelligo, quomodo Scotus fauere sibi hanc synodum putauerit, propterea quòd baptizatos à Sisebuto iusserit in religione Christiana retineri. Nam cum tam multis verbis inhibuerit, ne id deinceps fiat, manifestè docet factum illud non processisse ex zelo secundum scientiam. Sed neque responsum Gab. d. 4. q. 2. solidum est, dicentis synodum id prohibere: non quia per se non sit licitum, sed ne detur scandalum. Nam synodus nihil de scandalo meminit, sed ostendit naturam fidei esse, vt non suscipiatur, nisi auxilio Dei liberè voluntatem humanam ad consensum mouentis. Item Grego. Paschasio episcopo Neapolitano, lib. epistolarum. 11. & can. Qui syncera. ead. dist. refertur. Qui syncera, inquit, intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt recta perducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere: ne quorum mentem reddita ratio de plano poterat reuocare, pellat procul aduersitas. Nam quicunque aliter agunt, & infideles sub hoc velamine à consueta ritus sui voluerint cultura remouere, suas illic causas magis

Gabrielis responsio ad dictum Conc. refellitur.

Gregorius.

quàm

quàm Dei probatur attendere. Hæc ille. Quare præcipit Episcopo, ne Iudæos à suis cæremonijs vt arceat, sed blandè ad fidem perducat, Et lib. epistolarum 1. epist. 45. episcopos Marsiliæ Virgilium & Theodorum instantissimè admonet, ne vi Iudæos baptizent, sed prædicatione, & admonitione eos, quantum Deus donauerit, ad nouam regenerationis vitam perducant. Et lib. 2. c. 91. quæ est epist. 52. & refertur ead. d. can. Quid autem, ait, quod egregius prædicator dicit: Argue, obsecra in omni patientia & doctrina. Noua verò, inquit, atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Qua denique ratione ad Angliam conuertandam non armatorum exercitum, sed doctorum comitatum cum Augustino illius prouinciæ episcopo misit, vt Beda lib. 1. historiæ Angliæ refert. *Clemens tertius.* Et Clemens tertius cap. Sicut. de Iudæis, Statuimus, ait, vt nullus inuitos & nolentes Iudæos ad baptismum venire compellat. Quia Christi, inquit, fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed inuitus cogitur conuenire. Et quod Gregorius de Iudæis præcipit, ne vi à sua cultura prohibeantur, *August.* Aug. sermone 6. de verbis Domini de idololatris admonet, ne scilicet per violentiam à sua impietate diuellantur, etiamsi in Christianorum conspectu adorent idola: quia talem, inquit, potestatem non habemus, vt ea infringere valeamus, dicente Paul. 1. Corinth. 5. Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? quousque sua ipsi sponte in nostram familiam veniant: iuxta illud Deutero. 7. Cùm data fuerit terra in potestatem vestram, aras eorum destruetis, lucos eorum succidetis, statuas eorum confringetis, &c. Priùs ergo, ait Aug. blandiendum illis est, vt fidem nostram suscipiant: priùs fidei persuasione in eorum cordibus debemus idola confringere, quàm ius habeamus eos cogendi. Alioqui si nos, inquit, illis impetu obijcimus, vt nos occidant, Circuncellionum morem imitabimur, qui ob id se, sine alia causa, morti offerebant, vt postmodùm tanquam martyres colerentur. Hæc ille. Pari modo de Syluestro legitur, quòd ethnicos plurimis beneficijs cumulabat, vt eos ad fidem emolliret. *Syluester Papa.* Neque verò vnquam Christianissimo Constantino suasit, vt vi illos cogeret. *Ambrosius.* Neque Ambrosius catholico Theodosio. Quinuerò, quò plurimis alijs testimonijs prætermissis rem concludamus, lib. 7. super Lucam homilia super illud cap. 10. Nolite portare sacculum, &c. præsentem veritatem palam hisce verbis concludit. Virgam illis portare non permisit, quæ est præferendæ potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris. Eos enim misit ad seminandam fidem; qui non cogerent, sed docerent: nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent. Et vt ex doctoribus canonici iuris vnum pro omnibus citemus virum clarissimum, *Innocentius* Innocen. quartus super cap. Maiores. in verbo, Non compellant. Nullus ergo, inquit, vt Christianus fiat, compellendus est.

Dilutio arg. contrariæ opinionis. Supereſt ergo, vt contrariæ opinionis argumenta diluamus. Arguit quippe Scotus, ob id infideles ad fidem cogendos, quòd licèt hac via non fiant verè fideles in animo, tamen minus malum est eis non posse impunè legem suam illicitam seruare, quàm posse eam liberè seruare. Item quia filij eorum, si rectè educarentur, in tertia & in quarta generatione essent verè fideles. Sed ad hoc respondetur, quòd errare in consiliorum fine, est in foribus impingere. Prædicatio enim, vt dictum est, Euangelica illum debet habere scopum, vt fidei non fiat iniuria, quicquid in hominibus contingat. Vt autem baptizare infideles, qui in sua infidelitate permansuri creduntur, est sacrilegam iniuriam irrogare fidei: quod cùm sit per se malum, pro tota salute mundi non est faciendum. *Cap. 3.* Non enim facienda sunt mala, vt ait ad Rom. Paul. vt inde eueniant bona. Præsertim, quod longo experimento nobis constat, neque filios, neque nepotes, neque verò pronepotes Sarracenorum, qui in Hispania olim fuerint conuersi, suam sectam animo insculptam gestare. Quamuis catholicorum regum decretum non est condemnandum, quippe qui nõn aliam illis vim intulerunt, quàm vt si nollent Christianismum suscipere, fines regnorum suorum exirent, quod iure facere potuerunt.

Soluitur 2. obiectio. Alij verò, quò hanc absurditatem effugiant, aiunt quòd licèt nefas sit infideles ad fidem cogere, tamen fas est armorum vi illos priùs subijcere, vt subiectos commodiùs fidem doceamus, alliciamusque, vt eam sua sponte suscipiant. Nam qui præcipit, inquiunt, finem; permittit, imò iubet remedia necessaria ad finem: Deus autem & nobis præcipit prædicare fidem, & vniuersis mortalibus eum suscipere: neque alia via ad id nobis patet, quàm illos ditioni nostræ subiugando: ergo illud est licitum. Similimodo vulgares excusationem sibi obtendunt, qui Æthiopes vi capiunt. Aiunt, inquam, quòd licet eos in captiuitatem redigant, maius eis beneficium rependunt, dum Christianos faciunt.

Sicut ad f dem nem cogi debet ista nulla coactio po. test esse me dium licit ad eius pe suasionem. His autem respondetur, quòd si natiua fidei conditio est, vt ad eam nemo possit cogi, eadem conditio admonet nullam coactionem esse medium ad eius persuasionem licitum, atque adeò nec necessarium. Quod enim non licet, id absurdum est dicere, vt sit necessarium. Mirabile enim est quòd mihi non liceat ethnicum cogere, vt sit Christianus, & tamen ad illum finem liceat eum cogere, vt mihi sit subditus. Præsertim cum fides sit lex libertatis, vt ad Rom. 8. docet Paul. Vnde contra illos inuertitur argumentum. Fides, vt 2. 2. q. 10. ait S. Thom. per se non tollit dominium infidelium, quominus Christiani possent infidelibus seruire: ius namque diuinum, quod est ex gratia, non tollit humanum, quod est ex naturali ratione: ergo multo minus tollit libertatem humanam; vt possit quispiam ratione fidei in seruitutem pertrahi: hoc enim esset eandem fidem exosam & execrabilem apud infideles facere; si eis diceremus, quod ad illam introducendam, possumus illos contra naturale ius libertatis captiuare.

Tertia obiectio petita ex eo Luc. 14. Compel le intrare. Tertiò argumentantur ex loco illo Lucæ 14. quo homo ille, qui fecit cœnam magnam, dixit seruo suo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Cùm enim inuitatio illa ad cœnam in mysterio relata sit inuitationis ad fidem, colligunt licitum esse infideles ad id cogere. Triplex autem inter sanctos interpretes reperitur huiusmodi compulsionis sensus. Bina enim distinctione vtuntur: scilicet, & ex parte modi compellendi, & ex parte personarum, quæ compelluntur. Et quantum ad primam, vna est compulsio per rationis vim, & persuasionis energiam & efficaciam: atque altera per comminationis vim, & armorum violentiam. De priori ait Paul. 2. ad Timot. 4. Argue, obsecra, increpa, insta opportunè importunè in omni patientia, & doctrina. Et apud Hieremiam Dominus ca. 23. Nonne verba mea quasi ignis sunt, & quasi malleus conterens petram? Et de ista coactione intelligendus est ille locus, non de altera. *Prima compulsio per efficaci persuasio nis.* Quæ quidem expositio frequenter à doctoribus probatur, quorum est S. Tho. q. 22. de veritate art. 9. Secunda expositio est, quam Gregorius in homilia eiusdem loci meditatur: videlicet, quod compulsio illic intelligatur illa, quæ fit per calamitates, & aduersitates, quas Deus in hoc sæculo infligit hominibus. Complures enim, quos prosperitas labefactabat, vt perditè viuerent, aduersitas in viam reuocat. Atqui hoc pacto Deus Paulum, vt legitur Act. 9. furijs aduersus Ecclesiam inuectum in terram prostrauit, vt exurgeret vas electionis. At verò compulsio hæc Deo propria est: hominibus namque non licet sic alios compellere, nisi quatenus disciplinæ norma permittit. Vnde glo. in ca. Maiores. de baptismo. Illa, inquit, quæ diuino iudicio fiunt, ad consequentiam trahi non debent, Altera verò distinctio fit ex parte personarum. Infideles enim alij sunt qui nunquam fidem susceperunt: alij verò, vt schismatici & hæretici, qui ab Ecclesia exiuerunt. Et quidem hos secundos non solùm minis & terroribus cogere licet; verùm (vbi res postulauerit) capitis supplicio plectere. Priores autem non item. Et hoc interpretamentum amplectitur Aug. epistola. 48. quæ est ad Vincentium, & latiùs ad Bonifacium, quæ est 50. Et refertur 23. quæst. 4. can. displicet. causa & eadem quæst. 6. cano. Schismatici. Fuerat namque aliquandò Aug. illius opinionis, quæ nunc est hæresis Lutherana, quod hæretici non sint compellendi. Sed postea illa in odium Donatistarum deposita, docuit compellendos esse. Quare laudibus commendauit Constantini leges aduersus idololatras, vt vsque ad eorum internicie plecterentur, vt patet l. Placuit. C. de paganis & sacrificijs & templis eorum. Leges autem dumtaxat earum conditorum subditos ligant, non autem ad exteros protenduntur. vt l. Cunctos populos. C. de summa Trinitate & fide Catholi. Atque hoc pacto illud Paul. 2. ad Corinth. 10. gloſſat. Parati vlciſci omnem inobedientiam, cum completa fuerit prior obedientia veſtra'. Quaſi dixiſſet, vbi aliquis prior

Hæretici ad fidem com pellendi.

Constantini leges aduersus idololatras.

Digitized by Google

sponte fidem susceperit, tunc, & non antea, vlciscenda est eius inobedientia, si retrocesserit. Quod quidem discrimen Aug. in allegata parabola dignouit. Priùs enim Dominus ille inuitari iussit sponte sua volentes venire. Qui cùm se excusarent, adduci eos iussit debiles & claudos, qui erant in plateis & vicis ciuitatis. In prioribus ergo intelliguntur infideles omnes, qui nunquam fidem susceperunt, qui ideo sua sponte adducendi sunt. Postmodum tandem ira correptus compellere præcepit alios qui erant in vijs & sepibus. In quibus intelliguntur hæretici & schismatici, qui errorum sentibus compuncti obedientiam Ecclesię relinquunt. Vnde primos, qui se excusarunt, cogi non iussit, sed de illis subdit. Dico autem vobis, quòd nemo illorum virorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Quare Aug. inibi compulsionem Pauli non in exemplum adducit, vt infideles omnes, sed vt hæretici compelli possint. Nonnulla ergo temeritas est ex illo loco contendere, vt infideles sint ad baptismum cogendi.

Quarta obiectio petita ex facto Gennadij laudato à B. Gregorio.

Quartum argumentum adsciscunt ex primo lib. epistolarum Gregor. epist. 73. ad Gennadium, quem egregia commendatione prosequitur, quòd bellorum victorijs Christianum nomen dilatauerit, quasdam scilicet gentes subiugando, vt fidei prædicatio circumquaque discurreret. Sed mirandum est, nonnullos hunc locum tanti æstimare ad fulciendam contrariam sententiam. Cùm enim Greg. epistolis superiùs citatis, tam apertis verbis eiusmodi coactionem condemnauerit; quis credat in eodem epistolarum numero, contrarium sibi ipsum fuisse? Sed ipsa eadem epistola, & quæ illi antecedit manifestè monstrat, Gennadium non eo præciso proposito debellasse illas gentes, vt fidem susciperent; sed eo quòd hostes essent Romani populi, infestique Christiano nomini, atque eius terras vsurpassent, quin etiam multi eorum essent tunc hæretici. Ait enim epistola præcedenti septuagesimasecunda, ipsos (scilicet Gennadium & Exarchum) aduersarijs catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistere. Nota, obsistere. Et subdit. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda, si valuerint, Christiani corporis membra transfundant. Cognouimus enim eos contra Ecclesiam catholicam, Domino eis aduersante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat. Et infra. Magna profectò excellentiæ vestræ apud creatorem gloria proficit, si per ea dispersarum Ecclesiarum potuerit societas instaurari. Et in epistola sequenti. 73. Plurima, inquit, pro pascendis ouibus beati Petri Apostolorum principis vtiliter excellentiam vestram præstitisse didicimus: ita vt non parua loca patrimonij eius proprijs nudata cultoribus, largita Dacorum habitatoribus restauraueris. Causa ergo bellorum Gennadij non fuit, nisi vt Ecclesiæ hostes eiusque terrarum inuasores contunderet. Aduersus quos non dubitamus, quin possint Christiani principes bella mouere. Quocirca Afros Sarracenos, qui terras nostras iniustè possident, debellare nos iure possumus. Eodem enim iure Constantinus, vt in Ecclesiastica historia lib. 10. cap. 6. refertur, pietatis zelo Gothos & Sarmatas domabat: erant n. imperij Romani acerrimi hostes, & aduersus Christianam crucem apertissimas gerebant inimicitias.

Quinta obiectio ex exceptione facta indocta ab Alexandro 6 in Insulas infidelium.

Quintum argumentum in contrarium afferri potest, quod Alexander sextus suo diplomate catholicis regibus nostris Ferdinando & Elisabeth expeditionem in Insulas Occidentales infidelium concessit. Ad hoc autem respondetur in primis pontificem neque concessisse, imò verò neque (vt cum omni reuerentia & obedientia de sanctissimo Christi vicario loquamur) concedere potuisse dominium eorum, suorumve bonorum, quasi dominium in eos ipse haberet: quoniam, vt super capitulo secundo Matth. super verbo: Natus est rex Iudæorum, disputauimus, neque Christus ipse huiusmodi regale dominium sæculare accepit in orbe: quia neque illo indiguit, sed tanquam vniuersalis rex regni cælorum, illud vniuersale accepit dominium in toto vniuerso, quod ad finem redemptionis & fidei erat necessarium. Atque hoc Petro suisque successoribus contulit. Vnde cùm autore D. Thom. 2. 2. quæst. 10. ius diuinum, quod est ex gratia, ius humanum non tollat, quod est ex naturali ratione, sed ipsum perficiat; lex fidei dominium rerum ab infidelibus non aufert, quod sibi natura concessit. Eo potissimum, quod vt ead. q. art. 1. idem ait S. Doctor, infidelitas eorum qui nihil audierunt de fide, non est peccatum. Neque verò quisquam apud D. Thom eod. art. 10. decipiatur, vbi ait quod potest Ecclesia ius dominij vel prælationis tollere ab infidelibus, loquitur n. de prælatione, quam habent super fideles. Secùs autem de dominio suarum rerum. Igitur illa pontificis Alexandri concessio, facta non fuit nisi ad normam primæ secundæque conclusionis, quas suprà præmisimus. Enimuerò cùm summus pontifex hac in vniuersum orbem potestate fungatur, quæ est fidem promulgare; illi competit regiones plagasque ad hoc munus distribuere. Et ideo concessit Hispaniarum regibus, vt illuc mitterent viros doctos & probos, qui eandem docerent fidem, & orthodoxorum mores. Quòd si forsan tyranni aliqui eandem prædicationem impedirent, permissum est ducem aliquem in tutelam eorundem prædicatorum allegari, qui eos ab eadem tyrannide protegeret. Atque eos subinde qui ad fidem conuerterentur, prædictorum regum patrocinio commisit, ne nomen Christi, quod susciperent, postea blasphemarent. Itaque dupliciter illi possent in ditionem Christianorum principum, virtute illius diplomatis venire. Primum si dum sua se sponte in Christianismum manciparent eosdem sibi reges eligerent, quod non erat difficile. Deinde si in fide, quam susceperant non persisterent, possent tunc subiugari, eò quod iam essent de iurisdictione Ecclesiæ, ne nomen Christi, quod colere cœperant, abnegarent, vt Toletana synodus sæpe citata admonet.

Quo fine id à Pontifice fuerit concessum.

At verò non est hic nostrum institutum titulos omnes examinare, quibus terras illas Christiani principes possidere valent: libro enim 4.† de iustitia & iure tractatum de ratione promulgandi Euangelij polliciti sumus, quem semper fert animus primum in obsequium fidei, deinde in gratiam Christianorum principum annuente numine edere. Nunc autem ea penitus dicere constituimus, quæ prima D. Thom. conclusio omnino exigebat: scilicet, vtrùm hoc solo fine, vt infideles fidem suscipiant, cogere eos liceat. De alia verò ratione, quam nonnulli comminiscuntur, vt possint infideles Insulani suis bonis expoliari: videlicet quia sunt natura serui, vt Arist. 1. Politic. cap. 1. 3. & 4. ait, satis eodem lib. 4. de Iustitia & iure scriptum reliquimus, quæst. secunda artic. secundo. Seruitus enim illa libertatem non tollit, atque adeò nec rerum dominium, quod in ipsa fundatur. Nec sunt serui, nisi in bonum suum: nempe, vt cùm non ingenio, sed corporum robore valeant, doceantur instituanturque ab alijs qui ingenio pollent. Eademque ratione dicuntur natura liberi. Ad id ergo debent per suos iudices constringi. Quando ergo ait Arist. quòd sicut licet bestias venari, ita & bellum contra illos moliri; de illis prorsus loquitur, qui ferarum more, nulla prorsus ratione viuentes, nulla seruant gentium fœdera, sed aliena rapere conatur. Istorum enim ferinos mores illi qui illa incommoda vel patiuntur, vel metuunt, iure comprimere edomareque possunt.

† *l. 4. q. 4. a. 2. in fi. & l. 5. in solut. 3. vbi aliquid de hac re tradit.*

Sexta obiectio.

Secunda conclu. quæ ad pueros spectat post præfatam disputationem; facilior est. Sunt autem tres opiniones. Vna scilicet Scoti loco citato generalis. Quòd vbi id cum bona cautela fieri posset, & baptizati religiosè possent educari, filij infidelium sunt inuitis parentibus baptizandi. Secunda opinio est media Durandi, vbi ipsum citauimus, qui distinctione vtitur infidelium. Ait quippe filios eorum, qui non sunt Christianorum serui, fas non esse inuitis parentibus baptizare: filij autem infidelium qui sunt Christianorum mancipia, possunt, inquit, ab inuitis parentibus remoueri, & tunc baptizari. At verò D. Th. hic & 2. 2. q. 10. ar. 12. simpliciter ait, neutiquam eosdem inuitis parentibus baptizandos. Et nomine parentum intelliguntur etiam orphanorum tutores, quibus iure eorum incumbit cura. Et quidem opinio S. Tho. quam 2. 2. copiosiùs explicat, fundatur primum in iure naturæ. Diuinum n. ius quod gratia tulit, vt proximè dicebamus, ius naturæ non destruit, sed perficit. Idem enim Deus vtriusque est autor: filius autem quamdiu vsu rationis non viget, sub parentum cura continetur, quasi quodam spirituali vtero inclusus: quemadmodũ quando in matris ventre gestabatur, non proprio, sed materno alimento corporalem vitam alebat: ergo lex fidei

Expenditur 2. Conc. S. Tho. quæ erat de paruulis infidelium, inuitis parentib. non baptizandis.

Probatur conclusio, primo.

Digitized by Google

& gratiæ infidelium parentes illo iure non nudat. Cura autem parentũ in hoc maximè consistit, vt liberos morib. imbuãt, legibusque adeò instituãt: ergo ipsis inuitis non possunt eorum nati baptismo addici. Itaque cum voluntas patris existimetur filij, sicut non potest adultus contra suam voluntatem baptizari, ita neque filius sine voluntate patris. Secùs de Christianorum pro-libus: nam cùm sint de iurisdictione Ecclesiæ, quantumuis parentes reluctentur, possunt baptizari. Imò ipsi renitentes patres tanquam apostatæ puniri.

Secundo. Secundò arguitur. Infantes infidelium baptizare, est ipsos parentum curę subducere, & ab eorum auferre potestate: nam cùm apud illos non possent sine periculo fidei educari; consequens sit, vt debeant ab ipsis distrahi, vt in synodo Toletana quarta, quæ refertur 28. quæst. 1. ca. 1. Iudæorum. sancitum est.

Vt autem ius istarum rationum apertior fiat, nemo est qui ambigat filium quoadusque proprium habeat arbitrium, non aliam habere voluntatem quàm patris, atque adeò eius esse possessionem, imò vt 1. Politicorum ait Philosophus, patris partem. Attamen punctum rei in hoc consistit, quod cum pater diuino iure teneatur filium baptizare, ideoque dum non baptizat iure abutatur paterno: apparet lege diuina licitum, eundem patrem iure illo priuare, & ipso inuito baptizare puerulum suum.

Soluitur obiectio Scoti, petita ex eo, quod Deus præcipiat vnumquemque baptizari. Vnde arguit Scot. ex verbis Aug. sermone 6. suprà citato de verbis Domini: vbi per comparationem arguit, quòd sicuti dum proconsul quippiam contra imperatoris mandatum præcipit, parendum est potius imperatori: ita si imperator contra imperium Dei quicquam iubeat, obediendum est potiùs Deo. Pari ergo modo cùm Deus puerum baptizari præcipiat, & pater renuat; parendum est citius Deo. Ad hoc autem respondetur cum Caietano loco citato 2. 2. quod cùm Deus ipse, vt modò dicebamus, sit autor naturalis iuris & fidei; non est facienda comparatio inter parentes & ipsum, tanquam inter duas potestates, sed inter Deum institutorem naturæ, & ipsum, vt autorem fidei & baptismi. Vnde legem diuinam, vt vniuersi baptizentur, potuit Deus bifariam intelligere. Vno modo, vt illa omnino impleretur non obstante naturali iure. Et si illo modo illam edidisset, nullum reliquisset dubium, quin inuitis parentibus essent paruuli baptizandi. Alio tamen modo potuit illam ponere simpliciter, non derogando iuri naturali. Et quod hoc modo illam posuerit, inde patet, quod etiam ius naturæ ipse condidit, & lex gratiæ per se illud non destruit. Exemplum esto. Si Cæsar, qui per sua priuilegia nobilibus indulsisset, ne tributa soluerent, præciperet, vt non obstantibus immunitatibus, omnes ad instructurã pontis nummum aliquem penderent; tunc non obstantibus priuilegijs soluendus esset ab omnibus nummus. Si autem tantum diceret, vt omnes soluerent, non ideo nobilium priuilegijs derogare videretur. Tenentur ergo omnes baptizati, sed saluo vniuscuiusque iure, & ordine naturali. Et confirmatur. Lex baptismi non tollit alia naturalia iura: non enim licet vt infans qui est in ventre, baptizetur; occidere matrem, neque furari: ergo neque ius abrogat paternum.

Probatur tertiò ex iniuriâ quam alioqui fides pateretur. Tertium autem efficacius est argumentum, quod ex fidei natura sumitur. Dictum n. est, sic esse administrandum baptisma, vt nulla fidei irrogetur iniuria: ex baptizatione autem huiusmodi, magna ei irrogatur: nam creat manifestum periculum, vt ad ætatem adultam pertingentes, à parentibus inducantur, vt ad suam redeant pristinam legem: quare quod ignorantes acceperunt, facilè relinquent. Audiui ab illis, qui se mihi ipsos fecisse dixerunt, quod apud Indos multa infantium millia baptizata sunt: quos quidem ipsi qui baptizabant, apud parentes infideles relinquebant omni Christianorum auxilio destitutos, qui possent postea eos religionem docere. Quo vtique nescio quodnam aliud sacrilegium grauius committi posset aduersus fidem. Illud enim neque Scotus permisisset sanè, qui ait eiusmodi pueros esse tunc baptizandos, dum cautela adhiberi posset, vt religiosè educarentur. Isti autem baptizatores sic narrabant historiam, quod illi barbari, licèt ipsi nollent baptizari, vltro tamen permittebant, vt sui paruuli, nondum rationis vsuram habentes, baptizarentur. Quare prædicti prædicatores eo solo proposito, vt si contingeret eos ante vsum rationis mori, salui fierent, eos baptizabant, nihil de apostasia curantes, quæ maximè illis timeri debuisset.

Quartum igitur argumentum est, quod Diuus Thomas 2. 2. in Ecclesiæ consuetudine fundat, cui magis standum est, inquit, quàm autoritati sanctorũ, quę eiusdẽ Ecclesię autoritate fulcitur, Ecclesia nãq; nunquam eiusmodi infidelium filios contra parentum voluntatẽ baptizare consueuit. Neque id vnquam Syluester Constantino, neque Theodosio Ambrosius consuluit.

Quartò ex consuetudine Ecclesiæ. Quintò arguitur ex can. Ex literis. extra de conuersio. infideli. vbi decernitur, quòd patre ad fidem conuerso consentiente in baptismum filij, etiamsi mater infidelis renuat, baptizetur: à contrario ergo sensu apparet consequi, quod si ambo in infidelitate persistentes reclamarent, non esset baptizandus. Dubitat autem Palud. loco citato, vtrum eadem sit ratio si mater consentiret renuente infideli patre. Et ducit dubitatio ortum ex historia Augustini, quem cùm mater fidelis baptizare contenderet; pater verò infidelis resisteret, eius est baptismus dilatus. At verò proculdubio idem est de matre, cuius consensus, si fidelis sit, sufficit, etiam si pater renuat, vt prædicta Synodus Toletana decreuit vigesimasecunda quæstione prima can. Iudæi.

Quintò.

Ad baptizandum puerum sufficit, si alter parentum consentiat. Addit ibidem Paludanus idem esse de puero vtroque orbato parente, qui renuentibus tutoribus non est baptizandus. Sed arbitror non esse tam atrocem iniuriam ac si parentes contradicerent.

Duo hic tamen residua sunt dubia. Primum, vtrùm si paruuli inuitis parentibus baptizarentur, baptismus teneret. Durand. namque & Paludan. locis citatis partem sustinent negatiuam, eò quòd cum intentio illius qui baptizatur, vel formalis vel interpretatiua sit de necessitate sacramenti, fit vt quãdo parentes resistunt, sacramentum sit imperfectum. Imò exaggerationis gratia ait Paludan. non magis esse sacramentum, quam si bruta baptizarentur. Contrarium ait hic Caietan. Et arbitror esse opinionem sanct. Thomæ. Enimuerò dicens quod de facili ad infidelitatem rediret, insinuat per illud baptisma fuisse factos fideles. Et re vera illa interpretatiua intentio puerorum, quæ est parentum, vel gestantium, non est de essentia sacramenti, vt suprà diximus, sicut intentio adulti, sed per intentionem baptizantis, qui est Ecclesiæ minister, perficitur sacramentum. Neque sanct. Thomas aliud contendit, nisi quod ille baptismus non est licitus, sed est peccatum & periculum apostasiæ.

Durand. & Palud. negant.

Responsio Authoris est aff.

Sed alterum dubium est, qua ætate parutulus censendus est vsum rationis attingere, vt possit inuitis parentibus baptizari. Syluest. enim verbo Baptismus. §. 8. ait in quartodecimo anno, & alij in duodecimo. Nihilominus quamuis tunc certum sit habere legitimum rationis vsum, tamen certissima regula est, quod si citra illam ætatem certò constat puerum fidei catechismis instructum, satis intelligere quidnam sit baptizari, & quemadmodum sit professio Christianæ legis, baptizandus est. Quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur: lex autem diuina baptismi, neutiquam ab humana dependet. Sed vbi primũ rationis lumen affulserit, sacramentũ est vallandum.† Quinuerò quando res esset aliquo modo dubia: nempe, si bonæ essent coniecturæ & indicia, puerum annum agentem octauum intelligere quid vellet profiteri, baptismumque peteret; inuitis parentibus esset baptizandus, ac subinde ab eorum educatione subtrahendus. Et vice versa, si in illa ætate, eius parentes conuerterentur ad fidem, vellentque ipsum baptizari, ille tamen aliquatenus videretur renuere, sed ex altera parte essent aliquæ coniecturæ sui consensus, re etiam sic dubia, esset baptizandus. In summa. Vbi aliqua appareat voluntas siue intentio, tunc in fauorem baptismi inclinandum est.

Quæ ætate censendus sit paruulus vsum rationis attingere.

† Fortè voluit dicere, conferendũ.

Contra hanc autem sententiam non desunt argumenta. Et primum sit illud Durandi, quòd filij saltem infidelium, qui serui sunt Christianorum, possint baptizari. Potest enim dominus illos parentes diuendere, vt in longinquas terras distrahantur, eorum apud se paruulis relictis: & tunc quoniam cura sunt parentum destituti, possunt baptizari Ad hoc in primis distinguito inter infideles Christianis subditos, & Christianorum seruos. Ob id enim quod infidelis sub ditione Christianorum principum viuat, non possunt ipso inuito eius liberi baptizari. Sed de seruis ait Capreolus in 4. distinctione quinta, duo. Primum, quod non potest dominus ancillæ, natum eius ante vsum rationis ab illa distrahere: quoniam iure naturæ sem-

Soluuntur arg. contraria, ac primum de filijs quorum parentes infideles sunt sub seruitute christianorum.

Capreoli sententia.

per est

Digitized by Google

per est sub eius cura. Secundum, quod etiamsi subtrahatur, non potest ille sic subtractus, nisi consentiente patre vel matre, baptizari. Et hanc putat esse opinionem sanct. Thomæ hic in solutione secundi argumenti. Attamen, vt illic patebit, non loquitur de Iudæis, qui mancipia sunt Christianorum. Quare vtrumque assertum Capreoli apparet falsum. Potest enim Dominus seruum, vt pecudem pro suo arbitratu vendere. Haud tamen arbitror per distinctionem Durandi inter seruos & liberos respondendum, sed alio modo, cui Paludanus applaudit: videlicet, quod quandiu infantulus est sub cura parentum, non licet eis inuitis, eum baptizare. Quando verò sic separatus ab illis est siue iure siue iniuria, vt non possint conueniri: tunc licitum est sine eorum consensu ipsum baptizare. Neque hoc certè D. Thom. negasset: quia cùm paruulus semper sit censendus alicuius arbitrio gubernari, quando longè distat à parentibus, seu liberis, seu seruis: quia iam non regitur eorum arbitrio, tunc Dominus & Ecclesia ipsa potest eum baptizare. Quare licet quis vel furtim vel violenter ab infidelibus, qui sunt in Africa, vel in India liberi, suos paruulos surriperet, possent elongati à suis parentibus baptizari. Esset tamen nefas illo fine illos capere. Pariter si Dominus vendat patrem seruum vel eius filium, vt longè separentur. Secus quamdiu parentes consuli possunt.

Si sint ita separati a suis parentibus, vt eorum cura subesse nequeant, baptizentur.

Secundò arguitur. Si parentes corruptis moribus contra quam ius naturæ præcipit, suas proles educarent, vt si quis filiam prostitueret ad fornicandum, vel filios doceret furari, aut peierare, iure posset princeps filios tunc ab eorum cura diuellere propter eorum abusum potestatis, vt patet l. Leones. C. de spectaculis & scenicis & lenoni. lib. 11. & in l. Si lenones. C. de episcopali audientia. sed pariter abutuntur eadem potestate, quia filios non baptizant: ergo vt baptizentur, possunt etiam ab ipsis auferri. Sunt qui negant consequentiam ob hoc discrimen, quòd eiusmodi parentes malè educantes liberos contra ius naturæ, possunt eodem iure naturali conuinci peruersè facere, non autem quòd malè faciant non eos baptizando, quia lex est supranaturalis. Contra hoc tamen responsum exurgit argumentum, quod etiam si parentes ipsi crederent, & confiterentur bonum esse baptizare suos filios, & ad id teneri, non potest princeps ipsis inuitis eos baptizare, etiam si sub eius iurisdictione viuant. De illis enim loquuntur iura suprà allegata. Et ideo qui hanc solutionem sustinere voluerit, dicere debet, quòd in priori casu princeps non solùm potest illos conuincere iniquè agere, verùm quòd ipse sit iudex quantum ad illos componendos mores. Non tamen potest ratione naturali ostendere se esse iudicem ad baptizandum: quia de ijs qui foris sunt nihil ad nos. Sed forsan ad rem certiùs respondetur, quòd quando filios corruptis moribus instituunt, impediunt eos ne benè viuant: & ideo princeps potest filios ipsos tueri, amouendo eos à paterna potestate. Et æqua ratione, si pueri rationis lumine vtentes baptizari vellent, Ecclesia & princeps posset eos ab inuitis parentibus auferre, & baptizare. Attamen ante vsum rationis ab infidelibus parentibus non impeditur filiorum voluntas: quippe qui nullam habent, ideoque diuersa est ratio.

Saluatur 2. arg. petitum ex eo quod parentes nolentes filios suos baptizari, subsentuntur sua potest. &c.

Responsio Authoris.

Tertiò arguitur. In lege naturæ poterat iustorum quisque alienum filium inuitis parentibus Deo offerre, vt illi applicaret fidem: ergo nunc etiam baptizare. Negatur consequentia: nam illa oblatio etiam per actum interiorem fieri poterat, nesciente patre. Et quamuis verbo id faceret patre renitente, nullam ei faciebat iniuriam: quoniam ratione naturali poterat eum conuincere, bonum esse commendare filium Deo. Neque illud erat sacramentum, neque imprimebatur character. Neque verò coadunati tunc erant homines, vt supra dictum est, in aliquam singularem religionem per aliquem exteriorem cultum, vt possent parentes conqueri quòd sui ab eis subtraherentur filij. Quò fit, vt sicut de baptismo dictum est, sic nemo posset Iudæorum, filios gentilis inuitis parentibus circumcidere: erat quippe illud sacramentum & professio singularis religionis.

Tertium, sumptum ex eo quod liceat offerre filios inuitis parentib. Deo offerre.

Quo iure Matathias pueros vi circumciderit.

Quòd si historiam nobis obijcias 1. Machab. c. 2. vbi legitur, quòd Matathias parta victoria aduersus Antiochum, circumcidit in fortitudine (hoc est, vi) omnes pueros incircuncisos, quotquot erant in finibus Israel, inter quos creditur aliquos esse infidelium natos. Respondetur, eos qui Iudæis parentibus erant prognati, iure poterat vi circuncidere: si quos autem inter eos circuncidit gentilium, fecit zelo fidei, sed tamen non secundum scientiam, sicut de Sisebuto suprà dictum est. Quartum ar. est, quod primo loco facit S. Thom. Magis succurrendum est puero in periculo mortis æternæ, quàm in periculo temporalis: in periculo autem temporalis mortis, etiam si parentes renitantur, subueniendum est illi: ergo etiam conferendum baptisma vt liberetur à morte æterna. Respondetur, neque à periculo temporalis mortis quempiam esse præter ordinem iuris eripiendum, vt si iudex ordine iuris aliquem occidat, non licet illi obsistere. At quàdo pater renititur ne puer liberetur à periculo temporalis mortis, perinde facit ac si illum interficeret. Et ideò vnusquisque ordine iuris potest tunc misero opem ferre: arripere autem puerum inuitis parentibus ad baptismum, ius naturæ (vt dictum est) prohibet, & ideo non licet.

Quartum, ex eo petitu, quod puero succurrendum sit in periculo mortis corporalis.

Similiter respondetur ad quintum, quod est tertium S. Thomæ. Arguit enim. Homo magis est Dei, à quo habet animam, quàm patris carnalis à quo habet corpus: ergo non est iniustum, puerum pro salute animæ à parentib. eripere: siquidem anima præstantior est quàm corpus. Negatur consequentia: quoniam homo secundùm animam non ordinatur in Deum nisi per rationem, qua potest illum cognoscere: & ideo dum caret propria, per rationem parentum in ipsum debet ordinari. Idque Deus per ius naturæ iubet.

Quintum.

Secundum argumentum S. Thomæ sit ordine sextum particulare de Iudæis. Filij seruorum sunt sub eorum potestate, quibus parentes iure seruiunt: Iudæi autem iure sunt Christianorum serui: ergo absque eorum iniuria possunt principes ipsis inuitis eorum filios baptizare. In responsione S. Tho. concedit, Iudæos esse principum Christianorum seruos seruitute ciuili, quæ non excludit ordinem naturalis iuris vel diuini, quod habent ad instituendos filios, quo ideo iure expoliari non possunt.

Sextum.

Hæc autem solutio nonnihil ambiguitatis habet pro eo, quòd differentiam constituit inter Iudæos & alios infideles, quòd ipsi singulariter sint principum Christianorum serui. De qua re Palu. loco citato longum sermonem intexuit: videlicet, quòd quicquid sit de alijs infidelibus paganis, tamen Iudæi propterea quòd professi fuerant legem Moysi, atque adeò venturi Messiæ, quem subinde venientem recipere tenebantur; ab Ecclesia, inquit, cogi possunt, quemadmodum hæretici, atque adeò ipsis inuitis filij eorum possunt iure baptizari. Nihilominus, inquit, licèt ius hoc per se verum sit, tamen Ecclesia prohibita est hoc facere; vt viuentes Iudæi legi nostræ atteslentur, iuxta illud Psalm. 58. Ne occidas eos, ne obliuiscantur populi mei, vt ait Aug. in epist. ad Paulinum 59. vt scilicet tanquam scriniarij nostri testimonia antiquæ legis ad confirmandam nostram per orbem circumferrent.

Sintne Iudæi serui Principum Christianorum, & An also iure teneantur ad fidē, quàm cæteri Infideles.

At verò qui voluerit dicere nouo præcepto Iudæos teneri ad fidem, præter illud quo tenentur vniuersi, nulla id ratione probare posset. Tametsi eodem præcepto arctiùs forsan constringantur propter scripturas sacras, in quibus fuerant versati. Quod autem de eorum seruitute adijcitur, non aliud mysterium habet, quàm quod Aug. super Psal. 59. edisserit. Etenim quia Christi fidem repudiarunt, de qua aiebat ad eos ipse Ioan. 8. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos, (hoc est, liberos vos faciet.) Quia scilicet illum sermonem repudiarunt, facti sunt Christianorum serui, id est, tributarij. Quare inuersa sibi fuit comminatio, quam ore suo in ipsos protulerunt Ioan. 11. Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent gentem nostram & regnum. Contriuit enim Deus dentes eorum in ore ipsorum. Nam vice versa, quia non dimiserunt eum sic, facta est sub tributo ciuitas plena populo. Atque adeò vsque in finem sæculi gens illa nullum possidebit proprium regnum, sed semper erunt alienorum tributarij. Quare cùm dicuntur serui, non intelliguntur vt mancipia. Vnde S. Th. non dicit simpliciter quòd sint serui Christianorum, sed principum seruitute ciuili. Verum est tamen, quòd opusculo 21 ad Ducissam Brabantiæ, dicit quòd sicut iura volunt, merito suæ culpæ sunt addicti seruituti. Et ideo domini possunt accipere bona sua, sed consulit vt non fiat. At verò iura

Aug. de seruitute Iudæorum.

Sententia autoris.

Sunt facti tributarij, sed non propriè serui.

Digitized by Google

illa non vidi, nec quid illic S. Th. iunior sibi voluerit planè intelligo. In summa enim scilicet 2.2. q. 10. vbi de infidelibus locutus est, nihil tale dixit. Sed hoc tantùm art. 10. quòd seruus Iudæorum cùm fuerit factus Christianus, potest vili pretio, vt decem solidis, redimi propter periculum fidei, vt habetur c. Præsenti. & cap. Iudæi. de Iudæis, & Sarra. Imò. l. Deo nobis. § his ita. C. de Episcop. & cle. constituitur, vt sine pretio fiant liberi. Hoc autem non peculiariter asserit D. Th. de Iudæis, sed de omnib. infidelibus, qui temporali subiectione subijciuntur Ecclesiæ membris. Quare ille titulus generaliter loquitur de Iudæis, & Sarracenis, & eorum seruis. Et de omnibus loquitur capit. Iudæi. 2.

Gabriel autem ad probandum quòd possunt Iudæi expoliari suis bonis, adducit c. Sicut. quod nos suprà, eodem titu. citauimus, vbi legitur, quòd Christianus iudicio terrenæ potestatis possit suas ab eis auferre pecunias. At verò textus potiùs contrarium admonet. Verba enim sunt hæc. Nullus Christianus eorũ quemlibet (hoc est Iudæorum) sine iudicio terrenæ potestatis vel occidere, vel vulnerare, vel suas pecunias auferre præsumat. Vbi planè interdicitur, vt nisi ordine iuris, quo princeps vtitur in suos subditos, scilicet, vel propter delicta, vel propter ordinaria tributa, nemo illis noceat. Igitur, quoad rem attinet, non magis Iudæorum filios inuitis parentibus baptizare licet, quàm si aliorum essent infidelium. Imò verò omnia iura suprà citata peculiariter loquuntur de Iudæis, & eorum filijs, ne vi baptizentur.

Non magis Iudæorum, quàm aliorum Infidelium filij, ipsis inuitis baptizari debent.

Septimum autem argumentum, quamuis morosus iam videar, adhibere non desinam. Si Christianus quempiam infidelium infantulum iamiam moriturum, de quo nulla esset spes salutis inueniret, eumque tunc baptizaret, nullam videretur irrogare fidei iniuriam; quippe cum nulla inde apostasia probabiliter timeretur: neque verò patri, quoniam neque ab eius cura moriturum illum baptizator seducit, & infantulo magnum confert beneficium: ergo licitum esset ei id inuitis parentibus facere, quod tamen assertæ conclusioni contrarium apparet. Respondeo (si mea vllius sit autoritatis assertio) quòd propter hæc tria membra rationis factæ, non auderem in tali casu factum condemnare: imò laudarem fortè & facerem, saltem si furtim & clanculò, parentibus inscijs, baptizari posset. Imò etiam si illi scirent, nisi sic obsisterent, vt sine scandalo id fieri non posset. Etenim iniuria hæc, quam hactenus ostendimus parentibus irrogari, non est tam superstitiosè, sed secundum prudentium iudicium intelligenda.

Septimum, de filijs Infidelium iamiam morituris.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm pueri in maternis vteris positi sint baptizandi.

TERTIA de pueris quæstio est, vtrùm antè quàm nascantur, sint baptizandi. Et respondet sanct. Thom. vnica negatiua conclusione, nequaquàm esse baptizandos. Probat primò autoritate Augustini ad Dardanum, quæ est epistola 57. Nemo enim, inquit, renascitur, nisi priùs nascatur: cùm ergo per baptismum renascamur, nemini est nisi iam nato conferendus. Et probatur ratione. De necessitate baptismi est, vt homo tactu aquæ abluatur, iuxta verbum Aug. † Quæ est ista virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluit? puer autem vtero incluſus non potest ab aqua attingi: ergo neque baptizari. Quòd si quis dicat, dum mater baptizatur, fœtum simul quem in vtero gestat, eadem ablutione baptizari, id bifariam ostenditur falsum. Tum quòd anima pueri, ad cuius sanctificationem confertur baptismus, ab anima matris distincta est: tum etiam, quòd & corpusculum embrionis vbi primum anima formatum est, à corpore quidem matris seiungitur. Vnde Augustin. contra Iulianum lib. 6. Si ad matris, inquit, corpus id quod in ea concipitur pertinet, ita vt eius pars imputetur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm ipse (scilicet infans) baptizetur, non vtique ad maternum corpus cùm esset in vtero, pertinebat.

Conclusio.

† *Tract. 80. in Ioan.*

Expositio articuli.

De conclusione hac nemini hæsitare licet, sanè cum sacris canonibus sit definita, vt de consecrat. d. 4. can. Si ad matris. qui est ille, quem hic citat D. Tho. Et can. Qui maternis. vbi Isidorus eadem ratione prorsus vtitur, quòd qui nondum secundùm Adam natus est, secundum Christum regenerari non potest. Et est ratio manifestissima, quia aqua baptismi ad illum puerum pertingere non valet pluſquam si baptizaretur concluſus in arca, cuius latera aqua penetrare nequiret. Et ideò nihil est hic immorandum.

Neque verò argumenta Diui Thomæ difficilia sunt. Arguit enim primo loco. Efficacius est donum Christi ad salutem, vt ad Roman. 5. autor est Paul. quam Adæ peccatum in condemnationem: paruuli autem propter illud peccatum condemnantur in vtero: ergo & illic saluari possunt, atque adeò baptizari, cùm sine baptismo nemini salus pateat. Respondetur in primis, quòd donum Dei ob id dicitur efficacius ad salutem, quàm peccatum Adæ ad condemnationem, quòd, vt docet ibi Paulus, ex Adam non contrahimus nisi originalem culpam. Sed tamen per donum Christi non solùm originale, sed cum ipso actualia omnia delentur. Secundò autem respondetur conceſſo toto argumento, vsque ad illud, quòd saluari illic pueri in vtero possunt. Attamen cum nondum in lucem prodierint, vt alijs hominibus conuiuant, non potest ministerio humano sacramentum illis admoueri, sed sola actione diuina possunt sanctificari. Itaque cum non sint nati hominibus, non possunt ab eis baptizari, sed quia sunt nati Deo, possunt ab ipso sanctificari.

Argumentũ 1. S. Th. fundatum in eo quod paruuli in vtero materno existentes peccato Adæ condemnantur.

Secundò. Puer in vtero matris existens videtur esse aliquid matris: sed baptizata matre, baptizatur quicquid est eius, etiam intrinsecum: ergo pariter infans. Respondetur, quòd baptismo matris baptizatur quicquid est eius per continuationem, nempe, partes: secùs de puero, qui non est eius nisi per colligationem, qua ab ipsa sumit alimentum. Hoc argumentum faciebat Iulianus Pelagianus, ad quod sic respondebat Augustin. (& refertur cano. Si quicquid. de consecrat. d. 4.) Si quicquid est in homine, quando baptizatur & sanctificatur, baptizari & sanctificari cum homine credendum est, dicturus es & ipsa in illo baptizari & sanctificari, quæ in intestinis & vesica per digestionem corporis digeruntur.

2. Argum.

Tertiò arguitur. Mors æterna peior est temporali: ergo cùm de duobus malis minus sit eligendum, liceret dum puer in ventre periclitatur, incisa matre eum baptizare. Respondetur cum Paulo Roma. tertio, non esse facienda mala, vt inde eueniant bona. Vbi autem matrem mori contigerit, aperiri debet, vt baptizetur infans. Quapropter licèt iudicio medicorum certum esset mulierem in partu morituram antequam fœtum emitteret, non esset incidenda. Et quamuis prægnans iure sit ad mortem condemnata, non licet eam occidere & aperire, sed differendum est tunc supplicium vsque ad partum. Et in horum confirmationem accedit ratio, quòd si mulier causa baptizandi fœtus, occideretur: vix id posset absque nece eiusdem fœtus fieri antequam baptizaretur, atque adeò vana esset illa diligentia.

3. Argu. quærit an liceat matrem incidere.

In quarto argumento tangitur dubium illud, vtrùm parte corpusculi extra ventrem egressa, vt Genes. trigesimo octauo legitur de partu Thamar, liceat illam ante perfectam totius natiuitatem baptizari. Et respondetur, quòd nisi periculum mortis immineat, tota est natiuitas expectanda: illo tamen imminenti, si caput prodierit, in quo omnes vigent sensus, tutò fieri potest baptismus. In alia verò parte, manu vel pede, posset etiam, tamen cautela esset egressum totum puerum denuò sub conditione baptizari, si es baptizatus, &c. si non es baptizatus, &c. De hoc autem dist. 3. ar. 7. copiosiùs diximus. Quare hic nihil amplius. Nisi forsan scisciteris quid si nascatur monstrum.

4. Argu.

Faceſſit hic tamen nobis negotium Caietan. qui opinionem illam, quam art. 2. de natis pueris sustinuit absque baptismo defunctis, ad eos quoque, qui in vtero moriuntur, extendit. Itaque sicut illos, ita & istos saluos fieri absque baptismo censet. Licèt hic meticulosè sub correctione loquatur. Est autem opinio, quam fateor me noluisse apud Caietanum reperire. Etenim vt singularis eius est, ita (vt cum omni reuerentia eius loquar) vix potest à temeritate defendi. Est n. peior etiam quàm altera de pueris natis. Nam illius non defuerunt qualescunque autores; huius autem reperitur nemo, qui illam ausus fuerit asserere. Quare omnia argumenta, quæ illic plura fecimus, &

Refellitur opinio Caietani, de salute paruulorum morientiũ in vtero materno.

lector

Primò ex scriptura.

lector reuisere potest: atque alia præterea contra hanc opinionem militant. Primum enim, hoc est, sententiam Christi planè infirmare. Ait enim generaliter: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Neque vllum in sacris literis legitur priuilegium, quod sit istarum vniuersalium exceptio. Quo ergo animo audeat salutem alicui aliter promittere?

Secundò ex testimonijs Aug.

Vide præterea quot loco citato retulimus sacrorum canonum testimonia asserentium solis baptizatis iter salutis patere, neque præter baptismum vllam infantibus promitti. Cuius contrarium Augu. Epistola 28. ad Hieronymum de origine animæ his verbis tanquam hæreticum condemnat. Quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabuntur paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam. Eandemque condemnationem repetit libr. 3. de anima & eius origine, vbi inter errores Pelagianos sextum connumerat: Infantes, antequam baptizentur morte præuentos peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum. Et libr. primo de anima & eius origine ad Renatum, idem explicatissimè repetit. & rursus libro primo de baptismo paruu. capit. decimo octauo. Et ad hoc propositum peculiariter lib. de fide ad Petrum cap. vigesimoseptimo, quod refertur cano. Firmissimè. de consecra. distinct. 4. Firmissimè, inquit, tene, non solùm homines ratione vtentes, verùm etiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur; siue iam de matribus nati sine sacramento baptismi, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt; sempiterno igne puniendos. Quapropter licèt hanc opinionem temerariam dixerim, arbitror profectò peiorem illi notam inurēdam. Haud enim his tantùm testimonijs, sed alijs pluribus, quæ loco citato accumulauimus, id conuincitur.

Tertiò rationibus. Prima.

Et præterea rationibus. Primò quia vel illa benedictio parentum prodesset puero, quasi applicatio fidei instar sacramenti, vti in lege naturæ. Et certè hoc est erroneum: quoniam omnia remedia applicandæ fidei iam cessarunt præter vnicum baptismum. Vel prodesset illi, tanquam baptismus flaminis, & hoc est falsissimum. Enimuerò baptismus flaminis, vt loco citato diximus, non est nisi conuersio hominis per fidem charitate operantem, quę quidem in paruulis esse non potest. Et ideo dicere, quod actus parentum aliquid prosit, est dicere quòd illis mereatur primam gratiam, quod in superioribus sæpissimè impugnatum est. Nemo enim alteri mereri potest primam gratiam de congruo, nisi sit ipse in gratia: & potest contingere, vt benedicens puerum sit in peccato mortali. Neque illam potest alteri mereri, nisi merendo illi bonum motum: qui tamen in paruulis esse non potest.

Secunda.

Vnde sumitur argumentum secundum, quòd si per illam benedictionem applicatur fides paruulis, sine illa quoque Deus illos sanctificaret: quoniam illa nullius est valoris ad illum effectum. Nam si aliquid valeret, profectò Ecclesia, quæ tot benedictiones aliarum rerum instituit, illam præsertim Christianum populum docuisset, vt quæ tantum ad salutem referebat.

Tertia.

Tertiò sequitur ex hac opinione, quòd quamplurimi sanctificarentur in vtero, quod tamen hîc Diuus Thomas in solutione primi, & in quarto distinctione prima quæstione secunda articulo sexto quæstiuncula secunda impossibile reputat, nisi ex singulari priuilegio, quod Ecclesia rarissimis accidisse confitetur. Atque hinc quartum emergit argumentum ex authoritate sancti Thomæ. Nam cum primum argumentum ipse faceret ex illo ad Romanos 5. Efficacius est donum Christi ad salutem, quàm delictum Adæ ad condemnationem: sed puer condemnatur in vtero: ergo illic potest ei applicari baptismus; respondisset profectò, quòd saltem posset applicari ei fides per benedictionem: nam ad id videbatur argumentum vrgere: sed quoniam id inopinabile arbitrabatur, non respondit, nisi quòd posset priuilegio sanctificationis saluari.

Quarta.

Quintò denique arguitur. Vel per illam benedictionem sanctificatur puer tunc, quando ei applicatur, vel postea quando moritur: non quando moritur, quia tunc nulla applicatur fides: nec quando benedicitur, quia eadem ratione sanctificaretur, licèt non esset in periculo: nam haberet effectum ex opere, quod aiunt, operato; vel deberet concedi, quòd infusio gratiæ penderet ex futuro contingenti, si esset puer moriturus, quod est absurdum. Nam fides dum applicatur, absolute operatur. Quòd si dixeris, si puer tunc lethali infirmitate tenetur, tunc recipere gratiam, licèt postea per aliquod remedium sit euasurus mortem, sicuti infirmus, qui non nisi in extremis sacro oleo vngitur: sequeretur, quod multi sine speciali priuilegio possent nasci sancti. Quare vniuersi essent in vtero benedicendi, quod vanum ac superstitiosum esset.

Quinta.

Neque vero argumenta illius opinionis tanti sunt momenti. Est enim primum Caietani hoc. Rationabile est, vt diuina misericordia prouiderit homini in quolibet statu de aliquo remedio salutis, vt nullus allegare possit non fuisse sibi possibilem: ille autem status puerorum in vtero morientium, non habet remedium aliud, nisi illum modum applicandæ fidei: ergo illo modo saluantur. Ad hoc autem primo respondetur, pueros illos in ventre non facere statum: quia nondum prodierunt in lucem, sed sunt materno suppositi colligati, cuius nutrimento aluntur. Quare pro illis in nulla vnquam lege naturæ vel scripta vllum fuit statutum remedium: nam neque in lege naturæ poterat illis applicari fides. Quare inopinabilis est illa opinio. Vel respondetur secundò, statum in vtero morientium & nascentium eundem esse, cui Deus sufficiens prouidit baptismi remedium: si autem aliqui non nascuntur, non possunt de Deo conqueri, qui illos non occidit, nisi per causas naturales, quibus secundùm suam naturam agere sinit. Damnantur autem propter originale. Quòd autem aliqui nascantur, alij verò non, nulla est causa præter naturales, nisi quam dedimus articulo secundo, quòd Deus Iacob dilexit, Esau autem odio habuit. Sicuti si mulier in nemore sola puerum enixa, tunc moreretur, vt filium nec baptizare posset, nec Deo offerre, puer ille non posset de Deo conqueri. Quemadmodum neque illi, qui ex infidelibus nascuntur.

Si opinio Caietani vera esset, sequeretur multos sanctificari in vtero.

Ad arg. Caietani.

Ad primū.

Ad secundum.

Secundum argumentum est. Si mulier prægnans pro Christo mortem oppeteret, infantulus in vētre tunc occisus inter martyres haberetur: ergo pariter potest ei illic applicari fides & votum parentum. Ad hoc autem negatur consequentia: quoniam puer tunc non saluatur per mortem matris; sicut neque, ipsa baptizata, baptizaretur puer: sed per mortem propriam: quia scilicet ipse pro Christo occiditur. Non ergo consequitur, si potest ei applicari martyrium, posse applicari vel baptismum, vel solam fidem.

ARTICVLVS XII.

Vtrum furiosi & amentes debeant baptizari.

QVONIAM furiosi & amentes similes sunt pueris, quæritur demum de illis vtrùm sint baptizandi. Et respondet D. Thom. aliquibus factis distinctionibus per quatuor conclusiones, quibus quintam in solutione tertij de dormientibus adiungit. Amentium namque quidam sunt perpetui nulla habentes lucida interualla, in quibus scilicet nullus apparet rationis vsus. De his ergo statuitur prima conclusio. Eiusmodi amentes perinde baptizari possunt in fide Ecclesiæ, vt pueri ante vsum rationis. Conclusio est nota, quia æquale est vtrorumque iudicium.

1. Conclusio De perpetuo amentibus.

Alij verò sunt, qui ex sana mente, in amentiam inciderunt. Et de illis subnectitur conclusio secunda. Eiusmodi amentes secundùm eam voluntatem iudicandi sunt, quam dum sanæ mentis existerent habuerunt, hoc est, illo temporis articulo, quo rationis vsum amiserunt. Vnde si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum; debet in furia vel amentia constitutis sacramentum exhiberi, etiam si tunc actu renitantur. Sin verò nulla, dum sana mente pollebant, apparuit in eis talis voluntas, non sunt insani baptizandi. Conclusio hæc clara ratione monstratur: nam voluntas illa, quam amentia vel furia inuenit, virtute in amentibus permanet. Et est determinatio Inno. propter hanc rationem in c. Maiores. de baptismo. Et accidit casus amico Augustini, vt ipse lib. 4. Confessionum c. 4. refert. Qui cum eius salus desperata esset, in lethargia baptizatus fuit,

2. Conclusio De ijs qui aliquando habuerunt vsum rationis.

Digitized by Google

& habuit (vt ipse ait Aug.) efficaciam baptismus. Alij autem sunt, qui etsi à natiuitate fuerint furiosi, per lucida tamen interualla interpollatam habent amentiam. Et de istis subiungitur tertia conclusio, secundæ simillima. Si isti, dum habent lucidum interuallum, voluntatem habent baptismi, baptizari possunt in amentia, si periculum tunc timetur mortis: nam alias expectandum est rationis lumen. Si autem nulla in eis eiusmodi voluntas apparuit, non sunt dum mente capiuntur, baptizandi.

3. Concl. De habentibus lucida interualla.

Postremi denique sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis existant, eatenus tamen ratione vtuntur, vt de sua salute cogitare valeant, atque adeo sacramenti virtutem intelligere. Et de istis adhibetur conclusio quarta. Debent eiusmodi amentes spontanei baptizari, non tamen inuiti.

4. Concl. De amentibus.

Quinta conclusio his apponitur in solutione tertij. Arguit quippe sic. Magis alligatus est rationis vsus in furiosis & amentibus, quam in dormientibus: dormientes autem Ecclesia baptizare non consueuit: ergo neque amentes sunt baptizandi. Et respondet conclusione quinta.

5. Concl. De dormientibus.

Quamuis dormientes non sint nisi in imminenti periculo baptizandi: illo tamen præsenti, si antea in illis apparuit baptismi voluntas, baptizandi sunt, vt de furiosis dictum est, alias minimè.

Proponuntur argumenta contra 2. concl. baptismum. Primum.

De prima conclusione nihil ambigitur. Secunda verò est quodammodo dubitabilis, non quidem quantùm ad primum membrum: quoniam vbi voluntas præcessit baptismi, illa manet in virtute sufficiens ad baptismum. Sed quantum ad secundum, s. quod si talis voluntas priùs non apparuit, non sunt amentes baptizandi, videtur non omnino concors sententiæ Inno. in c. Maiores. Ille enim non ait, nisi quod qui ante amentiam vel somnum in contradictione perstiterunt, non sunt baptizandi: vbi videtur insinuare quod Neutri, qui, s. nec voluntatem habuerunt, nec contradictionem, sunt baptizandi: quandoquidem non excludit, nisi contradicentes. Vnde subdit tunc baptismalem operationem imprimere characterem, cum obicem contrariæ voluntatis non inuenit obsistentem. Et tamen S. Tho. videtur excludere neutros, s. non habentes voluntatem.

Secundum.

Secundò arguitur contra D. Th. Si esset aliquis infidelis in illa prouincia, in qua nihil auditum esset de fide, qui scilicet nunquam de baptismo cogitauit, neque vllam habuit voluntatem baptismi, nec contradictionem, & incideret in amentiam; tunc si tota illa prouincia, audiens prædicatores fidei, legem susciperet Euangelicam, baptizaretque omnes infantes, videretur etiam posse illum baptizare, quia non perstitit in contradictione, vt ait Inno. Item quia si tyrannus postea inimicus Christi vrbem incendio inflammaret, sicut omnes ciues essent martyres, ita ille amens, ac si esset puer ante vsum rationis.

Responsio ad 1.

Ad hæc iam ar. 7. inter disputandum cum Caietano responsum est. Innoc. vt philosophum moralem locutum fuisse, per hoc scilicet, quod quis non perstiterit in contradictione, intelligentem, quod habuerit voluntatem baptismi. Est enim casus metaphysicus quod quis neutro modo se habeat nec nolens, nec volens. Vnde ad 2. argumentum respondetur, illum amentem infidelem, qui nihil vnquam cogitauit de baptismo non esse baptizandum, nisi fuisset perpetuo amens à natiuitate: tunc enim censendum esset de illo, vt de puero, sicuti ait prima conclusio. Alioqui cum habens sanam mentem nullam cognitionem, nec affectum habuerit fidei, censetur fuisse in contradictione: quia nemo nisi volens censetur de statu suæ vitæ disponere: & quoniam ille in peccato tunc esset contra ius naturæ: fit vt quamuis tota ciuitas occideretur pro Christo, priuilegio ipse non gauderet martyrij, imo periret.

Ad secundum.

Tertium arg. De amente, qui dum haberet sanam mentem, voluit quidem baptizari, sed cum affectu peccati.

Sed tertiò arguitur. Si aliquis amens, qui dum habebat sanam mentem voluit quidem baptizari, sed tamen cum voluntate permanendi in peccato mortali. Casus est Gabr. in 4. d. 4. q. 2. conclusio. 3. Videtur tunc iste postea amentia, vel furia correptus posse baptizari: nam ille iam tunc non habet complacentiam in peccato: sed solam maculam: & tamen arti. 4. dictum est, quod peccatores habentes solam maculam, nisi actu opposuerint obicem, sunt baptizandi.

His tamen non obstantibus respondetur, illum amentem neutiquam esse baptizandum. Imò regula est absque exceptione vniuersim obseruanda, quam hic conclusione secunda statuit D. Tho. videlicet eos qui ex rationis vsu inciderunt in amentiam secundùm postremum articulum vsus rationis iudicandos esse. Eandem enim ponit Scot. in 4. d. 4. q. 4. Quod est dicere. Si illo temporis articulo taliter essent affecti, vt tunc essent baptizandi, licebit eos in amentia baptizare; si verò tunc non liceret, nec postea in amentia licebit, quoniam eadem voluntas durare censetur. Negatur ergo illum amentem solùm habere peccati maculam, imò complacentiam cum qua in amentiam incidit. Neque attritionem habet, quæ per sacramentum possit fieri contritio. Et vt citatum est suprà de consecr. d. 4. can. Omnis, Nemo suæ voluntatis arbiter constitutus, potest nouam vitam inchoare, nisi veteris pœnituerit. Quo circa licèt tota ciuitas occideretur pro Christo, ille tamen non esset martyr.

Regula memorabilis.

Attamen si contra opinionem S. Thomæ admitteretur adultus cum solo originali, sine actuali culpa, si illo modo dispositus incideret in amentiam, de illo esset maior difficultas: nam cum ad remissionem originalis non requiratur actualis fides, sed satis sit intentio, fidesque Ecclesiæ offerentis hominem baptismo, & ille non opposuerit obicem actualis criminis; non immeritò censeretur baptizari posse, & martyr fieri, si occideretur pro Christo. At S. Thom. non admittit in adulto originale sine actuali culpa, eò quod perueniens ad vsum rationis tenetur se statim conuertere in Deum vbi remittitur originale, quod si non faciat, collabitur in mortale.

DISTINCTIO SEXTA.

DE EFFECTIBVS BAPTISMI, DEQVE EIVS CATECHISMIS ET EXORCISMIS.

Cap. 1.

AD HVIVS demum conclusionem sacramenti, effectus eius explorare superest, & cæremonias adhibere. Hoc igitur præ cæteris suapte institutione habet quod per ipsum non modo originale, verum & cuncta peccata quo ad culpam, & pœnam condonantur. Quicunque enim vti ait Paul. baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Quare subdit. Ita & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Vnde August. lib. de baptismo paruulorum, Generante, inquit, carne tantummodo trahitur peccatum originale: regenerante autem spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum. Et Ambr. super Paul. ad Rom. 11. Gratia Dei in baptismo gratis omnia condonat.

Primum effectus baptismi est remissio omnis culpæ & pœnæ. Rom. 6.

Cap. 2. Secundus est gratia & virtutis infusio.

Ex his fit consequens gratiæ copiam & virtutum eis qui legitimè baptizantur tam infantibus quàm ratione vtentibus infundi iuxta verbum eiusdem Apost. ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Et ad Rom. 6. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patriis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nouam quippe vitam & sola Dei gratia præstat, & virtutes exornant. Atqui cùm eadem morte pretium fuerit persolutum redemptionis nostræ, fit vt baptismus aditum nobis pandat regni cælorum. Cuius quidem

docu-

Digitized by Google

documentum cæli ipli ſuper Chriſtum baptizatum aperti, interprete venerabili Beda dederunt.

Cap. 3. Quo tamen ficte accedamus, ſolum ſacramentum, & non gratiam recipiunt, donec fictio receſſerit.

Veruntamen his nihil obſtantibus, cum Spiritus ſanctus, vt eſt apud Sapientem, diſciplinæ effugiat fictum, ille qui fictè, hoc eſt, cum obice lethalis criminis, ad baptiſmum accedit, ſacramentum quidem ſuſcipere poteſt, rem verò (hoc eſt, gratiam, & virtutes) minimè. Quæ enim participatio, vti ait Paul. iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſto ad Belial? Attamen illa recedente fictione baptiſmus, licet elapſus, ſuum ſortitur effectum, iuxta verbum Auguſt. in lib. de baptiſmo cap. 12. Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegia perſeuerante peccatorum, ablutionem non ſinebat fieri. Hinc ergo patres trimembrem illam diuiſionem colligunt, quod poſſit quiſpiam vel ſacramentum, & rem ſuſcipere, vt infantes, & qui ætate adulta ad ipſum idoneè accedunt: aut ſacramentum ſine re, vt fictè accedentes: aut denique rem ſine ſacramento, vt quibus baptiſmus, vel ſanguinis, vel flaminis, autore Auguſt. lib. 4. de baptiſmo, pro baptiſmo fluminis eſt.

Eſt autem baptiſmo præmittendus catechiſmus & exorciſmus.

Sunt autem catechumeni catechiſmis antequã ad ſacrum fontem admittãtur erudiendi. Vnde Rabanus, Ante baptiſmum, inquit, catechizandi debet hominem præuenire officium. Ac perinde tanquam energumeni exorciſmis aduerſus dæmonum infeſtationes muniendi ſunt. Ait enim Auguſt. lib. 1. de ſymbolo, paruuli exuſflantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ decipit hominem.

DISTINCTIONIS SEXTÆ,

Quæſtio prima.

DE EFFECTIBVS BAPTISMI.

S. Thom. 3. par. quæſt. 69.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per baptiſmum tollantur omnia peccata quoad culpam & pœnam.

DVo in hac ſexta diſtinctione, quæ poſtrema eſt baptiſmi, diſputanda reſtant. Prima ſcilicet quæſtione de eius effectibus, & in ſecunda de eius exorciſmis, & catechiſmis. Quæritur ergo primum, vtrum per baptiſmum omnia deleantur peccata, quoad culpam & pœnam. Duos enim articulos D. Thom. quoniam admodum ſunt connexi, in vnum conglutinauimus. Et reſpondet duabus affirmatiuis concluſionibus. Prima: Omne peccatum per baptiſmum tollitur. Probatur primo autoritate Ezechielis 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Deinde teſtimonio Pauli Roma. 6. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Et poſtea concludit. Ita & vos exiſtimate fratres mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Mori autem peccato, & viuere Deo, eſt omni peccato relicto, in gratiam innocentiæ reſurgere apud Deum, ergo per baptiſmum omnia delentur peccata.

1. Concl. Per baptiſmum tollitur omne peccatum.

Secunda concluſio. Per baptiſmum liberatur homo à reatu totius pœnæ ſibi debitæ pro peccatis, ac ſi ipſe ſufficienter pro omnibus ſatisfeciſſet. Probatur ex Ambroſio ſuper illud ad Rom. 11. Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Gratia Dei in baptiſmo non requirit gemitum, &c. ſed omnia gratis condonat. de conſecratio. diſtinctione 4. can. Sine pœnitentia. Et ratio ſumitur ex eodem loco Pauli, ad Rom. 6. Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam viuemus cum eo. Ex quo ſequitur quod per baptiſmum incorporamur morti, & paſſioni Chriſti, ac perinde, quod omni baptizato communicatur eius paſſio in remedium, ac ſi ipſe baptizatus, paſſus, & mortuus eſſet: paſſio autem Chriſti ſufficiens ſatisfactio fuit pro peccatis, non ſolum noſtris (vt habetur 1. Ioan. 2.) ſed etiam totius mundi: ergo per baptiſmum totius pœnæ reatus dimittitur.

2. Concl. Simiſter tollitur omnis pœna.

Expoſitio articuli.

Concluſiones iſtæ imprimis non ſunt tantum doctorum aſſertiones, verùm & ſanctiones ſacrorum canonum, quæ ex locis ſacræ paginæ colliguntur: quare illas negare hæreticum eſſet. Sunt enim definitæ de conſecrat. diſtinct. 4. canonibus multis, vt can. Per baptiſmum. qui eſt Augu. & can. citato, Sine pœnitentia. Et can. Per aquam qui eiuſdem eſt Ambro. Et can. Vt oſtenderet, qui etiam eſt Aug. in enchiridio. Vbi id ipſum eadem probat autoritate Pauli ad Rom. 6. quam hic adfert S. Thom. & can. Regenerante, quem citat in ſolutione primi. Et eſt præterea decretum concilij Florentini, effectum baptiſmi etiã remiſſionem omnis culpæ tam originalis, quàm actualis, atque omnis pœnæ. In quam ſententiam ſubſcripſit poſtea Tridentina ſynodus ſeſſione quarta quæſt. 1. †

†habetur iſſ. 5. n. 5.

Ad maiorem autem explicationem rei huius adnotandus eſt primum omnium titulus. Haud enim duntaxat quæritur, vtrùm per baptiſmum omnia tollantur peccata generali modo, qui omnibus conuenit ſacramentis, ſed vtrùm iſte ſit eius peculiaris effectus, ad quem inſtitutus eſt. Cuncta enim Euangelica ſacramenta, vt d. 1. q. 3. definitum eſt, conferunt gratiam, atque adeo, niſi obicem inueniant, peccata mortalia delent. Non tamen eſt ille peculiaris omnium effectus. Euchariſtia ſiquidem non fuit ad id inſtituta, imò præſupponit remiſſionem peccatorum, ſed inſtituta fuit ad ſpiritualem animæ alimoniam, atque ad id gratiam confert. Accidit tamen eidem gratiæ, vt ſi peccata inuenerit, deleat. Et quodlibet aliud ſacramentorum ſuum habet peculiarem effectum, vt d. 1. q. 6. explicatum eſt. Baptiſmi autem proprius effectus, ad quem inſtitutus eſt, conſiſtit in remiſſione peccatorum & regeneratione in nouam vitam. Et hoc pacto intelligenda eſt præſens concluſio, iuxta verbum Petri Actuum 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.

Proprius baptiſmi effectus.

At cum tria ſint peccatorum genera, ſcilicet, originalis, mortalis, & venialis, circa primum errauit Lutherus, & circa tertium Wiclef. Lutherus namque adeo fuit Pelagio in aſſerenda originali macula contrarius, vt diceret, neutiquam radicitus deleri per baptiſmum, ſed remanentem concupiſcentiam verè eſſe actuale peccatum. Quare vaſtè ſui aiunt peccata illic remitti, ſed non prorſus tolli, ſic enim philoſophi dicunt qualitatem remitti, licet non funditus tollatur. Et occaſionem ſic loquendi nacti ſunt ex illo Paul. Rom. 7. Peccatum non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces. Vbi Lutherus putat concupiſcentiam carnis, quæ eſt in viro iuſto, eſſe peccatum. De qua ait inferius ipſe Apoſtolus. Malum quod ago, ego non operor, ſed quod habitat in me peccatum, hoc eſt, concupiſcentia.

Lutherani male docent peccatum orig. in baptiſmo penitus non deleri.

Contra quam hæreticam veſaniam nos latè diſputauimus lib. 1. de natura & gratia cap. 11. Illa enim non eſſet legitima & perfecta, atque adeo vera remiſſio: cum tamen Chriſtus ipſe Ioan. 7. dicat: Pater ſanctifica eos in veritate: ſermo tuus veritas eſt. Et Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Vnde ad Oceanum Hieronym. Omnia, inquit, in baptiſmate condonata ſunt crimina. Quandoquidem Apoſto. 1. Corinth. 6. poſt longam enumerationem omnium peccatorum, ſubdit. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis ſed ſancti-

Eorum error ex ſcripturis reſellitur, & Patrib.

Hieronymus.

Digitized by Google

ficati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Vnde concludit Hierony. Omnia peccata per baptismum donata esse verè & fideliter. Quinuerò Pau. ipse ad Rom. 8. concludit. Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Neque vero solum verbum remissionis extat in Euangelio, vt Lutherani cauillantur, sed ipsissimum, Tollere, vt 1. Ioan. 3. Scitis quia ille apparuit, vt peccata tolleret. Et Baptista Ioan. primo. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et quo Augustin. cuncta comprehendat, contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 1. cap. 13. Pelagianos inducit Christianos calumniantes, quod negaremus per baptisma omnia peccata radicitus conuelli, sed vt capillos radi, radicibus permanentibus. Quorum calumniam hisce verbis reprimit. Quis hoc nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere: neque peccatorum radices in mala carne teneri, quasi ramorum in capite capillorum, vnde crescant iterum resecanda peccata. Ecce quomodo originale, quantum ad culpam, radicitus tollitur in baptismo. Quapropter superstes concupiscentia carnis, non est actuale peccatum, sed inclinatio ad malum, cui resistere per gratiam Dei possumus. Hoc autem articulo proximo efficaciùs monstrabimus, vbi Lutheranis respondebimus. Ex remissione autem originalis culpæ palam fit consequens, vt omnia etiam mortalia pariter cum ipso remittantur. Nam cum remissio peccati sit reconciliatio in amicitiam Dei, consequens fit, vt originale sine mortalibus, aut vnum mortale sine omnibus remitti nequeat. Vnde axioma illud ortum est. Impium est à Deo dimidiam sperare veniam.

Sed & de peccatis venialibus, ille omnium errorum sentina Witcleff (vt 2. tomo de sacramen. cap. 108. apud Thomam Waldensem videre est) à veritate in hac parte aberrauit dicens; quod etsi alia peccata per baptismum tollantur, peccatum autem veniale omissionis non tollitur. At cum inductæ autoritates, tam vniuersaliter de omnibus peccatis & delictis loquantur, non est quod latius contra hunc hæreticum hic debeamus immorari. Ait enim præterea Aug. libro proximè citato ca. statim 14. Qui dicunt baptisma non omnia peccata delere, condemnamus: quia scimus plenam purgationem per ipsa mysteria conferri. Et Micheæ 7. quem loco citato inducit Hierony. Ipse auertet, & miserebitur nostri, & demerget iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris. Vnde Chrysost. super Ioann. homilia 24. In aqua baptismi tanquam in sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde, nouus resurgit. Extat tamen concio præclarissima sancti huius patris ad catechumenos baptizandos, quæ incipit. Quam dulcis. vbi hanc veritatem † dulcissimè differit. Et epistola 39. Greg. lib. 9. epistolarum. Si qui sunt, qui dicant peccata in baptismo superficie tenus dimitti (nota aliam hæresim) quid est hac prædicatione infidelius, cum per fidei sacramentum anima à peccatis radicitus absoluta, soli Deo inhæreat? Et infra. Qui autem dicit peccata in baptismo funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Et subdit illud Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Totus autem mundus dici non potest, cui peccatorum aliquid remansit. Qui ergo baptizatur, iam mundus est totus: indiget tamen pedes lauare ab his sordium pulueribus, quos terrenis gressibus contrahit. In Iordane figura baptismi Naaman Syrus perfectè fuit à lepra mundatus, & ille qui ad piscinam iacebat, adeò in ipsa per Christum curatus fuit, vt lectum in quo iacebat, posset in domum baiulare: quod figura baptismi fuit, vbi adeò homines solidè sanantur; vt per Dei opem possint corpus cum suis prauis affectionibus ita sustinere, vt eis non succumbant. Pulcherrimè ergo ad hunc baptismi candorem illud attinet Pau. ad Titum tertio. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè: scilicet copiosissimè, vt sordium nihil fieret reliquum. Et illud 2. Corinth. 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Ait enim Augustin. cap. illo citato. Per baptismum. de consecrat. distinct. 4. Per baptismum deletur quicquid ab homine dictum, factum vel cogitatum est, vt habeatur quasi non factum. Hæc ille. Et ideo baptizatus desponsatur Christo, quasi integra incorruptaque virgo. Vnde idem Pau. ad Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.

Restat autem ex his dubium, quod si per baptismum originalis culpa remittitur, non debent per eundem remitti actualia. Vnde primo loco arguit S. Tho. contra primam conclusionem. Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, quæ generationi carnali contra ponitur: per carnalem autem generationem solùm contrahitur originale: ergo illud dumtaxat per baptismum tollitur. Respondet autem per illud, quod nos proximè allegauimus ad Rom. 5. vbi Apostolus hanc declarat eminentiam doni Christi super delictum Adæ, quod iudicium processit ex vno homine in condemnationem multorum filiorum: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Itaque non solùm vniuersos mortales ab vna originali culpa baptismus lauat, sed ab omni actualium multitudine. Vnde Augustin. in lib. de baptis. paruu. & refertur can. Generante. de consecrat. dist. quarta. Generante, inquit, carne tantummodo trahitur peccatum originale; regenerante autem Spiritu sancto non tantum originalium, sed Voluntariorum fit remissio peccatorum.

At in contrarium arguitur. Diuersorum sacramentorum diuersum debet esse institutum: sacramentum autem pœnitentiæ ordinatur in remissionem actualium: ergo baptismus non nisi in remissionem originalis. Respondetur ad minorem, pœnitentiam non ad omnium ordinari actualium remissionem, sed in eorum dumtaxat, quæ post baptismum committuntur. Ob idque baptismus vniuersa remittens dicitur à Hieronymo nauis integra: pœnitentia verò secunda tabula post naufragium.

Contra hoc tamen procedit argumentum S. Tho. secundo loco. Pœnitentia est sufficiens causa remissionis omnium actualium, etiam præcedentium baptismum: ergo baptismus non pertinet ad actualia. Respondetur primum, vt art. 6. † dictum est, illam pœnitentiam antecedentem baptismum non esse sacramentalem, sed interiorem virtutem. Secundò additur, quòd illa non habet virtutem remittendi actualia, nisi quatenus includit intentionem suscipiendi baptismum. Nulla enim remissio peccatorum fieri potest, nisi per virtutem passionis Christi, iuxta illud Apostoli Hebr. 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Quare motus pœnitentiæ inutilis est, nisi adsit fides, & propositum participandi illam, s. dum se quis vel baptismo subdit, vel Ecclesiæ clauibus. Ob idque ante baptismum motus pœnitentis, valorem habet ex intentione suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum, vt illic ait Petrus. Post baptismum vero ex intentione subijciendi se clauibus per sacramentum pœnitentiæ. At verò voluntas intentioque baptismi licèt actualia remittat, non tamen simpliciter quantum ad culpam, & pœnam, sed secundum quantitatem contritionis: baptismus verò in re ab vniuersis animam abstergit. Ex quo fit consequens, nonnunquam baptismum, dum applicatur, delere posse actuale sine originali. Cum n. quis primum baptismum habet flaminis, ab originali mundatur: si ergo ille postmodum incidat in peccatum, & attritus baptizetur: baptismus qui originale non inuenit, actuale delebit faciendo ex attrito contritum.

Sed arguit D. Tho. tertio loco. Diuersis morbis diuersæ sunt accommodandæ medicinæ: nam vt ait Hiero. quod sanat oculum, non sanat calcaneum: cum ergo baptismus originale deleat, & actuale ab illo differat, non videntur actualia per ipsum remitti. Respondet, maiorem illam præmissam esse veram de particularibus medicinis: baptismus autem est vniuersalis morborum omnium, vtpote per quem expurgatio fit vetustæ vitæ, & generatio nouæ.

In contrarium autem in maiorem explicationem arguitur. Priuilegium hoc non est singulare baptismi, imò omnibus competit sacramentis: gratia enim pœnitentiæ per se omnia peccata delere potest. Et Eucharistia non solum gratiam per se confert vt baptismus; verum vt d. 1. q. 6. † monstratum est, omnium existit sacramentorum præstantissimum. Respondetur sic esse tandem discrimen hoc intelligendum, quod reliqua sacra-

Augustin.

Cum originalis peccato, actuale quoque remitti necessarium est.

Etiam venialia, cõtra VVitcleff.

Chrysost.

† *Fortè legendum est, Lucidissimè. Gregorius.*

Alia scripturæ testimonia.

1. Argu. S. Thomæ contra 1. concl.

Occurritur obiectioni.

Secundum, ex eo petitu quod Pœnitentia videatur sufficiens causa remissionis omnium actualium.

† *dist. praeced.*

Tertium.

Soluitur 4. Iste 4. arg. petitum ex eo, quod etiam cæteris sacramentis conueniat omnia peccata delere.

† *art. 3.*

Digitized by Google

sacramenta cum non per se propriè ad regenerandum hominem ordinentur, quanquam gratiam conferant, non tamen per se cuncta peccata remittunt, sed secundum dispositionem suscipientis. Tanta ergo potest esse contritio pœnitentis, vt per sacramentum absolutionis radicitus omnia remittantur peccata, quo ad culpam & pœnam. Sed hoc est accidens raro contingens. Baptismus autem hoc per se habet propriè, vt per ipsum cuicunque non opponenti obicem omnia simpliciter condonentur. Atque hic est sensus conclusionum præsentium.

Examinatur 2. concl. quæ erat de remissione pœnarum per baptismum. † Rom. 11.

Circa secundam conclusionem hoc notato, quod intelligitur de his pœnis, quæ peccatis actualibus debentur: nam de illis pœnalitatibus, quas cum originali contrahimus, articulo proximo dicendum restat. Deinde attende, quòd autoritas illa Pauli: † Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, non facit illum sensum, quod in baptismo remittantur pœnæ, sed quòd Deum prædestinationis non pœnitet, & promissionum, quibus nobis æterna bona pollicetur, sed adducitur propter glossam Ambrosij dicentis, quòd non exigit opus satisfactorium, sed omnia gratis condonat. Et ad idem illud pertinet, August. can. Per baptismum quod omnia delet, quasi facta non essent nec cogitata. Et illud eiusdem Ambrosij can. Per aquam. vbi ait, Per aquam baptismi transitum fieri de terrenis ad cælestia. Inde n. fit, nihil soluendum relinquere, quod impedire illum transitum possit ad regnum cæleste, cuius ianuam, vt artic. 7. videbimus, aperit.

1. Arg. S. Tho. contra 2. Cond. † lib. 3. de lib. arb. c. 18.

De hac autem conclusione satis diximus d. præcedenti art. 5. Arguit nihilominus D. Thom. ex illo ad Roman. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt: culpa autem, vt ait August. † non nisi per pœnam ordinatur: ergo non omnis illic remittitur. Sed negatur consequentia: quoniam pœna passionis Christi applicatur baptizato inquantum fit eius membrum, ac si ipse illam sustinuisset. Quod si quis arguat, quod idem deberet sacramento pœnitentiæ & cæteris congruere cum pariter virtute passionis Christi operentur. Negatur consequentia: iam enim satis loco citato monstrauimus, aliud esse operari virtute passionis Christi, quod generale est omnibus sacramentis: aliud verò per sacramentum incorporari Christo, fierique eius membrum, quod peculiare est baptismi. Et ideò illi propriè conuenit, vt per ipsum plena fiat satisfactio. In sacramento autem absolutionis, quæ fit per claues Ecclesiæ, non omnes condonantur pœnæ: quare arbitrio sacerdotis debet pœnitens pro eo quod restat satisfacere.

Secundum.

Secundo arguitur. Effectus baptismi aliquam similitudinem habere debet cum sacramento: ablutio autem non habet similitudinem cum subtractione reatus pœnæ, sed tantum cum ablutione maculæ. Respondetur, quod baptismus aquæ sicut sua ablutione significat emundationem à culpa, ita & sua refrigeratione refrigerium ob condonatam pœnam.

Tertium parit, cur ergo baptizati iuste iubent capite plecti.

Exurgit autem in contrarium argumentum tertium, quod tunc sequeretur, nec in foro ciuili debere baptizatum supplicio affici, cum tamen quamuis homicida baptisma suscipiat, nihilominus capite plecteretur. Respondetur autem, quod quamuis baptizati apud Deum nullius pœnæ rei sint, nihilominus apud homines, quos maleficijs lædunt, & scandalum dant, manent supplicijs obnoxij. Nihilominus, inquit, princeps piè faceret, si talibus pœnam remitteret. Intellige, si posset sine scandalo id fieri. Tantum enim posset esse crimen, vt eiusmodi indulgentia non esset licita.

Cur et iudæis dum baptizabatur, impunebatur pœnitentia ad tempus?

Maiusculam autem difficultatem habet, quod vt habetur de consec. dist. 4. can. Ne quod absit, imponitur Iudæis dum baptizantur pœnitentia quadraginta dierum. & can. Agunt homines. ait Aug. ad Seleuciam, quod homines agunt pœnitentiam de prioribus peccatis, antequam baptizentur communibus. Respondetur, quod illæ pœnitentiæ non imponuntur ad satisfactionem. (Et hic est sensus concilij Florentini dicentis, quod non sint baptizatis imponendæ pœnitentiæ) sed admonentur baptizandi, vt id faciant, nempe vt ieiunijs, & orationibus vacent, in reuerentiam sacramenti, vt habetur in epist. 3. Clementis ad vniuersos Episcopos. Atqui in eius itinerario legitur, quod Petrus noluit eiusdem Clementis patrem antea baptizare, quam ieiunasset.

ARTICVLVS II.

Vtrum per baptismum deleantur pœnalitates huius vitæ.

QVONIAM conclusione secunda præcedentis articuli id assertum est, quod pœnæ peccatis actualibus debitæ, per baptismum remittuntur; subsequitur vt perscrutemur, an pœnalitates quoque, quas cum originali contrahimus, illic auferantur. Neque verò hoc quæritur, eò quòd non experientia ipsa doceamur, illas non perpeti: quales sunt concupiscentia carnis, quæ nos molestè assidueque exercet, morbique & calamitates, ac denique mors: sed indagantur hic huius rationes. Respondet ergo D. Thom. vnica trimembri conclusione. Baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ: non tamen eas aufert in præsenti sæculo: sed eius virtute auferentur à iustis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, vt 1. Corin. 15. ait Pau. Probatur ratione triplici. Prima scilicet; quia cum per baptismum incorporemur Christo tanquam eius membra; congruum fuit id fieri in membris, quod actum fuit in capite: Christus autem à principio suæ incarnationis fuit plenus gratia, & veritate, sed nihilominus corpus habuit passibile, quod post passionem & mortem ad vitam resurrexit gloriosam: pariter ergo Christiani in baptismo gratiam consequuntur, quantum ad animam; corpus autem gerunt passibile, quo possint pro Christo pati, vt in die iudicij ad vitam resurgant impassibilem. Vnde Apostol. Roman. octauo. Qui suscitauit, inquit, Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Et infrà. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur (id est, simul cum eo patimur) vt simul glorificemur. Secundò id fuit conueniens propter spirituale exercitium Christianæ vitæ: vt videlicet contra concupiscentiam atque aliarum calamitatum incursum depugnantes, victoriæ coronam assequeremur. Vnde super illud Roman. 6. Vt destruatur corpus peccati, ait glossa, Si post baptismum vixerit homo in carne habet concupiscentiam cum qua pugnet, eamque, adiuuante Deo superet. In cuius figuram Iudicum 3. sic legitur. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israëlem, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & haberent consuetudinem præliandi. Tertio id fuit etiam vtile, ne homines propter impassibilitatem potius præsentis vitæ ad baptismum accederent, quàm propter gloriam vitæ æternæ. Vnde 1. Corinth. 15. Apostolus, Si in hac, inquit, tantum vita sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Concl. Cur per bapt. non auferuntur pœnalitates huius vitæ, in hoc sæculo.

1. Ratio.

Secunda.

Tertia.

Ad plenum præsentis articuli intellectum adnotandum est, redemptionem, qua nos Christus redemit, in hoc consistere; vt ab incommmodis, quæ per Adæ prævaricationem incurrimus, nos liberet. Contrahimus autē inde originale peccatū in anima, ac subinde temporalem mortem, vt ad Rom. 3. autor est Paul. Pronunciata enim ei fuerat sentētia: In quacunq; hora comederis ex eo, morte morieris. Quare Christus eandem soluens mortem in cruce, & à peccato nos liberauit per gratiam, & immortalitatem corporum nobis subinde promeruit, vt idem ibi Apostolus cap. 8. insinuat. Et quoniam baptismus instrumentum passionis est, per ipsius gratiam tum iustificamur, tum & ius immortalitatis acquirimus. At non vt iustificatricem gratiam, sic & corporum immortalitatem in hac vita cadecens fuit, vt reciperemus. Quod est dicere. Non decuit, vt per gratiam baptismi, in illum statum innocentiæ in hac vita reuocaremur, à quo Adam cecidit per peccatum. Status enim ille erat supranaturalis, & ideo cum illum non recuperamus, manemus in nostra natura: quæ est, vt simus mortales: natura autem mortalitatis secum & morbos, & alias calamitates trahit, atque adeo carnis concupiscentiam aduersus spiritum. Nisi quod dicuntur nobis ista in pœnam peccati obuenisse: & verè obuenerunt, ob id quod creati fuimus in supranaturali iustitia originali; quæ nisi per peccatum fuissemus expoliati, ab his fuissemus detrimentis liberi. Rationes ergo istas & congruentias S. Tho. non sic intelligas, vt supposito, quod post baptismum deberent manere corpora nostra in suis naturalibus;

Exposito articuli.

Christus & gratiam animæ & corporum immortalitatem nobis promeruit dandum per baptismum.

Sentit Author concupiscentiam esse naturalem hominis sine gratia conditio.

congruē-

Digitized by Google

congruerit istas infirmitates non pati: hæc n. rerum consequentia, naturalis est. Sed probant decuisse, vt non reuocaremur ad illum statum innocentiæ, quo possemus non mori. Nam præter easdem rationes est alia, quod tunc per baptismum deberet renouari totus mundus, sicut erat in illo statu. Præterea, & periculum rediret, vt iterum atque iterum per peccatum eundem statum amitteremus.

Quarta ratio.

Plenius probatur concupiscentiam post baptismum remanere ad certamen.

Veritatem ergo hanc, quod post baptismum ab his pœnalitatibus non liberemur, & experientia ipsa docet, & sacra pagina, sactique canones faciunt catholicam. Quapropter hæreticum esset dicere, quod propter gratiam baptismalem quis possit ad illum statum peruenire, vt extinctum prorsus haberet peccati originalis fomitem, vt articul. 6. apud S. Tho. videbimus, nisi ex singulari priuilegio, quale fuit in virgine.

De hac ergo catholica veritate multis in locis edisserit August. vt lib. 1. de peccato. meri. & baptis. paruul. cap. 39. Euacuatur enim, inquit, per baptismum caro peccati, non ita vt in ipsa viuente carne, concupiscentia conspersa & innata repentè absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo (scilicet peccatis per baptismum) quæ inerat nato. Et hic est locus, quem hic citat D. Tho. tanquam glossam ad Rom. Et lib. 2. cap. 7. eandem confirmat verbis illis quæ Gratianus inde desumpsit de conse. dist. 4. can. Non ex quo. Non enim, inquit, ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas eius absumitur, sed renouatio incipit ad remissionem omnium peccatorum. Idque confirmat ex illo Apostoli, 2. Corinth. 4. Et si exterior homo noster corrumpatur, interior renouatur de die in diem. Fomes enim ille, qui nobis continenter corruptos affectus creat, per corporis macerationem reprimitur, qua subinde macerationè & corpus foris attenuatur, & intus renouatur spiritus. Vnde Paul. ad Rom. septimo: Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Atque in huius significationem populo Israël non protinus, vt mare rubrum transmisit, ingressus patuit ad terram promissam; sed obiectæ ei fuêre barbaræ illæ gentes, cum quibus in deserto multis annis belligareret. Dubium autem ex his emergit, Vtrum, esto concupiscentia per baptismum non sit prorsus sublata; saltem debilitata fuerit aut diminuta? Ad hoc subsequentibus propositionibus respondetur. Prima. Concupiscentia post baptismum non habet prorsus rationem peccati, aut reatum culpæ. Hæc satis articulo superiori comprobata est, & lib. 1. de natura & gratia, cap. 11. & 12. locupletiùs. Nam præter inductas autoritates ait lib. 2. de peccato. merit. cap. 4. Aug. Concupiscentia in paruulis baptizatis, à reatu soluitur, ad agonem relinquitur. Et lib. 1. retractatio. cap. 15. Concupiscentia reatus in baptismate soluitur, sed infirmitas manet. Est ergo concupiscentia nihil aliud, quam sensualitas, quæ rebellare nata est aduersus rationem: tamen sine consensu, aut negligentia voluntatis rebellio illa non erit peccatum. Vnde vt Lutheranis respondeamus, quando ait Diuus Paulus ad Romanos septimo (quod concupiscentiam nesciebat) nisi lex diceret: Non concupisces; verbo illo, Non concupisces, quod peccatum significat, non intellexit potentiam, quæ dicitur concupiscentia, sed voluntarium actum. Et quamuis vbi ait: Quod ago malum ego non operor, sed quod habitat in me peccatum, sensualitatem ipsam appellet peccatum, non tamen id propriè intelligit, & (quod aiũt) formaliter, sed sicut nomen causæ attribuitur effectui. Glossa est eiusdem Aug. lib. 1. contra duas epistolas Pelagiano. cap. 13. Illa enim, inquit, concupiscentia, quæ reliqua est à baptismo, quo ratio peccati plenissimè remittitur, radicitusque conuellitur, non quia peccatum est, sed quia peccato (scilicet originali) facta est, peccatum dicitur: sicuti scriptura dicitur manus, quia manu facta est, & oratio Ciceronis dicitur Ciceronis lingua, vt ipse idem ait, lib. de nuptijs & concupis. ca. 23. Meritissimo ergo error iste Lutheri dicentis concupiscentiam in renatis esse peccatum, diplomate Leonis decimi tanquam hæreticus condemnatus est, art. 2. Ac subinde in Concilio Tridentino sess. 5. cap. vlt. Quocirca glossa illa canonistæ Hugonis super citatum caput Non ex quo. vbi ait, quod licet renouetur in baptismo, tamen non ex toto deletur originale, sed remanet debilitatum & sopitum, erronea est, neque in viro theologo esset tolerabilis. Nam originale peccatum dicit culpam, quæ tota in baptismo aufertur. Ille autem bonus autor, si theologus esset, distinxisset vtique inter peccatum originale, quod prorsus tollitur, vt ait D. Thom. in solutione tertij, & fomitem qui remanet, qui est ipsa sensualitatis potentia.

Concupiscentiam in baptizatis non habere rationem peccati.

Glossa Hugonis erronea.

2. Propos. Concupiscentia in baptizatis non minuitur quoad substantiã.

Secunda propositio. Concupiscentia ipsa in baptizatis quantum ad substantiam, nec diminuitur, nec debilitatur, nec sopitur. Probatur, quia est potentia naturalis, & gratia non tollit naturam, sed perficit. Imò vsu venire sæpe solet, vt baptizati propter naturalem complexionem vehementiores sentiant carnis insultus, quam non baptizati.

3. Propos. Adiuuatur tamen per gratiam baptismi, vt certamini non succumbant.

Tertia propositio in hoc sensu concupiscentia illa & fomes, qui est pœna originalis peccati, dicitur alligari, & minui, & debilitari, quod spiritus per gratiam baptismi contra eius infestas pugnas adiuuatur, vt certamini non succumbat. Et hoc est quod ait Aug. lib. de libero arbitrio, & refertur can. Gratia. de consec. d. 4. Gratia enim, inquit, quæ per Christum datur, non solum peccatorum remissionem facit; sed etiam facit, vt lex impleatur, vt natura liberetur, & peccatum non dominetur. Et est determinatio concilij Mileuitani ca. 2. & 3. Atqui hoc est, quod ait Apostolus ad Roma. 6. de baptismo loquens, per quem morti Christi configuramur. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est (scilicet, quo ad culpam) vt destruatur corpus peccati. Non tamen vt subito sepeliatur; sed vt in agone non seruiamus peccato; scilicet concupiscentiæ per consensum succumbentes. Vnde subdit. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscẽtijs eius. Regnare ergo peccatum, est obedire concupiscentijs per consensum. Atque in hoc triumpho, nostra per Dei gratiam consistunt merita. Sicut enim peccatum, vti ait illic Augu. nullum est, nisi sit voluntarium, ita & in ipso libero arbitrio diuina ope adiuto consistit meritum.

Glorioſi Christianorum triumphi.

Sed perspice, quàm in hoc conflictu spiritus cum carne, eluceat sententia illa Paul. ad Rom. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Nam etsi in statu naturæ integræ per contemplationem homines plurimum mererentur, hoc tamen status noster illi præstat, quod sub Christo duce meremur: tollentes scilicet crucem nostram, atque illam sequentes; illic enim nulli essent languores neque agones aduersus hostem: nos verò sudoribus plurimis & laboribus exhaustis glorioſa præmia, diuina ope suffulti, promeremur: vt tanquam palmites per baptismum in Christo plantati, fructus gloriæ proferamus; alij scilicet virginitatis lauream gestantes, qui contra concupiscentiam carnis luctati sunt; alij verò prædicationis & doctrinæ; atque alij palmam martyrij ferentes, qui gloriosè de hostibus fidei triumpharunt. De quibus Dauid: Euntes, inquit, ibant & flebant mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione portãtes manipulos suos. Quæ quidem præmiorum insignia non fuissent; nisi propter casum Adæ Deus factus esset homo, qui ab illa nos culpa liberans tam ingentia nobis donaret auxilia.

1. Argu. S. Thomæ.

Facilè ergo soluuntur argumenta D. Tho. quorum primum est. Potentius, vt ait ad Rom. 5. Apostolus, est donum Christi, quàm peccatum Adæ; sed per peccatum mors in mundum intrauit, vt ibidem ait Apostolus, ac perinde omnes pœnalitates: ergo & per baptismum omnes essent tollendæ. Respondetur autem secundum glossam ad Rom. 6. (Vt vltra non seruiamus peccato) quod sicut superans atrocissimum hostem non statim eum enecat, sed patitur eum aliquantulum cum dedecore & dolore viuere: ita Christus pœnam, hoc est, concupiscentiam in hac vita alligauit, quàm in futuro perimet.

Secundum.

Secundò arguitur, Baptismus tollit peccatum actuale quoad culpam & pœnam: ergo deberet originale cum suis pœnalitatibus auferre. Negatur consequentia: duplex enim est pœna, s. gehennalis (vt ibidem ait glossa) & temporalis: & quoniam per baptismum perfecta conciliatur amicitia cum Deo, tollitur pœna omnis gehennalis, quæ eidem amicitiæ repugnat. Temporales autem, vt concupiscentia, fames, sitis, & mors, quæ ipsi naturæ, iustitia originali expoliatæ, natiuæ sunt, manere (vt dictum est) debuerunt. Sed tamen

regnum

Digitized by Google

regnum & dominium earum per gratiam baptismi dejectum est, vt homo non debeat illud timere. Tertiò. Remota causa remouetur effectus: sed originale per baptismum prorsus tollitur: ergo & pœnalitates deberent tolli. Respondetur autem quod cum Adam primum infecisset naturam, quæ postea per generationem inficit personas; Christus conuerso ordine priùs in hac vita reparat personas, abstergendo illis omnem maculam, & quemcunque supplicium reatum, qui eas posset ab ingressu cœlesti remorari. Pœnalitates autem, & detrimenta quæ sequuntur naturam originali iustitia destitutam, abolebit in generali resurrectione.

Tertium.

Christus nunc personas reparat, naturam autem in futuro saluo.

ARTICVLVS III.

Virum per baptismum non solum infundatur gratia & virtutes, verum aliqui virtutum actus, illi peculiariter attribuantur.

PER sacramenta non modo à malo liberamur, sed adornamur in bonum, & ideo postquam definitum est per baptismum a malis culpę & pœnæ nos erui, quæritur vtrum per ipsum quoque gratia & virtutibus informemur ad bonum. Et quoniam quartus & quintus articuli apprimè sunt germani, ambos in vnum compingemus. Igitur iuxta duo quæstionis membra duabus conclusionibus respondetur. Prima. Per baptismum quisque gratiam consequitur & virtutes. Probatur primo autoritate Apostoli ad Titum 3. vbi ait, quòd Christus saluos nos fecit per lauacrum regenerationis (id est, per baptismum) & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Deinde ratione, quia vt sæpe supra dictum est, per baptismum efficimur membra Christi: à capite autem in membra gratiæ & virtutum participatio deriuatur, secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus.

1. Concl.

Secunda conclusio. Baptismo peculiariter inter omnia sacramenta attribuuntur duo actus virtutum. Vnus, illuminare intellectum quantum ad veritatis agnitionem; atque alter, fœcundare affectum fœcunditate bonorum operum, per gratiæ infusionem. Prior pars probatur ex Dion. 2. cap. Eccles. Hierarch. attribuentis baptismo illuminare. Secunda vero autoritate glossæ super illud Psalmi. 22. Super aquam refectionis educauit me, dicentis, animam peccatorum ariditate sterilem per baptismum fœcundari. Secundò tota conclusio probatur, quia per baptismum efficimur membra Christi, atque adeo regeneramur in spiritualem Christianorum vitam, secundum illud ad Galat. 2. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei: vita autem membrorum animalis consistit in hoc, quod sint capiti vnita, à quo esse recipiant. A capite autem deriuatur in membra primò sensus, & deinde motus: ergo proprium baptismi est, vt per ipsum & sensum spiritualem suscipiamus ad cognoscendam veritatem, & spiritualem per gratiæ instinctum, motum ad operandum bonum. Atque hoc docemur verbo illo Ioann. 1. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Tametsi Græcè, Plenum gratiæ & veritatis, referatur ad Verbum quod caro factum est: eadem est tamen sententia, quam hic Diuus Th. profert. Quod gratia baptismate ablutis infundatur, duplicem habere potest sensum: vnum, s. quod fiant Deo grati. Et hic semper fuit habitus tanquam fides catholica, iuxta verbum Christi: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et Paul. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & similia. Alter vero sensus est, quod illa gratia sit qualitas ab homine distincta, diuinitus concreata, qua fiat homo gratus; sicuti est habitus scientiæ & virtutis acquisitæ. Atque hic sensus non est tanquam de fide, vsque adeò antiquus: quoniam neque tam planè ex sacra pagina colligitur. Nam, vt d. 1. q. 3. † explicuimus, nihil repugnat hominem esse Deo gratum absque aliqua sibi inhærente qualitate: sicuti ego sum gratus amico, eò solùm quod diligor ab illo. Et pariter distinguendum est de virtutum infusione. Quod enim fides, spes & charitas sint auxilia quædam specialia Dei, quibus nos supra naturam ad credendum mouet, & sperandum, & amandum, confessio Euangelica est, iuxta illud Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum. Et iuxta illud Paul. 2. Corint. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra, ex Deo est.

2. Concl.

Illuminare mentem & affectum fœcundare peculiariter baptismo tribuuntur.

Expositio articuli.

Dupliciter intelligi potest gratiam in baptismo infundi. Ephes. 5.

† *a. 1. § Eff. ergo tertia opinio.*

An gratia sacramentalis sit qualitas inhærens.

Quod autem sint habitus distincti potentiarum, sicuti acquisiti, nec tam planè colligitur ex sacris literis, nec est tam antiqua Ecclesiæ confessio. Imò gradatim veritas hæc est ab Ecclesia suscepta. Primum enim Inno. in c. Maiores. de baptis. tanquam rem inter theologos dubiam reliquit; vtrum hoc secundo modo gratia & virtutes per baptismum infundantur. Postmodum verò in concilio Viennensi pars hæc affirmatiua tanquam probabilior, dictisque sanctorum & doctorum magis concors recepta est: quod scilicet tam paruulis, quam adultis infundantur, vt patet in clem. Fidei cathol. de summ. Trin. & fid. cath. Et hoc potissimum propter paruulos, de quibus maius erat dubium. Nunc autem nouissimè in concilio Tridentino tanquam certa veritas est sub hoc verborum tenore decreta, sessio. 6. cano. 11. Si quis dixerit hominem viuificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei; anathema sit.

Pars affir. probatur ex conc. Viennensi.

Est autem hæc sancta veritas sacris literis maximè consonans, huic scilicet testimonio Pau. ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Effundere enim, rem aliquam effusam significat. Et 2. Cor. 1. Qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. & ad Ephes. 1. Credentes, signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Pignus enim rem aliquam significat. Et suffragatur ratio, quoniam homo cum hominem diligit, non eum bonum facit, imò eum ob id diligit, quod bonus est: Deus autem diligendo nos bonos constituit, atque adeò cùm, vt Sapient. 8. legitur, suauiter omnia disponat, non quomodocumque nobis fert opem, sed gratiam nobis infundit, qua diuinæ suæ (vt ait Petrus) consortes faciet naturæ, ac subinde potentias virtutibus exornat, quibus vnaquæque suum valeat officium perficere: vt intellectum, fide ad credendum; voluntatem autem spe, & charitate ad sperandum, & diligendum. Itaque sicut naturaliter ad productionem animæ, per quam recipimus esse, consequitur potentiarum emanatio, quibus anima ipsa operatur, ita & ad productionem gratiæ, quæ est in essentia animæ, dans illi esse supranaturale, consequitur in potentijs ad operandum, virtutum infusio.

Ex scripturis.

Arguitur autem contra. Dari gratiam in scriptura, idem est, quod dari Spiritum sanctum, cuius donum est gratia: at Spiritus sanctus non videtur per baptismum dari, sed per confirmationem: legitur enim Actuum 8. de Samaritanis à Philippo diacono baptizatis, quod nondum receperant Spiritum sanctum, donec venientibus Apostolis, per eorum manuum impositionem, eum receperunt. Ad hoc autem respondetur, absque dubio illos recepisse gratiam in baptismo, non tamen visibiliter Spiritum sanctum, sicut recipiebatur in confirmatione. Et de illa visibili visione legitur illic quod nondum in quenquam illorum venerat. At verò cùm virtutum duo sint genera: scilicet theologarum, vt sunt fides, spes, charitas: & moralium atque cardinalium, vt sunt iustitia, prudentia, fortitudo, & temperantia: de illis prioris generis nemo theologorum dubitat, quin infundantur; morales autem Scot. in 3. sentent. d. 36. (illic n. hæc materia disputatur infundi negat. Haud tamen hæc disputatio hîc locum habet apud S. Thom. sed 1. 2. q. 63. art 3. vbi affirmat prudentiam quoque per baptismum intellectui infundi, & iustitiam voluntati, atque adeò appetitui irascibili fortitudinem, & concupiscibili temperantiam.

Solutur obiectio petita ex illo Act. 8. Nondum enim in quenquam illorum venerat.

Primum argumentum S. Tho. contra primam conclusionem est. Sacramentum debet id representare, quod efficit: baptismus autem sua ablutione significat remotionem culpę; non autem infusionem gratiæ, & virtutum: non ergo illas efficit. Respondetur, quod sicut sua ablutione significat absterſionem culpæ, & sua frigiditate, refrigerium remissarum pœnarum; ita sua claritate, infusionem gratiæ & virtutum.

1. Arg. S. Tho.

Secundò arguitur. Id quod iam quis suscipit, non eget iteratò suscipere: multi autem dum ad baptismum accedunt, iam per baptismum flaminis, effectum eius obtinuerunt, vt de Cornelio legitur Actu. 10. quod ante baptismum iam erat timens Deum: id quod & de Paulo, ac de alijs constat: ergo illi nihil per bap-

Secundum.

tismum

tismum suscipiunt. Respondetur, quod per baptismum flaminis, per fidem, s. explicitam vel implicitam, recipit homo remissionem peccatorum, quoad culpam simpliciter; sed tamen quoad pœnam, atque gradum gratiæ, recipit secundum quod habet baptismum in voto; hoc est, secundum quantitatem actus voluntatis diuinitùs motæ: gradum autem baptismalis gratiæ non recipit, nisi cum baptismus confertur, & illic certissimè fit plenissima pœnarum remissio. Vnde super illud Psalmi. Super aquam refectionis educauit me: ait glossa. Per augmentum virtutis, & bonæ operationis educauit in baptismo. Necessitas autem recipiendi baptismum, ab illo etiam qui est in gratia, non est hæc, sed quod cum baptismus flaminis non habeat virtutem, nisi per votum explicitum, vel implicitum baptismi in re, semper manet præceptum ipsum suscipiendi.

Baptismus flaminis nō remittit peccatum nisi mediante voto sacramenti saltē implicato.

Tertium.

Tertiò arguitur. Virtus est habitus, quo quis faciliter & delectabiliter operatur: in baptizatis autem relinquitur pronitas ad malum, qui ideo difficultatem, & molestiam patiuntur ad operandum bonum: ergo illis non infunduntur virtutes. Respondetur, illam pronitatem & difficultatem non inesse baptizatis propter defectum habituum virtutum, sed propter concupiscentiam; quæ, vt dictum est, per gratiam baptismalem non funditus tollitur. At quoniam ad sensum articulo præcedenti explicatum quodammodo minuitur, fit vt tam ipsa pronitas ad malum, quàm difficultas ad bonum pariter diminuatur.

Circa secundam conclusionem nihil aliud adnotandum, nisi quod baptismus est sacramentum, quo propriè efficimur Christi membra, complantamurque illi, sicut palmites in vite: atque adeò sicut à vite palmites, ita & nos à Christo vitam suscipimus. Iuxta illud Ioan. 15. Ego sum vitis vera, & vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis verò in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, &c. Et quoniam vita spiritualis in cognitione & motu consistit, sicut vita animalium; isti duo motus intellectus & affectus, attribuuntur peculiariter baptismo. Dicuntur autem hæ virtutes per attributionem baptismo competere: quoniam omnis gratia sacramentorum, eo quod gratia est, ad eosdem etiam effectus confert. At quoniam aliorum alij sunt peculiares effectus; baptismi verò hi proprij, vt incorporet nos Christo, ei singulariter attribuuntur.

Idem etiam alia via constat, ferè tamen eadem. Est enim baptismus, vt d. 3. ar. 1. explicuimus, sacramentum Christianæ fidei, quæ per charitatem operatur: & quia fides est illuminatio eorum quæ sperantur, vti ait ad Heb. Pau. baptismus est sacramentum illuminationis, vti ait Dionys. † & quia charitas est, qua mouemur ad operandum propter Deum, fit vt etiam baptismus sit sacramentum, quo mouemur in Deum. Hæc est enim institutio Christiana, quam in baptismo profitemur, vt sempiternam fœlicitatem cognoscentes, illuc nostram dirigamus vitam. Vnde Paul. Heb. 6. eadem baptismo virtutes tribuit, dicens: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, &c. virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus reuocari, &c. Est etiam doctrina Aug. de baptis. paruu. eo loco, qui refertur de conse. d. 4. ca. Non ex quo. vbi ait, quod per baptismum incipit renouatio ad remissionem omnium peccatorum, & intelligentiam, & operationem spiritualium.

† *c. 2. Eccl. Hierar.*

Est ergo primum argumentum S. Th. Baptismus adulto non nisi iam fideli confertur, iuxta illud Marc. vlti. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: per fidem autem incorporamur Christo, iuxta illud ad Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris: ergo non baptismo, sed fidei attribuendi sunt illi actus. Respondetur, quòd per fidem incorporamur mentaliter, per baptismum verò corporaliter, sine cuius voto neque ipsa mentalis incorporatio fidei esset valida.

1. Argu. S. Thomæ.

Quomodo per fidem ante baptismum incorporemur Christo.

Secundò arguitur. Illuminatio fit per doctrinam, iuxta illud ad Ephesios tertio. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes, &c. doctrina autem præcedit baptismum in catechismo: ergo illuminare doctrinæ conuenit, non baptismo. Respondetur, illuminare exteriùs conuenire doctoribus Ecclesiæ per catechismum, sed intus præparare corda ad recipiendam doctrinam, est munus Dei, iuxta illud Ioan. 6. Erunt omnes docibiles Dei, & qui audit & dicit, (per internum scilicet appulsum Patris mei) venit ad me.

Secundum.

Tertiò. Fœcunditas pertinet ad generationem actuam, qua scilicet quispiam Christianismo iam prouectus alios generat spirituales filios, iuxta illud Pauli 1. Cor 4. In Christo Iesu ego per Euangelium vos genui: ergo fœcunditas non fit per baptismum. Respondetur, quod fœcunditas, quæ fit per baptismum, non est illa generandi filios, sed proferendi virtutum opera.

Tertium.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm pueri in baptismo consequantur gratiam & virtutes.

QVANQVAM post generalem conclusionem, quæ fuit prima articuli præcedentis, non opus hæc fuerat de pueris interrogatio, eo quòd sacramentorum effectus per se illis conueniunt, atque adeò si per baptismum conferuntur gratia & virtutes quibuscunque baptizatis, ac perinde pueris communicantur. Tamen quia de pueris fuerunt qui id negauerunt, ad respondendum illis adhibetur hæc quæstiuncula, vtrùm illis etiam infundantur gratia & virtutes. Et ideo D. Th. recitato illo errore, licet non formaliter, tamen in virtute ponit conclusionem affirmatiuam, quod illis etiam infunduntur. Error autem hic non est prorsus ille, quem qu præcedenti art. 6. ex Innocentio in cap. Maiores. de baptis. retulimus. Illi enim dicebant baptismum nihil paruulis prodesse, propterea quòd peccata solo charitatis actu dimittuntur, qui in paruulis esse non potest. Isti autem characterem illis imprimi non negabant, sed gratiam virtutesque infundi. Quorum error bino telo confoditur. Primo, quòd vt adulti, ita & paruuli per baptismum membra efficiuntur Christi: hæc n. eius virtus per se inest: quare per ipsum influxus fit eis gratiæ & virtutum. Secundò, quia tunc sequeretur, pueros ante rationis vsuram ab hac luce migrantes non frui æterna vita: nam vt ad Rom. 6. ait Paul. Gratia Dei vita æterna: atque adeò incassum baptizarentur. Accedit his autoritas expressa Aug. in enchiridio, † vbi ait. Paruuli renascendo moriuntur illi peccato, quod nascendo contraxerunt. Ac per hoc ad illos etiam pertinet illud, quòd dicit: Consepulti n. sumus cum illo per baptismum in mortem. Vbi cum subdatur apud Paul. Vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: fit vt etiam ipsi nouitatem vitæ accipiant, quæ non fit nisi per gratiam & virtutes. Et ne ad rem catholicam tã multis supra † testimonijs comprobatam redeamus, hęc veritas multis in locis est ab Augustino constituta, vt lib. 1. de peccatorum meritis cap. 29. vbi ait, parnulos baptizari, vt reconcilientur Deo, vt in illo viui, vt salui, vt liberati, vt redempti, vt illuminati fiant. Et cap. sequenti ait, infantibus baptizari, esse credere, fierique oues Christi, habereque per baptismum filium Dei, ac perinde ius ad vitam æternam. Idemque habetur de consec. d. 4. can. Paruulo. & ca. Paruuli fideles. Igitur eodem gradu fidei & modo, quo art. præcedenti catholicam esse diximus, gratiam & virtutes per baptismum infundi, tam de paruulis tenendum est, quàm de adultis. Secundò autem respondet D. Tho. ad illorum errorem: causa n. quæ illos in eum coniecit, fuit non distinguere inter habitum & actum: pueri namque licet actum habere nequeant virtutum, propter impedimentum potentiarum; possunt tamen habitibus exornari, quibus ætate progressi vtantur.

Conclusio affirm.

† *c. 50.*

† *a. 1. huius*

In argumentis S. Tho. autoritates exponit Augustini, quæ videntur huic veritati obuiare. Ad quotum omnium solutionem id meminisse oportet, quod q. præcedenti artic. 9. adnotauimus: nempe, quod cum originale peccatum non propria, sed aliena voluntate contrahatur, sufficit quoque pueris aliena voluntate fidem profiteri, & baptizari velle, &c. Est ergo primum argumentum. Gratia & virtutes non habentur sine fide & charitate: fides verò (vt distin. præcedenti artic. 10. diximus, & Augustin. docet) in credentium voluntate consistit, sicut & charitas: talem autem voluntatem non habent pueri: ergo neque illas virtutes. Respondetur tamen, quod cum voluntas pro actu accipiatur, & pro potentia, ad actum credendi requiritur voluntatis actus, de hoc intelligitur cum

1. Argu. S. Tho.

Etsi ad fidē actualem requiritur actus voluntatis, nō tamen ad fidē habitualem.

tur cum dicitur fidem consistere in credentium voluntate, quò pactò soli adulti credunt, sed ad recipiendum habitus sufficiunt potentiæ, quæ sunt in paruulis. Vnde August in lib. de baptismo paruulorum † paruulum, inquit, etsi nondum illa fides, quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum (per quod scilicet habitus infunditur) fidelem facit, de consec. d. 4. ca. Nihil est. Iam verò satis supra † explicatum est, quo modo credere, infantibus est baptizari.

† habetur ep. 23. ad Bonifacium.

† dist. 5. a. 9. §. Meritissimo ergo, & a. 2. §. Præterea.

Secundò super illud Ioan. 14. Maiora horum faciet, ait Aug. quod ex impio iustus fiat, Christus in illo, sed non sine illo facit: puer autem non potest cooperari ad suam iustificationem: ergo non fit ex impio iustus. Respondetur hoc dictum Augustini, & aliud in libro de charitate. Nemo ex aqua & Spiritu sancto renascitur, nisi volens. Et super Ioan. 6. Nemo nisi voluntate trahitur, & similia de adultis propriè intelligenda esse. Paruuli autem, quia non concurrunt ad suam iustificationem, nec volentes dicuntur, nec reluctantes iustificari, vt idem August. in epistola ait ad Dardanum. † Sed concurrere interpretatiuè dicuntur per intentionem Ecclesiæ.

† ep. 57.

Et similiter respondetur ad tertium, vt supra † satis responsum est. Ait n. Paul. ad Rom. 4. credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam: paruuli autem non videntur credere. Respondetur, inquam, ait Aug. lib. 3. de peccato. merit. quod paruulis mater Ecclesia gestantium pedes accommodat, vt veniant: illorum cor, vt credant: & linguam, vt fateantur. De consec. d. 4. ca. Mater. Et ideo per fidem Ecclesiæ interpretatiuè dicuntur credere.

† cod. a. 9. dist. 5.

Sed contra hoc obijcitur quartum argumentum; Quod carnali affectione agitur, non videtur habere spiritualem effectum gratiæ: sed nonnunquam pueri ad baptismum carnali intentione deferuntur, vt s. vel à lepra mundentur, vel ab alia curentur ægritudine: ergo illi gratiam non recipiunt. Respondetur, illam intentionem carnalem nihil nocere pueris, sicut neque vnius culpa nocet alteri. Vnde Augustinus ad Bonifac. & refertur can. Non illud. Non illud, inquit, te moueat, quòd quidam non ea fide ad baptismum recipiendum paruulos ferunt, vt gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed quòd hoc eos putant remedio, corporalem retinere vel recipere sanitatem. Non n. propter ea illi non regenerantur, quòd non ab istis hac intentione offeruntur. Hic autem discernendum est inter pueros & adultos. Pueri namque licet non intentione Ecclesiæ, sed alia quacunque à parentibus baptismo offerantur, dum tamen baptizans intentione Ecclesiæ id faciat, legitimum fit sacramentum. Et hoc est quòd hic docet Aug. At verò adulti, si non intendant recipere quod Ecclesia tradit, non baptizantur: si tamen id intendant, quamuis aliam habeant intentionem adiunctam, imo quæ magis eos moueat: videlicet, vt curentur, verè baptizantur. Quin etiam, quamuis illa intentio mala sit, vt d. 1. q. 5. art. 10. expositum reliquimus.

Nota.

ARTICVLVS V.

Vtrum effectus baptismi sit apertio ianuæ cælestis.

Conclusio aff.

PVLCHERRIMO ordine hæc articulorum series decurrit. Cum enim reliqui baptismi effectus tam malorum remotio, vt remissio culpæ & pœnæ; quàm bonorum donatio, vt infusio gratiæ & virtutum, viam ad fruitionem cælestis patriæ sternant; quærit tandem D. Thom. vtrum baptismus, eiusdem regni ianuas adaperiat. Et respondet hac affirmatiua conclusione. Effectus baptismi est apertio ianuæ regni cælestis. Probatur aperta ratione. Aperire regnum cæleste nihil aliud est, quàm impedimentum amouere eius introitus. Deus enim vbi primum condidit hominem, humano generi illud proposuerat, nisi idem primus parens sua præuaricatione illud nobis obseruasset: impedimentum ergo non est aliud quam culpa & pœna: culpa enim tam originalis quàm mortalis omnino hominibus illam ianuam occludit, indeque eos excludit; culpa vero venialis & pœna, quæ ex mortalibus fiunt reliquæ, hominem ab eodem ingressu in purgatorio remorantur: per baptismum autem omnis culpa & pœna remouetur, ergo per ipsum ianua cælestis aperitur.

Hoc in præsentiarum adnotandum est, quod hic effectus, scilicet totam remittere culpam & pœnam, est inter omnia sacramenta baptismo peculiaris, vb hoc quod est instrumentum taliter applicandi nobis passionem Christi, vt eius efficiamur membra: idque fit notum, siue hoc sacramentum ad antiqua referas, siue ad reliqua euangelica. Etenim ante Christi passionem neque circuncisio, neque aliud sacramentum aditum regni aperire poterat, eo quod pretium culpæ nondum erat solutum, quousque Christus dixit: Consummatum est. Vnde circa illum temporis articulum dixit Latroni: Hodie mecum eris in paradiso, & multa corpora sanctorum, qui illucusque fuerant in limbo, à monumentis surrexerunt. Et Pau. ad Ephe. 4. Ascendens, inquit, Christus in altum captiuam duxit captiuitatem. Reliqua verò sacramenta euangelica non propriè habent istum effectum, tum quod cum non sint regenerationes in Christum, non per se totam remittunt culpam & pœnam: tum maximè quia non nisi baptizatis, quibus aperta fuit ianua, applicantur. Vnde baptizato Christo vbi baptismum instituit aperti sunt cæli. Super quo verbo Luc. 3. ait Beda. Virtus hic baptismatis ostenditur, de quo quisque cum egreditur, regni cælestis ei ianua aperitur. Et Ambrosius quod refertur cano. Per aquam. de consec. d. 4. Per aquam, inquit, baptismi transitus est de terrenis ad cælestia. Est ergo catholica veritas, cuius negatio, aut dubitatio, nefandissima esset hæresis.

Expositio articuli.

Apertio ianuæ cælestis baptismo peculiaris est.

Vnde Christo baptizato cæli aperti sunt.

Existit nihilominus primum argumentum S. Tho. huiusmodi. Illud quod est apertum, apertione non indiget: cælum autem per passionem Christi apertum fuit: ergo non aperitur per baptismum. Negatur consequentia, per baptismum namq; non aliter quam per passionem referatur: quippe quod eius instrumentum est, quo eidem incorporamur passioni.

1. Arg. S. Tho.

Secundò arguitur. Baptismus à tempore quo institutus est, suos debuit habere effectus: multi autem Ioan. 3. & 4. leguntur ante Christi passionem baptizati, quibus illico ianua cælestis aperta non fuit, secundum illud Micheæ 2. Ascendit pandens iter ante eos, hoc est, Christus prius in cruce mortalitatem exuit, quàm alijs paradisum panderet: ergo hic non est effectus baptismi. Respondetur, baptismum tunc illis ianuam regni cælestis aperuisse, non quidem in re, sed in certa spe: quia Christum iam tunc præsentem credebant, per cuius mortem, ac subinde in virtute eiusdem baptismi breuissimo tempore erant potituri regno: quod ideo circuncisioni, quæ erat professio non præsentis, sed venturi, non competebat. Quod si arguas. Patres in limbo certam quoque habuisse spem regni, ad quod per gratiam erant accepti, id quidem fatemur: attamen non sperabant adepturos se regnum virtute circuncisionis: quia non erat instrumentum passionis; sed virtute passionis, cuius fidem habebant.

Quomodo baptismus, ante Christi passionem, cælum aperuisse dicatur.

Tertio arguitur. Baptizati obnoxij sunt pœnalitatibus huius vitæ, fami scilicet, & morbis: sed nemo quamdiu obnoxius est pœnæ, recipitur ad gloriam, vt patet de illis qui sunt in purgatorio: ergo baptismus non aperit cælum. Respondetur, quod baptizati non sunt istis pœnalitatibus obnoxij ob reatum personæ, s. propter actualia peccata, sed propter statum naturæ: & ideo cum per mortem homo ab illo statu liberetur, fit etiam ab eiusdem pœnalitatibus liber, vt possit statim cælum intrare, nisi culparum pœnæ cum in purgatorio aliquo tempore detineant.

ARTICVLVS VI.

Vtrum baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.

CONSTITVTIS iam tribus effectibus baptismi, qui sunt remouere culpam & pœnam, infundere gratiam & virtutes, atque adeo aperire regnum, interrogatur vtrum in omnibus baptizatis eundem habeat effectum. Et D. Tho. suppositis duabus distinctionibus per tres respondet conclusiones. Prima distinctio est ex parte effectus baptismi, quorum vnus per se illi conuenit, alter per accidens. Secunda ex parte susceptientis, qui vel est paruulus, vel adultus. Per se quidem effectus baptismi est ille, ad quem fuit institutus, scilicet regenerare homines in vitam spiritualem per plenam remissionem culpæ & pœ-

næ, & infusionem gratiæ,& virtutum. Et quantum ad istum effectum, statuuntur duæ conclusiones. Prima. *1. Conclusio. De pueris.* Omnes pueri hunc baptismi effectum æqualiter suscipiunt. Probatur. Effectus, qui per se conuenit sacramento, in omnibus qui æqualiter dispositi ad illum accedunt, æqualis est: omnes pueri æquali dispositione, imo nulla propria ad baptismum accedunt, ergo æqualem suscipiunt effectum. Idque ex illo confirmatur ad Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma (scilicet in omnibus qui illud recipiunt.) vniformis enim causæ, vniformis est effectus.

Secunda. De adultis. Secunda conclusio. Adultorum quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis vitæ accipiunt. Probatur contraria ratione ex similitudine agentium naturalium. Actus enim agentium sunt secundum dispositionem subiecti: vehementior enim flamma accenditur in ligno sicco, quàm in viridi: adultorum autem cum per fidem & deuotionem propriam ad baptismum accedunt, alius maiori accedit, alius verò minori: ergo inæqualem participant effectum. Veluti quanquam ignis per se eundem effundat calorem, tamen qui propinquiùs accedit, vehementiùs calescit. Accidentarius autem baptismi effectus est, ad quem non est institutus, sed ei per miraculum diuinæ virtutis accedit.

3. Concl. De effectibus baptismi accidentarijs. Et de huiusmodi effectibus subtexitur tertia conclusio. Isti effectus non æqualiter suscipiuntur ab hominibus baptizatis, etiam si cum æquali deuotione accedant, sed secundum ordinem diuinæ prouidentiæ dispensatur. Probatur vnico exemplo per glossam super illud ad Roma. 6. Vt vltra non seruiamus peccato, quæ ait: Non hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili creatoris, vt lex peccati, quę est in membris, prorsus extinguatur.

Expositio articuli. Quæstio præsens admodùm celebris est, quam suprà d. 1. q. 3. art. 1. & 8. Et rursus d. 5. art. 2. tetigimus. Et quidem sententia hæc D. Tho. est vniuersalis omnium doctorum, vt Alexandri Alens. 4. par. q. 21. in memb. 3. & Bona. in 4. d. 4. q. vlt. & Ricard. ead. d. art. 3. q. 3. ac denique ibidem Maioris, qui doctè de hac re sentit. Equidem quantum ad remissionem culpæ, ambigere nemo potest, quin, vt ait Damascen. lib. 4. ortho. fidei c. 10. æqualis sit in omnibus baptismi effectus, quia cùm vnum peccatum mortale, aut originale sine omnibus remitti nequeat; fit vt cuicunque baptizato non opponenti obicem omnia simpliciter remittantur, vt art. 1. satis constitutum est. Veruntamen de gratia est dubium. Scotus enim in 4. d. 4. q. 7. cui Gabriel cad. dist. q. 2. subscribit, primam hanc conclusionem D. Thomæ palàm negat. Imò verò non vnà, inquit, sed tribus de causis potest suscipienti sacramentum (siue paruulus sit, siue adultus) cumulatior infundi gratia, quàm alteri. Primum. Etiam si omnis oratio & meritum tam Ecclesiæ quam ministri circunscribatur, effectus ipse baptismi, vel alterius cuiusque sacramenti potest augeri. Idque ob duplicem causam, quarum vtramque ex ratione prædestinationis desumit. Cùm enim, inquit, Deus non ad æquales gradus gloriæ homines prædestinauerit: consequens fit, vt in sacramento auctiorem illi gratiam conferat, quem ad altiorem gloriam prædestinauit. Item secundò, subinde (inquit) cõsequitur, vt etiam Christus passionem suam non pariter pro omnibus obtulerit: quare per idem sacramentum, virtute eiusdem passionis copiosior effectus illi confertur, qui sublimiùs ad gloriam prædestinatus est. Addit autem, augmentum illud non dari virtute sacramenti, sed speciali beneuolentia diuina. Itaque est dabilis minimus gradus, quem baptismus vbique per se confert, quod autem abundantiùs datur, ex diuina beneuolentia procedit.

Reprobatur primò. Hæc autem opinio in primis tenuissimo nititur fundamento. Ex hoc namque quòd quispiam ad maiorem gloriam fuerit prædestinatus, non sequitur, per idem sacramentum, ampliorem illi gratiam donari, sed hoc tantùm, quod decedet in maiori gratia; quam quidem, tum maiori frequentia sacramẽtorum, tum etiam feruentiori virtutum vsu potest comparare.

Secundò. Deus singulis sacramentis certum ascripsit effectũ. Secundò arguitur. Si gradus illi excelsior gratiæ non datur virtute sacramenti, non est cur potiùs per beneuolentiam diuinam detur in sacramento, quàm extra. Exempli gratia. Si paruulo ad egregium gradum gloriæ prædestinato non datur virtute sacramenti nisi certus, idemque omnibus gradus gratiæ (quod necesse est concedere: nam Deus, suauiter omnia disponens, singulis sacramentis virtute operis adscripsit certum effectum) consequens fit, vt reliquum augmentum non solum dum baptizatur, sed post baptismum, sine aliquo merito dum paruulus dormiret, illi etiam conferret: nam si non datur virtute sacramenti, nec virtute proprij meriti, aut alieni, nulla est ratio, cur in sacramento potiùs, quam alio tempore illi conferatur.

Tertiò. Et tertiò arguitur. Si prædestinato ad maiorem gloriam, maior confertur gratia in sacramento, propter feliciorem prædestinationem; eadem ratione, eidem iam adulto, in quolibet officio eius meritorio, Deus illi accumulabit vberiorem gratiam, quàm in simili opere eiusdem meriti conferret alteri, ad minorem gloriam prædestinato. Quinuero eadem ratione sine eius merito quando vellet, etiam dum ille dormiret. Nam si ob solam prædestinationem, & quia Deus efficaciùs pro illo passionem obtulit, quam pro alio, datur illa gratia; fit vt neque vllum necesse sit concurrere sacramentum, neque verò vllum meritum proprium vel alienum ad illam obtinendam gratiam: quod esset totam meritorum rationem proscribere, ac de medio tollere. Hoc autem non solum temerariũ & præter omnem rationẽ est; verum & contra illud Pauli ad Roma. 2. Qui reddet vnicuique secundum opera eius. Et contra illud 2. Corint. 5. Vnusquisq; referet propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et 1. Corint. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet. Quibus vtique locis admonemur, quod gloriam Deus merito nostro, ex eius gratia mananti admetitur, sicut delictis supplicia, iuxta illud Deut. 25. Pro mensura delicti erit & plagarum modus. Quapropter in die iudicij opera tantum adducentur in causam gloriæ: Quia esuriui, & dedistis mihi manducare; & alijs: Quia esuriui, & non dedistis mihi manducare. *Matth. 25.*

Quartò. Quartò vrgentissimè arguitur. Confessio omnium est solenniter receptissima, imò ex sacro Euangelio, & manifesta ratione collecta; quod vnusquisque quo ad altiorem gloriam prædestinatur, est etiam ad præstantiora bona prædestinatus. Quamobrem, si Christus qui quoad sufficientiam æqualiter pro omnibus passus est, quoad efficaciam non æqualiter pro omnibus passionem obtulit; id sanè fuit, quia non omnibus per æqualia opera, & per eandem sacramentorum resumptionem, erat applicanda. Secundùm autem hanc opinionem non opus est, vt qui ampliorem est recepturus gloriam, cumulatiora habeat merita. Nam per illam gratiam, quæ ex beneuolentia datur, sine sacramenti virtute & sine merito, poterit habere maiorem gloriam, quàm alter. Etenim habentes æqualia merita, possunt recipere inæquales gratiæ gradus: imo qui habet minora opera, ampliores. Vt verbi gratia. Qui prædestinatus est ad gloriam vt decem, faciendo opera, vt sex; maiorem gratiam suscipiet, quàm prædestinatus ad gloriam vt octo, faciendo opera vt septem. Præsuppositio in vtroque vno gradu, verbi causa, gratiæ, quem præcisè virtute sacramenti suscepit. Quod profectò nescio quis concedere audeat: nam tunc non, esset æquissima libra diuini iudicij: vnde contingeret vt homines ad operandum segniores negligentioresque redderentur. Item sequeretur quod paruuli ante vsum rationis possent recedere in gratia inæquali, atque adeo ad inæqualem gloriam, quod licet Gabriel concedat, profectò non est tutum; cum absque proprio merito, sacramentalis gratia non augeatur. In summa hoc certè absurdum concessu est, quod virtute passionis Christi detur alicui gratia, nisi eadem passio aut virtute sacramenti, aut virtute meriti applicetur, & iuxta gradum dispositionis quæ est in suscipiente. Cuius contrarium hæc opinio asserit. Mittimus enim illud gratiæ culmen, quod ex singulari priuilegio, Deiparæ virgini donatum fuit, & gratiam quæ sanctificatis in vtero fuit infusa. Quocirca non video profectò quomodo inæqualitas hæc gratiæ quæ in sacramentis secundum Scotum confertur, seruari possit, nisi forsan ex maiore vel minore dispositione subiecti in adulto. de quo asserta est hîc 2. conclusio.

Quòd quis ad maiorem gloriam est prædestinatus, eo maior quoque ipsi præparatur gratia, sed per merita & sacramentorum vsum acquirenda.

Aliud ergo huic proximum in disputationem euocatur circa eandem primam conclusionem, vtrum saltem deuotione & precibus ministri aut circunstantium accessio aliquà gratiæ fieri possit recipienti sacramentum: nam & hoc quoque ibidem Scotus concedit, etiam de puero, qui ante vsum rationis baptismate intingitur. In cuius sententiam Caiet. supra q. 64. seu d. 5. q. 1. art. 1. subscripsit, idque absque di-

An Ministri & circunstantiũ deuotio conferat ad augendum effectum sacramenti.

stinctione,

Digitized by Google

stinctione, siue paruulus sit ante vsum rationis, qui recipit sacramentum, siue adultus. Vnde illud, quod illic in solutione secundi ait D. Tho. annexum posse accrescere impetratione ministri apud Deum, glossa etiam de gradu gratiæ adiecto.

Author negat quoad paruulos.

At vero de paruulo ante vsum rationis nequaquam opinio sustineri potest. Nemo enim alteri quicquam gratiæ gratum facientis de condigno, mereri valet: hoc enim soli Christo tanquam Ecclesiæ capiti competere potest, sed solùm de congruo, dum tamen sit in gratia cum Deo: nam qui eius inimicus est, nec de congruo quippiam apud ipsum mereri valet, vt lib. 2. de natura & gratia cap 4. latè diſpurauimus. Differunt autem hæc merita, quod meritum de condigno, quo qui est in gratia, per charitatis officia sibiipsi meretur gratiæ augmentum, fit ex certa lege & infallibili; videlicet, quòd semper effectum suum obtinet. Meritum autem de congruo, quo scilicet existens in gratia meretur temporalia bona, vel alteri etiam gratiam, non habet eandem certitudinem: imò Deus prout sibi expedire visum fuerit, aliquando annuet, vt quod petitur concedat; aliquando verò renuet.

Quia nullus potest alteri mereri gratiam, nisi ex boni animi motu impetrādo.

Igitur quòd nemo paruulo carenti vsu rationis gratiam aut primam, aut eius augmentum mereri de congruo valeat, arguitur: quia id fieri nequit nisi merendo ei, vt ipse bonum animi motum habeat, aut bonum opus exerceat, quod paruulis non est possibile. Nam si Petrus Paulo mereretur, vt absq; vllo eius bono opere, vel daretur illi prima, vel augeretur gratia, tunc Paulus in gloria non reciperet secūdum opera sua, & prout gessit in corpore: quod est contra iustitiam distributiuam. Et pariter, vt proximè arguebamus, sequeretur quod posset ei dormienti, etiam extra sacramentum tam primam gratiam, quàm eius augmentum mereri: quod re vera concedi non potest. Quinuerò cuilibet adulto ab omni opere cessanti posset alius gratiam mereri, quod eidem retributiuæ iustitiæ Dei manifestè aduersaretur, quæ nemini nisi secundum opera sua reddit. Et re vera hoc videtur Aug. ad Cresconium definire, & refertur de consec. d. 4. can. Si inter bonos. vbi ait, baptismum, puta eius effectum, propter meliorem ministrum non dari meliorem: quod quidem D. Tho. loco citato † ad hoc propositum allegauit. Neque verò glossa illic Gaierani satis textui quadrat: videlicet, illud intelligi de effectu, qui præcisè sacramento conuenit: illud autem adiectum prouenire ex impetratione ministri. Nam cum D. Tho. expresè illic loquatur de deuotione viri iusti, & dicat effectum sacramenti ab illa non prouenire, dicere videtur, neque virtute talis deuotionis, quippiam gratiæ baptizato accrescere. Ed. vel maximè, quod alioqui nomine annexi ipse expressisset gratiam.

† 3. p. q. 64. a. 1. ad 2.

Quem cum adulto possint habere nihil obstat quo minus eiusdem meriti possint gratia consequi.

Hinc fit nihil obstare, quominus adulto, seu dum baptizatur, seu extra baptismum; alius possit gratiam mereri tam primam, quàm eius augmentum: nam potest illi mereri, vt conuertatur in Deum, & pariter vt post conuersionem in bonis se exerceat operibus: ex quo non infertur inconueniens supra illata: namque ille recipiet in gloria secundum opera sua. Et hoc pacto mater Augustini suis precibus mereri potuit filio, sicuti & Stephanus meruit (vt refertur) Paulo suam conuersionem, & fortasse postmodum Ananias dum eum baptizauit, vt feruentius ac digniùs sacramentum susciperet. Atque idem de Petro dum baptizauit Cornelium sentire licet.

Vnde sic intelligendus est locus ille Matth. 9. de paralytico. Cui, videns Iesus fidem illorum, dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vbi ait glossa. Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra sanaret hominem. Fides enim aliorum ad salutem valuit corporalem paralytici, sed ad salutem spiritualem non nisi fides propria, quæ forsan propter merita aliorum auctior fuit. Et eodem modo intelligenda sunt illa priscorum merita patrum, quæ Deus in eorum sobole præmiabat, iuxta illud Moysi Exod. 32. Recordare Abraham & Iacob, &c. Et Daniel. 3. Ne auferas à nobis Domine misericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum, &c. Illa enim merita ad bonum temporale referebantur, sicuti Genes. 18. legitur, quod Deus liberauit Loth propter Abraham.

De S. Nicolao icunio.

Ad illud autem, quod de Nicolao afferri solet, quod ante rationis vsum ieiunabat, quod iudicium apparet maioris gratiæ, quàm in baptismo receperat, negatur illud inde prouenisse: nam multi sunt adulti in maiori gratia, quàm ille tunc erat, qui illud non faciunt; sed fuit gratia gratis data tanquam præsagium sanctitatis, ad quam per egregia opera promouendus erat. Nisi dicas accelerationem in eo fuisse rationis vsum, quod firmum non habet fundamentum.

Hic autem non est admonitio prætermittenda aduersus ophionem Paludani eād. d. 4. q. 1. Sic enim sentit de reparatione ruinæ Angelorum per glorificationem hominum, vt arbitretur tot esse, neque vno plures aut pauciores beandos homines, quàm quot ceciderūt Angeli. Imò ad eosdem prorsus gradus assumendos, à quibus ipsi ceciderunt. Præter beatissimam Virginem, quæ super omnes choros Angelorum exaltata est. Vnde infert, quod non possunt duo homines decedere in gratia æquali: quia in gloria, vt ait 1. Corint. 15. Paul. sicut stellæ in claritate, sic beati different. Atque hinc rursus colligit, paruulos, qui ante vsum rationis ab hac vita sunt migraturi, non recipere æqualem gratiam: ne sint pares in gloria. Secus de illis qui superuicturi sunt: nam illi licet æqualem recipiant, possunt tamen post, suis operibus inæqualiter augere.

Paludani opinio circa reparationē ruinæ Angelorum reprobatur.

Hæc autem opinio multa continet, quæ non sunt suo autore digna: imò absque vllo fundamento asserta. Primum enim, quod Angelorum ruinæ per hominum assumptionem sint reparandæ, non sic ad amussim intelligendum est, vt par sit omino saluandorum numerus; nam homines per se sunt creati & prædestinati; quoniam creaturæ sunt rationales, absque respectu Angelorum. Quare licet illi non ceciderint, homines beabuntur, atque adeo possunt plures aut pauciores illa perfrui felicitate à qua ceciderunt Angeli. Sed dicuntur reparare illam ruinam, quia sicut multi ceciderunt, multi assumentur. Vnde maiori probabilitate asseritur, quod ad eosdem gradus, à quibus illi ceciderunt, sunt homines assumendi. Vnusquisque enim secundum suam prædestinationem, & vt ait Paulus, secundum opera sua, & prout gessit in corpore, præmiandus est. Igitur paruuli, vt concludionem faciamus, omnes eundem prorsus gradum gratiæ suscipiunt, nempe illum præcisum, qui confertur virtute sacramenti. Figmentum enim est dicere, quod propterea quod non sunt peruenturi ad vsum rationis, recipiant omnes illi, dissimiles gradus. Quare decedentes ante vsum rationis, omnes habebunt æqualem gloriam. Neque vero repugnat, vt plures etiam adulti pares sint etiam in gloria. Quod autem Paulus beatos cum stellis confert, differentibus in claritate, intelligitur, quod erunt ferè innumeræ mansionum differentiæ, iuxta illud Euangelicum: In domo patris mei mansiones multæ sunt: non tamen sic, vt repugnet esse nonnullos similes.

Paruulorū gloria æqualis.

Adde credibile esse, gradum gratiæ baptismalis esse minimum omnium graduum gratiæ, qui in vita recipiuntur; nam ille solus confertur præcisè virtute sacramenti. Enimuerò si postmodum paruulus confirmetur, iam adhibetur alius gradus illi baptismali. Imò quia confirmatio ordinatur ad protegendam publicitus fidem, ac perinde ad robur eiusdem fidei, altiorem gratiæ gradum videtur per se suggerere. Alia vero sacramenta non applicantur nisi adultis, qui aliquam afferunt dispositionem, virtute cuius augetur gratia. Atque illa, quæ extra sacramentum, per modum meriti de condigno augetur, quia per proprium actum suscipientis acquiritur, maior censetur, quàm quæ paruulo per solum baptismum donatur.

Gratia baptismalis videtur esse omnium minima.

Circa conclusionem secundam est dubium, an sic intelligatur, quòd sola illa gratia, quam adulti dum baptizantur virtute sui meriti, recipiunt, sit inæqualis; an verò illa etiam, quam recipiunt virtute sacramenti. Etenim si de prima intelligatur, nihil ad rem: nam illa etiam absque sacramento reciperetur propter deuotionem, quæ est baptismus flaminis. Si autem de secunda, tunc sequitur, quod non cuicunque sacramento certus attribuitur gradus gratiæ, sed est variabilis. Ad hoc respondetur, quòd licèt S. Tho. non aliud dicat, quàm quod virtute sacramenti, inæquale de gratia nouitatis vitæ recipiant, tamen arbitror intelligendum esse de illa gratia sacramentali. Enimuero illa est propriè per quam acquiritur noua vita, cum sit gratia regenerationis, & renouationis. Et hæc apparet sententia Damasceni loco citato lib. 4. c. 10. cuius verba sunt. Peccatorum

An gratia, quæ adultis præcisè ratione sacramenti confertur, sit inæqualis.

Sententia autoris.

remissio omnibus æquè per baptismą donata est: gratia verò Spiritus sancti secundum dispositionem fidei & puritatis. Item quia credibile est, opera gratiæ esse sicut opera naturæ, quæ vt ait Arist. variantur secundum dispositionem subiecti. Et confirmatur exemplo S. Tho. quod sicut qui propinquiùs accedit igni, melius eius calorem participat: sic qui deuotiùs accedit ad sacramentum, gratiam illam sacramentalem plenius participat.

Quo sensu dicatur, cuique sacramento certum gratiæ gradum respõdere.

In hoc ergo sensu conceditur, certum gradum cuique sacramento respondere, quod vbi nulla suscipientis inuenitur dispositio, vt in paruulis inuariabilis est; in adultis vero erit minimus, vbi minimam inuenerit dispositionem, s. vbi non aliam inuenerit, quàm obicis remotionem: augebitur autem ab extrinseco per maiorem dispositionem subiecti. Non quidem ad æqualitatem, quod si accedat cum dispositione vt vnum, augeatur gratia sacramentalis vt vnum, & si quatuor, vt quatuor: ita vt tantum sit augmentum gratiæ sacramentalis, quantum prouexit ratione meriti. Hic enim esset nimius excessus: sed quod cuilibet gradui dispositionis respondeat aliqua quota pars illius gradus, qui datur ratione sacramẽti, vt octaua vel decima. Quo sic, vt quo gradus sacramentalis de se est maior (vt forte in Eucharistia quàm in baptismo) plus cuilibet gradui dispositionis respondeat.

1. Arg. S. Tho.

Contra hæc autem arguit primo loco S. Thom. Paruulis per baptismum duataxat remittitur originale: adultis vero etiam actualia: ergo non habet æqualem effectum. Respondetur autem hoc non prouenire ex varietate baptismi, qui omnia per se tollere valet; sed ex diuersitate subiecti; quia non omnes habent paria peccata: sicut ignis quantauis ei materia apponatur, totam absumit.

Homini nõ datur gratia secundũ capacitatem naturalẽ.

Secundò arguitur. Per baptismum conferuntur homini gratia & virtutes: sed in baptizatis experimur alios præ alijs eisdem virtutibus pollere: ergo non æquales conferuntur. Respondetur illud discrimen prouenire, vel quia adulti inæqualem dispositionem ad baptismum attulerunt, vel quia inter paruulos, rationis lumen ingressos, gratiam baptismalem per officia charitatis alius alio perfectiùs auxit.

Constantini lepra baptismo mundata.

Tertiò. Gratia datur secundum dispositionem & capacitatem naturalem, vt de angelis 1. part. quæst. 62. ar. 6. autor est D. Thom. sed puerorum vnus maiorem habet quàm alius capacitatẽ naturalem propter diuersas complexiones: ergo maiorem recipiet gratiam. Respondet egregiè ad maiorem quod tunc vera sit, quando illa capacitas naturalis inuenitur secundum mentem, in qua recipitur gratia. Quare Angeli, quia omnes secundum substãtiam spiritualem differunt specie, secundum quãtitatem naturalium receperunt primam gratiam, homines vero secundum animam non differunt specie, licet secundum corpus habeant varias complexiones, & ideo non est par ratio.

§. Arguitur secũdo.

Quartò. Nonnulli non solum gratiam recipiunt per baptismum, sed & aliud beneficium corporale, vt de Constantino legitur, qui a lepra mundatus fuit. Respondetur, illum non esse effectum per se baptismi, sed miraculum per diuinam ei prouidentiam adiunctum. Tamen si historia illa Constantini, quod per baptismum fuerit à lepra mundatus, non vsque adeo sit authentica, vt hìc Caie. & nos infrà d. sequent. art. 4. † adnotabimus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum fictio impediat effectum baptismi.

Conclusio affirmatiua.

ORDINE optimo post effectus baptismi subsequitur sermo de eorum impedimento, quod est fictio. Vnde statuit D. Tho. conclusionem. Fictio impedit effectum baptismi. Et probatur. Spiritus sanctus (vt Sapient. 1. legitur) disciplinæ effugiet fictum: effectus autem baptismi est ab Spiritu sancto; fictio ergo eundem effectum impedit. Deinde confirmatur ratione. Deus (vt autor est Damasc.) † neminem ad iustitiam cogit; ergo vt quis per baptismum iustificetur, requiritur eius voluntas, qua baptismum atque eius effectum amplectatur: fictio autem est voluntas contradicendi vel baptismo, vel eius effectui: ergo prior, impedimentum est ne suscipiatur sacramentum, & posterior, ne suscipiatur gratia, quæ est eius effectus.

† *lib. 2. orthod. fid. c. 30.*

Expositio articuli.

Quid nomine fictionis intelligitur.

Hic primum omnium notandum fictionis nomine intelligi hypocrisin, hoc est, simulationem, dum quis non gerit in pectore, quod opere externo demonstrat: videlicet, cum quis accedit ad baptismum non ea voluntate, vt ipsum vel eius gratiam suscipiat. Dixerim simulationem, & non formaliter mendacium: nam qui ore diceret se habere voluntatem quam non habet, mendacium committeret, quod est aliud speciale peccatum, virtuti veritatis contrarium: fictio autem est, cum homo se talem accedendo fingit, qualis re vera non est. Vnde ipsa simulatoria, ac perinde sacrilega sacramenti susceptio dicitur, & est fictio. Et quamuis D. Augustinus vt hic D. Tho. refert, quatuor fictionis modos enumeret, scilicet, quando quis accedit non credens, vt infidelis: & dum sacramentũ contemnit: & quando minister sacramentum non secundum ritum Ecclesiæ ministrat: & quando suscipiens deuotè non accedit. Duo tamen sunt modi, qui ad rem faciunt, secundum duo quæ in sacramento considerantur, nempe substantiam sacramenti, qua fit homo per characterem Christianus: & rem sacramenti, scilicet, gratiam, qua iustificatur. Vna ergo est fictio, quando simpliciter deest intentio suscipiendi sacramentum, quod Ecclesia confert, & tunc liquidum est non perfici sacramentum, vt d. præcedenti art. 7. conclusum est, & autor est Innoc. cap. Maiores. de baptismo. Quare de hoc non aliud addendum est verbum. Sed altera est fictio, qua scilicet quis intendens suscipere sacramentum, non vult affectum peccati mortalis relinquere, imò est in eo obstinatus. Et huiusmodi fictio nõ obstat, quo minus suscipiatur sacramentum cum charactere & fide informi: obstat tamen ne gratia infundatur, atque adeò ne remissio fiat peccatorum. Quæ quidem conclusio in hæreticis, qui baptizantur patentissimam habet veritatem, vt ead. d. præcedenti art. 8. monstratum est, & Aug. in cunctis operibus aduersus Donatistas effusissimè probat. Sed & citra hæresim de fictione aliorum peccatorum, eadem idem Augustinus commonstrat lib. 1. contra Donatistas cap. 12. & refertur de consecr. d. 4. can. Ostenditur. & can. Quomodo Deus. vbi probat illud eadem autoritate Sapient. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Et ca. Sicut ficti. 1. q. 1. vbi ait, quod ficti veraciter (scilicet quantum ad gratiam) non fictè suscipiunt quantum ad substantiam sacramenti. Quamuis verba eo. c. 12. subiungat, quibus nonnulli decipiuntur. Loquitur enim sic contra hæreticos. Si dixerint, cum quis fictus accessit, per vim sacramenti dimissa illi esse peccata, sed ratione fictionis continuò redire, &c. Vnde aliqui colligunt, senssisse, quod etiam ficto remittuntur peccata. Id autem non asserit, sed arguendo profert. Imò affirmatissimè iam tunc dixerat, nullatenus ficto infundi gratiam. Quinuerò inde argumentum sumit ad hæreticos, quod scilicet sicut contingit in alijs peccatis, ita & dum in hæresi baptizantur, sacramentum suscipiunt sine gratia, atque adeo sine remissione vllius peccati aut actualis, aut originalis. Hoc autem addiderim propter Gabrielem, qui ob nescio quam argutiunculam 2. Senten. dist. 32. conclusione 2. non est asserere veritus, quod si quis cum complacentia peccati mortalis ad baptismum accedat, remissionem originalis culpæ absque gratiæ infusione recipiat. At verò cum eiusmodi originalis remissio sit ablatio veræ culpæ, atque adeo reconciliatio in amicitiam Dei, error est non ferendus dicere, quod absque gratia & remissione omnium mortalium fieri possit.

Ea duplex est.

Augustin.

Gabrielis error.

An accedenti ad baptismum sufficiat attritio.

Dubium autem est in præsentiarum, quod dist. præcedenti artic. 4. retulimus, & hucusque distulimus: scilicet, vtrùm à peccatore accedente ad baptismum vera exigatur contritio, an vero satis ei sit attritio. Et supponamus vsque ad locum sacramenti pœnitentiæ, sic inter istos dolores differre, quod contritio est dolor propter Deum, seu de offensa Dei: attritio vero dolor propter inferni supplicia, aut propter aliquod temporale detrimentum. Et quidem ista attritio dupliciter potest contingere. Vno modo quod sit existimata contritio, ita vt qui illam habet, fallatur putans se dolere propter Deum, atque altero modo vt sit nota, s. vt accedens sentiat se non propter Deum, sed aliam ob causam dolere. Igitur vt inter certa & incerta discernamus, sit prima concluſ. Ad dignè suscipiendum baptismum sufficit non opponere obicem gratiæ. Probatur, quia baptismus est sacra-

1. Cond.

mentum

Ad dignè suscipiendū baptismum sufficit non ponere obicem.

mentum regenerationis suapte institutione (vt dictum est) viuificans hominem, faciens, ſ. vt moriatur peccato, & viuat Christo. Et confirmatur ex illo Inno. c. Maiores. de bap. vbi ait, tunc sacramentalem operationem imprimere characterem, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem. Nam etsi illic de obice opposito sacramenti substantiæ loquatur, pariter de obice gratiæ loqueretur. Atqui hoc S. Th. superiùs q. 68. art. 4. docuit dicens, quòd peccatoribus existētibus in reatu & macula præteritorum criminum conferendus est baptismus, si non persistant in proposito peccandi. Et infra q. 80. art. 4. ad 2. differentiam constituet inter baptismū & Eucharistiam, quòd cum baptismus sit medicina purgatiua, quæ datur ad tollendam febrim peccati, potest dari infirmis: Eucharistia verò, quia non est nisi sacramentum viuentium spiritualiter, non debet dari nisi illis qui censentur iam esse in gratia.

Sed dubium est, quid requiratur ad tollendum obicem, vtrùm sufficiat, quod homo priuatiuè se habeat erga peccata, an verò requiratur aliquis actus positiuus. Forsan enim quis opinaretur nullum actum positiuum requiri. Nam cùm non opponere obicem, negationem dicat, apparet satis esse non complacere in peccatis, quod sonare videntur verba illa modo citata Innocentij, Vbi obicem contrariæ voluntatis non inuenit obsistentem. Item quia cum per se baptismus sit collatiuus spiritualis salutis & vitæ, non aliud requirit præparamentum, quàm non inuenire complacentiam peccati mortalis. Ad hæc si vllus esset dolor requisitus, tunc baptismus non differret à pœnitentia, imò dicendus esset sacramentum pœnitentiæ.

2. Concl. Vt autem in adulto tollatur obex, requiritur detestatio peccatorum.

His non obstantibus subijcitur secunda conclusio. Ad baptismum requiritur in adulto aliquis actus positiuus pœnitentiæ mortalium. Hoc constat ex illo Actuum 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Item ex illo Aug. quod ad hoc proposito citauit S. Tho. vbi ait, quòd omnis voluntatis suæ arbiter constitutus, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi eum pœniteat veteris vitæ, nouam non potest inchoare. Et Magist. Sent. in 4. d. adducens illud Ambrosij, Baptismus non requirit planctum nec gemitum, ait verbum illud intelligi de exteriori satisfactione: nam interna, inquit, pœnitentia necessaria est ad baptismum. Vnde benè S. Th. illic q. 2. art. 1. ad 1. ait, ad baptismum requiri contritionem, non quasi concausam (sic n. legendum est, & non, Non quasi continuam) ad destructionem peccati, quasi baptismus non sit per se sufficiens, sed ad tollendum obicem. Et iam supra d. præcedenti art. 4. exposuimus verbum Innocentij, quòd non inuenire contrariam voluntatem baptismo, est requiri voluntatem eiusdem.

3. Concl. Saltem in generali.

Tertia concl. Non requiritur detestatio peccatorum in particulari, nec vt fiat aliqua eorum indagatio vt reuocentur in memoriam, sed satis est aliqua generalis, vt pœniteat hominem se peccasse. Et in hoc primùm differt à sacramento pœnitentiæ, vbi dicemus requiri particularem dolorem, & peccatorum confessionem. †

† d. 17. q. 2. a. 3.

4. Concl. Senſit Author veram contritionē, ante actualem baptismi ſuſceptionem, remittere peccatum.

Quarta conclusio. Si vera contritio ante baptismum adsit, quæ est dolor propter Deum, cum voto ipsius baptismi vel implicito, vbi est ignorantia inuincibilis baptismi, vel explicito, si iam sit eius prædicatio audita, per illam tolluntur omnia peccata tam originale quàm mortalia; sed tamen talis contritio non est necessaria. Prima pars notissima est quia est baptismus flaminis. Et secunda etiam inde constat, quod aliàs baptismus dum adulto confertur, nunquam remitteret peccata, quia semper inueniret ablata, nec faceret ex attrito contritum, atq; adeò nec esset sacramentum mortuorum ad ipsos viuificandum institutum: sanè cum talem effectum nunquam sortiretur.

5. Concl.

Quinta conclusio. Ad baptismum sufficit attritio existimata contritio. Hæc etiam certissima est, quoniam, vt in subsequentibus videbimus, ad cuncta sacramenta, etiam ad Eucharistiam sufficit. Cùm enim quis ad sacramentum accedit putans, bona fide se esse contritum, dignè quidem accedit, quamuis fallatur. Et huiusmodi accedentes sunt, qui per sacramenta ex attritis efficiuntur contriti, vt circa sacramentum Eucharistiæ & pœnitentiæ disputabimus. †

† d. 12. q. 2. a. 1. §. Et per hoc. & d. 18. q. 3. a. 2. §. In ſecundo.

Dubium igitur postremum superest, vtrum sufficiat attritio nota; ita quòd ille, qui accedit, benè intelligat se non dolere propter Deum, sed propter pœnas inferni, vel propter aliud quippiam. Et quidem Scotus in 4. d. 4. q. 5. & Duran. q. 2. & Palu. q. 1. & recentiores dicunt sufficere attritionem. At quia non distinguunt de attritione cognita, aut de illa quæ existimatur contritio, nescimus quid dicant. Videntur tamen sentire, quòd sufficiat etiam illa, quæ cognoscitur esse attritio. Antiquiores verò, vt Alex. Alens. 4. par. q. 18. memb. 2. art. 1. & D. Th. in 4. d. 4. q. 2. art. 1. ad 1. dicunt exigi contritionem. Neque hic D. Tho. meminit attritionis, sed solùm dicit, quòd requiritur voluntas, qua homo amplectatur baptismum & eius effectum: & in solutione 3. dicit, quòd sufficit velle à peccato recedere. Et ex recentioribus Gabr. d. 4. q. 2. conclusio. 4. huc inclinat, quòd requiritur contritio, & putat esse opinionem Scoti. Quem tamen non attentè inspexit, ille n non ait, nisi eum fictè accedere qui peccatum habet, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur.

An sufficiat attritio cognita.

At re vera est non debile argumentum, quòd eiusmodi attritio non sufficiat. Non dico quando metus inferni est mouiuum, ad inducendum timorem filialem propter Deum: nam illum liquidum est sufficere, sed quando in solo illo metu persistitur. Nam dolere solum propter inferni tormenta, aut aliud incommodum temporale, non est dolere de offensa Dei. Qui n. sic affectus est, non dolet se Deum offendisse, sed illa se incurrisse pericula & damna. Qui autem non dolet de offensa Dei, certè non amouet voluntatē suam à peccato, quatenus peccatum est, ſ. quatenus contra Deum. Atque adeo non solùm permanere videtur in macula peccati, verùm quodammodo in complacentia. Et confirmatur, quia ius naturæ admonet vt qui alium offendit non aliter illi reconcilietur, quàm eum pœniteat se illum offendisse. Qui enim patrem meum occiderit, si postea eum non propter me pœniter; sed propter patibulum, neutiquam est mea amicitia dignus, Et quidem ad sacramentum pœnitentiæ, vt illic videbimus † arbitror huiusmodi attritionem non sufficere, ob id quòd requiritur illic confessio; ac subinde vt dolor cordis, oris confessioni respondeat: confessio autem debet esse accusatio de offensa Dei, à quo venia petitur, & ideo saltem in sua existimatione talem debet pœnitens afferre dolorem.

Argumēta partis neg.

† loco citato ex diſt. 18.

At verò cum in baptismo talis accusatio non sit necessaria, sed satis sit pœnitentia interior ad recipiendum baptismum in remissionem peccatorum, vt ait Pet. Actuum 2. adhibere possumus hanc sextam conclusionem. Sufficit ad baptismum huiusmodi nota attritio, vt in hoc quoque differat à pœnitentia. Et ad argumentum modò factum respondetur, quòd licèt talis attritio non sit conuersio, est tamen amotio voluntatis à peccato, si adsit intentio emendandi vitam, vt cum intentione recipiendi baptismum ad recipiendam gratiam in remissionem peccatorum, sit sufficiens dispositio ad suscipiendam gratiam per virtutem sacramenti.

6. Concl.

Sententia Authoris aff. ſed, improbabilis, quum talis attritio, quæ ſ. tātum ex metu pœnarum oritur & non ex amore Dei, non ſit vera pœnitentia, qua tamen requiritur ad baptiſmū, Act. 2. Pœnitentiā agite. Vnde conc. Trid. ſſ. 6. c. 6. vult vt peccator ſuſtificādus, Deum diligere incipiat, tanquā omnis ſuſtitiæ fontem. & 1. Ioa. 3. dicitur: Qui non diligit, manet in morte.

Et confirmatur hæc ratio, quia ille, qui in tali dispositione martyrium pateretur, censeretur gratiam suscepisse. Et tertiò id confirmatur autoritate D. Th. supra citata infra q. 80. art. 4. dicentis baptismum posse dari infirmis. & d. 79. art. 3. ad 2. ait, conuenienter eum accedere baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis. Et per hoc respondetur ad argumentum proximè factum. Negatur, scilicet, quòd iste attritus maneat in complacentia peccati, quandoquidem ex hoc quòd habeat peccati conscientiam, non sequitur eum manere in complacentia; sed duntaxat in macula: peccatores autem manentes in sola macula, dictum est dist. præcedenti art. 4. esse baptizandos. Atque ad aliud de iure naturæ respondetur, satis esse ad reconciliationem, quòd homo attritus suscipere velit, recipiatque baptismum, quem Deus ad suam reconciliationem instituit. Imò vero Caie. vt infra d. 86. art. 2. patebit, affirmare videtur, nullum alium requiri pœnitentiæ actum in eo qui ad baptismum accedit, quàm velle suscipere baptismum in remissionem peccatorum. Neque vero forsan à veritate est alienus. Sed de hoc illic. Nam hoc fortasse intelligit hic D. Tho. dicens quod requiritur voluntas amplectēdi baptismum & eius effectum.

Contra id autem, quod de hac fictione dictum est, arguitur. Sequerētur illum qui fictè accedit in complacentia peccati mortalis præteriti, nouum crimen

Digitized by Google

committere accedendo· quia sacrilegium est sacra indignè susc ipere. Conceditur consequentia. Quòd si in contrarium arguas, rationem, quare alia sacramenta suscipere in peccato, sit peccatum, eam esse, quòd in baptismo confertur gratia ad suscipiendum alia,& ideo obligatio fit, vt dignè suscipiantur: ad baptismum autem suscipiendum nulla præcessit per aliud sacramentum collata gratia. Respondetur, non eam duntaxat esse causam, verùm & hanc, quæ est suscipere sacramentum,quo gratia confertur obicem opponendo ne suscipiatur: est enim hic sacramenti contemptus.

Duplex sacrilegium.

Ex quo fit duplex posse sacrilegium committi in sumptione sacramenti. Vnum scilicet permanere in complacentia peccati præteriti, quod est peccatum nouum. Alterum verò, si præter hoc praua intentione & fine suscipiatur: videlicet, propter adulterium, vel ad præuaricandam postea Christianam religionem, aut propter quid simile Quæ quidem distinctio pro articulo statim proximo obseruanda est.

1. Arg. S. Tho.

Primum argumentum S. Tho. est. Quicunque baptizantur, vt ait Apostol. ad Gala 3. induunt Christum, quotquot autem baptizantur intentione suscipiendi quod Ecclesia tradit, verè baptizantur: ergo Christum induunt, etiam si fictè accedant. Christus autem non nisi per gratiam induitur: ergo illam recipiunt. Respondetur ad maiorem, quod baptizari in Christo vno modo contingit per conformitatem ad ipsum: & hoc non contingit nisi per fidem charitate formatam. Alio modo per hoc quod suscipiunt sacramentum Christi: & isti non induunt illum nisi per configurationem characteris: quia, s. Christiani fiunt.

Secundò arguitur. Baptismus operatur diuina virtute, quæ voluntatem hominis mutare potest: nulla autem causa per id quod euincere potest impeditur: vt patet de igne, qui non cohibetur humiditate passi, quam exiccare potest. Respondetur egregiè, quod Deus potest quidem voluntatem hominis mutare, qui tunc non accederet fictus: institutio autem baptismi non est ad eiusmodi voluntatis mutationem, sed ad hoc, vt qui fictè non accesserit, per ipsum iustificetur.

Tertiò arguitur. Effectus baptismi est gratia, cuius obex est peccatum: sunt autem alia grauiora peccata, quàm fictio, quæ non dicuntur eandem gratiam impedire: ergo neque fictio illam habet vim. Respondetur, fictionem in hoc consistere, vt dictum est, quòd cùm accedens eo ipso accessionis opere profiteatur se rectam fidem habere Christi, velleque se ab ipso iustificari, id tamen non gerit in pectore, quia sibi peccatum complacet: quodcunque namque mortale peccatum amicitiæ Dei obstat: & quoniam, vt ait Iacobus, qui peccat in vno, reus fit omnium, fictio ipsa quodammodo includit omnia peccata, quatenus amicitiam Dei respuit, eiusque gratiæ ostium cordis occludit.

Cap. 2.

Complacentia peccati venialis nõ obstat gratiæ.

Hoc autem, ait S. Th. intelligitur de peccato mortali culpæ, quod gratiæ opponitur: nam complacentia venialis, vtpote quòd gratiæ non repugnat, non est obex gratiæ. Quæ quidem sententia in vniuersum ab omnibus suscipitur. Alioqui consequeretur, vt quis posset propter solum peccatum veniale condemnari. Puta si quis de omnib. mortalib. attritus, retinens tamen in proposito venialem culpam, accederet ad baptismum, nam quamuis ille ob mortalia præterita condemnaretur, tamen venialis complacentia esset in causa ne baptismi gratiam susciperet. Hoc autem nefas esset concedere.

Soluitur obiectio.

Arguitur autem in contrarium. Baptismus de se remittit omnem culpam & pœnam: illa autem complacentia venialis culpæ obstaculum est ne eadem culpa remittatur: ergo per illam iniuria irrogatur sacramento, atque adeò apparet mortale sacrilegium. Et confirmatur. Saltem si quis per peccatum veniale susciperet baptismum: vt si illum ob vanam gloriam susciperet, videtur mortalem iniuriam facere rei sacræ. Palud. est qui d. 4 q. 5. sub dubio refert venialis peccati complacentiam in susceptione sacramenti esse mortalem, præsertim in Eucharistia. At verò non est hoc in dubium reuocandum: nam licèt sit aliqua irreuerentia, non tamen mortalis. Sed hoc tantum consequitur, quòd illa venialis culpa non remittitur per sacramentum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm fictione recedente, baptismus suum effectum consequatur.

ANNIXVM est superiori articulo perscrutari, vtrum fictio sit impedimentum perpetuum, an verò postea tolli possit. Et respondet D. Tho. vnica conclusione affirmatiua. Remota fictione per pœnitentiam, baptismus statim consequitur suum effectum. Probatur primò autoritate Augu. lib. 1. de bap. contra Dona. ca. 12. quæ refertur can. Tunc valere. de consec. dist. 4. Tunc enim, inquit, valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ in corde malitia vel sacrilegio perseuerante peccatorum ablutionem non sinebat fieri. Confirmatur etiam ratione ex naturali similitudine. Baptismus est quædam regeneratio: dum autem aliquid generatur, simul cum forma consequentem effectum suscipit, nisi aliquod obstet impedimentum: quare illo sublato statim eundem consequetur effectum. Vt lapis dum generatur illico deorsum mouetur, nisi præpediatur, quare amoto impedimento statim cadit: similiter quicunque baptizatur characterem suscipit baptismalem quasi formam baptismi, & ideò gratiam simul susciperet nisi obstaret fictio: illa ergo per pœnitentiam sublata, recipitur gratia.

Conclusio affirmans.

Expositio articuli.

Conclusio hæc omnium est doctorum vniuersalis quantum ad verba, propter Augustini autoritatem, sed tamen quantum ad sensum, non constat omnino inter doctores concordia. Est enim glossa apparatus Ioannis Andreæ, super dicto can. Tunc valere. quæ ait non propter baptismum fieri remissionem peccatorum, sed propter cordis contritionem. Atque hanc interpretes iuris canonici plurimum sequuntur. In quorum gratiam argumentum ex. 2. Phy. ducitur, vbi ait Philosophus, quòd effectus in actu, requirit causam in actu, alias res quæ non est aliquid nunc posset producere: baptismus autem iam tunc cum sua virtute elapsus est: ergo nil efficit. At verò vt doctè aiunt Duran. in 4. d. 4. q. 4. & Paluda. quæst. 5. quibus Caieta. hic adstipulatur, glossa hæc textum corrumpit. Haud enim hîc disputamus de effectu pœnitentiæ, sed de effectu baptismi per fictionem impedito, vtrùm resurgat. Et August. expresè ait, quòd baptismus tunc incipit valere, cùm fictio veraci confessione tollitur, vbi pœnitentiæ solum tribuit fictionem tollere, & tunc baptismum ait valere ad illum effectum, à quo impediebatur. Respondebat enim illic Donatistis, qui aiebant baptismum ab hæretico susceptum nihil valere, eò quòd gratiam non conferret. Respondebat scilicet quod valet quando recedit fictio.

Probatur contra quosdam, remissionem peccatorum, quæ baptizato recedente fictione cõfertur, tribuendam esse ipsi baptismo. Primò.

Secundò id probatur. Ratio enim huius Augustiniani asserti inde ortum habuit, quod cum baptismus, vt habetur in concilio Florentino, fuerit institutus ad remissionem originalis, quod aliena voluntate contrahitur; nulli sacramento voluerunt patres hoc adscribere nisi soli baptismo, qui est sacramentum regenerationis in nouam vitam; atque adeò omnium sacramentorum ianua: & quoniam constat illi fictè baptizato, & postea pœnitenti originale cum actualibus remitti, illam originalis remissionem, atque eorum actualium, quæ baptismum præcesserant eidem baptismo tribuunt. Alioqui sequeretur, quòd aliquis non regenitus ex aqua & Spiritu sancto in Dei filium adoptiuum, nec per ignorantiam inuincibilem excusatus, posset cõtra sententiam Christi introire in regnum cælorum: nam si tunc baptismus non habet effectum regenerationis, fictus ille nunquam posset regenerari, quia baptismus nequit iterari.

Secundo.

Tertiò arguitur. Recedente fictione omnia peccata antecedentia baptismum, plenè quoad culpam & pœnam extinguuntur: nam hæc est conditio remissionis originalis, vt omnibus illic condonatis resurgat homo in nouam vitam: hoc autem facere nequit pœnitentia, neque pœnitentiæ sacramentum, quoniam illic non fit absolutio, nisi virtute clauium Ecclesiæ, cuius iudicio non subdũtur peccata ante baptismum commissa: eò quòd per baptismum homo primò iurisdictioni Ecclesiasticæ subijcitur: ergo eiusmodi remissio fit per baptismum.

Tertiò.

Ad argumentum ergo in fauorem iurisconsultorum factum respondetur per doctrinam hic S. Tho.

quod

Digitized by Google

quòd cum per baptiſmum imprimatur character, qui manet in baptizato; virtute eius poſtmodum recedente fictione infunditur gratia.

Explicatur, quomodo virtute charactis remanentis infundatur gratia.

Hoc autem Duran. loco citato ſiniſtrè intelligit, arbitratur n. D. Th. aſſerere characterem eſſe diſpoſitionem neceſſitatem ad gratiam. Quod quidem ſubinde impugnat, eò quod & character ſine gratia eſſe poteſt, vt in præſentiarum, & è conuerſo gratia ſine charactere, vt patet de Cornelio & alijs, qui ante ſuſceptionem baptiſmi iuſtificantur. Et ideo ſubdit, quòd ſi teneatur, nullam in ſacramento ipeſſe virtutem conferendi gratiam, ſed ad eius præſentiam Deum ex pacto illam infundere; facilè intelligitur quemadmodum ratione pacti propter antea applicatum baptiſmum, recedente poſtea fictione, conferatur gratia. Si autem inſit virtus ſacramento, cum illa prꝛterierit, non ita apparet poſſibile. Ad quæ quidem argumenta Paluda. reſpondere conatur. At verò non ita hic multis opus eſt. Nam imprimis D. Th. non ait hic characterem eſſe diſpoſitionem gratiæ: id enim in 4. diſt. 4. prædixerat, quòd tamen in ſumma non ſuſtinuit, & ſuprà d. 1. q. 4. art. 4. ſatis explicuimus illud eſſe falſum. Imò character conſequitur ad fidem in eodem intellectu, & fides legitimo ordine conſequitur gratiam, quæ ideo vbi non opponitur obex prior natura producitur, quàm character: ſed quia vbi impeditur infuſio gratiæ, producitur fide mortua, comproducitur character. Quare hic non appellat eum diſpoſitionem, ſed formam, qua homo fit Chriſtianus, virtute cuius Chriſtianiſmi poſtea ſublato obice infunditur gratia. Et appellauit illum formam, propter ſimilitudinem ad formam grauis, ad quam ſublato impedimento conſequitur motus. Neque ad hoc quidpiam refert, quòd virtus infundendæ gratiæ inſit ſacramento: illa enim, vt diximus, d. 1. q. 3. non eſt niſi motus aquæ, qua homo abluitur, virtute cuius poſtea infunditur gratia. Et eſt nonnullum exemplum naturale. Si quis continuò dum generat, antequàm fœtus viuat, moriatur; clarum enim eſt poſthumum illum virtute parentis defuncti vitam ſuſcipere. Quòd ſi neges omnino ſimile, quia manſit ſemen, nos etiam dicimus, quòd quia iſte baptizatus fuit, manetq́; baptizatus, recipit gratiam, veluti art. 5. de eodem baptiſmo dicebamus ſuſcepto ante Chriſti paſſionem, quòd virtute eius aperienda eidem baptizato erat poſt eandem paſſionem cælorum ianua.

1. Arg. S. Tho.

Primum argumentum S. Th. eſt. Opus mortuum, quod eſt ſine charitate, nunquam poteſt viuificari: ille autem qui fictus accedit recipit baptiſmum mortuum, quia ſine charitate: ergo nunquam ſic viuificari poteſt, vt gratiam conferat. Reſpondetur, baptiſmum non eſſe opus hominis, ſed Dei, & ideo ſacramentum ipſum non eſt mortuum, ſed cum fictè ſuſcipitur; ſuſceptio ipſa, quæ opus eſt hominis, eſt mortua: & ideo recedente fictione, baptiſmus qui impeditus erat, ſortietur ſuum effectum, tamen ſuſceptio, quæ fuit mortua, nunquam reuiuiſcet, hoc eſt, fictus ille nunquam recipiet illam gratiam, quam virtute ſui meriti, ſi dignè ſacramentum ſuſcepiſſet, adipiſceretur. Opus enim, quod per modum meriti viuit, illud ſi fiat in peccato, nunquam reuiuiſcet.

Quæritur, An ſicut baptiſmus, ita etiam cætera ſacramenta fictè ſuſcepta poſſint reuiuiſcere.

Contra hanc autem ſolutionem exiſtit argumentum minimè imbecille. Sequeretur n. ex hac ſolutione, quòd ſi quodlibet aliud ſacramentum reciperetur cum obice gratiæ, poſtea recedente fictione, infunderet ſacramentalem gratiam: nam quodcunque eſt etiam opus Dei.

S. Thom.

De hac re variæ ſunt opiniones: quinuerò & D. ipſe Tho. in 4. à ſeipſo variare videtur: nam d. 4. q. 3. art. 2. quæſtiuncu. 3. ad 3. affirmare videtur, omnia ſolaque ſacramenta, quæ characterem imprimunt, licèt fictè recipiantur, poſtea reuiuiſcere: vt ſunt baptiſmus, confirmatio, & ordo: nam cùm illic characterem ponat tanquam diſpoſitionem neceſſitantem ad gratiam, ſublato impedimento, eadem eſt ratio de omnibus. Et hanc opinionem ſequitur ea. d. Palu. q. 5 in fi. & Sylueſt. ver. Baptiſmus. 4. §. 17. Vnde de Euchariſtia, quia non imprimit characterem, ait ibidem S. Tho. quòd ſi fictè ſuſcipiatur, quamuis poſtea recedat fictio, nunquam habebit effectum. At verò ipſe idem D. Th. poſtmodum d. 17. q. 3. art. 4. idem ait de ſacramento pœnitentiæ Illud n. bifariam poteſt illegitimè ſuſcipi. Vno modo dum fit dimidiata confeſſio; & illud, quia non eſt ſacramentum, nunquàm habebit effectum. Alio modo, quando confeſſio fit integra, ſed opponitur obex gratiæ. Et tunc, inquit, recedente fictione percipiet fictus abſolutionis fructum, ſicut, inquit, etiam eſt in alijs ſacramentis. Vbi videtur hoc generaliter omnibus tribuere. Et certè id videtur conſequi ex illa ſolutione ad primum argumentum, quia quodlibet eſt opus Dei.

Opinio autor.s negatiua.

Nihilominus (vt meam fatear inſcitiam) ſi meo arbitratu res definienda eſſet, mallem prærogatiuam hanc baptiſmo ſoli adſcribere, vt nulli alij conueniat ſacramento. In primis namque res eſt cuius ex ſacris literis colligi nequit certitudo, atqueadeò de qua liberum eſt ſic aut aliter coniectari. Et Aug. qui rei huius præcipuus eſt autor, hoc ſoli baptiſmo tribuit. Et D. Tho. quamuis in 4. vbi non tam preciſim rem examinabat, aliud, (vt vulgo forſan circunferebatur) dixerit: hic verò in ſumma non niſi ſoli baptiſmo hoc adſcripſit. Quare hic characterem in genere non tanquam gratiæ diſpoſitionē induxit, ſed ſingulariter tanqua baptiſmalē formam, qua fit homo Chriſtianus: quamobrem non virtute characteris ſecūdum eius generalem rationem; ſed ſingulariter ratione Chriſtianiſmi ait baptiſmū effectum ſuum ſortiri, ſcilicet gratiam, qua Deo in filiū baptizatus adoptatur. Neque verò quod hic ait, ſacramentum eſſe opus Dei, & ideo non eſſe mortuum, tanquam vniuerſalem cauſam adfert, vt eadem ratione cuncta ſacramenta fictè ſuſcepta poſſint reuiuiſcere, ſed ſolum vt negaret ſacramentum eſſe opus mortuum. Quòd autem ſemel per mortuam ſuſceptionem impeditum, poſtea reuiuiſcat; eſt ſingularis baptiſmi prærogatiua: eò quòd ad remiſſionem originalis contagij inſtitutus eſt, atque adeò ad pleniſſimam indulgentiam, & regenerationem filiorum adoptionis in nouam vitam, quod alijs non conuenit ſacramentis. Tametſi etiam ſingulariter modo præ alijs ſacramentis dicatur opus Dei, eò quòd nec claues Eccleſiæ requirit, neque verò diſpoſitionem in ſuſcipiente, vt apparet in paruulis. Id verò, quod de pœnitentia S. Tho. dixit, ſic forſan, vt proprio loco videbimus, † inteiligendum eſt; quòd cum ſit ſacramentum in remiſſionem duntaxat actualium inſtitutum; ſitque perinde iterabile, ſi poſtquā fictè ſuſcipitur ſuccedat contritio, ſuccedet perinde fructus remiſſionis per modum meriti, & ſi adhibeatur iterum ſacramentum, adhibebitur ſubinde & ſacramentalis gratia illi ſimillima, quæ per priorem abſolutionem fuiſſet ſuſcepta.

Reſpōdetur ad authoritatem S. Thomæ.

† d. 18. q. 3. a. 3. §. Quartum mihi argu.

2. Argum.

Secundò arguit D. Tho. Fictio fortior eſt, quàm baptiſmus, quippe cum eius effectum cohibeat: id autem quòd fortius eſt à debiliori non ſuperatur: ergo baptiſmus culpam fictionis non tollit, atque adeò nec originale, neque alia præcedentia peccata. Reſpondetur, quòd fictio non tollitur per baptiſmum, ſed per ſubſequentem pœnitentiam: ſic enim ait Aug. Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit: prius ergo natura tollitur per pœnitentiam fictio, & tunc baptiſmus originale cum omnib. ante ipſum commiſſis actualib. pleniſſimè abſtergit, iuxta verbum Aug. lib. 1. de bapt. c. 12. Soluitur heſternus dies, & quicquid ſupereſt, hoc eſt originale, & quicquid actualium ei ſuperadditur ante baptiſmum, & omnia peccata quæ comitantur ipſa hora, & ipſo momento baptiſmi: deinceps autem continuò reus eſſe incipit: nempe, ſi cum fictione quis baptiſmum ſuſcipiat. Quapropter cum recedit fictio, ſimul baptiſmus & pœnitentia concurrunt: pœnitentia quidem per accidens remouendo fictionem, baptiſmus verò per ſe tollendo reliqua præcedentia.

3. Argu.

Recedente fictione, peccata poſt baptiſmum commiſſa remittuntur, non virtute baptiſmi, ſed vi pœnitentiæ.

Similiter reſpondet ad tertium, quod eſt huiuſmodi. Contingit nonnunquam ei qui fictè baptiſmum ſuſcepit, vt poſt ipſum alia mortalia accumulet, quæ vtique per baptiſmum non tolluntur: nam ſacramentum præterita delet, ad futura verò non ſe extendit: ergo in tali caſu baptiſmus nunquam poteſt ſuum habere effectum. Reſpondet, inquam, ſimiliter, quòd ſicut fictio non per baptiſmum, ſed per pœnitentiam deletur, ita & ſubſequentia crimina: quare illa non plenè quoad culpam & pœnam remittuntur, ſuntque confeſſioni obnoxia. Veruntamen eodem momento, quo culpa illorum per pœnitentiam remittitur, virtute baptiſmi remittuntur pleniſſimè præcedentia.

Contra has autem ſolutiones arguit Palud. loco citato. Impoſſibile eſt vnum peccatum ſiue originale, ſiue mortale remitti, quin omnia remittantur: nam re-

Digitized by Google

missio est reconciliatio in amicitiam Dei, quæ sine integra remissione non fit: ergo pariter est impossibile, vt aliquod sacramentum aliqua peccata remittat, & non omnia, atque adeò non est verum, quòd in recessione fictionis aliqua peccata per pœnitentiam, aliqua verò per baptismum remittantur.

Paludanus contrarium docet.

Secundò arguitur. Si fictio & subsequentia peccata per pœnitentiam remitterentur, sequeretur quòd illorum requireretur vera contritio, nec sufficeret attritio. Loquimur quando obex tollitur per solum dolorem: nam si adhiberetur sacramentalis absolutio, sufficeret attritio, vt dictum est, existimata contritio, vt per sacramentum efficeretur ille ex attrito contritus. Consequens tamen probatur sic falsum. Si in receptione baptismi adesset attritio, etiam nota, sufficeret vt baptismus haberet effectum: ergo cum postea baptismus habiturus sit eundem effectum, eadem sufficiet attritio ad tollendam fictionem.

Impugnatur.

His ergo adductus argumentis Palu. ait sufficere attritionem ad tollendam fictionem, non quòd per se sufficeret, sed quòd sufficiat vt tunc virtute baptismi omnia tam præcedentia ipsum quam subsequentia deleantur. Sed re vera solutio hæc aduersatur in primis dicto Aug. s. quòd tunc incipit ad salutem valere baptismus, cum fictio veraci confessione recesserit (id est, per legitimam pœnitentiam) ergo nec fictio, nec subsequentia peccata delentur per baptisma, sed per pœnitentiam. Item quia illa crimina, quæ subsequuntur baptismum & fictio, iam subijciuntur Ecclesiæ clauib. atque adeo pœnitentiæ, quare non remittuntur per baptismum. Ad hæc baptismus impediebatur per fictionem: ergo illam ipse superare nunquam poterit, vt tollat. Adde quòd si baptismus dum recipiebatur, sortiretur suum effectum non amplius ea remitteret quæ deinceps committerentur, sed propterea quòd tunc non habuit effectum non fuit melioris conditionis: ergo neque eadem post remittet: remittuntur ergo per pœnitentiam. Et cùm eadem pœnitentia originale & præcedentia baptismum plenissimè remittere nequeat, manifestè fit consequens, vt alia per baptismum, alia verò per pœnitentiam deleantur.

Responsio ad eius argum.

Vnde ad primum arg. negatur illa consequentia, quod si Deus nunquam aliqua peccata aut originale, aut mortalia sine omnib. remittat, non posset per vnum sacramentum remittere aliqua, quin omnia per idem remittat: potest n. causa principalis diuersis instrumentis ad diuersa peccatorum genera simul vti. Fit n. omnium remissio in eodem instanti temporis. Neque aliud latet mysterium, quàm quòd Deus resipiscentem illum in suam amicitiam conciliat, à fictione quidem & subsequentib. peccatis, quia eum illorum pœnituit, & ab originali & præcedētib. quia baptizatus est. Quare non est hic dimidiata venia.

Ex quo subsequitur solutio secundi arg. Requiritur, inquam, ad indulgentiã fictionis & subsequentium peccatorum vera contritio, aut attritio existimata contritio cum sacramento pœnitentiæ, subduntur n. iam illa Ecclesiæ clauib. Non ergo sequitur. Attritio præcedentium baptismum, quando ipse suscipiebatur, sufficeret: ergo & nunc sufficit ad tollendam fictionem, quoniam illa fictio non baptismi virtuti, sed pœnitentiæ subditur.

Soluitur alia obiectio.

Contra hoc autem arguitur. Contritio non potest esse vnius peccati, quin sit omnium: ergo si contritio requiritur fictionis, similiter requiritur & peccatorum præcedentium baptismum. Ad hoc respondet loco citato Scotus, quòd si ille fictus dum baptizabatur erat in septem crimlnib. quorum sex habuit tunc attritionem, septimi verò complacentiam, postea dum resipiscit, tenetur de illo septimo conteri, & quatenus erat, V. g. adulterium, & quatenus fuit causa fictionis, s. sacrilegæ suscentionis sacramenti, quæ fuit insignis irreuerentia: de alijs verò non requiritur noua vel contritio, vel attritio. Addiderim verò ego impertinens esse vllam tunc habuisse attritionem: imò quamuis omnium habuisset complacentiam, sufficit postmodum habere dolorem fictionis, quæ fuit indigna susceptio baptismi, & subsequentium delictorum: nam illa contritio in virtute includit contritionem omnium præcedentium.

Sententia Authoris.

Vnde ad arg. respondetur, bifariam intelligi requiri contritionem illorum præcedentium. Vno modo per se, & sic non requiritur. Alio modo per accidens & consecutiuè, & sic requiritur: quoniam requiritur per se contritio fictionis, & subsequentium, quæ esse non potest sine dolore omnium præcedentium, saltem in genere.

Aliud arg.

Quòd si arguas. Illa fictio præcedebat baptismum: ergo illis non requiritur contritio. Negatur antecedens. Est enim semper præ oculis habendum, fictionem non esse peccata commissa ante baptismum, sed inidoneam & sacrilegam susceptionem ipsius baptismi, putà quia sine dolore suscipitur: & quoniam baptismus est sacramentum Ecclesiæ, fit vt eius indigna susceptio clauib. eiusdem Ecclesiæ, atque adeo sacramento pœnitentiæ fit subiecta.

Peccata in susceptione baptismi cõmissa, sunt contritione delenda.

Ex quo fit consequens, vt quodcunque peccatum in susceptione commissum sit etiam contritione delendum. Vt si quis susciperet baptismum, vt res Ecclesiæ furaretur, aut fortè vt per simoniam beneficia obtineret, omnia illa requirunt contritionem & confessionem: quia susceptio cum tali proposito est sacrilega. Quapropter cautè legendus est D. Tho. in solutione secundi, vbi ait quod baptismus remota fictione aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & simul etiam existentium cum baptismo. Intelligit n. ille, ea quæ cum complacentia vsque ad baptismum fictè susceptum permanserunt baptismo deleri: non tamen ipsam peruersam susceptionem. Vndè, vt benè hic notauit Caiet. illa præcedentia peccata possunt considerari vno modo in se, atque altero quatenus causa extiterunt prauæ susceptionis baptismi: baptismus ergo illa secundùm priorem rationem delet, non autem prauam susceptionem: quare, inquit, dum fictus postea fictionem confitetur, satis est dicat, suscepi baptismum in peccato mortali, sine expressione illius peccati: nisi forsan exprimere voluerit grauitatem fictionis, si illud fuisset grauissimum: secùs si baptismum suscepit iniquo proposito mortali. Illud enim exprimere tenetur: quoniam, vt dictum est, ad forum Ecclesiæ pertinet.

An recedente fictione, non solum peccata remittantur per baptismum ante susceptum; verumetiã gratia ei respondens reddatur.

At verò dubium profectò ex his restat minimè dissimulandum, vtrùm per illam pœnitentiam, quo fictio remouetur, non solum gradus ille gratiæ illic conferatur, qui virtuti meriti respondet; verum & alius sacramentalis, qui per baptismum infunderetur. Ex dictis n. consequi apparet, vt ambo gradus infundantur: quandoquidem baptismus vim tunc recuperat ad pleniſſimam indulgentiam tum originalis, tum etiam illorum actualium, quæ baptismum præcesserunt. Sed ex altera parte non omninò videtur necessaria consequentia: quoniam licèt ille fictus quia baptizatus est, omnium venia dignus sit, non tamen fit inde consequens, vt ad maiorem gradum amicitiæ assumatur, quàm se ipsum disposuit: & cùm ad baptismum nullam dispositionem attulerit, videtur non suscipere maiorem gratiam quàm quæ respondet modo pœnitentiæ. Alioqui commodum de fictione reportasset: nam si legitimè suscepisset baptismum, vnumque adeò gradum gratiæ, & postmodum tantum committeret peccatum, quantum fuit fictio, non reciperet postea gratiam, nisi quanta esset contritio.

Scot. loco citato ambas refert opiniones, & in hanc secundam videtur magis inclinatus. Et re vera Aug. atque hic S. Th. nihil loquuntur de gradu gratiæ, qui tunc recipiatur virtute baptismi, sed solum quòd virtute illius remittuntur præterita. Et possumus dicere, illum gradum gratiæ pœnitentiæ, propterea quòd respondet contritioni hominis, qui fuit fictè baptizatus, licèt in se non creſcat, habere tamen virtutem remittendi originale, & omnia baptismum præcedētia: ille n. maior effectus non arguit maiorem gradum gratiæ. Adultus siquidem, qui peccatis onustus cum sola attritione susciperet baptismum, solam gratiam sacramentalem reciperet, quæ, vt diximus, minima est: & tamen pleniſſimam susceptisset omnium indulgentiam. Profectò qui sic responderet, maxima se probabilitate tueretur. Qui autem secùs senserit, gradum scilicet baptismalem in illo accumulari, dicere subsequenter tenetur, quòd si illa fictio postea non per contritionem tollatur, sed per attritionem reputatam contritionem adiuncto sacramento pœnitentiæ, tunc per sacramentum non solum sacramentalis pœnitentiæ gradus, verùm & baptismalis infundatur.

Quæstio

Quæstio secunda,

DE CATECHISMIS, ET EXORCISMIS BAPTISMI.

S. Thom. 3. part. quæst. 71.

ARTICVLVS I.

Vtrùm catechismus debeat præcedere baptismum.

QVÆSTIO secunda præsentis distin. est de præparatorijs baptismi, quæ sunt catechismi & exorcismi. Vnde S. Tho. in hoc 1. art. constituit conclusionem hanc. Catechismus baptismum conuenienter præcedit. Probatur primò ratione. Baptismus est fidei sacramentum, ac perinde eiusdem Christianæ fidei professio, secundum illud ad Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Catechismus autem nihil aliud est, quàm eorum eruditio in quibus fides consistit: ergo illè debet baptisma antecedere. Confirmatur autem conclusio autoritate euangelica. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos: vbi Christus doctrinam iussit ante baptismum præmitti. Accedit autoritas Rabani de institutione clericorum dicentis. Ante baptismum catechizandi debet hominem præuenire officium, vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum, de consec. d. 4. c. Ante baptismum.

Conclusio affirmans.

Expositio articuli.

Cæremoniæ quæ baptismum exornant, in tria diuiduntur, s. in catechismos, exorcismos, & ritus ad formam baptismi pertinentes. De quibus omnibus simul disputare assolent Sententiarij. d. 6. & Alex. Alens. 4. p. q. 23. At verò ritus vngendi, & candidam vestiendi stolam, cereumque in manib. baptizandi accendendi, non præambula baptismi censentur, sed ad formam ipsam baptizandi reducuntur. De quib. ideo d. 3. inter disputandum de forma baptismi art. 10. congruenter dictum est. Locus ergo præsens non nisi de catechismis, & exorcismis sermonē expostulat. Et quidē catechismus nomen Græcū est, à κατηχέω, seu κατεχίζω, quod est eruditio, idq; potiùs viua voce, quàm scripto: nam & apud Ethnicos Ægyptios mos viguit, vt sacra mysteria non scripto, sed voce traderent. Est ergo catechismus fidei instructio & eruditio. Ac perinde & Catechumeni ipsi dicuntur, qui catechizantur. Vnde Hugo de sacram. p. 6. c. 9. Catechumenus, inquit, instructus, vel audiens interpretatur: catechizare n. est instruere, quoniam baptizandi prius instituuntur & docentur, quæ sit forma fidei Christianæ, iuxta verbum Christi: Docete omnes gentes, baptizantes eos. &c: Et subdit. Hæc igitur forma catechizationis à primis temporibus Christianæ fidei instituta est. Hæc ille. Non ergo est res noua, sed traditione Apostolorum per Ecclesiæ successionem semper culta. De qua re Dionys. Apostolis coætaneus ca. 1. & 2. Eccle. hierar. diuinè loquitur. Ille autem Heresiarcha Witcleff huiusmodi sacrosanctos ritus ab Ecclesia exterminare conatus est; aduersus cuius blasphemiam Tho. Wald. tomo 2. de sacra. ti. s. ca. 45. & infrà diserte scripsit: multorum, s. testimonijs sanctorum ostendens, eos à primordijs Ecclesiæ semper fuisse obseruatos. At verò, vt loco citato ait Hugo, catechismi pro adultis primo fuerunt instituti, qui nascente Ecclesia frequentissimi baptizabantur; sed deinde & in paruulorum baptismate iussi sunt fieri, ad quos susceptores responderent. Ob idque in manualibus sacramentorum, breuissimi traduntur catechismi; vt sint tam paruulis quàm adultis communes. Veruntamen vbi adulti baptizantur, non sat est, vt omninò fidei rudes ad baptismum accedentes de his interrogentur, sed est operæpretium per dies aliquot instrui, vt fidei articulos saltem grosso modo intelligant, & legis decalogum discant & orationem Dominicam: vt id quod professuri sunt, quantum breui tempore fieri potest, intelligant, ne vel allegare possint inuitos fuisse ad fidem pertractos, vel in periculo maneant, vt fidem dum eam postea nouerint, deserant. Quapropter in concilio Bracharensi 2. c. Ante viginti. de consec. d. 4. præcipitur, vt ante viginti diès catechumeni symbolum doceantur. Et Aug. lib. de fide & operibus, c. 13. catechizandos eos docet, qui ad baptismum accedunt: hoc est, Christianis moribus imbuendos, exemplo Ioan. Bap. qui venientibus ad baptismum suum, pœnitentiam prædicabat, atque vnumquemlibet admonebat, vt suum dignè exerceret munus, ac demum cuncti fructus agerent pœnitentiæ. Quinuerò & iustum librum ad Deo-gratias composuit de catechizandis rudibus. Est ergo catechismorum consuetudo sanctio catholica, vt ca. supra citato Raba. & altero concilij Bracharensis, & can. Catechismi. qui est Nicolai, de consecrat. dist. 4. decernitur.

Catechismus latinè eruditio.

Witcleff voluit ritus baptismales exterminare.

Liber Augustini ad Deo-gratias, de catechizandis rudibus.

Vnde ad primum argumentum S. Tho. respondetur. Arguitur quippe. Per baptismum regenerantur homines in nouam vitam: vita autem priùs suscipitur quàm doctrina: ergo baptismus præcedere debet. Respondetur, inquam, quod vita gratiæ præsupponit naturalem rationis vitam, in qua homo esse potest doctrinæ particeps.

1. Argu. S. Tho.

In secundo autem petitur, quomodo pueri sint doctrinæ capaces. Et respondetur, quod Ecclesia per susceptores accommodat eis cor vt credant, & aures vt audiant, & intellectum vt per alios instruantur. Quod est dicere, illos qui puerum offerunt, nomine ipsius respondentes, Credo, vice illius fungi, vt pro ipso credant.

Tertium vero arg. est, huius solutionis redargutio. Si pueri per illos susceptores seu patrinos crederent, sequeretur quod per ipsos obligarentur. postea fidem sustinere, consequens tamen duabus rationib. apparet falsum. Primo, quia nemo sine proprio consensu potest pro alium obligari. Secundo, quia cum ille qui pro puero respondet, nesciat an sit legitima ętate crediturus, imprudenter pro illo fidem pollicetur. Respondetur primo ad secundam rationem, quod ille non prædicit puerum postea crediturum, aliàs diceret, credet, sed tunc credere: respondet enim, Credo: quare tunc non profitetur, nisi Ecclesiæ fidem in persona pueri, cui eadem fides per sacramentum communicatur. Ad primam autem rationem respondetur, quod non est inconueniens, vt in his quæ spectant ad salutem vnus † pro alio obligetur. De hac autem veritate dist. præcedenti art. 9. satis dictum est: nempe, quemadmodum pueri dum baptizantur, tum credant, tum etiam ad fidem Euangelicam obligentur, etiam si nulli præcedant catechismi, vtpote qui non sint de necessitate sacramenti, vt art. 3. visuri sumus. Itaque catechismi sunt obligationis signa, quæ fit in baptismo.

† Per alium.

ARTICVLVS II.

Vtrùm exorcismus debeat præcedere baptismum.

DVO sunt præambula baptismi: nempe, catechismus & exorcismus: ob idque eadem conclusione quæ de catechismo posita est, respondetur de exorcismo, videlicet. Conuenienter ante baptismum exorcismi præcedunt, quibus dæmones expelluntur, ne baptizandi salutem impediant. Probatur primò autoritate Cælestini, quæ sumpta est ex lib. Eccles. dogma. c. 31. & refertur de consec. d. 4. can. Siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quam exorcismis & exufflationibus clericorum, spiritus immundus ab eis abijciatur. Et confirmatur ratione. Prudentia præcipit, vt quicunque opus aliquod inceptat, priùs ea quæ obstant impedimenta remoueat, iuxta illud Hieremiæ 4. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Quinetiam in generatione naturali natura docet, quemadmodum forma priùs contraria expellatur quàm inducatur noua: diabolus autem hostis est humanæ salutis, quæ homini per spiritualem generationem in baptismo exhibetur, habetque potestatem aliquam in hominem, ex hoc ipso, quod vel originali subditur, vel actuali peccato: ergo priùs arcendus est & abigendus, quàm salutaris baptismus dispensetur. Deinde subdit D. Tho. alias cæremonias, de quibus statim.

Conclusio aff.

Exorcismus idem est, quod abiuratio, ab ἐξορκίζω siue ἐξορκίζω, quod est adiuro. Est ergo exorcismus adiuratio per sacra, qua dæmones abiguntur à corpore,

Expositio articuli.

Digitized by Google

Exorcismus, latine adiuratio.

vel ab ipsis obsesso, vel ne ipsum obsideant. Nam cum homo in baptismo, Satanæ & suis pompis abrenuncians, nomen suum in Christianam professionem & militiam det; illic maximè hostiles dæmonum incursus, sub quorum militia erat per peccatum, metuendi sunt, tum quòd nobis salutem animarum inuideant, tum etiam propter odium Christi. Et ideo saluator ipse, vt Ecclesia more & vsu à tempore Apostolorum deriuato docet, potestatem ei reliquit eos cohibendi, ne sacramentorum, ac potissimum baptismi effectum impediant. Vnde Aug. lib. 2. de peccato originali. Ob id, inquit, priùs in eis qui baptizantur exorcizatur & exufflatur potestas contraria, vt euidentibus signis à captore pessimo ad optimum redemptorem transire monstrentur. Et li. 1. de nuptijs & concupiscentia c. 10. ait, per exorcismos liberari baptizandos à potestate tenebrarum, transferrique in regnum filij. Et sicut baptizandi, eo quòd catechizantur, catechumeni dicuntur, ita & quatenus exorcizantur, appellantur energumenii, i. obsessi, vexatique à dæmonibus. Et ne quis cauillari posset exorcismos rem esse nouam, ait Aug. de Eccles. dogmatibus, sanctam Ecclesiam in vniuerso mundo vniformiter eos obseruare. Quinuerò eadem exorcismorum religio colligitur ex illo Marc. vl. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, &c.

Energumenii.

Veruntamen circa verbum S. Thom. quo ait dæmones potestatem habere in hominem, eo ipso quòd subditur originali, vel actuali peccato: adnotandum est, quòd licèt more ordinario non permittantur homines nisi ob peccatum à dæmonibus arripi, & obsideri (quare vbiuis Christus dæmoniacos curabat, ab anima & corpore dæmones expellebat) nihilominus nihil vetat quo minus aliquando ob aliquam occultam causam eadem fiat diuinitus permissio vt homo iustus vexetur. Nam & Iob permisit à Satana acriter diuexari, sola excepta anima, quam ei seruare iussit illæsam.

Ordo exorcismorum & catechismi.

Ordo autem catechismorum & exorcismorum non distinctè procedit, sed promiscuè & commistim ambo fiunt, vt est videre apud Dion. c. 1. & 2. de Eccles. Hierarch. & apud Raban. de institutione clericorum. Primum enim debet qui baptizari optat, nomen suum dare, vt habetur in concilio Carthaginensi 4. & refertur de cons. d. 4. ca. Baptizandi. Et antiquis scribebatur nomen eius in catalogo. Deinde si est adultus, debet symbolum discere, vt habetur in concilio Laodicensi, & in concilio Agathensi, & refertur de cons. ead. d. ca. Symbolum. & can. Baptizandus. Iam verò quia non est in vsu baptizari nisi paruulos, hoc fit in introitu Ecclesiæ. Illic enim primum omnium catechumenus interrogatur quid petat, quodque habeat nomen. Et secundo (qui primus catechismus est) docetur baptismum ei præstare vitam æternam, quæ est cognoscere vnum Deum viuum & verum, vt habetur Ioan. 17. & quem misit Iesum Christum filium eius: nam vita in hoc sæculo per fidem inchoatur, & in altero per visionem consummatur. Atque inde tertiò exorcismi incipiunt. Exi spiritus immunde ab eo, da locum aduenienti Spiritui sancto paracleto. Et recede diabole ab hac imagine Dei. Postea quartò exufflari debet dæmon, vt præter citatas autoritates ait loco citato Raban. & refertur de cons. d. 4. c. Postquam.

Exufflatio.

Vbi hoc absque adnotatione non est prætereundum, quod vbi in manualibus, quæ ego vidi, scriptum est: Insuffio te diabole, scribendum esset, exuffio: nam in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 31. & locis omnibus citatis de peccato originali, de nuptijs, & de cons. d. 4. c. Siue paruuli. & ca. Sicut nostis. & vbique sancti non dicunt nisi, exufflari potestatem diaboli. Neque verborum significationes aliud permittunt. Insufflare enim est per flatum aliquid immittere, & inducere: exufflare verò, emittere & expellere. Vnde Genes. 2. Inspirauit, inquit, Deus in hominem spiraculum vitæ. Et in morte dicimur expirare animam. Et de Christo ait Euangelista, Ioannis vigesimo, quòd insufflauit in Apostolos dicens: Accipite Spiritum sanctum. Dicere ergo: Insuffio te maledicte diabole, idem sonare videtur, quod immitto te & induco in hunc hominem. Sed exuffio te, idem est, quod flatu Spiritus sancti te abijcio, & expello. Nisi insuffio hoc sensu accipietur, qui est; in te vt exeas suffio. Quintò signatur signaculo sanctæ crucis, vt Rabanus loco citato docet, & refertur ca. d. can. Postea. Quo quidem signaculo, & benedictione, vt ait hic S. Tho. expulso dæmoni via occluditur, ne redire in hominem possit. Et sextò (vt ca. proximo, Ex hinc, ex eodem Rabano refertur) in protectionem baptizandi adhibentur orationes & preces. Ac subinde alij exorcismi. Septimò, vt ead. d. can. Sal. ex Beda refertur, apponitur ori sal cælestis sapientiæ. Octauò, vt idem ait Rabanus, & refertur ea. d. ca. Dehinc. iterantur exorcismi. Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, &c. Nec te latet Satana imminere tibi pœnas, &c. vt diabolus suam cognoscens nequitiam, iustumque adeò Dei iudicium timens; ab homine, nunquam rediturus, recedat. Nonò, vt ex eodem Rabano ca. Postea. 2. refertur, saliua tanguntur aures & nares, prolato illo verbo Christi Marc. 7. quando linguam tangens surdi & muti, digitosque in auriculas eius immittens, dixit: Epheta; quod est aperire. Nam cum auditus, vt ait Aristo. sensus sit disciplinæ, & naso rei iudicium sumamus ad approbandum vel reprobandum, atque ore, quod didicimus, doceamus; tactu aurium & narium, profitemur apertas habere aures ad doctrinam fidei, quam & iudicio approbamus, & sale conditam ore profitemur. Vnde Hugo lib. 2. de sacramentis par. 6. ca. 10. Tria, inquit, sunt, quibus baptizandus quasi concipitur & nutritur, & vsque ad integritatem nouæ vitæ promouetur; scilicet catechismi, quibus ad fidem proprio motuetur voluntatis arbitrio, & exorcismi, quibus ab eo diaboli potestas inimica pellitur, ac demum orationes, vt gratia & baptizandum præueniat, & baptizatum sequatur.

Sal.

Saliua.

Hugo.

Deinde baptizandus ad sacrum fontem introducitur ibique vnctiones, alijque ritus perficiuntur, de quibus d. 3. ar. 10. satis dictum est. Deinde quod ad exorcismos attinet, catechumenus abrenunciat Satanæ, & omnibus pompis eius. Ac demum ad catechismos fit regressus. Interrogatus enim catechumenus, ac subinde respondens se credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius, & in Spiritum sanctum, &c. in earundem personarum nomine baptizatur.

Argumentum S. Thom.

Arguit autem D. Th. in contrarium. Primò, quòd non omnes catechumeni sunt energumeni, i. obsessi & arreptitij, atque adeò nec exorcismorum indigentes. Secundò, quia tamdiu potestas dæmonis grassatur in hominem, quamdiu est in peccato; sed peccatum non tollitur vsque ad baptismi formam: ergo exorcismi præcedentes nihil iuuant. Et tertiò, quia cum aqua benedicta ad arcendos dæmones instituta sit, superfluunt exorcismi. Respondetur autem ad primum, quòd licet non omnes catechumeni interiùs vexentur à dæmone, tanquam energumeni, creduntur tamen extrinsecus circunstare: quorum potestati homo per peccatum originale subditur. Et ad 2. respon. quòd sicut per gratiam baptismalem expelluntur dæmones, ne, s. impediant hominem ab ingressu gloriæ; ita per præcedentes exorcismos expelluntur; ne homini sint impedimentum percipiendi sacramentum. Ac demum ad tertium bifariam respondetur. Primum, quod aqua benedicta est contra dæmonum expugnationes exteriores, exorcismi verò aduersus vexationes internas; & ideò baptizandi dicuntur energumeni. Secundò dici potest, quòd sicut pœnitentia substituitur baptismo, qui non est iterabilis, tanquam secunda tabula post naufragium, ita exorcismis substituitur postea aqua benedicta: nam neque ipsi baptismales exorcismi sunt iterabiles.

Cur omnes Catechumeni exorcizantur, cùm non omnes sint energumeni.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficiant.

SEQVITVR articulus tertius de exorcismorum effectu, vtrum scilicet exufflatio illa tantum significet, an verò etiam instar sacramenti expulsiones dæmonum efficiat. Et idem est de saliua apposita ori, aurib. & narib. vtrum id efficiat quod significat. Et D. Th. repulsa contraria opinione, duabus respondet conclusionibus. Fuerunt quippe qui dixerunt ea quæ in exorcismo aguntur nihil efficere, sed solum effectus Dei significare; sicut Scot. & Duran. † de sacramentis affirmant. Sed in contrarium statuitur prima conclusio. Exorcismi aliquem effectum habent. Probatur per hoc quod Ecclesia in exorcismis, imperatiuis verbis vtitur ad expellendum dæmonis potestatem, quasi virtute sibi diuinitus tradita, cum ait: Ergo maledicte

† *Scot. in 4 d. 1. q. 5. §. ad primã ergo. Duran. ead. d. q. 4. 1. Cond.*

Digitized by Google

† l.1.c.11. lediƈte diabole, exi ab eo. Et confirmatur autoritate Aug. in lib. de ſymbolo, † & refertur de conſ. d. 4. c. Sicut noſtis. Paruuli exuſſlantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, ſ. exorciſmorum virtute.

2. Concl. Secunda concluſio. Exorciſmus aliter quàm baptiſmus ſuum habet effectum. Probatur: per baptiſmum namque, gratia confertur ad plenam culparum pœnarumque remiſſionem: per ea verò, quæ in exorciſmo peraguntur, excluditur duplex impedimentum ſalutaris gratiæ percipiendæ. Quorum primum eſt extrinſecum, quod per exufflationes excluditur, quibus poteſtas dæmonis expellitur, ne ſacramento legitimè ſuſcipiendo obſtaculum obijciat. Manet tamen eadem dæmoniaca poteſtas in homine, quantum ad maculam peccati, & reatum pœnæ, quouſque per baptiſmum auferantur. † l.4.ep.7. Vnde Cyprianus: † Scias, inquit, diaboli nequitiam poſſe remanere vſque ad aquam ſalutarem; in baptiſmo autem omnem nequitiam amittere. Secundum impedimentum eſt intrinſecum, quod quidem homo ex peccato originali contraxit, vt ad percipienda myſteria ſenſus habeat occluſos. Vnde vt eod. lib. † ait Rabanus, de inſtitutione clericorum, & refertur de conſe. d. 4. ca. Poſtea tanguntur. Per ſaliuam, inquit, typicam, & ſacerdotis tactum, ſapientia & virtus diuina ſalutem catechumeni operatur, vt aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei: vt aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei: vt aperiantur ei ſenſus in intimo corde ad reſpondendum. Dicens ergò: Per ſaliuam & tactum ſacerdotis, intelligit illa inſtrumentaliter concurrere. Et idem ait c. Poſtquam. ſcilicet exufflatur ab eo poteſtas ſæua, vt per pium ſacerdotis miniſterium, Spiritui ſancto cedat fugiens malignus ſpiritus.

Expoſitio articuli. Exorciſmi non tantum ſignificant, ſed etiam efficiunt dæmoniam expulſionem. Exorciſmos Duran. & Palu. in 4. d. 6. q. vlt. diſtinguunt, quod quædam, quæ illic fiunt, vt exufflationes, non ſolum ſignificent; verum & efficiant dæmonum expulſionem: alia verò, vt tactus oris, aurium & narium cum ſaliua, tantum ſignificent perceptionem fidei, eiusque guſtum; non autem efficiant. At verò gratis & ſine cauſa, hæc fit diſtinctio: nam vt teſtimonijs citatis patet, idem ait Raban. de tactu illo, quod de exufflatione, ſ. quòd per ſaliuam typicam ſacerdotis, ſapientia & virtus diuina operatur. Quapropter & Diuus Thomas inpræſentiarum, & Ricar. diſt. 6. articu. 6. quæſt. 1. abſque diſtinctione aiunt exorciſmos virtute operis (quod aiunt ex opere operato) illa facere, quæ ſignificant. Et reuera par eſt de omnibus ratio. Nam ſicut illi exufflationi virtutem Deus tribuit tanquam ſuo inſtrumento pellendi dæmones; ita & tactui cum ſaliua creditur eandem tribuiſſe, ad aperiendum aures & nares, &c. Hæc autem virtus nihil aliud eſt (vt de baptiſmo † diximus) quàm motus, quibus res illæ ad id applicantur. Sicut enim Chriſtus voce propria, tanquam inſtrumento, pellebat dæmones, & inſufflatione, contulit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata; ſic & illo ſacerdotis verbo, Exi maledicte diabole, & illa eius exſufflatione, dæmones pellit. Et eodem modo ſicut tangendo auriculas ſurdi & muti, & ſputo tangendo linguam, & dicendo: Effeta, aperuit eius aures; ſimili tactu, & voce ſacerdotis, idem in energumeno operatur. Quod eſt dicere, virtute illius cæremoniæ, ſingularem fert Deus opem exorcizato, vt dignè fidem & ſuſcipiat, & pro tempore confiteatur, quemadmodum d. 1. q. 3. ar. 2. de gratijs, & effectibus diuerſis ſacramentorum dicebamus.

† Suprà d. 1 q. 3. a. 1. §. Alterum argumentorum. Conferatur etiã d. q. 4. 4.

Cur ergo exorciſmi non ſunt ſacramenta. Quòd ſi hinc inferas eiuſmodi exorciſmos eſſe ſacramenta, negatur conſequentia, vt negatur à S. Tho. in ſolutione ſecundi: nam etſi ſuos effectus ſimiliter ex opere operato ſortiantur: tamen neque gratiam gratum facientem ſignificant, in quo conſiſtit ratio ſacramenti; neque illam conferunt, quæ eſt perfectio ſacramentorum nouæ legis. Et ideo non ſunt ſacramenta, ſed ſacramentalia quædam.

An virtus exorciſmorũ ſit naturalis. Aliter tamen arguitur. Huiuſmodi exorciſmos non Chriſtus, ſed Eccleſia inſtituit, Eccleſia autem non habet facultatem cæremoniam aliquam inſtituendi, quæ effectus iſtos habeat ſupranaturales: ergo non eſt in illis eiuſmodi virtus. De hoc Ricardus loco citato, & Palud. quorundam referunt opinionem, qui aiebant exorciſmos, quib. dæmones expelluntur, non aliam ad id habere virtutem, quàm naturalem. Legitur enim de Dauide 1. Reg. 16. citharæ muſica poteſtatem maligni ſpiritus Saulem diuexantis ſæpe repreſſiſſe. Et Hieron. ad Paulinum c. 2. Habet, inquit, neſcio quid energiæ viuæ vocis actus. Similem ergo virtutem aiebant exufflationes habere, & vocale illud imperium, Exi diabole, ſicuti & voces incantantium ſerpentes, vt eſt in Pſalmo: Hoc autem delirium commentum eſt. Dæmones enim non habent virtutem ſuper animam aut corpus, niſi mouendi illa localiter, aut aliqua qualitate afficiendi, vt patet in arreptitijs, aut inducendi aliquam formam artificialem, ſcilicet faciendi ex lignis ſcamnum, & ſimilia. Ab his autem per flatum naturaliter abigi non poſſunt. Ex vox non mouet, niſi per ſignificationem, generando conceptus in intellectu audientium, qui quidem conceptus voluntatem dæmonis audientis cogere nequeunt. Et incantatores ſerpentum, vel arte diaboli, vel aliquo veneno illos incantant: quare & venefici eodem Pſalmo appellantur. In exorciſmis ergo non eſt niſi virtus naturalis † modo iam explicato.

Reſponſio neg. † Legendũ eſt, Supernaturalis.

Vnde ad argumentum reſpondetur, quòd quamuis Eccleſiæ Chriſtus non tradiderit poteſtatem inſtituẽdi ſacramenta collatiua gratiæ; nihilominus facultatem commiſit inſtituendi ſacramentalia, ad aliquos ſupranaturales effectus. Nam & Apoſtolis poteſtatem contulit miracula faciendi. Et loco iam citato, Mar. vlti. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, &c. Quinuerò & poteſtatem habet benedicẽdi luſtralem aquam, qua non ſolùm dæmones arcentur; verum & veniales culpæ remittuntur, quippe quæ ſine infuſione gratiæ remitti poſſunt.

An exorciſmorum effectus ſit infallibilis. Grauius autem dubium eſt, vtrum exorciſmi ſemper infallibiliter ſuos ſortiantur effectus: nam poſtquam inſtrumenta Dei ſunt, cenſendi ſunt nunquam deficere. Reſpondetur per huiuſmodi propoſitiones. Prima. Exorciſmi baptiſmales ad cohibendos dæmones, ne ſacramenti fructũ impediant, ſemper ſunt ſalutares, & de ſe efficaces, niſi recipientis nequitia obſtet. Hoc eſt notum, poſtquàm ab vniuerſali Eccleſia obſeruantur.

Inter ſacramenta & exorciſmos differentia. Secunda propoſitio. Ad hunc effectum, qui eſt dæmones ab obſeſſis corporibus expellere, non ſunt ſemper efficaces. Quare ſi catechumenus arreptitius eſſet non eſt lex infallibilis, vt per exorciſmos liberetur à dæmone, etiam ſi baptizetur: nam illi per ſe non ordinantur, niſi vt non impediantur ſacramenti fructus. Et multò minus infallibilis erit regula extra ſacramentum baptiſmi. Hoc enim experimento quotidie diſcimus, quod multi exorciſmi, dæmoniacis non ſufficiunt, Nam miraculum expulſionis dæmonum, potiſſimum inſtitutum fuit ad confirmandam fidem: & ideo in primordijs Eccleſiæ frequentiſſima fiebant ad illum effectum miracula. Iam verò vbi ſatis confirmata eſt fides; non tam crebrò eiuſmodi contingunt miracula. Non tamen idcircò exorciſmi ſunt ad ſuccurrẽdum arreptitijs contemnendi. Eſt ergo ſicut inter meritũ de condigno, & de cõgruo, ſic & inter ſacramenta & exorciſmos diſcrimen. Meritum enim de condigno, quod ex gratia procedit, certiſſima lege ſuum effectum, id eſt, augmentum gratiæ ſortitur. Per meritum verò de congruo, non ſemper id quod ex bonis temporalibus petimus, conſequimur; neque ſi alijs gratiam imprecemur. Attamen ſæpiſſimè iuuat. Pari modo licèt ſacramenta legitimè ſuſcepta ſemper ſint gratiæ efficacia, exorciſmi tamen non ſemper arreptitijs, ſed ſecundum diuinum arbitrium, proſunt. De exorciſtis autem, eorumque exorciſmis 2. 2. q. 90. meminit D. Thom. & nos lib. 8 de Iuſtitia & iure quæſt. 3, art. 2. locupletiùs materiam ampliſicauimus.

Primum argu. S. Tho. De exorciſmis, baptiſmo non conſequente. Primum argumentum S. Thom. eſt. Si energumenus poſt exorciſmos ante baptiſmum, ſine baptiſmo flaminis moriatur, ſalutem non conſequitur: ea autem quæ in ſacramentis aguntur, ad eandem ſalutem ordinantur, iuxta illud Marc. vlti. Qui crediderit & batizatus fuerit, ſaluus erit: ergo exorciſmi nihil operantur. Hoc argumentum factum eſt ad refutandum opinionem Præpoſiti dicentis, quòd exorciſmi abſque baptiſmo proſunt, vt ſi exorcizatus tunc moriatur, minores patiatur tenebras. Hoc enim ob id falſum eſt, quòd tenebræ illæ non ſunt niſi carentia diuinæ viſionis, quæ non recipit magis aut minus, de quo nos tamen inferiùs. † Reſpondetur ergo, quòd cum in exorciſmo non tollatur culpa, propter quam homo in perpetuum condemnatur, ſed ſolum impedimenta recipiendi remiſſionem per ſacramentum; fit vt ei, qui ſine ſacramento decedit, nihil exorciſmi proſint.

† d. 16. q. 1. a. 1. §. Sed in ſecunda.

Digitized by Google

Secundum argumentum supra solutum est, vbi declarauimus exorcismos non esse sacramenta, sed sacramentalia quædam.

Tertium est. Si exorcismi essent dispositiones baptismi, essent etiam dispositiones ad eius effectum: scilicet ad gratiam: forma autem sine dispositione non infunditur, vt in naturalibus ostenditur: forma enim ignis non suscipitur, nisi vbi calor præfuerit: ergo gratia sine exorcismis nunquam infundetur, quod constat esse falsum. Respondentur multa. Primò, quòd dispositio sufficiens ad baptismum, est intentio suscipientis, si sit adultus; vel Ecclesiæ, si sit paruulus: quapropter exorcismi non sunt de essentia sacramenti. Nihilominus non licet eos nisi in extrema necessitate prætermittere: esset enim illa prætermissio peccatum mortale contra solennem Ecclesiæ ritum. Vnde vt q. præcc. art. 7. vidimus, tertium fictionis modum assignat Aug. sacramentum celebrare non seruando Ecclesiæ ritus. Quapropter quando ob necessitatem exorcismi prætermittuntur, postmodum cessante periculo, debent suppleri; tum vt vna similitudo baptismi vbique seruetur, tum etiam quia supplementum illud non fit post baptismum frustrà. Nam sicut dæmones possunt effectum sacramenti anteà impedire ne fiat, possunt etiam postea, ne perceptus duret & crescat.

Exorcismorum vratermissio.

Quartò arguitur, quòd etiam illa, quæ post baptismum aguntur, vt chrismatio in vertice, & linea stola, & cereus nihil efficiant, postquam perfectus est sacramenti effectus. Respondetur, vnctionem illam, quæ fit in vertice, non solum significare, sed etiam cooperari ad conseruationem gratiæ baptismalis. Vestis verò candida nihil efficit, sed duntaxat significat nouitatem vitæ, sicut & cereus accensus lumen fidei.

Vestis candida, & cereus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm catechizare, & exorcizare sit sacerdotis officium.

Conclusio affirmans.

DE ministro tandem catechismi & exorcismi asserit D. Thom. hanc conclusionem. Officium catechizandi & exorcizandi incumbit sacerdotibus tanquam primarijs agentibus: diaconibus verò, & inferioribus ministris, tanquam eis qui sacerdotibus debent ministrare. Probatur autoritate Nicolai papæ. cano. Catechismi. de consec. di. 4. vbi ait, Catechismi baptizandorum à sacerdotibus vniuscuiusque Ecclesiæ fieri possunt. Et autoritate Gregorij super Ezechielem, quæ ea. d. can. Sacerdotes. refertur, vbi ait. Sacerdotes cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, quid aliud faciunt, nisi quod dæmonia eijciunt? Et confirmatur ratione. Minister, vt nomen ipsum indicat, comparatur ad sacerdotem, sicut secundarium & inferius agens, ad principale; atque adeò non agit nisi principali agenti cooperando. Et quantò principalis operatio maior est, tanto dignioribus indiget ministris: potissima autem sacerdotis operatio est administratio sacramenti: ergo illic diacones, qui precipui sunt ministri, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramentorum. Vnde Isidorus. Ad diaconum. inquit, pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi: in baptismo scilicet, in chrismate; & in Euchatistia, patena & calice. Sic enim legendum est: nam patena, & calix non sunt in baptismo necessaria, 25. dist. can. Perlectis. Et illic referuntur aliorum ministrorum officia. Ad lectorem ergo pertinet in catechismo ministrare librum, & folia vertere, & ad exorcistam ministrare in exorcismo salem, & exorcismos, vt illic ait Isido. memoriter retinere.

Ministri Sacerdotum, in sacramẽtorum collatione.

Et per hæc clarent argumentorum S. Thom. solutiones, in quarum vltima, quadruplex ponit instructionis genus. Prima enim quæ est conuersiua ad fidem, licèt primò conueniat Episcopo, ac deinde prædicatoribus, potest tamen cuicunque fidelium permitti. Secunda vero, quæ est de rudimentis fidei ad baptismum, conuenit sacerdotibus, & eorum ministris. Tertia de conuersione in Christianismum spectat ad susceptores, seu patrinos. Sed quarta de altioribus sacrorum mysterijs, pertinet ad Episcopos. Atque hactenus de baptismi sacramento.

DISTINCTIO SEPTIMA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Cap. 1.

BAPTISMO sacramẽtum Confirmationis proximum est. Ait enim Melchiades Papa, ita hæc duo sacramenta esse coniuncta, vt adinuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari. Fuit ergo à Christo ipso Redemptore nostro, non exhibendo, sed promittendo institutum. Datur enim in illo plenitudo Spiritus sancti, de qua Ioan. 16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Id quod & Lucæ 24. designatum est, vbi discipuli à Domino iussi sunt sedere in ciuitate, donec induerentur virtute ex alto.

Confirmationis sacramentum Christus promittendo instituit.

Cap. 2.

Est autem eius materia chrisma ab Episcopo consecratum, iuxta illud Innocentij Papæ. Presbyteris cum baptizant, chrismate baptizatos vngere liceat, quod ab Episcopo fuerat consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solùm debetur Episcopis. Forma autem est, qua more solenni Ecclesia vtitur. Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quæ quidem consignatio in fronte perficitur. Vnde lib. de institutione clericorum Rabanus. Signatur, inquit, baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem; per Pontificem verò in fronte.

Cuius materia est chrisma ab Episcopo consecratũ.

Forma.

Cap. 3.

Et cum effectus huius sacramenti, per aduentum Spiritus sancti, quo (vt Actuum 2. legitur) tota domus, omnesque illic præsentes repleri sunt, significetur; fit vt vniuersis Christianis exhiberi possit. In cuius quidem celebratione, veluti in collatione baptismi, aliquis etiam susceptor & patrinus requiritur, vt Innoc. Papa 30. quæst. 4. Si quis, admonuit. Quapropter & in hoc sacramẽto similis contrahitur affinitas, vt illic subditur.

Omnibus exhiberi potest.

Et requiritur aliquis susceptor.

Cap. 4.

Effectus demum huius sacramenti est tum gratiæ plenitudo & robur: iuxta illud verbum eiusdem Melchiadis, Spiritus sanctus in fonte baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam; in confirmatione verò augmentum præstat ad gratiam. Tum subinde character, qui eiusdem roboris signum est: quare non est iterabile.

Effectus est robur gratiæ & character.

Cap. 5.

Minister ergo huius sacramenti ex officio solus Episcopus est, iuxta verbum Euseb. Papæ. qui ait: Manus impositionis sacramentum, magna veneratione tenendum; quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus. Quòd si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum. Tametsi possit ex pontificis Maximi dispensatione simplici Presbytero committi, vt ex Gregorio ad Ianuarium Episcopum colligitur. †

Minister ex officio solus Episcopus.

† *Lib. 3. epistolarũ can. 9. reuocat. d. 95.*

Digitized by Google

DISTINCTIONIS SEPTIMÆ.

Quæstio vnica.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

S. Thom. 3. par. quæst. 72.

ARTICVLVS 1.

Vtrùm Confirmatio sit sacramentum.

SECVNDVM sacramentum, vt dist. 1. q. 6. dicebamus, est confirmatio. De qua igitur quæritur, an sit sacramentum distinctum à baptismo? Ne quis ob id putet eius esse partem, quòd eius gratiam auget. Et respondetur vnica conclusione. Manifestum est, quod confirmatio est speciale sacramentum: scilicet, ab alijs distinctum. Probatur. Sacramenta nouæ legis ad speciales gratiæ effectus ordinantur: ergo vbi aliquis occurrit specialis effectus gratiæ, reperitur & speciale sacramentum. Vita vero spiritualis gratiæ, per sensibilem & corporalem cognoscitur: in vita autem corporali post generationem, specialis perfectio est adulta ætas, in qua perfectæ actiones exercere valent. Vnde Apostolus 1. Corint. 3. Cum factus, inquit, sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Quare terminus generationis est substantia: scilicet, esse: terminus vero augmentationis est quantitas: ergo etiam in vita spirituali præter baptismum, quo per generationem esse recipimus spirituale; requiritur ad augmentum confirmatio.

Conclusio affirm.

Obiectio initialis.

Hic in primis potest quispiam contra ordinem istum argumentum obmoliri, quod cum confirmatio augmentum conferat spirituale, Eucharistia verò nutrimentum: & per nutrimentum fiat augmentum: deberet Eucharistiæ sermo, istum de confirmatione præcedere. Sed ad hoc iam suprà distinctione prima quæstione sexta articulo secundo in solutione 2. responsum est.

Adnotandum hic præterea rationem hanc S. Thom. nisi authoritatem Ecclesiæ præsupponeret, non esse satis efficacem ad comprobandum confirmationem esse sacramentum. Quapropter nec defuerunt olim, nec modo desunt hæretici, qui hanc catholicam veritatem negent. Armenorum enim, vt Guido Carmelita refert, hæresis fuit, vt sacramenta confirmationis & extremæ vnctionis respuerent. Quem quidem errorem postmodum Witcleff sustinuit, vt Thom. Waldensis tertio 2. de sacrament. ca. 3. refert, quo capite & subsequentibus, egregijs testimonijs præsentem veritatem corroborat. Eodemque postea errore Lutherani intincti sunt.

Hæretici, qui confirmationis sacramentum respuerunt.

Est nihilominus hæc veritas tanquam orthodoxa fides tenenda, cuius negatio proculdubio, vt hæresis est habenda. Extat enim in primis decretum Melchiadis Papæ præcessoris Syluestri, ad Episcopos Hispaniæ, vbi post illa verba, quæ hic citauit D. Thom. & referuntur de cõsecratione distinctione quinta can. De his, interrogat hæreticorum nomine. Quid mihi prodest, post mysterium baptismi, mysterium confirmationis? Quasi non totum de fonte suscepimus, si post fontem, adiectione noui generis indigemus. Et respondet: Non ita dilectissimi: imo sicut exigit militaris ordo, vt cum imperator quemcunque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptismo recipitur homo in militiam, & in confirmatione coarmatur ad pugnam. Et infra, quod ead. distinctio. can. Spiritus sanctus. refertur. Spiritus, inquit, sanctus in fonte (scilicet baptismatis) plenitudinem tribuit ad innocentiam; in confirmatione augmentum præstat ad gratiam: & quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum est; in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Et infrà. Generatio per se saluat in pace baptismi recipiendos, confirmatio armat, & instruit ad agones.

Sub cuius forma Catholica ex testimonio Melchiadis sup.

Vnde præter rationem factam alteram adijcere possumus. Vbi enim in vita spirituali noua offertur difficultas, nouum requiritur sacramentum: sed præter difficultatem credendi, cui nobis per gratiam baptismalem succurritur, succedit noua in confitendo eandem fidem coram tyranno, eius persecutore, mortis periculum offerente: ergo cum illic sit necessaria confessio (vt enim ait Pau. ad Roma. decimo. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem) fit vt ad hunc effectum opus sit nobis singulari auxilio, atque adeò singulari sacramento. Quòd si quis arguat. Virtutes, quæ infunduntur in baptismo, vt fides, charitas, & fortitudo ad id sufficere, responsum vsque ad artic. 7. † expectet. Eadem veritas sancitur ea. distin. 5. multis sanctorum pontificum decretis, vt can. De his. ex eodem Melchiade, & can. Manus. ex Eusebio papa. can Nouissimè. & ex Rabano. & can. Vt ieiunẽt. ex concilio Aurelianensi, & multis subsequentibus. Extat & decretum concilij Laodiceni can. 48. & concilij Florentini, in instructione Armenorum. Vndè cum in ca. Sancta Romana. de celeb. miss. hæreticus declaretur quicunque de sacramentis aliter, quàm Ecclesia Romana senserit; fit, vt qui confirmationem negat esse sacramentum, hæreticus sit pronunciandus. Quare meritò Trident. syno. sess. 6. Luthernm de hac re sub his verbis condemnauit. Si quis dixerit confirmationem esse cæremoniam quandam, & non potius verum ac proprium sacramentum, anathema sit. Idem habetur in epist. Clementis Papæ ad vniuersos Episcopos.

Ex ratione.

† §. *Hanc vere.*

Ex testimonijs conciliorum.

Quod si scisciteris vtrùm veritas hæc, in sacris literis habeat fundamentum; respondetur, quod Augu. libr. 2. contra literas Petiliani ca. 104. illud Psal. 132. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam Aaron, ait posse interpretari de sacramento chrismatis. Et libr. 3. contra Donatist. ca. 16. illud ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; eidem attribuit sacramento. Et Ambro. illud ad Ephe. 1. Spiritum sanctum, in quo signati estis. Veruntamen nisi autoritas Ecclesiæ catholicæ, Spiritu sancto illustrata, interpres nobis adesset, testimonia hæc non vsque adeò rem demonstrarent.

Ex scriptura.

Ex canonibus citatis colligitur virtutem huius sacramenti ex suo nomine esse pensandam: est enim virtus confirmationis, perficere gratiam baptismalem. Per baptismum enim fit homo Christianus, sed tenerrimus, &, vt ait Petrus, quasi modo genitus infans: per hoc tamen sacramentum confirmatur, & consolidatur in fide.

Vt hoc autem apertius fiat, quæritur de sacramenti huius institutione. Sacramenta enim, (vt arguit primo loco Diuus Thomas) ex diuina institutione efficaciam habent: confirmatio autem non legitur a Christo instituta: non ergo est sacramentum. De hoc igitur Diuus Thomas tres refert opiniones. Primam complexus est Alexan. Alens. 4. par. quæst. 24. membr. 1. videlicet, quod neque à Christo, neque ab Apostolis sub hac materia & forma, quas habet, fuit institutum: quia Apostoli, vt legitur Actuum 8. & 19. non leguntur confirmasse nisi per manuum impositionem: sed illis, inquit, defunctis, Spiritus sancti instinctu in concilio Meldensi, quantum ad materiam & formam institutum est: quod quidem concilium refertur, de consecratione distinct. 5. can. Vt episcopi. Alij dicunt, quod in Aurelianensi citato. Alij verò dixerunt, quod licet non à Christo, ab Apostolis tamen fuerit institutum. Huiusmodi autem opiniones non possunt tutò defendi: nam cum sacramenta gratiam conferant, non possunt nisi à Christo instituti per potestatem excellentiæ, quam vt dixit 4. Augu. nos docuit, † Christus nulli communicauit: & cum materia & forma sint de substantia sacramenti; fit vt neutram nisi solus Christus potuerit instituere. Et confirmatur autoritate Cypriani in sermone de hac re, scilicet vnctione chrismatis. Vbi ait, hoc sacramentum diuinitus esse institutum.

1. Argu. S. Thomæ, de institutione Confirmationis quærit.

Esse à Christo institutum.

† *Vide sup. d. 1. q. 5. a. 4.*

At nondum vis contrarij argumenti enervata est. Nam cum nec Christus confirmasse legatur, neque Apostoli nisi per manuum impositionem; non est solida affirmatio, quòd illud Christus instituerit. Nonnulli

Digitized by Google

ergo aiunt, quòd Christus illud instituerit Matth. 19. vbi manus super pueros ponebat. At verò cum illi non censeantur fuisse tunc baptizati, falsum est tunc sacramentum instituisse, quod non nisi baptizatis conferri potest. Fuit autem quædam confirmationis illius insinuatio, qua post vtebantur Apostoli. Alij dicunt (quo alludit Scotus) Christum confirmasse Apostolos, Ioann. 20. vbi insufflando dedit eis Spiritum sanctum. Hoc autem ob id non est verisimile, quòd illic non est datus Spiritus sanctus, nisi ad remittendum peccata. Secundò, quia in primitiua Ecclesia, vt infrà videbimus, † in confirmatione descendebat Spiritus sanctus visibiliter, qui tamen illic non legitur apparuisse. Atqui in hoc sensu intelligitur illud Ioan. septimo, vt hic ait Diuus Thomas. Nondum erat spiritus datus (scilicet ante ascensionem visibiliter) quia nondum Christus erat glorificatus. Item quod Apostoli non fuerunt confirmati nisi in die Pentecostes descensu Spiritus sancti, iuxta illud Lucæ 24. Vos autem sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Dicendum ergo, vt hic ait S. Thom. quod sacramentum hoc Christus instituit, non exhibendo, sed promittendo plenitudinem Spiritus sancti quæ per ipsum confertur, iuxta illud Ioan. 16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; Si autem abiero, mittam eum ad vos.

† a. 7. huius §. Est hic demum.

Apostoli confirmati in die Pentecostes.

Quòd si de institutione chrismatis interrogando institeris, respondet Fabianus Papa martyr in epistola ad omnes orientales Episcopos, quæ refertur de conse. d. 3. can. Literis. licèt non quàm latè est apud autorem. Vbi ait, quòd in cœna, vbi Christus eandem promissionem fecit, chrisma conficere docuit. Sicut, inquit, præcessores vestri à sanctis Apostolis acceperunt, & nobis reliquerunt. Imò verò Dionys. Pauli discipulus. Post baptismum, inquit, hierarcha (id est episcopus) sacro vnguento signat baptizatum. Neq; cauillari quis potest dicens, illud de chrismatione intelligi, quæ fit in baptismo, in vertice capitis. Illa namque tunc non erat in vsu, quippe quæ, vt d. 3. art. 10. diximus, & Hugo lib. 1. de sacram. part. 7. ca. 3. refert, postmodum fuit à Sylueſtro papa instituta. Intelligitur ergo de confirmatione, quæ vt infrà videbimus, illico post baptismum fiebat. Erroneum ergo esset dicere sacramentum hoc non fuisse à Christo institutum. Quòd si arguas huiusmodi testimonia non id apertè asserere; respondetur, satis esse Ecclesiam suis decretis sanxisse, confirmationem esse sacramentum, vt inde velut certissimum colligatur, neque materiam eius, neque formam ab alio, quàm à Christo fuisse institutam. Cur autem Apostoli per manuum impositionem cõfirmabant, art. proximo dicemus. †

Chrisma à Christo institutum.

Vnctio autè baptismalis à Sylueſtro.

† §. Primũ arg. 2. Argu.

Secundò arguit S. Thom. Sacramenta nouæ legis fuerunt in veteri præfigurata, iuxta illud 1. Corinth. 10. Omnes in Moyse baptizati sunt, &c. confirmatio autem non fuit illic præsignata: ergo non est sacramentum. Respondetur, quòd cum in lege illa, vt habetur ad Hebr. 7. nihil fuerit perfectum, & per hoc sacramentum plenitudo Spiritus sancti conferatur, nihil mirum si nulla eius illic figura præcesserit.

3. Argum.

Vrgentius est tamen argumentum tertium. Sacramenta enim ad hominum salutem ordinantur: sed sine confirmatione decedentes, salutem obtinent: ergo non est sacramentum. Pro solutione huius meminisse oportet ex dist. 5. art. 1. aliquid necessarium esse ad salutem, posse intelligi aut necessitate finis, aut necessitate præcepti. Priori modo respondet hîc D. Tho. confirmationem non esse necessariam, sed sufficere baptismum. Et hoc constat ex verbo Melchiadis canon. citato Spiritus sanctus. de consec. dist. 5. vbi ait. Regeneratio per se saluat mox in pace baptismi recipiendos, iuxta verbum Euangelicum: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vnde subdit, quòd qui illicò post baptismum acquisita innocentia, immaculati peruenerint ad mortem, confirmantur morte. Alioqui necessarium esset paruulos baptizatos illicò confirmare. Et ideo di. prima quæst. sexta artic. quarto. diximus non omnia sacramenta esse simpliciter necessaria, sed tria tantum. Alia verò sunt quidem necessaria non simpliciter, vt sine quibus salus esse non possit; sed sicut quæ ad perfectionem salutis operantur. Et adducit D. Thom. in quartum dist. septima quæstio. prima. art. primo exemplum. Sicuti ad vitam animalis, nutrimentum necessarium est simpliciter; sed equus ad iter faciendum, non simpliciter, sed ad rei commoditatem. Et hoc secundo modo est ad vitam spiritualem necessaria confirmatio, iuxta verbum eiusdem Melchiadis canon. De his. vbi ait, baptismum & confirmationem adeò esse coniuncta, vt vnum sine altero ritè perfici non possit: nam gratia confirmationis perficit & corroborat baptismalem. Moderatur autem D. Thom. dictum suum: scilicet, sine confirmatione posse obtineri salutem, nisi ex contemptu relinquatur. Contemptus autem esset, si confirmatio perinde relinqueretur ac si nullum esset sacramentum. Itaque negare esse sacramentum, est hæresis: contemnere verò, est peccatum mortale. Restabat hic autem quærere, vtrum hoc sacramentum sit necessarium necessitate præcepti, vt est Eucharistia, & pœnitentia. Hoc autem tangit inferiùs D. Tho. arti. octauo, vbi id examinabitur, & quod hic de contemptu dicitur explicabitur. †

Quartò loco arguit. Per sacramenta conformamur Christo, per confirmationem autem minimè, quia ille non fuit confirmatus, licèt baptismum & Eucharistiam susceperit, fueritque sacerdos. Respondetur ad minorem, quòd per hoc sacramentum conformamur Christo, quatenus ab instanti suæ conceptionis, vt legitur Ioan. primo, fuit plenus gratiæ & veritatis. Quæ quidem nostra plenitudo declarata est in eius baptismo, quandò Spiritus sanctus descendit corporali specie super eum. Doctrina est August. decimoquinto de Trinitate capitu. vigesimosexto, scilicet quòd tunc Christus non vnctus est, quandò descendit columba super eum, sed ab instanti suæ conceptionis, iuxta illud Actu. decimo. Quoniam vnxit eum Deus Spiritu sancto: sed in columba designatum est corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, vbi baptizati accipiunt Spiritum sanctum. Non enim congruebat Christo, qui est caput Ecclesiæ, per sacramentum recipere plenitudinem gratiæ.

† §. Aliud subsequitur. 4. Arg.

Christus nõ debuit confirmari.

ARTICVLVS II.

Vtrùm chrisma sit conueniens materia huius sacramenti.

SI confirmatio sacramentum est, materiam habere debet. De qua ergo S. Tho. hac conclusione respondet. Chrisma est conueniens materia huius sacramenti. Probatur primò autoritate Gregorij ad Ianuarium canon. Presbyteri 1. de consec. distinct. quarta, vbi ait. Presbyteri baptizatos infantes signare in fronte sacro chrismate non præsumant; sed episcopi postmodùm confirment in fronte. At quoniam chrisma ex oleo & balsamo cõstat, colligitur vtriusque decentia, ex natura ipsius sacramenti. Confertur enim in eo plenitudo Spiritus sancti ad robur spirituale, quod perfectæ congruit ætati: in ætate autem perfecta, homo actiones suas alijs communicare incipit, imò filios generare, cùm antea soli sibi singulariter viuat: quare materia confirmationis debet esse illa, quæ non modo Spiritum sanctum, sed eius plenitudinem repræsentet. Hæc autem plenitudo oleo aptissimè significatur, quod sua lubricitate, & pinguedinis exuberantia, in alios diffluit, iuxta illud Psal. 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Vndè & de Christo ait Propheta psalmo quadragesimoquarto. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortib. tuis. Et hoc propter plenitudinem Spiritus sancti, de qua, vt legitur Ioann. primo, nos omnes accepimus. Ratio autem admixtionis balsami sumitur ex odoris fragrantia, quæ in alios redundat, iuxta illud Apostol. secundæ Corinth. secundo. Christi bonus odor sumus, Deo. Nam etsi alia sint multa odorifera, tamen balsamum (vt Plin. libro duodecimo naturalis historiæ capitulo vigesimoquinto autor est) omnib. odoribus præfertur. Vnde Ecclesiastici vigesimoquarto. Quasi balsamum non mixtum, odor meus. Et præterea incorruptionem præstat: quare humana cadauera balsamo condiuntur.

Conclusio affirm.

Oleum.

Balsamum.

Chrisma nomen Græcum est, idem significans quod vnguentum in genere, à χρίω quod est vngo, sed Ecclesiastico vsu accommodatum est ad significandum illud quod ex oleo & balsamo conficitur, vt capitul. vnico extra de sacra vnctione, ait Inno. Vnde de vtraque materia istarum versatur in dubio an sit necessaria. Primum scilicet, an in sacramento confirmationis

Expositio articuli.

Chrisma, Latinè Vnguentum.

firmationis requiratur vnguentum in genere, non disputando de balsamo. Petrus n. Aureolus, vt in 4. refert Marsil. q. 5. art. 1. ait canonistarum esse opinionem, quod in hoc sacramento nullum requiritur vnguentum. Et hæc quidem opinio consequens est illam suprà citatam illorum, qui dicunt hoc sacramentum, quantum ad materiam non fuisse institutum à Christo. Vnde eadem est probatio. Scilicet, Christus non legitur designasse hanc materiam, neque Apostoli per illam confirmasse, sed per manuum impositionem: quare, vt ait Hugo libro secundo de sacra. part. 7. capit. 2. Sacramentum hoc dicitur manuum impositio: & sub hoc nomine legitur in decretis de consecrat. distinctio. 5. ergò Ecclesia hanc materiam instituit, ac perinde dispensare potest, vt absque illa sacramentum hoc perficiatur. Est autem opinio (sicuti suum fundamentum) erronea. Iam enim monstratum est, hoc sacramentum etiam quoad materiam & formam fuisse à Christo institutum. Imò, vt Fabianus Papa suprà citatus ait, in cœna Christus illud instituit. Et Dionysius appellat sacramentum chrismatis, hostiam: & ait, quod baptizatus à hierarcha sacro oleo vngitur. Idemque ait Clemens, vt art. 1. citati sunt. Et Innocen. modò allegatus, de sacra vnctione, dicit materiam sacramenti huius esse chrisma. Idque in concilio Florentino definitum est. Imò vt Innocent. ibidem ait, Christus à chrismate dicitur, quo vnctus est, & à Christo Christiani: qui etiam vncti. Idemque ait Aug. de consensu Euangelistarum libro primo, capitulo decimotertio, & Dion. 4. capitul. Ecclesiast. Hierar. Est, inquit, quædam perfectiua operatio (hoc enim nomine ipse nominat sacramenta) quam duces nostri (id est Apostoli) chrismatis hostiam vocant. Et vrgentissimè etiam id probatur, quia materia debet formæ consonare, quare si chrisma non esset necessarium, falsa esset forma. Confirmo te chrismate salutis. Neque verò reperiuntur Canonistæ, qui hoc dicant. Quandoquidè nec Syluester verb. Confirmatio, neque Adrianus in eadem quæstione, licèt sint canonistæ, vllum illius opinionis referunt, sed indubiè asserunt esse vnguentum necessarium.

Quæ sit chrismatis necessitas.

3. Argu.

Quale oleū requiratur.

Sed rogas, vtrum sufficit oleum nucum, aut amygdalorum, aut aliud simile: hoc n. dubium S. Tho. argumento tertio mouet: Ad quod respondet id minimè sufficere: nam succi illi non sunt oleum, sed, sicut dictum est de aqua baptismi, quod requiritur simplex: ita dicendum est hic, quòd requiritur oleum oliuarum. Hoc enim solum dicitur propriè oleum. Vnde & oliua ipsa semper frondibus virens, virorem misericordiæ Spiritus sancti significat, cuius ideò ramusculum columba, tanquam iudicium cessantis iræ Dei, Noe arca incluso detulit.

Quatenus balsamum sit necessarium.

Intricatius autem forsan dubium est, vtrùm balsamum sit de necessitate sacramenti. Enimuerò vniuersalis ferè omnium sententia est mixtionem balsami esse de substantia sacramenti, itaque sine illa nullum esset. At vero Caietan. in hoc articulo ait, quod licèt balsamum sit necessarium necessitate præcepti, non tamen necessitate sacramenti. Itaque qui illud non apponeret, peccaret quidem mortaliter; nihilominus sacramentum conficeret. Et quamuis vbique vereat communi me obijcere opinioni, tamen quia contrarium non est hactenus ab Ecclesia tanquam catholicum definitum, fateor hanc mihi opinionem semper placuisse, neque modo displicere posse. Et quoniam rei tanti momenti primum fundamentum ex testimonio Ecclesiæ subijciendum est, certum esse videtur rei huius decretum Innocentij 3. capit Pastoralis. de sacrament. non iterand. Consultus namque, vtrum confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuerit non chrismate, sed oleo delinitus; respondet, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Vbi dicens non esse iterandum, sed supplendum, planè docet fuisse sacramentum, atque adeo chrisma non esse de eius substantia. Quare glossa super idem capit. quam sequuntur ibidem Innocent. 4. & Hostiensis, & Paludanus distinctione septima, quæstione prima, & Adrianus in quæstio. de confirmatione, textum destruit. Ait quippe, quod sacramentum illud fuerat nullum, & ideò iterandum. At non dicitur, inquiunt, iterari, quia prius nullum fuit. Sed aiunt Hostien. & Innoc. quod non debent tunc solennitates iterari. Destruit, inquam, textum glossa: nam si nullum fuisset sacramentum, hoc papa expressisset, dicens, quod iteraretur. Dicere autem quod non iteratur, propterea quòd nullum fuit; profecto ridiculum videtur. Est quippe res notissima, id quod non est, non iterari: & ideo pontifex non fuisset solicitus id admonere. Igitur vbi dixit, non iterari, docuit prius fuisse sacramentum: & vbi adiecit, cautè supplendum quod fuerat prætermissum; docuit chrisma non fuisse de substatia: nam quod est de substantia non supletur, quandoquidem tunc totum est sacramentum iterandum. Et tamen illic papa non præcipit, nisi quod apponatur chrisma absque vlla forma. Respondet enim sub eodem tenore de illo casu, & de diacono, qui fuerat ordinatus sine manuum impositione, quam constat non esse de essentia sacramenti ordinis. Item, quia si primum non fuisset sacramentum, nulla obstaret ratio quo minus solennitates omnes essent postmodum cum sacramento iterandæ.

Anthoris opinio, Non esse de necessitate sacramenti.

Probat ex Innoc. 3.

Prima ratio.

Accedit ratio non contemnenda, quòd materia necessaria sacramenti debet esse clara & apertissima, de qua nemo possit dubitare: vt est aqua in baptismo, & panis & vinum in Eucharistia: balsamum autem, vt loco citato ait Plinius, multis modis adulteratur, adeò vt viri prudentes vix quod ad nos adfertur verum esse arbitrentur; quare dubium esset an tunc sacramentum sit solidum.

Secunda, quia balsamum vbique haberi non potest.

Arguitur deinde arg. quarto S. Th. Materia sacramenti debet esse communis, quæ vbique reperiatur, vt aqua baptismi: oleum autem in multis regionibus nullum est, & multo minus balsamum: ergo hæc non sunt de essentia sacramenti. Respondet quidem benè, quod cum cōfirmatio non sit sacramentum necessitatis vt baptismus; non est necesse, vt vbique eius materia nascatur, sed satis est quod possit aliunde aduehi. At verò hoc forsan dicit propter oleum: nam balsamum neque per vecturam potest vbique haberi. Arbuscula enim illa, vt illic Plinius refert, vni terræ Indiæ concessa est, eademque duobus quondam tantummodò hortis. Et, si historia, quam nobis orientales referunt, vera est; iam ferè bellorum frequentia est dissipata. Quare in his nostris regionibus quàm rarissimum inuenitur castum balsamum, sed pro illo substituitur aliud, quod ex occidentali nouo orbe adsportatur, quod re vera indicia non habet iusta veri balsami. Neque arbuscula ipsa, quæ, vt ait Plinius, viti similior est, quàm myrtho, illa esse videtur quæ in illis occidentalib partibus nascitur. Quod autem sacramentum Ecclesiæ ex tam multis periculis pendeat, non est concessu facile. Nihilominus fateor argumēta in contrarium multum perplexitatis afferre, sunt tamen fortè solubilia. Nam, quod Innocentius extra de sacra vnctione ait, chrisma ex oleo & balsamo confici, dicere possumus præceptum insinuare, non autem necessitatem sacramenti, vt ipse idem in decretali Pastoralis allegata docet, & can. Presbyteris. de consecratio. distinctio. quarta, quod prius appellat chrisma, illicò appellat oleum. Et Dionysius non meminit balsami, sed tātum dicit fuisse odoriferum chrisma. Imò apud sanctos patres rarissima balsami mentio reperitur. Pariter ergo & decretum concilij Florentini glossari potest, vbi decernitur materiam huius sacramenti esse chrisma ex oleo & balsamo confectum: scilicet, quòd intelligitur balsamum duntaxat de præcepto. Nec Sanct. Tho. aliud in conclusione dixit, quam quòd chrisma est conueniens materia. Quod si arguas, formam sacramenti absque balsamo reddi falsam, Confirmo te chrismate salutis, id negatur: quoniam chrisma, vt dictum est, de se non significat nisi vnguentum. Quare si verbo Latino proferretur. Confirmo te vnguento salutis, verum esset sacramentum. Atque adeò illo nomine, non significatur tanquàm de necessitate sacramēti, balsamū.

Soluuntur arg. contraria.

Caietanus.

De hoc autem cum Caietano non ita facilè consenserim. Ait quippe, non esse credibile, in primitiua Ecclesia paupertimos Episcopos habuisse balsamum, & ideò procedente tempore fuisse hoc institutum. Enimuerò Fabianus Papa suprà citatus in cœna, ait Christū confecisse chrisma: quare eadem die singulis annis conficitur, atque illum morem Ecclesiam Romanam, Antiochenam, Hierosolymitanam, atque Ephesinam ab Apostolis ait suscepisse. Quare excusationem aliarum regionum non admittit, quæ sibi prætexebant balsamum per singulos annos non posse reperire. Fuit ergo permixtio balsami institutio Christi. Sed cui hęc nostra opinio placuerit, dicat, id instituisse tanquam præceptum: non tamen quod vbi reperiri non posset, deberet sacramentum abcleri.

Digitized by Google

1. Argu. S. Tho.

Primum argumentum Sancti Thomæ est. Sacramentum hoc, vt dictum est, Christus, promittendo Apostolis Spiritum sanctum, instituit: misit autem ipsum eis absque omni chrismatis inunctione: Apostoliq́ue, vt legitur Act. 8. & 9. per solam manuum impositionem absq́ue chrismate eundem Spiritum sanctum conferebant; ergo chrisma non est necessaria materia.

Apostoli effectum confirmationis acceperunt absque sacramento.

Quatuor autem D. Thom. perdoctè respondet. Primum, quòd Christus propter potestatem excellentiæ, quæ sacramentis non alligabatur, contulit Apostolis rem huius sacramenti, id est plenitudinem Spiritus sancti, absque sacramento: eo quòd, vt ad Rom. 8. ait Apostolus, primitias eius acceperunt. Secundò ait, quòd nihilominus aliquid materiæ huic simile tunc exhibitum illis est sensibiliter: descenderunt enim in eos linguæ igneæ, vnde ignis ad significationem olei refertur, nisi quòd cum per Apostolos erat gratia Spiritus sancti in alios deriuanda; ignis, qui vim habet actiuam, illis congruebat: oleum autem, quod fomentum est ignis, conuenit reliquo orbi. Vnde similitudo constat, quòd ipsi igne Spiritus sancti totum mundum inflammarunt. Pariter lingua ad balsamum refertur, nisi quòd ipsa per locutionem, balsamum verò per odorem diffunditur: quia scilicet ipsi replebantur Spiritu sancto: tanquam doctores, nos autem tanquam operatores, iuxta verbum citatum Apostoli. Christi bonus odor sumus. Tertiò ait, quòd pariter Apostoli sæpe per solam manuum impositionem, eundem Spiritum sanctum conferebant visibiliter descendentem, sicut super ipsos descenderat. Vnde Petrus Act. 11. cum cœpisset loqui; cecidit, inquit, Spiritus sanctus, super eos, sicut & in nos in initio. Vbi autem illa sensibilia miracula diuinitus sensibiliter ostendebantur, non erat alia necessaria visibilis materia sacramenti. Quartò igitur addit, quòd vbi illa sensibilia miracula non apparebant, chrismate etiam ipsi Apostoli vtebantur, iuxta verbum suprà citatum Dionysij, Et quædam perfectiua operatio, quam duces nostri, chrismatis hostiam vocant.

An per solam manuum impositionem, hoc sacramentum contulerint.

Atqui hanc veritatem, quòd Apostoli chrismate vterentur, planè comprobat decretum illud Fabiani Papæ nuperrimè citatum, eandemq́ue Thomæ Waldensis tomo 2. de sacramen. capit. 113. confirmat, idq́ue potissimum testimonio Bedæ libr. 6. super Lucam capit. 6. vbi ait. Egressum illum Christi frequentem cum discipulis in montem oliuarum, vt Matth. 21. & Lucæ 19. legitur significasse, quemadmodum omnes in morte eius baptizati, altissimo Spiritus sancti essent chrismate confirmandi. Vnde Waldensis concludit dicens: Nemo igitur dicat, qui vult esse fidelis, quod sacramentum confirmationis fiebat sine vnctione per solam manuum impositionem à Christo & Apostolis. Imò addit Palud. distinctio. septima, quæstio. prima, quòd si aliquando Apostoli sine chrismate, per solam manuum impositionem confirmabant, id ex dispensatione Spiritus sancti faciebant, sicut quando baptizabant in nomine Christi. Quæ quidem sententia coniectura non caret.

Quid de ordinibus, ab ijsdem collatis.

Et quod de confirmatione dictum est, id & de ordinibus nonnulli sentiunt, scilicet quod quandoque Apostoli per solam manuum impositionem ordines conferebant, iuxta illud 1. ad Timoth. quarto. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et capit. 5. Manus citò nemini imposueris. Attamen hoc non est necessarium dicere, nam cum traditio materiæ, scilicet hostiæ & calicis, nunc habeatur, tanquam ordinandis sacerdotibus necessaria, & tunc nulla fuerit ratio dispensandi: non est cur negetur tunc etiam cum manus imponebantur, eandem materiam tradi. Chrisma verò non est de essentia sacramenti ordinis.

2. Argum.

Secundum argumentum Sancti Thomæ est. Confirmatio, vt supra diximus, est baptismi perfectio: sed illius materia est simplex aqua: ergo & huius deberet esse simplex oleum absque balsamo. Negatur autem consequentia, propter diuersam rationem. Per baptismum enim acquiritur spiritualis vita simpliciter, qua homo priuatim viuit: sed per confirmationem plenitudo Spiritus sancti, ad multiplices operationes. Est enim Spiritus sanctus, vt Sapien. 7. legitur, in se vnicus: sed in operando multiplex. Vnde 1. Corin. 12. Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem spiritus.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit de necessitate huius sacramenti, vt chrisma sit ab Episcopo consecratum.

CVM chrismatis substantia sit constituta, quæritur de eius qualitate, vtrum necessaria sit eius per Episcopum consecratio. Et respondet D. Tho. hac conclusione. Tam chrisma, quàm oleum sanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad vsum sacramenti. Probatur primo autoritate Innocent. can. Presbyteris. de consecrat. distinct. 4. vbi ait, quòd presbyteris baptizatos chrismate vngere liceat, quod ab Episcopo fuerat consecratum (scilicet in vertice capitis) non tamen frontem eodem oleo signare; quod solum debetur Episcopis cùm tradunt Paracletum: scilicet in confirmatione. Et confirmatur ratione. Cùm enim tota sacramentorum sanctificatio, à Christo, vt dictum est, fuerit deriuata, considerandum est illa in triplici esse differentia. Quædam enim sunt quæ materiam habent corpoream. Et horum quædam sunt, quibus Christus vsus est; vt baptismus & Eucharistia, quæ subinde ex vsu ipsius Christi aptitudinem acceperunt ad vsum sacramenti, iuxta verbum Chrysostomi, Nunquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent. De consecrat. distinct. 4. can. Nunquam. Et similiter ipse Dominus (vt Matth. 16. & Lucæ 22. legitur) accipiens panem, & calicem benedixit. Qua vtique ratione de essentia huiusmodi sacramentorum non est noua benedictio materiæ, sed de solennitate duntaxat. Vnctionibus autem visibilibus Christus non fuit vsus, & ideò tam chrisma in confirmatione, quàm oleum in extrema vnctione necessario requirit benedictionem. In sacramentis verò pœnitentiæ & matrimonij, quia nulla est corporalis materia, ratio cessat, atque adeo in sacramento ordinis, quod non consistit in applicatione materiæ, sed in traditione potestatis: vnctio enim illic chrismatis non est sacramentum, sed sacramentale: sicuti vnctio in baptismo super vertice capitis.

Conclusio affirm.

Quare chrismatis consecratio sit de necessitate confirmationis.

Et per hoc, inquit, Sanct. Thom. soluitur argumentum primum, quod est hoc. Benedictio aquæ baptismalis non est de essentia sacramenti, neque benedictiones. quæ in missa præcedunt consecrationem super panem & vinum: ergo neque consecratio chrismatis. Negatur enim consequentia propter adductam discriminis rationem.

1. Argu. S. Tho.

Quamuis conclusio hæc sit à Theologis recepta, tamen ratio hæc Sancti Thom. non omnibus probatur. Arguit enim Durandus distinctio. 7. quæst. 2. Si propterea quod vsus Christi materiam baptismi & Eucharistiæ consecrauit, non est alia eius benedictio de essentia; sequitur, quod neque sit de decentia: imò per illas sacramentales benedictiones videtur iniuria irrogari Christo, qui illas materias benedixit. Item Christus etiam vnctionibus vsus est, vt patet Ioan. 12. & Lucæ 7. vbi vnctus legitur à Maria Magdalena. Et Ioan. 19. vbi legitur post mortem vnctus à Nicodemo. Subdit ergo aliam rationem, quia scilicet instrumentum debet ministro congruere: & quoniam minister confirmationis est Episcopus, per benedictionem ad huius functionem sacramenti determinatus; debet etiam materia benedictione eiusdem episcopi determinari. Ad hoc vero nos dicimus, quod nisi res esset Ecclesiæ sanctionibus decreta, rationes huiusmodi non conuincerent. Ecclesiæ autem sanctione supposita, multo est luculentior ratio S. Thom, Quare licet in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 2. illa Durandi vsus fuerit; eandem tamen hic tanquam insufficientem prætermisit. Et hanc amplexus est, quæ est Bonauenturæ, Ricardi & Scoti d. 7. Nam primum sequeretur ex illa ratione, quod etiam materia Eucharistiæ postquam habet determinatum ministrum, nempe sacerdotem; de necessitate requireret benedictionem: quod falsum est. Vnde ad primam eius rationem respondetur, quod cùm benedictiones illæ non fiant tanquam necessariæ, nulla inde Christo irrogatur iniuria: secus si adhiberentur, quasi inde accresceret virtus sacramento. Ad secundam verò respondetur, quòd Christus non est vsus illis vnctionibus tanquam sacramentis, aut sacramentalibus: fuerat enim vnctus, virtute vnionis, plenitudine gratiæ Spiritus sancti.

Expositio articuli.

Defenditur ratio S. Th.

Soluuntur obiectiones Durandi.

Dubium

Digitized by Google

Dubium autem magis forsan perplexum est, vtrum consecratio hæc Episcopalis sit solum de necessitate præcepti, an verò de necessitate sacramenti. Et hoc dubium triplex est. Primùm enim dubitatur vtrùm aliqua consecratio requiratur. Et secundò vtrùm simplex sacerdos possit illud consecrare, vt sacramentum sit validum. Et tertiò vtrum saltem ex dispensatione summi Pontificis id possit.

At ne tot in dubium reuocemus, constantissimum est, & catholicum, requiri benedictionem, & consecrationem. Hoc patet primo ex illo decreto Fabiani, vbi ait, Christum in cœna docuisse conficere chrisma. Et ex solenni consuetudine Ecclesiæ, quæ habet, vt illa die quotannis Episcopus confectum chrisma consecret, cuius vsus non duret nisi illo anno, vt patet can. Literis. de consecratio. distinct. 3. & can. Si quis de alio. distinct. 4. Et ex decretis, quibus definitur, materiam confirmationis esse chrisma ab Episcopo consecratum. Vt can. Presbyteris. ead. distinctione, & extra de sacra vnctione, & in Concilio Florentino. Vbi id ipsum expressis verbis definitur.

Sufficiatne ad sacramenti veritatem, si chrisma sit à simplici Sacerdote ex officio consecratũ.

At verò vtrum sufficiat necessitati sacramenti, à simplici sacerdote ex officio consecrati. Caietanus solus est, qui in præsentiarum hoc reuocat in dubium. Et licet nihil definiendo concludat; arguit tamen ad partem affirmatiuam, quam ait rationi magis consentaneam. Et argumentum eius est, quod cum sacerdos possit hostiam consecrare, quæ est omnium consecrationum summa, à fortiori si consecret chrisma, consecratio tenebit; licet peccet, quia est interdictus ne faciat, vt patet in concilio Toletano 8. c. 7. & in Carthaginensi 2. & 3. quæ referuntur 26. q. 6. can. Si iubet. & can. Presbyter. Hæc tamen opinio non est tuta: quoniam sicut solus Episcopus ex officio est minister sacramenti, ita & solus ipse est, qui ex officio materiam potest consecrare. Neque consequentia Caietani vllius est ponderis. Fallit enim regula, quod qui potest maius, possit minus. Minus enim est consecrare altare, & conferre minores ordines, quàm consecrare hostiam, tamen sacerdos qui potest hoc maius; non potest illa minora facere.

Caietani opinio reijcitur.

Vrgentius tamen argumentum ducitur ex prælegato cap. Pastoralis, de sacrament. non iterand. quòd nulla consecratio materiæ sit de necessitate sacramenti: quandoquidem ille, qui illic inducitur solo oleo confirmatus, non iubetur iterum confirmari: quare illud sacramentum iudicatum est validum, vt supra expositum est. Respondetur, quòd certò credendum est fuisse illum confirmatum oleo catechumenorum & infirmorum, per Episcopum benedicto: ob idque aliqua benedictio est de essentia. Argumentum verò videtur concludere, quod benedictio chrismatis non sit de essentia, saltem si illam sustineamus opinionem, quod balsamum non est de essentia. Vnde dicere possumus, vt ait Palud. d. 7. q. 4. art. 3. quòd licet consecratio & benedictio chrismatis & olei sit iure diuino; tamen quod hæc vel illa sit consecrationis forma, Ecclesiæ cõmissum est, sicuti confessioni, quæ est de iure diuino, tempus præfinire, & personas ad matrimonium legitimas reddere & illegitimas. Quare vitiare consecrationem materiæ, non est eius substantiam mutare, atque adeo nec substantiam sacramenti.

An saltem ex commissione possit simplex sacerdos chrisma conficere.

Restat ergo dubium, vtrum saltem ex commissione Episcopi vel Papæ possit simplex sacerdos consecrare chrisma: nam Caiet. de hoc non dubitat. Imò & Scotus id quoque videtur concedere. Ait enim quod requiritur chrisma ab Episcopo sanctificatum, vel ab alio, cui talis sanctificatio poterit committi. Neque verò ratio Caietani est despicienda: nam etsi minister huius sacramenti sit Episcopus, adeò vt nisi ipse confirmauerit, sacramentum nullum sit, vt can. Manus. de conf. d. 5. sancitur, nihilominus, vt artic. 11. videbimus, potest ex commissione papæ simplex sacerdos confirmare: & cum collatio sacramenti præstantior sit, quàm benedictio materiæ, sicut sacramentum præstantius ipsa materia, consequitur, vt & consecratio chrismatis possit simplici sacerdoti committi. Neque concilium Florentinum obstare videtur, dicens, quod aliquando ex dispensatione simplex sacerdos legitur confirmasse, chrismate tamen per Episcopum confecto: nam illic id solum, quod contigit, memoratur: at non prohibetur, quin possit vtrumque committi. Quod autem in contrarium vehementius vrget, est verbum canonis, Presbyter, suprà citati 26. q. 6. s. Presbyter inconsulto Episcopo, virgines non consecret; chrisma verò nunquam conficiat. Vbi discrimen videtur poni, quod vnum presbyter ex dispensatione possit; alterum verò nullatenus. Sed responderi potest, illic solùm significari nunquam super hoc secundo fuisse dispensatum. Extat etiam durum verbum hoc in concilio Toletano citato, scilicet Episcopalis eminentiæ diuina auctoritas percensuit esse aliqua summa, quæ cæteris sacerdotibus exercenda prohibuit, s. templorum Dei sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem. Vbi apparet iure diuino esse prohibitum, atque adeo non posse in hoc dispensari. Respondetur tamen, quod diuina autoritas Episcopi non clarè id sonat, quod ius diuinum. Nam & autoritas, qua Romanus pontifex in condendis Ecclesiasticis legibus vtitur, diuina est. Eademque presbyteris inhibuit confirmare, super quo tamen dispensare potest. De hac ergo re, quia ex autoritate Pontificis maximi pendet, nihil à nobis definiendum est. Probabile tamen est, quod possit etiã in hoc dispensare. Quamuis neque ratio Caieta. omnino conuincat: quoniam licet sacramentum maius sit, quam benedictio materiæ, non ideo subsequitur, vt si sacerdoti possit committi collatio, possit & committi consecratio chrismatis: nam dignius est materiam conficere, quàm ea vti.

Responsio aff. probabilis.

Secundum argumentum S. Tho. est idem non debet bis consecrari: sed materia sacramenti in collatione ipsa sanctificatur, iuxta verbum Aug. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: ergo non indiget priori alia sanctificatione. Accedit & tertium, quod sacramenti consecratio, ad consecutionem gratiæ ordinatur; chrisma verò, quia est inanime corpus, non est gratiæ capax. Respondet ad prius per similitudinem, quod sicut instrumentum bifariam virtutem acquirit: scilicet, & quando recipit formam instrumenti, & quando mouetur ad effectum à principali agente: ita & chrisma prius sanctificationem accipit, vt sit propria materia, & postea virtutem sanctificandi, dum applicatur ad effectum. Ad posterius vero respondetur, quod etsi chrisma non sit capax gratiæ tanquam subiectum; est tamen tanquam instrumentum, & ad hoc consecratur.

2. Argu. S. Tho.

Tertium.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum forma, qua Ecclesia vtitur, sit conueniens.

Conclusio affirm.

POST materiam sequitur articulus de forma, in quo D. Tho. hanc constituit conclusionem. Hæc est conueniens forma huius sacramenti. Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Probatur primo autoritate Ecclesiæ, quæ illa vtitur. Deinde ratione. Sicut enim forma rei naturalis speciem ei confert; ita & forma sacramenti continere debet quicquid ad sacramenti speciem attinet: per hoc autem sacramentum, vt dictum est, plenitudo Spiritus sancti, ad robur spiritualis pugnæ confertur: quare tria sunt in eo necessaria, quæ per formam explicantur. Primum scilicet causa conferens, quæ est sancta Trinitas, illis nominibus expressa, In nomine Patris, &c. Secundum; robur ipsum spirituale gratiæ; quod designatur, vbi dicitur, Confirmo te chrismate salutis. Et tertium, character is insigne; quod imitari, sicut in præsio ciuili datur, cuius gratia dicitur, Consigno te signo crucis. In quo sicut habetur ad Colos. 2. Rex noster triumphauit.

Expositio articuli. 1. Arg.

Hic nihil est adnotandum, quod D. Thom. in argumentis non innuet. Ideo arguitur primo. Sacramentorum institutio & vsus a Christo per Apostolos deriuatus est, sed nunquam legitur aut Christum hanc formam instituisse, aut Apostolos vsurpasse: ergo nullum habet fundamentum. Respondetur, quod cùm Apostoli non semper vterentur chrismate, propterea quòd per solam manuum impositionem sacramenti effectum conferebant; fit vt tunc nec forma vterentur. Quando verò vtebantur chrismate, certum est etiam vtos fuisse forma: nam vt dist. 1. q. 1. ostensum est, repræsentatio materiæ vaga & confusa est, nisi formæ significatione determinetur. Tamen non opus fuit omnia, quæ institutione Christi faciebant, scripto mandare. Multa enim eorum traditione, viua voce ad nos peruenerunt, iuxta illud 1. Corint. 11. Cætera cum venero disponam. Quæ qui-

Forma sacramentorũ per traditionẽ accepta.

Digitized by Google

dem dispositio nusquam legitur. Quare 2. ad Thessalonic. 2. Tenete, inquit, traditiones, quas didicistis, siue per sermonem (id est verbo) siue per epistolam nostram. Et Ioann. in 2. cap. Plura, inquit, habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui. Vnde Dion. in fine Ecclesiasticæ Hierarc. Consummatiuas, inquit, inuocationes (id est verba, quibus perficiuntur sacramenta) non est iustum scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere: sed nostra sacra traditio sine pompa (id est occultè) eas edocet.

Quod si instes interrogans; vbi ergo primum Ecclesia hanc tradidit formam. Respondetur non omnes & singulas sacramentorum materias & formas, vsque ad Concilium Florentinum sub Euge. 4. vsque adeò expressas haberi. Sed tamen certum est more & vsu antistitum successione fuisse seruatas. Illic autem vbi vtraque pars Ecclesiæ tam orientalis, quam occidentalis, fuit congregata; omnes fuerunt explicatæ: inter quas & ista confirmationis.

Sitne de huius sacram. necessitate. inuocatio Trinitatis.

At verò forte arguis. Ergo illa Trinitatis expressio est de essentia huius sacramenti, quandoquidem in ea, sicut & in forma baptismi in eodem concilio adhibetur. Quod autem esse falsum probatur inde primò, quod in Euangelio solum de baptismo legimus, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quare nullum aliud sacramentorum videtur tanquam de essentia inuocationem Trinitatis requirere. Et secundò arguitur ratione. Inter omnia sacramenta solùs baptismus censetur professio fidei, vbi scilicet fidem Christianam suscipimus: professio autem fit per illam Trinitatis expressionem, ergo in solo baptismo est necessaria. His forsan argumentis ductus dicere quis posset, illam inuocationem duntaxat tanquam decentem adhiberi, ita vt sit de præcepto, non tamen quòd sine illa sacramentum non valeret. Veruntamen opinatio hæc non esset tuta: imò postquàm concilium eodem tenore, quo in baptismo illam ponit, atque illa inuiolabiliter Ecclesia vtitur; proculdubio tenenda est tanquam de essentia.

Responsio aff.

Vnde ad primum argumentum respondetur, quòd cum forma confirmationis non perinde ac forma baptismi sit expressa in Euangelio, nullum ex illo aduersus illam argumentum ducitur. Ad secundum respondetur, confirmationem (quoniam ad perfectionem baptismi, vt suprà dictum est, spectat) quodammodo etiam censeri professionem fidei, quasi priorem roborantem & perficientem. Vnde ca. Omnes, de consec. d. 5. hoc sacramentum omnibus iniungitur, vt pleni Christiani inueniantur. Reliqua verò sacramenta, quia non sunt fidei professiones, sed illam iam etiam corroboratam & perfectam supponunt, non eandem Trinitatis inuocationem exigunt.

Vnctio necessario faciendæ in forma crucis.

Animaduertendum etiam, quòd chrismatio necessario debet in forma crucis fieri, alioqui forma esset falsa. Vnde de consec. d 5. ca. Nunquid, Stephanus papa, Omnia, inquit, chrismata sacerdotalis mysterij, crucis figura perficiuntur. Chrismata scilicet, non omnia sacramenta; sed omnia tam sacramenta, quæ in vnctione consistunt, vt confirmatio & extrema vnctio; quam sacramentalia, vt cum aqua baptismi & postea baptizatus vngitur, & vnctio sacerdotis, dum ordinatur. Tametsi discrimen intersit, quòd in extrema vnctione, cùm in forma non exprimatur crux, non est de essentia sacramenti, sicut neque in sacramentalibus baptismi & ordinis. Quanquã sit de præcepto, & forsan nõ obligante sub reatu mortali, quia non est res tanti momenti.

De varietate formæ huius sacramenti.

Secundò arguitur. Sicut sacramentum ita & forma eadem esse debet apud omnes: sed tamen non omnes Ecclesiæ hac forma vtuntur: aliqui enim dicunt. Confirmo te chrismate sanctificationis. Respondetur, quòd cum sanctificatio causa sit salutis, idem vtrumque valet. Iam enim diximus in materia baptismi, variationem formæ, quæ non mutat sensum, non vitiare sacramentum. Quare si hic loco, Chrismate, dicatur, Vnguento; & pro, Confirmo, Corroboro, aut Perficio, inde, licèt aliqua esset culpa, validum tamen esset, vt reor, sacramentum: sicuti etsi fieret per tertiam personam, vt in decreto Constan. ipse legitur confirmatus sub hac forma, Signat te Deus sigillo fidei suæ. Idem enim est: quod, Signo crucis. Sed magis ambiguum est, quòd illic non adhibetur secunda pars, Confirmo te chrismate salutis; quæ ideo videtur non esse de essentia. Respondetur autem primò, non omnia, quæ in illo edicto continentur, incorruptæ esse autoritatis, vt illud, quod mundatus fuerit à lepra per baptismum: quia neque in vita Syluestri, quæ refertur can. Sancta Romana d. 15. neque apud Ambrosium in Oratione de obitu Theodosij, neque apud Platinam legitur. Secundò respondetur, quod in edicto non fuit necessarium omnia referri. Et quòd illa pars fuerit illic etiam adhibita, colligitur ex verbis præcedentibus, scilicet quòd Syluester chrismatis vnctione, vexillum sanctæ crucis, in eius fronte liniuit.

Tertiò arguitur. Sacramentum hoc debet conformari baptismo, sicut perfectio (vt suprà dictum est) perfectibili: forma verò baptismi, & hæc in multis variant: ergo hæc non est legitima. Respondetur, quòd baptismus est regeneratio in spiritualem vitam, qua homo viuit in se ipso; & ideo non ponitur in forma nisi vnus actus. Ego te baptizo, qui ad sanctificationem personæ pertinet. Neque opus est materiam aquæ aut effectum salutis illic explicare: nam verbo ipso, Abluo, vtrumque designatur. Neque oportet illic crucis characterem exprimi: quia illic non armatur miles ad publicam pugnam; sed per ipsam infusionem aquæ significatur Christi mors & sepultura, quibus, vt ait Paul. per baptismum configuramur. At quoniam per confirmationem non solum homo ipse sanctificatur, sed ad publica pro fide prælia instruitur, requiritur primò vt in forma exprimatur interna sanctificatio, dum dicitur: Confirmo te chrismate salutis: vbi materia exprimitur & effectus: quoniam, Confirmo, non satis illa designat, sicuti Abluo. Præterea oportet, vt homo exterius vexillo crucis consignetur ad pugnam; & ideo præmittitur, Consigno te signo crucis: vt scilicet signaculo illo frontis, vbi insidet verecũdia, & timoris pallor, Christianus malam verecundiam & metum abstergat; vt etiam cum periculo mortis fidem vbique prædicet. Prædicatio enim Christi crucifixi, vti ait 1. Cor. 1. Paul. Iudæis quidem scandalum erat, & gentibus stultitia. Quare Christiani (vt Paulino etiam verbo vtar) non debent Euangelium erubescere, quibus Dei virtus est, & Dei sapientia.

Diuersitas formæ Confirmationis à forma baptismi.

ARTICVLVS V.

Vtrum sacramentum confirmationis imprimat characterem.

CONSTITVTO sacramento secundum suam materiam & formam, subsequitur de eius effectibus inquirere, quorum primus est character. De quo Sanctus Thomas vnam hanc conclusionem affirmat. Manifestum est, quod in sacramento confirmationis imprimitur character. Probatur primò ab effectu: hoc enim sacramentum non est iterabile, vt per concilium Tarraconense, de conse. q. 5. canon. Dictum est. & per Gregorium can. De homine. definitum est: causa autem ne sit iterabile non est nisi character, quem imprimit. Ratio deinde ex superioribus colligitur. Character est potestas ad aliquas actiones ordinata: sicut autè baptismus est quædam spiritualis regeneratio, ita & confirmatio quoddam spirituale augmentum ad ætatem perfectam, in qua, vt exemplo corporalis vitæ constat, potest homo exercere actiones, quas non poterat infans: ergo sicut in baptismo recipit homo characterem, qui est potestas suscipiendi alia sacramenta ad propriam salutem, ita per confirmationem recipit alium, qui est potestas ad propugnãdam fidem. Et confirmatur Apostolorum exemplo, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti reciperent, erant in cœnaculo perseuerantes in oratione, quasi priuatam vitam agentes: postmodum verò nihil verebantur publicitus coram hostibus christianæ fidei eandem confiteri & promulgare.

Conclusio affirm.

Conclusio hæc assertio est catholica, vt duobus canonibus citatis definitur, vbi sancitur non esse hoc sacramentum iterandum, quod est characteris indicium. Idem habetur in concilio Toletano 8. c. 7. & in concilio Florentino, vbi hoc sacramentum inter imprimentia characterem connumeratur. Et Tho. Waldensis tomo 2. de sacrament. cap. 9. de tribus sacramentis imprimentibus characterem copiosè loquitur. Sed de hac re satis superque dist. 1. q. 4. † diximus.

Expositio articuli.

† *artic. 6.*

At vnus

Digitized by Google

Incurrantne irregularitatem, qui iterato confirmant.

At vnus duntaxat superest hic dissoluendus nodus; vtrum eidem irregularitatis pœnæ obnoxij illi sint, qui semel confirmatum iteratò confirmant, atque Anabaptistæ, ſ. rebaptizantes. Scotus namque in 4. d. 7. q. 5. refert iurisprudentium opinionem affirmatiuam, quam suo consueto Achille, ſ. a simili probant. Cùm enim iterum confirmantes similes illis sint, qui rebaptizant, similiterque mortaliter peccent (de quo nemo ambigit) simili, inquiunt, pœnæ subduntur. Scotus verò illic probè negat per iterationem confirmationis irregularitatem incurri. Sunt enim eiusmodi argumenta a simili sæpe fallacia. Imo alia est ad propositũ regula iuris magis solida: scilicet quòd priuilegia amplianda sint, pœnæ verò restringendæ. Quare cum in iure non decernatur irregularitatis pœna nisi iterantibus baptismum, non est ad iterantes confirmationem extendenda. Et accedit in eandem sententiam Paludanus eadem distinctione quæstione secunda. Et ita est indubiè tenendum. Et confirmatur iuris autoritate, nam in prædicto canone, Dictum est, pluries confirmatis non alia iniungitur pœna, nisi vt in habitu clericali religiosè famulentur: & si alia esset, certè illic imponeretur. Igitur, vt ad Canonistas respondeamus; negatur similem militare rationem in confirmatione, & in baptismo: nam quia baptismus est regeneratio & prima fidei professio, qua remittitur originale, grauius peccatum est, illum iterare; quia vti ait Pau. ad Hebræ. 6. est quædam imago iterationis passionis Christi, quæ tamen vna fuit sufficientissima: iterare autem confirmationem, quamuis peccatum sit, idemque mortale sacrilegium; non tamen eandem habet iniuriosam repræsentationem annexam iteratæ passionis Christi. Sed potissimum responsum est, quod pœna irregularitatis in odium Donatistarum fuit rebaptizantibus imposita, quippe qui illam substinebant hæresim, quod baptizati ab hæreticis essent rebaptizandi: quæ quidem ratio de confirmatione non militat.

Responsio 1. g.

1. Argu. S. Thomæ.

Primum argumentum S. Tho. est. Character est signum distinctiuum: per characterem autem confirmationis, Christiani neque ab infidelibus distinguuntur, neque inter se; quoniam confiteri fidem omnibus fidelibus competit: ergo superuacaneus est. Respondetur, per characterem baptismi distingui Christianos ab infidelibus; per characterem verò confirmationis, eos, qui prouecti sunt à neophytis, id est, nuper genitis infantibus. Nam etsi cunctis Christianis contra hostes inuisibiles pugnam sustinere congruat; tamen contra publicos tyrannos depugnare, confirmatorum est proprium, & virilem ætatem agentium. Hoc autem art. 7. amplius explicabitur.

Quæstionis character confirmationis est signũ distinctiuũ.

2. Argum.

Secundò arguitur. Character, vt dictum est, quædam est potentia: hæc autem non est nisi vel actiua, vel passiua: character baptismalis est potentia passiua ad suscipienda sacramenta, & character ordinis actiua ad conferendum: ergo character confirmationis redundat. Respondet, quòd omnia quidem sacramenta sunt quædam fidei protestationes: sicut ergo per baptismum suscipitur character ad protestandam fidem, per susceptionem sacramentorum; ita per sacramentum confirmationis suscipitur character, siue potestas publicè fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio. Et nota, quasi ex officio: quoniam sine confirmatione potest quisque facere quod confirmatus; sed confirmatus id facit peculiariter: quasi ex proprio munere. Non autem bene explicat sitne potentia actiua vel passiua. Et arguit hic Caiet ad hominem. Suprà q. 63 art. 6. posuit omnem characterem in genere, spectare ad potentiam passiuam, eò quod characteres sunt participationes quædam sacerdotij Christi ab ipso deriuatæ: hîc autem dicit aliquem esse actiuam. Respondetur, omnes characteres quatenus homini sunt impressi, esse in hoc sensu passiones, quòd à Christo recipiuntur, vt gratia: Sed si consideretur in ordine ad suos actus & officia; sacerdotalis est ad conferendum sacramenta, baptismalis est ad conferendum sacramenta, baptismalis verò & hic confirmationis ad protestandam fidem. Diuersimodè tamen, ille scilicet suscipiendo sacramenta: quare medius est, magis tamen vergens ad actionem.

Quid sit character Confirmationis.

3. Argu.

Tertiò. In circuncisione, vbi character corporalis in membro fiebat, nullus imprimebatur spiritualis; sed in confirmatione pariter chrismate fit character in fronte, ergo nullus debet imprimi spiritualis. Negatur consequentia propter diuersam rationem: nam illa sacramenta, vti ad Hebr. 9. ait Paul. erant iustitiæ carnis, quare nihil interius efficiebant, sed sola gratia in virtute fidei in circuncisione conferebatur: nostra vero sunt spiritualia, & ideo characterem intus imprimunt quem externo significant.

ARTICVLVS VI.

Vtrum character confirmationis, characterem baptismi præsupponat.

QVÆRITVR iam de ordine inter hos duos characteres. Ad quod D. Tho. respondet, quod character cõfirmationis necessario præsupponit characterem baptismi, ita vt si quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet. Nam cum per baptismum homo regeneretur, & per confirmationem augmentum spiritualis vitæ recipiat, & augmentum vitam præsupponat; non potest non baptizatus confirmari.

Conclusio affirm.

Est de fide.

Conclusio est de fide, vt de consecratio. distin. 5. can. Omnes fideles. & can. Nouissimè, qui hic citatur à D. Th. decernitur. Vbi ait. Nouissimè a summo sacerdote per impositionem manus, Paracletus traditur baptizato. Quinuerò fides catholica est, vt baptismus non solùm confirmationem, verùm & omnia sacramenta debeat de necessitate præcedere, alias nullum esset sacramentum. Est enim sacramentorum ianua, vt in fine capit. Præter hoc distinctione 32. & in concilio Florentino definitum est Quare capitulo primo de Presbyt. non baptizato. iubetur vt ille, qui ante baptismum ordines susceperat; iterum post baptismum ordinetur.

An cætera sacram. possint sine confirmatione suscipi.

Vtrùm autem cætera sacramenta sine confirmatione possint suscipi, possit quis magis dubitare. Ad quod breuiter respondetur, quòd licèt vbi commodè fieri potest, aliqua sit culpa, aliud quodpiam sacramentum sine confirmatione suscipere; non tamen est mortalis, nisi ex contemptu id fiat, vt art. 8. emunctiùs discutietur. †

† circa finẽ. 1. Argu. S. Tho.

Primum argumentum S. Thom. est. Effectus confirmationis est publicitus coram tyranno fidem profiteri: multi autem sancti Martyres leguntur, qui ante baptismum pro causa fidei in suo sanguine baptizati sunt: ergo illi fuerunt ante baptismum confirmati. Respondetur, quòd cùm diuina virtus non sit sacramentis alligata, sicut potest quis effectum baptismi sine baptismo consequi, ita & effectum confirmationis sine ipso sacramento. Sed tamen, sicut ad primum effectum requiritur votum baptismi; ita & ad secundum exigitur votum confirmationis. Non autem intelligas speciale votum: nam votum baptismi, in quo includitur generaliter recipere postea sacramenta iuxta ritum Ecclesiæ, sufficit.

Secundum argumentam est de Apostolis, qui non leguntur baptizati; antequam essent in Pentecoste confirmati. Sed iam nos distinctione quinta, articulo secundo † ostendimus fuisse antea baptismate initiatos, vt hic secundùm August. ait Diuus Thomas.

† §. Ad hoc de Apostolis.

Tertiò arguitur ex illo Actuum 10. vbi legitur, quòd loquente Petro, cecidit super eos, qui audiebant Spiritus sanctus, vt loquerentur variis linguis, & tamen postea baptizati sunt. Vbi subinde videtur confirmatio baptismum præcessisse. Respondetur autem aduentum illum Spiritus sancti, non fuisse sacramentum confirmationis; quamuis per eundem aduentum, collatus fuerit effectus sacramenti, sine sacramento. Quare nihil vetabat, vt illi denuò post baptismum sacramento confirmarentur.

ARTICVLVS VII.

Virùm per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens.

SEQVITVR de alio eodemque præcipuo sacramenti effectu, qui est gratia. De quo Diuus Thomas hanc constituit conclusionem. Manifestum est, quòd gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento. Probatur. In eo confertur, vt dictum est, plenitudo Spiritus sancti ad robur, sicuti Apostolis in die Pentecostes collata fuit: sed Spiritus sanctus internè non nisi per gratiam mittitur, vt 1. part. quæst. 43. art. 3. ostensum est: ergo per hoc sacramentum confertur gratia gratum faciens.

Conclusio affirm. & de fide.

Digitized by Google

Expositio articuli.

Conclusio hæc, sicut & præcedens, est etiam de fide: nimirum quod hoc sacramentum, ad conferendum plenitudinem Spiritus sancti, fuerit institutum. Vnde magna cum apparentia elicitur, in hoc cumulatiorem conferri vberioremque gradum gratiæ, quàm in baptismo; imò quàm in cæteris sacramentis, excepta Eucharistia, in qua corpus ipsum Christi, quod illic subest, copiosiorem gratiam conferre censetur: & forsan sacerdotali ordine, per quem homo dux fidei instituitur, cùm in hoc solum constituatur miles. Faciunt ad hoc canones illi de consecratione distinctione quinta. In primo enim dicitur, per hoc sacramentum plenos Christianos fieri. Et cano. Spiritus sanctus. per idem baptizatis augmentum præstari ad gratiam. Et tandem canone Nouissimè. habetur, quod per vnctionem, quæ fit in baptismo in vertice capitis, intelligitur Spiritus sancti descensio ad habitationem: sed in confirmatione declaratur Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis in hominem venire. Dictum est enim supra † ex eo quod per baptismum plenissima fiat remissio, non consequi, vt cumulatior detur illic gradus gratiæ & amicitiæ Dei, quàm in alijs sacramentis.

Gratiam confirmationis, esse maiorem baptismali.

† *d. 6. q. 1. a. 1. in fi.*

Hanc vero toties repetitam nouam gratiæ copiam opus est semel explicare. Arguitur ergo sic. Gratia & virtutes in baptismo infusæ, sufficiunt ad confessionem fidei, etiam vsque ad oppetendam mortem pro Christo: ergo confirmatio est superflua. Probatur antecedens. Illud animi robur, & vitæ oblatio procedit ex fide rerum sperandarum, & plurimum ex fortitudine, quæ est animi firmitas, & potissimum ex charitate, quæ quidem animi dotes per baptismum acquiruntur. Quinuerò ad idem officium & naturalis complexio permultum iuuat: videlicet, si homo est cholericus, virilemque habens animum, & quadratum: nam è conuerso si homo est effœminatus, aut alijs vitijs corruptus, quamuis sit sacramento confirmatissimus, & forsan in gratia existens; oblato martyrio fidem deseret, vbi alius non confirmatus, mortem expectaret Quid ergo facit confirmatio? Adde quod vsu venit, vt infidelis, & hæreticus pro suo errore audaciùs se morti obijciat, quam Christianus confirmatus.

Exactius discutitur, quem vsum habeat gratia Confirmationis.

Responsio ad arg. contraria.

Ad hæc respondetur, omnia allata antecedentia vera esse, non tamen subsequi vanum esse hoc sacramentum. Haud enim negamus, quin aliæ virtutes & animi vires ad id quàm plurimum iuuent: nihilominus Deus, quantum in se est, per hoc sacramentum Christianis ad id muneris opitulatur; vt baptizati tanquam ex officio habeant, vt sint fidei publici milites. At quia neminem cogit; accidit vt vecordi homini, & corruptis moribus tradito, neque sacramentorum auxilia sufficiant. Sed multo minus nonnunquàm prosint, quàm alijs aliæ virtutes.

Olim in fulcram Confirmationis S. sanctus dabatur visibiliter.

Est hic demum adnotandum, vt suprà tactum est, per hoc sacramentum olim Spiritum sanctum donari fuisse solitum visibiliter, sicut super Apostolos descenderat, vt habetur Actuum vndecimo. Ita vt confirmati loquerentur etiam varijs linguis, vt Actuum decimonono refertur. Quo miraculi stupore Simon ille magus allectus (vt Actuum octauo narratur) voluit donum illud, conferendi Spiritum sanctum, mercari. Id autem tunc ad fundationem fidei necessarium erat: illa tamen iam satis fundata, cessauerunt signa, & permansit internus effectus. Vnde Augustinus libro tertio contra Donatistas capitulo decimosexto. Neque temporalibus, inquit, & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem, modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur, ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda: Sed inuisibiliter & latenter intelligitur, per vinculum pacis, eorum cordibus diuina charitas inspirari, per Spiritum sanctum, qui datur nobis. Et loquitur de hoc confirmationis sacramento.

1. Arg.

Primum argumentum S. Tho. est. Gratia gratum faciens confertur ad remissionem culpæ: sed illa per baptismum remittitur, ergo confirmatio redundat. Respondet egregiè, gratiam non ad illum tantum remissionis effectum, sed ad alios quoque, vt dictum est, donari; vt per omnem vitæ discursum, grádatim nobis Deus opem ferat, vsq; ad vitam æternam: vt illud impleatur ad Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna. Vnde Paulo dictum est. 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Ipseque 1. Cor. 15. fatetur dicens, Gratia Dei sum, id quod sum.

Secundò arguitur. Si hoc sacramentum gratiam conferret, esset peccatoribus, qui maxime illa egent, exhibendum, quod tamen non est condecens: ergò non confert gratiam. Negatur prima consequentia, qua infertur dandum esse peccatoribus. Nomen enim ipsum confirmandi admonet, quòd sicut non debet ministrari nisi baptizatis, ita neque adultis, si in delicto permanere credantur. Imò in concilio Aurelianensi, quod refertur can. Vt iciuni. de cons. d. 5. præcipitur, vt accedentes ad confirmationem admoneantur prius facere confessionem, vt mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. Et tunc, vt ait hic S. Tho. per confirmationem perficitur effectus pœnitentiæ, sicuti & baptismi.

Quòd si sciscitaris vtrum confessio sit simpliciter necessaria sub reatu peccati mortalis, statim articulo proximo † respondebitur.

† *§. De confessione autem. Vtrum requiratur contritio.*

Ambiguum tamen est, vtrum requiratur contritio. Ad quod primo respondetur, quòd attritio, existimata contritio, sufficit. Nam, vt dist. præce. q. 1. † dicebamus, hæc ad omnia sufficit sacramenta: videlicet quod homo licet non doleat propter Deum, bona tamen fide id arbitretur. Et de hac certò credo loqui D. Tho. inpræsentiarum, vbi ait, quòd si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum. Eiusmodi n. attritus est, qui ob id quod dignè ad sacramentum accedit; fit per ipsum ex attrito contritus.

† *a 7. concl. 5. Vide quæ illic notata sunt.*

Secundò addiderim attritionem cognitam non sufficere, vt dignè ad hoc sacramentum accedatur, hoc est, dum quis sciens se non propter Deum pœnitere accedit. Et ratio qua ducor, est, quòd sacramentorum dispositio, penes ipsam eorum naturam pensanda est: baptismus ergo, quia sacramentum est mortuorum, satis habet obicem non inuenire, vt vitam tribuat: at quia confirmatio in hoc instituta est, vt gratiam baptismi confirmet, & corroboret; eadem eius institutio postulat, vt non nisi ei exhibeatur, qui in gratia censetur accedere. Atque eadem ratio vim habet in Eucharistia.

3. Argum. S. Thom. Quæris, An gratia Confirmationis sit alia à gratia baptismi.

Tertiò arguit S. Tho. Gratiæ gratum facientes non differunt specie, cùm ad vnum effectum ordinentur: duæ autem formæ eiusdem speciei non possunt esse simul in eodem subiecto: cum ergo per baptismum gratia conferatur; nequit altera baptizato per confirmationem infundi. Alexander Alensis quarta parte, quæs. 26. membro primo ait, quod in hoc sacramento non solum augetur gratia baptismalis, sed noua per essentiam datur. Vbi videtur sentire diuersas qualitates infundi. Et Marsilius in 4. q. 5. articul. quarto. longam instruit disputationem, vtrum hæ duæ gratiæ specie differant: & tandem sententiam Diui Thomæ descendit. Est tamen res clara, quòd omnes gratiæ gratum facientes, quatenus sunt qualitates, & quatenus hominem gratum faciunt, eiusdem sint speciei. Quapropter quoties gratia, siue per merita, siue per sacramenta crescit, non multiplicantur qualitates diuersæ; sed prior diuinitus per intentionem augetur. Dicitur autem gratia confirmationis; eò quòd tunc non solùm sit homo magis Deo amicus, verum ad nouum effectum, nouam acquirit facultatem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum.

Conclusio est.

POST materiam & formam, effectus que huius sacramenti, interrogatur de eius subiecto. Et respondetur hac conclusione. Hoc sacramentum debet omnibus exhiberi. Intelligitur autem de solis baptizatis. Probatur ratione. Sicut de intentione naturæ est, omnem ex carne natum, nisi morte præuentum, ad perfectam ætatem perducere; ita, imò multò magis, intentio Dei est omnia sua opera, ad perfectionem promouere, iuxta illud Deuter. vigesimo secundo, Dei perfecta sunt opera, atque adeò quotquot ex aqua & Spiritu sancto renascuntur, in fide perficere. Cùm ergo anima, quæ renascitur, immortalis sit, atque adeò nec iuuenis sit nec senex; fit vt sicut potest in senectute homo natiuitatem spiritualem cõsequi, ita & in iuuenture & pueritia augmentum possit recipere ætatis: ergo quicunque baptizatus, tam in pueritia, quàm in senectute confirmari potest.

Conclu-

Digitized by Google

Expositio articuli.

Conclusio hæc sic in genere posita est præceptio Vrbani Papæ in cano. Omnes. de consecrat. dist. quinta, vbi ait. Omnes fideles, per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. Et confirmatur illo exemplo: quod hic D. Thom. ex illo Actuum secundo affert. Vbi refertur Spiritum sanctum, totam repleuisse domum (per quam significatur Ecclesia) & postea, quòd repleti sunt omnes Spiritu sancto. Vnde cum illud fuerit huius sacramenti mysterium; fit vt omnibus sit exhibendum.

1. Argu. S. Thomæ.

Res autem solutionibus argumentorum D. Thom. luculentiùs elucidatur. Arguit enim primò. Hoc sacramentum ad excellentiam datur: excellentia autem ad præeminentiam singularis personæ spectat: ergo non debet omnibus exhiberi. Respondetur ad maiorem, quod non datur ad excellentiam vnius personæ super alias, vt sacramentum ordinis, sed ad excellentiam baptizati supra seipsum.

Secundò arguitur. Hoc sacramentum datur ad perfectam ætatem, cuius pueri non sunt capaces. Ad hoc autem iam responsum est, animam non esse caducis ætatibus obnoxiam: quare puer potest spirituale augmentum ætatis suscipere. Nam vt legitur Sapien. 4. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Vnde pueri multi leguntur virilius martyrium pertulisse, quam aliqui senes.

Et eodem modo respondetur ad tertium de fœminis. Vt enim ait Paul. ad Galat. tertio, in Christo neque est masculus, nec fœmina. Vnde in homilia de Machab. Chrysost. In mundanis (inquit) agonibus, ætates ac formæ generisque dignitas requiritur; & ideo seruis ac mulieribus & senibus ac pueris ad eos aditus denegatur; in cælestibus autem, omni personæ ac ætati & sexui, indiscreta facultate stadium patet. Et hom. de militia spirituali. Apud Deum, inquit, fœmineus etiam militat sexus: Multæ namque fœminæ animo virili spiritualem militiam gesserunt, &c.

An morituri, sine confirmandi.

In quarto verò argumento maior apparet difficultas. Ait enim Melchiades can. suprà citato. Spiritus sanctus. de consec. distinct. 5. quod quamuis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia; victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Subdit autem: Qui post baptismum cum acquisita innocentia peruenerint ad mortem; confirmantur morte: Ergo statim morituris nō debet hoc sacramentum administrari. Respondet, quòd etiam morituris pueris sacramentum est dandum. Nec distinguit pueri ne sint an adulti. Et subdit non propter pugnam, quæ illis immineat; sed vt in resurrectione perfecti appareant, secundum illud ad Ephes. 4. Donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Vnde Hugo lib. 2. de sacramen par. 7. ca. 3. periculosum arbitratur, si quem ab hac vita, sine confirmatione, migrare contingat.

An pueri sint confirmandi ante vsum rationis.

Ex hac verò responsionis particula dubitatio oritur, vtrum pueri ante vsum rationis sint confirmandi, nam hic solos pueros dicit esse confirmandos, non explicando ætatem. Attamen glossa super can. Vt ieiuni. de consec. dist. 5. ait, non esse pueros confirmandos, vsque ad duodecimum annum; quando ad minores ordines promoueri possunt. Quam glossam sequitur Marsilius in 4. q. 5. art. 4. Imò videntur verba hæc textus, id denotare, Vt ieiuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, vt moneantur confessionem facere prius, &c. confiteri autem communiter vsque ad illam ætatem nequeunt, neque habere reuerentiam sacramenti, quæ illic declaratur.

Pars neg.

Deinde arguitur. Hoc sacramentum non est, vt baptismus, de necessitate salutis; sed datur ad sustinendam pugnam pro fide: hac enim causa puer dum confirmatur, alapa cæditur; vt admoneatur quemadmodum, iuxta verbum Euangelicum, ante reges & præsides, flagella pro fide æquanimiter ferre debeat & mortem: pueri autem ante vsum rationis tam ad pugnam, quàm ad huiusmodi cæremonias inepti sunt; neque spes de illis certa est an sint vsque ad legitimam ætatem victuri: ergo non sunt confirmandi. Gabri. autem in 4. d. 7. art. 3. dicit, quòd possunt ante vsum rationis confirmari. Et idem innuit Syluest. verbo Confirmatio. §. 4.

1. Concl.

Inter has autem pugnas, his tribus propositionibus videor mihi pacem componere. Prima. Si puer statim baptizatus ante vsum rationis confirmaretur, existimandum illud esset verum sacramentum. Hanc conclusionem expressè hic S. Tho. affirmare videtur. Primum quia nomine pueri, vt distinguitur contra adultum, vbique intelligit ante vsum rationis. Secundò quia ad verbum Melchiadis (qui re vera loquebatur de pueris absque rationis vsura morituris) respondet illud sic intelligi; quòd non sit eis necessarium propter pugnam sacramentum: si tamen confirmarentur, maiorem gloriam obtinerent, sicut & maiorem gratiam. Itaque responsio est, quòd cum hoc sacramentum non solùm ad pugnam prosit, sed etiam gratiam augeat; licèt non ratione illius, ratione tamen huius proderit infantibus morituris sacramentum. Et eodem modo credere docet Alex. 4. p. q. 28. membr. 2. ar. 2. cui Bonauen. in 4. d. 8. ar. 3. q. 1. subscribit. Si ergo infantes in periculo mortis confirmentur; fit vt sit legitimum sacramentum. Et confirmatur de istis ratio: nam sicut virtutes infunduntur in baptismo, quibus puer non est vsurus nisi in legitima ætate, ita & confirmari potest ad sustinendam pugnam in futura ætate. Audiungitur autem super omnia hęc ratio, quòd in primitiua Ecclesia, vt ex Dionys. 2. cap. Eccles. hier. colligitur, illicò puero baptizato, præmissa confirmatione, porrigebatur Eucharistia, vt Armach. li. 11. cap. 4. & Waldens. de sacra. ca. 140. ostendunt. Ecclesia autem substantiam sacramentorum mutare non potest: ergo licèt modò non sit in vsu confirmare infantes; nihilominus si confirmarentur, esset verum sacramentum. Postremò arguitur ex verbis canonis, De his. de conse. dist. 5. vbi habetur baptismum & confirmationem adeò esse coniuncta sacramenta; vt nisi morte præueniente, vnum sine altero ritè perfici non possit: ergo sola mors obstat, quin illico post baptismum possit fieri confirmatio. Hinc fit quòd adultis etiam statim morituris liceat hoc sacramentum conferre, tum ad augmentum gratiæ, tum quia in illo articulo cum inuisibilibus hostibus pugnant.

Mos antiqua Ecclesiæ.

2. Concl.

Secunda propositio. Non expedit pueros ante vsum rationis confirmare. Ambas propositiones affirmat Petrus à Palud. di. 7. q. 4. Hæc autem solum probatur ex vsu Ecclesiæ, quæ sicut sumptionem Eucharistiæ interdixit infantibus, (vt infrà in eius materia videbimus) sic non habet in vsu, eos antequam aliqua rationis luce fungantur, confirmare. Atque † verò obstat can. suprà cit. Omnes. de conse. di. 5. vbi habetur quòd omnes fideles debent confirmari: intelligitur enim secundùm Ecclesiæ ritum, pro tempore & loco. Et ideo si aliquibus nationibus vsus est confirmare infantes; illic confirmentur: quia prohibitio vniuersalis Ecclesiæ nullibi legitur.

Quamquàm eos tunc confirmare non expediat.

† Legendū, Neq; vero.

3. Propos.

Tertia propositio. Non opus est expectare ætatem duodecim annorum ad confirmationem, sed satis est si pueri septem annos attingant, vt ibidem ait Palu. Nam sat est, vt id intelligant quod in illis fit, cuius postea sint memores. Accedit, quod tunc possunt minores ordines suscipere, vt de tempore ordina. cap. vlt. li. 6. quos certè non decet sine confirmatione suscipere. Præterea cum per confirmationem perficiatur baptismi gratia; condecet vt dum illa manet, antequàm per mortalem culpam timeatur perdi, adhibeatur confirmatio. Tametsi neque negligentia censenda est, si vsq; ad duodecimum res differatur, vel quartum decimum. Est tamen culpabilis negligentia sacramentum hoc, vltra illa ætatem procrastinare. Otio enim legitimus est, ne Eucharistia ante confirmationem recipiatur; sicuti nascenti Ecclesiæ, vt dictum est, † moris erat. Addiderim autem quod sacros ordines conferre nullus debet episcopus, nisi confirmatis: nam cùm per confirmationem homo fiat miles fidei, & per sacros ordines dux; & indignum sit ducem, nisi ex militibus creare; res esset indigna non confirmatos sacris initiare. Quanquam si oppositum fieret, asseuerare non auderem, esse peccatum mortale.

Sat erit, si ad septennium ni pertigerint.

† in 1. concl.

De cōfessione autem vtrum debeat confirmationem præcedere, iuxta tenorem dicti canonis. Vt ieiuni. certum est nisi vlla sit conscientia peccati mortalis, non esse necessariam: quia peccatum veniale non est obex gratiæ. Si autem talis adsit conscientia, arguitur esse necessariam, ex illo Paul. 1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Vnde colligitur confessionem ante Eucharistiam esse necessariam: & videtur par ratio in omnibus sacramentis vigere, ne scilicet opponatur obex gratiæ. Nihilominus respondetur, culpam esse tunc sine confessione accedere, non tamen, vt arbitror, mortalem; sed sufficit con-

An confessio debeat præmitti susceptioni confirmationis.

Digitized by Google

tritio (vt ar. 6. dicebamus) vera vel existimata: quoniam ad alia sacramenta suscipienda non requiritur tanta reuerentia & examinatio, quanta ad Eucharistiam. Quare in dicto canone solùm habetur quod admoneantur confiteri, non quòd iubeantur. Ordo ergo legitimus sacramentorum est, vt post baptismum sequatur confirmatio, deinde Eucharistia, Pœnitētia vero accidentaria est propter peccatum.

Vtrum surdi, muti, amentes confirmari debeant.

Enascitur autem hinc dubitatio de surdis, & mutis, & amentibus, vtrùm sint ad hoc sacramentum idonei, quandoquidem ad publicam fidei confessionem non habent organa. Respondetur de mutis & surdis affirmatiuè: nam præterquam quod illis per sacramentum gratia augeri potest; sunt etiam habiles, vt fidei dignitatem possint cognoscere, & in eius tutelam, vitam exponere. Amentes item qui lucidis interuallis gaudent, absq; dubio confirmari possunt: non solū, dum lumine rationis fruuntur, verùm etiam in amentia; nisi antea contradixissent, quia expectatur, vt possint etiam pro fide pugnare. Si autem sint nati perpetuò amentes, respondet illic Marsilius, eadem ratione non esse confirmandos, propterea quòd nunquam possunt gratia confirmationis, in fidei cōfessione fungi. Respondetur autem, sicut de infantibus dicebamus, quòd si confirmentur, legitimum erit sacramentum. Cæterùm postquam iam vsus Ecclesiæ habet non confirmare infantes vsq; ad vsum rationis, fit vt neque possit idem sacramentum amentibus dispensari.

Sitne aliquod confirmationis præceptum.

Aliud subsequitur circa eandem solutionem dubium non spernendum, vtrùm sit præceptum de confirmatione, sicut postea de Eucharistia dicturi sumus. † Ad hoc plerique doctorum affirmanter respondent, vt Ricardus dist. 7. artic. 5. q. 2. Et Petrus à Palude q. 4. & Duran. q. 1. & Sylue. verbo, Confirmatio. §. 3. Quod profectò iure confirmari videtur. Nam sicut de confessione legitur, Omnis vtriusque sexus, &c. ita & de consecrat. dist. 5. cano. primo. Omnes fideles post baptismum per impositionem manuum Episcoporum Spiritum sanctum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. Cui simile verbum habetur can. citato, Vt ieiuni. Scilicet quòd nunquam erit Christianus nisi confirmatione episcopali fuerit chrismatus. Et can. De his. legitur, quòd baptisma sine confirmatione non ritè perficitur. Quibus locis præceptum insinuari videtur. Quare prædicti doctores non tam præceptum diuinum esse rentur, quàm Ecclesiasticum.

† *d. 12. q. 1. a. 11.*

Nullum esse obligans sub mortali.

Contrarium autem scilicet nullum esse præceptum obligans sub reatu mortali, est longè probabilius. Imò hic S. Thom. id tanquam certum affirmare videtur. Glossat enim Hugonis verbum dicentis, periculosum esse sine cōfirmatione mortem obire, dicens, non quia homo ille damnaretur, nisi fortè propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Et eandem opinionem quasi D. Tho. asseuerat Adria. q. de confirmatione artic. 1. Scilicet, quòd neque est præceptum Dei, neque Ecclesiæ. Et probatur conclusio hæc. Sacramentum hoc, vt art. 1. ostensum est, & omnes vno animo consentiunt, non est de necessitate salutis, vt homo nequeat sine illo saluus fieri, neque est per se finis aliorum sacramentorum, vti est Eucharistia: ergo non est de præcepto diuino. Probatur consequentia. Quoniam Deus sua sacramentorum mandata, non nisi propter alteram istarum causarum nobis iniunxit. Baptismus namque, vt supra † dictum est, quia est necessarius ad salutem, est in præcepto: & idem de sacramento pœnitentiæ videbimus, quia existenti in peccato mortali est pariter necessarium: Eucharistia verò, quia est sacramentorum finis, ad quem omnia ordinantur, includitur in baptismo per singulare eius votum, & ideo manet in præcepto, vt suo loco visuri sumus. Neutra tamen istarum rationum in alijs sacramentis locum habet. Et confirmatur id secundò: quoniam præcepta diuina sacramentorum, expressa sunt in Euangelio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Ioan. 3. Et Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Et Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, &c. De confirmatione vero nullum est tale. Et confirmatur tertiò planissimè, quia si esset de iure diuino, non posset Ecclesia decernere, quòd non est necessarium, etiam statim morituris, cuius contrarium ait Melchiades.

Probatur primo.

† *d. 5. a. 1.*

Secundo.

Tertiò.

Si autem concedant illi, vt concedere videntur, non esse de iure diuino, probatur quartò, neque esse de iure pontificio. Nam Ecclesia circa sacramentorum necessitatem nihil alterare consueuit, imo forsan nec potest, nisi id quod iuris diuini est determinando. Sicut, quia de Eucharistiæ & pœnitentiæ sacramentis præceptum diuinum est; determinauit tanquam necessarium annuale tempus. Si autem de confirmatione non est tale præceptum diuinum, certè neque Ecclesia credenda est illud adiecisse.

Quartò.

Quintò.

Quintò arguitur. Si Ecclesia hoc tanquam præceptum iussisset; profectò cum sit præceptum affirmatiuum, debuisset tempus constituere, sicut ieiuniorum tempus constituit quadragesimam.

Et ideò à patronis contrariæ opinionis quæritur cùm sit affirmatiuum, quando obliget. Respondet Durand. loco citato, quòd illo temporis articulo, quo Christiano offertur causa confitendi coram tyranno fidem, si habeat copiam ministri, confirmari tenetur, aliàs peccaret mortaliter. Sed re vera hæc est petitio principij, supponit enim hoc esse necessarium ad salutem: quod est falsum. Potissimè cum in baptismo homo gratiam, & virtutes, quibus ad id muneris adiuuatur, receperit. Ricardus autem, & Marsilius, ac Paluda. non aiunt expectandum eiusmodi casum; sed quotiescunq; datur copia ministri confirmantis, si homo sacramentum commodè suscipere potest, tunc non modò ipse contemptus, verùm & ipsa negligentia crassa, quæ est causa ne suscipiatur, est mortale peccatum. At verò & isti quoque principium petunt, quoniam negligentia nunquam est crassa, nec culpabilis, nisi quando homo tenetur aliquid facere. Deberent ergo priùs constabilire, esse præceptum, quàm negligentiam ostenderent esse culpatam. Nam quacunque quis negligentia in die profesto non audiat sacra, non est illi peccatum, quia nec tenetur.

Respondetur ad canones, qui videntur præceptum sonare.

Sed arguunt, iura citata id satis ostendere. Respondetur tamen profectò non id ita lucidè ostendere, vt ex eis præceptum colligatur sub reatu mortali. Nam canon citatus, Omnes fideles. non habet formam præcepti, sed solum determinat ius diuinum, quod est, vt non sit simpliciter necessarium, sed vtile. Et ideo non ait imperando, Omnes fideles confirmentur, vt in cap. Omnis vtriusque sexus. Omnis confiteatur: aut obligationem denunciando, scilicet, Omnes teneantur, sed Omnes debent: scilicet, tanquam valde commodum, & vtile. Et ideo fatemur, quòd vbi quis commodè confirmari posset, & filium suum eidem offerre sacramento, esset culpabile illud Dei beneficium non recipere; non tamen esset mortale. Quare illic non adhibetur pœna; sicut in cap. Omnis vtriusque sexus. Et pariter ad canonem. Vt ieiuni. respondetur, quòd non chrismatus, non erit Christianus perfectus. Et eodem modo intelligitur illud in can. De his. quòd baptisma sine confirmatione non ritè perficitur. Sed tamen illa perfectio non sic est de essentia; vt eius omissio sit mortale delictum.

Negligere hoc sacramentum, est venuale.

Ex hac verò sententia resurgit argumentum contra D. Th. Si nulla negligentia suscipiendi confirmationem est mortalis, sequitur, vt neque contemptus vllus sit mortalis. Quod si dicas contemptum esse, quando quis ob id omittit sacramentum, quòd nullius credit esse vtilitatis: hæc profectò hæresis esset in intellectu. Si autem dicas illum esse contemptum, quando quis propterea sacramentum omittit, quòd illud odio habet. Hoc profecto plus est, quàm contemptus: nam odium charitati opponitur. Dare ergo debes contemptum, qui circa hæresim & odium sit peior quàm negligentia. Respondetur, quòd contemptus vt nomen sonat, idem est, quòd rem nihili pendere, & perinde abijcere, ac si nihil esset. Et ideo si quis confirmationem omitteret, non quidem ob negligentiam, quia sacramentum potest & sine diligentia, & labore, & pretio suscipere; sed quòd eo illud beneficium despicatur, quòd illud nihil æstimat; ille esset contemptus, & mortalis, vt ar. 1. & hic admonet D. Thom.

Non suscipere confirmationem ex contemptu est p.m.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm hoc sacramentum sit homini conferendum in fronte.

DE membro, in quo chrismatio fieri debeat respondet D. Th. vnica conclusione. Conuenienter signatur homo chrismate signo crucis in fronte. Probatur ex eius institutione dupliciter. Primò ratione ciuili. Est enim institutum ad conferen-

dum

Digitized by Google

dum Spiritum sanctum, ad robur in spirituali certamine: ergo debet illud homo suscipere instar militis, dum signum recipit ducis: miles autem illud suscipit, vt sit euidens & manifestum, quare supremæ vesti illud imponit: inter omnia verò humani corporis membra maximè frons est manifesta, vt quæ nunquam obtegitur: ergo illic debet Christianus miles chrismate insigniri. Secundò subnectitur ratio physica. A libera enim confessione nominis Christi, aut per timorem impeditur homo, aut per verecundiam: vtrusque autem horum indicium maximè in fronte proditur: tum propter propinquitatem imaginationis, quæ est in cerebro, tum & propter vehementiam spirituum à corde in frontem ascendentium: quare homines, vt 4. Ethicor. autor est Philosophus, præ verecundia rubescunt, & præ timore pallescunt; illic ergo chrismate homo liniendus est.

Conuenienter confirmatio in fronte datur tanquã in parte maximè conspicua.

Expositio articuli.

Circa hanc conclusionem nihil præter ea, quæ iam suprà dicta sunt, adnotandum restat. Iam enim art. 4. diximus, quòd signum crucis est de essentia huius sacramenti, postquam exprimitur in forma. Vbi & hanc frontis rationem D. Thom. latiùs explicuimus.

Imò aliàs non esset sacramentũ.

Vnum tamen hic dubiolum posset lectorem remordere, vtrùm solùm sit de præcepto, quòd chrismatio confirmationis fiat in fronte, an verò de essentia sacramenti, sicuti quod circuncisio fieret in designato membro. Respondetur, esse de essentia sacramenti: nam si fieret in manu, certè non esset sacramẽtum. Hoc patet, quia in can. hic citato. Nouissimè. de consec. dist. 5. quasi de essentia distinguitur inter signum, quod fit chrismate à presbytero post baptismum in vertice capitis, & aliud, quod fit ab episcopo in fronte. Signatur enim, inquit, baptizatus in summitate capitis à sacerdote; per pontificem verò in fronte. Et idem habetur in can. Presbyteris. de con. d. 4. Item quia etiam designata sunt membra tanquam de essentia, in quibus fieri debet extrema vnctio.

1. Arg. S. Tho.

Primum argumentum est. Baptismus fit in toto corpore, & confirmatio est eius perfectio: ergo debet etiam fieri in toto. Negatur consequentia, quia baptismus datur ad vitam, quæ est in toto; confirmatio verò ad pugnam, cuius vexillum debet esse in fronte.

2.

Secundò, Confirmatio datur ad robur: illud autem est in corde: ergo super illo debet fieri. Respondetur ad minorem, quòd licet fortitudinis radix exeat à corde; signum tamen eius apparet in fronte, secundùm illud Ezech. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. Et ideò Eucharistia, qua homo in se ipsò confirmatur, pertinet ad cor, iuxta illud Psalmi: Panis cor hominis confirmet; confirmatio autem, quia requirit signum fortitudinis erga alios, requiritur in fronte.

3.

Tertiò. Hoc sacramentum datur ad liberè confitendum fidem: ore autem, vt habetur ad Rom. 10. fit eiusmodi confessio: ergo illic est dandum. Respondetur ad maiorem, quòd non datur ad liberè confitendum simpliciter: ad hoc n. baptismus sufficit; sed ad publicè confitendum coram tyrannis: & ideo debet dari, vbi signa passionum ostenduntur impedientium pugnam.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ille, qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

Conclusio aff.

SIC VT in baptismo, ita & hic quæritur, vtrùm requiratur patrinus. Et respondetur hac conclusione. Ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi in pugna spirituali erudiendus. Probatur primò per similitudinem ad baptismum. Hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis: sicuti autem nuper natus indiget aliorum pædagogio in ijs quæ ad vitæ propriæ conseruationem attinent (secundum illud ad Hebræ. 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos) ita illi, qui ad pugnam conscribuntur, instructoribus indigent ad certamen: quare in re bellica duces & centuriones designantur, qui alios gubernant: ergo sicut in baptismo, ita & hic requiritur susceptor. Secundò, quoniam qui ad hoc sacramentum accedit, venit tanquam robur & fortitudinem accepturus; quare in hanc significationem sustinetur ab alio, quasi illuc vsque imbecillus & infirmus fuerit.

Et per hæc soluuntur argumenta, quæ facilia sunt. Ad primum enim, scilicet quod adultus cùm sit iam firmæ ætatis, nemine indiget, à quo sustententur; respõdetur, quòd licet sit adultus corpore, non tamen est spiritualiter satis firmus. Ad secundum, quòd cum baptizatus sit de gremio Ecclesiæ, nullius eget per quem offeratur Episcopo. Respondetur, quòd etsi sit Christianus, nondum tamen est publicus fidei miles: & ideo per alium debet ad militiam præsentari. Ad tertium, videlicet, quòd cum robur in viris potius vigeat, quam in mulieribus, secundum illud Prouerb. vlt. Mulierem fortem quis inueniet? non videtur condecens vt mulier teneat virum in confirmatione. Respondetur per illud ad Coloss. 3. quòd in Christo nec est masculus, nec fœmina: & ideo alteruter sexus potest alterutrum ad confirmationem tenere.

Argum. S. Thom.

Hic nihil aliud est adnotandum, quàm quòd dist. 4. artic. 5. de susceptore baptizandi admonitum est: nempe, susceptorem non esse de essentia. Nihilominus inter susceptorem & confirmatum contrahitur paternitas, & inter eundem susceptorem & patres confirmati conpaternitas. Quare si pater filium teneat in confirmatione, non potest ab vxore debitum petere. Et inter confirmatum, & filios susceptoris contrahitur cõfraternitas. † Quæ quidem omnes affinitates impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum, vt habetur can. hic citato. Si quis ex coniugio. 30. q. 4. & can. Si quis filiastrum. 30. quæst. 1. & alijs, quos illic citauimus. Sed expressius cap. Nedum. de cognatio. spirituali lib. 6. Et quamuis non debeat esse nisi vnicus susceptor; tamen si sint plures, omnes eandem affinitatem contrahunt cum confirmato, non tamen inter se, vt habetur cap. Quamuis, eodem titulo.

† *Hæc corrige secundùm reformationem Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de reform. matrimonij. Confer quæ sup. notata sunt ad d. 4 a. 5.*

ARTICVLVS XI.

Vtrùm solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit.

Conclusio aff.

SEQVITVR de confirmationis ministro, de quo D. Tho. hanc conclusionem constituit. Collatio huius sacramenti Episcopis reseruatur. Probatur ex similitudine tum artis, tum etiam humanorum contractuum. In ædificijs namque extruendis, inferiores ministi architecto materiam præparant; sed architectus ipse formam imponit, cuius ædificij vsus ad patronum spectat. Et Epistolæ per notarium scriptæ, manu pontificis subscribuntur: fidelium autem Ecclesiæ ædificium quoddam diuinum est (secundùm illud 1. Cor. 3. Dei ædificatio estis) item Epistola quædam spiritu Dei in cordibus scripta, (vt habetur 2. Cor. 3.) Hoc autem ædificium & Epistola per baptismum, sacerdotum ministerio ædificatur & scribitur: per sacramẽtum autem confirmationis, domus quasi iam ædificata dedicatur in templum Spiritus sancti: & Epistola iam scripta consignatur signo crucis: munus ergo hoc Episcopis ex officio incumbit, qui tanquam Apostolorũ successores summam potestatem in Ecclesia obtinent, sicuti in eius primordijs per manus impositionem Apostolorum; vt in eorum Actibus cap. 8. & 19. legitur, plenitudo Spiritus sancti dabatur.

Expositio articuli.

De hac materia ministrorum huius sacramenti lis nobis est primum cum hæreticis, deinde cum nonnullis catholicis. Sunt quippe de hac re tres opiniones. Prima est Armachani lib. 11 de quæstionibus Armenorum can. 4. in vno extremo contra hanc assertam conclusionem. Scilicet, sacerdotes, quinuerò diacones iure diuino esse ordinarios huius sacramenti ministros. Nec quæro, inquit, qualia sint decreta Ecclesiæ, sed quid potest ex sacra pagina elici. Perspice impiam hominis impudentiam. Fatetur enim decretis Ecclesiæ definitum esse contrarium: nihilominus errorem suum ex sacra pagina colligit. Eodemque errore maculatus fuit Witcleff, contra quos ambos disputat Thomas Waldensis 2. tomo de sacramentis cap. 114. & 115. ostendendo illum esse errorem. Et hæc sit hic firma conclusio, vtpote quæ quãplurimis Ecclesiasticis sanctionibus stabilita est. Primùm de consec. dist. per totum, vt can. De his. qui est Vrbani; vbi habetur, quòd nisi à summis pontificibus sacramentum hoc perfici non potest. Et can. Manus. qui est Eusebij, cuius verba hic refert D. Tho. Manus enim, inquit, impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Aposto-

Armachanus & Witcleff redarguuntur.

Digitized by Google

lis, legitur aut ſcitur peractum eſſe, nec ab alijs, quàm qui eorum locum tenent vnquam perfici poteſt aut fieri debet: nam ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica vnquam reputabitur ſacramenta. Et de conſec. d. 4. can. Presbyteris. & cano. Quamuis. idem habetur. Et Innocentius Magnus Papa primus c. 3. ſuorum decretorum edocet, non ſolùm haberi ex traditione Eccleſiæ, vt presbyteri non confirment, ſed etiam ex hiſtoria ſacra: nam Actuum 8. refertur Petrum & Ioãnem in Samariam miſſos, vt qui per Philippum diaconum baptiſmatis vnda fuerant abluti; per impoſitionem manus Apoſtolorum reciperent Spiritum ſanctum. Illis ergo tunc ſolis incumbebat officium hoc. Eandem ſententiam eodem teſtimonio confirmauit Aug. lib. quæſtionum noui & veteris teſtamenti: vbi tanquã abuſum Ægyptiorum & Alexandrinorum refert, quod presbyteri abſente Epiſcopo confirmarent, quòd inſci, inquit, ſcripturarum aut immemores legis faciunt. Vnde & Damaſus Papa in Epiſtola ad Leonem Ricaredum, & Leo in Epiſtola 66. & Ioannes Papa in decreto ad vniuerſos Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, eodem ſacro teſtimonio eandem veritatem corroborant. Et Innoc. 3. in c. Quanto. extra de conſuetudine; vbi ait, quod ſi presbyter confirmat, inaniter id facit, & ſine veritate in effectu. Idemque ait ca. vnico de ſacra vnctione. Et Iſidorus lib. 2. de origine officiorum, & Hugo lib. 2. de ſacra. par. 7. cap. 2.

Petrus & Ioannes miſſi Samariam ad cõfirmandum baptizatos à Philippo.

Hunc non fuiſſe Philippum Apoſtolum.

Sed reſpondet Armeni illum fuiſſe Philippum Apoſtolum, qui verè poterat confirmare, cæterùm quia ab Angelo Dei miſſus fuit ad Æthiopem Candacis reginæ, munus illud alijs Apoſtolis reliquit. Vnde Guido Carmelita eundem errorem tribuit Armenis. Attamen certiſſimum eſt, non fuiſſe niſi diaconum, ſic enim tenent Chryſoſtomus, Rabanus, & Beda ſuper eundem locum, & Hieron. in dialogo aduerſus Luciferianos, & Anacletus Papa, qui fuit diſcipulus Petri in prima Epiſtola ſui decreti. Et Inno. primus in epiſtola ad Alexandrum.

Soluuntur argumenta Armachani

Armachanus autem quaſdam autoritates in contrarium huic ſententiæ obmolitur. Primùm illud primiæ ad Timoth. quarto. Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum preſbyterij: quaſi munus presbyteri ſit manus impoſitio, quæ dicitur confirmatio. At verò Timotheus creditur fuiſſe Epiſcopus ordinatus à Paulo. Eũdem n. ipſum inſinuat cap. tertio dicens: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Idemque ait loco proximè citato Aug. Et Ambr. ſuper illud ad Epheſ. 4. Dedit quoſdam paſtores, &c. vbi ſubiungit tunc primos presbyteros appellatos eſſe Epiſcopos, vt mortuo Epiſcopo primus presbyter ſuccederet. Vnde apud Ægyptios (ait) illa inoleuit conſuetudo, vt abſente Epiſcopo presbyter conſignaret, hoc eſt, confirmaret. Sed iam cùm Epiſcopi per electionem creentur inſinuat nemini præter ipſos fas eſſe confirmare.

Ex facto Anania.

Secundò adducit illud Actuum 9. de Anania, qui imponens Paulo manus, ait, Dominus miſit me, vt videas, & implearis Spiritu ſancto. Ad hoc autem reſpondetur. Primò quòd illa manuum impoſitio nullo modo fuit confirmatio: nam præceſſit baptiſmum Pauli, & ante baptiſmum nullum recipitur ſacramentum: ſed fuit ſanatio cæcitatis, iuxta verbum Euangelicum: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Vnde quod ait (vt videas) refertur ad ſalutem corporalem, quam ille contulit: Et implearis Spiritu ſancto, ad baptiſmum, quem ſubinde erat ſuſcepturus. Et fortè curatio illa fuit per modum exorciſmi, qui ſuper energumenos præcedit baptiſmum. Præterquam quòd Ananias forſan erat Epiſcopus. Quamuis Armachanus ſibi ipſe non conſtet: nam ait fortaſſe fuiſſe laicum: quia non habetur in textu, niſi fuiſſe diſcipulum. Attamen Auguſt. q. 42. in quæſtionibus ſuper Lucam de decem leproſis, ait Paulum ad eum fuiſſe miſſum, vt illo ſacerdotio, quod in Eccleſia conſtitutum erat, ſacramentum doctrinæ fideique perciperet; vbi Epiſcopale inſinuat ſacerdotium.

Ex Dionyſio

Tertiò adducit & morem antiquum, quem Dionyſ. refert cap. vlt. Eccleſ. Hierarch. quòd ſcilicet baptizati illico ſuper frontem confirmabantur. Hoc autem potiùs eſt contra ipſum, vt bene ait Waldenſis: nam Dionyſius nunquam commemorat aliquem baptizari, niſi à hierarcha, j. Epiſcopo, ſi erat præſens, & Leo ſtatim baptizatum confimabat. Cum autem Epiſcopus non aderat, non ait Dionyſius, quòd baptizatus confirmaretur.

Ex more Gracorum & Armenorum.

Poſtremò Armachanus affert moram Armenorum & Græcorum, apud quos, inquit, presbyteri ſacramentum confirmationis exhibent. Ad hoc tamen primùm reſpondet Waldenſis, quod mendaciter hunc citat morem: nam Guido Carmelita inter errores Armenorum, viceſimum primum eum connumerat, quòd ſacramentum confirmationis & extremæ vnctionis negant. Secundò reſpondetur, quòd ſi talem habent morem (vt Aug. & Ambro. de Ægyptijs referunt) non perficiunt ſacramentum. Neque hoc mirum eſt, cùm alijs multis ſint erroribus complicati. Eorum enim abuſum notauit Greg. ca. Peruenit. ad Ianuarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, cum quibus ad euitandum ſcandalum diſpenſauit; qua quidem forſan diſpenſatione hucuſq; contra Romanum decretum vtuntur.

Explicantur duo canones, qui videntur officium confirmandi Presbyteris concedere.

Duo autem canones reſtant, qui poſſent lectorem fallere, ſ. canon. Omni tempore. de conſec. d. 4. & canon Presbyter. 95. d. in quibus ambobus ait Martinus Papa. Presbyter præſente epiſcopo non ſignet infantes, niſi fortè ab epiſcopo fuerit illi præceptum. Id n, intelligi non poteſt de ſignatione, quam ſacerdos facit in vertice: nam illam per ſe poterat abſque epiſcopi facultate facere: ergo intelligitur de chriſmatione in fronte, quæ eſt confirmatio. Vnde colligitur quod abſente epiſcopo presbyter poſſet confirmare, & in eius præſentia de ipſius facultate. Reſpondetur tamen illud intelligi de ſignatione, quam ſacerdotes faciunt in vertice: nam in primitiua Eccleſia, neque illa erat licita presbyteris in præſentia epiſcopi, vt habetur in epiſtola Leon. 66. & in epiſtola Damaſi. Sed Syluester illam conceſſit, vt ait Hugo de ſacra. lib. 2. p. 7. c. 3. Ne fortè, inquit, per abſentiam epiſcopi ſine manus impoſitione baptizatum ab hac vita migrare contingeret. Quo verbo nemo fallatur, intelligens Hugonem velle illam vnctionem valere pro ſacramento confirmationis: quandoquidem capite præcedenti dixerat ſolis Epiſcopis Apoſtolorum vicarijs illud ſacramentum competere. Sed voluit dicere illud eſſe permiſſum, ne baptizatus abſque vllo chriſmatis ſignaculo decederet.

Signatio baptizati in vertice.

2. opinio. Non poſſe committi ſimplici Sacerdoti.

Secunda opinio in alio extremo eſt, miniſterium confirmationis ſic eſſe proprium epiſcoporum munus, vt neque ex diſpenſatione Papæ id poſſint ſimplices ſacerdotes exequi; imò quamuis id attentarent, ſacramentum eſſet nullum. Huius opinionis fuit Diuus Bonauentura diſt. 7. & ibidem Scotus q. 1. & Durand. q. 3. & 4. qui id inter omnes aſſeuerantiſſimè tenet. Et Adria. q. de confirmatione art. 3.

3. opinio eſt eorum qui dicunt poſſe.

Tertia opinio eſt media, ſ. quòd ſolis epiſcopis ex officio incumbit. Itaque ſi abſque commiſſione Papæ, ſimplex ſacerdos id attentaret; nullum eſſet ſacramentum: ſed tamen ex tali commiſſione illud valeret. Quo fit, vt quantum ad neceſſitatem ſacramenti, non ſit miniſter ſolus epiſcopus, ſed ſub diſtinctione, ipſe vel ſacerdos ex commiſſione Papæ. Atque hanc opinionem amplexus eſt Alex. 4. p. q. 28. memb. 1. art. 3. Et S. Thom. in præſentiarum, & in 4. d. 7. q. 3. & Ricardus ead. d. art. 2. q. 1. & Palud. q. 4. qui omnia argu. contraria percenſet & ſoluit. & Martilius in 4 q, 5. art. 3.

Probatur ex facto S. Gregorij.

Arguit ergo D. Thom. primo loco. Grego. ſcribens Ianuario epiſcopo Conſtantinopolitano, & refertur can. Peruenit. 95. d. Peruenit, inquit, ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod presbyteros chriſmate tangere eos qui baptizati ſunt prohibuimus: & nos quidem ſecundùm veterem vſum noſtræ Eccleſiæ (ſ. Romanæ) fecimus (loquebatur n. Eccleſiæ Græcanicæ) ſed ſi omnino aliqui hac de re contriſtantur; vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in fronte baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus. Arguitur ergo ex hac pontificia conceſſione. Illud quod pertinet ad neceſſitatem ſacramentorum, non eſt propter vitandum ſcandalum immutandum, ergo quòd Epiſcopus confirmet, non eſt de neceſſitate ſacramenti. Reſpondet, quod cum Papa in Eccleſia habeat plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt aliqua quæ ſunt ſuperiorum ordinum, quibuſdam inferioribus committere: ſicuti quibuſdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod ad Epiſcopalem attinet dignitatem, ex hac poteſtatis plenitudine conceſſit Gregor. quòd ſimplices ſacerdotes hoc ſacramentum conferrent, quouſque ſcandalum tolleretur.

Solutiõ

Proponitur arg. contr.

1.

Solutio autem hæc D. Th. non videtur in forma satisfacere. Arguitur ergo primò ex potissimo fundamento Scoti & Duran. & suorum sequacium. Aut diuina Christi institutio fuit, vt omnes sacerdotes ratione sacerdotalis characteris essent confirmationis ministri: aut quòd soli Episcopi. Si nos primum membrum admittamus, sic arguitur. Potestas ministri diuinitus instituti licèt dependeat a Romano pontifice quantum ad vsum, vt per quem potest bona causa ab vsu arceri, nihilominus quantum ad essentiam sacramẽti, non dependet ab illo: licèt n. Papa possit sacerdotem suspendere, ne consecret; nihilominus si consecrare pergit, quamuis contra obedientiam delinquat, tamen verè consecrat: ergo quanquam Papa simplici sacerdoti inhiberet confirmare, atque adeò peccatum illi esset non obedire, nihilominus verum sacramentum conficeret. Et confirmatur ratio. Ob id quòd Christus instituit vinum esse materiam Eucharistiæ, quamuis aliqua de causa posset quandoque Papa iubere, vt esset album; nihilominus impedire non posset, quin si consecratio fieret in rubeo, sacramentum esset solidum. Pari ergo modo si Christus instituit omnes sacerdotes ministros consecrationis, non potest facere Papa, vt Episcopus esset de essentia. Contrarium autem decernitur in allegato c. Manus. videlicet, quòd sit de essentia. Vbi habetur, quòd si simplex sacerdos confirmauerit, totum, sit irritum, & non connumeretur inter sacramenta, & de consuetudine c. Quanto. dicit Innoc. illud inaniter fieri. Si autem demus secundum membrum, s. quod Christus instituit solos Episcopos ministros huius sacramenti, quod Alex. & S. Th. & eorum asseclæ sentire videntur, dicentes illis incumbere ex officio, tunc emergit grauius argumentum. Diuinus minister tam est de essentia sacramenti, quàm materia & forma; sed ea quæ de essentia sunt, Papa mutare non potest: ergo nec simplici sacerdoti administrationem confirmationis committere. Alioqui eadem ratione diceres, quòd posset etiam mutare materiam, vt aquam in baptismo, & oleum in confirmatione, & vinum in Eucharistia.

Simplex sacerdos absq; commissione confirmans, nihil efficit.

2. Secundò arguitur. Si Episcopus diuinitus habet ex officio confirmare, id habet ratione suæ ordinationis: nam electus non ordinatus confirmare non potest: tunc sic, Tam de essentia est minister sacramẽti, quam ipse qui suscipit: summus autem pontifex facere nequit, vt non baptizatus possit suscipere alia sacramenta; eò quòd de iure diuino baptismus est ianua sacramentorum: aut quòd mulier recipiat ordines sacros, aut quòd sanus suscipiat sacramentum extremę vnctionis: quia iure diuino determinatum est contrarium: quare facta non tenerent: ergo nec potest facere, vt ille qui non est Episcopus possit confirmationis sacramentum exhibere.

3. Tertiò arguitur. Si Episcopus habet ex institutione diuina confirmare, perinde illam habet, vt sacerdos consecrare, & absoluere, & inungere infirmum: hæc autem Papa non potest ei qui non est sacerdos committere: ergo neque sacramentum confirmationis ei qui non est Episcopus.

4. Quartò arguitur. Tam proprium est Episcopi confirmandi munus, quam conferendi maiores ordines, & consecrandi Episcopos: hæc autem non potest Papa simplici sacerdoti committere: ergo neque confirmationis functionem.

5. Quintò denique arguitur. Aut Papa illam commissionem facere potest ratione iurisdictionis, aut, ratione consecrationis: non primum, quia nisi ipse esset sacerdos & consecratus, non posset confirmare: quare neque id committere. Alioqui id etiam posset committere ei qui non est sacerdos. Si verò hoc habet ratione ordinis & consecrationis, cùm in hoc non antecellat Episcopis, fit vt quicunque Episcopus in sua diœcesi possit simplici sacerdoti committere confirmare, quòd nemo concedit. Imò licet hoc Papæ competat ratione iurisdictionis, apparet idem subsequi: nam præterquam in foro causarum, Episcopus in sua diœcesi eandem habet iurisdictionem, quam papa in tota Ecclesia. Propter hæc, atque alia argu. ait Durandus opinionem S. Thom. non solùm falsam, sed & fidei & Ecclesiæ valde periculosam, sicuti illam, quòd licet chrisma non esset ab Episcopo consecratum, sacramentum esset validum. Et Durandum omnino sequitur Adrianus.

At profectò solidior est conclusio contraria, quam hic pro certa statuimus. Non est dubitandum, quin simplex sacerdos ex commissione Papæ possit sacramentum confirmationis exhibere. Et qui de hoc iam modo hæsitaret, Ecclesiasticis sanctionib. aduersaretur. Etenim quamuis hæc concl. ex sacris literis non planè colligatur, sufficere tamen debet orthodoxis, quòd Grego. illam fecit dispensationem.

Certum esse ex commissione Papa simplicem sacerdotem posse confirmare.

Ad hoc vero Duran. aliter respondere non potuit, quàm quòd cùm homo esset, & non Deus, errare potuerit, cui & Adrianus applaudit. Hoc autem profectò viris catholicis, vt isti fuere, næuum impingit. Scotus autem alia duo comminiscitur glossemata. Primum s. quòd forsan in primitiua Ecclesia non erat differentia inter Episcopum & simplicem sacerdotem. Attamen licèt hoc Ambr. suprà citatus, & Hiero. super Epistola ad Titum dixerit, & refertur can. Olim. ea. d. 95. nihilominus ante tempus Gregorij iam erat distinctio. Item, quia Greg. expressè in dicto ca. Peruenit. eandem insinuat distinctionem, dicens, quòd vbi Episcopi defuerint, presbyteri confirmare possint. Secunda eius glossa est, quòd creauit illos presbyteros Episcopos ad illum effectum. Sed in hoc minus probabilitatis est. Primò, quia Papa non posset Episcopos ordinare absentes. Secundò, quia non potest eos ordinare ad vnum effectum, & non omnes: qui enim Episcopus est, omnibus fungitur Episcopalibus functionibus. Tertio, quia non solùm illis singulariter id concessit, sed & alijs, ait illic pro tempore succedentibus.

Variæ responsiones ad factum S. Gregorij refelluntur.

Adrianus ait, & forsan non commisit illis sacramentum confirmationis, sed simplicem vnctionem. At vero nec solutio hæc sustineri potest: nam cùm permiserit chrismare in fronte, id ipsum est confirmare. Aliàs non permisisset nisi in vertice capitis. Præsertim quod permisit id ipsum; quod antea prohibuerat (s. confirmationem.) Alij dicunt, quod id tantum permisit tanquam impunitum ad euitandum scandalum vt meretricium. Sed neque hoc vllam habet veritatis effigiem: nam tunc illos fefellisset. Quare certissimum est id fecisse ex plenitudine potestatis, quam censebat ad id extendi.

Sed vt rem concludamus, litem hanc iam synodus Florentina diremit, approbans, autoritate Apostolicæ sedis posse sacramentum hoc simplici sacerdoti committi. Quapropter licet Scot. & Dur. & alij, qui prædictam synodum antecesserunt, illam vtcunque opinionem defensare potuerint, mirandum tamen est de Adriano, quomodo decretum illud non legerit. Est ergo iam non solum opinio, verùm & Ecclesiæ sanctio.

Concil. Florent.

Respondetur ergo ad 1. arg. contrariæ opinionis, quòd Christus neque omnes sacerdotes simpliciter ministros huius sacramenti instituit, sicut Eucharistiæ, aut pœnitentiæ; neque verò solos episcopos, sed medio modo: quod Paludanus loco citato prope tetigit. Aliquid enim tanquam necessarium determinauit, & aliquid iudicio Ecclesiæ reliquit. Statuit, inquam, solos sacerdotes siue ex officio, siue ex commissione posse confirmare: quòd autem episcopi essent, arbitratu Ecclesiæ commisit, vt posset illos etiam tanquam sacramento necessarios instituere. Ratio prioris membri fuit, quòd potestas super corpus Christi mysticum deriuatur ab ea, quæ est super corpus Christi verum, puta consecrandi. Vnde sicut baptizare solis sacerdotibus ex officio conuenit, ita non nisi illi confirmare possunt. Nisi quòd necessitas baptismi, quæ legem non habet, laicis baptizare permittit, non autem confirmare: quia non est sacramentum necessarium. At vero quia confirmatio præstantius est sacramentum, vt canones citati docent, in facultate Ecclesiæ constituit, vt Episcopos tanquam necessarios ministros suo iudicio declararet, quod tempore Apostolorum obseruatum creditur. Respondetur ergo, sacerdotes non sic esse diuinitus institutos ministros, vt aquam in materiam baptismi, & vinum in materiam Eucharistiæ; sed dependenter ab Ecclesia, quæ posset conditionem illam adhibere, vt necessariò essent Episcopi, nisi ex eius dispensatione: non tamen illud valeret committere, nisi sacerdotibus. Quod totum constat ex Ecclesiæ traditione & ritu.

Ad 1. argumentum cõtrariæ opinionis.

Episcopos esse necessarios ministros confirmationis, iure Ecclesiastico fuit constitutũ.

Et pariter respondetur ad aliud, quod neque Episcopi sunt necessarij de iure diuino, sicut materia & forma sacramentorum, sed de iure Ecclesiastico, super quo ideo Papa dispensare potest. Quod si arguas. Illa quæ sunt de essentia sacramenti Ecclesia non po-

Vnde potest Papa in eo dispensare.

Digitized by Google

test mutare: ergo Episcopi non sunt de essentia. Distinguitur antecedens. Conceditur, inquam, substantias eorum quæ sunt de essentia, Ecclesiam non posse mutare, vt puta materiam & formam, & pariter non potest mutare, quin ministri sint sacerdotes, qualitatem tamen ex commissione Christi facere de essentia, nisi ipsa Ecclesia dispensauerit. Et ita cẽsendum est Episcopum esse de essentia, vt nisi Ecclesia dispensaret, sacramentum esset irritum, postquam ipsa ita nos docet. Atque hæc est mens S. Thomæ in præsenti solutione. Quemadmodum facere potest, vt consanguinei non sint personæ legitimæ matrimonio contrahendo, quòd aliàs iure diuino teneret. Ex quo fit, vt nulla, quantumcunque vltra hominum memoriam antiqua consuetudine introduci possit, vt sacramentum confirmationis à simplici sacerdote absque Apostolicæ sedis facultate sit validum. In cuius sententiæ confirmationem statutum est cap. Quanto. de consuetudine. nam quod est de essentia sacramenti nulla valet consuetudo mutare.

Ad 2. Eodem modo soluitur secundum argumentum: conceditur enim Episcopum ratione suæ administrationis esse necessarium ministrum; non tamen iure diuino, vt est necessarium quòd suscipiens alia sacramẽta sit baptizatus, & qui suscipit ordines sit vir, & qui vngitur sit infirmus; vt nomen extremæ vnctionis sonat. Et ideo licet in his tribus Papa dispensare nequeat, potest tamen in primo.

Ad 3. Et per idem respondetur ad tertium. Non enim sic de iure diuino Episcopus est necessarius minister confirmationis, sicut sacerdos consecrationis Eucharistiæ, aut absolutionis sacramentalis, & ideo non potest Papa dispensare, vt non sacerdos consecret, aut absoluat, sicut quòd ille, qui non est Episcopus, confirmet.

Ad 4. Ad quartum eodem modo negatur maior: Collatio enim maiorum ordinum de iure diuino tribuitur Episcopo: quare hoc simplici sacerdoti non potest Papa committere. Vnde licet doctores pontificij iuris probe teneant, papam posse committere officium confirmationis simplici sacerdoti; glossa tamen citati capituli Peruenit. 95. d. nulli nititur probabilitati: dicens, quod Papa potest committere simplici sacerdoti, vt conferat maiores ordines: ob hanc regulam, quòd quicunque, ordines quos habet, potest ex commissione conferre. Quare & diacono, inquit, potest committere, vt confirmet. Eadem enim facilitate dicere potuisset, quòd diaconus ex commissione potest diaconatum conferre. Nam pariter addit glossa in can. Manus. de cons. d. 5. quòd quicunque confirmatus, etiam laicus, potest ex commissione confirmare. Regula ergo illa fallacissima est. Imò quia minores ordines non habent necessariam potestatem super corpus Christi verum: quia non ministrant immediatè sacerdoti, sicut diaconus & subdiaconus, sed sunt ministrorum ministri: potest Papa eorum collationem committere simplici sacerdoti, secus de maioribus ordinibus: eò quod necessariam habent potestatem supra corpus Christi verum, aut consecrandi, aut sacerdoti materiam ministrandi. Diaconus autem, quia non habet illam potestatem immediatam vt conficere possit corpus; fit vt neque ex commissione confirmare possit, tantum abest, vt hoc possit laicus.

Requiritur glossa, asserens posse simplicem sacerdotem conferre maiores ordines ex commissione.

Quanquam de minoribus ad dici possit.

Ad 5. Ad quintum demum respondendo negatur, eadem ratione posse Episcopum, functionem confirmationis suo presbytero committere: nam hoc pertinet ad plenissimam potestatem iurisdictionis vniuersalis Ecclesiæ, cui soli Christus rem tanti momenti commisit. Papa autem, sicut generale concilium, eius autoritate indictum, eandem vniuersalem Ecclesiam representat. Ex quo fit, vt papa electus antequam sit in sacerdotem ordinatus, licet nequeat confirmare, possit tamen eandem functionem simplici sacerdoti committere.

1. Argu. S. Thoma. Secundum argumentum S. Thom. est. Baptismus videtur esse maioris efficaciæ, quàm confirmatio, eò quod per illum fit plena peccatorum remissio, quæ non fit per confirmationem: simplici autem sacerdoti ex officio incumbit baptizare: ergo & confirmare. Respondetur quod licet baptismus sit efficacior quantum ad remotionem mali, eò quod est regeneratio hominis de non esse ad esse spirituale, tamen confirmatio est perfectior, quantum ad promotionem in bonum: nam per illam augetur robur gratiæ ad propugnandam fidem, quæ tenerior recipitur in baptismo.

Tertiò arguitur. Summitas capitis (vbi secundùm medicos est propria rationis sedes, eò quòd illic virtus viget cogitatiua) est fronte nobilior, vbi est locus imaginatiuæ: sed simplex sacerdos potest vngere baptizatos in vertice: ergo à fortiori in fronte, quæ est confirmatio. Respondetur, discrimen hoc non sumi ex membrorum dignitate, sed ex effectuum excellentia: nam secundum Rabanum lib. de institutione clericorum, & refertur de conse. d. 5. ca. Nouissimè. signatur baptizatus in summitate capitis per sacerdotem: per pontificem verò in fronte: vt in priori vnctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur: & ideo hoc datur in fronte, quæ est pars omnium patentissima, vbi, vt supra † diximus, congruit vexillum crucis ad pugnam circunferri. † *a. 9. huius.*

ARTICVLVS XII.

Vtrùm ritus huius sacramenti sit conueniens.

Conclu. affirm. DE ritu tandem sacramenti statuitur conclusio postrema totius materiæ. Ritus quos Ecclesia in hoc, & in alijs sacramentis obseruat, sunt conuenientes. Probatur, quia regitur Spiritu sancto, iuxta illud Matth. 18. vbi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Vnde firma certitudo colligitur, omnes Ecclesiæ ordinationes secundum Christi sapientiam dirigi & sanciri.

Ritus autem sunt illi qui præter materiam & formam, quæ ad essentiam sacramenti pertinent: adhibentur. Tempora verò non sunt eidem sacramento constituta, sicut baptismo, quamuis illis temporibus suprà dictis Paschatis & Pentecostes, quæ baptismo solenni destinabantur, si episcopus adesset, celebrabatur quoque solenniter sacramentum confirmationis. Qui quidem ritus etiam nunc decori essent, at non est in vsu. Rursus propter excellentiam huius sacramenti, vbi datur robur ad pugnam mos erat antiquus vt tam qui cõfirmabantur, quam episcopi confirmantes ieiuni ad hoc sacramentum accederent, vt habetur in concilio Aurelianensi, & Meldensi, canone. Vt ieiuni. & canone. Vt episcopi. de consecratio. distinctio. 5. Sed propter multitudinem fidelium, qui non possent breui tempore confirmari, mos ille iam aboleuit: & confirmatio fit, tam à prandio, quam ante prandium. Susceptor, licèt non sit de essentia; pertinet tamen ad ritum ex præcepto. Cereus autem, qui offertur, nonnulla religio est; sed tamen eius omissio nullum esset peccatũ, sicut neque non dare alapam. Mos enim ille, vt suprà diximus, non tam ob id introductus est, vt confirmatus memor sit semper sacramenti, quã vt admoneatur illud suscipere ad pugnam, vt inde discat contumelias & plagas pro Christi nomine perferre.

Olim ieiuni ad confirmationem accedebant.

Susceptor.

Alapa ob quem finẽ.

Postremum argumentum S. Tho. est de chrismate. Cum enim per hoc sacramentum, conferatur plenitudo Spiritus sancti, apparet conficiendum esse potiùs in festo Pentecostes, quàm in cœna Domini. Respondetur, quantùm ad essentiam attinet omni tempore posse confici, vt habetur in decreto Martini de consecrat. di. 4. can. Omni tempore. sed tamen confectionis solennitati congruentissimus est dies cœnæ Domini; tum quòd cum in paschate celebrandus erat solennis baptismus, vbi opus est chrismate, expediebat biduo ante consecrari, vt posset per parœcias distribui, tum etiam quod cum illa die per Christi benedictionem consecratum est sacramentum Eucharistiæ, quod est omnium sacramentorum ac benedictionum finis; aptissimum est, vt etiam tunc chrisma benedictionibus consecretur, vt suprà ex decreto Fabiani monstratum est, quod refertur de conse. di. 3. can. Literis.

Quando sit conficiendũ chrisma.

* *
*

Digitized by Google

DISTINCTIO OCTAVA.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ SECVNDVM SE.

Cap. 1. SACROSANCTVM Eucharistiæ sacramentum est, quod dicendi series nobis offert, de quo post baptismum, & confirmationem dicamus. Est enim Eucharistia sacramentum corporis & sanguinis Christi, quo vita spiritualis nutritur, quam & baptismus nobis præstat, & confirmatio corroborat. Vnde cùm per nutrimentum membra in vnum corpus coalescant; sacramentum hoc, quod vnius habet conuiuij effigiem, atque adeò perfectione vnum est, Ecclesiæ vnitatem tum significat, tum subinde efficit. Quare Paul. 1. Corinth. 10. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Super quem locum Aug. Sicut vnus panis ex multis granis, & vnum vinum ex multis acinis, sic & Ecclesia ex multis fidelibus, charitate copulante connectitur. Quod quidem sacramentum Christus in nouissima cœna constituit, iuxta verbum Paul. 1. Cor. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.

Eucharistia in vltima cœna instituta.

Cap. 2. Non est autem perinde ad salutem necessarium sacramentum hoc, ac baptismus, dicente ad Bonifacium Aug. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelem corporis & sanguinis Christi participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur: nec alienati ab eius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat & calicem bibat; de hoc sæculo in vnitate corporis Christi cõstitutus abscedat. Quo fit, vt per votum Eucharistiæ, quod in sacramento fidei, hoc est, in baptismo includitur, satis quantùm ad salutis necessitatem attinet, manducetur caro, bibaturque sanguis Christi, vt eius impleatur verbum: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quæ quidem manducatio, spiritualis est per fidem. At quoniam votum hoc secum adfert præceptum illud re vera implendi, fit vt præceptum sit diuinum pro tempore & loco sacramentum hoc suscipere, quod quidem tempus sanctione sua sacrosancta mater Ecclesia, semel in anno præscripsit.

Non est perinde ad salutem necessaria, ac baptismus.

Tamen loco & tempore sui præceptum obligat.

Atqui vt multis nominibus hoc sacramentum designatur, ita & multis fuit antiquitus præsignatum figuris. Est enim & sacrificium, quasi quædam immolatio memoratiua passionis Christi præteritæ. Et synaxis, hoc est, communio & vnitas, quam in præsenti vita, dum sumitur, operatur in Ecclesia. Et viaticum, quo ad futuram patriam peregrinantes sustentamur. Ac demum Eucharistia, hoc est, bona gratia: vtpote per quod & summam suscipimus gratiam; puta Christum: & maximas illi referimus. Figura autem huius sacramenti fuit manna, quod post transitum maris rubri, qui baptismi vmbra fuit, Deus patribus contulit in deserto. Et oblatio panis & vini Melchisedech. Atque omniũ præcipua Paschalis agnus quotannis Hebræorum ritu immolatus.

Cap. 3.

Eadem variis appellatur nominibus.

Et figuris olim præsignata.

DISTINCTIONIS OCTAVÆ.

Quæstio vnica.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ SECVNDVM SE.

S. Thom. 3. par. quæst. 73.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Eucharistia sit sacramentum.

IAM suprà dist. 1. q. 6. art. 2. ille ordo sacramentorum institutus est, cuius tertium locum obtinet Eucharistia. De quo vtique sacramento per sex distinctiones disputandum est. Habet n. sacramentum hoc inter cætera, quòd non solùm sacramentum, verum & sacrificium est. Quare de illo qua ratione est sacramentum, quinque distinctionibus agendum est, & in postrema de eodem quatenus est sacrificium. Prima ergo præmittitur distinctio de ipso secundum se sacramento. Ob idque primus articulus est, vtrum Eucharistia sit sacramentum. Et respondetur affirmatiuè. Eucharistia est speciale sacramentum a confirmatione & reliquis suapte natura distinctum. Quod enim sit sacramentum, confessio est Ecclesiæ in illa collecta: Hoc tuum sacramentum, non sit nobis reatus ad pœnam, &c. Quod autem sit speciale & distinctum. d. 1. q. 6. art. 1. probatum est, vbi rationem distinctionis omnium explicuimus. Vnde & ratio hæc resumitur. Cum enim spiritualia corporalium analogia perscrutemur, & vita corporalis post eius generationem, qua recipitur, eiusque augmentum, quo perficitur, alimento egeat, quo conseruetur; fit vt & ad vitam spiritualem post baptismum & confirmationem necessarium sit Eucharistiæ sacramentum, cuius alimento nutriatur.

Conclusio affirm.

Et per hoc soluit primum suum argumentum S. Tho. quod est hoc. Ad eundem effectum non debent duo ordinari sacramenta; cum vnumquodque sit efficax: confirmatio autem & Eucharistia ordinantur ad perfectionem, vt Dion. 4. c. Eccl. hierar. autor est: ergo Eucharistia superfluit. Respondet, inquam, quod duplex est perfectio, altera intrinseca in homine, quæ fit per augmentum; & huic respondet confirmatio: altera verò per adiunctionem extrinseci alimenti, quo conseruatur, & huic respondet Eucharistia. Et quoniam perfectio intrinseca antecedit extrinsecam, confirmatio præcedit Eucharistiam.

1. Argu. S. Tho.

Quatenus tam Eucharistia quàm Confirm. ad perfectionem ordinentur.

Quanquam D. Thom. definitionem Eucharistiæ non constituat, colligitur tamen ex eius verbis illa,

Expositio articuli.

Digitized by Google

Definitio Eucharistiæ.

quam in textu nos præfiximus, ſcilicet quod ſit ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, quo vita ſpiritualis nutritur. Iam enim ſuprà bis diximus definitionem vniuſcuiuſque ſacramenti ſic eſſe conſtruendam; vt collocato genere, quod eſt ſacramentum, per eius peculiarem effectum differentia ſubijciatur. Atqui in hac definitione gratuitus effectus, ſcilicet corpus Chriſti verum & ſanguis exprimitur; quatenus corpus myſticum per gratiam ſpiritualiter nutrit. Et fundatur maximè definitio hæc in verbis Chriſti: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur; Et: Hic eſt ſanguis, qui pro vobis effundetur. Neque opus eſt alias inculcare particulas, quas in 4. Sent. d. 8. q. 1. tum Scotus, tum ſubinde alij accumulant, ſcilicet quòd ſit ſacramentum ſub ſpeciebus panis & vini, ſub certis verbis cum debita intentione prolatis, &c. Horum enim ſingula, diſputatione potiùs examinanda ſunt; quàm in definitione tanquam per ſe nota præſupponenda.

Scotus.

Hæreſes autem, quæ de hoc ſacramento, & quatenus ſacramentum eſt, & quatenus ſacrificium, olim Eccleſiæ moleſtiam exhibuerunt, diuerſis cuiuſque locis recenſebimus. At de nomine Euchariſtiæ art. 4. cum cæteris, quibus hoc ſacramentum nominatur, dicemus.

Quidnam ſit illud quod proprie ſacramentum Euchariſtiæ appellamus.

Hic ergo hoc ſolum perſcrutandum eſt, pro quo ſcilicet, nomen hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſupponat. Eſt enim in eo quatuor conſiderare: videlicet ſpecies panis & vini conſecratas, corpus que & ſanguinem quæ ſub ipſis latent, & tertiò eorundem conſecrationem, ac denique vſum & ſumptionem. Et quidem Sent. Magi. d. 8. ſpecies ait eſſe ſacramentum Euchariſtiæ. Addit nihilominus Gabriel, tam conſecrationem, quam ſumptionem eſſe quoque ſacramenta. Nam conſecratio eſt viſibile ſignum inuiſibilis gratiæ: ſcilicet, effectus gratuiti; nempe corporis & ſanguinis, quem quidem effectum ipſa conſecratio efficit. Et pariter ſumptio eſt ſignum gratiæ, quæ ſuſcipienti infunditur, eiuſque cauſa. Quare in Euchariſtia, inquit, plura ſunt ſacramenta, ſicut in ordinibus. At quia ad vnum corpus vnamque alimoniam referuntur, vnum cenſentur. Imò, quod conſecratio ſit ſacramentum, eſt etiam opinio Marſi. in 4. quæſt. 1. art. 1. & q. 6. art. 2. & Caiet. ſupra q. 63. art. 5. Quinetiam videtur eſſe S. Thomæ in 4. diſtinct. 8. quæſt. 1. art. 1. quæſtiun. 1. Cui etiam opinioni ratio hæc patrocinari videtur. Verba illa: Hoc eſt corpus meum, ſunt forma: ergo ſunt forma ſacramenti: at nec ſunt forma ſpecierum, nec corporis, ſed ipſius conſecrationis, quam ſignificant, & efficiunt: ergo conſecratio eſt ſacramentum, ſicut ablutio in baptiſmo.

Non eſſe ipſum conſecrationem.

Veruntamen his non obſtantibus, dicendum conſecrationem ſi res penitius inſpiciatur, non eſſe ſacramentum, ſed ſacramentale quoddam. Conſecratio enim ſacramenti (vt nomen ſonat) non eſt niſi actio; qua per formam perficitur ſacramentum: quare ſicut forma qua fit conſecratio, non eſt ſacramentum, ita neque conſecratio ipſa, ſed eſt via ad ſacramentum. Hoc enim differt hoc ſacramentum à baptiſmo & confirmatione; quod cum illa conſiſtant in vſu materiæ, actio ipſa ſeu applicatio materiæ quam ſignificat forma, eſt ſacramentum. Hoc autem non conſiſtit in vſu, neque in fieri, ſed in facto eſſe: & ideo conſecratio non eſt viſibilis forma corporis Chriſti, ſed ſpecies ſunt quæ ipſum repræſentant. Actio enim habet formam motus, corpus verò Chriſti non eſt niſi res permanens. Neque verò ſumptio eſt ſacramentum, neque propriè cauſa gratiæ, ſed eſt applicatio virtutis ſacramentalis, puta corporis, quod eſt virtus conferendi gratiam. Veluti in naturalibus applicatio ignis non eſt cauſa caloris, ſed ignis ipſe applicatus: applicatio verò eſt conditio agentis. In baptiſmo namque, quia non eſt alia virtus, quàm motus aquæ, applicatio ipſa eſt ſacramentum. At quoniam in Euchariſtia virtus eſt res permanens, ſcilicet corpus; applicatio non eſt ſacramentum, ſed actio ſacramentalis. Quare inferius q. 78. art. 1. ad 2. argumentum ait S. Thom. quòd vſus materiæ conſecratæ, non eſt de neceſſitate huius ſacramenti.

Neq; ſumptionem.

Supereſt autem ambiguitas inter corpus & ſpecies, pro quo illorum, ſupponat ſacramentum. Et quidem Capreolus in 4. d. 8. q. 1. art. 3. arbitratur promiſcuè de omnibus poſſe prædicari, vt ſ. ſpecies dicantur ſacramentum, qua ratione continent corpus & ſanguinem. Et pariter corpus & ſanguis qua ratione continentur ſub ſpeciebus. Imò & aggregatum ex ſpeciebus & corpore cenſeri, inquit, poteſt ſacramentum. Et vt ab hoc vltimo inchoemus. Videtur huic fauere canon, Hoc eſt. de conſecratio. diſt. 2. vbi habetur hoc ſacramentum duobus conſtare: ſcilicet viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine. Et ſunt verba Augu. in lib. Sententiarum Proſperi. Quod autem corpus & ſanguis dicantur ſacramentum, apparet ex Gregorio canon. Multi. 1. quæſt. 1. Secundò quando dicimus ſacramentum adorare, corpus & ſanguinem intelligimus. Tertiò, illud eſt ſacramentum, per quod gratia confertur: illud autem eſt corpus, quod etiam ſumere dicimus. Quare Chriſtus: Ego, inquit, ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Et: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Accedit huc & autoritas non ſpernenda Waldenſis tomo 2. de ſacrament. ca. 21. vbi hoc diſcrimen inter hoc ſacramentum & reliqua conſtituit; quòd in reliquis, ſacramentum ſit viſibilis forma inuiſibilis gratiæ, vt ablutio: in hoc autem ſacramentum ſit inuiſibilis gratia ſub viſibili forma: ſcilicet, verum Chriſti corpus in recto ſub forma panis, quam connotat in obliquo. Hæc ille.

Reſtat vt vel ſpecies ipſæ, vel contentum ſub illis ſit ſacramentū

Reſponſio Authoris per propoſitiones.

His tamen nihil obſtantibus, vt res ſit perſpicua, recolendum eſt tria eſſe in ſacramento, quæ adnotauimus in baptiſmo †: ſcilicet, ſacramentum tantum, quòd erat ablutio, res tantum, quæ erat gratia, & res & ſacramentum, quæ erat character. Sit ergo prima propoſitio. Id quod in Euchariſtia eſt ſacramentum tantum, eſt ſpecies panis, & pariter ſpecies vini. Probatur, quoniam ſalua egregia autoritate Waldenſis, illa definitio ſacramenti, quod ſit inuiſibilis gratiæ, inuiſibilis forma, omnibus eſt generalis, aliàs inepta eſſet. Quare eam & Magiſter Sententiarum, S. Tho. & omnes etiam huic ſacramento competere autumant. Illa autem congruit ſpeciebus, vtpote quæ ſunt viſibilis forma inuiſibilis gratiæ, puta tam corporis Chriſti & ſanguinis, quàm gratiæ ſacramentalis, qua corpus myſticum efficitur vnum ex multis membris, ſicuti panis ex multis granis, vt infra videbimus. Secunda propoſitio. Res tantum eſt gratia, quæ ſumentibus confertur: eſt enim res ſignificata & non ſignificans. Tertia. Corpus & ſanguis ſunt res & ſacramentum, & virtus ſacramenti. Res ſcilicet, quia ſignificantur per ſpecies, & per conſectationem perficiuntur. Sacramentum autem, quia corpus Chriſti quatenus ſub eiſdem ſpeciebus velatur, corpus myſticum repræſentat. Sunt etiam virtus, quia quatenus corpus Dei eſt, gratiam in alimentum corporis myſtici confert. Et hoc exprimitur can. Hoc eſt. ſupra citato, vbi ait Auguſt. hoc ſacramentum conſtare ex viſibili elementorum ſpecie (quæ ſcilicet eſt ſacramentum tantùm) & inuiſibili Chriſti carne & ſanguine, tanquam ſacramento & re ſacramenti. Et ſic intelligitur id quod ait Epiſtola 23. ad Bonifacium, ſcilicet quod corpus Chriſti ſecundum quendam modum eſt ſacramentum. Omnes tres concluſiones affirmat venerabilis Hugo lib. 2. de ſacrament. part. 8. cap. 7. vnde Magiſter Sententiarum eas deſumpſit diſt. 8. cap. vlt. Et ſanct. Tho. hic in ſolutione ſecundi & tertij, & expreſſius infra artic. ſexto. Ac demum tanquam Eccleſiaſticum dogma ſuſcepit Innocentius in capitulo. Cùm Marthæ. extra de celebr. miſſarum. Quapropter ad illud Gregorij in ca. Multi. reſpõdetur. quod vocat corpus Chriſti ſacramentũ, quia eſt & ſacramentum, & res ſacramenti, vel certè quia continetur ſub ſacramento, ſicut confirmationem appellat chriſma, eò quòd eſt eius materia. Et ſimili modo reſpondetur ad aliud de adoratione & ſumptione, quòd cùm dicimus adorare ſacramentum, & ipſum ſumere, intelligere poſſumus, corpus, quod eſt ſacramentum & res; ſed nihilominus ſpecies ipſas, quatenus ipſum continent.

† *d. 3. a. 1. in princip.*

2.

3.

Soluuntur arg. contr.

Perſpiciamus ergo quemadmodum D. Thom. in ſolutionibus argumentorum eandem profert ſententiam, mutatque illam, quam in 4. deſignauit. Arguit enim ſecundo loco ad probandum, quòd ſpecies non ſint ſacramentum hoc pacto. In quolibet ſacramento nouæ legis, ſpecies viſibiles inuiſibilem effectum efficiunt, vt ablutio baptiſmi characterem & gratiam: ſed ſpecies Euchariſtiæ neque corpus ipſum Chriſti verum efficiunt, quod eſt res & ſacramentum, neque corpus Chriſti myſticum, quod eſt res tantum: ergo

non

non sunt sacramentum. Et respondet, quod aqua baptismi non efficit gratiam, nisi per virtutem Spiritus sancti, secundum illud Chrysosto. super Ioan. ca. quinto. In baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cùm Spiritus sancti susceperit gratiam, tunc omnia soluit peccata. Sicut autē se habet virtus Spiritus sancti ad aquam baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis & vini. Vnde species ipsæ virtute corporis & sanguinis efficiunt gratiam. Vide ergo quomodo licèt in quarto diverat, quod sanctificatio materiæ, nempe consecratio, erat sacramentum. (Vnde Marsilius & Caietanus suam fortè opinionem hauserunt) hîc non dicit nisi quod species sunt sacramentum, quæ sicut aqua baptismi per virtutem Spiritus sancti conferunt gratiam.

Species ipsæ, virtute corporis Christi efficiunt gratiam.

Idem luculentiùs commonstrat in solutione tertij, quod est hoc. Sacramenta nouæ legis habentia materiam, in eius vsu perficiuntur, vt baptismus in ablutione, & confirmatio in chrismatis consignatione: si ergo Eucharistia esset sacramentum, perficeretur in vsu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ, quod patet esse falsum, eo quod forma huius sacramenti sunt verba, quæ in consecratione materiæ dicuntur, vt infrà patebit. Respondet negando similitudinem. Imo est inter hoc sacramentum, & reliqua habentia materiam sensibilem, interuallum.

Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione; cætera autem in vsu eorum.

Ad cuius intellectum recolito, idem esse sacramentum, quod signum continens rem sacram: Eucharistia autem continet in se rem sacram absolutè, & per modum permanentis: nempe, corpus ipsum Christi & sanguinem: aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in se, sed tamen in ordine ad aliud, s. virtutem ad sanctificandum, quæ est ipsa applicatio aquæ. Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, alia vero perficiuntur in vsu, videlicet in applicatione ipsius materiæ ad sanctificandum. Vnde colligitur, quod sicut ablutio continens virtutem sanctificandi est sacramentum, ita species continentes corpus & sanguinem. Et ex hoc subsequitur aliud discrimen, quod in Eucharistia id quod est res & sacramentum, scilicet corpus & sanguis, est in ipsa materia, nempe sub speciebus: id autem quod est res tantùm, est in susciente: scilicet gratia quæ confertur. In baptismo verò vtrumque est in susciente: videlicet & character, qui est res & sacramentum, & gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantùm. Et eadem ratio est de alijs sacramentis.

Forma non est pars sacramenti.

Atqui per hoc ad argumentum, quo suprà arguebatur formam esse partem sacramenti, responderur id negando, Imò (vt d. 3. art. 1. expositum reliquimus) forma neque in baptismo, neque in confirmatione est pars sacramenti. Nam sacramentum, sicuti res artificiata, non supponit nisi pro actione seu passione materiali, quatenus determinatur per formam; vt pro ablutione. Sed est differentia, quòd forma in alijs sacramentis informat vsum materiæ ad conferendam gratiam, vt ablutionem in baptismo, Ego te abluo: in Eucharistia verò determinat consecrationem materiæ, vt transubstantietur in corpus, idque efficit. Quare sicut sacramentum baptismi supponit pro materiali ablutione, determinata per formam, quatenus est in fieri; ita sacramentum Eucharistiæ supponit pro materialibus speciebus consecratis per formam, quatenus permanenter continent corpus. Et idem est de speciebus sanguinis. Atque hac ratione verè dicitur, est que forma sacramenti.

ARTICVLVS II.

Vtrum hoc sacramentum sit vnum an plura.

Sacramentum Eucharistiæ vnum est perfectione.

QVONIAM sacramentum hoc duas habet formas duabusque consecrationibus perficitur, meritò quæritur, vtrum sit vnum sacramentum, an verò plura. Et respondet D. Thom. hac conclusione. Hoc sacramentum dicitur vnum. Et deducit conclusionem ex autoritate Arist. 5. Metaphys. tex. 7. vbi ait, quod vnum dicitur tripliciter: scilicet indiuisibilitate, vt Angelus: continuatione, vt linea: & perfectione, vt domus: quæ licet sit plura in genere substantiæ, vt ligna & lapides; est tamen vna vnitate formæ, in genere qualitatis: hoc autem sacramentum est vnum perfectione, vtpote ad cuius integritatem omnia concurrunt, quæ ad eius finem sunt necessaria: sicut homo ex multis compingitur membris, & domus ex fundamento, parietibus, & recto: ordinatur n. ad vnam refectionem similem corporali, & quæ ex sicco cibo, & humido potu constat: ergo ex duplici consecratione constare debuit: scilicet corporis & sanguinis: iuxta illud Ioann. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: est ergo non plura sacramenta, sed vnum.

Conclusio huius articuli tanquam Ecclesiæ confessio est amplectenda, vtpotè quæ tanquam vnum, hoc sacramentum inter septem vbique connumerat, vt patet de summa Trinita. & fide catho. cap. firmiter. vbi habetur, quod sub speciebus panis & vini perficitur mysterium vnitatis. Quare in concilio Florentino & alijs vt vnum sacramentum proponitur. Quinuerò & ex sacra ipsa scriptura colligitur. Ait enim Apost. 1. Cor. 10. Vnus panis & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Vbi docet, hoc esse sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, per cuius gratiam fit vnum corpus mysticum: cùm ergo sacramentum debeat suo effectui assimilari, fit vt sit vnum.

Gabriel putat non esse propriè vnum.

At verò quoniam, vt dictum est, plura existit in genere entis, scilicet plures species ex pluribus consecrationibus resultantes, & plura sunt ibi contenta, s. corpus & sanguis, non desunt, qui sibi non satis persuadere valeant esse simpliciter vnum. Vnde Gab. in 4. d. 8. q. 2. ait hoc sacramentum non esse vnum, nec simpliciter, nec propriè: quia non est vnum visibile, nec vnum continuatione, cum species panis & vini non sint continuæ: imò species panis sunt diuersa accidentia, vt color, calor, & sapor. Neque verò est, inquit, vnum vnitate signi & sacramenti: quoniam laicus dum sumit corpus, verè susciepit sacramentum, & nihilominus species vini sunt aliud sacramentum. Neque sunt vnum vnitate contenti sub sacramento, quoniam sanguis non est sic pars corporis, vt illi sit continua, sed est discontinuus, per venasque dispersus. Quare, vt infra † dicemus, ex vi consecrationis panis, non est illic nisi corpus, sanguis verò per concomitantiam: & ex vi consecrationis vini non nisi sanguis, & per concomitantiam corpus. Concludit ergo solum esse vnum ratione totius contenti per aggregationem, sicuti corpus & sanguis sunt vnum.

† *d. 10. q. 1. a. 2. in princ.*

Impugnatur.

At verò quamuis sacramentum non sit tam vnum, quam est res indiuisibilis; est tamen propriè vnum in suo genere, scilicet in genere pastus & conuiuij. Aristoteles enim non dicit, quòd vnum primo modo fit proprissimè vnum, vt isti loquuntur, & secundo modo propriè, & tertio impropriè: quod enim impropriè est tale, non est tale: sed ait quod indiuisibile est maximè vnum; quia non potest diuidi, & continuum taliter vnum, vt diuidi possit, & domus minus vnum, quia partes non continuantur. Nihilominus vnumquodque est propriè vnum, etiam domus in suo genere. Ad propositum ergo respondetur, impertinens esse ad vnitatem sacramenti, quod corpus & sanguis sint vnum per cõtinuationem aut per aggregationem, aut quòd species sint continuæ: aliàs, negandum esset, vbi sacerdos tripartitam sumit hostiam, vnum sumere sacramentum panis. Vnitas ergo sacramenti quia est signum, sumitur ab vnica significatione, quæ ex duabus consecrationibus resultat vtpote per quas significatur vnica refectio, eius integritas constat ex cibo & potu. Et hæc est tam propriè vnitas formaliter in genere signi, quàm vnitas lineæ in genere continui: quamuis materialiter resultet ex pluribus.

Vnde, sumenda sit vnitas sacramenti.

Et per hoc soluitur aliud argumentum Aureoli apud Capreolum distinctio. 8. contra eius secundam conclusionem. Laicus dum sumit corpus, sumit totum sacramentum: nam sumit simul sanguinem illic per concomitantiam contentum, sumitque adeò totam gratiam, quam sacerdos sumens corpus & sanguinem: aliàs iniuria fieret laicis, dum sumptione sanguinis defraudantur: & eadem ratione sumptio sanguinis est sumptio totius sacramenti: nam pariter illic sumitur cum sanguine corpus: ergo sunt duo integra sacramenta. Negatur, inquam, dum sumitur solum corpus, sumi totum sacramentum quoad integram eius repræsentationem: quoniam cùm ex vi consecrationis non sit illic nisi corpus, non est illa nisi cibatio sine potu: nam ad potum requiritur sumi sanguinem, qui fit primò per se illic ex vi consecrationis. Et pariter dum sumitur sanguis, non est

An sub vna specie, dandum sit sumi integrum sacramentum.

Digitized by Google

nisi potatio, & non cibatio. Vnde D. Tho. in 4.d 8.q. 1. art. 1. quæstiuncu. 2. ad 5. ait, quòd licèt Christus perfectus sit sub vtraque specie, non tamen quantum ad integrum vsum est sub vtraque.

Et, An tota gratia accipiatur.

Ad illud autem de gratia, infra dist. 12. q. 1. † respondebimus, vtrùm tantum gratiæ conferatur sub vna specie, quantum sub ambabus simul. Est tamen hoc ad vnitatem sacramenti impertinens: nam quamuis tota gratia sumeretur sub speciebus panis, nihilominus non esset quoad repræsentationem integrum sacramentum. Quare tamen modo sequitur, quòd species sanguinis non sunt distinctum sacramentum totale, postquàm eandem gratiam conferunt. Sicuti dum sacerdos plures diuersas particulas hostiæ suscipit, per quamcunque solam recipit totam gratiam; & nihilominus omnes simul sunt vnum sacramentum. Sic ergo de speciebus panis & vini simul sentiendum. Adde quod etsi negetur, tantam gratiam sumi in sumptione corporis, quantam in sumptione corporis & sanguinis, non subsequitur, aliquam laicis irrogari iniuriam: quia Ecclesia nihil debet illis, si modò sacramenti decentiam seruet: quæ est, vt propter periculum, sanguis non temere propinetur laicis.

† 3. 12. §. *Postremum ergo.*

1. Argu. S. Tho.

Primum ergo argumentum sancti Thomæ est. Nonnunquam sacramentum altaris pluraliter dicitur sacramenta, vt legitur de consecratio. distinctio. 2. canon. 1. Qui est Alexandri, & refertur in concilio Florentino. Vbi habetur. In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, &c. Vnde in collecta ait Ecclesia: Putificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus: ergo non est vnum, sed plura. Respondetur autem non aliud consequi quàm quòd sint plura facientia vnum. Vnde in eadem collecta protinus subditur, Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.

2. Et pariter respondetur ad secundum, quod est huiusmodi. Sacramentum est in genere signi: ergo vbi sunt plura signa, plura sunt sacramenta: sicuti enim non potest vnus homo esse plura animalia, ita nec vnum sacramentum plura signa: sed in hoc sacramento sunt plura signa panis & vini. Respondetur, inquam, non esse plura, nisi materialiter. Atque idem dicitur *3.* ad tertium, de consecrationibus, quod scilicet sint plures materialiter; vnum tamen integrantes sacramentum.

ARTICVLVS III.

Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis.

SICVT de baptismo, ita & de Eucharistia quæritur, vtrum sit necessarium sacramentum. Supposita dist. respondetur sex conclusionibus. Duo enim est in hoc sacramento considerare, scilicet id quod est sacramentum; vt sunt species continentes Christum: & id quod est res tantum, quod art. proximo ex Paulo elicuimus esse vnitatem corporis mystici, ad quod gratia huius sacramenti ordinatur, ob idque dicitur communio: quod articulo subsequenti repetendum restat.

1. Concl. Est ergo prima conclusio. Iste effectus sacramenti est de necessitate salutis: scilicet, vt homo per gratiam fiat membrum viuum Ecclesiæ alijs per charitatem vnitum. Probatur, quoniam extra Ecclesiam nemini patet salus, sicuti in diluuio nemo extra arcam Noe fuit seruatus, vt habetur 1. Petri 3. Et ne ad hanc conclusionem reuertamur, tenenda est tanquam de fide, quam Aug. contra Donatistas creberrimè commonstrat. Et est determinatio Ecclesiæ cap. firmiter. extra de summa Trinita. & fide cathol. Imò est art. symboli, Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem.

Effectus Eucharistiæ ad salutem necessarius.

2. Concl. Secunda concl. Ante susceptionem in re huius sacramẽti potest percipere homo hunc eius effectum salutis per susceptionem eius in voto. Probatur: nam cùm voluntas apud Deum pro facto reputetur, sicut potest adultus effectum baptismi per eius votum suscipere, ita & effectum huius.

Is tamen haberi potest per votum sacramenti.

Est tamen differentia inter baptismum, & hoc sacramentum, quantum ad duo. Primum, quòd baptismus, & est principium spiritualis vitæ, atque adeò sacramentorum ianua, vt sine quo nullum aliud suscipi potest: Eucharistia verò est quasi consummatio totius spiritualis vitæ, ac perinde sacramentorum finis, vt d. 1. q. 6. art. 3. vlum est. Per susceptionem enim ordinis fit præparatio ad consecrandam Eucharistiam, per susceptionem aliorum ad illam suscipiendam.

3. Concl. Vnde colligitur tertia conclusio. Perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam: perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad eandem consummandam. Necessaria scilicet, non in re, sed in voto, quemadmodum finis desiderio mentis percipitur.

4. Conclusio. Altera differentia est, quòd per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam; ad baptismum autem non ordinatur per aliud præcedens sacramentum. Atque hinc infertur quarta conclusio. Pueri dum baptizantur, intentione Ecclesiæ ordinantur ad Eucharistiam: quare sicut fide Ecclesiæ credunt, ita & eius voto suscipiunt Eucharistiam.

Quod votum in baptismo includatur.

5. Concl. Sequitur subinde quinta conclusio. Pueri nullatenus voto possunt percipere baptismum, sed soli adulti, atque adeò neque rem sacramenti sine perceptione ipsius sacramenti. Quam conclusionem suprà dist. 6. quæst. 1. art. 2. contra Caietanum adduximus, ad probandum paruulis nullum patere salutis remedium præter baptismum in re.

6. Concl. Sexta igitur conclusio ex omnibus elicitur hæc. Sacramentum Eucharistiæ non eo modo est de necessitate salutis quo baptismus.

Expositio articuli. Animaduertendum hic quæstionem præsentem triplicem habere sensum. Primus est, Vtrùm hoc sacramentum sit necessarium necessitate finis, vt diximus de baptismo: videlicet, vt sine illo salus nequeat obtineri. Secundus, Vtrùm sit necessarium necessitate præcepti diuini; & tertius, Vtrùm saltem sit necessarium ob præceptum Ecclesiasticum. Et quidem D. Thom. solùm respondet ad quæstionem in primo sensu, neque id omninò patenter & lucidè: nam postrema conclusio duntaxat ait, quòd non est eò modo de necessitate salutis, vt baptismus. Attamẽ cum baptismus sit necessarius in re necessitate finis, planè intelligit hoc sacramentum non esse tali necessitate finis necessarium in re. Id quod & quinta conclusio luculentiùs asseruit. Restat nihilominus dubium circa differentiam, quam in tertia conclusione inter baptismum & Eucharistiam constituit. Videlicet, quòd baptismus requiritur in re, Eucharistia verò sufficit in voto. Arguitur enim sic. Sicut dum est copia baptismi non sufficit votum, sed requiritur realis susceptio: ita dum tempus suscipiendi Eucharistiam adest, non sufficit votum sine re. Et è conuerso sicuti extra illud tempus sufficit votum Eucharistiæ pro suo tempore, ita & votum sufficit baptismi: nulla ergo est differentia. Respondetur, vt scitè hic dixit Caietanus, discrimen esse, quòd baptismus suapte natura non saluat nisi in re susceptus: & ideo per se censetur necessarius in re: per accidens autem, nempe, quia copia eius haberi non potest; vsu venit, vt votum eius sufficiat, idque duntaxat in adultis, qui tale votum habere possunt. Eucharistia verò ex natura sua habet, votum sui salutem operari: & ideo per se non est necessaria in re, sed quoniam præceptum diuinum est, vt votum pro tempore & loco impleatur, remanet obligatio suscipiendi idem sacramentum secundùm Ecclesiasticam temporis constitutionem, vt d. 12. q. 1. † videbimus. Neque verò hæc differentia censenda est arbitraria: imò ex rerum natura ducitur. Eò enim quòd baptismus est inchoatio vitæ, exigit, vt tanquam causa efficiens applicetur, atque adeò in re: Eucharistia verò quia non est nisi consummatio sacramentorum; à natura sua adfert, vt per modum finis per mentis votum suscipiatur.

Examinatur 3. conclusio.

† *ar. 11.*

Vnde ad arg. negatur similitudo. Non enim qua ratione baptismus, quando adest copia, requiritur in re, requiritur etiam Eucharistia. Illud n. est per se de necessitate salutis, & ideo habita oportunitate non est res amplius differenda: Eucharistia vero, quia non est sic de necessitate salutis, etiam habita oportunitate differri potest vsquè ad tempus præfinitum præcepti, quod in eius voto includitur. De altero vero necessitatis sensu, vtrum de susceptione sacramenti extet præceptum diuinum, non est hic locus disputandi, sed infrà dist. 12. q. 1.

† *Eod. a. 11. Explicatur 4. Concl.*

Atque inde etiam fit plana quarta conclusio, quod quia baptismus ordinatur ad Eucharistiam, eius susceptio includit votum Eucharistiæ. Ad probandum autem hanc conclusionem citauit D. Thom. Augusti-

num ad

num ad Bonifacium, quod non intelligas in epistola ad Bonifacium; sed in libro eorum primo, quos contra duas epistolas Pelagianorum scripsit ad Bonifacium. Illic enim cap. 22. extant hæc verba. Nec dicit, cogitetis, sed cogitatis. Pelagiani enim, vt suprà diximus, non eò baptizabant paruulos, vt crederent vllum esse originale, quòd illic remitteretur; sed vt intrarent in regnum cœlorum. Quare non baptizatos putabant extra regnum cœlorum habere vitam æternam. Redarguit igitur illos Augustinus; non solùm ob ingressum illum, sed vt habeant vitam æternam, esse baptizandos. Et ideò ait, Nec illud cogitatis (, id est, non animaduertitis) paruulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso, Nisi manducaueritis carnem meam, &c. Vbi docet Aug. ob id paruulos in baptismo obtinere vitam, quòd illic includitur Eucharistiæ votum. Atque idem illico lib. 2. c. 4. autoritate Innocentij primi confirmat.

Quærè votum Eucharistiæ potius quàm aliorũ sacram. dicatur includi in baptismo.

Quòd si arguas. Qui baptizatur, non solum profitetur se suscepturum Eucharistiam pro tempore, verùm & reliqua sacramenta, atque adeò adimplere omnia mandata legis: ergo in baptismo non magis includitur votum Eucharistiæ, quàm reliquorum sacramentorum, atque adeò non magis hoc sacramentum in voto est de necessitate salutis quàm reliqua. Respondetur discrimen esse, quòd cùm omnium sacramentorum finis sit vnire nos incorporareque Christo; & id peculiari modo fiat per hoc sacramentum, vt per quod in eum ipsum, quem hic realiter manducamus, transformamur; quod ideo dicitur sacramentum communionis corporis mystici & charitatis: quæ vt ait Paul. Col. 3. est vinculum perfectionis; fit vt hoc singulariter sit proprius omnium finis, ad quod omnia ordinantur, & in cuius sumptione omnia consummantur: & quia finis est primum intentione, ideo peculiari voto includitur in baptismo; etiamsi non requiratur alia expressior & formalis intentio eius, quàm aliorum.

1. Argu. D. Tho.

Id ipsum D. Thom. in primo argu. apertiùs exprimit. Arguit n. Christus Ioan. 6. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: sed in hoc sacramento caro Christi manducatur, & eius sanguis bibitur: ergo sine eius susceptione nemini contingit salus. Hoc argumento antiquitus nonnullæ particulares Ecclesiæ adductæ, morem habuerunt ministrandi sacramentum Eucharistiæ infantibus, vt di. 12. q. 1. art. 9. videbimus: nam cum sub eodem tenore Christus dixerit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. &: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. ambo sacramenta æqualiter arbitrabantur ad salutem necessaria. At verò sancti patres intelligentes non esse idoneum, vt quispiam absque veneratione & reuerentia sacrosanctam Eucharistiam susciperet; ex ipsis diuersis sacramentorum naturis, quia scilicet vnum erat inchoatio vitæ spiritualis, aliud verò consummatio; elicuerunt non esse parem necessitatem vtriusque sacramenti. Et ideo Aug. tum aliàs multis locis, tum eodem loco super Ioan. tract. 26 ait, nomine cibi & potus, carnis & sanguinis, Christum intellexisse societatem corporis membrorum suorum quod est Ecclesia, in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius. Hæc autem societas per sacramentum fidei, scilicet per baptismum, comparatur. Vnde in epistola ad Bonifacium, Nulli, inquit, est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sed tamen hic admonito opus est, falsò imponi Augustino illud Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. sic spiritualiter intellexisse, vt putaret Christum illic minimè de sacramentali mãducatione habuisse sermonem, alioqui vix relinqueretur Euangelicus locus, in quo fundaretur præceptum diuinum eiusdem realis manducationis. Sed hoc duntaxat sensit, vt quod est de necessitate salutis in hoc sacramento, nempe effectum societatis Ecclesiæ, per spiritualem manducationem obtineri. Et in hoc sensu dixit manducationem per metaphoram intelligendam de manducatione per fidem. vnde ait, Crede & manducasti. Non autem, quòd gradus sacramentalis gratiæ absq; sacramenti susceptione infundatur, vt loco citato monstrabitur.

Cur olim in quibusdam Ecclesijs Eucharistia dabatur infantibus.

Quomodo Aug. intelligat illud, Nisi manducaueritis &c.

Crede & manducasti.

Adnotandum.

Quòd autem dictum est baptismum includere votum Eucharistiæ, non sic intelligendum est, vt quasi in suo effectu generandi, ab alio dependeat sacramento: est enim per se ad illum effectum sufficientissimus, sed quòd cùm sit sacramentum fidei, suapte natura incorporat nos Christo, iuxta verbum Pau. ad Ephes. 3 Christum per fidem habitare in cordibus vestris. Et cùm ipse realiter contineatur in hoc sacramento tanquam cibus, quo eadem vita nutritur quam baptismus gignit, inde fit, vt in illo votum huius includatur. Locus autem ille Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. iterùm latiùs exponendus redibit di. seq. q. 2. art 1. Atque iterum loco citato. di. 12. q. 1. artic. 11. ad confirmandum præceptum huius sumendi sacramenti.

2. Argum. S. Tho.

Secundò arguit S. Tho Hoc sacramentum est quoddam spirituale alimentum; corporalem verò cibum necesse est ad vitam realiter sumi: ergo & hunc spiritualem. Negatur consequentia propter dissimilitudinem. Etenim quoniam corporalis cibus non alit nisi in substantiam alibi conuertatur; oportet, vt re vera edatur: alimentum verò spirituale è conuerso hominem in seipsum conuertit, secundum illud Aug. lib. 1. confessionum, Qui vocem Christi audiuit dicentis ei, Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Potest autem homo in Christum mutari, eiusque fieri membrum per mentis votum absque reali sacramento.

3. Arg.

Tertium argumentum est. Sicut baptismus est sacramentum dominicæ passionis, sine qua non est salus: ita & Eucharistia, iuxta illud 1. Corin. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuciabitis: ergo tam necessaria est Eucharistia, quàm baptismus. Respondetur ad maiorem, discrimen esse inter baptismum & Eucharistiam, quòd ille est sacramentum mortis & passionis Christi, tanquam regeneratio in Christo, & ideò ad inchoandam vitam requiritur eius susceptio in re: Eucharistia verò est sacramentum passionis prout homo perficitur vniendo se Christo passo, quæ quidem vnio per mentis effectum fieri potest. Ob idque baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ est fundamentum vitæ: Eucharistia vero sacramentum charitatis, quæ secundum Apostolum ad Coloss. 3. est vinculum perfectionis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum conuenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur.

Conclusio affirm.

PROPTER eius excellentiam sacramentum hoc pluribus nominibus gaudet, de quorum ideo numero hic quæritur. Et respondet D. Thom. hac conclusione. Plura sunt huic sacramento indita nomina, eademque in triplici differentia. Est enim signum, & præteritæ passionis commemorationum, & præsentis gratiæ demonstrationum, & futuræ gloriæ prognosticum. Ratione primi dicitur sacrificium, & ratione secundi synaxis, ac demum ratione tertij viaticum & Eucharistia.

Expositio articuli.

Sacramentum hoc primo eodemque græco nomine dicitur teleta teletorum, hoc, est mysterium mysteriorum, ea phrasi, qua antiquitus, locus vbi sacra reponebantur, dicebatur Sancta sanctorum: igitur quoniam in cæteris sacramẽtis nulla ineſt sanctitas nisi dum applicantur, hic autem ipsum Christi corpus, ex quo alia sacramenta deriuantur, continentur, meritissimò arcanorum arcanum appellatur. Rursus quoniam vt dist. 3. q. 1. art. 3. diximus, inter omnia sacramenta hoc illa trina pollet significatione, præteriti, præsentis & futuri, propter mysteriorum multitudinem, vt in solutione ait S. Tho. pluribus nuncupatur nominibus. Nihilominus nomen primum, nempe, vt dicatur sacrificium, Witcleff (vt VValdensis tomo 2. de sacra. ca. 31. refert) & Lutherus in suo blasphemo libro de abroganda missa priuata repudiare & extermi nare contendunt: quoniam sacrificium idem, est quod immolatio, vt in occisione animalium antiquæ legis est videre: Christus autem in cruce semel immolatus est, in missa verò (aiunt isti) non rursus occiditur, dicente ad Rom. Paulo, quod Christus mortuus est semel. At verò, quoniam in hoc art. solum de nominibus

Hoc sacramentum appellatur mysterium mysteriorũ.

Sacrificium.

agitur, superſedendum eſt de re ipſa vſque ad diſt. 13. diſputare, vbi q. 83. S. Tho. hoc tangit. Illic n. diſcrimen explicabitur inter hoc ſacramentum & ſex reliqua. Illa n. duntaxat ſunt ſacramenta, hoc eſt, ſigna gratiæ ſuſcipientem iuſtificantis: hoc autem præterquam quod eſt ſacramentum, quod & conſecratione perficitur, & vſu gratiam confert habet quoque, vt in ipſo immolatio ipſius Chriſti repræſentetur, ac ſi ſe tunc fieret, atque adeo ibidem cum noſ in ſatisfactionem pro noſtris expiandis piaculis offerimus. Ob idque vt ait D. Th. in ſolutione tertij, quatenus Chriſtus hic immolatur, & in repræſentatione occiditur, dicitur ſacrificium: & quatenus hic continetur & offertur, dicitur hoſtia pura, ſancta & immaculata, vt in ſacro canone habetur.

Synaxis ſine communio.

Quantum ad demonſtratiuam vero ſignificationem dicitur ſynaxis, hoc eſt, communio ſeu congregatio, à συναγω, quod eſt congrego & concilio. Nam, vt lib. 4. cap. 14. autor eſt Damaſcenus, vbi in eandem ſententiam refert Baſilium. Dicitur communio, quia per hoc ſacramentum Chriſto coadunamur, eiusque carne & deitate participamus, ac ſubinde & nos ipſi inuicem in eodem Chriſto communicamus, & in vnum corpus vnimur. Quòd ſi argas effectum huius ſacramenti eſſe ſpiritualem refectionem, vnde videtur colligi, non eſſe communionem. Negatur conſequentia: imò vtrumque idem eſt prorſus. Sicut enim corporali cibo ſimul & homo nutritur, & membra inter ſe compacta conſiſtunt: ſic ſpiritualiter vſu venit in hoc ſanctiſſimo ſacramento. Ob idque in ſacro canone dicitur ſacroſancta communio, ac proinde ſacramentum pacis & charitatis.

Licet Chriſtianis exercitibles.

Perſpice ergo quantò ſint inter Chriſtianos lites, iurgia, & bella magis nefanda, quam inter cæteras gentes, eò quòd peculiari noſtræ religionis quotidiano ſacrificio pacem profitemur, vnitatemque inuicem ſeruare. Hinc enim in vſum venit, vt qui ſe volunt arctiſſima amicitia conglutinare, eâdem inter ſe hoſtiam ſumendam diuidant.

Viaticum.

Ratione tertiæ ſignificationis futuræ fruitionis Dei, quam hoc ſacramentum præfigurat, dicitur viaticum: quia viam ſcilicet nobis ad illam felicitatem præbet: quapropter porrigitur infirmis viam vniuerſæ carnis ingreſſuris. Atque eadem ratione, inquit S. Tho. dicitur Euchariſtia, hoc eſt, bona gratia: nam vt Rom. 6. ait Paul. Gratia Dei vita æterna, vel quia continet in ſe Chriſtum, qui eſt plenus gratia, fons vniuerſorum chriſmatũ. Hæc eſt etiam huius nominis interpretatio Magiſtri Sentent. atque omnium eius interpretum. Vnde Albertus Magnus in tract. corporis Chriſti multas rationes congeminat, cur dicatur bona gratia, quas refert Cardinalis de Turrecremata ſuper can. Nihil in ſacrificijs. de conſ. d. 2. Sequuntur autem iſti ſimplicem compoſitionem ab εὖ & χάρις, quod eſt bona gratia. At verò ſi legitimam deriuationẽ conſulas, cum à verbo cadat, quod eſt Εὐχαριστέω, id eſt, gratias ago, Εὐχαριστία, idem eſt quod gratiarum actio. Quare forſan non ſic dicitur tam ob beneficium, quod nos illic recipimus; quàm quòd per ipſam ſacrificij oblationem ſummas nos Deo quotidie gratias pro vniuerſis beneficijs nobis ab illo impenſis agamus, & potiſſimè pro illo, quod eodem ſacramento recipimus: iuxta verbum Pauli ad Coloſſ. 1. Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum. Et eſt alluſio ad verbum Chriſti, qui accepit panem & gratias agens, benedixit, &c. Quare in Pſalm. 110. ante verſiculum: Memoriam fecit mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe; præmittitur. Confeſſio (ſcilicet gratiarum) & magnificentia opus eius Vt enim Deus munificentiſſimus in hoc fuit; ita & pro virili nos noſtra eum ibidem magnificamus.

Euchariſtia, ſiue bona gratia.

Vel gratiarum actio.

Notandum ergo eſt argumentum. S. Tho. ſecundum. Cum enim commune ſit omnibus ſacramentis gratiam conferre, quod nomen, Euchariſtia, deſignat, viamque ad cœleſtem patriam communire, quod ad rationem viatici attinet, & in omnibus aliquid fiat ſacrum, quod imaginem quandam habet ſacrificij, & in omnibus fideles communicent, quod nomen ſynaxis ſonat, nihilominus nomina, quæ omnibus quodammodo ſunt communia, propter excellentiam huius ſacramenti ei peculiariter per antonomaſiam attribuuntur.

ARTICVLVS V.

Vtrum inſtitutio huius ſacramenti fuerit conueniens.

QVAERITVR deinde de temporis inſtitutione, & reſpondet D. Tho. hac concluſione, Conuenienter hoc ſacramentum inſtitutum fuit in cœna, quæ fuit vltima Chriſti cum ſuis diſcipulis conuerſatio. Probatur tripliciter. Primo ratione eius, quod in eo continetur, quod eſt Chriſtus ipſe. Decuit enim, vt quando ſe in propria ſpecie a diſcipulorum conſpectu ſubtracturus erat; tunc in ſacramentali ſpecie ſeipſum eiſdem relinqueret, quemadmodum in abſentia imperatoris, veneranda eius imago exhibetur. Vnde Euſebius Emiſenus can. Quia corpus. de conſ. d. 2. Quia corpus, inquit, aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, neceſſe erat, vt die cœnæ ſacramentum corporis & ſanguinis ſui conſecraret nobis, vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium. Secundò. Fides Chriſti fuit ſemper ad ſalutem neceſſaria, ſecundum illud ad Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius: oportuit ergo omni tempore apud homines eſſe aliquid repræſentatiuum dominicæ paſſionis: cuius in veteri quidem teſtamento præcipuum ſacramentum erat agnus paſchalis. Ob idque ait Apoſt. 1. Corinth 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Succeſſit ergo in nouo teſtamento Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt rememoratiuum præteritæ paſſionis, ſicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Et ideo conueniens fuit, vt imminente paſſione celebrata priori cæremonia, nouum ſacramentum inſtitueretur. Vnde Leo papa dicit, quòd vt vmbræ cederent corpori, antiqua obſeruantia nouo excluditur ſacramento: hoſtia in hoſtiam tranſit: ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur. Tertiò, quia ea, quæ vltimò dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur: præſertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos: ea verò ad quæ magis afficimur profundiùs animo imprimuntur. Quia igitur (vt beatus Alexander papa dicit can. Nihil. de conſec. diſt. 2.) nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt, ideo vt in maiore veneratione haberetur, Dominus in vltimo diſceſſu ſuo à diſcipulis, hoc ſacramentum inſtituit. Et hoc eſt, quod Auguſt. dicit in libro reſponſionũm ad Ianuarium: Saluator, quo vehementius commendaret myſterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat.

Sacramentum Euchariſtiæ fuit in vltima cœna conuenienter inſtitutum.

1. ratio.

2.

3.

Expoſitio articuli.

Tria queri poſſunt circa tempus inſtitutionis Euchariſtiæ.

De tempore inſtitutionis ſacramenti Euchariſtiæ trina eſt quæſtio. Prima enim eſt, vtrum inſtitutum fuerit in cœna. Et hæc inpræſentiarum diſſoluitur. Secunda, vtrùm illa cœna fuerit facta quartadecima luna, quando Iudæi fermentato non vtebantur; an verò tertiadecima præcedenti. Et hæc diſputabitur quæſt. ſequenti, articulo quarto. Tertia verò, vtrum inſtitutum fuerit inter cœnandum, an verò cœna facta. Et hæc diſputabitur d. 12. quæſt. 2. artic. 2. De forma verò & modo, quibus Chriſtus conſecrauit, dicemus diſt. 11. quæſt. 1. quæ eſt de forma huius ſacramenti. Vbi explicabitur, vtrum prius conſecrauit, quàm diſcipulis ſpecies porrexerit, an verò porrigendo conſecrauerit: nam dixit: Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Attamen vtrum ipſi inſtitutioni ſacramenti ibidem præceptum adiunxerit, vbi dixit: Hoc facite in meam commemorationem, ead. diſt. 12. artic 11. inter agendum de præcepto ſumptionis explicabitur: videlicet, quemadmodum Eccleſiæ præceptum indixerit conſecrandi, quod quidem munus ſacerdotibus incumbit. Concluſio ergo præſentis articuli nullam ſecum adfert ambigendi occaſionem. Eſt enim propoſitio de fide non tantum in concilio Viennenſi clemen. vnica, & reliquijs, & venera. ſanctorum ſuſcepta, verum & in Euangelio Matthæi 26. & Lucæ 22. expreſſa, & ab Apoſt. 1. Corinthiorum decimo relata, & ab Eccleſia vſu vniuerſali confeſſa, vbi ait: Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, &c.

1. Argu. S. Thomæ,

Sed arguit tamen Sanctus Thomas primo loco. Per baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio, recipimus eſſe ſpirituale, vt 2. ca. Eccleſ. hierarc. ait Dionyſ. Secundum autem Philoſophum 2. de generatione, ex

eiſdem

eisdem nutrimur & sumus: ergo non opus erat nouum nutritionis sacramentum institui. Respondetur, quòd quamuis ijsdem nutriamur, & simus; (quare eadem est gratia, secundum substantiam omnium sacramentorum) tamen idem esse per generationem suscipitur, & per nutritionem conseruatur: & ideo propter hos diuersos modos institutus est baptismus, quo regeneramur in Christo; & Eucharistia, per quam manducamus Christum.

Secundò arguitur. Per hoc sacramentum homines incorporantur Christo ceu membra capiti: Christus autem fuit vniuersorum caput, qui ab initio mundi, nati sunt: ergo institutio huius sacramenti non debuit vsque ad Dominicam cœnam differri. Respondetur quod cum sit perfectum sacramentum Dominicæ passionis, tanquam ipsum Christum continens, non potuit institui ante incarnationem, sed tunc eadumtaxat sacramenta locum habebant, quæ erant eius figura.

Non decuit institui hoc sacra. ante Christi incarnationē.

An saltem potuerit.

Animaduerte hanc rationem in omnibus sacramentis, quatenus instrumenta sunt passionis Christi, verificari. Videtur tamen hic sanctus Thomas nescio quid particulare huic sacramento adscribere: videlicet, quod quia corpus Christi continet, non potuit antea institui, quàm ipsum corpus Christi realiter existeret. Tamen Scot. in 4. dist. 10. quæst. 4. arguit, & asserit, Deum potuisse hoc sacramentum ante Christi incarnationem instituere, vt esset tam verum quàm nunc & quantum ad significationem, & quantum ad rem contentam. Respondetur autem, hanc negationem Diui Thomæ non intelligi de potentia Dei absoluta. Haud enim negatur, potuisse Deum eisdem verbis virtutem tribuere conuertendi panem in corpus Christi, quanquam non fuisset ex virgine natus, neque alicubi naturali modo existeret; sed intelligitur de potentia Dei ordinaria. Secundò respondetur, quòd significatio huius sacramenti non tantùm refertur ad corpus illic contentum, verùm est memoriale corporis Christi passi, iuxta verbum ipsius Christi. Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Quam vtique significationem ante ipsum patibulo suspensum, nullatenus habere potuit.

3. Sed ex hoc exurgit tertium argumentum. Sequeretur, quod nec in cœna potuerit institui, quia tunc non erat passio exhibita. Respondetur, quòd instituebatur tunc, vt in futurum esset memoriale passionis. Quod quidem designauit Christus ipse dicens: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

4. Postremò arguitur. Per baptismum ordinamur in Eucharistiam, vtpotè quæ non nisi baptizatis concedatur: sed baptismus institutus fuit post passionem & resurrectionem, vt patet Matth. vlti. ergo Eucharistia non debuit ante passionem institui. Duo assignat Diuus Thomas responsa, quæ sic possunt distingui. In institutione sacramenti intelligitur & tempus, quo virtutem accipit, & obligandi præceptum. Si ergo præcepta consideres, Eucharistia præcessit baptismum; nam in cœna dictum est: Hoc facite in meam commemorationem: post resurrectionem verò. Ite, &c. baptizantes eos. Et huic quadrat prior ratio: videlicet, quòd cum finis qualis est Eucharistia, sit prior in intentione, debuit eius mandatum antecedere. At verò quantum ad virtutem collatam sacramento, baptismus (qui vt dictum est, est inchoatio vitæ) debuit prius institui, atque ea propter fuit institutus in baptismo Christi, cuius etiam vsus, institutionem Eucharistiæ præcessit.

Vtrius institutio præcesserit, baptismi, an Eucharistiæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm agnus paschalis fuerit præcipua figura huius sacramenti.

IN isto articulo præsupponit D. Thom. hoc sacramentum ob arcanorum exuberantiam, sicut plurib. nominib. nuncupatur, ita & plurib. figuris fuisse præsignatum. Et ideo non interrogat, nisi quæ fuerit omnium dignissima, an s. fuerit agnus paschalis. Et supposita dist. respondet quatuor conclusionibus. Tria enim est (vt supra † diximus) in hoc sacramento contemplari: nempe, id quod est sacramentum tantum, vt panis & vinum, seu eorum species, & id quod est res & sacramentum: nimirum corpus Christi verum, & quod est res tantum, s. effectus huius sacramenti.

† *art. 1. §. Hu autem.*

Est ergo prima conclusio. Quantum ad id, quod est sacramentum tantum, potissima figura huius sacramenti fuit oblatio Melchisedech, qui obtulit panem & vinum. Hanc probat Diuus Thomas argumento primo, quia fuit illic maxima similitudo materiæ.

Prima conclusio.

Secunda conc. Quantum ad ipsum Christum crucifixum, qui continetur in sacramento, figuræ eius fuerunt omnia sacrificia, in quib. animalia mactabantur, & præcipuè sacrificium expiationis, quod erat solennissimum: vbi immolabatur vitulus pro peccato sacerdotis, & aries in holocaustum, & hircus pro peccato populi, & in holocaustum alter aries, vt legitur Leu. 16. Et erat eius festum solennissimum decima die mensis Septembris, vt legitur 23.

2.

Tertia conc. Quantum ad id quod est res tantum, potissima eius figura fuit manna: effectus namque huius sacramenti est gratia, qua spiritualiter nutrimur. Et de manna legitur Sapient. 16. quod habebat omnis saporis suauitatem.

3.

Quarta concl. Agnus paschalis quantum ad hæc tria, simul præfigurabat præ omnibus alijs figuris hoc sacramentum. Probatur, nam huius quod hîc est sacramentum tantum, vt specierum panis, figura illic erat quod agnus comedebatur cum pane azymo, vt Exod. 12. præcipitur. Illius autem, quod hic est res & sacramentum, s. Christi occisi, figura illic erat & agnus & tempus: videlicet, quod immolabatur quartadecima luna, qua vtique die crucifixus fuit Christus. Quantum verò ad effectum, figura illic præcessit in sanguine agni paschalis, quo delinita sunt ab Angelo Hebræorum limina, vt illo signo, à deuastante angelo protegerentur, deque Ægyptiaca tyrannide liberi educerentur. Ex his ergo colligitur omnium figurarum significantissimam, ac subinde dignissimam præfuisse immolationem agni paschalis.

4.

Potissima figura Eucharistiæ fuit agnus Paschalis.

De figuris huius sacramenti nemo est catholicorum patrum qui ambigat. Sed Witcleff, qui veritatem corporis Christi in eo contenti abnegauit, easdem subinde figuras irridet, vt est videre apud Thomam Waldensem tom. 2. de sacram. à ca. 19. & infra. At verò Lutherus, illius hæresum hæres, multo impudentiùs (quòd suum erat Satanicum ingenium) easdem figuras exprobrat. Scripsit n. vipereum librum de abroganda missa priuata, virulentissimis scommatibus plenum aduersus hoc sacrosanctum sacramentum. Inter quæ diabolicà furia correptus, ingentissimam blasphemiam aduersus officium corporis Christi euomuit, quod D. Thom. composuit. Ait n. officium illud non nisi à summo Dei hoste conflatum; nisi sint, inquit, alicuius phreneticiaut arreptitij somnia. Ibi n. inquit, Melchisedech producitur panem & vinum offerens, producitur hœdus filiorum Israël immolatus, panis subcinctitius Heliæ, carnes Iob, manna patrum, Isaac immolatus, tanquam Eucharistiæ figuræ. Et addit, Mirum, quòd asinam Balaam, & mulam Dauid, ille asinus & mulus (scilicet D. Thom.) prædictis historijs non intexuerit. Perpende impiam impudentiam hominis, & inuerecundissimam blasphemiam, quam diabolus, nisi Lutherana effigie personatus, expuere non fuisset ausus. Debacchatur enim non modo aduersus pientissimum Thomam, verùm & aduersus orthodoxam Ecclesiam, quæ illud officium singulari Spiritus sancti nutu conflatum censet. Quod adeò per Vrbanum quartum pontificem maximum inter sacra decreta relatum est. Is n. pontifex in cle. vnica. de reliquijs, & veneratione sanctorum, solēnitatem corporis Christi instituit, idemq; officium cantari iussit. Quod profecto adeò est oraculis vtriusque testamenti typisque consertum, adeoque ibidem figuræ veritatibus, veritatesque figuris concinne resonant; vt non nisi sancti flaminis symphoniam, Angelorū concentu intonatam dixeris. Sed phanaticus ille dæmoniaco spiritu plenus, nescivit hostis esse Ecclesiæ, nisi bellum simul D. Thom. indiceret. Et nisi asinus ipse iumentum esset Belial, nunquam asinam Balaam cachinando ad hoc propositum induxisset, eodemque nomine D. Tho. subnotaret. Figuræ etenim quas hic & illic D. Thom. enarrat, non tantùm sanctorum patrum autoritate fulciuntur, sed sunt de media sacra pagina depromptæ. Appellat n. Psaltes, Psal. 109. Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quam prophetiam Paul. ad Hebræ. 7. edisserens ait, in eius figuram Abraham, vt legitur Gen. 14. in cuius

Expos. art.

Vvicleff & Lutherus Eucharistiæ figuras irridens.

Officium venerabilis sacrum.

Quæ tamen ex scripturis manifestè probantur.

Oblatio Melchisedech.

lumbis

lumbis adhuc gestabatur sacerdotium Mosaicum, quod de eius propagine erat procreandum, decimas obtulisse sacerdoti Melchisedech, qui offerens panem & vinum tanquam sacerdos Dei Altissimi, eidem Abrahæ benedixit; ad denotandum, quòd sacerdotium Leuiticum erat in Christi sacerdotium transferendum. Cur ergo oblatio Melchisedech non idonea existimetur figura oblationis Eucharistiæ? Quare Damas. li. 4. c. 14. & panes propositionis, qui, vt legitur Leuit. 24. erant super mensam sanctuarij, eius ait sacramenti fuisse vmbram. Sed, quòd & expiationis sacramentum (quoniam pontifex semel in anno cum sanguine in sancta sanctorum intrabat) sacrificij Christi figura fuisset, quod per proprium sanguinem in cruce celebrauit æterna redemptione inuenta, consideratissima ratione Pau. ad Hebr. 9. docet. Quare cum hoc sacrificium illius sit memoriale, nihil mirum si eidem eadem adaptetur figura. Vnde ait Pau. 1. Cor. 10. omnes eandem escam spiritualem manducasse, & potum bibisse. Bibebant autem, inquit, de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Vbi fit allusio ad manna, quod Deus legitur de cælo misisse patrib. in deserto. Exo. 16. & ad aquam, quæ exiuit de petra, quam Moyses virga percussit. Nam simili forma postquam nos in baptismo mare transiuimus, vbi nostra delicta suffocauimus; labores & pericula deserti (nempe sæculi huius) refectione istius sacramenti roborati toleramus, quousque cælestem patriam nobis promissam intremus. Quinuero & Christus ipse redemptor Io. 6. eandem allusionem attulit dicens: Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, &c. quoniam non dabatur nisi in sustentationem temporalis vitæ, quæ suapte natura mortalis est. Et subdit. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Nimirum, quod hic cibus alimentum est spiritualis vitæ, quæ per se est sempiterna. Et quòd agnus paschalis typus extitit huius sanctissimi sacramenti, quod est pascha nostrum, expresse docet Paul. 1. Cor. 5. vbi ait, Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis synceritatis & veritatis. Et quòd immolatio Isaac, quam pater eius Abraham Dei iussu adornabat, vmbra fuerit immolationis Christi, ac subinde huius sacrificij, maxima rei similitudo proclamat. Neque verò historia illa Heliæ, 3. Reg. 19. vbi refertur fortitudine subcineritij panis, iter quadraginta dierum, vsque ad montem Dei Oreb sustinuisse; ineptum profectò præsagium fuit diuini huius sacramenti: vbi panis viuus de cælo descendens sub cinere nostræ mortalitatis coctus, nobis porrigitur. Cuius alimonia curriculum huius mũdi peragimus, quousque ad cælestem montem Dei perueniamus.

Quinuerò præter figuras scriptæ legis in statu ipso naturæ integræ nonnulla imago huius sacramenti præfuit, vt Innoc. li. 4. de officio missæ cap. 44. pulchrè adnotauit. Plantauit enim Dominus in illo paradiso, præter cæteras arbores, lignum scientiæ boni & mali, cuius pomum causa fuit nostræ mortalitatis: atque alterum lignum vitæ, cuius fructus perpetuare vitam edentium poterat. De illo namque ligno dictum est: In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris; de hoc autem sacramento ait Christus: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. De illo pollicitus est dæmon hominibus, quòd edentes futuri essent sicut dij: in hoc autem sacramento Deum factum hominem manducantes, efficimur quodammodo diuinitatis participes. Vnde sicut contra illam mortem institutus est baptismus regenerationis; ita & instar illius ligni vitæ, institutum est hoc refectionis sacramentum, ad eandem spiritualem vitam sustentandam. In illo namque datur nobis Christus in vitam; in hoc verò in alimentum. Ob idque similibus verbis dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Et: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vnde vt in lege quoque Euangelica figura eorundem sacramentorum eluceret, ambo de latere Christi pendentis in cruce sub forma aquæ & sanguinis promanarunt. Extant dist. 2. canones multi sanctorum Patrum quibus iste figurarum ordo contexitur, vt can. Re vera. Ambrosij de manna. Et cano. Quid sit. Gregorij de agno typico.

Panes propositionis.

Sacrificium expiationis.

Manna de cælo & aqua de petra.

Agnus Paschalis.

Immolatio Isaac.

Panis subcinericius.

Lignum vitæ.

DISTINCTIO NONA.

DE MATERIA HVIVS SACRAMENTI, DEQVE EIVS CONVERSIONE IN CORPVS ET in sanguinem CHRISTI.

Cap. 1.

Materia Euchar. est panis triticeus.

MATERIAM huius sacramenti esse panem & vinum, sacra nobis testatur historia, quæ apud Matthæum refert, quemadmodum in cœna acceperit Iesus panem, quem benedixit & fregit dicens: Hoc est corpus meum: similiter & calicem. Vnde cum nomine panis simpliciter triticeus intelligatur, illa est apta materia. Quare Christus Ioannis duodecimo grano se frumenti comparauit, dicens: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Atqui cum ipse in azymo consecrauerit, consequens fit, vt in eodem sit nobis consecrandum; non quòd sacramenti necessitas hoc exigat: nam & Græci in fermentato verè consecrant, sed quòd præcepti obligatio ad id, Latinos perstringat. Vnde Honorius tertius de celebr. missa. capit. Litteras. officio & beneficio illum sacerdotem priuari iussit, qui in scypho ligneo & pane fermentato celebrare præsumpserat.

Cap. 2.

Vinum de vite.

Modicum aquæ.

Similiter & vinum vitis necessarium est, cui se ipse Christus comparauit. Ego enim, inquit, sum vitis vera. Vnde post calicis consecrationem apud Matthæum subdit, Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque ad diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum, in regno patris mei. Est autem aquæ perquàm modicum, quæ vna cum sanguine de eius latere pendentis in cruce exiuit, calici admiscendum, quod possit in vinum conuerti. Quocirca Alexander Papa de consecrat. distinct. secunda, In sacramentorum, inquit, oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, panis & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Permixtio autem huiusmodi, vt de azymo prædiximus, sic præcepto Ecclesiæ iussa est, vt tamen de necessitate sacramenti minimè sit. Subnectit namque Cyprianus ead. distinct. cæno. Scriptura, Si aliquis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non obseruauit, vt aquam vino misceret in sacramento; potest simplicitati eius venia concedi. Quæ quidem venia, si mixtio illa fuisset sacramento necessaria, non fuisset concessa.

Cap. 3.

Panis & vini transubstantiatio.

Ea autem diuina virtus in Christi verbis inest, vt eorum prolatione ceu adminiculario Dei instrumento, panis in verum eius corpus, vinumque in verum eius sanguinem conuertantur: atque adeò sic conuertantur; vt nihil prorsus earundem creaturarum, præterquam sola, quæ apparent, accidentia, illic permaneat. Qua ratione, vt nos Innocentius Papa

de sum-

de summa Trinitate & fide Catholica orthodoxè loqui docuit, eiusmodi conuersio transsubstantiatio, quæ verè est, dicitur. Quo fit, vt corpus & sanguis non tàtùm in figura, vt peruersi hæretici prædicant; sed veraciter, in hoc sacramento sub sensibilibus speciebus contineatur: iuxta verbum eiusdem illic sancti pontificis. Corpus enim, inquit, Iesu Christi, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstãtiatis parte in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina. Hæc autem Catholica veritas non solum Ecclesiæ testimonio fulcitur, verum & ipsissimis Christi verbis fundatur, Hoc est corpus meum. Et: Hic est calix sanguinis mei, quæ proprio, vt iacent, sensu accipienda sunt. Haud scilicet in figura, sed in veritate iuxta ipsius Domini nostri sententiam: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Vnde Hilarius Papa: De veritate, inquit, carnis & sanguinis Christi in sacramento non est relictus ambigendi locus. Et exaggeratissimè Ambrosius libro sexto de sacramentis. Sicut, inquit, verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris: ita vera Christi caro (sicut ipse dixit) est, quam accipimus, & verus eius sanguis est potus. Meritissimò ergo Berengarius ille huius veritatis hostis, frequentibus Ecclesiæ synodis condemnatus, compulsus demum fuit confiteri non solùm in figura, sed in veritate corpus & sanguinem Christi esse in hoc sacramento, manibusque sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.

Veritas corporis Christi in Euchar.

Ambrosius.

Berẽgarius.

Cap. 4.

Panis & vinum non annihilantur.

Fit ergo ex his consequens, substantias panis & vini sic omnino totas per conuersionem esse desinere, vt tamen non annihilentur: quandoquidem non in nihilum rediguntur, sed illo momẽto, quo primùm perfecta est verborum prolatio, panis cõuertitur in corpus; & vinum in sanguinem: ita vt verum sit, non quidem substãtiam, quæ erat panis, esse postea corpus: quia panis non potest esse corpus Christi, sed ex pane fieri corpus, & ex vino sanguinem.

DISTINCTIONIS NONÆ.

Quæstio prima.

DE MATERIA EVCHARISTIÆ.

S. Thom. 3. par. quæst. 74.

ARTICVLVS I.

Vtrùm materia huius sacramenti sit panis & vinum.

PRAEMISSA definitione de necessitate & institutione huius sacramenti, proximum est quærere de eius materia. Haud enim in hoc Eucharistiæ tractatu possumus non plurimum ab ordine Magist. sentent. differre. Tractat namque de materia in dist. 11. cum tamen, quia fundamentum est totius tractatus, ante conuersionem & reliqua debeat hîc in foribus præponi. Et sermo de forma, quem 8. d. ipse præmisit, differendus est vsque ad dist. 11. Qui quidem ordo, vt videbitur, est luculentior. Igitur D. Thom. prænarratis erroribus tribus, constituit Euangelicam conclusionem. Fuit enim primus error circa materiam Eucharistiæ (vt Aug. lib. hæresum refert) quorundam, qui Artotyritæ ob id dicebantur, quòd panem cum caseo in materiam Eucharistiæ commaslabant. Ἄρτος enim panis est, & Τυρὸς caseolus. Fundabant enim errorem suum in oblatione primorum fratrum, Cain & Abel, quorum alter panem obtulit Deo, alter verò de pinguedine ouium. Secundus error fuit eorum (vt idem August. eo. lib. c. 26. scribit) qui Cataphrygæ dicti sunt, & Peputiani, qui farinæ sanguinem infantis miscebant, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extrahebant, vt illo modo sanguinem Christi, qui de eius latere fluxit, atque adeò eius passionem ad viuum repræsentarent. Tertij verò fuerunt Aquarij, qui aquam puram consecrabant, idque sobrietatis gratia: nam vinum, quod inebriare potest, indignum reputabant, quod in vsum tanti sacramenti veniret.

Artotyritæ.

Cataphrygæ & Peputiani.

Aquarij.

Contra hos autem errores statuitur Euangelica conclusio. Panis & vinum sunt materia conueniens huius sacramenti. Quam quidem conclusionem esse catholicam fidem ipsa eadem res gesta Christi satis comprobat. Legitur enim Matth. 26. quòd accipiens panem benedixit ac fregit, dicens: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Et consecrato calice subiunxit: Dico vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque ad diem illum, quo illud bibam vobiscum in regno patris mei. Eidem autem orthodoxæ veritati subijciuntur quatuor congruentes rationes. Primò enim quantum ad vsum sacramenti materia hæc fuit conueniens; quia huius sacramenti vsus est manducatio & potus: vnde sicut in vsum baptismi; quo à peccatis abluimur, assumpta est aqua, in qua secundum vniuersalem vsum humanum fit ablutio; ita & in vsum huius sacramenti assumuntur panis & vinum, quæ vniuersaliter in refectionibus & præsertim viatorum, quorum est sacramentum istud, vsui esse solent. Secundo quantum ad passionis repræsentationem congruum fuit corpus per se, sanguinemque seorsum consecrare, eo quod sanguis non continuatur corpori; atque adeo in passione ab ipso corpore fuit separatus. Quare corpus consecratur sub forma panis tanquam cibus, & sanguis sub forma vini, tanquam potus. Tertiò quantum ad singularem effectum in vnoquoque sumentium id etiam fuit congruens: nam vt Ambrosius super epistolam ad Corint. ait, hoc sacramentum valet ad tuitionem corporis & animæ: & ideo corpus sub specie panis pro salute corporis; sanguis verò sub specie vini pro salute animæ offertur. Vt enim Leuitici 17. legitur: Anima carnis in sanguine est. Hanc verò rationem non sic intelligas, vt corpus non prosit ad salutem animæ, aut sanguis non prosit ad salutem corporis. Sed est quædam adaptatio & attributio corporis ad corpus, & sanguinis ad animam. Quartò quantum ad effectum totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diuersis fidelibus, sicut panis ex diuersis granis conficitur, & vinum ex diuersis vuis exprimitur, vt ait glossa Augustini super illud 1. Cor. 10. Multi vnum corpus sumus, & refertur de cons. dist. 2. can. quia corpus.

Conclusio affirm.

Rationes propter quas panis & vinum sint materia Euchar.

1.

2.

3.

4.

Hic D. Th. inter hæreses, materiæ Eucharistiæ contrarias, obscœnam illam & nefandissimam Manichæorum silentio præterit, quam D. August. lib. hæresium capit. 46. refert, qui cùm omne alimentum immundum existimarent, humanum semen ad panis expurgationem ei commiscebant, qui erat consecrandus. Id quod animus audire exhorret. Has atque alias hoc genus hæreses refert Thom. Wal. tomo 2. de sacramentis capit. 19. Cæterum conclusio huius articuli confessio orthodoxa est. Vt enim Matth. 26. & Marci 14. & Lucæ 22. refertur, Christus in pane & vino consecrauit. Quapropter Ioann. 6. non alij alimento quàm panis, se comparauit, dicens: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Accedunt & canones quamplurimi de cons. di. 2. vt ille primus Alexandri, quem hic citat sanctus Tho. scilicet in sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, panis & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur. Idemque habetur in can. Non oportet. Quare in canon, Sicut. reprehendit Cyprianus tertium errorem hic citatum: scilicet, quòd sola aqua sine vino consecretur. Et in can. In sacramento, sancitur, vt nihil præ-

Expositio articuli.

Manichæorum error circa materiã Euchar. Proponitur arg. contr.

ter pa-

ter panem, aquam, & vinum adhibeatur, contra alios errores admiscentium cum pane, vel sanguinem, vel caseum. Item habetur extra de summa Trinit. cap. Firmiter. & cap. Cùm Marthæ. de celebra. miss. & in concilio Florentino. Vt autem simul omnes ambiguitates de pane & vino articu. 3. perfractemus, à longiore disputatione hic abstineamus.

1. Argum. S. Tho.

Sunt ergo argumenta S. Thom. facillima. Primum quidem, quòd cùm hoc sacramentum sit passionis Christi memoriale, & carnes animalium, quæ in lege veteri immolabantur significantiùs eandem passionem repræsentent; carnes potiùs quàm panis & vinum essent consecrandę Pro solutione huius aduertendum est: Christum in carne instituere sacramentum, duobus modis cõtingere potuit. Vno modo in ipso Christi vero corpore. Atque altero in carne alius animalis. In suo quidem proprio non fuit possibile: nam præterquam quòd est gloriosum, ac perinde incorruptibile, quamuis relinqueret illud mortale; horribile esset carnes comedere humanas, nec posset deglutiri totum, nec crudum, & tandem consumeretur, compluraque alia subsequerentur absurdissima. Atque isto stupore tenebantur discipuli apud Ioan. ca. 6. dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Si autem materia institueretur caro alterius animalis, multa etiam subsequerentur indecentissima. Primum, quòd cùm Christiani profiteamur veterem legem cessasse, incongruum esset immolationes animalium instar illius legis imitari. Præterea, quia caro mortua de se non dicit cibum humanum: sed est quædam res naturalis. Insuper crudæ non possent sumi: abhorret enim animus quod cerneret oculus. Nec aliæ aut elixæ possent in ea decentia tractari & conseruari, qua panis. Et ideo respondet S. Tho. quòd etsi carnes expressiùs corpus Christi occisum repræsentent; non tamen sunt ita idoneæ ad sacramenti vsum, vt panis: qui si non corpus Christi, saltem effectum, qui est Ecclesiæ vnitas, congruentiùs (vt modò dictum est) repræsentat. Vnde Augustt. de conse. di 2. can. Vtrùm. Nihil, inquit, rationabilius, quàm vt sanguinis similitudinem (scilicet sub specie vini) sumamus; vt ita & veritas non desit, & ridiculum nullum fiat à paganis: quia cruorem occisi hominis bibimus. Auget etiam res hæc meritum fidei, dum aliud ibi creditur quàm cernitur; & aliud ibi cernatur, quàm credatur. Hac enim de causa, vt ait Innoc. ea. Cùm Marthæ. de celebr miss. appellatur sacramentum hoc, mysterium fidei.

Quare huius sacram. materia nõ debuit esse caro.

Secundum.

Secundò arguitur. Sacramentum hoc vbique est celebrandum, non tamen vbique panis copia, & præsertim vini habetur: alia ergo esset conuenientior materia, quæ vbique reperiri posset, vt aqua baptismi.

Tertium.

Tertiò, quòd cùm sit etiam infirmis exhibendum, quibus sæpe vinum noxium est, aptior esset aqua. Ad secundum autem non respondet sicut de confirmatione, quòd non est sacramentum adeò necessarium; sed quod panis vbilibet & vinum quoque per vecturam haberi potest, quantum ad hoc sufficit sacramentum. Et re vera vini penuria in nouo occidentali orbe molesta fuit in initio, cuius causa sæpe sacramentum non consecrabatur, quamuis (vt fertur) nunquam omnino defuerit. Addit veruntamen D. Thom. quod vbi altera defuerit materia, neutiquam altera sola consecranda est; videlicet, vt panis vbi non est vinum, vel vinum vbi non est panis, consecretur. Esset n. hoc immane sacrilegium, atque adeò nullam ob causam committendum, eo quod sacramentum maneret imperfectum.

Nunquam est consecrãdum in altera specie tantum.

Sciscitaris autem vtrum si aliqua regio religionem nostram susciperet, vbi vinum nulla arte aut diligentia haberi posset; ob illam extremam necessitatem ne Ecclesia illo tanto sacramento orbata esset, dispensari posset, vt in solo pane fieret consecratio.

Innoc.

Quæstionem mouet Inno. 3. lib. 4. de officio missæ c. 23. & recensет opinionem adstruentium; quod si panis consecrari attentaretur sine vino, consecratio non esset valida, neque si vinum consecraretur sine pane. Est tamen assertio absque vllo fundamento prolata. Consecratio namque vtriusque per se speciei absoluta actio est; non dependens ab altera, quandoquidem forma absolutè enunciat, hoc esse corpus, sine dependentia de futuro. Et pariter forma calicis est absoluta affirmatio, sine dependentia à præterito. Quæstio autem solum est de præcepto, vtrum esset peccatum vnum absque altero consecrare. Ad quod Innocentius respondet quod grauiter offenderet, qui id attentaret. Sed de dispensatione nihil respondet. Quapropter affirmare id non auderem: quia res nusquam audita est, vt hoc sacramentum dimidiari fuerit permissum. Haud enim tunc significatio integræ refectionis seruaretur. Ad tertium denique respondetur, quòd modicus vini haustus nequit infirmo nocere, præterquam quòd (vt infra † monstrabitur) non est laicis sacramentum sanguinis ministrandum.

Quanquam si attetetur, consecratio sit valida.

† *d. 12. q. 1. a. 12.*

ARTICVLVS II.

Vtrum requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti.

CONSTITVTA substantia materiæ, sequitur de eius quantitate, quanta esse debeat. Et S. Thom. reiecta opinione contraria subijcit conclusionem veram. Fuerunt enim qui existimarent sacerdotem non posse quantamcunque quantitatem panis, vt totam, quæ venditur in foro, aut quantumcunque vini est in dolio, consecrare. Contra quos constituitur conclusio hæc. Non potest dici quòd quantitas huius materiæ sit determinata. Probatur, quoniam multum pauco opponitur: nequit autem esse tam parua quantitas quæ consecrari non possit: ergo neque vlla est tam magna, vt consecrationi non sit idonea. Sed ad rem propriè arguitur. In rebus omnibus materiam habentibus ratio eius ex ordine ad finem sumitur: sicut enim materia serræ ferrum est, eò quòd illi vsui est aptissimum; & materia nauis lignum: ita & materia vtriusque tanta esse debet, quantam vsus & serrandi & nauigandi requirit. Cum ergo finis huius sacramenti sit fidelium vsus, tanta est consecranda materia, quantus est fidelium numerus. Neque verò quantus est modò præsens: alioqui sacerdos, cui pauci parochiani subduntur, nequiret maiorem hostiarum multitudinem consecrare: ergo materia determinatur per comparationem ad fidelium vsum absolutè, quorum numerus non est definitus: nam quocunque fidelium numero dato, qui sumere possunt, adhuc potest dari maior, atque adeò maior consecrari materia. Et ideo materia quæ consecrari potest, non est determinata.

Conclusio est neg.

Expositio articuli.

In hac elucidanda quæstione primum distinguendum est inter id, quod sacerdotibus iure licet, vt non peccent; atque id, quod si faciant ratum est & solidum. Si enim quis quantum panis est in foro consecraret, scelestissimum sacrilegium committeret, propter periculum: quia non posset debita veneratione & secundum Ecclesiæ ritum consumi, quod in solutione secundi tangit D. Thom. Vtrum verò consecratio esset valida, hoc disputamus. Atqui de quantitate materiæ tam secundum paruitatem disputatur, quàm secundum magnitudinem. Vtramque vero quæstionem ex alia pendere censeo, quæ ideo ambabus est præmittenda. vtrum, s. materiæ præsentia necessaria sit ad consecrationem. Ioannes quidem Maioris est qui rem in dubium euocat. Ait n. in 4 d. 11. q. 2. artic. 2. sacerdotem posse hostiam, quam à tergo habet, atque adeò illam, quæ trans parietem est consecrare. Eaque sola ratione id probat, quod dum aceruum hostiarum consecrat; ad illam etiam consecratio peruenit, quæ subtus alijs latet, atque adeo potest illa quæ sub corporali occultat, consecrari. Et eadem ratione posset vinum, cooperto calice transsubstantiare.

An materia, vt consecretur, debeat esse præsens.

1. arg. partis neg.

Possumus autem alias huic adhibere rationes. Arguitur enim secundò. Res sacramentales non debemus sine necessitate coarctare: quòd autem nulla necessitas vincat, vt materia consecranda sit præsens probatur, quia vel mouere nos deberet exemplum Christi, qui non nisi præsentem materiam consecrauit; & hoc non: quoniam ipse consecrauit panem, quem discipulis porrigebat: presbyter autem potest consecrare hostiam, quam nec ipse sumpturus sit, neque alijs exhibiturus, vel præsentia materiæ ex ipso tenore formæ conuinceretur, Hoc est corpus meum. Et: Hic est calix, &c. vbi pronomen, hoc, demonstrare videtur rem præsentem. Sed neque hoc rem concludit. Nam secundùm dialecticos præter demonstrationem ad sensum, est alia intellectualis rei absentis: faciunt enim ad intellectum inductionem rei nunquam visæ; vt, Hæc phœnix solitariè viuit (nisi fabula sit, vt Plin. lib. 10. ait) & hæc phœnix solitariè viuit, &c. ergo natura phœnicis est solitariè viuere. Tertiò. Res dicitur præsens dum sensu

2.

3.

percipitur:

Digitized by Google

percipitur: potest autem presbyter materiam quam non videt nec tangit, consecrare. Novi enim Tridenti antistitem cæcum dispensatione pontificis, sacrum quotidie facientem: ergo eadem ratione potest absens materia consecrari. Ad hæc tandem accedit, quòd secundùm quosdam forma consecrationis tenetur materialiter & narrativè, & tunc certè non requireret materiam præsentem, quia pronomen non demonstraret illam subiectam. Postremò arguitur. Si præsentia requireretur, deberemus eam aliqua distantia loci metiri: at qua ratione possumus vsque ad pedalem distantiam consecrare, possumus & vsque ad distantiam cubitalem, atque adeò si per decem vel viginti passus distaret.

4.

5.

Affirmativa conclusio.

His tamen non obstantibus constituitur affirmativa conclusio, quòd requiritur materiæ consecrandæ præsentia. Quam vtique conclusionem Diuus Thomas licet non hic, tamen in 4. distinctio. vndecima, quæstione secunda, articulo primo, quæstiuncula tertia adstruit, probatque ratione præfata: scilicet; quod nisi materia esset coram sacerdote, tunc forma propter demonstratiuum pronomen, esset falsa. Cui tamen rationi adiungitur Ecclesiæ vsus, qui nunquam fuit materiam absentem consecrare. Tertio, quia sequeretur posse presbyterum Salmanticæ hostiam, quam certa reuelatione nosset Segobiæ existere, consecrare: quod manifestam habet falsitatem.

Requiritur præsentia moralis.

Quod si roges, qualis præsentia requititur; respondetur per secundam conclusionem, illam scilicet exigi, quæ more & vsu hominum præsentia rei censetur, vt eius fiat demonstratio per pronomen, Hoc: est enim hoc sacramentum hominibus in eorum vsum collatum: quare humano more est facienda demonstratio. Quo fit, vt à tergo, vel post parietem fieri nequeat consecratio, neque si attentaretur, esset valida: quoniam illa non reputatur præsentia.

Ad 1. arg. in contrarium.

Igitur ad primum argumentum respondetur, quod dum congeries hostiarum consecratur, tota illa multitudo reputatur præsens; ac perinde consecratio pertingit ad formulas etiam quæ subtus occultantur, etiam si aliquo operculo essent contectæ: dummodo certus esset presbyter illic subesse hostias. Neque opus est, vt numerum illarum nouerit. Et idem est de operto calice: quare si presbyter putet vinum, quod ipse egregium posuerat, consecrare; non sit illud tamen, sed aliud; firma est consecratio: quia intentio non debet esse conditionalis, sed absoluta consecrandi hoc, vt forma sonat. *Ad 2.* Ad secundum respondetur non solùm ob Christi exemplum, verùm & ob ipsum demonstratiuum pronomen, requiri præsentiam. Et quamuis dialectici demonstratione vtantur intellectuali & imaginaria, hæc autem, quia præsentiam materiæ ad operandum designat, requiritur vt sit practica & sensualis.

Ad 3. Ad tertium respondetur, præsentiam rei sensu aliquo percipi: scilicet aut visu, aut tactu, aut olfactu, & c. quare cæco permittere consecrare, periculosum est: neque verò sine dispensatione licet. Vbi autem fit dispensatio, potest tactu, vel gustu, vel olfactu, materiam percipere. Attamen quamuis nullo sensu eam deprehenderet, sed sola relatione ministri certior factus, illam consecraret; consecratio teneret. At profectò arbitror, culpa non careret.

Ad 4. Ad aliud autem de forma respondetur hoc argumentum esse non debile ad probãdum verba illa accipi personaliter, vt distinctione vndecima, quæstione prima † monstrabitur. Veruntamen quamuis acciperetur materialiter, requiritur præsentia. *† art. 5.* *Ad 5.* Ad aliam verò interrogationẽ, quanta scilicet distãtia materiæ ad præsentiam requiratur, satis responsum est, id esse humana prudentia & vsu arbitrandum.

De termino magnitudinis.

Igitur ad quæstionem de quantitate materiæ descendamus, distinguendum est de eius extremis: & vtrum versus magnitudinem detur maxima: & vtrum versus paruitatem detur minima. Et quidem quantum ad magnitudinem cesta sit regula, tantam posse consecrari, quanta arbitrio humano iudicetur præsens. Posse, inquam, vt sacramentum sit validum: nam de peccato post dicemus. Probatur, quia de essentia sacramenti non est nisi panis & vinum; & vt ratione pronominis, sit præsentia. Hinc sequitur quandoque consecrationem esse certam, quandoque verò dubiam. Certum enim est quod si quis consecraret duos, aut paulò plures cophinos panis, quos haberet coram se, consecratio teneret. Item certum est, vt in 4. ait Diuus Th. loco citato, quòd si quis vnica consecratione consecrare intẽderet omnes panes qui sunt in ciuitate, aut in foro, si esset ingens copia; quòd consecratio non teneret: quia certum est illos panes non esse præsentes. Quandoque vero res potest esse dubia, an tanta multitudo dicatur esse præsens & tunc graue esset crimen illam materiam consecrare, neque esset certum, sacramentum fuisse validum.

De distantia materiæ.

Quòd si arguas, S. Th. non ait determinari quantitatem materiæ quoad magnitudinem, nisi respectu vsus: itaque quibuscunque datis, qui possunt sacramentum sumere, adhuc potest plus consecrari materiæ, quia plures possunt sumere. Respondetur hoc verum esse ratione quantitatis, scilicet non terminari: nihilominus, quia requiritur præsentia, ea ratione datur terminus. Et idem est de distantia. Ad distantiam enim decem passuum, à qua possim hostiam videre, certa esset consecratio: ad distantiam autem centum passuum certum est consecrationem non tenere: ad mediam autem distantiam, vbi vix materia posset videri, in dubio res esset. Quando autem res est dubia, iteranda est consecratio, si dubium est rationabile.

De termino paruitatis, opinio Maioris.

At verò versus minimum, vtrùm detur tam parua quantitas, vt illa consecrari non possit, aut minor quam illa. Idem Maioris dist. 10. quæst. 1. respondet, minimam quantitatem, quæ consecrari potest, esse illam, quæ inter visibiles est minima. Itaque illa, quæ est inuisibilis, non est consecrabilis. Et ratio eius est, quòd sacramentum est sacræ rei signum, signum autem debet esse sensibile. Nihilominus contra statuitur conclusio. Quæcunque quantitas, sub qua potest conseruari panis & vinum, potest esse consecrationis materia, siue sit visibilis, siue non. Ex quo sequitur, quòd minima quantitas consecrabilis est illa, sub qua conseruatur minimum panis, ita vt si diuideretur, per solam diuisionem desineret esse panis, & pariter dicendum de vino. Conclusio hîc est S. Thomæ, & pariter in quarto, loco citato, † vbi ait, neque ad minimum, neque ad maximum terminari quantitatem consecrabilem, si modò sit panis. Et primùm de parte, quæ est toti vnita, tes nullatenus est dubitabilis: dum enim hostia consecratur, omnes eius partes infinitæ consecrantur, etiam illæ quæ sunt minores, quam minima. Est enim tunc Christus sub quantulacunque parte. Quocirca quæcunque particula inde diuideretur, si esset panis, quantumcunque esset insensibilis, contineret corpus. Quare de hoc indigne dubitat Maioris dicens, quòd si esset inuisibilis, sustineri posset; & quod conseruaret corpus virtute prioris consecrationis, & contrarium; scilicet quòd desineret illic esse corpus. Imò hoc secundum est manifestarius error: cùm species consecratæ quandiu possunt substantiam panis conseruare, conseruent & corpus. Et idem est de sanguine. Quare in ipso toto in parte etiam, quæ est minor quàm minima (putà quæ seorsum non posset separari) conseruatur etiam corpus.

Sententia S. Tho. *† sup. §. Hinc tamen.*

Maioris opinio reijcitur.

Particula etiam minima si est verè panis aut vinum valide consecratur.

At verò de parte seorsum consecrabili supereſt obscurius dubium. Sed nihilominus si verè est panis, & verè vinum, cùm id tantùm sit de substantia sacramenti, in illo verificari etiam potest consecrationis forma. Et secundò arguitur contra rationem Maioris. De ratione sacramenti hoc solùm est, quòd sit signum in sua specie sensibile, vt putà panis & vinum quæ sunt species sensibiles: quòd autem per accidens, scilicet ratione quantitatis paruæ, sit inuisibile, nihil obstat. Nam ipse fatetur, quòd potest consecrari panis sub corporali occultus, & vinum coopertum in calice. Imò quòd non requiritur præsentia. Nam, inquit, posse sacerdotem consecrare hostiam à tergo, & etiam trans parietem. Tertiò. Minimum visibile non potest certò dignosci: nam quod lippus videre non potest, lincens oculus percipit. Respondet autem debere esse minimum visibile respectu acutissimi oculi, qualem, inquit, habuit Adam. Sed contra. Si materia mihi non est visibilis, quid refert visibilem esse respectu Adæ? Præterquam quòd licet non sit visu perceptibilis, potest vel tactu, vel gustu percipi, quòd sufficit vt sit sensibilis: nam forma pœnitentiæ & matrimonij non est visibilis. Quare, vt iam supra † diximus, cæcus potest consecrare, etiam si hostiam non tangat. Quapropter si inuisibilem illam particulam angelica reuelatione adesse constaret, esset consecrabilis.

† in resp. ad 3.

1. Argu. S. Tho.

Primum argumentum San. Thomæ est. Effectus gratiæ non sunt minus ordinati, quàm effectus natu-

ræ: sed omnium natura constantium (vt ait 2. de anima Philosophus) positus est terminus & ratio magnitudinis & augmenti: ergo idem est in hoc sacramento. Respondetur quòd materia naturalis præscribitur ratione formæ, quæ non potest quantamcunque informare materiam: non enim reperitur canis elephantinæ proceritatis: numerus autem fidelium, in cuius vsum consecratur materia, non definitur ad maximum.

2. Secundò arguitur. Christus suis ministris non dedit potestatem ad irrisionem fidei & sacramentorum, secundum illud 1. Corint. 10. Secundùm potestatem, quam dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem: sed si sacerdos totum panem, qui in foro venditur, aut totum vinum, quod est in cella vinaria consecraret, irrisioni exponeret religionem: ergo eiusmodi consecrationes cassæ sunt & inanes. Negatur consequentia. Hîc namque distinguenda est potestas sacerdotis: nam altera est characteris, altera verò iurisdictionis. Illa ergo, quæ est iurisdictionis in subditos, si suspendatur vel tollatur per papam, non habet effectum. Quare sententia excommunicati vel suspensi iudicis non tenet, neque sacramentalis absolutio à casibus reseruatis. Potestas verò ordinis, quia character est indelebilis, nec impediri potest per superiorem, quin factum teneat, neque verò per iniquam cõsecrantis intentionem, si tamen consecrare velit. Bene ergo distinguit S. Th. inter effectum proprium consecrationis, & finem eius, dicens: quòd peruersio finis non tollit, quin vera sit consecratio. Data est, inquam, consecrandi potestas propter ædificationem fidelium: si autem quis consecrare intendat vel propter beneficia, vel propter irrisionẽ, vel vilipẽdium, peccabit sacrilegè. Vt si Lutherani intendẽtes facere quod Ecclesia facit, cõsecrarent hostiam, vt illam postea conculcarent (quia non credunt illic existere corpus) nihilominus consecratio teneret. Quocirca si fortè tale aliquid contingeret, vt si verbi gratia presbyter capacissimum vini dolium vel plura consecraret, vel ingentem copiam venalium panum, in primis reus ille esset immanissimi sacrilegij, cuius deberet supplicium pendere. Sed deinde cautela esset diligentissimè adhibenda, vt species illæ omni veneratione custodirentur, quousque sacramentalis sumptionis vsu consumerentur.

Quid si sacerdos proferret formam, super vinis dolij.

Sophisma Maioris.

De illo autem irridendo sophismate, quod idem Maioris ead. distinct. 11. quæst. 2. comminiscitur, si verbi gratia sacerdos intenderet consecrare omnes partes proportionales impares, intercalando pares, quod ipse falsus concedit esse possibile, illamque subinde consecrationem valere: non est dignum vt disputemus. Nam primus omnium qui id attentaret, ingentissimum committeret sacrilegium. Deinde licet posset aliquot partes atramento delineatas, vt verbi gratia primam & tertiam, & vsque ad nonam, vel paulò plures consecrare, minutiores tamen nequaquam posset: quia ad consecrationem non sufficit illa confusa intentio consecrandi partes impares, sed has in particulari certa demonstratione notatas. Vnde cum partes illæ in infinitum procedant, non possunt tali certitudine demonstrari. Præterea & ratio physica apertè reclamat: nam tunc sequeretur continuum posse diuidi in omnem suam partem, quod 5. phy. impossibile cum Philosopho demonstrauimus. Daretur vltima pars, atque adeò indiuisibilis, quod naturæ partis manifestè repugnat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur ad materiam huius sacramenti, quòd sit panis triticeus.

Conclusio affirm.

EXPEDITA materiæ quantitate, subsequitur de eius qualitate, vtrum requiratur vt sit panis triticeus. Et respondetur hac conclu. Propria materia huius sacramenti est panis triticeus. Etenim ad vsum sacramentorum, vt supra † dictum est, illa assumitur materia, quæ plurimum apud homines in talem vsum venit: at inter omnes panes homines vniuersaliùs non vtuntur nisi triticeo, nam alij in huius defectum introducti videntur: quare creditur Christum in huius specie panis, sacramentum instituisse. Accedit secunda ratio, quod hoc sacramentum est cibus viaticus, cui ideo aptissimus est panis, valentiùs cor hominis confortans, vt est in Psalmo: hoc autem robur est in tritico.

† art. 1. §. Contra hos.

Non est res scitu facilis, vtrum solus triticeus panis sit apta Eucharistiæ materia, de qua proinde variæ sunt opiniones. At vero quò certa incertis præponantur, prima assertio sit. Omnem solumque panem esse materiam sacramenti. Assertio enim hæc est Euangelica, de qua ideo nefas est hæsitare, sanè cum in Euangelio legatur Christum in pane & vino consecrasse. Quocirca quamuis concederetur esse plures species panis dummodo singulæ verè essent panes, omnes essent materia sacramenti. Theologo enim inpræsentiarum non incumbit physicè de speciebus concertare, nisi quatenus scire debet, sitne verè panis. Veluti si concederetur vinum rubeum & album differre specie, nihil referret, quandoquidem vtrumque est verum vinum.

Expositio articuli.

1. Concl.

Omnis & solus panis est materia Euchar.

Secunda affirmatio sit, quod requiritur panis de frumento. Hæc enim licet non quantum prior propositio, nihilominus fundamentum aliquod habet in Euangelio, vt hic ait D. Tho. Comparauit enim se Christus grano frumenti Ioan. 12. dicens: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Super quibus verbis ait Aug. Cũ sint multa grana frugum, nulli se cõparauit, nisi illi, vnde nos cœpit Ecclesiæ de hoc solo grano conficere corpus Christi. Quare can. In sacramento. de conse. d. 2. ex concilio tertio Carthaginensi, cauetur ne aliud in hoc sacramento offeratur, quàm de vuis & frumentis. Omnis ergo dubitandi causa hoc nos admonet, vt exploremus quid nomine frumenti intelligatur. Et quidem Plinius lib. 18. naturalis historiæ, cap. 7. duas frugum species discriminat, s. frumenta & legumina. Frumenta verò appellat triticum & hordeum. Cui consonat Isidorus lib. 17. etymologiarum ca. 3. dicens, quod frumenta sunt propriè quæ aristas habent. Et Varro de re rustica ca. 48. ait, frumentum esse illud, quod culmus extulit, putà cuius calamus spicam profert.

2.

Et debet esse de frumento.

Quid nomine frumenti intelligatur.

Sit ergo hæc tertia propositio, quæ omnibus est in confesso. Ex leguminibus nequaquam conficitur panis huic sacramento idoneus: nempe ex faba, cicere, lente, & id genus alijs. Nam quamuis hæc in cibum humanum assumantur, non tamen tanquam panis. Quapropter farinæ illorum non simpliciter, sed secundum quid dicuntur farinæ; vt farinæ fabarum, lẽtum & similium. Et multo minus fiet ex commolitis fructibus, & commassatis; puta ex amygdalis, castaneis, nucibus, radicibus, &c. Nam huiusmodi pastæ, non sunt nec propriè dicuntur panes: sicuti aqua rosacea non est aqua, vt diximus in materia baptismi † nec vinum ex malo granatis est vinum. Eadem ratione neque ex alijs, quæ in iumentorum pabulum seruntur, vt ex siliquis, quas nos garronas dicimus, aut ex eruilijs, quas arueias appellamus. Est enim sacramentum hoc in vsum humanum, tanquam panis, institutum: illa verò non sunt panes, licet egestatis causa homines illis vescantur.

3.

Quid de leguminibus.

† d. 3. §. 4.

Restat autem quærere, vtrum de omni frumento possit huiusmodi confici materia. Nam in can. citato pluraliter dicitur ex frumentis. Plinius autem loco citato frumentum ait esse tam hordeum, quàm triticum. & capite statim. 8. far etiam & siliginem, frumentum appellat. Adde quod & milium & spelta sunt etiam frumenta. Arguitur ergo quod ex omnibus possit fieri sacramentalis panis. Materia hæc non est strictiùs arctanda, quàm ex Christi facto colligitur: de illo verò solum legimus quod consecrauit in pane: ex omni autem frumento efficitur verus panis: ergo licet dentur frumenta specie differentia, ex omni potest sacramentum confici. Quemadmodum licet ipse vel in albo vel in rubeo vino consecrauerit, nihilominus vtrumque sufficit. Damascenus enim lib. 4. ca. 14. & alij sancti non dicunt, nisi quod consecrauit in pane ad naturalem comestionem apto.

Vtrùm omne frumentum possit esse materia

Partis aff. argumenta.

Secundo accedit profecto magnum argumentum, si vera est Plinij historia lib. citato, ca. 10. vbi ait Æthiopes non aliam frugem quàm milij hordeique nouisse, nam tunc concedere debemus, vel in tota illa regione non potuisse tunc confici sacramentum hoc, vel quod posset in milio & hordeo confici. Adde tandem, quod in nouo orbe occidentali, quando inuentus fuit, nullum inuentum est triticum, nisi maicium, & radices, quibus pro pane ipsi vtebantur à tritico latissimè differentibus: quare si in illis non poterat fieri consecratio, expectanda erat vectura ex nostris partibus, quæ quàm remotissimæ sunt, atque adeo multo tempore deberet regio illa tota sacramenti huius beneficio carere.

Caieta-

Caietani sent.

Caietanus inpræsentiarum modum excogitauit dicendi, si tam verus esset quàm nouus. Ait quippe materiam sacramenti aliam esse remotam, vt frumenta, aliam vero proximam, quæ est panis. Ait ergo nihil esse curandum ex quibus frumentis fiat panis, dummodo fit panis: quia nihil aliud ex Euangelio habetur, quàm quod sit panis. Et addit, quòd quemadmodum actione caloris naturalis ex diuersissimis cibis, piscibus scilicet & oleribus, & pane, & carnibus, fit sanguis eiusdem speciei, & humana caro: & ex equo & asina generatur mulus eiusdem speciei cum eo qui ex asino & equa gignitur: sic ex diuersis frumentis potest fieri panis eiusdem speciei. Et addit, quod nec opus est ad hoc recurrere, vt panis fiat ex frumento: nam hordeum etiam est frumentum, ex quo non conficitur verus panis, cum sit iumentorum pabulum. Quare, inquit: similitudo Euangelica Christi, qua se comparauit frumento, quia est symbolica & figurata, non conuincit in sensu literali, vt sit in frumento consecrandum. At vero modus iste dicendi materiam relinquit in ambiguo. Nam si ex frumentorum specie & natura non deprehendimus naturam panis, non relinquitur nobis, vnde eam cognoscamus. Propterea enim panem hordeaceum excludimus ab hac materia, & miliaceum, quod hordeum & milium vsque adeo à tritico differũt, vt nullum sit symbolum, aut transitus inter illa. Item virtutem caloris naturalis transmutandi diuersos cibos in eundem sanguinem, tribuere calori furni, aut clibani, philosophia est nimis violenta.

Impugnatur.

Quarta propositio.

Panis triticeus est necessaria materia Eucharistiæ.

Igitur post illas suprà positas, sit hæc quarta propositio. Panis triticeus est necessaria materia huius sacramenti, ita quod sine illo nullum esset sacramentum. Probatur primo autoritate omnium doctorum scholarium. Nam quamuis Gabriel in canone quæst. 35. multa confarcinet argumenta ad probandum non esse necessarium panem triticeum, tamen omnia in ambiguo relinquit, nec audet ab vniuersali doctorum sententia discedere. Hanc enim sententiam hic tenet S. Thom. & Alexan. quarta part. quæst. trigesimasecunda, membro secundo, & Bonauentura dist. vndecimâ articul. primo, quæstio. quarta. & Ricardus distinctio. vndecima, articul. secundo, quæstio. secunda. & Scotus quæstio. sexta. & Durand. quæst. quarta. & Palud. quæstio. prima. & omnes breuiter. Nisi quod animaduertendum est aliquos istorum non exprimere nisi ex pane frumenti, sed ipsi se subinde exponunt, intelligentes nomine frumenti triticum, vel id quod est eiusdem speciei. Nam August. illud Ioan. 12. de grano frumenti, de tritico intellexit, vbi ait, singulariter se illi grano comparauit. His autem doctoribus superuenit concilium Florentinum, vbi materia huius sacramenti expresè decernitur panis triticeus. Cui certè glossa Caietani non satis gratè maritatur, sic illud intelligentis, quod non sit sola illa materia, sed quod sit principalis, & apud omnes certa & indubitata. Nec dubitatur, quin Christus in triticeo pane confecerit, eodemque optimo, cuius non infirma coniectura inde sit, quod panes antiquitus in templo super altari positi, quos iam suprà † cum Damasceno diximus figuram esse huius sanctissimi sacramenti, ex simila, vt Leuitici 24. iussum legitur, conficiebantur: quod non est mediocre argumentum ex eadem simila, quæ flos est albissimæ farinæ tritici, Iudæos pro sua quenque facultate morem habuisse conficiendi panes azymos, cum quibus agnum typicum edebant, quandoquidem ea erat celeberrima eorum solennitas.

Concil. Florent.

† d. 8. a. 6.

Simila.

Attamen adhuc animus non quieuit: nam cùm materia non sit amplius quàm ad triticeam perstringenda, & triticum forsan non est nomen speciei specialissimæ, sed habens plures species, & quanquam esset species specialissima, sunt tamen diuersa nomina frumenti quæ forsan omnia sunt triticum, per singula discurrendum est.

Quinta propos.

Sit ergo quinta propositio. Panis hordeaceus nullatenus esse potest materia sacramenti. Hæc vnanimis omnium doctorum confessio est. Quare sic arguit D. Th. primo loco. Hoc sacramẽtum est rememorationum dominicæ passionis: panis autem hordeaceus apparet propter eius asperitatem eidem passioni consonantior: ergo ille est huic sacramento congruentior. Et respondet, quod materia huiusmodi sacramenti non tam deberet congruere asperitati commemoratæ passionis, quàm dulcedini & suauitati effectus: & ideo non in hordeo, sed in tritico est conficiendum.

Quid de pane hordeaceo.

Præsertim quod hordeum, vt D. August lib. 83. quæstionum autor est, propter eius duriciem, & potissimum ob tenacitatem paleæ, qua tegitur, vel legem veterem designat, quæ ita data erat, vt vitale alimentum obscuritate sacramentorum obtegeretur: vel populum ipsum duræ ceruicis nondum expoliatum carnali desiderio, quod cordi eius tanquam palea inhærebat, quem ideo Christus populum hordeaceo pane saturando designauit. Quamuis ratio potissima quare non est materia sacramenti, sit, quod non est species tritici, neque panis apud homines vsualis, sed iumentorum pabulum, & defectu veri panis ab hominibus vsurpatus. Atqui eadem ratione excluditur auena, quæ pariter brutorum alimentum est.

Auena.

2. Argu.

De alijs autem granis sequitur secundum argumentum. Figura est signum speciei in naturalibus: sunt autem aliqua frumenta tritico simillima, vt far & spelta, de quibus in aliquibus locis panis conficitur ad vsum sacramenti: ergo triticeus non est necessarius. In responsione constituit Sanct. Thomas regulam certissimam, quod cùm generans generet sibi simile, quamuis nonnunquam sit accidentium dissimilitudo generantis & geniti, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generatiuæ, tamen quodcunque frumentum quod ex semine tritici nascitur, non obstante aliqua accidentium dissimilitudine, erit materia huius sacramenti, vt siligo, qui in nonnullis sterilibus terris ex tritico prouenit, sicuti è conuerso è semine siliginis in alijs pinguibus prouenit triticum.

Quid siligo.

Itaque regula sit certa, quod omne & solum triticum sit materia, absque disputatione, an sint plures species tritici, quod sit genus subalternum, an verò omnes sint eiusdem speciei. Notandum tamen siliginem non esse illud, quod Hispani appellamus centenum, forsan propter exuberantiam granorum, quòd quasi centum sint in spica, hoc enim Plinius loco citato non appellat nisi græco nomine typham, & latinè dicitur blatta propter colorem in purpuram inclinantem. Siligo enim latinè idem est, vt ait Isidorus loco citato lib. 7. cap. 3. quod selectum: (scilicet triticum candidum) Et accipitur etiam pro flore farinæ. Quare hoc in dubium non cadit, quin sit legitima materia. Imò Pli. loco citato, ex illo ait confici delitias panis. Sed S. Thom. accipit siliginem pro typha, hoc est, centeno. Quod si arguas esse speciem distinctam ab illo quod nos vocamus triticum, nihil contendam. Satis est, quod est species tritici, postquam tam facilis est transitus de vno ad alterum. Imò forsan sunt eiusdem speciei, licet accidentia non sunt omnino similia.

Spelta.

Speltam verò & far negat S. Thom. esse materiam, quia non sunt, inquit, species tritici. Et quidem de spelta opinio etiam est Scoti & communis doctorum, quos suprà citauimus. At vero Albertus Magnus in 4. dist. 11. art. 7. contrarium asserit: scilicet, speltam esse materiam legitimam, quamuis differentem specie ab eo quod nos dicimus triticum, vt modo de typha dicebamus: nam dicit satis esse, vt sit species frumenti, & panis in vsum humanum. Atque in eandem sententiam subscribit Thomas de Argentina dist. 11. art. 1. vbi concedens S. Thomam, Scotum & alios contrarium tenere, reputat probabilius, quod spelta sufficiat. Et idem tenet Petrus à Palude dist. 11. quæst. 1. atque hic Caietanus. Et re vera si Dictionarios consulas, omnes affirmant speltam, quæ Græcè dicitur Zea, esse speciem tritici, imò esse delicatum panem. Quare non negarem esse sufficientem materiam. Imò ait Paludanus nonnunquam ex semine tritici nasci sicut typham, & è conuerso. At S. Thomas, quia arbitratus est non esse speciem tritici, ideo id opinatiuè negauit. Refert enim illic Albertus quosdam dicentes quæstionem hanc relatam fuisse ad curiam Romanam, vbi decretum fuit esse speciem hordei: sed tamen Albertus historiam non credit. Præterquam quòd illa quæstio est Phvsica, quæ non pertinet ad curiam: potissimum quòd fatetur hic S. Thom. in aliquibus regionibus confici sacramentum in spelta.

Albertus.

Far verò secundùm vnum significatum est generale nomen omnium frumentorum. Vnde farinæ nomen deriuatur. Est etiam speciale nomen frumenti, nempe Scandia, quod Latinè dicitur far adoreum, ab adolendo: quia multum crescit. De quo non est dubiũ, quin sit propria materia Eucharistiæ: quoniam est species tritici delicatissima. Sed S. Thom. nomen

Far.

Digitized by Google

farris forsan vsurpauit, vt Plinius loco citato, vbi ait quandam speciem farris esse durissimam, ex qua forsan non fit humanus panis. Eadem ratione excluditur milium, quod vt ex grani figura alijsque accidentibus deprehenditur, ab omni specie tritici distat.

Milium.

Vnde ad primum, quòd suprà fecimus argumentum respondetur, quòd licèt in Euangelio non legatur: nisi quòd Christus accepit panem: nihilominus nomine panis in communi sermone Latino non intelligitur, nisi triticeus; siue triticum sit species specialissima, siue genus subalternum: sicuti nomine vini intelligitur, vt sit vitis. Hæc enim tantùm propriè sunt hominum al menta.

Soluuntur arg. contr.

Ac perinde ad secundum respondetur, quòd vbicunque non fuerit aliud granum nisi milij aut hordei aut similium, non potest ibi sacramentum hoc confici, donec triticum aliunde aduehatur, vel ibidem seminetur. Vix enim reperiretur regio vbi triticum si seminaretur, non proueniret. Quare in nouo occidentis orbe, in maicio nunquam consecratum est, nec certè potuit: quia licèt proferat aliquam spicæ effigiem, tamen grana patenter attestantur nullam esse speciem tritici, facillimè tamen illic triticum seminatum vberrimè multiplicatum est.

3. Argum. S. Tho.

Tertiò arguit S. Tho. Permixtio speciem soluit, sed vix potest triticea farina sic pura inueniri, vt non sit permixtione alius frumenti contaminata: nisi fortè ex selectis granis solerter commolatur: ergo panis putè triticeus non est necessarius. Quidam, vt Maioris dist. 11. q. 2. fingunt quandam mistionem panis iam cocti triticei cum hordeaceo, ita vt particulæ micæ vnius intermiscerentur particulis micæ alterius intercalariter. Hæc autem mixtio non est nisi impropria per iuxta positionem partium. Quare si ille panis consecraretur, in solis triticeis particulis fieret consecratio. Hic autem non loquimur nisi de mixtione propria, quæ fit per miscibilium corruptionem, de qua 2. de generatione Philosophus loquitur: scilicet, dum cum tritico in grano commiscentur grana hordei. Tunc enim in farina non est seorsum discreta illa pars, quæ est hordei, ab illa quæ est tritici: & multò minùs in massa, & minimè in pane cocto. Nam licet granorum impropria sit mixtio per iuxta positionem, demum post tot transmutationes mixtio fit propriè per corruptionem miscibilium. Vnde bene respondet D. Th. mixtionis quantitatem attendendam esse: videlicet, quòd dum hordei modicum cum multò maiori quantitate tritici commiscetur, panis inde triticeus resultat, atque adeò materia legitima est. Si autem mixtio fiat vel ad æqualem, vel illi proximum quantitatem, tunc species triticei panis mutatur, atque adeò idonea non est sacramenti materia.

Quid si aliud frumentum tritico sit permixtũ.

De tritico corrupto.

Idem ad tertium argumentum respondet de corruptione. Nonnunquam enim tanta fit corruptio tritici vel in grano, vel in pane cocto, vt species esse desinat triticei panis, quod ex sapore & odore, atque alijs accidentibus deprehendi potest, & tunc materia desinit esse legitima. Quandoque verò non est tanta corruptio, quæ speciem panis soluat, & tunc optimè ille panis consecrari potest. Sed quando res est dubia, vel in corruptione, vel in commixtione, graue peccatum esset consecrationem periculo exponere ne esset valida.

Amylum.

Infert inde S. Tho. amylum, vulgò amydum, non esse materiam huius sacramenti. Idemque adstruit Scotus d 11. q. 6. Paludanus autem q. 1. contrariam opinionem tenet: scilicet, quod sit legitima materia, dicens D. Thomam opinatiuè loqui. Et quidem lis creari non potest de materia remota: haud enim dubium, quin fiat ex depuratissimo tritico. Quare si ad hoc tantum adspicias, citra dubium est materia legitima. Sed dubium est de corruptione tritici, quod per dies aliquot manet in aqua, vt fiat amylum.

3. Propos.

Vnde per duas propositiones respondetur. Prior. Amylum in forma amyli non apparet materia sacramenti. Probatur, quia non est nisi lac expressum ex illo madefacto tritico per expressionem: quare lac illud licet postea torreretur, aut assaretur, certè non posset censeri panis, tum propter corruptionem tritici, tum maximè propter diuersitatem inter farinam, quæ est puluis commoliti, & lac, quod est liquor expressus ex tritico: quæ quidem diuersitas certè speciem variare videtur, vt ex lacte non fiat panis.

2. Propos.

Secunda propositio. Si postea illud coagulatum lac possit in farinam commoli, & inde panis commassari, & coqui, forsan rediret in naturam panis triticei, & tũc posset consecrari: haud tamen illud auderem approbare. Atque adeò nec lagana, nec pultes, licèt ex farina tritici fiant, materia sunt sacramenti: quia nec commassantur, neque coquuntur in furno, aut saltem sub cineribus, quod sufficeret; sed elixantur potius, aut friguntur: hæc enim artis differentia, differensque ignis applicatio, vel speciem mutat, vel facit pastas illas non esse panes. Ex quo illud infertur Corollarium, quod vt differentes species tritici non mutant rationem panis, ita è conuerso diuersa pasta ex eodem tritico, potest panis rationem mutare.

Lagana.

Hinc ergo facilè possumus gradum ad pastam tritici facere. Et primò quæritur vtrum requiratur, vt admisceatur cum aqua naturali, an verò sufficiat cum rosacea, vel alia artificiali. Ad hoc autem infra ar. 7. respondet D. Tho. necessariam esse naturalem, quod ideo illic repetendum nobis est.

Sed vtrum commassatus panis, incoctus tamen in massa, sit legitima materia sacramenti. Pars n. affirmatiua inde probatur, quod incocta pasta & cocta eiusdem speciei esse videntur, quemadmodum carnes crudæ, assæ, & elixæ. Ignis enim nihil aliud censetur facere in huiusmodi cibis, quàm per humidi exhalationem res exiccare, & panem vsque ad legitimam consistentiam indurare, vt sit bene compactus. Ad hoc nihilominus citra controuersiam ab omnibus respondetur, pastam incoctam non esse legitimam materiam sacramenti: quoniam siue specie differat à pane cocto, siue secus, non est panis; imò neque est humanus cibus: nam præterquam quod sic edi non potest, non modo non nutrit, verùm plurimum saluti nocet. Dissentiunt tamen autores: nam Scotus loco citato asserit pastam & coctum panem propter rationem modo factam, esse eiusdem speciei. Est tamen contrarium longe probabilius: quod ideo quæst. sequen. art. 6. affirmat S. Thom. vbi † egregiam adhibebimus rationem. Interim autem dicimus, quod licet ars sola non possit mutare species rerum: faber n. dum facit scamnum, non mutat speciem ligni. Tamen, vt 2. sentent. distinct. 7. q. 3. ar. 1. ait S. Tho. quando applicantur passiua actiuis naturalibus, actione ipsa naturæ, mutari potest species, non quidem semper (quoniam gladius exignito ferro fabricatus ferrum manet) Sed tamen quia actiones agentium sunt secundum dispositionem passi; massa, quæ facilis est transmutationis, facilè per ignem in aliam transit speciem, vt diuersi accidentium effectus attestantur. Quod si arguas. Mica panis inter digitos compressa facilè redit in pastam incoctæ massæ simillimam: ergo non differunt specie. Consequentia certè non valet, quoniam & solidissimum gelu in aquam facile diffluit, & tamen forsan specie differunt. At neque antecedens est verum. Imo nunquam per compressionem mica panis fit massa, vt comesta testatur.

An pasta incocta possit esse materia Euchar.

Responsio neg.

Contra Scotum.

† §. Perspice.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo.

EXPEDIVIMVS ergo qualitatem quantum ad materiam remotam quæ est triticum, sequitur subinde de qualitate panis, vtrum debeat esse fermentatus, an vero azymus. Ad quam quæstionem D. Tho quinque conclusionibus respondet. Duo enim in hoc sacramento speculari oportet: scilicet, id quod est de necessitate sacramenti, sine quo nullum esset; atque id quod est conueniens, ac perinde de necessitate præcepti, cuius omissio peccatum est.

Prima sit ergo conclusio. Quantum ad veritatem sacramenti solus triticeus panis est necessarius, sine quo sacramentum non perficeretur. Panis autem azymus non eo pacto necessarius est: imo in fermentato, etiam verè conficeretur. Probatur, quia in Euangelio solum habetur panis, & si azymus esset necessarius, Ecclesia non posset permittere Græcis in fermentato consecrare: quia non esset sacramentum.

1. Concl.

Azimus non est necessarius necessitate sacramenti.

Secunda conclusio. Conueniens est, vt in consecratione vnusquisque ritum Ecclesiæ suæ seruet: vt scilicet vbi consuetudo est consecrare in fermentato; hoc seruent presbyteri: & vbi consuetum est consecrare in azymo; eundem quoque morem custodiant. Probatur, quia non est concessum priuatis sacerdotibus ritum Ecclesiæ probatum immutare. Quan-

2.

doquidem

doquidem morum mutatio, soli Ecclesiæ in communi incumbit.

Propria Ecclesia consuetudo retinenda.

Tertia conclusio. Romana Ecclesia consueuit in azymo consecrare: Græca verò in fermentato, & vtraque habet suas causas. Probatur autoritate Gregorij in registro, cuius verba sunt, Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quòd Dominus sine vlla commixtione (scilicet virilis seminis) susceperit carnem: sed certæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod verbum patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. Ex his conclusionibus infertur corollarium. Sicut peccat presbyter in Ecclesia latinorum celebrans in pane fermentato, ita peccaret presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans in pane azymo, quasi peruertens Ecclesiæ suæ ritum. Confirmatur hoc corollarium autoritate canonis, extra de celebrat. missa. capit. Literas. vbi decernitur sacerdoti pœna, qui vel in fermentato celebrauerit, vel in cypho ligneo.

4. Conclusio.

Azymus est consecrandus.

Quarta conclusio. Consuetudo celebrandi in pane azymo rationabilior est. Idque tribus rationibus. Primò quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit prima die azymorum, vt habetur Mat. 26. & Marci 14. & Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, vt Exodi 12. iussum à Deo legitur. Secundò, quia panis est propriè sacramentum corporis Christi, vt forma, Hoc est corpus meum, sonat: quod quidem sine corruptione conceptum est; vt denotatur in azymo. Non autem ita propriè est sacramentum diuinitatis, quæ carne induta est. Tertiò, quia hoc aptiùs fidelium synceritati congruit, quæ ad sacramenti vsum exigitur, secundum illud 1. ad Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis synceritatis & veritatis.

5. Concl.

Quinta conclusio. Consuetudo Græcorum aliquam nihilominus rationem habet tum propter significationem, quam tangit Gregorius; tum etiam in detestationem, hæresis Nazaræorum, qui tum alia legalia, tum etiam azymos Euangelio miscebant.

Quota luna Christus vsus sum vltimum instituit.

Conuenit inpræsentiarum ante expositionem articuli, solennem illam quæstionem de cœna Domini discutere, vtrum scilicet quartadecima luna, an verò tertiadecima cœnauerit. Quam quidem D. Th. in prima ratione quartæ conclusionis insinuat. Est enim non solùm inter Græcos & Latinos, verùm & inter nonnullos Latinos de hac re controuersia, & vt quidam arbitrantur, non facilis. At verò quia Græci à celebri Latinorum sententia de die ista non statim in primordijs Ecclesiæ decesserunt; sed postmodum longo tempore, priùs de dissidio inter Latinos disputabimus; & in calce disputationis sermonem adijciemus de Græcis.

Fundamenta responsionis.

Atqui vt illa fundamenta, quæ cunctis in confesso sunt, ante litem iaciamus, omnes consentiunt, (quia nemo dissentire potest) Christum cœnasse feria quinta ad occasum solis, fuisseque passum feria sexta. Ait enim Pau. 1. Cor. 11. quod Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c. Et Ecclesia in canone. Qui pridie quàm pateretur, &c. Quocirca vniuersalis Ecclesia etiam Græcorum in die veneris memoriam passionis celebrat. Quin verò & Iudæi nobiscum etiam de hac re conueniunt. Dissensio autem est hæc, quod Græci, & Latinorum nonnulli contendunt illam feriam quintam fuisse lunam tertiam decimam, passumque subinde Christum die veneris, quæ erat quartadecima. Solennis autem opinio quam veram monstrare adornamus, est, Illam feriam quintam fuisse quartamdecimam, & passum fuisse Christum quintadecima.

Primum.

Secundum.

Ad huius autem discordiæ elucidationem secundum adiungitur fundamentum, ex veteri pagina ab vniuersis susceptum. Primum Hebræorum mensem fuisse Martium, qui nobis est ordine tertius, quando Sol Arietem ingreditur. Dixit n. Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti, vt legitur Exod. 12. Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Et c. statim. 13. Hodie ingredieminí in mensem nouarum frugum. Illo enim sæculo, tunc fruges albescebant. Eodemque mense, qui apud illos dicebatur Nisan, eductus est Israël de Ægypto. Et cum menses apud illos fuissent lunares, nouilunium proximum æquinoctio vernali, erat illis prima dies mensis & anni.

Primus mensis apud Hebræos, Martius.

Tertium.

Tertium fundamentum est. Dies naturalis apud Hebræos incipiebat ab occasu solis, decurrebatque vsque ad alterum occasum. Autor huius veritatis inter alios est Beda de temporibus, vbi ait, quod sicut Latinis dies naturalis à medio noctis incipit, ita & Hebræis à principio noctis, scilicet ab occasu solis; Syrijs autem ab eius ortu: sed Ægyptijs à meridie. Vnde astronomi, quia illa scientia in Ægypto præcipuè floruit, à meridiano sole dies computant.

Quartum.

Quartum est fundamentum, quòd apud Iudæos festa celebrabantur à vespera vnius diei vsq; ad vesperam alterius subsequentis: nempe, ab initio diei suæ naturalis. Sic enim Leui. 23. sancitum erat. A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.

Quintum.

Quintum fundamentum est. Prima dies illa anni erat radix, à qua omnia anni festa suis dierum numeris deriuabantur. Eorum autem primum erat festum paschatis, quod celebrandum erat quartadecima die eiusdem mensis, & cum menses apud illos essent lunares, eadem erat quartadecima luna. Sic enim Exo. 12. & Leuitici 23. legitur. Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam, Phase Domini est; & quintadecima die mensis huius, solennitas azymorum Domini est. Et subditur priori loco. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris. Et septimus, qui erat postremus paschæ, erat celebrior. Itaque nouilunium illius mensis erat illis prima dies totius anni: & inde connumeratis septem hebdomadibus celebrabatur festum Pentecostes in memoriam susceptæ legis. Et postea in septimo mense (puta Septembri) in diem decimam incurrebat festum scenopegiæ seu tabernaculorum. Hæc omnia eodem capitulo extant.

Festa Iudæorum.

Paulus Burgensis.

Est ergo Paulus Burgensis, qui super illo verbo Matt. 26. Prima die azymorum; præcipuè inter cæteros modo quodam ab ipso excogitato sustinet quòd vesper ille, quo Christus cœnauit, licet fuerit Christo finis quartædecimæ lunæ, nihilominus apud Iudæos non erat nisi tertiadecima: quare feria sexta fuit Christo quintadecima, & Iudæis quartadecima, qui ideo ipsi in vespere, Christo iam sepulto, celebrarunt agni cœnam.

6. Fundamentum.

Ad huius autem dissidij intellectum supponendum est fundamentum sextum, quod inter astronomos certissimum est: nam illa arte potest quisque illud nunc comperire: videlicet illo anno, quo Christus passus est, nouilunium Martij contigisse feria quinta, decimanona hora diei naturalis Hebræorum: hoc est, prima pomeridiana cum aliquibus minutis.

Septimum.

Sed est septimum fundamentum, quòd Iudæis erat solennissimum, estque rationi maximè consentaneum: videlicet, quòd quando nouilunium incurrebat decimaoctaua hora diei naturalis, vel seriùs; illa dies non censebatur prima mensis, (quam illi Memoriam, Latini calendas appellitant) sed incipiebat prima dies in occasu solis, illius diei, & inde subsequebatur. Et ratio erat propter vetustatem nouilunij, quia occurrebat in postrema quarta diei, quod idcirco nuncupabatur nouilunium vetus. Itaque illo anno in occasu solis feria quinta cœpit neomenia, atque adeo in tertia inde quinta feria in occasu solis finiebatur secundùm naturalem cursum quartadecima luna. Atque illic Christus cœnauit. Id quod ingenuè Burgensis, nosque cum ipso fatemur, neque vllus valet diffiteri.

Refertur opinio quædam Burgensis.

Addit autem nescio quæ alia fundamenta, quæ (salua doctissimi & Christianissimi viri autoritate) debuisset firmiùs corroborare, inquam, quàm fecit. Subnectit aliud fundamentum: videlicet, quod quando nouilunium illud occurrebat in feria secunda, vel quarta, vel sexta, deberet repolli in proximè sequentem. Itaque in nulla istarum trium feriarum poterat figi prima dies mensis. Nam si neomenia mensis figeretur in feria secunda, tunc festum expiationis, quod erat decima Septembris, incurreret in diem veneris, vt supputanti fiet compertum. Si autem prima mensis esset in feria quarta; tunc idem festum expiationis incurretet in diem Dominicum. Quod autem in altera illarum dierum sabbatho circunstantium incurreret illud festum, erat (inquit) maximè inconueniens; eo quod cum illud tantæ esset solenniratis, quantæ sabbathum, adeo vt neque in illo, inquit, vt ex sacra litera potest haberi, minimè parare cibaria licuisset, sicut neque in sabbatho: concursus duorum dierum, in quibus cibaria non pararentur, onus fuisset molestissimum. Feria autem sexta propterea non poterat esse prima dies mensis, quod tunc prima dies

Digitized by Google

festi tabernaculorum quintadecima Septembris incideret in diem Dominicã, & cum festum per septem dies succederet, postrema esset in die sabbathi, in qua oportebat septies circumire altare in memoriam expiationis Iericho, vt legitur Leuitic 23. atque alia lætitiæ opera facere, quæ non licebant in sabbatho. Igitur cùm (vt dictum est) prima dies mensis illo anno incurrisset in feria sexta, translata fuit, inquit, à Iudæis in sabbathum, atque adeò sua quartadecima luna cœpit in vesperè feriæ sextæ. Christus autem, quoniam sciebat festum illud tabernaculorum in sua morte abolendum, non curauit illam facere repulsam, sed cœnauit in quartadecima naturali.

Sententia Authoris contra Burgensem, Quod Iudæi & Christus eadem luna 14. agni cœnam fecerunt.

Hæc opinio tantam inter nonnullos vim obtinuit, vt putent esse sacro Euangelio concordem. Nihilominus profectò te oculatiùs inspecta, nullam præ se fert probabilitatem.

Igitur tanquam certissima statuitur conclusio contraria: scilicet, quod Iudæi eadem nocte Iouis, qua Christus, agni cœnam fecerunt: videlicet quartadecima luna secundùm naturalem cursum lunæ. Et ne opus sit argumenta contraria, si hic recensentur, postea in solutione repetere, prius communem hanc nostram sententiam oportet constabilire.

Probatur 1. ex mandato legis.

Primum ergo (vt illas Burgensis neomeniarum dilationes repulsasque diei primi repellamus) arguitur sic. Legem Deus populo illi rudi ita explicatè posuit, vt syllabatim omnia explanaret, quæ seruari deberent: quare immane existimabant piaculum, & impium sacrilegium iota legis mutare. Imò quia sic in cortice religiosissimè eam obseruabant, non penetrando mysteria, neque literam interpretando, remordet eos, 2. ad Corinth. 3. Paulus dicens: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Erat autem expressa lex, Exodi 12. & Leuitici 23. vt quartadecima die mensis ad vesperam vsque ad vigesimam primam, pascha Domini celebrarent, & eadem quartadecima luna ad vesperam immolarent typicum agnum: ergo nefas illis erat, ne festum expiationis concurreret proximè cum sabbatho, vel postrema dies tabernaculorum in sabbatho; diem illum mutare: nam procul dubio si Deus, quia incommoda illa benè prospexit, tanquam inconuenientia existimaret, ipse expressisset exceptionem legis, quandoquidem tam minutatim omnia illis explicabat.

Secundò.

Secundò. Quidnam molestiæ erat vt semel in anno duos feriarent simul dies, in quibus non liceret parare cibaria, vt propter hoc præcisè diem lege præstitutum & fixum demutarent? Eò potissimùm quod carnibus salsis, quæ in biduum elixari poterant, atque alijs plurimum vescerentur, quæ non opus erat in biduo illo igni admouere.

Tertiò.

Tertiò vrgentiùs contra Burgensem arguitur. Ait quippe ob id festum expiationis non debere die præcedenti aut subsequente sabbathum celebrari, quia non liceret in illo parare cibaria, vt ex sacra litera, inquit, potest haberi. Illam certè sacram literam allegare debuisset: nam contrarium palàm ex lege colligitur. Dies enim prima paschatis, quæ erat quintadecima Martij, vt legitur Exod. 12. erat sancta, & vt legitur Leuitici 23. celeberrima, in qua nihil operis licitum erat: & nihilominus licebat in illa parare cibaria, vt expressè priori loco his verbis legitur. Exceptis ijs, quæ ad vescendum pertinent. Si ergo id ea die erat licitum, multò meliùs in festo expiationis. Imò in nullo festo, præterquam in solo sabbatho, erat illicitum esculenta & poculenta apparare. Erat enim illud sabbatho peculiare in memoriam, quod Deus illa die requieuit ab omni opere quod patrarat.

Die paschatis licebat parare cibaria, sicut & aliis festis excepto sabbatho.

Quartò.

Quartò itidem arguitur de festo tabernaculorum. Ait enim feriam sextam non potuisse existere primam mensis, nec primam paschæ, ne postrema tabernaculorum incurreret in sabbatho. Arguitur sic. Illa quæ tunc solenniter celebrabantur, omnia ad religionem pertinebant: fiebant enim intra templum processiones & lætitiæ, tripudia, quibus potissimum festum celebrabatur: quis autem dixerit per illa, quibus festum colitur, festum infringi? Vtrum nos dum celebres facimus processiones, festa frangamus? Vnde Christus Matth. 12. Non legistis, inquit, in lege, quia sabbathum sacerdotes in templo violant, & sine crimine sunt? Nihil ergo opus erat feriam sextam repellere, nè esset prima dies mensis, & subinde paschæ. Quare licet mille Hebræorum autores Burgensis retulisset, vel historiam non crederem, vel potius affirmarem post aduentum Christi, quando oculis mentis caligare cœperunt, legem corrupisse & deprauasse, quàm vt credam illas repulsas fuisse vel ex lege licitas, vel tempore Christi in vsu.

Quintò.

Quintò arguitur. Illa quartadecima luna præfixa fuit in figuram Christi: si autem postea adueniente veritate non erat ab illo populo cæremonia illa typica eadem nocte celebranda, qua Christus eam seruauit, figura non respondisset veritati.

Sextò.

Sextò. Christus cœnauit, vt Iudæorum legem seruaret: si autem tempus legitimum Iudæorum præuenisset, non seruasset legem: & cùm sub articulum mortis tam solerter perfidi illi testimonia aduersus illum exquisiuissent, profectò de hoc ipsum reum fecissent, quòd morem & legem populi violasset.

Septimò.

Septimò. Si lex non obligat ad immolandum paschalem agnum vsque ad diem sequentem, quidnam causæ habuit Christus, vt pridie cœnaret? Aiunt, quia sciebat in crastino morte præuentum non posse agnum cœnare. Sed causa hæc nulla est: quia non debebat seruare legem nisi quamdiu viueret: & ideo illud mandatum, quod mortem erat subsecuturum, non erat cur antea impleret. Et ad complendam veritatem figuræ agni typici, satis erat vt ipse immolaretur in cruce. Vbi suum corpus sine immolatione agni consecrare poterat.

Octauò.

Octauò arguitur. Opinio Burgensis incurrit profectò in errorem Græcorum, tenentium Christum in fermentato consecrasse: nam azymi non inueniebantur in domibus Iudæorum vsque ad quartamdecimam lunam, in qua ipsi agnum paschalem edebant: quare pridie non inuenissent in hospitio nisi fermentatum. Quod si quis fingat fecisse apparari sibi azymos, hoc certè cum esset nouum & inauditum, scandalum dedisset hospiti, neque verò id Euangelistæ enarrare neglexissent.

Nonò, idem ostenditur ex Euangelio.

Nonò insuper, vt ad Euangelium descendamus, arguitur ex illo Christi verbo Matth. 26. Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Neque verò vim facio in verbo, biduum: facilè enim quis dicere posset dictum fuisse, vel feria tertia, vel feria quarta: sed in verbo, Scitis, Cùm enim ait. Scitis, perinde est ac si dixisset, scitis ex lege & more, veluti si quis noster concionator in hebdomada sancta diceret, Scitis quia dominica proxima pascha erit, ergo illic significauit diem ipsum, quo Iudæi celebrabant pascha: alias non sic dixisset, sed, scitis, vel sciatis, quod licet pascha sit post triduum, ego tamen post biduum, sum illud facturus. Et potissimum, quòd cùm iam tunc post suum baptismã bis pascha celebrauerat eodem die, quo Iudæi, si præuenire eundem diem cogitasset, id explicuisset. Et quia non dixit, dies festus erit, vel seruabitur, sed pascha fiet, non designauit tempus paschæ, sed immolationem agni, vt benè ait Abulensis. Pascha enim fieri, est pascha parari & adornari, sicut vulgo, barba fieri dicitur dum tondetur. Deutero. 21. sponsa à viro ducenda iubebatur facere vngues, id est, circuncidere. Imò apud Virgilium 3. ægloga eodem schemate ait ille. Cum faciam vitula pro frugibus ipse venito, id est, dum vitulam immolo. Et pascha fieri, est ipsum manducari, sicut prandium aut cœnam fieri. Et consonant aliorum Euangelistarum verba. Ait enim Marcus: Primo die azymorum, quando Pascha immolabant. Et Lucas: Vbi Pascha cum discipulis meis manducem. Et infra: Parauerunt Pascha. Quapropter illud arbitror Christum dixisse in vespera feriæ tertiæ, quando regrediens à Ierusalem in Bethaniam sedit in monte Oliueti, loquens cum discipulis suis, vt habetur Marc. 13. Ob idque non ait, Post biduum filius hominis crucifigetur, sed tradetur: scilicet, postridie nocte, vt altera die crucifigatur. Tametsi Augustinus ad Cassulanum epistola quæ est octuagesimasexta, ad crucifixionem, quæ fuit feria sexta respiciens, ait dictum hoc fuisse à Christo feria quarta mane. Sed ad nostrum propositum parum refert quando dictum fuerit.

Paschã fieri.

Marc. 14.

Luca 22.

Decimò, rursus ex Matt. 26. Mar. 14.

Decimò arguitur ex verbis eiusdem Matthæi ibidem. Prima autem die azymorum accesserũt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi Pascha? Non ait, die qua Christus comedit azyma, sed simpliciter, prima die azymorum Iudæorum, quod per septem durabat. Atqui id explicatiùs refert Marcus capit. 14. dicens: Prima die azymorum, quando Pascha immolabant. Ecquid euidentius, vt loquatur de die qua Iudæi immolabant Pascha? Quò alludit & ca. 22. explica-

Concordia Ioan. cum cæteris.

tissime

Luc. 22.

Glossa Burg. nulla.

tissimè Lucas dicens: Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Necesse scilicet iuxta tenorem verborũ legis: ergo eadem die pascha fecerũt Iudei, qua Christus. Impossibile ergo est glossam Burgensis huic textui intexere. Ait quippe tres hos Euangelistas diem duntaxat assignare, qua Christus cœnauit, non autem diem azymorum apud Iudæos. Quod quidem assertum aduersarium est textui: nam si illa nocte, qua Christus, Iudæi non cœnabant, neutiquam dici poterat prima dies azymorum: hoc enim nomen solenne erat, significans illam noctem cùm primùm incipiebant azymi esse in domibus Iudæorum. Quare licet fingeretur Christum illa nocte fecisse sibi parari azymos, non posset nominari prima dies azymorum, quia non erat prima illarũm septem, quibus comedebant azymos, sed prior illis omnibus, atque adeò octaua. Quinuero ex illo verbo Christi, quod iussit denunciari hospiti, Apud te facio pascha cum discipulis meis: colligitur, eadem nocte Iudæos pascha fecisse. Significauit enim planè quod sese immutaret ad cœnam apud ipsum, id est, ad cœnandum cum ipso vt ambo simul facerent pascha. Hoc enim sentit amicus, cùm amico dicit, Apud te hodie facio praudium, id est, volo tuus esse conuiua, vt simul prandeamus.

Vndecimò probatur ex Patribus.

Accedit huc vndecimò & sanctorum autoritas. Chrysosto. namque super eundem locum, ait, quòd quinta sabbathi, id est, quinta feria, quam Matthæus appellat primam azymorum; quia illa nocte Iudæi debebant comedere azymos, Christus iussit discipulis parare pascha, & vespere facto, vt ait Euangelista, cœnauit. Idemque ait prorsus Epistola citata ad Casulanum Aug. ergo eadem nocte, qua Iudæi, cœnauit Christus. Ob id enim nos hebdomadam per ferias computamus, numerando diem lunæ secundam, & sic deinceps, quia retinemus Hebræorum morem computantium a sabbatho, appellantiumq; dominicam, primam sabbathi, id est, a sabbatho. Vnde paulò post Chrysostomus. Omnibus, inquit, semper viq; ad vltimum passionis diem non se esse aduersarium legi ostendit: & tamen si non cœnasset ea nocte, qua alijs, aduersarium se ostendisset. Accedit & eodem loco Hieronymus dicens: Prima azymorum, quartadecima mensis est. Et mirum quomodo Burgensis glossa eum, quòd loquatur idiùm de quartadecima secundum Christum. Nam subdit. Quartadecima mensis est, quando agnus immolatur (scilicet secundum ritum & morem Iudæorum.) Et vt omnem ambiguitatem diluat, subnectit. Et luna plenissima est, fermentum abijcitur. Si ergo agnus immolabatur plenissima luna, certè id erat in fine quartædecimæ diei, qua Christus ipse cœnauit. Idem Magister historiarum ca. de cœna Domini aduersus Græcos affirmat. Et Innocent. libro quarto de mysterio missæ capitulo secundo. Quintadecima, inquit, die mensis primi, quæ tũc extitit feria sexta, passus Dominus est. Et præcedente nocte, videlicet, quartadecima luna primi mensis ad vesperam, vt legis figuras impleret, post typicum pascha, corporis & sanguinis sui sacramentum instituit. Et postea quarto capitulo id testimonijs Euangelistarum, quæ à nobis modò allata sunt, confirmat, & per tabulam computi dicit manifestè constare. Et Beda libro de natura rerum, capitulo sexagesimo tertio id ipsum affirmatissimè adstruxit. Quinuerò Iosephus legis, cæremoniarumque peritissimus, libro Antiquitatum secundo, capitulo decimotertio, & libro tertio capitulo primo ait; inuiolabiliter à Iudæis obseruatum, vt quartadecima luna (nimirum secundum naturalem cursum) agnus immolaretur, & quintadecima fuisse primum diem paschæ. Ac demum Abulensis in secunda parte sui defensorij, quæstionem hanc diffusissimè, vt pleraque omnia solet, vtrinque disputat, & absque dubio tenet eadem naturali quartadecima luna & Iudæos & Christum celebrasse phase.

Ritus computandi per ferias.

Chrysost.

Hieronymus.

Magist. hist. Innoc.

Beda.

Iosephus.

Abulens.

Sed vt duodecimo argumento eodemque validissimo tem concludamus, arguitur autoritate vniuersalis Ecclesiæ. Hæc enim discordia de fermentato & azymo inter Græcos & Latinos, vt est videre apud eundem Innocentium tertium loco proximè allegato, & apud Diuum Thomam in Quarto quæstionæ secunda, articulo secundo, quæstiuncula tertia, non habuit ortum ab initio statim nascentis Christianæ fidei, imò multo inde tempore vniuersalis Ecclesia tam Græcorum, quam Latinorum in azymo conficiebat, nimirum certissima Christum eundem panem cõsecrasse, ac subinde eadem nocte qua apud Iudæos nihil erat fermentati. Sed postea imminente hæresi Hebionitarum, qui cum Nazaræis, quos hic citat Diuus Thom. conspirauerant, dicentes simul cum Euangelio seruanda esse legalia, in odium, & detestationem eorum tota Ecclesia tam Latina, quam Græca abiecit azymos, & cœpit fermentatos consecrare. Quare apud Chrysostomum & Origenem, atque alios Græcos nullus sentitur odor huius discordiæ. At verò cùm iam hæresis illa sopita censeretur, redijt Ecclesia ad suum pristinum morem consecrandi azymos, vt exemplum Christi imitaretur. Sed Græci, suorum rituum tenacissimi noluerunt cum Ecclesia Latina consentire. Atque inde excogitare cœperunt Christum consecrasse fermentatum, ac subinde non cœnasse quartadecima luna, sed tertiadecima. Qua de re nos execrantur, & anathematizant, appellantes nos azymistas, vt D. Anselmus in libello, quem hanc obrem eusam de fermentato & azymo edidit, testatur. Et Guidone Carmelita referente non permittunt sacerdotes Latinos in suis altaribus sacra facere: quod si factum comperiant, altaria ceu polluta lauant. Vnde Leo Papa nonus (qui sedit anno Domini millesimo quinquagesimo, citaturq; ibidem ab Innocentio) Epistolam ad Imperatorem Constantinopolitanum scripsit, in qua cum alijs Græcorum erroribus, & hunc confutauit: eò quòd se ab Ecclesia Latina fundata in Apostolis Petro & Paulo segregasset. Historia ergo hæc maximè veritatem confirmat, Christum eadem nocte, qua Iudæi cœnasse.

Cur aliquãdo tota Ecclesia fermentato vsa sit.

Schisma Græcorum.

Opinio autem Græcorum neutiquam sustineri potest, si intelligant Christum cœnasse tertiadecima luna secundùm eius cursum naturalem, vt intelligere censentur. Nam debent tunc dicere cœnasse feria quarta, cùm certissimum sit (vt supra diximus) illo anno lunam quartumdecimum circulum compleuisse feria quinta, quando Christus cœnauit.

Subsequitur ergo, vt argumenta, quæ patroni contrariæ opinionis sibi obtendunt, expendamus.

Proponuntur & soluuntur arg. contr.

Primum illud est verbum Christi Matth. vigesimo sexto, iubentis discipulis dicere hospiti, Tempus meum prope est; apud te facio pascha. Ait enim Burgensis id dixisse ad differentiam temporis, quo Iudæi cœnabant. Sed re vera Christus ad id non attulit, sed ad suam mortem. Sic enim qui est morti proximus dicere solet, tempus meum instat, id est, postremus dies mihi destinatus. Quo vtique schemate ait Ioannes capite decimotertio. Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Et meminit de illo die, vt significaret phase non quodcunque, sed solennissimum se facturum, quasi postremum; in quo sacrosanctum corpus suum & sanguinem erat consecraturus.

1. Argu. ex Matt. 26.

Secundus locus est Ioannis decimotertio. Ante diem festum paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, &c. vbi subdit Euangelista. Et cœna facta, &c: cùm ergo pascha cœpisset quartadecima luna ad vesperam, sequitur, quòd cœnauerit luna tertiadecima. Atque hoc est primum argumentum Sancti Thom. in isto articulo, & in quarto distinctione vndecima quæstione secunda; & supra in hac parte, quæstio. 46. articulo nono, vbi rem prolixiùs discutit. Hoc enim loco blasphemant Græci dicentes Ioannem affirmantem, quod Christus cœnauerit pridie quàm essent azymi in domibus Iudæorum, correxisse tres alios dicentes cœnasse prima die azymorum. Tenacitas enim propositi eos excæcauit, ne Ioannem intelligerent, ac subinde in hanc coniecit blasphemiam, vt dicere auderent Euangelistas erasse. Alij verò, vt refert eodem articulo nono Diuus Thomas, ad cauendum hoc absurdum, aiunt Christum verè cœnasse quartadecima luna, sed Iudæos in perimendo Christo occupatos contra legem, pascha in crastinum distulisse. Sed hoc etiam dissonat verbis Marci supra citatis: scilicet, quòd cœnauit prima die azymorum, quando pascha immolabant, videlicet Iudæi. Item cùm non omnes Iudæi conspirassent in illam cædem Christi, imò plurima pars piè ipsum vt verum prophetam coleret; nulla est verisimilitudo, quòd totus populus mutasset festum, atque adeò minor separatim id minimè auderet. Cæterùm neque per hanc cauillationem sit satis verbis Ioannis. Dicens namq;, Ante diem festum, non potuit festum intelligere, quod contra legem Iudæi procra-

2.

In quo examinatur illud, Ante diem festum Paschæ.

Græcorum blasphemia.

Duodecimo ex autoritate Ecclesiæ.

ſtinabant, ſed quod erat legitimum. Reſpondetur ergo, quòd Ioannes neque in apparentia quidpiam inſinuauit alijs Euangeliſtis contrarium: imò conſonantiſſimè cum ipſis faſſus eſt. Quòd enim alij dicunt. Prima die azymorum, ipſe, inquit, Ante diem feſtum paſchæ. Nam cum prima dies paſchæ & azymorum inciperet quinta feria in occaſu ſolis, decurreretque per totam ſextam feriam, & Chriſtus eadem feria quinta manè vel circa meridiem iuſſerit diſcipulis parare paſcha; optimè ait Ioannes, Ante diem feſtum. Non enim ait pridie, aut per diem antea, ſed ſimpliciter ante, quod verificari poteſt, licèt non niſi quatuor vel quinque horis ante occaſum ſolis id dixiſſet. Nam & Chryſoſtomus eadem homilia citata octuageſimaſecunda ſuper Matthæum, ait, primam azymorum, Euangeliſtam vocaſſe diem, quæ eſt ante azyma; id eſt, in cuius veſpere comedendi erant azymi.

3. Argu. Quærit cur Iudæi non introierunt in Prætorium, &c.

Tertiò arguitur ſic. Feria ſexta, qua Chriſtus paſſus eſt, erat quartadecima luna, cuius futura nocte Iudæi facturi erant phaſe: ergo feria quinta, quando Chriſtus cœnauit, erat apud illos tertiadecima. Probatur antecedens: nam Ioannis decimooctauo legitur, quòd Iudæi non introierunt Prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha, ſcilicet ipſa nocte. Chryſoſtom. homilia octuageſimaſecunda ſuper Ioannem duobus modis reſpondet. Vno ſcilicet, quòd Iudæi armati in fundendo Chriſti ſanguine diſtulerunt contra legem cœnam. Sed iſte modus iam ſuprà oſtenſus eſt inſufficiens. Et ideo addit alium, quòd non accipitur illic, Manducare paſcha, pro eo quod eſt, Manducare agnum, ſed pro tota ſolennitate paſchali: nempe pro eo quod eſt manducare azymos, qui per totum feſtum durabant, & agreſtes lactuces, & cætera. Atque hoc reſponſum amplectitur Diuus Thomas loco citato, quæſtione quadrageſimaſexta. Et Innocentius loco etiam ſuprà relato libro quarto capitulo quarto. Ait enim, quòd manducare paſcha poteſt legi vno modo, vt ſit ablatiuus (id eſt, vt manducarent in paſcha.) Aliq modo, vt paſcha accipiatur pro azymis. Atque idem ait Magiſter hiſtoriarum vbi ſuprà allegatus eſt. Quinuerò præter azymos, vt ait loco citato Ioſephus, ſingulis diebus paſchæ mactabantur duo vituli, duóque arietes, quæ cenſebatur paſchalis victima, & manducabantur. Sed ait Burgenſis, quòd licèt Chryſoſtomus & Thomas ſic textum exponant; tamen nuſquam legitur, vt azymi dicerentur paſcha, potiſſimùm quòd poterant etiam ab immundis manducari: id quod nunc, inquit, conſuetudo Iudæorum teſtatur, ſed ad eſum agni exigebatur mundicies. Quicquid autem dixerit Burgenſis; Magiſter hiſtoriarum, & Innocentius papa locis ſuprà allegatis dicunt, quòd neque azyma toto paſchate poterant ab immundis manducari. Reſpondetur ergo Burgenſi, quòd Iudæorum diſperſio poſt Chriſtum paſſum caligare eos fecit in huiuſmodi cæremonijs. Eò potiſſimùm quòd cùm cinere illo vitulæ rufæ iam modò careant; qua, vt Numerorum decimonono legitur, erant immundi expiandi, parum de legalibus immunditijs curant.

Chryſoſt.

S. Tho.

Paſchæ, pro azymis.

4.

Non in die feſto.

Quartò contra nos facere illud videtur Matthæi vigeſimoſexto. Non in die feſto. At verò res attentè perſpecta potiùs nobiſcum facit. Eſt enim indicium maximum, quòd bona pars eorum, qui in conſilio conſidebant, inſtigabant, vt die primo paſchatis Chriſtus in patibulum raperetur, & qui contrarias ſententias dicebant, non id diſſuadebant propter religionem feſti. Vnde colligitur, conſentire omnes non ſolùm non eſſe illam violationem feſti, verùm eſſe obſequiũ Dei. Sed dicebant: Non in die feſto, ne tumultus obortus in populo innocentem hominem illis è manibus eriperet. Quapropter altera pars vicit, atque ob id præcipuè, quòd Iudas horam cum illis pepigerat. Imò hinc ſumitur nouum argumentum quòd eadem nocte Iudæi agnum immolabant. Nam altiſſimum illud ſilentium, quod omnes paſcha celebrantes tenebant, occaſionem obtulit patrandi ſcelus.

5.

Erat autem paraſceue Paſcha.

Quintus locus, qui contrarius apparet, eſt ille Ioannis decimonono, vbi legitur. Erat autem paraſceue paſchæ. In quo verbo plurimum Burgenſis connititur, adnotans non dixiſſe paraſceue ſabbathi, ſed paſchæ; quaſi paraſceue paſchæ idem ſit, quód vigilia paſchæ, atque adeò arbitratur multa feſta habuiſſe paraſceues, id eſt, vigilias, in quibus præpararentur ea quæ opus erant ad feſtum. Ego autem, vt exiguitatem ingenij fatear, valde miror quomodo Burgenſis vel alius locum iſtum aduerſus nos obmoliantur. Enimuerò paraſceue nomen Græcum eſt, idem propriè ſignificans, quod præparatio: hæc autem præparatio nullius prorſus feſti erat, præterquam ſabbathi. Cuius rationem iam ſuprà † explicuimus: videlicet, quòd nullum erat feſtum, in quo non liceret parare cibaria, præter ſabbathum. In die enim prima paſchatis, vt Exodi duodecimo legitur, licebat parare cibaria, & à fortiori in die pentecoſtes, & expiationis, & in feſto tabernaculorum: paraſceue autem non erat niſi præparatio eorum ciborum, quos ſequenti die manducaturi erat. Vnde ſimpliciter idem erat paraſceue, quod feria ſexta: ſiue illa feſtum eſſet paſchatis, ſiue profeſtum. Clarè hoc docet Marcus capite decimoquinto dicens: Quia erat paraſceue, quod eſt ante ſabbathum. Eſt autem periphraſis, quaſi dixiſſet, Erat paraſceue, quod nihil aliud ſignificat, quàm diem ante ſabbathum proximam. Et Lucas capitulo vigeſimotertio. Et dies erat paraſceues, & ſabbathum illuceſcebat. Igitur apud Ioannem per paraſceuen paſchæ, manifeſtũ eſt vt non intelligatur vigilia paſchæ, ſed paraſceue ſabbathi, quæ incidebat in paſchate. Quaſi dixiſſet feria ſexta paſchæ: & de poſtera die dixiſſet, quòd erat ſabbathum paſchæ. Atque id paulò inferiùs oſtendit Ioannes abſolutè nominans paraſceuen. Ait enim, Iudæi ergo, quia paraſceue erat, ne manerent in cruce corpora ſabbatho. Si autem intellexiſſet paraſceuen paſchæ, ſubiunxiſſet, ne manerent in cruce corpora paſchate. Vnde in fine capituli abſolutè etiam dixit, Propter paraſceuen Iudæorum: quaſi illud eſſet nomen celebre feriæ ſextæ.

Quid paraſceue.

† *Hoc artic. §. Tertiò vrgentius.*

Sed arguis, Si feria ſexta fuiſſet dies paſchatis, tam indecens eſſet tunc pendere corpora in cruce, quàm ſabbathó. Profectò non erat: nam etſi prima dies paſchæ eſſet valde celebris, multò erat tamen celebrius ſabbathum. Atque eamob rem quamuis arbitrati ſe obſequium præſtare Deo, homicidium in die paſchatis procuraſſent; non autem auſi ſunt ſacroſanctã venerationem ſabbati polluere. Et hoc eſt, quòd addit Euangeliſta. Erat enim magnus dies ille ſabbathi. Quapropter non dicebatur magnus, vt fautores contrariæ opinionis cenſent, quia eſſet primus dies paſchæ, ſed, vt Magiſter hiſtoriarum, & Innocentius, ac Sanctus Thomas & omnes aiunt, propterea quod ſabbathum quocunque die paſchatis incideret, duobus erat nominibus celeberrimum: videlicet, & quia ſabbathum, & quia paſchale.

Sabbathum erat celebrius feſto Paſchatis.

Vnde quod Burgenſis illic propter alluſionem ad paraſceuen paſchæ affirmat, nempe, in Hebræorum hiſtorijs referri Chriſtum fuiſſe paſſum in vigilia paſchæ, certè non eſt credendum, niſi ſit hiſtoria poſt Chriſtum paſſum ab illis conficta. Complura enim, quæ illic Burgenſis affirmat, ſine probatione relinquit: ſed vult vt eorum ſibi adhibeatur fides.

Contra Burgen.

Vnum autem verbum Auguſtini fateor negotium faceſſere, vt ſoluatur. Tractatu enim 120. ſuper illud verbum Ioannis, quòd Chriſtus propter paraſceuen Iudæorum in proximo monumento conditus fuit, ſubdit hæc verba. Acceleratam vult intelligi ſepulturam, ne adueſperaſceret, quando iam propter paraſceuen, quam cœnam puram Iudæi Latinè vſitatiùs apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat. Vbi inſinuare videtur, quòd cœnam illam illa nocte poſt Chriſti ſepulturam facturi erant. Reſpondetur nihilominus primùm, quòd non intelligo interpretamentum Auguſtini, videlicet, quod paraſceue ſignificet cœnam, cùm ſit notiſſimũ, non ſignificare niſi præparationem. Niſi forſan ſignificatum illius, quod eſt paſcha ſiue phaſe, attribuerit nomini paraſceue. Paſcha enim, vt ipſe ſuper Ioann. capit. 13. & Hierony. ſuper Matth. capit. 26. aiunt, non eſt nomen Græcum, vt ſignificet paſſionem, ſed Hebraicum, idem ſignificans, quod tranſitus. Quod quidem deſignare voluit dicens: Ante diem feſtum paſchæ, ſciens Ieſus, quod venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo ad Patrem. Idemque ſignificat phaſe, iuxta illud Exodi 12. Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini. Illa enim nocte tranſiuit Angelus per Ægyptum percutiens primogenitos; pertranſiens autem Iudæorum domos ſanguine agni rubricatas. Sed quoniam feſtum incipiebat ab agni cœna, phaſe accipitur pro ipſa cœna, & generaliter pro conuiuio. Aſtamen vt ad Auguſtinum reuertamur, non ait Ipſe, quòd illa nocte eſſet facturi cœnam illam puram (interpretamentum enim cœnæ in parentheſi po-

Obiectio ex Auguſtino.

Paſcha & phaſe, idem quod tranſitus,

Digitized by Google

nit) sed quod propter parasceuen non licebat post solis occasum sepelire mortuum. Quare iustius duxerunt in die paschatis illum sepelire, quàm in sabbato, propter solennissimam diei celebritatem. Et quod Augustinus non intellexerit Iudæos illa nocte cœnatos, confitetur palam in Epistola citata ad Cassul. circa finem, vbi ait, quòd feria quinta cuius nocte incipiebat primus dies azymorum, (atque adeò qua Iudæi cœnabant) Christus quoque cœnauit.

Soluuntur quædam alia argumenta.

Alia adhiberi solent minutiora argumenta, quæ Magister historiarum & Innocentius atque alij referentes dissoluunt : nempe, quod illa die multa facta sunt, quæ non licebat facere in die festo. Ait enim Lucas capite vigesimotertio, quòd mulieres sepulto Christo reuertentes parauerunt aromata, sed sabbato siluerunt, vt prima sabbati vngerent corpus Iesu. Parare autem aromata non licebat in prima die paschæ. At verò Marcus capite decimo sexto dictum Lucæ interpretatur dicens, quòd cum transiret sabbatum, sedulæ illæ mulieres emerunt aromata. Quare Lucas non intellexit parasse illa feria sexta, sed sabbato post occasum solis. Præterquam quod profectò in prima paschatis sicut licebat cibos emere & parare, licebat quoque fortè coëmere aromata, atque id genus alia. Ad id autem quod adijcitur, illa scilicet die fecisse Iudæos opera seruilia quæ non licebant in paschate, vt accusare Christum, flagellare, angariare Simonem Cyrenæum venientem de villa. Respondetur primùm Iudæos nec Christum flagellasse, nec crucifixisse, sed gentiles qui erant Pilati ministri. Quòd autem ipsum comprehenderunt, duxeruntque ad Pontifices & ad Pilatum, fuit; quia (vt dictum est) religionis officium existimabant, hominem, qui faciebat se Deum, de medio etiam in festo tollere. Quòd verò angariauerunt Simonem, non magnoperè nobis repugnat. Veniebat enim de villa, quæ erat fortè intra spacium, quò poterant in festo, atque eò maximè quòd non erat sabbatum, peragrare. Angariare verò non significat simpliciter conducere, sed vi cogere. Vnde forsan ille retinebatur, ne rem iniquam faceret, sed fuit compulsus, & forsan ab ipsis Romanorum ministris.

Aromatum præparatio.

An peccent Græci vtentes fermentato.

Igitur vt ad literam S. Thom. reuertamur. Dubium apparet corollarium tertiæ conclusionis, quo ait presbyteros Græcorum peccaturos, si in azymo conficerent, perinde ac Latinos, si conficerent in fermentato. Scotus namque dist. 11. q. 3. & Palud. q. 1. art. 4. hanc sententiam non approbant, imò aiunt Græcos, quia schismatici in hac re sunt, grauiter peccare conficientes in fermentato. Atqui Scotum sequitur Gabriel, alijque eius discipuli. Et re vera non absque aliquo rationis colore. Errant enim Græci dicentes, Christum confeciſſe in fermentato. Vnde Innocen. loco supra † citato illorum morem in fermentato consecrantium reprehendens, ait quòd Ecclesiam Constantinopolitanam multarum hæreseon corruptio fermentauit, alludens ad illud Apostoli 1. Cor. 5. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Quare subdit, quod cum pascha nostrum immolatus fuerit Christus, iam epulemur non in fermento veteri, neque in fermento nequitiæ & malitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis : insinuans Christum illo pane confeciſſe. Vnde colligi videtur Græcos ceu schismaticos in hac re peccare. Nihilominus profectò concilium Florentinum litem hanc dirimit, vbi Eugenius concilians Armenos, qui etiam sunt fermentarij, cum Latinis; hoc quod hîc ait Sancti Thom. decernit dicens. Vnumquemque iuxta suæ Ecclesiæ, siue Orientalis, siue Occidentalis, consuetudinem conficere debere siue in azymo, siue in fermentato. Quare vt bene ait hic Caieta. licèt. Græci sint schismatici, arbitrantes nos exemplum Christi non sequi; nihilominus quia illis permissum est conficere in fermentato, propter similitudinem, quam ait Gregorius, scilicet, quia verbum diuinum corruptione carnis nostræ vestitum est; non peccant illi presbyteri morem suæ Ecclesiæ obseruantes, imò eum tenentur seruare. Idemque ait prorsus Anselmus in illo tractatu de fermentato & azymo, quem solius causa disputationis huius composuit; vbi hoc constituit, quod licet mos noster conuenientior sit; tamen illi nihil agunt contra fidem catholicam.

† *lib. 4. de mysterio missæ c. 2.*

Responsio ex cone. Flor.

Argumenta S. Tho. examinantur.

Primum argumentum S. Thomæ iam supra expeditum est. Secundum autem est, quod Græci, vt ait Innocent. nobis obijciunt, dicentes nos iudaizare. Arguunt siquidem, azymos fuisse re lege veteri Iudæis in vsu, vt Exodi 12. & Leuitic. 23. legitur : quam quidem nos cæremoniam obseruamus : & cùm cæremoniæ illæ fuissent futurorum vmbræ, quasi propositiones aliquid in futurum affirmantes : sequitur nos similiter illud prænunciare futurum, quod est mendacium. Respondetur autem cum Anselmo & Innocentio locis supra citatis, quòd nos non vtimur azymo in sacramento tanquam futurorum figura, quasi vetustam legem seruantes. Alioqui & ipsi fermentarij Græci pariter iudaizarent. Præcipiebatur enim Leuit. 23. vt duo panes primitiarum, qui offerebantur in templo, ex simila fermentata conficerentur. Imò hoc facimus in memoriam præteriti operis Christi, qui consecrans in azymo admonuit nos fermentum cæremoniarum legis veteris abijcere, & synceritatem Euangelicam obseruare, iuxta verbum sepiùs citatum 1. Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis synceritatis & veritatis.

Quomodo vtentes azimo non ideo Iudaizent.

Tertium argumentum itidem est Græcorum. Fermentum significat charitatem : nam sicut illud calore suo totam massam fermentat, cuius subinde panem sapidum efficit, & proinde gratum; ita & charitas omnia opera reddit suauia, Deoque subinde accepta: quare Matt. 13. regnum cælorum comparauit Christus fermento massæ commixto: ergo fermentatum magis est sacramento idoneum. Respondetur, quòd etsi fermentum aliquem habeat effectum charitati similem, per se tamen intrinsecè est quid corruptum: id autem, quod est per se, est citius considerandum. Vnde Christus: Cauete, inquit, à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Quare Innocentius loco supra relato, fermentatum, inquit, Christus quasi minus bonum postposuit, & azymum quasi maius bonum prætulit.

Fermenti corruptionis symbolum.

Postremò denique arguitur. In baptismo nulla habetur ratio accidentium aquæ, sine dulcis an salsa, frigida an calida: ergo neque in Eucharistia debuerũt accidentia panis æstimari; sicut neque æstimatur, quòd vinum sit album, vel rubeum. Respondetur quòd neque in pane alia considerantur accidentia, quam fermentum, quod corruptionem dicit: cuius vtique tanta potest esse corruptio; vt materia esset sacramento inepta.

ARTICVLVS V.

Vtrùm vinum vitis sit propria materia huius sacramenti.

Conclusio affirm. Probatur 1.

PRAEMISSA materia panis, sequitur de vino, vtrum requiratur esse vitis. Et respondetur vnica conclusione. Solo vino vitis potest confici hoc sacramentum. Primò propter institutionem Christi: nam in tali vino sacramentum instituit. Vnde vt Matthæ. 26. legitur, post calicis consecrationem subiunxit: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.

2. Secundo, quia sicut dictum est, ad materiam sacramentorum assumitur illud, quod propriè talem habet speciem: vinum autem propriè nec est, nec dicitur, nisi quod ex vuis exprimitur, reliqui vero liquores non nisi per abusum dicuntur vina.

3. Tertiò, quoniam huiusmodi vinum huic sacramento germanè congruit, quippe cuius effectus sit spiritualis lætitia : nam vt legitur in Psalmo: Sicut panis (nimirum triticeus) cor hominis confirmat, ita & vinum (scilicet vitis) lætificat cor hominis. Accedit demum & figura: nam sicut Christus comparauit se grano frumenti, ita & Ioannis 15. ait: Ego sum vitis vera: atque adeò sicut panis frumenti, ita & vinum vitis competens est huius sacramenti materia.

4.

Est de fide. Ex Conc. Carth. & Flor.

De conclusione huius articuli nullatenus dubitare licet. Est enim decreta, de consecratione, distinctione secunda. can. In sacramentorum. & canone. Non oportet. & canone. In sacramento, qui est concilij Carthaginensis tertij. Vnde & can. Sicut. condemnatur error ille dicentium, quòd sola aqua sufficit. Et cap. firmiter. De summa Trinitate & fide Catholica. & in concilio Florentino eadem sancitur conclusio. Nam quanquam in consecratione Euangelica non fiat expressa mentio vini, sicut panis: quia non legitur, nisi, Accipiens calicem: tamen nomen ipsum calicis admonet, non habuisse intus meram aquam, sed vinum. Vas enim aqua plenum, aquale dicitur, non calix. Vnde in psalmo vigesimosecundo, Calix meus inebrians

quam

quam præclarus est? Verbum autem subiunctum. Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, &c. rem apertiùs explicat. Vbi Chrysosto. homil. octuagesimatertia, de genimine, inquit, vitis, quæ certè vinum, non aquam producit. In quo hæresim eorum euellere voluit, qui aqua in his mysterijs vtuntur.

Chrysost.

Similis ergo illi inpræsentiarum conclusio præfigitur, quam de pane triticeo posuimus: scilicet, quod omne & solum vinum vitis est materia necessaria huius sacramenti, non perscrutando an vinum sit species specialissima, an verò genus subalternum, quia in Euangelio nihil aliud habetur. Quocirca in can. In sacramento. sicut determinatur, quod panis debet esse ex frumento, ita quod vinum sit ex vuis. Quapropter vinum malo granatorum, aut mororum, vt ait S. Thom. in solutione primi argumenti, non est idonea materia: quia illa non sunt vina, sed per defectum vini sunt introducta. Quare neque de Sidra, quæ fit ex pomis, neque de cerusia potest sacramentum confici.

An sint plures vini species.

Quòd si quæras, vtrum sint species vitis plures sicut frumenti, respondetur verisimile esse, omnes esse eiusdem speciei, licet habeant accidentia plurimum distantia, & vinum vino longissimè præstet. At parum refert, sic differant nec ne, dummodò sint veræ vites vuarum vinique feraces. Leguntur enim Canticorum 1. vineæ Engaddi, vbi nascitur balsamum: at verò licèt sic per similitudinem vitium dicantur; non tamen sunt vites, nisi æquiuocè, sed aliud genus fruticum.

Acetum.

De liquoribus autem, qui ex vite proueniunt, dubitari potest. Et primùm de aceto arguit. S. Th. secundo loco. Acetum est quædam species vini, quæ de vite sumitur, vt ait Isidorus: sed de aceto non potest confici sacramentum: ergo non omne vinum est apta materia. Inn. lib. 4. de officio missæ cap. 30. ait, vinum acidum, quod appellatur acetum, posse esse materiam huius sacramenti. Quem vtique Alex. 4. par. q. 32. memb. 8. refert, subindeque Isidorum & Galenum, ad examinandum an in aceto tanta fiat corruptio, vt desinat esse vinum. Hæc autem quæstio non incumbit theologo. Satis est dicere, quòd quando vinum per corruptionem fit perfectè acetum, non est materia sacramenti. Primùm, quia est maximum argumentum mutare speciem, cuius indicium, vt ait Arist. 8. Metaphysicæ est, quòd sicut à priuatione in habitum, sic ab aceto in vinum impossibilis est regressus. Deinde quia siue speciem mutet siue secùs, non est vinum.

Vinum acidum.

Potest tamen vinum seruata sua specie acescere: quare in vino acido fieri potest consecratio. Et hoc est, quod dicere voluit Inn. At verò quando est notabile dubium an sit acetum, graue peccatum est, sacramentum tali periculo committere: sicuti & panem adeò corruptum cõsecrare, de quo ambigitur sit ne iam verè panis. Atque hanc † ob rem species consecratas vini non est in vsu Ecclesiæ adseruare, sicut species panis: quoniam dum sic acescerent, vt species essent aceti, desineret illic esse sanguis. Ex his fit consequens, glossam illam canonis. Sicut in sanctificando. de conse. di. 2. quæ ait, acetum, dummodò factum sit ex vino, esse materiam sacramenti, nullatenus esse audiendam: imò si talis consecratio contingeret, pro nulla esset habenda.

† Ratio verior est, quia hodie non ministratur calix laicis.

Agresta.

Tertiò arguitur. Sicut de vite sumitur vinum deputatum, ita & agresta, & mustum: sed de istis non potest fieri consecratio: ergo non omne vinum est apta materia. Respondet, agrestam non esse materiam: quia sicut acetum est vinum corruptum, ita & agresta in via est generationis ad vinum, quæ eius speciem non attingit. Itaque de agresta idem est habendum iudicium, quod de aceto. In principio namque certissimum est non esse vinum, in progressu verò dum vuæ matureſcunt, res fit dubia: quare tunc licèt forsan sit vinum; est tamen graue peccatum in re dubia consecrare.

De vuis.

De vuis autem dubitare quis posset, an sint consecrabiles, propterea quòd iam vinum est, quod latet in iliis, & in sexta synodo, vt legitur can. Didicimus, de consecrat. distin. 2. commemoratur ritus quarundam Ecclesiarum, vbi sacerdotes vuas simul offerebant in altari, & cum sacramento corporis simul dispensabant populo. Et quamuis præcipitur ne id fiat, permittitur tamen ibidem, vt post oblationem corporis, vuas seorsum benedictas populus qui petierit accipiat, & fructuum gratias agat: ergo vuæ possunt consecrari. Et confirmatur. Mustum est consecrabile: si autem in calice cum musto miscerentur vuarum folliculi, quamuis indecens esset, nihilominus mustum consecraretur: ergo & mustum concluſum in grano vuæ est consecrabile.

Negatur hæc vltima consequentia, quia mustum non est consecrabile nisi sub specie potabilis vini: antea verò quam exprimatur ex vua nec est mustum, nec vinum, & fortè differt specie ab ipso postquam expressum est: nam est continuum folliculo, & corpusculis internis vuæ, sicut caro cum neruis & pelle animalis. Quare tota vua non est potus, sed cibus differens specie à musto. Sed arguis. Facillima illa expressio vuæ non videtur mutare speciem: ergo vua & mustum non differunt specie. Negatur consequentia, quia vua (vt modò dicebamus) plura continet quàm mustum. Vnde per illam expressionem fit purus liquor, sicut per contusionem amygdalorum, & nucum fit lac & oleum differens specie ab ipsis contusis. Secundò adijcitur, quòd quamuis vua posset esse tam matura, vt aliqua particula musti illic includeretur eiusdem speciei, ac si esset expressa, non tamen est illic potabilis, sed comestibilis. Ad canonem autem citatum respondetur, quòd vuæ illæ, quas populus accipere si vellet permittebatur, non censentur fuisse consecratæ, sed benedictæ, ad referendum gratias Deo de fructibus terræ.

Cum vuæ non sint potabiles, non possunt esse materia Euchar.

De musto.

At verò de musto nemini dubium, quin possit fieri consecratio, est enim verè vinum, vt eius dulcedo testatur, atque completa digestio per calorem naturalem, vt quarto Meteororum autor est Aristoteles. Quamuis non sit vsque adeò perfectum vinum, propter defectum decoctionis, quæ fit postmodum in dolio. Quare & in hoc errat dicta glossa super can. Sicut. negans mustum, quousque per huiusmodi concoctionem incipiat esse vinum, esse consecrabile. Enimuerò Iulius Papa can. Cùm omne. ead. distinctio. permittit, vt botrus vuarum tempore necessitatis exprimatur in calice, & permixta guttaæ quæ fiat consecratio. Veruntamen nisi necessitas ad id perstringat, non est huiusmodi mustum recentissimè expressum consecrandum, propter commixtionem, quæ illic fieret grossarum particularum vuæ, quæ non sunt vinum. Per hæc iudicare non est difficile de vini generibus, quæ ex aromatibus & melle conficiuntur. Si enim tam tenuis esset mixtio, vt verè maneret substantia vini, consecrabile esset: si verò tanta esset commixtio, vt corruptio fieret vini, non esset consecrationi idoneum. Ob idque peccatum est de huiusmodi artificiatis vinis cõsecrare propter periculum.

De vinis aromaticis.

Idem de Lora, seu acinatio vino dicendum, quod ex acinis semel compressis infusa aqua exprimitur. Tam parum enim posset aquæ commisceri (velut diximus de granis tritico commixtis) vt species vini seruaretur, & tantum, vt corrumperetur: quocirca non potest sine periculo de eiusmodi fieri consecratio. Et quandoque certum esset consecrationem fuisse cassam.

De lora.

Quid autem de vino congelato, nam nonnunquam accidit, vt congeletur? Et dictum est baptismum non posse fieri in gelu. Respondetur, congelationem posse fieri adeò exiliter, vt maneret vinum, & tunc posset consecrari. Nec est simile in baptismo: nam in gelu non potest fieri ablutio, licèt possit fieri consecratio. Sed vsque adeò posset indurescere, vt desineret esse vinum, & transiret in formam lapidis. Cuius signum esset, quod si postea liquefieret, non haberet vini virtutem. Esset ergo immane sacrilegium gelu consecrare, nisi calore liquefactum, documentum præberet esse vinum. Quare idem experimentum sumendum est, vbi species consecratas contingeret congelari. Si n. postea liquefactæ specimen præferrent vini in sapore, testimonium esset, illic esse sanguinem. Si autem talem colorem & vigorem non seruarent, non esset sanguis. nihilominus propter periculum cum veneratione essent sumendæ.

De congelato vino.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aqua sit vino permiscenda, qua in ipsum conuertatur.

QVVM vinum solum sit, quod transubstantiatur in sanguinem, mixtio aquæ dubium offert triplex. Congruit namque tres articulos aquæ,

propter

propter eorum connexionem in vnum tribus conclusionibus præstringere.

1. Concl. Quare prima est. Vino quod offertur in hoc sacramento, debet aqua permisceri. Eaque primò autoritate Alexandri Papæ de consecrat. distinct. 2. can. 1. probatur dicentis. In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in sacramentis offerantur. Cui quatuor rationes subijciuntur. Prima, quia sic Christus probabiliter creditur consecrasse: scilicet, lymphatum vinum propter sobrietatem secundum patrium morem. Vnde Prouerb. 9. Bibite, inquit, vinum, quod miscui vobis. Secunda, propter repræsentationem dominicæ passionis, quam ibidem idem pontifex subnectit. Non enim debet, inquit, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum: quia vtrumque ex latere Christi in passione sua profluxisse legitur. Tertia, quia ad significandum effectum huius sacramenti illa conuenit permixtio: per illam enim vnio designatur quæ fit populi Christiani ad Christum. Vnde Iulius papa can. Cum omne. ea. distin. Videmus, inquit, in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi: ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Quarta, quia hoc, vltimo effectui sacramenti competit, qui est introitus in vitam æternam. Vnde Ambrosius in lib. de sacram. Redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.

Debet aqua vino permisceri. 1. ratio.

2.

3.

4.

2. Concl. Secunda conclusio. Appositio aquæ non est de necessitate sacramenti. Probatur primò autoritate Cypriani Papæ canon. Scriptura. de consecratio. distinctio. 2. vbi ait, quòd si aliquis de antecessoribus nostris vel ignorantes, vel simpliciter non obseruauit, vt scilicet aquam vino misceret in sacramento, potest simplicitati eius venia concedi. Quòd quidem si mixtio esset necessaria nunquam dixisset. Supponitur autem & autoritati ratio. Iudicium enim sacramenti, cum sit sacræ rei signum, ex re ipsa sumendum est, quam significat: appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandum participationem sacramenti huius à fidelibus, quatenus per aquam vino mixtam, populus significatur (vt dictum est) Christo adunatus. Sed & hoc ipsum quòd de latere Christi aqua profluxerit, ad eundem sacramenti vsum refertur, quatenus per aquam ablutio peccatorum designatur, quæ per passionem fit: vsus autem sacramenti, quo à fidelibus participatur (vt suprà † ostensum est) non est de necessitate sacramenti, quippe quod in sola materiæ consecratione consistit, sed est quid consequens ad sacramentum: ergo admixtio aquæ huiusmodi vsum repræsentans non est de necessitate sacramenti.

Non est de necessitate sacramenti.

† a. r. huius §. Verumtamen.

3. Concl. Tertia conclusio. Semper tutiùs est parum de aqua apponere. Probatur primò autoritate Honorij tertij capit. Pernicioſus. de celebr. missa. vbi ait. Pernicioſus in tuis partibus inoleuit abusus: videlicet, quod in maiori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino: cum secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus sit in ipso de vino, quàm de aqua ponendum.

Aqua modicissima.

An aqua in sanguinem Christi conuertatur.

At verò quoniam aquæ quantitas inde dependet, vt constet quid de illa aqua fiat, commemorat D. Thom. tres opiniones, quas Innoc. capit. cum Marthæ. refert. de celebrat. missa. Fuerunt enim qui dixerunt, aquam vino commixtam, peracta consecratione seorsum manere. Hæc autem opinio vera esse nequit, quoniam per consecrationem nihil aliud sub speciebus sacramentalibus permanet, quàm corpus & sanguis Christi, dicente in libro de sacramentis Ambrosio. Ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem corpus Christi designatur. Atque idem est de sanguine. Alioqui non totum adoratione latriæ adoraretur. Secunda opinio fuit quorundam dicentium, quod sicut vinum transsubstantiatur in sanguinem; ita & aqua in illam quæ de latere Christi effluxit. Sed neque hoc veritati consentaneum est: aliàs deberet seorsum aqua, sicut per se vinum, consecrari. Tertia demum, eademque, vt ipse ait pontifex, certissima est sententia, quòd aqua prius in vinum conuertitur, ac subinde vinum in sanguinem. Hinc ergo colligitur conclusio nostra, si enim aqua debet apponi, vt conuertatur in vinum, fit vt quanto minus apponatur aquæ, tantò sit tutius, tunc potissimùm quando vinum debile est & tenue. Nam tunc tanta posset esse aquæ permixtio, vt vini substantiam exhalaret. Vnde meritò Iulius papa can. citato. Cùm omne. de consecra. distinct. 2. illos reprehendit, qui pannum lineum musto intinctum propter inopiam vini totum annum seruabant, & postmodum aqua illum lauantes de illa conficiebant sanguinem. Illud quippe nec erat vinum, nec inde sacramentum conficiebatur.

1. opinio.

2.

3.

Circa primam conclusionem admonet Caiet. ne quis arbitretur Græcos calicem Domini absque aqua offerre. Hic enim, inquit, vt ex concilio Florentino constat, Armenorum ritus est. Attamen Innocen. lib. quarto de officio missæ. cap. trigesimosecundo & Græcis eundem ritum impingit. Græci enim & Armeni, vt in fermentato conficiunt, ita etiam & in hoc fortè conueniunt, quòd aquam calici non infundunt. Est tamen iam veritas hæc extra controuersiam catholica, vt de consecrat. distinctione secunda, per septem primos canones decernitur, & de celebratio. missa cap. Cùm Marthæ. & cap. In quadam, ac demum in concilio Florentino. Et Cypria. libr. secundo Epistolarum, epistola tertia, ex qua desumpti sunt illi canones, citati: sicut. & can. Scriptura. illam tertiam rationem, quam articulo sexto facit Sanct. Thom. latè disserit, dicens, aquarum nomine populos designari, iuxta illud Apocal. decimoseptimo. Aquæ, quas vidisti, populi sunt. Et quidem Armanachanus libro nono cap. nono arbitratur hanc aquæ mixtionem constitutionem fuisse Alexandri, vt patet in can. citato primo, de consecratio. distinctio. secunda, qui fuit pontifex à Petro quintus tempore Adriani, nempe trigesimoquarto anno post obitum Ioannis Euangelistæ, à quo præsumitur, inquit, illam cæremoniam accepisse. Veruntamen non est dubitãdum, quin Apostoli ab ipso Christo illã acceperint, moreque seruauerint, & lege successoribus tradiderint.

Expositio articuli.

Aqua quid significet.

Mixtio aquæ à Christo instituta.

Arguit ergo S. Thom primo loco, quòd Melchisedech, qui typum gessit sacerdotij Christi, non legitur Genes. 14. obtulisse nisi panem & vinum. Respondet tamen quod etiam fuit hoc sacramentum designatum in aqua quæ in eremo fluxit de petra, secundùm illud 1. Cor. 10. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Et ideo aqua admiscenda est vino, sicut admiscetur farinæ, vt fiat panis. Diuersa autem ratione aqua sumitur in baptismo, & hîc. Quoniam illic est de necessitate ablutionis, hic autem de congruentia refectionis. Hæc S. Tho. in argumentis.

2. Conclusio examinatur An ſ. aqua ſit de neceſſitate ſacramenti.

De secunda verò conclusione, An mixtio aquæ sit de necessitate sacramenti, dubitatio est aliquanto maiuscula. Nam Armachanus loco citato videtur sentire, esse necessariam propter nonnullas canonum autoritates, quæ id videntur sonare, sed potissimum in eius fauorem arguitur quod si Christus sic consecrauit, consecrateque subinde instituit; appatet eiusmodi mixtio necessaria: quandoquidem necessarium est eius exemplum sequi. Veruntamen his non obstantibus Innocent. loco citato lib. 4. cap. 32. ait non esse de essentia, allegans Cypriani sententiam, quæ hic citatur can. Scriptura. scilicet dandam esse veniam ijs qui aquam non apponunt. Et reuera ratio S. Th. est optima. Videlicet, quòd cum mixtio hæc non fiat nisi ad repræsentanda illa quæ non sunt de essentia sacramenti (quæ in consecratione consistit) sed ad vsum pertinentia, fit vt neque ipsa mixtio sit de essentia. Et accedit manifesta ratio: nam si aqua, vt inquit Innoc. in vinum debet conuerti antequam fiat consecratio, non est magis de essentia apponere guttam aquæ, quàm vino vinum addere. Vnde ad argumentum respondetur quòd non quicquid Christus inter consecrandum obseruauit, est de essentia sacramenti: sed tantùm materia, forma & intentio: materia autem est vinum, vt nomina calicis & geniminis vitis Euangelica admonent. Nomine autem vini non comprehenditur aqua.

De neceſſitate præceptj.

Colligitur ergo ex his duab. conclusionib. mixtionem aquæ non esse quidem necessitate sacramenti, sed tamen de necessitate præcepti, quod re vera obligat sub reatu mortali, nisi forsan ex obliuione omitteretur. Est n. mos Ecclesiæ solennissimus. Vnde in concilio Flor. solus panis triticeus, & vinum de vite ponitur tanquam necessaria materia. Subiungitur verò, quòd ante consecrationem aqua modicissima misceri debet. Vbi verbum (debet) solam præcepti necessitatem designat.

1. Arga. S. Tho.

Instruit ergo primum argumentum S. Thom. ex verbis Cypriani, quæ referuntur in can. Sicut. Nec tamen Cyprianus ait, Sicut, sed Sic. Extant. n. (vt di-

ximus)

rimus) lib. 2. Epistolarum eius, epistola 3. vbi ait. Sic calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi vtrumque (scilicet farina & aqua) fuerit adunatum. Aquæ verò admixtio cum farina est de necessitate panis consecrandi: ergo & admixtio aquæ cum vino. Similia ferè sunt verba Iulij can. Cùm omne. scilicet, Non potest calix Domini esse aut aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque misceatur. Respondet D. Thom. eodem pacto, quo Innocentius loco citato, quòd verbum Cypriani intelligitur eo pacto, quo id dicitur fieri non posse, quod conuenienter fieri non potest. Si enim non apponeretur aqua, esset peccatum. Quare similitudo cum aqua in farina non est omnimoda: nam panis est sacramẽto necessarius, & mixtio aquæ necessaria itidem conficiendo pani. At verò licèt sacramento sit necessarium vinum, tamen quòd aliqua eius particula fiat per conuersionem aquæ in ipsum, non est de essentia.

2. *Ex eo quod de latere Christi aqua effluxerit.*

Secundò arguitur. In passione Domini, cuius hoc sacramentum est memoriale, sicut de latere eius exiuit sanguis, ita & aqua: sed vinum ratione sanguinis est necessarium: ergo pari ratione aqua. Est argumentum Martini Papæ can. Non oportet. ea. d. Respondet autem D. Thom. non eadem rationis necessitate sanguinem & aquam ex latere Christi emanasse: sanguis quippe directè ad ipsam passionem pertinebat. Est enim naturale vulnerato corpori humano sanguinem emittere: effusio autem aquæ non erat sic de necessitate, sed ad demonstrandum effectum passionis congrua, qui est tum ablutio à peccatis, tum & refrigerium contra carnalem concupiscentiam. Et ideo aqua non consecratur seorsum (vt in tertia conclusione dictum est) sed vino admista, ad denotandum vinum, quod transubstantiatur in sanguinem esse de necessitate: aqua verò ad repræsentandum populum deseruire, qui conuertitur in Christum, sicuti aqua in vinum.

3. *Argum. Quæritqualis aqua debeat misceri.*

Tertiò arguitur. Si aqua non esset de necessitate sacramenti, quæcunque apponeretur sat esset, vt rosacea, aut eiusmodi quæuis alia: Ecclesia autem non vtitur nisi vera aqua: ergo illa est necessaria. Respondet tria. Primùm, quòd cùm aqua non sit necessaria, nihil refert ad necessitatem sacramenti quæ aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis. Secundò ait peccatum esse apponere aliam aquam quàm veram: & profectò arbitror esse mortale propter significationem, quia de latere Christi non fluxit nisi vera aqua, non autem humor phlegmaticus, vt aliqui dixerunt. Quę quidem aqua documentum perhibuit Christi corpus fuisse compositum ex quatuor humoribus, vt Innoc. ait capit. In quadam. extra de celebra. missa. quod suprà distinctio. 3. art. 4. satis expositum est. Tertio ait, quòd de aqua admixta farinæ diuersa est ratio: nam cùm sit de necessitate panis, requiritur aqua naturalis: quare si ex rosacea, vel alia artificiali commassaretur panis, non esset consecrabilis.

Dubium de aqua, quæ farina admiscere debeat. Caietanus.

Caietanus verò hoc in dubium reuocat, imò in contrariam partem flectitur. Ait enim, quòd cum ad materiam sacramenti non sit necessarium nisi panis, considerandum est, vtrùm ex aqua artificiali, quæ est herbarum succus, possit confici verus panis. Et applaudit parti affirmatiuæ: nam aqua, inquit, non est materia permanens in pane, sed calore ignis exhalatur: & ideò panis ex quacunque fiat aqua, potest esse eiusdem speciei. At verò opinio hæc non est tuta, neque vllo pacto esset talis licentia concedenda. Et Palud. dist. 11. q. 1. circa finem contrarium tenet.

Expenditur 3. Conclusio.

Tertia demum conclusio, quòd aqua in ea quantitate est miscenda, quæ facilè possit transire in vinum, extra controuersiam est, vt Innoc. cap. Cùm Marthæ. decernit. Quapropter ex paucitate aquæ nullum potest creari periculum: imò quanto minus misceatur, tanto tutius est, etiam si sit sola gutta, dummodò sit aqua. Nam tam exilis potest esse gutta, vt non sit nisi ros? Sed tamen ex magnitudine periculum offertur: nam si tanta esset, quæ non posset conuerti in vinum, solũ vinum consecraretur, & ipsa maneret illic in substantia aquæ, quod esset plebem seducere, quæ adorat quicquid substantiæ sub illis accidentibus reconditur, tametsi per ignorantiam ab idololatria excusaretur. Igitur sacerdos immane sacrilegium committeret, præsertim si prudẽs & sciens id faceret. Quare dum apparet aquæ plus iusto effusum, debet calix effundi, & iterum vinum cum pauciori aqua infundi. Atqui in ordine nostro, & alijs Ecclesijs mos seruatur, statim ante introitum missæ calicem miscere, vt tempus suppetat aquæ in vinum conuertendæ.

Argumẽta S. Thoma.

Argumenta S. Thom. sunt huiusmodi. Sicut sanguis ex corpore Christi, ita & aqua sensibiliter exiuit. Ait enim Io. c. 19. Qui vidit testimonium perhibuit; exigua verò aqua non est sensibilis. Item multa aqua vino admixta corrumpitur: quod autem corruptum est, perinde habet ac si non esset: ergo debet in notabili quantitate adiungi. Item tertiò, quia si tam parum sufficeret, satis esset in toto † vegete guttam aquæ infundere, ex quo postea hauriretur consecrandum vinum: quod apparet ridiculum.

† *Pro, Vase positum.*

Ad primum respondetur, satis esse quod sentiatur aqua dum apponitur, licet post conuersionem in vinum non sentiatur. Ad secundum dicitur, quòd si non apponeretur, periret significatio: cum autem apponitur, & corrupta conuertitur in vinum, significat populum incorporari Christo. Ad tertium denique respondetur, quod mixtio non debet fieri in vegete aut lagena, sed in ipso calice, vbi consecratio adornatur. Alioqui non seruaret significationem populi per hoc sacramentum adunandi Christo.

Quæstio secunda,

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPVS ET SANGVINEM CHRISTI.

S. Thom. 3. part. quæst. 75.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in hoc sacramento sit corpus CHRISTI *secundùm veritatem.*

EXPEDITA quæstione de materia sacramenti, ex ordine proximè sequitur altera de eius conuersione in corpus. Cuius vtique primus articulus, qui vt fundamentum toti quæstioni substernitur, est, Vtrùm corpus secundum veritatem existat in hoc sacramento. Quæ quidem quæstio eandem includit de sanguine. Et S. Thom. vnica respondet bimembri conclusione, nec satis ad formam: quare in virtute alteram præsupponit.

1. Concl.

Sit ergo prima conclusio hæc. Verum corpus Christi est sub speciebus panis, & verus sanguis sub speciebus vini.

2. Concl.

Secunda. Mysterium hoc huius sacramenti sensu deprehendi non potest, sed sola fide, quæ authoritati diuinæ innititur. Probat vtramque tribus sanctorum autoritatibus, deinde rationibus itidem tribus. Ait enim Cyrillus super illud Lucæ 22. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Non dubites an hoc verum sit, sed potius suscipe verba saluatoris in fide: cùm enim sit veritas, non mentitur. Et Hilarius 8. de Trinitate. De veritate, inquit, carnis & sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus. Nũc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, caro eius verè est cibus, & sanguis eius verè est potus. Et Ambrosius lib. 6. de sacramen. cap. 1. Sicut verus Dei filius est Dominus Iesus Christus: ita vera Christi caro est, quam accipimus, & verus sanguis eius est potus. Prima autem ratio inaccessæ huius veritatis sumitur ex prælatura legis nostræ respectu veteris. Hoc enim sacrificium in lege illa fuit tantum in figura agni paschalis, & aliorum rituum, iuxta illud ad Hebræos 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem. Decuit ergo, vt in sacramento per Christum Dei filium institutum plus longè contineretur: nempe, vt Christus ipse passus, non solum in significatione & figura, sed in rei veritate. Quamobrem Dionys. ca. 4. Ecclesiasticæ hierar. censet ipsum perfectiuum omnium aliorum sacramentorum. Secundò hoc fuit & ipsius Christi charitati congruens, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ mortalitatis assumpsit. Est enim amicitiæ proprium, & natiuum,

Probatur veritas corporis Christi in sacr.

2.

(quod

(quod Philosophus 9. Ethic. ait) vt sibi inuicem præsentes amici conuiuant: qua de causa, & præsentiam suam corporalem Christus in præmium repromittit, dicens Matthæi vigesimoquarto, Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Igitur ne nos interim in hoc peregrinationis exilio sua corporali præsentia destitueret, nos sibi per veritatem corporis sui & sanguinis quotidie in hoc sacramento coniungit. Vnde Ioan. 6. Qui manducat, inquit, meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quo fit, vt sacramentum hoc propter familiarem coniunctionem Christi ad nos sit tum maximæ charitatis signum, tum & nostræ spei subleuamen & robur. Tertiò, & perfectioni fidei nostræ id fuit congruentissimum: quæ quidem fides & de diuinitate Christi est, & de eius humanitate, secundum illud Ioann. 14. Creditis in Deum, & in me credite. Etenim quoniam fides est inuisibilium, oportuit vt sicut suam nobis diuinitatem inuisibiliter exhibuit; ita & in hoc sacramẽto suam carnem inuisibili modo perhiberet.

3.

Hæresis Berengarij.

In calce demum articuli subiungit damnatam hæresim contrariam Berengarij, qui huiusmodi rationes minimè animaduertens, dixit corpus & sanguinem Christi non esse in hoc sacramento, nisi in signo, quod est tanquam hæreticum abijciendum: vtpote assertionibus Christi aduersum. Matt. 24. & Lucæ 22. Hoc est corpus meum. Et: Hic est calix sanguinis mei. Quapropter hæreticus ille compulsus postmodum fuit suam hæresim retractare, & veritatem confiteri.

Expositio articuli.

Quæstio hæc solennis est; tractatu dignissima: nam vt est sæpissimè ab Ecclesia hæresis eorum damnata, & sepulta, qui huius sacrosancti mysterij veritatem, negant, ita est frequentissimè per alios atque alios hæreticos ab orco reuocata: neque tempora nostra ab hac calamitate & tempestate libera sunt. Hostis enim ille antiquus, qui ab initio mendax fuit, & pater mendacij, inter omnia orthodoxæ fidei sacramenta inaccessæ huius maiestati & veritati infestissimus est: quare nunquam non illam labefactare contendit. Etenim quoniam superbia eius ascendit semper; fit, vt Deo cum primis inuideat, quòd tanta veneratione in hoc sacramento colatur & adoretur: & sacerdotibus; quòd ea donati, sint facultate, quam Angeli non meruerunt, vt creatas substantias in corpus & sanguinem Dei transformare valeant: & cunctis sumentibus; quòd illas vires hic identidem resumant, quibus eius nequissimos incursus propulsent: & Ecclesiæ; quòd eo pacis vinculo per hoc sacrum mysterium conglutinetur, quam ipse in cælo, & in tetra perturbare semper conatus fuit: & quòd per hoc demum viaticum ad illam gloriam capessendam prouehamur, de qua ille fuit meritò deturbatus.

Cur tantopere diabolus Euchar. sacramentũ insectetur.

Tres errores circa Euchar. recensentur.

Sex igitur errores, vt Thom. Walden. aduersus Witcleff. tomo 2. de sacrament. cap. 19. & Iodocus Clichtoueus lib. de sacramento Eucharistiæ aduersus Oecolampandium capite primo referunt, in Ecclesia ab eius incunabulis de hoc sacramento oborti sunt.

Primus fuit Capharnaitarum.

Prima enim hæresis (sic enim eam super Psalm. 54. & iterum super Psal. 98. appellat Aug. & refertur de consecra. dist. 2. can. Prima quidem.) Prima inquam, fuit eorum, qui vt habetur Ioan. 6. audientes ab ore Christi, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, habebitis vitam in vobis; stupuerunt, arbitrari quod deberent carnes ipsas Christi, vt in macello bouinæ laniantur, deuorare: & ideo murmurarunt dicentes, durum esse sermonem. Hæc autem impropriè dicitur hæresis circa hoc sacramentum: quippe quæ viuente Christo antequam illud institueret, accidit. At quoniam hæresis idem est, quod abscessio, & multi eorum, non tam propter sermonis duriciem, quàm propter saxea sua pectora à Christo abscesserunt, hæresis dicitur.

Secundus, Nestorij.

Secunda fuit Nestorij blaspemia circa annum Domini quadringentisimum, qui cum Christum negasset verbum esse diuinum per naturam, quod nostram assumpsisset humanitatem; sed diceret purum esse hominem, in quo verbi diuinitas quasi in tabernaculo inhabitabat, quamuis concederet in hoc sacramento esse corpus & sanguinem Christi, negabat tamen esse corpus & sanguinem Dei. Quare consultò aiebat dixisse Christum, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, quasi non esset filius Dei. Hæc autem hæresis in concilio Ephesino per Cyrillum & alios Patres ibidem considentes condemnata fuit: vt patet in eius synodica epistola ad eundem Nestorium inter gesta eiusdem concilij. §. Ad benedictiones mysticas: illicque decretum fuit tanquam catholica veritas, verum corpus & sanguinem, quæ verbo in vnitate suppositi vniuntur, existere in hoc sacramento. Ex quo decreto desumptus est canon, Necessariò, de consecrat. dist. 2. Vbi decernitur, in hoc sacramento participes nos fieri corporis & pretiosi sanguinis Christi, non vt communem carnem percipientes, nec viri sanctificati, & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, sed vere viuificantem, & ipsius verbi propriam factam.

Condemnatus in conc. Ephes.

Tertius, Berengarij.

Tertia fuit hæresis Berengarij Galli sub annum Domini milliesimum quinquagesimum. Is enim fuit primus, qui buccinare fuit ausus peracta consecratione, non manere sub speciebus corpus aliud, quàm panis & vini, quæ antea erant, sed illa aiebat corpora dici corpus Christi & sanguinem in typo & figura, sicut crucifixus in ligno sculptus, dicitur Christus, & quemadmodum Christus ipse, vt 1. Corin. 10. ait Pau. dicitur, petra. Itaque consecratio illa nihil aliud efficiebat quàm vt substantia panis esset imago quædam corporis Christi, quam ideo perinde vt imaginem crucifixi adoramus Hæresis, hęc vt in vita Leonis noni refert Platina, primo in concilio Vercellensi sub eodem pontifice fuit condemnata. Cæterum eodem hæretico in suam hæresim relapso coacta fuit synodus Turonensis in Gallia sub Victore secundo, & illic præsente Hildebrando Romani pontificis legato, qui postmodum fuit Gregorius septimus, conuictus iterum idem Berengarius fuit. pollicitusque adeò eam hæresim se nunquam amplius defensurum. Veruntamen quia iterum malè de ea audiebat, vocatus fuit ad concilium Romanum primum sub Nicolao secundo: & illic tertiò eandem hæresim reuocauit, atque ea reuocatio est, quæ refertur de consec. di. 2. can. Ego Berengarius. vbi abiuratione hæresim illam promisit se pro viribus extirpaturum. Nihilominus quartò (quod hæreticorum ingenium est) relapsus, delatus fuit in concilium Romanum secundum sub Gregorio septimo, anno Domini millesimo septuagesimo, vbi iureiurando eandem maledictam hæresim abrogauit, veniamque subinde à Pontifice obtinuit. Et vt Gaguinus historicus Gallus in vita Henrici regis refert, bona sua in pauperes distribuens, pœnitentis vitam sanctè finiuit.

Damnatus in quatuor concilijs.

Eiusdem pœnitentia. Ioan. VVitcleff.

Tres aliæ hæreticorum sectæ, qui substantias panis & vini vnà cum Christi corpore & sanguine in sacramento relinquunt, ad subsequentem articulum spectat recensere.

Ioan. VVitcleff.

Hanc ergo Berengarij toties peremptam hæresim tandem Ioan. Witcleff. hæresiarcha ille Bohemus iam putidam reuocauit in orbem, impudentissimè commentus; vt refert Thom. Waldensis loco citato cap. 18. Primum annorum milliarium ab orbe redempto Ecclesiam nunquam somniasse corpus & sanguinem Christi realiter esse in hoc sacramento, sed tanquam figuram, vt memoria esset suæ passionis, sed inde aliud cœpisse diaboli miliarium, quando Rom. pontifices hanc idololattriam introduxerũt, vt sacramentales species tanquam verum corpus & sanguinem Christi adoraremus. Alludit enim in hoc milliario ad tempus Berengarij, quem defensorem autumat antiquæ sententiæ Ecclesiæ, sed Gregorium nonum, atque alios tres deinceps commemoratos subnotat tanquam erroris introductores. Contra illud hominis mostrum scripsit Thom. VValdensis secundum illum tomum de sacramentis, vbi innumeris testimonijs illud obruit. Tandem in concilio Constantiensi, quod aduersus illum indictum fuit, sessione 8. anathematis sententia confessus condemnatur, cum alijs quadraginta quatuor eius erroribus, cuius condemnationi postmodum Martinus quintus in concilio Basilicnsi subscripsit.

Oecolampadius.

Sed leo ille infernorum, qui contra hoc tremendum mysterium rugire non cessat, Oecolampadium Lutheranum diabolico suo spiritu concitauit, vt eadem toties maledictam hæresim, quam infernus iterum parturiebat, polluto suo ore euomeret. Et quamuis hæresiarcha Lutherus non hac, sed alia, vt post videbimus, infectus fuit: tamen Oecolampadij venenum adeò per Germaniam atque alias prouincias effusum est, vt vix sit locus ab eius contagione tutus. Vnde nos quasi idololatras omni conuitiorum ge-

Digitized by Google

nere proſcindunt, imò vbi conſecratas ſpecies habere poſſunt, Satanica furia (quod nos dum inter illos in curia Cæſarea conuerſabamur, continenter audiebamus) conculcant, peſſundant, & nullo non vituperio commaculant. Quod ſi, vti ait Paul. propterea quod venerabile hoc ſacramentum indignè ſumitur, infirmitates nos plurimæ, ac ſubinde mortes inuadunt; quomodo non credamus ob tam indignam eius execrationem totam Chriſti familiam tam crebris bellis & calamitatibus diuinitus opprimi?

1 Cor. 11.

Probatur veritas corporis Chriſti in Euchar. Primò. Ex illis verbis, Hoc eſt corpus meũ.

Igitur non grauabitur lector ſacrorum medullam perſpicere, quibus quam ſit impudentia iſtorum impia, percipiat. Nam etſi illis, qui diuinæ Eccleſiæ autoritati audientes ſunt, ſatis eius decreta & canones faciant, vt nullo hæreticorum ariete conturbentur. Sunt tamen, qui quod iudicio ſui capitis in Euangelio non perſpicuè vident, id neque docenti Eccleſiæ credant. Et quanquam V Valden. & Clictoueus locis citatis copioſè diſputationem hanc aduerſus V Vitcleff & Oecolampadium diduxerint, forſan nec hæc noſtra reputabuntur ſuperuacanea.

Primus locus, idemque inuictiſſimus, eſt ipſiſſima Chriſti aſſertio Matt. 26. Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum, & addit apud Luc. cap. 22. quod pro vobis tradetur, & apud Matth. Bibite ex hoc omnes, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, idemque apud Marcum ca. 14. Cum enim verba hæc ſecundum propriam natiuamque ſignificationem ſyncerè ſint prolata, quo alio opus eſt teſtimonio? Sed ait Oecolampadius in ſuo infami lib. de cœna Domini, quem cauſa huius hæreſis ſeminandæ Satanico ſpiritu ſcripſit. Ait, inquam, illa verba Chriſti ſub tropo & figura eſſe prolata, idque altero duorum modorum, ſ. vt vel verbum, Eſt, idem ſit, quod Significat, ac ſi dixiſſet, Hoc, quod do vobis, ſignificat corpus meum: vel Corpus pro corporis figura accipiatur, vt ſit ſenſus, Hoc eſt figura corporis mei. Quemadmodum Apoſt. 1. Corinth. 10. Petra autem, inquit, erat Chriſtus, i. figura Chriſti. Perpende argumentum hæreticis conſuetiſſimum. Inde enim quod ſacra ſcriptura ſæpe vtitur metaphoris, generaliter pergunt vbicunque illis liber verba per metaphoram transformare. Quæ licentia ſi licita eſſet, nihil in tota ſcriptura maneret firmum. Dixit Ioannes: Verbum caro factum eſt. Facile poſſent perfidi illi, qui corpus tantum phantaſticum tribuebant Chriſto, ſic illud interpretari, Verbum figura carnis factum eſt. Dixit Chriſtus: Ego & pater vnum ſumus, facilè poſſent Arriani per metaphoram illud eludere, dicentes, Ego & pater figuram vnius habemus, ſicut duo amici per vnionem amoris.

Verba illa eſſe in proprio ſenſu accipienda.

Duobus ergo modis iſtorum veſaniam retundimus. Primò, quod quamuis Euangelicus contextus non adeò lucidè conuinceret intelligendum eſſe in ſenſu proprio; Eccleſiæ tamen autoritas eo ſenſu verba intelligentis ſatis eſſet, vt eiuſmodi ſenſus eſſet, tanquam catholicus & orthodoxus colendus. Hæc enim eſt illa Chriſti pollicitatio Ioan. 14. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. In quibus verbis ſemper ſancti patres cognouerunt Eccleſiam in erudiendis † ſenſibus ſacræ paginæ, diuina authoritate pollere. Inpræſentiarum verò non opus eſt hoc vti præſidio, ſed affirmamus ſecundò, verba ipſa Euangelica per ſe eſſe lucida, vt in ſenſu proprio, vt ſonant, ſint intelligenda. Nam vt regula Aug. lib. 83. quæſtionum q. 69. docemur, ſcripturæ circunſtantia ſententiam illuminat. Vnde verba quæcunque Euangelij, hanc ſibi vendicant autoritatem, vt in ſenſu proprio accipiantur, niſi literæ circunſtantia cogat in ſenſu improprio eſſe intelligenda. Ait Chriſtus Ioan. 15. Ego ſum vitis vera, quod autem illa ſit metaphora, ſubiunctum verbum conuincit, Et vos palmites. Quemadmodum enim nos non niſi per metaphoram palmites ſumus, ita nec ipſe vitis. Rurſus illud, 1. Corinth. 10. Petra autem erat Chriſtus, præcedens verbum manifeſtat per tropum intelligi. Prædixerat namque, Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Dicens ergo Spirituali, & Conſequente, intellexit petram illam tantum fuiſſe figuram Chriſti: nam illud ſaxum non eos ſequebatur, ſed Chriſtus ſuo fauore per illud præſignatus: Inpræſentiarum verò nihil circunſtat, quod Chriſti verba per metaphoram deflectat. Quod ſi dicas. Neque ait Chriſtus, Hoc propriè eſt corpus meum. Reſpondetur, neque opus fuiſſe, nam eandem vim habet, hoc eſt, & hoc verè & propriè eſt. Qui enim dicit Hic eſt pater meus, vel hæc eſt domus mea, non neceſſe habet addere verè vel propriè. Quocirca ſicuti qui rem poſſidet non tenetur probare ſuam eſſe, ſed actori, qui vult illam auferre, incumbit illa probatio: ſic nos, qui verba habemus plana, non cogimur probare ſenſum facere proprium, ſed hæretici, qui id negant, obligantur contrarium oſtendere. Vnde Paſcaſius egregius autor apud Waldenſem cap. 23. ſuper eadem verba, Hoc eſt corpus meum. Audiant, inquit, qui volunt extenuare hoc verbum corporis, quod non ſit vera caro Chriſti, quæ nunc in ſacramento celebratur, quaſi Dominus mentiatur, Cum ipſa Veritas dicat, Non hæc eſt, vel in hoc myſterio eſt quædam virtus, vel figura corporis mei: ſed ait non fictè. Hoc eſt corpus meum. Et: Hic eſt ſanguis meus.

† *Fortè, Erudendis.*

Duæ regulæ ex S. Aug. pro ſenſu figurato alicuius ſcripturæ.

2. Regula.

Alteram item regulam conſtituit lib. 3. de doctrina Chriſtiana ca. 10. idem Aug. ſcilicet, quod in ſermone dominico id tantum figuratum eſſe cenſeatur, quod neque ad fidei veritatem propriè referri poteſt. Verbum autem, Hoc eſt corpus meum, perinde ac, Verbum caro factum eſt; ad fidei veritatem propriè refertur. Igitur Caietanus notamen, quod hic adhibuit, diſſimulare potuiſſet. Contendit quippe non apparere ex Euangelio coactiuum aliquod (vt eius vtamur verbo) ad intelligendum Chriſti verba propriè, ſed ſolùm ob Eccleſiæ autoritatem, quod quidem conſultiùs ſiluiſſet. Nam etſi (vt ſuprà diximus) Eccleſiæ autoritas ad id ſufficiat, nihilomins aduerſus hæreticos qui Eccleſiæ non tantum deferunt fidei, ex ipſis Euangelicis verbis vegentius ſumitur argumentum. Et reuera oratio illa, Hoc eſt corpus meum, quamuis non eſſet adiectum, Quod pro vobis tradetur, per ſe facit proprium ſenſum, quem vtique & adiectio ipſa exaggerationis cauſa facta apertiùs depromit. Cordatiùs ergo idem Caiet. in opuſculo quodam de cœna Domini dixit, eundem proprium ſenſum ex verbis Euangelicis colligi.

Caietanus.

Sciſcitabar enim ego nonnunquam ab illis hæreticis, potuiſſet ne Chriſtus, qui eſt omnipotens, verum ſuum corpus conſecrare, & Apoſtolis porrigere? Et qui ſanioris erant mentis, negare non poterant. Rogabam eos ſubinde, ſi id facere voluiſſet, quibuſnam verbis explicatiùs ſignificaſſet, quàm dicendo: Hoc eſt corpus meum. Et: Hic eſt ſanguis meus? Vtrum ad cauendas eorum argutias debuiſſet addere, propriè & non per metaphoram? Profecto quæcunque adieciſſet verba, ſuis cauillis detorſiſſent.

Secundò eadem veritas probatur ex Ioan. 6. Ego ſum panis viuus, &c.

Secundus locus eſt apud Ioannem cap 6. Vbi poſtquam Chriſtus turbas pauciſſimis panibus ſaturauit, (quod quidem miraculum ad introducendum huius ſacramenti myſterium præmiſerat) ait: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Vbi ſeſe cum manna contulit quod patribus Deus dederat in deſerto, ſignificans illud fuiſſe huius figuram. Si autem panis ſacramentalis nihil aliud eſt, quàm eius itidem Chriſti figura, nihil præſtantius habet quàm manna illud. Imò multò minus: nam manna vitam temporalem ſuſtentabat: panis verò ſacramentalis nec ipſam, nec ſpiritualem: quia Chriſtiani non victitant illo pane ob vitam temporalem. Et tamen Chriſtus conſtituit differentiam, quòd cibus ille, qui erat eius vmbra, vitam tantum temporalem alebat quæ morte concludebatur. Sed ſi quis, inquit, manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

Occurritur obiectioni.

At aiunt iſti. Illud intelligebat de ſe ipſo, qui per fidem manducatur. Sed illis reſpondemus, quòd licèt prius de ſe ipſo, qui per fidem manducatur, fuerit locutus, ſermonem tamen de manducatione ſpirituali palam ſubiunxit. Eſt enim circa illum locum Ioannis adnotandus mos Chriſti, qui ex temporalibus anſam nanciſcebatur ad loquendum de ſpiritualibus. Vt enim Ioan. 4. ſermonem cum Samaritana iniuit, vt de aqua materiali verba innecteret fidei, quæ eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam, dicens: Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sic pro themate ſumpto de panibus quibus ſatiauerat turbam, ait illis. Quæritis me non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vbi nomine cibi mandata ſuæ legis intellexit, quæ in fide fundatur. Vnde ſubdit, Hoc eſt

opus

opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. In cuius consequentiam infert. Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus. Et inferiùs. Panis verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Et subnectit, Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum. Hic manifestè non corpus suum, sed se ipsum appellat panem. Et per fidem venire ad ipsum, appellat comedere & bibere, propterea quòd per fidem ei incorporamur. Et de hac manducatione ait illic August. tract. 26. quòd credere in Christum, est manducare Christum. Et, Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti. Qui canones referuntur de conse. d. 2. Atque in eodem sensu Christus sermonem protendit vsque ad illum locum. Ego sum panis viuus, &c. Sed inde vbi ait: Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, apostrophen a se facit ad suum corpus & sanguinem, quæ in sacramento sunt cibus & potus. Etenim si solam fidem qua credimus Christum esse Deum & hominem, appellasset manducationē panis, contentus fuisset dicere: Ego sum panis viuus. Cùm autem adiecit, Panis, quem ego dabo, non de se tantum, qui iam erat, nec de sua fide, quam iam prædicabat, loquebatur, sed de pane, quem nobis in sacramento, quod nondum instituerat, præstiturus erat. Et cum subiunxit, Panis, caro mea est, rem explicatissimè declarauit. Nam si tantum sensisset, quod carnem daturus erat nobis in cruce, non eam vocasset panem: quia illic non habuit alimenti formam, sed dixisset, Caro quam ego dabo, salus est, aut pretium est pro mundi vita, aut quid simile: dicens autem, Panis, quem ego dabo, caro mea est, palam docuit quod carnem ipsam, quam affixurus erat cruci, relicturus subinde esset nobis sub specie panis in cibum: quod consonat verbo eius apud Lucam, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Christus Io. 6 a manducatione sui ipsius per fidem, transit ad manducationem sacramentalem.

Tertiò probatur ex illis verbis, Amen, amen dico vobis, Nisi mand. &c.

Tertius verò locus paulò inferius rem etiamnum vehementius confirmat. Adeò enim planè loquebatur de carne sua manducanda, vt murmur inter discipulos suboriretur dicentium: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Profectò eadem cordis duricies permanet in omnibus hæreticis: quoniam nec modo isti percipiunt, quomodo potest Christus dare nobis carnem suam ad manducandum. Nisi quòd illi carnalissimè verbum intellexerunt; isti verò figuratissimè, cum tamen in medio consistat virtus. Quare vtrisque eodem verbo respondet Christus. Etenim contra istos, qui post successerunt dicentes per figuram illud esse dictum: respondit carnalibus illis murmuratoribus, Amen, amen dico vobis, quasi dicat, affirmatè & affirmatissimè dico vobis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: eandem scilicet carnem, quam vos intelligitis, & quam me videtis habere. Percontor ergo ab istis metaphoricis hominibus. Si Christus tantum intellexisset carnem suam per metaphoram esse cibum, quia corde creditur, & sanguinem suum per metaphoram potum; nonne facillimo illo verbo potuisset animos eorum pacare, dicendo solùm per metaphoram se loquutum? Et tamen non id fecit, sed id, quod ipsi intellexerant, confirmauit quantum ad veritatem carnis & sanguinis, quæ tanquam verum cibum & potum comedere & bibere debebant. Attamen quia nondum erant mysterij capaces, modum non exposuit: scilicet, quod non erant comesturi carnem sicut bouinam materialiter in macello laniatam, vt putabant, nec bibituri sanguinem, sed sacramentaliter. Veruntamen eundem insinuauit modum dicens: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: vbi manducationem sacramentalem appellauit spiritualem, tum quod non illic caro sub forma carnis, sed inuisibiliter manducatur; tum quòd corpus ipsum solùm sacramentaliter susceptum sine spirituali gratia, quæ est res sacramenti, non prodest quicquam, imò sæpe sumitur ad iudicium, vt ait 1. Corinth. 11. Paul.

Spiritus est qui viuificat, &c.

Confirmatur argumentum.

Adde, quod si tantum de manducatione spirituali per fidem tropo loqueretur, satis dixisset, Nisi me ipsum manducaueritis: cum autem distinxit carnem & sanguinem tanquam cibum & potum, quis neget mysterium aliud, quàm mentis fidem designasse: nam fides non aliter suscipit sanguinem quam carnem, vt fides sanguinis dicatur potus, & fides carnis manducatio. Imò neque opus erat de sanguine meminisse magis quam de phlegmate, vel alio humore. Neque verò de carne: nam iam quantum ad fidem planè & sine metaphora dixerat, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Et postea Ioann. 14. Creditis in Deum, & in me credite. Adde quòd si de fide tantùm, qua creditur in Christum, loqueretur; similiter debuisset addere, Diuinitas mea verè est cibus & potus: quandoquidem ad eius fidem tam diuinitas eius pertinet, quam humanitas.

Præterea si nihil aliud esset manducare quàm credere, idque sub figura, vt isti aiunt, nihil præstantius nobis policebatur, quàm priscis patribus concesserat: nam etiam illi manducantes manna fide credebant in Christum, iuxta verbum Paul. 1. Corinth. 10. Omnes eandem escam manducauerunt. Qui inuerò ipsi Apostoli antequam in cœna manducassent Christi corpus, iam per fidem eum manducabant. Et tamen Christus de futuro ait: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, sacramentalem carnem & sanguinem insinuans. 2.

Item si nihil aliud quàm fidem significaret, nulli discipulorum scandalum accepissent: nam facilè illud intelligerent. Et augetur inde argumentum, quòd cum Christus priùs, vt modo dicebamus, fidei mentionem fecisset, dicens: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille, & subinde petentibus ab illo signum, quoniam patres eorum manna manducauerant, introduxisset mysterium de sacramentali manducatione carnis, & potu sanguinis, sit consequens præter fidem, realem manducationem carnis designasse: alias nullam mysterij nouitatem insinuasset, quam non discipuli omnes facile possent percipere. 3.

Quod si dicas etiam Augustinum illic tractando de carne & sanguine Christi, per cibum illum & potum intellexisse societatem corporis Christi mystici, scilicet membrorum Ecclesiæ. Iam supra † responsum est, duplicem esse manducationem sacramenti: alteram scilicet, quæ est de necessitate salutis, & illa fit per votum quod in baptismo includitur, vbi homines associantur Christo. Sed tamen ex illo voto nascitur obligatio præcepti suscipiendi postea sacramentum in re, vt d. 12. q. 1. art. 11. monstrabitur. † *d. 8. a. 3.*

Quartò ostenditur ead. veritas ex illis verbis, Caro mea verè est cibus, &c.

Ad hæc & subiuncta illic protinus exaggeratio (qui quartus locus est) istos figuratum autores apertè reuincit. Videtur enim Christus eorum verlutiam prospexisse, qui dicturi essent manducationem illam carnis & sanguinis, figuram tantum esse: quibus vt os obstrueret, subiunxit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Vbique enim isti, mendacis Satanæ semen se esse profitentur, veritatisque subinde inimicos. Ait Christus Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. & ca. 17. Pater sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Et tamen contra istas veritatis voces aiunt Lutherani (quorum errorem lib. 2. de natura & gratia ca. 19. impugnauimus) quòd Deus non verè iustificat, nec verè peccata remittit: imò quòd semper manent in homine, licèt non imputentur. Pari modo hic ait Christus, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, vbi cum loquatur cum hominibus, ac perinde ad eorum modum & vsum, veritatem manducandi intelligit: & reclamant ipsi, non est verè, sed in figura.

Quintò, ex illo 1. Cor. 11. Probet autem, &c.

Accedit & locus quintus apud Paul. 1. Corinth. 11. vbi postquam recensuit, quemadmodum Christus consecratum panem & calicem ministrarit Apostolis, subdit. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Si autem nihil aliud esset illic quàm memoria passionis Christi, quid opus erat maiori probatione, quàm ad adorandum imaginem Christi? Et tamen Apostolus in omine iudicij graue piaculum & nefas insinuat, quia indignè manducans non discernit inter corpus Christi, quod illic reconditur, atque alias materiales escas, quas epulantes & conuiuantes seculariter deuorant. Et ca. 10. præcedenti, Calix, inquit, benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Dominici est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & vno calice participamus. Quæ quidem verba non figuram, sed certè veritatem corporis & sanguinis, quibus Christiani alimur, & in vnum corpus coalescimus, significant.

Illud quoque orationis Dominicæ Matt. 6. Panem

Digitized by Google

Ex oratione Dominica.

nostrum quotidianum da nobis hodie. Hieron. super eundem locum Matth. Et Ambro. lib. 5. de sacramen. & Aug. sermone 28. de verbis Domini, atque alij, quos Waldensis loco citato cap. 38. refert, de hoc sacramentali pane intelligunt. Vnde vbi nos legimus quotidianum, alia lectio habet τὸ ἐπιούσιον id est, supersubstantialem: tametsi in alio sensu nomine illic panis temporalis victus vitæ corporali necessarius intelligatur.

Proferuntur Sanctorum testimonia. Hilarius.

Sunt & frequentissima sanctorum testimonia id confirmantia. Primò eorum quos hic Sanct. Thom. allegauit, qui de consecrat. dist. 2. referuntur. Hilarius can. In Christo. De veritate, inquit, carnis, & sanguinis Christi in sacramento non est relictus ambigendi locus. Et can. Corpus, iterum, Corpus, inquit, Christi, quod sumitur de altari, figura est dum panis & vinum videtur extra: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interiùs creditur. Et Cyrillus. Qui dubitat an hoc verum sit, Christum ipsum, qui veritas est, facit mendacem. Sunt verò illi qui per tropum hoc intelligunt certiùs mendacissimi. Ait siquidem Ambro. can. Sicut. Tam vera est caro Christi, quam accipimus in sacramento, & tam verus eius sanguis; quàm verus ipse est Dei filius. Atqui id ipsum affirmat Damascenus lib. 4 orthodoxæ fidei ca. 14. & Innoc. lib. 4. de sacrificio missæ ca. 7. Vbi omnes isti patres identidem repetunt, quod non in figura & tropo, sed in rei veritate corpus Christi & sanguis sunt in sacramento. Et Chrysost. super Ioan. homilia 45. ait, Christum non tantum se permisisse à desiderantibus videri, sed tangi & manducari, ac dentes carni suæ infigi. Quod & Berengarius fateri compulsus est, vt can. Ego Berengarius. de conse. d. 2. legitur. Et Aug. ead. d. can. Vtrum sub figura. quæstionem in terminis mouens, ambiguitatem diluit, dicens: Non sub figura, sed in veritate illud audiendum, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Alioqui, inquit, quomodo magnum erit. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, nisi vera sit caro?

Cyrillus.

Ambros.

Damasc. Innoc.

Chrysost.

August.

De fide esse, quod in Eucharist. corpus Christi verè cõtineatur.

At verò vt res perspicaciùs concludatur, dubium hinc emergit, an sit veritas hæc tanquam articulus fidei suscipienda. Scotus namque & Durand. d. 20. q. 1. tanquam articulum fidei confitentur. Atqui ratio dubitandi est, quia non est inter quatuordecim articulos fidei relata: neque verò apparet in Euangelio ita expressa, vt eius negatio sit tanquam hæresis reputanda. Respondetur autem, aliquam veritatem in triplici gradu censeri posse articulum fidei. Vno modo, quia est à sanctis concilijs definita. Secundò, quia est in sacra pagina expressa. Et tertiò, quia est inter quatuordecim fidei articulos, vniuersis Christi fidelibus ad credendum proposita. Atque omnibus his tribus modis veritas hæc est de fide. Primum enim quantùm ad sanctas synodos, iam suprà † ostendimus in Ephesina, Vercellensi, Turonensi, Romanis & Constantiensi definitam. Est præterea sancita cap. Ad abolendam. de hæreticis. vbi anathemate feruntur, quicunque de sacramento corporis & sanguinis Domini aliter quàm Ecclesia, senserint. Et in c. Firmiter. extra de sum. Trin. habetur, quòd in sacramento altaris corpus & sanguis Christi, sub speciebus panis & vini veraciter continentur. Idemque c. cum Marthæ. de cele. missa. Et in clem. vnica. de reliquijs, & veneratione sanctorum, & in concilio Florentino. Et de consec. d. 2. frequentissimis decretis, quæ omnia percensere, satietatem faceret. Sed quòd in Euangelio contineatur, constat affirmante Christo, Hoc est corpus meum. Et: Hic est sanguis meus: quæ quidem verba postquam nulla circunstantia pertrahuntur ad sensum metaphoricum, & ad fidei veritatem propriè pertinent; secundum proprium significatum, vt suprà † ostensum est, vsurpanda sunt. Quocirca non tantum est habenda hæc veritas de fide tanquam determinatio Ecclesiæ, vt Caiet. insinuat, sed tanquam in Euangelio contenta.

† Hic, §. Tertia fust.

† §. Duobus ergo modis.

Veruntamen, quod non sit in numero articulorum fidei, extat sextum argumentum apud D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 8. vbi dubitat, cur non sit expressè articulus fidei de sacramento Eucharistiæ. Et respondet duo esse in eo considerandum: Vnum, s. quod est omnibus sacramentis commune, putà suscipientes sanctificare: & secundùm hoc, inquit, pertinet ad illum articulum, Credo sanctam Ecclesiam. Aliud autem habet peculiare, quia continet corpus Christi secundum veritatem: quod cum sit miraculum, pertinet ad articulum omnipotentiæ. Huic autem cum Tho. Waldensi ca. 95. addiderim, quod cum sit sacramentum communionis, iuxta verbum Paul. 1. Corinth. 10. Multi vnum corpus sumus, omnes qui de vno pane & vno calice participamus, peculiariter pertinet ad illam particulam symboli, Credo sanctorum communionem.

Ad quem symboli articulum pertineat.

Igitur impientissima fuit blasphemia Witcleff, dum ait mille primos annos à passione Christi nunquam hoc dogma in Ecclesia viguisse, sed modò in hoc diaboli milliario esse inuentum. Hæretici namque videntes quantum authoritatis pondus antiquitas adferat, vbique sua dogmata antiquitate donare contendunt. Fuit autem inpræsentiarum Witcleff, duplici nomine impius. Primò, quòd negauerit hanc veritatem à Christo ipso promanasse, & semper in Ecclesia fuisse cultissimam. Deinde, quod dixerit, à quingentis hinc annis Ecclesiam suo diuino præsidio destituisse, permittendo eam in errore manere: cùm, vt ait ad Ephe. 5. Pau. eam sic dilexerit, vt pro ea se ipsum traderet, eamque adeò sanctificauerit, vt esset sine macula, & sine ruga. Cui subinde pollicitus est Ioan. 14. paracletum, qui cum ea in æternum permaneret. Imò & de se ipso Matth. vlt. adstruxerit, Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi.

Proponuntur arg. hæreticorum.

Argumentorum autem capita, quæ huic orthodoxæ veritati hæretici obmoliuntur, duo sunt. Nimirum Christum sic esse in sacramento, vt catholici profitemur, aut impossibile esse, aut certè indecens. Quibus nonnulla paginæ, sanctorumque loca sensu detorto adijciunt. Quod autem ab impossibilitate ducunt, art. 4. diluemus: vbi sacramentalis conuersionis natura & modus explicabitur. Deo namque, cui ex nihilo mundum condere quàm facillimum fuit, blasphemum est impossibile reputare (vti Ambro. lib. de sacra. ait) panem in corpus, & vinum in sanguinem conuertere.

I.

Interim autem alia dissoluamus, quæ hic facit S. Thom. Arguunt n. ex verbis Augu. perperam intellectis hoc pacto. Cùm Dominus, vt Ioann. 6. legitur dixisset: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. multi ex discipulis eius audientes dixerunt, durus est hic sermo: quibus ipse ait: Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam. Quod Augustin. super psalmum 98. sic exponit. Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt qui me crucifigent. sacramentum aliquod vobis commendaui: spiritualiter intellectum viuificabit vos. Caro autem non prodest quicquam. Respondet D. Thom. hoc fuisse Berengarij argumentum prauè Augustin. intelligentis. Dum enim ait, Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, non intendit excludere veritatem corporis Christi, sed modum, quo illi putabant esse manducandum: scilicet, in propria specie, qua ab illis videbatur. Vnde dum subdit, sacramentum vobis aliquod commendaui: spiritualiter intellectum viuificabit vos; non intendit, quòd corpus Christi sit in hoc sacramento solùm secundum mysticam significationem, sed Spiritualiter dicit, id est, impassibiliter, & per se inuisibiliter, quod per virtutem Spiritus sancti nobis gratiam infundit. Vnde super Ioan. cap 6. exponens illud, Caro non prodest quicquam, dicit. Sed quomodo illi intellexerunt? carnem quippe sic intellexerũt quomodo in cadauere laniatur, aut in macello venditur: non quomodo spiritu vegetatur. Accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis. Hæc Augustin. Idemque in Epistola ad Irenæum, & refertur can. Non hoc. de consec. distinct. 2. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, ipsum quidem, & non ipsum: ipsum inuisibiliter, non ipsum visibiliter. Et can. Hoc est. ait sacramentum hoc constare visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Inuerecunda ergo temeritas est Augustinum sic allegare, quasi de veritate corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento hæsitauerit. Præcipuè si eius verba in canon. suprà † citato. Vtrum sub figura. inspiciantur: vt infrà dist. 12. vbi de eiusdem sacramenti vsu redibit sermo, copiosiùs demonstrabitur.

Ex S. Aug. circa illud, Spiritus est qui viuificat, &c.

Solutio.

† §. Sunt & frequentissima.

Secundò arguitur. Super illud Matth. vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consumma-

tionem

tionem sæculi: ait Aug. Donec sæculum finiatur sursum est Dominus, sed tamen nobiscum est veritas Domini: corpus n. in quo resurrexit, in vno loco oportet esse, veritas autem eius vbique diffusa est: de cons. dist. 2. can. Prima quidem. non ergo secundùm veritatem corpus Christi est in hoc sacramento, sed solùm secundùm signum. Respondetur, illud similiaque omnia Aug. verba intelligenda esse de corpore secundum esse, quod habet naturale, extensum & sensibile, in qua forma passus est, & ascendit in cœlum: in illa n. forma non nisi in cœlo est sedens ad dexteram patris. Et secundùm illud schema dixit Matth. 22. Pauperes semper habebitis vobiscum; me autem non semper habebitis. Hoc tamen nihil obstat, quominus inuisibiliter & sacramentaliter secundùm veritatem sit in sacramento. Vnde idem Aug. in lib. sententiarum Prosperi, & refertur can. Semel. de consecrat. d. 2. Semel, inquit, immolatus est in se ipso Christus: & tamen quotidie immolatur in sacramento.

Ex eod. Augusti.

Responsio.

3. Tertiò. Nullum corpus potest simul esse in pluribus locis, cùm nec Angelo hoc conueniat: alias eadem ratione posset esse vbique: corpus autem Christi verum est in cœlo; ergo in sacramento non est secundum veritatem. Hic etiam est hæreticorum Achilles: nihil n. nisi quod est ante oculos mente possunt comprehendere. Ob idque pleraque eorum, quæ sunt supra naturam, impossibilia arbitrantur. Ad hoc autem diligentius dist. sequen. artic. 5. respondebitur inter tractandum de modo existendi corporis in hoc sacramento: Vtrùm etiam extensiuè & diffinitiuè possit Deus per suam omnipotentiam idem corpus simul in pluribus locis collocare. Nunc autem satis est respondere, non esse corpus in hoc sacramento quasi suis dimensionibus loco commensuratum quemadmodum est in cœlo; sed modo quodam speciali qui huic sacramento proprius est, s. per conuersionem panis & vini in corpus ipsum & sanguinem. Quomodo non repugnat simul esse in pluribus altaribus per plures eiusmodi conuersiones, licet non sit ibi sicut in diuersis locis diffinitiuè, vt ead. q. seq. art. 5. monstrabitur, at sub diuersis speciebus. Sed tamen hoc non est tantum in signo, hoc est, sicut in figura; sed est secundùm veritatem, modo prædicto; tametsi species sacramentales signum sint rei contentæ sub illis, & gratiæ, quam virtute corporis conferunt.

Ex eo quod impossib. videatur, idem corpus esse simul in diuersis locis.

Responsio.

4. Quarto arguitur. Sacramenta, vti ait in quadam homilia † Gregor. ad vtilitatem & commodum fidelium instituta sunt, præsentia autem corporea Christi potius nobis impedimento est ad eius diuinitatis mysteria contemplanda. Quare fides Centutionis Matt. 8. laudatur, quod se indignum reputauerit, vt Christus intraret sub tectum suum: & super illud Ioan. 16. Si non abiero, paracletus non veniet ad vos, adnotat Aug. quod Apostoli impediebantur recipere Spiritum sanctum propter affectum, quo tenebantur præsentiæ Christi: ergo non est in rem nostram quod corpus Christi sit præsens in sacramento.

Ex S. Greg. † Homil. 26 in Euang.

Hoc est caput secundum argutiarum hæreticorum contendentium existentiam realem corporis & sanguinis Christi in sacramento, neque maiestatem Dei decere, neque nobis ad illam reuerendam prodesse. Et est vigesimaprima obiectio Oecolampadij apud Clictoueum. Aiebat n. quod cùm Paul. ad Colossi. 3. admonuerit nos dicens: Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram: cuius etiam in initio præfationis sacerdos commonefacit dicens: Sursum corda. nos autem mentem ad terram demittimus, credentes illic esse corpus Christi. Sic isti assolent sacra irridere. Respondetur ergo, quod præsentia, quæ impedimento erat Apostolis; erat illa corporalis & visibilis, quæ sensus eorum afficiebat, in sacramento autem inuisibiliter, ac subinde modo quodam spiritualiter existit. Vnde super Ioan. c. 6. Aug. Si intellexisti, inquit, spiritualiter verba Christi de carne sua, spiritus & vita tibi sunt: si intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt. Atque adeo hæretico illi respondemus, propterea nos excitari, vt corda inter mistarum solennia sursum habeamus, vt mysterium, quod sensibus non percipitur, mentis acie contemplemur: intelligentes ob id esse nobis hoc beneficium collatum, vt illo sacrosancto pane spiritus noster nutriatur, & ad cæleste conuiuium exardescat. Quare in hoc sacramento & fides nobis augetur, cùm intellectum captiuantes, aliud illic credimus latere, quam oculis obijcitur, & spei fiducia subleuatur, vt cum speremus, qui in cruce se nobis & in sacramento subinde tradidit, oblaturum se nobis in gloria: atque adeo charitas nostra inflammatur credentium in hoc sacramento tanta ipsum nobiscum familiaritate conuersati. Alia, quæ nullius sunt momenti, argumenta hæretici adferunt, quæ tum Waldensis loco citato aduersus Witcleff, tum & aduersus Oecolampadium Iodocus Clicthoueus lib. 2. de sacramento Eucharistiæ, quasi nullo negotio diluunt.

Responsio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.

NON satis est nosse corpus & sanguinem esse in hoc sacramento, nisi perscrutemur, an illic maneat cum ipso simul substantia panis & vini. Et respondet Diuus Thomas confutando contrarium errorem duabus conclusionibus.

Prima. Post consecrationem substantia panis & vini in sacramento non remanet. Probatur conclusio aduersus erroris patronos quatuor rationibus. Primò, quia positio contraria, s. quod panis & vinum illic maneant, veritatem sacramenti tollit. Veritas n. sacramenti in hoc consistit, vt corpus Christi & sanguis, quæ ante consecrationem illic non erant, post consecrationem ibidem existant: hoc autem fieri non potest, si substantia panis & vini illic maneat: ergo illud est falsum. Probatur minor. Nihil esse potest vbi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum: sicuti in camino incipere esse nequit ignis, nisi vel aliunde illuc delatus, aut ibidem ex materia genitus: corpus autem Christi non incipit esse in sacramento per localem motum. Alias locum cæli desereret, nihil n. mouetur nisi deserendo locum vnde mouetur, & acquirendo nouum. Item quia corpus, quod localiter mouetur pertransit per media, quare corpus Christi priùs esset in aere, quàm in sacramento. Tertiò, quia quicquid mouetur, ad vnum certum terminum mouetur: accidit autem, corpus Christi in quamplurimis altaribus simul conficiari: ergo ad illa simul loca non posset moueri. Fit ergo consequens, vt incipiat esse in sacramento per conuersionem panis in ipsum: quod autem conuertitur in aliud, facta conuersione non manet. Concluditur ergo, substantiam panis post consecrationem salua veritate sacramenti remanere illic non posse.

1. Concl. negans.

Prima ratio.

Secundo id probatur, quia ille contrarius error aduersatur formæ sacramenti, qua dicitur: Hoc est corpus meum: pronomen n. omnem substantiam illic existentem demonstrat; substantia verò panis si maneret nunquam esset corpus Christi, quare potiùs dicendum esset, Hic est corpus meū. Item tertiò illa veneration sacramenti contraria est. Si n. illic maneret panis, non posset adoratione latriæ adorari; qua tamen adoratur sacramentum. Et quartò demū repugnat Ecclesiæ ritui, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere Christi corpus: cùm tamen post vnam hostiam consecratam liceat alteram sumere.

2.

3.

4.

Concludit ergo secundam conclusionem, scilicet, quod opinio asserens substantiam panis & vini manere in sacramento, est hæretica.

2. Concl.

Præter tres suprà † recitatas hæreses negantium corpus Christi verum & sanguinem in sacramento altaris; fuerunt tres aliæ adstruentes substantiam panis & vini vna cum corpore ipso & sanguine ibidem permanere: qui quidem proinde Panitæ dicuntur, hoc est, corpus Christi impanantium. Prima fuit cuiusdam Valerani nomine, contra quem tomo secundo citato cap. 65. & 66. Thomas Waldensis disputauit. Is enim paulo post Berengarium, nempe anno Domini milleſimo centesimo asserens, secundùm Berengarij condemnationem, corpus Christi & sanguinem esse in sacramento; quoniam comprehendere non valebat quo modo accidentia sine subiecto sustentarētur, posuit cum corpore Christi manere substantiam panis. Non quod aliquo pacto vnirentur, sed taliter existerent, vt essent duo suppositа omnino distincta.

Expositio articuli.

† c. prec. §. Sex igitur.

Hæresis Valerani.

Secunda fuit cuiusdam, qui dicitur Ioannes Parisiensis, non quidem ille ordinis Prædicatorum, sed alter, cuius liber inuentus est Parisijs apud Iacobitas sub titulo Ioannis pungentis asinum. Sed propter no-

Hæresis Io. Paris.

minis absurditatem dictus est Ioannes Parisiensis seu Iacobita. Qui quidem modum tam subtilem quàm falsum confinxit: nempe, quòd sicut verbum in vtero virginis assumpsit humanitatem, ita & in sacramento virtute verborum, mediante corpore assumit substantiam panis in vnitatem suppositi, & mediante sanguine substãtiam vini; virtute cuius assumptionis verificatur, vt panis sit corpus, & vinum sit sanguis. Non autem dicere audebat, quòd immediatè verbum assumeret dictas substantias: nam tunc sicut verbum est incarnatum, & verè homo, ita & ipsum verbum esset impanatum, & esset panis; quod planè est erroneum. Neque verò mediante humanitate: aliàs sicuti ratione albedinis, quæ est in humanitate, Christus est albus: ita virtute illius assumptionis Christus esset panis, quod est absurdum. Nam inde sequeretur, quod Deus esset panis, postquam Christus est Deus. Sed solum sustinebat, quod panis esset corpus. Atque hunc errorem impugnat satis Durand. in 4. dist. 10. q. 1.

Hæresis Lutheri. Tertia fuit hæresis Lutheri in suo blasphemo libello de captiuiate Babylonica, contra quem disputauit Clicthoueus lib. 2. de sacramento Eucharistiæ ca. 22. Illi n. placuit opinio prima, s. Valerani parum differenter in modo loquendi. Etenim quoniam panis & corpus sunt duo suppositа, non concedebat Valeranus, quòd panis esset corpus Christi, sed quòd corpus erat coopertum pane, sicut Nestorius aiebat, quòd verbum erat coopertum humanitate, in qua erat sicut in tabernaculo. Et nos dicimus quod corpus manet sub speciebus panis: Lutherus verò quamuis nullam assereret coniunctionem inter panem & corpus Christi, nihilominus affirmabat hanc esse veram per metaphoram, panis est corpus Christi, sicuti dicitur, Petra est Christus. In quo ideò cum Berengario consensit, nisi quòd præsentiam corporis & sanguinis fassus est. His erroribus non annũmeramus errorem Durandi tenentis materiam panis & vini manere in sacramento. Neque alium tenentium manere illic formam, licet non longè ab his distent. Et de priori dicemus artic. 4. Et de posteriori artic. 6

Error Durandi.

Est autem circa hos errores notandum, quòd Valeranus non alia ratione motus est, quàm vt euitaret accidentia manere sine subiecto. Ioannes autem Parisiensis præter illam, habuit aliam; quòd apparet Christum cum consecrauit, de pane ipso, quem accepit in manibus, asseruisse, Hoc est corpus, hic scilicet panis est corpus. Quod quidem verificare autor ille non potuit, nisi per vnionem hypostaticam. Tunc enim per communicationem idiomatum panis est corpus, sicuti homo est Deus. Lutherus autem satis duxit per tropum concedere, quòd panis sit corpus. Quare secundum istos in illa propositione, Hoc est corpus meum, pronomen supponit pro pane illo frumenti, quod ipse hæreticus vocabat corpus sacrificij. Consonare ei videtur illud 1. Cor. 10. Panis, quem frangimus omnes, nonne participatio Domini est? Nam corpus Christi, cum immortale sit, non frangitur, sed panis. Item Matth. 6. secundum expositionem sanctorum, quos suprà † citauimus, vbi petimus panem nostrum quotidianum, hoc sacramentum sub nomine panis designamus. Et 1. Corint. 10. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat Et illud Lucæ 24. quod cognitus fuit Dominus in fractione panis, interpretatur Aug. in lib. de consensu Euangelistarum, de sacramento Eucharistiæ, sicut & exponi solet illud Actuum secundo, quod erant discipuli perseuerantes in fractione panis. Quinuerò & ipse Aug. can. Corpus & sanguinem. de consec. distin. 2. Corpus, inquit, & sanguinem Christi dicimus, illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum rectè sumimus ad salutem. Præterea vt suprà citatus Chrysostom. ait & Berengarius in sua retractatione fateri compulsus est, corpus Christi in hoc sacramento manibus tractatur, & frangitur, & dentibus atteritur, quod fieri non potest nisi in pane. Et Damascenus lib. 4. cap. 14. ait, quòd panis & vinum virtute Spiritus sancti transsumitur in hoc sacramento. Quòd autem sit panis transsumptus, non potest commodiùs intelligi, quam si accipiatur in vnitatem suppositi. Quare Dionys. cap. 3. de cælest. hierar. hoc sacramentum assumptionem appellat.

Hæreticorũ argumenta.

† a. praced. § Illud quoque.

Summa argumentorũ quæ mouent hæreticos.

Summa igitur argumentorum, quibus hæretici vtuntur, est, quia cum hoc sacramentum dicatur panis & corpus Christi, illa prædicatio defendi debet, Panis est corpus. Et sic omnia clarescunt, nec opus est ponere accidentia sine subiecto.

Error Ruperti. Quinuerò non solum hæretici, verùm & Rupertus Abbas, vir alioqui doctrina clarus, eidem errori applaudens, ait, quòd Christus Dominus sicut naturam humanam nec mutauit, nec destruxit, sed assumpsit: ita in sacramento nec destruit, nec mutat substantiam panis & vini; sed assumit in vnitatem corporis & sanguinis sui.

Argumenta contra hæreticos. Contra istos autem sunt argumenta, tum contra singulos particularia, tum contra omnes communia. Primùm enim, hæresis Valerani & Lutheri nullam veritatem sacramenti seruat: nam si panis & corpus Christi sunt duo suppositа distincta, & nullo modo vnita, nullatenus panis per consecrationem fieret corpus, nisi sicut ait Lutherus, quod panis fiat figura corporis. Item neque corpus Christi contineretur magis sub pane, quàm è conuerso panis sub corpore: atque adeo neque ad motum panis, virtute illius motus, moueretur corpus; neque ad manducationem panis sequeretur manducatio corporis; neque ad fractionem vnius, fractio alterius. Nihil ergo contra illos opus est disputare.

Christum non assumere panẽ & vinum in vnitatẽ suppositi. Sed & opinio illius Parisiensis deridicula est. Quis enim opinetur Christum tot quotidie substantias in vnitatem suppositi assumere, easdemq; relinquere? cum axioma sit theologorum, quod semel assumpsit, nunquam dimisisse.

Secundò. Licet verbum assumpserit humanitatem, non tamen naturam, quæ erat in alio supposito: isti autem concedunt, quòd assumpsit naturam panis, quæ erat in proprio supposito, quod non est satis intelligibile.

Tertiò. Assumere in vnitatem suppositi arguit infinitam virtutem: nam terminare subsistentiam alienæ naturæ nemo potest, nisi qui est ipsius naturæ Dominus, à quo eius esse dependet: quare hoc soli Deo tribuitur, corpus autem Christi est mera creatura, quæ non habet infinitam potentiam: non ergo potest mediante corpore talis fieri assumptio, Ac multò minus mediante sanguine fieri potest assumptio vini, siquidem sanguis cum non sit continuus corpori Christi, non ita ad eius vnitatem suppositi pertinet, vt mediante illo possit vinum assumi ad vnitatem suppositi Christi.

Non remanere in Euchar. substãtiam panis & vini, est de fide. Quartò. Neque istæ assumptiones ad rem quicquam conferunt: nam cum corpus & sanguis hîc esse asserantur secundum veritatem; non intelligitur quòd mediatè per assumptionem panis, atque adeò per communicationem idiomatum panis sit corpus; sed quòd corpus ipsum per se illic immediatè existat, vt verba sonant, Hoc est corpus meum.

Contra omnes autem pariter militant rationes hîc S. Thomæ, s. quòd omnes asserentes panem manere cum corpore, aduersantur & veritati conuersionis panis in corpus, & formæ consecrationis, Hoc est corpus meum, & sacramenti adorationi, & sumptionis ritui.

Quocirca, vt ait in secunda conclusione S. Tho. contraria assertio non est opinio, sed hæresis, ac subinde assertio nostra catholica fides. Itaque non solum est fides manere hic corpus & sanguinem, sed manere tales substantias solas, absque pane & vino.

Quòd si roges an hæc secunda veritas sicut alia præcedentis articuli solum sit Ecclesiæ sanctio, an verò ex Euangelio colligatur. Respondetur primò, esse determinationem Ecclesiæ, vt de consecr. d. 2. multis canonibus decernitur, vt can. Panis. qui est Ambrosij, vbi ait. Panis est vsitatus ante verba consecrationis, vbi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Et can. Omnia. Licèt figura panis & vini videatur, nihil aliud post consecrationem quàm corpus & sanguis Christi credendum est. Idem prorsus ait Hilarius Papa can. Corpus Christi. Eadem est determinatio concilij Lateranensis, vt patet ca. Firmiter. extra. de summa Trini. Scilicet, In sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri corpus & sanguinem Christi, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem. Et ca. Cum Marthæ. de celeb. miss. Et cle. vnica, de reliquijs & veneratio. sanctorum. Ac demum in concilio Florentino. In his quippe omnib. determinatur, non manere panem nec vinum, sed transsubstantiari in corpus & sanguinem. Idemque ait Damas. li. 4. ca. 14.

His

Digitized by Google

Colligitur ex Euangelio.

His tamen adijcitur secundò eandem veritatem ex Euangelio planè colligi. Ait enim Christus Ioan. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: vbi non alium panem quàm carnem designat. Vnde subdit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem; non habebitis vitam in vobis. Et rursus: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cum ergo tanta inculcatione carnem suam panem verum & cibum, ac subinde sanguinem potum nominauerit, omnem aliam substantiam panis & vini verè excludit.

Soluuntur argumenta hæreticorũ. Primum.

Igitur ad primum hæreticorum argumentum negatur cum dixit Christus, Hoc est corpus meum, pronomine demonstrasse panem: quare vanè insultat Lutherus in nos, vt est videre apud Clichthoueum li. 2. citato, ca. 20. dicens quòd nos vim inferimus verbis Christi. Ait siquidem (inquit) Euangelista, accepit verum panem & dixit, Hoc (scilicet panis) est corpus. Imò ipse addit ad verba Christi, quare illa comprehenditur maledictione Ioannis, in vltimis verbis Apocalypsis, vbi anathemate illos ferit, qui sacris eloquijs quidpiam vel addiderint, vel mutauerint. Nam licet Christus accepit panem, non tamen dixit, Hoc est corpus meum, & panis, sed duntaxat, Hoc est corpus meum. Etenim cum sermo Christi (vt can. Panis est. citato, Ambrosius ait) operatorius sit, fit vt quemadmodum Deus dicendo: Fiat lux, fecit lucem; & dicendo, Fiat firmamentum, fecit firmamentum: ita Christus dicendo, Hoc est corpus meum, fecit vt panis transiret in corpus. Et ideo non dixit, Hic panis est corpus meum, sed contentum quod initio erat panis, & in fine est corpus. Vnde idem Ambros. can. In calice. Ante verba, inquit Christi, quod offertur, panis dicitur; vbi Christi verba deprompta fuerint, non iam panis, sed corpus dicitur. Quapropter praua hæreticorum mens & verba Christi deprauat, dicens pronomen, Hoc, demonstrare panem: imo carnem ipsam designat quam sumpsit de virgine, & quæ crucifixa est & sepulta, vt idem ait Ambros. can. Re vera. & can. Omnia. Et Augu. can. Vtrum sub figura. & Grego. can. Quid sit. Imo vt ipse ait Christus, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Et, Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.

Secundum.

Quæratione Euchar. panis appelletur.

Ad alia vero omnia, quibus arguitur sacramentum appellari panem, tribus modis respondetur. Primùm enim mos scripturæ est, vt res nomen aliarum rerum retineant, ex quibus factæ sunt. Ait enim Adam Genes. 2. de Eua. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quia ex eius costa fuerat formata. Et Exodi 7. Virga Moysi deuorauit Magorum virgas, vbi serpens ex virga factus, virga appellatur. Et de vxore Loth versa in statuam salis dicere possumus. Hæc est vxor Loth. Et Ioannis secũdo: Cum vidisset Architriclinus aquam vinum factum. Et Matth. 11. Cæci vident, & claudi ambulant, &c. Vbi qui cæci fuerant, cæci dicuntur: igitur quia corpus & sanguis ex pane & vino fiunt, panis & vinum dicuntur. Vnde canon. Species. Gregor. de consec. distinct. 1. Species, inquit, & similitudo, illarum rerum vocabula sumunt quæ antea fuerunt, scilicet, panis & vini.

Secundò. Itidem mos est, vt res quales apparent, nominentur. Legitur enim Genes. 18. apparuisse Abrahæ tres viros, qui tamen erant Angeli: eodem ergo modo, quia corpus Christi sub speciebus panis videtur, frangitur, & comeditur, & sanguis sub speciebus vini adoratur & bibitur, panis & vinum meritò dicuntur. Vnde Aug. can. suprà citato. Vtrùm sub figura. Panis, inquit, quem dedit Christus, non nisi eius vera caro est, sed tamen quia Christum vorari dentibus fas non est, ex substantia panis & vini mysticè idem corpus Christi consecratur. Et hoc est, quod ait, can. Corpus. citato: nempe, panem & vinum de fructibus terræ sumptum prece mystica consecrari, id est, transubstantiari. Adde tertio, quod cum Christus ipse dixerit, Panis, quem ego dabo, caro mea est, eademque caro verus est cibus, absque alio schemate loquendi, caro verè dicitur panis, & sanguis calix, vt panis generali nomine pro cibo, & vinum pro potu vsurpetur.

Arg. S. Tho. 1.

Argumenta Sanct. Thomæ non sunt magni momenti. Primum est authoritas Damasceni loco citato, vbi ait quòd Christus in sacramento suam diuinitatem coniugauit pani & vino, vt panis non sit simplex, sed diuinitati vnitus, sicut carbo, inquit, simplex non est, sed ignitus igni. Respondetur autem Damascenum non aliud significare, quàm quod virtutem diuinam coniugauerit Christus pani & vino: non vt maneret, sed vt ex illis fieret corpus & sanguis, vt expressè illic ipse subdit. Et hoc est, quod ait, panem & sanguinem transiumi (id est transubstantiari) in hoc sacramento. Idemque appellat Dionysius assumptionem.

2. Secundò arguitur. In baptismo manet substantia aquæ, & in confirmatione substantia chrismatis: ergo in Eucharistia substantia panis. Negatur consequentia. Illa namque sacramenta consistunt in vsu materiæ, quæ ideo remanet, hoc autem in consecratione materiæ quæ transubstantiatur in corpus, atque adeò non remanet.

3. Tertiò. Panis & vinum sunt materia ob significationem, scilicet, quia constant ex multis granis & multis racemis ad significandum vnitatem corporis Christi mysticè: ergo debent permanere in sacramento. Negatur consequentia: quoniam in eandem significationem satis est, vt permaneant eorum species.

At quanquam de veritate corporis & sanguinis in isto sacramento nemo orthodoxorum dubitet, contrationes tamen, quas hic D. Tho. facit, & potissimum contra primam arguit Durand. dist. 10. q. 1. & Scotus ibid q. 1. 3. & 4. distinct. 11. q. 2. In quorum argumentis intelligendis plus difficultatis est, quàm in dissoluendis. Prima ratio sancti Thomæ ad excludendum substantias panis & vini ab hoc sacramento, fuit hæc. Nihil incipere esse potest in loco vbi prius non erat, nisi vel aliunde veniat, vel aliud illic conuertatur in ipsum. Intellige, vel illic creetur: ergo cum per consecrationem corpus fiat præsens vbi antea non erat, nec tamen descendat de cælo, neque creetur, consequitur vt fiat præsens per hoc, quòd panis conuertitur in ipsum.

Obiectio Durandi contra rationem 1. S. Thomæ.

Arguit verò contra maiorem Durandus. Si supremæ sphæræ Deus superponeret aliam, illa quæ nunc est suprema inciperet esse in loco, & tamen nullo illorum modorum. Respondetur autem, hoc esse sophisma viro Theologo indignum. D. enim Thom. intelligit de loco qui antea erat, illa verò sphæra creatur de nouo circum locatum. Secundò esse in tali loco accipitur formaliter per respectum ad puncta fixa in cælo: & isto modo sphæra tunc illa non incipit esse in loco, imò manet in antiquo, sed acquirit locum materialiter: sicuti si me manente in hac aula, quæ plena est aere, repleretur aqua.

Alia arg. contrar. 1.

Aliter tamen contra causam hanc arguitur, s. quòd conuersio non sit causa præsentiæ Christi. Duo enim de nouo fiunt in sacramento: videlicet, vt corpus fiat de non præsente præsens, cuius mutationis terminus est præsentia: secundò verò, vt ex pane fiat corpus, cuius terminus est substantia corporis. Arguitur ergo sic. Conuersio panis in corpus est impertinens ad præsentiam corporis: potuit enim Deus hîc ponere corpus penetratiuè cum pane, sine conuersione: imò seruata substantia panis, vt ponebat Valeranus. Quinetiam ita ponit animam suam, in quam non conuertitur panis: potest enim Deus idem corpus in duobus locis ponere, vt infrà † dicemus. Secundò. Si prius corpus esset isto modo præsens, posset tunc panis conuerti in ipsum, & tunc conuersio non esset causa præsentiæ. Tertio. Posset etiam panis conuerti in corpus Christi existens in cælo, licet non fieret illic præsens: hoc enim omnipotentiæ Dei minimè repugnat.

2. † *d. 10. q. 1. a. 3. §. Hic præterea.*

3.

4. Quarto arguit Scotus. Ratio quare id, in quod aliud conuertitur, fiat præsens in aliquo loco, est, quia manet eadem materia, vt patet dum ignis generatur ex ligno; hîc autem nulla manet. Quinto denique Christus non fit præsens in sacramento tanquam loco, quia non est ibi existentia in ordine ad locum, sed in ordine ad species sacramentaliter: quare ratio D. Thom. ruit. Tandem arguit Scotus, quod confessio præsentiæ corporis Christi antiqua est in Ecclesia; quod autem fiat illa conuersio, non fuit in principio ita manifestè creditum.

Rationes S. Thomæ defenduntur.

Ad hæc autem primùm respondetur, istos impugnatores D. Thomæ non contra ipsum tantùm, sed contra sanctiones Ecclesiæ argumentari. D. enim Thom. suam maximam assumpsit ex concilio Lateranensi cap. Firmiter, de summa Trinit. vbi ratio præsentiæ non datur alia, nisi transubstantiatio. Illa siquidem loquendi forma: s. Corpus & sanguis sunt sub speciebus, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina (cui postea concilium Florentinum

subscripsit) conuersionem planè causam esse denotat præsentiæ. Et Damasce. lib. 4. ca. 14. ait corpus Christi esse in sacramento, non quòd ipsum ex cælo descenderit, sed quod ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei.

Quomodo intelligendū quod dixit S. Tho. corpus Christi non posse incipere esse in sacramento, nisi per conuersionem.

Sed dicent isti. Licet concilium illud assignet pro causa, non tamen dicit aliud non fuisse possibile, vt ait S. Thom. Respondetur, quòd nec S. Tho. negauit alium præsentiæ modum fuisse possibilem de omnipotentia Dei, sed loquitur de lege ordinata instar naturæ, quam Deus in suis miraculis, quàm fieri potest maximè, seruat. Vult ergo dicere, quòd sicut lege naturæ nihil incipit esse vbi antea non erat, nisi per motum vel generationem (nam creatio supernaturaliter est) ita Deus seruato modo præsentiæ, qui est corporis in sacramento, non nisi per conuersionem potuit lege ordinaria, iuxta similitudinem ordinis naturalis rerum, præsentiam illam perficere. Et arguitur contra istos. Nam postquam impugnant modum S. Thomæ, nullum alium tradunt, qui satisfaciat. Ait enim Scotus distinct. 10. quæst. 1. corpus fieri illic præsens non per motum, sed per respectum extrinsecus aduenientem, quem habet ad illas species, qui est sicut propinquitas. Attamen hoc non est ad rem respondere: respectus namque est id, à quo formaliter denominatur præsens: quæritur autem de causa, quæ fecit illud esse præsens, vbi ante non erat: quæ quidem in naturalibus est vel motio, vel generatio: ad quod neque Duran. neque Scotus quicquam respondent. Nam dicere quòd Deus ponit, non est respondere: quia id non ambigitur; sed quomodo ponat inquiritur. Et est planissima veritas, quod non ponit nisi per conuersionem, vt forma sonat, Hoc est corpus meum.

Ad 1. arg. contrarium.

Igitur ad primum eorum argumentum negatur quòd conuersio sit ad corporis præsentiam impertinens; imò est vera eius causa. Et ad argumentum, Potuit Deus ponere illud præsens sine conuersione, distinguitur. De potentia eius absoluta concedimus: sed tamen de eius lege ordinata, qua in miraculis non facit nisi quod necessarium est, seruando quàm fieri potest naturæ leges, non potuit nisi per conuersionem: quandoquidem corpus illud non creatur de nouo, nec aliunde mouetur, tametsi conuersio fuerit supranaturalis. Et quamuis conuersio non fiat in animam immediatè, fit tamen in corpus, quod cùm sit viuum, necesse est illic animam adesse, quæ det ei esse corporeum.

Ad 2.

Ad secundum respondetur, quòd si esset illic corpus penetratiuè, & panis conuerteretur in ipsum, aliter fieret corpus præsens sub speciebus: quia, s. contineretur sub illis quodammodo sicuti panis, qualiter antea non continebatur. Vbi ad plenum rei intellectum notato, per consecrationem non vtcunque fieri corpus præsens, sed taliter contineri sub speciebus, qualiter panis continebatur, secluſa inhærentia: ita vt per visum specierum videatur corpus: & ad motum specierū sequatur ex natura rei motus corporis, vt infrà † explicabitur. Et hoc certè fieri non potuit, nisi per conuersionem panis in corpus.

† dist. 10. q. 1. a. 6.

Sed rogas. Nunquid non posset Deus ponere corpus Christi simul cum pane sub speciebus, vt corpus contineretur sub illis, sicut modò continetur in sacramento? Capreolus dist. 11. q. 1. artic. 2. respondet, quòd posset quidem ponere ambo corpora penetratiuè, non tamen corpus sacramentaliter, vt ad motum specierum sequeretur motus corporis, & ad visum earum videretur corpus. Et profectò habet magnā apparentiam, de quo infrà † redibit sermo. Et quidem Picus à Mirandula concessit id fieri posse, cuius tamen sententia reprobata fuit. Quicquid autem de potentia absoluta concedatur, nihilominus de ordinaria non potuit.

† loco iam citato.

Ad 3.

Ad tertium argumentum primò respondetur, non esse ita facile intellectu, vt putant isti quod Deus etiam de potentia absoluta posset cōuertere panem hoc loco in corpus existens in cælo, quamuis hic non fieret præsens. Nam profectò cum nullo modo alio se habeat corpus illud, quàm antea, vix intelligi potest quem alium respectum desitio panis haberet ad illud corpus, vt diceretur conuerti in ipsum, quàm ad lapidem, vel ad quodcunque aliud, in quod non conuertitur. Secundo autem dicimus, quod licèt de potentia absoluta potuerit id fieri; tamen de potentia ordinaria ipsa conuersio huius in hoc, secum adfert; vt res, in quam fit conuersio, illic succedat, iuxta tenorem formæ, Hoc est corpus meum.

Ad 4.

Quapropter ad quartum respondetur, quod sicut in generatione naturali, materia quæ manet, est causa, vt illic succedat genitum, ita & hîc, quia conuersio facit, vt corpus cōtineatur sub speciebus eo modo, quo panis (secluſa inhærentia) continebatur, ex natura sua facit corpus præsens.

Ad aliud Durandi, quod corpus non sit præsens tanquam loco circunscriptiuè, concedimus: vt S. Th. insinuat, dicens quod non mouetur localiter, quod postea videbitur: satis est tamen, quod fiat contentum sub speciebus, quæ sunt circunscriptiuè in loco.

Ad aliud demum Scoti, quod ista conuersio non est tam antiqua in Ecclesia, quàm fides præsentiæ corporis, respondebitur artic. 4. habere eandem antiquitatem, nam vtraque pariter colligitur ex verbis Christi, Hoc est corpus meum. Et oppositum asserere esset subscribere in hæresim eorum qui dicunt panem manere cum corpore.

Defenditur 2. ratio S. Tho. contra Scotum & Durand.

Ratio secunda S. Thom. erat, quòd si maneret panis in sacramento, forma esset falsa, Hoc est corpus meum. Contra quam arguit Scotus dist. 11. q. 3. quod nihilominus esset vera: nam pronomen tunc posset demonstrare non substantiam panis, sed contentum sub speciebus, sicut modo non demonstrat accidentia. At vero impugnatio profecto nulla est: nam secundum vsum communem loquendi pronomen, Hoc, substantiam demonstrat. Cùm enim quis dicit, Hoc est corpus meum, non designat accidentia, sed substantiam suam: quare ex hoc quod pronomen illud modo non demonstrat accidentia altaris, non subsequitur quod non demonstraret substantiam panis, si illic esset.

Durand.

Aliter tamen arguit Duran. q. 1. quòd cùm illa assertio, Hoc est corpus meum, sit indefinita, posset verificari pro solo corpore, quamuis illic esset panis. At verò cauillum hoc regulis dialectices aduersatur: cum enim, Hoc, sit pronomen singulare, quomodo potest indefinitè accipi? Necesse est enim, vt quamcunque substantiam demonstret, quæ est hîc. Si enim ego bursam monetis argenteis & aureis plenam ostendens dicerem, Hoc est aurum, profectò falsum dicerem, quia totum non est aurum. Quod autem illic addit Scotus Christum, sicut dixit, Hoc est corpus meum, potuisse dicere, Hîc est corpus meum, id est, in hoc loco, profectò non est veritati consonum: voluit enim significare, Hoc, quod dabat, esse corpus, non solùm quod illic esset. Cùm enim Scotus fateatur illic non esse panem, nescio cur non illud ex verbis Domini, vt potest, conuincat.

Tertia ratio S. Thomæ.

Pariter impugnat tertiam rationem, quæ est, quòd si illic esset substantia panis, aduersaretur adorationi. Ait enim, quòd sicut modò non adoramus accidentia, sed corpus & sanguinem, quæ sunt sub illis; ita si adesset substantia panis, non adoraremus illam. Respondetur autem, quod San. Thom. non negat, quin possent tunc admoneri Christiani ne aliud adorarent, quàm corpus Christi, sed tamen dicit, quod substantia panis aduersaretur adorationi, quam modo facimus. Adoramus namque non accidentia secundùm se, quippe quæ sensu deprehendimus esse creaturas, sed id absolutè quod sub illis latet.

ARTICVLVS III.

Vtrùm substantia panis vel vini post consecrationem huius sacramenti annihilentur.

OSTENSO substantiam panis & vini non manere in sacramento, consequens est indagare quid de illa fiat. Et quamuis quæstio solum inquirat an annihilentur; est tamen virtute bimembris. Nam illi, qui impossibile arbitrantur panem & vinum posse in corpus & sanguinem Christi conuerti, bipartiti sunt. Alij enim dixerunt, quod resoluerentur in præiacentem materiam, putà in aërem vel in aliud. Alij vero quod annihilarentur. Duabus ergo conclusionibus respondetur.

1. Concl. Panem & vinum non resolui in præiacentē materiam.

Prima. Panis & vinum non resoluuntur in præiacentem materiam. Probatur dupliciter. Primo, quia resolutio mixti debet fieri in elementa: quandoquidem in materiam primam, vt quæ sine forma esse non potest, fieri nequeat resolutio: cum autem nulla post consecrationem sub specieb. maneat substantia, nisi

corpus

corpus & sanguis, fit vt elementa, in quæ fieret resolutio, per motum localem illinc abscederent, atque adeo sensu perciperentur, quod est contra experientiam. Ad intellectum autem secundæ rationis recolere oportet ex philosophia, quod resolutio mixti non potest fieri in instanti, nam fit per motum: positio autem corporis & sanguinis non fit successiuè, sed in vltimo momento verborum, vbi perficitur significatio formæ. Arguitur ergo. Substantia panis, & similiter vini manet per totum tempus consecrationis: in vltimo vero instanti prolationis iam est corpus & similiter sanguis: ergo nullum erit tempus vel momentum, in quo sit præiacens illa materia, in quam fiat resolutio: quia nec quando est panis, nec quando est corpus. Nisi diceretur, quod paulatim & successiuè desinit panis resolutus, esse sub speciebus: nam si illa resolutio incipiat fieri in postremo instanti prolationis verborum, tunc simul esset cum corpore aliqua particula panis nondum resoluta. Si autem inciperet ante illud postremum instans, tunc daretur aliquod tempus, in quo nec esset panis sub totis speciebus, nec vero corpus, quod est absurdum: nam panis non abit, nisi subintrante Christi corpore.

2. Concl. Ob id ergo alij dixerunt quòd panis & vinum annihilantur, contra quos statuitur secunda conclusio. Panem & vinum non annihilari. † art. præc. Nec panis, nec vinum annihilantur. Probatur, quoniam (vt dictum † est) non reperitur modus alius, quo corpus & sanguis sint in sacramento, quàm per conuersionem panis & vini in ipsa: quod autem in aliud conuertitur, non annihilatur: nam terminus annihilationis est nihil: terminus autem conuersionis est illud in quod fit conuersio. Deinde adhibet quartam rationem ad ambas simul conclusiones. Effectus sacramenti significatur per eius formam: hæc autem forma, Hoc est corpus meum, nec resolutionem significat panis, neque annihilationem: ergo nihil est vnde talis resolutio vel annihilatio fiat. Accedit demum & autoritas Augustini li. 83. quæstionum, quòd Deus non est causa tendendi in non esse: cum ergo eius virtute hoc sacramentum perficiatur, nulla hic accidit rei desitio simpliciter.

Expos. art. Prima conclusio S. Thomæ, quòd non fiat resolutio panis in præiacentem materiam, ex vltimis duabus rationibus, quæ sunt theologicæ, satis probatur. Nam cum nulla sit ratio cur panis desinat esse, nisi vt conuertatur in corpus, neque sacramenti forma aliud significet; error esset dicere quòd fiat eius resolutio in aliam materiam. At verò quia Sanct. Thomas non fuit theologicis rationib. contentus, duas philosophicas præmisit. Primò autem contra id, quod ait non posse resolutionem fieri in materiam primam, quia non potest esse sine forma, arguit Scotus distinct. 11. quæstio. 3. id non satis probari, imo sustineri posse, materiam primam posse omni forma denudari. Hoc autem non est præsentis loci disputare. Id namque D. Tho. prima parte quæstio. 66. articul. primo optimè profectò probare contendit, propterea quòd materia prima est mera potentia passiua, quæ nisi aliqua forma actuetur, non potest actu existere. Ad rem autem satis est, quòd per naturam id fieri non potest, & dicere Deum sua omnipotentia hîc citra necessitatem vti, vt materiam primam omni forma denudet, cùm id ad sacramenti veritatem nihil referat; esset pluſquam temerarium.

Defenduntur rationes S. Tho. An materia non possit esse sine omni forma.

Secundò argui potest contra diuisionem illam, quòd scilicet resolutio fieri non posset nisi vel in materiam primam, vel in elementum: nam diceret quispiam fieri posse in aliud mixtum. Hoc autem argumentum Philosophiæ peritus non faceret: quoniam corruptio in aliud mixtum nec dicitur resolutio, nec fieri potest nisi per veram generationem, quæ in consecratione nulla fit. Tertiò posset quis arguere quòd licet resolutio fieret in elementa, non necesse erat, vt excluderentur ab illis speciebus, sed illic manerent, sicut erat panis. Hæc autem argutia minoris est apparentiæ, tum quòd illa accidentia quæ manent non sunt elementorum, vt possint eis inhærere: tum quòd si illa resolutio admitteretur, non esset alia de causa, nisi vt succederet corpus & sanguis vbi erat panis: cuius causa, excludenda erant illa elementa, sicuti & ipse panis, potissimum quod secunda ratio Diui Thom. manet in suo vigore, qua probatur non posse dari tempus, quo fieri illa posset resolutio. Secunda conclusio, qua panis annihilatio negatur, vt commodiùs elucidetur, doctrinam subsequentis articuli præsupponit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm panis possit conuerti in corpus Christi.

QVAMVIS in superioribus articulis quatenus eorum conclusiones exigebant, dictum fuerit, panem conuerti in corpus, & vinum in sanguinem, nihilominus ad rei elucidationem quæritur an sit verum. Et respondet D. Thom. quatuor conclusionibus.

1. Concl. Corpus Christi non aliter esse in Euchar. quàm per conuersionē. Prima. Necesse est dicere quòd Christi corpus incipiat esse in sacramento non aliter quàm per conuersionem. Probatur primo authoritate Eusebij Emissenj, quæ refertur de consecr. distinct. 2. cano. Quia corpus. vbi postquàm ait, quod cum ad nutum præcipientis Domini repente & ex nihilo substiterint excelsa cælorum, &c. subdit non nobis nouum & impossibile esse debet, quod in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur. Secundo probatur ratione suprà iam facta. Corpus Christi verum incipit esse de nouo in hoc sacramento, & non per motum localem, quia nec est ibi sicut in loco, sed indiuisibiliter, vt art. 1. dictum est: ergo est per conuersionem. Articulo enim secundo ostensum est, non esse alium modum quo illic corpus Christi esse incipiat.

2. concl. Quia conuersio est supernaturalis. Secunda conclusio. Conuersio hæc non est conuersionibus naturalibus similis, sed omnino supranaturalis, sola Dei virtute effecta. Probatur primò authoritate Ambrosij, quæ refertur de conse. distin. 2. can. Revera. dicentis, Liquet quòd præter naturæ ordinem virgo generauit, & hoc, quod conficimus corpus, ex virgine est: quid ergo quæris naturæ ordinē in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine? Et authoritate Chrysostomi super illud Ioannis 6. Verba quæ ego locutus sum vobis (scilicet de hoc sacramento) spiritus & vita sunt. Vbi ait. Spiritualia sunt nihil habentia carnale, neque consequentiam naturalem: sed eruta sunt ab omni necessitate, quæ est in terra, & à legibus, quæ hic positæ sunt.

3. Concl. Et substantialis, quia scilicet tota substantia conuertitur. Tertia conclusio. In hoc sacramento diuina virtute tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi. Probatur per comparationem ad naturales generationes. Omne enim agens creatum, quia constituitur in sua specie per determinatum genus & differentiam, habet essentiam finitam, ac perinde determinatur ad certum actum & certum modum agendi. Vt ignis non potest agere nisi ignem, eundemque in materia certo modo dispositā: & causæ cælestes non nisi secundùm determinationem istarum causarum secundarum. Determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per eius formam: nam cùm materia sit mera potentia, non dat esse rei, sed forma: homo enim per formam est homo, & per calorem calidus. Atque hinc fit, vt omnis actio agentis naturalis sit formalis, quod est dicere: agens naturale non potest producere nec destruere materiam, sed tantum supposita materia pellere vnam formam & introducere alteram: vt ignis pellit ex aqua frigus, & inducit calorem, quæ dicitur alteratio: atque in eius materiam excludendo formam aquæ, infert formam ignis, quæ est generatio. Deus autem, quia nullo genere aut differentia limitatur, est purissimus actus, ac perinde infinitus infinitaque substantia, vt prima p. q. 7. egregiè demonstratum est: vnde fit, vt eius actio nullatenus limitetur, sed ad omnem naturam entis protendatur. Quocirca non solùm conuersionem potest perficere formalem, vt scilicet diuersæ formæ in eodem subiecto sibi succedant, sed & conuersionem totius entis, & cuiuslibet eius partis, videlicet vt tota substantia huius quantum ad materiam & formam, conuertatur in substantiam alterius. Atque hoc est, quod diuina virtute agitur in hoc sacramento. Quare non est conuersio formalis, vt quæuis alia naturalium generationum, sed substantialis.

4. Conclusio. Vnde rectè vocatur transsubstantiatio. Quarta conclusio. Conuersio hæc proprio nomine dici potest transsubstantiatio.

Primum omnium inpræsentiarum adnotandum nomen conuersionis aut transmutationis, quod prima conclusio insinuat, aut transsubstantiationis, quod explicatur in quarta, in Euangelio non haberi expresse. Propter quod Lutherus libello suprà citato, & refertur à Clictoueo lib. 2. de sacramento Eucharistiæ c. 22. ait asser-

Digitized by Google

assertionem de transsubstantiatione non esse recipiendam: quoniam res est, inquit, noua in Ecclesia, scilicet à tempore Innocentij in ca. Firmiter. Quinuerò Scotus dist. 10. vt suprà citauimus quæst. 1. & d. 11. q. 3. & Caiet. præsenti q. art. 1. non solùm transmutationis nomen aiunt esse nouum; verum & rem ipsam conuersionis dicunt, Ecclesiam à doctoribus suscepisse, qui de consecrat. d. 2. referuntur. Imò ait Scotus, quòd primùm iste intellectus fidei susceptus est in illo concilio Lateranensi. Et percontatus cur articulum tam intellectu difficilem Ecclesia susceperit. Respondet nihil aliud, quam quòd id illuminata Spiritu sancto fecit.

Transsubstantiationis vocabulum non solum quidem esse, sed rem eo nomine significatam, sub alijs vocabulis apud auctores inueniri.

Tria tamen hic de hac re confitenda commonstrandaque sunt. Primum, quòd nomen transsubstantiationis à tempore Innocentij vsurpatum est. Quoniam in nulla vetustiori scriptura reperitur. Secundum, quod res ipsa sub alijs nominibus (scilicet, transmutationis, aut conuersionis) non solum res est antiqua in Ecclesia, verùm ex ipso Euangelio collecta. Probatur de consec. dist. 2. Canonibus multis, Etenim ca. Panis est. Ambrosius, Vide, inquit, quomodo operatorius sit sermo Christi: si enim tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperet esse, quod non erat (scilicet mundus) quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Et subdit: Quia sermo Christi creaturam mutat. ex pane fit corpus Christi. Idemque reperit can. Re vera. Et can. In calice. Et Aug. can. Vtrùm sub figura, ait quòd, sicut ex virgine per Spiritum sanctum caro Christi creata est; ita per eundem ex substantia panis, & vini mysticè in corpus Christi consecratur. Et can. Nos autem fideliter fatemur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit; post consecrationem verò carnem Christi, & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Et Eusebius Emissenus can. Quia corpus inuisibilis. inquit, Sacerdos visibiles creaturas in substantias corporis, & sanguinis sui verbo secreta potestate conuertit. Et Damasce. paulò antè citatus lib. 4. cap. 14. Corpus, inquit, in sacramento secundùm veritatem coniunctum est diuinitati: non quod ipsum corpus ex cælo descenderit, sed quod ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. Et Hugo lib. 2. par. 8. c. 2. Christus, inquit, post cœnam panem & vinum in corpus, & sanguinem suum diuina potentia transmutans, Apostolis sumendum tribuit, vt idem post in sui memoriam ageretur. Non est ergo res noua.

Contra Scotum.

Sed ait Scotus, Hoc Ecclesia reuelatione Spiritus sancti suscepit. Fatemur, & nos equidem tanquam verissimum. Attamen, quia Ecclesia non immediata reuelatione quemadmodum Apostoli vtitur; sed diuina ope & opera, ne in eruendis è sacra pagina articulis fidei erret; non satis est Theologo dicere, Ecclesia in veritatibus fidei sic decreuit; sed munus eius est ostendere ex quibus locis scripturæ id collegerit. Illud enim verbum homousios, id est, consubstantialis patri, Nicena synodus nunquam in vsum recepisset, nisi ex verbo ipso Euangelico elicuisset, Ego & pater vnum sumus. Pari modo nunquam sancti nomen Conuersionis, & Transsubstantiationis vsurpassent, nisi in verbis Christi perspexissent; Hoc est corpus meum. Cùm enim accepit panem, & non dedit nisi corpus, optima consequutione patres intellexerunt, verbo ipso cõuertisse panem in corpus. Quapropter nescio cur Scotus dixerit, quòd siue Christus diceret Hoc est, siue Hìc est corpus meum, nihil ad q. cùm tantum ad rem faciat dixisse, Hoc est, vt si non dixisset nisi Hìc, id est, hoc loco, nunquam Ecclesia conuersionem sacramentalem recepisset. Igitur non pluris æstimare Hoc, quàm Hìc, est fibras, & neruos veritatis succidere. Nam nisi inde eliciamus panem non manere cum corpore, marcescit elanguetque autoritas aduersus hæreticos, qui sanctiones Ecclesiæ, nisi in sacris literis fundentur, recutiunt. Tertium tandem dictum sit, quod postquam hanc cõuersionem sancti patres ex Euangelio collegerunt; aptissimè nomen transsubstantiationis illi accommodarunt. Nam si generatio naturalis propterea quod illic forma submutatur, transformatio rectè dicitur; hæc vbi tota substantia transit in aliam, significantissimè transsubstantiatio nominabitur.

Vocabulum Transsubstantiationis in verbis Christi fundatum.

Quomodo respondendum hæreticis nobis ob-

Quocirca hæretici dum nobis improperant, quod verbis vtamur, quæ non sunt in Euangelio, Hieronymum audiant respondentem super illud ad Galatas 1. Notum vobis facio euangelium, &c. Vellem enim, inquit, vt isti à Cicerone quærerent, cur in sua philosophia portentosis verbis vsus fuerit: inde enim se excusat, quòd aliàs non posset philosophiam Platonis explicare. Multò ergo Ecclesia maiori iure sicut contra Arium recepit verbum homousion: ita quia priùs Berengarius negauerat veritatem corporis in sacramento, & deinde alij dicebant permanere cum eodem corpore panem, ad eorum exibilandos errores verbum transsubstantiationis sapientissimè vsurpauit. Quapropter Tridentina synodus in decreto de sacramento Eucharistiæ can. 2. Si quis, inquit, dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis & vini vna cum corpore Domini nostri Iesu Christi & eius sanguine; & negauerit mirabilem illam & singularem conuersionem panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini; quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat, anathema sit.

ſcientibus vocum mo-uitatem.

Conc. Trid.

Hoc ergo adnotamento præiacto de prima & secunda conclusionibus nihil inter doctores catholicos ambigitur, quippe cum vniuersis propter modò citata testimonia receptissimum sit, conuersionem in hoc sacramento interuenire, eandemque diuina supernaturalique virtute fieri. De eius tamen qualitate & modo, qui affirmatur in tertia: scilicet, quòd tota substantia panis transmutetur in corpus Christi, quia altissima ac perinde reconditissima res est, non omnes consentiunt. Quatuor ergo opiniones sunt examinandæ.

Circa transsubstantiationē quatuor opiniones referuntur.

Prima est Durandi in 4. d. 11. q. 3. qui planè hanc denegat tertiam conclusionem: scilicet, totam substantiam panis conuerti in corpus; sed conuersionem ait fieri instar generationis. Videlicet per consecrationem excludi formam panis à materia, quam subindè materiam anima Christi informat. Idemque inquit, & de forma sanguinis & materia vini sentiendum. Et subdit id fieri ad modum nutrimenti, quod per calorem naturalem transmutatur in substantiam aliti. Idque subinde autoritate Damasc. lib. 4 c. 14. confirmare contendit, dicentis, quòd quia mos est hominibus panem manducare & vinum bibere; in hunc modum coniunxit Deus suam diuinitatem pani & vino, quas res fecit esse corpus & sanguinem suum.

1. opinio est Durandi. Quòd ſ. remaneat materia.

Vtitur hic tamen Durand. (qua solet) libertate loquendi. Non enim solùm temerè contra omnia citata testimonia loquitur, quæ extant de consecr. dist. 2. vbi nullus sanctorum patrum insinuat quicquam panis remanere, sed totum aiunt conuerti in corpus verum: sed apertè concilio Lateranensi in cap. Firmiter. & cap. cum Marthæ. de celebra. missa. & concilio Florentino contradicit. In quibus omnibus locis nomen transsubstantiationis receptum est, vbi significatur mutatio totius substantiæ, & cuiuslibet eius partis: cùm tamen hæc Durandi non fit nisi transformatio, id est, mutatio formæ, sicuti fit in generatione naturali. Vnde sequitur quod esset vera corruptio panis, & generatio Christi, sicuti dum ex ligno generatur ignis. Quis autem auderet dicere in sacramento Christum gigni?

Reprobatur primo.

Secundò arguitur. Vel illa materia panis facta consecratione habebit humanam effigiem, vel aliam: non quidem aliam, quoniam cùm perdiderit effigiem panis, non est cur aliam recipiat, quàm corporis Christi, cuius animam recipit: tum etiam quia aliàs non posset informari anima rationali Christi. Si tamen effigiem recipit humanam, hoc in primis non est opinabile, videlicet, quod per consecrationem, materia hæc panis, complexionem & organa ac demum iustam figuram humanam suscipiat, & subinde talis effigies fiat inuisibilis. Sed præterea arguitur. Tunc vel ista materia panis continuatur materiæ corporis Christi, quod est in cælo, vel non. Primum quidem horror esset concedere, fieret enim corpus Christi monstrificum, non solùm propter nimiam quantitatis molem, quam haberet; verùm quia haberet innumeras effigies humanas. Si autem detur secundum mẽbrum; tunc sequitur quòd anima Christi simul informat innumeras materias distinctas, in altaribus quamplurimis, quod paulò minus monstrum est.

2.

Tertiò sequeretur, quod aliqua pars Christi esset in sacramento, quam non haberet in cælo: scilicet. illam materiam, quæ fuerat panis; atque adeò aliqua pars eiusdem corporis est in vno sacramento, quæ

3.

Digitized by Google

non est in alio. Ac deinde sequeretur, quod in vno sacramento non suscipitur corpus, quod in cælo; neque in vno sacramento suscipitur, quod est in alio.

4. Quartò. Secundùm opinionem Durandi, corpus ipsum Christi in sacramento frangitur, atteritur, & comeditur, & digeritur, postquam illa materia, quæ prius fuerat panis, istarum est passionum capax. Consequens autem nefas est concedere, quia corpus frangitur, nec atteritur, nec digeritur nisi ratione specierum.

5. † art. 2. huius. §. Sed & opinio. Quintò sequeretur, sicut contra relinquentes panem in sacramento suprà † argutum est, quòd Christus quotidie aliquid assumeret, quòd quotidie relinqueret, scilicet materiam illam.

6. Sextò arguitur. Secundum hanc opinionem accidētia non essent illic sine subiecto, imò inhærere deberent vel corpori Christi, quod est contra physicam: quia illa accidentia non sunt hominis, sed panis: & contra theologiam, quæ docet corpus Christi non habere illic extensionem in ordine ad locum; vnde non possunt illi inhærere accidentia illa quę extensa sunt: vel deberent inhærere materiæ quæ permanet: nam ipse tenet cum nominalibus accidentia inhærere materiæ. Hoc autem in concilio Constantiensi sessione 8. contra Witcleff condemnatum est: scilicet, accidentia illic esse in subiecto. Est ergo opinio Durandi non solùm falsa, verùm & erronea, quasi ad illos deflectens, qui ponebant panem manere cum corpore.

Argumenta verò eius, quia à D. Th. insinuantur, inter eius argumenta soluentur.

2. opinio est Caietani.

Secunda opinio est hic Caietani, qui concedit quidem tertiam conclusionem, s. totam substantiam panis transsubstantiari in corpus Christi: modo tamen & intellectu difficili, & creditu nescio an dixerim impossibili. Ait n. id quod erat panis postmodum esse corpus. Et quidem si relatiuum acciperetur vagè, & accommodè, (vt dialectici aiunt) scilicet, quod contentum sub speciebus prius erat panis, cui succedit postea corpus verissimum quidem diceret: nam participium illud, Contentum, est commune in significando quicquid illic continetur: scilicet, panem & corpus, vt S. Th. in 4. d. 11. q. 1. art. 4. & hic infrà art. 8. & q 78. art. 5. planè docet. Et sunt qui putent hoc Caietanum sensisse. Sed tamen alijs, & mihi quidem videtur singulariter sentire, quòd ipsissima res, quæ modò est panis, postea est corpus. Quæ quidem est prima earum trium opinionum, quas glossa super cano. In sacramentorum. de consec. di. 2. refert, illamque reprobat. Itaque sensus huius opinionis est, quod facta consecratione verū est dicere, Res, quæ erat panis, modò est corpus: quemadmodum in prædicationibus accidentium concedimus, quòd ipse, qui modò infirmatur, postea erit sanus: & qui modò est calidus, postea frigebit. Imò non desunt, qui Caietanum in eodem sensu sustineant. Ob idque necessarium est hanc opinionem pressim discutere. Primò ergo animaduertendum, quòd secundū hanc opinionem nō modò panis non annihilatur; verùm neque ipse, neque vlla eius pars desinit esse simpliciter, sed res ipsa manet facta corpus Christi. Et hanc censet opinionem esse S. Th. atque adeo certam, vt de illa ambigere nemo debeat. Et fuit antiqua opinio Henrici Gandensis, quam Scot. di. 11. q. 4. & recitat, & refutat.

Quæ opinio videtur esse sancti Ambrosij.

Et vt verum fatear, verba Ambrosij significare videntur hanc fuisse eius opinionem, Verba sunt illa, quæ suprà citauimus lib. 4. de sacramen. cap. 4. & referuntur can. Panis. de conse. d 2. Ait quippe, quòd si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperet esse quod non erat, (scilicet mundus) quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Si ergo sunt quæ erant, manent res ipsæ quæ erant panis & vinum, & fiunt corpus. Et subdit. Sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem. Et can. In calice, Ante verba, inquit, Christi, quod offertur panis dicitur; vbi Christi verba deprompta fuerint, non iam panis, sed corpus dicitur: Eadem ergo res, quæ priùs dicebatur panis, dicitur postea corpus. In eandem sententiam videtur Magist. Sent. d. 11. subscripsisse dicens quòd substantia panis & vini, quæ ante non fuerat corpus & sanguis; verbo Christi efficitur corpus & sanguis. Et inferiùs ait, distinguendum esse cum dicitur: Substantia panis, vel id quod erat panis, modo est corpus Christi: manens n. panis non est corpus Christi, sed mutata in id quod facta est, est corpus Christi. Et Inno. lib. 4. de officio missæ cap. 6. Incomparabiliter, inquit, Maius est, quòd Deus ita factus est homo, quod non desijt esse Deus; quàm quòd panis ita fit caro, quòd desinit esse panis. Et infra. Quod panis erat cum accepit, corpus suum erat cum dedit. Et Th. Waldensis tomo 2. citato, cap. 68. eodem intellectu legere videtur verba Ambrosij. Et in confessione Berengarij de consecr. distin. 2. ait ille, panem & vinum, quæ in altare ponuntur, post consecrationem verum corpus & sanguinem Christi esse. Nihil ergo mirum si quis suspicetur illam fuisse opinionem Ambrosij, à quo eam reliqui hauserunt. Videtur tamen mihi (vt exiguitatem ingenij mei prodam) attentiùs rem speculanti impersuasibilis. Quam quidem certus sum nec S. Thomam somniasse. *Innoc.*

Nihilominus ea opinio reselitur.

Primùm enim sic ista opinio annihilationem cauet, vt transsubstantiationem tollat: si enim res ipsa, quæ est panis, manet facta corpus, nulla fit propriè transsubstantiatio. Etenim transsubstantiatio non dicit quamcunque mutationem substantiæ, vt dum album fit nigrum, sed transitum de substantia in substantiam: qui quidem transitus duos dicit terminos: scilicet, à quo, qui corrumpitur & simpliciter desinit esse, & ad quem, qui incipit esse vel simpliciter, vel saltem vbi aliud erat. Secundum autem hanc opinionem, panis, quamuis desinit esse panis, tamen non desinit esse simpliciter, nec desinit esse substantia: nam eadem res proximè erit substantia: transire ergo ab esse panis ad esse corporis Christi, eadem re secundum se & quodlibet sui permanente, non est transsubstantiatio. Patet exemplo in generatione. Impossibilis enim esset transformatio, nisi vna forma deperdita, alia acquireretur: transsubstantiatio autem addit supra transformationem, quòd non solùm forma, sed tota materia transit in aliam, atque adeò desinit esse. Ad hoc enim demonstrandum contulit hîc D. Th. infinitam virtutem Dei, quæ se extendit ad corrumpendum materiam: cùm illa sit limitata quæ est in causis naturalibus quæ solum pellit formam. 1.

Secundò arguitur. Impossibile est quòd res desinat esse panis, quin desinat esse substantia & desinat esse simpliciter, cuius contrarium isti dicunt. Cùm enim res desinit esse aliquid, quod de illa quidditatiuè prædicatur, desinit simul esse quicquid est de intrinseca ratione eiusdem prædicati: genus autem substantiæ est de intrinseca ratione panis: est enim quidditatiua prædicatio. Panis est substantia, & substantia est ens, ergo si desinit esse panis, desinit esse substantia, & simpliciter ens. Profectò nescio quid ad hoc autores contrariæ opinionis responderent. In prædicamentis quidem accidentium fatemur, quòd homo potest desinere esse albus, quando non desinit esse coloratus, quia potest alium habere colorem: & Christus, qui habebat duas substantias, potuit desinere esse homo, manens substantia, non tamen potuit desinere esse homo, quin desineret esse animal: sed tamen in substantia merè creata inintelligibile est, vt desinat esse panis aut vinum, quin desinat esse omnia quidditatiuè superiora, atque adeò desinat esse simpliciter. Et tamen Caiet. concedere deberet, quòd si Deus suo modo transsubstantiaret hominem in equum vel aliud animal, desineret tunc esse homo, tamen non desineret esse animal & substantia, quod nescio quisnam percipere satis possit. 2.

Tertiò ad maiorem huius claritatem arguitur. Si res illa maneret, fieret consequens, vt idem subiectum maneret priùs sub esse panis, & postea sub esse corporis: quare verum esset dicere. Panis potest esse corpus, imò erit corpus; sicut, Album erit nigrum. Hæc autem D. Tho. art. 8. omnino negat. Quare illic in solutione tertij planissimè affirmat nihil panis manere. 3.

Quartò. Qua virtute posset Deus panem transmutare in suum corpus præexistens, posset transmutare in id quod non est, puta in lapidem Arguitur ergo sic. Lapis incipit esse lapis; ergo simpliciter incipit esse. Cuius contrarium hæc opinio concedit: nam cùm lapis antea erat panis, potuit esse ab initio mundi, & tamen incipere modo esse lapis. Hoc autem proprium est prædicamentorum accidentium, vt scilicet homo incipiat esse albus, quando non incipit esse: quod & Christo propter duas naturas conuenit: videlicet, vt incipiat esse homo, non tamen incipiat esse. In sum- 4.

Et Magistri Sent.

ma,

ma, mysteria fidei non destruunt naturam: tribuere autem substantiæ, quod est accidentium, vt scilicet incipiat & desinat esse panis & lapis, quando non incipit nec desinit esse; est ictum naturas sine causa peruertere.

5. Quintò arguitur. Cum nulla prorsus deperditio fiat in pane, s. nec partis, nec accidentium, nec situs, &c. intelligibile non est quomodo panem hunc sacramentalem conuertat Deus in corpus, magis quàm rem aliam. Nam si dicas quòd facit illum esse corpus Christi; hoc est principium petere. Hoc enim quæro; quid faciat circa panem, vt conuertatur in corpus, quod non facit circa aliam rem? Si dicas quòd ponit corpus sub speciebus, fac quòd vertat vnum lapidem prorsus in lignum, & accidentia eius in accidentia ligni manente re, quæ erat lapis, quid faciet circa illum lapidem vt fiat lignum?

6. Sexto eadem ratione potuisset ante creationem mundi creare vnum granum milij, atque illud transmutare in cælum manente re, quæ erat milium, neq; aucta materia: sed quòd illa materia milij immutata, esset tota materia cœli, & quod erat forma milij, fieret forma cœli. Nam qua ratione potest conuertere minimum panem in corpus Christi, poterat illud facere. Quod si quis concedat, indignus profectò sit, vt contra eum arguatur. Nam eadem ratione, id quod erat vnum granum sinapis, posset esse totus mundus, & è conuerso posset totum cælum in granum sinapis conuerti nihilo materiæ, aut formæ, aut quantitatis deperdito, aut condensato: quare tunc totum cælum contineretur in loco grani sinapis.

7. Septimò arguitur. Sequeretur, quod posset dari ad præteritum potentia, quod omnes fatentur Deo esse impossibile. Signemus quippe lignum, quod nunquam fuit, in quod Deus potest cælum transsubstantiare. Arguitur sic. Hoc lignum non fuit ab initio mundi, & tamen potest fuisse: quia hoc cælum fuit ab initio mundi, & hoc lignum potest esse hoc cælum: ergo potest esse illud, quod fuit ab initio mundi, atque adeò potest fuisse ab initio mundi.

8. Octauò denique arguitur. Sequeretur hanc esse possibilem: Petrus, qui est prædestinatus, damnabitur: nam si res ista, quæ est Petrus, transubstantiaretur in Paulum, qui est reprobus, tunc enunciatio hæc esset vera, Petrus prædestinatus erit homo damnatus. Non censeo superuacaneum opinionem hãc tam multis impugnasse; quia sunt qui illam defendunt: & tamen arbitror adeò esse incredibilem, vt inde catholicis hæretici argumentum obmoliri possent ad sacramentalem conuersionem dissuadendam, & irridendam. Fatetur Caiet. se factum insipientem, sed tamen à Durando coactum. Ego verò si fortè in multiloquentiam impegerim, dicam ambos me in ipsam adegisse.

Responsio ad Ambrosium. Igitur ad Ambrosium respondetur primò, quòd etsi suspicaremur illam fuisse eius opinionem, nihilominus citra vllam detractionem autoritatis sanctissimi doctoris possemus de re, quæ ad veritatem catholicam nullatenus est necessaria, & philosophiæ repugnare videtur, aliter sentire. Secundò tamen satiùs respondetur, quòd viri illi grauissimi non vsque adeò ad modum loquendi scholasticum suas assertiones exigebant. Et quidem verba illa ex præcedentibus interpretari licet. Cùm enim dixisset Deum ex eo, quod non erat, mundum creasse; subiecit, faciliùs facere potuisse, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur. Vbi verbum, Sint quæ erant, non debet accipi in sensu quem in rigore sonat: scilicet, quòd illa res, quæ erat, panis, maneat: alioqui ex eisdem verbis colligeres, vt maneret id, quod erat (scilicet secundum esse panis) nam in rigore hoc sonat, Sint quæ erant. Quare & contraria opinio tenetur etiam glossare Ambrosium. Cùm ergo ait, Vt sint quæ erant & in aliud commutentur; sensus est, vt res quæ erant, in aliud commutentur. Quare eadem verba super illud 1. Corinth. 11. Hoc est corpus meum, sic citantur. Nunquid potest ea quæ sunt mutare in id quod non erant? Non ergo dixit, Vt sint quæ erant, nisi ad differentiam creationis, quæ fit ex nihilo. Vbi autem subdit. Quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem. D. Thom. in 4. dist. 11. q 1. artic 4. tanquam peritissimus philosophus exponit: videlicet, vt relatiuum referat accommodè, (quod aiunt) vt vagum, s. quod continebatur sub speciebus, antea erat panis, & postea corpus. Ait enim aliquando à sanctis huiusmodi locutiones vsurpari: tamen identitas, inquit, importata, non refertur ad subiectum, vt, s. idem maneat subiectum sub vtraque forma, sed quòd sicut in generatione in eadem materia succedunt diuersæ formæ; ita in transsubstantiatione sub eisdem speciebus diuersæ substantiæ. Et ita Magist. Sentent. si tenendus est, glossari debet, atque adeò Innocent. & omnes. Alia verò Ambrosiana propositio. Ex pane fit corpus, plana est. Hoc enim modo dicimus ex vino fieri acetum, & aere fieri aquam: non quòd maneat res, quæ antea erat, sed quòd corrumpatur in aliam. Et in eodem sensu accipitur illud. Quod offertur panis est, & post consecrationem corpus dicitur. Et hæc, Panis conuertitur in corpus, & similes. Hæc autem luculentiùs infrà arti. 8. patebunt, vbi S. Tho. huiusmodi locutiones interpretatur. Et d. 11. q. 1. ar. 5. vbi demonstratio pronominis, Hoc est corpus, explicabitur. Imò passim in subsequentibus liquebit hanc esse S. Thom. sententiam.

3. opinio est Scoti. Tertia opinio est Scoti in 4. d. 11. q. 4 vbi ait, per consecrationem fieri, vt panis & vinum secundum se, & quodlibet sui desinant esse, quorum loco succedit corpus Christi & sanguis sub eisdem speciebus. Et hactenus quidem rectè: nam & hæc est D. Tho. omniumque doctorum, si sanè intelligantur, catholica sententia. Differt tamen in duobus. Primò, quòd hanc non censet propriè transsubstantiationem. Et secundò, quod licèt de annihilatione, an accidat hîc, necne, vacillet; tandem propendet, quòd panis & vinum annihilantur.

4. opinio est S. Thomæ. Sc. panem & vinum non annihilari, sed transsubstantiari. Quarta igitur opinio, eademque S. Tho. est quæ si absque calumnia intelligatur, verissima est: nempe, panem & vinum desinere esse secundum se, & quodlibet sui, vt expresè ait ar. 8. in solutione tertij: & nihilominus illam esse conuersionem, & transsubstantiationem, atque adeò nullatenus annihilationem. Probatio est, quia sic in corruptione, & generatione, propterea quod vna forma depulsa, altera in eadem materia subrogatur; compositum quod corrumpitur, conuerti dicitur in alterum quod gignitur.

Ad cuius intelligentiam & persuasionem hoc satis est adnotare, quod inter has duas mirabiles nouitates. s. conuersionem panis, & existentiam corporis, est talis necessarius ordo, vt conuersio sit causa existentiæ illic Christi. Si n. omnes sanctorum canones suprà citatos reuiseris, nulla alia ratione in cognitionem conuersionis deuenit Ecclesia, quàm ad verificandum verbum Christi, Hoc est corpus meum. Ideo namque asseruerunt, ex pane fieri corpus & similiter ex vino sanguinem. Vnde sicut in corruptione & generatione naturali (ob. id quod eâdem agentis actione, qua depellitur vna forma, inducitur alia, taliter vt desitio prioris sit via ad productionem alterius) nulla est annihilatio; sic in proposito, quia eadem consecratione excluditur panis tanquam medium, vt sub eisdem speciebus contineatur corpus; locus annihilationi non relinquitur. Quapropter quod in generatione erat materia manens sub vtraque forma, in hac conuersione sunt species, sub quibus duæ subinde substantiæ continentur.

Corpus Christi esse in sacram. aliter quàm per respectum præsentiæ. Ex quo colligitur aliud contra Scotum & Durandum, quod hic attentissima consideratione speculandum est. Aiunt n. Sco. d. 10. q. 1. & Duran. d. 11. itidem q. 1. non esse aliter corpus in sacramento, quàm per respectum præsentiæ, sicut locatum est præsens loco continenti, vel angelus loco, in quo operatur. Quod profectò latenter, est veritatem conuersionis subuertere. Nam ad eiusmodi præsentiam nulla opus erat conuersione, nec vt panis desineret esse. Præterea dissimulanter negantur illa, quæ de sacramento affirmat Ecclesia, quod q. seq. ar. 5. & 6. repetendum nobis est. Haud enim ad eleuationem specierum ex natura sacramenti sequeretur eleuatio corporis Christi, neque ad earum manducationem manducatio illius: neque ad earum desitionem desitio illius in eodem loco. Nam propterea quòd locatum eleuatur, superficies loci non eleuatur: neque si duo corpora penetratiuè se haberent, ad motionem vnius sequeretur ex natura rei, motio alterius. Quare sacerdos non moueret corpus, sed ipsum moueret se. Quod quidem esset totum mysterium sacramenti exterminare.

Igitur conuersio in hoc ordinatur, vt corpus contineatur sub speciebus, sicuti panis, seclusa inhærentia: videlicet, vt ad illarum motum consequatur motus ip-

Digitized by Google

tus ipsius. Quam quidem veritatem nos optimè Aug. vt pleraque omnia, docuit in lib. Sententiarum Prosperi. Quod Magist. Sentent. dist. 10. prospectè speculatus est, & refertur de consecr. dist. 2 can. Hoc est. Ait, inquam, sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri carne & sanguine. Nota verbum, Constare, ac si vnum sit compositum, perinde atque ex pane & speciebus, seclusa inhærentia. Si enim tantummodò esset simplex præsentia corporis ad species nunquam sic tanquam de vno loqueretur. Atque hæc fuit priscorum patrum planissima sententia, quam si Scotus & Durandus animaduertissent, nunquam in illam annihilationis opinionem fuissent collapsi. Vnde Hugo lib. 1. de sacram. par. 8. cap. 9. tanquam indubitatam & catholicam veritatem adstruit, panem & vinum non annihilari in sacramento, sed conuerti in corpus & sanguinem. Quasi conuersio & annihilatio è diametro pugnent: atque adeò qui annihilationem admittit, conuersionem deneget. Cui & Innoc. libr. 4. de mysterio Eucharistiæ cap. 7. eisdem verbis adstipulatur. Quare annihilationis opinio nescio quo modo citra errorem sustentari possit. Vnde Magist. Sentent. dist. 11. eiusmodi opinionem tanquam reprobam recitat. Cui subscribunt & Alex. Alensis 4. par. quæst. 38. memb. 3. & Bonauent. d. 11. q. 3. atque omnes alij.

Opinio de annihilatione, errorea.

Ex his elicitur corollarium, quòd corpus & sanguis non est in sacramento per aliquam mutationem, quæ fiat in ipso corpore, & sanguine, sed per transmutationem panis in corpus, & vini in sanguinem. Sicuti cùm Deus incipit esse per gratiam in homine iusto, non mutatur, sed homo mutatur in ipsum. Veluti & de gratia, quæ effectus est huius sacramenti, audiuit Augustinus Christum dicentem: Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.

Proponuntur & soluuntur arg. contra conuersionem. † q. 1. a. 4. 1. Argum. S. Tho.

Restat ergo aduersariorum argumenta diluere, eo tamen ordine, quo D. Tho. procedit. Duo n. hîc hæretici reputant impossibilia, s. & conuersionem & existentiam corporis Christi cum sua quãtitate sub qualibet particula sacramenti. De quorum hoc secundo tractabitur dist. sequenti. † Hic verò cõtra conuersionem arguit S. Tho. Et in art. 3. primo loco sic. Quicquid est corporale, alicubi esse oportet: substantia panis & vini (vt dictum est) non permanet in sacramento, neque locus illi assignatur, in quo sit: ergo post consecrationem vel annihilatur, vel resoluitur in præiacentem materiam. *Responsio.* Respondet, quòd substantia panis vel vini facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi. Nota contra illam secundam oppugnatam Caietani. Si n. res, quæ est panis maneret facta corpus; duntaxat S. Tho. dixisset, quòd res illa non manet panis: cùm ergo ait, quòd substantia panis non manet, intelligit, quòd illa res simpliciter desinit esse, Conuertitur tamen in corpus, quod sub illis speciebus succedit: & ideo panis non annihilatur. Et subdit exemplum de aëre, ex quo genitus est ignis, qui licèt simpliciter desinat esse, non tamen annihilatur, quia conuertitur in ignem.

Argum. Scoti.

Et per hoc respondetur Scoto, & Durando arguentibus dist. 11. illi scilicet q. 4. & huic q. 3. quòd desitio hæc panis sit annihilatio. Arguit enim Scotus. Quamuis positio corporis Christi sub speciebus panis concomitetur desitionem panis, nihilominus sunt duo motus: quare primus habet suum terminum, qui est nihil, atque adeò non est conuersio, sed annihilatio. Et confirmatur secundò, quia id, quod est per accidens non mutat id, quod est per se: sed successio corporis accidit desitioni panis: ergo si non succedente corpore non esset illa desitio conuersio, sed annihilatio; fit, vt sit etiam modò. Nihil enim vetat, quominus Deus possit me annihilare creando aliud pro me in eodem loco. Et tertiò arguitur. In corruptione non propterea forma censetur non annihilari, quòd succedit in eadem materia alia forma, sed quia ipsa forma corrupta manet in potentia materiæ, ex qua iterum potest educi: ergo neque in sacramento positio corporis tollit, quin desitio panis sit annihilatio. Et declarat hoc amplius Durand. Si vnus panis diceretur transubstantiari in corpus, & alius simpliciter annihilaretur, nihilo plus prioris panis maneret, quam posterioris: ergo si annihilatur secundus, annihilatur & primus.

Responsio.

Hæc autem omnia argumenta, si quæ dicta sunt consideres, falsò nituntur fundamento. Desitio enim panis, & successio corporis sub eisdem speciebus non sunt duæ actiones per accidens se concomitantes: imò non sunt nisi duo affectus eiusdem actionis: scilicet, consecrationis, qua panis depellitur, vt eisdem speciebus contineatur corpus. Itaque actionis terminus non est annihilare panem, sed ipsum conuertere in corpus. Ad hoc enim proposituum citauit D. Tho. Augustinum dicentẽ, quòd Deus non intendit non esse. Quemadmodum secundum Dionysium, neque natura corruptionem per se intendit. Atqui exemplum naturalis corruptionis potiùs à parte nostra, quam contra nos pugnat. Nam dum forma corrumpitur in materia non ob id non annihilatur, quod manet in potentia materiæ; sed propterea quod natura non intendit corruptionem illam per se, sed generationem, in quam corruptio terminatur. Ex quo fit, quòd si Deus formam destrueret manente materia nuda, verè illam annihilaret.

Terminus consecrationis non est nihil, sed est corpus & sanguis Christi.

Vnde ad Durandum respondetur, quod quamuis illius panis, qui transubstantiatur in corpus, nihilo plus maneat, quam illius, qui annihilatur, nihilominus ille non annihilatur, quia non terminatur in nihil, sed in corpus. Et per idem respondetur ad aliud Scot. Posset quidem Deus annihilare me, creando aliud in eodem loco. Sed tunc essent duæ mutationes distinctæ, quæ nullam inter se haberent connexionem, vt desitio vnius terminaretur in alterum, vel productio alterius procederet ex altero. Demum, vt comprehensum dicamus, sicuti creatio non æstimatur ex termino ad quem: quia scilicet aliquid producitur, sed ex termino à quo, quia fit ex nihilo: ita neque annihilatio iudicatur ex termino à quo: quia scilicet illius quod desinit nihil superest, sed ex termino ad quem: nempe quia illa actione, qua illud desinit nihil succedit. Quare sicut corpus Christi in sacramento non creatur: ita neque panis annihilatur.

Proponitur aliud arg. Scoti. In quo examinatur, An consecratio sit productiua, an vero tãtum adductiua corporis Christi.

Aliter tamen arguit ea. d. Scot. q. 3. nec sine apparentia. Duobus enim modis possumus transubstantiationem considerare. Vno scilicet, si aliquid transubstantiaretur in id quod nondum erat. Et hæc quidem, quia terminaretur ad substantiam, & esse rei, quæ per talem transubstantiationem inciperet simpliciter esse, posset quidem dici conuersio productiua, atque adeò non esset annihilatio. Hæc tamen non habet locum in consecratione, eò quòd corpus Christi præexistit. Secundo modo, vt aliquid transubstantiaretur in id quod existit, sicut re vera accidit in consecratione. Et hæc, inquit, propriè non est conuersio, nec transubstantiatio, quia non est productiua rei, sed adductiua corporis in hunc locum. Et ideo quia desitio panis non terminatur ad esse corporis, est mera annihilatio. Paludanus hanc ob rem. dist. 11. q. 3. ait, licet sine assertione, quòd substantia panis conuertitur non in substantiam corporis, sed in esse illic præsens. Est tamen hoc veritatem transubstantiationis inficiari, quippe quæ mutationem significat substantiæ in substantiam. Quare non seruaretur synceritas assertionum sanctorum patrum & conciliorum, nisi fateamur conuersionem fieri in substantiam ipsius corporis & sanguinis.

Responsio.

Igitur ad argumentum bifariam respondetur. Vno modo, quòd verba consecrationis vim habent transubstantiandi panem in corpus, etiam si corpus non existeret. Sic enim dicit Gabriel in 4. dist. 11. q. vnica. & in can. lectione 40.

Quod si arguas. Deus nemini superfluam tribuit virtutem; illa autem virtus superflua esset, quoniam nunquam talem effectum habebit, vt corpus producat Respondetur, non esse superfluam: quoniam ex natura sua, quia conuersiua est, hoc habet. At quoniam corpus existit, accidit vt nunquam talem sortiatur effectum. Secundo respondetur, satis esse vt sit vera conuersio, quod virtute eius succedit illic corpus non quasi aliunde adductum: iam enim diximus cum Damasceno, quod non descendit de cælo, sed perinde succedit virtute conuersionis, ac si alibi non esset. Quare malè appellat eam Scotus adductiuam. Imò est vera conuersio. Incipit enim illic esse corpus, vt suprà diximus, non per aliquam mutationem, quæ fiat in illo, sed per transmutationem panis in ipsum.

2. Argum. S. Tho.

Secundum argumentum S. Th. est. Illud quod est terminus à quo, in qualibet conuersione, non remanet, nisi forsan in potentia materiæ: vt cum ex aere fit aqua, forma aëris non manet actu, sed in potentia materiæ, ex qua iterum potest educi: in hoc autem sa-

Digitized by Google

cramento ſubſtantia panis & vini ſe habent ſicut terminus a quo, corpus verò & ſanguis ſicut terminus ad quem, iuxta verbum Ambroſij de conſecr. diſt. 2. Ante benedictionem illa ſeu alia ſpecies nominatur; poſt benedictionem, corpus ſignificatur: Ergo facta conſecratione ſubſtantia panis non manet, niſi fortè reſoluta in ſuam materiam. Reſpondet quòd in generatione forma non cõuertitur in aſſam formam, quia conuerſio eſt totius compoſiti in alterum compoſitum, ſed vna forma ſuccedit alteri in eodem ſubiecto: in tranſſubſtantiatione autem tota ſubſtantia panis conuertitur in corpus: vnde non ſequitur. Hoc autem poſtremum verbum amphibolum eſt: videtur namque fauere opinioni ſuperiùs impugnatæ quòd ſubſtantia panis manet. Illa enim fuerat conſequentia: ergo non manet ſubſtantia panis, ſicut non manet forma corrupta. Cùm ergo ait, Non ſequitur, videtur concedere quòd maneat. At verò cùm in ſolutione proxima dixerit, quòd ſubſtantia panis non manet; non eſt cenſendus ſibi protinus contrarius. Igitur verbum, Ergo non ſequitur, referendum ad totam illationem: ſcilicet, non manet ſubſtantia panis niſi reſoluta in materiam, quaſi ſubſtantia panis maneat in potentia materiæ, ſicut forma dum corrumpitur: hoc n. negatur, quia tota conuertitur in corpus.

Solutio.

3. Argu.

Quæ quidem reſponſio ex ſubſequenti confirmatur. Arguit enim tertiò, Duorum contradictoriorum alterum oportet eſſe verum: facta autem conſecratione, hæc eſt falſa, Subſtantia panis & vini eſt aliquid: ergo verum eſt quòd ſunt nihil, atque adeò annihilantur. Reſpondet verò, quòd licet tunc hæc ſit falſa, Subſtantia panis & vini eſt aliquid; non tamen ſequitur, quòd ſit annihilata: quia id, in quod panis conuerſus eſt (ſcilicet corpus) eſt aliquid. Nota prudentem reſponſionem. Non enim ait, quod illa res, quæ erat panis, eſt aliquid. Imo tota eſſe deſinit.

Vtrũ Deus poſsit conuertere quodlibet in quodlibet.

In argumentis quarti articuli tangitur dubium aliud. Vtrum, ſ. ſicut Deus conuertit panem in corpus, poſſit quodlibet conuertere in quodlibet. Quod quidem dubium mouet Scotus & Durandus diſt. 11. q. 2. Hoc eſt n. vnum ex præcipuis hæreticorum argumentis: quod ſi conuertit Deus materiam panis in materiam corporis, & formam panis in formam corporis Chriſti, quæ eſt anima rationalis; eadem ratione poſſet, quamcunque rem in aliam quamlibet conuertere, vt lapidem in Angelum, quinuero in ſeipſum. Et quidem Scotus ait, quamcunque creaturam poſſe in quamcunque aliam conuerti, etiam ſi altera ſit corporea, altera vero ſpiritus. Durandus vero negat.

Argumenta partis neg.

1.

Et arguit argumento, quod eſt primum hîc San. Thom. In omni mutatione oportet eſſe ſubiectum, quod prius ſit in potentia, poſtmodum vero in actu, vt 3. Phyſic. autor eſt Ariſto. Nam quia materia aëris eſt in potentia ad formam aquæ; ex aëre fit aqua: & eadem ratione, inquit Durandus, forma quæ corrumpitur, debet manere in potentia eiuſdem materiæ; ex qua iterum poſſit educi. Ex quo infert, quod nullum materiale poteſt conuerti in Angelum; quia non communicant in materia: neque corruptibile in cœlum, quia non communicant in materia eiuſdem rationis. Igitur cum non ſit dare aliquod ſubiectum panis & corporis Chriſti, quia de ratione totalis ſubſtantiæ (vt ait Ariſtot. in prædicamento ſubſtantiæ) eſt, vt non recipiatur in ſubiecto; fit vt panis non poſſit conuerti in corpus.

2.

Secundo addit argumentum, quod facit S. Thom. ſecundo loco, Quando vnum conuertitur in alterum, forma illius, in quod fit conuerſio, debet recipi in eadem materia, in qua erat forma conuerſi, vt patet dum aër conuertitur in ignem, & cibus in ſubſtantiam aliti: ſi ergo panis conuertitur in corpus Chriſti, fit vt forma Chriſti informet materiam, quæ prius fuerat panis. Ecce argumentum, quo Durandus concludit ſuum errorem: ſcilicet, quod materia panis manet in ſacramento. Hoc autem iam oſtenſum eſt, † non ſolùm falſum, verùm & erroneum.

† *Hoc art. §. Vtitur hic.*

Solutio D. Thom.

Reſpondet ergo D. Thom. propoſitiones in his argumentis aſſumptas intelligendas eſſe duntaxat in tranſſubſtantiationibus naturalibus: nam cum agens naturale nec deſtruere poſſit, nec producere materiam, illam prærequirit, vnde vnam formam pellat, & aliam ſubinde inducat. Secus autem de Deo credendum, qui ſua infinita virtute materiam ipſam creauit, atque adeò mutare in aliam quamcunque poteſt. Quod qui negant, nimium ſunt rationibus naturalibus alligati, neque infinitam Dei virtutem, vt par eſt, ſuſpiciunt.

3. Argu.

At verò vt exploretur vtrùm vnamquamque rem poſſit Deus in quamlibet conuertere, arguit S. Thom. tertio. Eorum quæ ſunt inter ſe diuerſa, nunquam vnum fit alterum: ſicut albedo nunquam fit nigredo, licèt album fiat nigrum, vt 1. phyſic. ait Ariſt. Sicut autem duæ formæ contrariæ ſunt ſecundùm ſe diuerſæ, tanquam principia formalis differentiæ, quæ diuerſas ſpecies conſtituit; ita & duæ ſignatæ materiæ, quia principia ſunt materialis diſtinctionis inter indiuidua, ſunt ſecundùm ſe diuerſæ: ergo neque vna forma poteſt conuerti in aliam, neque vna materia in aliam, atque adeò nec panis in corpus. Reſpondet D. Thom. quòd licet virtute agentis finiti nec forma poſſit conuerti in formam, nec materia in materiam, quia habet limitatam virtutem agendi educendo formas de potentia materiæ, quam ſupponit: id autem fieri poteſt virtute agentis infiniti, quæ ſe extendit ad totam rerum naturam, neque habet limitatum modum agendi. Et ad illud de diuerſitate reſpondetur, quod quamuis materiæ inter ſe, & inter ſe formæ diuerſæ ſint, nihilominus conueniunt in ratione entis. Ob idque Deus quicquid eſt entitatis in vna, in id quod eſt entitatis in altera poteſt conuertere. Fecit autem entitatis mentionem, vt doceret, id quod in materia eſt pura potentia, aut priuatio, non poſſe propriè conuerti in aliud. Conuerſio namque propriè in vtroque extremo dicit ens poſitiuum. Cum enim quidpiam ex nihilo fit, aut reducitur in nihilum, non eſt conuerſio, neque excitare, neque in cæcitatem.

Solutio.

Non eſſe improbabile, Deum poſſe rem corporalem in merè ſpiritualem conuertere.

Vtrum verò res corporalis poſſit in merè ſpiritualem conuerti, S. Thom. infra art. 6. & inferiùs q. proxima art. 1. negare videtur, & Durandus loco citato planè negat. Scotus tamen concedit, cui hic Caietanus ſubſcribit. Neque verò eſt opinio omnino improbabilis. Quod n. lapis modò ſuperiùs impugnato manente eadem re, quæ modo eſt lapis, fieret Angelus, non eſt intelligibile: neque quod eadem res, quæ modò eſt granum tritici, poſtea ſit cœlum non aucta materia. Quod autem deſitio lapidis terminaretur ad productionem Angeli, licèt non ſit multum intelligibile, & ideo pars negatiua eſt ſuſtẽtabilis, nihilominus non eſt tam euidens repugnantia, quin de potentia Dei poſſibile appareat.

Sed arguit Durandus, abſurdum eſſe conceſſu, vt lapis conuertatur in Angelum: nam materia, inquit, quomodo in ſpiritum conuertatur? Reſpondetur autem quod modo explicatio non ita eſt euidenter impoſſibile.

Sed arguit ſecundò. Angelus, quia materiam non habet, nec poteſt niſi per creationem incipere eſſe, neque deſinere niſi per annihilationem: ſi autem lapis conuerteretur in Angelum, ille inciperet per conuerſionem, & ſi ipſe conuerteretur in lapidem, deſineret pari modo. Reſpondetur autem, quòd quamuis lex ordinaria ſecundùm naturam Angeli ſit, vt neque niſi per creationẽ incipiat, neque deſinat niſi per annihilationem: tamen abſoluta Dei potentia aliud facere poteſt.

An ſimiliter poſsit Deus aliquid in ſeipſum conuertere.

Arguitur autem. Ergo, vt ſuprà inſinuabamus, poſſet Deus creaturam aliquam in ſe ipſum conuertere, vel ſe in illam. Ait n. hic S. Tho. ob id quòd res in ratione entis conueniunt, poſſe Deum quamcunq; in alteram conuertere: Deus autem & creatura conueniunt in ratione entis: ergo ſimilis fieri poteſt conuerſio.

Reſp. neg.

Secundò arguit Scotus. Diuinitas poteſt terminare aſſumptionem humanitatis, quæ eſt actio Dei: ergo & conuerſionem creaturæ in ipſum.

Ad hoc reſpondetur, naturæ diuinitatis repugnare, vt ipſa in rem aliam vel alia in ipſam mutari poſſit. Hoc enim ſonat nomen Dei, ſ. purum actum, qui nihil habet potentiæ paſſiuæ, vt ipſe fiat ex alio, vel ex ipſo aliud. Quocirca dum ait S. Thomas, quæcunque conueniunt in ratione entis poſſe tranſmutari, intelligit quando ratio entis eſt illis vniuoca: de Deo autem & creaturis non niſi analogicè prædicatur. De aſſumptione autem humanitatis diuerſa eſt ratio: per illam enim Deus non fit, imò perficit naturam aſſumptam tribuendo illi eſſe ſuppoſiti.

Quod ſi hic perconteris, an conuerſio panis ita fiat in corpus Chriſti, vt materia in materiam, & forma in

Digitized by Google

ma in formam, quæ est anima rationalis, transubstantietur, statim art. 6. respondetur.

ARTICVLVS V.

Vtrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis & vini.

Conclusio affirm.

QVONIAM dictum est panem in sacramento non manere, sed conuerti in corpus, quæritur de accidentibus, vtrum maneant. Et respondetur affirmatiuè: scilicet, accidentia manere. Neque verò quæstio tanquam dubia submota est: nam sensus ipsi huius nos admonent veritatis, tametsi fide credamus accidentia manere sine subiecto, sed vt rationibus fulciatur, & à contrarijs defendatur. Ratio prima inde sumitur, quòd Deus omnia disponit suauiter secundum eorum naturam quibus prouidet: non est autem hominibus consuetum, imò esset horribile, carnem hominis comedere, & sanguinem potare: hac ergo de causa proponuntur nobis caro & sanguis sub eorum speciebus, quæ frequentiùs in vsum humanum veniunt, vt sunt panis & vinum. Secundò, ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur si in propria specie Dominum manducaremus. Et tertiò, vt dum inuisibiliter corpus & sanguinem Domini sumimus, hoc profit ad fidem: nam vti ait Gregorius, fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.

Quare fuerit conueniens accidentia remanere.

Expositio articuli.

Veritas hæc perinde atque illa superior de transubstantiatione eisdem decretis constabilitur: nam si panem non manere, fide credimus, & species videmus, tangimus, & gustamus; planè colligitur illic manere accidentia sine subiecto. Et ideo eisdem sancitur decretis. Vt can. Nos autem. de consecratione distinct. 2. ex Augustino hîc citato lib. sententiarum Prosperi, vbi ait. Nos autem in speciebus panis & vini, quas videmus, res inuisibiles (id est, carnem & sanguinem) adoramus. Et can. Species, eadem est confessio Gregorij. Et in concilio Lateranensi cap. Firmiter. de summa Trinitate. Et in concilio Florentino & Tridentino supra † citatis idem extat decretum. Atqui rationes decentiæ huius, vt scilicet Christus non sub speciebus carnis & sanguinis, sed sub speciebus panis & vini nobis relinqueret sacramentum, quæstione præcedenti articulo primo locupletiùs explicuimus.

† art. praced. §. Quocirca.

An propriæ passiones panis & vini remaneant.

Existit autem contra hanc veritatem argumentum: Accidentia rei non solum sunt illa quinti prædicabilis, quæ possunt adesse, & abesse, verum & propriæ passiones quarti prædicabilis, quæ fluunt ex essentia subiecti, vt risibilitas in homine, & potentiæ animæ: hæc autem non possunt sine subiecto manere. Ob id enim dicuntur accidentia inseparabilia: ergo hæc panis & vini propria accidentia non permanent in sacramento. Offendas forsan aliquos, qui arbitrentur hæc accidẽtia adeò esse inseparabilia, vt Deus per suam omnipotentiam non possit illa seruare sine subiecto. Esset tamen. error circa hoc sacramentum id negare. Nam Ecclesia, vt ex canonibus modo citatis constat, transubstantiationem nudæ substantiæ in substantiam confitetur, manentibus accidentibus absq; vlla eorum distinctione. Eâque confirmatur, quia omnes perinde proprietates panis ac vini manent in sacramento, ac si substantiæ ipsæ persisterent. Quare hoc est inuincibile argumentum contra Thomistas (si qui sint fortè) dicentes propriam passionem non posse seruari per potentiam diuinam sine subiecto, sicuti è conuerso potest Deus seruare, hominem absque qualitate illa, quæ est risibilitas, licet per aptitudinem diceretur risibilis.

Resp. aff.

De reliquis difficultatibus, quæ ex ista accidentium existentia sine subiecto emergunt, dist. sequen. q. 2. habendus est latissimus sermo. Hîc autem vnum hoc est dubium præsenti articulo annexum, nec prorsus inutile scitu (tangit enim illud D. Thomas in argumento tertio) Videlicet, vtrum sicut manent accidentia panis & vini, ita maneat notitia tam intellectiua quàm sensitiua, quæ antea erat, panis & vini. Nam cùm fide credamus illic non manere panem, apparet per eandem fidem tolli notitiam panis & vini. Nonnulli Summulistæ, & vt sic dicamus, Terministæ, arbitrantur nullam nos habere rerum notitiam sensitiuam, præterquam accidentium quæ sensibus obijciuntur. Itaque non habemus visionem niuis, sed albedinis: neque mellis sensum, sed dulcedinis. Et secundum istos manifestum est easdem manere notitias, cum eadem maneant obiecta. At verò isti in superficie de rebus philosophantur. Cognoscimus n. intuitiuè substantias non solum per notitiam intellectiuam, verùm & sensitiuam. Quis enim neget me videre non solum alborem, verùm & niuem; & hominem, & gustare panem, & vinum, & audire loquentem. Vbi enim ait Aristote. quòd accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est; non solùm intelligit quòd per accidentia iudicamus de rerum substantia: verùm quòd per ipsa intuemur easdem substantias tam per sensum quàm per intellectum. Intellectiua enim notitia ex sensitiua gignitur. Et ratio naturalis est, quod accidentia sunt substantiarum instrumenta. Vnde sicut ignis per calorem agit ad producendum alterum ignem, ita & per eundem calorem producit notitiam sui ipsius. Et pariter nix per alborem cernitur. Idemque de cæteris sentiendum. Quòd si isti respondeant, nos non sentire substantias, sed argumentatiuè cognoscere esse sub accidentibus, arguitur contra. Illa argumentatio non fit in sensu, sed in intellectu: & tamen ante operationes intellectus cognoscimus substantias: imò & bruta eadem cognoscunt.

Vtrum cognitio sensitiua & intell. circa panem & vinum sit eadem ante & post consecrationẽ.

Sententia autoris per propositiones.

Vt ergo res per distinctionem eluceſcat, notitia alia est sensitiua, atque alia intellectiua. Sensitiua autem non potest esse nisi apprehensiua: quia sensus exterior non iudicat: eademque esse debet intuitiua & connotatiua, scilicet, Hoc album, hoc dulce, &c. Quæ quidem licèt complexè exprimantur, sunt tamen simplices. His autem similes notitiæ respondent in intellectu, ex quibus intellectus ipse abstrahit notitias absolutas: scilicet, Homo, Lapis, &c. In responsione ergo quæstionis sit hæc prima propositio. Post consecrationem manent eædem notitiæ sensitiuæ quæ erant ante consecrationem: scilicet, hoc album, hoc sapidum, hoc rotundum; & similes, non solum in sensu exteriori, verùm in interiore. Hoc primùm patet experientia: quia sensus nihil dum fit consecratio, mutatur. Etenim dum Turca consecrare cernit hostiam, eandem retinet sensitiuam notitiam, post consecrationem: notitia autem sensitiua eadem permanet in nobis, quæ in infideli. Quare si quis nostrûm duas hostias videret, quarum altera esset consecrata, altera verò non, eandem haberet apprehensiuam notitiam.

Prima.

Cognitio sensitiua ead. manet.

Idemque ostenditur ratione physica, quam Diuus Thomas in articulo sequenti in solutione tertij docet. Accidentia namque sunt substantiarum virtutes, ad producendum in sensibus notitiam earundem substantiarum: ergo vbicunque sint, etiam sine subiecto, retinebunt eandem virtutem: sicuti calor, qui est virtus ignis, vbicunque poneretur, etiam per se, sine igne, calefaceret: imò arbitror si summus esset, ignem produceret. Sicut virtus seminis mortuo generante gignit animal. Quapropter licet miraculum sit accidentia remanere in sacramento absque subiecto; tamen naturale est, vt notitias substantiarum earum generent in quibus præfuerant, ac si eisdem inessent, non solùm in sensu, verùm & in intellectu.

Calor separatus calefaceret.

Sed arguis. Ergo illæ notitiæ essent intuitiuæ panis & vini sicut antea: postquàm eædem manent. Consequens tamen apparet falsum, quia panis & vinum non sunt iam tunc præsentia. Respondetur, forsan nominalem esse disputationem, atque adeò dici posse, quòd eadem notitia quæ in præsentia obiecti erat intuitiua, in absentia fit abstractiua. Libentiùs tamen astruxerim manere intuitiuas: quia naturam secundum se non mutant. Neque verò de notitia tantum accidentium in abstracto loquimur, illam quippe planissimum est esse intuitiuam, sed de notitia quoque connotatiua panis & vini. Etenim licèt non sint præsentia in se, sunt tamen præsentia in sua virtute: scilicet in accidentibus, quæ vim retinent conseruandi easdem notitias. Imò & notitia simplex & absoluta panis, quæ manet in intellectu, censetur eadem ratione tunc intuitiua. Quapropter ex natura sua, nisi per supranaturalem fidem impedirentur, iudicium in intellectu producerent illic esse panem & vinum.

Obiectionis solutio.

Secunda propositio. In Christiano non manet notitia iudicatiua, qua iudicatur illic esse panem & vinum: nam etsi illa apprehensiua intuitiua ex natura sua tale produceret iudicium; nihilominus per fidem impe-

2. Propos. In Christiano non manet ead. notitia iudicatiua.

Digitized by Google

ditur, vtpotè quia creditur illic abesse panem & vinum. In infidelibus autem naturaliter gignitur erroneum iudicium.

Quòd si arguas. Ergo Deus illos decipit, negatur consequentia: quoniam credere fidei mysterium renuunt. Quid autem de illis qui inuincibiliter ignorant hostiam esse consecratam? videtur Deus illos reducere. Respondetur quòd nec istos decipit, quoniam illud falsum iudicium res ipsæ naturales sua virtute inducunt (nempe accidentia) veluti qui hastam videt, cuius medietas est in aqua, & medietas in aëre, non à Deo fallitur, iudicans esse fractam, sed ab ipsa specierum visualium refractione.

1. Argum. S. Tho. Primum argumentum S. Thom. est. Substantia (vt 7 Metaphys. autor est Philosophus) naturaliter prior est accidente, cum igitur facta consecratione non remaneat substantia panis, apparet vt nec maneant accidentia. Respondetur, quod cum effectus, vt lib. de cau. legitur, plus à prima causa, quàm à secunda dependeat, potest accidens absque sustentamento substantiæ virtute Dei sustentari.

2. Secundo & tertio argumentis insinuatur dubium, quod nos modo enucleauimus. Arguitur n. In sacramento veritatis, nulla esse debet fallacia: at cum per accidentia de substantia iudicemus, fit vt si accidentia sine substantia remaneant, humanum iudicium decipiatur: non ergo id huic sacramento conuenit.

3. Accedit tertiò, quòd quamuis fides nostra non sit rationi subiecta, non tamen est contra, sed supra ipsam (vt 1. par. qu. 1. art. 1. ostensum est) ratio autem nostra à sensu ortum habet: non ergo debet fides sensibus repugnare: repugnare autem videtur dum per accidentia iudicamus panem illic esse: per fidem vero contrarium credimus: ergo hoc non congruit dignitati sacramenti. Ad hæc iam nos respondimus nullam offerri in hoc sacramento deceptionem: nam sensus quorum proprium obiectum sunt accidentia, per notitiam apprehensiuam, qua illa cognoscunt, non falluntur quia nihil iudicant: intellectus autem (cuius proprium obiectum, vt habetur 3. de anima, est substantia) per fidem corrigitur ne iudicet illic esse panem & vinum: quare fides non est contra sensus, sed est genitrix iudicij, ad quod sensus non attingit. Si n. sensus iudicaret illic esse panem, fides esset contra ipsum, illud tamen iudicium extra sensuum lineam est.

Responsio.

4. Argu. Quartò arguitur. Id quod facta conuersione manet, est subiectum conuersionis: si ergo accidentia permanent, vicem habere videntur subiecti, quod quidem accidenti repugnat: nam vnum accidens non est subiectum alterius, saltem, quod: (vt aiunt Philosophi) nam quantitas subiectum est, quo mediante reliqua accidentia insunt substantiæ, & intellectus est subiectum, quo mediante habitus inhærent animæ. Respondetur huic conuersioni non subesse subiectum transmutationis: accidentia verò hanc habent subiecti similitudinem, quod permanent sub vtroque transmutationis extremo.

ARTICVLVS VI.

Vtrum facta consecratione remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

QVEMADMODVM Durandus excogitauit materiam panis manere in sacramento, ita fuere qui relinqui illic censebant formam eius substantialem sine materia. Ob idque licet quæstio inter catholicos non sit dubia; mouetur tamen, vt veritas ab illo errore protegatur. Est ergo conclusio. Forma substantialis panis & vini non manet in sacramento.

Conclusio neg.

1. ratio. Primò, quia si forma illic maneret, nihil de pane conuerteretur in corpus Christi, nisi sola materia, quare conuersio non fieret in totum corpus, sed in eius materiam. Negare hic videtur D. Thom. posse Deum materiam solam conuertere in materiam & formam corporis Christi: nam supponit non nisi materiam in solam materiam posse mutari: eò quòd anima Christi est spiritualis. Quare virtute consecrationis non esset illic totum corpus, atque inde fieret forma falsa. Hoc est corpus meum. Secundò, quia forma panis maneret aut persisteret in materia, aut ab illa separata. Primum dici non potest; nam si in materia panis persisteret, tunc tota maneret substantia panis, quod supra impugnatum est. In aliam verò materiam transire non potest, quia vnaquæque forma vendicat suam sibi materiam dispositam. Si verò seruaretur separata à materia, tunc fieret forma per se intelligibilis, & per se intelligens. Omnis n. forma est huiusmodi; vt in Deo patet, & Angelis, & animabus nostris.

Secunda.

Est autem ratio hæc S. Thom. nimiùm metaphysica, contra quam arguitur. Forma panis est res distincta à materia: ergo potest Deus illam absque materia per suam omnipotentiam seruare, eandemque in esse corporeo, vt non esset per se intelligibilis. Non desunt ex discipulis S. Thom. qui ipsum vsque adeò literaliter intelligant, vt Deum negent posse seruare formam separatam, quin fiat per se intelligibilis, imò neque albedinem sine subiecto, quin faciat illam esse substantiam intelligibilem. At verò S. Tho. non philosophabatur tam crassa Minerua, vt id negaret. Concedit enim quantitatem panis manere in sacramento sine substantia, cur non concederet posse Deum seruare eius formam sine materia? At verò supponit semper non fieri miracula sine necessitate: & ideo loquitur secundùm naturam rerum: forma autem quæ natura sua separabilis est à materia, est per se intelligibilis, & intelligens, vt anima rationalis, & Angelus.

Posset vtiq; Deus seruare formam extra materiam, nec ea ideò fieret intelligibilis.

Tertia. Tertiò id probatur, nam accidentia panis ob id præcisè in hoc sacramento perdurant, vt per ipsa videatur, tractetúrque corpus Christi: quod fieri non posset, nisi toto pane depulso corpus sub speciebus contineretur.

Expositio articuli. Conclusio præsens, nempe formam substantialem panis non manere in sacramento, perinde est de fide catholica, atque alia, quæ contra Durandum constituta est, videlicet, non manere materiam. Nam eodem modo repugnat transsubstantiationi, quam (vt tam multis canonibus suprà † ostensum est,) Ecclesia fieri confitetur in hoc sacramento. Transsubstantiatio n. transmutationem dicit totius substantiæ, cuius ideo nulla pars permanet, vt corpus duntaxat & sanguis sub eisdem speciebus adorentur & sumantur.

† *art. 4 huius. §. Tria tamen.*

1. Argu. S. Tho. Est ergo primum argumentum S. Thom. non contemnendum. Accidentia omnia panis permanent in sacramento: forma autem panis est accidens: quoniam fit per artem, quæ quidem ars formam substantialem producere non potest: ergo illa forma permanet. Negat autem minorem: quia ars licèt per se solam non possit formam substantialem producere, vt patet in statua, nihilominus applicando actiua naturalia passiuis, eadem virtute naturali fieri potest, vt substantia gignatur. Hac enim arte magi Pharaonis ranas fecerunt & serpentes. Pari ergo modo per commassationem farinæ cum aqua, & decoctionem per ignem fit forma substantialis panis.

† *§. Sed vtrùm.* Perspice hic illud, quod q. præcedenti articul. 3. † contra Scotum adnotauimus: nempe panem specie differre à pasta: alioqui forma panis non haberet supra formam pastæ nisi accidentia, quæ recipit in furno: scilicet duriciem, & saporem, &c. Vnde, vt bene hîc arguit Caietanus, cùm ex decretis Ecclesiæ hoc solùm habeamus, quòd sola substantia conuertitur in substantiam, fieret consequens, vt forma panis non conuerteretur, sed permaneret in sacramento, quod apparet concessu absurdum. Scotus namque non absolutè, sed cum restrictione debet dicere, quod forma panis quantum ad id quod in ipsa est substantiale, desinit esse.

2. Argum. Secundò arguit S. Thom. Forma corporis Christi est anima rationalis, quæ, vt habetur 2. de anima, est actus corporis physici organici potentia vitam habentis: sed forma panis cum sit corporea, non potest in animam spiritualem conuerti: ergo illa permanet. Vide quomodo non admittit formam panis eò quòd corporalis est, conuerti simpliciter in animam secundum suum esse spirituale, sicut nec concessit, materiam posse in animam conuerti. Nisi forsan non loquatur de potentia Dei absoluta, sed de ordinaria ex vi consecrationis. Respondet ergo supponendo in homine non esse nisi vnicam formam, quæ ordine quodam tribuit ei omnem perfectionem, vt esse, & esse corporeum, & animatum, & rationale: virtute autem consecrationis, vt forma sonat, solùm est illic corpus; quare forma panis conuertitur in animam, quatenus dat esse corporeum, non autem quatenus dat esse animatum, aut rationale. Scotus verò dist. 11. q. 3. negat conuersionem

Quomodo forma panis conuertatur in animam Christi.

Digitized by Google

formæ panis vllo pacto in animam Christi fieri, sed fieri, inquit, in formam corporeitatis. Hanc autem ambiguitatem quæstione proxima art. 1. congruentius enodabimus.

Sed contra hanc solutionem S. Tho. huius secundi argumenti posset fieri aliud. Si enim materia conuertitur in materiam, & forma in formam, duę sunt conuersiones. Et quidem Pal. dist. 11. q. 3. & Marsilius q. 8. art. 2. sic videntur sentire. Ex eorum autē opinione subsequeretur eadem ratione, quòd vna medietas materiæ deberet conuerti in vnam medietatem alterius materiæ, & altera in alteram. Et sic de minoribus partibus. Et tamen non potest signari quæ pars in quam conuertatur. Et ideò melius est forsan dicere, quòd non est nisi vna conuersio totius in totum per quam syncerius seruatur veritas formæ, Hoc est corpus meum, quæ vnam designat conuersionem. Quare S. Tho. noluit aliud dicere, quàm quod sic panis vnica conuersione conuertitur in corpus, vt materiæ materia, & formæ forma respondeant.

Vna & ead. est conuersio materiæ & formæ.

3. Argum.

Tertiò arguitur. Propria operatio rei sequitur formam substantialem eius: sed illud, quod manet in hoc sacramento nutrit, & eam operationem facit quam faceret panis existens: ergo illic manet forma. Respondet autem operationum panis quasdam consequi ipsum ratione accidentium, sicut immutare sensus, & tales operationes illic inueniuntur in speciebus panis post consecrationem, quia permanent accidentia. Nota doctrinam, quam nos articulo præcedenti præmisimus, quod scilicet accidentia producunt notitias sensitiuas panis, scilicet, Hoc album, hoc sapidum, &c. Aliæ verò sunt operationes, quæ consequuntur panem ratione materiæ aut formæ, scilicet quòd verè nutriunt tanquam cibus, & conuertuntur in vermes. Et hoc non fit per accidentia, nec per panem, sed per diuina miracula, vt in subsequentibus monstrabitur. †

† d. 10. q. 2. a. 4. & 5.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ista conuersio fiat in instanti.

Conclusio affirma.

DE modo item conuersionis quæritur an sit instantanea. Et respondetur conclusione affirmatiua, quòd s. est instantanea. Probatur, quia fit virtute diuina, quæ cum sit infinita, à nullo tempore pendet. Et declaratur subinde ratione naturali. Triplici n. de causa productio aliqua fit in momento. Vno modo ex parte formæ, quæ est terminus productionis, quæ quidem dum recipit magis aut minus fit successiuè vt sanitas. Sed si non recipit magis & minus qualis est omnis forma substantialis, fit in temporis momento. Vnde omnis generatio fit in instanti, atque adeo non dicitur motus, sed mutatio. Secundo modo ex parte subiecti, quod quidem, si non est in vltima dispositione ad formam, successiuè disponitur, vt lignum successiuè calorem suscipit: vbi autem summum susceperit, in instanti producitur forma ignis. Vnde aër, quia diaphanus est, applicato luminoso in instanti suscipit lumen. Tertio modo actio fit in instāti propter infinitam agētis virtutem, quòd scilicet super naturam vno momento potest materiam disponere, vnde Christus quo puncto dixit, ephetha, quod est, aperire, apertæ sunt surdo aures, & linguæ vinculum dissolutum. His ergo omnibus causis conuersio sacramentalis est instantanea. Etenim neque corpus Christi suscipit magis aut minus, neque conuersio subiectum supponit, in quo fiat transmutatio, & fit virtute Dei infinita.

Tribus de causis aliqua productio fit in instanti.

Exp. s. art.

Conclusio hæc præsentis articuli licèt prima facie nemini sit dubia, nihilominus propter amphibologiam fit contra eam argumentum, quod tyroni theologo posset molestiam exhibere. Arguitur enim sic. Conuersio fit per illam verborum formam, Hoc est corpus meum, quæ est practica, id est, efficiens quod significat: illius autem prolatio tempore durat: ergo toto illo tempore fit conuersio, atque adeò non est momentanea. Et confirmatur. Conuersio & consecratio idem sunt, toto autem tempore, quo sacerdos profert verba, verum est dicere, Iste consecrat: ergo pariter verum est dicere, iste transsubstantiat panem in corpus. Enimuero in causis, quæ successiuè applicantur, siue naturales sint, siue artificiales, toto tempore verificatur verbum actionis. Dicimus n. quamdiu panis est in furno, ignis facit panem, & quamdiu artifex sculpit lapidem, facit statuam: ergo conuersio non in instanti, sed in tempore fit. Respondetur, quod conuersio & consecratio vlu & more loquendi accipitur dupliciter. Vno modo pro applicatione causæ, seu pro actione & motu tendente ad conuersionem. Et isto modo non est negandum quin toto tempore conuersionis fiat consecratio, sicuti & toto tempore, quo durat forma baptismi, fit sanctificatio. Alio modo accipitur pro termino illius actionis, qui est desitio panis & inceptio corporis, & hæc fit in instanti terminatiuo verborum: quo pacto & in baptismo infunditur gratia. Sicuti & in naturalibus toto tempore, quo aër in cauernis terræ humectatur & ingrossatur, aqua gignitur, & tamen forma eius substantialis in instanti terminatiuo producitur.

Argum.

Responsio.

Emergit hinc tamen argumentum, quòd cùm ad desitionem panis incipiat corpus, necesse est assignare quo in instanti vnum desinat, atque alterum incipiat. Nam si panis desinat per vltimum sui esse, tunc vel in eodem instanti incipit corpus, & sic in eodem erunt ambo, quod est falsum, vel incipiet in altero, & tunc duo instantia erunt immediata, aliàs in tempore medio essent species, & pane & corpore vacuæ.

Quomodo corpus & sanguis incipiant esse in Euchar.

Hunc ergo nodum intendit D. Tho. argumento primo dissoluere. Arguit enim sic. In conuersione prior est substantia panis, & postea substantia corporis Christi: non ergo ambo sunt in eodem instanti, sed vnum in vno, & alterum in altero: sed inter quæcunque duo instantia datur tempus medium, quia non possunt esse immediata, aliàs tempus componeretur ex indiuisibilibus momentis, quod est tam impossibile, quàm quod continuum componatur ex indiuisibilibus punctis: nam vt ait Philosophus 6. Physic. indiuisibile additum indiuisibili non reddit maius, ergo conuersio debet fieri in eo tempore, quod est inter vltimum esse panis, & primum esse corporis: aliàs species illo tempore essent sine pane & corpore.

1. Argu.

Ad intellectum responsi, quod rudibus Philosophiæ non est vsque adeò peruium, animaduertendum, quòd corpus (& similiter sanguis) incipit esse in sacramento per primum sui esse momentum, sicuti forma substantialis dum generatur: nam quæ secundum se tota incipiunt esse in instanti, nequeunt aliter incipere. Panis autem cogitari quidem potest desinere aut per vltimū sui esse, aut per primum non esse. Fuerunt ergo qui arbitrati sunt desinere in sacramento per vltimum sui esse: nam re vera si Deus mundum annihilaret: illo modo mundus esse desineret. Ob idque subsequenter dicere tenebantur, non eodem instanti quo panis desinit, corpus incipere: aliàs in eodem simul essent: ac subinde illa duo instantia esse immediata, ne inter illa tempus admitterent quo essent species sine pane & corpore. Igitur qui id sustinebant quadripartiti sunt. Primi enim aiebant, quòd quamuis in eodem tempore non possunt esse duo instantia immediata, sicut neque in eadem linea duo puncta, si tamen referantur ad diuersos motus, quales sunt desitio & inceptio, nihil obstat quo minus sint immediata. Sicuti dum duæ hastæ è regione oppositæ se contingunt: tunc enim extrema earum puncta sunt immediata. Responsio tamen est sophistica: quoniam vnitas vel pluralitas temporis non sumitur in ordine ad vnum vel ad diuersos motus horum inferiorum qui finiuntur, sed in ordine ad motum cæli, qui est vnus & perpetim continuus. Quapropter vniuersa instantia sunt in eodem tempore, atque adeò esse nequeunt immediata, sed vnumquodlibet coniungit tempus præteritum cum futuro, ac proinde est vtriusque terminus. Alij secundò dicebant, quod licèt in tempore, quod est mensura cæli, non dentur duo immediata instantia, nihilominus sunt aliquæ operationes non dependentes ex motu cæli, vt sunt angelorum actiones, quæ possunt habere instantia immediata. Angelus enim potest esse nunc hic, & immediatè in cælo, quia neque à loco, neque à tempore pendet, vt 1. par. quæst. 53. art. 3. demonstratum est: quare illa duo angeli instantia sunt immediata. Et cùm hæc conuersio fiat actione Dei qui ex tempore non pendet, idem hic affirmabant. Sed tamen nec hæc solutio ad rem pertinet: quoniam licèt conuersio à virtute diuina fiat, fit tamen per verborum formam, quæ temporali successione profertur. Tertij ergo dicebant, quod instans desitionis panis, & aliud inceptionis corporis Christi, sint duo per ordinem ad

Incipiunt per primū sui esse.

Quatuor errores in philosophia.

Refellitur primus error.

Reijcitur 2.

Digitized by Google

mensurata: scilicet ad panem & corpus, sunt tamen vnum in ordine ad tempus mensurans. Exemplum est suprà positum. Dum enim duæ hastæ è regione se contingunt, puncta intrinseca terminantia sunt duo, sed illud, quod in loco illis respondet, quo se contingunt, est vnum. Attamen & hoc quoque cauillum est, quoniam instantia non dãtur intrinseca in motibus desitionis panis, & inceptionis corporis Christi, sicut sunt puncta in lineis inuicem se tangentibus, sed solùm extrinseca in tempore mensurante: quare nec duo possunt esse immediata, neque idem potest esse vltimum panis & primum corporis, alias in eodem essent panis & corpus. Alij ergo dicebant, quòd illa instantia sunt idem re, differentia verò ratione. Sed neque hoc quicquam valet: nam differentia rationis non facit mensuram rei. Quare idem sequeretur absurdum, quòd in eodem instanti essent panis & corpus.

Reijcitur 3

Reijcitur 4

His ergo repulsis quatuor erroribus, legitima responsio est, panem non desinere per vltimum sui esse, sed per primum non esse. Et ratio est quia licet transubstantiatio fiat virtute diuina, quæ per se non dependet à motu: fit tamen mediante verborum forma, quæ successiuo motu profertur, & ideo desinit panis quando desinit prolatio. Motus autem non potest desinere per vltimum sui esse: nam quãdocunq; est restat aliqua eius pars futura, sed per primum non esse: quare non sunt duo instantia desitionis panis & inceptionis corporis, sed vnũ, in quo corpus incipit per primũ sui esse, & panis desinit per primum non esse. Et hoc vocat hic D. Th. vltimum instans prolationis verborum: scilicet intrinsecum, in quo prolatio non est, & immediatè antea erat. Quare panis fuit in toto illo tempore præcedenti, quod extrinsecè terminatur ad illud instans.

Solutio legitima.

Desitio motus quomodo fiat.

Quòd si contra sic arguas. Quod non est, nullius est causa: forma consecrationis in illo instanti non est: ergo non est causa existentiæ corporis Christi in sacramento. Respondetur ad maiorem, quod licet tunc non sit causa, quia non est, fuit nihilominus causa toto tempore terminato ad illud instans, sic enim contingit in naturalibus, vt 8. Physicorum docetur. Motus enim calfactionis est causa formæ substantialis ignis, quæ producitur in instanti terminatiuo, quo motus desinit esse per primum non esse.

Arg. contra.

Aliud argum.

Non autem deest & contra hanc sententiam argumentum. Sequeretur enim tunc, quod si scrupulosus morosusque sacerdos prolationem vltimæ syllabæ dictionis, meum. nimium prolixè protraheret, non inciperet illic esse corpus, donec pro suo libito ipse cessaret. Consequens tamen apparet absurdum: nam cum primùm incipit proferri syllaba, vm, completa est significatio. Respondere in scholis solebam, quòd fortè postquam incipit vltima syllaba, datur primum instans esse completæ significationis formæ, in quo incipit corpus adesse per primum sui esse, & desinit panis per primũ non esse antequam proferatur tota vltima syllaba. Cui tamen magis placuerit dicere, quod consecratio non perficitur, nisi tota prolata forma, concedat consequens huius argumenti: quia non est absurdum.

Corollariũ falsum.

Ex his autem subsequi videtur corollarium, quod omnes concedunt: videlicet, quod si dum incipitur consecratio, inciperet panis naturali causa corrumpi, ita vt in illo primo instanti, quo deberet esse corpus, panis cum suis speciebus desinat esse per primum non esse, concurrunt omnia, quæ sunt necessaria ad sacramentum: nimirum materia, & forma, & minister, & tamen non fit sacramentum. Ego tamen præterquam quod casus vix est possibilis, negarem materiam concurrere: debent enim species simul esse in momento consecrationis, quod corrupto pane fieri non potest nisi virtute consecrationis.

2. Argu.

Secundum argumentum S. Th. est. In omni conuersione est fieri, & factum esse, quæ quidem non possunt esse simul: nam quod fit non factum est, & quod factum est non fit: ergo in hac conuersione est prius & posterius: quæ non possunt esse in instanti. Respondetur, quod in conuersionibus momentaneis simul sunt fieri, & factum esse. Dicitur enim aer nunc primò illuminatus, quia iam habet lumen, & nunc simul illuminari, quia antea non habet lumen, & sic fit in hoc sacramento.

In momentaneis conuersionibus simul est fieri & factum esse.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc sit falsa. Ex pane fit corpus Christi.

ARTICVLVS hic vltimus non parum ad superiorum explicationem conducit, quo scilicet enuntiationes explicantur quæ in hac conuersione inter eius extrema affirmari possunt, aut negari. Quas quidem D. Th. profectò diserte enucleat. Iacit ergo primò quatuor pluchra fundamenta, quibus acutè comparat conuersionem hanc per vnum extremum ad creationem, & per alterum ad naturalem transmutationem, vt per duo extrema medium eluceſcat.

Est ergo primum fundamentum bimembre. Hæc conuersio panis in corpus Christi in aliquibus conuenit cum creatione & cum naturali transmutatione, & in aliquibus differt vel ab ambabus, vel ab earum altera.

1. fundã.

Secundum fundamentum. In duobus conuenit cum ambabus: scilicet, & in ordine terminorum, vt post vnum sit alius, atque in eo quod non sint simul. Enimuerò in creatione esse est post non esse, vt mundus post nihil: nunquam tamen sunt simul nihil & mundus. Pariter post aërem est ignis, & post album nigrum; nunquam verò vel aër est ignis, vel album nigrum. Eodem modo post panem est corpus, & nunquam est verum dicere, panis est corpus.

2. fundã.

Tertium fundamentum. Conueniunt conuersio sacramentalis & creatio, in eo quod in neutra supponitur subiectum, in quo recipiantur extrema transmutationis, in quo differunt à naturali transmutatione, in qua supponitur materia. Hinc ergo speculari incipe quemadmodum S. Tho. illam destruat suprà † expugnatam opinionem, quod eadem res, quæ est panis, manet postea facta corpus. Tunc enim idem maneret subiectum, quod prius fuerat panis, & postea corpus.

3. fundã.

† Art. 4. § Vtitur hic.

Quartum fundamentum. Conuersio hæc & transmutatio naturalis conueniunt in duobus, licet parum dissimiliter, in quibus differunt à creatione. Primum quòd in vtraque vnum extremum transit in aliud, vt aër in ignem, album in nigrum, & panis in corpus: cùm tamen in creatione non ens non transeat in ens. Dissimilitudo autem est, quod panis secundum se totum transit in corpus: aër verò non transit in ignem, nisi secundũ formam remanẽte materia, in qua præfuerat forma, quæ depellitur & recipitur noua. Secundò conueniunt, quòd vtrobique remanet aliquid idem, quod non accidit in creatione; dissimiliter tamen quia in transmutatione naturali remanet commune subiectum, sed in sacramento remanent accidentia, quæ inerant subiecto.

4. fundã.

Ex his ergo quatuor fundamentis colligit sex conclusiones in hac conuersione asserendas, vel negandas.

Prima. In nulla istarum trium conuersionum affirmatur vnum extremum de altero per verbum substantiuum præsentis temporis. Neque enim conceditur in creatione, non ens: neque in naturali transmutatione, aer est ignis, aut album est nigrum: neque in hoc sacramento, Panis est corpus. Hæc conclusio colligitur ex secunda parte secundi fundamenti, quo diximus, nunquam extrema conuersionis esse simul.

1. Concl.

Secunda conclusio. In omnibus hisce conuersionibus possumus vti hac præpositione, ex, vt dicamus in creatione, Ex non ente fit ens: & in generatione, Ex aere fit ignis: & in alteratione, Ex albo fit nigrum: & in hac conuersione, Ex pane fit corpus. Atque hæc est assertio Ambrosij, quam hic D. Tho. in argumento. Sed contra. citat. Legendum n. est. Ex pane, non de pane, vt constat ex lib. 4. de sacramentis c. 4. & ex can. Panis de consecrat. dist. 2. Hæc elicitur ex priori membro eiusdem secundi fundamenti, vbi diximus in his omnibus conuersionibus esse ordinem extremorum. Hæc enim præpositio, ex, nihil aliud dicit, quàm ordinem prioris, & posterioris inter terminũ à quo, & terminum ad quem.

2. concl.

Ambrosius.

Tertia conclusio. In hac conuersione, sicuti & in transmutatione naturali vti possumus nomine conuersionis, quòd facere non possumus in creatione. Sicut enim dicimus, aër conuertitur in ignem, & album in nigrum: ita & panis conuertitur in corpus. In creatione verò non possumus dicere, quòd non ens conuerti-

3. Concl.

tur in

tur in una. Hæc propositio elicitur ex prima parte quarti fundamenti, quod diximus in conuersione naturali, & hac sacramentali vnum extremum transire in aliud, non autem in creatione: quoniam conuersio nihil aliud dicit, quam transitum vnius in aliud. Et hoc quoque adnotato aduersus illam refutatam opinionem † quod res quæ erat panis, est postea corpus. Conuersio namque dicit transitum: transitus autem substantiæ in substantiam dicit desitionem illius quod transit. Sicut aer desinit esse cum transit in ignem. Nisi quòd illa, cum transitus tunc fiat, tantummodo secundum formas manente materia, dicitur trãsformatio, & generatio: hæc verò, vbi tota substãtia transit in aliam, dicitur transubstantiatio. Sed in conuersione accidentali, vt cum album conuertitur in nigrum, manet eadem substantia.

† Art. 4. § Primum. enim.

4. Concl. Quarta cõclusio. Illa, quæ ratione naturali conueniũt ratione subiecti, non possumus in hac cõclusione concedere. Concedimus enim, quòd album potest esse nigrum, & quòd aer potest esse ignis: quoniam verbum, posse, dicit potentiam subiecti, quæ est ad diuersas, atq; adeò ad oppositas formas. Licet magis pròpria sit illa prior accidentalis, quia manet tota substãtia sub vtroq; accidenti, quam hæc posterior, vbi non manet nisi materia. At verò in hac, inquit, conuersione (& similiter in creatione,) quia non manet vnum subiectum, sicut dicere non possumus, Non ens potest esse ens: ita neque, Panis potest esse corpus. Perspice quam planis verbis contradicat illi opinioni suprà confutatæ Caietani: nam si res quæ est panis, maneret postea facta corpus, manifestè inde colligeretur veritas huius, Panis potest esse corpus Christi, quia maneret tãquam subiectum vtriusque extremi.

5. Concl. Quinta conclusio. Eadem ratione non potest propriè dici, quòd de non ente fiat ens, vel quod de pane fiat corpus Christi: quia hæc præpositio, de, designat causam consubstantialem vtriqne extremo, quæ quidem in naturalibus attendetur penes conuenientiam in subiecto, quod hic non habet locum. Perpende differentiam inter, ex, & de, illa enim non dicit subiectum sicut hæc, sed tantum ordinem. De, verò dicit causam materialem, vt de ligno fit statua. Et simili ratione non conceditur, quòd panis erat corpus Christi, aut fit corpus Christi, sicut neque in creatione conceditur, quòd non ens erit ens, aut fiet ens. Quoniam hæc omnia dicunt communicationem in subiecto.

Differentia inter particulas Ex, & de.

† Art. 4. § Primum enim: & sequentibus.

Attende iterum repulsam illius repudiatæ † opinionis: nam si res, quæ modò est panis, maneret postea facta corpus, hæc est vera, panis erit corpus, & fit corpus, sicuti album erit nigrum.

6. Concl. Sexta conclusio. Ob id, quòd facta consecratione manent accidentia panis, secundùm similitudinem huiusmodi locutiones concedi possunt, De pane fit corpus Christi. Ac perinde, Panis erit corpus Christi. Imò & de præsenti, Panis est corpus Christi. Quare hæ tales propositiones in proprio sensu intelligendæ sunt vbicunque apud sanctos doctores reperiantur. Non vt nomen panis substantiam eius significet, sed accidentia, quæ, vt can. Species. de consecrat. dist. 2. ait Gregor. nomen retinent earum rerum quæ antea fuerant. Quare hæc tunc propositio, Panis est corpus, non est identica, vt idem significent subiectum & prædicatum, sed idem significat, quòd sub pane (hoc est, sub speciebus panis) est corpus. Dicuntur enim species consecratus panis.

Expositio propositionis quarundam.

1. Argu. Omnia argumenta S. Tho. contra illud assertum diriguntur. Ex pane fit corpus. Est ergo primum. Omne illud ex quo fit aliquid, est id quod fit ex illo, licèt non conuertatur: etenim quia ex albo fit nigrum, verum est, album fit nigrum: tamen è cõuerso licèt concedamus, quòd homo fit niger, non tamen concedimus ex nigro fieri hominem: nam vt habetur 1. Physic. nihil fit nisi ex suo contrario, vt homo ex non homine: si ergo ex pane fieret corpus, pariter verum esset dicere, quòd panis sit corpus Christi: quòd tamen est falsum, cùm res, quæ est panis, non sit subiectum transmutationis, vt eadem manet, vt dicebat Caietanus, † qui plene hic iterum condemnatur, ergo non debet concedi, quòd ex pane fiat corpus. Respondet præpositionem, ex, significare nonnunquam cum termino à quo subiectum, vt cùm ex albo fit nigrum; & tunc pariter conceditur, Hoc fit hoc. Quandoque verò non significat nisi purum ordinem prioris & posterioris inter terminum à quo, & terminum ad quem, vt cùm dicimus, ex mane fit dies: & tunc non conceditur, Mane fit dies. Et pariter in proposito contingit.

Opinionem Caietani refutatam vid. sup. à art. 4. §. Secunda opinio.

2. Argu. Atque eodem modo respondetur ad secundum, quod est hoc. Fieri terminatur ad esse vel factum esse: sed hæc nunquam est vera, Panis est, aut erit corpus. Respondetur ad maiorem, illam habere verum, quando extrema communicant in subiecto, vt quia ex albo fit nigrum, album erat nigrum: & quia ex ligno fit statua, lignum est statua: hic autem non manet idem subiectum.

3. Argu. Tertiò arguitur. Omne illud, ex quo fit aliud, conuertitur in ipsum: hic autem non apparet concedendum, quod panis conuertatur in corpus: nam conuersio hæc multò est mirabilior creatione, in qua tamen non conceditur, non ens conuerti in ens: ergo falsum est, quod ex pane fiat corpus. Respondetur concesso plura esse mirabilia ac difficilia in hoc sacramento, quàm in creatione: illic n. vnum est tantum difficile, quod ex nihilo fiat aliquid: qui tamen est proprius modus agendi primæ causæ, quando se sola agit, quia tunc neque ex subiecto, neque ex alia causa pendet. Cæterùm in hoc sacramento hoc est difficile quod totum conuertitur in totum, ita vt nihil prioris maneat. Vide quomodo non maneat res, quæ est panis: neque aliqua pars eius, quod quidem non pertinet ad communem modum agendi causæ primæ, sed est miraculum maximè singulare. Præterea & hoc habet difficile, quod accidentia maneant corrupta substantia, & multa alia. Quare ob id, quod conuersio hæc est mirabilior, concedimus conuersionem hic, quam in creatione negamus.

4. Argu. Quartò arguitur. Id ex quo aliquid fit, potest esse illud: sed panis non potest esse corpus: ergo neque ex illo fit corpus. Respondetur ad maiorem, quod posse dicit potentiam subiecti, hæc autem conuersio non fit per potentiam subiecti, sicuti ex aere fit ignis propter potentiam materiæ, sed ex omnipotentia causæ agentis Dei. Quare non conceditur, Panis potest esse corpus.

DISTINCTIO DECIMA,

DE MODO, QVO ET CHRISTVS, ET ACCIDENTIA EXISTVNT IN SACRAMENTO.

Cap. 1. EADEM igitur nos catholica fides commonitos habet, virtute præfatæ conuersionis totum Christum sub vtrisque speciebus veraciter contineri: nempe, sub speciebus panis corpus eius ex vi sacramenti: videlicet, virtute consecratricis formæ, Hoc est corpus meum, quæ facit, vt panis directè conuertatur in corpus: sanguinem verò per concomitantiam, ob id, quòd in cælo corpori coniunctus est. Sub speciebus autem vini vice versa se habent sanguis & corpus. Ex quo fit consequens, vt in triduo Dominicæ sepulturæ, nec sub speciebus panis sanguis, qui effusus erat, neque sub speciebus vini corpus, quod erat exangue, contineretur. Eademque ratione quantitas eiusdem corporis & sanguinis dimensiua, licet non ex vi sacramenti, tamen ex eadem naturali concomitantia in eodem sacramento existit. Vnde subsequitur, vt sub singulis specierum particulis siue vnitas, siue fractas consideres, totus verè sit Christus, iuxta verbum Augustini in sermone, qui de cons. dist. 2. can. Singuli. refertur, quo ait, Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portioni-

Aug. can. Singuli, de consecrat. d. 2.

Digitized by Google

bus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Hæc ille, Corpus enim incorruptibile est: quare per se non diuiditur, sed fractione specierum frangitur, secundum Apostolum, vbi ait: Panis, quem frangimus, nónne participatio Domini est?

1 Cor. 10.

Cap. 2. At verò cum Christus in hoc sacramento non sit secundùm modum suæ quantitatis, sit vt nec sit tanquam in loco, aut circunscriptiuè, aut definitiuè, sed sacramentaliter: atque eadem ratione non per se, sed specierum motu mouetur. Atque adeò neque vllo corporeo oculo, aut sensu percipi potest, sed solo intellectu illius, qui beatifica Dei visione fruitur. Nam dum aliquà humana effigies, manentibus specierum dimensionibus, in sacramento apparet, non est vera Christi caro, sed similitudinario per mutationem reliquorum accidentium panis.

Cap. 3. Sunt igitur in hoc venerabili sacramento, vt fides catholica docet, accidentia panis & vini sine subiecto, cui inhæreant, tametsi quantitas modo quodam non improprio reliquorum subiectum censeatur. Vnde *Augustinus* lib. sententiarum Prosperi, Nos, inquit, in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus. Ob idque & agere possunt, & vsque ad sui corruptionem peregrinis actionibus affici. Sensu enim deprehendimus, & in puluerem verti, & in vermes putrefieri, &, vt est in confessione Berengarij, frangi, & dentibus atteri: quare, & sumptæ nutrire valent. Quo alludens Paulus ait: Alius quidem esurit, alius ebrius est.

Augustin.

Cap. 4. Cum autem speciebus vini liquor alius infunditur, quamdiu illæ manent, sanguis sub illis tantum continetur. Nam liquor infusus, vt canon. Cùm Marthæ. de celeb. missa. ait Innocent. hec tranfit in sanguinem neque verò sanguini, sed accidentibus prioris vini commiscetur.

DISTINCTIONIS DECIMÆ.

Quæstio prima.

DE MODO, QVO CHRISTVS EXISTIT IN HOC SACRAMENTO.

S. Thom. 3. part. quæst. 76.

ARTICVLVS I.

Vtrùm totus Christus contineatur sub hoc sacramento.

Quid importet vox illa Christus.

DISTINCTIO hæc superiori est annexa. Expeditis enim difficultatibus conuersionis, subsequitur, vt de existentia tam Christi, quàm accidentium in sacramento, facta conuersione, dicamus. Est ergo prima quæstio de existentia Christi, cuius primus articulus est, vtrum totus contineatur sub hoc sacramento? Est enim Christus nomen Dei, & hominis, suppositi scilicet, quod in diuina & humana natura subsistit. Et ideo substantias ambas, & accidentia, quæ in ipso sunt, comprehendit: nempe, diuinitatem, & totam humanitatem secundum animam, & omnem corporis partem, etiam sanguinem licèt, non sit corpori vnitus, omniaque eius accidentia, ac perinde quantitatem, quam tam exiguus locus capere non videtur. Et respondet D Th. tribus conclusionibus.

1. Concl. Prima. Omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento. Hanc non probat, sed ex fide supponit: quoniam cum in cælo tota sit humanitas diuinitati vnita in vnitate suppositi, nefas esset suspicari corpus quod existit in sacramento, ab eadem esse diuinitate dimissum. Ob idque fides catholica credere nos admonet, sic esse quantum ad hoc in hoc sacramento, vt est in cælo. At verò quoniam formæ consecrationis non exprimunt, nisi corpus & sanguinem, Sciendum, inquit, aliquid in sacramento altero duorum modorum existere scilicet aut ex vi sacramenti, aut ex naturali concomitantia.

Duplex est alicuius in sacram. existentia, &c. ex vi sacramenti, & naturalis concomitantia.

2. Concl. Est ergo secunda conclusio. Ex vi quidem sacramenti existit sub speciebus id, in quod directè substantia panis & vini præexistens conuertitur, prout verbis formæ significatur, Hoc est corpus meum. Et: Hic est sanguis meus. Itaque sub speciebus panis tantum est corpus, & sub speciebus vini tantum est sanguis. Hæc non aliter probatur, quàm quòd forma, cum sit practica, tantum efficit, quantum significat.

Quid ex vi sacramenti.

3. Conclusio. Tertia conclusio. Ex naturali concomitantia est in hoc sacramento quicquid ei coniunctum est, in quod conuersio terminatur. Probatur, quia si duo sunt realiter coniuncta, vbicunque est vnum, ibi est alterum: sola enim mentis ratione potest vnum sine altero considerari. Fit ergo consequens, vt tam sub speciebus panis, quàm sub speciebus vini totus Christus contineatur.

Quid ex naturali concomitantia.

Expositio articuli. Prima articuli huius conclusio, scilicet Christum esse totum in sacramento, fide catholica, vt ait S. Th. profitemur. Aliæ vero duæ: putà, quod aliquid eius ibi sit ex vi sacramenti, alia vero ex concomitantia, veritas est, quam Theologi ex ipsis consecrationum formis deduxerunt. Apparet autem, omnia illic esse ex vi sacramenti: nam sola verborum vis facit, vt illic sint omnia. Respondetur, quod esse ex vi sacramenti non hoc tantum sonat, quod ratione sacramenti illic existat, sed quod sit expressum in forma, atque adeo sit proximus consecrationis terminus, qui quidem, licet esset ab alijs seiunctus, existeret illic.

Argumẽt.

Aliter tamen contra rationem S. Thom. ad tertiam conclusionem arguitur. Non enim sequitur, quod si sint duo realiter coniuncta, vbicunque sit vnum, ibi sit aliud: diuinitas enim Christi, vbique est per essentiam, præsentiam, & potentiam, & tamen humanitas eius, quæ est eidem diuinitati in cælo coniuncta, non est vbique. Secundo arguit Dur. dist. 10. q. 2. In cælo corpus Christi habet propinquitatis præsentiæque respectum ad cælum, in quo est: tamen illam præsentiam non habet in sacramento, quod ab eodem cælo longè distat. Tertio. Illa subiuncta propositio est falsa, qua ait; illa, quæ realiter coniunguntur, sola animæ operatione discerni: nam illa, quæ realiter coniunguntur, vt anima & corpus, realiter nihilominus distinguntur. Ad hæc respõdetur, maximam intelligi primùm, quando vnum illorum non habet modum existendi eminentiorem, & magis illimitatum. Diuinitas enim Christi ratione suæ infinitas est vbiq;, humanitatis vero minimè. Item intelligitur de absolutis: nam respectus extrinsecus aduenientes, vt præsentia cæli, possunt esse in vno loco, & non in alio. Item quando dixit, ea, quæ realiter coniunguntur, sola animæ operatione discerni, non intellexit sola ratione distingui, sed quod solo intellectu consideretur vnum esse sine alio. Neque negauit de potentia Dei absoluta separari. Quare ambigere nemo potest, quin Christus posset facere, vt corpus esset in sacramento, & non anima, neque quantitas, neque aliquod eius accidens, sed loquitur de naturali concomitantia supponendo, vt res habet, quod Dominus non facit hic aliud miraculum, quam quod in forma explicatur.

Argum. 1. cõtra rationem S. Tho.

2.

3.

Responsio pro ratione S. Thoma.

Dubium. Dubium autem est, cum dicitur corpus, esse sub speciebus panis ex vi sacramenti, quomodo accipiatur corpus. Potest n. tribus modis nomen hoc vsurpari. Vno s. vt sit genus subalternum directè positum in prædicamento substantiæ, sicut dicimus, quòd animal est corpus, & corpus substantia. Secundo modo accipi-

tur,

tur, vt est species quantitatis continuæ, quæ sunt tres, s. linea, superficies & corpus. Et tertiò denique, vt est altera pars compositi, quæ differt ab anima: constat enim homo ex corpore & anima.

Responsio. Ad hoc respondetur, non accipi primo, aut secundo modo, sed tertio. De secundo non est dubium, quia quantitas non est substantia, cum tamen hęc conuersio sit transsubstantiatio. Et de primo etiam probatur, quia tunc corpus supponeret pro aggregato ex anima & corpore, atque adeò per communicationem idiomatum supponeret pro ipso supposito Christi. Nam vt verè est homo & animal, sic est corpus. Et tamen forma non dicit, hic sum ego, sed, Hoc est corpus meum.

Argum. Item arguitur. Christus Dominus dedit nobis corpus suum, & carnem in cibum ad manducandum: corpora autem animalium, dum nobis in cibum veniunt occisa sunt, atque adeò animam non includunt. Accipitur ergo hic corpus, vt distinguitur ab anima; quam ideo non includit in recto, vt supponat pro aggregato ex corpore & anima, sed in obliquo, quia habet esse corporeum ab anima, sicuti album ab albedine. At quomodo post mortem Christus resurrexit & viuit, idem corpus consecratur, quod in cælo vita fungitur.

Sed tamen esto, corpus accipiatur hic pro altera parte compositi, dubium restat quænam res sit illa. Illi namque ex nominalibus, qui vnam tantum animam in homine agnoscunt, (nam Okam plures fingit) aiunt corpus esse nihil aliud, quàm materiam primam. Quoniam in homine non est alia pars substantiæ, quam materia. Atque hanc opinionem amplectitur Gabr. in 4. dist. 11. quæst. 1. & in can. lectione 42. Scot. verò distinct. 11. quæsti. 3. dicit, corpus esse aggregatum ex materia & forma corporeitatis, quam ponit coæuam materiæ. Ait quippe, dum aër conuertitur in ignem, non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, sed manere compositum ex materia & forma corporeitatis, cui superuenit forma ignis. In proposito ergo ait formam panis conuerti in formam corporeitatis Christi, illamque duntaxat subinde ex vi consecrationis manere in sacramento.

Gabriel. Scotus.

Impugnatio prioris opinionis. Attamen contra priorem opinionem est argumentum, quod corpus non dicit materiam primam, sed ipsam cum omnibus organis & dispositionib. ad vitam necessarijs, quæ habere non potest nisi per aliquam substantialem formam, secundum sententiam Aristo. 2. de anima, vbi ait, animam esse actum corporis physici organici potentia vitam habentis. Deinde arguitur. Sequeretur secundùm illam opinionem, quod si materia corporis Christi daretur sine forma, quod ipsi admittunt, tunc panis dum consecratur, non conuerteretur nisi in materiam: imò quod neque modò conuertitur nisi in illam.

Cõtra Scot. Sed contra opinionem Scoti arguitur. Sicuti forma accidentalis est actus totius substantiæ, ita & forma substantialis est actus immediatus materiæ primæ. Vnde colligitur, quod in omni corruptione fit resolutio vsque ad materiam primam, vt in generatione adueniat forma nudæ materiæ tanquam actus suæ propriæ potentiæ. Quapropter quod maneat compositum actu in corruptione, cui superueniat alius actus substantialis, syncera philosophia abhorret. Optimè ergo concluſit S. Tho. art. 6. præcedentis quæst. formam panis conuerti in animam Christi quatenus dat esse corporeum: ac perinde hic dicendum, ex vi consecrationis manere hic corpus Christi, quod supponit pro altera parte compositi connotando illam formam, à qua recipit esse corporeum, quæ est anima rationalis. Sub qua ideo præcisa ratione est hic anima ex vi consecrationis.

1. Argum. Scot. Contra hanc autem sententiam arguit Scotus loco citato dupliciter. Primò. Si anima rationalis daret homini esse corporeum, & esse rationale, sola ratione differret inquantum dat vnum esse à se ipsa, inquantum dat aliud. Ex quo consequeretur, quòd forma panis conuerteretur in ens rationis. At verò concesso antecedenti negatur hæc consequentia. Sæpe n. impugnatores D. Tho. hoc fallit, quod putant, ob id quod distinctio sit rationis extrema. esse entia rationis, cum tamen anima, licèt diuersis rationibus à se ipsa distinguatur per distinctionem rationis, nihilominus ipsa vtroque modo sit ens reale: quare forma panis in ens reale conuertitur.

Secundum argumentum Scoti & Gabrielis est. Si hostia, quam Christus consecrauit in cœna, mansisset in triduo consecrata, idem corpus virtute prætetitæ consecrationis conseruaretur sub speciebus: & tamen tunc corpus non habebat esse corporeum ab anima rationali, quippe quæ per mortem fuit ab ipso separata: ergo non erat illic ex vi consecrationis nisi forma corporeitatis, quæ mansit in cadauere: atque adeò illa erat, in quam dum fiebat consecratio, conuersa fuit forma panis. Absurdum enim est dicere, quod illa forma, quæ fuit terminus consecrationis, non maneret semper in sacramento. Eadem ratione concludit Gabriel, quod conuersio sit in solam materiam, vtpotè quæ sola manet in corpore viuo & mortuo.

2. Arg. Scot & Gabriel.

Ad hoc respondetur per distinctionem Maioris, s. quod mansisset idem corpus in triduo in illa hostia. Mansisset enim idem eo modo, quo in esse naturali manebat in sepulchro: non n. aliud est in sacramento quàm est in natura, in sepulchro verò mansit idem quantum ad materiam & hypostaticam subsistentiam, quia mansit corpus assumptum à verbo, non tamen idem mansit formaliter, quia non ab eadem forma habebat esse corpus, sed a forma cadaueris. Quod enim maneret eadem forma corporeitatis, quæ erat in viuente, iam modo impugnatum est.

Sed præterea arguitur. Cùm corruptio vnius sit generatio alterius; necesse est, vt abeunte anima Christi à corpore, succederet in corpore alia noua forma cadaueris, quandoquidem tam verè mortuus fuit inquantum homo, quam cæteri hominum. Et profectò negare cadauer in Christo, est quodammodo veram negare mortem. Sunt autem qui horribile arbitrantur ponere in Christo formam cadaueris, vt quæ via est ad corruptionem. Eò quòd dixerit Psaltes: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Nihil hoc tamen absurditatis habet: nam homo etiam cum anima rationali corruptibilis est, & tamen Christus factus est homo. Non ergo plus deformitatis habet concedere in Christo formam cadaueris, quàm confiteri mortuum fuisse & sepultum. Verbum enim Psalmistæ hoc tantum admonet, quòd virtute diuina cadauer illud foret seruandum, ne vlla ex parte corrumperetur, quousque integrum resurgeret. Ad formam ergo argumenti respondetur, quòd in triduo mansit idem corpus Christi eo modo, quo corpus defuncti dicitur idem quod fuit viuentis, atque eidem diuino supposito vnitum. Quare non sequitur, Erat corpus ab alia forma: ergo non erat idem. Hoc enim esset verum, si forma esset pars intrinseca corporis sicut anima est pars hominis: & tamen non est nisi extrinseca sicut albedo albi, vt iam suprà expositum est. Vnde sicut si Petrus perdita ista albedine acquireret aliam, maneret idem album, ita illic manebat idem corpus materialiter.

In Christo defuncto fuit forma cadaueris.

Punctum hoc tangit Sanct. Thom. argumento primo, quod est huiusmodi. Corpus Christi incipit esse in sacramento per conuersionem: panis autem & vinum conuerti non possunt in diuinitatem Christi, neque in eius animam: Christus verò constat ex tribus substantijs, scilicet diuinitate, anima, & corpore: ergo non est totus Christus in sacramento. Respondet, argumentum concludere diuinitatem, & animam Christi secundùm esse spirituale non esse in hoc sacramento virtute consecrationis, sed ex reali concomitantia: quoniam diuinitas corpus assumptum nunquam dimisit, neque in triduo. Quare in symbolo Ephesino, vt suprà dictum est, & refertur de consecratione distinctio. 2. can. Necessariè. confitemur, quod in hoc sacramẽto participes efficimur corporis & sanguinis Christi, non vt communem carnem percipientes, nec viri sanctificati, & verbo cõiuncti secundum dignitatis vnitatem, sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam, (id est, illi vnitam.) At quoniam anima in triduo separata fuit à corpore, si tunc fieret consecratio corporis, non esset in illo sacramento anima, neque ex vi consecrationis, neque ex concomitantia. Verùm quia dum resurrexit, anima reddita est corpori, &, vt ait Paulus Romanorum sexto, iam non moritur, nunc in sacramento est ipsa anima ex concomitantia. Quod intélligitur inquantum dat esse viuens, & rationale: nam inquantum dat esse corporeum, iam dictum est, esse idem ex vi consecrationis.

1. Arg. *Diuinitas & anima Christi in sacram. tantum sunt ex concomitantia reali.* *Concilium Ephesinum.*

Ex hac solutione fit consequens, quod si in triduo fieret consecratio, ex vi consecrationis esset illic for-

ma cada-

Si in triduo mortis fuisset esset consecratio fuisset cum corpore formæ cadaueris.

ma cadaueris. Quapropter si hostia illa consecrata conseruaretur vsque ad diem resurrectionis, virtute eiusdem elapsæ consecrationis esset anima succedens formæ cadaueris, dansque subinde esse corporeum.

Argum.

Arguitur autem, quod anima non solum quatenus dat esse corporeum, verum & quatenus dat esse vitale & rationale, sit in sacramento. Idem efficit nunc forma, quod fecit dum Christus consecrauit: sed ipse consecrauit corpus tunc viuum, quale tunc habebat, habensque esse rationale: ergo tale corpus est ex vi sacramenti. Item arguitur autoritate Hugonis lib. 2. de sacram. par. 8. ca. 3. & Inno. lib. 4 cap. 12. vbi vltro citroque differentes vtrum tradiderit Christus discipulis, ac subinde nobis in sacramento corpus mortale, an immortale, in hanc eandem flectuntur partem, quòd dedit nobis corpus immortale quale nunc est: immortalitatem autem non habet, nisi per animam quatenus est immortalis, quod habet inquantum rationalis.

Hugo.

Aliud argum.

Sed ex contraria parte nihilo debilius arguitur, quòd non deberet hic esse nisi forma cadaueris, qualem habuit in triduo: nam dedit nobis corpus, vt est esui aptum: non autem comedimus corpora animalium nisi exanima. quod, vt supra diximus, videtur significasse dicens: Quod pro vobis tradetur. Respondetur ex vi consecrationis neque esse corpus viuum nec mortuum, nec mortale, nec immortale, sed simpliciter corpus, prout verba sonant, siue viuum, siue mortuum.

Argum. de diuinitate.

Vnde ad primum argumentum respondetur, quòd quanquam Christus viuus consecrauit, non tamen consecrare voluit nisi corpus, & hanc virtutem dedit formæ, qua ideo in triduo etiam vtendum esset dum erat mortuus, & modò dum viuit. Vnde cum adiecit. Quod pro vobis tradetur, solum significauit id ipsum, quod erat futurum in pretium redemptionis, relinquendum in cibum sustentationis: sed quia non dedit carnes manducandas nobis sub forma carnium, nihil refert sint ne viuæ an mortuæ. Quapropter, quod ait Hugo, tradidisse nobis corpus immortale, intelligitur, quod tradidit nobis corpus quod non erat incinerandum, sed resumpturũ animam, in qua erat perpetuo victurum: quæ tamen anima non est hic; nisi per naturalem concomitantiam.

Quomodo intelligenda verba Hugonis.

Aliud arg.

Aliter tamen arguitur, quod sit in sacramento diuinitas ex vi consecrationis. Quicquid enim exprimitur in forma est ibi virtute consecrationis: illic autem exprimitur, corpus meum (hoc est, Christi) existere: esse autem Christi non potest nisi assumptum à diuinitate, vt modò ex concilio Ephesino allegatum est: ergo virtute consecrationis illic est diuinitas. Negatur consequentia, nam etsi non possit esse Christi, nisi assumptum à diuinitate, nihilominus etsi esset vnitũ in cælo, & non in sacramento verificaretur forma, esset enim corpus Christi quamuis hic non esset Christus. Quare forma in rigore non significat, quod in sacramento sit vnitum. At quia re vera non dimisit illud, ex concomitantia est illic diuinitas. Eo potissimum, quod in triduo in rigore non erat corpus Christi, sed corpus, quod fuerat Christi, vel corpus suppositi, quod fuerat Christus. Et nihilominus tunc fieri poterat consecratio.

Argum.

Secundò arguit S. Th. Christus est in hoc sacramento secundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo & potu consistit: Dominus autem Ioann. 6. Caro mea, inquit, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: ergo ex vi sacramenti solum est hic caro & sanguis: in corpore autem sunt alia multa, vt nerui & ossa: ergo non est illic totum corpus ex vi sacramenti. Respondetur, totum corpus, vt verba sonant, esse in sacramento. Quare Ioan. 6. Caro accipitur pro toto corpore includente neruos, & ossa, & omnia, vt distinguitur contra sanguinem. Appellauit autem corpus carnem, quia illa est ad manducationem aptior quàm ossa.

Notandum.

Nota ergo hic, quod non est ex vi sacramenti solum corpus sicut lapidis, aut ferri, quod non habet partes heterogeneas: sed corpus humanum, quod dicit compaginem ex ossibus, & neruis, & carne, & diuersis organis, hoc est, diuersarum complexionum, & qualitatum, vt suprà ex Aristotele 2. de anima citatum est, vbi ait animam esse actum corporis Physici, organici, &c. Et sic accipit Ecclesia carnẽ, dum cantat: Verbo carnẽ efficit: nam & can. Nos autem. & can. Corpus. atque multis alijs de conse. di. 2. caro pro corpore accipitur.

Arg contra Scotum.

Atque hinc magnum argumentum aduersus Scotum struitur, quod non sit virtute consecrationis solum compositum ex materia, & forma corporeitatis. Nam illa forma solum faceret corpus, vt est genus omnium corporum, non autem corpus humanum ex ossibus & carne compactum, & organis efformatum.

Contra hoc autem est argumentum fortius, quàm suprà fecimus. Sequeretur, inquam, quod non esset idem corpus in triduo Christi mortui, quod nunc est viuentis: nam, vt inquit Arist. oculus mortui non est oculus nisi æquiuocè, & pariter carnes cadaueris non sunt carnes nisi æquiuocè. Respondetur, vt suprà, satis esse, vt sit idem corpus eo modo, quo dicimus, corpus idem Petri sepeliri. Est n. articulus fidei Christum fuisse sepultum, propterea quod eius corpus fuit sepultum.

3. Argu.

Tertium argumentum est, de quantitate corporis Christi, quæ cùm sit sex vel septem pedum, non videtur capi sub speciebus paruæ hostiæ. Et respondet, quod cum facta conuersione panis in corpus, & vini in sanguinem, omnia accidentia ipsius panis & vini maneant, consequens est, vt etiam dimensiones maneant quibus etiam panis & vinum mensurabantur, ac subinde subsequitur, vt eædem dimensiones panis & vini non conuertantur in dimensionem corporis Christi, sed tantum substantia in substantiam, vt verba formæ sonant. Quapropter dimensiones corporis Christi non sunt in sacramento ex vi consecrationis, sed per concomitantiam, sicut diuinitas & anima. Ex quo rursus sequitur, quod corpus Christi non est sub speciebus per modum quantitatis: quia non est ibi ratione illius, sed est per modum substantiæ: quem quidem modum quantitatis ipsa concomitatur. Substantia autem ex natura sua tota continetur in parua quantitate, imò in puncto: tota enim natura æris non quidem tota quantitatiua, sed tota ratio speciei, quæ explicatur per definitionem, est sub qualibet particula quantitatis æris. Et si non haberet quantitatem, esset in puncto, sicut est natura Angeli: tota ergo substantia corporis est sub vtraque specie. Et quia quantitas est illic tantum per concomitantiam, tota etiam eius quantitas est sub qualibet particula, vt articulo quarto monstrabitur.

Corpus Christi non est sub specieb. per modum quantitatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm totus Christus contineatur sub vtraque specie huius sacramenti.

1. Concl.

NON satis est credere Christum esse totum in sacramento, sed nosse oportet, vtrum sit totus sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini. Ad quod D. Thom. respondet duabus conclusionibus. Prima Certissimè tenendum est, quòd sub vtraque specie sacramenti totus sit Christus, iuxta glo. super illud, similiter & calicem. 1. Corinth. 2. affirmantem, quod sub vtraque specie panis & vini idem sumitur. Aliter tamen est sub alijs speciebus, quàm sub alijs. Nam sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi consecrationis, sed sanguis ex naturali concomitantia, sicut diuinitas & anima: sub speciebus verò vini è conuerso est quidem sanguis ex vi consecrationis, & corpus ex naturali concomitantia, sicut diuinitas & anima, eò quòd nunc sanguis Christi non est à corpore separatus sicut fuit in triduo.

Sub speciebus panis sanguis est ex concomitantia: vt & corpus sub speciebus vini.

2. concl.

Hinc infert conclusionem secundam, quòd si in triduo fieret consecratio corporis, illic non esset sanguis ex concomitantia, neque si fieret consecratio sanguinis, illic esset corpus. Supponit enim D. Thom. totum tunc sanguinem fuisse effusum, & à corpore separatum.

Expositio articuli.

Quòd totus Christus sit sub vtraque specie, in dubium reuocare non licet, quia est fides catholica: Non solum propter glossam, quam hic D. Tho. citat, cæterum ob decretum concilij Florentini. Quæ itidem veritas ex more Ecclesiæ colligitur, æqualiter adorantis sanguinem ac corpus, quod nisi sub vtraque specie totus esset Christus, non faceret, imò suos erudiret alumnos, vt inter cultum sanguinis, & cultum corporis discernerent.

At verò circa postremum verbum secundæ conclusionis, scilicet, quòd in triduo sicut in rei veritate corpus erat separatum à sanguine, ita si tunc fieret conse-

cratio,

De secunda conclusione Caiet. aduersus Scot.

cratio, neutrum esset sub speciebus alterius, item mouet hic Caietanus aduersus Scotum in 4. di. 10. q. 4. Scotus n. illic, licèt concedat conclusionem, videlicet, quòd in triduo nec corpus esset sub speciebus sanguinis, nec sanguis sub speciebus corporis, negat tamen illam causalem, quæ ex existentia naturali in cælo infertur similis existentia sacramentalis, & è conuerso. Imo ponit duas contrarias conclusiones, s. quòd possèt corpus & sanguis aliquas habere proprietates, & modum existendi naturalem, quas quidem proprietates, & modum non haberet sacramentaliter, & è conuerso. Nam existentia, inquit, corporis Christi in rerum natura indifferens est, vt existat naturaliter vel sacramentaliter. Quare potuisset Deus sine eo, quòd Christus nasceretur è virgine, ponere in sacramento corpus, eo modo quo nunc est, vnitum diuinitati, licèt nullibi modo naturali existeret. Et eadem ratione posset nunc in cælo habere quantitatem, quam non haberet in sacramento. Et potuit etiam facere, vt licèt in triduo esset corpus à sanguine separatum, nihilominus in sacramento essent tunc coniuncta, & vice versa, vt licèt in cælo sint modò coniuncta, sint in sacramento separata. Contra hanc autem opinionem non opus erat tam acri oppugnatione insurgere, quam Caietanus instruit: nam si sermo sit de potentia absoluta, nemo ambigere debet, quin hæc omnia Deus possit facere, vt suprà dictum est. Quinuerò quamuis anima in triduo fuerit à corpore separata, potuit Deus facere, vt in sacramento esset ei coniuncta. Sicut & me viuente potest mei partes alibi seorsum disiunctas ponere. At verò S. Tho. nullam istorum miraculorum rationem habet, quæ ad rem non pertinent, sed vno suppositio admirandæ consecrationis effectu, cætera (quod officium theologorum est,) secundum rerum naturam perpendet. Sed quorundam ingenium est rationes, quæ ex natura sacramenti pullulant, per potentiam Dei absolutam impertinentissimè infirmare & labefactare.

Conciliatio.

Vehementius argumentum.

Vehementius tamen argumentum contra conclusionem huius articuli fit hoc modo. Sanguis non est corpori vnitus per continuationem, sed per venas & arterias proprium habet motum: nam si continuus esset, tunc dum de vena vel naribus emittitur, diseraſia illi interna, hoc est, discontinuatio dolorem faceret: cuius contrarium experientia docet: ergo sanguis non informatur anima rationali: nam quòd eadem anima duo disiuncta corpora informet, impossibile est. Hinc ergo primum consequitur, vt sub speciebus vini ex vi consecrationis non sit anima: nam cum non informet sanguinem, non dat ei esse sanguinis, atque adeò forma vini non conuertitur in ipsam. Item neque est illic corpus ex concomitantia, postquam in cælo non est vnitum sanguini. Et confirmatur secundò. Dum Christus consecrauit suum corpus, neque ex vi consecrationis, neque ex concomitantia erat in sacramento cœna, quam crudam habebat in stomacho, quia non erat pars corporis: ergo neque sanguis eadem ratione. Et tertiò id confirmatur Christus non propriè videtur assumpsisse sanguinem. Haud enim assumpsit nisi humanitatem, quæ constat ex anima & corpore: anima autem cum non informet sanguinem, non perficit eum, nec tribuit ei vitam, sanguis enim non viuit: Christus verò non videtur assumpsisse nisi corpus per animam perfectum, & viuens: si ergo non assumpsit sanguinem, non sequitur, vt consecratum corpus concomitetur sanguis, aut consecratum sanguinem concomitetur corpus.

Responsio.

Ad hæc respondetur, quòd etsi sanguis, & reliqui humores non sunt vniti corpori, neq; sic anima informantur vt viuant, imò habent proprias formas substantiales, licèt imperfectas, nihilominus sunt de integritate, ac perinde de veritate corporis, sine quibus corpus viuere non posset, vt ait S. Thom. 1. par. q. vl. art. 1. & in 4. sententiarum dist. 44. q. 1. art. 2. quæst. 2. Atque hac ratione dicuntur coniuncti corpori. Qua vtique ratione Philosophus lib. de animalibus, sanguinem inter partes animalis connumerat. Vnde anima actione caloris naturalis digerit sanguinem & alios humores, eosque adeò perficit tanquam in via, vt conuertantur in substantiam aliti, & tunc anima ipsa informentur. Vnde non est negandum, quin Christus consequutiè assumpserit sanguinem & reliquos humores, sine quibus viuere non poterat. Imò vt S. Thom. in hac 3. par. q. 31. art. 5. docet, ex sanguine virgineo corpus assumpsit. Hac ergo ratione sanguis corpus concomitatur in sacramento, & sanguinem corpus & anima. De cibo autem, quem Christus habebat in stomacho dum consecrauit, non est par ratio, cum crudus, non esset de integritate corporis magis quam morsellus, quem haberet in ore.

Christus etiam consequutiue assumpsit sanguinem.

Primum argumentum S. Tho. est. Hoc sacramentum in salutem fidelium institutum est, non quidem ob virtutem specierum, sed illius rei, quæ sub illis continetur: si ergo nihil continetur sub vna specie, quod non sit sub altera, tunc consecrato pane, superflua est consecratio vini. Respondetur, quod licet totus Christus sit sub vtraque specie, nihilominus non frustra seorsum duæ fiunt consecrationes. Primum ad repræsentandum passionem Christi, in qua sanguis à corpore fuit seiunctus, in cuius ideo consecratione mentio fit effusionis. Secundò hoc etiam vsui sacramenti congruit, vt sumatur sub forma cibi & potus, ex quibus alimentum constat. Et tertiò competit perinde effectui, vt corpus in salutem corporis sumatur, & sanguis in salutem animæ, eo modo qui d. præce. q. 1. art. 1. expositus est.

1. Argu.

2. Argu.

Secundò arguitur. Sub nomine carnis, vt supra dictum est, omnes corporis partes intelliguntur, veluti ossa, & nerui, quibus & sanguis & reliqui humores annumerantur: ergo sicut post consecrationem corporis non consecrantur seorsum ossa, aut reliqui humores: fit vt neque operæpretium sit consecrari sanguinem. Respondetur, in passione Christi, cuius hoc sacramentum est memoriale, non fuisse à corpore reliquas partes, aut humores, separatas, iuxta illud Exod. 12. Os non comminuetis ex eo, fuit autem effusus sanguis, & ideo seorsum consecratur. Accedit & alia ratio optima, quod sanguinis effusio mortem repræsentat, per quam nos redimit. Vnde in Apocal. ca. 1. & 5. & ad Rom. 4. & aliàs crebro in nouo testamento, Christus legitur redemisse nos in sanguine suo, sicuti filij Israël in Ægypto sanguine rubricati seruati sunt. Atque in huius figurâm Pontifex antiquæ legis introibat in sancta sanctorum cum hircorum sanguine & vitulorum. Quod vtique Apostolus Hebr. 9. vmbram fuisse docet summi sacerdotis nostri Christi, qui nos sanguine suo redemit. In cuius ideo consecratione fit mentio, quòd sit sanguis noui & æterni testamenti.

Cur sanguis seorsum consecretur.

Nota bonã rationem.

Tertiò arguitur. Quod factum est, iterum fieri non potest: sed sub speciebus panis iam est corpus cum sanguine: ergo non incipit esse postea per consecrationem vini. Respondetur, quòd sicut sanguis sub speciebus corporis non incipit esse ex vi consecrationis, sed postmodum per consecrationem vini: ita & corpus quod prius fuit ex vi sacramẽti, non incipit sic esse postea sub speciebus vini, sed per concomitantiam.

3. Argum.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte speciei panis vel vini.

QVONIAM definitum est sub speciebus panis totum esse Christum, & totum sub speciebus vini, subsequitur quæstio, vtrum sub qualibet quoque particula specierum panis, & sub qualibet specierum vini sit itidem totus. Et respondet D. Th. tali conclusione affirmatiua bimembri. Manifestum est quòd sub qualibet particula specierum panis est totus Christus, etiam hostia integra manente. Et quia conclusio est de fide, declarat illam ratione naturali, vt fiat inteligibilis. Dictum n. est art. 1. † solam substantiam corporis Christi & sanguinis esse ex vi consecrationis in hoc sacramento: quantitatem verò dimensiuam eiusdem corporis, non nisi per concomitantiam. Ex quo fit, vt illic dicebamus, corpus esse illic per modum substantiæ, i. per modum quo corpus est sub dimensionibus, & non per modum dimensionum, i non per modum illum, quo quantitas dimensiua corporis Christi, est sub quantitate dimensiua loci, quemadmodum est in cælo. Natura verò substantiæ est tota sub qualibet parte dimensionum, vt suprà † diximus: vt tota natura specifica aëris vel panis est sub qualibet particula dimensionum: ergo Christus hoc modo est in sacramento, ac si nullam haberet quantitatem. Declarat secundam partem conclusionis, s. hoc esse verum etiam antequam hostia frangatur: nam vt tota natura substantiæ sit sub qualibet parte dimensionum, indifferens

Conclusio.

† §. Tertiũ argumentũ.

† art. 1. §. Tertium argumentũ.

est

est illa earundem dimensionum fractio.

Exemplum de speculo non admittitur.

Ex quo infertur exemplum illud vulgò celebratum de speculo, licet sit plebeis auribus plausibile, esse aliquatenus deceptorium, & ad rem non vsque adeò aptum. In speculo n.integro vna apparet rei imago, cùm autem frangitur, in singulis particulis repræsentantur imagines singulæ. Hoc autem non est omnino simile: nam multiplicatio illa imaginum resultat ex fractione speculi, per quam fiunt specula plura, in quorum cuiusque superficie sit vnus specierum conus: qua ratione fiunt reflexiones diuersæ. In sacramento autem antequam hostia frangatur, in qualibet parte est totus Christus.

Expositio articuli.

Totum igitur Christum esse sub qualibet specierum parte confessio est Ecclesiæ, vt habetur ex verbis August. hic citatis in sermone dominicæ quintæ post Epiphaniam, & refertur de conf. dist. 2. can. singuli. & ex Hilario canone statim proximo, Vbi pars. & ex concilio Florentino. Et ex vsu Ecclesiæ, quæ vnam hostiam in plures sumentes distribuit, tantum singulis tribuens quantum omnibus. Quin verò & ex ipsa Christi actione idem receptus fuit vsus Matth. 26. & Lucæ 22. Haud quippe creditur singulas buccellas singulis consecrationibus consecrasse, sed eadem omnes. Quòd & de calice manifestum est. Accipite n. inquit, & diuidite inter vos. Quod autem sit totus in qualibet parte ante fractionem, non omnes fatentur. Quin verò Alexand. 4. parte q. 40. membro 3. art. 5. & Bonauentura dist. 10. in 1. par. distinctionis q. 5. quorundam opinionem referunt, quòd in vna hostia non esset nisi tota: cum autem diuiditur, manet totus in qualibet parte, exemplo speculi fracti. Idque sic probabant. Vbi non est nisi vna hostia, sacerdos non intendit nisi illam consecrare, intentionem ad vnam dirigendo: ergo non est illic nisi in tota semel. Cùm autem post diuiditur, non quidem virtute consecrationis, sed quia corpus ipsum est incorruptibile & indiuisibile, non diuiditur ad diuisionem specierum, sed manet in singulis partibus integrum. Et forsan sunt qui dicant hanc opinionem non esse erroneam, quia non citatur illic tanquam erronea. Neque vero Ecclesia videtur determinasse † totum esse in singulis partibus, nisi quando frangitur. Sic n. legitur in concilio Florentino. Sub qualibet parte separatione facta, totus est Christus. Et in can. Singuli. hic citato hoc tantum habetur, quod in singulis portionibus, dum sumitur, totus est Christus.

Christum totum ante fractionem contineri in qualibet parte non omnes fatentur.

† *Vide cõc. Tri. ff. 13. c. 3.*

Sent. aff. probatur.

Nihilominus profecto dicere non auderem, minoris esse erroris, negare totum esse in singulis partioulis ante fractionem, quàm post fractionem. Primum enim in can. Vbi pars. sine discrimine dicitur, vbi pars est corporis, est & totum. Vbi subditur exemplum de manna, de quo dicitur, quod qui plus collegerat non habuit amplius neque qui minus parauerat; habuit minus.

Secundo.

Secundò, & ratio est planissima. Facta diuisione hostiæ sub singulis partibus est totum: id autem non fit virtute fractionis, vt fit in speculo fracto: ergo antea existebat sub singulis. Probatur minor. Existentia corporis in sacramento non est naturalis, sed miraculosa per diuinam virtutem: fractio autem illa non est actio nisi humana: ergo existentia corporis sub qualibet particula non est virtute fractionis, sed virtute consecrationis: diuina enim virtus in sacramento non nisi per vim consecrationis operatur: ergo consecratio fecit vt sub singulis particulis esset corpus. Vnde Inno. li. 4. de mysterio missæ cap. 8. Totum, inquit, corpus in singulis particulis continetur: quod inde conijcio, quoniam in quotlibet partes species diuidantur, sub singulis partibus totus est Christus. Ratio ergo quare totus existit in singulis post diuisionem, est, quia similiter integra hostia existebat.

Tertiò.

Tertiò arguitur. Omnes partes hostiæ sunt homogeneæ, hoc est, eiusdem rationis: ergo sicuti dum sacerdos plures simul hostias consecrat, eadem intentione in singulis ponit corpus: ita & in singulis partibus eiusdem hostiæ. Vnde ad eorum argumentum respondetur, quòd non opus est singulas intentiones ad singulas particulas hostiæ dirigere, sed vnica id fit.

Quartò.

Quartò. Si in tota hostia esset sic totus Christus, quòd non esset totus in qualibet parte, deberet subinde concedi, quòd esset illic tantum quanta est tota hostia, atque adeò deberet signari punctum vbi est caput, & non pes, aut vbi est vnum brachium & non alterum, ac perinde concedendum esset quòd nunc esset illic Christus supinus, nunc verò resupinus, quæ omnia vergerent in irrisionem fidei. Designemus enim stylo vnum punctum in hostia. Aut illic est totùm corpus: & tunc idem debes de singulis concedere. Si verò non sit nisi pars: ergo in alio inferiori sunt pedes: quare vertendo hostiam erit corpus nunc transuersum, nunc verò inuersum, Præterea. Si consecraretur hostia multò maior quàm est quantitas Christi in cælo, sequeretur tunc quòd aliquæ partes illius hostiæ essent corpore Christi orbatæ, putà ad quas eius quantitas non posset pertingere. In summa, Cum sit illic corpus ad modum substantiæ, fit vt sit in quolibet puncto, sicut anima rationalis est in toto corpore, & in qualibet eius parte.

Examinatur ratio S. Thomæ.

At quanquam vera sit conclusio, ratio verò S. Th. non apparet efficax: videlicet, quia est illic ad modum substantiæ, cuius tota essentia est in quolibet puncto. Nam etsi hoc verum sit de substantia homogenea, j. eiusdem rationis, vt est aër & ignis: tamen in heterogeneis, id est, habentibus partes diuersarum rationum, id non apparet verum, quale est corpus humanum: constat enim substantia hominis ex capite habente os, nares, &c. & ex brachijs & pedibus: hæc autem cogitari non possunt subsistere omnia sub quacunque particula specierum: nam tunc essent sine ordine. Respondetur etiam in huiusmodi substantijs verum esse non sic per se existere in ordine ad locum, sed hoc habere ratione quantitatis. Verum est tamen quod non posset homo habere organa nisi quantitate constituente ordinem inter partes ipsas corporis: videlicet, vt caput sit supra pectus, & pectus sit supra ventrem: quare corpus Christi suam habet quantitatem in sacramento hoc munere fungentem, vt art. proximo videbimus.

1. Argu. S. Thomæ.

Primum argumentum. S. Thom. est. Species sacramentales sunt in infinitum diuisibiles: si ergo Christus sub qualibet specierum est antequam diuidantur, infinities esset in sacramento: infinitum autem & naturæ repugnat & gratiæ.

Nonnulli, quorum est Marsilius lib. 4. q. 7. art. 1. per distinctionem respondent, quod corpus Christi sit in hostia pluribus vicibus partialibus, non tamen totalibus. Est tamen ineptum dicere plures vices partiales: nam vices, diuisionem dicit. Optimè ergo absolutè respondet D. Thomas negando consequentiam: numerus enim sequitur diuisionem continui, vnde quamdiu res est indiuisa non est plures res actu, sed tantum in potentia. Ob idque sicut substantia panis ante consecrationem non est plures sub suis dimensionibus, ita neque corpus illic succedens est nisi semel sub illis. Sicuti anima licèt sit in qualibet parte corporis non nisi semel est in toto. Facta vero diuisione, quot erunt partes actu, toties erit sacramentum.

Argum.

At quòd non sit totus sub qualibet parte apparet argumentum. Sunt enim aliquæ particulæ adeò exiguæ, quæ per se non possunt subsistere, vtpotè quæ sunt minores minimo panis vel vini: ergo sub illis non erit corpus nec sanguis: quoniam cum Deus nihil faciat frustra, sub illis, quæ per se separari non possunt, vt sumentibus porrigantur, non est cur sit corpus. Audiui quandoque hoc esse sustentabile, vt non esset sub illis, imò hanc opinionem Diuo Bonauenturæ impingebant. Ipse autem non ait in prælegata, q. 5. nisi quòd hostia non potest in infinitas partes esse diuisa: quia in diuisione perueniendum est ad partem minimam formalem: scilicet, vt sub minori nequeat esse panis, quod quidem verissimum est. At verò quod aliqua esset hostiæ particula sine corpore, hæresis esset asserere: nam cum totus panis conuertatur in corpus, nulla potest esse particula vbi non sit corpus: alias essent particulæ vacuæ & corpore & pane. Item si vna particula minor minima illic esset sine corpore, quæcunque talis ad intellectum signata esset pariter sine illo, atque adeo per singulas inducendo concluderes in tota hostia non esse corpus. Respondetur ergo, quod quamuis separata minima parte si illa diuideretur desineret esse corpus, quia desinerent species panis: tamen in toto quia conseruantur illic species non datur tam parua pars quin sub quauis minori sit corpus.

2. Arg.

Secundo arguitur. Corpus Christi est organicum: ergo habet partes distantes, vt oculum ab oculo, & manum à pede: hoc autem fieri non posset sub qualibet specierum particula: ergo non totum corpus est

sub

sub qualibet. Respondet S. Thom. & est notanda solutio, quòd nulla substantia quamuis organica habet per se, sed per dimensiuam quantitatem quòd membra ab inuicem distent: quantitatem autem natura ipsa substantiæ, ratione sua præcedit: & quia conuersio panis terminatur per se ad substantiam corporis, & non ad quantitatem, corpus non est in sacramento per modum quantitatis, sed per modum substantiæ: quare partes eius in sacramento non habent eandem distantiam, quam per eandem quantitatem habent in cælo.

Obiectio. Sed hinc oboritur argumentum, quòd tunc sequeretur partes corporis in sacramẽto confusissimè esse permixtas: nam vbicunque esset vna, absque vllo ordine essent omnes. Respondetur S. Thomam solum negare distantiam partium, quæ est in ordine ad locum, non tamẽ ordinem inter se partium, vt inter aures sint oculi, & inter oculos nasus, & subtus caput reliquum corpus: quare non est confusio, vt art. proximo videbimus.

3. Argum. Tertiò arguitur. Corpus Christi semper retinet veram corporis naturam, neque vnquam mutatur in spiritum: de ratione autem corporis est, vt sit quantitas positionem habens, & situm in ordine ad locum, vt scilicet diuersæ partes corporis sint in diuersis partibus loci. Respondetur ad minorem, quod intelligitur de natura corporis, quam à dimensiua quantitate sortitur. Dictum est autem corpus in sacramento non esse per modum quantitatis, sed per modum substantiæ, & ideo non opus est vt habeat situm, & dimensionem in loco.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento.

QVONIAM dictum est corpus & sanguinem Christi in sacramento non esse, nisi per modum substantiæ, atque adeò sub qualibet particula specierum totum, cogitare quispiam posset non esse illic eius quantitatem. Et ideo S. Tho. hoc interrogans respondet supposita distinctione per duas conclusiones. Aliquid n. esse in sacramento contingit, vt pluries dictum est, vel ex vi consecrationis, vel ex naturali concomitantia. Prior ergo conclusio est. Quantitas corporis Christi non est in sacramento ex vi consecrationis: nam hoc pacto solum est illic id, quòd est terminus proximus consecrationis: ille autem solum est id, quod exprimitur per formam, scilicet, corpus & sanguis. Nam cùm quantitas panis, & alia eius accidentia illic permaneant, non conuertuntur in quantitatem corporis, & alias eius qualitates. Posterior conclusio. Quantitas corporis Christi est in sacramento ex naturali concomitantia. Probatur, quia quantitas naturaliter non separatur à corpore: hic autem non est admittendum aliud miraculum præter id, quod prouenit ex consecratione: ergo sicut ex naturali concomitantia est in sactamento diuinitas, & anima, sic & quantitas cum reliquis accidentibus, quæ illi sunt in cœlo coniuncta.

1. Concl. *Quantitas corporis Christi est in sacr. ex naturali concomitantia.* *2. Concl.*

Expositio articuli. Conclusio hæc de existentia quantitatis corporis Christi in sacramento neque in euangelio, neque in sacris Ecclesiæ canonibus est tam expresse asserta, quàm superiores de conuersione, & existentia corporis, & sanguinis. Et ideo opus est illam ex alijs iuuante naturali ratione elicere. Nam hæretici hoc potissimum ab impossibilitate argumentum ducunt, quod intelligere nequeunt quomodo tanta quantitas sub tanta specierum angustia valeat contineri. Durandus ergo dist. 10. q. 2. per quàm difficile reputat, eiusmodi assertionem quantitatis sustinere. Enimuero quod corpus absque quantitate esset sub qualibet parte hostiæ facile est intellectu: quia substantia non nisi per quantitatem habet extensionem in ordine ad locum. Quod autem quantitas sit illic ad modum substantiæ, difficillimum, inquit, est creditu. Arguit n. sic primo. Id quod per se intrinseca ratione alicui competit ex sua natura, per nullam potentiam est ab illo separabile, nequit n. esse homo, quin sit rationalis & risibilis: & ideo quia substantiæ corporeæ per se non conuenit extensio, vt habeat partem extra partem in ordine ad locum, sed per quantitatem, potest per potentiam diuinam absque quantitate existens esse in quolibet

Durand. *Argumẽt. 1. Durand.*

puncto specierum: at verò quantitati per se intrinseca ratione conuenit habere partes positione, & situ distantes in ordine ad locum: ergo per nullam potentiam fieri potest, vt quantitas sit in sacramento absq. illa extensione & situ.

Argu. 2. Durandi. Secundò arguit. Anima rationalis, quia est indiuisibilis, sibique adeo repugnat habere situm & extensionem in loco, quamuis sit in corpore quanto & extenso, ipsa tamen non habet modum extensum, sed est in quolibet puncto: quantitas verò tam intrinseca ratione est diuisibilis, quàm anima est indiuisibilis: ergo vice versa nullibi, nisi diuisibiliter esse potest, atque adeò comparari ad locum non potest, nisi diuisibili modo, vt vna eius pars sit in vna parte loci & alia in alia.

Argum 3. Durandi. Et tertio idipsum declaratur. Substantia nullibi esse potest nisi substantialiter, quia is est modus inseparabilis ab ipsa: ergo quantitas nullibi esse valet, nisi quantitatiuè, quoniam tam inseparabilis est hic modus à quantitate, quam ille à substantia.

Re vera puro philosopho argumenta non imbecilla existimarentur. Nihilominus confessio omnium doctorum imò & sanctorum est, in sacramento esse quantitatem cum reliquis suis corporeis accidentibus, vt hic S. Thom. & Alex. 4. par. q. 40. membro 3. art. 4. & Bonauenturæ dist. 10. in priori parte q. 2. & Ricardi dist. 10. q. 2. art. 1. & Scoti ea. d. q. 1. art. 2. & Marsilij q. 7. art. 1. & Gabrielis in canone lectione 43. & Maioris dist. 10. & omnium. Et quidem Bonauentura ait contrariam opinionem, quamuis non erroneam, esse tamen errori propinquam. Alex. vero (& vt arbitror melius) erroneam omnino asserit. Quare Durandus non prorsum respuit opinionem communem, sed tamen arbitratur, suam esse probabiliorem.

Opinio Okam, quãtitatem non distinguis à re quanta. Ad rei autem perspicuitatem notandum, opinionem hanc communem & veram bifariam sustineri. Vno modo ab Okam & suis sequacibus, qui putant quantitatem non distingui à re quanta. Atque aliter secundùm alios vniuersos, qui (vt res habet) confitentur esse accidens distinctum. Secundum quos animaduertendum est, quantitatis duplex esse officium. Vnum est, ordinem ponere inter partes corporis organici in seipsis: videlicet, vt oculi sint inter aures, & inter oculos nasus, & collum inter caput & pectus, &c. Alterum vero extendere corpus in ordine ad locum, vt vna pars corporis sit extra locum, in quo est alia. Okam ergo cum teneat quantitatem non esse distinctam à substantia, sed modum quendam sese habendi in ordine ad locum, ait in sacramento manere corpus, quod in cælo habet modum quantitatiuum, non autem illum habere in sacramento. Itaque quod in cælo est quantitas, in sacramento non est quantitas, nec secundum vnum officium, nec secundum alterum. Hoc docet in 4 q. 4. & in tractatu de Eucharistia cap. 29. Ipsumque sequitur suus Aliacensis. Vniuersi vero reliqui citati autores, atque alij aiunt, prius officium quantitatis esse ei natiuum, & inseparabile, alterum vero in ordine ad locum non esse ei vsquadeo intrinsecum, quin per potentiam diuinam possit esse sine illo. Quare in sacramento, aiunt, corpus eandem omnino quantitatem habere, quam in cælo, non autem in sacramento habere nisi prius officium. Et quidem S. Tho. in 4. dist. 10 q. vnica art. 1. quæstiuncul. 4. expresse hanc affirmat sententiam. Hic autem non ita expresse, tamen in solutione secundi præcedentis articuli dicendo, esse in sacramento corpus organicum, consequenter sentit ordinem esse inter partes organicas: in solutione verò tertij negat eum esse respectu loci.

Duplex quantitatis officium.

Corpus eandem habet quãtitatem in sacram. quam in cælo, etsi non cum extensione locali.

His ergo suppositis non est hic locus de quantitate disputandi contra Okam, an distinguatur à re quanta, sed quæst. sequenti articul. 2. † vbi videbimus quantitatem panis manere absque substantia tanquam aliorum accidentium subiectum. Interim tamen illo cum omnibus Theologis & verè Philosophis supposito; arguitur quòd quantitas corporis Christi sit in sacramento. Et primum ad hoc argumentum S. Tho. quo omnes vtuntur, videlicet, vbicunque est aliquid, est quicquid ei naturaliter cõiungitur: quantitas est cum corpore naturaliter coniuncta: ergo est cum eo in sacramento, Durandus non satis respondet. Ait enim maiorem illam intelligi, quando res est alicubi tanquam in loco: corpus autem non est sic sub speciebus, vt attic. proximo videbimus; sed solum, inquit, est illic per habitudinem præsentiæ ad species. Quare non est necesse vt quicquid est ei coniunctum in cœlo, sit

† §. Primũ controuersiam.

Defenditur ratio S. Th. aduersus Durand.

Digitized by Google

& in sacramento. Hæc autem non solutio, sed euasio est. Nam postquam corpus est verè in sacramento, quid ad rem non contineri illic localiter, vt non ei illic cuncta inhæreant quæ insunt in cœlo? Et potissimum quòd non quomodocunque est corpus sacramento præsens, vt vbique Dur. putat, sed vt suprà ostensum est, eo modo contentum, secluſa inhærentia, vt continebatur panis.

Secundò, si hoc argumentum S. Thomæ non valeret, nullum fieret reliquum ad probandum illic esse animam & diuinitatem: imò consequeretur nullum esse in sacramento accidens corporis Christi, puta neque colorem, neque pulchritudinem, neque vllum temperamentum aut humorem quæ sunt de integritate vitæ. Quoniam non aliter probamus illic esse hæc omnia, nisi quia sunt coniuncta in cœlo. Præsertim quòd pulchritudo & color, ac similia accidentia non insunt substantiæ nisi mediante quantitate: quare si ipsa non est in sacramento, fit vt neque aliorum vllum.

Quodnam absurdum sequeretur si quantitas non esset in sacram.

Tertiò. Si illic non esset quantitas, fieret consequens, vt partes corporis non solum in ordine ad locum non essent situ distantes, verum neque inter se vllo essent ordine distinctæ, sed essent omnino vt indiuisibilis substantia Angeli, si esset in quolibet puncto hostiæ. Consequens autem est absurdum: quia tunc omnia essent membra confusa: nam vbi nullus est ordo, confusio est. Neque vlla esset figura organi: videlicet, oculi, aut nasi, aut manus, aut pedis, &c. Quare nec corpus esset illic organicum, neque vlla vitæ opera exercere posset, imò neque naturaliter viuere. Siquidem anima, vt ait Arist. 2. de anima, certam quantitatem sibi vendicat, sine qua viuere nequit: quare monstrifica potius esset massa & moles, quam corpus humanum. Hoc autem concedere non solum absurditas est, sed etiam error in fide. Cum enim Christus dixit, Hoc est corpus meum, de corpore loquebatur secundum naturam, & non secundum aliquod excogitatum figmentum, quale hæc opinio ponit.

Soluuntur arg. Duran.

1. Ad primum ergo argumentum Dur. negatur, sic esse de intrinseca ratione quantitatis in ordine ad locum, vt ille modus non sit ab illa separabilis. Imò dicimus, quòd sicut substantia corporea quando est in loco ratione quantitatis (quod contingit vbicunque est naturaliter) ab illa suscipit extensionem & situm in ordine ad eundem locum: ita vice versa quando quantitas est alicubi non ratione sui, sed ratione substantiæ, potest per diuinam potentiam insequi modum ipsius substantiæ. Et quia in sacramento sola substantia est ex vi sacramenti, quantitas verò ex ipsius substantiæ concomitantia, fit vt sit illic ad modum substantiæ, cui ex natura sua non repugnat esse in quacunque parua quantitate. Quem quidem modum appellat hic Caietanus indiuisibiliter existendi. At verò quia licet quantitas in ordine ad locum non sit diuisibilis, seruat tamen ordinem inter partes corporis, forsan non tam exactè dicitur esse illic indiuisibiliter, quàm sacramentaliter: qui quidem est modus singularis,

2. nullum habens exemplum. Ac perinde ad secundum negatur, quantitatem tam intrinsecè esse diuisibilem in ordine ad locum, quàm est anima indiuisibilis. Et

3. ad tertium respondetur, quod sicut substantia nullibi esse potest nisi substantialiter, ita neque quantitas, nisi quantitatiuè secundum eius primum modum, qui est ordo partium inter se, secus autem de ordine respectu loci.

Argumenta Okam.

Sed arguit præterea loco citato Okam multis modis ad probandum istos modos quantitatis non esse separabiles. Quod enim oculus sit orbicularis figuræ & nasus oblongus, & vnus oculus distet ab alio per

1. nasum, non potest esse sine distantia in ordine ad locum: ergo esse nequit vnum officium quantitatis sine altero. Nam linea circularis & recta ordinem dicit

2. ad locum. Secundo, quia Arist. in prædicamento quantitatis tanquam intrinsecum, ei tribuit habere situm

3. & positionem in continuo. Tertiò, quia si quantitas illud officium haberet in corpore, posset se tunc corpus in sacramento mouere, quod est falsum. Alexander loco citato dicit, quod iste modus non solùm est supra naturam, sed etiam supra nostrum intellectum. Et Marsilius in 4. q. 7. ait, quod imaginatio viatoris eum non capit, sicut nec mysterium Trinitatis & incarnationis. Nihilominus est verus, quia est supranaturalis. Alij contendunt adeò esse intelligibilem, vt sit in naturalibus aliquod exemplum. Si enim, inquiunt, esset stipes arboris erectus per vacuum, & globus ab eius cacumine caderet, tunc ille globus seruata sua figura esset in eodem instanti singulis punctis illius stipitis præsens: nam putant motum per vacuum fieri in instanti. Ego verò, vt 4. Physic. disputabam, arbitror inintelligibile esse motum localem fieri in instanti, vtpote cui necessarium est prius & posterius. Quare graue per vacuum non moueretur, nisi subito, ita vt si nunc esset in cacumine arboris, immediatè posthac esset in terra. Tamen cùm ante quodlibet instans præcedant instantia infinita, successiuè descenderet per illa.

Opinio Alexandri de quantitate Christi in sacram.

Sententia Authoris.

Igitur ad hæc omnia respondendum, quod nisi fides nobis ista miracula persuasisset, nullatenus ratio naturalis nos doceret esse possibilia. Iam verò modò lumine fidei suffusis satis est nobis intelligere hoc naturæ rerum minimè repugnare. Enimuerò tam officium quantitatis est occupare replereque locum, quàm extendere corpus in ordine ad ipsum. Et tamen intelligimus per fidem quemadmodum corpusculum Christi cùm nasceretur ex virgine, penetrauerit se cum lateribus virginei vteri, & cùm ingressus fuit conclaue ad discipulos, penetrauerit se cum valuis, quæ erant occlusæ. Pari ergo modo intelligo, quòd Deus potest ponere aliud corpus vbi egò sum: quod vtique corporibus glorioſis competit. Et cùm non repugnet ponere idem in diuersis locis, vt articulo proximo monstrabitur, fit vt absque mei diuisione, & organorum destructione, possit ponere vnam mei medietatem vbi est altera: & eadem ratione quamcunque mei particulam, vbi est alia, atque adeò totum. Et hoc est, quod de suo corpore facit in sacramento. Nam vt Gabriel ad Mariam dixit, non est impossibile apud Deum omne verbum.

Ad 1. arg. Okam.

Quocirca ad primum argumentum Okam, negatur non esse vnum quantitatis officium ab altero separabile, negaturque adeò non posse vnum oculum ab alio distare, nisi in ordine ad locum. Imò distare potest per latitudinem nasi, & frons ab ore per eius longitudinem: & seruare suam in se orbicularem figuram. Itaque si corpus illic esset modo diuisibili, & finderetur caput in ordine ad reliquas partes, prius finderetur frons quàm nasus. Sed quia diuisio dicit ordinem ad locum, non est illic modo diuisibili. Et quamuis Arist. forsan existimauerit de intrinseca ratione & definitione quantitatis esse extendere corpus in ordine ad locum, nihilominus fides nos contrarium admonet. Vnde de intrinseca ratione quantitatis est facere quantum: extendere autem in ordine ad locum, est accidens posterius, quasi ex priori consequens, vt ait S. Thom. artic. proximo in solutione tertij. Vnde, Vbi, ponitur inter prædicamenta accidentium. Non autem repugnat, vt Deus eo, quod prius est seruato, aliud quod posterius est, per suam infinitam potentiam re moueat. Intelligimus ergo esse possibile. Tametsi fatendum sit, hoc esse vnum inter præcipua miracula huius sacramenti. Non tamen propterea deberent hæretici veritatem deserere, sed intellectum in obsequium Christi captiuare. Vt enim ait Damascenus lib. 4. cap. 14. cùm opus hoc perinde atque inclusio incomprehensibilis Dei in vterum virginis, supernaturale sit; quemadmodum ipsa interrogans, Quomodo fiet istud? contenta fuit solo illo angelico responso, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: sic & in præsentiarum homines non debent esse nimium arguti.

Facere quantum, est de intrinseca ratione quantitatis: extendere vero ad locum, velut accidens consequens.

Ad 3 arg. Okam.

Ad tertium verò negatur corpus habere illic suum proprium motum: quia motus dicit ordinem ad locum, sed mouetur duntaxat ad motum specierum, vt articulo sexto videbitur.

Plebeiorum arg.

Quòd si quis ex plebe curiosè sic arguat. Sequeretur ex hoc modo dicendi, quòd corpus Christi haberet in hostia differentias omnes positionis, vt scilicet caput esset sursum, & pedes deorsum, aut vice versa & aliquando haberet faciem versus populum, aliquando verò deorsum. Et sic de dextro & sinistro. Respondetur, quòd in ordine ad seipsum eadem omnino habet differentias, quas in cælo, vt sit caput, vt diximus, supra pectus, & pectus supra ventrem. Esset enim imperfectio, & monstruosa deformitas, si partes ordinem perderent, quem habent in cælo. Imò cum corpus illic sit viuens, ac perinde omnia membra sint continua sicut in cælo, hæreticum esset talem

eorum

Digitized by Google

† 4. p. q. 40. m. 3 art. 4.

eorum ordinem negare. Quocirca vt Alexander † loco citato refert, cuidam sacerdoti hæsitanti sub qua forma Christus esset in sacramento, reuelatus est in hostia dum inter sacra eleuabatur efformatus puer. De quo iterum artic. octauo redibit termo; Attamen in ordine ad locum, & ad species panis non habet talem ordinem: quare quomodocunque hostiam vertas, nunquam est corpus supinum, nec resupinum, neque frontem ad nos vertit, neque occiput.

Arg. postremum.

Postremum denique fit argumentum. Sequeretur ex hac opinione, quòd corpus in sacramento posset in omnem suam partem diuidi, non quidem ad diuisionem hostiæ: nam iam dictum est quòd fracta hostia integrum manet in qualibet parte, sed si Angelus virtute Dei ipse per se corpori applicaret gladium, cùm in quocunque puncto sit quæcunque pars, vbicunque diuideretur vna, diuiderentur simul omnes. Maioris loco citato concedit corollarium, dicens hoc argumentum egregiè sibi fauere, qui tenet continuum componi ex indiuisibilibus, atque adeò diuisum esse posse in omnes suas partes. Est tamen opinio viro philosopho indignissima. Vnde ad argumentum respondetur. Primum de corpore Christi nullo modo curare, nam cum sit immortale & incorruptibile, non est diuisibile. Secundò, quamuis argumentum pro illo témporis articulo fieret, quo ipse suum corpus mortale consecrauit. Respondetur, quòd cum diuisio dicat ordinem ad locum, Deus per suam omnipotentiam non potest diuidere corpus in partes quantitatiuas, nisi habeat esse per modum quantitatis extensum: quare in sacramento non est diuisibile. Neque vllum motum aut situm habere potest in ordine ad locum: scilicet nec sedere, nec stare, neque species emittere vt videatur, neque illas aliunde recipere vt videat id quod à se distat, vt artic. 6. latiùs explicabitur. Et tertiò dicimus esse corpori repugnantissimum, vt ex indiuisibilibus componatur, atque adeò vt per omnem Dei potentiam possit esse diuisum in omnem suam partem: nam impossibilium nulla est potentia.

Responsio Maioris.

Christus in sacramento nec motum habet, nec situm.

1. Argum.

Primum argumentum Sancti Thomæ est. Sub qualibet parte hostiæ est totum corpus: sed nulla quantitas dimensiua est tota in qualibet parte loci: ergo corpus in sacramento non habet suam quantitatem. Respondet egregiè, quòd modus essendi vniuscuiusque rei iudicatur secundum id quod est per accidens. Nam licet idem corpus sit album & dulce, tamen quia in visu non est nisi quatenus album, fit vt dulcedo non sit in visu nisi ad modum albedinis. Pari ergo modo, quia ex vi consecrationis non est in sacramento nisi substantia corporis, quantitas verò per concomitantiam, fit vt quantitas non sit illic per suum proprium modum, vt tota sit in toto, & singulæ partes sub singulis partibus hostiæ, sed ad modum substantiæ tota in toto, & tota in qualibet parte. Scotus autem distinctione decima quæstione prima hanc rationem impugnat, sic argumentatus. Vnumquodque vbicunque sit, quomodocunque sit, debet seruare suum naturalem modum: ergo quantitas siue sit in sacramento tanquam terminus immediatus consecrationis, siue non, indifferens est, vt modum quantitatiuum non seruet.

Arg. Scoti.

Solutio.

Respondetur, argumentum procedere ex falso intellectu rationis S. Thom. Non enim Sanct. Thom. hac præcisa ratione vtitur, quod quia quantitas est per concomitantiam non seruat suum modum, sed ex eo quòd non est illic ex vi consecrationis, infert non esse per se in sacramento, sed ratione substantiæ, & inde infert non esse nisi ad modum substantiæ. Sicuti è conuerso, vbi substantia est per modum quantitatis, non seruat modum suum, vt sit tota in qualibet parte, sed quantitatis, vt sint partes extra partes.

2. Argum.

Eodem ergo modo respondetur ad secundum, quod est hoc. Impossibile est duas quantitates dimensiuas esse simul, etiam si vna sit separata, & alia in corpore naturali, vt tertio Metaphys. autor est Philosophus: sed in sacramento remanet quantitas dimensiua panis: ergo illic non est corpus. Respondetur, inquam, maiorem intelligi quando illæ quantitates ambæ sunt modo quantitatiuo in loco: in sacramento verò sola quantitas panis est modo quantitatiuo. Imò verò in corporibus glorioſis reperitur etiam exceptio, vt proximè dictum est.

3. Argu.

Ac perinde respondetur ad tertium. Videlicet, quòd vbi sunt duæ dimensiuæ quantitates, maior excedit minorem: quantitas verò corporis Christi est sex septémve pedum, & quantitas hostiæ multò minor quàm semipedalis, ergo non sunt eidem adæquatæ loco. Respondetur enim, maiorem intelligi quando ambæ sunt modo quantitatiuo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco.

HACTENVS dictum est corpus Christi esse in sacramento sub speciebus panis, explorandum ergo restat, Vtrùm sit illic sicut in loco, quemadmodum erat panis. Ad quod D. Thom. duabus conclusionibus respondet.

Prior conclusio.

Prior. Corpus in hoc sacramento non est per se ipsum in loco. Hæc ex suprà dictis planè colligitur. Nam substantia non est in loco nisi ratione suæ quantitatis: ergo cum corpus, vt dictum est, non sit in sacramento per modum quantitatis sibi inhærentis, sed per modum substantiæ, sit vt quantum ad se attinet, non sit ibi tanquam in loco. Et confirmatur. Corpus succedit substantiæ panis sub eisdem speciebus: substantia verò panis non erat sub speciebus tanquam in loco, ita quòd species essent sicut locus & vas concauum panis, sed quia continebatur sub illis: ergo neque corpus est sub speciebus tanquam in loco, ita vt species sint locus eius.

Confirmatur.

Posterior conclusio.

Posterior conclusio. Neque est commensuratiuè in loco ratione specierum, sicuti erat panis. Nam substantia non est in loco nisi ratione suæ propriæ quantitatis, ratione cuius occupat locum: corpus autem Christi non est subiectum specierum sicuti erat panis: ergo licet panis ratione suæ quantitatis esset in loco, tamen corpus quia non est sub illa quantitate tanquam sub proprio accidente, non est ratione illius in loco. Intellige per se sicut erat panis: quia erat sub proprio accidente. Nam per accidens ratione alienæ quantitatis non est negandum, quin corpus in sacramento sit in loco, vt articulo proximo liquebit.

Expositio articuli.

De hac existentia corporis & sanguinis Christi in sacramento inter doctores controuertitur. Sunt enim qui duos tantum distinguant modos existendi in loco: scilicet circunscriptiuè & definitiuè. Circunscriptiuè esse in loco idem est, quòd esse commensuratiuè, ita vt totum locatum sit in toto loco, & partes eius in partibus loci distanter. Esse autem definitiuè est, aiunt, esse totum in toto, & totum in qualibet parte, sicut est anima rationalis in toto corpore, & in qualibet eius parte. Distinctio est Gabrielis in quarta dist. 10. q. 1. & in canone lectione 43. in quam quidem distinctionem cœtus Summulistarum subscribit. Vnde Gabriel loco citato infert, corpus Christi esse in sacramento, non quidem circunscriptiuè, sed definitiuè. Illa verò distinctio ad libitum est conficta, neque vllum habet in philosophia fundamentum. Debet enim nominum significatio ex eorum etymologia perpendi. Definiri autem loco (vt nomen sonat) idem est quod loco coarctari & perstringi, vt virtute talis existentiæ repugnet locato simul naturaliter esse alibi. Quapropter, vt aliquid sit definitiuè in loco nec requiritur, nec sufficit vt totum sit in qualibet parte. Lapidem enim negari non potest, esse definitiuè in loco postquam illic limitatur. Et anima licèt sit in qualibet parte corporis, in nulla est tamen definitiuè: quoniam cum in nulla sit eius virtus limitata, imò sic sit in capite vt simul sit in pede, in nulla est definitiuè, sed toto corpore, quia illic finitur eius virtus: sicuti angelus definitur loco, vltra quem non potest suam operationem protendere. Deus tamen licèt sit in toto mundo, & in qualibet eius parte, tamen neque in parte, neque in toto est definitiuè: quia virtuti suæ non repugnat esse in infinitis mundis, si essent. Quare esse circunscriptiuè & definitiuè, non sunt duo membra eiusdem diuisionis: imò quicquid est circunscriptiuè, est definitiuè, sed non conuertitur. Nam circunscribi loco, vltra limitationem & terminationem in loco, dicit commensurationem, vt scilicet singulis partibus loci respondeant partes locati. Quamobrem sola corpora circunscribuntur loco. Et per hæc clarescit cur hæc consequentia non valet: Intellectus est in anima: sed anima est in pede: ergo intellectus est in pede. Quare huiusmodi consequentiæ non valent, nisi vbi res sunt in loco definitiuè. Vt si dicas, Nummus est in crumena:

Impugnatur nominalium opinio.

Definiri loco.

Circunscribi loco.

Digitized by Google

Corpus Christi in sacr. nec est definitiuè nec circunscr pt.

& crumena in arca: ergo nũmus est in arca. Hinc colligitur, corpus Christi in sacramento, nec esse circunscriptiuè, nec verò definitiuè. Haud enim illic per suam quantitatem, aut virtutem limitatus, sed per conuersionem panis in ipsum: quare sic est in sacramento, vt virtute illius non repugnet simul esse in cœlo, & in alijs altaribus. Atque hæc est sententia Alex. 4. p. q. 40. membro 3. art. 6. Scoti di. 10. q. 1. & omnium attentè loquentium.

Argum.

Quòd si ex dictis inferas Christum non esse in cælo definitiuè: quandoquidem existentiæ illi non repugnat esse alibi: nimirum in sacramentis. Aliquis forsan responderet, hoc esse supranaturaliter. Sed responsio nulla esset: quia eadem ratione esset in sacramento definitiuè: quia non posset esse alibi nisi supranaturaliter. Responsio ergo legitima est, quàm D. Tho. in 4. dis. 10. art. 3. docet, quæstiunc. 3. Definiri enim loco est quodammodo commensurari loco per aliquid sui: scilicet aut per quantitatem, aut per virtutem. Quare corpus Christi est in cœlo definitiuè: quia illa quantitas illo finitur & terminatur loco. Cui scilicet quantitati ex natura sua non competit in maiori esse, aut in pluribus simul. Et animæ virtus finitur toto corpore, & Angeli operatio certo loco. Corpus autem est in sacramento non per aliquam sui quantitatem, aut virtutem illic coarctatam, sed ratione panis, qui in ipsum conuertitur. Ob idque existentia in tot aut pluribus sacramentis non terminatur per quantitatem, aut per virtutem eiusdem corporis, sed per numerum substantiarum panis, quæ in ipsum conuertuntur. Et ideo est definitiuè in cælo, & non in sacramento.

Legitima responsio.

Scoti & Durand. opinio reijcitur.

At si instantius percunctéris quomodo ergo sit illic, respondent Scotus dist. 10. q. 1. & Durand. d. 11. q. 1. quod non aliter, quàm per præsentiam. Et quidem Scotus ait esse præsens per respectum propinquitatis, sicut locatum est præsens loco, licet (vt dictum est) non contineatur illic circunscriptiuè aut definitiuè. Durandus autem subdit exemplum. Sicut Angelus est præsens loco, in quo operatur. Hoc autem satis dist. præcedenti qu. 2. art. 4. reprobauimus. Ad hanc siquidem præsentiam non esset opus conuersione panis: quare corpus non diceretur præsens ratione conuersionis, sed certè, quia aduenit de cælo. Quem quidem sermonem neque Damascenus, neque sanctorum vllus admittit. Item neque ad motionem hostiæ non ex vi consecrationis sequeretur motus corporis, neque dum species deglutirentur ex natura rei deglutiretur corpus: quare sacerdos nec portaret, nec moueret, nec deglutiret corpus, nisi quia ipsum sua se sponte vult mouere. Nam dũ duo corpora sunt præsentia, aut penetrantia se in eodem loco, ad vnius motionem non sequitur motio alterius. Imò verò neque ad desitionem specierum sequeretur desitio corporis ex natura sacramenti in eodem loco: quare sine nouo miraculo posset illic manere. Quod, vt illic diximus, est mysterium consecrationis labefactare. Respondetur ergo, quod corpus & sanguis Christi est in sacramento, nec circunscriptiuè, nec definitiuè, sed neque duntaxat præsentialiter at sacramentaliter, id est, taliter continetur sub illis speciebus, vt ad earum motionem ex vi sacramenti moueatur, & ad earum desitionem desinat illic esse, nisi per nouum miraculum velit manere præsens aëri.

Vtrũ idem possit poni in diuersis locis.

Hic præterea operæpretium est nonnihil de illa quæstione dicere, quam D. Tho. quæstione præcedenti art. 1. tetigit. Vtrum scilicet Deus possit ponere idem corpus diffinitiuè, & circunscriptiuè simul in pluribus locis. Illic enim argumento tertiò id negare videtur. De hac quæstione, quam Theologi in 4. d. 10. vltro citroque discutiunt, in diuersas ipsi dissecantur sententias. Diuus enim Thom. quodlibeto 3. art. 2. & in 4. di. 44. q. 2. art. 2. aperte id negat, dicens implicare contradictionem. Atque inferiùs negare videtur artic. 8. Cui Capreolus in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. firmiter adhæret. Et Durandus ead. distinct. quæst. 1. Atque alij, quos Scotus ibi q. 2. refert. Scotus verò ipse & Okam in 4. q. 4. ac subinde nominales assueranter contrarium affirmant, videlicet illud esse possibile. Et quidem fundamentum D. Thomæ in quodlibeto est definitio existendi in loco circunscriptiuè & definitiuè. Est n. concludi, & limitari loco. Conclusio autem & limitatio repugnat simul alibi. At verò ne quæstio texatur de nomine: seponamus nomina circunscriptiuè, & definitiuè, de re enim ipsa quærimus. Vtrùm me Salmanticæ existentem possit Deus simul statuere Romæ, faciens vt ambo simul loca repleam. Fortasse est problema. Et quamuis dum in scholis artium versabar, pars affirmatiua plausibilior mihi erat, iam verò modò non tam firmiter illi adhæreo, quin contrarium existimem esse æquè probabile, ne plus dixerim. Argumentum enim Scoti, quod omnes sequuntur, est illud celebre. Quicquid non implicat contradictionem potest Deus facere: hoc non implicat contradictionem: ergo fieri ab ipso potest. Hæc autem collectio non est ita multum euidens. Nam in primis licèt hoc sit per se notum, vt quicquid est factibile Deus facere possit: nam hoc nomen omnipotentiæ pollicetur: non tamen sic est manifestum, vt quicquid non implicat contradictionem, sit factibile. Illa enim Angelica enuntiatione: Non erit impossibile apud Deum omne verbum, id duntaxat significari videtur, quod nihil, quod Deus dixerit se facturum est illi impossibile. Et quamuis accipiatur verbum pro opere, iuxta illud Luc. 2. Videamus hoc verbum quod factum est, non aliud significatur, quam quod nihil possibile erit Deo impossibile. Fatendum nihilominus est quàm maximam esse probabilitatem, vt quicquid non implicet contradictionem, sit Deo pro sua infinita potentia possibile. Negari tamen posset, aliquid circunscriptiuè esse simul in duobus locis, non implicare contradictionem. Imò Diuus Thomas in 4. loco citato aliter explicat hoc implicare contradictionem. Solet enim fieri argumentum sic. Tantum repugnat, duo corpora esse circunscriptiuè in eodem loco, quantum vnum in duobus: sed prius contingit in corporibus glorioſis, vt patet cùm Christus resurrexit clauso sepulchro: ergo & secundum est possibile. Ad hoc ipse respondet negando maiorem. Indiuiduum enim, inquit, duo dicit: scilicet, & quod sit indiuisum in se, id est, non sit duo: & quod sit diuisum à quolibet alio. Et primum quidem est de intrinseca ratione indiuidui: nam vt habetur 4. Metaphys. ratio vnius perficitur in diuisione: diuisio autem ab alijs est de consequentibus ad rationem vnius, quod ideo Deus potest à ratione vnius separare: sicut supra diximus de quantitate intrinsecum ei esse facere quantum, sed consequens, extendere in ordine ad locum. Esse autem plura in eodem loco, est solum contra secundam rationem: potest ergo Deus contra illam facere vt duo corpora sint in eodem loco: non tamen contra primam, vt idem corpus sit in pluribus locis. Itaque sicut implicat contradictionem vt Petrus sit duo: scilicet, ipse & Paulus, ita repugnat vt sit in duobus locis. Et fortasse purus philosophus hoc pro certo haberet.

Argum. Scoti.

Luc. 1.

Resolutio quæstionis.

At verò postquam per fidei veritatem mysterium huius sacramenti persuasum nobis est: inde maximum sumitur argumentum, quod sicut corpus Christi est in pluribus locis sacramentaliter: ita Deus possit facere vt sit in pluribus circunscriptiuè. Et argumentum Marsilij in 4. quæst. 7. vbi hoc latissimè disputat, est hoc. Nullatenus ratio contradicit quominus possit Christus ostendere se extensum in sacramento, hoc est, occupando illic totum locum, quem viuens occupabat inter nos. Et quamuis S. Thom. negaret vt artic. 8. videbimus, est tamen probabile. Et eadem ratione simul se ostendere posset in alio sacramento. Sed ais. Adhuc in nullo esset definitiuè: quia sic esset in vno, vt simul esset in alio. Respondeo me non disputare de nomine. Satis est quòd maneret in pluribus locis localiter replendo illa loca. Quare taliter esset in hoc, vt quantum est ex natura rei non posset esse in alio, nisi absoluta Dei potentia interueniret. Et hoc sufficit, vt dicatur illic esse definitiuè.

Marsil. in 4. q. 7. hoc latissimè disputat.

Secundò, cum anima sit in qualibet parte corporis, nihil repugnat vt abscisso capite maneret & in ipso & simul in corpore trunco, vt dum Diuus Dionysius suum caput gestabat in manibus; posset Deus facere, vt anima simul maneret in corpore & capite. Tertiò, quia multi sic interpretantur Aristotelem, vt dixerit intelligentiam motricem cæli esse simul in Oriente & Occidente. Et quicquid de hoc sit, certum est Angelum esse in toto loco, in quo operatur: si ergo ille sit bipedalis, posset Deus facere, vt diuiso loco maneret in vna & in altera pedalitate per eius absolutam potentiam: nam quantum est ex natura Angeli, non potest esse in duobus locis discontinuis. Hoc est enim proprium Dei.

Digitized by Google

At verò licèt istæ rationes opinionem faciant probabilem: sequuntur tamen ex illa tam stupenda corollaria, vt rursus eam in dubium reijciant. Tres ergo adnotandæ sunt propositiones.

1. Propos. Prima. Omni alio miraculo secluso, quàm quod idem sit in duobus locis, quantum est ex natura rei; omnia prædicata absoluta, quæ in vno loco ei conueniunt, pariter conueniunt & in altero, licèt non omnia respectiua. Esset enim hic propè flumen Tormes, & Romæ propè Tyberim. Vt si in vno loco Petrus est albus, calidus, currens, aut sedens, eodem modo est in altero. Quapropter si hic esset admotus igni, quamuis Romæ esset ab illo separatus, calesceret Romæ per calorem, quem hic recipit, ipsumque illic calorem sentiret. Quare si illic simul esset in gelu tantæ actiuitatis, quantæ est in hoc loco ignis, ambo agentia se impedirent, ne alterum calorem produceret, aut alterum frigiditatem: quia est idem subiectum applicatum duobus contrarijs. Quòd si alterum esset maioris virtutis, superaret alterum. Ex quo fit, vt existens Romæ videret Salamanticam, audiretque Salamanticæ loquentem. Nam cùm idem sit sensus hic & illic, eandem sensationem, quam habet ille sensus hic, habet illic.

2. Propos. Secunda propositio. Per nouum aliud supernaturale miraculum posset Petrus hic habere vnam qualitatem, & Romæ aliam, vt hic habere albedinem, & Romæ nigredinem, etiam in summo vbique. Nil enim vetat quo minus albedo ponatur hic, & non illic, & nigredo è conuerso. Sed tamen non esset simul albus, & niger: quia illæ duæ denominationes sunt repugnantes. Imò cùm vna qualitas esset alteri in eodem subiecto admixta, esset ille medio colore coloratus. Calorem autem in vno loco in summo, & frigus in alio non posset Deus ponere, nisi impediendo actionem, ne calor ageret in frigus, aliàs ipsum corrumperet. Concursu autem suspenso, licèt ambæ qualitates essent in summo, homo tamen non esset calidus, nec frigidus, sed tepidus.

3. Propos. Tertia propositio. Duo contradictoria de homine illo nequaquam possent verificari, vt scilicet esset albus, & non albus, currens, & non currens: neque priuatiuè opposita, vt esset videns, & cæcus, aut ambulans, & quiescens, quia quiescens includit non moueri, & cæcum esse, non videre. Cum limitatione tamen & restrictione possent verificari: quia tunc non sunt simpliciter contradictoria, vt si dicatur esse sedens Salmanticæ, & currens Romæ: dormiens Salmanticæ, & vigilans Romæ. Sic de cæco & vidente. Item idem aër numero posset hic esse illuminatus, & Romæ nubilus. Ad hæc posset idem homo à Roma moueri versus Salmanticam, & simul è Salmantica per eandem lineam versus Romam, & in loco, quo sibi obuiarent, non se impediret: quia esset idem homo. Infertur demum ex his, quòd posset Deus vnum corpus ponere vbique. Quæ quidem profectò non sunt creditu facilia.

De D. Ambrosio qui cum Mediolani sacrum faceret dicitur funeris Martini interfuisse. Tametsi non desint qui arbitrentur re vera iam euenisse. Legitur enim in vita sancti Martini, quòd cùm D. Ambrosius Mediolani sacrum faceret, obdormiuit, & excitatus dixit se funeri Martini interfuisse. Haud tamen est credendum re vera fuisse in ambobus locis: nam tunc quid opus fuisset obdormire? Somnus ergo indicium fuit, imaginariam fuisse visionem.

1. Argu. Vtrum corpus Christi sit in sacramento definitiuè & circunscriptiuè. Primum argumentum Sanct. Thom. est. Apparet corpus Christi esse in sacramento definitiuè: quia sic est in hostia, vt non sit in alia parte altaris. Item videtur esse circunscriptiuè, quia videtur esse in loco adæquato hostiæ, & non in maiori nec minori. Respondetur, propterea non esse definitiuè: quia ex modo existendi illic non repugnat simul esse in cælo, nec in alio altari. Item neque est circunscriptiuè: quia non est ad mensuram suæ propriæ quantitatis, quæ est maior quàm hostia. Quod autem sit in loco adæquato hostiæ, non est, nisi quia incipit esse illic per conuersionem panis in ipsum.

Primũ arg. Contra hanc autem solutionem arguitur, quod saltem sanguis eiusdem corporis sit illic circunscriptiuè. Sanguis enim, vt ait Arist. in lib. de respiratione, & de somno & vigilia, est in vena sicut in vase & receptaculo, & illo modo est in sacramento: nam iam definitum est, partes corporis eundem habere ordinem inter seipsas, quem habent in cælo: ergo saltem in vena est circunscriptiuè, quoniam extenditur per ipsam, quandoquidem eam replet. Negatur hæc consequentia: nam ad hoc, quod sit circunscriptiuè, non satis est vt repleat venam, sed requiritur venam ipsam replere locum, extendique per ipsum.

2. Argu. Secundo arguitur. Locus, vbi est corpus, non est vacuus, neque tamen ibi est substantia panis, ergo repletur corpore ipso. Respondetur, neque esse vacuum neque repleri corpore, sed dimensionibus panis, quod habent, vel ex natura quantitatis, vel ex miraculo, sicuti miraculo per se subsistunt. An verò sint duo miracula, videbitur q. proxima art. 2.

3. Argum. Arguitur tertio. Corpus est in sacramento cum sua quantitate dimensiua, & cum omnibus suis accidentibus: vnum autem accidentium corporis est esse in loco; quare, Vbi, est prædicamentum accidentium: ergo est illic tanquam in loco. Nota solutionem, quam articulo præcedenti præmisimus. Esse enim localiter in loco non est de intrinseca ratione quantitatis, sicut facere quantum, sed est accidens extrinsecum in ordine ad locum: & quia accidentia corporis non sunt in sacramento, nisi per concomitantiam, atque adeo ad modum substantiæ, fit, vt corpus non sit illic localiter.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento.

CVM dictum sit corpus vere & realiter esse in hoc sacramento, & non solum intentionaliter, & vt album visum est intentionaliter in oculo meo, quod ideo ad motum oculi non mouetur, meritò interrogatur, vtrum illic sit realiter mobile. Respondet ergo S. Thom. per quatuor conclusiones.

1. Concl. Prima. Christus non mouetur per se in sacramento secundùm locum. Probatur, cùm aliquid est vnum secundùm subiectum, & multiplex secundùm accidẽs, nihil prohibet esse mobile secundùm vnum, & non secundùm aliud. Dum enim corpus album & quantum sine augmento nigrescit, mouetur secundùm albedinem, & non secundum quantitatem: Christo autem non est idem esse in cælo & in sacramento, illic enim est localiter secundùm suam quantitatem, hic autem non est localitet, vt explicatum est, sed sacramentaliter: quod autem non est in loco commensuratiuè, non mouetur in illo localiter: quoniam mouere dicit ordinem ad locum: igitur quamuis Christus sit in cælo mobiliter, non tamen sic est in sacramento.

2. Concl. Secunda conclusio. Corpus Christi mouetur in sacramento per accidens ad motum specierum.

3. Conclusio. Tertia conclusio. Nec corpus Christi mouetur in sacramento per se quacunque alia mutatione: scilicet, vel inceptione, vel desitione, sed per accidens ad motum specierum. Probatur. Quod per se est ingenerabile, & incorruptibile, & indeficiens, non potest esse principium deficiendi, nisi alio deficiente, sicut Deus immortalis nec incipit, nec desinit esse in creatura, nisi quia ipsa vel incipit, vel desinit: eodem ergo pacto corpus Christi, quia immortale est, non incipit esse per se, nec desinit: sed sicut per conuersionem panis incipit esse in sacramento, ita nec desinit, nisi per desitionem specierum.

Corpus Christi in sacramento non mouetur per se, sed per accidens ad motum specierum.

4. Concl. Sequitur ergo quarta conclusio responsiua quæstionis. Christus per se loquendo immobiliter est in hoc sacramento. Probatur. Impossibile est idem per se simpliciter esse motum & quietum: alioqui duo de eodem verificarentur contradictoria: corpus autem Christi in cælo quietum residet: non ergo est in sacramento mobiliter.

Expositio articuli. De prima conclusione nemo dubitare potest, qui agnouerit corpus Christi non esse in sacramento localiter, nec definitiuè. Vnde ex hoc quod non est illic tanquam in loco, infert D. Thom. non moueri per se localiter: consequuntur enim se hæc duo. Et quamuis Gabriel & nominales dicant illic esse definitiuè, non tamen intelligunt esse per limitationem & definitionem in loco, sed quia est in qualibet parte. Quare neque ex eorum opinione sequitur, quòd possit per se moueri localiter. Ob idque de hoc sunt duntaxat reprehendendi, quod male definiunt esse definitiuè in loco. Vnde Okam in 4. q. 5. dicens, quod corpus potest hic moueri localiter, sicuti Angelus mutando locum, si intelligat per se (vt apparet) nullum habet similitudinis fundamentum. Quoniam Angelus, vt supra est

expositum, definitur loco, in quo eius virtus limitatur, quod corpori Christi in sacramento non conuenit.

Expenditur 2. concl.

Secundam verò concl. f. corpus moueri localiter per accidens ad motum specierum, negat Scotus dist. 10. q. 6. & Durandus q. 3 Quam quidem opinionem ex altera ducunt, quam ambo quæst. 1. sustinent: videlicet, corpus Christi non aliter esse in sacramento, quàm per simplicem respectum præsentiæ, sicut Angelus est præsens loco, aut si duo se penetrarent corpora.

Argum. Scoti.

Arguit igitur Scotus. Ad hoc quod ad motum vnius sequatur motus alterius, requiritur quod alterum sit illi colligatum, vel tanquam actus & potentiæ, sicut motis nobis, inquit 2. Topi. Aristot. mouentur omnia quæ in nobis sunt, scilicet materia & forma & accidentia: vel secundùm aliquam necessitatem naturalem, sicut mouens nauem, mouet hominem qui naturaliter sustentatur à naui: corpus autem, inquit, Christi nullam habet colligationem cum speciebus, nisi per meram voluntatem, quia scilicet Christus vult illis assistere: ergo motis accidentibus ex natura rei non mouetur corpus. Et subdit exemplum. Sicut si Angelus per suam voluntatem se applicaret lapidi, ille qui moueret lapidem, non moueret Angelum, sed ipse si vellet sua sponte insequeretur eius motum. Pari ergo, inquit, modo corpus Christi non mouetur à sacerdote, sed ipse Christus sequitur motum specierum. Quocirca statuit generalem concl. quòd nulla creatura potest mouere corpus in sacramento localiter, nec per se, nec per accidens: sed dum mouetur, à solo Deo mouetur. Quod si arguas. Ergo est nouum miraculum, vt motis speciebus, moueat se cum illis Christus. Negat consequentiam, quoniam ea voluntate, qua instituit sacramentum, nobiscum spepigit, speciebus, vbicunque existerent, adesse.

Concluſio generalis Scoti.

1. Argu. Durand.

Eodem modo arguit Durand. quod cùm neque species insint corpori, neque ipsum sub illis contineatur, fit vt ad motum ipsarum non sequatur motus eius.

Secundum.

Secundò. Sequeretur, inquit, ex contraria opinione, quod corpus Christi simul moueretur motibus contrarijs, vt si dum hostia eleuatur in vno altari, deprimeretur in alio.

Tertium.

Tertiò. Sequeretur, inquit, eadem ratione, quod ad fractionem hostiæ diuideretur corpus: quare non esset totum sub qualiber parte.

Quartum,

Quartò. Corpus Christi incipit esse in sacramento dum consecrantur species absque vllo motu sui, quia non descendit de cælo: ergo pari ratione neque motis ipsis mouetur.

Reprobatio opi.

Hanc autem opinionem iam dist. præcedenti q. 2. art. 4. & hic artic. proximo monstrauimus esse falsam. Haud n. propriè assertiones obseruat, quas Ecclesia ex euangelio colligit. Dixit n. Christus: Accipite, & comedite, & bibite. & can. Ego Berengarius. de consec. d. 2. decernitur, quod corpus Christi in sacramento sacerdotis manibus tractatur, & frangitur, & dentib. atteritur, & deglutitur: ergo secundum propriam significationem debemus asserere, nos comedere corpus, & bibere sanguinem: comedere autem, & bibere actiones proprias comedentis & bibentis significant: si verò ad comestionem specierum non sequeretur corporis comestio, sed Christus per guttur se ipso intraret stomachum, non esset ille motus actio comedentis: quare nec propriè diceremur comedere corpus, sed solas species. Perinde n. intraret, ac si ipse per se sine specieb. ingredi vellet, vt descendit ad inferos: vbi nullatenus est dicendum quod infernus locus deglutiuit ipsum. Imò verò neque propriè acciperemus corpus in manib. nec tractaremus, cum tamen ipse dixerit, Accipite, vt patet in exemplis illius opinionis de angelo: nam accipiens lapidem, non accipit angelum, qui est præsens lapidi. Quinimò nec propriè diceremur adorare corpus, nisi contineretur sub speciebus, sicut continebatur panis. Neque verò seruaretur sub specieb vt supra disputatum est: nam seruari est contineri, & non quod Christus vellet illic esse sicuti dum erat domi suæ. Concluſio ergo Scoti, qua ait nullam creaturam posse mouere corpus, nec per se, nec per accidens (vt bona venia dixerim) non satis syncerè verbis citatis euangelij consonat: præterquam quod secundum suam opinionem corpus esset per se mobile in sacramento, quandoquidem non mouetur ad modum specierum, sed secundum suam voluntatem insequitur earum motiones.

Concluſio Scoti præcedens ſuſpecta.

Vnde ad eius primum arg. distinguitur, quod ait, corpus non aliter coniungi speciebus, quàm per voluntatem Christi. Si enim intelligatur, quod Christus ad id non cogitur, verissimum est: quia sua sponte instituit sacramentum. Si autem intelligat, quod non est illic per alium nexum, nisi quia vult corpore esse præsens, negatur consequentia. Imò virtute consecrationis sequitur, vt corpus non quomodocunque sit præsens, sed eo nexu contineatur sub speciebus, ratione cuius ad motum specierum sequitur motus eius.

Soluitur 1. Argum. Scoti.

Durand. arg. ſoluuntur.

Et ideo eodem modo respondetur Durando, negando quod corpus illic non continetur sub speciebus. Hanc n. veritatis saliuam nunquam potuit deglutire. Quocirca exemplum de angelo nulla vi agit contra hanc veritatem: quoniam non sic continetur in lapide, vt corpus sub speciebus. Tametsi præterea, vt hic ait Caietanus, negandum sit postquam angelus se applicuit loco ad operandum per certum tempus, quòd medio tempore ad motum lapidis non subsequatur motus angeli: imò consequitur, sicut ad motum nauis sequitur motus eius qui in ea existit.

Solutio 2.

Ad secundum Durandi conceditur in vno altari per accidens eleuari corpus, & in alio deprimi: quoniam continetur in illis altarib. sub diuersis speciebus. Simile quidam concedunt de anima, dum quis erigit vnum brachium, & demittit alterum. Ego verò non concederem: quia non est definitiuè nec sacramentaliter in brachio. Ad tertium negatur consequi, vt ad fractionem hostiæ diuidatur corpus, tum quia non est mortale, tum maximè, quia non habet extensionem in ordine ad locum, quod requiritur ad diuisionem. Quare sicut abscissa manu tota anima manet in reliquo corpore: sic diuisa hostia totum corpus est in qualibet parte.

Solutio 3.

Ad quartum demum conceditur, quod ad consecrationem specierum non mouetur corpus, nec per se, nec per accidens: quia non incipit illic esse corpus per motionem earum, sed per conuersionem panis in ipsum. Negatur tamen consequentia, quod ad earum motionem non moueatur.

Solutio 4.

Quod si arguas. Dictum est articulo præcedenti corpus Christi esse in loco nec ratione suæ quantitatis, nec ratione alienæ (scilicet panis) ergo nec ratione illius mouetur per accidens. Iam illic diximus, non esse negandum corpus esse in sacramento tanquam in loco per accidens ratione alienarum specierum.

Argumẽt.

Sed arguis vice versa. Sequeretur quod corpus Christi per se moueretur sicut panis mouebatur: nam mouetur per eandem quantitatem, per quam mouebatur panis. Vel si corpus mouetur per accidens, pariter & panis: quia mouetur per suam quantitatem, quæ est accidens. Respondetur latissimum interesse discrimen. Panis n. est propriè in loco ratione propriæ quãtitatis, & ideo per se mouetur: non quidẽ ad motum suę quantitatis: imò quia substantia mouetur, mouetur quantitas: nam motis nobis mouentur ea quæ in nobis sunt, licet extensio quantitatis sit requisita ad motum corporis. E conuerso verò non qua corpus Christi mouetur, mouentur species: quia non sibi insunt, sed quia mouentur species, ipsum mouetur.

Argum.

Oſtenditur latiſſimum intereſſe diſcrimen inter motionem panis & corporis Chriſti.

Cum autem audis, corpus Christi moueri ad motum hostiæ, intelligito dum tota hostia mutat locum. Nam dum circulariter mouetur in eodem loco, quia tota non mutat locum, fit vt nec corpus moueatur.

Exponitur tertia concluſio articuli.

Tertia concluſio S. Thomæ est considerate meditanda. Etenim quamuis exemplum tantum subijciat, quòd corpus in sacramento non potest deficere, nisi deficientibus speciebus: intelligitur tamen generaliter quòd nulla mutatione neque per accidens potest affici: scilicet, nec alterari, nec augeri, &c. Et quoniam circa materiam huius conclusionis multi multa congerunt, distinguendum est, vt distinctio lucem adferat. Bifariam enim aliquid conuenire potest corpori Christi in sacramento. Vno modo per actionem circa species: atque altero per hoc, quòd aliquid ei circa modum naturalem alibi existendi insit. Et quidem primo modo dictum est ad motum localem specierum moueri per accidens corpus. Apparet ergo inde subsequi pari ratione ad calefactionem specierum, corpus per accidens calefieri, postquam sub eisdem continetur speciebus, sicut continebatur panis. Negatur tamen consequentia: imò statuitur concluſio, quòd præter motum localem nulla passio per accidens conueni-

Diſtinctio.

Primum membrum diſtinctionis.

re potest

re potest corpori ratione specierum. Sed contra, dictum est, ratione quantitatis panis esse corpus per accidens in loco: ergo si ratione illius mouetur per accidens localiter, etiam alterabitur per accidens ratione specierum. Negatur consequentia, quoniam cùm corpus contineatur sub speciebus, necesse est vbicunque sint species, sit ipsum, ac subinde quocunque moueantur, moueatur ipsum. At verò cum quantitas illa specierum nec insit corpori, nec per eam extendatur in ordine ad locum: non sequitur, quod si quantitas illa frigefiat vel calefiat, sic afficiatur corpus nec per se nec per accidens, nec si frangatur quantitas, frangatur corpus. Exemplum est in anima, quæ ad motũ corporis mouetur localiter, quia est actus eius: tamen ad alterationem corporis non sequitur alteratio corporalis in anima, quia cum sit indiuisibilis, non est subiectum eius. Nam pariter corpus Christi est indiuisibiliter in sacramento. Sequitur tamen in anima ex alteratione corporis alteratio spiritualis: nempe lætitia vel tristitia. Sed neque ista sequitur in corpore Christi: quia non est actus specierum.

Conclusio ex superioribus elicitur.

Proponitur exemplum de anima quæ ad motum corporis mouetur localiter.

De secundo autem modo iam supra dictum est, omnia accidentia, quæ sunt corpori coniuncta in cælo, esse per concomitantiam in sacramento. At verò ponamus esse passibile, sicut erat inter nos, vtrùm quacunq; qualitate frigoris aut caloris afficeretur secundũ esse naturæ, afficeretur in sacramento. Scotus dist. 10. q. 4. statuit propositionem, quod in sacramento inhæreret omnis absoluta proprietas, quæ inhæreret secundum esse naturale, vt si calefieret aut frigefieret nocte, qua captus fuit, sic afficeretur in sacramento. Et hoc certè est verum, quoniam esset idem subiectum, licèt calor in sacramento non haberet esse extensum. Imò dum flagellabatur, sentiret dolorem in sacramento: nam de spiritualibus non est dubium. Mœrorem namque & lætitiam quam in cruce haberet, pariter sentiret in sacramento, sicuti & dum moreretur, pariter in sacramento anima separaretur à corpore, & dum resurgeret, iterum vniretur quantum est ex natura rei.

2. Membrũ distinctionis.

Scoti propositio.

At verò quæstione 5. addit tres alias propositiones.

Tres aliæ Scoti propositiones.

Prima. Omnis operatio, quæ conuenit Christo in cælo, conuenit in sacramento. Probat, quia operatio res est absoluta sicut calor, & ideo non variatur propter respectum, s. quod sit præsens huic vel alteri loco. Hanc verò ego intelligere non possum. Si n. moueretur in cælo, nescio quomodo moueretur in sacramento: nam mouere dicit ordinem ad locum, quem non habet in sacramento. Quare quiescente hostia corpus non mutaret locum: alias esset illic mobile, quod est impossibile. Et eadem ratione quamuis loqueretur in cælo, non loqueretur in sacramento: quia hoc etiam dicit motum linguæ. Quare hæc differentia non accidit propter respectum propinquitatis ad diuersa loca, vt putat Scotus, sed quia in sacramento non est illarum prædicationum capax. Quocirca neque si in cælo stat, iacet, aut recubat, tales situs habet in ordine ad locum.

Prima.

Secunda propositio Scoti.

Secunda eius conclusio. Nulla sensatio potest primò inesse Christo in sacramento. Dixit primò, quia sensationes, quas habet in cælo, habet in sacramento per concomitantiam. Attamen in sacramento non potest recipere species, vt oculo corporali videat, vel audiat nos. Et hoc est certissimum, vt artic. proximo constabit. Et eadem ratione non potest videri, nec audiri à nobis: quoniam hæc specierum multiplicatio ordinem dicit ad locum. Huic similem aliam propositionem addit q. 7. Videlicet, quod Christus in Eucharistia non potest vti aliqua potentia actiua corporea respectu passi extrinseci. Quæ itidem certissima est. Videlicet, quod non potest calore suo calefacere hostiam, nec manu manum sacerdotis tenere.

Tertia propositio.

Tertia propositio est. Operatio spiritualis, vt intellectus & voluntatis potest conuenire Christo, vt in Eucharistia. Hoc est, non solum quia intelligit & vult in cælo, sed quia per se potest intelligere & velle in sacramento. Quæ quidem cõclusio est etiam certissima, quia illæ actiones nec requirunt, nec dicunt ordinem ad locum. Okam verò in 4. quæstio. 5. omnem istam philosophiam negat. Ait, inquam, corpori Christi in sacramento, quatenus illic existit, posse omnem actionem & passionem competere, quæ conueniret illi, si esset circunscriptiuè. De qua re statim articulo sequenti.

Okam.

Primum argumentum S. Thom. iam solutum est. Motis enim, inquit, nobis, vt habetur 2. Topic. mouentur omnia quæ in nobis sunt, etiã spiritualia, vt anima: corpus Christi est in sacramento: ergo mota hostia mouetur. Respondetur, argumentum concludere, quod mouetur per accidens, neque verò eo modo, quo mouentur accidentia corporea ad motum subiectiæ, cui insunt, quibus per se potest conuenire motus, sed sicut mouentur spiritualia (quibus per se non potest conuenire) ad motum corporum, in quibus sunt.

1. Argum.

Secundò. Veritas debet correspondere figuræ, de agno verò paschali, qui figura erat huius sacramenti, legitur Exod. 22. quod non remanebat quicquam vsque mane: ergo corpus Christi non manet in hoc sacramento, nisi quando recipitur. Respondet, quod hac ratione moti, nonnulli putabant sacramentum non posse seruari. Contra quos ait Cyrillus. Insaniunt quidam dicentes mystica benedictionem cessare à sanctificatione, si quæ eius reliquiæ remanserint in diem subsequentem: non enim mutatum sacratur corpus Christi, sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia iugis, *in* eo est. Videlicet, quamdiu species manserint, quemadmodum aliæ consecrationes, vt templorum, altarium, & similium, rebus ipsis consecratis coæuæ sunt. Vnde ad argumentum respondetur, quod etsi veritas figuræ respondeat, tamen figura non adæquat veritatem.

2. Argum.

Et per hoc respondetur ad tertium, quod est huiusmodi. Corpus Christi non dependet ab speciebus sacramentalibus: ergo ad desitionem illarum non desinit ipsum. Respondetur, inquam, quod licet corpus non dependeat ab speciebus, nihilominus ad earũ desitionẽ desinit: quia cessat habitudo, quam habet ad illas, sicuti corrupta creatura desinit Deus esse in illa, non quia ab illa pendeat, sed quia illam desinit conseruare.

3. Argu. Etsi corpus Christi non dependet ab speciebus, nihilominus ad earum desitionem desinit.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

EXPEDITO modo existendi corporis Christi in sacramento, quæritur an sit cognoscibilis. Et est hic distinguendum, & de potentia, & de re cognita, & de modo cognoscendi. De potentia quidem vtrùm sit cognoscibilis, vel ab oculo corporeo, vel ab intellectu, qui est oculus spiritualis. De re verò vtrum cognosci possit, vel corpus ipsum existens in sacramento, vel modus ipse existendi. Sed de modo vtrum possit cognosci, vel naturaliter, vel supranaturaliter. Et respondet Diuus Thomas quatuor conclusionibus.

Prima. A nullo oculo corporali corpus Christi potest videri prout est in sacramento. Et intelligitur à nullo oculo existenti extra sacramentum, s. alio ab oculo ipsius Christi. Probatur primò, quia visibilis substantia per sua propria accidentia immutat medium, vt sentiatur: accidentia verò corporis Christi sunt illic, vt dictum est, ad modum subiectiæ, hoc est, neque extensionem habent in ordine ad species sacramentales, neque in ordine ad earum locum: ergo non possunt per medium multiplicare species ad immutandum oculum extra sacramentum. Secundò, quia vt supra dictum est, existit in sacramento per modum subiectiæ: subiectiæ autem qnatenus subiectia, non est sensibilis corporali sensu, neque verò interiori imaginationis, sed solum subiacet intellectui, cuius obiectum, vt 3. de anima habetur, est quod quid est: ergo quatenus est in sacramento, à solo intellectu perficitur, qui est oculus spiritualis.

1. Concl.

Percipitur tamen, inquit, diuersimodè à diuersis intellectibus. Quare subditur secunda conclusio. Modus existendi corporis Christi in sacramento secundum se à supranaturali intellectu potest intelligi, scilicet à Deo, ac subinde ab intellectu beato vel angeli, vel hominis per visionem diuinæ essentiæ. Probatur. Obiectum, quod per se est supranaturale, à supranaturali intellectu percipitur, qualis est Deus, & ab eo, qui eius lumen participat, vt est intellectus beatus. Modus autem existendi corporis Christi in sacramento est supranaturalis: ergo ab illis intellectibus percipi potest.

2. Concl.

Digitized by Google

3. Concl. Tertia concluſio. Neque intellectus hominis viatoris, neque angelicus per ſua naturalia poteſt illum modum exiſtendi cognoſcere, niſi per fidem. Probatur eadem ratione, quia modus ille eſt ſupranaturalis: quare ſola cognitione ſupernaturali percipitur. Huic appenditur corollarium, Dæmones non niſi per fidem poſſunt cognoſcere Chriſtum in hoc ſacramento. Non quod in ipſis ſit virtus fidei: quia non ſua ipſorum ponte captiuant intellectum in obſequium Chriſti, ſed quod euidentia ſignorum conuicti, vt ait Iacob. c. 2. credunt & contremiſcunt.

4. Concl. Quarta concluſ. Inter oculos corporales ſolus oculus Chriſti in ſacramento videt ſeipſum ſub ſacramento exiſtentem, non tamen poteſt videre modum eſſendi, quo eſt ſub ſacramento, quod pertinet ad ſolum intellectum. Hanc conclu. ſubdit in ſolutione ſecundi argu. quod eſt huiuſmodi. Corpora glorioſa, vt ad Phili. 2. legitur, erunt configurata corpori claritatis Chriſti: ſed oculus Chriſti videt ſeipſum prout eſt in ſacramento: ergo & quilibet alius oculus glorificatus. Et reſpondet, quòd oculus corporalis Chriſti in ſacramento (hæc enim poſtrema particula deeſt in aliquib. mendoſis codicibus) videt ſeipſum ſub ſacramento exiſtentem: non tamen videt modum exiſtendi: quia eſt obiectum ſolius intellectus. Nec tamen, inquit, eſt ſimile de alio oculo glorioſo: quia etiam ipſe oculus Chriſti eſt ſub ipſo ſacramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorioſus. Quare docet corpus Chriſti à nullo alio oculo corporali poſſe videri.

Sol. 1 oculus Chriſti inter oculos corporale videt ſeipſum ſub ſacram.

Expoſ. art. Primam concluſionem concedit cum D. Th. vt ſuprà vidimus, Scotus d. 10. q. 5. & iterum q. 9. & Ricardus ead. q. art. 5. q. 2. & ferè omnes. Negat eam tamen Okam in 4. q. 5. & Maior. diſt. 10. q. 1 item 5. Aiunt ſiquidem Chriſtum in ſacramento oculo corporeo videre aſſtantes, audireque canentem clerum, & quantum ad rei naturam attinet, poſſe ipſum videri & audiri, niſi quod ob meritum fidei occulit ſeſe. Et eadem ratione, inquiunt, poteſt proprio calore manum ſacerdotis calefacere, ab ipſaque calefieri. Probatio Okanica eſt, quod illic verè habet principia actiua & paſſiua illarum actionum & paſſionum. Sed non opus eſt contra quemlibet diſputare. Pugnat enim cum principijs philoſophicis, qui ait appropinquationem aliter fieri poſſe agentis ad paſſum, quam per quantitatem extenſam in ordine ad locum, ſi actio ſit corporea. Nam omne agens agit per contactum, ſecundum Ariſtotelem, qui quidem contactus niſi per quantitatem fieri non poteſt: corpus autem Chriſti eſt illic, quantum ad hanc rationem res attinet, ſicuti angelus, qui corporaliter nec agere poteſt nec pati. Et quantum ad viſionem eſt inſuper particulare argumentum de ſpeciebus, quæ ſub forma pyramidali debent multiplicari, cuius baſis eſt in obiecto, & conus in oculo, quod fieri non poteſt, niſi vbi & obiectum & oculus modum habet extenſum. Sed Okam negat ſpecies, & ideo non eſt cum illo certandum.

Circa ſecundam verò rationem S. Thom. forſan philoſophiæ peritus hæſitabit, quomodo dicit ſubſtantiam in quantum huiuſmodi non ſubiacere imaginatiuæ potentiæ, ſed ſoli intellectui, cum ſubſtantia ſingularis quantitate ſignata phantaſmata producat, quibus imaginatiua mouetur. Reſpondetur eum loqui de ſubſtantia pura vt abſtrahit à modo quantitatis, & conditionibus ſingularibus: hoc enim ſonat, in quantum huiuſmodi, quemadmodum eſt corpus Chriſti in ſacramento. Illic enim non producit phantaſmata magis quam ſubſtantia in communi, quæ ſolius intellectus obiectum eſt.

Corpus Chriſti in ſacr. Euchar. poſſe videri ab alio oculo quam Chriſti, per miraculum, eſt B. Tho. & Scoti. Dubium autem ex his fit reliquum vtrum ſaltem ſupernaturaliter corpus in ſacramento poſſit oculo corporali videri. Paludan. namque d. 10. q. vlt. & Capreolus q. 4. aiunt per nullam potentiam id fieri poſſe. At verò S. Tho. in 4. cad. diſt. q. vnica art. 4. non negat quo minus per miraculum poſſit videri ab alio oculo quam Chriſti. Idemque ait Scotus loco citato q. 9. Et ideo ad conciliandum has opiniones duab. concluſionib. reſpondetur. Prior eſt. Quod viſio illa fiat per multiplicationem ſpecierum ab ipſo corpore per nullam potentiam factibile eſt, ob rationem iam factam. Quia nec corpus poteſt illas multiplicare, vt dictum eſt, neque illas multiplicatas ſuſcipere.

Prior concluſio.

Poſterior concluſio. Poſterior. Nihil obſtat quo minus Deus de potentia abſoluta poſſit producere notitiam intuitiuam rei, obiecto non concurrente per ſpecies, nam quicquid poteſt per cauſam ſecundam efficientem, poteſt ſe ſolo. Cum ergo ſpecies concurrant in genere cauſæ efficientis, ſine illis poterit Deus notitiam intuitiuam conſeruare, atque adeò producere, etiam in abſentia obiecti. Quod ſi interroges. In quo loco tunc obiectum repræſentarent? nam notitia intuitiua non poteſt non repræſentare rem ceu præſentem. Reſpondetur, quod repræſentabit in loco, quo Deus voluerit: & niſi Deus impediat, producet iudicium rei illic exiſtentis. Neque diceretur propterea Deus decipere: nam illa deceptio ex natura notitiæ intuitiuæ proueniret ſupranaturaliter exiſtentis ſine obiecto.

Scotus contra 2. concl. Contra ſecundam concluſionem: ſcilicet, quòd beati videant in verbo corpus Chriſti in ſacramento, arguit Sco. in 4 d. 10. q. 8. ſic. Beatus à non beato ſola viſione beatifici obiecti diſtinguitur: obiectum autem beatificum non includit exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramento, hoc enim eſt quid creatum, & quædam ſacramentalis gratia: cognoſcere autem ſacramenta non eſt de ratione viſionis beatificæ: ergo hoc non videtur in verbo. Reſpondetur argumentum nihil contra D. Tho. pugnare: quoniam ipſe non dicit hoc eſſe de eſſentia beatitudinis: nam per hoc quod quis nudam eſſentiam videret, eſſet perfectè beatus. Sed tamen ait, quòd ſicut illa exiſtentia eſt viſibilis à Deo: ita & in ipſo per lumen gloriæ ab intellectu beati. Secundò reſpondemus cum Caietano, quod cum hoc ſit tam altum myſterium, quod fideles in via frequenter adorant & ſuſcipiunt, ac perinde noſſe percupiunt, credibile eſt diuinam largitatem hoc idem myſterium in verbo eiſdem fidelibus oſtendere ad completam eorum ſatietatem.

Contra 3. Contra tertiam verò arguit ibidem inſtantiùs probando, quod licèt intellectus coniunctus corpori ob id quod intellectionem ab ſpeciebus corporeis mendicat, non poſſit naturaliter exiſtentiam ſacramentalem videre, nihilominus ſeparatus tam hominis quàm Angeli, qui ſolis intellectualib. ſpeciebus vtuntur, id per ſuam naturam poteſt. Et licet priùs arguat contra concl. deinde contra rationem, tamen quia ratio, declaratio eſt concluſionis, arguamus nos primò contra rationem. Naturale & ſupranaturale ſolum dicit habitudinem ad agens, quia ſ. vnum producitur à Deo, & alterum per cauſas naturales: diſcrimen autem hoc non variat rationem cognoſcibilitatis: nam Adam à Deo productus tam cognoſcibilis erat, quàm cæteri homines, & vinum, quod Deus fecit in nuptijs: ergo ſi exiſtentia corporis Chriſti eſt cognoſcibilis, etiam ſi ſit ſupernaturalis, erit cognoſcibilis naturaliter. Ad hoc autem, quod eſt ſuæ argumentationis baſis, reſpondetur, dupliciter rem aliquam eſſe ſupranaturalem.

1. arg. Scoti contra rationem tertia cond.

Geneſ. 1. Ioann. 2.

Notandum eſt rem aliquam eſſe dupliciter ſupranaturalem. Vno modo accidentariè: videlicet, quia licet poſſit per naturam res eiuſdem ſpeciei produci, fit tamen à Deo ſicuti primi parentes, viſus cæco nato reſtitutus. Et hæc quia ſunt eiuſdem ſpeciei cum rebus naturalibus pariter ſunt cognoſcibilia. Sed tamen alia ſunt genere in ſuo ſupernaturalia, quia non poſſunt per naturam produci, eò quod ſunt extra ordinem vniuerſi, vt vnio hypoſtatica humanitatis ad verbum, lumen gloriæ, & ſimilia. Et hæc quia ſicut ſe habent ad eſſe, ſic ſe habent ad cognoſci, fit vt niſi per auxilium ſupranaturale cognoſci non poſſint à creatura. Et talis eſt exiſtentia corporis in ſacramento.

Atque hac ratione cætera eius argumenta fuerunt. Arguit n. contra concluſionem ſecundò. Ens creatum eſt ſubiectum intellectus: cum ergo tam corpus Chriſti, quàm eius exiſtentia in ſacramento ſit creatura, fit vt poſſit ab intellectu naturaliter percipi.

Tertium. Tertiò. Subſtantia per ſe eſt intelligibilis prius natura, quàm quicunque eius modus exiſtendi, qui eſt ei accidentarius: ergo quomodocunque exiſtat in illo priori poteſt intelligi naturaliter.

Quartum. Quartò. Poteſt intellectus percipere illic non eſſe panem: ſed abſentia panis fit per præſentiam corporis: ergo intelligit corpus.

Quintum. Quintò. Saltem anima Chriſti naturaliter cognoſcit, ſe eſſe vbicunque eſt: ergo cognoſcit quomodo ſit in ſacramento.

Solutio 2. Eodem autem modo omnia ſoluuntur. Ad ſecundum n. negatur omne ens creatum & modum eius eſſe obiectum proportionatum intellectui naturali: imò ſicut Deus excedit omnes vires cognitiuas naturæ, ita & quicunque modus genere ſuo ſupranaturalis, qualis

eſt

est vnio hypostatica ad verbum, atque hæc existentia supernaturalis in sacramento. Et pariter ad tertium respondetur, quod etsi substantia creata sit cognoscibilis naturaliter abstrahendo ab hoc vel illo modo existendi, tamen cum modo existendi supranaturali non est cognoscibilis. Quapropter licet intellectus possit cognoscere illic non esse panem, atque adeò accidentia esse sine subiecto, non tamen subinde cognoscet quomodo corpus illic existat. Eò vel maximè, quod, vt supra dictum est, corpus non replet illum locum, sed quantitas ipsa præteriti panis.

Solutio 3.

Solvitur 5.

At licet de anima Christi fieri posset forsan exceptio, videlicet quod sicut cognitiones cognoscit, quæ alios latent, ita naturaliter cognoscat suam illic existentiam. Certius tamen respondetur, per vires naturæ ad id non pertingere, sed lumine gloriæ, qua perfruitur.

Reijcitur Capreolus negans oculum Christi videre se in sacram.

Quartam conclusionem non concedit Capreolus loco citato, imò negat oculum Christi videre se in sacramento. Sed tamen fuit falso codice seductus: legit n. truncam hanc solutionem secundi argumenti S. Thom. sic s. oculus corporalis Christi videt seipsum in sacramento existentem, quod pertinet ad intellectum. Quare verba videntur repugnantiam involuere. Vnde infert non fuisse mentem S. Thom. id concedere. Codex tamen Parisiensis habet aliam particulam, quæ rem clarificat, s. oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi sub sacramento, quod pertinet ad intellectum.

Nota.

Sed nota quòd non dicit Christum oculo suo videre proprium corpus, sed quòd oculus videt se ipsum existentem. Vbi reciprocatio relativi, & accusativus masculini generis designant solum oculum. Et re vera non caret difficultate: nam cum nec corpus, nec oculus videri possit oculo corporali, nisi per species sensibiles, quas illic non potest multiplicare, videtur non esse visibilis. Item oculus noster neutiquam se potest videre, quia non potest species sui ad suum centrum multiplicare, sed foras. Respondetur, quòd cum corpus glorioſum aliud secum corpus compatiatur in eodem loco, licèt in sacramento non possit multiplicare species per medium, potest tamen illas multiplicare per seipsum: quandoquidem eius partes habent intrinsecum ordinem, vt dictum est, inter se. Quod si verum est, eadem ratione, qua oculus videt se, eodem oculo Christus videt suum corpus. Neque (vt arbitror) hoc D. Thomas negasset.

1. Argu.

Primo ergo loco arguit sic. Oculus noster à visione corporis Christi in sacramento per species ipsum circumuelantes impeditur: oculus autem glorificatus non potest ab aliquo corpore impediri: ergo potest ipsum videre. Negatur maior. Non n. impedimentum, ne possimus videre illud corpus, est quod sit velatum & occultum, sed quia mediantibus propriis accidentibus non habet ordinem ad locum, & ideo non est visibile, neque ab oculo glorificato alterius corporis.

2. Arg.

Tertiò arguitur. In resurrectione homines erunt Angelis pares: sed Angeli possunt videre corpus in sacramento: nam & dæmones inueniuntur huic sacramento reuerẽtiam exhibere, ipsumque timere: ergo oculus corporeus beati idem poterit. Respondetur: quòd Angeli non possunt videre, nisi per intellectum, quare non est par ratio de oculo corporeo beati. Quod autem dicitur, dæmones exhibere reuerẽtiam sacramento, non est quia videant intuitiuè, sicut Angeli beati in verbo, sed abstractiuè per coactam fidem, vt dictum est.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quando in hoc sacramento apparet miraculosè caro vel puer, sit ibi corpus Christi.

IN superioribus definitum est, corpus Christi non esse in sacramento modo quantitatiuo in ordine ad locum. Cuius contrarium ob id quispiam suspicari posset, quod nonnunquam apparet in hostia humana figura. De qua ideo quæritur, vtrum sit verè corpus Christi. Et respondet D. Thom. duabus conclusionibus. Prima est negatiua quæstionis. Quomodocunque illa figura appareat in hostia, non est vera caro Christi. Probatur. Dupliciter enim illa apparentia euenire potest. Vno modo nulla mutatione facta circa species, sed solùm ex parte videntium, quorum oculi immutantur ac si exterius viderent carnem, vel sanguinem, vel puerum. Et indicium, quod non fiat mutatio ex parte obiecti, est, vel quia aliquibus illa figura apparet, aliquibus verò minimè, sed hostia vt antea; vel quia modò apparet, & statim disparet. Neque hoc tamen ad aliquam deceptionem attinet, sicut euenit in magorum præstigijs, eò quòd talis species diutius in oculis formatur non ad fallendum, sed ad aliquam indicandam veritatem: nempe, verè illic Christum existere, vt supra dictum est, sicut Christus apparuit discipulis euntibus in Emaus ad adstruendam fidem suæ resurrectionis. Ait enim Augu. in lib. de quæst. euangelicorum, quod cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Et quando huiusmodi apparentia sit, liquidum est id, quod apparet, non esse veram carnem & sanguinem.

Quando aliqua figura in hostia apparet, non ad fallendum, sed ad aliquam indicandum veritatem hoc fit.

At verò potest secundo modo talis caro & puer repræsentari, non per solam immutationẽ oculorum videntium, sed specie quæ videtur, realiter exterius existente. Cuius iudicium est, quod non quibusdam præcisè, neque ad horam illa fit apparitio, sed cunctis & in longum tempus. Et tunc sunt qui arbitrentur veram carnem & sanguinem corporis Christi esse, quæ in propria forma oculis subijcitur. Neque obstat, quod quandoque non totus apparet Christus, sed aliquod eius membrum; neque in illa ætate, qua mortuus est, sed in infantili: nam licet oculis beatorum non se ostendit, nisi sicuti est, oculo tamen non glorificato potest se vt ei placuerit offerre.

Hoc modo, quidam putant veram esse carnem & sanguinem corporis Christi quæ in propria forma oculis subijcitur.

Attamen quòd neque tunc vera sit caro illa quæ apparet, probatur dupliciter. Primò, quia corpus Christi non potest videri in propria specie, nisi vbi est definitiuè: est autem definitiuè in cælo: ergo non simul alibi. Supponit enim D. Tho. idem corpus non posse definitiuè simul esse in duobus locis. Secundò, quia corpus glorioſum, quod vt vult apparet, subinde vbi vult disparet, vt legitur Lucæ vltimo, quòd Dominus ex oculis discipulorum euanuit: hoc autem, quod sub specie carnis apparere solet, diu permanet, quinimo legitur quandoque multorum episcoporum consilio in pyxide inclusum & asseruatum, quod de Christo secundum propriam speciem nefas esset concedere. Dicendum ergo est huiusmodi apparitionem eo pacto fieri, quod manentibus dimensionibus, quæ prius fuerant, sit circa illa accidentia immutatio quædam coloris & figuræ, atque aliorum accidentium, vt videatur caro, vel sanguis, aut puer. Neque verò, vt dictum est, vlla illic fit deceptio, quandoquidem diuinitus ad veritatis confirmationem fit.

Secunda conclusio. Quamdiu manet quantitas dimensiua quæ fuerat panis, & fundamentum est aliorum accidentium, remanet corpus Christi sacramentaliter sub illis, earum immutatione non obstãte. Hæc conclusio per ea quæ dicta sunt liquidò comprobatur. Præterea, quia tali apparitione facta, eadem exhibetur hostiæ reuerentia, quæ antea exhibebatur.

Expositio articuli.

Quod huiusmodi apparitiones fiant in sacramento, historiæ referunt quamplurimæ. Iam enim supra citauimus Alexandrum 4. par. q. 40. membro 3. artic. 4. id de quodam sacerdote referentem. Et in vita Gregorij legitur ei apparuisse digitum in sacramento. Et Paschasius eius diaconus refert, cuidam monstratam formam pulchertimi pueri. Et in linteolis Darocensibus in regno Aragoniæ custoditur adoraturque hostia carnea & sanguinea, ceu miraculum vetustissimum.

Referuntur ex historijs quamplurima apparitiones facta in sacram.

At verò circa priorem modum, quo ait D. Thom. id accidere, dubitatur quomodo immutatio fieri possit in oculo sine mutatione obiecti. Respondetur autem id fieri posse tripliciter. Vno modo ex læsione sensus, quod naturaliter euenit in lethargo, & phrenesi, & sub mortis articulum: læso n. sensu communi commouentur illic phantasmata, sicut in somniantibus, & ideo repræsentantur res in aëre, quæ non sunt. Potest etiam secundò id contingere ex aeris mutatione, quem præstigiatores immutare solent applicatis rebus quibusdam naturalibus. Hi autem modi non sunt ad propositum. Sed tertiò id contingit diuina virtute producente species, vel in oculo externo, vel etiam in potentia imaginatiua: quemadmodum in visionibus prophetarum visu venit. Atque hunc modum intelligit hic S. Tho. Exemplum autem, quod subdit de Christo post resurrectionem apparente discipulis, non eò adfert,

quòd

Digitized by Google

quòd tunc non verè apparuérit in sua substantia, erat enim ipsissimus, sed in hoc, quòd sicut tunc, licet appareret forma peregrini, nulla esset deceptio, ita neque in sacramento.

Secundus modus.

Circa secundum modum apparendi per mutationem specierum notandum, quòd si illa reprobata opinio intelligat, quòd Christus per suam absolutam potentiam possit corpus suum, quod definitiuè est in cælo, ponere simul etiam circumscriptiuè & definitiuè in vno vel pluribus altaribus, tunc est problema. Dinus enim Thomas, vt suprà diximus, negaret, vt hic etiam negare videtur in priori ratione. Alij verò affirmabunt. De quo satis articulo quinto disputatum est. Si verò sentiat re vera iam contigisse, vt vera caro Christi & sanguis appareat, sicut est in cælo, profectò nullatenus est auscultandum propter rationem secundam S. Thomæ. Indecens enim esset credere, quòd vera Christi caro maneret in pyxide.

Linteola Darocensia. 1. Argum.

Quare in prædictis Darocensibus linteolis minimè credendum est eandem veram carnem & sanguinem sub eadem forma & figura, quam habet in cælo, permanere. Tunc enim dicendum esset, quantitatem panis cum omnibus eius accidentibus fuisse corruptam, atque adeò illic non esse corpus sacramentaliter, sed solam particulam carnis, quam habet in cælo, & sub tanta quantitate, quanta est illa particula in cælo. Quod profectò dignitatem corporis Christi non decet. Est ergo tantùm mutatio coloris & figuræ, & huiusmodi accidentium, vt hic ait S. Tho. manente corpore sub quantitate, & ideo adoratur adoratione latriæ.

At verò contra secundam conclusionem arguit S. Tho. primo loco, probando, quòd dum fit huiusmodi apparitio, nõ manet illic corpus Christi. Corpus enim illud non manet, nisi quamdiu manent species, quæ sufficerent conseruare substantiam panis: facta verò illa mutatione non manent eiusmodi species: ergo nec corpus.

Negatur contra Durandum, posse vllo modo manere quantitatem panis, quin maneat corpus.

Ob hoc argumentum Durandus dist. 10. q. 4. censet in eiusmodi apparitionibus, dum mutantur species, non manere corpus sacramentaliter: at neque veram carnem Christi, sed accidentia carnis in genere sine subiecto: & ideo non esse adorandas species adoratione latriæ, sed tanquam reliquias miraculosè seruatas. Quare & distin. 12. q. 3. tenet, quòd etiam si quantitas sacramentalis maneat, nihilominus per corruptionem qualitatum desinet illic esse corpus & sanguis, eò quòd illæ magis requiruntur tum ad conseruationem panis & vini, tum subinde ad repræsentationem sacramenti. At verò S. Tho. argumento respondet dicens, quòd in apparitione prioris generis, quando fit sola mutatio sensus, non dubium quin species totaliter maneant, atque adeò sacramentum. In secundo verò modo apparitionis manent secundùm id quod est principale in eis: putà secundùm quantitatem panis, atque adeò manent accidentia, quæ sufficerent conseruare substantiam panis, vt virtus confortatiua cordis, & forsan sapor, & aliæ proprietates. Color namque & figura, & si quod est aliud huiusmodi mutatum accidens, non sunt necessaria ad conseruationem panis. Corruptis autem accidentibus necessarijs panis corrumpitur & quantitas, sicut corrumperetur panis, generaturque alia substantia, sub qua non esset corpus Christi. Quapropter negatur contra Durandum, posse vllo modo manere quantitatem panis, quin maneat corpus.

2. Argum.

Secundò arguitur, Vbicunque est corpus Christi vel est sub specie propria, vel sub aliena sacramenti: quando verò huiusmodi apparitiones fiunt, manifestum est corpus non esse in illis sub propria specie, cum videatur sub forma paruuli, & tamen propria species sit magna & integra in cælo, quæ apparet sub forma sacramenti, neque est panis & vinum, cum appareat caro. Respondetur, nunquam apparere sub propria forma: sed quando mutatio fit in oculo, manet sub speciebus panis & vini, quando verò mutatio fit in speciebus, manet nihilominus sub eisdem dimensionibus panis & vini, licet non sub colore & figura.

3. Argu.

Quòd si arguas tertiò. Caro & sanguis non fuerunt species consecratæ: ergo sub illis nunquam manet corpus. Respondetur, inquam, manere sub dimensionibus panis & vini, quæ fuerunt consecratæ, licet color & figura fuerint immutata.

Quæstio secunda,

DE ACCIDENTIBVS REMANENTIBVS IN HOC SACRAMENTO.

S. Thom. 3. part. quæst. 77.

ARTICVLVS I.

Vtrùm accidentia remaneant sine subiecto in hoc sacramento.

QVAESTIONEM hanc disputat Petrus Lombardus distin. 12. sed tamen lucidus ordo postulat, vt cum præcedenti de existentia corporis Christi coniungatur. Et quamuis D. Thom. supra q. 75. art. 5. præmonstrauerit, accidentia panis & vini manere in sacramento sine subiecto, supereſt tamen eorum conditiones patefacere. Quare vnica conclusione affirmatiua respondet. Accidentia panis & vini relinquuntur in hoc sacramento sine subiecto: videlicet sine substantia. Probatur, quia nec sustinentur in substantia panis & vini, quæ non manet, ac perinde neque in earum forma, quæ simul desinit, & quamuis permaneret, non inhærent illi: quoniam accidentia corporea, vt lib. de trinitate autor est Boëtius, non insunt formæ, sed toti composito. Neque verò subiectantur in corpore & sanguine Christi, tum quia huiusmodi accidentia non sunt humani corporis, sed panis & vini, tum etiam quia corpus Christi, cum sit gloriosum ac perinde impassibile non potest huiusmodi accidentibus affici. Sed neque insunt aëri circunstanti, vt quidam autumant: primò quia cum non sint accidentia aëris, non est eorum susceptiuus. Secundò, quia nec mouentur ad motum aëris, imò aër transire potest ipsis permanentibus, & accidentia motu proprio aërem loco pellunt. Tertiò, quia accidentia cum per receptionem in hoc subiecto individuentur, non possunt eodem numero transire de subiecto in subiectum. Quartò, quia cum aër proprijs accidentibus non denudetur, non potest alienis superuestiri. Neque sustineri potest id per miraculum fieri: quoniam id maximè virtute consecrationis contingeret, quod falsum est: nam nec forma id significat, nec aliud quàm significat efficit. At verò quoniam hæretici impossibilem hanc conclusionem reputant, eò quòd natura accidentium sit inhærere subiecto, arguitur id fieri posse per Dei supernaturalem virtutem. Nam cùm Deus sit prima causa tam substantiæ, quàm accidentium non dependens à causis secundis, fit vt sicut per substantiam conseruat naturaliter accidens, ita & absque illa possit supernaturaliter illud custodire. Siquidem & alios effectus naturalium causarum sine illis nonnunquam profert, vt Adamum sine semine produxit de limo terræ, & corpus Christi in vtero virginis munere Spiritus sancti.

Conclusio.

Cur nõ possunt dici accidentia subiectari in corpore & sanguine Christi.

Expos. art.

Præsentem conclusionem, quippe cùm catholica sit, nefaria esset hæresis negare. Vniuersa siquidem sanctorum testimonia supra citata, quibus asseritur conuersionem panis & vini fieri in corpus & sanguinem Christi, subinde attestantur species manere sine subiecto, sub quibus corpus continetur, vt dist. præcedenti dissertum est. Atqui hic est sensus Gregorij in homilia paschali, quæ refertur can. Species. de consecra. dist. 2. Vbi ait species illarum rerum vocabula retinere, quæ ante fuerunt panis & vini. Et can. Nos autem. Aug. Nos, inquit, in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus. Vnde in hoc sensu intelligitur transsubstantiatio cap. fimiter. de summa Trinit. Et in concilio Florentino, scilicet, quod abeunte pane eius species manent. Quinimò in propria forma contraria hæresis in concilio Constantiensi sessione 8. condemnata fuit contra Ioannem Witcleff, decretumque est manere accidentia sine subiecto. Ille tamen hæresiarcha contrarij erroris semper fuit pertinax, quem Oecolampadius sequutus fuit. Quare hoc fuit vnum ex suis præcipuis argumentis, quibus probabant impossibilem esse

In Concil. Const. contra Ioan. Witcleff decretum est, accidentia manere sine subiecto in sacr.

veram

veram existentiam corporis Christi in sacramento, quòd accidens, vt nomen ipsum accidentium proclamat, nequit extra subiectum existere. Hæretici namque quando illis libet totam philosophiam pessundant, sed quando eius indigent suffragio, Aristotelem ecclesiæ præferunt. Quocirca blasphemus ille Witcleff inuentum hoc esse aiebat & commentum Innocentij tertij. *Tho. Wald.* Contra quem Tho. Waldensis. tomo 2. de sacram. cap. 76. & infrà egregiè disputat: ostendens primò non defuisse philosophos, qui arbitrarentur accidens existere posse sine subiecto. Nam 1. Physicorum redarguit Aristoteles Anaxagoram dicentem omnia esse commixta, atque etiam accidentia, cum substantijs, omniaque subinde posse ab inuicem separari. Contra quem Aristo. inferebat posse esse accidentia sine subiecto. Deinde & Plato posuit vniuersales formas ab indiuiduis abstractas, & tamen Commentator 2. Physicor. commento. 26. ait, difficilius esse illud opinari, quàm quòd formæ accidentales abstrahantur à subiecto. Et 4. Physico. refert Aristot. quosdam opinantes inane & vacuum, esse locum dimensionibus repletum sine substantijs. Atqui Auicebron in lib. fontis vitæ tractatu 2. nihil affirmare veretur, accidentia existere posse sine subiecto. Quinuerò Basilius egregius autor in suo Hexamero homi. 6. ait lucem illam, quæ fuit prima die creata, fuisse accidens sine subiecto. Cui & Damascenus adstipulatur. Hæc autem recensita sunt, non quòd vera existimentur, sed vt monstretur, non tam ab hominum opinione distare accidentia sine subiecto existere posse, quàm hæretici clamant. At verò orthodoxis autoribus satis est ostendere, hoc rerum naturæ non repugnare, cum constet infinitam Dei virtutem sine vlla dependentia à causis secundis & mundū creasse, & mortuos pristinæ luci restituisse, & Christi corpus in virgineo vtero efformasse.

Ostenditur rerum natura non repugnare quod accidentia existant sine subiecto.

Quod si arguas Deum, licet possit supplere vicem causæ agentis, non tamen formalis aut materialis. Vt enim nequit album facere absque inhærente colore: ita neque potest accidentibus subijci. Respondetur, quòd licèt non possit ipse esse subiectum accidentium, valet tamen ea sine subiecto sustentare, & conseruare: nam hoc ad genus causæ efficientis reducitur.

1. Argu. Hæc autem perspicaciùs D. Tho. inter arguendum elucidat, cuius argumentum est: In hoc veritatis sacramento nihil inordinatum aut fallax esse decet: accidentia autem sine subiecto existere apparet tum naturalis ordinis peruersio, tum & fallacia quædam, cum accidentia indicent subesse substātiam, quę tamen non est superstes. Respondetur, nihil esse absurdum si quod secundùm communem legem naturæ ordinatum sit, secundum superiorem ordinem gratiæ aliud habeat contrarium ordinem. Nam etsi secundùm ordinem naturæ Aristoteles doceat à priuatione in habitum impossibilem esse regressum, tamen in resurrectione mortuorum, & in illuminatione cæcorum per diuinam virtutem contrarium euenit: sic ergo in accidentium existentia sine subiecto. Quare ibidem non est fallacia: vt articulo suprà citato dict. præcedenti ostensum est.

2. Argu. Secundò arguitur. Fieri nec per diuinam potentiam potest, vt definitio rei ab ea separetur, vel alteri alius speciei eadem conueniat, vt quòd homo sit animal rationale: nam cum definitio, vt 4. Metaphysicæ habetur, sit id quod nomen significat, sequerentur duo contradictoria: scilicet, quòd homo esset homo, & non esset homo: definitio autem accidentis est esse in subiecto: definitio verò substantiæ per se subsistere: ergo non potest accidenti conuenire, vt per se subsistat, alias esset accidens, & non esset accidens. Est argumentum, quòd insolubile arbitrantur hæretici, & ideo penetranda est solutio, quam D. Thomas ex media rerum natura elicit. Esse enim, inquit, non est de intrinseca ratione, & quidditate substantiæ, neque accidentis, aliàs esset genus vtriusque, sicut animal est genus hominis & equi, quod est falsum: quia non est generalissimum, sed transcendens. Item quia esse non est de intrinseca ratione, nisi solius Dei, qui cum esse aliunde non recipiat, per suam substantiam existit: substantiæ verò creatæ & accidentia receperunt esse per creationem, & quotidie per generationem: quare esse non est eorum definitionibus intrinsecum. Sed esse per se est modus & actus conueniens, quidditati substantiæ, & esse in alio modus & actus conueniens naturæ accidentis. In sacramento verò non datur accidentibus, vt per suam naturam subsistant: sed per virtutem diuinam illa sustentantem tribuitur illis alius modus essendi, quàm habent ex sua natura. Quare nec desinunt esse accidentia, nec eis sua definitio aufertur, quæ est, per suam naturam esse in alio. Neque eis tribuitur definitio substantiæ, quæ est ex sua natura per se subsistere. Et contra hæreticos subiungamus nos aliud exemplum. Quemadmodum licèt natura substantiæ sit per se subsistere, nihilominus humanitas Christi sustentatur in alieno supposito: nempe in diuino, sic vice versa & accidens virtute diuina potest per se subsistere.

Nota solutionem.

In sacramento non datur accidentibus, vt per suam naturam subsistant.

Subiungitur aliud exemplū de humanitate Christi quæ sustentatur in alieno supposito.

Tertiò. Accidens indiuiduatur per receptionem in subiecto: si ergo accidentia manent sine subiecto, non sunt indiuidua, sed vniuersalia, & tunc non essent sensibilia, vt apparent, sed tantum intelligibilia, vt Plato fingebat ideas rerum. Respondetur, illa accidentia fuisse indiuiduata per receptionem in panem, sed post consecrationem manent virtute diuina in eodem esse indiuiduato, quod prius habebant.

3. Argu.

Quartum argumentum est metaphysicum, ob idque subobscurum. Ad cuius intellectum notandum, quòd omne suppositum creatum dicitur componi ex eo quod est, & eo quo est, vt homo est humanitate homo, & albedine albus, & angelus sua etiam natura angelus, licèt natura & suppositum non distinguantur, vt duæ res. Accidens vero, quia non per se subsistit, non habet illam compositionem, sed est forma, qua subiectum est tale. Arguit ergo, Accidentia dum erant in pane, non erant hoc pacto composita: quia non erant id quod est, ergo neque post consecrationem habent illam compositionem, & cùm nullam nouam acquirant, sunt magis simplicia, quàm angelus. Respondetur, quod quia dum erant in pane, non erant per se, sed dabant esse accidentale subiecto: post consecrationem vero per se subsistunt virtute diuina, fit vt per consecrationem acquirant quodammodo illud esse, vt ad modum substantiæ sint ea quæ sunt, atque adeo similem metaphysicam compositionem illi quæ est in angelis.

4. Argu.

ARTICVLVS II.

Vtrum in hoc sacramento quantitas dimensiua panis & vini sit aliorum accidentium subiectum.

IN præcedenti articulo solum conclusum est manere accidentia sine subiecto, quod est substantia.

Et ideo subsequenter quæritur, vtrum quantitas sit aliorum subiectum. Ad quod hac respondetur affirmatiua conclusione. Necesse est dicere accidentia alia, quæ remanent in hoc sacramento, esse sicut in subiecto in quantitate dimensiua panis vel vini remanente. Probatur tripliciter. Primò ad sensum per experientiam. Apparet enim aliquid quātum, durum, & solidum illic manere coloratum & sapidum, alijsque accidentibus affectum, circa quæ sensus non fallitur. Secundò, & ratio naturalis à priori id ostendit. Est enim quantitas prima materiæ dispositio. Vnde Plato, vt 1. Phy. refert Aristoteles, primas differentias materiæ posuit magnum & paruum. Quocirca cum primum subiectum rei sit materia, cui inest substantialis forma, fit vt primum accidens, quod ineſt toti composito, sit quantitas, ac perinde se habeat tanquam subiectum, quo mediante cætera accidentia insunt composito. Qua vtique ratione, vt 4. Metaphys. refertur, quidam posuerunt dimensiones esse substantias rerum, ex quo fit, vt in sacramento, sublato subiecto substantiali, quantitas sit superstes fundamentum aliorum accidentium. Tertiò id longius, sed non minus efficaciter probatur. Est enim notandum, vt supra diximus, accidens per receptionem in subiecto indiuiduari, & ideo quicquid habet rationem subiecti, est quodam modo principium indiuiduationis, & è conuerso. Est autem de ratione indiuidui, vt non possit esse in pluribus. Quod contingit dupliciter. Vno modo, quia non est natum esse in aliquo. Et hoc modo formæ immateriales, vt Angeli, quæ per se subsistūt, sunt per se indiuiduæ. Quæ quidem non faciunt ad propositum. Altero modo, quia est forma receptibilis in aliquo, sed non in pluribus, quales sunt omnes formæ, quæ recipiuntur in subiecto. Et quantum ad primam conditionem, materia prima est primum principium indiuiduationis, nam cum formæ de se habeant esse in alio: materia verò sit primum subiectum, quod non est in alio, eo quòd for-

Conclusio.

Probatur tripliciter quātitatem esse subiectū aliorum accidentium.

Digitized by Google

ma ſubſtantialis recipitur in materia, indiuiduatur tam ipſa quàm ſuppoſitum, ac ſubinde accidentia, eo quòd recipiuntur in hoc ſuppoſito. Sed quantum ad ſecundam conditionem, quod eſt eſſe in vno ſolo ſuppoſitò & non in pluribus, quantitas dimenſiua eſt indiuiduationis principium. Ex hoc n. aliquid eſt natum eſſe in vno ſolo, quod eſt in ſe indiuiſum ab omnibus alijs: diuiſio autem, vt habetur 1. Phyſic. accidit rei ratione quantitatis: quare quantitas dimenſiua, quia poſitionem habet in continuo, eſt cauſa, vt forma corporea habeat partes extenſas in diuerſis partibus ſubiecti. Vnde per diuiſionem continui partes eius fiunt actu indiuidua. Itaque ſi quæras de alijs formis, quare ſunt indiuiduæ, reſponderur, quia inter ſe diuiſæ: diuiſæ verò ratione quantitatis. Sed ſi per imaginationem conſideres duas lineas quantitatis, per ſe ipſas ſunt diuiſæ. Atque hac ratione duplex eſt principium indiuiduationis, ſ. materiale, quod eſt prima materia quantum ad hoc quod eſt receptionis ſubiectum, & quodammodo formale, quod eſt quantitas, quantum ad id quod eſt eſſe indiuiſum à ſe, & diuiſum a quolibet alio. Eſt igitur argumentum. Quacunque ratione aliquid eſt principium indiuiduationis accidentium, eſt eorum ſubiectum: quantitas eſt tale principium: ergo eſt & quodammodò ſubiectum.

Expoſitio articuli.

Primam controuerſiam creat hic nobis Okam, & eius aſſeclæ nominales, negantes quantitatem diſtingui à re quanta. Aiunt quippe iſti, quotquot ſunt res in aliquo ſuppoſito, tot eſſe quantitates: vt materiam eſſe ſuam quantitatem, & formam, & quodcunque accidens eſſe ſuam. Quorum potiſſimum argumentum eſt, fruſtra abſque neceſſitate entitates multiplicari, nullamque neceſſitatem exiſtere diſtinguendi quantitatem ab alijs rebus. Sententia verò & Ariſtotelis, atque omnium philoſophorum ſemper indubitata fuit, quantitatem vnum eſſe per ſe prædicamentum, hoc eſt, vnum accidentis genus à reliquis diſtinctum, virtute cuius tam ſubſtantia quàm reliqua accidentia locum complent.

Argum. Okam & nominalium negantium quantitatem diſtingui à re quanta.

Diſputauimus de hoc in prædicamentis. Sed quia potiſſima argumenta ex hoc ſacramento ducuntur, neceſſum eſt vnum aut alterum verbum de hoc dicere. In primis Ariſtot. 1. Phyſi. contra Parmenidem tanquam philoſophiæ axioma adfert, quod ſi ſubſtantia & quantum ſunt, duo ſunt. Eſt n. ridiculum commentum dicere, quod ſi ſubſtantia quanta eſt duas habet partes: ſic enim poſſet dicere, infinita ſunt. Cùm ergo ait duo, intelligit quantitatem perinde atque qualitatem à ſubſtantia diſtingui. Et 4. Phyſi. arguendo contra illos, qui aiebant, vacuum eſſe locum repletum dimenſionibus ſine ſubſtantia, ſupponit, quod ſi locus eſſet plenus coloribus ſeparatis, nihil obſtaret quo minus poſſent corpora illic ſimul exiſtere. Vbi planè docet, neque colores, neque alia accidentia eſſe per ſe quanta, neque occupare locum, ſed ſolam eſſe quantitatem, ratione cuius & ſubſtantia & accidentia eundem replent locum.

Secundò arguitur. Subſtantia per ſe ſecundum ſuam definitionem non magis includit intrinſecè occupare & replere locum, quam eſſe calidam, aut albam, &c. ergo ſicut qualitas eſt accidens faciens calidum & album: ita eſt aliud accidens, quod eſt quantitas, ratione cuius occupat locum. Et per hoc ad eorum argumentum reſpondetur, qui arguunt ſine neceſſitate affirmari quantitatem diſtinctam. Eſt enim tanta neceſſitas, quanta eſt qualitatis. Quod inde etiam confirmatur, quòd habet ſuum proprium motum: nam ſicut terminus generationis eſt ſubſtantia, & alterationis qualitas, ita & terminus augmentationis eſt quantitas. Accedit & pulcherrima hic ratio S. Tho. quòd qualitates non ſunt per ſe diuiſibiles, ſed ratione ſubiecti: cùm ergo in ſacramento frangantur, fit vt diuidantur ad diuiſionem quantitatis, quæ earum eſt ſuſtentaculum.

Ratio D. Th. cur qualitates non ſint per ſe diuiſibiles, ſed ratione ſubiecti.

Tertiò. Quantitas (vt omnibus in confeſſo eſt) ſic locum occupat, vt duæ quantitates penetrare ſe in eodem loco non valeant naturaliter: ſi autem in lacte materia & forma, & albedo & dulcedo quatuor ſunt quantitates, non poſſent eſſe in eodem loco. Quòd ſi reſpondeant, ob id quòd faciunt vnum poſſe eſſe in eodem loco, tunc ſequeretur, quòd ſi Deus illarum coniunctionem diſſolueret, non poſſent manere in eodem loco, quod eſſe falſum inde patet, quòd non maiori loco indigent ab inuicem ſeparatæ, quàm coniunctæ. Et eſt in ſpeciebus conſecratis patentiſſimum argumentum. Illic namque cum nec ſint in ſubſtantia, nec vt ipſi dicunt, in quantitate, nulla inter ſe colligatione vnirentur. Quare cum quodlibet accidens ſit illic ſua quantitas, non poſſent ſimul eſſe in eodem loco.

Poſtremò denique arguitur. Dicere quòd accidentia in ſacramento ſint ab inuicem ſeiuncta, eſt experimentum negare: ſenſu enim percipitur eodem eſſe pacto, quo erant in pane: ſi autem non inſint quantitati, conſequens palàm fit, vt nullo inter ſe ligamine connectantur: quoniam non magis, calor eſt in ſapore, quàm ſapor in figura, aut figura in colore. Ex quo ſubinde fieret conſequens vt ad motum albedinis non ſequeretur motus ſaporis, neque ad motum ſaporis motus figuræ, quod eſt conceſſu abſurdiſſimum.

Reiicitur opinio dicentium quantitatem non eſſe, ſubiectum aliorum accidentium.

Atque hoc argumento falſa oſtenditur aliorum opinio qui arbitrantur, quod licèt quantitas ſit accidens à qualitatibus diſtinctum, nihilominus in ſacramento non eſt aliorum ſubiectum, ſed quodcunque per ſe ſubſiſtit: ſic enim Marſilius in 4. q. 9. art. 2. & Maioris diſt. 12. q. 3. opinantur. Ad quam quidem opinionem conſequitur omnia accidentia eſſe ab inuicem diſiuncta: nam aiunt omnia exiſtere abſque vllo ſubiecto. Et rationes eorum ſunt. Prima, Quando erant in pane, non ſubiectabatur in quãtitate, ſed in ſubſtantia: ergo nec facta conſecratione. Et probant antecedens, quoniam cum ſubſtantia, vt ait in prædicamentis Ariſtoteles, ſit accidentium ſubiectum, non reſtat modus, quo quantitas ſit etiam ſubiectum: nam eiuſdem accidentis non ſunt duo ſubiecta. Reſpondetur autem, ſubſtantiam eſſe ſubiectum quod recipit, quantitatem verò ſubiectum, quo mediante ſubſtantia recipit alia accidentia. Quemadmodum enim ignis eſt quod agit, & calor qui eſt accidens inſequens formam, eſt actiuum inſtrumentum, quo mediante agit, ſic & in recipiendo aqua eſt id, quod recipit calorem, ſed quantitas, quæ eſt accidens inſequens materiam, eſt id quo mediante eundem calorem ſuſcipit. Quæ quidem eſt expreſſa doctrina Ariſtot. 8. Phyſicorum. Cuius indicium eſt, quòd ſuperficies dicitur calida & alba, calor verò non dicitur albus, nec albedo calida. Vnde Ariſtoteles in prædicamentis. Quanta fuerit, inquit, ſuperficies, tantum fore album dicimus. Indicium, inquam, hoc eſt, ſuperficiem, quæ eſt quantitas, aliter ſe habere in receptione accidentium, quàm qualitates.

Elucidatio.

Idque adeò maximè in ſacramento confirmatur: nam ſi accidentia non ſubiectentur in quantitate, ſequeretur manifeſtè, quòddum hoſtia calefieret, calor ille crearetur: quoniam non reciperetur in ſubiecto, vt art. 4. argumentabitur. Quod ſi arguas, Accidens tunc poſſet migrare de ſubiecto in ſubiectum: nam in rarefactione ceræ manent eædem qualitates, & mutatur quantitas. Ad hoc reſpondet D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 5. quod licèt in augmentatione vbi acquiritur ſubſtantia, acquiratur ſubinde noua quantitas, tamen in rarefactione nulla acquiritur, ſed prior extenditur, ſicut cætera accidentia.

Quidnam ſequeretur ſi accidentia non ſubiectentur in quantitate.

His itaque ſic conſtitutis exiſtit etiamnum argumentum. Quantitas quando erat in pane, non erat niſi ſubiectum, quo mediante accidentia inhærebant pani: ergo facta tranſſubſtantiatione non poteſt eſſe ſubiectum quod, ſcilicet, cui inſunt, & quod accidentia ſuſtentet: nam panis erat, qui illa ſuſtentabat.

Bonum arg.

Propter hoc argumentum, quod non eſt contemnendum, fingit hic Caietanus neſcio quam theologiam. Eſt enim dubium quomodo quantitas perſiſtat ſine ſubiecto, vtrum ſcilicet Deo ſemper & continenter eam per miraculum ſuſtentante, an per conſecrationem tribuente ei nouum eſſe ſubſiſtentiæ, quale habet ſubſtantia: ita vt per illud deinceps illa naturaliter ſubſiſtat. Scotus enim in 4. diſtin. 12. q. 1. & omnes theologi aiunt per Deum ſemper illam ſuſtentari ſine acquiſitione alterius eſſe, quam habebat in pane. Caietanus verò, ait quantitatem perdere eſſe quo, & nouum eſſe quod exiſtentiæ per miraculum ſuſcipere, per quod naturaliter exiſtit. Neque vero, inquit, eſt quæſtio de nomine: imò inter has opinlones quatuor dignoſcuntur differentiæ. Prima, quod ſecundùm aliam opinionem omnia alia accidentia, ſicut & ipſa quantitas, ſuſtentantur per miraculum: nam quod qualitates ſuſtententur in quantitate, quę per ſe non eſt

Caietan.

Scotus.

niſi

nisi subiectum quo miraculum est, vt argumentum modò ostendebat, si autem quantitas acquirat nouum esse, non est nouum miraculum. Item nec quantitas secundum Caietanum sustentabitur per nouum miraculum. Deinde, & quantum ad agere, aget per modum substantiæ. Et pariter quantum ad pati eodem modo recipiet, quòd secundùm aliam opinionem non fit, sed omnia sunt miracula. Et hanc censet esse opinionem S. Thom. & suauem modum sustinendi sacramenti accidentia.

Reprobatio. At profectò hæc neque est opinio S. Tho. sed Henrici Gandensis, quem Scotus impugnat, neque est bene intelligibilis, neque satis credibilis. Enimuerò istud esse existentiæ nunquam intellexi esse aliquam entitatem distinctam à subiecto, tanquam aliam rem, sed est modus & actus substantiæ. Quare dum quantitas perdere dicitur esse quo, & acquirere esse quod, nihil noui acquirit, neque amittit, sed hoc tantum per miraculum fit, vt non insit, sed per se stet. Quo fit, vt eadem interueniant miracula in sustentatione accidentium secundum Caietanum, quæ secundum aliam opinionem. Imò esset maximum omnium miraculum, quinetiam naturæ repugnans, quòd Deus tribueret quantitati esse existentiæ, per quod naturaliter subsisteret. Quod, vt docuit S. Tho. artic. præcedenti, in solutione ad secundum, esset prorsus facere, vt esset accidens, & non esset accidens. Vide quàm longè Diuus Thomas ab hac opinione sit alienus.

Contrariorũ solutio. Respondetur ergo ad Caiet. Primum, quòd quantitatem esse subiectum quo accidentia insunt substantiæ, sufficit, vt dum quantitas per se subsistit, illo solo supposito miraculo, ipsa, tanquam virtus substantiæ, sustentet alia accidentia. Quemadmodum calor separatus ab igne, tanquam eius virtus naturaliter calefacerer: & intellectus, quo mediante habitus insunt animæ, separatus ab anima eosdem conseruaret habitus. Secundò respondetur, quòd etiam si alia accidentia miraculosè sustententur, suauiùs sic sustentantur, quàm tribuendo quantitati esse subsistentiæ, quod est proprium substantiæ. Quod autem Caietanus pro se allegat ex solutione quarti præcedentis articuli: videlicet, quantitatem componi ex esse, & quod est, non sic intelligit D. Thom. vt nouum esse acquirat, sed hoc tantum, quod per miraculum sustentatur ad modum substantiæ.

Alia dubitatio. Hinc ergo alia emergit dubitatio, vtrum pari modo posset Deus alia accidentia in sacramento sine quantitate sustentare, vt sustentat quantitatem sinè substantia. Ægidius siquidem, quem Scotus dist. 12. q. 2. oppugnat, arbitratur neque per absolutam Dei potentiam esse possibile. Quam opinionem omnes Thomistæ putant esse S. Thom. hic, & in quodlibeto 7. art. 10. Nihilominus absque dubio id Deus potest facere, neque S. Thom. id negasset. Imò plane loco citato concedit. Et 4. libro contra Gentiles cap. 65. Etenim tantum quantitas à substantia dependet in indiuiduari, & seruari, quantum reliqua accidentia à quantitate. Si ergo Deus quantitatem seruat sine substantia, cur non poterit & reliqua sine quantitate custodire? Vnde sicut articulo præcedenti in solutione ad tertium dixit S. Thom. quod licèt quantitas indiuiduetur per receptionem in substantia, nihilominus in sacramento conseruatur in eodem esse indiuiduato, quod prius habebat: ita licet alia accidentia quodammodo indiuiduentur per quantitatem, possunt tamen sine ipsa in eodem esse conseruari.

Vtrũ Deus alia accidentia in sacr. sustentare posset vt sustentat quantitatẽ.

1. Argu. Primum argumentum sanct. Thom. est. Subiectum accidentis non est accidens, cum subijci sit materiæ proprium: quantitas vero est accidens: ergo non est aliorum subiectum. Respondetur, quod licèt dum est in subiecto non sit subiectum, nisi quo, vt superficies est subiectum coloris: nihilominus quando ei datur diuinitus, vt per se sit, subinde tribuitur, vt aliorum subiectum existat. Hoc etiam verbum putat Caietanus sibi patrocinari, quasi detur quantitati nouum esse. Sed tamen sanct. Thom. non censet, nisi quod supranaturaliter sustentatur ad modum substantiæ.

2. Arg. Secundo arguitur. Sicut quantitas indiuiduatur ex substantia, ita reliqua accidentia: si ergo quantitas conseruatur in sacramento in illo esse priori, pariter & reliqua accidentia, atque adeo non insunt quantitati. Respondetur, discrimen esse, quod reliqua accidentia indiuiduabantur ex substantia mediante quantitate, & hac ratione insunt postmodum ei.

3. Argum. Tertiò. Accidentia sacramentalia deprehenduntur esse rara, & densa: istæ autem affectiones non possunt esse in quantitate sine materia: nam vt quarto Physic. ait Aristot. rarum est, quod sub magna quantitate parum habet materiæ, & densum, quod sub parua habet multum. Respondetur. Cum rarum & densum sint accidentia, quæ consequuntur materiam, fit, vt sicut sublata substantia manent in quantitate reliqua accidentia, quæ consequuntur formam: ita sublata materia conseruatur raritas & densitas.

4. Argum. Quartò. Quantitas separata non censetur sensibilis, sed intelligibilis, vt idea Platonis: ergo non potest esse subiectum accidentium sensibilium. Respondetur, quod quantitas mathematica non abstrahit à materia intelligibili: siquidem geometria tractat de materia quatenus intellectu percipitur, sed à materia sensibili: quia scientia non considerat de hac vel illa figura, sed de figura in genere. Quantitas verò in sacramento non abstrahitur à materia sensibili: quia est indiuiduata, & ideò est subiectum accidentium.

ARTICVLVS III.

Vtrum species sacramentales possint immutare aliquod extrinsecum.

POSTQVAM species sacramenti per se subsistunt, quæritur vtrum agant. Et respondet S. Tho. affirmatiuè, scilicet quòd possunt agere extra se. Neque mouetur quæstio eò quòd conclusio sit dubia: nam experimento constat, hostiam in æstate calefacere manum, & species vini guttur, atque in hyeme contrarios habere effectus, sed est dubium vtrum id per miraculum, an per naturam fiat. Et S. Thom. demonstrat, (quod omnium consensus est) species ipsas natura sua id facere. Nam cum vnumquodque inquantum est actu agat, consequens est, vt res quatenus se habet ad esse, se habeat ad agere. Vnde cum speciebus detur diuinitus per se subsistere, hoc est, vt supernaturaliter conseruentur, consequitur, vt in sua etiam virtute permaneant. Quapropter quicquid agere poterant substantia panis & vini existente, possunt ipsis substantijs absentibus, ita vt non sint duo miracula per se subsistere & agere, sed supposito priori, ex natura rei consequitur alterum.

Conclusio.

1. Argu. Nihil hic prorsus præter ea quæ dicta sunt dicendum supereest, sed ne seriem S. Thom. interrumpamus, primum eius argumentum est. Formæ quæ recipiuntur in materia fiunt à formis, quæ existunt in materia: eo quòd vt habetur 7. Physic. Simile agit sibi simile: species autem sacramentales sunt sine materia: ergo non possunt immutare materiam exteriorem. Respondetur autem, quòd licèt sint sine materia, retinent tamen esse, & eandem virtutem quam habebant in materia.

2. Argu. Et pariter respondetur ad secundum quo arguitur. Cessante actione principalis agentis, cessat & actio instrumenti, veluti quiescente fabro, non mouetur malleus: accidentia verò sunt instrumenta, quæ agunt in virtute substantiæ: cum ergo in sacramento non maneat substantia, apparet nec accidentia illic agere posse. Respondetur, inquam, non magis dependere actionem formæ accidentalis à substantia, quàm esse eius ab esse illius. Quare quacunque virtute conseruetur accidens sine substantia, aget subinde sine illa: quia est virtus eius.

3. Argu. Plusculum verò difficultatis latet in tertio argumento. Nihil enim vltra suam speciem: quia effectus esse nequit præstantior quàm causa: species autem sacramentales sunt accidentia: ergo non possunt producere substantialem formam. Et est singulare argumentum de speciebus consecrati vini, quæ mutarent guttam aquæ sibi appositam in vinum, sicuti mutatur dum infunditur vino in calice. Et de speciebus hostiæ, quæ per suam humiditatem, aut aliam suam malam qualitatem linteola, quibus in pixide inuoluitur, corrumperet.

Scotus in 4. d 12. q. 3. omnino negat, quod possit accidens substantiam producere, nec quando est in suo subiecto, nec si sit separatum. Calor enim, inquit, ignis solùm disponit lignum, sed forma substantialis est, quæ postea introducit formam ignis. At verò S. Tho. contrarium hic respondet dicens, quòd cùm immutatio, quæ tendit in formam substantialem, non

Digitized by Google

fiat à forma substantiali immediatè, sed mediantibus qualitatibus, quæ agunt in eius virtute, & virtus illa instrumentalis seruetur diuino munere in speciebus sacramenti, fit vt eædem species possint agere vsque ad productionem formæ substantialis. Neque vlla prohibet ratio quo minus aliquid agat vltra suam speciem; (quod est argumentum Scoti) quàdo non agit propria virtute, sed in virtute substantiæ absentis. Atqui si simile est in virtute seminis, quæ mortuo animali seminante, quasi eius virtus pertingit ad productionem similis animantis. Et corroboratur deinde hæc veritas. Ignis non producit ignem nisi per calorem expellendo contrarium frigus, intendendoque ipsum calorem vsq; ad summum, verbi gratia, vsque ad octo: sed illa est vltima dispositio, quam naturaliter consequitur introductio formæ substantialis: ergo non aliter ignis introducit illam quàm introducendo proprium calorem. Atqui quò argumentum patentius fiat, conseruet Deus calorem vt octo separatum ab igni, ille tanquam virtus ignis expellet totum frigus, & humidum, quibus conseruatur forma aquæ: ergo corrumpet eandem formam. Et cum corruptio vnius, sit generatio alterius, generabit subinde ignem. Neque locum habet appellatio ad constellationes cælestes, quasi illæ producerent talem substantiam, nam supernè illæ constellationes non agunt nisi mediantibus causis secundis. Sed instat Scotus percontans, quænam sit illa virtus in calore, quæ id faciat? Cui respondetur, nihil aliud quàm ipsum calorem.

Durand. Durandus verò d. 12. q. 2. concedit species sacramentales posse corrumpere formam substantialem in materia sibi applicata, sed tamen non posse formam nouam inducere: sed Deus tunc, inquit, ad sustentandum meritum fidei illam producet. At verò profectò cùm naturaliter nihil nisi per generationem alterius corrumpatur, eadem virtus, quæ vnum corrumpit, alterum generat: alioquì corrumpendo formam, annihilaret, quandoquidem finis actionis esset nihil, cum tamen natura corruptionem per se non intendat, sed generationem.

Reijcitur opinio Durandi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum species sacramentales possint corrumpi.

POST actionem specierum subsequitur quæstio de earum corruptione, non quòd dubia sit: experientia n. comperitur species illas corrumpi, & comestas digeri, sed vt declaretur quomodo hoc sit naturale. Respondetur ergo duabus conclusionibus.

1. Concl. Primà. Sicut istæ species poterant pane & vino existentibus corrumpi: ita & dum sine illis existunt. Et ratio est illa iam explicata: quoniam seruant idem esse, quod habebant in pane. Ad maiorem autem explanationem subdit D. Thom. bifariam potuisse corrumpi in pane & vino: scilicet, & per se, & per accidens. Per se quidem, aut per alterationem diuersarum qualitatum, aut per augmentum, aut per diminutionem. Non quidem per augmentum aut decrementum propriè dictum, quod est proprium animalium, sed per additionem vel diuisionem: nam vt habet 3. metaphys. per diuisionem vna dimensio corrumpitur, & fiunt duæ. Et per hunc modum possunt corrumpi huiusmodi accidentia: quia tam species hostiæ quàm calicis possent vsque adeò diuidi, vt in minoribus partibus non possent conseruari. Et speciebus vini potest infundi aliud vinum vel alius liquor, vt art. 8. constabit. Rursus cùm quantitas illic habeat vicem subiecti, potest recipere peregrinas alterationes, vt expulso calore inferatur frigus manentibus semper speciebus, quæ possent conseruare panem. Secundo modo poterant corrumpi per accidens ad corruptionem subiecti: scilicet panis & vini. Atqui cùm eò quòd accidentia maneant in quantitate tanquam in subiecto, fit vt ad corruptionem illius quantitatis sequatur corruptio ipsarum specierum: vt putà si species mittantur in ignem, aut per putrefactionem vertantur in puluerem aut vermes.

4. Concl. Secunda conclusio. Distinguendum est inter hos duos corruptionis modos. Enimuerò quoniam corpus & sanguis succedunt pani & vino, si non fiat tanta immutatio accidentium, quin semper conseruaretur panis & vinum, propter talem immutationem non desinit illic esse corpus & sanguis. Vt dum parum immutatur hostia in calore, aut colore, aut sapore, aut si diuidatur in partes, sub quibus potest conseruari forma panis. Si verò fiat tanta immutatio, vt panis & vinum corrumperentur, tunc desinit & corpus, & sanguis, siue id fiat per tantam alterationem coloris, saporis, & reliquarum qualitatum, vt panis non permaneret, siue per diuisionem in tam minutas partes, quæ nequirent substantiam panis & vini retinere.

Expositio articuli. Circa præsentem articulum nihil aliud adnotandum, præter illa, quæ artic. 2. aduersus negantes quantitatem distingui à re quanta, aut accidentia sacramenti in ea subiectari, cumulabamus. Enimuerò secundum illos dum hostia igni admouetur, neutiquam calesit: quia calor ille productus cum in quantitate non recipiatur, non producitur in hostia, atque adeò neque in aliquo subiecto, eò quod albedo & sapor non est magis subiectum caloris, quàm calor subiectum albedinis. Ac perinde consequitur calorem illum creari, sicut si produceretur in vacuo: & cum agens naturale creare nequeat, fit secundum eos omnes alterationes, quibus videtur hostiam affici, à Deo solo promanent sine causa secunda. Quæ quidem omnia Gabriel dist. 12. q. 1. conclusione tertia serena fronte concedit. Et subsequenter concedere debent, quòd hostia in ignem missa non corrumpitur ab igne, sed à Deo ob meritum fidei. At verò si hæc argumenta non conuincunt quantitatem esse in sacramento tanquam subiectum ac ligamen reliquorum accidentium, omnis ratio disputandi in philosophia & theologia cessat. Putant enim isti satis se fecisse, si præuisa absurda, quæ ex sua opinione sequuntur, prius fateantur, quàm ab alijs inferantur. Est ergo rei veritas, quòd supposito miraculo sustentationis quantitatis, illæ species naturaliter & agunt, & patiuntur, & nonnunquam vsque ad corruptionem sui.

Durand. argum. At verò circa secundum modum corruptionis, quo ait Sanct. Thom. corrumpi species sicuti corrumperentur ad corruptionem subiecti, arguit Durandus. Quantitas illic non corrumpitur ad corruptionem subiecti, quia nullum habet, neque per actionem contrariorum: quia quantitas, vt ait Aristoteles in prædicamentis, per se non habet contrarium, sed nec per diuisionem, quoniam diuisio quantitatis procedit in infinitum sicut numerus, ob idque non datur minima quantitas, quin minor possit existere. Et ita concedit quantitatem illam non corrumpi per naturam, nisi per miraculum virtute diuina. Hoc autem est absque necessitate miracula congeminare, quæ vnico supposito omnia possunt per naturam seruari. Quod elucidare officium Theologi est.

1. Argum. Hæc ergo D. Thom. inter arguendum explanat: Arguit quippe primo loco. Corruptio fit per separationem formæ à materia: in sacramento autem in illis speciebus non est talis compositio: ergo nec poterit esse talis separatio, atque adeo nec corruptio. Respondet quidem egregiè, quòd corruptio per se solum dicit, quòd auferatur esse rei: & quia forma dat esse materiæ, corruptio fit per separationem formæ à materia. Quando verò accidentia seruant idem esse quod habebant in materia, vt fit in sacramento, potest illud esse auferri etiam non existente materia.

2. Argu. Et pariter respondetur ad secundum, quod est. Nulla forma corrumpitur nisi per accidens corrupto subiecto: quare formæ per se subsistentes, vt Angeli & animæ, separatæ non sunt per se corruptibiles, sed species sacramentales sunt formæ sine subiecto: ergo non possunt corrumpi. Respondetur ad minorem, quòd licet sint sine subiecto, habent tamen idem esse, quod habebant in illo, & ideo corrumpuntur. Ecce ergo soluta argumenta Durandi. Respondetur enim, quòd licèt non corrumpantur ad corruptionem subiecti, corrumpuntur tamen ad modum, quo si essent in subiecto, ob id quod idem esse seruant. Vnde licèt quantitas per se non habeat contrarium, tamen per illa contraria, quibus corrumpuntur qualitates conseruatrices panis & vini, perinde naturaliter corrumpitur quantitas, ac si corrumperetur panis, ad cuius corruptionem corrumperetur quantitas. Et idem dicendum de diuisione: nam licet quantitas per se non terminetur ad minima, tamen cum diuisio fit in tam paruas partes, quæ non possent conseruare panem (vt si hostia commoleretur, aut species vini guttatim exhalarentur) quia quantitas idem esse habet, quod habebat in pane, naturaliter corrumpitur ac si corrumperetur panis.

Ad arg. Durand.

Quomodo corrumpuntur species sacramentales.

Digitized by Google

3. Arg.

Id quod in solutione tertij statim declaratur. Arguitur enim. Aut illæ species naturaliter corrumpuntur aut miraculosè: non naturaliter, quia nullum est ibi subiectum, quod maneat sub vtraque transmutatione: nec miraculosè, quia miracula, quæ contingunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis: quæ cum sit causa consecrationis earum, non erit causa corruptionis: nulla enim est causa duorum contrariorum. Respondet corruptionem illam non esse miraculosam, sed naturalem. Supponit tamen miraculum, quod fit per consecrationem. Videlicet, quòd illæ species retineant idem esse, quod habebant in materia. Sicuti cæcus, inquit, miraculosè illuminatus naturaliter videt.

ARTICVLVS V.

Vtrum ex speciebus consecratis aliquid possit generari.

SI species consecratæ interire possunt, vt dictum est, inuestigandum restat, vtrum ex eis possit aliquid generari. Et rei difficultas inde pendet, quòd dum ex speciebus, verbi gratia, generantur vermes, nulla est illic materia, quæ nouæ formæ subdatur. Tria ergo agit S. Tho. Primò constituit conclusionem affirmatiuam, s. Necesse est, quòd ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur dum corrumpuntur, cùm corruptio non fiat nisi per generationem, alioqui esset annihilatio. præterquam quòd sensibus patet, ex hostia combusta generari cineres, & ex contusa puluere, & ex putrefacta vermes, & ex speciebus vini acetum. Secundò, refutat tres modos, quibus solet eadem conclusio defendi. Et tertiò, adhibet secundam concl. qua modus legitimus declaratur. Ait ergo, quòd si substantia panis & vini maneret simul cum corpore & sanguine, facile esset rem explicare: qua de causa hæretici suprà impugnati asserebant illic prædictas substantias persistere. Sed quia illud hæreticum est, difficilis sit explicatio.

1. Concl.

2. Concl.

3. Concl.

Reijcitur opinio dicentium, generationes fieri ex aere circunstante.

Dixerunt ergo quidam huiuscemodi generationes non fieri ex speciebus consecratis, sed ex aere circunstante. Hoc autem quatuor argumentis recutitur. Primo, quod generatio non fit nisi ex eo quod prius alteratum corrumpitur: alteratio autem nulla fit in aëre, atque adeo nec corruptio. Secundo, quia nec natura aëris talis est, vt possit aut per contusionem verti in puluere, aut per combustionem in cineres. Tertio, quia tanta hostiarum multitudo posset comburi aut putrefieri, vt tam ingens generatio ex aere, nisi in magnam copiam congesto, fieri non posset: quare tunc tanta condensatio aëris sensibilis esset. Et quarto, posset eadem generatio ex speciebus inclusis in ferro aut argento fieri, vbi nullus esset conclusus aër.

Secunda opinio dicentium, reuerti substantiam panis & vini.

Secundi ergo dixerunt, reuerti tunc substantiam panis & vini, ex quibus illæ pullularent generationes. Et hæc est opinio Innocentij lib. 4 de officio missæ, c. 11. quam Alexand. 4. p. q. 40. memb. 2. art. 4. sequitur, & Bonauentura in 4. dist. 12. art 2. q. 1. probabilem & secutam arbitratur, maximè propter tanti viri autoritatem. Veruntamen vniuersi alij eam condemnant, vt est videre apud Ricardum ead. distinct. q. 2. art. 2. & apud Scotum q. vlt. Quare D. Tho: duplici medio illam explodit. Primo quidem, quod cum illæ substantiæ fuerint conuersæ in corpus & sanguinem Christi, non possunt redire, nisi vice versa corpus & sanguis in easdem substantias iterum conuerterentur. Sicut ignis versus in aquam non reuertitur, nisi aqua iterum conuersa in ipsum. Quod si illæ substantiæ fuerint annihilatæ, vt quidam volunt, multo minus redire possunt: nam quod in nihilum decidit, idem numero redire non potest: nisi forsan dicatur, quod Deus per miraculum alias substantias loco illarum creat, & hoc est, quod ait Innocentius. Sed profectò est miraculum magnum sine necessitate inducere, imo repugnante conuersionis natura. Ad cuius maiorem explicationem arguitur secundo. Aut illæ substantiæ redeunt manentibus speciebus panis & vini: & hoc non, quia quamdiu illæ manent, latet illic corpus & sanguis, quæ secum, vt dictum est, non admittunt panem & vinum: aut redeunt in primo instanti corruptionis specierum, & hoc est minus possibile: nam cum illud sit primum non esse specierum, quia est primum esse substantiæ genitæ, fit vt panis & vinum redirent sine suis proprijs accidentibus. Et certè argumentum consideratè perpensum conuincit reditum illum substantiarum non solum nihil ad rem pertinere, imo ei repugnare.

Explodituro D. Thoma.

Tertia opinio communis.

Quare tertia opinio eademque communis est, quòd in illo instanti creatur non quidem substantia panis ac vini, sed materia, in quam inducitur forma vermis, etiam per primum sui esse, quia illud est primum non esse specierum panis & vini. Atque hanc opinionem merito ait D. Thom. posse sustineri. Non quod illa fuerit materia panis, sed quod sit tunc loco illius creata.

2. Concl.

Nihilominus non obstante, quod opinio hæc communis sit & probabilis, D Thomas quartum introducit modum, secundam subijciens conclusionem. Generatio illa nec fit ex aere, qui circunstat, nec ex pane, qui reuertitur, nec ex materia, quæ creatur, sed ex quantitate, quæ illic habet vt sit primum subiectum subsequentium formarum. Ait quippe, in ipsa consecratione tribui quantitati panis & vini non solum per se subsistere, verumetiam vt sit primum subiectum reliquarum formarum, non tantùm accidentalium quamdiu durat sacramentum, sed etiam substantialium, dum accidentia corrumpuntur. Itaque potest, inquit, illa quantitas omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideo quicquid posset generari ex materia panis si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate. Ratio D. Thomæ eademque vnica est, quod non censet rationabile aliquod miraculum in sacramento admittere, nisi quod ex ipsa consecratione accidit: ex qua tamen non habetur quod materia creetur vel redeat, sed quod quantitas per se subsistat. Quare sine nouo alio miraculo ex ipsa subsequenter fiunt generationes.

Expositio articuli.

Duæ priores opiniones satis refutatæ sunt: inter tertiam verò, quæ est communis, & hanc S. Thomæ lis restat, quam etiam idem ipse tenuit in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 2. Prius autem quàm vlterius progrediamur, nota quod S. Thom. non videtur admittere annihilatum idem numero posse iteratò creari: tametsi homines, quia animæ sunt immortales, & materia incorruptibilis, idem sint numero resurrecturi. Quanquam fortasse loquitur de miraculis, quæ Deus facere consueuit: secus de potentia Dei omnino absoluta. Per quam & panem ipsum conuersum in corpus Christi posset quoque absque conuersione corporis in ipsum reproducere.

Sententia D. Tho. duobus modis à quibusdam sustineri solet.

Quò igitur ad eius opinionem reuertamur, duobus modis à quibusdam sustineri solet, qui sunt creditu difficillimi. Ægidius namque theoremate 44. & 45. contendit ex ipsa quantitate permanente in esse accidentis, fungente tamen vice materiæ, generari vermes, & pulueres, & cineres, & acetum. Atque hæc fuit semper priscorum Thomistarum opinio. Et profectò ei, qui attentè verba Diui Thomæ inspexerit, non potest non vehemens in animum suspicio irrepere, quod hæc fuerit eius opinio. Ait enim ex ipsa quantitate generari id, quod ex ipsa materia panis generaretur. At verò ingenuè cum omni reuerentia fateor, mihi vix posse persuaderi. Quòd enim accidens per vllam potentiam formam substantialem suscipiat, creditu durissimum est. Primùm, quia licèt alia accidentia mediante quantitate insint subiecto, forma tamen substantialis est proprius actus materiæ, cui prius natura inest, quam toti composito quantitas. Secundò, quia quantitas natura sua minoris entitatis est, quàm forma substantialis, cum forma sit pars substantiæ, quantitas verò accidens. Tertio. Actus & potentia secundum Aristotelem debent esse eiusdem generis: cum ergo forma sit in genere substantiæ tanquam eius pars, materia etiam debet esse in eodem genere. Quartò. Ex substantia, & accidente sibi inhærente non fit compositum per se, vt ait Aristoteles: ergo multò minus ex accidente, & forma ei inhærente. Quare illud compositum nec esset eius per se, neque verò substantia, sed res alterius generis. Postremò arguitur. Sequeretur pari ratione ex eadem quantitate absque alia materia posse generari animal, imò verò hominem, quod esset totam philosophiam ludibrio exponere.

Prior eorũ modus reijcitur.

Caietanus.

Caietanus ergo hunc modum reputans impossibilem, alterum inducit nihilo plus credibilem. Ait siquidem in ipso momento corruptionis specierum quantitatem ipsam transire in materiam: ita quod virtute conuersionis quantitas accipit, vt durante sa-

Digitized by Google

cramento sit vice materia sustinens accidentia, & puncto veræ corruptionis speciemum, sit verè materia. Itaque sicut superius dixerat, eandem rem, quæ est panis, postea esse corpus, ita ait de quantitate. Et quò absque ænigmate loquatur, addit quod ipsa eadem quantitas, quæ dum erat vice materia patiebatur alterationem ignis, deinceps facta verè materia est passum ipsum intrans compositionem geniti.

† d. 9. q. 2. a. 4. Veruntamen quod eadem res, quæ nunc est accidens, postea sit materia, re vera nescio quis possit tanquam factibile comprehendere, vt suprà † de pane & corpore diffusè argumentati sumus.

3. Modus. Igitur tertio modo opinionem interpretemur, vt de conuersione panis in corpus dicebamus. Videlicet, quod dum per actionem ignis quantitas specierum corrumpitur, non annihilatur: quia eius desitio non terminatur in nihilum, sed in generationem ignis: quare ad desitionem eius, quæ fit per primum non esse, subsequitur per primum sui esse existentiâ materiæ informata forma ignis. Et hoc est quod ait Diuus Thomas, materiam illam non creari, sicut quantitas non annihilatur. Et in hoc sensu intelligitur quod ex quantitate fit generatio, quia ex illa producitur materia, in quam inducitur forma. Quæ quidem opinio (vt reor) vel fuit Sancti Thomæ, vel certè est vera: quam vtique Bonauentura cum alia Innocentij probabilem censet. Et Ricard. dist. 12. quæst. 2. artic. 2. licèt obscuris & perplexis verbis. Atque hæc sententia non differt à communi in positione materiæ, sed in hoc, quod nos dicimus materiam non creari, sed subsequi virtute miraculi consecrationis.

Argumẽt. Quod si arguas. Agens naturale non potest materiam producere, vt Arist. 1. Physi. & vbique clamat: ergo producitur à solo Deo, atque adeo creatur. Ad hoc vno modo quispiam posset respondere, quòd licèt producatur à solo Deo: quia tamen producitur per desitionem quantitatis, non creatur. Solutio tamen hæc non est solida: quoniam cum quantitas corrumpatur per actionem agentis naturalis, non potest dici quòd Deus se solo per corruptionem quantitatis producat materiam, sicut per consecrationem conuertit panem in corpus. Quod autem Deus speciali concursu vtatur actione ignis ad productionem materiæ, non est vero simile. Et ideo dicendum quòd agens naturale non simpliciter naturaliter, sed tamen supposito miraculo quòd quantitas per se subsistat, corrumpendo eam producit materiam: cuius proinde nec est creatio, nec generatio, sed (si loqui sic licet) congeneratio: quia comproducitur ad generationem illius, quod ex speciebus gignitur, atque adeò eius productio non est nouum miraculum præter illud, subsistentiæ quantitatis.

Argum. Attamen his sic constitutis existit nihilominus arg. tam contra nostram opinionem quàm contra communem. Agens naturale non inducit formam substantialem nisi in materiam prius dispositam: dispositiones autem præcedunt in quantitate: ergo cum in primo non esse specierum incipiat esse materia, & simul forma in ipsa, fit vt illa forma non introducatur ab agente naturali, sed à solo Deo: quandoquidem in instanti non disponitur naturaliter materia.

Scotus. Scot. dist. 12. q. vlti. tenet non solum materiam à solo Deo creari, verùm & formam geniti: quia arbitratur accidens ad talem generationem non posse pertinere. Quare contra ipsum non militat argu. Atque illi qui tenent dispositiones recipi non in toto composito, sed in materia, id quoque dicere coguntur: quia agens naturule non potest in instanti materiam disponere.

At verò secundùm Aristotelem, & veritatem, quam D. Thom. sequitur, facillima est solutio. Dum n. stupa ad generationem ignis disponitur, calor in tota stupa recipitur, atque adeò ille idem non manet in igne genito, alias transiret de subiecto in subiectum, sed perit cum ipsa stupa: virtute cuius forma ignis secum adfert suas dispositiones dum introducitur. Pari ergo modo virtute dispositionum, quæ præcedunt in quantitate, inducitur forma in succedente materia cum similibus quantitatibus.

1. Argu. Ad hanc ergo doctrinam adaptandæ sunt solutiones argumentorum D. Thom. Arguit n. primo loco. Nihil nisi ex materia generatur, quamuis ex nihilo aliquid creetur: speciebus autem sacramentalibus nulla subest materia: ergo ex illis nihil generatur. Respondetur ad minorem, quod quantitas quæ subest speciebus, vicem gerit materiæ ad modum expositum.

2. Arg. Et similiter respondetur ad secundum quando arguitur. Quæ non sunt vnius generis, non possunt ex se inuicem fieri: siquidem ex linea non fit albedo. Respondetur ad minorem, quòd licèt species sint accidentia, habent tamen vim substantiæ, quatenus quantitas sustinet illas sicut panis.

3. Argum. Tertium argumentum est. Si ex illis speciebus generaretur aliqua substantia, generaretur cum suis accidentibus, potissimum cum quantitate: atque adeò ex sacramentali quantitate generaretur substantia & accidens: scilicet, duo ex vno. Respondet D. Thom. concedendo totum: nam cum quantitas & naturam propriam accidentis retineat, & per miraculum vim ac proprietatem substantiæ accipiat, non est mirandum si ex illa & substantia fiat & quantitas modo exposito.

ARTICVLVS VI.

Vtrum species sacramentales possint nutrire.

CVM nutritio ex substantia, fiat, non defuerunt qui negarent, species sacramentales posse nutrire. Respondetur autem affirmatiua conclusione. Manifestum est, quod species sacramentales nutriunt. Probatur ex illo 1. Cor. 11. vbi loquens de sacramento ait Paulus: Alius quidem esurit, alius verò ebrius est. Vbi secundum glossam notantur quidam, qui species consecratas panis & vini, quæ in totum populum deberent distribui, sibi vsurpabant, ita vt inde vsque ad ebrietatem reficerentur, alios priuantes ne sacramentum susciperent. De cuius loci explicatione distinct. 12. inter disputandum de sumentib. sacramentum redibit sermo. Refici autem & inebriari non poterant nisi species nutrirent. Secundò id ipsum ex præcedenti articulo colligitur. Cibus namque, vt est in 2. de anima, ob id nutrit, quod conuertitur in substantiam aliti: dictum est autem species posse conuerti in aliam substantiam: ergo eadem ratione nutriunt. Tertiò probatur per repulsam duarum opinionum circa hoc errantium. Aiebant n. quidam non verè nutrire, quasi in corpus conuerterentur humanum, sed per quandam immutationem sensuum confortare, sicut solo odore cibi & vini solet nonnunquam homo refici & inebriari. At verò talis refectio est quasi momentanea: quare non sufficeret hominem diu sustentare, qui propter continuam deperditionem humidi continenter restauratione indiget. Et tamen posset quispiam per bonam specierum consecratarum, quantitatem diu nutriri. Neque verò aliorum opinio admittenda est, dicentium nutritionem fieri propter formas substantiales panis & vini remanentes: nam præterquam quod error est dicere illas remanere, nutrire non est actus formarum, sed potius materiæ, quæ expulsa forma cibi suscipit formam aliti, iuxta illud Philosophi 2. de anima. Nutrimentum in principio est dissimile, in fine autem simile.

Conclusio. 1. ratio. 2. 3. cum refutatione contrariarum opinionum. Refellitur opinio eorũ qui dicunt nutritionẽ fieri propter formas substantiales panis & vini remanentes.

Videtur tamen Ambrosius in lib. de sacram. contrarius dicens: Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit: & tamen nisi vadat in corpus, nutrire non potest. Respondetur, quod nomine panis post consecrationem intelligi possunt species, quæ, vt ait Gregor. can. Species. de consecrat. distinct. 2. nomen rerum præcedentium retinent: & hoc modo panis nutrit corpus. Sed accipitur quoque pro corpore ipso Christi, qui dicitur panis mysticus de cælo descendens. Et hunc panem ait Ambrosius non corpus, sed animam reficere, & ideo non vadit, id est, non conuertitur in corpus.

1. Argum. ex Amb. Resp. 2.

2. Argum. Secundò. Ex eisdem, vt habetur 2. de generatione, nutrimur & sumus: species autem sunt accidentia, homo verò constat ex substantijs: ergo ex illis non nutrimur. Quod confirmatur ex illo 2. de anima. Alimentum nutrit prout est substantia quædam: auget autem prout est quoddam quantum. Respondetur ad argumentum, quòd licèt species sint accidentia, conuertuntur tamen in substantiam, ex qua homo nutritur: propterea quod dum sunt accidentia, existunt ad modum substantiæ. Et per hoc soluitur confirmatio.

Resp.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrum species sacramentales frangantur.

Quidam dixerunt species frangi secundum apparentiã tantum. Refutatur.

POST nutritionem sequitur de fractione specierum, de qua duo errores præcesserunt: quibus reprobatis statuuntur hic tres conclusiones. Etenim quoniam fractio non fit, nisi in substantia, quæ nulla subest sacramentalibus speciebus, quidam dixerunt non frangi secundùm veritatem, sed tantùm secundùm apparentiam. Hoc verò inde apparet fallum, quod in hoc veritatis sacramento sensus non decipitur circa ea, quorum iudicium ad ipsum pertinet, inter quæ est fractio, per quam ex vno fiunt multa: vnum namque & multa sunt sensibilia communia, vtpote quæ & tactu percipiuntur, & visu. Et ideo alij dixerunt, esse quidem veram fractionem, sed quæ non fit in subiecto. Sed & hoc quoque sensus aduersatur: Videmus enim quantum illic diuidi, atque adeo quantitatem, quicquid illa sit, esse fractionis subiectum.

Alij dixerũt esse fractionem sine subiecto.

1. Concl.

Est ergo prima conclusio. Dici non potest quod corpus Christi (aut sanguis) per se frangatur: tum quod est incorruptibile, ac perinde impassibile, tum quod, vt supra definitum est, totum est sub quacunque particula, atque adeò manet totum sub quacunque diuisa.

2. Concl.

Secunda conclusio. Fractio specierum subiectatur in quantitate dimensiua, sicuti & alia accidentia. Proprium enim est quantitatis secundùm illam diuisionem fieri. Ex hoc sequitur corollarium, quod sicut species sacramentales sunt signum, & sacramentum corporis Christi veri, sic & earum fractio est sacramentum, & repræsentatio quædam Dominicæ passionis: per illam enim designatur eius interfectio, qua mortuus est tam pro viuis, quàm pro defunctis, quod tres illæ portiones hostiæ significant, vt quæstione postrema totius materiæ monstrabitur.

Quid per fractionem designetur.

3. Conclusio.

Hic ergo in virtute clauditur tertia conclusio. Corpus Christi per accidens, sacramentaliter diuiditur ad diuisionem specierum: quemadmodum ad motum earum sequitur motus corporis, vt docet S. Thom. in solutione tertij. Non quod corpus in se diuidatur: nam totum est sub qualibet parte, sicut abscisa manu tota anima manet in reliquo corpore, sed quod cum prius sit in vna tantùm hostia, & in eius partibus quæ sunt entia tantùm in potentia, facta diuisione est in plurib. hostijs, quæ sunt actu plures. Quæ quidem conclusio ob id conceditur, quod cum hostia frangitur inter plures sumentes, non est negandum quin corpus Christi distribuatur inter illos. Caue tamen ne inde inferas ad digestionem specierum sequi digestionem corporis aut per se, aut per accidens: quoniam digeri dicit corruptionem & conuersionem in substantiam aliti, quod corpori neutiquam accidit.

Quomodo diuidatur corpus Christi.

Corpus Christi nullo modo discẽdum est digeri.

1. Argu. S. Tho.

Primum argumentum S. Tho. est. Philosophus 4. Meteororum ait corpora esse frangibilia propter determinatam dispositionem pororum, qui in speciebus non videntur esse. Item fractionem sequitur sonus: species autem sacramentales non sunt sonabiles: quoniam vt habetur 2. de anima, Sonabile est corpus durum habens superficiem lenem. Respondetur, quod sicut est in ipsis rarum, & densum, ita & pori, qui ad raritatem pertinent, & duricies, quæ attinet ad densitatem.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Eiusdem videtur esse manducari, & frangi, & masticari: sed verum corpus Christi est quod manducatur, secundùm illud Ioann. sexto. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: ergo corpus Christi est quod frangitur, & masticatur. Vnde in confessione Berengarij dicitur de consecrat. dist. secunda. Consentio Romanæ Ecclesiæ, & corde, & ore profiteor panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem verum corpus Christi, & sanguinem Christi esse, & in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: non ergo fractio debet sacramentalibus speciebus attribui, sed corpori Christi. In responsione explicatur tertia conclusio supra à nobis posita. Conceditur, inquam, id, quod in specie propria frangitur, & masticatur, in eadem propriè manducari: corpus autem Christi nec frangitur, nec manducatur in specie propria, sed in specie sacramentali, atque adeò non manducatur nisi per accidens ad manducationem specierum. Vnde Augustinus super illud Ioann. 6. Caro non prodest quicquam, hoc, inquit, est intelligendum secundùm illos, qui carnaliter intelligebant carnem esse manducandam quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur. Quare eo modo intelligenda est confessio Berengarij, vt tractio, & attritio referatur ad speciem sacramentalem, sub qua per accidens corpus dicitur atteri.

Elucidatur tertia concl.

Augustin.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis liquor possit vino consecrato commiscere.

INTER disputandum de specierum passione, & corruptione, congruens fuit singularis mentio de speciebus sanguinis, quæ per mixtionem alterius liquoris corrumpi etiam possunt. Vnde quinque conclusionibus D. Tho. respondet.

1. Concl.

Prima est fundamentalis. Alius liquor vino consecrato permiscere potest, sicut ante consecrationem. Quæ quidem conclusio præterquam quod ad sensum patet, ex superius assertis colligitur. Dictum enim est species ex vi consecrationis adipisci modum existendi substantiæ, ac perinde modum agendi, & patiendi, ac si essent in pane, & vino. Atqui potest permisceri vel liquor eiusdem speciei, putà vinum; vel alterius, vt aqua: idemque in magna vel in parua quantitate. Et quo res perspicacior fiat, loquamur de mixtione facta cum vino non consecrato, per quam iudicabitur de consecrato.

Liquoris duplex est permixtio.

2. concl.

Sit ergo secunda conclusio. Si liquor alterius speciei in tanta quantitate cum vino misceatur, vt diffundi possit per totum vinum, totum fieret permixtum: quare neutrum miscibilium maneret, sed resultaret tertius liquor alterius speciei. Vt si permisceretur aqua, fieret liquor medius, qui nec esset pura aqua, nec purum vinum.

3. Concl.

Tertia conclusio. Si ille liquor in magna quantitate permixtus esset eiusdem speciei: nempe aliud vinum, tunc resultaret vinum eiusdem speciei, sed tamen aliud numero, quod diuersitas accidentium declararet, si rubeum misceretur albo: nam partes permixtæ se inuicem per diuisionem penetrarent, & fieret vnum tertium.

4. Concl.

Quarta conclusio. Si vero liquor adiunctus esset tam paruæ quantitatis, vt non posset per totum diffundi, tunc non totum, sed aliqua pars esset permixta. Quæ ideo non remaneret eadem numero, sed tamen eiusdem speciei, etiam si liquor admixtus alterius esset speciei: quoniam parua gutta aquæ multo vino infusa in vinum transit, vt primo de generatione habetur. Definitum est autem, corpus & sanguinem tamdiu contineri sub speciebus, quamdiu eædem numero, quæ consecratæ sunt, permanent.

5. Concl.

Ex his ergo colligitur quinta conclusio. Si tanta fiat liquoris cuiuslibet permixtio, vt pertingat ad totum vinum consecratum, mixtum illud, erit aliud numero, ac perinde non remanebit sanguis Christi. Si verò fiat tam parua, quod non possit diffundi per totum, sed vsque ad aliquam partem specierum, desinet sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.

Expositio articuli.

Durand.

Materia hæc nec facilis est, nec parum ad rem theologam conducens, & ideo est examinanda. Præiacta ergo tanquam nota prima conclusione, secundam quoque omnes fatentur, inter quos est Durandus dist. 12. quæst. 13. vbi inter quatuor conclusiones hanc ponit primam. Tametsi in probatione nonnihil variare videatur. Ait quippe corruptionem miscibilium diuersarum specierum fieri per actionem in vicem contrariorum: cum tamen S. Tho. non videatur aliam rationem assignare, quàm mixtionem intersectionemque, & subintrantiam alterius in alterum. At verò nulla est discrepantia, vt Palud. distin. 12. quæst. 5. & Capreolus distin. 12. quæst. 1. adnotarunt. Vterque enim modus potest concurrere simul, atque alter alterum præuenire. Dum enim illa, quæ commiscentur, grossa pinguiaque sunt, vt si oleum misceatur vino grosso: quia neutrum alteri facilè cedit, citius per vicariam actionem & passionem corrumpuntur, quàm per diuisionem. Si verò subtilis aqua misceatur subtili vino, diuisio partium velocior erit quàm alteratio.

Argum.

Contra hoc autem nonnulli arguunt. Continuum non potest diuidi in omnem suam partem, cùm sint

infinitæ: ergo non potest per solam diuisionem fieri corruptio. Negatur consequentia: nam cùm vnumquodque ens physicum determinet sibi suam quantitatem, cùm diuisio venerit ad minimas, si vlterius procedat, corruptionem faciet. Cùm autem aqua miscetur vino, illo modo vtrumque alterum intersecat. Neque satisfacit solutio dicentium particulas vini reuniri particulis aquæ: nam cum specie differant, non magis seruantur in suis proprijs speciebus, vnitæ alijs, quam si essent seorsum positæ, sed fit vnum tertium. Tametsi negandum non sit, quominus alteratio contra se inuicem particularum permultum adiuuet, vt citius corrumpantur.

Resp.

Solutionem quorund. refutat.

Aliud arg.

Aduersus hunc autem corruptionis modum obijcitur argu. quod Innoc. c. Cùm Marthæ, de celebr. missa. appellat physicorum, qui aiunt per artem posse à vino lymphato extrahi aquam. Id namque fieri non posset, si vinum & aqua fuissent in aliquod tertium conuersa. Respondetur id forsan fieri posse antequam sit facta perfecta mixtio, postquàm verò perfecta fuerit, non est credibile.

Sed aliter arguitur. Illud tertium est alterius speciei à vino & aqua, ergo ab illis minimè generatur, quia nihil gignit nisi sibi simile. Negatur consequentia. Producitur enim ab illis sicut mula ab equa & asino, vel sicut forma cadaueris ab homicida. Quandò igitur huiusmodi magna mixtio liquoris differentis specie fit cum speciebus cõsecratis, nullum fit reliquum dubium, quin species corrumpantur, atque adeò illic sanguis non diutius maneat, quàm dum perficiatur mixtio. Nam tempore quo fit, manebit sub particulis specierum, quæ nondum sunt corruptæ, etiam si sint intersectæ. Est nunc hic memorandum, id quod quæst. præcedenti artic. vlt. contra Durandum, dist. 11. q. 3. constitutum est. Ait quippe per corruptionem qualitatum sacramentalium, etiam manente quãtitate, desinere illic esse corpus & sanguinem. Attamen non considerauit, quòd quantitas corrumpitur, quãdo corrumperetur panis. Et ideo non stat corrumpi qualitates necessarias ad conseruationem panis, quin corrumpatur quantitas. Atque adeò quamdiu manet ipsa, indicium est manere simul qualitates cõseruando pani sufficientes, quare & manet corpus & sanguis.

Nota contra Durand.

Tertia verò concl. aliquantulò plus ambiguitatis inuoluit: videlicet, quando permixtio fit alterius vini cum speciebus, præsertim si sit idem vinum, quod adiungitur & quod fuerat consecratum, puta ex eodem dolio. Quare Duran. contrarium asserit, videlicet quod tunc quamuis vinum appositum species diuidat vsque ad paruas partes porosas, semper manet sanguis sub illis particulis consecratis. nam sub particulis vini non consecratis nullatenus existit. Et re vera opinio non omnino apparet floccipendenda. Enimuerò corruptio miscibilium fieri non potest, nisi aut per mutuam alterationem qualitatum, aut per mutuam diuisionem quantitatis. Duo enim ad conseruationem rei naturalis exiguntur: scilicet & debitæ qualitates, & certa quantitas: alteratio verò illic nulla est, cùm qualitates non sint contrariæ. Diuisio verò, licèt sit vsque ad minima, nihilominus partes vt diuiduntur, ita inuicem reuniuntur & cùm sint eiusdem speciei, videntur ab inuicem conseruari. Secundò, vt fieret illa corruptio, necessum erat vt diuisio prõgrederetur vsque ad partes minores minimis, quæ possunt conseruare vinum. Tanta verò diuisio vix posset cõtingere, nisi vbi vinum maximo impetu infunderetur alteri.

De tertia concluſ.

Durandi ſententia.

Duo neceſſaria ad conſeruationem rei naturalis.

Tertiò vrgentissimè arguitur. Si dum vnum vinum alteri infunditur, neutrum manet idem numero, sequeretur subinde, quod si species consecratæ vnius calicis commiscerentur cum speciebus alterius calicis, neque istæ, neque iliæ persisterent eædem numero: nam similis fieret per diuisionem corruptio, atque adeò sanguis desineret illic esse, quod asserere, nefandus esset error. Alioqui si species in vno calice consecratas in duos diuideres & iterum commisceres, aboleretur sacramentum. Quinuerò si cooperto calice susque deque species easdem versares, sanguis abiret. Profectò res est, quæ me semper perplexum habuit.

Paludan.

Et quidem Paluda. dist. 12. q. 5. & Capreolus dist. 13. q. 1. opinionem S. Thom. sustinere conantes, tribus distinctionibus vtuntur. Primo enim potest esse vinum valde spissum, & penetratu difficile, & tunc permixtio vsque ad minima vix esse contingit: sed nihilominus erit aliqualis corruptio partium sese tangentium. Si autem vtrumque mixtorum sit vinum subtile, contingere potest permixtio per totum, vt neutrum maneat idem numero. Secundo, esse possunt differentium qualitatum, licèt vina essent eiusdem speciei, vt si essent album & rubeum, vel dulce & acidum, maturum & immaturum. Et re vera istæ qualitates, licèt sint substantiarum eiusdem speciei, nihilominus propter discrepantiam permultum faciunt ad corruptionem vtriusque, vt experientia docet.

Durandus verò, licèt misceantur album & rubeum, dicit manere idem: quia colores non corrumpuntur, sed per iuxta positionem, inquit, apparet color medius. Cui ego addiderim, quòd licèt rubedo corrumpatur, illa non est de essentia vini: imò per artem fieri potest, vt eodem vino manente color mutetur. Tertia diuisio est, quod posset gutta vini, vel minima quantitas addi magnæ quantitati vini: & tunc illa facillimè per diuisionem corrumpitur. Quare ait Paludan. quod si gutta consecrata infundatur magno dolio vini similimi, ridiculum est dicere, quod illic maneat sanguis: alioqui non posset vinum dolij profanè potari.

Durand.

Ad hæc verò ego coniectando respondeo. Primùm, si duo essent calices consecrati, siue vtrumque vinum spissum esset, siue subtilissimum, siue earundem qualitatum, siue diuersarum, vtrumque esset in magna quantitate, siue alterum in magna, & alterum in tenuissima, & ambo commiscerentur, non auderem dicere, quòd desineret illic esse sanguis, neque in aliqua earum parte. Et arbitror hæc esset semper Ecclesiæ censura. Quare etiam si gutta specierum consecratarum infundatur dolio vini, dicendum est illic manere sanguinem: quia licèt illa per se diuisa non posset seruare vinum, seruat tamen dum particulæ cum reliquo vino continuantur. Sed quia non potest percipi vbi sit illa gutta: imò quamuis essent quatuor vel decem, non essent perceptibiles, nullum esset periculum vinum bibere. Tametsi tanta posset esse mixtio specierum, vt res esset dubia: & ideo inter missarum solennia esset totum per partes consecrandum & sumendum. Secundò addiderim, quòd vbi vina essent diuersarum qualitatum, multò facilius species corrumperentur, atque adeò dum desineret esse species vini, desineret illic esse sanguis. At verò quamuis ratio theologica ob venerationem sacramenti hanc sententiam persuadeat, nihilominus ratio physica videtur opinioni San. Thomæ patrocinari. Quare sub conditione dicendum, quod si daretur perfecta mixtio per penetrationem, videlicet vsque ad particulas minores minimis, quæ sufficiunt conseruare vinum, fortè vinum non maneret idem numero, atque adeò si species consecratæ sic commiscerentur, non maneret illic sanguis. Et ad argumentum à nobis factum respondetur, quòd licèt dum fit diuisio & penetratio, particulæ diuisæ reuniantur inuicem, nihilominus iterum atque iterum diuiduntur, vt non maneant eædem numero. Quare opinio D. Tho. intelligenda est conditionaliter, si daretur illa mixtio. Sed tamen quia illa est latentissima, nunquam Ecclesia iudicaret per mixtionem specierum consecratarum sanguinem desinere illic esse, quousque perciperentur non esse species vini. Adduci ritus Ecclesiæ potest in fauorem San. Thomæ, fit enim lotio prima calicis mero vino, quod si per diuisionem non citius corrumperet species, potiùs fieret aqua. Sed respondetur, illud non fieri, vt faciliùs reliquiæ diuidantur, sed quia fortiùs fit purificatio per vinum, quàm per aquam.

Sententia autoris.

Quid ſentiendum de gutta ſpecierum conſecratarum dolio vini infuſa.

Quarta conclusio: scilicet, quod si fiat mixtio in parua quantitate, vt dum gutta aquæ vel vini infunditur calici, non maneat sub illa paticula sanguis, neque Durando dubia est, neque cuiquam esse potest. Est enim conclusio Innocen. cap. cum Marthæ. de celebr. missa. Nam si quod miscetur vinum est, vinum perseuerat vel idem, vel aliud numero. Si verò est aqua, certum est, quod vertitur in vinum: & quia illud nunquam fuit consecratum, non manet ibi sanguis.

4. Cond.

Sed arguitur contra. Sequeretur, quod illa exigua aqua vel vinum appositum annihilaretur, nam diuiditur in partes minores minimis, vt dictum est, postquam est tam tenue (non enim dicendum est, quod maneat tota illa seorsum sine mixtione) non est autem aliud vinum, cui illæ particulæ continuentur, fit ergo vt annihilentur. Respondetur, partem illam misceri, cuius particulæ continuantur cum speciebus: nempe cum quantitate cõsecrata: sicuti si vna hostia pro medietate consecraretur, & pro altera medietate maneret panis.

Argum.

Quod

Dubium. Quod si interroges, vtrùm parua illa gutta aquæ vino appositæ aliquid etiam corrumperet speciem cõsecratarum: Respondetur, tam paruam esse posse, vt citiùs corrumpatur, quam quicquam corrumpat; sed si sit maiuscula, poterit aliquid corrumpere, & in aquam vertere, sub qua pariter desinet esse sanguis. Quapropter licèt illud corruptum species postea rursus conuertant in vinum, neutiquam idem sanguis illic redibit.

1. Argum. Primum argumentum S. Tho. est contra primam conclusionem. Accidentia sacramentalia sunt sine subiecto, vt dictum est: ergo nullus liquor potest qualitates illas suscipere: atque adeò neque illis misceri. Ad hoc respondet negando priorem consequentiam, nam cum, vt dictum est, illa accidentia sint per modum substantiæ, possunt agere, atque adeò aquam appositam alterare, & vertere in vinum. Et sic exponitur dictum Inno. ca. Cum Marthæ. de celebra. missa. dicentis, quòd vinum appositum speciebus consecratis, species ipsæ afficiunt: non enim intelligitur in vino apposito, sed quòd per alterationem suum ei tribuant sapotem & colorem.

2. Argu. Secundò arguitur. Liquor appositus speciebus neque fit vnum cum ipsis, cùm sit substantia, & species accidentia, nec cum sanguine ipso, qui illic non est mistibilis: ergo impossibilis est talis mixtio. *Responsio.* Respondetur, quòd non fit mixtio cum sanguine, sed cum speciebus consecratis, quæ quidem si in totum corrumpãtur, totum fiet vna cõtinua substantia. Si autem corrumpantur in parte, ita quòd mixtio non omnes penetret, fiet vna continuatio dimensionum, non tamen habebunt idem esse: quia pars consecrata manebit sine subiecto, & alia erit verè substantia.

3. Argu. Tertiò. Cum aqua benedicta miscetur non benedictæ, tota est benedicta: ergo si liquor aliquis misceatur speciebus consecratis, totum manebit consecratum, atque adeò sub illo liquore manebit sanguis sine eius consecratione, quod est absurdum. *De aqua benedicta.* Negatur prima consequentia, quia benedictio aquæ non mutat eius substantiam sicut consecratio: quare, vt ait Inno. in prædicta decretali, cum Marthæ. dum vinum apponitur calici consecrato, non transit in sanguinem, neque ei commiscetur, sed sanguini circumfunditur, quia continuatur speciebus consecratis. *Responsio.* Quod tamen intelligitur, quando non est tanta mixtio extranei liquoris, vt species corumpantur.

4. Argu. In quarto argumento refertur quorundam opinio dicentium, quod quantumcunque modica fiat permixtio extranei liquoris cum speciebus consecratis, corrumpuntur totæ, atque adeò desinit illic esse sanguis. Et mouebantur duabus rationibus. Prior, quod magnum & paruum sunt differentiæ quantitatis, sicut album & nigrum coloris: cum ergo per quamcunque appositionem extraneam quantitas fiat maior, non manet eadem. Posterior ratio. Cum species sint vacuæ subiecto, & quod apponitur est substantia solida absque resistentia penetrabit omnes. *Responsio.* Respondetur tamen ad priorem rationem, quòd licèt paruum & magnum discriminent quantitatem quantum ad terminos magis vel minus distantes, non tamen quantum ad essentiam, quin possit manere minor quantitas alteri adiuncta. Ad secundam respondetur, quod quamuis species sint sine subiecto, existunt tamen ad modum substantiæ, vt possint subintranti liquori resistere.

DISTINCTIO VNDECIMA,

DE FORMA, ET EFFECTIBVS SACRAMENTI.

Cap. 1. EXPEDITA conuersione materiæ in corpus & sanguinem Christi, quę sub speciebus panis & vini continentur, subsequitur sermo tam de forma, per quam eiusmodi fit cõuersio, quàm de effectibus sacramenti. Forma autem, vt lib. 4. de sacrament. ait Ambros. sermo Christi est. *Amb. l. 4. c. 4. De consec. d. 2. cã. Panis. De consec. d. 1. can. Vtrũ sub figura* Consecratio enim, inquit, fit verbis & sermonibus Domini IESV: videlicet, Hoc est corpus meum. Et: Hic est calix sanguinis mei. Et Augustinus. Credendum est, ait, quod in verbis Domini sacramenta conficiantur. Huiusmodi namque verbis, cùm Dominus suum consecrauit corpus, virtutem tribuit, quibus sacerdotes nomine suo idem sacrosanctum mysterium perficerent. Quocirca idem ibidem Ambrosius: Si tanta, inquit, est vis in sermone Domini IESV, vt inciperet esse quod non erat, quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Nihilominus cuncta, quæ in forma calicis per Ecclesiam ex traditione Apostolorum adhibita sunt, in causam sacræ conuersionis concurrunt.

Cap. 2. Effectus autem venerabilis huius sacramenti est communionis gratia, qua Christi fideles vnum in ipso sumus, iuxta verbum Pauli: *1 Cor. 10.* Multi vnum sumus, omnes qui de vno pane & calice participamus, per quam vtique gratiam & nostra alitur spiritualis vita, & ad beatam illam sempiternam perducimur, dicente Domino: *Ioann. 6.* Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

Cap. 3. Obstat autem huic assequendo effectui conscientia lethalis criminis: nam iuxta verbum Apostoli: *1 Cor. 11.* Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Venialis autem culpa non item, nisi ex parte, quatenus eiusmodi culpa actuali deuotioni spiritualique dulcedini obest. Quinimò cui nullius peccati affectus placet, sacramentum ipsum venialia delet.

Cap. 4. Adde, quòd cùm non tantùm sacramentum, verùm & sacrificium sit quo Christus immolatur, & hostia pro peccatis offertur, hac ratione non solùm sumentibus, sed & alijs pro quibus offertur, prodest, iuxta verbum ipsius Christi. Qui pro vobis (scilicet sumentibus) & pro multis (scilicet alijs) effundetur in remissionem peccatorum.

DISTINCTIONIS VNDECIMÆ.

Quæstio prima.

DE FORMA HVIVS SACRAMENTI.

S. Thom. 3. part. quæst. 78.

ARTICVLVS I.

Vtrùm forma sacramenti Eucharistiæ sit, Hoc est corpus meum. Et: Hic est calix sanguinis mei.

QVONIAM tractatus materiæ sacramenti in aliam nos disputationem misit de continentia corporis & sanguinis Christi sub speciebus, deque earum existentia sine subiecto, dilata est hucusque quæstio de forma. Ad quam D. Thom. vnica conclusione respondet: videlicet, formam consecrandi panem esse, Hoc est corpus meum: formam verò consecrandi vinum, Hic est calix sanguinis mei. Non quod quæstio dubia sit, postquam autoritate Christi Matth. 26. & Luc. 22. ac subinde celeberrimo orthodoxæ Ecclesiæ vsu comprobatur, sed vt eius ratio explicetur. *Conclusio.* Differt autem hoc sacramentum à reliquis in duobus. Primò, quòd

Digitized by Google

Discrimen Eucharistiæ à reliquis, sacrum. Primum.

hoc perficitur in consecratione materiæ, reliqua verò in vsu materiæ consecratæ, vt in absolutione & vnctione. Secundò, quòd consecratio materiæ in alijs sacramentis consistit in quadam benedictione, per quam materia suscipit spiritualem virtutem, quæ per ministrum tanquam instrumentum animatum ad instrumenta inanimata procedere potest. Vt in consecratione chrismatis liquet, per quam Episcopus tribuit materiæ illi virtutem ad confirmandum, & ad vngendum sacerdotem, & in benedictione aquæ baptismalis: Tametsi hæc, vt supra dictum est, non sit de essentia, sed de decentia sacramenti. In alijs verò, quæ non consistunt in applicatione materiæ, vt in pœnitentia, non requiritur benedictio. In hoc autem sacramento consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conuersione substantiæ, quæ à solo Deo perficitur. Non quod sacerdos non concurrat tanquam minister, sed quod fiat virtute supranaturali: ad differentiam benedictionis chrismatis & aquæ, vbi nullum interuenit miraculum. Vnde minister, inquit, in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum quàm verborum prolationem. Non quòd non concurrat ad conuersionem, sed quod nullam applicet materiam, sicut in baptismo, & cõfirmatione: licèt quantum ad vsum, sacramẽtum ministret populo. Ex his ergo colliguntur duó alia discrimina: nam cùm forma debeat rei sacramenti congruere, formæ aliorum sacramentorum important vsum, vt, Ego te baptizo, Ego te chrismo, &c forma autẽ huius solùm importat transsubstantiationem: quare debet esse hæc, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Ex hoc sequitur alterum discrimen, quòd aliæ formæ proferuntur in persona ministri, vel exercentis actum, vt, Ego te baptizo, confirmo, &c. siue per modum imperantis, vt in sacramento ordinum. Accipe potestatem: siue deprecantis, vt in extrema vnctione, Per istam sanctam vnctionem indulgeat tibi Deus, &c. forma verò huius sacramenti profertur quasi ex persona Christi loquentis, Hoc est corpus meum, vt significetur sacerdotem solum proferre verba, per quam prolationem applicando tanquam minister formam concurrit ad conuersionem.

Consecratio consistit in miraculosa conuersione substantiæ.

Alia duo discrimina ex forma diuersitate.

Et per hæc patet responsio tertij argumenti S. Thomæ, quod est huiusmodi. In forma baptismi exprimitur persona ministri, cum ait, Ego: similiter ergo deberet exprimi in hac forma. Negatur enim consequentia: quia illic minister aliquem actum circa vsum materiæ exercet, sicuti & in confirmatione: hic verò minimè.

Error fal. Waldensibus ascriptus, & indignus refutatione.

Si Guidoni Carmelitæ lib. 9. de hæresibus Waldensium danda est fides, inter eas commemorat, quòd non consecrabant forma Christi, sed dicendo septies, Pater noster. At verò Æneas Siluius in li. de origine Bohemorum cap. 35. inter enarrandum eorundem Waldensium errores non solùm hoc non refert, verùm & contrarium insinuat: scilicet, quòd vterentur forma Christi. Sed tantum est in hoc errore dementiæ, vt nulla sit oppugnatione dignus. Cùm enim Christus hisce formis consecrauerit, præceperitque discipulis, vt quotiescunque id facerent, in eius commemorationem perficerent, solidissima fides est hanc esse formam necessariam. Vnde Ambrosius, quem hic refert Sanct. Thomas, li. de sacrament. Consecratio, inquit, fit verbis & sermonibus Domini Iesu. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo refertur, oratione penitur pro populo, pro regibus, & cæteris. Vbi autem sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos vtitur, sed sermonibus Christi: ergo sermo Christi est necessaria forma, qua perficitur sacramentum.

Necessitas huius formæ qua Christus vsus est. Ambros.

An forma sit dicenda, consecrationis, an sacramenti forma? Scotus vult dici consecrationis.

De nomine autem posset esse nonnulla controuersia propter Scotum, qui di. 8. q. 1. in solutione ad 3. ait non esse dicendam formam sacramenti, sed consecrationis: nam cùm sacramentum hoc sit res permanens, forma autem verborum sit successiua, non quadrat, vt sit forma sacramenti: forma n. rei permanentis debet esse pars eius. Quare licet in alijs sacramentis, quæ consistunt in applicatione materiæ, forma verborum dicatur forma sacramenti, non tamen hic tam aptè. Quæstio est de nomine, nihilominus S. Tho. in titulo quæstionis appellat formam sacramenti, & sic appellarunt semper omnes antiqui: sed statim ar. 2. & 3. appellat formas consecrationis. Et profectò, quia est forma consecrationis, aptissimè dici potest, & debet

Autor, forma sacramenti.

forma sacramenti. Enimuerò cum forma relatiuè dicatur ad materiam, & sit tanquam determinans eius significationem, in qua consistit ratio sacramenti, & materia sacramenti huius sit panis & vinum, quæ consecrantur per illam formam, optimè dicitur forma sacramenti. Et confirmatur. Sicut per illam formam, Ego te baptizo, determinatur ablutio materialis ad significandum sacramentalem effectum: sic species sacramentales per hanc formam determinantur ad significandum corpus illic contentum, atque adeò per ipsam constituuntur in esse sacramenti. Et tertio id confirmatur: quoniam secundum Scotum dabitur sacramentum sine forma sacramenti, quod non videtur res conueniens, quandoquidem sacramentum consistit in hoc quod est signum, cuius significatio potiùs ex forma oritur, quàm ex materia.

Absurdum ex sententia Scoti.

Vnde ad eius argumentum respondetur, quòd cùm forma duo habeat, scilicet perficere, & componere speciem, licèt in naturalibus vnum sine alio non contingat: anima namque componendo hominem perficit speciem: tamen in moralibus potest forma perficere illud, in cuius compositionem non intrat. Sicut charitas, quæ est in voluntate, perficit omnes virtutes aliarum potentiarum. Pariter in sacramento, quod, vt suprà diximus, est sicut res artificialis. Vnde sicut nomen statuæ pro ligno supponit connotando formam: sic & sacramentum Eucharistiæ supponit pro speciebus, connotando quòd virtute transeuntis formæ significent corpus & sanguinem. Reliqua verò tria argumenta S. Tho. elucidato subsequenti articulo commodiùs tractabuntur.

Ad rationem Scoti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit conueniens forma consecrationis panis, Hoc est corpus meum.

QVAMVIS in genere de forma tam panis quàm calicis dictum sit, † necesse est in particulari singulas diligentius explicare. Et ideo de forma corporis singulariter quæritur, vtrùm sit hæc præcisè, Hoc est corpus meum. Et respondetur vnica affirmatiua conclu. illam esse conuenientem formam. Probatur primò autoritate Euangelica Matth. 26. per illam enim Christus consecrauit. Et subiungitur ratio optima. Formam n. sacramenti id significare oportet, quod efficit: fit autem per illam formam conuersio panis in corpus Christi: ergo illam debet aptè exprimere. In cõuersione verò tria est considerare, s. & actionẽ ipsam, & terminum à quo, & terminum ad quem: hæc autem tria optimè per hanc formam explicantur. Conuersio siquidem dupliciter explicari potuit, s. & vt in fieri, & vt in facto esse: non autem debuit explicari in fieri, sed in facto esse. Primò, quia non est successiua, vt dictum est, sed momentanea: in momentaneis vero fieri est factum esse. Secundò, quia eodem modo sacramentales formæ significant sacramenti effectum, quo artificiales effectum artis: forma autem artificialis est similitudo vltimi effectus, in quem fertur intentio artificis: forma siquidem artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ, ad quem ordinatur ædificatio: & quia intentio consecrationis est corpus, quod illic per conuersionem continetur, debuit conuersio tanquam in facto esse repræsentari, atque adeò extrema, vt sunt etiam in facto esse: debent enim termini actioni proportionari. Terminus autem ad quem, scilicet corpus, facta conuersione habet naturam suæ substantiæ: terminus verò à quo, scilicet panis, non manet secundùm suam substantiam, sed secundùm accidentia, quibus ad sensum demonstratur. Ex his ergo fit consequens, vt terminus à quo congruè exprimatur per pronomen demonstratiuum relatum ad accidentia sensibilia, quæ manent: non quòd demonstret accidentia: nam ipsa non sunt corpus, sed contentum sub illis, vt art. 5. luculentiùs explicabitur terminus verò ad quem exprimatur per nomen significans substantiam illam, in quam fit conuersio, vt est corpus, verbum autem non sit, fit, sed, est, quod significat rem iam factam. Quare congruentissima forma est, Hoc est corpus meum.

† *art. 5.*

Conclusio affirm.

Tria in conuersione consideranda.

Circa hanc formam prima dubitandi occasio est, quòd Euangelistæ non affirmarunt hanc esse formam, qua Christus consecrauit, neque aliam, qua Ecclesia vtitur in consecratione calicis, sed tantùm rem à

Dubium an à Christo sit forma instituta.

Christo

Lutherus. Christo gestam narrauerunt. Vnde Lutherus in suo libello de abroganda missa priuata ait, esse institutam ab Ecclesia. Contra quem disputat Iodocus Clithoueus libr. 2. de officio missæ cap. 19. & alio libro contra formam missæ ab eodem Luthero inuentam cap. 24. Quinuerò Erasmus in annotationibus super epistolam primam ad Corinth. cap. 11. ait: Vtinam Paulus traderet nobis illa verba, quibus consecratus est panis ille à Christo: nam illa, inquit, Hoc est corpus meum, potius sunt porrigentis, quam consecrantis. Perpendat lector, an verba hæc in nomine orthodoxo ferendà sint. Respondetur ergo in primis, quòd quanquam in euangelio non palàm dixerit Euangelista illis verbis Christum consecrasse, catholicis tamen sufficere debet solennissimus vniuersalis Ecclesiæ vsus. Nam cum à tempore Apostolorum perpetuo more his consecrandi formis vtatur, firmissimum documentum est, non modò Apostolos, verùm & Christum illa fuisse forma vsum. Etenim cum constet Christum hoc sacramentum instituisse, nunquam Ecclesia, quæ nutu Spiritus sancti gubernatur, aliam quàm Christi formam vsurpasset. Hæreticis autem respondetur non fuisse formas, quibus Christus consecrauit, satis enim est retulisse Christi verba, quibus expressit illud esse suum corpus & sanguinem. Nam vt supra citatum est ex Ambrosio lib. de sacra. quod refertur de consec. d. 2. can. Panis. Cum panem accipiens diceret, Hoc est corpus meum, plane monstratur verbum illud operatorium fuisse, conuersiuumque panis in corpus. Quare non alio testimonio indigebat Ecclesia, vt illam formam ceu à Christo sancitam vsurparet, vt ait ibidem Ambrosius, & Eusebius canon. Quia corpus. & Innocent. cap. Cùm Matthæ. de celebratio. missa. & tandem in concilio Florentino decretum est formam huius sacramenti esse verba Saluatoris, quibus hoc sacramentum confecit: scilicet, Hoc est corpus meum. Et: Hic est calix sanguinis mei.

Solutio aff.

Probatur 1. ex traditione.

Ex Ambr.

Ex Concil. Florent.

1. Argu. Vnde præcedenti articulo arguit sic primo loco S. Thom. Illa verba videntur ad formam huius sacramenti pertinere, quibus Christus corpus suum & sanguinem consecrauit: antea verò acceptum panem benedixit, quam diceret: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, vt Matth. 26. constat: ergo non per illa verba vltimò prolata, sed per alia priora, quibus panem benedixit, consecrauit. Et confirmatur per particulam, enim, quæ denotare videtur panem iam fuisse consecratum.

Res est, quæ in varias sententias antiquos patres discidit, quarum S. Thomas in præsentiarum quatuor refellit, & quintam statuit.

1. opinio circa formam & text. Matt. 26. Prima fuit quorundam dicentium, quòd Christus per potestatem excellentiæ quam non habebat sacramentis alligatam, priùs virtute diuina, scilicet, absque vllis verbis consecrauit panem, deinde fregit, & distribuit dicens: Hoc est corpus meum, non quòd tunc consecraret, sed vt ostenderet formam, qua sacerdotes consecrare deberent. Et huic opinioni videtur alludere Innocen. li. 4. de mysterio missæ cap. 6. Refragantur verò ei euangelica verba, quibus adstruitur, quòd Christus accipiens panem benedixit: benedictio namque absque verbis non fit. Quare verba illa (inquit S. Th.) Innocentius non tanquam Papa determinando asseruit, sed tanquam doctor retulit opinando.

Refellitur, & explicatur verba Innoc.

2. opinio. Alij autem dixerunt, antea quidem verbis benedicendo consecrasse panem & vinum. Illa verò verba esse nobis ignota, quia non sunt ab euangelistis relata. Sed neque horum interpretatio locum habet, tum quòd si alijs verbis benedixisset, quàm istis, quibus modò Ecclesia vtitur, euangelistæ non vtique subticuissent: tum etiam quòd nunc Ecclesia vtitur hac forma consecrationis per imitationem eorum quæ Christus fecit. Quare per eadem ipse consecrauit. Alioqui neque Ecclesia consecraret per illa.

Refellitur.

3. opinio. Et ideo tertij quidam alij aiunt, bis eadem protulisse, primò quidem secretè ad consecrandum antequàm panem distribueret, mox publicè ad instruendum. Sed neque hoc ritui Ecclesiastico consonat: nam sacerdos verba hæc profert, non tanquam occulta benedictione à Christo prolata, sed tanquam publica, vt iacent in euangelio. Vnde cùm per solam Christi prolationem vim habeant consecrandi, fit vt tunc per ipsa palam dicta consecrauerit.

Refellitur.

4. opinio. Quarto ergo loco accedunt alij dicentes, per hæc verba semel prolata consecrasse. Attamen vt lib. de consensu euangelistarum autor est Augustinus, non semper Euangelistæ eundem narrandi ordinem seruauerunt, quo res actæ sunt: si autem illum seruarent, sic dicerent. Accipiens panem benedixit dicens, Hoc est corpus meum. Itaque non fuit alia benedictio, quàm ipsa consecratio. Quare particula, enim, non significat consecrationem corporis factam fuisse, sed tunc fieri. Et deinde (vt aiunt) fregit, & dedit discipulis.

3. opinio & 4. opinionis refutatio. At verò quamuis hæc quinta opinio sustentabilis sit, tamen non est necessarium, ait D. Thom. dicere alium fuisse ordinem narrationis quàm actionis. Atque hoc saluari potest, si verbum, dicens, quod ponit Lucas, non solùm concomitantiam designet respectu vltimi verbi, hoc est, proximè præcedentis: quasi dicat, quòd tunc solùm quando dedit discipulis dixit, Hoc est corpus meum, sed vt referatur ad omnia præcedētia in hoc sensu. Dum benediceret, & frangeret, & daret discipulis suis dixit: Hoc est corpus meum.

Explicatur latius 5. opinio. At verò nondum res satis euadit lucida, & ideo quo perspicacius elucidetur, legantur verba Matthæi, Accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et Lucas: Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Accipite, Hoc est corpus meum, &c. Quarta ergo opinio ait, quòd accipiens panem benedixit, hoc est, consecrauit, & deinde consecratum fregit, & dedit. Quam quidem opinionem S. Thom. non reprobat, sed ait, quod idem sensus colligitur seruato ordine verborum, vt iacet, si verbum, dicens, referatur ad totum tempus.

Christus nō prius consecrauit quā fregit, & dedit panē. 1. ratio. At profectò est argumentum, quod non priùs consecrauit quàm fregerit panem, & obtulerit discipulis. Primùm, quia in re tam graui non erat cur Euangelistæ ordinem rei gestæ narrando mutarent, & tamen omnes consentienter aiunt, quod accipiens fregit, & fractum dedit, & dando dixit, Accipite, & comedite, & postremò adiecit, Hoc est corpus meum: ergo consecratio non fuit prolata nisi postquam dixit, Accipite, & comedite. Secundò, cùm verba consecrationis non nisi semel protulerit, multò cōcinnior est hic orationis ordo, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum, quàm si prius benedixerit dicens: Hoc est corpus meum, & deinde frangens dixerit, Accipite, & comedite. Sic enim solemus dicere conuiuis. Accipite & comedite, Hoc est capo vel perdix. Quare Christus vsitato sermone dixit, Accipite & comedite: haud enim putetis esse solum panem, quem videtis, sed est verum corpus meum. Tertiò, si priùs cōsecrasset quàm fregisset, periculum esset, ne aliquæ micæ consecratæ dispergerentur, & relinquerentur in mensa, quod nullatenus est credibile. Quartò, quia cum non consecraret nisi præcisum panem, quem distributurus erat discipulis, non tam congruè consecrare prius potuit panem, quem diuisurus erat, quàm si prius buccellas faceret discipulis numero pares. Dicere autem, quod interim dum frangebat, dicebat verba consecratoria, vt quibusdam videntur verba S. Tho. insinuare, non est credibile: tum quòd dum consecraret, non deberet esse fractioni attentus, tum quòd fractio in tot particulas longiori indigebat tempore, quàm prolatio. Fuit ergo res gesta, vt ordo Euangelicus habet: nempe, vt priùs fregit, deinde porrigens dixerit, Accipite & comedite; & postremò, Hoc est corpus meum.

2.

3.

4.

Obiectio. Sed arguat quis forsan contra. Sequeretur quòd dum singulis buccellas porrigebat, singulas consecraret, atque adeò duodecies, vel terdecies formam protulerit. Negatur consequentia. Sed si vlla coniecturæ tribuenda est fides, prius fecit duodecim vel tredecim buccellas (si ipse suam sumpsit, vt dist. sequenti videbimus) quas in patella vel paropside posuit, ac deinde paropsidem offerens dixit, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Ita vt verba porrigentis essent paritet consecrantis. Ex quo sequitur aliter tunc fecisse, quàm sacerdotes modò, dum sacramentum dant: quia non possunt ordinem eundem seruare.

Solutio notanda.

Notamen egregium. Neque hoc profectò in præsentiarum admonere dissimulabo: videlicet, quòd quamuis plerique omnium per verbum, benedixit, quod Euangelista ante fractionem refert, non aliud intelligant, quàm formam ipsam consecrationis in fine prolatam, fortasse aliud designatur. Erat enim Christo in more quotiescunque panem comederet, gratias agere, imò quotiescunque miraculum aliquod adornaret. Quocirca si dum panibus quinque turbas pauit, benedixit ac fregit,

vt ait

vt ait Matt. cap. 4. & Lucas cap. 9. licèt verba benedictionis non expresserint, nihil mirum si aliqua hic benedictione vsus fuerit ante fractionem: quam, quia consuetissima illi erat, Euangelistæ non expresserunt. Vnde quod Matthæus ait, benedixit, Lucas ait, gratias egit: cui concinit & Paulus 1. Corinth. 11. Quare Ecclesia illud vsurpauit. Eleuatis oculis in cælum, tibi gratias agens, benedixit, fregit, & dixit, Accipite, Hoc est corpus meum. Vbi insinuatur, quod gratiarum actio consecrationem antecesserit. Imò propterea ante consecrationem dicens sacerdos, benedixit, signo crucis benedicit materiam, non quòd illo signo fuerit vsus Christus, sed vt nonnulla eius benedictionis fiat imitatio.

Cur sacerdos consecrationi præmittit benedictionem.

Secundò arguit S. Thom. Eusebius Emissenus, & refertur de consecrat. dist. 2. can. Quia corpus, ait, quod inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus conuertit dicens, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum. Et simile ait Ambrosius in cano. Panis est ergo totum illud, Accipite, &c. est forma.

2. Argu. S. Tho.

4. Argu.

Eodemque dirigitur argumentum quartum. Sola enim forma verborum sufficit ad perficiendum sacramentum, vt si dicas, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. si ergo hæc sola esset forma, Hoc est corpus meum, sequeretur, quod ipsa seorsum prolata absque præcedentibus verbis sufficeret: consequens tamen est falsum, quia nisi priùs dicatur, Accipiens ergo panem, &c. videbuntur verba formæ quasi ex persona sacerdotis prolata. ac subinde significarent conuersionem fieri in corpus sacerdotis.

Propter hæc argumenta Scotus distinct. 8. q. 2. tenet illa præcedentia verba, Accipite & comedite, esse necessaria. Neque vero sola illa, sed & alia antecedentia in canone, Accipiens panem, &c. Verum est tamen, quod tandem rem sub dubio relinquit dicens, quod si quis proferret sola verba, Hoc est corpus meum, sine præcedentibus, non esset illud adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est, atque adeo asseruandum, quousque sacerdos in alia missa post sumptionem sacramenti illud sumeret. Imó vero ait asserendum esse minus discretè, quod sit necessum in quolibet sacramento scire quæ verba sint præcisè de forma: illud enim, inquit, manifestè falsum est, non solùm in hoc sacramento, verùm & in baptismo, & pœnitentia, & sacramento ordinis. Ob idque consultum censet, vt sacerdos intendens facere quod facit Ecclesia, distinctèque legens verba canonis à principio vsque ad finem intentionem habeat consecrandi sub verbis quæ Christus instituit tanquam necessariam formam, non coarctando intentionem ad hæc vel illa præcisa verba.

Dubitauit Scotus.

At verò (vt cum omni reuerentia celeberrimi autoris loquamur) tam laxa licentia ignorandi, quæ sit forma sacramenti, non est valde tuta: nam cum Ecclesia præscriptis formis sacramentorum vtatur, quamuis licitum sit verbum aliud pro alio æquiualens vsurpare, tamen non licet liberiùs rem extendere. Haud enim pium est credere, quòd Christus, ac subinde Apostoli in re tam necessaria, quàm sunt materia & forma sacramentorum, Ecclesiam tam ancipitem & perplexam reliquerint. Dixit Christus, Baptizantes eos in nomine Patris, &c. certi ergo sumus illam esse formam, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. vel abluo, &c. In proposito itidem arguitur. Sola forma cum materia est ad sacramentum perficiendum necessaria. Forma verò est illa, quæ significat effectum: illum autem effectum sola hæc verba, Hoc est corpus meum, significant: ergo non sunt necessaria. Negat verò ipse consequentiam dicens, quòd præcedentia verba non pertinent essentialiter ad consecrationem tanquam forma, sed esse nihilominus necessario præmittenda, vt forma accipiatur tanquam prolata in persona Christi.

Scoti dubitatio improbatur.

Sed contra. Iam ergo agnoscit illam solam esse formam, de qua paulò antea dubitauerat. Item cum ipse censeat, formam non concurrere effectiuè ad consecrationem, sed tanquam causam sine qua non, nescio quid plus necessitatis est in forma, Hoc est corpus meum, quàm in præcedentibus verbis. Præterea dicere aliud esse necessarium quàm materiam & formam & intentionem, certè est res noua. Ad hæc. Si illa verba, Accipite & comedite, sunt necessaria, profecto & alia, vt ipse fatetur, ab illo saltem loco: Accipiens panem: nam inde perpetuum incipit orationis filum. Illa tamen præcedentia verba partim sunt euangelistæ, & partim Ecclesiæ: & tamen sancti omnes, & iam concilium Florentinum vno animo consentiunt, verba necessaria consecrationis non esse nisi verba Christi. De alijs ergo non est cur vel minimus inijciatur scrupulus.

Ad autoritatem ergo Eusebij & Ambrosij respondet S. Tho. quod verba illa, Accipite & comedite, non significant conuersionem, sed vsum sacramenti: & quia vsus huius sacramenti, vt dictum est, non est de eius essentia, fit vt neque illa verba sint de essentia formæ, atque adeo neque de essentia sacramenti. Nihilominus quia vsus pertinet quodammodo ad subsequentem perfectionem sacramenti, sicut operatio rei, retulerunt illa Eusebius & Ambrosius tanquam à Christo prolata.

Solutio.

Ad argumentum vero, quod apud S. Thomam est quartum, respondet illa verba præcedentia canonis ante verba Christi nullatenus posse censeri de essentia; tum quod sancti sola verba Christi ponunt necessaria, tum quod canon non fuit semper Ecclesiæ idem, sed successu temporum factæ sunt additiones, vt di. 23. q. 2. narrabitur. Quare sola illa verba, Hoc est corpus meum, sunt de necessitate sacramenti. Vnde si quis illa proferret cum intentione consecrandi, sacramentum proculdubio conficeret, quia per illam intentionem, quæ est intentio Ecclesiæ, determinantur verba tanquam prolata in persona Christi. Reliqua vero præcedentia sunt necessaria de necessitate præcepti: quare grauiter, hoc est, mortaliter peccaret sacerdos illa contra Ecclesiæ ritum prætermittens. Neque est simile de baptismo, qui cum sit sacramentum necessitatis, potest in tali articulo sine Ecclesiæ solennitate exhiberi: hoc autem sacramentum non est de necessitate: quare eius defectum, quando non potest missa integra celebrari, manducatio spiritualis, vt ait super Ioan. c. 6, Augustinus, supplere potest quantum ad gratiam, licèt non quantum ad sacramentalem: vt quæ non confertur nisi per sacramentum in re.

4. Argum.

Qua sint de necessitate sacramenti.

De necessitate præcepti.

Sed arguit contra hanc solutionem Scotus. Verba consecrationis non tantum ex sola intentione proferentis, sed ex vi suæ significationis debent significare effectum sacramenti: verba autem formæ sine præcedentibus non ex sua vi significant proferri in persona Christi, sicuti si quis diceret, Mea doctrina non est mea, quamuis intenderet illa dicere in persona Christi, qui illa protulit, tamen ex se non significarent nisi doctrinam proferentis. Negatur tamen suum assumptum: quod enim forma sumatur in persona Christi, licèt per verba præcedentia significetur, ob idque Ecclesia ea præmitti iusserit, tamen intentio sola sacerdotis per se etiam id satis significat: quia Ecclesia cum tali intentione illa proferre mandauit. Imo vt bene Durand. d. 8. q. 2. arguit, nisi talis intentio adesset, verba præcedentia per se non id certo significassent. Nam ex eorum rigore, Accipiens Iesus panem, &c. pronomen, hoc, non demonstraret, id quod sacerdos habet in manibus, sed quod Christus habebat: intentio ergo facit, vt verba prolata in persona Christi significent hunc nostrum panem conuerti in corpus Christi.

Scotus.

Resp.

Durand.

Alia verò ambiguitas fit reliqua de adiectione illa, Quod pro vobis tradetur: cùm enim vnica oratione, vt Lucas & Paulus referunt, dixerit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; & adiectio illa sit pars prædicati, videtur & ad formæ integritatem attinere. De hoc autem statim articulo proximo.

Argumenta secundi articuli facillima sunt, & partim soluta.

Primum. Forma debet effectum significare quem efficit: effectus autem est conuersio, quæ melius significatur per, fit: ergo dicendum esset, Hoc fit. Respondetur ad minorem, vltimum effectum non esse fieri, sed factum esse, & ideo dicitur, hoc est.

1. Argum.

Secundum. Sermo Christi, vt ait Ambr. can. Panis est. de consecr. d. 2. quo facta sunt omnia, conficit hoc sacramentum: illa autem fecit iubendo: ergo & forma huius sacramenti conuenientior esset per verbum imperatiuum, fiat. Negatur consequentia: nam licèt sermo sit eiusdem virtutis, aliter tamen operatur: siquidem hic non operatur tantùm effectiuè, verùm & sacramentaliter per formæ significationem, quæ ideo debuit esse enuntiatiua illius, quod factum est per verbum substantiuum præsentis temporis. Res verò creauit solum effectiuè, cui congruentius est verbum fiat, vt fiat lux, &c.

2. Argum.

Quomodo hic operetur sermo Christi.

Digitized by Google

3. Argu.

Tertium. Per subiectum formæ significatur id quod conuertitur, sicut per prædicatum, id in quod fit conuersio: sed sicut corpus est id in quod fit conuersio, ita & panis est qui conuertitur: ergo sicut corpus exprimitur per suum nomen, sic dicendum esset, Hic panis est corpus. Respondetur ad minorem, quòd licèt panis sit materia, non tamen manet post conuersionem, & ideò non debuit significari, nisi per pronomen vagum, hoc, vt demonstraret in genere, quod continetur sub speciebus, vt attic. 5. patebit, quod facta conuersione mutatum est.

Cur pronomen vagū in forma.

4. Argu.

Quartum. Sicut terminus conuersionis est determinatæ naturæ, ita determinatæ personæ: ergo dicendum esset, Hoc est corpus Christi: nam, meum, potest referri ad sacerdotem Respondetur, quod cum verba proferantur in persona Christi, congruentius per pronomen, meum, eadem significatur, quam si diceretur Christi.

5. Argu.

Quintum. In verbis formæ non debuit poni nisi quod est de substantia eius: cum ergo particula, enim, non sit de substantia, non est illic ponenda, præsertim cùm non in omnibus Ecclesijs habeatur. Respondetur, eam non poni tanquam de essentia, sed vt aptiùs cohæreat oratio præcedentibus, Accipite, & comedite. Idque secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ à Diuo Petro deriuatam.

(Enim) non est de forma substantia.

ARTICVLVS III.

Virum hæc sit conueniens forma consecrationis vini, Hic est calix sanguinis mei, &c.

CVM in consecratione calicis plura adhibeantur verba, quàm in consecratione panis: imò quæ nec in euangelio sunt contexta, meritò quæritur, vtrùm omnia sint formæ congruentia. Et ideo S. Tho. duabus conclusionibus respondet.

1. Concl.

Prima. Non est dicendum, vt quidam opinati sunt, de substantia formæ calicis illa esse verba præcisè, Hic est calix sanguinis mei: imò omnia sunt de substantia vsque ad remissionem peccatorum inclusiuè. Probatur, quia cum Ecclesia ab Apostolis instructa omnibus illis verbis vtatur tanquam forma, non est negandum, quin omnia ad effectum consecrationis concurrant, atque adeo sint de substantia. Secundò, quia omnia illa subsequentia adhibentur tanquam determinationes & modi prædicati, scilicet, sanguinis, sub eodem locutionis contextu, nempe, Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Tertiò, quoniam sacerdos eodem ritu & modo, s. calicem manu tenens cuncta profert, quasi per omnia consecrare intendens. Quartò, quia & Lucæ 22. illa verba interponuntur, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.

Forma calicis consecrandi.

2. Concl.

Secunda conclusio. Per priora verba, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem, vt per formam consecrationis panis conuersio in corpus: per verba autem subsequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, qui operatur in hoc sacramento. Probatur. Passio Christi ad tria nobis contulit. Primum, ad æternam hæreditatem adeundam, secundùm illud ad Hebræ. 10. Habemus fiduciam in introitu sanctorum per sanguinem eius. Et ad hoc designandum dicitur, noui & æterni testamenti. Secundò, ad iustitiam gratiæ, id est, ad nostram iustificationem, quæ fit per fidem quæ per charitatem operatur, secundum illud ad Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, vt sit ipse iustus iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Et ob hoc subditur, mysterium fidei. Tertiò demum contulit ad remouenda peccata, quæ vtriusque effectus impedimenta sunt, secundùm illud ad Hebræ. 9. Sanguis Christi emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, hoc est, peccatis. Atque huius gratia subiungitur, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Triplex passionis Christi vtilitas.

Ratio difficultatis huius artic.

Quæstio præsens grauis est, & plusculum disputationis postulans, quàm præcedens. Prima namque hæsitandi ratio animum subit, quòd cum hæc forma neque ex verbis Christi, neque ex euangelistarum vllis colligatur, & penes Ecclesiam (quod supra diximus) vt facultas non est instituendi sacramenta: ita neque sit eorum mutandi, materiam aut formam: mirum est quomodo celebriter habeatur pro forma. Quæstio est, quam Innocentius cap. Cum Marthæ. de celebr. missa. tanquam sibi propositam refert. Ad quam respondet, multa tam de verbis Dominicis, quàm de factis ab euangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppleuisse verbo, vel facto expressisse leguntur. Explicatius verò ad eandem respondet lib. 4. mysteriorum missæ cap. 5. vbi ait, quod formam istam ab ipso Christo acceperunt Apostoli, & ab ipsis accepit Ecclesia, vt in nono argumento videbimus apud S. Thomam.

Soluitur ab Innoc.

At verò in prima conclusione videlicet, omnia illa verba esse de substantia formæ, apparet prima facie D. Tho. & communi doctorum consensui & rationi aduersus, Alexander namque 4. part. quæst. 33. & Bonauentura in 4. dist. 8. ar. 1. q. 2 & plerique alij contrarium censent: nempe, Hic est calix sanguinis mei: vel, Hic est sanguis meus, sufficientem esse consecrationis formam. Et Durandus potissimè ead. dist. q. 2. art. 2. Quanquam Ricardus eadem dist. ar. 3. q. 2. cum Diuo Thoma consentiat. Nam Scotus dist. 8. q. 2. vt supra diximus, dubius hæret, imò consulit vt nemo definiat quænam sit forma necessaria. Quare si sola illa verba proferantur, Hic est calix sanguinis mei, ancipitem esse censet & dubiam consecrationem. Cui Marsilius in 4. quæst. 6. ar. 1. adhæret. Quinimò & discipuli eiusdem sancti Doctoris de hac re dissident. Paludanus namque ead. dist. q. 3. & Capreolus Diuum Thomam iuxta primum verborum sonum sustinent: scilicet, sic esse omnia de essentia, vt vna prætermissa particula nulla fieret consecratio. Caietanus verò in præsentiarum contrarium asserti ssime sustinet. Et conatus primùm D. Thomam ad se pertrahere: quia videt non posse, tandem eum deserit.

Alexander & Bonau. & Duran.

Ricardus.

Palud. & Capreol.

Sed tamen semper arbitratus sum, D. Thomam ægerrimè sustineri posse in sensu, quo à quibusdam defensatur, si tamen sanè intelligatur, repudiandus non est. Ad cuius intellectum distinguendum est inter essentiam & substantiam sacramenti. Id n. dicitur de essentia, sine quo nullatenus fieret consecratio. Sed de substantia id credo censet D. Thom. quod est de integritate: nempe, quod ad consecrationem concurrit, nihilominus sine illo fieri posset. Igitur prima verba: Hic est calix sanguinis mei, seu, Hic est sanguis meus, sunt de essentia, reliqua verò de substantia, hoc est, de integritate. Primum probatur, quia illa verba sunt in hoc sacramento duntaxat de essentia formæ, quæ significant totum effectum sacramenti. Forma siquidem id efficit quod significat: ea autem sunt illa præcisa, Hic est calix sanguinis mei. Negat autem Paludanus priorem præmissam. Illa enim verba baptismi, Ego te baptizo, significant effectum baptismi, & tamen nisi addas, In nomine Patris, &c. non perficitur sacramentum. Durand. verò respondet rationem illius inuocationis Trinitatis in baptismo esse, vt significetur autor illius effectus, s. Deus. Attamen responsio hæc minus valere videtur, quàm argumentum: nam omnia sacramenta virtute diuina suum sortiuntur effectum, & tamen inuocatio illa Trinitatis solum est necessaria in baptismo & confirmatione. Ratio ergo non est, nisi quia sacramentum baptismi ex sua essentia habet, vt sit professio fidei, quæ per confirmationem irroboratur, & ideo vtrobique illa expressio Trinitatis est de essentia formæ. In reliquis verò profecto id tantum est de eius essentia, quod ad significationem effectus pertinet. Atque id præsertim in hoc sacramento confirmatur: cum n. tanquam vnum conuiuium constet ex cibo & potu, non est cur aliud ad essentiam consecrationis calicis requiratur, quàm ad essentiam consecrationis corporis. Atque adeo sicut, Hoc est corpus meum, est sufficiens forma vnius, ita &, Hic est calix sanguinis mei, est forma alterius. Quod quidem D. Thom. fateri videtur, vbi ait eodem modo vnam significare effectum sacramenti, quo alteram.

Sententia autoris.

S. Tho. benigna interpretatio.

Paludani obiectio.

Durand.

Secundò ad idem arguitur. Quod est de essentia, vbicunque varietur, qualiatur sacramentum: sed tamen Græci in forma calicis non omnia verba ponunt quæ Latini: imo quatuor hæc missa faciunt, calix, æterni, mysterium, fidei. Asserit enim Durandus se vidisse, & Caietanus certiorem esse factum in missa Basilij, quam fertur dictante Angelo excepisse, non esse in forma calicis, nisi hæc verba: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. In canone verò secundùm regulam Isidori, quem ego ipse in missali Mozarabo legi,

2. Arg.

habetur

habetur iuxta contextum Lucæ & Pauli, Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, &c.

Paludan. Et quamuis Paludanus dicat, quòd si illa forma duntaxat Græci vtuntur, non verè consecrant, non est credendum, quandoquidem de hac re ab Ecclesia Romana non culpantur. Capreolus air, quod Deus dispensat cum illis. Sed hoc profecto est ad libitum loqui.

Adde tertiò, quòd illa significatio effectuum sanguinis, quam D. Thom. hic declarat, ratio non cogit vt sit perficiendo sacramento necessaria. Quoniam cùm vsus istius sacramenti, vt alias sæpe, & proximè art. 1. D. Thom. concessit, non sit de eius essentia, sit vt neq; gratia, quæ per vsum confertur, per quam vtique effectus passionis nobis applicantur. Si ergo effectus non sunt de essentia sacramenti, fit vt neque illa verba illos significantia sint de essentia formæ. Arbitror profectò conclusionem tum veram esse, tum & apud D. Thom. certam, scilicet sola verba, Hic est calix sanguinis mei, esse de essentia.

Nihilominus doctè asserit reliqua esse de substantia, hoc est, omnia ex intentione Ecclesiæ ad consecrationem concurrere: quandoquidem sub tenore vnius formæ eam profetri super calicem iubet. Neque mirandum aliquid esse de substantia, putà de integritate, quod non sit de essentia. Digitus enim, & manus substantia hominis sunt ceu partes (quas aiunt) integrales, & tamen non eatenus sunt de essentia, quo minus sine illis possit homo viuere. Item si quis vltimam syllabam, meum, longissima mora proferat, tota prolatio concurrit ad consecrationem, & tamen minor sufficeret. Quinuerò si consecratio fiat secundum illam formam Lucæ, & Pauli, Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, certum est consecrationem non perfici quousque nominetur sanguis, & tamen incongruè diceretur, in meo sanguine, nisi interiecta particula, noui testamenti, in quam ablatiuus ille fertur: ergo illa est de substantia, & integritate, licèt non sit de essentia. Imò & forsan quis dicat particulam, enim, concurrere ad consecrationem corporis tanquam de integritate formæ, & tamen non est de essentia. Sed tamen hoc ego non certò asseruerim: quoniam particula illa, vt in calce præcedentis articuli dixit S. Thom. solùm ponitur gratia coniungendi verba cum precedentibus, & ideo non tanquam pars concurrens ad consecrationem. Sicuti illa, quæ adhibentur in forma calicis, eo quod adhibentur tanquam modus prædicati. Extat aliud exemplum. Vbi enim baptismus celebratur sub trina mersione, re vera omnes sunt de integritate, & concurrunt ad effectum baptismatis, qui quidem effectus non existit vsque ad postremam: & tamen non sunt omnes de essentia. Nam si quis vnica baptizate intenderet, sacramentum vtique perficeret.

1. Argum. Reliqua, quæ scitu dignissima sunt, perdoctè D. Thom. inter arguendum edisserit. Arguit ergo primo. Sicut panis per formam consecrationis vertitur in corpus, ita & vinum in sanguinem: sed in forma consecrationis panis corpus sine vlla adiectione ponitur in recto: ergo incongruè in consecratione vini, sanguinis, cum adiectione ponitur in obliquo, vbi dicitur, Hic est calix sanguinis mei. Respondetur, Hic est calix sanguinis mei, figuratam esse locutionem, quam dupliciter interpretari possumus. Vno modo per metonymiam, qua ponitur continens pro contento, vt sit sensus. Hic est sanguis meus contentus in calice. Fit autem calicis mentio congruentissimè, eo quod sanguis hic consecratur inquantum est fidelium potus, quod per se sanguis non significat, nisi sit vase receptus. Quin adde, & altera ratione consideratus: scilicet, vt effusus non vtcunque, sed in redemptionis pretium, non id per se satis designasset: quia pretium in vase colligitur in custodiam. Est ergo calix & pretiosi sanguinis, & potabilis. Accipi nihilominus potest calix per similitudinis metaphorà, pro ipsa passione Christi, quæ ad similitudinem calicis inebriat: vel quia, vt supra diximus, in vase propinabatur reis lethale venenum. Vnde Matth. 10. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & capitu. 26. Transeat à me calix iste. Et tunc sensus est, Hic est calix passionis meæ, cuius passionis mentio fit in consecratione sanguinis: quia per eandem fuit effusus. Si quis autem sub tacito nomine calicis dicat, Hic est sanguis meus, vt ait Matthæus, & Marcus, peccaret quidem grauiter, consecraret tamen. Imò Innocentius & Ambrosius sic quandoque proferunt. Idem dicendum, si quis pro calix diceret poculum, aut vas.

Duplex forma interpretatio.

Secundò arguitur. Non minoris virtutis est forma panis, quàm vini, cum vtraque sit Christi: sed cùm primum dicitur, corpus meum; est perfecta consecratio: ergo cùm primum dicitur, Calix sanguinis mei, atque adeò reliqua quæ sequuntur, non sunt de substantia, præsertim cùm pertineant ad proprietates sacramenti tanquam effectus, qui consequuntur ex substantia, & non intrant ipsam. Subobscurè videtur ad argumentum respondere, nec satis nodum soluere. Solùm enim reddit rationem cur reliqua adhibeantur formæ sanguinis, & non formæ corporis. Scilicet, quia sanguis seorsum consecratus repræsentat passionem, cuius vtique effectus congruit illic explicari. Vbi insinuare videtur consecrationem non fieri vsque ad finem omnium verborum.

2. Argum.

Resp. Thom.

Contra hoc autem arguitur. Vbi primum profertur, mei, iam tunc quicquid est de essentia sacramenti consummatur, sicuti dum super panem dicitur, meum, ergo illic absoluitur consecratio. Respondetur, quòd si intentio sacerdotis fuit per illa sola verba consecrare, optimè concluditur. At verò mortale sacrilegium committeret, qui per illa sola consecrare intenderet. Nam cùm sit Ecclesiæ institutum, vt per omnia verba fiat consecratio, per omnia tenetur sacerdos intendere consecrare: & ideo vsque ad finem, in remissionem peccatorum, non perficitur conuersio. Et hoc est quod S. Thom. docet.

Impugnatur.

Vera resp.

Subiungit autem in consecratione panis mentionem quoque eiusdem passionis fieri, cùm dicitur: Quod pro vobis tradetur. Vnde exurgit argumentum, quòd pariter forma panis deberet esse hæc, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: nam similiter relatiuum illud determinat modificatq; prædicatum, sicut corpus in forma sanguinis, qui pro vobis effundetur, cùm ergo sit vna perpetua locutio, non est cur magis adhibenda esset particula illa in vna forma, quam in altera. Et confirmatur, quia Græci ita consecrant panem, addentes, quod pro vobis tradetur, & ita habet canon illius missalis Basilij, & alterius, Isidori, quæ suprà citauimus. Innoc. in cap. Cùm Marthæ. huius etiam rei meminit. Respondetur ergo duo. Primùm, particulam illam non esse de essentia, tum quòd Ecclesia Romana illa non vtitur, tum quòd neque in forma calicis, vt dictum est, similis particula, qui pro vobis effundetur, est de essentia: tum denique quia particula illa, Hoc est corpus meum, satis effectum significat. Quare neque apud Græcos est de essentia, licèt sit de integritate, sicut apud nos similis particula in calice modo iam expositio. Secundo dicimus congruum fuisse adhibere illam in forma calicis, & non in forma panis, propter rationem: scilicet, quia sanguis effusus expressiùs passionem significat quàm corpus. Deinde, quia vt Innoc. in allegato cap. Cùm Marthæ. adnotauit, illas particulas formæ calicis omnes tres Euangelistæ, scilicet Matth. Marc. & Luc. consentienter referunt, quasi aliquid maioris energiæ sit in illis. Sed in forma panis solus Lucas adiecit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Sic enim habetur Græcè διδόμενον. Paulus verò retulit, quod pro vobis tradetur: vbi Ambrosius legit, pro vobis frangitur, annuente Erasmo. At verò profecto multò congruentius legitur, tradetur. Est enim Græcè κλώμενον, quod vtramque significationem admittit. Nam quòd Lucas ait, pro vobis datur, non refertur ad illam dationem panis tunc consecrati, sed ad oblationem in cruce, quam interpres Pauli expressit per tradetur. Est enim sensus. Hoc corpus, quod pro vobis tradetur in pretium spiritualis vitæ, datur quoque vobis in escam ad eandem alendam.

Solutio duplex.

Tradetur.

Cur in forma calicis aliquid adiungitur nō in forma panis. Innoc.

Notanda ad intelligendum locum Luc. 22

Tertiò arguitur. Testamentum nouum pertinere videtur ad internam inspirationem, vt colligitur ex Apostolo ad Hebræos octauo, vbi verba introducit Hieremiæ 31. Consummabo super domum Israël testamentum nouum, dando leges meas in mentibus eorum, ad differentiam vetusti testamenti, quod exteriùs in tabulis lapideis fuit exaratum: sacramentum autem hoc est exterius sensibile: incongruè ergo dicitur testamentum.

3. Argum.

Et quartò arguitur. Nouum ex eo quippiam dicitur, quod propinquum habuit initium: æternum verò est quod principium nullum habuit: ergo minus aptè cohæreat noui & æterni. Respondetur ad tertium, quòd

4. Argum.

Solutio 3.

testamen-

Digitized by Google

testamentum est dispositio hæreditatis, eorum autem hæreditatem Deus per virtutem sanguinis Iesu Christi hominibus disposuit adeundam, secundùm illud ad Hebr. 9. Vbi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Sanguis verò Christi dupliciter est hominibus exhibitus. Primò quidem in figura, quod pertinet ad vetus testamentum. Quare ibidem Paulus concludit, nec primum testamentum sine sanguine dedicatum esse, vt Exod. 24. legitur: videlicet, quòd lecto omni mandato legis à Moyse, omnem populum sanguine aspersit dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Secundò autem idem sanguis exhibitus est in rei veritate, quod ad nonum attinet testamentum. Vnde Apostol. ibidem præmittit dicens. Ideo noui testamenti mediator est Christus, vt morte intercedente repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Meritò ergo in consecratione sanguinis additur, noui testamenti: quia iam non in figura, vt olim, sed in veritate exhibetur. Ob idque subditur, qui pro vobis effundetur. Interna autem inspiratio, quæ spiritualis est inscriptio fidei legisque in cordibus, virtute eiusdem sanguinis emanat, quatenus passione Christi iustificamur. Quare nihil obstat quominus virtute visibili sacramenti eadem lex intus per gratiam imprimatur.

Sanguis Christi in figura. Exod. 24.

Idem in veritate.

Solutio 4. Ad quartam respondetur, particulam, æterni, non extare apud Euangelistas, sed adiectionem esse Ecclesiæ, vt ait Innocent. in dicto capitulo. Cum Marth. Suscepit eam tamen ex traditione Apostolorum. Optimè enim connectuntur noui & æterni. Non enim refertur ad exhibitionem, quia Christus suo sanguine idem testamentum confirmauit. Æternum autem refertur & ad æternam prædestinationem, & ad æternam hæreditatem, quæ per hoc testamentum disponitur, & ad æternam testatoris personam, quæ est Christus, vt Innocentius cap. Cùm Marthæ. adnotauit.

Æterni, in forma quo referatur.

5. Argu. Quintò arguitur. Occasiones peccandi, præsertim in sacramentis præscindendæ sunt, iuxta illud Esaiæ 57. Auferte offendicula de via populi mei, quidam autem, vt supra visum est, turpiter erraunt dicentes, non esse hic corpus & sanguinem secundum veritatem, sed secundum figuram, quod mysterij nomine designatur: ergo periculosè dicitur, mysterium fidei.

6. Argu. Et sextò arguitur. In superioribus dictum est, quòd sicut baptismus est sacramentum fidei, ita & Eucharistia est sacramentum charitatis: scilicet, communionis fidelium: congruentius ergo diceretur mysterium charitatis, quàm fidei. Argumentum quintum facit Innocentius loco † citato, dicens, ex illa particula occasionem sumpsisse hæreticos negandi veritatem corporis & sanguinis in sacramento. Quæ quidem particula apud Euangelistas non legitur, sed est ab Ecclesia ex traditione Apostolorum intexta. Et respondet sicut hic S. Thomas, quòd nomen mysterij non excludit rei veritatem, sed denotat res illas contineri illic non visibiliter, sed occultè, quas fide credendum est illic latere. Adde, quòd cum hoc sacramentum fiat in memoriam passionis Christi, vt ipse iussit, & memoria sit rei figura & imago, totum hoc sacramentum, & expressus (vt expositum est) consecratio sanguinis dicitur hac ratione figura, qua nihilominus Christus hic verè existens immolatur, non realiter, & visibiliter, vt in cruce, sed occultè & sacramentaliter, vt de consecratione distinctione secunda ait Paschasius papa, canon. Iteratur. Et August. can. Vtrùm sub figura. Et per hoc respondetur ad sextum, quòd dicitur mysterium fidei; quasi fidei obiectum: quia veritatem sanguinis non oculis cernimus in sacramento, sed fide tenemus, per quam etiam fidem passio Christi sanguine repræsentata iustificat. Dicitur autem baptismus aliter sacramentum fidei, id est, fidei professio, sicuti & hoc dicitur sacramentum charitatis, hoc est, signum charitatis, qua fidelium communio conglutinatur.

† *in solut. 4.*

7. Argum. Septimum argumentum iam suprà solutum est. Videlicet, quòd cùm consecratio tam corporis, quàm sanguinis fiat in memoriam passionis Christi, siquidem de vtraque retulit Paulus. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis: cur potiùs in forma sanguinis fit mentio remissionis peccatorum, qui fuit eius fructus, quàm in forma corporis? Ratio, inquam, ea reddita est, quòd sanguis effusus, seorsum consecratus eâdem passionem apertiùs repræsentat.

8. Argum. Octauò arguitur. Passio Christi quantum ad sufficientiam quidem pro omnibus oblata est, & quantum ad efficaciam multis profuit: igitur ad hos duos modos designandos dici decuit, pro omnibus, & pro multis, & non pro vobis, singulariter. Respondetur primum, nullum Euangelistarum dixisse, pro vobis, & pro multis; sed Lucas dixit pro vobis, Matthæus verò & Marcus, pro multis: cæterùm Ecclesia ambas coniunxit particulas, quæ ad efficaciam passionis attinent, atque ad eius percipiciendum fructum. Et ideo tantùm, nominantur illic prædestinati & electi, quibus re vera profuit ad salutem. Quare vel dum dixit, vobis, intellexit Iudæorum electos, quales erant illi præter Iudam, qui sedebant ad mensam. Et cùm adiecit, multis, intellexit electos ex gentibus. Vel dum ait, vobis, intellexit sacerdotes, quo gradu instituebantur tunc Apostoli, & cùm adhibuit, multis, intellexit electos: scilicet, assistentes, & alios, pro quibus sacramentum offertur. Quam distinctionem significare videtur sacerdos dum ait in canone, Qui tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Quod si instes interrogans, cur non dixit, pro vniuersis, postquam quo ad sufficientiam pro vniuerso mundo obtulit. Nam vti primæ Ioannis secundo habetur, Christus non pro peccatis nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi propitiatio factus est. Respondetur, quòd illis verbis voluit duntaxat fructum suæ passionis explicare, vt significaret illis se præcisè profuturum, vt cibum, quibus erat profuturus vt pretium. Et quia eius passio non fuit nisi in prædestinatis fructuosa, non dixit, pro omnibus, sed pro vobis, & pro alijs multis vobis similibus. Cui alluxit & Paulus capitulo nono ad Hebræos. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Vnde Ioannis decimoseptimo. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: quia tui sunt. Scilicet, pro electis.

Solutio notanda.

Dubium.

Solutio.

9. Arg. Nonò denique arguitur. Verba, quibus hoc sacramentum conficitur, efficaciam habent ex institutione Christi: sed nullus Euangelistarum narrat Christum hæc verba dixisse: ergo superuacanea sunt. Respondetur, quòd Euangelistarum propositum non erat sacramentorum formas ad amussim propalare, sanè cùm nascenti Ecclesiæ expediret illas esse occultas, vt Dionysius in calce Ecclesiasticæ hierarchiæ refert, ne mysteriorum margaritæ spargerentur vulgo. Sed munus eorum fuit Christi historiam percensere. Nihilominus omnes particulas Ecclesia tradentibus Apostolis ex diuersis scripturæ locis decerpsit. Vnde Innocentius in sæpe allegato capit. Cum Marthæ. ait particulam illam, eleuatis oculis in cœlum, Ecclesiam collegisse ex verbo apud Ioannem in suscitatione Lazari, referentem tunc Christum oculos in cælum eleuasse. Quamuis illa non sit pars formæ. Nomen autem, calix, expresè habetur Lucæ vigesimosecundo, & primæ ad Corinthios vndecimo. Et, noui testamenti, apud Matthæum vigesimo secundo. Nomen verò, æterni, & mysterium fidei, Apostoli Spiritus Sancti lumine addiderunt. Quare & Paul. eodem capit. citato ad Hebræ. nono ait, quòd Christus mediator fuit noui testamenti, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Quasi dixisset vetus illud testamentum, quod hircorum sanguine & vitulorum celebratur, non fuisse validum ad expiationem peccatorum, sed ad purgationem corporalium irregularitatum, ac subinde neque ad confirmandum promissionem æternæ hæreditatis, sed ad retributionem temporalium bonorum, vt frumenti & olei triumphorum de hostibus temporalibus. Per nouum verò promissio æternæ hæreditatis confirmatur.

9. Arg.

Dionys.

Vnde forma calicis desumpta Innoc.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum in prædictis formarum verbis insit aliqua virtus creata consecrationis effectiua.

CVM sacramentorum formæ id efficiant quod significant, meritò interrogatur, vtrum verbis consecrationis vis insit vlla creata conuertendi panem & vinum in corpus & sanguinem. Respondet ergo Diuus Thomas contraria opinione reiecta, per hanc affirmatiuam conclusionem. In verbis formalibus huius sacramenti est quædam virtus creata

Conclusio.

Digitized by Google

ad eius conuersionem faciendam: instrumentalis tamen, sicut & in alijs sacramentis. Probatur primò autoritate Ambrosij libro de sacramentis, & refertur de consecratione distinctione secunda, canone Panis est. *Ambros.* vbi ait. Si tanta est vis in sermone Domini IESV, vt inciperet esse quod non erat, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi creaturam mutat. Item & ratione confirmatur. Illi enim, quos distinctione prima quæstione tertia articulo primo retulimus, quorum est Scotus, Durandus, & reliqui, qui negant sacramentum efficaciam habere respectu sui effectus, sed aiunt esse tantum signum: pari ratione negant verba consecrationis virtutem habere conuertendi panem & vinum in corpus & sanguinem; sed aiunt ad præsentiam verborum Deum conuersionem perficere, sicuti ad præsentiam baptismi Deus se solo infundit gratiam. Hoc autem iam illic † satis superque modò statuimus, tum dignitati sacramentorum nouæ legis derogare, tum & sanctorum Patrum assertis contradicere, qui aiunt sacramenta nouæ legis id efficere quod significant. In quo antiquis antecellunt, quæ tantum erant signa & figuræ. Vnde cùm hoc sacramentum sit omnium præstantissimum, fit vt virtus diuina verbis consecrationis ad perficiendum consecrationem inhæreat. Et confirmatur. Cum verba hæc ex persona Christi eiusque mandato proferuntur, fit vt quandam instrumentalem virtutem ab ipso habeant, vt per ea ipse faciat conuersionem. Quemadmodum dum mortuos suscitabat, aut alios curabat infirmos verbis ipsis & tactibus: scilicet, Tibi dico, surge, tanquam instrumentis consunctis illa patrabat miracula.

Scotus. Durand. *† d. 1. q. 3.* *Verba à Christo vim habent.*

Post illa, quæ loco citato distinctione prima quæstione tertia diximus, nihil opus est de hac re adhibere. Scotus enim distinctione prima quæstione quinta hanc virtutem negat his verbis inhærere. Et arguit contra hanc rationem, supponens sententiam sancti Thomæ esse, sacramenta non esse instrumenta, quæ attingunt productionem gratiæ, sed producere characterem vel ornatum, qui est dispositio ad gratiam: cùm ergo verba sacramentalia talem dispositionem non producant, fit vt neque ad conuersionem concurrant. Quapropter Capreolus distinctione prima quæstione prima articulo tertio illius ornatus defensor, quam opinionem falsò putat esse Sancti Thomæ, hoc argumento conuictus ait, formam consecrationis duntaxat concurrere ad desitionem panis, Deum autem se solo corpus illic Christi sub speciebus ponere. Illic autem satis ostendimus illam non esse opinionem S. Thom. in tertia parte, sed sacramenta concurrere tanquam immediata proximaque instrumenta gratiæ, hoc est, faciendi hominem gratum, consecutiuè tamen sunt causa, vt Deus illam qualitatem producat, quæ est gratia. In hoc tamen sacramento verba immediatè concurrunt ad consecrationem. Neque inde vlla sequitur suspicio vt creatura possit creare: nam transubstantiatio non est creatio. Opinio vero Capreoli repugnat formæ consecrationis, quæ significans hoc esse corpus, facit panem non solũ desinere esse, sed verti in corpus. Et est determinatio concilij Florentini, vbi habetur, quòd sacerdos in persona Christi loquens conficit sacramentum. Et subditur. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis & vini in corpus & sanguinem Christi conuertuntur.

Scoti opinio S. Thomæ contraria. *Capreol.* *Obiectioni occurritur.*

Sed arguit. Quandò verba illa sacerdos consecratus profert, nullam illis qualitatem ingenerat: ergo nulla in eis est consecratiua virtus. Respondetur concesso antecedenti. Haud enim credibile est vllam qualitatem prolatione verborum diuinitus produci. Negatur tamen consequentia. Nil enim aliud nomine virtutis intelligimus quàm verborum prolationem à sacerdote cum intentione perficiendi sacramentum. Distinctione enim prima quæstione tertia articulo quarto satis monstrauimus sacramentorum virtutem non esse nisi motum eorum & applicationem ad faciendum id quod significant. Quapropter non est opus in sacerdote aliam ponere virtutem quàm characterem sacerdotalem, quæ est potestas conficiendi: qua quidem potestate vtitur applicando verba ad legitimam materiam.

Argum. *Sacerdotis virtus.*

Et per hoc patet solutio authoritatis Damasceni, libro quarto capitulo decimoquarto, quam hic adfert Sanctus Thomas, vbi ait, quod sola virtute Spiritus Sancti fit conuersio panis in corpus Christi, quæ quidem virtus increata est. Respondetur, inquam, quod nomen, sola, non excludit virtutem instrumenti, quæ est in verbis: nam etsi verum sit solum fabrum cultellum facere: tamen non excluditur quominus malleo vtatur.

1. Argum. *Virtus Spiritus S. non excludit virtutem instrumenti.*

Eodem modo soluitur secundum argumentum quando arguitur. Miracula nulla virtute creata fiunt, sed sola diuina: conuersio autem panis in corpus est tantum miraculum, quantum incarnatio Christi, & creatio mundi, ad quæ opera nulla fuit cõcurrens creata virtus: ergo neque ad conuersionem concurrit. Respõdetur, ad nullum miraculum posse creaturam concurrere virtute propria, secùs tamen instrumentali diuinitus recepta. Sicut Christus digitorum tactu sanauit leprosum & cæcum, & sua voce suscitauit Lazarum. Et isto modo cõcurrunt verba ad sacramentalem conuersionem. Ad incarnationem verò, quia per illam Christus incipiebat esse homo, non poterat aliquo eius membro ceu instrumento vti. Sed neque ad creationem potest vlla creatura vel instrumentaliter concurrere: quia actio creata non potest terminari ad nihilum ex quo fit creatio, sicut verborum prolatio applicatur ad panem & vinum, & terminatur ad corpus & sanguinem.

Creatura non concurrit ad miraculum virtute propria.

Tertiò arguitur. Verba illa successiuè proferuntur, nec sunt simplicia, sed ex multis composita: conuersio autem fit in instanti, atque adeo per simplicem virtutem: nam cõpositio non fit in instãti: ergo illa virtus non est in verbis. Respondetur, quod cùm illa verba sacramentaliter operentur, fit vt eorum virtus significationem consequatur, quæ in prolatione vltimæ syllabæ perficitur, atque adeò in illo postremo instanti illam consequantur virtutem, in ordine tamen ad præcedentia. Superius namque d. 9. quæst. 2. art. 3. & 4. ostendimus in toto tempore prolationis fieri conuersionem, ad hũc sensum, quod toto illo tempore applicatur forma, quæ est eius causa. Sed tamen in vltimo instanti eadem conuersio fit in hoc sensu: quòd illud est primum non esse panis & esse corporis.

3. Argum. *Conuersio fit in prolatione vltimæ syllabæ.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm prædicta formarum locutiones sint veræ.

QVAMVIS ex superius dictis colligere quis posset formarum veritatem: tamen quia nondum satis explicitum est quid pronomina illa demonstrent, quæritur modo vtrùm prædictæ formæ sint veræ. Et D. Tho. respondet tribus conclusionibus. Nam quia difficultas consistit in demonstratione pronominis, fuit opinio dicentium: nihil per illud pronomen, hoc, demonstrari in actu exercito, sed esse pronomen conceptum, quasi omnia verba acciperentur materialiter. Itaque sacerdos nihil affirmat, sed recitat esse à Christo dictum, veluti dum legis in Euangelio: Tu es Petrus, nihil adderis: quia neque colloqueris cum aliquo, sed refers verba, quibus Christus Petro loquebatur.

Prima opinio.

Contra hos tamen statuitur prima conclusio. Verba dum à sacerdote proferuntur, significatiuè sumuntur, & non tantùm materialiter. Probatur dupliciter. Primò, quia si materialiter & solùm recitatiuè acciperentur, non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, sed narrarẽtur tanquam demonstrantia panem illum quem Christus consecrauit. Quare tunc non perficeretur sacramentum in hoc nostro pane: nam secundùm Augustinum, † nisi accedat verbum ad elementum, non fit sacramentum. Secundò, quia neque hoc modo in totum euitatur quæstionis difficultas, nam eadem permanet circa primam prolationem, qua Christus hæc verba protulit, videlicet, quid demonstrauit per illud pronomen: si ergo ad id tenemur respondere de sua consecratione, eo modo respondebimus de nostra.

1. Concl. contra 1. opinionem. *Probatur 1.* *† Tract. 8. in Ioan. post med. tom. 9.* *2.*

At quia posset illa opinio in contrarium arguere, quòd si non acciperentur materialiter, vt prolata à Christo, non haberent virtutem consecrandi, quam tunc habuerunt: quandoquidem ex prolatione Christi illam receperunt. Respondet D. Thom. quòd etsi sacerdos ea recitatiuè proferat quasi à Christo dicta, nihilominus non accipiuntur materialiter, sed significatiuè: quia sacerdos repræsentans personam Christi, de-

Argum.

sti, demonstrat hoc contentum sub his speciebus. At verò Christus propter suam infinitam virtutem, sicut tactu suæ carnis vim contulit aquis, non solum illis in indiuiduo, quas tetigit, verùm omnibus quæ sunt in toto orbe, vt sint propria materia baptismi: ita & his verbis non solum illis numero, quibus ipse consecrauit, verùm à quocunque sacerdote in eius persona proferantur, virtutem indidit consecratiuam. Non quòd virtus sit aliqua qualitas distincta, vt proximè † dictum est, sed est ipsa prolatio, sicut applicatio aquæ cum intentione baptizandi.

† a. praced. in solut. arg.

2. Opinio.

Supposito ergo stent significatiuè, persistit dubium, quid pronomen demonstret. Fuit ergo secunda opinio, quòd nihil ad sensum demonstrat, sed ad intellectum. Quasi dicant, nec demonstrat panem nec corpus: sed id quod significatur per hoc, putà per panem est corpus. Hæc tamen opinio vergit in hæresim dicentium non esse hic corpus secundum veritatem, sed secundum figuram. Nam cùm forma sacramenti non efficiat nisi quod significat, cùm illa forma non significet, nisi rem significatam per panem esse corpus, non efficeret, vt panis conuerteretur in corpus: Siquidem permanente semper pane & existente corpore Christi in cælo, verificatur. Quare solùm significaretur quòd panis est figura corporis.

Refutatur.

3. Opinio.

Tertia ergo fuit opinio, quòd pronomen facit quidem demonstrationem ad sensum, sed tamen non debet referri ad momentum quo profertur, sed ad vltimum instans prolationis omnium verborum. Sicut dum quis dicit, taceo, intelligit pro momento illo sequenti, quo desinit loqui. Sed neque ista opinio veritati consonat: nam tunc pronomen demonstraret corpus, atque adeò sensum faceret, quòd corpus est corpus. Hæc autem forma non est operatiua, nec conuersiua panis in corpus, quoniam ante eius prolationem id ipsum erat verum.

Refutatur.

2. Concl.

Est ergo secunda conclusio. Enunciatio formæ consecrationis referenda est ad vltimum instans prolationis verborum. Nam cùm, vt suprà dictum est, † cõuersio non fiat successiuè, sed in instanti: quia fit virtute diuina, cõcurrente instrumentaliter forma ratione suæ significationis, fit vt non reddatur vera nisi pro instanti prolationis terminatiuo.

† ar. 1. huius.

3. Concl.

Tertia conclusio. Pronomen in forma consecrationis demonstrat, non quidem singulariter panem, qui nunquam est corpus, neque verò corpus alias non esset conuersiua panis in corpus, sed solùm significatiua quod corpus est corpus; sed demonstrat communiter & in genere contentum sub illis speciebus, quod quidem in principio erat panis, & in fine corpus. Attamen verbum, est, refertur ad instans terminatiuum, quo est corpus. Declaratur conclusio, & deinde probatur. Locutio enim hæc habet virtutem factiuam & conuersiuam panis in corpus, & ideo comparatur ad locutiones, quæ solum habent vim significatiuam & non factiuam, sicut conceptus intellectus practici, qui est factiuus rei conceptui intellectus speculatiui nostri, qui non est causa rerum, voces enim sunt signa conceptuum. Et ideò sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem, sed facit eam: sicut ille Dei conceptus, fiat lux, fiat firmamentum, & idea in mente artificis, ex qua exprimit domum: ita se habet forma consecrationis, quæ est verbum Dei. Et quia conuersio fit in vltimo instanti prolationis, tota locutio debet ad illud instans referri, non tamen ita, quòd ex parte subiecti præsupponatur id quod est terminus conuersionis, vt sit sensus, Corpus, est corpus. Illa enim locutio non esset practica & conuersiua, sed merè speculatiua: sicut, homo est animal, & cum nec panis singulariter demonstrari possit, qui nunquam est corpus Christi, fit vt demonstratio debeat fieri in genere & communiter: scilicet, Hoc quod hic continetur, est corpus: forma enim non facit aut quod panis sit corpus, aut quòd corpus sit corpus, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, postea sit corpus. Non quod eadem res, quæ erat panis, sit postea corpus, hic enim sensus iam satis suprà † repudiatus est, sed quod pronomen sit singulare vagum commune ad panem & corpus, vt significetur ex pane fieri corpus. Atque id ipsum ex verbis Domini confirmatur. Non enim dixit, Hic panis est corpus meum, quod esset secundum intellectum secundæ opinionis tenentium panem esse figuram corporis. Neque dixit, Hoc corpus est corpus meum, quod esset secundùm intellectum opinionis tertiæ, sed in generali, Hoc est corpus meum, nullo nomine apposito à parte subiecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi sine qualitate, id est, sine forma determinata alicuius speciei, vel indiuidui.

Hoc demonstrat contentum sub speciebus in genere.

† ar. 2.

Materia huius articuli subobscura est, sed scitu necessaria. Vnde ad clarum rei intellectum duæ sunt hic conclusiones ante istas Sancti Thomæ præmittendæ. Prima responsiua quæstionis, quam ipse non posuit in forma: scilicet, Formæ consecrationis sunt veræ. Proferuntur namque ex persona Christi, qui de se dicit Ioannis decimoquarto. Ego sum veritas. Item, quia operantur, vt proximè dictum est, virtute significationis, id scilicet faciendo quod significant. Quocirca nisi veræ essent, nihil efficerent.

Expositio articuli.

Directa ad ar. respõs. 1.

Secunda conclusio ex hac manifestè consequitur: scilicet, prædictas formas non posse accipi significatiuè & assertiuè, quasi assertas à sacerdote ex sua propria persona: esset enim tunc sensus, in sacramento esse suum ipsius proprium corpus, ac perinde sanguinem, quæ blasphema esset falsitas: Fit ergo consequens, vt in vno trium sint accipiendæ: videlicet, aut solum recitatiuè & materialiter, aut assertiuè, quasi prolatæ à sacerdote ex persona Christi, sed non recitatiuè. Et tertiò sic assertiuè, vt etiam recitatiuè.

2. Resp.

Primam opinionem celebrem fecit autoritas Innocentij, qui eius fuit autor. Ait quippe libro quarto de mysterio missæ capite decimoseptimo, quod sacerdos nihil demonstrat, cùm illis verbis non vtatur enunciatiuè, sed recitatiuè, quemadmodum qui legit verba illa Christi, Ego sum vitis vera. Et: Ego sum lux mundi, non de se loquitur, sed materialiter recitat verba Christi. Eandem opinionem sequitur glossa Decreti super cap. Timorem. de consecratione distinctione secunda. Cui subscribit Duran. in 4. distinct. octaua quæstione secunda. Et videtur eodem loco assentiri Scotus, quamuis id non tam clarè per eius verba constet, an in illa perstiterit. Maioris quoque eadem distinct. idem tenet. Reliqui vero Innocẽtium aliàs celeberrimum doctorem in hac parte deserunt, dicentes quod verba accipiantur personaliter, vt Alexander 4. par. quæst. 33. memb. 3. art. 2. Et Bonauentura distinct. 8. in 1. parte distinctionis artic. 1. quæst. 1. & Ricard. artic. 3. quæst. 1. Et Marsilius in 4. quæst. 6. artic. 1. Atque omnes vtuntur rationibus D. Thomæ. Nam si, Hoc est corpus meum, acciperetur materialiter, non applicaretur ad hanc materiam, sed recitarentur tanquam prolata super materiam, quam Christus consecrauit: & ideo non accederet verbum ad elementum, vt fieret hoc loco consecratio. Respondent autem Durand. loco citato, & Gabriel in cano. lectione 48. quod etsi accipiantur materialiter, nihilominus per intentionem sacerdotis applicantur ad materiam, quam habet præsentem per Dei virtutem consecrandam. At verò profectò solutio nulla est. Quoniam tenendo, vt verè res habet, formam concurrere ad cõsecrationem, non satis est ex intentione sacerdotis applicari ad opus, sed necesse est vt significet id quod efficit: quandoquidem virtute significationis operatur. Si autem acciperetur materialiter, profectò non magis significaret illum panem sacerdoti præsentem conuerti in corpus, quàm quemcunque alium. Adde, quòd cum sacerdos in persona Christi pariter concurrat ad consecrationem, fit vt debeat affirmare & enunciare quod facit, atque adeo significatiuè illa verba proferre. Et confirmatur, quia in reliquis omnibus sacramentis minister vtitur forma assertiuè & significatiuè. Ego te baptizo. Ego te absoluo. Fit ergo vt in hoc, quod est omnium præstantissimum, simili modo loquatur.

Gloſſa decreti. Durand. & Scotus.

Probatur contra 1. opinion.

Durandi & Gabriel. responsio.

Refutatur 1

2.

3.

Secunda verò ratio Sancti Thomæ, scilicet, quòd in consecratione, qua Christus consecrauit, eadem redit ambiguitas, quid pronomen demonstret, non militat contra Innocentium, sanè qui tenet non consecrasse per illa verba, sed quòd porrexisset tunc corpus antea consecratum: quare ipsissimum tunc corpus demonstrauit. At quia hoc satis suprà † expugnatum est, non est dicendum, nisi quòd Christus eisdem verbis consecrauit. Vnde & nouum argumentum sumitur contra ipsum, quòd si Ecclesia ob id his consecrat verbis, quòd Christus eisdem consecrauit, intentionem habeat loquendi, quomodo ipse locutus est, videlicet, vt sacerdos in eius persona enunciet asseratque

† art. 1. in resp. ad arg. Tho. Nouum arg.

Digitized by Google

dicens: Hoc est corpus meum, vtpote in quod panem conuertit.

Argum. Contra hoc autem arguitur. Sequeretur nullum esse prorsus discrimen inter modos loquendi hic & in cæteris sacramentis: nam & in cæteris sacerdos etiam loquitur in persona Christi, hoc est, tanquam eius minister, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Respondetur, latissimum esse discrimen: nam loqui tanquam ministrum Christi, non est nisi loqui per potestatem, quam ab eo accepit, sicut prætor tanquam regis minister ius dicit, & ideo vtitur pronomine, ego. *Discrimen modorum loquendi in hoc & alijs sacram.* Loqui autem in persona Christi est, quod quis induens illius personam loquatur, sicut in comœdia ille loquitur, qui induit alterius personam, scilicet, Chremetis aut Daui. Quemadmodum angelus Exodi tertio legitur de rubo locutus Moysi repræsentans Dei personam, Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Hoc ergo modo loquitur sacerdos dum consecrat tãquam Christus. Quare non dicit, Ego.

Pro Innoc. argu. Arguitur autem in fauorem Innocentij, Sacerdos ante consecrationem præmittit illa verba: Qui pridie quàm pateretur accepit panem, &c. & benedixit dicens, Accipite & manducate: ergo duo-hæc postrema materialiter sumuntur tanquam à Christo prolata: cùm ergo sub eodem tenore subiungatur, Hoc est enim corpus meum, fit vt & ista quoque materialiter accipiantur. *Responsio Marsilij.* Respondetur, vt benè Marsilius loco citato, quòd sacerdos omnia præcedentia vsque ad, Accipite, significatiuè profert referendo Christi gesta, s. Accepit panem, & eleuatis oculis in cælum benedixit, fregit & dixit: atque adeo, Accipite & comedite, materialiter accipit. Sed deinde personam induens Christi significatiuè, asserendo enunciat, Hoc est corpus meum, id demonstrando quod coram se habet. Et quidem hactenus probè dicit. Et est indubitata sententia S. Tho. & omnium quos suprà citauimus. At quatenus insinuat sic accipi verba formæ significatiuè & assertiuè, vt non accipiantur recitatiuè, contradicit Sancto Thomæ dicenti, quod profert sacerdos illa recitatiuè, quasi à Christo dicta, sed nihilominus significatiuè. Quare non impugnat Innocentium quantum ad hoc quod ait accipi recitatiuè, sed quantum ad hoc quod accipiantur materialiter. Quod quidem assertum Diui Thomæ inde probatur, quòd reliqua sacerdos recitat tanquam à Christo dicta, & cùm ille simul dixerit, Hoc est corpus meum, fit vt hoc quoque sacerdos recitet tanquam ab eo dictum. Et confirmatur. Ecclesia adiecit illam particulam, enim, quæ non est apud Euangelistas ad coniungendum verba illa cum præcedentibus, quasi Christus dixisset, Comedite: quia hoc est corpus meum. Et arguitur tertiò. Si verba illa formæ sacerdos non diceret recitatiuè, tunc falsum esset verbum præcedens dixit, nam illud fertur in totum sequens, Accipite, Hoc est, &c. atque adeo ad eius veritatem requiritur, quod eadem verba, quæ dixit, recitentur. Responsio namque Marsilij, scilicet, quod accipitur in hoc sensu, dixit similia verba his quæ ego dico, non castè syncerit atem formæ seruat. Vult ergo Sanct. Thom. quòd simul accipiantur recitatiuè, vt illa, Accipite & manducate; nihilominus non materialiter, vt illa, sed significatiuè, & assertiue, quod aliorum nemo quos viderim adnotauit. Sunt ergo alij in duobus extremis, scilicet Innocen. & Durandus, quod forma accipiatur recitatiuè & materialiter, quasi idem sit: Alexander vero, & Marsilius, ac reliqui, quod accipiatur significatiuè, & non recitatiuè. At vero S. Thom. medius incedens ait accipi recitatiuè cum Innocentio, sed cum alijs, non accipi materialiter, sed significatiuè.

Verba proferri etiam recitatiue *Probatur 1.* *2.* *3.* *Sentent. D. Tho. media.*

Obiectio. Quod si arguas. In communi sermone cum quis aliorum dicta recitat, materialiter solùm illa accipit: ergo pari modo sacerdos. Respondetur concesso antecedenti, & consequentia perempta. Etenim est hoc priuilegium huius sacramenti ex institutione Christi, vt hic docet Sanctus Thomas, ob id quod illis verbis virtutem consecrandi contulit, à quocunque sacerdote cum legitima intentione super debitam materiam proferrentur. Quare nil vetat quo minus sacerdos referens ea quæ Christus dixit, perueniens ad formam consecrationis eam referat tanquam dictam à Christo, & simul ex institutione ipsius, eius repræsentans personam, applicet verba ad eam, quæ sibi præsens est, materiam, enunciando, Hoc est corpus meum. Ex quo fit, vt si laicus, vel sine intentione consecrandi sacerdos ea eodem tenore, scilicet recitatiuè proferret, materialiter acciperet. Itaque intentio legitima facit, vt accipiantur & recitatiuè & personaliter. Et per hoc clarescit cur præcedentia verba, Accipite & comedite, accipiantur materialiter. Est enim causa, quòd accipiuntur recitatiuè, & non sunt pars formæ consecrandi.

Contra præced. respons. obiectio. Sed arguitur contra. Ineruditus sacerdos, nesciens quid debeat demonstrare, si legitimam habeat intentionem, verè consecrat. Imò & qui habet opinionem Innocentij & Durandi, scilicet, quòd verba accipiuntur materialiter, & per consequens nihil præsens demonstrando, verè consecrat: ergo non requiritur, quòd accipiantur verba personaliter, & aliquid demonstretur. Negatur consequentia, nam qui intendit facere quod Christus instituit, & Ecclesia tradit, quamcunq; ignorantiam vel opinionem habeat, verè accipit formam, vt instituta est, atque adeò in virtute accipit personaliter, & verè consecrat.

Alia obiectio ex Durand. Aliter arguit Durandus. Si forma calicis proferretur à sacerdote significatiuè, etiam si proferatur in persona Christi, sequeretur esse falsam pro illa particula, qui pro vobis effundetur: quoniam iam nunc non est effundendus, attestante Paulo, quòd Christus semel mortuus est, & iam non morietur. Respondetur, argumentum esse optimum contra Alexandrum, & Marsilium, & alios negantes non accipi recitatiuè. Nos autem dicimus, quòd licet forma accipiatur significatiuè quatenus per eam enunciatur, Hoc contentum sub his speciebus vini esse sanguinem, nihilominus adiectio illa, quia recitatur tanquam dicta à Christo, refertur ad tempus quo ipse consecrauit.

Circa secundam cond. de significatione formæ. Circa secundam conclusionem est dubium Scoti loco citato distinct. 8. quæstione secunda, contendentis verbum propositionis significare momentum ipsum, in quo profertur. Quare è rigore, inquit, sermonis dum dicimus, Hoc est corpus meum, verbum consignificat illud tempus quando non est facta consecratio, atque adeò de rigore forma esset falsa. Sed tamen ex intentione & determinatione proferentis, quia scilicet sacerdos illud profert pro instanti terminatiuo, redditur vera. At verò Aristoteles primo libro Perihermen. contrarium docet. Verbum enim, inquit, significat compositionem, quam sine extremis intelligere non est. Ex quo fit, vt legitimum significatum propositionis non nisi prolatis extremis percipere possimus. Et confirmatur secundò: Qui audit, Homo est, pendulus mente expectat prædicati prolationem: nam si illic sistatur, solum significatur existentia hominis: cum autem additur, doctus vel indoctus, iustus vel iniustus, alium audiens conceptum format. Colligitur ergo quod non solùm ex virtute intentionis proferentis, sed ex vi significationis non significat perfectam rerum compositionem vsque ad completam prolationem. Quare verbum non consignificat nisi tempus vel momentum, quod est eiusdem prolationis terminus. Et arguitur tertio. Istæ propositiones, Ego taceo, Nihil dico, &c. non solùm ex intentione proferentis, sed ex rigore sermonis sunt veræ: ergo non significant, nisi pro momento terminatiuo: nam dum proferuntur falsæ sunt. Quare & forma consecrationis, Hoc est corpus meum, virtute sermonis est vera, licèt non verificetur nisi pro instanti terminatiuo.

Obiectio contr. resp. sup. Quod si contra arguas. Propositio dum est, tunc significat: est autem dum profertur: ergo tunc significat, atque adeo est vera, vel falsa. Respondetur primò ad minorem, quod res successiua si sit continua, in quocunque instanti continuatiuo temporis est, vt nunc est hora quinta, & dies Iouis: quia partes continuantur ad hoc instans: si autem non est continua, vt est oratio, cuius vna dictio non continuatur cum altera, non est nisi toto tempore prolationis. Nunc ergo ad maiorem respondetur, quod licet toto tempore partes significent sua partialia significata, nihilominus tota propositio non significat, nisi pro instanti terminatiuo, & tunc est vera, vel falsa.

Quid pronomina hic demonstrent. Bonauent. Tertia verò conclusio, quæ tangit pronominis demonstrationem, in maiori opinionum turba versatur, sunt enim tot capita, quot sensus. Quidam enim volentes vt pronomen panem demonstret, verbum mutant. Vnde Bonauentura loco citato ait, verbum, est, accipi loco illius, quod est fit, vt sit sensus, Hoc fit corpus

meum.

Digitized by Google

meum. Hoc tamen (salua autoritate grauissimi doctoris) est nimium formam inuertere, aliter quàm ea Christus vsus est. Item, vt articulo secundo probauimus, & Sanctus Thomas ostendit, cùm conuersio fiat in instanti, non debet exprimi per fieri, sed per factum esse. Ad hæc distinctione nona quæstione secunda articulo vltimo ostendimus, non esse concedendum, quòd panis sit corpus, eo quòd nullum manet subiectum vtrique extremo commune. Marsilius verò loco citato ait sensum esse, id in quod hoc (scilicet panis) conuertitur, est corpus, quam opinionem falsò impingit Ricardo, cùm ille patenter adhæreat opinioni S. Thom. Et re vera locutio illa est ad rem inepta, tum quòd illa forma Christus non est vsus, tum quòd illa non est practica & operatiua, significat enim conuersionem in actu signato per verbum conuertitur, cùm tamen vt sit practica debeat significare illam exercendo & faciendo, sicut, Fiat lux. Okam verò quodlibeto 2. q. finali dicit pronomen demonstrare corpus, & ideo, est, accipi pro, erit, putà, Hoc erit corpus meum. Sed illa non est forma Christi, imo contraria phrasi illius. Loquebatur enim vt homo dicit amico, Accipe, Hoc est perdix. Item quia ille perinde valet, ac si dicas, corpus meum est corpus meum: quæ quidem forma, vt bene hic ait S. Thomas, non est operatiua: sed merè speculatiua: quia non denotantur duo extrema, quorum alterum fiat ex altero, quare absque vlla consecratione est vera. Maioris tenens quòd sacerdos nihil demonstrat, quia accipit materialiter: ait cum Innocentio quòd Christus per illa verba non consecrauit, nam prius corpus consecratum erat. Quare dum illud porrexit apostolis, non demonstrauit, id quod habebat in manibus, sed corpus suum, quod sedebat ad mensam. Verùm tamen hoc est recitatu indignum: manifestum enim est, quòd demonstrabat id quod habebat in manibus, & quod erat verum, etiam si corpus illic non adesset, sed anima eius separata à corpore id dixisset. Alioqui discipulos decepisset, qui putabant corpus suum sub figura panis illis offerre, vt impleret quod dixerat, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c. Quæ enim rerum consequentia erat, Accipite & comedite, Hoc quod videtis vobiscum sedere, est corpus meum? Et Alexander 4. par. quæstio. trigesimatertia, memb. 3. art. 2. ait sensum esse. Quod significatur per hoc, scilicet, per panem, in quod est conuertendus, est corpus. Est autem molestum huiuscemodi formas, ei, quæ legitima est, tam difformes recensere.

His ergo prætermissis Scotus loco citato, & hic Caietanus conueniunt cum Okam vt demonstretur singulariter corpus: non quidem determinatè sub illo conceptu, corpus. Sed Scotus ait, quòd demonstratur sub illo conceptu transcendenti ens, vt sensus sit, Hoc ens est corpus meum. Caietanus verò sub illo conceptu, substantia, vt sit sensus, Hæc substantia est corpus meum. Sed est attentè speculanda alia differentia Caietani ab Scoto in hac demonstratione. Sustinet namque opinionem illam, quam docuit q. 75. artic. 4. Videlicet, eandem omnino substantiam, quæ est panis, esse postea corpus. Quare secundum ipsum eadem ipsa substantia panis demonstratur, quæ in instanti terminatiuo est corpus: sicut quod nunc est calidum postea est frigidum. Illam autem opinionem illic † latis concussimus, & (vt arbitror) exclusimus. Fateor namque me nescire quis eam possit vllo modo concipere, vt suspicetur esse veram. Et tamen hic putat esse opinionem Sanct. Thom. quod aliter rem habere illico monstrabimus. De hac ergo opinione nihil amplius.

Scotus verò licèt de sacerdote non satis liquidè loquatur, proferat ne verba materialiter an significatiuè, de Christo tamen dum consecrauit, vel si modò consecraret, ait, quòd non nisi corpus suum singulariter demonstraret: tamen sub conceptu entis transcendenti. Atque adeò idem secundum eum dicendum si sacerdos formam accipiat significatiuè. Et illo modo censet peracutè ad argumentum respondere, quod hic facit Sanct. Thom. contra tertiam opinionem: scilicet, quòd si demonstraretur corpus, sensus esset, Corpus est corpus: quare non esset practicus, sed speculatiuus. Negat enim illum esse prorsus sensum. Sed significat, inquit, hoc ens fieri hoc corpus. Nam licèt tam subiectum quàm prædicatum supponant pro eodem corpore, nihilominus alius est conceptus subiecti, atque alius prædicati: imò conceptus vniuersalis est prior natura. Cùm enim aliquid à remotis videmus, ordine quodam prius concipimus esse corpus quàm animal, & animal quam hominem. Ob idque cum dicimus. Hoc ens est hoc corpus, concipimus quasi duo extrema, vt hoc ens fiat hoc corpus.

Contra hoc autem arguitur. Conuersio sacramentalis est realis: scilicet rei vnius in aliam: ergo in forma, quæ illam efficit, demonstratio pronominis debet esse ex sua significatione indifferens ad supponendum pro duobus: illi autem conceptus, hoc ens, & hoc corpus, licèt ordinem habeant in intellectu, singulariter tamen ambo, vt Scotus fatetur, supponunt pro hoc individuo corpore: ergo demonstratio non est apta, vt forma sit practica, denotans conuersionem vnius in alterum. Sed recidit in opinionem Okam, ac si dicat, Hoc corpus est corpus meum.

Secundò explicatius arguitur. Illa propositio, Hoc ens est hoc corpus, vtrobique demonstrato corpore, absque vlla consecratione est vera, etiam si proferretur à laico, qui nullam facit consecrationem: ergo virtute illius significationis nulla significatur conuersio vnius in aliud, atque adeò non est practica, sed merè speculatiua.

Est ergo opinio Sancti Thomæ, † pronomen illud demonstrare id quod continetur sub illis speciebus, vt id quod continetur, sit conceptus communis, & indifferens ad supponendum pro pane & pro corpore, quæ sunt duæ res, & pro quocunque alio, quod illic contineretur. Quare hoc facit per illam formam sacerdos virtute Dei, vt hoc quod continetur sit corpus, cum antea esset panis, ex quo fit corpus. Perspice planum discrimen inter Sanctum Thomam, & Scotum, & alios. Nam secundum Scotum, etiam si laicus, qui non consecrat, diceret, Hoc ens est corpus, verum diceret, quia speculatiuè idem de eodem enunciat. Sed tamen si pronomen demonstret, vt vult Sanctus Thomas, falsum diceret, & sacerdos verum: quia facit quod dicit. Atque hæc est opinio Ricardi loco citato distinctione octaua articulo tertio quæstione prima, & Durandi: nam etsi dicat sacerdotem materialiter accipere verba, ait nihilominus, quòd Christus cum consecrauit, demonstrauit in genere id quod continetur sub speciebus.

Arguit autem Caietanus primò, quòd opinio sua sit Sanct. Thom. † propter verba postrema articuli, vti ait Sanctus Thomas, quòd pronomen in forma consecrationis significat substantiam in communi sine qualitate, id est, sine forma determinata. Quod ipse glossat, id est, corpus singulariter sub conceptu substantiæ.

Secundò arguitur. Si pronomen ex sua significatione esset indifferens ad res duas, tunc hæc propositio, Hoc est corpus meum, non esset singularis, sed indefinita.

Tertiò arguit loco citato Scotus quasi ad idem. Sequeretur enim, inquit, illam propositionem in virtute esse disiunctiuam, scilicet, Hoc, vel hoc est corpus meum, demonstratis pane & corpore, quæ quidem ante consecrationem erat vera, atque adeò est speculatiua, & non conuersiua vnius in aliud.

Ad primum respondetur. Sanctum Thomam nunquam cogitasse id quod Caietanus arbitratur: nempe pronomen demonstrare hanc substantiam, scilicet panem, quæ postea est corpus, sed contentum in communi sub speciebus, vt ipse se exponit. Hoc namque vocauit substantiam sine qualitate, puta, sine specificatione ad talem speciem, vel individuatione ad hoc individuum quantum est ex modo significandi. Individuum enim substantiæ appellat Aristoteles quale quid. Et ideo tale pronomen vocatur à dialecticis singulare vagum: quia ex modo significationis vagatur ad multa, ad differentiam singularium nominum, Petrus & Paulus, quæ dicuntur singularia determinata. Et est quodammodo simile in suppositione, quam vocant, accommodam. Hæc herba crescit in horto meo, quæ significat speciem huius herbæ. Sed commodius exemplum est, si Deus tribueret virtutem meis verbis faciendi ex argento aurum, & ostenderem bursam argento plenam dicens: Hoc est aurum: Pronomen tunc demonstraret contentum in hac bursa quod ex argento

Marsilius. Reprobatur opinio Scoti. 1.

Okam. 2.

Maioris. Opinio S. Tho. † 3. p. q. 78. art. 5.

Discrimen inter S. Tho. Scot. & alios opinionem.

Contra Caietanum. Ar. Caiet. 1. † sup.

† dist. 9. q. 2. art. 4. 2.

Scotus. 3.

Ad 1. Elucidatur opin. S. Th.

fit aurum. Et accedit congrua explicatio Ricardi. Nomen enim & pronomen ſecundum grammaticos non conſignificat tempus, ſed verbo id competit, quare demonſtratio per ſe pronominis abſtrahit a tempore: ſcilicet, & quo profertur pronomen, & quo terminatur totius orationis prolatio. Quare vtramque ſubſtantiam ſignificat, pro qua item poſſet ſupponere. At quia verbum, vt dictum eſt in ſecunda propoſitione, conſignificat tempus terminatiuum orationis, virtute eiuſdem verbi trahitur ſuppoſitio pronominis ad corpus.

Congrua explicatio Richardi.

Ad 2.

Et per hoc reſpondetur ad ſecundum, quòd licèt illud pronomen ex vi ſignificationis faciat propoſitionem indefinitam, tamen quia virtute verbi reſtringitur & trahitur ad ſupponendum pro corpore, eſt ſingularis. Vnde ad tertium negatur, quòd æquiualeat illi diſiunctiuæ, Hic panis, vel hoc corpus eſt corpus meum: quia vtrumq; pronomen eſt ſingulare determinatum. Et ideo ſecunda pars erat vera ſine conſecratione, & prima ſic falſa, vt nequeat per conſecrationem fieri vera. Hæc autem, Hoc eſt corpus meum, ſimul dum legitime à ſacerdote profertur, ſuam efficit veritatem.

Ad 3.

Arg. S. Tho. 1.

Primum argumentum S. Thom. eſt. Quando profertur pronomen demonſtratiuum conſecrationis, non eſt illic niſi ſubſtantia panis, quia conuerſio non fit vſque ad vltimum inſtans prolationis verborum: ſed nunquam verum eſt panem eſſe corpus: ergo illa eſt falſa, Hoc eſt corpus. Reſpondetur conceſſa maiore, non tamen demonſtratur hic panis in ſua propria natura, ſed ſubſtantia, quæ illic continetur abſtrahendo ab illo tempore, quo pronomen profertur, vt ſatis expoſitum eſt.

2. Argum.

Eodem modo reſpondetur ad ſecundum, quando arguitur. Pronomen facit demonſtrationem ad ſenſum: ergo demonſtrat ſpecies, quæ tamen nunquam ſunt corpus. Negatur conſequentia. Non enim ob id dicitur demonſtratio ad ſenſum, quòd ſpecies ſenſibiles demonſtrentur, ſed quia demonſtratur contentum ſub illis, quod prius erat panis, & poſtea eſt corpus. Caue hic tamen à ſenſu Caietani, ſcilicet vt cogites eandem numero ſubſtantiam, quæ prius erat panis poſtea eſſe corpus, ſed ſicut dicimus, quod prius erat vinum, poſtea eſt acetum, & quod prius erat lignum, poſtea ſunt cineres.

Nota.

3. Argm.

Tertiò arguitur. Verba conſecrationis, vt dictum eſt, ſua ſignificatione efficiunt conuerſionem panis in corpus: ſed cauſa effectiua debet eſſe prior ſuo effectu: ergo ſignificatio verborum præintelligitur conuerſioni, ſed ante conuerſionem eſt falſa: ergo ſimpliciter eſt falſa. Reſpondetur, quod ſignificatio verborum ſolùm præintelligitur conuerſioni ordine naturæ, ſicut cauſa naturaliter eſt prior effectu: non tamen ordine temporis: quia ſimul habet ſecum ſuum effectum, atque id ad eius veritatem ſufficit.

Quomodo propoſitio ſit cauſa conuerſionis.

At quia ſolutio non ſatis rem explicare videtur, arguitur ſic. Si illa propoſitio eſt cauſa conuerſionis, vel eſt cauſa quatenus eſt vera, vel quatenus eſt falſa, vel prius natura, quàm ſit vera vel falſa; non poteſt reſponderi, quòd quatenus eſt falſa; aliàs dicendum eſſet quòd ſemper eſt falſa, vel quòd mutatur de falſa in veram, quorum vtrumque eſt erroneum: ſi autem eſt cauſa inquantum eſt vera, tum cùm omnis cauſa ſaltem natura debeat præcedere ſuum effectum, ſit vt prius natura ſit vera, quàm contentum ſub ſpeciebus ſit corpus. Conſequens tamen eſt falſum: nam cùm id ipſum illa propoſitio ſignificet, neceſſe eſt, vt prius natura res ipſa ſic ſe habeat, putà vt contentum ſub ſpeciebus ſit corpus, quàm illa ſit vera. Nam vt 1. Perihermenias autor eſt Ariſt ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera vel falſa.

Scoti reſponſio.

Scotus loco citato licèt hoc argumentum non faciat, tenet illam propoſitionem eſſe cauſam conuerſionis, inquantum eſt ſignum eandem conuerſionem præſignificans, quæ quidem ſignificatio præcedit natura conuerſionem, non tamen inquantum vera vel falſa, ſed inquantum neutra.

Reprobatio reſp. Scoti.

At profectò naturæ ipſi ſignificandi propoſitionis repugnat, in aliquo priori ſignificare, & nec verè nec falſe: nam de intrinſeca eius natura eſt alterutro iſtorum modorum rem enunciare. Et ideo reſponſio colligitur ex doctrina præſenti S. Tho. videlicet, formam conſecrationis eſſe cauſam conuerſionis, inquantum eſt propoſitio vera, neque hoc dubitare licet, quandoquidem virtute veræ ſignificationis id efficiat. Suppo-

Sententia Authoris.

nimus ergo quod ſimul tempore, nempe in eodem inſtanti, vt ſupra † expoſitum eſt, incipit & illic corpus eſſe, & propoſitio eſſe vera. Quare non datur inſtans, in quo vnum ſit ſine alio, ſed ſolum diſputatur de prioti natura: hoc autem nihil dicit niſi cauſam, ſcilicet, quia hoc illud eſt. Reſpondetur ergo, quòd in diuerſis generibus cauſarum Ariſtot. docet vnum eſſe prius altero, & vice verſa. Introitus enim aëris aperientis feneſtram prius natura eſt in genere cauſæ efficientis, quàm feneſtra aperiatur: quoniam intrando illam aperit. Et tamen in genere cauſæ materialis prior eſt apertio, quam introitus aëris: nam niſi aperiretur feneſtra, non pateret aëri ingreſſus. In re ergo præſenti, quia conditio propoſitionis practicæ eſt, quòd ſit cauſa ſuæ veritatis, illam que ſecum adferat, ſit vt in genere cauſę efficientis prius natura propoſitio ſit vera quã cõuerſio fiat. Quod eſt dicere: quia propoſitio eſt vera, conuerſio fit. In genere autẽ cauſæ obiectiuæ prius natura eſt corpus illic exiſtere, quam propoſitionem eſſe veram. Quod eſt dicere: quia res ita ſe habet, adæquatio fit inter rem & intellectum, in qua adæquatione conſiſtit veritas, ſicuti ordine executionis prior eſt cauſa efficiens, ſed ordine intentionis prior eſt cauſa finalis.

† *ar. 4. ad 3. & d. 9. q. 2. ar. 3. & 4.*

In quo controuerſia ſit oſtenditur & reſp.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm forma conſecrationis panis conſequatur ſuum effectum antequam perficiatur forma conſecrationis vini.

NON defuerunt antiquitus qui dicerent, duas formas conſecrationis panis & vini ſe inuicem expectare in agendo, ita vt prima non perficeret ſuum effectum ante prolationem ſecundæ. Quare ad refutandum illum errorem mouetur iſte articulus. Vtrum illud ſit verum. Et reſpondet D. Thom. hac negatiua concluſione. Prima forma conſecrationis non expectat ſecundam, ſed ſtatim habet ſuum effectum. Probatur. Illa forma profertur per verbum præſentis temporis: ergo ad ſui veritatem expoſtulat, vt ſimul cum ſua ſignificatione res ſignificata ſit, nempe conuerſio: alioquin per verbum enuncianda eſſet futuri temporis: ſcilicet, Hoc erit corpus meum: ſignificatio autem illic perficitur vbi completur verborum prolatio, ergo tunc eſt abſoluta conuerſio. Et confirmatur ex vſu & ritu Eccleſiæ: nam protinus vt corpus conſecratur ante conſecrationem calicis proponitur adorandum, qui quidem ritus, niſi perfecta tunc eſſet conuerſio, idololatrare faceret adorantes.

Concluſio.

Probatur.

Confirm.

Nulla ſubeſt in hac concluſione ambiguitas, adeò eſt per ſe certa. Et quod de conſecratione corporis aſſeritur, id quidem & de conſecratione calicis pari ratione verificatur. Si enim quis ipſum priuſquam panem conſecraret, ſacramentum perficeret, enorme tamen committeret ſacrilegium. Ordo enim eſt, vt prius conſecretur corpus. Neque verò vnum conſecrare licet abſque altero eſſet quippe ſacerdos ip ſacramentum iniurius, niſi ambas ſpecies conſecraret & ſumeret, vt decretum ait Gelaſij can. Comperimus. de conſec. diſtinctione ſecunda. Quocirca in concilio Toletano ſeptimo cap. 1. ſancitum eſt, vt ſi contigerit inter miſſarum ſolennia ſacerdotem morbo aliquo corripi, alius rem ſacram peragat. De qua re Innocent. libro quarto de myſterio miſſæ capite vigeſimoſecundo ſermonem habuit, & capite vigeſimotertio dicit, quod vbi non eſt copia vini, nullatenus eſt conſecrandum corpus.

Expoſitio articuli.

Ordo in cõſecratione ſeruandus.

Innoc. Cũ deeſt vinũ non eſt cõſecrandũ.

Argumentum potiſſimum, quo patroni allegati erroris ſeducebantur, eſt quod hic facit S. Tho. ſicut per conſecrationem panis incipit eſſe corpus Chriſti ſub eius ſpeciebus, ita per conſecrationem vini incipit eſſe ſanguis: ergo ſi prior conſecratio effectum ante poſteriorem haberet, eſſet corpus in ſacramento ſine ſanguine, atque adeo non eſſet verè ſicut eſt in cælo. Ad hoc autem plerunque in ſuperioribus † reſponſum eſt, quòd ſub ſpeciebus panis eſt corpus ex vi conſecrationis, & ſanguis ex concomitantia: & ſub ſpeciebus vini vice verſa, quare vtrobique eſt integrum.

1. Argum.

† *d. 10. q. 1. ar. 1. & 2.*

Secundò. Duæ iſtæ conſecrationes videntur ſe habere vt tres merſiones baptiſmi: ſed vbi baptiſmus ſub trina merſione celebratur, non habet effectum vſque ad vltimam: ergo neque hic prima ſine ſecunda. Negatur maior, nam iſtæ conſecrationes licè faciant vnum perfectum conuiuium ex cibo & potu, nihilomi-

2. Argu.

nus

nus vna est perfectus cibus, & altera perfectus potus. Quare vtraque per se habet suam perfectionem: mersiones autem sunt sicut partes, quæ ad vnum effectum ordinantur. Et ideo quando intentio intercedit baptizandi non nisi per omnes, effectum non habent nisi simul. Et idem est de verbis, ex quibus componitur forma consecrationis corporis. Ordinantur enim ad vnicum effectum, & ideo non habent effectum, nisi absoluta omnium prolatione.

Tres mersiones ordinantur ad vnicum effectum.

Quæstio secunda,

DE EFFECTIBVS HVIVS SACRAMENTI.

S. Thom. 3. part. quæst. 79.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per hoc sacramentum conferatur gratia.

EMERSIMVS tandem ex dialecticæ metaphysicæque scopulis, quos ad declarandam mirabilem huius sacramenti conuersionem, euitare nequiuimus. Excepit ergo nos iam gratissima planicies effectuum eiusdem sacramenti, qui sunt numero sex: nempe collatio gratiæ, adeptio gloriæ, delictorum mortalium expiatio, & venialium absterſio, ac pœnæ pro præteritis peccatis debitæ condonatio, & præseruatio à futuris, Quos quidem partus germinat qua ratione est sacramentum. Nam quatenus sacrificium, habet præterea, vt sit pro illis, pro quibus offertur, satisfactio.

6. huius sacram. effectus.

Quæritur ergo primum, vtrùm per ipsum conferatur gratia. Ad quod respondetur affirmatiua conclusione. Hoc sacramentum gratiam confert. Ait quippe Dominus Ioann. sexto. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: vitam autem spiritualem nemo, nisi per gratiam, adipiscitur. Quatuor verò sunt capita, quibus huic sacramento munus hoc competit.

Conclusio.

1. ratio.

Primum scilicet, ac præcipuum ex eo quod continet quod est Christus. Qui quidem sicut in mundo visibiliter apparens vitam ei contulit gratiæ, secundùm illud Ioann. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est: ita & in hominem sacramentaliter ingressus eandem operatur, iuxta illud Ioann. sexto. Qui manducat me, viuet propter me. Vnde Cyrillus in epistola concilij Ephesini, quod refertur de consecrat. distinctio. 2. canon. Necessariè viuificantem, inquit, Dei verbum vnieus seipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuam. Decebat ergo cum nostris quodammodo viniri corporibus per sacram eius carnem & pretiosum sanguinem quæ accipimus in benedictionem viuificatiuam in pane & vino. Secunda ratio sumitur ex eo, quod in hoc sacramento repræsentatur: scilicet ex passione Christi. Effectus enim, quem passio fecit in toto mundo quantùm ad sufficientiam, habet quoad efficaciam sacramentum in hoc in singulis hominibus. Vnde Chrysostomus super illud Ioan. 19. Continuò exiuit sanguis & aqua. Hinc, ait, suscipiunt principium sacra mysteria. Cùm ergo accesseris ad tremendum calicem, vt ab ipsa bibituras Christi costa, ita accedas. Quare Dominus Matth. 26. Hic est, inquit, sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertiò, idem effectus pensatur ex vsu, & modo huius sacramenti, quod dispensatur sub forma cibi & potus. Caro enim, inquit, mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quapropter omnes effectus, quos corporeus cibus & potus exhibet in vita corporea, præstat & hoc sacramentum in spirituali: scilicet sustentare, augere, reparare, & delectare. Quamobrem Ambros. lib. † de sacrament. Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Quartò idem huius sacramenti effectus deprehenditur ex speciebus, quibus traditur: scilicet, panis & vini. Vnde August. super eodem loco Ioan. sexto. Dominus noster corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ex multis ad vnum aliquid redigunturs. Panis enim ex multis granis vnus fit, & vinum ex multis acinis confluit. Vbi fidelium gratia vnitatis designatur. Ob idque ait alibi super eundem Ioann. O sacramentum pietatis! ò signum vnitatis! ò vinculum charitatis!

2.

3.

† 5. cap. 4. tom. 4.

4.

Si cui fortè articulus hic superuacaneus appareat, ob id, quòd distin. 1. q. 3. in genere de cunctis sacramentis disputatum est, quemadmodum per omnia gratia conferatur, meminerit illic etiam Diuum Thomam adiecisse, quòd quamuis omnium gratia eadem sit quoad essentiam, nihilominus est multiplex quantum ad effectuum varietatem. Atque adeò operæpretium est in singulis adnotare, quisnam sit vniuscuiusque proprius. Præterquam quòd vltra communes rationes omnium conferendi gratiam sunt in singulis peculiares, vt in præsentiarum S. Thom. ostendit. Adnotauit autem Durand. in 4. d. 12. q. 4. quòd aliud est quærere de effectu huius sacramenti, & aliud de effectu, quem materia consecrata facit in suscipiente: nam sacramentum istud consistit in sola consecratione materiæ, licèt nullus subsequatur vsus. Potuisset tamen illam adnotationem excusare: quippe cum effectus sacramenti nullus sit, nisi quem facit in suscipiente: nam species consecratæ continentes corpus existentiaque corporis & sanguinis, sunt quidem effectus consecrationis, non tamen sacramenti: quia consecratio non est sacramentum, sed causa sacramenti, quod est corpus & sanguis sub speciebus, cuius ideo sacramenti effectus non est, nisi gratia. Neque verò solum argumentum gratiæ. Quare S. Thom. non quærit, vt Durandus & alij, vtrum effectus huius sacramenti sit augmentum gratiæ, sed vtrum sit gratia: quia etiam per se ei conuenit collatio primæ, vt in solutione primi videbimus. Propria ergo species gratiæ huius sacramenti, vt eadem dist. q. 6. videbimus, est nutritio, atque adeò conseruatio spiritualis vitæ, cuius generationem baptismus, augmentum verò confirmatio nobis præstitit.

Expositio articuli.

Durand.

Fuit autem Messalianorum hæresis, vt lib. 7. hist. Tri. cap. 11. refertur, dicentium diuinum cibum huius sacramenti nec prodesse quicquam nec lædere. Contra quos stat firmissima non solum scholastica conclusio, sed & catholica fides, quòd sit spiritualis refectio per gratiam. Huc enim alludunt verba Christi, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & in me manet, & ego in illo, & caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, & similia. Præterea &, Ecclesiasticis sanctionibus confirmatur, vt patet in dicta epistola Cyrilli concilij Ephesini, & in Concilio Florentino, vbi habetur effectum huius sacramenti esse adunationem hominis ad Christum. Quare sumentibus, inquit, gratia augetur. Et subduntur verba hic S. Thomæ: scilicet, Omnem effectum hic locum habere, quem cibus & potus habent in vita temporali: videlicet, sustentando, augendo, reparando, delectando. Et subiunguntur Vrbani verba dicentis. Gratiam saluatoris nostri recensemus memoria, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum. Virtus n. alimenti est restaurare illud humidi, quod calore naturali consumitur, & ideo dicitur reficere, & sustentare, ne homo decidat in morbum & mortem. Et pariter gratia huius sacramenti sustentat spiritualem vitam ab spiritualibus peccatorum morbis, & sustentando indies vires auget, iacturasque & languores venialium peccatorum reparat: quinuerò & ruinas, quas mortalia præcedentia, à quibus resipiscimus, fecerant. Et sic per modum refectionis delectat: quia per huiusmodi gratiam homo quasi spirituali cibo saginatur, & potus dulcedine inebriatur.

Contra hæres. Messalianorum. Conclusio Catholica. Ioan. 6.

Vrbanus.

Ad hæc id etiam adnotandum, quòd hoc sacramentum non tunc dum perficitur, id est, consecratur, neque dum tanquam sacrificium offertur, gratiam confert, sed vsu dum sumitur: iuxta verbum suprà citatum. Qui manducat me, viuet propter me. Et: Nisi manducaueritis, &c. Quapropter scire expedit quantum sit tempus, quo sacramentum gratiam conferre potest. Ad quod Caietanus in præsentiarum respondet, non solum tempore, quo est in ore, aut in gutture, sed toto quo in stomacho durant species, posse virtute sacramenti conferre gratiam. Consentit Maioris distin. 9. argumento 5.

Tempus collationis gratiæ secundùm Caiet. & Maior.

Hæc autem opinio non apparet vndequaque vera. Primo, quia vel intelligunt toto illo tempore si homo est dispositus, sacramentum continenter con-

Reprobatio.

Digitized by Google

ferre, augereque iugiter gratiam. Atque hoc dicere non possunt: quia gratia sacramentalis in instanti producitur. Præterquam, quòd inde fieret consequens auctiorem gratiam sacramentalem ei impertiri, qui maiorem hostiam suscipit, atque ei, qui ob imbecillitatem stomachi tardius digerit: quia prolixius est tempus collationis gratiæ. Aut intelligunt, vt Maioris insinuat, & Caietanus dicere debet, quòd cum non nisi certus gradus cuique sacramento respondeat, illo percepto, non amplius virtute sacramenti augetur. At tanquam suæ opinionis consequens, confitentur, quod si dum homo sacramentum deglutit, obicem habeat mortalis culpæ, cuius illico antequam species digerantur eum pœniteat, gratiam sacramentalem, quam prius propter obicem non receperat, tunc recipiet. Vnde rursus confitentur consequi, vt quispiam recipere possit sacramentum in peccato mortali, atque adeò vt perceptio ipsa sit mortalis, & nihilominus virtute ipsius recipiat vitalem gratiam, quæ quidem profectò confessio non nihil absurditatis præ se fert.

Absurda ex sent. Caiet.

Sed arguitur secundò. Vnicuique sacramento signandum est punctum, quo suum sortiatur effectum, quod quidem punctum est instans illud & momentum, quo perficitur applicatio: ista autem opinio nullum assignat, nisi latum tempus.

Tertiò euidentius explicatur. Sacramentum hoc gratiam confert per comestionem & potum: ergo illo adæquato momento, quo perficitur comestio, confertur gratia. Sicut in baptismo illo momento, quo perficitur verborum prolatio. Ex quo fit, quòd dum est in ore, etiam si sit sumptum cum intentione deglutiendi, non habet suum effectum: nam si expueretur, falsum esset dicere contulisse gratiam. Item quia masticare propriè non est comedere: sed deglutire.

Sententia autoris.

Colligitur ergo vt instans collationis gratiæ huius sacramenti sit illud, quo primùm verum est dicere, Comestum est scilicet, guttur aut gulam transiuit. Nam & eius applicatio comestio est, & illic applicatio perficitur. Vnde si illo tunc momento suscipiens non habet obicem culpæ, illic suscipit sacramenti gratiam. Si autem tunc habet obicem, licèt antea vel post fuerit bene dispositus, habebit quidem gratiam virtute meriti & operis operantis, non tamen virtute operis sacramenti.

Et quartò arguitur. Digestio specierum nec est sumptio neque vsus sacramenti, neque actus pro tunc spontaneus, sed merè naturalis, ergo virtute illius non est censendum gratiam conferri.

Ad argum. pro Caiet. Ad 1.

Argumentum verò in fauorem Caietani primum est. Locus ille Ioan. 9. Quamdiu sum mundo, lux sum mundi, hoc tamen applicare ad existentiam in stomacho, nihil rei consonat, loquebatur enim Christus de luce suæ doctrinæ & exemplorum.

Ad 2.

Secundò arguitur. Cibus & potus corporalis quamdiu est in stomacho prodest: sed hoc sacramentum sumitur per modum cibi & potus, & durat in stomacho: ergo toto illo tempore prodesse poterit spiritualiter. Negatur consequentia: est n. discrimen, quòd cibus corporalis non prodest dum sumitur, sed dum digeritur: quia tunc conuertitur in substantiam aliti. Effectus autem sacramenti est spiritualis, qui subinde fit in instanti, atque adeò non quando digeritur, sed dum sumitur effectum habet. Alioqui si instar corporalis cibi quamdiu in stomacho durat corporaliter reficeret, sequeretur, quòd tota illa mora semper augeret gratiam. Præsertim quòd cùm, vt supra dist. 6. q. 1. de baptismo dictum est, fœlicior dispositio suscipientis in causa sit, vt effectus ipse sacramenti copiosior conferatur, sequeretur, quòd si in deglutione propter minorem dispositionem minor gradus collatus est, postmodum crescente dispositione, creseret gratia sacramenti, quandoquidem dum existit in stomacho, semper secundum istos est in actuali applicatione. Atque adeò conduceret, vt digestio fieret morosius, quòd profectò concessu ridiculum esset.

Ad 3.

Tertiò arguit Caietanus. Sacerdos dum sumit propter occupationem quam habet & attentionem ad reuerentiam exteriorem ne hostia adhæreat palato, aut sanguis effundatur, non habet tunc illam contritionem, quæ requiritur ad recipiendam gratiam sacramenti: quare nisi sufficeret postea illam habere, iactura maximam faceret: nam contingeret, vt quandoque non reciperet primam gratiam, per quam fieret ex attrito contritus. Respondetur, hoc argumentum fundari in quadam eius propria opinione: videlicet, quòd requiratur actualis deuotio ad suscipiendum sacramentalem gratiam. Quod profecto est scrupulum injicere, vbi non opus est, vt art. vlt. apparebit. Imo vero quando quis accedit attritus putans se esse contritum, quamuis dum sumit non habeat actualem deuotionem, fit virtute sacramenti contritus: nam postquam non opponit obicem, non est cur effectus sacramenti impediatur. Sed si absit actualis deuotio, hæc sola fit iactura, quod non sentitur dulcedo, & gustus spiritualis: hoc enim dicit actum: quare non est timenda propter absentiam actualis deuotionis iactura in gratia. Adde quod non est necesse vt illa attentio ad actum exteriorem sumptionis deuotionem impediat.

Non requiritur actualis deuotio in sumptione.

Perdit dulcedinem qui actualem non habet deuotionē.

Subdit hic Caietanus forsan dandum esse medium, vt quispiam sacramentum sumens in peccato, nec sumendo peccet, sed excusetur, ob id quòd diligentem putet fecisse indaginem, nec tamen gratiam suscipiat, ob id quod non fecerit sufficientem. Sed hæc disputatio ad distinctionem sequentem q. 1. art. 4. proprius pertinet, vbi de peccatore ad sacramentum accedente disputabitur. Hoc tamē iterum hic admonendum, quòd qui propter obicem gratiæ illam non recipit dum suscipit sacramentum, nunquam gradum illum sacramentalem postea recuperabit: nam vt dist. 6. q. 1. † dicebamus, solius baptismi priuilegium est, vt effectus per fictionem impeditus dum recipitur, postea sublata per pœnitentiam fictione virtute præteriti sacramenti redeat. Subiungit demum, quòd neque ille, qui accedit, in gratia, suscipit augmentum, nisi tunc habeat actualem deuotionem, in cuius causæ patrocinium quàm plurima congerit. Et gloſſat dictum sanct. Thomæ in art. vltimo præsentis quæstionis, quòd contrarium apparet: & ideo illucusque disputationem differre oportet, vbi omnia eius assertа examinabuntur.

Nota.

† art. 3.

Primum argumentum S. Thomæ est huiusmodi. Hoc sacramentum est nutrimentum spirituale: nutrimentum autem non applicatur nisi viuenti, & vita non acquiritur nisi per gratiam, quæ quidem vitalis gratia propriè confertur in baptismo: ergo hoc sacramentum non confert primam gratiam. Neque verò augmentum: nam illud, vt dictum est, † confertur in confirmatione. Responsio tria habet membra. Primum, quod hoc sacramentum ex se virtutem habet conferendi gratiam, scilicet primam: quia nemo sine eius susceptione vel in re, vel in voto potest illam suscipere: scilicet, vel in voto proprio, vt habent adulti, vel in voto Ecclesiæ, vt paruuli dum baptizabantur. Vnde cùm hoc sacramentum sit finis baptismi, sicut baptismus, vt dictum est, † cōcurrit in re ad primam gratiam: ità & hoc concurrit in voto, quod illic includitur. Colligitur ergo secundò, vt dum in re suscipitur eadem gratia augeatur. Itaque per se hoc sacramentum in voto quidem conferre habet primam gratiam, in re verò non nisi augmentum, sed per accidens ratione dispositionis suscipientis scilicet, quia accedit attritus putans se esse contritum, confert, dum suscipitur, primam gratiam. Sed tertiò differt à confirmatione: quia illic augetur corroboraturq; gratia ad propugnandam fidem contra exteriores impugnationes hostium Christi: hic verò ad sustinendam perficiendamque spiritualem vitam, vt homo perfectius tanquam per spirituale alimentum adunetur Christo, in ipsumque magis ac magis conuertatur.

1. Argum.

† dist. 7. a. 1.

† dist. 6. q. 1. a. 3. & 4.

Euchar. perfect vitam spiritualem.

Ex hac solutione attentè colligito, desiderium & votum Eucharistiæ non sufficere ad conferendam gratiam eius sacramentalem. Est enim regula in omnibus vt hoc etiam comprehendatur, vniuersalis, quòd gradus gratiæ, qui correspondet sacramento, nunquam nisi in re suscepto confertur. Et ideo admonendi maximè sunt parœciarum sacerdotes, ne ex quacunque leui causa omittant buccellam infirmis porrigere, fraudantes eos illo gradu gratiæ, quam virtute operis sacramenti reciperent. Grauiter enim falluntur putantes idem esse adorare & suscipere nisi quantum ad præceptum implendum. Quod enim ait super Ioan. Augustinus. Credere in Iesum Christum, hoc est manducare panem viuum. Et in libro de pœnitentiæ medicina, † Quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti. Qui canones referuntur de consecrat. distinct. 2. solum de illa manducatione intelligitur, quæ est de necessitate salutis, vt hic ait S. Thom. & superius latius quæstio. trigesimaseptima, articulo tertio. Ad salutem enim sufficit hoc sacramentum suscipere in voto, si tamen per

Documentum notandum.

Admonitio pastoribus notanda.

† cap. 55. tom. 3.

Digitized by Google

susceptionem baptismi aut pœnitentiæ, aut veram contritionem aliàs sit homo in gratia. Vnde si infirmus non sit nisi tantum attritus, nunquam per adorationem sacramenti fiet contritus, nec recipiet gratiam potiùs quàm dum sanus adorat in Ecclesia. Vide quanta iactura fiat ex leui causa, tunc non conferre sacramentum. Quando verò vomitus, vel alia irreuerentia timetur, tunc saluti infirmi præferenda est reuerentia sacramenti, atque adeò non est ministrandum.

Infirmis nõ est dandum vbi vomitus periculũ. 2. Arg.

Secundò arguitur. Hoc sacramentum est quædam spiritualis refectio: huiusmodi autem refectio magis ad vsum gratiæ, quàm ad eius perfectionem pertinere videtur: non ergo gratiam confert. Respondetur ad minorem negando refectionem pertinere duntaxat ad vsum gratiæ, imò etiam pertinet per se ad augmentum & per accidens in eo qui accedit attritus ad receptionem: nam si vti gratia, est refici, fit vt & ipsum recipere ad id pertineat, sicut receptio cibi. Imò non solum augmentum vel receptio gratiæ, sed etiam charitatis est huius sacramenti effectus. Neque id tantum propter generalem connexionem: quia gratia vbicunque recipitur, secum adfert charitatem cum aliarum virtutum comitatu, sed ex peculiari natura refectionis, quæ fit per calorem, qui quidem calor proprius est charitati. Vnde Damascenus lib. 4. cap. 14. Sacramentum hoc carbonis confert, quem Esaias vidit, c. 6. carbonamque non est simplex lignum, sed igni vnitum, sicuti & panis communionis (hoc est corpus Christi) non simplex est, sed diuinitati vnitus, atque adeo sumentem per amorem Deo coniungens. Cùm autem secundum Gregorium amor Dei non sit ociosus, sed magna operetur: fit vt hoc sacramentum non modo gratiam & charitatem conferat, sed ad vsus etiam & actus earum excitet, iuxta illud 2. Corinth. 5. Charitas Christi vrget nos. Colligitur ergo, vt virtute huius sacramenti anima reficiatur, & delectetur, & inebrietur dulcedine bonitatis diuinæ, quæ omnia dicunt actum & vsum, & secundùm illud Canticor. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Vnde Durandus dist. 12. quæst. 4. aliud discrimen ponit inter augmentum gratiæ, quod est effectus huius sacramenti, & illud, quod fit in confirmatione: nam illud magis comparatur augmento non viuentium, vt si aquæ aquam apponas. Hoc autem, quia fit per viam nutritionis, æquiparatur augmento viuentium, quod fit calore interno, & vitali opera.

Damasc.

Tertiò arguitur. In hoc sacramento, vt supra dictum est, corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis pro salute animæ: corpus autem non est gratiæ capax: ergo saltem quantum ad hunc effectum hoc sacramentum non confert gratiam. Respondetur, quod cùm sacramenta operentur salutem, quam significant, fit vt secundùm quandam similitudinem & attributionem dicatur corpus offerri pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, quamuis cùm vtrobique sit totus Christus, vtrumque & corpori conferat & animæ. Adde quod licèt corpus non sit capax subiectum gratiæ, ex anima tamen gratuitus effectus gratiæ redundat in ipsum tam in præsenti seculo, in quo per Dei gratiam exhibemus membra nostra, vt ait Paul. ad Rom. 6. arma iustitiæ Deo, quàm in futuro, vbi corpus incorruptionem & gloriam ex animi redundantia sortietur.

3. Argu.

Quomodo dicatur corpus Christi pro corporis & sanguis pro anima salute offerri.

ARTICVLVS II.

Vtrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriæ.

Conclusio.

SEQVITVR de alio effectu huius sacramenti: scilicet, an sit adeptio gloriæ. Respondet S. Thom. vnica affirmatiua conclusione. Conuenit huic sacramento causam esse adoptionis vitæ æternæ. Probatur primò ex verbo Christi Ioann. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: vita enim æterna idem est quod gloria æterna. Deinde probatur ex duplici capite: scilicet tam ex eo quod continet & repræsentat, quæ sunt Christus & eius passio, quàm ex vsu sacramenti eiusque speciebus. Christus enim, qui hic continetur per suam passionem, quæ hic repræsentatur, aditum nobis pandit sempiternæ vitæ, secundùm illud ad Hebræ. 9. Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt accipiant repromissionem æternæ hæreditatis. Ad cuius significationem in forma calicis habetur, Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti. Secundò, eadem conclusio fit manifesta ex vsu & speciebus. Est enim spiritualis refectio & vnitas, quæ per speciem panis & vini, vt articulo præcedenti dictum est, significatur, quæ quidem refectio & vnitas in hac vita imperfectè habetur: in futura verò perfectè. Vnde Augustinus † super illud Ioan. 6. Caro mea verè est cibus. Cum cibo, inquit, & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit in societate sanctorum, vbi pax erit & vnitas plena atque perfecta.

Probatur 1.

2.

† Tract. 26. in Ioan. sub fin. tom. 9.

Qui conclusionem huius articuli superficie tenus aspexerit, putabit adeptionem gloriæ non esse proprium effectum huius sacramenti, sed per accidens, quod est omnibus generale, quando conferunt primam gratiam. Aperire enim gloriam, illi conuenit sacramento, quod per se confert primam gratiam, vt est baptismus, vt distinct. 7. quæst. 1. articu. 7. dictum est, & per suam formam pœnitentia, per quam remittuntur actualia. Cùm ergo hoc sacramentum, dum confertur in re, non habeat per se conferre primam gratiam, fit vt neque conferre gloriam, sed augere. At verò mens Diui Thomæ sublimior est, censet enim hoc per se conuenire huic sacramento, sicuti baptismo, licèt quodammodo differenter. Primùm, quia vt articul. proximo † dicebamus, in baptismo includitur votum huius tanquam finis omnium sacramentorum, per quem modum confert primam gratiam. Secundò, quod ad rem magis attinet, quòd cùm gloria non sit nisi vita æterna, cuicunque sacramento per se conuenit dare aut sustentare vitam spiritualem, quæ hic incipit, & in futuro sæculo perpetuatur, conuenit propriè conferre gloriam. Sacramentis ergo confirmationis, extremæ vnctionis, ordinis, & matrimonij, quia sua gratia non est per se dare vitam, nisi per accidens, quando accedens est attritus, sed alios habeat effectus, non per se conuenit conferre gloriam. Baptismo verò & Eucharistiæ per se id conuenit: baptismus enim, quia est regeneratio, dat nobis vitam faciendo nos filios Dei, & si filios, vt ait Roma. 8. Paul. ergo hæredes æternæ vitæ. Eucharistia verò quia eandem vitam sustentat, nutrit & auget, virtute sua facit, vt detur nobis perpetua in patria.

Expositio articuli.

† in resp. ad 1. arg. S. Th.

Quæ dant aut sustentant vitam spiritualem gloriam conferunt.

Primum argumentum Sancti Thomæ est. Effectus proportionatur causæ: hoc autem sacramentum conuenit viatoribus, quibus datur causa sustinendi vitam huius sæculi: viatores autem non sunt capaces gloriæ: ergo virtute huius sacramenti non confertur. Respondetur, quod per hoc sacramentum adipiscimur gloriam, sicuti per passionem Christi, cuius virtute operatur: per passionem autem non illico introducimur in gloriam, ait ad Roma. 8. Paulus. Oportet nos prius in hac vita Christo compati, vt in futura cum ipso conglorificemur. Hoc ergo sacramentum est causa gloriæ, quatenus est viaticum subsidium sustentandi spiritualem vitam per quam peruenimus ad gloriam. In cuius figuram legitur 3. Reg. 19. quod Helias comedit & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Oreb, quo celsitudo glorioſæ contemplationis designatur.

1. Argu.

Figura huius effectus.

Secundò arguitur. Multi accipiunt hoc sacramentum, qui nunquam ad gloriam peruenient, vt 21. de ciuit. Dei, † author est Augustinus. ergo effectus eius non est adeptio gloriæ. Negatur consequentia: nam sicut passio Christi per se sufficiens est, vt per illam quisque gloriam adipiscatur, si bene se ad illam accommodauerit: sic & hoc sacramentum. Si quibus ergo non prodest, non est ex defectu ipsius, sed ex eorum culpa. Vnde super Ioan. idem Augustinus. Multi, inquit, de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Panem ergo cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate.

2. Arg.

† c. 25. 10. 5.

Quod quibusdam hoc sacr. non prosit ad gloriã est eorum culpa.

Tertio arguitur. Maius non efficitur à minori: maius autem est Christo in cœlo sub propria specie frui, quod pertinet ad gloriam, quam ipsum sub aliena in sacramento percipere: ergo hoc non est illius causa. Respondetur ad maiorem, quod licèt maius à minori non fiat tanquam à causa principali, fieri tamen potest tanquam ab instrumento, per asciam enim fit statua: sic ergo per sumptionem sacramenti instrumentaliter adipiscimur gloriam, quam Deus nobis confert.

3. Argum.

Sumptio Euchar. est causa instrum. gloriæ.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrùm effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

SEQVITVR de tertio effectu, qui est expulsio mali: scilicet, peccati mortalis, vtrum hoc conueniat Eucharistiæ, sicut baptismo & pœnitentiæ, quæ est absolutio peccatorum. Ad quod per distinctionem respondetur quatuor conclusionibus. Sacramentum enim hoc considerari potest aut secundùm se, aut respectu suscipientis.

1. Concl. Est ergo prima conclusio. Secundùm se consideratum virtutem habet remittendi quæcunque peccata. Probatur, quia est instrumentum passionis Christi, quæ omnia peccata delere sufficit, nisi obstaculum inueniat.

2. Concl. Secunda conclusio. In eo, qui sacramentum recipit cum scientia peccati mortalis, nullam operatur remissionem, imò culpam accumulat. Probatur primò ex illo 1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Vbi glossa. † Ille manducat & bibit indignè, qui in crimine est, aut irreuerenter tractat, qui ideo iudicium manducat & bibit, scilicet condemnationem. Et confirmatur, ratione. Sacramentum hoc eo quòd datur in nutrimentum, est sacramentum viuentium, quibus solum nutrimentum competit: ergo quicunque accedit cum scientia peccati mortalis, obicem opponit sacramento, tum quia non viuit, tum quia vniri non potest Christo tanquam eius membrum qui est effectus sacramenti, & ideo tanquam indignus susceptor iniuriam irrogat sacramento, atque adeò veniam non obtinet, sed sumendo peccat. Vnde in libro de Ecclesiasticis dogmatibus: † Si mens in affectu peccandi est, grauatur magis Eucharistiæ perceptione, quàm purificetur.

† interlin. ibid.

† cap. 53 to. 3. inter opera Aug.

Ad explicandam autem conclusionem adhibentur aliæ duæ.

3. Concl. Tertia ergo est. Hoc sacramentum operari contingit peccatorum remissionem dupliciter, vno modo dum recipitur in voto: scilicet, dum quis iustificatur aut per baptismum, aut per confirmationem, vtrobique n. includitur eius votum, ceu omnium sacramentorum finis. Operari enim remissionem peccatorum, est primam gratiam conferre, qualis per huiusmodi iustificationem confertur.

4. Concl. Quomodo Eucharistia remittere peccatum mortale contingat. Quarta conclu. Secundo modo hoc sacramentum in re susceptum conferre potest primam gratiam, atque adeò remissionem peccatorum, dum quis accedit in peccato mortali, cuius tamen nec conscientiam habet nec affectum, vt putà si accedat attritus putans se esse contritum, aut si sine culpa est oblitus alicuius mortalis. Tunc enim sacramentum hoc charitatis contritionem perficiet, & remissionem operabitur.

Tres primæ conclusiones apud catholicos adeò sunt peruiæ, vt nulla indigeant discussione, sed soli hæretici, qui negant sacramenta conferre gratiam, negant subinde per aliquod eorum conferri remissionem peccatorum, sed peculiariter qui negant Christum contineri hic secundùm veritatem. Subsequenter nullam huic sacramento attribuunt remissionem, in quorum numero est Oecolampadius, contra quem libr. secundo de sacramento Eucharistiæ capitul. octauo disputat Clichtoueus.

Augustinus explicatur. Cæterùm testimonium illud Augustini de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. quod refertur de consec. dist. 2. can. Quotidie. D. Thom. hic ad secundam conclusionem, & Scotus, & omnes de affectu peccati mortalis intelligunt, qui quidem aggrauat sumentis culpam, sed non desunt qui illud intelligant de affectu peccandi venialiter, propterea quod ait inferiùs, De illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Certius tamen est intelligi de affectu mortali, vt intelligitur à S. Thoma, nam affectus venialium non obstat effectui huius sacramenti, vt art. 8. per aliam autoritatem eiusdem Augustini constabit. Hunc autem locum arti. 8. perpendemus, vbi disputabitur vtrum affectus peccati venialis impediat effectum huius sacramenti.

Quarta verò conclusio disputationem nobis prolixiorem aperiebat de accedente ad hoc sacramentum in peccato de quo est solum attritus, quomodo tunc non modò non peccet, verùm & gratiam suscipiat, qua veniam obtineat. Sed ne toties eandem rem tangamus, hæc disputatio vsque ad quæstionem subsequentem ar. 4. reseruetur, vbi de accedente in peccato explorabitur an peccet.

1. Argum. ex S. Th. a. 3. Primum argumentum S. Thomæ est, Ecclesia in quadam collecta petit, fit hoc sacramentum ablutio scelerum: scelera autem non sunt, nisi peccata mortalia: ergo illa per hoc sacramentum abluuntur. Respondetur non esse intelligendum de ablutione eorum, quorum conscientiam homo ad hoc sacramentum adfert, sed bifariam aliter, scilicet, vt illa abluantur, quorum conscientiam non habemus, iuxta illud Psalmi: Ab occultis meis munda me Domine; aut illa, quorum imperfectè dolemus, quem dolorem petimus per sacramentum perfici. Aut denique in hoc sensu petimus ablui, vt robur nobis per sacramentum accrescat.

2. Argu. Secundò arguitur. Hoc sacramentum operatur in virtute passionis Christi sicut baptismus: per baptismum autem remittuntur peccata mortalia, vt suprà dictum est, ergo & per hoc sacramentum, præsertim cum in forma calicis adhibeatur, Qui pro vobis & pro multis effundetur. Respondetur ad maiorem, discrimen esse inter baptismum & hoc sacramentum, quod baptismus operatur in virtute passionis Christi tanquam regeneratio spiritualis, quæ scilicet est mutatio de non esse spirituali in esse spirituale: præterea datur per modum ablutionis. Quorum neutrum obstat quominus possit quis dignè ad ipsum accedere cum conscientia peccati mortalis, dummodò non habeat complacentiam, vt suprà expositum est, ac perinde optans a suis delictis per baptismum ablui, & de morte transire ad vitam. Sed per hoc sacramentum homo suscipit Christi gratiam pro spirituali nutrimento, quod non conuenit mortuo in peccatis: & ideo per se exigit, vt nemo ad ipsum accedat, nisi qui bona fide crediderit se viuere vita gratiæ. Ex natura ergo diuersa horum sacramentorum, diuersitas colligitur dispositionis in suscipiente. Ad baptismum namque sufficit, vt non opponat obicem: ad Eucharistiam verò vt probet seipsum, vt ait Paul. antequam de pane illo edat, aut de calice bibat.

Ex natura diuersa Baptismi & Euchar. colligitur diuersitas dispositionis in suscipiente.

1 Cor. 11.

3. Argu. Tertiò arguitur. Per hoc sacramentum gratia confertur; sed effectus gratiæ est iustificatio à peccatis mortalibus, secundum illud ad Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, ergo per hoc sacramentum remittuntur mortalia. Respondetur, quòd licèt gratia per se sufficiat remittere peccata, non tamen actu remittit, nisi quando datur prima: hoc autem sacramentum dum re suscipitur, non habet per se conferre primam gratiam, sed augere per nutrimentum. Quare nec per se conuenit ei peccata remittere, sed per accidens tatione subiecti: quia scilicet suscipiens putat se carere peccato, quod tamen habet.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum per hoc sacramentum remittantur peccata venialia.

CVM dictum sit, huic sacramento remissionem mortalium peccatorum non competere, quæritur, an idem sit de venialibus censendum. Et respondetur conclusione diuersa. Hoc sacramentum virtutem habet ad remissionem venialium. Primò probatur autoritate Innocentij libro † de mysterio missæ, dicentis, hoc sacramentum venialia delet, & cauet mortalia. Deinde probatur rationibus duabus, quarum vna sumitur ex natura sacramenti, atque altera ex re ipsius. Natura enim sacramenti est suscipientes spiritualiter nutrire: natura autem nutrimenti corporalis est restaurare id quod quotidie per actionem caloris naturalis deperditur: cum ergo similiter calore concupiscentiæ per peccata venialia aliquid feruoris charitatis amittatur, fit vt ex natura huius sacramenti eiusmodi venialia remittantur. Vnde Ambro. libro de sacrament. † Iste, inquit, panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Secundò probatur ex parte rei huius sacramenti, quæ est charitas, non solùm in habitu, verùm etiam in actu. Diximus enim articulo 1. per hoc sacramentum excitari nos ad amoris feruorem: actus vero & feruor charitatis, sicuti per venialia, dum actu committuntur, tepefit, sic cum complacentiam eorum non inuenit, eadem venialia vicissim delet.

Concl.

† lib. 4. c. 4. ante med. 1. ratio ex officio nutrimenti.

† lib. 5. de sacr. c. 4. a. med. tom. 4.

2. rat. ex parte rei.

Notato

Expos. art.

Notato in primis discrimen hoc, quòd cùm hoc sacramentum in re non habeat per se conferre primam gratiam, imò illam supponit, non habet per se remittere mortalia, nisi ex sui voto, quòd includitur in baptismo. Quatenus recipiatur cum conscientia peccati mortalis, illud non remittit. At verò quia peccata venialia gratiã non excludunt, dignè quis cum illis potest ad hoc sacramentum accedere, cui ideo virtute sacramenti remittentur, nisi qui accedit obicem adferat alicuius venialis maculæ. Obex enim ille obstabit remissioni illius venialis peccati, non tamen remissioni aliorum: quia venialium peccatorum possunt aliqua sine cæteris remitti.

Dubitatio.

Hæsitabit quis forsan, eò quòd Diuus Thomas videtur peculiariter hunc effectum huic sacramento tribuere, cùm tamen ex altera parte cunctis videatur communis: nam cum omnia gratiam conferant cuius peccatum veniale obex non est, videntur venialia per omnia alia sacramenta remitti. Ad hoc bifariam responderi posset. Primò, quòd cùm susceptio aquæ lustralis & episcopalis benedictio, atque alia id genus sacramentalia remittant omnia venialia, quorum complacentiam non inueniunt, absque aliquo eorum dolore, probabile est, vt per omne sacramentum generali ratione gratiæ pariter remittantur. Nihilominus tum baptismus, tum etiam hoc sacramentum id habet ex sua natura propriè: ille scilicet, quia regenerat hominem in nouam vitam, hoc verò propter rationes in præsentiarum allatas. Attamen & veritati fortè similius & menti S. Tho. vicinius respondetur, negando id omni sacramento conuenire.

An soli sacr. Euchar. sibi conueniat venialia dimittere.

1. Argum. S. Tho. † Tract. 26. tom. 9.

Arguit namque sic primo loco S. Tho. Hoc sacramentum, vt super Ioannem † ait Augustin. est sacramentum charitatis: venialia autem non contrariantur charitati: cùm ergo nihil nisi per suum contrarium corrumpatur, videtur hoc sacramẽtum minimè venialia remittere. Et respõdet ad minorem, quòd licèt venialia non obstent habitui charitatis sicut nec gratiæ: nihilominus contrariantur actuali feruori charitatis. Vnde cùm illic sit effectus huius sacramenti, per illum remittuntur. Vult ergo S. Thom. non remitti venialia per habitum charitatis aut gratiæ, sed per actum. Cùm ergo per alia sacramenta, si nudam eorum naturam contempleris, non nisi habitus infundatur, non habent venialia remittere, præter baptismum, qui est noua regeneratio. Vnde Iulius Papa. can. Cum omne. de conse. dist. 2. Omne, inquit, crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificijs deletur. Et Gregorius can. Species, huic etiam sacramento peccatorum remissionem adscribit. Quod autem aqua benedicta & alia sacramentalia venales culpas deleant, ex peculiari institutione & intentione fortiuntur.

Vnde habẽt sacramentalia vt venialia dimittant.

2. Argum.

Secundò arguitur. Si per hoc sacramentum venialia remitterentur, fieret vt remitterentur vniuersa: quare frequenter affirmare possemus, nos esse sine peccato, contra illud 1. Ioann. 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Respondet D. Thom. illud verbum non sic esse intelligendum, quin aliqua hora absque omni reatu peccati venialis possimus existere: sed sic, quòd istam vitam neque sancti absque huiusmodi leuibus culpis ducunt. Adde, quod Ioan. non dicit nos non posse esse sine peccato, sed quòd nemo id debet dicere, quia nescit an alicuius habeat complacentiã, quæ ipsum lateat. Quare licèt quispiam dicat nullius se memorem esse peccati venialis, non se seducit, sed dum pro certo affirmat nullum habere.

Explicatur locus 1. Ioan. 1.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Contraria mutuò se expellunt, sed peccata venialia non sunt sacramento contraria: quia prohibent neminem ab eius perceptione, dicente Aug. † super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerunt manna in deserto. Innocentiam ad altare apportate: peccata etsi sunt quotidiana, non sint mortifera: ergo venialia per hoc sacramentum non tolluntur. Respondetur, maiorem esse charitatis virtutem in bonum quæ charitas effectus est huius sacramenti, quàm venialium peccatorum in malum. Quare venialia non possunt in totum impedire charitatis actum, licet eis quis accedat infectus ad sacramentum: & ideo sacramentum ipsum illa poterit delere. Complacentia autem venialium impedimento esset ne deleretur.

† Tract. 26. parum à med. to 9.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur.

CVLPAM consequitur pœna: & ideo quæritur, vtrùm per hoc sacramentum etiam pœnæ peccatorum remittantur. Ad quod supposita dis. D. Thom. quatuor concl. respondet. Hoc enim sacramentum, vt initio diximus, & in fine dist. 13. q. 2. art. 1. examinabimus, singulare hoc habet, vt sit non solum sacramentum, sed etiam sacrificium. Habet n. rationem sacrificij inquantum offertur, rationem verò sacramenti inquantum sumitur. Et ideo effectum sacramenti habet in eo qui sumit: effectum verò sacrificij in eo qui offert, atque in ijs pro quibus offertur. Et quidem inquantum sacramentum, operatur vno modo directe, ex vi sacramenti, atque altero ex concomitantia: sicut dictum est de continentia, quòd scilicet sub specieb. panis corpus continetur ex vi sacramenti, sanguis verò ex concomitantia.

Eucharistia est & sacrificium, & sacramentum.

Est ergo prima conclusio. Hoc sacramentum directè nullam habet remittere pœnam, sed solum ex concomitantia. Probatur, sacramentum enim illud habet effectum directum, ad quem institutum est: hoc autem non fuit institutum nisi ad nutriendum hominem, atque adeò incorporandum ipsum Christo, sicut membrum capiti, & ad conglutinandum ipsum cum cæteris fidelibus, vt vniantur sicut membra in vno corpore, quos quidem effectus & corporale nutrimentum habet: quæ quidem ratio nullam includit pœnarum remissionem. At quia hæc vnio fit per actum feruoremque charitatis, & huiusmodi feruor non solùm veniales culpas remittit, verùm & pœnas quatenus est actus amicitiæ Dei, ex hac parte per hoc sacramentum nonnihil suppliciorum condonatur.

1. Concl.

Concomitanter pœna remittit.

Secunda conclusio. Non tamen semper remittitur omnis pœna, sed secundum modum cuiusque deuotionis & feruoris. Nam cùm non remittatur per habitum, sed per actum, quantus fuerit actus, tanta erit & remissio.

2. concl.

Tertia conclusio. Hoc sacramentum inquantum sacrificium, de se habet quòd sit satisfactorium pro offerente, & pro quibus offertur.

3. Concl.

Quarta conclusio. Quamuis oblatio ex sui quantitate sufficiat pro satisfactione totius pœnæ, tamen in re non habet efficaciam nisi pro ratione & quantitate deuotionis & feruoris tam offerentis, quam illorum pro quibus offertur. Quare non semper satisfacit pro tota pœna. Probatur, quia satisfactio magis attenditur penes deuotionem offerentis quàm penes quantitatem rei oblatæ, vt patet in illo exemplo Lucæ 21. de vidua, quæ cum non obtulisset nisi duo minuta æra, iudicio Christi pluris fuit eius oblatio æstimata, quam oblationes aliorum, qui pretiosiores nummos in gazophylacium mittebant.

4. Concl.

Hic discrimen adnotandum est, quòd cùm sacramentum quatenus sacrificium, gratiam non conferat, sit vt illa ratione neque vllam operetur culparum remissionem, nisi per modum meriti, si offerens sit in gratia, vt d. 13. q. 2. artic. 1. explicabimus: quia offert hostiam sanctam. Et ideo hactenus in remissione culparum nulla est habita mentio huius sacramenti quatenus est sacrificium. Habet autem per se rationem satisfactionis pro pœnis culparum non tantum venialium, verùm etiam mortalium, quæ iam sunt per gratiam deletæ, prodestque offerenti, & pro quibus offertur. Et ideo de istis conclusionibus iterum nobis distin. 18. inter agendum de satisfactione, commemorandum est.

Expositio articuli.

Valet etiam Euch. ad remissionem pœna pecc. mortal.

At verò circa intellectum quartæ dubium est non mediocre, quomodo D. Tho. intelligat oblationem huius sacrificij ex sui quantitate sufficere ad satisfaciendum pro omni pœna: nihilominus non esse satisfactoriam nisi pro quantitate deuotionis offerentis, & illius pro quo offertur. Hæc enim verba submouere videntur celebrem illam quæstionem, vtrùm missa oblata pro pluribus, tantundem singulis valeat, quantum si oblatio pro vno fieret. Hanc vero quæstionem, etsi lib. 9. de Iusti. & iur. q. 2. art. 2. tractauerimus, eam exactiùs limatiusque inferiùs dist. 13. q. 2. art. 1. examinabimus. Quare de illa nihil in præsentiarum. Imo vero cùm illius examen præsenti conclusioni non

Dubium ad 4. Concl.

parum

Digitized by Google

parum lucis adferat, illic ampliùs hæc elucebit.

Ne tamen hic nihil dicamus, animaduertendum est, id quod in hoc sacrificio offertur, esse per se infiniti valoris: est enim corpus & sanguis, quæ cùm sint diuinitati coniuncta, sunt suppositi infinitè grati, & ideo quantum est de se ad infinitum effectum sufficeret. Attamen quia sacrificium non solùm dicit rem oblatam, sed oblationem: nempe, offerentis actum, fit vt quantum ad efficaciam, dum ab hominibus offertur, non habeat nisi taxatum effectum. Sacrificium verò Christi in cruce non tantùm quia id quod offerebat erat infinitum, sed quia ipse offerens erat suppositum infinitè gratum Deo, fuit simpliciter infiniti valoris: non autem sic dùm ab homine puro offertur, licèt per nostram oblationem illa Christi quoad efficaciam applicetur, sed crescit valor secundùm deuotionem offerentis. Dum enim duo nummum eiusdem valoris pauperi porrigunt, ille qui ardentiori affectu eum largitur, plus meretur. Et huic veritati seruit exemplum viduæ † offerentis duo minuta ex maiori feruore: tametsi etiam illic res oblata secundùm proportionem suæ inopiæ erat maior, quàm pretiosior nummus oblatus à diuite. Sic ergo in proposito, quia res oblata est eadem, quanto sanctiori animo fiat oblatio, erit magis satisfactoria. Sed tamen veritas hæc perspicaciori indiget explicatione. Quæritur ergo. Vtrùm satisfactio in diuersis pensetur solùm ad æqualitatem deuotionis, vt si vnus offerat deuotione vt vnum, & alter vt duo, satisfactio huius sit dupla ad satisfactionem alterius. Apparet enim hanc esse sententiam S. Thomæ: quoniam quantitas deuotionis vnius est dupla ad quantitatem deuotionis alterius. In contrarium tamen est, quòd satisfactio huius sacrificij attendi debet non solùm ex opere operantis, scilicet ratione meriti, sed ex opere quod vocant operatum, nempe virtute hostiæ oblatæ: & superiùs distinct. 6. inter disputandum de effectibus baptismi diximus, effectum ipsum sacramentalem fieri maiorem in eo qui habet maiorem deuotionem. Quare qui offert deuotione, vt duo, videtur satisfacere; primùm ratione deuotionis in duplo, quàm ille qui offert deuotione vt vnum: & præterea ex opere operato etiam in duplo.

Respondetur primùm consultò D. Th. & graues doctores non esse solicitos tam minutatim istos gradus admetiri. Nam satis est, quod qui maiorem habet deuotionem, plus participat satisfactionis ratione eiusdem hostiæ, sed fortè non in eadem proportione, neq; virtute operis exhibiti: quia non omnia duplicantur. Enimuerò si duo æquè diuites æqualem pecuniam offerant Deo, non ideo quod Petrus offert duplo maiori deuotione, duplicatur ei vel meritum, vel satisfactio: quia est consideranda & deuotio & res oblata, & quia res oblata non duplicatur, non totum quod facit Petrus duplicatur respectu eius quod facit Paulus: & ideo non duplicatur satisfactio nec meritum. Vnde D. Tho. solùm dicit, quòd magis attenditur animus offerentis, quàm quantitas oblationis: sed nihilominus attenditur quantitas etiam oblationis. Quare cum offerentes sacrificium eandem rem offerant, fit vt quamuis ex deuotione offerentis crescat satisfactio, non tamen in eadem proportione, qua excedit deuotionem alterius. Et eodem modo diximus de gratia sacramentali, quòd licèt crescat ratione deuotionis suscipientis, non tamen ad æqualem quantitatem. Vt si deuotio sit vt decem, sacramentalis gratia crescat vt decem supra illam quæ datur ratione meriti. Secundò respondetur non esse omnimodam similitudinem inter sacrificium & sacramentum: nam gratia sacramentalis confertur virtute ipsius sacramenti tanquam operis & instrumenti Dei, homine solùm concurrente, vt dignè suscipiat, & ideo crescit secundùm dispositionem subiecti, scilicet, suscipientis: sed satisfactio in sacrificio non datur tanquam per solum instrumentum Dei, vt homo non faciat nisi dignè recipere: imò est opus ipsius offerentis. Et ideo crescit per eius deuotionem tanquam per causam agentem.

Ex his ergo fit consequens tantam esse posse deuotionem offerentis, vt pro vniuersis pœnis & venialium & mortalium quoad culpam remissorum quantumuis magna fuerint, virtute huius sacrosancti sacrificij pleniſſima fiat satisfactio. Id quod D. Tho. insinuat dicens, quòd hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, nisi ex parte deuotionis quidpiam deficiat. Sed hæc loco citato distin. 13. fulgentiùs elucebunt, vbi præter satisfactionem, alios effectus sacrificio conuenire monstrabimus.

Sacrificium Christi in cruce fuit infinitum.

Luc. 21.

Dubium. An satisfactio pensetur ad æqualitatem deuotionis.

Ratio dubij.

Responsio.

Qui maiorē habet deuotionem plus participat.

Discrimen inter effectus sacramenti & sacrificij.

1. Argu.

Primum argum. S. Thom. est. Per hoc sacramentum, sicut per baptismum, communicatur nobis effectus passionis Christi: sed per baptismum recipit homo pleniſſimam remissionem peccatorum quo ad culpam & pœnam, vt supra dictum est: ergo & per hoc. Negatur consequentia: nam cùm baptismus sit regeneratio, vt per quem commorimur Christo, & resurgimus in nouam vitam, per se institutus est in remissionem totius culpæ & pœnæ: hoc autem quia non est nisi in nutrimentum, non habet illum effectum remittendi pœnas, nisi secundum quantitatem deuotionis, per quam fit spiritualis nutritio.

2. Argum.

Secundò arguitur. Nihil in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi, vt ait Alex. Papa de consecrat. dist. 2. can. Nihil. per sacrificia verò veteris legis homo satisfaciebat pro peccatis suis, iuxtà legem Leuit. 4. & 5. *Si peccauerit homo, offerat hoc vel illud pro peccato suo, & remittetur ei*: ergo per hoc sacramentum pleniſſima fiet remissio. Responsio S. Thomæ est nimis compendiosa, & ideo notato discrimen, quòd in antiqua lege sicut nullum erat sacramentum, quod virtute operis conferret gratiam (licèt in circuncisione conferretur virtute fidei) ita nullum erat sacrificium, quod ex opere (quod aiunt) operato aliquam haberet satisfactionem: quia non erant instrumenta passionis Christi, sed meræ protestationes fidei eius venturi: quare solum per modum meriti operantis & augebant gratiam, & satisfaciebant pro culpis. Quapropter hoc nostrum sacrosanctum sacrificium longiſſimè illis antecellit, non solum in re oblata, quia illi offerebant animalia, nos verò corpus & sanguinem Christi, eius diuinitati coniuncta, verùm & in satisfactione virtute operis operati, quæ illic nulla erat. Applicabantur nihilominus certis peccatorum speciebus expiandis certa sacrificia, vel propter adaptationem rei oblatæ ad culpam, vel propter repræsentationem Ecclesiæ nostræ, in cuius figura omnia illis contingebant. Respondet ergo S. Thom. ad minorem, quòd reliquæ oblationes tam veteris legis quàm nouæ non solum non per se operantur ad remissionem totius pœnæ, verum neque adæquant virtutem huius nostri, neque quantum ad quantitatem rei oblatæ, neque quantum ad deuotionem offerentis, quæ innititur intentione Ecclesiæ. Et nihilominus ex defectu deuotionis offerentium, vel illorum pro quibus offertur, euenit vt nec hoc sacrificium pro tota pœna satisfaciat.

Quomodo sacr. veteris legis gratiā augebant, & satisfaciebant pro culpis.

Euchar. antecellit sacr. vet. leg.

Satisfactio per Euchar. qualis & quanta.

Et similiter respondetur ad tertium quando arguitur. Per hoc sacramentum aliquid de reatu pœnæ dimittitur, quapropter pœnitentibus solent in satisfactionem iniungi eleemosynæ pro celebratione missarum: ergo qua ratione remittitur aliquid, remittitur totum. Negatur enim consequentia. Defectus quippe non accidit ratione sacrificij, ex tempore deuotionis.

Sed arguit. Tam multa esse possent tamque nefanda hominis flagitia, vt vnum sacrificium quantacunque deuotione oblatum non sufficeret ad satisfaciendum pro omnibus. Negatur assumptum: imò tanta esse posset deuotio, non solùm sacrificij, verùm etiam cõtritionis, vt vna ad plenam omnium criminum satisfactionem sufficeret.

ARTICVLVS VI.

Vtrum per hoc sacramentum præseruetur homo à peccatis futuris.

QVAERITVR vtrùm non solum respectu præteritorum, verum etiam respectu futurorum criminum habeat hoc sacramentum efficaciam. Et respondetur hac affirmatiua conclusione. Hoc sacramentum inter alios effectus, hunc etiam habet, vt à peccatis in posterum præseruet. Conclusio hæc primum elicitur ex verbis Christi Ioan. 6. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur, quòd cum planum sit non intelligi de morte corporali, fit vt intelligatur de morte spirituali, quæ fit per peccatum. Secundò patet ratione. Cùm enim peccatum sit quædam spiritualis mors, fit vt quemadmodum corpus à morte, sic & anima præseruetur à peccato: præseruatur autem corpus bifariam. Vno modo interius, contra illa quæ intrinsecus sunt causa mor-

Conclusio.

Probatur 1.

2.

tis, &

Digitized by Google

tis, & sic præseruatur per corroborationem cibi & potus, quibus reficiuntur humidi ruinæ, quæ fiunt per actionem caloris naturalis, & per medicamenta, quæ morbis obsistunt. Et alio modo defenditur homo per arma & munimenta exteriora aduersus hostes, qui causa esse possunt violentæ mortis. Vtroque ergo modo hoc sacramentum nos à peccato tuetur. Primùm scilicet, per hoc quod nos cum Christo per gratiam conglutinat, ac subinde spiritualem nostram vitam corroborat tanquam cibus & potus, & spiritualis medicina: nam vt est in Psalmo, Panis cor hominis confirmat. Vnde August. super Ioan. † Securus, inquit, accede, panis est, non venenum. Altero etiam modo, tanquam signum passionis Christi, per quam dæmones victi sunt, aduersus eosdem nos dæmones communit, infestissimas eorum pugnas propulsando. Vnde Chrysostom. † super Ioan. capitul. sexto. Vt leones, inquit, flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.

Duplicitèr Euchar. à peccato præseruat.

† Tract. 26. in med.

† Hom. 45. in Ioan. à med. tom 3.

Effectus hic huius sacramenti attenta meditatione contemplandus est: videlicet, quemadmodum per se propriè & inter omnia singulariter hoc sacramentum nostram habeat spiritualem vitam perpetuare, si nos semper ipsum pro rei dignitate susciperemus & tractaremus. Hic enim est illegitimus illorum Christi verborum sensus Ioan. 6. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Hoc est, quoniam manna non erat diuinitus missum nisi in subsidium temporalis vitæ, quæ suapte natura finitur, manducantes tandem mortui sunt. Hic autem, meus panis, quia præsidium est spiritualis vitæ, quæ per se est perpetua, neque per corporis mortem interpolatur, virtutem habet eandem cibandi, & à morte peccati tuendi. Et accidit ratio, quòd cum eadem via tum intrinsecus per sensuales carnis illecebras, quæ secundùm Paulum cum spiritu continenter colluctatur, tum extrinsecus per dæmonum prælia oppugnetur, contra vtrumque hoc sacramentum vigorem habet. Nam cùm, vt ait Aristot. eisdem nutriamur & simus, & per hoc sacramentum corpore & sanguine Christi indies nutriamur, deberemus, nisi nostra nos nequitia comprimeret, & potissimum sacerdotes, per continuam huiusmodi nutritionem in Christum adeò esse conuersi, vt nihil in nobis nisi ipse viueret, ac subinde eius spiritus, cui adeo nullus carnalis insultus prævalere posset. Ad hæc, licèt reliqua sacramenta in virtute passionis Christi operentur, hoc tamen quatenus sacrificium, ipsissima est eius imago, vbi sacerdos Christum repræsentans ipsius corpus immolat. Quare non tantum quasi crucis signaculo, sed quasi ipso crucifixo Christo, angelorumque comitatu sacramento isto dæmones abiguntur. Quapropter impudentia nefanda est tum aliorum fidelium ad sacramentum hoc indies accedentium, tum præsertim sacerdotum, qui quotidie hoc pane cælesti victitantes, vili vel carnis vel dæmonis prælio succumbant.

Expositur locus Ioa. 6.

Sacerdos attende.

Expos. art.

1. Argum.

Est ergo primum argumentum S. Tho. exaggeratione dignum. Arguit siquidem. Permulti hoc sacramentum quotidie sumentes indies in crimina prolabuntur, quod si à peccatis præseruaret, non accideret; non ergo hic est eius effectus. Sed nihilominus respondet, quod effectus huius sacramenti, (quæ cuiuscunque causæ actiuæ generalis conditio est) recipitur in homine ad modum ipsius recipientis. Vnde quia homo suapte natura liber est, liberumque eius arbitrium in hac vita non est in bonum confirmatum, licèt sacramentum per se virtutem habeat ipsum in bono seruandi, non tamen potestatem tollit, quin possit etiam in malum flecti.

2. Argum.

Secundò arguitur. Eucharistia est sacramentum charitatis: charitas autem non videtur à futuris peccatis præseruare, quandoquidem per peccatum amittitur: ergo hoc sacramentum non præseruat à peccatis. Respondetur negata minori: imò charitas suopte ingenio & virtute à peccato præseruat, iuxta illud ad Roma. 13. Dilectio proximi malum non operatur. Sicuti & gratia. eo quod est semen gloriæ, secundum illud 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, (scilicet mortaliter) quoniam ex Deo natus est. At quoniam forma recipitur in subiecto per modum suscipientis, fit vt ratione humanæ libertatis habeat tam charitas quam gratia in hac vita, vt sint mutabiles, & amissibiles. quousque in patria liberum nostrum arbitrium confirmetur in bonum.

Charitas ex se à peccatis liberat.

3. Argum.

Tertiò. Origo peccati in nobis est lex peccati, scilicet sensualitatis concupiscentia, quæ vti ait Paulus ad Roman. 7. est in membris nostris: sed mitigatio fomitis quæ est eiusmodi lex, non ponitur effectus huius sacramenti, sed baptismi: ergo præseruare a peccatis, illi potius congruit, quàm Eucharistiæ. Respondetur, quod licèt baptismus directè habeat diminuere fomitem, eò quod ex originali culpa, quam baptismus deler, relictus est; Eucharistia tamen, quia tanquam nutrimentum directè habet confirmare cor, scilicet voluntatem, consecutiuè habet remittere fomitem. Vnde libr. 83. q. † August. Augmentum, inquit, charitatis est diminutio cupiditatis.

Baptismus directè fomitem diminuit.

† 9. 30. post princip. tom. 4.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hoc sacramentum prosit alijs quàm sumentibus.

CVM nullum aliud sacramentum alijs quàm sumentibus prosit, quæritur vtrùm Eucharistia hoc habeat singulare vt alijs prosit. Et respondetur per distinctionem duabus conclusionibus. Est enim, vt dictum est, huic sacramento singulare, vt sit non tantum sacramentum, verùm & sacrificium. In quantum enim in eo repræsentatur Christi passio, qua, vt habetur ad Ephes. 5. obtulit se hostiam Deo, habet rationem sacrificij. In quantum verò per ipsum traditur inuisibilis gratia sub visibili forma, habet rationem sacramenti.

Eucharistia est sacramentum & sacrificium.

1. Concl.

Est ergo prima conclusio. Hoc sacramentum sumentibus quidem prodest, non solùm per modum sacramenti, quia confert gratiam, verùm & per modum sacrificij, eo quòd pro omnibus sumentibus offertur. Id quod illis verbis canonis significatur. Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur.

2. Concl.

Secunda conclusio. Alijs verò, qui non sumunt, prodest per modum sacrificij, inquantum pro salute eorum offertur, iuxta verbum eiusdem canonis. Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ. Atque vtrumque proficiendi modum expressit Dominus Matth. 26. & Lucæ 22. dicens: Qui pro vobis (scilicet sumentibus) & pro multis (scilicet alijs) effundetur in remissionem peccatorum.

Expositio articuli.

Quæstio hæc satis ar. 5. explicata est. Vnde colligitur inquantum sacrificium non omnibus æqualiter prodesse quoad satisfactionem, etiam si æqualem habeant deuotionem, sed illis amplius, pro quibus singulariter offertur, scilicet, qui eleemosynam pro missa obtulerunt, vel ex alia particulari causa singulari intentione à sacerdotibus designati sunt. Quapropter falsa est illorum sacerdotum existimatio, qui arbitrantur satis esse in genere offerre pro illis, quibus magis tenentur. Imò quamplurimùm conducit singulariter pro aliquo offerre: quod patet ex ritu Ecclesiæ, quæ non sine causa expresse nominari iubet Papam, episcopum, & regem, & cætera.

Error sacerdotum.

Quæstio. An vt sacrificium, salu satisfaciat?

Sed percontaris, vtrum inquantum sacrificium solum prosit per viam satisfactionis: nam postquam illa ratione gratiam non confert, videtur aliter non prodesse. Respondetur prodesse etiam offerentibus per modum meriti de condigno si sint in gratia, vt dist. 13. quæst. 2. art. 1. monstrabimus. Illis verò pro quibus offertur possunt ijdem offerentes mereri de congruo melius quàm per alia opera per hoc sacrificium bonum motum in Deum, & resipiscentiam à peccatis, eorumque à Deo veniam, atque alia id genus beneficia & subsidia. Nam inter omnes orationes & sacrificia hoc vt est excellentissimum, ita efficacissimum, & Deo acceptissimum. Quocirca non solùm ad satisfaciendum pro alijs, verùm & ad reuocandum illos in viam salutis, atque ad alias commoditates tam spirituales quàm temporales, quæ cadunt sub merito de congruo, præclara religio est & pietas, missarum sacrificia offerre, vt sanctus Ecclesiæ ritus attestatur, qui illa solennia pro pace, pro fidei tutela, pro peccatoribus, & pro alijs multis temporalibus celebrat.

Missæ sacrificium est efficacissimum.

Digitized by Google

1. Argu. Arguit nihilominus primo loco S. Thom. Hoc sacramentum est vnius generis cum alijs: alia non prosunt nisi sumentibus, ergo neque hoc: sed iam responsum est, habere præ alijs vt sit sacrificium.

2. Argu. Secundò, effectus huius sacramenti est adeptio gratiæ & gloriæ, & remissio culpæ ad minus venialis, si ergo alijs quam sumentibus prodesset, contingere posset, vt quispiam propria actione vel passione ob id solùm quod alius pro ipso sacrificium offerret, adipisceretur gratiam & gloriam ac remissionem culpæ. Respondetur egregiè consequentia peremptà. Etenim sicut passio Christi vniuersis quoad sufficientiam prodest ad hos effectus obtinendos, nihilominus quantum ad efficaciam effectum non habet, nisi in illis quibus per fidem & charitatem eadem applicatur passio: ita & hoc sacramentum, quod est eiusdem passionis memoriale, non habet effectum nisi in illis qui per eosdem actus vel habitus eidem sacramento coniunguntur. Vnde Aug. ad Renatum. Quis, inquit, offerat corpus Christi, nisi pro ijs qui sunt membra Christi? Quare in canone non oratur pro eis qui sunt extra Ecclesiam. Neque verò in illis, quibus prodest æqualem habet effectum: sed secundum quantitatem deuotionis, vt dictum est.

Augustin.

Contra solutionem arg. 1. Contra hanc verò solutionem existunt duo argumenta. Primum, quòd sequeretur hoc sacrificium nemini prodesse, nisi haberet tùc actualem deuotionem, atque adeo eius satisfactio non prodesset illis qui vel dormiunt, vel ignorant hoc sacrificium pro ipsis offerri, quod est contra ritum Ecclesiæ. Secundò, quod sequeretur nunquam licere offerre missam pro infidelibus aut hæreticis: & tamen reperi nonnullos sic esse affectos ad infidelium conuersionem, vt missas faciant pro illis offerri. Ad primum negatur consequentia: non n. requiritur actualis tunc attentio & deuotio in illo pro quo offertur, sed vt satisfactio illi prosit, satis est quòd sit in gratia, vt dicemus in quæst. de satisfactione, per quam vnitur sacramento, sed per viam meriti de congruo nemini proderit, nisi faciendo quod tum vel postea habeat bonum motum in Deum. Ad secundum, conceditur illatum: scilicet, non posse autoritate publica Ecclesiæ, qua vtitur in sacris sacerdos, offerri sacrificium altaris pro infidelibus: quia non sunt eius fructus capaces, atque adeò nec pro hæreticis quia fide carent. Imò neque pro excommunicatis, quia Ecclesia prohibet. Nisi in die parasceue, quando speciali gratia Ecclesia omnes in horam absoluit, vt possit pro eorum conuersione orari. Orationibus tamen priuatis, atque alijs diuersis oblationibus, cuiuis licet pro huiusmodi infidelium conuersione preces Deo fundere.

Secundum

Soluitur primum.

2.

3. Argu. Tertiò arguitur, si hoc sacrificium prodesset alijs, sequeretur quòd magis alicui prodesset, si multi pro eo sacramentum sumerent, aut si sacerdos multas offerret & sumeret hostias pro illo. Respondetur, quòd cum sumptio ad rationem sacramenti pertineat, ex hoc quòd vnus vel plures sacramentum sumant, nullum iuuamentum alijs accrescit. Neque verò ratione sacrificij per hoc quod sacerdos plures hostias vel offerat, vel sumat, sicut nihil prodest quod multum vel parum vini consecret: quia vnum est sacrificium. Si autem missæ multiplicarentur, multiplicarentur & fructus. Et eadem ratione si idem sacrificium non solum sacerdos, sed plures adstantes, & eleemosynam conferentes, offerrent pro aliqua necessitate, plus prodesset, quàm si vnus vel pauciores offerrent, cæteris paribus. Et pariter quò offerentes maiore charitate feruent, aut maiorem conferunt eleemosynam, auctiùs prosunt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm per veniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti.

QVAERITVR tandem de impedimento, quod prouenit ex peccato veniali. Ad quod D. Th. supposita distin. tribus respondet conclusionibus. Peccatum enim veniale aut consideratur vt iam præteritum, solum reatum relinquens, aut in actu: scilicet, quod tunc exercetur dum sacramentum sumitur: videlicet, vt si quis accedat cum complacentia peccati, aut proposito peccandi, aut quod sumptio ipsa sit veniale peccatum: scilicet, cum quis accedit propter vanam gloriam.

1. Concl. Est ergo prima conclusio. Peccata venialia sub priori ratione, scilicet, quia solùm durant secundum maculam, nullo modo impediunt effectum huius sacramenti, quia non obstant gratiæ. Imò vt art. 4. probatum est, vsu venire potest, vt quis accedens cum multis, quæ commiserat, venialibus, ea deuotione hoc sacramentum suscipiat, vt omnia ei condonentur. Et hæc conclusio confirmatur tertio arg. S. Tho. Nihil n. quod remouetur per actionem alicuius causæ, potest impedire eius effectum: peccatum veniale præteritum remouetur per hoc sacramentum, ergo eius effectum non impedit.

2. Concl. Secunda conclusio. Peccata venialia in actu licet non ex toto effectum huius sacramenti impediant, impediunt tamen ex parte. Enimuerò, vt art. 1. ad 2. argumentum monstratum est, duplex est huius sacramenti effectus: scilicet, habitus tam gratiæ, quàm charitatis, & actualis refectio spiritualis dulcedinis per actualem deuotionem. Cùm ergo peccata venialia mentem distrahant ab attentione & actuali deuotione sacramenti, fit vt hunc effectum impediant. Et confirmatur conclusio autoritate Damasceni lib. 4. ca. 14. vbi hoc sacramentum cum ignito carbone confert. Ait siquidem, Diuinum carbonem, (hoc est, ignitum desiderium sacramenti) suscipiamus, vt ignis in nobis desiderij assumens ex illo carbone (hoc est, ex sacramento) ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra. Et participatione diuini ignis igniamur & deificemur. Cùm ergo ignis desiderij nostri per peccata venialia, quæ feruorem charitatis tepefacit impediatur, fit vt huic sacramenti effectui peccata obstent venialia.

3. Concl. Tertia conclusio. Per huiusmodi peccata in actu non tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis. Hanc tanquam per se notam relinquit, ob id quòd peccata venialia non sunt obices gratiæ.

Expositio articuli. Duæ priores conclusiones ab omnibus vnò animi consensu approbantur. Tertiam verò Dominus Caietanus negat. Is namque super art. 1. præsentis quæstionis singularem de hac re sustinet opinionem, quam, quia hic D. Tho. ei planè aduersari videtur, hucusque distulimus examinandam. Opinio ergo Caiet. in his propositionibus consistit. Prima ad percipiendum effectum huius sacramenti quemcunque (generalissimè namque loquitur) requiritur, vt sumatur cum actuali deuotione. Itaque qui propter peccata venialia vel aliam ob causam distractus ipsum sumit, nullum tunc sacramentalem effectum percipit. Et quidem in hac propositione videtur ei fauere Durandus in 4. d. 12. q. 4. in solutione 3. quanquam non sic loquatur generaliter, quòd impediatur omnis effectus, sed augmentum gratiæ. & Bonauentura ead. dist. art. vlt. q. 1. eodem alludit.

Prima propositio Caietani.

2. Propos. Caiet. Secunda propositio, in qua Caietanus atque in omnibus quæ subsequuntur singularissimus est. Si in eo qui sic distractus accedit, post sumptionem deuotio sacramenti superueniat, tunc effectus sacramentales suscipiet, quos recepisset si sacramentum cum simili deuotione fusciperet Ex quo ipse infert, quòd si quis attritus sine actuali deuotione accedat ad sacramentum, dignè tamen putans se esse contritum, non fiet tunc ex attrito contritus, sed postea quando deuotionem habuerit. Pari modo si accedat in gratia, non recipiet tunc augmentum, sed postea. Atque idem censet de omnibus effectibus sacramenti: qui sunt adeptio gloriæ, remissio peccatorum, & præseruatio à futuris. Censet enim istos effectus ex illo priori pendere: scilicet, ex actuali deuotione & refectione: quare nisi illo percepto reliqui non percipiuntur. Rationes eius sunt istæ. Prima est autoritas D. Thom. in 4. d. 12. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. vbi ait, augmentum gratiæ impediri per distractionem & defectum actualis deuotionis, & singulariter per peccata venialia. Secundò arguit, quia si absque actuali deuotione augeretur per quotidianum sacramentum habitus gratiæ & charitatis, maior esset gratia & charitas sacerdotum quotidie in gratia celebrantium, quàm rationabile sit credere: nam cùm amor, vt ait Greg. non sit otiosus, sed operatur magna si est, deberet tam ingens charitatis habitus per heroica opera foras prodire, quod tamen experientia non attestatur.

Rationes Caietani. *1.* *2.*

Tertiò arguit ex propria ratione sacramenti. Datur enim, vt dictum est, per modum cibi & potus iuxta verbum Domini. Caro mea verè est cibus, & sanguis

3.

meus

meus verè est potus: ergo nec confert, nec auget gratiam nisi per modum nutritionis: nutritio autem est actus vitalis: ergo hoc sacramentum non auget gratiam nisi adsit actualis deuotio. Et confirmatur ex eo quod ar. 4. diximus: scilicet, peccata venialia non remitti in hoc sacramẽto nisi per feruorem charitatis & per viam nutritionis, qua restauratur deperditum.

Veruntamen his non obstantibus, opinio hæc non intelligo quo possit protegi probabilitatis clypeo. In primis enim, vt ad primum eius argumentum respondeamus, quicquid D. Tho. in 4. vt nonnunquam solet, cum vulgo fuerit opinatus, in præsentiarum clarissimam ponit tertiam conclusionem, quod per peccata venialia non tollitur augmentum gratiæ. Neque Glossa Caietani vllo potest colore adaptari. Ait enim, quòd loquitur D. Tho. de gratia in habitu, hoc est, in aptitudine & virtute: quia scilicet sic distractus absq; deuotione susçipit sacramentum, vt virtute cuius postmodum adueniente deuotione augebitur gratia. Hæc, inquam, glossa nequaquam hic habet locum: quoniam cùm S. Tho. distinguat duos effectus sacramenti, qui sunt habitus & actus, manifestè accipit habitum pro illo qui infunditur animæ. Atque adeò subdens per peccata venialia impediri actualem deuotionem & non augmentum habitus, planè docet eiusmodi habitus augmentum non pendere ex actuali deuotione.

Simistrè Caietanus S. Tho. interpretatur.

Secundò arguitur. Hæc est generalis conditio omnium aliorum sacramentorum, vt accedenti in gratia per solam sui susceptionem illam augeant, quando non inueniunt obicem, & illum effectum habent ex opere operato secluso alio merito operantis, quàm quod actu libero sacramentum suscipiat. Cur ergo sacramento Eucharistiæ conditio hæc denegetur & auferatur?

Augere gratiam est sacramentorũ effectus ex opere operato.

Tertiò, illud suspendium sacramenti, vt dum deuotio in susceptione defuit, post tempus adueniens eundem effectum redire faciat, res inaudita est, & videtur eam autor ad mitigandum rigorem suæ opinionis excogitasse. Adde quòd contingere tunc posset, vt decies homo absque gratiæ augmento sacramentum sumeret, qui tamen adueniente post mensem vnicà tenui sacramenti deuotione, omnia simul crementa gratiæ susciperet, quibus fuerat fraudatus: quod non videtur rationi consentaneum.

Quartò contra illud consequens, quod concedit scilicet, quod suscipiens sacramentum bona fide attritus sine deuotione, non tunc, sed postea adueniente deuotione suscipiat primam gratiam, arguitur. Peccatum mortale non remittitur nisi vel per legitimam contritionem, vel per illam adiuncto sacramento: in huiusmodi autem homine nunquam fuit legitima per se contritio: ergo si tunc quando susçipitur sacramentum per eius susceptionem ille non fit contritus, cum postea deuotio nec sit susceptio sacramenti, neque actus pœnitentiæ, nunquam per illam conferetur prima gratia, Præsertim, quòd vt supra dictum est, nec Caietanus inficiatur, solius est conditio baptismi, vt eius prohibitus effectus, postea recedente fictione redeat. Neque verò fictio, quæ illum impedit effectum postea tollitur, nisi per actum pœnitentiæ.

Dici non potest tunc demum deuotione superueniente primam susçipi gratiam.

Quintò. Cùm omnia sacramenta sola sui ipsorum susceptione faciant ex attrito contritum, cur hoc denegandum est huic sacramento?

Et sextò vrgentiùs arguitur. Certè si peccata venialia, aut distractio deuotionis impedimentum esset recipiendæ aut augendæ gratiæ: tunc sic recipere sacramentum peccatum esset mortale: quia opponeretur obex gratiæ. Quod certè non solùm inopinabile est, verùm & assertum temerarium.

Postremò denique arguitur. Opinio hæc grauem injcit scrupulum. Permultis namque accidit, vt nec dum sacramentum sumunt, nec postea actualem habeant deuotionem: inter quos maximè sunt phrenetici, quibus quæst. proxima monstrauimus exhibendum esse hoc sacramentum: quare orbarentur gratiæ augmento, & nonnunquam attriti sumentes priuarentur prima gratia. Est ergo conclusio S. Thom. eademque vera, quam indubius in 4. q. de Eucharistia art. 1. Adrianus amplexatur, quod per peccata venialia, & quomodocunque per absentiam deuotionis nihil habitualis gratiæ aut charitatis impeditur, sed actualis tantùm refectio spiritualis dulcedinis. Et ratio est plana: quia refectio & dulcedo dicit actum gustandi sicut gustare, & ideo contradictio est, vt sine actuali deuotione & actu contingat actualis refectio & dulcedo: esset enim habere actum sine actu.

Certa sententia.

Atque id ipsum S. Tho. asseruit in solutione primi. Allegat siquidem Aug. † super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerunt manna, &c. refer. can. Panem. de cons. d. 2. vbi ait, Panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate: peccata etsi sunt quotidiana, non sint mortifera. Et similis est autoritas Hilarij can. Si non tanta. de con. d. 2. vbi ait. Si non tanta sunt peccata, vt quis excommunicetur, non debet se à medicina corporis & sanguinis subtrahere. Ex quo videtur colligi peccata venialia non impedire sacramenti effectum. Ad quod respondet D. Th. quod qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat sacramentum, hoc est, augmentum gratiæ susçipit, non tamen actualiter manducat: quia non actu gustat sacramenti dulcedinem & refectionem. Certè sententia est clara quæ ex Augustino & Hilario colligitur. Et Caietanus ipse fatetur in superficie nostrum sensum exhibere Excogitat tamen tres vel quatuor modos aliter exponendi, & tanta sensuum multiplicatione testatur nullum esse alium legitimum.

1. Argum. ex S. Thom. † Tract. 26. post med. tom. 9.

Idemque S. Tho. affirmat in solutio. 2. quod est huiusmodi. Hoc sacramentum non est minoris virtutis quam baptismus: ille autem per solam fictionem, vt supra dictum est, impeditur: quia vt Sapient. 1. legitur, Spiritus sanctus disciplinæ fugiet fictum: peccatum verò veniale, quia non obstat Spiritui sancto, non est fictio: ergo effectum sacramenti non impedit. Respondet discrimen esse quod etsi baptismus ordinetur ad infusionem gratiæ habitualis, & charitatis, non tamen ad eius feruorem & actum, sicut hoc sacramẽtum. Et hic feruor charitatis est, qui impeditur per peccatum veniale. Vbi planè D. Th. docet, quod quantum ad gratiam & charitatem habitualem non magis impeditur hoc sacramentum per peccatum veniale, aut distractionem, quàm baptismus.

2. Argu. S. Tho.

Hinc ergo elicitur plana solutio tertij argumenti Caietani. Quando n. arguit. Hoc sacramentum neq; infundit, neque auget gratiam nisi nutriendo: nutritio autem dicit actum: ergo sine actuali nutritione nullum effectum habet. Respondetur n. ad minorem: quòd est duplex spiritualis nutritio sicut duplex manducatio, s. habitualis & actualis. Quando n. homo sine actuali deuotione accedit ad hoc sacramentum, nutritur quidem habitualiter per augmentum gratiæ, non tamen actualiter per sensum dulcedinis. Per illud autem augmentum gratiæ poterit ipse postea habere actualem dulcedinem si habebat deuotionis actum. Item contrarius est ordo, quàm Caietanus putat. Ipse n. arbitratur prius natura esse actualem deuotionem, quàm augmentum gratiæ. Et tamen est è conuerso, quòd cùm gratia augeatur virtute susceptionis sacramenti, prius natura augetur quàm excitetur deuotio, & feruor charitatis, qui est effectus sacramenti. Sicuti prius natura est sumptio nutrimẽti, quàm excitatio spirituum vitalium Quanquam possit homo ad sacramentum adferre aliam priorem deuotionem, & feruorem tanquam dispositionem præuiam.

Solutio tertij argumẽtis Caietani.

Nutritio spiritualis, alia habitualis, alia actualis.

Quantum verò ad remissionem venialium, quæ in nostra confirmatione tangebatur, conceditur, quod non nisi per actualem deuotionem & feruorem remittantur. Nisi aliam teneas opinionem, quam art. 4. tetigimus, s. per quodcunque sacramentum remitti: nam tunc etiam remittuntur per hoc dum gratia augetur.

Secundum verò argumentum Caietani fateor multum vrgere, s. quomodo sacerdotes quotidie celebrantes, non fœcundius proficiant, locupletiorem per sua opera referentes charitatis habitum. Sed profectò paulò minus vrget secundum suam opinionem. Nam plurimi sunt, qui nunquam celebrant sine aliquali vel præsente, vel subsequente deuotione, saltem tepida, quæ secundum ipsum sufficit ad augmentum gratiæ. Imò simile fit augmentum de actibus meritorijs. Tenendo enim nullum dari in individuo indifferẽtem quantum ad meritum, sed omnia opera iusti genere suo bona, quę non habent malam circunstantiam esse meritoria, deberet crescere gratia plus quàm experimur. Respondetur ergo, primum, quòd in sacerdotibus attente celebrantibus credendũ est profectò esse copiosissimam gratiam, sed quia non eis offeruntur egregia opera, in quibus illam possint totam propalare, referunt illam secundùm

Solutio secundi arg. Caiet.

Digitized by Google

ordinarium vsum in occurrentibus officijs. Secundò dicimus, quod in alijs tepidè celebrantib. augmentum est tenuissimum. Item feruor charitatis remittitur per peccata venialia, quæ sunt quotidiana, & ideo videtur languere gratia & charitas. In alijs verò per peccata mortalia amittitur gratia, quæ postea vsque ad eundem gradum non facile recuperatur. Cætera de digna sacramenti susceptione statim.

DISTINCTIO DVODECIMA,

DE VSV ET SVMPTIONE HVIVS SACRAMENTI.

Cap. 1. IGITVR cùm duplices sint huius sacrosancti mysterij fructus: nimirum, & qua ratione sacramentum est, & qua sacrificium existit, illos vsu dum sumitur confert. Quocirca vt de eius vsu & sumptione dicamus, duo sunt manducandi modi: nempe, sacramentalis tantùm, vt dum sacramentum cum gratiæ obice suscipitur: & spiritualis, vt dum cum suo fructu percipitur. Quæ vtique manducatio à priori tanquam perfectum ab imperfecto differt.

Cap. 2. Consequitur ergo, & cùm solius hominis sit hoc sacramentum manducare, ille qui iustus est, iustè ac dignè manducet: qui verò iniustus, mãducet quidem, sed indignè, qui adeò cum in corpus Christi iniurius sit, peccato peccatum adiungit, idemque suo genere multis alijs grauius. Probet enim se ipsum homo, ait Apostolus, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Vnde, vt ait super Ioan. Augustinus multi de altario accipiunt, & accipiendo moriuntur. Quo fit, vt qui in crimine sunt manifesto, eis, etiam si petant, non sit sacra communio porrigenda, iubente Domino: Nolite sanctum dare canibus. Secùs si eorum latent crimina: nam vt ait super primæ Corinth. quinto. Augustinus nos à communione quenquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico vel seculari nominatum atque conuictum.

1 Cor. 11.

Aug. super Ioan.

Augustin.

Cap. 3. Sunt & alia præter mortalem labem obstacula huius sacrosancti sacramenti sumendi, seu ex quadam cõgruentia, vt pollutio in somnijs: sic enim & Leuit. 15. legitur: Vir, de quo egreditur semen, immundus erit vsque ad vesperum. Aut ex necessitate Ecclesiastici iuris, quo cautum est, vt nemo nisi ieiunus sumat, iuxta verbum canonis Aug. lib. Responsionum ad Ianuarium. Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti priùs in os Christiani cõrpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi. Obstat & defectus naturæ ob reuerentiam sacramenti: quare nec pueri, nec perpetuò amentes sumendo sacramento idonei existimantur: quippe qui inter corpus Domini alioſque profanos cibos discernere nequeunt.

Aug. can. Liquido. de cons. d. 2.

Cap. 4. Quòd si naturam sacramenti spectes, vtile est quotidiè sumere: admonet enim in lib. de verbis Domini Augustinus. Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit. Et libr. de sacramentis Ambros. Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Si autem suscipientis reuerentiam contempleris, multa sunt quæ homines à quotidiana sumptione arcere possunt. Ob idque in libr. de Ecclesiasticis dogmatib. dubius hæsit, qui dixit: Quotidie Eucharistiam accipere, nec laudo, nec vitupero.

Aug. can. Non iste. de cons. d. 2. Ambros.

De cons. d. 2 Quotidie.

Cap. 5. At verò omnino à communione cessare nefas est, sanè cum à iure diuino præceptum sit aliquando sumere, dicente Christo: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: & iure pontificio deinde cap. omnis vtriusque sexus. de pœnitent. & remissio. præscriptum sit tempus, vt quotannis in paschate sanctam communionem suscipiamus. Atqui vt sacerdotibus necessarium est ad perficiendum sacramentum, & sacrificium sub vtraque forma sumere, iuxtá verbum Domini ad Apostolos, quos tunc sacerdotes creauit, Hoc facite in meam commemorationem. Cui consonat Gelasij Papæ decretum canon. Comperimus. de consec. dist. secunda, ità & sacramentali reuerentiæ ob multa pericula saluberrimè consultum fuit, vt populo non nisi corpus sub specie panis administretur. Quapropter qui contra reclamant, hæretici sunt.

Ca. omnis. de pœnitentijs.

Gelas. Papa.

Dominus denique Iesus Christus, vt ad Hebdibiam ait Hieronymus, ipse conuiua & conuiuium fuit, ipse comedens, & qui comeditur, qui ne proditoris crimen proderet, ipsi quoque cum alijs corpus suum tradidit, idemque passibile, quale tunc habebat, licèt modo impassibili: quia in sacramento occidi non potest, sicuti nec cruci affigi, nec lancea perforari. Tamensi per mortem quam in cruce pertulit, etiam in sacramento, si tunc consecratum esset, anima esset à corpore separata, atque adeò ibidem esset mortuus.

Cap. 6. Hier. can. Nec Moyses de cons. d. 2.

DISTINCTIONIS DVODECIMÆ.

Quæstio prima.

DE VSV ET SVMPTIONE HVIVS SACRAMENTI IN COMMVNI.

S. Thom. 3. part. quæst. 80.

ARTICVLVS I.

Vtrùm distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

PRIMVM, vt circa ordinem hoc adnotemus, diuersum seruamus, quàm Sentent. Magist. Ille quippe qui permixtim de omnibus vt occurrebant, loquebatur, statim dist. 9. de manducatione sacramenti sermonem inseruit. Cùm tamen legitimus ordo exigeret, vt priùs cuncta, quæ de essentia sunt sacramenti,

consti-

Digitized by Google

constituerentur, quibus postea adhiberetur tempus de vsu & sumptione, quæ non est de essentia, sed pertinet ad subiectum recipiens. Ac postremò de ministris, qui habent rationem causæ. Duo igitur sunt huius distinctionis membra, atque adeò quæst. duæ. Vna, s. de sumptione in communi, vt competit Christianis vniuersis, atque altera de modo, quo Christus vsus est suo sacramento. Est ergo primus artic. vtrum duo debeant distingui manducandi bibendique modi.

Conclusio. Et respondetur vnica conclusione affirmatiua. Duo sunt modi sumendi hoc sacramentum, alter, s. imperfectus, quo tantum sumitur sacramentum sine fructu: alter verò perfectus, quo suscipitur sacramentum, & res sacramenti. Quare prior dicitur duntaxat sacramentalis, posterior verò spiritualis, propter gratiam quæ spiritum alit. Distinct. est glossæ super illud

Duplex cõsideratio vsus sacramenti. 1. Corinth. 11. Qui manducat, & bibit indignè, &c. Et sumitur ex natura sacramenti. Duo enim est considerare in vsu sacramenti: nempe sacramentum, quod est species continentes corpus & sanguinem, quæ sunt virtus sacramenti. Et præterea res, s. effectus, quem in suscipiente operatur, qui est gratia, atque alij effectus, de quibus proxima quæstione dictum est.

Perfectus modus sumendi sacram. Perfectus igitur modus sumendi est, quando sacramentum cum suis effectibus sumitur. Imperfectus verò tunc est quando sumitur sacramentum cum obice impediente gratiam cum suis annexis. Igitur sicut imperfectum contra perfectum diuiditur: ita & sacramentalis manducatio, per quam sumitur nudum sacramentum sine eius effectu, secernitur ab spirituali manducatione, qua homo sacramentum suscipit cum suo fructu, quo Deo per fidem & charitatem incorporatur.

Expositio articuli. Hic quantum ad ordinem, forsan quis in capite optaret artic. de præcepto sumendi Eucharistiam, sed hunc artic. meritò D. Thom. fecit vndecimum: quia præsupponit diuersas manducantium qualitates. Cæterùm Scotus distinct. 8. q. 3. & nonnulli eius exemplo ducti quatuor connumerant manducandi modos, scilicet realiter tantum, vt manducat brutum: & sacramentaliter tantum, vt manducat homo in peccato: & spiritualiter tantum, vt manducat qui baptizatur, & qui per contritionem, & fidem viuam efficitur membrum Christi antequam Eucharistiam manducet: & sacramentaliter spiritualiterque coniunctim, vt manducat iustus sacramentum suscipiens.

Ex Sco. quatuor modi mand.

Duos tantum modos esse probat autor. At verò antiqui meritò non curarunt nisi duos distinguere modos, vt infrà artic. 3. ait Sanctus Thomas, nam brutalis hæc manducatio, non est per se manducatio sacramenti, sed per accidens, postquam non adest intentio manducandi sacramentum: ea autem quæ sunt per accidens, ab arte, vt ait Aristot. sunt relinquenda. Item illa manducatio merè spiritualis, quæ est desiderium expressum Eucharistiam manducandi, de qua meminit in solutione tertij S. Tho. non est manducatio in re, sed est votum, & desiderium manducandi. Duo ergo sunt præcisè modi manducandi in re, s. vnus merè sacramentalis, & alter simul spiritualis.

Atqui distinctio hæc non solum scholasticorum assertio est, sed sanctorum quoque patrum autoritate, quinuerò & Pauli fundamento fulcitur. Dicens enim:

1 Cor. 11. 29. † Qui manducat & bibit indignè, docet manducationem esse sacramentalem sine spiritu gratiæ. Et notatur eadem manducationum dist. de consecra. d. 2. canon. Qui discordat, & can. Et sancta, qui sumuntur ex Aug. super Ioa. tract. 26. Vbi Iudas inducitur, qui buccellam sacramentaliter sumpsit, reliqui verò Apostoli & sacramentaliter, & spiritualiter. Omnibus enim dixit Christus: Accipite ex hoc omnes. Vnde August. Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat spiritualiter eius carnem, licèt carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramẽta corporis & sanguinis. Eandemque distinctionem docet in sermone de verbis Domini, & refertur eadem dist. can. Quid est.

1. Argum. Est ergo primum argument. Sancti Thom. Sicut baptismus est spiritualis regeneratio, iuxta illud Ioan. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. ita & hoc sacramentum est spiritualis cibus: quippe de quo Christus Ioan. 6. loquens ait, Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed circa baptismum non distinguuntur duo modi sumendi, scilicèt sacramentaliter & spiritualiter: ergo nec debent circa hoc distingui. Respondetur, generale esse omnibus sacramentis, vt possit in singulis hæc fieri distinctio: nam singula possunt recipi sacramentaliter tantum, quando cum obice gratiæ suscipiuntur, & spiritualiter, quando gratia simul recipitur. Habet autem eiusmodi distinctio peculiarem locum in hoc sacramento propter duo. Primum, quia cum reliqua sacramenta perficiantur in vsu dum applicantur, sit vt dum sacramentum sumitur, tunc perficiatur, atque adeo sumi sacramẽtaliter non distinguitur ab eo quod est perfici. At verò cum hoc ante vium in consecratione perficiatur, post ipsum perfectum, distinguuntur duo vsus. Secundò, quia in baptismo & in reliquis characterem imprimentibus non datur sumptio merè sacramentalis, quia imprimitur character: in hoc autem quando non infunditur gratia, nullus alius est effectus, & ideò est merè sacramentalis: licèt hoc pœnitentiæ sit etiam commune, & extremæ vnctioni & matrimonio.

Corpeum liter in sacr. Euch. distinguuntur duo modi manducandi.

2. Arg. Secundò. Ea quorum vnum ordinatur ad alterum, à quo speciem sumit, non debent contra se inuicem distingui: sacramentalis autem ordinatur ad spiritualem: ergo non sunt contra se diuisa. Respondetur, argumentum probare sacramentalem sumptionem, quæ pertingit ad spiritualem gratiæ fructum non distingui ab illa, imò ipsa sacramentalis est spiritualis. Sed tamen illa, quæ caret fructu distinguitur ab alia fructuosa.

3. Argum. Tertiò. Illa, quorum vnum ab altero separari non potest, non propriè contra se diuiduntur: videtur autem non posse existere spiritualem manducationem sine sacramentali: tum quia alias etiam patres antiqui cœnantes paschalem agnum spiritualiter dicerentur manducare: quia secundum spiritum erat figura nostri sacramenti: tum etiam quòd tunc frustra esset sacramentalis manducatio instituta, quandoquidem sine illa sufficeret spiritualis. Respondetur ad minorem, negando non posse esse manducationem spiritualem sine sacramentali: imò illa contingit quando quis votum habet & affectum manducandi antequam manducet: sicut votum baptismi, est baptismus flaminis, hoc est, Spiritus sancti. Sed illa manducatio spiritualis contingit dupliciter. Vno modo propter desiderium, & alio modo propter figuram. Vnde Apostolus 1. Corinth. 10. ait, quòd antiqui patres baptizati sunt in nube & in mari, & quòd spiritualem escam manducauerunt, & quòd spiritualem potum biberunt.

Dupliciter reperire est, spiritualem manducationem sine sacramentali.

Quatuor manducationes spirituales, & vnde sic dicta. Collige ergo quatuor modos manducandi spiritualiter. Vnum scilicet per figuram, quæ dicitur spiritualis, non ab Spiritu sancto, quia gratiam non habet annexam, sed dicitur spiritualis contra literalem seu veram: quia habetur per sensum mysticum, qui dicitur spiritualis. Secunda manducatio est spiritualis per fidem, de qua ait Christus Ioann. 6. Ego sum panis, qui de cælo descendi. Qui manducat me, viuet propter me. Et hæc non est manducatio sacramenti, sed ipsius Christi: quia credere in ipsum, per cuius fidem incorporamur in ipsum, sicut nutrimentum in corpus alterum. Et dicitur spiritualis ab Spiritu sancto: nam vt ait Paul. fides donum Dei est. Tertia est spiritualis vt distinguitur à reali: quia non est susceptio in re, sed in voto. Et dicitur spiritualis, quia per actum mentis per modum meriti est causa gratiæ. Quarta est manducatio spiritualis: quia est in re & in spiritu, & cum iustus sumit sacramentum. Et ideo bene ait S. Thom. quod post spiritualem non frustra adhibetur manducatio sacramentalis: quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa susceptio, quam solum desiderium. Nam per manducationem in voto, vt sæpe diximus, non recipitur gratia sacramentalis, quam vocant ex opere operato quousque sumatur in re. Quare hæc est, quæ simpliciter in præsentia dicitur spiritualis, vt distinguitur contra sacramentalem.

ARTICVLVS II.

Vtrum solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.

VT per illos discurramus, qui capaces sunt huius sacramenti, quæritur vtrùm soli homini conueniat hoc sacramentum spiritualiter sumere. Quæ quidem interrogatio fit propter Angelos. Ob idque non quæritur de manducatione sacramentali: nam hanc in propatulo est non posse conuenire Angelis: quia cum non habeant corpora, manducare non pos-

Digitized by Google

sunt, imò neque in corporibus assumptis in quibus nonnunquam apparere leguntur, propriè possunt manducare: quia non vniuntur sicut animæ eadem informando corpora, quamuis possint dentibus assumpti corporis conterere & per gulam demittere. Solum ergo est quæstio de spirituali manducatione. Ad quam respondetur per distinctionem duabus conclusionibus. Christus enim considerari potest aut in propria specie visibilis, vt est in cælo, aut sacramentaliter, prout sub speciebus panis continetur.

Sensus articuli.

1. Concl.

Prima ergo conclusio est. Primo modo Angeli manducant spiritualiter Christum in cælo, inquantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & non per fidem, sicut nos in hoc sæculo, sed visione manifesta. Vnde glossa super illud Psalmi, † Panem Angelorum mãducauit homo, ait, id est, corpus Christi, qui est vere cibus Angelorum. At verò manducatio illa non est propria, quia neque ore Christus suscipitur, neque per guttur demittitur: sed est metaphorica, iuxta illud Lucæ 22. Ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Dicitur enim illa beata visio & fruitio spiritualis manducatio, quia est spiritualis refectio, hoc est, complementum & satietas omnium quæ vel Angelus vel homo desiderare potest, secundùm illud Psal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Etenim cùm vita temporalis cibo & potu, qui in substantiam hominis conuertuntur sustentetur, meritò fœliciſſima illa bonorum satietas per visum & amorem Dei, quibus beati in Deum transformantur, conuiuio comparatur.

Psal. 77. 25.

Visio beatifica spiritualis manducatio dicitur.

2. Concl.

Secunda conclusio. Solis hominibus conuenit spiritualiter manducare hoc sacramentum tam in re quàm in voto. Nam manducare spiritualiter sacramentum, non est vtcunque vniri Christo per cognitionem, sed credere in ipsum per fidem cum effectu vel affectu manducandi ipsum sub speciebus sacramentalibus, quod Angelis conuenire non potest. Quare licet spiritus illi cælestes spiritualiter manducent Christum, non tamen hoc sacramentum. At quia fides nostra atque sacramentorum vsus in illam ordinatur beatificam fruitionem tanquam in finem, & ea quæ sunt ad finem deriuantur à fine, non dixit Psalmista, quòd panem hominum manducant Angeli, sed vice versa, quod panem Angelorum manducauit homo. Quæ est solutio Sancti Thomæ ad primum argumentum.

Quid sit sacram. manducare spiritualiter.

2. Argum.

Secundum eius argumentum sumitur ex autoritate Augustini super Ioan. 6. vbi ait, Hunc cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quæ est Ecclesia in prædestinatis: sed ad istam societatem non solùm homines, sed etiam sancti Angeli pertinent.

Item tertiò in lib. de verbis Domini ait. Spiritualiter manducandus est Christus, quoniam ipse dicit: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: sed hoc etiam conuenit sanctis Angelis, in quibus per charitatem est ipse Christus, & ipsi in eo, ergo videtur posse spiritualiter manducare hoc sacramentum. Circa hæc argumenta hoc primùm notato, quòd concludere non contendunt Angelos posse hoc sacramentum sacramentaliter, hoc est, realiter sumere: quoniam, vt iam supra † dictum est, comedere non valent. Sed contendunt, quòd possent illud spiritualiter manducare sicut nos, dum mente ad illud afficimur. Et ideo vnica generali responsione posset fieri argumentis satis: videlicet, quòd cum in re non possint manducare, frustraneum esset & vanum desiderium manducandi. Nihilominus quia ex autoritatibus Augustini apparet subsequi, vt possint effectus sacramenti percipere, respondetur ad secundum, quod quamuis Angeli ad societatem corporis mystici pertineant, eidem tamen corpori mystico coniunguntur per manifestam visionẽ, homines autem per fidem: sacramenta vero nostra sunt sacramenta fidei, per quam in speculo & ænigmate cognoscimus. Et ideo per illam visionem non dicuntur comedere sacramentum, neque habere societatem illam tanquam effectum sacramenti. Quare nobis propriè, scilicet, solis hominibus id conuenit quod ait Paul. † Vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & vno calice participamus, quippe qui hanc vnitatem per sacramenti gratiam assequimur.

Angeli non manducant realiter sacramentũ.

† initio art.

1 Cor. 17.

3. Argum.

Et eodem modo respondetur ad tertium, quòd licèt Angeli sint in Christo per charitatem, & Christus in illis, non tamen per fidem, sed per visionem. Et ideo illa incorporatio eorum cum Christo non est illis effectus sacramenti sicut nobis. Adde, quòd non fuit eorum redemptor sicut noster, ob idque neque gratiam virtute suæ passionis receperunt sicut nos, atque adeò nec simillimè sunt eius membra, vt nos.

Angeli non sunt in Christo per fidẽ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare.

POSTQVAM constat solum hominem posse spiritualiter manducare hoc sacramentum, quæritur de sacramentali manducatione, vtrum solis iustis conueniat. Nam de spirituali notum est illis solis posse conuenire. Sicut enim Angeli sacramentaliter manducare nequeunt, ita neque qui in peccato sunt, spiritualiter. Et quamuis artic. 1. satis appareat quæstioni responsum, vbi distinximus sacramentalem manducationem, quæ peccatoribus conuenit, ab spirituali, quæ iustorum est propria, nihilominus ad excludendum quendam errorem adhibetur hic noua ratio. Quidam enim antiquitus errauerunt dicentes, quòd corpus Christi non solum non spiritualiter, verùm neque sacramentaliter à peccatoribus sumitur. Contra quos statuitur conclusio. Non solùm iustus, verum & peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest. Et contrarium dicere erroneum tanquam manifestè veritati huius sacramenti derogans. Pertinet enim ad veritatem & certitudinem sacramenti, vt suprà dictum est, vt tamdiu manere credatur in sacramento corpus & sanguis, quamdiu manent species: tamdiu verò manent species, quamdiu sub illis maneret substantia panis & vini: manifestum est autem, quòd si peccator sumeret panem & vinum, non illico substantiæ illæ esse desinerent, sed durarent quousque per calorem naturalem essent digestæ: ergo vsque ad illud momentum manent corpus & sanguis. Et confirmatur autoritate Augustini super illud Ioann. † Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Multi enim, inquit, de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit Apostolus: Qui indignè manducat, iudicium sibi manducat & bibit: non autem sumendo moriuntur nisi peccatores: ergo corpus & sanguinem sacramentaliter sumunt.

Error quorundam.

Conclu. De fide.

† Tract. 26. tom. 9.

Errorem hunc negantium peccatores sacramentum sumere, refert Magist. Sent. d. 9. Et ratio illorum erat, quia cùm manducatio sacramentalis ad spiritualem referatur, fit vt illa sine hac superuacanea sit. Vnde illi colligebant, quòd cum Deus nihil agat frustra, non se permittit à peccatoribus sumi. Absurdum enim esse aiebant, vt Christus, qui est lux ipsa, à filijs tenebrarum & Belial se sumi permitteret. Eodem fuit errore intinctus Witcleff, contra quem Thomas Waldensis tomo 2. de sacramen. cap. 60. disputans, errorem esse ostendit. Walden. tamen illic prima facie asseuerare videtur quòd mus vel brutum non sumit sacramentum, sed tamen non intelligit nisi quòd non sumit formaliter: quia non habet intentionem, vt in solutione tertij ait S. Thom.

VValdens.

At verò venerabilis Hugo libr. 2. de sacramen. part. 8. cap. 13. vir alioqui clarissimus, cuius vtique sententiam ad literam postmodum Innocen. lib. 4. de Mysterio missæ cap. 15. amplexatur, stupenda de hac re dicit. Quærentes namque ambo quidnam fiat de corpore Christi postquam fuerit comestum siue à bonis siue à malis, vsque adeò fateri verentur quòd descendat vel in stomachum vel in ventrem, vt dicant, quòd corpus Christi de ore transit in cor. Melius est enim, inquiunt, vt procedat in mentem, quàm vt descendat in ventrem. Et quoniam contingit species sacramentales euomi, vt de consecrat. distin 2. can. Si quis per ebrietatem. dicunt illum vomitum ex accidentibus & humoribus generari, quasi illic non sit corpus. Vnde glossa super can. Tribus. ead. distinct. negat species descendere in stomachum. Quare licèt ex ipsis, inquit, aliquis reficiatur, non tamen in ipsum incorporantur. Vel si demittantur in stomachum, per sudorem emittuntur, & non per secessum. Certum enim, inquit, est quòd quàm citò species dentibus teruntur, tam citò in cælo rapitur corpus Christi.

Hugonis.

Mira opinio

Hæc autem si quis modò diceret, ab Ecclesia condemnaretur, & tamen istæ glossæ permittuntur in iu-

re. Est

Duplex error. 1.

2.

Decisio omnino tenenda.

Gl. can. Tribus de cons. d. 2.

1. Argum.

2. Argum.

Peccator etiam sacramentaliter sumit.

Contrarium sententiam refp. ad 2.

re. Est enim hic duplex error, vt ait S. Thom. vnus, quòd prius desinat esse corpus sub speciebus, quàm desineret esse panis, siue sint in stomacho siue in ventre vel hominis vel bruti. Aliàs si hostia conuoluretur luto, dicendum esset quòd desineret illic esse corpus. Item quia in dicto canone. Si quis per ebrietatem, non dicitur solum. Si quis euomuerit species, sed si quis euomuerit Eucharistiam, hoc est, corpus & sanguinem Christi. Vbi decernitur sacramentum esse in stomacho, & vbicunque sunt species quamdiu ipsæ durant, quapropter vomitus ille asseruandus est tanquam verum sacramentum. Alia ignorantia est, dicere, quòd corpus, dum hostia consecratur, descendat de cœlo, & postea illuc reuertatur, vt satis suprà ostensum est. Alias sequeretur, quòd dum est in altari desineret esse in cœlo. Est ergo indubiè tenendum, quòd corpus descendit in stomachum, etiam si ab iniquo sumatur: aliàs non diceretur propriè manducari, quare nullus manducaret indignè. At cum digestio fiat in stomacho, illic desinunt esse species, atque adeò corpus: quare non descendit in ventrem. Sed si ob aliquem morbum species descenderent, cõsequenter & ipsum descenderet, & emitteretur. Pudor enim non debet esse in causa negandi veritatem. Glossa autem illa canonis Tribus. occasionem sumpsit ex verbis textus non intellectis. Prohibet enim illic Clemens papa, sacramentum sumentes statim ad sumendos communes cibos conuenianti, ne putent sanctę portioni miscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum diffunditur. Quare glossa à contrario sensu quæ argumentatio contra veritatem sæpe concludit, infert, species non descendere in stomachum: cum tamen textus solum dicat non licere sæculares cibos miscere cum speciebus. De quo tamen textu art 3. iterum.

Primum argumentum S. Thomæ sumitur ex authoritate August. lib. de remedio pœnitentiæ, & super Ioan. tractat. 25. & refertur de conse. distin. 2. Vt quid paras ventrem & dentem? crede & manducasti: credere enim in eum, hoc est, panem & vinum manducare: sed peccator non credit, quia non habet fidem formatam, per quàm creditur in Deum. Respondetur, illud & similia verba intelligi de manducatione spirituali, quæ fit aut per fidem in Christum, aut per deuotionem sacramenti. Et hæc fuit causa erroris illorum: quia scilicet nescierunt distinguere inter manducationem sacramentalem & spiritualem.

Secundo arguitur. Hoc sacramentum, vt suprà diximus, est sacramentum charitatis: sed sicut infideles priuantur fide, ita peccatores charitate: infideles autem non videntur sacramentaliter posse suscipere hoc sacramentum: quia est sacramentum fidei, vt in forma refertur: ergo neque peccatores ob defectum charitatis. Respondetur, quòd infidelis species sacramentales suscipiens simul sub illis sumit corpus Christi: quocirca Christum ipsum sacramentaliter suscipit, si aduerbium, sacramentaliter, feratur in verbum à parte rei manducatæ, quia id quod manducat est sacramentum. Si verò ex parte manducantis, tunc propriè loquendo non manducat sacramentaliter: quia non vtitur eo vt sacramento, sed sicut profano cibo. Nisi forsan intenderet suscipere illud quod Ecclesia cõfert, licet vera nõ polleret fide aliorum articulorum, aut forsan neq; huius.

Sed arguet quis forsan contra hanc postremam particulam. Baptismus est ianua sacramentorum: ergo infidelis, qui baptismo caret, quamuis sumendo Eucharistiam intendat sumere id quod Ecclesia confert, non accipit sacramentaliter, cuius contrarium videtur Sanctus Thomas sentire. Negatur consequentia: nam ad sumendum sacramentaliter satis est sumere id quod Ecclesia intendit, etiam si qui sumit non sit baptizatus: sed tamen illi non proderit tanquam sacramentum. Imò verò licèt esset catechumenus existens in gratia, vt Cornelius, non reciperet per Eucharistiam gratiam sacramentalem: non solùm eò quòd peccaret sumendo antequam baptismum: verùm etiam si ex ignorantia inuincibili illud sumeret putans religiosè facere. Posset enim tunc illi per viam meriti gratia augeri, tamen sacramentalem gradum non reciperet: quia nullum sacramentum gratiam virtute operis nisi solis baptizatis confert. Hæreticus verò, quia baptizatus est dum resipiscit, posset quidem per hoc sacramentum sacramentalem gratiam suscipere. Nisi quod quamdiu per Ecclesiam ab excommunicatione non absolueretur, indignè accederet.

Tertiò arguitur. Peccator magis est abominabilis Deo quàm irrationalis creatura: dicitur enim in psalmo de homine peccatore, quòd cùm in honore esset, & non intellexerit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: sed brutum animal, vt mus aut canis, non potest hoc sacramentum sumere, sicut neque peccatores illud posse manducare. *3. Argu.*

Quatuor D. Thom. respondet. Primum, quòd etiam si mus vel canis hostiam consecratam deglutiret, substantia corporis Christi non desineret esse sub speciebus quamdiu illæ manerent, hoc est, quamdiu sub illis maneret panis, sicut si proijceretur in lutum. Secundò ait, hoc non vergere in detrimentum dignitatis corporis Christi, cui nihil dignitatis detractum est, ob id quòd à peccatoribus sputis conspurcari, ac colaphis cædi, ac deinde crucifigi voluit. Præsertim cum mus aut canis corpus secundum propriam speciem non tangat, sed secundum species sacramentales. Tertiò refert quorundam errorem dicentium cum primum sacramentum tangitur à mure vel cane, desinere ibi esse corpus Christi. Hoc errore tactus videtur Inuo. lib. 4. citato ca. 11. Sed planè illo fuit irretitus Bernardus super can. Bene quidem. Isti namque canonum glossatores deberent à re theologica calamum abstinere. Est enim hoc, vt hic ait S. Thom. erroneum, & veritati sacramenti apertè contrarium. Si enim propter indecentem tactum diceremus corpus & sanguinem speciebus abesse, nunquam nobis esset certum quando est illic sacramentum. Quartò denique ait, quod brutum licèt sacramentum deglutiat, non tamen id sacramentaliter sumit, quia non est natum eo vti vt sacramento, sed sumit corpus Christi per accidens, sicut ille qui comederet hostiam nesciens esse consecratam. Et quia ea quæ sunt per accidens non cadunt in diuisionem generis, sicut animal non diuiditur in album & nigrum, ideo hic modus non est tanquam tertius cum alijs connumeratus, qui sunt manducare sacramentaliter & spiritualiter. *Quadruplex responsio. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrum peccator sacramentaliter sumens corpus Christi peccet.

SEQVITVR de dignitate sumendi sacramentum, vtrùm ipsum sumere in peccato sit peccatum, si quis sacramentaliter sumat, hoc est, cum intentione: nam qui sumeret nesciens esse sacramentum, immunis esset à culpa. Respondet D. Tho. hac conclusione. Quicunque hoc sacramentum sumit in peccato, sacrilegium committit tanquam sacramenti violator, atque adeò mortaliter peccat. Probatur primo ex illo Pau. 1. Corint. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium (id est condemnationem) manducat & bibit. Vbi ait glossa August. eum indignè manducare & bibere, qui in peccato vel irreuerenter sumit. Secundo probatur ratione. In hoc sacramento sicut in cæteris id quod est sacramentum est signum eius, quod est res sacramenti: res autem huius sacramenti est duplex, altera scilicet significata & contenta, vt corpus & sanguis, & altera significata & non contenta, vt corpus mysticũ, quod est sanctorũ societas. Quicunque ergo ad hoc accedit sumendum sacramentum, eo ipso profitetur se vnitum Christo, atque eius membris incorporatum, hoc autem fieri non potest nisi per fidem viuam, quam nullus potest in mortali peccato existens habere: ergo qui in eo iacens sacramentum sumit, falsitatem committit, ac perinde lethale sacrilegium. *Conclusio. Probatur 1. 2.*

Quæstio hæc grauissima est, vbi nonnulla ex quæstione præcedenti art. 1. & 3. hucusque examinanda reseruauimus. Est autem hic & his primum catholicis cum hæreticis, & inter catholicos nonnihil dissidij. Primùm n. Lutherus infidelis fidei cultor negat accedenti ad hoc sacramentum vlla opus esse animi præparatione præter solam fidem & confidentiam, quòd sit per ipsum gratiam obtenturus. Imò ait indignè accedere qui confitetur vel conteritur, vel se aliter disponit. Qui quidem error inter reliquos condemnatus illi fuit a Leone decimo, & est apud Roffensem articulus quartus decimus. Sed non opus est cum vesano isto hæretico insanire. Satis enim nobis est Paulus, quem in omne se latus vertens nemo poterit sic peruertere, *Expositio articuli. Lutherus.*

Digitized by Google

Insignis expositio Pauli 1 Cor. 11.

uertere, quin apertissimis verbis contrarium admoneat. Nam 1. Corinth. 11. postquàm eos acri accusatione obiurgauit, qui absque vllo discrimine sic imparati cœnam dominicam manducarent, vt corporis cibos, monitum Christi induxit, quo nobis iussit, vt hoc sacramentum in eius commemorationem celebraremus. Quæ autem sit illa eius memoria, idem exponit Apostolus dicens: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat (scilicet ad iudicium.) Hoc autem nihil aliud esse voluit, quam vt dominicę memores passionis, quæ suæ erga nos eximiæ charitatis documentũ fuit, nostrorumque adeò peccatorum expiatio, mundi curaremus ad sacramentum accedere: nos ipsos iudicantes an in eadem charitate accederemus, ne ab ipso dum veniet iudicaremur. In cuius testimonium non se antea Christus discipulis suis manducandum tradidit, quàm eorum lauaret pedes, nos omnes in ipsis commonefaciens, ne ad hoc sacramentum nisi ab omnibus prauis affectibus perpurgati accederemus. Quem quidem sensum Paulus explicans subdit. Quicunque manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Vbi indignè manducare & bibere id planè censuit, quòd absque spirituali vita, quam in cruce nobis Christus mercatus est, hoc sacramentum manducare & bibere, quod in alimoniam eiusdem sustentandæ vitæ nobis reliquit. Manducare n. & bibere viuorum est: quare mortui ad hanc mensam indignè accedunt, atque adeò rei perinde fiunt corporis & sanguinis, veluti illi impuri, qui ceu eius inimici ipsum crucifixerunt. Vnde subnectit. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: hoc est, tentet seipsum, iuxta illud 2. Cor. 13. Vosmetipsos tentate an sitis in fide, ipsi vos probate: sic ergo in præsentiarum vos ipsos discutite an sitis in charitate, cuius sacramentum sumere adornatis. Vestram vos ipsi examinate conscientiam, vt non nisi candidam & nitidam ad suggenda Christi vbera adferatis. Si enim pij illi, qui Christi cadaueri officium sepulturæ præbuerunt, non nisi in syndone munda illud auси sunt conuoluere, quantò candidior esse debet eius conscientia, qui corpus idem viuens sumit, in quod se transformare profitetur? Quapropter bene pronunciat Apostolus, eum, qui manducat & bibit indignè, iudicium (hoc est, condemnationem) sibi manducare & bibere, non dijudicans corpus Domini, hoc est, non discernẽs inter corpus eius verũ in ara crucis immolatũ, atq; alia animalium, quæ mensæ profanæ imponuntur, neque satis perpendens an sit ipse de corpore mystico, quod hoc sacramento conglutinatur, & est allusio ad illum infœlicem proditorem, qui impuro animo buccellam sumens, sempiternum sibi interitum conciuit. Et quia non tantum in damnationem æternam, verùm & in infamem corporis mortem impegit, concludit demum Apostolus. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique dijudicaremur. Probare ergo debemus iudicareque nos, nostraque delicta castigare & vindicare antequam ad tremendam mensam nos insinuemus. Post hæc ergo Pauli iussa, abeat cum impia sua hæresi Lutherus. Nam si 1. Corinth. 7. idem Apostolus coniugibus consulit, vt communi consensu ad tempus quo orationi vacent, communi thoro, qui legitimus est & licitus, abstineant: quantò magis vt sacramentum charitatis sumamus, debemus non modò illa crimina, quæ charitati aduersantur, expiare, verùm & leuiora, quæ eius feruorem tepefaciunt, abstergere?

Nota.

Exploditur Lutherus.

Centurionis humilit. Matt. 8.

Laudi appositum est Centurioni: vt Matth. 8. legitur, quòd se indignum iudicauit, cuius ædes Christus intraret ad sanandum eius puerum: vituperio ergo magno dignus est qui non conscientia pura ipsum in sacramento excipit, quo salus suæ animæ agitur. Atqui parabola illa dominica Matth. 22. de rege qui fecit nuptias filio suo, & cum vniuersos ad conuiuium inuitasset, quendam quod ad mensam absque veste nuptiali sedentem videret, ligatis manibus & pedibus iussit eum mitti in tenebras exteriores, accuratissimam præparationem, quam ad hoc sacramentum adferre oportet, designat.

Legis antiquæ exempla.

Quòd si ex veteri testamento exempla etiam petere volumus, extat Exo. 30. lex huius nostræ vmbra, vt quoties Aaron & filij eius ingressuri essent tabernaculum testimonij, missa prius aqua lauare suas manus & pedes curarent, ne fortè morerentur. Et Le. 22. Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Et vt 1. Regum 21. legitur, Sacerdos Achimelech nunquam sanctum panem Dauidi famem cum suis patienti tradere voluit, nisi certior priùs factus, an sui pueri mundi essent. Et cap. 6. Oza percussus refertur, eo quòd arcam sanctuarij temerè tetigisset. Si ergo sancta illa, quæ vt ad Hebræ. Paul. non animam, sed corpus emundabant, & duntaxat erant nostrorum vmbra, tanta cum religione fas erat tractare, quantò magis hoc sacramentum, vbi Christus ipse immolatur & sumitur, nefas erit non pro dignitate sumere?

Heb. 9.

Lutheri fundamentum.

Robur autem hæresis Lutheri est, quod nulla nostra opera possunt nos certos facere, quod simus in gratia, præter solam fidem, dicente Apostolo: Nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc iustificatus sum. Nos autem adeo firmiter fatemur non posse nos hanc habere certitudinem, vt certè credamus ipsum de hac re esse hæreticum, qui dicit per confidentiam & fidem sacramenti posse nos ad hanc certitudinem pertingere. Nihilominus necessaria sunt opera nostra, quæ fauore diuino nituntur, vt nutu Dei nos ad perceptionem sacramenti præparemus.

Qualis esse debeat dispositio.

Restat ergo res inter catholicos de huiusmodi requisita dispositione. Et quidem si consilium spectes, à venialibus etiam pro humana fragilitate perpurgare se solertissimus quisque debet antequam ad hoc sacramentum accedat. Nam, vt suprà dictum est, † gustum & dulcedinem impediunt, ac ipsorum venialium remissionem, quæ per sacramentum fieret. Quare vbi non sunt mortalia, consilium est, vt venialium confessio præcedat. Quin verò & attenti animi meditatio & reuerentia est adhibenda, eademque præsertim à sacerdotibus, vt omni mentis acie contemplentur quemadmodum ipsissimam Dei personam induti creaturas suo verbo in Dei ipsius corpus & sanguinem conuertant, & ceu in cruce immolent, ac demum sic sumant, vt se in ipsum transformatos deificent. Indignissima n. res est, vt munus, cuius angeli digni non fuerunt, tanta cum vecordia & oscitantia homines exequantur.

† art. vlt. q. 2. concl. 2.

Sacerdos nota.

Ad rem verò vt reuertamur, quia venialia non sunt obex gratiæ, non est tantum præparamentum de præcepto necessarium. Quapropter accedere cum conscientia venialium, certum est non esse peccatum mortale, quanquam sit nonnulla irreuerentia: imò (quamuis hoc non tam certò asseruerim, quàm Maior. d. 9. q. 1.) fortè neque est veniale: quia nullum tale habemus præceptum, nisi quòd probet se ipsum homo. Probatio autem est, an sit in charitate. Vnde August. tract. 26. super Ioan. Peccata, inquit, licèt sint quotidiana, non sunt mortifera antequam ad altare accedatis. Haud tamen est dubium quin aliquando sumptio ipsa sit veniale peccatum: vt puta cum quis propter vanam gloriam ad communionem accedit.

Necessaria præparatio.

Sed de necessaria dispositione, vt quæ ab omnibus confessa sunt, præmittamus, vniuersi fatentur, quod accedere ad hoc sacramentum conscientia peccati mortalis sit obex gratiæ, atque adeo accessio ipsa & sumptio sit peccatum mortale, contra præceptum Pauli. Probet autem seipsum homo, &c. Et hæc fuit assertio D. Thom. quæst. præcedenti. arti. 3. quam in præsentiarum repetit, dicens, quod talis incurrit sacrilegium.

Conscientia peccati.

Quòd si quæras quæ dicatur conscientia peccati mortalis, respondetur, esse quodcunque iudicium siue assensum, quòd sis in peccato mortali, etiam si sit opinio. Nam cùm in dubio est animus, vt homo neque assentiat, nec dissentiat, non dicitur conscientia, sed scrupulus. De quo dicemus in solutione quinti.

An requiratur contritio.

Et per hoc soluitur aliud dubium, vtrùm ad legitimam dispositionem requiratur contritio, quæ est dolor propter Deum seu de offensa Dei, an verò sufficiat attritio, quæ est dolor propter pœnas inferni aut alias temporales. Iam enim suprà † de attritione distinximus, quòd vna sit existimata contritio, quando scilicet quis fecit diligentiam, quæ arbitrio prudentis videtur sufficere, & bona fide putat se dolere propter Deum. Et hæc sufficit, vt homo per sacramentum fiat ex attrito contritus. Si vero sit nota attritio, putà quod ille homo videt se non dolere propter Deum, illa non sufficit, quia manet in conscientia peccati mortalis.

† d. 11. q. 2. art. 2.

Hanc

Digitized by Google

Hanc eodem art. 3. affirmauit S. Thom. constituens discrimen inter baptismum & Eucharistiam, quòd cùm ille sit sacramentum mortuorum, satis est non opponere obicem, hoc est, complacentiam peccati: cùm autem hoc sit sacramentum viuorum, requiritur vt homo accedat, vt ait Paul. probatus, atque adeò iudicio suo in charitate. Atque idem ait hic.

Argum. Quòd si arguas. Hoc est sacramentum vnitatis corporis mystici, quæ fit per gratiam: ergo illam gratiam confert: ob idque non opus est accedere in illa. Respondetur, non esse sacramentum faciens primò illam vnionem, sed nutriens illam, & sustentans. Vnde S. Thom. acutè & perspectè ait hic, quòd sumens sacramentum eo ipso significat, non quidem vniri tunc Christo, sed esse vnitum, & incorporatum eius membris.

1. Argu. Atque idem in solutionibus argumentorum declarat. Arguit enim primo loco. Non est maioris dignitatis Christus sub specie sacramenti, quàm sub propria: sed peccatoribus tangentibus corpus Christi non erat delictum, quinuerò salutem consequebantur, vt Lucæ 7. de Magdalena, & Matth. 14. de alia, quæ fimbriam vestimenti eius tetigit, scriptum est: ergo nec peccatores sumentes sacramentum delinquunt. Negatur consequentia: est enim diuersa ratio. Christus quippe non se tangendum præbebat in signum spiritualis vnionis ad ipsum sicut in sacramento: & ideò peccatores tunc illum tangentes nullum falsitatis crimen incurrebant, sicut in hoc sacramento. Præterquam quòd tunc similitudinem gerebat carnis peccati, vt cum eo possint peccatores conuersari. At similitudinem illam peccatricis carnis in resurrectione exutus, tangi se ab eadem fœmina prohibuit od defectum fidei, quo circa ipsum laborabat secundum illud Ioan. 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum (scilicet in corde tuo) interprete Augustino.†

† Tract. 121. in Ioa. to. 9. *2. Argu.* Secundò. Hoc sacramentum sicut & alia, est quædam spiritualis medicina: medicamina verò infirmis dispensantur ad salutem, iuxta illud Matth. 9. Non est opus valentibus medico, sed male habentibus: ergo peccatoribus spirituali morbo laborantibus ministrãdum est. Respondetur autem ad minorem, non omnem medicinam infirmis congruere, secundùm quemcunque eorum statum: nam illa, quæ datur liberatis à febri ad firmanda membra & robur virium, vt vinum & carnes, nocua essent febricitantibus. Sic ergo baptismus & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quę dantur ad tollendam febrim peccati: hoc autem sacramentum est quasi medicina confortatiua, quæ ideo dari non debet nisi liberis à peccato.

Alia medicina baptis. & pœnit. Alia Euch. *Opinio autorum.* Obserua comparationem hanc, qua baptismum simul cum pœnitentia componit. Vnde Thomistæ inferunt quòd sicut q. præcedenti articul. 3. D. Thom. dixit, posse quempiam accedere cum conscientia peccati mortalis ad baptismum: scilicet, cum attritione cognoscens se non esse contritum, possit pariter & ad pœnitentiam. Quam quidem illationem nunquam ego mihi persuasam habui: nam licèt ambo sacramenta sint instituta ad tollendum peccatum, diuersimodè tamen. Baptismus siquidem absque vlla accusatione aut confessione suscipientis, quam pœnitentia requirit. Accusatio verò est, quia homo confitetur se offendisse Deum: quare ne sit mendax, talem pœnitentiam iudicio suo debet gerere in corde: qui autem videt se non esse contritum, intelligit non se dolere propter offensam Dei, sed ob pœnam inferni. De hoc autem latiùs dist. 14. & dist. 16.

3. Argu. Tertiò arguitur. Hoc sacramentum, cùm in se Christum contineat, est de maximis bonis: maxima autem bona secundum Augustinum libro de libero arbitrio † sunt, quibus nemo malè potest vti, nullus autem peccat nisi per abusum: ergo peccator sumens non peccat. Respondetur ad minorem, maxima bona, secundum Aug. illic esse virtutes, quibus nemo potest male vti quasi principijs mali vsus: quoniam habitus virtutis non concurrit ad actum vitiosum, sicut neque habitus vitij ad studiosum. Potest tamen quis male vti virtutibus tanquam obiectis, vt illi faciunt, qui de virtutibus superbiunt. Pari ergo modo sacramentum hoc non potest esse principium mali vsus: quia non est causa nisi gratiæ: potest tamen esse obiectum malæ actionis. Vnde Aug. super Ioan. † Multi, inquit, indignè accipiunt corpus Christi: per quod docemur quam cauendum sit male accipere bonum. Ecce n. per bonum factum est malum dum male accipitur, bonum, sicut contrà Apostolo per malum factum est bonum, cùm bene accepit malum, scilicet, cum stimulum Satanæ patienter portauit. Ad idem pertinet canon. Et sancta. de consecrat. distinct. 2.

† lib. de lib. arb. cap. 10. tom. 1.

† Tract. 62. in Ioan. & tract. 6. ad cap. 3. 10. 9.

4. Argum. Quartò. Sicut hoc sacramentum sentitur gustu & tactu, ita & visu: si ergo peccator ex eo quod sumit hoc sacramentum peccat, videtur & peccare videndo, quod falsum esse inde constat, quod Ecclesia cunctis adorandum proponit: ergo peccator non peccat manducando. Respondetur, quod per visum non accipitur ipsum corpus Christi, sed solum sacramentum eius: quia visus non pertingit ad corpus, sed ad species panis, per quas sacramentaliter videt corpus. Qui autē accipit sacramentū, non solum species, sed corpus recipit. Adde quod per visum non profitetur homo se vnitum esse Christo, sicuti per sumptionem sacramenti. Subdit S. Thom. non baptizatos neque ad inspectionem sacramenti esse admittendos, vt Dionys. lib. de Eccles. Hierar. † autor est. Quare catechumeni in primitiua Ecclesia, licèt admitterentur ad lectionem epistolæ & Euangelij, in initio tamen canonis excludebantur. Sed ad manducationem non sunt admittendi, nisi illi qui non solum sacramentaliter per baptismum, sed etiam realiter per gratiam sunt Christo coniuncti.

An peccator aspiciens Euchar. non peccet?

† part. 3. c. 7. princip.

5. Argu. Quintum autem argumentum maioris est ponderis. Contingit n. ait S. Thom. quandoque vt peccator aliquis non habeat conscientiam sui peccati, qui tamen peccare non est censendus sumendo sacramentum, alioquí nemo se à tali culpa eximeret propter periculum, cui se omnes exponerent, dicente 1. Corinth. 4. Paulo. Nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc iustificatus sum: non ergo semper peccatori in culpam cedit sacramentum hoc sumere. Respondet S. Thom. bifariam accidere posse, vt qui in crimine est, conscientiam illius non habeat. Vno modo, vt ignorantia sit illi culpabilis, s. vel quia est iuris, quæ neminem excusat, vt cùm id quod peccatum est, peccatū esse ignorat, vt si fornicationem censeret non esse peccatum. Aut quia in examine propriæ conscientiæ negligens est, cõtra admonitionem Pauli: Probet autem seipsum homo, &c. Et huiusmodi homo quamuis conscius non sit sui delicti, nihilominus sumendo sacramentum non excusatur à noua culpa, quia cùm ipsa ignorantia peccatum sit, non excusat quin sumptio sit peccatum. Altero modo potest huiusmodi ignorantia esse inculpata: nempe, quia post examinationem dolorem habuit peccati, non tamen sufficientem, vt verè esset contritus. Et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi: quia nemo per certitudinem scire potest an sit verè contritus. Sed sat est vt signa in se præsentiscat contritionis, putà si doleat de præteritis, & caueat de futuris. Adde dummodò dolor iudicio suo appareat esse de offensa Dei, vt sit attritio existimata contritio: nam qui tantum dolet propter infernum, non dolet de peccatis, quatenus offensa Dei sunt. Si verò ignorat id quod fecit, esse peccatum, propter ignorantiam facti, quæ excusat, vt si accedit ad non suam (vt Iacob) arbitratus esse suam, non est ille vt peccator iudicandus, neque si absque sua culpa fuerit suorum scelerum oblitus: illi n. vt in materia pœnitentiæ videbitur, sufficit generalis contritio. Atque hæc est generalis doctrina omnium theologorum, vt Alexandri 4. par. q. 46. memb. 3. art. 2. & Bonauenturæ in 4. dist. 9. art. 2. quæst. 3. Et Ricard. ead. dist. art. 2. quæst. 1. & Durand. quæst. 4. Nam Scotum vix intelligere quiuerim. q. 1. Ait n. primo, quod si quis diligentiam adhibuerit, & conteratur & confiteatur, licèt aliquod peccatum sit illi traditum obliuioni, securè accedit: quia si moreretur etiam sine Eucharistia, saluus fieret. Sed paulo post subdit quod etiam si aliqua peccata lateant, per Eucharistiam delebuntur. Atqui dicta hæc non apparent bene cohærere. Nam prius constituit hominem extra peccatum ante Eucharistiam, & posterius dicit, quod peccata in tali casu delebuntur per Eucharistiam. Non videtur ab opinione communi deuiare.

1. culpabiliter.

1 Cor. 11.

2. inculpabiliter.

Hinc ergo omnes citati autores, & recentiores, qui illos sequuntur, hanc colligunt distinctionem: nempe quempiam dupliciter posse ad sacramentum accedere indignè. Vno modo contrariè, sic scilicet, vt accedendo peccet. Et alio modo contradictoriè, scilicet non dignè, quia est in peccato, non tamen contrariè, vt peccet. Vnicus autem Ioa. Maioris est cui eadem d. q. 1. extra gregem oberrare libuit. Ait siqui-

Opinio Maior. contra d. ſ. prac.

Digitized by Google

dem, quòd omnis in vniuersum qui accedit in peccato, peccat accedendo: quare vt accedendo non peccet, debet quando accedit esse in gratia. Ex quo infert vanam esse distinctionem positam: imò quicunque accedit non dignè contradictoriè, accedit contrariè indignè. Sequitur secundò, ex eius opinione nunquam per Eucharistiam posse primam gratiam conferri: nam qui accedit in peccato, ponit obicem: & qui sine illo, iam habet gratiam. Rationes eius sunt tres. Prima. Aut accedens indaginem fecit, quam facere tenebatur, aut secùs. Non enim est dare medium. Si verò fecit quam tenebatur, iam accedit in gratia. Sin minimè, accedit indignè, & accedendo peccat: quia non se probauit, vt ait Paul. Secundò, aut requiritur, vt accedens faciat indaginem secundum iudicium, & arbitrium sapientium: vel sat est, quod vnusquisque secundum proprium iudicium eam faciat. Secundum dici non potest: nam contingit, vt alicui ex leuitate animi appareat fecisse diligentiam sufficientem, quæ tamen non est sufficiens. Si primum dederis, qui illam fecit, iam est in gratia: qui vero non fecit, accedendo peccat. Tertiò. Nemo tenetur maiorem adhibere diligentiam ad accedendum ad Eucharistiam, quàm tenetur statim moriturus: huic autem sufficit illam facere ad arbitrium prudentum; ergo & accedenti ad Eucharistiam.

Prima illatio ejus.

Secunda.

Maioris rationes.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Ad hæc autem primò respondetur, autorem istum ad pauca respexisse, & ideo fuisse paralogizatum. Non enim habuit rationem nisi diligentiæ & indaginis ad commemorandum peccata, cùm tamen illa adhibita restet deinde ambiguitas: an dolor peccatorum, quorum qui meminit, sit vera contritio: scilicet, propter offensam Dei, an verò sola attritio propter pœnas inferni. Et reuera si tam indaginem quàm contritionem palam constaret esse sufficientem, vera esset eius opinio: sed tamen neutrius tanta potest haberi certitudo, vt patet hoc ex verbo Pauli citato, Nihil mihi conscius sum, &c. & Ecclesiastes 9. Nemo scit an odio vel amore dignus sit. Et Ecclesiastici 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Et Prou. 20. Quis potest dicere, Mundum est cor meum? Et Iob 9. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Et rursus, si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.

Ad rationes Maio.

Respondetur ergo ad formam primi argumenti Maioris. Aliud requiri, vt homo exeat à peccato, aliud verò, vt dignè accedere possit ad sacramentum. Cùm ergo quæris, an iste fecit indaginem ad quam tenebatur, respondeo non fecisse, sed tamen bona fide putat se fecisse. Et cum instas, vel fecit ad arbitrium prudentium, vel non, respondeo requiri examen secundùm arbitrium prudentum, nam leue non sufficit. Attamen ex prudentibus alij dicent hanc sufficere, alij verò non. Et opinio illorum licèt sufficiat ad excusandum hominem à culpa, vt possit dignè accedere, non tamen sufficit ad delenda peccata præterita. Et hæc fuit autoris hallucinatio. Peccata enim non remittuntur propter actum intellectus, quo quis credit fecisse diligentiam, vel esse contritum, sed re vera ex natura rei, quia est vera contritio per se aut per sacramentum perfecta. Pariter facta diligentia potest apparere contritio propter offensam Dei, & tamen non est nisi attritio propter infernum, præsertim in articulo mortis: quia cùm tunc supplicia illa sese offerant præsentia, dolorem ingenerant, qui apparet timor filialis, & tamen non est nisi seruilis. Quinuerò doctissimus curatus, nequissimus tamen, posset consultò decipere pœnitentem, dicendo talem negligentem indaginem aut attritionem sufficere, quæ quidem falsa pœnitentis credulitas non sufficeret ad delenda eius peccata præterita, licèt hominem excusaret, vt dignè posset ad sacramentum accedere.

Ad rationem.

Consistit ergo veritas opinionis S. Thom. in hoc quòd ignorãtia inuincibilis & inculpata quamuis non sufficiat delere peccata præterita, facit tamen hominem securum, vt dignè possit accedere ad sacramentum. Et quòd hoc sit verum, prætereà confirmatur. Stat enim duorum virorum prudentium, alterum esse verè contritum, alterum non nisi attritum, & tamen habere ambos æqualia signa, quibus vterque putat esse contritum: quare tunc opinio illa non est sufficiens facere ex attrito contritum: & nihilominus attritus ille legitimè potest accedere ad sacramentum. Et arguitur rursus. Secundum opinionem Maioris sequeretur, quòd quispiam nunc in peccato existens sine aliquo nouo dolore, nec sacramento, per hoc solùm quòd ignorantia sua, quæ erat vincibilis, efficeretur inuincibilis, mundaretur à peccatis, vtpote si quispiam esset attritus, & secundùm opinionem prudentum id crederet, & superuenirent alij, qui ei persuaderent esse contritum: imò si ille mutata conditione naturaliter mutaret opinionem, per hoc solùm remitterentur peccata, quod error esset concedere: & tamen mutata illa opinione posset legitimè accedere ad sacramentum.

Veritas opinionis.

Cõfirmatur

1.

2.

Item negare hoc sacramentum quandoque posse conferre primam gratiam, est contra illud vulgatum Augustini in quodam sermone, vbi ait, quod hoc sacramentum mortuos viuificat.

Ac demum ad rei conclusionem è conuerso arguitur. Quamuis quispiam veraciter sit contritus & in gratia, si tamen habet conscientiam se esse in peccato, non dignè accedit ad hoc sacramentum: ergo ad dignè accedendum impertinens est esse in statu gratiæ, aut extra, sed probabilitas, quæ excusat à peccato ignorantiæ, est quæ facit hominem dignè accedere. Imò fateor distinctionẽ illam accedendi indignè contrariè vel contradictoriè, non ita mihi gratè arridere, quia nec sanct. Tho. de illa hoc loco meminit. Imò qui non accedit indignè contrariè, vt peccet accedendo, certè neque accedit indignè contradictoriè licet sit in peccato ignorato: Nam postquam accedit legitimè secundùm legem hoc sufficit, vt simpliciter dignè accedat.

Contra hanc autem definitionem arguitur. Sequeretur quòd quicunque accederet in peccato, taliter tamen legitimè, vt accedendo non peccaret, reciperet primam gratiam per sacramentum: nam postquam nullum opponit obicem, & bona fide putat se esse in gratia, veniam per sacramentum suscipit. De hac re sunt citati autores bipertiti. Nam Bonauentura loco citato medium constituit, idque generaliter: scilicet, quòd qui accedit in peccato sine eius conscientia, accedit eatenus dignè vt non peccet, nullus tamen eorum gratiam suscipit, ob id quod non accedit viuens. Quare non admittit, quòd hoc sacramentum conferat primam gratiam. Et quidem Gabriël in 4. d. 9. q. 1. & in canone lectione 8. citat Alexandrum loco suprà à nobis allegato in contrariam sententiam, scilicet, quod recipiat gratiam. Et volens eos in concordiam conciliare, ait eiusmodi hominem non recipere gratiam virtute operis, scilicet sacramenti, recipere eam tamen ex benignitate Dei: quia scilicet illuminatur, vt se attritum cognoscens conteratur. Attamen primùm Alexandrum non video esse diuersum à Bonauentura: imò in solutione septimi dicere videtur eiusmodi accedentem non recipere gratiam. Secundò, quòd recipiat eam ex benignitate, quia illuminabitur, hausit à Gersone tract. de pollutione nocturna, consideratione 2. ille autem effectus benignitatis nulla est lex, vt semper obueniat: quare potest accidere talis nouus motus in mentem suscipientis sacramentum, & potest non accidere. Caietanus, vt quæst. præcedenti artic. 1. vidimus, non tam generaliter loquitur, quàm Bonauentura: imo admittit primam gratiam posse quempiam recipere per sacramentum: sed tamen ait quandoque vsuenire posse, vt accedens nec peccet, nec gratiam recipiat. Excogitat enim contritionis gradus: scilicet, tantam esse posse, vt sufficiat cum sacramento ad gratiam, & tam exilem, vt non sufficiat. Et Palud. distinct. 9. q. 2. sub dubio loquitur dicens, fortè ex vi sacramenti recipit gratiam. Et Adria. in q. de Eucharistia ait, quod si accedens semper recipit primam gratiam, vbi insinuat, quod non semper.

Argumenta contra & varietas huc in re sentẽt.

Bonauent. sentent.

Gabriel. sentent.

Alexand. cum Bonau. conciliatur.

Caietan.

Paludan.

Omnibus tamen pensatis dicendum apparet in eo qui accedit cum attritione, & legitimè scilicet ex ignorantia peccati in quo est, quæ eum excusat, vt non peccet accedendo, nunquam dari medium, sed semper ipsum primam gratiam per sacramentum suscipere. Id enim hic D. Thom. sentit dum dicit quòd sufficiunt illi signa contritionis, dum dolet de præteritis, & proponit cauere de futuris. Vbi sufficere intelligit ad remissionem culpæ cum sacramento. Idque patentibus verbis asseruit quæst. præced. art. 3. dicens, accedens in peccato mortali, cuius conscientiam non habet, cõsequetur per hoc sacramantum gratiam charitatis. Quod quidem verbum postquàm absolutè asseritur, generaliter intelligitur. Atque idem docuit in 4. distinct.

Sententia autoris.

Digitized by Google

1. Vnico.

Sanct. 4. artic. 3. quæstiuncul. 2. Idemque Ricardus ead. distinct. q. supra citata, Sed ratio id apparet satis conuincere, primò ex parte diligentiæ: nam si non fecit illam, quam vir prudens iudicaret sufficientem, peccat accedendo. Si autem fecit, non est cur gratia sacramentali frustretur. Deinde ratione contritionis. Contritio enim, vt Caietanus ipse & Thomistæ fatentur, non differt ab attritione in intentione, sed in obiecto & fine: quòd scilicet contritio habet pro obiecto offensam Dei, vt fiat ex timore filiali: attritio verò quatenus est supplicionum causa, & nascitur ex timore seruili. Arguitur ergo. Vel peccatum cum sola attritione quæ creditur esse contritio, est obex gratiæ, vel non: si sic indignè tunc acceditur: si non, semper recipitur gratia. Nam si dixeris aliquam sufficere, & non omnem, demus duos, quorum alteri sufficit, alteri verò minimè: tunc scisciter, Quo pacto illorum attritiones differunt? non quidem ex obiecto, postquàm ambæ sunt attritiones, neque verò ex intentione, quia illa non est necessaria: ergo si aliqua sufficit, omnis sufficit. Secundùm quidem opinionem Scoti, qui tenet requiri certam intentionem ad rationem contritionis, dicere posset aliquis etiam requiri ad attritionem, vt sit sacramento sufficiens. Sed tamen Sanct. Thom. hic non dicit, nisi quòd sufficit dolor de præteritis, & propositum in futurum cuiuscunque sit intentionis.

2.

Alia ar.

Aliter tamen contra eiusmodi sententiam arguitur. Si quis ex attrito per sacramentum Eucharistiæ fieret contritus, sequeretur primò, quòd homo obtineret actualem peccatorum veniam sine pœnitentia, quod est contra Hieronymum censentem pœnitentiam esse necessariam tabulam post naufragium, nam attritò non est legitimus actus pœnitentiæ. Secundò sequeretur, quòd posset homini euidens esse in gratia se existere, per hunc syllogismum. Ego probabiliter, & secundùm rationem prudentum meorum habeo delictorum contritionem, & recipio sacramentum, ergo & gratiam. Est enim maior euidens: nam licèt non habeam euidentiam contritionis, habeo tamen euidentiam esse probabile me habere, & minor est certa, & consequentia: ergo conclusio euidens.

Ad primū.

Ad primum negatur consequentia: multi namque ex schola D. Thom. aiunt, quòd dum attritus suscipit sacramentum, ipse idem actus, qui erat attritio, perficitur per sacramentum, vt sit contritio, atque adeo fit legitimus actus pœnitentiæ. De hoc autem iterum in materia pœnitentiæ regredietur sermo. Interim tamen dicendum, quòd si isti intelligant eundem actum intrinsecè per sacramentum fieri contritionem, non est tolerabilis opinio: nam actus non mutat obiectum: siquidem si antea erat dolor peccati propter pœnas inferni, idem modo habet obiectum, sed tamen fit contritio extrinsecè per sacramentum ad hunc sensum, quod informatur gratia, quam sacramentum confert. Et ad hunc sensum dixit q. præcedenti art. 3. S. Thom. quod gratia sacramenti perficiet contritionem. Quare non tam propriè dicitur ex attritione fieri contritionem, quàm hominem ex attrito fieri contritum. Atque hoc pacto ille actus per gratiam fit actus pœnitentiæ virtutis. Quare nihil contra Hieronymum sequitur.

Ad 2.

Ad secundum negatur posse nos habere talem certitudinem absque vlla formidine, licèt possimus ad illam pertingere, quam appellat moralem, vt possimus, quatenus in hoc sæculo conceditur, securitatem habere, quam adolescens ille habere videbatur, qui respondit Christo, se seruasse mandata à iuuentute sua. Vnde ad argumentum respondetur esse captiosum: non n. ex hoc quod probabiliter habeo dolorem sufficientem, habebo gratiam, sed ex hoc quod illum habeo. Et me habere non est euidens, sed probabile. Vnde non sequitur. Est mihi euidens esse probabile: ergo est mihi euidens habere sufficientem dolorem. Neque minor est euidens laicis: nempe, hostiam esse consecratam. Et quamuis sacerdoti sit euidens intentionem habuisse consecrandi, atque adeo fidem habeat esse consecratam hostiam: consequentia tamen nunquam est euidens: s. quod si habeo attritionem, quam putò contritionem, suscipiam per sacramentum gratiam: sed est doctorum opinio, quod accedens cum probabilitate recipiat gratiam. De hac tamen re in apologia nostra aduersus Catharinum diffusè satis diximus, & in materia pœnitentiæ iterum dicemus.

Tandem circa huiusmodi dispositionem disputatur quæstio. Vtrùm accedenti ad sacramentum Eucharistiæ satis sit priuatim suam secum discussisse conscientiam, an verò insuper requiratur, vt sacramentalis confessio præcedat. Fuit enim opinio Abbatis Panormitani super ca. De homine. de celebrat. missa. tenentis non esse necessariam confessionem, sed sufficere contritionem. Hic tamen autor non habet de hac re grande autoritatis momentum: fuit enim alia priori labe commaculatus, dicens confessionem non esse de iure diuino, vt d. 17. videbimus. At verò Ricardus vir alioqui grauissimus ead. d. art. 3. q. 6. idem professus est, dicens posse quempiam absque confessione Eucharistiam sumere: quamuis nulla alia intercedat causa, quam vt absens sacerdos expectetur, cui deuotius & commodius fiat confessio. Ricardum citat, sequiturque Adrianus in materia de confessione q. 3. Atqui nostris temporibus Caietanus in præsentiarum & in sua summa verbo Communio, eandem opinionem adstruxit: scilicet non esse ad Eucharistiam necessariam confessionem, quamuis consilium sit salutare. Et ratio eius potissima est, quòd necessitatem nemo debet inducere, vbi ius non cogit: nullum autem extat diuinum ius, quo eiusmodi confessio in tali articulo iubeatur. Nam de huiusmodi dispositione solum extat admonitio Pauli, Probet autem seipsum homo. Vbi contrarium insinuatur, scilicet satis esse, vt homo priuatim suam conscientiam expendat, & examinet. Quòd si quis dicat, Paulum illic admonere id quod requiritur, non tamen id quod sufficit, in contrarium est quod subdit, Et sic de pane illo edat, & de calice bibat, quasi nihil aliud postuletur. Vnde Chrysostom. in eundem locum Homilia 28. Non, inquit, iubet vt alter alteri probetur, sed ipse sibi, non publicum faciens iudicium, & fine teste argumentum. Secundò. Si talis confessio de iure diuino esset illo articulo necessaria, in nullo casu posset prætermitti: dabimus tamen infrà nonnullos, in quibus prætermittitur. Præceptum autem pontificium non est, nisi vt semel in anno confiteamur: quòd autem quoties Eucharistiam sumimus, confessionem repetamus, non est illic adiectum. Postremò arguitur. Reliqua omnia sacramenta licet sine præuia confessione suscipere: ergo quamuis ad huius susceptionem exactior requiratur conscientiæ discussio, non tamen fit inde consequens, vt exigatur confessio.

Quæstio. An requiratur confessio. Panorm. opinio.

Richardus.

Caietan.

1. ratio Caiet.

Chrysost.

2. rat. Caiet.

3. rat.

Contraria opinio communis.

Contraria tamen opinio fuit semper doctorum vniuersalis, vt San. Thom. in 4. d. 16. in expositione textus, & d. 17. q 3. art. 1. quæstiun. 4. & Scoti, Durandi, & Paludani, ac denique omnium distin. 9. & 17. Quare per Parisiensium academiam fuit decreta. Sed iam tamen huiusmodi veritas maiore pollet autoritate quàm opinio. Est enim decretum Concilij Tridentini post regressum à Bononia sessione 5. cap. 7. vbi præmissis Paulinis verbis, Qui manducat, & bibit indignè, &c. subditur. Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum, Probet autem se ipsum homo. Ecclesiastica autem, inquit, consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modò non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quàm primum confiteatur. Hactenus synodus. Vbi perspectè aduertendum est, Ecclesiasticam consuetudinem non in medium afferri tãquam potissimum & primum fundamentum huius ritus, quasi sit de iure tantùm Ecclesiastico, sed quasi declaratoriam diuini præcepti, quod Paulus insinuat. Ex illo enim sic intellecto præcepto mos vniuersalis Ecclesiæ ortus est, in qua nemo ad sacrosanctam communionem absque præmissa confessione accedere fuit ausus. Neque verò Ecclesia vnquam eum quem sciuerit peccatum commisisse mortale, ad sanctam communionem admisisset, antequam suo confiteretur presbytero. Hic ergo mos à Christo per Apostolos deriuatus creditur. Ait quippe contra Donatistas Aug. lib. 4. cap. 24. Illud quod vniuersa tenet Ecclesia, neque in concilijs statutum reperitur, sed semper retentum est, credendum esse non nisi autoritate Apostolica traditum. Et quidem Cyprianus li. 3. epistolarum epistola 14. morem reprehendit, quòd ante exomologesin, id est, confessionem

Synodus Trident.

Iure diuino requiri confessionem Probatur 1.

2.

Augustin. regula.

Cyprianus.

Digitized by Google

Eucharistia aliquibus tradatur. Et epistola 15. eandem instaurans accusationem, ait illud esse contra Euangelij legem. Idemque epistola 16. reperit, dicens quosdam Euangelij immemores communionem ante confessionem suscipere. Atque idem iterum epistola 18. *Cyprianus.* Quibus locis Cyprianus insinuat ordinem hunc, vt confessio Eucharistiam præcedat, esse de iure diuino. Et rursus sermone 5. de lapsis, ait eum, qui absque confessione ad Eucharistiam accedit, indignè accedere, & reum fieri, iuxta verbum Pauli, corporis & sanguinis Christi. Cui consonat *Ricardus de S. Victor.* Ricardus de sancto Victore in lib. de potestate ligandi & absoluendi cap. 21. cuius verba sunt. Audacter dico. Si ante sacerdotis absolutionem ad communionem corporis & sanguinis Christi quis accesserit, iudicium sibi manducat, & bibit, quamuis eum peccasse multum pœniteat, & vehementer doleat, & ingemiscat. *Eusebius.* Et Eusebius in historia Ecclesiastica lib. 6. c. 24. de Philippo Imperatore Christiano refert, quòd cùm in paschate voluisset ad communionem accedere, non prius ab Episcopo loci fuerit permissus, quàm confiteretur peccata sua. Et de Ecclesiasticis dogmatibus c. 53. ait Aug. si autor illius fuit, Quem mortalia crimina post baptismum premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere. Et in epistola 118. ad Ianuarium planissimis verbis ait, non debere quempiam pro suo arbitrio dum libet accedere ad communionem absque præuia confessione & pœnitentia.

Respõdetur Caietano, & explicatio loci 1 Cor. 11. Post hæc autem, vt Caietano respondeamus, probatur veritatem hanc fundamentum habere in verbis Pauli: Dicens n. Probet autem seipsum homo, admonet iubetque vt illis vtatur remedijs, quæ ad animæ purificationem instituta sunt. Cum ergo confessio sacramentalis suapte institutione sit remedium ad id conducens, fit vt teneatur homo hanc adhibere medicinam. Sed ait Caietanus, Non tenetur homo facere quantum potest. Fateor quidem, quia non tenetur tam prolixam facere inquisitionem, aut lachrymis & singultibus contritionem vrgere. Tamen cùm duo sint ordinaria remedia expurgandi peccata, scilicet contritio & confessio, nomine probationis pari ratione vtrumque Apostolus comprehendit. Quare cum ait, Probet se, non intelligitur secum solus, sed adhibito diuino ministro, qui eius sit examinis iudex. *Corollarium dictor.* Nec contrarium sentit Chrysostomus. Sed quod non requiritur, quod in publicum sua effundat crimina. Concludimus ergo ordinem hunc, vt confessio præcedat Eucharistiam, esse de iure diuino, hoc est, inde secundum sanctorum patrum interpretationes elicitum, imò Apostolorum traditione susceptum, & Ecclesiæ more & vsu obseruatum. Quinuerò & perpenso tenore præcepti Ecclesiastici, *Omnis vtriusque sexus.* Omnis vtriusque sexus. Illic insinuatur esse confessionem ad Eucharistiam necessariam. Ait quippe, Confiteatur proprio sacerdoti, &c. susciplens reuerenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum. Vbi insinuatur ad reuerentiam Eucharistiæ confessionem pertinere. Et tamen secundum Caietanum, qui esset illo anno confessus, licèt esset relapsus, posset in pascha Eucharistiam sine confessione suscipere, quod absurdum esset concedere.

Arg. Caiet. Et adhibetur demum argumentum quòd Caietanus hic vocat sacrorum doctorum: & Scotus loco citato refert. Sacerdotibus ex vi clauium competit populum ad sacramentum Eucharistiæ admittere: ergo eisdem incumbit iudicare quinam adsint idonei: hoc autem facere nequeũt nisi audita cõfessione: ergo illa est antea necessaria. Neque satisfacit responsio Caietani, s. sat esse accedentes probatos esse iudicio Domini ministrorum, s. Dei, nam postquam eos instituit horum sacramentorum iudices, eorum arbitrio voluit accedentes esse probatos. Eo vel maximè, quod cum frequenter per sacramentum pœnitentiæ fiat homo ex attrito contritus, non censetur absoluta probatio, donec remedium pœnitentiæ sit adhibitum.

Solutio ter tij arg. Caie. Vnde ad tertium eius argumentum respondetur, non suffragari rationem ex æquo cæteris sacramentis & isti in præparatione: nam cùm hoc singulariter contineat Christum ipsum, & propriè in almoniam viuentium institutum sit, confessio autem ad tollendum peccata: ordo ipse expostulat, vt prius per sacramentum pœnitentiæ homo curet reuiuiscere, vt idoneè & reuerenter ad hoc sacramentum accedat.

Secunda Caietani ratio dilucidatur. Casus, in quibus ante confessionẽ Eucharistiæ sumatur. Dubium. Ad secundam autem rationem Caietani respondetur, confessionem sacramentalem non esse eodem gradu ad Eucharistiam necessariam, quoad internam peccatorum detestationem, sed vbi haberi possit presbyteri copia. Quapropter attendendi sunt hic casus, quibus licet Eucharistiam absque confessione suscipere. Et primum Tridentina synodus nullum excipit casum necessitatis confessionis, præterquam vbi legitimus sacerdos haberi non possit. Quare generalis regula sit, quod vbi potest haberi sacerdos habens authoritatem absoluendi, nullatenus est ante confessionem ad Eucharistiam accedendum. Sed de hoc tamen restat dubium, quænam sit necessitas, quæ in absentia prælati aut legitimi confessarij licitam faciat communionem absque confessione: Vtrum sola deuotio volentis sacramentum sumere aut celebrare sufficiat. Respondetur nequaquam sufficere, sed vrgentem exigi necessitatem, vt expressis verbis concilij admonetur. Loquimur vbi sunt peccata mortalia: nam venialia non sunt necessaria confessionis materia.

1. casus. Primus ergo casus est articulus mortis, vt si esset solus sacerdos cæcus & surdus, qui non posset confessionem audire, aut si esset mutus, qui non posset absolutionem proferre, posset contrito periclitanti Eucharistiam sine confessione porrigere: aut si infirmus iaceret, posset illam per diaconum ad infirmum mittere, vt dist. 13. q. 2. art. 3. videbimus. Item & sacerdos ipse iamiam moriturus, qui non haberet alium, cui confiteretur, posset ipse consecrare & sumere sacramentum.

2. casus. Secundus casus est necessitas, quæ ex officio pendet, vt rusticus plebanus, qui non habet sacerdotem nisi longè distantem, non tenetur ire quotidie ad quærendum confessarium: potest ergo cum contritione, maximè si esset festum, idque vno aut fortè duobus diebus sacra facere, absque confessione celebrare: non tamen pluries. Sed cauendum à consuetudine & fraude, qui n. in concubinatu, aut in alio peccato persistit, potiùs debet saluti animæ consulere, quàm temporali vitæ, vel honori, & à sacris abstinere quamdiu peccandi occasiones non amouet.

3. casus. Tertius casus est necessitas præcepti Ecclesiastici, vt si quis in die paschatis inuenit se, vbi non habet copiam proprij sacerdotis, qui eum possit absoluere, potest recipere Eucharistiam cum proposito confitendi cùm primum nancisci possit opportunitatem. Et pariter si sacerdos iter faciens in die festo, quo est præceptum audiendi sacrum, poterit ipse solùm contritus celebrare. Tametsi profectò tertium hunc casum non tanquam regulam vbique generalem asseruerim, maximè vbi casus sunt reseruati: vergeret enim hoc sæpe in fraudem, vt nunquam etusmodi pœnitentes curam adhiberent adeundi prælatum. Quocirca in his ratio scandali consulenda est: si enim grande sequeretur, vbi religiosus, vel ille, qui habet casum reseruatum, Episcopo non celebraret, aut Eucharistiam sumeret, sumat quidem, sed cum tremore & proposito festinandi ad confessionem. Si autem citra scandalum potest communionem excusare, satius est abstinere à communione etiam occurrente tempore præcepti, quàm communicare. Nam tunc si non potest facilè haberi copia prælati, nullum erit peccatum non communicare, vel si potest haberi, forsan minus peccatum erit transgressio præcepti audiendi missam in die festo, vel communicandi in paschate, quàm ad sacramẽtum accedere cum tali peccato: maximè quia plerunque non est legitima contritio illa, quæ citra sacramentum habetur.

3. casus moderatio.

4. Casus. Quartus casus est ad euitandum scandalum etiam si non occurrat præceptum Ecclesiæ, vt si religiosus habet peccatum reseruatum, & in die solenni, cùm totus conuentus communicat, non communicaret cum illis, tunc si prælatus non adest domi, potest quidem cum proposito properandi postea ad ipsum communicare, nullatenus tamen si adest.

Declaratio dictorum, casuum notanda. Omnes tamen hi casus, præter primum de artic. mortis, intelliguntur vbi non sit crimen annexam habens excommunicationem: quia excommun. cato nec propter officium, nec propter scandalum, aut generale præceptum Ecclesiæ de communione licet ad sactamentum accedere. Vnde qui irretitus est culpa pontifici reseruata: quia omnes huiusmodi annexam habent excommunicationem, caueat ad sacramentum hoc antequam absoluatur accedere. Item nisi sit peccatum publicum: quia tunc maius esset scãdalum man-

ducare,

Digitized by Google

Dubium. An verecundia excuset.

ducare, quàm abstinere. Quòd si perconteris, vtrum sola verecundia in causa esse possit communicandi absque cõfessione, vt si subditus, qui reseruatam contraxit culpam, nequeat præ verecundia confiteri prælato, qui tamen prælatus nolit casum alteri committere, sed pœnitentem audire. Respondetur, per verecundiam neminem excusari, quin teneatur parere prælato, si tamen doctus & probus sit: nam si tyrannus esset, à quo timeretur vel diuulgatio confessionis, vel aliud malum, & non pateret accessus ad alium superiorem, absolueretur tunc subditus ab eius obedientia in ea re.

Casus Ricardi.

Ex ijs fit, causam Ricardi, nempe, expectandi confessarium magis idoneum, non esse iustam, vt quis possit à confessione excusari, dummodò eum habeat, cui tutò possit suam conscientiam patefacere.

Admonitio.

Haud tamen hoc tandem admonere negligam, quod dum sacerdos est in altari, non est condecens, vt qui communicaturi sunt in conspectu plebis, illa quorum fuerunt obliti in confessione, illic confiteantur, sed vel communionem, si sine nota possunt, differant vsque ad aliam missam, vel proponentes illico post communionem confiteri sacram buccellam sumant. De alio verò casu, quando sacerdos post inceptum sacrum reminiscitur peccati alicuius aut excommunicationis, quid debeat facere, dist. sequenti q. 2. art. 6. satisfaciet nobis S. Thomas.

ARTICVLVS V.

Vtrùm accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, sit grauissimum omnium peccatorum.

TANTA est, quæ huic sacramento debetur, veneratio, vt non satis sit nosse accedentem in crimine sacrilegium committere, sed sit etiam explorandum, an sit omnium peccatorum grauissimum. Ad quod S. Tho. præmissa distinct. respondetur tribus conclusionibus. Citat. n. se. 1. 2. q. 73. vbi de grauitate peccatorum agit, quæ potest attendi vno modo per se ratione speciei peccati, quæ sumitur ex obiecto, aut per accidens ratione personæ peccantis. Primo modo statuitur prima conclusio. In summo grauitatis gradu collocantur illa peccata quæ sunt contra diuinitatem, vel in se, vel in Christo: in secundo ea quæ committuntur contra eius humanitatem: & in tertio sacrilegia, quæ fiunt contra eius sacramenta: & in quarto illa quę committuntur aduersus reliquas creaturas. Probatur. Per se peccatum eò est grauius, quo est eius obiectum excellentius: inter obiecta verò, quod est supernaturale est naturali excellentius: & inter supernaturalia summum est diuinitas, mox Christus secundum humanitatem, ac tertiò eius sacramenta.

1. Concl.

2. Concl.

Secunda conclusio statuitur circa tertium gradum de quo agitur in præsenti. Peccatum indignè sumentium sacramentum per accidens recipit magis, & minus. Probatur. Nam ex parte peccantis grauius est peccatum, quod fit ex malitia, quàm illud quod fit ex passione, atque hoc grauius illo quod fit ex ignorantia: ergo si peccati reus ex contemptu accedit ad sacramentum, grauiùs delinquit, quàm qui id ex timore facit ne in crimine deprehendatur.

3. Conclu.

Ex his colligitur conclu. tertia. Peccatum sumendi indignè Eucharistiam est alijs pluribus grauius secundum suam speciem, non tamen omnium grauissimum.

Expositio articuli.

Hic non est locus exactè perpendendi peccatorum grauitates, sed obiter notato propter primum gradum primæ conclusionis omnia peccata contra tres virtutes theologicas esse grauissima, vt est infidelitas, desperatio, & odium Dei, atque hoc omnium immanissimum, eò quòd charitas, vt ait Paul. † est cæteris præstantior. Blasphemia verò potest oriri aut ex infidelitate, aut ex odio Dei. Tametsi peccatum infidelitatis dicatur grauissimum, quatenus radix est omnium peccatorum, quæ fiunt contra Deum: qui n. in Deum non credit, non potest quicquam ab eo sperare, neque eum diligere. Vnde Aug. super illud Ioann. 15. † si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Hoc, inquit, intelligendum est de peccato infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata. Atque hæc sunt minùs remissibilia, quàm illa quæ committuntur in Christum inquantum hominem. Quare Matth. 12. ait Christus: Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Iudæi enim blasphemabant Christum & inquantum hominem dicentes, eum esse voracem, potatorem vini, & publicanorũ receptorem. Et hæc quidem conuitia quippiam habere poterant excusationis: quia secundùm humanitatem comedebat & bibebat, & cum hominibus conuersabatur: nam quia tunc nondum eius diuinitas satis erat reuelata, iactabantur hæc contra carnis infirmitatem, & ideo habebant vnde possent excusari. Sed quia Dæmonum expulsiones atque alias virtutes secundum diuinitatem operabatur, dum illas attribuebant virtuti Dæmonis, dicentes: In Belzebub eijcit Dæmonia, blasphemabant in Spiritum sanctum, vt est nomen essentiale commune tribus personis. Et ideò dicebat ipse illam blasphemiam non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro. Non quod simpliciter peccatum non esset remissibile: quia nullum est in hoc sæculo, quod non possit remitti, si infinitam Dei misericordiam spectes, sed quod in se non habebat remissionis causam. Et ita in hoc sæculo, vt ait illic Chrysost. Iudæi pœnas illius dedere in illa truculentissima strage Hierosolymitana, & postea in inferno.

Peccatum in Spiritum sanctum, quomodo irremissibile.

Chrysost.

Obiectio.

Sed ait. Qui peccat contra sacramentum hoc, sumens illud indignè, peccat etiam contra personam Christi, ergo tantum peccatum est ac si blasphemaretur dum viuebat. Respondetur grauius esse peccatum in genere suo contra ipsum Christum in propria specie viuentem, quàm in ipsum latentem in sacramento, ac perinde impudentior erat contumelia. Vnde inter omnes blasphemias & contumelias, quibus Christus affectus fuit, summa fuit eius homicidium.

Durandi argumentũ.

Contra hanc verò D. Th. doctrinam arguit Durand. in 4. d. 9. q. 4. ar. 2. primò contradicens gradibus tertio & quarto primæ conclusionis. Ait quippe satis graue esse concedere indignam manducationem sacramenti esse grauius, quàm quodcunq; peccatũ commissum in creaturam, vtpote quàm homicidium. Deinde arguit contra rationem. Illa n. inquit, regula, quod quãto obiectũ est excellentius, peccatum est grauius, intelligitur, quando actus sunt eiusdem generis. Vt grauius est iniuriosum verbum dicere principi, quàm priuatæ personę, aut occidere principẽ quàm plebeium. Dicere autẽ aliquod verbũ iniuriosum principi, non est grauius quàm occidere plebeium. In proposito ergo nostro, satis est quòd manducare sacramentũ indignè sit grauius, quàm manducare seculares cibos cum quacunque mala circunstantia: non autem quàm occidere hominem.

Secundum arg. Dur.

Ad primum arg. Dur.

Respondetur autem cum Caietano: primò, regulam S. Th. esse physicam & verissimam, si intelligatur vt debet, quòd peccatũ quantum ad speciem suam quantò est obiecti maioris, est grauius. Blasphemia n. grauius peccatũ est genere suo, quàm homicidium (licet actus sint diuersi generis) propter excellentiorem dignitatẽ obiecti. Sed tamen cùm dicimus genere suo, insinuamus quòd peccatum minus ex obiecto potest fieri maius ex circunstantijs. Grauius n. peccatum est iniustitiæ quàm intemperantiæ: quia iustitia est præstãtior virtus. Et tamen peccatum fornicationis grauius est quàm furari vnum argenteum: sic ergo prodere rempublicam, aut occidere principem, grauius peccatum est propter damnum, quàm indignè sumere sacramentum: imò quàm vna leuis blasphemia, vel actus infidelitatis, etiã si pertingeret ad peccatum mortale. At verò de simplici homicidio, quòd sit grauius quàm indignè sumére, non auderem simpliciter definire, sed cum distinctione. Accedere enim indignè ad sacramentum ex metu: scilicet, ne quis suum prodat peccatum, crediderim non esse tam graue, quàm simplex homicidium: sed tamen ex vilipendio & contemptu sumere sacramentum indignè, grauius esset.

Obiectio.

Quòd si arguas. Nõ tam atrociter punitur à republica. Conceditur: quia respublica in supplicijs decernendis nõ dirigit oculum nisi ad iniurias ciuibus illatas, quibus perturbatur pax. Peccata autem quę cõmittuntur in Deum, ipsum satis (vt inquit lex) habent vltorẽ. Eò potissimùm, quòd vti ait Pau. 1. Cor 11. propter indignam sumptionem Eucharistiæ plurimi plectuntur morbis atque adeò morte. Propter hoc n. inquit, inter vos dormiunt multi. Vnde Cypria. in epistola ad martyres, multos cruciatus refert, quos homines propter indignam sacramenti sumptionem perpessi sunt.

Cyprianus.

Arguit autem primo loco S. Tho. Qui manducat panem. & bibit calicem Domini (vti ait Paul.) indignè,

1. Argu. 1 Cor. 11.

† August. tract. 89. in Ioan. 89.

1 Cor. 13.

reus sit corporis & sanguinis Domini, hoc est, (vt ait glossa) perinde ac si Christum occiderit, punietur: ergo iniuria, quæ fit sacramento, tantum peccatum est, quantum illud, quod in humanitatem Christi committitur, puta Christi occisio. Respondetur, comparationem fieri ab Apostolo quatum ad similitudinem: videlicet, quòd sicuti crucifixores Christi in corpus eius deliquerunt per contumeliam & iniuriam: ita qui indignè manducant sacramentum, peccant in ipsum idem corpus. Non tamen fit comparatio quantum ad culpæ qualitatem. Primò, quia tunc contumelia inferebatur Christo in propria specie, & hic latenti in sacramento. Secundò, quia illa procedebat ex intentione nocendi Christo, hoc autem non. Adde tertiò, quòd contumeliæ illæ erant alterius generis: scilicet, colaphi, sputa, flagella & crux, hoc autem non est nisi animo impudico corpus ipsum recipere.

Grauior iniuria Christo fit in propria specie quam in sacramento existenti.

2. Arg.

Secundò arguitur ex authoritate Hieronymi in quadam Epistola. Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? Dic sacerdos, dic clerice, qualiter eisdem labijs filium Dei oscularis, quibus osculatus es labia (seu filiam) meretricis? O Iuda, osculo filium hominis tradis? Ex qua autoritate colligitur, fornicatorem ad mensam Christi accedentem similiter, vt Iudas peccasse, quod quidem Iudę peccatum fuit grauissimum. Cùm ergo sint alia peccata grauiora quàm fornicatio, vt infidelitas, sequitur quod si hæreticus sacramentum sumeret, grauius peccaret, quàm Iudas. Respondentur quatuor. Primum, sicut proximè responsum est, quod illa comparatio fit quantum ad similitudinem oculi meretricis ad osculum Iudæ: quia vtrumque est falsum charitatis signum, non tamen quantum ad criminis æqualitatem. Secundò additur, hanc similitudinem in alios quoque peccatores competere, sicut in fornicarios: nam quia cuncta peccata sunt contra charitatem Christi, cuius signum & symbolum est hoc sacramentum, quicunque peccator illud sumens, facto ipso mentitur charitatem Christi habere. Quare quo quis grauioribus peccatis onustus quàm est fornicatio, accedit ad sacramentum grauius peccat. Sed tertiò subiungitur, peccatum fornicationis peculiarem quandam indecentiam præ se ferre ad hoc sacramentum, eoque flagitium illud est maximè carnale, impediens dilectionis spiritusque feruorem: cùm conditio sacramenti huius sit carnem per feruorem & deuotionem charitatis in spiritum transformare. Infertur ergo quartò, vt cùm impedimentum ipsius charitatis, quæ est vnitas corporis mystici, grauioris sit ponderis, quàm impedire feruorem, fit vt peccatum infidelitatis, quod funditus hominem extirpat ab vnitate Ecclesiæ, ineptissimum hominem ad susceptionem sacramenti reddat, quod est sacramentum vnitatis. Vnde infidelis grauiùs peccat accedendo, præsertim si non credat Christum in ipso veraciter contineri, quod est virtutem Christi in hoc sacramento operantis contemnere, atque adeo ipsum secundum se sacramentum spernere: cùm tamen fidelis non illud despiciat, nisi secundum eius vsum, indigne accipiens. Vnde Apostolus 1. Corint. 11. rationem huius peccati assignans dicit: Non dijudicans corpus Domini, id est, non discernēs ipsum ab alijs cibis. Quod ille maximè facit, qui non credit Christum illic subesse. Addiderim nihilominus, quod si quis fidelis ex odio Dei illud in vilipendium sumeret, grauius peccaret, esset enim Satanica furia.

Respōsio quadruplex. Prima. Secunda.

Tertia.

Quarta.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Execrabilior est Deo spiritualis immunditia quàm corporalis, si quis autem hostiam in luto, vel in sterquilinio conculcaret, enormissimum eius reputaretur facinus: ergo indignè accipere, quod ad spiritus immunditiam attinet, omnium est grauissimum. Respondetur grauius esse proijcere ipsum in lutum, vel canibus aut porcis, (si aures audire ferunt) quàm indignè sumere, tum quòd illud fieret ex intentione iniuriam irrogandi sacramento, quod non intendit ille, qui indignè accipit, tum quòd etiam si quis blasphemo animo iniuriandi illud reciperet, adhuc non esset tam nefanda culpa, eò quòd homo capax est illud suscipiendi, non tamen brutum animal.

Proijciens Euchar. in lutum grauius peccaret indigne sumente.

ARTICVLVS VI.

Vtrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

POST peccatum sumentium indignè, quæritur de sacerdote an debeat peccatori petenti ipsum denegare. Et S. Thom. præmissa distinctione per quatuor conclusiones respondet. Peccatorum enim alij sunt occulti, alij verò manifesti: scilicet, aut per euidentiam facti, vt publici vsurarij, meretrices, & latrones: aut per publicum iudicium, seu Ecclesiasticum, seu seculare.

Artic. hic attentè legendus.

Est ergo prima conclusio. Manifestis peccatoribus non debet, quamuis petant, sacra communio concedi. Vnde Cyprianus ad quendam, & refertur cano. Pro dilectione. de consecrat. distinctione secunda. Pro dilectione, inquit, tua consulendum existimasti, quid mihi videatur de histrionibus & mago illo, qui apud vos constitutus, in artis suæ dedecore persteuerat, an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari. Puto nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.

1. Concl.

Manifestis est neganda comun.

Secunda concl. Si peocatores non sint manifesti, sed occulti: non potest eis petentibus sacra communio denegari. Atque hic est sensus Aug. super illud Psalmi: Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. Vbi ait, Non prohibeat dispensator pingues terræ, id est, peccatores, in mensa Domini manducare. De consec. dist. 2. cano. Non prohibeat. Et ratio est in promptu: nam cùm vnusquisque Christianus eo ipso quod baptismate initiatus est, ius habeat ad omnia petenda sacramenta: imò per votum Eucharistiæ quod in baptismate includitur, ad Dominicam mensam sit admissus, non potest, nisi ob manifestam causam illo spoliari iure. Vnde super illud 1. Cor. 5. Si is, qui frater nominatur apud nos, &c. idem Aug. † Nos, inquit, à communione quenquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, aut seculari nominatum, atque conuictum. 2. q. 1. can. multi.

2. Concl. Occultis non est neganda.

† In lib. de medicina pœnit. c. 3. tom. 9.

Tertia concl. Potest nihilominus sacerdos, cui occultus peccator innotuit absque arbitris illum admonere, vel in publico generaliter omnes ne ad mensam Domini accedant antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur.

3. Concl.

Quarta conclusio. Post pœnitentiam & Ecclesiæ reconciliationem etiam publicis peccatoribus non est deneganda cōmunio, præcipuè sub mortis articulum. Vnde in concilio Carthaginensi, quod refertur cano. Scenicis de cons. dist. 2. sic legitur. Scenicis atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, vel apostatis conuersis ad Deum reconciliatio non negetur.

4. Concl.

Expositio articuli.

Prima conclusio ab omnibus est receptissima, vt patet per sacros canones citatos & sanctorum dicta. Et pariter secunda, quæ etiam confirmatur per canones. Si tātum. & Si placuit. 6. q. 1. & per cap. Si sacerdos. extra de officio ordinarij. Atqui Chrysostomus in lib. de compunctione cordis, & latiùs homilia 83. super Matt. circa finem diserte admonet eos, quos manifestè constiterit peccatorum sordibus esse pollutos, à sacra communione arcēdos, alioqui pœnam ministrantibus imminere, eo quòd Dominum irritent. Quòd si quis, inquit, venerit cum sordibus ignoráter, hoc est, occultus peccator, non est ministrantis culpa illi administrare.

Chrysost.

Ambiguitas ergo in præsentiarum nulla est, nisi in discernendo quinā sunt publici peccatores. Et quidem canonum interpretes, vt Archidiaconus super capit. Cùm dilectis. extra de purgatio. & Panor. super cap. Vestra. de cohabitatione clericorum & mulierū. tenent quòd vt crimen sit notorium, debet esse notū in parochia, vel vicinia. Et parochiam exponunt esse, vbi decem saltem crimen norunt; nam 10. q. 3. can. Vnio, decernitur, vt Ecclesia, quæ habuerit decem parochianos, super se habeat sacerdotem. Atq; Adri. in q. de Eucharistia inter tractandum impedimenta ministrantis hoc sacramentum in istorum sententiam subscribit. At verò quamuis ad decidendas ciuiles causas atq; Ecclesiasticas horum fortè ratio habenda sit, tamen in præsentiarum, vbi de administratione sacramentorum agitur, nullus certus potest præscribi personarum numerus, vt crimen dicatur notorium, sed arbitratui prudentium

Publicus peccator quis.

Solutio.

Digitized by Google

tium relinquitur. Vnde S. Th. hic, & infra q. 82. art. 9. ad 3. ad nullum descendit personarum terminum, sed tantum ponit duos modos notorij criminis. Vnum, scilicet canonicum & iuridicum, & de hoc quidem certò constare potest. Quando quis, s. vel per sententiam, quæ in conuictum fertur, aut per confessionem in iudicio factam, constat aliquem esse vsurarium, simoniacum, aut publicum concubinarium, &c. ille enim censetur legitimè publicus. Sed alius est modus ex clamore populi, de quo nequit certior constitui regula, quàm quòd nulla tergiuersatione crimen celari possit. Atque hæc sunt verba expressa iuris, in capit. Tuanos. & in cap. Quanitum. de cohabita. cleric. & mulie. Quare tam paruum posset esse oppidum, vel parochia, vt decem criminis conscij sufficerent, vt diceretur notorium, & in ciuitate illi non sufficerent. Vtendum ergo est prudentis iudicio. Atqui in re dubia locum habet regula iuris, quod melior sit conditio possidentis. Quamdiu n. quis possessor est sui honoris & famæ, inclinandum est in hanc partem, vt re ancipite ad communionem admittatur.

Duo modi criminis notorij.

Notorium non est quod per testes probari possit.

Atqui prudenter animaduertendum est quod non dicitur crimen notorium, eò quod probari per testes valeat: illud enim est nondum manifestum, sed manifestabile. Quare infamia non est sufficiens causa ad abigendum hominem à sacris, vt eodem cap. Tua nos. expressè cauetur. Infamia enim & indicia ius duntaxat faciunt, vt per viam inquisitionis ad causæ cognitionem procedatur, non autem vt infames ante condemnationem à sacra communione excludantur. Quamdiu ergo aliqua tergiuersatione cælari potest crimen, non dicitur notorium, sed quamdiu homines expositi sunt publicitus ad peccandum, vt meretrices, & qui ex officio habent vsuras exercere, & manifestarij latrones.

Durandi ratio generalis.

Et ratio, quare istis non est ministrandum sacrosanctum corpus secundum Durandum dist. 9. q. 5. est quod dum quis iure potest id negare alicui, quod iniustè petit, si conferat, sponte sua confert, atque adeò particeps fit illius criminis. Vt si quis à me petat gladium, quo sese vel alium perimere parat. At verò quamuis hæc ratio generalis sit, peculiaris tamen in præsentiarum non est solum, quia minister consentit alteri vt peccet, cuius scelus cauere tenetur, verum quia est rei sacræ non dominus, sed dispensator, qui debet sacramẽtum dignè tractare, & tanquam minister irrogat ipsi sacramento iniuriam indignè ipsum tractando, contra Domini prohibitionem: Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas ante porcos proijcere.

Matth. 7.

Dubium.

Ambigere autem hic quis posset, vtrùm ei, qui in vno loco publicitus est peccator petenti sacramentũ in alio, vbi eius crimen non est publicum, teneatur sacerdos, illud sciens, sacramẽtum administrare. Hæc autem dubitatio ex altera pendet, quam nos lib. 5. de Iustit. & iur. q. 10. artic. 2. pro captu nostro tractauimus: vtrùm scilicet infamatum in vno loco liceat in alio prodere. Caiet. namque in opusculo sedecim resp. resp. 9. Et 22. q. 73. ait licere. Adria. verò quodlib. 11. q. 1. negat. Nos autem rem sic conciliamus, quòd si est infamatus iudicio publico, quia tunc per sententiam priuatus est sua fama, non faceret contra iustitiam qui eum alibi publicaret: quare nec teneretur ad restitutionem: peccaret tamen contra charitatem, maximè si esset tunc emendatus. Si verò esset infamatus facto ipso sine iudicio, licèt esset publicus peccator, iniustitia esset illum alibi infamare, quandoquidem non est per publicum iudicium sua fama nudatus. Ad propositum ergo descendendo, regula primùm statuenda est. Præsumendum est illum esse emendatum, & ideo in loco, vbi habet bonum nomen, conferendum est illi sacramentum, quamuis alibi fuerit iudicio publico condemnatus, quia hic non est manifestus peccator. Et à fortiori si alibi non fuerit condemnatus. Si verò sacerdoti constaret hoc loco non esse emendatum, maximè si est peccatum contagiosum, fortè potest atque adeo debet denegare: quia non potest nisi in casu quo debet. Nam licèt infamatum alibi, non sit bonum hic infamare, hoc intelligitur, quando ipse non se negotijs ingerit, in quibus expediat illum prodere. Dixerim fortè, quia est mihi probabile, sed tamen non sum omnino certus. Quicunque enim timere debet cuiusquam famam lædere.

Regula autem.

2. concl. confirm.

Secundam quoque conclusionem ratio S. Th. satis probat. Et confirmatur exemplo Christi, qui misero Iudæ dum nefandam proditionem in pectore decoquebat, buccellam inter reliquos porrexit.

Sed tamen communiter plerique doctorum nonnullis distinctionibus eandem conclusionem elucidant & moderantur. Et primum omnium certa res est, quòd si non petat, nullatenus est occultus peccator inuitandus, vt petat, neque tradendum ei est vltro sacramentum, etiam si occurrat præceptum suscipiendi, vt in paschate, imò neque in articulo mortis: tum quia illi grauius peccatum est indignè sumere, quàm præcepti Ecclesiastici transgressio, tum maximè quia, vt suprà dictum est, præcipua est habenda ratio, ne fiat iniuria sacramento, quæ quidem fieret, si vltrò offerretur existenti in peccato. Quòd si exemplum Christi obijcias, qui vltrò obtulit Iudæ, respondetur, quòd si occultus peccator est inter communicantes, in virtute petit, eo quod si ei tũc nõ traderetur quod traditur alijs, excludi censeretur, atque adeò vt indignus denuntiari. Et ideo quia Christus non potuit sine scandalo eum præterire, sacramentum contulit.

Occultus ad petendũ non est instandus.

Obiectioni occurritur.

Si autem ille occultus peccator petat, tunc aut petit in publico, aut in secreto. Si in occulto, citra controuersiam doctores aiunt, quòd debet ei sacramentum denegari, siue sacerdos illud nouerit per confessionem sacramentalem, siue per alium modum secretum. Ita tenet Alexand. 4. part. q. 49. membr. 1. & Bonauentura dist. 9. art. 2. q. 4. & Ricard. ead. d. art. 3. q. 1. & Duran. q. 5. qui ait in hoc omnes concordare: scilicet, quòd sine exceptione occulto peccatori occultè petenti nunquam est dandum sacramentum. Eandemque prorsus opinionem tenuit S. Thom. in 4. vbi doctorum vulgus crebro sequebatur, ead. dist. artic. 5. quæstiun. 1. siue sacerdos iciat per confessionem, siue extra confessionem. Et in confirmationem adferunt ca. Ad aures. de tempo. ordinand. vbi papa subdit, quòd dum religiosus vult ordines ab episcopo suscipere refragante suo præposito, non ordinetur, quia forsan præpositus in secreto scit causam cur non debeat ordinari. Vnus autem Paludanus ead. dist. q. 4. concl. 3. vnicam facit exceptionem: scilicet, si sacerdos est curatus petentis, & scit crimen tantummodo in confessione, tunc n. inquit, debet dare occultè petenti perinde ac si nihil nosset, dummodò petat tempore paschatis, aut articuli mortis, quando aliàs teneretur dare: quia non scit vt homo, sed vt Deus. Quare per hoc quod nouit in confessione, nullum acquisiuit ius negandi. Si autem non est curatus, qui non tenetur dare, potest se excusare, etiam si in confessione sciuerit, eo quod nullam habet obligationem. Si verò petat in manifesto, tunc ait ibidem Durandus, licèt absolutè quidam respondeant, quòd est ei tradendum, nihilominus distinctione opus est. Quia aut sacerdos ille est curatus, cui ex officio incumbit sacramentum ministrare, aut alius voluntarius, qui non tenetur. Si non sit ordinarius, ait, quod siue sciat per confessionem, siue alia via, potest denegare sacramentum, etiam si petat in paschate cum alijs: quia potest sibi illic in publico causam prætexere, quod non tenetur, neque illa est functio sua: quia illo modo non reuelat confessionem. Si autem sit curatus, alter verò non petit quando tenetur suscipere, s. in festo paschatis, aut in articulo mortis, potest, inquit, ei denegare, si tamen sine scandalo id fieri potest, nempe persuadendo illi vt non recipiat postquam non est necesse: secùs, si non possit absque scandalo. Si verò ille publicitus petat tempore, quo aliàs tenetur suscipere, tunc prælatus tenetur ei dare. Et quidem Palud. hac etiam distinctione vtitur de curato & non curato. Et pariter Adria. quodlib. 3. q. 3. At verò S. Tho. de illa distinctione nusquam meminit. Vnde Thomistæ ad literam sequuntur opinionem communem qualiter eam D. Thom. in 4. declarat: videlicet, quòd peccatori occulto occultè petenti nunquam sit dandum. Quos quidem ego olim sequebar. At verò nunc tem consideratiùs speculatus video Sanctum Tho. in præsentiarum, vbi res oculatiùs scrutabatur, nil de occultis peccatoribus distinxisse, vtrùm in occulto petant, an in publico, sed simpliciter asseruisse quòd non potest eis petentibus sacra communio denegari: & profectò ita censeo, licèt in occulto petant, si modo bonis verbis & citra vllam notam persuaderi illis nequeat, vt à sacramento abstineant: dum tamen ille à quo petunt sit parochus, cui ex officio incumbit sacramentum ministrare. Enimuerò causa cur occulto peccatori nõ est denegandũ sacramentum, non est illa,

Opin. Alexandri. Durand. Richar. &c.

Confirm.

Opinio Paludani.

Durandi additio.

S. Thom. opinio.

Sententia autoris.

Digitized by Google

in qua isti authores fundantur: scilicet, ne reueletur confessio, aut prodatur crimen, & reus infamia aspergatur. Hæc enim dum occultissima esset petitio, vt ipsi aiunt, caueri possent. Sed causa est, quam S. Tho. hic affert: scilicet, quod cùm ille habeat ius petendi, iniuria illi fit sine manifesta causa non ei idem concedere ius, dum per occultam persuasionem, vt ait tertia conclusio, non potest à proposito dimoueri. Nemo enim extra ordinem iudicialem debet suo iure spoliari: spoliaretur verò ille occultè petens si non administraretur ei sacramentum. Quare profectò, saltem si petat tempore paschatis, aut articuli mortis a suo prælato, quando aliàs teneretur ei dare, non dubito quin etiam si occultissimè petat, teneatur, potissimum, vt ait Palud. si sacerdos non aliter quam per confessionem scit crimen: nam vix posset denegatio fieri, quin esset quædam obiectio & exprobratio confessi criminis. Quod quidem odiosissimam faceret confessionem. Neque verò ca. supra citatum, Ad aures. huic sententiæ refragatur: quoniam cum religiosus sine licentia prælati ius non habeat ordines suscipiendi, potest prælatus ob secretam causam illum prohibere. Ad sacramentum autem Eucharistiæ omnis Christianus per se ius habet.

An petens in occulto extra tempus comm. sit neganda.

Veruntamen si peteret in occulto alijs temporibus non necessarijs, fortior esset ratio dubitandi. A parte n. affirmatiua est argumentum, Quòd prælatus non solùm tempore, quo subditus obligatur communicare, tenetur ei administrare sacramentum, verum etiam quando ex sua deuotione veller illud suscipere: cum ergo ille iuridicè non sit suo iure priuatus, debet ei dare, præsertim cum conclusio S. Thom. sit generalis, quod non potest occultis peccatoribus denegari. Sed ex altera parte apparet impudens abusus, quod si prælatus scit subditum semper in peccato communicare, annuat quotiescunque ei libuerit. Res est moralis, & ideo non debet cum tanto rigore tractari. Quapropter si in subditis tanta sit impudentia, vt frequentare sacramentum vilipendium iam & blasphemia videatur, excusare se prælatus posset & deberet. Si verò ille à quo sacramentum petitur non esset curatus, qui dare tenetur non est dubium quin occultè requisitus posset suum negare ministerium, etiam si tempore ille peteret, quo tenetur recipere.

Notanda.

Refutatur Durandi opin.

At verò si peteret in publico, accedendo, s. inter alios communicantes, approbare non possum distinctionem Durandi: imò quamuis non esset curatus, vt bene ait hic Caiet. si esset in altari publicè expositus ad ministrandum sacramẽtum, tenetur illi dare postquàm ius ille habet petendi, & publicè inter alios accedit, eo vel maximè quod vix posset illum absque scandalo & proditione criminis excludere. Et est in promptu exemplum Christi, qui cum non teneretur dare Iudæ, nihilominus quia inter alios sedebat, ne illum pudefaceret, ad cauendum scandalum dedit.

Contra primam conclusionem. 1.

Contra primam autem conclusionem S. Thom. de manifestis peccatoribus arguitur. In concilio Constantiensi facta est facultas Christi fidelibus communicandi cum excommunicatis, qui non sunt nominati, vel propter notoriam clerici percussionem excommunicati: ergo aliter excommunicatis, quamuis sint notorij, licet Eucharistiam ministrare.

2.

Secundo. Mulierculæ ad merendum prostitutæ sunt publicæ peccatrices, & tamen in aliquibus nationibus, vt in Gallia, coguntur in hebdomada sancta per excõmunicationis censuram confiteri & communicare.

Ad 1.

Ad primum respondetur, quod Constantiensis synodus per illam concessionem noluit in aliquo ipsis excommunicatis suffragari, aut illos releuare. Quapropter quacunque via, etiam præter duas illas, sint notorij excommunicati, cẽsentur subinde manifesti peccatores, atque adeo à communione sunt cohibendi. Imo vero quamuis constaret in foro conscientiæ esse in gratia, quia non sunt soluẽdo, vel alia via, quousq; per Ecclesiam ab excõmunicatione absoluantur, non sunt ad communionem admittendi.

Occultis excommunicatis negari non potest si publice petant.

Si autem sint occulti excommunicati, vt occulti clericorum percussores, argumentum est, quod non sit illis porrigenda Eucharistia etiam si in publico petant, quandoquidem per Ecclesiasticam censuram iam sunt priuati iure petendi. Nihilominus respondetur, censendos esse sicuti cæteros occultos peccatores, & ideo ne infamentur, vt Christus tradidit Iudæ, tradenda est eis sacra buccella.

Ad 2.

Ad secundum vero respondetur, in multis regionibus, vt apud nos, vigere illum morem propter euidentissimum periculum ne mulieres illæ vi potius quàm sponte accedentes ad sacramenta, neque legitimo emendationis proposito confiteantur, neque subinde dignè ad Eucharistiam accedant. Tametsi forsan alibi vbi melior de illis spes concipitur, mos ille sit tolerandus. Quamuis satis esset ad confessionem compellere, nam ad Eucharistiam tutum non est.

Contra secundam. 1. Argu.

Deinde contra secundam conclusionem de occulto peccatore arguitur. Aut ministrandum ei est sacramentum, ne iniuria afficiatur, aut propter scandalum si publicè petat, ne eius peccatum propaletur, non propter primum: quia cum ille peccet petendo, non videtur habere ius petendi, atque adeò neque iniuria lædi, quia non petit quod suum est: neque verò ad euitandum scandalum infamiæ: quia nullus propter id quod ex culpa sua euenit, censetur ab alio infamari, sed à seipso: ille autem ex culpa petit, ergo sacerdos propriè non eum infamat: veluti si quis coram alijs a me peteret vestem meam, quam affirmat esse suam, ego non eum infamo negando. Respondetur, quod propter vtramq; causam non licet ei negare: secunda namque sequitur ex prima. Duplex enim distingui potest ius petendi. Vnum scilicet in foro conscientiæ apud Deum, quod est ius citra peccatum petendi. Atque alterum in foro exteriori apud homines. Occultus ergo peccator etsi non habeat primum ius petendi, habet tamen secundum, quia sacramenti vsus iure baptismi est suus, & non est causa manifesta quare priuetur: sicuti si prodigus à debitore suo suas exigat pecunias, vt turpiter eas dilapidet, malè quidem petit, sed tamen iure suo. Atque inde sequitur, quòd sacerdos non dando sacramentum, dat scandalum & petentem infamat: quia nouit quod suum est in foro exteriori.

Responsio.

Duplex ius petendi sac.

Occultus peccator non habet ius petendi in foro conscientiæ, habet in exteriori.

2. Argum.

Secundò arguitur. Grauius est nocumentum spiritualis mortis quam corporalis: si quis autem habeat gladium alienum, quem Dominus postulet vt sese vel alium interficiat, tenetur tunc creditor negare: ergo à fortiori dum quis indignè flagitat sacramentum, licèt petat quod suum est, negandum est illi. Ad hoc pleriq; respondent disparem esse rationem, quoniam furiosus manifestè conuinci potest in suum malum exigere gladium, non autem occultus peccator petens sacramentum. Sed tamen responsio hæc debilis est. Quoniam etsi ego solus scirem, eum qui gladium suum exigit, in suam perniciem exigere, quamuis non possim eum de crimine conuincere, tenear retinere, & tamen Eucharistiam dare debeo. Et ideo aliud est discrimen, idque maximè adnotandum, quòd licèt spiritualia bona sint temporalibus præstantiora, maior tamen nobis incumbit cura succurrendi proximis in temporalibus quàm in spiritualibus, præsertim dum spiritualia peccata peccatori nota sunt. Et ratio est, quia in spiritualibus, vt se homo liberet à peccato, solius Dei auxilio indiget: in temporalibus verò sæpissimè necessaria sunt humana præsidia, vt in fame, & in alijs afflictionibus. Quando verò quis ob ignorantiam peccaret, quàm ego solus possum tollere, vrgentior mihi penderet obligatio illi damno succurrendi, quàm temporali. Ex ijs sequitur aliud discrimen, quòd ad cauendum incommoda & damna temporalia possumus violento medio vti, vtpote cohibendo hominem, ne in se vel in alium noxias manus inijciat: ad cauendum autem alijs mala spiritualia non possumus nisi precationibus & monitis vti, vt alter liberè abstineat.

Notanda responsio.

3. Argu.

Et pariter soluitur argumentum aliud, quod sic fieri solet. Ius naturale est, ne id faciamus alijs, quod nobis fieri nolumus: si autem sacerdos indignè petit, deberet nolle sibi concedi: ergo nec debet id dare alij petenti. Respondetur enim ad minorem, quòd cùm sacerdos indignè petit sacramentum, licèt non deberet velle in foro Dei, vt sibi concederetur, vult tamen secundùm ius in foro exteriori, & ideo debet dare similiter petenti.

Contra 4.

Contra quartam demum conclusionem arguitur. Si ei, qui fuerat manifestus peccator, postquam emendatus est liceret sacramentum ministrare sequeretur satis esse, vt prælatus per confessionem eius resipiscentiam nosset, quoniam nullum aliud iam restat impedimentum. Respondetur, quod vt publico peccatori Eucharistia in publico dispensetur, non satis est clam esse emendatum, sed publica satisfactione opus

est,

Digitized by Google

est, vt tollatur scandalum : nam vt extra de pœnit. & remiss. ait Alex. manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. Et idem habetur ex verbis Aug. cano. Si peccauerit. 2. quæst. 1. clanculum tamen, vbi nulli offerretur scandali periculum, posset fortè sacerdos illi emendato, si excommunicatus non esset, sacram hostiam impertiri.

1. Argum. S. Thomæ. Primum argumentum S. Thomæ est contra secundam conclusionem. Propter vitandum scandalum aut infamiam non est Christi mandatis contraueniendum: ipse Matth. 7. iussit dicens: Nolite dare sanctum canibus, quod maximè tunc fit, dum eius corpus iniquis exhibetur: ergo hoc nequaquam licet. Et Matt. 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus : hic autem est panis non solùm hominum, sed Angelorum. Respondetur, præceptum diuinum intelligi quando via iuridica impleri potest, vt si peccatores sint manifesti : nam occulta iudicio Dei præseruantur.

2. Argum. Secundò arguitur. Ex duobus malis minus est eligendum : minus autem malum esse videtur si peccator facturam faceret famæ, aut si ad tegendum eius honorem ei hostia non consecrata publicè porrigeretur, quàm si admitteretur indignè consecratam accipere: ergo alterum illorum est præeligendum. Respondetur ad primum membrum, quòd etsi peccatori minus esset malum infamari, quàm indignè sumere, sacerdoti tamen pejus est peccare mortaliter infamando peccatorem occultum, quàm quod ille peccet : nemini enim delinquere licet, vt alium à delicto liberet. Vnde Aug. in lib. quæst. super Genesim, † periculosissimè, inquit, admittitur hæc compensatio, vt nos faciamus aliquid malì, ne alius grauius malum faciat. Remedium autem illud hostiæ non consecratæ Altisiodorensis non repudiat, imò ait salubre esse ægroto volenti in peccato communicare, eam porrigere. Et Bonauentura ait illud tunc fatem licere si peccator ipse consenserit, vt suo consulat honori. Quæ quidem opinio Adriani loco citato quodlib. 3. non displicet. At verò hic S. Thom. eam omnino refellit dicens, nefas esse: quoniam tunc sacerdos quantum in se est, faceret alios idololatrare, qui hostiam adorarent. Admonet enim Augustinus, † vt nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret. Et extrade celebra. missa. capit. De homine. ait Innoc. quod cum falsa sint abijcienda remedia, quæ veris sunt periculis grauiora, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum peccet grauiter si se ingerat irreuerenter ad sacramentum, grauius tamen videtur offendere qui illud fraudulenter sic præsumpserit simulare. Idem locis citatis aiunt Ricardus & Paludanus. Adrianus verò ait primam rationem Sanct. Thom. non concludere : quoniam adorantes semper intelligunt conditionem, si ille est corpus. Falsum tamen hoc est. Imò credentes credulitate humana hostiam esse consecratam, absolutè adorant. Et qui conditionem apponeret, contra Ecclesiæ morem faceret : nam licèt non esset consecrata, per solam ignorantiam inuincibilem excusarentur ab idololatria: non autem si ignorantia esset vincibilis. Et ideo sacerdos, quantum est de se, illos falleret. Et similis damnatur fallacia in dicto capit. De homine. si sacerdos simulans se celebrare non celebraret. Quare grauius peccatum est per simulationem celebrare, aut hostiam non consecratam porrigere, quàm indignè Eucharistiam sumere : nam per hoc soli Deo fit irreuerentia, per illud autem & Deus blasphematur, & populus seducitur. Sicut si hæreticus fingeret se celebrare, vt populum deciperet.

† in quæst. 42. tom. 4.

Opin. Altiss. & Bonau.

Sentent. S. Tho.

In Psal. 98. circa med. tom. 8.

Adrianus.

Non adorãda hostia sub conditione, si consecrata.

3. Argum. Tertiò arguitur. Corpus Christi interdum datur suspectis de crimine ad eius manifestationem : legitur enim cano. Sæpe. 2. q. 4. Sæpe contingit, vt in monasterijs monachorum furta perpetrentur, idcirco statuimus, vt quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, missa ab abbate celebretur, qua expleta, omnes communicent in hæc verba. Corpus Christi sit tibi hodie ad probationem. Et cano. Si episcopo subiungitur. Si episcopo vel presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum, pro singulis missa celebrari debet, & communicari, & de singulis imputatis innocentem se ostendere. Respondet S. Thomas decreta illa (quæ erant cuiusdam Guarmacensis concilij prouincialis) meritò esse abrogata. Ait enim Stephanus Papa quintus can. Consuluisti. ead. causa, & q. Forti candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorquere à quolibet, sacri canones non concedunt. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, commissa sunt regimini nostro iudicare, occulta verò & abscondita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum. Et idem cauetur extra de purgatio. can. cap. Extuarum, & de purgatio. vulgari capit. vlt. Vbi habetur, quod huiusmodi purgatio est tentatio Dei, atque adeò fine peccato fieri non potest. Et grauius, inquit D. Th. videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret, vel inquireret iudicium mortis. Vnde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine ad eius examinationem. Cauendus est ergo iste nefandus abusus. Contingit enim sæpe illis, qui zelotypia vxoris exuruntur, vt cogant vxores, vt sacramentum sumentes, illic suam innocentiam demonstrent. Et nonnunquam iudices ad extorquendum à mulierculis an matrimonium contraxerint, eodem vtantur remedio, quod est nefandissimum. Imò neque debent consulere, vt confiteantur sacramentaliter, vt postea ex earum consensu confessarij dicant veritatem. Offerũtur enim eis manifesta pericula mentiendi in confessione. De quo in materia confessionis latius d. 27.

Abusus necsarij.

Respõsio mouẽda.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm nocturna pollutio aliquem impedat à sumptione huius sacramenti.

POst peccati impedimentum sequitur aliud, quod potest esse & potest non esse peccatum, vt nocturna pollutio. De qua ergo quæritur, vtrùm sit sumptionis impedimentum. Et suppositis nonnullis distinctionib. D. Thom. respondet tribus conclusionibus. Etenim circa pollutionem nocturnam duo sunt consideranda: vnum, quod de necessitate impedit, atque alterum, quod non impedit nisi ex quadam congruentia. Siquidem ex necessitate non impedit nisi solùm peccatum mortale. At quæuis pollutio in somnis per se non sit peccatum, quia pro illo temporis articulo non est libera, tamen ratione causæ in vigilia præcedentis quandoque culpam habet annexam, & nonnunquam mortalem. Quapropter causa eius consideranda est, quæ triplicis generis esse potest. Nam vel est extrinseca, eademque spiritualis, quæ prouenit ex dæmonum illusione. Ij enim per phantasmatum commotionem possunt turpe aliquid in somnis sensui communi repræsentare, vnde interdum pollutio subsequitur. Aut potest esse intrinseca, & hæc vel spiritualis, nempe ex præcedentib. cogitationib. vel corporalis seu ex superfluitate, aut debilitate naturæ, seu ex redundantia cibi & potus. Atque harum trium quælibet esse potest, aut prorsus sine labe peccati, aut certè cum peccato, eodemque vel veniali, vel mortali.

Causa pollutionis triplex, 1. Extrinseca.

2. intrinseca spiritualis.

3. intrinf. corpor.

Est ergo prima concl. bimembris. Quando pollutio vel immunis fuit à culpa, venialem tantum habuit annexam, non impedit de necessitate sacramenti sumptionem, ita vt sumens reus fiat corporis & sanguinis Domini. Si verò illa causa fuit peccatum mortale, tunc nocturna pollutio impedit de necessitate. Probatur discurrendo per singulas causas. Illusio quippe dæmonum nonnunquam accidit ex præcedenti negligentia præparationis ad deuotionem & orationem, quæ potest esse vel venialis, vel mortalis. Quod quidem verbum maximè notandum est: nam licet ei qui nunquàm illas dæmonum illusiones sensit, non imputetur ad culpam, quòd non se aduersus illas communiat; tamen qui illis diuexari assolet, tenetur se precationib. atque alijs remedijs aduersus illas coarmare, & nonnunquam corpus macerare. Quare tanta potest ingruere necessitas, tantaque esse negligentia, vt sit lethale crimen. Cuius vtique regula certa constitui non potest, sed est vir prudens consulendus. Quandoque verò huiusmodi illusiones ex nequitia dæmonum procedunt conantium iustum à sumptione sacramenti cohibere. Vnde in Collationibus patrum legitur, quòd cum quidam festis diebus in quibus erat communicandum, dormiens pollueretur, seniores comperientes illum nullam dare causam, decreuerunt ne ob id à sacra communione abstineret: & tunc dæmones cum viderent technas suas esse deprehensas, cessarunt. Similiter & lasciuæ cogitationes quandoque possunt omnino carere culpa, vt dum quis lectionis aut disputationis

1. Concl. bimembris.

Aliquando ex nequitia dæmonum.

Digitized by Google

causa, aut ad audiendas confessiones stringitur de talibus cogitare. Et tales cogitationes, si non adsit concupiscentia & delectatio, non censentur immundæ, sed honestæ: & tamen ex illis nonnunquam subsequitur nocturna pollutio propter phantasiæ apprehensionem, vt 12. super Genesim ad literam ait Aug.† Quandoque verò eiusmodi cogitationes ex concupiscentia oriuntur, & delectationem gignunt. Et tunc si adsit consensus vel in opere, vel in tali cogitatione, erit peccatum mortale. Sin minus, erit veniale. Intellige nisi homo sentiat periculum, & minimè eas reprimat: tunc enim est delectatio morosa, vt 1. 2. q. 74. art. 6 & 8. docet S. Thom. Pari modo & corporalis causa effusionis seminis esse potest sine peccato, vel ex infirmitate naturæ vel ex eius superfluitate: quare sicut sanguis, ita & semen solet in vigilia effluere, & nonnunquam absque alio obscœno motu aut delectatione. Quandoque verò provenit ex culpa sicut cogitatio, nempe ex nimia repletione cibi & potus, quæ potest esse vel mortalis, vel venialis. Quamuis frequentiùs mortale non nascatur nisi ex cogitationibus quæ facilè consensum pariunt. Vnde Gregorius scribens Augustino Anglorum Episcopo epist. vlt. can. 11. in registro lib. 12. quæ refertur d. 6. can. Testamentum. Et 33. q. 4. can. Vir cum propria. ait cessandum esse à communione quando ex turpibus cogitationibus provenit, non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit.

†lib 12. c. 15 tom. 3.

2. Concl.

Secunda conclus. Nocturna pollutio ex quadam congruentia sumptionem impedit, idque propter duo: scilicet, propter corporalem fœditatem, quæ semper accidit, cum qua propter reuerentiam sacramenti non decet ad altare accedere, quare & volentes postea sacrum tangere, manus lauant. Vnde Leuit. 15. Vir de quo egreditur semen coitus, immundus erit vsque ad vesperam. Nisi forsan si talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut lepra vel fluxus sanguinis, vel id genus alia: huiusmodi enim morbi non debent hominem à sacra communione repellere. Secundò impedit propter euagationem mentis, quæ nocturnam pollutionem subsequitur, præcipuè dum ex turpi cogitatione processit.

3. Concl.

Tertia conclusio. Impedimentum hoc ex congruitate postponi debet propter aliquam necessitatem, vt Gregor. in eadem epistola autor est. Videlicet dum vel festus dies id exigit, vel ministerium: quando scilicet sacerdos in sua parœcia celebrare debet.

Argum.

Primùm omnium contra secundum membrum primæ conclusionis extat argumentum. Nocturna pollutio nunquam est peccatum: ergo nunquam est propter culpam impediens. Patet antecedens: quia in somno non est libera, & vt ait August. 1. de libero arbitrio, vbi non est libertas, nullum est peccatum. Paludanus distinct. 9. q. 3. cui Maioris adstipulatur, negant nocturnam pollutionem, quantumuis sit effectus peccati mortalis, esse vllo modo peccatum, propter hanc rationem. Neque sine apparentia. Arguitur enim in fauorem eorum. Si esset peccatum, maximè quia sequeretur ex causa quæ esset peccatum: hoc autem non sufficit, quoniam emissio seminis est opus potentiæ vegetatiuæ; alia verò opera eiusdem potentiæ, vt nutritio & augmentatio licèt procedant quandoque ex culpa, nunquam tamen censentur peccata. Neque partus mulieris adulteræ, neque verò conceptus, sed solus concubitus est peccatum. Atque hanc opinionem videtur hic S. Thom. docere dicens, nocturnam pollutionem per se non esse peccatum, sed habere quandoque illud annexum ratione causæ. Idemque expressiùs affirmat in 4. dist. 9. art. 4. quæstiunc. 1. dicens pollutionem in somno non esse peccatum: quia illic nullum est rationis iudicium, sed est signum peccati.

Confirmatur exemplis.

Prior propositio. Probatur 1.

At quamuis nonnullis appareat de nomine disputatio, duabus tamen propositionibus respondetur. Prior. Pollutio in somnis procedens ex causa libera, quæ fuit peccatum, est peccatum. Probatur primò. Actus exterior est peccatum, licet non sit liber propter libertatem, quæ est in interiori, ex quo procedit: ergo pari modo pollutio, quæ procedit ex peccato libero. Fateor tamen argumentum non tantum libertatis demonstrare in pollutione in somno, quanta est in actu exteriori vigilantis: quia in hoc etiam dum fit adest libertas internæ voluntatis opus imperantis, in pollutione verò non manet nisi in virtute. Quare neque est tam formalis libertas, quàm in percussione cùm quis sagittam emittit, quæ longè post iactum hominem figit, quoniam in iactu ipso exteriori fuit formaliter libertas. Sed tamen quod virtus libertatis semper maneat in pollutione illa, arguitur secundò. Si quis pollutionem consultò procuraret post horam in vigilia subsecuturam, illa esset peccatum, licèt iam actus libertatis cessasset, ergo eadem ratione illa quæ fit in somnis, dum fuit in vigilia procurata. Tertiò arguitur. Nonnunquam ipsum dormire est peccatum, potest enim prælatus vel rex in bello præcipere, vt tali hora nemo dormiat: ergo & pollutio in somnis, quæ in vigilia habuit causam, esse potest delictum. Potissimum quando fuit ex proposito procurata. Nam nisi pollutio mala esset, nunquam eius procuratio esset peccatum. Quartò Aristoteles 5. Ethico. cap. 5. ait, quòd ebrios leges duplici pœna puniunt: vbi & insinuat actus ebriorum esse peccata. Id verò non est propter libertatem, quæ tunc adest, sed propter præteritam: ergo dormientis pollutio pari ratione censeri potest peccatum. Postremo denique. Nisi aliquam haberet culpam, nunquam sancti iudicarent illam esse impedimentum sumendæ Eucharistiæ, sed solam causam ex qua procedit: cùm ergo eandem ipsam pollutionem afferant esse impedimentum, subinde insinuant esse peccatum.

Qualis libertas sit in pollutione noct.

2.

3.

4.

5.

Posterior propositio.

Posterior propositio. Non est peccatum per culpam & maculam distinctam ab ea quæ est in causa, neque habet nouam rationem demeriti, quam vocant imputabilitatem, sed solùm materialites distinguitur à sua causa. Itaque est vnica ratio peccati emanans à causa ad effectum, sicut in actibus ebriorum. Imo sicut in actu interiori, & exteriori: nisi quod dum actus exterior fit, semper intenditur actus interior, quod non fit in pollutione, aut in ebrietate. Et hæc est doctrina hic D. Thom. dicentis quod pollutio per se non est peccatum, id est, nouo gradu culpæ præter eam quæ est in sua causa. Sed tamen cùm ait habere peccatum annexum, intelligit denominari peccatum à macula, quæ est in causa.

Pollutio nō habet nouā culpam à sua causa.

Vnde ad argumentum in contrarium factum respondetur, pollutionem esse peccatum non propter libertatem, quæ tunc est formaliter, sed propter præcedentem, quæ manet in virtute. Neque vero æquā ratio est de alijs actionibus potentiæ vegetatiuæ: nam nutritio & augmentatio, & partus, &c. non sunt in nostra potestate immediatè, sed mediatè, & antecedenter per applicationem agentium naturalium: sed tamen pollutio est immediatè in hominis potestate, quæ ideo potest per liberos actus procurari. Ea verò quæ naturaliter fit, omni, vt suprà dictum est, caret culpa. Quocirca si postquam è lumbis decisa est, vbi actio libera finitur, estque in motu naturali, dormiens expergefieret, licèt illa propter morbi periculum retinere non posset, non censeretur peccasse tanquam in vigilia pollutus. Quod ad sedandum pusillorum scrupulos adiectum sit.

Corollarium.

Hinc fit, quod si quis in vigilia causam daret pollutioni futuræ in somno, sed tamen antequam dormiret, cum legitimè facti pœniteret, pollutio in somno subsequens non esset peccatum, eo quod causa fuerit intercisa. Quæris autem obiter, vtrum si tunc etiam confiteretur, post subsecutam pollutionem teneretur iterum confiteri. Respondetur, quod si confessus est eam ex proposito procurasse, forsitan non esset opus confessione alia. Sed tamen tutiùs est aliam adhibere ad expressiorem explicationem culpæ: quando per facti contingentiam apertiùs constat, quanta fuerit culpa præcedens. Vt licèt quis lethaliter hominem percusserit, protinus idemque confiteatur, si tamen postea percussi mors subsequatur, necesse est tunc confiteri homicidium, quod ante non constitit fuisse homicidium. Tametsi fatear non esse omnino æqualem rationem: quia pollutio non est tam enormis.

Dubium.

Notandū.

Ex his autem colligito, vt pollutio sit peccatum, non satis esse fuisse præuisam, sed requiritur fuisse libidinis causa procuratam, vel formaliter, vel per applicationem vitiosæ causæ, vt est cogitatio, vel crapulæ ingluuies. Nam licèt quis videat inde, quod resupinus dormit, aut inde quod iustam refectionem sumit, pollutionis sibi periculum imminere, non tenetur propterea à cœna abstinere, aut aliter iacens dormire, si non ita commodè potest.

Huic autem doctrinæ annexum est perscrutari, vtrùm licitum sit fluxum seminis sic solo animo desiderare, vt naturaliter & citra culpam accidat, aut post-

quam

Digitized by Google

quam absque culpa contigit, liceat in illa præterita pollutione complacere. Apparet enim licitum esse: quoniam nisi obiectum voluntatis sit malum, neque ipsa voluntas est mala, nam ex obiecto actus sortitur speciem: cum ergo pollutio in somnis non sit peccatum, desiderare illam non procurando, non erit peccatum, atque adeo nec complacere in illa postquam præcessit. Et confirmatur: quia potest desiderium illud bonam habere causam, nempe sanitatem, quæ ex illa superfluitatis egestione superueniret.

Licere probatur.

Secundò arguitur, quia postquam complexus Iacob cum Lia inculpatus fuit, nihil vetabat quominus postmodum posset ei complacere. Tertiò. Nullum apparet absurdum si quis desideret aliquam in vxorem ducere delectationis causa, quæ tunc erit licita.

Responsio neg.

Non desunt qui affirmatiuam opinionem probabilem arbitrentur. Hoc autem loco non vacat ad vnguem rem examinare. Nihilominus crediderim cum Paludano in 4. d. 8. q. 3. cui Adrianus q. 4. de Eucharistia adstipulatur, eiusmodi complacentiam & desiderium non licere. Est enim docta & cordata regula, quòd quando actio ob ignorantiam vel aliam quamuis causam à culpa excusatur, consensus in actionem illam non est licitus, nisi simul cum consensu eadem excusans causa concurrat. Licuit enim Iacob quamdiu per ignorantiam putabat Liam esse suam, in delectationem illam, & opus consentire, sed sublata ignorantia consensus non excusaretur: quia liber & ex proposito iam ferretur in rem genere suo illicitam. Quare ignorantia, quæ excusabat actum, iam non excusat consensum. Licuit quidem ei delectari in hoc quòd non peccauerit, sed non in actu. Et pariter post pollutionem nocturnam, quamuis Adrianus illic non neget licitum esse complacere in illa propter sanitatem, quæ subsecuta est: profectò doctius dicitur, quòd etsi placere liceat de sanitate, non tamen de delectatione aut pollutione: quia quod de se malum est, ob nullam causam placere debet, aut concupisci. Periculosius tamen est desiderium præcedens pollutionem quàm subsequens: quia præcedens potest esse causa operis, non tamen subsequens.

Probatur.

Quid censendum de Iacob cum Lia.

1. Argum. S. Tho. † cap. 15. tom. 3.

Primum argumentum S. Thomæ iam solutum est, procedit namque ex autoritate August. 12. super Genesim ad literam. † Vbi de somniantibus loquens ait, quòd ex phantasia, quæ fit in cogitatione somniantis, cum expressa fuerit in visione somniantis, vt inter illam & veram coniunctionem corporum non discernatur, continuò mouetur caro, & sequitur id quod eum motum sequi solet (id est pollutio) cum hoc tam sine peccato fiat, quàm sine peccato à vigilantibus dicitur, quòd vt diceretur procul dubio cogitatum est. Colligitur vtrumque ex his verbis, pollutionem, quæ ex peccato non euenit, non esse ex necessitate impedimentum: impedit tamen ex quadam decentia propter fœditatem & diuagationem mentis.

Arguitur hic autem ad maiorem rei expressionem. Si pollutio per se non impedit, sed ratione culpæ, quam ex causa contrahit, quid opus erat peculiarem articulum de eius impedimento facere? iam enim satis dictum erat quòd peccatum mortale impediret, siue sequeretur pollutio, siue non sequeretur. Respondetur, quod cùm pollutio per se etiam secluso peccato sit impedimentum ex congruitate, necesse fuit per se tractari; non potuit tamen bene dilucidari nisi distingueretur quando accidit ex peccato, & quando absque illo. Præsertim quòd pollutio sæpe est indicium præteriti peccati, quòd absque illa non satis erat cognitum.

2. Argu. † in fine 12. lib. registri ad interrog. Aug. cap. 10. sub fin.

Secundum etiam argumentum sumitur ex allegata autoritate Gregorij in Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, † & refertur 33. quæst. 4. can. Vir cum propria. Vbi ait, quòd si quis coniuge non cupidine voluptatis raptus, sed tantùm creandorum liberorum causa vtitur, ille profectò siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo Dominici corporis mysterio suo est iudicio relinquendus, quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Ex quo fit, rem vxoriam, quando omnino fit licitè, causa prolis generandæ, aut reddendi debitum, non impedire de necessitate sacramenti sumptionem. Nihilominus iuxta tenorem secundæ conclusionis additur ex quadam congruentia esse impedimentū. Ait enim super Matth. † Hieronymus, quòd si Achimelech, vt 1. Reg. 21. legitur, noluit Dauidi panes sanctos propositionis concedere, nisi certior factus quòd sui vxores non retigissent, quantò magis panis qui de cælo descendit, non potest ijs, qui paulò antè coniugalibus vacauêre amplexibus, violari atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus, sed quòd eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare carnalibus operibus non debemus. At quoniam impedimentum non est de necessitate, ait Gregorius relinquendum esse eorum iudicio. At verò si in ipsa coniugali opera voluptas dominatur, vt ibidem Hieronymus subdit, tunc prohiberi debent coniuges, ne ad sacramentum accedant. Haud tamen intelligas peccatum esse mortale accedere, si non præcessit mortale in opere, cuius reatus manet.

Hieron. † refertur 33. q. 4. c. Statu.

Tertiò arguitur. Nocturna pollutio solas præ se fert corporis sordes: erant autem in lege veteri plura immunditiarum genera, quæ secundùm legem impedimento erant ne polluti templum ingrederentur, vt menstruum, & partus & sanguinis fluxus, quæ tamen in noua lege non obstant: ergo nec debuit seminis immunditia impedire. Gregorius ibidem in eadem epistola respondet, quòd immunditiæ antiquæ legis erant figuræ sordium animæ, quas in noua lege spiritualiter intelligimus, & ideo tanquam cæremoniæ ingressum sacrorum prohibebant. In nostra verò lege omnia illa cessarunt, maximè si sint perpetuæ. Non enim decet ob morbum perpetuum hominem sacramento salutis orbari: si tamen sint transeuntes, vt nocturna pollutio, ex quadam decentia impediunt illa die, non tamen de necessitate. Vnde & Deuteron. 23. legitur. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priùs quàm à vespera lauetur aqua.

3. Argu.

Alexander Alensis loco citato quæst. 47. de alijs immundirijs corporalibus longos protrahit sermones an impediant. Sed sufficit hic responsio S. Tho. quòd nulla impedit. Ioannes enim Gerson de materia celebrationis, consideratione 7. distinguit dicens vnam esse immunditiam corporalem, quę cóiunctam habet spiritualem, vel secundùm veritatem, vel secundùm apparentiam, qualis est pollutio, & hæc est quæ impedit. Alia verò est, quæ nullam habet imaginem culpæ, sed horroris, & abominationis. Et hæc, inquit, non impedit, sed magis commiserationem mouet, iuxta verbum capituli, Ex parte de clerico ægrotante. vbi habetur, quòd afflicto non est danda afflictio. Neque obstat cap. Tua nos. eod. tit. vbi sacerdos propter lepram administratione Ecclesiæ parochialis amotus est: quia non fuit interdictus ne prorsus consecraret, sed ne populo administraret sacramenta propter horrorem.

Alexand.

Gerson.

Obiectio sol.

Quartò arguitur. Peccatum veniale non impedit hominem à sumptione huius sacramenti, sed neque mortale post pœnitentiam: at dato quòd nocturna pollutio proueniat ex aliquo peccato præcedenti, siue crapulæ, siue turpium cogitationum, plerunque tale peccatum est veniale, & quamuis sit mortale, potest homo illius manè pœnitere, & tunc accedere ad sacramentum: ergo huiusmodi sordes non impediunt. Ad quartam respondet tacitè, quòd si sit veniale, nullum est impedimentum de necessitate: si autem fuerit mortale, tunc licèt per contritionem & confessionem reatus culpa auferatur, relinquitur, tamen corporalis immunditia, & mentis distractio.

4. Argum.

Circa hoc responsum, vt dictorum omnium liquidò veritatem eruamus, quæritur vtrùm pollutio nocturna, quæ vel ex culpa mortali ortum non habuit, vel cuius culpa per contritionem & confessionem deleta est, maneat semper propter fœditatem & distractionem mentis impedimentum de necessitate. Est enim Alexander Alensis, qui 4. par. q. 47. membr. 1. art. 1. videtur sentire, quòd pollutio etiam si non nascatur ex peccato, impediat de necessitate propter inhabilitatem mentis, quæ inde consequitur ad tanta mysteria contemplanda, & propter inordinatam delectationem, quam habet annexam. Et dicens impedire de necessitate, videtur insinuare, quòd accedere cum illa ad sacramentum, sit peccatum. Et Gabriel in can. lectione 10. ait, quod Alexandrum sequitur Albertus, & D. Bonauentura & Petrus à Palude. Ego vero in his autoribus talem opinionem nec subolfacere possum. Nam Bonau. d. 12. q. vlt. & Alber. dist. 9. art. 10. & Palud. q. 3. non docent impedire de necessitate, nisi quando processit ex causa quæ fuit peccatum mortale. Imò neque Alex. ait, nisi quòd illa inhabilitas & irreuerentia

Dubium. Vtrum pollutus ex culpa impediatur de necess. Alexand. opinio.

Gabriel.

Digitized by Google

sunt, quasi causa necessitatis quare non est accedendum. Verum est tamen eum in solutione 1. dicere, quòd licet pollutio non fuerit peccatum, displicet tamen Deo pollutum accedere. Hæc ille. Si autem processit ex peccato, licèt postea culpa sit per pœnitentiam deleta, videtur hic S. Tho. insinuare, quòd etiam tunc de necessitate impediat. Et ita eum intelligit Syluest. verb. Eucharist 3. §. 10. licèt ipse contrariam opinionem teneat. Quam etiam tenet Palud. scilicet, quòd post contritionem non est impedimentum de necessitate. Et Adrianus in quæstione de Eucharistia quæstiunc. 4. hanc censet esse opinionem S. Thom. quod quidem certissimum iudicium est.

Prima propositio. Igitur, vt opinionum turbam diluamus, prima propositio sit certissima, quam hic constituit S. Tho. scilicet, nullum esse impedimentum Euchristiæ de necessitate, nisi peccatum mortale, Adde vel excommunicationem, licèt esse nonnunquam possit cum gtatia, vt suprà expositum est. *Secunda propos.* Ex hac sequitur secunda, quòd quantumcunque fuerit pollutio enormissima non solum in somno, sed etiam in vigilia, vt fornicatio, vel aliud quodcunque adulterium, post legitimam pœnitentiam non remanet impedimentum de necessitate. Nam peccatum mortale non est impedimetum de necessitate nisi ratione culpæ, quæ aufertur per pœnitentiam. Et probatur ex illo Pauli sæpe citato, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* *Probatur ex 1. Cor. 11.* Probatio namque illa non est nisi examinatio conscientiæ, vt homo pgt claues Ecclesiæ in gratiam Dei reconcilietur. 2. Secundò probatur, quia ex pollutione, sublata culpa, non remanet nisi corporalis immunditia & mentis distractio; hæc autem vt hic ait S. Thom. solùm ex congruitate & decentia impediunt: ergo hic est sensus S. Thomæ in hac solutione, qualis fuit conclusionis secundæ. Et confirmatur, quia illæ sordes & mentis distractio tanta emergit ex pollutione licita, scilicet ex coniugali opera, quanta ex adulterio: ergo deleta culpa non est cur magis quantum ad necessitatem impediat secunda quam prima. 3. Tertiò. Sunt alia peccata grauiora quàm fornicatio vel adulterium, vt puta homicidium vel infidelitas, quæ ideo magis obstant communioni, quàm fornicatio: & tamen illa per pœnitentiam deleta non remanet impedimentum: ergo nec pollutio qualiscunque. Imò verò dum quis iracundia excandescit, tãta & nonnunquàm maiori mentis turbatione & distractione alienatur, quàm ex venere, vt sit etiam tunc per aliquam moram tam ineptus ad sumptionem Eucharistiæ, quàm pollutus.

Tertia propos. Tertia propositio. Nihilominus post flagitiosam & enormem pollutionem in vigilia quantumcunque sit per pœnitentiam remissa, illico intra horam, imò eadem die ad Eucharistiam sine aliqua vrgente vel honesta causa accedere, irreuerentia esset culpabilis: genere tamen suo non esset mortalis, nisi propter scandalum, vt si alij essent delicti conscij, aut propter temeritatem, quia non debet homo ità facilè credere, tam subitò esse legitimè contritum. Attamen hæc propositio non est singularis de pollutione, sed generalis de quocunque peccato. *Præterpollutionẽ etiam alia peccata impediunt.* Tanta enim esset irreuerentia homicidam cruentis manibus, aut blasphemum polluto ore illico ad Eucharistiam accedere. Tamesi Veneris sordes peculiarem quandam indecentiam ad sacramentum præ alijs sceleribus afferant. Dixerim sine causa; quia tempore præcepti vel ad protegendum honorem fieri posset communio sine culpa. *Carthusiensium mos.* Quapropter Carthusiensium institutum, vt nocte etiam citra culpam polluti manè non solùm non celebrent, verùm neque ad gradus altaris accedant, plus videtur pudoris religiosis obijcere, quàm necessariè reuerentiæ sacramento conferre.

Dubitatio. Quamdiu abstinendũ post pollutionem. Quòd si quæras, quantum temporis abstinendum sit à communione post pollutionem, vt decenter fiat: omnes tam Theologi, vt D. Thom. loco citato in 4. quàm decretorum glossatores, aiunt expectandum esse tempus viginti quatuor horarum. Primò propter illas autoritates veteris testamenti superiùs citatas Leuit. 15. & Deutero. 23. iubentes pollutum manere extra castra vsque ad vesperam. Quanquam illic non insinuantur nisi duodecim horæ. Secundò propter rationem physicam: quoniam in diurno solari circulo censentur sensuum vires in ordinem reuocari. In concilio autem Eliberitano cano. Omnis homo. de consecr. distinct. 2. habetur, quod debet homo ante consecrationem à propria vxore abstinere tribus, aut quatuor, aut octo diebus. At verò illud viginti quatuor horarum arbitramentum, fuit potiùs doctorum & sanum consilium, quàm præceptum. Et similiter verbum concilij consilium sonat, sicut illud Paul. 1. Cor. 7. vt coniuges orationis causa de consensu amborum ad tempus abstineant. Nisi quòd salubrius est ratione communionis, quàm ratione orationis. Quocirca pridie quàm communicandum sit, vel saltem illa nocte irreuerentia est debitum petere, nunquam tamen mortalis: imò forsan nec venialis si fiat procreandi causa, nam facere contra cõsilium genere suo non dicit pam. Redditio autem citra omnem fit culpam.

5. Argu. Quintum argumentum S. Tho. est. Grauius peccatum est homicidij quàm fornicationis: contingit autem hominem somniare se homicidium facere, aut furtum, aut quodcunque aliud peccatum, & tamen propter hoc non impeditur à sumptione Euchatistiæ, ergo nec deberet propter pollutionem. Negatur consequentia: quoniam somnium aliorum criminum, nec causa est immunditiæ, nec distractionis mentis, vt pollutio. Quare nec merum somnium venereorum impedimentum est Eucharistiæ. Si autem somnium homicidij procederet ex culpa mortali, ratione illius causæ esset impedimentum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum cibus vel potus præsumptus impedias sumptionem huius sacramenti.

SEQVITVR de cibo & potu, vtrum sumptionem impediat. Ad quod præmissa distinctione respondetur duabus conclusionibus. Impedimentum enim duplex est, aliud quod repugnantiam habet ad significatum huius sacramenti, atque adeò ex natura sua peccatum mortale impingit sumenti, vt sumere in peccato mortali. Aliud verò est prohibitio Ecclesiæ propter sacramenti reuerentiam. Est ergo prima conclusio. Cibus & potus ex institutione Ecclesiæ impediunt sumptionem sacramenti triplici de causa. *1. Concl.* Et est conclusio Augustini † in epistola ad Ianuarium 118. quæ refertur de consecra. dist. 2. can. Liquido. Prima ergo ratio Augustini est in honorem huius sacramenti, vt scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum. *† in l. resp. ad Ian. ep. 118. c. 6. to. 2.* Secundò propter significationem, vt per hoc intelligatur Christum, qui res huius sacramenti est, eiusque charitatem debere primùm in cordibus nostris fundari, secundùm illud Matth. 6. Quærite primum regnum Dei. Tertiò propter periculum vomitus aut ebrietatis, quæ quandoque ex nimio cibi & potus vsu contingit. *1. ratio. 2. 3.*

2. Concl. Secunda conclusio. Ab hac generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitetur, ne sine communione decedant, vt habetur can. Presbyter. de consecr. dist. 2. ex concilio Guarmacensi.

Vnde derõ natus mos ille. Mos iste Ecclesiæ ex traditione Apostolorum à Christo ipso deriuatus censetur, quod insinuat loco citato † August. dicens, sic hoc Spiritui sancto placuisse in honorem tanti sacramenti. *† 1. concil.* Quare in vniuerso orbe mos iste, inquit, seruatur. Idem habetur in can. Sacramenta. de consec. dist. 1. ex concilio Carthaginensi 3. cap. 29. Idem in concilio Toletano septimo, quod refertur 7. q. 1. can. Nihil. Et quamuis hæc concilia nõ sint nisi prouincialia, extat tamen decretum concilij Constantiensis generalis, sessione 13. vbi idem statuitur. Et Inno. 3. de celebra. missa. can. Ex parte. prohibet ne sacerdos dum secundò celebraturus sit, lotionem calicis in prima missa sumat. Vnde fit consequens, quòd exigitur ieiunium naturæ, vt in solutione quarti ait S. Thom. Neque verò defuit in veteri lege figura: nam Leuiti. 10. cautum erat, ne filij Aaron in tabernaculum ingressuri, vinum aut aliquid quod inebriare posset, prius sumerent. *Naturale ieiunium requir. tur. Figura.*

1. Argu. Est autem primum argumentum S. Thomæ huiusmodi. Sacramentum hoc à Domino institutum est in cœna: sed ipse postquam cœnauerat, sacramentum discipulis suis tradidit, vt Lucæ 22. & 1. Cor. 11. legitur: ergo & nos prandi aut cœnati illud debemus suscipere.

2. Argu. Secundò. Paulus eodem loco, Cùm conuenitis, inquit, ad manducandum, scilicet corpus Domini, inuicem expectate. Si quis autem esurit domi manducet. Vbi insinuat, quòd post domesticam manducationem potest hæc sacratissima sumi.

Tertiò

Digitized by Google

3. Argum.

Tertiò accedit canon suprà citatus. de consecrat. distin. 1. Sacramenta. ex concilio Carthaginensi: vbi licèt prohibeatur, vt non nisi ieiuni sacramentum sumant, tamen in die cœnæ Domini permittitur, vt sumatur post cœnam.

Lutherus.

Circa hoc notandum, quòd Lutherus, licet veritatem sacramenti non prorsus denegauerit, tamen in illo suo libello de abroganda missa priuata, morem hunc Ecclesiæ irridet, id quod Iodocus Clichtouæus lib. 2. de officio missæ contra ipsum composito cap. 20. refert. Imò consultius, inquit, esset, vt non ieiuno stomacho, sed temperato cibo præsumpto, sacramentum reciperetur. Primùm, propter exemplum Christi. Secundò, quia id admonet Paulus, vt qui esuriunt, priùs domi manducent, quàm ad sacramentum accedant. Tertiò, quia stomachus purgatior esset, & anhelitus purior. Hæc verò commenta non nisi, vt morem Ecclesiæ insimularet, excogitauit. Multò enim vrgentiores rationes sunt, quas hic D. Thom. adducit. Vnde ad primum argumentum Augustinus respondet, dicendo, quòd licèt Christus post cœnam agni typici verum consecrauit corpus. At cessante figura, noluit vt deinceps eodem ordine, hoc est, post alios cibos sumeretur, sed Apostolos docuit, qui Ecclesias instituerent, vt non nisi ieiunis traderetur.

Iodoc. Clichtou. comment.

Car Christus p. ſt cœnam corpus disc. dederit?

† ep. 118 c. 6. Beda ratio.

Exponitur locus Paul. 1 Cor. 11.

Locum autem Pauli tractat Waldensis tomo secundo de sacramentis cap. 87. vbi Aymonem inducit, locum illum explicantem, Corinthij namque nuper conuersi (ex quibus postmodum Achaici eundem ritum hæreditarunt) in more habebant semel in anno, nempe in die cœnæ Domini (sic enim est intelligendum, quia non id quotidie nec pluries factitabant) eandem Dominicam cœnam facto repræsentare. Vnde conuenientes simul in Ecclesiam panem & vinum è suis domibus afferebant, quibus à sacerdote consecratis communi mensa vescebantur. Imò forsàn alijs ferculis. Et quidem mos rectè fortasse fuerat inchoatus, postmodùm verò corrumpi cœpit, & ad fastum vergere. Abusum tamen non eodem modo autores referunt. Etenim D. Th. super eundem locum ait, quòd vnus quilibet afferebat in Ecclesiam, non solum panem & vinum consecrandum, verùm sua fercula præparata, quæ ante sacramentales species edebant. Et sic intelligit verbum Pauli. Iam non est Dominicam cœnam manducare (sed secularem) vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, id est, priùs sumit quàm sacramentum accipiat, vel prius diuites quàm pauperes ad conuescendum conueniant. Caietanus vero non sentit, quod adferrent alia esculenta aut poculenta, quam panem & vinum ad consecrandum. At abusus erat, quod diuites & nobiles non expectabant pauperes: sed illis spretis omnes species consumebant. Imo Waldensis ait, quod panem consecratum reportabant in suas domos, atque ibi Eucharistiam celebrabant, quod Hieronymus aduersus Iouinianum insinuat, & cum pauperibus non communicabant. Longè autem probabilior apparet interpretatio S. Th. Primùm quoniam id faciebant in memoriam historiæ Christi, qui priùs cœnauit, quàm corpus suum traderet discipulis. Secundo, quia inde Achaici, vt loco citato Thomas Waldensis ait, ritum illum duxerunt, vt illa die cœnati communicarent. Tertio, quia & Augustinus epistola suprà citata id ipsum insinuat dicens, quod Paulus illos reprehendebat, qui sacramenta mensis suis miscebant. Et quarto ex ipsis Apostoli verbis colligitur. Quoniam si non ederent & biberent, nisi panem & vinum sacramentalia, non diceret, quod alius esurit, alius ebrius est. Haud n. verisimile est, quod species tantum sacramentales vsque ad ebrietatem & crapulam sumerent. Item neque pauperes defectu hostiæ consecratæ esurirent: quia non est probabile, quod illam ad saturitatem sumerent, sed vnum eis frustulum sufficeret. Item quia dicens Paulus, Nunquid domos non habetis ad manducandum, insinuat, illa esculenta & poculenta in Ecclesias eos adferre, quibus domi vescebantur. Tametsi non desunt qui dicant diuino cibo & potu satiare se & ingurgitare solitos. Plinius autem Traiano scribit Christianis morem fuisse conueniendi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium. Quare forsàn Apostolus vel non reprehendit illos, quod frugalem & moderatam cœnam illa die in memoriam Christi facerent, vel non ob hoc tam acriter, quàm quod diuites non expectarent pauperes, quibus suam cœnam impertirent.

D. Thom.

Sententia S. Tho. & Authoris.

Probatur 1.

2.

3.

4.

Plinius.

Quod autem ad rem facit est, quod cùm Paulus iubet: Nunquid domos non habetis ad manducandum, non admonebat vt priùs domi suæ cœnarent, & postea venirent ad sacramentum sumendum, sed quod si illas lautas cœnas affectabant, post communionem, vt ait Scotus d. 8. q. 3. in suis ædibus illa facerent, aut sicuti ait hic S. Thom. quod minus esset absurdum, vt domi vnusquisque reficeretur, & epularetur, & à sumptione sacramenti illa die abstineret, quàm post crapulam ad sacramentum accedere.

Ad tertium respondetur, Achaicos, vt modo dicebamus, à Corinthijs traxisse morem, vt in die cœnæ post seculares epulas sacramentum sumerent. Qui mos fortè vsque ad Africam percrebuerat, & eundem tunc Carthaginense concilium illis permisit eo, quod forsàn & Corinthijs aliquando fuerat permissus. Sed tamen consuetudo illa prope tempus Augustini iam cessauerat. Ait enim in epistola citata, quod vniuersus orbis morem nostrum iam suscepit. Priscilianistæ quoque consueuerant ante sumptionem Eucharistiæ merum vinum ad purgandum os & guttur sumere, sed in concilio Bracharensi 2. c. 10. illa fuit consuetudo abrogata.

4. Argum.

Quartò arguit S. Thom. sumptio aquæ vel medicinæ, vel alterius cibi vel potus in minima quantitate vel reliquiarum cibi in ore manentium, neque ieiunium Ecclesiæ soluit, neque sobrietatem tollit, quæ ad sacramenti reuerentiam exigitur: ergo ista non sunt inter impedimenta connumeranda. Respondetur duplex esse ieiunium: primum naturæ, quod priuationem cuiuscunque præsumpti per modum cibi vel potus importat, & tale ad reuerentiam & venerationem sumendi sacramentum requiritur. Et ideo neque post sumptionem aquæ, vel medicinæ, vel alterius cibi & potus, in quacunque minima quantitate licet hoc sacramentum accipere. Nec refert vtrum aliquid huiusmodi nutriat, aut non nutriat, aut per se, aut cum alijs, dummodo sumatur per modum cibi aut potus. Reliquiæ verò remanentes inter dentes, si forsan deglutiantur manè, non impediunt sacramenti sumptionem: quia non traijciuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Et eadem est ratio de reliquijs aquæ vel vini, quibus os abluitur: dummodo non traijciantur in magna quantitate, sed permixtæ saliua, quod euitari non potest. Aliud vero ieiunium Ecclesiæ, quod ad carnis macerationem institutum est, per hæc prædicta, quæ non multum nutriunt, non frangitur.

Duplex ieiunium.

Natura.

Ecclesia.

5. Argu.

Quintò arguitur. Contingit vt profunda nocte homines edant & bibant, & fortè totam noctem insomnem ducant, qui forsan manè indigesto stomacho sacramentum percipiunt, minus autem violaretur sobrietas, si manè parum sumentes cibi, postea circa nonam sumerent sacramentum, cum minus quandoque esset temporis interuallum. Respondetur, quòd cum asseritur sacramentum hoc ante omnes cibos esse sumendum, non est intelligendum nisi eodem die naturali, non quidem computando ante viginti horas à sumptione, sed ab initio diei naturalis. Quod licèt diuersi diuersè sumant, alij, s. à meridie, alij ab ortu, alij verò ab occasu solis, tamen Ecclesia Romana sumit a media nocte. Et ideo si post medium noctis quid quispiam per modum cibi vel potus vel medicaminis sumpserit, quantumcunque post dormiat, nequit illa die sacramentum sumere. Quicquid verò ante mediam noctem sumpserit: licèt postea non dormiat, potest illud sumere. Nihil n. vel somnus vel indigestio refert quantum ad rationem præcepti. Quapropter glossa c. Ex parte, de celebr. miss. dicens antequam cibus sit digestus, non debere Christi corpus sumi, friuola est. Neque canon. Tribus. de consecrat. distinct. quem citat ei patrocinatur. Illic enim non fit mentio de cibo ante Eucharistiam, sed de illo qui post sumitur: si autem indigestio ex inopia somni mentem multum perturbaret, ineptum reddere posset hominem ad sacramenti sumptionem. Et sic est intelligendum cap. si constiterit. de accusatio. Vbi sacerdos ob vinolentiam,

Initium diei secundum Rom. Eccles. à medio noctis sumitur.

Gloss. cap. ex parte.

Can. Trib.

Quidam casus excipitur.

quia

Digitized by Google

quia in taberna pernoctauerat, & altera die nulla præmissa dormitione missam cantauerat, administratione Ecclesiæ fuit priuatus: Haud enim, vt vulgares putant, quia post cibum non dormierat, condemnatus fuit, sed vel propterea quòd post medium noctis cibum sumpserat, vel propter vinolentiæ turpitudinem.

Dubium proijcitur locis in quibus dies initium a tenebris sumitur.

Solutio autem hoc protinus dubium offert, quid censendum de alijs regionibus in quibus initium diei sumitur vel ab occasu solis, vt apud Hebræos, vel à meridie, vt apud Ægyptios, vtrùm sacerdos, qui manè celebraturus est, debeat esse ab occasu solis, vel à meridie præcedentis diei ieiunus. Et vbi dies incipit ab ortu solis, vtrum posset, qui mane ante ortum sumpsit cibum, statim post ortum celebrare. Certè neque illud requiri videtur, neque hoc sufficere. Respondetur ergo, quod standum esset consuetudini patriæ quæ Ecclesiæ decreto esset recepta.

6. Argu.

Sextò arguitur. Non minor reuerentia sacramento debetur assumpto quàm assumendo: sed post sumptionem licet illico cibum sumere, ergo & ante. Respondetur ad maiorem maximam deuotionem in ipsa sumptione esse necessariam: quia tunc sacramenti effectus suscipitur. Quæ quidem deuotio magis per præcedentia, quam per subsequentia impeditur. Et ideò consultius fuit cibum ante sumptionem interdicere, quam post. Debet nihilominus aliqua mora inter sumptionem sacramenti & reliquos deinde cibos intercurrere. Vnde & in missa oratio gratiarum actionis post communionem adhibetur, & communicantes seculares suas etiam priuatas orationes dicunt. Secundum autem antiquos canones Clemens de consecrat. dist. 2. cano. Tribus. proximè allegato statuit, vt si manè Dominica portio editur, ministri qui eam sumpserunt vsque ad sextam ieiunent. Si verò tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vsque ad vesperam: antiquitus namque propter missarum raritatem illud poterat obseruari, iam verò quoniam frequentius celebratur, canones illi sunt abrogati. Scrupulus ergo est quorundam nolentium cibos sumere donec species sint digestæ: nam quantum ad præcepti necessitatem attinet, à sacristia potest presbyter ad prandium ire.

Can. Trib.

7. Argu.

Restant tamen præter hæc S. Thom. argumenta alia. Arguitur ergo septimò. Vsu venire potest, vt dum infirmo periculum mortis ingruit nulla sit in pyxide hostia, quæ illi porrigi possit, sitque iam dies progressus quando nullus sacerdotum ieiunus est: poterit ergo tunc sacerdos propter infirmi necessitatem consecrare: & cum sacerdoti consecrare non liceat nisi sacramentum sumat, poterit tunc non ieiunus illud sumere: nam præceptum Ecclesiasticum non est contra præceptum diuinum obseruandum: præceptum autem, vt infirmus viaticum sumat, est diuinum: sed quòd non nisi ieiuni sumant, est Ecclesiasticum.

Ioan. Maior affirmat.

Ioan. Maioris dist. 9. q. 3. ait licere presbytero post prandium propter necessitatem infirmi consecrare, clanculò tamen sine vestibus sacris, & sine missa, per sola verba consecrationis, ita vt sacramentum non sumat, sed ad infirmum deferat. Imò si non esset, inquit, hostia ex azymo, posset buccellam panis fermentati consecrare. Paludanus verò distinct. 8. q. 2. id licere negat, & proculdubio negandum est. Multa enim falsa inuoluit Maioris opinio. Primùm, quod hostia consecretur sine calice, quod esset sacramentum dimidiare. Item quod liceat sacerdoti sacramentum conficere, non illud sumendo, quod est sacrilegium, idque de consecrat. dist. 2. can. Sicut. & can. Comperimus, damnatum. Ad hæc, & in fermentato consecrare Ecclesia Romana ob nullam necessitatem permittit. Respondetur ergo, quod sumere sacramentum in articulo mortis forte non est præceptum diuinum, sed sumere semel in vita, sumere autem sub articulum mortis est necessarium, si secundùm ritum Ecclesiæ sumi valet: alioqui cùm non sit sacramentum necessitatis, non est ministrandum, sicut nec ministratur eis, in quibus vomitus timetur. Hic autem caue ab illa glossa Hugonis super canon. Quod à patribus. dis. 75. dicentis, quod post prandium non potest fieri consecratio: si enim intelligit, quod consecratio non est valida, error est. Virtus enim verborum quandocunque à sacerdote proferantur, effectum habet, sed tamen non debet fieri.

Sententia autoris & refutatur Maior.

1.

2.

3.

Sumere sacrament. in mortis artic. non est præceptum diuinum.

Caue Gloſſam Hugon.

8. Argu.

Octauo arguitur. Contingit, vt quis errore seductus aquam pro vino infundit calici, quam post deglutionem sensit esse aquam, & tunc debet iterum consecrare calicem & sumere. Pariter si dum est in sacris, meminit sacerdos se non esse ieiunum, consumere nihilominus debet. Item si postquàm lotiones sumpsit, reliquias aliquas in altari reperit, potest imo debet eas sumere: ergo sacramentum hoc potest à non ieiuno sumi. Ad duo priora omnes concorditer respondent, vt distinct. sequenti q. 2. videbimus, quod debet tunc sacerdos sanguinem post lotionem consecrare & sumere: quia maior est obligatio, vt sacramentum fiat integrum, quàm vt à ieiuno sumatur. Et eadem ratione licèt sit memor non esse ieiunum debet consumere. Ad aliud vero quando post lotionem comperiuntur reliquiæ, respondet Syluester verb. Eucharistia 3. §. 8. & Caietan. in quodlib. 1. q. 17. quam de hoc composuit, quod debet eas sacerdos consumere. Et ita credo, quia totum reputatur vnum sacramentum, nec censetur perfectum quousque omnes reliquiæ insumantur. Et confirmatur, quoniam si particula hostiæ adhæsit palato, licet sacerdoti sumere haustum vini, quod potest excolari in guttur ante eandem particulam. Sicut in parasceue accidere potest, quando particula hostiæ consecratæ cum vino non consecrato sumitur. Quod si obijcias canonem Tribus, de consecrat. distinct. 2. vbi Papa præcipit, vt portiones, quæ post communionem populi superfuerint, reseruentur in pyxide, diuersa est ratio, tum quia illæ non sunt consectatæ ad sumptionem sacerdotis, tum quia sunt notabilis quantitatis. Quare si magnam hostiæ portionem in linteolis post lotionem sacerdos inueniret, consilium esset illam in pyxide reseruare in crastinum.

Reliquiæ post lotionē inuentæ debent cōsumi.

Obiectio. can. Tribus.

Dilutio.

ARTICVLVS IX.

Vtrum non habentes vsum rationis debeant accipere hoc sacramentum.

PRAEMISSIS impedimentis, quæ vel peccata sunt, vel effigiem habent peccati, quæritur de defectu vsus rationis, vtrùm sit etiam obstaculum. Et præmissa distinctione S. Thom tribus conclusionibus respondet. Dupliciter enim quispiam dicitur carere vsu rationis. Vno modo, quia eum habet debilem, sicuti qui malè videt, dicitur non videre.

Et de istis asseritur prima conclusio, quod eis non est sacramentum denegandum. Exemplum patescit in infirmis, quibus licet caducare videatur ratio, modò aliquam deuotionis imaginem referant, non debet eis sacramentum denegari. Alio vero modo contingit, vt nullus sit prorsus rationis vsus, taliter quod à natiuitate sint perpetuo amentes.

1. Concl.

Et de istis subnectitur secunda conclusio. Nequaquam illis est sacramentum conferendum. Ratio est, quia ad eius sumptionem requiritur aliqua deuotio vel præsens, vel præterita: illi vero nullam habent, neque vllam vnquam habuerunt.

2. Concl.

Si vero non sunt perpetuò amentes, sed quandoque mentis compotes, de istis adhibetur tertia conclusio: quod si dum habebant rationis lucem, deuotionem erga sacramentum demonstrarunt, debet eis in articulo mortis ipsum exhiberi, nisi forsan periculum vomitus aut expuitionis timeatur: secùs, si nunquam talem deuotionem habuerint. Vnde in concilio Carthaginensi, quod refertur 26. q. 6. can. Is qui. sic legitur. Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò sit moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.

3. Concl.

Prima conclusio citra controuersiam est ab omnibus recepta. Secunda vero, scilicet, quod amentibus à natiuitate non sit dandum sacramentum, sunt qui negant, vt q. 49 memb. 4 ait Alexander. Et est glossa super can. Qui recedunt. 26. q. 6. quæ quidem ait, quod amens à natiuitate potest baptizari, & corpus Christi in necessitate recipere. Glossa tamen illa non tenetur: quia cùm hoc sacramentum non sit necessitatis, vt est baptismus, Ecclesia non consueuit illud exhibere, nisi habētibus vel eis qui habuerūt ad id deuotionem. Alioqui deberet etiam dari infantibus ante vsum rationis. Si autem in primitiua Ecclesia mos fuit tradendi illud infantibus, poterat eadem ratione tradi & amentibus. Sed de hoc statim.

Expoſitio concluſionū.

Tertiam itidem conclusionem ibidem Alexander per aliud extremum inficiari videtur, insinuans, quòd

contra 3. Concl. Alexand.

neque

neque illis qui habuerunt lucida interualla & deuotionem sacramenti, postea dum sunt omnino mente abalienati sit conferendũ, nisi tunc, vt ait Paulus, discernere possint inter hoc sacramentum & alios seculares cibos. Quam quidem opinionem Gabriel in 4. distin. 9. q. 2. asseuerantius affirmat, & ait esse Ecclesiæ consuetudinem. At verò nescitur vbi sit talis consuetudo. Imò sunt decreta Arausicani cõcilij & Carthaginensis 4. quæ referuntur 26. q. 6. can. Qui recedunt. & can. Is qui. quas D. Tho. hic allegat: videlicet, quòd illi, qui in phrenesim inciderunt, si antea in eis pœnitentiæ signa præcesserunt, communio detur. Neque vlla est Gabrielis glossa dicentis intelligi quando aliqualis rationis vsus in eis permansit. Concilia namque de phreneticis simpliciter statuunt. Quare & eadem erit de amentibus ratio, quibus aliquando aliquis rationis radius affulsit. Et confirmatur sententia aduersus Gabrielem. Si quis quando iam porrigitur ei sacramentum mente alienaretur, nihilominus esset ei sacramentum exhibendum. Credo hoc nemo negaret: quoniam si dum quis mente sanus quando sacramentum suscipit, per mentis euagationem distractus est, verè recipit sacramentum, cur non etiam ille, qui dum sacramentum efflagitat, mente capitur? Quòd si ille recipit, certè & amens, qui antea deuotionem habuit ad sacramentum, recipiet. Caietanus autem, qui vt quæst. præcedenti vidimus, opinatur deuotionem esse necessariam tunc dum suscipitur sacramentum, vt gratia conferatur, nescio an consequenter diceret phreneticum non suscipere gratiam, atque adeò frustraneam illi esse sumptionem. Nisi forsan diceret deuotionem præcedentem, dum vsus rationis aderat, manere postea in virtute. Sed iam opinionem illam satis illic expugnatam reliquimus.

Gabrielis opiniones refelluntur.

Caietan.

Argum.

Aliter tamen arguitur. Iura non sunt extendenda vltra quàm sonant, maximè in re odiosa, qualis esse videtur ministrare amenti Eucharistiam, quæ ex natura sua deuotionem exigit: canones verò citati ijs præcisè sacramentum concedunt, qui paulò post pœnitentiæ signa in phrenesim lapsi sunt: ergo si quis à duobus vel decem annis est omnino mente captus, non apparet consentaneum vt ei sacramentum conferatur. Et augetur vis argumenti: sequeretur enim alioqui, quòd deberet etiam ei quotannis exhiberi in paschate ne defraudaretur illo gratiæ augmento sacramentali, quod profectò Ecclesiæ vsus non habet. Nihil mirum si sint, quos argumentum vincat. Nihilominus longè probabilior est conclusio vt iacet apud D. Thomam, absque vlla restrictione. Nam si deuotio quæ horam phrenesim antecessit, virtute durat in phrenetico, eadem est ratio, vt quæ præcessit ante duos, quatuor, vel decem annos, semper maneat in virtute: siquidem non est per contrarium actum intercisa. Quare hoc non est canonica iura extra suos limites extendere, sed ea per rationis æqualitatem amplificare. Nec tamen sequitur, vt singulis annis sint ad communionem admittẽdi: est enim habenda ratio veneratiõnis sacramenti. Sed satis est, vt eis ab hac luce discessuris tanquàm viaticum prouideatur.

1. Argum.

Primum argumentum S. Thomæ est. Ad sumptionem sacramenti requiritur deuotio & examen conscientiæ, iuxta verbum Pauli: Probet autem seipsum homo: quæ quidem in amentibus locum non habent. Respondetur, nonnullos aliqualem habere vsum; alijs satis est habuisse.

2. Argu.

Secundo arguitur. Inter carentes rationis vsu connumerantur arreptitij, qui dicuntur energumeni: sed eiusmodi homines etiam ab adoratione sacramenti arcentur, vt Dionys. lib. Eccles. hier. † author est: ergo maiori ratione arcentur à sumptione. Respondetur Diony. de energumenis loqui nondum baptizatis, in quibus ratione originalis culpæ vis dæmonum nondum extincta est, sed de baptizatis, qui à dæmone vexantur, eadem est ratio, quæ de alijs amentibus. De quibus ideo Cassianus. Ijs qui ab immundis vexantur spiritibus communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.

† cap. 3. p. 2.

3. Argum.

Tertio. Pueri videntur omnium, qui vsu rationis carent, esse maximè innocentes, atque adeo hoc sacramento potissimum digni, quibus tamen in more non habet Ecclesia illud ministrandi.

Responsio quadruplex. Prima.

Quatuor D. Thomas respondet. Primo, quod de pueris recenter natis idem est iudicium, quod de amentibus, vt eis non exhibeatur sacramentum. Secundo, errorem esse Græcorum contrarium facientium propter verbum Dionysij 2. ca. Ecclesiast. hierarc. malè intellectum. Ait enim baptizatis esse sacram communionem dandam. Quod tamen, vt ait S. Th. non intelligebat nisi quando adulti baptizabantur. Tertio, ait nullum ob id detrimentum eos pati, quod Dominus dicit Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia Augustin. in epistola ad Bonifacium scribit: † Tunc vnusquisque fidelium corporis & sanguinis Christi particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur. Quarto addit, quod quando iam pueri incipiunt aliqualem vsum rationis habere, vt possint deuotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis conferri.

Secunda.

Tertia.

† refertur de consec. d. 4. cap. Nulli.

Quarta.

Ex verbo autem Dionysij dubium insurgit, vtrum ætate sua, & deinceps aliquo temporis curriculo in aliquibus Ecclesijs mos fuerit obseruatus ministrandi infantibus Eucharistiam. Etenim Caiet. hic infra art. 12. ait Nestorium & Pelagium autores fuisse amborum rituum: scilicet & communicandi sub vtraque specie, & Eucharistiam porrigendi infantibus. De priori autem errore eodem artic. dicemus, sed de posteriori postquàm Caietanus hoc dicit, forsan legit, nescio tamen vbi. Augustin. namque lib. de hæresibus cap. 88. inter errores Pelagianorum de isto non meminit. Quinimo cùm illic, & lib. 1. de peccat. meri. ca. 20. dicat Pelagianos non baptizasse infantes propter vitam æternam, sed propter ingressum regni cælorum, vt dist. 5. art. 1. retulimus, & Eucharistia sumatur propter vitam æternam, iuxta verbum Christi. Nisi manducaueritis, &c. verisimile est quòd eam non porrigebant infantibus: nam cùm nullum crederent contrahere originale, putabant sine vllo sacramento eos posse habere vitam æternam extra regnum cælorum. Quare S. Thom. hic nõ reducit errorem hunc nisi in Græcos. Et Thomas Waldensis istarum hæresum solertissimus indagator tomo 2 de sacramen. cap. 91. Guidonem refert Carmelitam, qui vigesimum Armenorum errorem recenset, quòd cùm paruulos non ante octauum diem baptizarent, tunc sacramentum vino & aqua liquefactum intra os paruuli ponebant. Et citat S. Thom. hoc loco, cum quo consentit, seductos fuisse ex verbo Dionysij perperam intellecto. Tametsi mirabile mihi sit, quòd in concilio Florentino, vbi Armeni & Græci in gremium Ecclesiæ Romanæ recepti sunt, nulla fuerit ritus huius eorum mentio facta. Sed vt ad Dionysium reuertamur, profecto videtur insinuare morem illum sua ætate obseruari. Loco enim, quem hic D. Thom. citat, vbi de baptizatis in vniuersum loqui videtur, postquàm ait, eum qui baptizatur trina mersione mergi, subdit hæc verba. In fine omnium pontifex ita profectum ad sacratissimam Eucharistiam vocat, atque consumatiuam illi sacramentorum communionem deificam tradit. Adulti verò non mergebantur, sed infantes. Quem quidem locum Faber Stapulensis antiquitatum peritus ait, in antiquis mysteriorum voluminibus etiam de infantibus in hunc modum legi. Si episcopus adest, statim confirmari oportet. Quòd si episcopus præsens non fuerit, antequam lacteatur infans, aut aliquid gustauerit, communicet ei sacerdos de corpore & sanguine Domini ante missam etiam si fuerit necessitas. Sed & ca. 7. apud eundem Dionysium hæc extant verba ad Timotheum. Illud verò quòd pueri quoque, qui nondum possunt intelligere diuina, sacri baptismatis altissimorumque communionis sacrosanctæ signorum participes fiant, videtur profanis, vt dixisti, rationabiliter irridendum. Veruntamen oportet tuam sanctam prudentiam errantibus non indignari. Et Cypria. in sermone supra citato de lapsis, inter loquendum de illis Christianis, qui tempore persecutionis idolis immolabant, ait infantes eorum qui in manibus ad idola portabantur, non amisisse iustitiam, quam in baptismo susceperant. Quare dicere, inquit, poterant in die iudicij Deo. Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properauimus. Quod quidem verbum Augustin. citat in epistola 23 ad Bonifacium, vbi adnotatur Eucharistiam tunc temporis dari infantibus. Id quod ex historia confirmatur, quam paulò inferius recenset, puellæ infantis loqui nondum scientis, quæ cum ab idolorum sacerdotibus panem vino tinctum idolis immolatum, quia carnes per ætatem comedere non po-

Dubium.

An mos fuerit aliquando tradendi Euchar. pueris?

Th. Vvald.

Error Armenorum.

Dionys.

Faber Stap.

terat,

Cyprianus.

terat, gustasset, adducta ad eundem Cyprianum, vbi populum communicabat, sanctus pontifex sanguinem consecratum ori eius infudit, quem illico euomuit, quia Eucharistia, inquit, in ore polluto permanere non potuit. Et de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 52. & refertur de consecrat. distinct. 4. can. Si qui. habetur, quod apud hæreticos baptizati in nomine Trinitatis dum veniunt ad catholicam fidem recipiantur & doceantur & instruantur, &c. Et subditur. Si vero parvuli sunt & hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt, & sic per manus impositionem chrismate communiti Eucharistiæ mysterijs admittantur. Vbi insinuatur tunc pueris Eucharistiam dispensari. Sunt qui glossant intelligendum esse, cum peruenerint ad vsum rationis. Tamen textus hoc non sonat.

Non esse infantib. Eucharistiam ministrandam.

Nihilominus licèt forsan hæc consuetudo aliquando in nonnullis Ecclesijs viguerit, vt dist. 8. art. 3. diximus, meritissimò illam prorsum orthodoxa expiosit Ecclesia. Quoniam cum sumptio huius sacramenti in re non sit de necessitate salutis, vt illic diximus, consuli debuit maximè eius reuerentiæ, ne indecenter sumeretur. Et re vera infantibus dari nequit commodè. Nam cùm Christus dicat: Accipite, manducate, debet corpus per modum manducationis sumi, pueri autem octo dierum manducare non possunt, & ita Armeni, vt diximus, non dant nisi liquefactam hostiam per modum potus, quæ non est manducatio. Adde imminens tunc esse periculum, vt illo etiam modo sumptam, illico de ore expuerent. Qua refertur, morem eorum etiam fuisse, id quod infans expueret concremare. Est autem abusus maximus, idemque superfluus. Caiet.

Periculum.

Alia Caiet. ratio.

addit aliam rationem: quia Christus tradidit hoc sacramentum dicens: Accipite & manducate; quare non debet, inquit, tradi nisi illi qui rationis iudicio vtitur vt possit accipere, vel tali iudicio vsus quandoque fuerit vt affectum illius habuerit. Quòd si roges, cur tale rationis iudicium ad hoc potius quàm ad sacramentum baptismi exigatur, facilis est responsio, quòd cùm illud sit sacramentum regenerationis ad abluendum peccatum, quod non propria voluntate, sed origine contrahitur: satis pueri per alienam voluntatem tanquam non viuentes offeruntur vitæ. Hoc autem, quia est sacramentum viuentium, voluntatem propriam requirit suscipientis. Vnde Christus ad Augustinum, cibus, inquit, sum grandium, cresce & manducabis me. Adde quòd cùm hoc sacramentum alimentum sit ad reficienda detrimenta spiritualis vitæ, quæ per actualia peccata indies fiunt, non conuenit nisi adultis, qui delinquere possunt.

Responsio & explicatio scripturæ Ioan. 6.

Consuetudo ergo illa in solo illo loco Euangelico fundari potuit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Illud autem Augustinus, vt iam supra pluries dictum est, in multis locis, & potissimum contra duas Epistolas Pelagianorum lib. 1. c. 22. & lib. 2. cap. 4. & in Epistola ad Bonifacium, quam hic citat S. Thom. & refertur de consecrat. distinct. 2. cap. Nulli, intelligendum esse ait de manducatione spirituali per votum, quod includitur in baptismo. Quapropter in his atque alijs frequentibus locis, vbi ait Eucharistiam esse necessariam infantibus, nemo decipiatur, inde colligens tempore Augustini illis ministrari, sed loquitur contra Pelagianos, vt demonstret, infantes non posse habere vitam æternam, nisi per baptismum, in quo votum Eucharistiæ includitur.

Nota.

Dubium. Si daretur infantibus an esset sacramentu.

Quòd si quis scisciteturvtrum si sacerdos infanti hoc sacramentum ministraret, esset ne verum sacramentum conferens gratiam. Respondetur primùm quàm difficillimum id fieri posse. Et facilius esset ministrare sanguinem, vt supra de Cypriano citatum est. Præterea graue esset peccatum id facere, sicut si daretur amentibus à natiuitate. At verò quantum ad collationem gratiæ, si verum est quòd Ecclesia catholica aliquando habuit in consuetudine dare infantibus, certum est, quòd si modò daretur conferret gratiam: quoniam Ecclesia id quod est de essentia sacramenti mutare non potest, licèt possit prohibere vsum. Quemadmodum licet prohibuit sanguinem ministrari laicis, nihilominus si ministraretur, etiam sine corpore conferret gratiam. Sed quia illud non est adeò certum, posset teneri quòd non esset sacramentum: quia requirit actum liberum vel præsentem, vel præcedentem. Sed tamen neque contrariam opinionem cõdemnare auderem. Sicut supra de consecratione diximus.

Quæ sit legitima ætas prudentis est discernere.

Quæ autem sit legitima ætas, in qua possint paruuli sacramentum hoc suscipere, nulla est certior regula, quàm dum iudicio prudentum, & maximè confessarij apparet puer biuium literæ Pythagoricæ Y attigisse, vt scilicet discernere possit inter bonum & malum, atque adeò inter hunc cibum & alios seculares, quod plurimum accidit à decimo vsque ad duodecimum annum. Sic ait Alexander quarta parte 49. membro. 5. & Paludanus dist. 9. q. 4. & hic Caietanus, & Syluest. verbo Eucharistia 3. §. 5. Imò ante decimum annum posset viuacissimus puer idoneus esse. Citra septimum verò non esset permittendus, quia tunc vix rationis aurora ridere assolet.

ARTICVLVS X.

Vtrùm liceat quotidie hoc sacramentum suscipere.

AD hæc accedit quæstio de vsus frequentatione, vtrum quotidie liceat hoc sacramentum suscipere. Et supposita distinctione D. Thomas tribus conclusionibus respondet. Hoc enim sacramentum existimari potest vel ex parte virtutis ipsius, vel ex parte dispositionis sumentis.

1. Concl.

Est ergo prima conclusio. Quantum ad virtutem attinet sacramenti, vtile est ipsum quotidie sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Probatur authoritate Ambros. in lib. de sacram. vbi ait. Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in peccatorum remissionem effunditur, debeo semper accipere: qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Aug. libr. de verbis Domini. Iste, inquit, panis quotidianus est, accipe quotidie, vt tibi prosit.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quantum attinet ad dispositionem sumentis, si quis se quotidie paratum inueniat, laudabile est vt quotidie sumat. Est autem præparatio, vt non solùm se liberum à peccatis sentiat, sed vt cum magna deuotione & reuerentia accedat. Vnde Augustinus loco citato postquam dixit, Accipe quotidie, subiunxit, sic viue, vt quotidie merearis accipere.

3. Concl.

Tertia conclusio. Simpliciter loquendo, non est vtile omnib. hominib. quotidie ad sacramentum accedere, sed quotiescunque homo ad illud se inuenerit præparatum. Vnde in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus † legitur. Quotidie Eucharistiam accipere nec laudo, nec vitupero.

† c. 53. to. 3. & de consec. d. 2. c. 13.

Quæstio hæc, vt titulus ostendit, non de celebratione sacramenti, vtrùm scilicet quotidie sit in Ecclesia celebrandum, mouetur: illa enim proprium habet locum distinct. sequenti, quæst. secunda artic. secundo, qui ideo locus expectandus est, vt multa quæ hic desiderantur explicentur: sed solùm quæritur de susceptione, quæ etiam ad laicos pertinet, vtrum oporteat esse quotidianam. Quæ vtique quæstio inter sanctos nonnihil habet perplexitatis.

Expos. art.

Et quo à prima conclusione exordiamur, arguit S. Tho. primo loco sic. Sicuti baptismus, ita & hoc sacramentum passionem Christi repræsentat: sed ea ratione qua Christus non nisi semel, vt 1. Petri 3. habetur, pro peccatis nostris mortuus est, baptismus non iteratur: ergo neque hoc sacramentum quantum est ex parte eius, vt ait prima conclusio, est quotidie sumendum.

1. Argu.

Et confirmatur argumento secundo. Veritas debet respondere figuræ: sed agnus paschalis, qui vt supra dictum est, præcipua fuit huius figura, non manducabatur nisi semel in anno, atque adeo Ecclesia non nisi semel in anno passionem Christi celebrat, cuius hoc sacramentum est memoriale: ergo fas non est quotidie illud sumere.

2. Argum.

Ad primum respondetur, vnum discrimen esse, quod per baptismum configuramur morti Christi, vt supra dictum est eius characterem suscipientes; & ideo sicut semel ipse mortuus est, ita non nisi semel baptismum suscipimus: per hoc autem sacramentum non quidem eius characterem, sed ipsum Christum suscipimus, cuius virtus manet in æternum, secundùm illud ad Hebræ. 10. Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Et ideo quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie possumus laudabiliter hoc sacramentum suscipere. Alterum itidem interstat discrimen, quòd baptismus, vt supra diximus, est spiritualis regeneratio, & ideo sicut car-

Solutio 1.

1. Discrimen baptismi & Euchar.

2.

naliter

naliter homo non nisi semel nascitur: ita neque debet baptismum debet nisi semel renasci, vt ait Augustin. super illud Ioan. 3. Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Hoc autem sacramentum est spiritualis cibus, vnde sicut corporalis quotidie sumitur: ita & hunc quotidiè sumere laudabile est. Id quod Christus Luc. 9. admonitos nos voluit docens, vt panē nostrum quotidianum peteremus dari nobis. In cuius expositione Aug. in libro de verbis Domini. † Si quotidie, inquit, accipis, scilicet hoc sacramentum, quotidiè tibi est hodie, tibi quotidiè Christus resurgit: hodie enim tibi est quicunque dies, quo tibi Christus resurgit.

† Serm. 28. post med. tom. 10.

2 Solutio.

Ad secundum respondetur, agnum paschalem præcipuam fuisse figuram, quantum ad passionem Christi, quæ per ipsum repræsentatur. Et ideo semel in anno sumebatur, vt vnicam Christi passionem præsignaret, quam pariter Ecclesia semel in anno celebrat. At verò quoniam hoc sacramentum datur per modum cibi, hac ratione potius prænunciabatur per manna, quod quotidiè sumebatur.

4. Argum.

Ex his autem solutionibus exurgit quartum argumentum Diui Thomæ. Si vtile est quotidie hoc sacramentum sumere, vtilius esset pluries etiam in die id frequentare: nam quod est vtile, quanto est frequentius, vtilius est: quare Ecclesia non debuit prohibere, ne sacerdos sanctitate prouectus pluries in die conficeret. Ad hoc respondetur, quod quia in oratione Dominica petimus panem nostrum quotidianum, non est pluries in die communicandum, vt saltem per hoc repræsentetur vnitas passionis Domini.

Non licet pluries in die sumere Eucha. † Sup. post 3. conclus.

Attamen præter significationem causa potissima est, vt ait Alexander Alensis 4. part. quæst. 52. membro. 3. eximia reuerentia, quæ sacramento debetur. Atque ambas explicat Alexander Papa cano. Sufficit. de consecr. distinct. 1. de quo loco citato † videbimus, vbi & Lutheri hæresis referenda nobis est, qui aiebat solis Dominicis diebus esse celebrandum, & tunc totum populum cogendum, vt sacram susciperet communionem. Et quidem de primo errore illic dicturi sumus. Alter verò error per aliud extremum periculis etiam plenus est: scilicet, populum, in quo tam varij sunt hominum ordines & classes, & vitiorum secularium que negotiorum genera, humanos animos perturbantia, cogere vt singulis dominicis diebus ad sacramentum, vbi tanta animi quies exigitur, accederent.

5. Argu.

Fuerunt enim de hac re in Ecclesia status quatuor, quos Diuus Thom. tangit in solutione quinti argumenti, quod est huiusmodi. Ecclesia intendit in suis statutis fidelium vtilitati prouidere: sed & statuto Ecclesiæ, Omnis vtriusque sexus, non tenentur Christi fideles nisi semel in anno Eucharistiæ sacramentum susciperе ad minus in Paschate: ergo non est laudabile quotidie hoc sacramentum sumere. Respondet ergo diuersa de hac re in Ecclesia emanasse statuta: nam in primitiua religione quando sanguis Christi recens in pectoribus fidelium feruebat, & omnia sua bona, vt Actuum 2. legitur, in vsus pauperum conferebant, quia illustri charitatis glutino omnes vinciebantur, erant omnes; & communioni fractionis panis & orationibus vacantes, & quotidie vnanimiter in templo perdurantes, atque adeo frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplitate cordis. Quem locum Beda de sacra Eucharistia interpretatur. Vnde de consecrat. d. 2. can. Peracta. Calixtus Papa, vel sicut ait hic Sanct. Tho. Anacletus. Peracta, inquit, consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic n. & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. Hactenus illic. In cuius sanctæ consuetudinis memoriam, vt Iodocus illic & alij autumant, relictum est osculum pacis, quod in tabellam omnes porrigunt. Præterquam in missis defunctorum, qui nobiscum in hoc percipiendo sacramento non communicant. Ritus enim iltiusmodi osculi tempore etiam Dion. seruabatur, & vt ait in allegato lib. de sacramentalibus Waldensis capit. 41. ante communionem porrigebatur, in signum, quod illud erat sacramentum pacis. Atque idem colligitur ex cano. Pacem. de consecrat. distin. 2. Mox verò crescente ac subinde tepescente Christiano populo, sancti patres sanctius duxerunt, vt non nisi Dominicis diebus populus communicaret. Quem morem insinuat August. in epistola ad Ianuarium 108. quæ refertur cano. Illa autem. 12. dis. vbi ait. Alij quotidie communicant corpori & sanguini Domini; alij certis diebus accipiunt. Et de Ecclesiast. dogmat. cap. 53. & refertur de consecratio. distinct. 2. cano. Quotidie. Omnibus, inquit, Dominicis diebus communicandum suadeo & adhortor si tamen mens sine affectu peccandi sit. Hunc autem ritum S. Tho. meritò non censet vim habuisse nisi consilij. Et tanquam huius memorialis in vsu durat distributio panis benedicti in Ecclesia. Fertur enim, vt Thomas VValdensis tomo 2. de sacram. c. 90. refert, quod omnes tunc parœciani farinam sacerdoti conferebant, ex qua fieret panis consecrandus, qui erat omnibus distribuendus. Deinde amplius Ecclesia dilatata cùm calor ille deuotionis indies refrigesceret, Fabianus Papa instituit, vt ter in anno celebraretur communio, can. Et si non frequentius. de consecrat. distinct. 2. vbi ait. Et si non frequentiùs, saltem in anno ter homines communicent: scilicet, in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini. Et in concilio Agathensi, & in Eliberitano, vt eadem distinct. can. Seculares. & can. Omnis homo, adijcitur, quod inter catholicos non connumeretur, qui illis trib. diebus non communicauerit. Et Soter Papa adiecit etiam in cœna Domini, vt ibidem subditur cano. In cœna. Postremò denique perspiciens Ecclesia, quod neque hoc debitè obseruabatur, statuit vt saltem semel in anno, nimirum paschate, omnes fideles communicent, vt patet per Innocentium 3. in eodem capi. Omnis vtriusque sexus. Vnde per hoc præceptum omnes alij mores sunt abrogati, vt scilicet non habeant vim præcepti, sed tantùm maneant sub consilio.

Ter in anno.

Tandem semel in anno.

Sed arguit Lutherus. Populus quotidie petit hoc sacramentum tanquàm panem quotidianum: ergo sacerdotes iniuriam irrogant populo dum ipsi sumunt, & populum excludunt. Respondetur primùm, suo se mucrone confodere: deberet enim eadem ratione colligere, vt quotidie esset celebrandum, quod ipse negat. Præterea respondetur, satis esse, vt diximus, vt sacerdos nomine publico pro omnibus quotidie offerat, vt omnes fructus sacrificij participent. Ad sumendum autem populus rebus vxorijs & profanis implicatus non est tam aptus quàm sacerdotes, qui ab omnibus illiusmodi negotijs debent esse liberi. Vnde errat dum ait, consultum fore si Ecclesia nunc ad primitiuum morem reuocaretur: multitudo enim populi Christiani id non permittit.

Lutheri argum.

Diuersa Ecclesiæ statuta de Eucha. frequentatione.

In primitiua Ecclesia quotidie sumebatur.

Origo & significatio osculi pacis in missa.

Dominicis tantum diebus tur dari caperit.

Difficultas disputationis.

Sequitur ergo vt circa secundam & tertiam conclusiones exploremus, vtrùm maiori sit laudi dandum, quotidie ad hoc sacramentum accedere, an verò sæpius abstinere. Primum omnium, vt certa ab incertis discernamus, quæstio hæc non disputatur de præcepto sumendi. Tametsi nonnulli Iurisconsultorum, vt Syluester verb. Missa. 1 §. 7. refert, opinati fuerint mortaliter peccare sacerdotem, qui ex negligentia omittit quotidie celebrare, ob dictum beati Ambrosij, † Ego quia quotidie pecco, quotidie debeo accipere medicinam. de consecratione distinct. 2. can. Si quoties. Opinio tamen illa nullius est momenti: verbum enim (debeo) apud Ambrosium non denotat præceptum, sed consilium. Quæstio ergo præsens non disputatur nisi de cõsilio. Et ideo quantum ad præceptum statuitur illud fundamentum suprà iam fixum, s. solum peccatum mortale, aut Ecclesiæ prohibitio est impedimentum necessitatis, ne hoc recipiatur sacramentum. Quare dummodò homo satis cauerit ne in peccato communicet, quamuis quotidie toto anno & pluribus annis ad sacramentum accedat, redargui non potest peccati mortalis. Atque hic est sensus secundæ conclusionis S. Thomæ, quod si quis quotidie se paratum inuenerit, laudabile est quotidie sumere. Paratio enim necessaria est purgatio à peccato mortali: quia Paulus nihil aliud admonet, quam vt probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Quocirca licèt quis crebrò peccaret, si toties legitimo proposito eum pœniteret, posset absque reatu mortalis culpæ accedere. Tametsi frequentia recidendi indicium esset, pœnitentiam non semper esse legitimam: atque adeò ex hac parte posset esse mortale accedere.

† lib 4. de sacram. c. 6. tom. 4.

Quæstio ergo solum est de consilio quantum ad illos, quibus humano modo certum est absque peccato mortali accedere. Et Sanctus Thomas quæstionem mouet argumento tertio, quod est huiusmodi. Huic sacramento, in quo Christus continetur, reuerentia debetur maxima: ad reuerentiam autem pertinet, vt quis ab hoc sacramento abstineat: vnde Cen-

3. Argu.

Digitized by Google

turioni Matthæi 8. laudi apponitur, quod dixerit: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Et Petro, Lucæ 5. quod dixerit: Exi à me, Domine, quia homo peccator sum: ergo quotidie sumere non est laudabile. Hoc argumentum in diuersas sententias autores distrahit. Caiet. enim hic videtur quodammodo in eam partem vergere, quod non sit vsque adeò laudabile quotidie sumere, saltem nisi homo percipiat se sumendo proficere. Vnde si post aliquantulum consuetudinem sumendi non sentit fructu illo profeciſſe, consultius censet, vt cesset. Et est sententia Ricardi in 4. d. 12. art. 6. q. 1. Et Bonauenturæ eadem dist. art. vlt. q 2. qui ait, vt qui se sentit eo feruere modo, quo sancti in primitiua Ecclesia, quotidie sumat: qui verò sentit se frigere, rarò accedat: qui verò medio modo, aliquando accedat, aliquando cesset. At Alexander Alensis quarta par. quæstione 51. membro terrio, & Gerson tra. 9. super Magnificat, multò propensius in alteram partem inclinant, s. quòd sit quotidie accedendum, si fieri potest. Cui quidem parti adhæresci, & Gabriel in can. lectione 87.

Caietan. opinio.

Bonauent.

Alex. Alens. opinio.

Expræsenti verò D. Thom. solutione huius argumenti tres possumus elicere conclusiones, si tamen prius inter personas distinguamus. Sunt n. quidam sacerdotes & religiosi à seculari tumultu semoti, diuinæque contemplationi, lectioni, & orationi vacantes. Alij verò sunt seculares, quærentes, vt inquit Paulus, quomodo placeant vxoribus, profanisque negotijs implicati. Et inter istos alij cum carnis illecebris & insultibus colluctantes, nunc resurgentes, nunc verò relabentes. Illos namque qui peccatis mortalibus sordent iam à præsenti quæstione tanquàm ineptos excluſimus.

Distinctio personarũ præmittenda.

1. Propos. Sit ergo prima propositio. Illis qui nullo sunt mortali reatu polluti, vtrumque laudabile esse potest, s. & accedere ad sacramentum, & cessare. Ait n hic D. Tho. quod reuerentia huius sacramenti habet timorem amori coniunctum. Vnde timor reuerentiæ ad Deum dicitur timor filialis. Ex amore autem prouocatur desiderium sumendi. Ex timore verò consurgit timiditas reuerendi. Et ideo tam accedere, quàm abstinere, suam habet rationem virtutis. Quocirca Aug. de Eccleſiast. dogmat. Si dixerit, inquit, quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius contrà: faciat vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neque n. litigauerunt inter se Zachæus ille & Centurio, cùm Zachæus, vt legitur Lucæ 19. gaudens suscepit Dominum: Centurio verò, vt habetur Matt. 8. Non sum, inquit, dignus, vt intres sub tectum meum. Ambo enim Dominum honorificauerunt, licet non vno modo.

2. Propos. Secunda propositio. Si vnum alteri compares, laudabilius est & fructuosius accedere, quàm abstinere. *Probatur 1.* Primò, quia à pluribus præcipuisque virtutibus proficiscitur. Amor n. & spes & fiducia, ex quibus accessus nascitur, præstantiores sunt virtutes, quàm timor, qui est causa cessandi. Vnde postquam Petrus dixit: Exi à me, Domine, quia peccator sum. Respondit Iesus: Noli timere. Et Paralytico, Matth. nono: Confide, inquit, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et Prouerb. nono: Si quis est paruulus veniat ad me; venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Vnde colligitur, quod permittente Ecclesia genere suo laudabilius est quotidie comedere & bibere: quandoquidem datum est nobis in cibum ad reficiendas ruinas spiritualis vitæ quas nostra efficit sensualitas, iuxta verbum Ambrosij citatum. Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Secundò. Quamuis qui ob reuerentiam abstinet merito suo per fauorem diuinum, gratiam assequatur, tamen qui re vera accedit, præter illam consequitur & gradum gratiæ sacramentalis, quo alter caret. Quapropter accedens maiorem percipit fructum. Tertiò. Quanquam contingere possit, vt quandoque abstinens deuotius postmodum accedat, tamen ex genere rei deuotio plus ex sumptione crescit, quàm ex abstinentia. Interest enim inter hunc atque alios seculares cibos, quod illi nimium sumpti satietatem faciunt, quia tam eorum suauitas, quàm & sensualis virtus limitata est: dulcedo verò spiritualis huius sacramenti (vt quæ per se infinita est) quo crebriùs gustatur penitius cognoscitur, atque adeò auidiùs concupiscitur, iuxta illud Ecclesiastici 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Quartò: si delitiæ Christi, quæ Dei sapientia existit, est esse cum filijs hominum, quo plus nobis intus adest, maiores sunt eius delitiæ: intimus tamen nobis modus incorporandi nos Christo est per hoc sacramentum. Quocirca regula illa Caietani, quod qui non sentit se proficere, imò tepidus sibi & frigidus apparet, tunc abstineat, licet non sit vsque adeò aspernenda, neque tamen omnino est certa: nam quandoque dæmonum opera illi nobis tepores accidunt, per quos nos moliuntur à sacramento arcere. Vnde, vt ait loco citato Gerson, perinde tunc esset abscedere à sacramento, ac si quis dum frigeret ad ignem accedere recusaret.

Probatur 1.

2.

3.

4.

Tertia nihilominus adhibetur propositio secundùm diuersos personarum status. Illis, qui corruptis affectibus fluctuant, licet quotidie resurgant, non est sanum consilium quotidie ad sacramentum accedere, etiam si sint sacerdotes. Tum quia timendum illis est ne non sit eorum pœnitentia legitima: tum quia neque synceram & castam reuerentiam afferre possunt, vt sacramentum pro dignitate æstiment. *3. Propositio.*

Alijs verò secularibus coniugatis, qui rei familiari inseruiunt, licèt à peccatis mortalibus sint liberi, non consulerem frequentiùs, quàm à quindena in quindenam ad sacramentum accedere. Nam quamuis curam habeant expurgandæ conscientiæ, nihilominus, vti ait Paul. non possunt non curare quomodo placeant vxoribus, & quomodo rei familiari prospiciant, quod frequentiori sumptioni sacramenti non est adeò congruens, potissimùm quòd in religionibus, illis qui non sunt sacerdotes, non datur frequentiùs communio. Tametsi hoc non ita multum vrgeat: quia ratio huius instituti est, quòd non possent citra notam infamiæ aliqui accedere, quin omnes accederent. Et non est decens omnes frequentiùs cogere, quàm bis in mense. Quocirca si inter seculares esset aliqua persona & probitate & modestia insignis, nulla esset irreuerentia, imò deceret fortè semel in hebdomada communicare, crebrius autem nullatenus approbare possem. Sacerdotes verò & religiosos, dummodò integræ sint & probatæ vitæ, non modò nulla est temeritatis effigies, verùm est etiam religionis exemplum quotidie celebrare. Refert namque Gregorius lib. 6. dialogorum cap. 36. de beato Cassio episcopo Narnienſi, quòd quotidie celebrabat, & audiuit vocem de cælo dicentẽ. Age quod agis, & non cesset pes tuus, in natali enim Apostolorum venies ad me. Quo vtique die post septennium migrauit ad Dominum.

ARTICVLVS XI.

Vtrum liceat omnino à communione cessare.

1. Concl.

Probatur 1.

2.

2. Concl.

CVm in art. præcedenti de consilio frequentandi sacramentum dictum sit, ex ordine iam quæritur, Vtrum liceat omnino à communione cessare, quod est quærere, vtrum sit aliquod præceptum cogens vniuersos Christi fideles ad susceptionem huius sacramenti, sicut de baptismo constitutum est. Et quoniam tam de præcepto diuino dubium esse posset, quàm de humano, respondet D. Thom. duabus conclusionibus. Prima. Manifestum est, quòd homo tenetur hoc sacramentum sumere non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini. Probatur primò verbo ipso Christi Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. Verbum n. facite, præceptum est. Secundò id confirmatur ex verbo eiusdem redemptoris Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sententia enim hæc, quam dist. 8. art. 3. elucidauimus, manducationem inducit tanquam ad salutem necessariam, differenter tamen quàm illa baptismi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Quoniam cum baptismus sit inchoatio vitæ spiritualis, sumptio eius est necessaria in re. Cùm autem Eucharistia sit finis eiusdem spiritualis vitæ, vt illic emunctiùs declarauimus, satis est ad salutem obtinendam, vt spiritualiter sumatur in voto, quod in baptismo includitur: frustra autem esset votum, nisi quando opportunitas adesset, impleretur: ergo ius diuinum est, aliquando illud re ipsa suscipere.

Secunda conclusio. Ex statuto Ecclesiæ certa sunt tempora definita ad exequendum Christi præceptum.

Rem hanc de præcepto diuino sumendi Euchari-

stiam,

Expositio 2. concl.

Sitne præceptum diuinum an Ecclesiæ.

Sententia autoris.

Ratio Durandi.

Paludani ratio.

Ratio alia Paludani.

Rationes legitimæ.

stiam, ait in præsentiarum Caietanus non apparere vsquequaque clarum: quoniam multi, inquit, doctores tenent communionem non esse ex Christi præcepto necessariam, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ. Et quidem Alexan. 4. par. q. 51. membr. 2. de sacerdotibus censet, quod si non habeant curam animarum, ob præceptum prælati non tenentur celebrare. Sed & statim memb. 4. in vniuersum de laicis etiam loquens ait, quantum est de sui institutione non esse de necessitate salutis, sed solum ex statuto Ecclesiæ. Omnis vtriusque sexus. Cui concors est Bonauentura in 4. d. 12. ar. vlt. q 1. & Gabriel in can. Lectione 87. Quibus Caietanus in hoc articulo, & in subsequenti libentius applaudit: nam & S. Tho. in 4. d. 9. ar. 1. quæstiun. 2. vt sæpè illic solet, cum Alexandro consentit, eadem eius verba referens. Durandus verò dist. 9. q. 2. & Palud. q. 1. conclusione 3. contrarium sentiunt: videlicet, esse præceptum diuinum. De sacerdotibus autem dist. sequenti q. 1. articulus primus nos expectat, vt exploremus, quoties obligentur celebrare: Hic autem de præcepto sumendi vniuersos comprehendenti disputamus.

De quo egò profectò nullatenus ambigere auderem, imò certò crediderim esse præceptum diuinum, vt hic D. Thom. quicquid in 4. dixerit edocet. Sæpissimè enim opiniones, quas illic sequutus est, hic ad verum exigit. Et ratio quidem Durandi huiusmodi est. Sacramentum Eucharistiæ est in salutem hominum à Christo in cœna institutum: ergo qui in tota vita illud non sumeret, eandem institutionem diuinam negligere censeretur, atque adeò est præceptum diuinum. Ratio verò hæc non tantam habet energiam: nam opera concilij etiam sunt ad humanam salutem instituta, & tamen illa omittere non est peccatum. Quòd si Durandus dicat, consilia non esse instituta ceu sacramenta, quasi necessaria, petit principium: hoc enim illi restat probandum: scilicet, hoc sacramentum institutum esse tanquam necessarium. Eadem quippe ratione probat sacramentum confirmationis esse in præcepto, quod tamen nullum testimonium vel ratio asseuerare cogit, vt dist. 7. ostensum est. Debet ergo priùs probari sumere sacramentum esse institutionem diuinam tanquam præceptum, antequàm colligatur, quòd non sumere sit mortalis contemptus.

Aliter ergo sic arguit Paludanus. In his rebus, in quibus nihil certum diuina lex statuit, considerandum est, quid mos populi habeat, vt patet can. In his rebus. 11. dist. mos autem populi est communicare infirmos sub articulum mortis tanquàm de necessitate: ergo indicium est præcepti diuini. Item quia ante Ecclesiæ statutum ille semper mos in Ecclesia floruit. Et quidem ratio hæc aspernanda non est: attamen dicere quòd lex diuina nihil certi de hac re habet, non est cur placeat. Adhibet rationem aliam hoc modo. Ecclesia non potest consilia euangelica constituere tanquam de præcepto, sicut non potest statuere præceptum virginitatis, quod Paulus ait esse consilium: cùm ergo legem indixerit communicandi semel in anno, signum est illud non fuisse solùm diuinum consilium, sed præceptum. Ratio verò hæc non est omnino solida: quoniam licèt de consilijs, quæ difficilia sunt, vt virginitas, Ecclesia nequeat præceptum imponere, tamen de alijs, vt de ieiunijs & plurimis seruandis festis, præter diuina addit alia mandata.

Rationes ergo non sunt nisi istæ, quas hic D. Tho. adfert, quæ multò sunt maioris ponderis, quàm Caietanus arbitratur. Nam etsi verbum illud: Hoc facite in meam commemorationem, possit interpretari, vt non sit præceptum sumendi, sed quòd quotiescunque fiat, fiat in eius memoriam iuxta verborum sonitum, quæ Ecclesia refert in canone: tamen cùm referente Euangelista Christus dixerit: Hoc facite in meam commemorationem; vrgentissimum argumentum est, edidisse præceptum, vt sacramentum, quod in suam commemorationem instituerat, lege confirmaret vt facerent. Vnde & Paul. 1. Cor. 11. sub eodem tenore verba Christi referens ait: Hoc facite in meam commemorationem. At quia post mysterium calicis subdit: Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem, phrasim illam vsurpauit Ecclesia. Et roboratur etiam nunc arg. vis. Nullum dubium est, quin celebratio sacramenti in Ecclesia, quæ per eius ministros sacerdotes fit, sit in præcepto, peccarent enim grauissimè pontifices, tum summus, tum etiam alij, si eorum negligentia celebratio huius sacramenti cessaret: & tunc sacerdotib. necessum est sacramentum suscipere. Illud autem præceptum in illo Euangelij loco potissimum habet fundamentum, vbi Christus sacerdotes instituit, quib. munus hoc iniunxit. Verbum ergo, facite, præceptum sonat celebrandi, ac perinde ministrandi populo Eucharistiam, sicut Christus discipulis ministrauit, quo adeò præcepto populus id sumere obligatur.

Præcepti confirmatio.

Sed profectò & ex alio loco apud Ioannem: Nisi manducaueritis, &c. idem confirmatur præceptum. Quod enim hic ait Caietanus atque alij per metaphoram intelligi de manducatione non corporis, sed ipsius Christi personæ per fidem, qua in ipsum creditur, suprà dist. 9. q. 2. art. 1. satis explicauimus: nempe, quòd etsi bona pars illius contextus in illo sit sensu intelligenda, tamen ex illo loco: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, inficias nemo ire potest, quin de manducatione sacramentali intelligatur. Fecit n. illic apostrophen à se ad corpus suum & sanguinem. Quare dicens, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus, insinuauit antè per metaphoram de fide fuisse locutum: post verò abiecta metaphora secundum veritatem carnem suam appellauisse cibum, & sanguinem potum, ad differentiam corporeæ alimoniæ. Sumunt enim homines animalium corpora in cibum, eorum tamen sanguinem non item in potum: Christus autem sicut sanguinem in cruce à corpore effudit, quo nos regeneraret in vitam, ita & corpus ipsum & sanguinem nobis dedit in cibum & potum ad eandem habendam. Atque hac de causa Ioannes solius miraculi de quinque panibus, quibus turbas pauit, meminit, adijciens quod esset proximum pascha Iudæorum, in quo agnus typicus edebatur huius sacramenti figura: nempe, mysterium Eucharistiæ insinuaret, vbi verus agnus carnem suam sub specie panis pascendis animab. nostris consecraturus erat. Qua vtique de causa postmodum in historia cœnæ nihil meminit de institutione sacramenti: nimirum quia satis se de illo c. 6. dixisse arbitrabatur. Accedit quod in prologo concilij Ephesini aduersus Nestorium, eadem verba, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibentis eius sanguinem, in sensu de manducatione sacramentali allegantur. Igitur si vbi ait Christus: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. de manducatione sacramentali loquebatur, planè docuit esse de necessitate salutis, vt vel in re, vel in voto sumatur. Vnde bene colligit D. Th. quod si in voto est necessaria, cum votum nil aliud sit quàm promissio sumendi, præceptum sit diuinum sacramentum hoc in re aliquando sumendi. Quare responsum, quod hic comminiscitur Caieta. nihil ad rem attinet. Ait quippe, quod licet manducatio spiritualis huius sacramenti includat votum sumendi ipsum in re, tamen manducatio spiritualis Christi non includit tale votum: quippe cùm Angeli in cælo manducent Christum videntes eum, & tamen non habent votum sumendi sacramentum. Responsum, inquam, nihil ad rem. Supponit n. verbum illud: Nisi manducaueritis, non intelligi nisi de manducatione, quæ est credere in Christum, cùm tamè non intelligatur nisi de manducatione sacramenti, quæ si sit spiritualis, includit votum sumèdi realiter. Quare hanc sententiam Caiet. ipse postmodum correxit in institutiones circa errores libelli de cœna Domini, quæ inter eius opuscula circumferuntur, vbi eundem locum Ioannis confitetur & demonstrat intelligi de manducatione sacramentali.

Nisi manducaueritis.

Respons. Caiet. reiicitur.

Præterea arguitur. Sacramentum hoc nobis Dominus instituit tanquam cibum & potum ad alendam & sustentandam spiritualem vitam, sicuti & baptismum ad ipsam progignendam: ergo sicut præceptum nobis dedit baptismi, ita est nobis firmiter credendum præceptum dedisse huius sacramenti: nam licet non ita simpliciter sit necessarium, vt baptismus, est tamen eatenus necessarium, vt absque illo non commodè imò vix eandem vitã sustinere possimus, quod confirmationi non competit: quare diximus illam non esse in præcepto.

Alia ratio.

Confirm.

Ad hæc eodem tenore Ecclesia præceptum posuit sacramenti Eucharistiæ & pœnitentiæ: sed sacramentum pœnitentiæ non solum tanquam de iure positiuo expressit, sed determinando tempus præcepti diuini: ergo idem est de præcepto Eucharistiæ censendum. In summa cum Eucharistia eò quod est sacramentum

Digitized by Google

charitatis, quæ est vinculum perfectionis, finis sit omnium sacramentorum: fas non est credere, quod cum de baptismo & pœnitentia Christus diuinum præceptum tulerit, hoc reliquerit sine præcepto.

Quando obliget præceptum Eucharistiæ.

Protinus autem ex hac sententia suboritur dubitatio, quæ oriri solet circa præcepta affirmatiua, quorum natura est, vt Theologi aiunt, obligare semper, sed non pro quocunque tempore: quando, s. hoc præceptum, persistendo in mero iure diuino, obliget. Ad hoc respondere plerique solent, quorum est loco citato Paludanus, obligare semel in vita, & saltem in articulo mortis. Et ratio eorum est: quia cum sic censeant satis fieri præcepto, non arbitrantur arctius esse restringendum: quia præcepta non sunt restringenda. Atque idem dicunt de præcepto confessionis, qua ratione ad ius attinet diuinum.

Opinio autoris.

Attamen opinio hæc non est veritati admodum similis, quoniam natura cuiusque præcepti ex eius fine existimanda est: cum ergo finis huius sacramenti sit nutritio spiritualis vitæ ad reficiendum eius iacturas, quas per peccata facimus, & ad protegendum ipsam ab incursu dæmonum & carnis insultibus, eadem eius natura docet quod sit frequentius sumendum. Ad hæc si Ecclesia prospexisset, ius diuinum tantum obligare semel in vita, non nos ad tantam frequentiam obligaret. Et tamen in eius primordijs, vt supra † visum est, quotidie populus communicabat: & postmodum ter in anno, & iam modo semel tenemur. Atque idem de sacramento confessionis suo loco dicemus.

† art. præced. in resp. 5. arg.

Secundò adijcimus, quod nisi Ecclesia tempus declarasset, non posset ex iure diuino per certitudinem deprehendi, sed coniectura & prudentia humana. Et ideo satis Ecclesiæ Christus consuluit, dum ei facultatem reliquit, vt suo arbitratu illud tempus definiret.

An artic. mortis sit præceptum comm.

Vtrum verò articulus mortis sit tempus quo ex præcepto teneantur fideles sacramentum hoc sumere, est dubium. Sylvester namque verbo Eucharistia 3. §. 1. sentit nullum esse præceptum. Quare licèt quis, inquit, per negligẽtiam in articulo mortis viaticum non sumat, nullum incurret peccatum mortale. Adrianus autem in materia de confessione, q. 3. ad primum argumentum contrarium censet: nempe eiusmodi tunc negligentiam lethalem esse. At Palu. loco citato, dist. 9. q. 1. ait, infirmum, qui paulò antè in sanitate sacramentum hoc sumpsit, non teneri in articulo mortis iteratò sumere.

Sylvest. opin.

Adria. opin.

Palud. opin.

De hac verò re nescio an certa possit sententia constitui, in primis enim nullum extat aut diuinum, aut humanum præceptum de hac re expressum. Canon enim solum iubet in paschate communicandum. Nihilominus vniuersalis Ecclesiæ mos infirmis perhibendi viaticum, per totum orbem Christianum inuiolabiliter obseruatus, magnum documentum est ex traditione Apostolorum tanquam diuino iure præceptum descendisse. Accedit verbum concilij Niceni, quod refertur 26. q. 6. can. De ijs. videlicet, vt de his qui decedunt de corpore, vt antiquæ legis regula obseruetur: nempe, vt necessario viæ suæ viatico non fraudentur. Noto n. nomen legis, & necessario, quibus videtur insinuari præceptum. Faciunt ad rem & plures eiusdem causæ & quæstionis canones, & rursus causæ sequenti, q. 1. & cap. Quod in te. de pœnitent. & remiss. quibus sanctissime admonetur vt neque illis qui sunt in publica pœnitentia communio sancta in articulo mortis denegetur. Est siquidem maximum huius sacramenti commodum in illo temporis momento tum contra illusiones & pugnas dæmonum, tum præsertim quòd cum sit sacramentum charitatis, quæ finis est & consummatio Christianæ vitæ qua Christo incorporamur, per illud profitemur decedere tanquam membra in Christo viuentia. Vnde Innocent. lib. 4. mysteriorum missæ, ca. 42. Necessario, inquit, sumendus est agnus, vt à vastante Angelo protegamur: neque exire possumus de Ægypto, nisi celebrando phase, paschalem agnum edamus. Et Eusebius lib. 6. Ecclesiasticæ historiæ c. 34. historiam refert Dionysij Alexandrini episcopi ad Fabianum de quodam Serapione; qui dum lethali ægritudine iaceret, sentire se dixit detineri, vt mori non posset, quia Eucharistia ei non præbebatur: quam cùm assumpsisset, quasi cœnis vinculisque distuptis animam exhalauit. Vnde idem Dionysius infert, tanto beneficio neminem in mortis articulo debere fraudari.

Eucharistia sumpta in mortis articulo necessaria. Innocent.

Resolutio.

Ex his ergo primum colligitur, quòd qui renueret tunc sacramentum sumere, non posset à reatu mortali excusari, tum propter manifestum scandalum, tum quia non videretur amorem erga Christum gerere, qui eius tunc corpus non susciperet. Nihilominus si huiusmodi infirmus homo esset, qui frequenter in sanitate sacramentũ sumeret, &, vt ait Palud. paulò ante sumpsisset, neque vllum præsentiscret criminis remorsum, sed putam putaret habere conscientiam, licèt non tantam adhiberet diligẽtiam ad sumendam Eucharistiam, sed sine illa decederet, non esset peccati mortalis condemnandus.

De damnatis ad mortem.

De illa autem Hispanorum consuetudine, qui condemnatis ad mortem Eucharistiam non ministrant, aliæ nationes obmurmurant: quoniam nulla apparet causa, cur si sint verè pœnitentes, tanto beneficio priuentur. Præcipuè cum secundum canonum sanctiones, vt habetur 13. q. 2. can. Quæsitum. eadem illis communio sit danda. Et re vera forsan satius esset, vt consuetudo hæc nostra non seruaretur. Præsertim cùm sæpe per hoc sacramentum fiat homo ex attrito contritus, & suscipiat gratiam, quam non recepit in pœnitentia. Atque adeò vsu sæpe venire posset, vt defectu Eucharistiæ anima eius periret, qui alioqui saluus fieret. Excusare verò hanc consuetudinem per ignorantiam non possumus: nam satis Curia Hispana canones nouit. Sed dicere debent non vsque adeò eiusmodi canones obligare, quin possint per contrariam consuetudinem abrogari. Et fortassis ortus huiusmodi consuetudinis fuit, quod cum damnati ad mortem à cõmunione reipublicæ abscindantur, in signum huius abscissionis negatur eis sacramentum communionis tanquam reipublicæ hostibus. Accedit, quod appareret nonnihil irreuerentiæ irrogari sacramento, si qui sacrosanctũ Christi corpus susceperit, illico in patibulum & crucem raperetur. Et quandoque propter mortis atrocitatem periculum vomitus imminere posset.

An omnes obligentur.

Sed si quæras, vtrum vniuersi Christiani isto præcepto obligentur, respondetur primũ, quod pueri non obligantur vsque ad duodecimum annum quando alijs tenentur Ecclesiæ legibus. Etenim licet paulò ante in rationis crepusculo possint illud suscipere, tamen ad obligandum ad sacramentum tam pœnitentiæ quàm Eucharistiæ maior ætas requiritur.

1. Argum.

Argumenta igitur Sanct. Thomæ soluta restant. Primum enim sumitur ex laude Centurionis, qui Christum intra tectum suum susciperc recusauit: quod maiorem videtur laudem significare sacramentum recusantis quàm susciplentis. Ad quod respondetur ex Gregorio in Pastorali, quòd humilitas tunc est vera, cum ad respuendum quod vtiliter præcipitur, non est pertinax: Centurio autem præceptum non habuit suscipiendi Christum, veluti est nobis suscipiendi sacramentum, ob idque licèt illius humilitas commendetur, tamen qui à sacramento, quando Ecclesia præcipit, abstineret, culpandus esset.

2. Arg.

Secundò arguitur. Cuilibet ab alijs abstinere licet, quæ non sunt de necessitate salutis: hoc autem sacramentum suprà † dictum est non esse de necessitate salutis: ergo licet ab illo abstinere. Respondetur ad minorem, quòd licèt non sit simpliciter de necessitate salutis, vt baptismus, quantum ad pueros, nihilominus quantum ad adultos, vtrumque sacramentum est de necessitate: illud scilicet, quia non possumus sine illo gratiam regenerationis adipisci, hoc autẽ, quia sine illo propter illius præceptum non possumus eandem gratiam conseruare.

† d. 8. ar. 3.

3. Arg.

Tertiò arguitur. Peccatores non tenentur communicare, ait n. Fabianus Papa in can. Et si non frequentius. de consec. dist. 2. quòd homines ter in anno communicent, nisi forsan quis maioribus criminibus impediatur: si ergo illi, qui sunt in gratia, communicare tenentur, melioris conditionis sunt iniqui, quàm iusti. Respondetur negata maiori. Haud enim vult pontifex peccatores à culpa excusare si non communicant, quandoquidem sua culpa se reddunt inhabiles, sed docet grauius esse peccatum indignè accedere, quàm præceptum Ecclesiæ, transgredi. Quare non sunt melioris conditionis, quàm iusti, præsertim cùm graue detrimentum inde patiantur, quòd sacramento carent. Quando verò sunt pœnitentes, si ob aliquam causam iudicio proprij sacerdotis, vt ait Inno. Papa, capit. allegato, Omnis vtriusque sexus. à communione abstinent, à culpa tunc excusantur.

Digitized by Google

ARTICVLVS XII.

Vtrum liceat corpus Christi sumere sine sanguine.

†dist. 9. q. 1. art. 1.

CVM sacramentum hoc, vt diximus, † in cibo & potu perficiatur, meritò propter morem Ecclesiæ exhibendi laicis corpus sine sanguine, quæritur vtrum id sit licitum. Et Sanct. Thom. distinctione præmissa duabus respondet conclusionibus. Hoc enim sacramentum & ex parte ipsius considerari potest, & ex parte sumentium. Ex parte igitur ipsius statuitur prima conclusio. Sacerdotes de necessitate sacramenti atque adeo præcepti tenentur vtramque speciem consumere. Probatur. Sacramentum non nisi in vtraque specie quantum ad integram significationem perficitur: est enim conuiuium ex cibo & potu constans: sacerdotis autem munus est sacramentum consecrare & perficere: ergo sicut non potest corpus sine sanguine consecrare, ita neque vnum sine altero sumere.

1. Concl.

2. Concl.

Secunda conclusio. Ex parte sumentium prouidè in quibusdam Ecclesijs obseruatur, vt seculari populo sanguis sumendus non detur, sed tantum corpus: sanguis verò à solis sacerdotibus sumatur. Probatur conclusio. Ad huius sacramenti sumptionem maxima exigitur tum reuerentia, tum cautela, ne quid accidat, quod in iniuriam tanti mysterij vergat: id quod in sumptione calicis præsertim contingere posset, quippe qui si incautè sumeretur, facilè posset effundi. Igitur cum crebrescente familia Christiana, cui & senum debilitas, & iuuenum imprudentia, & patuulorum temeritas commiscetur, difficile esset tantum discretionis vbique & cautelæ adhiberi, vt non crebrò periculum effusionis immineret, consultissimum fuit populum à sanguinis poculo abigere.

Expos. art.

Vetus hæc est querela de communione sub vtraque specie, quam nuperrimè Lutherani instaurare conati sunt. Qui quidem sacrilegij nos acriter accusant, quòd cum Christus eodem tenore dixerit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, populum à sumptione calicis interdicamus, vt est videre apud Rossensem artic. 16. sub Leone decimo condemnato.

Caietan.

Et quidem hic Caietanus radicem moris huius in Nestorianos & Pelagianos reducit, sicuti & alium de eodem sacramento infantibus porrigendo. Attamen hunc secundum iam suprà art. 9. diximus non esse veri simile apud Pelagianos viguisse; vtpote qui infantes, vt vitam haberent æternam, nullo arbitrabantur indigere sacramento. Neque verò Nestoriani in concilio Ephesino hoc errore notantur, sed quòd corpus in sacramento non diuinitati vnitum credebant. An verò & hac quoque intincti fuerint macula, parum refert indagare. Fuit autem antiquus mos Græcorum, vt Æneas Syluius de origine Bohemorum, & in epistola 130. quam de hac re luculenter scripsit, commemorat. Imò & apud Dionysium de Ecclesiastica hierar. c. 3. vbi de sacerdote sacrificante loquitur, idem ritus sub his verbis legitur. Velatum n. & non diuisum panem reuelans & in multa diuidens, & vnionem calicis omnibus dispertiens, &c. Quæ quidem consuetudo in Ecclesia nonnullis durauit seculis, vt est videre apud Cyprianum epist. 2. vbi ait, quòd martyribus dabatur sanguis, vt acriores essent ad pugnam. Et sermone scilicet de lapsis subdit historiam de consecrato sanguine, quem puellæ ipse in os infudit. Et in historia Laurentij legitur dixisse Sixto. Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem. Vbi notatur diaconum tunc ministrasse sanguinem populo. Et lib. 9. historiæ tripartitæ ca. 30. refertur Ambrosius hæc verba inter eius obiurgationem dixisse Theodosio. Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus, Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies? Igitur non modo inter hæreticos, verùm & inter catholicos ritus ille multo tempore inualuit, adeò vt temporibus S. Thomæ nondum fuerit abolitus. Dicens enim in quibusdam Ecclesijs prouidè ritum nostrum obseruari, insinuat contrarium quandoque fuisse vniuersalem. Beatus Rhenanus in annotationibus in Tertullianum libro de corona militis, antiquas historias refert & Benedictinorum, & Carthusianorum, quibus legitur, solitum fuisse sanguinem ministrare laicis, quem è calice fistula argentea vel aurea exorbebant. Quem morem nunc & nonnulli Cistertienſium & Romæ cardinales celebrante Pontifice seruant; postea verò temporis cum ritus noster tanquam tutior & cautior crebresceret, Witcleffitæ in Praga, & Pragenses ciues cœperunt edicto publico proclamare necessariam esse communionem sub vtraque specie, nostrumque adeò morem esse hæreticum. Neque verò antiqui tantum hæretici Witcleff & Ioan. Hus, vt loco citato ait Æneas Syluius, illius dogmatis autores fuere, sed quidam Petrus Dresensis in Pragam illud inuexit, vbi tunc Iacobellus literis clarus præsidebat, qui illud est amplexatus. Quapropter illorum error condemnatus fuit in concilio Constantiensi sessione 15. Vbi habetur consuetudinem hanc nostram ad euitandum aliqua pericula & scandalum rationabiliter introductam, licèt in primitiua Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie (non dicit ab hac vel ab illa Ecclesia, sed à primitiua) postea à conficientibus (scilicet à sacerdotibus) sub vtraque, & à laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur: cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis quàm sub specie vini veraciter contineri. Et subditur eiusmodi consuetudinem diutissimè iam tunc fuisse obseruatam. Quare Ioannes Gerson inter sua opuscula, & Turrecremata super cano. Comperimus. de consecr. d. 2. qui illa ætate floruerunt, copiosè de hac re scripsere.

Pragenses.

Iacobellus.

Conc. Constantiense.

Lutherus.

Sed nihilominus Lutherus hæresum omnium sentina in Bohemorum errorem iuratus, apud Germanos eundem iam putrem suscitauit. Contra quem & Rossensis eodem art. 16. & Clichtoueus lib. de forma missæ cap. 28. & infrà egregiè disputarunt.

Prior conclusio.

Colligamus ergo duas conclusiones, quarum prior sit. Communio sub vtraque specie non est, quasi sit contra ius diuinum condemnata, quinimò & Euangelica verba videntur illi superficie tenus patrocinari, & præterea antiqua Ecclesiæ consuetudo. Quo fit vt per eiusdem Ecclesiæ priuilegium possit nunc etiam indulgeri quibusdam illustribus, vt Cæsari & regibus, & cardinalibus non sacerdotibus, vt possint cum omni decentia & cautela sanguinem sumere.

Posterior conclusio.

Posterior conclusio. Ecclesia consultissimè ac sanctissimè interdixit populo huiusmodi sanguinis communionem. Et qui dixerit eandem sanctam Ecclesiam id non potuisse aut non debuisse facere, manifestarius hæreticus est. Et quidem quòd hanc habeat potestatem nullum est dubium, vtpotè cui Spiritus sanctus in suis condendis decretis assistit. Si enim verum est quòd Apostoli solennem formam baptismi bona causa mutarunt, baptizantes in nomine Domini Iesu, nihil mirum si Ecclesia hunc ritum emendauerit. Tametsi fatear illud Apostolos, quia erat mutatio formæ, quæ est de essentia sacramenti, absque speciali reuelatione nequiuisse facere. Hæc autem mutatio non est nisi de vsu sacramenti, qui non est de eius essentia: & ideo absque alia reuelatione per generalem prouidentiam facere id potuit, sicuti aliquando eadem Ecclesia sanxit, vt fideles abstinerent à suffocato & sanguine. Et consuluit, vt bona sua Christiani ad pedes Apostolorum afferrent. Quæ quidem pro ratione temporum mutata sunt.

Olim etiam laici sub vtraq; specie communicabant. Æn. Syl.

Cyprian.

Laurent.

Ambros.

Decentissimum Ecclesiæ decretum, vt laici sub vna specie communicent.

Quòd autem constitutio hæc decentissima fuerit, argumentum quod hic adfert Sanct. Thomas potissimum est de periculo effusionis. Accedit autem & secundum ob corruptionis periculum. Debet enim sacramentum hoc paratum esse pro infirmis, vt de consecratio. distinctione secunda, canon. Presbyter. iubetur: vinum autem facillimè acescit, & corrumpitur. Et tertia ratio est, quòd multis vinum horribile est, & nauseam mouet, & infirmis sæpe haustus eius noxius est. Et quartò posset prouincia tanta vini inopia laborare, vt non posset copia pro populo haberi. Vnde Albertus Magnus in libello de corpore Christi censet, vt tali casu Papa dispensaret, vt corpus sine sanguine consecraretur, cui nos tamen opinioni distinct. 9. quæst. 1. cum Innocent. refragati sumus. Quintò, & id fuit condecens ad repellendum errorem eorum, qui, vt Waldensis loco citato refert, censebant non totum Christum sub vtraque specie contineri, sed tantum corpus sub vna, & sanguinem sub altera. Vnde originem duxit eorum hæ-

Ratio 3.

Ratio 4.

Ratio 5.

B. Rhenan.

Digitized by Google

rebus, qui ad complendum sacramentum buccellam sanguine tinctam ministrabant populo. Quem quidem abusum Iulius Papa can. Comperimus. de consecratione distinctio. 2. damnauit. Similiter namque Ecclesia, vt supra dictum est, ad propulsandum Hebionitarum hæresim dicentium seruandas esse Iudaicas cæremonias, instituit vt consecraretur in fermentato. In his enim, quæ non sunt de necessitate salutis aut sacramentorum, consultissima Ecclesia temporum rationes obseruat. Sexta demum ratio adhibetur, vt inter sacerdotes & populum hac dignitate discriminetur. Haud enim decet in hoc sacrificio pares esse. Habet quippe sacrosancta Eucharistia, vt sæpe diximus, & rationem sacrificij, & rationem sacramenti. Et quatenus sacrificium, est oblatio, qua sacerdos nomine populi Christum, hostiam viuam, sanctam & immaculatam Deo offert. Nam etsi plebs dicatur suo ordine tanquam assistens offerre, sacerdos tamen est qui consecrat, & tanquam singularis Ecclesiæ minister perficit sacrificium, ac subinde debet passionem ipsam perfectissimè repræsentare, in qua sanguis à corpore effusus fuit. Atque adeò vtrumque tenetur, tum consecrare, tum perinde sumere. Qua verò ratione sacramentum existit, vsus eius est, gratiam infundere & charitatem, qua populus in vnum corpus coadunatur. Illâ verò gratiâ virtute corporis abundè participatur.

Ratio 6.

Eucharistia sacrificium & sacramentum.

Quod si nobis Paulum obieceris 1. Corinth. 10. dicentem: Multi vnum sumus, omnes qui de vno pane & vno calice participamus, respondetur in primis Græcè non legi. Et de vno calice, vt Roffensis hic bene adnotauit, sed paulo ante habetur, Calix benedictionis, cui benedicimus (scilicet sacerdotes) nonne communicatio corporis Christi est? Secundo respondetur, in illa sacerdotis oblatione per modum cibi & potus omnes participare: quia pro omnibus offertur, & omnes suo modo offerunt. Sed quantum ad sumptionem sub speciebus panis omnes simul suscipiunt sanguinem. At verò quoniam Lutherus vtrumque negat, scilicet & missam sacrificium esse, & aliquos esse præ alijs sacerdotes, imo vniuersis Christianis id muneris tribuit, vniuersos in sumptione vtriusque speciei exæquat.

Confirmatur institutio Ecclesiæ figuris veteris testamenti.

Quod si figuras sacramenti huius spectemus, Melchisedec sacerdos vmbra Christi panem & vinum offerebat, vt Genes. 14. legitur: tamen in esu agni Paschalis, aut in manna, quibus in figuram sacramenti huius populus pastus est, nulla fuit facta mentio vini, sed tantum cibi. Et Christus dum tanquam præambulum huius sacramenti miraculum quinque panum, quibus turbas satiauit præmisit, nullam fecit vini aut potus mentionem. Et vt in 4. dist. 11. q. 2 art. 1. ait D. Thom. in veteri lege, qui animalia sacerdotibus in sacrificium offerebant, partem eorum quandoque sumebant, de liquidis autem libaminibus oblatis, vt de vino & oleo, vt legitur Leuit. 23. nihil populus resumebat, sed in solum vsum sacerdotum cedebat. Adde quod etsi panes propositionis, qui erant super altare in templo, populus semel in hebdomada ederet, tamen sacrificiorum sanguinem, vt Leuit. 3. & infra sæpe legitur, solus sacerdos tractabat liniens altaris cornua.

Hæreticorũ argumenta. 1. Argum.

Aduersus hanc verò catholicam veritatem hæretici plura congeminant argumenta. Primò enim opponunt de loco illo Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: vbi cùm sub eodem tenore sanguis nominetur & caro, vtrumque vt necessarium iubetur.

Dilutio quorundã.

Ad hoc plerique eorum, qui hac de re disserunt, respondent verbum illud intelligi non de manducatione corporis aut sanguinis in sacramento, sed per metaphoram de incorporatione in Christum per fidem, cui respondet in gloria esus & potus per visionem, iuxta verbum eiusdem Seruatoris: Ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Quemadmodum & Christus dicitur panis Angelorum. Atque hanc glossam firmiter hic sequitur Caiet. At verò proculdubio locus hic de manducatione sacramentali intelligitur. Quare probè D. Tho. art. præcedenti præceptum in hoc loco fundauit sumptionis Eucharistiæ: nam vt dist. 9. q. 2. art. 1 monstrauimus, quamuis à principio Christus illic locutus fuerit de illiusmodi manducatione per fidem, postmodum verò potissimùm in illis verbis de sacramentali carne & sanguine eius loquitur, Atque vtrumque, vt illic monstrauimus, Augustinus optimè agnouit. Quare nec debuisset Caietanus negare, vt hic negat, sacramentum hoc voto in baptismo susci pi, vt D. Thom. cum eodem Augustino quæstio. 73. art. 3. constituit. Id enim Diuus ille contra Pelagianos decreuit, ob id quod pueros arbitrabantur sine peccato nasci, atque adeò sine vllo sacramento esse dignos vita æterna. Cuius erroris ipsos ex hoc verbo redarguit: Nisi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis. Et ideo concludit esse hoc sacramentum de necessitate salutis, saltem in voto, quod includitur in baptismo. Neque tamen inde infertur, vt Caiet. censet, baptismum in suo effectu gratiæ ab Eucharistia dependere, sed solùm sequitur, hoc sacramẽtum, quod est vinculum charitatis, atque adeò sacramentorum finis, spiritualiter includi in baptismo, quod est sacramentum fidei per charitatem operantis.

Caietan. refellitur.

Responderi ergo ad euangelium potest dupliciter. Vno modo, vt, Nisi manducaueritis, &c. dictum sit Ecclesiæ in communi, id est, Nisi manducaueritis, vt Ecclesia disposuerit, carnem & sanguinem, &c. Ex dispositione autem Ecclesiæ sacerdotes & ore ipsorum plebes sumunt vtrumque, singuli tamen plebis solum corpus. At verò interpretatio hæc non est admodum textui grata: cùm enim ait, Non habebitis vitam in vobis, singulis dictum insinuat. Responsio ergo est quam citata synodus Constantiensis innuit: videlicet, quòd sub speciebus panis caro simul & sanguis sumitur: nam licèt sanguis illic non sit nisi ex naturali concomitantia, tam verè est ibidem quàm corpus. Quod si Innocẽtium opponas, qui in libro quarto de mysterio missæ capit. vigesimoprimo, ait, nec sanguinem sub specie panis bibi, nec corpus sub specie vini manducari, ipse se ibidem exponit. Ait siquidem vtrumque simul sub vtraque specie sumi. Sed tamen sanguis sub specie panis non bibitur sub signo potus, neque in calice manducatur corpus sub signo cibi, quapropter à sacerdote non perficitur sacramentum nisi vtroque modo consecret & sumat. Nihilominus dum sub forma panis comeditur corpus, sumitur sanguis. Quare Christus non dixit: Nisi manducaueritis carnem sub specie panis, aut biberitis sanguinem sub specie vini, sed simpliciter, Nisi manducaueritis, &c. vt manducatio referatur ad res, quæ ambæ sub vtraque specie continentur.

Duplex resp.

1.

2. ex Syn. Constant.

Innocent.

Secundus locus ab hæreticis obiectus est ille Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Vnde duplex extruunt argumentum. Prius ex forma præcepti, posterius ratione exempli: quia dedit discipulis corpus, & seorsum sanguinem dicens, vt Matth. refert, Bibite ex hoc omnes. Hoc autem pariter Caietanus infirmare contendit, quasi non sit præceptum simpliciter sic faciendi, sed quòd quotiescunque fiat, fiat in eius memoriam vt Ecclesia refert. At verò, vt artic. præcedenti cum Sancto Thoma dicebamus, non est negandum esse præceptum. Alioqui non haberemus fundamentum præcepti celebrandi in Ecclesia. Sed nihilominus verbum illud, facite, multiplicem habet sensum. Primum enim per illud instituit Christus discipulos sacerdotes, præcepitque adeò eis iuxta dispositionem Ecclesiæ celebrare, & populo sacramentum dispensare, ac subinde populo iussit, secundùm eiusdem Ecclesiæ dispositionem, sacramentum sumere. Quemadmodum præcipiens Apostolis Matth. vlti. baptizare, ex rei consequentia iussit cunctis vt baptizarentur. Et quando Ioan. 20. tradidit eis Spiritum sanctum, tanquam facultatem remittendi peccata, in virtute præcepit Christianis, vt ea confiterentur. At verò si rigorem verborum vt sonant attendamus, quando tradidit corpus, vt est apud Lucam, dixit, hoc facite, post calicem verò id non adiecit. Vnde & Paul. 1. Corinth. 11. pariter in traditione corporis commemorat dixisse, Hoc facite, sed in porrectione calicis non ait nisi, Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem, vt Ecclesia refert: vbi non subiungitur vniuersale præceptum bibendi, quod omnes liget, sed secundum Ecclesiæ ritum. Quòd si nimis curiosa hæc adnotatio videatur, respondetur secundo, quod quamuis Christus præcepto illo vniuersalem fidelium Ecclesiam comprehenderit, nihilominus Apostolis Ecclesiam tunc repræsentantibus positum est. Quare in communi est intelligendum secundum Ecclesiæ dispositionem, quæ est vt sacerdotes vtramque speciem sumant: populus vero propter causas supra dictas, sub vna specie vtramque rem.

2. Argum. hæreticorũ.

Matt. 26.

Facite, quid denotet.

1.

Luc. 22.

Quo-

Digitized by Google

Christi exemplum non est contrar.

Quocirca neque exemplum Christi in contrarium mouet, quippe qui non plebi, sed duntaxat Apostolis, quos sacerdotes instituebat, vtramque communicauit speciem, atque adeo verbum Matthæi, Bibite omnes, non ad omnes Christi fideles, sed præcisè ad Apostolos, ac perinde ad sacerdotes palam refertur.

Antiquitas communionis in sola specie panis.

Imò ne iste Ecclesiæ ritus tam nouus censeatur, exemplo ipsius Christi & Apostolorum conniti ostenditur. Discipulis enim euntibus in Emaus, vt Lucæ 24. legitur, in fractione panis absque vlla vini mentione sui perhibuit documentum. Augustinus enim in sermone illius feriæ secundæ Paschatis, & author imperfecti in homil. 17. & Beda lib. 6. super Lucam, illam fractionem in qua discipuli eum cognouerunt, sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum fuisse autumant. Item Actuum 2. legitur, quod fideles erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & in communicatione fractionis panis, & in orationibus, quod boni authores intelligunt de fractione sacramenti. Atqui in historia Iacobi Alphæi legitur, quòd cùm mortuo Christo iuraſſet, non comestum ire panem quousque resurrexisset, apparuit ei Dominus, deditque panem, qui creditur sacramentalis, vbi nulla fit mentio vini. Et in oratione Dominica petimus panem quotidianum, quòd plurimi de sacramento glossant. Et vt suprà diximus, atque Waldensis loco citato ca. 90. commemorat, in vsu fuit apud quosdam, vt parochiani farinam conferrent, qua fieret panis pro omnibus consecrandus, & non vinum. In cuius memoriam relicta fuit distributio panis benedicti in Ecclesia sine vino. Accedit denique, quòd Pius Papa decimus à Petro, circa annum Domini 160. vt refertur de consecratio. distinctio. secunda canon. Si per negligentiam. cauit, vt si sanguis super terram stillaret, sacerdos quadragintа diebus pœniteret: & si super altare, quatuor diebus, vbi de secularibus nihil meminit, quod est indicium iam tunc inchoatum morem subtrahendi sanguinem populo.

Postremum argumentū.

Postremum argumentum sumitur ex detrimento gratiæ: nam cùm sanguis perinde sit virtus conferendi gratiam atque corpus apparet vt distinctus gradus gratiæ infundatur per sanguinem ab illo, qui infusus est per corpus: quo ideo non debet populus orbari. Argumentum apud Lutheranos nullum est: quippe qui nullam gratiam per sacramenta conferri censent, sed ab alijs bifariam respondetur. Primum, quòd nulla est absurditas concedere, auctiorem gratiam sub vtraque specie sacerdotibus concedi, quam populo sub vna. Nam cùm effectus sacramēti abundè per sumptionem corporis conferatur, præcipuam curam Ecclesia habere debuit cauendi periculum effusionis sanguinis: & ideo nullam iniuriam fecit secularibus, dum eum illis subtraxit. Secundò & veriùs & populo plausibilius respondetur, tantam imò eandē præcisè gratiam conferri sacerdotibus, sub ambabus speciebus, quam populo sub altera. Etenim, vt scitè hic docet Caiet. gratia non minus confertur virtute illius rei, quæ sub speciebus continetur per concomitationem, quàm virtute illius quæ continetur ex vi consecrationis. Quare gratia, quæ in sumptione corporis infunditur, tam virtute sanguinis datur illic contenti quàm virtute corporis. Quocirca quādo postmodū sacerdos sanguinem seorsum sumit, quia eius effectum iam sumpserat, non amplius recipit sicut si vnam hostiam post alteram sumeret. Si verò dum sumebat corpus, fortè non erat dignè dispositus, vt gratiam susciperet, & dispositus est in sumptione sanguinis, tunc eadem virtute sanguinis simul & corporis recipiet. Quod autem Caietanus addit, species sacramentales non esse instrumenta conferendi gratiam, sed solum corpus & sanguinem, minimè salua eius gratia crediderim: nam postquam species sunt sacramenta, vt suprà dictum est, scilicet signa tam corporis contenti, quam gratiæ quæ confertur, non est cur non sint eius causa, vt aqua baptismi. Sed verum est quod non sunt causa nisi virtute corporis & sanguinis.

Resp. duplex 1.

2.

Eadem gratia communicantis sub vna specie conferitur ac si sub vtraque.

Species sunt causa gratiæ.

1. Argum.

Argumentum primum ducit S. Thomas ab authoritate Gelasij de consec. dist. 2. can. Comperimus. vbi quosdam obiurgat qui tantummodo corporis sacri portione sumpta à calice sacrati cruoris abstinebant, iubens, aut quòd integra sacramenta suscipiant, aut quòd integris abstingant. Respondetur autem, canonem illum peculiariter loqui de sacerdotibus iuxta sententiam Concilij Toletani duodecimi, quæ ibidem can. Relatum, refertur. Quale enim, inquit, erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?

2. Arg.

Secundò arguitur. Ad perfectionem huius sacramenti concurrit & manducatio corporis & potatio sanguinis: ergo si corpus sine sanguine sumatur, imperfectum erit sacramentum, quod ad sacrilegium pertinet, iuxta verbum ibidem Gelasij. Diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio prouenire non potest. Respondetur perfectionem huius sacramenti non consistere in vsu, vt suprà dictum est, sed in consecratione materiæ. Ob idque dummodò sacerdos vtrumque sumat, illic perficitur, & ideo nihil ei derogatur, licèt populo non sub vtraque specie ministretur.

3. Arg.

Tertiò. Hoc sacramentum celebratur in memoriam Dominicæ passionis, sumiturque in salutem animæ: sed passio magis exprimitur in sanguine quam in corpore, & vt suprà cum Ambrosio dictum est, † sanguis ad animam refertur, sicut corpus ad corpus: ergo potiùs à corpore quàm à sanguine esset abstinendum. Respondetur, repræsentationem passionis in ipsa consecratione & sumptione sacerdotis peragi, qui cùm nomine publico omnium sanguinem sumat, nihil detrimenti populus accipit, licèt sanguis ei sub specie vini auferatur.

† *initio art.*

Quæstio secunda,

DE MODO QVO CHRISTVS VSVS EST HOC SACRAMENTO.

S. Thom. 3. part. quæst. 81.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

Conclusio.

CVM definitum sit, ad perfectionem sacramenti pertinere vt sacerdotes corpus & sanguinem sumant, accommodè quæritur vtrùm in hoc Christi exemplum imitentur. Haud enim defuerunt qui dicerent, Christum corpus quidem suum dedisse discipulis, non tamen sumpsisse. Contra quos statuitur conclusio. Christus primò proprium corpus consecrauit & sumpsit, ac deinde discipulis sumendū tradidit. Probatur primò authoritate Hieronymi in epistola ad Hedibiam, q. 2. quæ refertur can. Nec Moyses. de consecr. dist. 2. dicentis, Dominus Iesus Christus ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur. Secundò confirmatur ratione. Christus enim qui, vt legitur Actuum 1. cœpit facere & docere, ea quæ ab alijs obseruanda instituit, primitus obseruauit. Vnde prius quàm baptismum suum instituerit, baptizari voluit. Cum ergo sacerdotibus, vt dictum est, iusserit hæc facere in sui commemorationem, scilicet consecrare, & sumere, sequitur vt ipse priùs fecerit. Adijcitur & glossa super illud Ruth 3. Cùm comedisset & bibisset, quæ ait, quòd Christus comedit & bibit in cœna, cum corporis & sanguinis sui sacramentum discipulis tradidit. Vnde quia pueri communicauerunt de carne & sanguine, ipse participauit eisdem.

Expositio articuli.

Lutheri commentū.

Lutherus, ne quid relinqueret quod non peruerteret, in illo suo pudendo libello de abroganda missa priuata, hanc veritatem abnegat, dicens Christum minimè seipsum sumpsisse. Quocirca collectionem hanc D. Thom. retrouertit. Ex hoc enim, quòd sacerdotes sumunt, colligimus nos Christum sumpsisse. Ipse verò dicens Christum non seipsum sumpsisse, colligit quòd neque sacerdotes debent sumere, sed populo vtramq; speciem ministrare, vbi consecrantes deterioris in hoc facit conditionis. Contra eum disputat Iudocus lib. 2. de officio missæ can. 21. Et quòd sacerdotes debeant sumere, multis Ecclesiæ canonibus constitutum est, quibus subinde ipse de hæresi condemnatur. Est enim

Concilium Toletanū.

consilium Toletanum modò citatum cano. Relatum,

Digitized by Google

vbi probatur quòd si sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti, per illud 1. Corinth. 10. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Nam si participare hostias est ipsas edere, & sacrificantes potissimùm sunt participes, fit vt ipsi primum edere debeant. Quare sacerdos non sumens, vno anno à communionis gratia repellitur. Idem constituit Gelasius in citato can. Comperimus. Et re vera si sacerdotes non debent sumere, inferiores essent, sacerdotibus veteris legis, qui vt Leuit. 6. & 7. legitur, prius de sacrificijs ipsi sumebant, quàm populo impartirent. Quapropter licèt id falso admitteretur, quòd Christus proprium corpus non sumpserit, iniqua nihilominus esset collectio ad sacerdotes: quia Christus nulla indigebat sacramentali gratia, vt sacerdotes, qua ideo priuandi non erant. At quòd & Christus sumpserit quod alijs tradidit licèt non sit in Euangelio expressum, sunt tamen præter Euangelicas coniecturas, probatissimi authores id affirmantes. Fuit enim huius figura Dauid, qui, vt legitur 1. Reg. cap. 21. coram Achis Rege Geth suis se manibus ferebat: sic enim Christus & suum corpus suis tenebat manibus, & suo sumebat ore.

Christus sumpsit.

Figura.

Argum.

Vna autem argutiuncula posset forsan scrupulum injcere: si quis quæret, vtrùm quando dixit, Accipite & comedite, ipse comederat, an minimè. Si enim dixeris comedisse, stat contra, quod non ipsum tunc consecrauerat: nam per subiuncta verba, Hoc est corpus meum, consecrauit. Si vero nondum comederat, apparet non prius quàm discipuli comedisse: nam porrigens eis dixit, Hoc est corpus meum. Veruntamẽ facilè hoc per ea, quæ suprà diximus † soluitur: videlicet, quod prius in tredecim buccellas panem fregerit, quas cum simul haberet in disco, quem manibus tenebat dixit, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, suam præsumens buccellam, faciebat n. cum illis conuiuium: & ratio conuiuij exposcit, vt inuitans cum conuiuis conuescatur. Id quod & testimonium eiusdem euangelij planè confirmat: ait n. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Quasi dicat, vt ego ipse & vos simul illud manducaremus. Et rursus: Non bibam amodo de hoc genimine vitis donec bibam illud nouum vobiscum in regno patris mei. Vbi denotatur tunc bibisse. Vnde præter authoritates Hieronymi & glossæ citatas, est Chrysosto. homilia 83. super illud Matth. 26. Bibite ex hoc omnes, vbi secundam subdit rationem dicens: Bibit ex eo, vt audientes hoc non dicerent. Quid sanguinem bibo, & carnem manduco? Vt enim non turbarentur, sicut turbati fuerant, quando multi abierunt retro, prius sanguinem suum bibit. Et Isychius egregius author super illud Leuit. 8. Cumq; de sanguine arietis, &c. Primum, inquit, sacerdos deinde filij eius sanguine fungebantur, quia Christus in cœna prius sanguinem accepit, deinde discipulis dedit.

† d. 11. q. 1. ar. 2. in med.

Testimonia Euangelica.

Chrysost.

1. Argu.

Primum argumentum Sanct. Thom. est hæreticorum genuinum, & Luthero vbique in perniciem Ecclesiæ vsurpatissimum. De factis Christi & dictis nihil asseri debet, quod non sit in sacra scriptura traditum: in Euangelijs autem non legitur, Christum suum corpus aut sanguinem sumpsisse, ergo non est asserendum. Respondet D. Thom. quòd licèt hoc non legatur expressè, legitur tamen quòd accepit panem & sanguinem, quòd quidem sicèt intelligatur manibus, vt Ecclesia refert, non tamen est credendum quòd acceperit solis manibus, vt hæretici credunt: imò accepit vt discipulis accipiendum tradidit. Cum ergo illis dixerit, Accipite & comedite & bibite, inde colligitur, se eodẽ etiam modo, s. ore accepisse. Vnde quidam metricè dixerunt. Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

2. Argu.

Secundò arguitur. Nihil potest esse in se ipso, nisi forsan ratione partium prout vna est in alia, vt 4. Physic. habetur: sed illud quod manducatur & bibitur, est in ore & stomacho manducantis & bibentis: cùm igitur Christus sit sub vtraque specie, impossibile videtur, vt sacramentum sumpserit. Alij sic faciunt argumentum. Inter sumentem & sumptum debet esse diuisio: Christus non est à se diuisus, ergo non potuit se sumere. Respondetur, quòd Christus, vt suprà dictum est, in sacramento non comparatur ad locum per proprias dimensiones, sed per dimensiones specierum: vt vbicunque sint ipsæ, sit eius corpus & sanguis. Vnde quia species potuit habere in ore & stomacho, ad comestionem earum comedit seipsum. Quare ad hoc non requiritur diuisio inter sumentem & sumptum, sed quòd diuersimodè ponatur in diuersis locis. Quare si localiter, vt est in cœlo, poneretur in alio loco sibi proximo, non posset suum corpus edere.

3. Argum.

Tertiò arguitur. Duplex est manducatio sacramenti, scilicet spiritualis & sacramentalis: spiritualis autem non competebat Christo, vtpote qui nihil gratiæ per sacramentum accepit: sacramentalis verò nuda, est imperfecta solis peccatorib. propria: ergo neutro modo Christus sacramentum sumpsit. Alex. Alensis 4. par. q. 44. memb. 2. refert quosdam propter hoc argumentum dicentes, Christum se manducasse singulari modo, nec tamen spiritualiter nec sacramentaliter: ipse autem prius censet quòd manducauit se sacramentaliter, sed non spiritualiter, sed postea vergit in solutionem S. Thom. quæ est tanquam legitima amplectenda: videlicet, quòd manducauit se & spiritualiter, & sacramentaliter. Tametsi nullum aut gratiæ, aut charitatis augmentum tunc susceperit, quia nullius egebat: sumpsit tamen spiritualem gustum & delectationis suauitatem & dulcedinem, quæ, vt suprà † diximus, sunt etiam effectus huius sacramenti. Id quod patet ex illo Lucæ 22. Desiderio desideraui manducare hoc Pascha vobiscum. Quod Eusebius Emissenus de hoc mysterio noui testamenti interpretatur. Desiderium namque illud testis erat spiritualis lætitiæ. Quòd autem sumpserit sacramentaliter non est dubium, postquam sumpsit corpus suum sub sacramento. At verò sumi sacramentaliter sine augmento gratiæ, accidit ex eo, quòd sumens non est capax gratiæ. Hoc autem contingit dupliciter, aut quia opponit illi obicem, vt peccator, aut quia sit gratia plenus, vt augmentum recipere nequeat, vt Christus.

Christus se sacramentaliter & spiritualiter mãducauit.

† d. 11. q. 2. ar. 7. & 8.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus dederit Iuda corpus suum.

QVIA mirabile est ei Christum suum tradidisse corpus in cibum, tanquam charitatis indicium qui ipsum per summum odium tradebat in crucem, quæritur an hoc verum fuerit. Et S. Tho. recitat opinionem Hilarij super Matthæum, † qui negat Iudæ fuisse sacramentum communicatum: affirmat verò ipse contrariam conclusionem, scilicet quòd Iudas cum alijs discipulis corpus Domini & sanguinem suscepit. Et probat primò authoritate Chrysosto. homil. citata 83. super Matthæ. Vbi ait, quòd cùm proditor ineffabilibus mysterium communicasset, idem permansit, & diuina mensa susceptus in melius commutari noluit: quia tali animo mysterijs susceptis nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus est. Cui accedit & Dionys. 3. ca. Eccleſiasticæ hierar. † Vbi ait, quòd Christus non pium neque concordem, videlicet Iudam, secum in cœnam perceperat. Idque ait inter loquendum de sacramentali cœna. Et August. tractat. 62. super Ioan. ait, quòd Dominus omnibus discipulis distribuit sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, vt Lucas, inquit, ipse narrat. De quo statim. Subditur & ratio: nam quamuis Iudæ nequitia sacram illam communionem non meruisset, magisterio tamen Christi, qui nobis futurus erat exemplum iustitiæ, congruebat vt occultum peccatorem sine accusatore & euidẽti probatione ab aliorum communione nõ separaret, ne per hoc daretur exemplum prælatis Ecclesiæ similia faciendi, & ne ipse Iudas exasperatus occasionem inde peccandi sumeret.

† can 30.

Conclusio.

† parte 3. d. principio.

De hac re ob id doctores discordant, quòd nonnullæ colliguntur Euangelijs coniecturæ in vtramque partem. Vnde Inno. lib. 4. mysteriorum missæ cap. 13. in partem Hilarij libentiùs inclinat, tametsi aliam August. opinionem non respuat. Quam, præter locum citatum, etiam tenet in epistola 162. & super psalmum decimum, quod refertur. 1. q. 1. ca. Christus. Cui concordat & Hiero. super illud Marci 14. Biberunt ex eo omnes. Si tamen ille eorum fuerit commentariorum author. Et Bernardus in quodam sermone, vbi ait, in eadem mensa sunt Petrus & Iudas. Et Aymo super Paulo 1. Corinth. 11. Et Remigi. super Matth. capit. 26. Et Leo in quodam sermone de passione Domini. Quapropter sententia hæc est tanquam sanctorum communis, imò tanquam Euangelio affinis amplectenda.

Expositio articuli.

Sanctorum testimonia.

Vt autem res magis perspicua fiat, dubitare non licèt,

licet, quin omnes discipuli qui dum Christus consecrauit, præsentes aderant, sacramento communicauerint. Dixit enim, vt Matth. refert, † Bibite ex hoc omnes. Et Marcus ait, † quòd biberunt ex illo omnes. Sed status litis est vtrùm tunc aderat Iudas, an verò iam exiuerat. Præmittenda igitur est forma, & ordo cœnæ, quæ duas habuit partes. Primò enim sedens cœnauit paschalem agnum, & illam appellat Ioan. capit. 13. cœnam, cùm ait: Et cœna facta cùm diabolus, &c. Vnde August. tracta. 55. super Ioan. Non ita, inquit, debemus intelligere, cœnam factam quasi iam consummatam: nam postea recubuit, & buccellam suo traditori dedit, surgens à cœna, & positis vestimentis lauit discipulorum pedes, etiam Iudæ; nam ait: Et vos mundi estis, sed non omnes: sciebat enim quisnam esset qui traderet eum. Deinde resumptis vestimentis iterum recubuit, & tunc ait: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Et tunc Petrus suggessit Ioanni recumbenti supra pectus Domini, vt ab eo quæreret quisnam esset. Cui Dominus secreto ait: Ille cui ego intinctum panem porrexero. Et tunc dedit Iudæ intinctam buccellam, & continuò exiuit. Hæc apud Ioannem. At quia ipse nihil de instituto sacramento meminit, dubium reliquit quando id fuerit institutum. Sed citra dubium institit illud post iotionem pedum in secundo recubitu. Ille enim ordo erat necessarius, vt (quemadmodum eodem loco ait Beda) completa priùs figura veteris Paschatis, hoc est, esus agni institueret nouum sacramentum. Ante cuius institutionem necessum erat pedes lauare, ad significandum summam mundiriem, quæ ad eius sumptionem est necessaria. Igitur dum ait Matth. Cœnantibus illis accepit Iesus panem, &c. non accipit cœnam, sicut Ioannes, pro esu agni, sed pro tota cœna constante ex primo accubitu, & secundo recubitu. Nam licèt fuerit per lotionem pedum interpellata, tota vocatur vna cœna. Et quod tunc assideret illic Iudas, docet palàm Lucas, ca. 22. vt Chrysostomus & August. suprà citati ainnt. Apud quem postquam Christus dixit: Hic est calix noui testamenti in sanguine meo, qui pro vobis effundetur; continuo subdit: Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Cùm ergo, vt Marcus ait, omnes ex illo biberint, fit consequens, vt Iudas quoque sumpserit sacramentum. Quare sententia hæc non solùm tanquam doctorum, sed etiam tanquam Euangelij est suscipienda.

Matt. 26. Mar. 14.

Euangelica historia.

Institutio sacra. quàd. facta.

Affirm. sententiæ. vera.

Argumenta vero, quibus Hilarius & Innocentius hallucinati sunt, adfert D. Thom. Primum est hoc. Vt Matth. 26. legitur, postquam Dominus corpus suum & sanguinem discipulis tradidit, subiunxit: Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei: cum infœlici autem Iuda non erat illud bibiturus: ergo iam tunc non aderat. Hæc autem ratio Hilarij non cogit: nam Christus loquebatur discipulorum collegio aperiens eis animum suum, qui erat omnibus, quantum in se erat, pretium sanguinis sui impertiri, nisi aliquis sua culpa ab eodem collegio se subducere vellet, quod fecit Iudas. Quare non sequitur, non illi etiam tunc fuisse dictum.

1. Argum.

Secundò arguitur. Dominus quicquid præcepit, impleuit, secundum illud Actuum 1. Cœpit Iesus facere & docere, inhibuit autem Apostolis Matth. 7. dicens: Nolite sanctum dare canibus; cum ergo ipse nosset Iudam esse canem, videtur ei non tradidisse sanctum sacramentum. Respondetur, præceptum Christi sic est intelligendum, quòd non est dandum eis sanctum, quos iuridicè constat esse canes. Christus autem vt Deus nouerat iniquitatem Iudæ, non tamen iuridicè, & ideo dedit ei, exemplum relinquens nobis, vt similiter nos demus occultis peccatoribus.

2. Arg.

Explicatur loc. Matth. Nolite sanctum dare canibus.

Tertium autem argumentum est, vbi punctum difficultatis latet, vtrùm scilicet buccellam intinctam antè post corpus & sanguinem tradidit Iudæ, an verò in ipsa sacramentum tradiderit. Arguit igitur D. Thomas. Si Christus corpus suum & sanguinem Iudæ tradidit, maximè dum intinctam buccellam, vt legitur Ioan. 13. illi porrexit, præcipuè cum legatur ibidem, quòd post buccellam introiuit in eum satanas, vbi August. † ait. Hic nos docemur quàm sit cauendum malè accipere bonum: si enim corripitur qui non dijudicat, id est, qui non discernit corpus Domini à cæteris cibis, quomodo non damnatur qui ad eius mensam fingens se amicum accedit inimicus? cum buccellam autem intincta non accepit corpus nec sanguinem Christi, ait quippe idem Aug. eodem tractat. 62. super idem verbum: Cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotis. Non vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas corpus Christi accepit: ergo nunquam ei idem corpus porrexit. Respondetur cum eodem Augustin. quod sine dubio Iudas cum pane intincto corpus Christi non sumpsit, sed simplicem panem. Significabat autem buccella illa, vt idem Pater subdit fictionem Iudæ: non enim omnia quæ intinguntur abluuntur, id vt inficiantur nonnulla tinguntur. Si autem bonum, inquit, aliquid hic significat tinctio (scilicet dulcedinem bonitatis diuinæ, quia panis ex intinctione sapidior redditur) idem bonum ingratum non immeritò est secuta damnatio. Hæc Augustinus. Et propter illam ingratitudinem id quod est bonum, factum est ei malum, sicut accidit sumentibus corpus Christi indignè. Hactenus ergo & Hilarius & vniuersi cum Augustino consentiunt, scilicet quod in buccella illa non sumpsit Iudas corpus nec sanguinem. Neque verò vllus dissentire valet. Quoniam cum cæteris seorsum sanguinem post corpus sub forma potus porrexit, nullatenus suspicandum est quòd Iudæ sacramentalem panem sanguine tinctum dederit: illud quippe non esset manducare & bibere. Quare can. Cum omne. de conse. dist. 2. ob id prohibetur hostiam intinctam populo ministrari. Differentia tamen est, quod Hilarius & Inno. putant illam buccellam ante institutionem sacramenti fuisse illi porrectam, post quam commestam illico exiuit, antequam sacramentum cæteris traderetur. Augustin. verò eodem loco ait intelligendum esse, quod Dominus iam antea distribuerat discipulis suis sacramentum corporis & sanguinis sui, quia Lucas narrat dixisse tunc Christum. Ecce manus tradentis me, &c. Deinde ad hoc, inquit, ventum est, vbi secundum narrationem Ioannis Dominus per buccellam intinctam atque porrectam suum exprimit proditorem. In eandem sententiam subscribunt Hug. lib. 3. de sacra. p. 8. c. 4. & Magist. Senten. d. 11. & omnes.

Responsio.

Buccella Iudæ à Christo tradita post sacram. distributionc.

De hac autem buccella posset curiosus inquirere, in quo fuerit intincta. Ad quod, licèt in euangelio nihil habeatur, respondetur fuisse intinctam in vino: nam salsamentum ad esum agni non erat necessarium, & Christus delitias non curabat. In aqua verò non est verisimile: quia nihil faciebat ad rem. Vinum autem, quia colorem mutat panis, ad significationem attinebat ficti cordis Iudæ, & quia sapidum reddit panem, ad significationem charitatis, qua illum volebat Christus allicere. Enimuero præter vinum consecratum aliud erat in mensa, imo vt Lucas enarrat, ante consecrationem corporis accepto Christus calice, dixit discipulis: Accipite, & diuidite inter vos. Et post consecratum porrectumque panem iterum ait. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix, &c. vbi insinuatur, cœnam agni consummasse in potu non consecrato, & postmodum consecrasse aliud poculum. Tametsi de primo dixerit: Non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. Quod Matth. refert post consecrationem calicis, quasi dictum de sanguine, qui fuit beatificæ fruitionis pretium. At vero & de naturali vino intelligi quoque posset quatenus cælestem lætitiam beatitudinis significat: nam & post resurrectionem fuit illud quoque impletum dum cum discipulis manducauit & bibit.

Dubitatio. In quo buccella intincta fuit? In vino.

Non consecrato.

Secundò forsan quis obijciat quod Christus visus est illo signo proditorem propalasse, contra quàm suprà dictum est. Respondetur autem quod cum Ioanni in aurem illud dedisset secreto signum, alij non intellexerunt. Quare dum postea dixit ei: Quod facis, fac citius, non putauerunt nisi iussisse, vt emptum iret ea quæ ad festum emere oportebat. Fuit autem illa secreta reuelatio necessaria, vt postea constaret omnia quasi Deum prænouisse. Quare ait: Amodo dico vobis antequam fiat, vt cùm factum fuerit credatis, quia ego sum.

Tertio quispiam forsitan scisciterur, quomodo dicat Ioannes, quod post buccellam introiuit in Iudam Satanas, cùm ante lotionem dixisset, quod diabolus misisset in cor, vt traderet Christum Iudas. Respondetur, quod mittere in cor minus est quàm intrare. Misit enim in cor eius consensum vt traderet, sed postmodum intrauit, sicut intrare solet in arreptitios, quorum membra mouet. Sic enim intrauit in Iudam, vt scelus exequeretur quod incœperat.

Non propalauit Christus proditorem.

† Tract. 62. in Ioan. circa princip. tom. 3.

ARTI

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sumpserit & discipulis suis dederit corpus suum impassibile.

CVM Christus tunc corpus habuerit passibile, in sacramento verò sit modo impassibili, quæritur quale sumpserit & dederit. Et quæstionis causa fuit Hugo, qui lib. 2. modo citato, part. 8. cap. 3. tenet consecrasse & tradidisse corpus impassibile & incorruptibile. Quam vtique opinionem Innocent. lib. 4. de mysterio missæ cap. 12. referens refutat. Sententia ergo Hugonis, saltem vt loco citato refert Innoc. fuit quòd Christus viuens omnibus quatuor dotibus gloriæ vsus fuerit: scilicet, subtilitate, dum per vterum clausum natus est: agilitate, quando ambulauit super aquas: claritate, in transfiguratione: & impassibilitate, in cœna quando corpus suum tradidit discipulis manducandum. Ratio Hugonis fuit: quia in sacramento non est modo corruptibili: sanè vbi non habet esse extensum, vt possit secundùm se vel frangi, vel digeri, nisi secundum species. Et ideo ait, quòd licèt qui dabat visibilis erat & mortalis, tamen quod dabatur inuisibile erat & immortale. Contra hanc autem opinionem S. Thom. ad mentem Innocent. statuit duas conclusiones.

Hugonis opinio. Innocent.

1. Concl. Prima est. Corpus Christi, quod in specie sacramenti Christus dabat, non erat impassibile. Remittit se tamen ad ea, quæ in 3. part. dixerat q. 45. vbi ostendit Christum nulla dote glorificati corporis fuisse vsum, quoniam dos dicit quid perpetuum, & receptum per modum habitus. Christus verò in corpore mortali non habuit illas, nisi per modum transeuntis dispositionis, quare non per dotes, sed per miracula natus est, & ambulauit super mare. Quicquid autem sit de illis, tamen de impassibilitate impossibile, inquit, est. Manifestum siquidem existit, quod idem corpus Christi erat, quod tunc à discipulis in propria specie videbatur, & in specie sacramenti sumebatur. Vnde Innocent. loco citato, tale, ait, corpus tunc dedit discipulis quale habuit, non autem erat impassibile secundum quod in propria specie videbatur, quinimò erat passioni paratum: non ergo erat impassibile quod dabatur.

2. Concl. Secunda conclusio. Impassibili modo erat sub specie sacramenti, licet in se esset passibile, sicut illic erat inuisibiliter, quod in se erat visibile. Et per hoc respondetur Hugoni: aliud quippe est in sacramento esse impassibile. Quod enim sit illic impassibili modo probatur; quia illic non potest pati, sicut nec videri: nam cum istæ sint actiones extrinsecus accidentes, requirunt contactum agentis ad passum: corpus autem Christi in sacramento, vt suprà dictum est, † quia non est illic localiter, non comparatur ad circunstantia corpora mediantibus proprijs dimensionibus, quibus corpora se continguntur, sed mediantibus dimensionibus specierum panis & vini: & ideo illæ sunt quæ videntur, tanguntur, & patiuntur. Nihilominus passionibus, quas Christus in propria specie reciperet, afficeretur corpus & anima in sacramento. Et eodem modo respondetur ad glossas, quas Diuus Thomas adfert in primo argumento. Super illud enim Matth. 17. Transfiguratus est, legitur quod illud corpus, quod habuit per naturam, dedit discipulis in cœna non mortale, nec passibile, quod intelligitur non dedisse mortali aut passibili modo ita vt in sacramento posset crucifigi, sicut non potest comedi nisi comestionem specierum. Et super illud Leuit. 2. Si oblatio tua fuerit de sartagine, &c. legitur, quod crux super omnia fortis carnem Christi, quæ ante passionem non videbatur esui apta, post passionem aptam fecit: quod sic intelligitur, vt crux fuerit causa passionis, quæ per esum huius sacramenti repræsentatur.

Expositio articuli.

† dist. 10. q. 1. art. 3.

1. Argu.

3. Argum. Arguit autem tertio loco D. Thom. Non minoris virtutis sunt modo verba consecrationis quàm ante Christi passionē: nunc autem per ea consecratur corpus immortale & impassibile: ergo & tunc. Negatur tamen consequentia: quia ex vi consecrationis solum ponitur corpus in sacramento, reliqua verò accidentia non nisi ex naturali concomitantia. Nunc autem etiam in propria specie est impassibile, quale tunc non erat. Quo autem hæc luculentiùs innotescant, subiungitur. 4. artic.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum si hoc sacramentum tempore passionis fuisset seruatum, ibi Christus moreretur.

EX opinione præcedenti, quam Innocent. loco citato refert, consequitur vt seruato sacramento tempore passionis illic non moreretur Christus. Secundùm autem veritatem statuuntur duæ similes conclusiones præcedentibus.

1. Concl. Prima. Quicquid pertinet ad Christum secundùm quod in se est, conuenit ei pariter & vt est in propria specie, & vt est in sacramento, sicut viuere, mori, dolere, animatum vel inanimatum esse, & cætera huiusmodi.

2. Concl. Secunda. Quæcunque vero conueniunt ei per comparationem ad extrinseca corpora, possunt ei attribui in propria specie, non autem prout est in sacramento: veluti irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cætera huiusmodi. Ambæ conclusiones colliguntur ex superiori articulo, vbi dictum est corpus Christi idem in substantia esse in propria specie & in sacramento, sed non eodem modo: nam in propria specie contingit circunstantia corpora secundum proprias dimensiones, in sacramento verò non nisi secundum alienas panis & vini. Quare in sacramento non habet modum, vt possit videri aut tangi, sicut in propria specie. Nihilominus quicquid intelligit, aut vult, aut sentit extra sacramentum, vult pariter & intelligit & sentit in sacramento. Quapropter dum extra sacramentum flagellabatur, dolorem tunc sentiebat in sacramento, si consecratum tunc erat. Sputa verò, quæ extra sacramentum recipiebat, non erant in sacramento. Afficiebatur nihilominus illic mœrore propter illa. Atque eadem ratione dum anima separata fuit à corpore, separata fuit etiam in sacramento: erat enim idem in cruce & in sacramento: quare si moriebatur in cruce, moriebatur in sacramento. Tametsi per nouum miraculum, vt suprà dictum est, nihil obstat quo minus Deus de potentia absoluta posset facere vt maneret in sacramento anima coniuncta corpori, licet in propria specie esset disiuncta. Hæc autem omnia satis distin. 10. quæst. 1. discussa sunt. Vnde quidam metricè dixerunt. Pyxide seruato poteris sociare dolorem, hoc est, Christo seruato in pyxide sociatur dolor, quo efficitur in propria specie. Innatus, sed non illatus conuenit illi, id est, illic non potest illi inferri: potest tamen innatum sentire, si in propria specie inferatur.

1. Argu. Et per hæc soluuntur argumenta Sancti Thomæ, quorum primum est. Mors Christi accidit ei per eius passionem, sed in sacramento non potest pati: ergo neque illic potest mori. Negatur consequentia. Solum enim sequitur quòd non potest mori per passionem, quam recipit in sacramento. Passio namque dicit contactum à circunstanti corpore, quæ accidere ei non potest in sacramento. Mors verò non dicit ordinem ad extera, sed ad interna, hoc est, separationem animæ à corpore, quæ potest accidere in sacramento per passionem susceptam in propria specie.

2. Argu. Secundò arguitur. In morte fuit separatus sanguis à corpore; sed in sacramento manet ei coniunctus, ergo illic non moreretur. Respondetur ad minorem, quod sanguis, vt dictum est, † sub specie panis non est ex vi consecrationis, sed ex naturali concomitantia, & ideo quia nunc est in cælo coniunctus corpori, est etiam coniunctus in sacramento. In triduo vero sub speciebus panis tantum esset corpus, & sub speciebus vini tantùm esset sanguis.

† d. 10. q 1. art. 1. & 2.

3. Argum. Et eodem modo respondetur ad tertium de anima, quæ quatenus habet esse sensibile & rationale non est in sacramento, nisi ex naturali concomitantia. Sed quatenus dat esse corporeum, est illic ex vi sacramenti. In triduo vero quia anima erat separata à corpore, esset in sacramento corpus sine anima, quod per formam cadaueris haberet esse corporeum, vt superius distin. 10. quæst. 1. art. 1. explicatum est.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO DECIMATERTIA,

DE MINISTRO HVIVS SACRAMENTI, ET DE RATIONE QVA EST SACRIFICIVM.

Cap. 1. HACTENVS de sacrosancta Eucharistia quatenus sacramẽtum est. Nunc ergo de eadem dicere superest qua ratione est sacrificium. Cuius prima consideratio est de ministris. Est autem huius sacramenti minister non alius, quàm sacerdos, qui solus Christum repræsentat, in cuius persona consecratur. Vnde in quadam epistola Isidorus. Ad presbyterum, inquit, pertinet sacramentum corporis & sanguinis Domini in altario Dei perficere. Cui vtiq; illud consecrare nefas est, nisi vtramque consecratam materiam suscipiat: alioqui imperfectum relinqueret sacrificium. Quale enim sacrificium est, vt in concilio Toletano legitur, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?

Can. Perlectis. 25. dis.

De consec d. 2. can. Relatum.

Cap. 2. Vniuersi ergo sacerdotes, quamuis peccatis sordeant, hæreticique adeò, schismatici, excommunicati, ac degradati sint, quia characterem sacerdotalem amittere nequeunt, vbicunque consecrare tentauerint, verè consecrant. Nam vt in libro de corpore Domini autor est Augustinus, intra Ecclesiam Saluatoris in mysterio corporis & sanguinis Domini nil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris & virtute Spiritus sancti. Imó nisi vel nominatim excommunicati sint, vel publici clericorum percussores, vt in concilio Constantiensi cautum est, nulla est culpa eorum sacrificijs interesse, deq; eorum manibus sacramentum sumere.

1. q. 1. ca. intra catho.

Concilium Constant.

Cap. 3. Quòd autem sacramentum hoc, sacrificium etiam sit, qua vtique dignitate reliquis præstat sacramentis, Christus docuit apud Lucam dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Et: Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis effundetur. Si enim Dominus in ara crucis hostiam viuam se obtulit Deo Patri, fit vt hæc eius memoria, sacrificium sit, quo eius immolatio refertur. Vnde Augustinus in libro Sentent. Prosperi, semel, inquit, immolatus est in se ipso Christus: & tamen quotidie immolatur in sacramento. Et super Epistol. ad Hebræos Ambrosius, † In Christo semel oblata est hostia, sed nos per singulos dies offerimus ad recordationem mortis eius.

Luc. 22.

De consec. d. 2. can. Semel immolatus. Item eadem can. in Christo. † in cap. 10. à princip. ver. 5.

Cap. 4. Ad hoc autem sacrificium celebrandum & tempus requiritur idoneum, vt scilicet quotidie à solis aurora vsque ad meridiem celebretur. Et locus etiam decens, vt templum & altare. Deinde vestes secundùm Ecclesiæ morem. Ac subinde Psalmi, oblationes & preces, atque aliæ cæremoniæ, quas Ecclesia Spiritui sancto instructa à temporibus Apostolorum perpetuo more & vsu seruat. Vt enim in sexta synodo Constantinopolitana legitur, Iacobus frater Domini secundum carnem, & Basilius Cęsarienſis Episcopus ediderunt missæ celebrationem. Quin verò Apostoli, qui vt in eorum Actis legitur, erant perseuerantes in oratione & fractione panis, ante suam ipsorum dispersionem creduntur plurima, quæ in missa fiunt, ordinasse, quæ postea Ecclesia, sicut aurora consurgens, Spiritus sancti nomine magis ac magis locupletauit.

De consec. d. 2. can. Iacobus.

Act. 2.

DISTINCTIONIS DECIMÆTERTIÆ,

Quæstio prima.

DE MINISTRO HVIVS SACRAMENTI.

S. Thom. 3. par. quæst. 82.

ARTICVLVS I.

Vtrùm consecratio huius sacramenti sit propria sacerdotis.

SACROSANCTA Eucharistia inter cætera sacramenta, vt in fronte statim totius huius materiæ propositum à nobis est, hac excellentia pollet, quod non tantum sacramentum, verùm & sacrificium est. Cum ergo hactenus de priori eius ratione satis dictum fuerit, tandem in hac distinctione, de eodem sacramento quatenus sacrificium est, dicere restat. Et quia in sacrificio minister primum considerandus venit, prior quæstio est de ministro, atque adeò primus articulus, Vtrùm sit tantum sacerdos. Ad quod D. Tho. hac conclusione respondet. Proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum. Probatur primò autoritate Isidori distin. 25. cano. Perlectis. Vbi ait, Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis & sanguinis Domini in altario Dei conficere. Mox confirmatur ratione. Sacramentum hoc, vt in superioribus explicatum est, tantæ est dignitatis, vt non nisi in persona Christi conficiatur: nemo autem in persona alterius agere quicquam potest, nisi per potestatem ab ipso sibi collatam: igitur sicut per sacramentum baptismi baptizatis potestas conceditur sumendi hoc & reliqua sacramenta, ita solis sacerdotibus cum ordinãtur confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Solis enim illis quos Christus sacerdotes ordinauit, munus hoc iniunxit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem.

Conclusio.

Expositio articuli.

Conclusio huius articuli quamuis non sit expressa in Euangelio, tamen sanctorum interpretationibus, & orthodoxis sacrosanctæ matris Ecclesiæ decretis satis est constabilita, vt in canon. Isidori citato, & de summa Trinit & fide catho. c. Firmiter. Et in concilio Florentino, quibus habetur solis presbyteris facultatem inesse consecrandi: ita vt si quis extra ordinem sacerdotalem hoc sacramentum consecrare tentaret, nullum esset sacramentum. Quare Ecclesia solenniter canit. Cuius officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, vt fumant & dent cæteris. At verò quia nulla est veritas, quam non Satanas per suos satellites oppugnare contenderit, non defuerunt hæretici, qui omnes dignitates Ecclesiæ confusè permiscẽtes contenderunt, nullos esse sacerdotes à reliquo vulgo distinctos, sed vniuersos Christianos promiscuè esse sacerdotes. Hanc hæresim coluit Witcleff, contra quem de hac re disputauit Thomas Waldensis tomo 2.

Hæresis Wicleff & Luther.

de la-

Digitized by Google

de sacrament. ca. 7. & 28. vbi quandam inducit Firmiani epistolam ad Cyprianum, qua de præstigiatrice puella refert, quæ se sacerdotissam faciens Eucharistiam consecrabat. Eandemque postmodum hæresim Lutherus hæres Witcleff, cohæres autem Antichristi in libro illo pestilenti de abroganda missa priuata suis Germanis persuasit. Et peculiariter de hoc sacramento dixit, quod vnusquisque paterfamilias posset domi suæ panem & vinum consecrare, & corpus & sanguinem suæ exhibere familiæ. Itaque omnes cuiuscunque ætatis & sexus, etiam mulieres dixit esse sacerdotes. Ex qua quidem hæresi tota illius nationis pernicies oborta est. Contra quem Iodocus Clichtoueus secundo libro de officio missæ per septem prima capitula non infœliciter disputauit. Fuit enim ingenium illius bestiæ populares animos demulcere, & contra sedem Apostolicam, & sacrosancta sacramenta concitare, quod sic perficere arbitratus est, si omnes ordines Ecclesiæ demoliretur, & persuaderet omnes esse Christianos æquales: neque sacerdotes laicis præcellere, neque agricolis episcopos, neq, Papam bubulco.

Vniuersæ hierarchiæ exclamant contra Lutherum.

Vniuersi autem rerum ordines & hierarchiæ aduersus hanc iniquissimam æqualitatem proclamant: nam & rerum natura ex partibus constat pulcherrimo ordine distinctis, in qua cæli præminent, elementaque subsunt, quibus omnibus terra subditur, à quibus suam suscipiat virtutem. Et supra, cælestes spiritus in suas sunt hierarchias distincti, quorum inferioribus superiores præsident, & diuina dispensant. Atqui eorum instar D. Dionysius Apostolorum discipulus Ecclesiasticam hierarchiam diuino munere institutam docet, in qua sub pontificibus sacerdotes, sub illisque, alios ministros diuinitus institutos ostendit. Cui & Ignatius ei coætaneus, & Ioannis Euangelistæ discipulus, crebrò in suis epistolis, & potissimum in prima ad Trallianos episcopos, presbyteros & diaconos secundum traditionem magistri sui ex ordine recenset. In lege veteri solam Leui tribum sacrarum ministerio dedicatam legimus, cuius summus sacerdos, vt dignè sacerdotio fungeretur, sanctis vestibus diuina institutione decoratus est, sacrosancto oque oleo vnctus, vt Exod. 28. & 29. est videre. Cui soli inter alios sacerdotes, vt ad Hebræ. 9 ait Apostolus licebat semel in anno introire in sancta, vbi Christi sacerdotium designabatur. Quin verò & ciuilis respublica nunquam sine pontificibus & sacerdotibus legitur. Vt apud Liuium de Numa Pompilio. Et Genes. 47. de sacerdotibus Ægypti memoriæ proditum est. Quis ergo non videat quam sit absurda impietas, Ecclesiam, vbi diuina superque naturalia sacramenta tractantur, illo ministeriorum ordine & decóre priuare, quo reliqua Dei opificia coruscant?

Figura sacerdotij Christi.

Testimonia noui testamenti.

In nouo autem testamento plura sunt huiusce rei testimonia, quàm vt præsens locus capere posset. Elegit enim Christus Matth. 16. Petrum, cui propriè claues regni cælorum commisit: quod munus censeri non potest cunctis Christianis commissum: nam peculiariter illi dictum est: Tu es petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cui & alios vndecim associauit Apostolos. Ac subinde, vt Lucæ decimo legitur, alios septuaginta duos discipulos. Vnde distinctio. 21. canon. In nouo. habetur, episcopi Apostolis successerunt, & reliquis discipulis sacerdotes. Neque Christus dixisset: Quis putas est fidelis seruus & prudẽs, quem constituit Dominus super familiam suam, Lucæ 12. nisi alij alijs essent præfecti. Vnde Paul. 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et ad Roma. 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Ac subinde 1. Cor. 12. Si dixerit pes: quia non sum manus, non ideo non est de corpore. Lutherus autem cùm cæcus esset, omnes voluit esse oculos, vt corpus Ecclesiæ monstrum esset. Cùm secundùm eundem Apostolum ad Ephes. 4. Alios Christus dederit Apostolos, alios Euangelistas, alios doctores, & alios pastores. Et 1. ad Timot. 3. & 5. & ad Titum 1. admonet non omnes & sine delectu creandos esse episcopos, quorum qualitates describit. Et c. 4. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te est per manuum impositionem presbyteri. Et Titum admonet per omnes ciuitates creare presbyteros. Quos & Apostoli per singulas Ecclesias constituebant, vt Actuum 14. legitur. Sed Lutherani presbyteros appellant seniores.

Germanorum pernicies.

Mos Lutheranorum.

At quia diximus ex ista hæresi totam perniciem Germanorum esse obortam, rationem subiungam. Qui enim sacerdotibus peculiarem potestatem sacramentorum à Christo concessam inficiantur, negare subinde debent eadem sacramenta vllum habere supranaturalem effectum. Est enim Lutheranis in more, vt ciuilis respublica creet suos presbyteros, cum quibus aliquando ego congressus postulabam ex eis, Vtrum ciuilis respublica potestatem habeat aliquam supranaturalem ad conferenda Christi munera. Quod quidem affirmare non poterant. Rursus quærebam, vtrùm consecratio sacramenti sit effectus supranaturalis. Et quidem discipuli Lutheri, qui tenent verum corpus existere in sacramento, negare nequiuerunt. Inferebam ergo, neque præfectus vrbis, neque vllus è senatu consecrare potest: quomodo ergo hanc valeat facultatem alicui ciuium conferre? Oecolampadius verò, qui veritatem corporis & sanguinis in sacramento non agnoscit, & Lutherani, qui nihil gratiæ sacramenta conferre docent, nihil mirum, si nec sacerdotis, nec episcopi dignitatem admittant. Sacramenta enim & sacerdotes mutua se consequentia inferunt. Et munera sacerdotum, quæ apud istos hæreticos sunt, prædicare, & baptizare, & cœnam Domini in mero pane & vino celebrare, quicunque cerdonum & sartorum exercere potest. Qui autem fatetur potestatem, quam Christus habuit diuinam dimittẽdi peccata, in Ecclesia reliquisse, & functionem sui corporis & sanguinis consecrándi, atque alios charismatum effectus conferendi, necesse habet dicere, quibusdam eiusmodi functiones peculiariter commisisse, quos aliquo sacramento ad id muneris initiatos esse voluit. Id quòd planè Ioan. 20. declarauit dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c. super quem locum Chrysostomus lib. 3. dialogorum cap. 4. & 2. lib. de sacerdotio, ait, sacerdotibus collatam esse in terra potestatem, quam neque Angelis, neque Archangelis Deus vnquam dedit: ipsam enim contingit animam, transit cælos, vt sententiam eorum in terra, Deus confirmet in cælis.

Argum. Lutheri.

Arguunt autem Lutherani cum suo Witcleff ex illo 1. Petr. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Et Apocalypsis 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes; quæ quidem loca de vniuersis Christianis intelliguntur. Ad quæ nos quidem distinguentes respondemus: quòd sicut sacrificium vno modo accipitur generaliter pro quacunque hostia quæ Deo offertur, & secundo modo specialiter pro sacramentorum administratione, & potissimum pro sacrificio altaris, quod est munus publicum, quod in persona totius Ecclesiæ fit: sic & sacerdos vno modo generaliter dicitur omnis Christianus, qui corpus & animam suam coram Deo virtutum officijs sacrificat. Hanc enim potestatem Christus suæ etiam familiæ tradidit, dum in cruce se obtulit Deo pro nobis, filios nos Dei adoptiuos constituens: cui omnia nostra merita & sacrificia nituntur. Sed & altero modo peculiariter & per antonomasiam sacerdotes non dicuntur, nisi qui sacra dant, hoc est, qui sacramenta administrant. Suntq; adeò mediatores inter Deum & populum, vt & Dei munera populo administrent, & vicissim pro populo apud Deum preces fundant, & sacrificia offerant.

Quomodo omnis Christianus sacerdos dicatur.

Vnde secundum argumentum S. Thomæ in præsentiarum est. Sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi, sed laicus sanctus est vnitus Christo per charitatem: ergo videtur posse ipsum conficere: ait enim super Matth. † autor imperfecti, quòd omnis sanctus est sacerdos. Ad quod respondet, quòd licèt omnis iustus sit Christo per fidem & charitatem vnitus, non tamen per sacramentalem potestatem, & ideò licèt non sit sic sacerdos, vt possit sacramenta conficere, habet tamen spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur in Psalmo. † Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et ad Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Deo placentem, &c. Vnde Petrus Apostolus loco citato ante illa verba: Genus electum, regale sacerdotium, præmittit quemadmodum Christiani esse debeant sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. At quia Lutherani alia sacrificia non admittunt quàm virtutum opera, fit vt sacerdotium Ecclesiasticum repudient.

2. Argu. S. Tho.

† Hom. 43. à princ. to. 1. oper. Chrysost.

Psal. 50.

Digitized by Google

1. Argu.

Primo autem loco arguit S. Thomas sic. Sacramentum hoc consecratur virtute verborum, quæ sunt forma sacramenti, sed illa non sunt minoris virtutis à laico prolata quàm à sacerdote: ergo & laicus consecrare potest. Respondetur, virtutem non solum esse in verbis, verum in omni sacramentali instrumento, veluti in ablutione baptismi. Quare virtus conficiendi sacramentum est etiam in sacerdote per potestatem ei in sua ordinatione traditam, dicente Episcopo, Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro viuis, quam pro mortuis. Nam & seculares artifices pluribus instrumentis vtuntur.

Virtus ad consecrandu non in solis verbis consistit.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Sicuti baptismus, ita & hoc sacramentum in salutem hominum institutum est; sed laicus baptizare potest: ergo & consecrare. Negatur consequentia: quia hoc sacramentum non est tantæ necessitatis quam illud.

4. Argum.

Quartò arguitur. Hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ; sed alias materias, vt chrisma, & oleum sanctum, & templa, & altaria, quæ non sunt tantæ dignitatis quàm hoc sacramentum, solus Episcopus consecrare potest: ergo non est proprium sacerdotis Eucharistiam conficere. Negatur consequentia: nam Episcopus non solùm accipit potestatem super corpus Christi verum, sed super mysticum: nempe, super Ecclesiam, quam in persona Christi gubernat: & ideo illa, quæ non pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reseruantur Episcopo, quale munus est sacramentum consecrare. Episcopo verò tanquam principi totius Ecclesiastici ordinis propriè incumbit tum sacerdotes ordinare, tum subinde & omnia præparare, consecrare, & benedicere quæ ad sacramenta per sacerdotes conficienda idonea sunt, vt templa, altaria, chrisma, oleum, &c.

ARTICVLVS II.

Vtrùm plures sacerdotes possint vnam simul eandemq; hostiam consecrare.

Conclusio.

PROPTER ritum quarundam Ecclesiarum, vbi sacerdotes dum ordinantur, simul consecrant; quæritur, Vtrum plures simul possint eandem consecrare hostiam. Et respondet S. Tho. affirmatiuè, quod plures possunt vnum sacramentum perficere, vt fit in ordinatione sacerdotum. Probatur, quia sacerdos dum ordinatur, constituitur in eorum gradu, qui à Domino in cœna potestatem consecrandi acceperunt. Quare non est inepta quarundam Ecclesiarum consuetudo, quæ habet, quod sicut Apostoli Christo cœnante simul cœnarunt: ita qui ordinantur cum Episcopo celebrante concelebrent. Neque inde subsequitur, vt sacramentum iteretur: quoniam, vt ait Innocent. lib. 4. de mysterio missæ c. 25. omnium intentiones debent referri ad idem instans.

Exponitur artic. sensus.

Sententia hæc S. Thom. quia non est assertio euangelica, neque vniuersalis Ecclesiæ, sed quarundam, vt ipse fatetur, non caret scrupulo, quare licet de illa disputare. Innocentius enim, quem hic sequitur, non tanquam Papa eam decreuit, sed tanquam doctor approbauit. Durandus ergo dist. præsenti quæst. 3. non est veritus eam refutare. Ad cuius intellectum adnotandum est, trifariam posse plures sacerdotes ad consecrationem vnius hostiæ concurrere. Vno modo, si vnus quilibet intenderet suam partem consecrare, & quidem si nullus signaret quam partem consecrat, sed in confuso quisque intenderet consecrare vnam partem, tum consecratio nulla esset: quia pronomen hoc, debet singularem demonstrare materiam. Sed si aliquo penicillo partes delinearentur, vnusquisque posset consecrare suam: imò quamuis malè faceret & peccaret, posset vnus consecrare vnam partem, alijs manentibus non consecratis. Concurrunt enim illic omnia quæ sunt de essentia sacramenti. Et quantitas tunc specierum consecratarum continuaretur cum quantitate residui panis. Tametsi ingenuè fatear difficillimè posse partem consecratam à non consecrata discerni: & ideo est peccatum mortale id facere. Secundo modo possent duo intentionem habere consecrandi eandem totam hostiam complexim, vt scilicet nemo per se absolutè consecrare intenderet nisi simul cum altero: ita vt esset vtraque intentio conditionalis ab altera pendens, & hanc in materia baptismi distinctione quarta, articulo quarto diximus esse sacrilegam: nam intentio debet esse absoluta sicut forma, atque adeò non sufficeret ad conficiendum sacramentum. Tertiò possunt concurrere quasi habentes suam quisque intentionem totalem per se consecrandi. Et isto modo neque Durandus dubitat, neque vllus dubitare potest, quin si omnes eodem adæquato tempore formam simul proferant super eadem hostia, singuli consecrent: quia singulorum intentio fertur super legitimam materiam. Si tamen vnus alios præueniat, ille solus consecrat, & subsequentes nihil faciunt, quia reperiunt consecratam materiam.

Trifariam plures concurrere possunt ad eiusdem hostiæ consecrationem

1.

2.

3.

Durandi opinio & rationes.

Hinc ergo Durandus infert, consuetudinem, vt plures dum ordinatur simul consecrent cum Episcopo, esse periculosam, ac perinde abolendam potius quam seruandam. Et quòd Innocentius ait eandem consuetudinem in capella pontificis obseruari, vt cardinales presbyteri cum ipso simul consecrent, negat tunc tempore suo seruari: nam licèt forsan tempore Innocentij seruaretur, propter periculum iam tunc abrogata erat. Fuit enim ipse magister sacri palatij, qui oculatè id nouerat. Neque verò, inquit, exemplum Innocentij & S. Thomæ de Apostolis cum Christo cœnantibus ad rem attinet: quoniam Apostoli non simul cum Christo consecrarunt, sed consecratum ab ipso sacramentum sumpserunt. Quare mos ille, inquit, deberet obseruari, vt qui ordinantur simul cum Episcopo canonem legant, verba verò consecrationis silenter præterirent. Et ratio eius est: quia fieri potest vt simul verba concurrant, ob idque si quis prius quàm episcopus prolationem perficiat, ille duntaxat consecrat, & postea neque Episcopus, neque alij consecrant. Neque valet, inquit, dicere omnium intentionem ad illud instans referri, quo Episcopus consecrat: quia intentio facere non potest, vt verba antea vel postea quàm proferantur effectum habeant. Alioqui posset quis proferre nunc verba cum intentione consecrandi post horam. Paludanus verò præsenti distinctio. quæst. quarta, licèt priùs vacillet, tamen opinionem tandem S. Thomæ & Innocentij sustinet. Caietanus autem in præsentiarum videtur multò propensius in opinionem Durandi inclinare.

Caietan.

Et fateor profectò consuetudinem hanc, vt dum multitudo sacerdotum ordinatur, omnes intendant consecrare, non esse tam tutam, secùs dum Episcopus ordinatur, vt bene ait Caietanus: nam tunc ordinans & ordinatus sunt tantùm duo, vel forsan tres si duo ordinantur super eodem altari se mutuò expectantes: quocirca nullum est periculum quin simul concurrant. At verò vbi tãta est sacerdotum turba, vix possunt Episcopum audire. Quapropter non difficile in præsentiarum cũ Caietano crediderim in primitiua Ecclesia non fuisse in more, vt noui sacerdotes consecrare intenderent, sed forsan recitabant canonem cum verbis consecrationis, sed tamen absque intentione consecrandi. Vnde in vetusto pontificali Romano de nouiter ordinatis presbyteris sic legitur; Dicãt omnia quæ sunt in missali sicut si celebrarent. Vnde & mos modo durat, vt hostia non adoretur quousque Episcopus consecrauerit. Sed pontificale nouum à tempore Innocentij octaui paulò ante annum Domini millesimum quingentesimum est, vbi legitur. Curet pontifex vt morosè & altè canonem dicat. Et subditur, quòd eodem momento debent ab ordinatis verba consecrationis dici, quo dicuntur ab Episcopo. Et fortasse, vt ait Caiet. appositum illud fuit ad tuendam opinionem Innocent. 3.

Sententia autoris.

At verò quoniam in quibusdam Ecclesijs moris est, vt omnes dicant verba cum intentione consecrandi, non auderem huic mori & opinioni refragari quousque Ecclesia aliud censeret. Quapropter opinio Caietani, quod noui sacerdotes proferant formam, nullam habendo intentionem determinatam consecrandi, aut non consecrandi, sed intendendo apud se facere quod debent, tuta quidem est, tamen non est consona ritui qui obseruatur, & ab ipso episcopo ordinante iubetur. Debent ergo dicere, quàm maximè possunt simul cum episcopo, & omnes qui eodem instanti verba perficiunt, licèt non eodem momento incœperint, citra dubium verè consecrant. Si verò aliquis ante prolationem formæ absoluat quàm episcopus, vel postea, tunc est dubium vtrum omnes consecrent. Et D. Th. cum Innoc. videtur partem affirmatiuam sentire, eò quòd omnium, inquit, intentiones referrentur ad idem instans: videlicet, quo episcopus consecrat.

Digitized by Google

Argum. autoris.

Sed profectò fateor hoc me non satis intelligere: nam vel intelligunt illam relationem ad idem instans referri ex intentione Ecclesiæ, vel ex intentione sacerdotum illo solo instanti consecrare proponentium. Primum quidem aliquando dicere solebam, sed nunc non audeo: quia cum non sit hoc decretum vniuersalis Ecclesiæ tanquam necessario obseruandum, sed sola opinio Innocentij & consuetudo particularium Ecclesiarum, non apparet tutum dicere ex intentione Ecclesiæ referri ad aliud instans, quàm ad illud, quo forma profertur: siquidem tunc virtute significationis suum sortitur effectum. Secundò, quia si hoc esset verum, non tam anxiè iuberetur in pontificali, vt eodem momento ordinati cum Episcopo proferrent verba: nam cum sic iubeatur, signum est quod nullus consecrat nisi quando verba profert. Si autem dixeris intentiones referri ad illud instans, quia sacerdotes eas ad illud momentum debent referre, tunc est argumentum, quod in pontificali hoc non admonetur, neque Episcopi ordinantes talem faciunt monitionem. Imò forsan non esset talis intentio legitima, quoniam verba ex sua significatione habent, vt primum instans non esse prolationis, sit primum esse corporis in sacramento. Quare sacerdos intentionem debet illi momento admetiri. Placebat etiam mihi aliquando dicere non requiri tam iustum & adæquatum concursum omnium formarum pro eodem instãti, sed quòd dummodò non esset longa mora, licèt vna prolatio paululò post aliam proferretur, virtute omnium fieret consecratio. Modo autem aliud mihi videor sentire: nam licèt in baptismo vbi concurrit materia & forma, non exigatur tam adæquatus concursus vnius cum altera, vt suo loco diximus, hic tamen vbi ad consecrationem non requiritur vsus materiæ, sed sola forma super materiam prolata, apparet necessaria consequentia, quod sicut dum quis solus consecrat, instans terminatiuum prolationis formæ est initiatiuum corporis in sacramento, ita omnino fiat, dum plures simul consecrant.

Resolutio quæstionis.

Cogi ergo mihi in hanc sententiam videor (nescio an leuiter) quod si non omnes adæquatè absoluant prolationem, ille solus qui primò absoluit (siue sit episcopus, siue alius) consecrat: aliorum verò, qui subsequuntur nemo. Attamen non ideo mos iste censendus est omnino absurdus: quia cùm certum sit eorum quempiam consecrare, nullum imminet idololatriæ periculum. Et cùm in consecratione nulla sit characteris impressio, vt in baptismo, nullum est sacrilegium super hostiam consecratam formam iterare, quando vnusquisque putat se consecrare, præsertim Ecclesia id permittente.

Consilium.

Ex quo fit salubertimum esse consilium dum non omnes possunt punctim & syllabatim cum pontifice proferre formam, vt potius studeant paulò morosiùs proferre quàm festinatiùs: nam si aliquis priùs consecraturus est, maximè decet, vt ille sit episcopus. Quare antequam ille consecret, non solet sacramentum adorari, & illo perficiente formam, statim adoratur.

1. Argum. S. Thom.

Primum argumentum S. Thomæ est. Plures non possunt simul eundem baptizare: sed non minor est vis sacerdotis consecrantis, quàm hominis baptizantis: ergo nec plures simul possunt eandem hostiam consecrare. Videtur Sanctus Thomas concedere totum antecedens, & negare consequentiam: eo quòd Christus, inquit, non legitur simul baptizasse cum Apostolis quando instituit baptismum, sicut simul cum illis cœnauit quando instituit Eucharistiam. Quòd autem negat plures simul posse vnum baptizare, intelligit de iure: quia peccarent si id facerent, nihilominus si id attentarent, baptismus teneret eo modo quo supra q. 67. art. 6. ipse concessit. Ratio verò discriminis baptismi & Eucharistiæ non est nisi congruentia quædam.

2. Arg.

Secundò arguitur. Quod potest fieri per vnum, superfluè fit per multos: in sacramento autem nihil esse debet superfluum. Respondetur, quòd cum sacerdos non operetur virtute propria, sed Christi, in quo multi vnum sunt, simul possunt plures iure consecrare, tempore & ordine ab Ecclesia constituto. Nam si pro libito alio tempore id attentarent, sacrilegi essent, & mortaliter peccarent.

3. Argu. † Tract. 26. tom. 9.

Tertiò. Hoc sacramentum est vnitatis, vt Aug. ait super Ioannem: † cui quidem vnitati pluralitas repugnat. Respondetur, quòd est sacramentum vnitatis in ordine ad susci pientes, qui per ipsum profitentur esse vnum corpus mysticum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm dispensatio huius sacramenti pertineat solùm ad sacerdotem.

QVONIAM dispensatio sacramenti res est à consecratione distincta, meritò quæritur, vtrùm ipsa solis etiam sacerdotibus incumbat. Et respondet S. Thom. tribus conclusionibus. Prima. Ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi. Probatur primò autoritate concilij Remensis can. Peruenit. de consecra. dist. 2. vbi sic legitur, Peruenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri laico aut fœminæ corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis, quod horribile & detestabile synodus censet. Et ideo interdicit ne talis temeraria præsumptio vlteriùs fiat, sed omnino presbyter infirmum per semetipsum communicet. Et subiungit D. Th. rationem trinam. Primò, quia cùm sacerdos in persona Christi consecret, ipsum imitari debet qui corpus suum consecrauit, & suis manibus discipulis tradidit: quare sacerdoti, cui conuenit consecrare, conuenit & sacramentum dispensare. Secundò, quia sacerdos constituitur medius inter Deum & populum: vnde sicut ei conuenit populi munera Deo offerre, ita & Dei dona populo tradere. Tertiò, quia in reuerentiam huius sacramenti à nulla re contingitur nisi consecrata: vnde sicut corporale & calix, ita & sacerdotis manus ad tangendum sacramentum consecrantur. Quapropter nulli alij tangere licet nisi in necessitate, vt puta si in terra iaceret, aut in aliquo alio casu necessario.

1. Concl.

1. ratio S. Thom.

2.

3.

Secunda conclusio subnectitur in solutione primi. Diacono conuenit dispensare sanguinem. Intellige ex officio. Probatur, quoniam adeò est propinquus sacerdotali ordini, vt aliquid de eius officio participet, atque adeò possit sanguinem dispensare. Et confirmatur ex historia Laurentij diaconi suprà citata, qui dixit Sixto. Experire, vtrùm idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.

2. concl.

Tertia conclusio ibidem subiuncta. Diaconus nequit corpus administrare nisi in necessitate iubente Episcopo vel presbytero. Quòd si arguas, tantam esse dignitatem in calice quantam in corpore: ex quo inferri videtur, vt quod quis potest in sanguinem, possit in corpus. Negatur consequentia propter duo discrimina. Primum, quia sanguis continetur in calice, atque adeò non est opus, vt à dispensante tangatur sicut corpus. Secundò, quia sanguis effusus designat redemptionem Christi ad populum deriuatam, quare vino admiscetur aqua, populum significans: diaconus autem est medius inter sacerdotem & populum, & ideò illi ex officio magis incumbit dispensare sanguinem quàm corpus.

3. Concl.

Cur dispensatio sanguinis diacono potius conuenit quam corporis.

Circa primam conclusionem vnum est paruum dubium, vtrùm iure diuino competat soli sacerdoti sicut consecrare, ita dispensare corpus: nam de iure pontificio non dubitatur, vt patet cap. citato. Peruenit. & cap. Omnis vtriusque sexus. de pœniten. & remiss. Respondetur id ex iure diuino colligi. Primum, quia prædictum ca. Peruenit. nunquam tam acriter prohiberet laicis, tanquam horribile & execrabile, nisi respectu iuris diuini dedecere censeret. Accedit, quod reliqua sacramenta, quę necessariũ requirunt ministrum (quod ad excipiendum matrimonium dixerim) cuncta competunt iure diuino sacerdotibus ex officio, iuxta verbum Pauli 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo sicut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, nisi quod baptismus propter eius necessitatem laicis permittitur. Quod si arguas, vt arguit secundo loco S. Tho. Hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, non tamen in vsu, ad quem pertinet dispensatio: ergo sacerdotes in consecratione suo ministerio satis perfunguntur, atque adeo administratio poterit aliis competere. Negatur consequentia: imò propter causas iam dictas non solum consecrare, sed & dispensare ad eorum officium attinet. At vero non est tam arctum ius vt soli sacerdotes sacramentum administrent, quàm vt soli consecrent: nam consecrare neque ex dispensatione alij possent sicut administrare.

Dubium quo iure sacerdos conueniat dispensare Eucharistiam.

2. Argu.

Vtrum verò omnes sacerdotes id habeant de iure diuino, alia res est. Arguit enim D. Thom. tertio loco, quod solis Episcopis hoc conueniat. Ait quippe Dionysius

3. Argum.

Digitized by Google

† cap. 3. & 4. parte prima.

nysius lib. de Eccleſiaſt. Hierar. † quod hoc ſacramentum habet perfectiuam virtutem ſicut chriſma: ſignare autē chriſmate baptizatos non pertinet ad ſacerdotes, ſed ad Epiſcopos, ergo neque eoſdem baptizatos per ſacramenti adminiſtrationem perficere. Reſpondetur, quod per ſumptionem Euchariſtiæ perficitur homo ſecundum ſe in ordine ad Chriſtum, cuius ſit membrū, quod poteſt ſacerdos, quatenus aliquam perfectiuam diſpenſationem epiſcopi participat: nempe ſacerdotalem, ſicuti diaconus, quia aliquo modo participat cum ſacerdote, poteſt miniſtrare ſanguinem. Per Chriſma autem confirmationis perficitur homo in ordine ad alios: nempe, ad propugnandam fidem aduerſus hoſtes: & ideo ſic perficere incumbit epiſcopo, tanquam principi Chriſtianæ militiæ.

Aliud arg.

Sed arguitur præterea. Nullus ſacerdotum poteſt adminiſtrare ſacramenta, niſi parœcius ſuis parœcianis, vt patet in dicto ca. allegato, Omnis vtriuſque ſexus, & in concilio Carthaginenſi. 1. cap. 7. & in clemen. Dubium. de ſepulturis ergo non omnibus id cōperit. Reſpondetur, in præſentiarum hoc tantum conſtitui, quod ſolis ſacerdotibus ex officio incumbat ſicut conſecrare, ita & adminiſtrare. At quoniam ſacramentorum adminiſtratio actus iuridicus eſt, requiritur amplius vt adminiſtrans iuriſdictionem habeat in eos quib. adminiſtrat, vel iure communi, vel ex priuilegio, vt poſſit illos abſoluere, & abſolutis Euchariſtiam dare. Quare in paſchate ſoli parœcij poſſunt ſuis ſubditis Euchariſtiam adminiſtrare. Reliquo verò tempore omnes religioſi id poſſunt, ſicut confeſſiones audire, vt patet cap. Religioſi. de priuilegijs. Hæc autem diſputatio non eſt præſentis loci, ſed ad materiam clauium ſpectat diſtinct. vigeſima.

Vtrum laicus tangere poſsit hoſtiā.

Appendit autem D. Thom. eidem primæ concluſioni vnum verbum: videlicet, quod in neceſſitate poteſt laicus ſacramentum de terra leuare. Vbi adnotandum eſt, illud quod dixerat, ſacramentum hoc non debere tangi niſi à re conſecrata, non eſſe intelligendum, niſi dum ſacramentum perficitur, & ideo conſecratur calix & linteola, imò altare & veſtes, & templum, ſed ad conſeruandum ſacramentum non eſt neceſſe vt pyxis conſecretur. Et eadem ratione poteſt laicus manu tangere corpus in neceſſitate. Quare licèt tunc eſſet in peccato, credo non peccaret, ſi reuerenter in abſentia ſacerdotis tangeret. Secùs ſi oſculo infirmus adoraret dum recipere non poteſt: eſſet enim tunc peccatum, & neſcio an mortale, licèt non eiuſdem generis, ac ſi illud in peccato ſuſciperet: nam cùm per adorationem non conferatur gratia, vt diximus, non opponitur tunc obex, ſicut per ſumptionem.

Argum. de Oza.

Contra hoc autem aſſertum arguitur. Oza, qui vt legitur 2. Reg. 6. eo quòd manibus contingere auſus eſt arcam teſtamenti, dum ruinam minaretur, morte mulctatus eſt, licèt cauſa pietatis id fecerit: maioris autem ſanctitatis eſt ſacramentum: ergo nullo caſu licet laico illud tangere. Sunt qui reſpondeant ob id illum pœnas dediſſe, quòd illa nocte rei vxoriæ operam dederat. Attamen hoc, poſtquàm hiſtoria id non refert, ſine authoritate aſſeritur. Et licet talis coniunx modò tangeret ſacramentum, non peccaret. Alij ex Iudæis, vt Nicolaus illic refert, aiunt non fuiſſe punitum, niſi quia conſilium dederat, vt plauſtro arca reportaretur, quæ humeris Leuitarum vehenda erat. Et ideo vbi periculum apparuit, ſupplicio plexus fuit. Veruntamen ſi hiſtoriam attendamus, non apparet mortuus, niſi quia manibus tetigit.

Autoris reſponſio

Et ideo fortaſſe legitima reſponſio eſt, quòd Deus tam exactè volebat populum illum mandata cæremonialia obſeruare, vt nullam illis permitteret interpretandi licentiam, tum quia figura erant Chriſti: tùm ne paſſim & temerè omnia interpretarentur. Et ideo quia obſtrictè iuſſerat, vt ſola Leuitica tribus arcam contingeret, nulla neceſſitas alijs facultatem tangendi faciebat, ob idque fuit ille temeritatis condemnatus. Cum autem lex euangelica non ſit iam ſeruorum, ſed filiorum, nullum arg. ex illis cæremonijs ad rem euangelicam ducendum eſt.

Contra 2. cond. arg.

Contra ſecundam concluſionem arguitur. Iam modò nullibi mos eſt, vt diaconus ſanguinem miniſtret, neque in eorum ordinatione illa exprimitur facultas: ergo non videntur tale officium habere iunctum. Reſpondetur, illud in primitiua Eccleſia, dum populo adminiſtrabatur ſanguis, fuiſſe ſolitum, vt cùm ſacerdos non poſſet toti multitudini corpus & ſanguinem porrigere, diaconus poſt ipſum, ſicut nunc dat lotionem, tunc miniſtraret ſanguinem. Neque illam facultatem neceſſum erat in eorum ordinatione exprimere. Eo enim ipſo quod diaconus, vt habetur diſt. 23. can. Diaconus. tanquam proprius ſacerdotis miniſter ordinatur: habet calicem cum hoſtia ei miniſtrare, ipſumque conſecratum calicem dum opus eſt, propinare populo. Iam verò vſus ille ceſſauit in populo, durat tamen in capella pontificis, vt Durandus præſenti di. 4. refert, videlicet, quòd dum ipſe ſolēniter celebrat, poſt ſumptionem corporis ſeſſum vadit, & tunc diaconus conſecratum calicem ei adfert, & porrigit.

Contra 3. concluſionē.

Contra tertiam demum concluſionem arguitur. Si presbyter in neceſſitate, quia iacet ægrotans, poſſet per diaconum hoſtiam conſecratam ad infirmum mittere: ſequeretur primo quod ſi ſacerdos abeſſet abſque eius iuſſu poſſet diaconus idem munus exequi, ſi eadem neceſſitas id expoſtularet. Ac ſubinde ſequeretur ſecundo, quod etiam dum præſens ſacerdos vel ex negligentia, vel ex nequitia nollet ſacramentum deferre, poſſet tunc idem diaconus etiam reclamante & reluctante ſacerdote eodem munere fungi. Imo vero ſequitur tertio, vt ſubdiaconus, quinuero & laicus poſſet id facere, quandoquidem neceſſitas non habet legem, præſertim ſi iniquus ſacerdos nollet infirmi confeſſionem audire, quia tunc accidere poſſet, vt per ſanctam communionem ex attrito fieret contritus.

De diacono.

Primum illatum conceditur, cum S. Thoma in 4. diſt. præſenti q. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. vbi ait, quod in abſentia presbyteri neceſſitas ipſa interpres eſſet eius voluntatis, quod ratum haberet, vt diaconus eius vices impleret. Ad ſecundum reſpondetur, nefas eſſe diacono cum presbytero litigare, ſed ſi negligens eſt, ſalutare eſt ipſum admonere. At vero tanta eſſe poſſet iniquitas ſacerdotis nolentis miſero infirmo in extremis ſuccurrere, vt poſſet tunc diaconus ſuum munus præſtare. Durandus loco citato commemorat ſe vidiſſe Romæ, dum Papa cardinalibus ſacram communionem exhibet, diaconum cardinalem eandem adminiſtrare capellanis ſacerdotibus. Quem quidem morem approbare metuit. Sed tamen non eſt cur Papa annuēte reprobetur.

Durand.

De ſubdiac.

Tertium autem illatum nullatenus admitterem: videlicet, vt ſubdiacono adminiſtratio ſacramenti huius vllo caſu committeretur. Primum, quia nunquam eſt auditum. Secundò, quia vt nomen eius ſonat, non eſt miniſter ſacerdotis, ſed diaconi cui tradit materiam conſecrandam, vt diaconus ipſe tradat ſacerdoti, ratio admonet, ne ſanguinem poſſit adminiſtrare. De laicis Syluester verbo Euchariſtia 3. §. 4. allegat cuiuſdam opinionem tenentis in extrema neceſſitate poſſe laicum ſacramentum infirmo deferre. Eſt tamen intolerabilis opinio. Etenim ſacramentum hoc non eſt tantæ neceſſitatis vt baptiſmus, vt debeat laico committi. Vnde in c. Peruenit. tanquam horribile & deteſtabile Synodus abominatur.

De laicis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſacerdos conſecrans teneatur ſumere hoc ſacramentum.

† diſt. 12. q. 2. ar. 3.

QVAMVIS ſupra † dictum fuerit conſecrantem teneri ſumere, tamen vt adiungantur propriæ rationes, eadem nunc concluſio affirmatur, ſcilicet quòd ſacerdos quotieſcunque conſecrat, de neceſſitate ſacramentum ſub vtraque ſpecie tenetur ſumere. Probatur primò autoritate concilij Toletani de conſecrat. diſt. 2. can. Relatum. vbi ſic legitur. Modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcunque ſacrificans corpus Chriſti, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat. Et confirmatur ratione, quia Euchariſtia non ſolùm ſacramentum eſt, ſed & ſacrificium: quicunque autem ſacrificium offert, tenetur eius fieri particeps: quia exterius ſacrificium ſignum eſt interioris, quo ſe ipſum homo offert Deo, vt Aug. decimo de ciuitate Dei † autor eſt. Vnde per hoc quòd ſacrificio participat ipſum ſumendo, oſtendit ad ſe interius pertinere. Secundò, quia cum ipſe conſecrans debeat populo ſacramentum diſpenſare, debet ſe oſtendere eiuſdem eſſe participem, quòd alijs impertitur, vt

Concluſio.

† cap. 3. to. 5

Digitized by Google

† cap. 3 subfin.

ait Dionysius in lib. de Eccleſiaſt. hierar. † & ideo ipſe debet antè ſumere. Vnde in allegato cap. ſubditur. Quale eſt ſacrificium cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? Particeps autem non fit niſi qui de ſacramento participat: ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Corint. 10. Nónne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris?

Expoſitio articuli.

Concluſionem hanc quæſt. præcedenti artic. 3. contra Lutherum ſtatuimus, tenentem quòd cùm Chriſtus non ſumpſerit ſuum corpus, nec ſacerdotes debent ſumere. Sed eſt hæreticus in vtroque. Eſt autem adnotanda hæc ratio Sanct. Thomæ: videlicet, quia hoc ſacramentum eſt ſacrificium, debet ſacerdos ipſum conſummare. Ratio namque ſacramenti in ſola conſecratione conſiſtit, vt dictum eſt: ſed tamen quia ratio ſacrificij conſiſtit in repræſentatione paſſionis Chriſti, fit vt dum à ſacerdote ſumitur, tunc quaſi Chriſtus immoletur, morsque eius & ſepultura deſignetur.

Lutheri argument.

Arguit autem Lutherus apud Iodocum 2. lib. de officio miſſæ cap. 15. Natura ſacrificij eſt, ſi ſit perfectum holocauſtum, vt totum Deo relinquatur, atque adeò igne concremetur, vt Leuiti. 1. legitur: ſi autem victima, tunc pars Deo relinquebatur igne cremata, partem verò ſumebat ſacerdos, ſacerdotes autem, inquit, noſtri totum abſumunt, & Deo nihil relinquunt. Perſpice hominis blaſphemiam, quaſi hoc ſacramentum, vt Deo relinqueretur deberet igne cremari. Illæ enim erant figurarum cæremoniæ: in euangelica verò veritate id potiſſimum Deo datur, quòd ſacerdotes eius nomine conſumunt: ſic enim ſacrificium agni Iudæi ſumebant & panes propoſitionis Deo oblatos. Et ſacerdotes ea, quæ prius erant ſacrificia, in cibum ſuum vertebant, vt Exodi 12. Nume. 23. & Leuiti. 24. legitur. De hac autem ſacrificij ratione quæſtio proxima artic. 1. latiùs.

1. Argu.

Solutum ergo reſtat primum argumentum San. Tho. cur ſ. in alijs conſecrationibus conſecrans non vtitur materia conſecrata, vt Epiſcopus dum Chriſma conſecrat, non delinitur: nempe, quia illa conſecratio non eſt ſacrificium, ſicut conſecratio Euchariſtiæ.

2. Argum.

Secundò arguitur. In alijs ſacramentis miniſter non ſibi ipſi ſacramentum præbet: nemo enim ſe ipſum aut baptizare poteſt, aut confirmare: ergo neque ſacramentum ſumere. Negatur conſequentia: quia reliqua ſacramenta perficiuntur in ipſo vſu & applicatione materiæ, & ideo quia nullus eſſe poteſt & agens, & patiens, nullus ſe poteſt baptizare, ſicut nullus ſe poteſt conſecrare: in conſecratione namque perficitur ſacramentum, vſus autem eſt quid conſequens, & ideo poteſt ſacerdos ſacramento vti, quod conſecrauit.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Contingit quandoque, vt ſuprà † dictum eſt, Corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis, & ſanguinem ſub ſpecie ſanguinis apparere, quæ vt ſuprà diximus, cibo & potui apta non ſunt: ob hoc enim ſub ſpecie panis & vini traduntur ne ſint horrori ſumentibus: ergo tunc ſacerdos ſumere non debet. Reſpondetur, eo quod infertur conceſſo, iuxta verbum Hieronymi ſuper Leuit. † dicentis. De hac quidem hoſtia, quæ in Chriſti communicatione mirabiliter fit, edere licet: de alia verò quam Chriſtus in ara crucis obtulit, ſecundum ſe nemini edere licet. Nec propter hoc ſacerdos tranſgreſſor efficitur: quia ea quæ mirabiliter fiunt, legibus non ſubduntur. Conſulendum tamen eſſet tunc ſacerdoti, vt iterato corpus & ſanguinem conſecraret & ſumeret. Atque idem dicendum ſi poſt conſecrationem deprehenderet venenum ſibi propinatum in calice. Sed nota verbum conſulendum, quo inſinuatur, non eſſe præceptum vt illo caſu, vt ait Caietanus, conſecratio iteretur & ſumptio: nam miraculum abſoluit hominem à præcepto; ſed tamen melius eſt vt iteretur. In caſu autem veneni fortaſſe eſſet neceſſarium. Sed de hoc iterum q. proxima.

† d. 10. q. 1. ar. 8.

† Refertur de conſec. d. 2. cap. De hac, ex Orig. hom. 7. ſup. Leuit.

ARTICVLVS V.

Vtrum malus ſacerdos Euchariſtiam conſecrare poſſit.

Concluſio.

POST ſacerdotes in genere quæritur de illis, qui morum idoneitate non pollent, vtrùm mali: nempe illi qui mortali crimine deturpãtur, valeant Euchariſtiam conficere. Et reſpondetur hac concluſione. Sacerdotes etiam ſi non ſint iuſti, ſed peccatores poſſunt Euchariſtiam conſecrare.

Probatur 1.

Probatur primò authoritate Auguſtini in lib. de corpore Domini dicentis. Intra Eccleſiam catholicam in myſterio corporis & ſanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris & virtute Spiritus ſancti 1. qu. 1. can. Intra catholicam. & de conſe. diſtinct. 2. can. Vtrum ſub figura. Secundò probatur ratione. Sacerdos conſecrat non virtute propria, ſed tanquam Dei miniſter in eius perſona, malignitas vetò non priuat miniſtrum Domini poteſtate, ſanè qui bonos & malos habet miniſtros & ſeruos. Vnde Matth. 24. poſtquam ait Chriſtus: Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, &c. ſubdit. Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, &c. Et Apoſtolus 1. Corinth. quarto, poſtquam dixerat, ſic nos exiſtimet homo, ſicut miniſtros Chriſti, ſubnectit. Nihil mihi conſcius ſum, ſed neque in hoc iuſtificatus ſum. Eſſe ergo poteſt, certum aliquem eſſe miniſtrum abſque eius probitatis certitudine. Quod ſi quis obijciat, hoc Chriſti maieſtati derogare vt iniquis miniſtris vtatur: reſpondetur id potiùs eius excellentiæ congruere, cui ſicut vero Deo ſeruiunt non ſolum bona, ſed etiam mala, quæ per ipſius prouidentiam in eius gloriam ordinantur.

2.

Obiectio.

Expoſitio articuli.

Concluſio hæc nemini eſt orthodoxorum ambigua: ſed hæretici ſunt, qui contrarium docent, vt Witcleff apud Waldenſem tomo ſecundo de ſacrament. cap. ſeptimo, qui ſic argumentatur. Si Spiritus ſanctus cum laico ſanctiſſimo quem inhabitat non concurrit ad conſecrandum, à fortiori neq; cum peſſimo ſacerdote in quo non eſt Spiritus ſanctus. Eſt autem hæretica talis illatio, ſicuti ſi quis ſic colligeret. Non cõcurrit cum optimo Nathanaele, vt eſſet Apoſtolus: ergo neque ad id muneris concurrit cum peſſimo Iuda: poteſtates enim diuinitus collatæ non in bonum ſingularium perſonarum, ſed in bonum commune totius Eccleſiæ, non ſunt ex moribus miniſtrorum dependentes: alias cùm hominum crimina occultiſſima ſint, vix vnquàm eſſe poſſemus certi an publici miniſtri Eccleſiæ poteſtatem habeant, vt iuridica eorum acta & ſacramenta ſolida ſint & valida. Vnde ſemper in Eccleſia confuſio & turbatio oboriretur, quam eiuſmodi perturbatores moliuntur. Atqui ratio potiſſimùm in ſacerdotibus viget: character enim, vt ſuo loco diximus, non imprimitur ad modum habitus tanquam virtus ad bene operandum, ſed eſt mera potentia & indelebilis facultas ad operandum, ſiue benè, ſiue malè. Et ſecundùm iſtos nunquàm eſſemus certi vtrùm verum ſacramentum adoremus, an verò idololatremus. De hac autem re ſatis ſuperque diximus diſtinctione prima, quæſtione quinta, articulo quinto & ſexto, vbi innumeris teſtimonijs Auguſtini & aliorum ſanctorum aduerſus Donatiſtas, quorum plurima diſtinctio quarta, de conſecra. referuntur, ſtabilitam hanc veritatem oſtendimus, quòd mali miniſtri, quãtumuis hæretici, vera adminiſtrant ſacramenta. Vbi & errorem Armachani repulimus, dicentis per quodcunque mortale delictum quamcunque publicam poteſtatem delinquentis deperire. Quapropter de eadem re nihil hic amplius.

Si malus non poſſet conſecrare, quid ſequeretur.

1. Argu. Sopho. 3. v. 4

Primum argumentum S. Tho. eſt autoritas Hieronymi ſuper Sophoniam, † & refertur 1. quæſt. 1. can. Sacerdotes, dicentis. Sacerdotes qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis diuidunt, impiè agunt in lege Chriſti, putantes Euchariſtiam precantis facere verba, non viram, & neceſſariam eſſe ſolennem orationem, & non ſacerdotis merita, de quibus dicitur, Sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino. Reſpondetur, Hieronymum illic tantùm admonere, quòd indignè accedere ad ſacramentum ſit graue ſcelus contra illos qui credebant, ſe dignè poſſe Euchariſtiam conſecrare eo tantum merito, quod ſunt ſacerdotes, quamuis ſint nequam. Haud tamen negat eſſe verum ſacramentum etiam dum in crimine conſecrant.

2. Argum. † orth. fidei.

Secundò arguitur. Damaſcenus lib. 4. † cap. 14. ait, quòd panis & vinum per aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſit in corpus & ſanguinem Domini: Gelaſius autem Papa (vt habetur 1. q. 1. can. Sacroſancta.) ait, Quomodo ad Domini myſterij conſecrationem cæleſtis ſpiritus vocatus aduenier, ſi ſacerdos qui eum adeſſe deprecatur, criminoſis plenus actionibus comprobetur? Reſpondetur mentem Damaſceni non eſſe niſi diſſuadere ſacerdoti ne in peccato ad ſacramentum accedat, vt ex his eius præcedentibus ver-

bis

bis colligitur. Sacrosancta religio, quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet nisi purâ conscientiâ non audeat peruenire. Dicens igitur, Quomodo cælestis spiritus aduenier? solum intelligit quod non aduenier merito sacerdotis, nihilominus aduenier virtute Christi, cuius verba sacerdos profert.

3. Argu. Tertiò arguitur. Hoc sacramentum sacerdotis benedictione consecratur: benedictio autem delictoris sacerdotis non est efficax ad consecrationem sacramenti, cum Malachiæ 2. scriptum sit, Maledicam benedictionibus vestris. Et Dionysius in Epistola ad Demophylum. Perfectè, inquit, cecidit à sacerdotali ordine qui non est illuminatus, & audax quidē nimium mihi videtur talis sacerdos manum apponens, & audet immundas infamias (non enim dicam orationes) super diuina symbola Christi formiter enunciare. Adde quòd cùm consecratio sceleſti ministri scelus sit, & ad peccatum Deus non concurrat, apparet ad talem consecrationem non concurrere. Respondetur, quòd sicut eadem actio in quantum fit ex praua intentione ministri, potest esse mala, & inquantum fit ex bona intentione Domini, esse bona: vt dum seruus iussu probi Domini praua intentione dat eleemosynam, ita benedictio & consecratio praui sacerdotis in quantum indignè ab ipso fit, est peccatum & maledictione digna, atque adeò ea ratione non concurrit ad illam Deus, sed tamen in quantum profertur ex persona Christi, est sancta & efficax ad quam ipse concurrit. Vnde signanter dicitur: Maledicam benedictionibus vestris (id est) qua ratione vestræ sunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm missa mali sacerdotis minus valeat quàm missa sacerdotis boni.

SI iniquus sacerdos, vt iam modò dicebamus, sacrificando peccat, & nihilominus verè consecrat, meritò quæritur: vtrum eius missa tanti sit valoris ac si dignè consecraret. Ad quòd Sanct. Thom. distinctione præmissa tribus conclusionibus respondet. In missa namque duo est considerare: scilicet, & sacramentum, quod est principale, & orationes quæ illic pro viuis & mortuis funduntur. Est ergo prima conclusio. Quantum ad sacramentum non minus valet missa improbi sacerdotis, quàm probi; quoniam vt artic. proximo dicebamus, ab vtroque idem perficitur sacramentum. Oratio autem bifariam potest considerari. Vno modo, in quantum ex deuotione sacerdotis proficiscitur, & sic subnectitur secunda conclusio. Non est dubium quin missa boni sacerdotis magis sit fructuosa. Probatur primò authoritate canonis, Ipsi sacerdotes. 1. q. 1. vbi habetur, quòd quantò sacerdotes fuerint digniores, tantò facilius in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. Imò verò ex orationibus sacerdotis, qui est in peccato, nullus fructus sacramento accrescit apud Deum, quoniam nullius sunt meriti apud ipsum. Sed alio modo eiusmodi orationes considerantur, vt à sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius ministerium agit, proferuntur. Quod quidem ministerium etiam in iniustis permanet: vt de ministerio Christi proximè dicebamus. Et tunc adhibetur tertia cōclusio. Non solum hac ratione oratio iniusti sacerdotis in missa fructuosa est, verùm & omnes eius orationes, quas personam Ecclesiæ gerens in officijs Ecclesiasticis soluit, tametsi priuatæ eius orationes nullius sint fructus apud Deum, secundum illud Prouerb. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Duo in missa consideranda.

1. Concl.

2. concl.

3. Concl.

Quæstio præsens celebris est, in qua multi multa extra propriam lineam commiscent. Primum, quæstionem illam, vtrùm missa oblata pro pluribus tantum singulis prosit quantum oblata pro vno. Sed hæc nihil ad præsentem locum attinet. Dicturi enim de illa sumus quæst. sequenti artic. 1. Nunc ergo non comparatur missa respectu eorum, pro quibus offertur, sed respectu sacerdotum offerentium cæteris paribus, vtrum ex malitia sacerdotis minuatur valor sacrificij siue pro vno, siue pro plutibus offeratur. Et Sanct. Thom. non videtur ad formam quæstionis respondisse: haud enim concluſit simpliciter & absolutè, vtrùm omnibus consideratis missa mali sacerdotis minus valeat, quàm missa boni. Nihilominus intendit concludere simpliciter partem affirmatiuam.

Expositio articuli.

Pro cuius intellectu notandum est primò, quòd nomine mali sacerdotis intelligimus eum qui est in peccato mortali: nam peccata venialia non obstant gratiæ & functioni sacramentali. Secundò notandum, hoc sacramentum considerandum esse, & qua ratione est sacramentum, & qua est sacrificium. Qua enim est sacramentum, effectus eius & fructus est gratia: quæ susscipienti confertur. De qua in præsentiarum nullus habetur sermo: satis enim supra dictum. 11. quæst. 2. de eo dictum est. Sed quatenus est sacrificium, effectus eius est triplex: scilicet, per modum meriti, per modum satisfactionis, & per modum impetrationis, quos latiùs quæstione proxima art. 1. sumus explicaturi. Vbi & de offerentibus habendus est sermo. Congruentiùs enim duximus, omnia quæ ad rationem sacrificij pertinent, simul illic tractare, vt vicaria se luce dilucident, quàm membratim ea discerpere. Et ideo si quæ hic desiderentur, illic patebunt.

Effectus triplex huius sacra. vt est sacrificium.

Satis ergo erit nudam literam S. Thom. exponere. Ait enim primùm, quòd in missa est duo considerare: scilicet & sacramentum, quod est principale, & præterea orationes. Sed rogas, quodnam istorum sit sacrificium: vtrùm solum sacramentum, an etiam orationes? Nam si solùm sacramentum, dum consecratur, est sacrificium, consequitur, vt simpliciter sit tanti valoris missa mali sacerdotis, quàm boni. Et tunc sensus primæ conclusionis esset, quòd missa mali sacerdotis non minoris est valoris, quia tam verè consecrat ratione characteris, quàm bonus. Sed reuera sensus hic non potest stare: nam tunc missa illius nequam sacerdotis, etiam inquantùm sacrificium, esset tanti valoris, quanti missa boni, quòd Sanctus Thom. negare videtur. Sensus ergo eius non est iste, quòd sola consecratio sacramenti censeatur sacrificium: nam sacrificium, vt diximus, dicit oblationem & immolationem, atque adeò, vt quæstione sequenti commonstrabimus, non consistit in sola consecratione. Quare Sanct. Thomas consultò dixit sacramentum in missa esse principale, quasi non sit totum sacrificium, sed præcipuum in sacrificio, seu eius substantia. Imò verò ad sacrificium non solum concurrunt illa quæ sunt de eius essentia, vt oblatio & sumptio: verùm & preces, & orationes, quibus Ecclesia instituit sacrificium offerri, quasque sacerdos nomine eius fundit, licèt de iure positiuo.

Dubium. An orationes etiam sint sacrificium. Ratio dubij.

Argum.

At nihilominus stat semper argumentum, quòd missa mali sacerdotis, etiam quatenus est sacrificium, æquiualeat missæ boni. Cuius contrarium videtur San. Thom. insinuare, vt patet ex argumento quod affert, ex 1. q. 1. vbi habetur, quod digniores faciliùs exaudiuntur. Consequentia verò probatur, quoniam nomine sacrificij intelligitur primò sacramentum, quod idem est prorsus boni & mali, mox preces. Preces autem illæ, quas sacerdos tanquàm persona priuata accumulat, per accidens se habent ad sacrificium, atque adeò inde nihil ei per se accrescit aut decrescit: eo vel maximè quod potest contingere, vt nullas adhibeat præter communes Ecclesiæ. Illæ autem, quas fundit nomine Ecclesiæ, & potissimum oblationes, eiusdem sunt valoris in bono & malo: quia non innituntur merito ministri, sed Ecclesiæ. Caietanus hoc loco ob hanc rationem concedit illatum consequens: nempe, simpliciter tanti valoris esse missam mali: quàm boni sacerdotis, quoniam vterque est minister Ecclesiæ, arbitraturque hanc esse sententiam D. Thomæ. Quare ait in tertia conclusione minus dicere, quàm intendat. Ait enim, quod oratio mali sacerdotis tanquam ministri Ecclesiæ est fructuosa, sed intendit, quod non est minus fructuosa, quàm oratio boni sacerdotis. Et subtexit rationem, quod ministerium in persona Ecclesiæ non est minus fructuosum, quàm in persona Christi: minister autem Christi seu bonus, seu malus, æquè sanctificat. Scotus vero in præsenti distin. quæst. 2. ad tertium principale contrarium tenet: nam meritum, inquit, Ecclesiæ non est idea abstracta ab individuis, sed meritum applicatum per istum ministrum. Quare ex illa parte non est tanti valoris.

Caietani opinio.

Scoti opin.

Veritatis tamen, nisi fallor, summa sic habet. Ad sacrificij valorem æstimandum, non est habenda ratio peregrinarum orationum, si quas fortè sacerdos præter Ecclesiæ institutum adhibeat: quoniam accidētariæ sunt, & sæpe nullas adiungit, imò forsan con-

Author. sentent.

Digitized by Google

fultius esset nullas passim multiplicare. Quare de illis nil arbitror S. Thomam hic fuisse locutum. Quamuis si illas prudentes & serias interserat, suo non careant merito, sicuti neque illæ, quas circunstans populus cordatè fundit. Tametsi neque debeant illas coaceruare, quæ attentionem audiendæ missæ perturbent. Preces itaque, quarum in valore missæ habenda est ratio, sunt illæ, quæ ex Ecclesiæ institutione fiunt. Istæque sunt, de quibus in præsentiarum D. Thomas distinguit, quæ quidem dupliciter considerantur. Si enim spectantur quatenus sunt Ecclesiæ, eiusdem valoris sunt in bono & in malo ministro: sicuti si vir bonus æqualem eleemosynam per seruum nequam & per bonum faceret, nihil enim malitia serui officit hero. Sed tamen quatenus eædem preces considerantur, vt ex peculiari deuotione sacerdotis emanant, maioris valoris sunt in bono sacerdote, quàm in malo. Hoc autem sufficit, vt missa boni sacerdotis simpliciter & absolutè omnibus pensatis, melior sit, quàm mali. Atque hanc sententiam arbitror esse tum veram, tum etiam S. Thomæ. Primum, quia licet meritum Ecclesiæ sit in personis Christianæ reipublicæ, nihilominus applicatur per istum ministrum, quare applicatio, & oblatio sacrificij non est tanti valoris dum fit per prauum sacerdotem. Nam canon citatus, vbi habetur, quòd quantò sacerdotes fuerint digniores, tantò faciliùs exaudiuntur, palam loquitur de sacerdotibus quatenus sunt ministri Ecclesiæ, aliàs non magis denotaret sacerdotes, quàm laicos. Et eleemosyna per malum seruum ministrata, licèt nihil de merito Domini deterat, nihilominus considerata in particulari non est Deo æquè grata. Et quòd hæc sit opinio S. Thomæ, apparet: primò, quia consultò non dixit oblationem & orationem mali sacerdotis, vt est minister Ecclesiæ, comparatiuè esse tam fructuosam, quam boni, sed absolutè, esse fructuosam.

Preces quatenus Ecclesiæ, sunt semper eiusdem valoris.

Simile.

Quatenus ex deuotione sacerd. non ita.

Simile.

1. Argum.

Item in solutionibus argumentorum planè fatetur missam boni ministri esse meliorem. Arguit enim primo loco, quòd videatur missa sacerdotis mali non minus valere quàm boni, propter illam authoritatem Gregorij in registro, † Heu in quam magnum laqueum incidunt, qui diuina & occulta mysteria plus ab alijs sanctificata posse fieri credunt: cum vnus idemque Spiritus sanctus ea mysteria occultè, atque inuisibiliter operando sanctificet. Quam quidem authoritatem Diuus Thomas intelligendam censet de sanctitate sacramenti: nam ministri sacramentorum, vt suprà dictum † est, etiam si sint hæretici, verè sacramenta perficiunt: quare malus tam verè consecrat quàm bonus: ergo à contrario sensu intelligit quod ratio sacrificij, quæ consistit in oblatione, secus habet.

† Refert. in decret. 1. q. 1. cap. Multi.

† art. prec.

2. Argu.

Id quod in secundo argumento ampliùs declarat: sicut enim, inquit, baptismus traditur à ministro in virtute Christi, qui baptizat: ita & hoc sacramentum in persona Christi, cuius nomine consecratur, sed non melior baptismus datur à meliore ministro, vt suprà dictum est, ergo neque melior missa est, quæ celebratur à meliori sacerdote. Et respondet: quòd in sacramento baptismi non fiunt solennes orationes pro omnibus fidelibus sicut in missa, & ideo non est simile: sed erit simile quantum ad sacramentum. Cum ergo hic loquatur de orationibus, & oblationibus sacerdotis, quatenus est minister, postquam illum confert cum ministro baptismi, fit vt illa ratione intelligat missam melioris sacerdotis esse meliorem.

3. Argum.

Et ad maiorem explicationem arguit tertio loco. Sicut merita sacerdotum differunt per bonum, & melius, ita & per bonum & malum: si ergo missa melioris sacerdotis est melior, sequitur quòd missa mali est mala, quòd est inconueniens: quia malitia ministrorum non potest redundare in Christi mysteria. Respondet, concessio semper missam melioris sacerdotis esse meliorem: sed negat consequentiam, quòd missa mali sit mala, nam per virtutem Spiritus sancti, cuius charitatis vinculo Christi membra copulantur, fieri potest, vt priuatum bonum vnius redundet in bonum alterius, malum autem vnius nunquam in alterum, nisi per eius proprium consensum, redundat. Et ideo missa mali sacerdotis virtute & merito Ecclesiæ semper est bona.

Resolutio articuli. 1. Effectus Missæ.

Sit ergo articuli resolutio, quòd cum ex sacrificio missæ triplex percipiatur fructus, vnus per modum meriti talem hostiam offerentis: hic in sacerdote, qui culpa mortali maculatur, nullus est prorsus quatenus oblatio ex ipsius deuotione procedit, quia extra gratiam nullum est meritum. Sed quatenus illa oblatio est Ecclesiæ, applicabitur illic Christi & Ecclesiæ meritum.

Effectus 2.

Secundus effectus est satisfactio virtute operis, id est, hostiæ exhibitæ, qui quidem, vt S. Thom. q. 79. artic. 5. nos docuit, crescit ex deuotione offerentis. Ex quo fit, vt ratione mali sacerdotis non crescat: quia sua deuotio nullius est valoris, sed quatenus per ipsum authoritate Ecclesiæ sacrificium offertur, erit æqualis in omnibus malis sacerdotibus, ad modum quo de gratia baptismi paruulorum loquuti sumus. Augetur nihilominus in vnoquoque aliorum offerentium, qui in gratia extiterint: quales sunt, (vt quæstio. proxima videbimus) circunstantes, atque omnes, qui in alimentum sacerdotis eleemosynarum subsidia conferunt. Pari modo tertius effectus impetrationis, qui per modum suffragij applicatur defunctis nihil virtute mali sacerdotis, quatenus est priuata persona, valebit. Nihilominus quatenus oblatio fit authoritate & institutione Ecclesiæ, suum obtinebit valorem. Atque idem dicendum de circunstantibus, aut eleemosynam offerentibus si sunt in peccato.

Effectus 3.

Sed quispiam forsan contra hanc decisionem sic insurget. Si valor missæ potissimum Ecclesiæ merito nitur, sequeretur etiam ex hac parte esse variabilem: nam vno tempore in Ecclesia est amplior iustorum numerus, quàm in altero, & nonnunquam personæ maioris sanctitatis. Gabriel super canonem lectione 26. suum secutus Aliacum conclusionem concedit. Cuius tamen veritatis nihil certi aut explorati habeo. Primùm enim apparet præfata ratio non prorsus despicabilis. Sed tamen ab altera parte apparet argumentum, quòd sacramentorum ministeria non fundantur in gratia personarum Ecclesiæ, sed in passione Christi. Quare licèt per impossibile nulla esset in tota Ecclesia persona Deo grata, nihilominus sacrificium suum haberet valorem. Item quia Ecclesia per habitus personarum nihil ad sacrificium attendentium, seu dormientium, vel alijs vacantium rebus, non offert sacrificium, sed solum per actum sacerdotis & circunstantium, & eleemosynas ministrantium: ergo ex aliorum dignitate nulla fieri videtur Ecclesiæ accessio.

Obiectio.

Sententia Autoris.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hæretici, schismatici, & excommunicati possint consecrare.

INTER iniquos ministros quidam sunt simpliciter peccatores, quos dictum est consecrare posse; sed alij sunt ab Ecclesia præcisi, de quibus maius est dubium. Quare non defuerunt, qui dicerent hæreticos, schismaticos, & excommunicatos, quia sunt extra Ecclesiam, non posse perficere hoc sacramentum. Quibus Magister Sententiarum distinctione præsenti subscribere visus est. Sed D. Thomas præmissis quibusdam distinctionibus, quatuor respondet conclusionibus. Possumus enim loqui & de receptione potestatis sacerdotalis, & de eius vsu.

1. Concl.

Est ergo prima concluſ. Illi qui intra Ecclesiam constituti & secundum eius statuta ordinati sunt, postmodum verò per hæresim, schisma, vel excommunicationem ab ipsa præscinduntur, rectè quidem facultatem susceperunt, sed non rectè ea vtuntur, eo quòd contra Ecclesiæ iussum illam exercent.

2. Concl.

Secunda concluſio. Qui dum sunt ab Ecclesia præcisi, ordinem sacerdotij recipiunt, illi nec rectè potestatem habent, nec quamdiu sunt præcisi rectè illa vtuntur: quia vtrumque est contra Ecclesiæ ordinem, quæ præcisos ab ordinibus cohibet, tam suscipiendis, quàm exercendis.

3. Concl.

Tertia concluſio. Vtrique veram habent potestatem, vt siue sacramentum consecrare attentent, verè consecrent, siue ministrare, verè ministrent. Probatur authoritate Augustini libro secundo contra Parmenianum † vbi ait. Aliud est aliquid omninò non habere, aliud autem non rectè habere. Et similiter, est aliud non dare, & aliud non rectè dare. Et quòd hæretici eandem habeant potestatem, illo documento illic monstrat, quòd cùm redeunt ad vnitatem Ecclesiæ, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus. Ad idem facit quod articulo quinto ex eodem Augustino libro de corpore Domini, cano. Intra catholi-

† cap. 2. tom. 7.

cam

Digitized by Google

cam Ecclesiam 1. quæst. 1. cirauimus, vbi in hunc modum legitur. Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote.

4. Concl. Quarta conclusio. Qui extra Ecclesiam vel ordinatur, vel potestate ordinum vtitur, mortaliter peccat: quia non rectè secundum Ecclesiæ ordinem id facit: quare neque fructum sacrificij percipere potest.

Expositio articuli. De his conclusionibus nullum est hic necesse adhibere verbum: quippe, quas distinctione 1. quæstione 5. articul. 5. in tractatu de ministris in genere quamplurimis autoritatibus Augustini, atque aliorum sanctorum, ac perinde Ecclesiæ sanctionibus satis monstrauimus esse constabilitas, quorum plurima de consecratio. dist. 4. referuntur, vt can. Romanus. cano. Si qui. & can. Si re vera, & quamplurimis alijs. Quapropter in hac parte opinio Magistri Sententiarum repudiatur.

1. Argu. Primum argumentum colligit S. Thò. ex Augustino dicente, extra Ecclesiam catholicam non esse locum veri sacrificij, cano. supra allegato. Intra cathol. Eccles. 1. q. 1. & ex sancto Leone Papa ibidem cano. In Ecclesia, vbi ait. Aliter (scilicet, quàm in Ecclesia, quæ corpus Christi est) nec rata sunt sacerdotia, neque vera sacrificia. Et in concilio Laodicensi ca. Non oportet, legitur, quod non oportet hæreticorum benedictiones accipere: quoniam magis sunt maledictiones, quã benedictiones. Et multa huiusmodi alia adducit testimonia Petrus Lombardus in eandem sententiam. Hæc autem & similia cuncta, inquit S. Tho. intelligenda sunt, quantum ad hoc, quòd extra Ecclesiam non rectè sacrificium offertur; quare nullum est illic spirituale sacrificium, quod sit verum veritate fructus: est autem verum veritate sacramenti, quemadmodum supra diximus, peccatorem sacramentaliter Christi corpus sumere, non autem spiritualiter.

2. Argum. Secundò arguitur. Innocentius (vt can. Arianos. eadẽ causa & quæstione legitur) ait. Arianos, cæterasq; eiusmodi pestes detestamur: quia licèt eorum laicos conuersos ad Deum sub imagine pœnitentiæ suscipimus, tamen clerici eorum non videntur cum sacerdotij, aut cuiuspiam ministerij suscipiendi dignitate esse, quibus solum baptismum ratum esse permittimus: ergo hæretici sacerdotali dignitate non funguntur, atque adeò consecrare nequeunt. Respondetur, illic pontificem non loqui de potestate quantum ad consecrandum hoc sacramentum, cæteraque perficiendum, sed de solo potestatis vsu, videlicet, quòd permittitur illis in extrema necessitate baptizare paruulos, vt tunc baprizando non peccent, sed nullatenus permittitur vt consecrent, aut alia sacramenta ministrent.

3. Argu. Tertiò arguitur. Ille qui extra Ecclesiam est, nihil agere posse videtur in persona & potestate Ecclesiæ, sacerdos autem non videtur nisi in tali potestate consecrare posse: quandoquidem & ritu & forma Ecclesiæ id facit: ergo & qui extra Ecclesiam est minimè consecrat. Respondetur, quòd sacerdos in precibus quidem & orationibus proferẽdis, in persona Ecclesiæ loquitur, cõsecrationis verò formam non nisi in persona Christi pronunciat. Ob idque ab Ecclesia præcisus per characterem ordinis, qui est Christi potestas, verè consecrat: preces tamen eius nullius sunt virtutis aut efficaciæ.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm sacerdos degradatus possit hoc sacramentum conficere.

QVIA degradationis nomen ablationem sonare videtur gradus sacerdotij, de degradato singulariter quæritur, an possit consecrare. Ad quod hac conclusione respondetur. Sacerdos degradatus potest hoc conficere sacramentum: ita vt si consecret, licet peccatum mortale committat, consecratio tamen tenet. Probatur primò autoritate Augustini eodem 2. libro contra Parmenianum, † vbi ostendit apostatas à fide non carere baptismate, per hoc quòd per pœnitentiam redeuntibus baptismus non restituitur, quod signum est, illum nunquam amisisse: quamobrem cùm similiter dum degradati reconciliantur, non iterum ordinentur, signum est sacerdotij gradum non amisisse,

Conclusio.

† cap. 13. tom. 7.

atque adeò degradatum consecrare posse. Et ratio id ipsum elucidat. Potestas n. consecrandi Eucharistiam ad sacerdotalis characterem ordinis attinet: character verò quilibet, vt proprio loco dictum est, quia cùm consecratione datur, indelebilis est, sicut omnes quarumcunque rerum consecrationes perpetuæ sunt, neque amitti, neque iterari possunt: ergo in degradato permanet character, atque adeò eius consecratio erit valida. Et confirmatur autoritate Augustini eodem lib. 2. citato contra Parmenianum, vbi ait, vtrumque (scilicet baptismus & ordo) sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur: illud scilicet cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideoque non licet à catholicis vtrumque iterari. Ex quo fit, vt character ordinis perinde atque baptismi sit indelebilis.

Dubium. An sacrificium degradati prosit ijs pro quibus offertur. Pars neg. probatur 1.

Circa hos duos articulos, dubium est non dissimulandum, quod ex solutione tertij argumenti articuli præcedentis ortum habet: videlicet, vtrum sacrificium istorum, qui sunt ab Ecclesia præcisi, licèt nihil illis prosit, prosit tamen alijs pro quibus offertur. Apparet enim ex verbis Sancti Thomæ colligi, vt nihil prorsus proficiat. Ait, inquam, preces nomine Ecclesiæ in missa fieri, & ideo in hæreticis & alijs præcisis nullius esse efficaciæ. Secundò id vehementius confirmatur: quia Ecclesia non intendit per illos sacrificium offerre, quicquid sit de consecratione sacramenti, quæ fit in persona Christi, ergo qua ratione est sacrificium, nullius valoris est. Tertiò. Qui sacrificium ab hæreticis offerri petunt, aut à degradatis & schismaticis, & qui eorum sacrificijs intersunt, peccant: ergo neque illis vllo modo est fructuosum. Quartò, cùm Lutherani nostra irrideant sacrificia, ridiculum apparet fateri, quòd cum pro nobis offerunt quicquam prosit, præsertim illi, qui veritatem corporis & sanguinis in sacramento abnegant.

2.

3.

4.

Responsio cum distinctione.

Certè est res dubia: nihilominus per has distinctiones respondetur. Primùm. Certum est ipsis præcisis sacrificium, quia tunc peccant, nil prodesse. Secundò. Notum quoque est eorum preces quatenus ex eorum deuotione dimanant, nullius esse efficaciæ: quia peccant offerendo. Tertiò. Et id manifestum est, nullum eorum, qui scientes ab eis petunt sacrificium, aut sacrificio intersunt, vllum percipere fructum, quia etiam peccant.

Dubium ex præced. Dubium ergo huc deuoluitur. Si quis ignorans hunc sacerdotem esse Lutheranum, bona fide de: ei eleemosynam pro sacrificio, cui etiam interfit, & hæreticus intendens facere, quod Ecclesia catholica, verè consecret, licèt non credat illic esse cõrpus & sanguinem, vtrum prosit illi pro quo offertur. Ad quod sub aliorum censura respondens asseruerim illis prodesse nam quicquid sit de precibus, consecratio tamen fit in persona Christi, atque adeò in persona Ecclesiæ: quia cum character sit indelebilis, quamuis possit Ecclesia prohibere vsum, non tamen tollere potestatem, quin quicunque sacerdotes eius intentione vtantur, in eius potestate consecrent, sumantque sacramentum: & cum in hoc sacrificij substantia consistat, fit vt sacrificium natura sua prosit alijs pro quibus offertur, si sint in gratia. Eadem ratione concederem, quòd etiam si hæreticus non requisitus, sed sua sponte sacrificet, intendendo quod facit Ecclesia, offeratque pro Papa, pro rege, proque alijs Dei amicis, proderit illis sacrificium: nam quòd requisitus, vel sua sponte faciat, naturam sacrificij non mutat. Et quòd hæc fuerit sententia S. Tho. apparet ex articul. 6. vbi dixit, quod missa mali sacerdotis absque vlla distinctione præcisi, vel nõ præcisi, est fructuosa. Et in solutione tertij dixit, quòd non est mala.

Responsio.

De precibus præcisi sacerdotis. De precibus tamen eius est maius dubium, eo quod simpliciter in prædicta solutione in 7. arti. ait Sanct. Thomas, quòd orationes præcisi nullam habent efficaciam: vbi insinuat quòd illas non fundit quatenus minister Ecclesiæ, eo quòd est ab ipsa præcisus. Quare quòd dixerat ar. 6. orationes sacerdotis peccatoris in missa, quatenus est minister Ecclesiæ, esse fructuosas, non videtur præcisos comprehendere, Qui autem dicere vellet, quòd Ecclesia præscindendo hæreticos, degradatos & alios, non potest facere quin si sacrificent, eius vtantur potestate, etiam in fundendis precibus, quamuis peccent, glossare potest dictum Sancti Thomæ, quòd eorum preces nullius sunt efficaciæ, quatenus ex eorum deuotione promanant, secus quatenus

Digitized by Google

eas in poteſtate Eccleſiæ offerunt. Tametſi prior ſolutio gratiùs literæ S. Tho. arrideat.

1. Argum. Primum argumentum in præſenti articulo ducit Sanctus Thom. ex cano. Quod quidam. §. Opponitur. 1. q. 1. cuius verba ſunt. Suſpenſo, vel depoſito ſacerdote nulla ei relinquitur poteſtas ſacrificandi, ſed baptizandi, quæ etiam eſt in laicis & hæreticis. Ad quod reſpondet, non eſſe dictum aſſertiuè, ſed inquiſitiuè, vt ex circunſtantia literæ haberi poteſt. Haud enim illa verba ſunt Auguſtini, cuius eſt Canon, ſed Gratiani verbis Auguſtini opponentis. Ex quo colligitur error gloſſæ Ioannis ſuper can. Accedens. diſt. 50. aſſerentis clericum degradatum non retinere ordines, nec conficere ſacramentum. Gloſſatores enim iſti quoties in ius diuinum falcem mittunt, cruentantur.

Error gloſſæ.

2. Arg. Secundò arguitur. Ille qui aliquid dat, poteſt etiam auferre: ſed epiſcopus dat presbytero poteſtatem conſecrandi ordinando ipſum: ergo eandem ei degradando aufert. Reſpondetur, quòd epiſcopus illam poteſtatem non confert virtute propria, ſed tanquam miniſter Dei, quam ideo tollere nequit iuxta verbum Chriſti Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ſicuti neque qui baptizat, poteſt vnquam in baptizato characterem delere.

3. Argu. Tertiò arguitur. Sacerdos per degradationem aut amittit poteſtatem conſecrandi, aut ſolam executionem: non ſolam executionem, quia cùm illam etiam excommunicatus amittat, nihil degradatio excommunicationi ſuperadderet: ergo amittit ordinem & gradum. Reſpondetur, quòd per excommunicationem, cùm ſit medicinalis pœna, non priuatur ſacerdos executione characteris quaſi in perpetuum, ſed in tempus, correctionis gratia: degradatio verò quæ propter enormia facinora, & potiſſimum propter incorrigibilitatem fit, eſt priuatio quædam executionis ordinum, quaſi in perpetuum. Tametſi neque omnino eis occludatur regreſſus, ſi dignam egerint pœnitentiam.

ARTICVLVS IX.

Vtrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis ſeu peccatoribus communionem recipere, & eorum miſſam audire.

POST eorum delictum, qui in delicto miſſas celebrant, ſequitur de alijs qui cum illis in miſſa participant, vt exploraretur an etiam delinquant. Ad quod Diuus Thom. duabus concluſionibus reſpondet. Prima eſt. Non licet à præciſis communionem accipere, aut eorum miſſam audire. Probatur, quia illi, ſcilicet hæretici vel ſchiſmatici, aut excommunicati, vel etiam peccatores, quamuis habeant poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, tamen non ea rectè vtuntur, ſed, vt proximè dictum eſt, peccant vtentes: quicunque autem communicat alicui in peccato, ipſe participeps peccati efficitur, vnde in 2. canonica Ioannes dicit, quòd qui dixerit ei, Aue (ſcilicet hæretico) communicat operibus illius malignis: & ideo non licet à prædictis communionem accipere, aut eorum miſſam audire. Hæc verò verba non intelligas, vt in ſuperficie ſonant tanquam aſſertam concluſionem, ſed vt ſtatim exponitur: nam cum in priori præmiſſa inter alios connumerauerit etiam peccatores non præciſos, ſi verbum (prædictis) comprehenſim omnes referret, falſa eſſet concluſio: quia non eſt peccatum ſacramentum à peccatore ſuſcipere ſi non eſt excommunicatus. Imò collectio non eſt valida: nempe, ob id quòd ipſi celebrando peccent, peccatum eſſe eorum, vel miſſam audire, vel communionem accipere: quia hoc non eſt participare cum ipſis in crimine, quamdiu ab Eccleſia tolerantur. Voluit tamen Sanct. Thom. illud verbum ſic in genere præmittere, vt ius naturale inſinuaret, & inde ad diſtinctionem deſcenderet. Differt enim, inquit, inter prædictos peccatores, quòd hæretici, & ſchiſmatici, & degradati, & excommunicati per ſententiam Eccleſiæ executione conſecrandi priuati ſunt, & ideo peccant qui ſacramenta ab eis recipiunt, vel eorum miſſam audiunt. Perſpice quemadmodum ratio concluſionis non eſt illa generalis, quòd quia ipſi peccant celebrando, peccatum ſit eorum ſacris intereſſe, ſed hæc particularis, quòd dum per ſententiam Eccleſiæ executione ordinum priuati ſunt, ſimul inhibitum eſt alijs ne eorum miſſas audiant, aut communicationem accipiant.

1. Concl.

Exponitur ratio S. Tho.

Vera ratio concl.

2. Concl. Secunda concluſ. A peccatoribus miſſam audire, vel communionem accipere, quamdiu per ſententiam Eccleſiæ non ſunt præciſi, licitum eſt: nam licet ſint ſuſpenſi quantum ad ſe ex ſententia diuina, & ideo celebrando peccent, tamen quoad alios non ſunt priuati ſententia Eccleſiæ. Cùm enim populi occultas ſacerdotum maculas ignorent, non eſſet eis prouidè conſultum, ſi cohiberentur iniquorum ſacerdotum ſacris communicare, quouſque Eccleſia à ſuo gremio illos excluderet. Id enim ſignificat ſententia Euangelica, quæ neminem habet tanquam Ethnicum & Publicanum quouſque Eccleſiam non audierit. Vnde ſuper illud 1. Corinth. 1. Cum huiuſmodi neque cibum ſumere, ait gloſſa Auguſtini. † Hoc dicendo noluit homine ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio, ſed potiùs ex lege Dei, ſecundùm ordinem Eccleſiæ, ſiue vltro confeſſum, ſiue accuſatum & conuictum.

Matt. 6.

† Aug. l. de vtil. pœnit. à med. to. 9. Hic lib. habetur etiam to. 10. & eſt hom. vlt.

Ad maiorem claritatem huius articuli adnotandum eſt, quòd euitare peccatores duplici tenemur iure: ſcilicet naturali & poſitiuo. Naturali ſcilicet, quadruplici de cauſa. Vno modo, ne ſimus eorum fautores: nam qui alienis peccatis fauet, conſentire cum eis videtur, quòd Paul. ad Rom. 1. condemnat dicens: Digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed qui facientibus conſentiunt. Imò ratione quadam ad eorum peccata concurrit. Secundò in caſu correctionis fraternæ, quando ſcilicet videmus quòd ſeparare nos ab eorum conſortio prodeſſe poſſit, vt corripiantur: vt dum à familiaritate cum publico concubinario, qui alias meus erat amicus, me ſubtraho. Tertiò, ad euitandum ſcandalum: tenetur enim vir honeſtæ famæ, maximè ſi eſt perſona publica, nomini ſuo & honori conſulere, conſortia reſcindendo cum hominibus corruptæ vitæ. Ac quartò, quando peccatum inſerperet, & rempublicam inficeret: tunc enim non ſolùm ſequeſtrare nos à criminoſis tenemur, verùm & illos accuſare. Et fortaſſe D. Thomas hæc generalia iura naturæ inſinuauit in illa generali aſſertione, ante primam concluſionem, ſ. quòd à prædictis, nempe ab omnibus peccatoribus, etiam non præciſis tenemur cauere communionem recipere, & miſſas audire. Attamen quia iſti caſus plurimùm ſunt occulti, neque facilè quis iudicare valet, eſt alia particularis prohibitio de iure poſitiuo, vt à ſacrorum communione abſtineamus cum præciſis, nihilominus Eccleſia tollere non prætendit naturalia iura, quominus quoties prædicti caſus occurrerint, ſuum teneant obligandi vigorem.

Expoſit. art.

Peccatores vitandi iure naturæ quatuor de cauſis.

Excommunicati vitandi iure poſitiuo.

Veruntamen primam concluſionem ſub illa generalitate, vt vniuerſos excommunicatos euitare teneamur, Diuus Thomas ſecundum antiqua iura aſſeruit, quæ ſuo tempore in vſu erant: nam paulò poſt ſucceſſit Conſtantienſe concilium, & Baſilienſe, in quibus pacandis timoratis conſcientijs ſic conſultum eſt: vt excommunicatos vitare non teneamur, niſi ſint vel nominatim excommunicati pro quocunque crimine, vel notorij clericorum percuſſores. Cæterum tamen nominatim excommunicati, qui de hæreſi, ſchiſmate, aut apoſtaſia condemnati ſunt, vt Lutherani, Witcleffiſtæ, &c. Item illi, qui vel nomine proprio, vel nomine dignitatis propter quamcunque inobedientiam excommunicantur, vt ſi excommunicetur prætor, aut decanus Salmantinus. Quare publici excommunicati ob alia crimina, vt incendiarij, niſi nominentur, non ſunt vitandi. Et eadem ratione licet excommunicentur participantes cum excommunicato, niſi nominentur, non ſunt excommunicati excommunicatione maiori. Sed hanc Conſtantienſem conſtitutionem ſupra diſt. 1. q. 5. articul. 6. latiſſimè expoſuimus. Quòd autem ab hæreticis nec communionem recipere liceat, nec eorum miſſam audire, habetur 24. q. 1. cano. Si quis dederit. niſi in mortis articulo, vt ibidem ex Auguſtino adijcitur, can. Si quem fortè. Sententia verò Gregorij, 4. libro dialogorum, quam de eiſdem eauendis hæreticis hic citat Diuus Thomas, habetur eadem cauſa 24. quæſtio. 1. can. Cœpit. & 1. quæſt. 1. can. Superueniente. Cauebatur & iure antiquo ne quis miſſam ſacerdotis qui in publico erat concubinatu audiret, vt diſtinctione 32. can. Nullus. habetur, quem hic Diuus Thomas citat. Eo quòd tunc publici concubinarij excommunicati erant: illi ſcilicet, vt ait in ſolut. tertij Sanct. Thom. qui aut per ſententiam publicam erant condemnati, aut conuicti, aut quos nulla tergiuerſatio celare poterat. Non quòd non ſint alia peccata for-

Quæ excommunicati hodie ſunt vitandi.

Digitized by Google

nicatione grauiora, sed tum quòd ad illam promiores sunt homines, tum quòd peculiari quadam fœditate sacramentorum ministrum commaculat. Iam verò bona causa rigor ille cessauit, quia iudicatum est tum ipsis concubinarijs occasionem perfricandæ verecundiæ, tum & populo laqueum delinquendi inde offerri.

1. Argu. Primum argumentum Sancti Thomæ est. Ait Augustinus contra Petilianum. Neque in homine malo aliquis Dei fugiat sacramẽta: sed sacerdotes quantumcunque sint ab Ecclesia præcisi, verum conficiunt sacramentum: ergo non debemus ab illis fugere. Respondetur, quòd fugientes missas & cõmunionem præcisorum, non fugimus Dei sacramenta, sed ministrorum sordes. Quare hostia consecrata ab hæretico adoranda est, & per alterius manus susçipienda.

2. Argu. Secundò arguitur. Verum Christi corpus signum est, vt suprà diximus, corporis mystici: sed sacerdos præcisus consecrat verum corpus: ergo illud à corpore mystico sumendum est, vt signatum signo respondeat. Respondetur, vnitatem corporis mystici fructum esse corporis veri percepti: qui verò indignè & contra Ecclesiæ iussum vel dant, vel recipiunt sacramentum, fructu eius & gratia priuantur: & ideo illis qui sunt in vnitate Ecclesiæ, non licet illud à præcisis recipere.

ARTICVLVS X.

Vtrum liceat sacerdoti omnino à consecratione Eucharistiæ cessare.

TANDEM in calce quæstionis quæritur de sacerdotibus, qua obligatione ad munus consecrandi teneantur, vtrùm liceat eis nunquam in tota vita consecrare. Et respondet Diuus Thom. duabus conclusionibus. Prima. Non licet sacerdoti omnino, hoc est, per totam vitam à celebratione cessare, etiam si nulla ei parœcialis Ecclesiæ aut alius obligationis cura incumbat. Hanc asserit contra quosdam contrarium tenentes: videlicet, quod sacerdos nunquam obligaretur celebrare, nisi ratione curæ quam habet super fideles. Probatur primò, quia vnusquisque vti gratia sibi data tenetur cùm fuerit opportunum: secundum illud 2. Corinth. 6. Hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: opportunitas autem sacrificium offerendi non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrare, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui sacrificium offertur. Quare secluſa etiam ratione priori, propter posteriorem tenetur celebrare. Vnde Ambrosius in quadam oratione: Graue, inquit, est, quod ad mensam tuam mundo corde & manibus innocentibus non venimus: sed grauius est, si dum peccata metuimus, sacrificium non reddamus.

1. Concla. *2. Concl.* Secunda concl. Videtur sacerdos, etiam si nullam habeat animarum curam, teneri in præcipuis festis celebrare, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueuerunt. Vnde 2. Machæorum 4. aduersus quosdam sacerdotes legitur, quod iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo & sacrificijs neglectis.

Expositio articuli. Quæstio præsens, vti huiusmodi aliæ, quæ vel ex Euangelica, vel Ecclesiastica lege, vel more definiri clare nequeunt, vix potest per certam sententiam terminari. De hac enim re nullum extat expressum præceptum, aut consuetudo, quæ sacerdotes, quibus nulla incumbit animarum cura, palam cogat celebrare. Et condemnare rem aliquam ad peccatum mortale, vbi non extat præceptum, nonnihil præ se fert temeritatis. Igitur etsi nemo sit qui negat esse peccatum saltem veniale, tam excellenti potestate conficiendi corpus & sanguinem Domini nunquam per totam vitam fungi: tamen de peccato mortali, omissa animarum cura, aut alia obligatione ratione stipendij, existimat Alexander Alensis, (vt eius vtamur verbo 4. p. q. 51. memb. 2.) huiusmodi sacerdotes omni alia obligatione liberos, nisi à suis superioribus eis iniungatur, non peccare, licet per totam vitam nunquam celebrent. Atque idem in præsentiarum Caietanus censet: non alia ratione, nisi quia non extat tale præceptum. At verò S. Thom. apertè videtur contrarium censere, scilicet, esse peccatum mortale: nam solùm propter peccatum veniale, de quo nemo dubitare poterat, nunquam tam seriò mouisset quæstionem, definijsseque adeo quod sacerdos tenetur, saltem in præcipuis festis celebrare, atque illis maximè, quibus populus communicare consueuit, vbi censura peccati mortalis insinuatur. Idemque tenet Ricardus præsenti distinct. articul. 1. quæstio. 2. & Durandus & Paludanus quæstione itidem 2. & Syluester verbo Missa 1. §. 7. Atque alij Summistæ. Et re vera ratio Sancti Thomæ bene perpensa vrgere videtur. Dedit enim Christus potestatem consecrandi sacerdotibus vniuersis per characterem sacerdotalem, secluſa quacunque iurisdictione & cura animarum, vt in memoriam suæ passionis ea vterentur, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, vbi non tantùm consilium, sed præceptum, vt suprà diximus, designatur: ergo ipsa natura rei admonet, vt aliquando teneantur id in eius honorem facere, ne gratiam Dei in vacuum recepisse videantur. Cui accedit & parabola Euangelica talentorum Matth. 26. & Luc. 19. qua seruus nequam insimulatur in sudario talentum reposuisse, & ob id quod nunquam illo vsus fuerat, iussus fuit mitti in tenebras exteriores. Item quia vox populi, vox Dei & naturæ est, & sacerdotes nunquam celebrantes pessimè apud totam rempublicam audiunt, graueque scandalum dant, & in suspicionem veniunt aliquo teneri impedimento, quod obex sit gratiæ. Nam, vt postremam adhibeamus rationem, vix sacerdos, qui nullum habet impedimentum, cessare per totam vitam potest à sacrificio, qui non censeatur diuini sui ordinis & facultatis contemptor, dicente Ambrosio, Graue est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Præsertim cum facultas hæc celebrandi tam sit in Ecclesia sublimis, & quæ tam facili negotio & absque vllo dispendio, & cum maximo oblectamento & fructu vsui mandari potest. Certè vix mihi aliud persuaderi posset, quàm quòd sit sacerdoti peccatum mortale nunquam celebrare.

Ratio S. Th. *Parabola serui nequam.* *Opinio autoris.*

An nunquam celebrare, sit pecc. mort. *Negatiua pars probatur.* *Alexand. Alens.* *Caietan.* *Affirm. probatur ex S. Tho.* At verò cum sit affirmatiuum præceptum, designandum est tempus, quo obligat. Id ergo S. Thom. tantùm declarat esse festa præcipua. Sed tamen subdens, maximè in illis, in quibus fideles communicare consueuerunt, videntur non obligare nisi in solo festo paschatis. Et certè dies illa omnium est rei illi aptissima. Attamen hac ratione videntur præceptum nimium extenuasse, sanè cum nihil sacerdotibus præ secularibus iniunxerit. Arbitror ergo, quòd non alluserit ad solum nouum communicandi præceptum, sed ad priscorum morem, quando populus in festo Natiuitatis, & Paschatis, & Pentecostes communicabat. Concludendum ergo sub vehementi coniectura est, vt sacerdotes, secluso impedimento, tribus saltem hisce diebus teneantur consecrare, vel saltem alijs, ter vel quater in anno: dolens enim pontifex cap. Dolentes. de celebra. missa. eos reprehendit sacerdotes, qui missarum solennia vix celebrant quater in anno. Quapropter qui aliquando celebrat, non cogitur sub pœna peccati mortalis illis signanter paschalibus festis celebrare: satis enim habet præceptum Ecclesiæ seruare de communicando in paschate. Hæc autem de præcepti vinculo hactenus dicta sint. Nam sacerdotes non crebro celebrantes, suo non sunt nomine digni.

Quo tempore sacerdotes obligentur celebrare. *Resolutio.*

1. Argu. Primum argumentum Sancti Thomæ est. Ad officium sacerdotis non solum Eucharistiam celebrare, verum & alia pertinet ministrare sacramenta: sacerdos autem non tenetur alia ministrare, nisi propter animarum curam: ergo neque consecrare. Negatur consequentia propter discrimen: quoniam alia sacramenta perficiuntur in vsu fidelium, quæ ideo sacerdos, quem eorum cura non tangit, administrare non tenetur, sicut neque hoc ipsum alijs dare. Celebrare verò, consistit in consecratione Eucharistiæ in qua sacrificium Deo offertur, ad quod sacerdos ex sui ordinis officio obligatur.

2. Argum. Secundò arguitur. Sunt aliqui sacerdotes peccati reatu, aut excommunicationis sententia irretiti, qui ideo celebrare non tenentur, alioqui perplexi essent, cum etiam celebrando peccent. Respondetur, quòd si sunt sententia Ecclesiæ præcisi, & per eos non stat quominus reconcilientur, cessando non peccant: quia legitimo arcentur impedimento. Si verò solum peccatum mortale eos cohibet, non excusantur, si nunquam celebrent. Neque tamen sunt perplexi, quoniam pœnitentiam agere possunt.

3. Argu. Tertiò arguitur. Sacerdotalis dignitas per subsequentem infirmitatem non perditur, vt est in cano. Gelasij, Præcepta. 55. distinctio. vbi ait. Præcepta canonica sicut non patiuntur venire ad sacerdotium de-

biles

biles corpore, ita ſi quis in eo fuerit conſtitutus, ac tunc fuerit ſauciatus, amittere non poteſt quod tempore ſuæ ſynceritatis accepit: contingit autem quandoque, vt ſacerdotes defectus aliquos incurrant ex quibus à celebratione impediuntur, ſicut eſt lepra & morbus caducus, &c. ergo illi non tenentur. Reſpondetur, quòd nulla ægritudo, aut plaga ſacerdotali ordini ſuperueniens eum tollit, ſed executionem quandoque inhibet conſecrandi, vt ſi quis oculis, aut digitis, aut lingua priuetur. Intellige, niſi per diſpenſationem, per quam cæci conſecrare poſſunt, quòd vt ſuprà dixi, ego vidi. Quandoque item propter periculum, vt ſi quis cardiam ſeu morbum caducum, aut mentis alienationem patiatur. Quandoque rurſum propter abominationem, vt patet de leproſo, qui publicè non poteſt conſecrare: poteſt id tamen occultè, niſi lepra eo vſque inualuerit, vt per membrorum corroſionem eum ineptum reddiderit.

Quæſtio ſecunda,

DE RITV HVIVS SACRAMENTI, ET RATIONE QVA EST SACRIFICIVM.

S. Thom. 3. par. quæſt. 83.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in hoc ſacramento Chriſtus immoletur.

POST miniſtrorum conſiderationem ſequitur de ritu huius ſacramenti. Et quia ritus ad modum ſacrificandi attinet, & ratio ſacrificij eſt immolatio Chriſti, quæritur primò, vtrum in hoc ſacramento Chriſtus immoletur. Et reſpondetur duabus concluſionibus. *1. Concl.* Prima. Celebratio huius ſacramenti dicitur immolatio Chriſti. *Probatur 1.* Probatur primò authoritate Auguſtini in libro Sententiarum Proſperi, quæ refertur can. Semel immolatus, de conſecrat. diſt. 2. vbi ait. Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. Deinde ſubiungitur ratio duplex. Prima. Imagines, vt ad Simplicium autor eſt idem Auguſt. earum rerum nominibus appellari ſolent, quarum ſunt imagines, ſicut dum aulæa depicta intuentes dicimus, Ecce Herculem, aut Ciceronem: celebratio autem huius ſacramenti, vt ſupra dictum eſt, † imago quædam eſt paſſionem Chriſti repræſentans, quæ fuit vera eius immolatio: ergo hoc ſacramentum meritò immolatio Chriſti nuncupatur. Vnde ſuper epiſtolam ad Hebr. † Ambroſius, cuius autoritas refertur can. In Chriſto. ead. diſtinct. In Chriſto, inquit, ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens: quid ergo nos? nónne per ſingulos dies offerimus? ſcilicet ad recordationem mortis eius. *Prob. 2.* Secunda ratio ſumitur ex effectu ſacramenti. Per hoc enim ſacramentum participes efficimur fructus Dominicæ paſſionis: vnde in quadam dominicali oratione ſecreta dicitur: Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur: exerceri autem opus illud eſt quodammodo Chriſtum immolari.

† *d. 8. ar. 4.*

† *in cap. 10.*

2. Concl. Secunda concluſio. Priori ratione etiam vetuſta ſacrificia dici poterant Chriſti immolationes, quaſi eius mortis repræſentationes: vt videre eſt in occiſis animalibus, potiſſimè in eſu agni, & in ſacrificio, quo Abraham charum, filium immolare parabat. At verò ſecundo modo huic ſacramento proprium eſt, vt in eius celebratione Chriſtus immoletur. Atque adeò hoc longè magis propriè ſacrificium eſt.

Excellentia huius ſacra. perpendituꝛ. Hic ergo opportunus tandem locus eſt, quo peculiarem excellentiam huius ſacramenti ab initio hucuſque crebrò inſinuatam perpendamus: nempe, quo diſcutiamus quemadmodum non modò, vti cætera, ſacramentum ſit verum & pariter ſacrificium. Et quo hæreticorum veneficam perfidiam primum omnium retundamus. Witcleff, vt 2. tomo de ſacr. c. 31. & 32. apud Waldenſem videre eſt, hanc cœpit veritatem inficiari, & labefactare. In eius verò perfidiam ſuus aſſecla Lutherus in libello illo blaſphemo de abroganda miſſa priuata ſubſcribens ait. Miſſæ, quas ſacrificia vocant, ſumma ſunt idololatria, & impietas. Imò miſſarum vſum nomine ſacrificiorum & ſacerdotum titulo tenere, eſt negare Chriſtum. Similibus namque ſcommatibus ſolet ſanctam Eccleſiam reſpergere. Contra eum de hac re Iodocus lib 2. de officio miſſæ ca. 10. & infra, non indoctè diſſerit. Stat ergo firma orthodoxaque concluſio, ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium non tantum ſacramentum exiſtere, verum etiam ſacrificium, idemque ſi legitimam ſacrificij rationem ſpectes, chriſticolis vnicum.

Lutherus.

Concluſio catholica.

Atqui inde primum aduerſus hæreticos argumentum ducitur, vt ſupra † de ſacerdotibus arguebamus. Omnis reſpublica, ſeu naturæ legem, ſeu ſcriptã retroſpicias, hiſce tribus ſacrificijs, ſcilicet ſacerdotibus & legibus ſemper fundata fuit, ſarta, & tecta. Nempe, vt Dei cuiuſpiam notitia, ſeu veri, ſeu falſi (quos plurimos idololatræ confingebant) propoſita, illico propria ſacrificia, templa & aras ſtatuerent, proprioſque ſubinde ſacerdotes & pontifices, qui ſacris præſiderent, ac deinde leges conderent, quibus eadem reſpublica ſalua conſiſteret. Fuit enim hoc naturale lumen hominum mentibus ſemper innatum, vt per ſacrificia proteſtarentur Deum eſſe omnium rerum principium à quo bona cuncta dimanant, atque adeò finem, quò ſunt omnia referenda: iuxta illud 1. Paralipom. vigeſimonono. Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Huiuſmodi ergo ritum non modo profanæ hiſtoriæ vbique memoriæ produnt, verùm & ſacra pagina nobis tradit, vt de Abel, Noe, Abraham, Iſaac & Iacob conteſtatur. Quorum ideo patrum ſacrificia Eccleſia ſanxit, vt in canone cõmemorarentur, eo quod omnia fuerint ſacrificij noſtri prognoſtica. Mox & totum negotium ſcriptæ legis in ſacrificijs & victimis immolandis verſabatur, iuxta verbum Domini Exod. 5 ad Pharaonem: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto. Quare poſt nefandum vituli ſacrificium, tria ſacrificiorum genera illis inſtituit, nempe holocauſtum in reuerentiam & honorem diuinæ maieſtatis. Deinde & placabilem victimam ad ſatisfaciendum pro peccatis & complacandum Deum. Et tertio hoſtiam pacificam, quæ in gratiarum actionem pro ſuſceptis beneficijs offerebatur. Igitur cùm lex illa vmbratilis ſuis eſſet inſtructa ſacrificijs, blaſphema hæreſis eſt, negare legem noſtram gratiæ & veritatis, quæ in ſumma religione & Dei cultu verſatur, proprio ſacrificio exornari.

1. Argum. † *diſt. 13. q. 1. art. 1.*

Tria veterũ ſacrificiorũ genera.

Sed ecce commentum, quo Lutherani veritatem hanc rècutere moliuntur. Aiunt, inquam, cunctis illis ſacrificiorum vmbris vnicum Chriſti in cruce reſpondere. Idque teſtimonio Apoſtoli ad Hebr. 10. (quod eſt hic primum argumentum S. Thomæ) adſtruere pergunt. Ait enim illic Paulus, quòd cùm ſacerdos vetus ſingulis annis intraret propitiatorium ad offerendum pro peccatis, quia illa ſacrificia ad veram expiationem non ſufficiebant, Chriſtus ingrediens in mundum ait patri illud Pſalmi 39. Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, (quo ſcilicet tibi legitimum ſacrificium offerrem.) Et ſubdit Apoſtolus, quòd vnam pro peccatis obtulit hoſtiam: vna enim, inquit, oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos. Igitur cum Chriſtus, vt idem Apoſtolus ad Roman. 6. ait, iam non moriatur, quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, colligunt hæretici, nos qui profitemur Chriſtum quotidie immolari, blaſphemos eſſe in ipſum, quaſi vna eius mors non ſatis pro cunctis peccatis fecerit, cum dicat Ioannes in ſua canonica, † pro omnibus totius mundi ſatisfeciſſe. Ad hoc autem cauillum reſpondentes, planè confitemur vnicum ſacrificium Chriſti ſufficiens in redemptionem fuiſſe omnibus, qui eius membra efficiuntur. Quapropter quotidianum noſtrum miſſæ non eſt aliud ab illo diſtinctum, ſed idem prorſus. Vnde Ambroſius loco ſupra citato cano. In Chriſto. de conſ. diſtinct. 2. Vna eſt, inquit, hoſtia, (quam ſcilicet Chriſtus obtulit, & nos offerimus) & non multæ: quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius. Hactenus ille: iuxta verbum ipſius Chriſti. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Im-

Lutheranorum commentum.

1. Argum.

† *ep. 1. c. 2.*

Reſp.

Ambroſius.

molatur

molatur ergo hic Christus, vt dixit Sanct. Tho. in prima ratione: quia est repræsentatio illius passionis.

Secundum hæreticorum argum.

Exurgunt autem in nos hoc pacto hæretici, Sequeretur, inquiunt, quod etiam dum festum Natiuitatis celebramus, eadem ratione deberemus fateri, quod tunc singulis annis nascitur Christus, & dum festum feriamur Resurrectionis, aut Ascensionis, quod eadem die quotannis resurgit, & ascendit in cælum: nam pariter illis festis illas commemoramus historias. Aperta tamen est argumenti versutia. Aliud enim est historiam aliquam Psalmis & hymnis commemorare, & festum in eius honorē colere, quod facimus in Christi solennitatibus: aliud verò re ipsa gesta, personam Christi, & eius passionem referre, quod in missa facimus. Sicut aliud est festum celebrare in memoriam Abrahæ dum voluit filium immolare, & aliud comœdiam illius agere, sicuti fit comœdia Plauti, aut Terentij: hoc enim pacto in missa sacerdos personam Christi indutus, eius passionem re ipsa refert. Accipe diuersa exempla. In die Veneris sancta Hymnis, Psalmis & ieiunio celebramus priori modo passionem Christi, vt ait August. de consecrat. distinct. 2. can. Semel Christus: sed in missa secundo modo, vt illico subiungit, can. Semel immolatus. Sed rogas. Nunquid in baptismo quoque repræsentamus passionem Christi? Respondetur, repræsentare quidem, sed longe aliter. Est enim illa repræsentatio, quia consepelimur cum illo per baptismum in morte, vt ait Paulus, dum per eiusdem gratiam sacramenti extinguuntur nostra peccata. Hic verò præter gratiam, quam suscipientes recipiunt, offerentes referunt quasi imaginem ipsius passionis.

Aliter in baptismo passio repræsentatur, aliter in Eucha.

At tertiò argumentantur. Postquam Christus semel sufficiens sacrificium obtulit, quidnam rationis expostulabat, vt quotidie iteretur? Respondetur, primam rationem esse, quod religio cuiuscunque legis id exposcit, vt toto temporis curriculo, quo eadem religio durat, suos habeat sacerdotes, suumque perinde iuge sacrificium, quod quotidie frequentando Deum suum colat, cui eadem est dicata religio. Alioqui surda esset & sterilis, vt apud Lutheranos, nec sine lachrymis conspicitur. Nam cùm tota eorum religio non sit nisi concionari populo absque vlla psalmorum musica, sacrificiorumque oblatione, muti viuere videntur, ieiuni & surdi. Atque in huiusce rei figuram in lege Mosaica præter paschalem agnum, qui Exodi 12. semel in anno immolari iubebatur, præcipiebatur, vt singulis diebus duo agniculi immaculati quotidie offerrentur in holocaustum sempiternum, vt Nume. 28. refertur. Secunda verò ratio eiusmodi quotidiani sacrificij est maximè adnotanda, quod licet sacrificio suo Christus in ara crucis quantum ad sufficientiam pro vniuersis nostris delictis & criminibus satisfecerit, tamen quantum ad efficaciam nulli, nisi taxatè secundum suam dispositionem, vel sacramentalem mensuram participatur. Et ideo sicut nobis opus est postquam in gratiam Dei recepti sumus, opera satisfactoria exhibere quibus eandem passionem fœcundius indies participemus: ita imò potissimè hoc sacrificium nobis erat maximè operæ pretium ad satisfaciendum. Atque huc attinet secunda ratio Sanct. Thomæ: videlicet, quod per hoc sacramentum participes efficimur passionis Christi. Nam etsi per gratiam baptismi & aliorum sacramentorum participes itidem eiusdem passionis efficiamur, tamen in Eucharistia non solùm gratiâ suscipientes ratione sacramenti infunduntur, verum offerentes per hoc mysterium qua ratione est sacrificium, oblatione ipsa & merentur & satisfaciunt. Itaque sicut Christus in cruce & meruit & satisfecit nobis: ita & offerentes per hoc sacrificium quo ipsa applicatur passio, & merentur & satisfaciunt. At quia Lutherani huiusmodi nostras satisfactiones ab Ecclesia relegare & proscribere contendūt, inde & in hoc sacrilegium collapsi sunt vt missam negent esse sacrificium.

Tertia obiectio.

Cur iteretur. 1. Ratio.

Lutherana religio.

Figura veteris.

2. Ratio adnotanda.

Melchisedec.

Accedit demum & figura Melchisedec, secundum cuius ordinem & Psalmista & Apostolus Christum aiunt fuisse sacerdotem: cùm enim sacrificium ille in pane & vino obtulerit, & Christus in cruce non nisi sub figura carnis & sanguinis sese tradiderit, restabat, vt sub speciebus panis & vini se identidem offerendum nobis relinqueret.

Postremò denique veritas hæc nostra confirmatur. Qui negant hoc sacramentum altaris sacrificium esse Christianorum, nullum eis relinquunt proprium, per quod suam religionem more & vsu colant: nam oblationes panis & vini, carnium & ceræ non sunt propria nostra sacrificia: tum quod ante legem euangelicam etiam erant inter gentes, tum quod laici eadem offerentes non sunt sacerdotes. At verò Lutherani, vt nullos admittunt sacerdotes, ita neque vllum peculiare sacrificium præter opera virtutum, quæ vniuersis mortalibus sunt communia, sed omnem religionem de medio sublatam contendunt.

Sanctorum testimonia.

Testimonia autem sanctorum Patrum superuacaneum est percensere, adeò sunt multa eademque patentia. Satis est illud August. lib. 10. de ciuitate Dei c. 20. vbi concludit dicens: Per hoc & sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium: cùm ipsius corporis sit caput, & ipsius capitis ipse sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. In cuius verba Innocentius tertius in concilio Lateranensi cap. Firmiter. de summa Trinit. & fide catho. subscribens. Vna, inquit, est vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub specie panis & vini veraciter continentur.

Cap. Firmiter.

Vnde vt ait S. Thom. in solutionibus secundi & tertij argumenti, sicut Christus in cruce immolatus est, in qua, vt ad Eph. 5 ait Apostolus, tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis: ita quia sacramentum hoc imago passionis est, altare locum habet crucis. Et sicuti (vt ait August. lib. quarto de Trinita.) in immolatione Christi idem est sacerdos & hostia: ita & in altari sacerdos gerens personam Christi, ipsius verba ad ipsius corpus consecrandum pronunciat.

Secundum & tertium arg. S. Tho.

Celsitudinem ergo mysterij mente attentissima contemplemur. Sacrificium est munus illud, quod Deo de ijs rependimus, quæ de manu sua accepimus. Quod autem nobis summum beneficium contulit, ipsissimus fuit vnigenitus eius filius. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Eundemque, & qui nobis esset & in mundo legislator, & in cruce redemptor, & in sacramento pastus, & in cælo præmium. Igitur quia nos soluendo non eramus, nihil enim quod pro tam cumulatis beneficijs retribueremus, in nobis erat, (Quis enim prior, vt ait Paulus Romanorum 11. id est, tanquam de suo dedit illi?) diuina fuit nobis ratione consultum, vt ipse idem redemptor se nobis in sacrificium relinqueret, vt nihil minus pro immensis illis beneficijs patri redderemus, quàm eundem ipsum, qui hæc omnia nobis factus est: videlicet, vt posset à nobis & in reuerentiam diuinæ maiestatis tanquam holocaustum offerri: & ad nostra piacula expianda tanquam propitia victima immolari, atque adeò esset nobis pro gratiarum actione apud Deum hostia pacifica. Id quod Dauid in Psalmo † præcantasse videtur, vbi ait: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Mysterij celsitudo.

1 Ioan. 3.

Psal. 115.

Quo ergo rem iam cum catholicis agamus, rationes sacramenti & sacrificij in hoc diuino mysterio sic dignoscuntur: quòd cum sacramentum sit sacræ rei signum, quam vel in se continet, vel vsu efficit, ratio huius sacramenti in cōsecratione perficitur, sacrificiū autē est quod Deo offertur: quare ratio eius in oblatione consistit. Vnde dum in pyxide asseruatur, aut infirmo in domum defertur, sacramentum est, non sacrificium. Ex quo fit, nec baptismum, nec reliqua sacramenta vllatenus esse sacrificia: quia non sunt hostiæ oblatæ. Quare hoc non qua ratione est sacramentum, sed qua est sacrificium, tanta indumentorum, ornamentorum, precum & cæremoniarum, & cantionum solennitate celebratur.

Discrimen sacramenti & sacrificij.

Sed rogas. Nunquid in sola oblatione tota ratio sacrificij posita est? Respondetur. Non prorsus, nam cùm id quod offertur sit corpus & sanguis, fit vt eorum consecratio, quæ vt offerantur fit, hic sit forma sacramenti, vt pariter ad sacrificium pertineat. Quare prius fit oblatio materiæ consecrandæ, dum dicitur, Suscipe Domine sancte Pater hanc oblationem, &c. Deinde supplices rogamus, vti accepta habeat & benedicat nostra sacrificia illibata. Et tandem post consecrationem memores passionis aliorumque beneficiorum offerimus hostiam puram, sanctam, &c. Quinuerò & sumptio corporis & sāguinis potissimum ad sacrificium attinet. Illic n. ratio immolationis perficitur: immolatio

Dubium bonum.

Digitized by Google

Immolatio vnde & cur sic dicta.

molatio namque idem est quod sacrificatio: nempe, animalis occisio, à mola, id est, farre, quo victima inspergebatur. Mors autem Christi non repræsentatur in consecratione, imò consecratur, vt immoletur dùm consumitur, nam illa est mortis & sepulturæ Christi effigies. Et in sumptione sanguinis adhibetur imago effusionis eius.

Sine sumptione sacrificium est imperfectum.

Quocirca si post consecrationem sacerdos sacramenta non sumeret, sacrificium relinqueretur truncum & imperfectum, neque effectum sacrificij plenum haberet. Ob idque, si quia sumptio vtriusque formæ ad essentiam sacrificij attinet, tantæ fuit curæ Ecclesiæ, vt nunquam sacerdos consecraret, quin vtramque sumeret. Non ergo sacramentum & sacrificium tanquam contraria distinguuntur, imò consecratio & vsus sacramenti, adhibita oblatione, rationem integrat sacrificij. Quapropter etiam populus, qui sacris assistens sanctam suscipit communionem, per ipsam etiam sumptionem suo ordine & gradu sacrificat.

† *art. 4.*

Et quemadmodum hoc Eucharistiæ mysterium quatenus sacramentum est, vt dist. 8. † prædiximus, sua habet propria nomina, dicitur enim synaxis, hoc est, communio, & viaticum & Eucharistia: sic & inquantum sacrificium, dicitur Missa, quam quidem vocem, sunt quibus placeat esse Latinam, vt dicatur quasi missio, vt cùm in fine diaconus ait: Ite, missa est: idem sit, quod, Ite missio est, sicut dimittitur concio dum sermo vel lectio finitur. Hæc autem significatio non videtur re consona, imò quantum coniectura assequi possum, verbum illud originem duxit ex primitiua Ecclesia, quando catechumeni non recipiebantur ad sacra, sed in festis præcipuis admittebantur ad lectiones epistolæ & Euangelij, & runc ante offertorium iubebantur exire, vt ait Dionys. de Eccles. hierar. c. 3. canente diacono, Ite missa est, hoc est, sacra oblatio incipitur, cui vobis interesse non licet. Ait enim Isidorus in lib. de officijs, & Remigius in lib. de officijs missæ, vbi Isidorum citat, quod missa dicta est ab emittendo, eo quòd ante consecrationem dicendum est à diacono post Euangelium, si quis catechumenus est procedat foras. Atque inde suspicor relictum esse vt idem verbum dicatur in fine missæ, in præcipuis festis, putà quibus canitur, Gloria, sed tamen in contrario sensu: scilicet, Missa perfecta est. Hugo lib. 2. de sacrament. par. 8. cap. 14. missa, inquit, dicitur hostia & oblatio, quæ per sacerdotem qui inter Deum & populum mediator est, ad Deum transmittitur, quam opinionem art. sequenti amplectitur Sanct. Thom. Vtcunque tamen sit, certum est missam idem esse quod sacrificij oblationem. Quod quidem nomen non immerito alij dicunt esse Hebraicum. Nam vbi Hieronymus Deuter. 16. transtulit, oblationem spontaneam, Hebraicè legitur, missam, & alibi crebrò in Leuitic. Alijs verò ob id non apparet esse Hebræum, quod effigiem magis habeat Latinam quàm Hebræam. Attamè causa huius est, quod Hebraicus character, camach, ratione puncti daghues, non potest aptius Latinè reddi quàm per geminum S. Vnde sicut pro siion sine puncto, Latinè dicimus sion, ita pro micca dicimus missa. Quicquid tamen sit, nomen est, non modò inter sanctos patres creberrimum, verum & in Ecclesia celeberrimum, pro eo quod est sacrificij oblatio. Imò iam vsus obtinuit, vt omnes sacramenti solennitates, nimirum lectiones epistolarum & Euangeliorum & orationes comprehensim, significet, vt ca. Missas totas legitur. & can. In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, de consecrat. dist. 2. & can. Iacobus. distinct. 1.

Missa vnde dicta, & an sit vox Hebra. an Lat.

Esse Hebraicam prob.

Tria dubia.

Per hæc tandem ea quæ quæst. proxima art. 6. & dist. 11. q. 2. art. 5. indecisa reliquimus, facili negotio clarescunt. Hæc autem sunt tria: quorum primum attinet ad effectus & valorem sacrificij, secundum ad offerentes, ac tertium ad eos pro quibus offertur. Effectus n. sacramenti quatenus sacramentum est, per solam eius sumptionem recipitur, qui quidem est gratia gratum faciens, qua vita spiritualis alitur & nutritur. Effectus autem quatenus est sacrificium, pari modo est duplex, vt quatenus est sacramentum, scilicet virtute operis operantis: nempe deuotionis & orationis sacrificantis, & virtute operis (quod aiunt) operati, hoc est, virtute hostiæ & victimæ quæ offertur, sicut in sacramento virtute sacramenti quod suscipitur. Ille ergo secundus effectus obtinetur per oblationem, consecrationem, & sumptionem, vt explicatum est: quoniam ex istis sacrificium integratur.

Duplex effectus sacrificij.

Offerentes in triplici gradu.

Offerentes autem sunt in triplici gradu. Primum est sacerdos, qui immediatè, hoc est, per se tanquam publicus Ecclesiæ minister sacramentum consecrat, offert, & consumit, propriam Christi personam repræsentans. Generalissimè verò & mediatè, hoc est, per sacerdotem offert totus Christianus populus, qui quodammodo singulas missas offerunt, iuxta verbum Domini Exodi 5. Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. Et Leuitici 23. & Numer. 28. populus ipse iubebatur sacrificia offerre, id tamen faciebat per manus sacerdotum, sicut modo Christianus populus, iuxta verbum citati canonis Alexandri 1. q. 1. ipsi sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt. Particulariùs verò, sed tamen etiam quodammodo generaliter, offerunt omnes, qui aliquem specialem actum circa hoc sacrificium exercent, vt circumstantes, quorum ideo generaliter fit in can. mentio, tametsi inter illos sint gradus: nam principaliùs & specialiùs ministri altaris offerunt, & chorus quàm plebs. Item illi, qui sacerdoti celebranti alimenta & subsidia ministrant. Quare in missa plebani curati totus populus parœciæ offert, & in missa episcopi tota diœcesis. Specialissimè tamen offerunt illi, qui peculiarem eleemosynam in hanc missam conferunt, vt pro se & suis offeratur. Illi autem pro quibus offertur, & non offerunt, sunt defuncti, atque illæ personæ pro quibus, licet nihil subsidij contulerint, nec sunt præsentes, tamen sacerdos sua sponte sacrificium offert. Defuncti verò cùm non sint Ecclesiæ militantis, cuius est hoc sacrificium, non offerunt, nisi largo modo illi qui pecuniam pro missarum oblatione reliquerunt. Ex quo fit consequens vt multi sint & offerentes & simul pro quibus offertur, vt illi qui eleemosynam largiti sunt, & circunstantes.

An defuncti offerant?

Effectus sacramenti.

Isti ergo omnes offerentes vnusquisque in suo ordine dummodò in gratia sint, quando offerunt (quod est apprimè animaduertendum) triplici modo & via valorem & fructum sacrificij consequuntur: scilicet per modum meriti, per modum satisfactionis, & per modum impetrationis. Per modum, inquam, meriti tam de congruo quàm de condigno. Merentur enim de congruo per hanc sanctam oblationem sospitatem & salutem corporis, & reliqua id genus subsidia & temporalia bona: nam & illic panem petimus quotidianum. Huiusmodi namque caduca bona sub merito de condigno non cadunt: nempe, vt certa & infallibili lege semper petentibus & merentibus concedantur, sed prout Deus expedire nouerit tanquam remedia salutis animæ. Merentur præterea de condigno augmentum gratiæ, non modo per deuotionem, & orationes quas illic fundunt, sed etiam virtute operis, scilicet ratione hostiæ quam offerunt. Itaque sicut offerens in gratia panem & nummos sacerdoti, & alias largiens eleemosynas, de condigno meretur augmẽtum gratiæ: ita, imò multò locupletius offerendo corpus & sanguinem Christi. Ex quo fit, vt illic effectus meriti operantis commisceatur cum effectu operis operati, id est, hostiæ quæ offertur.

Meritum de congruo.

Meritum de condigno.

Modus satisfactionis.

Secundum effectum offerentes adipiscuntur per modum satisfactionis. Per illam siquidem victimam satisfaciunt pro pœnis delictorum: quæ sibi quo ad culpam remissa sunt. Et hæc etiam satisfactio fit certa & infallibili lege, sicut in merito de condigno. Nam iste est proprius effectus operis operati, id est, hostiæ oblatæ.

Modus impetrationis.

Tertiò assequuntur & alios effectus per modum impetrationis & suffragij: nempe defunctis releuationem tormentorum purgatorij, aut prorsus liberationem, quæ non fit ex rigore iustitiæ per modum meriti de condigno, sed per modum deprecationis, si Deus acceptauerit, & per modum applicationis sacrificij ad satisfaciendum pro ipsis, etiam si singularem eleemosynam non reliquerint. De quibus suffragijs infra d. 45. Perpende quantum detrimenti patiantur qui peccatorum labe sordent: omnibus enim huiusmodi fructibus vacui sunt.

Offerentis deuotio æstimatur.

Ex his fit consequens omnes huiusmodi effectus secundum quantitatem deuotionis offerentis esse plus minúsve vberes. De satisfactione namque supra S. Thom. q. 79. art. 5. asseruit secundum quantitatem deuotionis offerentis esse magis æstimandam, quàm secundum quantitatem rei oblatæ, quod illic expositum satis reliquimus. Multò ergo maiori ratione & augmẽ-

tum

tum gratiæ eandem offerentis deuotionem insequitur. Et pariter impetratio, seu per modum meriti de congruo, seu per modum suffragij in defunctorum subsidium, quo offerentes sanctius hostiam immolent & offerant efficaciùs impetrabunt.

Vitior sacrificij iniusti ministri.

Secundò ex ijs consequitur sacrificij valorem, quando sacerdos est in peccato, virtute suæ propriæ deuotionis nullum esse, vt quæst. præcedenti artic. 6. dicebamus, verùm neque virtute deuotionis cuiuscunque peccatoris offerentis, siue offerat, quia interest sacrificio, siue quia eleemosynam confert. Imò verò crediderim, quòd licet orationes & preces Ecclesiæ oblatæ per malum sacerdotem, quatenus est Ecclesiæ minister, fructuosæ sint in missa, vt illic docuit S. Thom. preces tamen laici offerentis in peccato, nulla ratione fructum adferunt apud Deum, quoniam laici propriè non sunt ministri Ecclesiæ tanquam ad hoc munus ordinati, & instituti, sed solus sacerdos per characterem. Quare virtute precis huiusmodi laicorum, qui peccato contaminati sunt, neque ipsis, neque verò alijs pro quibus ipsi offerunt, quicquam proderit, licet ipsi satisfaciant præcepto Ecclesiæ audiendi missam, quod aliud est negotium.

Laicus offerens in peccato, nec sibi, nec alijs prodest.

An missa pluribus oblata tot singulis prosit, ac si pro vno esset oblata.

Ad hæc operæpretium duximus, insignem illam quæstionem appendere, vtrùm missa pro pluribus oblata tantum singulis prosit, ac si pro vno duntaxat offerretur. Nam etsi lib. 9. de Iustitia & iure q. 2. artic. 2. eam discusserim, nunc forsan per hæc, quæ dicta sunt tum clariùs elucebit, tum & ad veritatem exactiùs collimabitur, & compendiosiùs absoluetur: sunt enim de hoc duæ opiniones extremæ. Vna Scoti, quodl. 20. quæ respondet simpliciter negatiuè: scilicet, non tantum valere, cui videtur Paludanus applaudere in 4. d. 45 q. 2. & quodammodo Syluester verb. Missa. 1. §. 9. scilicet, quòd si generaliter offert pro pluribus, non tantum valet singulis, secùs si pro singulis singulariter. Et quidem ante Caietanum communi vsu tenebatur opinio Scoti. Caietanus verò supra q. 79. art. 5. & explicatius quodlib. 1. q. 18. partem sustinet affirmatiuam: scilicet, tantum valere singulis oblata pro pluribus, quantum vni oblata pro eo solo. Prætermissa ergo ratione sacramenti, cuius effectus est gratia in suscipiente, de qua nihil ad præsens propositum. In ratione sacrificij considerantur & oblatio victimæ, & subinde preces. Atqui in oblatione consideratur & res ipsa oblata; nempe victima, quæ est corpus & sanguis, quæ de se est infiniti valoris, & actio ipsa oblationis, consecrationis & sumptionis, quæ quidem cum sit hominis, non est pretij infiniti: sacrificium enim non dicit solum rem oblatam, sed actionem offerentis. Quapropter non est idem omnino iudicium de oblatione, quam Christus in cruce obtulit, & de nostra. In illa enim non solum res oblata erat infiniti valoris, sed actio ipsa Christi, quia erat persona infinitè grata, & ideo sacrificium illud fuit simpliciter infinitum, nostrum verò non ita. Secundum est discrimen, quoniam passio Christi fuit infinita solùm quo ad sufficientiam, vt doctores aiunt, sed quantum ad efficaciam non habet effectum, nisi taxatum in quolibet sacramento, quatenus est eiusdem passionis instrumentum. Aut si applicetur per modum meriti secundùm dispositionem hominis, quæ per speciale fit auxilium Dei. Quocirca hoc sacramentum vt ratione sacramenti certum gradum gratiæ ex opere exhibito confert suscipienti: ita & quatenus sacrificium, certum habet gradum satisfactionis in quocunque offerente ex opere, quod vocant operatum.

Negat Scotus.

Affirmat Caiet.

Considerandæ in oblatione.

1. Discrimen Christi oblationis in cruce, à nostra.

2.

Argument. pro parte negat.

Tunc ergo arguitur à parte negatiua, quod non tantũ prosit singulis si pro pluribus offeratur, quàm si offerretur pro vno. Quò res finita in plures dispertitur, minor vnicuilibet contingit portio: cum ergo sacrificio certus respondeat satisfactionis gradus, fit vt quo in plures ille dispertitur, minus habeat vnusquisque. Hoc argumento, loco citato absolutè hanc conclusionem contra Caiet. sustinuimus. Nunc verò re oculatiùs perpensa, videtur mihi nonnullo indigere moderamine. Arguitur enim contra. Si opinio hæc, vt iacet, simpliciter esset vera, sequeretur, vt quò plures offerunt, minus singulis obuenire satisfactionis sacrificij, atque adeo consultius esset sacrificio interesse, cui minor interest ministrorum numerus, minorque populus, quod est absurdum.

Moderatio.

Et ideo ad maiorem rei claritatem notandum est, quod etsi tam ratione sacrificij, quàm ratione sacramenti certus, taxatusque effectus huic mysterio respondeat (quod certè verissimum est, eo quod vtraque ratione est instrumentum, quo passio Christi limitato modo applicatur, & non est ipsa omnino passio, vt à Christo oblata) est tamen discrimen inter rationem sacramenti, & rationem sacrificij, quod ratio sacramenti consistit in receptione, quæ reducitur ad genus passionis, ratio verò sacrificij in oblatione, quæ reducitur ad genus actionis. Diximus n. quod baptismus potiùs dicit passionem, quàm actionem. Vnde quia vnum sacramentum non percipitur nisi ab vno, nunquam confert nisi certum gradum gratiæ, licet ille, vt dictum est, ex maiori dispositione suscipientis quodammodo crescat. Sed tamẽ ex opere operato nõ multiplicatur effectus, nisi multiplicetur sacramentum. Dum enim eadem aspersione plures baptizantur: quia secundùm numerum recipientium multiplicantur baptismata, fit vt singuli tantundem recipiant, quantum si vnus baptizaretur. In oblatione verò eiusdem sacrificij per hoc quòd plures offerant, non multiplicatur sacrificium: nam vnicum est, quod vnus sacerdos & per eundem omnes offerunt. Nihilominus quo plures sunt offerentes, eò valor ipsius crescit, vt loco citato ait Syluester, quem nos in lib. de iustitia & iure refutauimus, propter similitudinem suam de baptismo, quæ non est valida: nam dum plures vna aspersione baptizantur, sacramenta multiplicantur. Nunc autem eatenus similitudinem approbamus, quod sicut tunc propter plures suscipientes multiplicantur sacramenta: ita & in sacrificio quanto plures sunt offerentes, tantò maior est valor sacrificij: non quidem in singulis, sed in omnibus simul, quia vnusquisque eandem offert hostiam. Quare in vnoquoq; crescit sacrificium secundum deuotionem, vt S. Tho. quæst. 79. nos docuit: non quidem secundum proportionem æqualem, vt si deuotio vnius sit dupla ad deuotionem alterius, satisfactio itidem sit dupla: quoniam cùm res oblata non duplicetur, sed sit eadem, fructus nõ duplicabitur. Et cunctis deuotionibus paribus maiorem fructum suscipit sacerdos, ideo quod ille sit propriè minister Ecclesiæ, nõ solùm propter vsum sacramenti, quia illud suscipit, verùm & ratione oblationis, imo minister altaris, & chorus cæteris paribus, quàm populus, quia peculiariter altario seruiunt.

Discrimen inter sacramentum & sacrificium.

Igitur vt ad quæstionem respondeamus. In sacrificio considerantur illi qui offerunt, & illi pro quibus offertur. Sit ergo prima conclusio. Numerus offerentium non minuit valorem sacrificij in singulis: nam vnusquisque offerentium perinde hostiam offert ac si nullus alius offerret: & ideo nemo alijs obstat, vt propter alios alij suo munere frustrentur: crescit enim, vt diximus, tunc in omnibus simul valor sacrificij. Imò verò quò plures concurrunt, sacrificium gratius est Deo & acceptius: nàm cumulatæ preces facilius exaudiuntur, & ipsa consecratio celebrior est.

1. Concl.

Et per hoc ad argumentum in contrarium respondetur. Concedimus enim, quod sicut sacramento, ita & sacrificio suo respondet taxatus effectus: ille tamen integer cuilibet offerenti respondet, siue solus offerat, siue cum alijs, veluti effectus sacramenti cuilibet suscipienti.

Responsio ad arg.

Illi autem pro quibus offertur, sunt in duplici differentia: nam alij sunt pro quibus ex Ecclesiæ instituto generaliter offertur sacrificium: scilicet pro Papa, pro Rege, pro Episcopo, & pro circunstantibus, & pro parœcianis, qui decimas soluunt. Et de istis subnectitur secunda eademque simillima conclusio. Propter maiorem eorum numerum nemo vllo suo fructu, scilicet satisfactionis & meriti defraudatur, quia generali instituto Ecclesiæ singulis sacrificium applicatur, vnicuique in suo ordine & gradu. Quare missa quæ offertur in magna parœcia aut ab Episcopo in magna diœcesi, non minus singulis prodest, quàm si parœcia aut diœcesis parua esset.

1. Differentia, eorum qui offerũt.

Alij verò sunt pro quibus specialissimè offertur: nam præter illam generalem applicationem Ecclesiæ relicta est sacerdoti facultas, vt dum alio obligationis vinculo non tenetur, scilicet animarum cura, liberè possit sacrificiũ specialiter pro hoc aut illo offerre. Et de ista sola oblatione quæstio debet in dubium reuocari. De qua quidem Caietanus idem censet, quod de generali oblatione: scilicet, quod pro quocunque numero offeratur, tantundem prosit singulis. Imò etsi pro infinitis, inquit, offerri posset, eundem valorem haberet

2. concl.

2. Differ. eorum qui offerunt.

De his est Caiet. opin

Præmonenda resolutioni quæst.

Digitized by Google

Syluest. epim.

beret in singulis. Syluestet verò distinguit, quod si oblatio fiat generatim non applicando intentionem ad hunc vel illum, sed ad omnes in genere, non tantùm prodest singulis. Si verò sigillatim pro singulis offeratur, tantum prodest vnicuique quantum si pro vno solo offerretur. Sed Scotus ait neutro modo tantum prodesse singulis. Et hoc est quod nos lib. de Iustitia & & iure, licet non tam explicatè, dicere cogitabamus.

Authoris resp. hipertia.

Quare & id modo explicando dicimus, quod si plures eleemosynam pro eodem sacrificio conferant, tunc quia specialem habent actum circa tale sacrificium, censentur offerentes: & hac ratione nemo propter aliorum societatem suo fructu aut meriti, aut satisfactionis defraudatur. Si tamen considerentur quatenus ex intentione sacerdotis pro illis offertur, certè crediderim minus obuenire singulis, quàm si pro vno offerretur. Et ratio est: quia generali intētione Ecclesiæ non applicatur pro illis sacrificium, sed solum ex libera intentione sacerdotis: illi verò intentioni, quia est de essentia sacrificij, etiam ex opere operato respondet certus & taxatus gradus satisfactionis: & ideo quantò in plures illum distribuat, tantò minus singulis obuenit.

Ratio.

Confirm. 1.

Et idem est si offerat pro alijs qui eleemosynam non sunt largiti. Et confirmatur. Satisfactio, quæ deuotioni sacerdotis respondet, si inter plures ipse distribuat, minus singulis prouenit. Quod Caietanus cum communi omnium opinione concedit, sed ait illum effectum non deberi illis qui eleemosynas offerunt. Pari ergo modo effectus oblationis & precum, quem liberè ipse vt minister Ecclesiæ, potest singularibus personis applicare, est certus, atque adeo si diuidatur inter plures, minus vnusquisque recipit.

2.

Et confirmatur secundò. Si vnusquisque eorum qui præsentes sunt sacrificio, & ordine suo offerunt, pro alijs singularib. offerunt, minus sibi de satisfactione reseruat: imò si totum alijs applicant, nil sibi relinquunt. Quod credo nemo negabit, licet suum meritum sibi ipsi non pereat: ergo pari ratione sentiendum est de sacerdote offerente pro ipsa parte effectus, quem præter Ecclesiæ institutionem ipse libere offerre potest.

Statutum ordinis Dominicani.

Quocirca optimè in ordine nostro consultum est vt pro vna missa non recipiantur à pluribus eleemosynæ, ac si pro vno esset offerenda. Primò, quia eleemosynam largientes in sua opinione decipiuntur: quare deterrentur & abalienantur ab earum eleemosynarum largitione. Secundò, quia si hoc quod diximus verum est, in rei veritate defraudantur. Tertiò & potissimum, quoniam eleemosynæ non debent suscipi pro valore sacrificij, sed in subsidium & alimentum sacerdotum. Ob idque manifestaria fraus esset tantum eleemosynarum pro vno sacrificio corradere. Quapropter eadem ratione illic diximus, & nunc dicimus, quòd possit forsan sacerdos duas pitantias pro suo victu suscipere. Duas, inquam, pitantias, vt ambæ argenteum nummum, vel paululò plus non excedant. Tametsi permissio hæc in alio iniquo vsu fundetur: nempe, quòd Episcopi contra ius pauperrimos sacerdotes absq; vllo titulo sacris initiant. Nulli enim ordinari deberent nisi qui suis fructibus viuere possent, & qui Ecclesijs seruire sufficerent. Nam admittere ad sacerdotium illos qui non nisi mēdicatis eleemosynis victitare possunt, nefas est. Quapropter qui hac spe mendicitatis Ecclesiam ingressi sunt, suam perferant paupertatem.

An sit præceptum audiendi missam.

Ratio dubij.

1.

2.

Conclusio.

In calce demum articuli quæritur, vtrum sit præceptum diuinum audiendi missam in diebus festis sub reatu mortali. Nullum enim eiusmodi præceptum in Euangelio legitur. Cui accedit quòd audiendi alia sacramenta nullum extat præceptum, sed tantùm suscipiendi illi cui incumbit. Nihilominus citra controuersiam respondetur, esse præceptum pontificium iure diuino fundatum obligans sub reatu mortali. Et qui huic veritati reclamauerit, tanquam suspectus aduersus sancta mandata puniendus est. Extat n. præceptum in concilio Agathensi, & admonitio in Concilio Carthaginensi, quæ referuntur de conse. d. 1. can. Missas. & can. Qui die solenni. Quòd si obmurmures, illa concilia non esse nisi prouincialia, quæ vim non habēt perstringendi vniuersalem Ecclesiam: accedit canon Apostolorum, Omnes fideles. ibidem relatus. At verò potissima huius veritatis ratio est, quòd huiusmodi allegati canones non habent formam noui præcepti, sed tanquam de re compertissima, & à temporibus Apostolorum constitutissima loquuntur, quod est testimonium, præceptū hoc nunquam in Ecclesia fuisse ambiguum,

Obiectio.

sed more & vsu vbique cultum. Et quamuis non sit in Euangelio expressum, fundatur tamen in illo mandato diuino, Sabbata sanctifices. Sanctificatio enim sabbati ad vacandum diuinis officijs ordinatur, quod Ecclesia de audienda missa consultò interpretata est.

Ad 1. rat. dub.

Vnde ad aliud argumentum respondetur, disparem esse aliorum sacramentorum huiusque rationem: nam hoc non tantum sacramentum, verùm & sacrificium est. Qua vtique de causa annexum habet præceptum, vt audiatur à populo, qui suo ordine & gradu sacrificare tenetur.

Ad 2.

At quia prædictus canon Missas die Dominico (vbi omne festum subintelligitur) totas audire iubet, hæsitabit quis forsan quomodo totæ intelligantur. Respondetur non intelligi mathematico more, vt nulla omittatur particula (parum n. pro nihilo reputatur) sed moraliter, vt ciuilitas habet humana. Quare si ab epistola rem sacram audieris, satisfeciisti. Admonet enim prædictus canon Apostolorum, vt omnes Christi fideles in diebus solennibus scripturas Apostolorum & Euangelia audiant. Tametsi neque tam exactè forsan monitum illud sit intelligendum. Euangelium autem non audire non esset tutum. Pari modo in fine si post sumptionem sacramenti quis exiret, non esset transgressionis reus. Nam quod in dicto canone Agathēsis concilij adijcitur, quòd si populus ante benedictionem sacerdotis egredi præsumpserit, publicè ab episcopo confundatur, non est in vsu Ecclesiæ, vt tanquam præceptum sub reatu mortali obseruetur.

Quis censeatur audire totam missam.

Ad Concil. Agathens. ordinationem.

Neque verò si quis partem vnius missæ & reliquum alterius audierit, est condemnandus, quandoquidem omnia audit necessaria.

Sed cum dicimus audire missam, intelligimus præsentes esse: nam qui in magna Ecclesia sacerdotem à longè spectat, licet non audiat, præceptum implet. Veluti qui Græcam audiret missam, cuius nullum verbum intelligeret.

Qualis præsentia requiratur

Hinc colligitur, attentionem, quæ sub præcepto necessaria est ad audiendam missam, non esse tantam, quanta in officio canonico persoluendo requiritur, sed sat est, quòd sit actus humanus. Quocirca quamuis indecentia sint colloquia inter audienda sacra, non tamen propterea transgressio fit præcepti. Possent tamen voces & cachinni in tantum prorumpere, vt per se essent peccatum irreuerentiæ & scandali. Quemadmodum si quis siniſtro animo audiendi sacrum Ecclesiam adeat, quāuis illud propositum peccatum per se sit, nihilominus si missam audiat, præceptum implet quantum ad substantiam præcepti: cauet enim peccatum omissionis audiendi missam.

Qualis attentio.

Ex his colligitur alius dubij solutio, vtrum qui & missam tenetur audire, & horas canonicas soluere, possit simul vtrique præcepto satisfacere. Syluester namque in verb. Missa. 2. §. vlt. negat. Caiet. vero in opi. de valore orationis concedit. Et hanc opinionem arbitror veram: nam si qui Græcè audit missam, aut omnino surdus est, non tenetur esse attentus, vt verborum sensus percipiat, non video cur tunc non possit officium diuinum persoluere. Quare & idem quicunque poterit. Item arguitur. Vel ille qui in missa horas recitat, vtrique præcepto satisfacit, vel neutri, vel alteri tantum: non tertium, quia nulla est ratio cur vni potius quam alteri satisfaciat. Quod si dicas neutri satisfacere, obuiat tibi argumentum. Quod si postmodum horas tantum solueret, censeretur vtrique satisfeciisse: ergo dum audiebat missam, præceptum audiendi implebat. Et pari ratione si postmodum sacrum audiret, censeretur impleuisse vtrumque: ergo dum missam audiebat, satisfaciebat præcepto horarum, atque adeò ambobus.

Legens horas canonicas missam audit. Probatur 1.

2.

Quod autem necessum sit missam proprij festi audire, nulla ratione fulcitur: non enim præcipitur nisi missam audire, quod ad munus religionis sufficit. Tametsi reprehensione sacerdotes non careant, qui nullam rationem festi habentes, satis esse putant quocunq; festo vnamquamlibet aliam missam dicere.

Non est necessaria missa propria festi.

Vnus aurem scrupulus est, qui plurimos premit, vtrùm, s. qui diploma habet pontificium, per quod sibi liceat tempore interdicti sacrum audire, teneatur illud diebus festis eodem tempore audire. Faciunt enim argumentum, quòd priuilegia conceduntur in fauorem, & non ad compulsionem: cum ergo tempore interdicti non habentes priuilegia non cogantur audire missam, fit vt neque priuilegiati sint

Aliud dubium.

cogendi,

Digitized by Google

cogendi, alioqui suo priuilegio constringerentur. Hoc autem non obstante argumento, crediderim teneri: quoniam præceptum audiendæ missæ obligat omnes commodè potentes audire. Vnde ad fallaciam argumenti respondetur, quòd priuilegium de se non obligat, sed solùm facit hominem potentem audire, atque adeò facit eum materiam præcepti obligantis omnes potentes. Veluti si quis esset in carceribus, & prætor diebus festis potestatem illi faceret exeundi ad audiendum sacrum, profectò teneretur. Postremò denique ad sedandas timoratas conscientias notandum est ab hoc præcepto illos excusari, qui legitimo impedimento cohibentur, vt infirmi, & qui inimicitias gerit, si timet hostem sibi dari obuium, & vbi mos est virgines nobiles non prodire in publicum. Quamuis mos iste profectò non est laudabilis, maximè si id authoritatis causa & maiestatis fiat. Item si vxor à marito ob zelotypiam prohibetur, quamuis ille quandoque peccet, illa tamen parere tenetur. Si vero mulier timet, si exeat, procum eius aspectu impudicè commouendum, non ideo tenetur sua libertate priuatam occlusam esse. Quamuis nonnunquam salubre esset charitatis concilium potiùs ab audiendo sacro abstinere, quàm hominem in barathrum turpitudinis conijcere.

Responsio. *Qui excusentur ab hoc præcepto.*

Illi autem qui seruiunt, si à suis heris missam audire ob aliqua negotia gerenda prohibeantur, excusantur. Non enim ideo tenentur heros relinquere. Ipsi tamen heri sibi videant, iusta ne an illegitima causa illos impediant. At vero si seruus præsentisceret Dominum in contemptum vel odium christianismi id facere, domum teneretur tunc mutare.

Famuli & ministri alij quando excusantur.

ARTICVLVS II.

Vtrum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

CVM tota quæstio præsens circa hoc mysterium versetur, non quatenus sacramentum est, sed duntaxat qua ratione est sacrificium, animaduertendum est præter eius substantiam, quæ est hostia corporis & sanguinis, sex rerum genera esse ad id solenniter celebrandum necessaria. Hæc sunt minister, deinde tempus & locus, quæ sunt duæ cuiusque actus proximè appendices qualitates, quas circunstantias vocant. Quartum ministri indumenta, quintum verba, sextum denique cæremoniæ aliæ, scilicet signationes & aliæ gesticulationes. Inter hæc autem solus minister est de iure diuino ac subinde de essentia: nempe sacerdos, sine quo, vt dictum est, † heri nequit consecratio, de quo satis dictum est. Nam de Episcopo & diacono, hypodiacono & minoribus ordinibus dicere ad tractatum sacramenti ordinis spectat. Cætera quinque sunt de iure positiuo, atque adeò non ad essentiam, sed ad solennitatem sacrificij pertinentia. De secundo ergo, scilicet de tempore, nunc quæritur, vtrum sit conuenienter institutum. Ad quod tribus conclusionibus respondetur. Prima. Tempus determinari oportuit celebrationi huius sacramenti aptum. Probatur. Duo sunt quæ in celebratione huius mysterij per totam præsentem quæstionem præ oculis habere debemus. Primum repræsentatio Dominicæ passionis, vnde fructus eius emanat. Et secundum, heroicum virtutis religionisque officium, per quod eiusmodi fructus percipimus. Et ratione vtriusque condecuit tempus destinare, quo aptè fieret.

Sex requisita ad solennem missæ celebrationem. *† d. 13. q. 1. art. 1.* *1. Concl.*

Secunda conclusio. Condecens fuit vt quotidie in Ecclesia regulariter celebraretur. Ait regulariter, propter emergentes casus, in quibus ratione interdicti à celebratione cessatur, vel vbi sacerdos ali non potest. Probatur ex secunda ratione sacrificij: quia fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus. Vnde Dominus nos petere docet Lucæ 11. panem nostrum quotidianum: quod exponens Augustinus in lib. de verbis Domini, † can. Non iste. de consec. distin. 2. ait. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prodest. *2. Concl.* *† serm. 28. ad med. to. 10*

Tertia conclusio. Regulariter solennis missa à tertia vsque ad nonam est in Ecclesia celebranda. Probatur ex prima ratione sacrificij, quia tempore illo celebrata fuit Christi passio. *3. Concl.*

Hæc quæstio de frequentatione sacramenti bipertita est: prius enim mẽbrum est de frequentatione sumptionis quæ etiam ad laicos pertinet, de quo d. præced. q. 1. artic. 10. diximus: alterum verò est de celebratione, vtrùm quotidie in Ecclesia sit celebrandum, quod hic disputatur. Vbi adnotandum quòd quatenus sacramentum est, satis erat illud toties consecrare quoties populo sumere esset necessarium. Sed qua parte est sacrificium, asserta est hic secunda conclusio, quòd est quotidie celebrandum, eo quòd hoc sit nostræ religionis munus & cultus. Quapropter hæretici, negantes esse sacrificium subinde negant esse quotidie celebrandum. Hac hæresi infectus fuit Witcleff. Cuius assecla Lutherus in blasphemo illo libello de abroganda missa priuata, quasi sua temeritate legem ponens Ecclesiæ ait, satis esse si singulis Dominicis diebus, & ijs solis vnica tantum Eucharistia consecraretur, ad quam populus confluens communicaret. Contra VVitcleff latissimè differit VValden. tomo 3. de sacra. tit. 4. Et contra Lutherum Chithouæus in Antiluthero lib. 2. de officio missæ, cap. 8. & 9. Et quidem Lutherus duos pernicioſos ritus intrudere in Ecclesiam moliebatur. Vnum, vt non nisi vna Eucharistia in hebdomada consecraretur: alterum, vt populus toties communicare cogeretur. Prior quidem multis nominibus pernicio-sior est, primum contra religionem: nam cùm hoc sit sacrificium Christianorum proprium, manca esset nostra religio, nisi iuge haberet sacrificium: iuge autem non esset, nisi quotidie sacerdos nomine publico ipsum consecraret, adorandum que populo exhiberet, & in satisfactionem pro peccatis offerret. Diurnus enim solaris circulus sicut ad sustinendam vitam temporalem quotidianam adfert necessitatem cibi, potus, & requiei somni: ita & quotidianam necessitatem religionis, vt sacrificium, in quo religio consistit, nomine publico quotidie celebretur. Adde: quòd si tantum plebanus sacerdos illud deberet consecrare, reliqui priuati sacerdotes & religiosi deberent per totam vitam sua esse functione orbati. Præterea sunt & frequentes parœciæ multò ampliores, quàm vt possent omnes vna hora concurrere, & vnum sacramentum commodè omnes adorare.

Expositio articuli. *VVitcleff & Luther. duo errores pernicioſi.*

Dubium autem est, vtrum sit obligatio sub reatu mortali quotidie celebrare, & quinam sint qui hoc vinculo obligentur. Primum responsionis membrum sit, quod parœci, qui curam habent animarum, sacrum facere tenentur quoties populus audire obligatur: nam iniqua esset conditio eius qui audire cogeretur, vbi nemo dicere perstringitur. Quod & in aliorum sacramentorum administratione eandem retinet veritatem. Tenentur enim parœci sacramenta administrare, quæ populus tenetur suscipere. Quare saltem diebus festis eadem obligatione perstringuntur, nisi legitimè fuerint impediti. In profestis vero diebus tenetur vnusquisque pro ratione decimarum & stipendij vel quotidie vel aliquando celebrare. De alijs autem liberis sacerdotibus, licet non desint Canonistæ, qui putent teneri quotidie celebrare, vt Syluester verb. Missa 1. §. 7. refert, nullo tamen vel apparenti fundamento nituntur, imo q. præc. artic. 10. ostendimus non teneri nisi perrarò. De Ecclesijs vero Cathedralibus & Collegiatis, & religiosorum conuentibus subditur secundum responsionis membrum, nempe quod Episcopis & Prælatis incumbit cura sub reatu peccati mortalis faciendi quotidie conuentualiter celebrari. Atqui hic est legitimus sensus canonis Iteratur. de cons. dist. 2. Sed idem adnotant Canonistæ super ca. Cum creatura. de celebr. missa. vbi addunt, quod quilibet conuentus quotidie tenetur celebrare duas missas, alteram de festo aut feria, atque alteram pro defunctis. Id tamen ex capitulo illo nequaquam colligitur, sed solum damnatur negligentia celebrandi pro anniuersarijs defunctorũ. Quare semel in hebdomada celebrare pro defunctis satis est. Quinuerò assertio hæc quotidie celebrandi regulariter est intelligenda: nam tam exiguus esse potest conuentus, vt licet in aliquibus profestis sacrum non fiat, non sit mortale. At verò in ciuitate, vel in oppido populoso, vbi multæ essent parœciæ, non satis esset in Cathedrali seu Collegiata quotidie celebrare, sed necesse est, in basilicis etiam parœcialibus ad quas populus confluere possit, sacrum facere.

Dubium. Qui & quando celebrari tenentur. *De Parœco.* *De liberis sacerdotibus.* *2. Propoſ.* *De Episcop. Prælatis & cõuentibus.*

Quibus autem sit applicandus fructus sacrificij & satisfactio, alia est quæstio: nam vt artic. præcedenti

Digitized by Google

diximus, præter applicationem, quæ fit generaliter ab Ecclesia, tenetur sacerdos pro suis parœcianis, à quibus decimas vel stipendium sumit, applicare. Quare tunc non potest sacrificium alijs illud tribuere. Nihilominus tamē semper ei reseruatur aliqua fructus portio, quam potest, sicut cæteri offerentes, cui voluerit impertiri, quod etiam potest religiosus in suo conuentu. Cæterum sacrificium ipsum non potest, nisi prælatus, cui voluerit applicare. De his autem ac de omnibus diuinis officijs libr. 10. de iust. & iu. q. 5. per totam copiosè à nobis dictum est.

Q:uib. sit applicandum sacrificium.

1. Argum.

Primum argu. S. Tho. est. Hoc sacramentum est repræsentatiuum passionis, vt dictum est, commemoratio autem eiusdem passionis fit in Ecclesia semel in anno: ait enim August. super Psal. 21. † Quotiescunque Pascha celebratur, nunquid Christus occiditur? Non, sed tamen anniuersaria recordatio repræsentat quod olim factum est, quasi videamus in cruce pendentem Christum. Et refertur de consec. d. 2. c. Semel Christus. Respondetur quòd semel in anno commemoratur passio Christi, secundum quod in ipso capite nostro fuit perfecta: & ideo illa commemoratio fit semel in anno. In sacramento verò recolitur prout eius effectum & fructum fideles percipiunt, ob idque cultus ille fit quotidie, vt idem August. ead. dist. ait c. Semel immolatus.

† In præfat. Psal. 21. in princip. to. 4

2. Arg.

Secundò arguitur. Passio Christi commemoratur in Ecclesia sexta feria ante Pascha, non autem in festo Natalis: cùm ergo hoc sacramentum sit commemoratiuum Dominicæ passionis, minimè congruere videtur, vt in die Natalis ter celebretur consecratio, in parasceue verò omnino intermittatur. Respondetur, quod in veritatis præsentia figura cessat: hoc autem sacramentum figura est Dominicæ passionis, ob idque die illa, qua realiter gesta recolitur, non congruit, vt in sacramento celebretur. Ne tamen Ecclesia in ea die, sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi pridie consecratum illa die sumendum reseruatur: non autem sanguis ratione periculi, ne vel acescat, vel effundatur. Præterea, quia sanguis, vt dictum est, imaginem Dominicæ passionis expressiùs refert. Quidam verò excogitarunt per immissionem particulæ consecratæ in calicem, vinum conuerti in sanguinem: est tamen error: quoniam illa conuersio fieri nequit, nisi per consecrationem calicis.

Notare sp. pro cærem. feria 6. ante Pascha.

Error quorundam.

Hic primum adnotato rationem custodiendi hostiam in die cœnæ in monumentis hanc esse vnicam, vt altera die sumatur, quando consecrari non potest. Sed inde cœpit in opinionem venire, quod custodia illa esset sepulchri effigies, cum tamen Christus non expirauerit nisi sequenti die serò. Hinc secundò colligito peccatum esse mortale in die parasceue consecrare, atque adeò priuatim celebrare: nam esset contraire iustissimæ cæremoniæ Ecclesiæ, quæ plurimum refert. In alijs verò duobus diebus, s. cœnæ & Sabbato sancto, licet ritus etiam Ecclesiasticus habeat, vt sola vna celebraretur missa, non tamen eius obseruatio tanti refert, quin priuatim, saltem ex facultate prælati, præter missam solennem possit quispiam celebrare.

Cur custodiatur hostia in die cœna in monumentis.

In die tamen Natiuitatis solennitas triplicis natiuitatis Christi causa fuit, vt trina permitteretur celebratio: nam propter æternam natiuitatem ex parte quę nobis occulta est, in nocte canitur missa, cuius introitus est, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et propter spiritualem, qua vt legitur 2. Petri 1. Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, canitur missa in aurora, cuius introitus est, Lux fulgebit hodie super nos. Ac demum propter temporalem visibilemque natiuitatem in carne adijcitur tertia missa clara luce, cuius introitus est, Puer natus est nobis. Tametsi secundùm Euangelia, quæ prædictis introitibus contraponuntur, dicere è conuerso possumus, quòd missa postrema designet natiuitatem æternam, quæ est in plena luce, iuxta illud Psalmi 109. in splendore sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te. Quæ quidem generatio canitur in Euangelio: In principio erat verbum. Prima verò missa respondet natiuitati ex virgine in carne: quia in medio noctis natus est, in signum quod ad tenebras infirmitatis nostræ descendebat. Atque hæc natiuitas refertur in Euangelio eiusdem missæ. De hac trina celebratione extat canon citatus, Nocte. de consec. dist. 1.

Triplex missa in Natali Domini quid significet.

Addit denique S. Thomas, quòd etiam alijs diebus, quibus conueniunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures missæ celebrantur in die: scilicet vna pro festo, atque altera pro ieiunio, vel pro mortuis. Et quidem Sanct. Thom. non intelligit ab eodem sacerdote, sicut in die Natiuitatis, sed solenniter à clero, vel conuentu.

Vnde vtrùm idem sacerdos plures in eodem die possit missas celebrare, tangit argumento quinto, sic arguens. In quadam Dominicali oratione secreta dicitur: Concede nobis Domine quæsumus, hæc frequentare mysteria: sed maior erit frequentatio, si pluribus horis sacerdos in die celebret: ergo illud est consilium. Et respondet ex decreto Alexandri Papæ de consecra. distinct. prima, can. Sufficit. Vbi ait. Sufficit sacerdoti vnam missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit: & valde fœlix est, qui vnam dignè celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis vnā faciunt: alteram de die, si necesse sit. Qui verò pro pecunia, aut adulationibus secularium vna die præsumunt plures celebrare missas, non æstimo euadere damnationem. Hæc Papa. Atqui de celebra. missa. c. Consuluisti, idem ait Inno. 3. scilicet, quòd excepto die Natiuitatis Dominicæ (nisi causa necessitatis suadeat) sufficit sacerdoti semel in die vnam missam solummodò celebrare.

5. Argu.

Sed huius occasione summistæ, vt est videre apud Sylueestrum verb. Missa 1. §. 7. plurimos coaceruant casus, quibus idem sacerdos possit in die bis celebrare. Primus est in natali, vt dictum est. Secundus, ad sepeliendum defunctum. Tertius, ad communicandum infirmum, si non est hostia in pyxide. Quartus propter peregrinos, propter nuptias, & propter ieiunium, & si superuenit aliqua magna persona. Ac demum propter paupertatem parœciarum, quæ non possunt nisi duæ vnum alere sacerdotem.

Casus in quibus licet bis celebrare ex Sylues.

Paludanus autem 12. distinct. q. 1. artic. 4. plures istorum casus referens, addit propter nullam causam sacerdoti licere plures quàm duas celebrare, præterquam in festo Natiuitatis. Adnotandum hic tamen est nunquam in Ecclesia licuisse sacerdoti nisi ieiuno celebrare: vnde postquam in prima celebratione lotionem sumpsit, nullus superueniens, vel defuncti, vel magnæ personæ, vel cuiuscunque alius rei casus, vel necessitas, causa esse potest legitima vt iterum celebret. Attamen ex his omnibus antiquis casibus, qui dum Ecclesia sacerdotum raritate laborabat, frequentes erant, quibus vnus posset plures celebrare missas, nō est iā in vsu præter diem Natiuitatis, nisi ille dum quis propter parœciarum paupertatem curam duarum habet. In qua verò prouincia eadem esset sacerdotum raritas, posset etiam in alijs casibus, maximè vsu & more id interpretante, idem fieri, dummodò nunquam nisi à ieiuno fieret: ita vt sacerdos in priori missa lotionem non sumeret. Neque ob vllam necessitatem, vt bene adnotauit Paludanus, plusies quàm bis celebret. Qui autem præter casus iuris, videlicet, pro pecunia, vel adulationibus secularium ductus pluries cōsecraret, peccaret mortaliter, iuxta verbum illud Pontificis: æstimo non euaderent damnationem. Quare & in foro exteriori puniendus esset.

Restrictio Paludan.

Nunquam sacerdos nisi ieiunus celebrare potest.

Circa tertiam conclusionem de hora diei, nota horas illas primam, tertiam, &c. omni anno esse numerandas; sexta post medium noctis, vt si horologium incipiat à dimidia nocte, dum signatur hora sexta, toto tempore incipit hora prima, & nona censetur tertia, & meridies sexta, & post meridiem hora tertia dicitur nona, qua hora Christus expirauit. Vnde operarij Euangelici, qui venerant hora vndecima, quæ est quinta à meridie, remordebantur ab alijs quòd non nisi vna hora laborassent. Quocirca huiusmodi horæ per totum annum sunt inuariabiles. Ex quo fit, vt in primitiua Ecclesia missarum solennia illis tribus horis, scilicet à nona vsque ad meridiem iuxta conclusionem S. Thomæ, fieri solerent, vnde can. Nocte sancta. de consec. dist. 1. cauetur ne reliquis temporibus missarum celebrationes ante horam diei tertiam celebrentur: quia illa hora Christus crucifixus est, & Spiritus sanctus descendit. Qui textus intelligitur de missa solenni.

Hora diei.

Ad maiorem autem huius expositionem arguit D. Tho. tertio loco. In celebratione huius sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi: Christus autem consecrauit hora serotina: ergo illa hora est à nobis consecrandum. Respondetur, quod Chri-

3. Argum.

stum

stum decuit, vt suprà diximus, † sacramentum celebrare post agnum typicum, qui eius erat figura: vnde quia ille in solis occasu cœnabatur, tunc Christus consecrauit corpus veri agni. Idque in vltimo articulo cõuersationis suæ cum discipulis, vt charitatis mysterium altiùs in eorum corda imprimeret. Nobis autem consecrandum est, quando aptiùs eius passio repræsentatur: tum & ad eius percipiendum fructum, tum vt nostra plus excitetur deuotio. Tres autem fuerunt articuli passionis Christi. Primus, dum Iudæorum linguis proclamatum est, vt habetur Mar. 15. Crucifige. Quod quidem fuit hora tertia, quando & Spiritus sanctus descendit super discipulos. Et ideo diebus festis quando populus à seruilibus operibus feriatus interesse potest, hora tertia, id est, nona à medio noctis, missa solennis celebratur. Secundus verò articulus fuit, quando gentilium manibus fuit cruci affixus, & illa, vt Ioan. 19. legitur, fuit hora sexta: nempe, meridies. Et ideo in primitiua ecclesia in diebus profestis, quando in parœcia non erat nisi vnicus sacerdos, illa hora fiebat sacrum, vt tunc populus à laboribus cessans, antequam prandium sumeret, sacrificio interesset. Tertius articulus fuit, quando expirauit hora quæ erat nona, vt Matt. 27. habetur: nempe, tertia pomeridiana. Et ideo in diebus ieiuniorum illucusque non celebrabatur populi missa. Vnde in concilio Cabilonensi de consec. d. 1. can. Solent. cauetur ne in diebus ieiuniorum cibus sumatur, nisi missarum solennijs, ac subinde vespertinis officijs absolutis. Et inde quadragesimalis mos retentus est, vt post nonam ante prandium vesperæ cantentur. Imò additur illic, quòd in Sabbato sancto circa noctis initium missarum solennia celebrarentur, quia illo die longius protrahebatur ieiunium. Item & ratione ordinum, quæ illo etiam die celebrantur, & propter aliorum officiorum prolixitatem, idque etiam habetur decreto Leonis 75. dist. cano. Quòd à patribus. & decreto Gelasij 6ad. dist. cano. Ordinationes.

Quartò arguitur. Leo Papa de consecrà. dist. 1. can. Necesse. scribens Dioscoro Alexandrino Episcopo concedit sacrificium offerri prima diei parte: dies autem incipit à media nocte, vt suprà dictum est, ergo illico ab illa possunt missæ celebrari. Respondetur regulariter missam debere in die celebrari & non in nocte: quia Christus ipse in hoc sacramento præsens est, qui ait Ioan. 9. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu in mundo sum, lux sum mũdi: radix autem diei ad sacra facienda non debet sumi à medio noctis, sed à solis ortu. At neque expectandus est solaris corporis aspectus, sed aurora, quando eius splendor apparere incipit. Vnde duo illa loca Marc. 16. & Ioan. 20. in quorum vno legitur, quod mulieres venerunt ad monumentum orto iam sole, & in altero, quòd venerunt cùm adhuc tenebræ essent, Aug. de consensu Euangelistarum † hoc pacto conciliat, quòd in auroræ crepusculo sic ortus est sol, vt tamen tenebræ non sint dissolutæ.

Priuilegium autem natalis Domini fuit, vt illa nocte Missarum solennia fierent, vt habetur can. citato. Nocte. de consec. dist. 1. Et patiter antiquitus, vt canonibus citatis habetur, Sabbato sancto iuxta noctis initium propter prædictas causas celebrabatur, & quia illa nocte Christus resurrexit. Iam vero nunc temporis, statum tempus missis celebrandis decurrit ab initio auroræ quocunque tempore anni vsque ad meridiem. Potest nihilominus ex priuilegio hora parum tum anticipari, tum & postponi. Ait enim hic Paludanus papam dispensare cum cardinalibus vt antelucanas missas celebrent, hoc est, paulò ante auroram: & audio alijs etiam esse concessum. Et sunt magnates qui habent priuilegium, vt eis per horam à meridie celebretur. Neque verò ita multum graue est, quandoquidem in primitiua Ecclesia etiam tardiùs celebrabatur. Attamen quod hoc fiat ad inseruiendum delicijs eorum qui noctes aleis & crapulis vacando in dies vertunt, diesque dormiendo in noctes, non potest non esse vituperio dignum.

Propter causam vero legitimam: vt causa celebrandi in die festo quando quis iter facit, licèt paululò vel ante auroram, vel post meridiem celebret, quamuis sine dispensatione id fieret, non condemnarem ad peccatum, saltem mortale: secus, si anticipatio vel postpositio longior esset.

Ait verò Paludanus non licere nisi matutinis psalmis solutis sacrum facere, quòd non aliter quàm ex consuetudine Ecclesiæ probat. Et Sylvest. verb. missa. 1. §. 4. ait omnes canonistas crẽdere, quod sit peccatum mortale, ipse tamen secus credit, & merito, quia non omnes consuetudines, quãuis laudabiles obligant sub reatu mortali. De hoc autem libr. 10. de iustitia & iure, quæstione 5. scripsimus. Vbi asseruimus non esse peccatum mortale ordinem peruertere, tum quod etiam horarum ordo non est sic necessarius, vt eius inuersio faciat peccatum mortale: vt si quis tertiam ante primam, vel primam in choro, & postea matutinas priuatim soluat. Secundò, quia missa non computatur inter septem horas canonicas. Quare si quis ratione infirmitatis excusetur à soluendo officio diuino non ideo impeditur, quin possit celebrare. ordinem autem sine causa peruertere peccatum esset, & forsan non grauius quàm veniale. Hæc autem illic confirmauimus.

ARTICVLVS III.

Vtrum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo & vasis sacris.

TERTIVM inter cætera ad sacramentum consecrandum & sacrificium offerendum requisitum est locus. Et ideo quæritur vtrùm templum & vasa debeant esse consecrata. Ad quod hac conclusione affirmatiua respondetur. Consecrationes ijs rebus, quæ in vsum huius sacramenti veniunt, adhibentur. Idque instinctu & appulsu Spiritus sancti Ecclesiam gubernantis, atque adeò nutu Iesu Christi, qui ait Matth. 18 Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Et probatur congruentia ex duobus in sacramento consideratis, quæ sunt repræsentatio passionis Christi, & reuerentia sacramenti, vbi Christus non tantùm in figura, sed secundùm veritatem continetur. Nam sacramenti reuerentiam condecet, vt locus sit eidem celebrando dicatus & consecratus, atque adeò vas quo sanguis consecratur, atque altare: nempe ara. Item & ratione effectus, & fructus, quem virtute passionis per idem sacramentum suscipimus, id etiam congruit: sanctificauit enim nos Christus per suum sanguinem, iuxta illud ad Hebr. vltimo. Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, &c. Ob idque vasa quæ in vsum eiusdem sanctificationis assumuntur, sancta esse debent.

Contaminator ille omnium sacrorum Witcleff, vt omnes missæ cæremonias, sic & templorum vasorumque consecrationes repudiabat, vt est videre apud Waldensem tomo 5. de sacramentalibus tit. 4. nempe à capite 28. sed latius titulo 17. cap. 143. & infra, vbi duas refert contrarias hæreses. Quarum vna Sagarellorum erat, quòd Ecclesia consecrata non plus valet ad orandum quàm stabulum porcorum. Et hanc secutus est Witcleff, & postea Lutherus. Alij verò per contrarium aiebant, nullatenus licere nisi in Ecclesia orare. Fuit tamen semper, si ab statu legis naturæ rem ordiri lubet, vbique solenne, loca sacrificijs dicare: vt excelsa, ad significandum Deorum eminentiam, quæ excelsa testamentum vetus creberrimè tanquam idolorum ritus execratur: & lucos, vbi arbores dijs consecrabantur, quæ propter opacitatem & silentium deuotionem quandam animis ingenerare possent. Et ideo luci dicebantur vel à contrario sensu, eo quòd lucem solis non admitterent, vel fortè propter luminarium frequentiam. Adeò enim semper fuit mortalium animis insitum, Deum certis locis esse colendum, vt etiam falsissimæ religiones eam retinuerint veritatem.

At verò vt de idololatris ethnicis taceamus, sacra historia tradit etiam ante legem scriptam in lege naturæ iustos viros altaria, quibus Deo sacrificarent, dedicasse, vt Gen. 8. legitur de Noe, & 13. de Abraham & 28. de Iacob, qui cum à somno quo visionem viderat euigilans intelligeret verè Dominum esse in loco illo, lapidem erexit in titulum. Quod quidem documentum est, locum, in quo cum Deo colloquimur, quandam habere sanctitatem. Id quod Dominus Moysen Exodi 3. docuit, dicens ei de rubo. Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Vnde

† dist. 8. art 5.

Tres passionis Christi articuli.

Varijs temporibus celebrabatur olim.

Vnde mos vesperas celebrandi ante prandiũ in quadrages.

4. Argu.

† lib. 3. cap. 24. a princip. tom. 6.

Tempus nunc celebrandi ordinarium.

Cardinalitiũ mos.

Magnatum priuilegiũ.

Restrictio.

Nõ est mortale pecc. celebrare ante lectionem matutinã.

Conclusio.

Expositio articuli.

Hæresis Sagarellorum.

Aliorum hæres.

Antiquitas locor. sacror. ex script.

De Moyse. Exod. 3.

Digitized by Google

Deute. 12. sic lex habebat. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quē videris, sed in eo quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias. Erat enim futurum Hierosolymitanum templum in tribu Iuda. Quapropter neque in peregrinatione deserti voluit populum sacrificia nisi in tabernaculo facere, quod peregregio sumptu & ornatu extrui iussit, vt Exodi 26. legitur. Quam verò postea admirabili magnificentia Salomon Dei nutu & iussu templum ædificauerit, vt 3. Reg. 6. historia refert, nisi historia sacra esset, vix possent legentes credere. Quo vtique templo, vt legitur ibidem cap. 8. perſanctè Salomon Deum precatus est, vt quicquid eo loco homines ab eo peterent, propitijs auribus exaudiret. Est ergo religio credere designandum esse locum, quo Deum & sacrificijs & orationibus propitium nobis faciamus. Vnde Fœlix papa de consecrat. distinct. 1. can. Tabernaculum. Si Iudæi, inquit, qui vmbræ legis deseruiebant, loca, in quibus sacrificabant Domino, diuinis habebant supplicationibus consecrata: multò magis nos, quibus veritas patefacta & gratia, quæ per Iesum Christum facta est, templa Domino ædificare & solenniter sacrare debemus. Quæ quidem distinctio canonibus refertissima est de templis, & eorum vasis & ornamentis. Est enim semper præ oculis habendum, quòd vbi est sacrificium, ibi & sacerdotes esse debent & templa: & qui vnum tollit omnia, subinde sublata contendit.

De cons. d. 1

Hæreticorū fundamentum.

Quapropter hæreticorum argumenta illic fundantur, quòd nullum sacrificium agnoscunt nisi fidem & virtutum opera inde pullulantia: quare nec templa neque aras admittunt, nisi de quibus ait Paul. primæ Cor. sexto, & secundæ Cor. sexto. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est? scilicet, per fidem. Ruit autem huiusmodi fundamentum, eo quòd eandem fidem per quam in nobis Deus tanquam in templo inhabitat, profiteri secundùm nostram religionem per sacramenta tenemur, ac potissimum per sacrificium altaris, cui ideo celebrando & administrando necessaria est templorum fabrica. Etenim si senatui cogendo, & iuri dicundo, atque alijs publicis negocijs agendis curia & forum atque alia loca publicitus destinantur, cur non & ad rem diuinā faciendam basilicæ deputentur? Hinc ergo paganorum nomen Ecclesia ethnicis indidit, quòd vt à Christianis distarent in pagis sacrificabant, vt multi theologi autumant, licet inter latinos solenne semper fuerit militiæ non adscriptos paganos vocare, atque inde egregiè ducta metaphora, non baptizati, eodem appellantur nomine.

Vnde Pagani nomen.

Hæreticorū argu.

Validissimum autem hæreticorum argumentum, quod nobis obmoliuntur, est assertio illa Christi ad Samaritanam Ioan. 4. Cùm enim illa dixisset, Iudæos contendere adorandum esse Hierosolymis, Samaritanos verò in monte illo, vbi altare erexerat Iacob: respondit quòd iam inde veri adoratores adoraturi essent patrem in spiritu & veritate. Vbi insinuasse videtur omnes templorum cæremonias in religione Christiana cessatum ire: sed in omni loco solo spiritu & mente orandum: iuxta illud primæ ad Timot. secundo. Volo viros orare in omni loco, leuantes manus sanctas sine ira.

Responsio. Exponitur verba Christi ad Samaritanā.

At verò argumentum ex hæretica sensus depravatione extruitur. Sensum enim Christi interrogatio ipsa Samaritanæ declarat. Illa siquidem solùm proposuit litigium inter Iudæos & Samaritanos. Iudæi enim arbitrabantur nullibi tunc licitum adorare, nisi in templo: erat quippe illis diuinitus interdictum alibi quàm in templo sacrificia & festa concelebrare (quod aduersus Iudæos, ait Chrysostomus) vt dum templum illud dirutum cernerent, & funditus destructum, legem illam abolitam intelligerent. Respondit ergo Christus, legem euangelicam non fore ad vllum locum coarctandam, sed vbique terrarum adorandum esse Deum, non quidem secundùm illas animalium cæremonias, quæ figura erant & vmbra futurorum, sed in spiritu & veritate per ipsas designata. Vbi ideo non inhibuit basilicas esse illi muneri dedicandas, sed admonuit & loca & vasa & ornamenta sacra non ea fore ratione consecranda, tanquam sint orationis finis, sed tanquam media, quibus spiritus excitetur ad contemplandam diuinam maiestatem, cuius adoratio & cultus scopus est omnium orationum & sacrificiorum. Et per hoc etiam reprobatur alia contraria hæresis, dicentium extra Ecclesiam nequaquam orare licere, contra citatam Pauli admonitionem, vt in omni loco sit orandum.

Chrysost.

Aliud argument. comminiscebantur Manichæi, vt libr. 20. contra Faustum cap. 21. refert August. quòd nos tanquam idololatræ martyribus nostris templa & aras erigimus, sicuti ethnici Romulo & Baccho. Ad quam blasphemiam illic, & li. 22. de ciuit. Dei ipse respondet, nos templa soli Deo extruere: nam fabricamus illa solùm ad sacrificium offerendum, quod diuorum nulli, sed vni Deo offerre fas est, cùm sit actus latriæ. Quare non dicimus, Offerimus tibi Diua Maria, aut tibi Petre, sed Deo Patri per Iesum Christum. Memorias verò martyrum ad eorum excitandam imitationem, & ad laudandum Dominum in sanctis suis facimus. Quare dum basilica Diuæ Mariæ, aut D. Petro dicari dicitur, non illi, sed soli Deo in eius memoriam dicari intelligendum est.

Manichæorum arg.

Primum argumentum S. Thom. est. Sacramentum hoc dominicæ passionis memoriale est. Christus autem non est passus in domo, sed extra portam ciuitatis, iuxta illud ad Hebræ. vlt. Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: ergo hoc sacramentum non debet in domo consecrari. Negatur consequentia: quia non debet seruari in omnibus similitudo: quandoquidem Christus ob id sub dio pati voluit, & non intra Iudæorum portas, vt designaret passionem suam non esse sub eorum limine concludendam, sed in gētium vniuersitatem prolatandam. Nihilominus in vniuerso orbe debet sacramentum in domo regulariter celebrari, per quam domum significatur Ecclesia, extra quam (vt ait D. Augustinus) non est locus veri sacrificij. Vnde Christus licet in campo passus fuerit, tamen in domo consecrauit. Ait verò regulariter, quia ex legitima causa potest etiam sub dio, seu in tentorio celebrari, vt de consecratione dist. 1. can. Concedimus. Triburiensis synodus permittit, dummodò altaris tabula consecrata, cæteraque ad mysteria peragenda necessaria adfuerint. Super mare verò propter periculum effusionis sanguinis, neutiquā celebrare licet, neque super flumen.

1. Argum. De celebrat in domo.

Cur Christus extra portam sit passus.

† in l. sent. xv. in fin. to. 3.

In mari non celebrat.

Sed esto, congruum sit templa, & basilicas ad sacrificandum extrui: quidnam eorum consecratione opus est? Arguit enim secundò S. Thom. In celebratione huius sacramenti debet Ecclesia Christi morem, ac subinde Apostolorum imitari: Christus autem hoc sacramentum non in domo consecrata, sed in communi cœnaculo seculari, vt Lucæ 22. legitur consecrauit: & de Apostolis legitur Actuum 2. quòd erant perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, & sumentes cibum cum exultatione: ergo neque modò operæpretium est templa consecrare. Hoc etiam nobis hæretici obijciunt. Responsionis tamen sex sunt membra. Primum ait conueniens esse templa consecrari, tum ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum ad admonendum tam ministros, quàm populum, sacrificantes & sacramento communicantes quanta tunc pollere debeant sanctitate. Adde tertiò contra hæreticos, quòd per consecrationem domus rei diuinæ dedicatur, vt non liceat illam in profanos vsus conuertere.

2. Argum. De cōsecrat. Ecclesiarū.

1. dictum pro respons.

Rationes cur templa dedicentur.

Quòd si templum consecrari oportet, multò magis & altare, super quo & consecratio fit, corpusque & sanguis ponitur. Altare enim ab altitudine dictum est: quia in alto sacrificia fieri debent. Et quidem Beda lib. 6. super Lucam cap. 7. sepulchrum Christi significare censet, & linteola syndonem, qua fuit conuolutus. Sed forsan non est rei absonum vt significet crucem, in qua Christus immolatus fuit, vnde & aram crucis dicimus. Tripodes enim quibus antiquitus sacrificia fiebant, aræ dicebantur: & sicut cruci Christus viuus affixus est, & illic mortuus: ita & super aram consecratur, & dum consumitur, mori sepelirique repræsentatur. Tametsi ad sepulchrum magis quam ad crucem alludat, quòd ara non ex ligno, sed ex lapide fit, vt de consec. dist. 1. can. Altaria. 1. sancitur. Sed non opus est omnimodam esse similitudinem. Linteola tamen decreto Eusebij Papæ can. Consulto. ead. dist. iubetur ne serica sint, sed linea: quia corpus Domini in syndone linea sepultum fuit. At verò D. Thom. Christum ipsum altaris nomine designari censet, sic illud intelligens ad Hebræos vlt. Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo. Quanquam sensus forsan Pauli sit, per ipsum à nobis offerri hostiam, quia ipse est, non hostiæ altare, sed ipsa altaris hostia. Per calicem autem pate-

Altaris cōsecratio necessaria.

Altare quid signet. Beda.

Linteæ lineæ.

na coo-

Digitized by Google

na coopertum S. Thom. ait, repræsentari sepulchrum, vt argumento sexto videbimus. Vtcunque autem sit, altare consecrandum est ad significandum Christi sanctitatem. De qua dicitur Lucæ 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, vel ratione sanctitatis, quæ in ipso celebratur. Vnde can. Altaria. 2. de conse. dist. 1. ex concilio Agatensi habetur. Altaria placuit non solum vnctione chrismatis, sed etiam sacerdotis benedictione sacrari. Quòd si arguas contra D. Tho. qui non videtur ad argumentum de Christo & Apostolis respondisse, respondetur solutionem ex eius dictis colligi: videlicet, quod quidquid fuerit de Christo, qui per potestatem excellentiæ neque à sacramentis, neque ab vllis consecrationibus dependebat: tamen de Apostolis credendum est templa & basilicas consecrasse, ex quorum ideo traditione Ecclesia eundem duxit morem.

S. Tho. explicatur.

2. dictum de celebratione in domibus consecratis.

Colligit ergo secundò D. Thom. quòd regulariter non licet, nisi in domibus consecratis sacramentum celebrare, vt can. Nullus in 1. eadem dist cauetur, quod est decretum Sylvestri Papæ: s. Nullus presbyter missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotij. Idemque cauetur decreto Fœlicis, cano. Sicut non alij, vbi habetur, quod sicut sacerdotes consecrari debent, ita & basilicæ & altaria. Quapropter cum pagani & infideles ad Ecclesiæ gremium non pertineant, ead. dist. vtroque canone Ecclesiam præcipitur, vt Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non liceat, nisi euulsis corporibus, & rasis tignis & lapidibus.

Nunc sufficit benedictam esse Ecclesiam.

Huiusmodi autem canones de necessitate Ecclesiarum consecratarum, iam non secundum illam antiquitatem seruantur, sed satis est Ecclesias esse benedictas. Consecratio enim Ecclesiæ non potest fieri nisi ab episcopo, vt patet de consec. dist 1. can. Nemo. eademque chrismatis vnctione, atque alijs solennitatibus, quæ in episcoporum pontificali habentur, quibus in benedictione non opus est.

Tertium dictum de celebr. in domo non consecrata.

Tertiò nihilominus subiungit D. Tho. quòd propter necessitatem potest hoc sacramentum peragi in domibus non consecratis, (Adde nec benedictis) atque inuiolatis, sed tamen de consensu episcopi. Vnde ead. distinct. can. Missarum, ex concilio Triburiensi censetur missarum solennia non nisi in locis ab episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit celebranda esse. Idemque prorsus subnectitur can. Hic ergo.

Dubium.

Circa hoc ergo tertium membrum dubitatur, vtrum celebrare in locis non consecratis, vel benedictis, nempe extra Ecclesiam, sine Papæ, vel episcopi facultate sit peccatum mortale. Ad hoc respondetur. Primùm, quod de licentia episcopi etiam citra necessitatem licitum est, vt canonibus citatis patet. & can. Et clericos. ead. distinct. Item ex necessitate etiam sine licentia episcopi, vt patet de consecrat. dist. 1. can. consecrationem. Et ita tenet Sylvester. verb. Missa. 1. §. 5. Tametsi vbi licentia haberi potest, condecet vt petatur. Quare in bello licet in tentorio & sub dio consecrare, etiam sine licentia, quamuis prouidendum sit illam ab initio habere. Quinimò non opus est magna necessitate, vt peccatum mortale excusetur: verbi gratia, vt cum populus magnus ad eremitorium in campum confluit, quòd omnes capere non potest, non est peccatum altare in campo decenter extruere, vt omnes sacrum videant. Imò verò vbi nullus sit contemptus, vel scandalum, vix arbitror posse contingere peccatum mortale per celebrationem extra Ecclesiam.

In bello.

In eremitorio.

Obiectio.

Quod si verbum prædicti canonis Sylvestri obijcias, vbi priuationem sacerdotij comminatur, celebranti extra Ecclesiam consecratam: respondetur, illud in primis intelligi in primitiua Ecclesia, dum omnes Ecclesiæ consecrabantur. Quando verò iam mos ille cessauit, quæcunque honesta necessitas excusabit, si tamen debita reuerentia seruetur.

Priuilegia.

Sed & præter necessitatem, sunt & priuilegia. Prædicatoribus enim & Minoribus indultum est, vt cum altari portatili possint etiam sine licentia Episcopi extra Ecclesiam celebrare, vt patet cap. In his. de priuilegijs.

Bulla cruciata indultum.

Iam verò modo per pontificum diplomata ratione cruciatæ quibusuis concessum est, vt intra lares proprios missas facere possint celebrari. Atqui vbi aliqua necessitas incumberet, nihil irreuerentiæ tales concessiones haberent. Habetur enim ibidem can. Si quis etiam ex concilio Agathensi, vt cùm quis longè ab Ecclesia parochiali moratur, oratorium habere possit (sed non ait domi) vbi in festis minus solennibus missam audire possit, ad excusandam fatigationem familiæ. At verò quòd vniuersi citra delectum huiusmodi concessionibus vtantur, re vera non potest non reuerentiam sacrosancti sacramenti denigrare, & quandam præ se ferre contemptus effigiem. Quapropter & lege ciuili cautum est, vt in priuatis domibus sacra mysteria non fiant, Aut sub pœna publicationis domus collat. 5. In primis ergo neque ex priuilegio sacrum facere licet, nisi in loco decenti. In locis enim vbi vel mensa, vel lectus sternitur, nisi ob grauem iacentis infirmitatem, vt communionem suscipiat, indecentissimum est huiusmodi priuilegijs vti.

Censura notanda.

Imò: vt sententiam meam proferam, nisi esset perillustris persona, mallem, vt cæteri, quando exire ad Ecclesias non possunt, die etiam festo missam non audirent, quàm domi audirent.

Sententia Autoris

Ait quartò S. Tho. propter necessitatem licere in Ecclesijs violatis celebrare. Violatur autem Ecclesia, vel per homicidium etiam citra sanguinis effusionem, vel per effusionem sanguinis citra homicidium, non autem per homicidium casuale, aut dum fit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Item per quancunque illicitam seminis effusionem in vigilia, vt habetur cap. Significasti. de adulterijs. De qua etiam effusione seminis & sanguinis habetur etiam de consecra. dist. 2. can. Ecclesijs. & de consecra. Ecclesiæ, vel altaris cap. si. Tametsi de coniugali concubitu dubium sit inter doctores: & forsan per ilum concubitum non violatur: nam pœnæ sunt restringendæ. Quapropter & effusio sanguinis debet esse notabilis, si enim fit per nasum in rixa puerorum, non violatur, vt notatur super cap. Proposuisti. eod. tit. Violatur etiam per hoc quod excommunicatus in Ecclesia sepeliatur, vt habetur cap. Consuluisti. de conse. Ecclesiæ, vel altaris.

Quartũ dictum de celebr. in Eccles. violata.

Ecclesia violatio fit multipliciter.

Quocirca violata Ecclesia non licet in ea celebrare absque graui necessitate quousque reconcilietur. de conse. cap. si Eccles. eod. tit. Quòd si fuerit consecrata, non potest nisi ab Episcopo loci reconciliari, vel de eius licentia per alium Episcopum, vt habetur ca. Aqua, eodem titulo. Simplici verò sacracerdoti non potest id committi, nisi à solo pontifice maximo, vt ait Innocentius, quem refert Sylvest. verb. Consecratio. 1. §. 8. Et debet reconciliari per aquam cum vino & cinere benedictam, vt habetur, eod. ca. Proposuisti. de consecr. Ecclesiæ, vel altaris. Si verò Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantùm benedicta, potest à simplici sacerdote per aspersionem aquæ lustralis reconciliari, vt eod. cap. si ecclesia. habetur. Qua vtique de causa, solent Ecclesiæ consultò non consecrari, sed benedici; ne scilicet dum violantur, expectandus sit Episcopus.

Ecclesia cõsecrata si violetur, per Episcopum reconciliatur.

Ecclesia benedicta per sacerdotem reconciliatur.

Ait verò S. Thò. quod in tali casu propter necessitatem & de consensu episcopi licet in Ecclesia violata consecrare, quamuis nullum canonem peculiarem referat, sed censet idem esse iudicium de domo non consecrata, & de violata. Arbitror verò maiorem exigi necessitatem ad hoc, quàm ad celebrandum extra Eccleſiam, vt verbi gratia, si episcopus haberi non possit, & parœciani nequirent sacra alibi commodè audire: tunc enim cõsulto vt vicario episcopi, posset quousque episcopus accersiri posset, ibidem celebrari.

Quando liceat in Eccl. violata celebr.

Et est hic notandum, prohibitionem hanc consecrandi in Ecclesia violata intelligi, quando violatio est publica: nam si sit occulta: nec opus est missas & sacrificia suspendere, neque Ecclesiam reconciliare. Et est opinio communis, vt Sylvester verb. Missa. 1. §. 5. refert: nempe Archidiaconi, Hostiensis, Ioannis Andreæ, & aliorum, super cap. vnico. de consecrat. Eccle. vel altar. lib. 6. Et ex glo. super idem c. Colligiturque eadem sententia ex cap. significasti. supra citato de adulterijs. Vbi Ecclesia violata ob id censetur reconcilianda, quòd adulteri sacrilegium suum confessi publicè fuerant. Vnde nisi vel facti euidentia, vel iuridica confessio intercedat, non opus est abstinere à sacris: quia Ecclesia de occultis non iudicat.

Violatio publica.

Rursus etiam adnotandum est, quod irregularitas non committetur propter celebrationem in Ecclesia violata, sed solum quando est à iudice interdicta, vt distinct. præsenti quæst. 2. Scotus & Paludanus bene aiunt. Quare quia dum est violata, tantùm est interdicta à iure, ab illis non incurritur, licet quis sciens & prudens

Irregularitas.

Digitized by Google

ibidem celebret, vt patet cap. Is qui. de senten. excommuni. lib. 6.

Quintum dicti, quan. celebrandum sine altari consecrato saltem portatili.

Quintò addit S. Thom. quòd etsi dispensatio in hoc cadere possit, vt in loco vel non consecrato, vel violato possit celebrari, nullatenus tamen sine altari portatili consecrato, vt habetur can. citato, Concedimus. Et ratio est, quòd cùm altaris consecratio sanctitatem Christi significet, quæ totius est fons & origo Ecclesiasticæ sanctitatis, eiusmodi consecratio est necessaria. Quapropter Ecclesia nunquam sine altari consecratur, nonnunquam verò altare consecratur sine Ecclesia. Hinc colligito, ob nullam necessitatem fas esse citra reatum peccati mortalis celebrare, nisi super ara consecrata. Neq; ad id potest Episcopus dispẽsare: quia talis dispensatio nullibi in iure legitur. At verò cum totum hoc sit de iure positiuo, summus pontifex, si vlla forsan causa vrgeret, dispensare posset.

Sextum dictum, de reliquijs Sanctorum in consecratione altar. adhibendis.

Sextò denique subiungit D. Th. quòd in aræ consecratione adhiberi debent sanctorum reliquiæ, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo. Vnde eadem dist. can. Placuit. ex concilio Africano legitur. Placuit, vt altaria in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyris condita probantur, ab episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur. Canon verò ille iam non est obseruatu necessarius, nisi vbi huiusmodi reliquiæ haberi possunt. Neque in ara necesse est vt recondantur. Quando enim populus Christianus nob erat tam amplus, non ita passim fabricabantur. Ecclesiæ, sed vbi aliquæ erant reliquiæ, vt eadem d. can. Arianorum. legitur.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Nihil frustra in Ecclesia, quæ Spiritu sancto gubernatur, fieri debet: Ecclesia verò & altaria cum sint res inanimes, atque adeò nec gratiæ, nec alicuius spiritualis virtutis capaces, frustra consecrantur: ergo vanè. Ad hoc quatuor etiam respondet. Primò enim ait, huiusmodi consecrationes non fieri eo quod ligna & saxa gratiæ sint capacia, sed quia quandã spiritualem virtutem adipiscuntur, vt scilicet humana deuotio inde excitetur, fiantque homines ad diuina pariores, nisi eorum irreuerentia virtutem illam impediat. Vnde 2. Machab. 3. legitur. Vera Dei virtus quædam est in loco: nam ipse qui habet in cælis habitationem, visitator & adiutor est loci illius. Quapropter dum consecrantur, emundantur hyssopo, & exorcizantur, vt inde virtus inimici propellatur. Eademque ratione cùm sanguinis aut seminis effusione polluuntur, reconciliantur, vt dictum est.

1 Resp.

Dubium. Quanam sit illa virtus rerum consecratarum.

Quòd si interroges, quænam sit illa virtus, vtrùm aliqua qualitas illic imprimatur, vt character in sacerdotibus. Caietanus hic duas refert opiniones extremas: nam alij censent ex parte Ecclesiæ, vasorum & vestium, quæ consecrantur, nullam esse virtutem, quæ spiritus nostros moueat, sed solùm ex parte nostra, quorum deuotio facit, vt Deus aliter illic nobis apparere censeatur, cùm tamen ille non sit ibidem aliter post consecrationem quàm prius. Sed re vera opinio hæc nihil prorsus reb. consecratis tribuit: nam quandoque deuotio nostra magis mouetur ex templo pulchro, quàm ex alio ruinoso consecrato. Alij ergo aiunt virtutem quandam rebus consecratis per modum qualitatis inhærere, qua nos mouent. Sed hoc est in alterum extremum peccare. Haud enim credibile est talem qualitatem reb. illis imprimi. Medio ergo modo dicendum est quod habent quandam instrumentalem virtutem, non quòd sit qualitas distincta, sed quod per consecrationem dedicantur, vt sint instrumenta Dei, quib. ipse aliter nostram deuotionem excitat, quàm si non essent consecrata. Et propitius nos illic audit, vt 3. Reg. 8. de templo Salomonis legitur. Et est quodammodo simile de aqua baptismali: sicut enim illa per intentionem sacerdotis fit instrumentum ad faciendum hominem Deo gratum: ita per consecrationem fiunt templa & vasa instrumenta Dei ad excitandam deuotionem nostram. Tho. Waldensis tomo 2. de sacramen. c. 147. latius tractat præsentiorem esse Dominum in Ecclesia oranti quàm extra.

1. opinio.

Refutatur.

2.

Improbatur

3.

Sententia autoris.

2. Responsio. Ingressio Eccles. remitti venialia.

Quocirca addit secundò S. Thom. quosdam probabiliter affirmare, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ remittantur peccata venialia, sicut per aspersionem aquæ benedictæ, inducentes illud Psalmi: Benedixisti Domine terram tuam: remisisti iniquitatem plebis tuæ.

3. Respons.

Tertiò addit, eandem ob causam consecrationem Ecclesiæ & vasorum & vestium, quia est indelebilis, non iterari. Vnde in ead. d. 1: de consc. can. Ecclesijs. ex concilio Niceno legitur. Ecclesijs semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiusquam semine pollutæ fuerint: quia sicut infans à qualicunque sacerdote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti semel baptizatus non debet iterum baptizari: ita nec locus Deo dicatus est iterum consecrandus, nisi propter causas quas superiùs nominauimus. Si tamen fidem sanctæ Trinitatis tenuerint qui consecrauerunt: alioqui qui sunt extra Ecclesiam consecrare non possunt. Sed sicut can. Ecclesiæ, ead. d. legitur, ex concilio Meldensi. Ecclesiæ, vel altaria, quæ ambigua sunt consecratione, consecrentur.

Consecratio non iteratur.

4. Resp. Res consecrata ad laicorum opera non adhibenda etsi operibus sacris inutiles.

Quartò eadem ratione: nempe, quia huiusmodi res consecratæ, virtutem aliquam adipiscuntur, iubet Iginius Papa can. Ligna. ibidem, quod ligna Ecclesiæ dedicata ad aliud opus non iungantur nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni comburantur, vel ad profectum in monasterio fratribus admittantur, nullatenus tamen ad laicorum opera. Et Clemens can. Altaris, subiungit, quòd altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptisterio infetantur, aut in pariete, aut fossis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.

Dubitatio. An laici sacra vasa aut vestim. tangendo peccent.

Sed circa hoc quæritur, vtrum sit mortale sacrilegium, vt laici, & præsertim fœminæ, sacra vasa aut vestimenta tangant. Prohibet n. Sixtus Papa ead. dist. cano. In sancta. ne sacra vasa ab alijs, quàm à consectatis hominibus contrectentur. Et Stephanus Papa cano. Vestimenta. prohibet ne vestimenta alijs vsibus quàm Ecclesiasticis applicentur: neque ab alijs, inquit, debent contingi. Respondetur, quòd simpliciter tangere nullatenus est peccatum mortale: imò si absit contemptus, aut non est veniale, aut est leuissimum. Sed vsus eorum profanus genere suo est peccatum mortale, vt si quis auderet calice consecrato in mensa profana vti, aut corporali tanquam nasiterfio, aut vestibus sacris in torneamentis. Hæc enim contemptum præ se ferrent mortalem.

4. Argum. † Psal. 91. & 5.

Quartò arguitur. Solùm diuina opera debent recoli cum quadam solennitate, secundum illud Psalmi: † In operibus manuum tuarum exultabo: sed Ecclesia vel altare opere humano cõsecratur, sicut & calix & minister & alia huiusmodi, quorum ideo consecrationes non recoluntur celebriter in Ecclesia: ergo nec celebrari debet Ecclesiæ vel altaris dedicatio. Respondetur, quòd quia consecratio altaris repræsentat sanctitatem Christi, consecratio verò domus, sanctitatem totius Ecclesiæ, conuenientius recolitur cum solennitate consecratio Ecclesiæ vel altaris, (intellige quando altare consecratur cum Ecclesia) quàm consecratio aliorum vasorum. Neque illa consecratio opus est solius hominis, cum spiritualem habeat virtutem. Vnde can. Solennitate. in 2. eadem dist. ait Gregorius Papa. Solennitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos solenniter sunt celebrandæ. Durat autem eiusmodi solennitas (vt ibidem subditur) dies octo, quæ dicuntur Encænia. Et fuit ritus antiquæ legis, vt legitur 3. Reg. 8.

5. Argu. De Altari, & eius significat.

Quintò arguitur. Veritas debet respondere figuræ: sed in veteri testamento, quod noui figuram gerebat, non fiebat altare de lapidibus sectis. Legitur enim Exod. 20. Altare facietis mihi: quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Et Exod. 27. mandabatur fieri altare de lignis vestitis ære, vel auro, vt habetur Exod. 25. ergo incongruè in Ecclesia fit de lapide. Respondetur ex cano. Altaria. 1. quòd altaria si non fuerint lapidea, chrismatis vnctione non sunt consecranda. Sed nomine altaris intellige aram: nam reliqua structura ex ligno esse potest. Competit hoc primò significationi: significat enim Christum ara, vt dictum est, de quo 1. Corinth. 10. Petra autem erat Christus. Quod si significet sepulchrum, etiam illud erat lapideum. Si autem significat crucem, non stat similitudo. Sed congruit etiam vsui: nam lapis materia solida est, & diuturna, & quæ vbique haberi potest, quod non erat necesse in veteri lege, cùm altare in vno solo loco fiebat. Iubebatur autem aut de terra, aut de insectis lapidibus construi, ad cauendam idololatriam auri.

Ara significatio.

6. Argu.

Sextò arguitur. Calix cum patena significat sepulchrum Christi, quod fuit excisum in petra, vt Euan-

Digitized by Google

De calice & eius sign.

gelia tradunt: ergo calix de petra fieri debet, & non de auro, argento, vel stanno. Respondetur ex can. Vasa. ead. distinct. quondam sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus fuisse vsos. Post verò Zepherinus Papa patenis vitreis missàs celebrari constituit: deinde Vrbanus propter periculum vitri, omnia fecit argentea. Postmodum autem statutum est, vt calix Domini cum patena, fieret aut ex auro, aut ex argento, aut saltem ex stanno. Ex ære verò & orichalco minimè, vt habetur ex concilio Remensi can. Vt calix. Eo quòd vini virtute æruginem parit, ac vomitum subinde prouocat. Subditur autem ibidem. Nullus in ligneo aut vitreo calice præsumat missam cantare: lignum enim, quia porosum est, sanguinem ebiberet. Et eadem est de lapideo ratio. Vitrum verò fractionis periculum offerret.

7. Argu. De corporali & eius signif.

Septimò arguitur. Sicut aurum pretiosius est inter vasorum materias, ita & inter pannos sericum: ergo sicut calix ex auro, ita & pallæ deberent fieri ex serico. Respondetur, quod vbi sine periculo fieri potuit, Ecclesia circa hoc sacramentum id statuit, per quod passionis Christi expressior fieret repræsentatio. Non erat autem tantum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali, quàm circa sanguinem, qui ponitur in calice: & ideo calix, licet sepulchrum designet, non fit ex petra, ne sanguinem imbibat. Corporale autem fit ex panno lineo, quo corpus Christi fuit inuolutum. Vnde Syluester Papa can. Consulto. Statuimus, inquit, vt sacrificium altaris non in serico panno aut intincto quisquam celebrare præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato, sicut corpus Christi in syndone linea & munda sepultum fuit. Congruit deinde lineus pannus propter sui mundiciem ad significandam conscientiæ puritatem: & propter multiugum laborem, quo nutritur, coquitur, contunditur, ad significandos labores Christi in passione perpessos.

Statutum de materia.

8. Argu.

Octauò denique arguitur. Dispensatio sacramentorum, & eorum ordinatio ad ministros Ecclesiæ pertinet, veluti rerum temporalium dispensatio secularium principum ordinationi subiacet. Vnde 1 Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: in dispensatione verò rerum temporalium si quid contra statuta principum fiat, irritum habetur: sed si hæc, quæ dicta sunt, per Ecclesiæ prælatos ritè sunt constituta, fit vt absque eis consecratio irrita sit & cassa, atque adeò verba Christi non essent tunc efficacia ad sacramentum consecrandum, quod est absurdum. Respondetur consequentia peremptà: nam etsi dispensatio sacramentorum ministris Ecclesiæ incumbat, consecratio tamen sacramenti ab ipso Deo fit. Quare ministri id quod est de substantia sacramentorum, mutare nequeunt, sed duntaxat de eorum vsu & solennitate disponere. Et ideo si sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione consecrandi, absque omnibus prædictis & eorum consecratione in rei veritate consecrat: peccat tamen grauiter ritum Ecclesiæ non seruàs. Colligito ergo genere suo esse peccatum mortale aliquod istorũ prætermittere. Attamen quia omnia sunt de iure positiuo, sola negligentia, si absit scientia & contemptus, non erit peccatum mortale. Non enim tenetur explorare sacerdos vtrum vasa sunt consecrata, vel vtrùm linteola sint ex lino, an ex alia similliuma materia. Et an subtus ara lapidea lateat.

Non est consecratio irrita etsi aliquid ex præcepto requisitorum desit.

Nota.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm conuenienter ordinentur ea, quæ circa hoc sacramentum dicuntur.

De sacerdotalibus indumentis.

QVARTVM, quod ad sacrificij solennitatem spectare diximus, est vestimentorum ornatus, quem Lutherani omnium cæremoniarum osores prorsus abiecerunt: nulla tamen fuit vnquam religio, quæ non suo habitu esset distincta, quo eius professio ab alijs dignosceretur: vitam enim homines extero ornatu profitentur. Quare qui diuersum à vulgo habent institutũ, diuerso debent indui amictu. Quamobrem si vt cætera, ita & hunc morem à lege naturæ deducere placet, etiam gentes suos sacerdotes inter sacrificandum sacris vestibus exornabant. Vnde flamines à filamine & vitta capitis appellabant. Sed vt ludicra hæc missa faciamus, miraculum est quanto ornamentorum apparatu & cultu Deus sanxerit pontificem antiquæ legis decoratum sacra facere, vt Exodi 28. legitur. Idque duplici ex causa: altera, scilicet ad populi attentionem captandam circa diuina: atque altera eademque potissima, ad nostrum sacerdotium designandum. Vtraque ergo de causa ratio Euangelica vrgentiùs expostulabat, vt & sacerdotes nostri non nisi sacris induti sacra facerent: nempe, & ad repræsentandam Christi passionem, & ad excitandos spiritus nostros, quibus efficaciùs fructum eiusdem passionis percipiamus. Ac demum vt sacerdotes ornatu illo vitæ excellentiam profiterentur, qua reliquo vulgo præstare debent. Enimuerò licet Christus, qui nec suam debebat passionem, quam ipse passurus erat, repræsentare, neque vllo ornatu ad deuotionem excitandam egebat, huiusmodi vestibus, cum primam missam celebrauit, minimè vsus fuerit, certo tamen certius est Apostolos sic Ecclesiam instituisse, vt Petrum, de quo lib. 2. de sacram. par. 8. ca. 14. ait Hugo primum Antiochiæ missam celebrasse, & Iacobum fratrem Domini. De quo dist. 1. de consecrat. can. Iacobus. ex sextà synodo legitur, nobis missæ celebrationem tradidisse. Quinuerò Dominus ipse quoddam rei huius specimen reliquit: nam hoc consecraturus sacramentum surgens à cœna, vt Ioan. 13. legitur, deposuit vestimenta sua, & accipiens linteum præcinxit se. Sic enim sacerdos ad altare accedens vestimenta communia deponens, meminisse debet tunc deponere, vt ait Paul. ad Ephes. 4. veterem hominem, & induere nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & veritate sanctitatis.

Noua legis sacerdotes.

Obiect. tacita.

Ab Apost. vestim. institutio.

Imo à Christo.

Igitur vt pontificales prætermittamus, sex sunt sacerdotis vestes: scilicet amictus, alba, zona, manipulus, stola, casula. De quibus Hieronymus ad Fabiolam, & Rabanus in lib. de institutione clericorum, & Hugo lib. 1. de sacramen. & Inno. de officio missæ, atque alij multa dicunt. Quas vtique vestes, ait Hugo lib. citato. c. 45. à veteri lege sumpsit Ecclesia.

Sex vestimentorum genera.

Amictus ergo est, cui in lege veteri cidaris respondebat. Vnde Origenes super Leuiticum de summo sacerdote. Primum, inquit, accipit cidarim, quod est vel opertorium capitis vel ornamentum. Et post hoc superimponitur ei mitra. Igitur linteum hoc, si ad passionem spectes, velum illud significat quo Iudæi, vt Matth. 26. legitur, faciem Christi velabant, dicentes: Prophetiza nobis Christe quis te percussit? Si verò ad mores, armaturam, de qua ad Ephe. 6. Apostolus, Galeam salutis assumite. Quod enim illi in derisum & ignominiam Christo faciebant, nos gloriæ nostræ debemus apponere. Et cùm sicuti vir mulieris, vt 1. Cor. 11. ait Apostolus, ita & viri caput Christus sit, amictu illo sacerdos fatetur Christi capitis membrum esse, quem proprio cerebro, quo omnes sensus vigent, imponens, profitetur sensibilia hæc omnia & caduca pro spe æternorum abijcere. Descendit & amictus super humeros, quibus onus Domini ferre docemur, vtque eius in modum crucis pectus perstringimus, quo nullas alias cogitationes, quàm ea quæ Dei sunt, admittere pollicemur.

Amictus.

Allegoria.

Tropologia.

Alba, sicut & amictus, vestis linea est, candida & munda, qua similiter legales pontifices vtebantur, quæ Græcè poderis, hoc est, vsque ad pedes: Latinè verò talaris dicitur, eo quod ad talos vsque descendit. Primùm memoria est illius, qua, vt legitur Luc. 23. Herodes Christum indutum illusit, quæ quidem illusio honor noster esse debet. Sed quantum ad mores nostros, lorica est iustitiæ, qua ibidem Paulus indui nos admonet. Iustitia enim, vt ait Philosophus, vniuersam virtutem comprehendit, quæ in cunctis operibus nostris elucere debet: ob idque totum nostrum corpus tegit. Est ergo non lanea, aut pellicea, quæ ex mortuis animalibus fit, qualibus tunicis, vt Genes. 3. legitur, Deus Adam à paradiso extorrem induit, sed linea, quæ morum floriditatem & gloriæ candorem repræsentat, quem Christus in transfiguratione vestimentis suis exhibuit. Sanctificauit enim Deus Ecclesiam, vti ad Ephes. 5. ait Paul. mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, sed vt sit sancta & immaculata.

Alba.

Allegoria.

Tropologia.

Zona autem seu cingulum cui in veteri sacerdotio respondebat baltheus, si ad passionis memoriam referatur, significat aut primum ligamen, quo in horto Dominus captus fuit, aut flagellum, quo fuit cæsus. Si verò morum sit nostrorum admonitio, fidem demonstrat, quæ iustitiam nostram succingere debet. Nulla enim apud Deum iustitia est, nisi quæ fide nitl-

Zona.

Allegor.

Tropol.

tur &

Sacrificuli legis naturæ

tur & ſtringitur. Vnde loco citato Paulus, vbi hominem coarmat, ſuccincti, inquit, lumbos veſtros in veritate (ſcilicet fidei.) Tametſi cùm eadem fides protectio ſit noſtra aduerſus inimicos, ſcuto etiam ibidem comparauit. Sunt itaque iuſtitia & fides adeò germanæ, vt Eſaias c. 11. de Chriſto loquens prædixerit. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Quòd ſi obiecteris in Chriſto non fuiſſe fidem, quę eſt obſcura cognitio, reſpondetur primò cum Hieronymo, quòd habet illam in ſuis fidelibus, de quibus idem propheta ad Chriſtum ait cap. 49. His omnibus velut ornamento veſtieris, & circundabis tibi eos quaſi ſponſa. Secundò, forſan ad ſenſum propiùs literalem, fides illic non accipitur niſi pro conſtantia dictorum & conuentorum, quæ, vt 1. officio. ait Cicero, eſt fundamentum iuſtitiæ, atque adeò moralis virtus, quæ ſumma fuit in Chriſto.

Obiectio.

Manipulus.

Allegor.

Poſt hæc manipulus, à læuo brachio pendens ſecundum ligamen deſignat, quo Chriſtus columnæ fuit manibus alligatus. Qui quidem funis in brachio illo ſiniſtro cordis vicino amorem nobis commemorat, quod ad expianda noſtra piacula, cruenta flagella pertulit.

Tropolog.

Quo ideo vicarium amorem rependere ſacerdos profitetur. Cuius gratia flagella huius mundi tanquam fructus pœnitentiæ tolerare debemus. Læua enim præterea manus & vitam ſignificat præſentem in qua opera pœnitentiæ perferenda ſunt, vt loco citato ait Hugo cap. 52. Præterquam quod in brachio dextro impedimento eſſet ſacerdoti dum cruces facit. Atque his quatuor inſignibus non ſolùm ſacerdos, ſed & diaconus & ſubdiaconus induuntur.

Stola.

Allegor.

Stola, quæ & orarium dicitur, vinculum tertium repræſentat, quo Chriſtus crucem baiulans fuit collo ligatus. In moribus verò noſtris obedientiam & iugum Domini, cui collum quaſi loro ligati ſubmittimus ad portandum crucem Domini, eius veſtigia ſequuti. Stola namque indumentum fuit antiquum matronis inſigne, vſque ad imos pedes demiſſum. Vnde ibidem ait Hugo. c. 48. priùs non orarium, ſed alba erat, quæ vocabatur ſtola, ſed poſtea mutata ſunt nomina. Hoc autem ornatu non inſignitur ſubdiaconus, ſed ſacerdos, qui perſonam Chriſti crucem portantem repræſentat. Diacono verò, qui eius eſt miniſter, inter eum & ſubdiaconum medius, conceditur, ſed non niſi ſuper læuum humerum, quia cum Chriſti iugum vitæ actiuæ & cõtemplatiuæ nos ſubiungat: & ſiniſter humerus actiuam, dexter vero contemplatiuam referat, diaconus, qui (vt nomen eius ſonat) ad miniſterium eſt inſtitutus, in læuo: ſacerdos vero in vtroque humero ſtolam portat, eandemq; ſuper pectus in modum crucis. Quo vtique ſigno à dextris & à ſiniſtris, proſperis, ſ. & aduerſis communitum docet. Quod autem diacono actiua potiſſimum vita incumbat, oſtenditur Actuum 6. vbi diaconi leguntur in miniſterium pauperum mancipati, ne Apoſtoli à contemplatione abducerentur. Quocirca ſtolam, vt quæ myſterium eſt crucis, inſtitutio Euangelica veteribus adiecit, vt lib. 2. de ſacra. par. 4. c. 10. autor eſt Hugo.

Tropolog.

Caſula.

Origo.

Supremum denique veſtimentum eſt caſula, quæ & planeta dicitur. Et vt ait Rabanus lib. citato de inſtitutione clericorum ca. 20. per diminutionem à caſa dicta eſt, eo quod totum hominem tegat quaſi minor caſa. Vbi adnotandum eſt indumentum hoc in Eccleſiæ primordijs conſutum fuiſſe totum, & vndique concluſum vſque ad pedes, ſine manicis vllaue apertura, ad formam veteſti Hiſpanorum pallij, (quod ceputium vocant.) Sacerdos verò complicabat vtrinque ipſum, vt brachia exereret. Vnde dict. lib. citato Hugo de Eccleſiaſticis ſacramentis c. 50. Caſula, inquit, per quam charitas intelligitur, ſuper dextrum bracium leuatur, vt amici in Deo amentur: replicaturque ſuper ſiniſtrum, vt inimici propter Deum diligantur. Sed poſtea, vt vſui ſacerdotis aptior eſſet, ab vtroque latere inciſa eſt. Deſignat ergo tunicam Chriſti inconſutilem, qua exutus crucifixus fuit. Sed quantum ad mores, charitatem quæ ipſum ad crucem perduxit, & in nobis, vt ait Paul. multitudinem opperit peccatorum. Atque hoc erat illud Aaron veſtimentum, vt autor eſt lib. 1. de ſacra. c. 42. Inn. in cuius oram, vt ait Pſaltes, deſcendebat ſacerdotale vnguentum, ſicut ad nos omnia chariſmata à Chriſto deriuantur. Vnde hoc modo indutus ſacerdos monitum illud Pauli ad Coloſ. 3. repræſentat. Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ: humilitatem, (quam amictus caput tegens deſignat:) benignitatem, (quæ in alba per totum corpus vſque ad talos effuſa refertur:) modeſtiam, (cuius effigiem cingulum renum præ ſe fert:) patientiam, (in duobus vinculis, manipulo, ſ. & ſtola expreſſam) ſuper omnia hæc charitatem habentes, (cuius nos caſula admonet,) quod eſt vinculum perfectionis.

Allegor.

Tropolog.

Dalmatica.

Dalmatica verò à regione Dalmaticæ nomen traxiſſe fertur, quę, vt ait ibidem Rabanus, in modum crucis efformata paſſionem Chriſti nobis refert. Hugo verò li. 2. de ſacra. par. 4. c. 13. ait à Colobio, quo Apoſtoli celebrantes vtebantur, ortum habuiſſe adiectis manicis: vt habetur in hiſtoria Sylueſtri, & apud Th. Waldenſem li. 5. de ſacramen. tit. 4. c. 29.

Lumen.

Ecce quibus ſacramenti veſtibus, veſtitus ſacerdos ad ſacrum altare accedit: nam ſi aliquam illarum conſultò prætermitteret, tanquàm myſteriorum contemptor mortaliter delinqueret. Secus, ſi ex obliuione, vel aliqua negligentia id faceret. Debet & diſcooperto capite totum ſacrum peragere, de conſec. d. 1. can. Nullus Epiſcopus. Quare graue peccatum eſſet aliter facere: nam priuatur illic ſacerdos in hoc delinquens communione ſacramenti, niſi forſan ex rationabili cauſa prælatus diſpenſaret. Eſt & lumen neceſſarium, vt habetur ca. fina. de celeb. miſſ. Quare & illud non habere, peccatum eſſet mortale: pertinet enim & ad reuerentiam ſacramenti, quatenus lumen illud Dei gloriam repræſentat, & ad noſtram excitandam deuotionem, qui per effectum ſacramenti illuminamur.

Quinta cõſideratio.

Poſt hæc quinta conſideratio huius ſacrificij verſatur circa preces & verba, quibus miſſa conficitur. De quib. quæritur an ſint conuenienter inſtituta.

Nota.

Hoc autem in primis admonendum operæpretium duxerim, quod nemo debet ſacerdotum inter ſacra facienda alias adhibere aut preces, aut orationes quàm Eccleſia ſanxit. Sunt n. omnia myſteriorum plena: ob idque fas non eſt alia priuata cum illis commiſcere, ſed illa tantum reuerenter & attentè meditari & proferre. Quod autem D. Tho. ait Iacobum fratrem Domini, & Baſilium Cæſarienſem miſſæ celebrationem ædidiſſe, quod refertur de conſe. d. 1. can. Iacobus. intelligitur, vt nomine miſſæ, aliæ vel earum nonnullæ orationes, quæ conſecrationi adhibentur, comprehendantur. Nam, vt Hugo lib. 2. de officijs Eccleſiaſticis ca. 11. bene ait, miſſa initium inde ſumpſit, vbi Dominus ſuum corpus & ſanguinem conſecrans tradensque diſcipulis, iuſſit hæc in eius memoriam fieri. Sed Apoſtoli miſſam auxerunt. Et li. 2. de ſacra. par. 8. ca. 14. ait, quod Petrus Apoſtolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebraſſe. Id quod alijs non placet: propterea quod Actuum 2. legitur Apoſtolos fuiſſe perſeuerantes in communicatione fractionis panis, & orationibus, quòd plerique doctorum de celebratione miſſarum interpretantur. Et re vera non eſt aliud vero ſimile, quàm quòd ſtatim à Pentecoſte ſacroſanctum hoc charitatis ſacramentum celebrare inchoarent antequam ſpargerentur. Sed quod dicitur de Petro, & Iacobo, & Cæſarienſi Baſilio, intelligendum eſt quod facta Apoſtolorum diuiſione vnuſquiſque in ſua Eccleſia ſolennem celebrationem miſſarum inſtituit. Igitur quamuis alijs aliæ placeant diuiſiones, ea quæ in miſſa dicuntur, in tres partes ſecantur. Quædam n. ante myſterium conſecrationis præmittuntur, alia verò ad conſecrationem ſpectant, ſed & alia poſt ipſam adhibentur. Atqui prima pars in duas diuiditur, quarum prior eſt præparatio quædam tam ſacerdotis quàm populi, quæ quatuor habet particulas: tres, ſ. quotidianas, & vnam feſtiuam. Primò ergo incipitur, ait S. Tho. ab introitu. Meritò enim confeſſionis, quæ fit ante gradus altaris, non meminit, quia illa non eſt pars miſſæ: ſola n. ſacramentalis confeſſio debet præcedere de mortalibus, ſed propter venialia oblita vel neglecta fit illa generalis confeſſio, de qua meminit Inno. lib. 2. myſterio. miſſæ. c. 13. quam fundat in illo Prouer. 18. iuſtus in initio ſermonis accuſator eſt ſui: vbi recitatur pſalmus ille 42. Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam. & cæt. At verò in ordine noſtro, vbi (quod citra aliorum notam dixerim) ſumma datur opera, vt ordinarium in ſua ſemper maneat ſynceritate & breuitate, neque vllæ fiant adiectiones, nullus recitatur pſalmus, ſed breuiſſima fit confeſſio, qualis illi myſterio congruit. Solent enim vulgares ſacerdotes ſexcentas orationes illic inculcare.

Miſſæ partes præcipuæ.

Confeſſio ante altare.

Introitus autem, vt idem Hugo cum antiquioribus

Digitized by Google

Allegorica introitus significatio.

lib. 2. de officijs Ecclesiasticis c. 14. & Inno. qui in omnibus eum sequitur, c. 18. aiunt, aduentum Christi significat, & introitum eius in mundum. Est n. sacrificium hoc passionis eius memoriale, ad quam subeundam mundum ingressus est tanquam lumen, vt Luc. 2. ait Simeon, ad reuelationem gentium, quod accensi cetei sacerdotem comitantes significant. Ob idque sacerdos ad altare accedens illud osculatur, connubium significans Christi & Ecclesiæ, iuxta illud Cantic. 1. Osculetur me osculo oris sui. Et ideò chorus psalmum intonat, vocem illam priscorum patrum commemorans. Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Esaiæ 16. Et cap. 64. Vtinam dirumperes cælos & descenderes. At verò S. Thom. non tam ad significationem respexit, quàm ad vocem laudis. Nam cùm hoc sacramentum, non tantum quia sacramentum, sed quia sacrificium, summa cum dignitate celebrandum sit, Et Eccl. 4. legitur, Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei; Et Ecclesiastici 18. Ante orationem præpara animam tuam: ideo consecraturus sacerdos præparat sese & totum populum. Quare prima pars missæ vsque ad offertorium illuminatio & præparatio dicitur. Atque ideò à diuina laude initium sumitur, iuxta illud Psalmi, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quò ostendam illi salutare Dei. Nec verò deest nobis exemplum Christi, de quo ait Paul. ad Hebr. 10. quod ingrediens in mundum cecinit illud Psalmi 39: Hostias & oblationes noluisti, corpus autem adaptasti mihi, &c. Quapropter introitus plurimum sumitur ex aliquo psalmo, quia vt Dionys. 3. cap. Eccles. hierar. author est, psalmi per modum laudis quicquid in sacra scriptura continetur, comprehendunt. Antiquitus verò, vt refert ibidem Hugo, integer psalmus canebatur: post verò consuetum est, vt vnus tantum versiculus dicatur loco psalmi, & tanquam versus subditur caput ipsius psalmi. Vt in missa Apostolorum: Domine probasti me. Et post iteratò repetitur Introitus ad significandum frequentiam clamorum, quibus Patres antiqui identidem diuinam misericordiam excitabant, vt Christum mitteret, iuxta illud Esa. 28. Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. In fine tandem additur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, quod Nicena synodus cantari instituit, qua vtique clausula omnis Psalmus concluditur, in signum, quòd laus omnis in gloriam S. Trinitatis refertur. Et vt ait Hugo, Damasus in missa id quoque adiecit. Cæterùm quod ipse & Inno. aiunt, Cælestinum Papam, qui sedit ab ascensu Domini anno 426. introitum instituisse cantari in missa, legerunt apud Almaricum & Valerianum historiographos. Id autem Thomas Wal. tomo 5. de sacram. tit. 4. c. 31. multò antiquius censet: nam Dionys. c. 3. hic citato à S. Tho. ait quod pontifex ad sanctum altare Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus. Sed forsan licet apud Græcos in more antiquitus fuerit Psalmum in introitu canere, Latini vsque ad Cælestinum id non receperant. Nisi dicere mauis, quòd non canebatur apud Græcos nisi in missa pontificis, & Cælestinus illud instituit in missis quotidianis: nam vt 11. de Ciuit. Dei ait Augu. Multa dicuntur patres instituisse, quæ potiùs antea instituta inuenerunt. Quamuis neque satis cohæreat quòd Cælestinus introitum instituerit, & Damasus, qui ipsum per quinquaginta sex annos anteceſſit, instituerit, Gloria patri: sanè cum Psalmus in introitu antequam Gloria institutus censeatur, eo quod Gloria sit Psalmi conclusio.

Introitus significatio ex S. Thom.

Cur repetatur Introitus.

Quis instituerit Intr.

Nota.

Secundò post introitum, quo Christi ingressus in orbem repræsentatur, adijcitur misericordiæ postulatio, quæ ipsum, vt nos redimeret, induxit. Quare ter Patri supplicamus dicentes, Kyrie eleison: hoc est, Domine miserere: terque deinde filio, Christe eleison. terq; tandem Spiritui sancto, Kyrie eleison. Nam cum Pater & Spiritus sanctus nullam sibi vniuerint creatam naturam, secundum diuinam dominos appellamus: Christum verò secundum humanam, qua nos redemit, vocamus Christum. Cæterùm ad singulas personas ter supplicationem congeminamus, vel contra tres nostras miserias, scilicet ignorantiæ, culpæ & pœnæ, vt Inn. c. 19. ait: vel ad significandum, vt S. Tho. addit, quod omnes personæ sunt in se inuicem. Tota enim essentia, ac subinde misericordia & bonitas, quam imploramus, tam in singulis est personis, quàm in omnibus tribus simul. Atqui Syluester fuit, vt idem ait ibidem Hugo, qui circa annum Domini trecentesimum vigesimum Kyrie eleison idiomate Græco suscepit. Nam vt super verbo, baptizo, diximus, tùm propter linguæ celebritatem, qua primitus fides Christiana à Palestina profecta suscepta fuit, tum vt omnis Christianismus in hac misericordiæ postulatione voce etiam conueniret, id fuit congruens. Colligitur ergo. Si Cælestinus instituit psalmi introitus, vt missa tempore Syluestri, qui Cælestinum per plures quàm centũ annos antecessit, à Kyrie eleison inchoaretur, vt in vigilia paschatis. Quod non est rationi dissonum: videlicet, vt introitus ad sacrificium esset misericordiæ postulatio. Fortasse namque apud Græcos priùs aliqui missarum cantus & preces inceperunt, à quibus Latini postea fuerunt mutuati, vt de introitu diximus.

Kyrie eleison.

Cur idiomate græco

Cur geminatur?

Tertio loco post misericordiæ preces, quibus nostras miserias Deo proponimus, cantus diuinæ gloriæ subsequitur, quæ finis est, quò nostrum referimus sacrificium, & a nostris miserijs liberati peruenire conamur. Caput verò illius hymni Angelorum chorus subortum Christi cælitus detulit, vt Luc. 2. refertur. Atqui Telesphorus papa, qui sedit sub annum Domini centesimum quadragesimum, hunc angelicum hymnum cani iussit in nocte Natiuitatis, quando ipse missas celebrari instituit, vt inter eius decreta refertur. Attamen, vt locis citatis Hugo & Innocentius aiunt, Hilarium Pictauiensem Episcopum, qui fuit tempore concilij Niceni, postmodum adiecisse illa quę sequuntur ab illo loco, laudamus te: quia reliqua tantum præcedentia Telesphorus cani iusserat. Deinde verò circa annum Domini quingentesimum Symmachus adiecit, vt in omnibus diebus Dominicis, & in festis martyrum præcipuis caneretur, quod perpetuo vsu receptum est. In minoribus autem festis prætermittitur, & potissimum in Luctuosis defunctorum officijs, quæ ad commiserationem potiùs pertinent quàm ad gloriam.

Gloria in excelsis Deo.

A quibus institutum.

Omittitur in missis defunctorum.

Quartò denique sequitur oratio, quæ dicitur Collecta, eo quòd ad illam populus mente colligitur, vt totam diuinæ mancipet contemplationi. Et quia vt ait ad Ro. 8. Paul. quid oremus nescimus, sed spiritus nos docet, mutua salutatione Dei assistentiam precamur. Vnde sacerdos ad populum versus, Dominus, inquit, vobiscum. Sed quia ipse attentiori spiritu pro populo precaturus est, non tantum populus respondet, sit etiam tecum; sed: Et cum spiritu tuo. Prior salutatio sumpta est ex Rut. 2. vbi Booz dixit messoribus. Dominus vobiscum. Quin verò Angelus cælitus missus sic Virginem salutauit: Dominus tecum, resalutatio verò est apud Paulum 2. ad Tim. vlt. vbi ait: Dominus Iesus Christus sit cum spiritu tuo. At quia Christus resurgens, vt legitur Ioan. 20. Apostolis dixit: Pax vobis, Episcopi id repræsentantes eo modo in initio salutant populum. Cæterum in decursu missæ eodem modo, quo cæteri sacerdotes, dicere debent, Dominus vobiscum, vt in concilio Bracharensi c. 21. iussum est. Septies autem fit hæc salutatio in missa per sacerdotem, s. in prima collecta, & ad euangelium, nisi diaconus illud cecinerit, & ad offertorium, & ad præfationem, & ad Agnus Dei, nisi quòd illic ait, Pax vobis, & ad vltimam collectam, & ante, Ite missa est. Deinde sacerdos populum ad orandum excitans ait, Oremus: non quod populum inuitet, sed quod populus per ipsum, & ipse tanquam mediator inter populum & Deum sit oraturus. Collectam autem concludit dicens, per Dominum nostrum Iesum Christum: quoniam cùm, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 2. ipse sit vnus mediator Dei & hominum, per ipsum quicquid petimus obtenturi sumus à Deo: iuxta ipsius promissum Ioan. 14. Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Responsio verò, Amen, optantis populi est, vt sic fiat. Atque hæc est prior particula primæ partis. Inno. loco ca. 27. ait collectas non nisi numero impari, quo Deus gaudet, dicendas esse, neque vltra septem. Sed neutrum est obseruatu necessarium. Hoc tamen tertium obseruandum est, quod in concilio Mileuitano sancitur, ne preces, vel orationes dicantur, nisi in concilio fuerint approbatæ. Nam & Damasus Papa, & Gelasius, & Gregorius preces illas composuerunt. Nec licet orationẽ dirigere siue beatæ Virginis sit, siue Sanctorum, nisi ad solum Deum, à quo solo misericordia petenda est. Quamuis in oratione tanquam intercessoris fiat sancti memoria.

Collecta quid.

Dominus vobiscum.

Pax vobis.

Per Dom. nost. Iesum, &c.

Amen. Innocent.

Nota.

Posterior verò pars ait S. Tho. est in qua præmit-

titur

titur instructio fidelis populi, eò quod sacramentum hoc, vt in forma calicis habetur mysterium est fidei. Instructio autem dispositiuè fit per Prophetarum, Apostolorumque doctrinam, quæ per lectores & subdiaconos legitur: perfectè verò per fidem Christi quæ in Euangelio continetur. Quare pars hæc sex continet, tria quotidiana, & item festiua tria. Dicitur autem epistola, quia frequentius ex Paulo atque alijs Apostolis sumitur. Lectio autem hæc quasi præcursoris officium est: nam & lex vetus Euangelium præcessit, cuius typum Baptista gerebat, & pariter Christus Apostolos binos ante faciem suam misit, qui per epistolas eos præparabant, quibus annunciaturi erant Euangelium. Quocirca dum ambę lectiones fiunt, prius legitur prophetia quàm epistola, non propter dignitatem, sed propter antiquitatem.

Epistola.

Ait loco citato Hugo, Anacletum, qui sedit anno Domini centesimo, epistolas & Euangelia legi instituisse. Quæ n. posterius in missa dicuntur, prius fuerunt instituta. Imò verò vt Thomas Wal. tomo 5. de sacr. tit. 4. c. 32. ait, tempore Dionysij id fiebat. Ait n. c. 3. Eccleſiast. hierar. Deinceps igitur per ministros hagiographorum librorum lectio consequenter fit. Quin verò & ad Colossen. vlt. ait Paul. Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est Ecclesiam. Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt in Laodicensi Ecclesia legatur, & ea, quæ Laodicensium est, vobis legatur. Et extat canon Apostolorum. Omnes fideles. de consec. d. 1. vbi præcipitur omnibus fidelibus, vt conuenientes sacris solennitatibus ad Ecclesiam ecclesiasticas scripturas Apostolorum & Euangelium audiant.

Graduale siue responsorium.

Post epistolam canitur responsorium, quòd & Graduale dicitur, eo quod ad gradus altaris canebatur. Dicitur autem responsorium: quia ruminantes (vt Almaricus ait) quod lectum est recordantur, & recordando dulciter correspondent, quasi lectione proficientes, vt hic ait S. Th. & ideò ad gradus altaris tunc accedebãt, vt gradus suæ professionis designarent.

Cur trium linguarum vsus in Missa.

Atqui diebus festis quasi spe cælestis beatitudinis erecti, statim in laudem Dei prorumpunt, quod pneuma, hoc est, spiritualis iubilus dicitur, quam quidem communicationem Damasus Papa à Hierosolymis in Ecclesiam Romanam legitur induxisse, vt lib. 9. regist. epistola 8. author est Gregorius. Etenim sicut titulus crucis terna lingua scriptus fuit: ita & in missa aliqua sunt Græca, vt Kyrie eleison: & aliqua Hebraica, vt Alleluia, & Amen. Est n. Alleluia, vt ad Marcellam ait Hieronymus, idem quod Laudate Deum, duæ quippe sunt voces, Allelu, ia, quæ laudem propriam Dei, qualis in cælo fit designat, & ideo seruata est Latine.

Alleluia.

Ac denique quarto loco in festis solennissimis ab Alleluia proceditur ad Sequentias, quas, vt ait Hugo lib. citato, Abbas Notherus de sancto Gallo composuisse legitur, quas Nicolaus Papa ad missam cantari concessit. Licet nonnullas alij sancti, vt Gregor. & etiam S. Thom. adiecerint.

Alleluia quando non cantatur.

At verò in septuagesima, quo tempore exilium Adæ è paradiso, & Babylonicam captiuitatem commemoramus, Alleluia non canitur, sed vt est in Psal. 136. suspendimus organa nostra; nam vt captiui illi dicebant: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? sed loco Alleluia canitur tractus sicut in missis defunctorum: quasi alta prolixaque suspiria & lamenta trahendo, iuxta illud Psalmi 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Tractus.

Præmissa ergo Apostolica lectione, sequitur quinto Euangelium fidei, quod & Euangelium pacis dicitur. Quo ideo lecto sacerdos librum exosculatur. Transitur autem à sinistro altaris cornu, quo legis veteris imperfectio designatur, quæ animam non iustificabat, ad dextrum, vbi est perfectio fidei. Quare ibidem missale sistitur per totam oblationem. Præterquam quòd sacerdos à sinistro latere aptiùs legit. Mittitur verò à sacerdote diaconus, sicut à Christo delegati sunt Apostoli ad Euangelium promulgandum, præcedente cruce, cuius sanguine fuit nouum testamentum confirmatum: & accensis cereis, lumen fidei referentibus.

Euangeliũ.

Missio diaconi.

Institutio Euang.

Et est lectio Euangelij res antiquissima, quod Alexander, vt ibidem ait Hugo, legi iussit paulò post centesimum annum ab orbe redempto. Sed postea Anast. vt can. Apostolica. de consecrat. distinct. 1. habetur, iussit vt omnes illud stantes audirent, tanquam milites ad illud propugnandum attenti. Imò verò antiquitus, vt suprà diximus, canonibus Apostolorum iussum est Euangelium legi. Erant enim iam tunc, vt in eorum Actibus legitur, diaconi, quorum munus est Euangelium canere. Canturus ergo diaconus primum ait, Dominus vobiscum, tum quòd illa salutatione Pax vobis, Discipuli domos salutare iussi sunt, tum vt Spiritus sanctus se pectoribus populi insinuet ad percipiendam fidem. Quare respondetur: Et cum spiritu tuo. Deinde rhetorum more ad captandam benenolentiam proponit mysterij altitudinem, dicens, Initium, vel, Sequentia sancti Euangelij, &c. Respondetque populus, Gloria tibi Domine, quasi gratias de tanto nuncio agens. Et impressa in libro cruce, eadem se diaconus fronte munit, quæ est verecundiæ sedes, protestans, iuxta verbum Pauli, se non erubescere Euangelium: ac demum consignato ore ad pronunciandam fidem, & pectore ad percipiendam, audenter illud canit.

Sequentia S. Euãgelij.

Postremò denique præcipuis festis, quibus populus conuenit, Nicenum canitur symbolum, vbi quam fidem plebs in Euangelio implicitè audierat (nam fides, vt ait Paulus, ex auditu) explicitè confitetur: corde enim creditur ad iustitiam, vt idem ibidem ait Apostolus, ore autem confessio fit ad salutem. Et sic finitur pars prima missæ, qua populus præparatur & instruitur, quæ ideo dicitur illuminatio, & missa catechumenorum: nam illucusque, vt & Dionys. ait, c. 3. permittebantur catechumeni adesse, tunc autem foras mittebantur cantante diacono, vt supra diximus, Ite missa est, hoc est, recedite, quia missa, id est, oblatio incipitur, cui vobis interesse non licet. Vnde in Concil. Carthag. 4. can. Episcopus nullum. de consec. d. 1. præcipitur, vt Episcopus nullum ingredi prohibeat in Ecclesiam, & audire verbum Dei siue Gẽtilem, siue Iudæum, vsque ad missam catechumenorum.

Credo, sine fides symbolum. Rom. 10.

Pars 1. missa Cur missa Catechumenorum, & illuminatio dicitur.

Hinc ergo progreditur secunda pars principalis, quæ ad celebrationem sacrificij attinet. Et quia offertur vt sacrificium, & consecratur & sumitur vt sacramentum, pars hæc tribus concluditur membris. Quorum primum est oblatio, secundum consecratio, & tertium sumptio. Oblatio verò vno laudis cantu, quod quatuor orationibus peragitur. Canit n. chorus offertorium, quod, vt ait loco sæpe citato Hugo, Greg. cani instituit, & vti ait Remigius, offerenda dicitur, eo quod tunc subdiaconus diacono: diaconus verò sacerdoti, sed sacerdos Deo illam consecrandam offert. Quare & tunc congruit, vt populus sua munuscula offerat, vt Alex. 3. can. Omnis Christianus. de conſ. d. 1. hortatur, vt verbum illud Exod. 23. impleamus. Non apparebis in conspectu meo vacuus. Nonnulla antiquitus præcessit huius figura, 1. Paralip. 29. vbi dixit Dauid: Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc: & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Gaudium ergo illud significat cantus offertorij. Legitur n. eodem lib. quemadmodum Dauid instituerit, vt Leuitæ, cum offerrentur holocausta, laudes Domino canerent, clangerentque tubis, cymbalis, & psaltrijs.

Diuisio 2. partis.

Offertorium, & eius institutio.

Figura. 1 Par. 29.

1 Par. 15.

Ab offertorio verò sacerdos, vt ait Inno. eod. lib. c. 54. silentium tenere incipit, & collectas secretò secum proferre, memoriam appropinquantis passionis, quando iam, vt legitur Ioan. 20. Iesus non palàm ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum. Vel quemadmodum ait Wal. loco citato cap. 35. hoc est primum silentium, quo Christus in horto ab Apostolis semotus secretè orauit, dicens: Mi Pater, si possibile est, &c. Quare abusus quorundam est sic proferre, vt ministri audiant: nam & oratio ipsa ob id appellatur secreta.

Secreta.

Lecto ergo, vel cantato offertorio, sacerdos secretò materiam manibus tenens, illam offert patri dicens: Suscipe sancte Pater, &c. vbi meditari subinde debet iam inde personam referre Christi patri seipsum offerentis. Tametsi in persona propria loquatur, dicens: Quam tibi offero in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi. Mox ablutis manibus, & seipsum in spiritu humilitatis suscipi ab eodem æterno patre deprecatur. Respexit enim Deus ab Abel, deinde ad munera eius. Quare nisi persona Deo grata fuerit, oblatio, quatenus ab ipso dimanat, esse nequit accepta. Deinde ad populum versus precatur, vt vna secum orent acceptum fieri sacrificium. Quocirca licet ad præcedentia potius plebs attenta esse debeat quàm orare inter

Suscipe sancte Pater.

In spiritu humilitatis, &c.

Orate fratres pro me, &c.

secreta,

Digitized by Google

secreta, tamen congruit vt oret. Tandem ergo ad altare reuersus oratione secreta oblationem concludit. At qui oblationes istæ antiquissimæ sunt à tempore Dionysij, vt Wal. to. 5. de sacra. tit. 4. cap. 33. docet. Et Leo papa, vt ait Hugo loco citato cap. 11. orationem, Orate fratres, statuit dici.

Antiquitas.

Institutio.

Præfatio.

Secunda ergo particula huius tertiæ partis est præfatio, qua & se sacerdos ad consecrationem adornat, & populum ad diuinorum contemplationem exhortatur. Quam quidem præfationem ait ibidem Hugo Dionysium composuisse, sed Gelasium ex Græca in Romanam Ecclesiam inuexisse. Quapropter vt lib. citato Wal. c. 35. ait, erronea est quorundam opinio dicentium præfationem à Gelasio fuisse institutam, quod ex confessione ipsius Gelasij palam fit, can. Inuenimus. de conse. d. 1. vbi ait, Inuenimus nouem præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas. Imo hinc apertè colligitur neque eum fuisse primum, qui præfationem iusserit in missa cantari. Quod præterea inde confirmatur, quod lib. 8. ad Gratia. Ambrosius nonaginta annis antiquior Gelasio, atque alij patres eiusdem seculi de hoc gratiarum hymno meminerunt.

Eius institutio.

Sacerdos igitur silentium rumpens, secretam orationem alta voce concludit, dicens, Dominus vobiscum, quem adesse eis opus est, qui gratias sunt acturi: mox admonet sursum corda leuare, vt tanti mysterij celebrationi circunstantes non corpore tantùm, sed mente diuinitus suffulta assistant: terrena n. corda cælesti hoc sacramento non sunt digna. Atqui exhortatio hæc desumpta est ex illo Thren. 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. Vnde Cypria. papa, vt refertur de conse. d. 1. can. Quando. ait ista admonitione excitari populum, vt pectus contra aduersarium claudat, vt soli Deo pateat. Quare respondente choro se corda ad Dominum habere leuata: rursus sacerdos admonet gratias agere. Nam vt suprà diximus, Eucharistia idem est, quod gratiarum actio. Commonemur ergo gratias pro redemptione, quam hic nostram celebramus, Deo agere. Et ideo respondet chorus nomine populi, Dignum & iustum est: dignum scilicet quantum ad Deum attinet, ac proinde iustum quantum ad nostram obligationem. Quare iterum responsum confirmans sacerdos ait, Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere, per Christum Dominum nostrum, per quem maiestatem tuam laudant angeli, &c. nam etsi angelorum chori non fuerint per Christum redempti, gratias nihilominus Deo perpetuo cantant, quòd nos redemerit, vt eorum essemus societate digni, & eiusdem perpetuæ fœlicitatis consortes. Implentes ergo verbum illud Christi, Ego te clarificaui super terram, nunc clarifica me, &c. commemoramus maiestatem eius laudari ab omnibus angelorum ordinibus, qui, vt habetur Esa. 6. & Apo. 4. non cessant clamare quotidie Sanctus, sanctus, &c. Quare easdem nos vocis laudes cum illis concinentes intonamus, quibus profitemur Filium æqualē Patri, & Spiritum sanctum æqualem vtrique. Sed ad designandum earundem personarum vnitatem in essentia adijcimus, Dominus Deus Sabbaoth, j. virtutum & exercituum, quod est commune omnium. In cuius vtique laudem confitemur creatorem esse cæli & terræ dicentes, Pleni sunt cæli & terra gloria tua. Ac deinde in confessionem redemptionis Christum laudantes subnectimus, Benedictus qui venit, &c. Qua vtique voce intranti Domino Hierosolymam qui præcedebant & sequebantur acclamabant.

Sursum corda.

Gratias agam. &c.

Verè dignũ

Isan. 17.

Sanctus, sanctus, &c.

Dominus Deus Sabbaoth.

Benedictus qui venit, &c. Luc. 22.

Canon ab hæreticis oppugnatur.

Inde rursus sacerdos ad secundum redit silentium: nam vt legitur Mat. 26. ter in horto à discipulis auulsus secretò orauit. Et in secundo silentio quod Lucas refert, longè prolixius. Depudet verò impudentissimum Lutherum huc inducere in lib. illo infami de abroganda missa priuata, oblatrantem. Ait n. sacrum canonem esse delirum, compositumque ab aliquo verboso & parum spirituali homine: contra quem Clictho. lib. de officio missæ c. 17. bene loquitur: nisi quòd canonis compositionem non nisi vsque ad Gelasium & Leonem atque alios pontifices reducit. Cùm tamen certum sit ab ipsis vsque Apostolis originem duxisse. Hugo namque lib. 2. de sacra. par. 8. c. 14. vbi ait Petrum missam instituisse, subdit in initio fidei tres illas orationes canonis in vsu fuisse. Hanc igitur oblationem, cum subsequentibus, cætera verò postea diuersis temporibus a sanctis patribus fuisse adiecta. Vnde loco citato lib. de officijs Eccl. c. 11. ait Gregorium illico adiecisse, dieseque nostros in tua pace disponas. Et Leonem, Sanctum sacrificium & immaculatam hostiam. Nec dubium quin suprà citatus Iacobus & alij Apostoli missam celebrantes canonem, saltem pro magna parte, composuerint. Erant n. vt Act. 2. legitur, perseuerantes in oratione & in fractione panis. Vnde Walden. tit. 4. citato capit. 36. illud Pauli ad Timot. 2. Obsecro primum omnium, fieri obsecrationes & orationes & gratiarum actiones pro omnibus, &c. propter canonem missæ dictum putat. Quare optimè censet iam tunc compositum fuisse, licet summi pontifices nõnulla adiecerint. Superuacaneum est ergo in Lutherana blasphemia retundenda remorari. Vnde Inno. c. Cùm Marthæ. de cel. missa de canone loquens, multa, inquit, tam de verbis quam de factis dominicis inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppleuisse verbo, vel facto expressisse leguntur: Addit deinde consecratoria verba non esse in secreto proferenda, sed publicitus, vt omnes audiant. Hoc tamen est contra id, quod modò diximus: nempe, hic esse obseruandum secundum silentium: imò peior esset abusus altè canonem legere, quam collectas primi silentij. Ait enim sacer pater Dionysius circa initium libri de cælesti hierar. ad Timotheum, Tu autem, ô fili, iuxta quod sancit nostra pijssima traditio: quæ sanctè dicuntur sanctæ mentis recessibus conde, & à profana multitudine inuiolata custodi. Et circa finem libri Eccles. hierar. Efficientes, inquit, consecrationis preces fas non est scripto interpretari, neque ipsarum arcanum è secreto in publicum efferre. Nam & Num. 4. præcipiebatur Aarõn & filijs eius, vt soli ingredientes tabernaculum, vasa inuoluerent in sanctuario, ne publicarentur. Quin verò mysterium, vt in initio libri dicebamus, inde nomen habet, quòd etiam sacerdotes gentilium arcana Deorum pressis labijs custodiebant.

Canon ergo, qui tertia particula est secundæ partis, decem complectitur orationes, quarum quinque consecrationem antecedunt, & tot numero subsequuntur. Primùm enim clemens pater per Iesum Christum rogatur vt accepta habeat sacrificia, pro vnitate Ecclesiæ, & papa, & alijs proceribus, pro quibus offeruntur. Mox apud se sacerdos mentali oratione aliorum meminit viuentium, ad quos deinde oblationem extendit, & dicitur primum Memento. Dein tertiò, fit sanctorum memoria, quorum patrocinia imploramus, in quorumque consortium & communionem adunari petimus. Ac denique quarto concluditur supplicando, vt Deus oblationem placatus accipiat. Ac deinde quinto in accessu ad consecrationem petitur consecrationis effectus, scilicet vt benedicta materia fiat corpus & sanguis Iesu Christi. Quibus peractis perficitur consecratio per verba saluatoris: Qui pridie quàm pateretur, &c.

Canon.

Memento Domine famul. &c.

Qui pridie quam pateretur, &c.

Postmodùm vbi ait sacerdos: Vnde & memores, suam excusat præsumptionem: nam memor mysteriorũ humanitatis Christi audet diuinæ maiestati offerre, quæ de suis donis ac datis accepit. Quare secundo oblationem petit esse acceptam, vti acceptum habuit sacrificium Abel, atque aliorum patrum. Tertio ad sacrosanctam communionem accedens effectum sacramenti supplex precatur, quem scilicet sumentes percipiant. Et quarto deinde precatur vt idem pater omnipotens defunctorum etiam sit memor, qui licet sacramentum non suscipiant, participes tamen esse possunt sacrificij. Quinta vero oratio, Nobis quoque peccatoribus pro ipsis peculiariter sacerdotibus funditur, vt sanctis martyribus associari mereantur, per Christum Dominum nostrum. Per quem obsecratio concluditur: nempe vt per ipsum hæc omnia prouenianr, per quem hæc bona creantur, viuificantur, sanctificantur, &c. Atque hic est canonis finis, vbi secunda pars missæ finitur: quam si pro dignitate tractaremus, luculẽtis meditationibus esset locupletanda, à quibus ne ret scholasticæ lineam prætergrederemur, abstinuimus. Sunt autem præclari autores, vt Hugo, Innocen. Remigius, atque alij id muneris persequentes, quibus & Thomas V Valden. lib. 5. citato de sacra. meritò connumeratur.

Nobis quoque peccatoribus.

Tertia ergo pars, quæ ad sumptionem sacramenti pertinet, octo continet orationes, & communionis psalmum: quinque scilicet ante communionem, &

3. Pars missæ.

Digitized by Google

tres postea. Peracto namque canone, sacerdos secundum silentium interrumpit, postremam orationem alta voce concludēs. Per omnia secula seculorum. Vbi secundus regressus Christi ad dormientes discipulos designatur, exhortantis eos vt vigilarent. Præterea quia per orationem homo præparandus est ad tantum percipiendum sacramentum: & quia inter orationes fastigium tenet Euangelica hæc, quam Christus docuit, hæc primò cum omni reuerentia canitur. Quod autem ait loco citato cap. 11. Hugo. Gregorium instituisse Dominicam orationem cani in missa, Gregorius ipse epistola 8. supra citata libro 9. regestri, falsum ostendit, dicens Orationem Dominicam idcirco nos post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem oblationem consecrarent. Fuit ergo Apostolorum institutum. Vnde cum tremore non nisi præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, scilicet Christi iubentis nos sic orare, dicere audemus. Pater noster.

Paternoster.

Eius institutio.

Finita autem hac oratione sacerdos ad tertium silentium reuertitur, vt silentiorum numerum Christi in horto compleat. Quare secunda oratione, Libera nos, priuatim ab omnibus malis nos erui per hoc sacramentum expoſcit. Sed quia peculiariter, vt suprà diximus, ad remissionem peccatorum sacramentum hoc confert, adhibetur tertia eademque insignis deprecatio, vbi Christus, qui tanquam agnus per hoc sacramentum occisus refertur, rogatur vt quantum ad efficaciam tollat peccata mundi, quæ quantum ad sufficientiam in cruce sustulit. Et quia hoc sacramentum est vnitatis & pacis, tūc pax populo porrigitur: præterquam in missis defunctorum, quæ non pro pace præsenti quoniam non conuiuunt nobiscum, sed pro sempiterna requie qua ipsi fruuntur, celebrantur.

Tertium silentium.

Liberanos &c.

Agnus Dei.

Quartò in fractione hostiæ, de quo artic. sequenti dicemus, precatur sacerdos commistionem corporis & sanguinis fieri nobis in salutem mentis & corporis.

Quintò denique pro se deuotè precatur oratione illa, Domine Iesu Christe, qui adijciens, Corpus & sanguis Domini custodiat me in vitam æternam, sacrosanctum sacramentum sumit. Deinde si communicandum est populo, distribuit cantante choro communicandam. Ac demum post communionem adiecta oratione. Quod ore sumpsimus Domine, & collecta solenniter, missa concluditur per orationem tertiam. Placeat tibi Sancta Trinitas, &c. Illa enim communicanda est sicut exultatio gratiarum actionis similis hymno, quem vt Matthæi 26. refertur, Christus dixit.

1. Argu. S. Thom.

Arguit primò. S. Thom. hoc sacramentum verbis Christi, vt ait Ambros. consecratur: non ergo necesse est alia addere, præsertim cùm in Euangelio illa non sint, quæ in canone ponuntur, quòd oculos eleuauerit & dixerit, manducate ex hoc omnes. Item in alijs sacramentis non fit oratio pro viuis & defunctis: non ergo debet fieri in hoc. Respondetur autem, quòd quia in hoc sacramento requiritur maior præparatio, potissimum cum sit sacrificium, præter verba necessaria consecrationis adhibentur alia, quæ licet non sint Euangelio expressa, colliguntur tamen ex diuersis eius locis, vt ait Inno. cap. Cum Marthæ. de celebr. missa. Si enim Iesus in resuscitatione Lazari, vt habetur Ioan. 11. & in oratione pro discipulis, vt legitur Ioan. 17. oculos leuauit: certum sit id etiam in consecratione dixisse. Et cùm dixit, Accipite & comedite. idem est quod manducate: præsertim cùm illa verba non addantur tanquam de essentia formæ. Et quia dixit Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. propterea Ecclesia addit, omnes. Et quia Eucharistia est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, congruit vt peculiariter in illo oretur pro viuis & defunctis.

4. Argum.

Quartò arguitur. Baptismus specialiter dicitur sacramentum fidei: ergo illic potius quàm in isto fieri deberet instructio fidei.

5. Argu.

Quintò, cum in omnibus sacramentis requiratur deuotio, non est cur magis in isto quàm illis excitetur per diuinas laudes, & admonitionem, Sursum corda. Adde quod cum sacerdos sit proprius minister, is deberet omnia dicere sicut in cæteris sacramentis, & non chorus. Respondetur duplicem esse instructionem: aliam catechumenorum, & illa conuenit baptismo: atque aliam fidelium, qui in dies debent in fide proficere, & hæc competit huic sacramento: quanquam, vt suprà dictum est, etiam ad instructionem quæ fit in missa, admittantur & Gentiles & Iudæi, vt ca. Episcopus nullum. de conse. dist. 1.

Ad quintum respondetur, maiorem deuotionem exigi ad hoc sacramentum, quàm ad reliqua, propter continentiam veri corporis & sanguinis Christi, & in sacerdote, & in populo: quia est sacrificium, quod pro omnibus offertur. Vnde Cyprian. vt refertur de consec. d. 1. can. Quando. ait quòd sacerdos dicendo, Sursum corda, parat fratrum mentes, vt dum plebs respondet, Habemus ad Dominum, admoneatur non aliud se quā Deum cogitare debere.

Ad sextum respondetur, quòd quia hoc sacramentum est sacrificium totius Ecclesiæ, quod etiam populus suo etiam ordine offert, ideò chorus vicem populi gerens multa solus dicit, vt introitum, alia inchoante sacerdote prosequitur, vt Gloria, & symbolum, ad significandum, quòd talia ad populum reuelatione diuina peruenerunt. Alia verò dicuntur per ministros, vt Epistola & Euangelium: alia verò solus recitat sacerdos, quorum illa, quæ ad se & ad populum pertinent, publicè dicit, vt collectas, præfationem, & orationem dominicam. Et in his excitat populum ad deuotionem dicens, Dominus vobiscum. Alia autem, quæ ad eius solum munus pertinent, secretè solus dicit. Cuius causam præter illam superius allegatam, ex silentio Christi in horto addit S. Tho. quia circa Christi passionem discipuli non nisi occultè profitebantur Christum.

7. Argu.

Septimò arguitur. Cum in hoc sacramento diuina virtus per certitudinem operetur, superfluè petit sacerdos eiusmodi certitudinem dicens. Quam oblationem tu Deus in omnibus, &c. Ad septimum trifariam respondetur, primò quòd licet diuina virtus certissimè operetur, potest tamen impediri per intentionem sacerdotis, & ideò petitur vt intentio sit recta. Secundò id etiam quod certum est, non incongruit à Deo efflagitari: sicut Christus Ioa. 17. suam expoſcit clarificationem. Tertiò, quia sacerdos illic non tam petit consecrationem fieri, quàm fieri nobis fructuosam. Subdit enim vt nobis corpus & sanguis fiat, id est, ad nostram salutem, idque verbis præcedentibus insinuatur, vbi dicimus. Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, hoc est secundùm Augustinum, quòd refertur de consec. dist. 2. can. Vtrum. per quam benedicimur scilicet per gratiam: adscriptam, id est, per quam in cœlo adscribamur: ratam, id est, per quam de visceribus Christi esse censeamur: rationabilem, id est, per quam à bestiali sensu exuamur: acceptabilem, vt qui nobis ipsis displicemus, per hanc vnicam acceptabiles vnico filio simus. Applaudit huic expositioni Inno. lib. 3. mysteriorum missæ ca. 12. vbi ait antithesim, hoc est, contrapositionem hic fieri ad proditionem Iudæ. Illa enim Iudæ traditio fuit maledicta, proscripta, irrita, iniqua & detestabilis. Petimus ergo nos eandem passionem representantes, oblationem fieri nobis benedictam, hoc est, benedictionis causam, sicuti illi fuit maledictionis: & cum ille per illam Christi oblationem fuit deletus de libro vitæ, petimus nos per nostram eidem adscribi. Et Iudæ pœnitentia irrita illi fuit & desperationis causa: nos ergo petimus, vt quod pro peccatis offerimus, ratum sit Deo. Eius oblatio fuit irrationalis & bestialis, nos petimus vt rationalis fiat. Illa denique non fuit Deo accepta, imò propter illam cōdemnatus fuit in supplicium æternum: petimus nos ergo, vt sit nobis accepta in vitam æternam. Syncerius autem possumus dicere, quòd petimus hostiam benedictam esse, hoc est, verbis Christi consecratam, vt sit alluſio ad verbum inferius, benedixit ac fregit, & ad Abrahæ benedictionem Gen. 22. in semine tuo benedicentur omnes gentes, hoc est, in Christo per passionē, quæ per hoc sacramentum applicatur. Adscriptam, hoc est, in album relatam, quo fidelium munera Deus adscribit in satisfactionem pro peccatis. Ratam, ad differentiam non solum sacrificiorum idololatrarum, quæ semper fuerunt irrita & cassa, verum & oblationum vetustæ legis, quæ iam aboleuerunt, & ingratæ sunt Deo. Rationabilem, iuxta verbum Pau. ad Ro. 13. Rationabile obsequium vestrum: nam licet hostia hæc supra rationem naturalem sit instituta, est tamen rationi diuinæ legis consentanea, qua subinde ratione fit Deo acceptabilis.

Benedictam, adscriptam, ratam, &c.

Innocent.

Octauò

Digitized by Google

1. Argu. Octauò arguitur. Hoc sacrificium excellentius fuit quàm antiquorum Patrum, ergo sacerdos incongruè petit, vt habeatur sicut sacrificium Abel, Abrahæ & Melchisedech.

2. Argu. Ac demum nono. Corpus Christi, vt non incipit esse in sacramento per loci mutationem, ita nec esse desinit: indecenter ergo sacerdos petit hoc perferri per manus sancti Angeli in sublime altare Dei.

Solutio octaui. Ad octauum respondetur, quod licet hoc sacramentum ex seipso antiquis præferatur sacrificijs, tamen sacrificia illa propter offerentium deuotionem fuerunt Deo acceptissima, & ideò petit sacerdos, vt sua populique deuotio sit sicut illi, accepta.

Dilutio nonæ. Ad nonum respondetur, quod sacerdos non petit, quod species sacramentales deferantur in cælum, aut Corpus Christi, quod in cœlo nunquam esse definit, sed petit hoc pro corpore mystico, vt scilicet, orationes sacerdotis & populi Angelus diuinis ministerijs assistens Deo repræsentet, secundum illud Apocalyp. 8. Ascendit fumus incensorum de oblationibus sanctorum de manu Angeli. Sublime autem altare Dei dicitur vel Ecclesia triumphans, in quam transferri poscimus, vel ipse Deus, cuius participationem efflagitamus. De hoc enim altari dicitur Exodi 20. Non ascendes ad altare meum per gradus, id est, in Trinitate gradus non distingues. Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui vt habetur Esaiæ 9. est magni consilij Angelus: ipse enim corpus suum mysticum Deo Patri, ac perinde Ecclesiæ triumphanti coniungit. Et propter hoc, ait sanct. Thom. missa nominatur: quia per Angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem. Interpretatio est Hugonis, quam artic. 1. citauimus, vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo, vnde in fine diebus festis diaconus copiam faciens populo abeundi dicit: Ite missa est, id est, hostia missa est ad Deum. Nos autè iam suprà diximus, quod nomen ipsum missa, idem est quod hostia.

Hugo.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea quæ in celebratione huius sacramenti aguntur, sint conuenienter.

Conclusio. Sextvm, quod suprà diximus ad celebrationem missæ requiri, consistit in quarundam rerum adhibitione, de quibus statuitur conclusio. Omnia illic congruenter peragi. Probatur ex Ecclesiæ more, quæ cùm Spiritu sancto regatur, errare nequit. Et confirmatur ratione, quia cum sacramentum sit signum, eius significatio rebus & verbis perficitur: vt baptismus ablutione & forma; cum ergo hoc sacramentum passionem Christi significet, & præterea corpus mysticum, vtrumque rebus & verbis significatur. Accedit quòd & vsus sacramenti deuotionem & reuerentiam exigit, quæ etiam & verba & res expostulat. Omnia ergo quæ hic aguntur & dicuntur, ad aliquod istorum trium pertinent.

1. Argum. Duodecim ergo sunt cæremoniæ, de quibus sanct. Thom. duodecim argumentis edisserit. Prima est ablutio manuum: secunda thurificatio, quæ videntur ad Iudaismum respicere. Ideo arguit primo loco. In nouo testamento non sunt cæremoniæ veteris obseruandæ: illic autem sacerdos & ministri ante oblationem aqua lauabantur, vt legitur Exodi 30. Lauabunt Aaron & filij eius manus suas ac pedes quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare: ibidemque Aaron iubebatur, vt adoleret incensum suaue fragrans ante altare quod erat ante propitiatorium, vt Leuitici 1. legitur: non ergo ea nobis facere congruit.

Ad 1. De lotione manuum. Ad primum respondetur, Ecclesiam non seruare has cæremonias tanquam in lege veteri præceptas, sed tanquam per se, tum ad reuerentiam sacramenti pertinentes: quia pretiosissimum sacramentum illotis manibus tractare indecens esset; tum & propter significationem: nam vt Dionysius 3. cap. Ecclesiast. Hierar. ait, extremitatum ablutio significat emundationem vsque ad minima peccata, secundum illud Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. Talis verò emundatio ad tantum sacramentum exigitur. Quare propter eadem venialia præmittitur generalis confessio. Atque hoc idem ablutio illa in lege veteri significabat, scilicet omnimodam munditiem, quam tamen ablutio illa non efficiebat. Ablutionem verò pedum tolus Christus fecit quam Ecclesia prætermisit. Nam per ablutionem manuum, quæ vt 3. de anima ait Aristot. organum sunt organorum, satis mundicies corporum designatur. Et ideo sacerdos inter lauandum versiculum Psalmi profert: Lauabo inter innocentes manus meas. Ad secundum pariter respondetur, nec thurificationem tanquam veterem cæremoniam obseruari, sed tanquam Ecclesiæ institutum congruens primum sacramenti reuerentiæ, vt scilicet per suauem fumum si quid praui odoris corporalis adest, loco illo depellatur, ne aliquem possit prouocare horrorem. Qua vtique de causa, vt illic Dionysius ait, sacerdos ante psalmum introitus à thurificatione totius loci rem inchoat. Secundò ad repræsentandum effectum totius gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit, secundum illud Genes. 17. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni: & à Christo in corpus mysticum ministrorum officio deriuatur secundum illud 2. Corinth. 2. Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco: & & ideo thurificato altari, per quod Christus significatur, thurificatur ex ordine fideles. Accedit & tertia causa art. proximo notata ex Apocal. cap. 3. Nam ascensus fumi aromatum ascensionem significat orationum Sanctorum vsque ad Deum.

Ad 2. Thurificationis significationes. 1. 2. 3.

3. & 4. arg. Tertia cæremonia est crucesignatio, de qua arguitur tertio & quarto loco. Ea siquidem quæ in sacramentis Ecclesiæ aguntur, non sunt iteranda: incongruè igitur sacerdos multoties crucesignationes super hoc sacramentum iterat. Adde quartò, quòd, vt Apost. ad Hebr. 7. ait, Sine vlla contradictione quod minus est à maiore benedicitur: cùm ergo Christus in sacramento existens largissimè sit sacerdote maior, indecenter hostiam consecratam sacerdos benedicit.

Solutio 3. De 9. Crucesignationib. Ad tertium respondetur, quod crucesignatione sacerdos vtitur ad commemorandam passionem Christi, quæ in cruce peracta est. Fiunt autem crucesignationes nouem: habuit namque passio Christi gradus tres. Prima enim fuit traditio, quæ à Deo facta est, & à Iuda, & à Iudæis, quod significat trina illa crucesignatio ante consecrationem per verba illa, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Huic expositioni alludit Inno. li. 3. myster. missæ ca. 3. vbi ait, quod dicuntur dona, quatenus Deus ea nobis per Christum donauit: munera verò, quatenus Iudas pro munere eum tradidit: sacrificia, eo quod Iudæi eum cruci obtulerunt. Sed fortasse melius Hugo lib. citato de Officijs Ecclesiasticis capit. 24. cum Isidoro ait, dici dona, quia à Deo nobis donantur, iuxta illud Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est. Munera verò, ob id quod à nobis ei vicissim offeruntur: nam maior donat minori, minor verò munera offert maiori, iuxta illud Genes. 4. Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Etenim vt 1. Paral. vlt. legitur, De his quæ de manu Domini accepimus, reddimus ei. Sacrificia denique illibata, hoc est, non contaminata, dicuntur ad differentiam sacrificiorum, quæ idololatræ suis Deorum monstris litant. Hoc namque sacrificium, quo Christum Deo patri offerimus, purissimum est, & vndequaque sanctissimum, hoc est, Deo dedicatissimum & acceptissimum. Sed dicuntur pluraliter sacrificia, propter varias species corporis & sanguinis.

1. Et eius expositio. Hugonis expositio præfertur. Cur sacrificia numero plurali.

Sed obiter hic est notandum, cruces istas sic super calicem & hostiam esse signandas, ac si crux super illas materialis iaceret, vel deliniaretur, vt protensum brachium cum duobus digitis per lineam rectam contrahatur versus pectus, & postea transuersa manu à sinistra versus dexteram aliam ducat rectam lineam. Non enim est signatio sacerdotis, sed materiæ.

2. Crucesignatio. Secundò subsecuta est Christi venditio, fuit autem venditus ab Scribis, Sacerdotibus, & Pharisæis, ad quod designandum fit iterum & alia trina crucesignatio cum illis verbis, Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, quæ arti. præcedenti exposita sunt. Additur & crux bina super illa verba, corpus & sanguis fiat, vt ait S. Thom. ad significandam personam proditoris Iudæ & traditi Christi. Sed forsan non est aliud mysterium, quàm quòd verba non sunt, nisi duo.

Tertia. Tertiò, inquit, fuit facta præsignatio passionis in cœna. Ad quod designandum adhibentur duæ cruces, vna in consecratione corporis, atque altera in consecratione calicis.

Digitized by Google

Quarta. Quartò denique poſt conſecrationem deſignatur paſſio Chriſti in re: vnde in memoriam plagarum quinq; fiunt cruceſignationes ſuper hoſtiam ſanctam, &c. Etenim, vt ante conſecrationem petitur, vt materia fiat benedicta, adſcripta & rata, ſic & conſecrata hoſtia, nempe Chriſtus, offertur tanquam hoſtia pura, ad differentiam ſacrificiorum gentium, quæ impura erant, & corrupta: ſancta, ad differentiam oblationum veteris legis, quæ non erant eatenus ſanctæ, vt animam ſanctificarent, ſicuti hæc noſtra quæ tollit peccata mundi. Et ideo ſubditur, immaculatam: ob id enim quod Chriſtus agnus fuit innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod eſt homines ſanctificare. Eſt ergo hoſtia pura & purificans, ſancta & ſanctificans, immaculata & maculas tergens. Quòd verò demum adiungitur, Panem vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ, definitio & explicatio eſt eiuſdem hoſtiæ. Vt enim ſacerdotes veteris legis de ſacrificijs edebant, quibus vitam temporalem ſuſtentabant, ſic & Chriſtiani eſu & potu ſacroſancti ſacrificij ſpiritualem atque adeò ſempiternam ſalutem ſibi comparant.

Quinta. Quintò repræſentatur extenſio corporis, effuſio ſanguinis, & fructus paſſionis per trinam cruceſignationem cum illis verbis, Corpus & ſanguinem ſumpſerimus omni benedictione, &c. fructus namque, quibus ſumentes corpus & ſanguinem potiuntur, ſunt benedictio & ros gratiæ cæleſtis, quibus replentur & acceptantur ad gloriam.

Sexta. Sextò repræſentatur triplex oratio, quam fecit in cruce, vnam pro perſecutoribus, cum dixit: Pater, ignoſce illis: ſecundam pro liberatione à morte, cum dixit: Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? tertia quæ pertinet ad redemptionem gloriæ, cum dixit: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et ad hæc ſignificandum triplex fit cruceſignatio per illa verba, ſanctificas, viuificas, benedicis, & præſtas nobis. Per Chriſtum enim Deus & noſtra ſacrificia ſemper ſanctificat, hoc eſt, ſancta facit, & viuificat, quia hoſtia eſt viua vitam ſumentibus præſtans, ſiquidem per ipſam incorporamur Chriſto.

Septima. Septimò repræſentantur tres horæ, quibus pependit in cruce: ſcilicet, à ſexta vſque ad nonam, quas quidem ſignificat alia trina cruceſignatio ſuper illa verba, per ipſum, cum ipſo, & in ipſo. Et licet iſtæ tres cruces ſecundùm vſum Romanæ Eccleſiæ, vt ait Alexand. quarta part. quæſtione trigeſima ſeptima membr. 3. articul. 3. non fiant niſi ad labium calicis, ipſum tangendo: in alijs verò prima fit eleuatior ſupra calicem, ſecunda verò tangendo labia calicis, & tertia intra calicem. Quibus, inquit Alexander, ſignificatur diuturnitas, acerbitas & integritas paſſionis. Sed profecto neſcio cur crux diuturnitatis fiat altior quàm aliæ. Myſterium ergo nullum, vt conijcio, eſt aliud, quàm quòd cum calix illic ſignificet crucem, prima crux ſuper calicem ſignificat eleuationem Chriſti in crucem: ſecunda, qua tanguntur labia calicis, quòd eidem fuerit cruci affixus: & tertia intra calicem, quòd fuerit verè mortuus & ſepultus.

Octaua. Octauò, inquit S. Thom. per duas cruces, quæ fiunt extra calicem, ſignificatur ſeparatio animæ à corpore. At verò ſi per tertiam in calice fuit ſignificata mors, duæ exteriores nihil circa Chriſtum ſignificant, ſed quia fiunt in inuocatione Patris & Spiritus ſancti, qui non ſunt paſſi in cruce, fiunt extra calicem. Eſt enim ſic connectenda oratio. Per ipſum, ſcilicet Chriſtum, per quem tanquam per ſapientiam cuncta creaſti, & per quem filium nos redemiſti, eſt tibi honor & gloria: nam ſi mundum non creares & redimeres, nulla tibi gloria ab hominibus proueniret. Idem autem honor & gloria eſt tibi cum ipſo; nam ipſe ait: Omnia tua mea ſunt. Quicquid enim pater poſſidet, filius poſſidet: idemque honor & gloria eſt tibi in filio, iuxta illud: *Matth. 17.* Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Itaque quicquid Deus facit, facit per filium, & poſſidet cum filio, & conſummat in filio.

Nona. Nonò demum repræſentatur reſurrectio tertia die facta, quæ ſignificatur per tres alias cruces, quæ fiunt ad, Pax Domini, quæ quidem pax per eius mortem & reſurrectionem nobis obuenit. Breuius autem, inquit ſanctus Thomas, hæc omnia ſic exponere poſſumus, quòd cum virtute paſſionis, quam paſſus eſt Chriſtus in cruce, conſecratio ſacramenti fiat, & acceptatio à patre, & fructus à nobis percipiatur, vbicunque fit mentio de conſecratione, aut acceptatione, aut fructu, fiunt illæ tres cruces. Collige ergo, quòd licet in genere nouem diſtinguantur cruceſignationes, tamen in particulari fiunt numero viginti nouem: octo ſcilicet ante conſecrationem, quæ ſignificant paſſionem, non in re, ſed præmeditatam. Et duæ in conſecratione, ac tandem poſt conſecrationem, qua ſignificatur paſſio iam Chriſti in cruce, decem & nouem.

Quarti ſolut. Hinc ſequitur ſolutio quarti argumenti: videlicet, quòd ſacerdos non conſignat corpus & ſanguinem poſt conſecrationem ad benedicendum ipſum, vel conſecrandum tanquam maior minorem, ſed ad commemorandum virtutem & modum paſſionis Chriſti.

Quintum & ſextum arg. Quarta cæremonia eſt manuum apertio & eleuatio, & corporis inclinatio. Et quinta verſio ſacerdotis ad populum. Et ideò arguitur quintò & ſexto. In ſacramento nihil fieri debet, quod ridiculum videatur: videntur autem ludicræ geſticulationes, dum ſacerdos brachia extendit, manus coniungit, digitos complicat, ſe ipſum inclinat, & ſe ad populum vertit: ergo illa non condecent. Reſpondetur, illa non eſſe ludibrio habenda, eo quod cauſa ſignificationis adhibentur. Dum enim ſacerdos poſt conſecrationem brachia extendit, Chriſtum crucifixum refert. Leuat autem quandoque ad orandum, quo ſignificatur affectus orationem in Deum dirigendi pro populo, ſecundùm illud Threnorum 3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum noſtrum in cœlos. Et Exodi 17. legitur, quod cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael. Quod autem manus quandoque iungat, & ſe inclinet, habitus eſt ſuppliciter orantis, deſignatque præterea Chriſti humilitatem, qui factus eſt obediens vſque ad mortem crucis. Sed digitos etiam complicat, vt pollicem cum indice, quibus corpus conſecratum tetigerat: vt ſi qua particula illis adhæſerat, non diſpergatur. Id quod ad reuerentiam pertinet ſacramenti.

De manuũ coniunctione & brachiorum eleuatione.

Diſconuenientia in his cæremonijs. Hic ergo non eſt ſilentio prætereundum multorum diſſidium non ſolum inter ſeculares ſacerdotes & regulares, verum & inter religioſos eiuſdem ordinis: vnuſquiſque enim ſuum ſequitur modum. Aliqui namque introitum manibus iunctis dicunt: & pariter, Te igitur. Alij verò eiſdem apertis: inde decepti, quòd ordinarium non poteſt cuncta vſque ad minimum explicare. Notandum eſt ergo vt hæc litera Sancti Thomæ colligitur, quòd cùm oratio & Pſalmodia ad Deum per noſtram humilitatem dirigatur, ad vtrumque orantes debent habere reſpectum: ſcilicet & ad Deum, ad quem oratio dirigitur, & ad humilitatem, & miſerias noſtras quas ei proponimus. Atqui manuum iunctura & inclinatio corporis habitus eſt, & compoſitio humiliantis ſe coram Deo: quemadmodum viginti illi quatuor ſeniores, qui Apocal. 4. dicuntur adorare Deum, ante eius thronum procidebant, atque alia animalia, quæ Ezechiel. 1. referuntur, duabus alis velabant faciem. Sed expanſio & eleuatio manuum affectum ſignificat aperientis pectus, eleuantiſque mentem in Deum.

Obiectio. Hinc ergo regula colligitur, quòd communis modus orandi debet eſſe clauſis manibus, vt nos proſtratos coram Deo oſtendamus, niſi vbi peculiariter eleuatio mentis eſt ſignificanda, quod fit in miſſa quotieſcunque ſacerdos proprio fungens munere collectas atque alias orationes ad Deum dirigit. Igitur dum pſalmus introitus canitur, vel à ſacerdote recitatur, manus debet habere clauſas: quia illa non eſt oratio vſque ad finem Kyrie eleiſon, ſed eſt actio communis ſacerdoti & populo. Argumentum veto, quod quidam in contrarium faciunt, quod ordinarium non iubet, vt poſtquam munijt ſe ſigno crucis, manus claudat, nullum eſt: quia non opus erat id admonere: nam cùm ad orationes iubeat manus expandere, tanquam notum relinquit, quod ad Pſalmos debet eſſe ſacerdos modo communi. Quare dum poſtea ad initium Gloriæ iubetur manus deponere ſuper altare, non eſt indicium quod illucuſq; habebat illas apertas: alioqui deberet à cornu altaris vſque ad medium venire apertis manibus, quod eſt indecens. Imo vero cùm iubetur dum dicit, Deo, manus iungere, inſinuatur quòd illas iungat quemadmodum habebat antequam Gloriam inciperet, & ſic iunctis manibus proſequi debet Gloria, quia non eſt oratio, ſed ad Dominus vobiſcum, iterum iubetur manus

aperire

Digitized by Google

aperire ad pandenda viscera sua populo, ac deinde iungere, quasi populum amplexans, & rursus ad collectam aperire: quia est oratio non chori, sed propria sacerdotis, qua mentem in Deum eleuat. Pari modo dum dicitur Euangelium, tam sacerdos, quàm diaconus debet habere iunctas manus, neque ordinarium opus habuit illud præcipere: quia cùm non sit oratio, debet esse sacerdos tanquam ad psalmodiam iunctis manibus: & eadem ratione dum offertorium dicit. Et à contrario sensu neque admonitu opus fuit, vt ad collectas secretas manus extenderet, quæ citra dubium extendendæ sunt: nam quod in prima collecta dixit, constitutissimum reliquit pro omnibus alijs collectis subsequentibus.

Ad Præfationem. Ad Præfationem vero, quia non est omnino oratio, præcipiendum fuit, vt manus eleuarentur apertæ, eo quod sit gratiarum actio, & proloquium ad canonem, vbi summa eleuatio mentis requiritur, vt verbum, Sursum corda, adhortatur. Sed ad Sanctus, sanctus, iubetur sacerdos manus claudere, ad repræsentandum illos viginti quatuor seniores, qui, vt habetur Apocalyp. 4. cùm dicebant Sanctus, procidebant ante thronum Dei. Vnde filialis timor iunctura illâ manuum designatur. At quoniam illic ordinarium non præcipit, vt iterum manus aperiantur, sunt qui quemadmodum Gloria, ita totum canonem coniunctis manibus perlegant. Sed re vera abusus est, nam totus stilus canonis habet precationis & orationis modum, sicut collecta, Te igitur clementissime Pater, supplices rogamus ac petimus: & sic totus per modum petitionis procedit: quare licet propter humiliationem corporis, quæ in initio fit, olaudantur tunc manus, tamen erigens se sacerdos aperire eas debet, vt canon apertis legatur, sicuti oratio Dominica, quamuis neque illic talis admonitio fiat. Præterquam quòd sic aptiùs potest sacerdos ad librum respicere.

Ad sextum denique respondetur, quòd quinquies se sacerdos vertit ad populum, quo significatur toties Christum post resurrectionem apparuisse, vt suprà quæst. 53. visum est. Salutat autem septies populum, vt iam supra diximus, quinquies conuertendo se ad ipsum, & bis sine conuersione, vt in Præfatione, & Agnus Dei. Episcopum autem suprà diximus prima vice dicere, Pax vobis.

Sexta cæremonia est fractio hostiæ in tres particulas: de qua cæremonia tria adhibentur argumenta. *7. Argo.* Arguitur ergo septimò. Apostolus 1. Cor. 1. inconueniens existimat quòd Christus fuerit diuisus: est autem in sacramento post consecrationem, ergo non est diuidendus.

8. Argu. Octauò ea quæ in hoc sacramento aguntur passionem Christi repræsentant, sed in passione Christi corpus fuit diuisum in locis quinque vulnerum: ergo in tot partes est diuidendum.

9. Argu. Nonò. Totum corpus in hoc sacramento seorsum consecratur à sanguine: ergo incongruè vna particula miscetur sanguini.

Hostiæ diuisio quid significet. Ad septimum respondetur, illam hostiæ fractionem tria significare, primo quidem diuisionem corporis Christi, quæ lancea & clauis facta est in cruce, iuxta illud canonis, Dum frangitur. de consecrat. distinct. 2. Dum frangitur hostia, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio designatur? Secundò distinctionem corporis mystici secundum diuersos status, scilicet militantium in hoc seculo, & in purgatorio expectantium, & in cœlo triumphantium: nam ad omnes fructus redemptionis eius promanauit. Quapropter quia militantes in purgatorio expectantes semper sunt in miseria, bis dicimus, Agnus Dei miserere nobis. Sed quia triumphantes iam fruuntur pace, ad quam nos anhelamus, tertiò addimus, Dona nobis pacem. Et militantium status designauit Christus viuens in hoc seculo: expectantium vero in purgatorio, descendens ad inferos: sed triumphantium dum resurrexit. Satis ergo est quod hæc trifida diuisio significet diuisionem Christi in latere, manibus, & in pedibus. Et sic soluitur octauum argumentum.

Partium diuisarum significatio. Sed de significatione singularum partium non est concors omnium expositio. Gelasius namque can. Triforme. de consecrat. dist. 2. ait partem missam in calicem significare Christum resurgentem, atque adeo beatam Virginem, & alios si qui sunt in corpore & anima in cælo: illi sunt iam quasi immersi in sanguine redemptionis atque ipso inebriati, iuxta illud Cantic. 5. Inebriamini charissimi. Pars vero comesta significat Christum ambulantem super terram, atque adeo militantes in hoc seculo, eo quod sacramento pascuntur. Diuisa enim hostia per medium, olim sola medietas sumebatur statim à sacerdote, & alterius medietatis vna pars mittebatur in calicem, atque altera seruabatur in corporali vsque in finem missæ, & illa, inquit Gelasius, significat Christum descendentem ad inferos, atque adeo corpora quæ iacent in sepulchris. At vero propter periculum cessauit ille vsus, & ambæ simul sumuntur. Secundùm hanc interpretationem hostia diuiditur in duas partes, quarum vna significat viuos, altera defunctos, quæ quidem subdiuiditur in beatos secundum corpus & animam, & sepultos. Vnde versus. *Versiculi.* Hostia diuiditur in partes, tincta beatos, Plenè sicca notat viuos, seruata sepultos. Et secundum alios, existentes in purgatorio, qui certò expectant gloriam. Alij dicunt, quod diuiditur in duo: scilicet in beatos & nondum plenè beatos. Et hæc secunda diuiditur in duas, vt quę mittitur in calicem significet viuentes in hoc mundo, eo quod potantur calice, & reficiuntur sacramento. Seruata vero significat beatos, qui immunes sunt ab omni fractione & miseria.

Et per hoc respondetur ad nonum, quod calix potest significare aut passionem Christi, quæ repræsentatur in hoc sacramento, & secundum hoc per partem in calicem missam significantur viuentes in hoc seculo, qui adhuc sunt participes corporis & sanguinis Christi: aut significat beatitudinem, quæ etiam in hoc sacramento figuratur. Et secundum hoc pars in calicem missa significat eos, qui perfecta fœlicitate perfruuntur. Addit tamen S. Thom. quod pars illa in calicem missa non debet populo dari in supplementum communionis sub vtraque specie: quia panem tinctum Christus soli Iudæ proditori porrexit. Neque panis ille, vt supra diximus, † erat consecratus. *Solutio noni.* *† dist. 12. q. 2. a. 2. 10. Argu.*

Septima cæremonia est lotio calicis, ideò arguitur decimò. Hostiæ consecratæ non additur alius cibus: ergo nec post sumptionem sanguinis sumendum est aliud vinum. Sed negatur consequentia: quia sumitur ad abluendum & calicem & os, ne aliquæ reliquiæ illic remaneat. Vnde extra de celebr. miss. ca. Ex parte. admonetur, quod semper sacerdos vino os perfundere debet, postquàm totum percepit Eucharistiæ sacramentum, nisi cùm eadem die aliam missam debuerit celebrare: ne si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret. Et eadem ratione digiti, quibus hostia tangitur, vino abluuntur, quod est magis absterssiuum quàm aqua. *De ablutione.*

11. Argum. Contra octauam cæremoniam arguitur vndecimò. Veritas debet respondere figuræ: sed de agno paschali & manna, quæ erant figura huius sacramenti, iubebatur vt nihil seruaretur in crastinum: ergo nec debet aliquid seruari huius sacramenti. Respondetur. Satis esse quantum ad hoc veritatem respondere figuræ, vt de hostia consecrata quam sacerdos, ministri & populus sumpturi sunt nihil remaneant. Vnde Clemens can. Tribus. de cons. dist. 2. Tanta, inquit, in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore & tremore clericorum & diligentia consumantur. Attamen quia hoc sacramentum quotidie sumendum est, agnus verò non nisi semel in anno, necesse est hostias consecratas pro infirmis conseruare, vt ead. dist. can. Presbyter. cautum est. *Clemens.*

12. Argu. Nona denique cæremonia est, vt sacerdos solitarius missas non celebret. Vnde arguitur duodecimo. Sacerdos pluraliter loquitur audientibus, dum ait, Dominus vobiscum, &, Gratias agamus: non ergo decet, vt cum vno tantum ministro celebret. Respondetur, quod dum solenniter missa celebratur, plures debent adesse, vt Soter Papa, can. Hoc quoque. de consec. dist. 1. iubet, dicens, vt nullus presbyterorum missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus propter rationem modo factam. Sed tamen in missis priuatis vnum sufficit habere ministrum, qui gerit vicem totius populi catholici. Et ita habet vsus. Dummodo non sit fœmina, quod in concilio Maguntin. c. Inhibendum. de cohabi. cleric. & mulie. prohibitum est. Imo forsan neque ob vllam necessitatem illud auderem citra dispensationem permittere propter indecentiam. Et citius auderem egomet mihi respondere & ministrare, quàm fœminam ad id muneris admittere. *De ministro* *De fœmina non admittenda administrandum.*

Digitized by Google

An solus sacerdos possit celebrare.

Vtrum verò si quis esset solus inclusus eremita, posset absque ministro celebrare, glossa prædicti canonis affirmat, & consentit Paludanus præsenti d. q. 2. Attamen non probant, nisi per simile (vt glossæ illæ solent) dissimile: videlicet, quia licet soli sacerdoti infirmum vngere. Sed tamen non est firma collectio à sacramento extremæ vnctionis ad sacrificium missæ. Quare nisi vrgens esset necessitas, vt in festo, quando sacerdos missam audire nequit, nisi ipse solus celebret, nullatenus licet, imò forlan, nisi magnum esset festum, consultius esset non celebrare. At quia hæc sunt de iure positiuo, citra dubium posset eremita celebrare solus cum dispensatione. De alijs cæremonijs: nempe de vestibus, lumine, & alijs S. Tho. non loquitur, sed satis nos suprà diximus.

Quæstio de eleuat. calicis.

Aliam hic cæremoniam videtur D. Th. prætermisisse, de eleuatione calicis, vtrùm opertus eleuari debeat, an discoopertus. Sunt enim qui statum huius litis illic collocent, vtrùm Christus in crucem femora contectus fuerit eleuatus, an discoopertus: vt si fuit ille coopertus, sit calix similiter eleuandus; si non, minimè. Ego verò nequaquam in hoc crediderim litem consistere. Certò enim cum Abulensi in quinto paradoxo crediderim fuisse succinctum crucifixum. Ius enim naturæ & gentium non fert, vt homines, qui vltimo supplicio plectuntur, illo dedecore dehonestetur, cum natura partes illas obtegi admoneat. Et quando id propter reos ipsos non obseruaretur, fit autem propter aspectum & pudorem circunstantium. Præsertim cum redemptor noster propter suam honestissimam modestiam in tanta esset habitus reuerentia, vt quando carnifices tam essent impudentes, viri tamen pij & mulieres quæ illic aderant, honori eius consultum curarent. Quin verò Dominus ipse per suam prouidentiam sibi de hac re prospiceret.

Calicis eleuatio non ita antiqua est.

Quod ergo ad eleuationem calicis attinet, veritas est, quòd mos ipsum eleuandi non est antiquus. Quare apud neminem eorum qui de cæremonijs missæ scripserunt, mentio eius habetur. Vnde omnium antiquorum nuperrimus Alexander de eleuatione tantùm corporis loquitur. Et ratio erat, quia cùm in hostia corpus & sanguis existat, & in eleuatione calicis nonnihil periculi crearetur, satis patres ducebant corpus adorandum eleuare. Et ideò fortasse tempore S. Thom. mos ille nondum inceperat, ob idque illum subticuit. Imò verò apud Carthusienses non eleuatur, neque in ordinario nostro, quod inde sumptum est, præcipitur nobis, vt eleuemus: quin & complures sunt religionum ordines, in quibus nō præcipitur eleuari. Sed ne ab Ecclesijs secularium dissideant, illum eleuant.

Filiola.

Secundò notandum est, quòd illa parua quadra linea qua calix cooperitur, non solùm non est antiqua, verùm neque est de essentia ornamentorum altaris, neque apud quempiam, qui hac de re scripserunt, mentio reperitur, sed tantùm fit mentio de corporali, quod tam latum esse deberet, vt ipso cooperiretur calix, vt nos facimus. Nam vsus patenæ non est alius, quàm vt in ipsa superposita calici offeratur hostia. Vnde Hugo lib. 2. de officijs c. 38. corporali, inquit, palla tegitur calix. Igitur vbi mos cœpit eleuandi calicem: quia non erat illa quadra, qua posset coopertus eleuari, eleuari cœpit discoopertus. Qui quidem mos in tota Ecclesia seruabatur, cuius documentum est, quòd in capella pontificis non eleuatur nisi discoopertus, & in quàmplurimis Ecclesijs Italiæ, Germaniæ, & Angliæ. In quibus, vt ego vidi, non est illa quadra linea, quam Hispani appellant filiolam, sed quædam tabella serica ad cooperiendum calicem, dum est in altari, non autem ad ipsum eleuandum. Hæc adnotaui, ne quis arbitretur, singulare esse ordini nostro calicem discoopertum eleuare.

Vsus patenæ Hugo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiæ seruando.

Conclusio.

DE defectibus tandem contingere solitis quæritur, vtrùm possit illis occurri. Apparet enim Ecclesiam pugnantia præcepta de celebratione missarum posuisse. Respondetur autem vnica conclusione: scilicet, quod cunctis defectibus potest occurri, idque vno quatuor modorum, aut præueniendo ne accidant, aut illos emendando si acciderint, aut remedium adhibendo, aut saltem per pœnitentiam de illis dolendo: Ecclesia namque, sicut Deus, nihil præcipit impossibile.

Primus defectus.

Defectus autem hic S. Thom. septem subnectit. Primus est naturalis sine culpa: quare arguitur primò. Contingit siquidem quòd sacerdos in progressu missæ, vel ante consecrationem, vel post antequam species sumat, vel moriatur, vel mente alienetur, vel aliqua corripiatur morbi procella ne sacramentum possit perficere: ergo tunc non potest adimplere statutum Ecclesiæ, vt sacerdos sacramentum perficiat. Respondetur, quòd si sacerdos ante consecrationem corporis morte vel alia graui infirmitate præoccupetur, non oportet per alium suppleri. Si verò consecrato corpore id acciderit, vel etiam sanguine, ante sumptionem debet per alium missæ celebritas suppleri: sunt enim verba Toletani concilij 7. q. 1. ca. Nihil. Censuimus conuenire, vt cum à sacerdotibus missarum tempore mysteria sacra consecrantur, si ægritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo cœptum nequeant consecrationis explere mysterium, sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi cœpti officij. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysterijs conuenit, quàm vt ait incipientis, aut subsequentis benedictione sint completa sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt, nisi perfecto ordine compleantur. Cùm enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium diuersitas personarum format, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem conuertatur, nullus absque præuentu patentis molestiæ minister, vel sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hoc temerariè præsumpserit, excōmunicationis sententiam obtinebit.

De morte aut agritudine supereueniente.

Concilium Toletanum 7. q. 1. ca. Nihil.

Dubium, an non ieiunus posset perficere.

Circa hoc notandum primum, in tali casu inde procedendum vnde cessatum est. Dubitaret hic tamen quispiam, vtrum in tali casu si nullus posset haberi sacerdos ieiunus, posset ille, qui non est ieiunus, sacramentum perficere & sumere? Absque dubio posset: quia vbi duo præcepta sibi obuiant, in eam partem est inclinandum, quæ magis refert: at præstantius est præceptum, vt sacramentum perficiatur, quàm prohibitio, ne quis ieiunus sumat. Si verò sacerdotis copia haberi non posset, sciscitaris, vtrum laicus qui paratus esset ad communionem, sumere posset consecratas materias? Respondetur, minimè id fas esse: quia sanguinem in primis laicum sumere nefas est, sed neque hostiam sumere debet: quia laico non licet sacramentum perficere, sed esset hostia reseruanda in pyxide. Quid autem de calice? Nam si seruaretur, periculo subiaceret ne species in acetum corrumperentur. Respondetur, potius subeundum esse illud periculum, quàm laico liceat ministrare calicem. Si enim adhibita diligentia, vt sacerdos alia die perficiat sacramentum, fieri id non potest, & species corrumpantur, tunc in piscinam sunt proijciendæ.

Aliud, an laicus posset sumere.

Sacerdos cōcubinarius an teneatur missam prosequi.

Perplexior autem ambiguitas est, vtrum sacerdos qui tunc adesset, teneatur sacramentum perficere? Faciamus namque non adesse, nisi sacerdotem concubinarium, qui existit in peccato mortali, qui proculdubio si in peccato sacramentum sumeret, mortaliter peccaret: quare nullatenus tenetur in peccato sumere: quia ad peccandum nemo obligatur. Vtrum in tali casu teneatur verè conteri, & occasiones peccati abscindere ad perficiendum sacramentum? Respondetur tria. Primum, quod quantum ad tenorem concilij attinet, non tenetur: quia concilium non ait, nisi quod sit liberum alteri consecrationem exequi: & ideo simpliciter concubinarius ille non obligatur ad rem sibi difficilem. Sed secundò adijcimus, quòd tantum posset esse scandalum, vt teneretur, maximè in periculo corruptionis specierum sanguinis. Tertiò addiderim, quòd vbi quis facili modo potest sacramentum perficere, tenetur propter rei grauitatem, quæ est sacramentum consummare.

Secundus defectus. De supereueniente memoria peccati vel cibi sumpti.

Secundò arguitur. Contingit quandoque, vt sacerdos ante consecrationem, vel post recolat se aut non esse ieiunum, aut aliqua mortali culpa irretiri: ergo tunc necesse habet aliquod præceptum transgredi sumendo. Respondetur, quòd vbi difficultas occurrit, minus periculum est subeundum: maximum autem periculum est, quòd sacramentum imperfectum maneat,

Digitized by Google

& ideo si post consecrationem sacerdos recolit se non esse ieiunum, absque dubio debet sumere. Si autem sit in culpa etiam excommunicationi annexa, satis est vt conteratur. Si verò ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutiùs (& meritò) reputat sanctus Tho. maximè in casu excommunicationis & dum ieiunium fregerat, missam incœptam deserere, nisi grande scandalum timeretur. Si autem est in culpa mortali, etiam si in introitu missæ quando est in altari sit memor, satis est contritione & proposito confitendi, vt possit incœptum perficere. Quid autem si illa culpa adeò illi cordi inhæreat, vt pœnitere nequeat, cuius certè si memor fuisset antea, non cogitasset celebrare? Respondetur, quòd omnino potiùs debet dare summum scandalum, quàm sumere sacramentum in peccato, quia sic illud est intrinsecè malum, vt nulla de causa excusari possit, & ideò si non eum pœnitet, postquàm in sua est potestate, necessaria consequentia peccabit tam sumendo, quam relinquendo sacramentum, maximè si est iam consecratum.

3. defectus. Tertiò, contingit quandoque, vt in calicem musca, vel aranea, vel quoduis simile animal incidat, vel sacerdos admoneatur venenum illic esse mistum: tunc ergo & sumendo homicida sui erit, & non sumendo sacrilegus. Respondetur, quòd si id ante consecrationem calicis deprehenderit, effuso illo vino, infundendum est aliud. Si verò post consecrationem: extracto animali, diligenterq; loto & ambusto, cineres debent in piscinam mitti, & species sumi. Intellige si animal est sumptu horribile, nam si sit exigua muscula, deglutiri debet ad excusandas illas cæremonias. Si autem venenum deprehenderit esse immissum vel venenosum animal, non sunt species sumendæ, ne calix vitæ in mortem cedat, sed debent diligenter seruari cum reliquijs, & aliud denuo consecrari vinum: species verò, quamdiu manent species vini, sunt adseruandæ: quando verò fuerint corruptæ, mittendæ sunt in piscinam.

Aranea in calicem consecratum incidens extrahitur, & comburitur, & species sumuntur.

Contra hoc autem quod ait Diuus Thomas, denuò consecrandum aliud vinum, colligitur argumentum ex quæstione præcedenti articulo quarto, vbi diximus, quòd si hostia vel calix appareat sub forma carnis aut sanguinis, sacerdos absoluitur à sumptione, licet sit consilium iterum consecrare. Respondetur, non esse simile, quia miraculum non comprehenditur sub lege, & Deus tunc miraculum operatus absoluit à lege sumptionis. Secùs vbi non est miraculum.

4. defectus. Quartò, contingit quandoque quòd per negligentiam ministri non apponitur aqua, aut nec apponitur vinum: ergo tunc perplexitas est vel sumendi corpus sine sanguine, vel nec sumendi corpus nec sanguinem. Respondetur, quod si consecrata hostia ante calicis consecrationem id percipiatur, debet calix refici apposita aqua, vel vino si defuerat. Si verò post consecrationem sanguinis resciuerit, non fuisse aquam appositam, debet procedere, quia aqua non est de essentia, licet negligentia rea sit pœnæ. Nam si tunc aqua sanguini apponeretur, particulam consecratarum specierum corrumperet. Si vero tunc perceperit vinum non fuisse appositum, & nondum corpus sumpserit, debet vinum infundi, & resumi forma consecrationis tantum calicis. Si tamen hoc perceperit post sumptionem corporis, debet sacerdos aliam apponere hostiam iterum consecrandam simul cum sanguine. Et ratio est, quia vel sufficeret tunc sanguinem consecrare & illico sumere, prætermissis signis & verbis, quæ fiunt à cõsecratione calicis vsque ad sumptionem: & hoc non, quia cùm in illis tam fiat mẽtio sanguinis quàm corporis, sequitur vt quæ illucusque facta fuerant, non fuerint legitima, atque adeo sint iterum repetenda. Si autem repetantur omnia, tunc, quia hostia nulla est, pari ratione non fient legitimè: quia fieri debent simul super corpus & sanguinem, vt verè dicatur, Panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Et, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, &c.

De aqua.

De vino.

Obiectio. Quòd si arguas. In solutione proxima dictum est, quod si venenum in calice deprehẽditur etiam sumpto corpore, satis est vinum iterum consecrare & statim sumere: ergo pari modo dum reperitur esse meram aquam. Negatur consequentia: quia vbi erat venenum, erat legitima consecratio: quare verba & cruces non erant repetenda, quia legitimè fuerant facta. Vbi vero est mera aqua, nunquam fuit sanguis cum corpore. Scotus dist. 8. q. 3. ait satis tunc esse vinum tantum consecrare, & sumere, sine signis & verbis: quia illa non sunt de essentia sacramenti. Respondetur autem, quod licet non sint de essentia, sunt tamen de præcepto Ecclesiæ, & plurimum habentia significationis & mysterij, & ideo dum commodè seruari possunt, seruanda sunt. Quod si arguas. Saltem si particula mansit in calice, satis est vinum consecrare: nam tunc erit simul hostia & sanguis ad faciendum signa. Respondetur, quod non possunt fieri commodè omnia signa, vt illæ cruces, quæ fiunt hostia super calicem. His tamen non obstantibus, licèt vbi homo priuatim coram vno vel duobus celebrat, consultius sit opinionem S. Thomæ seruare, tamen vbi in publico, & præsertim coram aliquo magnate celebraretur, ad euitandum scandalum & turbationem populi, fortè non esset absurdum, vt sacerdos secreto fingens lotionem sumere, vinum tunc infunderet & consecraret, & sumeret: nam scandalum excusaret, præsertim cùm iam fuerint facta signa super hostiam, licet non legitimè super calicem.

Instantia.

Moderatio autoris.

Scotus arg.

Quintò arguitur. Vsu venire solet, quòd sacerdos memoriam non habeat an verba consecrationis dixerit, vel etiam alia, quæ in celebratione sacramenti dicuntur: videtur ergo peccare in hoc casu, siue iteret verba super eandem materiam, quæ fortè iam dixerat, siue vtatur pane & vino non consecrato. Respondetur primò, quod non quandocunque sacerdos fuerit dictorum immemor, mente perturbari debet: qui enim multa dicit, non omnium recolit, nisi dum reflectitur considerans hoc dicere: per illam enim reflexionem res efficitur memorabilis. Quare licet quis attentè loquatur, nisi illam reflexionem faciat, scilicet, Hoc dixi, non adeo res memoriæ imprimitur: nam vt habetur in lib. de memoria & reminiscentia, obiectum memoriæ est, quando res apprehenditur, vt præterita. Atque hoc debent scrupulosi discere & obseruare, ne quotiescunque sibi videantur obliti, id repetant. Si tamen probabiliter constet aliqua omisisse, tunc si id non est de essentia sacramenti, consilium est procedere, & non iterum resumere. Si vero sit de essentia, vt si certificetur se omisisse formam consecrationis, tunc debet resumi totum, sicut si defecisset materia vini. Sed nota, si certificetur: quia non quicunque scrupulus sufficit ad resumendum.

5. defectus.

Obliuio verborum prolatorum.

Notanda.

Sexto arguitur. Accidere potest, vt propter rigorem frigoris languenti sacerdoti manu hostia labatur in calicem, siue ante fractionem, siue post, & tunc non potest impleri legitima fractio, aut quod sola tertia pars mittatur in calicem. Respondetur, quod fractio illa & immissio non pertinet nisi ad corpus Christi mysticum, sicut mixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non infert necessitatem repetendi quod omissum est.

6. defectus, de hostia in calicem lapsa.

Septimo arguitur. Accidere potest per negligentiam sacerdotis, aut sanguinis effusio, aut vomitus sacramenti, aut hostiæ diu asseruatæ corruptio, aut corrosio à muribus, in quibus casibus non videtur huic sacramento debita reuerentia exhiberi secundum Ecclesiæ statuta. Respondetur, ex can. Pij papæ, Si per negligentiam. de consecrat. distin. secunda, vbi præcipitur, quod si quid sanguinis stillauerit in tabulam, lingua lambatur, & radatur tabula. Si vero non fuerit tabula, radatur terra, & igni consumatur, & cinis intra altare recondatur. Tametsi commodior vsus est, vt proijciatur in piscinam. Sacerdos vero quadraginta dies pœniteat. Si autem super altare stillauerit calix, minister stillam sorbeat & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, decem diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouem diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ illa tetigerit, tribus vicibus lauet minister calice subtus posito, & aqua ablutionis, sumatur, & iuxta altare recondatur. Posset etiam sumi in potum a ministro nisi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem vlterius partem illam linteaminum incidunt & comburunt, & cineres in altari vel sacrario reponunt. Subditur autem ea. dist. can. Si quis per ebrietatẽ. qui est ex pœnitentiali Bedæ presbyteri. Si quis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam euomuerit, quadraginta dies pœniteat, si laicus est: clerici seu monachi, seu diaconi & presbyteri septuaginta diebus pœniteant, Episcopus nonaginta. Si autem infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pœniteant. Et ead. dist. legitur ex concilio Aurelian. can. Qui non bene custodierit sacramentum, & mus ve-

7. defectus.

Can. Si per negligentiã, de cons. d. 2.

Can. Qui non bene. de cons. d. 2.

Digitized by Google

aliquod aliud animal comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitentia videtur dignus sacerdos, per cuius negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt. Prædictis tamen diebus debent pœnitentes ieiunare, & à communione cessare: pensatis tamen conditionibus negotij & personæ potest addi vel minui ad pœnitentiã prædictam. Hoc tamen obseruandũ est, quòd vbicunque species integræ inueniuntur, sunt reuerenter conseruandæ, vel etiam sumendæ: quia manentibus speciebus manet ibi corpus Christi, vt supra dictum est. Ea verò, in quibus inueniuntur, si commodè fieri potest, sunt comburenda, cinere in consecrario recondito, sicut de rasura tabulæ dictum est.

DISTINCTIO DECIMAQVARTA, DE POENITENTIA SECVNDVM SE.

Cap. 1. POST hæc sacramenta tria, quæ per se ad vitam attinent spiritualem, quartum est pœnitentia, quæ longè positis à Deo necessaria est medicina. Est enim pœnitentia sacramentum remissionis peccatorum, quæ post baptismum committuntur. Quare, vti ait Hieronymus,† secunda tabula est post naufragium. Vnde materia eius peccata sunt per contritionem, confessionem, & satisfactionem clauibus Ecclesiæ subiecta. Forma verò, Ego te absoluo, ex verbis Christi collecta: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

Definitio sacramenti pœnitentiæ.

†Super cap. 3. Isaiæ vers. 9. tom. 5.

Matt. 16.

Cap. 2.

Est ergo Pœnitentia Euangelicum sacramentum, secundum illud Lucæ vlt. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Quapropter vniuersis, qui crimine aliquo mortali sordescunt, necessarium sacramentum est, admonente Domino: Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis. Atque adeo quoties homo relabitur, toties idem est iterabile sacramentum. Respondit enim Christus quærenti Petro: Quoties delicta delinquentibus dimitteret. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

Luca 13.

Matt. 16.

Cap. 3.

Neque verò solùm dum homo Ecclesiæ clauibus, vt per eius ministrum absoluatur, subijcitur, sacramentum est, verùm & pœnitentis actus, qui eius materia existunt, vera sunt virtus, quam & Præcursor, ac deinde Dominus prædicabant, dicentes: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Est autem specialis virtus, ad iustitiam attinens vindicatiuam, iuxta verbum Augustini,† Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse. Cui alludens Ambrosius:† Pœnitentia, inquit, est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.

† Lib. de vera & falsa pœnit. & de pœniten. d. 3. can. Pœnitentia 2.

† Ambr. in quodã sermone De pœnitentia d. 3. can. Pœnitentia 1.

Causam verò, licet Deum habeat potissimam, qui illam infundit, habere etiam potest & timorem seruilem, iuxta verbum Esaiæ: A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.

Cap. 4.

DISTINCTIONIS DECIMÆQVARTÆ,

Quæstio prima.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ QVA RATIONE EST SACRAMENTVM.

S. Thom. 3. par. quæst. 84.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Pœnitentia sit sacramentum.

TRIA sacramenta, de quibus hactenus actum est, vt dist. 1. quæst. 6. dicebamus, ad perfectionem spiritualis vitæ per se attinent, ceu eius generatio, augmentatio, & nutritio. Hoc verò quartum pœnitentiæ per accidens eidem vitæ est necessarium: nempè, longè positis à Deo, tanquam medicina ad remouendum lethalem peccati morbum. In hoc verò tractatu, sicut neque in præteritis, non possumus ordinem Magistri Sententiarum omnino persequi. Nam etsi quàm plurima ex sanctis patribus diligenter congerat, non tamen ea ordinis luce, quæ necessaria esset. Quapropter D. Thom. alium est ordinem sequutus. Proponit enim sex de pœnitentia disserere. Primum scilicet de ipsa in se pœnitentia: secundum de eius effectu: tertium de partibus eius: quartum de susciptentibus hoc sacramentum: quintum de ministrorum potestate, quæ ad claues pertinet: sextum denique de solennitate huius sacramenti. At verò quia mors inuida, eum ante diem nobis sustulit, qua de causa tantum prima duo membra scripta nobis reliquit, eundem ferè nos ordinem pro nostra virili Deo dante imitabimur. Tametsi quartum membrum de susciptentibus, tertio, nempe inter materiam confessionis, miscebimus. Et sextum de solennitate pœnitentiæ inter materiam satisfactionis. Igitur nouem distinctionibus materiam hanc absoluemus, in quarum trib. primis vsque ad sextamdecimam de pœnitentia secundum se, & de eius effectu, ac demum de peccatorum reditu, & recuperatione virtutum. Et in tribus alijs vsque ad decimamnonam de tribus partibus pœnitentiæ, s. contritione, confessione, & satisfactione. Ac demum in tribus reliquis vsque ad vigesimamsecundam de Ecclesiæ clauibus, deque eius duabus potestatibus, quæ sunt indulgẽtiarum concessio & excommunicatio.

Ordo & Tha.

Ordo Aut.

Quo rem ergo exordiamur, pœnitentia inter reliqua sacramenta hoc habet singulare, quod non solùm Ecclesiæ sacramentum est, sed & virtus mentis. Baptismus namque, & confirmatio, & reliqua, nisi diuinitus super naturam instituta essent, nulla virtutis ratione pollerent, nisi matrimonium excipias: quod est officium naturæ. Pœnitentia vero antequàm sacramentum esset, virtus erat. Quapropter duæ sunt distinctionis præsentis quæstiones. Prior, scilicet, de pœnitentia sacramento, posterior vero de pœnitentia virtute. Nam etsi alij, quorum est Durandus, congruentiùs conuerso ordine videantur incipere à pœnitentia virtute, pro eo quod actus interior exteriorem præcedit, nihilominus ordo hic noster congruentior est: tum quod tractatus præsens sit de sacramento, ab hac ratione exordiendum est, tum præsertim, quod post enunciatum Euangelium actus interior non habet rationem virtutis pœnitentiæ, nisi votum includat sacramenti. Quare priùs est de obiecto isto dicendum, à quo virtus speciem sortitur.

Pœnitentia est sacramentum & virtus.

Igitur primus articulus est, vtrum pœnitentia sit sacramentum.

Digitized by Google

Conclusio.

crementum. Et respondetur affirmatiua conclusione: scilicet, manifestum est quod pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum. Probatur primo. Sicut baptismus adhibetur ad purificandum ab originali peccato, ita & pœnitentia ad remittendum actuale. Vnde Petrus Simoni Act. 8. Pœnitentiam, inquit, age ab hac nequitia tua: sed baptismus est sacramẽtum: ergo & pœnitentia. Secundo. Sacramentum secundùm Gregorium 1. q. 1. ca. Multi. in aliqua celebratione consistit: cùm res gesta ita sit, vt aliquid significatiuè sanctè accipiamus, quod sanctè accipiendum est: manifestum est autem quòd in pœnitentia ita res gesta sit, quòd aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte sacerdotis absoluentis: nam peccator pœnitens per ea quæ facit & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse: similiter sacerdos per ea quæ agit & dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccatum. Doctissimè ergo Diuus Thom. non solùm probat, pœnitentiam esse sacramentum, sed id ab vtraque parte habere, scilicet pœnitentis, & absoluentis: nam vtrinque est inuisibilis gratiæ visibilis forma, quæ est Augustini definitio.

Expositio articuli.

Nunquam defuerunt, nec desunt in Ecclesia hæretici in sacramentum hoc oblatrantes, de quorum iniquitate & pernicie art. 5. & postmodum distinct. 18. in materia confessionis mentio à nobis facienda est. Interim ergo hoc solùm notato, quòd conclusio hæc D. Thomæ non solùm scholastica est & doctorum assertio, sed fides catholica, neque tantùm pontificio iure, verùm & diuino firmata. Est enim sacramentum, vt distinct. 1. exposuimus, sacræ rei signum, quatenus res illa hominem sacrat, est autem pœnitentia signum gratiæ, qua intus homo à peccatis absoluitur, est ergo sacramentum. Minor autem fundatur super loco illo Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum, quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Et Ioannis 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta erunt. Quæ quidem loca citato loco elucidabimus. Quapropter Ecclesia c. Ad abolendam, de hæreticis, eos, qui vel de aliis sacramentis, vel de peccatorum confessione aliter sentire, aut docere non metuunt: perpetui anathematis vinculo innodauit. Et vt alia plura concilia prætermittamus, Florentinum, cui & Tridentinum † subscripsit, Quartum, inquit, sacramentum est pœnitentia.

† Sess. 14. c. 1.

Sed vt rem cum catholicis agamus, nomen pœnitentiæ, quatenus Euangelicum est sacramentum, ignotum Latinis gentibus, vti res ipsa fuit: sed qua ratione est virtus, quæst. sequenti videbimus an sit Latinum, quodque sit eius significatum. Pro quo autem supponat, vt more dialectico loquamur, non est inter doctores conuentum. Scotus quippe præsenti distin. q. 4. pro sola sacerdotis absolutione supponere arbitratur. Quare definiens pœnitentiam, ait: Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à sacerdote iurisdictionem habente, ex institutione diuina efficaciter significantibus ablutionem animæ à peccato. Neq; verò eius assertio ratione in superficie caret. Sacramentum enim, vt modò dicebamus, signum est, & causa gratiæ, hoc autem soli formæ conuenit, Ego te absoluo. Nam gratia non confertur, nisi per claues Ecclesiæ, quibus sacerdos vtitur. Adde, quòd pœnitentia virtus, quæ in corde sistit, vt signum non est visibile, ita nec sacramentum esse videtur, nec pars sacramenti. Ex his infert Scotus totam essentiam sacramenti esse absolutionem. Vnde distinctione decimasexta, quæstione prima infert, sacramenti pœnitentiæ non esse partes illas tres, quæ sunt, contritio, confessio, & satisfactio, quia illæ non sunt partes sacramenti, sed præuiæ dispositiones. Ac subinde secundum eum consequitur, vt nomen, sacramentum pœnitentiæ, non faciat sensum, quem vocant intransitiuum, vt sacramentum pœnitentiæ, sit pœnitentia, sed sit locutio transitiua, vt sacramentum pœnitentiæ idem sit, quod absolutio pœnitentis.

Dubium.

Scotus de definitione pœnitentiæ.

1. Argum.

2.

Reprobatur definitio Scoti.

1.

At verò primùm omnium definitio illa pœnitentiæ, vt de baptismo diximus, nimium est longa, quippe quę plura continet, de quibus disputandum est: nempe, an confessio ficta sine legitima intentione sit sacramentum, & an requiratur iurisdictio, & institutio diuina. Definitio autem debet esse breuissima communis animi conceptio, vt Aristot. 1. posterio. text. 5. docet, & ideo satis lucidè in textu pœnitentiæ sacramentum definiuimus, dicentes, quod sit sacramentum remittendi peccata, quæ post baptismum committuntur. Illic enim & proximum genus ponitur definiti, & loco differentiæ proprius eius effectus exprimitur, quo & à cæteris sacramentis, quæ non sunt in remissionem peccatorum instituta, distinguitur, & à baptismo, quo originale remittitur.

2.

Secundò dicere, quòd absolutio sacerdotis sit sacramentum pœnitentiæ, non videtur rei consonum: imò vt cum bona venia illustris doctoris loquamur, à canonico loquendi more dissonat: quia, vt Florentina Synodus affirmat, omne sacramentum constat ex materia & forma: iuxta verbum August. † Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Si autem absolutio est tota substantia sacramenti, non dabitur huius sacramenti materia, quæ sit eius pars. Imò expresè ait Synodus, quòd actus pœnitentis sunt, quasi materia. Neque ait, quasi, insinuans non esse verè materiam, sed eo quòd non sunt materia extrinsecus appositа, vt aqua in baptismo, & chrisma in confirmatione.

† Tract. 80. in Ioa. to. 9.

3.

Tertiò, quia oratio hæc, sacramentum pœnitentiæ, intransitiuè (vt aiunt) accipienda est, ac si dicas, sacramentum, quod est pœnitentia: sicuti sacramentum baptismi est ipse baptismus, & sacramentum confirmationis ipsa confirmatio. Quare bene ait Sanctus Thomas, quod pœnitentia est sacramentum & Florentina Synodus. Quartum sacramentum est pœnitentia. Absolutionem verò quis dicat esse pœnitentiam, cùm non sit actus pœnitentis? Imò verba ipsius Scoti secum pugnant, dum ait: Pœnitentia est absolutio pœnitentis: nam pœnitentia, actus est pœnitentis. Etenim, vt habetur in lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 19. qui quidem liber tanquam Augustini refertur, pœnitere est pœnam tenere. Vnde cùm absolutio non sit actus nisi sacerdotis, repugnantia est, vt pœnitentia sit absolutio.

4.

Quartò arguitur. In sacramentis non sola forma est signum, & causa gratiæ sacramentalis, sed etiam materia ratione formæ: non enim sola forma baptismi, sed ablutio ipsa est causa gratiæ, materia verò pœnitentiæ sunt peccata contrita & confessa: ergo & ipsi actus pœnitentis concurrunt etiam ad gratiam tanquam pars sacramenti, vt bene infra docet D. Th. quæst. 86. articul. 6. Nam, vt hic ait Caietanus, licet Diuus Thomas in 4. distinct. 22. quæst. 2. articul. 1. putauerit solam formam in sacramento pœnitentiæ habere rationem causæ, sicut in sacramento Eucharistiæ, doctiùs hic tamen tam materiæ, quàm formæ eandem efficaciam tribuit. Haud enim solùm quia homo absoluitur, sed quia conteritur, confitetur & absoluitur, recipit gratiam: sicut & in baptismo, quia sub tali forma abluitur. Atque hoc præsertim deberet Scotus concedere, qui tenuit sacramenta non aliter concurrere ad gratiam, nisi tanquàm causa sine qua non. Quis enim ambigat, quin hoc pacto contritio & confessio concurrat? Nos autem dicimus non solùm hoc modo, sed tanquam vera instrumenta Dei concurrere, sicut & actus contrahentium matrimonium, qui sunt materia & forma sacramenti. Et hæc est opinio antiquorum, nempe Alexand. 4. parte, quæstione 60. membro secundo. Ricardi in 4. distinctione 16. artic. 1. quæstione secunda, vbi ait, quod non solum confessio, verùm & contritio pœnitentis concurrit ad gratiam, non solùm quatenus virtus, sed etiam quatenus pars materiæ sacramenti. Vnde si vtramque rationem contritionis coniungas, ipsa per Dei auxilium principalior est ad effectum gratiæ. Sed si rationem solam quatenus est pars sacramenti, consideremus, principalius concurrit forma, quæ se tenet ex parte sacerdotis clauium potestate vtentis.

5.

Quinto arguitur. Quamuis forma sacramenti sit causa gratiæ, non tamen ideo est tota substantia sacramenti: Baptismus enim non est verborum prolatio, sed, vt nomen sonat, ablutio ipsa.

6.

Postremò negare quòd sint tres partes pœnitentiæ etiam qua ratione est sacramentum, non est syncere & castè seruare orthodoxam doctrinam patrum. Maximè cùm satisfactio, quæ est tertia pars, per sacerdotem sacramentum administrantem iniungatur.

Durand. opinio.

Durandus sentire videtur distinctione præsenti quæstio. 3. & Marsilius affirmat in 4. quæst. 10. articul. primo, quòd sacramentum pœnitentiæ non sit vna actio, sed aggregatum ex actibus pœnitentis. & absolu-

tione

tione sacerdotis. Id quod cuipiam forsan prima facie videtur hic Diuus Thomas insinuare. Neque ratio naturalis videtur huic opinioni refragari: nam forma in naturalibus pars est substantiæ componens totum: est enim homo compositum ex materia & forma. Cum ergo absolutio sit forma sacramenti, apparet quod nomen sacramenti supponat pro illa & actibus pœnitentis, qui sunt materia.

Refutatur. Contra hoc autem stat argumentum: nam si sacramentum pœnitentiæ idem sit quod pœnitentia: cùm absolutio non sit pars pœnitentiæ, sit vt nec sit pars sacramenti.

Sententia autoris. Igitur congruentius est, vt sicut de baptismo diximus, ita & de pœnitentia dicamus. Etenim quia sacramentum non est res naturalis, sed artificialis, non supponit pro aggregato ex materia & forma, vt homo, sed pro materia connotando, vt tali subiaceat formæ, quemadmodum statua non supponit pro aggregato ex ligno, & forma accidentali (sicuti neque album pro aggregato ex corpore & albedine) sed pro ligno, aut pro lapide. Vnde, vt baptismus non pro aggregato ex ablutione & forma, sed, vt nomen sonat, pro ablutione supponit connotando, vt fiat sub tali forma: ità sacramentum pœnitentiæ supponit pro actibus pœnitentis, qui sunt materia sacramenti connotando, vt subdantur formæ eiusdem sacramenti, quæ est absolutio. Et sic soluatur, vt sint tres partes pœnitentiæ, qua ratione est sacramentum. Atque hoc Sanctus Thomas in præsentia sentit, vbi ait, quod pœnitentia est sacramentum.

Ad 1. argu. Scoti. Vnde ad primum argumentum Scoti conceditur, sacramentum esse id quod est signum & causa gratiæ: negatur tamen, quod sola forma sit tale signum & causa: imò materia est signum ratione formæ, ac perinde causa. Quare actus pœnitentis clauibus Ecclesiæ subiecti, causa sunt sacramentalis gratiæ. Atque adeò nomen sacramenti pro ipso supponit, connotando formam in aliquo.

Dubium. Pro quo actus supponat Pœnitentia. Quòd si roges, cum tres sint actus pœnitentis, pro quo illorum supponat. Apparet enim, quod si pœnitentia est pœnæ tenentia, pro sola satisfactione supponat. Ex altera parte Durandus ait, pro sola confessione & absolutione supponere. Nam confessio est proxima materia sacramenti. Quare ait, dicendum potiùs esse sacramentum confessionis, & absolutionis, quàm pœnitentiæ. Nihilominus respondet, supponere pro tribus actibus pœnitentis, sicuti domus pro composito ex lapidibus & lignis, vt expressè prædicta synodus Florentina asserit. Alioqui minimè essent tres partes pœnitentiæ, & per omnes tres, etiam per contritionem, vt ait Sanctus Thomas in Quarto, dist. 16. quæstione prima, art. primo, quæstiuncula 3. pœnitens pœnam tenet: vnde & ille actus internus dolor dicitur de peccatis. Eandemque pœnam per verecundiam confessionis sustinet, ac demum per opera sibi in satisfactionem iniuncta. Quocirca ad secundum argumentum in fauorem Scoti & Durandi factum, respondetur, quod etsi contritio per se non sit sensibilis, sentitur tamē per externam cōfessionem quam in voto includit: sicuti consensus contrahentium per hoc quòd foris exprimuntur, efficiuntur materia & forma. Quapropter licet omnes actus sint materia, confessio tamen est materia proxima. Quamobrem in citato ca. Ad abolendam, hoc dicitur sacramentum confessionis. Sed nihilominus generali vsu dicitur, vt ait citata synodus Florentina, sacramentum pœnitentiæ. Itaque sicut baptismus ratione materiæ dicitur ablutio, sic & hoc sacramentum à materia sumit denominationem.

Solutio dubij. *Ad 2. arg. Scoti.* *Quomodo contritio sit sensibilis.*

Obiect. Quòd si arguas. Nonnunquam fit sacramentum pœnitentiæ sine legitima contritione, ergo istæ non sunt partes essentiales. Respondetur, quòd cùm materia de necessitate confessionis sint peccata mortalia, non est perfectum sacramentum sine attritione, vel contritione: & saltem, vt sit sacramentum, licet non conferat gratiam, requiritur nonnulla mentis displicentia, vt infra dicemus. De satisfactione verò, vbi clauis non errat, respōdetur etiam aliquam esse iniungendam, vt dist. 18. patebit. Secundò respondetur, quòd quia satisfactio est pars, quæ sequitur absolutionem, vbi perficitur sacramentum, licet non vlla fiat, non inualidatur sacramentum. Quare satisfactio est pars integralis, vt manus & digitus, tamen omnimodæ essentiæ: quia sane illa esse potest sacramentum: veluti de vltimis verbis consecrationis calicis dictum est. † De his autem partibus infra distinctione 16.

1. Resp. *Alia resp.*

Ad aliud argumentum in fauorem Durandi & Marsil. negatur, formam sacramenti debere esse propriè partem sacramenti, sicut forma statuæ non est pars eius, neque albedo, pars albi, sed accidens eius. Quòd si arguas. Forma sacramenti est de essentia ipsius: ergo est pars eius, negatur consequentia. Est n. de essentia, quia sine illa sacramentum non perficitur. Nihilominus quia sacramentum est sicut res artificialis, forma, quæ est de eius essentia, non est pars eius, sicut forma statuę, est quidem de essentia statuæ, inquātum statua, nihilominus non est pars: quia non est de essentia subiecti. Et res sit manifesta in forma consecrationis Eucharistiæ: cùm enim sacramentum non supponat, nisi pro speciebus continentibus corpus & sanguinem, vel si mauis pro rebus contentis, forma sacramenti non est pars eius, sed consecrans & perficiens ipsum.

† *dist. 11. q. 1. art. 3. Ad argum. Durandi.*

Discrimen inter materiam huius & alior. sacram. Hoc autem discrimen ab hoc loco Christianè & catholicè discere incipiamus inter materiam aliorum sacramentorum, & hanc huius: quod aliorum materia (excepto matrimonio) res est aut naturalis, aut artificialis, vt aqua & chrisma, & panis, quæ specialiter à Deo hoc tantum habet, quòd sit tanquam pars sacramenti instituta: materia verò huius nempe contritio, si fit perfecta, res supernaturalis est per auxilium speciale diuinitus inspirata, iuxta illud Ioan. 6. Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum. Et Apostolus 2. ad Timotheum 2. Ne quando (id est, si quando) Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis. Vnde Augustinus de fide ad Petrum cap. 33. Firmissimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit. Sed de hoc, quæstione sequenti articul. 5. latiùs. Est enim Pelagianus error aliter credere. Secùs de attritione, quæ absque sacramento ad gratiam non sufficit. Hæc enim naturaliter haberi potest.

1. Argu. S. Thomæ. Primum argumentum Sancti Thomæ est. Sacramenta, vt ait Gregorius cano. Multi. citato 1. quæstione 1. sunt baptismus, chrisma, corpus & sanguis Christi, &c. quæ ob id sacramenta dicuntur, quòd sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretiùs operatur salutem: in pœnitentia verò huiusmodi res corporales non existunt: ergo non est sacramentum. Respondetur negata minori: quoniam nomine corporalium rerum intelliguntur actus exteri pœnitentis & absoluentis, qui se habent sicut in alijs sacramentis aqua vel chrisma. Est autem, inquit, attendendum, quòd sicuti corporum medicamina duplicis sunt generis: quædam enim sunt res, quæ applicantur, vt emplastra, aliæ verò sunt actus ipsius infirmi, vt exercitationes: sic in sacramentis quædam sunt, in quibus propter exuberantem, quam conferunt, gratiam & virtutem excellentem, adhibetur materia extrinsecus, sicut in baptismo, vbi fit plenissima remissio peccatorum quātum ad culpam & pœnam: & in confirmatione, vbi datur plenitudo Spiritus sancti, vt dictum est: & in extrema vnctione, vbi confertur perfecta sanitas spiritualis, hoc est, absterguntur reliquiæ peccatorum: qui quidem effectus virtute passionis Christi per huiusmodi applicata instrumenta, quasi per extrinseca principia prouenium. Et ideò in istis sacramentis non requiruntur actus humani, sed solum ceu dispositio suscipientis. Sunt tamen alia sacramenta, vt pœnitentiæ & matrimonij, quæ habent effectum actibus humanis correspondentem, non quòd non fit supranaturalis, sed quòd datur per actus humanos actiuè concurrentes, tanquam instrumenta Dei: quare huiusmodi actus pœnitentis sunt materia, & in matrimonio inuicem sunt materia & forma, vt distinctione prima dictum est. Subiecit autem sacramentum Eucharistiæ, quod per consecrationem perficitur, & cuius vsu corpus & sanguis applicatur & suscipitur. Et sacramentum ordinis, vbi potestas suscipitur Ecclesiastica. Insinuat hic præterea in sacramentis pœnitentiæ & matrimonij minus gratiæ sacramentalis conferri virtute sacramenti, quàm in reliquis sacramentis, nisi deuotio & feruor contritionis illam augeat. Durandus distinctione præsenti, quæstione tertia, aliter hoc sacramentorum discrimen explicat: videlicet, quod vbi sacramentum suscipiens adsumitur ad aliquam potestatem, seu mancipatur ad aliquid faciendum seu suscipiendum, tunc adhibetur aliqua materia exterior, vt in baptismo, vbi recipitur

Simile. *Cur in quibusdam sacram. adhibeatur materia extrinsecus.* *In alijs verò, actus humani.* *Durandi discrimen inter materiam sacr.*

potestas,

Digitized by Google

potestas suscipiendi sacramenta. Per pœnitentiam verò non recipitur huiusmodi potestas, sed fit remissio peccatorum. Sed tamen hoc discrimen stare non potest, nam per extremam vnctionem nulla potestas suscipitur, & tamen fit per applicationem chrismatis. Et è conuerso, per sacramentum ordinis acquiritur potestas conferendi sacramenta, quod tamen non confertur per vnctionem Chrismatis. Cuius exemplum ponit Durandus, sed per traditionem hostiæ & calicis. Alij nullam rationem exquirunt, nisi quia Deus ita instituit. Attamen cùm Deus omnia suauiter disponat, reddenda est ratio, hæc autem non inuenitur congruentior ista, quam Diuus Thomas ponit.

Refellitur.

2. Arg.

Secundò arguitur. Sacramenta Ecclesiæ per eius ministros exhibentur, secundùm illud 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: pœnitentia verò non exhibetur à ministris Christi, sed intrinsecus Dei ope inspiratur, secundum illud Hieremiæ 31. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam: ergo non est sacramentum. Respondetur ad maiorem, quòd in sacramentis materiam habentibus extrinsecam, eam oportet, sicut formam sacramenti, per ministrum Ecclesiæ gerentem personam Christi adhiberi, in signum quòd excellentia virtutis in sacramento operantis est à Christo: sed in sacramento pœnitentiæ, quia actus humani sunt materia, illam non minister, sed pœnitens Deo per internam inspirationem operante applicat. Complementum autem sacramenti exhibet minister pœnitentem absoluens. Vbi id quod supra diximus adnotato, videlicet, absolutionem non esse sacramentum, neque verò partem eius sed eius complementum.

Aliud arg.

Per hoc soluitur argumentum aliud, quo arguitur actus pœnitentis non esse sacramentum, neque verò partes eius: quoniam ante absolutionem nec contritio, nec confessio rationem habent sacramenti. Respondetur, inquam, quod esto prius non sint partes, efficiuntur tamen tunc quando aduenies absolutio complet rationem sacramenti: tunc enim licet præcesserint, informantur. Ex quo fit, vt in hoc sacramento non requiratur, vt materia & forma eodem temporis momento concurrant.

3. Arg.

Tertiò arguitur. In sacramentis, de quibus hactenus diximus, est aliquid quod est sacramentum tantum, & aliquid quod est res & sacramentum, & aliquid quod est res tantum: in hoc verò sacramento non sunt hæc tria, ergo non est sacramentum. Negatur minor: imò in pœnitentia actus exterius exercitus, tam confessio scilicet pœnitentis, quam absolutio sacerdotis, est sacramentum tantum. Videtur hic Sanctus Thomas sentire, quòd aggregatim ex confessione & absolutione fit sacramentum. Sed tamen sanè intelligendum est, quòd nomen Sacramenti supponit pro materia, vt perficitur per formam. Res autem & sacramentum est pœnitentia interior peccatoris, sed res tantum est gratia, per quam fit peccatorum remissio. Quorum primum, inquit, totum, id est, confessio & absolutio, est causa secundi: scilicet contritionis: secundum verò, nempe contritio, est causa tertij, scilicet gratiæ.

Tria in pœnit. vt in alijs sacram. reperiuntur.

Opinio quorundam Thomist. refutatur.

Hic in primis perspice Diuum Thomam planè condemnantem opinionem illam Thomistarum, vt Capreoli & Paludani distinctione prima, quæstione prima, & distinctione præsenti, ponentium in sacramentis non imprimentibus characterem, ornatum quendam, qui est dispositio ad gratiam, quæ sit res & sacramentum. Quem ideo etiam fingunt in hoc sacramento pœnitentiæ. Contra quem vtique ornatum satis supra distinct. 1. quæstio. 3. & 4. disputauimus: est enim res absque vlla necessitate introducta. Quam idcirco opinionem licet Diuus Thomas in 4. distinct. 1. art. 4. cum antiquis vtcunque affirmauerit, in summa tamen, vt ibi monstrauimus, eandem abiecit, & hic planè condemnat, vbi rem & sacramentum, non ornatum, sed contritionem internam ponit. Nulla enim alia dispositio ad gratiam necessaria est in adultis, quàm actus ipsius pœnitentis. Et de hac loquitur Diuus Thomas 1. 2. quæst. 112. articulo secundo, vbi ait, quod gratia gratum faciens nunquam producitur sine præuia dispositione. Quare in paruulis nulla opus est dispositione. Neque verò character, vt illic declarauimus, tanquam dispositio ad gratiam, vt illi putant, imprimitur, sed in intellectu ad protestandam fidem.

Vnum hoc tamen addit hic Caietanus, quod nullatenus ego crediderim: nempe, dari posse attritionem, quæ cum sacramento pœnitentiæ solum in voto sufficiat ad gratiam. Nam cùm attritio, quæ solum dicit dolorem propter pœnas inferni, non fit sufficiens, & gratia sacramentalis non conferatur, nisi per sacramentum in re susceptum, nunquam per votum sacramenti fit homo ex attrito contritus, quod dist. 17. q. 2. iterum explicabimus, vbi & aliud, quod hic Caietanus subdit, examinabitur, Vtrùm scilicet aliqua esse possit tam languens attritio, quæ nec per susceptionem sacramenti sufficiat ad gratiam.

Caietani Opinio reijcitur de attritione.

Sed hoc est, quod dubium hic facit circa verbum S. Tho. quomodo scilicet exterior confessio & absolutio fit causa internæ contritionis, cum contritio confessionem præcedat. Quamobrem Magister Sententiarum d. 22. hanc opinionem S. Thom. reijciens, ait vice versa actum interiorem esse potius causam exterioris: & cùm per interiorem ante exteriorem fiat remissio peccati, colligit contra Sanctum Thomam, quod si exterior confessio & absolutio est sacramentum tantum, tunc non omne sacramentum nouæ legis efficit quod significat. Et confirmatur opinio. Contritio est pars integralis sacramenti, ergo non potest esse effectus confessionis & absolutionis. Sunt Thomistæ qui dicant actus illos exteriores esse causam interioris contritionis: eò quòd Deus per illos excitat cor hominis, vel ad mutandum obiectum actus interioris, qui prius erat propter pœnas inferni, vt fiat propter Deum, vel ad hoc, quod maiori conatu & feruore homo conteratur. Sed re vera hoc non est necessarium, vt semper contingat: quare accidentarium est. Sensus ergo S. Tho. est & verissimus & cordatissimus, quòd actus interior potest dupliciter considerari: vno modo, vt est prior natura quàm gratia, & sic non est contritio, sed dispositio materialis, quæ non habet rationem meriti, alias (vt ait Paulus †) gratia Dei non esset gratia. Alio modo, vt est posterior natura, quàm gratia per quam informatur, & tunc habet rationem contritionis & hac ratione est effectus confessionis & absolutionis, & causa remissionis peccatorum. Quare eadem contritio, vt est effectus sacramenti, est res, sed vt est causa remissionis, est sacramentum. Accipe primò exemplum in attritione. Dum quis accedit attritus, per gratiam sacramentalem fit contritus: quare ille actus quatenus contritio effectus est sacramenti. Sed dum accedit verè cõtritus propter Deum, illa etiam contritio non est contritio, nisi quatenus prius natura informatur gratia per sacramentum in voto. Itaque gratia vtitur virtute pœnitentiæ ad remittenda peccata. Sed de hoc explicatius dist. sequenti.

Dubium. Ex S. Tho. Quomodo confess. & absolut. sint causa contr? Magistri opinio.

Quorundã Thomistar. opinio.

Mens S. Tho. contra Magistrum.

† *Rom. 11.*

Contritio res est & Sacramentum.

Exemplo declaratur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm peccata sint propria materia huius sacramenti.

QVONIAM dictum est materiam huius sacramenti esse actus pœnitentis, & dici etiam solet esse peccatum, ad tollendum hanc amphibologiam quæritur, vtrum peccata sint propria materia. Et supposita distinctione respondetur bimembri conclusione. Consideratur enim in hoc sacramento & materia proxima & remota. Est ergo conclusio. Materia proxima pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, quibus homo conteritur, confitetur, & satisfacit: materia verò remota sunt ipsa peccata, non quidem acceptanda, quia ille non esset actus virtutis, sed detestanda & destruenda, iuxta reprehensionem Apostoli 2. Corinth. 12. non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia, quam gesserunt. Ponit exemplum in artificialibus. Sicut materia proxima statuæ metallum est, remota verò aqua, vel terra, ex quibus congelatur.

Conclusio.

Animaduertendum est hic discrimen inter actus pœnitentis, qui sunt materia proxima, & peccata, quæ sunt materia remota. Haud n. dicuntur materia remota: quia ex ipsis directè conficiuntur actus pœnitentis, sicut ex aqua & terra congelatur metallum, quæ est materia statuæ: aut sicut ex tritico fit massa, quæ est materia proxima panis: sed quia sunt obiecta eorundem actuum, non facienda, vt obiecta virtutum, sed expulsa & reprobata, sicut stupa est materia ignis. Et ideo actus pœnitentis eo dicuntur materia proxima: quia sunt partes pœnitentiæ, atque adeo sacramenti simpliciter, & propriè materia ex qua: peccata verò

Expositio articuli.

Peccata sunt materia remota.

potius

Digitized by Google

potius dicuntur obiecta, quæ per pœnitentiam expelluntur: atque adeo materia circa quam.

Scotus S. Thoma contrarius.

Secundò notato contra Scotũ, vt proximo articulo dicebamus, quòd licet affirmet peccata esse materiam, quæ per sacramentum expellitur, non tamen agnoscit propriam materiam sacramenti, quæ sit eius pars: cum dicat totam substantiam sacramẽti esse absolutionem, actus verò pœnitentiæ non esse materiam ex qua, sed dispositiones. In quo non solum D. Thomæ hic contradicit, verùm communi opinioni priscorum omnium doctorũm, vt Alexandri Alensis quarta parte quæst. 60. membro. 2. & Ricardi dist. 16. quæst. 1. art. 1. & Marsilij quæst. 10. & aliorum, imò, vt suprà diximus, concilio Florentino, & Augustino dicentibus sacramentum constare ex materia & forma. Quin & rationi ipsi, nam forma dicitur relatiuè ad materiam, quam informat. Secundùm verò Scotum absolutio non est sic forma, cùm nullam informet materiam, sed expellat. Notandum præterea, quòd etiam peccator solet dici materia, vt ait S. Tho. opusculo. 22. ca 4. Et Gerson in Floribus moralibus. Alia tamen ratione: scilicet, quia est subiectum recipiens sacramentum, cuius gratia sanctificatur & perficitur.

1. Argu. S. Thomæ.

Primum argumentum S. Thom. est. Materia in alijs sacramentis per aliqua verba prolata sanctificatur, vt patet in aqua baptismi & in chrismate: peccata verò sanctificari non possunt: ergo non sunt materia. Respondetur quod licet materia remota non sanctificetur, tamen materia proxima, scilicet actus pœnitentis, per absolutionẽ sanctificatur. Quod est nouum argumentum, illos esse materiam sacramenti, per quos & sanctificatur pœnitens.

2. Argum. † cap. 2. a princ. tom. 9.

Secundo arguitur. Vt autor est Augustinus in lib. de pœnitẽtiæ medicina † nullus potest nouam inchoare vitam nisi eum veteris pœniteat: sed ad vetustatem vitæ non solum peccata pertinent, verum etiam pœnalitates: ergo & illæ sunt materia. Respondetur ad minorem, quod vetus vita non est obiectum pœnitentiæ, nisi ratione culpæ quam detestatur: non enim hominem morborum corporalium aut mortalitatis pœnitet, sed culpæ peccati. Remittitur nihilominus ratione pœnitentiæ pœna aliqua purgatorij.

3. Argu.

Tertio arguitur. Peccatorum quoddam est originale, quoddam mortale, quoddam veniale, sed pœnitentiæ sacramentum non est contra originale institutum, quod tollitur per baptismum, neque contra mortale, quod tollitur per confessionem peccatoris, neque contra veniale, quod tollitur per aquam benedictam, &c. ergo peccata non sunt materia pœnitentiæ. Respondetur pœnitentiam esse de omni genere peccati, licet diuersimodè: nam de peccato mortali est propriè & principaliter. Propriè quidem, quia propriè eorum nos pœnitet, quæ propria voluntate, peccauimus: & principaliter, quia propter mortalia hoc sacramentum est institutum, sanè cum ad venialium remissionem alijs remedijs sacramentalibus abundemus. Peccata vero venialia sunt quidem propria materia, eo quod propria, voluntate illa committimus, non tamen contra hæc est sacramentum principaliter institutum. Originale autem nullatenus est pœnitentiæ materia. Neque principalis quidem, quia contra ipsum non est hoc sacramentum institutum, sed baptismus, qui ad id sufficit: neque vero propria, quia cum illud propria voluntate non commiserimus, non potest eius nos pœnitere magis quàm naturalium defectuum. Possumus quidem contristari, quod nati sumus cæci vel claudi, sed tamen horum pœnitentia tangere nos non potest. Ait quidem Paulus ad Rom. 5. nos omnes in Adam peccasse, id tamen fuit, quia voluntas Adæ nostra reputabatur, quod ad pœnitentiam non sufficit. Si vero pœnitentia largè accipiatur pro cuiuscunque mali detestatione & displicentia, sic possumus pœnitentiam habere originalis, vt ait Augustinus lib. de pœnitentiæ medicina, cap. 2. quia illud detestamur & abominamur.

Principaliter pœnitentia est de peccato mortali.

Origin. pecc. non est materia pœnitent.

De beata Virgine.

Colligito ergo primo, quod qui nullius est conscius actualis culpæ, nullatenus cõfiteri potest. Quare cũ beata Virgo certa semper fuerit nullam talem culpam commisisse, ridiculum est quod dicitur solitam fuisse confiteri Ioanni Euangelistæ. Secundo quod hic ait S. Thom. posse largo modo pœnitentiam esse de originali peccato, & in quarto dist. 16. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ait quod talis pœnitentia non solum potest, sed debet haberi. Quod quidam in suo Codice de confessione tract. 1. quæst. 3. reprehendit. Sed primum illa est sententia Augustini loco proximè citato, vbi ait per totam istam vitam debere nos originalis pœnitere: quia impedimentum est assequendæ gloriæ, vbi dicit non illam pœnitentiam esse necessariam ad delendum originale, quod certum est per baptismum remitti, sed ad roborandum desiderium gloriæ, cuius est impedimentum. Quare pœnitere non accepit nisi pro tædere & tristari de effectibus illius peccati: nempe quod onus corruptibilis corporis aggrauantis animam toleramus. Secundo quod illic S. Thom. dixit, debet, hic non dixit nisi moderatiùs, potest esse pœnitentia.

Qualiter nos pœnitere debeat de pecc. origin.

Quod si quis interroget, vtrum peccata mortalia commissa ante baptismum sint materia pœnitentiæ: iam in materia baptismi distinximus, quod si accipiatur pœnitentia pro interiori, illa est necessaria, vt ibidem ait Aug. iuxta verbum Petri Actu. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Atque hanc pœnitentiam Baptista prædicauit Iudæis antequam baptizarentur. Et de istis ait August. ibidem quod nullus potest nouam vitam inchoare, nisi veteris prius eum pœnituerit. Sacramenti vero pœnitentiæ illa peccata non possunt esse materia, nempe confessionis: nam ante baptismum nullum est sacramentum: & post baptismum iniuriam ei faceret, qui peccata præterita confiteretur. Sunt ergo legitima & necessaria materia peccata mortalia post baptismum commissa, quæ memorię occurrere possunt: nam de futuris timor esse potest, pœnitentia vero minimè: sicuti neque de oblitis nisi in generali. De venialibus autem neque confessio, neque pœnitentia interior est necessaria: quia possunt per alia opera charitatis, vel per sacramentalia remitti: sed sunt nihilominus legitima materia, tam contritionis quàm confessionis.

Dubium. De pecc. mortalibus ante bapt. commissis, futuris, oblitis, & venialibus an sit pœnitentia.

ARTICVLVS III.

Vtrum hæc sit forma huius sacramenti, Ego te absoluo.

POST materiam quæritur de forma, quænam sit huius sacramenti. Et respondet S. Thom. hac conclusione. Hæc est conuenientissima forma huius sacramenti. Ego te absoluo. Probatur primo authoritate Euangelica. Sicut enim Christus Matth. vltimo dixit discipulis, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos: ita Matth. 16. dixit Petro, Quodcunque solueris super terram, &c. Sed sacerdos dum baptizat, authoritate Christi dicit, Ego te baptizo: ergo eadem authoritate dum absoluit, dicere debet, Ego te absoluo. Secundo probatur ratione. Dictum est art. 1. sacramentum perfici & compleri per ea quæ sunt ex parte sacerdotis, oportet ergo vt ea quæ sunt ex parte pœnitentis, seu verba, seu facta, nempe confessio, & contritio, & satisfactio, se habeant, vt materia, ea vero quæ sunt ex parte sacerdotis, se habeant vt forma: cùm ergo sacramenta efficiant quod figurant, necesse est, vt forma significet effectum sacramenti proportionabiliter ad materiam. Vnde quia effectus baptismi fit per aquam, forma est, Ego te baptizo: & quia sacramentum confirmationis fit per chrisma in modum crucis, forma est: Consigno te signo crucis, & confirmo tè chrismate salutis. In sacramento autem Eucharistiæ, quia consistit in consecratione, præsentis materiæ forma est, quæ exprimit illam veritatem, cum dicitur: Hoc est corpus meum. Hoc vero sacramentum pœnitentiæ nec consistit in consecratione materiæ, neque in vsu eiusdem consecratæ, sed magis in remotione & expulsione materiæ remotæ, scilicet peccati, vt dictum est. Illa ergo expulsio congruentissimè significatur illis verbis, Ego te absoluo: eo quod peccata quædam sunt vincula, secundum illud Prouer. 5. Iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum quisque constringitur: ergo illa est optima forma.

Conclusio.

Cùm forma hæc huius sacramenti non feratur nisi in eum, qui in aurem sacerdoti confitetur, iterum dist. 18. in materia confessionis hic sermo formæ redibit, vbi luculentior fiet. Nunc autem hoc adnotandum, quod de hac forma litem nobis prius contestantur hæretici, ac deinde catholicorum nonnulli. Illi quidem, quia clauium potestatem esse in Ecclesia negant, vllámve absoluendi facultatem, vt Witcleff apud Waldensem tomo 2. de sacrament. 135. & infra, qui negans

Expositio articuli.

confessio-

confessionis necessitatem, hanc execratur absoluendi formam. Vnde ca. 147. luciferinam, inquit, esse præsumptionem dicere quòd homo habeat potestatem absoluendi hunc vel illum à peccato. Et Lutherus, vt est videre art. 11. & 12. a Leone condemnatus, blasphemiam arbitratur, quòd sacerdotes hanc sibi arrogent absoluendi facultatem, cum sola fides sufficiat ad salutem; sed de hac hæretica impietate loco citato inferius dicturi sumus, & rursus distinct. 20. quæ de clauibus erit.

Abulensis opinio dicentis quod nemo possit à culpa & à pœna absoluere.

Catholici verò sunt tripertiti. Abulensis namque in prima parte sui (quod vocat) defensorij, cap. 6. adeò vult exactè vti absolutionis nomine, vt nesciam an quippiam expuerit sanguinis. Contendit namq; quod nemo potest à culpa aut à pœna absolui. Non quòd vllo pacto in dubium reuocet potestatem remittendi peccata esse in ecclesia: imò hoc, vt Orthodoxus fatetur, sed quòd propter verbi improprietatem asserat, nec Deum absoluere à culpa vel à pœna. Nam culpa est priuatio rectitudinis rationis, & legis æternæ, quæ est in actu dum quis peccat, aut in omissione: quæ quidem culpa transit transeunte actu. Vnde dum postea homo vel conteritur, vel confitetur, iam illa culpa non est, sicut nec actus, qui transiuit: ab eo autem quod non est, nemo absoluitur. Adde, quod cum priuatio non sit res positiua, non est vinculum, atque adeò ab illa nemo absoluitur: Et eadem ratione neque vllus absoluitur à macula peccati quæ non est nisi priuatio gratiæ, quæ per eius infusionem tollitur: quia nec macula est vinculum. Pariter arguitur de pœna: nam cum illa nondum tempore contritionis & confessionis sit, sed sit futura, non fit absolutio ab illa. Atque hac, inquit, de causa in clem. 1. de priuileg. prohibens Papa religiosos absoluere, ait, ne à culpa & pœna (vt eorum verbis vtamur) absoluant. Id quòd clem. Abusionibus. de pœnit. & remissio. repetit. Quasi illa parenthesi insinuauerit Pontifex, non esse proprium dicere, absoluere à culpa, & à pœna: sed dicendum inquit est, Remittitur culpa, tollitur, deletur, &c. At dum dimittitur, inquit, culpa, absoluitur homo à reatu pœnæ æternæ: nam reatus non est pœna, sed obligatio ad illam, & vinculum. Quare siquis dicatur absolui à peccatis, intelligitur propter reatum pœnæ, qui nascitur ex peccatis.

Ratio.

Reprobatio opinionis.

Sed enim potuisset Abulensis rigorem istum loquendi dissimulare: nam cum ecclesia hac vbique vtatur forma, & in concilio Florentino eandem esse formam decretum sit, non licet de eius proprietate hæsitare, præsertim cum sit ex euangelio desumpta. Vnde ad primum eius argumentum respondetur, quòd non solum obligatio ad pœnam vinculum est, verùm & reatus culpæ: nam licet culpa transeat actu, manet, vt aiunt, reatu non solùm pœnæ. Imò quamuis nulla esset pœna aut purgatorij aut inferni, ipsa inimicitia Dei est reatus: quia manet homo alligatus bono commutabili, ad quod se per culpam conuertit. Qua vtique ratione peccata ipsa dicuntur vinculum, quibus voluntas hominis colligatur. Legitur enim Esaiæ 58. Dissolue colligationes impietatis. Item Abulensis fatetur quod peccata dicuntur remitti & relaxari, iuxta illud, Relaxa facinora plebis tuæ Israël. Sed hæc nomina pariter ad vincula referuntur, nemo enim relaxatur, nisi à vinculis. Dicimus ergo peccata remitti, condonari, & relaxari, &c. sed hominem ab illis absolui. Et pariter, quia homo absoluitur ab obligatione pœnæ, dicitur absolui à pœna, sicut in iudicio absoluitur reus. Verbo ergo Pontificis in capitulis citatis nulla insinuatur improprietas absoluendi à culpa, & pœna: sed arrogantia retunditur eorum, qui absque legitima facultate id attentant.

Ad rat. Abul.

2. Opinio est formam non debere esse indicatiuam.

Secunda verò fuit opinio cuiusdam autoris tempore Sanct. Thomæ, contra quem scripsit opusculum 22. qui quidem dicebat, vt ex eius argumentis colligitur, formam non debere esse indicatiuam, sed deprecatoriam. Ego te absoluo. Quam quidem opinionem illic S. Thom. ait esse temerariam & præsumptuosam. Atque hanc tangit hic primo. 2. & 4. argumentis.

1. Argum.

Arguit ergo primo loco. Formæ sacramentorum ex institutione Christi & Ecclesiæ vsu habentur: sed Christus non legitur hanc formam instituisse, neque etiam in communi vsu habetur: quinimò in quibusdam absolutionibus, quæ in Ecclesia publicè fiunt, (sicut in prima & completorio, in cœna Domini) absoluens non vtitur forma indicatiua, Ego te absoluo, sed deprecatiua, Misereatur vestri, &c. vel, Absolutionem & remissionem tribuat vobis omnipotens Deus.

2. Argu.

Accedit secundò quod Leo Papa ad Theodoretum, & refertur can. Multiplex. de pœnit. d. 1. loquens de pœnitentia, quæ pœnitentibus datur, ait, quòd indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri: supplicatoria ergo debet esse forma.

4. Argum.

Quartò loco quidem arguit S. Thomas. Sicut Dominus dedit potestatem discipulis absoluendi à peccatis: ita etiam dedit eis potestatem curandi infirmitates, & dæmonia eijciendi, & languores sanandi, vt habetur Matth. 10. & Lucæ 9. Sed sanando infirmos Apostoli non vtebantur his verbis, Ego te sano; sed, Sanet te Dominus Iesus Christus, sicut Petrus dixit Paralytico, vt legitur Actuum 2. ergo videtur, quod sacerdotes habentes potestatem Apostolis à Christo traditam, non debeant vti hac forma verborum, Ego te absoluo, sed, Absolutionem tribuat tibi Christus. Quæ quidem opinio confirmari potest, quia forma extremæ vnctionis etiam est deprecatoria. Indulgeat tibi Deus, &c.

2. Opinionis refutatio. Ad 1. arg.

Est nihilominus opinio non solum temeraria, verum & ad illam alludens clauium potestatem negantium. Et ideo ad primum argumentum respondetur, quod licet Christus formaliter non expresserit hanc formam sicut illam, Hoc est corpus meum: tamen ex illo verbo ad Petrum, Quodcunque solueris, &c. planissimè colligitur. Quare in hymno eiusdem Apostoli canit ecclesia: Et peccati vincula resolue tibi potestate tradita. Qui autem deprecatione solum vtitur non absoluit, sed absolutionem petit à Deo. Reliquæ vero deprecatoriæ formæ non sunt de essentia sacramenti, neque per se sufficerent ad collationem gratiæ, laudabiliter tamen formæ sacramenti præmittuntur, ne effectus eius ex parte pœnitentis impediatur. Quòd si rogas cur non etiam præmittuntur formæ baptismi? Respondetur, quòd in baptismo actus suscipientis minimè sunt materia sacramenti, quemadmodum in sacramento pœnitentiæ. Verbum ergo Leonis de deprecatione intelligendum est, quæ absolutioni anteponitur.

Solutio quarti.

Ad quartum argumentum negatur maior. Haud enim Dominus dedit Apostolis illam potestatem sanandi, sicut absoluendi: sed solum vt ad eorum preces miracula illa Deus operaretur. Tametsi & nonunquam non deprecatiuo, verū & indicatiuo & imperatiuo verbo vtebantur. Legitur enim Actuum 3. Petrum dixisse claudo. Quod habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.

Ad aliud arg. de forma Extremæ vnct. deprecatoria.

Quòd autem hic ait S. Thom. non fuisse Apostolis collatam potestatem sanandi infirmos, vt bene ait hic Caietanus, non sic intelligitur, ac si non posset Deus hanc potestatem dare, vt id facerent ministerialiter, sicut dedit potestatem absoluendi, sed solùm intelligitur de lege ordinaria. Nam quòd sancti miracula facerent, satis saluatur per hoc quòd Deus eorum precibus faciat, quod ad effectum sacramentorum non sufficit.

3. Opinio Magistri Sent. malè dicit ego te absoluo.

Ad aliud de forma extremæ vnctionis respondet eodem opusculo Sanct. Thomas, eam esse desumptam ex verbo Iacobi 5. Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est, remittetur ei. Vnde quia effectus illius sacramenti non solum est spiritualis gratia, sed etiam corporis sanitas, quæ non infallibiliter virtute sacramenti obtinetur, forma est deprecatoria, vt ille etiam effectus obtineatur. Hoc autem sacramentum non habet nisi effectum gratiæ, qui est certus & infallibilis.

3. Argu. S. Tho.

Tertia opinio fuit Magistri Sentent. dist. 18. nitorem aliter huius formæ obscurantis. Quam opinionem S. Thomas argumentis tertio & quinto tangit. Tertiò igitur arguit. Idem est absoluere à peccato, quod peccatum remittere: sed solus Deus peccatum remittit, qui etiam solus interius hominem à peccatis mundat: ergo solus Deus videtur à peccato absoluere: quare sacerdos vt non dicit, Peccata tibi remitto, ita nec dicere debet, Ego te absoluo. Hoc argumentum non solum hæreticorum est, verum & Magistri loco citato. Ait enim solum Deum absoluere, iuxta verbum Esaiæ 43. Ego solus deleo iniquitates & peccata populi. Et Ambros. in lib. de Spiritu sancto, & refertur de pœnitentia, dist. 1. can. Verbum. Verbum, inquit, Dei peccata remittit, sacerdos est iudex.

Argum. Magistri.

Digitized by Google

† Tract. 5. tom. 9.

Sacerdos quidem suum officium exhibet, & nullius potestatis iura exercet. Et Augustinus super illud Ioan. † Ecce agnus Dei, qui tollit, &c. Nemo, inquit, soluit peccata, nisi Deus, qui est agnus tollens peccata mundi. Adducit præterea Magister illud Matth. 8. quòd cùm Christus leprosum priùs sanasset, iussit vt se sacerdotibus ostenderet. Et aliud Ioa. 11. vbi postquam Lazarum ipse à monumento suscitauit, discipulis tradidit dissoluendum. Vndé colligit id tantum Euangelicos sacerdotes posse, quod olim legales: illi autem à lepra non emundabant, sed mundos esse iudicabant. Ex quo demum infert, quòd in vniuersum nemo absoluitur à sacerdote, nisi quem prius Deus absoluerit. Ac subinde infert sensum illius, Ego te absoluo, esse, Ostendo te absolutum.

Exemplum de leproso & Lazaro.

5. Argu.

Quam quidem opinionem insinuat S. Thom. sic arguens quinto loco. Formam sic quipiam exponunt, vt, absoluo, idem sit, quod absolutum ostendo: quæ quidem expositio, si vera est, non potest nisi per reuelationem haberi; nam vt Matth. 16. legitur, antequam Petro Christus dixisset: Quodcunque solueris super terram, &c. præmisit. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est: ergo præsumptio est citra peculiarem reuelationem dicere, Ego te absoluo.

Hanc Magistri opinionem etiam Abulensis loco modò citato, & Alexand. 4. part. q. 80. memb. 2. & Bonauentura ead. distinct. 18. q. 2. itidem opinantur. Huius autem veritatis examen ad materiam pertinet de clauibus. Est autem opinio, quæ nec tenetur, nec sustineri potest. Nihil enim ferè ab hæresi differre videtur, clauium potestatem abnegantium. Potestas quippe clauium potissimum in peccatorum remissione vim obtinet. Qui ergo negat sacerdotem absoluere, verè subinde claues abnegat. Secundò, qui ait sacerdotem non absoluere, pari facilitate debet dicere, nec verè baptizare; sed cum ait: Ego te baptizo, sensum esse. Ostendo te baptizatũ: ac subinde virtutem sacramentorum conferendi gratiam demolitur. Nam si sacramenta gratiam conferunt, suo etiam modo sacerdotes ea administrantes ad id concurrunt. Magister ergo sui ipsius oblitus fuit: nam cum distinctio. prima, sacramenta nouæ legis asserierit gratiam conferre, non debuisset ministerialem hanc virtutem sacerdotibus denegare. Vnde in concilio Constantiensi ex hoc quòd sacramenta conferunt gratiam, collectum est, sacerdotem ad id concurrere. Quare Martinus 5. in confirmatione in calce eiusdem concilij, hæreticum censet eum, qui negat sacerdotem verè absoluere. Tertiò, vt dudum dicebamus, cum Ecclesia ista forma vtatur. Ego te absoluo, genus blasphemiæ est negare, vetum, vt iacet, efficere sensum. Quinuero non solum blasphemia est contra Ecclesiã, sed & impietas contra sacram scripturam. Dum enim Matth. 16 Christus dixerit Petro: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, & sententia illa ad id, quod est de necessitate salutis pertineat, in sensu proprio secundum regulam Augustini, sunt verba intelligenda. Et locus ille Ioann. 20. rem vrgentissimè concludit. Enimuerò cùm Christus præmiserit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, & insufflans subiunxerit, Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, planissimum fit, eandem potestatem qua ipse pollebat, sacerdotibus tribuisse. Sed de hoc infra locis citatis plura adhibebimus.

Suprad. sententia Magistri refellitur.

Solutio 5.

Accedit demum solutio D. Tho. ad quintum. Hæc n. inquit, expositio, Ego te absoluo, id est, absolutum ostendo, partim quidem vera est, non tamen perfecta. Sacramenta quippe nouæ legis non solum significant, sed efficiunt quod significant. Vnde sicut sacerdos dicens: Ego te baptizo, re ipsa & verbo ostendit esse mundum, non solum significatiuè, sed efficiendo quod significat: ita cum ait, Ego te absoluo, ostendit absolutum, verè tamen absoluendo.

Contra solut. 5.

Quòd si quis in contrarium arguat. Vsu venire potest, vt pœnitens non sit corde dispositus, vt beneficium absolutionis suscipiat, atque adeò tunc forma erit falsa. Respondetur primò pariter argumentum contra Magistrum militare. Secundò respondetur, veritatem propositionis per hoc saluam fieri, quòd quantum ad vim formæ attinet, absolutio fieret. Sicut reliqua omnia sacramenta virtute passionis Christi effectum habent, quæ tamen virtus ex parte subiecti impediri potest. Et ideo sacerdos cum dicit, Ego te baptizo, vel, Ego te absoluo, non loquitur quasi de re incerta. Vnde Augustinus lib. de adulter. coniug. † Non est, inquit, turpis & difficilis post patrata & purgata adulteria reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. Quocirca sacerdos non indiget peculiari reuelatione an pœnitens sit legitime paratus, sed sufficit illa generalis facta Petro, quod virtute clauium sit remissio. Ex his ergo bene colligit D. Thom. sensum potius huius formæ, Ego te absoluo, esse, sacramentum absolutionis tibi impendo.

† Lib. 2. c. tom. 6.

Et per hoc soluitur argumentum Magistri, videlicet, Pœnitens ante absolutionem sacerdotis est diuinitus absolutus: ergo falsum est per sacerdotem absolui. Respondetur enim illam fallaciam in argumento latere, quòd putant hæretici, & pariter catholicus Magister, quod nemo dignè accedit ad sacramentum pœnitentiæ nisi verè contritus, cum tamen accedere possit attritus, & tunc re vera absoluitur, vbi per absolutionem primam suscipit gratiam, vt infra patebit. Atque hinc nouum sumitur argumentum contra Magistrum, nam secundum ipsum nunquam per confessionem ex attrito fiet contritus. Si verò accedat verè contritus, tunc respondent nonnulli, vt Magist. ipse refert, & Scotus d. 4. q. 4. insinuat, quòd absoluitur à reatu pœnæ. Sed in contrarium est, quòd potestas clauium, quæ illic exercetur, ad remissionem culpæ extenditur. Item, quia posset pœnitens ita esse contritus, vt nullum haberet reatum pœnæ, & tunc argumentum rediret. Alij dicunt, quòd solum absoluitur à præcepto confessionis, sed hoc falsissimum est: quia pœnitens non absoluitur, nisi à peccatis quæ confitetur: illa autem confitetur, de quibus est contritus. Respondendum ergo, veram esse formam: nam sensus est, Quantum in me est, & per se attinet ad virtutem sacramenti, ego te absoluo: hoc est, sacramentum absolutionis (vt hic ait D. Thom.) tibi impendo, cuius virtute si in peccatis existeres, absolutus fieres. Quòd autem ille sit in gratia, est res per accidens, sicut accidere potest, (quod dudum dicebamus,) vt non esset legitimè dispositus. Sed arguis. Pari ratione dum confirmatio, vel Eucharistia, vel aliud sacramentum confertur, illa collatio sacramenti dici etiam posset absolutio: quia illa gratia per se condonandæ culpæ sufficeret. Negatur consequentia: est enim latum discrimen, quod sacramentum pœnitentiæ peculiariter institutum est ad remissionẽ peccatorum post baptismum commissorum. Ob idque legitima contritio votum confessionis pro suo tempore debet includere: atque adeo in virtute futuri sacramenti peccata remittit. Quapropter dum quis absoluitur, applicatur sacramẽtum, cuius virtute est absolutus. In quo vtique sensu vera est forma. Ego te absoluo: quia tunc sacerdos complet, quod pœnitens in voto gerebat. Veluti dum Cornelius in gratia existens baptizatus fuit, vera erat baptizantis forma. Ego te baptizo: quia complebat illud, cuius virtute & voto fuerat ab originali ablutus. Ad aliud, quod Magister adducit de leproso, respondetur, quod in hoc fuit seductus, putans non esse maiorem virtutem in sacerdotibus nostris, quàm in legalibus. Imò sicut inter sacramenta veteris legis & nostra, ita & inter sacerdotes hoc est discrimen, vt eleganter lib. 3. de sacerdotio edisserit Chrysostomus, quod illi nullam virtutem habebant spiritualem conferendi gratiam: nostri verò illam à Christo plenissimam susceperunt, vt loco nuper Ioan. 20. citato apertissimè constat.

Solutio 5. Argum. Ad exempl. de leproso.

Ad illud autem de Lazaro respondet Scotus illic significari sacerdotem eum qui contritus est, non absoluere nisi à reatu pœnæ. Sed hoc iam impugnatum est. Respondetur ergo non esse omnimodam comparationem, vt propter hoc, quòd Lazarus à Domino suscitatus erat, sacerdos non verè absoluat. Imò in illo discipulorum officio significata est potestas sacerdotum verè à peccatis soluendi. Vnde in lib. de vera & falsa pœnitentia, qui Aug. inscribitur cap. 9. sic legitur. Ipsi sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittit Dominus. Lazarum, quem de monumento suscitauit, obtulit discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdoti. Respondet ergo D. Thom. ad tertium argumentum, quod solus Deus per autoritatem & à peccato absoluit, & peccatũ remittit: sacerdotes tamen vtrumque faciunt per ministerium, in quantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instru-

De Lazaro. Ad 3. arg. S. Thom.

Digitized by Google

to instrumentaliter operantur virtute diuina, sicut etiam in alijs sacramentis. Præsertim quòd Esa. 42. non legitur, solus Deus, sed ipse Deus. At quamuis diceret, solus, non excluderet ministrum, sicut solus rex dicitur gubernare, licet id faciat per prætorem, & solus faber fabrefacere, licet faciat per instrumenta. Vnde Dominus vtrumque expressit: nam Matth. 16. dixit Petro: Quodcunque solueris super terram, &c. & Ioan. 20. dixit discipulis: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Quocirca Paul. 2. Corinth. 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi: donare autem peccatum, est hominem ab ipso absoluere. Vnde Ecclesia in solennitate Diui Petri canit. Et peccati vincula resolue tibi potestate tradita. Addit verò S. Thom. illam formam potius Ecclesiam vsurpasse. Ego te absoluo, quàm: Ego tibi remitto, quia hoc magis congruit verbis, quibus Dominus potestatem clauium impertitus est Petro. Et eodem pacto respondetur ad autoritates Augustini & Ambrosij, intelligunt enim soli Deo competere per natiuam autoritatem absoluere à peccatis, nihilominus idem sacerdotibus per susceptam ab illo potestatem etiam communicatur. Et Ambrosius eod. can. citato sese exponit dicens, quod ecclesiæ vtrumque ius, scilicet ligandi & soluendi, Dominus concessit. Subiungit tertiò S. Tho. quod conuenienter sacerdos apponit aliquid, quod pertineat ad primam autoritatem Dei, cui innititur, vt scilicet dicat: Ego te absoluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vel per virtutem passionis Christi, vel autoritatem Dei, sicut ait Dionys. 3. cœlestis hierarchiæ. Est enim hic mendosa citatio in D. Thoma.

Cõgruentia verborum forma.

Durand.

Similiter Durand. in 4. distinct. 22. quæst. 2. ait probabiliter, quod prædictis verbis oportet aliquid addere, quod pertineat ad inuocationem diuini nominis, eo quòd in quacunq; forma sacramẽti in qua exprimitur minister, debet exprimi in cuius autoritate sit minister. At verò hoc non est verum vt insinuat tanquam de necessitate sacramenti, vt in baptismo & confirmatione: nam ratio quare illic nominantur personæ diuinæ, nõ est quia nominatur minister, sed quia in baptismo fit professio fidei, cuius propugnator cõstituitur in confirmatione. Et confirmatur, quia si ista adiectio esset de essentia, præfixa essent verba, quibus esset vtendum: & tamen Sanct. Thom. non dicit, nisi quòd dicantur aut hæc aut illa. Est ergo decens dicere: Autoritate Dei ego te absoluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed tamen omissio illius nullatenus esset peccatum mortale. Imo nisi interueniret aliquis cõtemptus, neque esset veniale.

Dubium. An æquiualens forma possit substitui.

Remitto tibi pecc.

Tandem circa hanc formam dubitatur, vtrùm sit vsque adeò necessaria, vt non liceat loco illius alteram æquialentem substituere. Respondetur imprimis, pronomen, ego, cùm in verbo subintelligatur, non esse necessarium quòd exprimatur. Secundò, etsi pro absoluo, dicat sacerdos, remitto tibi peccata, validũ esset sacramentum, vt bene hic ait Caietanus, nam in Euangelio habetur: Quorum remiseritis peccata. Quare Sanct. Tho. in solutione tertij non ait nisi quod forma per, absoluo, sit congruentior. Esset tamen peccatum illa vti forma, licet genere suo non mortale, nisi forte propter scandalum quia vulgus non haberet absolutionem illam pro legitima. Similiter, vt ex solutione quinti colligitur, sufficiẽs esset forma, sacramentum absolutionis tibi impendo: nam perinde esset, vt hic, inquit Caietanus, ac si diceret, sacramentaliter te absoluo: sed esset pariter hæc mutatio peccatum. Rursus cum Græci per tertiam personam dicant. Baptizetur seruus Christi, fit vt similiter siquis diceret. Absolueris, vel absoluaris à me, sufficeret: nam hæc non est deprecatiua: vt illa, Deus te absoluat, vel tribuat tibi absolutionem; quæ supra reprobata est, sed assertoria, vt illa Græcorum. Pariter si diceretur, remittuntur tibi peccata, solidum esset sacramentum. Nam, vt habetur in concilio Florentino, sufficit verbum per quod exprimatur sacramentalis actio, vt à sacerdote exercita. Tametsi tanta mutatio per tertiam personam scrupulum inijceret, ne illa esset peccatum mortale. Scotus verò dicit sufficere, vt quomodocunque exprimatur actus per sententiam absoluentis, sicut in foro exteriori. Laxatio hæc tamen licentiæ nimia est. Etenim S. Thom. opusculo citato c. 2. absolutionem sacramentalem ab absolutione excommunicationis discriminat dicens, quod ad absoluendum ab excommunicatione, quia fit in foro exteriori, nulla est præscripta forma. Sed quomodocumque fit absolutio. Secus verò in sacramento, cuius forma habetur à iure diuino. Neque necessarium est addere. Absoluo te à peccatis tuis, licet sit congruum. Addere autem, ab omnibus peccatis de quibus es contritus, & quorum es oblitus, & nescio quas alias ineptas inculcationes, non est prudentia, neque prudentibus sacerdotibus est in vsu, sed vulgaribus & ruralibus.

Absolutionis sacr. impendo.

Absolueris à me.

Remittuntur tibi peccata.

Superflua in forma non addenda.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum manuum impositio sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum.

PROPTER vsum quorundam manus imponentium, quæritur vtrùm illa sit necessaria. Et respondetur conclusione negatiua. Ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut neque ad baptismum. Primò, quia in Euangelio vbi data est potestas clauium, nulla fit eius mentio, sed solum habetur. Quodcunque solueris, &c. Quorum remiseritis peccata. Et accedit ratio, quòd impositio manuum in sacramentis fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo suscipientes quodammodo vniuntur sacerdotibus. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti. Et in sacramento ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in diuinis mysterijs. Vnde & 2. ad Timoth. 1. ait Paul. Et resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum, sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed remissionem peccatorum: quare hic non requiritur.

Conclusio.

Animaduertendum est hic in quæstionem non verti, an impositio manuum sit de essentia sacramenti: quoniam neque in sacramento confirmationis, neque in sacramento ordinis manuum impositio est de essentia; quandoquidem non significatur per formam. Sed solùm: vtrùm sit de congruitate hic, sicut illic. Durand. autem distinct. 22. q. 2. paulò differentius rationem assignat manuum impositionis: videlicet, quòd in illis sacramentis, per quæ suscipiens ad solennem aliquam actionem deputatur, vt sunt confirmatio & ordo, imponuntur tanquam operationis organa: in alijs verò minimè. Sed hoc est quod S. Tho. insinuat dicens: Vbi fit copiosior gratiæ infusio ad eiusmodi obeunda officia.

Expositio articuli.

Sunt autem de hac cæremonia duæ diuersæ opiniones. Ille namque, contra quem D. Tho. opusculum citatum, 22. composuit, aiebat esse de necessitate salutis: quem illic. 4. c. confutat, cuius argumenta hic D. Thom. refert. Sed Witcleff, vt Tho. Waldensis tomo 2. de sacramen. ca. 147. commemorat, omnem manuum impositionem deridebat: At vero quamuis non sit necessaria, vt ostensum est; nihilominus non est despicienda. Fuit enim in vsu in primitiua Ecclesia non solum in confirmatione, quæ ideo manus impositio dicebatur, vt patet can. Manus. de consecrat. dis. 5. verùm etiam in sacramento pœnitentiæ, vt patet in concilio Nicæno ca. 9. & in Carthaginensi c. 32. Vnde & qui erant in pœnitentia publica, per manuum impositionem reconciliabantur, vt constat d. 50. can. Pœnitentes. & 26. q. 6. cano. Qui recedunt. & cano. Is qui. Quare Aug. lib. 4. de baptismo, quod refertur. 1. q. 1. can. Manus. sacramentum hoc ipsum pœnitentiæ appellat manus impositionem, vbi ait. Manus impositio, non sicut baptismus, repeti non potest. Et cæremonia hæc, vt illic refert V Valdensis, ex veteri lege consuetudinem traxit. Sacerdos enim, vt legitur Leuit. 16. dum peccata populi confitebatur, manus capiti hirci emissarij imponebat, qui quidem hircus pœnitentis figura erat. Etenim quoniam manus instrumentum sunt operandi, cæremonia illa significabat gratiam suo ministerio conferri. Item quia Christus corporeos morbos manuum impositione curare docuit dicens Marci vlt. super ægros manus imponent, & bene habebunt, ægritudines etiam animæ eodem manuum tactu curabant. At verò quoniam cæremonia illa non est necessaria, vsus ille abolitus est: cuius ideo in concilio Florentino nulla fit mentio. Vnde licet Paludanus distinctione vigesimasecunda, quæstione tertia, arbitretur esse etiam nunc congruum manus

Vsus manuum impositionis antiquitas.

Manus impositio à veteri lege mutuata.

Digitized by Google

imponere inter absoluendum pœnitentem, verumtamen non habetur in vsu: neque verò est congruum, nisi vbi in tota prouincia esset in more. Et multò minùs manum eleuare dum fit absolutio.

1. Argu. Primum argumentum S. Thomæ est. Dicitur Marci vlt. super ægros manus imponent, & bene habebunt: sed peccatores etiam sunt ægri: ergo eodem modo sunt sanandi. Negatur consequentia: quoniam prior manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula facienda, vt per contactum manus hominis sanctificati etiam corporalis infirmitas tollatur. Sicut legitur de Domino Marc. 6. quòd infirmum manibus impositis curauit. Et Matth. 8. quòd contactu curauit Leprosum. Gratia verò sacramentalis non ex ministri sanctitate, sed ex passione Christi promanat.

2. Argu. Secundò arguitur. Is sacramento pœnitentiæ recuperat homo Spiritum sanctum amissum: vnde ex persona pœnitentis dicitur in Psalmo 50. Redde mihi lætiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me: sed Spiritus sanctus dabatur ab Apostolis per manus impositionem, vt patet Act. octauo, & Matth. decimonono legitur, oblatos fuisse Domino paruulos, quibus manus imponeret: ergo id ipsum in pœnitentia est obseruãdum. Negatur consequentia: quoniam non semper Spiritus sanctus per talem cæremoniam suscipitur, vt patet in baptismo, & Eucharistia, sed ibi dat*Argum.* tur cum plenitudine, vt dictum est. Quod si arguas saltem in baptismo debere manus imponi, quia ibi datur copiosè Spiritus sanctus, iuxta illud Paul. ad Titum: Per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Respondetur, quòd illa abundantia non refertur ad baptismum præcisè, sed ad copiosum sacramentorum numerum.

3. Argu. Tertiò arguitur. Verba sacerdotis in pœnitentia non sunt minoris efficaciæ quàm in cæteris sacramentis: sed in cæteris non solùm verba profert, sed actum exercet, sicut in baptismo, ergo & in hoc sacramento debet manu tangere pœnitentem. Respondetur, quòd in sacramentis, quæ vsu materiæ perficiuntur, requiritur actus corporeus circa suscipiẽtem, vt in baptismo, confirmatione, & extrema vnctione: hoc verò sacramentum non consistit in vsu materiæ, sed pro materia se habeat actus pœnitentis. Vnde sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam perficit sacramentum, ita & sola verba sacerdotis absoluentis super pœnitentem perficiunt sacramentum. Addit S. Th. quod si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis necessarius, non minus competeret crucis signatio, quæ adhibetur in Eucharistia scilicet in missa super materiam cõsecrandam & consecratam, quàm manus impositio in signum quòd per sanguinem crucis Christi remittuntur peccata. Et tamen non est de necessitate huius sacramenti, sicut neque de necessitate Eucharistiæ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hoc sacramentum sit de necessitate salutis.

CONSTITVTIS sacramenti partibus, quæritur de eius necessitate. Ad quod D. Tho. sub distinctione tribus conclusionibus respondet. Est enim aliquid necessarium ad finem consequendum dupliciter. Vno scilicet modo absolutè, atque altero ex suppositione.

1. Conclu. Est ergo prima conclusio. Sacramentum pœnitentiæ non est absolutè necessarium ad salutem: nam sine illo potest quis per baptismum gratiam Christi obtinere in qua consistit salus. Vnde 2. Paral. vlt. legitur. Et tu Deus iustorum non posuisti pœnitentiam iustis Abraham, Isaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt.

2. Concl. Secunda conclusio. Hoc sacramentum est necessarium ex suppositione, non quidem vniuersis hominibus, sed peccato subiacentibus. Et probatur ratione. Peccatum, vt Iaco. 1. legitur, cùm consummatum fuerit, generat mortem: & ideò necessarium est ad salutem peccatoris, quod peccatum remoueatur ab eo: id autem absque pœnitentiæ sacramento fieri non potest: quippe in quo operatur virtus passionis Christi, absolutione sacerdotis, simul cum opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati. Ait enim super Ioan. Aug. † Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.

† *Tract. 72. tom. 9.*

Colligitur ergo responsalis conclusio tertia. Sacramentum pœnitentiæ est necessarium ad salutem post peccatum, sicut medicatio corporalis postquam homo in morbum periculosum inciderit. *3. Concl.*

Wiclef. Hæretici, vt Witcleff & Lutherani supra citati Satanico spiritu necessitatem huius sacramenti abnegant. Differenter tamen: nam Witcleff, vt est videre apud Walden. tomo 2. de sacramentis cap. 135. & tomo 5. de sacramentalibus c. 68. non negat internam contritionem, qua Deo confitemur, sed externam confessionem auricularem. *Lutherus.* Lutherus verò, vt omnia funditus conuellat, neque internam contritionem iudicat necessariam. Vnde in ar. 7. à Leone condemnato. Nulla, inquit, opus est pœnitentia, sed optima pœnitentia est noua vita. Itaque nullo est opus dolore præteritorum criminum, sed sola resipiscentia, id est, proposito mutandæ vitæ cum fide, qua credimus Deum nobis peccata remittere. Huiuscemodi ergo hæresis multa complicat membra, quæ sigillatim in subsequentibus propriis sedes vendicant. Est enim necessitatis huius sensus multiplex. Vnus de pœnitentia virtute, atque alter de pœnitentia sacramento. Et vterque rursus bipertitus: s. de necessitate finis ad consequendam salutem, & de necessitate præcepti. Sic enim in præcedentibus sacramentis distinguebamus. Enimuerò auxilium Dei necessarium est ad remissionem peccatorum, tamen non est de illo præceptum vllum. Et vice versa Eucharistia in re susceptа non est de necessitate salutis, vt patet in pueris: est tamen de necessitate præcepti suo tempore. Baptismus verò vtroque modo est necessarius, si eius adsit copia. Igitur distinct. sequenti quæst. 1. aduersus Lutherum monstrabimus pœnitentiam virtutem internam omni peccato mortali delendo sufficiens esse remedium. Et dist. 17. disputabitur, vtrum sit vtroque modo necessaria. Et dist. 18. idem de confessione aduersus Witcleff. Ne ergo hæc præmaturè ventilemus, satis sit nunc conclusionem S. Thomæ explicare. Quod enim q. 68. art. 2. de necessitate ba*Exponitur 3. Concl.* ptismi omnibus vniuersim mortalibus enunciauit, id modo Christianis, qui post baptismum mortaliter deliquerunt, pronunciat de sacramento pœnitentiæ, s. quod est illis necessarium necessitate finis. Itaque sine illo salutem, quæ per gratiam fit, nullus obtinere valeꝫ. Potest tamen hoc sacramentum homini lapso deesse dupliciter. Vno modo in re & voto: alio modo in re, licèt non in voto. Qui ergo nec confitetur, nec tempore debito confiteri proponit, si in peccatis est, in ipsis morietur. At quia apud Deum voluntas pro facto reputatur, votum sacramenti, quod in contritione includitur, sufficit. Dixerim omnibus Christianis: nam qui sacro fonte loti nõ sunt, nullo præcepto sacramenti Ecclesiastici tenentur. Addiderim. Qui mortaliter deliquerint: nam de peccatis generantibus mortem D. Thom. loquitur. Peccata enim venialia nullo vt aboleantur, indigent sacramento. Et quę ante baptismum committuntur, per ipsum satis abolentur.

Obiectio. Quod si roges, quid opus erat huius sacramenti necessitate Christianos ligari: cùm interior contritio in lege naturæ, & scripta sufficiens fuerit remedium? Dist. 1. q. 1. & 2. responsum est, quod cum nemini nisi per Christum mediatorem, per eius passionem exhibitam salus pateat: decentissimum fuit, & nobis maximè operæpretium, vt hæc nobis sacramentorum subsidia instituerentur, quibus Christus nobis virtutem eiusdem passionis impertiret, & nos vicissim profiteremur ab ipso solo beneficia salutis suscipere. Vnde sicut in remedium originalis instituit baptismum, quo regeneramur: ita in remedium actualium, sacramentum pœnitentiæ, quo sanamur. Quocirca sicut Christus dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: ita Luc. 14. Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis. *Dilutio.*

Orthodoxa veritas de necessitate huius sacr. Quapropter necessitas hæc sacramenti huius post lapsum, tanquam euangelica orthodoxaque veritas est auscultanda, Ecclesiæ sanctionibus receptissima, vt de pœnitentia distinct. prima quam plurimis canonibus est videre, vt vtroque can. Non potest. & can. Neminem. & can. Agite pœnitentiam. & can. Multiplex. ait Leo per pœnitentiæ medicinam spem vitæ æternæ lapsis patere. Quapropter Concilium Tridentinum ses*Concilium Trid.* sione 5. capit. 14. & can. 29. insaniam illam Lutheri, nullibi vsque ad ipsum auditam, condemnat, pronuncians anathema eum, qui sola fide absque sacramentò

pœni-

pœnitentiæ in re vel in voto dixerit lapsum recuperare salutem. At quia hæc veritas infra locis citatis suis numeris est locupletanda, satis in præsentiarum.

Sed est hic apud S. Thom. animaduertendum non solùm absolutionem sacerdotis, verùm & actus pœnitentis concurrere tanquam sacramenti partes ad eius iustificationem.

Vtrum expressum cõfessionis sit necessarium ad salutem.

Quòd si scisciteris, vtrùm ad salutem necessarium sit votum confessionis expressum & particulare, an verò satis sit commissorum criminum pœnitere, & proponere in futurum vniuersa mandata seruare. Non desunt qui dicant expressum esse necessarium. Et possumus opinionem hanc sic suffulcire. Tam necessarium est peccatori post baptismum sacramentum pœnitentiæ, quam baptismus ad remittendum originale: sed licet ignoranti baptismum sufficiat votum implicitum ad gratiam obtinendam: tamen scienti ipsum esse necessarium non sufficit sine voto eius expresso, cum ergo Christianis necessitas huius sacramenti nota sit, non erit contritio legitima, nisi quæ voto expresso confessionis fuerit vestita. Res est probabilis: sed tamen neque huiusmodi votum est in vsu, neque reputari solet necessarium. Et ideo respondetur, quòd licet vtrumque sacramẽtum sit necessarium, tamen baptismus non habet præfixum tempus, sed habita copia & opportunitate statim est suscipiendus. Quare catechumeno necessarium est, vt baptismum petat, atque eius habeat expressum votum. Sed tamen tempus confessionis, licet præceptum diuinum sit, est tamen ab Ecclesia præfinitum, & ideo forsan satis est ad contritionem, vt homo proponat seruare omnia mandata, quamuis fortè non sit confessionis memor. Attamen quia hoc sacramentum ad id remissionis munus institutum est, suapte natura dicitur peculiari voto includi in contritione, sicut Eucharistiam diximus voto in baptismo contineri. Atque hæc est opinio Adriani q. 1. de confessione in solutione 2. arg. & antiquioris Ricardi d. 17. ar. 2. q. 1. Alex. 4. par. q. 76. memb. 2. Sed arbitror hanc veritatem non pluribus egere testibus. Ait enim Dominus Ezechiel. 33. Impietas impij non nocebit ei in quocunque die (id est, in quocunque momento) conuersus fuerit ab impietate sua: ergo cùm primum quis ante Dei tribunal ingemiscit, subitò cum ipso reconciliatur, iuxta illud Psal. 31. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sed non opus est, vt illo momento pœnitenti in memoriam veniat sacramentalis confessio: ergo absq; eius voto expresso fieri potest remissio. Imò verò fieri potest, vt penitus diu perseueret, coram Deo lamentatus sine memoria sacramenti. Satis ergo est, vt adueniente tempore præcepti confiteatur. Tametsi votum illud explicitum salubre sit cùm primum quis conteritur: nam per illud vehementius excitatur deuotio. Hinc fit, quòd dum quis rapitur ad martyrium, non opus habet voto confessionis: primum si non adsit copia confessoris, vanum esset: & quamuis adesset copia, posset tam subito rapi ad amorem Dei, & inflammari ad martyrium, vt memoriæ non occurreret sacramentalis confessio, & nihilominus per martyrium obtineret veniam, nam martyrium non tanquam pœnitentia, sed tanquam heroicus actus charitatis remittit peccata. Quanquam si meminit sacramenti, & confiteri potest, tenetur. Si autem in articulo mortis sit necessaria pœnitentia, distin. 18. de confessione disputabitur.

Ratio dubij.

Responsio.

1. Argu.

Primum argumentum S. Tho. sumitur ex glossa illius Psal. Qui seminat in lachrymis, quæ ait. Noli esse tristis, si adsit tibi bona voluntas, vnde metitur pax: sed tristitia est de ratione pœnitentiæ, secundùm illud 2. Cor. 7. Quæ secundum Deum est tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur: ergo bona voluntas sine pœnitentia sufficit. Sed respondetur, glossam illam intelligi de eo, cui adest bona voluntas sine interpellatione, quæ fit per peccatum. Dum autem per lapsum illa interrumpitur, non potest nisi per tristitiam quæ ad pœnitentiam attinet recuperari.

2. Arg.

Secundum argu. colligitur ex illo Prouerb. 10. Vniuersa delicta operit charitas. & ca. 15. Per misericordiam & fidem purgantur peccata, cùm ergo sacramentum pœnitentiæ non ad aliud quàm ad purgandum peccata sit institutum, superfluere videtur: quandoquidem prædictæ virtutes ad id sufficiunt. Respondetur, quòd dum quis in peccatum labitur, prædictæ virtutes nequeunt sine pœnitentia liberare lapsum. Et est notanda solutionis energia. Haud enim negat virtutes illas concurrere ad reconciliationem lapsi: sed tamen id faciunt per pœnitentiam. Requirit enim charitas, vt qui amicus erat de offensa doleat in amicum commissa, eique satisfacere satagat. Requirit & fides Christi, vt per virtutem passionis eius, quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, à peccatis iustificari studeat. Requirit demum & ordinata misericordia, vt homo suæ miseriæ pœnitendo subueniat, quam per peccatum incurrit, secundum illud Prouerb. 14. Miseros facit populos peccatum. Vnde Ecclesiastici 30. dicitur: Miserere animæ tuæ placens Deo. Ambas horum argumentorum solutiones memoriæ, vsque ad d. seq. q. 1. art. 2. commendato, vbi monstrabimus, nullum actum charitatis citra heroicum martyrij sufficere sine pœnitentia ad remissionem culpæ. Sed vt ait S. Tho. 1. 2. q. 113. art. 8. gratiam omnib. his virtutibus ad remissionem peccatorum vti, scilicet fide: cùm accedentem ad Deum oporteat credere, quòd est, &c. & spe veniæ, & detestatione offensæ Dei, quæ ad charitatem pertinet, vt in subsequentib. elucidabitur.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Sacramenta ex institutione Christi initium habuerunt: sed Christus legitur sine sacramento remisisse peccata, vt Magdalenæ & adulteræ, & paralytico, ergo & sacerdos etiam potest sine sacramento illa condonare. Negatur consequentia, quoniam potestas excellentiæ Christi non dependebat ex sacramentis, & ideo sine illis remittebat peccata, licet non sine cordis concussione, quæ est de lege naturæ. Illam autem potestatem non contulit Ecclesiæ: sed aliam sacramentis alligatam.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm pœnitentia sit secunda tabula post naufragium.

SI pœnitentia necessaria est, quæritur quomodo sit necessaria, vtrùm tanquam secunda tabula post naufragium? Et respondetur hac conclusione. Metaphoricè hoc sacramentum dicitur secunda tabula post naufragium. Probatur. Id quod est per se, naturaliter eo prius est, quod est per accidens: sicut & subsistentia priór est accidenti: sacramenta autem, vt in superioribus vidimus, quædam per se ordinantur in salutem hominis, quamuis nulla esset actualis peccati infirmitas, vt baptismus, qui est spiritualis regeneratio, & confirmatio, quæ est spirituale augmentum, & Eucharistia, quæ est spirituale nutrimentum: pœnitentia autem ordinatur ad salutem hominis per accidens supposito lethali crimine: sicut in vita corporali non indiget homo medicatione, nisi infirmaretur. Hac ergo ratione pœnitentia obtinet secundum locum respectu status integritatis, qui per prædicta tria sacramẽta conseruatur. Et ideo per metaphoram dicitur secunda tabula, quæ quidem metaphora sumitur ex mari elementali. Primum enim præsidium illud tranandi est integra nauis: secundum autem illa effracta, est vna quælibet tabula, cui naufragus insidens enatare conatur. Similiter enim in vita spirituali amissa baptismi gratia, per pœnitentiam liberamur.

Conclusio.

Metaphora hæc Hieron. autori tribuitur, vt est videre de pœnitentia d. 1. can. Secunda tabula. Et est apud ipsum in epist. ad Demetriadem, & in alia ad Sabinianum, & lib. 2. super Esa. in c. 3. Sed tamen Tertullianus Hieron. antiquior in lib. de pœnitentia eandem posuit metaphoram. Et solet à doctoribus d. 14. bifariam explicari. Vno modo, vt nauis integra fuerit status innocentiæ, à quo per Adæ præuaricationem cecidimus. Quare prima tabula post naufragium fracta naui, est baptismus, & secunda postmodum pœnitentia, sed profectò metaphora hæc rei non aptè cohæret. Primum, quia status innocentiæ, qui summa erat tranquillitate pacatissimus, neutiquam poterat mari comparari, neque illa innocentia naui: siquidem nauis inter fluctus & scopulos nauigat. Secundò, quia si baptismus est prima tabula, fracta naui, perit similitudo, vt pœnitentia dicatur secunda: nam secunda tabula est, quæ ex fractione nauis resultat: quare si baptismus non est nauis, sed prima tabula, non frangitur, vt pœnitentia dicatur secunda. Tertiò, quia ista subsidia tranandi mare non sunt nisi Ecclesiastica sacramenta: in statu verò innocentiæ nulla erant sacramenta. Aptiùs ergo & rei multò similiùs metaphoram exponit sanct. Thom. vt mare solùm cenſeatur mundus post pecca-

Explicatio metaphoræ tranandi.

Refellitur.

Præponitur S. Thomæ expositio.

Digitized by Google

tum Adæ, quem omnes intrantes nauim baptismi ascendunt: quæ ob id integra dicitur, quod per ipsum omnia peccata quo ad culpam & pœnam simpliciter condonantur, atque adeò homines per ipsum in summa innocentia nauigant. Qua vtique naui per peccatum mortale, quod naufragium est, effracta, restat pœnitentia: quare pœnitentia non dicitur secunda tabula respectu primæ tabulæ, sed respectu saluæ nauis. Nec debet comparari scaphæ, vt nonnullis placet, quæ ex naui iactatur in vndas in naufragio, sed simplici solutæ tabulæ, ex qua nauis erat compacta. Vbi ideò mediatè pensandum est pœnitentium periculum, eorum præsertim qui cum passionibus colluctantur. Vt n. diruta naui homines videas afferibus & tabulis affixos adeò fluctuum insania hinc inde iactari, & nunc vndarum aggeribus submergi, nunc verò emergi, vt calamitatem prospectantes, qui miseros clamoribus animant, aliquando spem eorum salutis concipiant, & protinus amittant. In hunc modum profectò eiusmodi pœnitentes timere sibi maximè debent, nisi Deo manus porrigenti per firmissimum emendationis propositum sese mancipare summa ope nitantur.

Egregium simile pœnitentium.

1. Argum. Primum arg. S. Tho. est. Super illud Esa. 1. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, ait glossa. Secunda tabula post naufragium est peccata abscondere: pœnitentia autem non abscondit, sed patefacit peccata: ergo non est secunda tabula. Respondetur, bifariam contingere peccata celare. Vno modo dum committuntur, & hoc glossa illa vocat tabulam, id est, remedium: non quòd sit sufficiens ad delendum peccatum, vt sit pœnitentia, sed quòd cæteris paribus minus peccatum sit, quod fit occultè, quàm quod fit publicè: quia publicus peccator ex maiori contemptu peccare videtur, & alijs scandalum offert. Sed altero modo quis abscondit perpetratum scelus, confessionē omittendo, & hoc non est secunda tabula: imò contrarium tabulæ, hoc est, pœnitentiæ, iuxta illud Prouer. 28 Qui abscondit scelera sua non dirigetur.

2. Argu. Secundò arguitur. Fundamentum in ædificio non obtinet secundum locum, sed primum: pœnitentia autem in spirituali ædificio est fundamentum, secundùm illud ad Hebr. 6. Non rursus iacientes fundamentum ab operibus mortuis: vnde præcedit ipsum baptismum, secundùm illud Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum: ergo pœnitentia non est secunda tabula. Respondetur ad minorem, quòd pœnitentia non potest esse primum fundamentum simpliciter in prima ædificatione spirituali: nam illud est fides, quæ recipitur in baptismo, iuxta illud Actuum 4. Fundamentum nemo aliud ponere potest præter illud quod positum est, quod est Christus Iesus, sed est fundamentum in secunda reædificatione per destructionem peccati: redeuntibus n. ad Deum primò occurrit pœnitentia. Apostolus verò illo loco non loquitur, nisi de fundamento spiritualis doctrinæ. Quamuis forsan eandem fidem appellet fundamentum pœnitentiæ: nam baptismus fidei non fit sine vlla pœnitentia, iuxta verbum illud Petri Actuum 2. quod proximè citatum est. Admonebat enim illic Hebræos Paulus, vt super fundamentum susceptum ædificarent bona opera, ne retro labentes indigerent fundamento pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum: sic enim habet litera. Pœnitentia verò, quæ baptismum præcedit, non est sacramentum, atque adeò nec fundamentum.

3. Argu. Tertiò arguitur. Omnia sacramenta sunt quædam tabulæ, j. remedia contra peccatum; sed pœnitentia non tenet secundum locum inter sacramenta, sed magis quartum, vt supra dictum est: ergo non est secunda tabula. Respondetur, tria præcedentia pertinere ad integritatem nauis, quæ per baptismum struitur, & per confirmationem roboratur, & per Eucharistiam sustentatur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hoc sacramentum fuerit conuenienter in noua lege institutum.

Conclusio. EX eo quod dictum est, sacramentum hoc esse necessarium, apparet illico post peccatum fuisse instituendum: eo vel maximè, quòd delictorum pœnitere naturale semper fuit. Et ideò quæritur, vtrum conuenienter fuerit in lege noua institutum. Et respondetur vnica conclusione affirmatiua. Conuenienter hoc sacramentum in noua lege institutum est. Tria n. est in eo considerare; materiam scilicet, formam & effectum. Materia autem, vt dictum est, † sunt actus pœnitentis. Absolutio verò, quæ se tenet ex parte sacerdotis qui operatur vt minister, est forma, quæ tribuit sacramento complementum. Sed materia in reliquis sacramentis, vt art. 1. diximus, res est aut naturalis, aut artificialis, vt aqua & panis: at quod talis materia ad sacramentum assumatur, illud habet ex institutione Dei. Forma verò & virtus sacramenti totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit. Attamen materia huius sacramenti, nempe dolor peccatorum, partim quidem naturalis est: naturali enim ratione homo mouetur, vt eum rei malè gestæ pœniteat: quia malum naturaliter displicet, sicut bonum placet. Sed tamen quòd hoc vel illo modo homo pœnitentiam agat, est ex institutione diuina. Et quantum ad hanc partem instituit Christus sacramentum in initio prædicationis suæ, cuius prothema fuit, non solùm quòd homines pœniterent, sed quòd pœnitentiam agerent, vbi certos definitosque modos ad sacramentum requisitos insinuabat. Id autem quod ad ministrorum officium pertinet, definiuit Matth. 16. dicens Petro: Tibi dabo claues regni cælorum, quodcunque solueris super terram, &c. Illic n. insinuata est & potestas & forma. Tertium verò, nempe efficaciam & effectum sacramenti, atque originem virtutis eius manifestauit post resurrectionem Lucæ vlt. vbi dixit: Oportet prædicare in nomine eius (scilicet Christi) pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes: præmisso sermone de passione & resurrectione: ex virtute enim nominis Iesu Christi patientis & resurgentis sacramentum hoc efficaciam habet ad remissionem peccatorum.

† *art. 1.*

Expos. art. Titulus articuli huius duplicem habet sensum. Prior est, vtrum hoc sacramentum non in lege naturæ aut scripta, sed in Euangelica primum debuerit institui. Et hunc reliquit D. Thom. tanquam definitum q. 61. vbi generaliter omnia sacramenta quæ gratiam conferunt, monstratum est à Christo fuisse instituta tanquam instrumenta exhibitæ passionis suæ. Nam retroactis seculis per solam eius fidem venturi mortales salui fiebant. Posterior verò sensus est, vtrùm institutio sacramenti huius in Euangelio congruentibus locis & verbis habeatur. Atque ad hunc respondet affirmatiuè, quod fuit insinuata institutio in tribus locis Euangelij: scilicet, quantum ad materiam & formam & effectum. Quare conclusio huius articuli, quòd in Euangelio fuerit institutum hoc sacramentum tanquàm conferens gratiam, est de fide, vt patet in cap. Ad abolendam. de hæreticis. & in concilio Florentino, & generali vsu Ecclesiæ connumerantis hoc sacramentum inter septem Ecclesiæ sacramenta.

Institutio. Sed circa institutionem materiæ discernendum est, quòd aliud est Deum instituisse, aliud verò hominem ad eam habendam mouere. Instituit n. eam constituendo finem & modum. Naturaliter siquidem hominem rei malè actæ pœnitet, vel propter supplicium, aut infamiam, quam timet, vel alia de causa. Idque non semper spe veniæ, sed forsan pœnitentia est ei desperationis occasio, vt proditori Iudæ vsu venit. Quocirca de Esau ait Paul. ad Hebræ. 12. quòd non inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lachrymis quæsiuisset. Et de Antiocho 2. Mach 9. legitur, quòd orabat scelestus Deum, à quo non esset impetraturus misericordiam. Christus autem instituit pœnitentiam, vt esset dolor offensæ Dei, qui ad charitatem attinet: nempe, vt tanquam filios pœniteret nos patrem nostrum offendisse. Idque spe paternæ clementiæ, vt eundem, quem læsimus, clementem in nos speraremus. Hæc ergo fuit institutio. Sed rursus materiam sic institutam, hoc est, perfectam contritionem nequimus ex nostris viribus nisi diuina ope specialiter suffulti habere.

Qualem pœnitentiā Christus instituerit.

Argum. contra institutionem pœnit. Sed arguat quis fortè, Nullibi in Euangelio fuisse sacramentum hoc institutum; nam vbi ait Christus: Pœnitētiam agite, non alium explicat modum, quàm eodem themate Ioannes, qui tamen nullum sacramentum instituit. Et ideo fortasse vterque non nisi illam pœnitentiam prædicabat, quæ præuia est ad baptismum, per quem appropinquat regnum cælorum, iuxta verbum Petri Actuum 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Atqui Matth. 16. tantum

fuit

fuit facta promissio, vt verbum futuri temporis, tibi dabo, indicat. Et quamuis Matth. decimooctauo, de præsenti dicatur. Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: tunc tamen non erant Apostoli sacerdotes: quia postmodum in cœna fuerunt ad illam functionem instituti. Neque Lucæ vlt. habetur illa forma expressa. Respondetur, quòd S. Tho. non contendit hanc formam tam expressam ostendere in Euangelio, quam est illa, Hoc est corpus meum; sed quòd verbis Euangelicis monstratur, eam & Christum instituisse, & Apostolos Ecclesiæ promulgasse. Quare dum dixit, Pœnitentiam agite, materiam pœnitentiæ explicuit, siue dum quis baptizaretur, siue dum lapsus reconciliaretur. Et claues viuens promisit, quibus post passionem sacerdotes functuri erant. Sed præceptum pœnitentiæ sicut & baptismi, non nisi post resurrectionē posuit. Sicut enim dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. ita dixit: Oportet prædicare pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Quapropter nuperrima synodus Tridentina loco citato sessione 6. ca. 14. ait Christum instituisse hoc sacramentum post resurrectionem Ioann. 20. vbi insufflando in Apostolos Spiritum sanctum, dedit eis potestatem dicens: Quorum remiseritis peccata, &c. De hac autem gratiæ efficacia huius sacramenti sunt errores, quos distinct. sequenti & 18. commemorabimus.

Solutio.

Concilium Trid.

1. Argum.

Primum argumentum S. Thom. est. Fa quæ sunt de iure naturali, institutione non indigent: sed eorum quæ malè quis gessit pœnitere, ius naturæ docet: quia nequit homò bonum diligere, cui contrarium malum non displicet: ergo pœnitentia non fuit in noua lege instituta. Respondetur de iure naturali esse, quòd aliquis pœniteat de malis quæ fecit, & signa doloris foris ostendat, sicut Niniuitæ fecerunt, vt Ionæ 3. legitur. Tametsi nonnihil fidei pœnitens adiunxerit sub spe veniæ à Deo consequendæ. Aiebant enim: Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus à furore iræ suæ, & nō peribimus? Colligitur ergo, vt licet pœnitētia sit de iure naturæ, aliquam determinationem acceperit ex lege diuina, vt de legibus alijs naturæ dictum est 1.2.q 91. arti. 4. & q. 100. de præceptis decalogi.

Caietan.

Caietanus hic negat merum ius naturæ absque vlla fide & reuelatione pœnitentiam docuisse prout est doloris signum & remedium, quia seclusis fidei fundamentis, quibus docemur veniam obtineri à Deo tristitia de dolore nullum nascitur esse remedium. Attamen adnotandum est hic, quòd pœnitentiam esse remedium peccatorum intelligitur tripliciter. Vno modo, quod sit sacramentum conferens gratiam. Et hoc pacto notissimum est, non esse cognitum ante fidem Euangelicam, quia nec erat institutum. Secundo modo per aliud extremum, quòd lumen ipsum naturæ qua ratione docet recedere a malo & facere bonum, subinde admonet, vt errata displiceant: displicentiam autem dolor naturaliter subsequitur, atque adeò nonnulla diligentia malo medendi. Nam si in morbis naturalibus natura solicita est salutis, fit, vt nisi sit omnino corrupta, solicita sit in spiritualibus. Ad hoc enim muneris prouida natura, vt interiectionibus nos instigat ad prodendum morbum, sic fecit, vt nostra nos conscientia compungeret, vt nostras corruptas affectiones amicis panderemus, salutariaque consilia peteremus, & procuraremus medelam, vt respipiscentes coleremus virtutes, quas in nos natura ipsa seminauit. Et hoc est, quod hic S. Th. docet. Sed medio modo contingit pœnitentiam esse remedium, scilicet obtinendæ veniæ à Deo. Et hoc S. Thom. in exemplo Niniuitarum docet à fide prouenire. Sed tamen loquitur de cognitione fidei supernaturali, quæ erat in lege naturæ. De qua d. 1. q. 2. diximus. Tametsi & naturalis ipsa Dei cognitio qua cognoscitur esse vnus, & res humanas administrare, & mundum gubernare, perinde doceat Deum nostris malis offendi. Quare respublicę naturales bene institutæ Deum suis sacrificijs placare studebant, credentes quòd post hanc vitam, tam iustos, quàm iniquos, manerent retributiones. Ob idque nonnulla in eis vigebat imago spei veniæ. Attamen veram rationem tum offensæ Dei, tum sempiternæ fœlicitatis, quæ in Dei visione consistit, sola euangelica fides explicitè docuit: ob idque dicitur explicita fides. Vnde Paul. Rom. 3. Christum, inquit, proposuit propitiatorem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitię suæ propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei. Quasi iustitia sua, hoc est, iustificatio omnium delictorum, quæ fuerunt à principio mundi, non antea satis, sed per Christum fuerit perfectè ostensa.

Pœnitentia remedium peccatorum, tripliciter.

Secundò arguitur. Quod in veteri lege præfuit, non opus habebat institutione in noua: in veteri autem lege fuit pœnitentia, vnde Dominus conqueritur Hieremiæ 8. dicens: Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? ergo non debuit pœnitentia in noua lege institui. Respondetur, ea quæ sunt naturalis iuris diuersimodè in veteri & noua lege determinationem accepisse, secundùm quod perfectioni illius legis, & maiori perfectioni nostræ cōgruebat. Vnde & pœnitentia sub illa lege determinationem accepit: primum, vt esset magis in corde, quam in exterioribus signis, iuxta illud Ioelis 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Nam licet ratio naturalis docuerit etiam pœnitentiam in corde, illam tum homines illorum seculorum immodicè ostendebant foris, proprias in seipsos manus injiciendo, quod ad rem nihil referebat. Secundò determinationem accepit quantum ad aliquam confessionis effigiem in generali. Vnde Dominus Leuitic. 5. dicit: Anima quæ peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram, æstimationemque peccati: & orabit pro eo, & dimittetur ei. Illa ergo oblatio erat quoddam pœnitentiæ genus. Ob quod dicitur Prouer. 18. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & dereliquerit ea, misericordiam consequetur. Nulla tamen erat illic potestas spiritualium clauium, quæ ex passione Christi deriuatur, atque adeò nec vllum erat sacramentum, vt quis subijciendo se clauibus per confessionem & satisfactionem doleret sub spe obtinendæ veniæ virtute sacramenti. De hac autem confessione, quæ erat in antiqua lege, iterum in materia confessionis redibit sermo.

2. Argum.

Diuersa est determinatio pœnitentiæ in noua testam. à veteri.

Tertiò arguitur. Pœnitentia, cùm sit secunda tabula, posterior est baptismò: videtur autem priùs ipso instituta, cùm vt legitur Matth. 4. Christus initium suæ prædicationis fecerit dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum: ergo non fuit conuenienter instituta. Respondetur, quòd historiæ serie considerata priùs meminit Christus de necessitate baptismi dicens Nicodemo Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. quàm de necessitate pœnitentiæ Matt. 4. Illud enim fuit ante Ioan. incarcerationem, quippe qui postmodum legitur baptizasse: hoc autem successit postquam fuit in carcerem coniectus. Et licet priùs prædicasset pœnitentiam quàm baptismum, non fuisset incongruum, vt fecit Ioannes: quia etiam ante baptismum requiritur aliqua pœnitentia, iuxta illud Actuum 2. pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.

3. Argum.

Quartò arguitur. Sacramenta nouæ legis institutionem habent à Christo, ex cuius virtute operantur, sed Christus non legitur vsus hoc sacramento sicut reliquis quæ instituit, ergo non videtur illud instituisse. Constituit D. Tho. in responsione tres gradus. Vsus namque sacramenti, vel passiuus est dum recipitur, vel actiuus dum confertur: baptismo ergo suo Christus non est vsus recipiendo: quia non habebat originalem maculam, sed baptismo Ioannis: neque plurimum conferendo: quia vt legitur Ioann. 4. ipse non baptizabat, sed discipuli eius. Quamuis secundùm August. ad Seleucianam discipulos baptizauerit. Sacramento verò pœnitentiæ non potuit eadem ratione vti in recipiendo: quia nullum fuit in eo inuentum peccatum. Neque verò decuit vt conferret: nam ad ostendendum tum suam misericordiam, tum potestatis excellentiam, debuit peccata sine sacramento remittere. Sed sacramento Eucharistiæ vtroque modo vsus est & recipiendo & præbendo, tum ad commendandam eius sacramenti excellentiam, tum quia memoriale est passionis eius, in qua ipse fuit sacerdos & hostia. Apostolos verò per Spiritum sanctum, quem misit, confirmauit, eosdemque ipse sacerdotes ordinauit.

4. Argum.

Vsus sacramentorum duplex.

Christus nec suo baptismo nec pœnitentia debuit vti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm pœnitentia debeat durare vsque ad finem vitæ.

SVPERSEQVVNTVR duo articuli de continua pœnitentiæ duratione. Octauus scilicet, vtrùm pœnitentia debeat durare vsque ad finem vitæ: nonus, vtrùm debeat esse continua. Ad primum respondet per distinctionem duabus conclusionibus. Est enim

Digitized by Google

pœnitentia duplex: scilicet intetior, qua quis de peccato commisso dolet: & exterior, qua extra doloris signa proferuntur. Prior ergo conclusio est. Pœnitentia interior debet durare vsque ad finem vitæ: semper enim debet homini displicere, quòd peccauit: nam si ei placeret peccasse, ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Displicentia autem in eo, qui doloris est capax, qualis est homo in hac vita, dolorem parit: in patria verò, vbi dolori locus non datur, displicebunt beatis peccata præterita sine omni tristitia, secundum illud Esaiæ 35. Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.

Prior conclusio.

Posterior conclusio.

Posterior conclusio. Pœnitentiam exteriorem non oportet vsque ad finem vitæ perdurare: nam confessio sufficit semel facta, & satisfactio secundum mensuram peccati, & tempus per Ecclesiæ ministrum clauium potestate definitum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum pœnitentia possit esse continua.

CVM conclusum sit pœnitentiam vsque ad finem vitæ duraturam, circa modum durationis quæritur, vtrùm possit esse continua. Et per aliam distinctionem respondetur alijs duabus conclusionibus. Pœnitere enim, & actu contingit & habitu. Prima conclusio. Actu impossibile est continuò, hoc est, perpetuò pœnitere. Vitæ namque necessitas vtrunque pœnitentis actum, tam internum, quam externum & somno & alijs corporis officijs, quibus vacare oportet, necessariò debet interpollare.

1. Concl.

2. Concl.

Secunda conclusio. Habitu oportet hominem continuò pœnitere: & quo ad hoc, quòd nunquam homo aliquid contrarium pœnitentiæ admittat, per quod habitus pœnitentiæ tollatur, & quantum ad hoc quòd debet in proposito semper gerere, vt sibi elapsa peccata displiceant.

Expositio articuli. † cap. 13. tom. 4.

Ambos istos articulos ex illo libro de vera & falsa pœnitentia † colligit, qui sub nomine Augustini est inter decreta celeberrimus, tametsi alius autoris credatur non solum propter phrasim, veluti & alter de pœnitentiæ medicina, sed quia autor ca. 17. Augustinum citat, & ab eo discedit. Tametsi non sit hoc tam alijs efficax argumentum, quàm Erasmus censet: potuit enim esse figurata locutio, qua de se veluti de alio dixerit. Quamuis de salute tardè pœnitentis Augustinus potuit dubitare, Credo quidem illi, qui dixit: Quacunque hora peccator ingemuerit, &c. Habetur enim illic, Quid restat nobis nisi dolere in vita? vbi enim dolor finitur, deficit pœnitentia. Si verò pœnitentia finitur, quid derelinquitur de venia? Et c. 19. ait, Continuò dolendum est de peccato. Quod declarat ipsa dictionis virtus: pœnitere n. est pœnam tenere, vt semper puniat in se vleiscendo, quod commisit peccando.

Displicere bifariam vsurpatur.

Primam conclusionem articuli octaui distinctio subiuncta in art. 9. declarat. Cùm enim ait, quòd semper vsque ad finem vitæ debet hominem displicere quòd peccauit, non intelligitur secundùm actum, vt semper homo actu cogitet de peccatis: nam displicere, vt ait Caietanus, bifariam sumitur. Vno modo pro actu positiuo contrario complacentiæ: & cum de isto actu sit præceptum affirmatiuum saltem ratione confessionis, sufficit eum semel habere, sicuti & semel peccata confiteri. Quare licet nunquam amplius homo, postquam semel absolutus est, de suis culpis cogitasset, nunquam incurreret nouum peccatum. Alio modo accipitur negatiuè, vt displicere idem sit, quòd non placere. Atque isto modo intelligit S. Tho. conclusionem: videlicet, quòd perpetuo debet peccatum non placere, vt patet per eius probationem: nam si peccatum remissum post aliquando placeret, illa complacentia esset peccatum.

Et pari modo intelligitur secunda conclusio articuli noni, quòd semper debet homo secundum habitum pœnitere. Non quòd semper debeat iustus actuale habere propositum non peccandi: quia sicut non tenetur habere memoriam præteritorum: ita neque præsentem cogitationem futurorum, sed secundum habitum oportet, vt sit dispositus seruare mandata Dei.

Sed rogas, vtrum licet nulla sit obligatio, laudabile sit ei cui sunt peccata remissa, illa sedulò in memoriam reuocare. Aiebat n. Dauid Psal. 50. Peccatum meum contra me est semper, hoc est, in conspectu meo est semper: cuius causa stratum suum lachrymis continenter rigabat. Respondetur de hoc non esse certam regulam, sed prudentiam adhibere opus est, secundum ingenium hominum & scelerum qualitatem. Incipientibus namq; & continentibus, qui conflictum carnis perferunt, nonnunquam præteritorum memoria periculosa est: & ideo quando periculum offert, rescindi debet. Quando verò eiusmodi periculum non creat, salutare consilium est eadem peccata identidem memoria repetere, quæ pensatis peccatorum incommodis & detrimentis cor humiliet, & in bonum confirmet, & fructibus pœnitentiæ ante actam vitam vlciscatur. Potissimum cùm Ecclesiastici 5. legatur, de propitiato peccato noli esse sine metu. Debet enim in huiusmodi hominibus sic metus ex vna parte, & fiducia & misericordia ex altera vicarias habere operas, vt nec metus desperationem mentis, nec fiducia securitatem generet. Illis verò, qui peccata satis luxerunt, & sunt virtute progressi, quamuis crebra peccatorum memoria quasi humilitatis frænum ad conterendam elationem mentis vtilis sit: tamen sæpe altior diuinorum contemplatio accommodatior est. Nam etsi Magdalena tam multis annis antro abdita pœnitentiam egerit, non dubium quin altissima contemplatione vsque ad Angelorum colloquium fuerit euecta.

Crebra culpa remissæ cogitatio an sit laudabilis. Quæstionis distinc.

Quòd autem diximus nullam esse obligationem habendi propositum actuale, & actualem cogitationem futurorum, de lege ordinaria intelligimus. Nam quando vehemens tentatio & procella irruit, quæ præsentaneum periculum offert consentiendi in malum, fortasse ratione periculi tenemur propositum actu confirmare ad propulsandum rabidum tentationis impulsum.

1. Argu.

Primum argumentum S. Thom. in art. 8. est. Pœnitentia ordinatur ad deletionem peccati: sed pœnitens statim consequitur remissionem secundum illud Ezechielis 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita viuet, & non morietur: ergo non opus est vlteriore pœnitentia. Negatur consequentia: nam pœnitentia vera & præterita remouet, & à futuris præseruat. Quare licet ratione prioris non sit necessaria nisi semel, debet tamen esse iugis ad perseuerantiam secundum habitum, & quandoque, vt modò dicebamus, secundum actum.

2. Argum.

Secundò arguitur. Pœnitentiam agere ad statum attinet incipientium, sed homo debet inde ad statum proficientium progredi, & vlterius ad culmen perfectorum: ergo non est circa pœnitentiam remorandum. Respondetur ad maiorem, quòd pœnitentiam interiorem agere simul cum exteriori pertinet ad statum incipientium dum à suis criminibus resipiscunt: sed pœnitentia interior locum etiam habet in proficientibus & perfectis, secundum illud Psal. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum. Vnde Apostolus 1. Cor. 15. Non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.

3. Argu.

Tertiò arguitur. In hoc sacramento, sicut in cæteris, statuta Ecclesiæ seruanda sunt: sed secundum canones determinata sunt tempora pœnitendi, vt infrà videbitur: vt s. qui hoc vel illud peccatum commiserit, tot vel tot annis pœniteat: ergo pœnitentia non debet esse diuturnior. Respondetur, canonibus illis tempora esse præfixa quantum ad actionem duntaxat exterioris pœnitentiæ.

ARTICVLVS X.

Vtrum sacramentum pœnitentiæ debeat iterari.

CVM vt baptismus, sic & sacramentum pœnitentiæ sit in remissionem peccatorum, & ille non sit iterabilis, quæritur vtrum nec hoc debeat iterari. Ad quod D. Th. vnica conclusione respondet dicens. Manifestum est, quod pœnitentia est pluries iterabilis. Probatur primò authoritate Euangelica: homo enim ad misericordiam exemplo Dei inducitur, secundum illud Luc. 6. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est: Dominus autem sine numero misericordiam discipulis suis iussit, dicens Petro Matth. 18. quærenti quoties noxam fratri in se peccanti condonaret, vt non solum vsque septies, sed vsque septuagies septies illam misericordiam præstaret, vbi finitus numerus pro infinito ponitur: ergo Deus nobis pari

Conclusio.

modo

modo peccantibus, quoties pœnitentiam egerimus, ignoscit. Præsertim cum nos petere doceat, † Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Deinde probatur ratione duplici contra duas contrarias hæreses. Hæretici namque circa pœnitentiam naufragantes, dicentes, ſ. non posse hominem per pœnitentiam secundò consequi veniam, bipertiti fuerunt. Nouatiani namque post baptismum lapsis omnino regressum per pœnitentiam occludebant. Alij verò dicebant, vt Aug. in lib. de pœnitentia † ait, semel per pœnitentiam habere locum, non autem pluries. Ex bino autem capite in hos errores impegerunt. Primum scilicet, quod circa rationem veræ pœnitentiæ, quæ per charitatem fit, errabant: credebant, ſ. quòd charitas semel habita non possit amitti: atque adeò pœnitentia, si sit vera, nunquam possit per peccatum tolli, vt sit eam necesse iterari. Sed hoc, inquit, 2. 2. q. 24. art. 11. reprobatum est. Nam licet charitas ex natura sua perpetua sit, tamen ex natura voluntatis, in qua est, quæ secundum libertatem est vertibilis, potest amitti, atque adeò post veram pœnitentiam potest homo peccare, vt reconciliatione indigeat. Secundò verò errabant circa æstimationem grauedinis peccati, arbitrantes adeò esse grauem ingratitudinem post impetratam veniam relabi, vt relapsus ille non sit remissibilis. In hoc autem errabant dupliciter. Primum, quòd licet relapsus ratione ingratitudinis ingraueſcat, nihilominus potest aliud ante impetratam veniam, alia esse ratione grauius. Quare si omnis primus lapsus remissibilis est, & relapsus quoque remitti potest. Secundò errabant & aduersum infinitam Dei misericordiam, quæ omnem exuperat scelerum & numerum & magnitudinem, secundùm illud, † Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, quod refertur ad grauitatem peccati: & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, quod refertur ad frequentiam. Vnde impietas reprobatur Cain dicentis Genes. 4. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Misericordiæ ergo Dei in remittendis culpis, impietas est terminum præscribere, iuxta illud 1. Paralip. vlt. Immensa & inuestigabilis est misericordia promissionis tuæ super malitiam hominum.

Matt. 6. *Dua aduersa hæreses.* *Aliorum error.* *† lib. de vera & falsa pœnit. c. 5. tom. 4.* *Duplex hæresis caput.* *Error duplex.* *† Psal. 50.*

Autor primus pestilentissimæ hæresis huius, quod lapsis non pateat remedium pœnitentiæ, vt aduersus Iouinianum lib. 2. autor est Hieronymus, fuit hæresiarcha ille vetustissimus Montanus, à quo eam postmodum Nouatus Romanus presbyter hæreditauit, vt lib. 6. Ecclesiasticæ historiæ refert Eusebius cap. 34. Deinde Cathari Nouatum sectantes, vt lib. de hæresibus c. 38. ait Aug. & lib. 2. tomo 1. hæresi. 59. Epiphanius. Vnde superbissimum, odiosissimumque nomen sibi arrogarunt, vt propter munditiam, quia nunquam peccabant, cathari, id est, mundi dicerentur. Tametsi Hierony. super Psalmum 95. Nouatianos non prorsus dixerit omnium pœnitentiam peccatorum de medio tollere, sed aiebant, inquit, quod de mendacio, periurio, & de furto, quia minora ab eis existimabantur, haberi posset pœnitentia. Cæterum de fornicatione, & homicidio minimè. Hæc autem hæresis adeo illo seculo fuit, vt par erat, exosa & execrabilis, vt plerique sanctorum patrum contra illam scripserint, vt Chrysostomus lib. de reparatione lapsi, & Cyprianus in sermone de lapsis, & Hieronymus ad Damasum, & Ambrosius duobus libris de pœnitentia, & August. inter quæstiones noui & veteris testamenti quæst. 22. & lib. de vera & falsa pœnitentia, ei inscripto, & multi alij. Fuit error hic condemnatus primò in concilio Rom. 60. episcoporum, & concilio Nicæno c. 8. & est determinatio in concilio Lateranensi, vbi habetur, quod lapsus post susceptionem baptismi per pœnitentiam potest semper reparari. Et concilij Florentini connumerantis pœnitentiam inter septem sacramenta.

Expositio articuli.

Tertullianus egregium librum de pœnitentia edidit, tamen paulo post medium videtur docere non nisi semel locum veniæ pœnitentibus patere. Semel enim, inquit, satis est: sed amplius nunquam. Cæterum inferius videtur dictum corrigere. Perinde enim hæreticum esset id asseuerare, atque cum Catharis Nouatianis consentire.

Tertullian.

Et quoniam hæresis hæc si vllum haberet probabilitatis colorem, omnimodum obijceret desperationis periculum, funditus est ex humanis mentibus eradicanda. Et quia diuina testimonia, quia Deus suauiter omnia disponit, per rationem patefiunt, ab istis exordiamur. Deus enim in hunc vnum finem & Angelos & homines condidit, vt eos bearet, suaque diuinitate donaret. Ob idque, vt 1. ad Tim. 2. ait Paul. vult omnes homines saluos fieri, nisi per ipsos steterit. Quocirca vtrique creaturæ iuxta propriam naturam prospexit. Cum ergo Angelus verè esset intellectualis, nullo suaptè natura vtens discursu, aut voluntatis variabilitate, primo statim peccato obstinatus est. Homini verò, quia natura rationalis est, & subinde discurrere, ac identidem ad vtrumque mutari aptus, pœnitentiæ remedium donauit, quo posset mutata mente à malo in bonum conuerti. Quare non solum sacramentum baptismi ei contulit, quo originali labe abstersa in vitam spiritualem regeneraretur, verum & pœnitentiam, vt medicinam, qua quoties infirmaretur, sanari posset. Vnde sicut in seculari vita corporis generatio non est nisi vna, sanatio verò, à frequentibus morbis: sic & in vita spirituali baptismus natura sua non iteratur: pœnitentia verò toties, quoties lethalis morbus expostulat. Secundò & fragilitas humani generis id exigit: nam postquam iustitiam perdidit originalem, sic mansit vulneratum, vt itidem collabaturum; id quod Dominus Genes. 8. in causam indulgentiæ adduxit, vbi ait: Nequaquam maledicam terræ propter homines: sensus n. & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur percutiam omnem animam viuentem, sicuti feci. Naturalis ergo pronitas ad malum frequentationem pœnitentiæ requirit. Et Dauid Psalmo 50. id in causam deprecandæ veniæ allegabat, quod fuisset in iniquitatibus conceptus, quarum impulsus sæpe eum prosternebat. Tertiò, ex natura ipsa sacramenti pœnitentiæ colligitur eius repetitio. Qui enim negat post baptismum pœnitentiam, omnino negat sacramentum pœnitentiæ: nam illa, quæ ante baptismum fit, non est sacramentum. Ob idque in definitione diximus, pœnitentiam esse sacramentum remissionis peccatorum, quæ post baptismum committuntur. Igitur si post baptismum semel lapso pœnitentia non negatur, eadem ratione nec si septuagies septies labatur: nam ingratitudo eadem est in omnibus: & licet in posterioribus crescit, tamen alia ratione priora possunt esse peiora. Quartò, qui negat pœnitentiam toties iterandam quoties peccatum est, ius naturæ radicitus conuellit: natura enim admonet, vt quoties homo deliquerit, redire studeat in viam: fides autem nos docet redire in viam neminem posse, nisi per Dei auxilium, in eius gratiam reconcilietur: sublatâ verò pœnitentiâ, cùm nulla fiat reliqua spes veniæ, nemo resipiscere curaret, sed in hac vita homo diabolus fieret. Nam, vt rem alio argumento roboremus, in hoc infernorum miseria, ab hac nostra huius seculi militia differt, quòd quamdiu hic viuimus, patientia Dei, vt ad Roman. 2. ait Paul. ad pœnitentiam nos adducit, iterum atque iterum nobis parcendo. Sed eos impœnitentes, qui diuitias bonitatis eius & patientiæ longanimitatis contemnunt, confirmata ira in infernum obtrudit, vbi fructuosæ pœnitentiæ omnis occluditur via.

Conclusio.

Probatur. 1.

Simile. *2.* *3.* *4.*

Eandem catholicam veritatem Deus nostris mentibus altissimè impressam curauit Ezech. 18. vbi ait: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis (non ait his aut illis, aut semel, aut bis, sed quotiescunque) vita viuet, & non morietur. Et subdit: Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Id quod & cap. 33. iuramento confirmat. Viuo, inquit, ego dicit Dominus Deus, Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. Illo enim iureiurando spem pœnitentis altissimè corroborat. Si autem, vt hæretici aiunt, lapsis non pateret reditus, certè fallum esset iuramentum Dei dicentis nolle illorum mortem. Quem errorem, vt à nobis auferat, replicato, inquit, Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis: hoc est, quacunq; replicata malitia scelera & flagitia cumulaueritis. Vnde subiungit: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. In quacunque, inquit, die (licet millies id fecerit.) Et Hieremiæ 18. sine aliquo præscripto termino si pœnitentiam, inquit, egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus illam, agam & ego pœnitentiam super hoc malo, quod cogitaui vt facerem ei. Ad hæc tandem, quemadmodum nobis baptismus est quo originale remittitur, Hebræis erat fides per circuncisio-

Testimonia sacra. *Hierem. 18.*

nem

nem applicita; sed post illam primam iustificationem Deus relapsos ad pœnitentiam, vt visum est admonebat, veniam illis pollicitus: ergo baptizatis nobis per pœnitentiæ sacramentum reconciliatio patet.

Exempla. Sunt & rei huius exempla complura. Deus enim, vt Gen. 4. legitur, Cain ad pœnitentiam allexit fratricidij, quod post remissionem originalis patrauerat. Et in noua lege Petrus, qui, vt ait August. baptizatus tunc erat, post trinam negationem pœnitentiam adeptus est. Et Paul. 1. Cor. 1. fornicarium baptizatum Satanæ tradidit, vt pœnitentiam ageret. De qua ait epistola 2. ca. secundo. Ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.

Nouatiani. Concedunt Nouatiani, sacerdotes, vt ait Ambros. super baptizatos semper habere potestatem ligandi: ergo cùm Deus, qui ad miserendum propensior est, quàm ad vlciscendum, simul coniunxerit: Quodcunq; ligaueris, erit ligatum; & quodcunque solueris, erit solutum, iniquissimè negant habere simul etiam potestatem absoluendi à peccatis, quod nisi per sacramentum pœnitentiæ exercere nequeunt.

Parabola Luca 15. Accedit & parabola de filio prodigo, qui peregrè proficiscens totam paternam substantiam dissipauerat, & tamen conuersus ad cor, reuersusque ad patrem patentissimis eius visceribus susceptus est.

Super hæc omnia est locus ille apertus Matth. 12. vbi ait Christus: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominib. spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Quis autem sit spiritus blasphemiæ, statim explicat dicens: Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur. Omne ergo peccatum, quotiescunque committatur, remitti potest præter peccatum in Spiritum sanctum, quod inter alia significata est desperatio, quam isti negantes pœnitentiam hominibus persuadere contendunt.

Ac demum Ioan. in 1. cano. cap. 2. rem clarè explicat, vt Hieronymus aduersus Iouinianum ediserit, quod refertur de pœnitentia distinct. 2. can. Si enim. Filioli, inquit, mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, & ipse est pro peccatis nostris propitiatio, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Multi sunt alij canones de pœnitẽtia. d. 2. sed hæc satis.

Regula. Vnde regula colligenda est, quòd nunquam per Deum stat quominus quicunque peccator reconciliari cum ipso valeat: Nemini enim auxilium speciale negat, quod ad reconciliationem sufficit, iuxta illud Apocal. 3. Ego quos amo arguo & castigo, Æmulare ergo & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, cœnabo cum eo, & ipse mecum. Ex quo illud colligitur diuinum axioma Oseæ 2. Perditio tua Israël (id est, tu es illius causa.) ex me autem auxilium tuum.

Admonitio. Hoc autem in calce memoriæ commendandum est, quòd cùm hoc ingentissimum beneficium in bonum nobis nostrum Deus contulerit, nos illo absurdissimè abutimur. Nam tam certa spes veniæ securiores nos reddit, vt in peccatorum volutabro diutius reuoluamur. Sed caueant serò pœnitentes incertum exitum, quo creberrimè iratum Deum experiuntur.

1. Argu. Hæreticorum argumenta D. Thomas hic diligenter congessit. Primum sumitur ex illo ad Hebræos 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam: sed quicunque semel pœnituerunt, fuerunt illuminati, vt in baptismo, & receperunt donum Spiritus sancti: ergo nemo eorum, qui post pœnitentiam relabuntur, poterit per pœnitentiam renouari. Hic locus, vt ait loco citato Epiphanius, malè intellectus, hæreticos fefellit, quem eodem modo, vt hic S. Thom. interpretatur. Existimabant enim Iudei lauacrum baptismi perinde esse, atque illa veteris legis, quibus se ab immunditia identidem repurgabant. Et quia illam epistolam ad Hebræos scribebat, hunc errorem illis curauit abstergere: videlicet, ne quis postquam baptizatus est, vbi fidei lumine illuminatur, existimet si recidat posse renouari, hoc est, iteratò regenerari in nouam vitam, resumendo iterum baptismum, qui est lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Sed quia ante baptismum requiritur nonnulla pœnitentia, dixit, iterum renouari ad pœnitentiam. Et quia per baptismum, vt ait ad Romanos 6. cõmorimur & consepelimur Christo quasi cum ipso crucifixi, vel ipsum nobis crucifigentes, propterea subdit; rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Quod autem huiusmodi relapsi non sint remedio pœnitentiæ destituti, ostendit ibidem protinus Apostolus subdens. Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti: tametsi ita loquimur: non n. iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, &c. Hoc est, si vos meditamini per pœnitentiam salutem recuperare, iustus est Deus, qui vos suscipiet.

Secundò arguitur. Ambrosius lib. de pœnitentia † ait. Reperiuntur, qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo: nam si veram pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia sicut vnum est baptisma, ita vna est pœnitentia. Vbi insinuat, quòd sicut baptismus non iteratur, ita nec pœnitentia. Illic verò Ambrosius de pœnitentia solenni loquitur, quæ, vt infra videbitur, non est iterabilis. *2. Argu.* † *lib. 2. cap. 10. to 1.*

Tertiò arguitur. Miracula, quibus Dominus morbos corporis sanauit, medicamina spiritualium significant, quibus homines liberantur à peccatis: sed non legitur eundem mortuum bis resuscitasse, aut eundem ab eadem infirmitate bis curasse: ergo nec credendus est eadem peccata eidem bis condonare. Ad hoc Aug. li. de pœnitentia † respondet, quòd cùm multos cæcos in diuerso tempore illuminauerit, & multos debiles confortauerit, in diuersis ostendit eidem sæpe peccata dimitti, vt qui priùs sanauit leprosum, alio tempore illuminet cæcum. Ideò enim tot sanauit cæcos, claudos, & aridos, ne desperet de se peccator. Sed ideò non scribitur, aliquem nisi semel sanasse, vt quilibet timeat iungi peccato. Medicum se vocat, & non sanis, sed malè habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum est centies infirmum centies curare: qui cæteris minor esset, si alijs possibilia ignoraret. *3. Argu.* † *c. 5. to. 4.*

Quartò arguitur. Gregorius † dicit in homilia quadragesimæ de pœnit. dist. 3. can. Pœnitentiam. Pœnitentia est anteacta peccata deflere, & flenda iterum non committere. & Isidorus in lib. † de summo bono. can. Irrisor. de pœnitentia, dist. 3. Irrisor, inquit, est & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: ergo qui verè pœnitet, non iterum peccat, atque adeò pœnitentia non est iterabilis. Respondetur, quòd pœnitentia est anteacta flere, & tunc dum flet, neque actu peccare, neque propositum habere peccandi: ille enim esset irrisor & non pœnitens, qui dum actu conteritur, id agit quod pœnitet, aut se facturum propònit quod gerit, vel peccatum aliud. Quòd autem postquàm eum pœnituit, relabatur, non excludit quin pœnitentia præterita fuerit vera: veritas enim prioris actus per subsequentem contrarium non excluditur. Quare sicut qui verè cucurrit, postea sedet: ita is quem verè pœnituit, potest recidere. At quamuis hoc verissimum sit, forsan illi sacri patres voluerunt præterea docere genus quoddam irrisionis esse quotidie pœnitere, & quotidie ad volutabrum reuerti: frequens enim relapsus indicium est, licet non omnino euidens, propositum non fuisse legitimum & firmum. *4. Argum.* † *hom. 34. in Euang.* † *lib. 2. cap. 16.*

Quintò arguitur. Sicut baptismus habet efficaciam à passione Christi: ita pœnitentia: sed baptismus quia vnica fuit mors Christi & passio, non iteratur: ergo nec pœnitentia. Negatur consequentia propter discrimen: nam baptismus habet virtutem à passione Christi, sicut quædam spiritualis regeneratio, quia illic cõmorimur Christo. Vnde sicut statutum est hominibus semel mori, ita, semel nasci: pœnitentia verò habet virtutem à passione Christi, tanquam spiritualis medicatio: quæ frequenter iterari potest. *5. Argu.*

Sextò arguitur, Gregorius ait, facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi: si ergo Deus veniam frequenter præbet per pœnitentiam, ipse incentiuum præbet delinquendi. Respondetur, quòd ipse non præbet tale incentiuum, sed nos per nostram malitiam ex misericordia Dei, quæ vt ait Paul. † ad pœnitentiam nos adducit, ansam nanciscimur liberius peccandi, atque adeo thesaurizandi iram in die iræ. Vnde Aug. in libr. de pœnitentia. † Constat Deo multùm displicere peccata, qui tamen semper præsto est ea destruere, ne soluatur quod creauit, nec corrumpatur quod amauit, videlicet per desperationem. *6. Argum.* *Rom. 2.* † *c. 4. to.*

Quæstio

Quæstio secunda,

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ SECVNDVM QVOD EST VIRTVS.

S. Thom. 3. part. quæst. 81.

ARTICVLVS I.

Vtrum Pœnitentia sit Virtus.

VM alia sacramenta per se non sint virtutes, sed Dei instrumenta supernaturaliter instituta, meritò quæritur, vtrùm sacramentum pœnitentiæ hoc habeat singulare, quòd sit virtus. Et respondetur, suppositâ distinctione, hac conclusione. Manifestum est, quòd pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis. Probatur primò. Præcepta legis non dantur, nisi de actibus virtutum, siquidem legislatoris propositum, vt 2. Ethic. † legitur, non est nisi ciues facere studiosos: sed præceptum diuinæ legis est de pœnitentia, secundùm illud Matth. 4. Pœnitentiam agite: ergo pœnitentia est virtus. Secundò probatur ratione. Pœnitentia, vt ex dictis colligitur, est de aliquo priùs à se facto aliquem dolere: dolor autem, vt 1.2. q. 30. ostensum est, vno modo accipitur secundum quòd est passio quædam appetitus sensitiui, & sic non dicit per se virtutem, nec vitium: quia non est habitus secundum rationem, aut contra rationem electiuus; sed alio modo accipitur, secundùm quod est in voluntate: & hoc modo est cum quadam electione, quæ quidem electio, si sit recta, necesse est, vt sit actus virtutis. Est enim virtus, vt 2. Ethic. autor est Arist. actus electiuus secundùm rationem rectam: dictat autem ratio recta, vt quis doleat de malo, quando, & quo fine dolendum est: cùm ergo peccatum sit malum, & pœnitētia dicat dolorem eius moderatum cum intentione veniam impetrandi, fit vt sit virtus.

Conclusio.

Probatur 1. † lib. 2. c. 1.

2.

Vnde dicta pœnitentia.

Pœnitentia, nemo est qui dubitet nomen esse Latinum, sicuti & pœnitere, vnde deriuatur. Est enim pœnitere aliquando tædere, vt Me mei pœnitet, & suæ quemquè fortunæ pœnitet: quandoque verò factum displicere, quæ nostra est significatio. At verò Lutherus, vt est videre apud Roffensem artic. 7. non admittit nomen hoc tali pollere significatu, vt respectum habeat ad malum præteritum, cuius sit detestatio, sed idem significare, quod mutatio mentis, essèque duntaxat propositum bene viuendi in futurum. Nomen enim Græcum est μετάνοια, compositum ex trans & mens, quasi dicas, transmentatio. Vnde & Erasmus super illud Matt. 4. Pœnitentiam agite, vbi Græcè est, μετανοεῖτε, adnotauit, melius fuisse translatum, Resipiscite, seu ad mentem redite. Tametsi non neget, quin ei qui resipiscit, superior vita displiceat.

Lutherus.

Erasmus.

Lutheri explicatio explodituꝛ. Cicero.

Hic autem hæreticus, blasphemusque Lutheri error, & Latinè, & Græcè, & secundum philosophiam & theologiam exploditur. Cicero n. in epistola ad Atticum non semel ait. Me pœnitet, quòd te offenderim. Et in Tusculanis, Sapientis, inquit, est proprium, nil quod pœnitere possit facere. Et li. de Inuentione. Vtrùm id facinus sit, quod pœnitere sit necesse: quibus, aliisque simillimis locis, manifestè exprimitur respectus ad præteritum malum, cuius dolore & tristitia afficiꝛi eum oportet, quem facti pœnitet. Et Ausonius in illa paræmia, Nosce tempus, Metanæam ipsam inducit sic loquentem. Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas, Nempe vt pœniteat, sic Metanæa vocor. Nomen ergo Metanæa detestationem præteriti mali includit, ac subinde dolorem & mœrorem gignit. Vnde non solum autor † lib. de vera & falsa pœnitentia, verùm & omnes Grammatici aiunt pœnitere idem esse, quod pœnam tenere.

Ausonius.

† Apud Aug. to. 4.

Arg. Physicum.

Quòd nisi isti tam indignè philosophiam à suis scholis profligarent, non sic hallucinarentur. Nam & si Metanæa non nisi mentis mutationem designet, mutatio tamen ipsa respectum vtriusque termini, à quo & ad quem, comprehendit. Vt enim natura nihil nisi contrarium corrumpendo generat, sic nemo mentem in melius mutat, nisi & malè acta detestetur, sicuti & è conuerso, neque detestari quis præterita potest, nisi meliora proponat. Itaque hæc duo vicaria se connexione consequuntur. Et hoc est, quod Aug. illis verbis sentit, Nemo voluntatis suæ arbiter constitutus potest nouam vitam inchoare, nisi eum veteris pœnituerit. Atqui exemplum inter homines, ex quibus ad Deum arg. ducitur, id facit manifestum. Qui n. amicum iniuria affecerit, quamuis dicat ei propositum habere non amplius eum iniuria afficiendi, nisi dicat se pœnitere illatæ iniuriæ, non facit satis, vt in eius redeat amicitiam. Haud n. satis est à malo cessare, nisi quam iniuriam intulèris satisfactione repenses. Vnde Lactantius lib. 6. diuina. institutio. c. 24. Metanæam, inquit, Græci eam vocant, quam nos resipiscentiam. Resipiscit autem ille, quem errati piget, & seipsum castigat dementiæ, & confirmat ad rectiùs viuendum. Et eleganter in Antonium Cicero. Optimus, inquit, portus pœnitenti mutatio consilij. Propositum ergo bene agendi non tota est pœnitentia, sed pœnitentiæ portus.

Lactantius.

Cicero.

Proles autem Lutheri, sunt illi, qui illuminati dicuntur, qui scilicet aiunt peccatorum dolorem & lachrymabiles gemitus, adeò non esse officia virtutis, vt sint vituperabiles. Pariter enim Lutherus in illo artic. 7. ait, quòd dolor de peccatis hominem facit hypocritam, & magis peccatorem. Quod verbum merituissimò pontificia anathematis censura condemnatum fuit. Contra hos ergo nequam homines declaratur, stabiliturque conclusio præsens: scilicet, quod pœnitentia sit vera virtus. Prænosse namque oportet, quid nomine pœnitentiæ intelligamus. Quinque enim includit. Primum, in quo eius substantia & definitio consistit, est detestatio, & odium, & abominatio commissi peccati cum firmo proposito emendandi vitam spe veniæ diuinitus obtinendæ. Hæc namque pro pœnitentiæ virtutis definitione habenda est. Secundo, ex eiusmodi detestatione subsequitur passio tristitiæ, quæ licet non sit de essentia virtutis, concomitatur tamen naturaliter eandem detestationem. Vnde & Augustinus in libro de vera & falsa pœnitentia, & Latini omnes, pœnitere, inquiunt, est pœnam tenere, de pœnitentia dist. 3. can. Pœnitentia. 2. Tertiò subsequuntur opera satisfactionis, quibus se homo castigat. Hæc autem, licèt vulgò pœnitentia dicantur, sunt tamen veriùs pœnitentiæ fructus, iuxta verbum Ioannis, Matth. 3. Agite fructus dignos pœnitentiæ. Quartò ex actibus illius virtutis generatur habitus: nam vt 2. Ethic. author est Philosophus, Actus generant habitus sibi similes. Quintum est finis, effectusque supremus pœnitentiæ: nempe reconciliatio amicitiæ Dei, ac perinde acceptatio ad vitam æternam.

Lutheri blasphem.

Declaratur stabiliturq; conclusio.

3. inclusa in pœnit.

Pœnitentiæ definitio.

Satisfactio non est pœnitentia, sed pœnitentiæ fructus.

Illam ergo detestationem, quæ substantia est pœnitentiæ, & contritio dicitur, ait S. Thom. esse virtutem, vel actum virtutis. Alexan. verò 4. p. q. 54. quæst. 1. membro 1. & Bonauent. præsenti d. q. 1. reprehendunt hoc, quòd pœnitentia non sit virtus, sed actus virtutis: nam cùm virtus sit circa difficile, & difficile sit pœnitere, habitum virtutis exigit. At verò D. Thom. non negat esse virtutem. Sed quoniam pœnitere non habitum sed actum dicit, & vsque ad art. proximum nondum constituit, vtrùm sit specialis virtus, ait sub distinctione esse virtutem, vel actum eius. Adde, quòd licet virtutes infusæ antecedant suos actus, tamen in acquisitis prior est actus quam habitus. Vnde licet ad perfectionem actus requiratur, vt procedat ex habitu, tamen ad eius essentiam satis est, vt sit rationi conformis. Quare eiusmodi actus etiam si ab habitu non dimanet, non solum largè, vt ait Durand præsenti dist. q. 1. est actus virtutis, verùm & propriè. Artic. vero proximo monstrabitur esse specialem virtutem, & artic. 5. esse virtutem infusam.

Detestatio malefactorum virtutis actus est.

S. Thomas mens exponitur.

Quod autem sit actus virtutis, probatur primo naturali ratione, quia est rectæ rationi conformis. Etenim, vt ait Arist. 2. actus virtutis est ille, qui electiuus est in mediocritate inter duo extrema consistens, prout sapiens determinauerit: scilicet ille qui de bono est obiecto, debitis circunstantijs vestitus. Obiectum autem legitimum voluntatis, sicut respectu amoris est bonum, ita & respectu odij, contrarium malum. Vn-

Pœnitere esse actum virtutis. 1. Ratio.

de ficuti

de ſicuti bonum quando & vbi oportet amare, bonum eſt; ita & malum, quando & vbi oportet odiſſe, quod ſit per actum pœnitentiæ. Contingit namque de peccatis nonnunquam gaudere, iuxta illud Salomonis: † Lætantur cum malè fecerint; nonnunquam vſque ad deſperationem pœnitere, vt Cain, qui aiebat: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear; & Iudas, qui pœnitentia ductus ſe ſuſpendit. Dum ergo prudentia debitum finem & modum pœnitentiæ præſcribit quæpiam, vt ſcilicet ſpe veniæ cum moderamine pœniteat delictorum, actus ille erit virtutis officium, quippe quo peccatum, non ſolùm quatenus rationi diſſonum, imò quatenus Dei offenſa repellitur ad ipſum Deum complacandum. Prouida enim natura primum noſtrorum erratorum accuſatorem nobis conſtituit conſcientiam noſtram, vt ad Rom. 9. ait Paul. Quocirca qui peccatorum odium negant eſſe virtutem, cum natura ipſa pugnant.

Prou. 2.

Secunda ratio.

Et probatur ſecundò. Zelus ille, quo quis aliena peccata execratur, & officium iudicis, quo in malefactores animaduertit, virtus eſt: multò ergo magis ille, quo quis ſua ſponte propria peccata abominatur & vlciſcitur, vt conſequatur ſalutem, iuxta illud Paul. 1. Cor. 11. Si noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.

Itaque pœnitentia, quatenus eſt deteſtatio peccati, virtus eſt naturalis, ſed quatenus deteſtatio eſt offenſæ Dei ad eius recuperandam amicitiam, fit ſupernaturalis. Quanquam & lege naturæ, vt diſt. 1. diximus, fuerit fides aliqua ſupranaturalis in confuſo reuelata, quæ vt oſtendebat Deum eſſe aliquibus ſacrificijs colendum, admonebat, tum humanis ſceleribus offendi, tum adeò de eius offenſis dolendum & pœnitendum. In Euangelio verò, quia fides eſt explicatior, altius ratio pœnitentiæ cognoſcitur. Præterquam quod in lege naturæ non includebat votum confeſſionis ſacramentalis, ſicut in lege euangelica.

Tertia ratio.

Vnde arguitur tertiò. Virtus, vti ait Philoſophus, † eſt quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum: per pœnitentiam autem homo ex iniuſto fit apud Deũ iuſtus, vt opera deinde Deo grata perficiat, iuxta illud Ezechiel. 18. Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet: eſt ergo pœnitentia virtus.

† lib. 2. Ethic. cap. 6.

Quarta ratio.

Quartò arguitur. Dare operam, vt qui amicus erat, amicitiam amiſſam reficiat, eſt opus virtutis: ergo multò excellentius in Deum conuerti, amicumque eius & filium fieri, quod fit per pœnitentiam. In ſumma, cùm virtus, vt ait Auguſtinus, † ſit bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis, id eſt, ſine noſtro merito, operatur, & hæc omnia pœnitentiæ congruant, fit vt ſit virtus, eademque infuſa, vt artic. 5. videbimus.

† lib. 2. de lib. arb. c. 18 & 19. to. 1.

Quamobrem cùm alia ſint bona quia iure poſitiuo iuſſa, vt ieiunare: alia verò iuſſa quia bona, vt charos venerari parentes: pœnitere non inter priora, ſed inter poſteriora connumeratur: eſt enim iuſſum, quia ſuapte natura bonum.

Refutatur opinio dicentium pœnitentiã eſſe largo modo virtutem non proprie.

Fuerunt autem, vt Alexand. & Bonauent. locis citatis referunt, qui dicerent non eſſe propriè virtutem, ſed largo modo, ob id quòd virtus directè fertur in bonum, pœnitere verò eſt fugere à malo. At verò gratis hoc dictum eſt: primum, quia eadem eſt virtutis ratio in proſecutione boni, & in fuga mali, iuxta Horatianum illud. Prima virtus eſt, vitium fugere. Secundò, quia pœnitentia includit & propoſitum rectè in futurum agendi, & relationem in Deum: quare propium eſt virtutis opus. At verò cùm aliarum virtutum ſingulæ ſuis duntaxat extremis vitijs opponantur, & ſingulare propoſitum gignant rectè operando in ſuis proprijs materijs: pœnitentia toti vitiorum vniuerſitati generaliter obuerſatur, propoſitumque vniuerſale procreat rectè ſecundùm omnem virtutem operandi: qua vtique ratione cæteris virtutibus præſtat. Hoc autem facile conceſſerim, quòd propoſitum rectè agendi præſtantius eſt ex obiecto quàm deteſtatio peccati: nam fuga mali ob id bona eſt, quòd ad proſecutionem boni viam ſternit. Habemus ergo pœnitentiam eſſe virtutem de iure naturæ. Vnde, vt locis citatis & ſæpe apud Philoſophos eſt videre, lumine naturali innotuit eſſe virtutem, licet ſupernaturalis fides tunc etiam ad id fuiſſet neceſſaria. Vnde Seneca tragœdia 8. Quem pœnitet peccaſſe, penè innocens eſt. Et Ariſtot. 7. Ethicor. inter incontinentem diſtinguens & intemperatum ait, quod intemperatum, quia paſſionibus ſuccumbit non pœnitet: incontinentem verò, quia cum illis colluctatur, poſt factum pœnitet: & ideò hic curabilis eſt, ille vero minimè. Vtrùm vero philoſophi agnouerint hanc pœnitentiæ rationem, quæ eſt Dei propitiatio, ad ſubſequentem artic. attinet diſputare.

Pœnitentia eſt virtus de iure naturæ.

Seneca. Ariſtot.

Adijcitur autem ſecunda concluſio, quod pœnitentia Euangelica eſt etiam de iure diuino, ac ſubinde Eccleſiaſtico non ſolum conſilium, verùm neceſſaria. Verbum enim Chriſti. Pœnitentiam agite, neceſſitatem finis deſignat: nempe quod abſque pœnitentia, nemo poteſt in gratiam Dei redire. Vtrùm vero illic Chriſtus præceptum poſuerit pœnitentiæ virtutis, hoc eſt contritionis, vt hic ait Sanctus Thomas, præter illud, quod eſt de confeſſione, diſtin. 17. quæſt. 2. in materia contritionis diſputabitur.

Secunda concluſio catholica.

Extant præterea inter decreta ſeptem diſtinctiones de pœnitentia, & inter decretales titulus de pœnitentijs & remiſſio. vbi innumeris teſtimonijs Eccleſia decernit pœnitentiam eſſe virtutem, eandemque eis qui mortali crimine tenentur neceſſariam. Quapropter concluſio hæc non vtcunque vera, ſed catholica fides eſt, cuius adeo negatio eſt hæretica.

Hinc fit paſſionem moderatam triſtitiæ, quæ ex eadem deteſtatione naſcitur, actum eſſe quoque virtutis. Nam etſi paſſio, vt hic ait Sanctus Thom. per ſe non dicat virtutem, quia nec dicit electionem, tamen quando à recta electione proficiſcitur, ſtudioſa eſt. Stoici enim erant, vt in Tuſculanis ait Cicero, qui paſſionem vllam in ſapientem cadere negabant. Quam ſententiam Seneca complexus eſt. Ariſtoteles verò illas merito paſſiones laudat, quæ rationem ſequuntur. Vt enim naturale eſt de bono poſſeſſo gaudere, ita & de malo commiſſo triſtari: quare vt gaudium, ita & triſtitia in appetitu eſt concupiſcibili. Eſt enim triſtitia conſcientiæ carnifex, malè acta vlciſcens. Et quia purus homo niſi per ſingulare Dei priuilegium (vt Beata Virgo) quantumcunque ſapiens inculpatè viuere nequit, laudabile eſt ſapientibus de peccatis, quæ omnium malorum peſſima ſunt, triſtari. Quod vtique dogma, fides noſtra docet. Cor enim contritum & humiliatum, ait Dauid, † Deus non deſpiciet, qui ideo ſacer Propheta † lachrymis ſtratum ſuum per ſingulas noctes rigabat. Et Iohel. 2. Conuertimini ad me in fletu & planctu. Et Niniuitæ cilicio & cinere ſuum mœrorem prodebant. Et Baruch. 2. Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curua, & oculi deficientes, & anima eſuriens, dat tibi gloriam & iuſtitiam Domine. Et Lucæ 6. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. Et 2. Cor. 7. Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur. Et ſubdit eiuſmodi triſtitiam ſecundum Deum ſanctam operari ſolicitudinem, atque adeò defenſionem, indignationem, timorem, &c.

Stoici apud Ciceronem. Ariſtot.

Pſal. 50. Pſal. 6.

Ex his ergo teſtimonijs Ambroſius & Gregor. illam elicuerunt definitionem. Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Et Auguſt. libro de pœnitentia diſtinct. 3. can. Pœnitentia. 1. & 2. Quod enim legitur Eccleſiaſt. 3. Triſtitiam longe expelle à te, multos enim occidit: id quod & Ariſto. 7. & 10. Ethic. admonet, intelligitur de immoderata triſtitia, & primum ex parte obiecti, quando de incommodis & iacturis ſecularibus propter nimium eorum affectum ſumitur. Potiſſimum enim de quo hominibus triſtandum eſt, non eſt niſi offenſa Dei, & de ea quoque cum rationis moderamine.

Alia definitio pœnit.

Obiectioni occurritur.

Pari modo tertium, quod in pœnitentia poſuimus: ſcilicet ſatisfactionis opera, officia ſunt virtutis, nempe, vt diximus, † pœnitentiæ fructus. Atque adeo habitus ex huiuſmodi actibus geniti in virtutum quoque numero ſunt. Nam habitus per actus dignoſcitur. Supremus autem finis & effectus pœnitentiæ non quidem virtus eſt, ſed præmium virtutem conſequens: nempe, ſalus animæ, qui eſt effectus proximus per gratiam: & vita æterna, quæ eſt ſummum præmium per gloriam.

Satisfactio, Pœnitentia fructus eſt. † hoc art. ante med.

Atque hoc eſt ſupremum argumentum, quòd pœnitentia ſit virtus, non quæcunque, ſed diuina. Virtus enim ſimpliciter eſt apud Deum, cui apud ipſum præmium poſitum eſt. Pollicetur autem pœnitentibus regnum cœlorum, vt loco citato Matthæi tertio. Pœni-

Supremum argumentũ.

tentiam

tentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Et Ezechielis decimooctauo. Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet. Et capit. 33. Viuo enim, inquit, dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris; sed vt magis conuertatur & viuat. Scilicet vita perpetua. *Tertullian.* Super quibus verbis antiquissimus Tertullianus in lib. de pœnitentia. Absurdum, inquit, existimo de præcepto diuino disputare. Bonum est pœnitere, an non? Quid reuoluis? Deus præcipit, neque præcipit tantum, sed hortatur. Inuitat præmio ad salutem, iurans ait Viuo. O beatos, quorum causa Deus iurat. O miserrimos, si nec iurãti Domino credimus. Multa & Cyprianus in sermone de lapsis, complura alij, quamplurima denique August. in encomium pœnitentiæ congerit, quæ inter decreta de pœnitentia relata sunt.

1. Argu. † q. 1. huius d. 1. art. 1. Primum argumentum Sanct. Thom. est. Pœnitentia, vt diximus, † est sacramentum quoddam cæteris connumeratum: sed nullum aliorum est virtus: ergo nec pœnitentia. Concesso antecedente, negatur consequentia, eo quòd materia aliorum sacramentorum non sunt actus suscipientis, sed illa quæ à ministro applicatur, vt in baptismo patet, & in confirmatione. Materia vero sacramenti pœnitentiæ sunt actus suscipientis, qui adeò sunt virtutes.

Discrimen pœnit. vt est sacram. & vt virtus. Collige ergo discrimen pœnitentiæ, vt est virtus, & vt est sacramentum: virtus enim est pars & materia sacramenti, vt contritio, confessio, & satisfactio, pro quibus, vt supra diximus, supponit nomen sacramentum pœnitentiæ connotando, quòd informentur absolutionis forma, quæ non est virtus pœnitentis, sed sacerdotis functio. Ob idque non ait S. Thom. simpliciter, quòd pœnitentia, hoc est, sacramentum pœnitentiæ sit virtus, sed quòd sit virtus, aut cum virtute: quia virtus non dicit omnes partes sacramenti, sed materialem.

Argum. Contra hoc autem arguitur. Sequeretur actus pœnitentis quatenus sunt materia sacramenti, non pertinere ad virtutem pœnitentiæ: virtus enim pœnitentiæ vt dictum est, † in iure naturæ fundatur: confiteri autem sacerdoti in aurem intentione obtinendi absolutionem, atque ad eius arbitrium satisfacere, ius naturæ non præcipit, sed diuinum: ergo illud non est virtutis pœnitentiæ munus. Respondetur, opera virtutis quæ sunt bona, quia præcepta, ad eandem virtutem attinere ac si essent præcepta, quia bona. Vt ieiunare in quadragesima, quod est de iure positiuo, ad virtutem naturalem temperantiæ attinet: quia ius positiuum constituit illud in ea virtutis specie. Pari modo, licet illi modi pœnitendi sint de iure diuino, nihilominus ad idem genus pœnitentiæ attinent, quanquam sit pœnitentia infusa præter acquisitam, vt illicò elucidabitur.

† Hoc art. circa med.

2. Argum. Secundò arguitur. Verecundia secundum Philosophum 4. Ethic. non est virtus: tum quòd sit passio immutationem corporalem habens annexam, tum quòd non sit dispositio perfecti cum sit de turpi facto, quod in viro studioso locum non habet: sed pœnitentia simili modo est quædam passio habens corporalem immutationem, vt planctum, vt dictum est secundùm Gregorium, quia est præterita plangere, & est de turpib. factis, quæ studioso viro non competunt: ergo non est virtus. Respondetur, pœnitentiam, qua ratione est passio, iam diximus non esse virtutem, nisi quatenus tristitia ipsa & planctus ex recta intentione proficiscuntur. Et quamuis sit de turpibus factis, vt verecundia, differt tamen, quòd verecundia est de præsenti turpitudine, de qua homo confunditur, quæ quidem virum probum non decet, neque ad perfectionem attinet virtutis. Pœnitentia verò est de præterito malo: non autem perfectioni virtutis repugnat, vt eum erratorum suorum pœniteat quæ antea commisit: quippe cum per hoc in statum virtutis redeat.

3. Argum. Tertiò. Nullus secundum ea, quæ ad virtutem attinent, stultus est, sed sapiens, vt 4. Ethic. autor est Philosopus: videtur autem stultitia quædam dolere hominem, & contristari de peccato, quod elapsum est, quod fieri non potest, vt factum non fuerit: talis autem est pœnitentiæ dolor: ergo non est virtus. Respondetur ad maiorem, quòd dolor præteriti cum conamine faciendi, vt factum non sit, stultus esset. Hoc autem ad pœnitentiam non attinet, sed dolere quòd commiserit, & satagere vt commissse displiceat, tum reprobando factum, tum conando vt in futurum non succedat, cum intentione abstergendi offensam Dei & reatum pœnæ.

Hic autem hæsitare quis posset, vtrum illa detestatio peccati sit absoluta nolitio, scilicet, Nolo peccasse, an tolùm, Nollem peccasse, quam scholastici nolleitatem appellant. Ad hoc multi ex nominalibus respondent, duplicem esse absoluram nolitionem, & volitionem; alteram, scilicet efficacem, quæ est ad operandum, atque alteram, quæ dicit simplex desiderium. Aiunt ergo, quòd peccator, licet non possit habere priorem quin sit stultus: quia quod factum est infectum esse nequit, potest tamen habere alteram, scilicet, Nolo: quæ sit indicatiui peccasse, vt includat simplex desiderium. Et hanc aiunt requiri, vt generetur dolor & tristitia. At verò illa distinctio inanis est, nam certè omnis volitio, aut nolitio absoluta scilicet indicatiui suapte natura est efficax, id est, quæ data possibilitate exiret in actum. Et ideo de impossibili nulla est voluntas absoluta, sed sola, quæ includit conditionem, Nollem peccasse, si esset possibile. Hæc enim sola est, quæ dicit simplex desiderium, & quam Aristoteles 3. Ethi. c. 2. haberi posse de impossibili asserit: nam de impossibilitate absoluta ait, 4. de cælo, 33. quòd ad impossibile nemo mouetur. Atque hæc sufficit ad pariendum dolorem & tristitiam, quæ ideo explicatur per verbum pœnitere, quod est de re facta pœnam tenere. *An detestatio sit absoluta nolitio.*

ARTICVLVS III.

Vtrum pœnitentia sit specialis virtus.

HACTENVS solum dictum est pœnitere esse actum virtutis: quapropter disputandum restat, Vtrum sit specialis habitus virtutis, vt temperantia & fortitudo, an verò sit conditio generalis aliarum virtutum: ita vt ad iustitiam pertineat pœnitere peccati iniustitiæ, & ad tẽperantiam peccati intemperantiæ, &c. Et respondetur hac conclusione affirmatiua. Necesse est ponere, quod pœnitentia sit specialis virtus. Probatur primò: quia de illa exrat speciale legis præceptum. Pœnitentiam agite. Secundo probatur ratione, quia vt 1. 2. q. 54. ostenium est, habitus, quod etiã ait Arist. distinguuntur per actus, & actus per obiecta: quocirca vbicunque occurrit specialis actus laudabilis circa speciale obiectum formale, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis: manifestum est autem quòd in pœnitentia inuenitur specialis ratio actus laudabilis: scilicet, operari ad destructionem peccati inquantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alius virtutis: ergo est specialis virtus. *Conclusio.*

Hoc primum hic ex superioribus colligendum, quòd pœnitentia non est via regia intra virtutum lineam ingressa, sed ex transuerso. Charitas enim, iustitia & reliquæ virtutes, quia directè tendunt in bonum, quamuis nullum esset in mundo peccatum, sunt per se ad rectè viuendum necessariæ, quare & in statu naturæ integræ fuerunt in Adam, & multò excellentiùs in Christo. Pœnitentia vero, nisi homo peccasset, non fuisset necessaria. Quare non nisi occasione de hominis peccato sumpta Deus & natura fecerunt illam virtutem. Vbi homines attento animo adnotare deberemus, Deum nos neutiquam eo fine creasse vt pœniteremus, sed vt ea synceritate illi iugiter seruiremus, vt nulla egeremus pœnitentia. Nostra autem peruersitas est, in Dei cultura, & seruitio negligentissimos esse, sed satis nobis consultum putamus, si per pœnitentiam misericordiam Dei imploremus. Quod re vera indicium est, non tam esse legitimos Dei amatores quàm nostri: quia non tam suam voluntatem & gloriam explere curamus, quàm nostrum assequi commodum. *Vnde pœnitentia necessaria.* *Nota.*

Sed quò ad rem scholasticam redeamus, quidam, vt præsenti distinctione quæst. 1. refert Bonauentura, videntes rationem pœnitentiæ esse conuersionem in Deum, quæ fit per gratiam, commenti sunt gratiam esse habitum virtutis pœnitentiæ: vt sicut baptismus est gratia innocentiæ, ita pœnitentia sit gratia reconciliationis post lapsum. Sed hæc opinio longè abest à veritate: nam gratia non est propriè virtus, quæ sit in potentia ad operandum, sed id quo denominamur chari gratiáque Deo. Quare sicut anima operatur per potentias, sic gratia, quæ est in essentia animæ, non per se, sed per virtutes operatur, quæ sunt in potentijs. Alij autem, vt Alexand. 4. parte quæstione 54. & Sanct. Thom. præsenti distinctione quæstione prima referunt, dixerunt pœnitentiam non esse specialem virtu- *Referuntur quorundam opiniones de ratione pœnitentiæ.*

Digitized by Google

tem, sed generalem vniuscuiusque conditionem. Etenim quia, vt proximè dicebamus, eadem est virtutis ratio in prosequendo bonum, & fugiendo malum, ad vnamquamque virtutem attinet, vt suum proprium bonum prosequi, sic & contrarium detestari malum. Vt ad iustitiam, pœnitere de commissa iniustitia: & ad temperantiam, de contraria intemperantia. Et sic de singulis.

Scotus. Neque verò Scotus præsenti distinctione quæstione secunda, ab hac opinione longo interuallo distat. Comminiscitur namque in pœnitentia quatuor actus: scilicet, velle punire peccatũ, & nolle peccasse, quæ est proxima causa punitionis, & velle acceptare punitionem, ac demum illam patiẽter ferre. Et primus, inquit, actus, scilicet, velle punire, est imperatorius subsequentium, qui quidem est, inquit, specialis virtutis, non quidem à reliquis distinctæ, sed iustitiæ vindicatiuæ: est enim actus, quo homo tanquam Dei minister vindicare se satagit, iuxta illud primæ Cor. vndecimo. Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Secundus verò actus, putà nolle peccasse, non est specialis virtutis, sed vnius cuiuslibet in propria materia, vt temperantiæ nolle fornicatum fuisse. Et sic de singulis. Atque idem ait de tertio, scilicet, acceptare pœnam gratanter: nam si id fiat proposito reconciliãdi Deum, pertinet ad charitatem: si verò spe assequendæ vitæ æternæ, pertinet ad spem: si verò metu inferni, attinet ad timorem seruilem. Patienter autem ferre pœnam, est specialis virtutis patientiæ.

Durand. Durandus verò præsenti distinctione, quæstione secunda ait pœnitentiam esse specialem virtutem: nempe, iustitiam. De qua opinione artic. proximo dicemus. At verò Alexand. quarta parte, quæstione 54. membro primo, artic. secundo: & Bonauentura. & Ricardus præsenti distinctione artic. 1. quæst. 2. & Marsilius in 4. quæstione decima, & omnes antiqui tenent cum Sancto Thoma esse specialem virtutem. Et in primis tot multiplicare actus in pœnitentia adeò non est necessarium, vt confusionem pariat. Neque verò arbitror Scotum intellexisse in propria forma esse requisitos. Plebs etenim, quin verò viri docti dum ad mentem redeunt, eiusmodi numeri aut ordinis actuum neutiquam recordantur. Imò neque primus est velle punire, sed certè detestatio illa, quæ est, Nollem peccasse, hæc enim est substantia pœnitentiæ. Vnde naturaliter subsequitur dolor, & propositum emendandi vitam, & satisfaciendi: per quam vtique satisfactionem, vindictam & supplicium sumunt de peccatis. Quin verò vnicus potest esse actus, eiusmodi intentiones includens. Quis enim dixerit hominem priùs velle punire peccatum, quàm ei displicuerit? Ad hæc art. tertio monstrabimus velle punire non satis exprimere rationem pœnitentiæ, nam punire solùm dicit exactionem pœnæ pro culpa: pœnitentia verò dicit auferre culpam.

Alex. Alens.

Scotus refellitur.

In quo tandem sit ratio formalis pœnitentiæ. Igitur vt veritatis confirmatio sit aliarum opinionum reprobatio, hoc modo rei veritas comprobatur. Primum enim supponẽdum nomine pœnitentiæ intelligi virtutem illam, per quam fit conuersio in Deum, qui nobis reconciliatur. Vbicunque enim in sacra scriptura fit de pœnitentia mentio, attribuitur ei conuersio, vt 2. Paralipomenon 30. Pius, & clemens est Deus vester, & non auertet faciem suam à vobis, si reuersi fueritis ad eum. Et Ecclesiastici 5. Ne tardes reuerti ad Dominum. Et Ioelis 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Nam etsi ad conuersionem, vt Diuus Thom. 1. 2. q. 113. art. 4. docet, requiratur motus in Deum per fidem, atque adeò per spem: tamen statim artic. 5. declarat motum illum detestationis peccati, quo ab illo recedimus, esse formalem in Deum conuersionem, dum per peccatum à Deo recedimus conuertentes nos ad creaturas. Hinc fit, actum pœnitentiæ habere pro obiecto, non hanc, aut illam rationem peccati in materia temperantiæ, aut iniustitiæ, & cæt. sed in communi. Neque verò solùm quatenus est contra rationem, sed qua ratione est offensa Dei. Neque habet quemlibet finem, sed detestari peccatum ad eum tollendum, vitamque emendandam ad reficiendam Dei amicitam, & vt homo fiat illi gratus acceptusque ad vitam æternam. Tametsi, vt nuperrimè dicebam, vnicus esse actus potest, detestandi peccatum propter Deum, sicut assensus est conclusionis propter præmissam, & electio medij propter finem.

Præmotãda.

Hinc ergo colligitur esse specialem virtutem: nam cum actus per obiecta distinguantur, vbicunque est vna ratio formalis obiecti, quæ nulli alij virtuti conuenit, requiritur specialis virtus: hæc autem formalis obiecti ratio nulli alij virtuti respondet quam pœnitentiæ: ergo est specialis virtus. Declaratur minor. Ad pœnitendum de peccato quatenus est contra rationem in aliqua singulari materia sufficerent virtutes singulæ particulares, vt expositum est. Sed quia pœnitentia respicit generalem rationem peccati quatenus Dei offensa, & sub ratione emendabilis propter Dei amicitiam, ad hoc non sufficiunt reliquæ morales virtutes, tum quòd illæ non attingunt Deum pro immediato fine, tum etiam quòd alijs virtutibus licet competat, habeant relinquere aliquod particulare malum, vt faciãt aliquod particulare bonũ sui obiecti, non tamen castigare malum vniuersum emendando vitam in omni genere virtutum, quod est proprium pœnitere, non solùm temperatè, fortiter, & iustè agere, sed simpliciter bene viuere. Et hoc est punctum iudicio meo maximè notandum, in quo ratio consistit, vt pœnitentia sit specialis virtus. Cui accedit & alia non infima ratio, quòd nolle pœnitere est singulare peccatum, quod non apparet cuinam virtuti sit contrarium, nisi speciali virtuti pœnitentiæ.

Punctum notandum.

Et sic est intelligenda solutio secundi argumenti S. Thomæ. Arguit enim. Quælibet virtus specialis habet specialem materiam, eo quod habitus per actus, & actus per obiecta distinguuntur: sed pœnitentia non habet materiam specialem: sunt enim eius materia quæcunque peccata præterita, in quacunque materia aliarum virtutum: ergo non est specialis virtus. Respondetur, quòd licet obiectum materiale pœnitentiæ sit omne peccatum, habet tamen specialem rationem obiecti, inquantum scilicet peccata sunt emendabilia per actum hominis cooperante Deo ad iustificationem. Et diuersæ rationes formales eiusdem obiecti sufficiunt ad distinguendas virtutes. Dare enim procedere potest, & à iustitia sub ratione debiti, & à liberalitate sub ratione donationis, & à misericordia ad leuandam miseriam.

2. Argum.

Contra Scotum, & alios. Et per hoc redarguuntur Scotus & alij, tenentes quòd detestari peccata non sit actus vnius virtutis, sed generalis conditio omnium. Haud enim perspexerunt quemadmodum nulla aliarum virtutum per se habeat emendare totam vitam, operarique diuina ope ad iustificationem. Et hoc fortasse Christus Dominus Matt. 11. significauit dicens: A tempore Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur: id enim propter pœnitentiam dixit, quam Ioannes cæpit prædicare: nam reliquę virtutes via regia cum auxilio Dei per adimpletionem mandatorum regnum aperiunt. Sed pœnitentia quasi vi quadam, quia repente facit ex hoste filium & hæredem.

Regnum cœlorum vim patietur.

Argum. aliud. Et per hoc pariter ad aliud argumentum respondetur, quo solet argui. Philosophi cognouerunt omnes virtutes, saltem quæ de iure naturæ promanant, iuxta verbum Pauli ad Roman. Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt: & tamen nullam de pœnitentia mentionem fecerunt tanquam speciali virtute, vt est videre apud Ciceronem in officijs, & ad Herennium, & apud Senecam & Aristotelem. Respondetur, inquam, quòd quia non agnouerunt in pœnitentia gradum alium, quàm detestari malum, quod est contra rationem, ad quod sufficit quæcunque virtus in sua propria materia, pœnitentiam legitimam ignorarunt, quę est facere Dei amicos. Quòd si Ouidium obieceris in libro primo de Ponto elegia prima vbi de Dijs ait. Sępe leuant pœnas, ereptaque numina reddunt. Cum bene peccati pœnituisse vident. Quibus verbis insinuat Deum per pœnitentiam placari. Quamobrem Romani atque alij ethnici pestibus & bellis, alijsq; calamitatibus ingruentibus, intelligentes ob sua delicta à dijs affligi, procurabant per sacrificia eos placare. Respondetur, quod licet cognouissent Deorum iram per pœnitentiam sedari, ignorabant tamen veram rationem iustificationis, quæ est in pœnitentia: nempe per eam homines fieri Dei filios, atque adeò iustos & Deo gratos. Vnde Lactantius loco supra citato libro 6. capitu. vigesimoquarto, dum ait per pœnitentiam hominem à peccato liberari, & in Deum reduci, ait quòd Cicero hoc fieri posse non putauit, cuius verba in libro tertio Academicarum Quæstionum sunt. Quòd si liceret ijs, qui in itinere

Argum. aliud.

Rom. 1.

Ouidius in lib. de Ponto.

errassent,

Digitized by Google

errassent, sic viam deuiam secutos errorem corrigere in pœnitendo, facilior esset emendatio temeritatis. Censebant ergo illi philosophi pœnitentiam initium esse emendandæ vitæ, non tamen omnino esse iustificatricem apud Deum: quia vniuersalem iustitiam non nisi in moralibus virtutibus, quæ a natura proficiscuntur, constituebant.

1. Argu. S. Thom.

Contra hanc autem constitutam veritatem est argumentum, quod nonnulli validissimum putant, & est primum Sancti Thomæ: nempe, quod licet pœnitentia sit specialis virtus, non tamē sit alia quàm charitas: eiusdem enim rationis est gaudere de bonis prius actis, & dolere de perpetratis malis: charitas autem, qua Deum propter seipsum diligimus, est sufficiens causa gaudij, quod de officijs virtutum habemus, vt patet per Augustinum decimoquarto de Ciuitate Dei. Vnde & primæ ad Corinthios decimotertio Paulus: Charitas, inquit, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: ergo pari ratione ad dolendum de peccatis præteritis non requiritur alia specialis virtus, quam charitas. Ad respondendum huic argumento notandum est, actum quempiam à virtute bifariam posse deriuari. Vno modo elicitiuè, atque altero imperatiuè. Exempli gratia. Dum quis fornicatur, vt bona mulieris deprædetur, actus elicitur ab intemperantia, & imperatur à vitio furandi. Pariter cùm quis ieiunat propter Deum, actus elicitur à temperantia, & imperatur à charitate: charitas enim est, quæ omnes virtutes refert in Deum, atque adeo omnibus imperat & vtitur ad Dei amorem. Si ergo in actu pœnitentis sola displicentia peccati præteriti simpliciter consideretur, nulla speciali opus esset virtute pœnitentiæ: nam odium offensæ Dei actus est elicitus charitatis, sicut eius amor, atque adeo simplex ille dolor proprius eius est actus, sicut gaudium de bono virtutis. Sed tamen actus pœnitentiæ non solum dicit dolorem quemlibet, sed peculiarem ad delēdum peccatum, & totam emendandam vitam, quod non est proprium officium charitatis: & ideo ad eliciendum illum actum requiritur specialis virtus pœnitentiæ. Nihilominus charitas omnium virtutum imperatrix, imperat pœnitentiæ ad eundem actum eliciendum. Quinuerò & fides & spes, & timor, & humilitas, & patientia, & multæ aliæ virtutes eidem imperant pœnitentiæ, vt timor seruilis, qui, vt art. 5. videbimus, virtutem pœnitentiæ excitat. Sicut vice versa ipsa virtus pœnitentiæ imperat alijs, quæ sibi sunt adminiculo ad illum conflandum dolorem, veluti humilitati, verecundiæ, & patientiæ. Vt enim citharœdus consonantibus fidibus lyræ ad eandem muficam vtitur: sic pœnitens virtutum choro ad pœnitentiam perficiendam.

Actus à virtute bifariam deriuatur.

3. Argu.

Tertiò, vt eius literam expediamus, arguit Sanctus Tho. Nihil expellitur, nisi à suo contrario: sed pœnitentia expellit omnia peccata, atque adeò omnibus contraria est: ergo non est specialis virtus. Et est valde notanda solutio. Respondetur enim, quòd aliquid expelli ab alio stat dupliciter. Vno modo formaliter, & alio modo effectiuè: formaliter namque aliud expellere nihil aliud est quàm illud secum non compati. Albedo enim dicitur expellere nigredinem, non quòd color ipse sit actiuus, sed quia non stant simul in eodem subiecto. Calor autem expellit frigus non solum formaliter, sed etiam actiuè efficiendo in ipsum. Quare dum calidus carbo expellit albedinem niuis, non hoc facit per nigredinem, sed per calorem corrumpendo frigiditatem niuis. Pœnitentia autem non solum formaliter expellit peccatum, quia se non compatiuntur, sed actiuè expellendo ipsum per auxilium Dei, quemadmodum calor expellit frigus. Ob idque pœnitentia non est generalis virtus, formaliter contraria cuicunque peccato, vt temperantia intemperantiæ, sed specialis omnium expultrix actiuè.

Solut. notan.

Instantia.

In contrarium autem potest adduci argumentum ad hominem. Diuus Thom. 1. 2. & 2. 2. longam protraxit disputationem de omni virtute, & tamen non meminit de pœnitentia: ergo non est specialis virtus. Respondetur illic non instituisse tractare, nisi de virtutibus theologicis & moralibus, quæ per se sunt virtutes ordinatæ ad operandum bonum. Pœnitentia verò, quia non est virtus, nisi ad expellendum peccatum, meritò vsque ad materiam sacramentorum tractandam reposuit.

Caietani opinio de pœnitentia virtute.

Hanc nihilominus veritatem Caietanus in præsentiarum non approbat. Concedit namque pœnitentiam esse vnam virtutem, non tamen ab omnibus alijs distinctam, sed esse virtutem religionis. Et argumentum, quo ait suum intellectum conuinci, est hoc. Si daretur vna specialis virtus in hoc sensu, quod nullum haberet actum singularem circa bonum, sed tantum circa peccatum, sequeretur, quòd illa virtus necessariò exigeret in habente illam, contrarium actum vitiosum, vt posset in actum exire. Hoc autem adeò Caietanus reputat absurdum, vt argumento succumbat. Eodem argumento Durandus compulsus est dicere, quod pœnitere non potest esse primus & principalis actus alicuius virtutis. Et ideò ait quòd pœnitentia non sit nisi virtus iustitiæ, cuius præcipuus actus est ad bonum, secundarius verò ad expellendum malum. At quia inter nos & Deum, vt inquit Aristoteles, non est æqualitas iustitiæ, minus inconueniens est dicere, quòd esset religio. Etenim vt religionis actus est vt se homo Deo subijciat debitum illi honorem reddendo, tanquam rerum parenti, & summo nostro benefactori: ita per eandem virtutem possumus ei, dum à nobis offensus est, honorem deferre pœnitendo, & vindicando offensam in eum commissam.

Argum. Caiet.

Et re vera opinio hæc, quamuis noua, non omnibus displicet, neque est cur displiceat. Attamen in primis licet Caietanus se censeat non esse contrarium Sanct. Thomæ manifestum est pugnare cum eius dictis. Nam vbicunque S. Thom. definit aliquam esse specialem virtutem, intelligit dictum ab omnibus alijs: cum ergo hic dicat pœnitentiam esse specialem virtutem, cui attribuit specialem actum destruendi peccatum præteritū, manifestè intelligit ita esse specialem, vt in nullam aliam incidat. Si enim esset religio, id ipse explicuisset, vel in conclusione, vel in responsionibus argumentorum, quæ hoc exigebant, vel in tertio, vel in articulo subsequenti, vbi tamen non ait nisi quod est species iustitiæ. Quinuerò in 4. distinct. 14. quæstione 1. art. 1. quæstiunc. 4. & distin. 15. quæst. 4. art. 7. ad 2. expressè ait pœnitentiam distingui à latria, qui est actus religionis. Enimuerò religio, vt ait idem Sanctus Doctor 2. 2. quæstione 81. artic. 3. est virtus qua propriè exhibemus reuerentiam Deo inquantum est primum creationis & gubernationis rerum principium. Pœnitentia verò non habet hoc proprium, quod est exhibere reuerentiam, sed Deum offensum placare, eiusque castigare offensam emendando vitam, quòd à ratione religionis nonnihil differt. Quanquam & hoc sit debitum honorem Deo deferre, quod per vsum cuiuscunque virtutis etiam fit.

Sententia autoris & Caietani refutatio.

Vnde ad argumentum Caietani respondetur mirandum esse illo argumento sic conuinci. Nihil enim miraculi est, si detur aliqua virtus, cuius totum negotium sit morbos animæ depellere, quę ideo vsum habere non potest, nisi supposito morbo: neque ideò à perfecta virtutis ratione deficiet. Herba enim & medicamen licet non habeant virtutem, nisi pellendi morbos præsentes, nihilominus tam propriè sunt virtuosa, quàm quæ bonam valetudinem conseruant: sicuti & ars medica, quæ solam haberet vim contra præsentes morbos optima esset. Adde quòd verecundia virtus est, aut saltem laudabilis passio, & tamen non est nisi de turpi facto. Et vindicatiua iustitia locum non habet, nisi in sceleribus corrigendis & vlciscendis: quare in statu naturæ integræ nullus ei pateret locus. Ob id enim diximus, pœnitentiam non connumerari virtutibus, nisi ex tranſuerſo, supposita scilicet culpa. Tametsi culpam tollere, ratio est optima obiecti: præsertim cum annexum habeat propositum emendandi vitam, qui est actus directè intentus in bonum.

Ad arg. Caietani.

Atque eodem modo respōdetur ad aliud argumentum, quod est: Semina virtutum ita nobis esse insita, vt possint à nobis acquiri cum auxilio diuino, ita vt nullum sit necessarium peccatum ad illas acquirendas. Id enim de illis virtutibus intelligitur, quæ per se habent negotiari circa bonum, vt temperatia & reliquæ. Pœnitentia vero non est nisi ad tollendum malum.

Quare illa non fuit in Christo, neque ideò minus fuit virtutib. exornatus quam Petrus, qui pœnitentiam habuit: imò plus, eo quòd innocentia præstantior res est quàm pœnitentia: sicut neque habuit fidem quæ obscuram dicit visionem; sed euidentem eorum notitiam, quorum nos habemus fidem. Quo circa non sequitur, vt Durandus sibi videtur concludere, quòd quanto quis pluries pœniteret, studiosior esset: tum quia habitus pœnitentię non facit per se

Pœnitētia non fuit in Christo.

Digitized by Google

magis studiosum, quàm illo carere, si quis esset innocens: tum quia habitus pœnitentiæ non intenditur per frequentationẽ actuum: quando per frequentia peccata mortalia interrumpuntur, sed quando pœnitens perseuerat, & non recidit, vt Magdalena, quæ intensissimum habuit pœnitentiæ habitum: & ideo multis innocentibus, qui nunquam mortaliter deliquerint, sanctior fuit.

Aliud autem potest argumentum duci in fauorem Caietani ex Augustin. 10. de ciuita. Dei, quem Diuus Tho. loco citato 1. 2. quæst. 81. art. 1. citat dicentem, quòd religio à religendo dicta est, quem negligentes amiseramus: amittimus eum autem per peccatum: ergo reeligimus per pœnitentiam. Accedit quòd sacramentorum vsus, quibus iustificamur, atque adeò pœnitentiæ sacramentum ad cultum religionis attinet, vt dist. 1. dictum est: subijcere ergo nos clauib. Ecclesiæ, religio est. Respondetur, quòd sunt nonnullæ virtutes adeo similes, vt sæpe vnius nomen trãsferatur ad aliam: vt misericordia, per quam maximè charitas lucet, sæpe solet charitas appellari. Et ideo licet per quamcunque virtutem Deum colamus, tamen quia pœnitentia simillima est religioni, vt per quam honorem exhibemus Deo, & nos ipsos macerantes sacrificamus, pœnitentia dicitur quandoque religio & sacrificium, iuxta illud Psalmi 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, præsertim dum pœnitentiæ virtuti addimus sacramentum, subijciendo nos clauibus, tunc enim pœnitentia imperat virtuti religionis, eamque ad suum opus mouet, vt ait Diuus Thom. in quarto loco citato quæst. 15. articulo 7. Nam paretur imperat latriæ adorandum, quæ est vna pars satisfactionis. Aliud argumentum facit Caietanus: Quia inter homines non requiritur specialis virtus ad reconciliandam amicitiam: ergo neque inter nos & Deum. Illud autem artic. proximo examinabitur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm virtus pœnitentiæ sit pars iustitiæ.

SI pœnitentia est specialis virtus, merito quæritur, sub quo sit genere, vtrum sit species iustitiæ. Et respondet duabus conclusionibus. Prima, Pœnitentia secundum quod est virtus, est pars iustitiæ. Probatur, quoniam pœnitentia quatenus specialis virtus est, vt suprà diximus, non habet tantum dolere de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret charitas, sed habet insuper, vt doleat de illo quatenus offensa Dei cum emendationis proposito: emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensionis, sed exigitur vlterius quædam recompensatio, quæ locum habet in offensis in alterum commissis, quemadmodum retributio: nisi quòd recompensatio tenet se ex parte eius qui offendit, qui quidem satisfacere ei debet qui iniuriam passus est: retributio autem tenet se ex parte eius, in quem est offensa commissa, qui quidem vindicat se de illo qui iniuriam intulit: sicuti qui obsequium suscepit, retribuit præmium. Vtrumque autem, scilicet & satisfacere & retribuere, pertinet ad virtutem iustitiæ: quia vtrumque est commutatio quædam, atque adeò pœnitentia est pars quædam iustitiæ. Et confirmatur autoritate Augustini superius allegata. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse: vindicta enim, vt in sua rhetorica autor est Cicero, species est iustitiæ. *1. Concl.*

Secunda conclusio. In pœnitentia non consideratur iustum simpliciter seu politicum, sed secundum quid, vt filij ad patrem, & serui ad dominum, & vxoris ad virum. Enimuerò, vt 5. Ethico. author est Philosophus, bifariam dicitur iustum: scilicet simpliciter, quale est inter æquales, eo quòd iustitia est æqualitas quædam. Quod quidem iustum ob id vocatur politicum & ciuile, quòd omnes ciues quatenus liberi sunt & sui iuris, sub eodem principe immediate gubernantur. Sed aliud est iustum secundum quid, inter eos qui non sunt simpliciter æquales, sed vnus est sub potestate alterius: & tale est iustum inter nos & Deum: non ergo pœnitens æquale simpliciter recompensat Deo pro offensa, sed supplex reuertitur ad ipsum tanquam seruus ad dominum, iuxta illud Psalm. 122. Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri: & sicut filius ad patrem, secundum illud de filio prodigo Lucæ 15. Pater, peccaui in cælum & coram te: & sicut vxor ad virum, secundum illud Hierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. *2. Concl.*

Expositio articuli.

Qui virtutum ordinem & chorum ignorat, nil mirum si ambigat quomodo pœnitentia sit specialis virtus à cæteris omnibus distincta, & tamen sit pars iustitiæ: nam si est eius species, verè erit iustitia. At verò nulla est repugnantia: quoniam ingenium fuit Aristotelis omniumque philosophorum, omnes virtutes morales ad quatuor capita reducere, quæ sunt quatuor virtutes cardinales. Militant autem omnes sub istis, aut tanquam species sub genere, vt sub genere iustitiæ distinguuntur distributiua & commutatiua, sicut homo & equus sub animali: aut tanquam partes potentiales eius. Dicitur enim pars potentialis virtus, quæ non habet totam quidditatem alterius, sed partem. Vt partes potentiales iustitiæ sunt religio & liberalitas, vt docet S. Tho. 2. 2. quæst. 80. quia vtraque est ad alterum sicut iustitia: sed religio non dicit æqualitatem, quæ esse non potest inter nos & Deum: neque vero liberalitas dicit rationem debiti, cùm vtraque harum conditionum sit de quidditate iustitiæ. Cùm ergo ait S. Thom. in priori conclusione, quod pœnitentia est pars iustitiæ, dubium facit, vtrum sit pars subiectiua, hoc est, directa eius species, an vero potentialis ab integra eius quidditate deficiens.

1. Argu.

Sed primum omnium argumentorum, quod neutro modo sit pars iustitiæ. Virtus enim theologica & moralis ex æquo distinguuntur, vt neutra sit species, aut pars alterius: iustitia autem est virtus moralis. Quod autem pœnitentia sit theologica, probatur: quia cùm satisfaciat Deo, qui peccatorem reconciliat, videtur Deum habere pro obiecto, in quo ratio virtutis theologicæ consistit. Respondet negando, pœnitentiam habere Deum pro obiecto, obiectum enim est materia virtutis: at materia iustitiæ, vt 5. Ethic. autor est Philosophus, non est illa persona, ad quam est iustitia, sed magis res ipsæ quæ distribuuntur, aut commutantur. Vt materia iustitiæ emptoris non est vẽditor, sed nummi, quos soluit in pretium rei emptæ, quæ fuit materia iustitiæ venditoris. Et eadem ratione cùm pœnitens satisfacit Deo, Deus non est materia pœnitentis, sicut nec fuit materia peccantis, sed actus humani, quibus Deus offenditur, sunt materia peccantis, & quibus placatur sunt materia pœnitentis: quare non est theologica, sed moralis.

Triplex virtus.

Vnde vt Sanct. Thom. in 4. dist. præsenti quæst. 1. art. 1. docet, virtutes sunt in triplici differentia: quædam enim habent Deum pro obiecto & fine, & istæ sunt theologicæ: obiectum enim distinguitur per casum accusatiuum, in quem fertur actio: Credo enim, spero & amo Deum, & credo, & spero in Deum propter ipsum. Aliæ vero sunt quæ nec habent Deum pro obiecto, nec pro fine intrinseco ipsius virtutis, vt virtutes purè morales. Obiectum enim fortitudinis sunt pericula belli, & temperantiæ delectabilia tactus: Finis autem omnium est moderatio & quies animi. Quãdo vero earum officia referuntur in Deum, id fit per extrinsecam virtutem: nempe per charitatem. Cum enim quis rempublicam defendit, aut ieiunat propter Deum actus illi eliciuntur à fortitudine & temperantia, sed relatio in Deum fit per charitatem. Sunt autem aliæ mediæ virtutes, quæ licet non habeant Deum pro obiecto, habent tamen ipsum pro fine proximo intrinseco ipsius virtutis, vt religio, qua debitos honores deferimus Deo, vbi honores sunt materia, & Deus finis proximus, quem religio ipsa attingit, atque in hoc ordine constituitur pœnitentia: quippe qua peccata execramur propter Deum. Itaque licet materia eius sint peccata, tamen finis intrinsecus est amicitiam reficere inter Deum & homines. Atque hoc est, quod Scotus, Durandus, & Marsilius, quæstio. 10. & multi alij non satis pro dignitate speculati sunt. Opinantur enim actum pœnitentiæ solum esse dolere de peccatis, & vindictam de illis sumere, quod pertinet ad iustitiam, sed tamen id facere propter Deum esse relationem charitatis: & ideò superfluum existimant singularem speciem virtutis adhibere. Cùm tamen veritas sit quòd pœnitentia ea ratione, qua est conuersio in Deum, intrinsecè habeat dolere propter ipsum. Imò verò quodammodo Deus est obiectum eius in obliquo: est enim actus pœnitentiæ dolere de offensa Dei, *Pœnitẽtia.*

ea ratio-

Digitized by Google

ea ratione qua est Dei. Quapropter licet pœnitentia qua ratione est vindicta, sit pars iustitiæ, tamen qua ratione est dolor offensæ, est quædam species charitatis, vt præcedenti articul. dictum est, ac perinde genere suo est virtus infusa, vt artic. 5 monstrabitur. Atque hoc est quam maximè adnotandum pro materia contritionis, vt disputabimus distinct. 17. Hoc enim differt contritio ab attritione, quæ est propter pœnas inferni: hic enim actus non elicitur à pœnitentia virtute, sed ab alia purè morali, vt à timore seruili.

Contritio. 2. Argu. Sed esto sit virtus moralis, videtur quòd non sit species iustitiæ: ratio enim iustitiæ consistit in medio, sicut reliquæ omnes virtutes, sed pœnitentia non consistit in medio, sed in quodam excessu, secundùm illud Hier. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum: ergo non est species iustitiæ. Respondetur, quod medium iustitiæ non accipitur, sicut in reliquis virtutibus in ordine ad duo extrema, vt temperantia est comedere, nec multum nec parum, sed per æqualitatem ad aliud, vt tantum reddas, quantum accepisti, vt 5. Ethico. Aristot. edisserit. Attamen inter nos & Deum vt inter filios & patrem, non potest esse perfecta æqualitas, vt habetur 8. Ethico. propter excellentiam Dei. Quare ratio iustitiæ inter istos consistit, vt persona deficiens faciat quantum potest. Et hoc in pœnitentia solet vocari excessus, non quidem quòd excedat rationis normam, alias esset vitium, vt si quis tantum se ploratu aut inedia maceraret, vt se occideret, sed quod cum non possit facere æquale, facit rationabiliter quantum potest. Quod quidem nunquam erit per se sufficiens, sed secundum acceptationem Dei.

Durādus. Hinc colligitur falsitas opinionis Durandi distinctio. præsenti, quæstio. 2. tenentis pœnitentiam non esse specialem virtutem, sed ipsissimam virtutem iustitiæ. Cuius argumenta articul. præcedente diluimus. Enimuerò cùm iustitia dicat æqualitatem, & inter Deum & nos non sit æqualitas, pœnitentia non habet totam quidditatem iustitiæ.

Adde secundam rationem, quòd iustitia non habet nisi reddere æquale, non autem emendare vitam, aut reconciliare amicum. Qui enim iniuria quempiam affecerit, solum per virtutē iustitiæ tenetur repensare quod abstulit vel in bonis, vel in honore, siue amicitia resarciatur, siue secus. Et quando iudex reorum peccata vindicat, non emendam hominis, quem suspendio enecat, intendit, sed supplicium sumere, vindicta verò pœnitentiæ procedit ex amore filiali ad emendandam vitam. Quare non est omnino iusta, sed quædam egregia eius pars charitati admixta.

Sed tunc arguitur argumento præcedenti, vt arguebat Caietanus. Ad resarciendam amicitiam inter homines non requiritur specialis virtus, sed sufficit iustitia, quæ reddat æquale: & charitas, quæ faciat amicitiam. Respondetur primò, quòd forsan requiritur virtus specialis similis pœnitentiæ: nam charitas solum facit pœnitere de offensa amici: sed tamen tollere peccatum commissum in amicum dicit nouam rationem. Secundò respondetur, quòd quicquid sit inter homines, negatur consequentia inter nos & Deum: quia pœnitentia dicit singularem modum placandi Deum, concurrendo simul cum ipsius speciali auxilio ad abolendum peccatum, & emendandum totam vitam.

Argum. Arguitur tamen ex dictis Sanct. Thom. contra ipsum. Sequeretur quod pœnitentia non esset species iustitiæ: nam species directè collocatur sub genere participando totam eius quidditatem, vt homo participat rationem animalis. Et sic malè concludit in argumento, sed contra, & concedit in solutione quarti, quod pœnitentia sit directè species iustitiæ. Respondetur, quod Sanct. Thom. non intendit esse speciem propriè iustitiæ, sed partem eius, vt in priori conclusione asseruit. Sed tamen quia hic non exactè tractatur differentia inter speciem & alias partes potentiales, non timet vocare eam speciem, etiam directè, vt in solutione quarti explicatur. Est ergo secundum ipsum pœnitentia pars potentialis iustitiæ, sicut de religione constitutum est 2. 2. quæstio. 80. articulo 1.

3. Argu. Tertiò arguitur. Duæ sunt species iustitiæ, vt 5. Ethic. autor est Philosophus: scilicet, distributiua, & commutatiua: sed sub neutra videtur pœnitentia contineri: ergo non est species iustitiæ. Respondetur ad minorem, quod continetur sub commutatiua, cuius species est iustitia vindicatiua, qua qui alterum læsit punitur. Sicuti & retributiua.

Sed forsan quis arguat, vindicatiuam & retributiuam potius pertinere ad iustitiam distributiuam. Iustitia enim distributiua est, quæ proportionem geometricam seruat inter præmia & merita, vt qualis proportio est inter duorum merita, talis sit inter honores, qui autoritate publica ciuibus distribuuntur: commutatiua verò consistit in æqualitate, vt quantum accepisti, tantum reddas: iustitia ergo retributiua siue in bonis, siue in malis videtur esse distributiua, vt qua proportione quis est melior, plus habeat in honoribus: & qua peior, plus in supplicijs. Respondetur, aliter rem habere: nam distributiua non habet rationem alicuius susceptibeneficij, sed solum ciuium meritorum & dignitatum, retributio verò habet rationem accepti, vt beneficium ab alio accepisti, gratiam ei reddas æqualem. Et hanc virtutem Cicero libro secundo de inuentione in iustitia commutatiua ponit, quam gratiam vocat: quæ in memoria & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum obseruantiam teneat. Pariter ergo iustitia vindicatiua est commutatio in offensis, cùm quis propter offensam in alterum commissam, vel iniurius punitur à Iudice, vt scilicet quantum offensæ intulit, tantum supplicij pendat, aut cum sua se sponte quis corripit, punit, & hæc est pœnitentia. Quare ideò vtraque commutatio quædam est. Hæc latius D. Tho. 2. 2. quæst. 80. art. 1. edisserit.

Argum. Quo autem clarius eluceſcant, arguitur sic. Cùm quis iniuriam intulit, tres sunt personæ, quæ illam possunt recompensare: primum persona publica iudicis, quæ in peccatores animaduertit, & hæc non est specialis virtus distincta à iustitia, sed iustitia ipsa commutatiua legalis: mox persona ipsa læsa priuatim, & hæc non potest vindictam facere: nemo enim se authoritate priuata potest vindicare, iuxta illud Pauli ad Romanos duodecimo: Non vos defendentes, id est, vindicantes charissimi: scriptum est enim; Mihi vindictam, & ego (vel per me, vel per meos iudices) retribuam: quare vindicta in priuata persona non videtur esse virtus. Tertiò potest ipsa persona, quæ læsit, iniuriam quam intulit, vlcisci, quod pertinet ad pœnitentiam. Tùnc sic arguitur. Vel hoc facit tanquam persona publica, & sic non est specialis virtus, sed ipsa iustitia legalis: si autem tanquam persona priuata, non videtur esse virtus. Respondetur cum D. Tho. loco citato concesso, quòd vindicta facta per iudicem pertinet ad iustitiam legalem commutatiuam. Si autem ille, qui iniuriam passus est, vindicaret se, non esset virtus: sed tamen posset vindictam à persona publica petere in iudicio, & hæc non est omnino obligatio iustitiæ ratione debiti: quoniam qui læsus est, non tenetur recompensationem petere, vt ipse de iustitia facere debeat: nam potest iniuriam remittere. Et ideo illa est specialis virtus vindictæ, quæ reducitur ad iustitiā tanquam pars eius potentialis. *Cicero.* Vnde subdit illic Cicero, vindicationem esse, per quam vim aut contumeliam defendendo aut vlciscendo propulsamus à nobis. Ad propositum ergo de pœnitentia respondemus, quòd neque omnino est sicut iustitia legalis, neque sicut dum persona læsa vindictam petit.

Discrimen inter Scotum & D. Thom. Vbi adnotandum est discrimen inter Scotum & Sanct. Thomam. Scotus enim iam supra citatus considerat pœnitentem tanquam personam publicam nomine Dei castigantem seipsum ceu reum. Itaque comparat ipsum ad eundem, & ideo pœnitentiam existimat esse iustitiam commutatiuam, sicut si fieret à iudice. At Sanctus Thomas comparat pœnitentem tanquam personam priuatam in ordine ad Deum, cui per pœnitentiam satisfacit, reddendo ei ius suum quantum humana facultas permittit: scilicet detestando peccatum, submittendo se Deo offenso. Et est maius discrimen quàm apparet. Primum, quia iustitia legalis non est nisi in persona publica. Secundò (quod est maximè notandum,) quòd cùm in peccato sint duo, scilicet culpa & pœna, vindicatiua legalis non intendit nisi pœnam pro culpa exigere, siue offendens restituatur in amicitiam offensi, siue secus, quod solum Scotus agnoscit in pœnitentia. At pœnitentia, vt Sanctus Thom. hic peracutè docet, tendit ad delendam culpam recuperandamque amicitiam: ob idque ait esse specialem virtutem, qua pœnitens se Deo sua sponte subijcit, dolorem & satisfactionem ei priuata autoritate reddendo pro culpa. Et ideo ratione excel-

Digitized by Google

lentiæ personæ Dei non potest ei reddere æquale in quo deficit ab integra quidditate iustitiæ: ob idque est specialis virtus Deum habens pro intrinseco fine. Et hoc modo intelligendum est verbum Pauli, Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.

1. Cor. 11.

4. Argu.

Quartò denique arguitur. Super illud Lucæ 6. Beati qui nunc fletis, ait glossa. Ecce prudentia, qua ostenditur quàm hæc terrena sint misera, & quàm beata cælestia: flere autem est actus pœnitentiæ: ergo magis est species prudentiæ quàm iustitiæ. Est peregregia solutio: videlicet, quòd quanquam pœnitentia sit directè species iustitiæ, non quidem sic directè, vt sit species continens totam æqualitatem iustitiæ, sed quòd per se spectet ad iustitiam: nihilominus quodammodo comprehendit virtutes omnes, quarum comitatu stipatur. Nam inquantum est iustitia quædam hominis ad Deum, oportet quòd participet theologicarum consortium, quæ habent Deum pro obiecto. Quocirca primus motus conuertendi se in Deum, vt suprà diximus, est fidei passionis Christi per quam iustificamur, iuxta illud Paul. ad Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi. Deinde motus spei, iuxta illud eiusdem Apostoli ad Romanos 8. spe salui facti sumus. Tertiò, odium vitiorum, quod pertinet ad charitatem. Vnde 1. Petri 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Sed ex ea parte, qua ad iustitiam attinet, non solum id participat quod est iustitiæ, verum & à temperantia, & à fortitudine auxilium & opem mutuatur, inquantum ea quæ delectant aut deterrent in commutationem iustitiæ veniunt. Abijcit enim pœnitens delectabilia, & vincit terribilia, vt puniat in se quod dolet commisisse, atque in omnibus per prudentiam modum constituit.

3. Motus pœnitentiæ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm voluntas sit proprium subiectum pœnitentiæ.

Collocata pœnitentia in sua specie, quæritur de eius subiecto, vtrum sit voluntas. Et respondetur duabus conclusionibus. Prima. Si accipiatur pœnitentia pro passione, manifestum est non esse in voluntate, sed in concupiscibili: quia est tristitia. Si verò accipiatur, vt est virtus, tunc adhibetur secunda conclusio, quòd est in voluntate. Iustitia namque cùm non sit virtus passionum moderatrix, vt temperantia & fortitudo, sed ad seruandam æqualitatem ad alterum, in quo, exclusis etiam passionibus, est magna difficultas, non est in potentia sensitiua, sed in voluntate quam inclinat, vt homo posthabito suo commodo ius seruet alienum: cùm ergo pœnitentia, vt dictum est, sit species & pars iustitiæ, fit vt in eadem sit voluntate. Et confirmatur, quia pœnitentia est sacrificium quoddam, iuxta illud Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: offerre autem sacrificium, est actus voluntatis, iuxta illud Psalm. 53. Voluntariè sacrificabo tibi: ergo est in voluntate.

1. Concl.

2. Concl.

Cùm triplex tantùm sit subiectum virtutum, scilicet intellectus, appetitus sensitiuus, & voluntas, liquidum est non esse in intellectu: quia non est habitus cognoscitiuus. Quòd autem non sit in appetitu sensitiuo, vel concupiscibili, vel irascibili, præter rationem Sanct. Thom. confirmatur, quia pœnitentia est virtus ad alterum: virtus autem appetitus sensitiui non ordinat hominem ad alterum, sed ad seipsum, sedando passiones rationem conturbantes. Secundò idque maximè confirmatur: quia pœnitentia attingit Deum tanquam intrinsecum finem, vt dictum est: appetitus autem sensitiuus, vt qui cognitionem sequitur sensitiuam, neutiquam Deum attingit. Igitur sicut iustitia inter homines est in voluntate, qua homo reddit alteri ius suum: ita & pœnitentia est ibidem: quippe qua reddit Deo ius suum, quantum ei facultas suppetit, vt paulò antea dicebamus.

Expositio articuli.

Pœnitent. nec est in intellectu, nec in appetitu sensitiuo.

Neque parum refert nosse, pœnitentia in quo sit subiecto: nam si est in appetitu sensitiuo, necessariam haberet annexam passionem, quæ esset de essentia virtutis: secùs verò si sit in voluntate. Ob idque non inutiliter quæritur, vtrum esto sit in voluntate, aliquam habeat necessariam passionem in sensu. A parte autem affirmatiua extant argumenta, quæ suprà fecimus. Diximus enim esse detestationem peccatorum, quam facit voluntas, vnde exurgit dolor & tristitia. Quare Ambr. Augustin. & alij aiunt, quòd pœnitentia est præterita mala flere, tristitia autem & dolor est in appetitu concupiscibili, vbi sunt effectus, qui exurgunt circa delectabilia. Respondetur per tres propositiones. Prima. De essentia virtutis pœnitentiæ nulla est sensualis passio vel affectio: quoniam tota essentia virtutis in detestatione mali consummatur. Quòd si arguas, pœnitentiam debere esse opus satisfactorium ac perinde pœnale: respondetur eandem ipsam detestationem esse pœnalem, præsertim quòd pœnitentes virtutibus iam prouecti cum satisfactionem perfecerint, non tenentur alijs pœnalibus operibus insudare. Secunda propositio. Tristitia & dolor quantum est ex natura rei, plurimum pullulat ex detestatione, nihilominus aliunde quãdoque impeditur, vt si homo sit duri sensus, vel per vehementem lætitiam de alia re, & maximè de Dei contemplatione. Quocirca carentia doloris & tristitiæ, non est signum impœnitentis cordis: præsertim in viris perfectis. Haud enim tantum in patria abstergit Deus lachrymas ab oculis sanctorum, verùm & in hac vita per sui contemplationem. Non enim Magdalena crebris tristitijs in rupe conficiebatur, imò diuina consolabatur contemplationis dulcedine.

Respondetur 3. propositionibus. Obiectio.

2.

Carentia doloris non est signum impœnitentiæ.

Tertia propositio. Pœnitentibus nondum perfectis salubre consilium est dolorem & tristitiam excitare, & lachrymas vrgere, vt Dauid & Niniuitæ fecerunt. Nam per hoc tum detestatio ipsa perficitur, tum & cautela præcauendi peccata roboratur. Quòd si arguas tristitiam, & dolorem non posse per voluntatem procurari: nam cùm tristitia sit de ijs quæ nobis nolentibus accidunt, repugnantia est, vt tristitia sit volita. Scotus præsenti distinctio. quæstio. 1. articul. 3. multam consumit literam ad explicandum quomodo tristitia & pœna peccati possit esse voluntaria. Sed nullum hic latet mysterium. Ad tristitiam enim requiritur aliquid nolentibus nobis accidisse. Attamen non exigitur nolitio eiusdem tristitiæ, sed rei de qua tristamur. Vnde licet quisque volens deliquerit, tamen postea nollet deliquisse, per illam conditionalem nolitionem, quam quæstio. proxima, artic. 1. exposuimus. Ex qua detestatione nascitur tristitia, licet detestatio ipsa voluntariè fuerit assumpta. Haud enim ad punitionem necessarium est vt homo inuitus puniatur. Sicut enim quis se potest sua sponte flagellis cædere, ita & considerare tum peccati absurditatẽ, tum & Dei maiestatem, vt pœnitudinem eliciat.

3. Propos.

Obiectio.

Quid ad tristitiam requiratur.

Vtrum autem tristitia illa & dolor sit virtus, sunt qui negent, vt Palu. dist. præsenti, quæst. 2. refert: iam tamen supra diximus, quòd licet per se non sit virtus, est tamen, quia nascitur ex recta voluntatis electione. Quod si in contrarium arguas. Illa est in appetitu sensitiuo, puta concupiscibili, sicuti gaudium, qui quidem appetitus, vti modò dicebamus, non potest Deum attingere, atque adeo nec dolere de peccato, quatenus est offensa Dei. Respondetur satis esse, quòd voluntas, cuius electione illa passio exurgit, Deum attingat. Nam & virtus temperantiæ & fortitudinis sunt in appetitu sensitiuo, quarum actus per charitatem, quæ est in voluntate, referuntur in Deum. Quinuerò actus executiuarum potentiarum, vt orare, & docere, sunt virtutes, licet non sint nec cognitiuæ, nec appetitiuæ: sat enim est, quòd fiant ex electione, quare & gemitus, & lachrymæ pœnitentis actus sunt etiam virtutis.

An tristitia sit virtus.

Maiorem autem hæsitandi causam offert quæstio, vtrum dolor idemin eodẽ appetitu sensitiuo habitum generet, sicut detestatio illum generat in voluntate. Et possumus affirmatiuè respondere: quia & in voluntate est difficultas ad pœnitendum, & in appetitu ad moderatè dolendum: quare vtrobique requiritur habitus, quemadmodum liberalitas, quamuis, quia est pars iustitiæ, principaliter sit in voluntate, vt S. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. affirmat, est nihilominus similis habitus & in appetitu, vt ait 1. 2. q. 60. art. 5. & 2. 2. q. 104. art. 4. Posset nihilominus responderi, satis esse prudentiam & fortitudinem in appetitu ad moderandas passiones, & ideo pœnitentiam sufficere in voluntate ad generandam tristitiam & dolorem in appetitu.

An dolor habitum generet in appetitu sensit.

Et sic soluitur primum arg. S. Tho. quod est. Pœnitentia est species tristitiæ: sed tristitia est in concupiscibili, sicut gaudium: ergo illic est pœnitentia. Respondetur, inquam, argumentum concludere de pœnitentia, vt est passio, non autem, vt est virtutis habitus.

1. Argu.

Dubium. An pœnitentia requirat passionem in sensu.

Secundò arguitur. Pœnitentia est vindicta quædam,

2. Arg.

vt suprà

vt suprà citatus August. in lib. de pœnitentia ait: vindicta autem, quia est ad repellendum malum, est in appetitu irascibili: nam ira est appetitus vindictæ. Respondetur sicut de tristitia, quòd appetere ex passione vindictam de alio pertinet ad irascibilem, quatenus ad rationem pertinet, & ideo non est virtus. Sed tamen eandem vindictam ex ratione & electione appetere virtus est. Quare sicut tristitia in concupiscibili à ratione profecta virtus est, sic & vindicta in irascibili: vtraque enim est virtutis ministra.

3. Argu. Tertio arguitur. Præteritum, secundum Philosophum in lib. de memoria & reminiscentia, est obiectum memoriæ: sed pœnitentia est de præterito: ergo pertinet ad memoriam. Respondetur, quod memoria est vis apprehensiua, pœnitentia verò pertinet ad appetitiuam, quæ præsupponit apprehensiuam, quare pœnitentia non est memoria, sed illam præsupponit.

4. Argu. Quartò. Nihil agit vbi non est: sed pœnitentia excludit peccatum ab omnibus viribus animæ: ergo non in voluntate tantum, sed in omnibus potentijs existit. Negatur consequentia, nam cum voluntas omnes alias potentias moueat, consequitur, vt pœnitentia in sola voluntate existens, in singulis animæ viribus operetur. De subiecto autem remoto, vtrùm sit in omnibus hominibus, quæstio est, quæ præsupponit scire an sit habitus infusus. De qua re statim.

ARTICVLVS V.

Vtrùm initium pœnitentiæ sit ex timore.

POST subiectum pœnitentiæ, sequitur inquisitio de eius causa, vtrum ex timore seruili, qui est timor inferni, vel aliorum suppliciorum, oriatur. Ad quod S. Tho. suppositâ dist. quatuor conclusionibus respondet. Potest enim quæstio instituì aut de habitu, aut de actu pœnitentiæ. Est ergo prima conclusio. Habitus pœnitentiæ immediatè à Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositiuè cooperantibus per aliquos actus.

Prima conclusio.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti cooperamur, consistit in sex motibus Dei, & intellectus, & voluntatis nostræ. Primum enim principium est operatio Dei præuenientis, & conuertentis cor nostrum, secundum illud Thre. vlt. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Secundus autem est motus fidei nostræ per auxilium Dei, iuxta illud Pau. ad Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est. Tertius est motus timoris seruilis, quo quis supplicium timore à peccatis retrahitur, iuxta illud Esaiæ 26. Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus. Et habetur illic sermo de ijs qui per pœnitentiam ad mentem redeunt. Et subditur. A timore tuo concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis, id est, salutarem pœnitentiam, vt ex præcedentibus colligitur. In æditione vulgata non habetur, à timore tuo, cæterum concepimus, &c. sed Septuaginta habent, A timore tuo, seu, propter timorem tuum. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ obtinendæ assumit propositum emendandi sese. Nam cùm fides, vt ibidem ait Paul. sit sperandarum substantia rerum, fides gignit spem, qua (vt idem ad Rom. 8. ait) salui facti sumus. Quintus actus est charitatis, quo peccata displicent, quæ ideo, vt ait Petrus, operit multitudinem peccatorum. Ex qua sextò enascitur motus timoris filialis, qui propter reuerentiam Dei emendam suorum peccatorum Deo offert. Et in hoc consistit ratio specialis pœnitentiæ.

Sex motus ad pœnitentiam.

Tertia conclusio. Ex ijs itaque inferuntur duæ aliæ corollariæ conclusiones, quibus ad quæstionem respondetur. Tertia ergo conclusio est. Actus pœnitentiæ à timore seruili procedit, sicut à primo motu nostri affectus ad hoc ordinato. Nam primus motus simpliciter non fuit noster, sed Dei. Secundus verò fidei, licet fuit noster, non tamen nostri affectus: sed intellectus per voluntatem captiuati in obsequium Christi. Primus ergo motus nostri affectus est timor seruilis, qui dicitur ordinari ad pœnitentiam, quia non est ad id sufficiens, cùm non sit vera contritio.

Quarta conclusio. Quarta conclusio. Actus legitimæ pœnitentiæ procedit à timore filiali, sicut ab immediato & proximo principio.

Quæstio est egregia, vbi S. Tho. consideratissimè ordinem iustificationis impij ob oculos ponit. Quam vtique quæstionem 1. 2. q. 113. doctissimè edisserit. At quia primam conclusionem tanquam rem indubitatam ipse asseruit, sunt tamen qui illam negent, & eius persuasio ex subiunctis conclusionibus pendet, inuerso ordine procedamus oportet. Et primum vt ab hæreticis nos extricemus, Lutherus pœnitentiæ osor, vt est videre articul. 6. per Leonem pontificem condemnato, ait contra tertiam conclusionem S. Th. timorem seruilem non esse bonum, sed malum potius. Quinuerò & legitima, inquit, contritio, qua quis cogitans fœditatem peccati, & amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, facit hypocritam, & magis peccatorem. Quam conclusionem Cassianus, inquit, docet, & sensus communis omnium ita in se experitur. Ita solet impudentissimus ille communem omnium sensum pro se allegare in ijs etiam quorum contraria vniuersi homines in se experiuntur.

Expositio articuli.

Lutheri hæresis.

Prima propositio. Contra ipsum ergo statuitur prima conclusio. Timor inferni est bonus, & incipientibus plurimum conferens, id quod vniuersi in se experiuntur, præter insensibiles. Et primò hoc colligitur ex illo Baptistæ. Matth. 3. Progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Et Dominus Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus: timete eum, qui postquam corpus occiderit, habet potestatem mittendi animam in gehennam ignis. Vbi per timorem gehennæ absterrentur homines à peccatis: id autem per quod homo à peccatis arcetur, quis neget esse bonum & vtile? Vnde Prouer. 1. Per timorem Domini declinat omnis à malo. Et Ecclesiast. 1. Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non potest iustificari. Et rursus: Initium sapientiæ timor Domini.

Duplex autem est Lutheri cauillum, primum quod istæ authoritates intelligantur de timore filiali, qui procedit ex charitate. At verò metus gehennæ non potest esse filialis, neque filialem Sapiens appellaret initium sapientiæ, quippe qui iam supponit charitatem quæ illic sapientiæ nomine designatur. Secundò ait, bonum esse deterrere homines sceleratos per pœnas inferni, non quia in se bonum est, sed propter bonum publicum vt desistant alijs nocere. In contrarium autem est, quod si malum esset homini timere infernum, iniustum esset talè metù ei incutere pro quocunq; bono: quia non sunt faciēda mala, vt inde eueniant bona. Accedit quòd si est causa deterrendi alios, etiam hanc habet bonitatis rationem, præsertim quod Dauid Psal. 17. tanquàm bonum suum proprium enarrabat dicens: Circundederunt me timores mortis, & dolores inferni circundederunt me, & in tribulatione mea inuocaui Dominum. Præterea isti Ecclesiæ vsum peruertunt, cuius concionatores homines ad pœnitentiam per timorem inferni exhortantur. In quo sacratissimos patres imitantur. Vnde August. tracta. 3. super canonicam Ioannis, exponens illud Matth. 25. Venite benedicti patris mei, &c. & discedite maledicti. Ecce, inquit, quid promittit Deus, vitam æternam: ecce quid minatur, ignem æternum. Et subdit. Illum nondum amas vel hoc times? Et tract. 9. illud citatum, Initium sapientiæ timor Domini, interpretatur de timore seruili, qui stat cum charitate imperfecta, cùm Ioannes non dicat, quòd omnis charitas foras mittit timorem, sed perfecta charitas. Vbi graphicè huiusce modi timorem comparat setæ sutoris, quæ linum introducit: & refertur de pœnitentia dist. 2. can. Sicut seta. Enimuerò quemadmodum seta non est satis firma, vt possit frusta corij consuere, sed est accommoda ad inducendum filum quod intrans foras excludit setam: sic timor seruilis per se non sufficit amicitiam inter nos & Deum conglutinare, seruit autem charitati inducendæ. Accedit & Hier. super hunc locum Esaiæ 26 hic citatum, & Chrysost. lib. de compunctione cordis. & vetustissimus Tertullianus libro secūdo aduersus Marcionem, qui omnes timorem seruilem, ceu rem bonam & frugi commendant.

Cauillationes Lutheri refelluntur.

Minari peccatoribus pœnas inferni, vt respiscant bonum est.

Timor seruilis comparatur setæ sutoris.

Sed quia Cassianum inuerecūdè Lutherus pro se accersit, consulat eum solertissimus quisque collatione 3. capit. 4. vbi vnum modum vocationis peccatoris ait descendere ex necessitate, dum per metum resipiscit. Et collatio. 11. cap. 6. expressè meminit metus gehennæ tanquam rei vtilis. Et iterum lib. 4. c. 39. latè monstrat per timorem seruilem nos incipere conuerti in Deum.

Cassianus.

Digitized by Google

Ratione probatur.

Et præter hæc teſtimonia ratio eſt liquida: quoniam timere malum, perinde eſt ſuapte natura laudabile, vt bonum ſperare: eſt enim illud naturale; & tamen Deus & natura non inclinant ad malum. Cùm enim Propheta Deum precabatur, † Domine ne in ira tua corripias me, bonum cenſebat iram Dei timere, ſed timere malum, vt mortem, quando eſt impedimentum fortitudinis, aut alius virtutis, illud eſt vitium. Meritiſſimò ergo nuper in concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 8. ſub his verbis error iſte damnatus eſt. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit.

Pſal. 6.

Concilium Tridentinum.

Adde, quòd non ſolum timore pœnæ inferni, verum & mortis, & dehonorationis, & ſimilium: quæ omnia ſub timore ſeruili comprehenduntur, bene agere & legem ſeruare bonum eſt. Vnde Deus ſtatim Adæ præcipiens ne de ligno ſcientiæ boni & mali ederet, pœnam, ſi ſecus faceret, ſubiecit mortis. Et Leuiti. 29. & in tota lege veteri comminabatur populo bella & alias calamitates, quæ quidem cum cauſa eſſent vt emendarentur, bona erant. Vnde in Pſal. 77. Cùm occideret eos, tunc quærebant eum, & reuertebantur, &c. Qua vtique de cauſa principes, vt ſpe præmij, ſic & ſuppliciorum metu ciues bonos faciunt. Vnde Paul. ad Rom. 13. de principe; Dei miniſter eſt tibi in bonum: Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat.

Argum. Lutheri.

Argumenta verò Lutheri ſunt (vt ſolent) fallaciſſima. Argùit enim primò. Omnia quæ fiunt extra charitatem, ſunt peccata, iuxta illud 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans: timor autem ſeruilis eſt extra charitatem: ergo eſt malus. Sed maior eſt falſiſſima (licet Gregorius Ariminenſis falſo illam admiſerit) quoniam extra charitatem ſunt actus moraliter boni, vt lib. 1. de natura & gratia capit. 20. latè monſtrauimus, licet non ſufficiant ad gratiam comparandam. Et hoc eſt, quòd Paulus dicit, quòd extra charitatem eſt homo velut æs ſonans, quaſi nihil valens apud Deum. Et 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Vnde Auguſt. de pœnitentia diſt. 7. can. Nullus. Quem pœnitet, inquit, oportet non ſolum timere iudicem, ſed diligere: quia ſine charitate non poteſt eſſe ſalus. Non tamen inde ſequitur, quòd omnia eius opera ſint peccata. Qui ideò articulus in concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 7. aduerſus Lutheranos condemnatus eſt.

Primum argumentum.

Eſt ergo primum argumentum S. Tho. Pœnitentia quidem incipit ex diſplicentia peccatorum: hæc autem pertinet ad charitatem: ergo illa eſt initium pœnitentiæ. Et reſpondet, quòd prius peccata incipiunt diſplicere ex timore ſeruili, qui propter Dei offenſam, quod pertinet ad charitatem.

Secundum argumentum.

Ad quod vtique propoſitum notandum eſt ſecundum argumentum. Ad pœnitentiam enim homines vocantur ſpe regni cælorum, vt patet Matth. 5. illud autem eſt obiectum ſpei: ergo illa eſt initium pœnitentiæ. Reſpondetur quòd nomine regni cælorum intelligitur regis aduentus, non ſolum præmiantis, ſed etiam punientis, iuxta verbum illic Matth. 3. Quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Quare timor ſeruilis etiam inducit ad regnum, licet non ſufficiat introducere.

Argumẽtũ fallax.

Argumentum verò, quo Lutherani poſſent ſciolos ſeducere, eſt hoc. Qui peccata propter pœnas inferni deteſtatur, plus illas odit, quàm peccatum: nam propter quod aliud eſt tale, vt ait Ariſtot. magis eſt tale: ſi enim odio habeo filium propter patrem, plus odi patrem: odiſſe autem pœnas pluſquam peccatum, iniquum eſt & peruerſum, ergo timor ſeruilis eſt malus.

Timor ſeruilis dicit duo.

Ad huius autem intellectum præmittenda eſt doctrina S. Thom. 2. 2. quæſtio. 19. articul. 4. quærens enim illic, vtrum timor ſeruilis ſit bonus, reſpondet, quòd timor ſeruilis dicit duo: ſcilicet, obiectum, quod eſt pœna, & ſeruilitatem: & ſeruilitas, inquit, eſt mala conditio, quia repugnat charitati. Qui enim ſolum tanquam ſeruus operatur, mouetur ab extrinſeco non conſentiente propria voluntate: qui autem ex charitate, mouetur ſua ſponte à principio intrinſeco: ſed tamen ſeruilitas non eſt de intrinſeca ratione timoris ſeruilis: poteſt n. quis timore pœnæ moueri, vt verè conſentiat pœnitere. Quare ille non magis odit pœnas quàm peccatum appretiatiuè. Quod ſic explicatius intelligitur. Si quis doleret de peccatis propter pœnas inferni, hac adiecta negatione. Si mihi non immineret illæ pœnæ, non me pœniteret, profectò iſta conditionalis eſſet mala, & pertinens ad ſeruilitatem: quia illa pluris faceret pœnas illas euitare, quã Dei offenſam: & iſte actus eſt, qui repugnat charitati, qua Deus ſuper omnia diligitur. At verò ſi quis ex metu inferni mouetur ad deteſtandũ peccata, ſine hac negatione, aliàs non me pœniteret, non inde colligitur, quòd appretiatiuè plus habeat odio pœnas quàm peccatum: nam tunc timor non eſt proprius finis pœnitentiæ, ſed cauſa motiua, charitatem & legitimam pœnitentiam introducens, vt ſupra expoſitum eſt. Quinuerò ſi quis in charitate exiſtens ob timorem ſeruilem aut peccata ſibi dimiſſa deteſtetur, aut futura caueat, metus ille, quia fit ex gratia, eſt meritorius de condigno.

Notanda diſtinctio.

Poſtremũ argum. Lutheri.

Poſtremum autem argumentum Lutheranorum eſt, quod Sanctus Thom. facit tertio loco. Timor eſt quidam actus interior hominis: pœnitentia verò non habet principium ab homine, ſed eſt à Deo, iuxta illud Hierem. 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam: ergo initium pœnitentiæ non eſt timor. Quare ait Lutherus, quòd homines craſſi & ſordidi poſſunt timore pœnæ, tanquam ſerui, vt in veteri lege, moueri: Euangelici verò non niſi per timorem filialem. Vnde Paul. ad Rom. 8 Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Reſpondet Sanctus Tho. quòd ipſe etiam motus timoris ſeruilis procedit ex actu Dei conuertentis cor, iuxta illud Deuter. 5. Quis det, eos talem habere mentem, vt timeant me? Vnde gloſſa ſuper citatum locum Pauli: Spiritus eſt qui facit duos timores, ſeruilem & caſtum: Paulus autem non condemnauit ſpiritum timoris, ſed dixit non eſſe ſufficientem, niſi accedat filialis. Et hæc de tertia concluſione.

Circà ſecũdam concluſionem.

Hinc ergo retro redeamus ad ſecundam. Et primò eſt dubium, vtrum ſemper in conuerſione peccatoris requirantur formaliter iſti ſex motus eo ordine, quo illos hic D. Thom. conſtituit: nam videtur eos tanquam neceſſarios ponere. In primis hic miſſam facimus moleſtiſſimam contentionem cum Luthero tenente ſolam fidem iuſtificare. Contra quem ſatis ac ſuper lib. 2. & 3. de natura & gratia diligẽter diximus. Cuius error in concilio Tridentino ſeſſio. 5. per multos eſt canones condemnatus. Ad rem ergo vt redeamus, reſpondetur, non ſemper omnes actus iſtos eſſe neceſſarios formaliter, alioqui non poſſet homo ſubitò conuerti, ſed neceſſario indigeret tempore, ſine quo ſeries hæc perfici non poſſet. Conſequens autem eſt falſum: quoniam cùm, vt D. Thom. 1. 2. q. 112. artic. 2. docet, præparatio hominis ad gratiam ſit opus Dei præuenientis, ſubitò poteſt illam diſpoſitionem perficere, iuxta illud Eccleſiaſtici 11. Facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem. Imo vero motus timoris ſeruilis accidentarius eſt, nec neceſſarius ad conuerſionem. Poteſt enim homo primo motu deteſtari peccata, quatenus ſunt offenſa Dei. Neque requiruntur ſemper duo actus charitatis & pœnitentiæ diſtincti, ſed ſæpe vnicus pœnitentiæ alium virtute continet.

Motus autem Dei præuenientis ſemper eſt neceſſarius, iuxta illud Ioan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Ac deinde motus fidei, aut formaliter, aut virtualiter: nam ſine fide, vt ait Paulus, impoſſibile eſt placere Deo. Dico virtualiter, quia in Chriſtiano, qui doctus eſt fidem, cùm primum recordatur peccati, quatenus offenſa Dei, illa memoria Dei eſt actus fidei gignentis ſpem. Sed Sanctus Thom. conceſſit omnes actus, qui eſſe poſſunt cauſa pœnitentiæ, & ſæpe illo ordine concurrunt, præſertim vbi tempore antecedunt gratiam. Ait enim eodem loco Diuus Thom. quòd licet Deus quandoque ſubito moueat hominem ad diſpoſitionem perfectam, vt eodem momento infundatur gratia, quemadmodum Paulo contigit, nonnunquam tamen mouet per prædicatores, & inſpirationes, & alijs vijs ad quaſdam imperfectas diſpoſitiones, quæ longo tempore antecedunt gratiam. Sunt enim qui per actum fidei informis habent timorem inferni, & actum ſpei informis, & charitatis acquiſitæ, quibus & peccatorum ſordes diſplicent, & tamen ſemper nauſitando iacent in peccatis. Qui quidem propriè iuxta teſtimonium propheticum citatum dicuntur concepiſſe & parturire: quia

Motus Dei ſemper neceſſarius.

Hebr. 11.

Deus quãdoque ſubito, quãdoque variis vijs mouet hominem.

dolori-

doloribus pariendi cruciantur, & tamen vitiorum catena religantur ne pariant.

Notè de auxilio speciali.

Diximus autem semper necessarium esse motum Dei præuenientis per auxilium speciale, quod D. Tho. 1. 2. q. 112. & 113. subtilissimè & christianissimè edisserit: nam nulla actio liberi arbitrij naturaliter per solum concursum generalem Dei elicita, causa esse potest gratiæ tanquam vlla ratione meritum eiusdem primæ gratiæ. Id quod tanquam primum fundamentum in materia pœnitentiæ & contritionis substernendum est. Quare ratio illa meriti de congruo, quam Scotus commentus est in peccatore disponente se ad gratiam, profectò (vt bona venia orthodoxi viri loquar) non est tuta, neque longissimè à Pelagianorum errore distans. Asserit enim dist. præsenti q. 2. art. 2. hæc verba: Peccator in peccatis existens potest ex naturalibus cum communi influentia Dei considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, &c. & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ, & ille dicitur attritio, & est dispositio siue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis. Et subdit inferius, quòd si illa attritio sit perfectè circunstantionata in genere moris, videtur omnino dispositio sufficiens ad iustitiam, alias difficile, inquit, est saluare; quòd apud Deum non est acceptio personarum. Quare ille, inquit, actus attritionis immutatus, dum infunditur gratia, fit contritio.

Scoti opinio, peccatorem se disponere ad gratiam de congruo.

Tria notãtur circa dictum Scoti quæ censura egent.

In quibus quidem verbis tria sunt quæ censura indigent. Primum, quod obiectum attritionis ponit offensam Dei, contra quòd d. 17. q. 2. disputabimus: nam illud est proprium obiectum contritionis: attritio verò solum est propter pœnas.

Secundum est, quòd actus naturales ponit esse meritorios gratiæ de congruo. Et eos (quod peius est) sufficere asserit vt dispositionem ad iustitiam coram Deo. Quod forte peiori censura, quàm malè sonantis dignum est. Tametsi menti catholici viri, quam sanam esse non dubito, nullam sinistram notam inusserim. Præterquàm quod Dutandum habet, & nominales multos in sua opinione consortes. De qua ideo re in concilio Tridentino multis diebus litigatum fuit, vbi meam rogatus sententiam lib. 2. de natura & gratia ca. 3. & 4. scripsi.

Pelagius.

Et primùm negare auxilium speciale Dei, quod Scotus in præsentiarum, & lib. 2. d. 28. negat, vt sine illo possit homo aliquo naturali actu liberi arbitrij in Deum conuerti, manifestè est contra illud Ioann. 6. Nemo potest venire ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum, quod nisi de auxilio speciali intelligatur, nullam haberet energiam, quoniam sine auxilio generali neque folia arboris mouentur. Quare nihil egregium de iustificatione dixisset. Quo ideo ariete concutiebatur Pelagius dicens, quod ex viribus nostris possumus recuperare gratiam, & similiter illo Paul. 2. Cor. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Quibus accedit illud hic citatum Hiere. 31. Conuerte me Domine, & conuertar. Et Threno. 5. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Vnde Aug. de gratia & libero arbitrio c. 5. Nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conuersio, non ei diceretur, Domine Deus virtutum conuerte nos. Id quod & Paul. Rom. 9. docet, dum comparat hominem secundum vires naturales luto, quod à figulo non solum efformatur, sed molle fit, apparaturque vt formam recipiat. Vnde Aug. Hypognosticon lib. 3. ex professo aduersum Pelagium decernit, quòd homo per liberum arbitrium, nec incipere valet, nec perficere, nisi speciali diuino subsidio præueniatur, iuxta illud Pauli ad Philippens. 1. Ipse qui incæpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi. Quod expressè apud Oseam Deus ipse affirmat, c. 3. dicens: Perditio tua Israël, tantummodo ex me auxilium tuum.

Auxilium speciale Dei necessarium ad conuersionem, probatur scripturis.

Prob. ratione.

Et confirmatur ratione, quia conuersio in Deum opus est supranaturale. Quare hic erat litis contestatio inter Catholicos & Pelagianos, quòd Pelagius dicebat ex naturalib. nostris virib. posse nos iustificari. Sed ait Scotus & eius sequaces, quòd quamuis dispositio illa naturalis nostra sit sufficiens ad iustitiam, tamen Deus infundit gratiam. Sed tamen profectò responsio non facit satis: nam litigium cum Pelagio non erat de qualitate illa, quæ est gratia, per quam formaliter iustificamur. Quoniam vsque ad concilium Vienense multo post tempore nulla fuit mentio habita de illa infusione qualitatis. Neque verò Pelagius negaret illam qualitatem infundi à Deo. Sed quæstio erat de causa efficienti, per quam conuertimur. Et quod maximè contra Scotum vrget est, quòd vt Aug. contra duas epistolas Pelagianorum ca. 7. refert, hoc inter alia erat Pelagianorum argumentum, quòd si facientem viribus naturalibus, quod in se est Deus non iustificaret, esset acceptor personarum. Ad quod patres respondebant, Deum nulli quicquam debere. Et tamen eodem argumento vtitur Scotus. Indubiè ergo non solùm Deus est qui iustificat, sed & cor præparat & disponit, iuxta illud Ezech. trigesimo sexto. Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Et illud Psalmi 84. Deus tu conuertens (secundùm vnam literam) viuificabis nos. Et ad Roma. secundo. Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Quod si obijcias. Attritio, quæ fit ex timore seruili inferni, potest haberi naturaliter sine auxilio speciali, & tamen illa cum adueniente sacramento sufficit ad gratiam: ergo homo se potest viribus naturæ sufficienter disponere ad gratiam. Negatur consequentia ad sensum nostrum. Intelligimus enim, quòd nemo se potest disponere naturaliter dispositione, quæ est conuersio, cui absque sacramento succedit gratia: illa namque attritio non est conuersio, sed solùm per illam tollitur obex, vt per supernaturalem virtutem sacramenti infundatur gratia. Ex his ergo Tridentina synodus sessio. 6. cap. 5. decreuit exordium iustificationis in adultis à præueniente gratia sumendum esse, per quam excitantem & adiuuantem se homines ad suam iustificationem liberè assentiendo & cooperando disponunt. Et cap. 6. Disponuntur, inquit, homines ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti liberè mouentur in Deum.

Obiectio.

Synodus Tridetina.

Per hæc etiam ferè illud condemnatur, quòd illa opera naturalia quæ absque speciali auxilio gratiam præcedunt, sint vllo modo merita: nam cùm meriti nomen, quomodocunque accipiatur, ad mercedem & præmium referatur, & gratia prima nullam habeat rationem nec propriè, nec impropriè mercedis & præmij, nulla est propriè in operibus ratio meriti. Vnde in concilio Arausicano 2. cap. 18. Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant. Secundò, cum meritum condigni & congrui in hoc differant, quod meritum de condigno sit dignitas ad gratiam: meritum autem de congruo, sit saltem operum congruitas, negare non possunt, quin si gratia detur ex merito de congruo, fiat ex operibus, quod Paul. ad Rom. 11. simpliciter negat, dicens: Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Accedit & grande argumentum contra meritum congrui ex eius nouitate. Cùm enim Ecclesia à Pelagianis tantam fuerit molestiam perpessa, contendentibus quod iustificamur ex meritis, si sancti Patres tuto potuissent hac distinctione vti, eo modo illis satisfecissent, quòd scilicet aliqua esset ex nobis naturalis dispositio, quę esset meritum de congruo. Sed tamen hanc distinctionem nec somniare ausi sunt, ne gratiæ Dei iniuriam irrogarent. Quare in concilio Palæstino, vt refert ad Paulinum August. simpliciter anathematizatur qui dixerit gratiam Dei secundum merita nostra dari. Et Hypogno. lib. 3. ex illo ad Ephe. 2. cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, concludit nullum esse meritum hominis ante gratiam: insinuans quod in peccatore velut in mortuo nihil meriti præcedit. Ac demum ait: Audi hæretice stulte & inimice fidei veritatis, opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant præparantur per gratiæ præuentum nullo liberi arbitrij merito non damnamus (gratiam præuenientem appellat auxilium speciale.) Sed damnamus autoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex ijs tanquam meritis in Christo iustificari extoliuntur, quis enim primo dedit illi, & retribuetur ei? Hæc Augustinus. Quapropter cùm in prædicta Tridentina synodo fautores meriti de congruo multarum dierum disputationibus contendissent, vt in canone poneretur iustificationem fieri, nullis nostris propriè meritis præcedentibus vt insinuaretur præcedere merita de congruo, neutiquam obtinere potuerunt, tum quod si impropriè est meritum, non est dignum meriti nomine: tum quod patres in concilio Palæstino, Mileuitano, & Arausicano ab omni nominatione meriti ante gratiam prorsus exhorruerunt.

Opera sine auxilio speciali, ante gratiã facta, non sunt merita. Conc. Arausicanũ.

Meriti de congruo nouitas.

Synodus Tridetina.

Quare

Quare Synodus seſſio. 6. cap. 5. declarauit exordium iuſtificationis noſtræ in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur. Hæc ſynodus. Et collegit illud ex concilio Mileuitano, ſed expreſſiùs ex Arauſicano, cuius can. 25. hæc extant verba. Hoc etiam ſalubriter confitemur, & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur, ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorem inſpirat. Plura in hanc ſententiam loco citato de natura & gratia digeſſimus. Sed hæc ad exprimendam pœnitentiæ imaginem huc attuliſſe ſatis fuerit. Quòd ſi quis nos re conuenire cogitet, quod S. Thom. idem meritum de congruo agnouerit, quippe qui 1. 2. quæſt. 114. art. 3. ait, opus meritorium hominis modo conſiderari, vt procedit ex libero arbitrio, & ſic ibi non poteſt eſſe condignitas propter maximam inæqualitatem, ſed eſt ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis, reſpondetur quod aliud eſt congruitas, aliud meritum congrui: & S. Thom. nullum ponit meritum congrui ante infuſionem gratiæ, ſed ait, videtur congruum, vt homini operanti ſecundum ſuam virtutem Deus recompenſet, ſecundum excellentiam ſuæ virtutis. Congruum ſcilicet, non quod congruitas ſit in merito, ſed in Deo, cui recompenſatio congruit. Qui verò eſt in gratia, poteſt, vt ſuprà diximus, mereri de congruo alijs ſpiritualia bona, ſibiq́ue & alijs temporalia.

Superiora pœnitentiæ imaginem effingunt.

Sex motuum ordinem Tridentina ſynodus à S. Thom. eſt mutuata.

Suppoſita ergo primùm omnium motione Dei corda noſtra tangentis: quia vt eadem ſeſſione, can. 4. ſancitur, non mouet nos tanquam inanime corpus, ſed vt liberè (quod noſtrum eſt ingenium) ei aſſentiamur, ſi eidem inſpirationi aſſentimus credendo, ſperando, diligendo, ac ſubinde deteſtando peccata, gratiam nobis eodem inſtanti infundit. Quare eadem Synodus illic capite ſexto ordinem hunc ſex noſtrarum actionum ex hoc loco S. Thom. deſumpſit, vbi contra Lutheranos dicentes ſola nos fide iuſtificari, decreuit potius proximam diſpoſitionem eſſe motum charitatis & pœnitentiæ.

Epilogus ſupradictorum.

Eſt ergo tandem notandum, quòd omnes hi noſtri motus, etiam ſi ab auxilio ſpeciali procedant, tum quatenus gratiam iuſtificantem antecedunt, nullam prorſus rationem meriti, aut de congruo, aut condigno habent, neque verò propriè cauſam, ſed materialem diſpoſitionem, quæ nobis conſentientibus per Dei auxilium fit. Sed dum gratia in animæ eſſentiam infunditur, ſimul tempore, ſed poſteriùs natura infunduntur prædictæ virtutes fidei, ſpei, charitatis & pœnitentiæ, quibus gratia ipſa operatur ad remiſſionem peccatorum. Quare contritio non dicit actum niſi gratia informatum, qui de condigno eſt meritum vitæ æternæ. Quod diſt. 17. q. 2. de contritione iterum tangemus. Cuius natura illic eſt exactiùs explicanda.

Circa primã concl. S. Thom. Virtutum infuſio.

Ex ijs tandem colligitur prima concluſio S. Tho. videlicet, pœnitentiam eſſe virtutem ſuo genere infuſam. Vbi primum adnotandum eſt, quod de infuſis virtutibus ſuprà diſt. 6. præmiſimus. Virtutes enim infundi prius in cap. Maiores. de baptiſmo, ſub opinione relictum eſt, & in concilio Viennenſi tanquam probabilius approbatum, & nuper in ſynodo Tridentina ſeſs. 6. can. 11. certius aſſertum. Quare de tribus Theologicis virtutibus nemo eſt qui ambigat infundi cum gratia in baptiſmo, & in quacunque iuſtificatione vbi infunditur gratia. Morales autem Durand. in 3. diſt. 34. q. 6. negat, propterea quod cum non habeant Deum pro obiecto, poſſint naturaliter acquiri. Virtutem autem pœnitentiæ Scotus diſtin. præſenti, q. 4. aſſerit eſſe acquiſitam eadem ratione: quia non eſt niſi virtus iuſtitiæ moralis. Durandus verò q. 2. plus dicit: nempe, non eſſe virtutem infuſam eadem prorſus ratione, ſed moralem: quia, vt dixerat in 3. nullam putat eſſe infuſam niſi Theologicas. At verò D. Tho. 1. 2. quæſt. 51. artic. 4. ait duplicem eſſe virtutem infuſam: vnam ſcilicet ex genere & natura ſua, quia intrinſeca ratione eſt ſupranaturalis, ſicuti ſunt Theologicæ, quæ Deum habent pro obiecto tanquam finem ſupranaturalem. Sed aliæ ſunt per accidens infuſæ, quæ ſcilicet cum Deum non attingant pro obiecto, aut fine intrinſeco ſuo, poſſunt naturaliter acquiri, vt iuſtitia & reliquæ virtutes cardinales: infunduntur tamen quandoque à Deo ad perfectionem naturæ, vt ſcientiæ, quas infudit Adæ. Et hoc pacto ait eadem prima ſecundæ q. 63. articul. tertio, virtutes morales infundi cum gratia. Pœnitentiam verò non intelligit ſic eſſe infuſam per accidens, ſed ex genere ſuo: nam licet non habeat Deum pro obiecto, vt Theologicæ, habet tamen illum pro intrinſeco fine. Eſt enim eius proprius actus pœnitere de peccato, quatenus offenſa Dei ad eius amicitiam conciliandam. Quare proprio ſuo marte habet conſtituere hominem in gratia Dei. Quod eſt ſupranaturale. Quocirca etſi admittatur aliqua acquiſita virtus pœnitentiæ, quæ ſit in peccatore, non tamen illa eſt digna nomine pœnitentiæ abſolutè, ſed ſecundum quid: quia neque eſt ſimilis legitimæ pœnitentiæ, quemadmodum temperantia infuſa & acquiſita ſunt ſimiles: quia neutra attingit Deum. Virtus enim pœnitentiæ, ſimpliciter ſic dicta, habet ſicut charitas, diſtinguere inter filium Dei, & filium iræ. Congruit ergo Auguſtiniana diffinitio virtutis huic optimè pœnitentiæ. Eſt enim bona qualitas mentis, &c. quam Deus in nobis ſine nobis (ſcilicet merentibus, non tamen ſine nobis conſentientibus) operatur.

Virtus infuſa duplex.

Per hæc alia quæſtio ſoluitur de ſubiecto pœnitentiæ: nempe de ſuppoſito, vtrum in vniuerſum ſit in omni creatura rationali & intellectuali. Quam quæſtionem S. Tho. diſtinct. præſenti q. 1. artic. 3. diſcutit, vtrum ſcilicet fuerit in Chriſto, & in Angelis, & in beatis hominibus, & in paruulis ante vſum rationis, & in Adam, & in beata Virgine.

Quæſtio.

An pœnitentia fuerit in Chriſto.

Et primum. Chriſtum manifeſtum eſt non habuiſſe virtutem pœnitentiæ: quia repugnabat illi peccare, ſicut nec fidem.

Et eadem ratione neque in Angelis beatis eſt: quia non ſolum nullum habuerunt peccatum, verum & ex natura ſua ſi habuiſſent, non potuiſſent dignè & ſtudiosè pœnitere. Quare neque in damnatis Angelis eſſe potuit huiuſmodi virtus, quia eorum peccatum eſt irremiſſibile, eſt tamen pœnitentia illis ad tormentum. Sunt enim, vt legitur Sapient. 5. inter ſe gementes & pœnitentiam agentes.

In Angelis bonis.

Malis.

In innocentibus verò, puta in paruulis ante vſum rationis certum eſt exiſtere habitum pœnitentiæ, licet tunc actum habere non poſſint, nam, vt dictum eſt, habitus virtutum infunduntur ſimul cum gratia: & illi ſunt in ſtatu, quo adueniente legitima ætate peccare poſſunt.

In innocẽt.

Sed eſt apparens argumentum in contrarium, ſaltem in via Sancti Thomæ. Ille habitus neutiquam poteſt in actum exire: ergo eſt fruſtraneus. Probatur antecedens, quia venientem ad vſum rationis, niſi peccatum mortale committat, pœnitere non poteſt: per peccatum autem mortale perditur illa virtus infuſa. Dixerim in via S. Thomæ, qui tenet primum peccatum venientis ad vſum rationis non poſſe eſſe niſi mortale: nam ſi poſſet eſſe veniale, per illud non perditur virtus, quæ ideo circa illud poteſt habere actum. Reſpondetur nihilominus, quod Deus cum gratia infundit omnes virtutes pertinentes ad illum ſtatum: quare licet virtus illa numero non poſſit exire in actum circa peccatum exiſtens, poteſt tamen habere actum conditionalem: ſcilicet, ſi peccarem, me pœniteret peccati. Item, quia illa perdita poſtea dum homo reſipiſcit infunditur ſimilis, per quam hominem pœnitet peccatorum præteritorum, etiam ſi ſint remiſſa. Apoſtoli verò etiam poſt confirmationem habuerunt habitum pœnitentiæ, tum quia peccare potuerunt venialiter, tum quia erant in ſtatu peccandi mortaliter, licet ex priuilegio reſeruarentur.

Argum.

Soluitur.

In Apoſt.

Sed de beata Virgine Paludan. diſtinct. præcedenti, quæſt. quarta aſſerit ſimili ratione habuiſſe pœnitentiam, quia potuit peccare venialiter. At quicquid ſit de concluſione, ratio profectò eſt falſiſſima: quia vt nuper Tridentina ſynodus pronunciauit, non potuit venialiter peccare. Nam ante Chriſti conceptionem religatum habuit ſomitem, vt ait S. Tho. qui tunc fuit omnino extinctus. Qui autem diceret habuiſſe habitum pœnitentiæ: quia cum fuerit homo pura & viatrix, fuit in ſtatu peccandi, licet fuerit per priuilegium reſeruata, nihil abſurdi diceret.

B. Virgine.

Hoc ſynodus non pronũciauit, ſed tamen tenet Eccleſia.

Adam autem in ſtatu innocentiæ, poſſet quis propter rationem contrariam opinari, habitum pœnitentiæ nõ habuiſſe: quia ratione ſtatus repugnaba t illi peccare venialiter, eo quod eſſet ab omni malo exemptus: & mortaliter, niſi quando ſtatum perderet. Ni-

In Adam.

hilominus

hilominus S. Tho. 1. par. q. 95. art. 3. contrarium censet. Potuit enim habere actum conditionalem: erat quippe Adam sic dispositus, vt si peccatum in eo præcessisset, doleret, sicuti si aliquam miseriam in alio perspiceret (licet ea tunc esse non potuerit) eam leuare. Ob idq; vt habitu misericordiæ, sic & pœnitentiæ fuit imbutus. Beatos verò homines in gloria, ait etiam ibidem S. Thom. insigniri habitibus pœnitentiæ, quos habuerunt in via, tum ad ornatum: quia sunt insignia triumphi, per quæ de peccatis triumpharũt: tum etiam quòd etsi non possint habere similes actus pœnitentiæ illis, quos habuerunt in via, memores tamen sunt peccatorum, gratias Deo agẽtes de sua misericordia, per quam eis fuerunt relaxata. Quare actus illi nullum ingenerant dolorem, recordantur enim, vt ait Gregor. peccatorum sine dolore, abstergente Deo, vt legitur Apocal. 21. omnem lachrymam ab oculis eorum.

s beatis ...nib.

Gregor.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm pœnitentia sit prima virtutum.

POSTREMÒ denique ad maiorem præcedẽtium explicationem quæritur de ordine pœnitentiæ ad reliquas virtutes, vtrùm ipsa sit prima. Ad quod respondet sex conclusionibus. Prima est fundamentalis. Inter virtutes non attenditur ordo temporis quantum ad habitus, sed dicitur vna earum esse prior altera ordine naturæ, qui consideratur ex ordine actuum. Et intelligitur conclusio non solum de infusis virtutibus, sed etiam secundum Aristotelem, de acquisitis: quia cum virtutes sint connexæ, nullius habitus habet integram rationem virtutis, nisi omnium habeat consortium: quare & infusæ omnes simul cum gratia donantur. Sed tamen actus vnius virtutis sua natura præsupponitur ab alijs, vt quia prudentia constituit in omnibus medium, illa est prior ordine naturæ.

1. Concl.

Secunda conclusio. Quamuis actus quidam laudabiles & moraliter boni præcedere etiam tempore possint habitum (intellige infusum) pœnitentiæ, sicut actus fidei & spei informium, & actus timoris seruilis, tamen actus & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum moralium. Loquitur de habitibus infusis, qui indiuidui sunt gratiæ comites. Probatur, quoniam vt prima secundæ, quæstione 113. artic. sexto monstratum est, in iustificatione impij simul est motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatus, & motus liberi arbitrij, qui est actus pœnitentiæ.

2. Concl.

Tertia conclusio, in qua plurimum difficultatis est. Horum duorum motuum primus, scilicet charitatis, præcedit secundum, nempe pœnitentiæ, nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei. Vnde primus actus est ratio & causa secundi.

3. Concl.

Sequuntur aliæ tres conclusiones istarum præcedentium appendices, quibus ad quæstionem respondetur.

4. Concl.

Est ergo quarta. Pœnitentia non est simpliciter prima virtutum, neque ordine temporis: quia omnes simul infunduntur, neque ordine naturæ: quia actus Theologicarum, scilicet, fidei, spei, & charitatis, præsupponuntur.

5. Concl.

Quinta conclusio. Pœnitentia est prior cæteris virtutibus, scilicet moralibus ordine temporis: nam nisi peccator prius egerit pœnitentiam, non potest opera aliarum virtutum exercere, quæ sint Deo grata.

6. Concl.

Sexta. Ordine naturæ virtutes morales videntur esse priores pœnitentia, sicut quod est per se, est prius eo quod est per accidens: nam aliæ virtutes per se sunt necessariæ ad bonum hominis, licet nullum esset peccatum: quia sunt ad faciendum bonum. Pœnitentia autem, vt dictum est, non est virtus nisi præexistente malo ad depellendum illud, sicuti de sacramentis dictum est, quòd supposita natura corrupta, baptismus, confirmatio, & Eucharistia pertinent per se ad vitam spiritualem: pœnitentia verò non nisi per accidens ad depellendum morbum.

7. Concluſ. expoſita.

Primæ duæ conclusiones manifestæ sunt, neque vlla egent expositione. Sed tertia est difficilis, & plurima egens philosophia vt explicetur. Scholasticorum enim cœtus punctum hoc non nisi superficie tenus attingunt. Quare actum pœnitentiæ putant præcedere & charitatem & gratiam, eo quod per pœnitentiam homo conuertitur in Deum, & conuersio est motus ad suscipiendam gratiam cum qua infunditur charitas.

Et ideo Scotus & Durandus non ponunt pœnitentiam, nisi virtutem acquisitam præcedentem charitatem. Quare S. Th. in 4. d. præsenti, q. 1. art. 2. licet teneat esse virtutem infusam, nihilominus quæstiuncula 2. opinionem communem secutus ait, quòd licet motus amoris charitatis acquisitæ, quæ potest esse in peccato, antecedat motum pœnitentiæ, tamen quia charitas infusa per peccatum amissa, non recuperatur nisi per contritionem, quæ est motus pœnitentiæ: pœnitentia, inquit, est prior charitate. Quare Palud. ead. dist. q. 3. conclusio. 2. eandem sequitur opinionem, putans eandem hic D. Tho. retinere. Itaque dum dicit actum charitatis esse priorem actu pœnitentiæ, intelligit de charitate acquisita. At verò profectò hoc menti S. Tho. manifestè aduersatur. Quam hic re maturius perspecta mutauit: nam cum in secunda conclusione dixisset actus & habitus charitatis simul esse tempore, planè de infusis habitibus loquebatur: siquidem actus præcedentes gratiam iam in prima conclusione ab hoc negotio excluserat. Igitur cum in tertia conclusione dicit actum charitatis esse priorem, de illo, qui elicitur ab habitu infuso, loquitur. Et confirmatur, quia pœnitentia est dolor de offensa Dei ad ipsum reconciliandum: dolor autem offensæ amici, & cupido reconciliandi illum ex præuia charitate & amore illius emanat. Et confirmatur secundò ex præcedentibus verbis S. Th. vbi ait, quòd actus fidei formatæ antecedit actum pœnitentiæ: fides autem per charitatem formatur & viuit. Vnde in præcedenti art. dictum est, quòd motus charitatis est proxima dispositio ad pœnitentiam. Et Magdalenæ ait Christus Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: & tamen non sunt ei remissa sine pœnitentia, quam lachrymæ indicabant. Sed quia pœnitentia, vt hic ait S. Tho. est dolor ex amore, dictum est, quia dilexit multum. Vnde idem S. Th. 1. 2. q. 113. art. 8. expressè ait, quòd gratiæ infusio est prior ordine naturæ quàm motus liberi arbitrij in peccatum.

Scotus & Durand.

Paludan.

Sed exurgit contra hoc vehementissimum arg. quod neoterici insolubile existimant. Actus pœnitentiæ est dispositio ad gratiam, ac subinde ad charitatem: ergo est prior quàm gratia & charitas, impossibile est autem idem esse prius alio & eodem posterius: ergo non est posterior quàm gratia. Ad hoc tota Schola S. Th. bene respondet per distinctionem minoris. Arist. enim 2. Physic. docet, duo posse sibi esse mutuò causam in diuersis generibus causarum, atque adeò vnum posse esse prius altero, & è conuerso. Sanitas enim est causa finalis moderati exercitij, quæ ideo prius mouet hominem ad deambulandum, sed tamen deambulatio prior est sanitate in genere causæ efficientis. Et ventus aperiens fenestram prior est in genere causæ efficientis apertione: sed tamen apertio prior est in genere causæ materialis, quia nisi prius natura aperta esset, aër non ingrederetur. Eodem ergo pacto Deus per auxilium speciale mouens liberum arbitrium, vt homo conuertatur in ipsum, simul infundit gratiam, ac subinde virtutes, inter quas & pœnitentiam, cuius ideo actus in genere causæ efficientis posterior est infusione gratiæ, & actu fidei, spei & charitatis: sed in genere causæ materialis motus ipsius pœnitẽtiæ est prior: quia nisi homo pœniteret, non fieret gratus. Et sic respondet S. Th. 1. 2. q. 113. ar. 8. ad 2. Exemplum est in generatione ignis, tenendo cum Arist. & S. Th. accidentia inhærere non materiæ, sed toti compositio: dum enim lignum vsque ad inflammationem calefit, calor vt octo, qui exempli gratia sit summus, in genere quidem causæ materialis prior est in ligno quàm forma substantialis ignis, quia est eius dispositio, sed tamen in genere causæ efficientis forma substantialis est prior: nam calor vt octo non est nisi in igne, quare forma ignis ingrediens materiam adfert secum illum calorem, sicut ad productionem animæ comproducuntur eius potentiæ.

Argum.

Arist. cap. 3. lib. 2. Physic.

At verò quamuis exemplum naturale aptissimum sit, tamen non videtur animus satis quiescere. Arguitur enim. Aut motus ille pœnitentiæ qui est dispositio ad gratiam, elicitur à solo libero arbitrio cum auxilio speciali, vel ab illo & à gratia simul iustificante: si à solo libero arbitrio, falsum est quod ait S. Th. loco citato, 1. 2. quod gratiæ infusio est prior. Rursus sequitur illum motum non esse formatum, atque adeò non esse legitimæ pœnitentiæ, quæ, vt dictum est, genere suo est virtus infusa, neque Deum attingit, neque est dolor de offensa, qui præsupponit charitatem infusam. Si autem

Argum. cont. solut. sup. arg.

dicas,

dicas, quòd elicitur à gratia simul cum libero arbitrio, alia subsequuntur incommoda. Primum, quòd tunc non opus esset ponere auxilium speciale præter gratiæ infusionem, contra S. Tho. 1.2. q. 109. & contra id, quod art. præcedenti dicebamus: nam cum illa gratia sit donum supernaturale, illa sufficeret ad infusionem supernaturalium virtutum, sine alio speciali auxilio. Item sequeretur, quòd actus pœnitentiæ esset prior suo ipsius habitu, quod neque in genere causæ materialis est satis intelligibile: & quòd sequatur patet, nam est dispositio ad infusionem gratiæ & charitatis, atque adeò ad infusionem suijpsius habitus. Et est intellectu quàm difficillimum, vt cum nulla alia præcesserit dispositio, per solum actum elicitum ab habitu disponatur subiectum ad eundem habitum suscipiendum. Nam in naturalibus forma propriè ignis non producit calorem in igne, sed calor comproducitur ab agente introducente formam: sed quod actus eliciatur ab habitu, & disponat ad eundem habitum suscipiendum, nihil mirum si multi non intelligant, quoniam fateor & me non hactenus satis intellexisse. Et præsertim quia tunc vix potest distingui quomodo actus ille quem natura præcedit gratia, non sit meritorius. Dicere ergo quis posset ad arg. factum: quòd actus pœnitentiæ elicitur à solo libero arbitrio, & illa ratione qua antecedit gratiam, non est meritorius, sed postea continuatur à gratia & habitu infuso, & illa ratione per ipsum remittitur peccatum. Sed responsum hoc non apparet legitimum, nam cùm non prius tempore moueatur liberum arbitrium, quàm gratia infundatur: quia eodem momento fit vtrumque, non est satis intelligibile quomodo actus à libero arbitrio eliciatur, & postea ab habitu infuso continuetur.

Solus arg.

Solutio notanda Autoris.

Dicendum ergo (etsi punctum tetigi: notanda est solutio) quòd licet eodem puncto temporis Deus per auxilium speciale moueat liberum arbitrium, infundat gratiam, nihilominus motio illa est dispositio, & via ad infusionem gratiæ. Etenim quia conuertimur in Deum, efficimur ei grati, & non quia efficimur ei grati conuertimur: quare in genere causæ materialis prius natura fit motio in Deum. Igitur licet idem omnino actus eliciatur à libero arbitrio, & simul à gratia & habitu pœnitentiæ, nihilominus qua ratione procedit à libero arbitrio, est prior namque gratia, & quàm habitus pœnitentiæ & dispositio ad vtrumque. Sed qua ratione elicitur à gratia & ab habitu pœnitentiæ, est Deo gratus. Alij negant consequentiam. Actus pœnitentiæ est prior quàm gratia: & gratia quàm habitus pœnitentiæ: ergo actus est prior suo habitu. Sed certè facilior est responsio data, quod actus qua ratione procedit à potentia est prior in genere causæ materialis quàm gratia, & quam suus habitus, sed habitus est prior quàm idem actus sit vera contritio formata. Atque idē prorsus dicendum de actu & habitu charitatis, quod, s. actus, quatenus procedit à libero arbitrio, est in genere causæ materialis prior quàm ipse habitus, sed quatenus procedit à gratia, est posterior.

Postremum argum.

Superuenit autem postremum arg. Sequeretur illū actum pœnitentiæ esse verè meritorium, postquam informatur gratia: consequens autem apparet falsum: quia vel esset meritorius gratiæ, vel solius gloriæ, & non gratiæ, quia si esset meritorius gratiæ, esset illius quæ in illo instanti datur, quod est falsum: tum quia illa præcedit, vt diximus: tum præsertim, quia Pelagianum esset dicere illam gratiam dari nobis ex nostris meritis. Quod autem non sit meritorius gloriæ probatur, nam maximè esset illius gradus gloriæ, qui correspondet illi gratiæ, quia gloria non est maior quàm gratia. Consequens tamen apparet falsum, quia cùm illa gratia sit acceptatio ad gloriam, & illa detur sine meritis nostris, fit vt gloria detur sine merito. Ad arg. respondet S. Tho. 1.2. q. 112. art. 2. quòd ille actus est meritorius, vt legitimè probatum est, & non gratiæ, vt etiam arg. ostendit, sed illius gloriæ, quæ eidem gratiæ correspondet. Quòd enim gratia prima detur ex meritis, hoc Paulus condemnat, aliàs gratia non esset gratia: gloria verò, præter illam, quæ datur ex sacramentis, nemini datur nisi secundum opera sua: & prout gessit in corpore, vt idem docet Apost. ad Rom. 2. & 2. Cor. 5. Et ideo nulla est repugnantia, vt eadem gloria, quæ correspondet gratiæ sine meritis collatæ, cadat sub merito. Gloria verò correspondens gratiæ sacramentali datur ex solo merito Christi, vt patet in paruulis. Et ad argumentum, illa gratia est acceptatio ad gloriam: ergo prius natura homo est acceptus ad gloriam eidem gratiæ respondentem, quàm habeat actum contritionis. Sunt qui propterea negant gratiam esse acceptationem ad gloriam, sed aiunt esse acceptationem ad amicitiam Dei. Sed hoc dupliciter apparet falsum. Primò, quia cùm per gratiam formaliter homo sit dilectus & acceptus Deo, per ipsam est formaliter amicus, quare non est acceptatio ad amicitiam. Secundò, quia cum gratia sit arrha gloriæ, certè per ipsam, per quam sumus formaliter filij, acceptamur ad hæreditatem. Respondetur ergo aliter, quòd gratia duo facit, s. constituere hominem in esse supernaturali filij Dei, & hac ratione antecedit actum pœnitentiæ, faciens illum meritorium. Sed habet secundò, vt sit acceptatio ad gloriam, & hac ratione actus est prior illa. Sunt fateor hæc eiusmodi, vt absque philosophiæ adminiculo adiri non possint. Sed tamen neque sine illis intellectis medulla veritatis legitimæ pœnitentiæ valet explicari.

Rom. 11.

Solutio arg.

Gratia est acceptatio ad gloriam, non autem ad amicitiā Dei.

Argumenta D. Thom. contra reliquas tres conclusiones diriguntur. Arguit enim primò. Super illud Matth. 3. Pœnitentiam agite, ait glossa. Prima virtus est per pœnitentiam punire veterem hominem, & vitia odire. Respondetur solum illic fieri comparationem pœnitentiæ ad virtutes morales: nam nisi quis prius per pœnitentiam iustificetur, non potest earum officia, quæ grata sint Deo, perficere, vt ait 3. conclusio.

1. Argum.

Secundò arguitur. Recedere à termino prius esse videtur, quàm accedere ad alium terminum ad quem, sed omnes aliæ virtutes, etiam Theologicæ, pertinere videntur ad accessum ad terminum: quia omnes ordinantur ad bonum: per pœnitentiam verò recedit à termino à quo: ergo ipsa est prior omnibus, cuius contrarium asserit quarta & sexta conclusio. Respondetur, quòd licet recedere à termino à quo, fit prius tempore, & prius natura quantum est ex parte subiecti, id est, in executione motus, tamen secundum ordinem causæ agentis & finalis, quæ mouet agentem, prius est in intentione accedere ad terminum ad quem: homo enim non proficiscitur à loco in quo est, nisi eo animo vt perueniat in alium. Atque hic ordo reperitur in actibus animæ, vt 2. Physicor. autor est Arist. Quare bene cohærent 5. & 6. conclusiones: scilicet, quòd pœnitentia sit prior in exercitio moralibus virtutibus, sed ex parte obiecti, & finis illæ sunt priores. Quod autem theologicæ, vt asserit quarta conclusio, etiam in exercitio sint priores natura quàm pœnitentia, alia est ratio: quia scilicet sunt eius radices.

2. Argum. contra 4. & 6. concl.

Tertiò arguitur. Ante pœnitentiam est peccatum in anima: sed simul cum peccato nulla virtus animæ ineſt: ergo ante pœnitentiam nulla est virtus, sed ipsa est prima, quæ expellit peccatum. Respondetur, quòd pœnitentia aperit aditum virtutibus expellendo peccatum per virtutem fidei, spei, & charitatis, quæ sunt naturaliter priores. Ita tamen aperit eis aditum, quòd ipsæ simul tempore intrant cum ipsa: nam eodem momento, quo liberum arbitrium mouetur in Deum per fidem & charitatem, & in peccatum per detestationem, simul remittitur peccatum, & infunditur gratia, cum qua omnes virtutes, tam theologicæ, quàm morales infunduntur.

3. Argum.

Restat hic tamen duplex dubium. Primum, vtrùm sit prius infusio gratiæ, an remissio culpæ. Sed hoc q. proxima art. 6. dissoluetur.

1. Dubium.

Secundum dubium est. Vtrum pœnitentia solis virtutibus moralibus aditum pandat, an etiam Theologicis: nam cum illæ sint priores natura, ægrè intelligitur, quomodo pœnitentia illis aperiat aditum. Respondetur, quod de omnibus id intelligit D. Thom. nam qua ratione pœnitentia est id, per quod tollitur peccatum, quod est impedimentum gratiæ & virtutum, aperit eis aditum, licet earum ope suffulta, modo iam satis exposito.

2. Dubium. Quibus virtutibus aditum pandat pœnitentia.

* *
*

Digitized by Google

DISTINCTIO DECIMAQVINTA, DE EFFECTV POENITENTIÆ.

Cap. 1. POENITENTIÆ huius tam secundum rationem sacramenti, quàm secundum rationem virtutis effectus est, vt superiori eius definitione insinuauimus, omnium peccatorum remissio, quæ Christiani post baptismum commiserint, iuxta illud Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor. Et capit. 13. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed magis vt conuertatur & viuat, quacunque scilicet peccati labe fuerit maculatus. Imò adeò est virtus hæc necessaria, vt absque illa impossibile sit peccatum vllum dimitti, admonente per Hieremiam Domino: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo quod fecit, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Hier. 18. Ac si dixerit, Absque pœnitentia nemini ignoscam. Vnde & Luc. decimotertio: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.

Cap. 2. Ex ijs fit consequens remissionem peccatorum post baptismum proprium esse pœnitentiæ effectum: nam veluti per baptismatis vndam diuina gratia peccatũ originale dimittit: ita & per pœnitentiam subsequentia mortalia. Tametsi differant, quòd super sacrum fontem, vt suprà dictum est, plenissima fit culpæ & pœnæ indulgentia; per pœnitentiam verò non item, sed vsu sæpe venit, vt remissa culpa reatus pœnæ relinquatur per satisfactorios pœnitentiæ fructus expurgandæ. Nam vt 2. Reg. historia refert, postquàm Dauidi suam confitenti culpam remissa est, pœnas orbitate filij luit. 2. Reg. 11. Vt enim Dei clementia est supplicibus condonare veniam, sic & eius iustitia castigare delicta vel in inferno, si non sit deleta culpa, vel in purgatorio, si hic plenaria non fiat satisfactio.

Cap. 3. Atqui cùm originalium, aut mortalium remissio fieri nisi per id non possit, quòd homo in gratiam Dei recipiatur, nequaquam vnum absque reliquis, si plura sint simul, abstergi potest. Vnde autor libri de pœnitentia, Quædam, inquit, impietas infidelitatis est, ab illo, qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam. Repugnaret enim præterea immensæ eius misericordiæ, cuius, vt est in Deut. Perfecta sunt opera. Deut. 32.

Cap. 4. Remissionis autem venialium alia est ratio. Nam cùm non sint diuinæ gratiæ repugnantia, vt committi possunt salua gratia & amicitia Dei: ita & remitti absque nouæ gratiæ infusione: non tamen absque gratiæ & charitatis vsu & actu, qui pœnitentia sit, licet non formalis & actualis, saltem virtualis. De qua Augustin. in lib. de pœnitentia, est, inquit, quædam pœnitentia, quæ quotidie agitur in Ecclesia pro leuioribus culpis: nam in multis offendimus omnes. Quapropter persistenti in peccato mortali nullum potest veniale remitti. Asserere namque vllum peccati genus absque gratia Christi, eiusque virtute passionis deleri posse, impium est, cum eum solum, vt ait ad Rom. Paulus, proposuerit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Rom. 3. Et Ioãnes in prima canonica: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi. 1 Ioan. 2. Possunt præterea per aspersionem lustralis aquæ, aliaque id genus sacramentalia, quæ virtute clauium ad id muneris Ecclesia instituit, aboleri.

DISTINCTIONIS DECIMÆQVINTÆ,

Quæstio prima.

DE EFFECTV POENITENTIÆ QVANTVM AD REMISSIONEM MORTALIVM.

S. Thom. 3. pár. qnæst. 86.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per pœnitentiam omnia peccata remoueantur.

IN hac distinct. decimaquinta, Magister Sentent. multa tum inuerso ordine, tum impertinenter tractauit: immaturè namque de satisfactione sermonem proposuit. Nam cum illa sit tertia pars pœnitentiæ, in postremum locum deberet reseruari. Atque de satisfactione occasionem nactus mẽtionem facit restitutionis, cuius ideo materiam sententiarij hic disputant: cùm tamen restitutio res sit huic loco impertinentissima. Est enim materia iustitiæ ad cessandum a peccato inter homines necessaria, cùm satisfactio fiat Deo ad reconciliandum amicitiam. De restitutione ergo nos lib. 4. de iustitia & iure satis diximus. Et de satisfactione dist. 19. dicemus. In præsenti ergo solùm de effectibus pœnitentiæ habendus est sermo: nam constituta natura, protinus est eius effectus explorandus. Est ergo prima quæstio, de remissione mortalium, & secunda de remissione venialium. Atque adeò huius primæ primus articulus generalis est, vtrum per pœnitentiam omnia peccata remittantur. Et supposita distinctione D. Thom. tres præmittit præambulas conclusiones: ex quibus quartam elicit, qua ad quæstionem respondet. Quòd enim peccatum aliquod per pœnitentiam tolli nequeat, bifariam potest cogitari. Vno modo, quòd sit aliquod peccatum, cuius hominem pœnitere non possit: atque alio, vt sit aliquod, quod etiam si hominem illius pœniteat, nulla tamen pœnitentia delere sufficiat.

Inuersus ordo Magistri Sentent.

Præsens distinctio.

Diuisio huius distinctionis.

Dupliciter contingit peccatum non posse tolli.

Est ergo prima conclusio. Primo quidem modo peccata dæmonum hominumque damnatorum per nullam pœnitentiam deleri possunt. Cuius ratio est: quia eorum affectus sunt in malum obfirmati & obstinati, adeò vt displicere nequeat illis culpa & offensa Dei, quem immortali odio prosequuntur, iuxta illud Psalmi 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Sed sola pœna quam patiuntur eis displicet. Qua de causa pœnitentia, sed infructuosa, cruciantur, iuxta illud citatum Sapient. 5. Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Quare pœnitentia illa omni spe veniæ vacua est, & desperatione plena.

1. Concl.

Digitized by Google

2. Concl. Secunda concluſio. In homine viatore neutiquàm eſſe poteſt huiuſmodi peccatum hoc modo irremiſſibile, eo quod quamdiu eſt viator liberum, habet arbitrium ad bonum & ad malum flexibile. Vnde dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo homo pœnitere non poſſit, eſt erroneum. Primò quidem, quia per hoc libertas arbitrij tolleretur. Secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ Dei, per quam mouere poteſt cor cuiuſcunque peccatoris ad pœnitendum, ſecundùm illud Prouerb. vigeſimoprimo. Cor regis in manu Dei; & quocunque voluerit vertet illud.

3. Concl. Tertia concluſio. Quòd ſit aliquod peccatum ſecundo modo irremiſſibile, quod ſcilicet per veram pœnitentiam tolli non poſſit, erroneum etiam eſt aſſerere. Primò, quia repugnat diuinæ miſericordiæ, de qua dicitur Iohel. 2. Benignus & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine ſi quod homo peccatum delere conaretur, Deus non poſſet euellere. Secundò, quia hoc derogat paſſioni Chriſti, per quam pœnitentia, ſicut & cætera ſacramenta, operatur, cùm ſcriptum ſit 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec ſolum pro noſtris, ſed etiam totius mundi.

4. Concl. Quarta ergo ex his colligitur concluſio. Simpliciter dicendum eſt, quòd omne peccatum in hac vita per veram pœnitentiam deleri poteſt.

Expoſitio articuli. Quæſtio præſens non eſt, vtrùm per pœnitentiam deleantur peccata, huius enim affirmatiua reſponſio ex ſuperioribus ſupponitur, ſed quæſtio eſt de ſenſu vniuerſali, vtrum omnia aboleat, ita vt nullum ſit peccatum, quod pœnitentia auferre nequeat. De qua re duo verſantur errores. Prior Lutheranorum de poteſtate liberi arbitrij tam abſurdè loquentium, vt putent nos cogi ad peccandum. Quinuerò aiunt, quod Deus ipſe nos ad ſæpe peccandum compellit. Itaq; tunc non ſolum per pœnitentiam non poteſt deleri peccatum, ſed neque vllo modo euitare poſſumus, quin illud perpetremus. Axioma ergo Lutheri fuit, non eſſe in poteſtate noſtra malas vias facere, ſed mala opera in impijs Deus operatur. Quod quidem ſub eiſdem verbis Tridentina ſynodus ſeſſio. 6. cano. 6. anathematis mucrone quam meritiſſimo confodit. Arbitror enim prouidentia Dei permiſſum fuiſſe in iſtam eos veſaniam corruere, vt conſtaret, ijs qui ſic de Deo, deque libero arbitrio ſenſiſſent, quàm eſſent in reliquis nulla autoritate digni: nam quando nullum aliud contra eos argumentum exiſteret, hoc vtique ſufficeret, quòd Deus, qui ſumma bonitas eſt, voluntatem nullatenus habere poteſt mali culpæ: imò nihil eſt, quod in hominibus eius voluntati magis aduerſetur: ſi autem nos cogeret ad malum, vellet vtique & percuperet nos peccare, quod animus audire abhorret.

Error blaſphemus Lutheranorū circa poteſtatem liberi arbitrij.

Primum argumentū cōtra Luth.

Secundum argumentū cōtra Luth. Sed ſecundò arguitur. Peccatum, vt Auguſt. contra Fauſtum lib. 22. ait, non eſt niſi quid factum contra legem Dei: lex autem Dei eadem res eſt quæ ſua voluntas: nam intellectus & voluntas in ipſo eadem ſunt eſſentia: quomodo ergo poteſt eſſe peccatum, quòd Deo volente, imò cogente fit? Si enim fit per eius voluntatem, eſt eidem voluntati conſonum, ac perinde ſuæ legi ſimile: vnde palam fit non eſſe peccatum.

Tertium argum. Tertium ex ratione etiam coactionis ſumitur argumentum. Peccatum enim, vt idem Auguſt. in lib. de vera religione autor eſt: adeò eſt voluntarium malum, vt niſi ſit voluntarium, nequeat eſſe peccatum: quia ſola voluntate peccatur: ſi ergo Deus nos cogit, non eſt in noſtra voluntate non peccare, atque adeò non peccamus. Perſpice ergo hominis abſurditatem. Deum facit autorem, non vtcunque, ſed coactorem noſtri peccati, & nos pecudes, atque illis iniquioris conditionis, cùm nos affirmat inuitos peccare. Clamat Iacobus inſtinctu & reuelatione Dei, quod ipſe intentator malorum eſt, admonens nos ſubinde vt nemo dum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, & reclamat Lutherus, quòd non ſolum nos tentat, verùm quòd inuitos nos cogit. Profectò tunc neſcio quomodo in vniuerſum vniuerſalis illa, quam Paulus aſſerit, vera eſſet, Deus vult omnes homines ſaluos fieri: & monita illa diuina: Noli vinci à malo, noli deficere à diſciplina Domini; & quod ait Pſaltes: Nolite fieri ſicut equus & mulus; eſt enim ſicut equus & mulus, qui ſuæ ſubiugatur ſenſualitati: quod ſi euitare nequiremus, minimè euitare admoneremur, ſed genus dementiæ eſt de hac re diſputare. Diſputauimus nihilominus latiſſimè lib. 1. de natura & gratia c. 17. & 18. vbi ad iſtorum perperam intellecta teſtimonia ſatis reſpondimus.

cap. 1.

1. Timot. 2.

Rom. 12.

Pſal. 31.

Interpretatio autoritatum ex ſcripturis. Mouentur enim ex illo ad Roma. 1. Tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum. Et Eſaiæ 6. Excæca Domine cor populi huius. Et Gen. 14. Induratit Dominus cor Pharaonis. At verò hæc nihil aliud ſonant, quàm quòd Deus hominem ſinat ſenſum proprium ſequi, & affectum implere, vt longa peccatorum catena illaqueatus, vix poſſit ei admonenti obedire. Cum enim, vt ait 1. 2. q. 79. S. Thom. ſol corporeus naturaliter abſque vlla libertate illuminet, fit vt dum quis claudit feneſtram ne ſolares radij ingrediantur, nihil cauſæ in ſolem reijci poſſit, ſed tota cauſa fuit qui feneſtram clauſit. Tamen dum homo cor Deo occludit, quia Deus non vti ſol merè naturaliter, ſed liberè, ſciensque adeo & prudens id permittit, quodammodo dicitur excæcare, & tradere, & indurare. Sic enim filius, qui nimia patris indulgentia perditè vitam tranſegit, ad patrem reuerſus ait. Tu pater erratorum meorum ea mihi permittendo cauſa fuiſti. Et quòd Deus non aliter induret, hiſtoria ipſa Pharaonis oſtendit: Cùm enim aiebat Deus, Quoniam tu nō vis dimittere populum, ecce ego percutiam omnia primitiua Ægypti, palàm docebat, quòd ſi voluiſſet dimittere populum eius, pœnitentiam recepiſſet. Imò longa illa comminatio & ſucceſſio plagarum, indicium fuit bonitatis Dei, qui ipſum ad pœnitentiam adducebat, ſed dicitur eum induraſſe: quia ſingulari prouidentia duriciem eius permiſit, vt maieſtatem gloriæ ſuæ in illis miraculis oſtenderet. Cætera loco citato, cui libuerit, videat.

Armachani error. Sed præter hunc veſanum errorem, quòd Deus quempiam ad peccandum cogat, Armacha. lib. 9. de quæſtio. Armenorum c. 27. contendit probabile eſſe ſecundùm ſcripturam aliquod eſſe irremiſſibile peccatum. Cuius argumenta ſunt quæ hic ſoluit S. Thom. Itaque iſta opinio ſentit, quòd ſicut Deus confirmat aliquos in bonum, vt Apoſtolos, quæ quidem confirmatio non fuit ablatio liberi arbitrij, ſed irreuocabilis lex, vt nunquam peccarent mortaliter: ſic ſunt quorundam peccata firmata lege, veluti peccata dæmonum, irremiſſibilia.

Impugnatur error Armachani. Eſt autem opinio, licet mitior, quàm illa Lutheranorum, tamen non ſolum falſa, verùm erronea, vt hic D. Thom. ait, quippe quæ Dei in primis bonitati aduerſatur, cuius nullum magis natiuum eſt in operibus extra ſe factis, quàm omnes homines, vt ait Paul. ſaluos facere. Hoc enim vno propoſito illos creauit, atque hac ſiti eos redempturus de cælo deſcendit, vt, nemine excepto ſuam eis beatitudinem impertiret. Item hoc eſt contra naturam hominis viatoris: hoc enim homo ab Angelo diſtat, quòd cùm Angelus ſit merè intellectualis, nullo vtens diſcurſu, primo peccato ſic voluntatem ſuam malo infixerit, vt non eſſet ampliùs in bonum vertibilis: ſed homo cùm ſit rationalis, ſicut per intellectum ſemper poteſt diſcurrere, ita per voluntatem à bono in malum, & vice verſa mutari. Vnde vt ait Damaſcenus: Quod hominibus eſt mors, hoc Angelis eſt peccatum: hoc eſt, libertatem mutandi ſe à malo in bonum, quam homines per ſolam mortem perdunt, Angeli per primum peccatum amiſerunt. Tertiò, Hominem eſſe viatorem nihil aliud eſt, quàm in via eſſe ad patriam: via hæc autem non eſt niſi libertas arbitrij: quo diuina ope ſuffulto poteſt quiſque ad cœleſtem hæreditatem peruenire, alioqui maximum periculum deſperationis hominibus impenderet. Quare huiuſmodi error non ſolùm eſt à veritate Euangelica alienus, verùm & hominibus perniciosiſſimus, ſi quis talem de Deo ſuſpicionem haberet. Æquiparat enim viuentes homines infernalibus dæmonibus, atque adeò in ſcopum deſperationis adigit eos. Cum dicat Ioann. in ſua canonica c. 1. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. Et c. 2. ſi quis peccauerit (quocunq; ſcilicet peccati genere) aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, qui propitiatio eſt pro peccatis totius mundi. Quocirca error iſte blaſphemus eſt, & iniurius in Chriſtum & eius paſſionem: nam ſi aliquod eſſet irremiſſibile peccatum, non fuiſſet vniuerſalis redemptor.

1. Tim. 2.

2. Argum.

3. Argum.

Poſtremum argumentū ex variis ſcript. locis. Poſtremum denique ex vtraque pagina ſumitur efficaciſſimum argumentum. Deus enim abſque exceptione vlla vniuerſalibus verbis vniuerſos mortalium à via veritatis aberrantes, vt ad mentem redeant, & conuertantur, inuitat. Quæ quidem loca diſt. præcedenti;

Digitized by Google

q. 1. art. 10. retulimus. Ezechielis 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. Ab omnibus, inquit: Quare vniuersum subditur, Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: ergo nullum est irremissibile. Et cap. 33. Viuo, inquit Dominus, nolo mortem impij, hoc est, nullius impij, cuiuscuis conditionis impietate fuerit infectus. Vnde subdit: Nunquid voluntatis meæ est mors impij, inquit Dominus? & illud Ioel. 2. etiam vniuersale verbum est, Conuertimini ad me: sicuti & illud Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et ad Apostolos Ioa. 21. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis: id est, quorumcunque, & quæcunque peccata. Est enim vtroque verbo vniuersalis assertio, qua plenissima cõfertur potestas, sicuti & Matth. 16. Non dico tibi septies, sed septuagies septies: hoc est, nullus erit peccatorum numerus, nullúmue genus, quod non remittes.

Peccatum irremissibile nullum.

Adde, quod si aliquod est peccatum per pœnitentiam irremissibile, eadem erit ratio de baptismo, quod est contra illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat: & contra illius vniuersale promissum Mar. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Alia quàm plurima gratia euitandi fastidij prætermittimus. Ex ijs ergo apertissimis testimonijs Ecclesia ea. Firmiter. de summa Trinit. & fid. cath. decretum illud collegit. Si quisquam post baptismum prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari. Vnde Chryso. in lib. de reparatione lapsi. & refertur can. Talis de pœnitentia dist. 3. Talis, inquit, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit pœnitentiam, si ei syncerè & simpliciter offeratur: etiam si ad summum quis peruenias malorum, conuersum ad libertatis viam libenter amplectitur.

Chryso.

Obiectio.

Contra hanc autem veritatem exurgit argumentum non minimi ponderis ex illo Io. 12. Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Esaias ca. 6. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos: si n. non poterant, nulla eis pœnitentia sufficiebat. Respondetur, & est valde notandum, quod inter auxilia specialia sunt gradus. Est enim auxilium ordinarium, quod per se cuique sufficit vt resurgat, quod quidem semper Deus cuicunque homini, etiam sceleratissimo offert. De quo Apoca. 3. Ego sto ad ostium & pulso. Sed est aliud præterea excellentius auxilium, quo homines in profundum malorum collapsi indigent, vt resurgant. Et hoc non semper Deus illis offert, sed est quasi miraculum vt resipiscant, vt apparuit in Pharaone, & in Babylonicis, de quibus legitur Hierem. 51. Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam: quoniam peruenit vsque ad cœlum iudicium eius. Et in hoc sensu dicuntur excæcati non posse credere. At verò nequeunt culpam in Deum reijcere, qui sufficienter quantum est de se illis auxiliatur, sed in se ipsos, qui tam difficilem salutem suam fecerunt. Vt semper stet sententia Ozeæ 2. Perditio tua Israël, id est, tu es illius causa. Quo fit, vt quando per timores seruiles, quos naturaliter habere possunt, eiusmodi homines cor emolliuerint, & per alias calamitates edomiti à tam ingenti scelerum & flagitiorum prauitate cessare cœperint, tunc sufficiet eis ordinarium auxilium. Præterquam quòd illud etiam egregium nonnunquam illis offert, vt Matthæo, & Magdalenæ, & Paulo.

Nota de auxilio speciali.

1. Argu.

Primum autem argumentum in contrarium est illud ad Hebr. 12. quòd Esau non inuenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lachrymis inquisisset eam. Vbi glossa. Non inuenit locum veniæ & benedictionis per pœnitentiam. Et 2. Machab. 9. dicitur de Antiocho. Orabat scelestus Deum, à quo non erat misericordiam consequuturus.

Armachanus.

Ex illa historia Esau, infert loco citato Armachanus: peccatum illud, quod leuissima de causa, & absque vlla passione quasi pro nihilo fit, non esse remissibile: quia fit ex magno contemptu, sicuti Esau, qui pro misera lenticula primogenituram vendidit. Quocirca licet postea, vt ca. 27. legitur, magno eiulatu apud patrem fleret, nequiuit totam benedictionem recuperare. Id quod Paulus in exemplum adducit eorum, qui ex nimio contemptu delinquunt. At verò non eò pertinet exemplum, vt quanquam homo verè pœniteat, pœnitentiam non obtineat, sed ad hoc tantùm, quòd huiusmodi contemptores legis nunquam aut vix vnquam veram agunt pœnitentiam: sicuti Esau, qui non eiulabat nisi propter primogenituram amissam, tamen odium fratris non deponebat: imò dicebat, Veniet luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Similiter ad historiam Antiochi respondetur, qui cum superbia elatus subuersionem Hierosolymorum moliretur, grauissima plaga diuinitus percussus cœpit imaginem quandam pœnitentiæ verbis effingere. Sed tamen quia non verè eum offensæ Dei pœnitebat, sed quòd culpa illa causa eiusdem plagæ fuerat, veniam non obtinuit. Et hoc denotat historia appellans eum scelestum, quia scelestè Dominum orabat.

Impugnatur Armachanus.

Historia Antiochi.

2. Argu.

Secundò arguitur, autoritate Augustini in libr. de sermone Domini in monte, vbi loquens de impugnantibus fraternitatem ait, quòd tanta labes est illius peccati, scilicet, vbi quispiam post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam inuidiæ facibus agitatur, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia agnoscere & annunciare cogatur: vnde apparenter colligitur non omne peccatum per pœnitentiam esse remissibile. Respondetur verò, quòd vbi ait Augustinus non possit, intelligit, non facile possit, (quamuis ipse libro 1. retractationum aliter se exponat, vt illicò videbimus.) Sic enim assolent sancti patres loqui secundum Aristot. 1. de cœlo circa finem, vbi ait, quod impossibile dicitur, & quod simpliciter non est possibile, & quod non est facile: sicut morbus dicitur insanabilis, quia secundum communem cursum non sanatur. Sic enim veritatis & pacis impugnatores secundum communem cursum nunquam resipiscunt. Sed nihilominus secundum excellentius diuinæ gratiæ auxilium possunt conuerti, iuxta illud Psal. 67. Dixit Dominus: ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris: hoc est, etiam si quis sit in malorum fundo.

3. Argu.

Tertiò arguitur, ex illo verbo Christi Matth. 12. Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. At de peccato in Spiritum sanctum disputat. D. Tho. 2. 2. q. 14. ad quem locum hinc se remittit. Trifariam enim de eiusmodi peccato sancti Patres loquuntur. Augustinus in lib. de verbis Domini, appellat peccatum in Spiritum sanctum finalem impœnitentiam: quia contraponitur remissioni peccatorum, quę fit per charitatem quæ Spiritui sancto attribuitur. Si autem sic accipiatur, non est speciale peccatum, sed generalis omnium conditio. Quare in hoc sensu aliquod esse peccatum irremissibile, quàm quod absque pœnitentia, vt art. proximo videbitur, non possit remitti peccatum mortale post baptismum commissum. Athanasius verò & antiquissimi Doctores appellabant peccatum in Spiritum sanctum illud quod fit contra diuinitatem vel omnium, vel cuiusque personarum Trinitatis. Et distinguitur contra peccatum in humanitatem Christi vel contra homines. Et hoc dicitur irremissibile non simpliciter, sed quia est remissu difficile: eò quòd vel nihil, vel minimum habet excusationis. Quando enim Iudæi obijciebant Christo, quod esset vorax, & potator vini, & Publicanorum amator, aliquam habebant excusationem, quoniam hæc omnia conuitia ad eius humanitatem pertinebant, propter infirmitatem carnis quam in eo cernebant, cui illa vitia competere poterant. Sed quando obijciebant, quòd in Beelzebub eijceret dæmonia, iniuriam diuinitati irrogabant, quare nullam habebant excusationem, opera Spiritus sancti diabolo tribuentes. Alij verò distinguũt tria peccatorum genera. Vnum s. quod procedit ex ignorãtia, hoc est, contra Filium, cui tribuitur sapientia: aliud quod procedit ex passione, quod dicitur contra Patrem, cui attribuitur omnipotentia: & tertium quod procedit ex malitia, quod dicitur peculiariter in Spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas. Arq; hoc etiam pacto peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile, non simpliciter, sed quemadmodum proximè dicebamus, quia difficile est vt remittatur.

Augustinus. De peccato in Spiritum sanctum.

Quidnam sit iuxta antiquos Patres.

Matth. 12.

Luc. 11.

Tria peccatorum genera secundum alios. Ex ignorantia, passione, malitia.

Præsertim quòd Christus non ait esse irremissibile, sed quòd non remittetur: loquitur enim de facto secundum communem rerum cursum: scilicet ob defectum pœnitentiæ, quæ difficilis est in his qui consultò absque ignorantia & passione delinquunt: iuxta illud Esaiæ 22. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini

Isaiæ 22.

Digitized by Google

exercituum, si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus. quasi dicat, minimè. Vnde Iob 9. Verebar, inquit, opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti, id est, manenti in peccato. Quamuis & ad pœnas hoc referri possit: nam vt ait ibi Gregor. lib. 9. moralium cap. 27. etiam si delicti culpa per pœnitentiam tollatur, pœnas luere debemus vel in hac vita, vel in altera. Et eodem modo Chrys. homil. 42. super Matth. exponit, quòd peccatum in Spiritum sanctum non remittetur, non quòd per pœnitentiam non possit remitti, sed quod huiusmodi pœnitentia difficilis est, & qui illam non fecerit, pœnas & in hoc seculo, & in futuro dabit.

Chrysost.

4. Argum.

Atque horum instar responderi potest ad aliud argumentum, quod fieri hic potest quartum. Ait enim Ioannes in 1. canon. cap. 5. Est peccatum ad mortem, non dico pro eo vt oret quis. Et Ezech. 14. Si bestias induxerim super terram, vt vastent eam: scilicet propter idololatriam: & tres viri isti, scilicet Noe, Daniel & Iob fuerint in ea. Viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur. Et Hiere. 14. Noli orare pro populo isto in bonum. Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum, &c. quoniam gladio & fame, & peste consumam eos.

Varia responsio ad illum locũ Ioan.

Ad hunc locum Ioannis, Sententiarum expositores lib. 2. d. 43. multis modis respondent. Primò August. loco, quem D. Thom. argumento secundo citat de sermone Domini in monte libro 1. illud intelligit de peccato impugnantium fraternitatem, & gratiam Dei. Sed tamen postea libro 1. retract. cap. 9. dictum correxit, dicens quòd debuisset addere, Si peccator in tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. Vnde & Canonistæ super can. Si sacerdos. de pœnitentia dist. 1. & theologorum multi; & etiam D. Thom. q. 3. de malo, art. 15. intelligunt peccatum ad mortem peccatum finalis impœnitentiæ. Tametsi fatear hunc mihi sensum quadrare non posse. Nam & si huiusmodi peccatum irremissibile sit, nemo illud tamen in hac vita cognoscere potest. Quis enim de alio nouerit an sit pœnitentiam ante mortem facturus? Ioannes verò peccatum aliquod insinuabat, quod homines possent deprehendere. Quomodo ergo dicere potuit vt pro illo peccato nemo oraret, quod nemo nouit? Nisi forsan de aliquo defuncto constaret vita in peccato fuisse defunctum, quod vix constare potest.

1.

Canonum interpretes.

Refutatur.

2.

Alij ergo intelligunt non esse orandum pro eo qui peccat in Spiritum sanctum secundo vel tertio modo, scilicet ex certa malitia. Attamen si hoc Ioannes appellat peccatum ad mortem, ob difficultatem quam habet vt tollatur, eadem ratione appellabit alia, in quibus ob obstinatam consuetudinem tantum difficultatis inest. Mitto alios, qui verbum Ioannis intelligunt de peccato, cui est annexa excommunicatio: pro quo orationibus publicis sacerdotes Ecclesia prohibet orare. Nam hæc expositio violentior est: impropriè n. id solùm peccatum dicitur ad mortem, quod excommunicationi sit subditum. Quare Ioannes non erat tunc excommunicationis memor, neque Ecclesiasticæ prohibitionis, sed de diuino iure loquebatur.

Refutatur.

3.

Violenta.

Authoris apud Augustinum expositio.

Augustinus (si ille fuit autor) lib. 1. de vera & falsa pœnitentia cap. 4. aliam adfert expositionem. Nouatiani enim, quos supra memorauimus, & ipse illic insinuat, omne peccatum post baptismum commissum appellabant in Spiritum sanctum, qui in baptismo suscipitur: nam quæ præcedebant baptismum, quia vel ex ignorantia, vel ex passione procedebant, dicebant esse contra Filium, cui attribuitur sapientia: & contra Patrem, cui tribuitur potentia. Et ideo per baptismum profitebantur remitti peccata, sed relapsis pœnitentiam negabant. Quare omne peccatum post baptismum commissum aiebant esse ad mortem, atque adeò de illo intelligendum esse Ioannem. Contra hanc ergo blasphemiam, quæ supra impugnata est, ait Augustinus Ioannem per peccatum ad mortem intelligere omne peccatum mortale, & per peccatum non ad mortem, veniale. Sed loquitur, inquit, Ioannes de oratione tantum Dominica, qua sine alia pnæitentia dimittuntur peccata venialia. Est ergo sẽsus, quòd si quis peccata venialia cõmisit, per illam orationem obtinebit veniam, veluti per aquam benedictam. Vbi autem peccatum est mortale, non sufficit oratio, sed requiritur pœnitentia.

Bona est expositio, sed tamen non satisfaciens, quoniam oratio Dominica non delet veniale, nisi facta ab illo qui est in peccato. Ioan. autem videtur loqui de precibus, quas quis pro alio fundit. Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 8. & 9. aduersus eosdem Nouatianos aliam meditatus est expositionem minimè contemnendam, videlicet quod Ioãnes appellet peccatum ad mortem, peccatum grauissimum cuiuscunq; sit generis, pro quo non sufficit vt vnusquilibet oret. Quare Ioannes ait: Non dico, vt pro eo oret quis: id est, quilibet, sed requiritur oratio instantissima excellentissimæ personæ: sicut pro peccato Israël adorationis vituli non vnus quilibet, sed Moyses orauit, idque exaggeratissimè: † Aut dele me de libro vitæ, aut noxã populo remitte. Cui alludit illud 1. Reg. 2. Si peccauerit vir in virum, placari potest ei Deus: si autem in Dominum peccauerit homo, quis orabit pro eo? Quasi dicat, non nisi qui fuerit Deo gratissimus.

Ambros. expositio.

Exod. 32.

Has ego expositiones patrum sic veneror, vt tamen sensum paulò differentem mihi videre videar apud Ioannem. Præmiserat enim dicens, quòd quodcunque petierimus secundùm Dei voluntatem, obtinebimus ab eo, & ideò orandum nobis esse cum fiducia. Sed quia poterat quis obijcere, sæpe nos orare pro illo qui est in peccato, & tamen frustra: respondet quòd quando peccatum fratris est ad mortem, non obligamur pro illo orare. Vocat ergo peccatum ad mortem, quando hominem videmus adeò peccatis esse inueteratum & obstinatum in inimicitijs, aut in concubinatu, aut vsura, aut obstinatissima hæresi, vt quantum prudẽtia docet humana, nulla spes de illo habeatur. Et tunc non prohibet orare pro illo, non enim ait: Nemo oret, sed non dico, id est, non præcipio, vt roget quis, vel quemadmodum est Græcè, vt roges. Nam quemadmodum supra diximus, nemo potest mereri alteri primam gratiam, nisi merendo illi bonum motum, & orare pro talibus, est orare pro re difficillima, sed nihilominus possunt conuerti, vt Paulus precibus Stephani, & Augustinus precibus matris. Quare sæpe est consilium orare pro talibus: tametsi pro Turca rarò sint qui orent. Quare Ecclesia, pro infidelibus non nisi in die Parasceue orat.

Expositio autoris.

Alia citata testimonia facillimè duobus modis exponuntur. Primò licet tres illi viri sancti orent pro populo, non impetrabunt: non est sermo de remissione peccati populi quoad culpam, sed quoad pœnam: quæ quidem remissa culpa iustè infligitur ad emendationem. Et locis citatis comminabatur Deus populo vastationem, & alias calamitates propter peccata. Et vt legitur 2. Reg. 12. Licet pepercerit Dominus culpam adulterij Dauid, puniuit tamen eum morte filij. Secundò verba illa Domini: Noli orare pro populo isto, & si steterint tres viri coram me, non audiam, &c. audienda sunt in sensu commiratorio, sicut illa Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies & Niniue subuerretur, hoc est, secundum præsentem iustitiam. Nam postquam Hieremiæ dixit cap. 14. Noli orare pro populo isto. & 15. si Moyses, & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum: statim eodem cap. propter orationem Hieremiæ nomine populi ait Dominus, si conuerteris conuertam te, & ante faciem meam stabis. Pari modo intelligitur illud Amos 1. & 2. cap. vbi ait Dominus, super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eũ. Ex quibus Hebræi, vt Lyranus refert, inferunt Deum semel, bisque peccanti indulgere, non autem ei qui ter, aut quater, aut pluries peccat. Intelligitur, inquam, quantum ad vltiones & flagella, quæ illic comminatur Damasco, & Tyro affligentibus populum Israël. Ait enim Deus quod si vnum aut alterum incursum fecissent aduersus populum, forsan ignouisset eis, sed quia pergebant bella multiplicare, disperdet eos. Quo ad culpam verò septuagies septies, vt est in Euangelio, conuersis pepercisset.

Satisfit aliis autoritatibus.

Amos 1. & 2.

Quòd si illud opposueris Prouerb. 1. tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Mane consurgent, & non inuenient me. Respondetur primò, vt suprà, quòd potest comminatio hæc intelligi quoad supplicia temporalia, quæ pro peccatis infliguntur, vt patet ex verbis præcedentibus. Quando venerit super vos tribulatio, & angustia, & repentina calamitas. Nam ad remittendas peccatorum pœnas non est necesse, vt semper Deus exaudiat. Secundò ad literam videtur illa comminatio aduersus serò pœnitentes posita; nam prædixerat: Quia despexistis consilium meum, ego in interitu ve-

Obiectio.

stro

ſtro ridebo. De ſerò autem pœnitentibus, diſt. 19. diſputabimus.

Vtrùm autem pœnitentia, non ſolùm omnia deleat peccata, ſed etiam in quocunque momento, an verò detur aliquod tempus, in quo id facere nequeat propter neceſſariam continuationem, vel peccati, vel contritionis di. 17. q. 2. de contritione examinabitur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſine pœnitentia peccatum remitti poſſit.

AD virtutem pœnitentiæ dignificandam non ſatis eſt noſſe omnia per ipſam deleri ſcelera, ſed perſcrutandum reſtat, vtrùm ſit ipſa omnino neceſſaria. Et ideo quæritur, vtrùm ſine pœnitentia peccatum per aliam virtutem, aut alio quouis modo remitti valeat. Ad quod interrogatum præmiſſa diſtinctione tribus concluſionibus reſpondetur. Quæſtio namque aut intelligi poteſt de pœnitentia quæ eſt ſacramentum, aut de pœnitentia virtute ſecluſo ſacramento.

1. Concl. Eſt ergo prima concluſio. Impoſſibile eſt peccatum actuale mortale cuipiam ſine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, quæ eſt virtus. Probatur. Peccatum eſt Dei offenſa: ergo eodem modo id Deus remittit, quo offenſam in ſe commiſſam: hanc autem ſine pœnitentia remitti eſt impoſſibile: ergo. Probatur minor. Offenſa directè opponitur gratiæ: ex eo enim quis cenſetur alteri offenſus, quòd ab eius gratia eſt repulſus. Hoc autem diſcriminis eſt inter gratiam Dei, & gratiam hominis, vt 1. 2. q. 110. art. 1. oſtenſum eſt, quod gratia hominis non efficit, ſed præſupponit bonitatem veram vel apparentem in homine, propter quam eum diligit: gratia verò Dei eſt cauſa bonitatis hominis, propter quam eum diligit: eo quòd bona Dei voluntas, quæ nomine gratiæ intelligitur, eſt vniuerſalis cauſa cuiuſcunque creati boni. Ob hoc ergo contingere poteſt, vt homo offenſam, qua offenſus eſt, hoſti remittat abſque alia eius voluntatis mutatione, quia fingit eſſe mutatum. Deo autem id non poteſt accidere, vt cuipiam abſque illius mutatione voluntatis offenſam remittat: quia tunc diligeret eum, quem bonum non efficit: offenſa verò peccati mortalis inde conſiſtat, quòd voluntas hominis eſt auerſa à Deo per aliquod commutabile bonum. Requiritur ergo ad remiſſionem diuinæ offenſæ, quòd voluntas hominis ſic mutetur, vt conuertatur ad Deum cum deteſtatione prædictæ conuerſionis ad creaturam, cum propoſito emendandi vitam, in quo quidem ratio virtutis pœnitentiæ conſiſtit.

2. Concl. Secunda concluſio. Abſque ſacramento pœnitentiæ, quod officio & abſolutione, ſacerdotis ligantis, & ſoluentis perficitur, poteſt Deus peccata remittere. Intellige abſque ſacramento non ſolum in re, verum etiam in voto. Probatur, quia Deus non habet ſuam poteſtatem ſacramentis ſuis alligatam. Quare Chriſtus, vt Lucæ 7. legitur, Magdalenæ abſque vllo ſacramento, quia tunc nondum erat ſub obligatione inſtitutum, peccata dimiſit.

3. Concl. Tertia concluſio. Nec tunc tamen eadem dimiſit peccata ſine pœnitentia virtute, vt Gregor. autor eſt in homilia. Per gratiam enim, inquit, ſcilicet per pœnitentiam, traxit intus, quam per miſericordiam ſuſcepit foris.

Expoſ. art. Quæſtio hæc de neceſſitate pœnitentiæ virtutis eſt eſt præcipua, ac perinde meditatè exiſtimanda. Diuus enim Thomas adeo affirmat eſſe neceſſariam exiſtentibus in peccato mortali poſt baptiſmum, vt impoſſibile cenſeat abſque illa Deum vlli peccatum remittere. Vnde cùm duplex ſit Dei potentia: ordinaria ſcilicet, & abſoluta, de vtraque eſt diſputandum. Veruntamen quantum ad legem ordinariam nemo catholicorum ambigere debet, pœnitentiâ virtutem eſſe neceſſariam. Haud enim ſolum vniuerſi ſancti Patres, verùm & vtraque ſacra pagina eam tanquam neceſſitrium peccatorum remedium celebrat, vt eſt illud hic citatum Hierem. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo, quod fecit, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei; ac ſi diciſſet: Alioqui nec ego peccata dimittam. Cui conſonat illud Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et Ezechiel. 14. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, &c. vita viuet. Quaſi dicat. Quamdiu non egerit pœnitentiam, manebit in morte. Et infrà, cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, & fecerit iudicium, ipſe animam ſuam viuificabit. Auerſio autem ab impietate motum voluntatis dicit, quo homo impietatem auerſatur & deteſtatur. Quæ quidem auerſio neceſſaria eſt ad conuerſionem, vnde inferius, conuertimini & agite pœnitentiam. Et Iohel. 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro. Quocirca Chriſtus prothema illud ſuæ prædicationis aſſumpſit, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Vnde Lucæ quinto: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Quaſi ad rem ſaluti neceſſariam. Quocirca Actuum tertio: Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, quaſi dicat, alioqui deleri non poſſunt. Tandem Chriſtus Lucæ 13. Niſi pœnitentiam, inquit, habueritis, omnes ſimul peribitis. Sanctorum verò Patrum teſtimonia innumera ſunt, neque poſt tam apertam ſcripturam ſacram recitatu neceſſaria. Plurima Gratianus de pœnitentia d. 1. congeſſit, vt can. Non omnis. & can. Non poteſt. vbi habetur, quod nemo poteſt gratiam Dei cæleſtis accipere ſine pœnitentia. Id quod plurimis ſubſequentibus confirmatur. Et tandem in cap. Firmiter de ſumma Trinit. & fid. Cath. ſola pœnitentia proponitur lapſis in remedium.

Teſtimonia ſanctorum.

At verò extat in foribus obiectio contra neceſſitatem pœnitentiæ, quòd ſacræ literæ plura alia ſubſidia connumerant ad remittenda peccata, quæ Cyrillus ſuper Leuit. & Origen. ibidem homil. 2. ad ſeptem referunt, quæ ſunt baptiſmus, & fides, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; Et charitas, 1. Petri 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Quinuero & de ſpe ait Paul. ad Roman. 8. Spe ſalui facti ſumus. Et eleemoſyna, Luc. 11. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et iniuriarum condonatio, Matth. 6. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Ad hæc autem & id genus alia reſpondetur, ſic iſta omnia cenſenda eſſe peccatorum remedia, vt nullum neque omnia ſine pœnitentia ſint ſufficientia. Primum enim fides, ſpes, charitas ſunt neceſſaria eo modo, quo qu. præcedenti art. 5. dictum eſt tanquam fundamenta pœnitentiæ. Quare nec fides, nec ſpes formantur niſi per charitatem, neque verò charitas exiſtenti in peccato eſt legitima, niſi cum deteſtatione peccatorum. Eleemoſyna vero, & remittere iniurias, ponuntur tanquam remedia in duplici ſenſu. Vno modo, quod multum peccatori conducunt, vt conuertatur, tum propter preces pauperum, & eorum quibus remiſſæ ſunt iniuriæ; tum quia cor emolliunt, & præparant, vt Deus ſingulariter opem adferens illud conuertat. Secundo poſt remiſſam culpam ſunt per modum ſatisfactionis remedia ad ſoluendas pœnas. Hoc 11. modo, vt legitur Eccleſ. 3. eleemoſyna extinguit peccatum. Et ſic illud intelligitur Daniel. 4. Peccata tua eleemoſynis redime.

Obiectio contra neceſſitatem pœnitentiæ.

Dilutio obiectionis.

Quomodo fides, ſpes, charitas, eleemoſyna, &c. ad remiſſionem pecc. concurrant.

De baptiſmo vero arguit D. Thom. primo loco. Non eſt minor virtus Dei circa adultos, quàm circa paruulos: ſed pueris peccata dimittit ſine pœnitentia: ergo etiam adultis. Et reſpondet in ſententia, quod baptiſmus quantum eſt ex primæua eius inſtitutione ad dimittendum originale peccatum, nullam exigit pœnitentiam, eo quod cum illud ſine propria voluntate committatur, abſque propria voluntate remittitur. Quare paruulis ante vſum rationis eiuſmodi culpa abſque vllo voluntatis motu condonatur. At vero adultis, qui originalem culpam mortalibus accumularunt, neceſſarius eſt pœnitentiæ motus, iuxta verbum Petr. Actu. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Nam vt ait ad id propoſitum Aug. Nemo adultorum poteſt vitam nouam inchoare niſi præteritæ pœnituerit. Vtrùm vero requiratur vera contritio d. 6. q. 1. art. 7. contra quoſdam contrarium cenſentes partem negatiuam pro captu noſtro ſtatuimus: nempe non requiri contritionem, ſed ſatis eſſe attritionem, per quam tollatur obex. Quinuero Caietan. ait hic, quod baptiſmus ſecum adfert virtutem pœnitentiæ, quia eſt inſtitutus in remiſſionem peccatorum, & ideo ſufficit adulto, vt fatendo ſe peccaſſe, ſubijciat ſe illi, vt per ipſum remittantur ſibi peccata: nam illa, inquit, ſubiectio & ſuſceptio baptiſmi eſt in virtute deteſtatio prioris vitæ. Et fortaſſe vera eſt eius opinio, tametſi non auderem omnino illam approbare: nam cum ad hoc propoſitum dixerit Auguſt.

1. Argu.

Caietan.

Teſtimonia ſacra.

neminem suæ voluntatis arbitrum posse nouam vitam inchoare, nisi præteritæ pœnituerit, colligitur vt formalis pœnitentia præteritorum requiratur. Quare Petrus duo distinguens, ait: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.

De charitate. An sine pœnit. ad salutem sufficiat.

At verò de charitate plusculum est difficultatis propter nonnullos qui videntur contrarium asserere. Scotus namque 2. senten. dist. 28. inter loquendum de præcepto charitatis ait, quòd voluntas per actum charitatis licet informem potest se disponere ad gratiam de congruo. Vnde nonnulli inferunt sine actu formali pœnitentiæ sufficere actum charitatis. Et alij, quos viua voce audiui, aiunt non sufficere quemlibet, sed egregium. Et arguunt ex authoritate Petri citata, Charitas operit multitudinem peccatorum. Et Luc. 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et Christus: Qui diligit me, diligitur à patre meo. Quibus accedit & ratio: nam pœnitentia propterea remittit peccatum, quia est illi contrarium: sed nihil est peccato tam contrarium quàm charitas: peccatum n. inimicitiam Dei parit, cui charitas contraria est: ergo charitas est pœnitentia virtualis, hoc est, parem habens virtutem.

Probatur affirm pars.

Contra hanc opinionem disputauimus lib. 2. de natura & gratia c. 16. Sed nunc lucidius tres conclusiones statuimus illic implicitas. Prima. Existenti in peccatis mortalibus, quæ vel habet in memoria, vel diligenti indagine in eam valet reuocare, nullus prorsus charitatis actus quantumcunq; egregius citra perpessum pro Christo martyrium sufficit ad salutem. Hanc profectò conclusionē sacra testimonia citata satis probant. Nam cùm in omnibus pœnitentia palam exigatur, tanquam finis necessarius ad salutem, glossare illa dicendo quòd sufficit virtualis pœnitentia, manifesta temeritas est. Pari enim modo vbi ait Paul. quòd sine fide impossibile est placere Deo, possent glossare sufficere fidem virtualem. Imò & dicere possent, quòd dare eleemosynam, & remittere iniurias esset pœnitentia virtualis: nam etiam illi actus pertinent ad charitatem, quod esset hæreticum. Secundò, vt eorum fundamentum eneruemus, charitas de se non est pœnitentia virtualis: nam vt per humana hæc visibilia inuisibilia intelligamus, quamuis ille, qui inimicum suum iniuria affecit, dicat, & verè dicat deinceps illum ex intimo corde dilecturum, & in omnib. ei morem gerere proponat, non propterea charitas illa virtute comprehendit pœnitentiam præteritæ iniuriæ. Nam cum illa dilectione stat, vt non eum iniuriæ illatæ pœniteat: sed quia animo suo iam satisfecit, vult esse deinceps amicus, alioquin non esset.

1. Conclu.

1. Probatio.

Heb. 11.

2. Prob.

3. Prob.

Et ad maiorem claritatem rationis arguitur tertiò. Dicere quod charitas sine formali detestatione præteritæ vitæ sufficiat ad salutem, nescio quomodo differat à Luthero in art. 6. & 7. condemnatis à Leone, dicente quod sufficit resipiscentia & noua vita. Lutherus n. solum negabat requiri actum formalem pœnitentiæ: nam quòd illa charitas in futurum esset pœnitentia virtualis, ipse non renuebat. Est ergo condemnatus ex eo quod non ponebat formalem detestationem præteritorum criminum Vnde Aug. lib. 1. de nuptijs & concupiscent. c. 26. exponens illud Ecclesiastici 21. quod ad rem præsentem vrgentissimè facit: Fili peccasti, non adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Si à peccando, inquit, desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret vt hoc nos scriptura moneret, Fili peccasti, non adijcias iterum. Non autem sufficit, sed addit. Et de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quapropter Tridentina synodus sess. 6. c. 6. & 14. expresse decreuit pœnitentiam non solùm continere cessationem à peccatis, verùm & eorum detestationem. Ob idque profectò non video quomodo defendi possit, quòd actus charitatis, citra martyrij perpessionem, sine formali pœnitentia sufficiat, præsertim cùm legitima pœnitentia debeat includere votum confessionis, quod sine peccatorum detestatione haberi non potest. Item quia qui dicit, charitatem esse pœnitentiam virtualem, dicere conuincitur, quòd etiam si tunc peccata occurrerēt memoriæ, non opus esset formali detestatione, quandoquidem iam habet sufficiens remedium: quod profectò absurdum esset concessu. Neque verò necesse est hanc labem Scoto impingere, sanè cùm ipse non asserat, nisi quod per actum charitatis homo disponitur. Et potest glossari, vel quòd vocat actum charitatis detestationem, vel quòd illum actum

Augustt.

Synodus Trid.

statim detestatio concomitatur, vel loquitur quando peccata ita sunt obliuioni tradita: vt non possint in memoriam reuocari. De quo casu statim dicemus.

Argu. diluitur.

Ad argumenta ergo in contrarium respondetur esse sophistica. Concedimus n. actum charitatis contrarium esse peccato, & quòd quicunque legitimè Deum diligit, vicissim ab ipso diligitur. Sed tamen qui est in peccato mortali, neutiquam citra martyrium habere potest legitimum actum dilectionis nisi detestando peccata. Nam cùm peccatum sit motus auersionis, non expellitur nisi per motum contrarium conuersionis. Quare licet peccatrici dictum sit dimissa esse peccata, quoniam dilexit multum, tamen eius lachrymæ fuerunt pœnitentiæ indices.

2. Concl.

De peccatis oblitis. Gabriel.

Secunda conclusio. Peccatori, qui sic est omnino peccatorum oblitus, vt facta diligenti indagine nequeat vllius eorum meminisse, non est necessarius actus pœnitendi, sed per actus alios charitatis veniam obtinebit. Conclusio est Gabrielis in 4. distin. 14. q. 1. art. 2. quæ nescio cur reprobetur. Nam quamuis pœnitentia, virtus sit per se necessaria ad remissionem peccati non solum necessitate præcepti, (de quo dist. 17. disputabimus,) imo necessitate finis: hoc tamen intelligitur, quando peccatorum vlla potest haberi memoria. Si enim quis eo quòd non facit diligentiam, non recordatur eorum, fateor sine pœnitentia nullum alium actum charitatis ei sufficere. Si tamen mere naturaliter est oblitus, vt in sua potestate non sit peccata recolere, neutiquam potest detestationem habere. Nam quorum homo non est memor, quomodo illa detestari potest? Si ergo tunc esset necessaria pœnitentia, tunc homo sine possibili remedio maneret. Tunc ergo ad remissionem huiusmodi oblitorum peccatorum sufficit quicunque actus charitatis, qui respectu illorum est virtualis pœnitentia, vt q seq. art. 1. apertis verbis D. Thom. affirmat. Quòd si dicas, debere tunc conteri in genere sub conditione si peccatum habeat, profectò non video cur ad hoc teneatur, postquam nullam habet peccatorum notitiam. Dicere autem quod tunc Deus adiuuabit vt recordetur, nullum prorsus habet fundamentum. Igitur quamuis illa obliuio peccatorum non sit remedium remittendi peccata, quoniam cum nullus actus intellectus ad id sufficiat, multò minus ignorantia, vel obliuio, tamen quicunque alius actus charitatis, ad quem Deus auxilio speciali concurrat, erit sufficiens. Et est planum exemplum de baptismo, nam licet sit per se necessarius ad salutem, nihilominus si daretur aliquis inuincibiliter ipsum ignorans, citra votum eius expressum posset in Deum conuerti.

3. Concl.

Tertia conclusio. Martyrium, quando eius subita oblatio actum pœnitendi impediret, sufficit sine pœnitentia ad salutem. Conclusio hæc non est mihi tam certa, quàm superiores, sed tamen multò probabilior, quàm contraria. Asserunt eam Scotus & Gabriel di. præsenti, quæst. 1. art. 3. sed tamen nimium absolutè, dicentes feruorem martyrij sufficere. Et tamen arbitror esse moderandam. Si ille, inquam, qui martyrio expositus est, inducias habet, vt possit peccata recolere, tenetur quidem. Verbi gratia, dum est in carcere. Imo si copia suppetit sacerdotis & temporis, confiteri tenetur (si singulare est confessionis præceptum in articulo mortis, de quo dist. 18. disputabitur.) Quod si tantum temporis non habeat, potest tamen habere dolorem in genere, ad id etiam obligatur: nam martyrium non aliter potest vicem pœnitentiæ supplere, quàm supplet vicem baptismi: non autem huius vicem supplet, nisi vbi eius copia haberi non potest. Si enim sub ipsum agonis articulum offerretur martyri baptismus, quem renuetet, re vera non esset orthodoxus martyr, vt dist. 3. artic. 11. assertum reliquimus. Pari ergo modo si tempus habet pœnitendi, & pœnitentiam renuit, contemptor est & virtutis & sacramenti, atque adeo tunc nullus feruor martyrij absque pœnitentia sufficiet. Sed faciamus hominem sic in martyrium rapi, vt atrocitas mortis eius occupet mentem: arbitror quod licet sit in peccato, dummodo non sit in eius actuali complacentia, aut proposito, illa perpessione martyrij obtinebit veniam apud Deum. Probatur. Martyrium, vt loco proximè citato latè elucidauimus, supplet vicem baptismi, vt patet tum aliorum Patrum testimonio, quos illic citauimus, tum & Augustini contra Donatistas, & refertur de consecrat. distinct. 4. can. Baptismi vicem. Cuius vtique Euangelica fundamenta sunt,

Martyrio necessaria est pœnitentia quādo eius se offert occasio.

illud

Digitized by Google

illud Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et Matthæi 10. Qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Et qui perdiderit animam suam (id est, vitam) propter me, in vita æterna inueniet eam: sed tam necessarius est baptismus ad remissionem originalis, quàm pœnitentia ad remissionem actualium, ergo pariter supplere potest pœnitentiæ vicem. Et confirmatur, quia, vt illic vidimus, tria distinguuntur ex æquo baptismata: scilicet fluminis & flaminis, quod est virtus pœnitentiæ & sanguinis, quod est martyrium: ergo quodcunque per se sufficit. Responderi autem per hoc potest discrimen, quòd baptismus non aliam dispositionem requirit, quàm non inuenire obicem contrarium. Martyrium autem per se dicit actum charitatis, vt S. Thom supra q. 66. art. 12. dixit, & contra Cresconium lib. 2. cap. 12. ostendit Aug. Quinuerò & Paul. 1. Corin. 13. Si corpus, inquit, meum tradidero ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: charitas autem in peccatore sine pœnitentia non est legitima.

1. Argu. At verò in contrarium est primum argumentum, quòd sicut baptismus non semper requirit actum charitatis ita nec martyrium, vt patet in Innocentibus ante vsum rationis occisis pro Christo, quos illic ostendimus fuisse martyres sine actu proprio charitatis.

Vnde quæst. proxima art. 1. bonum ducemus argumentum, quod dormientes in peccato etiam mortali, qui ante somnum non habebant actualem voluntatem peccato inhærentem, obtinebũt veniam. Nam hoc videtur S. Tho. in solutione secunda affirmare.

2. Argum. Secundo, vt hoc nunc intermittamus, dicimus, quod expositus martyrio in illo artic. habet legitimum actum charitatis, qui virtute includit pœnitentiam, licet illa non sit formalis. Quare contraria opinio principium petit, dum asserit legitimam charitatem in martyre non posse esse sine pœnitentia. Hoc enim est singulare priuilegium martyrij, quod per se est summa charitas & confessio Christi. Cùm enim dixit Christus: Maiorem charitatem nemo habet, &c. hanc asserit maiorem, etiam quàm illa quæ est detestatio peccatorum: quare martyrij charitas in illo articulo, quo totum hominis animum exposcit & absorbet, aliam non exigit, sed est summum holocaustum, quo se homo ex toto corde Deo tradit. Et est expressa sententia Chrysostomi serm. 29. de pœnitentia, vbi ait: Sicut in tenebris non est absque lucerna, lumen, sic non potest homo peccatum absque pœnitentia abluere. Atque hoc, inquit, de homine iam baptizato dicitur. Et subdit: Item lector intelligat martyrium pœnitentiæ præteriti non egere. Nam sicut lux diei non quærit lucernam, sic iustitia ante Deum (scilicet martyris) sine pœnitentia lucet. Vide quo modo martyrium tanto fulgore pœnitentiæ præfertur, quanto lux diei lucerna in tenebris fulgentior est.

Chrysost.

Obiectio. Quod si arguas. Baptismus ipse, cuius vicem martyrium supplet, aliquam pœnitentiam, vt supra diximus, requirit: ergo & actus martyrij. Respondetur, quòd dum martyr habet tempus memorandi peccata, detestari illa tenetur, sed si afflictio mortis, & feruor in Deum illam recordationem impedit, satis est vt homo se Christo sacrificet.

Dilutio.

Postremum arg. Postremum autem argumentum est, quòd casus iste, metaphysicus quibusdam videtur, vt homo tam repente rapiatur ad martyrium, vt non possit peccatorum recordari. Imò vt Chrysostomus homil. 4. de diuite & Lazaro ait, repentina mors extemplo memoriæ offert peccata prærerita, quod probat exemplo fratrum Ioseph Genes. 42. qui in afflictione positi statim dixerunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Et pueri in camino ignis, Danielis 3. peccata sua confitebantur. At mihi profectò non apparet nisi casus, qui vsu venire potest. Nam licet egregia facinora, vt illud in fratrem venditum, statim occurrant menti, occultiora tamen atque illa præsertim, quæ ex culpabili ignorantia præcesserunt, indagine egent, vt in memoriam redeant. Pueri autem apud Danielem diuino miraculo sustentabantur, vt pleno iudicio possent peccata, non tam sua quàm populi confiteri.

Aliud arg. ex historia Cypriani. Accedit & argum. pro nobis ex historia Cyprian. quem August. lib. 2. contra Donatistas ca. 5. probabilius existimat non deposuisse errorem suum de baptizandis hæreticis vsque ad mortis articulum. Et tamen cap. 18. ait errorem illum ab illo recompensatum fuisse, & passionis falce purgatum. Nam quamuis dici possit, quòd non fuerit pertinax in errore, & ideò ante martyrium fuisse in gratia, sed quòd per illud fuerint illi remissa supplicia, si propter defensionem erroris illa demeruerat: Nihilominus licet vsque ad mortis articulum fuisset in culpa, modò non haberet voluntatem in errore obstinatam, sed se Deo commendaret, per illud fuisset saluus. Quare Ecclesia non aliud fuit perscrutata, vt in catalogum sanctorum illum referret, quàm quòd fuit martyr.

Obiectio. Quòd si quis dicat. Saltem martyr tenetur in agone habere dolorem in genere, & misericordiam petere.

Dilutio. Respondetur primò, quòd ille dolor in genere, quando homo non est memor alicuius peccati, neque in genere peccasse, non est propriè pœnitentia: quoniam neminem propriè pœnitere potest eorum, quæ nullatenus se fecisse meminit. Et ideò talem actum potius appellarem charitatis & amoris filialis quàm formalis pœnitentiæ. Secundò respondeo, quòd positus in agone martyrij, nisi peccata sua sponte occurrant, consultius faciet attentionem ad martyrium applicando, qui est actus fortitudinis, quàm ad peccatorum recordationem: videlicet, vt cor satagat diuino amore inflammare, vt strenuè mortem pro Christo oppetat. Non enim de martyribus legitur, quòd sub illum articulum peccata plangerent, sed quòd curarent animum contra terrores mortis coarmare.

Martyrij singulare priuilegiũ. Sed tandem admonuerim, vt hoc priuilegium nemo cogitet ad alios actus quantumuis feruentes charitatis extendere: quia est singulare perpessi martyrij, quo se homo Deo sacrificat. Neque vero feruori desiderij martyrij, vt putat Scotus, id tribuerim, quando martyr non est in actu passionis: desiderare enim martyrium absque formali pœnitentia non sufficit, sed illud perpeti: nam tunc duntaxat homo actu confitetur Christum, & animam pro eo ponit, cui hoc priuilegium adscribitur.

Dubium. An pœnit. sit necessaria quantũ ad propositum emendandi vitam. Ad hæc adhibenda est alius dubij decisio, vtrum pœnitentia non solum quantum ad detestationem peccati sit formaliter necessaria, vt expositum est, verùm quantum ad propositum emendandi vitam. Quam quæstionem recentiores quidam nobis offerunt. Maioris enim dist. præsenti. quæst. 1. ait non esse necessarium propositum actuale cauendi à peccatis in posterum, sed sufficere non velle, hoc est, non habere propositum peccandi. Et quidam iunior in suo codice de pœnitentia tractatu 1. quæst. 3. ait non esse tale propositum expressum necessarium: quia virtualiter includitur in detestatione peccatorũ præteritorum quatenus offensa Dei sunt. Et quidem prima fronte sic appatet: nam ait S. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 2. propria obiecta pœnitentiæ sunt peccata præterita, & 1. 2. q. 113. art. 5. solum ait in iustificatione impij requiri vnum motum in Deum, atque alium qui sit peccati detestatio.

Opinio Maior.

Refutatio opinionis. Sed nihilominus opinio hæc nec vera est, nec tuta, neque in populum euulganda. Primò, quia nullus vnquam antiquorum sic ausus est loqui. Nam Alex. 4. par. q. 69. memb. 9. & Durand. dist. 17 quæ. 2. & omnes dicunt requiri propositum, neque vllus fingit propositum virtuale. Et plana id ratio docet: nam vt supra q. præcedenti art. 3. declarauimus, propria ratio pœnitentiæ est ex timore filiali sic vindicare delicta, vt vita emendetur. Vnde ait ibidem S. Thom. quòd pœnitentia est detestatio offensæ Dei cum emendationis proposito. & art. 5. subdit, quòd timor filialis necessarius ad pœnitentiam, est quo quis emendam Deo voluntarius offert. Idque præsenti ar. repetit, quod homo conuertitur in Deum per detestationem conuersionis ad creaturam cum proposito emendæ. Et quæst. sequenti art. 1. ad 2 ait quòd requiritur, vt homo proponat abstinere ab omnibus & singulis peccatis mortalibus. Igitur cùm finis pœnitentiæ sit emendatio vitæ, sit vt si detestatio requiritur formaliter, propositum etiam formaliter exprimatur, vt Magister Sentent. dist. præsenti expressè ait. Et Ambros. dicens quod pœnitentia est malè acta plangere, & plangenda iterum non committere, hoc est, firmum habere propositum. Vnde Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit præcepta mea, vita viuet. Quinuerò nomen ipsum conuersionis hoc planè sonat, vt suprà diximus. scilicet recessum ab vno termino, putà à bono creato, ad quod homo per peccatum formali-

Digitized by Google

ter se conuertit,& accessum ad Deum, à quo per peccatum recesserat. Et ideo Iohelis 2. Conuertimini, inquit, ad me in toto corde vestro: conuersio autem ad Deum actum formalem dicit in ipsum. Ac demum confirmatur: quia dum nos conuertimur ad Deum, ipse conuertitur ad nos, iuxta illud Zachariæ 1. Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos: Deus autem amore positiuo ad nos conuertitur, quo nos amplexatur: ergo & nos debemus in ipsum conuerti per actum formalem obedientiæ, quo proponamus à peccatis cauere. Quando ergo Sanctus Tho. ait solum requiri detestationem peccatorum, ibidem intelligit propositum etiam ab illis in posterum cauendi.

Exponitur D. Th.

Argum. fallacia.

Sed ecce fallacia contrariæ opinionis. Dum quis verò, inquit, detestatur peccata tanquam offensam Dei, detestatio illa virtualiter includit propositum cauendi illa in futurum: ergo non requiritur aliud expressum. Respondetur autem ad antecedens, quòd eiusmodi detestatio propterea dicitur vera, quia gignit propositum cauendi in futurum. Et in hoc sensu virtualiter includit propositum. Sed si illud non pariat, non est vera: quia cum abhorrere præterita, & cauere futura diuersi sint actus, neuter includitur in altero, licet vnum sequatur ex altero, si alterum sit legitimum. Extat inter homines exemplum. Contingere potest, vt aliquem pœniteat irrogasse iniuriam alteri, & tamen non proponat in futurum cauere: quare pœnitentia præteriti de se non includit propositum futuri, sed quando est legitimum illud germinat. Colligimus ergo quòd pœnitentia est detestatio formalis præteritorum peccatorum cum proposito emendandi vitam. Atque hæc est necessaria post baptismum ad remittendum peccatum mortale. Quomodo autem sit in præcepto, videbimus dist. 17. quæst. 2.

Summa dictorum superiorum.

Aduersus illos, qui vulgari lingua disciplinas tradunt.

Non ergo sana est illa quorundam contritionis definitio, quòd sit detestatio actualis vel virtualis peccatorum. Atqui si hæc censura mihi in eos licet, qui tum vitæ integritate, tum doctrina insigniuntur, tum etiam de me profecto optimè sunt meriti, quos ideo ex animo & suspicio & diligo, non possum non ægerrimo animo ferre, quod res scholasticæ, eædemque in viscetibus philosophiæ & theologiæ reconditæ, & vtriusque iuris materna lingua in vulgus edantur. Putant enim isti optimi autores plebi sic bene consultum, & tamen, præter quàm quòd scientiarum maiestatem & autoritatem extenuant, sexcentas occasiones errandi indocto vulgo offerunt. In vulgo autem pono quàm plurimos plebanos, qui vix Latinè sciunt, atque adeò nec scholastica verba, quantumcunque vulgari lingua eis proponantur. Adde quòd scientiarum mysteria, nisi in scholis doceantur, propterea quòd lingua vulgari edantur, non sunt opificibus & rudibus hominibus patentiora quàm Latinè. Quare consultius esset, vt ignorantes ad doctores dubia sua deferrent, qui viua voce eis responderent, quàm illis idiomate vulgari eadem porrigere. Quod ergo in summa Nauarri aliàs docta Hispanè scripta statim in principio proponitur: videlicet, contritio est pœnitentia voluntaria, dolorosa, grandissima, actualis seu virtualis, non debuisset, vt bona venia dixerim, vulgo proferri. Nam quomodo opifices, imò rurales sacerdotes intelligere possunt, quid est virtualis pœnitentia? Statim colligent sufficere, vel eleemosynam, vel orationem loco pœnitentiæ, præsertim quod illa particula, virtualis, apud nullum antiquorum reperitur. Imò cùm omnia testimonia supra citata scripturæ absolutè exigant pœnitentiam, temeritas est aliter populum docere: & de hoc deberet confessarius puniri, si aliter pœnitentem doceret, quàm quòd debeat expressè detestari peccata, expresseque propositum habere emendandi vitam. Sed & dum ait, grandissima, nisi adsit viuæ eiusdemque doctæ vocis explicatio, offendiculum indoctis ponet. Hactenus de lege ordinatia, secundum quam constituti sumus est, pœnitentiam esse ad salutem necessariam, sine qua actuale peccatum non remittitur.

Contritionis definitio reprobatur.

Omnipotentia Dei absoluta.

Sed quid de omnipotentia Dei absoluta? Vtrùm possit Deus sine virtute pœnitentiæ peccata mortalia dimittere: nam quòd id possit sine sacramento, citra controuersiam S. Thom. secunda conclusione constituit. Quidam enim etiam ex discipulis S. Tho. metuentes quicquam ab absoluta Dei potentia excipere, aiunt non esse credibile, vt cùm ait in præsentiarum impossibile, intelligat de potentia absoluta. Sed re vera S. Tho. intelligit impossibile esse de quacunque Dei potentia peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, aliàs non simpliciter diceret, impossibile. Item quia ponit discrimen inter virtutem pœnitentiæ & sacramentum, dicens quòd sine sacramento Deus potest remittere peccatum, & tamen absque illo in re vel in voto non potest de potentia ordinaria, sed de absoluta, quemadmodum Christus per potestatem excellentiæ remisit paralytico, & Magdalenæ: ergo sine virtute intelligitur per nullam potentiam Deum id posse.

Et ideò tanquam certa statuitur hæc conclusio, quæ quamuis prima facie dura videatur, fiet intelligenti liquida. Sed tamen ad eius intellectum præmosse oportet, quid sit remitti peccatum. Ad quod rursus perpendendum adnotandum est, quid maneat in peccatore transeunte peccato. Scotus namque dist. 14. q. 1. recitat vnam opinionem, quam falsissimè sui sequaces D. Thom. impingunt, quoniam nullibi eam somniauit. Videlicet, quòd nihil aliud maneat, quàm reatus culpæ, quæ non est nisi obligatio ad pœnam debitam illi culpæ, quæ sit relatio realis. Sed hac opinione, quantum ad id reprobata, quòd asserit esse relationem realem, subdit opinionem suam, quòd scilicet sit relatio rationis, nempe reatus culpæ; non est aliud, quàm obligatio ad pœnam. Sed dicitur rationis relatio, quatenus homo est obiectum intellectus, & voluntatis Dei obligantis ipsum ad supplicium. Et ab hac, inquit, relatione homo dicitur peccator. Vnde esse in peccato, est esse ordinatum ad pœnam, iuxta illud Augustini super Psal. Beati quorum remissæ sunt iniquitates; vbi ait, quòd Deum peccata videre est ea ad pœnam imputare, auertere autem faciem à peccatis, est ea ad pœnam non reseruare.

Conclusio.

Quid in peccatore transeunte peccato maneat.

Scoti opinio.

Illatio 1.

Ex hoc infert secundò offensam Dei non esse aliud, quàm eius iram volentis vindicare peccata. Quare de potentia eius ordinaria non remittuntur peccata sine illa vindicta.

Illatio 2.

Tertiò tandem ad nostrum propositum infert, quòd de potentia absoluta Deus potest remittere peccata sine pœnitentia: quia remittere non est nisi velle non punire Et clarum est, quòd potest peccatorem liberare à pœnis inferni.

Illatio 3.

Ac subinde d. 16. q. 2. infert quartò, quod Deus potest peccata remittere sine gratiæ infusione, sicuti è cõuerso primam gratiam infudit angelis in eorum creatione absque remissione culpæ. Neque solum intelligit sine infusione qualitatis, quæ est gratia, quia nec de hoc nos dubitamus, sed absque eo quòd faciat hominem gratum. Nam sicut potuit hominem creare in puris naturalibus sine peccato, & gratia: ita potest peccatori peccata remittere, constituendo illum in eo statu, vt non sit peccator nec gratus. Subscribunt in suam sententiam Gabriel dist. 14. atque alij iuniores. Et vt istorum opinionem corroboremus, arguitur præterea. Deus posset sceleratissimum hominem suis flagitijs etiam sordentem ad suam recipere beatitudinem: ergo tunc remitteretur peccatum sine pœnitentia & gratia. Ac demum arguitur. Peccatum in solum Deum committitur, iuxta illud Psal. 50. Tibi soli peccaui. creditor autem, & præsertim Deus, qui bonorum nostrorum non indiget, potest debitori debita condonare, & inter debita peccatoris vnum est contritio, ergo absq; illa potest peccatum remittere.

Illatio 4.

Refellitur Scoti opinio.

Attamen salua reuerentia, quæ Scoto debetur, primum eius fundamentum etiam in foribus apparet esse falsum. Quis enim sibi persuadere possit, vt hominem esse peccatorem, non sit aliud, quàm esse obligatum ad pœnam? Arguitur enim sic primo. Reatus ad pœnam est effectus culpæ: nam quia homo peccator est, damnatur ad supplicium: prius ergo natura est hominem esse in culpa & peccato, quàm destinari ad pœnam. Secundò euidentissimè arguitur. Quamuis per impossibile Deus nullum supplicium peccatoribus statuisset, neque infernum scilicet, neque purgatorium, imò quamuis neque esset gloria, à qua expellerentur, nihilominus facere contra diuinam regulam & voluntatem, peccatum esset, ergo esse in peccato, non est formaliter ordinari ad pœnam. Imò vero qui in inferno torquentur, quotidie peccant, iuxta illud Psalm. 73. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper: & tamen non ordinantur ad nouam pœnam.

1. Argum.

2. Arg.

Tertio. Ordinari ad pœnam licet sit malum hominis, est tamen bonum iustitiæ, cuius Deus est causa, sed esse in peccato nullatenus est bonum, cuius vtiq; Deus non est causa, sed solus homo; ergo absurdum est dicere,

3. Argum.

Digitized by Google

4. Argum.

cere, quòd ordinari ad pœnam sit esse in peccato. Quartò denique res explicatur. Esse in peccato est terminus huius quod est peccare, sicut esse in tenebris, est terminus huius, quod est tenebrescere, peccare autem est deuiare à diuina regula, & à Deo auerti, ergo esse in peccato nihil aliud est, quam esse deuium & auersum à Deo. Quocirca licet verum sit, quòd transeunte peccato nihil maneat in peccatore nisi relatio rationis, qua homo est obiectum diuinæ voluntatis, non tamen est relatio, qua homo ordinatur ad pœnam, sed illa, qua odio habetur inuisusque est, & inimicus Deo, quamuis lege ordinatia inde sequatur, vt condemnetur ad pœnam. In summa, vt art. 4. patebit, esse in peccato pertinet ad inimicitiam, sed esse damnatum ad pœnam pertinet ad iustitiam. Et hoc est valde notandum tanquam certissimum fundamentum materiæ pœnitentiæ.

Notandum fundamentum.

Ex qua sit secundò, quod offensa Dei non est illa ira, qua ordinat hominem in pœnam, nam illa virtus est & perfectio Dei: offensa autem est malum ab homine Deo illatum. Quare offensa si accipiatur actiuè, est actus ipse peccandi: passiuè vero, est illa relatio rationis in Deo, qua dicitur ab homine iniuriam accepisse.

Ex his ad propositum colligitur tertio, Deum peccata dimittere, non esse non velle punire: nam licet nunquam eum, vt dictum est, statuisset velle punire, maneret in peccato: sed est eum in suam gratiam reuocare. Quapropter vt art. 4. videbimus, post remissum peccatum quoad culpam, sæpenumero remanet reatus ad pœnam purgatorij. Enimuero esse in peccato, & esse in gratia formaliter opponuntur, vt duo ex natura sua contraria.

Obiectio.

Quod si arguas. Contraria mutuo se expellunt actiuè, hoc est, per se immediatè, sicut frigus calorem peccatum vero non expellit gratiam actiuè, hoc est, immediatè, sed demeritoriè: etenim vt homo per virtutem non immediatè producit gratiam, sed meretur vt illum Deus faciat sibi gratum: ita per peccatum non actiuè & immediatè illam expellit, sed meretur vt Deus pellat illum à sua gratia. Item, quia contraria sunt in eodem subiecto: peccatum vero est in voluntate, & gratia secundum S. Tho. in essentia animæ. Ad hoc respondetur cum Caietano in præsenti loco. Aliud est quippe peccare, aliud esse in peccato: peccare n. est actus contrarius charitati, quæ est in voluntate: quare effectiuè expellit charitatem: offendere namque Deum, directè opponitur huic, quod est ipsum diligere: sed demeritoriè corrumpit gratiam: nam quia homo agit contra charitatem eius, illum expellit à sua gratia. Sed tamen esse in peccato, non est nisi esse in macula; quæ, ait S. Tho. 1.2. q. 86. nihil aliud est quàm carentia gratiæ, quæ est lux & nitor animæ: quare est esse hominem priuatum gratia, atque adeò inuisum Deo, &c. Ac perinde remitti peccatum, & resilire à peccato, est redire in gratiam.

Nota solutionem.

Obiectio ex Scot.

Sed arguit in contrarium Scotus. Si macula peccati, & esse in peccato, non est nisi priuatio gratiæ, sequitur quòd nullus sit magis peccator quàm alius: quia priuatio non recipit magis aut minus: neque vllus esset in pluribus peccatis quam alius: quia priuatio illa non est nisi vna. Respondetur, quòd macula non est duntaxat priuatio gratiæ, sed eiusmodi priuatio respectu suæ causæ, quæ est conuersio voluntatis hominis ad bonum commutabile: illo enim tactu sordidatur anima. Vnde sicut qui nitidus est quo plura sordida tangit, eò magis sordescit: ita quò quis sæpius aut grauius peccat, magis gratiæ lumine & nitore priuatur.

Habemus ergo, (quod nemo rem attentè speculatus negare potest) quòd Deum homini peccatum remittere, non est pœnas illi condonare & relaxare: hoc enim est relaxare rigorem iustitiæ, sed est ipsum in suam gratiam reuocare, qui est actus amicitiæ. Non dico non posse Deum remittere culpam quin infundat qualitatem, quæ est gratia: nam etsi lege ordinaria illam infundat, tamen per pœnitentiam solutam potest sine illa qualitate facere hominem sibi gratum. Sed dico quòd sicut homo ita intrinsecè est animal rationale, vt Deus per nullam potentiam possit facere hominem non rationalem: ita Deum remittere mortale peccatum, aut originale, est hominem, quem inuisum habebat & oderat, charum sibi facere & gratum.

Hoc supposito, vt ad nostram conclusionem descendamus, cordatissimè animaduertendum est discrimen, quod D. Thom. hic inter Deum & homines constituit, nempe quod homo possit alium diligere, licet non sit bonus, sed apparet bonus, quia decipi homo potest: imò quamuis neque appareat bonus, si habeat aliquam rationem delectabilis, vel vtilis. Deus autem nec per suam omnipotentiam potest quicquam diligere nisi bonum. Cùm enim sit ipsa per se bonitas, & voluntas, & bonitas sint eadem essentia, est implicatio contradictionis, vt voluntas feratur nisi in id quod suus intellectus ostendit ei sub ratione boni: & quia falli non potest, necesse est vt illud sit verè bonum, eo gradu quo diligitur, imò diligendo facit bonum. Vt diligendo solem facit eum lucidum, & diligendo arborem, facit eam viuere, & diligendo brutum, facit id sentire. Quare in creatione mundi quicquid faciebat, vt ait historia, videbat esse bonum. Mittamus tamen illas dilectiones rerum temporalium, & loquamur de illa quæ absolutè dicitur dilectio Dei, qua scilicet angelos & homines ad suam beatitudinem destinat. Hac ergo non potest hominem aut angelum diligere nisi sit iustus & bonus, alioqui implicat contradictionem, vt sit sibi gratus: imò diligendo eum facit iustum & gratum.

Deus non nisi bonum diligit.

Argum.

Hoc igitur ex his colligitur argumentum, Deum mortale aut originale peccatum hominis remittere, est ipsum in suam gratiam & amicitiam reuocare: in gratiam autem & amicitiam Dei hominem reuocari impossibile est per omnem potentiam, nisi sit bonus & iustus: bonum verò & iustum impossibile est hominem adultum fieri, nisi voluntatem, quam habet à Deo auersam, in ipsum conuertat, quod per solam peccati detestationem, quæ est pœnitentia, fieri potest: ergo omnino est impossibile Deum cuipiam mortale peccatum remittere nisi per pœnitentiam. Paruuli verò ante vsum rationis, quamuis etiam per nullam potentiam Dei possint in gratiam reuocari, quin fiant iusti & boni, tamen quia originale non propria voluntate commiserunt, possunt absque proprio etiam motu à Deo iustificari.

Responsio ad contr. argum.

Ad argumen. ergo in contrarium conceditur posse Deum sine pœnitentia condonare peccatori pœnas, & ipsum nolle punire. Negatur tamen consequentia, ergo potest illi remittere peccata sine pœnitentia: quia remittere peccatum, non est remittere pœnas, sed facere hominem gratum. Imò verò fortassis peccatori potest Deus conferre gloriam de potentia ipsius absoluta permanente in peccato. Quanquam qui hoc negauerit, non longè aberrabit à vero: quia bonitati Dei repugnare videtur, vt ad illam fœlicitatem inimicum admittat: sicuti è conuerso misericordiæ eius repugnat, vt eum, cui remisit culpam, in inferno cruciet. Sed tamen illo dato, id non esset recipere eum in gratiam.

Pariter ad aliud respondetur, quòd potest Deus sine pœnitentia condonare peccatori omne debitum, scilicet omnem pœnam, quam in satisfactionem & castigationem debet. Contritio verò plus habet, quàm rationem debiti: nam debitum solum dicit id quod est sub præcepto: contritio verò est præterea intrinsecè necessaria necessitate finis ad salutem.

Postremum autem argumentum putant aliqui inuincibile, quo arguebatur, posse peccatum remitti sine hoc, quòd homo fiat Deo gratus per hoc, quòd maneat in puris naturalibus. Sed illud D. Thom. 1.2. q. 113. art. 2. facit, & egregiè soluit. Arguit siquidem. Quando sunt duo contraria mediata, potest vnum remoueri sine alio: potest, inquam, album tolli licèt non fiat nigrum, sed maneat rubeum: gratia vero & peccatum sunt contraria mediata: nam potest dari homo in puris naturalibus sine peccato & gratia: ergo sicut gratia primo angelo & Adæ fuit infusa sine expulsione peccati, potest vice versa existenti in peccato illud remitti sine eo quod fiat Deo dilectus. Negat D. Thom. optimè consequentiam: nam plus, inquit, requiritur, vt offendenti Deum remittatur culpa, quàm vt existens in naturalibus non habeatur odio. Potest enim apud homines contingere, vt vnus alium nec diligat, nec odio habeat: sed tamen qui offensam & iniuriam ab alio accepit, non potest illam ei remittere absque speciali beneuolentia: nam hoc, quod est remittere, est beneuolentia: ergo licet possit esse homo in naturalibus sine odio & beneuolentia Dei, tamen postquam homo est in peccato, non potest Deus illud remittere sine sua ipsius Dei beneuolentia: beneuolentia

autem

autem Dei nihil est aliud quam sua gratia, atque adeo absque eadem gratia non potest fieri remissio.

3. Argu. Contra hoc tamen facit tertium argumentum S. Thom. Maior est misericordia Dei quam misericordia hominis, sed homo nonnunquam remittit offensam & iniuriam sibi illatam non pœnitenti: imò id Dominus Matth. 5. mandat dicens: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos: ergo & Deus multo magis dimittit suam offensam impœnitentibus. Negatur consequentia: nam hominem remittere offensam, non est nisi remittere satisfactionem, quam Deo relinquit: diligere autē eum, qui est in peccato non licet, nisi procurando illum in viam reducere, quod homo quidem diligendo efficere non potest. Et ideo misericordia Dei est maior, qui diligendo hominem facit eum iustum & bonum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm possit per pœnitentiam vnum peccatum sine alio remitti.

QVIA dictum est per pœnitentiam omnia dimitti, nec sine illa vllū posse remitti, restat tertia combinatio, vtrùm per illam possit vnum sine alio remitti. Et respondet D. Thom. vnica conclusione. Impossibile est, per pœnitentiam vnum peccatum sine alio remitti. Quam probat tribus rationibus. Prima, ex parte gratiæ Dei, per quam peccatum tollitur: nam vt 1. 2. q. 113. art. 2. definitum est, & modò art. præcedenti explicuimus, nullum peccatum remittitur sine gratia: omne autem peccatum contrariatur gratiæ, & excludit eam modo proximè expositō: ergo impossibile est vnum peccatum dimitti, quin omnia tollantur. Secunda sumitur ex parte pœnitentiæ peccatoris: peccatum enim mortale, vt offensum est, non nisi per veram pœnitentiam remitti, valet: vera autem pœnitentia est peccatum abijcere quatenus est cōtra Deum, quod est vniuersis peccatis mortalibus commune: neminem ergo legitimè pœnitere potest vnius peccati, nisi quem omnium in vniuersum pœnitet: cui enim peccatum quatenus offensa est contra Deum displicet, omnia simul displicent: impossibile est ergo vnum peccatum sine alio per pœnitentiam remitti. Tertiò, quia remittere vnum sine alio perfectioni repugnat Dei misericordiæ, cuius, vt Deuteronomij 32. cap. legitur, perfecta sunt opera: vnde cuius miseretur, in integrum miseretur: colligitur ergo, vt in libro de pœnitentia legitur, quòd quædam impietas infidelitatis est, ab eo qui iustus & iustitia, ad dimidiā sperare veniam. Et confirmatur conclusio sentētia Augustini in eodē lib. si suus est, & refertur can. Sunt plures. de pœnitentia dist. 3. vbi ait. Sunt plures quos pœnitet peccasse, sed non omnino, reseruantes sibi quædam, in quibus delectentur: non animaduertentes Dominum simul mutum & surdum à dæmonio liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanare.

Conclusio. Ratio. 1. Ratio 2. Ratio 3.

Exposi. art. Conclusionem præsentem nemo est qui dubitet, sed tamen sunt, etiam ex nostris, qui formidantes cunctentur eam de potentia Dei absoluta affirmare: cùm tamen planè S. Thom. hunc sensum faciat. Imò maior (si maior esse potest) implicatio contradictionis est Deum vnum posse peccatum mortale sine omnibus dimittere, quàm peccatum remittere sine gratia, hoc est, sine eo quòd hominem sibi faciat gratum, quod omnino impossibile monstratum est. Et hoc apertè omnes rationes S. Tho. demonstrant: impossibile enim est Deum vllum peccatum mortale, aut originale remittere, nisi hominem in suam gratiam reuocando: cum ergo gratum habere hominem nequeat nisi iustum, & iustus nemo esse possit si in peccato originali aut quocunque mortali persistat: repugnat vnum absque omnibus remittere. Imò consultò non restringit conclusionem ad mortale & originale, insinuās fortassis, quod neque vllum veniale per pœnitentiam remittitur sine alio: nam si pœnitentia legitima est venialis culpæ quatenus feruorem charitatis remittit, in omnia venialia ferri debet, in quibus eadem est ratio. Quamuis per feruorem charitatis possit remitti vnum veniale, cui homo non adhæret absque alio, cui adhæret, vt quæst. proxima videbitur.

Argum. Contra hanc autem conclusionem arguere quis potest de peccatis oblitis. Apparet namque neminem absolui per formam sacramenti, nisi à peccatis, quæ confessus est: si ergo pœnitens quorundam obliuiscitur, ab illis non absoluitur. Vnde videtur colligi, quòd aliqua remittantur sine reliquis. At verò argumentum nullas aduersus cōclusionem vires habet. Primum, quia modo loquimur de remissione per pœnitentiam virtutem, per quam quidem si sit legitima contritio, etiam in genere antequam fiat singulorum indagatio, fit omnium remissio. Secundò, quia etiam in confessione, qui ex sua culpa (quia non fecit sufficientem indaginem) non est omnium memor, neque ab oblitis, neque ab ijs quæ confessus est, absoluitur. Si tamen absque sua culpa quorundam est oblitus, gratiam recipit, atque adeò omnium remissionem. Quare non est necessaria disputatio, an absoluatur ab oblitis necne. Quamuis vt dist. 18. videbimus, dicendus est absolui ab illis, non formaliter, quia non sunt confessa, sed extensiuè: & consecutiuè, quia absoluitur persona, absoluitur ab omnibus: licet si postmodum in memoriam redierint, sint necessario confitenda, vt illic apparebit.

1. Argū. Primum argumentum S. Thom. est. Legitur Amos 4. Plui super vnam ciuitatem, & super alteram non plui: pars vna compluta est, & pars, super qua non plui, aruit. Quòd exponens Grego. † super Ezechiel. & refertur de pœnitentia di. 3. can. Plui. dicit, Cùm ille, qui proximum odit, ab alijs vitijs se corrigit, vna eademque ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida manet: quia sunt qui cum quædam vitia resecant, in alijs graiter perdurant: ergo potest vnum peccatum per pœnitentiam sine alijs dimitti. Negatur consequentia: quia verbum Gregorij solùm intelligitur de cessatione: potest enim ille, qui plurimis intinctus est vitijs, à quibusdam cessare, etiam si ab alijs non desistat. Quod fit quidem auxilio Dei, & etiam quandoque speciali, sed tamen non illo quo fit vltima dispositio ad gratiam. Et ideo neque ab illis à quibus cessatur fit remissio.

† Homil. 20. circa medium. & 14. in Euang.

2. Argum. Secundò arguitur. Super Psam. Beati immaculati, ait Ambros. † & refertur cano. Prima consolatio. de pœnitentia dist. 3. Prima consolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus: secunda per punitionem, vbi etsi fides desit, pœna satisfacit & releuat: potest ergo aliquis releuari ab aliquo peccato manente peccato infidelitatis. Negatur consequentia: posset autem dupliciter responderi. Vno modo, quod Ambr. loquatur de fide catholica, & sentiat quòd secunda consolatio Dei sit dum peccatorem etiam infidelem castigat in hoc mundo, quæ quidem castigatio est satisfactio quædam & releuatio. Sed tamen hæc solutio sustineri non posset: quia qui est in peccato, vt dist. 19. videbimus, nullatenus satisfacit apud Deum, atque adeò nec ei releuatur pœna futuri seculi. Et ideò optimè respondet S. Thom. quòd Ambro. non loquitur de fide catholica: nam cui illa deest, in peccato existit, iuxta illud Ioan. 15. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: sed accipitur pro conscientia. Quare sensus est, quòd secunda consolatio est punire hominem in hac vita, per quas pœnas patienter toleratas satisfacit homo pro peccatis remissis, quoad culpam, etiam si illorum homo conscientiam non habeat, eò quòd fuerint sine culpa sua oblita: quare releuantur ei pœnæ purgatorij.

† In Psal. 118. sermone 18. initio tom. 4.

3. Argum. Tertiò arguitur. Eorum quæ non se necessariò consequuntur vnum potest esse sine alio, sed peccata, vt 1. 2. quæst. 113. articu. 1. monstratum est, non sunt vt virtutes connexa, quia non committuntur secundùm accessum ad rationis regulam, sed secundùm recessum ab illa, qui potest infinitis modis contingere, sicut lineæ exeūtes à centro: ergo vnum peccatum potest remitti sine alio. Negatur consequentia, quia licet non sint connexa, quatenus sunt conuersiones ad bonum commutabile, qua ratione potest esse vitium auaritiæ sine vitio prodigalitatis, & vitium iniustitiæ sine vitio carnis, nihilominus sunt connexa quatenus sunt auersiones ab vno incommutabili bono, scilicet Deo. Et ideo nisi peccator ad ipsum conuertatur omnia relinquēdo, nullius potest obtinere veniam.

4. Argū. Quartò. Peccata sunt debita, quæ nobis relaxari petimus, cùm dicimus in oratione Dominica, Et dimitte nobis debita nostra: sed homo potest vnum debitum sine alio cōdonare: ergo & Deus. Posset quis negare consequentiam propter dissimilitudinem inter hominem & Deum. Doctiùs tamen San. Tho. respondet distinguendo minorem: nam licet ex debitis externarum rerum, quæ amicitiæ non opponuntur, possit

creditor

creditor debitorum partem sine alia parte dimittere, tamen ex illis quæ sunt contra amicitiam, vt puta ex iniurijs & offensis, neque inter homines remittitur vnum sine alio. Ridiculum enim videretur, vt quis rogaretur, vt esset alteri amicus quantum ad aliquam iniuriam, & non simpliciter.

Quintò denique arguit. Deus per suam dilectionem peccata remittit, secundum illud Hieremiæ 31. In charitate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te miserans: sed potest Deus hominem quantum ad aliquid diligere, quem odio habeat quantum ad aliud: diliget enim hominem quantum ad bonum naturæ, odio tamen habet quantum ad culpam: ergo pariter potest remittere vnum peccatum sine alio. Negatur consequentia: nam Deus naturam hominis diligit ordinando ipsam ad bonum gloriæ, non quatenus natura est, sed quatenus est in gratia, à qua per quodcunque peccatum impeditur. Sed diligit eum, quantum ad esse naturale, cui non repugnat peccatum. Dilectio verò gratiæ, per quam fit remissio peccati mortalis, hominem in vitam æternam ordinat, secundùm illud ad Rom. sexto. Gratia Dei vita æterna. Hæc autem ordinatio fieri nequit, nisi omnium simpliciter fiat peccatorum remissio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum remissa culpa per pœnitentiam remaneat reatus pœnæ.

CVm tam plenam potestatem pœnitentiæ tribuerimus, meritò quæritur, vtrùm adæquetur baptismo, qui pœnas omnes cum culpis remittit, an verò remissa culpa, aliquem pœnarum reatum relinquat. Ad quod Sanct. Thom. quinque conclusionibus respondet. Tribus scilicet præambulis, ex quibus duas elicit quæstioni respondentes. In peccato enim mortali, vt 1.2.q.87. ostensum est, sunt duo: scilicet auersio ab incommutabili bono, & peruersa conuersio ad bonum commutabile.

1. Concl. Est ergo prima conclusio. Ex parte auersionis à Deo consequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur.

2. Concl. Secunda. Ex parte etiam conuersionis ad bonum commutabile inquantum est contra rationis ordinem, consequitur etiam peccatum mortale reatus alicuius pœnæ: quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iustitiæ, nisi per pœnam, vt etiam ciuilis nos respublica docet. Iustum est enim, vt qui voluntati suæ plus induisit, quàm debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur, sic enim erit æqualitas, iuxta illud Apocal. 18. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.

3. Concl. Tertia conclusio: Pœna hæc, quæ debetur ex parte conuersionis ad creaturam, non est ex genere suo æterna: quia cum eiusmodi conuersio non sit infinita: quia nec obiectum est malum infinitum, pœna illi non debetur per se infinita, neque intensione, neque duratione. Ex quo fit, vt si eiusmodi conuersio non esset auersio a Deo, non deberetur ei pœna infinita: quare peccatis venialibus non debetur nisi temporalis.

4. Concl. Ex his colligitur quarta conclusio. Per pœnitentiam simul cum culpa remittitur reatus pœnæ æternæ. Probatur, quia cum per gratiam pœnitentiæ remittatur culpa, fiatque conuersio in Deum, tollitur auersio atque adeò reatus pœnæ, quæ auersioni respondebat.

5. Concl. Colligitur pariter quinta conclusio. Potest remissa culpa per pœnitentiam manere reatus alicuius pœnæ temporalis.

Circa quar. 5. conclu. dubium. De quarta conclusione cum suis præambulis probationibus nemo est qui ambigat. Peccato namque mortali duplex debetur pœna, scilicet, pœna damni, quæ est priuatio Dei, & pœna sensus, quæ consistit in cruciatibus. Et prior respondet peccato: qua ratione auertit à Deo, habet enim auersio hæc quandam rationem infinitatis ex termino, quia est elongatio ab infinito bono, atque adeò quodam modo est infinita. Et eadem ratione, qui sic elongatur, meretur perpetuò esse ab illo exclusus, carereque perpetuò eius præsentia & conspectu. Quare suapte natura est pœna infinita. Et hæc est conclusio catholica expressa in Euangelio Matth. 13. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ex expresse cap. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et Luc. 16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. Quo nomine Ecclesia intelligit perpetuum carcerem. Tametsi, vt Augustin. in Enchiridio refert, non defuerint, qui adstruxerint comminationes istas ad terrorem esse factas. Quapropter negabant vlla fore æterna supplicia, allegantes illud Psal. 79. Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas? Sed est hæresis pernicioßissima. Deus enim non obliuiscitur misereri in hac vita, si homo sui ipsius non obliuiscatur. Sed tamen post mortem vbi ceciderit lignum, vt habetur Ecclesiast. 11. illic erit. Igitur cum per pœnitentiam homo conuertitur in Deum, tollitur illa æterna pœna damni, eo quod tollitur auersio. Eidem autem peccato ratione obiecti, quod cum non sit illa ratione infinitum malum, quia nullum est in creaturis infinitum, debetur pœna sensus, sed non exigit infinita supplicia mensiue secundum quantitatem obiecti, iuxta illud Deutero. 26. Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus. Vnde maior pœna debetur homicidio, quàm furto, & longè acerbior hæresi: quare in inferno vt nulla est infinita intensiuè, ita neque per se esset infinita duratione. Sed hoc habet ratione auersionis, & inimicitiæ damnati dæmonis vel hominis. Etenim quia nulla est inter hominem & Deũ iustitia propriè, nisi fundetur in amicitia, consequitur vt inimico sic infligat pœnam, vt illa nunquam habeat satisfactionis rationem: nam satisfactio est opus amici, & ideo existentes in inferno nunquam supplicia persoluunt.

Circa quintam conclusionem. Hinc ergo colligitur quinta conclusio, quòd cum homo per peccatum læserit & amicitiam Dei & iustitiam, fit vt quamuis per pœnitentiam amicitiam recuperet, nihilominus ratione iustitiæ soluere pœnas debeat ad iustum, non quidem in inferno, sed vel spontaneas in hoc seculo, vel in purgatorio inflictas. Vide quam à vero dissentiat opinio Scoti dicentis, remittere culpam non esse aliud quàm remittere pœnam. Et conclusio etiam in seculari politia vsu comprobatur. Qui enim alteri iniuriam intulit, licet dum de iniuria veniam petit amicitiam conciliet, remanet tamen damni debitor ratione iustitiæ. Hanc theologi appellant commutationem pœnæ æternæ in temporalem. Sed tamen impropriè dicitur commutatio: melius namque dicitur, quòd ratione conuersionis desinit esse æterna.

Lath. error. Atqui conclusio hæc certissima est vniuersis catholicis, sed vnus Lutherus fuit, qui illam pestilentissimè abnegauerit, dicens quòd homini iusto post remissam culpam nullius prorsus reliqua sit satisfactionis necessitas. Nam cum Christi meritum fuerit infinitum, atque adeò passionis eius efficacia infinita, & cuicunque dum sit eius membrum applicetur, nihil illi restat soluendum: nam illa satisfactio Christi imputatur ei, ac si ipse eam fecerit. Vnde infert, quod nos exigentes alias satisfactiones iniuriam irrogamus Christo, ac si sua satisfactio non sufficerit. Ex hoc venenato fonte innumeri eius pestiferi errores dimanarunt. Negando enim necessitatem satisfactionis, quæ est tertia pars pœnitentiæ, negauit purgatorium, quamuis de hoc lubrice fuerit locutus, vt suo loco dicemus. Abiecit Ecclesiastica ieiunia, irrisit pœnitentias sacris canonibus decretas: execratus est indulgentias, quas vocat iniquissimos quæstus. In summa Christianos hac securitate desides reddidit & ignauos ad fructus pœnitentiæ proferendos. Huic autem disputationi non vacat modò locus, neque verò est eius proprius, sed dist. 19. vbi de satisfactione per omnes eius numeros dicendum nobis restat. Interim ergo satis est articulum hunc esse ei condemnatum à Leone. Et est inter eius articulus quintus. Et de purgatorio, artic. 4. & 37. Atqui est apertissimus locus 2. Reg. 13. quem hic pro catholica veritate adducit D. Thom. vbi legitur, quòd cùm Dauid pœnitentia ductus dixisset ad Nathan: Peccaui Domino. Respondit ei propheta: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Non morieris. Veruntamen filius qui natus est tibi, morte morietur, (videlicet in pœnam flagitij & sceleris quæ patrauerat.) Subditur enim, Quamobrem non decedet gladius à domo tua vsque in sempiternum. Simile habetur Num. 14. vbi oranti Moysi, vt dimitteret populo idololatriæ scelus, respondit Dominus, Dimisi iuxta verbum tuum. Attamen omnes, qui tentauerunt me, non videbunt terram, pro

Error Lutheri condemnatus.

qua iuraui patribus eorum. Et in Euangelio Matth. 3. Ioan. facite fructus dignos pœnitentiæ, j. non solum mente pœnitentiam, verùm etiam exteriùs satisfactionis opera, vt quemadmodum ad Rom. 6. ait Paulus, sicut exhibuit peccator membra seruire iniustitiæ & iniquitati: ita iustus factus eadem exhibeat membra seruire iustitiæ. Et purgatorium insinuans, ait 1. Corint. 3. quòd multi saluabuntur, sed quasi per ignem. Quapropter vt 2. Mach. 12. legitur, Sancta cogitatio est pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Hæc autem exactiùs loco citato differentur.

1. Argu. Argumenta penè hæreticorum S. Tho. dissoluit, est enim primum. Remota causa remouetur effectus: culpa autem est causa reatus pœnæ: ideò enim peccator est dignus pœna, quia culpam commisit: ergo deleta per pœnitentiam culpa, nullus manet reatus pœnæ. Respondetur ad minorem, quòd cùm peccatum duo habeat, scilicet auersionem à Deo, & conuersionem ad bonum creatum: auersio vt 1.2. quæst. 87. visum est, habet se vt formale: nam formalis ratio culpæ est auerti à Deo. Remota ergo causa formali remouentur species, vt sublato rationali tollitur species humana. Quare per hoc dicitur simpliciter tolli culpam, quod tollitur auersio per pœnitentiam, sed tamen non tollitur omnino inordinata conuersio ad creaturam, pro qua ideo debetur reatus pœnæ temporalis.

Argu. 1. contra solutionem. Sed contra hanc solutionem sunt argumenta. Primum, quòd cùm conuersio ad creaturam verè sit culpa ratione auersionis, & per pœnitentiam nulla remaneat ratio culpæ, sit vt nec remaneat conuersio illa, atque adeo nec reatus pœnæ. Secundò arguunt hæretici. Remissa culpa homo manet amicus Dei: sæuus autem censetur amicus qui amicum pro iniuria cruciat, quam illi iam pepercit. Respondetur, ad primum, & est notanda solutio, quòd Sanct. Thom. non ait manere inordinatam conuersionem, vt hic bene ait Caietanus, quatenus est vitium & culpa, sed quod manet inordinatio eius, quia non prorsus est per iustitiam reordinata quousque fiat plena satisfactio. Vt patet exemplo supra posito. Potest enim qui alium læsit, in amicitiam eius recipi, manente iustitia læsa quousque reficiatur debitum: quare non est contra legem amicitiæ ab amico id petere quod debet. Hæc enim est differentia inter castigationem inimici & amici, vt S. Th. 1.2. q. 87. art. 9. sapienter adnotauit, quod inimicus castigatur inuitus, amicus verò spontaneus debet soluere: & sic iustus post pœnitentiã sua sponte in hac vita satisfacit, & in purgatorio non resistit, sed patienter fert ignem.

Arg. 2. contra eandem. *Solutio primi.* *2. Argu. Rom. 5.* Secundò arguitur. Donum Christi, vt ait Paul. fortius est quàm peccatum: sed peccando homo simul incurrit culpam & reatum pœnæ: ergo multò fortius per gratiam simul deletur vtrumque. Argumentũ est etiam hæreticorum, sed tamen consequentia nulla est. Gratia enim vt 1.2. q. 111 monstratum est, diuiditur in operantem & cooperantem. Et quidem remissio culpæ & reatus pœnæ æternæ pertinet ad gratiam operantem: quia, vt suprà dictum est, illud fit gratis sine nostris meritis. In iustificatione enim impij prius natura infunditur gratia pœnitentiam informans, quàm actus noster sit vera contritio. Sed remissio pœnæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem inquantum homo per liberum arbitrium æquanimiter ferendo pœnas satisfacit iustitiæ: soluiturque à reatu temporalis pœnæ. Quare licet vterq; effectus sit per gratiam, præcedit tamen effectus gratiæ operantis: & deinde subsequitur effectus gratiæ cooperantis cum libero arbitrio. At non videtur solutio planè argumento satisfacere, nam si donum Dei, qualis est gratia, sit fortiùs quam peccatum: cur non simul vtrumque effectum extinguit, quem peccatum vno momento fecit? Respondetur, defectum esse non ex parte gratiæ, sed ex parte liberi arbitrij: nam remissio culpæ, quia est effectus gratiæ, in instanti fit. Sed alter, qui fit ex merito liberi arbitrij informati gratia, fit secundum quantitatem motus eiusdem liberi arbitrij. Ex quo sequitur, quod tantus esse potest animi feruor & conatus, vt vnico actu contritionis tollatur cum culpa totus reatus pœnæ. Et ideo S. Tho. non dixit in quinta conclusione, quòd sit necessarium remanere reatum pœnæ, sed quod potest remanere. Quòd autem illi deest, per subsequentia opera est reficiendum. Sed arguitur, quod prima contritio totum deleat. Illa prima, quæcunque sit, necesse est vt aliquam partem deleat pœnæ: nam postquam, vt expositum est, informatur gratia, aliquid habet satisfactionis: ergo subsequens actus quantumcunque remissus auferet quantumcunque fuerit residuum pœnæ. Nam cum multò sit maioris virtutis pœnam æternam tollere, quàm quantamcunque temporalem: si prima tollit æternam, quæcunque secunda absterget totam temporalem. Atque ex hoc rursus arguitur. Prima contritio habet duas partes secundum intentionem, sed vna sufficit ad tollendam totam pœnam æternam: ergo aliqua ad tollendam totam pœnam. Respondetur, quod comparatio fieri debet inter ea quæ sunt eiusdem generis: culpa autem & pœna sunt diuersi generis: & remittere pœnam æternam non per se conuenit actui satisfactorio, sed quia per ipsum remittitur culpa. Et ideo non sequitur, quòd actus, qui sufficit ad remissionem pœnæ æternæ, sufficiat semper ad remissionem totius pœnæ temporis.

Argum. *3. Argu.* Tertium verò argumentum est hæreticorum Achilles. Remissio peccatorum fit in pœnitentia per virtutem passionis Christi, secundùm illud ad Ro. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum: sed passio Christi fuit sufficienter satisfactoria pro omnibus peccatis, non solùm nostris, vt ait Ioan. sed etiam totius mundi: ergo post remissionem culpæ nullus manet reatus pœnæ. *Solutio.* Ad argu. verò conceditur minor in hoc sensu, quod passio Christi fuerit sufficiens ad tollendum omnem culpam & pœnam. Et ideo dicitur quantum ad sufficientiam infinita. At verò quia causa non sortitur effectum nisi applicata, fit vt secundùm modum applicationis habeat effectum quantum ad efficaciam. Vnde in baptismo, quia est instrumentum passionis Christi, quo tribuit mortuis vitam, non per actus recipientis, qui sint materia ipsius sacramenti, sed totaliter per sacramentum ceu per suum instrumentum, quo regeneramur in nouam vitam commorientes cum ipso, plenariè homo consequitur virtutem passionis eius, & ideo remissionem totius pœnæ, ac si illic homo in satisfactionem suæ culpæ moreretur. In pœnitentia verò non communicatur nobis virtus passionis Christi, nisi secundùm actus nostros qui sunt materia sacramenti, sicut aqua in baptismo: & ideo secundum eorum modum recipimus pœnarum missionem, qui est effectus gratiæ cooperantis libero arbitrio. Et ideo non semper vnus solus actus sufficit, sed plures requiruntur.

ARTICVLVS V.

Vtrum remissa culpa mortali tollantur omnes reliquiæ peccati.

PECCATVM non solum reatus pœnæ concomitatur, verùm & quædam debilitates subsequuntur, quæ dicuntur reliquiæ. Et ideo quæritur, vtrùm illæ per pœnitentiam tollantur. Et respondetur similiter, vt in præcedenti art. duabus conclusionibus. Prima est. Nihil prohibet, quin remissa culpa remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus effectæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ. *1. Concl.* Probatur, quia peccatum mortale ex parte conuersionis inordinatæ ad bonum commutabile, cui homo peccando afficitur, quandam dispositionem in anima efficit: & si frequentiùs iteretur, etiam habitum in illud obiectum inclinantem: culpa autem, vt dictum est, mortalis remittitur inquantum per gratiam tollitur auersio mentis à Deo: sublato autem eo, quod se habet ex parte auersionis, vt modò dicebamus, id nihilominus remanere potest, quod ex inordinata conuersione accidit homini: & ideo sicut reatus pœnæ, ita & reliquiæ remanere possunt.

2. concl. Secunda conclusio. Remanent autem debilitatæ & diminutæ, ita vt homini non dominentur, & hoc magis per modum dispositionum, quàm per modum habituum: veluti post baptismum remanet fomes.

Expos. art. Reliquiæ istæ peccatorum sunt vel dispositiones, vt ait S. Thom. quæ frequentatis actibus crescunt in habitus, & istæ sunt inclinationes in peccatum. Imò esse possunt languores & debilitates corporis, nam per vitia potissimum carnis & iracundiæ, etiam complexiones corporis mutantur, vnde grauedo nascitur & furor. Quare istæ non solum per pœnitentiam, sed nec per baptismum ab homine adulto corruptorum morum susceptum absterguntur: nam habitus acquisiti in viro iusto permanent, & non nisi contrario exercitio eradicantur. Quo vtique exercitio & animi vires irrobo-

rantur.

Digitized by Google

rantur. Quod autem ait post baptismum relinqui fomitem, intelligit non tantum in adultis, verùm & in paruulis, quæ est sensualitatis pronitas ad bona sensibilia, non expectato rationis ordine. Optimè hoc Origenes homilia 8. super Leuit. inter differendum de sex plagis illis, quæ Leuit. decimotertio, numerantur, tractat per similitudinem ad corporum vulnera: vt enim in corporibus vix vulnera tam exactè curantur, quin cicatrices relinquant, quæ vestigia sunt & indicia curati vlceris: sic in animo vsu venit. Id quod in confusionem & opprobrium nostrum audire debemus, nam quod natura non sufficit in corpore, deberet humana libertas, insignibus Dei auxilijs & subsidijs suffulta in anima præstare. Et tamen multò difficiliùs cicatrices morborum spiritualium, quàm corporalium prorsus abolentur. Vnde Hierem. 8. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Accedit ex Euangelio illud Mar. 8. de cæco per Christum illuminato, qui primo restitutus est ad imperfectum visum: quare aiebat: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde restitutus est perfectæ sanitati, ita vt clarè perspiceret omnia. Post primam ergo remissionem culpæ, qua homo restituitur ad visum spiritualem, adhuc remanent in eo reliquiæ peccati præteriti.

Origenes.

Simile.

Extrema vnctio.

Et quia huiusmodi reliquiæ semper, vel in totum vel in partem, remanere timentur vsque in mortem, ad earum expurgationem institutum est sacramentum extremæ vnctionis, vt Ecclesia per Christum abundè instructa nihil prætermittat, vt hominem ex hac luce proficiscentem perpurgatum mittat ad cælum. Expurgatio namque quantum ad omnem pœnam si in hac vita non fuit perfecta, in purgatorio, vt dictum est, perficitur.

1. Argu. † Cap. 9. tom. 4.

Arguit nihilominus primo loco S. Thom. Nunquam Dominus, vt Augustl. libro de pœnit. † autor est, quempiam sanauit, quem non prorsus in integrum liberauerit: totum enim hominem, vt legitur Ioann. 7. sanum fecit in sabbatho, quia corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione: sed reliquiæ peccati ad infirmitatem peccati attinent: ergo nullæ relinquuntur. Respõdetur, quòd Christus in miraculis sæpissimè puram ostendebat Dei virtutem, quæ à tempore non pendet, & ideò subitò perfectissimam sanitatem infirmis præstabat, vt socrui Petri, de qua legitur Luc. 4. quod statim surrexit ad ministrandum. Et iacenti ad piscinam Ioann. 5. quem resumptis totis viribus iussit tollere grabatum suum. Quandoque verò, vt se ostenderet naturæ Dominum, quæ temporis successu operatur, paulatim eandem operabatur salutem, vt in illo cæco Marci vlti. Pariter ergo in spiritualibus quandoque de repente, & culpam, & pœnam, & omnes reliquias abstergit, vt de Magdalena Luc. 7. legitur. Quandoque vero per gratiàm operantem remittit culpam, & per cooperantem progressu temporis pœnas.

2. Argum.

Secundo arguitur. Bonum autore Dionysio quarto capitulo de diuinis Nominibus efficaciùs est quàm malum: quia non agit nisi in virtute boni: sed per peccatum simul homo totam infectionem contrahit: ergo & per pœnitentiam totam perfectionem. Iam ad simile argumentum suprà responsum est, sed nunc præterea negatur minor: quia nonnunquam non per primum peccatum incurritur tota infectio, sed per consuetudinem generantur habitus.

3. Argum.

Tertiò arguitur. Opus Dei efficacius est quàm opus hominum: sed per exercitium humanorum operum ad bonum tolluntur reliquiæ peccati contrarij, ergo multo magis tolluntur per remissionem culpæ. Respondetur, quòd vnico actu humano non tolluntur habitus & reliquiæ peccati, quia vt habetur in prædicamentis, prauus ad meliores exercitationes deductus ad modicum aliquid proficiet, vt melior sit, sed exercitio multiplicato fit homo virtute acquisita studiosus. Id quod multò efficacius facit diuina gratia, siue vnico, siue pluribus actibus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ.

IN calce demum quæstionis quia pœnitentiæ tributum est peccata remittere, quæritur de modo, vtrùm sit vera causa, ita vt remissio sit eius proprius effectus. Ad quòd respondetur duabus conclusionibus. Prima est bimembris. Remissio culpæ est effectus pœnitentiæ secundùm quod est virtus, principaliùs tamen secundùm quod est sacramentum Probatur. Pœnitentia est virtus secundùm quòd est principium humanorum actuum, quibus peccata detestamur, actus verò humani, vt suprà dictum est, materialiter se habent in sacramento pœnitentiæ: quia sunt eius materia sicut aqua in baptismo: omne autem sacramentum producit effectum suum, non solum ratione formæ, sed etiam ratione materiæ: quia vt supra diximus, ex vtraque parte constat. Colligitur ergo, quòd sicut remissio culpæ fit in baptismo, non solùm virtute formæ, verum & virtute materiæ, scilicet, aquæ, principaliùs tamen virtute formæ, ex qua ipsa aqua virtutem suscipit, vt suo loco expositum est, ita etiam & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, scilicet, sacramenti, principaliùs quidem virtute formæ ratione clauium, quas ministri habent applicantes formam, secundariò autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, quatenus eiusmodi actus ordinantur ad claues Ecclesiæ sicut materia ad formam, quia per ipsos pœnitens clauibus subditur.

Conclusio.

1

Secunda conclusio trimembris, Sacramentum concurrit ad remissionem culpæ tanquam causa instrumentalis; gratia verò, per quam Deus formaliter culpam abstergit, tanquam causa magis principalis, sed actus pœnitentiæ quatenus est effectus eiusdem gratiæ.

2. Concl.

Articulus hic propter modos prioris & posterioris inter pœnitentiam & gratiam & remissionem culpæ nonnihil habet obscuræ perplexitatis. Sed tamen superioribus intellectis liquidus est. Primum ergo notandum, quòd quæstio non mouetur de pœnitentia, vt est sacramentum, nam dict. 1 satis monstratum est omnia sacramenta conferre gratiam, vel augmentum eius. Quare cùm per gratiam peccatum remittatur, manifestum fit, quod sicut baptismi effectus est remissio originalis, ita pœnitentiæ sit remissio actualium. Sed quæstio est de pœnitentia virtute. Hæc autem bifariam consideratur. Vno modo per se antequàm ordinem vllum haberet ad sacramentum pœnitentiæ, vt in lege naturæ antequam esset institutum, & altero modo vt est pars materialis sacramenti pœnitentiæ, atque vtroque modo Sanct. Thom. sentit remissionem peccatorum esse effectum pœnitentiæ virtutis.

Expositio articuli.

Atqui conclusio hæc, vt lector perspectè animaduertat, non tanquam opin. S. Thom. aut scholastica amplectenda est, sed tanquam Catholica, quæ ex conclusione secundi articuli, qua assertum est pœnitentiam esse necessariam, manifestè colligitur. Nam pœnitentiam virtutem resonant omnia illa sacra testimonia, vt Hiere. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam, hoc est, remittam illis peccata. Et Ezechie. 14. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et Christus: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Et Actuum tertio: Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Itaque hæc & similia omnia testimonia faciunt sensum causalem, vt pœnitentia sit verè causa remissionis peccatorum. Quare hæc causalis veritas est in sensu proprio. Quia peccatorem suorum criminum pœnitet, remittuntur ei: sicuti illa, † Remissa sunt illi peccata multa, quoniam dilexit multum, dilectione scilicet, qua sua est peccata detestata. Quapropter conclusionem hanc negare in sensu proprio profectò erroneum esset. Sed tamen si virtus pœnitentiæ consideretur tanquam materia sacramenti, inde sumitur noua ratio quam facit S. Tho. scilicet quòd sicut aqua baptismi instrumentaliter est causa gratiæ qua remittitur originale: sic contritio absolutione informata est causa gratiæ, qua remittuntur actualia. Ex quo fit, quòd isto facto non est causa meritoria: nam prima gratia, vt dictum est suprà, non cadit sub merito, sed est causa tanquam pars sacramenti operantis ex opere (quod aiunt) operato.

Concl. Art.

Sacra testimonia.

Responsio.

Luc. 7.

Vt autem res clarior fiat, loquamur dum quis digito Dei tactus per veram contritionem absque sacramento iustificatur. Scotus distin. 14. q. 2. art. 2 ait contritionem dupliciter concurrere ad remissionem peccati. Vno modo vt est dispositio prævia, atque altero, vt est concomitans remissionem. Et primo modo concurrit vt informis, & secundo modo, vt informata per gratiam. Et hæc est opinio fere commu-

Nota.

Digitized by Google

nis. Sed tamen non attingit punctum, nam priori modo non est propriè causa, postquam non est meritum de condigno, alioqui remissio fieret ex meritis nostris, quod esset Pelagianum. Et secundo modo non asserit esse propriè causam: nam causa prior natura est suo effectu: & tamen ipse non dicit quòd contritio sit prior remissione, sed concomitans. Si autem sentiret, quòd contritio formata concomitatur tempore remissionem, legitimus esset sensus. Et hunc docet hic S. Thom. & est verissimus.

1. Dubium. Sed emergunt hic duo dubia, quæ rem clarius explicant. Primum oritur ex concessione ipsius doctoris supra art. 4. ad secundum. vbi optimè asseruit, quòd remissio peccati quoad culpam est effectus gratiæ operantis: gratia verò operans est quæ antecedit motum liberi arbitrij: virtus autem pœnitentiæ est motus liberi arbitrij: ergo remissio peccati non est ei tanquam eius effectus tribuenda, sed soli gratiæ.

1. Argu. Et hoc est imprætentiarum primum argumentum S. Thomæ, vbi ait, quod pœnitentia est principium humani actus, qui cum causa esse non possit gratiæ operantis, per quam remittitur peccatum, non potest esse causa remissionis. Doctè Caietanus sanè intellectus respondet ad mentem S. Thom. Gratia enim operans non ideo sic dicitur, quia operatur omnino sine motu liberi arbitrij: imò in adulto gratia nihil operatur nisi mouendo liberum arbitrium. Sed dicitur gratia operans, quia ipsa præuenit liberum arbitrium mouendo illud, per cuius motum ipsa operatur.

Quidam aiunt liberum arbitrium respectu gratiæ operantis merè passiuè se habere, sed profectò non est neganda etiam eius actio, nam auxilium speciale facit liberum arbitrium consentire motioni Dei. Et ideo motus ille liberi arbitrij tam in Deum per fidem, quàm in peccatum per pœnitentiam producitur simul & à libero arbitrio, & à gratia, quæ eodem instanti infunditur. Et hoc expressè ait in responsione S. Thom. dicens, quod gratia per motum liberi arbitrij remittit peccatum. Vnde vt supra art. 2. diximus, quatenus est à libero arbitrio non est meritorium, sed dispositio materialis ad gratiam. Quare in genere causæ materialis est prior quàm gratia, & tunc non habet esse contritionis, etiam si sit de offensa Dei. Sed quatenus procedit à gratia, est posterior cum ipsa gratia, & prior in genere causæ efficientis quàm remissio peccatorum. Nam gratia sicut operatur per fidem & charitatem infusas, sic per actum pœnitentiæ infusæ operatur ad remissionem peccatorum. Et hæc est verissima theologia, neque adeò difficilis, quin eam mediocris philosophus facilè intelligat. Quapropter dicere quòd virtus pœnitentiæ sit causa remissionis peccati materialis, non est ad propositum: quia illa ratione non est simpliciter virtus, cum non procedat à gratia, nec simpliciter causa, quia nullam habet rationem meriti, sed actus pœnitentiæ inquantum effectus gratiæ: vt ait D. Thom. in calce articuli, est causa efficiens remissionis. Attamen principalior causa est gratia, quæ per ipsam virtutem operatur.

Argum. Contra hoc autem est argumentum commune, quod articulo quinto præcedentis quæstionis tetigimus. Causa debet esse prior effectu, sed contritio non est prior remissione peccatorum: ergo non est causa. Probatur: quia contritio, vt expositum est, sonat actum virtutis informatum gratia, quare gratia est prior illo actu: remissio autem est prior quàm gratia, quia nemo est Deo gratus, nisi cui remissa sunt peccata: ergo de primo ad vltimum remissio est prior

Solutio. quàm actus pœnitentiæ. Respondetur, quod in genere causæ efficientis, & ex parte agentis, prior est gratia & actus contritionis formatus quàm remissio peccati: nam Deus per gratiam, quæ operatur per pœnitentiam, remittit culpam. Sed tamen in genere causæ materialis ex parte subiecti recipientis prior natura est remissio culpæ quàm infusio gratiæ, atque adeò quàm actus formatus pœnitentiæ: quia nisi anima careret peccato, non reciperet gratiam. Et miror cur quidam dicant hanc esse iuniorem opinionem. Est enim expressum argumentum & expressa responsio S. Thom. 1.2. q. 113. ad primum argumentum. Cuius sunt exempla in naturalibus de aëre intrante aperienteque fenestram, cuius introitus est prior quàm apertio in genere causæ efficientis, & apertio vice versa prior in genere causæ materialis. Atque idem accidit calori dum inducitur in aquam, & gradui frigoris per ipsum inde expulsio. Quæ quidem exempla suprà qu. proxima artic. 6. copiosius declarata reliquimus.

Ex quo colligitur secunda conclusio. Arguit enim S. Thom. argumento, Sed contra, volendo probare, quòd pœnitentia virtus non solum sit causa remissionis peccatorum, sed quòd sit præcipua. Illud enim est propriè causa alterius, sine quo alterum esse non potest, effectus enim dependet ex sua causa, sed remissio culpæ potest esse à Deo sine pœnitentia virtute, vt patet primùm in lege naturæ antequam essent instituta sacramenta, & modò per solum sacramentum in voto: ergo virtus pœnitentiæ est præcipua causa. Et respondet concedendo esse causam, sed negando esse præcipuam: quia actus pœnitentiæ nunquam est causa remissionis, nisi quatenus pœnitentia est inseparabilis effectus gratiæ. At solùm concludit, quòd gratia est principalior causa quàm sacramentum, sed forma sacramenti principalior quàm materia, scilicet pœnitentia. Sunt autem qui dicant gratiam, quæ est effectus sacramenti, nunquam esse priorem contritione, quæ est pars eiusdem, eo quòd totum sacramentum est causa eiusdem gratiæ. Et ita distinguunt de accedente ad sacramentum. Si enim accedat attritus, tunc attritio illa simul cum forma sacramenti est prior quam gratia, quia totum sacramentum est causa gratiæ. Si verò accedat contritus & in gratia, tunc contritio non est causa gratiæ primæ, sed augmenti. Attamen licet in vtroque membro bene dicant, tamen non inde negandum est, quin gratia sacramentalis nonnunquam sit prior vera contritione, quæ est pars sacramenti: nam cùm S. Thom. hic loquatur de vera virtute pœnitentiæ, nequaquam loquitur de attritione, vtpote quæ non est vera virtus infusa, vt supra dictum est, sed de vera contritione. Et hanc ait esse inseparabilem effectum gratiæ, quare gratia prior est illa, etiam vt est pars sacramenti. Casus ergo sic est constituendus, *Casus.* quòd quis tunc primò in puncto absolutionis habeat veram contritionem, quæ simul cum forma absolutionis producat primam gratiam. In illo enim casu verificatur etiam, quod inquantum procedit à libero arbitrio est prior quàm gratia, & instrumentum producendi illam: sed inquantum informatur eadem gratia est posterior & vera contritio. Itaque sacramentum est instrumentum gratiæ, quæ nihilominus gratia per contritionem, quæ est pars sacramenti, remittit peccata, & hac ratione est prior contritione. Forma autem sacramenti, quia non est actus virtutis pœnitentiæ informatus gratia, nulla ratione est posterior quàm gratia, sed simpliciter prior.

Secundo loco arguit S. Thom. Aliæ virtutes sunt *2. Argu.* excellentiores pœnitentia: sed remissio peccati non dicitur effectus alicuius virtutis præterquàm gratiæ: ergo nec pœnitentiæ. Respondetur negata minori: imò remissio peccati est etiam effectus fidei, spei, & charitatis, per quas gratia operatur ad remissionem culpæ: imò principalius fidei & charitatis, ex quibus pœnitentia habet legitimam rationem virtutis, vt patet in ordine posito q. præcedenti art. 5.

Tertiò arguitur. Remissio culpæ non est nisi ex *3. Argum.* virtute passionis Christi, secundum illud ad Hebr. 9. Sine sanguinis effusione non fiet remissio, sed pœnitentia, inquantum est sacramentum, operatur in virtute passionis Christi sicuti cætera sacramenta: ergo remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ inquantum est virtus, sed inquantum est sacramentum. Respondetur, quod etiam actus pœnitentiæ virtutis operatur in virtute passionis Christi, & per fidem in ordine ad claues Ecclesiæ, & ideo vtroque modo est causa remissionis: scilicet per fidem, antequam essent instituta sacramenta in lege naturæ: sicuti & omnes actus virtutum sunt meritorij inquantum nituntur fidei passionis Christi siue implicitè in lege naturæ, siue explicitè in Euangelio. Secundo modo est causa tanquam pars sacramenti.

* *
*

Digitized by Google

DISTINCTIONIS DECIMÆQVINTÆ.

Quæstio secunda,

DE REMISSIONE VENIALIVM PECCATORVM.

S. Thom. 3. part. quæst. 87.

ARTICVLVS 1.

Vtrum peccatum veniale possit remitti sine pœnitentia.

SECVNDVS effectus pœnitentiæ est remissio venialium, de quo præsenti q. disputatur. Et primùm vtrum sine illa possint remitti. Cuius responsum D. Thom. per sex conclusiones distribuit. Prima. Vtrunque peccatum, tam mortale scilicet quàm veniale, est separatio hominis à Deo, differenter tamen, nam per peccatum mortale fit perfectè separatio vsque ad auersionem: ideo enim dicitur mortale, quia tollit principium vitæ, quod est gratia, sed per peccatum veniale fit imperfectè separatio citra auersionem à Deo: quia retardatur mens, ne ita promptè feratur in ipsum, & ideo est quoddam deuiationis genus. Sicut graue bifariam contingit separari à centro, vno modo si tollatur ab eo principium descendendi, quod est grauitas per hoc, quod conuertitur in ignem. Et altero modo, si manente grauitate retardetur in suo motu per aliquod impedimentum. Itaque vnum est simpliciter contra legem, & aliud præter.

1. Concl.

Veniale & mortale separant à Deo differenter.

Secunda conclusio. Vtrumq; peccati genus remittitur per pœnitentiam: nam cùm remissio culpæ fiat per coniunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter est separatus, & per vtrunque deordinetur voluntas hominis, & quodammodo per immoderatam conuersionem ad bonum creatum separetur ab ipso: fit vt sicut peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas ei adhæret, ita neque veniale, quia manente causa manet effectus. Sensus ergo conclusionis est, quòd non solùm per pœnitentiam remittatur veniale, sed quòd aliquod genus pœnitentiæ sit ad eius remissionem necessarium, per quod s. remoueatur voluntas à bono creato, cui præter ordinem adhæret.

2. Concl.

Sensus conclusionis.

Tertia conclusio. Ad remissionem mortalis perfectior pœnitentia exigitur, vt scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est: videlicet, vt diligentiam adhibeat ad memorandum singula vt singula detestetur.

3. Conclus.

Quarta conclusio bimembris. Ad remissionem venialium peccatorum non requiritur actualis expressa & diligens pœnitentia, sed tamen nec sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis vel pœnitentiæ virtutis. Prima pars inde constat, quòd cùm veniale non sit auersio, non requirit detestationem, quæ sit conuersio. Secunda verò inde, quòd si habitus sufficeret, nullus existens in charitate vllum posset habere peccatum veniale, quod est falsum.

4. Concl.

Quinta conclusio: Requiritur ad remissionem venialium displicentia virtualis. Patet, quia cùm non sint nisi tria genera displicentiæ, si non requiritur actualis & expressa, nec sufficit habitualis, consequens est, vt requiratur & sufficiat virtualis. Hæc autem contingit, dum quis eo affectu fertur in Deum & res diuinas, vt quicquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiam si tunc de illo non cogitet.

5. Concl.

Quid displicentia virtualis?

Sexta conclusio. Hæc virtualis pœnitentia non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. Nota hic illud, quod præcedenti quæstione art. 2. notauimus: scilicet, quòd ad oblitorum remissionem non requiritur formalis pœnitentia.

6. Concl.

Expos. art.

Quæstio præsens primò supponit aliqua esse peccata venialia à mortalibus distincta. Hæc autem disputatio non est præsentis loci. Extat autem apud S. Thomam 1. 2. quæst. 88. & 89. Et quidem veniale peccatum secundùm generalem significationem, idem est quod dignum venia, qua ratione etiam mortale, quod procedit ex ignorantia, dicitur veniale, & excusat à parte, iuxta illud Paul. 1. ad Tim. 1. Veniam consecutus sum, quia ignorans feci. Sed in proposito non accipitur, nisi vt distinguitur à mortali: nempe, quod non auertit a Deo. Atque isto pacto VVitcleff, vt est videre apud VValdensem tomo 2. de sacramen. cap. 154. & subsequenti, negabat vllum esse peccatum veniale. Sed multis Euangelicis telis hæc hæresis perimitur. Ait enim Christus Matth. 7. Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? vbi mortale, quia lumen adimit oculis, trabs appellatur: festuca verò, quæ visum remittit, significat veniale. Vnde in eundem locum Hieronymus, De ijs, inquit, loquitur, qui cùm ipsi mortali crimine detinentur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt, culicem colantes, & camelum deglutientes. Et Matth. 12. admonemur de quocunque verbo otioso reddituros nos esse rationem: verbum autem otiosum quis dicat esse mortale? Et 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Vbi ad illos etiam loquitur, qui sunt virtute & religione progressi, quibus absurdum esset dicere tam crebro mortalia contingere. Et Iacob. 1. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum (concipere est negligentiam habere ad repellendum illecebras) peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem, ergo ante peccatum mortale est aliud veniale. Etsi ab humanis moribus exemplum petamus, solent amici sæpe præter amicitiam minutiora quædam committere, quæ licet amicis displiceant, non tamen proinde sic amicitiam violant, vt prorsus tollant. Multa Augustinus lib. de natura & gratia in hanc causam confert, quæ & plura alia. quia non datur hic proprius locus, consultò prætermittimus.

Quid peccatum veniale.

Error VVitcleff negantis peccatum veniale, refellitur scripturis.

Simile.

Hoc igitur præsuppositio circa primam & secundam & quartam conclusionem nulla est difficultas. Tertiam verò hic discutit Caieta. quomodo s. intelligatur ad remissionem mortalium exigi singulorum detestationem. At quamuis hic non esset ineptus locus, vbi hoc examinaretur, congruentius tamen d. 17. q. 2. quæ est de contritione tractatur. Interim ergo hoc saltem necessarium exigitur, vt detestatio mortalium sit formalis, & actualis, vt quæst. præcedenti art. 2. expositum est. Neque ad indulgentiam peccati Deus, qui vt legitur Ecclesiast. 11. subitò potest honestare pauperem, tempus indagandi omnia peccata expectat. Sed in quacunque hora, vt Ezechielis 18. & 33 colligitur, ingemuerit peccator, iustificatur. Alioqui sæpe contingeret, vt non posset homo, nisi longissimo tempore in gratiam Dei redire, quod sitj, quam Deus habet de salute hominum, repugnaret. Quod ergo ait S. Thom. est, quòd quantum est de per se ex natura pœnitentiæ, debet homo dum tempus supperit, sed præsertim dum occurrit confessionis præceptum, singula peccata mente explorare, & si tot habere non potest numero detestationes, quot sunt peccata, saltem vnica singularis feratur complexim in omnia ad mentem demonstrata. Sed de hoc ibidem loco citato latiùs dicemus.

Tempus pœnitentiæ qualibet hora.

Disputatio ergo præsens est de quinta conclusione, quomodo scilicet virtualis illa displicentia venialium intelligatur. In primis enim Durandus dist. 16. q. 2. hanc theologiam D. Thomæ non admittit, quòd virtualis displicentia sufficiat. Imò ait requiri aliquam displicentiam, & contritionem formalem & actualem. Et ratio prima est, quia D. Thom. etiam fatetur, quòd peccatum veniale dicit inordinatam conuersionem ad bonum commutabile: inordinatio autem non rectificatur, nisi per auersionem actualem ab illo bono commutabili, atque per displicentiam actualem illius peccati. Secundò, quia si non requiritur displicentia, vel sufficeret quicunque actus charitatis, vel feruidus, vt ait D. Thomas argumento 3. non autem sufficit quicunque actus charitatis: nam nihil expellitur, nisi per suum contrarium: actus verò charitatis nulli venialium contrarius est, quia non repugnat vt homo Deum actu diligat, & maneat in proposito venialiter peccandi. Et eadem ratione nec sufficit feruor charitatis: quia nec ille contrariatur venialibus: quandoquidem neque repugnat, vt quis feruidè Deum diligat, & tamen peccet venialiter. Ioannes enim feruidissimè diligebat, & tamen aiebat, Si dixerimus quòd peccatum non habemus, &c.

Circa 5. concl. An sufficiat displicentia virtualis.

Opinio Durandi negatiua. 1. Argu.

2. Argum.

1 Ioan. 1.

Digitized by Google

3. Argum † q.1. ar.2.

Et in fauorem Durandi addamus nos, quòd cùm in sacra scriptura, vt latè suprà † monstratum est, nullum præter pœnitentiam legatur sufficiens remedium peccati, gratis imò temerè videtur loqui, qui venialia excipit, de quibus non requiratur nisi virtualis displicentia. Et accedit autoritas Augustini de vera & falsa pœnitentia cap.8. quem hic citat D. Thomas. Pœnitentia, inquit, assiduè peccanti, assiduè necessaria est, in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur si semper deplorentur, vbi insinuat necessariam esse pœnitentiam de venialibus.

4. Argum. ex August.

Sententia autoris.

Sed nihilominus ijs non obstantibus vera habenda est opinio D. Thomæ, quam ceu vniuersalem omnium sententia doctorum affirmat. Et ideò non fuit anxius eam multis demonstrare. Fundamentum autem opinionis est discrimẽ inter mortale & veniale. Nam cùm mortale per auersionem constituat hominem Dei inimicum, facit vt nullum eius opus Deo placeat: existens autem in solis venialibus multa facit opera Deo grata. Et ideo quamuis veniale sit inordinata quædam conuersio ad bonum commutabile, quia tamen non est auersio, non exigit actualem conuersionem, sed illa inordinatio rectificatur per actum charitatis, qui Deo est acceptus & gratus. Secundò, ad remissionem venialium propter eorum frequentiam etiam in hominibus perfectis, statuta sunt sacramentalia, vt aqua benedicta, benedictio Episcopi, & multa alia. Fortiori ergo ratione sufficiet actus charitatis. Neque auscultatu digna est illa responsio, quòd sacramentalia illa sufficiunt habenti displicentiam venialium: nam tunc profectò sacramentalia non essent necessaria, nam displicentia per se sufficeret. Et tamen sacramentalia facultate clauium Ecclesiæ sunt ad id muneris instituta. Tertiò, si vera esset opinio Durandi, vix posset constitui differentia inter mortale & veniale quantum ad remissionem: nam si dicas sufficere detestationem in genere ad remissionem venialium, etiam illa sufficit ad remissionem mortalium. Quartò, quia peccata venialia non sunt de necessitate confessionis: ergo neque de necessitate formalis contritionis, neque est necessaria aliqua eorum inquisitio, licet sit consilium illa scrutari & confiteri. Enimuerò si esset vir prouectæ sanctitatis, quamuis aliqua peccata venialia committeret, non esset credendum, vt minùs veniam eorum obtineret per egregia opera charitatis, quàm per eorum detestationem: nam inter homines, ille cui egregiè amicus morem gerit, non exigit ab eo vt de minutis culpis detestationem habeat. Postremo Aug. in enchiridio cap.71. quem textum Gratianus de pœnitentia di.3. can. De quotidianis, falsò tribuit Chrysostomo. De quotidianis, inquit, breuibus leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfaciat: scilicet, Pater noster. Ad venialium ergo remissionem non alia detestatio requiritur.

1. Ratio.

2. Ratio.

Sacramentalia ad venialium remiss. instituta.

3. Ratio.

4. Ratio.

Venialium inquisitio bona, non necessaria.

Quis feruor sufficiat? Scoti opinio.

Secundum autem argumentum Durandi maiorem adfert difficultatem, ad intelligendum vtrùm quicunque actus charitatis, vel quicunque feruor sufficiat omnia venialia aut aliqua remittere.

Ad quod Scotus di.21.q.2. respondet, peccata venialia in hac vita remitti per actum Deo magis acceptum, quàm peccatum veniale ei displicebat, quamuis peccator non referat ipsum ad remissionem venialis, sed ad aliud opus: Deus n. ad eandem remissionem acceptabit. Hæc autem sententia nimium ampla videtur. Quicunque n. actus legitimæ charitatis gratior est Deo & magis placet, quàm quodcunque veniale displiceat, cùm sit actus amici & filij sui, ad suam gloriam acceptus, & veniale non sit prorsus eidem amicitiæ aduersus: ergo secundùm Scotum per quemcunque actum charitatis remitterentur omnia venialia. Consequens tamen est falsum: quoniam peccatum non nisi per contrarium tollitur, & actus charitatis non quicunque, etiam si sit feruidus, veniali contrariatur: quandoquidẽ, vt dictum est, simul se compatiuntur. Stat enim hominem habere propositum mentiendi, dicendique verba iocosa, & tamen actu etiam feruido Deum diligere. Sed ais, licèt tunc non fieret remissio propter obicem, tamen si ille obex non adesset per actum charitatis, fieret remissio. Contrarium vero probat argumentum: quoniam actus, qui secum compateretur peccatum, quamuis complacentia peccati non sit præsens, nihilominus ex se non est contrarius peccato, atque adeo nec est virtualis displicentia, quæ ipsum delere sufficiat. Secundo arguitur, quia secundum Scotum quicunque actus meritorius, vt orare, dare eleemosynam, &c. omnia peccata venialia remitteret: quia non est maior ratio de vno quàm de alio, saltem nisi actu illo illud cõmitteretur. Consequens tamen non apparet consonum illi dicto Ioannis, *Si dixerimus quòd peccatum non habemus*, &c.

Refellitur.

Obiectio.

Igitur responsio in has propositiones resoluitur. Prima. Nullus actus, nec feruor charitatis vllum remittit peccatum veniale, quando eius adest complacentia aut propositum. Hæc certissima est.

Autoris sententia.

Secunda. Nullus actus, aut feruor charitatis vllum remittit peccatum veniale, etiam absente eius complacentia & proposito, nisi illud, cui est contrarius: quia nihil pellitur, nisi per suum contrarium. Et illa sola dicitur pœnitentia virtualis. Idèò autem est contrarius peccato veniali, quia si illius peccati cogitatio menti occurreret, displiceret ei, & doleret se cõmisisse. Et iste reputatur feruor charitatis respectu illius peccati.

Quòd si arguas. Eiusmodi conditionales nullius sunt meriti, aut demeriti: forsan enim verum est, & Deus scit, quòd si mihi offerretur martyrium, illud subirem: & tamen hæc conditio nihil mihi apponit meriti apud Deum. Et è conuerso, Si Petro offerretur occasio surripiendi alienum, forsan faceret: & tamen neque hoc illi imputatur ad culpam: ergo regula D. Thomæ vana est. Respondetur, quòd Sanctus Thomas nunquam huiusmodi conditionales cogitauit vllius æstimare, sed actum ipsum, & effectum animi, quia per se sufficeret delere venialem culpam, si offerretur memoriæ, sufficit illam delere, etiam si memoriæ non occurrat: quod non sufficit ad remissionem mortalium, nisi quando adhibita sufficienti diligentia illo tempore, quo illam tenetur adhibere, non possunt memoriæ occurrere. Sufficit tamen ad peccata venialia quia nunquam est necessaria diligentia ea commemorandi, licet sit vtilis. Et hoc est discrimen inter veniale & mortale. Ex quo sequitur, quòd actus charitatis nonnunquam omnia peccata venialia remittere potest: nempe si sit tam ardens, vt cuiuscunque tunc memoria haberetur, displicentiam pareret. Quandoque verò non remittit, nisi quædam, & non omnia. Stat enim diligentem Deum magis esse affectum ad vnum genus venialis: scilicet, mentiendi iocosè, quàm ad aliud: scilicet, verbi ociosi. Itaque si huius memoria adesset, illud displiceret. Si autem adesset memoria alterius, non displiceret. Sed de hoc iterum articul. 4. Et per hoc respondetur ad autoritatem Aug. dicentis quòd de venialibus quotidie agitur in Ecclesia pœnitentia. Primùm enim hanc appellat pœnitentiam. Et secundò, si intelligit de pœnitentia formali venialium, non intelligit esse necessariam, sed salubrem & vtilem. Quare postquam dixit esse quotidianam pœnitentiam venialium, statim subdit, quòd illa per sacramenta Ecclesiæ & ordinationes sæpe fugantur.

Obiectio.

Dilutio.

Respõdetur ad Augusti. num in 4. arg. citatũ.

Ex ijs infertur solutio aliorum, quæ parua sunt dubia, quorum primum est. Vtrum attritio sufficeret ad delendum veniale peccatum. Et apparet non sufficere: cùm enim non sit dolor de offensa Dei, & venialis culpa sit aliqualis offensa, non est ei contraria. Nihilominus respondetur, quòd attritio venialium illius, qui est in gratia & charitate, potest sufficere ad deletionem aliquorum venialium: non quidem ex parte obiecti, quia est timor inferni, sed ab intrinseco, quia procedit ex gratia, & imperatur à charitate, qua ratione ille actus sufficeret delere veniale, si tunc memoriæ occurreret.

Dubium primum. An attritio venialia deleat.

Secundò quæritur, vtrùm per alia opera exteriora, vt per eleemosynas, per orationes & ieiunia remittantur venialia. Nam, vt secundùm Scotum dicebamus, vnumquodque sufficeret. Respondetur, quòd quantum est ex obiecto exteriori, non videtur repugnantiam habere ad peccata venialia, sed tamen quantum ad actum dilectionis interiorem, ex quo procedunt, possunt sufficere, vt modò dictum est.

Dubium secundum. An per opera exteriora veniale remittatur?

Primum argumentum S. Thom. est. Ad rationem veræ pœnitentiæ pertinet non solùm dolere de præterito, verùm & proponere in futurum cauere, vt suprà constitutum est: sed ad remissionem peccatorum venialium tale propositum non videtur necessarium, cùm certum sit hominem sine huiusmodi venialibus præsentem vitam ducere non posse: ergo venialia sine pœnitentia remittuntur. Respondetur, quod homo in gratia constitutus potest quidem vitare omnia & singula mortalia, sed non omnia & singula venialia, quod 1.2. disputatur. Ideo ad remissionem mortalium requiritur

1. Argum. S. Tho.

propoſi-

Digitized by Google

Propositum vitandi mortalia, & aliud est à proposito vitandi venialia.

propositum vitandi omnia & singula, sed tamen ad pœnitentiam venialium sufficit voluntas abstinendi à singulis, licet non ab omnibus collectiuè. Nihilominus debet habere homo propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda, alioqui deserens appetitum proficiendi tollendique impedimenta spiritualis profectus, qualia sunt peccata venialia, periculum incurreret deficiendi.

Notandum de proposito vitandi peccata.

Hic animaduertendum est, non sat esse Christianis propositum habere religionem colendi in his, quorum transgressio lethalis est: nam si quis contemptu legis, & quasi eam nihili faciens ac si non esset lata absque delectu peccata venialia committeret, profectò mortaliter delinqueret. Sed nota, contemptu legis: intelligo enim contemptu totius, hoc est, legis simpliciter, vt Caietanus bene (quantum conijcio) adnotauit in summa, verb. Contemptus. Nam si quis venialiter peccat solùm contemnens legem in hac particula, ac si non esset lex de mendacio iocoso vitando, non auderem ad peccatum mortale condemnare, nisi forsan ratione eminentis periculi, dum omnia venialia contemnerentur. Nam, vt ait in regula Augu. Qui minora contemnunt, in maiora paulatim defluunt. Imò qui illa ratione contemptu legis consilia eius abijceret, peccaret mortaliter. Quin etiam & religiosi monachi, qui suæ religionis contemptu & legem silentij, vel abstinentiæ temerè & sine fræno infringerent, quamuis illa per se non obligaret ad culpam, mortaliter peccarent.

Minora peccata non contemnenda.

2. Argum.

Secundò arguitur. Pœnitentia non est sine actuali displicentia peccatorum: sed peccata venialia possunt dimitti sine eorum displicentia, sicut patet in eo qui dormiens occideretur propter Christum, statim n. in cælum euolaret, quod si maneret in venialibus, facere non posset: ergo peccata venialia remittuntur sine pœnitentia. Respondet D. Thom. quod passio pro Christo perpessa, quia, vt suprà dictum est, obtinet vim baptismi, hominem purgat ab omni culpa & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem. Hic S. Tho. docere videtur, quod dormiens occisus pro Christo, si dum ibat dormitum non habebat actualem complacentiam aut propositum peccati, plenissimam obtinet omnium veniam, tam venialium, quàm mortalium, eo quod martyrium habet vim baptismi. Vnde sicut suprà dist. quinta, declarantes cap. Maiores. de baptismo & eius effectu, diximus quod dormientes & amentes baptizandi sunt, & tunc obtinent remissionem omnium peccatorum, ita hic videtur asserere S. Thomas de martyrio: nam innocentes ab Herode occisi, etiam si essent incircuncisi, iustificati sunt perinde ac si modò baptizentur Qui autem velit tenere opinionem hanc, dicere debet necessarium esse, vt tales dum irent dormitum, si erant in peccato mortali, carerent obice illius, ad quod non sufficeret, quod neutraliter se haberent, hoc est, neque haberent complacentiam, neque vllam displicentiam peccati: nam vt illic articulo septimo & duodecimo contra Caietanum disputauimus, aliqua displicentia requiritur, vt saltem sit attritio ad tollendum obicem, vt baptismus culpam deleat. Et qui hanc saltem non haberet, arbitror quod neque si pro Christo occideretur, obtineret veniam peccatorum, quia habebat obicem. Et ideo postquàm ille dormiens non habuit effectum positiuũ martyrij, non est eius martyrio plus tribuendum quàm baptismo, cuius vicem gerit. Quanquam hic Caietanus plus ei tribuit, dicens, quod si dum iret dormitum haberet propositum mentiendi iocosè, illud etiam veniale peccatum remitteretur ei per martyrium, propter plenissimum eius priuilegium, & tamen non remitteretur, si dormiens baptizaretur: illud tamen priuilegium ego non facilè credam. Alij discipuli S. Thom. non tantum tribuunt martyrio dormientis, quàm baptismo: imo aiunt, quod dormiens occisus pro Christo, si esset in peccato mortali, quanquam esset attritus sufficienter ad baptismum, nihilominus per martyrium non obtineret veniam. Et ratio eorum est, quia martyrium est actus charitatis, & illa attritio non est actus charitatis, nec deuotio martyrij. Et ideo glossant Sanct. Tho. dicentes intelligere, quod si, qui occiditur, est in charitate, per martyrium remittentur ei peccata venialia. Est opinio probabilis, sed tamen puto plus sentire S. Thomam, postquam martyrium in hoc casu æquiparatur baptismo. Vnde sicut Innocentibus occisis ab Herode martyrium profuit sine actu charitatis, ex priuilegio martyrij, ita fortè & dormientibus.

De eo qui dormiens in venialibus occideretur pro Christo. S. Thom. opinio.

Caietan.

Aliorum Thomistarum.

Autoris sententia.

3. Arguit.

Tertiò arguitur. Peccata venialia opponuntur feruori charitatis, vt 1.2.q.89. dictum est: sed vnum oppositorum tollitur per aliud: ergo per feruorem charitatis absque vlla displicentia fit remissio venialium. Respondetur, quòd feruor charitatis includit virtualiter pœnitentiam, non quidem omnis feruor respectu omnium venialium, sed eo modo, quo proximè contra Scotum & Durandum expositum est.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad remissionem venialium requiratur gratia infusio.

CVM remissio peccati iustificationem quæ fit per gratiam significare videatur, congruè quæritur, vtrùm ad remissionem etiam venialium requiratur infusio gratiæ. Ad quod respondetur duabus conclusionibus.

1. Concl.

Prima. Ad remissionem venialium non requiritur, vt habitus gratiæ infundatur, sed sufficit motus eius & charitatis. Probatur, quia vnumquodque per suum contrarium tollitur: peccatum autem veniale non est contrarium habituali gratiæ vel charitati: sed tantùm retardat, & tepefacit eius actum, licet non contra Deum: ergo ad remissionem non requiritur infusio noui habitus gratiæ, sed sufficit actus illius habitus, qui priùs fuerat infusus. Et confirmatur. Peccatum veniale in eo, qui est in gratia, nec tollit habitum gratiæ, nec illum minuit: ergo pari ratione ad hoc, quod idem peccatum remittatur, non requiritur nouæ gratiæ infusio.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quandocunque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. Probatur, quia in habentibus liberum arbitrium, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit infusio gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum & in peccata: talis autem motus charitatis sufficit ad venialium peccatorum remissionem

Dubium. An remissio venial. fieri possit sine gratia augmento.

Circa primam conclusionem dubiolum est paruum, vtrùm remissio venialium fieri possit non solùm absque infusione nouæ gratiæ, verùm & absque illo eius augmento. Paludanus namque distinctione decimasexta, quæstione prima, articulo secundo, ait absque vllo augmẽto gratiæ fieri posse: nam peccatum veniale potest remitti per actum charitatis remissiorem, quàm sit habitus: & secundùm S. Tho. 2.2. quæst. 24. arti. 6. habitus charitatis non augetur per remissiores actus. Et confirmatur, quia si peccatum veniale non diminuit habitum gratiæ, vt hic ait S. Th. fit vt neque eius remissio fiat per actum augentem habitum.

Resp. neg.

Nihilominus respondetur, non posse fieri huiusmodi remissionem sine augmento gratiæ in genere gratiæ. Et ratio est, quia non potest fieri sine actu charitatis: omnis autem huiusmodi actus est meritorius: ergo per ipsum acceptatur homo ad maiorem gloriam: per gratiam verò formaliter homo acceptatur ad gloriam: ergo fit tum maior acceptatio, atque adeò maior gratia in genere gratiæ. Vnde D. Thom. solùm ait charitatem non augeri per actus remissiores. Et ratio est, quoniam charitas est habitus voluntatis operatiuus, ex quo elicitur actus. Et in naturalibus calidum non augetur per agens remissius, sed gratia non est habitus potentiæ, sed acceptatio ad gloriam: quare stat non augeri charitatem, & tamen augeri gratiam.

Exponitur S. Thom.

Simile.

Scotus.

Scotus autem, qui tenet charitatem & gratiam esse idem, consequenter ait dist. 16. & 21. quòd gratia non augetur per quemlibet actum. Secùs in via Sanct. Th. Et ideo ad confirmationem respondetur, quod licet peccatum veniale non minuat habitum gratiæ, nihilominus quia remissio eius non fit nisi per actum meritorium, tunc augetur in genere gratiæ. Quod addiderim, quia forsan qualitas illa, quæ est gratia in genere qualitatis, non augebitur per remissiores actus vsque ad ingressum gloriæ: quando tam habitus charitatis, quàm gratiæ per modum præmij donabuntur æquales meritis & gloriæ.

Nota circa secundam concluſ.

Secunda conclusio plusculum habere videtur difficultatis. Nam cum per peccata venialia non opponatur obex gratiæ, potest quis verè dolere de mortalibus manente venialium complacentia: & tunc remittuntur mortalia sine venialibus. Respondetur hoc minimè D. Thom. negare: quia per gratiæ infusionem non deletur peccatum, cui voluntas adhæret. Sed loquitur vbi non opponitur obex, & dum regulariter hominem

Digitized by Google

peccatorum suorum pœnitet: nam secundum communem vsum dum quis conteritur, omnium pœnitet peccatorum nullum excipiens. Quare illa pœnitentia tunc omnia venialia etiam oblita delet, propterea quòd non est solum pœnitentia virtualis, sed etiam formalis & actualis.

1. Argu. Primum argumentum Sanct. Thomæ est. Effectus non est sine propria causa: sed propria causa remissionis peccatorum est gratia, non enim ex meritis proprijs peccata remittuntur, iuxta illud ad Ephes. 2. Deus qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia salui estis: ergo sine gratiæ infusione non remittuntur venialia. Respondetur concesso antecedenti, scilicet quòd etiam venialium remissio est effectus gratiæ. Sed negatur consequentia, dum infertur requiri infusionem nouæ gratiæ: nam sufficit nouus actus à præexistente gratia & charitate elicitus.

2. Argum. Secundò arguitur. Peccata venialia remittuntur sine pœnitentia: sed in pœnitentia infunditur gratia sicut per alia sacramenta nouæ legis: ergo venialia sine infusione gratiæ non remittuntur. Respondetur, præmissas argumenti in æquiuoco laborare. Veniale enim peccatum licet nunquam remittatur sine actu pœnitentiæ explicito, vel implicito, formali, vel virtuali, vt expositum est, potest tamen remitti sine pœnitentia sacramento, quod absolutione sacerdotis perficitur. Et ideo non sequitur quòd requiratur gratiæ infusio, nam licet infundatur per quodlibet sacramentum, non tamen per quemlibet actum virtutis.

Nota. Hic animaduertito modum theologum loquendi Diui Thomæ: non n. appellat gratiæ infusionem dum augetur, sed dum primò infunditur: nam tunc homo fit gratus, postmodum vero fit gratior. Quapropter cum actus virtutis ex natura sua præsupponat gratiam: nam qui non procedit ex gratia & charitate, non est simpliciter actus virtutis, ait, quod non in quolibet actu virtutis infunditur gratia, sed augetur, nisi in actu pœnitentiæ, quando recipitur prima. At vero quia sacramentum quantum est de se, id est, qua ratione est sacramentum, est causa gratiæ, ait quod in quolibet sacramento infunditur gratia. Accidit enim sacramento, vt suscipiens habeat gratiam, aliâs conferret primam.

Non per quemlibet actum virtutis infunditur gratia.

Obiectio. Quod si arguas, Sacramentum Eucharistiæ genere suo præsupponere gratiam, quia est sacramentum viuentium: respondetur quòd dicitur infundere gratiam, non solum quia illam auget si inueniat, sed quia illud augmentum est nouum genus gratiæ: scilicet ad nouũ effectum, puta ad spiritualem nutritionem. Et sic de cæteris sacramentis sentiendum.

3. Argu. Tertiò arguitur. Peccatum veniale maculam quandam animæ infert: macula autem non aufertur nisi per gratiam, quæ est specialis animi decor: venialia ergo non nisi per gratiæ infusionem remittuntur. Negatur consequentia. Enimuero sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter: vno modo per omnimodam priuationem eius quod ad decorem exigitur, vt coloris, aut debitæ membrorum proportionis, & altero per superinductionem alicuius impedientis decorem, puta luti, aut pulueris: ita etiam animæ inducitur macula, vno modo per priuationem decoris gratiæ per peccatum mortale, atque altero per inclinationem affectus inordinatam ad aliquod temporale citra expulsionem gratiæ, quod fit per peccatum veniale, quæ quidem simpliciter non est macula, sed secundum quid, vt ait S. Th. 1.2. quæst. 80. ar. 1. Et ideo ad tollendum peccatum mortale necessaria est infusio gratiæ, sed ad tollendum venialia sat est elicere actum ex præcedenti gratia, per quam remoueatur illa inordinata adhæsio ad bonum temporale.

Duplex in anima decoris gratia priuatio.

Nota. Nota hic quemadmodum in peccato veniali non est solum reatus ad pœnam, sed quædam macula contra id, quod ait supra impugnatus Scotus distinct. 14. quæst. 1. Atque adeò hoc ita est verum, vt cum de peccato mortali loco citato sermonem habens diceret, non aliud esse in peccato existere, quam imputari ad pœnam, vbi multò euidentior est macula culpæ secluſa pœna, postmodum dist. 21. q. 1. de peccato veniali loquens, vbi minor ratio cogebat, adhibet secundam opinionem: videlicet, quòd remissio venialis non sit omnino remissio pœnæ, sed remissio culpæ per actum charitatis.

Dubium. Hic ergo soluendum est dubium, an peccata venialia remittantur in purgatorio quoad culpam. Enimuero secundùm illam opinionem Scoti, quòd remissio culpæ non est nisi remissio pœnæ, facilis est affirmatiua responsio: nam cùm peccato veniali non debeatur pœna nisi temporalis, solutio illius in purgatorio esset solutio pœnæ. Quinuerò eadem ratione infert Scotus posse veniale in inferno remitti. Attamen licet illa sua opinio gratis concederetur, non est par ratio, quia cùm in inferno illa pœna sit inimici Dei, nunquam acceptatur ad perfectam solutionem, sicut illa, quæ est in purgatorio.

An venialia remittantur in purgatorio quoad culpam.

Dubium. Hoc tamen prætermisso, quia euidenter reprobatum est, remittere pœnam esse remittere culpam, dubiũ restat, quod Sententiarij di. 21. iuxta ordinem Magistri disputant, quomodo possit remitti in purgatorio. Supponimus n. ex suprà dictis, quod cum venialia non obstent gratiæ: potest homo in gratia Dei ab hac vita decedere cum peccatis venialibus. Quamuis, vt D. Thom. eadem distinct. quæst. 1. art. 2. refert, non defuerint qui hoc negauerint dicentes, quòd gratia ipsa finalis culpas purgat veniales, eo quòd tunc extinguitur concupiscentia. Quare in hac vita, nempe in exitu, omnia dimittuntur. Hæc autem opinio, vt illic ait San. Thom. friuola est, quia venialis culpa, vt dictum est, non remittitur nisi per sacramentum, aut sacramentale aliquod, aut per actum charitatis. Sunt autem quamplurimi, qui absque istorum aliquo moriuntur: nempe dormientes, aut subito, aut cum complacentia aliquorum venialium. Item Christus Matth. 12. dicens peccatum in Spiritum sanctum non remitti in hoc seculo, nec in futuro, insinuat à contrario sensu aliqua remitti in futuro. Vnde Grego. 4. lib. dialogorum, ait aliqua leuia peccata in alio seculo dimitti: quod non potest intelligi solum quantum ad pœnas: nam illo modo etiam grauia mortalia illic expurgantur. Quare eandem sententiam tenet in eadem dist. Magister. Altero ergo duorum modorum dicendum est: scilicet, vel quod in primo ingressu purgatorij per illum actum elicitum charitatis, qui durat toto tempore purgatorij, remittuntur omnia venialia, etiam si in complacentia eorum homo decesserit: quoniam illa tunc charitas ratione status, quia firma est, & inuertibilis ad malum, & ab omni concupiscentia libera, virtualis est pœnitentia omnium venialium. Et hanc solutionem tangit S. Tho. q. 7. de malo, ar. 12. Vel quod multo verisimilius est, dicendum, quod per actum charitatis & patientiæ continuatum illo tempore quo veniale punitur, remittitur culpa: nam est actus Deo placens, & ad remissionem accommodatissimus.

Quomodo remittatur.

Quorũdam opinio.

Reprobatur.

Sententia autoris.

Et ad argumentum in contrarium fieri solitum, scilicet, quod in purgatorio nullum potest esse meritum, eo quòd illic existentes iam sunt extra viam ac perinde extra statum merendi, aut demerendi, probè respondet Sanct. Thom. loco citato in 4. quòd illic nullum esse potest meritum augmenti gratiæ, aut gloriæ: hoc enim est viatoribus proprium. Attamen cum sit inibi actus charitatis, nil obstat quominus sit remissorius venialis culpæ, per quam neque gratia augetur, neque gloria.

Soluitur arg. vulgare.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccata venialia remittantur per aquam benedictam, & alia sacramentalia.

CIRCA alias causas, quibus venialia remittuntur, quæritur de sacramentalibus. Et respondet D. Tho. per hanc conclusionem. Triplici ratione quidpiam contingit esse causam remissionis venialium peccatorum. Supponitur enim ex supradictis ad huiusmodi remissionem nullius exigi nouæ gratiæ infusionem, sed sufficere actum ex gratia procedentem, quo quis feruore aliquo in Deum moueatur, qui sit vel actualis, vel virtualis pœnitentia. Primo ergo modo remittuntur venialia per gratiæ infusionem vbi non opponitur obex, vt supra expositum est. Secundo modo per aliqualem motum detestationis peccatorum. Et hoc pacto tria ad hoc possunt concurrere, scilicet confessio generalis, tunsio pectoris, & oratio Dominica: nam tunsio illa gestus est pœnitentis, & in oratione Dominica adhibetur petitio, vt dimittantur nobis debita nostra. Tertio modo remittuntur per motum reuerentiæ in Deum, & ad res diuinas. Et hoc modo remittuntur per benedictionem Episcopi, per asperſio-

Conclusio.

Triplex modus remissionis venialium: gratia infusio. Detestatio.

Motus reuerentiæ in Deum.

nem

nem aquæ lustralis: per quamlibet sacramentalem vnctionem, qualis fit in confirmatione, & in collatione ordinum, & per orationem publicam Ecclesiæ ad id institutam, quales sunt collectæ multæ in missa. Imò, vt supra diximus, † secundum aliquos, per ingressum etiam in templum consecratum.

† d. 13. q. 2. art. 3. Expositio articuli.

Conclusio hęc Sanct. Thomæ non solum concessio est generalis doctorum, verùm & sanctionibus moreque & vsu Ecclesiæ celebrata. Vnde versus. Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens. Orans, scilicet, oratione Dominica. Tinctus (aqua benedicta.) Edens (Eucharistiam.) Confessus, confessione generali. Dans (eleemosynam.) Benedicens (Episcopus.) Sed ijs omnibus generale est, vt nullum eorum veniale remittat, si opponatur obex, vt Sanct. Thom. docet in solutione secundi argumenti, quod est hoc. Quodlibet horum sacramentalium eandem relationem habet ad omne veniale peccatum, ergo qua ratione vnum dimittitur, dimittuntur omnia. Et respondet, per quodcunque istorum cuncta remitti præter illa, quorum remissioni obstat obex voluntatis eis inhærentis.

2. Argu.

Dubium tamen est circa primum modum, vtrum sola infusio gratiæ quomodocunque fiat, per se absque actu charitatis suscipientis remittat venialia omnia. Et quæritur propter sacramenta, vtrùm ex opere operato remittant omnia venialia. Caietanus enim hic ait, duo requiri ad remissionem venialium, scilicet gratiam, siue quæ tunc infundatur, siue quæ infusa fuerit, & actualem vsum eius & motum. Et ita visus est dicere Sanct. Thom. articulo præcedenti, videlicet, quòd quia in adultis non infunditur gratia sine motu liberi arbitrij, propterea talis infusio remittit venialia. Et supra q. 79. art. 4. dicit per Eucharistiam remitti venialia, tum quia datur per modum refectionis, tum etiam quia per illud sacramentum excitatur deuotio charitatis, cui venialia contrariantur. In præsentiarum tamen, solum dicit, infusionem gratiæ sufficere ad remissionem. Et est argumentum de omnibus sacramentis, quòd cum per se habeant infundere gratiam non opponenti obicem, quæ sufficit ad remissionem omnium mortalium, fortiori ratione remittant per se omnia venialia secluso merito actus suscipientis. Quanquam in Eucharistia, vt loco nunc citato vidimus, sit peculiaris ratio ad id accommoda. Et ideo Eucharistia singulariter definitur, remittere venialia. de cons. 2. can. Cum omne crimen.

Dubium circa 1. modum.

Crediderim ergo, vt medium hic constituamus, quòd per omne sacramentum remittantur omnia venialia solo illo actu concurrente, quo quis illud suscipit, quanquam non concurrat alius actus dilectionis. Et ille est vsus gratiæ, nam si per sumptionem aquæ benedictæ, quia per illum actum homo reuereretur rem diuinam, suscipit remissionem venialium, multo efficacius per actum, quo suscipit sacramentum. Ex quo fit, vt quodcunque sacramentum quis attritus putans se esse contritum suscipiat, remittantur illi venialia, quorum non adest obex: nam illa attritio per gratiam sacramentalem informata est vsus gratiæ.

Sententia Autoris.

De oratione Dominica est tex. de pœnitentia distin. 3. can. De quotidianis. supra citatus. August. in Enchiridio cap. 71. Et can. Tres autem. eod. tit. dist. 1. quem Gratianus citat. August. ad Felicianum, cum non sit nisi Epistola 108. ad Seleucianam, vbi ait: Est enim pœnitentia humilium, & bonorum fidelium pœna quotidiana, in qua pectora contundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, &c. De confessione autem generali, quicquid Paludanus distin. 16. quæst. 1. dicat, non est textus expressus, sed Ecclesiastica consuetudo. Hac enim de causa dicitur in Prima, & in Completorio, & à sacerdote sacrum facturo præmittitur ante gradum altaris. Sed de aqua benedicta est textus, de consecrat. dist. 2. can. Aquam. Et de eleemosyna eod. tit. d. 1. can. Medicinam. De alijs quamuis Caiet. contendat canones citare, nullus est tamen expressus, sed antiquissimus Ecclesiæ vsus sufficit. Hostiensis tamen est, qui super capit. Omnis vtriusque sexus. multa accumulat. De vnctionibus sacramentalibus capit. vnico. de sacra vnctione. habetur, quod vnctio visibilis & exterior signum est interioris & inuisibilis vnctionis.

Dubium. Quæ sit virtus in Sacramentalibus.

Dubium autem est de istis sacramentalibus, quam habeant virtutem remittendi venialia. Quidam enim sunt, qui non aliam habere censent, quàm quòd deuotionem excitant ad dolorem venialium.

2. Argu.

Hæc videtur sententia S. Tho. in solutione primi argumenti, quod est huiusmodi. Peccata venialia remittuntur per pœnitentiam formalem, aut virtualem, vt dictum est, sed aspersio aquæ benedictæ, benedictio Episcopi, & reliqua nullam habent rationem pœnitentiæ: ergo non sufficiunt ad remissionem. Et respondet ad minorem, quòd hæc efficiunt remissionem venialium, inquantum inclinant animum ad motum pœnitentiæ.

Resp. S. Th.

In contrarium tamen est, quòd sæpe qui se aqua lustrali aspergit, nullatenus excitatur, nec memoriam habet venialium: & è conuerso si quis aquam non benedictam accipiat, quam putat esse benedictam: quia est in introitu Ecclesiæ, quamuis de venialium cogitet remissione, non obtinebit per huiusmodi aspersionem eorum veniam. Dicendum ergo est hæc habere vim remittendi venialia ex vi clauium Ecclesiæ ex opere operato, vt patet ex verbis, quibus benedicitur aqua. Alioqui non plus faceret dicere Credo, quàm Pater noster, & aspergi aqua non benedicta, quàm benedicta, nec benedici ab Episcopo, quàm à simplici sacerdote. Vnde responsio S. Thomæ sic est intelligenda, quòd ista dimittunt veniale peccatum, quia inclinant animam ad motum pœnitentiæ. Non quòd semper requiratur illa excitatio, sed quòd de se ad hoc sint instituta. Quare illa suscipere tanquam per illum effectum ab Ecclesia accommodata censetur actus pœnitentiæ, quamuis in tunsione pectoris, oratione Dominica, & confessione generali expressior appareat pœnitentiæ imago.

Impugnatur solut. S. Tho.

Resp. dubij.

Explicatur resp. S. Th.

Quòd si contra arguas. Sequeretur ista censenda esse sacramenta, postquam ex opere operato effectum sortiuntur spiritualem, ac perinde subsequeretur Ecclesiam posse instituere sacramenta, quod supra dist. 1. reprobauimus. Ad primum respondit Diuus Thomas, superius quæst. 65. art. 3. negando consequentiam: quia ad rationem sacramenti est non qualemcunque effectum habere spiritualem, sed requiritur vt gratiam infundat. Sed huiusmodi venialium remissio non exigit gratiæ infusionem. Et inde colligitur, quod licet Ecclesia non possit instituere sacramenta, quia gratiam conferunt, potest nihilominus hæc instituere sacramentalia. Enimuerò quoniam hæc peccata frequentissima sunt etiam in viris circunspectis, consultum fuit vt tam multis tamque præsentaneis remedijs succurreretur eis.

Obiectio.

Solutio.

Tertiò arguitur. Peccata venialia inducunt aliquem reatum pœnæ temporalis, secundum illud 1. Cor. 3. Qui superædificat lignum, fœnum & stipulam, (id est, venialia) saluus erit, sic tamen quasi per ignem: sed huiusmodi sacramentalia nullam in se habent afflictionem pœnæ: ergo non sufficiunt remittere culpam & pœnam. Respondetur, per quodlibet istorum remitti veniale quantum ad culpam virtute alicuius satisfactionis, aut motus charitatis, aut affectionis erga diuina, vt expositum est. Non autem per quodcunque remittuntur quo ad pœnam: quia hac ratione qui esset prorsus immunis à mortalib. per solam aspersionem aquæ benedictæ, aut tunsionem pectoris euolaret in cælum sine transitu per purgatorium, quod non est concedendum. Remittitur ergo reatus pœnæ secundum quantitatem, & proportionem feruoris charitatis, qui per prædicta excitatur.

3. Argu.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm veniale peccatum possit remitti sine mortali.

De remissione vnius peccati sine alio quadruplex fieri potest combinatio. Prima, vtrum mortale vel originale remitti possit sine alio. Et hæc quæst. præcedenti art. 3. ad partem negatiuam definita est: quia cum talis remissio non fiat nisi per infusionem gratiæ, non potest fieri dimidiata venia. Secunda, vtrum vnum veniale possit remitti sine alio veniali. Et hanc in præcedentibus articulis huius quæstionis affirmatiuè terminauimus. Tertia, vtrum mortale possit remitti sine veniali. Et huius quoque pars affirmatiua vera est, quia vt dicebamus art. 2. complacentia venialis non obstat gratiæ infusioni, quæ ad remissionem mortalis est necessaria. Restat ergo quarta, vtrùm vice versa possit veniale remitti sine mortali. Ad quod D. Thom. negatiuè respondet tali conclusione. Illi, qui existit in peccato mortali, nullum veniale remittitur. Probatur, quia remissio cuiuscunque nunquam fit: nisi

Conclusio negatiua.

Digitized by Google

virtute gratiæ, secundùm illud ad Rom. 4. Ad gratiam Dei pertinet, quòd Deus alicui non imputet peccatũ. Vbi cùm absque exceptione loquatur, glossa etiam intelligit de veniali: cum peccato autem mortali gratia non est simul possibilis.

Scotus affirmat. Conclusio hæc S. Thom. quæ antiquorum est omnium, non erat cur ab aliquo in litem vocaretur. Nihilominus Scotus illi suo fundamento affixus, quòd peccatum remitti non est nisi pœnam condonari, vel solui, infert etiam in inferno posse dimitti veniale sine mortali. Quare æquiori ratione potest id in hoc seculo contingere. Vnde d. 15. quæst. 1. ait, quod iacens in mortali culpa potest satisfacere pro pœna peccati mortalis remissi, id quod & de venialibus non remissis concederet: quandoquidem apud ipsum eorum culpa non

Durand. est nisi reatus pœnæ. Atqui Durandus dist. 16. quæst. 2. confessus opinionem S. Thomæ esse doctoribus communem, nihilominus tenet contrarium: scilicet, posse veniale sine mortali remitti. Quamuis agnoscat remissionem culpæ aliud esse quam pœnæ. Quam

Gabriel. opinionem Gabriel eadem distinctione quæstione 5. clementiorem existimat.

Impugnatur Scot. Durand. & Gab. & egregie probatur conclusio scripturis. At verò quamuis huiusmodi opiniones mitiùs solebam reprobare, iam verò modò omnino se mihi repræsentant falsissimas. Haud enim isti attẽdunt quemadmodum nulla possit esse remissio culpæ in homine per eius actum, nisi sit Deo acceptus, quia inter nos & ipsum nulla est ratio iustitiæ, quæ ex nobis dimanet, sed secundùm suam acceptionem: cum ergo nullus actus peccatoris, quantumcunque sit moraliter bonus, sit opus amici Dei, nescio quo modo admittere queat per vllum peccatoris actum remissionem fieri culpæ quantumlibet leuissimæ. Vnde Ecclesiastici 34. Dona iniquorum non probat altissimus, nec eorum respicit oblationes, neque in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Et super illud Prouer. 15. Vota iustorum placabilia, ait ad Ricardum Gregorius. Neque enim apud Deum quid datur, sed à quo datur attenditur. Respexit enim Dominus ad Abel & ad munera eius. Quam ergo personam Deus non respicit, neque eius approbat satisfactionem. Remissio autem venialium non fit nisi per satisfactionem, iuxta verbum Baptistæ Ioan. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Super quibus verbis 21. de Ciuit. Dei. cap. vlt Augustin. dignas eleemosynas pro peccatis eas esse ait, quæ ab ipso peccatore incipiunt. Vnde colligit, quòd qui animæ suæ non miseretur placens Deo, nihil pro suis peccatis ei potest dignum offerre.

Opera peccatoris nil prosunt. Quinuerò nihil opus est sanctorum testimonijs, Dominus enim ipse clamat per Esaiam cap. 1. Væ genti peccatrici, &c. Et subdit: Quò mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocaustomatum arietum. Non offeratis vltra sacrificium frustra. Ad nihil ergo peccatorum opera Deo placent: nam si ad remissionem venialium valerent, non fierent frustra. Atqui vanum esset cauillum dicentis propterea illa opera non fuisse Deo grata, quòd mala fiebant intentione. Etenim nihil aliud ponitur in causa, quàm quòd fierent in peccato: quia s. eorum manus sanguine plenæ erant. Quare opera eorum respectu Dei erant quasi pannus menstruatæ, vt cap. 64. subditur. Vnde Paul. 1. Cor. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Obiectio. Ad quod subinde propositum optimè illud adducitur Matth. 5. Amen dico tibi, non exies inde, (scilicet ex carcere, in quem homo ob peccatum mortale includitur) quousque reddas nouissimum quadrantem, (id est, vsque ad leuissimam culpam.)

Dilutio. Accedit & maximum argumentum ex illo Matt. 6. Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Et tamen qui ait in peccato mortali posse dimitti veniale, subsequenter concedat oportet etiam illi, qui odio fratris tenetur, posse veniale remitti: quare impiè petit dicens, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus, &c. Quid pluribus? Concedere vllum prorsus peccati genus, nisi per Christum & meritum eius passionis, remitti, quem Paul. Rom. 3. & Ioan. in 1. Canon. c. 2. & 4. generalẽ propitiatorẽ & propitiationem patrẽ misisse affirmãt pro peccatis nostris, profectò nescio quomodo non sit impius error. Dicens ergo patet: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, docuit nihil sibi omnino placere, quàm quod ab homine, qui eius est membrum, per charitatem procedat. Et tamen si vera esset opinio Durandi, sine Christi virtute posset per actum viribus naturæ elicitum remitti peccatum, atque adeo Iudæis & Sarracenis, & idololatris illud posset remitti, quod patribus, crediderim, quid Pelagianum suboleret. Placuit rem, quę parua videtur, tam multis vrgere: quia certè non clementior, vt Gabriel existimat, sed impia, in Christum hæc opinio videtur.

1. Argum. Primum autem argumentum San. Thomæ sumitur ex glossa super illud Io. 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, quæ ait, omnes illos fuisse tunc in peccato mortali, quia venialia, inquit, per cæremonias eis remittebantur. At nomine illic venialium non intelliguntur illa, de quibus nunc loquimur, quia cæremoniæ illæ non emundabant animam, vt ait ad Hebræos † Paulus, sed irregularitates, quæ ex fluxu sanguinis, vel ex tactu morticinij atque alijs contrahebantur.

2. Argum. Secundò arguitur. Ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiæ infusio, sicut ad remissionem mortalis: ergo potest veniale remitti sine mortali. Hoc est argumentum primum Durandi paulò locupletius formatum. Mortale, enim, inquit, à veniali

1. Argu. Durandi. differt, quia in peccato sunt tria: scilicet culpa, quæ consistit in deordinatione actus, & offensa, quæ est priuatio gratiæ, & reatus pœnæ æternæ. In veniali autem non est, nisi deordinatio actus absque priuatione gratiæ, & absque priuatione pœnæ æternæ: ergo ad remissionem venialium sufficit ordinatio actus per displiccentiam illius. Argumentum autem & in minori claudicat, & in consequentia peccat: nam, vt supra dictum est, licet veniale non sit offensa simpliciter, quæ est priuatio gratiæ, est tamen offensa secundum quid, qua est quædam amicitiæ obscuratio, aliâs non haberet reatum pœnæ. Et ideò ad remissionem eius non sufficit quæcunque reordinatio, sed illa quæ sit Deo placens, & virtuti passionis Christi subnixa. Quare optimè respondet S. Thom. quòd quamuis hæc remissio non exigat infusionem nouæ gratiæ, requirit tamen aliquem eius actum.

2. Argu. Durandi. Secundò arguit Durandus. Si puer veniens ad vsum rationis committat peccatum veniale, quod sit solum cũ originali, in quo moriatur, vel punietur in inferno pro illo veniali, pœna finita vel infinita: si finita, fortiori ratione potuit in hac vita soluere, si vixisset extra gratiam: infinita verò non est dicendum puniri: quoniam peccato veniali non debetur pœna nisi finita. At

Solutio 2. arg. Dur. argumentum D. Tho. non admitteret casum: quoniam 1. 2. quæst. 89. ar. 6. probat venienti ad vsum rationis necessarium esse aut referre suam vitam in Deum, per auxilium speciale, per quam conuersionem remittitur originale, aut si id omittat, peccare mortaliter. De hoc autem nihil ad præsens. Si casus tamen admitteretur, ait Palu. dist. 16. q. 1. quòd posset ille satisfacere pro veniali fine remissione originalis. Sed profectò rationes modò factæ hoc falsissimum probant, sicut de existente in mortali. Et ideò indubiè dicendum est, quòd illi in limbo non posset remitti veniale, quòd non posset satisfacere: quia licet ei non deberetur nisi pœna temporalis, tamen ratione personæ, quæ non esset Deo grata, nunquam fieret solutio.

3. Argum. Durandi. Tertium argumentum addit Durandus, quod maioris videtur ponderis: quia opera existentis in peccato mortali, autore etiam D. Thoma in 4. dist. 15. q. 1. ar. 3. valent ad consecutionem temporalium bonorum, & ad nonnullam dispositionem ad gratiam: ergo & eadem ratione valebunt ad remissionem venialium. Ad argumentum respondetur primò, quod quamuis illic Diuus Thomas appellet meritum congrui, nullam tamen rationem meriti respectu Dei in actione peccatoris agnoscit, sed vocat meritum congrui, propter decentiam quæ est in Deo, vt vbicunque aliquam inuenit dispositionem, beneficium conferat. Imò non est tanta decentia, quanta si homo existens in gratia illa temporalia peteret. Perpendendi n. sunt tres gradus meriti.

Tres gradus meriti. Primus est de condigno, sub quo non cadit nisi bonum gratiæ & gloriæ ipsius personæ merentis, nec potest fieri, nisi ab homine qui est in gratia. Secundus est congrui propriè, & hic non est nisi in homine existente in gratia, qui potest mereri alijs bonum motum in Deum, ac subinde gratiam. Et potest etiam mereri bona temporalia, quæ non conferuntur ex iustitia, sed ex Dei æquitate & decẽtia. Tertius est minimè propriè

in

in homine existente in peccato, quando ex viribus naturalibus facit opera naturaliter bona, per quæ meretur bona temporalia apud Deum quatenus retributor est naturalium virtutum, tametsi auxilio nonnunquam supernaturali disponat peccatorem ad gratiam, à remotis tamen. Nulla ergo est consequentia qua infertur, valere illa opera ad remissionem culpæ, vt quæ absque vsu gratiæ fieri non potest.

Postremum argum. Postremò arguit S. Thom. Plus distat peccatum veniale à mortali quàm ab alio veniali: sed potest veniale remitti absque alio veniali. Negatur consequentia, quia veniale non excludit gratiam, per quam omnia peccata remittuntur, & ideo potest manere cum remissione alterius venialis. Sed mortale tollit gratiam, sine qua nullum peccatum, nec veniale, nec mortale remittitur.

DISTINCTIO DECIMASEXTA, DE REDITV PECCATORVM, ET RECVPERATIONE VIRTVTVM.

Cap. 1. MERITÒ autem antiqui Patres dubitarunt, vtrum peccata per pœnitentiam semel dimissa per subsequentè relapsum redeant. Quod quidam exemplo serui illius nequam apud Matthæum affirmare nituntur, qui cum misericordiam, quam à Domino remittente ei omne debitum, susceperat, conseruo suo non impendisset, iussus à Domino est in carcerem obtrudi donec nouissimum quadrantem persolueret. *Matth. 8.* Vbi Gregor. & refertur can. Constat. de pœnitentia. d. 4. Constat, inquit, quia si quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. *Greg. lib. 4. dial. cap. 60.* Et Rabanus, quod eadem dist. refertur, can. Si Iudas. Considerandum est, quòd dicit, vniuersum debitum, quia non solum peccata, quæ post baptismum homo egerit, reputabuntur ei ad pœnam, veram etiam peccatum originale, quod in baptismo ei dimissum est. *Rabanus.* Veruntamen his non obstantibus certum est peccata semel dimissa non redire quantum ad maculam, quatenus ab illis fuerat effecta, atque adeò nec quantum ad æqualem reatum pœnæ: quoniam condonatio Dei absoluta est, nullatenus ex futuro dependens: quare quod semel donauit, nunquam repetit, iuxta illud Paul. ad Rom. 12. Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei. Vnde can. Diuina. ead. di. Gelasius, Diuina, inquit, clementia dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur. Redeunt tamen per ingratitudinem, quæ vniuersalis conditio est omnium peccatorum, quæ post baptismum committuntur, licet peculiari modo in eo quod contra fraternam charitatem committitur, & in apostasia à fide, & in contemptu sacramentorum, per quæ peccata remittuntur, existat.

Cap. 2. Neque verò hæc sola est peccati prauitas, vt dimissa hoc pacto redire faciat, verùm & bona opera ex gratia & charitate profecta mortificat, iuxta illud Ezech. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur. Nam cum iustitia nostra apud Deum nulla sit, nisi quæ eius gratię innititur, per eius amissionem fit homo eorundem meritorum præmio indignus.

Cap. 3. At verò tanta est pœnitentiæ virtus, vt per ipsam non modo gratia & virtutes restituantur, verùm & mortificata opera reuiuiscant. *Luc. 15.* Quod exemplo illius filij Euangelici, qui dilapidatis bonis suis ad viscera tandem paterna refugit, commonstratur, dum pater eum indui iussit stola prima. Haud tamen necessum est, semper pœnitens in æquali gratia, & virtute resurgat, aut quòd mortificata merita ad æquale præmium vitam recuperent, sed potest vel in gratia æquali, vel maiori, vel minori resurgere. Pœnitentia namque, vt ait Ambrosius, *Ambros.* res optima est, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. Ob idque vbi perfectissima est, gratiam omnem amissam renouat. Vnde fit, vt vbi non est vsque adeò perfecta, secundum eius proportionem iactura resarciatur gratiæ & virtutum, quæ fuerant per peccatum mortificatæ. Vnde Hieron. vt distin. 50. can. Quicunque. refertur. Quicunque, *Hieron.* inquit, dignitatem diuini gradus non custodiunt, contenti fiant, animam saluare: reuerti enim in pristinum gradum difficile est. Dicens autem, difficile, non negat esse possibile. Veruntamen opera mortua, id est, quæ in peccato fiunt, quia ex gratia, quæ fons est vitæ salientis in vitam æternam, non emanarunt, vitam nunquam habere valent. *Ioan. 4.*

DISTINCTIONIS DECIMÆSEXTÆ,

Quæstio prima.

DE REDITV PECCATORVM PER POENITENTIAM DIMISSORVM.

S. Thom. 3. pär. quæst. 88.

ARTICVLVS I.

Vtrùm peccata remissa redeant per sequens peccatum.

AD tractatum effectus pœnitentiæ spectat explorare, vtrum pœnitentia sic peccata deleat, vt tamen per relapsum iterum dimissa redeant. Ad quam quæstionem D. Th. supposita distinctione sex conclusionibus respondet. Tria enim sunt quæstionis membra. Primò namque secundum bimembrem distinctionem præmittuntur duæ præambulæ conclusiones. Deinde duæ reprobantur opiniones. Ac demum subduntur quatuor conclusiones ad respondendum. In peccato quippe mortali, vt supra dictum est, duo perpendenda sunt: est enim auersio à Deo, & conuersio ad bonum creatum. Et quicquid ratione auersionis illi conuenit, est vniuersis mortalibus commune. Atque adeò macula, quæ fit per priuationem gratiæ, & reatus pœnæ æternæ, communia sunt omnibus mortalibus. In quo sensu ait Iacobus cap. 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus. Quod autem conuenit peccato ratione conuersionis, non est omnibus commune: siquidem hac ratione peccata sunt diuersa, & nonnunquam contraria, ac perinde eorum supplicia varia.

Est

Digitized by Google

1. Concl. Est ergo prima præambula conclusio. Manifestum est, quòd ex parte conuersionis peccatum mortale subsequens non facit redire peccata mortalia prius abolita, alioqui per peccatum prodigalitatis reduceretur homo in habitum vel dispositionem auaritiæ extinctæ prius, & sic contrarium esset causa sui contrarij, quod est impossibile. Atque adeò nec redit reatus pœnæ sensus, qui illis dimissis debebatur.

2. Concl. Secunda conclusio. Considerando in peccatis mortalibus absolutè id quod est ex parte auersionis, per peccatum mortale subsequens redit illud quod fuerat in prioribus ante eorum remissionem. Priuatur enim homo gratia, & fit reus pœnæ æternæ, sicut & prius fuerat. Veruntamen quia auersio in peccatum mortale ex conuersione quodammodo nascitur, fit vt ea quæ accidunt ex parte auersionis, diuersitatem quandam sortiantur, per comparationem ad conuersiones diuersas, sicuti ad diuersas causas: ita vt sit alia auersio, & alia macula, & alius reatus, prout ex alio atque alio actu peccati mortalis consurgit. Atque hoc, inquit, est, quod in quæstionem vertitur, vtrum macula & reatus pœnæ æternæ, qua ratione oriebantur ex peccatis priùs dimissis, redeant per peccatum mortale subsequens. Vt si quis, vel qui homicida, vel hæreticus fuerat, post adeptam remissionis gratiam committit mortale minus, v.g. furtum, redeat tanta macula, quantam habuerat per hæresim. Et quibusdam visum est simpliciter hoc modo redire peccata dimissa: quia nesciebant inter vnam auersionem & aliam discernere. Sed tamen id esse non potest: quia opus Dei per opus hominis irritari nequit: remissio autem priorum peccatorum fuit opus diuinæ misericordiæ: vnde per peccatum subsequens hominis non sic irritatur, vt perinde illa redeant, ac si non fuissent dimissa, iuxta illud ad Rom. 3. Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Et ideo alij ponentes peccata redire dixerunt, quòd Deus non remittit peccata pœnitenti postea peccaturo secundum præsentiam, sed solum secundum præsentem iustitiam. Præscit n. se pro eis peccatis eum æternaliter puniturum, tamen per gratiam facit eum præsentialiter iustum. Sed neque hoc veritati consonat: quia si causa absolutè ponatur, & effectus ponitur absolutè. Quapropter si per gratiæ sacramenta peccatorum remissio non fieret absolutè, sed cum quadam conditione in futurum dependente, sequeretur, quòd nec gratia, nec sacramentum esset causa sufficiens remissionis peccatorum. Nam quod ex alio semper pendet, non est per se sufficiens.

Quorundã opinio. *Refutatur.* *Aliorum opinio.* *Refutatur.*

3. Concl. Est ergo prima conclusio responsiua, quæ est tertia in ordine. Nullo modo potest esse, quòd macula & reatus præcedentium peccatorum secundùm quòd ex ipsis procedebant, redeant: nam si causæ non redeunt, non est cur effectus redeant. Igitur cum qui modò furatur, non ideo sit hæreticus, vel homicida vt prius, non est cur eadem prorsus macula redeat.

4. Concl. Quarta conclusio. Contingit, vt subsequens actus peccati virtute contineat reatum prioris, etiam nondum remissi, ea scilicet ratione, quod adijciens peccatum peccato bonitatem Dei contemnit tolerantis peccatorem, & ad pœnitentiam expectantis, secundum illud ad Roma. 2. Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ: videlicet, bonitatem Dei contemnens.

5. Concl. Quinta conclusio. Multò magis contemnitur Dei bonitas dum post remissionem prioris peccati homo relabitur in ipsum, vel in aliud: quia tanto maior est ingratitudo, quanto maiori beneficio opponitur, & maius est Dei beneficium peccatum remittentis quàm peccatorem sustinentis. Hac igitur postrema ratione per peccatum post pœnitentiam remissum redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non quatenus ex illis subsequatur, sed quatenus effectus est peccati vltimò perpetrati, quod ratione remissionis priorum aggrauatur.

6. concl. Sexta conclusio. Hoc non est peccata dimissa simpliciter redire, sed redire secundum quid, inquantum in ingratitudine postremi peccati priora virtualiter continentur.

Expositio articuli. Hanc quæstionem de reditu peccatorum theologi, ordinem Magistri Sent. secuti, disputant d. 22. Sed profectò legitimus ordo exposcit, vt disputationem remissionis peccatorum subsequatur sermo de eorum reditu. Et quidem prima conclusio cunctis perspicua est, s. quod per peccatum subsequens non redit præcedens, siue remissum, siue non remissum, secundum malignitatem, quam habebat ex obiecto, atque adeò nec redit secundum reatum pœnæ sensus: licet quidam, quos Magister Sent. distin. vigesimasecunda refert, dicerent simpliciter redire & quoad maculam, & quoad reatum pœnæ.

Sed contra illos probatur conclusio: quia non redeunt Deo autore: nam vt ait Paul. ad Rom. 11. sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Vnde cùm remissio peccatorum sit donum Dei, nunquam illud amplius imputatur, iuxta illud Naum 1. Non consurget bis tribulatio, vel secundum Septuaginta. Non puniet Deus bis in id ipsum. Et Ezechiel. 18. In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius amplius non recordabor. Quæ quidem testimonia ratione confirmantur, quia Deus non remittit peccata sub hac conditione, in futurum si relapsus non accidat: alioqui absolutio semper esset dependens, atque adeò imperfecta, ratione cuius non fieret homo amicus: sed est absoluta, vt forma absolutionis sonat. Ego te absoluo. Neque verò redeunt per factum hominis. Ob id n. quòd homo furatur, non impingit in homicidium, vel aliud flagitium, quod antea commiserat: quare non reuocatur amplius iudicium propter illa priora, iuxta verbum Pau. 1. Cor. 11. Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Clementior n. est Deus quàm homines, inter quos tamen postquam de aliquo crimine iudicatus est homo, & absolutus, non amplius de illo in ius defertur.

Deus non remittit peccata sub conditione. *Simile.*

Arguebant tamen fautores illi contrariæ opinionis. Per gratiam pœnitentiæ reuiuiscunt bona opera, quæ fuerant per peccatum mortificata: ergo pari modo per peccatum redeunt peccata remissa. Negatur tamen consequentia: primum, quia excellentior est vis clementiæ & gratiæ Dei ad viuificandum, quàm peccati ad mortificandum. Secundò, quia opera bona mortificari, non est omnino tolli, & aboleri, sed indigna reputari præmio, ad quod erant accepta, propter indignitatem personæ, quæ fit inimica Dei. Quare cum postea fit amica, opera reuiuiscunt, vt q. seq. latius patebit. Sed tamen peccata remitti, est omnino abstergi & tolli, iuxta illud Ioannis: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi: quod autem in nihilum abijt, redire non potest.

Obiectio.

Sed forsan scisciteris, vtrum Deus de potentia absoluta possit facere, vt eadem peccata isto modo redeant. Scotus n. q. 1. art. 1. concedit id posse facere, innixus tamen illi suo fundamento, quòd peccatum imputari non est nisi puniri, & habet pro comperto quòd Deus potest hominem pro peccatis dimissis punire ac si non essent dimissa. Sed tamen arbitror Deum nec de potentia absoluta posse facere, vt eadem peccata redeant quoad culpam, nisi iterum ab homine committantur. Primum, quia licet possit punire peccata eodem supplicio ac si non essent dimissa: hoc non est redire quoad culpam & maculam, vt dictum est. Secundò, quia illa afflictio tormentorum non haberet propriè rationem pœnæ, nam pœna non est nisi pro culpa: quare si non redit culpa, non redit pœna, & illud non esset punire, sed libere torquere hominem.

Dubium. An possit Deus facere vt redeant. Scoti opinio. *Autoris opin. negãs.*

Sed in secunda conclusione, quæ fundamentum est totius materiæ, nonnihil latet ambiguitatis, quatenus asseritur per peccatum subsequens eandem maculam redire & pœnam damni priorum peccatorum, sed tamen secundùm quandam diuersitatem. Macula n. est priuatio gratiæ: priuatio autem non recipit magis aut minus, nemo enim si est omnino cæcus, est magis cæcus, quàm alius: ergo eadem absque vlla diuersitate macula est in quibuscunque peccatoribus. Distingui tur minor: priuatio n. inquantum priuatio, præsertim indiuisibilis formæ, vt est gratia, non recipit magis aut minus, hoc est, nulla est maior priuatio quàm alia. Sed tamen macula non dicit simpliciter priuationem gratiæ, vt hic ait Diuus Tho. & 1. 2. quæst. 76. artic. 1. sed ipsam quatenus fit per peccatum. Quare qui plura grauioráue peccata commisit, quò maior peccator est, eò magis se elongauit à gratia Dei, & ideo maiorem habet maculam: veluti qui grauiori febri laborat longius distat à sanitate.

De 2. concl. difficultas. *Macula nõ est simpliciter priuatio.*

Et per id soluitur alia quæstio, vtrum pœna æterna, quæ est pœna damni, sit eadem pœna in omnibus damnatis. Durandus quippe d. 22. q. 1. eandem ait esse prorsus. Cui & Palùdanus ead. d. q. 2. & Capreolus subscribunt, parum ad præsentem literam D. Tho. attendentes.

Dubium. An pœna damni sit eadem in omnibus damnatis.

Ratio

Ratio eorum est, quia illa pœna non est nisi priuatio & carentia diuinæ visionis: quam superius S. Tho. q. 71. ar. 3. ad primum argumentum, ait non recipere magis aut minus. Quare nec tenebræ, inquit, inferni recipiunt magis aut minus. Item quia pœna damni est infinita, vt idem D. Tho. autor est 1. 2. q. 87. arti. 4. infinitum autem non recipit magis aut minus.

Opinio Durandi.

Sententiæ Authoris. Ratio. 1.

His tamen non obstantibus, crediderim quod sicut non est eadem macula, ita neque eadem pœna damni in omnibus damnatis. Et ratio prima est hæc: Pœna illa damni respondet maculæ peccatorum: ergo vbi maior est macula, maior est pœna. Itaque eadem carentia diuinæ visionis, licet non sit maior priuatio: quia priuatio, vt dictum est, non recipit magis aut minus, est tamen maior pœna. Et hoc est certè quod hic docet S. Tho. in hac secunda conclusione. Et arguitur secundò.

2.

Si hoc non esset verum, tanta pœna damni punitur puer in limbo, quanta Iudas in inferno, quod tamen est falsum, cùm carentia visionis non cruciet puerum, & tamen cruciet Iudam.

Dubium.

Sed rogas. In quo consistit illa maior pœna? Respondetur, in hoc certè, quòd illa pœna, quæ ex pluribus peccatis maiorique macula orta est, acerbiùs affligit miseros. Sed ais hoc solum probare, quod sit maior pœna sensus in eo qui turpius deliquit. Arguitur autem contra. Causa ex effectu perpenditur: cùm ergo illa tristitia & afflictio, licet sit pœna sensus, non solum ex igne & alijs cruciatibus succrescat, verùm ratione carentiæ Dei quæ est pœna damni, videlicet, quia maiori Dei odio & inimicitia è regno excluſi sunt, & inclusi illo carcere, fit vt eadem exclusio è cœlo, quæ est pœna damni, sit maior in vno quàm in alio. Etenim si priuatio illa visionis diuinæ alios non cruciat, vt pueros: alios verò cruciat, vt adultos, fit vt ex adultis alios quàm alios magis crucien. Et confirmatur: quoniam illi qui ab hac luce in maiori odio & inimicitia Dei decesserunt, maiori indignatione & ira exuruntur, quod per potestatem maioris sui inimici & magis sibi inuisi à cælesti regno exules illic detineantur. Nam etiam inter homines ciues qui à rege magis tyranno sibique magis inimico in exilium mittuntur, ægrius carentiam patriæ ferunt. Quod si arguas: ergo Deus de potentia absoluta nequit facere vt per peccatum minoris culpæ redeat eadem pœna damni, quæ oriebatur ex maiori culpa: profectò fateor, sicut supra diximus, vt redeant peccata quo ad eandem maculam culpæ, nisi eadem omnino committantur.

Ad postremum igitur respondetur argumentum, quòd etsi carentia illa visionis diuinæ sit infinita tam ex obiecto quàm duratione, recipit tamen magis aut minus respectu conuersionis, à qua ortum habuit.

Circa 4. & 5. concl. notan.

Circa intellectum quartæ & quintæ conclusionum notato, quòd cùm ait S. Tho. sequens peccatum grauius esse quàm prius non remissum, & multò grauiùs, quàm prius, si fuit remissum, non facit comparationem simpliciter secundum omnia, quæ in vno & in altero considerari possunt, sed secundum quid, putà quòd aliqua est noua ingratitudo in posteriori. Exempli gratia. Si quis fecit vnum furtum, & postea æquale ex obiecto & circunstantijs, propter ingratitudinem prioris tolerati aut remissi, secundum est grauius. Sed tamen si prius fecit homicidium, & postea furtum, non opus est vt furtum cum sua ingratitudine adæquet grauitatem homicidij prioris, quia cætera ex obiecto non sunt paria, vt ar. 3. latiùs explicabitur. Et multò magis crescit ingratitudo, quando prius fuit remissum, propter eam rationem, quòd peccatur contra maius beneficium. Et

Opinio Scoti de ingratitudine refutatur.

addit Scotus di. 22. q. 1. art. 3. quia peccatur contra plures obligationes: nam quoties quemque præteritorum legitimè pœnitet, noua, inquit, obligatione obligatur bene viuere, saltem in voto. Attamen vt vera sit Scoti sententia, non est intelligendum pœnitentem votum propriè emittere bene viuendi, sed duntaxat id proponere. Quare non est semper noua obligatio, vt sit per legem aut per votum, alioqui teneretur homo confiteri quoties proposuit bene viuere, nam tot vota esset transgressus: sed est noua obligatio tanquam iterati propositi, quod quidem propositum postea violatum non facit nisi maiorem circunstantiam ingratitudinis & inconstantiæ. Sed tamen aliter arguit ibidem Scotus contendens peiorem esse ingratitudinem primò peccantis post innocentiam, quàm peccantis post remissionem peccatorum. Sed hoc tangit articulo proximo Sanct. Tho.

argumē Scoti.

1. Argum.

Primum argumentum Sanct. Thomæ est, quod huic mouendæ quæstioni causam obtulit. Legitur enim Matth. 18. de quodam seruo, qui cùm ei dominus omnia dimisisset debita, similem misericordiam non fecit conseruo suo, sed miserum, vt debitum sibi redderet, vrgebat, quare iratus dominus eius tradidit eum tortoribus quousque redderet ei vniuersum debitum. Vbi adnotat Augustinus lib. primo de baptismo contra Donatistas ca. 12. & refertur de conse. distinctione quarta can. Quomodo Deus. peccata dimissa redire, vbicunque non est fraterna charitas. Fraterna charitas tollitur per quodcunque peccatum mortale: nam sublata paterna charitate Dei, fraterna manere nequit legitima: ergo per quodlibet sequens mortale redeunt omnino peccata dimissa. Respondet Sanct. Tho. Augustinum nihil aliud intelligere, quàm quod iam expositum est: scilicet, redire quantum ad maculam & reatum pœnæ æternæ si absolutè in se considerentur, non autem quod macula sit tanta, aut pœna etiam damni, vt expositum est, quia non redeunt, tanquam eadem macula & pœna ex peccatis prioribus resurgant. Quare nec redit eadem pœna sensus: quia nec redit eadem conuersio ad bonum commutabile. Et hoc confirmatur verbis eiusdem Augustini lib. de Responsionibus Prosperi, † vbi cum dixisset quòd non in id, quod remissum est recidit, scilicet, ille qui post baptismum relapsus est, quare nec pro originali peccato damnatur, subdit: Qui tamen ea morte afficitur, quæ ei propter peccata dimissa debebatur, quia scilicet incurrit mortem æternam, quam propter priora meruerat.

Respons.

† Resp. ad 2. obiect. gallor.

At verò maior difficultas est in verbo illo Euangelico, quo legitur seruum illum missum in carcerem donec redderet vniuersum debitum, puta quod fuerat dimissum. Respondetur tamen, quòd in parabolis, vt aiunt sæpe sancti, non debent omnia ad vnguem veritati respondere: primum enim illic non planè liquet seruum illum peccatum mortale commisisse, negans conseruo suo inducias soluendi debitum: nam vbi legitur quod eum suffocabat, non aliud intelligitur, quam quod instanter vrgebat vt solueret, quòd non erat contra legem, licet esset quædam moralis ingratitudo & crudelitas, cùm maius ipse beneficium suscepisset, sic illum premere, qui tunc soluendo non erat. Scio Caietanum & alios dicere, quòd seruus ille depingitur peccasse mortaliter, sed tamen ad vim parabolæ non est necessarium. Præterea inter homines ius non permittit, vt dominus, qui seruo semel debita omnia condonauerat, propter ingratitudinem, quam in conseruum committit, repetere id possit quod donauerat, & pro soluto acceptauerat: illa enim in iure dicitur acceptilatio, hoc est, quasi solutio. Est ergo perpendendum propositum inductæ parabolæ. Iusserat enim Christus Petro, vt quoties frater in se peccasset, noxam ei remitteret: voluit autem ostendere, quòd qui in fratrem suum non est misericors, indignum se facit, vt Deus eius misereatur. Quare in oratione Dominica docemur petere, vt nobis dimittantur peccata, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Eatenus ergo obseruanda sunt parabolæ verba, quòd si quis non est misericors in fratrem, siue illa durities peccatum sit mortale, siue veniale, indignus sit cui remittatur vel vnus obolus. Non quod quæ condonata ei fuerant, repetantur ab eo, sed ob ea quæ post debuerit, mittetur in carcerem quousque reddat vniuersum debitum. Quare licèt ad exaggerandam duritiem cordis illius serui prius referatur beneficium, quod susceperat à Domino, tamen Christus non vult concludere, quòd ipse repetet peccata dimissa, sed simpliciter quòd ei qui conseruo non remittit, nil remittetur à Domino. Imò peccata dimissa ad cumulum ingratitudinis adducentur. Similiter enim dixerat Matth. 5. de eo qui non consenserit cum aduersario suo in via, quòd mittetur in carcerem donec reddat nouissimum quadrantem. Vbi, donec, non dicit terminum quasi post sit exiturus, sed perpetuam vltionem ad rigorem iustitiæ.

Expositio parabolæ de seruo.

Caietan.

Secundò arguitur. Super illud Lucæ 11. Reuertar in domum meam, vnde exiui, ait Beda. † Timendus est iste versiculus necnon exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Ad quod respondendum, quòd Beda non loquitur de reditu peccatorum dimissorum, sed de illo, qui securus putat illecebram peccati præteriti esse extinctam, cùm tamen sit in periculo, ne iterum resurgat, & eum in simile peccatum conijciat.

2. Argu.

† Bed. in Luc. lib. 4. cap. 48.

Digitized by Google

3. Argu. Tertiò arguitur. Ait Dominus Ezech.17. Si auerterit se iustus à iustitia sua,& fecerit iniquitatem,omnes iustitiæ eius,quas fecerat,non recordabuntur: sed inter alias iustitias, quas homo fecit, connumeratur pœnitentia præcedens, quæ, vt dictum est, est pars iustitiæ: ergo cum quis post pœnitentiam relabitur,ipsa eadem pœnitentia, per quam veniam fuerat consecutus, non imputatur ei, atque adeo perinde illa peccata redeunt, ac si non fuissent remissa. Quomodo iustitiæ omnes & virtutes per peccatum mortificentur, latiùs videbimus q.seq. Nunc autem satis est respondere, quòd traduntur oblitioni duntaxat quatenus erant merita accepta ad vitam æternam, quæ amplius eis non debetur, non autem quatenus impediebant, vel auferebant alia peccata. Et ideo pœnitentia, quatenus erat meritoria,per sequens peccatum traditur oblitioni, non autem quatenus per ipsam remittebatur peccatum. Quare non fit homo reus debiti dimissi ac si non esset dimissum, eo potissimum, quod remissio illa Dei potiùs opus fuerat, quàm hominis.

Quomodo peccatoris merita oblitioni tradantur.

4. Argum. Quartò arguitur. Peccata præterita per gratiam tegunturvt patet per Apostolum ad Roman. 4. illud Psalmi allegantem, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: sed gratia illa per mortale subsequens tollitur: ergo peccata quæ tegebat deteguntur, atque adeo redeunt. Respondetur, quòd gratia simpliciter tollit maculam, & reatum pœnæ æternæ, in quo consistit remissio culpæ. Tegitque subinde actus præteritorum criminum, ne propter eos homo gratia priuetur, & ad pœnam imputetur æternam. Quare hoc nunquam redit quasi ab illis peccatis procedens. Deteguntur autem sublata gratia ad hunc sensum, quòd iterum homo propter peccatum subsequens damnatur pœna æterna.

ARTICVLVS II.

Vtrum peccata remissa redeant per ingratitudinem, qua specialiter est secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia habita.

POSTQVAM concluſum est generaliter peccata quodammodo per ingratitudinem redire, quæritur de quibusdam modis,in quibus ratio quædam specialis redeundi inuenitur. Ad quod Sanct. Thom. iuxta duo membra vnius distinctionis respondet duabus conclusionibus. Peccata enim dimissa dicuntur redire inquantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti. Hæc autem ingratitudo dupliciter committitur. Vno modo ex eo præcisè quòd fit contra beneficium Dei.

1. Concl. Et sic repetitur conclusio præcedentis articuli. Per quodcunque peccatum mortale subsequens redeunt priora peccata dimissa. Nam per quodcunque fit homo ingratus beneficijs diuinitus sibi collatis. Sed alio modo committitur ingratitudo, non solùm faciendo contra beneficium,sed contra formam eius & modum,quo fit: & ideo statuitur secunda conclusio.

2. Concl. Speciali quadam ratione ingratitudo quatuor generum peccatorum facit redire priora: nam forma collati beneficij vel attenditur ex parte benefactoris, qui ob suam clementiam est beneficus, contra quam formam facit,qui fratri petenti veniam non remittit,sed odium tenet. Vnde Gregor. 18. moralium. Ex dictis, inquit, Euangelicis constat, quòd si quid in nos delinquitur, & ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Vel attenditur ex parte pœnitentis, qui beneficium suscipit, qui quidem duplici motu mouetur in Deum dum veniam petit: nempe fidei formatæ,contra quam est ingratus, qui à fide apostatat, & motu liberi arbitrij in peccatum, ad quem primò pertinet vt peccata detestetur,contra quod facit,qui se pœnituisse dolet. Et secundò subijcere se clauibus Ecclesiæ, cuius propria ingratitudo est confessionem sacramentalem contemnere.

Duplex collati beneficij attendendi ratio

Vnde distichon.

Versiculi. *Fratres odit, apostata fit, spernitq; fateri,*
Pœnituisse piget, prisina culpa redit.

1. Argu. De his præterea quæ dicta sunt, nihil est adnotatu dignum. Arguit nihilominus S.Thom. Tantò est maior ingratitudo, quanto grauius est peccatum, quo post acceptum beneficium homo contaminatur: sed quædam alia peccata sunt istis acerbiora, vt blasphemia contra Deum, & peccatum in Spiritum sanctum: ergo per hæc specialius redeunt alia peccata dimissa. Negatur consequentia, non enim de his specialiter asseritur, quod per ipsa redeant alia, quia hæc sunt grauiora, sed quia directius opponuntur formæ beneficiorum, quæ a Deo recipimus. Nihilominus per alia acerbiora peccata potest ex alio capite grauior æstimari ingratitudo.

2. Argum. Secundum argum.tangit, vtrum etiam redeant culpæ originalis & venialium. Ait enim super Matt. Rabanus,† Nequam seruum tradidit Deus tortoribus donec redderet vniuersum debitum: quia non solum peccata, quæ post baptismum homo egit, reputabuntur ei ad pœnam, verùm & originale, quod in baptismo est ei dimissum: peccata autem venialia inter debita numerantur, pro quibus precamur, Dimitte nobis debita nostra: ergo ipsa quoque venialia redeunt: & pari ratione per veniale dum committitur, redeunt peccata præterita. Conceduntur duæ priores partes argumenti: nempe quod originale & venialia redeunt modo exposito, quatenus ingratitudo peccantis ex beneficio remissionis illorum augetur. Negatur tamen, quòd per veniale remissa redeant: quia cum illud non sit contra, sed præter Deum,per illud non incurritur propriè ingratitudo.

† *Habetur de pœnit. dist. 4. c.51. Iudas.*

3. Argum. Tertiò arguitur. Tantò est maior ingratitudo, quantò post maius beneficium acceptum quis peccat: sed innocentia est etiam beneficium Dei, qua peccata vitamus secundum Augustinum 2. Confessionum † dicentem, Gratiæ tuæ deputo quæcunque peccata non feci: ergo non minus Deo ingratus est, qui post innocentiam primò peccat, quàm relapsus post remissionem: imò ingratior,quàm aliquo istorum quatuor modorum delinquens. Hoc est argumentum Scoti di. 22. q. 1. ar.3 quo fateri conuincitur grauiorem esse ingratitudinem contra innocentiam, quàm contra remissionem: quia innocentia excellentius bonum est. Præclariùs enim Christus cum sua innocentissima genitrice egit, quàm cum peccatrice Magdalena. Cui & Caietanus in præsentiarum consentit. At verò opinio hæc & contra S. Tho. præsenti loco, & contra veritatem asseritur. Et primo triplex innocentiæ genus considerare possumus: vnum scilicet simpliciter, in quo Adam creatus fuit: secundum genus quodammodo dicitur status innocentiæ, quando homo est in originali solum, qui nunquam commisit mortale. Et tertium est innocentiæ baptismalis, dum scilicet quis ab originali ablutus est per baptismum. Atqui de secundo illo genere nil ad rem,quia non est status innocentiæ: & ideo si quis in solo originali veniens ad vsum rationis peccaret mortaliter, dici non potest grauius esse cæteris paribus, quàm si post illud cum originali remissum per similem culpam peccaret: nam secundum est contra beneficium remissionis, primum autem non nisi contra tolerantiam in peccato originali. De innocentia verò simpliciter, quæ fuit in primis parentibus, credo non loquitur Scotus: quia illa in illis perijt, sed loquitur de infante baptizato, qui veniens ad vsum rationis primum peccatum committit, quod putat esse grauius, quàm post ipsius remissionem in aliud simile recidere. Sed quod hoc sit falsum, probatur: tam in primis vt D. Tho. 2.2. quæst. 106.ar.2.& in præsentiarum, & Ricardus di. 22. q. 5. ar.1. & omnes antiqui aiunt, beneficium aliquod Dei potest æstimari maius alio dupliciter. Vno modo ex quantitate dati: quia scilicet in se maius est. Sed & alio pacto ex modo dationis: quia scilicet magis gratis est datum. Et sic illud æstimatur maius, quod minus fuit debitum. Et clarum est,quod inimicis minus debetur, quàm illis, qui nec fuerant amici, nec inimici. Quare licet innocentia data Adæ fuerit primo modo maior, tamen si postquam peccauit, remisit ei Deus culpam, venia fuit magis gratis data: quia inimico, cum innocentia non fuerit data nisi ei qui non fuerat inimicus: & cùm ingratitudo directè opponatur gratiæ, hoc est, rei gratis datæ, maior ingratitudo fuit in secundo peccato quàm in primo. Tametsi primum propter damnum, quia totum genus humanum spoliauit amicitia Dei, & propter alias circunstantias, potuit esse peius. Hoc autem non est ad propositum. Sed vt ad innocentiam pueri baptizati reuertamur,quamuis demus per primum peccatum tolli maius bonum priori modo, tamen secundum habet maiorem ingratitudinem: quia est contra

Scoti arg.

Triplex innocentia genus.

Beneficij Dei duplex æstimatio.

remis-

Digitized by Google

remissionem actualium, quæ facta fuit maiori inimico. Nam primum peccatum non fuit nisi contra beneficium remissionis originalis, quod non erat tanta inimicitia.

2. Argu. Sed secundo arguitur, quòd secundum sit maius: scilicet cæteris paribus, si ambo sint homicidia, vel ambo furta: nam per secunssum peccatum (quod Scotus & Caietanus non animaduertunt) non solum contrahitur ingratitudo contra remissionem primi actualis, sed etiam contra remissionem originalis per baptismum, per quem homo obtinuit innocentiam. Cuncta enim subsequentia crimina respectum ingratitudinis habent ad omnia præcedentia beneficia, & ad omnes remissiones peccatorum cuiuscunque generis. Quare Adam decimo etiam peccato peccauit contra beneficium innocentiæ, licet illam per primum perdiderit: quia per decimum fuit ingratus illi etiam susceptо beneficio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per ingratitudinem peccati sequentis consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimissorum.

QVIA dictum est per ingratitudinem redire peccata dimissa, quæritur vtrùm semper reatus ingratitudinis sit æqualis reatui omnium peccatorum remissorum. Fuerunt quippe, qui dicebant semper esse tantum reatum ingratitudinis, quantus fuerat omnium dimissorum criminum. Contra quos duæ faciles statuuntur conclusiones. Prima. Potest contingere, vt grauitas peccati post pœnitentiam commissi sit æqualis grauitati peccatorum præcedentium, ac perinde maior. Sed hoc non est necesse, imò potest esse multò minor. Enimuerò si quis furti veniam per pœnitentiam obtinuit, & postea simile commisit furtum, tantus reatus est secundi quantus primi, imò maior propter ingratitudinem, & multò maior si secundum esset homicidium. Si verò hæreticus, vel alioqui perditissimus homo suarum impietatum ac scelerum veniam adeptus relabitur in simplex furtum, reatus illius furti, quamuis eius ingratitudinem adiungas, non erit tantus, quantus fuerat præcedentium criminum dimissorum. Probatur: quoniam reatus præcedentium non redit per peccatum sequens, quasi ab illis peccatis remissis iterum nascatur, sed solùm quatenus per ingratitudinem continebantur in subsequenti. Secundò id præsius declaratur: quia vel reatus postremi est tantus ex obiecto peccati; & hoc non, quia ex illa parte est multò remissius: vel ingratitudinis. vt patroni illius opinionis putabant, censebant enim ponderandam ingratitudinem; & perpendendam secundum grauitatem peccatorum dimissorum propter argumentum, quod primo loco facit Sanct. Thom. Quanta fuerant dimissa peccata, tantum fuit beneficium remissionis illorū, & quantum fuit beneficium, tanta est ingratitudo: ergo tantus est reatus postremi peccati, quantus præcedentium remissorum, ac subinde tantus ingratitudinis reatus. Sed in contrarium doctè arguit D. Tho. quia licet beneficium remissionis tanti æstimetur, quanta fuit grauitas peccatorum, nihilominus non oportet ingratitudinis quantitatem absolutè æqualem esse magnitudini beneficij. Contingit enim, vt contra idem beneficium vnus sit magis, alius verò minus ingratus: quoniam duorum, qui idem beneficium susceperunt, vnus potest vel maiori despectu illud contemnere quàm alter, vel acerbius & granius crimen contra benefactorem committere. Quapropter ingratitudinis magnitudo debet perpendi ex magnitudine beneficij, non quidem absolutè, sed cæteris paribus: vel secundum proportionem contemptus, vel offensæ in benefactorem commissæ.

1. Concl. Ex ijs ergo colligitur secunda conclusio. Non est necesse, vt tantus sit semper reatus in peccato, per quod dimissa redeunt, quantus fuerat omnium illorum, nec ratione sui obiecti, nec ratione ingratitudinis, sed proportionaliter habito respectu ad beneficium remissorum, & ad peccatum, per quod redeunt.

Exp. art. Conclusiones istæ clarissimæ sunt, & in superioribus satis explicitæ. Ex quibus colligito, quòd si quis illorum criminum veniam consecutus. s. vnius vel alterius furti, committit postea graue homicidium vel adulterium, maior est ingratitudo in illo, quam si è conuerso postquam adeptus est grauiorum indulgentiam, paruum committeret furtum. Secundò ex his colligito, quod supra diximus, s. quòd non semper redit idem reatus pœnæ nec sensus, nec damni. Duran. enim. d. 22. & Palu. distinguunt inter pœnam sensus & pœnam damni, dicentes quòd non semper redit idem reatus pœnæ sensus, semper tamen redit idem reatus pœnæ damni: quia arbitrantur eandem prorsus esse in vniuersis damnatis. Hoc tamen iam à nobis reprobatum est. † Quare vbi non redit eadem pœna sensus, nec redit eadem pœna damni. Quocirca de vtroque suo modo intelligetur illud Deute. vigesimoquinto. Pro mensura delicti erit & plagarum modus.

Durandus.

† *Art. 1. huius.*

2. Argu. Secundum argumentum S. Tho. est. Peius peccat qui Deum offendit, quam qui offendit hominem, sed seruus qui à Domino manumissus eum offenderit, iure in seruitutem pristinam iteratò redigitur, vt habetur. 1. q. ca. Episcopus qui mancipium. & in Auth. vt liberti de cætero. §. 1. collat. 6. ergo multò magis ille qui à Deo libertate peccati donatus est in ipsum ingratus. Respondetur, quòd neque inter homines manumissus in pristinam reuocatur seruitutem propter quamlibet ingratitudinem, sed propter magnam; vt quando sine venia criminaliter accusat patronum, &c.

Tertiò arguitur. Dominus, vt legitur Matth. 18. seruum illum, à quo propter ingratitudinem remissa debita repetebantur, tortorib. tradidit quousque redderet vniuersum debitum: sed hoc non esset, nisi ex ingratitudine tantus consurgeret reatus, quantus fuerat omnium remissorum: ergo exurgit tantus. Ad hoc iam nos supra † respondimus non esse necesse in omnibus exigere similitudinem, sed respondet præterea D. Thom. quòd cui peccata redeunt propter ingratitudinem, in hoc duntaxat sensu redit vniuersum debitum, quòd numerus & grauitas remissorum in rationem adducitur ad æstimandam cæteris paribus grauitatem ingratitudinis.

† *Art. 1. in resp. ad 1. arg.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ingratitudo, ratione cuius peccata dimissa redeunt, sit speciale peccatum.

NEQVID inexplicatum S. Tho. relinquat, quærit tandem vtrum hæc ingratitudo, de qua loquimur, sit speciale peccatum, an verò non nisi conditio cuiuscunque peccati post pœnitentiam remissi. Ad quod S. Thom. respondet vnica conclusione. Ingratitudo peccantis quandoque est speciale peccatum, at non semper, sed est circunstantia & cõditio generalis cuiuscunque peccati, atq; eius specialiter quod committitur post pœnitentiam. Declaratur probaturque concl. Actus humani siue boni, siue mali, ex intentione speciem suscipiunt: quare 3. Ethic. † Philosophus, qui mœchatur, inquit, vt furetur, potiùs est fur quàm mœchus: si igitur quispiam in contemptum Dei, susceptique eius beneficij aliquod peccatum committat: nempe, quia non ex alia ignorantia vel passione delinquit, nisi vt contemnat beneficium Dei, tunc illud peccatum trahitur in speciem ingratitudinis, atque adeò erit speciale peccatum ingratitudinis. Verbi gratia: vt si quis fornicetur ea sola causa, vt Deum contemnat, duæ sunt illic peccatorum rationes formales, licet materialiter sit vnica actio: nempe fornicationis, & ingratitudinis, licet ille magis nominetur contemptor & ingratus, quàm fornicarius. Et huc tendunt duo arg. S. Tho. Sicut. n. gratiarum retributio est specialis virtus & pars iustitiæ, sic ingratitudo est speciale vitium, pertinens ad iniustitiam. Vnde Tullius Rheto. 2. gratiam ponit specialem virtutem, atque adeò ingratitudo illi contraria est speciale vitium. Dum verò quis non ex contemptu vel ingratitudine, sed ex alia passione homicidium vel adulterium committit, à cuius perpetratione non retrahunt eum vel honor Dei, vel eius beneficia suscepta, tale peccatum non trahitur ad speciem ingratitudinis, sed est in specie homicidij vel adulterij, cui annexa est ingratitudinis conditio. Vnde Aug. in lib. de natu. & gra. † Non omne peccatum, inquit, est ex contemptu, sed tamen in omni peccato Deus con-

Respons.

Prob. resp.

† *cap. 2. tom. 5.*

Arg. S. Thom.

Tullius.

† *cap. 9. tom. 7.*

Digitized by Google

temnitur. Quasi dicat. Non quicunque peccat, peccat vt Deum contemnat, & illi inobediens sit, sed nihilominus quia scit illud esse à Deo prohibitum, quacunque intentione homo peccet, in quocunque peccato est quædam generalis conditio inobedientiæ & contemptus. Illud autem, quod omnia peccata consequitur, non est speciale peccatum.

Ingratitudo quando necesse confitenda.

Hoc solum in præsentiarum est animaduertendum, quòd quandocunque ingratitudo est speciale peccatũ, tunc illa circunstantia est de necessitate confessionis. Vt si quis forte putet, vt Deo quem despicit, inobediẽs sit & eius legibus, non satis est, vt fornicationem confiteatur, nisi explicuerit hoc fecisse, vt Deo esset ingratus & inobediens: quia hoc esset singulare peccatum mortale. At verò quando ingratitudo non est specialiter intenta, sed est generalis conditio, dubium est,

Scotus.

vtrum sit de necessitate confessionis. Scotus n. d. 22. q. 1. art. 3. ait, quòd recidiuus debet in confessione explicare ingratitudinem sui peccati, confitendo vniuersa peccata dimissa tanquam circunstantias aggrauantes illa, quæ tunc confitetur, non quidem in speciali confitendo singula, sed neque illa exprimendo, at dicendo, De multis peccatis alias pœnitui, & credo quòd Deus mihi remiserat, & ideo nunc fui magis ingratus.

De ingratitudine generaliter accepta.

At verò quantum ad id quod ait fortè esse vtile omnia præcedentia in speciali confiteri, in primis certum est non esse necessarium, imò forsan nec semper vtile illa toties in memoriam reuocare, quando sunt multa absurda, & homo certus est legitimam omnium semel aut bis fecisse confessionem. Confessio autem illa generalis. Peccaui in multis, &c. negari non potest quin sit salubris, ad maiorem humiliatem, quæ per verecundiam augescit. Sed tamen neque ad explicandam ingratitudinem est necessaria: nam talis ingratitudo, vt modo dicebamus, non est speciale peccatum, neque verò semper est tanta, vt necessitatem confessionis inducat. Fornicatus est quis, aut furatus semel aut bis, licet iterum recidat, non est ingratitudo tanta, vt sit de necessitate confitenda: sed tanta esse potest, vt si quis sæpe & sæpissimè remissionem obtinuit peccatorum, liberatusque fuit à multis periculis, in quæ eorum causa fuerat coniectus, tunc profecto licet ingratitudo non sit speciale peccatum, est tamen circunstantia necessariò confitenda. Sed præter rationẽ ingratitudinis, vt dist. 18. videbimus, crebrò est necessarium inolitam consuetudinem confiteri, vt commodius adhibeantur remedia & cautela in posterum.

Refutatur.

Notæ.

Quæstio secunda,

DE RECVPERATIONE VIRTVTVM POST POENITENTIAM.

S. Thom. 3. par. quæst. 86.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per pœnitentiam virtutes restituantur.

PRIMVS est ordo, vt post reditum peccatorũ per ingratitudinis habem, de reditu gtiæ & virtutum per pœnitentiam disputetur. Primò in genere, vtrum per pœnitentiam virtutes restituantur. Cuius breuissima est responsio per vnam conclusionem. Per pœnitentiam omnes virtutes restituuntur. Probatur ex illo Lucæ 15. Vbi pater mandauit filium, qui bona sua dilapidauerat, stola prima indui, quæ secundùm Ambrosium † est amictus sapientiæ, quam simul insequuntur virtutes omnes, iuxta illud Sap. 8. Sobrietatem & iustitiam docet, prudentiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Et ratione confirmatur. Per pœnitentiam, vt dictum est, peccata remittuntur: remissio autem peccatorum esse non potest, nisi per infusionem gratiæ: per pœnitentiam ergo homini gratia infunditur, ad gratiam autem consequuntur omnes virtutes & dona, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ: sunt n. virtutes potentiæ, quibus gratia operatur: fit ergo, vt per pœnitentiam omnes virtutes restituantur.

Conclusio.

† Lib. 8. in Luc. de duobus filijs, sup. hũ. locum. Tom. 5.

Expositio articuli.

Conclusio hæc sic in genere asserta nemini dubia est: imò si pœnitentia accipitur, vt est sacramentum, eodem gradu fidei tenendum est per ipsam infundi gratiam ac subinde virtutes, quo de sacramento baptismi affirmatur. Præterquàm quod cum fides, & spes informes in peccatore permaneant, ei qui non apostatauit à fide, non infunduntur per pœnitentiam duo illi habitus, sed informantur gratia & charitate, quas tunc suscipit. In apostata verò dum in gremium Ecclesiæ redit, habitus etiam ipsi cum cæteris per pœnitentiam restituuntur. Quinuetò regula sit vniuersalis, quòd siue per sacramentum quodcunque, siue per internam conuersionem virtutis pœnitentiæ, vbicunque infunditur gratia, infunduntur virtutes, quæ sunt restitutu possibiles: nam virginitas simpliciter restitui non potest, sicut neque innocentia, vt articulo tertio patebit. De virtutibus autem acquisitis nullus est hic sermo, illæ enim non generantur nisi ex similibus actibus.

1. Argu.

Est autem primum argumentum S. Tho. Nequeunt virtutes amissæ per pœnitentiam restitui, nisi ipsa sit earum causa: pœnitentia autem est virtus: ergo non est causa omnium: nempe sui ipsius, imò cum pœnitentia, vt dist. 14. q. 2. art. 5. dictum est, virtutes theologicas, puta fidem, spem, & charitatem præsupponat, sit vt neque illarum sit causa. Respondetur eodem modo per pœnitentiam restitui virtutes, per quem pœnitentia est causa gratiæ: pœnitentia verò inquantum est sacramentum, est causa instrumentalis gratiæ, vt supra dictum est, sed tamen inquantum est virtus, potius est gratiæ effectus: quoniam nulla est simpliciter virtus, nisi quæ ex gratia procedit; & ideo inquantum pœnitentia est virtus, per ipsam non restituuntur virtutes, imò ipsa potiùs simul cum cæteris per sacramentum pœnitentiæ infunditur, & posterius natura, quàm, theologicæ, vt distinctione 14. quæstione 2. articulo sexto visum est.

2. Argu.

Secundò arguitur. Pœnitentia in quibusdam actibus pœnitentiæ consistit: sed virtutes gratuitæ, id est, infusæ non generantur ex actibus nostris, sed vt in lib. de libero arbitrio ait August. † illas Deus in nobis sine nobis operatur: ergo per pœnitentiam non restituuntur virtutes. Respondetur eadem distinctione, quòd si pœnitentiam vt est sacramentum, contemplemur, actus pœnitentis non sunt nisi causa materialis illius, sed vis sacramenti pendet ex virtute clauium, quæ applicatur per formam, Ego te absoluo, & ideo virtus clauium, quæ est instrumentalis virtus Dei, efficit gratiam & virtutes. Sed tamen actus primus pœnitentis, nempe contritio, se habet vt vltima dispositio ad gratiam consequendam. Alij verò sequentes actus pœnitentiæ, scilicet confessio & satisfactio, procedunt ex gratia & virtutibus. Sed arguitur contrà. Contritio est actus simpliciter virtutis infusæ, vt supra diximus, ergo informatur gratia, atque adeo subsequitur illam: id autem quod posterius est, nõ potest esse dispositio ad id quod potius est. Caietanus respondet hic quòd contritio potest considerari vt nuda & informis, atque hac ratione est dispositio ad gratiam. Et potest intelligi vt formata, & tunc est posterior. Hoc autem alij vix intelligunt: arbitror tamen intelligendum esse quemadmodum loco citato d. 14. q. 2. art. 6. id interpretati sumus: videlicet quod cum contritio & à libero arbitrio & à gratia procedat, si consideretur duntaxat, vt à libero arbitrio procedit, non est vera virtus meritoria, sed est vltima dispositio materialis ad gratiam, atque adeo ad virtutes gratiam consequentes, sicut dispositio ad introductionem animæ rationalis est pariter dispositio ad introductionem potentiarum & passionum subsequentium. Si autem consideretur, quatenus procedit à gratia, tunc habet veram rationem contritionis, & sequitur virtutes theologicas. Quare contritio, vt sit à libero arbitrio, est dispositio ad seipsam, vt sit à gratia. Confessio verò inde procedens manifestum est procedere ex gratia, & potissimùm satisfactio, quæ sequitur formam absolutionis. De illo autem, qui attritus confitetur, nulla hic habetur ratio.

† Lib. 2. c. 18. Tom. 1.

Instantia.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Studiosus, qui habitu pollet virtutis,

tutis, absque difficultate lætus operatur: vnde Philosophus † Ethic. † non iste, inquit, iustus, qui virtutis opere non gaudet: sunt autem pœnitentes, qui virtutum officia non cum delectatione, imò cum grauedine & segnicie exercent: ergo per pœnitentiam non restituuntur virtutes. Negatur consequentia. Sed causa difficultatis est, quod cùm per pœnitentiam, vt supra dictum est, non prorsus omnes abstergantur peccatorum reliquiæ: nempe vitiosi habitus acquisiti & languores, quamuis restitutæ virtutes infusæ per se inclinent & instigent ad bonum, homo patitur difficultatem quousque illi habitus per contrarios actus pellantur: sicuti si è somnolentia vel alio corporis morbo difficultatem sentiret in operando.

† lib. 1. cap. 8.

ARTICVLVS II.

Virum post pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute.

QVoniam virtutes restitui perfectè possunt & imperfectè, quæritur, vtrum homo semper surgat in æquali virtute. Ad quod D. Tho. duab conclusionib respondet.

Prior. Secundum quod motus liberi arbitrij in pœnitentia est intensior, vel remissior, secundùm hoc pœnitens cõsequitur maiorem vel minorem gratiam. Probatur. Motus liberi arbitrij, vt superius dicebamus, est in iustificatione impij vltima dispositio ad gratiam, quemadmodum proximè explicabamus, qua ratione procedit à libero arbitrio: ob idq; eodem momento cum eodem motu fit gratiæ infusio, vt 1. 2. q. 112. art. 7. monstratum est: motus autem ille includit actum pœnitentiæ: formæ verò, quæ recipere possunt magis aut minus (vt substantiales excludas) intenduntur & remittuntur secundùm diuersam dispositionem subiecti: intensior enim calor in lignum siccum inducitur, quàm in viride: ergo secundum proportionem contritionis fiet restitutio virtutum.

Prior conclus.

Posterior conclusio est prioris corollaria. Pœnitens quãdoque consurgit in maiori gratia quam priùs habuerat, quandoque in æquali, quandoque in minori. Probatur. Nam contingit quandoque resurgentis contritionem proportionari maiori gratiæ quam habuerat, quandoque verò æquali, & quandoque minori, atque idem est de infusis virtutibus iudicium.

Posterior conclus.

Quæstionem hanc varietas opinionũ celebrem fecit. Et quia multum refert eius veritatẽ liquidò eruere, operæ pretium est in eius explicatione nonnihil immorari. Et primò, vt mentem S. Thom. in ordine articulorum huius quæstionis percipias, distinguendum est inter virtutes & virtutum opera. Virtutes namque, sicuti & gratia, per peccatum omnino tolluntur, nisi quod fides & spes manent informes. Et ideo in trib. prioribus articulis agitur de reditu gratiæ & virtutum. Opera verò virtutum, quæ fiunt ex gratia, non propriè tolluntur, sed mortificantur, & vt sic dicamus, suspenduntur. Quare de eorum mortificatione & viuificatione agit in tribus subsequentibus. Quæstio ergo præsens in quanta. S. gratia homo resurgat, respectum etiam habere debet ad opera meritoria, quæ homo ante peccatum fecerat, per quæ gratia eius aucta fuerat. Et quamuis de ista quæst. tot ferè fuerint sensus quot capita, quatuor tamen sunt opiniones, quæ in scholis versantur.

Exp. art.

Prima quidem fuit Henrici Gandensis quodlib. 5. q. 23. qui ait omnes resurgentes in gratia æquali resurgere. Itaq; si illos inter se conferas, siue ab æquali gratia omnes ceciderint, siue ab inæqualibus gradibus siue per æquales contritiones resurgant, siue per gradus inæquales, omnes in æquali gradu resurgunt. Facit ergo homines resurgentes pueris similes dum baptizantur, quos gratiam æquali gradu suscipere supra † monstrauimus. Hinc sequitur secundùm istum autorem nonnunquam resurgentem in gratia æquali resurgere illi, à qua ceciderat, & quandoque in maiori, & quandoque in minori. Sed diuersa ratione ab hac S. Tho. Non scilicet quia gratia respondeat motui resurgentis, sed quia Deus omnibus æqualem confert gratiam. Hæc tamen opinio meritò ab omnibus tanquam incredibilis refutatur. Primum. n. sequeretur, quod nil referret pœnitentem feruentissimo contritionis motu resurgere, aut tepidissimo: quod mens sana concedere abhorret. Deinde sequeretur, quod in quodcunque mortale delictum homo collaberetur, nulla prorsus in perpetuum haberetur amplius ratio apud Deum retroactæ vitæ quantumcunque sanctissimæ. Quod magis etiam absonum apparet. Demus hominem ceu Ioannem Baptistam longo temporis curriculo vixisse sanctissimè, qui fortè vnum mortale delictum solo mentis consensu commisit, & extemplo ardentissimo doloris affectu eum sui delicti pœnitet. Demus verò alium flagitiosissimum, qui eodem tempore scelestissimè vixit, & tepidissimo contritionis motu conuertitur, isti secundum hanc opinionem in æquali gratia resurgunt. Quod adeò est concessu absurdum, vt nulla in opinione maneat probabilitas.

Quatuor opiniones. Prima opinio Henrici de Gandauo.

† Dist. 6. q. 1. ar. 6.

Reprobatur opi. Henrici Ganden.

Sed videamus eius rationem. Arguit. n. sic. Gratia, vt ait Paul. † & contra Pelagium decretum est, non fit ex nostris operibus, sed à solo Deo: ergo in nobis nullus est motus, qui sit eius causa, sed tantùm a nobis exigitur ei non resistere: hæc autem non resistentia, non est nisi negatio: nempè non inhærere peccato: negatio autem non recipit magis aut minus, & ideò sic in omnib. est æqualis: Deus autem non est personarum acceptor: ergo omnibus in gradu æquali gratiam confert. Et confirmatur, quia si aliquod opus nostrum requireretur, ex illo penderet gratia Dei, contra illud ad Rom. 9. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.

Ratio Hẽrici.

† Rom. 11.

Sed profectò ratio peior est quàm opinio: nam dicere quòd nullus actus conuersionis in nobis requiratur, est negare motum liberi arbitrij in peccatum esse necessarium, atque adeò actum virtutis pœnitentiæ & conuersionis in Deum, contra illud Iohel 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. & Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. & Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis, quibus quamplurima similia superius relata sunt. Item si non resistere Deo nihil esset, quàm pura negatio, naturaliter se homo posset ad gratiam disponere, quod est Pelagiano errori germanius. Respondetur ergo, quòd non resistere Spiritui Sancto non est mera negatio, sed consentire eius motioni, iuxta verbum Christi Ioan 6. Qui audit & discit, venit ad me, & ille motus est dispositio ad gratiam. Vnde ad eius argumentum per illam distinctionem gratiæ respondetur, quam D. Tho. 1. 2. q. 112. art. 2. declarat. Accipitur enim vno modo pro gratia gratum faciente, atque alterp pro auxilio speciali, qui est motus Dei. Et quidem ad auxilium speciale nulla in nobis dispositio prærequiritur: illud enim est tractio Dei, qua Deus nos præuenit mouendo liberum nostrum arbitrium. Ille autem motus, vt suprà dicebamus, per quem Deo consentimus, est vltima dispositio ad gratiam gratum facientem. At verò, quia vt est à libero arbitrio non est meritoria, fit vt gratia non sit ex nostris operibus: nam fieri ex operibus, est fieri ex nostris meritis: & quia idem motus noster præuenitur ab auxilio Dei, nullatenus gratia pendere censetur à nostris operibus. Restat ergo opinio salua, quod secundum nostram dispositionem homo resurgit in gratia & virtutibus.

Rationis refutatio.

Rationi satisfacit.

Dilutio argumenti Henrici Gandẽsis.

Sed hoc admisso est. 2. opinio Scoti dist. 22. q. vnica. art. 2. vbi ait, quòd omnis resurgens à peccato resurgit ad maiorem gloriam, quàm fuerat illa, ad quam antequam deliquerat erat ordinatus. Non tamen oportet, vt semper resurgat ad tantam gratiam, quanta fuerat illa à qua ciciderat. Quod enim ad maiorem gloriam resurgat probat, nam gloria respondet meritis: omnis autem resurgens plura habet merita, quàm ante casum: nam habet illa omnia, à quibus ceciderat quæ reuiuiscunt, & præterea actum contritionis dum resurgit. Quod autem non oporteat resurgere ad tantam gratiam probatur: quia gratia, inquit, non datur nisi secundum dispositionem in detestãdo peccatum commissum intensè vel remissè: quare existimat non resurgere nisi in tanta gratia adæquatè, quantus fuit actus detestationis. Et fundamentum ipsius est, quòd gratia & charitas, vt censet, sunt idem: habitus autem charitatis crescit secundum quantitatem actus. Sed profectò quòd quis resurgat ad maiorem gloriam quàm gratiam, res est prorsus inopinabilis: nam gratia, quidquid quis fingat, esse nõ potest aliud quam acceptatio ad gloriam: quare resurgere ad gloriam, vt decem, nihil aliud est quam esse acceptum ad gloriam vt decẽ, atque adeò habere gratiam & amicitiam vt decem. Et confirmatur. Si homo esset gratus Deo non per qualitatem, quæ in eo existeret, sed quia diligitur ab eo,

2. Opinio Scoti.

Probatio Scoti.

Probat. 2.

Fundamẽtum Scoti.

Opi. Scoti refutatur.

1. Argu.

Confirm.

Digitized by Google

sicut ego sum gratus amico, profectò fingi non posset, vt sim acceptus ad gloriam vt decem, quin fuerim gratus vt decem, & dilectus vt decem. Itaque tria hæc, diligi, gratum esse, & acceptum ad gloriam, sunt semper paria: ergo licet gratia sit qualitas, qua homo dicitur gratus & dilectus & acceptus, æqualis erit & gloriæ & meritis. Alia autem ratio est de habitu charitatis, qua homo diligit Deum, nam cum sit habitus potentiæ, non augetur per actus remissiores illo, vt alio loco superius diximus. Secundò arguitur.

2. Argu. Si homo resurgit ad tantam gloriam, quanta respondebat meritis a quib. cecidit, & præterea ad illam qui contritioni adæquatur, cum illa essent accepta ad illam gloriam per aliquam gratiam, fit vt resurgat ad eundem gradum gratiæ, præter illum qui respondet contritioni. Profectò nescio quid verè ad argumentum responderi possit. Fingit autem Scotus, quòd cùm quis cecidit a gratia & meritis, alius gradus gloriæ respondebat meritis, & alius gratiæ; & ideo resurgit homo ad illam gloriam respondentem meritis, quia omnia reuiuiscunt sed non reuiuiscit prior gratia, si erat minor quam merita: quia illam iam homo receperat à Deo, nam erat opus Dei: quare si perdidit, non est dignus vt amplius recipiat. Merita verò, quia non fuerunt præmiata, reuiuiscunt. Sed re vera & hoc etiam est inopinabilius, quomodo scilicet alia gloria respondeat meritis, & alia gratiæ, cum non sit nisi acceptatio meritorum ad gloriam. Cùm. n. homo facit opus meritorium vt vnum, necesse est vt gratia respondeat illi vt vnum: si autem alia gloria respondet gratiæ, & alia merito, per illud meritum vt vnum, obtineret homo meritum vt duo: cum ergo hoc sit manifestè falsum, fit vt eadem gloria meritis & gratiæ respondeat.

Scoti commentum.

Refutatur

Quòd si loquamur de gratia collata paruulis propter merita Christi, etiam illa est acceptatio ad gloriam. Quare nulla est ratio, cur homo resurgat ad gloriam respondentem proprijs meritis, & non ad illam quæ respondet illi gratiæ. Postremò arguitur etiam ad hominem. Si homo resurgit semper ad gloriam respondentem omnibus meritis: ergo resurgit ad eandem charitatem quam habebat: & cùm secundùm Scotum gratia & charitas sint idem, resurgit ad gratiam præcedentem, atque adeo non ad illam solam, quæ contritioni resurgentis respondet.

Vltimum ad hominē

3. Opi. Nominaliū. Tertia est opinio Okam in 4. q. 8. quem Gabriël distin. 14. q. 3. art. 3. & Almain & Maioris. dist. 22. atque alij nominales sequuntur: videlicet, quòd homo semper resurgit ad maiorem gratiam & gloriam: nempe ad illam quæ contritioni respondet, & ad omnem illam, à qua homo cecidit. At verò ex hac opinione multa incredibilia subsequuntur. In primis enim consequitur, quòd si quis innocentissimus, vt Ioannes Baptista (mittamus enim sacratissimam virginem) qui magnis meritis copiosissimum gratiæ cumulū adeptus in multa collaberetur flagitia & scelera, & postmodùm minimo legitimæ contritionis motu ad mentem rediret, consequeretur, inquam, quod iste per minimum illum contritionis motum ex Dei auxilio procedentem eodem momento copiosissimam illam gratiam & gloriam meritis respondentem recuperaret, quod profecto nescio quis concedat. Nam vtcunque Deus sit ad miserendum promptissimus, tamen quod ad tantum amicitiæ gradum hominem flagitiosissimum, eundemque ad se tepidissimè conuersum vno momento reciperet, non videtur eadem sapientia & iustitia permittere. Inter homines enim, ex quibus ad Deum argumentum sumere licet, qui regi fuerat arctissima amicitia coniunctus, si illi sit deinceps multis modis iniurius, non qualicunque amicitiæ reconciliatione ita facilè ad tantum gradum apud regem admittetur. Ait Hieronym. quem ar. tertio citat Sanctus Thomas, Quicunque dignitatem diuini gradus non custodiūt, contenti fiant animam saluare: reuerti enim in pristinum gradum difficile est: & tamen isti totam gratiam recuperare facillimum faciunt. Sed secundo arguitur ex ratione S. Tho. Contritio resurgentis non solum est vltima dispositio ad gratiam, quæ tunc confertur, verùm & ad illam, per quam opera mortificata viuificantur: ergo sicut gratia noua datur secundum quantitatem illius dispositionis, ita & antiqua debet secundum eius proportionem restitui.

Refutatur

2. Argu.

Tertio arguitur experientia, qua constat, viros, qui integerrimam vitam longo tempore degerunt, si postea vitijs illam contaminent, segniores se sentire dum resurgunt ad virtutum officia, quod non potest totum prauis habitibus acquisitis attribui: nam certè si ad maiorem gratiam semper resurgerent, maiori quoque charitate imbuerentur, quæ cùm, vt ait Greg. otiosa non sit, sed magna operatur vbi est, difficultatem illorum habituum superaret. Quapropter viri prudentes, qui ab optima vita ceciderūt, eamque corruptis moribus deturparunt, vix putant ad pristinum redire gradum, quem ideo congeminatis pœnitentiæ fructibus recuperare contendunt, tantum abest, vt minimo contritionis actu illum arbitrentur lucrifecisse. Sunt nihilominus contrariæ opinionis argumēta nonnulla, vt illud Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et rursus cap. 33. Impietas eius non nocebit ei, si egerit pœnitentiam. Et Iohel. 2. postquam dixit. Conuertimini ad me, &c. subdit. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta & bruchus. Et Ambro. † quem refert D. Tho. arg. 2. ait quòd pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. Cui consonat illud Lucæ 15. dum pater præcepit filio restitui stolam primam. Ex quibus apparet omnem gratiam in integrum restitui, alias peccatorum pœnitentis Deus in perpetuum recordaretur, cum propter ipsa non tanta gratia mortificata opera viuificaret, atque adeo semper ei nocerent, & aliquo pacto punirentur in patria, quandoquidem propter ipsum perpetuo priuaretur homo aliquo gradu gloriæ, qui respondebat mortificatis meritis.

Argumenta in contrarium.

† *Quod habet Aug. 3. hipogn. tom. 7.*

Veruntamen vt ad hæc perspicacius respondeamus, explicare oportet opinionem quartam S. Tho. Est enim, quod gratia & virtutes præteritæ restituuntur secundum quantitatem, & proportionem contritionis, qua homo resurgit. Et hæc est opinio doctorum antiquissima, vt Alex. 4. p. q. 57. membr. 5. & Alber. d. 14. & Bona. in 2. part. eiusdem distinctio. art. 2. q. 1. & Duran. in 3. Sent. d. 31. q. 2. Potest tamen opinio duos habere sensus: vnus, quod gratia pristina recuperetur, ad æqualitatem contritionis resurgentis, itaque si contritio est vt vnum, gratia sit simpliciter vt vnum, & si vt quatuor, gratia erit simpliciter vt quatuor. Et hic est sensus quem Thomistæ sustentare consueuerunt, & quem Capreo. d. 14. q. 2. insinuare videtur, licet non se clare explicet. Et sunt qui arbitrentur esse sententiam S. Tho. inferius. art. 5. quem locum tunc explicabimus, monstrantes nunquam id S. Tho. somniasse. Quicunque igitur fuerit sensus huius autor, tum falsissimus est, tum menti S. Th. aduersissimus. Primum ex isto sensu sequitur illud absurdum quod contra Henricum inferebamus, quòd si vir quinquaginta annos sanctissimam vitam agens, fortè vno leui mortali in fine vitæ deliquit, & alius, qui totam vitam flagitijs contaminauit, eadem contritione resurgerent, ad æqualem gratiam & gloriam reuocarentur, atque adeò illius sanctissimæ vitæ nulla haberetur ratio, quod profecto sapientis animus concedere abhorret, quod tamen isti concedunt. Secundò arguitur. Secundùm istos sequeretur, bona opera per peccatum mortificata non viuificari per pœnitentiam, cuius contrarium affirmat & docet S. Th. art. 5. Et testimonia modo citata firmissimè asseuerant: nam viuificari opera nihil aliud est, quàm iterum ad gloriam acceptari per gratiam: cum ergo isti concedant per resurgentis contritionem non ei dari nisi nouam gratiam, quæ illi contritioni respondet, quæ quidem quamuis nulla bona opera resurrectura præcessissent, daretur, fit vt illa nullatenus resurgant.

Quarta opinio S. Thom.

Duo sensus opinionis.

Prior sensus examinatur, & absurda qua ex eo sequuntur aperiuntur.

1.

2.

Sed vide lepidam quorundam solutionem. Aiunt inquam, quòd illa gratia & gloria respondens contritioni, quæ daretur si nulla opera præcessissent bona, datur propter contritionem, & simul propter illa opera. Itaque per ipsam omnia illa opera acceptantur. At verò si nil plus mihi glorię accrescit propter illa mortificata, quàm si nulla fuissent, quid mihi prodest illa viuificari? Sed aiunt augeri accidentale gaudium: quia gaudebit homo illa fecisse. Attamen profectò cum hominis vita non sit, nisi illa æterna, consequitur, vt nisi illis meritis respondeat essentiale præmium vitæ æternæ, non propriè reuiuiscant. Imò sequeretur secundùm istos, quòd quantumcunque merita pœnitens accumularet, nunquàm mortificata reuiuiscerent: quoniam nunquàm homo assequeretur nisi tantam gratiam, quanta fuerint merita.

Solutio vana.

Verissimus ergo sensus opinionis S. Th. qui inter

Legitima.

extrema

Legitima resolutio. 1. Propos.

extrema prædictarum opinionum medius est, in his propositionibus consistit. Prima. Ratione contritionis resurgentis non solum confertur diuinitus gratia illi æqualis, verùm & nouus gradus ratione meritorum mortificatorum, quæ tunc viuificantur. Probatur, quia non solum est dispositio ad nouam gratiam, sed ad iustificationem aliorum.

Quæstio. De quantitate gradus.

Quòd si quæras, quantus gradus dabitur propter præcedentia? posset quis forsan respondere, quòd tantus, quantus datur nouus ratione contritionis. Itaque si contritio est vt vnum, donatur vnus gradus nouus ratione ipsius, atque alter propter merita præcedentia. Sed huic responsò non acquiescit animus: quoniam non solùm habenda est ratio quantitatis, verùm & multitudinis magnitudinisque meritorum, quæ fuerunt mortificata. Nam resurgenti per contritionem, vt vnum, liquida ratio exposcit, vt plus gratiæ restituatur, si à gratia vt decem cecidisset, quàm si à quinque duntaxat decidisset. Quia enim ratione considerantur merita, debet multitudo & magnitudo considerari.

2. Propos.

Hanc igitur ob rem statuerim secundam propositionem. Ille qui summo conatu, quem per auxilium Dei habere potest resurgit, præter gradum gratiæ respondentem contritioni recuperat omnem gratiam à qua ceciderat, siue magna fuerat, siue parua. Propositio probatur, quoniam si contritio est dispositio ad viuificationem operum, sit vt optima quæ esse potest in integrum illa restituat: nam sicut posita dispositione ponitur effectus, posita summa ponitur summus effectus.

2. Argm.

Atque hanc eandem propositionem videtur S. Th. in solutione secundi arg. docere. Ait n. Ambrosius, quòd pœnitentia res optima est, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. Vnde arguit S. Thom. quòd resurgens semper resurgat in gratia æquali. Et respondet, quòd pœnitentia quantum est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promouendi ad vlteriorem statum. Infero ergo. Igitur si perfecta est, totam reficit ruinam. Ad idemque facit glossa super Leuit. 7. Æquè placet Deo virtus iustorum & pœnitentia peccatorum, quæ restituit in gradum pristinum Dauid & Petrum, summa ſ pœnitentia conuertos. Et Chrysost. quod refertur de pœnitentia dist. 3. can. Talis. Deus, inquit, suscipit pœnitentem & libenter amplectitur, & facit omnia quatenus ad priorem reuocet statum. Propterea enim dixit Hieronymus hoc esse difficile, quia raro contingit summam hanc habere contritionem.

Chrysost.

Hieronym.

3. Propos.

Ex hac secunda propositione subsequitur tertia. Si contritio deficit ab illa summa, in ea proportione, qua ab illa distat, restituitur antiqua gratia, vt si contritio est medietas summæ, restituetur medietas gratiæ, à qua homo cecidit: & si fuerit quarta pars, restituetur ei quarta pars gratiæ pristinæ: quoniam si per summam pœnitentiam tota ruina reparatur, apparet, vt 6. & 7. Physic. docet Philosophus, quòd illa sit proportio seruanda inter minores & illas & effectus.

Colligamus ergo, quod resurgens semper ad aliquem gradum cumulatiorem gratiæ resurgit, quàm sit quantitas contritionis: qui quidem mortificatis operibus respondeat, aut præcedenti gratiæ baptismali, si forsan post illam antequam bonum aliquid faceret meritorium apud Deum peccaret: non tamen semper ad tantum resurgit gratiæ cumulum, à quanto ceciderat.

Opinionem hanc præter rationes dictas ob id sum arbitratus veram esse, quòd neque in nimium rigorem iustitiæ vergit, dicentium non resurgit homo, nisi ad gratiam æqualem contritioni resurgentis: neque in nimiam misericordiam, dicentium quòd semper homo ad maiorem gratiam resurgit, sed media ratione vtrumque extremum tempetat.

Solut. Argum. in 2. opin. posit.

Igitur ad obiectiones, qua parte aduersus nos militare videntur, respondetur primùm autoritatem Ezech. 18. solum concludere, quòd per pœnitentiam Deus fit immemor præteritorum criminum ad puniendum illa, non tamen quòd mortificata officia iustitiæ in integrũ restituantur. Imò cùm subdit, in iustitia quam operatus est, viuet, insinuatur quòd secundum quantitatem iustitiæ, quæ est in contritione recuperabit gratiam. Quòd si arguas, peccata illa remissa quodammodo punit, postquam ratione illorum non restituitur tota iustitia. Non esset id concedere absurdum: quia peccata remissa puniuntur pœna temporali in purgatorio, imò & perpetuò in inferno, si homo extra gratiam decedat. At verò non est ita consentaneum in cælo concedere punitionem. Et ideo negatur, quòd illud sit punire peccata, sed non præmiare virtutes, nisi quantum homo per Dei auxilium meruit: alias concederetur, quòd qui in hoc seculo non fecit multa bona quàm fecit, punietur in cælo, quia non recipit maiora præmia. Quod autem subdit, impietas impij, scilicet pœnitentis, non nocebit ei, solum intelligitur ad damnationem, nam in alijs nocet, liquidem post pœnitentiam restant vitiosi habitus acquisiti, & reatus, pœna temporalis, atque adeò sunt quandoque causa, vt tota gratia non semper in integrum restituatur. Quod ex eisdem locis colligitur: nam sicut de iusto dicitur, quòd in quacunque hora peccauerit, iustitia eius tradetur oblitioni: ita de pœnitente, quod impietas eius non nocebit: ergo sicut per peccatum non redeunt omnia peccata remissa secundùm totam eorum nequitiam: ita nec per pœnitentiam, nisi quando fuerit perfecta, redibunt in integrum opera mortificata. Illud autem Euangelicum, quod pater restituit filio primam stolam, non docet eandem restituisse: prima enim non significat illic, nisi principalem, qualis est gratia gratum faciens, sub quocunque gradu existat.

Obiectio.

Quòd si quis arguat. Ergo non semper per pœnitentiam omnia opera mortificata reuiuiscunt: puta, quando non restituitur tota gratia: quoniam tuicunque respondet suus gradus gratiæ. Quare illa tantùm videntur reuiuiscere, quorum restituitur gratia, qua reuiuiscit. Respondetur, non esse sic intelligendum gratiam respondere meritis, vt tot sint gratiæ quot merita, sed est homo gratus pro toto illo statu meritorum. Quare semper omnia reuiuiscunt. At si homo resurgit ad medietatem gratiæ, singula erunt accepta ad subduplo minorem gloriam quam antea, & eadem proportione si resurgat ad minores gradus.

Obiect. cita.

Dilutio.

Sed contra, Bona opera mortificata per pœnitentiam reuiuiscere, vt artic. 5. videbimus, non est aliud quam per ipsam tolli peccatum, quod erat obstaculum ne efficacia essent in peccatore, ac Deo accepta ad vitam æternam: sublato autem funditus impedimento redit plenarius effectus: ergo ad æqualem gratiam priori reuiuiscunt. Respondetur ad maiorem, quòd licet per pœnitentiam simpliciter tollatur peccatum: tamen quia contritio est actus procedens à libero arbitrio, sicut non consequitur homo nouam gratiam nisi secundum eius quantitatem: ita neque antiquam, nisi secundùm eius proportionem.

Contra sol.

1. Dubiũ. An per actus congeminatos reuiuiscat opera.

Subsiũntur autem ex ijs nonnulla dubia. Primum, vtrùm non solùm per illam primam contritionem resurgentis, verùm & per alios deinceps congeminatos dolores reuiuiscant opera mortificata, & augeatur gratia deperdita. Apparet enim pars negatiua vera, quia subsequentes actus non censentur resurrectiones cùm iam sint viuentis opera. Respondetur nihilominus per omnes succedentes dolores restitui gratiam, vt si homo à gratia vt decem cecidit, & per primam contritionem non recuperauit nisi gradus quatuor, per subsequentes dolores & gemitus potest totam gratiam recuperare. Quin verò non solùm per illos actus pœnitentiæ, sed per quoscunque actus charitatis, vt per eleemosynas & alia opera. Nam cùm illi gemitus, & officia ex charitate germinentur, atque adeò meritorij sint apud Deum, non est cur, vt sunt merita nouæ gratiæ, sint etiam recuperandæ deperditæ. Alioqui fieret consequens, vt qui per primam contritionem non resarsierit totam, nequibit postea iacturam reficere: quod est absurdum. Et quòd alia etiam opera ad id valeant, probatur: nam inter homines pluris amicus facit alia officia illius, qui eius amicitiam sectatur, quàm identidem veniam petere. Et à fortiori Deus post legitimum dolorem peccatorum, pluris æstimat charitatis officia in proximos, quàm si pœnitens semper in gemitu permaneret. Vnde Christus Lucæ 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

2. Dubiũ. An per baptismum tota recuperetur.

Secundum dubium est, vtrùm per baptismum tota deperdita gratia restituatur. Fac catechumenum qui magnam habet copiam gratiæ, peccare mortaliter, vtrum postea dum baptizatur præter gratiam baptismalem

Ratio dubij.

ptiſmalem in totam illam reſtituatur. Si enim pœnitentia ſua eſſet ſumma, reſtitueretur quidem, vt dictum eſt: ſed ſi tepida contritione baptizaretur, eſt dubium. Ad quod reſpondetur, quòd poſſumus priuilegium hoc baptiſmo tribuere: nam poſtquam habet hanc excellentiam ſupra pœnitentiam, quod totam remittit culpam & pœnam, nihil mirum ſi & totam gratiam deperditam reficiat. Attamen ab altera parte exiſtit argumentum, quod ſacramentum pœnitentiæ per ſe maiorem gradum gratiæ tribuit, quàm baptiſmus: ſi ergo per ipſum non ſemper redit tota gratia amiſſa, apparentia eſt, quod nec baptiſmus hoc habeat. Martyrium autem citra vllam ambiguitatem crediderim totam gratiam, in qua martyr vnquam fuerat, renouare: nam illud re vera eſt intenſiſſimum dilectionis opus, iuxta verbum Chriſti, † Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

† Ioan. 15.

3. Dubiũ. An per attritionem.

Tertium dubium eſt de attritione, vtrùm per illam quoque in gratiam, à qua homo ceciderat, reducatur: nempe dum quis attritus putans ſe eſſe contritum ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipit. Arguitur enim à parte negatiua. Gratia, à qua homo decidit, reſtituitur ſecundùm diſpoſitionem reſurgentis: attritio autem non eſt per ſe diſpoſitio ad gratiam: ergo neque ad reſtitutionem deperditæ. Secundò arguitur. Sequeretur, dato oppoſito, quòd ſi attritio illa eſſet ſummè intenſa, per illam quoque reſtitueretur tota gratia. Nam ſi per quemcunque contritionis gradum aliquis gradus gratiæ reſtituitur, per ſummum reſtituetur tota. Conſequentis autem falſitas probatur. Per remiſſam contritionem non reſtituitur tota gratia: illa autem eſt præſtantior, quàm ſumma attritio, ergo nec per ſummam attritionem reſtituitur tota. Imò probatur, quòd per illam nullus gradus reſtituatur: nam ſi dederis reſtitui, verbi gratia, medietatem, tunc arguitur. Per quartam partem contritionis non reſtituitur niſi quarta pars gratiæ: & illa eſt melior quàm ſumma attritio: ergo per illam non reſtituitur medietas. Quod ſi dederis reſtitui quartam partem, tunc redit ſic argumentum. Per octauam partem contritionis non reſtituitur niſi octaua pars gratiæ: & illa eſt melior quàm ſumma attritio, ergo, &c. Accedit demum, quòd attrito, dum ſacramentum recipit, nulla gratia ratione attritionis confertur, quia illa non facit niſi tollere obicem, ſed ſolus gradus ſacramentalis.

4. Argu. Pars negatiua.

2. Argu.

Profectò non prorſus eſſet rationi abſonum negare per ſolam attritionem cum ſacramento quicquam reſarciri amiſſæ gratiæ. In contrarium autem eſt vrgens argumentum, quòd tunc ſequeretur non quotieſcunque homo reconciliatur in gratiam Dei, mortificata opera bona reuiuiſcere, quod eſt abſurdum. Nam vt bona opera mortificari non eſt, niſi perſonam per peccatum impediri ne ſit acceptus ad gloriam: ita eadem viuificari, non eſt niſi tolli peccatum, quod fit per gratiam ſacramentalem. Et ideo dicendum, quòd licet attritione per ſe quicunque gradus contritionis ſit melior, tamen per gratiam ſacramentalem informata perinde valet ad reſtitutionem gratiæ præteritæ, atque contritio. Et tunc eſt concedendum, quod per ſummam attritionem tota gratia reſtituitur.

1. Argu.

Primum argumentum S. Thomæ procedit contra id, quod homo aliquando reſurgat in minori gratia ab illa à qua ceciderat. Diligentibus n. Deum, vt ait Apoſtolus ad Rom. 8. omnia cooperantur in bonum: quod ait Aug. † adeo verum eſſe, vt ſi qui eorum exorbitent, hoc eſt, prolabantur, hoc ipſum Deus faciat eis in bonum proficere: ſed hoc neutiquam eſſet verum, niſi homo ſemper in maiorem vel æqualem gratiam reſurgeret: ergo nunquam reſurgit in minori. Reſpondetur autem quòd non ſemper diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipſum quòd ab eius amore cadunt, vt patet in ijs, qui nunquam reſurgunt, vel licet reſurgant, in fine tandem peccatis obnoxij ſunt vita defuncti, ſed illis tantum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, id eſt, prædeſtinatis, qui licet cadant & recidant, in fine tamen reſurgunt. Cedit ergo eis in bonum cadere, non quia ſemper ad æqualem vel maiorem gratiam reſurgant: ſed quia cautiores reſurgunt, vt ſint in gratia perſeuerantiores. Neque id quidem prouenit ex parte gratiæ minoris ad quam reſurgunt: quia quò maior eſt gratia, per ſe eſt permanentior, ſed ex parte hominis, qui tantò firmiùs in gratia perdurat, quantò per peccatum humilior fit & cautior.

† De corr. & grat. c. 9. tom. 7.

Scotus.

Scotus & qui cum eo ſentiunt, quemcunque reſurgentium ad maiorem gloriam regredi, aliter informant argumentum: videlicet, quod homo de ſuo peccato reportaret commodum. Nulla tamen eſt in argumento apparentia, quia commodum non reportatur, niſi ex pœnitentia, quæ occaſionem ex peccato nacta eſt. Hoc tamen conſequitur ſecundum illos, quod melius eſt ſemper iuſto homini peccare & pœnitere, quàm ſi toto illo tempore dormiret, quia ſemper augetur ei gratia. Id autem non ſequitur ex noſtra opinione, niſi raro, quando ſcilicet homo reſurgit ad maiorem gratiam. Nunquam autem eſt concedendum, quod melius ſit homini peccare, quantumcunque poſtea pœniteat, ſed quod habet meliorem ſtatum dum poſt peccatum feruentiſſimè conuerſus eſt: Magdalena n. in cælo maiorem habet gloriam quàm ſi antequam peccaſſet in innocentia deceſſiſſet, & Petrus, & Paulus, & multi alij.

3. Argu.

Tertio arguitur. Super illud Geneſ. 1. Factum eſt veſpere & mane dies vnus, ait gloſſa: Veſpertina lux eſt, à qua quis cecidit, matutina, in qua reſurgit: matutina autem eſt maior quàm veſpertina: ergo ſemper homo ad maiorem gratiam reſurgit. Reſpondetur illam ſimilitudinem non alio tendere quàm ad ordinis conſequentiam. Vt enim veſpertinam lucem ſubſequuntur noctis tenebræ, & matutinam lux meridiana, ſic ſe habet gratia, quam homo per peccatum obnubilat, & illa, quæ in reſurgente peccata ſerenat. Quod autem ad Rom. 5. ait Paul. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia, de gratia Chriſti duntaxat intelligendum eſt, quæ ſuperat vniuerſa mundi delicta. Non autem eſt verum in omnibus quòd quanto abundantius quis peccauit, tanto abundantiorem gratiam conſequatur quantitate penſata habitualis gratiæ, licet ſemper gratia reſurgentis ſit abundans quantum ad rationẽ gratiæ: quia ei, qui plus pluriéſve peccat, magis gratis beneficium remiſſionis confertur. Tametſi quandoque grauiter peccantes feruentius doleant, & ſic vberiorem gratiæ habitum conſequantur, veluti Magdalena.

Argum.

Arguitur autem quòd ſemper homo reſurgat in minori gratia: nam gratia reſurgentis ſemper eſt gratia incipientis: & tamen potuit homo cadere à charitate proficientis vel perfecta, quæ ſemper eſt maior quàm incipientis. Reſpondetur, quòd dum vna & eadem gratia continuatur in homine, ſemper proficiens eſt maior quàm incipiens, ſed in diuerſis non eſt hoc neceſſe. Poteſt enim reſurgẽs maiori conatu incipere, quàm ille vel alius habuit in ſtatu profectus, vt in 2. dialogorum de Diuo Benedicto ait Gregorius, qui puer à magna perfectione conuerſationis gratiam iniuit.

Gregor.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per pœnitentiam reſtituatur homo in priſtinam dignitatem.

QVIA perſonæ dignitas nonnihil à gratia & virtutibus diſtat, quæritur, vtrum per pœnitentiam reſtituatur ſemper homo in priſtinam dignitatem. Et ſuppoſitis duabus diſtinctionibus reſpondetur per tres concluſiones. Homo enim per peccatum duplicem amittit dignitatẽ: vnam ſcilicet apud Deum, atque alteram apud Eccleſiam. Atqui apud Deum etiam duplicem: vnam ſcilicet præcipuam, qua inter eius filios per gratiam computabatur.

Duplex per peccatum amittitur dignitas.

De qua reſpondet prima concluſio. Dignitatem hanc, vt homo connumeretur inter filios Dei, ſemper per pœnitentiam acquirit. Id quod Lucæ 15. ſignificatur in filio prodigo, cui pater reuertenti reſtitui iuſſit ſtolam primam, & annulum, & calceamenta, quæ erant filiorum ornatus & inſignia, quibus à ſeruis dignoſcebantur. Alteram verò dignitatem amittit ſecundariam: ſcilicet innocentiam, de qua, vt ibidem legitur, gloriabatur filius ſenior dicens: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui.

1. Concl. Dignitas gratia eſt recuperabilis.

Dè qua ſubditur ſecunda concluſio. Dignitatem innocentiæ neque per pœnitentiam quis poteſt, neque verò per Dei abſolutam potentiam recuperare: recuperat tamen quandoque aliquid maius. Prior pars liquida eſt: quia ad præteritum nulla eſt potentia: recuperare autem innocentiam, eſſet fieri vt qui peccauit, nunquam peccauerit. Poſterior verò pars probatur: quia vt Gregor. homil. de centum quibus autor eſt

2. Concl. Dignitas innocentiæ irrecuperabilis.

Qui

Simile.

Qui errasse à Deo se considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant: & ideo gaudium de eis in cælo sumitur maius: quia dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga dedit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Aliam verò dignitatem homo perdit Ecclesiasticam per peccatum: quia indignum se ad eã exercenda reddit, quæ Ecclesiasticæ dignitati competunt.

3. Concl. Dignitas Ecclesiastica redditur peccatori prohibetur 4 casibus

De hac ergo subiungitur tertia conclusio. Peccator dignitatem Ecclesiasticam recuperare prohibetur in quatuor casibus. Primus verò non est, quia per pœnitentiam non recuperetur, sed quia peccator impœnitens est. Vnde 50. d. can. Domino, ad Missianum episcopum ait Isidorus. Illos ad pristinos gradus redire canones præcipiunt, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio: at contra ij, qui à vitio corruptionis non emendantur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Secundus casus est, quando negligenter clericus agit pœnitentiam. Vnde ead. d. can. Si quis diaconus. Cùm in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi appareat, nec ieiunijs aut lectionibus eos vacare videamus, possumus agnoscere si ad pristinos honores redirent, cum quanta negligentia permanerent. Tertius casus est, si quis peccatum, cui annexa est irregularitas, committeret, imo licet sit casus citra peccatum. Vnde can. Si quis viduam eadem dist. ex decreto Martini Papæ sic legitur: Si quis viduam vel ab alio relictam duxerit, non admittatur ad clerum: quod si irrepserit, eijciatur, scilicet propter bigamiam. Similiter si homicidij aut facto aut præcepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit. Et hoc etiam incurritur citra peccatum propter irregularitatem. Quartus casus est propter scandalum. Vnde ead. dist. can. De ijs vero. Rabanus: Ij qui deprehensi vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atque fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus, secundum canonum sacrorum instituta à proprio gradu decidant: quia scandalum est populo Dei tales personas super se positas habere. Qui autem de prædictis peccatis, absconsè à se commissis, occultè sacerdoti confitentur, si se per ieiunia & eleemosynas, vigiliasque & sacras orationes purgare curauerint, ijs, etiam gradu proprio seruato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est. Et hoc est quod decernitur extra de qualitate ordinandorum, cap. Quæsitum sub his verbis. Si crimina ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, præter reos homicidij, post pœnitentiam in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri non possunt. Atque id ipsum confirmatur autoritate Gregorij ad Secundinum, can. Quia sanctitas 50. dist. Post dignam, inquit, satisfactionem credimus hominem redire posse ad suum honorem. Et can. Contumaces ex concilio Agatensi. eadem distinct. Contumaces clerici prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur: ita vt cum eos pœnitentia correxerit, gradum suum dignitatemque recipiant.

4. Ob scandalum.

3. Ob irregularitatē.

2. Ob negligentem pœnitentiam.

1. Ob impœnitentiam.

Expositio 3. Concl.

Duæ priores conclusiones manifestissimæ sunt; circa tertiam verò hoc est notandum, quod casus primus & secundus de impœnitentibus & negligenter pœnitentibus intelligendi sunt, quando peccatum erat publicum. In primitiua enim Ecclesia publici peccatores, siue clerici essent, siue laici non admittebantur ad sacra, post verò rigor ille cessauit, & nisi sit propter certa peccata & casus, nemo sua dignitate priuatur, aut suspenditur. Error enim fuit Armachani, quem dist. 1. q. 5. art. 5. retigimus, quòd propter quodcunque peccatum, etiam citra condemnationem, perditur dignitas & officium quodcunque. Secundò notandum, quod irregularitas quomodocunque committatur etiam secreto, impedit ordines suscipiendos, & qui bigamus est aut sanguinis effusor, etiam citra peccatum, vt cum iudex autoritate publica hominem occidit, dummodo fuerit post baptismum commissa: nam per baptismum omnis irregularitas tollitur. Quod autem ait D. Th. per homicidium in defensione propriæ personæ irregularitatem incurri, intelligitur tempore suo: nam postmodum in concilio Viennensi casus ille optimo consilio exceptus est, vt qui cum moderamine inculpatæ tutelæ sese defendens homicidium faceret, non esset irregularis, sicuti qui ex ignorantia inculpabili illud perpetraret, quia illud non est voluntarium, vt habetur in clem. Si furiosus. de homicidio. Et eodem modo respondendum est ad ca. De ijs 50. dist. vbi qui in obsidionis necessitate positi homicidæ fuerant, à sacris arcentur ordinibus. Illud n. per idem concilium Viennense temperatum est & mutatum. Propter scandalum autem meretricibus, aut alijs publicè peccatoribus non est communio danda, vt supra distinct. 12. q. 1. art. 6. dictum est.

Armachani error. Irregularitas secreto & etiam citra peccatum committitur.

1. Argu.

Primum argumentum S. Thomæ est. Super illud Amos 5. Virgo Israël cecidit, ait glossa. Non negat posse resurgere, sed non resurget virgo Israël: quia semel aberrãs ouis, & si reportetur humeris pastoris, non habet tantam gloriam, quantam quæ nunquam erranit: ergo pœnitentia non restituit pristinam dignitatem. Respondetur, quòd eadem est ratio de virginitate & de innocentia, quæ pertinet ad secundariam dignitatem apud Deum: virginitas enim vt 2. 2. q. 152. art. 3. ait Sanct. Tho. aliud dicit de formali, & aliud de materiali: formale enim est propositum nunquam experiendi venereum actum corruptionis, quod quidem perditur per contrarium propositum etiam studiosum. Quare si puella moreretur in proposito nubendi, non esset virgo, imò forsan laureola virginitatis non donãtur in cælo, nisi qui virginitatis voto confirmarunt. Virginitas ergo quãdo per solũ propositum contrariũ corrumpitur, recuperabilis est per pœnitentiã, vt virgo, quæ stuprum habet in proposito, si ante experientiam eam pœniteat, virgo permanet. Materiale autem virginitatis est inexperientia voluntariæ veneris. Et qui semel veneream voluptatem expertus est, nõ potest non fuisse expertum. Vnde Hier. super eisdem verbis Amos, Cum Deus, inquit, omnia possit, de corrupta facere virginem non potest.

Nota.

Circa hanc verò solutionem & secundam conclusionem notanda est illa Gregoriana consolatio, quòd qui irrecuperabilia damna innocentiæ, virginitatis, aut aliorum honorum per infamia crimina incurrerunt, possunt & debent cumulatissimis virtutum officijs Magdalenam imitati, & Dauidem atque alios pœnitentes errata repensare, vt suam ab oculis populi infamiam abstergant, vt in die iudicij charitas illis multitudinem peccatorum operiat, & clarissima pœnitentiæ virtus perinde illa contegat, ac si nunquam fuissent commissa.

2. Argu.

Secundò arguitur. Hieronymus ait: Quicunque dignitatem diuini gradus non custodiunt, contenti fiant animam saluare, reuerti enim in pristinum gradum difficile est, can. Quicunque. dist. 50. & Innocentius papa can. Canones. addit, quòd apud Nicæam constituti canones, pœnitentes etiam ab infimis officij clericorum excludunt: ergo pœnitentia pristinam dignitatem non restituit. Ad Hieronymum respondetur, quod non reputat impossibile, sed solum difficile pristinum gradum recuperare, quod art. præcedenti satis expositum est. Ad Innocentium verò respondetur autoritate Augustini ad Bonifacium can. Vt constitueretur. eadem dist. vbi ait, Vt constitueretur in Ecclesia ne quisquam post aliquius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ, alioqui contra claues Ecclesiæ datas disputabitur, de quibus dictum est: Quæcunque solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo. Et postea subdit: Nam & Sanctus Dauid de crimnibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore suo perstitit: & Beatum Petrum, quando amarissimas lachrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus permansit. Sed non ideo putanda est superuacua posteriorum doctorum diligentia, qui vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt (scilicet, negando etiam pœnitentibus honores priscos) experti, inquit, vt credo, aliquorum fictas per affectatas honorum potentias. Et idem legitur ead. dist. can. Bene valet.

Ad Innocentium.

3. Argu.

Tertio arguitur. Ante peccatum potest aliquis ad maiorem gradum ascendere, non autem hoc post peccatum conceditur pœnitenti: legitur enim Ezechiel. 44. Leuitæ qui recesserunt à me nunquam appropinquabunt mihi, vt sacerdotio fungantur. Vnde ead. dist. 50. can. Hi qui, ex concilio Hilerdensi legitur. Hi, qui sancto altari deseruiunt si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente dignè pœnituerint, officiorum suorum sic loca recipiant, vt non possint ad altiora officia vlterius promoueri: non ergo pœnitens in pristinam regreditur dignitatem.

tem. Respondetur, illud intelligi de illis, qui publicam agunt & solennem pœnitentiam: nam Petrus post negationem Christi pastor ouium factus est, vt patet Ioan. vlt. Vbi etiam Chrysostomus dicit, † quòd Petrus post negationem, & pœnitentiam ostendit se habere maiorem fiduciam ad Christum. Qui enim in cœna non audebat interrogare, & Ioanni interrogationem commisit, huic postea & præpositura fratrum credita est: & non solum non committit alteri interrogare quæ ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro Ioanne magistrum interrogat. Dicens, scilicet, Hic autem quid?

† Hom. 17. in Ioan. tom. 3.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm opera virtutum in charitate facta possint mortificari.

POST restitutionem habituum gratiæ & virtutum, sequitur de actibus & operibus earundem virtutum, & primùm vtrùm mortificari possint. Ad quod Sanct. Thom. respondet hac conclusione. Opera in charitate facta mortificari dicuntur per sequens mortale peccatum. Probatur ex illo Ezech. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. Et confirmatur ratione. Res viua per mortem perdit operationem vitæ: ergo per analogiam res mortificari dicuntur, quando a suo proprio affectu, vel operatione impediuntur: effectus autem operum studiosorum, quæ in charitate fiunt, est perducere ad vitam æternam: cum ergo hanc virtutem habeant ex gratia, quæ per mortale peccatum tollitur, fit vt per idem peccatum eadem opera mortificentur.

Conclus.

Conclusio verissima est eademque clarissima, circa quam adnotandum est, moralia opera in triplici esse differentia. Alia enim sunt viua, vt quæ ex gratia & charitate dimanant. Alia vero mortua apud Deum, vt cuncta quæ fiunt in peccato mortali: nam vita animæ sola gratia & charitas est. Quare quæ ex illo fonte non manant, licet esse possint moraliter bona, nullius tamen meriti sunt apud Deum. De sola enim fide charitate informata dixit Christus Ioannis 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Videant ergo miseri in peccato iacentes, quantam faciant iacturam temporis & vitæ, quam diuinitus in hoc solum receperunt, vt iugibus officijs singulis momentis gratiam sibi apud Deum & gloriam accumulasset. Alia denique sunt opera, quæ viua quidem prodierunt, sed tamen per peccatum sunt mortificata.

Opera moralia triplicia sunt, viua, mortua, mortificata.

Sed arguit primo loco S. Thom. Quod non est, immutari non potest, atque adeò nec mortificari, quod sonat mutationem de vita in mortem: sed opera virtutum postquàm facta sunt non permanent: ergo non mortificantur. Respondetur, quòd sicut peccata postquàm transierunt actu, manent reatu: ita opera virtutum manent in merito apud Deum. Et hac ratione, quia homo per peccatum indignum se præbet illo præmio, dicuntur mortificari.

Admonitio.

1. Argu.

Secundò arguitur. Per opera charitatis homo meretur vitam æternam: sed subtrahere mercedem merenti est iniustitia, quæ non cadit in Deum: ergo per nullum peccatum illa ratione mortificantur, vt fraudentur suo præmio. Memini me Romæ offendisse quendam theologiæ, vt aiebat, studiosum, qui isto argumento vincebatur nulla opera bona manere apud Deum sine præmio, qui ideo illa tenebatur phantastica opinione, quòd quicunque de hac vita decedit, sicut igne in purgatorio debet omnino expurgari antequam in cœlum euolet: ita si ad tartara est descensurus, in alio quo loco reseruatur, vbi priùs vniuersorum bonorum operum præmia recipiat. Adeò mordicus illud dictum retinebat. Nullum est bonum, quod non præmietur, nec malum quod non puniatur: alioquì Deus esset iniustus. Iudicabat ergo iste de iustitia inter Deum & homines, perinde ac de illa, quæ est inter homines, cùm tamen plus distent, quàm cœlum à terra. Nam in politia humana, quia homo homini potest ex se ipso quippiam tribuere, restat alter simpliciter debitor. Quare si mercenarius locauit suas operas apud quempiam, quamuis nullatenus sit ei amicus, manet nihilominus dignus mercede suæ: quia iustitia ab amicitia non pendet. Tamen quia nulla creatura ex se & suis naturalibus viribus quippiam potest Deo reddere, quod sit apud ipsum præmio æterno dignum, iuxta illud primæ Ioan. quarto. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? sed omne meritum operum fundatur in personæ dignitate apud ipsum, quæ quidem dignitas ex mera gratia Dei pendet, per quam homo Dei membrum efficitur, inde fit vt peccatori nullum fiat ius reliquum illius præmij æterni apud Deum: imò cùm per peccatum indignum se fecerit illo, nulla fit ei iniustitia: imò est summa iustitia, vt illo priuetur.

Lepida historia.

Hominis axioma.

2. Argu.

Sed ais. Deberent ergo dici illa opera mortua, & non mortificata: quandoquidem mortali peccato delentur.

Obiectio.

Respondetur, quòd peccatum dicitur mortale respectu vitæ gratiæ, quam tollit, non tamen respectu gloriæ simpliciter, nisi sit finale: nam mors spiritualis hominis simpliciter est damnatio. Et ideò respectu gratiæ potius dicitur morbus, quàm mors. Et eadem ratione opera bona dicuntur, non mortua, vt illa, quæ nunquam habuerunt vitam, sed mortificata, hoc est suspensa, quousque homo per gratiam, quæ radix eorum fuit, dignus fiat eorum præmio.

Diuisio.

Tertiò arguitur. Fortius à debiliori non corrumpitur: sed opera charitatis sunt fortiora quibuslibet peccatis, iuxta illud Proverb. 16. Vniuersa delicta operit charitas: ergo non mortificantur per peccata. Respondetur, eiusmodi mortificationem non euenire, aut ex debilitate charitatis, aut ex fortitudine peccati, sed ex libertate voluntatis, quæ à bono potest in malum deflecti.

3. Argu.

ARTICVLVS V.

Vtrùm opera per peccatum mortificata per pœnitentiam reuiuiscant.

SI virtutum officia per peccatum mortificantur, congruum est quærere, vtrùm per pœnitentiam reuiuiscant. Non enim defuerunt, qui hanc potestatem virtuti pœnitentiæ denegarent, propter illam rationem, quòd postquàm transierunt, non permanet, vt mutari possint contra quos statuitur conclusio. Opera mortificata per pœnitentiam reuiuiscunt. Probatur ratione, quia illa opera non habent vim perducendi in vitam æternam (in quo eorum vita consistit) solùm secundum quod actu existunt: verùm postquàm esse desinunt, quatenus remanent in acceptatione diuina: hac autem ratione quantum est ex parte ipsorum semper remanent, etiam postquàm per peccatum mortificantur: quia semper Deus illa opera, prout facta fuerant, acceptat, eo quòd voluntas eius nunquam mutatur, sed homo est qui mutatur. Quare sancti, etiam si non viuificarentur, de illis alienis operibus bene factis semper gaudebunt, eo quòd in honorem & cultum Dei fuerint facta. Et in hoc sensu accipitur illud Apocalyp. 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Gaudebunt, inquam, accidentali gaudio. Quapropter simpliciter nulla bona opera pereunt, etiamsi facienti non remunerentur. Quod autem peccatori illa non sint ad vitam æternam efficacia, solùm est propter impedimentum suæ indignitatis. Hoc verò tollitur per pœnitentiam, per quam peccatum expungitur. Fit ergo consequens, vt per pœnitentiam efficaciam suam recuperent perducendi pœnitentem in vitam æternam.

Conclus.

Expositio illius: Tene quod habes, &c. Apoc. 3.

Nulla opera bona pereunt.

Conclusionem hanc satis art. 2. elucidauimus, quare non aliud est notandum, quam quòd conclusio hæc adeò est certa, vt temerarium in primis esset illam negare: nempe contra Theologorum turmam in 4. dist. 14. & 22. Imò quamuis non sit in sacra pagina expressa, sunt tamen testimonia, quibus corroboratur, & præterea patrum sanctiones. Illud enim Ezec. 18. In quacunque hora impius egerit pœnitentiam, iniquitatum eius non recordabor. Et 33. Impietas impij non nocebit ei: licet ad literam intelligantur, quod non erunt in memoria Dei, nec nocebunt ad condemnationem. Et ideò D. Thom. ad hoc propositum illud non adduxit, nihilominus nonnullam vim habet ad probandum, quòd si pœnitentia sit perfecta, reducit hominem ad statum pristinum, atque adeò si sit remissior, reducet illum in partem. Textus autem hic allegatus Ioelis 2. Reddam vobis annos, quos comedit locusta & bruchus, non intelligitur nisi de restitutione bonorum temporalium. Sed glossa est, quæ id ad restitutionem bonorum spiritualium transfert. Et quamuis sym-

Conclus. certitudo scripturis comprobatur.

Ioel. 2.

bolica

bolica & metaphorica theologia, vt ait Auguſt. non habeat tantam vim arguendi, nihilominus eſt optima ſimilitudo. Et pariter eſt gloſſa Leuit. 7. ſuprà citata, quæ ait per pœnitentiam reſtitui hominem in ſtatum priſtinum. Accedit & locus ad Hebræ. 6. Vbi poſt obiurgationem, qua Apoſtolus Hebræis improperauerat ſuam ingratitudinem in Deum, ſubdit. Confidimus autem de vobis fratres meliora: non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & laboris, & dilectionis veſtræ, quam oſtendiſtis in ſanctos, &c. Quem locum tum Anſelmus & Theophylactus, tum præſertim Gregorius, qui refertur de pœnit. di. 4. cano. Intermittentes de operibus mortificatis per peccatum, quæ per pœnitentiam reuiniſcunt, exponunt. Ait enim Gregor. Quòd ſicut priora bona opera per peccatum fiunt irrita: ita per pœnitentiam reuiuiſcunt. Et Auguſt. ad Macedonium ait, quòd Deus non minus tribuit pœnitentibus, quàm antea tribuerat munera vitæ & ſalutis. Et ſemper intelligito ſi ſit ſumma. Atque ad idem facit illud, quod refertur de pœniten. diſt. 3. can. Pium. ex lib. de vera & falſa pœnitentia. c. 14. vbi ait. Pium eſt credere, & noſtra fides hoc expoſtulat, vt cùm gratia Chriſti deſtruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona. Et cano. Talis. ead. diſt. ait. Chryſoſt. quòd Deus ſuſcipit pœnitentem, & facit omnia quatenus ad priorem reuocet ſtatum. Cui conſonat & illud ſupra citatum Ambroſij, quòd pœnitentia res optima eſt, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. Non ergo ſolum temerarium, verum & erroneum eſſet negare mortificata opera reuiniſcere. In quo autem gradu reuiuiſcant, diſputatio eſt doctorum, quam ſatis ſuperque art. 2. ventilaſſe credimus, & fortaſſe ſatis clarè concluſiſſe.

1. Argu. Primum argumentum S. Thom. rem magis clarificat. Arguit enim. Sicuti per ſubſequentem pœnitentiam remittuntur peccata præterita, ita per peccatum ſubſequens mortificantur opera prius facta in charitate: ſed peccata per pœnitentiam dimiſſa nunquam redeunt ſecundum ſe, vt q. præcedenti dictum eſt: ergo neque opera mortificata reuiuiſcunt. Reſpondetur ad maiorem plurimum intereſſe diſcriminis: nam peccata per pœnitentiam ſecundùm ſe abolentur, ita. ſ. vt Deo indulgente nil vlterius ex eis inducatur, aut maculæ, aut reatus ſed hoc ſolùm, quòd peccatum ſequens inde contrahat ingratitudinem. Sed tamen opera charitatis per peccatum non ſic prorſus coram Deo abolentur, quin verò in eius acceptationem ſecundum ſe manent, impedita tamen per peccatum hominis, quo ideo ex parte ipſius hominis ſublato Deus ex parte ſua id implet, quod opera merebantur, vel in totum, vel in partem, vt expoſitum eſt.

2. Argu. Et eodem modo ſoluitur ſecundum argumentum, quod eſt. Opera mortificantur ad ſimilitudinem animalis, quod ſimpliciter moritur: ergo ſicut illud non viuificatur, ita neque illa opera. Negatur, inquam, quòd per ſe perinde mortificentur vt animal, ſed impediuntur ex parte hominis.

3. Argu. Tertiò tandem arguitur. Opera bona merentur gloriam ſecundum quantitatem gratiæ & charitatis: ſed quandoque homo per pœnitentiam reſurgit in minori gratia & charitate: ergo tunc non ſimpliciter reuiuiſcunt. Reſpondetur, quòd ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale ſecundum quantitatem charitatis, in qua inuenitur: habebit tamen de operibus in prima charitate factis maius gaudium, quam de operibus, quæ in ſecunda fecit. Hæc verba ſunt, quibus nonnulli putant ſententiam S. Tho. eſſe, quòd reſurgens nunquam reſurgit niſi ad tantam adæquatè gratiam, quanta eſt contritio: ita vt ratione viuificatorum bonorum operum nullum habeat homo eſſentiale præmium in cælo, ſed tantùm accidentale gaudium. At verò S. Th. id minimè inſinuat, imò cùm reſtrictè loquatur, ſcilicet, quòd cùm homo reſurgit in minori gratia, non conſequetur eſſentiale præmium propter opera mortificata, docet quòd quando reſurgit in gratia æquali vel maiori, habebit eſſentiale præmium propter illam: videlicet, dum pœnitentia fuerit perfecta. Ex quo infertur, quòd ſi fuerit minùs perfecta, habebit in proportione aliquid etiam præmij eſſentialis virtute illorum. Solùm ergo ait, quòd tunc non habebit ad eundem gradum præmium eſſentiale, quod illis reſpondebat. Neque verò ait, quòd ſolùm habebit

S. Thom. expoſitio.

Illatio.

le illis viuificatis gaudium accidentale, ſed comparat gaudium accidentale illorum ad accidentale aliorum ſecundæ charitatis, quæ nunquam fuerunt mortificata, dicens, quòd illud prius erit maius, propterea quòd magis gratis per remiſſionem obtinuit præmium eſſentiale illorum, cuius fuerat factus indignus, quàm præmium aliorum operũ quæ nunquã fuerũt mortificata.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per pœnitentiam ſubſequentem opera etiam mortua viuificentur.

QVamuis de operibus mortuis nulla appareat ambiguitas, exiſtit tamen nonnulla, vtrum poſſunt viuificari. Ad quod præmiſſa diſtinctione, duabus concluſionib. reſpondetur. Opus aliquod dupliciter dicitur mortuum. Vno modo effectiuè, quia ſcilicet eſt cauſa mortis animæ, & ſecundum hoc omnia peccata mortalia ſunt opera mortua, iuxta illud ad Hebræ. 9. Sanguis Chriſti emundauit conſcientias noſtras ab operibus mortuis.

Opera mortua duplicia. Alia effectiuè. Dequibus. 1. Conclu.

Et de iſtis ſtatuitur prima concluſio. Huiuſmodi opera, id eſt, peccata mortalia, non poſſunt per pœnitentiam viuificari, ſed potiùs per ipſam abolentur, ſecundum illud ad Hebræ. ſexto. Non rurſus iacientes fundamentum pœnitentiæ in operibus mortuis. Et ratio eſt manifeſta, quia peccata non ſolùm non emanant ex fonte vitæ, quod eſt gratia, verùm è rebellione aduerſus Deum, quæ eſt vitæ contraria. Sed altero modo opera dicuntur mortua priuatiuè, quia ſcilicet carent ſpirituali vita, quæ ex charitate pullulat, per quam anima Deo coniuncta ſpiritualiter viuit, ſicut corpus per animam. Atque hoc pacto fides, quæ eſt ſine charitate, dicitur mortua, ſecundum illud Iacobi. 2. Fides ſine operibus mortua eſt. Et per hunc modum omnia opera, quæ ſunt bona è genere, ſi ſine charitate fiant, dicuntur mortua, licet ſint moraliter bona. Sunt, inquam, mortua: quia non procedunt ex principio vitæ, ſicut ſi dicamus ſonum citharæ vocem mortuam.

Alia opera ſunt mortua priuatiuè.

2. Concluſ. De iſs ergò ſubiungitur ſecunda concluſio, quòd & opera huius generis mortua, impoſſibile eſt vt per pœnitentiam fiant viua. Probatur, quia differentia mortis & vitæ ſumitur à principio à quo procedunt: opera autem quæ non proceſſerunt ex principio vitæ, nempe ex gratia, quia iam tranſierunt, non poſſunt iterum ex eodem principio procedere, atque adeò nec viuificari.

Notanda iactura peccatorũ. Hic nota, vt ſuprà diximus, quantam miſer peccator iacturam faciat operum, quæ ſi in gratia eſſent, ad cumulum gloriæ ſibi conferrent. Graphicè enim profectò hoc Paul. 1. Corint. 13. explicuit. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, & cymbalum tinniens, quod dat ſonum ſine ſpiritu & mente vitæ: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt: prodeſſet autem ſi illa opera moraliter bona per pœnitentiam viuificarentur: non ergo viuificantur. Quin verò addiderim nec per abſolutam Dei potentiam viuificari poſſe. Quòd ſi ſciolus in contrarium arguat. Poſſet Deus de potentia abſoluta gloriam ſuam conferre homini propter bona opera quæ in peccato egit. Reſpondetur, quòd licet poſſit Deus de ſua potentia abſoluta illis gloriam conferre, qui non fuerunt eius filij per gratiam (quod quidem non tam affirmatè quàm alij aſſero) dabit tamen pro ſuo beneplacito, attamen non pro eorum dignitate: quia non poterit facere illius præmij dignos, niſi faciendo ſibi amicos. Quare nec poteſt dare gloriam pro operibus, quæ non procedunt ex gratia: nam, pro, dicit dignitatem operum, quæ certè niſi homines faciendo gratos non poteſt digna facere, atque adeò nec viuificare.

De abſoluta Dei potentia.

Obiectio.

Sed arguit primo loco S. Thom. Difficilius eſt, quòd ad vitam illud perueniat, quod fuit mortificatum, quàm quòd illud quod nunquam fuit viuum, viuificetur: quia ſecundum naturam illud quod fuit prius viuens, & poſtea mortuum, nunquam reuiuiſcit: illud autem quod nunquam fuit viuum, generatur ad vitam, vt arbores ex terra, & animalia ex ſemine: igitur ſi per pœnitentiam viuificentur opera mortificata, à fortiori, & opera quæ nunquam fuerunt viua. Negatur

1. Argum.

conſe-

Digitized by Google

consequentia, quia in rebus naturalibus tam mortua quàm mortificata carent principio vitæ. Appellat autem hic S. Thom. opera mortificata, illa, quæ cùm vitam haberent, illam per mortem perdiderunt, licet verè dicantur mortua: & mortua appellat illa, quæ nunquam habuerunt vitam, vt semina, in quorum neutris est principium vitæ, sed causa quare natura non potest priora viuificare, est quia idem numero non potest redire: eo quòd conditiones materiales indiuidui eodem loco & tempore non possunt eædem redire: quæ autem non fuerunt in rerum natura, potest educere de potentia materiæ. Sed tamen opera charitatis mortificata non carent ex se principio intrinseco, sed extrinsecus impediuntur, mortua verò nunquam habuerunt principium vitæ: & ideo nullum est inter hæc & naturalia simile.

Similitud. mortificatorum in naturalibus à mortif. operibus charitatis.

2. Argu. Secundò arguitur. Remota causa remouetur effectus: sed causa cur opera de genere bonorum sine charitate facta, nunquam vixerunt, fuit defectus gratiæ charitatis, qui tollitur per pœnitentiam: ergo per ipsam viuificantur. Respondetur, quòd opera mortua habent defectum gratiæ & charitatis in genere principij, quia non processerunt ex illis: per pœnitentiam verò licet restituatur gratia, non tamen fit, vt ex ipsa processerint, & ideò non viuificantur.

3. Argu. Tertiò arguitur. Ait Hieron. † (& refertur de pœnitentia di. 3. can. si quando.) Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quemquam aliqua quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, vt propter multa mala obliuiscatur paucorum bonorum: sed hoc maximè videtur, quando mala præterita per pœnitentiam tolluntur: ergo videtur quòd post pœnitentiam Deus remuneret bona genere suo, quæ in peccato facta sunt. Respondet primò Sanct. Thom. quòd Hyeronymus non intelligit illa opera remunerari æterno præmio, quod solis operibus viuis ex charitate profectis debetur, sed temporali, non quòd sint vlla mercede digna apud Deum, sed quòd sit quædam largitio. Vnde Grego. in homilia de diuite & Lazaro, † quod refertur eadem dist. can. Cauendum. ait, quod nisi diues ille aliquod bonum egisset, & in præsenti seculo remunerationem accepisset, nequaquam ei Abraham diceret, Recepisti bona in vita tua.

† *In illud Aggæi. 1. Seminastis multum tom. 6.*

Solutio 1.

† *Hom. 4. in Euang.*

Solutio 2. Secunda responsio est, quòd moriens in peccato propter opera bona, quæ extra gratiam fecit tolerabiliùs patietur in inferno. Verbum tamen hoc San. Thom. dist. 19. de satisfactione consideratiùs examinabitur. Non enim vult dicere, quod si quis in concubinatu viuens multa faciat moralia opera, & concubinatui, verbi gratia, decreti sint in inferno cruciatus vt decem gradus, propter illa bona opera remittantur ad nouem: quoniam illa re vera nullius momenti sunt apud Deum, vt in præmio æterno, aut in remissione æterni supplicij, sed ideò cum illo mitiùs agetur, quòd exercitus in bonis operibus, alia euitat noua peccata, pro quibus acriùs puniretur. Et hunc sensum insinuat Augustinus in illo lib. de patientia. c. 26. quem hic citat D. Thom. loquitur enim de illo, qui alijs criminibus irretitus persistit in fide, pro cuius confessione multis tribulationibus affligitur. Cuius vtique patientia bona est ex genere, & ideò ait, Non possumus dicere schismatico, melius ei fuisse vt Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo, sed existimandum fortasse tolerabilius ei futurum iudicium, quàm si Christum negando cuncta illa vitaret. Vbi non dicit, quòd tolerabilius habebit propter peccata, in quibus permanet, sed tolerabilius, quàm si Christum negaret. Quare in hoc sensu citat Paulum. † Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Sed tamen ad patiendum minora tormenta quàm si Christum negasset, multum prodesset. Et hæc de primo trium membrorum, in quæ tractatum pœnitentiæ partiti sumus.

Aug. lib. de patientia c. 26.

† *1. Cor. 13.*

* *
*

DISTINCTIO DECIMA SEPTIMA,

DE PARTIBVS POENITENTIÆ IN GENERALI, DEQVE EARVM PRIMA, QVÆ est contritio.

Cap. 1. QVoniam sacramento huic, de quo agimus, pœnitentiæ inter reliqua sacramenta singulare est, vt pœnitentis actus sint eius materia, fit vt non solùm quemadmodum in reliquis materia & forma in eo dignoscantur, verùm & tres eius integrales partes distinguantur, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio. Id quod patres Florentini concilij suo decreto confirmarunt. Nempe vt, sicut peccatum corde, ore, & opere perpetratur, per easdem actiones clauibus ecclesiæ ad eius remissionem subdatur. De illa namque pœnitentia mortalium loquimur, quæ post baptismum committitur, quæ est reformatio vitæ: nam alia est ante baptismum ad regenerationem pertinens, atque alia venialium ad vitæ perfectionem, quæ non est per tam exactas partes necessaria.

Florentina Synodus.

Cap. 2. Contritionis definitio. Est ergo contritio, dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi, quæ quidem per se id exigit, vt de singulis fit mortalibus culpis singularis: nam, vt ait Hieronymus, diuersorum membrorum diuersas esse decet medicinas: etenim vt quod oculum sanat, non sanat calcaneum, sic & diuersis vitijs diuersa sunt accommodanda remedia, atq; adeo contrarijs contraria. Nihilominus clementissimus Deus, salutis nostræ sitibundus, temporum moras non expectat, sed cùm primùm peccator ad mentem rediès generali suorum criminum detestatione in ipsum conuertitur, proponens opportuno tempore singula recolere, & quoad potest detestari, suis ipsum visceribus amplectitur: iuxta illud Ezechiel. 33. Impietas impij non nocebit ei in quacunque die, id est, in quocunque momento conuersus fuerit ab iniquitate sua.

Hieron.

Exe. 33.

Cap. 3. Debet autem contritio dolor esse omnium maximus appretiatiuè, qui de rebus cunctis creatis haberi potest: videlicet, vt sic homo à vitijs abstinere proponat, vt pro nulla re mũdi delictum vllum admittat: hoc enim est Deum ex toto corde, vt est in euangelio, diligere, & vt est apud Iohelem, cõuerti in Deum in toto corde nostro, Nimirum, vt nulla cogitatio amori Dei contraria in corde admittatur: qui enim diligit patrem aut matrem plusquam me, ait Dominus, non est me dignus.

Mat. 22. Ichel. 2.

Mat. 10.

Cap. 4. Ex quo fit, contritionem sic ab attritione differre, vt contritio sit dolor de peccato, quatenus est Dei offensa, eademque speciali Dei

fauore

Ioan. 6. fauore elicita ad remissionem sufficiens: quia nemo, inquit Christus, potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Attritio verò est dolor peccati propter supplicia inferni, vel propter alia temporalia detrimenta. Quare vt viribus naturæ gigni potest, sic ad remissionem non sufficit. Neque actus ille, qui est attritio, fieri potest per se contritio: tametsi accedente sacramenti gratia contritio dicatur extrinsecè.

Quòd autem de contritione præceptum sit diuinum, ostendunt verba Christi Matthæi quarto. Pœnitentiam agite.

DISTINCTIONIS DECIMÆ SEPTIMÆ,

Quæstio prima,

DE PARTIBVS POENITENTIÆ IN GENERE.

S. Thom. 3. par. quæst. 90.

ARTICVLVS I.

Vtrùm pœnitentiæ debeant partes assignari.

IN secundo membro tractatus pœnitentiæ, hoc est, in tribus subsequentibus distinctionibus, de tribus eius partibus proposuimus disputare. Atque adeo huius quæstio prima est de ipsis in genere: cuius perinde primus articulus est, vtrum pœnitentiæ debeant partes assignari. Ad quod vnica conclusione respondetur. *Responsio.* Sacramentum pœnitentiæ habet partes. Probatur, quoniam partes rei sunt, in quas materialiter totum diuiditur: habent enim se partes ad totum sicut materia ad formam, vt secundo Physic. autor est Arist. partes enim ponuntur in genere causæ materialis, & totum in genere causæ formalis: vbicunq; igitur ratione materiæ inuenitur ratio plurium, ibi est & ratio partium. Dictum est autem suprà, † *Dist. 14. q. 1. art. 2.* quòd in sacramento pœnitentiæ actus humani se habent per modum materiæ: igitur cùm plures actus requirantur ad perfectionem pœnitentiæ. s. contritio, confessio, & satisfactio, illæ sunt partes: nam partes sunt ex quibus totius perfectio integratur.

Vt autem ambos simul articulos perfectiùs interpretemur, subiungamus secundum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter assignentur partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio.

SI sacramenti pœnitentiæ sunt partes, meritò de earum numero quæritur, an sint tres nec plures, nec pauciores. s. contritio, confessio, & satisfactio. Ad quod præmissa distinctione duab. respondetur conclusionibus. *Duplex pars rei.* Duplex. n. est pars rei, vt 5. Metaphy. autor est Philo. scilicet pars essentiæ, & pars quantitatis. Et partes rei materialis, Physicæ quidem & naturales sunt materia & forma: logicæ autem, & per Metaphysicam abstractionem sunt genus & differentia. *1. Concl.* Constat enim homo ex corpore & anima, & logicè ex animali & rationali.

Et de ijs ponitur prima conclusio. Sacramentum constat ex duabus partibus, scilicet ex rebus & verbis, vt baptismus ex ablutione & forma verborum: & pariter ex genere & differentia, sicut baptismus est sacramentum regenerationis ex aqua & spiritu sancto. Attamen isto modo non quæritur an sacramentum pœnitentiæ has habeat partes, quia neque in dubium vertitur. At quia in sacramento pœnitentiæ, vt dictum est, materia sunt actus pœnitentis, quæritur an hæc materia sacramenti diuidatur in partes, sicut quantitas corporis diuiditur in partes. *2. Concl.*

Atque in hoc sensu respondetur per secundam conclusionem. Contritio, confessio, & satisfactio sunt partes pœnitentiæ. Probatur. Pœnitentia est compensatio offensæ, non quæ fit instar vindicatiuæ iustitiæ: nam in vindicatiua iustitia fit cõpensatio secundum arbitrium iudicis, & non ad libitum offendentis vel offensi: sed in pœnitentia fit recompensatio, & secundum spontaneam voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei in quem peccatur: quia hic non quæritur sola redintegratio æqualitatis iustitiæ, sicut in iustitia vindicatiua, sed magis reconciliatio amicitiæ, quæ fit dum offendens offenso secundum eius voluntatem recompensat. *Qualis recompensatio in pœnit. sit requisita.* Hac igitur ratione requiritur ex parte pœnitentis, primò quidem voluntas compensandi, quod fit per contritionem: secundò, quòd se sacerdotis arbitrio subijciat tanquam Dei vices gerentis, quod fit in confessione. Tertiò, quòd recompenset secundum arbitrium eiusdem diuini ministri, quod fit in satisfactione. Fit ergo, vt partes pœnitentiæ nec plures sint, nec pauciores his tribus. *Ex parte pœnitetis.*

De hac re & hæretici nobis litem contestantur, & catholici nonnihil dubietatis offundunt. Lutherus enim (qui quintus articulus est à Leone condemnatus) tres has negat esse partes pœnitentiæ, dicens fundamentum neque in sacra scriptura, neque in sanctis doctoribus habere. Et quanquam vafricie se subinde corrigens dixerit non negare nisi satisfactionem, illico tamen ar. 6. contritionem impudentissimè infamat, dicens discussionem, detestationemque peccatorum hominem facere hypocritam, & magis peccatorem. Ac demum art. 8 & 9. versutè de auriculari confessione pronunciat. *Lutheri errores.* At verò contritionem esse necessariam satis superque dist. 14. & 15. apertissimis testimonijs sacræ scripturæ monstrauimus. Quorum aliqua q. seq. etiam repetemus. Id quod & de confessione di. 18. & de satisfactione in subsequenti similibus testimonijs confirmabimus. Interim tamen in genere satis illa loca sunt Matth. 16. & Ioan. vlt. quibus Christus, (cuius prothema dum mundum ingrederetur fuit, vt pœnitentiam agerent,) euangelicum modum pœnitentiæ præscripsit, Petro & Apostolis potestatem tribuens, vt quicquid absoluerent super terram, esset solutum & in cælo: & quicquid ligarent, esset ligatum: & quorum peccata remitterent, remissa essent: & quorum retinerent, retenta. Illic enim iudices apostolos, eorumque posteros instituit peccatorum, quorum adeò iudicio peccatores subiecit, ad quorum tribunal sua peccata deferrent. *Contritionis necessitas.* Nemo autem accusator sui esse potest, nisi quem errorum pœniteat, quibus Deum offendit, & qui legitimè confessus paratissimum se iudici subdat, vt secundum eius arbitrium satisfacturum se offerat. Ecce ergo trium partium pœnitentiæ euangelicum fundamentum. Vnde Chrysosto. can. Perfecta de pœnitentia, distin. 3. Perfecta, inquit, pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre. In corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas: hæc est fructifera pœnitentia. Quocirca vt tria sunt peccatorum genera, scilicet in corde, ore, & opere: tot sunt pœnitentiæ partes, quæ ad singulorum remissionem sunt necessariæ. Sed de his latiùs, dum sigillatim de singulis detur dicendi locus.

Inter catholicos verò Scotus, di. 16. q. 1. ait ista tria non esse partes pœnitentiæ, neque vt est virtus, neque vt est sacramentum: nam virtus pœnitentiæ est quidam habitus permanens non habens partes: isti autem sunt actus transitorij: neque verò sunt partes pœnitentiæ, vt est sacramentum. Dixerat enim di. 14. q. 4. quòd sacramentum pœnitentiæ non est, nisi sola sacerdotis absolutio, qua virtus clauium ad conferendam gratiam applicatur. Ex quo dist. 16. infert huiusmodi actus pœnitentis non esse partes pœnitentiæ, sed potius dispositionem præuiam, vt digne suscipiatur sacramentum. Hanc autem opinionem suprà distin. 14. q. 1. art. 1. compluribus concussimus, & forsan excussimus argumentis. Sed cæteris prætermissis, profectò negare, quòd tres istæ sint partes pœnitentiæ, est negare non solum Magistrum sent. cuius expositor ipse *Scotus de partibus pœnitentiæ.* *Illatio Scoti.*

est,

est, verùm & vniuersam theologorum scholam ipsum præcedentium, qui vnò ore partes pœnitentiæ appellant. Quinetiam hoc est negare autoritatem sanctorum patrum, vnde hic sermo deriuatus fuit, ac subinde generale sacerdotum idioma, qui ita in tota ecclesia loquuntur. Sunt ergo partes, non quidem pœnitentiæ virtutis, vt statim ait S. Thom. sed sacramenti. Nam cum omne sacramentum constet ex materia & forma, sustineri non potest, quòd sola absolutio sit pœnitentia, vt ibidem fusius monstrauimus: fitque inde vt actus sint materia sacramenti, pro qua supponit sacramenti nomen connotando formam: sicuti baptismus supponit pro ablutione. Et ideo istæ sunt tres partes materiales sacramenti: sicuti carnes & ossa sunt partes materiales hominis. At verò Durand. distin. 16. quæst. 1. aliter hunc partium numerum inficiatur, & detruncat dicens, quòd sola confessio est materia sacramenti, eo quòd est materia proxima: nam contritio non est nisi dispositio: quia esse potest sine sacramento. Præterquàm quòd cum sit in mente non est sensibile signum. Et quòd satisfactio non sit pars sacramenti, sed fructus eius probat, tum quia sequitur sacramentalem formam, tum præsertim, quia non est de essentia, vt patet in confessione, quæ fit sub articulum mortis, vbi nulla imponitur satisfactio. Et ideò dist. 14. dixerat hoc sacramentum vocandum esse sacramentum, non quidem pœnitentiæ, sed confessionis. At verò & hoc illic impugnauimus, nam peccata ipsa confessa contritionem includunt, & propositum satisfaciendi, super quæ fertur absolutio. Quare omnes tres actus sunt materia ad gratiam sacramentalem partialiter concurrens cum forma. Et hæc est legitima theologia, cui vera philosophia ancillatur: imò quam ecclesiæ vsus, & expressè Florentina Synodus sanxit. Verba. n. Synodi sunt. Quartum sacramentum est pœnitentia, vbi docetur sacramentum supponere pro actibus pœnitentis. Et subditur. Cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Neque verò ait, quasi, ac si non sint vera materia, sed quia non sunt materia extrinsecus apposita, vt ablutio & chrismatio. Quarum prima, inquit, est cordis contritio, secunda est oris confessio, & tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis. Præterea contrarius error damnatus fuit primò à Leone pontifice decimo, deinde in concilio Tridentino sessione. 6. can. 14. vbi pœnitentia affirmatur has tres partes continere. Post hos igitur sacros canones non est fas negare tres partes pœnitentiæ, sed veritas hæc tanquam orthodoxa est veneranter amplectenda.

Partes pœnitentiæ sacramẽti.

Durandi argum. contra cõtritionem & satisfactionem.

Refutatur Durand.

Concilium Florent.

Trident.

1. Argu. Ad argumenta verò Durand. respondebit illicò S Thom. At sunt præterea quædam alia argumenta: quia nonnunquàm homo confitetur sine contritione, cum sola attritione, quæ sufficit ad sacramentum.

2. Argu. Secundò Alexander 3. cap. Quod quidam de pœnitentijs & remissio. iubet, vt illi qui non habent propositum abstinendi in futurum, nihilominus confiteantur: & tamen si confessio esset pars sacramenti, esset quidem peccatum sacrilegij contra sacramentum: quia cum illa sit ficta, sacramentum vitiaret. Ad primum respondetur, quòd attritio existimata contritio dum forma sacramentali informatur, fit etiam pars sacramenti. Ad secundum negatur confessionem illius qui non habet firmum propositum emendandi, vitam esse fictam: si tamen pœnitens defectum propositi confiteatur, quia ficta confessio non est nisi vbi aliquod celatur crimen. Vnde licet confessio illa inualida sit ad gratiam, nihilominus valet ad obedientiam præstandam prælato, qui illum possit salutaribus documentis admonere.

Solutio 1.

Solutio 2.

1. Argu. Contr. ar. 1. Primum argumentum S. Thom. in art. 1. est. Sacramenta sunt, in quibus diuina virtus secretius operatur salutem: diuina autem virtus simplex & vna est: non ergo huic sacramento decet partes assignari. Negatur consequentia: nam etsi sacramentum ratione diuinæ virtutis quandam habeat simplicitatem, tamen diuina virtus propter sui amplitudinem operari potest multis tam instrumentis, quàm eorum partibus.

2. Argu. Secundò arguitur. Pœnitentia & est virtus, & est sacramentum, quatenus verò est virtus, non assignantur ei partes, cùm virtus sit habitus quidam qui est simplex qualitas mentis: neque verò sacramento huic videntur partes assignandæ ex parte materiæ, quandoquidem neque baptismo, neque alijs sacramentis assignantur, nisi simplex materia & forma. Primum membrum argumenti est Scoti, quo concludit virtutis pœnitentiæ nullas esse partes. Qua vtique ratione & D. Thom. id ipsum concedit: nam actus isti non sunt nisi effectus virtutis, qui est simplex habitus. Assignantur nihilominus ei partes materiales, quatenus est sacramentum, eo quòd huiusmodi actus sunt eiusdem sacramenti materia. Quæ quidem ratio non habet locum in reliquis sacramentis: quippe quorum materia est res exterior, eademque simplex, vt aqua vel oleum, &c.

3. Argu. Tertiò arguitur. Pœnitentiæ materia sunt peccata, vt dictum est: peccati autem non sunt partes. Responsum autem est suprà, quòd non sunt materia nisi remota: quia sunt obiecta humanorum actuum, qui sunt materia proxima.

1. Argu. Contra 2. art. Mox primum argumentum articuli secundi est. Contritio est in corde, confessio in ore, satisfactio in opere, quorum ideò primum ad interiorem pertinet pœnitentiam, & duo duntaxat ad exteriorem: pœnitentia verò interior non est sacramentum: quia non est signum sensibile: ergo tantum sunt duæ partes. Respondetur, quòd quamuis contritio, quantum ad essentiam sit in corde, tamen quatenus propositum continet confitendi & satisfaciendi, ad exteriorem pertinet pœnitentiam.

Contra solut. At forsan quis contra hanc solutionem insurgat. Si contritio secundum suam essentiam non est pars sacramenti, sed quatenus includit confessionem, sit vt per se non sit pars, atque adeò non sint nisi duæ partes. Respondetur, quod S. Thom. non dicit secundum essentiam non esse partem, sed quòd secundùm essentiam est in corde. Nihilominus secundum suam essentiam est pars, scilicet quatenus est dolor, & detestatio peccatorum cum proposito ea tollendi: sed quia peccatum non tollitur, nisi per propositum confessionis & satisfactionis, in sua essentia includit idem propositum confitendi & satisfaciendi. Et ideo sunt tres partes habentes diuersas rationes, inter quas contritio est aliarum initium. Nam cùm confessio, & vindicatio peccati fieri ab homine possit vel inuito, cum punitur à iudice, & solùm ad recompensandam iniuriam sine intentione amicitiæ, vel ab spontaneo ad reconciliandam amicitiam, contritio illa, quæ hoc postremum propositum habet, distincta pars est à confessione & satisfactione secundùm se consideratis. Itaque contritio est per se pars sacramenti, sed non est per se sensibile signum, nisi quatenus per confessionem & satisfactionem innotescit: sicut consensus interni contrahentium matrimonium. Secundò arguitur. In sacramentis nouæ legis confertur gratia, sed per satisfactionem nulla confertur, quippe quæ absolutionem subsequatur, imò verò quandoque non est necessaria, vt dum quis sub articulum mortis confitetur: ergo non est pars. Respondetur, quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito, & auget eum in exercitatione, sicut baptismus adultorum accedentium in gratia, eam illis auget.

Contritio secundum essentiam est pars.

Quomodo contritio sit sensibilis.

2. Argu.

Considerare audienda est ista solutio: nam satisfactio quando vi clauium est iniuncta à confessario, peculiarem quendam modum habet augendi gratiam, tanquam pars sacramenti, præ satisfactione illa: quam quis sua sponte faceret, vt distinctione decimanona videbimus. Quapropter sacerdotes non bene pœnitentibus consulunt satisfacere paratis, non iniungendo eis dignas pœnitentias.

Satisfactionis vis peculiaris.

Ad argu. Durand. Ad argumentum suprà factum Durandi, quod cùm sine satisfactione possit esse legitimum sacramentum, sequatur, non esse partem. Negatur consequentia: sine parte enim essentiali non potest res consistere, sed tamen sine parte integrali, qualem nos ponimus satisfactionem, esse potest. Homo namque, quamuis non sine anima, tamen sine manu existere valet.

3. Argu. Tertiò arguitur. Non est idem pars rei & eius fructus: sed satisfactio est fructus pœnitentiæ, secundum illud Ioan. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ: ergo non est pars. Respondetur, nihil vetare quominus satisfactio sit fructus pœnitentiæ virtutis, & pars pœnitentiæ sacramenti.

Satisfactio fructus est, & pars.

4. Argu. Quartò arguitur. Pœnitentia ordinatur contra peccatum, sed peccatum potest solùm in corde con-

summari

summari per consensum: ergo & pœnitentia absque alijs exterioribus partibus. Negatur consequentia: nam cum, vt ait Dionysius 4. cap. de diuinis Nominibus, bonum sit ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus, plura requiruntur ad bonum, quam ad malum. Et ideo quamuis peccatum in solo corde possit consummari, nihilominus perfectio sacramenti pœnitentiæ exigit eiusdem culpæ confessionem, & satisfactionem.

Postremum argum. Postremò arguitur, quòd sint plures partes quàm tres: nam in homine non solùm sunt partes materiales quantitatis corporis, verùm & anima, quæ est forma. Respondetur, non negari quin pars pœnitentiæ præcipua sit forma absolutionis, quod in prima conclusione assertum est. Sed hic non loquimur nisi de partibus materialibus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm prædicta tria sint partes integrales pœnitentiæ.

Conclusio. EX dictis constat huiusmodi partes esse materiales, atque adeò integrales. Sed propter quosdam id negantes quæritur, an sit verum. Et respondetur hæc tria esse partes integrales pœnitentiæ. *Tria partium genera.* Tria enim sunt partium genera, vt ad propositum spectat, scilicet essentialium, vt materia & forma: & subiectiuarum, vt species generis: scilicet homo & equus, animalis: & potentiales, vt potentiæ animæ, scilicet intellectus & voluntas, quæ dicuntur eius partes. Has ergo constat non esse partes componentes essentiam sacramenti, vt forma & materia, sed quidam dixerunt, quod essent partes subiectiuæ: ita vt istæ sint prædicationes generis, Contritio est pœnitentia, Confessio est pœnitentia, &c. sed hoc inde patet esse falsum, quod in singulis partium subiectiuarum est tota substantia generis, & ideo verum est, quod homo est animal, & equus etiam animal: contritio verò non est sacramentum pœnitentiæ, neque confessio, sed omnes simul tres partes sub connotatione superuenientis formæ absolutionis, vt supra expositum est. *Non esse partes subiectiuas.* Alij verò dixerunt, quod essent partes potentiales, ita quòd sicut anima per potentias, sic sacramentum per has partes operatur. *Neque potentiales.* Sed neque hoc est verum: quia partibus potentialibus adest subiectum secundùm totam suam essentiam: non quòd intellectus sit anima, imò est eius proprium accidens, vt ait Aristoteles, sed quòd sit in tota essentia animæ: tota enim essentia adest intellectui, & tota voluntati: sacramentum verò pœnitentiæ non totum confessioni, vt putat Durandus, sed totum, scilicet forma sacramenti, adest omnibus simul, sicut anima informat omnes partes corporis. Et hæc est propria ratio partium integralium: videlicet, vt simul sumptæ recipiant formam. *Sed integrales.* Illæ enim sunt partes integrales, ex quibus totius perfectio integratur: & ex his tribus gerentibus vicem materiæ, informatæ per absolutionis formam, integratur sacramentum pœnitentiæ.

1. Argu. Arguit autem primo loco S. Thom. peccatum cordis, oris, & operis sunt partes subiectiuæ, hoc est, species, imò genera peccatorum: nam quodlibet est per se peccatum: ergo etiam pœnitentia cordis, oris, & operis, erunt partes subiectiuæ pœnitentiæ. Negatur consequentia. Ad cuius intellectum animaduertendum est, quòd peccata cordis, oris, & operis possunt considerari duobus modis. *Peccatorum cordis, & operis duplex consideratio.* Vno quidem per se absolutè secundùm propriam rationem, quæ in aliqua harum potentiarum consummatur. Et isto modo sunt species, imò genera peccati. Exempli gratia hæresis, quæ intellectu consummatur, est per se peccatum cordis, & pariter consensus in delectatione venerea sine ordine ad opus: contumelia verò est per se peccatum, quòd consummatur in ore: & homicidium, seu adulterium, quod consummatur in opere. Et isto modo non est simile de pœnitentia, eo quòd malum ex singulis defectibus consummatur, bonum verò non nisi ex integra causa. Sed alio modo distinguuntur illa peccata non tanquam genera, sed tanquam gradus eiusdem peccati, vt si quis consentiat in homicidium, & dicat se perpetraturum, & tandem perpetret: vnum quidem est peccatum habens gradus in corde, ore, & opere, quare satis est tunc confiteri homicidium: & tunc illi gradus se habent sicut partes integrales, atque huius instar se habent hæ tres partes pœnitentiæ, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio.

2. Argu. Secundò arguitur. Nulla pars integralis continet in se aliam sibi condiuisam, sed contritio continet in proposito & virtute confessionem, & satisfactionem: ergo non condiuiditur ab illis. Respondetur ad maiorem, quòd vna pars non potest continere aliam formaliter, vt caro non continet os, neque caput pedem, in virtute tamen potest vna aliam continere, vt fundamentum continet parietes, & tecta: & hoc modo contritio continet reliquas.

3. Argu. Tertiò arguitur. Ex partibus integralibus simul & æqualiter constituitur totum, sicut linea ex suis partibus, sed hoc non contingit hic; ergo non sunt partes integrales. Respondetur ad maiorem, quod inter partes quascunque integrales est ordo ad inuicem, diuersimodè tamen: nam quædam habent ordinem tantùm in situ, siue consequenter se habeant, vt partes exercitus, siue se tangant, sicut partes acerui, siue etiam colligentur, sicut partes domus, siue etiam continuentur, sicut partes lineæ. *Partes integrales ordinantur ad inuicem, diuersimodè.* Et hæ partes, quia non sunt entia successiua, neque habent diuersas virtutes simul & æqualiter, constituunt totum. Quædam verò habent insuper ordinem temporis, vt mane, meridies & vesper, & istæ, quia sunt successiuæ, non eodem momento cõstituunt, sed successione. Aliæ verò partes præterea habent ordinem virtutis, sicut partes animalis, quarũ prima virtute est cor, à qua reliquæ pendent, & inter reliquas aliæ ab alijs, & isto modo habent partes pœnitentiæ, quarum reliquæ, vt legitimæ sint, ex contritione pendent, & successu temporis vnam integrant materiam sacramenti.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm conuenienter diuidatur pœnitentia in pœnitentiam ante baptismum, & pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium.

TANDEM propter autoritatem libri de vera & falsa pœnitentia,† vbi distinguitur pœnitentia in pœnitentiam ante baptismum, & pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium, quæritur, vtrum illa distinctio sit legitima. *† Tom. 9. operũ Aug. cap. 2.* Et respondetur, esse legitimam distinctionem pœnitentiæ virtutis, non autem sacramenti. *Conclusio.* Est enim considerandum vnamquamlibet virtutem operari secundùm temporis congruentiam veluti secundùm alias debitas circunstantias. Vnde aliter operatur virtus pœnitentiæ post orbem redemptum, quàm in lege naturæ. Pertinet autem ad pœnitentiam, vt detestetur peccata præterita cum proposito emendandi vitam in melius, qui est quasi pœnitentiæ finis. Et quia morales actiones accipiunt speciem à fine, vt 1. 2. quæstione prima articulo tertio dictum est, consequens fit vt secundum diuersas mutationes, quas pœnitens per pœnitentiam intendit, diuersæ species pœnitentiæ distinguantur. *Triplex immutatio pœnitentis.* Est autem triplex immutatio à pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in nouam vitam, & hæc pertinet ad pœnitentiam ante baptismum. Secunda verò est immutatio per reformationem vitæ præteritæ iam corruptæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam moralium post baptismum. Sed tertia est immutatio in perfectiorem operationem vitæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem feruentem actum charitatis, vt supra dictum est.† *† dist. 15. q. 2. ar. 1. & 3.*

1. Argum. Hic nihil prorsus est adnotatione dignum: sed facillimæ sunt argumentorum solutiones. Primum est. Pœnitentia est secunda tabula post naufragium, sed baptismus est prima: ergo ante ipsum nulla est pœnitentia. Sed respondetur, quòd pœnitentia est secunda tabula qua ratione est sacramentum, & quæ præcedit baptismum non est sacramentum.

2. Argu. Secundò arguitur. Quod potest destruere maius, quale est mortale, potest destruere minus, quale est veniale: illa ergo pœnitentia, quæ est mortalium, est venialium, atque adeo non sunt duæ. Respondetur, quòd etsi pœnitentia mortalium per se sit venialibus sufficiens, tamen non conuertitur: quia ille, qui est in gratia, potest habere pœnitentiam venialium absque pœnitentia mortalium.

3. Argum. Tertiò denique arguitur. Sicut homo post baptismum potest peccare venialiter & mortaliter, ita &

Digitized by Google

ante baptismum: ergo sicut post baptismum distinguitur duplex pœnitentia, ita & ante ipsum. Negatur consequentia, quia post baptismum potest esse veniale sine mortali, atque adeò remissio venialium, sine mortalib. sed ante baptismum non potest esse veniale sine mortali. Tenet enim S. Tho. quod primum peccatum venientis ad vsum rationis non potest esse nisi mortale. Et ideo ante baptismum in adulto non potest esse veniale sine mortali, atque adeo neque absque illo remitti. Quare in illo non distinguitur pœnitentia mortalium a pœnitentia venialium.

Quæstio secunda,

DE PRIMA PARTE POENITENTIÆ, QVÆ EST CONTRITIO.

Obitus D. Thom.

HIc nobis lux occidit S. Thom. Hîc, inquam, obitus illi calamum sustulit, ne tertiam partem perficeret. Hinc ergo eadem ferè orbatis luce nauigare nobis necesse est. Nam etsi quæ scripta reliquit in Quarto, inter omnes sententiarum interpretes nomen meritò habeant & dignitatem, non tamen illam attingunt, quæ proprio calore, meditatione què studio in Summa digessit. *Autoris ordo.* Quocirca in subsequentibus non vsque adeò ad vnguem eius literam persequemur, vt in libris de Iustitia & iure, & hic hactenus fecimus, sed ordinem & sententias eius quoad poterimus secuti, & vbi ratio suaserit, plurima etiam verba referentes liberiori stylo vtemur. Non quòd eius assequi vestigia præsumamus. Quis n. id animo constituere audeat? sed quòd necessitas nos compellat ruinam, quam nobis eius decessus fecit, & iacturam, quam nos subinde fecimus, pro tenui nostra virili vtcunque resarcire & reficere.

Circa quæstionem ergo præsentem sex quæruntur. Primò de contritionis quidditate, vtrum sit dolor de peccatis assumptus. Secundò de eius materia, vtrùm tantùm sit de peccatis præteritis. Et tertiò vtrùm debeat esse de singulis. Quartò de eius quantitate, vtrùm debeat esse maximus dolor. Quintò de eius forma respectu attritionis, vtrum scilicet attritio possit fieri contritio. Sextò de eius necessitate, vtrùm vllum extet contritionis præceptum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm contritio sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi & satisfaciendi.

HIc in primis hoc est animaduertendum, quòd cùm contritio id ipsum sit, quòd interna virtus pœnitentiæ, & sub hoc nomine in superioribus, potissimum di. 14. q. 2. d. 15. & 16. copiosissimè sit de illa deque eius effectibus dissertum, perparum est quod de contritione nobis dicendum supersit, sed pleraque omnium tanquam iam satis examinata sunt habenda. Primus ergo articulus est de quidditate contritionis. Et arguitur, quòd non sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi & satisfaciendi. Primò, quia contritio est actus virtutis, dolor verò passio sensus. *Partis negatiuæ. 1. Argum.* Secundò, quia sicut timor est de malo futuro: ita dolor de præsenti, quod nobis nolentibus accidit: præsentia verò est de præteritis, quæ nostra sponte commisimus. *2.*

Sed in contrarium facit nomen ipsum contritionis, quod dolorem cordis significare videtur, qui in lege Euangelica sine proposito confessionis & satisfactionis non est legitimus.

Decisio art. & nominis etimologia. Quo solutionem à nominis significato aucupemur, attero & contero verba latina sunt, & contero significationem auget. Dicimus enim saxa attrita, & contrita, & protritas vestes, & per metaphoram transfertur ad hominem, qui dicitur laborib. attritus, & ætate detritus. Extenditur autem metaphora ad cor, quod afflictione & dolore dicitur contritum. *Priscis contritio incognita.* At verò in hac Christiana & Euangelica metaphora inter priscos latinos non reperitur: quia nec rei habuerunt notitiam. Nouerunt quidem pœnitentiæ nomen sub ratione virtutis: vt distin. 14. quæstion. 2. monstrauimus, sed tamen neque in lege naturæ erant tres partes pœnitentiæ, neque vim contritionis callebant, quæ est peccatum radicitus ex corde diuellere. In sacra verò scriptura, & apud eius interpretes per hanc metaphoram cor dicitur contritum, quòd cùm homo per superbiam, quæ vt legitur Ecclesiast. 1. initium est omnis peccati, adeo prauis suis affectibus inhæresçat, vt fiat cor eius sicut saxum durum, iuxta illud Exod. 7. Induratum est cor Pharaonis, & sicut lac coagulatum, vt est in Psal. 118. fit vt detestatio peccati, quæ per contrariam fit humilitatem, dicatur commolitio cordis & mollificatio: nam sicut duritie & coagulatione partes sibi inuicem adhærent, sic dum moliuntur & liquescunt, resoluuntur & separantur. At verò quia vt 4. Ethi. ait Philosophus dum res in partes grossiores franguntur, dicuntur atteri: dum verò commoliuntur, dicuntur conteri, metaphora transfertur ad cor, videlicet vt dum homo imperfectè detestatur peccatum non tanquam Dei offensam, sed propter pœnas inferni, illa detestatio, quia non sufficit eradicare peccatum, dicatur attritio. Quando verò per speciale Dei auxilium perfectè dolet ille actus, per quem nulla affectio cordis manet ad peccatum, sed omnino conuellitur, dicatur contritio. *Attritionis & contritionis significatio & discrimen.*

Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Contritio, si eius substantiam spectes, non est dolor sensus, sed detestatio peccatorum, quæ est in voluntate. Est enim contritio id ipsum, quod primus actus pœnitentiæ virtutis. Enimuerò cùm, vt dist. 14. quæst. 2. art. 1. differuimus, virtus pœnitentiæ quinque includat, quorum primum, in quo eius substantia consistit, sit peccatorum detestatio, ipsissimum est, quòd nomine contritionis significatur. At quoniam contritio tum primus sit actus virtutis pœnitentiæ, tum prima subinde pars integralis materiæ sacramenti, & istum quoque sacramenti respectum explicari necesse est. Si ergo integra desinitio desideratur, Contritio est detestatio peccati, quatenus offensa Dei est: cum proposito emendandi vitam, confitendiquè & satisfaciendi spe veniæ diuinitus obtinendæ. Et quia in sacra scriptura nomine cordis voluntas designatur, quæ sicut cor initium est corporei motus: ita & ipsa omnium est potentiarum motrix, aptissime huiusmodi detestatio contritio cordis dicitur. *1. Concl.* *Contritionis definitio.*

Secunda conclusio. Ex hac verò contritione in appetitu concupiscibili, vt loco citato declarauimus, ferè semper oritur dolor, qui est passio, atque adeo de se non dicit virtutem. Veruntamen quia ex voluntatis electione fit, est virtus. Non tamen est ad virtutem pœnitentiæ necessarius, tum quòd in patria sancti possunt detestari peccata, licet non doleant, tum quod etiam in via, non est in potestate hominis, vt semper eliciatur. *Secunda conclusio.*

Sed rogas. Cur ergo pœnitentia dicitur dolor, postquàm non est in sensu? Respondetur optima ratione, tum quia propositio potest sumi causaliter, vt sit sensus, quod est causa doloris, tum præsertim quia & ipsa detestatio dicitur dolor cordis, hoc est, voluntatis, iuxta illud Psalmi 12. Quamdiu ponam consilia in anima mea, & dolorem in corde meo per diem? Quando scilicet lux diuinæ gratiæ affulserit. Quinuerò & præter detestationem ipsam, qua peccata displicent voluntati, est in ipsa passio tristitiæ illam consequens, sicuti & tristitia in eadem nascitur ex amore boni: amor namque vt D. Tho. 1. 2. q. 27. art. 4. secundum Arist. demonstrauit, est omnium affectionum voluntatis prima, aliarum quefundamentum. Ex eo enim quòd rem amamus, sequitur desiderium eius si ea caremus, & gaudium dum eam adipiscimur. Et ex eodem amore sequitur odium rei contrariæ, & si futura imminet, metu nos concutit, præsens verò mœstitia afficit. Vnde in lib. de vera & falsa pœnitentia, Dolor, inquit, est comes pœnitentiæ. Non dixit, est pœnitentia, sed comes. Atque in hoc sensu intelligitur pœnitentiæ definitio in eodem libro, & refertur de pœnitentia distinct. 3. can. Pœnitentia. 2. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, &c. Quapropter habitus omnium pœnitentium lugubris vbique depingitur, vt patet in Niniuitis, & Matth. 11. ait Christus, Væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone facta fuissent signa, quæ facta sunt in te, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Et Hieronymus, de pœnitentia distinctio. 1. can. Mensura. Apud *Cur pœnit. dicatur dolor?* *Pœnitentiæ definitio.*

Deum,

Digitized by Google

Deum, inquit, non valet tantum temporis mensura quam doloris. Et Cyprianus sermone 5. de lapsis. Agite pœnitentiam plenam dolentis ac lamentantis animi, probate mœstitiam, &c. Quinuerò de Deo ipso per metaphoram legitur Genes. 6. quod tactus dolore cordis intrinsecus dixit: Pœnitet me fecisse hominem. Dicitur autem contritio dolor assumptus, quia est spontaneus, ad differentiam doloris qui extrinsecus incutitur. Tametsi, vt supra diximus, quoniam à gratia quoque procedit, sit à Deo datus.

3. Concil. contra Luther.

Et quoniam hoc supra loco citato distinctio. 14. quæst. 2. art. 1. abundantibus testimonijs comprobauimus, ne de eadem re molestum faciamus articulum, statuitur tertia conclusio. Contritio est vera virtus. Hæc asseritur contra Lutherum art. 6. à Leone condemnato, vbi ait, hominem facere hypocritam & magis peccatorem, cum in suis scilicet doloribus spem ponat, quam in sola fide deberet collocare. At prætermissis alijs testimonijs & rationibus illic adductis, illa modo sufficiant, quæ nomine contritionis id confirmant. In sacra enim scriptura contritio, si perspectè attendas, idem est quod afflictio cordis, qua cor miserum maceratur & resoluitur. Vnde Deus Hierem. 6. sacerdotes reprehendebat dicens: Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Sed tamen contritio hæc & mœror potest oriri quandoque ex metu & præsentibus calamitatibus, vt est in Psal. 12. Contritio & infœlicitas in vijs eorum. Et contritio huiusmodi non est per se bona & legitima. Oritur tamen quandoque ex humilitate, quæ contraria est superbiæ, per quam recrudescunt peccata. Et hæc est laudabilis, de qua in præsentiarum loquimur. Atque de hac Dauid Psal. 50. Cor, inquit, contritum & humiliatum Deus non despicies. Et Psalm. 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones, (id est, vulnera & plagas) eorum. Et Esaiæ 61. Ad annunciandum mansuetis misit me Dominus, & vt mederer contritis corde.

Contritionis significatio ex sacra scriptura.

Dauid.

Dicitur item contritio alio nomine cordis compunctio, iuxta illud Psalmi 4. Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Vt enim vlcus ferro pungitur, vt virus exeat, sic & cor, vt peccatum emittat. Vnde antiqui sancti patres sub nomine compunctionis & contritionis hac de re loquuntur. Vt Gregor. 8. Moralium. Alia est, inquit, compunctio siue contritio quæ per amorem nascitur, alia quæ per timorem. Et Græcus Chrysost. libros edidit de compunctione cordis. Sed homilia 9. super 6. cap. ad Hebræos. Cor, inquit, contritum & humiliatum Deus non spernit: quia illud nō exigitur, non percutit, & talis est, inquit, contritio cordis.

Contritio cordis compunctio.

Gregor.

Chrysost.

Eadem ratione contritio dicitur scissio, sicut membrum putridum scinditur, & quia per illam inscitionem auersus homo à commutabili bono conuertitur in Deum, coniunguntur ambo, Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.

Contritio dicitur scissio.

Ad argumentum ergo primum iam responsum est, vbi declarauimus quemadmodum dolor etiam in sensu sit virtus, cum tamen hic non accipiatur dolor, nisi pro detestatione, quæ à voluntate elicitur.

Solutio primi argum.

Ad secundum verò respondetur, quòd etsi peccata fuerint præterita actu, manent tamen reatu: scilicet quantum ad maculam, quæ est priuatio gratiæ & amicitiæ Dei, & quantum ad reatum pœnæ, & hac ratione hominem contristant. Præsertim quòd memoria eorum, cum sit præsens, sufficiens est nos mœrore afficere. Et quamuis nostra sponte ea commiserimus, nihilominus quia modo nollemus ea commisisse, dicuntur, dum nos pœnitet, nolentibus nobis accidere.

Secundi argum solut.

Quòd si arguas, dementiam esse nolle vt id quod factum est non fuerit: quia ad præteritum nulla est potentia. Duæ sunt extremæ opiniones. Vna, quòd potest esse aliqua nolitio absoluta impossibilium, licet ineffícax, & talis est detestatio pænitentiæ. Sed hanc opinionem loco citato satis ostendimus esse falsam. Altera est in altero extremo Adriani de pœnitentia, quæst. 1. tenentis quòd neque nolleitas esse potest conditionalis impossibilium, quando constat illud impossibile non extare. Licet enim mercator ingruente tempestate habeat illam conditionalem velleitatem, Vellem seruare merces si simul possem seruare vitam: tamen dum constat ei non esse possibile illam seruare, velleitatem deponit, & absolutè vult merces in mare proijcere. Quare tristitiæ, inquit, illius non est causa, velleitas, quæ iam deposita est, sed simplex affectio & desiderium, quo homo afficitur ad suā propria bonā. Pari modo ait detestationem pœnitentiæ non esse nolleitatem: quia constat homini impossibile esse peccatum non fuisse, sed esse simplicem affectionem, quam homo habet ad Deum, vel ad beatitudinem, & illa est causa tristitiæ.

Argu. cōtra solut. 2. Duæ opiniones. Prima.

Secunda.

Hæc autem opinio est extranea & à doctoribus, & à veritate. Primum enim est contra Aristotelem 3. Ethic. dicentem de naufrago, quòd simul habet velleitatem non proijciendi merces cum absoluta voluntate proijciendi, nec sunt repugnantes. Secundo est contra rationem Physicam: nam si haberi potest propositum & desiderium rei impossibilis, etiam si constet esse impossibilem, vt ipse admittit, eadem affectio & idē desiderium non potest non parere actum illum conditionalem: quare istum actum de impossibili habere; non magis repugnat quàm habere eius desiderium. Imò verò cum quis filium aut rem charam amisit, propterea mœret, quòd vellet illud non accidere, quod videt impossibile non accidisse. Ob idque non est prudens consolatio illa vulgaris, dum quis mœstus est de re aliqua, dicere illam mœstitiam nihil prodesse, & ideo esse abijciendam. Quare Solon dum defunctum filium amarè lugeret, dicenti ei, quòd nil illæ lachrymæ illi prodessent, respondit, Propterea lachrymor, quia nihil lachrymando proficio. Tertiò prædicta opinio est contra historiam Christi, qui profecto in agonia positus eam habuit nolitionem mortis, quam expressit verbis; expressit autem conditionalem: Pater, si possibile est, transeat à me, &c. & tamen sciebat secundum quòd præfinitum erat à patre, non esse possibile: nam dicere, quòd habebat absolutam nolleitatem, est hæreticum. Dicebat enim: Spiritus promptus est, &c. Quartò denique negare detestationem pœnitentiæ esse actum elicitum voluntatis, qui esse non potest nisi conditionalis nolitio, est temere doctorum vniuersitati contradicere, quorum est Alex. 4. par. q. 14. memb. 2. art. 2. & hic D. Thom.

Reprobatio opinionis secunda. 1. Argum. 2.

Dictum Solonis.

3. Argum.

4. Argum.

Indubiè ergo detestatio pœnitentiæ est, Nollem peccasse si esset possibile, & quia homo videt esse impossibile, contristatur, & mœstus fit de Dei offensa. Quòd si arguas. Ergo Deus ipse nollet etiam peccata hominum fuisse, atque adeò habet nolitionem, quæ impleri non potest. Profecto illatum conceditur. Deus enim non solum habet absolutas nolitiones, quæ sunt efficaces de bono obiecto, secundum quas omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, verùm & conditionales, de rebus, quæ ei displicent. Nollem homines peccare, aut peccasse: nam propterea prohibet nos peccare. Sed de hoc alias.

Sententia autoris.

Obiectio.

Hic autem repetitum lector putet, quod dist. 17. q. 1. art. 2. admonuimus: scilicet, quòd non sit explicandum in definitione, idque minimè vulgo, quod contritio sit detestatio actualis vel virtualis: nam cùm testimonia illic relata pœnitentiam exigant, non est fas aliter loqui quàm ipsa sonant. Et multo minus admittendum, quòd sufficiat propositum virtuale. Nam præter testimonia illic citata est expressa sententia concilij Florentini, vbi habetur, quòd ad contritionem spectat dolere de præteritis cum proposito non peccandi: nomen autem propositi actualem intentionem seruandi legem sonat. Cum enim pœnitentia sit vitæ mutatio, non minus requirit propositum futuræ, quàm detestationem præteritæ. Quinuerò magis: nam finis pœnitentiæ est honor Dei, & vtilitas nostra, dolor autem præteriti eo potissimum in honorem Dei & nostrum commodum cedit, quòd propositum parit, vt vitam emendemus, ad quem potissimum finem pœnitentia ordinatur. Ad hæc tandem cuiuscunque virtutis est propositum ingenerare operandi secundum illam: ergo cum pœnitentia sit virtus ad hoc præcipuè destinata vt vitam nostram corrigamus, oportet vt rei huius propositum expressum secum adferat. Sunt qui dicunt non opus esse onerare præcepta Dei, nisi sint in sacra pagina expressa. Sed respondetur in primis, hoc propositum, vt suprà diximus, elicit ex sacra pagina, vbi nobis præcipitur conuersio in Deum, tum etiam ex natura ipsius pœnitentiæ: quare cùm in nostram cedat vtilitatem, non est nobis onus. Imò tam facile est habere tale propositum quàm habere verum præteritorum dolorem.

Obiectio.

Non est dicendum, quod contritio sit detestatio actualis, vel virtualis.

Digitized by Google

Cuius proposito confitendi & satisfaciendi.

De alia verò particula posita in definitione contritionis, quod sit cum proposito confitendi, & satisfaciendi, iam suprà diximus, quòd non requiritur expressum in illo momento, quo homo conuertitur, sed satis est propositum habere seruandi legem, vbi includitur propositum confitendi tempore ab Ecclesia præfinito. At quia in Euangelio præfixus est pœnitentiæ modus per sacramentum, hac ratione propositum confessionis & satisfactionis censetur peculiariter includi in contritione.

ARTICVLVS II.

Vtrùm contritio tantùm sit de peccatis præteritis actualibus proprijs.

Partis negatiua primum argumentum.

SECVNDVS arùculus est, de contritionis materia. Et arguitur, quòd non tantum sit de actualib. præteritis proprijsque peccatis. Primò ex sententia Augustini in lib. de pœnitentiæ medicina cap. 2. vbi ait, quod nemo vitam æternam desiderat, nisi eum huius vitæ mortalis pœniteat: ad mortalitatẽ autem vitæ non solũ peccata actualia attinẽt, verum & eius mortalitas, & omnes calamitates, atque adeò originalis labes, vt idem ibidem ait: ergo & de pœnis etiam peccatorum, & de originali dolendum est.

2. Argum. Similia habentur in Basilio circa medium l. de Virg. explicante illud 1 Tim. 5. Quorundã, &c.

Secundò arguitur. Peccatum ex subsequenti effectu aggrauatur: ait enim Hieron. † quod pœna Arij nondum est determinata, quia adhuc est possibile aliquos per eius hæresim corruere: grauitas autem peccatorum est obiectum contritionis: ergo contritio extenditur ad peccata futura, quorum peccator fuit causa. Atque inde sumitur argumentum tertium, quòd etiam alienorum debeat hominem pœnitere: iuxta illud Psalmi, Ab alienis parce seruo tuo.

3. Argum. Pars affirmatiua.

In contrarium autem est, quod pœnitentia est secunda tabula post naufragium: ergo solum est de peccatis post baptismum commissis: & cum sit conuersio in Deum, & auersio per sola propria, & singula peccata commissa fiat, solum est necessaria de peccatis præteritis, atque adeò de singulis, quorum est necessaria confessio.

Decisio articuli.

De materia sacramenti pœnitentiæ suprà distin. 14. quæst. 1. art. 2. partim tractauimus, vbi monstrauimus materiam huius sacramenti remotam esse peccata, quæ sunt obiecta actus pœnitentiæ, quem quidem actum hic nomine contritionis intelligimus. Quare ad præsentem quæstionem vnica breuiter conclusione respondemus. Contritio, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ, necessaria est de omnibus peccatis mortalibus: solum tamen esse potest de pœnitentis proprijs, quæ scilicet proprio arbitrio commisit. Contritio, inquam, sacramenti, quia potest etiam homo pœnitere bonorum quæ fecit: aut etiam aliorum, quæ non sunt peccata, sed talis contritio non est virtus pœnitentiæ. Primam partem conclusionis dist. 15. q. 1. art. 2. satis eluciduimus, vbi demonstratum est pœnitentiam vsque adeò esse necessariam, vt sine illa nullum peccatum mortale remitti possit. Secunda verò pars probatur, quia pœnitentia, quæ sua est propria significatio, non est nisi earum actionum, quas in hominis potestate fuit facere, & non facere, iuxta verbum Hesiodi, Metanœa vocor, quæ facti, non factique exigo pœnas. Hæ enim, quæ non in nostra fuerunt potestate, possunt nobis displicere & tædium facere, vt quòd hoc aut illo simus genere, aut ingenio, aut corporis habitu nati: pœnitere autem illorum, quia euitare nequiuimus, nequaquã possumus. Sed est præterea peculiaris ratio in contritione, quæ est virtus: nam cum huius vis in eo sit posita, vt per ipsam in Deum conuertamur, aut feruorem charitatis eius recuperemus, auersio autem ab eo, aut charitatis tepor non fiat nisi per proprium peccatum, fit vt pœnitentia solum de huiusmodi peccato esse possit. Confirmatur ex nomine contritionis, quæ dicit ãmotionem cordis nostri à peccato, in quo erat induratum, indutatio autem illa non erat nisi per nostrum liberum arbitrium, quod peccato adhærebat: ergo de proprio nostro solo peccato commisso possumus contritionem habere.

Conclusio.

Hesiodus.

De ijs quæ in nostra non sunt potestate tædium habere possumus, non pœnitere, aut conteri.

Solutio primi argum.

Igitur ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum quidem, quòd pœnitentia non est de vita mortali ratione mortalitatis, sed ratione peccatorum, quorum mortalitas & sensualitas corruptibilis corporis est causa, sicut ait idem Augustinus eod. lib. quòd adultus non potest vitam nouam inchoare nisi veteris pœniteat, hoc est, culpæ qua vita præterita est contaminata. Pœnalitates enim non sunt immediatè in nostra potestate, quas nos eas nollemus incurrere, imò inuitis nobis accidunt. Et ideò contristari nos possunt, non autem pœnitentia nos afficere. Atque in hoc sensu ait ibidem Augustinus, quòd debet nos pœnitere peccati originalis, vbi pœnitere vsurpat pro eo quod est tædere, & dolere, hoc est, tristari de illo: quia cum nostra propria voluntate non fuerit commissum, sed voluntate Adæ, in quo omnes peccauimus, non per pœnitentiam, sed per baptismum remittitur. Sed dolere eadem labes nobis debet, & displicere, eo quod desiderium nostrum gloriæ vel impedit, vel remoratur. De actualibus verò ante baptismum commissis iam diximus pœnitentiam suo gradu requiri.

Pœnitere pro tædere interdum sumitur.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quòd ad peccatum futurum, si sit proprium, extenditur pœnitentiæ virtus, quatenus generali quadam ratione detestatio omnium offensarum Dei, quæ in omni peccato reperitur. Non tamen hominem pœnitere potest illud à se commissum iri, quia res integra est, vt nunquàm illud committat. Sed tamen proponere debet illud nunquam committere, & cauere ne committat: illud autem propositum ex eadem pœnitentiæ virtute, vt suprà diximus, nascitur, qua ratione pœnitentia est generalis detestatio omnium offensarum Dei. Cautela verò adhibetur, quatenus pœnitentia rationem participat prudentiæ. Et ideo contritio, vt ait hic S. Thom. q. 2. artic. 2. quæstiuncula 4. tanquam in obiectum proprium fertur in peccatum præteritum, sed ex consequenti respicit futurum. Quocirca diximus pœnitentiam præteritorum non esse legitimam, nisi pariat firmum propositum cauendi in futurum.

De futuro non est pœnitentia, sed propositum & cautela.

Sol. 3. arg.

De peccato autem alieno, cuius pœnitens fuit causa, non potest ipsum pœnitere, quia non est ampliùs in sua potestate, vt non committatur: quare tota grauitas culpæ peccati, quod alijs hominibus futurum est causa vt peccent, ipso puncto, quo perpetratur, contrahitur. Ob idque ex alienis peccatis nihil culpæ accrescit primò peccanti. Colligitur ergo, quòd pœnitentia solius est proprij peccati. At verò quando homo videt quanta mala ex sua culpa subtreuerint, quia tunc agnoscit quantum suum crimen fuerit, acerbius eum illius pœnitet. Et ideo postquam in die iudicij patuerint effectus cuiuscunque peccatoris, augebitur cuiusque pœnitentia, non verò augebitur subinde pœna damnatorum, nisi accidentalis: quia videbunt quantorum fuerint malorum causa. Potest etiam iustissimus quisque, imò debet tristari & mœstus esse, quod alij peccent, ille tamen non est pœnitentiæ effectus, sed charitatis.

Pœnitentia est solius proprij peccati. Tristari quia alij peccant, non est pœnitentiæ effectus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm de singulis mortalibus culpis requiratur singularis contritio.

Partis negatiua arg.

CIRCA tertium articulum arguitur, quòd non sit de singulis peccatis necessaria contritio. Contritionis motus est ad iustificationem impij necessarius: ille autem esse potest in instanti cùm sit spiritualis, iuxta illud Ezech. 33. Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit, vbi diem sancti pro hora & momento vsurpant, iuxta illud Ecclesiast. 11. Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem: in instanti verò non potest esse singulorum recogitatio.

Pars affir. † Super illud Marc. 9. Hoc genus dæmoniorũ, &c. sem. 9.

In contrarium est sententia Hieronymi † dicentis diuersorum morborum diuersas esse medicinas, quia quod sanat oculum, non sanat calcaneum: cùm ergo contritio sit medicina, debet singulis accommodari.

Opinio antiquorum, quod requiritur contritio specialis singulorum. Caiet.

Quæstio hæc est & cognitu necessaria propter vsum pœnitentium, & decisu non facilis propter opinionum obscuritatem. Ob id igitur nonnihil eget meditationis. Et primum quidem opinio fuit antiquorum omnium, quòd requiratur contritio specialis singulorum, vt Alexandri 4. par. q. 69. memb. 8. art. 2. & Ricar. dist. 16. art. 4. q. 2. & Durand. dist. 17. q. 2. & Palud. ead. d. quæst. 1. art. 2. Non tamen expresserunt, an tot numero esse debeant contritiones, quot peccata. Et ideo Caiet. super tertiam partem q. 87. art. 1. & latius q. 2. de contritione super eandem tertiam

partem

partem ait ridiculum esse de singulis singulas exigi contritiones, siue contritionem secundum seipsam consideres, siue in ordine ad sacramentalem confessionem. Et quia subobscurè loquitur, opinio eius consistit per distinctionem in duabus conclusionibus. Aut enim contritio consideratur quatenus pars est sacramenti, & materia confessionis, tunc requiritur vt renocatis, quoad eius fieri potest, peccatis omnibus in memoriam contritio in hæc collectum feratur formaliter, quæ subinde virtute fertur in peccata citra culpam oblita. Si autem consideretur per se contritio, non exigitur specialis, quia nec requiritur indagatio & recordatio peccatorum: sed sufficit generalis detestatio peccatorum: imò satis est dicere: Peccaui, argumentum factum probat. Atque hæc est opinio, quæ nunc plurimum habetur in vsu.

1. Concl. Caietan.

2. Concl. Caiet.

Nihilominus arbitror moderatione opus habere, & ideo tribus conclusionibus respondetur. Prima. Contritio per se, & suapte natura requiritur singulorum mortalium specialis & singularis, non solùm in ordine ad confessionem, sed etiam per se ipsam in iure naturæ, quatenus per se ipsam solam ex gratia procedentem remittuntur peccata. In primis enim hæc est expressa sententia S. Thom. loco citato 3. par. q. 87. art: 1. Cuius verba sunt. Exigitur ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, vt scilicet homo peccatum mortale, actuale detestetur, quantum in ipso est, vt diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata mortalia, vt singula detestetur. Id quod de contritione secundùm se ipsam affirmat sine ordine ad confessionem. Sed præter eius autoritatem arguitur ratione. Contritio est motus conuersionis auersioni contrarius: sed per quodcunque peccatum mortale fit auersio: ergo quantum est de se quodcunque suam exigit contritionem. Et confirmatur ratione, quam D. Thom. q. præsenti, quæstiunc. 6. ad secundum insinuat. Arguit enim, quod sufficiat vna omnium peccatorum contritio, eo quòd vna est omnibus auersionis ratio. Et respondet, quòd illa auersio variatur ratione diuersarum contritionum. Est ergo ratio huiusmodi. Contritionem debemus admetiri grauitati peccati: sed peccata ratione suorum obiectorum, & circunstantiarum aggrauantur magis & minus: ergo quantum est ex natura rei, debet esse singulorum singularis.

1. Concl. Authoris.

Singularis singulorum mortal. requiritur contritio.

1. Prob. ex S. Thom.

2. Ex ratione.

Confirm.

Tertiò arguitur. In iure naturæ antequam esset instituta confessio, sed sola fides mediatoris in confuso, requirebatur vt quisque postquam in Deum conuertebatur, diligentiam faceret quatenus cognitio illius temporis admonebat, vt sua delicta recoleret, atque illorum eum pœniteret, spe veniæ apud Deum: reuera nescio quis hoc negare posset, nam lumen naturale id docet: ergo sine respectu ad confessionem exigitur peccatorum contritio. Imò verò Christus eo modo confessionem instituit peccatorum, quo in lege naturæ erat requisita contritio.

3. Prob.

Profectò arbitror conclusionem esse verissimam, sed adhibetur ei secunda eius moderatrix. Quando tempus non suppetit, aut commoditas non datur & opportunitas, sufficit contritio generalis peccatorum in confuso, quatenus sunt offensa Dei. Hanc conclusionem argumentum factum planè concludit: quoniam Deus salutis nostræ sitibundus nihil à nobis pro quocunque momento exigit, nisi quòd tunc est nobis possibile, cùm ergo nobis tam subita peccatorum recordatio non sit possibilis, quocunque momento peccator digito Dei tactus dixerit: Peccaui, sufficit ei, sed tamen hoc est, quia illa momentanea & generalis contritio propositum includit, pro tempore & loco singulorum pœnitendi. Sicut baptismus licet sit per se necessarius, tamen votum eius, dum non datur rei opportunitas, sufficit.

2. Concl.

Generalis quando sufficiat.

Dei benignitas.

Scio equidem Caietanum prædicta conclusione secunda hoc redarguere, sed vim argumentorum suorum non video. Arguit enim primò hoc non colligi ex sacra scriptura, aut ex doctoribus. Attamen id nos negamus: nam cùm scriptura conuersionem à nobis exposcat, quæ quidem conuersio est detestatio offensæ Dei, ex natura rei sequitur, quod debet esse cuiuscunque offensæ detestatio. Et hoc sonat illud Iohel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro: scilicet, quicquid auersionis in corde est, inde expungite. Cui consonat illud Esa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Recogitare annos, non est nisi ad inquirendum peccata singula, & de illis dolendum. Idque non obscurè insinuat illud Ezechiel. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, vita viuet, vbi peccatorum pœnitentia assimilatur mandatorum custodiæ, quæ est singulorum. Quod autem ait non elici ex doctoribus, profectò contrarium ostendit admonitio illa in libr. de vera & falsa pœnitentia c. 14. quæ refertur ca. Consideret. de pœnitentia d. 5. l. Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate personæ, &c. Etenim si circunstantiæ sunt sic meditandæ, à fortiori & peccatorum numerus. Atqui S. Tho. & doctores citati dicunt requiri contritionem in speciali sine mentione confessionis.

1. Argum. Caietani solutur.

Recogitare annos.

Arguit secundò Caietanus, quod sequeretur ex hac nostra assertione, quòd contritio generalis non sufficeret, nisi vel præcederet, vel subsequeretur in speciali singulorum. Respondetur, quòd si inferat non sufficere, vt non, cum primum habetur, fiat peccatorum remissio, negatur illatio, imò illo fit momento, si verò inferat non sic sufficere, quin homo vel ante vel post teneatur indaginem facere etiam singulorum, certè id concedo etiam in iure naturæ, nec contrarium ipse probat.

2. Argum. Caiet.

Sed rogas, secluso præcepto confessionis, quando tenetur homo illam indaginem facere, vt de singulis conteratur. Respondetur, quòd in iure naturæ, & in lege veteri teneretur data opportunitate, & commoditate, saltem antea quàm imminetet grande periculum obliuionis. Sed tamen in lege Euangelica, quoniam præscriptum est tempus confessionis semel in anno, latis est tunc quantum ad vim præcepti specialem illam habere contritionem, nisi forsan in articulo mortis, de quo art. 5. videbimus.

Quando teneatur quis contritionem habere de singulis peccatis.

Subsequitur ergo, vt exploremus illa specialis singulorum contritio qualis esse debeat. Quod enim non debeant singulis peccatis singulæ respondere contritiones, inde apparet, quòd non est in potestate hominis, (maximè vbi ingens est delictorum aceruus) tot numero habere dolores. Quinimo neque de rebus lætis possibile appareat, vt homo tot possit intercisas lætitias elicere. Atque hac ratione Caietanus ait, hoc esse ridiculum. Sed primum ad hoc respondetur non esse vsque adeo ridiculum. Etenim quamuis dolores & tristitiæ, quæ sunt passiones, tot sigillatim elicere & numerare vix sit in hominis facultate, isti tamen dolores, vt dictum est, non sunt de essentia pœnitentiæ, sed sola detestatio, quæ est actus voluntatis. Et istas habere plures & diuisas singulorum peccatorum non est impossibile. Attamen crediderim, neque has esse prorsus necessarias. Tametsi consultum fuerit, si quis in tempore illas conetur elicere.

Qualis esse debeat singulorum contritio.

Respondetur Caietano.

Sit ergo tertia concl. Satis est ad habendam contritionem singulorum specialem, dum quis ad confessionem accedit, recogitare annos in amaritudine animi, hoc est, peccata singula per tempora & loca indagare, quibus memoriæ oblatis contritionem haberet illorum: hæc enim dicitur singularis.

3. Concl.

D. Thom: hic quæstiunc. 6. ait, quod quantum ad principium contritionis, scilicet, dum quis cogitat de peccatis, sufficit dolere de singulis eo ordine quo occurrunt, vt dolores iuxta numerum peccatorum numerentur, & licet dolores illi non sint prorsus contritiones, sufficit esse attritiones. Sed tamen in termino, inquit, j. peracta indagine, quando iam contritio est formata per gratiam, sufficit vt sit vna contritio de omnibus, tunc enim ille motus agit in vi dispositionum omnium præcedentium. Et fuit iste modus loquendi antiquus, quem Durand. loco citato sequitur.

D. Thom.

Et Caieta. secunda citata quæst. de contritione ait esse communem doctrinam.

Fateor me tamen hoc de istis attritionib. non posse aut bene intelligere, aut satis credere. Neque Sanct. Tho. in summa hoc dixit, neque si hæc tractasset, dixisset. Enimuerò aut ille, qui indaginem mente inchoat suorum peccatorum, in principio veram habuit contritionem in genere de offensis Dei, aut secus. Si habuit, profectò omnes detestationes sigillatim factæ sunt veræ contritiones. Si verò neque in principio, neque per aliquam illarum specialem verò detestatur peccatum, tanquam offensam Dei, certè illæ detestationes, quas appellant attritiones, non sunt necessariæ. Sed satis est, quòd homo mente recolat

Sententia autoris. Attritiones non esse necessarias in indagine pecc. sed

Digitized by Google

Post indaginem vnicâ sufficere contritionem. Probatur vsu pœnitentium.

peccata omnia absque vllius displicentia, dummodo non habeat complacentiam: & peracta indagine vnica contritione hæc omnia detestetur. Quare nescio, cur Caiet. dixerit, quòd requirantur detestationes sigillatim singulorum, sed non contritiones nisi vna: nam si detestationes non sunt contritiones, non sunt necessariæ. Et re vera pœnitentium vsus non est, nisi in principio habere contritionem generalem, quæ sufficit ad gratiam, & deinde peccata inuestigare ad confitendum, vel si existens in peccatis vult omnia in mente referre, antequàm vllum habeat detestationis actum, satis est omnibus rememoratis vnam detestationem applicare. Nam & sic nonnulla collectim homo confitetur. Non enim opus est meretrici, vt sigillatim omnes suas turpitudines recenseat, sed satis est dicat, decies aut centies. Imò vt dist. seq. videbimus, quando sufficit dicere tempus, quo in illo flagitio fuit. Hæc verò singularis licet membratim non respondeat singulis peccatis, debet tamen eò esse acerbior & luctuosior, quò sunt grauiora peccata.

Et exemplo.

Quantitas contritionis pro grauitate pecc.

In calce demum notandum, cur contritio nunquàm dicatur virtualis, quod Caiet. sæpe illic repetit. Primùm n. contritio illa generalis, qua quis ante indaginem conuertitur in Deum, dicitur virtualis singulorum: sed nihilominus est formalis actus pœnitentiæ, & formalis detestatio, & contritio. Secundò, post diligentem peccatorum inquisitionem illa contritio singularis eorum, quæ memoriæ occurrunt, dicitur virtualis eorum, quorum homo citra culpam sic oblitus est, vt non possit in memoriam reuocare. Sed tamen hæc etiam est formatissima contritio, & detestatio. Quapropter in definitione contritionis, vt supra dist. 15. q. 1. art. 2 admonitum curauimus, non est ponendum, quòd sit detestatio actualis vel virtualis peccatorum, & præsertim hoc vulgo non est proponendum: quandoquidem omnia testimonia illic relata absolutè pœnitentiam exigunt, quæ simplici nomine non intelligitur nisi actualis.

Contritio nunquam dicitur virtualis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm contritio dolor esse debeat maximus qui esse potest per naturam.

QVARTVS articulus est, de quantitate contritionis, & arguitur, quòd non requiratur dolor maximus, qui esse potest per naturam. Experientia docemur, complures vehementiori dolore de alijs rebus percuti, quàm de peccatis, vt de morte, deq; alijs iacturis temporalium rerum: id quod acrioribus lachrymis & singultibus indicant. Et tamen huiusmodi homines maiorem sensum habentes aliarum rerum, quàm peccatorum, vulgus non condemnat.

Partis negatiua. Primũ arg.

2. Argu.

Adde secundò, quòd dolor consolatione mitigatur: dolor autem pœnitentis consolationem habet annexam, propter spem veniæ, cum alij sint dolores potissimùm inferni, qui omni sunt consolatione destituti.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem est, quòd cum pœnitentiæ dolor esse debeat de malo, quo peius illud est, maiorem decet esse dolorem: malorum autem pessimum est peccatum, ergo eius dolor, si legitimus sit, debet esse maximus.

Ad decis. artic. præcedentis.

Pro quæstionis decisione meminisse ex superioribus oportet duplicem esse dolorem, alterum in voluntate, qui est detestatio peccati, in quo essentia contritionis consistit, atque alterum in appetitu sensitiuo, qui est prioris effectus. Rursus quantitas actus attendi dupliciter potest: scilicet vel ex graduali intensione, vt Physici loquuntur, vel appretiatiuè ex parte obiecti, quod pluris vel minoris æstimatur. Sunt ergo de hac re opiniones variæ. Primum enim Adria. q. 2. de pœnitentia, & quodlib. 5. art. 3. tenet contritionem sic esse debere maximam, vt totus ei conatus hominis apponatur, alioqui, inquit, licet esset de offensa Dei, & propter Deum, non esset sufficiens ad delendum peccatum. Cuius rationes inferius examinabimus.

Duplex dolor: volunt. & appetit. sensitiui.

Opi. Adria.

Opin. Scoti.

Scotus verò di. 14. q. 2. licet non summum conatum exigat, ait tamen, quod detestatio, antequam fiat legitima contritio, certam habere debet tum gradualem intensionem, tum subinde extensionem, & temporalem continuationem.

His autem non obstantibus, ad quæstionem quinque conclusionibus respondetur.

1. Concl.

Prima. Dolor, qui est essentialis contritio, nempe peccatorum detestatio, maximus esse debet appretiatiuè dolorum omnium, quod est dicere. Debet peccator sic detestari peccata, vt pro nulla re mundi amplius illa committat. Quæ quidem conclusio non vtcunque vera est, sed velut catholica veritas ex Euangelio collecta. Probatur. Contritio, vt dist. 14. q. 2. art. 5. de pœnitentia diximus, est actus charitatis, qui videlicet ex timore filiali nascitur. Omnis enim dolor rei perditæ, vt ait Augustin. † in illius amore fundatur. Ob idque dolor peccati, per quod Deum amittimus, debet esse de offensa Dei propter ipsum, atque adeò per eius auxilium sufficiens ad eius reconciliandam amicitiam: ergo eadem est mensura actus pœnitentiæ & charitatis: charitas autem Dei, quòd ipse supremus est omnium bonorum finis, debet esse appretiatiuè omnium amorum maximus, vt scilicet nullam rem ei præferamus, sed ipsum vniuersis: ergo eadem ratione quem amissæ per peccatum charitatis pœnitet, eodem gradu debet illud detestari. Et confirmatur ratio ex consonantia vtriusque præcepti: mandatum enim charitatis, vt ait Christus Matth. 22. & scribitur Deuteron. 6. est Deum diligere ex toto corde, in tota anima, & in tota mente: hoc est, nihil dilectioni contrarium in corde relinquere. Et similiter de contritione legitur Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et ad idem tendit postrema ratio inter arguendum facta. Sicut n. Deus primum est bonum inter diligibilia: ita & peccatum summum est malum inter odibilia: igitur qua ratione est Deus summè diligendus, peccatum est summo odio habendum. Quapropter idem est dolorem peccatorum summum esse debere appretiatiuè, & peccatum super omne odibile odio esse habendum. Et confirmatur hæc conclusio illo etiam testimonio Matth. 16. Qui diligit patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat animam suam, perdet eam, cuius sensus literalis est: ob nullam rem mundi, nec propter vitam fas esse peccare. Imò etiam contradictionem implicat, vlla ratione licere peccatum: nam si liceret, non esset peccatum.

† *lib. 4. de Ciu. Dei c. 7. 8. & 9. tom. 5. Dolor debet esse de offensa Dei propter ipsum.*

Quòd dolor summus appretiatiuè

2. Concl.

Secunda conclusio. Minimè opus est vt eadem detestatio & nolitio peccati sit maxima intensiuè. Conclusio hæc, quam hic D. Tho. affirmat, est contra Adrianum suprà citatum, qui asserit necessarium esse summum conatum. Et probatur. Intensio actus voluntatis fit ex vehementia obiecti mouentis, obiectum autem sensibile vehementius suapte natura mouet voluntatem, quàm spirituale: quoniam voluntas sequitur cognitionem intellectus: intellectus autem in hac vita sumit cognitionem à sensu: sensibilia verò sunt propinquiora obiecta, quàm spiritualia, quæ abstrahunt à sensu: sed quò obiecta sunt propinquiora, eò vehementiùs mouent: ergo amor sensualium potest esse intensior, quàm spiritualium, atq; adeò displicentia amissionis eorum, quàm displicentia amissionis spiritualium. Et cùm dolor peccatorum sit de rebus spiritualib. scilicet quia per ipsa amittimus Deum & eius gloriam, fit vt alius dolor possit esse maior, neque hoc sit culpabile, quia sequitur naturam rerum. Quare non est culpa, si dum homines filios, aut honores, aut alias res charas amittant, intensiùs illud eis displiceat, quàm peccatum. Ex quo sequitur illud Matt. 10. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, non intelligi intensiuè, sed appretiatiuè, vt dudum expositum est.

Vnde intensio actus voluntatis.

Dolor de alijs rebus potest inculpabiliter esse maior.

3. Concluſ.

Tertia conclusio. Dolor, qui est in parte sensitiua, vehementior esse potest, quàm qui ex detestatione nascitur peccatorum: neque hoc etiam est culpa. Probatur. Dolor in sensu dupliciter gignitur. Vno modo per læsionem ipsius sensus, vt cùm quis ferro aut igne plagam accipit. Et hoc modo non est dubium, quin dolor sensus vehementius exurat, quàm peccatorum: nam vires inferiores vehementius à suis propijs obiectis sensibilibus mouentur, quàm per obedientiam rationis: per quam quidem obedientiam excitantur ad dolorem peccatorum: imò verò, vt suprà diximus, non semper contritio sufficit sensualem dolorem exprimere: quare ille dolor non est ad pœnitentiã necessarius. Secundo modo dolor ille sensualis nascitur per obedientiam; quia sensitiuus appetitus excitatur à voluntate, cui quandoque obedit. Et etiam isto modo potest esse vehementior rerum sensualium, quàm peccatorum: quia eadem ratione vires sensitiuæ promptius circa sua obiecta obediunt rationi, quàm circa obiecta spiritualia. Per hæc consolari debent vulgares, qui non

Dolor sensitiuus vehementior esse potest detestatione peccatorum.

tam

Vulgi consolatio.

tam afflictantur & gemunt, nec tantas effundunt lachrymas propter commissa peccata, quàm propter amissas res temporales: est enim natura in causa, & ideò non vergit in culpam. Tametsi salubertimum sit pœnitentibus consilium lamentabilem dolorem excitare, qui causa esse solet maioris detestationis etiam appretiatiuè. Et sic intelligitur illud August. Non sunt in te Christianæ charitatis viscera, si plangis corpus à quo recessit anima, & non plangis animam, à qua recessit Deus. Atque huius exempla in Niniuitis habemus, & in Dauide & Petro, amarissimè lachrymantibus. Quinuerò Christus Matt. 11 dicens, Væ tibi Betsaida: quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent, admonitos pœnitentes facit, vt egregia pœnitentiæ documenta perhibeant. Vnde Dauid, † Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

Psal. 37.

4. Concl.

Contritio quomodo possit esse nimia.

Quod si hic interroges, vtrùm contritio vsqueadeò nimia esse possit, vt sit vitiosa, ex dictis colligitur quarta conclusio sub eadem distinctione. Contritio, inquam, quantum ad eius substantiam, quæ est peccatorum detestatio, non potest esse per se nimia, imò per se quantò maior, tantò melior. Dolor verò sensus potest esse nimius, ac perinde vitiosus, atque adeò ipsa contritio, quatenus est causa vitiosæ tristitiæ. Probatur prima pars ratione suprà facta. Contritio est quidam actus charitatis: charitas autem non habet modum, imò, vt ait Bernardus, modus diligendi Deum est ipsum sine modo diligere, quia est infinitè bonus: ergo nec detestationi offensæ Dei præscribendus est modus. Secunda verò pars probatur. Nam contritio est actus virtutis, atque adeò medium inter duo extrema, quod quidem medium prudentia statuere debet: posset autem homo tanto se dolore & mœrore afflictare, vt mortem sibi aut morbum ascisceret, quod esset homicidij genus: debet ergo, vt ad Roma. 12. ait Paul. rationabile esse obsequium nostrum. Atque adeò dum assidua peccatorum meditatio & execratio propter nimiam intensionem noxium dolorem gignit, cessandum ab illa est, non quod ipsa per se sit mala, sed ea ratione, qua causa est detrimenti. Quapropter vbi sancti verbis de hac re superabundare videntur, sane gloſſandi sunt, vt illud Anselmi sua peccata lamentantis. † Vtinam sic impinguentur viscera animæ meæ, vt medullæ corporis mei exiccentur. Desiderabat enim ex pinguedine orationis medullas non corporis exiccari ad mortem, sed animi, ne terrena amplius concupisceret, nisi forsan per hyperbolem verba illa proferebat.

Bernard.

Obsequium nostrum debet esse rationabile.

Ad explicationem Aut. Patrũ. † Anſel. in fine lib. meditat.

Solutio primi argum.

Primum igitur argumentum in contrarium per secundam & tertiam conclusionem solutum est: hoc enim experientia docet, quòd dolor sensualis, qui non est de essentia pœnitentiæ, potest esse maior de rebus alijs quàm de peccatis.

Solutio secundi arg.

Ad secundum verò, quod contra primam procedit, nempe, quod dolor peccatorum propter annexam consolationem non potest esse maximus, respondetur quod illa consolatio, quæ ab spe veniæ procedit, non est detestationi peccati contraria, imò est eius proles. Et ideo non remittit eam, quo minus sit appretiatiuè maxima, atque adeò dulcedine quadam profusuum lachrymarum emittat.

Dubium & notanda solutio confessarijs & concionatoribus.

At quia dictum est appretiatiuè dolendum esse magis de peccatis, quàm de rebus alijs, forsan quispiam sciscitetur, vtrùm consilium sit, vt huiusmodi collationes vel pœnitens secum faciat, vel confessarij admoneant, videlicet quòd debeat proponere sic non peccare, vt etiam si charissimi filij ante se trucidentur, & turpissimam infamiam incurrant, & atrocem mortem, non debent minimum peccatum admittere. Respondetur, non esse consilium, vt vulgares homines & imbecilles his comparationibus tententur. stat n. quempiam legitimam habere contritionem, qui tamen si istæ comparationes ei proponantur, vacillet animo. Satis ergo est, vt quis absolutè doleat de peccato quatenus est offensa Dei. Paul. † quidem, quia perfectus erat, tutò dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi? An nuditas, an gladius? &c. Quare proficientibus consilium est his comparationibus sese ad perfectionem animare, incipientibus verò potius sunt cauendæ. Aliæ sunt comparationes, quas quidam meditantur: scilicet, mallem in infernum obtrudi, & visione diuina perpetuò carere, quam culpam committere. In huiusmodi autem comparationibus hoc est considerandum, quòd

Vulgares non debent comparationibus tententari.

Rom. 8.

Alias cõparationes interpretanda & Nota.

eiusmodi pœnæ perpetuæ, puta damni, & sensus in inferno de lege ordinaria sunt inseparabiles, & conuertibiles effectus culpæ. Nam omnis qui in mortali culpa decesserit, propter eam illas patietur. Et ideo non est prudentis animi tales comparationes facere: quoniam pati pœnam inferni, nunquam potest esse aut necessaria, aut vtilis causa euitandi culpam, sicut pati mortem temporalem, aut alia damna: imò est effectus ipsius culpæ, & ideo neque per se illa pœna ad euitandam culpam est eligibilis, sicut nec pœna purgatorij. Si autem quis per hyperbolem comparationes illas faciat, tunc distinguendum est inter pœnam damni, & pœnam sensus, & inter culpam quatenus est causa illarum pœnarum, & eandem quatenus est offensa Dei. Si enim consideretur culpa solùm, quatenus est causa pœnæ damni: puta, perpetuæ separationis à Deo, magis timenda est separatio quàm culpa: quia culpa propter talem separationem est timenda, & id, propter quod est tale, magis est tale, quare id, propter quod aliquid fugitur, magis est fugiendum. Si autem consideretur culpa quatenus est offensa Dei, s. contra eius legem & voluntatem, peior est quàm separatio ab ipso: nam licet huiusmodi separatio sit omnium pœnarum maxima, tamen malum culpæ quatenus est offensa Dei, peius est omni malo pœnæ. De his autem comparationibus, vt D. Thom. in præsentiarum q. 2. ar. 3. admonet, non est homo tentandus.

At verò quia non solùm culpa cum alijs malis, & incommodis confertur, verùm & inter ipsa peccata collatio etiam fieri potest, adhibetur quinta conclusio. De grauiori culpa, si comparatio inter culpas fiat, maior debet esse contritio appretiatiuè, licet quantum ad gradus intensionis id non sit necessarium, nec quantum ad dolorem & tristitiam. Prima pars conclusionis probatur. Nam licet culpa, neque minima venialis, sit eligibilis, neque ad euitandum aliam culpam, quia implicat contradictionem licere peccare: & ideo nunquam datur casus, in quo licitum sit vnum minimum peccatum committere ad euitandum maximum. Tamen paratus esse debet animus, vt si aliquod ex hominis fragilitate committendum sit, potiùs sit minus quàm maius admittendum. Hoc asseritur contra quosdam, qui plus peccata abhorrent, quæ honori & humanæ existimationi magis aduersantur, quàm alia quæ plus Deo displicent. Vt quia furtum ignobile vitium magis est & vile, acerbiùs eos pœnitet fuisse in furto deprehensos, quàm in adulterio vel homicidio. Imò inuenias, qui dicant, malle se in hæresim, vel in blasphemiam incidisse, quàm in nefandum flagitium, quòd vulgo in maiori infamia denotantur: quæ quidem reuera charitatis peruersio est. Nam etsi cunctis peccatis mortalibus commune sit esse offensam Dei, & ab ipso hominem separare, tamen ratione conuersionis illa quæ peioris sunt obiecti, absurdiora sunt, Deoque magis inuisa, ac virgentius prohibita, & ad maiora destinata supplicia. Arguitur ergo sic. Sicut ad ordinem charitatis spectat Deum præ cunctis rebus creatis diligere: sic ea acerbiùs detestari, quæ illi sunt magis execrabilia, & ab eo nos longius alienant. Et secundò arguitur. Qui citiùs euitaret peccatum magis infame, quàm illud, quod Deo magis displicet, famam suam & honorem amori Dei præfert, id quod genere suo peccatum est. Quòd si verba Hierony. quæ hic citat S. Thom. obijcias collaudantis Paulum, quod minima peccata veluti magna plangebat: respondetur, quod non eum laudabat, quod grauiora iron magis plangeret, sed quod perinde dolebat de minimis ac si essent magna, quod ad viros attinet perfectos. Nihilominus quod Ecclesiam fuisset persecutus, amariùs lamentabatur, quàm alia minora.

5. Concl.

1. Pars concluſ. probat.

Minus pecc. potius quã maius admittendũ.

Quæ peioris sunt obiecti, grauiora sunt & plus detestanda. 1. Probat.

2. Probat.

Solut. obiect. ex Hieron.

Quæris autem vtrum magis detestari, & fugere peccatum minus detestabile, sit per se peccatum mortale, vt si quis sic animatus sit, vt casu, quo alterum deberet eligere, potius eligeret adulterium quàm furtum, vel hæresim & blasphemiam quàm nefandum crimen. Respondetur, quòd illud propositum non est nisi vnum simplex peccatum adulterij, quod grauius est quàm furtum, vel vnum hæresis, quod grauius est quàm alia turpitudo. Et in hoc sensu est intelligenda conclusio, quod adulterium est magis detestandum quàm furtum: videlicet, quòd citius deberet homo furari, quàm adulterari, nõ quòd adulterium & citius illud eligere sint duo peccata, sed quòd ipsum per se sit vnum gratius.

Dubium. De parato eligere maius, præ minore.

2. pars concl. probat.

Secunda pars conclusionis patet: quia cum intensio actus & dolor sensualis non sit de essentia contritionis, nil obstat, quo minus possit homini intensiùs dolere peccatum magis infame aut aliàs magis nociuum: quandoquidem, vt suprà dictum est, † dolor & mœror de alijs incommodis esse possit maior, quàm de peccatis. Dixerim autem in conclusione, si huiusmodi fiat peccatorum comparatio: quoniam ad necessitatem contritionis non est requisita. Potest n. vt hic ait S. Thom. dupliciter fieri. Vno modo sigillatim & formaliter, vt seorsum fiat detestatio maior homicidij, atque seorsum altera minor furti: vel generaliter & virtualiter, veluti si vnico actu peccata, quæ sunt in memoria, homo detestetur: taliter tamen quòd ille actus vehementius feratur in peccatum mortale grauius. Et neuter modus est necessarius, sed satis est, vt hominem suorum peccatorum sic pœniteat, vt illa proponat pro nullo euitando detrimento, aut consequendo commodo iterum committere. Attamen facta conditionali comparatione sic appretiatiuè plus detestari furtum, vt si alterum esset committendum, potius homo committeret homicidium, non est peccatum saltem mortale, dummodo firmum sit propositum neutrum committendi, sed est venialis peruersio ordinis charitatis. Contra id autem, quod diximus † malum culpæ minimum non esse eligendum ad vitandum maximum, arguitur. Posset quis verbum quod alias esset otiosum dicere ad euitandum periurium, imò & ieiunium vel festum frangere. Respondetur: ergo illud est falsum, quòd illa quæ non sunt intrinsecè mala, sed mala quia prohibita, possunt fieri ad euitanda alia maiora mala etiam temporalia, sed tunc non erunt peccata, si sunt media necessaria. Illa autem quæ sunt intrinsecè mala, vt mentiri, neutiquam licent, neque ad vitandam blasphemiam, neque ad saluandam salutem reipublicæ.

† *Post initium huius artic.*

† *In prob. 1. part 5. concluſ.*

An liceat verbum otioſum ad vitandum periurium eligere?

Intrinſecè mala neutiquam licita.

Per hæc tandem de alijs similibus comparationibus sentiendum. Paluda. namque di. 17. q. 1. ar. 5. post alios interrogat, vtrum magis homini dolendum sit de peccato alieno grauiori, quàm de proprio minori. Arguitur enim ad partem affirmatiuam. De peccatis dolendum est quatenus offensa sunt Dei: sed maior offensa magis Deo displicet: ergo ordo charitatis eius expostulat, vt de grauiori offenla, etiam si sit aliena, vehementius tristemur. Rursus an magis dolendum sit de passione Christi, quàm de peccato. Et statuitur quæstio de Magdalena, quidnam istorum acerbius ei indoluerit. Item, vtrùm beata virgo maiorem dolorem habuit de morte filij sui quàm de peccatis crucifigentium.

Alia comparationes.

Magis dolendum de proprio minori quam alieno grauiori.

Ad 1. respondetur, appretiatiuè magis esse dolendum de minimo peccato proprio quàm de grauissimo alieno. Rationem assignat Paludanus, quia magis dolendum est de malo proprio quàm de alieno. Sed hæc debilis est causa: nàm inter incommoda temporalia licitum est acriùs de alieno dolere quàm de proprio. Ratio ergo legitima est, quod appretiatiuè plus me dolere de alieno, quàm de meo est, quod citius vellem fieri meum quam alienum, & nemini licet ad euitandum grauissimum peccatum mortale in alio, vel minimum veniale committere: quia implicat contradictionem licere peccare. Ex quo sequitur appretiatiuè magis esse dolendum de proprio peccato quàm de passione Christi: quia neque ad illam euitandam licitum esset peccare. At verò quantum ad intensionem gradualem actus, & acerbitatem sensualem doloris nil vetat, quominus Magdalena potuisset amarius flere Christi mortem, quàm propria peccata. Comparando verò aliena peccata ad passionem Christi, maior habendus est dolor de offensa Dei, quàm de eius morte: quia offensa peior est, imò illa Deo placere non potuit, cui tamen passio placuit quatenus redemptio fuit nostra. Et ita beata virgo, sicut & Christus ipse, maiori affecta est mœrore de peccato crucifigentium, quàm de morte Christi. Tametsi sensualem dolorem habere potuit acriorem de morte cuius gladius eius animam transuerberauit.

Magis etiã de peccato quam Christi paſſione.

Adriani opinio refellitur.

Restat ergo argumenta diluere, quæ prædictis conclusionibus obstare videntur. Et primò contra secundam & tertiam conclusionem, quòd non est necessaria maxima contritio & dolor intensiuè, asserit Adrianus, non sufficere dolorem peccatorum, quatenus sunt offensa Dei, nisi summo conatu fiat. Veruntamen assertio eius non modò falsa est, verùm, vt bona venia dixerim, temeraria, & sacris literis parum consona. Nam Ezechiel. 18. & 33. non habetur, nisi quòd in quacunque hora & momento conuersus fuerit impius, omnia eius peccata delebuntur. Et Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: conuersio autem quantum ad suam substantiam, solùm dicit detestationem peccati propter Deum: exigere ergo eximium conatum temeritas est, eademque scrupulorum genitrix, quos hæc opinio pusillorum animis conijcit, qui nihil de conatu summo sentiunt. Impletur enim præceptum de actu spei & charitatis, licet non toto conatu fiat, cur ergo non & contritionis mandatum?

Ad argum. Adrian. ex ſcrip. petitum.

Hallucinatus ergo fuit Adrianus falso intellectu scripturæ: citat n. pro se illud Deuter. 4. Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Et in Psal. 118. Beati qui in toto corde exquirunt eum. Totum autem cor & tota tribulatio insinuare videtur summum conatum. Ad hoc autem nos suprà respondimus, exponentes illud Iohel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Intelligit enim ad normam illius, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: videlicet, quòd nihil in corde relinquatur dilectioni & gratiæ Dei contrarium, quasi idem cor Deus simul & dæmon possidere possint, contra illud Euangelicum: Nemo potest duobus dominis seruire. De conatu siquidem illo nec in scriptura fit mentio, nec vsus Ecclesiæ in contritionibus exigendis rationem habet tanquam de re necessaria. Aliud afferri posset contra nos argu. quòd nemini Deus, nisi quod in se est facienti gratiam confert: nemo autem totum quod in se est facit, nisi summum conatum adhibeat. Ad hoc autem respondetur, neminem facere quod in se est sufficienter ad gratiam ex viribus naturalibus, sed diuina ope suffultum, ad quod non requiritur, vt tantum faciat quantum simpliciter potest, sed quòd Deum auscultet, motioni eius consentiens, iuxta illud Ioan. 6. Qui audit & discit, venit ad me.

Ad aliud argum.

Contra hoc autem, quod in postremâ conclusione diximus, s. non exigi necessariò intensionem graduum contritionis, aut sensualis doloris, & maiores lachrymas de grauiori peccato, procedere videtur illud Augustt. lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 14. & refertur de pœnitentia dist. 5. can. Consideret. vbi admonet, vt peccator omnes peccatorum appendices, circunstantias & qualitates consideret, vt in singulis modum criminis sentiat, & omnem vitij qualitatem lachrymis defleat. Et in sermo. 11. ad fratres in eremo. Grauia, inquit, peccata grauioribus lamentis indigent. Ad hæc autem, & si quæ similia apud sanctos Patres reperiantur, respondetur tria. Primum, quod vbi circunstantiæ peccatorum sunt mortaliter aggrauantes, vt dist. sequen. videbimus, requirunt singularem detestationem, ac si essent distincta peccata, & ideo ad confitendum singulæ sunt explorandæ. Secundò, etiam si non sint mortaliter aggrauantes, salubre consilium est singulas perpendere ad excitandum dolorem, & hic videtur mens Aug. dirigi. Sed tertiò nihilominus respondetur, quod remissio peccati attendi potest, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. Et quidem quantum ad primum quæcunque detestatio sufficit quantumcunque remissa, dummodo sit de offensa Dei propter ipsum. Sed quantum ad secundum, grauiora peccata grauioribus lamentis sunt abluenda, vt s. plenaria fiat satisfactio. Et in hoc sensu illud quoque Ambr. intelligitur ad virginem lapsam c. 8. vbi ingentem pœnitentiam necessariam ostendens ait. Cor verò sit liquescens, sicut cera, & totum corpus macereturr. Et illud Cypria. sermo. 5. de lapsis. Quàm magna deliquimus, tam grauiter deflcamus: alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Et Hug. lib. 2. de sacram. p. 14. c. 2. Si in correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentiæ tuæ fructus. Attamen neque hac ratione necessarij sunt gemitus & fletus: nam per alia opera, vtpote orationem, ieiunia, &c. compleri potest satisfactio.

Contra 5. concluſionẽ teſtimonijs Auguſt.

Reſpondetur ad Aug. tripliciter Soluto 1.

Soluto 2.

Soluto 3.

Exponuntur Ambroſ. Cyprian. & Hug.

Postremò examinanda supereſt opinio Scot. qui loco citato tenet requiri detestationis intensionem, & extensionem ad certum vsque tempus antequam infundatur gratia, & fiat contritio. Contra hanc namque opinionem est argumentum, quod nulla est à suo autore ratione fulcita, quapropter eadẽ facilitate negatur qua est asserta. Imò cum nulla scripturæ basi firmetur,

Scotus de intenſione ad certum tempus. Contra Scotum 1. arg.

Digitized by Google

tur, aut sanctorum testimonio roboretur, videtur temeritatis labem contrahere. Reclamat enim Chrysost. in libello de reparatione lapsi, & refertur de pœnitentia dist. 3. can. Talis. vbi ait. Talis est erga homines pietas Dei, nunquam spernit pœnitentiam, si ei syncerè & simpliciter offeratur: etiam si non potuerit quis explere in præsenti satisfaciendi ordinem, quātulamcunque tamen & quamlibet breui tempore gestam suscipit etiam ipsam, nec patitur quamuis exiguæ conuersionis perire mercedem. Quin etiam, vt secundum adhibeamus argumentum, videtur scripturæ sacræ dissonare, illi s. modo citato loco Ezech. 33. Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit, vbi dies secundum citationem sanctorum, pro quocunque momento accipitur. Quapropter nulla certa requiritur intensio, aut continuatio, sed sat est momentanea conuersio, iuxta illud Eccles. 11. Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem. Vnde Leo Papa in epist. 19. ad Theodo. & refertur de pœnitentia dist. 1. can. Multiplex. Si periculum, inquit, vrgeat, cuique petenti est absolutio danda, quia misericordiæ Dei non possumus tempora definire, nec mensuras ponere, apud quem nullas patitur veniæ moras conuersio, dicente spiritu Dei per prophetam, Cum conuersus ingemueris, saluus eris. Profectò post hæc verba nescio quis opinionem intensionis, aut extensionis, contritionis opinari audeat. Tertiò. In sacra pagina sola requiritur conuersio hominis ad Deum, iuxta illud Zacha. 1. Conuertimini ad me, &c. conuersio autem non dicit nisi simplicem motum à peccato in Deum, absque vllo ergo fundamento asseritur huiusmodi intensio & extensio. Enimuerò substantia conuersionis ex obiecto attenditur: quòd s. sit detestatio offensæ Dei propter ipsum: intensio autem est quid accidentale, ergo licet ratione ipsius dignior fiat conuersio, non tamen facit vt ex actu, qui non est conuersio, fiat conuersio. Atque adeò si actus ille à principio erat contritio, nullam aliam intensionem exigebat, si verò non erat nisi attritio, neque in fine erit contritio, nisi forsan extrinsecè, si sacramentum accesserit, vt ar. seq. videbimus,

Quintò. Deus pronior est ad veniam, quàm ad vindictam, sed per quamcunque conuersionem, etiam citra intensionem subitò decidit homo à gratia: ergo subitanea conuersione eandem potest recuperare.

Sextò, vt vlcus acu aperiamus. Nullus detestationis actus tempore antecedens gratiam est essentialiter ad iustificationem requisitus, eo quòd simul esse potest cum peccato: ergo ille actus, qui per certum illud tempus continuatur, quod Scotus appellat attritionem, non est proxima dispositio ad gratiam, sed ille solus, qui per auxilium speciale elicitur, cùm quo simul tempore gratia infunditur. At Scotus, quia opinatur hominem ex viribus naturalibus sic se posse ad gratiam disponere, vt nisi eam Deus infundat, sit acceptor personarum, illam effingit actus intensionem, & extensionem. Illam tamen naturalis dispositionis assertionem dist. 14. quæstio. 2. ar. 5. abundè monstrauimus non esse sacræ paginæ consentaneam, vt verbo Christi, † Nemò potest venire ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit illum, & similibus.

Et septimò arguitur. Sequeretur ex opinione Scoti, quòd ad salutem esset necessaria nedum contritio, verùm & attritio, atque adeò si de contritione est præceptum, esset pariter de attritione, quod concessu absurdissimum est, non enim est necessaria nisi pœnitentia, quæ contritionem sonat.

Octauum denique argumentum, idemque non minus validum est, quod sequeretur, si id verum esset per aliquantum temporis homini non esse possibile in gratiam se Dei recipere, vtpote vsque ad illud instans, quo completa esset intensio, & continuatio actus: hoc autem clementiæ & omnipotentiæ Dei aduersatur: qui subitò potest honestare pauperem. Sunt qui respondeant, Deum nunquam permissum ire, vt quispiam illo tempore moriatur. At verò cum nulla extet lex, cui mors illa repugnet, figmentum potius responsionis hoc est, quàm responsio. Respondent ergo alij per intensionis augmentum suppleri posse extensionis continuationem. Contra hoc autem arguitur: Vel summa intensio requirit etiam continuationem per tempus aliquod, vel tanta esse potest intensio, quæ in instanti sufficiat. Si primum dederis, argumentum non solues: nil enim plus homo facere potest, quam contritionem habere summè intensam, quæ si tempus etiam requirit, intra illud, est homini impossibilis salus, si medio illo tempore moriatur. Si verò secundum admiseris, tunc manifestè colligitur, nullam contritionem quantumcunque remissam certam aliquam temporis continuationem exposcere. Detur enim disputationis gratia summam contritionem esse vt octo, quæ in instanti sufficit, si alia tempore indiget: sit verbi gratia contritio, vt vnum, quæ requirit continuare per horam, tunc sic arguitur. Illa satis habet continuari per dimidiatam horam, imò & per vnam quartam, & quocunque tempore dato satis habet per minus continuari: ergo sufficit in instanti. Probatur antecedens. Contritio vt octo continuata per horam sufficit: ergo contritio vt vnum sufficit per octauam: quia debet respondere proportio intensionis proportioni minoris continuationis: ergo nec requirit medietatem horæ nec quartam. Si dederis saltem requiri octauam, arguitur sic. Contritio vt octo, quæ est summa, sufficit per medietatem horæ: quia sufficit in instanti: ergo contritio vt vnum sufficit per sextamdecimam partem horæ. Quo dato rursus arguam. Contritio vt octo sufficit per quartam partem horæ: ergo contritio vt vnum sufficit per trigesimam secundam. Hàc ergo gradatione conuincetur respondens, nullam contritionem aliquam exigere temporis continuationem. Libuit argumentum hoc physicum adhibere, licet alia sufficiant theologa.

2. Argu. — Argum. — Nulla intensio aut continuatio requiritur. — 3. Argu. — Argum. — 4. Argum. — Intensio est quid accidentale substantia conuersionis. — 5. Argum. — 6. Argum. — Fundamentum Scoti. — Tom. 6. — 7. Argu. — 8. Argum. — Resp. quorund. Improbatur — Resp. aliorū. — Impugnatur validè.

ARTICVLVS V.

Vtrum attritio sic à contritione differat, vt fieri nequeat contritio.

QVINTVS articulus est de forma attritionis, qua à contritione differt. Et arguitur, quòd attritio non sic à contritione differat, quin fieri possit contritio. Attritio non aliter à contritione differt, quàm informe à re iam formata, quia attritio esse potest sine gratia, contritio verò minimè, fides autem, quæ prius erat informis, postea per charitatem informatur, ergo pari modo attritio fieri potest contritio.

Arg. partis negatiuæ.

In contrarium autem arguitur. Eorum quorum principia sunt omnino diuersa, neutrum potest alterum fieri: attritionis autem principium est timor seruilis, contritionis verò timor filialis, vt suprà visum est: ergo attritio fieri nequit contritio.

Pars affirmatiua.

Quæstione præsenti duo exploranda proponuntur: Primum, qualis quantaque sit inter attritionem & contritionem differentia. Secundum, vtrùm idem actus, qui modò est attritio, fieri possit contritio. Atqui de priori membro variæ sunt opiniones. Caie. namque in prima quæstione contritionis, quam tertiæ partis S. Tho. adiecit, plures attritionis contritionisque species multiplicat, quàm opus esset. Quapropter legenti nonnihil confusionis obijcit. Supponendum enim in primis est attritionem displicentiam esse imperfectam peccati; contritionem verò perfectam. Perfectio verò, inquit, consistit in tribus. Primum est detestatio peccatorum, quæ nisi habeatur, neque contritio est, neque verò attritio. Secundum est propositum cauendi in futurum. Et hoc, inquit, si tantum habeatur per negationem: scilicet, quia pœnitens non proponit peccare, sed tamen neque absolutè proponit non peccare: scilicet, quia non relinquit statum in quo est, vt contingit concubinarijs, aut vsurarijs, qui tantum habent velleitatem relinquendi peccatum, talis displicentia est vna species attritionis, quæ dicitur impœnitentium. Si verò illud propositum habeatur in confuso, est secunda species attritionis pœnitentium. Tertium autem, quod ad contritionem requiritur, est quòd talis actus sit informatus charitate, defectu cuius quamuis quis doleat de peccatis quatenus offensa Dei sunt, & propter Deum, nisi ex charitate procedat, non erit perfecta contritio, sed erit dolor ille, contritio acquisita, quæ est prima species contritionis. Vnde infert quòd potest homo totum feciſſe, quod est ex parte sua, taliter quòd habeat vltimam dispositionem ad gratiam, & tamen non simul tempore illam recipiat, sed postmodum, quando Deo placuerit illam conferre. Itaque homo adultus nulla ex parte liberi arbitrij mutatione facta, nec sacramento adhibito nunc non habet gratiam, & postea habebit, & tunc ille dolor fiet perfectè contritio. Est

1. membrū artic. expenditur. — Caiet. species attrit. multiplicat. — Illatio Caietani.

opinio

Authoris sententia de attrit. & contrit.

opinio vsque ad Caiet. nunquam audita, & certè nescio cui sit vnquam credenda. Igitur vt tam multiplices acceptiones euitantes prius quæstionis membrum expediamus, adnotandum, quòd nomine attritionis solum illam detestationem intelligimus, quæ per se non sufficit ad delendum peccatum, sufficit tamen cum sacramento. Nomine verò simpliciter contritionis, illam quæ per sé sufficit sine sacramento, quæ quidem est simpliciter conuersio in Deum. Ex his primum sequitur, quòd contritio & attritio conuenire debent non solum in hoc, quod vtraque sit detestatio peccati super omne detestabile, verùm & in absoluto proposito nunquam peccandi pro aliqua re mundi. Probatur quoniam alias ille actus, neque cum sacramento sufficeret, quare non est nomine attritionis dignus. Igitur illam velleitatem impœnitentium non est cur attritionem appellemus: nam etsi de præterito peccato sufficiat nolitio illa conditionalis, Nollem peccasse, tamen absoluta requiritur voluntas exeundi à peccatis, atque adeò nunquam in futurum peccandi. Colliguntur ergo inter contritionem & attritionem quinque differentiæ. Prima vtique sumitur ex parte obiecti, quod contritio est dolor de offensa Dei, seu, (quod idem est) propter Deum: attritio verò dolor peccati ob timorem inferni, aut aliorum nocumentorum temporalium. Secunda sumitur ex parte causæ, quòd attritio oritur ex timore seruili pœnarum, contritio verò ex timore filiali, vt dist. 14. q. 2. ar. 5. monstrauimus. Ex qua differentia subsequitur & tertia, quòd attritio potest ex viribus naturalibus elici: quia non est vltima dispositio ad gratiam, sed potest simul esse cum peccato, contritio verò nasci nequit nisi ex auxilio speciali Dei supernaturali, præuenient e liberum arbitrium, & simul infundente habitum pœnitentiæ, ex quo actus contritionis elicitur, vt loco citato expositum reliquimus. Firmissimis n. illic testimonijs sacris ostendimus legitimum actum pœnitentiæ haberi non posse per naturam, sed per Dei gratiam: eo quòd est charitatis germen. Subsequitur ex ijs quarta differentia ex parte effectus, quòd, s. attritio non sufficit hominem in gratia constituere, contritio verò sua intrinseca virtute diuinitus recepta, id facit. Quapropter, vt loco citato diximus, non indiget extrinseca charitatis virtute vt referatur in Deum, sed ipsa ex se id habet. Atque hinc tandem colligitur quinta postremaque differentia, quod attritio potest esse actus informis, contritio vero nequaquam: quia simul à Deo liberum arbitrium mouente infunditur, & gratia, & charitas, vt distinct. 14. quæst. 2. articul. 6. exponere studuimus.

Differentia prima,

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Obiectio.

Contra hæc autem arguitur. Potest homo ex puris naturalibus peccatum detestari, quatenus offensa Dei est, sed talis detestatio, vt in superioribus diximus, est proxima dispositio ad gratiam: ergo viribus naturalibus, nos possumus ad gratiam disponere. Probatur maior. Possum detestari peccatum, quatenus offensa est patris vel alius amici mei: cum ergo Deum naturali lumine constet esse cunctis creaturis meliorem, potest quis & peccatum detestari quatenus est eius offensa.

Solut.

Ad argumenta conceditur maior. Potest namque habere quispiam istum actum ex puris naturalibus. Volo Deo in omnibus & super omnia placere, vt lib. 2. de natura & gratia ca. 22. monstrauimus. Quæ quidem dicitur dilectio Dei obiectiua, id est, quæ Deum habet pro obiecto, & requisita, non tamen infusa, & perfecta, & executiua, atque efficax amicitiæ Dei: quia potest esse cum peccato. Pari ergo modo potest esse similis detestatio offensæ Dei. Negatur tamen minor, s. quòd illa sit proxima dispositio ad gratiam: nam talis dispositio non fit, nisi per auxilium speciale. Et hæc fuit Caietani hallucinatio loco citato. Contra quem ideo statuitur conclusio. Neutiquam esse potest vltima dispositio ad gratiam, quin simul eodem tempore gratia infundatur. Et primum, quòd talis vltima dispositio tempore præcedat gratiam, expressè est contra S. Tho. 1. 2. q. 113. ar. 8. vbi ait motus illos liberi arbi. in Deum, & in peccata, & gratiæ infusionem esse simul tempore: quinuerò gratiæ infusionem natura præcedere motus illos quatenus sunt iustificationis causa. Et in solutione ad secundum id declarat per simile in naturalibus. Vltima n. dispositio ad formam ignis simul cum eadem forma producitur: sed fortiori ratione, id in præsentiarum accidit. Vltima h. dispositio ad gratiam, est instrumentum Dei ad illam producendam: posito autem instrumento Dei statim ponitur gratia, vt patet in sacramentis. Pari namque facilitate diceret Caietanus, quòd quando quis suscipit sacramentum, non illicò suscipit gratiam, sed quando Deus voluerit.

Statuitur concl. contra Caiet.

Probatur 1.

Secundò & testimonia sacra Caietano apertè contradicunt, vt illud Ezechiel. 33. impietas impij non nocebit, in quacunque die, hoc est, in quocunque momento, conuersus fuerit. Et Zach. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, quasi sine mora. Est enim tanquam sol continenter ad ostium pulsans, vt est in Apoca. † vt cor primum aperiatur, illud sua gratia suffundat. Tertiò arguitur. Si homo sic est dispositus, vt nihil amplius ex parte illius requiratur, vt concedit Caiet. quia nec requiritur intensio, nec continuatio Scotica, quid in causa esse potest, vt Deus non illicò infundat gratiam? Adde, quòd tunc sequeretur hominem sufficientissimè ad gratiam dispositum, posse sine eadem, mortem obire, atque adeò damnari. Quartò denique, vt neruum fallaciæ pungamus. Aut illa detestatio offensæ Dei fit per auxilium speciale, aut solis viribus naturalibus. Si primum, illa esse non potest sine gratia & charitate: nam homo per tale auxilium iam tunc est tractus, iuxta verbum Christi. ‡ Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Si verò fit per vires naturæ, non est vltima dispositio, imò neque est ad gratiam requisita: quare adhuc aliquid homini faciendum restat, nemo enim vt 1. 2. q. 106. art. 9. autor est S. Tho. sine auxilio speciali totum facere potest, quod in se est. Sed argumentum, quo Caieta. vincitur, expendamus. Arguit n. quòd si posita vltima dispositione, certum est simul conferri gratiam, certus esse posset homo se esse in gratia, contra illud Eccles. 9. Nemo scit amore an odio dignus sit: quonam certus quisque secum esse potest, detestari se peccata tanquam offensam Dei. Hoc autem argumentum profectò non est tanto autore dignum. Etenim in primis, si aliquid valeret, neque ipse posset illatum consequens euitare, nam etsi concederemus, non simul cum dispositione adesse gratiam, nequit Caietan. negare, quin posita vltima dispositione, vel tunc, vel post parum temporis conferatur: alioqui non esset certa consequentia illa, Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, & in quacunque die, &c. Quapropter si certus est homo vltimam se habere dispositionem, post paruum tempus certus erit se habere gratiam. Igitur ad argumentum respondendo, negamus (quod in apologia nostra aduersus Cathari, latius discussimus) posse quempiam certum esse talem habere dispositionem: nam primum nemo certus est se habere detestationem peccatorum, tanquam offensæ Dei propter ipsum, imò sæpe latet fallacia, vt scilicet homo putans se dolore propter Deum, non doleat nisi propter pœnas inferni, quæ quidem attritio sine sacramento non sufficit ad gratiam. Quòd si tunc sacramentum suscipiat, non est certus an minister legitimam habuerit intensionem illud conferendi. Præterea quod ex attrito fiat quis per sacramentum contritus, non est certitudo fidei, sed doctorum opinio. Sed ijs prætermissis euidens responsio est, quòd nemo certus esse potest an illa detestatio offensæ Dei, licet intellectus circunstantiam ponat, propter Deum, fiat Deo per auxilium speciale supernaturaliter trahente, quod requiritur ad gratiam assequendam. Quod miror Caietanum doctrinæ S. Thomæ peritissimum non animaduertisse.

Probatur 2.

† 3. cap.

Probatur 3.

Probatur 4.

‡ Ioann. 6.

Solvitur arg. de certitudine gratiæ.

Responsio ad arg.

Per contrarium extremum ait Caiet. 3. part. quæst. 84 artic. 1. quòd potest esse attritio, quæ sine sacramento confessionis ad gratiam sufficiat, quod intelligere nequeo quomodo accidere possit. Si enim est attritio ex parte obiecti, nempe dolor propter pœnas inferni, neutiquam sufficere potest sine sacramento, sanè cum non sit vera conuersio in Deum. Si autem sit de offensa Dei propter ipsum, & fit per auxilium speciale, non vtique attritio, sed vera contritio est sine sacramento sufficiens. Si verò fiat sine auxilio speciali, tunc non debet dici attritio, sed contritio acquisita. Illa verò non est vltima dispositio ad gratiam, atque adeò licet illam velit appellare attritionem, neutiquam absque sacramento sufficit.

Attritio sine sacramento non sufficit.

Expeditimus ergo prius articuli membrum, quomodo scilicet contritio & attritio differant. Et quidem ibidem Caiet. suam complexus opinionem, ait, quòd acquisita contritio, de qua modo loquebamur, s. detestatio

2. membri artic. examinatur: Opinio Caiet.

Digitized by Google

statio offensæ Dei, naturaliter elicita dici potest attritio dum est informis, & eadem, inquit, fit contritio, dum postea vel per sacramentum, vel per diuinum auxilium infunditur gratia: quia potest vsque ad illud tempus continuari. Similiter Scotus artic. præcedenti impugnatus ait, quòd illa detestatio ex viribus naturalibus præcedens gratiam, est attritio, & per legitimam continuationem accedente gratia fit contritio. Atqui hoc Caiera. fundare nititur in D Thom. 3. par. q. 88 art. 1. ad secundum argu. vbi ait, quòd primus actus pœnitentis, scilicet contritio, se habet, vt vltima dispositio ad gratiam consequendam: alij verò subsequentes procedunt ex gratia.

Fundamentum Caiet.

At verò nunquam D. Thom. aliquam contritionem acquisitam etiam de offensa Dei, cogitauit esse vltimam dispositionem ad gratiam: quia neque est necessaria, sed ipsa contritio, vt illic explicuimus, procedens à libero arbitrio & gratia, quatenus procedit à libero arbitrio, est dispositio ad eandem gratiam. Quocirca opinio S. Thom. expressè est contra Caiet. d. præsenti, q. 2. arti. 1. quæstiunc. 3. vbi reprehendit eos, qui affirmat attritionem fieri posse contritionem, eo quòd ex diuersis principijs dimanant: attritio scilicet ex viribus naturalibus: & contritio ex virtute infusa.

Duplex cõtritio & attritio.

Duplex igitur est contritio: altera intrinsecè ex obiecto, quæ scilicet est dolor offensæ Dei, atque altera extrinsecè, quia est qualiscunque dolor peccati, sed informatus gratia. Et pariter attritio: altera est intrinsecè ex obiecto: quia scilicet est dolor peccati, non quatenus est offensa Dei: atque altera extrinsecè, quia licet sit dolor de offensa, caret tamen gratia.

1. Concl.

Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima. Attritio, quæ intrinsecè ex obiecto habet, vt sit attritio, non potest fieri contritio, quæ intrinsecè id habet ex obiecto. Probatur manifestè: quia actus sumunt species ex obiecto, sed attritio & contritio habent diuersa obiecta: ergo differunt specie, ob idque neuter eorum actuum potest fieri alter. Secundò id probatur: quia attritio procedit ex viribus naturalibus, contritio verò ex virtute infusa.

2. Concl.

Secunda conclusio. Attritio, quæ id habet ex obiecto, potest fieri extrinsecè contritio, vt dum quis ad sacramentum accedit attritus, putans se esse contritum, tunc per sacramentum suscipit gratiam, per quam eadem attritio informata dicitur extrinsecè contritio. Sunt qui dicant, virtute sacramenti illam attritionem mutare obiectum, vt fiat peccati quatenus est offensa. Sed hoc est inopinabile: nam sacramentum non constituit actui voluntatis aliud obiectum. Et pari modo contritio acquisita si continuetur in gratia, fit contritio formata. Tametsi S. Thom. in præsentiarum forsan non concederet, quod ille actus continuetur virtute habitus pœnitentiæ infusi: eo potissimum, quòd licet sit dolor de offensa Dei, non tamen Dei tanquam supernaturalis finis, postquam elicitus fuit naturaliter.

Quorundã opinio refutatur.

Contritio verò, quæ elicitur ab actu infuso, habet Deum pro fine supernaturali. Quapropter significantius diceretur hominem ex attrito fieri contritum, quàm detestationem ex attritione fieri contritionem. Tametsi & hæc locutio in sensu exposito etiam admittatur.

Ad arg. initio art. propositum.

Hæc autem contritionis & attritionis distinctio in intrinsecam & extrinsecam, non est expressa doctrina S. Thom. imò quæstiunc. citata in præsenti distin. ait, quod illæ detestationes informes ex viribus naturalibus præcedentes gratiam, quales Caiet. & Scotus ponunt, transeunt adueniente gratia & virtute pœnitentiæ infusa, & ideò nunquam informatur gratia. Quapropter absolutè concludit attritionem fieri non posse contritionem. Et per hoc respondet argumento in capite quæstionis obiecto, negando illam consequentiam, fides & spes informes postea fiunt formatæ, ergo & actus attritionis: quia habitus illi, inquit, permanent, actus verò transeunt. At verò cum sint genere suo boni, nil repugnare videtur, quominus possint permanere cum gratia. Et ideò Pal. d. 17. q. 1. art. 1. & Maior. d. 14. q. 1. concedunt attritiones illas posse fieri contritiones. Quocirca fortasse S. Thom. non negasset hoc esse possibile, sed hoc tantum vult, quòd non est necessarium, aut quod procedant, aut quod permaneant: quia non sunt proxima dispositio ad gratiam, neque verus actus pœnitentiæ: præsertim quia non legitur de attritione, quando per sacramentum fit contritio, vbi nequaquam negaret attritionem informari sacramentali gratia, sed loquitur dum conuersio per solam fit contritionem sine sacramento: tunc enim nisi attritio, quæ est propter pœnas inferni, de qua loquitur San. Thom. mutetur in veram contritionem peccati quatenus offensa Dei, nunquam fit vera conuersio. Et ideo ait, quod prior naturaliter creata transit, cui altera ex habitu infuso elicita succedit.

ARTICVLVS VI.

Vtrum vllum extet contritionis diuinum præceptum.

SEXTVS articulus est de præcepto contritionis. Et arguitur, quòd nullum sit de hoc diuinum præceptum: nam si aliquid esset, illud maximè, † Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis: illud autem solum dicit necessitatem finis, videlicet consequendæ salutis, puta, qui pœnitentiam non egerit, gratiam, in qua salus consistit, non obtinebit. Neque verò inde conuincitur esse præceptum, quod ex similibus verbis Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum, colligitur baptismi præceptum, quoniam ad baptismum non solum tenetur ille, qui in peccato est originali, verùm & ille, qui per baptismi votum gratiam suscepit, quod est signum præcepti, ad præcepta n. etiam illi, qui in gratia existunt, tenentur, contritio verò solum existenti in peccato mortali necessaria est: minimè verò postea quam est in gratia constitutus: ergo de contritione non est singulare præceptum. In contrarium est verbum Christi, Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.

Partis negatiua arg. Luc. 13.

Argum. affirm. partis.

Ad huius quæstionis decisionem supponendum in primis neminem negare, quin confessionis præceptum extendat se quodammodo ad contritionem: nam cum ius Ecclesiasticum confessionis determinatio sit diuini iuris, confiteri tenemur, quemadmodum ius præcipit diuinum, si verè nos accusando: non tamen esset vera accusatio, nisi peccatorum nos pœniteret, & saltem in extimatione nostra, quatenus peccata sunt Dei offensa. Quapropter ratione confessionis præceptum est contritionis. Rursus nemo dubitat, quin contritio sit ad salutem necessaria, hoc est, ad gratiam obtinendam. Sed controuersia est, vtrùm per se sit præceptum contritionis, secluso etiam præcepto confessionis. Et fortasse lis non est tanta quantam nonnulli contestantur, vt resoluta quæstione constabit.

Præmittãda ad resp.

Igitur cum articulus duo habeat membra, scilicet de præcepto, & de tempore, quo obligat ad hæc ambo, sex conclusionibus respondetur. Prima. Virtutis pœnitentiæ, quæ itidem contritio nominatur, præceptum est diuinum. Probatur autoritate citata Matth. 4. Pœnitentiam agite, &c. quam D. Tho. 3. par. q. 85. art. 1. ait esse præceptum. Et constat illic Christum non loqui de sacramento pœnitentiæ, quod tunc vim non habebat obligandi, sed de pœnitentia virtute, quæ est peccatorum detestatio. Tametsi & illic fuerit sacramentum institutum quod post eius mortem vim habiturum erat obligandi, vt q. 84. idem S. doctor autor est, quod nos illic explicuimus. Quare & d. præsenti q. 2. ar. 2. quæst. 3. ad 2. expressè ait, quòd homo tenetur specialiter de peccato conteri. Tametsi de articulo confessionis loquatur. Sed secundò probatur conclusio ratione. Pœnitentia virtus est, vt confessi sumus, ad salutem necessaria: ergo est in præcepto. Hac enim consequentia vtitur vbique D. Thom. vt 3. part. q. 68. art. 1. vbi non aliter probat vniuersos ad baptismum teneri, quàm quòd vniuersis est ad salutem necessarius. Et eadem ratione sacramentum pœnitentiæ colligitur esse in præcepto: quia scilicet ad remissionem mortalium post baptismum est necessarium. Nam cum intentio legislatoris, vt ait 2. Ethic. Arist. sit facere ciues bonos, hoc illi maximè munus incumbit, vt de rebus ad salutem necessarijs leges condat: alioqui inutilis eius esset reipublicæ administratio. Et nequis argumentum cauilletur dicens solum concludere, quod contritio sit necessaria non per se, sed vt pars sacramenti pœnitentiæ: arguitur de lege naturæ & scriptæ, vbi non erat sacramentum pœnitentiæ institutum: sic enim apertior fit argumenti vis. Tunc enim contritio in lege naturæ & fidei, qualis tunc erat infusa, necessaria per se erat, absque alio sacramento, ad salutem, atque adeò in præcepto, quod non est cur reuelato euangelio cessauerit:

Resp. per 6. concluſ. 1. Concl.

Probatur 1. script.

2. Ratione.

Obiectioni occurritur.

Quod

Digitized by Google

Obiectio. Quod si quis in contrarium insurgat. Gratia est ad salutem necessaria, & tamen de illa habenda non est singulare præceptum. Respondetur, gratiam non esse opus nostrum, sed Dei, neque verò tam rationem medij ad salutem, quàm finis habere, quia est salus ipsa, & vita animæ: præcepta autem non dantur de fine, sed de medijs, quibus finem consequimur.

3. Probat. concl. Tertiò & ratione honoris Deo debiti eadem confirmatur sententia. Quicunque iniuria proximum læsit, tenetur eam repensare: ergo à fortiori qui Deo iniurius est, eidem præcepto subditur: quicunque autem peccatum mortale committit, Deo iniuriam irrogat: ergo eam tenetur per pœnitentiam vlcisci. Sed ex parte rei nostræ eadem conclusio quartò corroboratur. Tenetur quisque corpus suum non negligere, vt scilicet morbis & vitæ detrimentis homo, si fieri potest, occurrat, & honori suo consulat, iuxta illud Ecclesiasti. 41. Curam habe de bono nomine: ergo, fortiori ratione tenetur curam spiritualem salutis habere, quam certè nisi per pœnitentiam recuperare non potest.

4. Prob.

5. Prob. Quintò arguitur. Vocanti Deo resistere, peccatum inobedientiæ est, iuxta illud Prouer. 1. Quia vocaui & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo. Et Esaiæ 65. Omnes in cæde corruetis, pro eo quòd vocaui, & non respondistis: Deus autem peccatori semper adest ad ostium cordis, vt Apocalyp. 3. legitur, pulsans: ergo illi omnino resistere peccatum est: obedire autem illi non possumus nisi per pœnitentiam virtutem: ergo ad illam præcepto constringimur.

Confirm. ex Tertull. Atqui Tertul. antiquus autor in lib. quem de pœnitentia edidit, in eandem sententiam egregiè loquitur. Audaciam enim, inquit, existimo de bono diuini præcepti disputare, scilicet pœnitentiæ. Neque enim quia bonum est, ideo auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequij prior est maiestas diuinæ potestatis, prior est autoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis. Bonum est pœnitere, an non? Quid reuoluis? Deus præcipit. Quod igitur Deus tantopere commendat, summa vtique grauitate & aggredi, & custodire debemus.

Obiectio. Quòd si quis nobis D. Thomam obijciat 2. 2. quæstio. 14. artic. 2. vbi ait finalem impœnitentiam non esse speciale peccatum, sed quandam peccati circunstantiam: quod quidem nequaquam dixisset, si singulare esset præceptum pœnitentiæ: nam tunc non pœnitere, singulare esset peccatum. Respondetur, quòd pœnitere potest esse & circunstantia cuiuscunque peccati, & singulare peccatum. Circunstantia quidem, vbi non occurrit articulus præcepti pœnitentiæ, vt paulò pòst videbimus. Exempli gratia, ei qui homicidium fecit, manere in illo peccato, est tantum circunstantia homicidij, in quo persistit: si tamen adueniat articulus mortis, in quo tenetur, esset singulare peccatum non pœnitere, dummodo mortem præsentiscens posset peccatorum recordari, sed si subita corripiatur morte, non habens tempus pœnitendi, solo peccato homicidij damnatur. Exemplum est in furto, qui enim rem sustulit alienam, quamdiu non occurrit noua necessitas restituendi, solùm permanet in peccato furti, sed quando illa occurrit, puta si creditor egens petat, tunc est singulare peccatum non restituere. Quapropter D. Th. 2. sentent. q. 43. ar. 3. ad tertium ait, quòd impœnitentia secundùm quod dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum sanctum, secundùm autem quod dicit permanentiam in peccato vsque ad mortem per negationem pœnitentiæ, est circunstantia omnium peccatorum, & eandem dixit. insinuat loco citato 2. 2. artic. 1. ad tertium arg.

Dilutio.

Dilutio argum. initio posit. Ad argumentum ergo in capite positum iam responsum est: ob id enim quod illud, nisi pœnitentiam habueritis, &c. ingerit pœnitentiæ necessitatem ad salutem, colligitur præceptum pœnitentiæ, sicuti ex alio, nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. colligitur præceptum baptismi. Et cum arguitur. Ad pœnitentiam non teneri homines postquam sunt in gratia, sicut ad baptismum: ergo non est præceptum pœnitentiæ sicut baptismi, negatur consequentia. Concedimus n. hoc præceptum obligare eos qui sunt in peccato mortali, donec sint in gratia, & non amplius.

Præcept. cõtrit. obligat solum eos qui sunt in pecc. mort.

Obiectio. Contra hoc autem arguitur. Contritio est vltima dispositio ad gratiam: ergo si tenemur præcepto contritionis, tenemur singulari præcepto ad habendam gratiam. Consequens autem est falsum, quia illud est opus Dei supernaturale, quod non est in nostra potestate. Respondetur, vt de præcepto dilectionis Dei super omnia, tempore quo eius necessitas occurrit, respondet S. Thom. 1. 2. quæst. 100. artic. 10. & 2. 2. quæst. 44. artic. 1. &. nos lib. 1. de natura & gratia, cap. 22. diximus, quòd tenemur per diuinum auxilium ad gratiam & charitatem suscipiendam nos disponere, nam quod per amicos possumus, & maximè per Dei auxilium simpliciter posse dicimur.

Respon. notanda.

2. Obiect. Sed aliud forsan quispiam contra hanc sententiam argumentum meditabitur. Non tenemur perseuerare in gratia, quam in baptismo recipimus aliquo singulari præcepto: sed alijs particularibus, Non occides, Non furtum facies, &c. Alioqui qui hominem occideret, duplici peccato complicaretur, scilicet homicidij, & lapsus à gratia, quod est falsum: sed non est maior obligatio recuperandæ salutis, quàm eam conseruandi; ergo non est de hoc singulare contritionis præceptum. Negatur consequentia: nam licet custodia gratiæ receptæ sit mandatorum obseruatio, nihilominus qui illam perdidit, tenetur illam recuperare, quod non potest nisi per pœnitentiam perficere, & ideo nil mirum si eius sit singulare præceptum.

3. Obiect. Postremum autem argumentum contra hoc idemque molestum est. Periculosum captiosumque illius rei præceptum est, quæ nobis adeo est occulta, vt constare nobis nequeat, an tale præceptum impleuerimus: talis verò est conuersio nostra: nemo enim, vt paulò antè monstrauimus, scit an verè se ad gratiam disponat: nemo ergo ad id sub præcepto tenetur. Respondendum ergo est, sicut de præcepto charitatis: videlicet, quòd quamuis tale sit præceptum, nihilominus inuincibili ignorantia quisque potest excusari putans se illud impleuisse. Igitur cùm quis humano more ad arbitrium prudentium putat se esse contritum, licet verè non sit nisi attritus, à transgressione præcepti contritionis excusatur, quamuis gratiam non recipiat. Neque verò confiteri tenetur quousque Ecclesiasticum tempus aduenerit.

Dubium. An quis vt primum peccauit teneatur conteri. Hæc autem asserta conclusio in alias nos angustias videtur cogere: videlicet, protinus vt quis in peccatum ceciderit, hoc præcepto ad contritionem vrgeri, de qua re; Caietanus in opusculo 21. quæstionem septimam inseruit. Atqui à parte affirmatiua est argumentum, quòd cum alijs morbis, qui præsentaneam minantur mortem corporalem, illicò succurrendum est iure naturæ: & peccatum, vt ait Iacobus, consummatum mortem animæ generet, apparet ratione præcepti quàm primum esse succurrendum. Cui accedit & autoritas Sanct. Thom. 2. 2. quæstione 62. artic. 8. vbi ait, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere: secundùm illud Ecclesiast. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum. Accedit & illud Ecclesiast. 3. Qui amat periculum, peribit in illo: qui autem in peccato perstat, periculum sibi creat moriendi in illo. Quare & cap. 5. idem Sapiens, Non tardes, inquit, conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem, subitò enim venit hora eius.

Affirmans opin. Probatur.

2. Concl. His tamen nihil obstantibus statuitur huius articuli secunda conclusio. Non illico, vt homo reum se sentit culpæ pœnitentiæ lege pœnitere constringitur. Hæc profectò conclusio more & vsu Ecclesiæ satis videtur constabilita. Nemo namque à sacerdotibus vsum clauium habentibus, tanquàm denuò peccasse reprehenditur, si non cùm primùm peccauit resipiscat. Et tamen si confestim resipiscere teneretur, singulis momentis peccatum eius impœnitentiæ augeretur, quod esset peccatores plus nimio culpare, præceptumque adeò tanquam rigidum nimis & durum denotare. Secundò præceptum singulare pœnitentiæ est affirmatiuum, veluti & confessionis: præcepta autem affirmatiua, vt doctoribus cunctis est in confesso, licet semper obligent, non tamen (vt aiunt) pro semper, sed sua habent stata tempora. Quare sicut non statim confiteri obligamur, vt q. sequenti videbimus, ita nec conteri.

Ratio. 1.

Ratio 2.

Obiectio. Sed forsan quis obijciat non solum affirmatiuum esse, sed negatiuum includens, tenemur enim non esse extra gratiam & amicitiam Dei, sicut non furari. Quapropter veluti fur illico tenetur restituere, ita & qui Deo iniuriam intulit, tenetur extemplo satisfacere.

Dilutio. Ad hoc respondetur, vt supra, quòd non esse extra

gratiam

Digitized by Google

gratiam & amicitiam Dei tenemur quidem, non tamen singulari præcepto, sed alijs particularibus, Non occides, Non furtum facies, &c. Quare homicida, vt suprà diximus, qui per quodcunque tempus manet in peccato, non cómittit singulare delictum impœnitentiæ, sed manet in homicidio. Et in hoc sensu dixit Sanct. Th. loco citato 2. 2. † quòd non licet per aliquod tempus in peccato manere, sicut non licet furari, occidere, &c. Et ideo qui pœnitentiam differt, solùm auget culpam homicidij, sed quando periculum imminet mortis, singularis culpa est non pœnitere. Et idem est de fure. non n.nouum peccatum committit, si protinus non restituit, sed augetur grauitas furti, quousq; noua ratione necessitatis creditoris, vel alia, nouum impingat peccatum. Et in eodem sensu Sanct. Thom. distinctione præcedenti articulo secundo, quæstiuncula 3. ad 2. ait, quòd dum peccatum ad memoriam reuocatur, tunc tenetur homo specialiter conteri: intellige, inquam, confestim teneri prohibitione homicidij vel furti, quousque necessitas confessionis vel periculi singularem adhibeat obligationem pœnitendi.

† q. 14. ar. 2. S. Thom. dictum.

Satisfit autoritatib. citatis, in probat. partis affirmantis 2. cócl.

Et eodem pacto respondetur ad autoritates citatas. Iubemur enim peccatum fugere quasi à facie colubri, non per singulare præceptum, sed per omnia mandata peccatum prohibentia. Quòd autem pœnitentiam non differamus, in quocunque tempore, consilium sonat: tempore autem imminentis periculi mortis, præceptum. Ex his colligitur responsio dubij siquis sciscitetur hunc actum, Nolo pœnitere quantum delictum sit cuique præcepto contrarium. Respondetur enim sub distinctione, quod tempore quo quis pœnitere tenetur, est singulari præcepto contrarius, ac perinde genere suo mortalis: alijs verò temporibus non est nisi contra alia præcepta de non perseuerando in furto, homicidio, &c. & ideo genere suo non est mortalis, est nihilominus venialis: quia nolitio boni obiecti.

Dubium. Dicens, nolo pœnitere, quantum peccet?

Instas autem regans. Quo ergo tempore singulare hoc præceptum occurrit? Scotus quidem libro 3. distinct. 17. ait diebus festis teneri hominem singulari præcepto de peccatis conteri. Et ratio eius est, quia festorum cultus eo nobis fine præceptus est, vt Deum ipsum amore & dilectione colamus, tunc ergo dilectionis mandato tenemur: quod vtique absque pœnitentia impleri nequit.

Aliud dubium. De tempore præcepti.

Opinio Scoti & ratio.

Contra hanc autem sententiam subiungitur tertia conclusio. Neutiquam festorum cultus singulari hoc nos pœnitentiæ nexu ligat. Probatur. Præceptum de colendis festis aliud est à præcepto pœnitentiæ distinctum: cultus siquidem festorum virtus religionis est: virtus autem pœnitentiæ, vt dist. 14. q. 2. articulo 1. & 3. monstrauimus, non religionis, vt Caietanus opinatur, sed iustitiæ pars est: nullum verò præceptum ad alterius officia per se obligat.

3. Concl. Ratio 1.

Secundò præcepta non obligant ad finem, sed ad media, quibus obtinetur: finis enim ieiunij est per corporis extenuationem animam ad supernorum contemplationem erigere: illa tamen contemplatio non cadit sub præcepto ieiunij. Pari modo licet festorum cultus ad hoc ordinetur, vt homo diuinis laudibus vacans ad amorem Dei se excitet, tamen sub præcepto non cadit nisi ab operibus seruilibus vacare, & sacrificio missæ, vt Ecclesia iubet, interesse.

Secunda.

Tertiò. Quia hoc esset nimium fidelium animos irretire, cùm enim tam numerosus sit festorum aceruus, nimium populus premeretur si toties tam difficili subderetur mandato, vt legitimè conteri teneretur, atque adeò omnes peccatorum fimbrias & occasiones præscindere. Quartò demum Ecclesia diuinum explicando mandatum satis duxit, semel in anno homines ad pœnitentiam compellere: non ergo diuinum ius, tam crebram exigit contritionem. Ecclesia verò, quia de internis actib. non iudicat, contritionem per se non præcipit.

Tertia.

Quarta.

Obiectio.

Quòd si ex veteri testamento illud nobis Leuitici 6. obieceris, Sabbatum requietionis est, affligatis animas vestras. Et cap. 32. de eodem die festo, Affligetis animas vestras in eo, omne opus seruile non facietis in die hac, &c. Respondetur, quòd cultus festorum illius legis quantum ad id, quod morale continet, Exodi 20. explicatur consistere in sola cessatione à seruili opere, quod in nostris festis durat. Veruntamen quoniam eisdem festis populus iubebatur animas affligere, legale erat, & iam cessauit. Neque verò afflictio illa illic significatur fuisse peccatorum contritio, sed ieiunium, & corporis maceratio, idque præcipuè præcipiebatur in festo expiationis, quod expurgandis sordibus institutum erat. Cui illud consonat Esai. 58. Nunquid hoc ieiunium, quod elegi, per diem hominem affligere animam suam?

Igitur vt quæstioni faciamus satis, subiungitur quarta conclusio. Tempus singularis præcepti contritionis est, dum Ecclesiæ decreto semel in anno confiteri tenemur, atque adeò in articulo mortis.

5. Concl.

Probatur: nam præceptum pœnitentiæ, quod in lege naturæ & scripta cucurrit, Christus sacramentum pœnitentiæ instituens quantum ad eius modum determinauit: sed quia ex Euangelio colligi liquidò non poterat, Ecclesia præscripsit annuale tempus: fit ergo, vt idem tempus & confessioni & contritioni iuiunxerit. Et præter illud extat de iure diuino dum imminet periculum mortis: nam tunc etiam, vt distinct. sequenti videbimus, si copia adsit confessarij, tenetur quisque confiteri. Et ideò in principio quæstionis diximus, non esse tantam litem inter negantes præceptum singulare cótritionis, nisi quando necessitas confessionis occurrit, & alios contrarium asserentes: quoniam in tempore differre non debent: nam extra hæc non est aliud necessarium contritionis tempus. Est tamen hoc discrimen quòd secundum opinionem hic à nobis defensam in articulo mortis, licet non adsit confessarij copia, tenetur morituras singulari præcepto conteri. Et idem arbitror in festo paschatis, aut semel in anno. Enimuerò si tempus confessionis non esset decretum, teneretur homo conteri præter periculum mortis, illo etiam saltem tempore, quo metus esset ne peccata obliuioni traderentur, quod quidem per Ecclesiam ad singulos annos definitum est.

Ratio 1.

Existunt autem contra hoc argumenta: nam quocunque tempore occurreret præceptum dilectionis Dei super omnia, huius etiam obligatio concurreret, vtpote sine quo illud impleri non potest. Item quoties sacerdos sacramenta administrare debet quæ in gratia tenetur administrare. Respondetur, etiam his casibus obligationem exurgere pœnitẽdi, non tamen ex vitalis præcepti, sed aliorum vinculo, s. dilectionis, aut legitimæ administrationis sacramenti. At vero dum quis sacramentum Eucharistiæ susceperus est, singulariter contritionis præcepto obligatur propter sacramenti illius dignitatem.

Obiectio 1.

Postremum autem argumentum, quod contra hanc sententiam obijcitur est, quod nemo posset ab hac luce in vno solo peccato mortali discedere. Hoc autem consequens eo moderamine concedendum est, si peccatori tempus suppetat pœnitendi. Tunc enim nouum esset peccatum non confiteri, si copia sacerdotis adesset. Et eadem ratione consequitur, quòd qui non confitetur semel in anno, duplici peccato peccat: altero omissionis contritionis, & altero confessionis. Item quoties quis Eucharistiam sine contritione suscipit. Tametsi hoc postremum non ita facilè concederem: quia quando præceptum per se contritionis non obligat nisi ratione Eucharistiæ sumendæ, non est nisi vnum sacrilegium indignæ sumptionis Eucharistiæ. Imò verò forsan, quia in præcepto confessionis determinatur tempus contritionis, vnicum censetur præceptum contritionis & confessionis semel in anno, nisi quòd si non potest perfectè impleri quoad confessionem, debet saltem impleri quoad contritionem.

Obiectio 2.

Hic inter additiones S. Thomæ ex quarto libro ineptè adhibentur articuli, vtrum pœnitentia per totam vitam durare debeat, & an debeat esse continua, quandoquidem in tertia parte, quæstione 84. articulo octauo & nono, expresse illos tractauerit, quos nos perinde distinct. 14. quæst. 1. exposuimus. Vbi conclusimus pœnitentiam peccatorum non nisi semel esse necessariam. Quocirca licet post remissa peccata quandoque sit salubris peccatorum detestatio, quandoque verò nociua, vel quia occasionem lasciuæ delectationis offert, vel aliorum adfert officiorum impedimentum, nunquam tamen est amplius necessaria.

D. Tho.

Nihilominus tam circa præsentem articulum quàm circa istos duos, hæc examinanda est postrema sententia, Vtrum quotiescunque peccatum memoriæ occurrerit, teneatur illud homo detestari, siue nunquam fuerit alia contritione dilutum, siue fuerit iam remissum. Huius enim potissimum causa Caietanus quæstio-

An cũ primum homo meminit peccatorũ, tencatur de illis conteri.

Digitized by Google

nem illam septimam in opusculo 11. quæstionum disseruit. Fuerunt enim graues autores huius sententiæ, qui dicerent, quod quotiescunque peccatum commissum memoriæ se practicè offerat, tenetur homo de illo dolere, etiam si remissum fuerit, & à fortiori si non fuerit remissum. Tenet Alexand. Alensis 4. par. quæst. 68. memb. secundo, articulo secundo, & Ricard. in 4. distinctio. 14. articul. 9. quæst. 1. quos Gabriel ead. distinctio. atque alij sequuntur. Quinuerò & Palud. distinct. 17. quæst. 1. artic. 3. propterea quod D. Thom. ead. distinct. quæst. 3. articul. quæstiunc. 4. ait, quòd homo tenetur ad contritionem, quando peccata memoriæ occurrunt, præcipuè dum in periculo mortis existit, &c. Peccatum enim tunc occurrit memoriæ speculatiuè, quando quis de illo cogitat, vel ad tractandum de illo, vel dum audit confessiones, &c. Tunc autem practicè, quando occurrit, aut tanquam opere exequendum, aut tanquàm delectatione in eius cogitatione sistendo. Et tunc aiunt isti teneri hominem de illo dolere. Et probant, quia cum tunc occurrat tanquam Dei offensiuum, contemptus esse Dei, nisi illud homo detestaretur.

Affirmans opinio probatur.

Peccatum duplicater occurrit memoriæ, speculatiuè & practicè.

Non tamen est quæstio magni momenti, & ideo duabus conclusionibus facillimè dissoluitur. Prima, quæ sit quinta huius artic. De peccato semel remisso nunquam est simpliciter necessaria pœnitentia, nisi forsan tantum periculum offerretur consentiendi, vt aliter euitari non posset. Probatur, quoniam propria materia confessionis est culpa, in qua homo existit, ad cuius detestationem virtus pœnitentiæ ordinatur: ergo peccatum, quod semel remissum est, non est necessaria materia pœnitentiæ, siue speculatiuè, siue practicè offeratur, iuxtà illud Naum 1. suprà citatum. Non puniet Deus bis in idipsum. Et aliud Pauli, † Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

5. Concl.

Rom. 11.

6. Concl.

Secunda, quæ sit sexta conclusio. Quamuis peccatum nondum fuerit remissum, hoc solum, quòd est memoriæ occurrere practicè, minimè secum adfert necessitatem contritionis sub præcepto, nisi aliquod temporum adsit, quæ eiuscemodi præcepto sunt decreta, vt est articulus confessionis aut articuli mortis, &c. Probatur, quia vel est necessaria contritio ratione singularis præcepti pœnitentiæ, vel ratione dilectionis, quam tunc homo erga Deum habere tenetur, vel ratione euitandi periculi consensus, non primum, quia cum præceptum contritionis, vt suprà dictum est, sit affirmatiuum, habeatque sua tempora præfinita, memoria illa peccatorum minimè ad obligandum sufficit, sicuti præceptum dilectionis non obligat quoties Dei bonitas & eius in nos immensa beneficia memoriæ occurrunt: alioqui stando in mero iure diuino antequam Ecclesia tempus confessioni decerneret, teneretur homo etiam tunc confiteri. Accedit ratio, quòd potest peccatum occurrere memoriæ tanquam perpetrandum, quod nunquam fuit commissum, & tunc non potest haberi dolor seu pœnitentia, quæ tantum esse valet de commissis. Nec tenetur tunc homo ratione dilectionis, vt quidam † autumant, dicentes quòd tunc vel peccata detestatur, vel approbat, vel neutro modo se habet. Si secundum, peccat: si tertium, Deum videtur contemnere: ergo obligatur ad primum.

Ratio conclusionis.

† Authores affirm. opinion. ante 5. concl.

Argu. contra affirm. opinionem.

Contra hos autem arguitur, quia cùm tunc non occurrat dilectionis præceptum: (esset enim importabile, quod toties homo teneretur diligere, quoties tenetur peccatis resistere) colligitur, vt nullus sit contemptus, nullum tunc habere actum complacentiæ, vel displicentiæ. Esset namque durum asserere, quod propter id quod nobis naturaliter contingit, (qualis est peccatorum recordatio) nouo præcepto dilectionis cogeremur. Nec demum tenetur ratione periculi: quoniam potest homo quoties peccatum occurrit, vel de nouo committendum, vel iam commissum, vt eius cogitatu tunc oblectetur, cogitationem ab illo dimouere, per quod satis ei resistit, atque adeo pro tunc Deum satis diligit. Imò verò nonnulla sunt peccata, potissimum carnis, quæ longius euitantur, dum eius cogitatio fugitur, quàm si illa præsente contendat homo displicentiam eius habere: adeò sunt lubrica, & quæ se violenter insinuant. Fateor equidem, quòd si casus dari posset, in quo homo non posset consensum in culpam cauere, nisi positiuo actu voluntatis consensum repellendo, tenetur quidem. Sed non video casum, in quo non sit facilius aliorsum cogitatum diuertere. Cui autem voluntas adest in virtutes propensa, consilium esset ad displicentiam & detestationem conari.

Non contemni non est contemptus.

Nec periculum.

Aliam hic quæstiunculam subnectit S. Thom. vtrùm post hanc vitam possit esse pœnitentia. Et est distinguendum, tam de triplici statu post hanc vitam, quàm de tribus quæ in contritione considerantur, quæ sunt dolor sensus, contritionis forma, quæ est gratia, atque eius efficacia, quæ est remissio culpæ. In patria ergo esse potest peccatorum abominatio cum forma, quæ est gratia, sine dolore tamen, propter plenum gaudium, quod illic existit, sed absque efficacia remissionis, quia illam in via obtinuerunt: sunt tamen illic triumphantes de victoria contra peccata. In inferno autem potest esse pœnitentia peccatorum cum dolore maximo, quo illic semper damnati excruciantur, sed absque gratiæ forma, & fructu, & efficacia remissionis propter obstinatam voluntatem. Veruntamen in purgatorio existentes dolorem quidem habent de peccatis, eundemque gratia informatum, non tamen meritorium, quia sunt extra viam: quare neque eorum dolor est contritio efficax ad remittendum peccatorum pœnas. Vtrum verò illic remittantur veniales culpæ, distinct. 15. quæst. 2. artic. 2. elucidauimus.

Vtrum post hanc vitam possit esse pœnitentia. Triplex status post hanc vitam. Tria in contritione cõsiderãtur. In cælo. In inferno. In purgatorio.

Importunè quoque & hoc loco ille articulus adijcitur ex lib. 4. San. Thom. de effectibus contritionis: quandoquidem totam illam materiam locupletissimè edisserit in 3. part. quæst. 86. & 87. quas dist. 15. latis interpretati sumus.

DISTINCTIO DECIMAOCTAVA,

DE CONFESSIONE.

SECVNDA pars sacramenti pœnitentiæ est confessio, quam etsi hæretici non defuerint, qui contritis corde negauerint necessariam, Catholica tamen nos veritas admonet, nemini, qui post baptismum in lethale crimen lapsus fuerit, absque ea in re, vel in voto patere salutem. Fuit enim per Christum Ioann. 20. instituta. Nam vbi Spiritu sancto in discipulos insufflato, plenarium eis iudicium remittendi peccata tribuit, sacramentum subinde pœnitentiæ instituit, atque adeò cunctos fideles à gratia baptismatis in mortale relapsos, sacerdotum iudicio subiecit, præceptoque adeò confessionis negauit. Cuius deinde Ecclesia tempus definiens, vt id quotannis faceremus, iure nos pontificio perstrinxit.

Cap. 1.

Necessitas pœnitentiæ.

Institutio.

Obligatio fidelium.

Est ergo confessio Ecclesiastica, sacramentalis quædam peccatorum accusatio ad indulgentiam virtute clauium Ecclesiæ obtinendam. Cuius qualitates patres circunscribentes aiunt. Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis. Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda. Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata. Fortis & accusans, & sit parere parata. Debet ergo prudentissimus quisque Christianus cuncta sua peccata cordis, oris, & operis, tam secreta quàm publica, saltem mortalia, cum omnibus suis circunstantijs notabili macula aggrauantibus confiteri, eademque eidem sacerdoti, nisi legitima obstiterit causa. Nequiret enim aliter qualis est, talem se diuino sacerdotis tribunali sistere.

Cap. 2. Confessionis definitio, & qualitates versibus cõprehensa.

Secreta & publica confitenda cum suis circunstantijs.

Ex quo fit consequens, vt quamuis confessio, quantum ad suam attinet essentiam,

Cap. 3.

non

Clam faciendo.

non exigat necessariò vt sit secreta, nihilominus, nisi clam fieret, nequiret facilè in Ecclesia sustineri, vt occultorum omnium scelerum, quod necessarium est, fieret. Quapropter qui clancularia m, auricularemque confessionem exterminare ab Ecclesia studeant, religionem à Christo semper obseruatam, de medio tollere hæreticè contendunt.

Cap. 4. Minister est sacerdos. Can. Omnis vtriusque sexus.

Legitimus autem sacramenti pœnitentiæ minister est sacerdos, qui vel ordinaria, vel delegata fungitur iurisdictione, iuxta tenorem canonis, Proprio sacerdoti vel de eius licentia confiteatur. Nam cùm absolutio iuridicus sit actus clauium Ecclesiæ, non sufficit, vt valida sit, sacerdotalis character iurisdictione vacuus. Consultò enim Christus Petro pascendum suum gregem commisit, vt pascendi iurisdictio, ab ipso per Ecclesiæ membra deriuaretur. Vbi ergo non est iurisdictio, nulla est absolutio, & multò minus quæ à sacerdote non fit. Quapropter confiteri laico in nullo casu necessarium est, & quàm rarissimè vtile propter verecundiam ad capiendum consilium. Imò verò iam eiusmodi confessio aboleuisse videtur ab vsu.

Ioan. vlt.

Nullo casu laico confitendum.

Cap. 5. Veritas absolutionis. Matt. 18. Ioan. 20.

Can. Quem pœnitet.

Absit autem, vt dicas sacerdotem pœnitentem absolutum ostendere, & non verè absoluere, dicente Christo ad Petrum: Quodcunque solueris. Et postea discipulis: Quorum remiseritis peccata; non autem: Quorum ostenderitis remissa. Vnde author libri de vera & falsa pœnitentia, quod de pœnit. distinct. 1. refertur, Ipsi, inquit, sacerdotes Euangelici plus possunt prodesse quàm veteres, plus confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit Dominus. Et infrà, non dixit: Quos putatis ligare aut soluere, sed in quos exercueritis opus iustitiæ aut misericordiæ. Quapropter effectus sacramenti pœnitentiæ non est ostendere remissa peccata, sed verè remittere, vt antea de pœnitentia virtute dictum est. Nam præterquam quòd sæpe sacerdos absolutione sua attritum iustificat, tunc etiam quando contritus & iustus ad sacramentum accedit, quia contritio virtuti suscipiendi sacramenti nitebatur, verè eum sacerdos quantum ex parte sua est, absoluit, vt forma sonat.

Effectus pœnitentiæ est verè remittere peccata.

Cap. 6. Confessio informis.

Dum ergo homo ex intentione nullum mortale in confessione prætermittit, tametsi fortè legitimus non hæreat in corde dolor, vt gratiam consequatur, erit quidem confessio informis, sacramentum verò nihilominus validum, vt non sit iteranda confessio, sed per legitimam postea contritionem fiat gratiæ reparatio.

Cap. 7. Sigillum confessionis.

Quanto verò sacerdos teneatur diuino vinculo auditam confessionem sigillo secreti obsignare, natura ipsa confessionis quàm maximè necessariæ palàm commonet, quæ absque arctissima secreti fide sustineri non posset. Igitur vt apud Deum peccata remissa contecta sunt prorsus iuxta illud Psalm. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: sic debent esse in pectore sacerdotis recondita. Caueat ergo omnino, vt canone admonitus est, ne verbo aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: imò perinde obmutescat, ac si nihil audiuisset, ne & iram in primis Dei, & in iudicium quoque Ecclesiæ impingat, vt sacerdotali officio depositus, in arctum monasterium detrudatur.

Psal. 31.

Can. Omnis vtriusque sexus.

DISTINCTIONIS DECIMÆ OCTAVÆ,

Quæstio prima.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

Autoris institutum, & ordo dicendorum.

PRIMVM iuxta Aristotelis doctrinam 2. Poster. quærendum est an res sit, quàm quid sit: & quia in moralibus idem est rem esse, quod esse necessariam vel commodam, alioqui superflua esset, primò quæritur de necessitate confessionis, quàm de eius quidditate. Quare in præsenti distinctione quatuor disputabimus quæstiones. Primam, de necessitate sacramentalis confessionis, secundam, de eius quidditate & qualitatibus, & tertiam subinde de eius effectu, ac demum quartam de eius ministris. In prima quæst. sunt quinque articuli. Primus, an confessio iure diuino fuerit instituta, tanquam ad salutem necessaria. Secundus, vtrùm fuerit in lege naturæ vel scripta. Tertius, vtrùm omnibus peccatoribus de omnibus peccatis sit necessaria. Et quartus quo tempore sit necessaria. Quintus demum, vtrùm super confessione non facienda possit esse dispensatio.

ARTICVLVS 1.

Vtrùm sacramentalis confessio fuerit à Christo instituta tanquam ad salutem necessaria.

Partis negat arg. 1.

ARGVITVR ergo, quòd sacramentalis confessio non sit ad salutem necessaria: ad salutem enim sufficit gratia Dei: gratiam autem per solam contritionem, vt dictum est, adipiscimur: iuxta illud Psal. 31. Dixi confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei: ergo nulla præterea nobis opus est confessione.

2. Argu.

Secundò. Acta Christi sunt in Euangelio sufficienter scripta. nullibi autem præceptum sacramentalis confessionis legitur: imò Matth. 19. Si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata, vbi ea duntaxat recensuit, quæ sunt in decalogo: ergo confessio non est de iure diuino.

3. Argu.

Tertiò, accedit autoritas Hugo. libro 2. de sacra. par. 14. cap. 1. vbi quærens, cur Christus præceptum non dederit hominibus sua peccata cõfitendi, sicut discipulis dedit confitentium peccata remittere: respondet id non dedisse, ne extorta & coacta videretur confessio: cogitauit enim quod ægri libenter salutem quærerent, & ideo medicis dixit, vt curarent, sed infirmis non dixit, vt ad medicos curandi venirent.

4. Argum.

Quartò. Est textus Theodori Cantuarienſis archiepiscopi. can. fi. de pœni. dist. 1. vbi ait, quòd quidam soli Deo debere peccata confiteri dicunt, vt Græci, quod Magister Senten. distinct. 17. insinuare videtur: si autem iure diuino esset instituta, nulli possent negare confessionem esse necessariam.

5. Argum.

Quintò demum accedit glossa Ioan. Theutonici in initio distinct. 5. de pœnitentia. adstruentis, quòd melius esset dicere institutam fuisse confessionem à quadam vniuersalis Ecclesiæ traditione, quàm ex noui aut veteris testamenti autoritate. In quam opinionem Panormit. super capit. Omnis vtriusque sexus. licet vacillans, inclinare videtur. Et Durand. dist. 17. quæst. 14. licet quodammodo ambiguus, tamen in hanc plus partem propendet, quòd can. Omnis vtriusque sexus. non faciat præceptum, sed consilium. Et Erasmus in scholijs super Epistolis Hieronym. nempè super Epitaphium Fabiolæ, ad Oceanum, sacramentalem confessionem singulorum peccatorum negat fundamentum habere in antiquis.

Digitized by Google

Argum. in contrarium.

In contrarium est Ecclesiæ autoritas, quæ Spiritu sancto afflata inter sacramenta connumerat sacramentum pœnitentiæ, cuius pars necessaria est confessio: sacramenta verò nemo, nisi Christus gratiæ sacramentorum autor instituere potuit.

Tantum confessio adfert emolumenti sanctæ Ecclesiæ, vsque adeoque proinde illam nobis inuidet Satan, vt vix fuerit hæreticus, qui non eius suggestione de medio eam tollere contenderit. Fuerunt enim primum antiqui Massiliani, vt Damascenus libro suo de hæresibus refert, qui confessionis necessitatem abnegant. A quibus & Iacobitæ à Iacobo hæresiarcha sic dicti iuxta Guidonis Carmelitæ historiam in libro de hæresibus, eandem hæreditarunt. In quo errore Thomas Waldensis tomo 2. de sacramentalibus, capit. 138. ponit & Iulianum apostatam: legitur enim in historia Tripertita, libro sexto, capit. 2. in hunc modum. Fertur Iulianum imprudenter negasse Christianam fidem, vt sanguine immolationum nostrum baptisma studeret ablui, & abrenunciare Ecclesiasticæ confessioni: sed tamen alia litera non habet, nisi Ecclesiasticæ professioni. At verò quid mirum si qui à fide apostatauerat, eius abijceret sacramenta? Et Ambros. aduersus Nouatianos libro primo de pœnitentia, disputat contra necessitatem negantes huius sacramenti. Ille autem hæresiarcha Ioannes Witcleff, vt idem Waldens. ibidem refert, fuit qui impudentiùs aduersus confessionem clancularian & auricularian blasphemauit, dicens fuisse institutionem Papalem in cap. Omnis vtriusque sexus, absque vlla sacra autoritate, multumque subinde Ecclesiæ nocuisse, multasque hæreses & contentiones circa fastum & quæstum temporalium introduxisse. Hanc subinde hæresim Lutherus, vt populum inescaret, & molliùs ad se pertraheret, totis viribus persuadere nixus est. Nam cùm inter omnia sacramenta hoc sit, vt vtilissimum, ita adimpletu difficillimum, quos isto confessionis onere semel exonerabat, eosdem ad alia sua dogmata facilè pellicièbat. Vnde priùs in artic. 8. ex illis qui sunt à Leone damnati, dixit non esse confitenda venialia peccata, neque omnia mortalia. Et in art. 9. adiecit, quòd qui omnia confitetur, nihil misericordiæ Dei ignoscendum relinquit. Perpende bestiæ vafriciem quasi quæ confitemur non misericordiæ diuinæ offeramus ignoscenda. Si enim id esset verum, nullum esset confitendum. Quare tandem cum negaret sacramenta gratiam conferre, & hoc prorsus aboleuit ab vsu. Vt ergo contra istos hæreticos ad quæstionem respondeamus, quam dist. 14. quæst. 1. artic. 5. in hunc reiecimus, meminisse ex superioribus oportet duplicem esse quæstionis huius sensum: videlicet, an confessio sit diuinitus instituta, vt necessaria necessitate finis, vt sine qua salutem consequi non possumus: & vtrum præterea sit de necessitate præcepti vel diuini, vel humani. Enimuerò puero ante vsum rationis necessarius est baptismus, necessitate salutis, non autem necessitate præcepti, quod eum liget. Et vice versa, honorare parentes, non est illi ad salutem necessarium venienti tamen ad vsum rationis est in præcepto. Igitur quinque conclusionibus ad quæstionis titulum respondetur.

Massiliano-rum hæresis. Iacobitæ.

Iulianus apostata.

Witcleff.

Lutherus.

Duplex quæstionis sensus.

1. Concl.

Prima. Sacramentalis confessio à Christo est instituta, tanquàm cuicunque post baptismum in mortale crimen lapso ad salutem necessaria, & loco necessitatis pro tempore: & ideo dicitur necessaria in re vel in voto: nam si votum confessionis, in contritione inclusum, est necessarium, causa est, quia confessio ipsa in re est necessaria: sed quia apud Deum voluntas pro facto reputatur, votum sufficit. Et certè si est necessaria ad salutem, planè intelligitur id esse de iure diuino: nam cum salus nostra spiritualis opus sit supernaturale per speciale auxilium Dei proueniens, nil ad hunc finem necessarium esse potest, nisi diuinitus fuerit institutum. Boni autem lector consulat, si in re tam scitu necessaria explicanda, quam profectò pro ratione præsentium temporum ieiunè nimis scholastici tractant, nonnihil immoremur.

Declaratio conclusionis.

Esse de iure diuino.

Probatur concl.

Probatur ergo sic declarata conclusio quo ad vtramque partem illo præcipuè verbo Christi Ioann. 20. ad Apostolos: Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta erunt. Super quibus verbis Chrysosto. lib. 3. de sacerdotio. Quid ipsum, inquit, hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorum enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur, &c. Pater omnifariam filio potestatem dedit. Cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis traditam. Hinc ergo planum colligitur argumentum, quòd & illic fuerit instituta confessio, & tanquam necessaria. Arguitur enim sic. Plenariam Deus potestatem impertitus est sacerdotibus remittendi & retinendi peccata: ergo iudices eos rei huius constituit, atque adeo eius iudicium & sententiam necessariam esse voluit viam ad salutem: iudicare autem de peccatis rectè nequeunt, nisi illa nouerint, iuxta illud Prouerb. 12. Qui iudicat quod nouit, iudex iustitiæ est; nam aliter non posset pro criminis quatitate pœnam metiri. Præsertim cùm sacerdos sic sit iudex, vt sit etiam Christi vicarius medicus, atque adeò debeat pro morborum ratione medicinales pœnitentias imponere: nosse verò nequeunt occulta & intima cordis nisi delinquentium confessione: ergo sacramentalis confessio illic est ceu ad salutem necessaria instituta. Bonauentura d. 17. art. 1. part. 2. distinctionis q. 3. dicit, quod in sacramento pœnitentiæ sunt duo: nempe absolutio, quod est formale sacramenti, & confessio, quod est materiale: quorum primum Christus instituit Ioan. 20. secundum verò non, sed insinuauit: & ideo confessio, inquit, est à Christo insinuata, & ab Apostolis instituta, & à Iacobo promulgata cap. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra. Quam quidem doctrinam desumpsit ad literam ex Alex. 4. par. q. 76. memb. 3. artic. 2. Scotus verò eadem d. 17. plus adiecit, s. quòd licet illo loco fuerit institutum sacramentum pœnitentiæ, non tamen tanquàm necessarium, sed tanquàm vtile, itaque commissum sit sacerdotib. iudicium peccatorum, non tamen tanquàm necessarium, sed tanquam arbitrarium & vtile. Nam & sacramentum confirmationis diuinitus est institutum, non tamen tanquam necessarium. Quare subdit, quòd qui teneret, confessionem solum esse de præcepto Ecclesiæ, non potest faciliter impugnari, licet rationabilius sit dicere, quod sit de iure diuino.

Argum.

Bonauent.

Scoti opin. de confess.

Impugnatur.

At verò nescio quid in mentem Scoto venerit hoc arbitrarium iudicium in re hac commentari. Est enim, vt bona venia dixerim, ficta quædam expositio, nec parum perniciosa. Cogit me tam necessaria hæc catholica veritas hoc verbum dicere: nam si in hoc testimonio non firmiter stabiliatur confessionis necessitas, non habemus robustius aliud aduersus hæreticos. Quocirca cum tanti Ecclesiæ referat confessionem in iure diuino fundare, munus theologi est hunc locum non debilitare, sed interpretando corroborare.

Ad rem ergo vt redeamus, iudex arbiter, quod Scotum inferius sæpe fallit, non dicitur propterea, quod quis possit inter aliquos hunc vel illum eligere, sed ordinarius & arbiter hoc differunt, quòd arbiter est, qui nullam habet iudicandi, cogendique potestatem, nisi quam qui eum eligit, ei tribuit, vt colligitur ex c. Sanè de arbitris. & ex toto illo titulo. Ordinarius verò est, qui ex se habet potestatem, vt rex vel eius minister, cui ipse vim coërciuam tribuit. Si enim duo aut tres prætores in vrbe sint à rege instituti, propterea quòd in arbitrio ciuis est ad quemlibet eorum recurrere, nullus dicitur arbiter, sed certè omnes sunt ordinarij. Cùm ergo Christus dicat, Accipite potestatem, quisnam dubitet Apostolos fecisse ordinatios necessarioſque peccatorum iudices, ac subinde eos, quib. authoritate Apostolica iniuncta est animarum cura? Quare licet quisque posset ad quemcunque sacerdotum recurrere, quod est exemplum Scoti, certè non sunt arbitri, sed ordinarij: quia non accipiunt à pœnitente potestatem, sed potestate Christi funguntur, quam non habent laici. Præsertim quod non possunt eligi quicunque sacerdotes in confessarios, sed illi quibus autoritate Apostolica, vel iniuncta est animarum cura, vel priuilegio concessum confessionem audire. Vnde in concilio Florentino minister huius sacramenti est sacerdos, habens potestatem absoluendi vel ordinariam, vel ex priuilegio superioris ordinarij.

Iudex arbiter quis.

Iudex ordinarius.

Sacerdotes sunt iudices ordinarij non arbitri.

Concil. Florent.

Hoc autem posset quempiam fallere, quod sancti vocant sacerdotes arbitros inter Deum & homines: non tamen id intelligitur in hoc sensu quòd in nostro sit arbitrio illis subijci, vel non subijci, sed quod tanquam ordinarij Dei iudices arbitrantur de peccatis nostris, vtrùm remittere ea nobis, an retinere debeant, cum hac vel illa iniuncta pœnitentia.

Nota, cur interdum sacerdotes dicantur arbitri.

Vis ergo argumenti est hæc. Christus hanc tradidit

Vis argum.

Digitized by Google

potestatem ordinariam sacerdotibus: ergo necessarium illud iudicium illis commisit. Idque planè forma illa demonstrat, Quorum remiseritis, remissa: & quorum retinueritis, retenta erunt. Sed ait Scotus, verbum illud non esse præcisum, id est, non alia remittentur nisi quæ vos remiseritis, neque alia retinebuntur: quoniam sacerdos, inquit, neque remittit, nec retinet nisi quæ audit in confessione, præter quæ tamen Deus alia remittit, atque alia retinet, id est, in inferno punit. Solutio autem hæc vim verborum non infringit: nam si Deus alia remittit, quæ non exponuntur iudicio sacerdotis, est quia non adest confessarij copia pro tempore: & alia retinet, est propter culpam hominis ea non confitentis, iuxta præscriptum Ecclesiæ. Et ideo in hoc quod dicit, † Quorum retinueritis, necessitatem monstrat confessionis: imò verò non tantum in hoc membro, vt aliqui volunt, verùm & in altero affirmatiuo: nam in hoc quod ait, Quorum remiseritis, potestatem ordinariam confert, quæ nisi populum eidem sacerdotum iudicio subdidisset, vim non haberet coërciuam, atque adeò non esset ordinaria.

Solutio Scoti.

Refutatur solutio.

Ioan. 20.

Simile.

Mente concipe verborum Christi spiritum. Quemadmodum rex annulum suum tradens prætori ait, Accipe sigillum hoc ad iudicandum causas, Quorum delicta remiseris, remissa erunt: & quorum ad supplicium retinueris, retenta, perinde ac si ego facerem. Sic ergo Christus, qui inquantum homo, qua ratione nos à peccatis redemit, vniuersalis iudex constitutus est omnium peccatorum, tam in hoc seculo quàm in futuro, iuxta illud Ioan. 5. Dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, eandem memorans potestatem ait, † Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, scilicet iudiciaria, † sicut misit me viuens pater, ego mitto vos, Accipite ergo Spiritum sanctum, per quem ego meritorum scelerumque causas iudico, & peccata remitto, & mea prorsus authoritate, vt mei vicarij iudices fungimini, conferendo gratiam eiusdem Spiritus sancti ad remittendum peccata, vel illam impœnitentibus subtrahendo, ita vt sicut nemo nisi iudicio meo potest aut saluus fieri, aut condemnari, sic qui vestro iudicio fuerit approbatus, veniam obtinebit apud Patrem.

Matt. 28. Ioan. 20.

Quapropter repudiandus est Armachanus, qui lib. 11. de quæstio. Armeno. quanquam concedat potestatem remittendi peccata concessam Apostolis, non tamen illam hoc, inquit, loco, sed quando creati sunt sacerdotes, susceperunt: quia simul, inquit, munera omnia sacerdotalia debuerunt recipere. Hierony. namque super eundem locum Ioan. ait, & epist. ad Edibiam q. 9. hic illam recepisse: nam cùm, vt ait Apostolus 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sint, nil obstat quominus diuersis temporibus Apostoli diuersas potestates sacerdotales ad diuersos effectus susceperint. Quare licet antea suscepissent potestatem in corpus Christi verum consecrandum, hoc loco susceperunt potestatem in corpus mysticum. ita Durand. distinct. 17. & Marsilius quæst. 11. articulo 1. tenent.

Contra Armachan.

Hieron.

Apost. diuersis temporibus diuersas acceperunt potest. Sacerdotales.

Præterea diuina confessionis institutio testimonio illo Matth. 16. ad Petrum nihilo infirmiori confirmatur. Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, & quodcunque ligaueris, erit ligatum. Sed aiunt, Illa non fuit nisi promissio. At verò, cùm diuina promissio diuinam habeat fidem, tam certum est id quod promisit, concessisse, ac si planè dixisset. Do. Quare Matth. 18. assertiuè ait, Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quodcunque solueritis, erit solutum: easdem ergo claues tradidit præsenti loco Io. 20. & ca. vlt. Petro singulariter, tanquam capiti, verbo illo, Pasce agnos meos. Claues autem regni cælorum quid aliud denotare possunt, quàm potestatem aperiendi ipsum & claudendi? Aperire autem nihil aliud est, quàm obstaculum ingressus tollere, quod est peccatum, atque adeò claudere est illud negata absolutione non tollere. At verò cùm neque peccatum remittere, neque regnum aperire queant, nisi tanquam iudices, iudicare tamen nequeant nisi causas cognoscendo, sicut ipse Christus facit, à quo potestatem habent; colligitur, vt vbi dedit illis potestatem remittendi, dederit & potestatem coërciuam peccata cognoscendi, ac perinde peccatores ad confessionem obligauerit. Quod quidem Ecclesiæ interpretamento apertissimè confirmatus, vt latiùs dist. 20. monstrabitur, quæ duas claues se habere profitetur: scilicet scientiæ & potestatis, quæ eo sunt nexu coniunctæ, vt nisi clauis scientiæ ad cognoscendum præmitteretur, clauis potestatis ad absoluendum manca esset & trunca. Et ideo Alexander & sanctus Bonauentura intelligentes illic esse datam potestatem absoluendi, subsequenter intelligere deberent iniunctam esse populo necessitatem confitendi. Nam vt dist. 17. art. 2. q. 1. bene ait Ricardus, nullus est meus iudex, si in meo arbitrio est illi subijci: & ideo cum sacerdotes sint à Deo instituti nostri iudices, de necessitate tenemur illis confiteri. Hæc ille.

Claues regni cælorum quid significent.

Alexan. & Bonauent.

At ne Christi institutio ratione caruisse hæreticis videatur, optima est, quam D. Tho. dist. 17. q. 3. est meditatus. Cùm enim nemini nisi per Christi mortem salus pateat, quem Deus, vt ait ad Rom. 3. Paul. proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, passio verò nemini, nisi ei applicata prosit, decentissimum fuit & religioni necessarium sacramenta ab ipso autore salutis nostræ institui, quibus eadem passio tum ad remissionem originalis, tum deinde ad remissionem actualium criminum applicaretur, ad quæ ideo sacramenta suscipienda suam familiam obligaret. Quapropter sicut baptismus est ad originalis ablutionē necessarius, vt regeneremur in nouam vitam. ita & sacramentum pœnitentiæ ad remissionem actualium, vt ab eisdem morbis sanemur.

Ratio institutionis huius sacramenti.

Quòd si vrgentius quæras, cur non interior contritio ad huiusmodi applicationem sine externo sacramento sufficiat: quandoquidem per ipsam gratia confertur. Iam distinct. 1. responsum est, quòd diuinus honor & vtilitas nostra id exigebat: nempe, vt signis istis exterioribus sacramentorum profiteremur salutem per supernam Dei virtutem nobis obuenire, quæ, vt ait Gregor. in illis secretiùs operatur.

Cur contritio interior sine vocali confessione non sufficit.

Et per hoc diluitur argumentum Scoti. Sacramentorum enim necessitas ex eorum fine perpendenda est: sacramentum autem confirmationis non est ad remissionem peccatorum institutum, & ideo non cogimur illud tanquam simpliciter necessarium suscipere. Sacramentum verò pœnitentiæ est in remissionem peccatorum, vt baptismus, & ideo est ad salutem necessarium, vt ille. Placet ergo mihi illud axioma Durandi ad hoc propositum distinctione 17. quæst. 9. quòd omne remedium diuinitus ordinatum contra culpam, quæ contraria est gratiæ, est ad salutem necessarium. Quanquam, vt distinct. 14. quæstione prima, articulo quinto, cum San. Thom. diximus, sit discrimen: quoniam cùm omnes lege communi nascantur filij iræ, baptismus simpliciter est ad salutem necessarius: sacramentum verò pœnitentiæ non simpliciter, sed ex suppositione: scilicet supposito peccato mortali post baptismum.

Solutio arg. Scoti.

Axioma Durandi.

Baptismus simpliciter necessarius: pœnitent. ex suppositione.

Accedit & noua ratio necessitatis confessionis ex vtilitate maxima & vsu, qui nobis inde prouenit. Cùm enim naturæ lumine doceamur, eis, qui corruptis sunt moribus, magnum esse emolumentum corda sua amicis patefacere, à quibus vel re, vel consilio iuuentur, consultissimè nobis Christus confessionem instituit, qua sub tantum decretum, quantum sacerdotibus præcepit, eis tanquam eius vicarijs morbos nostros exponeremus, qui eius autoritate & nos ab illis liberarent, & salutaria medicamina in posterum adhiberent: disponit enim omnia suauiter iuxta cuiusque naturam: & quia homines sumus, è re nostra maximè fuit, vt homines Deus nobis iudices relinqueret, ad quos nostras deferremus causas, præsertim spirituales. Hac enim ratione ad alia negotia trāsigenda Ecclesiæ præfecit, tum summum eius vicarium, tum sub ipsum alios prælatos, qui Ecclesiasticam rempublicam administrarent. Fac, confessionem sacramentalem non esse necessariam, sed satis esse soli Deo confiteri, profectò tota respublica plena esset occultis vitijs, quę non possent non in publicum prodire: verecundia enim confitendi vehementissimè homines à peruersis moribus arcet.

Ratio necessitatis confessionis ex vtilitate.

Id quod me teste Germani ipsi publicè, dum inter eos agebam, confitebantur. Qua de re ex inclyta Norimberga ciuitate missa est ad Cæsarem legatio, per quam ciues illi petebant, vt Cæsar Imperatorio iure confessionem auricularem indiceret. Aiebant enim se vsu & more intellexisse rempublicam suam postquam confessio cessauerat, vitijs contra iustitiam & alias virtutes scaturire, quæ illis antea fuerant incognita. Ipsum tamen eadem legatio mouit: nam cùm fateri om-

Germanorū legatio ad Cæsarem.

Digitized by Google

Legatio Germanorum risum mouit.

nino renuerent per absolutionem sacerdotis culpas remitti, & diuino iussu teneri homines vera fateri, quomodo plebs comunci posset Cæsarea lege, occulta sua scelera secretò confiteri? Nam qui non confiteretur, cùm id prætor cognoscere non posset, quomodo pœnarum minis cogi posset? Adde, quòd nisi tantus esset fructus confessionis, quantus est absolutio peccatorum: ad tantumque sacerdos secretum diuina lege teneretur; intolerabilis lex esset, quæ homines sceleratissima sua crimina in aurem sacerdotis exponere compelleret.

2. Concl.

Secunda conclusio. Sacramentalis confessio diuino iure est præcepta. Itaque non solum necessaria est ad consequendam gratiam, vt de contritione diximus, qua quidem gratia recepta, vt non est amplius necessaria, ita neque habet iam pro tunc necessitatem præcepti. Imò postquam quis per contritionem suscepit gratiam, tenetur iure diuino ad confessionem, quæ in contritione voto fuerat inclusa, vt artic. 4. latius monstrabitur. Hæc ex superiori liquida consequentia colligitur: nam vt articulo præcedenti dicebamus, † munus principis est ciues ad necessaria salutis officia legibus instituere: ergo si, vt probatum est, sacramentum pœnitentiæ est ad salutem necessarium, fit vt de illo sit singulare præceptum. Eodem enim modo & de baptismo argumentati sumus.

Est vltimus dist. præced. in 2. probat. concl. 1.

Scoti 1. ratio.

Scotus verò loco citato, quia non prorsus sentit confessionem esse simpliciter necessariam, aliter arguit ad fundandum confessionis mandatum. Quicunque enim, inquit, gratiam Dei amisit, tenetur de necessitate præcepti charitatis, Diliges Dominum Deum tuum, agere quantùm in se est ad eius recuperationem: sed quamuis contritio sit vna via recuperandi, confessio tamen est facilior. Ratio verò hæc plus languoris habet quàm vigoris. Nam si sacramentum non esset tanquam necessarium institutum, nunquam dilectio Dei illud suscipere cogeret: quia nemo illo præcepto omnia remedia adhibere cogitur quamuis sint faciliora, sed satis est apponere necessaria. Secunda ratio eius est, quia si solum esset de iure humano, Papa non teneretur eo, quia princeps non obligatur suis legibus. Sed neq; hæc ratio multum valet: quoniam licet princeps non cogatur suis legibus per vim coercium, cogitur tamen per vim directiuam, vt lib. 1. de iustitia & iure, quæst. 6. art. 7. diximus. Quare licet præceptum confessionis non esset nisi Ecclesiasticum, teneretur illo, sicut ieiunare in quadragesima.

Refutatur.

2. Scoti ratio.

Refutatur.

Firmissima ergo ratio præcepti confessionis ex necessitate sumitur sacramenti pœnitentiæ. Vnde eodem ipso loco Ioannis 20. vbi instituta est confessio, tanquam necessaria ad salutem, planè intelligitur datum præceptum confessionis. Quod miror Caietanum non animaduertisse, qui in expositione eius loci dixit. Fateor institutionem sacramenti pœnitentiæ hic haberi, non præceptum. Tametsi & illud Matt. 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum, præceptum quoque adferat sacramenti pœnitentiæ: nam licet tunc nondum vim præcepti habebat, nisi quatenus pœnitentia est virtus, tamen præcepit illic facere pœnitentiam eo modo, quo ipse erat instituturus, conferendo Apostolis claues regni cælorum, & potestatem remittendi peccata.

Firma ratio præcepti confessionis ex necessitate pœnitentiæ petenda.

Aduersus alios iuniores, & eorum interpretationem scripturarū.

At sunt nihilominus iuniores quidam, qui prædicta testimonia eneruare contendentes, nullum aliud firmius exquirere satagunt. Aiunt, inquam, illud Io. 5. non intelligi de iudicio peccatorum, sed de iudicio finali, quod futurus est Christus. Et illud Matth. 18. Quæcunque alligaueritis, &c. non intelligi nisi de ligatione per excommunicationem, quia instituebat Apostolos illic Christus de correctione fraterna. Et ex illo Ioan. 20. Quorum remiseritis, &c. non colligit necessitatem confessionis omnium peccatorum occultorum & mentalium, sed hoc haberi ex sola Ecclesiæ consuetudine, quæ est optima legum interpres.

Solutio 1.

Exceptiones autem istæ sunt eorum hominum, qui contra doctrinam Arist. 1. Ethic. in re morali & facta demonstrationes exigunt mathematicas, ac subinde vrgentius contendentium testimonia fieta infirmare, quam corroborare. Si n. pater omne iudicium dedit filio in quantum homini, ad ipsum profectò spectat de virtutibus & vitijs omnibus quantumuis occultis non solùm in die postrema mundi, verùm & in hoc seculo iudicare, vt reos vel absoluat, vel condemnet, quam quidem potestatem reliquit sacerdotibus. Rursus potestas clauium regni cœlorum quamuis ad excommunicationem se extendat, potissimum tamen, vt nomen sonat, in aperiendo claudendoque regno cœlorum posita est. Aperire autem est peccata tollere, quæ ingressui obstant. Vnde Matth. 16. post promissionem clauium quam cap. 18. Christus repetit, intelligens Petrus vsum earum potissimum esse peccata remittere, scisitatus est quoties peccata remitteret. Auscultent isti Augustinum † sermon. 55. tertiæ partis sermonum ad coniugatos, & refertur de pœnitentia, dist. 1. cano. Agite pœnitentiam. vbi ait: Agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo dicat sibi, Occultè ago apud Deum: nouit Deus, qui mihi ignoscat quæ in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueris in terra, soluta erunt & in cœlo: ergo sine causa claues datæ sunt Ecclesiæ Dei, frustramus Euangelium Dei, frustramus verbum Christi, promittimus vobis quod ille negat. Ecce ius diuinum confessionis fundatum in Euangelico verbo, quo loco datæ sunt claues Ecclesiæ. Vnde Bernar. in sermone de Apostolis Petro & Paulo. Qui, inquit, scilicet Petrus, claues regni cœlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententiam cœli sententia Petri, vt scilicet Deus Christianorum nemini prius remittat peccata quàm re vel voto clauibus se Petri subiecerit. Et Augustin. lib. de pœnitentia, & refertur de pœnitentia, dist. 1. can. Quem pœnitet. idem verbum Matth. 18. Quodcunque solueritis super terram, &c. sic exponit. Ego Deus & omnes cælestes ordines & omnes sancti in gloria mea laudant vobiscum & confirmant quoscunque ligatis & soluitis, & loquitur de remissione peccatorum. Rursum si Christus Ioan. 20. spiritum & potestatem contulit Apostolis remittendi, retinendique peccata quam ipse habet, & potestas eius ad occultissima etiam cordis extendatur iudicanda, manifestè inde colligitur necessitas confessionis, etiam eorum, quæ secretissima sunt. Quapropter Ambrosius libro de pœnitentia certè illo loco necessitatem sacramentalis pœnitentiæ fundat, atque adeò sacramenti præceptum. Aiebant enim Cathari, illi soli se Domino hanc deferre reuerentiam, cui soli potestatem remittendi peccata reseruarent. Quod quidem Lutheranorum est dicterium: ac si qui à regis prætoribus & iudicibus iudicatur, regi potestatem adimant iudicandi: Nunquid quod regius iudex per eius potestatem decernit, rex ipse decernit? Bene ergo ait Ambrosius. Quis est qui magis honorat, vtrùm qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Deus nobis iusit eius ministris obtemperare, nos ergo sumus qui honorem soli Deo deferimus suis obediendo ministris: hæretici autem, qui ministris Dei non parent, & ideo honorem quem se soli Deo deferre putant, iniquissimè auferunt. In quibus Ambrosij verbis nota necessitatem obedientiæ, atque adeò præcepti confessionis.

Augustin. Hom. 49. a princip. tom. 10. vide & hom. 50.

Bernard.

Augustin.

Ambros.

Quo ergo ad rem redeamus, firmissima est conclusio, sacramentum pœnitentiæ omnium quorumcunque peccatorum etiam occultissimorum iure diuino esse ad salutem necessarium, & sub præcepto non ob id solum quòd in vsu & sanctionibus Ecclesiæ fundetur, sed & in firmissimis testimonijs Euangelij. Quare miror istos doctores, qui dum conclusionem negare non audent, firmitatem fundamentorum labefactare conantur. Nam Ecclesiæ vsus & decretum licet per se & inter fideles firmissimum sit fundamentum, tamen aduersus hæreticos qui eius autoritatem non tanti æstimant, tenuissimum est, nisi sacra testimonia adferantur, quibus ipsa se fundat Ecclesia.

Præceptum.

Confirmatio eiusdem conclusionis, ex Iac. 5.

In eiusdem item sententiæ confirmationem adduci solitum est illud Iacob. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra. Nam quamuis nonnullis non tantam energiam locus hic habere videatur, habet tamen egregiam. Opponunt enim quidam, quòd Apostolus non potest sacramentum instituere, quod gratiam conferat, sed Deus, qui autor est eiusdem gratiæ. Quod quidem falsa egregia autoritate D. Bona. & Alexan. verissimum est, quoniam, vt dist. 1. q. 5. ex Augustino colligimus, potestatem excellentiæ, per quam Christus sacramenta instituit, licet communicare potuerit, tamen neque Apostolis, neque vlli creaturæ communicauit, sed administrationem eorum illis commisit, iuxta verbum Paul. 1. Corint. 4. Sic nos existimet homo sicut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

Obiectio 1. contra locum Iac.

Item opponunt quòd vbi Iacobus ait, alterutrum sa-

Obiectio 2.

cerdo-

cerdotum nomine subtacito, non videtur de sacramento mentionem facere, sed de illa quæ inter laicos mutuo forsan fieri consueuerat. Verumtamen Beda verbum illud de sacramentali confessione idque meritò intelligit: nam quia multi, vt ait ad Corinth. Pau. propter peccata infirmantur, infirmos Iacobus admonet vt accersitis presbyteris primùm confiteantur, vt subinde ipsi orent pro illis. Dicens ergo, confitemini, non se insinuat autorem legis, sed id admonet quod Christus instituerat. Præmiserat enim similiter dicens: Nolite iurare neque per cœlum, neque per terram, &c. & tamen id non dicebat tanquam præcepti autor, sed tanquam vel promulgator vel admonitor diuini mandati. Similiter enim Petrus dixerat: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Quod ergo Iacobus admonet, signum est diuini præcepti. Igitur quod ait alterutrum, scitè interpretatur Hugo libr. 2. suprà citato de sacrament. par. 14. ca. 1. Etenim cum Apostolus præmonuerat induci presbyteros, hoc est, sacerdotes Ecclesiæ, illic insinuauerat confessionem illis esse faciendam. Ait autem, alterutrum, id est, alter alteri, puta homo homini, ac si dixisset. Non satis est hominem Deo confiteri, vt Dauid, qui aiebat, Dixi confitebor iniustitiam meam Domino, sed homini etiam propter Deum. Itaque alterutrum, non id sonat, quod vnusquisque promiscuè vnicuique, puta laicus laico, sed alterutrum idem est, quod inter vos: scilicet, homines hominibus, oues pastoribus, subiecti prælatis. Præter quàm quod & sacerdotes sacerdotibus inuicem confitentur. Quapropter quod ait, Et si in peccato sit remittetur ei, non solum refertur ad presbyterorum orationem qui orabunt pro infirmo, quasi illa sola sit futura remissionis causa, sed ad absolutionem sacramentalem, quæ orationem præcedere debet. Et ideo subdit, Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Non solum orate, vt saluemini, sed confitemini vt saluemini. Quare hoc potissimum loco fundatur necessitas confessionis in articulo mortis. Accedit in eandem sententiam Augusti. li. 2. de visitatione infirmorum, ca. 4. vbi contra illos qui dicebant satis esse confiteri Deo, hunc locum adducit, quòd scilicet necessarium sit confiteri alterutrum, puta homines hominibus, non quibuslibet, sed accersitis presbyteris.

Adiungitur & aliud testimonium ex suscitatione Lazari, Ioann. 11. quem Apostolis tradidit institutis absoluendum. Hic autem locus non est vsque adeò efficax, nisi per modum exempli, neque tamen simillimi, quia Apostoli non suscitarunt Lazarum, vt absoluunt peccatorem.

Quapropter autor libri de vera & falsa pœnitent. Ipsi autem, inquit, sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittit Dominus: scilicet per ipsos Apostolos. Lazarum, quem de monumento iam suscitauerat, obtulit discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdotibus. Hæc ille.

Adhibetur & illud de leprosis Lucæ 17. quibus Christus curatis ait, Ite, ostendite vos sacerdotibus. Illa autem historia ad literam solùm fuit, ne Christus videretur sacerdotes veteris legis suo iure spoliare, quorum erat de sanata lepra iudicium ferre: licet per mysterium ad Christianos referatur, qui sacerdotibus lepram suam ostendere debent. Veruntamen mystica est theologia; quæ vt autor est Augusti. non est argumentatiua. Quare licet fidelibus plurimum prædicata conferat, tamen hæreticos non tanta vehementia concutit.

Scio hæreticos cauillari posse, quod licet testimonia hæc vim habeant necessitatem confessionis concludendi, non tamen clancularię illius, quæ fit in aurem sacerdotis. Quibus nos tamen respondemus, quòd in præsentiarum hanc nos tandem conclusionem elicere contendimus, quòd confessio, quæ fit sacerdotibus, sit necessaria. Conditio autem illa, quòd in secreto fiat aut in publico, clam, aut palam, non est de eius essentia, tametsi, vt confessionis religio omnium occultorum criminum duret in Ecclesia necessarium sit, vt secretè fiat, quod quæstione sequenti articul. 6. monstrabimus optimis etiam Sanctorum Patrum fundamentis fulciri.

Tertia conclusio. Duæ præcedentes conclusiones de necessitate confessionis, & de eius diuino præcepto, sunt veritates catholicæ fidei; quas nemo citra hæresis labem negare potest. Ex testimonijs enim citatis, præcipuè ex prioribus, Ecclesia elicuit anathemate illos feriendos, qui negauerint præceptum esse diuinum confessionis. In concilio enim Constantiensi sessio. 8. & post hæc in bulla Martini 5. eiusdem concilij confirmatoria, damnatus est inter alios septimus error Witcleff dicentis. Si homo fuerit contritus, confessio est ei superflua & inutilis. Vbi licet non fiat expressa mentio diuini iuris, tamen cum decernitur confessionem esse necessariam ad peccatorum remissionem, planè decernit necessariam esse de iure diuino: nam vt supra diximus, cùm gratia sit supranaturalis, omnia quæ sunt ad ipsam comparandam necessaria, sunt de iure diuino. Sed postmodum sub Sixto 4. condemnatus fuit eius autoritate error cuiusdam Petri Osmensis Hispani dicentis, confessionem non esse institutã à Deo, sed sola humana cõstitutione stabilitam. Ac post ætate nostra de eodem errore damnatus fuit quidam Hispanus vir alias insignis. Ac demum in concilio Tridentino aduersus Lutherum sessio. quarta, sub Iulio, capit. quinto decretum fuit, integram peccatorum confessionem à Domino fuisse institutam, & post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere.

Quarta conclusio. De confessione sacramentali adhibitum est præceptum humanum pontificium quoad tempus. Paret. c. Omnis vtriusque sexus. de pœnitentijs & remissio. Cuius verba sunt. Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti. Vbi verbum, confiteatur, præceptorium est.

Sunt autem qui dicant, vt apud Adrianum q. 1. de confessione, & apud alios iuniores videre est, decretalem illam non esse declarationem diuini iuris, sed institutionem temporis confitendi. Hoc autem contra vniuersalem doctorum sententiam est, & contra veritatem. In primis negare isti non contendunt, vt reor, illud esse præceptum, esset enim manifestarius error, Est enim peccatum mortale solùm propter illam decretalem non confiteri semel in anno: non tamen est nouum præceptum à diuino distinctum, alioqui qui non confiteretur, duo committeret peccata contra duo mandata. Imò hoc est nouum argumentum, confessionem esse de iure diuino, quòd cùm Ecclesia non iudicet de occultis, nunquam tam ingens, tamque difficile præceptum Christianorum humeris imposuisset, nisi diuino iure intellexisset positum. Est ergo determinatio & interpretatio diuini præcepti: nam cùm in Euangelio non sit determinatum expressum tempus confessionis, illa determinatio commissa est Ecclesiæ.

Dubium autem est, vtrum licet non esset præceptum diuinum, posset Ecclesia de hoc facere præceptum humanum. Est enim argumentum à parte negatiua, quòd Ecclesia non est iudex de occultis mentis cogitàtibus, qui solent esse peccata, can. Erubescant di. 32. cano. Si omnia. 6. q. 1. Adri. verò loco citato ait argumentum non valere: nam si Ecclesia non potest punire occulta, non est defectu iurisdictionis, sed defectu probationis. Quare potest pro peccato occulto quispiam excommunicationem Ecclesiæ incurrere. Attamen vt contra hoc arguamus, non est eadem ratio de excommunicatione pro occultis, & de præcepto directò confitendi actus mentis: nam excommunicatio solum est priuatio bonorum spiritualium, quibus Ecclesia priuare hominem potest, si hoc vel illud fecerit quantumcunque occultè: præcipere autem cogitationum confessionem, est compellere hominem, vt illa detegat quæ soli Dei cognitioni sunt reseruata.

Sed tamen argumentum efficax est, quod suprà de Apostolis fecimus, quod cum nemini Deus potestatem excellentiæ instituendi sacramenta communicauerit, nunquam potuisset Ecclesia præceptum de tempore sacramenti adhibere, nisi in genere præceptum esset diuinum. Igitur in hoc Ecclesiastico statuto duo sunt consideranda, 1. præceptum confitendi, & hoc est de iure diuino, & determinatio temporis, & hoc est de iure humano. Quod si quis arguat, nullum est discrimen inter diuinum & Ecclesiasticum præceptum: nam cum Ecclesia nulla præcepta faciat nisi per potestatem sibi diuinitus concessam: sua etiam præcepta sunt diuina, iuxta illud Luc. 10. Qui vos audit, me audit. De hoc lib. 1. de Iustit. & iure q. 6. artic.

Dilatio. Egregia interpretatio loci Iac. 5. Confitemini. Hugo. Alterutrum. Et si in peccatis sit, &c. Alia confirmatio. De Lazaro. Similis conformatio de decem leprosis. Hæreticorum cauillatio. 1 Concl. Conci. Constant. Wiscleff. 4. Concl. Tempus cõfessionis est à pontificium præceptum. Adrianus. Nota. Tempus confessionis nõ est à præcepto diuino distinctum. Sed determinatio & interpretatio iuris diuini. Dubium. An Ecclesia potuisset facere præceptum. Resolutio dubij, attendenda. Præceptum confitendi de iure diuino. Determinatio de iure humano.

Digitized by Google

4. satis contra Gerso. scripsimus, hac ratione tenentem omnia præcepta Ecclesiæ esse diuina. Est n. latum discrimen inter hoc, quod est præcepta facere per potestatem diuinitus susceptam, & hoc quod est præcepta diuina generalia in particulari determinare. Etenim quamuis Ecclesia potestatem à Deo receperit condendi leges, quas expedire iudicauerit, nihilominus ipsa est, quæ illas condit, vt est lex quadragesimalis ieiunij, & ne bigami, aut sanguinis effusores ordines suscipiant, quæ ex sua institutione vim habent obligandi. Pariter & regibus dedit potestatem condendi leges, vt est Prouerb. 8. Per me reges regnant: & nihilominus regiæ leges humanæ sunt. Lex autem diuina est, quam Deus per se immediatè condidit. Atqui præceptum confessionis non est ab Ecclesia positum per ordinariam potestatem, quam habet à Deo condendi leges, quia illa non se extendit ad condenda sacramenta: quare præceptum hoc immediatè fuit à Christo latum, atque adeò est diuinum: sed tamen quia commisit potestatem Ecclesiæ iura diuina quoad tempus & alias qualitates determinandi, fecit hanc temporis determinationem, quæ est de iure humano. Idem omnino est de sacramento Eucharistiæ, quod est de iure diuino. Nisi manducaueritis, &c. sed tempus est de iure humano: veluti Sabbata sanctifices, est de iure diuino, sed colere festum Petri aut Pauli, est de iure humano.

Nota discrimen inter, præcepta facere, & facta determinare.

Dubium. An negare cõfessionem esse de iure diuino fuerit semper hæresis.

At circa tertiam & quartam conclusiones soluendum dubium supereſt, vtrum negare confessionem esse de iure diuino necessariam, fuerit semper hæresis in Ecclesia, an verò solum post dictum decretum concilij Lateranensis sub Innocentio tertio. Et mouetur dubium propter autoritatem Bonauenturæ, qui di. 17. in expositione secundæ partis literæ ait, quòd si quis esset modo huius opinionis, hæreticus esset censendus propter autoritatem concilij obligantis ad confessionem, sed tamen ante determinationem, inquit, negare hoc non erat hæresis: quia negantes tunc confessionem, non negabant clauium potestatem, neque vtilitatem confessionis: sed eius necessitatem, quod non erat hæreticum. Adrianus verò 2. q. de confessione ait semper fuisse hæreticum: quia semper fuit contrarium Euangelio. Alij verò, vt autor Codicis confessionis ait, quòd ante determinationem concilij negare necessitatem confessionis non erat hæreticum, sed sapiebat hæresim: quia erat contra conclusionem ex duabus præmissis illatam, quarum prima erat de fide, secunda verò non, sed sapiebat fidem, s. necessarium est peccatori vt sua peccata sacerdos remittat: hoc autem obtinere non poterat nisi prius peccata sacerdoti confiteretur: ergo necessaria est confessio. Secunda enim, inquit, præmissa non erat tunc de fide: quia nondum constabat, quod non possent sacerdotes aliter peccata remittere, quàm per iudicium confessionis.

Adrian.

Aliorum opin.

Contra hoc autem adhibetur quinta postremaque conclusio huius articuli. Confessionem sacramentalem esse ad salutem necessariam semper ab orbe redempto fuit catholica veritas, & eius assertio contraria fuit hæretica. Probatur primò, quia Ecclesia non potest facere propositionem è non hæretica hæreticam, nisi articulum veritatis è sacra scriptura explicando: quare propositio quæ nunc est hæretica contra scripturam, semper fuit hæretica, licet ante Ecclesiæ interpretationem possent eius assertores excusari ne essent hæretici. Secundò, quia quanta claritate habetur in Euangelio facultas clauium Apostolis collata ad remittendum peccata, habetur id non posse facere nisi tanquam peccatorum iudices, atque adeò tanquam causarum cognitores, quod facere non possent, nisi per peccatorum confessionem. Tertiò euidenter arguitur: Hæc veritas non solum semper fuit certa in Euangelio, verùm & patribus semper cognita: mirandum est sic quempiam hallucinari, vt credat mille ducentos annos vsque ad Innocentium 3. Ecclesiam nunquam fuisse hanc veritatem confessionis edoctam, cum citati patres, scilicet Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, & Cyprianus serm. 5. de lapsis tam apertè de necessitate confessionis loquantur. Et vetustissimus Tertullianus suprà citatus in lib. de pœnitentia apertissimè hoc sacramentum ait fuisse institutum à Deo, atque adeò ait, quòd nisi peccata patefecerimus, peribimus. Quinuerò Dionysius Apostolorum coæuus in epistola ad Demophylum, & Basilius in lib. de institutione monachorum, & Cyrillus lib. 3. super Leuiticum, & Origenes super Psalmum 37. & sæpe citatus Chrysostomus, quos quidem sanctos patres, quæstio. sequenti art. 3. iterum allegabimus, confessionem sacramentalem, quam exomologesin appellant, tanquam Euangelicam didicerunt & docuerunt. Vnde Leo primus ad Theodorum, & refertur can. Multiplex. de pœnitentia dist. 1. Multiplex, inquit, misericordia Dei: ita lapsis subuenit humanis, vt non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ. In summa Lactantius lib. 4. diuinarum institu. ca. 17. Confessionis nostræ circuncisionem figuram fuisse monstrat: nam sicut illi pudendum membrum, quod figuram præ se fert & imaginem cordis, sublata pellicula nudabant, ita nos pudenda cordis debemus sacerdoti patefacere. Vnde concludit c. vlt. quòd cum singuli quique cœtus hæreticorum se potissimùm Christianos, & suam esse Ecclesiam catholicam putent, illa tamen est catholica Ecclesia, in qua est confessio & pœnitentia. Quapropter Lateranense concilium solum explicuit præceptum, quoad tempus quod nouerat, semper fuisse receptum ceu diuinum.

Conclusionis ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Leo 1.

Lactant.

Ad primum igitur argumentum suprà factum respondetur, quòd quamuis gratia ad remissionem peccatorum sufficiat, illa quæ per solam contritionem haberi possit: nunquam tamen contritio est valida, nisi votum sacramentalis confessionis includat. Quo fit, vt etiam gratia recepta, præceptum maneat confessionis, per quam eadem augetur gratia. Præsertim cum confessio attritis primam gratiam conferat.

Solutio 1. argum.

Ad secundum iam responsum est: præceptum sacramenti huius ibi esse positum, vbi est institutum, s. vbi apostolis est collata potestas remittendi peccata.

Solutio 2.

Quod autem ait Christus, Si vis ad vitam ingredi serua mandata, connumerando præcisè decalogum, sic intelligitur, quòd illa mandata sunt necessaria existenti in gratia ne ab illa cadat, & ideo proposita illi iuueni sunt, qui iustus videtur accessisse ad Christum, quippe qui se dixerit seruare mandata. At verò quia gratia res est supernaturalis, ad illam assequendam non sufficit seruatio mandatorum, quæ sunt de iure naturæ, imò neque ipsa mandata seruari possunt ad intentionem præcipientis, nisi supposito dono gratiæ Dei, quæ supernaturali virtute sacramentorum confertur: de quibus ideo suscipiendis sunt alia diuina præcepta per modũ necessitatis proposita, Nisi quis renatus fuerit, &c. Quare antequam diceret, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, prædixerat, Pœnitentiam agite, &c.

Ad illud Matt. 19.

Ad tertium respondetur, quòd Hugo non contendebat præceptum confessionis esse à Christo edictum, sed hoc solum quod expressis verbis illud non posuerat per modum præcepti, sed apostoli explicuerunt illud tanquam in potestate clauium sibi concessa inclusum.

Solutio 3.

Circa canonem verò Theodori nosse opus est casum, qui tempore Nectarij præcessoris Chrysostomi Constantinopoli accidit. Cum n. nobilissima fœmina frequens esset in Ecclesia, vt preces sibi à confessario in pœnitentiam iniunctas solueret, inuenta est cum diacono concubuisse: quapropter populus sæuire cœpit in sacerdotes. Quod scandalum vt Nectarius episcopus sedaret, cessare fecit confessionis reiterationem. Ex illo solo casu, quem Theodorus in illo canone insinuat, versuti hæretici contendunt non fuisse confessionis nostræ ritum antiquum, cum tamen in eodem capite referat historia, quemadmodum vsus fuerit antiquissimus presbyterum bonæ conuersationis, seruantem secretum, ac sapientem virum (verba sunt historiæ) statuere qui confessiones audiret, & secundum cuiusque culpam indiceret mulctam. Et in hoc quod dicit, secretum, ostendit secretam fuisse confessionem, occultorum etiam peccatorum, vt infra patebit. Sed tamen antiquiores Græci, vt Origenes, Basilius, & alij nunquam negarunt confessionem: Illam verò Constantinopolitanam cessationem certum est perexiguo tempore durasse: nam licet fortasse Chrysostomus tunc iunior propter illud scandalum conniueret, certum est tamen factum episcopum modis omnibus persuasisse confessionem, vt patet in lib. 2. suprà citato de sacerdotio, vbi eximiam illam potestatem remittendi peccata sacerdotibus indultam tanti æstimat. Et in opere imperfecto, si suum est, homilia 3. id clarè monstrat.

Ad canonẽ Theodori.

Chrysost.

Et in

Et in lib. de compunctione cordis. Ex hoc enim, inquit, quod in memoria non habemus peccatum, fit vt ad confessionem non accedamus. Quomodo enim confitebimur, quorum nec memoriam quidem habemus? Et latissimè in sermone de pœnitentia & confessione. Et de pœnitentia d. 1. referuntur duo eius canones, s. Perfecta. &, Non potest. vbi ait, quòd in corde contritio, in ore confessio, & in opere debet esse humilitas. Et quòd non potest quis gratiam Dei cælestis accipere, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiæ confessionem. Quòd si obijcias illud, quod ait homilia 2. super Psal. 50. Si confunderis alicui dicere quòd peccasti, dicito quotidie in anima tua, Non dico vt confitearis conseruo tuo vt exprobret: dicito ea Deo, qui curet ea. Potest fortasse intelligi de eo tempore, quo cum Nectario consentiebat ad vitandum scandalum: sed tamen forsitan non intelligit nisi quòd nemo cogitut pandere conseruo suo cor suum, vt fiat publicum, vt ait quoque in can. Quis aliquando. eadem d. Non dico vt te prodas in publicum. Sed cum ait, Dic Deo, intelligit, vel eius vicario sub secreto Dei, quando tempus necessitatis occurrit, alias sufficit dicere in mente soli Deo. Et ita intelligendus est canon ille, eiusdem Chrysostomi ead. di. Lachrymæ lauant delictum, quod pudor est confiteri: non vt glossa intelligit: scilicet, quòd vbi propter pudorem quis peccatum sacerdoti non confitetur, sufficiant lachrymæ: esset enim intolerabilis error. Sed quòd extra tempus necessariæ confessionis, lachrymæ, vt Magdalenæ, sufficiunt. Et simili modo ad testimonia illa sanctorum respondetur, quæ Magister Sententiarum dist. 17. & Gratianus in princip. de pœnitent. distin. 1. congerunt, ad probandum non esse necessariam confessionem. Ait enim Propheta Psal. 31. Dixi confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: quo loco Cassiodo. ait, quòd cùm primùm homo deliberat confiteri, remittuntur ei peccata. Et August. Magna misericordia Dei, qui ad solam promissionem peccata dimittit. Et lib. de libero arbitrio, quod refertur ead. dist. can. Si cui. Luce clariùs constat cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti. Respõdetur, inquam, primò Psalmistam loqui de eo tempore, quo sacramentalis confessio non erat instituta, quo ideo tempore satis erat dicere, Tibi soli peccaui. Secundò, hæc & alia id genus testimonia tantùm probant, quòd & vbi non instat confessionis tempus, & vbi tempore instanti confessarij copia non adest, sufficit contritio. Nam tunc, vt ibidem ait Augu. can. Magna pietas. votum confessionis pro opere reputatur. Quòd si de Petro & Magdalena obijcias, quibus peccatorum indulgentia sine confessione concessa est. Vnde Ambros. super Lucam, Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego, ead. distin. can. Petrus. Primùm eodem modo respondetur, quod tunc confessio non erat in præcepto. Secundò, quòd Christus per potestatis excellentiam potuit Magdalenæ peccatum sine sacramento remittere.

Ad quintum demum de glossa Ioannis Teutonici respondetur: non esse opinionem, sed manifestarium errorem, eundemque intolerandum, ac de glossis decretorum abradendum. Glossatores enim illi quoties in ius diuinum sese immergunt, quia illud non callent, non possunt non multis erroribus intincti inde emergere.

Ad Durandum respondetur, quòd satius ei multò fuisset rem sacram tam certam, quantum est præceptum confessionis Ecclesiasticum, in dubium non reuocare: est enim vir quidem catholicus, sed tamen quandoque liber plus forsan iusto. Et in præsentiarum licèt anceps vacillet, pressiùs tamen fulcire hanc partem conatur, quòd can. Omnis vtriusque sexus. non adferat præceptum confessionis, sed consilium, licet illic subdatur præceptum sumendæ paschalis Eucharistiæ. Et ratio eius est, quòd Ecclesiæ præceptum coërciuum ponere non potest, nisi de re quam, vt puniat cognoscere valet: non autem potest cognoscere, an quisque occulta peccata & potissimum cogitata cordis confiteatur: ergo nec de hoc potest præceptum edere. Quapropter licet quis excommunicaretur, inquit, si non confiteatur, excommunicatio non ligaret eum in foro exteriori, neque vllus teneretur eum euitare: quia nemo sciret, an esset excommunicatus. Est tamen hoc valde erroneum, ne dicam hæreticum. In primis enim Ecclesia, vt identidem diximus, præceptum confessionis quantum ad substantiam non posuit: quia est diuinum, sed tempus determinauit, quod absque dubio facere potuit: hoc enim non est mutare substantiam sacramenti. Quemadmodum statuere potest ne baptismus fiat in Epiphania, sed in Paschate, vt ait in eius expugnatione Paluda. ead. di. q. 7. vbi ad eius obiectionem probè respondet, quòd eadem ratione probaret non posse Ecclesiam præceptum Eucharistiæ ponere: nam neque ei constare potest, an homo hostiam consecratam sumat, an verò in ore seruet, quam postea expuat.

Respondemus ergo, quod potest Ecclesia per schedulam curati nosse parochianos esse confessos, nam satis est humano more id cognoscat. Et quod præceptum confessionis edixerit, patet, nam eodem tenore canon loquitur de confessione semel in anno facienda, & de Eucharistia in paschate. Imò expressiùs præcepti verbum in priori ponitur, scilicet confiteatur, & sub eodem tenore subdit, suscipiens ad minus in pascha, &c. & pœna, vt aliter faciens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & Ecclesiastica sepultura, cuius atrocitas peccatum mortale designat, super vtrumque præceptum fertur. Et dum Ecclesia non confessos excommunicatione percellit, in foro conscientiæ ligat: nam & suffragijs priuantur Ecclesiæ, & tenentur se sacris subtrahere.

Ad Eraſmum respondetur multò fuisse peius locutum: ait enim in scholio citato, quod tempore Hieronymi nondum instituta fuerat secreta confesio, quam postea Ecclesia salubriter instituit, si modo rectè vtantur ea & sacerdotes, & laici. Verùm in hoc, inquit, labuntur theologi quidam parùm attenti, quòd quæ veteres illi de huiusmodi publica & generali confesione quæ nihil aliud erat quàm signis quibusdam & piaminibus ab Episcopo indictis se peccatorem & bonorum communione dignum agnoscere, trahunt ad hanc occultam & longè diuersi generis. Perpende quàm planè Eraſmus singulorum peccatorum confessionem, ac perinde sacramentum pœnitentiæ negauerit, dicens esse theologorum inuentum, nec fundari in antiquo Ecclesiæ more, quæ manifestaria hæresis est, & in Ecclesiam blasphema. Cuius generis fuit conuitium illud in colloquio de naufrago, quem irridendo ait insusurrasse in aurem sacerdotis. Vtinam ergo istorum opera, qui Ciceronianam potiùs quàm Ecclesiasticam phrasim redolent, ab eiusmodi essent veneficis stoſculis expurgata.

Obiect. ex Chrys.

Canon lachryma.

Ad alia Sanctorum testimonia.

Obiectio de Petro & Magdalena.

Dilutio 1.

Dilutio 2.

Solutio 3.

Respõdetur ad Durand.

Ratio Durand.

Impugnatio Durand

Ad rat. Durand.

Ad Eraſmũ responsio.

ARTICVLVS II.

Vtrum necessitas confessionis fuerit de iure naturali aut scripto ante euangelium.

ARTICVLVS secundus est de iure naturali & scripto, & arguitur, quòd illis etiam fuerit necessaria. Adam enim & Cain, non nisi ad præcepta naturalis iuris tenebantur, qui tamen Gen. 1. & 4. de hoc reprehensi leguntur à Deo, quod peccata sua non fuerint confesi. Idemque arguitur de Iob, qui sub eadem lege cap. 31. ait. Si abscondi, vt homo peccatum meum. Et in lege scripta Moysi legimus apud Esa. cap. 43. Narra siquid habes, vt iustificeris.

In contrarium autem est, quod, vt Isido. ait, & refertur can. Ius naturale. distinct. 1. Ius, inquit, naturale est commune omnium nationum: confesio autem non est vniuersis gentibus communis.

Quæstio facilis est, quæ non nisi ad explicanda nonnulla sanctorum dicta mouetur. Ad quam igitur tribus conclusionibus respondetur. Prima. Confesio sacramentalis neutiquam esse potest de iure naturæ, hoc est, sola natura eam docente, & fieri dictante.

Probatur, quia ius naturæ, vt nomen sonat, minimè ad supernaturalia extenditur, sacramenta verò euangelica sunt supernaturalia, tum quia, vt initio primæ distinctio. diximus, sunt protestationes supernaturalis fidei, tum quòd effectum habent supernaturalis gratiæ: dictamen ergo naturalis iuris docere non sufficit confitendum esse sacerdoti spe veniæ obtinendæ. Et confirmatur. Naturale ius, ait Cice. est illud, quod non opinio ingenuit, sed naturalis quædam vis inseruit: nempe ex principijs naturæ: sacramentorum verò cognitionem & iussionem non innata, sed diuina virtus nobis inseruit: igitur vt miraculorum operatio, & mysteriorum

Partis negatiua argum. 1.

Pars affirmatiua.

Decis. art.

1. Concl. Non esse de iure naturæ, Ratio.

Digitized by Google

steriorum cælestium reuelatio, sic & sacramentorum institutio res supernaturalis est.

Obiectio. Quòd si arguas contra. De iure naturali est, quòd nullum malum maneat impunitum: occultum autem puniri non potest nisi confessione delinquentis probetur: ergo confessio est de iure naturæ. Negatur consequentia. Satis enim est occultum, quod non punitur in hoc seculo, vt puniatur à Deo, vt habetur can. Si omnia. 6. q. 1. Si verò rursus argumenteris. Pœnitentia, vt d. 14. q. 2. diximus, fundatur in iure naturæ, ergo confessio, quæ est eius pars. Negatur consequentia. In iure n. naturæ supposita scintillula illa fidei infusæ, quæ tunc infundebatur, qua Deus cognoscebatur retributor boni & mali, natura dictabat ab illo esse veniam efflagitandam, per internam mentis loquelam: sciebant enim mentis cogitatus perspicere.

Solutio.

Obiectio 2.

Dilutio.

Esse contra ius naturæ.

Videtur autem per aliud extremum confessionem esse contra ius naturæ: nam si natura docet, vt secretum, quod fidei nostræ amicus commisit, celemus, vt Prouerb. 11. admonemur, fortiori ratione admonet, vt celemus propria peccata, quæ suapte natura pudorem & verecundiam offundunt. Quare Chrysostomus can. Quis aliquando. de pœnitentia dist. 1. Non tibi, inquit, dico, vt te prodas, insinuans grauissimum onus hominibus imponi, vt scelera sua alteri proferant.

Arguitur 1.

2.

2. Concl. Non esse contra ius naturæ.

His tamen non obstantibus subiungitur secunda conclusio. Confessio sacramentalis non est contra ius naturæ: imò verò licet ratio naturalis ad eius notitiam non pertingat, supposita tamen per fidem cognitione virtutis huius sacramentalis, instinctus naturalis ad illud suscipiendum instigat.

Naturale enim est, vt homo desideret à peccato liberari, & morbis suis spiritualibus mederi. Quare si naturale nobis est, vt fido amico nostra secreta pandamus, iuxta illud Ecclesiastic. 6. Consiliarius sit tibi vnus ex mille: multò est certè rationi consonantius, vt vbi cum tanto secreto & fructu id possumus, faciamus.

Ad 1. immediatè ante 2. concl.

Ad primum ergo argumentum respondetur, quòd non sumus tam domini alieni secreti nobis commissi, quàm nostri, & ideò possumus nostrum, non autem alienum detegere.

Ad 2. Prou. 2.

Ad secundum respondetur, quod pudenda detegere iactantiæ causa, de quibus ait Propheta: † Lætantur cùm malè fecerint, est impudentiæ vitium, & sine conducenti causa illa propalare, est honorem prodigere. Et hæc sunt contra ius naturæ. Quare Chrysosto. solùm admonet, vt nemo se criminosum in publicum prodat. Confiteri autem peccata iudici ea iuridicè interroganti, est opus iustitiæ: atque adeò causa medicinæ adhibendæ illa fidei amici committere, est prudentia, & præsertim confessario ea exponere ad obtinendam salutem, humilitas & obedientia.

3. Conclus.

Tertia conclusio. In lege veteri non erat confessio sacramentalis, vt in noua. Hanc conclusionem satis suprà confirmauimus d. 2. q. 2. art. 2. Thomas enim Waldensis tom. 2. de sacrament. cap. 136. fundare studet confessionem nostram in ritu illius legis confitendi peccata. Nam confitebantur, inquit, peccata operis grauia, vt adulterium, homicidium & blasphemiam, non autem peccata cordis. At verò in primis certissimum est nullam illic fuisse penes sacerdotes clauium potestatem spiritualem ad remittenda actualia, sed solùm in circuncisione remittebatur originale. Sanguis n. hircorum & taurorum, &c. vt ait Pau. ad Heb. 9. inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non autem spiritus. Hinc autem colligitur, neque vllam fuisse tunc obligationem vllum confitendi peccatum occultum sacerdoti: esset enim intolerabile eos absque remissione culpæ ad rem tam difficilem obligare. Sed forsan per modum capiendi consilij & remedij liberè quisque aliqua peccata periculosa exponebat in aures vel sacerdotis, vel Pharisæi, cuius sanctitatem magni æstimabant. Vnde Matth. 3. legitur, quod Ioannes publicanis & militibus, & alijs diuersæ sortis confitentibus peccata sua, salutaria monita & documenta dabat.

Penes Sacerd. vet. leg. nulla fuit potestas pecc. remittendi.

Nec obligatio ijs confitendi.

Solut. 1. In reprehensione Adæ fundatur ius gentium, ciuile & canonicum.

Igitur ad primum argumentum respondetur primò, quòd in illa reprehensione Adæ & Cain, celantium sua crimina, fundatur ius gentium, & ciuile, & canonicum, tum vt antequam reus condemnetur, exigatur eius confessio: tum etiam, vt si iuridicè interrogatur, teneatur ipse parere & veritatem fateri. Eadem n. iustitia quæ reos punire iubet, interrogationem hanc & confessionem exposcit. Atque huc pertinet dictum Iob. Ait enim crimen esse, peccatum abscondere tempore & loco, quo est detegendum. Quòd si dicas hoc habere locum, quando fama & indicia proclamant, & tamen Adæ peccati nulli erant testes, respondetur, quòd cùm Deo omnia sint comperta, ius ipse habet, absque alia infamia, indicijs vel testibus quodcunque peccatum quantumuis secretum ad puniendum interrogare, Atque hoc optimo iure (quod hic notandum est) potuit confessionem sacramentalem instituere, & à nobis exigere. Vnde Ambros. libr. de paradiso c. 14. in eadem Adæ historia eandem fundat confessionem. Et inde canonem illum, Non potest. 1. de pœnitentia dist. 1. elicuit, vbi ait, non potest quisque à peccato iustificari, nisi peccatum antè fuerit confessus. Et can. Ecce nunc. Illa, inquit, confessio nos liberat à morte, quæ fit cum pœnitentia.

Nota, Pro iusta institutione confessionis.

Solut. 3.

Ad tertium denique respondetur, confessionis ritum in lege vetere medium fuisse inter confessionem iuris naturæ & nostram. in iure enim naturæ confessio tantùm erat necessaria mentalis apud Deum: in lege verò scripta, quæ vmbra erat & figura nostræ, cœpit exterior quodammodo esse. Dum in Leuitic. c. 6. & 7. pro diuersis peccatis iubebantur diuersa offerri sacrificia. Et præcipuè in festo expiationis iubebatur Leui. 17. sacerdos manibus impositis super hirco emissario confiteri peccata populi, non quòd illi essent priùs à singulis confitenda, sed in genere fatebatur hæc, & illa peccata quotidiè committi à populo, pro quorum igitur expiatione preces fundebat. In noua verò lege, vbi Deus non in ænigmatibus, vt olim, & in prophetijs, sed palàm, vt ait Pau. † Locutus est nobis in filio, per quem nostram est redemptionem operatus, explicatè facienda est singulorum confessio, vt eadem nobis redemptio virtute clauium applicetur.

Hebr. 11.

ARTICVLVS III.

Virum omnibus hominibus, & de omnibus peccatis necessaria sit confessio.

Partis affirmatiua arg. 1.

ARTICVLO isto tertio, duas vniuersalitates, & personarum & peccatorum, eò simul complexi sumus, quòd mutua se opera ambæ dilucident. Arguitur enim, quòd omnes vniuersim teneantur ad confessionem. Ius diuinum, eo quòd Deus vniuersalis est omnium Dominus, vniuersos obligat mortales. quare lege baptismi suscipiendi vniuersus mundus obligatur: confessio autem, vt suprà † diximus, est de iure diuino: ergo ad illam vniuersi mortales tenentur. Secundò, sacramentum pœnitentiæ est in remissionem peccatorum institutum: sed vt habetur Ecclesiastes septimo, non est qui faciat bonum, & non peccet, saltem venialiter, ergo vniuersi præcepto confessionis subduntur.

† art. præc.

2. Argum.

Pars neg. † Sup. c. 3. Isa. tom. 5.

In contrarium est, quòd vt ait Hieronymus, † sacramentum pœnitentiæ est secunda tabula post naufragium: sed esse possunt aliqui, qui post baptismum naufragium non fecerunt: ergo illis non est necessaria confessio.

Varia opiniones. Ricard.

De hac quæstione variæ sunt doctorum opiniones. Ricardus enim dist. 17. art. 2. q. 4. ait, omnes, tam fideles, quàm infideles teneri præcepto confessionis, non quatenus est pontificium, sed quatenus diuinum. Quò & Scotus eadem dist. alludit. Et secundò ait, quòd dum quis mortale non habet, tenetur venialia confiteri propter præceptum Ecclesiæ. In quam sententiam consentit S. Bonauentura ead. distinct. in 2. part. art. 2. quæst. 1. Alexan. verò 4. part. qu. 77. memb. 1. ait, quòd homo quantumcunque perfectus nullam habens peccati, aut mortalis, aut venialis conscientiam, tenetur confiteri, non quidem propter præceptum diuinum, quod tantum obligat de peccatis mortalibus, sed propter præceptum Ecclesiasticum. Et vt suam opinionem clariùs perspicias, tenet venialium confessionem sub nullo cadere præcepto, & nihilominus ait teneri hominem, dum non est conscius peccati, confiteri sacerdoti in genere, dicendo, Ego sum peccator: idque ad dandam gloriam Deo, & præstandam obedientiam Ecclesiæ.

Scot.

S. Bonau. Alexand.

1. concl.

His tamen non obstantibus, ad quæstionem quinque respondetur conclusionibus. Prima. Præceptum confessionis solùm obligat fideles: sic n. habet canon

concilij, Omnis vtriusque sexus fidelis: quod quidem est expressio & determinatio diuini iuris. Quòd si dicas, propterea Ecclesiam adiecisse illud moderamen, quod de infidelibus non iudicat, iuxta illud Pauli,† De ijs qui foris sunt nihil ad nos, subduntur tamen diuino iuri. Contra hoc arguitur. Ius diuinum supernaturale solum obligat vniuersum orbem ad suscipiendam Euangelicam fidem: obligatio autem ad alia præcepta singularia sacramentorum, non exurgit nisi ex ipsa professione fidei, quæ fit in baptismo: quemadmodum si quis fecit votum simplex religionis, licet teneatur ad religionem, non tamen ad eius cæremonias & officia, donec illam profiteatur. Infideles ergo non tenentur immediata obligatione ad confessionem, sed dum baptismum susceperint.

Obiectio.

1 Cor. 5.

Infideles nõ tenentur præcepto confess.

Atque id apertè confirmatur. Infideles tenentur baptismatis vnda priùs ablui, quàm alia eis sacramenta permittantur: per baptismum autem omnia peccata plenissimè remittuntur: ergo non tenentur ad confessionem, donec post baptismum fuerint lapsi. Ex quo fit, quod illud concilij Carthaginensis 4. quod refertur cano. Baptizandi. de pœnitentia dist. 4. vbi habetur, quòd baptizandi per aliquot dies abstineant à vino & carnibus, & sacerdotali manuum impositione examinati baptizentur, non intelligitur, quòd debeant sacramentaliter absolui, sed manuum impositio erat genus exorcismi.

Confirmatio.

Explicatio Conc. Carth.

Secunda conclusio. Nemo qui nullius est peccati conscius, confiteri tenetur. Probatur, quia non iure diuino, vt Alexander ipse fatetur, & multo minus humano: Nam canon non dicit simpliciter, Omnis Christi fidelis teneatur confiteri, sed restrictè, Teneatur sua confiteri peccata: ergo eum qui peccata non habet, non obligat. Quare nescio quid in mentem venerit Alexandro, vt isto iure voluerit ligare illos, qui nullius sunt conscij peccati.

2. concl. Ratio conclusionis.

Contra id autem, quod ait debere saltem confiteri in genere, est efficax argumentum, quòd illa non est confessio, quæ est pars sacramenti: nam confessio est actus iudicialis: iudicium verò debet fieri in particulari: de illo autem, qui dicit se esse peccatorem, nullum potest sumi iudicium: nam & sanctissimi viri hoc vbique dicunt. De qua re latius q. sequenti.

Confessio in genere non est pars sacram.

Sed arguit contra S. Bonauentura, quòd nemo esse potest tam sanctus qui non sit peccati conscius, saltem per integrum annum: nã vt ait Ioan.† in sua canonica, si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Ad hoc tamen respondetur, quòd nos non loquimur per annum vel per dimidium, sed quamdiu homo nullius habet peccati conscientiam. Io. n. solum nos admonitos facit, ne affirmemus nos non habere peccatum: nam facilè homo memoria labitur, sed tamẽ nil obstat quominus homo nullius sit memor culpæ.

Ar. Bonã.

1 Ioan. 1.

Solutio.

Tertia conclusio. Cùm tria sint peccatorum genera: scilicet, originalis, venialis, & mortalis, nec de originali, nec de aliquo peccato ante baptismum commisso necessaria est confessio, imò neque illam vel ante, vel post baptismum fieri licet. Hanc conclusionem supra dist. 5. q. vnica, articu. 6. demonstrauimus: nam cùm peccatum originale non fuerit nostra propria voluntate commissum, non solùm confessio, verum nec contritio de illo requiritur, imo nec conteri de illo propriè possumus. Atqui dum in baptismo remittitur, omnia illuc vsque commissa simul cum illo condonantur: quare iniuria fieret baptismo, si qui illo ablutus est, illa postmodum confiteretur.

3. Concl.

Conclusionis ratio.

Quarta conclusio. Venialia peccata quamuis legitima sint confessionis materia, taliter vt consilium sit salutare illa confiteri, non tamen de illis est necessaria confessio. Prima pars est nota: quia cùm hoc sacramentum in remissionem peccatorum sit institutum: & venialia verè sint peccata, materia sunt confessionis. Quare hæc sunt, quæ viri boni & religiosi quotidie confiteri solent. Enimuerò eiusmodi confessio, quia legitima est, gratiam auget; quinuerò aliquando conferre primam gratiam potest attrito; si aliquod habet mortale, cuius citra culpam fuerat prorsus oblitus: præterquam quòd ad puritatem conscientiæ & cautelam non peccandi plurimum confert.

4. Concl.

Vtilitas confessionis venialium.

De secunda verò parte, fateor, aliquando maior dubitandi ratio existit propter D. Bonauenturam, & Ricardum, & huius classis alios contrarium sentientes. Nihilominus citra dubium vllum est vera. Primum S. Thom. dist. 17. q. 3. licet anceps priùs videatur, demum tamen hoc affirmat, & 3. par. q. 65. art. 1. expressè ait, ad deletionem venialis peccati nullum esse directè institutum sacramentum. Cuius rationem inde adfert, quod sacramenta omnia ad infusionem gratiæ sunt instituta: veniale verò absque gratiæ infusione remitti potest per actum charitatis, vt distin. 15. q. 2. latè monstrauimus. Quare inferius q. 84. art. 2. ait, quòd sacramentum pœnitentiæ non est contra venialia principaliter institutum. Eandem opinionem tenet Scotus dist. 17. & ibidem Durand. q. 9. & Caiet. q. 1. earum, quas de confessione adiecit ad tertiam partem, vbi ait, quòd alia opinio est tutior, sed hæc est verior. At melius forsan dixisset: quòd confiteri liberè venialia est tutius, non autem quòd opinio ad id obligans sit tutior: quia multos ingerit scrupulos. Probatur ergo conclusio. Venialia iure diuino confiteri non tenemur, vt autores contrariæ opinionis concedunt, tum quia sacramentum est secunda tabula post naufragium: & veniale peccatum, quia non separat à Deo, non frangit innocentiæ nauim, atque adeò non est naufragium: tum etiam quia non requirit infusionem gratiæ, quæ fit per sacramentum. Neque verò tenemur illo iure pontificio. Omnis vtriusque sexus. vt ipsi putant. Primùm, quia illud, vt sæpè diximus, non est nisi determinatio diuini iuris: determinat autem Concilium solum tempus, & ministrum, cui facienda est confessio: reliqua verò obseruanda relinquit, vt iure diuino statutum est.

Ratio 1. cõclusionis.

Secundò (quod est vrgentissimum argumentum) Ecclesia sicut sacramenta instituere non potest, ita neque formam, neque materiam mutare: peccata autem confessa sunt necessaria materia: ergo quamuis daremus illud esse aliud præceptum distinctum à diuino, si de iure diuino venialia non sunt necessaria materia, non potuit Ecclesia eadem facere necessaria: potissimum cùm esset præceptum diuinum aggrauare: & sunt multa peccata venialia mentalia, quorum Ecclesia per se non est immediatus iudex.

Ratio 2.

Tertiò arguitur. Quamuis Ecclesia singulare præceptum fecisset de confessione, non debuit alium finem habere, quàm qui est diuini iuris: ille autem est, eos, qui extra gratiam Dei sunt, in eius amicitiam reuocare: necessitas n. huius finis, vt supra diximus, est causa necessitatis præcepti: ergo cùm veniale non pellat hominem à gratia, non est necessaria confessionis materia.

Ratio 3.

Quartò, illud quod præfati autores aiunt, teneri, scilicet, hominem confiteri venialia, vt Ecclesiæ obediat quando non est mortali obnoxius, secus si habeat mortale, gratis dicitur: nam materia necessaria sacramenti per se debet esse necessaria: quare si venialia per se sunt materia, etiam adiuncto mortali debent in confessione pandi, vel si tunc non sunt confessu necessaria, certè nec sine illo. Et arguit bene Scotus. Sequeretur, inquit, quòd homo hactenus esse posset in multis venialibus absque mortali, qui si nunc delinqueret mortaliter, hoc superueniens mortale liberaret eum ab obligatione, qua tenebatur confiteri venialia: quia confitendo solùm mortale satisfacit præcepto Ecclesiæ.

4 Argum.

Scoti arg.

Quintò demum ex verbis ipsius canonis veritas hæc colligitur, ex illo, scilicet, omnia sua peccata, & ex pœna subiuncta: quæ est ingressu Ecclesiæ, & morientem Ecclesiastica sepultura arcere. Esset n. implicatissimum vinculum explorandi omnia venialia ad confitendum, idque sub tam acri censura.

5. Argu.

Accedit postremò magnum argumentum, quòd cùm præter remedium iuris diuini ad delendum venialia, quod est charitatis feruidus actus, vt supra expositum est, Ecclesia instituerit multa alia ad id remedia, vt aquam lustralem, benedictionem Episcopi, &c. indicium est quod neminem voluerit ad venialium confessionem coërcere. In summa determinatio est Augustini in canone, De quotidianis. de pœnitentia distinctione 3. quòd scilicet pro venialibus sufficit quotidiana oratio fidelium: videlicet, Pater noster.

6. Argum.

Per hoc ergo soluitur argumentum S. Bonauent. quod est hoc. Ecclesia præcipit omnes confiteri semel in anno: qui habent peccata venialia, habent materiam confessionis: ergo tenentur confiteri. Respondetur, quòd non iubet confiteri, nisi ea, quæ homo tenetur iure diuino. Quòd si contra rursus arguas. Iure diuino data est sacerdotibus potestas remittendi omnia peccata tam mortalia, quàm venialia, Quorum re-

Argu. S. Bonauent.

Solutio.

Replica.

Digitized by Google

miseritis, &c. sed tanta esse debet subditorum obligatio ad confitendum, quanta est prælatorum potestas ad absoluendum: ergo sub præcepto est confiteri venialia.

Solutio. Negatur minor: quoniam facultas remittendi debet esse amplissima pro illis etiam, qui sua sponte peccata quæ non tenentur, confiteri voluerint: vt si quis alijs temporibus, quàm ab Ecclesia constitutis voluerit cõfiteri, & peccata iam confessa in confessionem reducere, & pariter si venialia quis voluerit confiteri. Obligatio verò iudicari debet ex natura peccatorum: & quia confessio instituta est ad recuperandam Dei amicitiam, quæ per venialia non amittitur, nulla extat confessionis eorum obligatio.

De monachis. De monachis autem eadem quæstio. citata Caiet. opinatur teneri semel in mense venialia etiam confiteri propter Clementinam, Ne in agro dominico. de statu monachorum. vbi iubentur, vt singulis mensibus ad confessionem accedant: quoniam cùm illic non habeatur, quòd confiteantur omnia peccata, sed simpliciter, quòd confiteantur, insinuatur, quòd de venialibus facilè occurrentibus teneantur confiteri: nam religiosi præter commune ius, possunt singularibus statutis ad singulares cæremonias sub mortali etiam obligari.

Sententia autoris. Neutiquam tamen crediderim teneri, saltem sub peccato mortali de venialibus: esset enim nimium rigida lex, quæ venialium confessionem sub mortali cuiquam iniungeret. Imò verò crediderim decretum illud nullatenus communem canonem mutare, sed solum tempus abbreuiare, vt quomodo omnes tenentur singulis annis, si habeant peccata mortalia: ita monachi teneantur singulis mensibus. Imò nescio, an possit Papa venialium confessionem præcipere saltem, vt argutum est, faciendo illa necessariam materiam confessionis, si de iure diuino non est necessaria. Potest se tamen quisque voto obligare ad illa confitenda, sed eiusmodi vota neutiquam consulerem.

An Papa possit venialium confessionem præcipere.

5. Concl. Rem ergo conclusione quinta claudamus. Omnia, & sola peccata mortalia post baptismum commissa, quæ in memoria vel habentur, vel per legitimam diligentiam haberi possunt, cum suis omnibus circunstantijs mortaliter aggrauantibus sunt de necessitate confessionis. Probatur, quia hæc omnia naufragium faciunt spiritualis vitæ. Hinc fit, quòd qui solis venialibus est obnoxius, potest sine confessione sacramentum Eucharistiæ suscipere, & à suo prælato tempore paschatis absque vlia præmissa confessione petere. Cui, nisi alia legitima via constiterit, prauum esse hominem & impostorem, danda est fides, ac subinde sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum. Hæc postrema conclusio distin. sequenti, vbi de integritate confessionis differendum est, membratim nobis restat, & ad amussim explicanda: & ideo in præsentiarum satis.

Ratio conclusionis.

Annus discretionis quando incipiat. De verbo autem illo decretalis, postquam ad annos discretionis peruenerit, nil opus est disputare. Haud enim designat certum tempus, vt duodecim, aut quatuordecim annorum, sicut ad contrahendum matrimonium, sed cùm primùm puer fuerit doli capax, sic scilicet, si inter bonum & malum discernere cœperit. Et prudentium iudicio mortaliter peccet. Et ratio est clara: nam cùm necessitas præcepti confessionis, tam diuini, quàm Ecclesiastici ex eius necessitate ad salutem oriatur, cùm primùm homo necessitatem salutis incurrit, tenetur etiam ad confessionem tum semel in anno, tum & in articulo mortis. Verum est tamen, quòd vsque ad annum ætatis duodecimum Ecclesia per censuras neminem ad confessionem cogeret: quia licet nouerit antea etiam posse peccare, vt capite, Pueris, de delictis puerorum. decernitur. nam à septem annis vbi desinit infantia, & incipit pueritia, peccare possunt, suis tamen præceptis & censuris non vult ante duodecimum, vel quartumdecimum cogere, sed relinquit eos sub diuino iure.

Sol. 1. arg. Igitur ad primum argumentum respondetur, quòd quamuis confessio sit de iure diuino, ad quam ideo si Deus voluisset, omnes potuisset obligare, non tamen id potuit nisi Christianis, qui per baptismum, qui ianua est sacramentorum, capaces eius fiunt.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd licet non sit homo qui non peccet, potest tamen esse qui extra culpam suam nullius sit peccati conscius.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm statim homo vt peccat confiteri teneatur, an verò solum semel in anno, aut etiam in articulo mortis.

ARTICVLVS quartus est de tempore, quo necessitas confessionis occurrit. Arguitur autem, quòd homo statim confiteri teneatur. Qui enim amat periculum, peribit in illo: † qui autem non illico confitetur, periculum sibi creat moriendi in peccato: quia dies mortis repentina est. *Partis affirm. arg. Eccli. 3.*

Secundò. Cùm sit præsentaneum remedium restituendæ diuinæ gratiæ, qui illo statim non vtitur, contemnere Dei misericordiam videtur, vt lib. 2. de sacramentis, part. 14. ait Hugo: contemptus autem diuinæ benignitatis, vt Paulus ad Rom. 2. docere videtur, peccatum est: ergo tenetur homo statim confiteri. *2. Argu.*

In contrarium est, quòd Ecclesia non nisi semel in anno confessionem iussit, sicut Eucharistiam sumere in die paschatis: ergo sicut non est peccatum non pluries Eucharistiam sumere, ita neque confessionem non pluries facere. Et ex hoc sumitur argumentum, quod neque in articulo mortis sit necessaria confessio sub reatu noui peccati: nam Ecclesia, quæ fida est diuinorum interpres, diuinum ius explicando solùm nos coegit semel in anno confiteri: si autem articulus mortis confessionis necessitatem secum afferret, Ecclesia id non subticeret. *Partis neg.* *Argum.*

Quæstio hæc in duplici sensu disputanda venit, s. vel de iure Ecclesiastico, vel de iure diuino. Ad quam ideo septem conclusionibus respondetur. *Decis. art.*

Prima. Iure Ecclesiastico non tenemur confiteri nisi semel in anno. Conclusio probatione non indiget, quia est expressus canon Ecclesiæ, sed duntaxat explicatione. Non enim Ecclesia confessionem præcipit necessariò in paschate faciendam, sed Eucharistiam tunc suscipere: cõfiteri autem non nisi semel in anno. Quocirca quocunque die totius anni homò confiteatur, præceptum implet. Itaq; præceptum est, vt inter vnam confessionem & aliam non plus temporis intercurrat, quàm annus. Qui n. confitetur mense Iunij, vsque ad alterum annum eodem die non tenetur amplius confiteri. Tenetur nihilominus in paschate Eucharistiam suscipere, & tunc quidem si peccatum habet, quod nunquam fuit confessus, tenetur ratione Eucharistiæ pro eius dignitate sumendæ confiteri. Si autem legitimo impedimento teneretur ne susciperet Eucharistiam, non teneretur confiteri vsque ad annum à die quo confessus est, nisi mortis articulus interueniret. *1. Concl.* *Explicatio concl.*

De iure autem diuino maior est dubitatio, quidam enim nimio charitatis ardore accensi dicunt statim postquàm homo peccat ad confessionem teneri. Inter quos est Guilielmus Parisiensis in suo tractatu de pœnitentia: Hoc tamen non fundat in natura præcepti confessionis, sed in periculo, ne scilicet quis moriatur in peccato, & ne vnum peccatum in aliud hominem præcipitet, & ne tradatur obliuioni, & præsertim quia mora in peccato ipsum aggrauat. *Guil. Paris.*

Contra hoc autem statuitur secunda conclusio. Non cùm primùm homo peccat, confiteri tenetur. Conclusio est S. Thom. d. 17. q. 3. quæstiun. 4. & quidem verissima. Probatur, Maior est necessitas contritionis quàm confessionis, maiusque periculum ex eius negligentia imminet: nam sine confessione, dum non est copia, potest quis per solam contritionem saluari: & tamen confessio sine contritione, vel vera, vel existimata nihil prodest: ad contritionem autem nemo statim tenetur, nisi singularis necessitas vrgeat, vt distin. præcedenti, quæst. 2. art. 6. proximè constituimus: ergo à fortiori neque ad confessionem tenemur statim. Argumenta præterea, quæ illic fecimus, ad præsens propositum faciunt, satis autem illic sunt exposita. *2. Concl.*

Sed potissimum est illud, quòd præceptum de confessione etiam de iure diuino est affirmatiuum: vniuersa autem affirmatiua præcepta sua habent statà tempora, quib. sunt necessariò implenda: ergo & hoc pariter. Et confirmatur hoc de baptismo, qui tantæ necessitatis imò maioris est, quàm hoc sacramentum, & tamen non statim tenetur homo baptizari, vt suprà dist. 5. quæst. vnica, artic. 3. monstrauimus. Neque verò opportunitas confessionis nouum præceptum inducat: nam etsi sit quandoque præceptum eleemosynæ, non opportunitas dandi, sed necessitas illud adfert. *Arg. opti.*

Vnde

Solutio 1. Vnde ad argumentum factum respondetur, quòd non quodcunque periculum inducit mortale peccatum, sed illud quod est præsentaneum, dum autem homo est sanus, neque morti se offert, non est propriè periculum mortis: nam repentinæ mortes non solent ita crebrò accidere.

Solutio 2. Et ad aliud Hugonis respondetur, quòd nullus est contemptus non confiteri, quando non est vrgens necessitas mandati aut periculi, sed loquitur ille de ipsis, qui nec in articulo mortis confiteri volunt. Neque verò manere in peccato est tanta causa alterius peccati, si non actu illud continuetur, vt propter illam causam teneatur homo confiteri: nam etiam existens in gratia potest esse in simili periculo. Neque tenemur esse tam attenti ne peccatum memoria labatur: satis. n. est postea diligentiam rememorandi adhibere.

Manere in peccato non est causa alterius pecc.

Quo tempore ius diuinũ ex se obliget. 3. Concl. Quæris instantiùs secluso humano iure, quo tempore ius diuinum antea obligabat ad confessionem? Ad hoc facilè omnes respondent, & ita respondendum est (quæ sit hic tertia conclusio) quòd obligat in articulo necessitatis. Hoc patet, quia similiter omnia præcepta affirmatiua obligant, dum scilicet necessitas rei præceptæ occurrit. Hoc autem est, quod difficultatem adfert: nempe, nosse quando talis necessitas occurrit. Ad cuius elucidationem distinguendum est cum S. Thoma loco citato: quoniam aut loquimur de confessione in voto, aut in re. Rursus vel de confessione per se ratione ipsius præcepti, vel per accidens, ratione alius rei faciendæ, quæ confessionem exigit.

4. Concl. Est ergo quarta conclusio. Votum confitendi pro tempore est necessarium, quotiescunque est necessaria contritio, vt in articulo mortis, aut recipiendæ eucharistiæ, aut quando administranda sunt sacramenta. Patet, quia vt sit legitima contritio, illud votum requirit, vt superius expositum est.

5. Concl. Quinta conclusio. Confessio in re per se est iure diuino necessaria in articulo mortis. Conclusio hæc quam hic D. Thomas, & quodlibeto. 1. artic. 11. affirmat, primùm probatur more & vsu Ecclesiæ, quæ viaticum infirmitate periclitantibus tanquam rem necessariam administrat, quod certè non faceret, nisi ius diuinum intellexisset. Sed ais, Vnde elicitur ius illud: nam in euangelio non dicitur nisi, Quorum remiseritis peccata? Respondetur, hoc insigni efficacia colligi ex natura ipsius præcepti, quæ profectò, vt sæpe diximus, ex eius fine est perpendenda. Arguitur enim sic. Sacramentum pœnitentiæ est ad hoc institutum, vt per illud remittantur peccata post baptismum commissa: necessitas autem huiusmodi remissionis quam maximè occurrit in exitu vitæ, quo vtique momento status perpetuæ vitæ agitur, vt scilicet homo à perpetuo supplicio in æternam fœlicitatem transmigret: ergo tunc maximè articulus necessitatis confessionis occurrit, si copia adsit confessarij. Profectò quando non esset aliud, hoc sufficeret argumẽtum.

Necessitas confessionis in art. mortis de iure diuino.

Confirmatio ex Iacobi. 5. Nihilominus id ex illo testimonio Iacobi supra posito maximè confirmatur capit. 5. vt loco citato ait S. Thomas. Meditatè namque & consultò sacramentum pœnitentiæ cum extrema vnctione coniunxit, dicens: vt infirmus confiteatur, & vngatur oleo sancto, quasi tunc maximè diuino iure sit necessaria confessio ad abstergendas peccatorum maculas, & vnctio ad eradendas earum reliquias. Vnde Cyprianus in epistola ad presbyteros & diaconos, Qui premi, inquit, infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi, id est, confessione facta, & à nobis pœnitentia imposita, in pacem à domino remittantur. Quocirca quod de infirmitatis periculo dictum est, de præsentaneis & instantibus quibuscunque periculis mortis intelligendum venit. Dixerim præsentaneis, quia non quodcunque periculum obligat ad confessionem, vt tranare quodcunque flumen, & agitare tauros, & torneamenta: quoniam licet aliqui illic morti succumbant, rarissimè tamen. Sed tamen ad ingrediendum prælium, & ad longam nauigationem ineundam certè necessaria est confessio.

Quod periculũ mortis inducat necessitatem confessionis.

Ad arg. pro parte neg. Argumento autem, quod in contrarium obiecimus, respondetur, quòd licet ecclesia in canone non meminerit de articulo mortis, reliquit eum tamen ceu notum ex ipsa natura præcepti, quem rursus vsu & more declarat.

6. Concl. Sexta conclusio. Per accidens nonnunquam occurrit confessionis necessitas: hoc est, ratione alius rei faciendæ, vt ad sumendam eucharistiam: non autem quandocunque isto modo est necessaria contritio, est necessaria cõfessio. Nam ad suscipienda alia sacramenta eo quòd gratiam conferunt, necessaria est cõtritio, saltem quæ obicem tollat, & tamen non est necessaria confessio, nisi in susceptione ordinis sacri, non propter dignitatem illius sacramenti, sed propter eucharistiam, quam illic ordinati suscipiunt. Hoc enim singulare priuilegium est eucharistiæ, de quo singulariter ait Paul. † Probet autem seipsum homo, &c. Idem est de administratione solenni sacramentorum, quæ contritionem exigit, vt dignè fiat, non autem confessionem. † 1. Cor. 11.

An sine confessione sumens Eucharistiam duo committat pecc. Sunt qui dicant, quoties quis absque confessione Eucharistiam suscipit, duo committere peccata: scilicet, omissionis confessionis, & indignæ sumptionis Eucharistiæ. Veruntamen causam huius non video. Fateor quidem dum ambo per se concurrunt præcepta, duo esse peccata, vt si qui illo anno non est confessus, in die paschatis non confitetur, nec Eucharistiam suscipit, duo facit peccata. At verò qui tunc ambo præcepta impleuit, & postea in festo Pentecostes vult sua sponte eucharistiam sumere, si non confessus illam suscipiat conscius lethalis criminis, non video cur duo peccata committat, quia tunc non occurrit per se præceptum confessionis, sed vnum præceptum Pauli, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. Et ideo licet forsan sit quæstio de nomine, nam de re tanta esset grauitas in vno, quanta esset in duobus, arbitror tamen non esse nisi vnum sacrilegium indignæ sumptionis.

An præter mortis artic. sit alius articulus necessitatis confess. At nondum satis quæstioni factum est, superest enim dubium, vtrùm stando in iure diuino præter articulum mortis, sit alius articulus necessitatis confessionis. Sunt enim qui nullum alium arbitrantur occurrere, dicentes, quòd cùm sit præceptum affirmatiuum, satis impletur semel in vita: quare non est vinculum presentiis innodandum.

Hoc autem profectò est creditu difficillimum: nam cùm hoc sacramentum institutum sit ad amicitiam cum Deo resarciendam, & Deus, vt distinct. 14. q. 2. dicebamus, non in hoc nos tantùm creauerit, vt de hac luce exeuntes perditæ vitæ pœniteremus, sed potiùs vt in eius amore & seruitio viuamus, eiusque mandata ad eius intentionem exequamur, iuxta illud, † Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, ridiculum est, quod sacramentum pœnitentiæ, sine quo peccator nullum eius mandatum ad eius intentionem seruat, sed totam illam prodigit vitam, vsque ad articulum mortis non obliget. Accedit quòd charitatis præceptum pluries nos, quam in articulo mortis obligat: nam & inter homines amicitiæ iura non in morte, sed in vita obligant, vt scilicet vitæ necessitudines per vices sibi amici impendant. Vnde Aristo. 9. Ethic. Amicitia, inquit, non vno aut altero officio confirmatur, sed quousque amici modum salis comedant: cùm ergo charitatem sine pœnitentia recuperare homo non possit, fit vt pœnitentia pluries obliget. Adde quòd, vt in materia eucharistiæ diximus, præceptum illius sacramenti diuinum, eo quod ad nutriendam spiritualem vitam institutum est, pluries quam semel in vita obligat: pariter ergo hoc quod est ad reparandam salutem necessarium. † Matth. 19

7. Concl. Quòd si scisciteris, Quisnam ergo est ille alius necessitatis articulus diuini iuris, respondet concl. 7. Secluso etiam positiuo iure tenebatur quisque iure diuino eo tempore confiteri, quo secundùm commune iudicium humanum periculũ imminebat obliuionis. Probamus, vt solemus, ex fine ipsius præcepti: cùm enim hoc sacramentum sit ad remissionem omnium peccatorum per confessionem & absolutionem institutum, & confessio sine eorum memoria fieri nequeat, fit vt imminente obliuionis periculo obligaret.

Alius artic. necessitatis cõfess. fuit periculum imminẽs obliuionis.

Bona consideratio, de annalis confessionis institutione. Atqui hæc fuit Ecclesiæ ratio maxime hic adnotanda instituendi annualem confessionem. Sunt enim aliqua præcepta diuina, quæ secum adferunt stata tempora, vt præceptum fidei, & charitatis, & baptismi, quod obligat data decenti opportunitate. Alia verò sunt, quorum tempora eodem iure non sunt decreta, vt sabbata sanctifices, & præceptũ Eucharistiæ, ac subinde hoc, Vnde cùm vsque ad concilium Lateranense diuersa essent de hac re iudicia, diuersique antistites diuersa tempora confessionis statuerent, vt Fabianus tri in anno, de consec. d. 2. canon. Etsi non frequentius arbitrata est synodus semel in anno quo sol suum explet cursum, posse homines criminalium delictorum

Digitized by Google

facta diligentia meminisse. Ex quo sequitur, quòd a tempore illius statuti canonis ius diuinum præter articulum mortis non obligat, nisi secundum Ecclesiæ dispositionem semel in anno. Quòd si arguas, quosdam tenaciori memoria vigere quam alios, & alios plura habere peccata, quæ citiùs essent confitenda. Respondetur, hoc nihil referre, at standum esse Ecclesiæ iudicio, quæ secundum communem prudentiam medium constituit, præcepta enim debent esse communia, quæ omnes æqualiter obligent.

Obiectio.

Periculum oblionis nõ est artic. necessitatis

Quocirca quod quidam dicunt, vt Marsil. q. 12. nempe calum, in quo timetur oblionis periculum, esse articulum necessitatis, falsum est. Satis, n. est vt homo statuto tempore ecclesiæ diligentiam faciat ad recordandum. Pari ratione quod ait Bonauen. di. 17. art. 2. quæst. 2. religiosos. s. teneri confiteri plures, quam seculares, meritò loco citato reprobat Sanct. Thom. standò in iure diuino & communi ecclesiastico, secùs si suis particularibus statutis authoritate summi pontificis confirmatis ad plures teneantur confessiones. Arbitror namque autoritate Papæ posse religiosos ad frequentiores mortalium confessiones obligari etiam sub mortali, secùs de venialib. vt artic. præcedenti diximus. Quamuis in ordine nostro nullum sit præceptum confitendi pluries, quàm semel in anno, nec scio in qua religione hoc fit, sed consuetudo & constitutiò laudabilis.

Obiectio.

Sed arguitur rursum. Ecclesia, vt definiuit annum, potuisset definire, vt bis in anno vel semel in biennio fieret confessio: ius autem diuinum semper est permanens. Respondetur, quòd licet sit permanens in substantia confessionis, tamen tempus Deus ecclesiæ arbitrio definiendum commisit, & ideo quod ipsa decreuerit, id Deus approbat. Veruntamen cùm spiritus sancti ducatu regatur, deuiare ab eo quod expediens erat, non potuit: si tamen vltra biennium confessionem differret, imò forsan vltra annum, non esset satis Christianæ familiæ consultum.

Solut. 1.

Ecclesiæ infallibilitas.

Dubium. An statim vt peccatum oblitum recurrit, confitendum sit.

Ex his assertis conclusionibus colligitur solutio illius dubij. Vtrùm qui semel in anno confessus oblitus fuerit alicuius peccati sine culpa sua in confessione, teneatur cùm primum in memoriam venerit illud confiteri, an verò licitè possit vsque ad sequentem annum illud differre. Respondetur enim, non teneri statim vsque ad alium annum, nisi casu mortis, vel sumendæ eucharistiæ: nam postquam iste semel in anno legitimè confessus est, non amplius tenetur illo anno: secùs, si ex culpa sua fuerit oblitus.

An qui in quadragesima non est confessus, statim post teneatur?

Grauior tamen ex postrema conclusione emergit quæstio. Vtrùm qui in quadragesima non confitetur, teneatur illico transacta quadragesima confiteri. Respondet namque Diuus Antonius 3. parte. titulo. 14. ca. 19. §. 3. quòd præcepto Ecclesiæ semel tenetur homo in anno confiteri: quare qui in toto anno non confitetur, solo vno peccato peccat, quo anno transacto virtute præcepti ecclesiastici non amplius tenetur confiteri: quippe esset nimium aggrauare præceptum. Atque idem est de præcepto eucharistiæ. Sicuti qui non ieiunauit in quadragesima, non tenetur iterum ieiunare. Et Antonium sequuntur nonnulli non solùm ex Summistis, verum ex Theologis scholasticis. Et quidem opinio esse potest alijs probabilis: ego tamen pro mea ingenij tenuitate nunquam ausus sum eam quantum ad confessionem affirmare. Primùm enim si adiuncta est censura excommunicationis, vt adiungi solet, & optimè potest virtute illius, citra dubium homo ille negligens elapso anno confiteri tenetur: quia non potest ab excommunicatione absolui donec confiteatur. Sed excluſa excommunicationis censura, quæ de iure communi non adhibetur, occurrunt argumenta minimè infirma. Sequeretur enim si illud esset verum; quòd posset quis per totam vitam sine confessione in re gratiam recuperare, si modò non esset adiuncta excommunicationis pœna, sicut de iure communi non adiungitur. Probatur.

Antonij. opinio.

Authoris opinio.

1. Argum.

Ille qui hoc anno non confitetur, satis habet conteri de peccato, proponendo confiteri in anno sequenti: etsi in subsequenti non confiteatur, satis est conteri eandem confessionem proponendo in posterum, & sic semper. Quòd si respondeas teneri saltem ratione eucharistiæ sumendæ in Paschate, contra hoc etiam currit argumentum: nam pariter qui in Paschate non suscipit communionem, si excommunicationem excludas, vno solo peccato peccat, neque tenetur amplius illo anno vsque ad alium, sicut qui non seruasset festum Paschatis. Quare etiam tunc sufficeret conteri cum proposito suscipiendi eucharistiam in proximo anno. Et sic deinceps semper. Consequens profectò absurdum est concessu. Ad hoc ergo responderi posset, vt debet, quòd qui sic quotannis confessionem procrastinando omitteret, primùm non deberet apud se tutus esse firmum habere propositum eadem præcepta seruandi, atque adeò legitimam contritionem.

Responsio.

Secundò deberet Ecclesia in eiusmodi negligentem acriùs animaduertere: veniret enim in suspitionem, quòd non satis bene sentiret de fide.

Sed nihilominus argumentum procedit quantum ad id, quod est de per se: quod si bona fide semper legitimè proponeret confiteri, conclusio sequitur.

Sed secundò, vt rei punctum aperiatur, arguitur. Natura præcepti, quod nostrum est axioma, ex intentione præcipientis percipiendum est: intentio verò ex fine præcepti: finis autem præcepti huius est reconciliatio hominis in amicitiam Dei: ergo si iure diuino iubetur reconciliari, & Ecclesia explicuit id fieri semel in anno, intentio eius fuit, vt anni transitus non excusaret negligentem, quin semper reatu culpæ commissæ teneretur, quousque præceptum impleret. Non dico quòd quotidie nouum peccatum committat, sed quòd maneat in primo, idque semper aggrauetur.

2. Argu.

Accedit in confirmationem huius: quòd alioqui antistites non abhiberent excommunicationis censuram quousque negligens confiteretur, nisi ille esset præcepti tum diuini, tum Ecclesiastici sensus.

Tertiò denique arguitur. Præceptum eucharistiæ est merè affirmatiuum, nihil negationis includens, sed ad nutritionem spiritualem institutum, & ideo habet præfixum tempus Paschatis: quare illo elapso si excommunicationem submoueas, non videtur homo ampliùs teneri, sed semel peccasse. Attamen præceptum confessionis sic est affirmatiuum vt tamen negationem includat: est enim eius finis vt vltra annum nemo in inimicitia Dei permaneat: quare qui per annum remedium confessionis non adhibet, semper manet omissionis reus quousque legem compleat, veluti qui debitor est pecuniæ præfixo termino Paschatis, illo transacto, nihilominus manet debitor quousque persoluat. Concluditur ergo, quòd qui neque in quadragesima neque in illo anno confessus fuit, semper manet omissionis reus quousque confiteatur, & ita vniuersalis habet Ecclesiæ vsus.

3. Argu.

Præceptũ confessio. nõ est affirmatiuum negatione includens.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in præceptum confessionis cadat dispensatio.

CIRCA eandem præcepti necessitatem arguitur, quòd non sit tanta quin super hoc præcepto Ecclesia, nempè, Papa vel concilium dispensare possit: nam si id fieri non posset, maximè quia confessio est de iure diuino: attamen super ius diuinum videtur quoque Papa dispensare posse: nam redditio voti est naturalis iuris, iuxta illud Psal 75. Vouete, & reddite Domino Deo vestro, id est, si voueritis, reddite: & tamen super votum Papa dispensat.

Pars affirmatiua probatur.

In contrarium est, quòd confessio, est pars sacramenti pœnitentiæ, quod est necessitatis vt baptismus. & Ecclesia nequit facere, quòd baptismus non sit omnibus necessarius: ergo neque quòd confessio non sit omnibus post baptismum mortaliter peccantibus ad remissionem peccatorum necessaria.

Pars negatiua probatur.

Atque inde rursus arguitur, quòd neque in tempore possit dispensare ne fiat semel in anno: nam cùm constitutio illa Ecclesiæ sit determinatio diuini iuris, fit vt sicut non potest dispensare super ius diuinum, ita neque super tempus confessionis.

2.

Quæstio facilis est, ad quam ideò tribus conclusionibus respondetur. Prima. Ecclesia, scilicet Papa aut concilium super substantiam præcepti confessionis, videlicet, vt quisquam nunquam confiteri teneatur, dispensare neutiquam potest. Probatur primò ratione communi, quia præceptum confessionis est diuinum: inferior autem super legibus superioris dispensare nequit. Secundò peculiariùs etiam probatur: quia confessio non est vtcunque de iure diuino, sed pertinens ad sacramentum: & sacramenta

Con. 1. Decis. artic.

Digitized by Google

veluti sacra scriptura, sint ecclesiæ fundamentum. Vnde distinct. 17. quæst. 3. artic. 1. quæstiuncula 5. Sanct. Thom. optimè sic arguit. Optimum S. Thom. Argum. Ministri Ecclesiæ non sunt instituti ad fundandam Ecclesiam, vnus enim fuit eius fundator Christus per potestatem excellentiæ, sed supposita eius fundatione & institutione, constituti sunt eius ministri, qui fundatam ritè & rectè gubernarent: veluti ad operationes rerum naturalium supponitur earum supernaturalis creatio: quare ministri ecclesiæ non possunt eius fundamenta mutare, sed dispensare. Vnde Pau. † sic nos existimet homo vt Dei ministros, & dispensatores mysteriorum Dei. † 1. Cor. 4. Vbi dispensare non sumitur pro eo quod est quenquam à lege diuina excipere, sed pro eo est quod administrare. Ait quippe 1. Corin. 3. fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia autem fundata est in scriptura & sacramentis, ergo sicut eius ministri non possunt nouos edere articulos, qui in sacra scriptura non lateant, ita neque noua sacramenta instituere, aut mutare: ac proinde sicut facere nequit vt quis in originali existēs, saluus sine baptismo fiat, ita neque, vt ille qui in mortale relabitur, sine confessione in re vel in voto iustificetur.

2. Concl. Secunda conclusio. Papa vel concilium generale iusta de causa dispensare valet in tempore cum aliqua singulari persona, vt si Eremita esset ab humano consortio longè semotus sanctitate clarus, posset dispensare, vt non nisi in biennio vel tribus annis semel confiteretur, præsertim cùm nisi mortale haberet, ipse nunquam teneretur. Et secum etiam ipse Papa dispensare posset: si rationabilis subesset causa: si tamen conscius esset lethalis criminis, cùm tanta debeat sanctitate pollere & exemplo, vix posset adesse causa, vt secum super hoc præcepto dispensaret. Dixerim concilium vel Papa: quia nemo alius potest super hoc dispensare. Probatur conclusio, quia illa temporis determinatio, vt dictum est, est de iure positiuo ecclesiastico. Papa non secum dispensare possit.

3. Concl. Tertia conclusio. Dum papa in eiusmodi dispensationibus clauibus abuteretur, grauiter peccaret, & tantus esse posset abusus, vt dispensatio non teneret, maximè in re tanti momenti quanti est pœnitentiæ sacramentum.

Solutio arg. 1. Igitur ad primum argumentum respondetur primò, quòd etiam si admitteretur, Papam posse aliquo modo dispensare in iure diuino, non tamen posset in necessitate sacramentorum, quæ sunt ecclesiæ fundamenta. Sed secundò respondetur, quòd neque in mero iure diuino dispensare potest. Enimuerò, vt ait Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 68. artic. 10. & nos lib. 7. de Iustitia & iure quæst. 4. artic. 1. explicuimus, cùm Papa dispensat in voto, non dispensat in iure diuino, quod est manente voto reddendum esse, sed determinat, id quod cadebat sub obligatione determinationis humanæ, illius scilicet, qui votum emisit in tali casu propter meliorem causam non tenere. Et eadem ratione potest dispensare in iuramento, tollendo vinculum, quatenus ab homine processit. Papa non potest dispensare in iure diuino.

Obiectio. Quòd si arguas eadem ratione posse dispensare super matrimonio rato: quandoquidem ex humanis voluntatibus contrahentium pendet: negatur consequentia: quoniam per votum simplex homo nec se nec sua tradidit Deo, sed promisit: quare Dei vicarius potest promissionem illam iusta de causa remittere: in matrimonio verò alterutrum ambo se sibi tradiderunt, feceruntque adeò insolubile vinculum, veluti qui religionem solenniter vouit. Sed tamen disputatio hæc non est præsentis loci.

Solutio arg. 2. pro parte negatiua. Ad id autem, quod contra secundam conclusionem obijciebatur, respondetur, quòd quamuis præceptum canonis sit determinatio diuini iuris, nihilominus determinatio illa est de iure positiuo. Restabat circa hanc confessionis necessitatem nosse vtrùm sit necessarium confiteri proprio sacerdoti, sed tamen perspectiorem ordinem esse duximus, si cuncta, quæ ministros tangunt, in quartam quæstionem, quæ de ministris erit, reijceremus.

* *
*

DISTINCTIONIS DECIMÆ OCTAVÆ.

Quæstio secunda.

DE QVIDDITATE, ET QVALITATIBVS CONFESSIONIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sacramentalis confessio sit sacramentalis peccatorum accusatio ad indulgentiam virtute clauium ecclesiæ obtinendam.

IRCA quæstionem secundam sex sunt de confessione disputanda. Primum de eius quidditate. Secundum de eius conditionibus in genere. Tertium an sint omnia peccata confitenda. Quartum de confessione circunstantiatum. Quintum de eius integritate: & sextum an debeat esse secreta. Arguitur ergo quòd confessio non sit sacramentalis peccatorum accusatio ad indulgentiam virtute clauium Ecclesiæ obtinendam. Extant enim definitiones aliæ sanctorum, quæ non prorsus huic consonare videntur: ait quippe Augusti. † quòd confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur, vbi accusationis nullam facit mentionem: & Gregorius ait † quòd confessio est peccatorum detestatio & ruptio vulneris, vbi nulla de spe veniæ fit mentio. Pars negat. argu. 1. † In lib. de vera & falsa pœnit. c. 10. tom. 4. † Hom. 40. in Euang. a princip.

In contrarium est, quòd definitio debet causas definiti succinctè explicare: in hac autem definitione omnes sub compendio colliguntur. Pars affirmatiua. Decis. artic.

Confessio, vt in libro de verbis euangelij homilia 8. ait Augustin. altera laudis est, atque altera fraudis. Confessio laudis est, qua diuinam excellentiam, eiusque in nos beneficentiam decantamus. Confessio verò fraudis est, qua nostra peccata propalamus. Et vtraque in gloriam Dei cedit. Nam & Iosue. 7. legitur, quòd Acham occulto peccatori dixerit Iosue. Fili mi da gloriam Deo Domino Israel, atque confitere, & quid feceris, dicito mihi, ne abscondas. Hæc autem criminis confessio apud illos, quibus nomina hæc similiter cadentia placent, quadruplex distinguitur. Est enim confessio mentalis, cæremonialis. s. legis veteris, criminalis coram seculari iudice, & sacramentalis, quæ ad nostrum propositum. Criminis confessio quadruplex.

De qua statuuntur quatuor conclusiones. Prima, quæ definitio eius sit. Sacramentalis confessio est sacramentalis peccatorum accusatio ad indulgentiam virtute clauium ecclesiæ, obtinendam. Probatur: nam definitio debet causas rei explicare, quæ secundùm Arist. 2. Physico. sunt quatuor: in hoc autem quod dicitur accusatio, exprimitur forma & substantia confessionis: non enim debet esse peccatorum propalatio ad iactantiam, vt illorum qui lætantur cùm male fecerint, nec solùm per viam simplicis denuntiationis, sed per viam accusationis ad correctionem & vindictam. In hoc verò quod dicitur sacramentalis, distinctio fit à contritione, quæ est mentalis tantùm accusatio. Sed in hoc quod ponitur, peccatorum, explicatur materia & causa agens: nam peccata non nisi peccator confiteri potest. Et in hoc differt à confessione laudis excellentiæ Dei. Ac demum cùm adhibetur, ad indulgentiam obtinendam, explicatur finis, quo differt à criminali confessione, quæ sæpe ordinatur ad supplicium: nam etsi nonnunquam sacramentalis confessio ex timore nascatur, debet tamen spe veniæ ex charitate procedere. Sed dum tandem additur, virtute clauium Ecclesiæ obtinendam, designatur iudex: nempe proprius sacerdos, qui virtute clauium reum absoluit. 1. Concl. Definitio confessionis Sacramentalis & eius explicatio. Accusatio. Sacramentalis. Peccatorū. Ad indulgentiam obtinend. Virtute clauium eccles.

Digitized by Google

Solutio 1. Vnde ad argumentum in contrarium respondetur: quòd omnes aliæ definitiones sunt potiùs sanctorum grauitatem referentes, quàm causas ad amussim explicantes. Per accusationem enim morbus latens, vt ait Augustinus aperitur sacerdoti. Et eandem apertionem appellat Gregorius vulneris ruptionem.

Sunt autem qui longiores adhibent definitiones, vt quòd sit accusatio ex erubescentia procedens, & satisfactoria, & secreta, & proprio sacerdoti facta, &c. Sed tamen, vt sæpe diximus, definitio debet esse breuis, & compendiosa: quare vt ait S. Thom. vbi de hoc tractat distinct. 17. q. 3. non debent omnes eius conditiones in definitione exprimi, sed in virtute insinuari, vt postmodum membratim explicentur.

2. Concl. Secunda conclusio, quæ est S. Tho. ibi art. 2. Confessio sacramentalis est actus virtutis. Hoc enim, vt sup. diximus, † sacramentum eo à reliquis differt, quod materia eius sunt actus pœnitentis, in reliquis verò aliquid extrinsecè appositum: quare in reliquis materia sacramenti non est virtus, sed eorum susceptio est virtus. Hic verò ipsamet accusatio, quæ est pars sacramenti, est actus virtutis: nam ad rem virtutis sufficit, vt sit rationi consentaneum, & fiat vbi & quando oportet. Confessio autem hanc imprimis rationem habet virtutis, quòd est vera explicatio cordis, vt sicut homo habet in mente, ita ore proferat. Item hoc, quod sit in remedium peccati, vt homo ab ipso liberetur. Et tertiò, quia est actus obediendi Deo, & Ecclesiæ.

† *Dist. 14 q. 1. ar. 1.*

Obiectio. Quod si arguas omnem virtutem esse de iure naturæ: confessio autem est supranaturalis, respondetur, quod confiteri crimen vbi & quando oportet in genere, est de iure naturali, quod in sacramentali confessione reperitur: sed tamen istæ circunstantiæ, scilicet vbi, quando, & quo fine fieri debeat, statutæ sunt de iure diuino.

Cuius virtutis sit actus. Quòd si interroges, ad quam virtutem pertineat, an ad solam veritatis dicendæ. Additur tertia conclusio. Confessio sacramentalis est actus specialis virtutis. s. pœnitentiæ. Probatur: nam quoties ad generalem rationem virtutis additur alia particularis, resultat specialis virtus: vt quia liberalitas consistit in faciendis mediocribus sumptibus, & peculiaris difficultas est facere magnos, nascitur particularis virtus magnificentiæ. Pari modo ait Aristote. 4. Ethicor. quòd confessio, quæ sit in iudicijs, non solum est generalis virtus veritatis, sed specialis iustitiæ. Et similiter confessio laudis beneficiorum Dei, non est solum generalis virtus veritatis, sed latriæ & religionis. Et simili ratione sacramentalis confessio, non est solum generalis veritatis virtus, sed pœnitentiæ, ex qua per contritionem imperatur.

3. Concl.

4. Concl. Quarta conclusio. Multæ aliæ sunt virtutes huius comites: concurrit enim ad huiusmodi sanctam confessionem virtus spei vitæ æternæ, quæ virtuti pœnitentiæ, accusationem vt faciat, imperat: & suo modo quandoque timor iudicij. Præterea verecundia, non vt mouens, imò potius obstare videtur, sed tanquam vindicatrix simul concurrens ad luendam pœnam. Quare sancti non immeritò has tres partes pœnitentiæ tribus personarum attributis adaptare consueuerunt: vt contritio, quia est detestatio mali, respondeat misericordiæ, & bonitati, quæ attribuitur spiritui sancto: confessio verò, quæ est veritatis manifestatio, respondeat sapientiæ filij: & satisfactio propter laborem, omnipotentiæ patris. Hæc loco citato S. Thom. quæ sunt recensitu digna.

Trinitas partium pœnitentiæ. Trinitas personarum in diuinis adaptatur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sedecim conditiones, quæ confessioni assignari à patribus solent sint congruentes.

Partis negatiua ar. 1. SECVNDVS articulus est de confessionis qualitatibus, quæ eius quidditatem circunstant, & ideo arguitur, quòd non sint sedecim necessariæ: nam inter illas ponuntur quatuor: scilicet, simplex, humilis, & fortis, quæ omnes dicunt distinctas virtutes à pœnitentia: ergo non oportebat illas inter qualitates pœnitentiæ referre.

Pars affirmatiua. In contrarium est autoritas doctorum omnium, qui ex medulla ipsius confessionis illas elicuerunt.

Conclusio. In capite conditionum confessionis, quæ in particulari sunt elucidandæ, præmittere de eis in genere oportet vnicam conclusionem. Conditiones confessionis sunt sedecim, quæ hisce distichis referri solent: videlicet. Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis. Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda. Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata. Fortis & accusans, & sit parere parata. Veruntamen conditiones istæ in quatuor secantur membra. Quædam enim sunt de intrinseca ratione confessionis simpliciter necessariæ, vtpote sine quibus confessio esset nulla, vt quod sit accusans, hæc est enim essentialis forma confessionis. Et quod sit integra, aliàs ficta esset, quæ ideo conditio includit pariter esse fidelem. Et similiter quod sit nuda cùm circunstantijs necessarijs. Et rursus parere parata. Nam cum sit actus iudicialis, debet pœnitens, sicut reus, parere iudici claue non errante. Alia verò est in secundo gradu: quippe quæ licet non sit vsque adeo necessaria quin absque illa confessio esset valida, tamen est humano more necessaria, vt sine qua sacramentum pœnitentiæ sustineri in Ecclesia non posset. Et hæc est, vt sit secreta. Sed & aliæ sunt in tertio gradu, quæ aliquo modo intellectæ necessitatem quandam afferunt, non tamen si in rigore vocis vsurpentur. Quinuerò quædam sunt simpliciter sub consilio. Ad hunc. n. numerum colligendum notandum est cum D. Tho. distinc. 17. q. 3. art. 4. quæstiuncula 4. quòd quædam competunt confessioni quatenus est actus virtutis in genere, & quædam quatenus est specialis virtutis pœnitentiæ: & quædam quatenus est pars sacramenti. In quantum est virtus, requirit quatuor conditiones cuiuscunque virtutis, quas Atistoponit 2. Ethico. Debet. n. studiosus prius operari sciens, & quantum ad hoc ponitur, discreta. Quapropter si discreta dicat, vt qui confitetur sciat quid faciat, vt sit actus humanus est simpliciter de necessitate: nam si fatuus, vel alius nesciens quid faceret, sua peccata sacerdoti propalaret, non esset confessio. Sed tamen si discretam sumas, vt qui confitetur discernere nouerit inter peccata maiora & minora, vt omnia ponderet non est de essentia. Rustici enim hoc non faciunt. Est tamen magnum ornamentum.

16. Conditiones confess. ad 4. membra reuocantur.

1. Condit. Discreta.

2. Libens. Secundò requiritur, vt studiosus sit eligens, & propter hoc ponitur libens. Vnde si id sonet, quod eligès, est de necessitate, nisi enim fieret ex electione, non esset opus virtutis. Sed si intelligatur libens, id est, quadam animi promptitudine, est quidem ornamentum, attamen non simpliciter de necessitate, nam multi magna cum grauedine ad confessionem accedunt.

3. Pura. Tertiò requiritur ad virtutem, vt fiat ex electione propter finem eius. Et quantum ad hoc dicitur pura, quæ eatenus est de necessitate, vt debeat fieri confessio intentione legitima: s. quòd homo intendat se accusare coram Deo spe veniæ, vt in definitione eius dictum est. Vtrùm verò alia quæuis sinistra intentio, etiam venialis inualidet sacramentum, videbimus q. 3. de confessione ficta: intentionem enim rei temporalis, licet illi adiungatur, clarum est non inualidare: si de se sit licita, vt si quis confiteatur causa salutis obtinendæ, vel vincendi in lite, vel prælio, quod putat esse licitum. Quarta conditio est, vt homo immobiliter operetur, & quantum ad hoc dicitur fortis. Quod si sonet, vt homo propter nullum impedimentum vincatur quominus confiteatur vbi, & quando oportet secundum necessitatem confessionis est necessaria conditio: si autem quòd virili animo & strenuo fiat, est ornamentum, sed non necessarium.

4. Fortis.

Secundo confessio est actus virtutis pœnitentiæ, quæ habet tres gradus. Incipit namque ab horrore turpitudinis peccati: & respectu huius debet esse verecunda: nam si homo non narraret peccata nisi per modum iactantiæ, nulla esset confessio. At dummodo sit accusatio, reliquus pudor est quidem ad ornatum conferens, sed non simpliciter necessarius. Secundo progreditur ad dolorem, & quantum ad hoc dicitur lachrymabilis. Quod si referatur ad lachrymas mentis, vt sit vera detestatio, est de necessitate: sed tamen lachrymæ sensus ornamentum sunt confessionis, non tamen semper est in nostra potestate illas exprimere.

Verecunda.

Lachrymabilis.

Tertio consummatur in abiectione hominis, & quantum ad hoc ponitur humilis, quæ respectu huius vt peccatum narretur quatenus peccatum, est necessaria, cæterum est confessionis decor.

Humilis.

Tertio confessio ex sua natura est occultorum manifestatio: & quantum ad hoc habet quatuor alias conditiones.

Fidelis.

ditiones. Requiritur. n. vt sit fidelis, id est, vt verè proferatur, quod est in corde. Et hæc conditio est simpliciter necessaria, vt sit manifestatio vera totius materiæ necessariæ confessionis, quæ ideo in integritate includitur. Vtrùm verò quodcunque per se veniale fiat in sacramento mortale, videbimus statim articulo quarto.

Nuda.

Secundò, non debet verborum inuolucro obscuritatem offundere: & quantum ad hoc ponitur nuda, quæ quidem nuditas eatenus est necessaria, vt non sit in causa, vt confessarius non percipiat peccati naturam, quæ illud mortaliter aggranat. Quare ad hanc conditionem reducitur circunstantiarum confessio. Quòd autem non alia adhibeatur verborum rhetorica, pertinet ad ornamentum. Tertiò requiritur, vt non multiplicentur verba ad rem non pertinentia, & propterea dicitur simplex: pura enim excludit intentionem sinistram, quæ vitiat sacramentum, sed simplex refertur ad verba, vt non exprimantur nisi quæ ad peccati explicationem attinent sine aliorum iniuria.

Simplex. Pura.

Integra.

Et quartò requiritur, vt nihil subtrahatur eorum quæ sunt necessaria ad confessionem: & contra hoc dicitur integra. Quæ quidem conditio est simpliciter necessaria, de qua latè disputabimus.

Quartò confessio est pars sacramenti, atque hac ratione quinque alias exigit conditiones: nempe vt sit accusans, & non excusans, in primis necessaria. Mox vt sit parere parata: & istæ ambæ, vt dictum est, sunt simpliciter necessariæ. Deinde, vt sit secreta: & hæc licet non sit de essentia sacramenti, tamen ob causam supradictam est suo modo necessaria. Præterea demum requiritur, vt sit frequens & accelerata: sed istæ conditiones non ad præceptum, sed ad concilium referuntur: quantum ad necessitatem enim non requiritur frequentior, nec acceleratior, quàm quando ecclesia præcipit, vel casus necessitatis occurrit.

Parere parata. Frequens.

Solut. ar.

Igitur ad argumentum in contrarium respondetur, non inconuenire, imò conuenire maximè alias virtutes sacramentalem confessionem circunstare, quarum aliquæ sunt pœnitentiæ imperatrices, aliæ ancillatrices & auxiliares: est enim proles diuinæ sapientiæ, ad cuius arcem, vt prouerb. 9. legitur, ancillæ suæ homines vocant.

ARTICVLVS III.

Vtrum confessio debeat esse integra, sicut omnia peccata quæ nouerit confitentur.

EX his sedecim recensitis conditionibus tres sunt, quæ amplius & prestius requirunt examen, nempe integra, nuda, secreta, & de quibus quatuor reliquos articulos subiungamus oportet. Nam integra duplicem habet sensum, Primùm, quòd omnia cum suis circunstantijs quisque confiteatur, & secundum, quòd omnia confiteatur eidem sacerdoti. Confessio enim quæ priori modo non est integra dicitur ficta, quæ autem partim fit vni sacerdoti, & partim alteri sine legitima causa dicitur dimidiata.

Duplex sensus vocis, integra.

Arguitur ergo, quòd non sit necesse confessionem esse integram. Confessio fit, vt peccata sacerdoti innotescant: contingit autem aliqua esse publica & sacerdoti notissima, ergo illa non sunt necessariò confitenda. Secundò occulta reuelare videtur iuri naturæ esse contrarium: nam quæ homo corde secum contra Deum peccat, satis esse videtur, vt secum etiam Deo confiteatur.

† *Eadem verba habentur apud Aug. lib. de ve. & fals. pœnit. c. 9. tom. 4. Error Vvitlef.*

In contrarium tamen est, † quòd impium est à Deo dimidiam sperare veniam. can. Sunt plures. de pœnitentia distinct. 3. omnium autem veniam virtute clauium nemo obtinere potest nisi omnia confiteatur ergo omnia sunt de necessitate confessionis.

VVitlef, vt est videre apud VValdensem. 2. tomo de sacrament. cap. 135. & subsequentibus obligationem huius auricularis confessionis negabat, dicens neminem teneri peccata occulta sacerdoti detegere. Vbi maximè contra istos hæreticos aduotandum est, quòd negantes auricularem nostram, & clancularem confessionem, inde mouentur, quod concedere renuunt esse necessarium peccata occulta confiteri. Qui enim hoc concederet, manifestè conuincetur confessionem debere esse secretam: nam importabile esset iugum, vt cogerentur homines peccata sua occultissima eademque sceleratissima publicitus propalare. Quocirca, vt negent necessarium esse confiteri occulta, negant hunc ritum confitendi secretè, vt ar. 6. iterum dicemus. Lutherus verò, vt est videre in eius art. 8. per Leonem condemnato, in omnibus singularis alia ratione confessionem detruncat. Haud enim inter secretam & publicam distinguit, sed ait neque venialia neque omnia mortalia esse confitenda, vt aliquid relinquamus misericordiæ Dei. Fuit enim hominis delirium cogitare, quod dum confitemur, nostræ iustitiæ innitimur, & quæ non confitemur, relinquimus misericordiæ Dei. Sed ista ratione nihil deberemus confiteri: at propterea confitemur, quia nostra peccata vicario Dei proponimus, à quo diuina eius potestate & clementia remittantur.

Lutheri delirium.

Concl.

Ad quæstionem ergo vnica conclusione respondetur. Omnis Christi fidelis tenetur omnia sua peccata mortalia post baptismum vel corde vel ore vel opere commissa confiteri. Et hic est sensus canonis. Omnis vtriusque sexus. Et in concilio Florentino habetur ad confessionem pertinere, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Dixerim mortalia, quoniam, vt venialia non sunt de necessitate confessionis: ita potest quisque aliqua eorum, quæ commiserit, confiteri, aliaque tacitus præterire. Neque enim ideò confessio ficta redditur, neque dimidiata. Probatur conclusio ex loco illo superius exposito Ioah. 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c. Illic enim absque vlla restrictione potestas est apostolis concessa remittendi peccata: ergo remittendi omnia. Et cùm illa remittere nequeant, nisi tanquàm iudices, neque de illis iudicare, nisi peccata & eorum causas per clauem scientiæ cognoscant, fit vt totam suam familiam Christus obligauerit illa confiteri mortalia vsque ad occultissima cordis. Nam cùm de operibus ex causis sit iudicandum: & opera, vt ait Christus, ex corde exeant, radices etiam peccatorum illic latentes sunt confessario aperiendæ.

Ratio, conclusionis.

Secundò. † *Dist. 15. q. 1 ar. 3.*

Secundò manifestè probatur conclusio. Quemadmodum Deus, vt suprà † dictum est, nequit vllum mortale absque omnib. remittere: quoniam remissio fit per gratiam, & amicitiam eius: ita neque sacerdotes eius vice & munere fungentes possunt nisi omnia simul remittere. Quare non dixit. Quæ remiseritis erunt remissa, & quæ retinueritis retenta: quasi eiusdem personæ aliqua remittant, & aliqua non: sed quorum remiseritis, id est, quem iudicaueritis venia dignum in totum absoluite, alioqui in totum ligate: & hoc significat forma: absoluere autem vel ligare neminem valent nisi de illo iudicando: ergo pœnitens, qui omnium veniam petit, omnia tenetur sacerdotis iudicio exponere. Tertiò id patet ex fine virtutis pœnitentiæ: confessio siquidem sacramentalis in hoc differt à criminali & iudiciali, quòd iudex in foro exteriori non intendit nisi malefactorum vindictam & punitionem, & ideò confessionem non requirit nisi illius criminis, de quo vult supplicium sumere: confessionis verò sacramentalis finis est reconciliare amicitiam Dei, & hominem corrigere: hoc autem fieri non potest, nisi pœnitens suum statum qualis sit, sacerdoti pandat. Id quod, nisi omnia peccata etiam intima cordis aperiat, perficere nequit. Quartò. Idque præterea ex confessionis fidelitate confirmatur. Vt enim contritio non debet esse truncа, sed prorsus omnium peccatorum: ita & confessio si sit fidelis. Vnde bene adnotauit Caietanus 2. quæst. de confessione super tertiam partem discrimen inter verba, quibus Christus tradidit potestatem iurisdictionis in foro exterioti, & in foro interiori: nam de illa dixit. Si peccauerit in te frater tuus: quasi ad tribunal exterius non nisi peccata, quæ probari possunt, deferenda sint. De hac verò ait, Quorum remiseritis peccata, quasi cuncta sint ad hoc iudicium deferenda. At quia hæretici huiusmodi confitendi ritum nouum esse in ecclesia prædicant à tempore Innocentij, dicentes quòd olim non fiebat in particulari distincta confessio, vt singula explicarentur peccata, sed generalis in publico, qua se homo fatebatur peccatorem, sicuti de lege veteri diximus, vbi homines per sacrificia in genere se profitebantur esse peccatores: Et arguitur quartò. Hoc est manifestè sacramentum pœnitentiæ negare, vbi nulla conferatur remissionis gratia: nam & illam generalem confessionem sanctissimi perinde faciunt, ac nequissimi homines, atque adeò per illam

3.

4.

Discrimen inter verba, quibus Christus potestatem dedit in foro exter. & interiori.

Digitized by Google

nullum potest de hominis statu sumi iudicium.

Occultorũ confessionis antiquitas.

Igitur & quòd semper in ecclesia in vsu fuerit etiam occultorum confessio, patet ex loco citato Augustini † serm. 55. tertiæ partis sermonum, & refertur can. Agite de pœnitentia dist. 1. Agite enim, inquit, pœnitentiam, qualis agitur in ecclesia. Nemo sic dicat: Occultè ago, nouit Deus qui mihi ignoscet: quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est, Quod solueris super terram, solutum erit & in cœlis? Vide quomodo de occultis, quæ corde geruntur, erat tempore Augustini pœnitentia, imò & tunc antiquissima. Et lib. 2. de visitatione infirmorum suprà quoque citato expressissimè reprehendit eos, qui existimant soli Deo, cui nihil occultum est, confiteri, cum confitendum, inquit, sit Domini vicario. Et subdit, Ergo ad te venire roga sacerdotes, & fac eum tuarum conscientiarum penitus participem. Nota conscientiarum vbi loquitur de occultis, de quibus prius dixerat, nihil esse Deo occultum. *Ambros.* Vnde in libr. de paradiso Ambros. quod & in lib. de vera & falsa pœnitentia refertur, & can. Non potest. 1. de pœnitentia dist. 1. Non potest quis, inquit, iustificari à peccato, nisi confessus ante fuerit peccatum, vbi nulla fit exceptio publici aut secreti, sed generalis est sententia. Nullus potest à quocunque peccato, &c. *Origenes.* Et Origenes super Psalm. 37. Vide, inquit, quid nos docet scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Peccatum, inquit, in genere, nullo excepto. Vbi palam loquitur de secreta confessione: nam paulò post mentionem subdit de publica. Quare exemplum subdit: sicut ij, qui habent intus indigestam escam, nisi vomuerint, non releuantur: ita qui occultum habent peccatum, nisi confiteantur. Et subnectit: quòd circunspiciendus est diligenter sacerdos, cui confiteri debes. Clarè ergo de occultorum confessione loquitur. *Hieronym.* Et Hieron. super Eccl. c. 10. Si quem, inquit, serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Perspice, quam clarè tempore Hieronymi erat confessio occultorum. Quem vtique locum credibile est Erasmum legisse, qui nihilominus super epitaphium citatum ad Oceanum, adnotauit, tempore Hieronymi non fuisse in vsu occultorum confessionem. Et suprà citatus Lactan. ait. † quòd sicut per circuncisionem nudabatur membrum illud, ita per confessionem debemus expromere pudenda cordis, atque adeò occultissima peccata. Et Cypria. sermo. 5. de lapsis. Ij, inquit, quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti sint: quoniam tamen de hoc cogitauerunt, id ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteantur. Et vetustissimus Tertul. in lib. de pœnitentia facit comparationem, quòd sicut qui vlcus habet pudendum, ne præ pudore illud ostendat, perire manuit: ita & ei vsu venit, qui sua peccata non detegit. Atqui vt vsque ad Apostolorum tempora rem reducamus, Diony. Pauli discipulus in epist. ad Demophylum, ipsum reprehendit, quod contra ordinem ecclesiasticæ disciplinæ adstaret cuidam, qui sua peccata sacerdoti confitebatur. Et Clemens primus successor Petri epistо. 1. ait, Petrum docuisse, vt cogitationes internæ panderentur sacerdotibus. Decuit hac tempestate hæc de multis testimonia huc accersere, quibus impudentia eorum proditur, qui vniuersalem omnium etiam occultorum confessionem ab ipso vsque Apostolorum tempore celebratam fuisse negant. Cum, tum vel inde satis eadem constet veritas, quòd nullibi extat canon vbi confessio primùm fuerit iussa: nam Inno. solum præcipit confiteri omnia peccata eo more, quo semper fuerat ecclesiæ in vsu.

† *lib. 4. diuinar. institut. c. 17.* *Cyprian.* *Tertul.* *Dionys.* *Clemens.*

Dubium. De peccatis oblitis.

Dubitabit hic autem quispiam de peccatis oblitis, vtrum etiam illa teneatur homo confiteri: nam in canone Latera. simpliciter dicitur, omnia: in Florentino verò non nisi restrictè, quorum memoriam peccator habet. Respondetur, quòd obligatio simpliciter fertur in omnia mortalia post baptismum commissa. Sed est inter oblita discrimen, quòd, illa quorum homo ex culpa sua oblitus est, sic confiteri tenetur, quòd per obliuionem non excusatur, atque adeò per absolutionem non recipiet gratiam. Illa verò, quorum post diligentem indaginem meminisse nequit, simpliciter quidem confiteri tenetur, sed tamen pro tunc excusatur ignorantia inuincibili: & propterea dictum est in concilio Florentino, quorum memoriam habeat. Quod autem obligatio semper ea confitendi maneat, inde constat, quòd postquam in memoriam recutrerint, sunt necessariò confitenda: idq; non propter obligationem tunc exurgentem, sed propter antiquam, quæ semper manet.

Oblita sine culpa, cum recurrerint confitenda.

Igitur ad primum argumentum respondetur, quòd licet aliqua sint peccata publica, & sacerdoti nota tanquam priuatæ personæ, non tamen tanquam iudici, & ideo sunt illi per confessionem exponenda: præsertim, quòd cum iudicium de rebus sumendum sit è suis causis, necessarium est vt pœnitens cor suum pandat, vt innotescat quo fine & causis illud fecit.

Solutio 1. argum.

Ad secundum iam suprà responsum est, quòd confiteri occultissima peccata sub vinculo diuini sigilli ad obtinendam veniam à Deo non est contra ius naturæ, quin natura ad id maximè inclinat.

Solutio 2. arg.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum singula peccata quoad numerum cum omnibus suis circunstantijs sint fideliter confitenda.

AD maiorem explicationem præcedentis articuli quæritur circa aliam conditionem, vt sit nuda, quomodo sint omnia confitenda: & arguitur, quòd non debeat quis numerum omnium peccatorum confiteri. Confessio oris contritioni cordis respondet: contritio autem, vt supra dictum est, † sufficit generalis omnium: nam potest in momento haberi: ergo pariter confessio omnium potest intelligi si in genere quis dicat, Ego feci multa peccata. aut saltem si dicat, feci decem aut viginti, tum enim omnia confitetur: potissimum cum de hoc nullum extet præceptum, quo expressior requiratur confessio.

Partis negatiuæ arg. 1. † *Dist. 16. q. 2. ar. 3.*

Secundo arguitur. Circunstantias omnes confiteri est impossibile: quòd si dicas confitendas esse illas quæ aggrauant mortaliter, neque illas possunt plebei homines cognoscere. Dicere autem, quòd teneantur viri elegantes & sapientes ad aliquid confitendum, ad quod non teneantur rustici, est facere legem inæqualem, quæ tamen omnes debet pariter ligare: præsertim quòd in canone non iniungitur, nisi tantum confessio omnium peccatorum, vbi nihil de circunstantijs habetur.

2. Argu.

Tertiò arguitur. Si numerus peccatorum, & circunstantiæ essent plenè confitendæ, longo temporis spatio, solertissimaque diligentia sæpe opus esset ad eorum memoriam reficiendam: nullibi tamen tam exactæ indaginis faciendæ præceptum extat: ergo non sunt illa omnia de necessitate confessionis.

3. Argu.

In contrarium tamen, quòd confessio est actus iudicialis, per quem iudex confessionem audiens debet iudicium personæ sumere, ad quod data est illi clauis scientiæ, vt hominis statum cognoscens, iudicet an digna sit venia, quanta que sit adhibenda ei pœnitentia, qualeque apponendum remedium in futurum: quod quidem fieri nequit commodè, nisi peccatorum numerus cum suis circunstantijs exprimatur: alioqui confessio non esset nuda.

Pars affirmatiua.

Duo sunt articuli huius membra: 1. de numero peccatorum, & de eorundem circunstantijs, ad quæ ambo octo conclusionibus respondetur. Prima. Numerus peccatorum est de necessitate confessionis, vt singula quisque fideliter confiteatur. De hac conclusione, vt ait Syluester, verbo Confessio. 1. §. 10. S. Tho. neque in summa, neque in quarto aliquid dixit. At neque opus erat, vt quippiam diceret: quoniam de numero neque est singulare præceptum, nec singularis consideratio, sed eo ipso præcepto, quo tenemur confiteri omnia, tenemur confiteri singula. Probatur ergo conclusio. Confessio, sicuti contritio, instituta est ad conuersionem in Deum: ergo sicut per quodcunque peccatum auertimur, cuiuscunque per se est tam necessaria confessio, quàm contritio. Sed est discrimen, quòd cum contritio sit actus mentis apud Deum, qui voluntatem pro facto reputat, eo ipso quòd quis in genere conteritur confiteri proponens veniam obtinet: confessio verò cùm sit accusatio, atque delictorum declaratio, per se exigit, vt suprà diximus, singularem contritionem, atque adeò singulorum expressionem, vt homo se nudè clauibus ecclesiæ subdat.

Decisio articuli 8. conclus. 1. Cond.

Ratio.

Secunda

2. Argu.

Caietan.

Species & genus peccatorum exprimi debet.

Quod dubium est, sub dubio cõfiteri debemus.

Quando satis sit tempus cõfiteri.

Moderamen.

De muliere prostituta.

De publicis latronibus.

Secunda conclusio. Non est de necessitate confessionis sic singula confiteri, vt sigillatim numerentur, sed satis est sic explicare, vt sacerdos iudicium de persona satis possit capere. Ad huius intellectum bene distinxit Caietanus quæst. 3. de confessione, quam adiecit ad tertiam partem, inter iudicium, quod ad exactam vel punitionem, vel præmiationem ordinatur, & aliud, quod non ordinatur nisi ad bonum priuatæ personæ, quæ iudicatur. Illud enim quod in postrema die mundi facturus est Christus, quando reddet vnicuique iuxta opera sua, exactissimam expostulat singulorum cognitionem, vt iustissimè quisque recipiat pro vt gessit in corpore. Hoc autem iudicium pœnitentiæ est salutare, ad salutem scilicet hominis ordinatum, iuxta illud Ioan. 6. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum, & ideo ad hunc finem non est necessaria tam exacta & numerosa peccatorum recitatio, quoniam neque pœna tam ad vnguem taxanda est, secundum peccatorum mensuram, neque adhibenda medicina, nisi ad arbitrium sacerdotis claue non errante. Igitur in primis necessarium est species & genera peccatorum explicare: si enim quis furtum & homicidium fecit, non satis est dicat, feci duo peccata mortalia, cum homicidiũ grauius sit furto, atque alia multò aliis scelestiora, vt hæresis, & blasphemia, & alia. Vnde ex criminum speciebus potissimùm sumitur personæ iudicium, quæ ideo explicandæ sunt. Individua verò eiusdem speciei non opus est numerare, vt dicatur, feci hanc fornicationem, & postea hanc secundam, & postea hanc tertiam, &c. sed satis est dicere decies aut vicies fornicatus sum, aut falso iurauí, &c. nisi aliquod horum peccatum circunstantiam habuerit mortaliter aggrauantem, de qua illico dicemus. Neque vllum subest periculum, si cùm dicitur, vicies aut centies, paulò sint plures, aut pauciores vices. Cauendum tamen vtrumque extremum: nam qui affirmando dixerit pluries se peccasse, quàm peccauerit, peccatum committit contra discretionem confessionis infamando seipsum: sicuti qui pauciora confitetur quàm fecit, peccat contra integritatem. Ob idque ad cauendum vtrumque extremum discretio faciat, vt pœnitens quod dubium est sic sub dubio confiteatur. Toties hoc feci paulò pluries aut paucioribus vicibus. Quòd si rogès, vtrum si postea occurrat memoriæ, quòd alia vice illud peccatum commisit, cuius non fuerat recordatus, sit confitendum. Respondetur, quòd si error fuit notabilis in numero, vt si dixit, Decies paulò pluries, & postea memor sit, quòd commiserit vicies, certè tenetur excessum confiteri. Si autem non sit notabilis, vt si comperit se peccasse duodecies, non est necessarium: quia iam sub dubio dicens, paulò pluries, vices illas confessus est. Imò verò, vt ibidem ait Caietanus, quando per tempus & consuetudinem potest coniectura fieri numeri, satis est tempus confiteri, vt prostituta mulier, quæ parata est quemcunque admittere, satis est dicat, Tanto tempore fui huic turpitudini exposita. Nisi aliquæ sint circunstantiæ aggrauantes mortaliter, quæ illo generali verbo non satis explicantur. Quanquam & hoc documentum grano salis est condiendum: nam tanta esse potest frequentia, vt sit confitenda. Quamuis enim duæ sint mulieres eodem tempore mente in turpitudinem paratissimæ, vna tamen potest eodem tempore decies in re peccare, & alia millies, & semper augetur peccatum in opere: & ideo dicendum est. Toties quasi aut paulò pluries mihi accidebat in die, aut in hebdomada, aut mense, &c. Adde quòd inter publicos latrones, qui in omne facinus parati sunt, potest esse latum discrimen: videlicet, vt vnus amplissima latrocinia fecerit, alius vero non nisi rara & forsan exigua: quare non satis est dicere, In latrocinij vitio vetsatus fui tanto tempore: nam multitudo magnitudoque latrociniorum, circunstantia est notabiliter aggrauans.

Quapropter suffugium illud nominandi duntaxat tempus consuetudinis, intelligendum est: dum peccatorum numerus modum excedit, vt percenseri cuncta nequeant. Alioqui consultius est numerum explicare. Dum modum, inquam, excedit: vt dum quis assidua consuetudine iurandi distractus, nequit omnia iuramenta nominare. Aut concubinarius, qui perinde ac maritus concubinam in domo & lecto habet. Atqui dum quispiam sic tempus explicando confessus est, licet postmodum in particulari cuiuspiam recordetur peccati, non tenetur amplius illud confiteri: quia satis illud confessus est, cum dixit quotidie similia perpetrasse.

Mentiri in cõfessione.

Caietan. opinio.

At quoniam diximus, fideliter omnia confitenda, dubitatur circa illam circunstantiam, vt confessio sit fidelis. Vtrùm quodcunque mendacium in confessione sit peccatum mortale. Caieta namque 2.2.q. 69. ar. 1. ad 3. iustinet quodcunque mendacium in iudicio etiam exteriore esse peccatum mortale. Itaque sicuti quodcunque mendacium quantumcunque leue, si iuramentum adhibeatur, sit mortale: ità licet citra iuramentum fiat in iudicio, eo quòd est contra iustitiam, vt decipiatur iudex. Præterea in foro, inquit, pœnitentiæ iniuria fit Deo. Ac postmodum in summa, verb. Confessio, conditione 4. idipsum explicans ait, quòd dum quis venialia facit materiam confessionis, tunc de illis mentiendo mortaliter peccat, siue neget se fecisse veniale quod fecit, siue affirmet se fecisse quod non fecit. Secus si non proposuit illa confiteri. De hoc autem lib. 5. de Iustitia & iure. quæst. 6. articulo 1. plura in eius refutationem satis diximus.

3. Concl.

Quare nunc statuitur hic tertia conclusio. Mentiri in confessione circa materiam mortalem, mortale est: sed circa venialem, non est nisi veniale. Probatur prima pars. Si enim quis neget mortale se fecisse, quod fecit, res est clara: quia si illud tacendo confessionem mutilat, vt sit dimidiata, à fortiori si illud negauerit. Si autem affirmat se mortale fecisse, quod non fecit, itidem est mortale. Nam etsi vt in relect. tegendi & detegendi secretum, & libr. 5. de Iusti. & iure q. 10. ar. 2. monstrauimus, non sit genere suo mortale hominem infamare seipsum: quia est dominus suæ famæ, nisi sit persona publica, tamen in confessione sacramentali peccatum mortale est, quia est iudicem in foro Dei decipere, atque adeò occasionem illi offerre abutendi claue scientiæ, inimicum Dei ipsum iudicando, & à reatu quem non habet mortali incassum absoluendo. Est ergo non solùm contra fidelitatem, verùm & contra nuditatem & discretionem confessionis. Imò verò in iudicio etiam ciuili mentiri in re graui pertinente ad iudicium est peccatum mortale: ergo à fortiori in confessione. Quod enim ait Gregor. Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere vbi culpa non est, non intelligitur quantum ad substantiam actus, vt quis se fecisse dicat quod non fecit. Sed quantum ad eius qualitatem, vt iuxta verbum Iob. 9. 9. omnia sua opera vereatur, si fortè aliquo defectu commaculentur.

Obiectio.

Sed arguet quis forsan. Dum quis putat id fecisse, quod non fecit: vel id esse mortale, quod non est mortale, tenetur illud confiteri. Respondetur teneri quidem, at non de per se, sed ratione scrupuli, atque adeò quando homo est dubius, tenetur confiteri sub dubio.

2. pars conclusionis.

Secunda verò pars conclusionis probatur. Contra omnes alias virtutes ex leuitate materiæ contingit peccare solùm venialiter, etiam contra fidem, ergo & contra iustitiam, quæ sit in iudicio, si mendacium sit de re leui, erit peccatum veniale. Secundò peculiariter arguitur ad nostrum propositum. Peccata venialia non sunt de essentia confessionis: ergo mendacium circa illa non vitiat mortaliter sacramentum. Neque valet ratio Caiet. s. quòd postquam homo proponit peccata venialia confiteri, facit materiam confessionis. Tum quia non facit illa materiam necessariam & grauem, sed leuem & spontaneam. Tum præsertim, quia cum homo negat veniale quod fecit, iam subtrahit illud ne sit materia confessionis? Et demum arguitur, quoniam dum homo mentitur se fecisse veniale quod non fecit, non grauiter decipit sacerdotem, vt iudicium valde diuersum de pœnitente concipiat. Profectò cum venialia vix possint ab homine clarè deprehendi, multum esset illaqueare conscientias, dicere quòd de venialibus in confessione mentiri, esset mortale.

Impugnatur Caietanus.

De circũstantijs.

Circunstãtia quid.

De circunstantijs verò duplex est consideratio, vna s. de quidditate earum & numero, atque altera de earum confessione. Et quamuis Sa. Tho. d. 16. q. 3. vtrumque tractauerit, tamen postea 1.2. quæ. 7. satis de priore disseruit, quæ ideo ad præsentem disputationem non attinet. Hoc ergo satis est hic supponere quòd circunstantia, vt nomen sonat, quam latini ap

Digitized by Google

Circunstatia septē.

pendicem vocant, est accidens actioni adiacens, quòd eius qualitatem in genere moris variat, augendo. s. aut minuendo. Et sunt numero septem, vt quis, id est, quæ persona, s. vtrùm ecclesiastica an secularis sit quæ peccauit. Quid, id est, quantum commisit crimen, nempe an magnum vel paruum fecerit furtum, magnam aut paruam personam læserit. Vbi, id est, quo loco. s. sacro an profano. Quibus auxilijs, videlicet, an Turcarum auxilijs Christianus bellum gerat. Cur, id est, qua intentione fecerit, nempe, vtrùm quis inopia pressus furtum fecerit, an verò vt alteri iniuriam faceret. Quomodo, id est, vtrùm fraude per insidias, an aperto Marte occiderit. Quando, puta vtrùm noctu dormiente domino ædes fuerit aggressus, an media luce in eius præsentia. Prior. n. est fraus, & posterior contumelia.

Circunstantiarū præceptū.

Igitur quod ad nostrum propositum attinet, sciendum est, de circunstantiarum confessione esse præceptum, Quod siquis obijciat, nullibi id esse expressum s. nec diuino nec humano iure: respondetur, esse iuris vtriusque, illius. s. quo tenemur confiteri. Nam quo iure tenemur confiteri, tenemur confiteri integrè, atque adeò crimina omnia cum suis circunstantijs. Accedit autem can. Consideret. de pœnit. d. 5. ex lib. de vera & falsa pœnitentia. c. 4. vbi habetur. Consideret. s. pœnitens qualitatem criminis in loco, in tempore, &c.

3. Differētia circūstantiarū.

At verò quia non omnes circunstantiæ sunt in confessione necessariæ, inuestigandum est, quæ istarum sint necessariò confitendæ. Vbi adnotandum tres esse earum differentias: quædam enim sunt impertinentes. s. nec augentes, nec minuentes: aliæ verò pertinentes, quæ augent: aliæ pertinentes, quæ minuunt,

4. Concl.

Sit ergo quarta conclusio. Impertinentes adeò non sunt confessu necessariæ, vt earum confessio sit contra confessionis virtutem, quæ est vt sit simplex. Prima pars manifestissima est: quia nihil faciunt ad exprimendam qualitatem peccati. Et inde sequitur secunda, quia omnis verborum multiplicitas impertinens est in sacramento vitiosa. Vt si quis dicat hominem ante prādium vel à prandio occidisse, aut si vir dicat pulchritudine mulieris victum, aut mulier precib. vel pretio ductam peccasse: hæc. n. omnia debet confessarius rescindere: potissimum cùm ad excusationem vergant, vt si miles homicidium confiteatur, quod in duello fecit, narrando quàm strenuè fecit vt nobilem decebat. Aut aulicus amores confiteatur, dicens homines illius sortis vix posse absque illis in aula viuere. Et pariter mercator sua furta excuset. Hæc. n. iam non solum contra simplicitatem, sed & contra accusationem confessionis vergunt. Non dixerim verborum impertinentiam peccatum esse mortale, aut confessionem cassare, aut sua gratia priuare, sed tamen frequenter est peccatum veniale, & posset esse mortale, vt si nobilis diceret. Occidi hominem in duello, quia nec potui, nec debui honorem meum aliter protegere: est enim illa blasphemia contra legem Dei, atque adeò contra rationem accusationis, & contra humilitatem confessionis excusatio & superbia mortalis.

De circūstantijs impertinentibus.

Aliæ sunt circunstantiæ pertinentes, quæ minuunt. Et hæ sunt in duplici differentia: nam quædam sunt adeò minuentes, vt de mortali veniale faciant, aut omnino tollant rationem culpæ: de quib. sit quarta conclusio. Circunstantiæ, quæ tollunt rationem culpæ, vel quæ de mortali faciunt veniale, sunt necessariò confitendæ. Vt si quis hominem ex ignorantia inuincibili in incertum iaculando occidit, vel cum tutamine inculpatæ tutelæ sese tuendo, & in confessione simpliciter diceret. Feci homicidiū, confiteretur tanquam peccatum id quod non est peccatum, atque adeò peccaret mortaliter, vt proximè dictum est. Et pariter si quis extrema necessitate pressus panem alienum arripuit, non debet dicere simpliciter. Feci furtum, sed coactus inopia, quæ rationem culpæ tollit. Sicut si etiam citra necessitatem non nisi obolum surripuit, quod non est nisi veniale, non debet dicere simpliciter, furtum feci: nam hoc genere suo sonat mortale.

Circunstantia pertinentes duplices. 4. concl.

Confiteri tanquam peccatum quod non peccatum, mortale est.

circūstantia parum minuētes.

5. Concl. Exemplū.

Si verò sint circunstantiæ parum minuentes, ita vt peccatum mortale in sua specie relinquant, de istis ait Palud. d. 16. q. 3. art. 3. Melius est illas non confiteri. Nihilominus cum moderamine respondetur per quintam conclusionem. Licet non sit necessarium illas confiteri, tamen si multum minuant, necessariū est illas exprimere. Exempli gratia. Si puella graui inopia oppressa, aut mortis metu, vt periculo vitæ succurreret, iuuenem admisit, licet peccatum mortale sit, potest tamen suæ famæ & honori consulere, dicendo causam, quæ turpitudinem suam aliquo modo alleuiet. Pariter siquis putans se benefacere, furtum fecit, quod pauperib. largiretur, aut si peierauit, vt vitam seruaret regis, Vt. n. Eccles. 41. admonemur, cura habenda est de bono nomine salua confessionis veritate. Imò verò si esset persona, quæ multum prodesse posset reipublicæ, & confiteretur episcopo, quòd occiderit hominem, teneretur honorem suum protegere, dicens si verum esset, quod ille occiderat parentes suos. Si autem tantum non minuant, satius est eas non confiteri.

Aliud exemplum.

Circunstantia aggrauantes.

In tertio gradu sunt circunstantiæ aggrauantes, & inter istas etiam nonnihil est discriminis. Quædam n. sunt, quæ sic sunt circunstantiæ, vt per se sint ipsa peccata contra distincta præcepta, atque adeò mutantes speciem in genere moris, vt sanguinem fundere vel occidere, vel fornicari in ecclesia: illud. n. quod est esse in ecclesia, est particulare peccatum sacrilegij contra præceptum religionis de honore qui loco sacro deferendus est. Et de istis adijcitur sexta conclusio, de cuius veritate nemo ambigit. Eiusmodi circunstantiæ mutantes mortaliter speciem in genere moris, sunt de necessitate confessionis. Patet, quia sunt per se peccata: & adeò qui illas subticeret, non omnia confiteretur peccata. Similiter siquis fecit adulterium intentione faciendi furtum, aut si rapuit virginem aut monialem: etenim quamuis actus iste sit vnicum peccatum, habet tamen duas deformitates.

6. Concl.

Circunstantia non mutantes speciem.

Aliæ autem sunt, quæ aggrauant peccatum, sed tamen speciem non mutant, vt siquis furatur vel decem, vel centum, vel mille. Et de istis sunt opiniones diuersæ. Quidam. n. opinantur solas circunstantias mutantes speciem esse de necessitate confessionis, quas aiunt aggrauare in infinitum, hoc est, mortaliter, quia cum vna species non possit alius naturam attingere, dicitur infinitè distare. Atque huius opinionis fuit S. Thom. in 4. d. 16. q. 3. arti. 2. quæstiunc. 5. & Bona. d. 17. q. vl. & Dur. d. 16. q. 4. & est ferè communis opinio. Sco. quidem d. 17. ar. 2. non distinguit inter circunstantias mutantes, vel non mutantes speciem: sed tamen in idem incidit. Ait siquidem illas circunstantias esse confitendas, quæ sunt prohibitæ noua prohibitione, vt istæ modò relatæ. Et argumentum istorum est, quia si illæ quæ non mutant speciem, essent confitendæ, cum nulla ratione plus de aliquibus vrgeat, quàm de cunctis, omnes essent confitendæ, quod esset vanos scrupulos hominibus ingenerare. Caiet. in illa 3. q. citata de confessione consentit cum communi opinione in hoc, quòd non mutantes speciem non sunt necessariò confitendæ, sed putans se in hoc differre, ait quod neque omnes mutantes speciem sunt de necessitate confessionis. Nam diuinare, inquit, per terram, vel per astra, vel per aquam, differunt specie, & tamen non est necesse illas species confiteri. Attamen neque in hoc arbitror à communi opinione differre: nam quando S. Thom. & alij suæ opinionis patroni dicunt circunstantias mutantes speciem esse confitendas, intelligunt eas prorsus, quæ differunt in genere moris, vt exempla posita monstrant. Diuinare autem per astra vel per aquam, est differentia in genere naturæ, quare nunquam illi dicerent, quòd essent confitendæ, sicut nec furari sericum, aurum, vel pannū, dummodo fur explicet rei pretium.

Opinio quorundā.

Sco. opin.

Argum.

Caieta.

Colligamus ergo, quòd omnes mutantes speciem in genere moris sunt confitendæ, si sint mortales. Sed non mutantes, autores citati negant necessariò confitendas. At profectò pro mea ingenij tenuitate hanc statuerem. 7. concl. Omnis circunstantia notabili modo ad iudicium sapientis aggrauans peccatum, siue mutet, siue non mutet speciem, est necessariò confitenda. Conclu. est antiquorum: nempe Altisiodor. in materia de confessio. c. 3. & Alex. 4. p. q. 77: memb. 3. ar. 2. & inter recentiores est Marsil. in 4. q. 12. art. 1. & aliorum recentiorum d. 17. Probatur. Si circunstantiæ mutantes speciem sunt necessariò confitendæ, est quia mortaliter aggrauant, & in actu principali non explicantur: sed quædam non mutantes speciem sunt huiusmodi, ergo sunt confitendæ. Probatur minor. Demus verbi gratia furari decem aureos esse grauitatis, vt vnum: & furari eos ex ecclesia, esse grauitatis duplæ. arguitur sic. Furari mille aureos à mercatore multò est grauius quàm furari decem ab

Sententia autoris.

7. Concl.

Ratio conclusionis.

1. Argu.

ecclesia:

ecclesia: nam plus grauitatis addit furtum nongentorum nonaginta aureorum supra decem, quam illa circunstantia, vt sit ab ecclesia: ergo necesse est dicere quantitatem pretij. Secundò. Qui furatus est mille aureos, & tantum confitetur fecisse furtum mortale, ipsummet actum furti non explicat, vt de ipso possit sumi legitimum iudicium: si. n. postquam quis dixit fecisse mortale furtum, dicat se furatum mille, aut decem, aut centum millia, profectò longè aliter confessarius de illo homine iudicabit, & aliam pœnitentiam, aliudque remedium adhibebit. Et confirmatur tertiò. Siquis semel furatus est decem, & postea decem, & sic decies, debet omnia confiteri: ergo si semel furatus est mille: nam grauius hoc vnum peccatum est, quàm illa simul decem. Et arguitur quartò. Si qui furatur mille, non tenetur quantitatem confiteri, sequeretur, quòd & si mentiretur dicens non esse furatum nisi decem, non redderet inualidam confessionem: nam si illud quod celat, est de necessitate confessionis, consequitur conclusio nostra: si autem non est de necessitate, tunc mendacium non est in materia confessionis mortale, sed veniale, quod ipsam non inualidat: nam celare quantitatem furti non est pernicioſum, nisi quando fit ad excusandam restitutionem. Si ergo pœnitens haberet firmum propositum restituendi omnia, non mentiretur mortaliter illa celando: & tamen illud censetur mortale mendacium in confessione: ergo ratio est, quòd celata illa quantitas erat de necessitate confessionis. Quintò. Si quis decem homines sigillatim occidit, non integrè confitetur dicens occidisse, nisi dicat quot homines: ergo si vnico consensu mentis consentit decem occidere, vel vnico sulphureo iactu illos occidit, tenetur numerum exprimere: & tamen ille vnicus iactus si vnum tantum interficiat vel decem, non mutat speciem.

2. Argu. *3. Argu.* *4. Argu.* *5. Argu.*

Sextò arguitur. Qui firmum propositum occidendi hominem per diem integrum sine interpolatione habuit, vnico fuit maculatus peccato: & tamen tanto grauius peccat, quàm si sola vna hora illud habuisset, vt videatur confessu necessarium. Imò si quis identidem per diem odium illud intercideret, & crebrò repeteret, non opus esset vices illas numerare, sed posset confiteri, quòd per totum diem habuit illud odium. Ad hæc; tanta iræ excandescentia & furore quis posset hominem perinde atque canem trucidare, vt teneretur circunstantiam illam confiteri, licet non mutet speciem.

6. Argu.

Septimò incestus inter affines & inter consanguineos non differunt specie, vt Diuus Thom. 2.2. quæ. 154. arti. 9. autor est, & tamen profectò si quis accessisset ad sororem, non satis confiteretur dicens commisi incestum: nam illo nomine poterat intelligi concubitus cum consobrina vxoris, quo grauissimè peior est cum sorore. Quinuerò licet quis fortasse sustineat, quod cum sorore & matre non differant specie, nihilominus circunstantia cum matre est necessariò explicanda.

7. Argu.

Accedit his demum, quod differentias specificas rerum cognoscere, non est theologi munus, & multò minus plebanorum sacerdotum, tamen debent habere iudicium quantitatis peccati. Vnde Sanct. Tho. licet sic fuerit locutus in 4. cum communi opinione, fortasse in summa, quæ suum erat postremum testamentum, sententiam mutasset. Quòd si quæras ex circunstantijs non mutantibus speciem, quæ sint confitendæ. Dico illæ, quæ sic aggrauant, vt existimatio alia notabiliter sumeretur confitentis si illas explicaret. Leuius tamen aggrauantes minimè sunt confessioni necessariæ. Vbi præterea notandum est, quòd quando sunt plures partiales actiones ad vnam integram concurrentes, satis est finalem illan confiteri. Quæsiuit quis arma vt hominem occideret, armauit se, & explorauit vbi esset inimicus: omnia quidem sunt peccata, sed tamen si tandem occidit, satis est dicat, Occidi hominem. Eodem modo qui patratam fornicationem confitetur, non opus habet suauia & alios tactus confiteri. Rursus, si qui confitetur notus est confessario, non opus est dicat, se esse sacerdotem, aut coniugatum, aut monachum, qui rem veneream confitetur. Neque obstat, quod suprà † diximus, etiam peccata manifesta confitenda esse: nam illud est necessarium, vt alia peccata deferantur ad pœnitentiale iudicium: qui verò confitetur, iam eidem iudicio subditur. Dixerim leuiores circunstantias non esse

8. Argu. *Quanam circunstantijs non mutantibus speciem confitenda?* *Notanda.* *† Artic. præced.*

Leuiores circunstantias confiteri consilium est.

Circunstantia de die festo. Caietan.

D. Thom.

Quæ peccata aggrauentur ex circunstantia loci.

Stuprum an sit circunstantia distans à simplici fornicatione.

Raptus virginis & oppressio.

Authoris sententia.

necessitate confessionis, est tamen sæpissimè consilium, vt ait August. in dicto canon. Consideret. vi quasdam ad rem pertinentes explicet, vt si in die præcipuo festi scandalosum quis peccatum fecit, imo quamuis non sit festum: vt si forsan in die veneris sancto turpe flagitium commisit, aut si occidit virum sanctitate, literis, aut nobilitate insignem, aut ex leuissima causa, &c. aut si furatus est ab illo qui egestate laborabat, atque alia id genus.

De die autem festo dissidium est inter Scotum & qui eum sequuntur, atque alios. Scotus namque putat per quodcunque peccatum mortale transgredi præceptum. De quo dubio Caiet. instituit quæstionem quartam in quodlibe. 19. quæstionum, quo partem sustinet negatiuam: nam festum pertinet ad religionem, & ideo tantum consistit in cessatione ab opere seruili, vt opus seruile in sensu literali accipiatur: peccatum ergo, licet sit opus seruile in sensu spirituali, non frangit festum ad literam, sed qui in festo peccat, faciat contra intentionem festi, quæ est cultus Dei. Vnde S. Thom. 1.2. q. 122. ar. 4. ad tertium. Magis, inquit, facit contra præceptum seruandi festũ, id est, contra eius finem, qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit: finis autem præcepti, vt suprà diximus, non cadit sub præcepto. Et ideo non est necessariò confitenda circunstantia peccati, si fiat in die festo, sicut si fiat in loco sacro; quando illic effunditur vel sanguis, vel semen, vel surripitur res ecclesiæ: nam alia peccata licet fiant in loco sacro, non aggrauantur ex illa circunstantia. Propterea enim quod quisquam peieret in loco sacro, vel falsum testimonium dicat, non est circunstantia loci necessariò confitenda. Imò licet quis illic mente consentiat facere adulterium vel homicidium extra ecclesiam, non est circunstantia loci necessariò confitenda: est autem confitenda, si contrariò quis extra ecclesiam mente consentiat alterum illorum criminum perpetrare in ecclesia.

Enimuerò quod de peccato in re dictum est, idem de consensu mentis est intelligendum. Nempe si occidere in ecclesia, duplicem habet deformitatem, licet domi habeas illum consensum faciendi in ecclesia, non satis est confiteri consensum in homicidium, nisi adijcias, in ecclesia. Quare licet quis opere non fuerit adulter, si tamen in id mente consensit, non satis est confiteri se consensisse in fornicationem, nisi expresserit in adulterium.

De simplici verò stupro sæpe rogatus fui vtrùm consensus in ipsum sit specie sic distinctum à fornicatione, vt illa circunstantia sit necessariò confitenda. Puellæ namque ingenuæ, atque moniales dum eis accidit confiteri mentalem consensum in rem veneream, maximo suffunduntur pudore exprimere circunstantiam, sint ne virgines nec ne, imò & confessarios ipsos suppudet id interrogare. Vtrùm ergo necessaria sit illa interrogatio dubitatur: nam si stuprum omne speciem mutat, necessaria est: si autem non mutat, non est necessaria. Et quidem de raptu non est dubium quin faciat distinctam speciem, vt si quis per vim virginem violet, an per vim subtrahat, licet postea ipsa consentiat in actum: nam vis illa manifestaria est iniuria contra iustitiam, vt Diuus Tho. 2. 2. q. 154. ar. 7. bene docet. Si tamen sit simplex stuprum sine vi, quia puella vltrò consentit, imò rogat iuuenem, non ita certum est mutare speciem. In primis. n. idem S. doctor ibidem ar. 6. non id simpliciter asserit de omni virgine, sed de illa, quæ est sub cura parentum. Et adducit rationem mutationis speciei ex parte puellæ: quia inhabilem se reddit matrimonio. At re vera vt meam tenuem opinionem proferam, non clarè video, saltem si puella, quæ non est sub cura parentum, vel masculus etiam virgo sua sponte vult virginitatem perdere, quod sit distincta species luxuriæ à simplici fornicatione: nam puella est domina sui corporis in illo vsu sicuti puer. Caieta. ait quod non est domina magis quàm alterius membri ad scindendum: ita quòd sicut non potest abscindere sibi digitum, non potest aperire illam partem nisi per viam matrimonij. Sed illa est metaphysica, quam S. Thom. non somniauit. Peccat enim peccato luxuriæ, non tamen iniustitiæ, sicut si abscinderet digitum. Imò sicut homo est dominus oculorum ad videndum, & pedum ad ambulandum, ita & illius partis ad illum actum, vt citra iniustitiam id possit facere.

Et li-

Digitized by Google

Et licet se reddat inhabilem ad matrimonium, hoc est, accidentarium in puella, nam masculus non se reddit inhabilem, & pariter etsi vult se facere inhabilem, nemini facit iniuriam. Imò fortasse licet esset sub cura parentum, postquam ipsa est domina sui corporis, licet illis faceret aliquam iniuriam, non mutaret speciem. Secùs de vxore, quæ suam fidem alligauit viro. Si quis ergo habet contrariam opinionem, abundet in suo sensu: sed tamen arbitror hanc esse probabilem. Et ideo non debet confessarius tantùm pudefacere puellas interrogando, an sint virgines, vel corruptæ, Præsertim quia sæpe cum ait se consensisse in illam obscœnitatem, coniectura sit esse corruptam, alioqui ipsa non interrogata diceret esse virginem. Quando verò confitetur perpetratum opus, tunc bonum est quærere an fuerat virgo, & etiam a masculo: nam siue muter speciem siue non, est graue detrimentum: quia irrecuperabiliter illic perditur aureola virginitatis, & puella grandem fecit iacturam honoris, & periculum sibi creauit si postea a marito non reperiatur integra.

Coiectura.

Quando verò cogitatio & delectatio mentis non est mortalis, sed citra consensum venialis, tunc quia venialia non sunt de essentia confessionis, potest quis confiteri genus peccati sine specie, vt si quis passus est cogitationes adulterij, vel alius absurdioris flagitij, potest confiteri dicendo duntaxat: quòd passus est cogitationes venereas. Est autem multò salubrius postquàm venialia illa confitetur, species etiam quantumcunque impudicas explicare: quia erubescentia esse potest tum meritum apud Deum, vt pœnitenti opituletur, tum etiam naturalem causam, vt ipse se compescat. Et sic vtroque modo tales cogitationes abigantur. At postquam de confessarij interrogationibus dicere cœpimus, hoc etiam explorandum, vtrum teneantur interrogare pœnitentes. Ad quod respondetur (& est notandum) quod officium per se confessarij non est interrogare, sed audire pœnitentem. In foro namque criminali, quòd procedit ad punitionem, debet iudex interrogationibus rerum examinare, sed in foro pœnitentiario, quod non procedit per vim coactiuam ad extorquendam confessionem, sed per spontaneam voluntatem confitentis, quantùm est de se, satis est simplicem confessionem audire, & secundum illam iudicare. Vnde in canone supra citato. Consideret. non admonetur confessarius inquirere, sed pœnitens sua peccata & qualitates considerare. Sola ergo pœnitentis ignorantia est in causa, vt canon. Omnis vtriusque sexus. discretum sacerdotem admoneat, vt diligenter peccatoris circunstantias & peccati inquirat, pœnitentisque adeò conscientiam aliquibus interrogationibus perscrutetur. Hoc aduersus ista confessionalia, quæ vulgò circumferuntur commonuerim, in quibus tantus est interrogationum acerruus, vt pœnitentibus salubrius esset illarum multas ignorare, præsertim cum nonnulli sacerdotes vt earum se peritos ostendant, nullam prætermittant: cum tamen confessarij munus sit huc potius totis neruis incumbere vt pœnitentem firmissimo proposito confirmet, vt in futurum caueat. Finis enim confessionis est pœnitentis salus, quæ præuia diuina ope in illo proposito & cautela consistit, vt summam det operam nunquam amplius recidendi. Et tamen videas quam plurimos tam confitentes quàm confessarios, qui putant totum negotium consistere in hoc, quòd nihil inconfessum prætereatur. Cæterùm de terrore & persuasione in futurum nec verbum vllum. Qui quidem mihi videntur, vt est in euangelio, domum scopis mundare, vt spiritus immundus cum suis septem satellitibus, reuersus illam inundatam inueniat.

An confessarij teneantur interrogare pœnitentes.

Confessarij munus, & confessionis finis.

Matt. 12.

Igitur prudentia sacerdotis sit vbi pœnitens cordatus apparet, neque tanta sarcina peccatorum onustus, dicitque se diligentiam fecisse pro sua virili, & iudicio suo nullius esse oblitum delicti: nil amplius interrogare.

Nota consilium.

Vbi autem pœnitens non apparet tanta prudentia præditus, nec tantam suæ conscientiæ curam gerere, ea prorsus interroget, quæ secundum suum statum & officium verisimile est incurrisse citra molestam minutiarum perscrutationem: & potissimum, vt D. Thom. loco citato distinct. 16. quæst. 3. admonet, de re venerea non sunt interrogationes multiplicandæ, tum vt pudori consulatur, tum vt occurratur periculo hc illecebra sese insinuet.

Pro statu pœnitens intorrogandus. Venereorum interrog. non multiplicanda.

Ad primum itaque argumentum iam responsum est, quòd ad contritionem satis est habere propositum confessionis, & ideo satis est si sit in principio generalis: quando tamen articulus confessionis instat, esse debet singularis, vt expositum est, & talem esse decet singulorum confessionem.

Sol. 1. argum.

Ad secundum Alexand. 4. part. quæst. 77. mem. 3. respondet, non omnes teneri ad confitendas omnes circunstantias etiam aggrauantes mortaliter, sed doctiores: nam simplices non tenentur eas scire, sed tenentur ad interrogata sacerdotis respondere. Attamen verius & propriùs respondetur, omnes æqualiter teneri: quapropter canon generaliter dicit, quòd omnes confiteantur omnia: sed tamen simplices per ignorantiam inuincibilem nonnunquam excusantur, non solum nescientes circunstantias, sed & peccata ipsa, quia nō omnia peccata mortalia intelligunt quousque instruantur.

Sol. 2. argum.

Etiam simplices ad circumstantiarū confessionem teneri.

Ex hac verò solutione exurgit dubitatio scitu digna, vtrùm dum pœnitens aliqua ignorantia laborat, quæ illi est inuincibilis, & tamen certissimum est esse errorem, teneatur confessarius pœnitentem docere veritatem. Exempli gratia. Est mulier, quæ clandestinè nupsit vni, cum quo copulam non consummauit, & postea in publico alteri mātrimonio coniungitur ex quo filios suscepit, putat illud secundum matrimonium esse validum, cum tamen omni procul dubio non sit nisi primum. Vtrùm teneatur confessarius illam admonere: nam quòd non teneatur, est hoc maximum argumentum. Id quod non prodesse, sed obesse potest, sub præcepto charitatis non cadit: sed admonitio illa est eiusmodi, nam quamuis mulier illa in iudicio iuret illum non esse suum, sed alium, nulla ei adhibebitur fides, sed cogetur manere cum secundo, cui in facie ecclesiæ coniuncta est. Imò si separarentur, manerent filij patrimonio destituti, qui haberentur illegitimi: nullus ergo erit talis admonitionis fructus. In primis hic distinguendum est: nam vel illam ignorantiam citra diuersitatem opinionum certum est esse errorem, vt in exemplo proposito, aut consistit in opinionum diuersitate: scilicet, quia controuertatur inter doctores, an talis contractus sit vsurarius, vel vtrùm pensionis genus super beneficio sit licitum. Et de isto secundo membro, vt singula proprijs locis examinentur, disputabitur articulo proximo, vtrum scilicet pœnitens teneatur in omnibus confessario parere. Prius autem membrum est præsentis loci. Et quidem Adrianus quæstione quinta, de confessio. dubio. 6. distinguit de ignorantia pœnitentis, sit ne iuris diuini, an humani, an facti. Si sit ignorantia iuris diuini, ponit generalem conclusionem absque exceptione, quòd siue sacerdos se profuturum existimet, siue secùs: imò quamuis nocere credat, tenetur pœnitenti veritatem detegere. Et ratio eius est, quia ignorantia diuini iuris nunquam est inuincibilis, nisi quando non est qui veritatem docere valeat: cùm ergo tunc sacerdos pœnitentem possit illuminare, tenetur. Quòd si contrà arguas. Melius illi pœnitenti esset sua ignorantia inuincibili laborare, qua à peccato excusabatur, quam miserum tantis incommodis intricare. Respondetur, quòd non est tam consulendum commodo particulari illius, quàm veritati diuinæ, quæ vergit in vtilitatem communem, elucidandæ: nam vt ait Grego. vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas victa relinquatur. de reg. iur. in decretalib. Et Ambros. sermo. 83. Ego interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentiæ sustinere iudicium. Et Aposto. actum, 20. Mundus ego sum à sanguine omnium vestrum: non enim prætersugi quominus anunciarem verbum Dei vobis. Quem textum Grego. distinctio. 42. can. Ephesijs, ad hoc propositum citat. Si autem sit ignorantia iuris humani, quod omnes scire tenentur, quia semper publicatur in Ecclesijs, vt siquis est matrimonio copulatus cum consanguinea in quarto gradu ignorans gradum illum esse prohibitum, eadem est ratio siue sacerdos prodesse putet, siue secus. Si verò est ignorantia humani iuris vel facti quod non omnes scire tenentur, est tamen in præiudicium tertij, tunc si confessarius putat se posse prodesse tenetur, sin minus, non tenetur. Et multò minus si non vergat in præ-

Sol. 1. argum.

Dubium. An ignorans peccata sit à confessario instruendus.

Hic casus post Concil. in Trid. non habet locum vide Sess. 24. cap. 1. refor. Pars negatiua.

Prænotanda.

Adrian. Opinio.

De ignorantia diuini iuris.

Ratio.

Obiectio.

Dilatio.

Ambros.

De ignorantia iuris humani.

iudi

iudicium tertij. Multa alia de hac re inculcat illic Adrianus.

Authoris sententia. 1. Propositio.

At verò non opus est tam multis distinctionibus, sed per has propositiones luculentiùs respondetur. In primis, nemini vlla de causa licitum est mentiri, & multò minus sacerdoti in sacramento. Quapropter neque ad tollendum scandalum, neque ad liberandum hominem à morte æterna fas illi est dicere pœnitenti, vt in illo facto maneat, quod ex errore nascitur, qui citra dubium error est. Quare si suam taciturnitatem & dissimulationem pœnitens prudenter posset interpretari in fauorem sui erroris, non licet aliquo modo tacere. Vt si in casu præsenti mulier sub dubio confiteretur scrupulum suum, an ille esset suus maritus, non liceret sacerdoti tacere, sed deberet veritatem explicare: quia suum silentium illa acciperet ceu responsum, quod suum matrimonium erat iuridicum. Et hoc est verum de quacunque ignorantia, siue iuris diuini, aut humani, siue facti.

2. Propos.

Secundum assertum sit. Quando ignorantia est iuris, quod omnes tenentur scire, siue diuini, siue humani, vel facti, quod ille pœnitens scire tenetur, sacerdos obligatur pœnitentem instruere quicquid sequatur, siue profit, siue obsit. Res est clara: nam omnis talis ignorantia est culpabilis, & peccatum. Quare si pœnitens ignorat articulum aliquem fidei, nulla de causa debet silere sacerdos, sed illum docere. Si autem ignorantia sit eorum, quæ non omnes tenentur scire, siue sit iuris diuini, siue humani, tunc distinguendum est. Si sacerdos viderit, quòd possit prodesse, idque sine graui scandalo, tunc tenetur rem detegere. Si verò videt, quòd nullatenus prodesse potest, aut sine graui scandalo, tunc tenetur tacere, & dissimulare, si non interrogatur, aut si alter non confitetur de illo, tanquam de re scrupulosa. Verbi gratia. In exemplo præsenti ignorantia est diuini iuris nescire, quòd matrimonium primum sit validum, & secundum irritum: sed tamen non omnes id tenentur scire: imò inter sacerdotes plurimi id ignorant. Videt tamen sacerdos, quòd maritus non credet vxori dicenti, quòd primò fuerat alij nupta: imò à iudice compelletur manere cum illo. Quare tunc nihil aliud sacerdos si diceret ageret, quam cogere miseram mulierem, vt nunquam posset debitum petere, imò neque reddere: nam cum sciat illum non esse suum, scit subinde, quòd ad illum quomodocunque accedere est fornicari, quod priusquam faciat mori debet. In hoc ergo casu tacendum est: in quo quicquid dicat Adria. locum habet sententia August. de pœniten. distinctione septima. can. Si quis. in secundo. Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Præterea etiam est attendendum, si magnum scandalum sequeretur ex separatione: quia sunt personæ nobiles, aut aliàs aliquod nomen habentes in republica, & habentes liberos. Et idem est de ignorantia humani iuris, vt si ignorans putet matrimonium in quarto gradu esse licitum: aut ignorantia facti, vt si ignoret maritum suum esse sibi consanguineum, cùm tamen sit.

Dei ignorãtia iuris siue diuini, siue humani vel facti, quod omnes scire, aut non omnes scire tenentur: & nota.

Adrianus.

Solu. arg. Adria.

Vnde ad argumentum Adriani respondetur, quòd ille, qui inuincibiliter ignorat diuinum ius, non tenetur doctorem inquirere, quem de re illa consulat. Quare si de illo non facit scrupulum in confessione, sacerdos non tenetur pœnitentem illum errorem docere. Quocirca ignorantia semper manet inuincibilis. Quòd si roges vtrùm si mulier illa aliâ de causa debitum reuueret coniugi reddere, deberet sacerdos eam admonere, vt redderet. Apparet enim quòd deberet, postquàm inuincibiliter ignorat suum esse maritum. Respondetur nequaquam debere: quia illud esset affirmare illum esse suum, sed posset in genere dicere, quòd vxores tenentur suis viris debitum reddere.

Dubium.

Valde notandum.

Est hic tamen valde adnotandum, aliquam posse esse ignorantiam vni inuincibilem, quæ alteri posset esse vincibilis, & culpabilis. Ignorantia enim humani iuris de matrimonio non contrahendo in quarto gradu, certè longè paucioribus est inuincibilis, quàm alia iuris diuini, quòd primum matrimonium est, quod valet. Et ideo sacerdos prudentiæ acumine vti debet, vt ex qualitate personæ, quæ confitetur, & ex alijs coniecturis perpendat, vtrum illa ignorantia in illa sit crassa, & supina, quam tenetur vincere, tunc enim etiam si sit ignorantia facti tenetur illum admonere.

Ad autoritare. Pau. Ambros. & Gregor.

Ad autoritates autem Paul. Ambro. & Grego. respondetur, quòd loquuntur cum concionatoribus, qui publicè veritatem prædicant: illi enim debent nudas veritates propalare, & iura exponere, quemcunque tangant. Tametsi etiam dum scandalum pusillorum in tota republica timeretur, in aliud tempus esset dissimulandum. Sed tamen consideratio hæc non est præsentis loci.

Solut. 3.

Ad tertium denique argumentum, quod de diligentia ad recolendum peccata fiebat, respondetur, præceptum de facienda diligentia esse non solùm humanum, sed diuinum, non quod vllum extet de hoc singulare, sed quòd eodem præcepto, quo tenemur confiteri peccata omnia cum suis circunstantijs, tenemur diligentem nauare operam discurrendo per tempora, & loca, & personas, & per negocia, in quibus fumus versati, vt ea in memoriam reuocemus, quæ confiteri tenemur. Quo enim quis iure ad opus aliquod tenetur, compellitur & ad media, quæ illi sunt necessaria. Ob idque ait Scot. distinctio. 17. quòd debet homo tantam inquisitionem facere, quantam in negocio faceret arduo, quod sibi multum esset cordi. Attamen diligentia hæc existimari debet secundùm qualitatem personæ, & negotiorum pericula, in quibus versatur. Qui enim curam habet conscientiæ suæ coram Deo, & quotannis confitetur, neque verò mercaturam exercet, aut alia negotia, in quibus mendacia, vel periuria, vel vsuræ, vel mulierum consortia accidere solent, non est diuturna diligentia necessaria. Vbi autem ista crebra esse solent, solertior adhibenda est inquisitio ad arbitrium prudentis, quam cùm quisque fecerit, quamuis probabilem habeat coniecturam, quòd si prolixiorem fecerit indaginem, aliqua occurrent peccata, quæ tunc non occurrunt, non ideo perstringitur plus temporis inquirendo consumere: quia nemo tenetur totum prorsus facere quantum potest, sed quantum pro rei qualitate decet, cum proposito postea confitendi, si quorum tunc oblitus est, postmodum memoriæ succurrerint: finis enim, vt diximus † confessionis non tam est diligentissima inquisitio ad memorandum omnia, vt nullum obliuioni tradatur, quàm firmissimum propositum, vt omnia relinquantur. Quapropter solertem illorum curam, qui peccata scribunt ne obliuioni tradantur, sic non vituperò, vt tamen neque consulam. Haud enim ad discretam secretamque confessionis rationem id certè pertinere videtur, maximè si peccata sunt infamia, & quæ possent hominem in periculum conijcere: multa enim inde mala succrescere solent. Igitur quatumcunque quis lubricitate, & debilitate memoriæ laboret, non ad aliud tenetur quàm mente disquirere. Et quæ illo modo memoriæ non succurrerint, nullam culpam adferunt, licet propter obliuionem prætermittatur eorum confessio.

Scotus.

Diligenter attendeda qualitas personæ & negotiorũ.

† *Post institum art.*

Qui peccata scribunt ne memoriæ excidam.

ARTICVLVS V.

Vtrùm necessarium sit omnia peccata eidem confiteri.

QVONIAM diximus non confiteri omnia, sictam reddere confessionem: & non omnia confiteri eidem eandem facere dimidiatam, arguitur, non esse necessarium eidem omnia confiteri.

Multa sed confessarijs scitu necessarij sunt in hoc artic. Par. negat. arg. 1.

Primum de impedimento naturali. Si quis in articulo mortis confiteri incepit, & instante morte non potest confessionem perficere, nihilominus est absoluendus: quandoquidem quod dicere cœpit, confessio est: & quod omisit, non fuit in sua potestate perficere. Quòd si concedatur, absolutionem tunc esse exhibendam sacramentalem: sequeretur pari ratione, quòd etiam dum nullum peccatum posset verbo aut nutu in particulari exprimere deberet infirmus sacramentaliter absolui, quod ex concilio Cartha. 4. cano. Is qui in infirmitate. & ex canone Leonis. His qui tempore 26. quæst. 6. colligendum apparet: consequens autem est falsum, quia illic non est confessio.

Concilium Carthag.

Secundò, de impedimento legali arguitur. Vsu venire solet, quòd pœnitens aliqua commiserit scelera superiori reseruata, atque alia non reseruata: potest ergo non reseruata inferiori confiteri,

2. Argu.

Digitized by Google

& alia tacere quousque superiorem adire possit: ergo dimidiare confessionem non semper est crimen.

3. Argu. Tertiò arguitur. Accidere potest, vt sit quispiam de aliquo peccato confessurus: quòd sibi aut suo proprio sacerdoti graue periculum offerat, tunc ergo licitum erit illo prætermisso reliqua confiteri, atque adeò non semper dimidiare confessionem est peccatum: nam vt Bernar. in libro de præcepto autor est, quod pro charitate institutum est, contra charitatem militare non debet. *Exemplū.* Exemplum est, si puella impudicè amat sacerdotem, qui solus est in oppido, si confiteatur mentale sacrilegium carnis, sacerdos facilè deprehendet se esse illum, de quo confitetur, quod præsentaneum erit periculum, vt ipse etiam consentiat. *Exemplū.* Item si secretò occisus est pater, aut frater, aut filius sacerdotis, & homicida confiteatur ei hominem occidisse, facilè sacerdos conijciet ab illo suum consanguineum fuisse occisum, & sic periculum erit ne se aut proprio marte, aut iuridicè vindicet: tunc ergo licitum erit confessionem detruncare.

4. Argu. Quartò. Vsu sæpe venire potest, non posse quempiam circunstantiam peccati bene exprimere nisi alium infamando, quod est contra charitatem: vt verbi gratia, si quis nefandam consuetudinem habuit cum matre, nec habere potest copiam sacerdotis, nisi qui illam nouerit: ergo tunc illa circunstantia tacita non mutilatur confessio.

5. Argu. Quintò. Accidit sæpè, vt pœnitens aliam habeat opinionem circa aliquos dubios casus quam sacerdos, vt putet non esse peccata, quæ sacerdos pro peccatis ducit. Tunc ergo pœnitens non tenebitur ei auscultare & obediens esse: ergo in tali casu pœnitens poterit confessionem detruncare, & ad alium sacerdotem recurrere.

Pars affirmatiua. In contrarium autem est sententia illa libro de vera & falsa pœnitentia. can. Consideret. de pœniten. distinctione quinta. Cautus sit pœnitens, ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa velit diuersis sacerdotibus manifestare, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere.

Conclusio affirm. Ad quæstionem ita conclusione affirmatiua respondetur. Quantum confessionis natura deposcit, omnia peccata cum suis circunstantijs sunt eidem sacerdoti confitenda: quod si secus fiat, confessio est dimidiata. Probat hoc S. Thom. distinct. 17. quæst. 3. art. 4. per analogiam ad corporis medicinam. Et enim quia morbi contrarij esse solent, vt quod vni prodest, alteri noceat, & vnus ex alterius coniunctione aggrauari solet, necessarium est vt medicus totam infirmi habitudinem cognoscat, tum vt cuiuslibet morbi grauitatem perpendat, tum vt sic vni medeatur, vt nulli noceat: pari ergo ratione spiritualis medicus debet totam peccatoris habitudinem intelligere, quod fieri non potest, nisi pœnitens omnia eidem sacerdoti confiteatur.

Similè.

Durand. Durand. quidem distinct. 17. quæst. 15. licet conclusionem approbet, rationem tamen inualidam contendit ostendere: quoniam circunstantiæ, inquit, aggrauantes non sunt de necessitate confessionis, nisi quando speciem mutant: illa autem grauitas, quam vnum peccatum ex coniunctione alterius contrahit, non vertitur in aliam speciem: atque adeò non est de necessitate confessionis. Neque verò propter medicinam adhibendam est necessarium, vt confessio vni fiat: nam medicina curatiua, est gratia, quæ omnibus peccatis est communis: medicina autem præseruatiua non est necessaria, quia non est de essentia pœnitentiæ, quòd homo deinceps nunquam in eadem peccata recidat. *Palud. & Capreol.* Palud. ead. distin. & Capreolus multam literam contra Duran. consumunt, vt D. Tho. tueantur. At verò non est res tanti momenti: in re enim morali D. Tho. non contendit demonstrationem facere. Sumitur tamen optimè ratio hæc ex fine confessionis, qui est, vt pœnitens claubus ecclesiæ subditus vitam emendet. Vnde licet non sit de essentia pœnitentiæ, vt nullum sequatur recidiuum, nihilominus natura confessionis secum adfert, vt debeat se syncerè pœnitens vni medico qualis est, talem ostendere, vt mederi illi sacerdos possit. Et certè ratio, quam adducit Durand. non tantum vigoris habet quàm hæc: arguit enim quòd sicut contritio apud Deum non potest esse de aliquibus peccatis, quin sit de omnibus, ita nec confessio. Hac autem ratione nos supra vsi sumus ad probandum omnia peccata esse necessariò confitenda. non tamen tantam vim habet ad probandum, quòd sint eidem propalanda. Accedit etiam ex parte pœnitentis, quòd licet erubescentia multiplicior sit, vt verbo S. Thom. vtamur quantò inter plures diuiditur, non tamen tam grandis est, quam si vni totam sentinam pectoris tui pandas.

Dur. ratio infirma.

Expositio conclus. Alia est confessio per se dimidiata; alia per accidens. Casus in quibus cõfessio per accidens dimidiata. At verò quando dicimus confessionem, quæ vni non fit integrè, esse dimidiatam, ac perinde vitiosam, intelligitur quando per se est dimidiata: secus si dimidietur per accidens. Per se autem dimidiata dicitur illa quæ ex intentione diuiditur: videlicet, non vrgente legitima causa. Si autem id legitima causa fiat, mutilatur per accidens. Verbi gratia. Si quis vult generaliter confiteri, & hodie confitetur quædam, cras alia, & deinde alia, & sic per hebdomadam, nunquam confessionem dimidiat: quia fertur intentio ad vnam absolutionem faciendam. Eodem iure si quis confiteatur aliqua venialia, & non alia, quia ad ea confitenda non tenetur, non per se detruncat. Item si quis vult confessionem iterare quorundam mortalium, de quibus legitimè confessus est, licet non omnia confiteatur, non dimidiat.

Imò licet in tali casu intendat generalem omnium confessionem facere, potest hodie partem confiteri, & ab illis absolui, & cras aliam partem, & tunc absolui, & sic per hebdomadam. Quinetiam si diuersis sacerdotibus confiteretur, non esset dimidiatio, quamuis esse forsan posset genus hypocrisis, non se tam peccatorem vni ostendere, quam fuerit. Præterea si quis fecit diligentiam solertem ad arbitrium prudentis, & illa quorum non recordatur, non confitetur, postea dum in memoriam venerint, licet teneatur eadem suo tempore confiteri, non tamen eidem sacerdoti. Dubium autem esset si ex culpabili negligentia non omnia recolit. Tunc enim Caieta. verb. Confessio. 1. conditio. 10. dicere videtur perinde esse ac si ex intentione dimidiaret. Hoc autem examinabitur quæstione sequenti, vbi de iteranda confessione acturi sumus.

Circun. argum. De non integrè confitente in mortis articulo. An absoluendus? Negatiua pars refutatur, affirm. stabilitur. Difficultates autem circa hanc conclusionem argumenta facta offerunt non contemnendas, & primum argumentum est de impedimento naturæ, cum quis in articulo mortis confiteri integrè non potest. Vbi duas arbitror extremas opiniones esse cauendas. Vergere enim quidam possent in hoc extremum, quòd licet aliqua confiteretur, & mente conturbatus non posset omnia, non esset absoluendus, quia non est integra confessio. Hoc autem citra dubium arbitror esse falsum, imò quodcunque peccatum infimus in illo articulo, vel voce, vel nutu explicet in particulari, quantumcunque veniale, si vltra progredi non valet, est sacramentaliter absoluendus. Et ratio est, quia illa est confessio, postquam est expressio peccati in particulari, de quo sacerdos iudicare potest. Neque vitium habet dimidiationis: nam si, vt quamproximè dicturi sumus, aliqua est causa legitima diuidendæ confessionis, nulla esse potest magis quam impossibilitas, quæ à natura procedit. Nec satis est respondere, quòd tunc contritio illi sufficiet apud Deum; nam euenire posset, vt ille esset solum attritus qui per sacramentum fieret contritus, nec tamen in promptu subueniri illi posset per Eucharistiam: & cùm ius ille habeat ad absolutionem, iniuriosum sacrilegium esset eam illi denegare, eo præsertim articulo, quo in re dubia in eam partem inclinandum est, vt ecclesiasticis subsidijs exeunti ab hac vita succurratur.

De eo qui nec voce, nec nutu peccatum valet exprimere: an absoluendus. Resp. negatiua. In aliud extremum procul dubio peccarent, qui affirmarent, quòd in illo articulo quamuis infirmus non valeat nec voce, nec nutu in particulari aliquod peccatum exprimere, dummodo contritionis signa in genere ostendat, debeat illi sacramentalis absolutio impendi. Enimuerò nisi aliquid delictum in particulari, nutu saltem designet, non est sacramentaliter absoluendus. Id quod Abulensis super Matth. cap. 16. quæstio. 79. tanquam rem manifestam breuissimè asseruit. Est tamen res certior, quàm vt Abulensis, vel cuiuspiam autoritate indigeat. Ob id namque nec S. Thom. nec vllus alius de hac re disputauit, quòd nullus de eo vnquam ambegit. Sed quia quosdam contrarium opinantes audiui, operæpretium

duxi

duxi canones, quos ad id falsò afferunt exponere, & rationem veritatis subijcere. Citant enim, canonem. Is qui in infirmitate. 26. quæstio. 7. Estque concilij Carthag. 4. cap. 77. cuius verba sunt. Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si autem superuixerit, subdatur pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos qui pœnitentiam dedit, probauerit.

Canon. Is qui in infirmitate. 26. q. 7. pro affirm. parte.

Expositio canon.

Hic autem primum omnium nulla fit mentio signorum contritionis, quæ infirmus in præsentia sacerdotis debet ostendere, ac perinde nullus modus confessionis infirmi insinuatur. Sed quamuis dum sacerdos venerit, iam ille per phrenesim iudicio careat ad ostendendum illa signa, per solum testimonium testium iubetur sacerdos infirmo pœnitentiam dare, & ipsum reconciliare. Igitur cum illic nulla fiat confessionis mentio, nulla suspicio esse potest, vt nomine pœnitentiæ intelligatur sacramentalis absolutio; nam ille infirmus neque in genere, neque in specie, neque nutibus insinuatur confessus sacerdoti: quippe cum quicquid in eius absentia infirmus dixerit, vel fecerit, nullam confessionis imaginem habere potuit. Alioqui concedendum esset, quod qui in carcere occlusus nullatenus potest præsentia sacerdotis potiri, si peccata sua diceret seruo, quia illa deferret in aurem sacerdotis, esset confessio, quod nemo sanæ fidei dicere audebit, cum confessio sit personalis actio, quæ ideo debet sacerdoti immediatè fieri. Loquitur ergo plane canon de ijs qui erant in pœnitentia publica, vt præcedentia capitula eiusdem synodi ostendunt. Est enim capitul. 75. vt sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat, & cap. 76. vt negligentiores pœnitentes tardius reconcilientur. Et tunc subditur caput sequens. Is qui, &c. Accipiat ergo pœnitentiam, idem est, quod accipiat reconciliationis absolutionem, vt bene ait gloss. quæ quidem forma habetur c. A nobis. 2. de sentent. excommunic. fiebat enim cum psalmo pœnitentiali, & oratione Dominica, &c. Et ideo subnectit canon, quod si superuixerit, statutis pœnitentiæ legibus subdatur. Nam, vt habetur in dicto c. A nobis. quamuis pœnitens esset apud Deum virtute pœnitentiæ reconciliatus, debebat tamen reconciliari Ecclesiæ. Quare, vt ibidem subditur, etiam infirmo morte præuento impendebatur, vt posset populus cum mortuo in exequijs communicare. Et de eadem reconciliatione loquitur canon eiusdem concilij. ægrotantes, de consecratione dictinctione quarta, vbi habetur, quòd si ægrotans per se non possit respondere, sufficiat testimonium, quod petierit baptismum, vt baptizetur, & idem sit de pœnitentibus, scilicet publicis. De quibus etiam planè loquitur & Arausicanum concilium cap. 12. vbi ait, Subitò obmutescens & baptizari & pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet aut præsentis in suo nutu. De eadem quoque reconciliatione sancitur in concilio Carth. 2. vt ibidem refertur. c. Aurelius. quod si Episcopus adfuerit, per ipsum fiat in articulo mortis reconciliatio: sin minus, de eius licentia. Atqui de eadem ad literam reconciliatione loquitur Leo in subsequenti canone. His qui in tempore. Et est in epistola eius ad Theodorum 69. vbi admonet vniuersos pœnitentes ante mortis periculum reconciliari; nam vt legitur Ezechiel. 18. Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Quòd si aliqua ægritudine grauati, quod paulo ante, inquit, poscebant, sub præsenti significare non valeant, testimonium eis fidelium & circunstantium prodesse debebit. Quis autem dicere audeat testimonium testium valere pro confessione infirmi nihil potentis significare, vt sacramentaliter absoluatur? Meridie igitur fulgentius est canones istos neque superficie tenus de confessione aut absolutione sacramentali loqui. Quare neque vllo ficto colore adduci possunt ad probandum generalia signa contritionis pro confessione valere, vt possit infirmo sacramentalis absolutio exhiberi.

Nomine pœnitentiæ non intelligitur sacramentalis confessio.

Sed pœnitentia publica intelligitur.

Canon. His qui in tempore.

Probatur responsio neg.

Opinione ergo, quæ ex canonibus negligenter inspectis gigni posset, exclusâ, probatur conclusio. Confessio vt dictum est, pars est distincta à contritione, eademque ad absolutionem necessaria: nam sacerdos claue potestatis ad absoluendum vti non potest nisi præcedente iudicio per clauem scientiæ: qui autem solum ostendit in genere contritionis signa nullo explicato particulari peccato, nõ confitetur sacramentali confessione, per quam possit sacerdos vti claue scientiæ: ergo non potest sacramentaliter absolui. Priorem præmissam nemo negare valet: minorem autem ipsi opinionis contrariæ fautores videntur concedere. Aiunt enim, quòd ille non potest confiteri: si ergo non potest, non confitetur. Quòd autem confiteri non possit, satis est ad liberandum hominem pro tunc à præcepto confessionis, quod & nos quoque excusare fatemur: non tamen sufficit, vt dicatur confessio. Quapropter absque sacramento absolutionis porrigenda est ei Eucharistia, quæ potest eum facere ex attrito contritum, attamen sacramentum pœnitentiæ nullum est.

Signa contritionis, non sunt confessio.

Alij verò cordatiùs negant illa signa non esse confessionem: imò aiunt esse confessionem generalem, quæ sufficit ad sacramentum pœnitentiæ. Contra hoc autem arguitur. Confessio sacramentalis debet esse actus iudicialis, vt sacerdos iudicare possit de conscientia pœnitentis: iudicium autem est actus prudentiæ, quod ideo fieri nõ potest, nisi re in particulari cognita, vt 2. 2. quæstiõ. 47. articulo tertio, autor est D. Thom. ergo generalis illa confessio non sufficit ad absolutionem, quæ est forma sacramenti. Et declaratur amplius, confirmaturque argumentum. Verbum illud generale, Ego sum peccator, cõmune est & sanctis hominibus, & peccatoribus: quò enim quis magis iustus est, eò se maiorem peccatorem confitetur: quare ex illo verbo non sumitur iudicium, vt ille habeat aliqua peccata, alioqui si postquàm infirmus legitimè confessus est, & postea loquela priuatus, ostenderet signa contritionis, iterum esset absoluendus sacramentaliter: & si deinde iterum atque iterum eadem ostenderet signa, iterum atque iterum esset absoluendus. Quis enim in illo articulo non illa signa ostendat, quamuis certissimus sit legitimè fuisse confessum? Quod si quis dicat non opus esse, sacerdotes iudicium tunc sumere de statu hominis, eo quòd non sit ei tunc pœnitentiam iniuncturus: cauillum est frigidum. Quod enim non sit iniungenda pœnitentia, accidit ex debilitate infirmi, qui non potest adimplere. Nos autem arguimus ex natura confessionis, quæ debet esse actus iudiciarius, atque adeò singularium cognitio. In summâ signa illa nihil aliud sunt quam contritionis indicia: cùm ergo confessio alia sit pars à contritione distincta, nequaquàm illa sufficiunt, vt pro confessione habeantur. Fingunt aliqui, quòd si infirmus sic illa ostendat signa, vt sacerdoti annuat, qui ipsum absoluat, valeat pro confessione. At verò insinuatio illa non est nisi velut effigies petitionis absolutionis: petitio autẽ absolutionis nullatenus est confessio, quia non est peccati explicatio. Neque si in genere dicat se habere peccata. Neque est cur nobis verbum obijciatur S. Thom. in 4. distinctio. 22. quæstione secunda, articulo primo, ad primum, vbi ait, quod confessio generalis nonnunquam est sacramentalis: ipse enim se planè exponit exemplum subijciens, cùm pœnitens illa, quorum meminit, in secreto sacerdoti confitetur: tunc enim adiecta generalis confessio venialium & oblitorum, est sacramentalis, quod nos fatemur ingenuè. Secùs autem vbi nullum exprimeretur in particulari. Imò illic protinus D. Thom. in solutione secundi confirmat nostram sententiam, dicens, quod ad confessionem sacramentalem, quæ iudicium sacerdotis expectat, requiritur aliqualis peccatorum manifestatio: scilicet in specie, per quam sacerdos iudicare de homine possit.

Signa contritionis nõ esse sufficientia ad sacr. pœnitentiæ. Probatur.

Confirm.

Obiectio.

Cur infirmis pœnitentia non iniungatur.

Commentũ quorundã.

Petitio absolutionis non est confessio.

S. Thomæ auth. exponitur.

Igitur attentus sit sacerdos in simili euentu, vt semotis arbitris, solus manens cum infirmo satagat, vt de illis interrogatus, quæ verisimile est commisisse, vel gestu, vel nutu aliquod exprimat peccatum, vt ei sacramentalẽ absolutionem exhibeat: alioqui id certè neutiquam licet. Nam si arguas in re dubia, minus periculũ esse absoluere, quàm non absoluere, respondetur. Imò est maius, quia est periculum sacrilegij, quod committitur, dum sacramentum sine necessarijs requisitis alicui impenditur.

Documentum parochis notandum.

Obijcere quis forsan potest formam absolutionis, quæ in nonnullis manualibus scribitur ad vngendum infirmos, vbi post absolutionem à censuris subditur.

Obiectio.

Digitized by Google

De forma qua in manualibus habetur post unctionem.

Item te absoluo ab omnibus peccatis tuis, & excessibus, &c. At verò forma illa secundùm nullam opinionem intelligi potest, vt sit forma sacramenti. Etenim quamuis quis fingat opinionem modò impugnatam esse veram, illa intelligitur, quando infirmus non potest aliquod peccatum in particulari confiteri: nam si potest, nemo vnquam dubitauit, quin sine præuia confessione non possit fieri absolutio sacramentalis: & tamen sacerdos vncturus infirmum non exigit ab illo sacramentalem confessionem, atque adeò absolutio esse non potest sacramentalis. Quare in illa forma nullatenus deberet poni, Item te absoluo ab omnibus peccatis tuis, quæ sacramentalis videtur, neque in manuali antiquo Romano, neque in ordinario ordinis nostri, vbi maxima cura est seruandi antiquitatem, ponitur, nisi deprecatiua, Dominus Iesus Christus, &c. te absoluat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, &c. Et idem est animaduertendum in forma absolutionis, quæ in diplomatis cruciatæ in fine appenditur. Vbi fit plenaria absolutio à censuris, & culpis, & pœnis: quod intelligitur quotiescunque præcedit legitima confessio. Alioqui si infirmus confiteri non potest, & ostendit contritionis signa, intelligitur absolutio fieri à censuris. Insuper & ab omni pœnarum reatu, si culpæ fuerint vel antea per confessionem, vel tunc per contritionem remissæ.

Animaduerte.

De forma, qua in diplomatibus ponitur.

Circa 2. arg. de casibus reseruatis. VVitcleff.

Secundum argumentum latissimum campum aperit de casuum reseruatione, & de modo quo sunt eam confitenda, quam absoluenda. Fuit enim Witcleff, vt est videre apud Waldens. tomo 2. de sacrament. c. 149. qui contra hanc casuum reseruationem oblatrauit, dicens esse contra regulas charitatis. Contra hæreticos autem satis est rationem reginminis afferre, quæ quidem exposcit, vt grauiora peccata grauiori iudicio subdantur, tum vt melius corrigi possint, tum vt si sint in rempublicam pestifera, commodius adhibeatur remedium, tum præsertim, vt acriori metu corrupti homines & nefarij ab huiusmodi sceleribus arceantur. Quapropter vt Innocent. in sermone de natali Apostolorum Petri & Pauli annotauit, non absque mysterio singulariter Petrus quæsiuit, quoties peccanti remissionem indulgeret, eique peculiariter responsum est, vt septuagies septies: nempe quia plenissima omnium remittendi iurisdictio penes ipsum manebat, quæ in inferiores ab illo derivaretur. Absolutio enim, quæ vi clauium fit, non solùm characterem requirit, verùm & iurisdictionem, ratione cuius grauiora crimina potest superior ob præfatam rationem reseruare. Vnde Origenes homilia 10. super Numeros, ait, laicum peccantem indigere quandoque non solum sacerdote, sed etiam Episcopo.

Finis reseruatorum casuum.

Innocent.

Absolutio præter charact. etiam iurisdictionem requirit.

Hac tamen non obstante veritate, Durand. distinct. 17. quæstione decimaquinta, ait Ecclesiam Romanam non habere in consuetudine reseruare nisi censuras: videlicet excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis, non autem culpas quantumcunque graues. Quare abusus est, inquit, aliorum prælatorum reseruantium sibi absolutionem à peccatis. Vnde secundum Romanum morem nulla est, inquit, necessitas confitendi duobus, sed satis esset à superiore extra confessionem à censuris absolui, & integrè confiteri inferiori ordinario.

Durandi opinio cõtra morem vniuersalis Ecclesiæ & canones.

Nihilominus mos vniuersalis Ecclesiæ est contra Durand. Quin verò & sacri canones. Etenim canone. Latorem. 33. quæst. 2. memoriæ proditum est, Ratholdum Argentoratensem Episcopum parricidam quendam Nicolao pontifici remisisse à quo absolueretur, licet illic nulla interuenerit excommunicatio. Et c. Si Episcopus. de pœnit. & remis. lib. 6. sancitur, vt dum Episcopus facultatem alicui eligendi confessorem concesserit, electus ab illo possit eum à peccatis absoluere, exceptis casibus ab Episcopo reseruatis, de quibus, inquit, nullam potestatem habet electus. Et decreto Sixti quarti in extrauaganti. Et si Dominici. excommunicantur illi, qui à casibus reseruatis Romano pontifici absoluunt.

Quos casus possit superior sibi reseruare.

Quòd si obiter inquiras, vtrùm superior pro libito possit quoscunque reseruare casus. Distinctione opus est: nam delegatis à superiore, qui per se non habent ordinariam iurisdictionem absoluendi, possunt illi, vt libuerit peccata reseruare, vt Episcopus sacerdotibus, qui non sunt parochi: & prælatus in religione suis sacerdotib. nam cum illi nullam habeant iurisdictionem, nisi quam à superiore suscipiunt, potest eam illis superior taxare & moderari, vt libuerit. Si autem illi inferiores potestatem habeant ordinariam, vt sunt parochiarum curati, profectò non potest pro libito saltem episcopus: nam cùm ipsi sint ordinarij, qui nisi impediantur, ab omnibus possunt absoluere, quam ordinariam potestatem non habent ab episcopis, sed à iure diuino, non potest superior nisi id bono communi viderit expedire, illos sua potestate fraudare. Imò tantus esse posset abusus reseruationis, vt parochi non tenerentur superiori parere, sed eo inconsulto possent à reseruatis illis absoluere: potissimum cum nimiæ reseruationes sint in grauamen populi. Est tamen adhibenda prudentia & consilium super huiusmodi minutiorib. casibus reseruatis, ne sine causa inferiores inobedientes iudicentur.

Et per hoc soluitur aliud arg. quod fieri solet, Quod si posset superior casus reseruare, posset confessionem dissecare in tres vel quatuor partes. Vt si hæresim reseruaret sibi, & blasphemias Decano, & adulteria Archidiacono. Respondetur, inquam, quòd illa reseruatio esset imprudens, & clauium abusus: quare non esset digna quæ obseruaretur.

Alteri argumento fit satis.

Dubium, An peccata cordis possint reseruari.

Vtrùm verò possint reseruari peccata interiora mentis, vt mentalis consensus in hæresim, aut in conspirationem Ecclesiæ, dubitari potest: est enim à parte negatiua argumentum, quòd Ecclesia, vt dictum est, non habet iurisdictionem directam in actus interiores. Respondentur duo: primum loquendo de absoluta potestate reseruari quidem posse; quia illud non est iurisdictionem exercere in actus mentis, sed illam non alteri conferre. Cùm enim omnis iurisdictio deriuetur à Christi vicario, si ipse diceret, Nolo vt quispiam facultatem habeat absoluendi eum, qui mente consenserit in grauissimum hoc aut illud peccatum, reseruatio teneret. Nihilominus secundò dicimus, quòd esset error illa reseruare, quia peccata cordis sunt tum frequentissima, tum etiam occultissima, vt vix homo secum discernere possit, consenserit, nec ne: & ideo intolerabile est cum eiusmodi scrupulis ad Papam semper recurrere. Quapropter opinio quorundam canonistarum dicentium hæresim mentalem esse reseruatam Papæ, & excommunicationi subiectam, falsissima est & inopinabilis.

Absolutè possent.

Esset intolerabilis reseruatio.

Quatuor Durandi modi circa reseruatorũ confessionẽ. Primus.

Descendendo ergo ad reseruatorum confessionem, Durandus loco citato refert quatuor opinandi modos. Primus est, quòd pœnitens debet omnia confiteri inferiori, qui eum ab omnibus debet absoluere, sed mittere nihilominus ad superiorem, qui debet iterum audire de omnibus: & vel iterum absoluere, vel ad inferiorem remittere, qui iterum absoluat. Et ratio eius est, quia neque inferior potest à non reseruatis absoluere nisi omnia audiat, neque superior à reseruatis, nisi omnia etiam audiendo, eo quòd integritas confessionis est de iure diuino. Modus autem iste nulli est rationi consentaneus: nam cogere hominem bis confiteri, est molestam sine causa confessionem reddere. Item quia si ille ab inferiori est ab omnibus absolutus, non esset necessaria integra alia confessio, quæ fit superiori. Et ideo adhibetur secundus modus, quòd post absolutionem inferioris tenetur se pœnitens superiori repræsentare, non vt absoluatur, sed vt adimpleat præceptum manifestandi illa peccata reseruata superiori. Hic verò modus longiùs & peiùs à veritate distat: nam si inferior ab illis peccatis absolueret, non propriè dicerentur reseruata. Neque verò posset superior cogere, vt illa sibi iteratò dicerentur: quia nemo potest compelli in foro pœnitentiali peccata sua deregere, nisi propter absolutionis beneficium. Item satis esset illi dicere, & non expectata absolutione recedere, quod est ridiculum.

Reprobatur hic modus. Secundus modus.

Refutatur.

Tertius ergo modus est, licet à Durando sit ordine quartus, quòd homo dum peccata reseruata committit, peccat in Deum, & in Ecclesiam, & inferior absoluit in foro Dei, & superior in foro Ecclesiæ. At verò hæc distinctio non habet locum in culpis: nemo enim verè peccat nisi contra Deum, & ideo si per claues Ecclesiæ absoluitur pœnitens ab inferiori quo ad Deum, non indiget alia absolutione à peccatis.

Tertius modus.

Refutatur.

At non opus est pluribus has tres opiniones concutere, quia expresè sunt contra can. supra citatum. Si Episcopus. & contra decretum Sixti quarti. quibus decernitur nullum inferiorem posse à casibus reser-

Digitized by Google

uatis quempiam absoluere, alias ineptè dicerentur reseruati.

Quartus modus usitatus in Ecclesia. Quartus igitur modus est, quem Ecclesia iuxta istos canones obseruat: videlicet, vt pœnitens integrè confiteatur inferiori: qui tantùm absoluit a non reseruatis, & ideo ille superiorem teneatur adire, per quem a reseruatis absoluatur.

Obiectio Durandi. Sed contra hoc videtur argumentum Durandi militare: quia frustranea esse videtur peccatorum confessio quam quis facit sacerdoti, à quo non potest absolui: cùm ergo inferior non possit absoluere à reseruatis, frustra illi dicuntur: & cùm homo cogi non possit ad confessionem, nisi ratione absolutionis, non videtur eiusmodi pœnitens compelli posse integram facere confessionem inferiori. Item quia nemo videtur cogi posse ad confitendum peccatum nisi semel: si ergo reseruatum confitendum est superiori, iniusta videtur coactio, vt propaletur etiam inferiori.

Confirm. Ob id ergo est alius modus, quem Durandus ponit, quartus: quòd pœnitens sola peccata non reseruata confiteatur inferiori, per quem ab ipsis absoluatur, & deinde sola reseruata confiteatur superiori, à quibus perinde est absoluendus: quo casu ambæ partiales absolutiones faciunt vnicam, atque adeò est vnum sacramentum. Sed contra hoc est maximum argumentum, quòd integritas confessionis est de iure diuino, quo perinde iure omnia peccata sunt vni pandenda, qui totum statum hominis & habitum cognoscat.

Quartus modus Durand. *Impugnatur.* *Integritas confessionis de iure diuino.* Igitur quo quæstioni luculentius satisfiat, supponendum, vt modò dicebamus, integritatem confessionis esse de iure diuino: quare nisi vrgente necessitate quæ ab eodem oriatur iure, non licet eam in plures confessarios diuidere. Plana ergo via est, vt qui casibus reseruatis est irretitus, primum adeat superiorem, si eum conuenire potest, qui facultatem ei faciat confitendi inferiori. Et, vt suo pudori salubriùs consulat, melius est, vt confessarium inferiorem adeat, cui dicat aliquo premi reseruato peccato, vt ille facultatem à superiore postulet: hæc enim est obseruatissima in religionibus consuetudo. Neque in facultate concedenda difficiles esse debent prælati, sed sic debent bono communi prospicere, ne tamen grauissimam reddant confessionis religionem, sed personis circunspectis & doctis casus suos committant. Et tenetur prælatus tanquam peccatum confessum sub sigillo seruare, ne per eius verba aut nutus possit persona infamari. Et eodem iure sigilli tenetur qui facultatem petijt, licet non obtineat: quia hæc omnia ad sacramentum pertinent. Absit autem episcopo pro hoc munus aliquod aut pecuniam accipere, esset enim manifestaria sacramenti venditio.

Modus facilis petendi absolutionem casuum reseruatorum. *Nota.* *Sub sigillo tenetur & Prælatus & facultatem petens.*

Quando verò ratio superiorem cogeret ne absolutionem reseruati peccati committere debeat, sed illud ipse velit audire, tunc via regia est, vt superior ipse integram pœnitentis confessionem audiat.

Dubium. An superior audire teneatur, si velit pœnit. Dubium autem hinc emergit, vtrùm ad id superior tunc teneatur, si pœnitens ei vult integrè confiteri. Apparet enim teneri: quia cum integritas confessionis sit de iure diuino, non est sine necessitate, vt diximus, diuidenda: cum ergo superior possit facere, vt non diuidatur, profectò compelli iure videtur. Præsertim cum peccatum reseruatum obligetur iterum pœnitens confiteri inferiori, tenetur enim tunc superior eum hac molestia & grauamine leuare.

1. arg. teneri. *2. Argu.* Præterea quia cum sit Dei minister, debet Deum imitari, vt ab omnibus peccatis simul absoluat, atque adeò omnia audiat. Ad hæc præsertim accedit, quòd si sic posset Papa vel Episcopus confessionem subditi diuidere, pari modo parochus posset aliqua peccata parochiani sui audire, & absoluere, & de alijs ad suum delegatum remittere, quod profectò nemo auderet facere.

3. Argu. *Adriani regula.* Adrianus q. 4. de confessione statuit regulam generalem, quòd nec superior, nec inferior potest ab aliquibus peccatis absoluere, quin simul absoluat ab omnibus. Quæ quidem sententia sanè intellecta verissima est: quia non fit à Deo dimidiata venia. Inde ergo infert, quòd superior neutiquam potest à reseruatis absoluere, nisi etiam omnia non reseruata audieris ab omnibus absoluat: neque verò inferior pari iure potest à non reseruatis absoluere, nisi priùs facultatem habeat à superiore absoluendi à reseruatis, vt ab omnibus simul absoluat. Caietanus verò in summa, verbo Confessio, conditione 10. ait morem Romanum esse, vt pœnitentiarij Romani pontificis reseruata duntaxat audiant, à quib. pœnitentes absoluentes, de reliquis mittunt eos ad suos ordinarios. At verò Durandus loco citato id negat, dicens, quòd non absoluunt, nisi à censuris: à culpis verò omnibus relinquunt eos à suis ordinarijs absoluendos. *Illatio.* *Caietan.* *Durand.*

In hac ergo opinionum varietate fit prima propositio. Superior, quando ratione ducitur cognoscere peccata reseruata, debet ipsis cognitis remedium adhibere, & pœnitentiam, si visum fuerit, taxare, & à censuris, si quæ sunt, absoluere, cæterùm à culpis nequaquam sacramentaliter, sed facultatem facere inferiori, vt tota audita confessione ab omnibus plenariè absoluat. Hic enim est celebratissimus Ecclesiæ vsus. Neque ob id pœnitens grauatur: quòd reseruatum bis perstringitur dicere: nam cum superior eodem sigillo teneatur, quo inferior, non est grauamen, vt propter peccati grauitatem, & nocendi periculum præter integram confessionem, illud teneatur ad superiorem deferre. Nam cùm Episcopus, & præcipuè Papa alijs sit maioribus cauis Ecclesiæ mancipatus & impeditus, non cogitur longas confessiones subditorum audire, sed satis est vt reseruatis medeatur. *1. Propos. ad resolut. dub.*

Secunda propositio contra Adrianum. Si superior voluerit sola reseruata in confessione sacramentali audire, & ab illis directè absoluere, absolutio tenet, & est verum sacramentum conferens gratiam. Quare licet pœnitens non sit de omnibus nisi attritus, fiet tunc contritus. Probatur, quia illic est vera confessio: nam sicut ex parte pœnitentis, vt modo dicturi sumus, potest esse impedimentum truncandi confessionem sic quòd non omnia teneatur eidem dicere: ita ex parte prælati potest esse legitima causa ne omnia possit audire, vt repentini morbi, vel alius negotij ad bonum commune referentis, & nihilominus teneret absolutio. *2. Propos.*

Sol. 1. arg. Vnde ad primum argumentum factum respondetur, concludere tantùm congruitatem rei, vt superior vel debeat totam confessionem audire, vel totam committere. Atque ad illud de curato respondetur, non esse tam liberam ei facultatem confessionem diuidendi, quia non potest casus vt superior reseruare. Et ideo sicut si pœnitens sine causa diuideret confessionem, nulla esset confessio, ita si id accideret ex parte curati, imò fortasse ex parte Episcopi. Si tamen plebanus dum audit longam confessionem, subito morbo corriperetur, & alius cui rem delegaret, non adesset, posset absoluere pœnitentem, & esset verum sacramentum. Et ad argumentum Adriani conceditur, quòd neminem posset sacerdos ab aliquibus peccatis absoluere, quin saltem consecutiuè ab omnibus absoluat: potest tamen ab aliquibus directè absoluere, non absoluendo directè ab omnibus. Exemplo id constat, dum quis aliquorum peccatorum citra culpam oblitus, ea quorum est memor confitetur: tunc enim ab illis tantùm quæ confitetur, directè absoluitur: quapropter dum alia memoriæ succurrerint, confiteri tenetur. At verò cùm gratiam sacramentalem accipiat, consecutiuè & extensiuè absoluitur ab omnibus. Id ergo ipsum impræsentiarum vsu venit. Et hæc dum incipitur à superiori. Si vero aliqua ratio poposcerit ab inferiori incipere, puta dum superior longè abest, & accidit Eucharistiam esse suscipiendam ad vitandum scandalum, vel quid simile, tunc si peccatum aliquod annexam habet excommunicationem, quam habent omnia quæ Papæ in cœna Domini reseruantur, tunc inferior neque à non reseruatis absoluere potest: quia excommunicatus etiam minori excommunicatione non potest suscipere sacramentum. Quare tunc vana esset confessio, quæ inferiori fieret, nisi eo fine, vt facultatem absoluendi à superiore procuraret. Si autem nulla est excommunicatio, tunc quidem, vt diximus, vsus Ecclesiæ est idemque adeo obseruandus, vt integrè ille confiteatur inferiori etiam reseruata. Et tunc inferior absolvit quidem directè à non reseruatis, consecutiuè tamen, vt declaratum est, à reseruatis, dum modò pœnitens firmum habeat propositum recurrendi ad superiorem: nam dum in mora est recurrendi, puta habita opportunitate absolutionem non procurat, semper manet in culpa. *Sol. 3.* *Ad argum. Adriani.* *Casus cœnæ Domini.*

Vnde ad argumentum suprà † factum, Nemo cogitur sua peccata detegere illi sacerdoti, à quo non potest absolui, inferior non potest à reseruatis absoluere: ergo pœnitens non cogitur illa ei confite- *Ad arg. Duran. supra factum post 4. medium §. Sed contra.*

ri. Negatur maiorem imò cogitur ea confiteri, vt per integram confessionem pastor vultum pecoris agnoscat, vt de non reseruatis salubrius possit iudicare: nam ex connexione peccatorum reseruatorum iudicium sumitur de non reseruatis, vt consultiùs ei adhibeatur medicina. Et hæc est sententia Sanct. Tho. distin. 17. q. 3. ar. 4: quæstiuncu 2. ad quartum argumentum. Tunc autem superior citra dubium potest sola reseruata audiendo ab ipsis præcisè absoluere: quia reliqua iam fuerunt remissa. Et eadem ratione in superiore casu absolutus à superiore à reseruatis, tenetur postea de omnibus integrè confiteri inferiori. Qua vtiq; ratione non est grauamen, si de reseruato cogatur bis confiteri: eo præsertim, quòd per se secundùm sacramentum semper augetur gratia, & iterata erubescentia meritum, vt eadem dist. & q. artic. 3. quæstiuncula 3. ad 4. art S. Thom.

Dubium. An sit vnica confessio.

Digladiantur hic autores, vtrùm dum sic diuiditur confessio, sit vnicum sacramentum, quod ex duabus partibus constat, & vnica conferatur gratia. Respondetur, concertationem forsan potius ad nomen, quàm ad rem pertinere. In primis hoc est certum, quòd per absolutionem primi absoluentis, siue sit inferior siue superior, confertur sacramentalis gratia. Vnde secunda confessio & absolutio, est prioris perfectio. Et ideo potest dici vnicum sacramentum, & sustineri, quòd per secundum sacramẽtum non augetur sacramentalis gratia: quia prior fuit data in virtute ambarum absolutionum. Attamen siue sit vnum, siue duo sacramenta, verisimilius est quod per secundam absolutionem augeatur gratia Quapropter si forsan pœnitens in priori confessione non erat satis attritus, quia non habebat sufficiens propositum vt gratiam reciperet, & in posteriori est legitimè attritus, recipiet tunc gratiam. Alia verò dubitatiuncula posset hic obrepere, vtrùm ei, qui à casibus reseruatis semel absolutus est, liberum sit postea quoties voluerit confessionem iterare, & ab eisdem absolui. Respondetur, quod virtute formæ commissionis non semper illud licet: solent enim prælati in religionibus in præcipuis festis sic indulgere facultatem, Possint cras sacerdotes absoluere autoritate mea, & non vlterius. Tunc enim transacto illo tempore nullus manet confessor, qui autoritatem illam habeat audiendi: nam etiam ad absoluendum à mortalibus semel remissis requiritur iurisdictio, vt q. 4. videbimus. Quapropter consultius est, non illis verbis facultatem illam concedere, sed vt à peccatis hucusque commissis quicunque possit absolui ab expositis confessoribus. Præsertim quòd secundum illam confessionis formam qui quacunque de causa non confitetur illa die, non potest postea absolui.

Per absolutionem primi absoluentis confertur gratia.

Per absolut. 2. augetur.

Dubium.

Authoris sententia.

At verò iam vsus interpretatur: vt qui semel à reseruatis absolutus est, possit ab eisdem absolui, nam intentioni reseruantis per priorem absolutionem fit satis.

Dubium. An non habita superioris copia possit contritus Euchar. sumere.

Hoc autem dubium est multo maioris ponderis, de quo dist. 12. quæst. 1. art. 4. admonuimus, vtrum, s. quando quis habet casum reseruatũ, & habere tunc non potest superioris copiam, possit per solam contritionem Eucharistiam suscipere absque absolutione. Haud enim desunt qui regulam de hac re statuunt ampliorem iusto: scilicet, quòd tunc licet Eucharistiam sumere, ac si non esset sacerdotis copia. Est tamen prudentibus moderaminibus perstringenda. Primum omnium requiritur legitima contritio, vt homo sit certus apud Deum non esse in peccato. Secundò si prælatus est præsens, vel facile conueniri potest, propter verecundiam, vel alia de causa non licet ad Eucharistiam sine eius absolutione accedere: si verò absens sit, vt puta episcopus, vel papa, & reseruatus casus annexam habet excommunicationem, tunc neque ad euitandum quodcunq; scandalum auderem id cuiquam consulere. Si enim sciretur esse excõmunicatum, res est clarissima: puniretur namque, qui id facere attentaret. Sed etsi secretò esset excommunicatus, grauissimum deberet esse scandalum, cuius euitatio causa esse posset legitima suscipiendi sacramenti. Præsertim dum quis propter hæresim excommunicatus est, aut propter alium casum reseruatum in cœna Domini. Si autem non habeat annexam excommunicationem, tunc nisi ad euitãdum magnum scandalum, id non licet. Idque dum ratio fieri compulerit, fieri debet præmissa integra confessione apud inferiorem sacerdotem, cuius consilio vtatur, pollicitus illico bona fide superioris absolutionẽ procurare. Hoc verò non nisi semel permittendum, nam si cui semel Eucharistia sine absolutione superioris concessa est, id iterum permitteretur, offerretur ei ansa nunquam absolutionem procurandi.

Reſp. prudentibus moderaminibus perſtricta.

Notandum

Circa tertium argumentum notandum, quòd quamuis confessio sit de iure diuino, neminem tamen prudentissimus & clementissimus Deus cum graui periculo ad id obliganit. Quare vbi ex confessione mea periculum vitæ mihi immineret, aut periculum famæ, vtpote si timeretur sigillum confessionis à confessario frangendum esse, confiteri non teneor. Et multo minus teneretur homo in casu, quo metueret confessionem in præiudicium animæ cessuram. Vt si puella timeret nequam sacerdotem irritare, à quo postea de turpitudine solicitaretur. Quocirca tunc, si sacerdos ille curatus pœnitentis sit, petenda est ab illo instanter facultas alteri confitendi, quam ipse iuxta tenorem canonis, Omnis vtriusque sexus. tenetur concedere. Neque in hoc debent ordinarij esse difficiles, nisi dum eis bona fide constiterit parochianos nequiter talem facultatem petere, vt occasionem accipiant perstendi in delictis. Quòd si eandem facultatem concedere renuerit, recurrendum est ad superiorem, vt ait Diuus Thom. distinct. 17. quæst. 3. artic. 3. quæstiunc. 4. ad quintum argumentum. Sed in hoc solùm consistit dubium, vtrùm dum pœnitens habet plura peccata, & solùm aliqua sunt, quæ periculum esset confiteri prælato, qui facultatem concedere renuit confitendi alteri, nec accessus ad superiorem patet, vtrùm tunc peccator abstinere in totum debeat à confessione: an verò salubrius sit illa duntaxat confiteri, quæ sine periculo potest. Plerique enim omnium tam arctum vinculum censent integritatis confessionis, vt dicant tunc potius abstinendum esse à confessione, quam illam dimidiandam. Imò sanct. Thom. loco citato in eandem sententiam inclinare videtur, dicens, quòd tunc quidem est iudicium ac si non haberetur copia confessoris, & magis deberet eligere confiteri laico. Sed hoc quæstione 4. artic. 2. examinabimus. Et Caietanus in verb. confessio. conditione 10. & Syluester confessio. 1. §. 18. dicunt, quòd debet differri confessio quousque commodè possit fieri integra. Et re vera si id potest fieri commodè, ita faciendum est. At verò quando nulla expectatur commoditas, nulla vult ratio, vt ob nequitiam sacerdotis subditus suo fraudetur commodo, atque adeò potest illa confiteri, quæ sine periculo potest: quandoquidem per ipsum non stat, quominus omnia confiteretur. Præsertim cum accidere posset illum esse duntaxat attritum, qui per absolutionem fiet contritus. Vnde glossandus est hic S. Thom. quòd illis peccatis quæ confiteri non tenetur, iudicandum est ac si tunc non esset copia confessoris. Quòd si sciscitetis, vtrùm illa, quæ non confitetur, teneatur dum commodè potest, confiteri alteri, an possit vsque in alterum annum differre. Dictum enim est suprà, quòd dum quis absque mala fide aliquorum obliuiscitur dum confitetur, non tenetur illa vsque ad sequentem annum confiteri: ergo cùm etiam iste legitimè confiteatur, non tenetur ampliùs illo anno confiteri. Respondetur autem, non esse simile, quoniam ille legitimè confessus est omnia, quorum memoriam habet, iuxta tenorem Florentini concilij: hic verò non est omnia confessus: quare sublato impedimento tenetur, habita opportunitate, illa confiteri.

Circa 3. arg.

Caſus in quibus ordinario excuſamur confiteri.

Notandum ordinarijs.

Quæſtionis nervus.

Opinio quorundam.

D. Tho.

Caiet.

Authoris ſententia.

Expenditur S. Thom.

An teneatur ſtatim alteri confiteri illa quæ ob periculum tacuit.

Ad quartum argumentum in primis respondetur vt ad præcedens. Quando n. aliqua circunstantia mortaliter aggrauãs vergit in infamiam alterius personæ, adhibenda est diligẽtia ne fiat confessio illi sacerdoti, qui illam nouit, petendo facultatem confitendi alteri. Si verò necessariò sit facienda confessio ei qui personam agnoscit, sunt qui putant dissidium esse inter Caietanum in summa verb. Confessio, condit. 3. & communem opinionem, quod tamen nullum est. Et ideo respondentur duo. Primum est, quòd si ex hoc quòd pœnitens confiteatur circunstantiam alterius personæ, aliquod illi periculum imminet, vel mortis, vel notabilis infamiæ, tunc tacenda est circunstantia. Et hoc est quod ait Caietanus. Vt si quis verbi gratia accessit ad vnicam sororem, vel ad matrem, & confitetur proprio fratri, qui impropterio id dabit matri vel sorori reuelando secretum, vel flagitium vlciscetur in illis, tunc certè credo non est qui non fateatur prætereundam esse circunstantiã, iuxta verbum Bernardi: quia confessio

4. Argum.

Solutio.

Tacenda circunſtantia tertio nocuma.

illa

Digitized by Google

illa esset contra charitatem. Nam & ius naturæ, quod à Deo etiam deriuatur, iubet honori alterius & famæ & vitæ sicut honori proprio & vitæ consulere.

Etiam in articulo mortis.

Sunt quidem qui articulum mortis excipiunt, dicentes, quòd tunc non obstante tali periculo infamiæ alienæ debet moriturus circunstantiam illam complicis confiteri: nam tenetur ille criminis socius illud periculum famæ pati propter salutem morituri. Sed tamen rationem huius exceptionis non video: nam si ad salutem pœnitentis est necessaria illa explicatio circunstantiæ, fit vt etiam citra articulum mortis sit necessariò explicanda. Si verò non est vsque adeo necessaria, in articulo etiam mortis est tacenda, imò tunc plus tenetur infirmus consulere famæ alterius.

Non tacenda circunstantia si nullum sit periculum.

At si nullum timetur periculum huiusmodi, sed hoc tantùm, quod confessarius sciet personam, quam nouit, deliquisse, seruabit tamen secretum, tametsi deinceps non tanti æstimabit personam illam, tunc hoc non obstante explicanda est circunstantia. Et hæc est sententia Sanct. Thom. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5. ad quintum. Et Bonauent. distinct. 21. in 2. part. quæstionis arti. 1. Et Durand. distinct. 16. q. 4. & recentiorum omnium. Neque Caietanus bene intellectus eidem sententiæ refragatur. Et ratio est plana, quòd cum confiteri omnia mortalia sit de integritate cõfessionis, nullatenus pœnitenti licet ob id solùm circunstantiam mortalem tacere, ne confessarius sciat: eodem enim confessionis sigillo tenetur celare culpas earum personarum quo ipsius pœnitentis, ob idque illud non est alios infamare. Præsertim cum complices sua culpa in illud se periculum immerserint.

Ratio clara.

Nota. Casus in quo magna à pœnitentibus adhibenda cautela.

Quando verò alia persona est explicanda, non quia fuit socia delicti, sed alia de causa, tunc multò maior est adhibenda cautela. Vt si quis confiteatur infamasse patrem, aut prælatum de tali crimine, tamen dicendo verum, vbi aperit crimen patris, vel matris: Tunc, inquam, maxima circunspectione vtendum, vt primum bene examinetur, an sit circunstantia necessaria confessionis, qualis fateor esse potest infamatio parentum de re grauissima, & ideo confitenda non solùm quando fuit mendacium, nam hoc notissimum est, verùm etiam quando crimen parentum fuit verum, si fuit infamatio præter ordinem iuris.

Bonauentura additio.

Imo addit eodem loco Bonauentura, quòd non solùm ad exprimendam circunstantiam peccati proprij, verùm etiam ad prouidendum sibi remedium potest pœnitens reuelare aliam personam. Vt si puella ab aliquo molestè in turpitudinem solicitetur, detegere illam personam potest in confessione. Quæ quidem sententia verissima est, si tamen prudentia adsit. Et enim non solùm in confessione, imò extra confessionem potest quisque ad protegendam suam virtutem illud facere. Quinuerò non solùm ei qui prodesse potest & non obesse, reuelare id potest in tali casu, verùm & illi qui obesse potest: nam qui iniuriam alteri intentat, saltem quamdiu in illa perdurat, ius perdidit suæ famæ, ac perinde alter ius habet defendendi se, postquam reliqua remedia adhibuerit cum detrimento famæ alterius. At verò in confessione propter eius dignitatem & necessitatem ne fiat exosa, non tantum licet quantum extra. Non n. inquam, sacerdoti facienda est reuelatio, vt ipse obsit alteri, sed solum ad capiendum eius consilium. Quapropter cõfessarius cauere debet omnino ne, etiam de licentia pœnitentis, extra confessionem eius negotium tractet, aut reuelet: faceret enim confessionis religionem odiosam, sed tantùm consulat pœnitenti quid debeat facere, vt ipse sibi prouideat. Quapropter vix contingere potest, vt deceat hanc de causa in confessione reuelare personam.

Notandum confessarijs ne etiam cũ venia pœnitentis, de peccato extra confess. tractent.

Ad 5. arg.

Ad solutionem quinti argumenti meminisse oportet, quòd pœnitens in omnib. quæ claue non errante sacerdos ei iusserit, tenetur ei parere. Secus si erraverit clauis. Et ratio est, quia sacerdotes, vt suprà diximus, sunt constituti à Christo ordinarij iudices cognoscẽdi definiendique peccatorum causas in pœnitentiali foro per claues scientiæ & potestatis. Quapropter Ecclesia vim habet coerciuam, vt sacerdos possit pœnitentem cogere, vt ei obtemperet, vt distinctione sequenti de iniungenda pœnitentia iterum dicturi sumus. Dum tamen clauis sacerdotis erraverit, vim cogendi amittit. Ob idque canon. Quem pœnitet. de pœnitentia dist. 1. ille qui confiteri vult, admonetur sacerdotem quærere scientem ligare & soluere.

Igitur quando confessor & pœnitens sunt diuersæ opinionis, ait Conrad. de cõtractibus. quæst. 100. quem Adria. sequitur de confessione, quæst. 5. dubio. 7. Et fuit Gofredi & Canonistarum opinio, vt ait Sylvester verbo. confessor. 3. §. 7. in quorum ipse est grege. Aiunt, inquam, isti distinguendum esse de sacerdote, sit ne ordinarius, cui officium incumbit absoluendi, vel delegatus. Si est, inquiunt, ordinarius, tenetur pœnitentem absoluere, etiam si non secum consentiat, volens manere in contractu quem contra ipsius opinionem putat non esse vsurarium. Et ratio huius est, quod postquam opinio pœnitentis est probabilis, excusat eum à culpa, & ideo ius habet absolutionem petendi, quam ideo plebanus tenetur impendere accommodando se Ecclesiæ, quæ hanc opinionem vt probabilem suffert. Si verò sacerdos non est ordinarius, sed qui confessionem sua sponte audiuit, ille, aiunt, non debet illum absoluere, quia postquam non tenetur, vltrò facit contra propriam conscientiam, quare nullam ei iniuriam irrogat absolutionem negando.

Nota. Si pœnitens sit in diuersa opinione à cõfessario.

Opinio Conradi & ratio.

At verò distinctio hæc sacerdotum nihil ad rem pertinet: sed hoc solum distinguendum est, an opinio pœnitentis sit probabilis inter auctores probatæ auctoritatis, nec ne. Si enim hoc careat probabilitatis gradu, licet sacerdos sit ordinarius curatus, nec tenetur eum nec debet absoluere, veluti si qui priùs clam contraxit cum aliqua sine consummatione copulæ, existimat quòd potest manere cum secunda ex qua prolem suscepit. Si verò opinio illa est probabilis, tunc sacerdos siue ordinarius, siue delegatus, cui liberum est confessionem audire & non audire, tenetur eum absoluere. Vt, verbi gratia, si Prætor habens in carcere vinctum quem euidenter scit esse innocentem, sed est tamen legitimè probatus nocens, & adhærens opinioni Scoti, quòd non debet eum occidere, confitetur sacerdoti sequenti opinionem Sanct. Tho. quòd debet eum occidere: tenetur nihilominus sacerdos eundem Prætorem in sua persistentem opinione absoluere. Probatur, quia in tali casu pœnitens est in gratia, & ideo sacerdos absolutionem denegans iure suo illum expoliat. Est namque fallacissima consequentia hæc. Sacerdos hic non tenetur confessionem audire: ergo nec postquam audiuit, tenetur absoluere. Nam eo ipso quod conditionem acceptauit audiendi confessionem, præstrinxit se ad absoluendum casu quo pœnitens esset dispositus. Accedit, quòd postquàm pœnitens confessus est sua crimina, grauissimo onere premeretur si quia sacerdos absolutionem ei suspendit, iterum confiteri cogatur.

Sententia auctoris notanda.

Casus de occidendo innocente, qui probatus est nocens.

Vnde ad argumentum Contradi respondetur, quod sacerdos non ordinarius non magis facit contra suam conscientiam, quàm ordinarius. Nam facere contra conscientiam, non est facere contra speculatiuã scientiam, sed contra id, quod qui operatur putat licitum esse facere: & quamuis sacerdos existimet opinionem pœnitentis esse falsam, non tamen inde existimare debet, sibi non licere ipsum absoluere, siquidem propter probabilitatem excusatur ille à culpa.

Ad rationem Contradi.

At verò sciscitabitur quispiam consequenter, vtrum liceat sacerdoti contra suam propriam opinionem pœnitenti consulere. Vt si exemplo proximo inuerso prætor habeat opinionem Sanct. Tho. quòd debet vinctum occidere, quam etiam opinionem tenet sacerdos, qui frater est illius innocentis, vtrùm contra propriam conscientiam possit consulere Prætori, vt illum non occidat. Profectò credo, non liceret, quia esset doctor dogmatis, quod credit esse falsum. Quòd quidem in sacramento confessionis est sacrilegium.

Aliud dubium.

In his autem multa opus est prudentiæ; vt qualitas tam sacerdotis quàm pœnitentis perpendatur. Nam si sacerdos est ignarus, non tanta ei fides debetur, & si vice versa pœnitens est doctus, & creditur non sana fide tali opinioni adhærere, non est absoluendus. Vt si plura habet sacerdotia curata, quod scit viros omnes doctos reprobare, ob id quod audiat curiales opinari esse licitum, non est in bona fide: atque adeò nec est absoluendus. Adde, quòd sæpe euenit, vt prudens sacerdos si præsciat pœnitentem his aut illis implexis contractibus esse inuolutum, eius confessionem audire recuset, & tamen si fortè audiat, nihilominus absoluat. Sunt enim qui præscientes quenquam pluralitate parochiarum implicatum eius confessionem non audiunt: qui tamen si fortè id audita iam parte confessionis intelligant, non audent absolutionem negare, nisi pluralitas sit excessiua, vel possessor indignus.

Perpendenda qualitas sacerdotis & pœnitentis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum confessio debeat esse secreta.

ARTICVLVS sextus propositus est de confessionis secreto, & ideo arguitur, quòd non debeat esse secreta. Substantia enim confessionis, vt in eius definitione designatum est, non est nisi, quòd sit accusatio peccatorum ad obtinendam veniam virtute clauium: quòd autem clam aut palam fiat, accidentarium est, & arguitur, quòd sit expedientius, vt fiat palam. Finis enim confessionis, vnde id quod expedit iudicare debemus, est salus, & emendatio pœnitentis: si autem confessio fieret publicè, erubescentia esset multò maior, atque adeò metus vehementior, vt homo à peccatis cauerer, & præterea iudicium publicum Ecclesiæ salubriora remedia ægroto animo adhibere posset: congruentiùs ergo fuisset confessionem non secretam, sed publicam instituere.

1. Argu.

Pars negat.

2. Argu.

Secundò arguitur. Si cõfessionem expediret occultè fieri, sequeretur subinde necessarium, vt propria voce quisque confiteretur, atque adeò nec nutibus, nec scripto, nec per nuntium, nec per interpretem licita esset confessio: quod est falsum, cum linguæ defectus per alia instrumenta suppleri possit.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, & patrum sententia adstruentium debere esse secretam, & vniuersalis Ecclesiæ mos id obseruantis.

Decis. art.

De hac re iam ar. 3. diximus, quemadmodum hæretici catenam suorum errorum intexunt. Negant enim auricularem confessionem, non ob aliam causam, quàm vt inde gradum faciant, ad negandum vniuersalem confessionem occultorum criminum: nam si semel obtinuerint non esse confessionem necessariam nisi publicam, statim eis ius naturæ patrocinabitur, ne occulta peccata in publicum proferantur. Quapropter Petrus ille Osomensis Hispanus condemnatus sub Sixto quarto his propositionibus suam telam texebat. Prima: Peccata mortalia sola cordis contritione delentur sine ordine ad claues Ecclesiæ. Secunda. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto vniuersalis Ecclesiæ, non iure diuino. Tertia. Prauas cogitationes confiteri non debent pœnitentes, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claues. Ex quibus demum colligebat quartam, quòd confessio non debet esse secreta. Catholici ergo vice versa debent suam veritatem ordiri. Primum scilicet, quod omnium occultorum mortalium sit necessaria confessio. Ex quo fundamento facilè colligitur solutio præsentis articuli.

Propositiones Petri Osomensis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

1. concl.

Ad rem igitur duabus conclusionibus respondetur. Prima. Quòd confessio sit secreta, non est de eius essentia. Hæc ex eius definitione satis constat, etenim dummodo quisque se clauibus Ecclesiæ confitendo subdat in remissionem peccatorum, sacramento pœnitentiæ satisfacit.

2. concl.

Secunda conclusio. Confessionem esse secretam est ad eius sustentationem necessarium, atque adeò fit, vt eius secretum & pœnitenti congruat, & sacerdoti confessionem audienti sit necessarium, non solùm ex iure pontificio, sed ex diuino colligitur. Probatur conclusio. Legem naturæ lex gratiæ non destruit, sed perficit: lex autem naturæ docet, & admonet ne occulta verendaque crimina in publicum, nisi via iuris ad eorum vindictam proferantur, lex autem gratiæ diuina iubet omnia peccata etiam occulta confiteri: ergo inde colligitur confessionem debere esse secretam, alioquin seruente natura, aut homines non possent, aut non nisi violentissimè possent ad confessionem adduci: cùm tamen diuina prouidentia iuxta cuiusque naturam & ingenium suauiter omnia disponat. Igitur cum hæretici nos interrogando perurgent, vbi secreta confessio in Euangelio reperiatur instituta, satis nobis est respondere, in Euangelio collatas esse Ecclesiæ claues, & potestatem remittendi omnia peccata, quæ Deus remittit: ergo omnia etiam occultissima cordis, & hoc non nisi per iudicium, quod causæ cognitionem requirit, & eius naturæ est, ne occulta in publicum proferantur: ergo in Euangelio est secreta confessio instituta. Et quod id non sit solùm de iure positiuo confirmatur: nam si hoc esset verum, posset nunc Ecclesia præcipere, vt occultorum confessio in publico fieret, quod profectò falsum est: nam licet hoc non esset materiam omnino confessionis mutare, esset tamen sic eius modum variare, vt fieret intolerabilis.

Ratio conclusionis.

Responsio hæreticis facienda.

Iure naturæ secreta non publicanda.

Confess. secretam non esse tantum de iure positiuo.

Ad præsentem ergo conclusionem confirmandam non alia sunt Patrum testimonia exquirenda, quàm quæ artic. tertio ad probandum omnium peccatorum quantumcunque occultorum confessionem esse necessariam, retulimus, vt Augustin. Ambros. Hieron. Lactant. Cyprian. Dionys. demum atque Clementis, qui omnes palam affirmant confessionem occultorum, atque adeò cogitationum mentis esse necessariam. Et apud Euseb. libro nono histor. tripart. capit. 35. narratur quemadmodum in primitiua Ecclesia destinabatur presbyter bonæ conuersationis, qui secretum seruaret, ad quem qui deliquerant accedentes, delicta propria confitebantur. At verò quoniam illic præmittitur, illud visum fuisse Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta panderentur, cauillantur hæretici dicentes, illud de publica confessione intelligi. Est tamen iniqua glossa: quoniam vbi dicitur quod presbyter ille deberet secretum seruare, palàm docetur, confessionem fieri secretè. Sed dicitur, in theatro, & sub testimonio Ecclesiastici populi: quia presbyter erat in Ecclesia veluti in publico expositus, vt quicunque posset ad illum accedere, & peccata sua in aurem proferre: atque adeò idem presbyter, vt nunc moris est, de ciuium confessionibus testimonium perhibebat.

Testimonia Patrum.

Confessionis secreta antiquitas.

Hæreticorũ glossa.

Obijciunt autem oppugnatores huius auricularis confessionis canones complures, in quibus publicæ pœnitentiæ fit mentio. Veritas autem est, quòd in primitiua Ecclesia quamdiu feruente sanguine Christi familia eius in synceritate & candore obedientiæ durauit, de nonnullis manifestis peccatis iubebantur Christiani publicam agere pœnitentiam: imò nonnunquam sacerdotes in confessionibus illas pœnitentias iniungebant, cauendo ne confessionis sigillum rumperent. De quibus vtique publicis pœnitentijs articulo præcedenti diximus, & dist. sequent. latiùs dicturi sumus. Colligere autem inde, non fuisse clancularem confessionem omnium criminum, etiam occultorum, vafricies hæretica est.

Notandum pro explicat. canon. Mos in primitiua vsitatus.

Perspice apud Orig. ambas confessionum formas distinctas loco suprà citato super Psal. 37. Ait quippe. vide quid nos docet scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Quod enim tunc de occultorum confessione verba faciat, declarat subdens. Fortassis sicut ij, qui habent intus inclusam escam indigestam, stomacho grauiter imminentem, si vomuerint, releuantur: ita etiam illi qui peccauerunt. Si quidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur ab humore peccati. Si autem ipsi sui accusatores fiant, dum accusant se ipsos & confitentur, simul euomunt edictum, atque omnes morborum digerunt causas. Tantummodo circunspice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum. Cui debeas causam languoris exponere: vt ita demum, si quid ille dixerit, siue quid consilij dederit, facias, & sequaris. Quis ambigat verba hæc ad priuatam & secretam confessionem pertinere? Subdit autem paulò inferiùs, si intellexerit (scilicet sacerdos) & præuiderit, talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. Ecce quomodo quandoque consilio confessoris fiebat confessio publica. Inualuit autem vsque adeò ille vsus, vt quandoque cogerentur homines pœnitentiam illam publicam agere. Quem quidem abusum retundit Leo Papa primus mille hinc retrò annis in epist. 57. ad episcopos Campaniæ. Et refertur de pœnitent. distin. 1. c. Quamuis. cuius verba sunt. Illam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper audiui à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri. De pœnitentia videlicet, quæ à fidelibus postulatur, ne de singulorum genere libellis scripta professio (vel confessio) publicè recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, qui propter Dei timorem apud omnes homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, remouenda est improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis suis sua facta referre. Sufficit enim illa confessio,

Origenes.

Simile ex Orig.

Abusus pœnitentiæ publicæ sublatus a Leone.

Digitized by Google

sio, quæ Deo offerunt, tum etiam sacerdoti. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Perpende in hoc canone rationem vetustissimæ eiusdemque occultissimæ confessionis. Cui alludunt & verba canonis. Quem pœnitet. Si peccatum occultum est, sufficit referre in notitia sacerdotis, vt grata sit oblatio muneris.

Sol. 1. arg.

Igitur ad primum argumentum iam responsum est, confessionis secretum non esse de eius essentia, sed eius vsui necessarium. Quapropter etsi dum in publico fieret, maior esset erubescentia & metus: est tamen hominum languori consulendum, qui, vt Papa non modò admonuit, si cogerentur publicè confiteri, a confessionis religione exterrerentur.

Quatuor disputanda.

Secundum autem argumentum quatuor nobis disputanda membra offert, scilicet de nutibus, de scripto, de internuntio, de interprete, de quibus nos S. Thom. dist. 17. q. 3. artic. 4. quæstiunc. 3. docuit, dicens, quòd cum confessio & actus sit virtutis, & pars sacramenti potest quidem in quantum est duntaxat virtus, fieri, vel scripto, vel per interpretem. Potest enim peccator conscientiam suam tum per literas, tum etiam per internuntium amico fideli reserare, à quo consilium, vel auxilium capiat. Hæc autem non est sacramentalis confessio. At quatenus est pars sacramenti actum habet determinatum, sicuti alijs sacramentis sunt determinatæ materiæ. Vnde sicut materia baptismi est aqua, cuius ad abluendum est frequentissimus vsus: ita & sacramentalis confessio debet fieri voce, quæ hominibus data est ad explicandam mentem. Ratio hæc non vtique demonstratoria est, sed vtcunque suasoria secundum præsentem materiam. Cùm enim confessio, veluti absolutio, actus sit personalis: fit vt quemadmodum absolutio fieri non potest, nisi præsente pœnitente, vt forma ipsa significat, absoluo te, ad modum, quo in cõsecratione demõstratur materia præsens, hoc est corpus meũ, ita & confessio esse debeat actus, quo præsenti sacerdoti peccatorum nostrorum accusationem proponimus: præsentibus verò voce propria loquimur, sicuti absentibus scripto, vel per nuntium.

Confessio per nutus.

Primum ergo membrum quod in argumento tetigimus, est de nutibus, ad quod respondetur, quòd tam linguæ ignarus, quàm mutus, qui de religione confessionis eruditus est, tenetur meliori quo possit modo nutibus confiteri: id enim affirmat D. Thom. loco citato, & eadem dist. Scot, & omnes. Et ratio est, quia nutus pro vocibus seruiũt, quapropter pari iure, & mutus, & loquens ligantur. Dixerim autem melioti modo quo possit, non quidem quòd teneatur summam diligentiam adhibere exquirendi effingendique nutus, quos sacerdos intelligat, sat enim est illam præstare, quæ iudicio prudentum in re graui adhiberi debet. Caiet. in sum. verb. confessio, §. 11. excogitauit sõlertiam quandam nescio an necessariam: nempe, quòd si mutus aliquando audiuit, & legere nouit, habere debet omnia peccata, quæ homines committere possunt, scripta, & postea in præsentia sacerdotis digito ostendere annuendo illa, quæ fecit. Nam illa scriptura, licet ab alio legatur, est secreta, vtpote per quam non constat, quis illa, aut quæ illorum fecit. At verò tanta diligentia non requiritur, sed satis est illa explicare, quæ bono modo potest, & de reliquis idem erit iudicium, quod de oblitis citra culpam.

Caiet.

Obiectio.

Arguet hic fortasse argutus quispiam sic contra hanc sententiam. Sequeretur inde, quòd si qui loqui scit, non voce, sed nutibus confiteretur, confessio esset valida: erit n. integra, & habebit omnia quæ sunt de essẽtia: quandoquidem confiteri voce aut nutu essentiam non mutat. D. Tho. quodlib. 1. art. 10. ait, quòd licet mutus, nutibus & scripto confiteri possit, nihilominus qui loqui potest, præcepto Ecclesiæ tenetur confiteri voce: quod nisi facit, mortaliter peccat, atque gratiam non recipit. Attamen canon non habet hoc expressè, & ideo fortasse, qui omnia integrè & perfectè explicaret, non video cur non validam faceret confessionem. Imò, si modò contemptus non interueniret, peccataque essent explicatu faciliora, non video cur esset peccatum mortale, esset tamen inter venialia non paruum, eo quòd legitimus vsus est confiteri verbo, & erubescentia tunc esset minor. At verò si peccata essent, vel multa, vel implicita, vt vsurarum: aut simoniarum, aut quæ ardua negotia tangerent, nequirent omnia nutibus explicari: atque adeo neque esset confessio valida. Et in hoc casu vera est opinio S. Thom.

S. Thom. An si loqui potens nutibus confiteretur, valida esset confess.

Quædam peccata nutibus inexplicabilia.

Secundum membrum argumenti est de scripto. Et S. Tho. dicit loco citato, quòd sufficit mutus confiteri scripto, vel per interpretem: non tamen dicit, talem confessionem esse necessariam.

Confessio per literas.

Et quidem Palud. dist. 17. q. 2. tenet, quòd per literas potest homo sacerdoti confiteri absenti, licet non teneatur, vt si peccator esset in carcere, vel vbi non posset confessarium accersere. At verò confessio hæc non solùm non cadit sub obligatione, verùm certè nec est valida: tametsi ratio Scoti non sit conuincens, videlicet, quòd cum confessio debeat esse secreta, per epistolam ex natura sua est patula, quam tabellio, vel quicunque alius legere potest, & ideo modus ille est contra rationem confessionis. Enimuerò cùm, vt monstratum est, secretum confessionis non sit de eius essentia, hoc solùm, quòd publicè fiat, non est sufficiens causa, vt sit inualida. Nam etsi quis confiteretur alta voce, vt circunstantes audirent, non proinde annullaretur confessio. Ratio ergo huius veritatis est quam supra tetigimus, videlicet, quòd confessio est actus personalis, quo homo præsenti sacerdoti loquitur. Quapropter licet ab excommunicatione, & ab alijs censuris possit homo per literas absolutionem à Romano Pontifice petere, & obtinere, tamen absolutionem sacramentalem peccatorum non nisi præsens per confessionem. Accedit & alia ratio, quòd confessio debet esse talis, per quam sacerdos certus fiat, talia peccata pœnitentem fecisse, quin etiam per quam possit eum conuincere, confessio autem per epistolam non est huiusmodi. Nam sacerdos non est certus, an literæ illæ sint veræ, an verò fictæ: imò posset postea pœnitens negare suas esse. Adde, quòd quando eum per rescriptum absoluere fortasse iam tunc pœnitens mutatus esset animo, vt indignus esset absolutione, & fortasse esset vita defunctus. Sententia est canonis. Quem pœnitet. dist. 1. de pœnit. vbi exemplo eorum, qui à lepra curati iussi à Christo sunt ostendere se sacerdotibus † docetur corporali præsentia confitenda esse sacerdoti peccata, non per nuntium, non per scriptum, aut epistolam manifestanda, sed facie ad faciem.

Paludani opinio.

Confessio per literas absenti facta est inualida.

Ratio.

Absolutio à censuris per literas obtinetur, non autem à peccatis.

Alia ratio.

Luce 17.

Si verò quis in præsentia sacerdotis scripto confiteatur, fieri potest dupliciter: vno modo vt pœnitens scriptum tradat sacerdoti, qui legat, nihil pœnitente voce, aut signo affirmante. Et hæc quidem confessio eadem præfata ratione non est valida: quoniam per illas literas nihil pœnitens affirmat. Si verò quum singula peccata sacerdos legit pœnitens dicat se illa fecisse, vel nutu capitis si mutus est, annuat, tunc est vera confessio: quia locutioni æquiualet. Et in hoc casu Scotus glossat canonem. Qualis. 30. q. 5. vbi habetur, quòd adulteræ pœnitentia per scripturam recipienda est. Quanquam profectò mihi non est glossa verisimilis. Nam pœnitentia illic non accipitur pro confessione, sed sensus est, quòd adultera à vito suo separata debet in habitu pœnitenti viuere. De cuius pœnitentia, si per scriptum constiterit, poterit maritus iterum in domum recipere. Scribebantur enim peccata eorum qui publicam pœnitentiam agebant, vt patet in supra citata epistola Leonis, de pœnitentia dist. 1. ca. Quamuis. Qui autem in memoriæ subsidium proprio ore legit peccata sua coram sacerdote, citra dubium legitimè confitetur. Non tamen debet merum legentis officium præstare, minueret enim verecundiam, confessioni germanam. Sed debet postquam inspexit papyrum ore confiteri.

Duplicitet quis scripto sacerdoti præsenti confiteri potest. an valide.

As de internuntio nemo ambigit, quin confessio per ipsum facta nihil valeat, non illa solum causa, quia non est secreta, nam per interpretem valet, sed ob id, quòd qui peccata sua nuntio narrat, qui sacerdoti referat, ille quidem non sacerdoti, sed nuntio confitetur: nuntius verò nemini. Quare nec sacerdos illa via, vt supra diximus, certior fieri valet alium illa peccata egisse, quippe quæ ille negare potest.

Confessio per internuntium, inualida.

Tandem, vt de interprete dicamus, certum est licere cuique linguæ ignaro confiteri peccata in præsentia sacerdotis per interpretem, quæ vtique confessio valida erit: est enim diuersa ratio, quàm de internuntio. Nam qui præsens est verè loquitur sacerdoti, quippe qui nutibus potest, & debet significare se illa asserere, quæ interpres refert.

Confessio per interpretem, valida.

His autem postrema adhibetur propositio contra quosdam dicentes, quòd si mutus scripto confiteri potest, eodem confiteri tenetur. Asseritur, inquam,

Digitized by Google

Nemo tenetur scripto aut per interpretem confiteri. Ratio.

contrarium, scilicet, quòd nemo tenetur aut per scriptum, aut per interpretem confiteri. Ita locis citatis Scot. & Caiet. tenent, & Palud. eadem dist. 17. q. 2. Et ratio est clara, quia eiusmodi confessio ex genere suo non est secreta. Quod enim scripsisti, licet manu teneas, potest sacerdos subripere, vel tu ex incuria perdere, & multò est minus secretum, quod coram interprete profers. Atqui licet, quòd clanculò fiat, non sit de essentia confessionis, & ideò licet fiat publicè, sit licita, tamen non est necessaria, quia Christus, cuius iugum suaue est, & onus leue, noluit vt peccata nostra periculo infamiæ nostræ exponeremus, & nonnunquam mortis, si publicitus esset nota.

Alia ratio.

Dubium. An interpres teneatur ad sigillum confess.

Restat tamen dubium, vtrùm interpres tam arcto vinculo, quàm sacerdos ad sigillum confessionis teneatur. Ad quod Scot. affirmando respondet, & Caieta. verisimilius negando. Nam interpres, inquit, non fungitur munere audientis, vt sacerdos, sed loquentis. Quare non se tenet à parte sacerdotis, sed à parte pœnitentis. Adiecerim præterea aliam rationem, quòd cum confessio per interpretem non sit necessaria, nihil mirum si Deus tanto rigore non compulerit interpretem, quanto sacerdotem. Fatendum tamen, quòd si interpres confessionem patefaceret, acriter esset puniendus, licet non illo rigore iuris, quo sacerdos. Si verò quis firmius consilium & remedium suæ vitæ procurans, confiteretur duobus simul sacerdotibus (quòd licet nunquam sit necessarium, est tamen licitum) ambo ex æquo ad sigillum tenerentur. Imò nec inter se postea, nisi de pœnitentis licentia, poterunt de eius peccatis colloqui.

DISTINCTIONIS DECIMÆ OCTAVÆ,

Quæstio tertia.

DE EFFECTIBVS ET DEFECTIBVS CONFESSIONIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm confessio liberet à morte peccati.

QVÆSTIO tertia est de effectibus & defectibus peccati, circa quam tria sunt disputanda. Primum, de effectibus confessionis. Secundum de confessione informi, & tertium de eius iteratione. Arguitur ergo, quòd eius effectus non sit liberare à morte peccati. Confessio contritionem prærequirit: contritio autem, vt supra diximus, sufficiens est ad peccatorum remissionem: ergo per confessionem non liberatur homo à morte peccati.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Arg.

Secundò, quia si ex opere operato gratia sacramentalis per sacramentum pœnitentiæ confertur, id potissimum absolutioni conuenit, quæ est vsus clauium sacerdotalium.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quòd confessio, vt suprà diximus, est pars sacramenti: sed sacramentum pœnitentiæ liberat à culpa: quia institutum est in remissionem peccatorum: ergo & confessio.

Decisio articuli.

Articulus hic ad explicandum mouetur, quemadmodum tam confessio, quàm contritio, & absolutio gratiam conferat.

Contritionis & confessionis duplex consideratio.

Ad cuius intellectum recolendum ex superioribus est, quòd tam contritio, quàm confessio duplici modo considerari potest: scilicet, & qua ratione est actus virtutis: & qua ratione est pars sacramenti. Et quidem contritio, quatenus est actus virtutis, iam suprà dictum est, quemadmodum causa esse possit per auxilium Dei remissionis peccati per gratiam. Et eadem ratione confessio per modum meriti potest eandem gratiam augere. At hæc consideratio non pertinet ad præsentem locum, sed solum quatenus confessio est pars sacramenti.

1. Conc.

Respondetur ergò sex conclusionibus. Prima. Confessio, quatenus est pars sacramenti, est partialis causa instrumentalis gratiæ, per quam actuale peccatum remittitur post baptismum commissum. Probatur, quia ad illum effectum sacramentum pœnitentiæ est institutum, cuius pars materialis est confessio: vnde sicut in baptismo non solum per verborum formam, verùm & per ablutionem, quæ est materia, confertur gratia: ita & in proposito per confessionem ratione adiunctæ formæ absolutionis. Id ipsum asseruit Diuus Thomas 3. par. quæstione 86. articulo tertio: & in quarto, distinct. decimaseptima. quæst. tertia, articulo quinto.

Confessio est partialis causa gratiæ.

2. Concl.

Sequitur secunda conclusio. Per confessionem in voto, quæ in contritione includitur, fit sæpè peccatorum remissio: nam quia legitima contritio propositum sacramenti pœnitentiæ includit, & volùtas apud Deum pro facto reputatur, eadem contritio habet, vt sit conuersio in Deum, licet tunc nulla sacramentalis gratia conferatur, sed per modum duntaxat conuersionis. Hoc patet per similitudinem ad baptismum, qui in voto ad gratiam remissionis peccatorum sufficit.

Confessio in voto confert gratiam nõ tamen sacramentalem.

3. Conc. Confessio contrito auget, attrito confert gratiam.

Tertia conclusio. Per confessionem in re accedente absolutione contrito augetur gratia, attrito verò confertur prima. Vtraque pars per eandem baptismi similitudinem constat: nam pariter hoc in remissionem peccatorum est institutum. Quare gratiam, si inuenit, auget, & si non inuenit, neque obex obstat, confert. Hanc verò secundam partem in subsequentibus lucubrantiùs explicabimus.

4. Concl.

Quarta conclusio. Sacerdos siue gratiam augeat, siue primam conferat, verè absoluit, atque id negare, sententiæ euangelicæ dissonat. Hanc conclusionem distinct. 14. quæst. 1. articu. 3. contra Magist. Sententiarum satis stabilitimus, qui distinctione 18. ait, sacerdotem non absoluere, sed absolutum ostendere. Est enim contra illud. Quodcunque solueritis, & quorum retinueritis: non enim inquit. Quorum ostenderitis remissa, sed: Quorum remiseritis. Alioqui forma, Ego te absoluo, falsa esset.

Witcleff peruersa interpretatio scripturæ Matth. 16.

Witcleff quidem, vt est videre apud Waldensem tomo secundo de sacramentalibus cap. 144. ordinem horum verborum sic peruertebat, vt cùm Christus dixit, † Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis: sensus esset. Nihil tu solues in terra, nisi quod iam solutum fuerit in cœlo, & nihil tu remittes, nisi quod iam fuerit remissum. Est autem impudentissima peruersio, nam tunc nullam apostolis concederet facultatem: imò esset quasi irrisio, Nihil tu poteris absoluere, sed totum sine te ministro erit absolutum in cœlo. Quare nullas Petro tradidisset claues aperiendi & claudendi regni. Verius ergo Augustinus contra in libr. de adult. coniu. Per claues, inquit, Ecclesiæ regni cœlorum non dubitatur remissio fieri peccatorum. Et lib. de vera & falsa pœnit. Ipsi, inquit, sacerdotes nostri plus iam possunt proficere, quàm veteres, qui lepram non mundabant, sed mundatos ostendebant: plus possunt confitentibus parcere, quibus crimen remittit Dominus, scilicet, per eos. Lazarum Christus, quem de monumento iam fuscitauit, obtulit discipulis soluendum: per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdoti. Et lib. 3. de sacer. Chry. Sacerdotes, inquit, antiqui lepram non mundabant, sed mundatam ostendebant. At verò nostris non corporis lepram, verùm animæ sordes non dico purgatas probare, verùm purgare, prorsus concessum est. Quocirca in concilio Constant. in bulla Matt. quinti definitum est, sacerdotes per sacramenta remittere peccata. Est ergo indigna glossa decreti illa super cano. 1. distinct. 1. de pœnit. quæ ait, neque cordis contritione, neque oris confessione peccata remitti, sed tantùm gratia Dei. Nam etsi nemo tollat peccata nisi solus Deus, de consec. distin. 4. can. Nemo. idque formaliter faciat per gratiam, tamen illam instrumentaliter per sacramenta producit.

Augustin.

Chrysostom.

Reiicitur glossa quædam.

Solu. arg. 1.

Vnde ad argumentum supra factum nonnulli respondent, quòd dum homo contritus ad sacramentum accedit, absoluitur à pœna, vel, quemadmodum alij dicunt, à præcepto confessionis. At verò solutiones istæ non consonant formæ, Ego te absoluo. Quare respondetur, quòd verè tunc etiam sacerdos absoluit à culpis: sensus enim est, vt illic cum S. Tho. diximus, Ego sacramentum absolutionis tibi impendo; cuius voto remissionem obtinuisti, & cuius virtus sufficeret tibi eadem peccata, si sine obice illa haberes, remittere.

mittere. Idem enim est sensus in forma, Ego te baptizo, quando catechumenus in gratia existens baptizatur. Ad secundum respondetur, quòd confessio non liberat à morte nisi dum accedente gratia informatur.

Sol. 2. arg.

5. Concl.

Remittit pœnam æternam & temporalem.

Quinta conclusio. Confessio cum absolutione non solùm a culpa, verùm & à pœna liberat, tam æterna quàm temporali. Probatur: nam dum liberat à culpa, siue in re, siue in voto applicetur, simul liberat à pœna æterna: quum autem applicatur in re, tunc virtute clauium, quod aiunt ex opere operato, remittitur pars pœnæ, quæ erat in purgatorio luenda, siue culpa fuerit per contritionem remissa, siue tunc per sacramentum remittatur. Imò tam parua esse potest, vt totam remittat. Probatur, quia vis clauium ad culpam se extendit & pœnam, vnde licet tam per contritionem, quàm per confessionem per modum meriti aliquid pœnæ temporalis remittatur, tamen superueniente absolutione plus virtute clauium condonatur.

6. Concl.

Ianuam paradisi reserat.

Sexta conclusio. Per sacramentum pœnitentiæ ianua paradisi reseratur, vt per baptismum, & spes subinde tribuitur salutis: quandoquidem obstaculum introitus regni non est nisi peccatum, quòd sacramentalis confessio & absolutio tollit. Atqui spes salutis nostræ in Christo sita est, cuius clauibus se homo per confessionem subijcit.

ARTICVLVS II.

Vtrum confessio possit esse informis.

Partis negatiuæ arg. 1.

CIRCA defectus confessionis arguitur, quòd non possit esse informis. Confessio est vna trium partium sacramenti, sed contritio & satisfactio nequeunt esse informes: nam detestatio peccati, vt supra diximus, non est contritio, nisi gratia informetur, & impletio pœnitentiæ, vt distin. seq. videbimus, non est satisfactio nisi ex gratia procedat: ergo & accusatio peccatorum, quamuis habeat alias conditiones, nisi fiat in gratia, non erit confessio.

2. Argum.

Secundò arg. Accusatio quæ fit ore, debet cordi fideliter correspondere, vt sit sacramentalis confessio: dum quis autem in peccato confitetur, os cordi non consonat: quia quod ore condemnat, corde approbat. Adde, quòd qui sic confitetur mortuus est per peccatum. Eccle. verò 17. legitur: A mortuo, velut qui non est, perit confessio.

Et potissimum omnium arguitur tertiò. Dictum est, distinct. præc. q. 2. art. 6. præceptum esse de contritione, idemque præter articulum mortis obligare dum occurrit confessionis præceptum: ergo confessio quæ fit sine contritione vera aut existimata, quæ sufficit ad gratiam, non est valida.

In contrarium est, quod cætera sacramenta, vt de baptismo & Eucharistia diximus, possunt esse verè sacramenta, licet à ficto recipiantur, qui gratiam propter obicem non suscipit: quo fit vt idem accidat sacramento pœnitentiæ.

1. Sensus artic.

Titulus articuli huius, qui est S. Thom. di. 17. quæstio. 3. artic. 4. anceps est. Potest enim esse sensus generalis. Vtrùm talis defectus accidere possit confessioni, vt fiat non modò informis, verum & inualida. Et hic neque in dubium cadit, neque ad nostrum attinet propositum. Potest enim ex parte pœnitentis, vel defectu intentionis, vel quia non fit integrè, vel alijs de causis irrita fieri confessio. Præterea ex parte sacerdotis, absolutio esse potest nulla, quia legitimam non habet vel intentionem, vel iurisdictionem absoluendi. Secundus sensus est ad rem pertinens præsentem: videlicet, vtrùm possit esse legitima confessio quoad substantiam sacramenti, licet effectu gratiæ careat: quemadmodum de baptismo & Eucharistia dictum est.

2. Sensus artic.

Circa hunc verò sensum adnotandum est, quòd nullum aliud sacramentorum dicitur informe, etsi effectu careat, sed inefficax. Nam etsi omnia sint causa gratiæ, nullum tamen eandem in se recipit, quia eorum materia est res extrinsecus suscipienti apposita. In hoc verò est peculiare, quòd cum confessio, quæ est actus pœnitentis, sit materia sacramenti, dicitur informari gratia & charitate, quæ sunt effectus sacramenti: atque adeò dum sacramentum est inefficax, dicitur informis.

Duæ extremæ opiniones.

De hac ergo quæstione duæ sunt extremæ opiniones, in quarum medio consistit veritas. Est enim vna opinio in vno extremo, cuius fautor est Ioannes Maior in 4. dist. 17. q. 3. & expressiùs quæstio. 9. Sed explicatiùs Adrianus quæst. 5. de confessione, dubio 5. Hi enim auctores regulam generalem constituunt, quòd omnis confessio quomodocunque informis ob aliquod impedimentum gratiæ est prorsus inualida, ac perinde iteranda. Quæ quidem opinio negatiuè subinde ad quæstionem respondet, scilicet, non posse confessionem seruata substantia sacramenti esse informem. Imò verò ad hoc vt confessio sit valida, requiritur, inquiunt, vera contritio pœnitentis, per quam iam accedat cum gratia: atque adeo secundùm hanc opinionem nemo potest ex attrito per sacramentum fieri contritus. Alia est opinio cuiusdam Bernardi de Ganaco, quam Capreolus refert, distinct. 17. quæstione 2. tenentis per alterum extremum: quòd nulla confessio, dummodo sit integra, ex defectu contritionis sit irrita. Quare licet nulla, inquit, prorsus adsit contritio neque attritio, est valida, neque vlla est obligatio eiusdem iterandæ. Hæc igitur opinio affirmatiuè respondet ad quæstionem.

Ioan. Maior. & Adriani opinio.

2. opinio.

Decis. quæstionis.

Veruntamen inter has opiniones media via est legitima: atque adeo ad quæstionem duabus conclusionibus respondendum.

Confessio non valida non est confessio.

Informis & formata sunt confessio.

Ad quarum intellectum supponendum est, quòd confessio, quæ non est valida, quantum ad substantiam sacramenti, nec informis dicitur, neque formata, quia non est confessio. Igitur quando confessio dicitur esse informis vel formata, supponitur esse confessio, nisi quòd informis est imperfecta, & formata per gratiam est perfecta. Hoc supposito, de confessione loqui possumus, aut qua ratione est actus virtutis, aut qua est pars sacramenti.

1. Concl.

Est ergo prima conclusio S. Th. loco citato. Confessio qua ratione est actus virtutis pœnitentiæ, non potest esse informis: quia confessio veluti contritio, qua parte est actio virtutis, est actus meritorius. Quia nullum opus dicitur simpliciter, aut est officium virtutis, nisi sit Deo acceptum, atque adeo ex charitate procedat, quæ est principium merendi.

2. Concl.

Secunda conclusio eiusdem S. Thom. Confessio quatenus est pars sacramenti, potest quantum ad substantiam esse vera confessio, & nihilominus informis. Probatur, quia confessio prout est pars sacramenti, nihil aliud est quam quædam accusatio, qua homo suam conscientiam sacerdoti clauibus Ecclesiæ fungenti fideliter manifestat. Potest autem peccator in peccato persistens cuncta sua peccata fideliter sacerdoti patefacere, subdendo se illi, vt remedium ei prouideat: ergo potest confessio esse informis. Nempe vt sit impletio præcepti absque effectu gratiæ.

Impugnatur fundamentum Maioris.

Sed quo ex falsitate contrariæ opinionis veritas eluceſcat, fundamentum Maioris est, quod iecit in 4. q. d. 9. q. 1. de Eucharistia, scilicet, quod quilibet existens in gratia sacramentum dignè & meritoriè sumit: quicunque autem in mortali suscipit, mortaliter peccat: si autem suscipiendo peccat, confessionis præceptum non implet, vt etiam Adrianus infert: atque ideò iterum confiteri tenetur. Addit præterea Maior loco citato, distin. 17. quòd qui putat diligentiam sufficientem fecisse, eo ipso est in gratia. Et idem consequenter affirmare censetur, si putat verè se esse contritum. Quare eius confessio non potest esse informis. Illud autem suum primum fundamentum, vt supra distinct. 12. q. 1. artic. 4. monstrauimus, falsissimum est. Imò sicut quispiam in gratia existens, indignè potest accedere ad Eucharistiam, si putet se esse in peccato: ita è conuerso potest qui est in peccato, si bona fide putet se fecisse sufficientem probationem, dignè accedere ad sacramentum. Non enim sequitur, si quis probabiliter putat se sufficientem fecisse diligentiam, & esse contritum, verè ita esse. Quando ergo isti arguunt, vel peccator dum accedit ad sacramentum fecit sufficientem diligentiam, vel non. Respondeo, non fecisse; sed negatur illatio, dum infertur: ergo peccat accedendo: quia potest inuincibiliter credere se talem fecisse diligentiam. Sed cum ex hoc rursus infertur, ergo iam est in gratia ante absolutionem: & hæc quoque consequentia negatur, quia peior est quàm prima: est enim error dicere, quòd ignorantia quæ excusat à noua culpa, sufficiat delere peccatum, in quo homo existebat. Actus enim intellectus non sufficit hominem in gratia constituere, & multò minus ignorantia. Alioqui sequeretur, posse contingere, vt qui modo non est in gratia: absq; noua detestatione, & susceptione sacramenti per solam

Adrianus, Maior.

mutationem opinionis consequeretur illam: vt si quis modò non fecit sufficientem diligentiam, & ita crederet, persuaderet verò alter ei, illam fuisse diligentiam sufficientem: tunc enim secundum istos sit consequens, quòd esset ratim in gratia, quod est delirium. Item dicere, quòd ad dignam susceptionem sacramenti prærequiritur digna contritio & gratia, & quòd sacramentum nunquam faciat ex attrito contritum, est vniuersali omnium doctorum sententiæ contrauenire. Quinetiam & catholicæ veritati, quod sacramenta gratiam conferunt iustificatricem, vt distinctione prima, quæstione tertia, monstratum est, & in concilio Florent. assertum. Qui enim negat ex attrito fieri contritum, subinde negat vllum sacramentum gratiam conferre. Præterea dicere, quòd quicunque cogitat se sufficientem fecisse diligentiam, sit subinde securus eam fecisse, est homines nimium securos facere: sunt enim aliqui tam desides & ignari, vt facilè credant se sufficientem fecisse. Quinetiam, vt postremum verbum addamus, ex illa opinione fieret consequens, vt homines esse certi possent se esse in gratia. Nam si hæc est bona illatio, homo probabiliter putat etiam ad iudicium prudẽtum se esse in gratia, ergo est in gratia: cum antecedens cuique possit esse certum, sit vt conclusio sit certa. Colligitur ergo, quòd confessio possit esse legitima, etiam si non fiat in gratia.

Concil. Florens.

At verò conclusio nostra plus affirmat, nempe, quòd etiamsi nec per sacramentum conferatur gratia, quia culpabili ignorantia homo putat se esse legitimè dispositum, cum verè non sit, potest confessio esse valida. Cuius vtique egregiam rationem meditatus est loco citato S. Th. Sequeretur n. dato opposito, quòd semper homo esset ambiguus, vtrum præceptum confessionis impleuerit. Si enim verum esset, quòd illius, qui sine gratia accedit ad sacramentum, neque illam per ipsum suscipit, confessio non est valida: cum nullus sit certus in gratia suscepisse sacramentum, nunquam esset certus, confessionem feciſſe legitimam, & præceptum impleuisse. Atque adeò sacramentum, quod nobis ad placandas conscientias institutum est, illas potiùs turbulentia & tremore inquietaret. Accedit, quòd vitæ norma ex prudentium more & vsu sumenda est: viri tamen prudentes, licet certi esse nequeant sint ne in gratia Dei, non subinde auxiantur dubij, an præceptum sumendi sacramentum impleuerint. Adde tandem, quòd omnia alia præcepta, vt charos honorare parentes, ieiunare, &c. possunt quantum ad substantiam operis extra gratiam impleri, cur ergo non impleantur & præcepta suscipiendi sacramenta, quamuis obex adsit gratiæ.

1. Ratio S. Thom.

Confirmatur 1.

Confirm. 2.

Secundò arguitur. Baptismus, vt supra † diximus, fictè receptus, est verè sacramentum, si recipiatur cum intentione suscipiendi quod Christus instituit, quanquàm obicem fortè gratiæ in suscipiente reperiat: ergo id contingit in sacramento pœnitentiæ. Scio Adria. negare consequentiam: quia per baptismum imprimitur character, non autem per pœnitentiam, atque ille non est iterabilis, vt pœnitentiæ sacramentum. Attamen discrimen hoc nihil ad rem. Ratio n. cur hoc conuenit baptismo, non est nisi quia sacramentum & eius effectus sunt duæ res distinctæ. Et ideo nil vetat, quo minus possit homo suscipere substantiam sacramenti cum obice gratiæ, quæ est eius effectus. Quare licet baptismus nulli imprimeret characterem, id ipsum nihilominus accideret. Veluti si sacramentum extremæ vnctionis non imprimens characterem cum obice gratiæ susciperetur, nihilominus esset verè sacramentum. De altero verò extremo citatæ opinionis, quod s. absque vllo prorsus dolore qui sit vel contritio, vel attritio, confessio sit valida, dicemus articulo proximo.

2. Ratio. † dist. 6. q. 1. art. 7.

Adrian.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd contritio & satisfactio fiunt coram Deo, in cuius conspectu nihil est solidum & gratum, nisi quod ex eius charitate procedit: confessio autem, prout est pars sacramenti, fit homini, cui licet sit vicarius Christi, potest fieri legitima peccatorum accusatio, & ideo quanquàm non fiat secundùm finem Dei præcipientis, atq; adeò nec sit ei accepta, est tamen valida quantum ad substantiam confessionis & sacramenti.

1. Argum.

Quòd si in contrarium arguas, contritio est vna trium partium sacramenti, vt in concilio Florentino definitum est: vbi autem est confessio informis, non est contritio: ergo illic nullum est sacramentum. Respondetur per eandem dist. quòd contritio vt est virtus, significat actum gratia informatum. Sed vt est pars sacramenti, quantum ad eius substantiam, non dicit nisi ordinem ad sacerdotem, puta detestationem, vt confessio sit peccatorum explicatiua, per modum accusationis. Vnde in concilio solum determinatur in genere, quòd contritio est pars sacramenti: quod autem contritio formata sit necessaria, vel sacramentum sit perfectum & efficax, vel attritio sufficiat ad substantiam sacramenti, Theologorum scholis relictum est explicandum.

Obiectio.

In secundo argumento tangitur difficultas præcipua, vtrum ad sacramentum pœnitentiæ, vt gratiam conferat, requiratur contritio in se, vel saltem in opinione peccatoris, vt putet se esse contritum, an verò sufficiat attritio etiam cognita. Et ratio dubitandi est, quia vt supra d. 6. q. 2. art. 7. constituimus, ad dignè suscipiendum baptismum sufficit attritio, per quam tollitur obex, vt gratia recipiatur. & D. Th. 3. p. q. 79. art. 3. expressè ait, quòd potest quis dignè accedere ad baptismum habens conscientiam peccati mortalis. Et illico q. 80. ar. 4. ad 2. æquiparare omnino videtur sacramentum pœnitentiæ & baptismi, dicens vtrumque esse institutum ad tollendum febrem peccati. Atque adeò licet quis sciat se non esse contritum, nempe dolere solùm propter pœnas inferni, sicut ad baptismum dignè potest, ita & ad confessionem accedere.

Circa 2. argum. Dubium. An requiratur contritio saltem in opinione peccatoris. Ratio dubij ex S. Thom.

Nihilominus, vt d. 14. q. 1. ar. 4 ita & nunc fateor, id mihi persuaderi non posse. Nam etsi tam hoc sacramentum, quàm baptismus sit ad delendum peccatum institutum, diuersimodè tamen. Ille siquidem est institutus ad delendum originale, quod non propria voluntate contraximus, & consecutiuè alia, quæ cum illo simul inuenit, atque adeò est regeneratio in nouam vitam. Sacramentum verò pœnitentiæ est ad tollenda peccata, quæ nos propria voluntate commisimus: & ideò baptismus non requirit aliam detestationem, quàm quæ obicem gratiæ tollat: sed tamen hoc sacramentum requirit accusationem pœnitentis, tanquam eiusdem sacramenti materiam, ac perinde detestationem, quæ eidem confessioni fideliter respondeat. Qui autem non se accusat offendisse Deum, non se legitimè coram Deo accusat: ergo vt pectus ori fideliter consonet, requiritur detestatio peccati quatenus est offensa Dei. Saltem secundum iudicium pœnitentis.

Sententia autoris.

Secundò, sacramentum pœnitentiæ est eorum, qui cùm per proprium actum & voluntatem auersi sunt à Deo, eadem voluntate in ipsum conuertuntur: at verò quem peccati, quatenus offensa Dei est, non pœnitet, certè non conuertitur. Nam ad amicitiam resarciendam requiritur pœnitentia offensæ amico illatæ. Accedit demum, quòd doctrina hæc de attritione, quæ in sacramento fit contritio, licet sit vera, non est tamen ita multùm vetus. Patres enim antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad confessionem. Reuera eum qui mihi diceret non se pœnitere propter Deũ, absoluere non auderem.

Ad autoritatem S. Tho.

Igitur ad S. Tho. respondetur, quòd in priori loco nihil de sacramento pœnitentiæ meminit, sed præcisè de baptismo dixit, quòd potest quisque cum conscientia peccati mortalis ad ipsum accedere, quòd nunquam de pœnitentia dixisse inuenitur. Quoniam nec causa, quam in baptismo assignauit, scilicet quòd est spiritualis regeneratio & ablutio, sacramento pœnitentiæ cõpetit. Vnde ad secundam eius autoritatem respondetur, quod illic, quia solùm faciebat comparationem ad sacramentum Eucharistiæ, quod est viuentium nutrimentum, eatenus sacramentum hoc cum baptismo coniunxit, vt ostenderet hoc etiam esse institutum in remissionem peccatorum, quod forma ipsa, Ego te absoluo, declarat. Sed tamen non inde colligitur, administrandum esse, nisi accusanti se offendisse Deum, in quo verum se dicere putat. Imò verò in 4. d. 21. q. 2. ait, quòd confessio de se operatur, præsuppositа contritione, quę culpam delet. Et in præsentiarum ad argumentum, quod hoc loco tractamus, scilicet quòd in confessione oportet vt os cordi concordet, respondet, quod is, qui absque contritione peccata verè narrat, cor habet verbis concors quantum ad substantiam confessionis: quamuis discordet à confessionis fine. Et eodem modo respondet ad illud Eccle. 17. scilicet, quòd ab eo, qui est in peccato confessio perit, quantum ad fructum. Vnde colligitur, neminem accedere dignè ad confessionem, nisi iudicio suo sit contritus.

Ad 2. arg. initio art. positum.

Ad

Ad tertiũ.

Ad tertium respondetur, quòd qui sciens se non esse contritum confitetur, non implet contritionis præceptum. Si verum est quod dist. præcedenti diximus, esse tale singulare præceptum, idque obligare dum Ecclesia præcipit confiteri. Secùs si putet se esse contritum, ita vt sacerdotis iudicio, vt statim dicemus, veniat absoluendus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm informis confessio eatenus sit valida, vt non sit necessario iteranda.

AD maiorem explicationem præcedentis articuli argum. quòd nulla informis confessio sit valida, sed omnis sit iteranda. Primò. Actio ministri debet ad normam principalis agentis exerceri: iudicũ autem pœnitentiale est ministri Dei: ergo debet iudicio Dei congruere, vt fiat secundùm eius motionem, qui est agens principaliter absoluens: confessio autem informis non fit secundum Dei motionem: ergo cùm fiat eius ministro, non est valida.

Secundò. Si confessio informis esset valida, sequeretur, quòd per ipsam impleretur præceptum non solùm Ecclesiasticum, verùm & diuinum: consequens tamen inde apparet falsum, quòd intentio diuini præcepti est hominis iustificatio, quæ per informem confessionem non fit.

Tertiò, si confessio informis esset valida, sequeretur, quòd etiam si quis ministro fine confiteretur, confessio esset valida, vt si quis propter vanam gloriam confiteretur, imò propter peiorem finem, puta, vt Deus suos vsurarios contractus prosperaret: consequens tamen est falsum, & contra illam conditionem, vt sit pura quantum ad intentionem.

Quartò. Si confessio informis esset valida, sequeretur, quòd postea recedente fictione sacramentum præcedens suum sortiretur effectum: hoc autem priuilegium soli baptismo tribuitur, vt sup. d. 6. q. 1. art. 8. ostensum est.

In contrarium est, quòd finis præcepti non cadit sub præcepto, & ideo potest absque gratia quantum ad substantiam impleri: & pariter præceptum confessionis, quare tunc non est necessarium vt reperatur.

Fundamentum notandum.

Quæstio hæc ad pusillorum cõscientias sedandas est scitu necessaria. Scrupuli enim qui homines in hac re magis molestant, sunt de iteranda confessione. Vbi hoc primùm est iaciendum fundamentum, quòd tria hæc mutuò se consequuntur, scilicet confessionem esse validam, & per illam impleri præceptum, saltem quoad substantiam, & non esse iterandam. Ob id n. quòd est valida, fit vt per ipsam præcepto satisfiat, ac perinde, vt non sit iteranda: & è conuerso, eò quod non est valida, fit vt nec sit impletiua præcepti, ac perinde vt sit iteranda.

Notabile.

Rursus est supponendum, vt ait Caiet. q. de confessione informi, quam ad tertiam partem adhibuit, duo esse hic extrema vitanda, s. vt nec credatur omnem informem confessionem esse validam, neque verò nullam. Quocirca iudicium, vtrùm sit inualida, non satis sumitur ex eo quòd sit informis, sed penetrandum est ad causas, cur sit informis. In illis enim perspiciendum est quæ sit ficta, & nihilominus valida. Quanquam quæ inualida est, vt suprà diximus, † non est confessio: sed nunc non procedimus in tanto rigore.

† art. prec. ante concl. 1.

His suppositis ad quæstionem respondetur sex conclusionibus discurrendo per omnes causas. Enimuerò quòd confessio sit informis, euenire potest aut ex parte sacerdotis, aut ex parte pœnitentis.

1. Concl. Quando est inualida confess. ex parte sacerdotis non habentis iurisdict. vel intentionem.

Sit ergo prima conclusio. Confessio, quæ fit sacerdoti non habenti, vel iurisdictionem, vel intentionem absoluendi, est inualida, per quam adeo non impletur præceptum, sed est iteranda. Probatur, quoniam absoluere non est actus solius characteris sacerdotalis, per quem sacerdos potestatem habet in corpus Christi verum, sed exigit præterea iurisdictionem, quia absoluere, vt q. sequent. repetemus, est munus pastoris collatum Petro, quum Christus ei dixit, † Pasce oues meas. Pascere autem actus iuridicus est, ac perinde absoluere ad iudicium attinet. Ex quo fit, vt etiam si quis bona fide confiteatur sacerdoti, quem arbitretur habere iurisdictionem, cum primum resciuerit eam non habere, tenetur iterum confiteri eodem anno, quia confessio non fuit maioris valoris, quàm facta laico. Et secundò subsequitur, quod potest confessio esse formata, & nihilominus inualida. Formata, inquam, non per gratiam sacramentalem, sed per illam quæ datur virtute perfectæ contritionis. In casu n. præsenti qui bona fide illegitimo sacerdoti confitetur, per ignorantiam tunc excusatur, quousque sciat non esse legitimum. Et ideo suo merito non fraudatur. Idemq; dixerim de eo, qui est ab eadem iurisdictione suspensus, vel excommunicatus nominatim, aut propter manifestam clerici percussionem, iuxta decretum Constantien. concilij. Nam vt d. 1. quæst. 5. articulo 6. diximus, alios excommunicatos euitare non tenemur, etiam si sciamus esse excommunicatos. Et ideo absolutio ab eis impensa tenet. Secùs si sunt suspensi, aut degradati. Pari ratione si minister non habuit intentionem absoluendi, absolutio est nulla. Sed hac solicitudine nemo debet perturbari, nam nisi manifestissimè constaret, sacerdotem non habuisse intentionem absoluendi, certus pœnitens esse debet illam habuisse.

Qui bona fide illegitimo confitetur, excusatur, nec suo merito fraudatur.

Quando ex parte pœnitentis sit nulla. 2. Concl.

Ex parte verò pœnitentis confessio fit informis, aut ex defectu intentionis, aut ex defectu integritatis confessionis, aut ex defectu contritionis.

Sit ergo 2. conclusio. Si deest pœnitenti intentio suscipiendi sacramentum Ecclesiæ, confessio est nulla, & ideo est iteranda. Et semper intelligitur eodem anno, quia per illam non impletur præceptum Ecclesiæ. Conclusio est clara, quia, vt in baptismo diximus, intentio suscipiendi est de essentia sacramenti.

3. Conc. Per se dimidiata, est nulla.

Tertia conclusio. Confessio per se, & ex intentione dimidiata est nulla, neque impletiua præcepti, sed iteranda. Quod autem dicimus ex intentione per se, q. præce. art. 5. explanatum est, dimidiatio enim & mutilatio per accidens, in casibus iure permissis, quos illic enarrauimus, confessionem non vitiat, quia truncatio illa non fit ex intentione, & voluntate celandi aliqua peccata, sed ex necessitate. Neque verò si illa prætermittantur, quæ non sunt de necessitate confessionis, vt venialia peccata, &c,

Confessio dimidiatur directe, & indirecte.

Animaduertendum hic tamen cum Caieta. in summa ver. confessio. conditione 10. bifariam contingere, vt confessio mutiletur, & dimidietur, s. directè, & indirectè. Directè enim mutilatur, dum quis ob verecundiam, aut ex pusillanimitate, vel alia de causa mortale aliquod peccatum & circunstantiam inter confitendum silet, & hæc est mutilatio sacrilega, atque adeò peccatum per se nouum confessionem faciens irritam. Et eadem ratione si consultò diceret, nolo facere diligentiam more illorum qui nolunt intelligere vt bene agant. Hæc enim directa est etiam dimidiatio, sicut cùm consultò tacetur peccatum. Secundò potest contingere indirectè, nempe dùm homo ex culpabili negligentia omisit legitimam indaginem facere peccatorum. Negligentia enim, quando est crassa, reducitur in naturam actus. Cùm enim quis incautè occidit hominem, licet minimatur quodammodo culpa, nihilominus est homicidium, ob defectum diligentiæ, quæ facienda erat.

Neglectus indaginis.

Sed est hic tamen valdè annotandum, quod non omnis negligentia, quæ homini culpam impingit ne fructum sacramenti suscipiat, proinde reddit confessionem inualidam, sed distinguere oportet. Enimuerò dum negligentia adeo est crassa, & supina, vt nulla prorsus reputetur, illa cõfessionem annullat, perinde ac si homo nollet facere diligentiam. Sunt enim homines adeò vecordes & desides, vt videntes se plurimis criminibus implicatos, ferè nullam faciant diligentiam, quod perinde est, ac si nollent facere. Quando verò homo facit diligentiam, quæ apparet sufficiens, sed re vera non est sufficiens, vt art. præcedenti dicebamus, tunc licet culpa lateat, vt confessio maneat informis, nihilominus confessio est valida, quia non est ex intentione dimidiata. Itaque licet negligentia sit culpabilis in explorando iure aut facto, nisi sit nimium crassa, quamuis pœnitens peccatum omittat mortale in confessione, siue ex ignorantia facti, quia non recordatur illius, siue ex ignorantia iuris, quia non putabat esse peccatum, non tenetur confessionem repetere, & iterare, sed satis est, dum intellexerit diligentiam non fuisse sufficientem, negligentiam confiteri, idque anno sequenti. Nã postquam illo anno validam fecit confessionem, absolutus est à præcepto.

Notandum.

Quæ negligentia confessionem annullat.

Restat ergo dubium, an ex parte contritionis confessio vsque adeo sit inualida, vt sit repetenda? Ad hoc respondetur quarta conclusione. Vbi nulla prorsus est

Informis ex parte contritionis.

dete-

4. Concl. detestatio peccati, quæ aliquo saltem modo sit attritio, nulla est confessio, siue fictionẽ illam homo confiteatur, siue ignoret putans satis se esse dispositum. Talis n. est impœnitentium confessio. Conclusio est Capreoli loco citato, dist. 17. q. 2. contra illum suum Bern. & Dur. q. 13. & Caiet. q. citata, de confessione. Et ratio est, quia vbi nulla est contritionis scintilla, confessio ipsa non habet accusationis imaginem, sed est simplex quædam peccatorum narratio, & simulata accusatio.

5. Concl. Quinta demum conclusio sit. Vbicunque est aliqua detestatio cum aliquo proposito mutandi vitam, quamuis illa non semper nec per se, nec per sacramentum ad gratiam sufficiat, erit validum sacramentum, si reliqua quidem concurrant, quæ sunt de essentia sacramenti, vt intentio, integritas, &c. Dixerim cum aliquo proposito: quia cùm contritio & dolorem includat præteriti peccati, & propositum in futurum, qua ratione, vbi nulla esset detestatio, annullaretur confessio, eadem itidem ratione, si nullum esset propositum mutandi vitam.

Præcipuum dubium. Dubium tamen omnium præcipuum hic à Caiet. & alijs interpretibus S. Tho. silentio præteritum video: quomodo s. intelligatur conclusio S. Th. præcedentis articuli, & hæc modo asserta, de confessione informi, quæ nihilominus est valida: vtrum hoc intelligatur etiam vbi non accedit absolutio. Videtur enim Caie. sentire atque alij, quòd si quis integrè confiteatur cum aliquo dolore insufficienti, quæ dicitur fictio, dummodo eandem confiteatur fictionem, vt confessio fiat integra, tunc confessio est valida. Id quod confirmari posset ex

Canon. Omnis vtriusq; canone. Omnis vtriusque sexus, de pœniten. & remis. vbi iubetur, vt sancta Eucharistia in paschate accipiatur, nisi fortè de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus pœnitens duxerit abstinendum. His enim verbis denotari videtur, quòd ille tunc non est absoluendus, & nihilominus satisfecit præcepto. Præterea accedit expressior canon.

Cano. Quod quidam. Quòd quidam. eodem titu. vbi Alexand. tertius iubet, confessionem illius admitti, qui dicit se à peccato abstinere non posse. Quo casu manifestum est illum non esse absoluendum, & nihilominus videtur præcepto satisfacere.

6. Concl. His tamen non obstantibus subiungitur sexta conclusio. Confessio, quam non subsequitur absolutio, licet possit vtiliter fieri, neutiquam tamen est valida ad complendum præceptum, imò est iteranda.

Obseruã. Est enim animaduertendum, quòd quandocunque sacerdos intellexerit pœnitentem non esse legitimè dispositum, vt gratiam sacramenti suscipiat, nullatenus potest eum absoluere. Esset enim sacrilegus error, eum absoluere, qui noscitur à Deo non absolui. Contra verbum Christi, † quorum remiseritis, remissa erunt. Et quod solueris super terram, erit solutum & in cælo. Et ideo qui fictè accederet ad confessionem, nisi fictionem confiteretur, dicens se non esse dispositum, sacrilegus esset, & dimidiator confessionis, & sacerdotis seductor, qui posset eum tanquam idoneum incassum absoluere. Si verò fictionem confiteretur, possent aliqui opinari, quòd licet non absoluatur, nihilominus per talem confessionem impletur præceptum Ecclesiæ, postquàm homo iam facit, quod pro sua fragilitate potest.

Matt. 16.

1. Probatur 6. Conclus. Contra hoc autem asserta est sexta hæc conclusio. Et probatur ex intelligentia eiusdem canonis. Omnis vtriusque sexus. Dum enim omnis illic christianus iubetur vt confiteatur semel in anno, idem est, confiteatur, quòd sacramentum pœnitentiæ suscipiat: nam cum illico subiungatur, & sacramentum Eucharistiæ suscipiat, illic docemur in simili sensu dixisse, confiteatur, id est, sacramentum suscipiat. Et confirmatur hoc, quia si dixisset, baptizetur aut confirmetur, planè intelligeretur idem esse quod sacramentum baptismi, & confirmationis suscipiat. Eodem ergo modo, quia homo ex se ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ non aliud debet facere, quàm confiteri, dictum est confiteatur, pro eo quod est, sacramentum suscipiat: at vbi non accedit absolutio, nullum est sacramentum: ergo huiusmodi confessio non est valida ad complendum præceptum.

Obiectio. Quòd si arguas, finis præcepti non cadit sub præcepto: sed absolutio est finis confessionis: ergo potest impleri præceptum confessionis sine absolutione. Respondetur ad minorem, quòd etsi absolutio in hoc sensu dicatur confessionis finis, quòd confessio sit, vt subinde absolutio fiat, nihilominus totum sacramentum ex ambabus partibus constans, est medium ad obtinendam gratiam, qui est eius vltimus finis: & ideo confessio quæ cadit sub præceptum, est illa, cui iudicio sacerdotis debet adiungi absolutio: adeptio autem gratiæ non cadit sub præcepto. Quamobrem confessio informis, quam quis putat esse legitimam, potest esse valida.

2. Probatur. Secundò probatur conclusio per similitudinem ad baptismum & alia sacramenta: nam baptismus ob id est validus, etiam dum à ficto recipitur quòd suscipitur, totum sacramentum cum materia, & forma. Atqui si eum, qui baptismum petit, constaret esse in peccato, cuius obicem opponeret gratiæ, nullatenus esset baptizandus, licet si re vera baptizetur cum legitima intentione, vel quia pœnitens obicem suum celat, vel quia sacerdos errando baptizat, sit nihilominus validus. Pari ergo iure confessio informis non est valida, nisi vel ex ignorantia sacerdotis, aut pœnitentis absolutio accedat. Sed est discrimen, quòd quia in baptismo nulla requiritur confessio, licet qui baptizatur malignè occultaret suam fictionem, nihilominus sacramentum teneret: hic verò minimè, quia confessio trunca tunc esset & dimidiata.

3. Prob. Tertiò. Præceptum contritionis, vt dictum est, simul currit cum confessione, præsertim tempore, quo ab Ecclesia iussa est confessio. Quare tunc requiritur, vt qui confitetur, cum dolorem habeat, vel sacerdotis iudicio habere putetur, qui cum sacramento sufficiat per illum namque dolorem arbitror tunc impleri contritionis præceptum. Igitur qui non censetur absolutione dignus, præceptum contritionis non implet, atque adeò nec confessionis.

4. Prob. Quartò. Quòd eadem sit in præsentiarum sententia S. Thom. probatur. Primò ex eius loquendi modo, scilicet quòd confessio informis recedente fictione suum habet effectum; vbi insinuat confessionem informem esse materiam sacramenti per absolutionem: alioqui nunquam sortiretur effectum. Item id colligitur ex eius ratione. Ait quippe confessionem informem posse esse validam, quia alias, cum nullus sciat se charitatem habere, nunquam homo sciret se esse confessum: totum ergo defectum ponit in defectu gratiæ, non in defectu absolutionis: nam qui scit se non esse absolutum, nil mirum si sciat se non legitimè esse confessum. Nullum ergo dubium, quin S. Thom. nunquam censuerit confessionem informem esse validam, nisi cui adsit absolutio, & ita tenendum.

Solutio arg. Vnde ad primum argumentum negatur, confitentem facere quantum debet, quousque sic confiteatur, vt iudicio sacerdotis absoluatur: nam quamuis omnes dum confitentur accusent se non feciſſe diligentiam, neque esse pro dignitate paratos, illud tamen non est consuetum intelligi, nisi ad exaggerandam humilitatem, & reuerentiam, quæ sacramento debetur: quo igitur verbo non obstante censetur pœnitens dignè accedere.

Ad Can. Omnis vtriusque. Ad canonem, Omnis vtriusque sexus. Respondetur, quòd licet quandoque pœnitenti sacerdos consulat abstinere ab Eucharistia in tempus, non inde colligitur, quòd non eum tunc absoluat. Nam aliæ causæ intercedere possunt abstinendi. Secundò, licet aliqua causa interueniat differendi absolutionem, non subinde sit consequens, vt confessio sine absolutione sit præcepti impletiua, imò contrarium in fauorem præsentis conclusionis elicitur. Enimuerò quoties absolutio differtur, nullus arbitratur se satisfeciſſe præcepto, quousque ex concilio sacerdotis occasiones peccandi auferat, & tandem absoluatur. Hic enim est mos vniuersalis Ecclesiæ, quo prædicta conclusio solidè confirmatur.

Ad Can. Quod quidam. Decretum verò canonis, Quod quidam. quo nonnulli existimant confessionem illam impœnitentis recipi tanquàm præcepti impletiuam: planè mihi videtur, saluo aliorum iudicio, contrarium docere. Verba enim decreti sunt. Eorum confessionem (scilicet non valentium abstinere) recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere, quia licet non sit vera eiusmodi pœnitentia, admittenda tamen est eorum confessio & crebris, & salubribus monitis pœnitentia indicenda. Intelligit ergo textus, illam non esse pœnitentiam quæ fieri debet secundum præscriptum Ecclesiæ, sed esse vtilem, tum propter humilitatem, & verecundiam,

cundiam, & obedientiam, tum etiam vt homo inducatur ad faciendam confessionem, quam secundùm ritum Ecclesiæ tenetur facere. Quare ille non propriè est fictus, quia suũ expandit pectus. Neq; petit absolui.

Casus confessionis informes.

Ex his ergo colligere quisque potest casus, quibus vsu venire potest, vt confessio iuxta sententiam D. Thom. in præcedenti articulo sit informis. Plures enim in præfata quæstione Caieta. atque alij congeruntur. Primus quem ille ponit est, quando quis dolet, & odio habet peccatum, sed non supra omne odibile, vt proponat pro nulla re mundi iterum peccare. Et cogitat plerosque sic confiteri, non tamen obtinere gratiam, licet adimpleant præceptum At verò non sic auderem conturbare, conscientias, quia illæ comparationes non sunt factu necessariæ, vt dist. præceden. q. 2. dicebamus, sed sat est absolutè dolere de offensa Dei, vt confessio sit fructuosa.

1. Casus.

Primus igitur casus est ille superiùs positus, dũ quis putat se fecisse sufficientem diligentiam, quæ tamen non fuit sufficiens, sed tamen cum sua credulitate absoluit eum sacerdos. Iam enim diximus † contra Ioannem Maior. quòd credulitas hæc potest quandoque excusare hominem à noua culpa, licet peccata non deleat: & nunc etiam adijcimus, quòd nec sacramentum cum tali credulitate sufficit: præterquàm quòd potest esse culpabilis ignorantia, & tunc ipsa confessio erit peccatum, & nihilominus si tam pœnitens, quàm sacerdos putant sufficientem fuisse diligentiam, potest absolutio subsequi, infructuosa tamen.

† Art. prec. §. Sed quod ex falsis.

2. Casus.

Secundus casus est, dum quis accedit cum dolò, putans se habere legitimum propositum abstinendi, & tamen illud verè non habet, sed tantum conditionale vellem, si bono modo possem, abstinere à peccato, quale est impœnitentium propositum. Quando enim attritio hac infirmitate propositi claudicat, licet absolutio accedat, nunquam tamen sufficit ad gratiam. Nam quidquid sit de dolore, propositum tamen semper debet esse absolutum. Et hoc forsitan Caietan. appellauit odium peccati, sed non supra omne odibile. Atque hoc genus informis confessionis vereor ne sit multum frequens in vulgo. Quare in legitimo proposito persuadendo æcberent sacerdotes sedulò insudare.

Contritio ab attritione obiecto differt.

Atqui meminisse oportet ex superioribus contritionem ab attritione nulla intensione differre, sed solum obiecto: detestatio enim peccati sub ratione offensæ Dei sub quacunque intensione est contritio, quæ si fiat per speciale auxilium Dei, per se sufficit ad gratiam: si verò per vires naturales, arbitror cum sacramento satis esse, sicuti attritionem. Dolor verò peccati propter pœnas inferni, quantumcunque intensus, non est nisi attritio. Est autem pœnitenti perquàm difficile dignoscere, quando vnum habeat, quandóve alium dolorem. Et ideo confessarij non debent ita multum incumbere, vt cum plebeijs pœnitentibus discutiant, ex quo fonte eorum dolor nascatur, sed satis est eos admonere, quod debet nasci ex amore.

Nota.

Scio quosdam, nec sine probabilitate de huiusmodi attritione distinguere, quæ si sit propter pœnas inferni, sufficit cum sacramento: quia illic Deus timetur vt vltor, & inflictor illarum pœnarum: quum tamen dolor ex timore detrimentorum temporalium nascitur, vt timore honoris, aut infamiæ, aut mortis, aut iacturæ bonorum, aiunt neque cum sacramento sufficere ad gratiam, tametsi confessio sit valida. At verò probabilius fortasse dicitur, quòd cum ille timor sit bonus, quia illa sunt verè mala, & à Deo licet per causas naturales inflicta: illa attritio, dummodo existimetur contritio, adiuncto sacramento sufficit.

Dolor ex timore temporalium malorum an cũ sacram. sufficiat?

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod in confessione informi consideratur & ipsa confessio, quæ est actus pœnitentis: & absolutio, quæ est actus sacerdotis. Concludit igitur argumentum, quòd sacerdos non debet pœnitentem absoluere, quem scit non esse idoneum vt gratiam recipiat, vt iam retro monstrauimus. At verò confessio informis fit ex motione Dei, non quidem mouentis ad gratiam, sed confessionem iubentis: sicuti qui honorat parentes in peccato mortali, illud ex motione Dei, hoc est, iussu eius facit. Et ideo si putat se esse dispositum, & absoluitur, præceptum implet quo ad substantiam, sicut qui fictus baptizatur, licet neutrum impleatur ad intentionem præcipientis.

Ad 1. argum.

Confess. informis est ex motione Dei.

Ad secundum argumentum conceditur per confessionem informem impleri præceptum confessionis, non solum Ecclesiasticum, verum etiam diuinum, quantum ad substantiam actus. Nam Ecclesiasticum est diuini determinatio.

Ad 2. argum.

Quòd si arguas, intentio Dei iubentis confessionem fuit, vt per ipsam homo in eius gratiam reconcilietur: ergo absque illo non impletur præceptum Respondetur, argumentum concludere, quòd non impletur ad intentionem, & finem præcipientis, sed tamen quia finis non cadit sub præcepto, impletur quantum ad substantiam.

Ex his autem contra illa quæ dicta sunt, exurgit argumentum. Per opus, quod est peccatum, non impletur præceptum vel Dei, vel Ecclesiæ, quæ in suis præceptis autoritate Dei vtitur: qui autem vel sciens, vel ex crassa ignorantia facit cõfessionem informem, peccat, ergo per illam, quæ est peccatum, non implet præceptum. Hoc argumentum loco citato Adrianus quæstione quarta, de confessione negare conuincitur, vllam confessionem informem esse inualidam. Et pariter dicit, quod qui indignè suscipit Eucharistiam in paschate, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Quinuerò eò prorumpit vt dicat, vt qui soluit æs alienum eo animo, vt creditor eo male vtatur, non soluit præceptum iustitiæ. At verò negatur in primis illa eius maxima: imò per peccatum mortale potest quantum ad substantiam impleri præceptum. Vt dum quis vadit ad audiendum sacrum die festo intentione furandi: si verè audit, præceptum implet: quanquam intentio eius grauius peccatum sit, quàm fuisset omissio præcepti. Et negare, quòd qui malo fine soluit debitum creditori, non satisfaciat præcepto iustitiæ, est rem inopinabilem ducere. Idem ergo contingere potest in confessione, dum quis vel non fecit diligentiam sufficientem, vel non habet sufficiens propositum, putat nihilominus dignè accedere, tanta enim potest esse ignorantia, vt peccet accedendo, & nihilominus satisfaciat præcepto. Quando verò sciens accedit indispositus, si fictionem occultet, non implet præceptum: quia dimidiat confessionem. Si verò adit prælatum suum non intentione vt absoluatur, sed vt audita confessione consilium ei & remedium adhibeat, iuxta tenorem capituli, Quod quidam, non peccat nouo peccato, imò facit actum obedientiæ, & prudentiæ, remedium procurando. Et idem est de præcepto Eucharistiæ. Si enim quis accedit, putans se bona fide accedere, quanquam fallatur, neque gratiam recipiat, satisfacit præcepto. Si verò manifestè sciret in peccato accedere, non solùm sacrilegium committeret indignè sumens, verùm nec satisfaceret præcepto, non solum quia obicem opponit gratiæ: sed quia excellentia dignitatis illius sacramenti singulari ratione exigit accedentis dignitatem: & ideo qui aliter accederet, contemneret potiùs quàm impleret præceptum.

Obiect.

Adrian.

Per peccatum mortale potest impleri præceptũ.

Tertio argumento mouetur Sylvest. verb. confessio. §. 7. vt dicat, confessionem, quæ principaliter fit propter inanem gloriam, non esse validam, nec per illam impleri Ecclesiæ præceptum. Nam de essentia confessionis est, vt fiat spe veniæ. Nihilominus respõdetur primò, quòd licet talis confessio non sit actus virtutis, quia est peccatum veniale, tamen quia peccatum veniale non est obex gratiæ, fieri potest, vt non solum illa confessio sit valida, si alium non habeat defectum, verùm & absolutio sit fructuosa. Quoniam nil obstat, quominus quis possit spe veniæ obtinendæ, & gratiæ habendæ confiteri, & nihilominus id simul faciat ob vanam gloriam Quando verò adiungitur finis mortalis, longè alia ratio est: quia tunc neque attritionis ratio interuenit, cum nec sit verus dolor, nec absolutum propositum: quare confessio iuxta ea quæ dicta sunt non est valida.

Ad tertiũ. Sylvest.

Confessio facta ex inani gloria, est fructuosa.

Finis mortalis annullat confess.

Quartum mihi argumentum maiorem difficultatem affert, propter verbum Sanct. Thom. quo quibusdam videri potest huius fuisse sententiæ, vt confessio informis recedente fictione suum sortiatur effectum, sicut de baptismo asserit August. Veruntamen hæc opinio neque clarè est. S. Thom. neque solida ratione fulcitur. Primum enim, vbi confessioni non adiungitur absolutio, quia non est sacramentum, nullum vnquam potest habere fructum.

Ad quartum.

Recedente fictione, confess. nõ sortitur suum effectum.

Secundò etiam si confessio sit informis per ignorantiam adiuncta absolutione, vt explicatum est, non

Digitized by Google

est cur recedente fictione gratiam conferat, quia vt distinctione sexta quæstione prima articulo octauo ostendere, nitebamur, priuilegium hoc August. † vni duntaxat baptismo tribuit, in eo canon. tunc valere. de consecratione distinctio. 4. Et ratio est, vt illic diximus, non quia imprimat characterem: alioqui & confirmationi & ordini etiam congtueret: sed quia patres sic verbum Christi intellexerunt, † Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. vt originale non nisi solius baptismi virtute remittatur: inde namque collegerunt, vt baptismus fictè receptus recedente fictione gratiam conferat, qua originale remittitur, & quæ cum eo præcesserant mortalia, hæc autem ratio in nullo alio sacramento reperitur. Vnde S. Thom. licet in quarto fuerit de hac re variè locutus, nam distinctione quarta, quæstione tertia art. 2. idem priuilegium videtur tribuere omnibus sacramentis imprimentibus characterem: & hic etiam sacramento pœnitentiæ: tamen. 3. par. quæstio. 69. art. 10. soli baptismo illud videtur ascribere: eò quòd est quædam regeneratio, per quam originale tollitur. Dum autem sacramentum pœnitentiæ absque gratia fictè suscipitur, contritio postea, & etiam iterata confessio sufficit ad delendum non solum peccatum illud fictionis: verùm omnia quæ confessione informi fuerat homo cõfessus, ergo non opus est, vt sacramentum præcedens tunc gratiam conferat. Nam baptismus, vt diximus, quia illa sola causa, quòd nec originale, neque peccata baptismum præcedentia possunt per aliud sacramentum remitti, & ipse non est iterabilis, incipit, vt ait August. recedente fictione tunc valere. De peccatis verò, quæ in confessione informi non delentur non est eadem ratio: quia possunt per aliam confessionem in re vel in voto deleri.

Vnde ad San. Thom. respondetur primum, quòd forasse loquebatur in 4. cum communi vulgo, quod quidem in summa correxit, & correxisset clarius, si huc vsque peruenisset. Secundò respondetur, quòd non videtur idem tribuisse huic sacramento quod baptismo: ait enim, quòd quamuis tunc confessus non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione recipere incipiet, sicut est in alijs sacramentis. De alijs autem sacramentis non imprimentibus characterem nullibi hoc ipse opinatus est, sed Capreo. & Palud. qui fictitium illum ornatum per sacramentum hoc imprimi autumant, illum gratiæ fructum recedente fictione, & hic quoque fingunt. Attamen San. Thom. vt arbitror, non aliud sibi vult, quàm quòd recedente fictione per contritionem incipiat homo habere gratiam & remissionem peccatorum, quam non habuit per prius sacramentum: & si iterum confiteatur, habebit etiam gradum sacramentalem gratiæ: similem illi, quem habuisset per primum sacramentum. Nunquam tamen eundem numero.

† *Lib 1. de baptis. cõt. Donat. c. 12. tom. 7.*

† *Ioan. 3.*

S. Thom.

S. Thoma expositio.

Capreo. & Palu.

S. Thom.

DISTINCTIONIS DECIMÆ OCTAVÆ.

Quæstio quarta.

DE MINISTRIS SACRAMENTI POENITENTIÆ.

ARTICVLVS I.

Vtrum necessarius minister sacramenti pœnitentiæ sit sacerdos, cui soli confiteri licet.

CIRCA hanc quæstionem quartam sex sunt nobis disputanda. Primum de proprio ministro, an sacerdos sit necessarius minister sacramenti pœnitentiæ. Secundum vtrum non omnis, sed proprius. Tertium, qui sunt ij, qui ex priuilegio possunt confessiones audire. Et quartum, vtrùm in articulo mortis possit quisque per quemcunque sacerdotem à quocunque peccato absolui. Et duo postrema de sigillo confessionis. Arguitur ergo, quòd sacerdos non sit necessarius minister huius sacramenti. Apostolus Iacob. cap. 5. fuit confessionis promulgator: non tamen aliud ait, quàm confitemini alterutrum peccata vestra: ergo vnicuique licet cuilibet Christiano promiscuè confiteri. Præsertim cum in baptismo omnes Christiani sint instituti sacerdotes, iuxta verbum Io. Apocal. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. *Pars negatiua arg. 1.*

Secundò arguitur. Sacramentum pœnitentiæ tam necessarium est relapsis, quàm baptismus originali labe intinctis: sed in necessitate laicus potest baptizare: ergo & in simili necessitate confessionem audire. *2. Argu.*

Tertiò arguitur autoritate Cyp. 3. lib. Epist. 17. quæ incipit, Miror vos. vbi post alia, hæc verba subdit. Si aliqui incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud presbyterum quemcunque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, vt vrgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin, id est, confessionem suam facere possunt, vt manu eis in pœnitentia posita vadant ad dominum cum pace. Vbi confessionem insinuat fieri posse diacono. *3 Argu.*

Quartò arguit. ex libro de vera & falsa pœnitentia, qui refertur de pœnitent. d. 1. can. quem pœnitet. Vbi sic legitur. Tanta itaque vis confessionis est, vt si deest sacerdos confiteatur proximo. Et Beda super verbis Iaco. citatis ait. Coæqualibus quotidiana, & leuia, & grauiora pandamus: non ergo sacerdos est necessarius minister. *4. Argu.*

In contrarium est, quòd solis Apostolis, eisque perinde succedentibus episcopis, & sacerdotibus eorum auxiliarijs data est potestas clauium: ergo illi sunt ordinarij iudices, quibus est necessariò confitendum. *Pars affirmatiua.*

Res hæc inter Catholicos nulla opus habet disputatione, quos vtique Ecclesia decretis quàm plurimis vsuque inuiolabili docet, solos sacerdotes esse pœnitentium ministros. Sed hæretici, & potissimùm Lutherani sunt, qui sacerdotalem dignitatem de medio Ecclesiæ tollunt. Lutherus enim in illo Satanico libro de abroganda missa priuata, in sacramento, inquit, pœnitentiæ, & remissione culpæ non plus facit Papa, vel Episcopus, quàm infimus sacerdos: imò vbi non est sacerdos, æquè tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset, qui quidem fuit articulus tertiusdecimus à Leone tanquam pestilentissima hæresis condemnatus, & fuit etiam, vt Marsil. in 4. quæstione 12. art. 1. refert, V Valden. error, & famosissimi hæretici illius V Vitcleff, vt apud Tho. V Valdens. tomo 2. de sacramentis. capit. 135. infra est videre. Attamen quia hæc disputatio ad distinctionem inferius subiungendam de clauibus congruentiùs attinet, non est hic latius extendenda. *Dec. art. Hæresis Lutheri. V Vitdeff.*

Respondetur ergo ad quæstionem tribus conclusionibus. Prima. Solus sacerdos est sacramenti pœnitentiæ minister, cui ideo necessariò facienda est confessio. Probatur. Sacramentum pœnitentiæ est iudicium, quo homines virtute clauium ad regnum cælorum admittuntur, aut inde excluduntur: eiusmodi autem claues eius Apostolis, ac subinde eorum successoribus sacerdotibus collatæ sunt: ergo illi sunt soli ministri. Probatur minor: Quia Matth. 16. Petro singulariter dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque solueris, &c. & Matth. 18. Apostolis idem verbum repetitum est, Quæcũque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo, &c. & Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c. *1. Concl. 1. Ratio.*

Et accedit congruentissima ratio S. Thom. dist. 17. q. 3. art. 3. Gratia, quæ per sacramenta confertur, à Christi capite deriuatur, qui in sua passione auctor eius, & meritor fuit, ergo condecens fuit vt soli illi, qui potestatem habent in corpus Christi verum, ministri essent sacramentorum, per quæ eadem gratia deriuatur in corpus mysticum: illi autem sunt soli sacerdotes, quales fuerunt Apostoli in cœna ordinati ad idem corpus consecrandum: ergo illi soli sunt sacramentorum ministri, iuxta verbum Paul. 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, &c. Et potissimum sacramenti pœnitentiæ, per quod homines idonei fiunt ad suscipiendum idem corpus Christi verum in Eucharistia. *Ratio. S. Thoma. Paulus.*

Et quo hæreticorum fallacias detegamus, arguitur secundò. Christus instituit singulariter sacramenta, quæ instrumenta essent suæ in nos deriuandæ gratiæ, *3. Ratio.*

ergo

ergo & singulares ministros. Consequentia profecto inde tenet, quòd dum in repub. ciuili iudicia sunt constituta publica, subsequenter & ministri sunt constituti, quibus solis illa administratio incumbat. Vt est videre in regibus, consulibus, prætoribus, & in cunctis iudicantibus. Multò ergo est ratio efficacior, vt diuina sapientia sacramentorum administrationem, quibus suam gratiam hominibus impartitur, non quibuscunque permitteret, sed selectis ministris, & ad id muneris à se creatis committeret, quales sunt sacerdotes. Iuxta verbum Pauli ad Ephes. quarto. Dedit quidem quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios autem Pastores, quo nomine intelliguntur prælati.

Lutheri fundamentum.

Atqui hæc fuit Lutheri & priscorum hæreticorum præcipitatio, vt alio retro loco à nobis dictum est: quòd cùm sacramenta negassent aliquem habere effectum gratiæ, inde præcipites dixerunt, nullos esse necessarios sacerdotes. Et profectò si eius fundamentum bonum esset, consequentia bona erat: quia si in Eucharistia non consecraretur verum Christi corpus, neque sacramenta virtutem haberent spiritualem, consequens esset, quod non esset altior virtus in nostris sacerdotibus, quàm in Mosaicis. Vnde Lutherus, quia dixit ad remissionem nihil agere absolutionem sacerdotis, sed sufficere pœnitentis fidem, subsequenter adstruxit, nihil egregium habere sacerdotes præ reliquo populo. Veritas verò catholica habet per sacramenta conferri gratiam, quare & spirituale munus & functionem in sacerdotibus agnoscit ad eandem conferendam, vt in Concilio Constan. per bullam Martini quinti decretum est. Ac subinde in interrogationibus, ad quas Ioannes Hus compulsus est affirmanter respondere, vna fuit, vtrùm crederet, quòd Christianus vltra contritionem cordis habita copia sacerdotis, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis quantumque bonis & deuotis. Nam Witcleff, magister eius, duobus item modis peruertebat verba Euangelij, Quodcunque solueris, erit solutum, & quorum remiseritis, remissa erunt, vt tomo secundo de sacrament. capite 44. & 5. refert Waldens. Primò. vt suprà diximus † id est, nihil quidem poteris soluere, nisi illud prius remissum sit in cœlo. Ex quo colligere contendebat, quòd non plus facit sacerdos quàm laicus. Secundò, quòd illa potestas fuit data Petro, & Apostolis ob suam sanctitatem, & ideo qui non succedunt ei in sanctitate, non succedunt in potestate: ob idque satius esse confiteri laicis probatæ vitæ, quàm sacerdotibus discolis. Qui quidem error, vt refert Guido Carmelita, fuit hæretici Sagarelli de Parma, qui dicebat, quòd Papa neminem potest absoluere, nisi foret ita sanctus sicut beatus Petrus, & in tanta paupertate, quanta beatus Petrus fuit, & in tanta humilitate. Sed contra primum iam diximus quæstione præcedenti articul. 2. quòd illa potius videretur irrisio potestatem negantis, quàm vllam concedentis. Et contra secundum errorem satis disputauimus distinct. 1. quæstione quinta. articu. 5. compluribus testimonijs & rationibus ostendentes, quod ministris, qui in bonum publicum, & ad consulendum singulorum conscientijs instituti sunt, non adimitur per eorum quodcunque peccatum illa potestas publica. Alioqui omnia versarentur in dubio. Veritas hæc demum, quod sit solis sacerdotibus confitendum, habetur in multis canonibus de pœnit. dist. 1. vt can. Quem pœnitet. & can. Agite pœnitentiam. & can. Quidam. & multis alijs.

Conuil. Constant.

Vvitlef. impugnatur.

† q 3. ar. 1. §. Vvitleff. quidem.

Dubium. An absente sacerdote teneatur quis laico confiteri.

At quamuis sacerdotes sint ordinarij ministri sacramenti pœnitentiæ, restat tamen dubium, vtrùm quispiam in absentia sacerdotis teneatur confiteri laico. Quòd si non sit præceptum de mortalibus, vtrùm saltem de venialibus: aut si nullum sit prorsus, vtrum eiusmodi confessio sit licita: & esto sit licita, vtrùm aliquando sit consilium confiteri laico, an potiùs nunquam talem confessionem facere.

2. Con.

Sit ergo secunda conclusio. In nullo prorsus euentu necessarium est confiteri laico. Probatur: quia cùm laicus non habeat potestatem clauium, certissimum est, quòd neminem sacramentaliter absoluere potest, sed tantùm deprecatorie, vt misereatur tui, &c. atque adeò confessio illa nullius esset pars sacramenti, neque gratiam vllam conferre posset: vnde cùm præceptum, tam diuinum, quam humanum non sit latum, nisi de confessione, quæ est pars sacramenti ad obtinendam absolutionis gratiam, nullum extat de confessione facienda laico. Alioqui in cano. Omnis vtriusque sexus. fieret mentio huius confessionis, cùm tamen non dicatur, nisi vt vnusquisque proprio sacerdoti confiteatur.

3. Conc.

Tertia conclusio. Quondam in Ecclesia vsus viguit confitendi laicis in absentia sacerdotis, ingruente salutem necessitate. Hoc cōstat ex illo verbo citato, libro de vera & falsa pœnitentia, qui si non fuit Aug. nō tanta pollet autoritate, quantam Magister sentent. & Gratia. illi tribuerunt. At verò persuadere mihi non possum, quòd fuerit in vsu confiteri peccata occultissima, & grauissima, quæ alicuius essent infamiæ: nam cum illic nullum esset sacramentum, aut absolutio à peccatis, aut collatio gratiæ, atque adeò, vt dictum est, nunquam cōfessio illa fuerit in præcepto, incredibile est, quòd sua sponte homines sine aliquo fructu pudenda conscientiæ alijs propalarent. Enimuerò & ratio S. Thom. & omnium doctorum, quæ ex similitudine baptismi ducitur, nihil concludit: nam baptismus est sacramentum simpliciter necessitatis, potissimum infantulis, quibus ante vsum rationis nulla reliqua patet salutis via, quàm per ipsum: & ideo conceditur, vt in extrema necessitate à laico sacramentum illud impendatur. Cùm ergo hoc sacramentum non competat nisi adultis, quibus contritio sufficit, & quanquam non sint nisi attriti, nequeant per confessionem factam laico fieri contriti, non est efficax similitudinis ratio, vt laicus in necessitate fiat perinde minister pœnitentiæ, sicut baptismi.

Interpretatio can. & S. Tho.

Cæterùm obijciet fortè nobis quispiam verba hæc citati canonis, Quem pœnitet. Licet laicus, cui fit confessio, potestatem absoluendi non habeat, pœnitens verò sit dignus venia, quia ex desiderio sacerdotis, socio confitetur. Quibus decipi quis posset, cogitans desiderium illud perinde valere, acsi confiteretur sacerdoti. Et D. Tho. ibidem solu. ad primum ait, quod quamuis laicus ille sacramentum non possit perficere, vt sacerdos: quia non potest absoluere, tamen defectum sacerdotis summus sacerdos supplet. Caueat tamen lector hoc sic intelligere, quòd Deus tunc conferat eandem gratiam, quam cōferret per sacramentum, aut quòd si pœnitens est tantum attritus, eius attritio fiat contritio: quia vbi non est sacramentum, non est speranda alia gratia, quàm quæ actui detestationis respondet: sed sensus est, quòd si ille accedit contritus, Deus acceptat suam voluntatem, postquam non potest habere copiam sacerdotis. Præterea erubescentia confitendi, & humilitas angebunt illi mœstum, & poterit ab illo amico consilium accipere, & medelam suis curandis morbis. Haud tamen laicus ille poterit iniungere pœnitentiam sacramentalem, nisi per modum concilij. Quare quod ibidem subdit Sanct. Thom. eiut confessionem esse quodammodo sacramentalem, non intelligitur quasi sit pars sacramenti; sed quod ex desiderio pœnitentis non valentis sacerdotem conuenire, habet quandam imitationem sacramentalis confessionis.

S. Thom.

Sed si quis dubitet, an iam nunc temporis consilium sit huiusmodi laicas facere confessiones, Scotus distinct. 17. articu. secundo vtilius censet, vt non fiant. Et distinct. 14. artic. 2. durius, ait, dubiū esse, an talis confessio esset in detrimentum salutis. Moderatiùs tamen dicere possumus iam non esse in vsu neque esse consulendas: quia certè fructus aut nullus est, aut perexiguus ob verecundiam & forsan quia ore proferendo peccata, cordis contritio vehementius accenditur. Qua ratione nonnullis nautis ingruente procella, & mortem ob oculos adferente, in more est alterutrum confiteri. Attamen apud infimum hominem, & remigerum conscientiam exonerare, plus posset detrimenti, & periculi famæ, & vitæ afferre, quàm spiritualis emolumenti.

An sit cōsilium cōfiteri laico. Scotus.

Occasione autem huius quæritur, vtrùm laicus ille, cui fit confessio, eodem ipso vinculo, quo sacerdos, ad sigillum secreti teneatur. Ad quod respondetur, quòd obligaretur maiori vinculo, quàm si illud sub secreto alio quocunque audiret citra sacramentalem confessionem, & ideo graue committeret peccatū mortale, si illud reuelaret, & esset supplicio dignus: non tamen eodem prorsus, quo sacerdos: quia cùm illud non sit sacramentum, fit vt nec reuelatio sit sacrilega.

De sigillo secreti in laico.

De venialibus autem nonnulla apparet dubitandi ratio: nam cùm non sint de necessitate sacramenti

Digitized by Google

De venialibus.

videtur eorum confessio sic posse fieri laico, vt ipse valeat pœnitentem ab eis absoluere. Respondetur nihilominus per quartam conclusionem, quòd neque à venialibus potest laicus absoluere sacramentaliter: quoniam licet non sint de essentia confessionis, eorum tamen absolutio est munus clauium, quæ laicis non sunt indultæ.

4. Conclu.

Per modum verò sacramentalis cæremoniæ posset quis dubitare, an deprecatoria absolutio laici venialia remitteret: sicut aqua benedicta, & absolutio generalis, quam facit sacerdos in introitu missæ. At verò nullum video fundamentum, vt tantùm laicæ absolutioni tribuamus, cum nullibi reperiatur ab ecclesia ad id instituta.

Quæ pœna infligatur laico sacramentaliter absoluenti.

In dubium præterea vocari potest, quam pœnam incurret laicus, qui absoluere sacramentaliter niteretur. Ad quod primum respondetur, quòd grauissimè peccaret, & esset maximo supplicio dignus, tanquam sacrilegus. Sed & vtrum incurrat irregularitatis pœnam disputari consuetum est: nam ex vna parte cap. Si quis. & cap. Ex literis. de clerico nõ ordinato. iniungitur irregularitatis pœna cuicunque non ordinato, qui sacramenta solenniter administrat: scilicet consecrando, aut solenniter baptizando, aut aliud diuinum officium exercendo. Ex altera verò parte extat capit. His qui. de sentent. excommunic. lib. 6. vbi habetur, quòd nullus pœnam irregularitatis incurrat, nisi sit in iure expressa. Propter hoc ergo cap. Sylue. in verb. Confessor. 1. & alij tenent hic, quòd non incurrit irregularitatis pœnam huiusmodi laicus absoluens. Palud. verò distin. 17. quæstione 3. propensius inclinat in hoc, quòd esset irregularis. Cui quidem opinioni plus multò fauet cap. Siquis. tum quia ponit exemplum de baptizante solenniter, quod minus est quàm absoluere: tum quia subdit. Aut aliquod diuinum officium exercuerit nõ ordinatus: quo verbo omnia sacramenta comprehẽduntur: & certè par est de omnibus ratio.

Incurrit irregularitatem.

Solu. 1. argu.

Ad primum igitur argumentum respondet S. Th. quòd Iacobus loquebatur Christianis, quibus præsupponebat notam esse legem Euangelicæ confessionis solis presbyteris faciendæ. Adde, quòd vt supra diximus, in eo quod præmisit, vt infirmus induceret presbyteros Ecclesiæ, significauit confessionem illis faciendam, vt, alterutrum, idem sit, quod homo homini, non cuilibet, sed sacerdoti. Ad aliud Apoca. respondetur, quòd licet omnes Christiani sint sacerdotes, eo quòd se & sua Deo sacrificant, nomine tamen peculiari illi soli intelliguntur, qui corpus Christi verum & consecrant, & offerunt.

Ad Cypr. in 3. Argu.

Ad autoritatem Cypri. respondetur, quòd loquitur de illis infimis, qui erant in pœnitentia publica, quorum reconciliatio pertinebat ad Episcopum, si haberi posset. Alioqui fieri poterat, non solum per presbyterum, sed etiam per diaconum. Atqui de eadem arbitror reconciliatione illud Au. ad Fort. intelligi, de cons. d. 4. can. Sanctum. vbi narrat historiam cuiusdam naufragi, qui per quendam laicum, qui non erat sacerdos, reconciliatus est. Quanquam nec historiam ipse narret tanquam authenticam.

Solutio. 4. Arg.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd verba illa cap. Quem pœnitet. nullum sonant præceptũ. sed commendationem virtutis confessionis, quæ tanta est, vt possit fieri laico. Et idem ait. S. Th. loco citato. Et quamuis in solutione ad primum dicat, quòd quando necessitas imminet, debent pœnitentes in absentia sacerdotis confiteri laico: verbum, debet, non sonat præceptum, vt nonnulli ex Summistis arbitrantur, sed decentiam, quæ tempore San. Thomæ erat frequentius in vsu. Et eodem sensu sententia Bedæ est audienda, non quidem tanquam præceptum, sed tanquam consilium, quod tunc temporis currebat. Adducit Scot. illic & Marsi. q. 10. pessimam, quæ antiquitus erat, consuetudinem, nescio vbinam illam legerunt, quòd damnati ad mortem non permittebantur nisi laicis confiteri. Fuit autem nefanda consuetudo, si aliquando viguit.

ARTICVLVS II.

Vtrum sit necessarium proprio confiteri Sacerdoti.

Multa casus in hoc art. notandi.

ESto, oporteat confiteri sacerdori, arguitur tamen, quòd non sit necessarium confiteri proprio. In electione cuiusque positum est sacerdotem idoneum eligere, vt de pœnitentia d. 1. can. Quem pœnitet. permitti videtur, vbi dicitur, quòd qui vult confiteri, sacerdotem eligat qui sciat ligare, & soluere: sed nonnunquam proprij sacerdotes non sunt idonei: ergo tunc licet vnicuique alium deligere. Nam ea quæ sunt ad salutem necessaria, non sunt arctanda, ne hominibus via salutis occludatur: videtur tamen arctatio stricta, quòd vni parochiali sacerdoti teneatur omnes confiteri.

Partis negatiuæ Argu. 1.

2. Argu.

Secundò arguitur. Si omnes tenerentur parochiali confiteri, sequeretur, quòd ipse omnes teneretur audire quoties confiteri vellent: accidit autem esse plures, qui piè volunt crebras facere confessiones, quas proprius sacerdos nõ videtur pro libito pœnitentium obligatus audire: ergo non omnes tenentur proprio confiteri sacerdoti.

3. Argu.

Tertiò. Sunt aliqui prælati, & magnates, præcipuè summus Pontifex, qui non videntur habere proprium sacerdotem: ergo illi possunt quibus maluerint confiteri.

4. Argu.

Quartò. Si necessarium esset confiteri proprio sacerdoti, hoc esset propter iurisdictionem, quæ ad absoluendum est necessaria: cùm ergo absolutio à venialibus sit vera absolutio, fieret consequens, vt etiam venialia nemo posset confiteri, nisi proprio sacerdoti, quod est contra ecclesiæ vsum.

5. Argu.

Quintò. Quod pro charitate institutum est, vt suprà citatus Bernardus ait, contra charitatem militare non debet: vsu autem venire solet, vt periculosum sit & pestiferum proprijs sacerdotibus confiteri: ergo tunc fas erit cuicunque illis inconsultis ad alium sacerdotem diuertere.

Pars affirmatiua.

In contrarium est decretalis Innocentij tertij, iubentis vt omnis Christi fidelis proprio sacerdoti confiteatur.

Deci. articul.

Ad hanc quæstionem ob id variè doctores respondent, quòd non omnes in nomen conueniunt, quisnam dicatur proprius sacerdos. Ricardus namque distinct. 17. articu. 3. quæst. 1. ait, quòd quadrupliciter potest accipi proprius sacerdos. Nempe pro parochiali, pro Episcopo, & pro delegato à iure, & pro delegato ab homine. Et Bonauentura ead. distin. ar. 1. quæst. 2. dicit, quòd accipitur tripliciter: vno modo communissimè pro quocunque potente absoluere, siue propria autoritate, siue ex commissione. Et alio modo communiter pro quocunque ordinario, siue sit Episcopus, siue parochialis. Alio vero modo propriè pro parochiali. Et Paludanus ibidem, eadem distinct. q. 3. dicit, quod accipitur dupliciter proprius. Vno modo pro quocunque potente absoluere, licet sit ex commissione: & illo modo dicitur accipi in primo verbo canonis, vbi præcipitur vt quisque confiteatur proprio sacerdoti. Et alio modo accipitur proprius pro ordinario. Et sic vsurpatur in posteriori verbo cùm dicitur, nisi forte de proprij sacerdotis concilio. Quare æquinocè, inquit, accipitur illic proprius sacerdos.

Proprius sacerdos quinq. Variè à variis explicatur.

Palud.

At verò huiusmodi distinctiones nulla ratio facere cogit, imò abusus est delegatum appellare proprium sacerdotem: Proprius enim sacerdos non nisi vnico accipitur modo. Idem enim est proprius, quod ordinarius, cui scilicet ex proprio officio & iurisdictione cura incumbit animarum, & iudex est in foro pœnitentiæ. Quod dixerim ad excludendum electum Episcopũ, antequam sit sacerdos, qui licet iurisdictionem habeat, nequit tamen sacramentum pœnitentiæ administrare. Quòd autem non aliter accipiatur proprius sacerdos, probatur. Nam proprius condistinguitur contra delegatum: qui ergo ex commissione absoluit, non est proprius sacerdos. Aliud est enim esse legitimum, & aliud proprium, vt proprius sit ordinarius, legitimus tamen est, quicunque id potest, siue propria, siue commissa autoritate. Tres ergo sunt cuiuscunque secularis Christiani proprij sacerdotes: Nempe Romanus Pontifex, qui est vniuersalis totius Ecclesiæ: & Episcopus in suo Episcopatu, & parochialis in sua parœcia: nam Archiepiscopus non est proprius sacerdos in Episcopatu suffraganei, licet habeat iurisdictionem super Episcopum in foro exteriori. Syluester tamen in verb. Confessor. 1. §. 1. ait tempore, quo visitat Episcopatum, habere potestatem, tanquam proprium sacerdotem. Hoc tamen non probat, nisi per cap. Nostro, de pœnitentijs & remiss. vbi tamen nulla fit de hac re mentio, sed solùm habetur.

Proprius sacerdos.

Proprij sacerdotes tres, de iure diuino.

quod

Digitized by Google

quod possit indulgentias concedere. Bonifacius verò ca. fi. de censi. libro. 6. id planè decernit. Isti ergo omnes nominati, sunt de iure diuino ordinarij, vt in materia de clauibus videbimus. Quamuis enim Episcopus huic vel illi beneficium conferat parochiale, tamen quicunque est parochialis, iure diuino est proprius sacerdos. Veluti licet ad Cardinales spectet electio Papæ, & ad canonicos electio Episcopi, potestatem tamen à iure diuino habent. Ipse enim Christus, qui elegit Apostolos, quibus Episcopi successerunt, can. Quorum vices. 68. distin. elegit quoque alios septuaginta duos eorum auxiliares, quibus successerunt sacerdotes. cano. In nouo. 21. distinct. religiosi verò sub Pontifice maximo habent etiam suos ordinarios prælatos, vt generalem, prouincialem, & nos priorem: nam superior, nisi sede Prioris vacante, non est ordinarius.

Religiosorum ordinarij.

Conclusio.

Hoc supposito ad quæstionem vnica respondetur conclusione. Necessarium est confessioni, atque ad eius essentiam requisitum, vt fiat aut proprio sacerdoti, aut cui ipse commiserit. In hoc enim sensu accipiendum est verbum canonis. Confiteatur proprio sacerdoti: nempe vt subintelligatur: aut de eius licentia, vt paulò inferius ex eodem canone explicatur. Quod si autores citati animaduertissent, nunquam nomen proprij sacerdotis extendissent ad delegatum, neque Paludanus dixisset æquiuocè illic accipi proprium sacerdotem. Probatur conclusio ratione S. Thom. loco citato ex discrimine sæpe notato inter hoc sacramentum & reliqua: nam cætera non constituunt in hoc, quòd suscipiens aliquid agat, nisi tantum suscipere materiam exterius appositam, sed vt recipiat fructum, requiritur vt obicem tollat: in hoc sacramento requiruntur, vt dictum est, tanquam de essentia, actus pœnitentis, qui sunt sacramenti materia, quos quidem actus debemus submittere potestati clauium: actus verò nostri, quia à nobis eliciuntur, non possunt per alium dispensari & gubernari, nisi imperium in nos habeat: veluti in naturalibus nequit agens formam in materiam inducere, nisi sibi sit subiecta, vt est terra cælestibus orbibus: ergo de necessitate sacramenti est non solùm vt minister habeat ordinem sacerdotalem, vt in cæteris sacramentis, verùm & iurisdictionem, qua nos possit vt absoluere, ita & ligare: nam ambo eiusdem sunt potestatis membra. Hac ergo ratione clarescit, cur ad reliqua sacramenta conficienda non sit necessaria iurisdictio: potest enim sacerdos quicunque sacramentum conficere, & quamuis sit excommunicatus, & degradatus, peccabit quidem, nihilominus sacramentum erit verum: & quamuis solenniter baptismum, aut extremam vnctionem in aliena parœcia contra iustitiam alienam iurisdictionem vsurpando administret, nihilominus sacramenta erunt solida. At si quempiam sine iurisdictione absoluat, non solùm peccabit mortaliter, imò & sacramentum nullum erit, perinde ac si à laico fieret absolutio. Est tamen iurisdictio vel ordinaria, vel delegata, de essentia ad absoluendum sicut character sacerdotalis. Vnde in concilio Florent. minister huius sacramenti declaratur esse sacerdos, potestatem habens vel ordinariam, vel delegatam.

Ratio conclusionis.

Iurisdictio est de essentia absolutionis.

Dubium. An iure diuino iurisdictio sit necessaria.

Dubium autem est, vtrùm hoc de iure diuino, an verò solùm de iure positiuo canonis. Omnis vtriusque sexus. Armachanus enim libro 11. de quæstionibus Armen. cap. 2. & infrà contendit ex mero iure diuino à quolibet promiscuè sacerdote quemlibet posse absolui, & id ante constitutionem canonis cuicunque licuisse, sed coarctatio, quòd confessio fiat proprio sacerdoti, est, inquit, à iure humano. In quam sententiam subscribere videntur Paludanus distin. 17. quæst. 3. artic. 2. & Syluest. verb. Confessor. 1. §. 2.

Sententia Authoris.

At licet hoc in materia de clauibus sit pressiùs discutiendum, est tamen falsum, imò iure diuino est ad absoluendum iurisdictio necessaria. Canon enim, vt identidem repetimus, nihil aliud fecit, quàm iuri diuino annuale tempus præscribere. Quare nunquam confessionem ad proprium sacerdotem perstrinxisset, nisi id intellexisset esse diuini iuris, semperque adeò in Ecclesia obseruatum. Item Christus ipse Petrum pastorem instituit Ioan. vlt. Pasce oues meas, ac perinde reliquos Apostolos, & eorum successores: iudicare autem de causis spiritualibus tam in foro pœnitentiæ quàm in foro exteriori, est officium pastoris medentis gregi suo: pascere autem, vim secum adfert coërciuam, atque adeò iurisdictionem in subditos: iurisdictio ergo iure diuino est in foro pœnitentiæ ad absoluendum necessaria. Vnde Bonifacius cap. Si Episcopus. de pœnit. & remiss. lib. 6. Nulla, inquit, potest consuetudine induci, quòd aliquis præter tui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere vel ligare. Quòd autem nulla consuetudine abrogatur, ius est diuinum aut naturale. Quinimò in ipso canon. Omnis vtriusque, idem adnotatur, vbi dicitur, quòd nullus sacerdos nisi de licentia proprij, potest alium absoluere vel ligare.

Ad primum argumentum respondetur, quòd admonitio illa canonis, Quem pœnitet. eligendi sacerdotem scientem ligare & absoluere, intelligitur secundum præscriptionem præfati cap. Omnis vtriusque sexus. vt scilicet fiat de licentia proprij sacerdotis, alioqui totum esset irritum & inane. Neque verò coarctatio hæc, vt proprio sacerdoti confessio fiat, est nimia, imò est euangelica, & saluti populi conferens, vt proprius sacerdos cognoscat oues suas, vt ait Christus, & cognoscatur ab illis. Ait verò S. Tho. quòd peccaret sacerdos, si non esset facilis ad præbendam facultatem confitendi alij: quia multi, inquit, sunt infirmi, qui potius sine confessione morerentur, quàm tali sacerdoti confiterentur.

Solut. 1. argu.

Finis coarctationis ad proprium Sacer.

S. Thom.

Ad secundum verò argumentum respondet Ricard. d. 18. tria. Primum, quod parochialis sacerdos tenetur parochianorum confessiones audire quando ipsi tenentur confiteri: puta semel in anno, & in articulo mortis. Et hoc certissimum est: quoniam iniquum esset ius gregem obligans confiteri, nisi pastorem obligaret audire. Secundo ait, quòd extra illos casus non tenetur de necessitate, sed de congruitate: quia nullum extat præceptum eum obligans. Tertiò addit, quòd quando non vult confessionem audire, interpretatiuè tribuit licentiam, vt possit subditus alium quemcunque adire confessarium. Sequuntur eum nonnulli ex iuniotibus, inter quos est Syluester verb. Confessor. 1. §. 18. Contrarium sentit Adria. illa. q. 5. de confessione. dubio. 8.

Solut. 2. argu. ex Ricard.

1.

2.

3.

Supposito ergo tanquam certissimo primo membro de temporibus necessitatis, de alijs respondetur, quod tenetur curatus parochialis confessionem subditorum audire, non solum tempore necessitatis, sed quoties illi rationabili causa voluerint confiteri. Præceptum enim hoc non est aliud quærendum, quàm quòd officium pastoris hoc secum onus affert: nam cùm inter actus pascendi, egregius ille sit, qui in sacramento pœnitentiæ exercetur, quoties ouis rationabili causa pabulum illud poscit, tenetur ei pastor porrigere. Alioqui si tam multa confessionalia, quàm iam sunt indulta, ledimeuas, stando in mero iure communi, maximum esset populi damnum & detrimentum si non haberent pœnitentes curatorum suffugiũ, vt possent sarcinam suorum peccatorũ, quoties expediret, exonerare. Diuersimquoties ex rationabili causa expediret: nam solent esse in hoc subditi nimij, & nonnunquã morosi, identidem ad confessionem recurrentes. Item ex parte sacerdotis possunt esse impedimenta, vt si alijs negotijs vacet, quare tunc non possit pœnitentem audire. In hoc enim adhibendum est sal prudentiæ. Adde quod dum sacerdoti non vacat confessiones audire, facilis esse debet in concedenda facultate: nam si illam expresse non concesit, vt cum debita reuerentia Ricardi dixerim, profectò non est tutum dicere, ob id quod curatus confessionem audire renuit, interpretatiuè licentiam dare confitendi alij. Nam cum iurisdictio sit de essentia absolutionis, & nemo eam habeat nisi ordinarius sacerdos, necessaria est eius expressa vel consuetudinaria licentia, vt alius eam credatur habere.

Solutio 3. argu.

Teneri ordinarios audire cõfessiones extra tempus necessitatis.

Refutatur 3. dictum Ricard.

Tertio argumento inquiritur, quinam sint quarundam insignium personarum proprij sacerdotes. Et primum de Papa posset fortasse fingi Concilium esse iudicem illius in foro conscientiæ. Hoc tamen est secundum omnium opinionem falsum: nam quamuis quis vtcunque admitteret concilium esse supra Papam, nullus tamen negare potest, quin ipse sit summus sacerdos ordinarius totius Ecclesiæ. Quare licet Concilium ius habeat quandoque ad ipsum cogendum, vt cùm de hæresi conuenitur, vel in alijs fortasse casibus, de quibus modò non disputamus, nihilominus ordinarie iudicio, & potissimum conscientiæ, ipse est summus iudex. Illi autem qui putarent, præceptum confessionis non esse nisi de iure positiuo, forsan dicerent

Ad 3. Ar. Quoniam Papa ordinarius.

Digitized by Google

non teneri ad confessionem : quia princeps non tenetur suis legibus. Sed de hoc iam diximus q.1. artic. 1. quòd quamuis princeps non teneatur suis legibus vi coercitiua, quia nemo a seipso cogi potest, tenetur tamē vi directiua rationis, quæ iubet, vt quod quisque alijs præcipit, si sibi potest esse commune, faciat, & sic tenetur ieiuniorū festorumque præcepto. Insuper quia, vt supra monstratum est, præceptū confessionis est diuinum, sed ad semel in anno tenetur Ecclesiastico iure.

Dubium. An ordinarium habeat iure diuino?

Dubium ergo restat vtrum habeat ordinarium confessorem iure diuino. Et sunt qui respondeant vniuersos sacerdotes esse eius ordinarios iudices in foro conscientiæ tanquam proprios sacerdotes.

Opinio quorund. Argum.

Quorum ratio est, quia cùm præceptum hoc sit diuinum, neminem Christus reliquit sine ordinario iudice in foro conscientiæ, cui confiteri teneretur. Fundamentum autem ordinarij iudicis est iurisdictio: ergo dandus est sacerdos, qui hac fungatur iurisdictione in eundem pontificem maximum : & cui nulla sit singularis ratio vnius potiùs sacerdotis quam alterius, sit vt omnes dū sacerdotio initiantur, simul suscipiant iurisdictionem ad absoluendum Pontificem, licet in eius optione relinquatur quem maluerit eligere. Quapropter sicuti dum Papa in hæresim labitur, subditus sit concilio in foro exteriori, sic per quodlibet peccatum mortale compellitur, vt coram sacerdote compareat, qui eum absoluat.

Opinionis reiectatio.

Hæc autem opinio peregrinior apparet, quàm vt faciè cuilibet persuaderi possit. Primùm, quod cum in ordinatione sacerdotis, vt omnium est vnus consensus, nulla iurisdictio absoluendi a mortalib. aliam quamcunque personam conferatur, figmentum apparet vnicum papam excipere, vt vniuersi in eum iurisdictionem accipiant. Est enim mirabile, quòd cùm Papa omnium sit supremus, & in reliquis iurib. ab omnibus exemptissimus, singuli Christiani non habeant nisi duos aut tres ordinarios sacerdotes, ipse verò solus habeat vniuersos.

Obiectio.

Quòd si dicas hoc ipsum in eius fauorem & excellentiam cedere, arguitur contra. Proprius sacerdos est qui subditum potest sua iurisdictione ad sacramentum cogere: potest enim Papa, vel episcopus, vel parochialis ad confessionem parochianum compellere: igitur si omnes sacerdotes sunt ordinarij Papæ, possunt eum constringere : vel si id non possunt, nisi ex eius electione, per id ostenditur neminem in ipsum iurisdictionem habere, nisi quam ipse ei tribuerit.

Dilutio.

Respondetur ergo neminem habere iurisdictionem in Papam, nisi quem ipse elegerit, per quam electionem eandem illi iurisdictionem tribuit. Et hic est sensus S. Thom. dum in responsione huius argumenti ait, à iure concessum esse prælatis, vt possint eligere sibi proprios sacerdotes. Et hæc est sententia Paludani atque omnium.

Sententia authoris.

Sol. arg.

Vnde ad argumentum in contrarium respondetur, quòd & si dum in peccatum mortale labitur, eo ipso ad confessionem iure diuino compellatur, non tamen inde subsequitur quempiam habere iurisdictionem super eum : sed ipsum eodem iure teneri iudicem sibi constituere. Quare Christus non destituit eum deserendo sine iudice, postquam ipse eum potest, teneturque eligere, nam alius eum compellere non valet. Imò verò idem est prorsus de episcopo, qui licet à Papa cogi possit, nihilominus dum confessarium sibi eligit, tunc dat illi iurisdictionem in se, quam non habebat. Postquam autem tam Papa quàm Episcopus confessarium sibi constituit, tenetur ei parere sicut fidelium cæteri.

Familia Pontificis.

Familiæ autem commensalis pontificis omnes aiunt, quòd præter ipsum, eius etiam pœnitentiarius est eius ordinarius, qui potest etiam alium delegare, vt familiam absoluat. Commensalis, inquam, familiæ: nam qui per orbem dispersi dicuntur Papæ familiares, nisi nouo aliquo priuilegio potiantur, non comprehenduntur in hac parte familiæ nomine.

Episcopi.

Episcopi autem, vt aiunt illic Paludanus & Sylue ster, & communiter Canonistæ, habent suos proprios sacerdotes: nempe Archiepiscopos, & Archiepiscopus habet primatem, & ille Patriarcham, nisi sint exempti. At profectò de hoc nec ius vllum extat, nec conuincens ratio : quia Archiepiscopus solùm est Episcopo superior in foro exteriori quantum ad causas iudiciarias: in foro autem conscientiæ non est eadem ratio, mò forsan iure communi omnes sunt immediati Papæ. Habent autem ex concessione Greg. noni ipsi atq; omnes inferiores prælati, vt possint absque vllius superioris licentia confessarium eligere. c. Ne pro dilatione. de pœnit. & remit. Commensales verò Episcopi eundem ipsum habent pro proprio sacerdote, qui & delegare suam facultatem alteri potest, vt eiusdem familiæ confessiones audiat. Sed non video cur non sint etiam parochiali subditi cathedralis ecclesiæ, aut illius in cuius parochia commorantur.

Prælati.

Cōmensales Episcopi.

Cardinales non Episcopi.

Cardinales vero non Episcopi præter legatum non eo fruuntur priuilegio quo Episcopi : quia ipsi non sunt prælati. Sed iam de consuetudine non subduntur Episcopis in foro pœnitentiali, sed immediatè Papæ: & sunt tanquam ordinarij prælati suorum commensalium, vt in summa verb. Absolutio ait Caie.

Prælati religionum.

Similiter & omnes prælati religionum, vt abbates, generales, prouinciales, priores, & guardiani eandem habent facultatem eligendi sibi confessores eadem concessione Grego. can. Ne pro dilatione. quia omnes comprehenduntur nomine prælati. Præterquàm quòd more & vsu ita obseruatum est in religionibus. Curati verò non sunt prælati, & ideo in proprium sacerdotem habent solum Episcopum. Quamquam consuetudine habeant, vt possint sibi eligere confessores præterquam a casibus reseruatis. Quin verò & vniuersi simplices sacerdotes eadem gaudent facultate, vt sibi promiscuè quemcunque eligant sacerdotem. Quapropter † & cuicunque de religiosis confiteri possunt, quanquam huiusmodi religiosus nec sit expositus ab Episcopo, nec à suo prælato. Potest quidem eum eius prælatus punire, si confessionem sacerdotis secularis audierit: sed tamen sacramentum tenebit, quia ille facultatem habebat eum eligendi. Quòd si quis nobis contra id, quod de consuetudine diximus, cap. Si Episcopus. de pœnit. & remissio. li. 6. obijciat, vbi habetur, nulla consuetudine induci posse vt absque licentia sui superioris, confessarium sibi eligat. Respondetur, nudam consuetudinem contra illud ius præualere non posse. At verò cum præfecti superiores videant subditos promiscuè sibi eligere confessarios, & silean, tconniuere censentur, eandemque permittere facultatem. Inter seculares verò Imperator, vt ait Hostiensis, & Augusta, de antiquissima consuetudine confitentur suis capellanis. De hac verò re nil certi legitur, & ideo eadem est forte de illo ratio, quæ de regibus. Rex enim, vt fertur, Episcopum habet in proprium sacerdotem, vbi regiam habet sitam, aut vbi inungitur & coronatur. Sed profectò vbicunque ædes haberet regias, & moram traheret habitandi, posset & Episcopo & parochiali confiteri. Atque idem est habendum iudicium de minoribus principibus, ac de alijs magnatibus, vt sunt duces, & cæteri. Hæc autem minutatiùs persequi labor est Summistarum, præsertim cum iam non solum reges, verùm magnates omnes diplomatibus abundent pontificijs ad confessarios quos voluerint eligendos. Peregrini verò & vagabundi, seu parochiani oppidorum vbi se inuenerint, confiteri debent non nisi plebanis : quia non debent esse liberioris conditionis quàm incolæ. Tametsi moris erat antiquitus, vt peregrini à suo diœcesano facultatem impetrarent vbilibet confitendi. Et Caieta. in summa ver. Absolutio, hanc facultatem in primis restringit ad tempus solum quando est necessaria confessio, sed restrictionis causam non video. Subdit ibidem se meminisse, quod legerit Eugenium. 4. concessisse seu declarasse viuæ vocis oraculo, viatores vbi se inuenerint in paschate, censendos tanquam adeptos incolatum quoad sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

† Con. Trident. restrinxit ſſ. 23. c. 15.

Obiect. 1.

Dilutio.

Imperator.

Rex.

Peregrini vagabundi.

Caietan.

Est hic tamen adnotandum, vt ait ibidem, quòd peregrini etiam quoad casus reseruatos subduntur legibus eius diœcesis, cui applicuerunt. A casibus enim, qui illic reseruati sunt Episcopo, non possunt absque eius licentia absolui. Sed ex hac veritate alterum oritur dubium, vtrum si ille peregrinus in sua diœcesi crimen commisit reseruatum illic Episcopo, vt sit verbi gratia periurium, quod in diœcesi, in qua vult confiteri non est reseruatum, vtrum possit absolui absque licentia Episcopi eiusdem loci. Et arguitur posse: quoniam postquam illic non reseruatur, quicunque parochialis sacerdos habet ordinariam facultatem absoluendi ab illo. Sed ex altera parte existit argumentum, quòd peregrini quamdiu non mutarunt domicilium, non videntur absolui in alia diœcesi, nisi de li-

In casibus reseruatis subduntur legibus loci in quo sunt.

centia

centia interpretatiua sui Episcopi: si autem Episcopus facultatem ei concessisset peregrinandi, vt in primitiua ecclesia moris erat, licet eo ipso concederet ei licentiam confitendi vbicunque, non tamen vt absolueretur à sibi reseruatis: non ergo videtur posse absolui in alia diœcesi, sine licentia saltem Episcopi illius loci in quo confitetur. Atque hoc mihi est probabilius. Secus de vagabundis, qui cùm nullibi habeant domicilium, non tenentur nisi legibus Episcopi loci vbi sunt. De excommunicatione quoque dicemus suo loco, quod etiam qui excommunicatus est in alia diœcesi, potest si iam satisfecit præcepto, absolui autoritate Episcopi loci vbi est, & per diploma cruciatæ. Sed de hoc illic latius.

Scholares. De scholaribus autem id est prorsus iudicium, quod de incolis. Tenentur, inquam, confiteri curato eius parœciæ, in qua habent domicilium: nam scholasticus Salmantinus non gerit animarum eorum curam: quare nec potest confessiones eorum audire, nec talem facultatem alteri committere. Quocirca neque vllum peccatum, quoad culpam potest sibi reseruare, sed solam excommunicationis censuram, est enim constitutionum executor, in quarum ideo custodiam potest excommunicationis sententias pronunciare. Si autem in aliqua vniuersitate constitutus est aliquis scholarium pastor, standum est proprijs legibus aut consuetudini.

Solutio 3. Ad tertium sunt qui respondeant vniuersos sacerdotes, dum ordinantur, iurisdictionem accipere ad absoluendum à venialibus, ac perinde ab illis mortalibus quorum legitima absolutio præcessit, eo quod non sunt necessaria materia confessionis.

Ad absolutionem à venialibus nulla est opus iurisdictione. At verò quamuis disputatio forsitan sit de nomine tantum, libentiùs dicerem nullam prorsus iurisdictionem sacerdotes cum charactere accipere, sed tantum potestatem ordinis. Possunt nihilominus omnes à venialibus absoluere: quia ad id nulla opus habent iurisdictione: iurisdictio enim nulla est, vbi nulla inuenitur cogendi vis. Et neque ad confessionem venialium vllus cogi potest, neque dum illa tantùm confitetur, cogitur omnia dicere, neque vllam acceptare pœnitentiam: absolutio ergo illa licet sacramentalis sit, non tamen iurisdictione indiget, atque is mihi appareret sensus verborum S. Tho. in. 4. dist. 18. q. 2 ar. 3. ad tertium, vbi ait, quod remissio venialium sequitur potestatem ordinis: hoc est, ad remissionem illorum etiam per sacramentalem absolutionem, nihil aliud requiritur, quam sola potestas ordinis. Ad absoluendum verò à mortalibus, etiam si eorũ alias absolutio præcesserit, arbitror ex suo genere iurisdictionem requiri: quare eam non censeo posse à simplici sacerdote fieri.

Quando liceat sine licentia proprij alieno confiteri. Quartum demum argumentum huius ambiguitatis solutionem expostulat, vtrum possit quis vlla ex causa alieno sacerdoti absque proprij licentia confiteri. Enimuerò S. Tho. di. 21. in fine expositionis literæ quinque refert casus ex intentione Magistri, in quibus absque licentia proprij sacerdotis licet alieno confiteri: vt si quis sit vagabundus, si mutauit domicilium; & si offendit in aliena parochia, & propter malitiam sacerdotis, & in articulo mortis. Atqui Hostien. quem dist. 17. quæst. 3. an. 2. refert Paluda. octo connumerat, quibus id ipsum fieri potest. Cæteri verò casus, nempe de vagabundis, peregrinis, & morti proximis, nihil ad rem pertinent: nam illi iam censentur mutare proprios sacerdotes, & de articulo mortis videbimus articu. 4.

Dubium. An ob nequitiam ordinarij liceat alibi adire sine eius licentia? Hostiens. Palud. Ricard. opinio. Sed dubium est, vtrùm sola culpa proprij sacerdotis, cui scilicet periculosum est confiteri, quia vel est confessionum detector, vel solicitator pœnitentium ad malum, ius faciat subdito, vt absque eius obtenta licentia alium adire valeat confessarium.

Ad hoc enim dubium Hostiens. affirmatiuè respondet, quam opinionem sequitur ibi Paludanus, idemque Ricardus art. 3. q. 3. & Syluest. verb. confessor. 1. §. 6. & Adrian. quæst. 5. de confessione dubio 3. vbi ponit exemplum de concubina plebani, quæ non debet illi confiteri, sed ad alium ire, petita, licet non obtenta licentia. Imò est opinio Magistri sentent. in vltimis verbis distinctionis 21. quam probat ex decreto Vrba. 1. can. Placuit. de pœnitentia dist. 6. vbi prohibetur, ne sacerdotum quispiam pœnitentem suscipiat alteri sacerdoti commissum sine eius consensu, & subditur, Nisi sit ignarus. Et ratio huius opinionis esse potest, quòd Deus neminem absque eius culpa beneficio pœnitentiæ destituit: iniquitas autem proprij sacerdotis eum iure priuat confessionem audiendi: subdito ergo ius relinquitur alium exquirendi qui sibi expediat. Neque sufficere videtur responsio, quòd tunc satis est illi contritionem habere, quoniam forsan non est nisi attritus, & per confessionis subsidium fieret contritus.

Ratio.

Sententia authoris, negat. Veruntamen his non obstantibus opinio hæc falsa est, & nisi patronorum autoritas obstaret, fortasse peiori nomine digna propter periculum quod offert peruersionis ecclesiastici ordinis. Est in primis S. Thom. in præsentiarum contrariæ sententiæ in solutione ad quintum, vbi ait, in similibus casibus quando timetur sacerdotis periculum, petendam esse ab illo facultatem adeundi alium, quam si negauerit, recurrendum ad superiorem, & quando nullum fuerit remedium, confitendum potius esse laico. Idemque ait Marsilius q. 12. artic. 1. & Caietanus verb. Absolutio. vbi ait, adeò esse iurisdictionem ad absoluendum necessariam, vt si sacerdos absoluat eum qui non est sibi subditus, absque licentia proprij sacerdotis, nihil fiat.

S. Thom.

Dicendum ergo quòd sola proprij sacerdotis nequitia non tribuit ius subdito adeundi alium confessarium. Et ratio est, quia nullus alius propter illam solam nequitiam iurisdictionem acquirit absoluendi, nec subditus illam potest ei tribuere, & absque iurisdictione nulla est absolutio. Certè ratio adeo est euidens, vt sola sufficiat, & expressa in canone ipso. Omnis vtriusque sexus. qui nullo excepto casu iubet vt quoties subditus voluerit iusta de causa (inter iustas verò hæc est vna) alieno confiteri sacerdoti, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter illum non possit absoluere, vel ligare. Adijcitur autem & ratio secunda nihilo infimior, quoniam opinio contraria promptissimam offert cuicunque ansam fingendi malitiam, & periculum in proprio sacerdote, vt illo colore posit alium sibi, quem libuerit, eligere. Multò ergo minus inconuenit, vt simili casu homo sine confessione maneat, quàm hanc occasionem offerre à firmo ecclesiastico ordine deuiandi. Tertiò, quia eadem tunc ratione idem fieret in casibus reseruatis: videlicet, si in Episcopo reseruante idem appareret periculum, neque vellet facultatem alteri concedere absoluendi, posset subditus eodem casu alteri confiteri, & ab ipsis absolui, & sic vana esset reseruatio. Dicendum ergo, quod in simili euentu subditus ille nemini debet confiteri, sed perinde censere, ac si nullam haberet copiam sacerdotis: nam profectò necessitas illa non est maior quàm si proprius sacerdos abiret aut moreretur. Cùm ergo tunc sine licentia superioris nemini possit confiteri, idem est censendum, quando est periculum illi confitendi.

Ratio cuidens.

Ratio alia.

Ratio 3.

Ad rationem ergo in contrarium respondetur, quod dum subditus non est nisi attritus, procuret esse contritus: nam plus refert ordinem hierarchium seruare, vt nemo sine iurisdictione absoluat, quam vni fortuito euentui prouidere. Præsertim quia in tali casu potest subditus absque confessione putans se esse contritum Eucharistiam suscipere: quandoquidem non habet sacerdotem, cui possit confiteri.

Sol. contrariæ rationis.

Ad textũ Vrbani. Ad textum illum Vrbani, sunt qui respondeant, quòd dum illic permittitur subditus ob ignorantiam proprij sacerdotis eum deserere, & transire ad alium, intelligitur obtenta superioris licentia. Veruntamen si attentiùs verba textus inspiciantur, planior multò fiet responsio. Illic namque nulla fit mentio proprij sacerdotis, sed expressus casus textus est, dum quis habens facultatem aut priuilegium eligendi confessarium, committit se sua sponte alicui sacerdoti. Et quantum ex verbis textus conijcitur, sermo illic habetur de pœnitentia publica, à qua cum imposita esset ab vno sacerdote, curabat pœnitens per alium releuari. Vt modo etiam de pœnitentijs occultis facere consueuerunt ignaui pœnitentes.

Solu. 2.

Reprobatio glossæ. Quare glossa, quæ ait, se commisit, id est, quia eius parochianus est, sensum verbi peruertit. Succurritur enim illic ambitioni sacerdotum, ne postquam quis tradidit se vni, licet priuilegium habeat eligendi alium, nemo tamen alius eum suscipiat, nisi pro ignorantia prioris: tunc enim potest liberè ad alium transire.

Nota. Est hic tamen animaduertendum, quòd in casu quo propter dictum impedimentum subditus non confitetur proprio sacerdoti, non ideo liberatur à præcepto confessionis illo anno, vt q. 2. art. 1. diximus

Digitized by Google

sed cum primùm commodè potuit, tenetur.

Dubium. An confessio facta complici in peccato, teneat?

At verò hic obiter ad illum, quem tetigimus casum, respondeamus oportet, videlicet an si peccator suo complici confiteatur, confessio valeat. Vt si concubina sui proprij sacerdotis, ei confiteatur. Respondetur autem sine disputatione primùm, quòd ex genere suo confessio est valida, postquam omnia quæ sunt de essentia concurrunt, vt materia, forma, intentio & iurisdictio. At si sic fiat, vt in notitiam aliorum veniat, non potest fieri sine scandalo, quod vix peccatum esse posset minus quàm mortale. Si autem sine scandalo fieret, & sine periculo incitandi se ad malum, confessio esset valida, & esse posset fructuosa. Quanquam erubescentia non esset tanta, quanta si confessio fieret alteri. Quin etiam vix potest impudentia & impuditicia excusari, quia apparet colloquium illi simile, quod fit extra confessionem. Attamen vbi est periculum excitandi & irritandi illecebram, sacrilegium est impudentissimum: & confessionem, quæ est peccatum mortale, iam diximus non esse validam, quamuis peccatum illud exprimeretur, propter defectum non solùm contritionis, verùm & attritionis. Refert *Adria.* Adria. in sua diœcesi huiusmodi confessionem sub sententia excommunicationis esse prohibitam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm licitum sit alteri, quàm proprio sacerdoti ex priuilegio vel mandato superioris confiteri.

QVoniam duæ viæ in superioribus apertæ sunt, quibus iurisdictio alicui competere potest: scilicet, ordinaria & delegata: & de priori dictum satis est, subsequitur, vt de posteriori dicamus. Arguitur ergo, quod non liceat ex indulto superioris alteri, quam proprio sacerdoti confiteri. Nemo potest vllum in præiudicium alterius, priuilegium indulgere, sed concedere alterius subdito priuilegium, vt absque eius facultate confiteatur alieno, est in præiudicium proprij sacerdotis, qui ius habet cogendi suos subditos, vt sibi confiteantur: ergo id fieri non potest. Vnde distinct. 25. quæstione 1. canon. Ideo. ostenditur sic esse concedenda priuilegia, vt non sint in aliorum detrimentum, iuxta verbum Pau. 2. Corint. 8. Non volumus, vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio. *1. Argu.*

Quinimò, vt secundò arguamus, per hæc priuilegia impeditur diuinum mandatum, quo proprius pastor tenetur vultum pecoris sui cognoscere, iuxta illud Prouerbio. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera, exemplo Christi qui ait, Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. *2. Argu.*

Accedit tertiò, quòd priuilegium nequit subditum ab obedientia sui pastoris eximere: ergo qui per indultum confiteatur alteri, tenetur etiam & suo proprio confiteri, si id exegerit: esset autem iniusta molestia quempiam cogere eadem peccata bis confiteri: ergo priuilegio superioris nemo sic potest alteri confiteri, vt præcepto satisfaciat. *3. Argu.*

In contrarium est, quòd ea quæ sunt ordinis, potest proprius iudex cuicunque eiusdem ordinis committere: cùm ergo sacramentum pœnitentiæ administrare sit sacerdotalis ordinis, & Episcopus sit proprius sacerdos & iudex eiusdem sacramenti, potest idem munus cuilibet sacerdoti committere: nam pari iure & casus sibi aliquos reseruare potest. *Pars affirmatiua.*

In introitu articuli huius adnotandum est tribus modis concedi posse facultatem alteri, quàm proprio sacerdoti confitendi: scilicet vel à iure, vel per consuetudinem modo suprà expositò: quia scilicet superiores vident, & tacentes dissimulant: vel concessione proprij sacerdotis expressa vel interpretatiua. Et ideo membratim ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Et primum, quantum ad indultum iuris, quæstio orta est propter religiosos. Circa initium enim ordinum mendicantium, quia huiusmodi priuilegia tunc illis concedi inceptum est, non defuerunt seculares doctores, qui in contrarium reclamarent. Enimuerò Henricus Gandensis, quodlib. 1. contendit, Pontificem maximum neutiquam posse priuilegia huiusmodi indulgere, quominus parochiani tenerentur suo proprio parochiali confiteri. Quam quidem opinionem fundabat in verbis illis capit. Omnis vtriusque sexus, omnis proprio sacerdoti confiteatur, neque possit alieno, nisi de eius licentia petita & obtenta. Quare aiebat confessos religiosis teneri rursus confiteri proprio curato. Hanc postmodum falsam opinionem absurdiorem fecit Ioannes quidam de Poliaco, dicens quòd nec Papa, imò nec Deus poterat facere, quin subditus alteri confessus teneretur suo proprio sacerdoti confiteri. Repugnabat enim, inquit, vt quis esset proprius sine virtute cogendi subditum: imò dicebat illam confessionem, quæ fieret religiosis, non esse sacramentalem. *Facultas datur iure, consuetudine vel concessione. Origo priuileg. Henrici à Gand. opinio. Ioan. de Poliaco.*

His tamen non obstantibus, prima conclusio huius articuli est. Concessio facta religiosis mendicantibus audiendi confessiones populi fuit prouida & sancta, & in fauorem populi facta, eorumque adeò communi bono præcipuè conducens. Est enim confessariorum conditio, vt vitæ in primis, deinde scientiæ & prudentiæ dignitate polleant: hoc autem non est, vt citra cuiuspiam iniuriam loquamur, cur nequeat perinde in religiosis inueniri, qui claustris inclusi literis vacant, vt in secularibus. Adde, quòd cùm non sint alijs negotijs implicati, expeditiùs possunt confessionibus audiendis operam dare. Præterquàm quòd cùm temporalia metant, quibus aluntur, debent, vt ait Paul. † spiritualia in populum refundere. Experientia profectò docet tantum emolumenti religiosorum curam in confessionibus audiendis, & concionibus habendis Christianis populis indies afferre, vt eis sublatis, non posset ecclesia non multum detrimenti accipere. Sed in re propria loqui sic pudet. *1. Concl.* *† 1. Cor. 9.*

Subsequitur autem dubium, vtrùm qui confessi sunt religiosis per priuilegia, teneantur, iterum confiteri proprijs parochialibus sacerdotibus. Fuit enim citatus Henricus Gandensis, & quos Adrianus citat. quæst. 5. de confessione, scilicet Hostiens. Archidiaco. & Ioannes Monachus, qui sustinebant partem affirmatiuam, eo quòd cap. Omnis vtriusque sexus. simpliciter obligat confiteri proprio sacerdoti, cui priuilegium fratribus indultum nō videtur derogare. Et ideo confessus religiosis non deobligatur confiteri proprio sacerdoti eadem peccata, si alia non habuerit. *Dubium. An confessi religiosis teneantur ordinarijs rursum confiteri?*

Nihilominus statuitur secunda conclusio. Qui confitentur religiosis ex priuilegio illis indulto, nullatenus tenentur amplius confiteri eadem peccata proprio. Conclusio hæc planè colligitur ex cap. eodem. Omnis vtriusque sexus. quo aduersarij nituntur contrariam suam opinionem fulcire. Nam vice versa ex verbis subiunctis in eodem canone sequitur & nostra conclusio, & eorum argumenti solutio. Subditur enim illic, quòd qui voluerit confiteri alieno sacerdoti, tunc ei licebit, dum licentiam à proprio sacerdote petierit & obtinuerit. Et loquitur manifestè canon. de ea confessione, quam præceperat fieri semel in anno: quare manifestè illic docemur, quòd qui de licentia proprij sacerdotis confitetur alteri, perinde implet præceptū, ac si confiteretur proprio: inter proprios autem sacerdotes connumeratur Episcopus, & multò iustiùs Papa: ergo cum religiosi priuilegium habeant Papæ, fit vt qui illis confitentur, perinde satisfaciant Ecclesiæ præcepto, ac si proprijs sacerdotibus confiterentur: nam licentia Papæ & Episcopi eandem vim habet, ne maiorem dicamus, ac si esset proprij parochialis curati. Et hæc est ratio, quam S. Thom. præsenti loco dist. 17. q. 3. art. 3. q. 5. adfert. Ait quippe quòd impedimentum ne quispiam possit absoluere potest esse, aut defectus iurisdictionis, aut censura ex communicationis, vel alijs, quibus est suspensus. Et prior quidem defectus suppleri potest per commissionem illius, qui talem habeat iurisdictionem: vnde cum Papa plenissimam habeat iurisdictionem in toto orbe Christiano, & Episcopus, perinde possunt absoluere atq; parochiales sacerdotes. Et accedit optima ratio: nam qui papæ ipsi aut Episcopo confiteretur, proculdubio satisfaceret præcepto: ridiculum enim esset tunc dicere, quòd requireretur licentia sacerdotis parochialis: ergo qui ex eorum priuilegio confitetur, similiter omnino satisfacit. Ac demum arguitur. Quibus papa diploma concedit vt eligere sibi possint confessarios, quis ambigat, quin absque licentia proprij curati satisfaciant præcepto? multò ergo minus ambigendum quin illi satisfaciant, qui confitentur religiosis ex priuilegio papæ per Episcopum expositis. *2. Concl.* *Probatur. 1.* *2.* *3.*

Ambæ conclusiones canonica autoritate roborantur. Primùm enim huiusmodi priuilegia concessa leguntur per Alexandrum 4. circa annum Domini *Priuilegia Pontificum Alexan. 4.*

milles-

Vrbani. 4. Clemen. 5.

milleſimum ducenteſimum ſexageſimum. Deinde decem poſt annis confirmata fuerunt per Vrbanum 4. & Clementem 4. continuò ſuccedentes. Poſt hæc verò annis 50. Ioannes ille de Poliaco pòſt incontrarium ſuclamauit, qui anno Domini miſſeſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo vocatus Romam compulſus fuit errorem reuocare, vt patet in extrauagan. Ioannis 22. Vas electionis: vbi iuxta decreta prædeceſſorum Alexan. & Clementis concluſum eſt confeſſos fratribus religioſis non teneri amplius confiteri proprio ſacerdoti eadem peccata. Quare de eadem veritate ambigere iam nefas eſt. Deinde Bonifacius octauus in extrauag. Super cathedram. de ſepulturis, confeſſionem moderatus inſtit, vt prælati mendicantium religioſos Epiſcopo præſentarent idoneos, quibus ipſe facultatem faceret, tum prædicandi, tum & confeſſiones audiendi, quo renuente Papa ipſe tunc eandem facultatem concedebat. Poſt verò ſubſecutus Benedictus vndecimus, in extrauag. Inter cunctas. de priuilegijs. reuocata illa moderatione Bonifacij, ampliſſimam eis contulit facultatem prædicandi, & confeſſiones audiendi, nulla facta præſentatione Epiſcopo, nullaque eius petita licentia. Tandem ſucceſſit Clemens quintus, qui in Clem. Dudum. de ſepulturis. reuocans decretum Benedicti renouauit aliud Bonifacij, vt præſentatione facta Epiſcopo facultas ab eo petatur, quam ſi negauerit, papa conceſſit. Cui quidem decreto ſtatur modò. Canon verò Gregorij, Ex autoritate 16. quæſt. 1. quo ſacerdotibus monachis poteſtatem facit, vt poſſint baptizare, prædicare, communionem dare, pœnitentiam imponere, atque peccata ſoluere, ad rem non attinet præſentem: quia vt ait D. Thom. diſt. 18. q. 3. arti. 3. illic non loquebatur Gregorius niſi de monachis illis qui iuriſdictionem ſuper aliquibus parochis ſibi commiſſam habebant, quos alij aiebant eo ipſo quòd erant monachi, non poſſe actiones illas hierarchicas exercere, vbi Gregor. decernit contrarium.

Bonifa. 8.

Bene. 11.

Clemen. 5.

Can. Ex autoritate.

Reprobatio gloſſæ Bern.

Ex his fit, gloſſam Bernardi can. Omnis vtriuſque ſexus ſuper ver. Alieno, nullam prorſus apparentiam habere, quatenus ait priuilegia conceſſa fratribus, ſolùm illis dare executionem audiendi confeſſiones, ſed nihilominus requiri licentiam proprij ſacerdotis: nam in prædicto canone manifeſtum eſt, nomine proprij ſacerdotis, intelligi cum parochiali, tam Epiſcopum quàm papam: ſi ergo illi licentiam conferunt, ſatis eſt. Cæterum quamuis, proprius, idem eſſet, quod parochialis, ſubintelligitur ſemper ſuperioris licentiam ſufficere. Præterea arguitur. Nemo poteſt, imò crediderim neque autoritate Papæ, quicquid citati autores dixerint, ad confitendum iterum compelli ea a quibus ſemel abſolutus eſt: nam Eccleſia non habet in hoc autoritatem niſi ſecundùm ius diuinum: iure autem illo ſacramentum hoc non eſt inſtitutum, niſi in remiſſionem peccatorum; poſtquam ergo hunc fructum quis per ſacramentum ſortitus eſt, cogi non poteſt, niſi vltrò ipſe velit, iterum eadem confiteri: quia ille iam nulla habet peccata, & vt ait S. Th in præſentiarum ſolutione 4. nullus compellitur confiteri, qui non habet peccata. Meritò ergo vt ait Antoninus 3. par. titu. 17. cap. 9. illa gloſſa condemnata fuit per Clementem. 4. in quodam priuilegio fratribus conceſſo, incipienti, Quidam temerè.

Nemo poteſt cogi ad repetendas confeſſ.

Vnde ad argumentum Ioannis Monachi & Archidiaconi reſpondetur, non eſſe compatibilia priuilegium religioſorum, & præceptum confitendi proprio curato in hoc ſenſu, quod confeſſus religioſo teneatur iterum confiteri proprio curato: nam vna abſolutio liberat eum ab obligatione alterius, vt ait Benedictus 11. in extrauag. citata. Inter cunctas. de priuileg. in quo verbo non eſt illa extrauagans reuocata per Clementinam, Dudum.

Quòd ſi quæras vtrùm dictum priuilegium, ſit derogatio præcepti, Omnis vtriuſque ſexus. reſpondetur nullum habere reprobationis colorem, ſed eſſe indultum iuxta eius tenorem, vbi habetur, quod de licentia proprij ſacerdotis poteſt quiſque confiteri alteri.

Extraua. Martini. obijc.

In contrarium autem obijcitur extrauagans quædam Martini quinti, quam Adrianus citat. Ad vberes fructus, ſed non eſt inter communes relata, vbi ait, Volumus autem, quòd ij qui fratribus confitebuntur, ſuis proprijs parochialibus ſacerdotibus ſemel ſaltem in anno confiteri (prout generale concilium ſtatuit) nihilominus teneantur: quodque ijdem fratres eos ad hoc exhortentur. Veruntamen extrauagans hæc in primis non præcipit hominem eadem iterum confiteri, à quibus ſemel abſolutus eſt: quare ſolùm potuit præcipere, vt homo ſe repræſentet proprio ſacerdoti, dicens ſe iam eſſe abſolutum. Nam dicere, quod ſaltem in paſchate teneatur homo confiteri proprio Sacerdoti, ſi aliquod habet mortale, non video quomodo intelligatur: quoniam annualis confeſſio, vt ſupra diximus non obligat in paſchate, ſed in quolibet tempore anni: quare qui confitetur fratribus ſub natali Domini, non tenetur iterum vſque ad integrum annum ampliùs confiteri, niſi ratione ſumendæ Euchariſtiæ in paſchate, tunc autem ſiquis peccatum habuerit mortale, etiam poteſt fratribus religioſis confiteri, poſtquam ille caſus non eſt exceptus in extrauaganti. Vas electionis. neque in Clemen. Dudum. Neque verò gloſſam Adriani eiuſdem extrauagantis Martini, quæ illam intelligit, quando fratres ad Epiſcopos neglexerint habere recurſum, ſatis intelligo: quoniam quouſque ſe præſentent, nullam habent facultatem audiendi confeſſiones: & tamen Martinus videtur intelligere poſtquam habent autoritatem. Quare citiùs dixerim illam extrauagantem in hac parte non eſſe receptam: quia derogat extrauagantibus, Vas electionis. &, Dudum. Idemque reſponderem verbis Sixti. 4. in extrauagant. Vices illius. de tregua & pace. vbi admonet religioſos, vt prædicare deſiſtant, quòd parochiani non ſint obligati, ſaltem in paſchate, confiteri proprio ſacerdoti: quia de iure, inquit, tenentur. Reſpondeo, inquam, me illa verba non intelligere: quia nullum eſt tale præceptum confitendi in paſchate, ſed ſemel in anno. Item cùm continuò ſubiungat per hoc non intelligere excludere mendicantes, quominus ſecundum iuris communis & priuilegiorum illis conceſſorum diſpoſitionem confeſſiones audire, & pœnitentias iniungere valeant, ratas habet confeſſiones illis factas ad implendum præceptum de ſemel in anno. Secùs de adminiſtratione ſacramenti Euchariſtiæ, quod religioſi adminiſtrare prohibentur in paſchate, vt Clement. Religio. de priuileg. cauetur.

Extraua. Vices illius.

Quo ergo ad expoſitionem Clemen. Dudum. redeamus, primùm notandum, quòd cum illic magiſtri & miniſtri generales & prouinciales iubeantur facere vel per ſe, vel per alios illam præſentationem, etiam Priores & guardiani poterunt illam facere, & verè faciunt ex commiſſione eorundem Prouincialium, & poterunt alium mittere, qui illos præſentet. Vtrùm autem ius competat Epiſcopis eos examinandi, non habetur in extrauaganti, ſed hoc ſolum, vt Prælati religioſorum ſufficientes perſonas, & idoneas, & peritas eligant. Vbi inſinuatur examen non incumbere, niſi prælatis ipſis religioſorum. Vnde in extrauaganti Benedicti 11. non habebantur confeſſarij perſonaliter comparere coram Epiſcopo. At quoniam illa reuocata eſt per Clemen. Dudum. in qua ſit Epiſcopo facultas, vt poſſit refutare præſentatos, apparet ſubſequenter illis incumbere eos examinare. Quare, ſi ipſe velit, comparere coram ipſo debent. Vtrum autem eius licentia ipſo mortuo, vel amoto, ſemper duret, an verò debeant ſingulis Epiſcopis præſentari. Reſpondetur, ſat eſſe ſi ſemel habeant vnius Epiſcopi facultatem, vt non teneantur amplius eidem Epiſcopo vel alteri præſentari. Sic enim habetur in extrauag. Benedicti, quæ in hac parte non eſt reuocata. Vtrùm verò eiuſmodi fratres expoſiti poſſint abſoluere ab omnibus caſibus reſeruatis Epiſcopo, Sylueſter in verb. Confeſſor. primo, §. quinto, & Gabri. diſtinctione. 17. quæſtione 2. articu. 3. atque alij affirmanter reſpondent: quia priuilegium Papæ non poteſt inferior, nempe Epiſcopus, coarctare. Quare cum Clemen. Dudum. fuerit in Concilio Viennenſi decreta, non poteſt, inquit Sylu. Epiſcopus religioſis reſeruare caſus, ſicut ſacerdotibus parochialibus. Veruntamen hæc opinio neque eſt tuta, neque more ſeruatur: quòniam expreſſè habetur in eadem Clemen. Per huiuſmodi confeſſionem nequaquã intendimus ampliorem poteſtatem fratribus impendere, quàm eſt curatis & parochialibus ſacerdotibus à iure conceſſa: niſi forſan eis Eccleſiarum prælati vberiorem in hac parte eis gratiam ſpecialiter ducerent faciendam. Et confirmatur ratio: quia licet priuilegium ſit Papæ, & Concilij, nihilominus vult religioſos facultatem recipere ab Epiſcopo, vt ſint tanquam eius coadiutores. Quare in hoc non conferunt eis ius amplius, quàm habent

Gloſſa Clemen. Dudum. expoſit.

An Epiſcopus debeat examinare religioſos præſentatos?

Dubitatio

Alia dub. An à reſeruatis poſſint abſoluere.

Reſponſ. negat.

curati.

Digitized by Google

curati. Idque confirmatur ex. Clemen. Religiosi. de priuileg. vbi excommunicantur religiosi, si tenuerint absoluere à casibus reseruatis Apostolicæ sedi, vel locorũ ordinarijs. Quapropter nulla est solutio respondentium quòd, solum inhibentur absoluere à casibus reseruatis, quibus est excommunicatio annexa: nam duæ sunt clausulæ: prior, ne absoluant excommunicatos: & posterior, ne absoluant à reseruatis etiam citra excommunicationem. Veruntamen si Episcopus vult plures casus reseruare religiosis; quàm plebanis, tunc censeretur id facere in fraudem & in odium ipsorum, & ideo tam aperta esse posset fraus, vt non esset illi parendum, quia pari sorte sunt tractandi vt plebani.

Dubium. An potestatem possint exercere in alia diœcesi?

Aliud verò dubium est, vtrum eandem potestatem, quam habent ab Episcopo vnius diœcesis, exercere iure possint in alia. Sylvester enim verbo. Confessor. primo. §. 14. & verbo, Confessor. secundo. §. 4. ait non posse: propterea quòd in præfata extrauag. expressè habetur, quòd extra ciuitates & diœceses, in quibus sunt deputati, non possint illam facultatem exercere. Faretur tamen, curatum parochialem posse suos parochianos absoluere vbicunque etiam extra diœcesim. Hæc tamen duo malè cohærent, Clementina enim pares facit religiosos & plebanos. Quare sicut plebanus suum parochianum, ità & religiosus verbi gratia Salmantinus potest hominem suæ diœcesis Segobiæ & vbicunque absoluere. Veluti religiosus, qui facultatem habet sui prælati audiendi religiosorum confessiones, quemcunque subditum sui conuentus potest vbicunque terrarum absoluere perinde ac Prior ipse, præterquam à casibus reseruatis. Clementina ergo solum cauet, ne habentes facultatem Episcopi putent eam habere nisi in subditos eiusdem Episcopatus. Hoc enim est notum, quòd expositus Salmanticæ ab Episcopo non potest extra diœcesim eandem facultatem exercere erga subditos alienæ diœcesis. Atque hactenus de priuilegijs concessis à iure.

De priuil. concessis ab homine.

Circa confessiones autem, quæ fiunt ab homine, hoc iacito primum fundamentum, quòd omnis & solus ordinarius, qui propriam habet animarum curam, si non sit de iure prohibitus, potest cuicunque alij sacerdori nõ iure impedito facultatem suam concedere absoluendi suos subditos: vt Papa, Episcopus, parochiarum plebani, & religiosorum prælati. Delegatus autem id non potest, nisi in facultate sibi commissa hoc fuerit expressum, vt possit subdelegare. Quare vicarij Episcoporum nisi habeant expressam facultatem subdelegandi, id non possunt, neque vicecurati. Attamen quando substituuntur curatorum loco, per Episcopos sit eis potestas subdelegandi. Et eandem facultatem pœnitentiarij pontificis habent officio suo annexam. Atqui & Episcopus confirmatus non impeditus, antequam ordinetur, licet neminem possit absoluere, potest tamen eandem facultatem concedere. Dixerim autem, non impeditus: nam Episcopus vel sacerdos parochialis excommunicatus nominatim, vel hæreticus, vel manifestarius percussor clericorum nemmem potest sibi subdelegare, neque in foro exteriori, neque in pœnitentiali, eo quòd licet habeant iurisdictionem, non tamen habent eius vsum, & committere est vsus iurisdictionis. Sententia est Palud. 17. quæstio. 3. circa finem: & notatur ca. Romana. de officio vicarij libro 6. Si autem postquam suam facultatem alteri delegauit, excommunicetur, non ob id cessat vsus in delegato. Quòd autem non possit sacerdotibus eo modo excommunicatis vel suspensis eiusmodi facultas committi clarum est, postquam eam non possunt exercere. Quærere etiam quispiam hic posset, vtrum sufficiat ratihabitio, vt absolutio sit valida. De hoc autem nulla est controuersia. Si enim ratihabitio sit de futuro, vt si sacerdos absque iurisdictione absoluat alienum parochianum, credens quòd cùm Episcopus eius vel plebanus sciuerit, ratum habebit, manifestum est nullum esse sacramentum: quoniam cum sacramentum tunc confert gratiam, quando applicatur absolutio, nequit vllo pacto ex futuro pendere, sed tunc debent concurrere omnia quæ sunt de essentia sacramenti, atque adeò iurisdictio sacerdotis: quare si tunc illam non habet, nil ratihabitio futura refert. Si autem ratihabitio sit de præsenti vel de præterito, quia proprius sacerdos videt subditum confiteri alteri, & tacens dissimulat, illa videtur sufficere: quia non censetur solũ ratihabitio, sed consensus interpretatiuus, cuius virtute diximus sacerdotes sibi inuicẽ promiscuè confiteri. Tametsi, vt suprà dicebamus, non sit satis tutum in re tam necessaria eiusmodi interpretatiuo consensu vti, sed est expressus requirendus.

Quinam possint alteri suam facultatem concedere, quinon?

Ratihabitio de futuro.

Ratihabitio de præsenti.

Postremum dubium est de illis, qui facultatem habentes eligendi confessarium, siue per pontificium diploma, siue ab Episcopo, siue à parochiali sacerdote, plenam habeant libertatem eligendi quem maluerint sacerdotem, an sint adstricti eligere ordinarios curatos, atque eos tantum religiosos, qui expositi sunt per Episcopum. Ad hoc dubium non desunt, qui censeant huiusmodi priuilegijs fungentes non habere tam liberam facultatem. sed arceri, vt eligant illos, qui aliàs sunt confessarij. Et ratio eorum est, quia sic in diplomate habetur, vt possint eligere confessores: debent ergo esse confessores antequam eligantur. Item quia adijcitur, confessores idoneos: idonei autem non dicuntur, nisi qui iudicio publicæ autoritatis sint approbati, quales sunt habentes sacerdotia curata, & per Episcopum expositi, iudiciũ enim idoneitatis non est relinquendum priuatis personis, sed ijs qui publica funguntur autoritate.

An priuilegiatus possit eligere simplicem sacerdotem.

Pars negat. 1. Argu.

2. Argu.

Et tertiò arguitur, quia non est censendus summus Pontifex omnes sacerdotes sic tumultuariè in confessarios approbare: nam vt habetur dę pœnit. & remiss. c. si Episcopus. lib. 6. in generali concessione illa non veniunt, quæ nõ esset quis in specie concessurus: si autem Papa promiscuã hanc autoritatem omnibus concederet, perinde esset, ac si hominib. idiotis & indignis in specie eandem facultatem committeret, quod esset Christianorum salutem periculo exponere: quare non est credendus Pontifex id concedere. Idem tenet gloss. super c. Omnis vtriusque sexus. super verb. Alieno: nempe, quòd non possunt eligi, nisi habentes ordinis executionem, iuxta tenorem canonis. Adijcimus. §. Ecce. 16. q. 1. & de priuilegijs. cap. religiosi. vbi habetur, quòd religiosi non habent executionem potestatis ordinis, nisi fuerint à populo electi, & de consensu Abbatis ab Episcopo approbati.

3. Argu.

4. Argu. De relig.

His tamen non obstantibus, non est timendum, quin quos voluerint, eligere valeant. Et hæc est opinio communis, nempe Antonini. 3. par. tit. 17. c. 7. & Gabriel. dist. 17. q. 2. dubio. 2. & Adrian. de confessione. q. 5. dubio 1. & Palud. ead. dist. q. 3. ar. 2. quem sequitur Sylvest. verb. Confessor. 1. §. 5.

Priuilegiatus sacerdoti quem voluerint possunt eligere. Ratio.

Et ratio est: quia ad absolutionem solùm requiritur potestas ordinis & iurisdictionis: & quidem potestatem ordinis quicunque sacerdos habet, & iurisdictionem ille qui priuilegium contulit per electionem pœnitentis qui ei confert. Sed quia ex hoc secundo, quæstio pendet, probatur primò ex verbis diplomatis, vt possint eligere confessorem, nam hoc non est eligere eum qui est confessor, sed per electionem facere confessorem: puta, eligere in confessorem. sicut cum eligitur Episcopus, non eligitur ille qui erat Episcopus, sed qui non erat, eligitur in Episcopum. Et quamuis addatur, idoneum, adiectio illa duo sonat. Primùm, quòd non sit suspensus per censuram, aut nominatim excommunicatus, &c. Secundò admonetur pœnitens iuxta tenorem can. Quem pœnit. vt eligat cõfessorem scientem ligare & soluere: nihilominus optio ipsi relinquitur: quia priuilegia non sunt coarctanda magis, quàm sonant: & proculdubio si intentio Pontificis esset, vt non eligerentur nisi ordinarij, nunquàm illud silentio præteriuisset: cùm ergo id non expresserit, gratis fingitur illa restrictio. Nam de potestate Papæ, quòd id potuerit facere, nemini dubitare licet. Et in capit. citato. ne pro dilatione. vbi Gregorius concessit prælatis facultatem eligendi confessarium, nullam facit restrictionem, sed ait, quòd præter sui superioris licentiam possit sibi eligere prouidum confessorem: eodem ergo modo intelligitur concessio diplomatis cruciatæ. Ad illud verò, quòd Papa nõ præsumitur indoctos homines & non idoneos elire, respondetur, quòd contra intentionem Papæ, & prælatorum obmurmurare nefas est. Tamen si oculos ad eos qui curam habent parochiarum, & sacerdotia curata possident circumferamus, fortasse (quod non absque mœrore fandum est) tam multos indoctos sacerdotes, & minus idoneos inueniamus curam animarum habentes, quàm eadem cura vacuos, adeò vt multò consultius sæpe fuerit ex istis eligere, quàm ex illis. In summa hoc planè confirmatur, si propriùs plebanus facultatem concederet suo parochiano confitendi alteri, licet nihil aliud adijceret, quis dubitet quin posset eli-

Solut. 1. argu.

Solut. 2. Idoneum bulla cruciata quomodo intelligatur.

Solut. 3. argu.

Digitized by Google

set eligere quem maluerit sacerdotem, siue parochialem, siue alium: cur ergo non id liberè possit, qui priuilegium habet Pontificis? Tandem hanc litem videntur iam diremisse indulgentiarum commissarij, vt hæc scholastica disceptatio autoritate Pontificis absoluretur. In nuperrimo namque Iubileo Diui Iacobi sub hac forma venit concessio, vt possit quisque confessarium eligere sacerdotem secularem, aut religiosum, qui non sit suspensus, nec specialiter reprobatus per suum prælatum, Suspensus. s. vel reprobatus per aliquam censuram quasi dicat, quicunque alius absque vlla exceptione possit eligi.

Ad gloss. in 3. arg. Ad glossas autem can. Omnis vtriusque sexus. & Clem. religiosi. de priuil. respondetur, quòd solùm illic habetur sermo de religiosis: quare non potest trahi in consequentiam, quòd non possint quilibet sacerdotes seculares eligi. Præterea & de religiosis bene respondent Palud. & Syluest. quòd licet de iure communi non habeant executionem potestatis, nihilominus ex facultate proprij sacerdotis, & à fortiori Episcopi, vel Papæ illam possunt habere, neque est cur de hoc vlla sit dubitatio. Verum est, prædictos autores addere, quòd religiosi cùm non habeant velle, vel nolle, sine consensu prælati non debent absque eius licentia eiusmodi priuilegiatorum confessiones audire, quod ego fateor. Nam si quis contra arguat. Papa potest inconsulto & inuito prælato iubere subdito eius, vt confessionem audiat: ergo potest subditus absque licentia prælati id facere. Respondetur, quòd si Papa id sic iuberet, vera esset argumenti conclusio: at verò per illa diplomata nihil religiosis iubet, sed facultatem duntaxat concedit pœnitenti eligendi, quæ quidem electio non cogit religiosum. Et ideo qui inconsulto prælato talem confessionem audiret, posset ab eo tanquàm inobediens puniri. Nihilominus sacramentum & absolutio teneret: quia per electionem pœnitentis religiosus à Papa iurisdictionem acquirit.

Ad 4. de religiosis.

Obiect.

Dilutio.

Confessariorum condiciones. At quoniam de confessariorum electione mentio hic habetur, adnotare est operæpretium qualitates, quas confessarios habere decet. Nam præter duas, quæ sunt de essentia sacramenti, scilicet potestas ordinis, & iurisdictionis, & tertiam de necessitate, quæ est sigilli custodia, requiritur vt & scientia polleat & prudentia: est enim tum iudex, tum etiam medicus. Et tanquàm iudex debet præditus esse scientia ad inquirendum, & discernendum peccata, sint ne mortalia, an venialia, & eorum circunstantias pro qualitate subditorum. Qui enim operam dant eorum confessionibus audiendis, qui sunt vel mercatores, vel alijs negotijs arduis implicati, maiori scientia pollere debent, quàm qui eam habent popularium, aut rusticorum. Quamuis satis sit, vt confessarius dubitare sciat, vt peritiores possit consulere. At verò tanquam medicus prudentia indiget, vt cauendis in posterum peccatis remedium adhibere sciat iuxta personarum, locorum, & temporum qualitates. Tametsi supra hæc omnia probitatem sacerdotis desiderem, & zelum Dei, vt exaggeratè pœnitentem admonitum curet, quanti referat vitam secundum diuinam voluntatem emendare.

Nota.

Solu. 1. arg. Ad primum igitur argumentorum, quæ in capite articuli sunt proposita, doctè D. Thom. respondet loco præsenti, quòd nemini fit præiudicium, nisi id ei subtrahatur, quod in fauorem ipsius indultum est, vt verbi gratia, si beneficium quod quis possidet absque vlla eius causa & crimine subtraheretur: iurisdictio autem nemini conceditur in suam priuatam vtilitatem, sed in commune bonum populi & honorem Dei. Et ideo quando superioribus expedire ad salutem plebis videtur, & ad honorem Dei alijs suam facultatem committere, nemini fit præiudicium vel iniuria, licet illi, qui quærunt quæ sua sunt, nõ quæ Iesu Christi, & gregi præsunt nõ vt oues pascant, sed vt ab illis pascantur, arbitrentur in detrimentum sibi & iniuriam cedere.

Si autem aliquod detrimentum ex frequentia horum priuilegiorum aliquibus videatur offerri, apparet religiosis accidere: nam libera eorum facultas inscio prælato confitendi non potest non multum incommodi eorũ regimini afferre. Sed postquàm Papæ placet, parendum est, vel aliter per eius autoritatem huic, si iactura religionis est, prouidendum.

Solu. 2. Ad secundum respondetur eodem modo, per hoc non impediri diuinum mandatũ cognoscendi vultum pecoris, hoc enim solertissimus quisque prælatus extra viam confessionis facere potest vigilando super gregem. Cæterum per viam confessionis credere subdito debet asserenti se esse legitimè confessum: nam in foro conscientiæ pœnitenti credendũ est, & pro se, & contra se loquenti, secus in foro exteriori.

3. Argu. Solu. Ad tertium denique iam responsum est, quòd qui semel per superioris facultatem confessus est, non tenetur ampliùs confiteri, vt Bened. 11. in extraua. Inter cunctas. decreuit, neque in hoc est reuocata. Quare neque ad id potest ipsum proprius sacerdos cogere. Nec proinde censetur ab eius obedientia eximi: nam quod autoritate superioris fit, minimè censendum est contra obedientiam minoris procedere.

S. Thom. Fructuosa peccatorũ iterata confessio. Scoti opi. Addit tamen D. Tho. in hac solutione, quòd fructuosè quis posset illa peccata, à quibus semel est absolutus, iterum confiteri: quia quantò pluries quis eadem peccata confitetur, plus ei de pœna remittitur.

Hoc autem Scot. distinctio. 18. solutione primi argum. non vsque adeò probabile reputat, imò probabilius, quòd per secundam absolutionem nihil pœnæ remittatur: quia cùm semel Deus iudicium absolutionis ratificauit, licet non sit absurdum illud iterare, nihilominus non iteratur cum illo fructu: nam idem, inquit, contingit in foro litigioso, vbi postquàm reus semel absolutus est, non amplius à pœna eorundem delictorum absolui potest. Opinio hæc tamen tenuissimo nititur fundamento: nam in litigioso foro post vnam absolutionem nihil amplius pœnæ sit reliquum: in sacramentali verò non semper absolutio prima tollit totam pœnam. Et ideò postquam secunda est legitima absolutio, & cadit super debitam materiam: quia materia, vt habetur in Concilio Floren. sunt peccata confessa, nulla est causa, cur per ipsam non fiat etiam remissio pœnæ. Secundò, quia etiam dum quis accedit contritus ad primam confessionem habet remissam culpam, & nihilominus per absolutionem sortitur remissionem pœnæ: cur non ergo idem adipiscatur per secundam & tertiam?

Discrimen inter absolutionem fori litigiosi, & sacramentalis.

Caieta. Caietanus in 4. q. de confessione, super 3. partem ait, quod absolutio non solùm remittit pœnam, sed etiam reliquias culpæ, quæ sunt corruptæ habitudines, & inclinationes ad peccandum. Crediderim tamen hoc proprium esse sacramenti extremæ vnctionis, vt suo loco videbimus. Hic autem circa istas confessionum repetitiones: peccatorum scilicet alias sacramentaliter remissorum, adnotandum est, quòd non sunt huiusmodi confessiones pro libito repetendæ, esset enim abusus sacramenti iterum atque iterum eadem peccata absque causa confiteri. Et tantus esse posset abusus, vt sacramentum nullum esset, & nullam conferret gratiam, imò esset religionis ludibrium. Sed tunc tantùm eiusmodi repetitiones sunt licitæ, quando causa grauis interuenit: videlicet, si fortè se offerat grauis confessarius, & doctus, cui homo vult detegere vitam suam, vel in mortis articulo, vel in aliquo magno festo, & iubileo, idque non quotannis, sed ratissimè.

Nota circa peccatorũ repetitiones.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in articulo mortis possit quisque per quemcunque sacerdotem à quibuscunque peccatis & censuris absolui.

Partis negatiuæ arg. 1. QVAERITVR hoc quarto articulo, vtrũ ab istis hactenus cõstitutis veritatibus aliqua fiat exceptio, qua saltẽ in articulo mortis, vt quisque tunc possit per quemcunque sacerdotem à quibuscunque peccatis & censuris absolui. Et arguitur à parte negatiua. Ad absolutionem, vt dictum est, requiritur iurisdictio, nemo tamen ea carens propter articulum morientis eandem acquirit: ergo nemo tunc potest nisi a proprio sacerdote absolui.

2. Argu. Secundò. Sequeretur si tunc posset moriturus à quocunque absolui, quòd etiam si mortem ille euaderet, satisfeçisset pro illo anno præcepto confessionis, atque adeò non teneretur eodem anno confiteri proprio sacerdoti: consequens tamen apparet falsum, quia non videtur ille articulus subditum ab obedientia sui pastoris eximere.

Pars affirmatiua. In contrarium tamen est, quòd necessitas spiritualis multò maior est, quàm temporalis, sed in extrema necessitate potest quis vti pane & re aliena inuito domino: ergo in illa necessitate spiritualis salutis potest quisque ab alieno sacerdote absolui.

In con-

Digitized by Google

Decis. art. Concl.

De substantia huius quæstionis nulla est controuersia, & ideo vnica conclusione respondetur. In articulo mortis, si haberi non possit copia proprij sacerdotis, potest quisque per quemcunque Catholicum sacerdotem absolui, non solùm à quibuscunque peccatis, quãtumcunque vel à iure, vel ab homine reseruatis, verùm à quacunque excommunicationis censura.

Ratio conclusionis.

Ratio conclusionis est illa iam insinuata, quòd cum sacramentum hoc sit in remissionem peccatorum institutum, & articulus mortis sit vbi res agitur, aut perpetuæ fœlicitatis, aut perpetuæ damnationis, non ageret Ecclesia quæ Spiritu sancto gubernatur, secundum amplissimam Dei misericordiam, si non omni remedio exeunti ab hac luce promptissimè succurreret, atque adeò si aliquod tunc peccatum reseruatum vellet, aut aliquem sacerdotem suspensum, ne munus absolutionis impenderet. Quòd si quis dicat sacramentum hoc non esse tam necessarium, quàm est baptismus: quia occurrentibus impedimentis iuris sufficeret contritio. Respondetur, quod esto ita sit, nihilominus non debet Ecclesia deficere in eo quod potest, cum sacramenta omnia gratiam conferant, & sæpe, vt diximus, ex attritis contritos reddant.

Obiectio.

Dilutio.

Dubium. An iure diuino omnis sacerdos possit absoluere in articulo mortis.

At verò quamuis conclusio certissima sit, nihilominus restat dubium, vtrum sit de iure diuino, an verò de iure positiuo. Et vt clariùs proponatur dubium, non ambigitur quominus iurisdictio de iure diuino sit ad absolutionem necessaria, vt artic. 2. dicebamus: quoniam Christus ipse iurisdictiones instituit. Sed dubitatio est, an omnes sacerdotes habeant iurisdictionem iure diuino absoluendi in articulo mortis, an verò hoc sit de iure pontificio, quod cunctis in hoc casu iurisdictionem tribuit. Paluda. namque distinctione 20. quæstione prima, conclusione 1. dicit hoc esse de iure diuino, id enim elicuit ex altera eius opinione, quam tenet distinctione 17. quæstione 3. articulo 2. scilicet quòd stando iuri diuino ante canonem Ecclesiæ quilibet sacerdos poterat quemcunque absoluere, quod tamen nos illic pro tenuitate nostrâ refutauimus. Sed quantum ad articulum mortis idem tenet Capreo. distin. 19. Idemque tenere videtur D. Thom. distinct. 20. articul. 1. quæstiunc. 2. Probat enim præsentem conclusionem hoc pacto. Quilibet sacerdos, quantum est de virtute clauium, habet potestatem indifferenter ad omnes, & quantum ad omnia peccata: sed quòd non possit omnis ab omnibus peccatis absoluere, hoc est, quia per ordinationem Ecclesiæ habet iurisdictionem limitatam, vel omnino nullam. Sed quoniam necessitas legem non habet, ideo quando articulus necessitatis imminet, per Ecclesiæ ordinationem nemo impeditur quin absoluere possit. Durand. verò distinctione 10. quæstione 2. priori opinione recitata probabiliorem existimat alteram: nempe quòd hoc sit de iure positiuo: quia Christus, inquit, Petro tanquam pastori commisit curam & regimen totius Ecclesiæ: ad regimen autem spectat iurisdictio tam in foro conscientiæ, quàm in foro exteriori: ergo nemo habet iurisdictionem aut vsum eius, nisi per autoritatem Ecclesiæ, hac igitur vtuntur sacerdotes absoluentes in articulo mortis.

Paluda. affirmat.

Ratio S. Thom.

Durand. ait esse de iure positiuo.

Durandi opinio approbatur. Ratio.

Atque hæc profectò opinio est mihi non solum probabilis, verùm certa propter hanc eandem rationem. Nam etsi Christus in Ecclesia reliquerit iurisdictiones, vt art. 2. dicebamus, nihilominus earum distributiones Ecclesiæ commisit: quæ hunc vel illum creat Episcopum, vel parochialem sacerdotem. Et confirmatur, quia cum illa, quæ est in foro interiori, perinde sit iurisdictio, atque illa quæ est in foro exteriori: & hanc secundam manifestum sit Christum tradidisse Ecclesiæ ad eam distribuendam, fit, vt & illam illo modo reliquerit, quare quòd sacerdotes absoluant in articulo mortis, ex concessione Ecclesiæ fit. Atque hoc confirmatur ex modo ecclesiastico loquendi. Vbicunque enim reseruat excommunicationis absolutionem, dicens, vt à nullo fiat talis absolutio, excipit, dicens, Præterquàm in articulo mortis, quasi sua sit illa facultas, vt patet can. Pastoralis. §. præterea. de offic. ordina. & cap. Fures. de furtis. & cap. Eos qui. de senten. excommunica. lib. 6. & multis alijs. Neque S. Tho. si perspicienter legatur, aliud sentit: nunquam enim ait, quòd quilibet simplex sacerdos virtute iurisdictionis, quam habet, possit absoluere, sed virtute clauium, quæ sunt Ecclesiæ concessæ, nisi impediatur per Ecclesiam, quæ nullam dat illi iurisdictionem, vel limitatam. Et in solutione ad primum expressè ait, quòd quia Ecclesia acceptat, vt quilibet sacerdos absoluere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis iurisdictionis habet vsum, quamuis iurisdictione careat. Vide quàm doctè non concedat, sacerdotem vllam iurisdictionem suscipere dum sacerdotio initiatur, neque concedit sacerdotem absoluentem in articulo mortis vllam habere iurisdictionem, sed merum vsum iurisdictionis Ecclesiæ ex eius voluntate.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Conciliatio Sanct. Thom.

Dubium. An Papa possit potestat. absoluendi in art. mort. reuocare? Dilutio.

Sed dubium hinc emergit, quòd si huiusmodi absolutio in articulo mortis ex concessione Ecclesiæ fit, sequeretur, quòd Papa vel concilium posset eandem concessionem reuocare: nempe, vt non quisque posset à quocunque peccato absoluere.

Distinguitur consequens: si enim posse, potestatem dicat absolutam, conceditur: si autem dicat id quod legitimè fieri potest, negatur consequentia: esset enim intolerabilis error, si Ecclesia amplitudinem absolutionis in articulo mortis cohiberet, & ideo ab Spiritu sancto cuius numine potestatem in ædificationem, non in destructionem accepit, non permitteretur id facere.

Quis dicatur articulus mortis.

Quæris autem quisnam dicatur articulus mortis. Sylueit. namq; verb. Confessor. 1. §. 6. membr. 7. vocat articulum mortis, non solùm cùm quis est morti proximus, sed etiam dum quis se obijcit periculo mortis: nempe, vt prælium vel mare est ingressurus. At profectò confusio est nominum, periculum mortis censere articulum mortis: articulus enim mortis est, cum mors iam est in fieri per causam naturalem, aut violentam: nempe, aut per infirmitatem, aut dum ministerio iustitiæ quis est interficiendus. Et in his tantùm casibus licet cuicunque sacerdoti quemlibet absoluere, secus de periculo mortis: nam priuilegium non est ampliandũ, maximè in re tam periculosa: quia absolutio sine iurisdictione, aut iurisdictionis vsu nulla est, & canones nunquàm loquuntur, nisi in articulo mortis, neque illam facultatem Ecclesia concedit, nisi quando sacerdos proprius haberi non potest.

A quolibet Sacerdote, an præcisum comprehendat?

S. Thom. affirmat.

At verò nonnihil ambiguitatis secum adfert amplissima ista concessio, vt à quolibet tunc sacerdote possit fieri absolutio. Enimuerò D. Thom. hic & Caietan. verb. Absolutio. & omnes nullum excipiunt sacerdotem: Syluester verò verb. Confessor. 1. §. 20. ait, quòd licet huiusmodi absolutio fieri possit à quolibet sacerdote excommunicato, suspenso, & degradato, & irregulari, nihilominus non potest fieri à præciso. Et vocat præcisum hæreticum, & apostatam, qui amissa fide non sunt membra Ecclesiæ. Et quamuis id non probet nisi autoritate Rainerij, ratio tamen profectò apparet magis vrgens, quàm simplex cuiusque autoritas. Nam cùm hoc sacramentum non sit tantæ necessitatis, quantæ baptismus, videtur probabile, quod hæreticis & apostatis, qui non solum vsu iurisdictionis suspensi sunt, verùm iurisdictionem eradicata fide funditus amiserunt, Ecclesia non permittat vsum absoluendi, neque in articulo mortis, sed quòd si alius inueniri nequeat sacerdos, perinde sit tunc iudicandum ac si nullus esset. Accedit, quòd maximè timendum esset, præsertim ab apostata, quòd intentionem non haberet legitimam absoluendi. Nihil asseuerare ausim, tamen videtur mihi opinio hæc valde probabilis, & ideo in conclusione dixi, per quemcunque catholicum sacerdotem. Quòd autem sacerdos tunc quicunque valeat ab excommunicatione periclitantem absoluere, nullum est dubium, quoniam absolutio à peccatis, nisi vinculo excommunicationis soluto, nulla est. Quare & hæreticus tunc & apostata, si legitimè resipiscat, absolui potest: Nam & à quibuscunque alijs censuris, vt interdicto & alijs, absoluitur. Et si agat publicam pœnitentiam, venit etiam reconciliandus, vt vigesima sexta quæstione sexta, & alibi crebrò sacri canones consultè prouiderunt.

Ratio optima.

Autoris iudicium.

An laicus possit absoluere à censuris in articulo mortis. Palud. negat.

Vtrùm verò ab huiusmodi censuris laicus possit morientem absoluere dubitatur. Nam quòd nullatenus queat à culpis sacramentaliter absoluere, constitutissimum est. Sed quia à censuris iudex etiam laicus absoluere potest, quæritur in articulo mortis de laico quocunque, etiam si nulla polleat iurisdictione. Et Palud. loco citato distin. 20. negat laicum ab excommunicatione tunc posse absoluere: quia absolutio ab excommunicatione non conceditur in articulo mortis, nisi ratione absolutionis à peccatis, cùm ergo laicus à peccatis non possit absoluere, non creditur

ei con-

ei concessa facultas absoluendi ab excommunicatione. Item, quia vel absolutio illa intelligitur quantum ad corpus, vt possit Ecclesiastica sepultura gaudere, vel quantum ad animam, vt possit frui indulgentijs Ecclesiæ. Quantum ad primum non est necessum, quia post mortem potest iudex defunctum ad illum effectum sepulturæ absoluere. Sed quantum ad animam, nisi sit in gratia, non possunt ei huiusmodi indulgentiæ prodesse, & si decedat in gratia, etiam post mortem potest ad eundem effectum absolui per easdem indulgentias.

Glo. c. Pastoralis. Glossa quidem cap. Pastoralis 5. Præterea. de offic. ordina. in partem affirmatiuam inclinat, quòd scilicet laicus possit tunc absoluere. Attamen quia glossæ istæ nullis rationibus vti solent, nec planis textibus, rationes modò factæ maioris sunt ponderis, præsertim cùm vsus Ecclesiæ habeat, vt nec in illo articulo vllus ab excommunicatione absoluatur, nisi à sacerdote: idque si infirmus restituerit, vt à peccatis absoluatur. At proprius iudex potest pro libito ab excommunicatione tunc absoluere, etiam si infirmus restituere nolit, aut facere quod iubetur: quia, potest eum absoluere ab obedientia, quamuis maneat in peccato, à quo, nisi resipiscat, absolui nequit.

Can. Sanctum est. Neque canon. Sanctum est. de consec. dist. 4. vbi quidam naufragus referrur per laicum reconciliatus, contra nos facit, tum quia, vt ibidem ait Aug. ad Fortunatum, historia illa non est authentica: tum etiam quia illic solùm fit sermo de reconciliatione à pœnitentia publica, quam non erat necesse habere excommunicationem annexam.

Sol. 1. arg. Ad primum argumentum iam S. Thom. respondit, quòd licet per mortalem infirmitatem sacerdos acquirat iurisdictionem absoluendi, tamen quia Ecclesia illam absolutionem acceptat, fit vt de eius licentia acquirat vsum iurisdictionis eiusdem Ecclesiæ.

Sol. 2. arg. Ad secundum quoque respondetur cum Sanct. Thom. illatione concessa: nempe quòd absolutus in articulo mortis à simplice sacerdote, absoluitur sub inde ab Ecclesiæ præcepto pro illo anno: quare non tenetur iterum confiteri proprio, sed certiorem illum facere se fuisse confessum. Imò licet alia peccata postmodum committat, non tenetur vsque in subsequentem annum confiteri, nisi ratione Eucharistiæ in paschate susciendæ.

Absolutus in artic. mortis à simpl. sacerd. satisfecit præcepto. Addit autem S. Thom. idem esse de excommunicatione: nempe, quòd qui tunc à quacunque excommunicatione absoluitur, non tenetur ad iudicem excommunicatem recurrere, vt iterum absoluatur, sed satis est satisfacere pro debito, pro quo lata erat excommunicatio.

Dubium. An satisfacere nolens recidat in excomm. Quòd si dubites, an si satisfacere noluerit, recidat in excommunicationem. Apparet enim non recidere postquam absolutio simpliciter fuit facta: neque S. Tho. de illo relapsu meminit. At verò de hoc expressum extat decretum Bonifacij cap. Eos qui. de sentent. excom. quo iubet, vt huiusmodi per simplicem sacerdotem absoluti, si periculum euaserint, cùm primum potuerint se iudici repræsentent, satisfacturi prout iustitia suadebit, nec censuræ illudant Ecclesiasticæ, quod si non fecerint, eo ipso iure in eandem recidant excommunicationis sententiam.

ARTICVLVS V.

Vtrum sacerdos in quolibet casu sigillum teneatur seruare confessionis.

Pars negatiua arg. 1. POSTREMA consideratio confessionis est de eius sigillo. Arguitur ergo, quòd non in quocunque casu teneatur sacerdos illud seruare. Si sacerdos ad sigillum confessionis ex aliquo præcepto obligatur, illud esset Ecclesiæ: ad præceptum autem nemo obligatur contra voluntatem autoris eiusdem præcepti: ergo quotiescunque Ecclesia præceperit occultum aliquod crimen reuelari, tenetur sacerdos, etiam si illud in confessione scierit, detegere.

2. Argu. Secundò. Quòd pro charitate institutum est, vt in lib. de præcepto & Disp. autor est Bernar. non debet cõtra charitatem militare: celatio confessionis nonnunquam vergeret in publicum detrimentum, vt dum sacerdos ex pœnitente intellexerit esse hæreticum, & Christianę religionis peruertsorem, quem non potest ab illa corruptione cohibere: tunc ergo debet eum prodere, quia bonum commune præstantius est particulari.

3. Argu. Tertiò. Dum sacerdos per confessionem pœnitentis intelligit esse indignũ prælatione, tenetur eius promotioni, si sua interest, obuiare, & illud esset genus quoddam reuelandi secretum confessionis, ergo illud in illo casu licet.

4. Argum. Quartò. Magis debet homo conscientiæ suæ propriæ prospicere, quam alienæ famæ, quia charitas bene ordinata a se ipsa incipit: sed quandoque sacerdos non potest proprium sigillum seruare, nisi propriam conscientiam lædat, vt dum in testimonium deductus iurare cogitur, an tale crimen sciuerit: tunc enim si negat, periurij reus sit: ergo in tali casu potiùs debet crimen prodere.

Pars affirmatiua. In contrarium est decretalis. Omnis vtriusque sexus. cuius verba sunt. Caueat sacerdos ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem.

Decis. art. 1. Concl. Ad præsentem quæstionem quinque conclusionibus respondetur. Prima. Quicunque sacerdos tenetur confessionem omnino celare, & qui eius sigillum reseraret, esset sacrilegus, hoc est, rei sacræ violator. Conclusionem D. Th. di. 21. q. 3. art. 1. sic probat. Ea quæ in sacramentis exteriùs geruntur, signa rerum sunt quæ interiùs fiunt: illud ergo, quòd exteriùs pœnitens se sacerdoti subdit, signum subiectionis est qua interiùs se subijcit Deo, ac subinde absolutio sacerdotis est signum absolutionis Dei, qua peccata veluti obliuioni tradita sic contegit, iuxta illud Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: cogitur ergo sacerdos eadem sigilli consignatione habere contecta, & quasi oblita. Duran. autem d. 21. q. 4. qui vbique demonstrationes exoptat, hanc rationem labefactare molitur, dicens, quòd exterius signum sacramenti non significat, nisi interiorem effectum remissionis peccatorum, vt patet in forma, Ego te absoluo: celatio verò non est effectus eiusdem sacramenti, sed obligatio inde resultans: ergo ratio nihil probat. At verò non est opus in defensionem huius rationis tot verba consumere, quot Capreo. d. 21. q. 2. congerit. D. Thom. enim in hac materia non instituit demonstrationes facere mathematicas. Est tamen ratio in materia theologica quam optima. Non enim vult dicere, quod sigillum sit effectus significatus per formam absolutionis: sed arguit egregiè, quod si absolutio sacerdotis significat absolutionem internam Dei, & per illam Deus habet peccata tanquam oblita & contecta, consequens fit, vt sacerdos, qui est eius minister, resultet inde obligatus eodem modo illa habere occulta, vt Deus.

Ratio S. Tho. *Durand.* Atqui hæc ratio non solum veritatem conclusionis probat, verùm & sigillum esse de iure diuino. Vnde Scot. d. 21. q. 2. ait, triplici iure constabiliri, nempe naturali, diuino & humano. Probat autem esse de iure naturali ratione Ricardi ead. di. art. 4. quæst. 1. quæ est huiusmodi. Mentiri est contra ius naturæ: sed si sacerdos id quod in confessione nouit, diceret se scire, mentiretur: ergo illa reuelatio est contra ius naturæ. Probat minorem, quia sacerdos ea quæ nouit in confessione, non scit tanquam homo, sed tanquam Deus. Declarat hoc exemplo Angeli Exod. 20. qui in persona Dei loquens Moysi de rubo dicebat, Ego sum Dominus Deus tuus, &c. quod si in propria persona affirmaret, mentiretur: pati ergo modo cum confessarius affirmat, Ego hoc scio, mentitur, quia non scit, nisi in persona Dei. Scotus vero hanc rationem reprobat dicens, quod sacerdos ea quæ nouit in confessione, in propria persona audit & noscit. Hoc autẽ est nimium in aliud extremũ vergere, nisi distinctione vtamur. Vnum enim loqui in persona alterius potest dupliciter contingere: vno modo quia induit personam & vocem alterius; vt in comœdijs fit, vbi vnus personam Chremetis, alius verò Pamphili agit. Et isto modo loquebatur Angelus in persona Dei, Altero modo id contingit, quia iste loquitur per potestatem, quam susepit ab alio, sicut loquitur prætor in persona regis dum profert sententiam. Et quamuis isto modo quis loquatur in persona alterius per alterius facultatem, nihilominus ipse propriè loquitur. Ricardus ergo censet sacerdotem audire & nosse ea quæ audiuit in confessione tanquam Deum priori modo. Et certè non facit nisi posteriori: nam tanquam eius minister cognoscit peccata, & absoluit iuxta vocem Christi: Quorum remiseritis. Et ideo si extra confessionem diceret illud nosse, quod in confessione nouit, verum diceret: quare reserare

Sigillum esse de iure naturali. *Exod 20.* *Scotus.* *Loqui in persona alterius contingit dupliciter.* *Ricardus.* *Reserare sigillum confess. non est mentiri.*

sigillum confessionis non est mentiri. Vnde quod autores & canones aiunt sacerdotem illa nosse vt Deum, non est intelligendum nisi quòd illa nouit, vt minister Dei, atque adeò tenetur seruare secreta, vt Deus seruat, ac proinde est sacrilegus dum reuelat, licet veritatem dicat.

Aliter ergo probatur sigillum hoc esse de iure naturæ: nempe ex illo generali principio deriuatum, Quod tibi non vis, alteri ne facias: & ex alio, quòd vnusquisque tenetur seruare depositum, & potissimum secretum, quod apud se deponitur, vt celet: nam pollicetur depositarius id summa fide custodire, hoc enim modo sacerdos, vt per iuum officium admonetur, spondet non solum homini, sed Deo summa fide confessionem habere in pectore conditam. Imò consultissimum est quæcunque in confessione audit, curare oblitioni tradere.

Sigillum confessionis de iure diuino.

Ius autem diuinum eiusdem sigilli si quæras vbinam scriptũ extet, respondetur ibidem prorsus, vbi occultorum confessio iubetur: nam vt q. 2. art. 6. explicuimus, quanquam confessionis secretum non sit de eius essentia, est nihilominus necessarium, vt confessio sustineatur. Atque in hoc sensu audiendum est verbum hoc S. Thom. in sua conclusione. De necessitate sacramenti est, quod quis confessionem celet. Quod nos ideo non posuimus in nostra conclusione, ne intelligeretur tanquam de confessionis essentia. Quod autem sit de necessitate, probatur ex Aristotele 2. Physic. vbi ait, ex necessitate finis deriuari necessitatem ad media. Si enim viuere necessarium est, & id sine cibo seruare non possumus, fit vt & cibus ipse sit necessarius: pari ergo modo quia confiteri occulta scelera, idque ceu commune bonum Ecclesiæ necessarium est, id quod sine consignatione sigilli secreti reseruare non potest, fit vt sigillum ipsum sit penitus necessarium.

De necessitate confessionis.

Ex quo fit, quòd neque ad seruandum vitam hominis, quantumcunq; esset vel Regis, vel Papæ, vel propria ipsius sacerdotis, neque ad seruandam salutem totius reipublicæ, siue temporalem, siue spiritualem; in summa ob nullum, qui fingi posset, euentum licet sigillum confessionis aperire: nam quocunque casu aut causa rumperetur, confessio in suspicionem veniret, quòd posset reuelari, & inde homines ab illius religione arcerentur, atque adeò sacramentum periret, quod Ecclesiæ est necessarium. Quapropter Altisiodorensis, alias nobilis autor, non est auscultandus, qui 4. cap. de confessione ait, quòd quando ex secreto confessionis magnum periculum immineret Ecclesiæ, licitum esset de licentia episcopi illud denunciare, dicens aliud esse sigillum infringere, quòd nunquam licet, aliud aperire, quod nonnunquam licet. Meritò n. vniuersi doctores eum in hac sententia solitarium deserunt. Nam ad æstimandum quanti sigillum referat, non est conferenda fama vnius singularis pœnitentis, vel duorum aut decem, per quorũ infamiam posset succurri maximo communi commodo, quoniam posset aliquod bonum contingere excellentius quàm fama illorum, sed est facienda comparatio aliorum bonorum ad bonum sacramenti confessionis, quod est in Ecclesia quàm maximè necessarium.

Sigillum confessionis ob nullum casum licet reserare.

Altisiod. hic non audiendus.

Nota.

Hinc fit, quòd licet sacerdos videat personam innocentissimam, eandemque & dignitate & autoritate maximam in supplicium capitis rapi, sitque certissimus per confessionem, quam malefactoris audiuit illum esse innocentem, posseque eum facillimè detecta confessione liberare, neutiquam illi fas est, quamuis ipse, qui in supplicium rapitur, esset idem sacerdos, qui illa se posset via protegere. Et quãquam per confessionem quis intelligat nefandissimam hæresim vel coniurationem aliquam in rempublicam inseri, neque illi malo fas est per reuelationem confessionis occurrere, taliter scilicet, vt persona per confessionem innotescat, siue fuerit pœnitens, siue alius ille, qui prodatur. Neque vllius est valoris consequentia, pœnitens tenetur in illo casu latentes illas pestes detegere, vt eis occurratur: ergo si suasione sacerdotis ad id non potest adduci, debet ipse prodere: non enim licet semper aliquod facere pro alio, quod ipse facere tenetur. Sed alia est tunc prudentia vtendum, vt scilicet sacerdos admoneat vrgentissimè pœnitentem, vt reuelet. Quod si obtinere non poterit, non absoluat. Et generalibus verbis eos admoneat, quibus periculum creatur, vt sibi prospiciant, & pericula caueant quæ accidere possunt. Et quamuis Episcopus per confessionem subditi intelligat esse irregularem, & ordines petat, neque aliam habeat causam, qua sese excuset, tenetur eum ordinare. Et quamuis curatus intelligat per confessionem duos esse affines, qui non possunt contrahere, tenetur, si publicè petunt, eos coniungere, si alia via subterfugere nequit.

Notandum.

Consequentia nunquam data.

Nota consilium.

Eadem conclusio præter rationes, monitis etiam sanctorum patrum confirmatur. Ait enim Gregor. can. Sacerdos. de pœnitentia dist. 6. Sacerdos ante omnia caueat ne de ijs qui ei confitentur, peccata alicui recitet, quod ea confessus est, neque pro aliquo scandalo. Quòd si aliter fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. At quia eiusmodi peregrinatio non adeò salutifera postea iudicata est, mutatum est in concilio Lateranensi supplicium, vt sacerdos huiusmodi officio sacerdotali depositus, ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudatur. Est tamen adnotãdum, quòd quamuis istæ pœnæ ipso iure incurrantur, nihilominus nemo eas subire tenetur quousque iuridicè fuerit condemnatus sigillum fregisse, vt lib. 1. de Iustitia & iure, q. 6. articul. 6. latè monstrauimus.

Confirmatio conclusionis.

Quod si contra conclusionem arguas. Alia sunt multa præcepta diuina etiam de sacramẽtis, à quibus implendis homo propter aliquas graues causas excusatur: nemo enim tenetur, vt diximus, cum periculo vitæ suæ confiteri, vel Eucharistiam sumere, imò nec baptismum: ergo ad cauendum periculum vitæ licet sigillum confessionis frangere. Respondetur, quòd præcepta affirmatiua licet nonnunquam ad cauendum huiusmodi pericula, præterire: quia non obligant pro semper: negatiua verò quia pro semper obligant, nullo casu transgredi licet: est, inquam, præceptum, Non occides: nullam ergo ob causam autoritate priuata licet hominem sponte occidere, nisi dum se quispiam coactus defendit. Est etiam præceptum, ne vlla sacramento irrogetur iniuria: nulla ergo de causa fas est sacrosanctam Eucharistiam aut conspuere, aut pedibus proculcare. Pari modo in sigillo confessionis est præceptum negatiuum, ne reueletur tanquam res sacra, quocirca nulla de causa illud fas est reuelare.

Obiectio.

Solutio.

Non desunt quidam, rem hanc non pro dignitate æstimantes, qui aiunt, non teneri sacerdotem mortem oppetere antequam sigillum confessionis reuelet. Vt si tyrannus gladio ad iugulum apposito extorquere conaretur à sacerdote secretum confessionis, aiunt licere illi id detegere ad seruandam vitam: quia nemo cogitur cum tanto periculo alienam seruare famam. Est tamen error non ferendus talis opinio: quia non solum ad famam vnius personę coniiciẽdus est oculus, sed ad sacramenti custodiam, pro quo seruando in ecclesia sacerdotale officium sacerdotem obligat millies oppetere mortem: quandoquidem antequàm quis blasphemam irreuerentiam sacramento Eucharistiæ irroget, millies debet mori.

Opinio quærendum.

Reprobanda opinio.

Hoc adeò verum est, vt Ricardus & alij de sacerdote exemplum ponant, qui iter cum latronibus agens in ingressu nemoris per confessionem vnius intelligit se ab altero esse in nemore occidendum. Quem quidem sacerdotem potius, aiunt, debere expectare mortem, quàm per fugam confessionem reuelare. Idque profectò verum est, vbi necessitas daretur aut reuelandi confessionem, aut moriendi. Sed tamen in eiusmodi euentibus vix accidere potest, quin prudẽter valeat sacerdos vtrumque per aliquam fictam causam euitare.

Ricardi exemplum.

Atqui non solum mortalia, verùm & venialia cadunt sub sigillo secreti sub reatu mortali: nam etsi infamare hominem de veniali extra confessionem cognito vel nulla sit culpa, vel raro venialis, tamen si sciatur in confessione, mortalis est reuelatio: nam & per hoc deterrentur homines à confessione. Imò non solum peccata, sed & alia, quæ ingenerare possent infamiam, sub eodem arcto sigillo cadunt, vt si sacerdos per confessionem intelligeret pœnitentem esse sordidissimis parentibus natum, aut aliam eius labem infamem.

Venialia etiam cadere sub sigillo confessionis.

Secunda conclusio. Non solum persona pœnitentis cadit sub sigillo confessionis, verùm & alia quæcunque illic explicita, quæ posset, si proderetur, infamia lædi. Probatur, nam respectu etiam illius est necessarium sigillum, vt homines à confessione non arceantur: nam aliquando, vt dictum est, conuenit complicem delicti explicare propter necessariam circunstantiam, vel aliam etiam personam, cuius fama & honor ex reuelatione periclitaretur: si ergo per clausuram sigilli

2. concl. Persona in confess. explicata venit sub sigillo.

eorum

eorum famæ & honori non consuleretur, confessio neret execrabilis. Imò quamuis pœnitens aliquam personam in confessione imprudenter detegeret, quam non erat necessarium nominare, eius etiam fama sub eodem sigillo custodienda est: quia non omnes ita possunt prudenter confiteri, quin aliqua referent secreta, quæ non erant relatu necessaria.

3. Concl.

Qua non sunt peccata, interdum etiam cadunt sub sigill.

Tertia conclusio. Quamuis directè sola peccata sint sigillo secreti obseruanda, nihilominus indirectè res aliæ, quæ non sunt peccata, ex quarum manifestatione posset veniri in notitiam peccati aut peccatoris, cadunt etiam sub eodem sigillo. Vt si quis dum homicidium confitetur, narrat quemadmodum faber gladium rei inscius ei vendiderit, vel si narrat quemadmodum amicus crimen ei dissuadebat. Illa enim licet in illis personis non sint peccata, possent tamen, si detegerentur, vestigium aperire explorandi peccatum vel personam. Eodem modo si confessor diceret, Petrus fuit tali hora in tali loco, posset enim tunc Petrus in suspicionem venire homicidij, quod illic fuerat perpetratum. Reliqua verò quæ ad peccata nihil pertinent, non comprehenduntur sub sigillo. Quamuis neque de re vlla per confessionem audita debeat sacerdos vnquam vel mutire. Præsertim dum circunstantes intelligere possint in confessione fuisse audita, quoniam statim percrescunt non esse tam sanctè recondita quæ illic dicuntur. Debet ergo iudicium illud esse velut sacrarium quoddam ab humanâ conuersatione longè semotum. At ne plus nimio rem exaggeremus, quando peccatum sic in genere detegitur, vt nullatenus ad notitiã personę referri possit, non esset, vt bene ait Scotus d. 21 q. 2. confessionis reuelatio. Neque obstat Panormitanus super c. Omnis vtriusque sexus. dicens; quòd etiam reuelare peccatum est sigillum infringere: nam licet in dicto ca. peccatum reuelari veretur, tamen per præcedentia verba illud exponitur: scilicet, Caueat ne quouis modo prodat peccatorem. Vbi insinuatur eatenus esse celandum peccatum, vt nullatenus peccator prodatur. Quare in cõcionibus aut scholaribus prælectionibus licet peccata tarare & reprehendere, quæ in confessionibus audiuntur. Tametsi imprudentia esset & scandalum dicere talia in confessionibus esse audita. Et præterea cauendum ne in præsentia eorum prædicentur qui illa confessi sunt: contremiscerent enim metuentes suas confessiones in publicum prodi.

In cõcionib. & scholis licet peccata taxare, & quomodo.

Et ideo ijs qui regibus à confessionibus sunt, consilium esset, nunquam in eorum præsentia de peccatis reipublicæ prædicare. Pari ratione dicere, Iste confessus est mihi sua peccata, non est reuelare confessionem, nam cùm materia confessionis non sint nisi peccata, non est hoc plus dicere, quàm, Iste confessus est mihi. Atque adeo nec esset reuelatio dicere, Confessus est mihi sua venialia, quia ad minimum potuit cõfiteri venialia, nisi exprimeretur veniale in specie. Dicere autem, Iste confessus est mihi sua peccata mortalia, esset reuelatio confessionis: quia potest homo sine mortalib. confiteri.

Nota.

De peccatis publicis.

Caietan.

Quid autem si peccata sint publica, vt si sit publicus concubinarius, aut meretrix, aut vsurarius, vtrum licitum sit dicere, Ista confessa est mihi legitimè de suo meretricio, & absoluta est à me? Videtur n. id esse licitum, eo quod in honorem cedit pœnitentis. Caiet. verb. Confessor. negat id licere: quia illud peccatum licet sit publicum, tamen postquam ad confessionem relatum est, non licet illud extra proferre. Et profectò opinio est mihi probabilior, quàm contraria. Licet tamen dicere, Ista confessa est, & beneficium absolutionis obtinuit. Si verò fortè peccator non absoluitur, vtrum liceat in aliquo casu interrogato sacerdoti respõdere, Iste non est absolutus: est enim casus sæpenumero contingens, dum scilicet quispiã viuit in statu peccati vsuræ vel concubinatus: & quotannis confitetur eidem sacerdoti, qui eum non absoluit, vtrum reprehensus ille sacerdos quomodo confessiones illius audiat, possit dicere, Non absoluo: respondet ibi Caietanus, licet hæsitans, id licere: quia cùm suspensio absolutionis ex alijs causis prouenire possit, quã ex pertinacia in peccato, illa non est reuelatio confessionis. At verò profectò nullatenus licet, vt ipse tandem insinuat: nam per se ipsa responsio supposito statu illius hominis vehementem generat opinionem illum non absolui, quia est impœnitens. Nam si causam subiungeret, Non absoluo, quia non resipiscit, manifestaria esset confessionis apertio. In his ergo omnibus non aliud licet dicere, quàm ipse

Dubium.

De eo qui non absoluitur.

est confessus mihi, & ego feci officium meum. Nisi forsitan ipse pœnitens se proderet. Si enim hæreticum mihi in carcere confessum quia impœnitens est, non absolui, & postea in incendium raptus dicat se manere in sua hæresi, non est periculum; licet ego fatear ipsum non absoluisse.

4. Concl.

Quarta conclusio. Quanquam proprius sacerdos propriè vinculo seruandi sigillum obligetur, nihilominus tamen, dum alia persona confessioni miscetur, aliquid eiusdem obligationis participat, quamuis propriè loquendo sigillum confessionis non habeat. Et probatur quoad partes singulas. Sigillum enim confessionis insequitur clauem scientiæ: ob id enim quòd sacerdos clauis scientię pollet ad cognoscendum peccatum in sacramento, sigillum, quo tenetur eandem confessionem celare, fit ei sacrum, & sacra fide inuiolabile, & dum illud rumpit, fit sacrilegus: puta sacri violator. Seculares verò non habent eandem clauem scientiæ, & ideo neque sigillum eis est sacrum, atque adeò nec subduntur pœnis iuris tanquam sacrilegi, si illud, referent: nihilominus aliquid eiusdem sigilli participant, atque adeo arctioti vinculo tenentur confessionem illam celare, quàm si sub alia quacunque secreti fide extra confessionem illa nouissent.

De interprete.

Per hoc respondetur ad sigillum, quod tenetur interpres confessionis seruare: iam enim diximus, illud non esse sacrum sicut in sacerdote: quia illa confessio non est necessaria, licet magnum adferat secreti vinculum. Et idem dicendum si quis confiteretur laico.

De internuntio.

Si autem quis confiteretur per internuntium, peccaret quidem mortaliter internuntius reuelans, non tamen tam grauiter, quàm interpres, quia illa confessio, vt diximus, non est valida, sed per imprudentiam confitentis facta. Si autem quis casu audiuit confessionem, non se ingerendo, sed quia alter locutus est altè, tenetur quidem etiam sub peccato mortali celare, sed non sub sacro sigillo sacramenti. Si autem per iniuriam aut fraudem sese ad audiendum ingereret, de quo sacer Dionys. suprà citatus reprehendebat Demophilum, ille profectò arctissimo omnium teneretur ad sigillum, licet non sub censuris sacerdoti decretis: esset tamen grauiter puniendus. Præsertim si personam sacerdotis fingeret. Vt si quispiam ob zelotypiam qua vritur vxoris, credens esse adulteram, loco sacerdotis sederet, vt vxor per transennam ei confiteretur, in hunc quidem grauissimo supplicio esset animaduertendum, tametsi ad gradum criminis nunquam pertingeret fractionis sigilli, quòd sacerdos committeret.

De eo qui casu audiuit confessionem.

5. Concl.

Quinta ex ijs colligitur conclusio. Nunquam occurrit vinculum sacri sigilli confessionis, nisi vbi confessio est sacramentalis, quæ scilicet fit intentione faciendi accusationem coram Deo. Hoc dixerim ad abstergendam ignorantiam imperiti vulgi: solent enim aliqui ad commendandum secretum dicere amico. Hoc vobis dico sub sigillo confessionis: non tamen propterea est sigillum confessionis, sed secreti humani, etiam si alter affirmet se illud recipere sub sigillo confessionis, quoniam quicquid amho dicant, nunquam est confessio. Imò Palud. distinct. 22. quæstione secunda arbitratur iniuriam irrogari sacramento, siquis vel tradit, vel recipit aliquid extra sacramentum sub tam arcto sigillo ac si esset sacramentum. At forsan nulla est irreuerentia, quia bene homines intelligunt non tantam inde exurgere obligationem, quantam ex confessione. Quinimo licet hoc dicat sacerdoti genibus flexis, & præmittendo confessionem generalem, si id duntaxat faciat causa detegendi illud secretum, non exurgit inde vinculum sacri sigilli confessionis, tum quia illud secretum sæpe non est peccatum, tum quod licet sit peccatum, cùm alia taceat, non fit intentione confessionis faciendæ, sed commendandi illud secretum. Et ideo sacerdotes debent illas cæremonias euitare.

Vulgi cõmendatio secreti.

Paludan.

Obserua.

Et est tam latum discrimen, vt quicquid sub huiusmodi cæremonijs commendetur sub secreti sigillo, si ille qui recipit, legitimè de illo in iudicio interrogetur, tenetur illud propalare, quod tamen nefas esset, si in confessione sacramentali id audiuisset.

De confess. habente figuram sacramenti.

Dixerim, nisi sit confessio sacramentalis, hoc est, figuram habeat sacramenti: nam si quis intentione confitendi incipiat confiteri, licet aliqua de causa confessionem non finiat, exurgit obligatio sacri sigilli, nam illa est pars sacramentalis confessionis, quoniam

Digitized by Google

si reliqua confitetur, illa pars cum alia sufficeret, vt subsequeretur absolutio. Et eadem ratione, si defectu contritionis, vel alia de causa absolutio suspendatur. Imò verò licet qui facit confessionem non habeat firmum propositum abstinendi, sed confiteatur secundum tenorem capit. Quod quidam de pœnitent. & remiss. eadem nascitur sigilli obligatio. In summa etiam prælati, vt suprà diximus, † dum ab eis petitur facultas absoluendi a reseruatis, tenentur ad sigillum, ne personam pœnitentis prodant, neque verò peccatum eo modo per quem persona inuestigari posset. De hac autem materia multò plura adducere huc possemus: à quibus enarrandis ob id abstinemus, quòd libro quinto de iustitia & iure, quæstio. 6. artic. 2. & multò copiosiùs in relectione de tegendo & detegendo secreto, membro tertio, quæst. tertia & quarta locuti sumus, vbi studiosissimus quisque vniuersa potest inspicere, quæ ad hoc pertinent negotium.

† q. 2. art. 5. §. igitur quo. *Prælati qui concedunt casus reser.*

Solu. 1. arg. Ad primum igitur argumentum responsum satis est, ius contegendi secretum confessionis non esse tantum pontificium, quinimò est diuinum, sicut præceptum ipsum confessionis. Quapropter vt super præcepto confessionis nulla potest cadere dispensatio Ecclesiæ, vt q. 1. artic. 5. dictum est: ita neque super hoc de seruando secreto confessionis. Quare sub quacunque censura & rigore cogendi Ecclesia iuberet secretum aliquod propalari, non est credenda id intelligere de secreto confessionis. Si autem id de eodem secreto in particulari reuelando præceptum poneret sub quacunque anathematis comminatione (quod non est timendum facturam) nullatenus ei esset auscultandum, neque eius censura diuino iure reclamante vllo pacto ligaret.

Sol. 2. arg. Alex Alens. opinio. Ad secundum varij variè respondent. Alexander enim Alensis 4. par. q. 78. memb. 2. art. 2. distinguit, quòd si peccatum aliquod in confessione recitetur, non tanquam factum, sed tanquam faciendum, cum proposito scilicet illud perpetrandi, est quidem sub secreto seruandum, non tamen sub sacro sigillo confessionis, quæ quidem opinio est etiam Panormitani super d. capit. Omnis vtriusque sexus. quem sequitur Syluest. verb. Confessor. 1. §. 5. Imò & Innocentius in eandem citatur sententiam. Et ratio est quia materia confessionis non est nisi peccatum commissum.

Quare ait Alexander, quòd si quis confiteatur peccatum præteritum, quamuis non habeat firmum propositum abstinendi deinceps, occludendum est sub sigillo: secùs autem, si non est factum, sed de nouo faciendum. Hæc autem non bene cohærèt: nam si peccatum iterandum cadit sub sigillo, cur non etiam illud quod est de nouo perpetrandum, cùm vtcunque sit futurum? Bene ergo ait S. Tho. illam opinionem esse erroneam: quia est contra veritatem sacramenti. Nam vt baptismus, quamuis ficte susceptus, est sacramentum: ita & confessio informis est sacramentalis, etiam si ob defectum firmi propositi absolutionem non consequatur. Est, inquam, sacramentalis, licet non sit integrum sacramentum, & hoc sufficit, vt sit seruanda sub occulto sigillo. Nam in cap. Quod quidam. sæpe citato præcipitur eius confessionem admitti, qui non potest abstinere. Quare tunc sacerdos non facit contra charitatem illud occultando: quia charitas non exposcit, vt peccato, quod homo nescit, remedium adhibeat: & quod scitur per confessionem, vt illico dicturi sumus, est quasi nescitum. Sed aliter, si potest citra periculum reuelandi confessionem malo illi occurrere, vt diximus, occurrat, vel curando suasionibus dimouere pœnitentem ab illo proposito, vel generaliter eos admonendo, quibus periculum creatur.

Refut. Alex. opin. *S. Thom.*

Obiectio contra solut. 2. Contra hanc autem solutionem posset quis ambigendo arguere. Si quis sacerdoti confiteatur intentione mouendi eum ad malum, tunc sacerdos, præcipuè si illud sit in malum reipublicæ, tenetur id detegere: nam illud non est peccatum sub sigillo confessionis obseruandum. Antecedens elucidatur exemplo, quod Romæ contigit. Cardinalis enim quidam, qui conspirationem in pontificem moliebatur, confessus est alteri eiusdem ordinis Domino, & quidem sacramentaliter, sed tamen ea intentione, vt eum in suam coniurationem traheret. Postea verò per aliam viam re comperta Cardinalis, qui confessionem audierat, de hoc accusatus fuit, quod rem non protinus detegisset, imo ob id fuit pecunia mulctatus, & nisi ignorantiam sibi obtendisset, acrius fuisset punitus. Ad hoc igitur respondetur, quòd si constaret eum qui confitetur, sacramentaliter confiteri per modum accusationis coram Deo, quamuis aliud sinistrum haberet propositum annexum etiam mortale, quod, vt suprà diximus, faceret confessionem non esse validam esset, nihilominus sub sigillo cõfessionis confessio seruanda. Est enim possibile, quòd quis ad confessionem accedat cum proposito patrandi aliquod malum, quod putat non esse peccatum: puta, congrediẽdi cum aliquo in duello, vel occidẽdi manifestarium tyrannum, quem putat sibi licere priuata autoritate interficere. Tunc n, quamuis admonitione confessarij intelligens id esse peccatum, nolit à proposito desistere, & ideo absque absolutione recedat, nihilominus in tali casu sigillum confessionis seruandum est: quia talis confessio est sacramentalis, quandoquidem per solam mutationem propositi absque alia confessione esset ille absoluendus. Veruntamen quando quis ad confessionem propositum adfert peruertendi confessarium, in hæresim scilicet, vel in conspirationem, vel aliud malum eum attrahendi, non est ille censendus intentionem habere confitendi, & ideo illico puniendus est, ne alios sua contagione contamiuet. Et ita debuisset Cardinalis ille facere. Quando verò sacerdos per confessionem intelligit obuiandum esse alicui damno reipublicæ, cuius pœnitens non est in causa, debet sacerdos admonere, vt ipse remedium, si potest, adhibeat, quod si renuerit facere, non est absoluendus, nihilominus celandum est secretum, & modo suprà dicto adhibendum remedium.

Exemplum.

Respons.

Ad tertium respondet sapienter D. Thom. quod potest sacerdos suffragium ei denegare, quem per confessionem nouit esse prælatura indignum, vel aliter etiam eum impedire, si aliæ appareant causæ indignitatis eius. Vnde colligitur, quòd si ex negatione suffragij colligeretur reuelatio confessionis, nullatenus liceret. Plura de hac re diximus, qu. 4. citata in relectione. *Sol. 3. arg.*

Atqui eodem loco, scilicet quæst. 4. plurima circa solutionem quarti hic propositi argumenti enarrauimus, in quo præcipua versatur rei huius difficultas. Respondet ergo primum S. Thom. quòd cùm ea quæ homo scit in confessione, non sciat tanquam homo, sed tanquam Deus, puta vt minister Dei, qui illa peccata habet perinde ac si nunquam fuissent facta, optimè affirmare potest se illa non scire, quę in confessione scit, imò si in testem adducatur, id ipsum potest iurare. *Solut. 4. arg.* *Nesciuntur, quæ per confess. sciuntur.*

Circa hanc autem solutionem hoc primum notandum, quòd intelligitur dum sacerdos interrogatur non in particulari, vtrum in confessione sciuerit talem hominem hoc fecisse peccatum, quæ quidem interrogatio sacrilega esset, sed dum interrogatur in genere bona fide, vtrùm sciat illud fecisse. Tunc enim non est cur iurare recuset, quia verum iurat, dicens se nescire. Imò quamuis extra confessionem illo modo sciret, scilicet solo auditu: quia qui delictum fecit, dixit se fecisse, potest iurare se nescire. Enimuerò quæ homo audiuit, quamuis vulgari sermone dicatur quodammodo scire, tamen propriè id duntaxat iure scire dicimur, (vt ait 1. li. retractatio. cap. 14. Aug.) quod firma ratione deprehendimus: nempe quod vel per scientias nobis demonstratur, vel ipsi proprijs oculis vidimus. Quin & Bald. l. scire leges. ff. de legib. scientia, inquit, est infallibilis notitia veritatis. Et cap. Testis. 3. q. 9. Id testis scire dicitur, quod visu aut alio sensu experimentaliter nouit. Quare sub disiunctione testis in iudicio interrogatur, an sciuerit, vel audiuerit, quasi audire non sit scire. At verò si scire vulgati modo capiatur, vt id etiam comprehẽdatur, quod aliorum testimonio didicimus, vt alibi ait August. tunc ad hoc suffugiendum est, quòd quæ sacerdos in confessione audiuit, non scit, vt homo, sed vt Deus. *Notandum.* *Quid scire proprie. August.*

Quo autem hoc clarius fiat, arguitur sic. Ex duabus contradictorijs necessarium est alteram esse veram, alteram verò falsam: ex his autem contradictorijs à sacerdote prolatis de eo quod in confessione nouit, Scio hoc, nescio hoc, affirmatiua est vera, quia simpliciter scit: ergo negatiua est falsa, atque adeo dum illam profert, mentitur. *Obiectio.*

Duo sunt extremi respondendi modi, qui ambo cauendi sunt. Ricard. namque, vt diximus, ait affirmatiuam falsam: quia simpliciter non scit, sed tãquam Deus, hoc est, solus Deus scit. Hoc autem iam impugnatum est: quia non scit, vt Deus, in illo sensu, quo Angelus Moysi loquebatur, dicens: Ego sum Deus tuus, sed scit *Resp. Rich.*

tanquam

tanquam Dei minister, siquidem dicit, Ego te absoluo, & ideo simpliciter scit.

Respons. Gabriel.

At propter argum. Gabr. d. 21. artic. 3. in alterum extremum impingit dicens, affirmatiuam esse veram, & negatiuam falsam, ob idque per neutram debet sacerdos respondere: nam si affirmatiuè respondeat, frangit sigillum, & si negatiuè, mentitur: quare quantumcunque, inquit, interrogetur, debet tacere. Et in contrarium arguenti, quòd tunc sacerdotis silentium suspicionem iudici ingenerabit, verum esse quod interrogat: respondet, nihil ad sacerdotem: quia qui silet, non plus affirmat quàm si neget, sed ex malitia hominis nascitur illa suspicio.

Impugnatur Gabr.

Contra hoc autem responsum militat argumentum, quòd cum legitimè possit suspicioni illi occurrere, debet illam euitare dicens se nescire. Nam si accipiatur propriè, vt expositum est, verum ait simpliciter. Si verò accipiatur vulgariter, vt includat etiam nescire per auditum, nihilominus eadem negatiua est vera.

Vnde ad argumentum respondetur tàm affirmatiuam quàm negatiuam esse veram, sed non esse tunc contradictorias propter sensus diuersos: affirmatiua enim accipitur simpliciter, scio, & negatiua accipitur cum restrictione, scilicet, Nescio, vt homo, sed vt Deus. Quid autem hoc sit, iam suprà expositum reliquimus: est enim sensus, scio quemadmodum scit Deus: Deus autem scit, non, vt in opprobrium dicat, sed, vt obliuioni tradat, quòd in die iudicij ad gloriam referat pœnitentium: idem ergo est, Nescio, vt homo, quod Nescio, vt dicam. Nam cum scientia ordinetur ad dicendum, verbum illud scire, & nescire aptè recipit illud moderamen. Nescio vt dicere possim. Et in hoc sensu ait Bernardus. Nihil minus scio, quàm quod in confessione scio. Accedit, quod vocum significationes ex humano vsu sunt æstimandæ, & in communi sermone cùm sacerdos ait, Nescio, nemo de ijs quæ in confessione nouit, verbum intelligit. Atqui simile illud est Marci 13. De illo die nemo scit, neque filius hominis: nam licet quicquid pater nouerit, etiam filius nouerit, vt ipse ait alibi, tamen quia ad finem redemptionis non expediebat nobis scire diem iudicij, Christus inquantum redemptor nesciebat illud, vt in hac vita propalaret. Neque verò opus est exprimere, Nescio, vt homo: nam ipsamet propositio ex accommodatione vsus inter Christianos secum adfert illum sensum, non intelligi per illud verbum, id quod per confessionem notum est. Vtrùm verò in alijs secularibus secretis extra confessionem liceat itidem respondere, Nescio, vt scilicet eundem faciat sensum, qui est, Nescio, vt dicam, loco citato in eadem nostra relectione latè discussimus.

Bernard.

Dubium. Si quaratur an audiste de hoc crimine.

Quid autem si sacerdos interrogetur Vtrùm audisti Petrum hoc crimen patrasse? tunc enim non admitteretur responsio per, Nescio, quia inepta esset: nam licet quis nesciat illud esse factum, quod audiuit factum esse, scit tamen audiuisse. Respondetur, optimè posset respondere, non memini: Nam idem est, dicere, Nescio vt dicam, quod non memini, vt dicam: meminisse enim scire est. Sed præterea si inde generaretur suspicio, optimè etiam respondere potest, non audiui: quoniam cum audire ad scientiam quoque pertineat, eundem recipit sensum, scilicet, Non audiui, tanquam homo, vt dicam, sed vt Deus, vt non dicam.

Solutio.

Dubium aliud. Si quaratur, an audieris in confessione.

Dubium autem, quod vrgentiùs premit, est, quid si vel infidelis tyrannus, vel improbissimus Christianus peculiariter à sacerdote exquireret, vtrùm audieris in confessione Petrum hoc fecisse. Profectò non licebit respondere, Non audiui in confessione: nam responsio hæc non recipit moderationem illam, Non audiui, vt dicam: quia totum exprimitur in interrogatione, scilicet, vtrùm audiuisti, vt non dicas, aut vt Deus, & ideo responsio, Non audiui, vt Deus, est mendacium, quod quidem dicere nulla de causa licet. Igitur in tali casu si tyrannus est infidelis, respondendum est illi tanquam sacramentum vituperanti, religionem Christianam præcipere de sacramentali confessione in neutram partem quicquam esse loquendum. Et multò efficacius respondendum esset reprobatissimo Christiano tanquam sacrilego. Non est fas, vt tibi ad istam tuam sacrilegam interrogationem quicquam respondeatur. Et in vtroque casu si mortem illi tyranni sacerdoti comminarentur, illa esset potius opperenda, quam verbum vllum proferendum, quod in reuelationem sacramenti confessionis vergeret.

Quomodo respondendum tyranno.

Notandum

Atqui considerate hîc animaduertendum est, quòd qua ratione sacerdos quæ per confessionem audit, & scit, neque scit, neque audit sicut homo, sed sicut Deus: ita nec pœnitens ei quicquam dicit, vt homini, sed vt Deo: & ideo dum pœnitens ipse interrogatur, vtrùm hoc vel illud cuiquam dixerit, optime iurare potest se nemini dixisse, si non nisi in confessione dixerit, quia intelligitur nemini hominum dixisse tanquam homini. Quocirca & si sacerdos dicat, mihi dixisti, respondere audacter & iurare potest, Nihil tibi dixi. Si autè interrogetur, an dixerit in confessione, nequaquam licet negare: nam sensus esset, Non dixi, vt Deo, qui sensus esset falsus, sed tunc respondendum est cum acrimonia, vt nuperrimè de sacerdote dictum est: quia interrogatio illa impia & sacrilega est.

Quod pœnitens dixit in confess. iurare potest nemini se dixisse.

Occurrit hic autem dubium nullatenus dissimulandum, vtrùm vnam confessionem liceat reuelare in alia. Exempli gratia, sacerdos accessit ad sororem ignorantia vincibili & probabili, ignorans esse sororem, & postea ipsa confitetur fratri se esse illam, ad quam accesserat. Et sacerdos non potest confiteri, nisi alij, qui scit vnicam illi esse sororem, vtrum debeat confiteri illi circunstantiam incestus. Ex ijs enim quæ suprà diximus, constat debere illam confiteri. Tamen ex alia parte militat, quòd illam circunstantiã non sciuit nisi per confessionem. Profectò res est dubia, & videtur veritas in hanc partem inclinare, quod non debeat illam circunstantiam confiteri: quia strictius est vinculum secreti confessionis, quàm integræ faciendæ confessionis. Sic aiunt Scot. Palud. Adria. & alij. Attamen ratio certè non vsque adeò conuincit: quia nescio cur sit arctius vinculum seruandi sigillum, quàm integrè confitendi: quandoquidem obligatio sigilli ex obligatione confessionis emergat. Præsertim cum dicere in confessione non sit tam grauis infamia, postquam sacerdos audiens tenetur ad sigillum illius. Idem est de sacerdote, qui inter audiendam confessionem errante claue peccauit absoluendo, v.g. alterum sacerdotem à peccato, cui erat annexa excommunicatio, & irregularitas, ob cuius errorem alter excommunicatus celebrat. Vtrum si non sit nisi alius tertius sacerdos, cui iste confiteatur, debeat suum confiteri errorem cum manifesto periculo, quòd audiens intelligat quisnam sit ille sacerdos male absolutus. Reuera vtraque opinio est probabilis, & fortasse hæc probabilior, quòd debeat confiteri. His autem similibusque casibus exceptis, manifestum est quæ in vna confessione audiuntur, nullatenus licere in alia explicare, taliter, vt venire queat sacerdos in notitiam personæ: nam licet non sit tàm grauis reuelatio, quàm si fieret extra confessionem, est tamen reuelatio mortalis.

An liceat vnam confessionem reuelare in alia. Casus.

Casus.

Prælatus extra confess. non potest punire subditum ne quidem priuatim.

Addit in eadem solutione Diuus Tho. quòd eadem ratione prælatus audiens confessionem subditi, non potest eum extra confessionem punire, vt si Abbas audiens confessionem Prioris intelligat esse illa functione indignum, potest quidem illi suadere in confessione, vt dignitatem resignet, aut si est alia causa vel occasio, potest eum amouere, non tamen propter peccatum illic auditum.

Est autem solutio hæc prudenter consideranda, vt eius intelligatur ratio. Haud enim ob hoc tantum non licet pœnitentem punire publicè: quia fieret tunc confessionis reuelatio, sed neque secretò potest illum priuare propter illud crimen: quia illud quod scitur in foro pœnitentiæ, perinde habet ac si nullo modo sciretur, & peccatum quod non est à iudice cognitum, non potest ab eo puniri. Quare iudex audiens delictum in confessione, nullum habet ius puniendi, nisi iniungendo pœnitentiam in confessione: nam extra confessionem potest negare delinquens se illud fecisse: & saltem non erit mendacium perniciosum.

Quando Prælatus officio priuare possit ex auditis in confess.

De ijs autem subditorum officijs distinctione opus est. Si enim est tale, quòd quandam habeat iurisdictionem etiam subalternatam, tunc nullatenus superior potest illum priuare ratione confessionis sacramentalis, etiam si caueretur reuelatio: quia ille habet ius possidendi, & ideo non potest sine causa & iudicio spoliari, quæ quidem causa per aliam viam quàm sacramenti innotescat. Si autem est officium, quod non habet iurisdictionem aliquam, sed est ad nutum prælati solius amouibile, vt sacristia, & procurator, &c. tunc si prælatus per eorum sacramentalem confessionem intelligit esse vel fures, vel inhonestos, vel aliter indignos, potest illos amouere, dummodo caueatur ne confessio reueletur: quoniam eiusmedi amotio nullum actum

Digitized by Google

iudicum requirit, cùm non habeant ad eadem officia ius.

Dubium. An ex confess. possit facere inquisitionē.

Sed rogas vtrùm saltem prælatus per notitiam, quam habuit in confessione sacramentali, adduci possit & moueri ad faciendam inquisitionem de ijs criminibus. Apparet enim posse, quia inquisitio est ius prælatorum, vt si testes inuenerint, scelera vlciscantur. Respondetur, neque hoc certè posse per particularem inquisitionem: nam ius inquirendi nascitur ex delicti vel infamia, vel semiprobatione: & quod in confessione noscitur, nullius horum rationem habet. Potest autem dum visitat tempore solito, attentior esse ad hoc, maximè si est crimen vrgens in damnum publicum. Potest etiam attentiùs vigilare super gregem suum: quia nihil vetat quominus homo per audientiam confessionum prudentior fiat.

Solutio.

Res, quæ scitur per via confessionis, reuelari nō potest.

Quid autem si rem sciat non per confessionem, sed per viam confessionis, vt si quis scripsit sua peccata, & perdidit scriptum, quod prælatus inuenit. Sæpe hoc vsu veniſſe, vt quidam prælatus per hanc viam ad inquisitionem processerit, sed fuit iure optimo a superiore de hac re punitus. Est enim confessio tam sacra, vt id etiam, quod ad eam ordinatur, sit perpetuo silentio sepeliendum.

Nota.

Et quod dictum est de prælatis Ecclesiasticis, intelligendum de prætoribus, & iudicibus secularibus. Quamuis enim nequissimi sacerdotes duo, vel tres crimen, quod per confessionem audierunt, in aures iudicis deferant, nullatenus ipse sciens non alia via illis notuisse, quàm per sacramentalem confessionem, potest ad vllam inquisitionis viam procedere: quia illud non est habendum aut pro infamia, aut pro indicio, tantum abest vt possint eiusmodi testimonia in scriptis suscipere, aut reum capere, aut interrogare: isti enim omnes essent sacrilegi processus. Imò verò quamuis bona fide iudex incipiat in aliqua causa procedere, cum primum certò sciuerit rei cognitionem ex sola confessione sacramentali fuisse ortam, cessare debet, & facta omnia pro infectis habere.

Obiectio

Quòd si quis arguat, sequeretur etiam, quod si per viam confessionis iudici constaret insigne furtum, aut incendium perpetrandum tali nocte in vrbe, non posset insidias tendere, & reos capere, vt ex lege contra ipsos ageret. Ad hoc respondetur, quòd si sacerdos reos manifestauit, neutiquam contra ipsos procedi potest, quia fuit iniquissima reuelatio. Imò neque crimen licitum est exprimere, si per id in reorum notitiam veniri potest. Si tamen duntaxat in genere dixit, Vigilate super vrbem, fortasse aliqua detrimenta & nocumenta accidere possunt, tunc iudex vigilare potest, & illi obuiare malo, & si nefarios tunc comprehenderit, sua ipsorum tunc erit culpa.

Dilutio.

ARTICVLVS VI.

Vtrum peccatum, quòd sacerdos in confessione nouit, possit vel de licentia pœnitentis, vel si alia via illud nouit, prodere.

TANDEM, vt præsenti negotio postrema imponatur manus, arguitur, quòd nec de licentia pœnitentis sacerdoti liceat confessionem reuelare.

1. Argum.

Id n. quod superior facere nequit, neque inferior potest, per facultatem autem papæ sacerdos non potest reserare sigillum: ergo neque id per licentiam pœnitentis fieri potest.

2. Argu.

Secundo. Quòd in bonum commune institutum est, non potest arbitrio priuatæ personæ immutari, secretum autem confessionis est necessarium ne homines à confessione terreantur: ergo pœnitentis facultas non sufficit illud immutare.

3. Argu.

Tertiò arguitur, quod etiam si ille sacerdos alia via nouerit, nequeat tamen illud prodere. Nam quicunq; sacerdos in virtute obligatur pœnitenti eius peccata nemini propalare, neque verò dicere: qui autem extra confessionem hoc alteri promitteret, quomodocunq; id sciret, teneretur tacere: ergo à fortiori cùm id fuerit in confessione pollicitus. Præsertim quòd illo admisso aperiretur via scandali: putarent enim homines sacerdotem nota in confessione publicare.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem quantum ad prius membrum est, quod cum pœnitens ipse possit sua peccata reuelare, eodem iure potest eandem facultatem alteri facere. Et quantum ad secundum. Ea, quæ quisque publica via nouit, nullo iure cohibetur dicere: ergo propterea quòd quispiam sacerdoti eadem confiteatur, non priuatur illo iure.

Opinio Alex. Scot. & Durand.

De hac re variæ sunt opiniones. Alexander enim Alen. 4. par. 78. memb. 2. & Sco. & Durand. in 4. d. 21. negant posse sacerdotem confessionem reuelare. Et ratio quidem Alexandri est illa priori loco facta: quia quod sacerdos scit tantùm, vt Deus, per nullius hominis facultatem reuelare potest. Et eadem ferè mouetur Durandus, quia notitia, inquit, sacerdotis per confessionem acquisita non sufficit, vt citra mendacium possit dicere se illud scire: quare licet id dicat de licentia pœnitentis, mentitur. Veruntamen ijs non obstantibus, ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Licitum est sacerdoti de licentia pœnitentis confessionem reuelare. Conclusio est S. Thom. præsenti loco, & Bonauenturæ, & ferè omnium.

Ratio.

1. Conc.

Ratio S. Tho.

Et ratio est optima, quia, vt ait S. Thom. duo sunt, quæ sacerdoti obstant ne confessionem reuelet: primum, quia id nescit, vt homo, sed vt Deus: secundum est scandalum, ne homines confessionem abhorreant: vtrumque autem obstaculum tollitur de licentia pœnitentis: nam per illam fit, vt sacerdos peccatum sciat etiam vt homo. Et præterea per hoc quòd homines sciunt, non posse suam confessionem reuelari nisi de eorum licentia, satis obuiatur scandalo.

Expos. art.

Atqui in re nulla est controuersia, contrarij enim autores, non negant per facultatem pœnitentis licitam esse posse reuelationem: quia nec negare possunt, cùm in cap. Officij. de pœnit. & remiſ. constet sacerdotem papam consuluisse de quodam peccato, quod mulier sibi fuerat confessa. Præterea & ratio est manifesta: nam cùm sigillum confessionis in bonum pœnitentis sit institutum, & quandoque ei reuelatio sit expediens, non est cur non liceat sacerdoti committere, vt consilium ei salutare ab alijs petat. Sed discrimen est, quòd illi dicunt necesse esse, vt pœnitens iterum extra confessionem narret peccatum ipsum, cuius reuelandi facultatem vult facere sacerdoti. At verò hæc est vna cæremonia metaphysica, nihil ad rem moralem pertinens: nam si licet pœnitenti, qui solum homicidium confessus est, extra confessionem narrare iterum homicidium, dicendo, Hoc poteris reuelare, cur sine iterata narratione non liceat. Reuela illud, quod tibi confessus fui, sanè cùm idem vtrumque significet? Præsertim quòd inter confitendum potest eandem dare licentiam. At verò in vsu huiusmodi facultatum pœnitentis multa est adhibenda prudentia. Primùm scilicet cauendum, ne dum sacerdos videri pœnitentem ad id cogi, facultate eius vtatur. Vt si, verbi gratia, tyrannus iudex cogeret reum, vt licentiam concederet sacerdoti dicendi peccatum, tunc n. quantumcunque illam concedat, nefas est sacerdoti sigillum aperire: quia verget in caput pœnitentis. Rursus & à quodam abusu cauendum maximè: quem video inter iudices ecclesiasticos canonistas inserpere, quem certè ex canonibus sacris nunquam collegerunt. Cùm enim agitur, exempli gratia, causa de re matrimoniali, dum quis petit eam quæ alteri nupsit, dicens, priùs sibi clam fuisse nuptam, quod ipsa negat, mittunt eam ad confessarium, cui confiteatur, vt postea synceriùs respondeat in iudicio. Est enim hoc ansam præbere puellis mentiendi in confessione, nam quod semel in iudicio negarunt, facilè & in confessione negabunt. Et multò minus licet in talibus casibus, vt sacerdos habita licentia pœnitentis illud tractet in publico. Longè enim minus inconueniens est, vt homines in falso matrimonio perdurent, quàm per viam confessionis ista tractentur. Et solet aliud absurdius etiam inter ignaros homines accidere: videlicet, quòd cum quis zelotypia vxoris vtitur, conditionem vel offert, vel accipit, vt vxor confiteatur alicui sacerdoti, cui facultatem faciat reuelandi, sit ne adultera, an publica. Primum enim hic ignorantia interuenit, quòd sacerdos poterit citra mortale renunciare marito vxorem esse pudicam, licet sit adultera: quia mendacium non est pernicioſum: quare exigua est in hac parte sacerdotis autoritas. Secundò manifesta offertur occasio adulteræ mentiendi in confessione proponenti iterum confiteri. Ac demum sacramentum cùm hac ratione diuulgatur, in vilipendium venit. Non est ergo pœnitentis licentia vtendum, nisi priuatim in eius commodum ad capiendum consilium in re, quam sacerdos definire non valet: idque si fieri potest sine reuelatione personæ. Quanquam si aliter

Alia ratio.

Diſſidium auth.

Notanda concluſ. limitatio.

Iudicum abuſus.

Alius ignorantiæ abuſus.

fieri

Quomodo liceat peritiores consulere.

fieri nequeat, nominari & ipse de eius licentia potest. Imò sacerdos ipse absque licentia potest de eadem re peritiores consulere, dummodo persona in notitiam venire non possit. Si tamen pœnitens reperit, etiam in genere sacerdotem tale consilium capere, non potest vltra procedere, sed eum absque absolutione dimittat. Quam ob rem dum pœnitens intelligit se aliquibus negotijs impeditum, quæ sine scientia & prudentia extricari non possunt, sapientem debet sacerdotem inquirere, qui per se absque huiusmodi consiliorum turbis de illis valeat iudicare.

Dubium. Quid faciendum sacerdoti qui male absoluit. Ioan Nider.

Quòd si sciscitaris, quid si confessarius errorem aliquem intolerabilem inter absoluendum commiserit, vt si absoluit non subditum, aut excommunicatum à casu reseruato, vel in præiudicium tertij, dixit non esse restituendum id, quod re vera erat alienum? Fertur tempore concilij Basilensis inter magistros, quibus Ioannes Nider intererat, disputatum esse, vtrum in tali casu liceret sacerdoti habita legitima facultate, absentem absoluere, antequam eum conueniret. Illa tamen disputatio nullibi extat. Absentem autem nullatenus absoluere licet, vt quæst. 4. citata in nostra relectione latiùs disputauimus. Et ideo hic respondendum, quòd si error non est ita grauis, sed creditur pœnitens fuisse absolutus, non est amplius curandum. Si autem est ex istis grauibus recitatis, conuenire sacerdos debet pœnitentem, & dicere errorem grauem in audientia suæ confessionis commisisse, & ideo sibi vtrùm velit iterum confiteri, vel saltem sub eodem sigillo facultatem facere docendi eum veritatem. Et tunc pœnitens tenetur consilium capere sacerdotis: quod si respuerit, tunc sacerdotis culpã in seipsum trãsfundit. At verò extra hos necessitatis casus nullatenus sacerdoti licet de culpis extra confessionem cum pœnitente ipso sermonem vllum inire, quod imprudentissimi quidam sacerdotes non satis animaduertunt. Est enim hoc genus quoddam reuelationis sigilli, & exprobrationis peccatorum, qua peccator pudefactus negare iure potest quicquam ei dixisse.

Sol. dubij.

Explicatur aliud artic. membrum.

Circa alterum verò quæstionis membrum fuit opinio Altisiodorens. 4. part. q. de sigillo, aliorumque antiquitus, qui negarunt posse sacerdotem, quæ cognouit in confessione, quamuis alia via ei sint nota, in publico alteri referre, nisi si prius illa nouerit, protestetur pœnitenti illa non recipere sub sigillo. At verò hæc opinio, vt ait loco citato Sanct. Thom. dum nimium sigillo tribuit, præiudiciũ veritati & iustitiæ seruandæ facit.

2. Concl.

Et ideo statuitur secunda conclusio. Quod sacerdos extra confessionem nouit siue antè, siue pòst, iure potest, dummodo id secundum leges faciat, publicum dicere. Probatur, quia, vt dicebamus, ius quod homo de hac re extra confessionem habet, per confessionem non amittit. Secundò, quia alias lata aperiretur fraudibus via, vt si prædo coram sacerdote furtum faceret in Ecclesia, posset statim illud in aures sacerdotis susurrare, vt os illi obstrueret, ne posset dicere. Item contraria opinione admissa, licet sacerdos in testem rei quam videt produceretur, nequiret testimonium necessarium perhibere, neque si quis coram eo delinqueret, quem admonitum incorrigibilem expertus esset, si ei idem peccatum confiteretur, posset denunciare. Quæ omnia absurda sunt, & legibus iustitiæ aduersa. Quinuerò quamuis extra confessionem non nouerit peccatum, quod sibi confessum est, si habeat indicia, potest criminosum in iudicium deferre: vt si latro inter confitendum crumenam abscindit sacerdoti, licet confiteatur illi furtum, postmodum sacerdos competiens suam crumenam sustulisse, potest illum denunciare, dicens, tali hora & loco sibi fuisse sublatam, & eodem tempore illum illic adfuisse. Cæterùm in his omnibus prudens est semper cautela adhibenda, ne sacerdos in suspicionem veniat, quòd sit sigilli violator.

Ratio 1.

2.

Posse interdum criminosum conuenire etsi non nouerit extra confess.

Solu. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quamuis, quod superior prælatus non potest, inferior nequeat, tamen pœnitens non tanquam prælatus, sed tanquam Dominus suæ famæ potest pro bono suo crimen suum reuelare, & reuelari facere, quod tamen Papa nequit facere, cùm non sit alienæ famæ Dominus.

Sol. 2. arg.

Et eodem modo respondetur ad secundum, quòd quanquam sigillum confessionis in bonum commune institutum sit, nihilominus non seruit, nisi ad protegendum singulorum honorem. Et ideo si non aliter quàm per facultatem pœnitentis reseratur, nunquam confessio odiosa fiet.

Sol. 3 arg.

Ad tertium denique respondetur, quòd sacerdos non obligatur pœnitenti ad celandum crimen, nisi qua ratione illud in confessione scit. Quare quod alia via sciuerit, per illam obligationem celare non cogitur, dummodo, vt dictum est, scandalum caueat, & suspicionem detecti sigilli.

DISTINCTIO DECIMANONA, DE SATISFACTIONE ET PVRGATORIO.

Cap. 1.

TERTIA demum pars pœnitentiæ est satisfactio, quæ proinde virtus est iustitiæ. Est n. satisfactio iniuriæ Deo illatæ cum proposito cauendi in futurum, ad quandam æqualitatem iustitiæ compensatio. Nam etsi, vt 8. Ethicor. autor est Philosophus, dijs & parentibus æquale reddere nequeamus, possumus id tamen secũdum æqualitatis proportionem præstare, vt sicut Deus nobis, quæ suam immensam bonitatem decent, beneficia confert: ita & nos, quas pro ratione nostræ tenuitatis possumus, tum gratiarum actiones, tum etiam satisfactiones rependamus. Vnde Anselmus in lib. †Cur Deus homo, satisfacere, inquit, est Deo honorem debitum impendere. Et in lib. de Eccles. dogmat. † legitur: Satisfactio est peccatorum causas excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere.

Satisfactio quid.

Aristot.

Anselm. † lib. 1. c. 11.

† cap. 54. tom. 3.

Pestilens ergo est hæreticorum nequitia eo fuco satisfactionem Christi extollere, vt nostram necessariam esse abnegent. Nam etsi eius saluifica passio sufficientiam nobis attulerit expiandis peccatis non solùm nostris, vt ait Ioann. sed etiam totius mundi, tamen efficaciam in nobis habere noluit, nisi secundùm illum gradum & modum, quo per eius sacramenta, & opera nostra auxilio suo subnixa nobis applicatur. Quare sæpe remissa culpa pœnarum nonnihil reliquum fit, per eius opem & nostram diligentiam exoluendum. Vnde Ioan. non solùm, vt homines pœnitentiam agerent, prædicabat, verùm: Facite, aiebat, fructus dignos pœnitentiæ. Qua vtique ratione virtus in nos Christi excellentiùs commendatur, qui nobis non solùm culpas per suam operantem gratiam remittit, verùm & cooperantem gratiam tribuit, qua possimus, eius præuenientes iudicium, pœnas eorundem delictorum nostrorum pendere iuxta verbum Pauli: Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.

Cap. 2. Hæreticorũ nequitia.

1 Ioan. 2.

Matt. 3.

Rom. 11.

Cap. 3.

Atqui quamuis omne opus per gratiam Dei exhibitum, qua generali ratione ad meritum ei gratum est, eadem sit, & ad satisfactionem acceptum, peculiari tamen ratione, & per antonomasiam solum illud, quod pœnam habet annexam, est in pœnitentiam iniungendum. Quapropter sancti Patres satisfactionis opera

Tria satisfactionis opera.

in tria partienda duxerunt, quæ sunt ieiunia, orationes, & eleemosynæ. Nam sicut tria sunt in nobis bona, nempe corpus, anima, & externa bona, ita & omne quod est in mundo, ait Ioann. scilicet peccatum, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Ac perinde contra primum institutum est ieiunium, iuxta

1 Ioan. 2.

verbum Ioel. Conuertimini ad me in toto

Ioel. 2.

corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu. Et contra secundum eleemosyna, iuxta illud Da-

Daniel. 4.

nielis: Peccata tua eleemosynis redime. Et contra tertium oratio, quæ nos Christus petere Patrem docuit, vt nobis peccata dimittat, quorum initium & radix, vt est apud Sapientem, superbia est. Vnde Hieron. Oratione,

Eccli 10. Hieron.

inquit, sanantur pestes corporis. Quinimò & flagella, quibus Deus peculiari prouidentia homines castigat, vt orbis inundatio, & Sodomorum conflagratio, si illas homines acceptantes emendentur & corrigantur, ad satisfactionis rationem apponuntur, quoniam non consurget duplex tribulatio, nec vindicabit Deus bis in idipsum in tribulatione. At si obstinati pereant, cruciatus in hoc sæculo pati incipiunt, quos æternum sunt in inferno perpessuri, vt August. super illud Deuter. 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: adnotauit dicens: Vindicta hic incipiet, & ardebit vsque ad extremam damnationem.

Naum 1.

Cap. 4.

Cæterum sacerdos in pœnitentijs iniungendis prudentia opus habet, vt multa circunspiciat: nimirum, non solùm grauitatem scelerum, verùm & personarum qualitates. De qua quidem re distinct. proxima redibit sermo. Atqui cùm autore Paul. 1 Cor. 12. Omnes simus eiusdem corporis membra, debeamus q; subinde, vt ait ad Galat. † alter alterius onera portare, fit vt vnusquisque possit participium suorum operum alteri impendere, vt alter pro altero satisfaciat.

cap. 6.

Cap. 5.

Pœnitentiæ verò publicæ & solennes in primordijs Ecclesiæ, ac deinceps frequentes erant, vt canon. in cap. 50. distinctione & alij pœnitentiales testimonio nobis sunt: iam verò perquàm rarò sunt in vsu. Ijs verò qui in fine pœnitent, satisfactio non iniungitur, quorum quidem pœnitentiam August. vt malè fidam metuit, dicens: Fateor vobis, quòd illi, qui in vltima necessitate ægritudinis suæ positus pœnitentiam petit, non negamus quod petit, sed non præsumimus, quod benè hinc exit. Et subdit, si securus hinc exit, ego non sum securus.

Cap. 6.

Ex his demum facile est colligere, eos qui in hoc seculo pro ratione suorum criminum plenam non fecerint satisfactionem, loco purgatorij esse perpurgandos. Nam vt ait Paul.

Epheſ. 5.

Christus Ecclesiam suam non præsentauit patri quousque sit sine macula, & sine ruga. Vnde secundi Machabæ. 22. legitur, Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

DISTINCTIONIS DECIMÆ NONÆ,

Quæstio prima.

DE QVIDDITATE ET NECESSITATE SATISFACTIONIS.

Authoris ordo.

DIstinctio præsens in tres ex ordine quæstiones distribuitur. Prima est, de quidditate & necessitate satisfactionis. Secunda de ijs operibus, per quæ fieri debet satisfactio, deque pœnitentijs sacramentalibus, & Ecclesiasticis, ac demum de ijs qui in fine pœnitent. Et tertia, de purgatorio. Prima quinque continet articulos. Primum, de quidditate satisfactionis. Secundum, de eius possibilitate. Tertium, de necessitate. Et quartum, de eius qualitate & integritate. Quibus adiungitur quintus de operibus quæ in peccato fiunt, an alicuius sint momenti.

ARTICVLVS I.

Vtrùm satisfactio sit virtus iustitiæ.

MAteriam satisfactionis, quæ tertia est pars pœnitentiæ, aggredientibus, nosse priùs opus est, quid hoc nomine significetur, vt de eius possibilitate & necessitate lucidior fiat disputatio. Arguitur ergo, quòd satisfactio non sit virtus, neque verò virtutis officium. Opus enim virtutis meritum est apud Deum, satisfactio autem, quoniam debitum importat, non videtur meritoria, cum meritum opus sit spontaneum, & gratis exhibitum: ergo satisfactio non est virtus.

1. Argu.

Secundò arguitur Principale in virtute moris, vt 8. Ethic. autor est Philosophus, est electio, quæ est intus in voluntate, satisfactio verò non fit, nisi per opera extrinseca: ergo non est virtus.

2. Argu.

Tertiò arguitur, quòd non sit actus iustitiæ: quia satisfactio ad hoc fit, vt quisque alteri concilietur: reconciliatio autem, quia officium est amicitiæ, ex charitate procedit, non ergo satisfactio actus est iustitiæ.

3. Argum.

Quartò, ex eadem radice arguitur. Si satisfactio actus esset iustitiæ, consequens fieret, vt satisfactio & restitutio eadem res essent, vel saltem restitutio esset satisfactionis pars: nam per satisfactionem homo & Deo reconciliatur, & proximo: per restitutionem verò rei ablatæ reconciliatio fit cum proximo: consequens autem est falsum, quoniam satisfactio est pars sacramenti, restitutio verò minimè.

4. Argum.

In contrarium est, quòd satisfactio est pars pœnitentiæ: pœnitentia verò est virtus. Item quia per satisfactionem, vt ait Ambros. † honorem Deo debitum impendimus: ratio verò debiti ad virtutem pertinet iustitiæ.

Pars affirmatiua.

† Et Anſel. lib. 1. Cur Deus homo cap. 11.

Satisfacio nomen Latinum est, id quandoque significans, quod debitum ad æqualitatem soluo: nam satis, æqualitatem dicit. Et nonnunquam idem est, quod opinioni alterius vel interrogationi respondeo, vel præceptum impleo, sicut dicitur quis existimationi, quæ de ipso habetur, vel seruus domini mandato satisfacere. Sit 1. Petri 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, &c. In præsentiarum verò in ea significatione vsurpatur, qua (vt Asconius autor est) satisfactio idem est, quod tantum facio, quantum satis sit irato ad vindictam, hoc est, iniuriam illatam repensso. Tametsi ex accommodatione vsus theologorum non tam amplè, sed restrictiùs nomen vsurpemus, pro ea compensatione, quam homo Deo facit pro peccatis. In qua vtique significatione, vt articu. 3. videbimus, inter sanctos Ecclesiæ patres creberrimè ab Ecclesiæ primordijs in vsu est.

Satisfactionis etimologia & acceptiones.

Accipitur autem satisfactio tripliciter: vno modo pro quocunque remedio, quod ad remissionem peccati adhiberi potest. Quo pacto passio Christi fuit satisfactio pro peccatis humani generis. Et in puris ho-

minibus

Acceptio præsenti instituto accommoda.

minibus secundùm hanc acceptionem includit omnes tres partes pœnitentiæ. Secundò verò modo accipitur, vt distinguitur contra contritionem & confessionem. Et sic accipitur in præsentiarum. Sed hic etiam modus bipertitus est: nam potest satisfactio accipi, vt est tantum opus pœnitentiæ virtutis, siue imponatur à confessario in sacramento, siue sua sponte homo illam faciat. Postremo ergo modo vsurpatur pro ea satisfactione, quæ à sacerdote iniungitur. Qua vtique ratione est tertia pars pœnitentiæ.

1. Concl. Esse actum virtutis.

Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima, satisfactio secundum hanc nostram euangelicam significationem est actus per se virtutis. Bifariam enim opus aliquod esse potest virtutis. Vno modo materialiter: quia cum nullam natura sua malitiam implicet, debitis fit circunstantijs, vt comedere, ambulare, & loqui quando & vbi oportet. Altero modo formaliter, quia suo nomine formam & rem virtutis sonat, vt strenuè subire pericula belli, charos honorare parentes, &c. Et hoc secundo modo omne opus, quod de se dicit medium secundùm rationis lineam, est virtus: nam virtus in mediocritate consistit: cùm ergo satisfacere, vt nomen sonat, idem sit, quod æqualitatem inter duos constituere, per se est virtutis officium nisi extrinsecus maculetur.

2. concl. Esse speciem iustit. Ratio.

Secunda conclusio. Satisfactio est species virtutis iustitiæ, qua parte pœnitentia, iustitia dicitur. Quòd enim sit pars iustitiæ, manifestum est: quia proprium est iustitiæ æqualitatem inter duos ponere, & hoc, vt dictum est, nomen satisfactionis importat. Æqualitas verò hæc aut in rebus constituitur datis & acceptis, aut in actionibus & passionibus, quibus se inuicem homines aut iniurijs afficiunt, aut beneficijs. Et quia res sunt quæ dantur, & accipiuntur, illa æqualitas dicitur in rebus redditio & restitutio, vt dum qui frumentum ab alio, vel rem aliquam accepit, reddit pecuniam. Æqualitas verò in actionibus constituitur, dum vel quis pro beneficio recepto gratias refert, vel pro iniuria, & offensa alteri illata pœnam & supplicium rependit. Sed hoc dupliciter contingit. Vno modo, dum inuitus à iudice punitur, & illa dicitur vindicatio & vltio, quæ pertinet ad iustitiam vindicatiuam, cuius munus est pœnam pro culpa infligere, siue reconciliatio amicitiæ fiat, siue minimè. Sed altero modo contingit, dum quis sponte pro iniuria, quam alteri intulit, tanquam persona priuata castigat sese, procurans in amicitiam alterius reconciliari. Et hæc propriè dicitur satisfactio, quæ est pars pœnitentiæ. Sententia est D. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 1. quam postmodum explicuit 3. par. q. 85. & nos ibidem latiùs dist. 14. q. 2. ar. 3. Vbi & hac ratione contra Scotum elucidauimus, quemadmodum pœnitentia non sit iustitia vindicatiua, sed specialis virtus. Differt ergo satisfactio à Iustitia vindicatiua: quòd vindicatio passiuè potius est satispassio, quam quis ab alio patitur. At verò satisfactio est actio, quam pœnitens sua sponte exercet: & ideo dicitur satisfacere, & pœnitere: id est, pœnam sua sponte tenere. Et inde rursus sequitur, quod satispati de se non dicit virtutem, quia non fit ex electione patientis, sed iudicis in quo est virtus vindicatiua: quamuis si patiens ea sufferat, illa patientia sit virtus. Satisfactio verò, quia fit ex electione pœnitentis, per se dicitur virtus.

Æqualitas sit aut in rebus aut in actionib.

Æqualitas in actionib. duplex.

Discrimen satisfactionis à iustitia vindicatiua.

3. Conc. Restit. non est pars satisf.

Tertia conclusio. Restitutio tantùm à satisfactione differt, vt nec pars illius sit, sed præambulum quoddam. Conclusio hæc ex superiore colligitur: nam restitutio, vt diximus, fit in rebus datis & acceptis, satisfactio verò in actionibus. Quare vtraque potest absque alia reperiri, licet nonnunquam ambæ coëant. Potest enim quis rem ab alio accipere, vel citra iniuriam, vt dum accipit mutuò: vel cùm iniuria, vt dum accipit furto. Et rursum potest quis alium iniuria aliquem afficere, etiam si ab illo non accipiat rem, vt dum contumelijs afficit. Vnde cùm nec satisfactio, de qua hic loquimur, locum habeat, nisi vbi iniuria præcessit, neque restitutio, nisi vbi res fuit sublata, colligitur, vt dum quis reddit quod citra iniuriam acceperat, nempe mutuum, aut pretium rei emptæ, fiat restitutio absque satisfactione. Dum autem pro iniuria illata, vbi scilicet sola contumelioſa verba præcesserunt, humiliando se homo veniam petit, fit satisfactio absque restitutione. At verò dum res redditur per iniuriam sublata, vt furtum, & restitutio primùm requiritur, & deinde satisfactio pro iniuria. Hinc ergo colligitur restitutionem non esse aliud, quàm cessare à peccato: qui enim quod debet, vbi & quando oportet non restituit, in peccato est, à quo ideo homo non cessat quousque restituat. Et hoc est quod ait Augustinus† Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et cùm satisfactio nihil apud Deum valeat nisi peccatum cesset, fit vt restitutio sit satisfactioni præambula.

Restitutio cessatio est à peccatis.

† *Epist. 54. post med. tom. 2.*

Et est in super notandum, quòd satisfactio, quæ fit proximo, fit Deo: quia omnis iniuria proximo illata, est offensa Dei, sed non conuertitur: potest enim satisfactio fieri Deo, vbi non sit proximo. Et de hac propriè præsens instituitur tractatus.

Nota.

Hanc verò tertiam conclusionem non solùm ad explicandam satisfactionis naturam adiecimus, verùm & ad ostendendum quàm sit restitutionis consideratio & disputatio à præsenti negotio aliena. Quapropter etsi sententiarum Magister d. 15. non tam ad rerum ordinem attentus restitutionem cum satisfactione miscuerit, ansam suis interpretibus præbens, vt ibidem de restitutione longum tractatum fecerint, nos tamen hic nullam eius mentionem facturi sumus. Est enim res ad materiam iustitiæ spectans, de qua nos ideo lib. 4. de iustitia & iure, sat, superque diximus.

Satisfactionis definitio

Ex his ergo definitionem satisfactionis colligito. Est enim satisfactio iniuriæ Deo illatæ cum proposito cauendi in futurum ad quandam æqualitatem iustitiæ compensatio. Atque ad hanc rationem exigendæ sunt sanctorum definitiones, quæ eorum grauitatem præ se ferunt. Etenim iustitia non solùm resarcire habet præteritam culpam, verùm in futurum cautelam adhibere: siquidem, vt 2. Ethico.† autor est Philoso. pœnæ medicinæ sunt, non modò morborum præsentium curatiuæ, verùm & à futuris præseruatiuæ. Dictum est autem, Deo illatæ, ad denotandam satisfactionem sacramentalem, de qua in præsentiarum loquimur. Nam & homini quoque homo satisfacit, sed ad omnimodam æqualitatem iustitiæ, Deo verò non nisi ad quandam, nempe ad æqualitatem proportionalem. Vnde Anselmus, in lib. Cur Deus homo, ad præteritam culpam respiciens, ait, satisfacere est Deo debitum honorem impendere. Debitum scilicet non vtcunque, nam vniuersi homines quantumcunque innocentes debent illi honorem, sed debitum ratione culpæ. Nam etsi Deo nihil re vera adimatur honoris, tamen peccans quantum in se est, honorem ei detrahit, quem per satisfactionem ei repensare debet. In lib. verò de Ecclesiasticis dogmatibus dogmate 23. qui Augustino tribuitur, habita futurorum consideratione legitur, quòd satisfactio est peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere: de pœnit. d. 3. can. Satisfactio, nempe consortia praua succidere, & peccandi loca & tempora euitare. Nam eorum radicem, nempe fomitem conuellere nemo potest. Tametsi Anselmus & in honore Deo debito cautelas futurorum insinuauerit, & August. in excisione causarum peccandi punitionem pro præteritis designauerit. Quapropter vtrumque in definitione complexi sumus.

† *cap. 3. ante med.*

Anselmus lib. 1. Cur Deus homo c. 11.

August.

Ad primum igitur argumentum negatur, quòd satisfactio ob id quòd debitum importat, rationem meriti perdat: nam ratio meriti in hoc consistit, quòd id, quod honestum est, sponte fiat. Quare cùm reddere debitum virtus sit iustitiæ, consequitur, vt si non fiat per coactionem, sed spontanea electione, meritum sit apud Deum. Est enim hoc, vt in Prouerbio est, facere de necessitate virtutem. Imò nihil erga ipsum mereri possumus, nisi spontaneè faciendo, quod ei modo aliquo debemus. Et iam dictum est, in hoc differre satisfactionem à satispassione, quòd satisfactio dicit promptam electionem. Quòd si scisciteris, vtrum saltem satisfactio, propterea quòd sit redditio debiti, minuat rationem meriti. Enimuerò apud homines, quod alias debetur, non tantam beneuolentiam conciliat, quàm beneficium gratis impensum. Respondetur apud Deum non ita esse: imo cæteris paribus, quod fit ex debito plus meriti habet, quàm si fiat sponte. Et ratio est, quia ex pluribus virtutibus procedit. Ieiunium enim supererogationis nascitur ex sola virtute abstinentiæ, quod autem ab Ecclesia iussum est, ex eadem virtute oritur, & præterea ex obedientia. Et ideo satisfactio iuncta in confessione, magis est meritoria quàm si vltro fieret.

Sol. 1. arg.

Dubium. An redditio debiti minuat rationem meriti.

Propter secundum argumentum quidam ex neotericis, qui totum negotium virtutis in actu interno collocant, aiunt, quòd satisfactio est volitio efficax red-

Solutio 2.

dendi

dendi æquiualens, &c. quasi externa opera ad virtutem satisfactionis non pertineant, cum tamen ipsa sint in quibus ratio satisfactionis consistit. Sunt enim aliquæ virtutes & vitia, quæ ex sua natura in actibus interioribus consistunt, vt fides & hæresis, amor & odium. Alia verò natura sua consistunt in opere, vt eleemosynæ erogatio, & homicidium, &c. In his ergo virtutibus & vitijs tertij generis si consideretur quod est generale omni virtuti & vitio, id quod præcipuum est consistit in electione voluntatis: nam de ratione virtutis & vitij est, vt sit in electione voluntatis. Si autem consideretur illud, quod pertinet ad specialem rationem talis virtutis, illud est externum opus: consistit enim satisfactio in opere laborioso, & pœnali, & ideo volitio talis operis non est satisfactio, nisi ea ratione, qua voluntas pro facto reputatur.

Solut. 3. Ad tertium respondetur, quòd in satisfactione proximus finis est recompensatio illatæ iniuriæ, vltimus autem per illam recompensationem amicitiam resarcire. Actus verò ab illa virtute elicitur, cuius proximum finem habet pro obiecto: & ideo satisfactio est actus elicitus iustitiæ: imperatur tamen ab alia virtute, cuius actus est vltimus finis. Et ideo satisfactio imperatur à charitate, quæ mouet virtutem pœnitentiæ ad eliciendum illum actum.

Solut. 4. Ad quartum denique per tertiam conclusionem responsum est: negatur enim consequentia. Satisfactio est actus iustitiæ, ergo est idem quod restitutio. Quoniam per vnum ponitur medium in actione ad recuperandam amicitiam, per alterum verò in rebus ad cessandum à peccato.

ARTICVLVS II.

Vtrùm satisfacere Deo sit homini possibile.

Part. neg. 1. Argu. POSTQVAM de satisfactione in genere dictum est, ad satisfactionem quæ Deo fit peculiariter descendentes argumentamur, quòd non sit homini possibilis. Satisfactio, vt nomine ipso admonemur, debet offensæ adæquari: sed offensa Dei est infinita, quia cùm sit elongatio ab infinito bono, est infinita distantia: homo autem, cùm finitus sit, nequit ex se infinitum præstare opus, atque adeò nec Deo satisfacere.

2. Argu. Secundò satisfactio fieri debet per id quod alias non est debitum: qui enim alteri, cui iniuriam intulit, pecuniam aliquam deberet, per eiusdem solutionem non compensaret iniuriam: nos autem serui Dei sumus, quorum ideo quicquid est, Domini est. Præsertim cùm quicquid boni habeamus, ab ipso receperimus, iuxta illud primi Parali. 29. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: ergo non habemus per quod possimus satisfacere.

3. Argum. Tertiò. Quia etiam si aliquid haberemus, quod Deus nostrum fecerit proprium, quamuis totum illud ei reddamus, non sufficit ad reddendas gratias pro beneficio creationis ab illo suscepto: satisfactio verò est solutio pro offensa illi illata: ergo nihil nobis supereſt per quod ei satisfaciamus.

4. Argum. Quartò denique. Peccatum mortale actuale grauioris est ponderis, quàm originale cùm reatum pœnæ sensus annexum habeat, qui non est in originali, sed pro originali non potest purus homo satisfacere: ergo nec pro mortali.

Pars affirmatiua. In contrarium tamen est, quod Luc. 3. præceptum nobis dedit Christus satisfaciendi, vbi ait, Facite fructus dignos pœnitentiæ: autore autem Hieronym. † qui dixerit Christum aliquid homini impossibile præcepisse, anathema sit.

† In expos. Fid. ad Damas. tom. 2. Decis. art. Disputationem hanc pro captu nostro latè aduersus Lutherum lib. 3. de natura & gratia, cap. 6. diduximus, de cuius hæresi art, proximo dicturi sumus. Nunc ergo, vt cum catholicis duntaxat rem agamus, meminisse oportet hominem Deo bifariam debitorem constitui. Vno modo ratione beneficiorum, quibus nos indies accumulat, & horum repensatio est actus latriæ, hoc est, cultus Dei, de quo nihil ad præsens. Altero modo ratione iniuriæ in ipsum illatæ: & hoc, vt diximus, dicitur satisfactio.

Duplex quæstionis sensus. Duplex ergo est quæstionis sensus: vnus, vtrùm pura creatura, nempe homo vel angelus, possit pro culpa satisfacere: hoc est, vtrum possit sufficiens adhibere remedium in remissionem peccatorum. Nam isto quoque modo proximè diximus satisfactionis nomen vsurpari. At sensus hic non est præsentis loci, sed disputatur à D. Thom. in initio tertiæ partis. De quo nos eodem loco fusè locuti sumus, ostendentes Christum ea ratione, qua suppositum erat diuinum, perfectè satisfeciſſe pro cunctis peccatis humani generis. Quamuis Durandus dist. 15. q. 1. id inficiari contenderit, eo quòd quicquid Christus inquantum homo habebat, Deo erat obligatum. Id quod alij iuniores ipso pluribus rationibus suadere conantur, sed nunquam persuasum facient: quoniam rei medullam, vt bona venia dixerim, non inspiciunt. Quicquid enim Christus recepit, debitum ei est ratione vnionis humanitatis ad suppositum diuinum: id est, quia hic erat homo Deus, quasi ex se suapte natura illud habens. Rursus ex propria natura, licet nullam gratiam creatam recepisset, erat per se infinitè gratus Deo, & infinitè amicus tanquam naturalis filius, iuxta illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, quasi verbum vnigenitum à patre. Ob idque quicquid Deo in pretium redemptionis nostræ, siue viuens, siue moriens obtulit, erat Deo infinitè gratum. Itaque erat implicatio contradictionis, id quod ipse patri offerret, non esse acceptum: non propter gratiam creatam sicut in nobis, sed quia actiones eius non erant naturæ humanæ, sed diuini suppositi per naturam humanam exercitæ. Actiones n. vt ait 2. de anima Philosophus, non sunt naturæ, sed suppositi. Et quicquid offerebat, offerebat tanquam de suo, id est, sibi debito, quia Deus erat. Et in hoc consistit perfecta ratio satisfactionis, quòd soluens soluat tanquam de suo. Quocirca sanct. Thom. 3. par. q. 1. artic. 2. ad secundum ait, quòd solus Christus potuit perfectè satisfacere. Nam si puro homini Deus daret tantam gratiam, vt pro reliquis omnibus satisfaceret, esset quidem satisfactio, sed tamen non perfecta, eo quòd satisfactio illa fundaretur in gratia Dei, cui faciendæ erat satisfactio: quasi ipse prius ministraret satisfactionis pretium. Vnde illud Augustini 3. de Trinitate c. 10. scilicet, non defuisse Deo alium modum sanandæ nostræ miseriæ, id nequaquam de perfecta satisfactione intelligitur, sed sic prorsus, quod cùm peccatum contra Deum solum committatur, poterat quidem humano generi absque vlla, vel absque perfecta satisfactione eius condonare peccata: attamen perfectè satisfacere, sic Christus solus valuit, vt nemo alius.

Ariſt. l. 2. de anima. *S. Thom.*

Duplex itidem sensus quæstionis. De hac verò re satis. Nam in præsentiarum de satisfactione puri hominis loquimur. Et quidem quæstio, vt proposuimus, intelligi potest, vel de sufficienti remedio ad remissionem culpæ, vel de solutione pœnæ, quæ remissæ culpæ debetur. Et neque prior sensus ad locum attinet præsentem. Constat enim hominem ex viribus naturæ nequire remissionem peccatorum obtinere: ille enim erat Pelagianus error. Potest nihilominus diuina ope suffultus in ipsum conuerti, vtrumque enim ait Christus, † Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Qui autem audit & discit, id est, motioni patris consentit, venit ad me.

Ioann. 6.

Sensus quæstionis. Sensus ergo quæstionis est, vtrum remissa culpa, possit homo pœnam persoluere: nam hoc etiam propriè est satisfacere pro peccato; quandoquidem quousque omnino soluatur pœna, nondum perfectè peccatum est remissum, eo quòd vtrumque reatum includit, s. & culpæ & pœnæ. Quare hæc satisfactio est quæ à contritione & confessione distinguitur.

1. Concl. Respondetur ergo ad quæstionem tribus conclusionibus. Prima. Possibile est homini Deo satisfacere pro peccato quoad pœnam remissa culpa. Probatur. Satisfactio, vt modò dicebamus, est opus iustitiæ, sed potest homo pœnam, quam pro culpa Deo debet ad iustum ei soluere, ergo & satisfacere. Probatur minor. Iustum, vt 8. Ethic. autor est Philos. aliter inter pares constituitur, & aliter inter impares, s. inter filios, & parentes, & nos, & Deum. Inter alios namque ciues requiritur iustum ad æqualitatem, vt qui decem debet, decem reddat: attamen dijs & parentibus, à quibus esse ipsum recipimus, par reddere non possumus: iuxta illud Danid: Quid retribuam Domino pro omnibus quę retribuit mihi? Et Esaiæ 40. Ligna libani non sufficerent ad holocaustum Deo dignum, & ideo sat est, æquale ei reddere secundum proportionem: videlicet, vt sicut ipse facit, quod suam bonitatem & omnipotentiam decebat: ita & nos illi quod possibilitas nostra fert, reddamus. Hoc enim modo qualis est proportio beneficij Dei ad ipsum conferentem, talis est solutionis nostræ ad nostram possibilitatem. Quapropter sicut pro bene-

Iustitia aliter inter pares, & impares statuitur. *Psal. 115.*

ficijs

ficijs ab ipso receptis satis est eas ei referre gratias, quas pro nostra virili possumus, ita sat est & pro iniurijs secundum vires nostras & auxilium suum ei satisfacere.

2. Concl. Secunda conclusio. Nihil, quod in satisfactionem Deo offertur, nisi eius ope & fauore, perque eius gratiam fiat, vllius est pretij apud ipsum. Probatur, quia inter nos & ipsum nulla est ratio iustitiæ, nisi ex eius gratia & acceptatione procedat: hoc enim neque Aristoteles, neque Philosophorum vllus naturali lumine cognouit: nam etsi cognouerint dijs & parentibus non posse nos reddere æquale, ignorarunt tamen quantum Diuina maiestas parentum dignitati antecellat. Possumus enim parentibus, quantum ad vitam attinet temporalem, iustos nos modo exposito exhibere. At quia Deus infinitum vires nostras excellit, fit vt neque hæc ratio iustitiæ ex nobis, nisi ex eius gratia oriri possit. Nam vt Esaiæ 64. legitur, Omnes iustitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ. Vnde quemadmodum, vt dist. 14. q. 2. art. 6. monstrauimus, nemo nisi diuina gratia suffultus potest in Deum conuerti, vt culparum remissionem obtineat: ita neque pro pœnis, quæ eisdem culpis decretæ sunt, nisi per eandem gratiam satisfacere valemus. Itaque nisi persona prius sit grata, nequit eius satisfactio esse Deo accepta. Ex quo fit consequens, vt antequam mortalis culpa remittatur, nulla esse possit satisfactio pœnæ, quia eiusmodi culpa nullam secum gratiam admittit.

Ratio.

3. Concl. Tertia conclusio. Modus hic recipiendi gratiam Dei per hoc quod efficimur membra Christi, peculiarem quendam iustitiæ gradum adiungit satisfactionibus nostris. Nam etsi quacunque alia via Deus nos absque Christo mediatore redderet gratos, sat esset vt possemus ei satisfacere, nihilominus quia, vt dictum est, Christus de iustitia condigna satisfecit pro nobis, eo ipso quòd eius efficimur membra, ratio illa iustitiæ ex nostro in nos capite deriuatur. Hæc autem pressius articulo 4. sunt iterum confirmanda. Et ideo satis sit modò ad argumenta proposita respondere.

1. Argum. Solutio. Ad primum igitur argumentum quidam respondent, vt ait S. Tho. quòd peccatum non habet, vt sit infinitum, nisi ratione auersionis, & quantum ad hoc gratis dimittitur fine nostro opere. Sed ratione conuersionis, non est nisi finitum: quia nullum obiectum creatum est infinitum. Et hac parte possumus pro illo satisfacere. Veruntamen solutio hæc nulla est, quia pro peccato satisfacimus non solùm quatenus est conuersio ad creaturam, sed proprie quatenus est offensa Dei, quod habet ratione auersionis. Et ideo aliter respondetur, quòd sicut peccatum ratione auersionis induit rationem quandam infinitatis, quia est elongatio ab infinito bono: ita & conuersio eandem habet infinitatis figuram, quatenus homo ad idem accedit infinitum bonum. Postquam autem homo est filius Dei, membrum Christi, cui virtus passionis eius infunditur, opera sua, quæ gratia informantur, habent eandem infinitatis virtutem per diuinam misericordiam, vt sint apud ipsum satisfactoria.

Solutio 2. Ad secundum respondetur, quòd quamuis homo quicquid habet à Deo receperit, non tamen eo prorsus modo se habet respectu ipsius, quo ciuilis emptitiusque seruus respectu heri: nam huiusmodi seruus non est sui iuris, nec liberum habet rerum suarum dominium, sed omnia sunt domini. Clementia verò & immensa benignitas Dei, dum hominem ad suam imaginem creauit, rationem ei & liberum arbitrium indidit, quo esset dominus suarum actionum, ac subinde suarum rerum. Sic enim legitur Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, &c. Et infra: Replete terram, & dominamini piscibus maris, &c. Et ideo licet quicquid Deo damus, ab ipso receperimus, damus tamen vt nostrum, cuius nos ipse dominos fecit. Postquam enim rex oppidum aut prædium dono dedit ciui, potest postmodum ciuis si aliquid debeat regi, inde soluere.

Solutio 3. Tertium autem argumentum id solum probat, quòd non possumus Deo reddere æquiualens aut pro beneficio, aut pro offensa, non tamen quòd non possimus reddere sufficiens secundum nostram possibilitatem, vt expositum est. Nam etsi quicquid Deo pendere possimus, totum ei debeamus, ipse tamen non exigit à nobis tanquam necessarium, quantum nos facere possumus, quia secundum statum præsentis vitæ & nostram fragilitatem non esset nobis possibile totum nostrum posse Dei cultui ad referendum ei gratias impendere. Quia necessarium nobis est aliorum curam gerere, quæ ad vitam præsentem attinent. Et ideo satis Deus duxit obligare nos ad mandatorum custodiam: super quam ideo potest homo aliquid erogare, per quod satisfaciat, vt libera ieiunia, & orationes, & eleemosynas, &c.

Dubium. At verò fortasse hic quispiam sciscitetur, vtrùm per ipsa eadem opera alias Deo debita possimus satisfacere: nempe per executionem mandatorum eius. Nam vt hic insinuat S. Tho. & expresè ait Scotus d. 15. quæst. 1. & illic alij doctores, satisfactio debet esse redditio voluntaria rei alias indebitæ. Ad hoc autem q. sequenti respondebitur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm satisfactio sit ante ingressum gloriæ necessaria.

Si sat esset rem inter catholicos tractare, præcedens articulus de possibilitate satisfactionis sufficeret. Sed tamen Lutherus negotium nobis facessit disputandi, vtrùm sit necessaria. Et arguitur non esse necessariam. In re enim tam graui temeritas est, tanquam necessarium asserere id, quod in sacra scriptura non reperitur: nullibi tamen in sacra pagina nomen hoc satisfactionis inuenitur: ergo satisfactio non est necessaria.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Argu. Secundo arguitur. Assertio hæc necessariæ satisfactionis præterquam quòd superbam arrogantiam præ se fert: nempe quòd homines satisfacere Deo valeant, iniuriam Christo, eiusque passioni irrogare videtur: ait enim Paul. ad Roma. 3. iustificatos nos gratis per gratiam Christi, perque eius redemptionem, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius: vnde planè colligitur, cum meritum eius, & passionis virtus fuerit infinita, quod exuberantissima eius fuerit propitiatio pro peccatis, non solùm nostris, vt ait Ioann. verùm & pro totius mundi: ergo post eius satisfactionem contumelioſus in ipsum est, qui aliam asserere audet necessariam satisfactionem.

1 Ioan. 2.

3. Argu. Tertiò arguitur, ex illo Paul. ad Roma. 8. Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu: hoc est, qui eius effecti sunt membra: cum ergo per gratiam, qua peccata quoad culpam remittuntur, eius efficiamur membra, fit vt nihil nobis damnationis sit reliquum: reatus autem pœnæ etiam temporalis aliquid est damnationis: ergo remissa culpa nihil restat luendum pœnæ, atque adeò huiusmodi satisfactio non est necessaria. In cuius consequentiam subdit, Si Deus pro nobis omnibus tradidit filium suum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Ex quibus colligitur, quòd per eandem gratiam iustificantem, qua applicatur nobis passio Christi, omnia nobis condonantur, atque adeò nullus pœnæ reatus remanet. Vnde subdit, Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Est ergo satisfactio nostra adeo non necessaria apud Christum, vt sit etiam ipsi iniuriosa.

Pars affirmatiua. In contrarium autem est verbum illud supra citatum Ioannis apud Matth. & apud Lucam, cap. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ: vbi Baptista non solùm homines ad pœnitentiam instigabat, verùm & ad eius fructus, qui nomine satisfactionis intelliguntur.

Lutheri error circa satisfactionem. Inter alias Lutheri blasphemias hæc fuit insignis, quòd satisfactionem, quam Christiani in Ecclesia prædicant pro peccatis, execratus est. Imò & vocabulum, inquit, ipsum, satisfactio, vehementer odi, & sublatum vellem, quòd non modo in scripturis non inuenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisque possit pro vllo peccato satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia. Sed fuit, inquit, Papæ & episcoporum inuentum ad indulgentiarum quæstum. Qui quidem fuit articulus quintus eorum, qui à Leone iure optimo condemnati sunt. Cuius causa cap. illud nos sextum citatum lib. 3. de natura & gratia, de satisfactione inscripsimus. Addit, quòd si aliqua restat satisfactio remissæ culpæ facienda, Ecclesia non habet facultatem per indulgentias huiusmodi satisfactiones relaxandi. Sed error hic ad tractatum indulgentiarum retundendus spectat.

Condemnatus à Leone.

Digitized by Google

Quo ergo virus hominis aperiamus, errorem hunc collegit Lutherus ex falso sensu, quo censebat iustitiam Christi nobis imputari, cuius in synodo Tridentina celebris fuit disputatio. Quam vtique disputationem lib. 2 de natura & gratia, ca. 20. fusè deduximus. Suadere enim contendebat Lutherus iustitiam Christi, quam in cruce patri obtulit, sic nobis prorsus imputari, ac si quilibet nostrum eam per eius infinitam virtutem tunc obtulisset. Itaque sicut fuit in ipso infinita quoad sufficientiam: ita & nobis quotiescunq; applicatur, est quoad efficaciam sufficientissima ad delendum omnem pœnam, quod per baptismum supra diximus baptizatis contingere. Qua vtique ratione negauit commoditatem satisfactionis nostræ, ac subinde purgatorium ad expurgationem venialium, vel pœnarum, quæ remissis mortalibus debentur. Quanquam alio nescio quali modo, vt quæstione tertia, videbimus illud adstruxerit.

Conclusio. Contra hanc autem erroris perniciem statuitur ad respondendum quæstioni conclusio. Per remissionem culpæ licet pœna damni semper tollatur (quia cùm per ipsam fiat homo amicus Dei, sit & eius conspectu dignus) non tamen semper totus reatus temporalis pœnæ condonatur. Probatur, quia in peccato, vt D. Thom. supra quæst. 86. artic. 4. ait, consideratur, & auersio à Deo, & conuersio ad obiectum creatum: atqui auersioni respondet pœna damni, hoc est, priuatio diuinę præsentiæ: conuersioni verò pœna sensus: quare in inferno secundum grauitatem peccati, quæ attenditur ex obiecto, supplicium infligitur: misericordia autem & amicitia Dei non auersatur eius iustitiæ: ergo licet per gratiam remissionis homo fiat amicus Deo, nihilominus per iustitiam luere debet peccati pœnas vel in hoc seculo per expiationem satisfactionis, vel postmodum in altero per ignem in purgatorio. Vt illud impleatur Apocalypsis 18. Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et Deuterono. 25. Pro mensura delicti erit & plagarum modus.

Ratio conclusionis.

Confirm. Et confirmatur hæc veritas ex illo 2. Reg. 12. Vbi Nathan Dauidi dicenti: Peccaui Domino. Respondit, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris, verùm tamen filius, qui natus est tibi, morte morietur. Vbi remissa culpa Deus exegit ab eo pœnam in morte filij. Quod Greg. can. Si peccatum. de pœnitentia d. 1. ad nostrum propositum interpretatur. Dixerim non semper: quia per baptismum qui est regeneratio quædam, vt suprà diximus, funditus peccatum aboletur quoad culpam & pœnam. Et in sacramento pœnitentiæ contingere potest, vt per contritionem, & per confessionem quoque remittatur. Quod vtique discrimen baptismi & pœnitentiæ designauit, vt suprà diximus, † Paulus ad Hebr. 6. Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Vbi secundùm sacros doctores insinuat, per pœnitentiam non fieri tam amplam peccatorum indulgentiam, quàm per baptismum quem illuminationem appellat.

† *dist. 14. q. 1. ar. 10. in fol. arg. 1.*

2. Ratio. Secundo arguitur. Qui satisfactionem negat, profectò & confessionis necessitatem tollit: nam forum pœnitentiale, vt suprà diximus, iudiciale est: iudicis autem functio est cognita existimataque peccatorum grauitate, arbitrari secundùm eorum merita sententiam: arbitrium verò hoc fieri nequit, nisi dum sacerdos tanquam Dei vicarius peccatorum ratione satisfactiones imponit. Quod quidem arbitramentum si non esset necessarium, nunquam Christus iudices ordinarios constituisset, quibus sunt confitenda peccata. Atque hac ratione cùm ad baptismum non sit necessaria confessio, qua se homo subdat Ecclesiæ clauibus, quia illucusque homo non est in Ecclesia, nulla ab eo qui baptizatur exposcitur satisfactio.

3. Ratio. At quia non solum hæreticis, verùm & ex catholicis nonnullis sensus ille imputatæ iustitiæ Christi non displicet, quare nec satisfactionum ritus omnino placet. Arguitur tertiò vrgentissimo argum. Si verum esset illo modo nobis imputari iustitiam Christi, sequeretur vt quomodocunque quisque fieret membrum Christi, siue vno actu remisso, siue multis & feruentissimis, vniuersi tamen essent æquè sancti & æquè iusti apud Deum, quia eadem illis imputatur iustitia. Adeò fuit Luthero collectio hæc recepta, vt in sermone de natiuitate Virginis insigniter blasphemus dixerit, Omnes Christiani æquè magni sumus sicut mater Dei, & æquè sancti sicut ipsa. Vnde rursus consequeretur, neminem, quantumcunque merita accumulet, posse fieri alio sanctiorem. Si ergo tam impia blasphemia aliter euitari non potest, necesse est dicere, quòd etsi Christus in cruce, quoad sufficientiam, pro vniuersis peccatis satisfecerit, tamen quia efficaciam in nullo homine habere potest nisi applicetur vel per sacramentum, vel per eius bonum motum in Deum, sit vt efficaciam habeat in quocunque secundum motum conuersionis. Et ideo sicut non omnes dum fiunt membra Christi, ad eundem gradum gratiæ recipiuntur apud Deum, ita neque cunctis idem gradus remittitur pœnæ. Quare in hoc sensu iustitia Christi imputatur nobis, quòd omnis nostra iustitia innititur iustitiæ eius, quasi ipsa fuerit causa efficiens nostræ. Participatur tamen nobis secundùm quantitatem nostrarum dispositionum, quas eius auxilio afferimus, & secundùm gradum gratiæ cuicunque sacramento designato. Ex quo fit, vt sæpe remissa culpa relinquatur aliqua pœna, atque adeò necessaria nobis sit satisfactio, aut plena purgatio antequam in cęlestę regnum recipiamur.

Blasphemia Luthers.

Quomodo iustitia Christi nobis participetur.

Responsa verò argumentorum, quæ in contrarium proposita sunt, rationes existunt, quibus eadem conclusio confirmatur. Vnde ad primum respondetur, quòd etsi nomen formaliter satisfactionis in hoc significato in sacris biblijs non reperiatur, reperitur tamen res ipsa. In primis loco citato Matth. & Lucæ tertio. Facite fructus dignos pœnitentiæ, vbi ait Sanctus Thom. insinuari præceptum satisfactionis. Insinuabatur namque præceptum pœnitentiæ, quod de iure naturali ortum habuit, & postmodum per Christum perfectionem suscipit, & complementum. Item Matthæ. 16. Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo: quodcunque ligaueris, erit ligatum. Et Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta. Est enim peruersus intellectus Lutheri, quod illic non detur potestas nisi remittendi & retinendi tantùm culpas, non autem pœnas: aliàs dixisset, Quorum satisfactiones remiseritis, aut retinueritis. Quod autem hoc sit intellectum verbi peruertere, patet: nam verba, si eorum amplitudinem inspiciamus, perinde sonant, ac si Christus dixisset, Quodcunque & quomodocunque solueris, aut ligaueris, sententia tua probabitur in cœlo, & quæcunque, & quomodocunque remiseritis aut retinueritis, hoc est, si totum remiseritis claue non errante, erit remissum: & quæcunque seu quamcunque partem retinueritis, quo ad satisfactionem temporalem, erit retentum. Quemadmodum, vt suprà dictum est, si rex prætorem ad vrbem cum plenissima potestate mitteret ad vlciscenda aliqua crimina in ipsum regem commissa, dicens ei, Quicquid tu, & quomodocunque condonaueris, aut vindicaueris, ratum ego habebo: profectò posset delinquentes in regis gratiam reuocare, obligando eos nihilominus ad aliquam mitiorem aut acerbiorem pœnam.

Solu. 1. arg.

Res ipsa satisfactionis in sac. scriptura reperitur.

Luth. peruersa scriptura interpretatio refellitur.

Accedit præterea & illud Pauli 1. Corint. 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: quòd porrò intelligi tantum nequit de interna contritione, qua deletur culpa, sed de iudicio, quo se homo castigat præueniendo iudicium Dei: fit enim allusio ad generale iudicium: hoc est, si nos de nobis ipsis supplicia sumeremus, non vtique haberet Deus, quod in seculo futuro aut per ignem purgaret, aut certè condemnaret. Vtque huic & alius eiusdem Apostoli locus concinit Rom. 6. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Vbi apertam satisfactionis exhortationem facit, vt s. postquam in amicitiam fuerimus Dei recepti, satagamus per egregia opera pœnas peccatorum pendere. Alioqui, vt ait 1. Cor. 3. multi detrimentum salutis patientur, sed salui, inquit, erunt: sic tamen quasi per ignem, vbi purgatorium designat, quod si pro solis esset venialibus institutum, & non pro his pœnis, quæ remissis mortalibus sunt reliquæ, non esset tam tremendum, quàm re vera est. Sed de hoc quæstione vltima latiùs.

Expositio script. 1 Cor. 11.

Exemplum Niniuitarū.

Idem confirmatur exemplo Niniuitarum, & aliorum qui lugubrem pro peccato pœnitentiam egerunt. Quę quidem religionem Christus Matth. 11. comprobat, dicens: Væ tibi Bethsaida, Væ tibi Chorozaim, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

Præter

Confirmatur veritas satisfac. Patrum auctoritate.

Præter hæc: & sacri Doctores satisfactionis veritatem vno ore profitentur: Gregorius enim homilia 20. super illum locum: Facite fructus dignos pœnitentiæ, aliud est, inquit, facere fructum, & aliud pœnitentiæ fructum dignum facere. Quisquis enim illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur. At si quis in fornicationis culpam lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit illicita perpetrasse. Et in lib. de vera & falsa pœnitentia. Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus. Et Chrysost. homilia 10. super Matth. luculenter eundem persequitur sensum. Et vetustissimus Tertull. in lib. suo de pœnitentia, identidem satisfactionis sermonem repetit. Offendisti enim, inquit, & reconciliari vis, habes cui satisfacias. Et infra dicit confessionem ad satisfactionem ordinari, quæ facienda est mœroribus & lamentis in cilicio & cinere. Et Ambrosius ad quandam corruptam, Pœnitentia, inquit, agenda est secundùm conscientiæ molem, non verbis, sed facto. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Et Cyprianus sermone 5. de lapsis. Dominus orandus est, & Dominus nostra satisfactione placandus. Et Hieronymus, vt refertur de pœnitentia distinctione prima, can. Mensuram. egregiè decernit quemadmodum sint pœnitentiæ in satisfactionem iniungendæ. Et canon. Vide. idem luculenter refert. Et Leo primus ibidem can. Multiplex. Mediator, inquit, Dei & hominum Dominus Iesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit facultatem, vt confitentibus pœnitentiam in satisfactionem darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem admitterent. Sed esset immensum opus sanctos Doctores in hanc rem citare. Nemo ergo ex Catholicis dicere audeat, Vbinam nomen satisfactionis reperitur?

Chrysost. Tertullian.

Ambros.

Cyprian.

Hieron.

Solutio. 2.

Ad secundum respondetur: primum, quòd si nos affirmaremus per nostras vires naturales satisfacere Deo posse, non solum arrogantes essemus, verùm & in Pelagianos inclinantes. At verò dicentes, quòd postquam effecti sumus Christi membra per eius gratiam, qua nobis peccata remittuntur, posse pro eorum pœnis satisfacere, nil nobis propriè arrogamus, sed totum Christo redemptori tribuimus, qui nobis dat & incipere & perficere. Quare neque quippiam merito & passioni eius detrahimus, imò fatemur quantum ad sufficientiam pro omnibus peccatis satisfeciisse. Sed tamen dicimus eandem nobis satisfactionem vel per sua sacramenta, vel per nostra opera ex suo auxilio promanantia ad eorum modum applicari. Et ideo per eadem nos opera virtute eius passionis posse satisfacere.

Satisfactio nostra nihil passioni Christi derogat.

Solut. 3.

Ad tertium autem respondetur, primùm, quòd Paulus loquitur de illis, qui post baptismum innocenter viuunt, vbi omnes pœnæ condonantur. Secundò respondetur, quòd damnatio propriè non comprehendit reatum temporalis pœnæ, & ideo ait: Si Deus pro nobis, quis contra nos? quia tunc non habemus inimicum dæmonem, qui vel accusator sit vel tortor nostri, sed restat nihilominus reatus inflictæ pœnæ, quam à nobis Deus ipse per suos ministros exigit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm possit homo pro vno peccato sine alio satisfacere.

Affirm. par. 1. Argum.

CONSTITVTA possibilitate & necessitate satisfactionis, ad explicandum magis quomodo fiat, arguitur, quòd quis possit de vno peccato mortali sine alio satisfacere. Nam eorum quæ adinuicem connexionem non habent, vnum potest sine alio auferri: peccata verò non sunt inuicem connexa: ergo sicut inter homines potest quis creditori suo de vno satisfacere, absque alterius satisfactione; id potest apud Deum, qui clementior est, contingere.

2. Argum.

Secundò. Si homo non posset de vno peccato sine alijs satisfacere, id maximè esset, quia satisfactio præsupponit gratiam, per quam non potest vnum peccatum absque alio remitti: quod autem huiusmodi gratia non requiratur, arguitur sic. Si postquam homo est à peccatis omnibus quoad culpam absolutus in aliud relabatur crimen, potest pro peccatis prius remissis quoad pœnam satisfacere, ait enim Daniel. cap. 4. Peccata tua eleemosynis redime, quod Regi Nabuchodonosor dicebat, qui, vt subsequens pœna demonstrat, peccato tunc erat irretitus.

3. Argum.

Tertiò arguitur. Si satisfactio, quæ fit extra gratiam, non esset satisfactoria, sequeretur, quòd, cum nemo sciat an odio vel amore dignus sit, nemo esset certus an peccatis satisfecerit, atque adeò identidem deberet satisfactionem repetere. Item sequeretur, quòd neque illa satisfactio esset impletiua præcepti sacerdotis iniungentis pœnitentiam, atque adeò iterum esset eadem imponenda, quod Ecclesiæ vsus non seruat.

Negatiua pars.

In contrarium tamen est quod, vt Esaiæ 58. legitur, ieiunium eorum, qui ad contentiones & lites ieiunabant, Deo non erat acceptum, quamuis ieiunium genere suo sit satisfactorium opus: satisfactio verò fieri nequit apud Deum nisi per opus ei acceptum: ergo cum existens in aliquo peccato opus præstare nequeat Deo acceptum, fit vt nemo pro vno peccato absque satisfactione omnium satisfacere queat.

Scotus.

Quæstio hæc ex ijs quæ diximus artic. 2. decisa videtur. Sed tamen quia nonnulli contrarium sentiunt, quos Magist. Sentent. dist. 21. citat, necessarius fuit singularis articulus. Scotus namque in 4. dist. 15. q. 1. art. 4. in eodem persistens, quod dist. 14. q. 2 prædixerat: nempe, quod potest homo ex viribus naturalibus mereri primam gratiam de congruo, idem de satisfactione affirmat: scilicet, quod opus nostrum non sit satisfactorium nisi de congruo apud Deum. Et ideo subdit, cum moderamine tamen sine præiudicio, quòd qui semel verè pœnitet, & recipit satisfactionem vel pœnitentiam condignam sibi impositam ab Ecclesia claue non errante, quantumcunque postea recidiuet, adimpleat eam volùtariè extra charitatem, soluit quidem pœnam, sed non meretur gratiam. Et quamuis exemplum non ponat nisi de satisfactione iniuncta ex vi clauium in sacramento, profectò rationes eius pariter militant de ea, quæ non esset iniuncta, sed liberè fieret.

1. Concl.

Hoc tamen non obstante, ad quæstionem & eius annexa tribus conclusionibus respondetur. Prima est. Pro nullo peccato mortali potest fieri satisfactio quoad pœnam, nisi priùs fuerit quoad culpam remissum. Hanc conclusionem vniuersi concedunt, quam neque Scot. negare valet. Est n. implicatio contradictionis, vt remittatur pœna ante culpam: nam cum reatus pœnæ intrinseca ratione connectatur culpæ, quicunque manet in culpa, manet in reatu pœnæ. Des n. aliquem, cui remissa est pœna, & rogo vtrum maneat dignus pœna debita culpæ, vel non. Si sic: ergo non est remissa pœna: si vero non; ergo non manet in culpa. Item quia manifestum est, quòd si ille tunc moreretur in culpa, descenderet in infernum: nam ad cælum vel purgatorium ire non potest: in inferno autem nemo est qui non pœna sensus crucietur.

2. concl.

Secunda conclusio est illa quam art. 2. præmisimus. Nulla satisfactio pœnæ pro remissa culpa fieri potest apud Deum, nisi ab illo qui tunc in eius est gratia constitutus. Itaque si quis pro peccato remisso debeat pœnas purgatorij per mensem perpeti, quibuscunque orationibus, eleemosynis & ieiunijs in peccato incumbat, nihil prorsus illius pœnæ purgatorij remittetur. Conclusio est S. Thom. distin. 25. q. 1. arti. 3. & Bonauent. & Ricard. ead. distinct. & Alexandri 4. part. q. 85. memb. 1. & omnium antiquorum. Et inter recentiores est Syluest. verb. satisfactio. §. 7. Adriani in materia de confessione, & Caietani q. 2. de satisfactione, quam ad tertiam partem adiecit. Nam Scotum solus Gabriel sequitur, & rariſſimi eo recentiores. Atqui Durand. distin. 15. q. 2. ait opinionem S. Tho. licet sit durior, esse tamen tutiorem & citiùs consulendam, tametsi opinio, inquit, Scoti non sit omnino condemnanda. Probatur conclusio. Satisfactio pertinet ad remissionem offensæ Dei: oportet ergo, vt tali modo fiat, qui eidem tollendæ offensæ competat ad amicitiæ restitutionem: hoc autem fieri non potest nisi per gratiam.

Ratio conclusionis.

Obiectio.

Sed ais. Ratio hæc, quæ est S. Tho. & Alexandri, solum procedit, si satisfactio sumatur pro contritione aut confessione, vel pro quocunque remedio, quo remittitur culpa: eo quòd culpa remitti non potest nisi per gratiam. At verò remissa iam culpa, apparet non exigi gratiam ad soluendam pœnam: quia pœna illa non est nisi quid temporale. Imò verò dicemus, quòd vis rationis in hoc consistit, quòd cùm reatus pœnæ sit annexus culpæ, solutio ipsa pœnæ attinet ad perfectam remissionem culpæ, & ad perfectè reconciliandam amicitiam: & cum quæcunque remissio peccati fiat ex gratia Dei, subsequitur vt satisfactio pœnæ pro remissa culpa extra gratiam fieri nequeat.

2. Ratio.

Secundò arguitur. Nulla fit remissio nec culpæ

nec pœnæ nisi in virtute passionis Christi: nam ipse fuit vniuersalis redemptor, qui nos & à culpa & à pœna quantum ad sufficientiam liberauit; sed passio Christi ei, qui est in peccato non applicatur: ergo nec pro pœna satisfacere potest. Certè argumentum est apud Christianos solidum.

3. Ratio. Cui accedit & tertium, quia vt 2.2. quæst. 31. autor est D. Thom. beneficentia est effectus beneuolentiæ: ei autem, qui est in peccato, Deus non bene vult respectu gratiæ & gloriæ, sed solùm quoad bona naturalia: imò, vt est in Psal. 118. peccatores odio habet: remittere autem Deum homini pœnas, est ei benefacere respectu gratiæ & gloriæ: ergo nulli peccatori vllam remittit pœnam.

4. Ratio. Quartò arguitur. Inter nos & Deum, vt diximus, nulla est ratio iustitiæ, nisi ex eius acceptatione procedat, neque quippiam apud ipsum alicuius est pretij, nisi ex gratia eius dimanet, qua persona sit accepta, iuxta illud Gen. 2. Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: & ideo licet remissa culpa sola pœna temporalis restet soluenda, tamen qui non est Deo acceptus, nihil ei acceptum & gratum exhibere potest, atque adeo quicquid faciat, nihil ei soluit, sed omne nihili apud ipsum penditur, tanquam falsa moneta.

5. Ratio. Quintò arguitur. Mutatio pœnæ æternæ in temporalem solùm euenit ex gratia & amicitia Dei: ergo solutio eiusdem temporalis pœnæ in eadem debet amicitia fundari. Durandus ait, quòd dum remittitur culpa, mutatur pœna æterna in temporalem, sub illa conditione, vt in gratia soluatur, alioqui superueniente peccato iterum mutatur in æternam, ita vt solui non possit. Hoc autem est falsum: nam cùm, vt ait Paul. ad Rom. 11. sine pœnitentia sunt dona Dei, mutatio pœnæ æternæ in temporalem simpliciter fit, & non dependenter ex conditione aliqua futura.

Mutatio pœnæ æternæ in temporalem fit sine vlla conditione.

6. Ratio. Ex scripturis. Sextò probatur conclusio autoritate Paul. 1. Cor. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Neque verò satis responderit qui dixerit, opera extra charitatem nihil prodesse ad gratiam & gloriam, prodesse tamen ad absolutionem temporalis pœnæ: nam si ad hoc saltem prodesset, aliquid imò multum prodesset. Et Esaiæ 58. Conquerentibus, Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? (quæ quidem opera genere suo sunt satisfactoria) respondet Dominus: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Nunquid tale est ieiunium quod elegi? Neque valet responsio dicentium, propterea ieiunia illa non fuisse satisfactoria, quòd erant peccata: quia hoc illic non habetur, sed quòd tunc voluntatem habebant alijs peccatis inhærentem. Et Prouerb. 10. Vniuersa delicta operit charitas; sed per satisfactionem operiuntur delicta: ergo est effectus charitatis. Vnde cap. 15. subditur. Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia. Et Eccles. 34. Dona iniquorum non probat altissimus. Et infra: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? Sic homo, qui ieiunat à peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudit?

7. Ratio. Septimò arguitur. Quamuis daretur, satisfactionem pœnæ fieri posse extra gratiam, non tamen esset tanti valoris, quanti si fieret in gratia: detur ergo quanto sit minoris pretij. Si dicas quòd illa quæ fit in gratia, est duplo maioris, profectò & eadem ratione est quadruplici, & in quacunque proportione maioris pretij: & eadem ratione licet illa satisfactio quocunque augmento extra gratiam crescat, nequaquam adæquabit minimam satisfactionem factam in gratia: & cùm illa, quæ fit in gratia, non æstimetur nisi pretio finito, fit vt nulla alia vllius sit æstimationis.

Corollariũ. Ex hac conclusione sequitur, nullam esse satisfactionem pœnæ meritoriam de congruo, vt Scotus contendit, sed solùm de condigno: nam opus, quod extra gratiam fit, vt dist. 14. q. 2. art. 6. latè monstrauimus, nullius est meriti, neque verò de congruo, alioqui, vt ait Paulus, gratia non esset gratia, saltem non haberet perfectam rationem gratiæ, si congruitas esset in opere, quod ad ipsam diponit. Illa autem satisfactio, quæ fit in gratia, de condigno est satisfactoria, sicut meritoria.

Adrianus autem & nuperrimi quidam autores de hac satisfactione in peccato distinguunt, dicentes quòd licet non sit satisfactoria de iustitia, valet tamen apud Deum per viam liberalitatis & gratiæ, cui liberum est acceptare, vel non acceptare. Hoc tamen, vt bona venia dixerim, est merum figmentum: liberalitatem enim suam Deus semper suis legibus admetitur: quare opera, quæ absque eius speciali auxilio fiunt, nullatenus digna sunt sua liberalitate, quantum ad gratiam. Et oppositum dicere, est absque vlla ratione temerè diuinare. *Adriani figmentum non refellatur.*

Tertia conclusio, qua ad titulum quæstionis respondetur, est. Nemo potest pro vno peccato satisfacere, quin satisfaciat pro omnibus. Conclusio est, quæ palam ex superiori deducitur: nam si satisfactio non fit sine gratia, & gratia non potest esse cum peccato, sequitur vt pro nullo fieri possit absque alio. *3. Concl.*

Obiectio. Sed contra. Si pœnitenti præcipiatur ieiunium pro adulterio, & oratio pro blasphemia, & eleemosyna pro furto, tunc cùm homo ieiunat, satisfacit pro adulterio, & non pro alijs, & cum dat eleemosynam, satisfacit pro furto, & non pro alijs. Respondetur, quod si sit in gratia, hoc non negamus. Quare sensus conclusionis non est, nisi quod satisfactio nil potest pro vno valere, nisi ex radice gratiæ pullulet, qua omnia sunt remissa, vt satisfactio ad perfectam omnium remissionem procedat. *Dilutio.*

Igitur ad argumenta proposita respondetur. Ad primum quidem, quod etsi peccata non sint connexa ratione conuersionis, quia potest esse auaritia sine prodigalitate, sunt tamen connexa ex parte auersionis, qua ratione quodcunque est obex gratiæ, quæ ad remissionem requiritur tam pœnæ quàm culpæ. *Solu. 1. arg. Peccata sunt connexa ex parte auersionis.*

Ad secundum respondetur, illam esse causam tertiæ conclusionis, quæ asseritur in secunda, quod s. sine gratia nulla est solida satisfactio. Vnde ad verbum Dan. alij respondent, quod intelligitur sic consilium, vt Nabuchodonosor per eleemosynas se disponeret ad remissionem peccati. At quamuis hæc vna esse possit solutio, commodior tamen est quam dat S. Thom. vt inberetur rex, quòd à peccatis resipiscens, eleemosynis deinde satisfaceret pro pœnis: hoc enim est redimere peccatum; nempe pœnam soluere. *Sol. 2. arg.*

Ad tertium verò conceditur, quòd nemo potest esse magis certus, quòd satisfecerit pro peccatis, quam quòd sit in gratia. Quapropter Eccles. 5. scriptum est, De propitiato peccato noli esse sine metu. At verò neminem debet hæc cura iterum satisfaciendi angere, nisi quem conscientia docuerit satisfecisse in peccato. *Sol. 3. arg.*

Ad aliud respondetur, quòd si pœnitentia sit iniuncta in confessione, licet per eius impletionem nihil prorsus pœnæ purgatorij remittatur, satisfit tamen præcepto sacerdotis, quemadmodum dictum est alia præcepta etiam diuina posse impleri in peccato, quantum ad eorum substantiam. Quare qui sic implet, non peccat, saltem mortaliter. Quocirca nec tenetur confiteri, quòd in peccato pœnitentiam impleuerit. Haud tamen excusabitur omnino à veniali culpa propter iacturam, quam fecit tanti boni: nempe, quòd si in gratia illam impleuisset, obtineret veniam pœnæ in purgatorio luendæ. *Implens satisfactionem in peccat. non peccat mortal.*

Aliter tamen arguit Scotus, &, vt diximus, Durand. in fauorem Scoti: scilicet, quod opinio sanct. Thom. est dura, & ideo, vt ait Scotus, occasionem offert peccatoribus obstinationis, vt ab operibus bonis cessent, cum videant nullius esse momenti apud Deum. Ad hoc autem primò respondetur, quod si vera est, vt rationes probant, non est dura: quia iugum Domini suaue est. Secundò verò negatur esse duram, imò est valdè vtilis ad excitandos ignauos homines, vt resipiscant, ne dispendium tantorum operum faciant. Et tertiò per illa opera quanquam remotè, peccator disponitur ad emolliendum cor. *Sco. & Durand. obiectio. Solut. 1. Solutio 2. Solutio 3.*

Præterea argumentatur, quòd Deus non est acerbior in exigendis satisfactionibus quàm sunt homines: inter homines verò potest debitor creditori pro aliquo debito satisfacere non satisfaciendo pro omnibus: ergo & id fit apud Deum. Ad hoc primò negatur consequentia, quia inter homines potest intervenire propria ratio iustitiæ dati & accepti secluſa amicitia, sed inter nos & Deum minimè. Secundò respondetur, quòd illa satisfactio, quæ fit ad reconciliationem amicitiæ, neque inter homines fieri potest pro vna offensa, nisi fiat pro omnibus. Ridiculum enim esset si *2. Obiectio. Solutio 1. Solutio 2.*

homo

homo dum satisfacit pro eo, quòd alapa inimicum percussit, altera eundem cæderet.

3. Obiectio. Postremò denique arguitur. Si opinio S. Thomæ esset vera, sequeretur quòd homo pro peccato remisso in inferno æternum puniretur, vt si homicida post obtentam veniam relaberetur in furtum. Respondetur tamen concessa consequentia: nam etsi per se pœna temporalis nunquam redeat in æternum, per accidens tamen ratione status, quia existens in inferno manet inimicus Dei, pœnam illam, quam pro homicidio debebat, nunquam persoluit. Imò eadem accidentaria ratione pro venialibus perpetuò puniretur. Nam si in inferno vlla posset fieri remissio pœnæ, sequeretur, quòd aliqua illic esse posset redemptio, quod profectò absurdè quidam, vt in sua opinione persistant, concedunt, dicentes, quod etsi non possit fieri omnimoda liberatio, potest nihilominus aliqua esse redemptio. Cùm tamen Ecclesia simpliciter & vniuersaliter canat, nullam posse esse in inferno redemptionem: quia nequaquam illic locum habet virtus redemptionis Christi. Item sequeretur, quòd posset esse illic non paruum spei solatium & refrigerium. Si enim homo, qui diu sceleratissimè vixit, postmodum per minimam contritionem conuerteretur, grauissimi pœnarum reatus illi manerent soluendi: ille ergo si in minimo peccato mortali decederet, licet in initio grauissimis infernorum tormentis addiceretur, speraret tamen maxima ex parte esse illi relaxanda.

Obiectio. Nihilominus contra hanc veritatem hoc videtur militare argumentum, quòd videri posset tunc Deus crudelis nimium: nam quod peccator in hoc seculo satisfacere nequeat per opera, quæ ipse exhibet, satis apparet rationibus cõprobatum: in inferno autem Deus est qui supplicia illa per suos tortores infligit: rigor ergo immodicus est perpetuò illa, quæ temporalia erant, exigere. Soluitur. Respondetur, quòd modus ille supplicij, homicidio, verbi gratia, debitus, ex natura sua perpetuus erat, sed gratia Dei fuit, vt per remissionem culpæ fieret temporalis. Atque adeo si in charitate solueretur, virtute charitatis efficaciam habebat ad soluendum. Quapropter quando culpa sua homo fit hostis Dei, nulla fit ei iniuria si tanquam hostis perpetuò puniatur, nunquam soluendo quod debet: nam illic nulla interuenit charitas, quæ iustitiam temperet. Præsertim quòd infernorum tormenta non sunt sub illa figura contemplanda, ac si singulis peccatis singula respondeant, sed secundùm totum simul statum, quo homo ab hac luce recedit, constituitur ei plagarum modus.

ARTICVLVS V.

Verùm satisfactio in peccato facta adueniente charitate effectum suum sortiatur remissionis pœnæ.

Partis affir. SANCTVS Thom. hanc adhibet loco citato quæstiunculam de satisfactionis fructu adueniente gratia. Arguitur ergo sic primò, quod adueniente gratia satisfactio in peccato facta fructificet. Efficacia satisfactionis impeditur per peccatum, veluti effectus baptismi per fictionem, qua suscipitur: sed recedente fictione baptismus sortitur suum effectum: ergo & satisfactio recedente peccato recipiet suum fructum.

1. Argu.

2. Argu. Secundò, si fructus satisfactionis factæ in peccato postea per charitatem non viuificaretur, necessarium esset vt postea eadem pœnitentia imponeretur, quod quidem vsus Ecclesiæ non seruat: ergo tunc virtutem sortitur.

Pars neg. In contrarium est, quòd opera, quæ extra charitatem fiunt, tunc nullam habent vitam: quod autem nunquam vixit, nunquam per charitatem postmodum reuiuiscit.

Dein. art. 1. Conc. Ad hanc quæstionem, atque ad alias illius appendices tribus conclusionibus respondetur. Prima. Illa satisfactio, quæ in peccato exhibetur, nunquam per aduentum charitatis obtinebit satisfactionis valorem. Conclusio est S. Thomæ loco citato, vbi ait, quòd cùm in quouis opere consideretur & meritum, & satisfactio, quidam dixerunt, quòd opera facta extra charitatem, postea ipsa accedente viuificantur quantum ad hoc, quòd sint satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ, non autem quantum ad hoc, quòd sint meritoria vitæ æternæ. Sed hoc, inquit, non potest esse, quia vtrumque habent ex hoc, quòd fiunt ex charitate, tanquam Deo accepta per gratiam. Et ideo eadem ratione, qua non viuificantur quoad meritum, nec viuificantur quoad satisfactionem.

Satisfactionis distinctio secundum quosdam. At verò hac non obstante veritate Palud. dist. 15. q. 1. conclusione 4. & Sylvest. verb. satisfactio. §. 7. & fere Thomistæ Capreolum in ead. dist. secuti non absolutè, sed sub distinctione respondent. Aiunt quippe inter satisfactiones esse nonnullas, quæ effectum aliquem relinquunt, vt eleemosyna relinquit attenuatam substantiam, & ieiunium maceratum corpus. Atque has dicunt, licet in peccato fiant, tamen per charitatem postea suum valorem suscipere, quia in effectu manent. Et hanc censent esse opinionem hic S. Thom. in solutione argu. quod hic secundum fecimus. At verò Adrianus & Caietanus locis citatis meritò hanc irridet sententiam, nisi quod Adrianus putat esse hic S. Tho. eandemque 3. par. q. 89. artic. vltim. retractasse, vbi absolutè pronuntiauit, opera quæ dum fiunt mortua sunt, nunquam viuificari. Veruntamen vt opinio hæc falsa est, ita neque in præsentiarum eam D. Tho. docuit. Nam quid facit, quod relinquatur effectus, vel non relinquatur, postquàm effectus ille non est operatio aliqua satisfactoria, quæ in charitate fiat? Item quia licet aliquem sumptum quis fecit per eleemosynam, potest dum iterum confitetur ditior esse, & valentior quamuis ieiunauerit. Ac demum cum illa opera non resurgant quoad meritum, non est cur resurgant quoad satisfactionem. Et quod S. Thomas non fuerit huius opinionis, patet, cùm absolutè responderit opera mortua nunquam viuificari. Atque idem confirmat in solutione ad argumentum, quod nos fecimus primum, vbi ait, quod baptismus, quia imprimit characterem, incipit valere recedente fictione, & rursus, quia est instrumentum Dei per ipsum operantis. Satisfactio verò nec characterem imprimit, nec est Dei instrumentum. Falluntur tamen ex solutione tertij, quod nos fecimus secundum, vbi eadem distinctione præposita de satisfactione, quæ relinquit effectum, & alia, quæ non relinquit, respondet, quod prior facta in peccato non opus est vt iteretur: quia quantum ad id, quod de ea manet, per superuenientem pœnitentiam Deo est accepta. Hic autem non ait, illas pœnitentias viuificari, sed id, quod manet, esse acceptum Deo per pœnitentiam in charitate illi oblatam.

Ostenditur falsa opinio hac.

Caietan. distinctio satisfactionis facta virtute sacram. & sine eo. Caietanus verò eadem quæstione 2. de satisfactione aliter distinguit. Si enim, inquit, eiusmodi pœnitentia in peccato exhibita fuit in sacramento virtute clauium imposita, tunc adueniente charitate viuificatur, quia est opus sacramentale, & sacramentum recedente fictione sortitur effectum. Secus autem si non est imposita in sacramento, quia non est eadem ratio. Et potest Caietani opinio à simili confirmari: nam sacerdos quantumcunque sit in peccato, per oblationem sacrificij satisfacit pro populo, eo quòd non offert nomine proprio, sed tanquam minister Ecclesiæ. Cùm ergo cui per claues Ecclesiæ iniuncta est pœnitentia, tanquam minister Ecclesiæ satisfaciat, fit vt etiam sua satisfactio etiam in peccato sit valida. Item si quis in testamento pauperibus eleemosynas legauerit, licet executor testamenti in peccato illas distribuat, nihil satisfactionis perdunt. Et idem est, si nequam famulus iussas eleemosynas iusti Domini faciat.

1. Confirm. Caiet. opin.

2.

3.

Sententia autoris. Nihilominus, in proposito quanquam sint pœnitentiæ iniunctæ, si in peccato fiant, nunquam per gratiam viuificabuntur. Nam S. Thom. nulla facta exceptione absolutè ait, huiusmodi satisfactiones nunquam viuificari. Cui sententiæ Adrianus loco citato adhæret. At præter autoritatem S. Tho. ratio quæ permultum mouet est, quam supra posuimus: nempe, quod præterquam baptismo nulli sacramento conuenit, vt si in peccato recipiatur, suum postmodum per gratiam sortiatur effectum. Sed præterea secunda ratio peculiaris hic adhibetur, quòd satisfactio non est sacramentum, quippe quod in absolutione consummatur: vnde licet si illic imponatur pœnitentia, virtute clauium sit magis satisfactoria, tamen illa satisfactio non est de essentia sacramenti, sed pars integralis, sine qua esse posset sacramentum, vt homo absque digito. Et ideò non operatur ad modum sacramenti ex opere operato, sed ex opere operantis: alioqui etsi fieret per opus malum, quod esset peccatum veniale, satisfactio illa & gratiam augeret, & ad satisfaciendum valeret, sicut si baptismus per peccatum veniale ob vanam gloriam susciperetur. Dicere autem, quòd peccatum sit opus satisfactorium, nemo arbitror auderet: igitur satisfactio

Ratio 1.

2. Ratio.

Digitized by Google

nisi fit impositæ per claues Ecclesiæ, non tamen exercetur per personam publicam, tanquam ministrum Ecclesiæ, sed per ipsam personam priuatam: & ideo si fiat in peccato, nunquam viuificabitur.

Ad argum. facta pro Cæt.

Neque verò exempla in contrarium adducta vllius sunt ponderis: nam sacerdos per oblationem nequaquam satisfacit pro eo, qui tunc est in peccato mortali: quare multò minus siquis pro se peccatore satisfacere tentet. Præsertim quia non satisfacit tanquam minister Ecclesiæ, sed iussus ab Ecclesia, nomine tamen proprio per proprium opus. Quare neque est simile de executore testamenti, qui exequitur non propriam, sed alterius satisfactionem.

An opera quæ in peccato fiunt, sint meritoria.

Dubium autem hinc emergit, vtrùm satisfactiones & opera, quæ in peccato fiunt, sint quoquo pacto meritoria alicuius præmij, si sint bona genere suo. Sunt enim qui nescio quid in illis meriti congrui, & emolumenti perscrutentur. Nam præter Scotum Adria. q. illa de sacramento pœnitentiæ, dicit illa opera extra charitatem valere ad sex. Primò scilicet, quia de congruo valent impetrare remissionem culpæ per gratiam.

2. Concla.

Contra hoc autem adstruitur hic 2. conclusio. Nullius sunt prorsus meriti, aut de congruo, aut de condigno. Quam conclusionem non ideo toties repetimus, quòd illam hic contendamus probare, satis enim suprà d. 14. q. 2. art. 6. illam adstruximus. Sed & lib. 2. de natura & gratia, cap. 4. copiosè demonstrare conati sumus. At repetimus hic eam propter S. Thomam, qui loco præsenti quæstion. 4. contrarium insinuare videtur. Ait enim, quòd licet opera in peccato facta non sint meritoria de condigno, sunt tamen meritoria de congruo, non tamen, quòd congruitas & decentia sit in illis, vt Scotus & eius sequaces opinantur, sed in Deo, iuxta verbum Anselmi, Deus iustus est, cùm peccatoribus pareit, quia eum decet. Et ista ratione, inquit, valent ad tria: scilicet ad temporalium consecutionem, & ad assecutionem gratiæ, & ad assuetudinem bonorum operum. Subdit tamen tandem, quòd cùm non sint propriè merita, magis, inquit, concedendum est, quòd huiusmodi opera non sint alicuius rei meritoria. Quare postmodum 1. 2. quæst. vltim. & penult. nullum meriti nomen admittit nisi fundetur in gratia & amicitia Dei. Nam certè Anselmus in illo verbo adeò non insinuat vllum meritum antecedere gratiæ, vt illud planè neget, dicens, quòd dum homo iustificatur, nulla alia est causa, quàm quia sic decet Deum facere. Et eodem modo intelligitur illud Aug. super Ioan. c. 9. quod Adria. pro se citat, peccatores humiliter petentes Deus audit, humilem n. petitionem appellat proximam dispositionem ad gratiam quæ fit per auxilium speciale. Igitur quod S. Tho. ait opera peccatoris esse dispositionem ad gratiam, non intelligit proximè, sed remotè. Non s. quòd ex liberalitate sua Deus acceptet nonnunquam illa opera, vt Adrianus & aliqui volunt, tanquam proximam dispositionem ad gratiam, sed quod per illa homo assuescit virtutibus, & sic affectus inclinatur in earum officia. Quocirca Deus quandoque mouetur, vt opem peccatori afferat singularem, qua se conuertat.

Valor operis in peccato factorum.

Opera peccatoris sunt remote dispositio ad gratiam.

Per ea euitatur præcepti transgressio.

Conducunt præterea, vt sæpe diximus, ad euitandam transgressionem præcepti: nam per illa implentur mandata, quantum ad eorum substantiam. Conferunt item ad euitanda alia peccata: nam qui operibus genere suo bonis operam dat, à prauis abstinet. Item valent ad mouendos homines iustos, qui eiusmodi peccatoribus per suas orationes mereantur de cõgruo bonum motum in Deum. Ad quod potissimum eleemosynæ seruiunt, iuxta verbum Christi: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Dubium An prosint ad consequenda temporalia bona.

Dubium autem est perplexius, vtrum etiam valeant ad obtinenda temporalia bona. Quod hic D. Thomas affirmat. Et videtur colligi ex illo Ezechiel. 29. vbi legitur, Deum dedisse Nabuchodonosor terram Ægypti, pro eo quòd laborauerit in obsequium Dei: qui quidem labor cùm esset hominis gentilis, videtur assumptus fuisse in peccato. Et Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 12. & 15. ait, Deum Romanis propter eorum iustitiam & strenua opera dedisse imperium. Et Hieronymus, quod refertur de pœnitentia distinctione prima can. Si quando. ait, quòd Deus iustus operum bonorum peccatoris non obliuiscitur in remuneratione: Idemque ait Gregorius in homilia de Diuite, & Lazaro, quod refertur ibidem canon. Cauendum.

Affirm. opi. Probat.

His tamen non obstantibus, certè huiusmodi opera nequaquam sunt nec dici possunt merita de condigno, nec de congruo bonorum temporalium: quia omne meritum fundatur in amicitia. Ob idque de bonis temporalibus distinguendum est. Si enim Deus illa conferat tanquam media ad gratiam, possunt cadere sub merito de congruo, tamen per merita, quæ homo facit in gratia. Confert enim nonnunquam viro iusto ob sua merita bona temporalia, vt eum in bonum promoueat, quæ, quia non sunt necessaria media, non cadunt sub merito de condigno, sed quia possunt esse media, cadunt sub merito de congruo. Et ita ob meritum parentum Ioannis Baptistæ dedit eis filium, & pariter matri Samuelis. Si autem sint bona, quæ non habeant illum ordinem ad gratiam, non conferuntur à Deo per auxilium speciale, sed per causas naturales. Imò quandoque dicuntur dari, quia permittuntur propter opera, quæ sunt peccata venialia. Et ille est verissimus sensus Augustini loco citato. Probat enim illic peccata Romanorum ex vana gloria processisse. Quis autem dicat Deum præmio bonorum temporalium remunerare peccata? Sed ait, iuxta verbum Christi, quòd quia illa faciebant propter vanam gloriam; receperunt à mundo mercedem suam, Deo permittente victorias illas, quas Romani per naturales virtutes & causas obtinuerunt. Et eodem pacto intelligitur historia illa Nabuchodonosor, si labores, quos sumpsit, fiebant in peccato: nam potuerunt fieri in gratia. Præterquam quod victorias illius seculi in mysterio Deus faciebat ad terrendum malos, & præmiandum bonos, qui saltem in conspectu hominum seruiebant illi. Verbum autem Hieronymi q. 89. glossat D. Tho. & nos dist. 16. q. 2. art. 6. glossauimus, quòd non intelligitur Deus recordari bonorum operum peccatoris ad præmiandum ratione meriti, sed quòd sit quædam Dei largitio per causas naturales, † qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Et eodem pacto intelligitur verbum Gregorij de diuite Epulone, qui recepit bona in vita sua.

Responsio negatiua.

Sensus authoritatum in affirm. opin. citat.

Sensus historiæ Nabuchodonosor.

Sensus Hieron.

Matt. 5. Sens. Greg.

Quòd si contra conclusionem principalem quis sic arguat. Nullum malum Deus absque vltione relinquit: ergo neque vllum bonum absque præmio. Respondetur, quòd opus ex nostris viribus potest esse peccatum, & ideo punitione dignum. Bonum autem ex eisdem viribus facere non sufficimus sine Dei auxilio speciali, & ideo bonum in peccato factum non est simpliciter bonum cui Deus aliquid debeat, sed bonum secundùm quid, id est, morale.

Obiect. contra conclusionem.

Vtrùm autem eadem opera in peccato facta conferant ad mitiganda inferni supplicia, etiam dubitatur. Ad quod respondetur tertia conclusione, quæ est ibidem sancti Thomæ, sub distinctione. Potest enim intelligi eiusmodi pœna mitigari sic, vt illa, quam peccator iam demeruit, per illa opera minuatur. Et isto modo nequaquam per huiusmodi opera genere suo bona in peccato mortali præstita, quicquam pœnæ minuitur. Et ratio est illa, quam retrò posuimus artic. præcedenti: nempe, quòd pœna nequaquam ante culpæ remissionem aut tolli, aut minui potest, quoniam vtrumque est effectus gratiæ, per quam antè remittitur culpa. Secundo modo potest per illa opera minui & mitigari pœna inferni: quia per illa impeditur meritum pœnæ, hoc est, peccatum. Et isto modo per illa opera fiunt remissiora infernorum supplicia. Primò, quia cum per illa, vt diximus, impleantur præcepta quoad substantiam, per illa euitatur omissionis reatus. Secundò, quia per illam assuetudinem bonorum operum, ex minori contemptu homo peccat. Item quia nonnunquam propter illa differtur plaga Dei, ficuti & quandoque bonum temporale confertur. Ponit exemplum S. Tho. de Achab 3. Reg. 21. cui cùm Deus comminatus esset magnum supplicium propter mortem Naboth, postmodum quia humiliatus est propter Deum ieiunans, & dormiens in sacco, distulit Dominus ne in diebus eius malum induceret, vsque ad dies filij sui. Tametsi, vt conijcitur, humiliatio illa Achab non fuit facta in peccato, sed fortè fuit vera conuersio: sicuti & de Ezechia legitur, 4. Reg. 20. cui propter suam humilitatem ter quinos annos ei Deus adiecit. Quod autem Gregor. homilia 10. super Ezechiel. & refertur de pœnitentia dist. 1. can. Sicut Achab. dicit, quòd illa pœnitentia in reprobo placuit: reprobus nominatur propter scelus: & pœnitentia placuit, quia tùc fortè fuit legitima. Quare huiusmodi bona temporalia,

Opera in peccato facta minuunt inferni cruciatus. 3. Concl.

Per talia opera impeditur meritum pœnæ.

Achab hist.

De Ezech.

quæ

quæ ob virtutem conferuntur, bene cadunt sub merito congrui, quia ordinantur ad gratiam. De priori membro conclusionis iam supra diximus distinct. 18. quæst. 2. art. 6. vbi exposuimus sententiam Augustini in libro de patientia, capit. 26. vbi ait, quòd hæreticus, & schismaticus tolerando supplicia, ne Christum omnino neget, tolerabilius in inferno habebit. Id enim intelligit iuxta tenorem secundæ partis huius conclusionis: quia scilicet peccatum eius erit minus, & ideo minor pœna. Et idem ait, in Enchiridio, cap. 108. in vltimis verbis. Nam quantum ad priorem sensum, quòd nihil eis remittatur de pœna, tacit quòd eodem cap. prædixerat, & refertur. 13. q. 2. can. Tempus. scilicet, quòd damnatis in inferno nullatenus prosunt Ecclesiæ suffragia: inde ergo colligitur multò eis minus prodesse opera quæ in peccato fecerunt.

Expenitur August. sententia.

Reprehendit meritò ibidem D. Thom. duas opiniones, priorem scilicet dicentium, quòd propter opera bona facta in peccato mortali, licet non minuatur pœna in inferno, quantum ad subtractionem alicuius partis eius, fortificatur tamen damnatus per subtractionem passibilitatis: posteriorem dicentium, quòd saltem remittitur eis vermis conscientiæ. Neutra enim opinio tolerabilis est: nam cùm pœna inferni sit adæquandæ quantitati culpæ, quia † secundum mensuram delicti erit & plagarum modus, fit, vt qua ratione per illa opera non minuatur culpa, nec minuatur passibilitas, nec conscientiæ vermis: nam ambæ sunt pœnæ sensus.

Deut. 25.

DISTINCTIONIS DECIMÆNONÆ,

Quæstio secunda.

DE IIS PER QVÆ FIERI DEBEAT SATISFACTIO.

ARTICVLVS I.

Vtrùm satisfactionem per opera pœnalia fieri oporteat.

SECVNDA quæstio inquirit de operibus, per quæ fieri debeat satisfactio, & continet sex articulos. Primus, vtrùm satisfactio per opera pœnalia fieri debeat. Secundus, vtrùm flagella Dei ad satisfaciendum prosint. Tertius, vtrùm sint tria satisfactionum genera. Quartus, vtrùm possit vnus pro alio satisfacere. Quintus, vtrùm sit aliqua pœnitentia publica. Et sextus, vtrùm in fine vitæ sit valida.

Partis negatiuæ arg.

Arguitur ergo, quòd satisfactio per opera pœnalia fieri non debeat. Satisfactio enim fit Deo, qui nostris afflictionibus & tribulationibus non delectatur.

2. Argu.

Secundò, quia opus quantò ex maiori charitate procedit, tantò minus habet annexæ pœnæ, quia charitas, vt habetur 1. Ioann. 4. pœnam non habet: si ergo oportet satisfactionem esse pœnalem, fieret vt quæ ex minori charitate procederet, melior esset, quod est absurdum.

Pars affirmatiua.

In contrarium est verbum Gregorij. Iustum est, vt peccator tantò sibi maiora inferat lamenta per pœnitentiam, quantò maiora intulit damna per culpam.

2. Concl.

Ad quæstionem hanc secundam duabus conclusionibus respondetur. Prima. Opera per quæ satisfactionem fieri oportet, genere suo debent esse tum Deo honorifica, tum etiam pœnalia. Satisfactio etiim duplicem habet respectum: scilicet, & ad Deum, cui fit, & ad peccata, de quibus fit. Et quidem respectu Dei debent esse honorifica, iuxta verbum Anselmi † supra citati, quo ait, satisfactio est honorem debitum Deo impendere. Nam quantum est ex parte peccatoris, vt diximus, per offensam quippiam honoris Deo detrahitur. In peccato verò consideratur & quod factum est, & quod est in posterum cauendum. Et respectu prioris satisfactio esse debet castigatio iusta: & respectu futuri præseruatiua medicina. Et vtraque ratione satisfactioni congruit, vt sit pœnalis: nam pœnale est illud, per quod aliquod bonum alicui subtrahitur. Vnde sicut homo peccando honorem, vt dictum est, Deo subtraxit, vt bonum sibi, vel delectabile, vel vtile accumularet, necesse est ad satisfaciendum pro præterita offensa, vt sibi aliquid detrahat, quod in honorem Dei cedat: & cùm pœna nihil aliud sit, quàm priuatio boni vel delectabilis, vel vtilis, fit, vt satisfactio pro præterita offensa sit genere suo pœnalis: scilicet, qua sibi homo subtrahit aliquid delectabile, vt per ieiunium, & orationem, quæ aliquem adfert languorem & lassitudinem: aut vtile, vt per eleemosynam. Dixerim genere suo pœnale: hoc est, ex obiecto: etenim si satisfactionem contempleris, vt ex virtute charitatis & pœnitentiæ pullulat, delectabilis est: nam secundum Aristotelem 2. Ethicor. hæc est vna virtutis conditio. Rursùs si consideretur satisfactio, vt medicina cauendis futuris peccatis accommoda, hoc etiam modo congruit illi, vt sit pœnalis: nam pœnæ, vt ait Philosophus, † medicinæ sunt. Et enim vbi homo prius expertus est pœnam, non facile redit ad culpam.

Satisfactio quando delectabilis.

† l. 2. Ethic. cap. 2.

Ad pleniorem tamen conclusionis intellectum notandum, quòd nomen pœnæ malum per se sonat condiuisum contra malum culpæ. Malum autem, vt 11. de ciuit. Dei, ait Aug. non est natura aliqua, sed defectus boni hoc nomen accepit. Bonum enim, vt 8. Ethicor. autor est Philosophus, triplex est: nempe, honestum, vtile, & delectabile. Priuatio ergo boni honesti, quod est virtus, est culpa, priuationes verò boni vtilis, aut delectabilis sunt pœnæ, in quas per peccatum originale collapsi sumus. Et ideo eleemosyna & ieiunium dicuntur pœnæ ex obiecto, tametsi, si fiant, quando & vbi oporteat, sint veræ virtutis bona. Oratio verò quamquam ex obiecto sit bona, tamen quia lassitudinem & languorem corpori adfert, pœnalis dicitur.

Nomen pœnæ malum per se sonat. bonum triplex.

Hoc ergo supposito conclusio non apparet ita multum liquida & certa: nam ex vna parte videntur ei fauere, tum testimonia sacra & sanctorum, tum etiam Ecclesiæ vsus. Legitur enim Ioelis secundo: Conuertimini ad me, &c. in ieiunio, & fletu, & planctu. Et Niniuitæ & Achab, vt legitur 3. Regum 21. in cilicio, ieiunio, & lamentis fecerunt pœnitentiam. Quem morem approbans Christus Matthæi vndecimo: Væ tibi, inquit, Bethsaida, & cæt. quia si in Tyro & Sidone factæ essent istæ virtutes, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Id quod Ioannes pœnitentiæ prædicator, & exemplar victu, & vestitu in eremo præ se ferebat. Imò & pœnitere, vt diximus, est pœnam tenere. Et pœnitentia, vt ait Ambros. est præterita mala plangere, &c. & vt ait August. est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse. Et Ecclesiæ vsus non habet imponere pœnitentias nisi pœnales.

Probatur concl. script. ac. testimonijs.

Vsus Eccles.

At verò, neque ex altera parte rationes desunt, quibus suadetur per opera etiam non pœnalia satisfieri posse. Vnde Scotus distinct. 15. quæst. 1. articu. 3. in eadem est opinione, & Gabriel distinct. 16. q. 2. & nonnulli alij.

Quapropter secunda hic statuitur conclusio. Omne opus meritorium, nempe quod ex gratia procedit, generali ratione est satisfactorium. Probatur, quia plus est gratiam augere, quàm pœnam minuere: sed per omne opus meritorium aliqua fit accessio gratiæ: ergo pariter per illud aliqua fit pœnæ remissio. Quare per actum quemcunque dilectionis Dei, per contemplationem & mentalem orationem, & alia huiusmodi generaliter fit satisfactio. Id quod de contritione supra ostensum est eo quòd ex charitate procedit: nunquam enim remittitur culpa, quin aliqua fiat remissio pœnæ. Secundo, quia non potest esse aliquod tale opus quantumcunque spirituale, quin secum aliquam pœnam & fatigationem adferat. Nam contemplatio ipsa, quia vtitur sensus phantasmate, quodammodo vires relaxat. Item Deo illud est gratius, quod pretiosius: pretiosiora autem sunt ei alia officia, quàm ista pœnalia, vt nonnunquam literis operam nauare, & publicis concionibus, quæ in bonum publicum referuntur. Vnde D. Th. vt inferius videbimus, eleemosyna, inquit, est magis satisfactoria, quæ videtur ex maiore charitate proficisci, quàm ieiunium, licet sit minus pœnalis. Quid ergo est, quod prima conclusio asserit, & adiuncta exempla confirmant, scilicet quòd satisfactio fieri debet per opus pœnale? Respondetur, quòd quamuis eiusmodi opera generali ratione bonitatis & meriti sint satisfactoria, nihilominus peculiariter, & per antonomasiam sola opera quæ ex obiecto sunt pœnalia: id est, quæ

2. Concl.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

† lib. 1. Cur Deus homo cap. 11.

Pœnale quid.

Digitized by Google

priuat bono vtili, aut delectabili, censentur satisfactoria. Quapropter illa sola sunt in confessione sacramentali iniungenda, tanquam particularis pœnitentia. Quamuis generaliter addatur; Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, &c. vt infra videbimus.

Per antonomasiam pœnalia opera dicuntur satisfactoria.

An satisfactio debeat esse opus exterius.

Eadem via patet dissoluendi dubiolum aliud, vtrum necessarium sit ad satisfactionem, vt sit opus exterius. Scotus enim loco citato dist. 15. & Gabriel. dist. 16. q. 2. & alij eius sequaces adeo constitutum habent requiri opus exterius, vt id in definitione satisfactionis collocent. Ex quo inferunt, quòd duo eandem largientes eleemosynam, vnus tamen maiori conatu, æqualiter satisfaciunt, licet ille qui frequentius conatur, maius meritum habeat. Itaque actum interiorem nihil ad satisfactionem referre putant, quia non est pœnalis. Videtur autem Scotus pugnantia dicere, qui nempe dicens dilectionem Dei esse satisfactoriam, actum interiorem à ratione satisfactionis excludit: nam dilectio actus interior est. Quare dicendum, quod generali ratione actus interior est satisfactorius, vt si quis non habens vnde eleemosynam erogaret, cuperet illam largiri misericordia in pauperes affectus. Specialiter tamen, & per antonomasiam solum opus exterius est satisfactorium; & illud est peculiariter in pœnitentiam imponendum. Vnde fit consequens, vt opus internum si ad externum procedat, maioris sit satisfactionis, quàm si sit solum: tum quod magis pœnale, tum quòd est interni cõsummatio. Præterim, quod actus internus dum prodit foras in opus, nouo semper conatu augetur. Quare licet affectus eorum, qui non possunt in opus exire, non careant suo merito, non tamen cæteris paribus tanti sunt pretij apud Deum, quanti illi, quos opus exterius sequitur.

Actus interior etiam satisfactorius.

Per antonomasiam opus exterius dicitur satisfactorium.

Obiectio.

Et per hoc respondetur ad argumentum, quod quis forsan obijciet. Actus exterior vt D. Thom. & plerique doctorum docent, non addit, vel malitiam, vel bonitatem interiori: ergo non sunt ambo magis satisfactorij, quàm solus internus. Respondetur, inquam, primùm quòd in exitu ad exteriorem interior crescit. Et secundò respondetur, quòd licet non addat essentialem bonitatem, addit nihilominus accidentalem, scilicet vel laborem vel sumptum, vbi maiori patientia & tolerantia opus est.

Eadem rationis serie alia deciditur quæstiuncula, vtrum satisfactio debeat fieri per opus alias indebitum. Scotus enim distinctione decimaquinta, quæstione prima, ita expressè alt. Cui non solùm sui asseclæ subscribunt, verum discipuli S. Thom. vt Palud. distinctione decimaquinta, quæstione prima, articulo secundo, & Capreo. & Syluest. verb. Satisfactio. §. 8. Et exponit se amplius Paluda. dicens, quòd si cui imposita esset eleemosyna in pœnitentiam, & illam daret existenti in extrema necessitate, minimè pœnitentiam impleret. Neque si dies ieiunij ei fuerit iniunctus, implet ieiunando in quadragesima: quoniam opera, inquit, illa sunt alio iure debita. Vnde infert, quòd cùm sacerdos imposita peculiari pœnitentia addit; Quicquid boni egeris, aut mali sustinueris, sit tibi in remissionem pœnæ, &c. intelligitur de bonis supererogationis, quæ non sunt alias debita. At verò nec S. Thom. illam adiecit particulam, nec vllus alius. Tamerſi vt supra quæst. præcedenti artic. 2. vidimus illud insinuauerit dicens, quòd quia Deus non obligauit nos ad omnia, quæ valemus, restat nobis aliquid supererogationis, per quod possimus satisfacere. Adria. verò in illa quæst. de satisfactione hanc conditionem excludit dicens, per opera alias indebita posse fieri satisfactionem.

Satisfactio an fieri debeat per opus alias indebitum.

Opinio Scoti.

Sententia autoris.

Medio ergo nos modo, vt in ijs proximè decisis, respondeamus, vt sit assertio prima. Per quodcunque opus meritorium, etiam si alias sit debitum, vt per impletionem mandatorum possumus generali ratione satisfacere. Nam si virtutem habet augendi gratiam, non est cur eandem non habeat remittendi pœnam. Imò, vt supra diximus, si est alias debitum est magis meritorium, quàm si sponte fiat. Dicere ergo, quòd sit meritorium, & non satisfactorium, fundamento caret. Secundò, quia Ecclesia ieiunia quadragesimalia, & alia quatuor temporum in satisfactionem peccatorum instituit, id quod in præfatione canit dicens: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, &c. ergo per illa ieiunia satisfecimus: alioqui consilium esset non imponere illa ieiunia, vt per liberè assumpta magis satisfaceremus. Tertio, quia per opus martyrij, etiam occurrente præcepto, quis dubitet, quin possit satisfacere?

Assertio 1.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Vade argumentum istorum quod scilicet nemo potest eodem opere duo præcepta implere, profectò falsum assumit. Ecquis enim dubitet, quin possit homo teneri ad idem ieiunium eodem die, & præcepto Ecclesiæ, & suæ religionis, & ex voto, si omnia tria concurrant? Item siquis tenetur psalmos in pœnitentia impositos recitare, potest inter audiendam ex præcepto missam pœnitentiam illam implere, quicquid quidam ex Summistis dixerint.

Eodem opere duo præcepta impleri possunt.

Sit verò assertio secunda. Ista opera alias debita non sunt in pœnitentiam ordinario more imponenda. Quare cùm imponitur eleemosyna vel ieiunium, si nihil amplius addatur, non intelligitur de illo, quod est alias debitum. Quocirca dum confitenti in quadragesima imponitur dies ieiunij, si ille non habet excusationem legitimam non ieiunandi totam quadragesimam, intelliguntur dies illi post pascha. Et ratio est, quia nomine pœnitentiæ semper intelligitur opus supererogationis. Dico non esse imponendum opus, ad quod ille tunc alias tenetur, quando imponitur pœnitentia. Nam si imponitur absolutè eleemosyna, & postea occurrit pauper in extrema necessitate, tunc quicquid Palud. dicat, optimè implebitur pœnitentia si eleemosyna erogetur illi, quia fortè accidit, vt cùm teneretur eleemosynam dare, occurreret illa necessitas.

Assertio 2.

Ordinariè non sunt iniungenda opera debita.

Sed tertiò adijcimus, quod quandoque erit salutare consilium imponere pœnitentiam de rebus alias debitis: nempè quando presbyter videt pœnitentem non adimplere iura communia, vt per accessionem nouæ obligationis actius cogatur illam implere. Est fortè quispiam non seruans ieiunium quadragesimale cùm possit, optimè tunc imponetur ei, vt illud seruet, vel in totum, vel in partem. Item si est homo diues, qui tenetur facere eleemosynas in graui necessitate, & præ auaritia non facit, salubriter per sacramentalem pœnitentiam cogetur id facere.

Assertio 3.

Salutare est, iniungere interdum opus debitum.

Vnde ad argumentum, quod facit in contrarium Maioris. Sequeretur enim, inquit, quod posset iniungi in pœnitentiam sacerdoti, vt staras horas canonicas persolueret, aut æs alienum creditori. Conceditur, profectò consilium esse quandoque illas iniungere pœnitentias, dum pœnitens creditur illa ratione facturus, quod alias non faceret. Si autem iniungerentur alicui decem aurei in eleemosynam, & postea aliqua iniuria pauperem læderet, cuius gratia deberet illi decem aureos, non impleret pœnitentiam per eorum solutionem.

Argumentum Maioris.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd licet Deus non delectetur strumis & flagellis nostris, quatenus pœna afficiunt, oblectatur eis tamen quatenus iusta sunt peccatorum castigatio, quæ in ipsum committimus.

Solut. 1. arg.

Ad secundum verò respondetur, quòd quamuis charitas efficiat, vt opus sit minus pœnale, non ideo quo maior est charitas, minor est satisfactio: in satisfactione enim consideratur pœnalitas, sicut in merito difficultas. Quando autem minuitur difficultas ex parte ipsius actus, quia res est facilis, diminuitur cæteris paribus & meritum. Sed si difficultatis alleuatio ex promptitudine voluntatis eueniat, tunc ratio meriti non attenuatur, imò augetur. Similiter ergo quando diminutio pœnalitatis non prouenit ex ipsa, quia est exigua, sed ex promptitudine voluntatis, quam parit charitas, tunc efficacia satisfactionis non est minor, sed maior.

Solut. 2.

ARTICVLVS II.

Vtrum flagella, quibus à Deo in hac vita puniuntur, sint satisfactoria.

Secvndò loco quæritur de flagellis, quibus mortales Deus sæpe cædit, an sint satisfactoria, & arguitur à parte negatiua. Nihil enim satisfactorium est, vt ex dictis colligitur, nisi sit & meritorium: sed non meremur nisi per ea quæ in nostra electione sunt posita: cùm ergo flagella non fiant nostra sponte, sed à Deo nobis infligantur, non sunt satisfactoria.

Part. negat. 1. argum.

Secundò. Satisfactio non est nisi iustorum: flagella verò iniquis sæpe mittuntur, vt in orbis inundatione expertum est.

2. Argum.

Tertiò.

Digitized by Google

3. Argum.

Tertiò. Satisfactio ad vindicanda peccata est instituta, flagellis autem etiam iusti percutiuntur, vt historia Iob nobis refert: ergo illa non sunt satisfactoria.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quod vt ad Roma. 5. legitur, tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, & vt ait glossa, à peccato purgationem: purgatio autem satisfactio est.

Adnotandum ad intellectum quæstionis, quòd etsi calamitates omnes & ærumnæ huius vitæ generali modo flagella sint Dei propter peccatum originale humano generi inflicta, iuxta illud Amos tertio. Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? nihilominus sunt in duplici differentia. Aliqua enim sunt inflicta non speciali, sed generali concursu Dei, vel per causas naturales, vt morbi, & naturales mortes: vel per causas liberas iustas, vt supplicia ordine iuris malefactoribus decreta: vel per permissionem, vt dum per iniuriam alij alios lædunt. Sed alia sunt, quæ Deus speciali prouidentia mittit in orbem, vt diluuia, incendia, submersio Ægyptiorum, mors filij Dauidis, & id genus alia.

Ærumnæ huius vitæ sunt in duplici differentia.

De istis ergo secundi generis mouetur specialiter quæstio, & respondetur vnica bimembri conclusione, quæ est S. Thomæ distinct. 15. quæst. 1. artic. 4. Si eiusmodi flagella æquo animo & patienter accipientur, sunt patienti satisfactoria. Si verò iniquo animo & per impatientiam homo rebellet, non sunt satisfactoria, sed habent meram rationem vindictæ. Probatur vtraque pars. Recompensatio præteritæ offensæ potest fieri & ab eo qui offendit, & ab alio: quando sit ab alio, potiùs habet vindicationis rationem quàm satisfactionis, vt cùm quis à iudice plectitur: quando verò fit ab eo qui offendit, tunc habet satisfactionis rationem, sicut & meriti. Quando ergo flagella sunt ipsius qui flagellatur, tunc induunt satisfactionis formam: sunt autem ipsius per patientiam & æquanimitatem, quæ ipsa accepta: quando verò illa refugit, tunc non sunt ipsius, & ideò permanent in ratione meræ vindictæ.

Conclusio bimembris.

Ratio secundissimi.

Hic autem dubium est inquisitione dignum, vtrùm eiusmodi per se flagella sint satisfactoria, an sola patientiæ virtus. Nam si sola patientia est satisfactoria, quantacunq; essent flagella, satisfactio non nisi gradui patientiæ adæquaretur, quam nunquam excederet. Si verò flagella ipsa semper essent satisfactoria, licet duo eodem gradu patientiæ illa ferrent, qui maiora pateretur, plus satisfaceret. Etenim qui cum æquali patientia ieiunat in pane & aqua, magis satisfacit, quàm qui ieiunat in piscibus & vino. Quod autem flagella per se non sint satisfactoria, inde arguitur, quòd in aliis aduersitatibus naturalibus non appareat maiorem esse satisfactionem, quàm sit virtus patientiæ, qua tolerantur: nam accidunt nobis per naturales causas. Item quia opus non est satisfactorium, nisi sit liberè sumptum: flagellum verò non sit liberum homini, nisi per liberam acceptationem.

Dubium.

An per se flagella sint satisfactoria.

Respondetur non solùm secundum quantitatem patientiæ esse satisfactoria, sed per se ratione obiecti si liberè acceptentur. In quo vtique differunt ab aliis grumnis & calamitatibus naturalibus. Et ratio est, quia etsi omnia vulgari voce dicantur flagella Dei, proprie tamen hoc nomine ea duntaxat censentur, quæ ab ipso per particularem prouidentiam infliguntur. Dicuntur enim propria Dei, eo quòd non per naturæ ordinem, sed supra ordinem naturalium causarum ea per se ipse infligit. Et ideò licet non sint sacramentalia, tamen quia Deus illa mittit ad vindicandum, & vlciscendum peccata, sunt per se satisfactoria, per quandam similitudinem ad illa quæ confessarius in sacramento imponit, quemadmodum pœnæ purgatorij. Quocirca qui æquali patientia grande flagellum suffert, magis satisfacit; quam qui eadem patientia & æquanimitate ferret minus. Calamitates autem naturales non tam mittuntur à Deo in vindictam peccatorum actualium quam naturali ordine accidunt ex peccato originali. Sunt enim nobis naturales, nisi quod per originalem iustitiam, supernaturaliter præseruabamur ab illis. Quapropter satisfactio in eis non est, nisi ad iustam quantitatem virtutis patientiæ pensanda. Quo fit, vt flagella Iob magis fuerint ei satisfactoria, & Dauidi mors filij, quam si per causas naturales illa accidissent.

Respons. & 1. differ. inter flagella Dei & naturalia.

Flagella Dei quæ propria.

Naturalia flagellorum ergo.

Flagella Iob.

Vnde ad aliud argumentum respondetur, quòd etsi flagellum non fiat liberum nisi per acceptationem, nihilominus non solùm acceptatio interna est libera, verùm & opus ipsum exterius fit liberum.

Solut. alias argumen.

Sequitur secundum discrimen inter ista flagella Dei & naturalia, quòd si priora infligantur illi qui est in gratia, vt Iob, licet nullum actum haberet positiuum voluntatis, sed tantùm non obmurmuraret, opus ipsum esset satisfactorium. Nam in purgatorio quamquam qui illic purgantur, non haberent actum positiuum acceptandi, sed solùm quod non renuerent, soluerent pœnas debitas. Imò quamuis acceptatio eius esset peccatum veniale, forsan quis diceret esse illic satisfactionem, licet illa acceptatio non sit meritoria: quoniam venialis culpa sicut non est obex gratiæ, ita neque obstat satisfactioni quæ à Deo infligitur. Hoc ego tamen non asseuerarem, quia illa flagella non satisfaciunt ex opere operato ad modum sacramenti. Et ideò si per peccatum veniale acceptetur, forsan non satisfaciunt. Quanquam & oppositum est sustentabile. In calamitatibus verò naturalibus, nisi sit actus positiuus acceptandi, non est satisfactio, neq; si ille actus esset peccatum veniale: quia tota illa satisfactio in illo actu interno consistit. Quare ægroti, & aduersa patientes admonẽdi sunt, vt infortunium acceptent. Quapropter si iustus per flagellum Dei subito moriatur, mors illi est satisfactoria, licet nullum habere possit actum acceptandi. Quamobrem Nabuchodonosor, qui vt legitur Daniel. 3. repentina insania diuinitus castigatus fuit, per illam, si erat in gratia, poterat satisfacere. Et tamen si illa accidissent naturaliter, non essent satisfactoria.

Secundum discrimen inter flagella Dei & naturalia.

Calamitates naturales sine acceptatione non sunt satisfactoria.

Sacer autem Hieronymus negotium nonnullis facessit, super Naum capit. 1. & refertur de pœnitentia distinctione tertia can. Sunt plures. super verbum enim illud, Non cõsurget duplex tribulatio, quòd septuaginta transtulerunt, Non vindicabit Deus bis in idipsum in tribulatione, videtur insinuare, quòd nulli eorum, qui in hoc seculo flagellantur à Deo, iterum cruciabuntur in altero. Et subiungit eorum exempla, qui in diluuio, & in Sodomis, & in mari rubro perierunt.

Obiectio ex Hieron.

Absit verò, vt magno Hieronymo hæc inuitatur nota, vt docere cogitauerit, neminem eorum, qui hic puniuntur, puniri in inferno. Enimuerò eorum, qui non conuertuntur ad cor, vt resipiscant, Deus non miseretur: nam in vniuersum peccatores odio habet. Dicere autem, quòd quoscunque in hoc mundo flagellis percutit, ita corde compungat, vt conuertantur, temerarium est, & omni fundamento destitutum. Nam de Antiocho legitur 2. Machabæ. 9. quod orabat Deum scelestus, à quo non erat veniam consequuturus: quare & in hoc, & in altero seculo punitus fuit. Et Iudas Apostolus ait de Sodomitis, quod facti sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. Et infra subdit: Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt. Quos quidè arboribus autumnalibus cõparat quæ bis mortuæ eradicantur. Vnde August. super illud verbum Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque in inferni nouissima, & refertur de pœnit. d. 3. can. Ignis. allusionem ad Sodomam faciens, ait, id est, vindicta hic incipiet, & ardebit vsq; ad extremam damnationem. Quod quidem, inquit Magist. Sententiarum contra illos notandum est, qui dicunt, illud scilicet, Non iudicabit Deus bis in idipsum, ad omnia pertinere flagella: quia quidam hic flagellis emendantur, alij & hic, & in æternum puniuntur. Sensus ergo Hieronymi, vt bene Mag. exponit, non est generalis, sed per distinctionem intelligendus: scilicet, quod qui flagellis hic emendantur, non iterum punientur: qui autem obstinati moriuntur, & hic, & in inferno supplicia sustinebunt.

Propugnatur Hieron.

Non quicunque in hoc mundo à Deo puniuntur, cõuertuntur. Patet in Antiocho, Sodomitis, &c.

Sensus Hiero.

Imò ipse se melius exponit Hieronymus. neque enim hoc in vniuersum intellexit, quòd qui emendantur flagellis, non punitur iterum in purgatorio. Quod adnotauerim contra quosdam, qui sic exponere Hieronymum contendunt, quod quicunque hic à Deo flagellis cæditur, si in gratia decedit, non transibit per purgatorium. Nam in primis non potest intelligi de illis, qui ordine naturæ, aut iuris mortes patiuntur. Siquidem illa, vt diximus, non sunt propria & per se flagella Dei, atque adeo nec satisfactoria plus quàm fuerit patientiæ virtus. Quare ridiculum est dicere, quotquot ex lege, ordine iuris capite plectuntur, igne purgatorij liberari: quoniam eadem ratione nequeunt illi qui in cubili suo dolore rapido animam exhalant, per pur-

Exponitur Hiero. & locus Nahum 1.

gatorium transirent. Sed neque de illis, qui proprijs flagellis Dei extinguuntur, id vniuersum intelligit Hier. Ait quippe, Deum vt omnium rerum, ita & suppliciorũ scire mensuras, & ideo grauiores culpas grauius punit, leuiores verò leuius. Vbi sentit, quòd quando in hac vita infligit flagella ad iustum secundum scelerum magnitudinem, tunc illi si emendentur, absque transitu per purgatorium euolabunt in cælum: alioqui punirentur bis in id ipsum, id est, pro eadem culpa. Attamen si hic flagella non infert pro quantitate & merito scelerum, reuera reliquum in purgatorio restabit soluendum: quia hæc non est bina punitio in id ipsum, sed ambæ sunt vna iusta. Posset quis forsan dicere, quod quemcunque in hoc seculo speciali animaduersione cædit, ad iustum castigat, vt nihil supersit soluendum. Coniectura hæc tamen omnimodam non habet certitudinem.

Solut. 1. Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd eiusmodi flagella fiunt voluntaria per acceptationem.

Solutio 2. Ad alia verò duo respondetur, quod illa flagella quinque rationibus contingunt, vel vt iustis per patientiam augeantur merita, vt Iob. Vel ad custodiam virtutum ne superbia tentet: qua ratione Paulus angelo Satanæ colaphizabatur. Vel ad corrigenda peccata, vt Mariæ lepra Nume. 12. Vel ad gloriam Dei, vt de eo qui cæcus natus fuerat, quem Christus curauit. Ioan. 9. Vel ad initium infernalis pœnæ, quod Herodi & Pharaoni accidit. Vnde sicut ex eodem igne, vt ait Gregor. † autum rutilat, & palea fumigat: ita eisdem flagellis boni curantur, & mali per impatientiam peius inficiuntur. Quocirca licet flagella communia sint, tamen effectus satisfactionis non obuenit nisi bonis. Atqui vt ad tertium peculiariter respondeamus, & illa flagella, quæ ad augenda merita innocentibus infliguntur, vt Iob, etiam ob præteritam culpam infliguntur, non quidem personæ propriam, sed naturæ. Si enim originalem labem genus humanum non contraxisset, nunquam ijs calamitatibus fuisset subiectum. Vnde iustus Iob cum ipse personalia crimina in se non esset expertus, diei natiuitatis suæ maledicebat, quæ flagellis suis causam ministrauerat.

5. ob causas contingunt flagella.

† *Id habet Aug. l. 1. de Ciu. Dei c. 8. sem 5.*

Solutio 3.

ARTICVLVS III.

Vtrum conuenienter tria enumerentur satisfactoria opera.

Partis negatiua. 1. Argu.

POSTREMÒ quæritur, an opera satisfactoria esse debeant vel eleemosyna, vel ieiunium, vel oratio. Et arguitur à parte negatiua. Opus satisfactorium debet esse pœnale: oratio autem pœnam non habet, imò est medela tristitiæ, iuxta illud Iacobi 5. Tristatur aliquis in vobis, oret & psallat: ergo illa non est in numero eiusmodi operum.

2. Argum. Secundò arguitur. Peccatum omne vel est carnale, vel spirituale, ieiunio autem (vt ait Hierony. glosa super illud Matth. 17. Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione) sanantur pestes corporis, oratione verò pestes animæ, ergo non opus est alio tertio.

3. Argu. Tertiò. Satisfactio necessaria est ad emundationem peccatorum: sed eleemosyna ab omnibus peccatis mundat, iuxta illud Lucæ 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: ergo illa sola sufficit.

Pars affirmatiua. In contrarium tamen est, quod satisfactiones, cùm sint medicinæ, debent generibus peccatorum respondere: quod enim medendo vni peccato conducit, alteri nocet: sed plura sunt peccatorum genera, ergo & plura esse debent satisfactoria opera. Præcipuè cùm plura sint opera pœnalia, vt peregrinationes, & alia.

Decis. art. Ad quæstionem respondetur, secundùm sententiam S. Th. d. 15. q. 1. art. 4. quæ quidem omnium est doctorum concors, affirmatiua conclusione. Omnia opera satisfactoria ad hæc tria reducũtur, quæ sunt ieiunium, oratio, & eleemosyna. Duo enim, vt supra dictum est, in satisfactione sunt contemplanda: scilicet & ratio iustitiæ, qua vindicantur offensæ præteritæ, & medicina à futuris præseruans. Et vtraque ratione hic ternarius numerus vt decens comprobatur. Nam satisfactionis iustitia exigit, vt ait Ansel. vt aliquid nobis boni in Dei honore subtrahamus: habemus autem tria bona: scilicet corpus, & animam, & exteriora fortunæ: subtractio autem exteriorum bonorum fit per eleemosynam, bonorum autem corporis, quæ sunt delectabilia tactus, per ieiunium: de bonis autem animæ, vt per quæ respectu Dei perficimur, nihil subtrahere decet, quantum ad eorum essentiam, vt quippiam diminuatur: sed tamen per hoc quod ea Deo submittimus, satisfactoria apud eum fiunt, submissio autem illa fit per orationem. Sed etsi consideretur satisfactio ratione medicinæ præseruatiuæ, quæ debet, vt ait Aug. † peccatorum causas excidere, numerus etiam hic ternarius congruit, vt super Matt. idem ait Augu. Nam radices peccatorum, vt in 1. can. c. 2. ait Ioan. tres sunt iuxta numerum trium bonorum, quæ modò nominauimus, nempe concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Concupiscentia carnis per ieiunium exciditur, & concupiscentia oculorum per eleemosynam, & superbia vitæ per orationem. Adde quod etiam si effectus & obiecta peccatorum contemplemur, idem est numerus competens: nam omne peccatum vel in Deum tantum committitur, vel in proximum, vel in nosipsos. Atqui suggestioni primi obuiamus per orationem, & secundi per eleemosynam, & tertij per ieiunium.

Tria bona: corpus, anima, exteriora bona.

Conclusio.

Ratio.

† *In lib. de Eccle. dogm. c. 54. Radices peccatorum tres.*

Obiecta peccatorũ tria.

Expositores Magistri sententiarum ansam arripiunt disputandi hic ad longum de his tribus virtutibus, cùm tamen hic non pateat locus huic disputationi proprius: quia hic non habetur earum mentio nisi quatenus sunt satisfactoriæ. Tractare autem de earum natura & conditionibus, & numeris ad suas cuiusque proprias sedes spectat. Quapropter etsi D. Th. dum interpretem Magistri ageret, in præsentiarum de illis disputauerit, postea tamen ordine rerum legitimè instituto in 2. 2. de eis tractauit. Atque adeò si hucusque peruenisset, nullam earum mentionem hic fecisset. Neque nos certè facturi sumus: esset enim molestam prolixitatem loco importuno intermiscere. Consideratio ergo eleemosynæ ad tractatum charitatis attinet, de qua ergo D. Th. 2. 2. q. 32. disseruit, & oratio ad materiam religionis, de qua ideo disputauit eo lib. q. 83. Sed ieiunium virtus est temperantiæ, de quo idcirco tractauit, q. 147. Vnde non opus est professores Quarti sententiarum hic Scholasticos eiusmodi materijs remorati.

Ordo harũ trium virtutum.

Ordo autem istarum virtutum licet in speculatione iste sit, quem modo posuimus, tamen in executione ieiunium est primum, quod oratio secundo loco subsequitur, & tertio eleemosyna. Nam per ieiunium corpus extenuatur, spiritualeque fit, vt orationi, quæ est eleuatio mentis in Deum, non sit impedimento. Postquam autem per orationem beneficia Dei impetramus, benefici esse debemus in pauperes. Quinuerò non solùm beneficentia, & misericordia ex ieiunio & oratione promanat: verùm & omnium virtutum chorus. Nam cum omnia mala ex carnis sensualitate & suggestione originem trahant, & animæ consensu consummentur, attenuatum corpus, & impinguatus per orationem animus, virtutum proles germinant. Quius in præfatione ieiunij verbis illis admonemur: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, &c. Atque id ipsum Christus admonere nos voluit Matth. 17. dicens. Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione: nam etsi potestatem eijciendi dæmonia Apostolis contulerit, sic eam tamen, vt in eius executione ordo virtutum non peruerteretur. Ad expellendum enim dæmonium à solo corpore obsesso sufficit miraculorum potestas, ad quod etiam ordinantur exorcismi. Vt autem ab anima eijciatur, quam per culpam possidet, necessaria est obsessi conuersio, atque adeò dispositio ex parte ipsius, quam Christus nomine ieiunij & orationis expressit. Quinuerò & ex parte illius qui eijcere dæmonium habet, requiruntur huiusmodi spiritualia arma, vt sua oratione impetret obsesso bonum illum motum in Deum. Et quia omnis eiusmodi dispositio nulla est nisi fidei fundamento nitatur, iuxta verbum Iacobi 1. Qui postulat, postulet in fide nihil hæsitans, subiunxit Dominus, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic, transi hinc illuc, transibit, & nihil impossibile erit vobis. Quare dum dixit Christus. Hoc genus dæmoniorum, &c. licet sint qui intelligant, genus spurcorum dæmonum ad luxuriam incitantium, fortasse non intellexit nisi genus dæmoniorum obsidentium non solum corpora, sed animas. At verò Christus, quia potestatem habebat neque sacramentis, nec huiusmodi cæremonijs alligatam, absque oratione & ieiunio eiecit dæmonium ab anima & à corpore.

Requisita vt ab anima dæmonium expellatur.

Ad pri-

Digitized by Google

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum bifariam respondetur. Primò, quòd mentalis oratio contemplationi vacantium, quia plena est delectatione, absque vllius pœnæ mistura, non est satisfactoria, sed tantùm vocalis. Melius tamen secundùm ea quæ prædicta sunt, respondetur, quòd etiam mentalis est satisfactoria, non solùm quia meritoria; verùm quod etsi suauitatem habeat spiritus, habet nihilominus afflictionem carnis: nam vt ait super Ezechielem Greg. † Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis. Vnde & nervus femoris Iacob legitur Gen. 32. ex lucta Angeli emarcuisse. Tametsi in pœnitentia sacramentali non est iniungenda oratio mentalis, sed vocalis. Neque verò vsque adeo strictè intelligendum est omnia opera satisfactoria esse pœnalia: nam oratio profectò peculiarem habet modum satisfaciendi, non tam per modum pœnalitatis, quàm per modum deuotionis, & impetrationis. Docuit namque nos Christus orare dicentes: Dimitte nobis debita nostra. Vnde D. Thom. loco citato 2. 2. q. 83. art. 14. ait, quòd oratio non debet sic fieri, vt molestia orantem afficiat: quare neque qui orat debet sic corpus disponere, vt lassitudine animam aggraues. Non enim sic ieiunda est oratio, vt corpus deprimat, sed vt mentem subleuet.

† Hom. 14.

Non est iniungenda oratio mentalis.

Solutio. 2. Peccatum carnale quodnam.

Ad secundum respondetur, quòd peccatum carnale vno modo dicitur, quod in delectatione carnis consummatur, vt est gula & luxuria. Alio modo, quia ordinem habet ad carnis oblectationem & prosperitatem, vt est auaritia. Quæ quidem peccata sunt media inter spiritualia & carnalia, atque ad id ordinatur eleemosyna.

Solut. 3.

Excellentia eleemosynæ præcæteris.

Ad tertium respondetur, quòd quamuis singula istorum per quandam congruentiam singulis peccatis approprientur, congruit enim vt per quod quis peccat, puniatur, tamen potest vnum loco alterius substitui, vt qui ad ieiunandum viribus caret: & cui orare non vacat, eleemosynas erogет. Et ideò potissimùm eleemosyna est, quæ aliarum loco subrogatur: nam habet præ alijs hanc excellentiam, quòd sic satisfactioni seruit, vt miseros egenosque pascat, quos præterea ad orandum pro suis benefactoribus excitat, quare ieiunium quodammodo & orationem includit. Quapropter consilium est salutare plurimum in pœnitentiam eleemosynas imponere.

Solut. 4.

Omnia opera satisfactoria ad tria dicta reuocantur.

Ad quartum demum, quo arguebatur plura esse satisfactoria opera, respondetur quòd licet plura sint delictorum genera, omnia tamen ad illa tria, quæ Ioannes commemorat, reducuntur, atque adeo omnia opera satisfactoria ad hæc tria. Quicquid enim cœrporis labore impenditur, nomine ieiunij comprehenditur, vt humi cubationes, vigiliæ, peregrinationes, flagellationes, & alia id genus. Et quicquid in proximi vtilitatem expenditur, est eleemosynæ genus, vt visitare infirmos, sepelire mortuos, ignorantes docere, solamen ferre afflictis. Et rursus quicquid latriæ rationem habet, orationis nomine denotatur, vt interesse sacris, cereos vel alia in cultum sacrificiorum offerre.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum vnus possit pro alio satisfacere.

Pars. neg. 1. Argu.

QVARTÒ hic explorandum restat, an possit vnus suorum operum alium participem facere, ita vt vnus pro alio satisfaciat: arguitur enim à parte negatiua. Satisfactio, vt dictum est, opus est iustitiæ, nemo autem potest de iustitia, hoc est, de condigno alteri mereri, vt opus vnius alteri apponatur ad meritum, pro quo suscipiat præmium, iuxta illud Psalm. 61. Tu reddes vnicuiq; iuxta opera sua. Et Paul. 2 Corinth. 5 Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum: ergo nemo potest pro alio satisfacere.

2. Argu.

Secundò, vnusquisque dum pro alio vel orat, vel ieiunat, vel quippiam aliud præstat, bonum sibi meretur, quia illud est charitatis officium: ergo eadem ratione pro se satisfacit, atque adeò eodem opere satisfaceret pro duobus, quod ratio non fert iustitiæ.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem militat illud ad Gala. 6. Alter alterius onera portate: inter onera vnum est pœna namque peccato debita: ergo vnus potest pro alio eam soluere.

Præmittendum hic videri cuiquam potest sacerdotum documentum, quod in iniungendis pœnitentijs seruandum est, vtrùm s. ad iustum debeant delictis pœnitentias admetiri, an verò pro arbitrio eas possint taxare, & vtrùm ius habeant sic pœnitentes ad aliquas satisfactiones ligandi, vt teneantur illi sub reatu mortalis culpæ eis parere. Sed hæc omnia dist. seq. propriam sedem habent, vbi de potestate clauium ligandi, atque soluendi in foro pœnitentiæ est disputandum.

Subsannatio Vvicleff & Luth.

Quo ergo ad rem redeamus, hæretici incusantes nos, quod credamus posse satisfacere Deo, multò nos amarulentius reprehendunt, quòd etiam præsumamus nostras quoque satisfactiones alij impertiri. Obiurgatio fuit Witcleff, vt est videre apud Waldensem tomo 2. de sacramentalibus titu. 10. c. 100. Et Lutherus de hac etiam arrogantia nos subsannat, quòd sic existimemus redundare nos meritis apud Deum, vt postquàm homo pro se satisfecit, superesse sibi putet, quod alij præstet.

1. Concl.

Nihilominus contra hanc hæresim statuuntur duæ conclusiones. Prima. Vnus potest pro alio satisfacere. Et id negare, est sanctorum communionem negare, quam in symbolo confitemur. In hoc enim quod eodem baptismate abluimur, & eisdem participamus sacramentis, potissimum corpore & sanguine Christi, profitemur nos esse membra eiusdem corporis, vt 1. Corinth. 12. ait Apostolus, & loco citato ad Galat. Vnde sicut pes non sibi tantùm ambulat, sed in oculorum vtilitatem, vt eos portet, neque oculus sibi tantùm videt, sed vt pedes dirigat: ita & nobis nos inuicem res nostras & officia communicare debemus. At verò intelligitur conclusio, dummodo ambo, & qui satisfacit, & pro quo satisfacit, sint in gratia: nam iam supra constitutum est, non posse satisfactionem fieri, nisi per opus Deo gratum, neque vllum opus est gratum Deo nisi persona priùs sit grata. Et eadem ratione, neque quippiam acceptat in solutionem illius quod quis sibi debet, nisi ille etiam sit sibi gratus: nam acceptare pro illo, est opus benuoleutiæ in illum, & tamen peccatores odio habet.

Egregia similitudo, à membris corp. sumpta, ex Apost.

Conclusionis limitatio.

Hæreticorũ exceptio.

Sed aiunt hæretici rationem ad conclusionem adductam duntaxat concludere, quòd bona temporalia debeamus mutuis officijs communia inter nos facere, bona verò spiritualia dona sunt Dei, quæ singulis pro seipsis confert, quomodo ergo potest ea quis alteri largiri? Attamen exceptionem hanc de suo ipsi capite fingunt: vrgentiori namque ratione si bona temporalia communicamus, & spiritualium quoque possumus facere alios participes: Primum, quia inter spiritualia & temporalia cambium interuenire potest, iuxta verbum Paul. 1. Cor. 8. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus? Secundò, quia si vnusquilibet potest temporalia sua alteri erogare, cur non & eleemosynas, quæ pro illo satisfaciant, elargiri? Nam quantò hæc germaniùs ex charitate procedunt, tantò magis possumus cum proximis ea communicare. Plana sententia est Apostoli ad Rom. 15. vbi ait: Probauerunt Macedonia, & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui in Hierusalem sunt: placuit n. eis, & debitores sunt eorum. Et. sequitur ad rem. Nam si spiritualium eorum participes sunt gentes, debent & in carnalibus eorum ministrare. Participes, inquit, spiritualium, non quia eorum doctrina lactabantur, quia absentes erant, sed quia & suis orationibus & suffragijs mutua se opera adiuuabant. Nã etsi opera nostra dona sint & munera Dei auxiliantis nobis, tamen quia sponte nostra & libertate illa exercemus, neq;, vt suprà dictũ est, ad cuncta nos obligat, quæ facere possumus, nihil obstat quominus eiusmodi opera in aliorum subsidium possimus ipsi offerre, quæ certum est ipsum rata acceptaque habere. Atqui huc videtur Paul. alludere ad Eph. 5. Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit vos, & tradidit semetipsum pro vobis. Vbi admonitos nos Apostolus habere voluit, vt sicut Christus caput nostrum pro suo se corpore tradidit: ita vnumquodque membrum se tradat pro alio. Accedit & illud ad Colos. 1. Gaudeo nunc in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, id est, satisfacio pro vobis sicut Christus satisfecit. Neque enim verbum, quæ desunt passionum Christi, quæquam debet conturbare: quoniam licet illa infinita fuerit, quoad sufficientiam, tamen quoad efficaciam

Refutatur ex Script.

1 Cor. 9. 2.

Rom. 5.

applicatur finito modo, vt nuper explicatum est: & ideo dum sanctorum merita ex eadem passione promanantia nobis applicantur, cumulatior nobis obuenit fructus.

Item qui hanc veritatem inficiantur, pietatem viuentium negant, quam in defunctos suis suffragijs exhibent, cùm 2. Machabæorum 12. scriptum sit, sanctam esse cogitationem pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Sed hoc iam matetiam indulgentiarum attingit. Item & catholicum Ecclesiæ ritum propulsant offerendi sacrificium pro viuis & defunctis. Sed hæc contra hæreticos satis sint.

Dubium. Dubium hic autem restat, vtrùm hæc conclusio non solùm de satisfactione libera intelligatur, sed & de illa quæ in confessione imponitur, vtrùm illam possit alter pro altero implere. De hoc ergo adhibetur secunda conclusio, quæ est S. Thom. dist. 20. artic. 2. sub distinctione. Duo enim in satisfactione considerantur, scilicet & solutio debiti pro offensa commissa, & medicina ad cauendum postea peccatum. Est ergo conclusio.

2. Concl. Quatenus satisfactio est in remedium subsequentis peccati, non potest alter illam pro altero implere. Quoniam ieiunium aut flagellum vnius nihil alteri proderit ad castigationem corporis, quæ necessaria est, vt peccata fugiat, nisi quia per accidens oratio vnius & bona opera, quæ in gratia fiunt, possunt de congruo mereri alteri augmentum gratiæ, quæ efficax est remedium vitandi peccata, Sed hoc non est tam satisfacere, quàm mereri pro altero.

Cæterum quantum ad offensam commissam, potest vnus pro altero pœnam soluere. Atqui in hoc sensu intelligitur prima conclusio.

Corollarium. Hinc subsequitur ceu corollarium, quòd pœnitentiam, quæ ordinario vsu imponitur in confessione, nemo alius pro pœnitente ipso potest implere: quia imponitur tanquam satisfactoria medicina ad correctionem, atque adeò est onus personale. Si verò sacerdos aliqua ratione ductus iudicaret imponendam esse pœnitentiam per illum vel per amicum soluendam, nulla obstat ratio quominus id facere possit, quandoquidem lex communis est, vt vnus possit pro alio satisfacere. Præsertim si est eleemosyna, vel peregrinatio, vel aliquid huiusmodi. Et hæc certè docet ibidem S. Thom. subdens, Nec oportet, quòd maior pœnitentia imponatur ei qui pro altero satisfacit, quam principali imponeretur, vt quidam dicunt hac ratione moti, quòd pœna propria magis satisfacit quàm aliena. Nam pœna, inquit, vim satisfaciendi ratione charitatis habet, & cæteris paribus maior est charitas satisfacere pro alio, quam pro seipso. Vnde in vitis Patrum de quodam legitur, qui cùm ex feruore charitatis pœnitentiam pro peccato, quod non commisit, fecisset, alteri qui commiserat, remissum est. Et subdit D. Tho. quòd quantum est ex ratione soluendi debitum pœnitentiæ, non requiritur, vt vnus pro altero satisfaciat, quod alter sit satisfaciendi imporens, quia hoc est impertinens ad solutionem. Sed tamen quia hoc congruit in quantum est remedium, non est permittendum vt pœnitentiam sacramentalem vnus pro alio explcat, nisi propter defectum qui est in alio.

Pœnitentia in confessione iniuncta est onus personale.

Notanda.

Vt vnus pro alio satisfaciat non requiritur impotentia.

Ad 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, non esse idem iudicium de merito condigni & de satisfactione: nam merito respondet essentiale præmium, quod consistit in visione Dei, visio autem illa datur secundùm puritatem cordis, iuxta illud Matt. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: purificatur verò cor per charitatis opera, & ideo quia opera vnius non apponuntur alteri ad propriam dilectionem & cordis puritatem, nemo potest alteri de condigno mereri præter solum Christum, cuius meritum fuit infinitum: nam virtute sui meriti confortur paruulis sine proprio actu gratia. At verò pœna peccati remissi non taxatur secundum dispositionem illius qui illam debet: nam quandoque qui melior est plura debet, propter plura peccata ei dimissa. Et ideo nec solutio exigitur secundum eius gratiam quam ipse habet, sed solum secundum æqualitatem pœnę debitę. Qua vtique ratione alius poterit eam pro illo pendere.

Dubium. An satisf. vnius pro altero sit de condigno. Aliud verò dubium hic exurgit perplexius, videlicet, vtrùm illa satisfactio vnius pro altero sit de condigno, & non solum de congruo. Non dico meritum condigni, sed solutio condigni, hoc est, de iustitia. Itaque si tam certa lex, quod Deus illam acceptet, ac si alter satisfaceret, an verò non sic, sed quòd Deus acceptabit, si ei placuerit, de quo non sumus certi, vt de merito de congruo sæpe diximus. Apparet enim, quòd siquis non potest alteri mereri de condigno, quòd nec possit de iustitia satisfacere. Nihilominus crediderim, quòd inter viuos sit satisfactio de iustitia & certa lege: nam cum hic modus satisfaciendi non sit nisi mera solutio debiti, & fiat in gratia, & pro eo qui est in gratia, non est cur Deus non acceptet de iustitia. Secùs siquis satisfaciat pro defuncto: nam cum defuncti iam sint extra viam merendi, & satisfaciendi viuentium more, sed sunt vbi à Deo per modum purgationis plectuntur, viuentium satisfactiones solum prosunt illis per modum suffragij, vt Deus acceptet, si ei placuerit. Nisi satisfactionem defunctus ipse in legatis reliquerit. Quare, vt distinct. 21. videbimus, differenter conferuntur indulgentiæ pro viuis & defunctis: pro viuis, scilicet per modum absolutionis, pro defunctis verò per viam suffragij.

Resp. ad Anth. assert.

Solut. 2. Ad secundum respondetur, consequentia peremptа, propter discrimen meriti & satisfactionis. Dum enim quis meretur alteri de congruo, meretur & sibi de condigno: & dum satisfacit pro alio, eodem actu sibi meretur de condigno propter charitatis officium: non tamen eodem pro se satisfacit: quia satisfactio est solutio debiti, & idem opus non potest sufficere duobus debitis ad iustum pro vtroque. Et ideo quod quisque pro altero soluit, ab se abdicat, sed hoc cedit ei in meritum vitæ æternæ.

ARTICVLVS V.

Vtrum aliqua pœnitentia debeat publicari, vel solennizari.

Partis negatiua arg. 1. INTER Ecclesiasticas pœnitentias erant antiquitus quædam publicæ, atque aliæ solennes. Arguitur ergo, quòd illæ non fuerint licitæ. Non est fas sacerdoti vllo metu aut causa peccatum, quod in confessione audiuit, extra prodere, quantumuis fuerit publicum: sed per publicam pœnitentiam proditur, ergo illa non est licita,

2. Arg. Secundò. Iudicium transigi debet secundum conditionem fori: forum autem pœnitentiæ est secretum: ergo secretò debet totum peragi, atque adeò pœnitentia publicari non debet.

3. Arg. Tertiò. Si pœnitentia publica & solennis esset licita, nulla est ratio cur iterari non posset, quandoquidem pœnitentia est iterabile sacramentum, & peccata pro quibus imponitur sunt etiam iterabilia: & tamen iure non permittitur iterari: ergo iudicium est non esse licitam.

4. Arg. Quartò. Quia si esset decens, nulla est ratio cur non & mulieribus, & sacerdotibus, & à quocunque sacerdote posset imponi: ius autem hoc non permittit nisi à solo episcopo imponi, sacerdotibus exceptis, & mulieres videtur etiam exceptæ, quia decet eas habere comam, vt 1. Cor. 11. ait Paul. quæ tamen in pœnitentia solenni detondetur: ergo illa non est religioni congruens.

5. Arg. Quintò arguitur, Pœnitentia, vt ait Ambro. omnes defectus reuocat ad perfectum: sed agentibus solennem pœnitentiam, non est iuridicum ad pristinos honores redire, quia eiusmodi pœnitentes nequeunt ad ordines sacros promoueri: ergo huiusmodi pœnitentia non est congrua.

Pars affirmatiua. In contrarium est, quòd medicina debet morbo adaptari: peccatum autem quandoque est publicum, aut tale quod exemplarem exigit pœnitentiam: nam vt legitur cap. Manifesta. de pœnitent. & remissio. manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda: ergo tunc ratio exposcit, vt pœnitentia fiat publica.

Pœnitentia publicita ob quatuor rationes. Quamdiu in Ecclesia sanguis Christi recens feruebat, neque adeo populus Christianus erat prolatatus, multa Christianis Ecclesia indicebat, quæ deinde multitudine crebrescente, eodemque sanguine tepefacto cessauerunt. Inter quæ fuit publica & solennis pœnitentia. Ad quæstionem ergo Doctores, & sanct. Thom. dist. 14. q. 1. art. 5. affirmatiua conclusione respondent. Pœnitentia publica est debita quatuor rationibus. Prima est ratio iustitiæ: nam qui suo facinore aliorum oculos offendit, ille est talione dignus, vt confusionem ipse & pudorem patiatur. Secunda, quatenus satisfactio est medicina: nam qui manifestariè criminosus est, conuenit vt per manifestam infamiam

cohi-

cohibeatur, ne iterum similia perpetret, & quos suo exemplo in malum induxit, suo etiam supplicio exterreat, ne illum sequantur. Et præterea nonnullum est solamen, vt Christiani intelligant, nullum esse tam atrox crimen, quod Ecclesia per Dei benignitatem & autoritatem non possit indulgere.

Triplex pœnitentiæ genus.

Conclusio hæc frequentibus pœnitentialibus canonibus comprobatur, inter quos perspectè discernendum est triplex pœnitentiæ genus. Vna enim est publica & solenuis, alia verò publica sine solennitate, sed alia priuata, & secreta. Publica, & solennis est illa, quæ describitur can. In capite. distin. 50. cuius solennitas ex multis cæremonijs constabat. In primis enim non poterat illam imponere, nisi episcopus, vel de eius mandato, vt inibi denotatur, & c. Statuimus de maledicis. Neque verò poterant postea, nisi per episcopum aut eius vicarium reconciliari, vt can. Aurelius. 26. q. 6. Et eiusmodi pœnitentes in capite quadragesimæ sistendi erant ante fores Ecclesiæ, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, ac tonsa coma, vt ibi refertur can. Pœnitentes. Erantque in Ecclesiam à clero septem pœnitentiales psalmos cantante introducendi, cinereque super caput aspergendi, & cilicio cooperiendi, & cum illo cantico, In sudore vultus tui, eijciendi erant ab Ecclesia, sicut Adam proiectus fuit à paradiso. Et iterum die cœnæ præsentabantur decano & presbyteris in liminibus Ecclesiæ. Quæ quidem pœnitentia non poterat imponi nisi pro crimine graui & publico, & quod totam ciuitatem conturbasset, vt habetur 26. q. 6. can. vlt. Neque poterat propter dignitatem clericatus clericis imponi, atque adeo & laici fiebant irregulares, vt ibidem habetur, & infames, vt can. Infames. 6. q. 1. vt eodem can. In capite. comprobatur, & can. Confirmandum. Poterat tamen imponi fœminis, præterquam quòd non erat eis coma tondenda. Hoc autem pœnitentiæ genus omnino aboleuit ab vsu. De quo hoc solum vestigium in Ecclesia relictum est, quòd in capite ieiunij, cinere capita conspergimur, vt ait Hugo lib. 2. de sacram. par. 9. ca. 3. & in diebus sanctis cœnæ & crucis recitantur psalmi in choro pœnitentiales.

Cæremonia pœnitentiæ solemnis.

Clericis non imponebatur solemnis.

Pœnitentia publ. sine solemnitate.

Secundus gradus pœnitentiæ publicæ remissior erat sine solennitate: nempe quando imponebantur peregrinationes: quæ etiam cum baculo cubitali fieri solebant, & inclusiones in monasteria. Et istæ pœnitentiæ poterant à presbytero imponi, & pœnitentes per ipsum reconciliari. Sed non poterat imponi nisi pro delicto graui & publico, licet non esset scandalosum, sicut illud, quod requirebatur ad pœnitentiam solennem, vt ait Sylvester verbo pœnitentia. Nisi forsan sua sponte vellet, qui graui se peccato onustum sentiebat, eandem publicam pœnitentiam acceptare. Sed tunc sic erat imponenda pœnitentia publica, vt peccatum non proderetur. Nam poterat homo peregrinari, & flagellis publicè cædi, aut pondera ferrea baiulare: licet non constaret vtrum pro suis peccatis, an alienis, an verò ex deuotione faceret, sicut modò etiam fiunt.

Nota.

Vnum tamen est hic maximè adnotandum, quod ab interpretibus iuris adnotatum esse debuisset, quòd vbi canones decernunt propter aliquod peccatum, hominem priuari aliqua sua re, quam iure possidet, eiusmodi pœnitentia nequaquam poterat imponi in sacramento, sed in foro exteriori ordine iuris reo condemnato: quoniam illa non est pœna pœnitentialis, sed legalis. Vt verbi gratia, canon. Sacerdos. de pœnitentia, distinct. 6. & cap. Omnis vtriusque sexus. iubetur sacerdos fractor sigilli deponi: illud ergo nec fieri potuit vnquam nec potest, nisi in iudicio de crimine condemnetur. Idem erat de sacerdote, qui cum filia spirituali se commiscuisset, qui deponi iubebatur, & duodecim annis peregrinari. cano. Si quis sacerdos. 30. q. 1. Idque adnotandum est in capit. Qui presbyterum, de pœnitentijs, & remissio. vbi occidenti presbyterum, duodecim anni pœnitentiæ imponuntur. Subditur autem, Conuictus verò vsque ad vltimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat; & absque spe coniugij maneat. In priori enim membro designatur pœnitentia sacramentalis, & in secundo criminalis; quando homicida erat clericus, nam laicus lege ciuili puniretur.

Pœnitentia publ. nullus est vsus amplius.

Sed neque istæ pœnitentiæ publicæ modò sunt in vsu, nisi sub aliquo moderamine. Solent enim nonnunquam imponi pœnitentiæ publicæ, dummodo persona non se prodat, vt in cœna Domini laminam ferream humeris baiulet, aut publicè vicatim vapulet. Sunt autem pœnitentiæ, quæ rarissimò imponendæ sunt, & cum prudentia. Peregrinationes autem, quia secretiùs fieri possunt, consultiùs imponuntur.

Pœnitentia priuata.

At verò & de pœnitentia priuata & secreta erant crebri canones pœnitentiales, quibus sacerdotes erant alligati ad iniungendas pœnitentias. Enimuerò pro quocunque criminali vitio, vt habetur ca. Hoc ipsum. 33. q. 2. imponebantur septem anni pœnitentiæ, quæ erat vna annorum hebdomada, exemplo Dauidis 1. Reg. 12. qui pro homicidio & adulterio septem diebus ieiunauit, & iacuit super terram. Dixerim, pro quocunque criminali vitio, vt habetur can. Prædicandum. 22. q. 2. quale est periurium, homicidium, adulterium, & similia, quia nõ erat vsus tot annos imponere pro quocunque peccato mortali: quandoquidem multi erant canones, in quibus non imponebantur nisi quadraginta dies, vt cap. 1. de sortilegijs. Et quandoque tres quadragesimæ, vt extra de accusatio. capit. Accusasti. Et quandoque vnus annus, tres, quinque, &c. & quandoque plures, vt decem, duodecim, &c. in quibus enarrandis nulla est vtilitas, postquam non sunt in vsu.

Hoc est tamen animaduertendum, quòd septem illi anni non intelligebantur, vt quotidie fieret pœnitentia, sed forsan semel in mense indicebatur vnum ieiunium. Et poterat sacerdos arbitrari, vel secundùm quantitatem criminis, vel qualitatem personæ, nempe vel remittere, vel augere modum pœnitentiæ, vt si esset incestus, aut peccatum contra naturam, vt can. Hoc ipsum. refertur. Tametsi quandoque canones ipsi modum pœnitentiæ expressissent, vt abstinere à vino & carnibus in quarta & sexta feria, vt cano. Celebrans. 11. q. 3. vel in pane & aqua quadraginta diebus, extra de sponsa. duorum. c. Accepisti. Quòd si roges, quid fuerit in causa, vt olim tanto rigore pœnitentiæ illæ iniungerentur, respondetur, sic tunc patres intellexisse obseruandum, vt pœnitentiæ ad æqualitatem criminum imponerentur, ita vt nihil expurgandum restaret in purgatorio.

Causa rigoris.

Vna se tamen hic dubitatio insinuat. Si pro vnoquoque criminoso vitio erant iniungendi septem anni, qui decies, vicies, vel pluries, illa peccata perpetrasset, vtrum esset toties multiplicato septenario annorum obligandus: nam profectò si tantum ille esset onerandus, aliquando non sufficiessent bis aut ter centum anni pœnitentiæ. Respondetur, quòd fortasse in eodem septenario augebatur pœnitentiæ modus ne tot multiplicarentur, & quandoque multiplicabantur. At verò postmodum aucta Ecclesia cœperunt Christiani præ animi languore & accidia eiusmodi pœnitentias ægrè ferre. Et inde aperta est indulgentiarum via, quas relaxationes appellarunt, quibus eiusmodi pœnitentiæ iniunctæ relaxabantur, vt distin. 21. videbimus. Atque inde paulatim res præcipitium fecit, vt iam vix vlla imponatur pœnitentia, quæ pro decima parte aut pro centesima criminum sit sufficiens.

Dubium. An multiplicatus peccatis, multiplicabatur & pœnit. Solutio.

Adijcitur tandem secunda conclusio. Hac ætate eiusmodi canones non sunt in vsu, sed pœnitentiæ sunt arbitrariæ. Hoc patet cap. Quæsitum. & capit. Deus qui. de pœniten. & remissio. In quibus iniungendis debet sacerdos circunstantias criminum & personarum, atque alias considerare, vt prudenter eiusmodi pœnitentias moderetur, iuxta decretum Leonis Papæ 26. quæst. 7. can. Tempora. De hoc autem dist. sequenti, quæ est de clauibus, amplius disputabimus.

2. Concl.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd sacerdos imponendo pœnitentiam publicam non deregit crimen, quamuis suspicio inde oriatur, aliquid enorme peccatum pœnitentem commisisse: quia alias ob causas potest illa opera pœnalia subire. Responsio est S. Thom. ex qua colligitur, quòd pœnitentia publica nonnunquam imponebatur pro occulto peccato, consentiente pœnitente ad maiorem humiliationem: nam quando peccatum erat publicum, non erat tanta cautela necessaria.

Solut. 1. arg.

Ad secundum respondet S. Thom. quòd pœnitentia solennis, quamuis occultè esset iniungenda in foro pœnitentiæ, nihilominus non erat necessarium, vt executio esset occulta, postquam peccatum scandalum in ciuitate seminauerat. Sed arguis, cur non etiam imponebatur publicè? Respondetur, quòd non erat imponenda pœnitentia, nisi fieret sacramentalis absolutio à peccatis, & ideo reus confitebatur, vel episcopo, vel cui ipse id commiserat, & inter absoluendum imponebatur illa pœnitentia solennis.

Solut. 2. arg.

Instantia.

Solut 3. Ad tertium respondetur, quòd pœnitentia solennis non iterabatur, vt legitur can. Reperiuntur. de pœnitentia distinct. 3 cuius ratio triplex erat. Prima, ne vilesceret, & timeri desineret. Secunda, propter significationem, quia figura erat eiectionis Adæ de paradiso, quæ non fuit nisi semel facta. Tertia, quæ erat præcipua, quia erat quasi solennis professio nunquam recidiuandi. Vnde Ambr. in eodem cano. grauiter reprehendit eos, qui post solennem pœnitentiam relabebantur, quasi iterabilis illis esset illa pœnitentia. Cùm tamen sicut vnum, inquit, est baptisma in Ecclesia, ita & vnica pœnitentia.

3. Rationes ob quas pœnit. solemnis non iterabatur.

Solut. 4. Ad quartum iam responsum est, quòd solis clericis non imponitur solennis pœnitentia, sed ritè imponitur mulieribus, Præterquam quòd coma eis non rescindebatur, quam eis, iuxta verbum Pauli 1. Corin. 11. habere congruit in signum subiectionis erga viros.

Solut. 5. Ad quintum respondetur, quòd pœnitentia, iuxta verbum Ambrosij, quamuis omnes defectus spirituales reuocet ad perfectum reuocando hominem in gratiam pristinam, non tamen opus est, vt reuocet ad dignitates Ecclesiasticas & legales. Quare solenniter pœnitentes manent infames & irregulares, nisi ratio publica expoposcerit, vt de licentia episcopi promoueantur ad sacros ordines. Imò extra publicam pœnitentiam est etiam nunc in more: vt mulieres, quæ virginitatem amiserunt, non velentur, si modò crimen publicum fuerit.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in extremo vita articulo possit quis veram agere pœnitentiam.

Partis negatiua. POSTREMVS articulus huius quæstionis meritò de postremo articulo vitæ instituitur. Arguitur ergo, quòd sub illum articulum non sit pœnitentia valida. Primò, exemplo illius miseri Antiochi, qui in extremis positus: vt 2. Machabæorum 9. legitur, dolore viscerum correptus orabat sceleſtus Dominum à quo non erat misericordiam consecuturus.

1. Arg.

2. Arg. Secundò. Pœnitentia est virtus, per quam pœnitens peccata dimittit: qui autem in faucibus mortis pœnitentiam agit, potiùs à peccatis dimittitur, quia ea amplius perpetrare non potest, quàm ea dimittat. Præsertim cùm tunc firmum nequeat habere propositum satisfactionis, quæ est tertia pars pœnitentiæ, cùm tempus iam tunc eam fieri non permittat.

3. Arg. Tertiò. Si pœnitentia in mortis articulo esset valida, sequeretur, quòd repentè defunctus transmigraret in cœlum: nam Deus à nemine quod impossibile est exigit: & ideo cum morienti impossibile sit satisfacere, nihil ei restabit soluendum.

Pars affirmatiua. In contrarium facit latronis exemplum, quem in cruce sic vitæ actæ pœnituit, vt inde ad cælum commigrauerit.

Res est, quæ plus timoris quam dubitationis offert. Respondetur ergo facilè duabus conclusionibus: Prima. Quocunque temporis articulo homo habeat iudicium sanum, & liberi arbitrij vsum, potest legitimè per pœnitentiam conuerti. Et ratio est plana, quia ad conuersionem non requiritur nisi Dei auxilium, cui homo liberè consentiat: Deus autem, quamdiu vita huius seculi durat, semper est ad ostium pulsans: ergo quamdiu liberè homo valuerit auxilio illo vti, potest conuerti, iuxta illud Ezechiel. 33. In quacunque die, id est, in quacunque hora conuersus fuerit peccator ab impietate sua, impietas eius non nocebit ei. Et confirmatur ratio, quia in hoc differt vitæ præsentis status ab illo, qui est in inferno, quòd homo quamdiu in hoc seculo viuit, ingenium habet & vsum rationis humanum, vt scilicet possit manum vel ad bonum, vel ad malum porrigere; sed in inferno quasi ingenium dæmonis induit, vt sit in malum irrecuperabiliter obstinatus, sicuti in cælo statum acquirit angelicum, vt sit in bonum perpetuò confirmatus. Et est alia confirmatio, quòd Deus propensior est ad indulgentiam, quàm ad vindictam: cùm ergo homo quamdiu viuit, delinquere possit, iniqua esset conditio nisi & resurgere valeret. Et est sententia Autoris libri de vera & falsa pœnitentia capit. 5. vbi legitur paratissimum esse Deum semper pœnitentes suscipere, vt neminem excludat, vbi & latronis exemplum affertur. Et Gratianus cano. 1. de pœnitentia dist. 7. quòd vsque ad extremum vitæ spiritum duret tempus pœnitentiæ, probat autoritate Leonis can. Nemo. vbi ait, Nemo desperandus est dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam quod confidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur.

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

Pars affirmatiua.

1. Concl.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Secunda conclusio. Pœnitentia vsque ad illum articulum dilata, præsertim in illis, qui illuc vsque vitam perditè transegerint, non est tuta, nec multum confidentiæ generans, nisi dum homo egregiè compunctus apparet. Et certè quamuis Augustinus nunquam de illa dubitasset, rationes nos id admonent. Primùm qui vsque ad illud punctum benignitatem Dei eum ad pœnitentiam adducentis despexit, indignus est, cui Dominus manus porrigat. Præsertim quòd sæpe & sæpissimè illo momento fortasse non sufficit ordinarium speciale auxilium Dei, vt homo tanto peccatorum onere pressus, tam subitò resipiscat, sed fortè requiritur extraordinarium, quod non est necesse vt Deus semper apponat.

2. Concl.

Pœnitentia sera periculum 1.

Secundò. Plurimos mors repentina surripit, quibus non datur gemendi spatium: & quamuis tempus supperat, corpus tamen dum infirmitate corrumpitur, aggrauat animam, quam subinde vix permittit de Deo cogitare, & ad cor intus conuerti, quod delictorum maculis oppletum videre exhorrescit. Præterquam quòd familiares & alij necessarij, seculare potiùs commodum quàm morituri salutem sitientes, maximo sunt agonizanti impedimento. Ob has ergo causas non ita multum frequenter (si hoc dicere ausim) in eiusmodi hominibus vera est contritio, & dolor offensæ Dei: imò quæ contritio apparet, non est nisi attritio de inferni memoria & metu genita. Quapropter qui fic absque sacramento discedunt, damnationem incurrunt. Sunt enim veluti fatuæ illæ virgines Euangelicæ, † quæ veniente Domino internum virtutis oleum non habent, quo possint igne charitatis ardere, sed extrinsecus illegitimo dolore fumigant, quia tempore opportuno non impleuerunt vasa sua.

2. Periculū. Impedimēta sera contritionis.

Matt. 25.

Et quod postremò deterret est, non esse articulum fidei, vt attriti per sacramentum fiant contriti. Non est enim expressa euangelica assertio, aut Ecclesiastica definitio. Imò neque apud Augustinum aliúmue illius classis autorem reperitur: sed est scholasticorum collectio; quæ quanquam sit vera, non tamen est digna, cui bilances perpetuæ nostræ aut salutis aut damnationis confidamus.

Periculum maximum.

Sanctè ergo Augustinus hâc malefidam pœnitentiam depingit lib. 50. homiliarum, homil. 41. quam Gratianus inter decreta retulit canon. Si quis. de pœnitentia d. 17. Si quis enim, inquit, positus in vltima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Et infrà: Agens pœnitentiam & reconciliatus cùm sanus est, & postea bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Itaque mens Augustini est, quòd pœnitentia in mortis articulo facta, non est sufficiens signum, quòd vita defunctus ingrediatur viam salutis. Sed tamen neque est asserendum, quòd condemnetur. Quare paulò inferiùs subdit. Non dico damnabitur, sed nec dico liberabitur. Sed & Cypria. acriora verba his accumulat, quæ referuntur de pœnitentia d. 7. can. Idcirco. videlicet, si in infirmitate aut periculo cæperit deprecari, qui ante, pœnitentiam non egerunt, prohibendos esse ab spe communionis & pacis: quia rogare illos, non pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitauit moriturum. At verò, vt arbitror, loquebatur de ijs qui erant in pœnitentia solenni, quibus tunc forsan, si non reconciliabantur vsque ad mortis articulum, non porrigebatur sacramentum Eucharistiæ. Sed ille vsus mutatus est, vt 26. quæst. 6. multis canonibus comprobatur, vt can. Is qui. & sequentib. & q. 7. can. Ab infirmis. vbi iubetur reconciliationem susci pi publicè & solenniter pœnitentium, dum sunt in articulo mortis. Verba autem; quæ ad dict. can. Nullus. Gratianus refert, tanquam Augustini lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 17. nescio an sint eius. Ait n. ibi autor ille, quòd quamuis de salute serò pœnitentium Augustinus potuit dubitare, ipse tamen credit illi qui dixit: Quacunq; hora peccator ingemuerit, & conuersus fuerit, vita viuet.

Sententia August. perpendenda.

Cyprian.

Sensus Cyp.

vluet. Quanquam, vt supra diximus, sunt qui putent de se tanquam de alio ab Augustino relatum. Sed nescio an sit commentum legitimum. Atqui & Hugo lib. 2. de sacramentis part. 14. ca. 5. Difficile, inquit, est vt tunc (scilicet in articulo mortis) vera sit pœnitentia quando tam sera venit. Quando n. cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest. Valde suspecta debet esse pœnitentia quæ coacta videtur esse. Facilè est, vt homo se nolle putet, quod posse non datur. Possibilitas optimè voluntatem probat. Si non facis dum potes, manifestè ostendis quòd non vis. Hæc ille. Ad quam sententiã & hoc tandem adijciendum, quòd etsi certi essemus legitima tunc nos pœnitentia conuersuros, meditandum tamen nobis esset, vt suprà diximus, non in hoc tantum à Deo conditos, vt in fine misericordiam de erratis petamus: ille n. noster potiùs amor videtur, quàm Dei: sed in hoc præcipuè, vt vitam in eius exequenda mandatorum iustitia expendamus, vt eius impleatur voluntas, & exaltetur gloria.

Difficultas pœnitentiæ sera ex Hug.

Solut. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod Antiochus propterea non est veniam consecutus, quòd pœnitentiam non habuit. Sed tamen ob id nobis exemplo propositus est, vt admoneamur dolorem peccatorum, qui ex cruciatibus mortis enascitur, fallacem esse sæpissimè.

Solut. 2. Et eodem modo respondetur ad secundum: videlicet, hoc concludere, quòd pœnitentia in illo articulo nõ est tam certum signũ salutis, quàm quæ fit dum homo peccare potest: nihilominus esse potest legitima: nam cùm satisfactio non sit de essentia sacramenti, vt suprà diximus, fit vt neq; eius propositum sit tunc necessarium.

Solut. 3. Ad tertium respondetur, quòd licet tunc moriens satisfacere nequeat, culpa sua fuit quòd tempus ad id antea non elegit, & ideo pœna, quæ per contritionem & confessionem non fuerit ei dimissa, in purgatorio est luenda, vt ratio diuinæ iustitiæ seruetur.

DISTINCTIONIS DECIMÆNONÆ.

Quæstio tertia.

DE PVRGATORIO.

ARTICVLVS I.

Vtrùm purgatorium sit post hanc vitam.

Duplex purgatorij consideratio.

CONSEQVENS est, vt in calce sermonis de satisfactione quæstionem de purgatorio disputemus, nam de purgatorio duplex est consideratio. Vna, qua illic quod in hac vita satisfactione non remittitur, purgandum restat. Et hæc ad præsentem attinet locum. Altera verò, quatenus vnum est ex receptaculis, quibus animæ, cum corpora exuunt, recipiuntur, & ex quibus in postrema resurrectione prodibunt. Et hæc pertinet ad dist. 44. & 45. vbi de statibus defunctorum & resurgentium tractatur. Atqui quæstio hæc tribus articulis claditur. Primus est de existentia purgatorij, & secundus de quantitate pœnæ, quæ illic infligitur. Ac tertius de eius qualitate.

Part. neg. argum. 1. Arguitur ergo, quòd post hanc vitam nullum sit purgatorium. Legitur enim Apocaly. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: sed qui in charitate decedunt, in Domino moriuntur: ergo nullus eis restat labor, atque adeò nec purgatorium.

2. Argu. Secundò arguitur. Nullibi in sacra pagina legitur vbinam sit locus purgatorij: nam illis verbis Matthæi. 25. Ibunt in ignem æternum, solum ignis damnatorum designatur.

Pars affir. In contrarium est illud 2. Machab. 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur, quòd nec de damnatis, nec de beatis intelligi potest.

Quemadmodum de satisfactione, ita & de purgatorio, quia connexa sunt, hæretici reclamant, illud negantes. Et fuit Græcorum, & Armenorum hæresis, ac subinde Waldensium & fortassis Ioannis Huss, & Wicleff, quamuis in concilio Constan. inter alios eorum errores iste non referatur. Nam Bohemi eorum hæresium cultores hanc mordicus tenent. Lutherus verò, qui sunt eius articuli, quartus, & 37. & 38. à Leone condemnati, purgatorium negat eo modo quo ab ecclesia creditur: nam dicit nullibi in sacra scriptura eius testimonium extare. Fingit tamen nescio quam purgatorij effigiem commentitiam: nempe, animas ab hoc seculo soluentes, antequam regnum ingrediantur, timore solò cruciari: nimirum, hæsitantes quo sint statu, & loco, salutis ne an damnationis. Atque huius phreneſis fundamentum fuit alius error, quo docuit in hoc seculo neutiquam esse posse perfectam charitatem, sed semper habere admixtum aliquid peccati, perfectam verò charitatem non esse, nisi in patria. Et quia ait Ioan. 1. cano. cap. 4. quod non nisi perfecta charitas foras mittit timorem, & quod timor pœnam habet, inde colligebat, quotquot ab hac vita proficiscuntur, quantumuis sanctissimos, ante ingressum cæli alicubi remorari, patientes illam timoris pœnam incertitudinis sui status. Quare dicebat, quòd in solo inferno est ignis, in purgatorio verò non nisi pauor & metus, iuxta illud Ps. 11. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.

Hæreticorum error.

Figmentũ Lutheri.

Alius error Luth.

His tamen erroribus nihil obstantibus ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Post hanc vitam est locus, in quo animæ igne purgantur à pœnis, quæ ex remissis mortalibus relictæ sunt, vel venialibus sunt annexæ, neque in hac vita fuerunt satisfactione deletæ. Quam quidem conclusionem licet videam nostros bonis rationibus fulcire, tamen vnicum eius est fundamentum, quo concesso, planissima consequentia colligitur, sed illo negato, nulla esse potest ratio, quæ hæreticos conuincat. Fundamentum autem est illud, quod hac de causa q. 1. art. 1. tam multis corroborare studuimus: nempe, iustitiam Christi non sic nobis imputari, ac si nos illam exhibuissemus. Nam illud est hæreticorum fundamentum ad negandas satisfactiones ac subinde purgatorium. Enimuerò si cùm primum quilibet post baptismum lapsus reunitur Christo, fitque eius membrum, imputatur ei eius passio: veluti dum legitimè baptizatur, profectò neque vlla opus est satisfactione amplius in hac vita, nec purgatione in altera. Veritas autem Catholica est, quòd solùm in baptismo, vbi regeneramur in Christo, & commorimur, ac sepelimur in illo, vt ait Paulus† fit illa nobis plenissima passionis communicatio. Deinde verò non applicatur nobis nisi per pœnitentiam, & alia sacramenta quæ habent certum gradum gratiæ, ac perinde certum satisfactionis, aut secundum mensuram nostrorum operum, quæ diuina ope maiora esse possunt, & minora. Quod negare, est facere omnes iustos æquales in sanctitate, quæ fuit Lutherana blasphemia. Hoc autem constituto palam consequitur non semper per contritionem, aut sacramentum pœnitentiæ remitti totam pœnam temporalem. Ex quo rursus subinfertur, quòd neque illud quod relinquitur semper in hoc seculo per satisfactionem in integrum deletur. Præterea cùm peccatum veniale natiuum etiam habeat reatum pœnæ, & eiusmodi peccata simul cum gratia esse possint, fit consequens, vt non omnis, dum hac vita defungitur, prorsus ab his pœnarum maculis expurgatus decedat. Hinc ergo argumentum sic extruitur. Paradisus cælestis, vbi diuina præsentia conspicitur, ferre nequit, vt nomen ipsum & constantissima ratio admonet, vt quippiam maculosum in eam ingrediatur: sic enim & Esaias 35. cap. de hac beata via vaticinatus est. Via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus, sic in Apocaly. Ioan. ca. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. sic & ad Ephes. 5. ait Paul. de Ecclesia sponsa Christi, quæ illam sanctam ciuitatem ingressura est, quod Christus eam sanctificauit, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Vbi denotatur, quòd non sit cælum ingressura, donec sine macula sit & ruga, sicut de lauacro baptismi egressa: quare & quamcunque animam cælum ingredientem illis verbis sponsus excipiet (tam

1. Concl.

Fundamẽtum concl.

In solo baptismo plena passionis communicatio.

† *Rom. 6. Gal. 3. Colos. 2.*

Corollarium ex funda. concl.

1. Argu. pro concl.

ctu de beata virgine per antonomasiam intelligantur.) Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, veni de libano, veni coronaberis: ergo necessarius est locus, per quem fœlices animæ tranſeuntes à quocunque inquinamento, quod diuinis oculis indignum est, perpurgentur. Huic certè veritati non dissonè concinit Malachias cap. 3. vbi ait, Ipse (scilicet Christus) quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt domino offerentes sacrificia in iustitia. Arridet enim Malachias Paulo proximè citato de sponsa sine macula & ruga.

Malac. 3.

2. Argu.

Secundum argumentum sumitur ex illo Matthæ. 12. quod dist. 15. q. 2. artic. 2. tetigimus. Qui dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc seculo, neque in futuro: vbi Greg. quarto libro dialogorum adnotauit aliqua leuia peccata remitti in futuro seculo per ignem purgationis, & refertur distinctione. 25. can. Qualis.

3. Argu.

Tertiò arguitur ex illo Paul. 1. Corin. 3. vbi cum dixisset, Christum esse vnicum fundamentum spiritualis vitæ, subdit: Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hoc enim postremum verbum intelligi nequit de opere, quod in inferno arsurum est: nam inde nemo potest euadere saluus: intelligitur ergo de homine illo, cuius peccatum igne purgatorio concremabitur, vt ipse purificatus recipiatur in regnum. Hunc enim locum etsi cauillatores aliorsum iniquè vertant, tamen vt bene ait S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 2. non possunt alium recipere sensum, quàm quòd per aurum, argentum, & lapides pretiosos, intelligantur bona opera, quæ supra fundamentum fidei secundum diuersos virtutis gradus extruuntur: per lignum autem, fœnum & stipulam, venialia peccata: quia etiam suos habent gradus. Nam sicut hæc saluo ædificio comburi possunt, ita & venniales culpæ in purgatorio salua fide formata, ac perinde persona. Et sic exponit hunc locum Augu. in de fide & operibus, & lib. 21. de ciui. Dei. & sermo. 4. de igne purgatorio, qui est 41. inter sermones de sanctis, & refertur 25. dist. can. Vnum orarium. vbi ait, quosdam per ligna, fœnum, & stipulam intelligere capitalia crimina, super fidē fundata. Sed tamen, inquit, intellectus iste seductorius est, quia qui illa peccata committit, saluus esse non potest, sed est æterno igne puniendus. Illo ergo transitorio igne, de quo Pau. loquitur, sola minuta peccata purgantur. Ad idemque alludit in enchiridio ca. 69. atque idem refertur ead. dist. 25. can. Qui in aliud, vbi ait, quòd qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis, prius purgabitur igne purgationis, qui non est æternus. Atqui Hieronym. in postremis verbis lib. 18. super Esaiam refert quosdam verba Pauli sic intelligentes, vt colligerent, quòd etiam ignis, quo in inferno puniuntur peccata mortalia, quòd intelligebant per ligna, fœnum & stipulas, non sit æternus, sed transitorius, vt tandem damnati saluj fiant. Contra quod ait, quod sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum, & impiorum, & Christianorum (scilicet per fidem formatam) quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiam iudicis. Ante hos sactos patres, fuit & priscus Origenes homilia. 6. super Exod. qui eodem modo eundem locum Pauli exponit, dicens quòd Dominus purgabit filios Leui, sed & illuc, inquit, cùm venitur, si quis multa bona opera, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne resoluitur, ac purgatur, & totum remanet aurū purum. Et si quis plus illuc plūbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt si purum aliquid est auri, purgatum tādem resideat. Quod si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est, Demergetur in profundum tanquam plumbum in aqua validissima. Et quamuis isti sancti solùm peccata venialia designari sentiant in verbis Pauli expurganda in alio seculo, eadem profectò ratione ex eisdem testimonijs colligitur & pœnas remissorum mortalium illic esse expiandas.

Exponitur locus ex 1. Cor. 3.

Aurum, argentum, lapid pretios. bona sunt opera. Lignum, fœnum, stipu. venialia peccata.

Idem Augu.

Hieron.

Origenes.

Præter hæc est apertissimus locus citatus 2. Machab. 12. vbi de fortissimo Iuda legitur, qui postquàm cadauera, quæ in prælio ceciderant, sepeliuit, collatione facta duodecim mille drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium bene de religione cogitans. Vbi concluditur quod sancta & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Hoc enim testimonium vsque adeò est euidens, vt hæretici aliter recutere illud nequeant, quàm negando librum illum esse canonicum. Attamen licet vsque ad tempus Hieronymi sub iudice lis fuerit, esset ne canonicus, ob id quod apud Iudæos non reperiebatur, tamen ecclesia semper eum habuit vt canonicum, vnde August. lib. 18. de ciuitat. Dei cap. 36. ait, quod libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet. Et Hieron. in prologo super 2. eorum lib. ait, quod licet non habeantur in canone Hebræorum, tamen ab Ecclesia inter diuinorum voluminum adnotantur historias. Quocirca in concilio Carthaginensi 3. & decreto Gelasij, & Innocentij primi, & Augustini 2. de doctrina Christia. ca. 8. inter canonicos adnumerantur. Et postea in concilio Florentino, cui Tridentinum de hac re subscripsit. Igitur à tempore antiquo ante annos hinc mille ferè ducentos Ecclesia receptissimos illos libros habet, in exequijs mortuorum illam canens lectionem. Atqui August. in libr. de cura pro mortuis agenda, catholicam religionem orandi pro mortuis eadem autoritate confirmat. Et Gregor. Nissenus. Si aliquis, inquit, Christo consentiens in hac vita purgare peccata minus potuerit, post transitum hinc per purgatorij ignis conflationem expeditur. Et subdit. Hoc prædicamus dogma veritatis seruantes, & ita credimus. Hoc etiam vniuersalis Ecclesia tenet pro defunctis exorans, vt à peccatis soluantur.

4. Argum. Ex 2. Machab. 12.

Hæreticorum subterfugium.

Probatur hæc veritas lib. Machab.

Concilia & patres.

Ecce testimonia sacra, sanctorum interpretamentis confirmata, quibus purgatorium adstruitur, & quibus proinde contradicere proculdubio hæreticum est, & à fide alienum, vt ait S. Tho. dist. 21. q. 1. art. 1. Est enim decretum concilij Carthaginensis. 4 cap. 95. vbi sic legitur. Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesijs, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. Et in concilio Florentino inter Armenorum instructiones vna est hæc. Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari: & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia. Præterea ex lib. Psalmorum multa orthodoxa Ecclesia desumit ad orandum pro mortuis, vt illud. De profundis clamaui ad te Domine, &c. &, Circundederunt me dolores mortis, & dolores inferni circundederunt me. Nam inferni nomine non solùm damnatorum locus, verùm & quo iusti etiam descendunt designatur, iuxta illud Gen. 37. Descendam ad filium meum lugens in infernum.

Ex psalmis

Satis Lutherum sua extimulabat conscientia, vt purgatorium confiteretur, nisi tam fuisset pernicioſe amator popularis libertatis & fauoris. Ait enim artic. trigesimoseptimo. Ego tamen & credo purgatorium esse & consulo, suadeo q; credendum, sed neminem volo cogi. Versutum dogma.

Lutheri confessio de Purga.

Sed arguet quis forsan contra hanc veritatem. Sicut charitas se habet ad æternum præmium, ita & peccatum se habet ad supplicium æternum: sed decedentes in peccato statim descendunt in infernum: ergo & decedentes in charitate statim euolant in cælum. Respondetur ad maiorem, non esse omnino simile: nam cùm bonum sit ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu, potest bonum charitatis retardari per aliquod malum venialis culpæ, vel pœnæ pro mortali remisso. Et tamen mortale peccatum per se sufficit ad descensum. Enimuerò cùm respectu Dei, vt diximus, nulla sit in nobis iustitia, nisi quæ suæ gratiæ innititur, sit vt qui in peccato mortali decedit, quantacunque bona in charitate egerit, nihil tamen iustitiæ habet, vt præmium aliquod illorum ante descensum in infernum suscipiat.

Obiectio.

Secunda conclusio. Iusti, qui à culpa & pœna in hoc seculo absoluti sunt, absque transitu per purgatorium in cælo recipiuntur. Conclusio catholicis in

2. Concl.

confesso

confessio est: statuitur autem contra Lutherū. Et primò ex ijs quæ dicta sunt colligitur: nam purgatorium non est nisi ad abstergendos reatus aut pœnæ, aut venialis culpæ: est autem possibile & sæpenumero contingens, vt multorum animæ cum innocentiæ candore hinc proficiscantur. Vt sacro fonte abluti ante vsum rationis defuncti, & Apostoli, & martyres, atq; alij sanctorum canoni conscripti. Nam de deipara virgine quis audeat dubitando blasphemare? Imò de diuo Stephano, cui in martyrio patito aperti sunt cæli, vbi vidit Iesum stantem in gloria, nónne vesanæ mentis esset dicere, quòd fœlici animæ à corpore proficiscēti recluderentur ijdem cæli, vt timore aliquo cruciaretur de suo statu dubitans? At de illo timore quem in purgatorio fingit ob incertitudinem sui status, articulo proximo dicturi sumus. Ex hac conclusione subsequitur, quòd status purgatorij non est per se ex necessitate medius inter nostrum & illum fœlicem beatorum, sed per accidens, quando scilicet accidit hinc animas cum aliquo reatu pœnæ proficiscī.

Status purgatorij per accidens est medius inter Parad.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum nostrum respondetur, verbum illud Apocaly. sic intelligi, quòd morientes in domino statim cessant à labore merendi, & demerendi, quem habebant in via, non tamen omnes à labore passionis, qua purgentur.

Solut. 2. Vbi sit purgatorium.

Secundum argumentum petit, vbinam sit purgatorij locus. Hæc autem quæstio ad dist. 44. & 45. attinet, vbi de receptaculis mortuorum agendum est latiùs, multaque alia de purgatorio adhibenda, quæ hic ideo prætermittimus. Interim autem respondetur, quosdam opinatos esse, lege communi vnumquemq; illic purgari, vbi deliquit. Sed hoc ideo non est probabile, quòd potest homo simul pro multis peccatis puniri, quæ diuersis locis commisit. Alij verò dixerunt puniri omnes lege communi suprà nos vel in aëre, vel in elemento ignis, eo quòd eorum status medius est inter nostrum & beatorum. Sed neque hoc est probabile, quia non puniuntur pro charitate, qua nos excedunt, sed pro peccato, quod in eis est infinitum. Dicendum ergo, quòd licet de hoc testimonium sacræ scripturæ sit nullum, neque conuincens ratio; ducuntur tamen ex natura rei coniecturæ, quod lege communi eodem igne crucientur, quo damnati in inferno, tum quod in scriptura non est alia mentio quàm ignis inferni: tum etiam quòd cum in purgatorio fiat peccatorum punitio, sicut in inferno, videtur eidem igni competere. Neque opus est plures multiplicare, postquam non aliter differunt, quàm quod vnus est æternus, alter temporalis. Quæ quidem differentia solùm dicit duos respectus eiusdem ignis secundum substantiam. Vnde Grego. suprà citatus. 4. libr. dialog. Sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: ita sub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur: videlicet, quòd damnati ceu in perpetuo carcere sunt illic inclusi, alij vero non nisi ad tempus, quousque purgentur. Est autem ille ignis corporeus, quandoquidem & corpora post resurrectionem comburet. Quamuis ignis inferni, quia institutus est ad cruciandum, alijs atrocitatis nominibus nuncupatur, iuxta illud Psal. † Ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. At verò quia pœna purgatorij solùm est ad purgandum (quod igni est proprium,) illa pœna soli igni tribuitur. Est igitur in medijs terræ visceribus: nam & nomen inferni infimum locum sonat, & vbique in sacra pagina legitur in infernum descensus, vt de Dathan & Abiron legitur Num. 16. quod descenderint viuentes in infernum. Et Psal. 54. vbi Psalmista iniquis maledicens ait: Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes. Et communi nomine cum inferno damnatorum ait Iob, cap. 14. Vt in inferno protegas me. Et Dauid, Deus redimet manum meam de manu inferi: hoc est, de purgatorio & limbo. Quapropter sinus purgatorij paulò est eleuatior, quàm locus damnatorum: nempe, vbi certa spes est paradisi. Cui loco supereminet limbus puerorum, quo ignis non attingit: nam supremus Sinus Abrahæ, hoc est, patrum limbus, iam ab orbe redempto vacuus est.

1. Opi.

2. Opinio.

3. Opinio.

Purgatorij ignis idem qui inferni.

Psal 10.

Limbus puerorum. Sinus Abrahæ. Anima nonnunquam ibi, vbi peccauerunt puniuntur.

Dixerim lege communi illic animas purgari: nam ex dispensatione probabile est, vt ait Hugo, quòd in his locis puniantur, vbi commiserunt culpam. Et Gregor. in dialogis narrat de quodam Germano episcopo Capuano, qui in balneis purgabatur. Quæ quidē dispensatio nonnunquā fit vel ad viuorum instructionem vel ad mortuorum subuentionem, vt viuentibus eorum pœnæ innotescant, qui suis suffragijs eos adiuuēt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm pœna purgatorij excedat omnem pœnam temporalem huius vitæ.

QVAERITVR secundò de quantitate purgatoriæ pœnæ, & arguitur quòd non excedat omnem pœnam huius vitæ. In purgatorio non tenentur nisi animæ, nam post resurrectionem corporum non est amplius duraturum: acerbior autē pœna ignis est exurentis corpus, quam animam cruciantis, tum quod magis passiuum est quàm anima separata, cùm sit materiale: tum quòd habet qualitates igni contrarias, & materiam, qua possit ignem sustipere, quòd animæ non conuenit: ergo tormentum ignis in hac vita vehementius est, quàm purgatorij.

Part. neg. argum. 1.

In contrarium est sententia Augustini in sermone citato, † qui ait, quòd ille ignis purgatorij durior erit, quàm quicquid pœnarum in hoc seculo aut sentire, aut videre, aut cogitare quis potest. Et in lib. de pœnitentia, cap. 18. qui refertur canon. Qui in aliud. distin. 25. idem ferè ait. Et in lib. de vera & falsa pœnitentia comparatur ad truculentas martyrum cruces, & asseritur esse maior illis. De pœnitentia dist. 7. can. Nullus.

Pars affirmatiua. † 21 de sanctis.

In hoc articulo multa de modo & qualitate pœnæ purgatorij sunt perscrutanda, quomodo scilicet cruciet, & an illic existentes sint certi suæ salutis. Et ideo ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Est enim illic duplex pœna: scilicet, damni & sensus. At verò de pœna damni triplex est dicendi modus. Fuerunt enim olim, vt D. Thom. loco citato, dist. 21. q. 1. art. 1. refert, qui opinati sunt existentes in purgatorio adeò esse pœnis absorptos, vt non sentiant se purgari, sed potius putent se esse damnatos. Huic errori proximus est ille recitatus Lutheri tenentis dubios saltem esse de sua salute propter suam imperfectam charitatem, quæ annexum habet timorem; & pauorem quasi expectantium iudicis sententiam, vt est videre in suo prælegato art. 5. & latiùs in 38.

Deci. art.

In purgatorio duplex pœna. sc. damni & sensus.

Aduersus quem errorem Caietanus Augustæ responsiunculam composuit, sed breuissimè se expedinit. Sit ergo prima conclusio. Existentes in purgatorio neutiquàm de sua salute ambigunt, imò sunt de illa certi. Probatur. Illi sunt in charitate: ergo habent formatam fidem & spem, quam habebant in via: in via autem per fidem credebant non pati ignis tormenta nisi damnatos, & eos, qui purgantur: & vident se non esse damnatos: ergo certò sciunt se esse in purgatorio. Probatur minor quia per eandem fidem norunt damnatos Deum non diligere: ipsi autem experiuntur se in eius dilectione perstitere: ergo planè colligunt se esse in purgatorio. Et cùm per eandem fidem credant, illis qui illic existunt, non esse possibile in peccatum relabi, quia intelligunt esse extra viam, fit vt sint suæ salutis certissimi.

1. Concl. Ratio 1.

Secundò retinent spem, quam habuerunt in via: ergo beatitudinem sperant, quod quidem per fidem credunt damnatis non esse possibile. Neque suspicabile est ignis vehementiam sic illos obruere, & absorbere, vt vsum habere nequeant illarum infusarum virtutum. Primò, quia anima separata valentior est, vt cruces ferat, quàm in corpore. Vnde epulo ille diues † dum ex infernalibus flammis cupiebat exire, & refrigerari, ostendebat non habere absorptam rationem. Secundò, quia non est Deus credendus tanto cum rigore amicos suos cruciare, vt lucis rationem in eis extinguat. Quapropter vrgentius est argumentum aduersus priorem opinionem dicentium, quòd putant se esse damnatos: esset enim illa afflictio maior, quam vt Deus illā amicos suos afficere debeat.

Ratio 2.

Luc. 16.

Quinuerò contra Lutherum hoc est maximum argumentum. Profectò si existentes in purgatorio ancipites essent ambigentes, quam essent sententiam, audituri, immanissima esset anxietas & intolerabilis cruciatus. Quod enim quis in hoc seculo dubius sit suæ salutis, eò non est tam graue tormentum, quòd est in statu, quo potest in viam redire. At si post quā homo est extra viam quando non potest aliorsum declinare dubius esset quidnā sit Deus de ipso decreturus, acerrima esset afflictio. Præsertim cùm vt paulò ante

Arg. contra Lutherū.

diximus, sæpè legantur amicis apparere, à quibus suffragia exposcunt, quod non facerent, nisi certi essent suæ salutis, & flagrantissimè cuperent ab illo carcere dissolui, & esse cum Christo.

Contradictio Lutheri.

At verò aduersus Lutherum ex suis ipsius concessis sumitur argumentum nouum, sæpissimè enim ille pugnantia dicebat. Fuit namque in illo errore, vt quicunque in hoc seculo per fidem fieret membrum Christi, esset omnino certus suæ salutis. Mirandum ergo est quomodo postea dixerit, quod anima corpore exuta illam perdat certitudinem, & pauore in purgatorio crucietur.

Aliud arg.

Deinde arguitur. Quamuis daremus ei, quòd nullius charitas in hoc seculo potest sic esse perfecta, vt non habeat admixtum timorem, quid subinde necesse est dicere, quòd exiens à corpore, si nulla indiget purgatione, debeat in illo timore manere? Præterquàm quòd multi, etiam præter sacratissimam virginem & Apostolos, in hoc seculo eò charitatis ascendunt, vt charitas in eis foras mittat timorem.

Diluitur arg. Lutheri.

Stat ergo sententia catholica, quòd pœna damni existentibus in purgatorio non est, nisi retardatio à consecutione suæ fœlicitatis. Vnde ad argumentum Lutheri respondetur charitatem bifariam dici perfectam. Vno modo perfectione viæ, atque altero perfectione patriæ. Perfectio viæ est, vt nomen sonat non deuiare à recta mandatorum linea, quod comprehenditur illo magno præcepto, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: id est, nihil admittes in corde tuo dilectioni contrarium. Perfectio autem patriæ est, sic fixum habere cor in Deum, & immobile, vt non solùm non declinemus, sed neque declinare possimus ab eius voluntate, neque eius dilectionem remittere: illam enim appellat Paul. † pacem, quæ exuperat omnem sensum. Atque illa non cadit sub præcepto, sed pertinet ad præmium & finem prioris. De priori autem ait Ioan. 1. cano. cap. 2. Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Et de eadem ait cap. 4. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: nam perfecta charitas foras mittit timorem. Potest ergo homo ab hac luce decedere absque timore: imò accidere cuiquam potest, vt quamuis cum timore discedat, sit nihilominus à purgatorio liber. Haud equidè negamus, quin in purgatorio aliquis sit metus, non tamen est ille seruilis, quem charitas foras mittit, quia illic nullus est metus perpetuæ gehennæ, sed erit metus de tempore durationis illarum pœnarum: quia fortasse nesciunt, quantum sit eis tempus purgatorium præscriptum: & quando hoc sciant, ignorant quibus suffragijs sint in hoc seculo iuuandi.

Diuiditur perfecta charitas.

Philip. 4.

1. Ioan. 2.

Quis metus in purgatorio.

2. Concl.

Secunda conclusio. Pœna ista damni est omnium maxima, quæ in hoc seculo accidunt. Conclusio est S. Thom. loco citato. Probatur primò, quia desiderium rei concupitæ per se angit & cruciat: in illis autem, qui sunt in purgatorio, multis nominibus excrescit. Primum, quia quod desideratur est summum bonum. Secundò, quia fides illic robustior est quam in via, & spes certior, & charitas confirmata, ac perinde intensissima, quæ extra paradisum esse potest, eo quòd illic moles corporis non est animæ separatæ obstaculum diligendi toto conatu. Sunt enim illic veluti graue saxum in sublimi trabe aliqua impeditum, ne suo pondere ad centrum terræ feratur. Augetur præterea illis inde pœna, quòd vident sua culpa ab illo diuino conspectu retardari.

Ratio.

His tamen non obstantibus hanc conclusionem, quæ etiam est Ricardi dist. 20. art 2. q. 1. concedere renuit Bonauent. ead. dist. art. 1. q. 1 idem 2. propterea quòd desiderium illud videndi Deum ob certitudinem spei multum habet consolationis admixtum. At profectò licet hoc verum sit, nihilominus amoris vis omnem exuperat consolationem.

D. Bona.

De pœna verò sensus, quia corporeus ignis in spiritum agere non valet, variatum inter doctores plurimum fuit. Quorum omnes opiniones D. Thom. dist. 44. ad quem locum disputatio hæc pertinet. q. 3. art. 3. percenset. Quidam enim negarunt esse corporeum. Sed contra sensit Augustinus. 21. de ciuita. Dei. c. 10. quia dictum est Matth. 25. Ite in ignem æternum, quod verbum non per metaphoram, sed in sensu proprio intelligendum est. Alij dixerunt animas cruciari igne, quia apprehendunt ipsum, vt nociuum: nam solus visus non potest animam constringere, nisi rem videat, vt sibi nocuam. Sed certè neque hoc sufficit ad afficiendam animam dolere, & mœstitia: nam vel illa apprehensio esset vera, vel falsa, & ficta. Si esset falsa, certè non esset cruciatio ignis, sed ex sola imaginatione procedens, quare non opus esset adesse ignem, sed quod illud accideret sicut somniantibus. Quod re vera animabus separatis congruere non potest, quia non habent species phantasticas, sed intellectuales, per quas falli non possunt sicut somniantes. Et si absque talibus phantasticis speciebus deciperentur, peior esset deceptio: nam esset manifestus error, quo nec Deum decet, dæmones, aut animas decipere, nec suæ naturæ congruit decipi iudicando rem præsentem, quæ non est.

De pœna sensus.

Opinio 1.

Opinio 2.

Opi. autoris.

Absque dubio ergo dicendum est ignem illic realiter esse, & realiter agere in animas & dæmones. Vnde Greg. 4. lib. dialogo. Colligere, inquit, ex dictis Euangelicis possumus, quod incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur.

Quorundam interpretatio.

Sed dicunt aliqui hoc sic intelligi, quod ignis potest considerari vno modo, vt res corporea, & hac ratione nullam potest actionem in anima exercere. Alio modo quatenus est instrumentum Dei supranaturaliter operantis, & hoc modo potest agere in spiritum, quemadmodum aqua baptismi cauta instrumentalis est gratiæ. At verò si ignis illic inquantum corporeus non agit, nihil eo opus esset: nam aqua vel purus aër posset animas tanquam instrumentum Dei, & multò facilius torquere. Item quia re corporea Deus non vtitur tanquàm instrumento ad spiritualem effectum, nisi vtendo actione naturali rei ipsius, vt per ablutionem aquæ abluit animam, sicuti actione asciæ statuarius facit statuam: si ergo ignis instrumentum est Dei, per suam propriam actionem est eius instrumentum.

3. Conclus.

Sit ergo tertia conclusio præsentis articuli. Anima in purgatorio realiter patitur pœnam sensus ab igne per propriam eius actionem, tamen supernaturaliter, qua Deus tanquam instrumento suæ diuinæ iustitiæ ad purgandas animas vtitur. Neque opus est aliam ei virtutem imprimere, quam illo vti tanquam suo instrumento, sicut de aqua baptismi supra diximus.

Nota, animam non pati ab igne nisi ei vniatur.

Ad huius autem rei intellectū notandū, quòd anima à corpore non potest pati, nisi ei quodammodo vniatur: vnde quia anima vnitur corpori nostro, patitur ab eo, vt 2. de anima ait Arist. afficitur enim lætitia, & mœrore ex corpore: & vt est Sapien. 6. Corpus quod corrūpitur aggrauat animā. Sicut ergo anima vnitur corpori tanquā actus ipsum viuificans: ita supranaturaliter anima in inferno vel purgatorio vnitur igni: non quòd ipsum viuificet, sed quòd ab ipso patiatur, & hoc loco detineatur, quod naturaliter ab igne fieri non posset: nam licet spiritus definiatur loco, non tamen naturaliter ei subditur, vt vi detineatur ab illo, sed hoc patitur ab illo igne, tanquā instrumento Dei, qui est animæ velut carcer, cohibens eā quo voluerit, exire, & potissimū ne in concupitum paradisum euolare possit. Qui n. per baptismi aquam gratiā confert, nil mirum si per ignem possit animas illic comprimere. Imò verò vnus angelus alio fortior potest eum inuitum loco aliquo detinere per vires naturæ, ne exire possit. Et quidem in damnatis augetur pœna illa, eo quòd per ignem illum instrumentum Dei, quem tanquam capitalem hostē immortali odio prosequūtur, detinentur. Animæ verò quæ purgantur, non illū habent mœrorem, sed quod suæ culpæ illum sibi carcerem creauerint. Vnde Aug. loco citato 21. de ciuita. Dei, cap. 10. Cur, inquit, non dicamus, quāuis miris, tamen veris modis spiritus incorporeos posse spirituali ignis corporei pœna affligi, si spiritus hominum includi potuerint corporalibus membris? Adhærebūt enim, inquit, dæmones (atq; adeò animæ) corporeis ignibus cruciandi, non vt ignes ipsi eorum iuncturis inspirentur, & animalia fiant, sed vt ipsi spiritus ab ignibus pœnam accipiant. Et loco citato 4. dialogo. Greg. probans animas incendiū pati ait, Dum veritas peccatorū diuitē damnatū in igne perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Cui sententiæ & Iulianus Toletanus archiepiscopus subscribens, quem Magist. Sent. d. 44. citat, ait, Si viuētis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne tenetur?

Quinuerò addiderim ad maiorem rei explicationē, damnatorum purgandorumq; animas non modo

sic

Non pati vt in carcere tantùm, sed per tristitiam.

sic pati quàm carcere inclusas, verùm & per tristitiam, acsi in corporibus vterentur: hæc, in. proprie est pœna sensus. Non quòd sensus habeant corporeos, sed dicitur illa tristitia pœna sensus ad differentiam pœnæ damni. Probatur. Quia si non esset alia tristitia, nisi quia detinentur in carcere, a quo prohibentur exire, non magis includerentur igne, quam aqua vel aere: cùm ergo includuntur igne, actio ipsa ignis peculiariter illic applicatur. Et confirmatur planè ex verbis Gregorij dicentis, quod experiuntur incendiũ & cremantur: igitur sicut si anima esset in corpore quod exuritur, reciperet in appetitu sensitiuo dolorẽ, ex quo generaretur ei tristitia in appetitu rationali, nempe in voluntate: ita per illũ ignem quatenus instrumentum Dei, generatur in anima, licet corporeo sensu careat, tristitia similis illi quæ generaretur ex sensatione ignis. Quæ quidem tristitia est tanto maior quàm dolor qui recipitur in sensu corporeo, quanto anima exuta illo sensu delicatius & tenerius afficitur. Nam etiam in corpore quo læsiones penetrant, videlicet ad cordis viscera & centrum, tanto sunt acerbiores. Ex quo colligitur, vt ad titulum quæstionis reuertamur, quòd pœna illa est maior omnibus quæ in hac vita recipiuntur. Quod præter testimonia Augustini citata, est etiam sententia Greg. in expositione tertij Psalmi pœnitentialis. Ex his fit consequens, quòd pœnam, quam vnusquilibet in purgatorio patitur, homo mortalis in hac vita non posset citra mortem tolerare, sed quia illic est supernaturalis, incorruptibilis anima eam ferre valet. Et postquam dictum est animas illio detineri ab igne tanquam instrumento Dei, forsan quis sciscitetur, vtrum detineantur à solo Deo immediatè, an verò per angelos probos vel reprobos. Apparet enim, quòd ministerio dæmonũ in purgatorio crucientur: nam vt ait Mag. Sent. d. 44. damnati illos habebunt tortores in pœnis, quos habuerunt incitatores in culpa: cùm ergo ad peccata quoque venialia incitent, fit vt pœnas quæ pro illis exigũtur etiam infligant. Neque quòd illæ animæ sint iustæ, quicquam obstare videtur, cùm Iob legatur dæmonis opera calamitatibus attritus.

Pœna maior, omnibus huius vitæ. Greg.

Dubium. A quo ibi detineantur animæ.

4. Concl. Ratio. 1.

Non cruciari à Dæmonibus.

Ratio. 2. Neque ab Angelis.

Nihilominus per quartam conclusionem respondetur. Deus per nullum ministrum, sed solùm per ignem animas in purgatorio castigat. Probatur, quoniam cùm iusti in hoc seculo cum eis depugnauerint, ac demum de eis triumphauerint, ratio iustitiæ non permittit, vt victores victis post hanc militiam subdantur, à quibus crucientur. Esset enim eis præ alijs tormentis acerbum, ab illis puniri, quos in prælio sub Dei vexillo, proq; eius legibus tuendis dimicantes prostrauerunt. Quare neque diuinam bonitatem hoc permittere decebat. Quod autem neque fœlicium angelorũ ministerio torqueantur, inde probatur, quòd non licet beatos illos spiritus tortores esse suorum ciuium, qui iam in gratia confirmati certi sunt inter eos sessum ire. In hoc quidem seculo quo durat spiritualis militia, nõ est indecens, vt iustos ad probationem virtutis & mali angeli premãt, & boni, vt de Iob legitur, & de Iacob: quorũ alter à Satana in sterquilinio prostratus est, & alter ab angelo in lucta, † vbi ei neruus fœmoris emarcuit. Sententia est Dionysij 4. cap. de diuinis nominibus. Sed tamẽ in alterò longè alia est ratio.

† *Gen. 32. Dionys.*

Obiectio.

Quòd si arguas, Anima, cum sit actus corporis, nequit extra ipsum per se naturaliter moueri: ergo necesse est ab angelis vel bonis vel malis portetur. Concediturr quidem antecedẽs, vt ratio nos physica doceat. Sed ad consequentiam respondet S. Tho. possibile esse, quòd eos angeli boni ad loca pœnarum deducant. Dicit, possibile, quia potest Deus suo nutu animas illas traducere in purgatorium. Sed multò certius est, quòd transferantur per angelos bonos, per quos subleuantur in cælum. Atqui dæmones morientibus quidem iustis certum est adesse, insidiantes si quid in animæ expiratione lucrari possint, vt in historia Martini legitur. Cæterùm post eius exitum nihil habent quod ab eis sperent, licet eas fortasse concomitentur vsque ad pœnarum locum, de quarum visu lætentur.

Damones morientibus adsunt.

Sol. 1. argum.

Instantia.

Ad primum igitur argumentum supra factum respondetur, quod etsi anima separata non sit tam passionibus subdita, quàm in corpore, est tamen magis passionis perceptiua, atque adeò acriori dolore læditur.

Quod autem argumentum contra hanc virtutem quidpiam ponderis habere videtur, est, quòd cùm peccata venialia, ad quorum purgationem locus ille dilectè conditus est, tam leuibus satisfactionibus in hac vita purgentur, quinimerò & remissa mortalia pœnis non multùm duris expientur, vt ieiunijs, eleemosynis, orationibus, vel si quis humi cubet, vel se flagellis cædat, magni penditur, quomodo sit credibile tantam pœnarum acerbitatem esse in purgatorio eisdem peccatis decretam? Respondetur in primis, quod pœna hic sponte assumpta, qua ratione est meritoria, maiorem virtutem habet quam illa quæ à Deo in purgatorio infligitur, quæ, vt modo dicemus, non est meritoria, sed inflicta. Porrò autem licet solutio sit legitima, non tamen totam vim argumenti eneruare videtur, potissimùm cùm venialia per tam multa eademque facillima remedia hic deleantur. Responsio ergo fortè est, quòd clementia Dei non fert multo tempore amicos suos à suo conspectu cohibere, & ideo sapientissima eius prouidentia fuit illas pœnas ad eos expurgandos instituere, quæ breui tempore possent animas illic perpurgare: nam cùm illa supplicia sint supranaturalia, quæ subiectum corrumpere non possunt, potuit quamcunque temporis longitudinem accumulatis pœnis supplere. Quapropter crediderim nunquam aliquem in purgatorio viginti annis extitisse, imò, vt mea fert opinio, nec † decem. Nam cum nemo illic sit nisi Dei amicus, contritio eius, & post Christum passum sacramenta, & suffragia, & bona quæ agit opera, ad cumulum ei satisfactionis accedunt. In summa non est credibile, vt quos pœnarum accumulatione expedire Deus breuius inde potuit, temporis prolixitate detineat.

Solutio 1.

Solutio 2.

Quanto tempore quis sit in purgatorio.

† *Hoc reprehenditur à multis Theologis Vide Bellarm. tom. 2. lib. 2. cap. 9.*

ARTICVLVS III.

Vtrum pœna existentium in purgatorio adeo sit illis voluntaria, vt sit etiam meritoria.

1. Argu.

POSTQVAM de quantitate illius pœnæ visum est, subiequitur vt de eius qualitate dicamus, vtrũ sit voluntaria. Arguitur ergo à parte affirmatiua. Illi sunt in charitate confirmati, & intelligunt voluntatem Dei esse, vt illam perpetiantur pœnam: ergo suam voluntatem cum diuina concordant: in hoc enim rectitudo cordis consistit: atque adeo illa pœna est voluntaria: Præsertim quod sapiens dum finem optat, pariter medium subinde eligit necessarium: cum ergo illi intelligant, sine perpessione illius pœnæ non posse frui concupito fine, illam eligunt.

2. Argu.

Secundò arguitur: quia si illa patientia ex vltronea electione non procederet; nulla illic esse posset culparum remissio; cuius contrarium Greg. 4. lib. dialogorum ex Euangelio colligit.

Pars negatiua.

In contrarium est, quòd si illam sua sponte eligerent, nec cuperent, nec peterent ab illa liberari, cuius contrarium Greg. ibidem refert, & Ecclesia dum suis suffragijs illos iuuat, attestatur. Item quia si assumptio illius pœnæ voluntaria esset, nihil obstaret quo minus esset meritoria, postquam ex charitate processit: & nondum sunt in termino viæ, quandoquidem semper peregrinantur à Domino.

Error Lutheri.

Articulus iste adhibetur contra Lutherum, qui vt est videre art. 38. per Leonem condemnato, ait existentes in purgatorio per suum illum timorem & pauorem mereri apud Dominum: quoniam dum illic perficitur charitas, illum timorem excludit: quo excluso fit inde in cælum transitus. Tum etiam quòd qui crucem ferunt Christi, fiunt eo digni: sed illi ferunt crucem Christi.

1. Concl.

Ad quæstionem nihilominus tribus conclusionibus respondetur. Prima est S. Tho. loco citato. Pœna illa purgatorij non est simpliciter voluntaria, sed hoc tantùm nomine, quòd est patienter tolerata. Pœna enim, si nomen ipsum attentè audias, nulla esse potest voluntaria voluntate absoluta, id est, per se volita, quia per se sonat in malum, sed voluntate conditionata propter aliquem bonum finem: sicut vstio est bona propter sanitatem. Sed hoc etiam modo bifariam esse potest voluntaria. Vno modo, quia eligitur & procuratur tanquam medium ad consequendum finem: atq; hoc pacto satisfactiones pœnitentium in hac vita sunt voluntariæ, & Martyrum cruces. Vel quia illas procurant, aut sic exoptant, vel acceptant, vt nollent non accidere. Sed alio modo pœna dicitur voluntaria, eo quòd licet per ipsam nullum nobis bonum accrescat atque adeò non eligatur, nihilominus est medium

Pœna nulla est absolute voluntaria. Conditionate voluntaria bifariam dicitur.

sine quo non possumus concupito bono potiri, & ideo æquo animo toleratur. Atque hoc pacto in purgatorio pœna est voluntaria, atque adeo æquanimitas qua toleratur, est laudabilis.

2. Concl.

Secunda conclusio. Neque patientia illa illorum qui purgantur, neque vllus alius eorum affectus potest esse meritorius accumulandæ gratiæ aut gloriæ. Probatur planè, quoniam statui merendi annexum est, vt in eo posit etiam esse demeritum: in purgatorio autem nemini est demereri possibile, alias possent damnari, ergo neque sunt in statu merendi. Secundò,

Ratio optima.

2. Ratio.

quia status merendi & demerendi eo præciso tempore durat, quo anima est in hoc corruptibili corpore, cuius sensualitas nobis relicta est ad pugnam. Vnde Iob c.7. Militia est vitā hominis super terram. Et

† *Rom.7.*

Paul. † Quis me liberabit de corpore mortis huius? Cùm primum ergo anima à corpore liberatur, militia cessat, & immobile manet meritum & demeritum illu cuiusque peractum. Vnde Eccles. 11. homo comparatur arbori, quæ quamdiu viuit crescere potest, abscissa verò crescere cessat. Si ceciderit, inquit, lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quo loco ceciderit, ibi erit. Quod exponens Hieronym. ait

Exponitur loc. Eccl. 11.

nomine austri intelligi iustorū causam, aquilonis verò iniquorum. Et ideo neutri, inquit, possunt amplius proficere, neque in malum, neque in bonum, sed in pristinis, ait, sedibus perseuerabūt. Atqui hoc est, quod

Exponitur loc. Ioan. 9.

Christus nos illis verbis Ioan. 9. admonuit: Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quem locum August. tracta. super Ioan. 44. exponens ait, Operetur ergo homo dum viuit, ne illa nocte (scilicet mortis) præueniatur, vbi nemo possit operari. Idemque ait illic Chrysostomi. 45. & Hiero. super Epist. ad Galat. interpretans simile illud verbum Paul. cap. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum. Et Origenes in enarratione. Psal. 36. ait Christum nomine noctis intelligere tempus post hanc vitam futurū: quo nemo potest operari, sed vnusquisque tunc, inquit, pascitur ex operibus suis, quæ hic positus operatus est. Et apertè in Eccl. c. 14. Ante obitum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum, hoc est, nonum aliquod meritum quo ciberis. Cui consonat & illud Eccle. 9. Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erūt apud inferos, quò tu properas. Non quod sancti patres ad inferos descendentes non illis præditi essent virtutibus, sed quod earum vsus non esset illic ad meritorum cumulum possibilis. In summa, Apost. 2. Cor. 5. Oportet nos, inquit,

Paul.

manifestari ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum: vel secundum phrasim Græcam, vt ea quisque reportet, quæ fiunt per corpus. Extra corpus ergo nullum est aut meritum, aut demeritum. Quod Aug.

August.

in Enchiridio c. 110 nos admonens ait: Hic omne meritum comparatur, quo post hanc vitam releuari quisquam posset vel grauari. Nemo autem speret, quod hic neglexit qui obierit, apud Deum promereri.

Satisfit Luthero.

Luthero ergo iam supra responsum est, quod illic non est seruilis metus, ad quem expellendum perficitur charitas, sed metus fortè durationis pœnarum, qui quidem metus nihil auget meriti. Quod autem

Tollitur tantum Crux in hac vita.

ait illos ferre crucem Christi, præuaricatio est Euangelij: tollere n. crucem, & sequi Christum, non contingit nisi in hac vita, vbi homo facit fructus dignos pœnitentiæ: illi autem nō tollunt, sed tolerant passiones illas à Christo ipso tanquam à iudice inflictas.

3. Concl. Opinio quorundā.

Tertia conclusio propter rerum consequentiam adhibetur illa, quam supra dist. 15. q. 2. art. 2. posuimus cū S. Tho. q. 87. nempe, in purgatorio fit remissio culparum venialium. Fuerūt enim quidam opinati, quòd in puncto mortis, quo postremo anima est in corpore, venialia omnia quantum ad culpam tolluntur, eo quod tunc extinguitur concupiscentia. Hoc tamen est

Refutatur.

falsum, quia forsan anima non desinit esse in toto corpore per vltimum sui esse, quandoquidem successiuè membra deserit. Secundò, quanquam daretur minima pars in corde, in qua potest seruari vita, atque adeo daretur vltimum esse illic animæ, tunc tamen non est vsus liberi arbitrij vt possit per charitatem fieri remissio culpæ. Præsertim cùm sint multi morientes sine sacramentis, & cum complacentia venialium, imò alij etiam subitò. Præterea est etiam expressè contra Greg. 4. lib. dialog. qui ex illo Matt. 12. Qui peccant in Spiritum sanctum, non remittetur eis in hoc seculo, neque in futuro: optimè colligit, peccata leuiora remitti in purgatorio. Fit ergo eiusmodi remissio vel in primo ingressu purgatorij per morum charitatis ratione status illius, quo firma est charitas, & ab omni concupiscentia libera, atque adeò ad malum inuertibilis, Quod sentire videtur S. Tho. q. 7. de malo. art. 12. Vel (quod forsan probabilius est) remittitur venialis culpa per illam patientiam, qua qui purgatur, tolerat pœnam illi respondentem toto, quo durat tempore.

Gregor.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd vt homo conformet suam voluntatem diuinæ, non est necesse, vt eligat id, quod Deum velle intelligit, sed satis est illud patiēter tolerare: vt accidit homini dum parentes sui aut nati mortē obeunt. Et in hoc etiā cōsistit sapientia, vt homo quod intelligit necessariū ad finē, æquanimiter perferat, licet mallet ab illo liberari.

Sol. 1. argum.

Ad secundum respondetur argumentum concludere illam patientiam esse meritoriam remissionis venialis culpæ. Quod autem conclusione secunda assertum est, ad id attinet, vt rationes & testimonia probant, quòd illic nullum est meritū accumulandæ gratiæ, aut gloriæ, sicut in via contingit. At verò quod ratione actus illius laudabilis charitatis remittatur culpa siue vlla adiectione gratiæ, illi statui non repugnat: eo vel maximè, quòd illa non propriè dicitur tam ratio meriti, quàm ratio confirmatæ charitatis, quæ resilire à diuina voluntate non potest, & ideo vt non est ratio perfectæ libertatis, ita nec propriè meriti. Hactenus de secundo membro tractatus de pœnitentia, quod de tribus eius partibus propositum erat.

Solut. 2.

Remitti culpam nō repugnat statui purg.

DISTINCTIO VIGESIMA.

DE CLAVIBVS ECCLESIÆ.

Cap. 1.

POST sermonem de Sacramento pœnitentiæ, qua ratione ad pœnitentes attinet, subsequitur meditatio clauium Ecclesiæ, quibus eius ministri in eodem sacramento, cæterisque dispensandis atque in Ecclesiastica republica administranda funguntur. Sunt enim claues,

Definitio clauium.

vt habet gl. super Mat. ca. 8. discernēdi scientia & potentia iudicandi, qua Ecclesiasticus iudex dignos recipere, & indignos debet excludere à regno. Hanc n. diuinam facultatem prouidentissimus seruator noster Ecclesiæ suæ prospiciens, tum Petro Mat. 16. tum etiam

Promissio clauium.

toti Apostolorum sacro collegio Matthæ. 18. pollicitus est. Quinuerò & hoc loco fortasse iurisdictionem in extero foro contulit. Deinde in cœna sacerdotibus institutis post resurrectionem demum insufflato Spiritu sancto potestatem remittendi, retinendique

Traditio. Ioan. 20.

peccata donauit, quod absoluere est & ligare; Enimuerò cùm ante eius passionem, qua regnum cælorum hominibus apertum est, obseratum semper fuerit, nemo aut in statu naturalis iuris, aut sub lege scripta hoc cælesti munere potitus est, sed est donum quod humanum genus redemptori debet. Vnde Paulus Hebræ. nono hoc discrimen inter summum sacerdotem veteris legis, & Christum Pontificem nostrum constituit, quod ille solum per sanguinem hircorum & taurorum introibat in Sancta Sanctorum ad cæremoniales sordes emundandas: Christus autem Pontifex futurorum bonorum in sanguine

Hebra. 9.

proprio

proprio introiuit in sancta, vt æterna redemptione inuenta, cœlestem nobis aditū aperiret.

Cap. 2. Quibus hæc clauium potestas commissa.

Atqui diuina hæc potestas non in omnibus promiscuè Christianis existit, vt hæretici docent, arbitrati omnes Christianos esse sacerdotes, perperamque illud Petri † allegantes, vos autem genus electum regale sacerdotium. Quin vero, vt Apostolus ad Ephes. ait, sapientissimus architectus noster quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem dedit Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad cōsummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Quare & sacerdotes esse voluit, quibus sacramentorum dispensationem cōcederet. Vnde Ambrosius: † Hoc, inquit, ius (scilicet ligandi & soluendi) solis permissum est sacerdotibus. Tametsi eo vti nequeant, nisi in eos, qui per iurisdictionem sibi sunt subditi, iuxta cap. Omnis vtriusque sexus. vbi cauetur, ne vllus sacerdos alienum parœcianum sine licentia sui curati soluere vel ligare præsumat. In hoc n. Christus Dominus Petrum vniuersalem Ecclesiæ pastorem constituit, dicens ei, Pasce agnos meos, vt inde tanquam à Christi vicario, ac subinde Ecclesiæ capite omnis iurisdictio deriuata in alios Prælatos & Sacerdotes descēderet. Quapropter qui ab Ecclesia præcisi iurisdictione priuantur, vsu etiam clauium suspenduntur.

† 1. Pet. 2. Ephes. 4.

† lib. 1. de pœnit. c. 2. Tom. 1.

Ioan. vlt.

Cap. 3. Virtus clauium.

Virtus autem in primis sacerdotalis clauis est, pœnitentem à peccatorum culpis non solum absolutum ostendere, vt alibi retro diximus, sed verè diuino nutu absoluere, vt verbum Euangelicum, Quodcunque solueris, sonat, & per formam ipsam absolutionis exprimitur. Vnde Autor libri de vera & falsa pœnit. Non solum, inquit, dixit Christus, quos putatis ligare & soluere, sed in quos exercetis opus iustitiæ & misericordiæ. Deinde, vt eadem diuina virtute sacerdos valet pœnam peccati relaxare, quia plus est culpam quàm pœnam remittere: Sic tanquam legitimus iudex & pœnitentem ad aliquam exoluendam temporalem pœnam ligare. Est demum & alia clauium potestas soluendi & ligandi in foro exteriori, quę characterem sacerdotalem non exigit, cuius vsus est in prælatis, & per indulgentiarum largitionem peccatorum pœnas condonare, & excommunicationis ligamine à Christiano consortio reos excludere, vt in subsequentibus compertum fiet.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ.

Quæstio prima.

DE CLAVIVM ASSERTIONE.

Autoris ordo.

TERTIVM membrum disputationis de pœnitentia in superioribus propositum fuit de clauibus, deque earum duabus functionibus quæ sunt indulgentiarum largitio, & excommunicatio, quod ideo tribus distinctionibus absoluetur. Quarum hæc prima duas continet quæstiones. Prima est de clauium virtute & effectu. Atqui prima hæc quinque articulis concluditur. Primus est vtrū claues sint in Ecclesia. Secundus, quo loco Euangelij sint institutæ. Tertius de earum subiecto. Et quartus, de Ecclesiastica iurisdictione. Ac demum quintus de earundem clauium legitimo vsu.

ARTICVLVS I.

Vtrùm claues sint in Ecclesia.

Part. neg. 1. arg.

PRIMVM ergo hinc exordium sumendum est, vt exploremus an sint claues in Ecclesia: nam à parte negatiua est hoc primum argumentum. Claues potissimùm necessariæ sunt ad ingressum domus, cuius ostium occlusum est: sed Apocalyp. 4. ait Ioan. Vidi, & ecce in cælo ostium apertum: ergo ad eius ingressum nullis opus est clauibus.

2. Argu.

Secundum, quia nullum est aliud ostium cæli, quàm Christus: ait, n. ipse Ioan. 10. Ego sum ostium: quinimo & ipse est qui suum ostium aperit dum gratiam confert, & claudit dum negat, iuxta illud Apoc. 3. Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.

3. Argu.

Tertiò arguitur. Claues in ordinis sacerdotalis collatione conferuntur: scientia autem iudicandi de peccatis & eorum meritis illic non infunditur, sed per literarum studium & disciplinam acquiritur: sunt enim complures sacerdotum ignari & rudes: ergo nulla est clauis scientiæ.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem est illud Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum.

Materia hæc in Ecclesia grauissima est: stupor enim est illis, qui ad notitiam veritatis non peruenerunt, quòd Christus Ecclesiæ tantam potestatem remittendi peccata, quæ in Deum ipsum committuntur, reliquerit, vt clauium sit nomine digna, nimirum quibus iudicio suo valeat cælum, quod redemptor ipse nobis mercatus est, tum obserare, tū subinde reserare. Quod ideo non solùm gentibus, sed hæreticis, qui ex nobis exierunt, incredibile censetur. Est tamen materia hæc in superioribus adeò membratimque attacta, & decerpta, vt sit pro magna parte discussa. Sed necesse est cuncta in ordinem redigere. Igitur, vt à nomine exordiamur, adnotandum, nomen hoc non secundum proprietatem, sed secundùm metaphoram ab Ecclesia vsurpari. Enimuerò quia clauis munus est obstaculum auferre, quo impeditur ingressus, & rursus idem obstaculum obijcere, ne idem ingressus pateat: & impedimentum ingrediendi cælum sit peccatum, facultas illa spiritualis & Ecclesiastica ex Christi commissione tollendi peccata, & obligandi fideles sub reatu peccati, excludendique homines per excommunicationem ab Ecclesia designatur nomine clauium.

Claues metaphora.

Spiritualis potestas Ecclesiæ dicitur potestas clauium.

Omnis ergo spiritualis potestas Ecclesiæ dicitur generali nomine potestas clauis, ad differentiam potestatis ciuilis, quæ non est spiritualis. Enimuerò quāuis principes, vt 5. Ethi, ait Philosophus, per suas leges & gubernationem ciues bonos faciant, & virtutibus imbuant, quibus aditus regni cælorum aperitur, nihilominus quia non habent potestatem immediatè tollendi peccata, aut pellendi homines ab Ecclesia, potestas sua non est spiritualis, sed naturalis. & temporalis potestas verò Ecclesiæ est supernaturalis à Christo concessa, ad perpetuitatem attinens regni cælorum.

Potestas spiritualis duplex, ordinis & iurisdictionis.

Veruntamen potestas hæc spiritualis duplex est, quædam scilicet ordinis ad characterem sacerdotalem attinens, quæ est potestas administrandi sacramenta, per quæ gratia confertur in remissionem peccatorum. Sed alia est potestas iurisdictionis, quæ ad hanc ordinatur, vt leges condere Ecclesiasticas, dispensare in votis, indulgentias conferre, excommunicare, ab excommunicatione absoluere, quinuerò & sacram scripturam exponere, iuxta illud Lucæ 11. Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clauē scientiæ. Vnde Christo ait Ioan. Apocal. cap. 5. dignum fuisse aperire librum, & soluere septem signacula eius.

Triplex munus iuxta regni cælorum triplicem significationem.

Quocirca Hierony. lib. 6. super Esaiam cap. 14. exponens illud, Quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælo: ait, soluunt eos Apostoli sermone Dei, & testimonijs scripturarum, & exhortatione virtutum. Ob idque & prædicare quodammodo ad claues attinet. Atqui hac ratione iuxta triplicem significatum regni cælorum, aiunt quidam triplex esse munus clauium. Appellatione namque regni cælorum

nonnunquam intelligitur scriptura sacra, quemadmodum Origenes & Hier. illud exponunt Matth. 21. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam. Et quandoque intelligitur Ecclesia militans, vt illic. Simile est regnum cælorum grano sinapis: nam hic seminatur, & crescit vsque ad fructum gloriæ. Sed potissimum accipitur pro æterna cælesti fœlicitate, vt Matth. 5. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Igitur per interpretationem scripturæ aperitur regnum cælorum primo modo. Et per excommunicationem excluditur homo secundo modo a regno cælorum, hoc est, ab Ecclesia. Et per absolutionem à peccatis introducitur in regnum cælorum tertio modo. At verò licet hæc distinctio nonnihil lucis adferat, attamen Christus dum claues regni cælorum nominauit, non intellexit nisi regnum cælestè: nam ad illud hæ omnes functiones referuntur. Verum est tamen, quòd in istis aperire & claudere regnum cælorum, potest accidere aut ex vi clauium, aut autoritate priuata. Dum enim Concilium explicat articulum aliquem fidei, virtute clauium aperit sensum sacræ scripturæ. Dum tamen doctor illam interpretatur, non vtitur claue, sed priuata scientia: quia non est iudex. Pari modo dum sacerdos sacramenta administrat, virtute clauium hoc facit, dum laicus baptizat, non vtitur claue quæ in ipso sit, cùm characterem non habeat, sed est ob necessitatem sacramenti substitutus. Functiones ergo illæ condendi leges, excommunicandi, &c. non indigent characteri: nihilominus iurisdictio illa generaliter nomine clauium intelligitur, quas Christus dedit Petro. Attamen per antonomasiam nomine clauium intelligimus potestatem ordinis ad remittendum peccata. Atque hæc nominantur claues sacramentales. Igitur definitionem clauium, quæ quodammodo omnia comprehendit, bene colligit glossa super illud Matthæ. 18. Quodcunque solueritis, &c. quæ ait, Claues sunt discernendi scientia & potentia iudicandi, id est, ligandi & soluendi: qua Ecclesiasticus iudex dignos recipere, & indignos debet excludere à regno. Hanc ergo clauium cælestem potestatem hæretici de medio Ecclesiæ sublatam contendunt. Fuit enim hæresis primùm Nouatianorum seu Catharorum, ac deinde Witclef, vt est videre apud Tho. Walden. secundo tomo de sacram. cap. 144. & duobus sequentibus. Aiunt enim quòd claues non sunt potestates spirituales datæ spiritualiter sacerdotibus ad tollendum peccata hominibus quia hoc est agno proprium, de quo ait Ioann. † Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed claues Petro & Ecclesiæ concessæ non sunt nisi potestates scientiæ iudicandi de viatoribus conformiter ad voluntatem diuinam secundùm iudicium legis Dei, atque adeò prædicandi, & exempla virtutum tribuendi fidelium, vnde obserentur à vijs infemi, & aperiatur eis aditus paradisi. Quæ quidè potestates non in solis sacerdotibus, sed etiam in laicis doctis & probis existunt. Verba sunt illius hæretici. Vnde illud, Quodcunque solueris super terram, &c. vt supra diximus, sic glossabat; Nihil soluere poteris nisi quod in cœlo sit prius solutum. Hanc Lutherus hæresim totis venis ebibit, hanc foueam Germanis effodit, vbi totam eorũ religionem consepeliuit. Quare excommunicandi potestatem negauit, vt infrà videbimus, & totam Ecclesiæ hierarchiam deturbauit.

Nihilominus ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Claues spirituales remittendi peccata in solo Deo sunt trino, & vno, tanquam per eius primæuam natiuamque autoritatem: in Christo autem quatenus homo est, existunt tanquam per potestatem excellentiæ: sed in omnibus sacerdotibus, tanquam in eius ministris, qui eius sacramenta ministrant, quæ de eius latere pendentis in cruce promanarunt. Enimuerò vt nullum malum, peccatum est, nisi quia contra Deum, iuxta illud Psalmi, † Tibi soli peccaui: ita & solus ipse est, cui naturaliter conuenit peccata dimittere, iuxta illud Esaiæ 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Vnde Luc. 5. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Quam Christus sententiam confirmans, vt se Deum illa ratione ostenderet, subdit: Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico, Tibi dico, surge; cui per potestatem excellentiæ absque sacramento peccata remisit: in cuius testimonium surgere eum iussit. Atque hanc excellentiæ virtutem designauit Ioannes dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. At verò non subinde negauit, quin adhollèda peccata sacramentorum instrumentò vtatur, quæ per suos ministros applicantur.

Vsque adeò ergo nulla est blasphemia hanc clauium potestatem in Ecclesiæ ministris agnoscere, vt hoc ipsum in gloriam ipsius Christi, & amplissimam eius potestatem referatur. Nam dum hæretici scisciantur, quid causæ esse posset, vt Christus hanc potestatem relinqueret, obuia est nostra responsio, quòd antequam Deus esset homo, non decebat hanc potestatem in hominibus esse, sed vt cum ipso solo de sua salute tractarent. Postquam verò homo factus nos sanguine suo lauit, decentissimum fuit, vt humano generi deinceps per homines consuleret, vt scilicet humanos haberemus iudices eius autoritate pollentes, ad quos nostras deferremus peccatorum causas, noscque tum docerent, tum iudicarent, atque adeò absoluerent, vel ligarent, vt eorum iudicio & corrigeremur, & fiduciam salutis per eius sacramenta haberemus, ac Deum hac ratione coleremus.

At verò quia hæretici nullam rationem admittunt, sed omnia volunt in Euangelio fundari, satis illis esse deberet locus ille solennis Matth. 16. ad Petrum, Tibi dabo claues regni cælorum, qui, si præcedentia verba & subsequentia perpendantur, de potestate remittendi peccata planissimè intelligitur. Rem enim Christus sapientissimè deduxit ex illa confessione Petri ad Christum, Tu es filius Dei viui: hoc est, non adoptiuus, sed naturalis, quales homines per actum vitæ progignunt. Quæ quidem confessio primum est fundamentum fidei, cui peccatorum remissio nititur. Et ideo ab illa fundamentali petra Petro nomen indidit, super quo, vel super cuius confessione fundanda esset Ecclesia, cuius perinde ipse futurus esset caput, vices Christi gerens. Et quia capiti, & principi reipublicæ in signum supremæ iurisdictionis claues regni traduntur, in figuram huius subiunxit, Tibi dabo claues regni cælorum, Claues scilicet, quas ego inquantum Deus vna cum patre & Spiritu sancto per naturalem virtutem habeo, & tanquam homo per excellentiam, easdem tibi tanquam meo vicario dabo. Vt quemadmodum quicquid ego super terram soluo, solutum est in cælo, & quicquid ligo, ligatum est: sic quicquid tu solueris aut ligaueris super terram, solutum erit aut ligatum in cælo. Cum ergo nulla sera cælum claudatur nisi solo peccato, planissimum est potestatem illic remittendi peccata esse promissam. Nam si tantùm Petro munus iudicandi Ecclesiam secundum diuinas regulas polliceretur, nihil noui ei promitteret: nam ius ipsum naturæ vniuersos iudices & doctores non solùm ecclesiasticos, verùm & ciuiles admonet, vt nihil prorsùs doceant, nullamque sententiam proferant, aut legem ferant, nisi quatenus intellexerint id esse diuinæ voluntati & regulæ conforme. Christus autem aliquid egregium & supranaturale, quod de cælo ipse detulerat, significauit Petro largiri. Adde, quòd licet per prædicationes & iudicia humana mediatè & remotè aperiatur regnum cælorum, quatenus illa ratione virtutes instituuntur, quibus cælestis via communitur, nihilominus immediatè non aperitur regnum, nisi per absolutionem peccatorum, nec clauditur, nisi clauium iudicio quo retinentur. Hanc ergo potestatem illic designauit. Accedit & in hanc veritatem alluſio ad illam Christi prædicationem, Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum. Vt enim per pœnitentiam diuina virtute suffultam regnum cælorum aperitur: ita & Petro promissæ sunt claues pœnitentes absoluendi. Atqui quanquàm verba non habeant nisi promissionis formam, tamen vel illic eadem collata est potestas, vel omni procul dubio certissimum est postea eandem tradidisse: Deus enim fidelis est, & seipsum in promissis negare non potest. Tradidit verò eam Io. vlt. vbi Christus interrogato Petro, an se plus alijs diligeret, respondentique diligere, ait, Pasce oues meas.

Secundus locus apertissimus est ille Io. 20. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: nempe remittendi peccata. Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos, scilicet ad eandem functionem fundandi meam fidem, dispertiendique in orbem virtutem passionis meæ. Accipite Spiritum sanctum (quo remittuntur peccata,) vt quemadmodum quorum ego re-

mitto

Quid proprie per claues regni cæl. intellexerit Christus.

Dupliciter aperitur regnum cælorum.

Definitio clauium.

Nouatianor. & Vvitcleff hæresis.

Ioan. 1.

Lutherus.

1. Conclu.

Psal. 50. Soli Deo naturaliter conuenit peccata dimittere.

Christo per excellentiam.

Cur Christus claues reliquerit in Ecclesia.

Probatur Concl. & scrip. Matth. 16. explicatur.

Refutatio argum. Vvitcleff. positi ante 1. concl.

Confirmatio huius veritatis.

2. Locus.

mitto peccata, remissa sunt, & quorum retineo, retenta: ita & quorum vos nomine meo remiseritis, remissa sint. Vbi Chrys. ait, omnem potestatem, quam Christus habebat remittendi peccata, tradidisse Apostolis. At quoniam confessionis materia & hæc adeò sunt germanæ, vt vix altera absque altera tractari queat, dist. 18. q 1. art. 1. hunc locum, & alios ad hoc pertinentes, quam pro nostra facultate potuimus, locupletè tractauimus. Non ergo opus est iterum nauseam mouere. Adiecimus & sanctorum patrum autoritates plurimas, quarum pleraq; dist. 1. de pœnitentia. Gratian. congessit, vt can. Agite. qui est Augustini, & can. Multiplex. qui est Leonis, atque alios id genus patrũ. Sed ad propositum peculiariter illa peracuta est redargutio Ambro. aduersus hæreticos negantes posse hominum ministerio peccata dimitti. Cur enim, inquit, baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? Lutherani enim sacramentum saltem baptismi non negant. Illic ergo necesse habent dicere, quod hominis ministerio fit peocatorum remissio, cur ergo non per sacramentum pœnitentiæ? Hac enim de causa in concilio Constan. definitum est sacerdotes habere potestatem remittendi peccata, quia sunt sacramentorum administratores. Accedit in confirmationem clauium illud Apostol. 1. Corin. 5. quemadmodum & incestuosum quendam excommunicauerit, & postmodum ab excommunicatione absoluerit. Iuuare se forsan possent hæretici testimonio illo citato Hieron. super Esa. quasi potestas clauium non sit aliud, quàm sermone Domini, & testimonijs scripturarum, & exhortatione virtutum homines à peccatis retrahere. At verò Hierony. illud genus soluendi affirmans non negat aliud remittendi peccata.

Ambros. redargutio.

Confirm. ex Apostolo.

2. Concl. Duæ claues, Potestatis & scientiæ.

Secunda conclusio. Non vna tantum, sed duæ sunt eiusmodi claues. s. potestatis & scientiæ. Probatur primò autoritate euangelica, vbi claues sub numero plurali explicantur. Neque verò vna clauis referenda est ad soluendum, & altera ad ligandum, sed ad vtrumque requiritur vtraque. Quapropter cùm dicitur claues, non designatur distinctio potestatis ordinis, & potestatis iurisdictionis, sed autoritas cognoscendi causam, & autoritas ferendi sententiam. Probatur. Potestas clauium est iudiciaria, vt dist. 18. q. 1. art. 1. latè ostendimus: claues enim Dei in Apostolis & eorum successoribus tribuere regni cælorum, non fuit aliud, quàm iudices eos constituere in condonandis & retinendis peccatis. Ad hoc autem duo sunt necessaria: nempe potestas ad simpliciter agendum, & habitus ad bene agendum, sicut voluntas est potestas volendi, & habitus iustitiæ, qualitas ad rectè volendum. Simili enim modo in sacerdote ad remittendum peccata requiritur potestas indulgendi, sed quia vsum idoneum illius potestatis habere nequit, nisi per iudicium de dignitate pœnitentis, an scilicet sit idoneus qui absoluatur, an verò dignus qui repellatur, ad vtrumque requiritur facultas. Illa ergo facultas & potestas quam habet cogendi pœnitentem, vt sua ei peccata referat, vtrius statum & conditionem cognoscat, est clauis scientiæ: & illa, per quam pœnitentem vel absoluit, vel ad aliquam pœnitentiam obligat, vel prorsus repellit, dicitur clauis potestatis.

Ratio conclusionis.

Clauis scientiæ.

Clauis potestatis.

Obiectio 1.

Et per hoc soluitur argumentum, quod quispiam posset obijcere. Impedimentum regni cælorum, non est nisi vnius generis, puta peccatum, ergo vna sufficit clauis. Negatur enim consequentia, siquidem ad idem opus duæ possunt esse facultates, quarum vna ordinatur & disponit ad alteram, quam & habẽs clauem aperiendi seram, nisi artem habeat, nihil facit. Quapropter vsus clauis scientiæ antecedere debet, vsum clauis potestatis: quoniam nisi cognita causa nequit iustè sententia ferri. Sicuti in naturalibus, nisi prius agens passum disponat, & præparet, formam non inducit. Et confirmatur hoc exemplo externi fori, iudex enim priùs exercet potestatem scientiæ cogendo testes, & accusatorem, & reum, veritatem propalare, & deinde cogit parere sententiæ.

Clauis scientia antecedit clauem potestatis.

Argumentum tamen ex hac similitudine emergit: arguitur enim, quòd huiusmodi claues non potius regni cælorum, quam inferni dici debeant: nam quemadmodum iudex & reum in carcerem intrudit, & liberatum educit: ita & sacerdos dum peccata retinet, reum includit in infernum, & dum absoluit, inde educit. Respondetur, quòd licet cui cælum per retentionem peccati clauditur, infernus aperiatur, vt intret: & dum alicui per absolutionem cælum aperitur, infernus claudatur ne intret, tamen a digniori fit denominatio: nam finis humanæ vitæ est ingressus cæli, descensus enim ad infernum est per accidens, quia est exclusio à regno. Vnde si similitudò referatur ad iudicem secularem, in hoc debet collocari, quòd finis potissimùm iudicis sit aperire carcerem, vt homo in libertatem exeat.

Obiectio 2.

Cur potius claues regni cælorũ, quam inferni dicuntur.

Obiectio 3.

Arguitur ergo rursus, quòd inter claues Ecclesiæ nulla debet esse potestas ligandi ad culpam, aut illam retinendi, quia sacramenta in bonum hominum, & ad conferendam eis gratiam sunt instituta, præsertim cum Ecclesia pro peccatoribus oret. Respondetur: quòd sicut Deus non obdurat, vt ait Augustin. † impertiendo malitiam, sed non conferendo gratiam, ita & sacerdos non dicitur peccatum retinere inducendo pœnitentem in ipsum, sed non absoluendo quem indignum iudicat, in quo Deum imitatur.

† *Epist. 105.*

Quòd si hic quispiam interroget, quænam res sit ista clauium potestas. Scotus distinct. 19. art. 3. in hoc singulariter respondet, quòd non est character sacerdotalis: nam character ille non est nisi potestas conficiendi corpus & sanguinem Christi verum: clauis autem est potestas ligandi & soluendi. Imò sic, inquit, character a clauium potestate differt, vt ille esse possit sine ista. Quinuerò ita re vera fuit: nam in cœna Dominj Apostoli characterem sacerdotalem receperunt, & postmodum Io. 20. virtutem clauium, Quorum remiseritis, &c. Atque eundem ordinem episcopus cum sacerdotes initiat, seruare videtur: nam prius tradito calice & hostia, imprimit characterem conficrandi, & postea superpositis eis manibus ait. Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis, &c. Et subdit, quòd sicut sunt duæ claues, forsan sunt duo characteres: imo necesse habet dicere esse tres, nempe character consecrandi, & duæ claues, vel saltem, inquit, character sacerdotalis est dispositio ad illas claues, quæ non sunt characteres.

Qua res sit potestas clauium. Scoti opin.

De Christo.

De Episcopo.

Alij nominales negantes characterem distingui ab anima, aiunt hanc potestatem non esse nisi essentiam ipsam animæ, quæ facultatem habet ligandi & soluendi. Quinuerò Marsilius q. 12. sic arguit. Quod potestas clauium sit in Ecclesia, est fides catholica: de charactere autem non est nisi opinio: ergo character non est illa potestas.

Nominalium opin.

Nihilominus subiungitur hic tertia conclusio. Potestas hæc clauium, de qua in præsentiarum loquimur, quæ est remittendi & retinendi peccata, non est aliud, quàm sacerdotalis character. Probatur, quia vt dist. 1. q. 4. latè monstrauimus, character nil aliud est, quàm facultas ad suscipiendum vel conferendum aliquod sacramentum: vt character baptismi ad suscipienda alia sacramenta, & character ordinis potestas illa conficiendi & conferendi. Ad hoc enim solùm munus ordinatur sacerdos, atque hanc ob causam sacramentũ ordinis ab omnibus asseritur characterem imprimere, quæ sit potestas supra corpus Christi verum & mysticum. Et cùm sacerdos peccata remittere aut retinere non possit nisi per applicationem sacramenti, fit vt idem character, qui est potestas administrandi sacramentum, sit hæc potestas clauium. Nam alia potestas iurisdictionis, quia non immediatè versatur in retinendis aut remittendis peccatis sacramentaliter, non indiget charactere.

3. Concl. quæ est Autho. opinio.

Neque verò de hoc pugnaciter dimicandum est, sit ne character res aliqua distincta ab anima, eodem enim citato loco probabilius existimauimus, non esse rem distinctam: nihilominus admonuimus, non esse negandas propositiones illas in sensu formali, character imprimitur in anima, & est indelebilis, & est facultas faciendi aliquid aut patiendi, ita vt dicat animæ potentiam supranaturalem. Nam etsi nomen charactcris non sit adeò antiquum, res tamen ipsa est de fide: nempe, quòd per sacramentum baptismi traditur facultas alia sacramenta suscipiendi, & per sacramentum ordinis ea conferendi.

De charactere, an sit ab anima distinctus?

Ad argumentum ergo Scoti, quantum ad id quod de Christo adfert, qui prius visus est characterem sacerdotalem Apostolis contulisse, & postmodum potestatem clauium, artic. proximo respondebimus: nam cum haberet potestatem excellentiæ, potuit diuisim illas facultates donare. Sed quantum ad id quod subiunxit de episcopo ordinante sacerdotes, respondetur, simul dum imprimitur character, conferri po-

Ad arg. Scoti.

testatem

testatem clauium, sed quia non potest omnia simul dicere, postmodum prolatione verborum, Accipite Spiritum sanctum: & manuum impositione, declarat facultatem characteris prius impressi.

Idem charac. plures potestates dicitur.

Ex quo fit, vt vnus idemque character per diuersos respectus ad diuersa officia dicatur plures potestates, nempe conficiendi Eucharistiam, cognoscendique delicta, ac perinde soluendi & ligandi, sicut idem ignis calefacit, rarefacit, & exsiccat. Scotus quidem & Marsilius q. 12. dicunt, quod cum non sit nisi vna potestas ligandi & soluendi, non est nisi vna clauis, sed dicuntur plures: quia Christus sic eas nominauit. At verò postquam Christus sic nominauit, cur negentur esse plures? Igitur quamuis potestas ligandi & soluendi significantius dicatur clauis, quia potestas cognoscendi peccatū non est nisi dispositio & præparatio ad illam: nihilominus quia obiecta sunt diuersa, & actus diuersi, duæ sunt claues s. scientiæ ad cognoscendum, & potentiæ ad soluendum & ligandum.

Obiectio.

Vnum hic tamen argumentum soluendum superest. Arguitur enim sic. Ad hunc vsum absoluendi aut ligandi sacramentaliter non sufficit, vt supra dictum est, potestas ordinis, sed requiritur iurisdictio: quia nemo potest nisi suum subditum absoluere: ergo solus character non est potestas soluendi & ligandi. Et confirmatur hoc, quia in definitione clauium dictum est, quod sit potestas qua ecclesiasticus iudex dignos recipit: iudex autem nemo est nisi per iurisdictionem. Respōdetur, quòd potestas clauium non dicit nisi meram potentiam: iurisdictio autem non est propriè potentia, sed applicatio materiæ adagens vt sequatur actio. Ignis namque si in vacuo existeret, potentiam quidem haberet calefaciendi, non tamen calefaceret, quia non esset ei admota materia: sic dum sacerdoti confertur sacerdotium curatum, non datur ei potestas clauium, quam iam per characterem habebat, sed applicatur ei populus, in quem illam exerceat, & applicatione illa facta, ille est propriè iudex.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd ostium cæli de se apertum est: quare in statu naturæ integræ nulla opus habebat claue. Fuit autem per peccatum Adæ occlusum toti humano generi, quia reddidit totum suum genus indignum ingressu. Illud autem impedimentum tolli non potuit, nisi per Christi passionē, postquam ideo Ioannes vidit illud apertum, & patere omnibus. Sed quia etiam post baptismum applicata passione homines relabuntur, necessaria fuit clauis ad tollendum singulorum peccata.

Solut. 2.

Ad secundum respondetur, quòd Christus est ostium cæli, quatenus nemo nisi per eius fidem illuc intrare potest, sed nihilominus post susceptam eius fidem, contrahit homo peccatum, quod impedit eundem ingressum, quod quidem claue tollendum est. Quòd autē ipse sit qui aperit, & nemo claudit: & claudit, & nemo aperit, ad literam, inquit S. Tho. refertur ad limbum, quod illuc descendens aperuit, vt vinctos educeret: & clausit, vt nemo illuc amplius descenderet. Sed potest & ad sigillatum librum, qui est sacra scriptura, referri: nam quem sensum fidei Ecclesia virtute Spiritus sancti aperuerit, nemo potest claudere, hoc est, negare: & quem ceu hæreticum clauserit, nemo potest aperire, nempe affirmare. Imò & ad remissiones sacramentales referri potest, quippe quæ virtute eius fiunt: nam cui ipse cælum aperuerit, nemo potest claudere, iuxta verbum Paul. ad Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Loci Apoc. 3. expositio.

1.

2.

3.

Propter tertium argum. Magister sentent dist. 19. lapsus est in quandam inopinabilem opinionem, dicēs quod alteram istarum clauium s. scientiæ, non omnes habent sacerdotes, vnde dolendum, inquit, & gemendum est. Indocti enim, inquit, neque hanc clauem habent antequam ordinentur, nec eam in ordinatione recipiunt, sed qui antea scientia pollebant, licet tunc illa scientia non esset clauis, fit tamen in ordinatione eis clauis. Et hanc opinionem amplexus est glossator Decreti can. De quibus. dist. 20. In hoc tamen non tenetur Magister, quia non consonat Euangelio: cùm enim claues numero plurali Christus promiserit, & clauis potestatis sine claue scientiæ idoneè nequeat exerceri, nefas est dicere, non conferri ambas sacerdoti dum ordinatur. Clauis ergo scientiæ non est habitus ille cognoscitiuus, infusus vel acquisitus, quem Philosophi appellant scientiam, sed accipitur nomen iuridicè, vt sit potestas cogendi pœnitentem ad confitenda peccata, & ad verè respondendum, cum de illis illum sacerdos interrogat, licet omni scientia theologiæ & iurium careat. Prætor enim licet omnibus sit literis destitutus, qua facultate potest de causis iudicare, potest testes & reum cogere, vt veritatem propalēt. Et hæc in sacerdote dicitur clauis scientiæ. Veruntamen hoc ingenuè cum D. Tho. confitendum, quòd qui ordines absque vlla sciētię cognitione suscipiunt, grauiter peccant, neque solum ipsi, sed episcopi ad id muneris illos admittentes, & præter illud peccatum sic suscipiendi ordines, multa etiam in eorum vsu accumulant. Et hoc est dolendum & lugendum.

Solut. 3. Opi. Mag. sent. quæ non tenetur.

Quid proprie clauis scientiæ.

Notand.

ARTICVLVS II.

Vtrum clauium potestatem Christus Apostolis contulerit Io. 20. Accipite Spiritum sanctum, &c.

QVAMVIS constantissimum sit, hanc potestatem Christum Ecclesiæ tradidisse, non tamen tā certum est quo loco eam tradiderit. Arguitur ergo, quòd non tradiderit eam Io. 20. post resurrectionem. Nam huiusmodi potestas apostolico muneri annexa est, sunt n. Apostoli Ecclesiæ principes, quibus ideo claues regni competunt: Apostolos autem Christus, vt Marci. 3. legitur, in monte creauit: ergo illic claues tanquam principibus Ecclesiæ contulit.

Part. nēg. argum. 1.

2. Argu.

Secundò. Potestas clauium character, vt diximus, est sacerdotalis: sed in cœna instituti sunt Apostoli: ergo illic potestatem acceperunt.

In contrarium tamen est forma verborum Ioan. 20. virtus enim remittendi peccata in diuinis Spiritui sancto per attributionem adscribitur, cui attribuitur bonitas: verba ergo illa, Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis, &c. perinde sonant ac si dixisset Christus, Accipite potestatem remittendi per Spiritū sanctum peccata.

Part affirmatiua.

De hac re controuersatur inter doctores. Armachanus enim lib. 11. de quæst. Armē. c. 14. & 15. opinatur, quòd Christus omnem Ecclesiasticam potestatem s consecrandi, & reliqua sacramenta administrandi, & ligandi, & soluendi Apostolis simul contulit in monte, dum, vt Marc. 3. legitur, eos instituit Apostolos. Et ratio est, quam iam fecimus, quia omnes istæ sunt Apostolicæ functiones, sine quibus idcirco fieri nequiuerant Apostoli. Alia adhibet argumenta, quæ infra absoluemus.

Armach. opinio.

Cardinalis verò Turrecremata lib. 2. Sum. Ecclesiæ c. 77. constituit de hac re sex propositiones. Prima. Hæc potestas clauium non fuit data Petro, Matth. 16. quia illa tantum fuit promissio. In quam sententiam adducit Chrys. & Hiero. Secunda. Illic fuit facta promissio plenaria, clauium scilicet potestatis ordinis, & iurisdictionis. Tertia. Matth. 18. Nulla fuit data Apostolis potestas, sed solum designata iurisdictio in foro exteriori. Quarta potestas clauis ordinis s. absoluendi & ligandi in foro pœnitentiæ, fuit collata Petro & Apostolis Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, &c. Quinta. Potestas iurisdictionis plena in vtroque foro data fuit Petro, Ioan. vlti. illic, Pasce oues meas. Sexta. Per Petrum deriuata est iurisdictio ad alios Apostolos, & deinde ad episcopos, &c.

Cardinalis Turrecremata. Proposi. 1. Proposi. 2. Proposi. 3. Proposi. 4. Proposi. 5. Proposi. 6.

His autem præmissis ad quæstionem respondetur quatuor conclusionibus. Prima. Quamuis nullus esset alius locus in toto Euāgelio, quam vel ille Matth. 16. Tibi dabo, &c. vel illa verba Christi, Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, &c satis esset ad asserendam conclusionem, tanquam catholicam, quòd Christus Ecclesiæ tradiderit claues: nam cum Deus mentiri nōn potuerit, fides catholica est id quod promisit contulisse. Promisit autem illic, vt bene ait Turrecremata, plenissimam potestatem tum ordinis, tum subinde vtriusque iurisdictionis s. tam in foro pœnitentiæ, quàm in foro exteriori: nam in his consistit Ecclesiæ constructio & fabrica, quam supra petram suæ confessionis Christus pollicitus est. Quinuerò fortasse nō fuit sola pollicitatio, sed aliqua illic collatio, saltem iurisdictionis, data, licet hoc non constet. Quòd autem ait in tertia propositione s. Matth. 18. non esse promissam Apostolis nisi iurisdictionem exteriorem, propterea quòd illic fiebat mentio de correptione fraterna: porrò, salua eius autoritate; non apparet verum. Nam cum eadem verba, quæ Petro dixerat, Quodcunque solueris, repetita dixerit cunctis, eandem plena-

Decisio artic. 1. Concl.

Refellitur 3. propositio Turrecrem.

Digitized by Google

riam autoritatem eisdem dandam insinuant. Etenim quòd de correptione fraterna fieret sermo, non est argumentum, quòd de restricta iurisdictione in foro exteriori fieret mentio. Sed probauit potestatem corripiendi fratrem illis dandam, aut illic dari: quia amplissimam haberent, vel habituri essent, vt quæcunque soluerent in vtroque foro essent soluta, & quæ ligassent, ligata.

Ioan. 20. Rursus cùm Ioan. 20. dixerit, Quorum remiseritis, &c. constantissimum est vel tunc illam facultatem contulisse, vel si antea contulerat, tunc insufflasse Spiritum sanctum ad idoneum eius vsum. Hinc fit explorationem loci vbi claues contulit, non esse necessariam nec admodum vtilem: nam eius vtilitas non esset nisi ad constabiliendum potestatem clauium: si ergo ex his locis constat eam esse, parum refert scire vbi eam Christus facultatem donauerit. Nihilominus cum triplex sit ista potestas, nempe sacerdotalis character ad consecrandum, & potestas in foro interiori, & iurisdictio plenaria quæ illis est annexa, in tribus diuersis locis sunt istæ Apostolis traditæ, quòd sit contra Armachanum assertum. Sit ergo secunda conclusio.

2. Concl.

Apostoli sacerdotes in cœna ordinati fuerunt.

Quòd Apostoli ordinati fuerint sacerdotes, vbi fuerunt ad apostolatum assumpti, vt vult Armachanus: quamuis ratio in neutram partem cogat, longè tamen minus probabilitatis habet, quàm quòd fuerint ordinati in cœna. Primùm, quia eo solo excepto, doctores omnes tenent ordinatos esse in cœna, dum Christus sacramentum Eucharistiæ instituit. Et ratio est, quia prius debuit sacramentum institui, quàm eius minister.

Auctoris ratio.

Præterea (quæ mea est coniectura) mysterium sacrosancti Eucharistiæ sacramenti nunquam Apostolis fuit auditum, quousque Christus in cœna tradidit eis suum corpus & sanguinem in cibum & potum. Tametsi antea Ioan. 6. de eodem mysterio comedendi carnem suam &, bibendi sanguinem disseruerat, non tamen modum manducandi patefecerat, quousque re ipsa eos docuit. Dicere autem sacerdotes fuisse prius institutos, quàm mysterium consecrandi intelligerent, ratio non sinit.

3. Concl.

Tertia conclusio. Quòd illic in cœna collata eis fuerit potestas clauium in foro pœnitentiæ, probabilitate non caret: attamen multò est probabilius, illam fuisse collatam Ioan. 20. Prior pars probatur: nam cùm illic fuerit Apostolis impressus sacerdotalis character, quem diximus esse modo potestatem clauium, coniectura fuit, vt quemadmodum nunc dum sacerdotes ordinantur in impressione characteris illam potestatem suscipiunt, ita & tunc susceperint Apostoli. Sed tamen tunc dicendum est, quòd acceperunt illam potestatem alligatam, ne vti illa possent, quousque post resurrectionem Spiritum sanctum ad id muneris susciperet. Et ideo Ioan. 20. datus est eis Spiritus sanctus, atq; adeò facultas eadem potestate vtendi. Erre vera parui refert, sic vel aliter dicatur. Nihilominus verba ipsa, Accipite, &, Quorum remiseritis, vehementiorem ingenerant opinionem, quòd illic fuerit eadem potestas collata. Præterquam quod omnium doctorum autoritas huic sententiæ suffragatur, vt Turrecremata, & Caiet. super eundem locum Euangelij, & S. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. art. 3. vbi ait, quòd Christus dedit Apostolis sacerdotalem potestatem quantum ad actum principalem in cœna, quando dixit, Accipite & manducate, &c. subdens, Hoc facite in meam commemorationem. Quinverò & sacer Hieron. ad Hedibiam q. 9. eandem asserit veritatem, vbi ait, quòd licet ab initio quo Apostoli ad apostolatum assumpti sunt, Spiritum sanctum receperint, tamen post resurrectionem eundem receperunt ad hunc finem, vt peccata dimitterent. Idem ait super eundem locum Ioan. Et similiter Chrisost. atque Ambro. lib. 1. de pœnitentia. Dicendum ergo, quòd in cœna tanquam in radice. i. in charactere receperunt potestatem clauium, sed postea extensa fuit potestas eiusdem characteris ad hanc functionem veluti dum episcopus ordinatur, non suscipit characterem nouum, sed extensionem characteris sacerdotalis ad confirmandum & ordinandum. Et sic opinio Armachani deseritur.

Ratio.

Doctorum confirmatio.

4. Concl. Contra 6. propos. Turrecr.

Quarta conclusio. Id quòd ait Turrecremata. Petrum Ioan. vlt. plenissimam potestatem in vtroque foro recepisse, verissimum est: quòd verò subdit alios Apostolos eandem per ipsum suscepisse, veritati non consonat. Nam apostoli omnes cum omnibus Apostolicis functionibus à Christo sunt immediatè instituti. Hoc enim Paulus contulò probare contendit ad Galat. 1. & 2. Nam pseudoapostoli hoc illi calumniabantur, quòd cùm non esset creatus immediatè à Christo, non esset verè Apostolus. Et ideo concedens ipse neminem posse esse Apostolum, nisi à Christo institutum, probat se fuisse ab ipso immediatè in apostolatum assumptum. Quare ait Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum. Ac subinde monstrare contendit, quòd cæteri non eum Euangelicam prædicationem docuerint, sed quòd per reuelationem Iesu Christi spiritum propheticum susceperit. Atque eadem ratione, vacante loco Iudæ Apostoli non substituerunt alium, sed sortem diuinitus expostularunt, vt Christus eum eligeret, cui spiritum propheticum inspiraret, & Apostolicam autoritatem perhiberet. Igitur cùm vtraque plenissima iurisdictio de essentia sit apostolici muneris, vtramque à Christo omnes immediatè susceperunt, atque adeò vnusquisque erat per Christum episcopus vniuersi orbis, quem ideo inter se patriti sunt, vt vnusquisque ad suam plagam diueiteret. Vnde illos simul ordinauit, dicens, Accipite, Hoc est corpus meum, &c. Hoc in mei memoriam facietis. Et omnibus simul dedit potestatem remittendi peccata, Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, &c. Atque omnibus plenissimam dedit iurisdictionem Matth. 18. Quæcunque solueritis super terram, &c. Quo fit, vt in munere apostolico omnes fuerint æquales Petro. Nisi quòd Petrus tanquam Ecclesiæ caput erat eorum præses, vt concilium conuocaret, vt Actu. 15. legitur, & alia obiret præsidentis officia. Quapropter tanquam qui perpetuò erat futurus caput, tandem Ioan. vlt. suscepit eandem plenitudinem non solum tanquam Apostolus, sed tanquam Christi vicarius, cuius autoritas permansura erat in eis qui suam sedem occuparent. Hoc enim Petrus habuit singulare tanquam caput, quòd cæteris data est potestas tantum personalis, non tamen successura in alios, nisi per autoritatem Petri. Nam etsi episcopi successores Apostolorum dicantur, vt can. Quorum vices. d. 68. illam tamen autoritatem non suscipiunt, nisi per Romanum Pontificem Petri successorem.

Apostoli fuerunt a Christo immediate instituti. Etiam Paulus.

Omnes Apost. Petro fuere æquales in munere Apostolico.

Singulare in Petro.

Sed vnus hic tamen scrupulus superesse videtur, quòd etsi constet hanc clauium potestatem Christum Apostolis concessisse, non tamen sublnde constat eam concessisse tanquam perpetuò in Ecclesia permansuram. De hoc autem statim art. proximo.

An clauium potestas sit perpetua?

Solut. 1. arg.

Igitur, vt argumentis Armachani satisfaciamus, ad primum, quod nos fecimus, respondetur, quòd Christus per potestatem excellentiæ potuit Apostolis apostolica munera successu temporum impertiri, & ideo non fuit necesse, vt eo tempore, quo eos ad apostolatū assumpsit, cuncta eis traderet. Vnde Marc. 3. non legitur nisi quòd fecerit, vt essent duodecim cum illo, vt mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curandi infirmitates, & dæmonia eijciendi, quod erat ad cōfirmandam fidem necessarium, etiam ante passionem. At quia vsum consecrandi & absoluendi habituri non erant nisi post passionem, illuc vsque distulit eas facultates eis adijcere. Quapropter licet ante passionem iam essent destinati Apostoli, & instituti, nihilominus eorum potestas & facultas non fuit omnino completa, sed manca quousque Christus resurrexit, imò vsque ad pentecosten, quando susceperunt Spiritum sanctum, & linguarum dona.

Apostolor. potestas ante passionem fuit incōpleta.

Solut. 2. arg.

Et per hoc respondetur ad secundum: nempe, quòd diuersas potestates eiusdem characteris in diuersis temporibus eis contulit. Et ideo licet impresserit eis characterem in cœna, postmodum tamen extendit eiusdem potestatem ad remittenda peccata. Episcopus autem, quia habet suam potestatem sacramentis alligatam, non potest eam diuidere, sed vbi imprimit characterem, illic confert potestatem clauium.

3. Argu. proponitur.

Aliter tamen Armachanus arguit, quod sit hic tertium argu. Apostoli, vt Mat. 4. legitur, baptizabant, idque ex officio tanquam Apostoli, atque oleo curabant infirmos eo more, quo Iacob. 5. docet sacramentum extremæ vnctionis administrari, ergo sacramenta conferebant, atque adeò ante cœnam erant sacerdotes. Ad hoc autem respondetur, quòd licet Apostoli ante dominicam cœnam baptizarent, non tamen subinde dicere cogimur, quòd baptizauerint ex officio tanquā sacerdotes, sed iussu Christi. Præsertim cùm id modò laicis liceat. Quòd autem oleo infirmos curarent, nor

Solut.

pertinebat

pertinebat ad sacramentum extremæ vnctionis, sanè cùm illud non cõferatur, nisi post sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ, quæ quidem sacramenta certum est Apostolos ante passionem non administrasse. Illa ergo non erat nisi simplex curatio per donum sanitatis.

4. Argum. Quartò arguitur. Si Christus in cœna Apostolos ordinauit: subsequitur, quòd duo eis contulit sacramenta ordinis ad conficiendum corpus & sanguinem, & sic plura sunt quam septem sacramenta: nam successiuè dixit, Accipite, & comedite: & postea, Accipite, & bibite.

Sed respondetur, quòd Christus non illo verbo præciso ordinauit Apostolos, Accipite, & comedite, vel illo, Accipite, & bibite, tunc enim solum eis porrexit Eucharistię sacramentum, sed illo, Hoc facite in meam commemorationem. Quod licet dictum sit inter porrectionem corporis & sanguinis, tamen ad vtrumque refertur: quare non sunt duo sacramenta, sed vnum. Imò quamuis seorsum daret illas facultates ad diuersas materias, essent partiales facientes vnam potestatem, sicut sacramentum est vnum ex duabus speciebus constans.

5. Argu. Quintò arguit valentiùs, quòd potestas clauium soluendi & ligandi non fuerit collata illis Ioann. 20. sed ante resurrectionem, nam alias, inquit, sequeretur quòd nec Iudas fuerit verè Apostolus, sanè cum potestas clauium sit præcipuum de essentia Apostoli, neque D. Tho. eandem susceperit potestatem, nam Iudas iam laqueo se enecauerat, nec Thomas intererat dum Christus Apostolis dixit, Accipite Spiritum sanctum, &c. Et tamen de Iuda ait Petrus Act. 3. quòd connumeratus erat eis (scilicet Apostolis) & sortitus esset sortem ministerij Apostoli.

Solutio. Respondetur autem, quòd vt Iudas sortitus diceretur sortem ministerij Apostoli, satis erat fuisse iam connumeratum Apostolis, functumque officio prædicandi, & sanandi infirmos, characterem que sacerdotalem suscepisse, qui radix erat potestatis clauium, tametsi sua culpa non fuerit eadem potestate donatus. *De Thom.* De Thoma autem respondetur, quòd Apostolis tanquam communi collegio data est illa potestas, quam ideo etiam absens Thomas tanquam membrum eiusdem collegij suscepit. Quin verò illic omnes posteri sacerdotes eandem susceperunt potestatem, alioqui negandum esset presbyteros, qui modò sunt, illam habere. Si ergo nondum nati illam tunc in Apostolis susceperunt, nil mirum si absens Thomas eam susceperit. Alij possent dicere, quòd post dies octo, quando intulit digitum in latus Christi, eandem susceperit potestatem. Sed cõgruentior est prior solutio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm claues in solis sacerdotibus Euangelicis existant.

POST hæc quæritur de clauium subiecto, vtrum sint in solis sacerdotibus Euangelicis. Et arguitur *Par. neg. vergum. 1.* à parte negatiua. Deus nunquam humanum genus subsidio destituit, quo possent homines regnum cælorum ingredi: hoc autem est munus clauium aperire regnum cælorum: ergo hæc potestas fuit in lege naturæ.

2. Argu. Secundò. Sacerdotes veteris legis fuerunt verè sacerdotes diuinitus instituti, vt in Exodo & Leuitico legitur: sed clauium potestas est sacerdoti annexa, ergo in veteri lege fuerunt claues.

3. Argu. Tertiò. Quamuis Christus clauium potestatem Apostolis tradiderit, non tamẽ cõstat eam tradidisse, tanquam perpetuò permansuram: non ergo residet in Ecclesia.

4. Arg. Quartò. Omnes Christianos Christus, vt 1. Pet. 2. legitur, fecit regale sacerdotium: ergo omnes Christiani pari iure clauium habent autoritatem.

Pars affir. † lib. 1. de pœnit. c. 2. tom. 1. In contrarium autem est verbum illud Ambros. † quod in textu citauimus, Hoc ius (s. ligandi & soluẽdi) solis concessum est sacerdotibus.

Quæstio hæc solennis est, non quòd inter catholicos sit dubia, sed quòd tum hæretici de illa peruersè sentiunt, tum & orthodoxis intellectu est necessaria. Lutherus enim, qui fuit eius 10. articulus à Leone condemnatus, in illo pestifero libro de abroganda missa priuata, contendit omnes Christianos esse sacerdotes, allegans illud citatum Petri, quòd sunt omnes genus electum, regale sacerdotium. Et Apoc. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. Et c. 20. Sederunt sacerdotes & Christi eius, &c. Quare ait, quòd sacerdotes rasi & vncti hoc sibi per iniuriam assumunt & arrogant priuilegium. Et ideo ait in præfato art. Tantum quilibet Christianus facit quantum Papa, & Episcopus, etiam si mulier aut puer sit. Eiusdem hæresis autor priùs fuerat Witcleff, vt Tho. Walden. refert tomo 2. de sacrament. c. 7. & 28. & 141.

Anglia error. Præter hanc hæresim alius error temporibus nostris nunquam antea auditus de hac Ecclesiastica potestate exortus fuit Angliæ sub Henrico Octauo, qui animo repudiandi vxorem Catharinam, litem cum Romano pontifice cõtestatus est, vnde occasionem nactus contendere cœpit ecclesiasticarum clauium potestatem penes regem esse, & ita se regem in temporalibus & spiritualibus prædicauit: episcopos & sacerdotes creans. Quem errorem vt ab Anglia propulsarent, multæ martyrum centuriæ sese gladijs, ignibus, atque alijs truculentis mortibus obiecerunt. Hanc verò procellam tandem diuina clementia per Philippum secundum Catholicum Hispaniarum regem, qui Mariam Christianissimam eiusdem Henrici filiam duxit, sedatam curauit.

Multiplex potestas. Igitur ad quæstionis huius legitimam decisionem, meminisse priùs oportet, multiplicis potestatis hactenus explicatæ. Est enim & potestas sacerdotalis characteris, & duplex iurisdictio tam in foro interiori ad ligandum & soluendum per sacramentum pœnitentiæ, quàm in foro exteriori ad soluendum vel ligandum per indulgentias, vel excommunicationem, ac demum ad gubernandam Ecclesiam. Secundò supponendum huiusmodi potestates esse supranaturales, vt patet ex earum fine, qui est ingressus regni cœlorum. Nam potestas reipublicæ ciuilis, naturalis est, vtpote ad finem naturalem, nempe ad pacem & trãquillitatem reipublicæ relata, licet finis hic proximus ad illum supremum per Dei prouidentiam referatur. *Potestates ecclesiastica sunt supranaturales.*

His suppositis, ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Ante orbem redemptum, nulla spiritualis fuit aut in lege naturæ, aut sub lege scripta clauium potestas gratię effectrix. Probatur, quia clauis regni cœlorum est, quæ ipsum aperitur: sed ante Christum natum cunctis hominibus obseratũ fuit, nam & iustissimi quique ad limbum descendebant, sperantes beatam spem, & aduentum regni Christi: ergo tunc nulla erat potestas clauium. Secundò, quia vt dist. 1. monstrauimus, in lege naturæ nulla erant propriè sacramenta, & in lege scripta licet essent sacramenta, gratiam significantia per Christum conferendam, tamen nullam per se conferebant, sed omnes in sola fide venturi salui fiebant: potissima verò clauium virtus in applicationem sacramentorum consistit: ergo tunc nulla erat potestas clauium. Quare & dist. 2. & distinctio. 18. collegimus, nullam fuisse sacramentalem confessionem in lege Mosaica. *1. Cõcl.* *Ratio conclusionis.* *Ratio 2.*

Atque hoc ipsum est, quod Baptista Christi prænuntius, ac deinceps Dominus ipse nos docuerunt, dum euangelicam prædicationem inde auspicati sunt, vt homines pœnitentiam agerent: quia appropinquauerat regnum cælorum, vbi Christus insinuauit in sacramento potissimum pœnitentiæ claues eiusdem regni se collocaturum.

Secunda conclusio. Christus fuit, qui primus habuit claues regni cælorum. Conclusio est sancti Thomæ distinctione 19. quæstion. 1. artic. 1. vbi ait, quòd virtus aliqua esse potest in aliquo, aut tanquam in per se agente, quod est perfectius, aut tanquam in instrumento, qui est minus perfectus modus: virtus autem aperiendi regnum cælorum fuit in Christo tanquam in per se agente: nam quatenus Deus id per propriam autoritatem habebat: & quatenus homo, per meritum suæ passionis, vbi tollens peccata nostra, totiusque adeò mundi, qui eius redemptionem expectauerat, cunctis regnum aperuit, iuxta verbum eius ad latronem in cruce: Hodie mecum eris in paradiso; & ideo absque charactere ordinis habuit clauem excellentiæ, vt regnum etiam absque sacramentis posset aperire: sacerdotes verò, qui sunt ceu eius instrumentales ministri, non nisi per sacramenta: iuxta illud Apocalyp. 3. vbi asseritur habuisse clauem Dauid, quod intelligitur quantum ad reseranda mysteria scripturæ sacræ, cuius spiritu exponitur, & quantum ad ingressum regni cælorum, cuius virtute illuc ingreditur. *2. Concl.* *Virtus aperiendi regnum cælorum aliter in Christo, aliter in sacerdot.*

3. Contl.

Tertia conclusio. Christus hanc Ecclesiæ tradidit potestatem, non solùm vt in eis temporaliter duraret, quibus eam contulit, sed vt perpetuò esset in Ecclesia permansura. Quod n. eam Ecclesiæ donauerit, in superioribus probatum est; sed quod eam perpetuò donauerit, hæretici forsan inficiari possent, dicentes, in euangelio nullam haberi mentionem perpetuæ successionis: nam solis Apostolorum personis dictum est, Tibi dabo, &c. Et, Quorum remiseritis, &c. Item: quia alijs facultatibus Apostolos insigniuit quæ in Ecclesia non persistunt, vt dono linguarum & sanitatum & spiritu prophetico ad condendam scripturam sacram. Et ideo contra huiusmodi cauillationes probatur conclusio. Christus fundauit Ecclesiam vsque ad consummationem seculi duraturam: nempe, super suam fidem & leges, sine quibus nemini salus patere potest, atque adeò fecit eam vnum ouile, quod nisi qui intrauerint, salui esse nequeunt. Vnde Matt. 24. Prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus & tunc veniet consummatio. Et Matt. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi: sed potestates clauium sunt collatæ in bonum commune totius ecclesiæ: ergo non solum Apostolis, sed in illis suis etiam posteris sunt traditæ. Quare non opus fuit Christo successionum meminisse, sed ipsamet traditio clauium perpetuitatem designabat. Nam etsi solis Apostolis dixerit, Ite, baptizate, &c. res ipsa ostendit baptismum perpetuò in ecclesia durare. Alias verò dignitates, quæ peculiariter ad Apostolicam functionem pertinebant, non necessariò oportuit in ecclesia perdurare. Vnde Paul. ad Ephes. 4. distinguens ecclesiæ membra ait, Ipse quidem dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in vnitatem fidei, s. in die iudicij. Quocirca & Apostoli ipsi successores sibi crearunt, vt iam iam dicturi sumus.

1. Hæreticorum cauillum.

2. Cauillū.

Probatur contl.

4 Concl.

Quarta conclusio, qua ad quæstionem respondetur. Potestas clauium sacramentalis in solis euangelicis sacerdotibus existit. Vbi adnotandum, quòd Christum claues contulisse intelligi potest, aut toti ecclesiasticæ reipublicæ in communi sicuti potestas gubernandi sese, aut eligendi regem est in toto reipublicæ corpore aut personis. At quicquid sit de iurisdictione, de qua statim dicturi sumus, potestatē tamen clauium absoluendi & ligandi in foro pœnitentiæ manifestum est, non posse in corpore simul ecclesiæ consistere: quia est personalis potestas quam sacerdos dum sacro ordine initiatur, suscipit, quam diximus esse characterem: corpus n. ecclesiæ non suscipit in communi ordines, sed personæ. Conclusio hæc apud catholicos probatione non indiget, sed aduersus hæreticos vnico nititur fundamento, quod ipsi subuertere contendunt. Superius enim d. 12. q. 1. art. 1. hæreticorum catenam, & potissimum Lutheri depinximus. Enimuerò, quia in sacramentis nullam vim gratiæ conferendi, aut mysterium vllum supernaturale agnoscunt, sed docent vnicuique propriam fidem ad salutem sufficere, nihil mirum si neque ad executionem horum mysteriorum selectum aliquem ministrum confiteantur. Quapropter non eo faciunt Christianos omnes sacerdotes quo Christianam dignitatem extollant, sed quò sacramenta pessundent, in quibus posita est Christiana religio. Illis ergo qui sacramenta nostra virtutem censent habere iustificandi, & in sacramento Eucharistiæ corpus Christi esse verum, facillimum est subinde persuadere ministros esse diuinitus ad id delegatos, & per sanctam vnctionem institutos: vt in ordinis susceptione gratia perfundantur, qua fiant sacramentis gratiæ administrandis idonei. Vnde Paul. 1. Corinth. 4. re vera non de cunctis promiscuè Christianis, sed singulariter de ipsis Apostolis ac sacerdotibus aiebat: Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: nam & pulcherrimus mundi ordo, in quo elementa alia alijs subsunt, & supra cælestes hierarchiæ & ciuiles omnes respublicæ nil aliud clamant, quàm quod ad singula officia publica sui sint destinandi peculiares ministri: quanto ergo decentiùs ecclesiastica hierarchia id postulat, quam Regius Psaltes † reginam appellat ad dextram sapientiæ sedentem in vestitu deaurato circumamictam varietate. Ad literam videtur Apostolus 1. Corinth. 12. similem popularem querimoniam reprimere. Conquerebantur enim illi neochristiani, quòd non omnes in sacerdotio, aut in alio eminentiori loco essent, putantes ob id non esse perfectè Christianos. Quibus Paulus proposita membrorum similitudine ait, in corpore Ecclesiæ alios esse oculos, alios manus, alios pedes: nam diuersa sunt gratiarum dona: scilicet, vt ait ad Ephes. 4. Alij sunt Apostoli, alij Pastores, & Doctores, &c. si ergo, inquit, dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Lutherus autem nesciuit aliter litem dirimere, quam faciendo omnes oculos: vt faciendo populum oculatissimum Argum, illa ratione omnes exoculauit. Si enim omnes sunt episcopi, vbi subditi, & si omnes sacerdotes parochiales vbi parochiani? At verò quid opus est cum istis litigare, cum manifestum sit Apostolos ipsos alios creasse Episcopos & sacerdotes sibi successuros? Nam Paul. vt legitur Actu. 20. vocauit ad se presbyteros Asiæ, quibus ait, Vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam. Et 1. ad Timoth. 3. docet qualem oporteat esse episcopum. Et c. 4. admonet, ne citò cuipiam manus imponat, vbi docet eum ordinasse in Episcopum, qui subinde ordinabat presbyteros, & ad Titum 1. admonet ipsum, vt per ciuitates constituat presbyteros, sicut ipse disposuit ei, quem episcopum etiam ordinauerat. At quoniam de re hac loco citato dist. 13. q. 1. plura diximus, satis de hac quarta conclusione.

Insignis probat. B. Pauli.

Lutherus.

Ad 1. cauillum hæret. in 3. concl. posi.

Respondetur ergo Luthero, quòd licet Petr. & Ioan. in Apocal. dicant quòd Christus nos simul sacerdotes fecerit & reges, non tamen affirmabit Lutherus omnes Christianos esse reges. Pari ergo modò licet omnes Christiani ea generali ratione dicantur sacerdotes, quòd se & sua Deo in sacrificium offerunt, nihilominus per antonomasiam illi dicuntur sacerdotes, qui ad sacramenta administranda consecrati sunt.

Potestas clauiū est in solis sacerdotibus.

Non in toto corpore Eccles.

Probatur conclusio aduersus hæretic.

Vbi data sit potestas cūctis sacerdotibus. Ratio dubij.

Dubitatio autem ex ijs sit reliqua minimè dissimulanda, vbinam scilicet in euangelio hæc potestas data sit cunctis sacerdotibus. Nam soli apostoli fuerunt à Christo ordinati apostoli, soliq; illi acceperunt Spiritum sanctum in remissionem peccatorum. Et quamuis suprà monstratum sit, illam potestatem suscepisse, tanquam perpetuò in Ecclesia duraturam, posset nihilominus cauillator quispiam dicere, solùm de iure diuino manere in episcopis, qui dicuntur Apostolorum successores, vt est in can. Quorum vices. dist. 68. atque adeò inferre, quòd potestas sacerdotalis non est nisi de iure positiuo: quia s. Ecclesia sanxit vt sacerdotes ordinarentur in auxilium episcoporum. Respondetur tamen, quòd sacerdotium est de iure diuino, & quantum ad potestatem consecrandi, & quantum ad vim clauium absoluendi in foro pœnitentiæ. De priori enim membro ambigere nemo potest: nam cum character & ordo sacerdotalis sit de essentia conficiendi Eucharistiam & Ecclesia non habeat autoritatem mutandi ea quæ sunt de essentia sacramenti, non est dubium quin de iure diuino sit illa potestas in omnibus sacerdotibus. Nam si solis Apostolis eam Christus tribuisset, non auderet ecclesia nisi solis episcopis eorum successoribus tribuere. Quare cum præter Apostolos septuaginta duos discipulos elegerit, vbi auxiliares presbyteri episcoporum intelliguntur, fit vt dum Apostolos sacris ordinibus initiauit, illic designauerit ordinandos presbyteros.

Cauillatio.

Dilutio.

Sacerdotiū esse de iure diuino, Probatur.

Simile.

Potestas ligandi & soluendi vbi fuerit collata cunctis sacerdotibus.

De alia verò potestate ligandi & soluendi res non est ita certa, vsus tamen Ecclesiæ, rerum diuinarum certissimus interpres, docet etiam eandem quoque iure diuino esse sacerdotio annexam: porrò cùm inter ordinandum post facultatem consecrandi ait: Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis, &c. vbi profitetur, quod eodem loco Ioan. 20. data sit illa potestas cunctis sacerdotibus. Id quod Ambros. lib. 1. de pœnitentia † ait solùm permissum esse sacerdotibus. Et lib. 2. Concessit hoc, inquit, Christus Apostolis, & de Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. Et ratiō quoque suffragatur: nam si connexio hæc potestatum non esset de iure diuino, Ecclesia posset facere, vt sacerdotali characteri non esset annexa potestas clauium, quòd certè efficere nequit. Consentaneum

† cap. 2. tom. 1.

Ratio optim.

Psal. 44.

Digitized by Google

enim est, vt dum Christus potestatem presbyteris tradiderit super corpus suum verum, simul & quæ illi annexa est, tradiderit super corpus mysticum, vt dignè idem verum corpus possent plebi dispensare. Accedit demum, quòd cùm confessionum audientiæ tanti populi, quantus est Christianus, soli episcopi non sufficerent, non satis Christus Ecclesiæ suæ consuluisset, nisi presbyteris, qua ratione sacerdotes sunt, eandem facultatem relinqueret. Quare vbi illam Apostolis dedit, tribuit & presbyteris, nisi quòd iurisdictionum distributionem commisit Petro, quæ non est de intrinseca ratione sacramenti, sed de necessitate applicationis materiæ.

Alia ratio.

Ex his sequitur discrimen inter sacerdotes legis naturæ & scriptæ, ac nostros: omnes enim erant verè sacerdotes sacrificia in Dei cultum offerentes, atque adeò nonnullam habentes spiritualem potestatem. Bifariam enim potestas dicitur spiritualis. Vno modo ratione finis, atque altero ratione effectus. Ratione finis dicitur, quia ordinatur ad veram religionem. Et ratione effectus, quia instrumentalis est causa gratiæ. Atqui distinct. 1. qu. 2. ostensum est quemadmodum in lege naturæ respublica ipsa ciuilis instituere poterat vera sacrificia, quibus verum Deum colerent, atque adeò sicut reges & magistratus creare poterat, ita & sacerdotes, qui diuino cultui manciparentur. Imò & rex ipse illos poterat instituere, quia nullam habebant supernaturalem potestatem. Et tales legitur Genes. 17. fuisse in Ægypto sacerdotes, & fuerunt inter Romanos, & in alijs gentibus. Quinuerò poterant iure hæreditario primogenituræ succedere. Quare Melchisedech iussu Dei ferunt Iudæi (quia primogenitus erat Noe, nempe Sem) fuisse sacerdotem. Et Iacob, fertur, ius hoc à fratre suo Esau fuisse mercatum. At verò sacerdotes legis Moysi quamuis non haberent potestatem spiritualem quantum ad effectum, s. conferendi gratiam, nihilominus quia eorum sacrificia, vnctiones & vestes, mystica erant & figura rerum supernaturalium legis Euangelicæ, non poterant à republica creari, sed à Deo per ministerium Moysi. Et ideo Deus instituit Aaron summum Pontificem, vt habetur Exod. 28. & selegit tribum Leui, in qua perpetuò essent sacerdotes & ministri templi. Nullam tamen habebant spiritualem potestatem, quantum ad effectum conferendi gratiam, atque adeò nec concedendi indulgentias, nec excommunicandi, aut priuandi beneficijs ecclesiasticis, quia hæc omnia sunt spiritualia quoad effectum. In lege autem Euangelica, quia sacerdotes potestatem habent spiritualem conferendi gratiam, à Christo ipso autore gratiæ & redemptore creati sunt. Quod autem diximus in lege naturæ & scripta fuisse verè sacerdotes, intelligitur ante promulgationem Euangelij, quando poterat esse verus vnius Dei cultus. Iam enim nullibi sunt veri sacerdotes, nisi in Euangelica Ecclesia. Nisi forsan aliquæ sunt gentes, vbi lex Euangelica inuincibiliter ignoratur, quæ sint ab omni idololatriæ genere mundæ, & vnum Deum colant. Quod de tota vna republica non est credibile: nam si legem naturæ seruassent, aliquo Deus eos supranaturali lumine irradiasset, vt veritatem inquirerent. In Iudæis verò manifestum est nullum vigere iam verum sacerdotium: quippe quod in euangelicum iam translatum est, iuxta illud Paul. Heb. 7. Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat. Vt enim sacrificia omnia illa per vnicum sacrificium Christi abolita sunt, ita & sacerdotium.

Discrimen inter sacerdotes legis naturæ, scriptæ, & gratiæ.

Rex poterat instituere sacerdotes in lege naturæ.

Sacerdotes legis Moysi à Deo creabantur.

Sacerdotes euangelicæ legis à Christo creati sunt.

Iudæorum sacerdotiũ abolitum.

Per hæc ergo quæ dicta sunt, argumenta facta soluta restant. Ad primum enim respondetur, quòd sub lege naturæ hominum genus non erat remedio destitutum: nam, vt dist. 1. monstratum est, illucebat etiam tunc subobscurus quidam in eis fidei radius, quo legem naturalem seruantes per diuinum auxilium conuerti poterant. At quia Christo nondum passo sacramenta non conferebant gratiam, fit vt nec fuerit in sacerdotibus illis potestas vlla clauium. Atque idem respondetur ad secundum de sacerdotibus veteris legis. Tametsi ratione prædicta à Deo essent creati.

Solut. 1. arg

Solutio 2.

Ad tertium autem iam responsum est, † vbi diximus potestatem clauium esse Ecclesiæ traditam in perpetuum permansuram.

Solutio 3. † 3. concl.

Et ad quartum, vbi declarauimus quemadmodum Christiani omnes dicantur sacerdotes.

Solutio 4.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm potestas iurisdictionis in vtroque foro fuerit sic collata Ecclesiæ, vt in toto corpore immediatè resideat, an verò in prælatis eius.

QVAMVIS de potestate clauium sacerdotali satis dictum sit, tamen de iurisdictione in vtroque foro dubium restat. Et ideo arguitur, quòd eam Christus toti corpori Ecclesiæ immediatè tradiderit, vt inde deriuaretur ad prælatos. Potestas ciuilis gubernandi sese est in toto corpore reipublicæ, quæ potest regem eligere, vel se per alios magistratus gubernare: atque hanc potestatem Deus iure naturæ cuique reipublicæ dedit: ergo simili ratione Christus vniuersæ reipublicæ Christianorum eandem contulit potestatem, & non personis singulis.

Pars affirmatiua. 1. Argu.

Secundò arguitur. Concilium vniuersale dicitur vniuersalem Ecclesiam repræsentare: ergo suam autoritatem non habet à Papa, sed à se, quasi illic assistant omnes Senatores & Procuratores Ecclesiæ, per quam autoritatem possunt de legibus & magistratibus Ecclesiæ disponere, cui alludit verbum illud Christi ad Petrum Matth. 18. Si te non audierit, dic Ecclesiæ: qua ratione videntur Antistites appellari prælati Ecclesiæ, iuxta verbum Iacobi, Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ: ergo Christus iurisdictionem hanc toti ecclesiæ immediatè reliquit.

2. Argu.

Tertiò, quia sacer cardinalium senatus Papam creat: ergo nomine & autoritate ecclesiæ illud facit: si ergo autoritas creandi Papam, qui est summum caput ecclesiæ, est in tota ecclesia, penes ipsam est tota ecclesiastica potestas, & iurisdictio, & ab ipsa deriuatur in personas.

3. Argum.

In contrarium est, quòd Christus nullibi legitur toti ecclesiæ congregationi vllam contulisse potestatem, sed personis.

Pars neg.

Nihil hic dicere molimur de illa molesta lite, vtrum concilium sit supra Papam, quæ causa est, vt nunquam concilia eo candore fœliciter celebrentur, quo antiquitus. Sed quia rerum consequentia hoc exposcit, ne clauium tractatus mutilus maneat, quicquid sit de illa quæstione, pro nostra tenuitate subiectum proximum ecclesiasticæ potestatis, & iurisdictionis explorare adornamus. Enimuerò Gerson in tract. potestatis ecclesiasticæ, quem imitatur Almain in suo libro de comparatione Papæ & concilij cap. 8. atque alij fautores illius opinionis, quod concilium est supra Papam, arbitrati suam opinionem ex hoc fundamento pendere, aiunt, potestatem ecclesiasticam iurisdictionis in vtroque foro residere in tota vniuersitate ecclesiæ, hoc est, in toto corpore, quod aiunt categorematicè instar reipublicæ ciuilis. Iure enim naturæ potestas regendi rempublicam in tota ipsa est, & in nullo seorsum membro, nisi ab ipsa eligatur, vt est videre in antiquo regimine Romanorum, & nunc apud Venetos. Nisi quòd illæ, quæ rege gubernantur, ipsum elegerunt, in quem suam transtulerunt autoritatem, quæ iure hæreditario perpetuò succederet in suam sobolem, iuxta tenorem. l. Quod principi placuit. ff. de constitut. princip. Sic ergo aiunt existere potestatem in corpore ecclesiæ immediatè propter rationes quas fecimus, & alias eiusdem vigoris.

Sensus art.

Gerson. & Almain opinio.

Fundamentum.

In contrarium tamen ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ non residet in toto corpore immediatè, sed in prælatis. Conclusio est Cardinalis à Turrecremata 2. lib. sum. Eccle. c. 71. & Caiet. in opusculo de comparatione Papæ & concilij. Et notandum est primò discrimen: illi enim dicunt, quòd Christus tradidit hanc potestatem communitati Ecclesiæ, vt ipsa crearet prælatos, sicut Romani, quibus regerentur. Nos autem dicimus è conuerso, quod Christus tanquam vnicus rex regni cælorum, & Ecclesiæ caput instituit Petrum, & Apostolos, atque alios prælatos, per quos ipse gubernaret Ecclesiam. Ad cuius probationem hoc supponendum est, quod ipsi etiam admittunt: nempe, hanc potestatem non conuenire Ecclesiæ iure naturali, aut humano, sed solo diuino per Christum: nam Psalmo 2. ait ipse. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion mõtem sanctum eius: id est, vnicus rex super vniuersalem Ecclesiam. Et Psalmo 109. Iurauit Dominus, & non pœnite-

1. Conc.

Christus instituit prælatos per quos suam regat Ecclesiam.

Potestas iure diuino conuenit Ecclesiæ.

bit

bit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Vnde Paul. ad Hebr. 7. probat Christum vnicum esse sacerdotem Ecclesiæ, à quo omne sacerdotium, & sacrificium deriuatur. Et ideo ait, quòd alij sacerdotes sine iureiurando facti sunt, Christus autem cum iureiurando, quia in æternum erat permansurus. Idemque cap. 8. & 9. prosequitur ostendens Christum esse vnicum Pontificem futurorum bonorum, hoc est, per cuius sacrificium, & sacramenta obuentura nobis sunt supra cælestia bona. Atque adeò Psal. 44. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus, seu præ participibus tuis: vbi denotatur omnes sacerdotes, & Ecclesiæ Antistites de eius sacerdotio participare, secundum illud Apostoli ad Coloss. 2. Qui est caput omnis principatus, & potestatis, quæ est in Ecclesia.

1. Probatio concl.

Hoc ergo supposito sic arguitur. Ecclesia non habet potestatem iurisdictionis, nisi à solo Christo: Christus autem nullibi legitur eam tradidisse corpori Ecclesiæ, sed personis, & prælatis: ergo in ipsis est immediatè. Probatur minor, quia singulariter Petro dictum est: Tibi dabo claues regni cœlorum, Quodcunque solueris, &c. Et Ioann. vlt. propter singularem amorem, quo eum Petrus diligebat, atque adeò ob singularem dignitatem ei singulariter dixit: Pasce oues meas: vbi caput eum Ecclesiæ constituit. Quare & illi pollicitus est, dicens: Ego orabo pro te, vt non deficiat fides tua: nempe, quia super eius fidem prædixerat se extructurum Ecclesiam. Et ad Apostolos singulariter ait, † Quæcunque solueritis super terram, &c. Et, Quorum remiseritis, &c. ergo omnem iurisdictionem eis tribuit, atque eius successoribus, iuxta verbum citatum Paul. † Ipse dedit Apostolos quosdam, alios Prophetas, &c. in opus ministerij: hoc est, vt essent eius ministri. Quare Paul. 1. Cor. 4. non dixit eos fuisse ministros Ecclesiæ, sed Christi.

Matt. 18. Ioan. 20.

Ephes. 4.

2. Prob.

Secundò, id maximè confirmatur ex illo Ioann. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, &c. quasi dicat, non sicut respublica ciuilis suum eligit regem, vos me elegistis, sed ego, qui ex me habeo regiam sacerdotalemque potestatem, elegi vos, vt meam colatis Ecclesiam, & fructu germinare faciatis.

3. Prob.

Atque hoc inde confirmatur, quòd vt legitur Marci 3. ipse ad se singulariter duodecim vocauit, quos fecit, vt essent Apostoli, quibus ait Ioan. 20. Data est mihi potestas in cælo & in terra: sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, &c. Certè nescio quid clarius. Perinde est, ac si dixisset, sicut ego à nulla republica potestatem habeo, sed cælitus mihi data est: ita neque mei ministri ab Ecclesia debent potestatem aliquam recipere, sed à me ipso. Et ideo quæ data est mihi potestas, ego eam do vobis; Accipite Spiritum sanctum: accipere autem Spiritum sanctum, non est totius corporis Ecclesiæ, sed personale beneficium. Enimuerò quia Spiritus sanctus est in personis, ideo est in Ecclesia, & non è conuerso. Quare in Pentecoste Apostoli tanquam singulares personæ, & Dei ministri acceperunt ab ipso, & non ab Ecclesia, Spiritum sanctum.

Accipere Spiritum S. est personale beneficium.

4. Prob.

Atque hinc sumitur quartum argumentum. Sacerdotes Ecclesiæ instituuntur per sacramentum ordinis, quo confertur gratia: gratiam autem Ecclesia non confert, sed Christus per virtutem sacramentorum, atque adeò non Ecclesia, sed Christus, qui est autor gratiæ, per suos proprios ministros instituit sacerdotes, atque imprimit characterem, qui est consecrandi facultas & clauium potestas: ergo eadem ratione qua gratia, & vt artic. præcedenti diximus, character non est in tota Ecclesia, sed in personis, quibus Christus & gratiam confert, & characterem imprimit, colligitur vt iurisdictionem, quæ ad eandem clauium functionem est necessaria, non toti Ecclesiæ, sed certis personis tribuerit. Profectò est magnum argumentum, quòd si character consecrandi corpus verum (quod manifestum est) non sit in toto corpore Ecclesiæ, sed in personis: ita & iurisdictio non sit nisi in personis: quandoquidem corpus mysticum super verum est fundatum.

5. Prob.

Vt autem res apertius pateat, arguitur sic quintò. Christus non solum in terris agens, sed & nunc de cælo Ecclesiam suam gubernat, quam ipse fundauit, iuxta illud, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi: dum autem vitam in terris degebat, prælati non habebant autoritatem ab Ecclesia, sed ab ipso tanquam ab autore eius & fundatore. Quare Paul. vt dictum est ad Gal. 1. ait non fuisse ab hominibus, nec per homines Apostolum, sed à Christo. Quocirca in Apostolorum præfatione non dicuntur vicarij Ecclesiæ, sed ipsius Christi. Quos operis tui (hoc est, functionis tuæ) eidem (s. Ecclesiæ) contulisti præesse pastores: ergo sicut illico post ascensum in cælum per suos ipse Apostolos, & per quos illi constituebant episcopos, regebat Ecclesiam, ad quod munus obeundum misit eis Spiritum sanctum, pari nunc forma per Apostolorum successores episcopos, & per discipulorum successores presbyteros, quos ipse elegit, Ecclesiam gubernat: non ergo potestas iurisdictionis descendit ab Ecclesia immediate, sed à Christo. Atque hic perspiciendum est discrimen inter rempublicam ciuilem & Ecclesiæ, quòd in republica ciuili nullus fuit à principio rex, cui competeret dominium, sed respublica creauit suum regem, quæ poterat per alios à se creatos magistratus administrari. Ecclesiæ verò Christus per se fuit rex à patre constitutus, vt in Psalmo citato ait Dauid: Quare sicut in familia domestica non residet autoritas gubernandi domum, sed in pathefamilias, & alijs œconomis & ministris, quos ipse voluerit eligere: ita & Christus regit suam familiam, cui non dedit iurisdictionem, sed ministris, quos ipse elegit tanquam eius præsidentes. Accedit sextò, vt ait Turrecremata, quòd si Christus potestatem Ecclesiasticam Ecclesiæ contulisset, consequens fieret illam residere in tota congregatione, scilicet in laicis opificibus, in mulierculis, & pueris, & quòd concilium vice omnium congregaretur, sicut senatores nomine totius ciuitatis aut regni, & cardinales per potestatem omnium eligerent Papam, quod certè multis nominibus est absurdum. Primum, quia cùm in republica sint multi inhabiles ad exercenda Ecclesiastica officia, mulieres enim non possunt esse presbyteræ, sicut in ciuili republica possunt esse reginæ, & pueri reges, indecorum esset toti Ecclesiæ illam committere facultatem eligendi prælatos. Secundò, quia cum sit impossibile totum orbem, si totus Christianus esset, conuocare ad eligendum Papam, vana esset illa tam diffusa potestas. Tertiò, quia tunc sequeretur, quòd si Papa & episcopi aliquas leges Ecclesiasticas conderent, & totus populus reclamaret, cum tanto excessu sit maior pars Ecclesiæ, standum esset iudicio populi, quod tamen est hæreticum. Signum ergo est, quod prælati non habent iurisdictionem ab Ecclesia, sed à Christo sunt populo Christiano præfecti.

Discrimen inter rempub. ciuilem & Ecclesiasticam.

6. Prob.

7. Prob.

Septimò & postremò arguitur argumento Caietani. Si potestas ecclesiastica immediatè esset in Ecclesia, sequeretur, quod si tota Ecclesiæ congregatio sancire vellet, vt Ecclesia nõ gubernaretur per vnum pontificem, sed per duos, aut plures, vt dum Romana respublica per consules gubernabatur, & nunc gubernantur Venetiæ, id posset facere, quòd esse hæreticum fautores ipsi contrariæ opinionis concedunt. Quocirca profectò non bene sibi constant: nam si illa ratione concilium asserant supra Papam, vt autoritas in tota Ecclesia residеat, à qua pendet Papa, consequens fit, vt Ecclesia non sit instituta instar regni, vt sit vna persona supremum caput, sed ad modum antiquæ Romæ, & illius reipublicæ, quam 7. Ethic. Aristoteles ait per optimatum potentiam regi: quod profectò nemo Christianorum dicere audebit, nisi hæreticus.

2. Concl.

Ex his ergo planè colligitur appendix secunda conclusio. Summam Ecclesiasticæ potestatis primùm contulit Christus Petro, tanquam eius vicario & Ecclesiæ capiti, quod ipse constituit, à quo eiusque successoribus in eadem sede, eadem iurisdictio in totam Ecclesiasticam hierarchiam deriuatur. Quia vt patet Matthæi 16. ei tanquam Ecclesiæ fundamento, quod sibi Christus substituit, plenariam pollicitus est clauium potestatem, quam Ioann. vlt. contulit, dum ter publicè, & iuridicè interrogans an se plus omnibus diligeret, quasi rogaret, an omnium esset dignissimus, qui omnium esset caput, dixit, Pasce agnos meos. Hanc verò conclusionem non intendimus hic multis comprobare, esset enim magnam rerum syluam commouere, sed eam in hanc consequentiam adiecimus, quòd Ecclesiastica potestas non in tota Ecclesiæ communitate, sed in personis residet. Dum autem dicimus, à Petro deriuari omnem Ecclesiasticam potestatem, non intelligimus in reliquos Apò-

ſtolos, iam enim ſuprà articulo 2. adſtruximus, Apoſtolos immediatè à Chriſto omnem iuriſdictionem accepiſſe gubernandi orbem. Sed tamen nullus præter Petrum reliquit ſucceſſorem, vt per ſuam autoritatem, & Epiſcopi omnes & clerus ab vna ſede Petri illam recipiunt.

Epiſcopi & presbyteri ſunt de iure diuino.

Caue tamen ne ſubinde hinc elicias, Epiſcopos & presbyteros eſſe de iure poſitiuo: ſunt enim, vt paulò antè diximus, de iure diuino. Quare Papa facere nequit, vt nulli ſint epiſcopi in Eccleſia, aut ſacerdotes. Sed tamen dicitur iuriſdictio à Papa deriuari: quia per ipſum epiſcopi ſinguli ſuis diœceſibus mancipantur; & presbyteri ſuis parœcijs.

Dubium. An omnis Chriſtianus ſit capax iuriſdictionis.

At dum de ſubiecto iuriſdictionis loquimur, quam dicimus abſque ſacerdotali charactere reperiri, dubitatio ſe inſinuat, vtrum omnibus poſſit Chriſtianis cõuenire. Et quidem de viris pro conſtanti relinquitur: quippe cum epiſcopus antequam ordinetur, iuriſdictionem habeat indulgentias conferendi & excommunicandi, atque adeò ſub cenſura excommunicationis leges & præcepta ferendi. Certum quoque eſt viros omnes, niſi aliqua ſint Eccleſiaſtica lege prohibiti, ad ſacerdotium & epiſcopatum aſſumi poſſe.

An mulier ſit capax ſpiritualis poteſtatis. Ratio dubij.

Sed de fœmineo ſexu quæſtio nos interpellat, vtrum ſit capax ſpiritualis poteſtatis Eccleſiaſticæ. Nam vtrinque nos admonet Paulus, dum ex vna parte ad Galat. 3. ait, quod in Chriſto IESV non eſt Iudæus, nec Græcus, non eſt ſeruus, nec liber, non eſt maſculus, nec fœmina. Ex altera verò 1. Corinthiorum 14. ait: Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe: ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent: turpe enim eſt mulieri loqui in Eccleſia. Et ne quis arbitretur ſuum non Dei præceptum eſſe, ſubdit. Si quis videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo: quoniam Domini ſunt mandata. De hac quæſtione omnes conſentiunt, mulierem non poſſe poteſtatem ordinis ſuſcipere, vt ait ſanctus Thomas diſtinctione vigeſimaquinta, quæſtione ſecunda. Id quod ibidem inter agendum de ordine examinandum eſt: quia illa eſt poteſtas immediatè aperiendi regnum cælorum. Sed de iuriſdictione ſubdit ibidem in ſolutione primi argumenti, quòd Abbatiſſæ non habent iuriſdictionem ordinariam, ſed quaſi commiſſariam propter periculum cohabitationis virorum & mulierum. Et diſtinctione nona, quæſtione prima, articulo primo, quæſtiunc. 3. ad quartum ait, quòd cum mulier ſecundùm Apoſtolum ſit in ſtatu ſubiectionis, non poteſt habere aliquam iuriſdictionem ſpiritualem: quia etiam ſecundùm Philoſoph. 8. Ethicor. Corruptio vrbanitatis eſt, quando ad mulierem peruenit dominium. Vnde mulier neque habet clauem ordinis, nec clauem iuriſdictionis, ſed mulieri, inquit, committitur aliquis vſus clauium, ſicut habere correptionem in ſubditas mulieres propter periculum quod imminere poſſet.

Abbatiſſæ non habent iuriſdictionem ordinariam.

3. Concl.

Sub hoc ergo moderamine conſtituitur tertia concluſio. Mulier non poteſt in dignitate conſtitui cui ſit ſpiritualis iuriſdictio annexa. Hoc enim videtur Paulus loco citato commonere. Et præterea 1. ad Timoth. 2. vbi ait, Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione: docere autem mulierem non permitto, nec dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Quamuis hic non fiat mentio Eccleſiæ, nec iuriſdictionis ſimpliciter, ſed in virum.

Ratio concluſionis.

Et confirmatur concluſio ratione: quia poteſtas iuriſdictionis licet non ſit immediatè poteſtas clauium, hoc eſt, remittendi peccatum, ordinatur tamen ad illam, imò ex illa ortum habet: atque adeò ſicut mulier non poteſt habere poteſtatem ordinis, ſit vt nec ei congruat habere iuriſdictionem ſpiritualem.

Ratio 2.

Secundò, quia poteſtas iuriſdictionis pertinet ad dignitatem ſponſi Eccleſiæ, qualis fuit Chriſtus: cùm ergo ſexus fœmineus ſit natura ſua virili ſubditus, iuxta illud Geneſ. 3. ſub viri poteſtate eris, mulierem non decet præeminentia illa, vt vim habeat coactiuam ſpiritualem.

Ratio 3.

Tertiò, quia iuriſdictionis vſus requirit ſcientiam: mulierem autem non condecet literis vacare, vt theologiam vel iura diſcat: quare neque decorum eſt, neque verò tutum in dignitate illas conſtituere, cui iuriſdictio ſpiritualium annexa ſit, vnde animarum ſalus pendet.

Ratio 4. magni roboris.

Quartum argumentum profectò magni ponderis eſt, quod neq; Chriſtus, neque ſubinde Eccleſia talem dignitatem mulieri commiſit, vt optimè Innocent. 3. cap. Noua. de pœnitent. & remiſſ. adnotauit, vbi ait, noua & inaudita eſſe, quod Abbatiſſæ moniales benedicant, aut confeſſiones audiant, aut prædicent: cùm beatiſſima virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apoſtolis vniuerſis: cui tamen Dominus claues regni cælorum non commiſit: quo vtique exemplo quantumuis in Eccleſia mulieres præceſſerint ſanctitate præclariſſimæ, nunquam illis fuit poteſtas clauium commiſſa. Vnde Ambroſius in libro quæſtionum noui & vet. teſtamen. & refertur can. Mulierem. 33. quæſtione 5. ait, quòd mulierem conſtat nullam habere autoritatem, neque iudicare poſſe. Et capit. Dilecta. de maior. & obedient. cauetur, quòd excommunicare non valet. Atqui in eadem ſententia ſunt cum Diuo Thoma Theologi, vt Durand. diſtinctione 19. quæſtione 1. & Palud. eadem diſtinctione, quæſtione 2. & Sylueſt. verb. Abbatiſſa. §. 1. Atqui diſtinctione 32. can. Mulieres. qui eſt concilij Laodicenſis, ſit mentio mulierum, quas Græci presbyteras vocant, id eſt, matronas viduas, quibus forſan aliqua iuriſdictio ſpiritualis committebatur, quas concilium inhibet tanquam ordinatas in Eccleſia conſtitui.

Quòd ſi arguas. Maior eſt prophetiæ donum quàm ſpiritualis iuriſdictionis: ſed vt 4. Regum legitur, multæ fuerunt mulieres prophetiſſæ. Reſpondetur, quòd prophetia neque eſt ſacramentum, neque ad rem ſacramentalem ſoluendi & ligandi attinet, vt ſpiritualis iuriſdictio.

Abbatiſſæ nequeunt iudicare præcepta ſpiritualia. Diſcrimen inter præcepta vtriuſque poteſtatis.

Hinc fit, quòd Abbatiſſæ, & aliæ matres ſanctimonialibus præfectæ ratione officij poteſtatem non habent ponendi præcepta ſpiritualia, ſicut religioſorum prælati, ſed tantùm ciuilia, ſicut matresfamilias. Diſcrimen autem hoc eſt huiuſmodi. Principes ſeculares poſſunt præcepta ponere, quæ obligent quidem ſub reatu mortali, ſed quia non ſunt ſpiritualium iudices, non eſt eorum facultas decernere, vt ſuum præceptum obliget ſub reatu mortali, aut veniali, ſed tantùm conſtituere opus in genere virtutis, cuius tranſgreſſio ex natura, & quantitate, & qualitate rei penſari debet, ſitne mortalis, an venialis. Papa verò & Eccleſiaſtici prælati eo ipſo quod aliquid præcipiunt ſub ſententia excommunicationis, niſi præceptum contineat manifeſtum errorem, obligat quidem ſub reatu mortali, & tale eſt præceptum prælati in ordine noſtro, ſi ponatur in ſcriptis, licet non habeat adiunctam cenſuram excommunicationis. Matrona ergo eo quod præficitur monialibus, poteſtatem habet ponendi præcepta primi generis, ſicut matrefamilias cui ſubditæ tenentur obedire: nempe ne literas ſcribant, aut recipiant, aut cùm viris loquantur, aut ad horros exeant. Sed tamen iſta præcepta ex natura rei æſtimari debent ſub quo reatu obligent, mortali ne, an veniali. Tantum enim ad cuſtodiam domus conferre poſſent, vt eorum tranſgreſſio eſſet mortalis, & tam parum, vt eſſet venialis. Similia enim præcepta poſſet materfamilias ponere ſuis filijs, licet in monaſterio vrgentior ſit cauſa, & magis obligent illa præcepta. At verò ponere præceptum more religioſorum, vt eo ipſo quod in ſcriptis detur, intelligatur obligare ad mortale, re vera nequeunt ex facultate officij annexa. Nec de hoc vllo modo dubitandum eſt, quia earum præfectura non eſt ſicut religioſorum: alioqui poſſent excommunicare, quod nullus concedit, quia excommunicatio eſt priuatio bonorum ſpiritualium.

Poteſtas Abbatiſſarum.

Abbatiſſæ nequeunt præceptum ponere more religioſorũ.

Quòd ſi quis arguat, ratione voti moniales teneri prælatæ parere, etiam ſi ſpirituale præceptum ponat: nam ſi quis vouit alicui ſeculari obedientiam, obedire tenetur: maximè ſi Deo votum faciat obediendi homini. Reſpondetur, quod dum quis vouet obedientem eſſe alteri, non intelligitur, niſi prout moris eſt obtemperare, vel laicum laico, vel religioſum religioſo. Ob id enim quod quis voueat obedire amico ſuo ſeculari, non propterea ille poteſt ponere ei ſpirituale præceptum, vt epiſcopus. Parĩ ergo modo moniales vouent obedire prælatæ ſecundùm poteſtatem, quam ipſæ habent præcipiendi.

Obiectio.

Et confirmatur hoc, quia non ſunt moniales in hac parte melioris conditionis, quàm religioſorum conuerſi, quib. tamen nunquam ſpiritualium cura demandatur. Reliquit enim D. Franciſcus inter ſua ſtatuta, vt conuerſi abſque ſacris ordinibus fieri poſſent Guardiani, qui ideo curam animarum habebant, & ſubinde ceu Epiſcopi electi non ordinati confeſſarios creare

Statutum S. Franciſci nunc abolitum.

poterant,

Digitized by Google

poterant, & casus reseruare, à quibus nisi de sua licentia nemo subditorum valeret absolui: spiritualiaque præcepta ponere, eademque sub censura excommunicationis. Et quamuis hoc autoritate Papæ fieri poterit, tamen quia sapienter iudicatum est minimè concedere, vt qui non haberent potestatem ad consecrandum corpus Christi verum, illam haberent spiritualem curam erga mysticum, imo ille abolitus est.

Abbatissa habent iurisdict. temporalem.

Possunt item eiusmodi præpositiæ, si habent iurisdictionem in aliquos vassallos, eis præcipere sicut seculares, sicuti possunt mulieres esse reginæ, quæ est gubernatio temporalis, non obstante verbo Aristotelis supra citato, quod videtur esse corruptio reipublicæ. Maximè si succedant iure hæreditario: nam vt Iudic. 4. legitur, Debora iudicauit populum Israël. Possunt itidem, vt ait Panormit. iuxta gloss. in distinct. cap. Dilecta, præsentare ad beneficia, imò habet ibidem glossa, quod potest Abbatissa conferre Ecclesias, & beneficia sibi subdita, atque idem Sylvest. loco citato cum suo Panorm. Tametsi de hoc non sim adeo certus, an habeant ratione officij, vel ex Papæ commissione.

Præsentant & conferūt beneficia.

Hæc autem dicta sint quatenus iurisdictio ratione officij competit mulieribus. Quod quidem, vt verum dicam, non video esse planè de iure diuino: nam Paulus non prohibet mulieres nisi docere in Ecclesia, quas iubet subditas esse viris. Neque verò quod subdit, hæc esse mandata diuina, sic intelligit esse de iure diuino, vt non cadat dispensatio in illa. Sed hæc omnia sunt de iure canonico, quod Ecclesia tanquam verbis Pauli consentaneum statuit. Quapropter prædictam conclusionem sub illa limitatione, ratione officij, constituimus: nam ex commissione non video cur non possint hanc habere potestatem constituendi huiusmodi præcepta spiritualia. Non, inquam, video cur Prouincialis, vbi ei visum fuerit ad honorem domus & monialium expedire, non possit Priorissis & Abbatissis committere, vt possint huiusmodi præcepta spiritualia in graui necessitate ponere, citra tamen excommunicationis censuram: nam hæc facultas nunquam mulieribus commissa est, nec eis committere decet. Tametsi Palud. loco citato, quia hoc est ius positiuum, censeat eam quoque posse eis committi, cùm committatur merè laico, vt distinct. 22. videbimus.

An spiritualis iurisd. Abbatiss. de iure diuino denegata.

Abbatissæ ex commissione possūt ponere præcepta spiritualia.

† §. Sed dicimus, &c. sup.

Ad autoritatem ergo in contrarium allatam † Pauli ad Galat. 3. respondetur: illud, quod in Christo Iesu non est Iudæus, nec Græcus, masculus, nec fœmina intelligi, quantum ad susceptionem fidei, ad quam, cum vniuersos mortales obliget, absque vllo discrimine, omnis anima rationalis admittenda est.

Solut. primi argum. initio art.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, non esse simile de potestate ciuili, quæ naturalis est, & de Ecclesiastica supranaturali, quam Christus tanquam per se rex illius per suos proprios ministros gubernat.

Solutio 2.

Ad secundum de concilio, Cardinales Turrecremata, & Caietanus locis citatis respondent è regione omnino ad Gersonem, & alios. Qui n. à parte concilii pugnant, dicunt Papam à concilio recipere autoritatem. Cardinales verò supra citati dicunt è conuerso, quòd concilium recipit illam à Papa. Sed certè vtrumque (vt sub correctione Ecclesiæ, & peritiorum dixerim) falsum apparet. Prior enim opinio satis est impugnata. Sed nec posterior censetur vera: quoniam Episcopi, & qui legitimæ sunt personæ concilij legitimè congregati præsidente Papa, aut eius legatis, eo ipso quod sunt Episcopi per se habent, dum publica autoritate congregantur, autoritatem Ecclesiæ, sicuti senatores in senatu. Quare nulla alia indigent Papæ autoritate, nisi quod ipse sit præses tanquam caput. Non quod ipsi episcopi sint tanquam procuratores totius Ecclesiæ recipientes autoritatem à toto populo, sed per autoritatem episcopalem, quam à Christo susceperunt, dum publico nomine congregantur habent autoritatem, quibus Spiritus sanctus, vt errare nequeant, assistit. Quocirca, quod concilium dicitur vniuersalem Ecclesiam repræsentans, in antiquis concilijs non legitur, sed est nouum. Et ideo, vt verum sit, non debet accipi in eo sensu, quasi illic totus Christianus populus per suos procuratores & legatos sit congregatus, nam populus non habet talem autoritatem coeundi in concilio per se, vel per alios. Imò licet omnis populus reclamaret, possent episcopi cum Papa facere concilium. Sed quod ipsi soli per potestatem diuinam repræsentant totam Ecclesiam, vt possint Christianum populum cogere, vt sibi auscultent, & pareant. Non ergo aliter concilium habet autoritatem à summo Pontifice, quàm quod episcopi creantur ab ipso. Et è contrario, si aliqua ratione concilium est supra Papam, non est quod ipse à concilio vllam recipiat autoritatem, sed quia omne membrum, etiam caput, est pars totius, & ideo tenetur stare decreto & sententiæ totius.

Impugnantur rationes Caiet. & Turrecrem.

Quo sensu debet accipi, quod Concilium repræsentet vniuersalem Ecclesiam.

Ad tertium eodem pacto respondetur, quod licet cardinalium collegium eligat Papam, tamen cardinales non eligunt nomine totius Ecclesiæ, quasi totus populus habeat autoritatem eligendi Papam: sed quod etsi electio ad omnes episcopos spectaret, tamen quia non possent sine magno dispendio & multo tempore conuenire, electio cardinalibus est commissa. Attamen Papa ab illis dum eligitur, nullam potestatem acquirit, sed à Christo, quia instituitur successor Petri.

Solutio 3.

ARTICVLVS V.

Vtrum quilibet sacerdos possit vti claue in quemlibet.

TANDEM quæritur de vsu clauium, & arguitur, quòd possit vnusquilibet sacerdotum in quemlibet sua vti claue. Sacerdotes à Christo susceperunt autoritatem illo verbo Ioan. 20. Quorum remiseritis, &c. vbi nulla est facta restrictio: ergo potest sacerdos vnumquemque absoluere.

Pars affirmatiua. 1. Argu.

Secundò arguitur. Si non posset vnusquisque sacerdos omnes absoluere, hoc esset ex defectu iurisdictionis: sed maior est defectus gratiæ, quàm iurisdictionis: quia vbi Christus dedit Apostolis potestatem absoluendi, insufflauit in eos Spiritum sanctum: & tamen mali sacerdotes possunt absoluere: nam alias nemo subditorum esset certus an fuerit absolutus, cùm nemini constet suum sacerdotem esse in gratia: ergo & sine iurisdictione absolutio erit valida.

2. Argu.

In contrarium est cap. Omnis vtriusque sexus. vbi prohibetur ne vllus sacerdos alienum parochianum, nisi de licentia sui sacerdotis absoluat.

Pars neg.

De isto vsu clauium quoniam distinct. 1. quæst. 5. multa inter tractandum de ministris sacramentorum diximus, pauciora hic dicenda supersunt. Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima. Nullus sacerdos absque potestate iurisdictionis potest vti claue ordinis absoluendo aut ligando. Hanc conclusionem artic. 1. tetigimus, vbi dicebamus characterem esse meram potentiam, quæ agere non potest, nisi passum ei applicetur, vt agat: subijcitur autem per iurisdictionem sacerdoti materia, per quam ei subditi addicuntur. Si autem aliorum rationem desideres, hæc est egregia, quod officium pastoris est ad salutem gregis oculatè attendere: supremus autem Ecclesiæ pastor non sufficit toti Ecclesiæ prospicere, nisi singulis diœcesibus episcopos præficiat, neque episcopus toti diœcesi, nisi parochijs parochiales sacerdotes præponat: cùm ergo summa gregis notitia, & iudicium per confessionem sacramentalem sumatur, in hoc sacramento præcipuè decet, vt non sit liberum cuicunq; ad quemcunque sacerdotem discurrere, sed sit quisque suo proprio alligatus, vt non nisi illi, vel de eius licentia confiteatur: hoc autem ligamen fit per iurisdictionem: ergo absque illa nemo sacerdotum potest quenquam absoluere. Multò ergo congruentius in hoc foro necessaria est iurisdictio, quam in exteriori, vbi tamen nullus sine iurisdictione potest quenquam iudicare. Quare licet sacerdos non subditum absoluere tentauerit, nulla est absolutio, nisi in articulo mortis.

Decis. art. 1. Conc.

Nota rationem.

Vtrum autem hoc sit de iure diuino, quod Armachanus lib. 11. negat, supra distinctio. 18. quæst. 4. articulo 2. discussimus, concludentes hoc esse de iure diuino cùm Christus has iurisdictiones instituerit, contra quod ideo ius nulla consuetudine præscribitur. c. Si episcopus. de pœnitent. & remiss. libr. 6. Cuncta illic, quæ ad confessionem proprio sacerdoti faciendam attinent, elucidata sunt. Eadem ratione non potest sacerdos à casibus reseruatis aliquem absoluere, quia in hoc pœnitens non est eius subditus. Et pari iure nec potest excommunicatum absoluere, quia priuatus est sacramentis. Cæterùm in omnes alios subditos potest claue sua vti. Et est similitudo in claue materiali, quæ

Iurisdictionem esse de iure diuino.

Similia.

Digitized by Google

non potest aperire, nisi propriam seram: & in causis naturalibus, quarum nulla potest agere, nisi in subiectam sibi materiam. Ignis enim non potest cælum inflammare, neque calor naturalis hominis ferrum digerere, quod potest calor struthionis. Quòd si argumentum in contrarium sacerdotum veteris legis afferatur, vbi nulla erat iurisdictionis distinctio, nullum est, tum quod totus ille populus non habebat nisi vnicum templum instar vnius parochiæ, tum præsertim quod sacerdotes non habebant potestatem spiritualem soluendi, vel ligandi, vel excommunicandi.

2. concl. Secunda conclusio. Quanquam minister sit in peccato mortali, nihilominus iurisdictionem retinet, vt absoluere possit, nisi fuerit schismaticus, vel hæreticus, vel suspensus, vel degradatus, aut excommunicatus nominatim, vel propter manifestam clerici percussionem. Hanc conclusionem distinct. 1. citata, artic. 5. & 6. latissimè contra hæreticos, & contra Armachanum confirmauimus. Cùm enim ministri non sint per sacramentum proprij authores gratiæ, sed Christus, eorum malitia non obstat quo minus sacramentum sit validum. Quare bonitas morum ministri non est de essentia sacramenti, iuxta sententiam Augustini interpretantis verbum Ioannis Matth. 3. Ipse (scilicet Christus) est, qui baptizat. Quapropter licet minister gratia careat, virtute Christi per sacramentum confertur.

At verò quoniam iurisdictio, vt dictum est, autoritate Ecclesiæ tribuitur ei qui episcopali Ecclesiæ aut parochiæ præficitur, potest eadem Ecclesia vsum eiusdem iurisdictionis ei suspendere, vt facit in schismaticis, hæreticis, & cæt. Quare licet attentent sacramentum pœnitentiæ administrare, non valet sacramentum, nec absolutio tenet. Quòd si arguas. Si attentent sacramentum Eucharistiæ conficere, sacramentum tenet: ergo si absoluant: nam dicere, ad hoc requiri iurisdictionem, non tamen ad illud videtur principij petitio. *Obiectio.* *Dilutio.* Negatur tamen consequentia, nec est petitio principij: quoniam in omni sacramento requiritur materia & forma, & in sacramento Eucharistiæ materia est duntaxat panis & vinum: quare nulla iurisdictio ad consecrandum requiritur. Materia verò pœnitentiæ est ipse pœnitens, & vbi suspenditur iurisdictionis vsus, siue per suspensionem sacerdotis, siue per excommunicationem subditi, subtrahitur materia necessaria sacramenti. Quare in sacramento pœnitentiæ vsus iurisdictionis est de essentia, non tamen in sacramento Eucharistiæ, aut in cæteris. Quapropter si quis sacerdotum non subditum baptizet, quamuis si extra extremam necessitatem id faciat, peccet, nihilominus quia materia legitima est aqua, sacramentum tenet. Neque ob id solùm quod characterem imprimit: nam etiam si extremam vnctionem administraret, esset valida, idque quamuis esset suspensus, licet tunc grauius peccaret. Idem est si episcopus alienum subditum confirmaret, aut etiam ordinaret, etiam si esset suspensus: quia in ijs sacramentis materia & forma concurrunt. Neque consistunt in actu iudiciario, vbi cognoscenda est causa, & ferenda sententia: hac enim de causa in sacramento pœnitentiæ vsus iurisdictionis est de essentia. *Vsus iurisdictionis est de essentia in sacramento pœnitentiæ.* De his autem quia in superioribus sunt elucidata, satis in præsentiarum.

Solut. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod etsi in susceptione ordinum omnes suscipiant potestatem ordinis, quæ est potestas absoluendi, iuxta citatum verbum, Quorum remiseritis, &c. est nihilominus necessaria applicatio materiæ, quæ fit per iurisdictionem, quæ promissa est singulariter Petro Matthæi 16. vt ab ipso in omnes descenderet.

Solutio 2. Ad secundum respondetur, concesso quod defectu iurisdictionis non potest quilibet sacerdos quemlibet absoluere, sed negatur consequentia dum infertur, tantum impedimentum esse defectum gratiæ. Nam etsi peius sit sacerdoti gratia, quàm iurisdictione carere, tamen administrationi sacramenti iurisdictio est necessaria potius quàm gratia ob rationem prædictam.

* *
*

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ.

Quæstio secunda.

DE VIRTVTE ET EFFECTV CLAVIVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm effectus clauium se extendat ad remissionem peccati, quoad culpam & pœnam.

POTESTAS clauium duplex est, vt articulo 1. superioris quæstionis distinximus. Vna est sacerdotalis characteris, quæ dicitur sacramentalis, eo quòd effectum habet in sacramento pœnitentiæ ligandi & soluendi. Et hæc propriè & principaliter dicitur potestas clauium. Alia verò est, quæ charactere non indiget: vt potestas iurisdictionis, quæ in non sacerdotibus existere potest, quæ non ita propriè dicitur potestas clauium, sed mediatè, quia non est sacramentalis, sed extra sacramentum, per illam fit remissio peccatorum quoad pœnam: nempe, per indulgentiarum largitiones, & ligatio per excommunicationem. *Duplex clauium potestas.* De effectu ergo huius secundæ potestatis in duabus subsequentibus distinctionibus agendum nobis restat. Sed de effectu primæ, quæ est sacramentalis, præsens locus dicendum requirit, vt tota materia sacramenti pœnitentiæ complementum hac quæstione suscipiat.

Arguitur ergo: quòd virtus hæc clauium non se extendat ad remissionem culpæ. Remittere peccata, quia sit per gratiam, est proprius effectus solius Dei per Spiritum sanctum, iuxta illud Psalmi: † Gratiam & gloriam dabit Dominus: ergo sacerdos non remittit peccata. *Part. neg. 1. Argum.* *Psal. 83.*

Secundò. Qui ad pœnitentiam accedit non contritus, indignè accedit: quia accusatio, qua se ostendit pœnitere Deum offendisse, mendax est: qui autem indignè accedit, nullam per sacramentum gratiã suscipit: qui autem accedit contritus ante sacramentalem absolutionem est in gratia: ergo nunquam virtute clauium fiet peccatorum remissio. *2. Argu.*

Sed tertiò, quod vi clauium nulla remittatur pœna temporalis, arguitur: quoniam eadem ratione posset remitti tota: consequens tamen est falsum, quia cùm satisfactio sit pars sacramenti, apparet semper relinqui aliqua particula, quæ sit satisfactionis materia. *3. Argum.*

In contrarium est tum verbum Euangelicum: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt: tum etiam forma sacramentalis, Ego te absoluo. *Pars affirmatiua.*

Hanc quæstionem disputat D. Tho. in 4. distinct. 28. quæst. 1. art. 3. Aliter tamen definire saltem verbis illam videtur, quam similem de sacramentis definit. 3. part. quæst. 62. In 4. namque tanquam expositor Magistri, qui ait, sacerdotem non absoluere, sed ostendere absolutum, in illam partem inclinauit, quod sacerdos absolutè non remittit culpam, eo quod non remittit, nisi tanquam instrumentum. Sed tamen in 3. part. non negat, quin sacramenta simpliciter dicantur conferre gratiam, licet id non faciant nisi tanquam instrumenta. Tribus igitur conclusionibus sub distinctione respondetur. Agens enim alicuius effectus duplex est, scilicet principale & instrumentale. *Decisio articuli.*

Est ergo conclusio. Tanquam agens principale, & per naturalem, & propriam autoritatem sacerdos non remittit culpam, sed solus Deus: vt enim peccatum solùm contra ipsum committitur, iuxta illud Psalm. †. Tibi peccaui: ita & ipsius est proprium peccata remittere. Ad hæc cùm gratia, per quam fit remissio, sit acceptatio ad gloriam, sicut dare gloriam, quæ sibi propria est, non nisi illi conuenit, ita nec dare gratiam. Et hoc est quod ait citatus Psalmus: Gratiam & gloriam dabit Dominus: nam qui dat supernaturalem finem, dat & media supranaturalia ad ipsum. *1. Concl.* *Psal. 50.*

Digitized by Google

2. Concl.

Secunda conclusio. Tanquam minister & instrumentum Dei sacerdos dum absoluit, verè peccata remittit. Conclusio hæc ex ijs, quæ diximus distinct. 1. quæst. 2. vbi sacramenta Euangelica monstrauimus conferre gratiam, liquidò colligitur. Nam si sacramentum causa est gratiæ, minister dum illud applicat ministerio suo, peccata remittit. Hæc enim fuit collectio concilij Constan. vbi decretum est ministrum sacramentorum per ipsa sacramenta gratiam conferre, quæ est nostra conclusio. Sed re vera Euangelium tam clarè illam probat quam concilium, vbi ait Christus, † Quæcunque solueris super terram, &c. Et, Quorum remiseritis, &c. Id quod & forma ipsa declarat, quæ certè, si sacerdos peccata non remitteret, falsa esset.

Concilium Constant.

Matt. 18.

De hac verò re, vt hæreticos omittamus qui clauium virtutem negant, & sacramentorum efficaciam gratiæ, qui satis in superioribus expugnati sunt, lis est cum Magistro Senten. qui dist. 18. negat vnquam sacerdotem verè absoluere, sed ait duntaxat ostendere, absolutum. Et ratio eius est quam secundo loco hic fecimus: nempe, quod neminem censet dignè accedere ad sacramentum, nisi existat in gratia. Et hæc fuit opinio Alexandri 4. par. q. 80. memb. 1. & Bonauent. dist. 18 q. 2. & ibidem Richard. & Abulens 1. par. sui defensorij ca. 6. Et fuit inter iuniores opinio Gabr. d. 14. quæst. 2. & Almain d. 18. q. 2. & Maioris vtraq; d. 14. q. 2. & 18. quæst. 1. omnes, inquam aiunt, quòd sacramentum pœnitentiæ nunquam conferre potest primâ gratiam. Et ideo ait Alexan. & omnes isti, quod sacramentum pœnitentiæ nunquam remittit nisi solam pœnam.

Opinio Magist. Sent. Alex. &c.

Contrarium tamen tenet hoc loco D. Thomas, scilicet distinctione 18 quæstione 1. articulo 3. vbi ait, quod licet quis accedat non bene dispositus ad pœnitentiam, si obicem non opponat, recipit primam gratiam, sicut per baptismum. Et subdit contra Alexand. rationem: quia hoc sacramentum non ordinatur ad remissionem pœnæ tantum, sed etiam culpæ, vt baptismus. Idemque ait in 3. part. quæstione 86. vbi dicit, quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, & principalius quidem virtute clauium, & formæ absolutionis. Eadem est opinio Scoti in 4. distinctione 18. quæst. 4. artic. 3 & Duran. & Palud. ead. d. & Marsilij in 4. dist. 13. & Rossensis ar. 5. contra Luthe. vbi ait expresè, quod sacramentum pœnitentiæ quandoque potest conferre primam gratiam attrito. Adrian. q 2. de clauibus, ait hanc opinionem S. Th. vniuersalius iam modò sustineri. In hac autem controuersia distinguendi sunt tres gradus. Primò, quando homo accedit ad sacramentum contritus. Secundò, quando per alium extremum accedit cum obice ne gratiam suscipiat, licet putans se dignè accedere confessionem faciat, & sacerdos putans eum esse satis dispositum absoluat, sed frustra. Et tertius medius modus quando accedit attritus, putans se bona fide esse contritum. Et quidem in primo gradu, qui est Magistri & suorum sequacium, licet re vera sacerdos tunc non conferat primam gratiam, nihilominus non est negandum quin verè absoluat, ac remittat, vt dist. 14 q. 1. art. 3. vbi egimus de forma absolutionis, secundùm S. Th. & veritatem ostendimus. Nam profectò alioqui forma ipsa esset falsa. Ego te absoluo. Item quia quandoque etiam qui baptizatur est in gratia, & tamen vera est forma, Ego te baptizo, id est, abluo, etiam spiritualiter à peccatis. Item quia sacramentum non solùm est signum gratiæ, verùm & vera causa. Quare vt illic S. Th. q. 84. probè docet, cum quis formam illam profert, Ego te baptizo, &, Ego te absoluo, non debet accipi in hoc sensu, Ego te ostendo baptizatum & absolutum, qiasi signum ostendens gratiæ, sed ego te verè baptizo & absoluo, applicando veram causam ablutionis & absolutionis. Quare Magister sui oblitus fuit, dicens sacramenta conferre gratiam, & nihilominus sacerdotem non verè absoluere, sed ostendere absolutum. Igitur licet daremus, neminem dignè accedere ad sacramentum nisi qui est in gratia, consequentia nulla est, qua infertur, quod sacerdos non verè tunc absoluit.

Op. S. Th.

Ratio cõtra Alexan.

Scotus.

Tres gradus confitentiũ.

In 1. gradu contritus accedens, verè absoluitur.

Neque ob id solùm dicitur absoluere, vt ait Alexan. quia remittit pœnam, neque ob id, quod absoluit à præcepto confessionis: nam absolutè absoluere, principaliter est à culpis, iuxta verbũ euangelicum, Quorum remis. &c. Veritas ergo formæ optimè seruatur in illo sensu, quem illic explicat S. Thom. vt, Ego te absoluo, idem sit, quod ego sacramentum absolutionis tibi impendo, cuius virtute, si in peccatis existeres, quibus obicem non opponeres, remissionem consequereris. Nam & per eandem absolutionem confertur augmentum gratiæ, quæ per se sufficeret peccatum remittere. Pari modo, & in secundo casu, si quis cum obice gratiæ accedat, veritas formæ saluatur, Ego te absoluo, id est, sacramentum absolutionis impendo, quod nisi obicem ex parte tua inueniret, remissionem tibi peccatorum conferret: licet non opus sit conditiones illas exprimere. Quare in nullo casu tenenda est opinio Magistri, quod scilicet interpretatio formæ sit, Ego te absoluo, id est, absolutum ostendo, est enim synceritatem & castitatem Ecclesiasticæ formæ denigrare, & contaminare, & in sinistrum sensum peruertere. Nam verba euangelica, maximè in re tanti mysterij debent accipi in sensu proprio. Verba autem illa, Ego te absoluo, non possunt sacere sensum illum, Ego te absolutum ostendo. Quoniam res diuersissimæ sunt absoluere, & ostendere. Præter enim non potest verè remittere debita, quæ quis alteri debet: sed ostendere per suam sententiam, quod nihil debet. Et in hoc sensu dicitur absoluere reum, non quidem ab eo quod debeat, sed à lite Creditor autem solus est, qui potest debita remittere. Et hoc pacto Deus ministerio sacerdotis verè remittit debita. Quare verbum, absoluo, non potest exponi per ostendo. Et confirmatur, quia si talem posset facere sensum, liceret tunc sacerdoti commutare verba, & dicere, Ego te absolutum ostendo. Esset tamen sacrilegus, qui illa vteretur forma.

In 2. gradu accedens cũ obice gratiæ.

De tertio verò gradu medio, vtrum scilicet quis possit ita attritus ad sacramentum accedere, vt per ipsum primam gratiam & veram remissionem peccatorum obtineat, est inter citatos autores scholastica controuersia. Sed profectò adeò est opinio S. Tho. verior, nempe quòd per sacramentum pœnitentiæ nonnunquam, imò sæpe confertur prima gratia, vt vix possit alia sustineri. Quocirca hæc sit hic secunda conclusio. Nam in primis fundamentum illorum falsissimum est, vt suprà distin. 18. q. 2. art. 2. monstrauimus: nempè quod quicunque accedit sine contritione, sic indignè accedat, vt peccet accedendo: nam potest esse attritus, & bona fide putare se esse contritum: quare tunc non indignè accedit. Sicut è conuerso qui accedit ad Eucharistiam contritus, si puret se non esse contritum, indignè accedit. Neque verò, vt Maior sentit, quicunque putat se esse contritum, perinde in alio extremo dignè accedit, vt iam sit in gratia ante absolutionem. Nam illa cogitatio mentis, qua quis cogitat se esse contritum, sufficit quidem ad excusandam culpam, ne quis peccet accedendo, non tamen ad tollendum peccata præterita: nam peccata non tolluntur per actum mentis, sed per legitimam contritionem. Quare qui accedit attritus, putans se esse contritum, dignè quidem accedit, vt obicem non ponat effectui sacramenti. Vnde cùm sacramentum per se conferat gratiam, eam ille per ipsum suscipit. Dixerim, accedens attritus putans se esse contritum, nam vt eod. loco citato ostendimus, arbitror attritionem, nisi quæ existimetur contritio, nunquam sufficere, vt per sacramentum conferatur gratia: eo quòd accusatio, quæ debet esse signum pœnitentiæ, qua ratione homo offendit Deum, non esset signum verum secundùm conscientiam, & existimationem pœnitentis, quia loqueretur contra cor.

In 3. gradu accedens attritus.

Non ideo quis est in gratia quia se putat contritum.

Attritus putans se contritum, dignè accedit.

Nota.

Secundò probatur hæc veritas, quòd sacramentum pœnitentiæ quandoque conferat primam gratiam ex nomine ipso clauium: Si enim nunquam absolutio in re exhibita peccatum tollit, nescio cur dicatur sacerdos habere claues in foro pœnitentiæ. Nam metaphora clausum, vt suprà diximus, sumpta est ab aperiendo & claudendo ostio. Si autem sacerdos nunquam verè aperit cælum, sed solummodo ostendit apertum, inepta esset clauis metaphora. Nam quæ metaphora est, Dabo tibi claues ad ostendendum? Adde quòd tunc aptior esset forma, Ego te absolutum ostendo.

2. Ratio.

Tertiò. Profectò hoc est in errorem inclinare eorum qui claues negant Ecclesiæ. Nam, vt apud Tho. Wald. tomo 2. de sacrament. à cap. 141. vsque 146. refertur, hoc hæretici contendebant, quod sacerdos nec poterat absoluere, nec peccatum remittere, nisi homo prius esset à peccatis absolutus. Et hoc ipsum omnino est, quòd isti aiunt. Contra quod Augustin. lib. de pœniten. c. 9. comparans nostros sacerdotes veteribus ait, quòd illi solùm ostendebant mundatos esse homines à lepra, nostri verò verè habent potestatem

3. Ratio.

Absoluere principaliter est à culpis.

Digitized by Google

emundandi. Vbi exponens verbum illud Ioan. Quodcunque solueris super terram, & cæt. ait: hoc est, Ego Deus, & omnes ordines cælestis militiæ, & omnes sancti in mea Ecclesia laudant vobiscum, & confirmant quod ligatis & soluitis. Vnde Bernard. in sermo. Apostol. Petri & Pauli ait, quod sententiam cæli præcedit sententia Petri. Quo quidem verbo vtitur & Hugo lib. 2. de sacramen. par. 14. cap. 8. exponens illud, Quodcunque solueris. Vbi ait, quod non dixit: Quodcunque tu absolutum ostenderis, sed quod tu verè solueris. Et Chrysostom. lib. 3. dialogo. cap. 5. confirmans idem omnino, ait, quòd illi mundatos ostendebant: Euangelici verò immunditiam mentium non ex parte probandi, sed omnifariam mundandi obtinent potestatem.

4. Ratio. Quartò arguitur. Christus dicens Ioan. 20. Data est mihi potestas, & cæt. Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis, &c. eandem Apostolis potestatem tradidit, quam ipse habebat, sed Christus veram habuit potestatem remittendi peccata conferendo primam gratiam. Per illa enim verba ad Magdalenam, † Remittuntur tibi peccata tua, licet tunc esset in peccatis, remitterentur ei: ergo per illa similia verba, Quorum remiseritis peccata, eandem illis largitus est, nisi quod tribuit eis illam sacramentis alligatam. *Luc. 7.*

5. Ratio. Quintò arguitur. Si sacerdos non habet potestatem remittendi peccata per primam gratiam, profectò plus oneris quàm emolumenti præceptum confessionis haberet. Obligare enim hominem ad rem tam difficilem quàm est, grauissima peccata alteri patefacere, nisi beneficium remissionis illic posset quandoque assequi, non videtur id suaui iugo Dei consentaneum. Dicere enim, quod hoc conducit, vt sacerdos ostendat hominem esse absolutum, parum esset momenti. Nam quæro, cui ostendit? Deo quidem non, quia omnia scit: neque verò Ecclesiæ, quia non est hoc forum exterius. Sed quod nec pœnitenti id ostendat, probatur: quia si nunquàm homo ex attrito per confessionem posset fieri contritus, nihil prorsus certitudinis pœnitenti per absolutionem accresceret, sed cum eadem ambiguitate, qua dubitabat se esse verè contritum, recederet hæsitans se verè esse absolutum. Si autem per absolutionem homo potest primam gratiam recipere, licet accedens putans se esse contritum deciperetur, certior tamen recedet quod gratiam sit consecutus. Nam certior esse potest coniectura, obicem non oppositisse, dum putabat se esse contritum, quàm quod fuerit verè contritus.

6. Ratio. Sextò. Sacerdos habet autoritatem ligandi. Nam possunt tum Prælati excommunicare, tum etiam sacerdotes pœnitentes obligare ad opera satisfactionis exoluenda, vt illico ostensuri sumus: ergo & possunt absoluere. Alioqui Christus in collatione clauium rigorem potius iustitiæ erga nos, quàm misericordiæ suæ clementiam declarasset. Quare neque tanti pendenda esset hæc facultas Ecclesiæ, quanti æstimatur. Nam dicere, quod illic peccata quidem venialia remittantur, non est res tam egregia, cùm illa per plura alia sacramentalia remittantur, vt per aquam lustralem, &c.

7. Ratio. Septimò. Sicut baptismus institutus est in remissionem originalium, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. ita pœnitentia in remissionem actualium, iuxta illud Luc. 24. oportebat Christum pati, &c. & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes: sed per baptismum confertur prima gratia, vt patet in pueris, imò in adultis sufficit non ponere obicem; Ambr. enim ait, quòd illic non requiritur gemitus, neque planctus: imò per omnia reliqua sacramenta potest conferri prima gratia, vt non solùm de baptismo, verùm de Eucharistia tenent fautores ipsi contrariæ opinionis. Vt Magist. & Alexan. 4. part. q. 47. membro 3. art. 2. ergo & per pœnitentiam potest conferri prima gratia: præsertim cùm de ipsa expresè dictum sit, Quorum remiseritis peccata.

7 rationis confirmatio. Et confirmatur argumentum, quoniam in concilio Florentino in instructione Armenorum decretum est, in hoc differre sacramenta nouæ legis à veteribus, quod illa significabant quidem, sed non conferebant gratiam, nostra verò continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt: ergo vel pœnitentia non est sacramentum, vel gratiam primam confert. Nam dicere satis esse vt illam augeat, non satisfacit verbo concilij: quoniam aliud est, augere gratiam, aliud conferre: nam conferre nihil aliud est, quam hominem inimicum Dei in eius amicitia & gratia constituere.

8. Ratio. Quinuerò octauo, vt rem concludamus, arguitur, Si pœnitentia ex se non haberet, vt quandoque primam gratiam conferret, persuaderi non posset, esse sacramentum: quoniam in Euangelio non habetur pœnitentiam, vel aliud quidpiam esse sacramentum: sed quia ibidem habetur, conferre gratiam, concilia ex traditione Apostolorum collegerunt sacramentorum naturam & nomina. Nempe, quia de baptismo dictum est, † Nisi quis renatus fuerit, &c. Et de Eucharistia, † Nisi manducaueritis carnem, &c. Ergo si idem non colligatur de pœnitentia ex verbis, Quorum remiseritis, nulla sit reliqua persuasio, quòd sit sacramentum: imò neque elici potest, quod per ipsum aut per alia augeatur gratia. Quoniam augere gratiam, nec est aperire regnum, quod tribuitur baptismo: neque dare vitam, quod tribuitur Eucharistiæ: neque veniam concedere, quod tribuitur pœnitentiæ. *Ioan. 3. Ioan. 6.*

Notand. Hæc ad consolationem pœnitentium congerere fuit operæpretium, vt virtus pœnitentiæ in remittendis peccatis eis lucerer, confiderentque adeo contingere posse, vt ad hoc sacramentum in peccato accedentes, inde in gratia recedant. Non tamen propterea segniores fieri debent in legitima procuranda contritione. Falsum autem fundamentum contrariæ opinionis est, quòd arbitrantur occlusam esse Deo quamuis aliam viam remittendi peccata quàm per legitimam contritionem, cùm tamen sacramenta, potissimum baptismi, & pœnitentiæ, ad hoc ipsum sint instituta, si obicem in suscipiente non inuenerint.

3. Concl. Tertia conclusio. Eadem virtus clauium se extendit etiam ad remittendam pœnam: nam de æterna, tam damni quàm sensus, in dubium cadere non potest: etenim cùm remissio culpæ non fiat nisi per gratiam, tunc fit homo diuino conspectu dignus, atque adeò ab inferno liber. Sed de pœna temporali itidem probatur, quia plus est gratiam infundere, culpamque remittere quàm pœnam: quæcunque ergo causa potest primum, potest & secundum. Qua vtique ratione & contritioni, & cuicunque actui meritorio hoc competere supra ostensum est quod ad pœnæ remissionem valeat. Cum ergo virtus clauium sit potestas soluendi, sit vt ad id quoque sit efficax: nam si vim habet ligandi ad pœnam, tam in sacramento, quàm extra per excommunicationem, magis consentaneum est, vt habeat etiam ad remittendum pœnam, idque non solùm in sacramento, sed etiam extra per indulgentiarum relaxationes, vt in subsequentibus distinctionibus monstrabitur. Item quia remittere peccatum totum dicit, scilicet remittere & culpam, & pœnam. Itaque si homicidio remisso ex sua ipsius natura debeatur temporalis pœna decem dierum acerba, vel, quod aiunt, intensa vt decem, & contritio secundùm suam quantitatem, & confessio secundùm suam deuotionem partem remittat, & absolutio partem tam extensionis, quàm intensionis, tunc tam paruus esse posset pœnæ reatus, aut contritio tanta, vt totus extinguatur. *Pœnit. remittit pœnam æternam & temporalem.*

An per pœnitentiam tota remittatur pœna. Si autem quæras vtrùm totam semper remittat, iam satis supra dist. præcedenti q. 1. & 3. responsum est per discrimen inter hæc duo sacramenta baptismi & pœnitentiæ, quòd per baptismum, quia est regeneratio in nouam vitam, sic complantamur morti, & resurrectioni Christi, vt plenissima fiat illic condonatio culpæ, & totius pœnæ. At verò quia per sacramentum pœnitentiæ non regeneramur, sed sanamur virtute clauium Ecclesiæ, non fit ibidem tam plena pœnarum remissio, sed iudicio sacerdotis habito respectu tam dispositionis pœnitentis, quàm grauitatis peccatorum. Et hoc diximus esse fundamentum tam satisfactionis, quàm purgatorij. *Nota discrimen baptis. & pœn.*

Solut. 1. arg. Ad primum igitur argumentum negatur consequentia. Remittere enim peccata per propriam supremamque autoritatem soli Deo conuenit, illius autem autoritati nihil derogat, imò multum honoris atrogat, quòd eius ministri, sicut & eius sacramenta, veluti suæ passionis instrumenta, eundem sortiantur effectum. Nihil enim dignitati artificis detrahitur, si per instrumenta suam artem exerceat. Quapropter autoritas illa Esaiæ, † Ego sum qui deleo iniquitates vestras: Et illa Augustini, † Nemo tollit peccata, nisi solus Deus: atque aliæ, quas Magist. Sen. d. 18. congeminat, ad probandum *Isa. 43. † Hom. 23.*

Digitized by Google

bandum sacerdotem non remittere peccata, nullius sunt roboris: quoniam omnia hac ratione diluuntur. Vnde Hugo loco citato li. 2. par. 14. Ait enim, inquit, Dominus in propheta, Ego solus deleo iniquitates & peccata populi. Item Ambr. ille solus dimittit peccata, qui pro peccatis nostris mortuus est. Et subdit: Sed istas autoritates ita interpretari debemus vt non auferamus, quod Christus commisit hominibus: dicit enim ipsa veritas, Quorum remiseritis peccata, remissa sunt.

Obiectio ex Amb.

Quo autem hic testimonia patrum videntur dubium facere. Primum est. Ambros. de pœnit. dist. 1. cano. Verbum. vbi ait, Verbum Dei, hoc est, filius Dei dimittit peccata, sacerdos est iudex: sacerdos quidem suum officium exhibet, & nullius potestatis iura exercet: vbi videtur docere sacerdotem non absoluere. Respondetur, quòd dum ait, nullius potestatis iura exercere, non negat eum absoluere, sed ait, quòd non exercet propriæ potestatis ius, sed potestatem ministri diuinitus susceptam. Sic enim dicere possumus, quòd prætor non vtitur iure suo, sed regis. Subdit enim illico, Dominus par ius & soluendi esse voluit & ligandi, qui vtrumque pari ratione commisit. Et rursus, Certum est, quòd Ecclesiæ vtrumque licet. Aliud est Hieron. super verbum Matth. 16. Tibi dabo claues, &c. vbi ait. Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur: docet ergo sententiam sacerdotis non esse absolutionem. Respondetur Hierony. nihil aliud docere, quàm quòd presbyteris non licet vt libet absoluere, sed cum iudicio clauis scientiæ. Quare si suo cæco arbitratu vel innocentes condemnent, vel absolutione indignos absoluant, illam sententiam Deus non approbat.

Dilutio.

Obiectio ex Hier. tom. 9

Dilutio.

Sol. 2. arg.

Ad secundum iam responsum est, constituendo medium inter dignè accedere, hoc est, in gratia, & indignè, hoc est, peccando in accessu. Nam potest quis putare se esse contritum, qui verè non sit, & tamen non peccet accedendo. Quam quidem solutionem dist. 18. q. 3. art. 2. explicuimus, vbi fallaciam argumentorum contrariæ opinionis aperuimus, & refutauimus.

Sol. 3. arg.

Circa tertium argum. D. Tho. dist. 18. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad tertium, habet opinionem extraneam, quæ forsan tunc erat in vulgo doctorum, quod vulgus in quarto aliquando sequebatur. Adeò enim pro constanti habet restare semper pœnam aliquam per satisfactionem soluendam, vt cogitet virtute clauium non semper æqualem pœnam remitti, sed proportionabiliter. Exempli gratia. Si quis debet pœnam, vt quatuor, & vi clauium remittitur gradus vnus, si alius non deberet nisi vnicum gradum, & per absolutionem totus remitteretur, nihil restaret per satisfactionem soluendum. Et ideo ait, quòd non remittitur, nisi pars aliquota, verbi gratia, quarta pars, vt debenti octo remittuntur duo, & debenti quatuor, vnum: & debenti duo, dimidium. Porrò autem opinio non est credibilis. Quare citra dubium, si in 3. par. hucusque peruenisset, illam mutasset. Nam effectus sacramenti, qui est ex opere operato, est vnus certus gradus gratiæ: ergo eadem ratione vnus certus gradus remissionis pœnæ: nulla enim est discriminis ratio. Præterea si opinio hæc esset vera, quod quis leuiora peccata commisisset, peioris in hac parte esset conditionis: nam minus ei virtute clauium remitteretur. Item ipse D. Tho. in solutione quarti concedit, quod toties potest iterari absolutio super eadem peccata, vt tota pœna remittatur, quod iam supra contra Scotum confirmauimus, dicentem, quod per secundam absolutionem nulla remittitur pœna. Si ergo absolutiones subsequentes possunt omnino tollere pœnam, consequens est, vt æquales partes tollant: nam si non tollerent, nisi partem aliquotam residui, nunquam tota absumeretur. Citra dubium ergo dicendum, quod absolutio semper æqualem partem pœnæ delet, siue pœnitens sit reus paruæ, siue magnæ. Quapropter quandoque tollit totam. Imò verò ante absolutionem per contritionem & confessionem contingit totam esse sublatam.

Melius dispositus plus pœna remittitur.

Vnum tamen fortasse verum est, quod accedenti ad sacramentum meliùs disposito, etiam vi clauium maior pœna remittitur, id quod in prædicta solutione quarti S. Thom. adstruxit: nam simile de gratia baptismali asseruit q. 69. artic. 8. Et ideo ait, quòd tanta potest esse contritio, quòd tota pœna remittatur.

Vrgetur contra sol. 3.

Contra hoc autem arguitur. Sequeretur, quòd aliquando sacerdos nullam deberet imponere pœnitentiam. Respondetur, quòd si ei constaret nullum reatum pœnæ manere, verum concluderet argumentum, sed quia id non constat, semper debet aliquam iniungere.

ARTICVLVS II.

Vtrum sacerdos virtute clauium possit pœnitentem ad pœnam ligare.

QVIA duo sunt clauium membra, soluere scilicet & ligare, explorandum restat, vtrum vtrumque valeat sacerdos in sacramento pœnitentiæ exercere. Et arguitur, quod ligare nequeat. Clauium enim potestas ex virtute passionis Christi efficax est: sed effectus passionis non est ligare, sed ignoscere: ergo nec sacerdos ligare in sacramento potest.

Partis negatiua arg. 1

Secundò. Sicuti absoluere est obstaculum amouere, ita & ligare est illud opponere: obstaculum autem cæli est peccatum, quod sacerdos impingere pœnitenti non potest: ergo nec potest ligare.

2. Arg.

Tertiò arguitur. Si sacerdos posset pœnitentem ligare ad pœnitentiam, sequeretur, quòd si pœnitens postea eiusdem pœnitentiæ obliuisceretur, teneretur eandem confessionem iterare, vt iterum iniungeretur pœnitentia: quia alia via impossibile est ei illam implere: consequens tamen est falsum: quia peccata, à quibus homo virtute clauium rite absolutus est, neutiquam iteratò cogitur confiteri.

3. Arg.

In contrarium tamen est, quòd in Euangelio vtrumque coniunxit Christus, Quodcunque solueris, & quodcunque ligaueris, & Quorum remiseritis, & Quorum retinueritis.

Partis affir.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Sacerdos virtute clauium in sacramento pœnitentiæ vt absoluere potest, ita & ligare, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, licet diuersimodè. Probatur. Sacerdos soluit & ligat ceu Dei minister: ergo simili modo ipse functiones has ministerialiter exercet, quo Deus per suam autoritatem. Deus autem vtraque ratione peccatum quantum ad culpam absoluit, & ligat, & quantum ad pœnam: ergo eodem modo minister. Declaratur minor. Operatur n. in culpam directè eam tollendo, si homo sit dispositus, indirectè tamen ligando, & retinendo inquantum indurat, & excæcat: quandoquidem hoc non facit directè, præcipitando hominem in culpam, sed indirectè, non largiendo gratiam: quia homo non se præparat, sed resistit motioni Dei. Eodem ergo pacto & sacerdos directè remittit culpam, sed indirectè retinet ostendendo hominem non esse venia dignum. In pœnam verò vtroque modo directè Deus operatur: nam & pœnam directè parcit, & tollit, directeque etiam infligit: similiter ergo sacerdos partem pœnæ pœnitenti directè remittit: ergo cùm aliqua pœna remaneat, ad illam ligat. Bifariam tamen, vt ait S. Tho. d. 18. q. 1. art. 3. Nam si consideretur tota quantitas remanentis pœnæ, ad illam non ligat directè: quia non obligat, vt in hac vita satisfiat pro illa, sed indirectè, quia ab illa non absoluit. Considerata verò pœna specialiter hac vel illa, directè ligat pœnitentem ad illam soluendum.

Decis. art. 1. Concl.

Ratio conclusionis.

Expositio minoris.

Bifariam sacerdos obligat ad pœnam.

Particulæ reliquæ huius conclusionis liquidæ sunt, & omnibus in confesso.

Hanc verò postremam Scotus di. 18. negat dicens sacerdotem non habere autoritatem obligandi pœnitentem ad aliquam pœnitentiam, nisi sua ipse sponte eam voluerit acceptare. Addit verò, quod si illam acceptauerit, debitor sit soluendi ex præcepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit. Vbi insinuat quod tenetur sub reatu mortali. Priorem partem non aliter probat, quàm ex illo suo principio, quod d. 18. q. 1. art. 1. impugnauimus, nempe, sacerdotem non esse iudicem ordinarium, sed arbitrarium. Inde n. infert in potestate cuiusque esse submittere se sacerdoti quantum ad remissionem culpæ, & pœnæ, vel solùm quantum ad remissionem culpæ. Potest enim quisque non sacerdoti, sed Deo se subijcere in solutione pœnæ, vt ei vel in hoc mundo, vel in purgatorio eam infligat, si ipse vltro eam noluerit implere. Et quod tunc sacerdos debeat eum absoluere, licet pœnitentiam renuat acceptare,

Scoti opinio de pœnit. iniunctione & acceptatione.

1. Arg. Scoti.

Scoti illatio.

probat.

Digitized by Google

probat. Nam quamuis illud non sit magnum signum contritionis, tamen postquam pœnitens dicit se esse contritum, subdereque se Deo in solutione pœnæ, signum est illum esse in gratia, atque adeò absolutione dignum.

2. Argum. Scoti. Et secundò arguitur. Quia si sacerdos posset pœnitentem obligare ad pœnam, hoc esset, quia ei constat illum esse reum pœnæ dimissa culpa: nam si sciret non esse reum, nullam ei deberet pœnam iniungere. Sed illa non est sufficiens ratio, alioqui consequens fieret, vt deberet illum obligare ad totam pœnam quam debet, quod est falsum, vt art. sequent. videbimus. Sequuntur eum è iunioribus nonnulli, vt Gabrie. dist. 16. quæst. 2. & alij.

3. Argum. Scoti. Item tertiò arguitur. Nullum extat satisfactionis diuinum præceptum, ergo neque Ecclesia, neque sacerdos potuit illud ponere: nam satisfactio, vt dictum est, non est de essentia sacramenti, quare neque imponitur in articulo mortis.

Quartò. Quòd homo in hac vita per leuiores pœnas satisfaciat, quàm sunt in purgatorio, est maxima misericordia Dei in fauorem hominum impensa: ergo potest homo suo iuri renunciare, & totum se ad purgatorium remittere. Et confirmamus nos eandem conclusionem, quia posset quis tanta contritione teneri vt nollet indulgentias accipere, quæ ad remissionem pœnarum purgatorij conceduntur, sed vsque ad nouissimum quadrantem in purgatorio persoluere. Sed tamen hoc d. proxima examinandum est. Eandem opinionem tenet Sylues. verb. Confessor. 1. §. 25. & 26. In cuius sententiam citat Hosti. & Pano. in cap. Significauit. de pœniten. & remis. qui Scotum sequuntur. Sed facit limitationes. Primò, quòd non tenetur acceptare si dicat se velle puniri à Deo. Et nisi esset pœnitentia restituendi debitum, aut cauendi occasiones peccatorum. Istæ autem limitationes superuacaneæ sunt: nam pœnitentia restituendi & euitandi occasiones peccatorum, non pertinet ad satisfactionem, sed ad legitimam contritionem, vt homo exeat à peccato. Et dicere, quòd debet pœnitens habere propositum acceptandi à Deo in purgatorio satisfactionem, est ridiculum: nam pœna purgatorij non est satisfactio, nec opus est acceptari in hac vita, quia à Deo infligenda est, & non ab homine eligenda. Caiet. verò in 2. quæstione de satisfactione, quam tertiæ parti adhibuit, partim consentit cum Sco. & partim ab eo dissidet. Tenet, inquam, quòd pœnitens non tenetur acceptare pœnitentiam, imò quòd quamuis acceptet, non tenetur sub reatu mortali adimplere. Et re vera si alterutra esset tenenda, hæc videtur opinioni Scoti præferenda: nam si obligatio ad soluendam pœnitentiam non nascitur ex potestate sacerdotis quia ipse obligare nequit, fit vt licet pœnitens sua sponte velit acceptare, non sit aliud vinculum, quàm simplicis promissionis, qua ait se facturum. Hæc autem promissio genere suo non obligat sub reatu mortali: quia non fit votum Deo, imò verò neque est propriè promissio, sed simplex assertio, faciam: & ideo citra mortale potest pœnitens mutare postea propositum, remittendo se ad purgatorium: quia si sacerdos non potest obligare, nullam obedientiam ei in hoc debet, sed est quædam venialis fallacia, qua eum decipit.

1. Concl. contra Scot. Sylu. & Caiet. At verò quamuis hæ duæ opiniones non protsus omni sint probabilitate destitutæ nihilominus adhibetur secunda conclusio. Sacerdos sic potest pœnitentem ad aliquam pœnitentiam obligare, vt nisi manifestus error appareat, teneatur eam acceptare ac subinde implere, idque ex genere suo sub reatu mortali. Conclusio est hic S. Thom. loco citato, & Magist. Sentent. d. 16. & 18. & ead. d. Ricard. art. 1. q. 5. & Palu. dist. 20. q. 2. Et ex neotericis alij. Dixerim, nisi manifestus error appareat: nam claue errante non tenetur pœnitens obtemperare. Errarēt autem, vbi pensatis omnibus circunstantijs tam personæ, quam grauitatis pœnitentiæ manifestè constaret non esse acceptandam. Dico, manifestè: quia in re dubia sacerdotis iudicio standum est. Adiectum est autem, genere suo: quoniam tam parua potest esse pœnitentia, vt parui referret, vel non acceptare, vel acceptam non adimplere, & sic esset peccatum veniale. Probatur conclusio ex fundamento contrario illi Scoti, quod loco citato constabiliuimus. Sacerdos quidem est iudex, non arbiter, qui potestatem accipit à pœnitente, sed ordinarius à Christo institutus, qui tanquam eius vicarius eius potestate & autoritate vtitur: ergo potest pœnitentem verè absoluere, vel si iudicio suo iustum iudicauerit non in totum absoluere, sed obligando ad aliquam satisfactionem suis culpis dignam. Nam Gabrielis responsio, quòd sit ordinarius quantum ad remissionem culpæ, & non quantum ad absolutionem pœnæ, ipsam se manifestè ostendit esse gratis excogitatam. Nam cum Christus simul dixerit, Quodcunque solueris, & quodcunque ligaueris, & quorum remiseritis, & quorum retinueritis, esse elicitur planè commentum quòd sit ordinarius quantum ad absoluendum, & non quantum ad ligandum. Secundò ad maiorem huius explicationem arguitur. Deus commisit sacerdotibus potestatem absoluendi, non quomodocunque, sed in iudicio, ad quod clauis scientiæ seruit: ergo sacerdos per eandem clauem discernere debet non solùm an pœnitens sit absolutione dignus, sed quomodo sit dignus: nam inter dignum & indignum est medium, vt quis sit absolutione dignus cum aliquo ligamine & onere, sicut contingit in foro exteriori iudiciario. Nulla enim est ratio cur in hoc forum conscientiæ à foro exteriori differat. Quare sicut iudex in foro exteriori existimata causa criminis, quandoque, neque omnino condemnat toto rigore iuris, nec omnino absoluit, sed aliquam pœnam arbitrariam vel maiorem, vel minorem infligit, quam reus acceptare, & soluere tenetur: ita imò multò æquiùs hoc habet sacerdos ius. Alioqui superflua esset clauis scientiæ ad considerandum omnium peccatorum causas, & ponderanda merita, quod & pœnitens ipse facere debet, vt habetur cano. Consideret. de pœnitent. d. 5. Et re vera, vt superius diximus, verborum spiritus ille est, Quodcunque & quomodocunque solueris vel ligaueris, & quæcunque & quomodocunque remiseritis, vel retinueritis, siue in partem, siue in totum, rata erit sententia in cælis: ipsi ergo pœnitens stare tenetur.

Responsio Gab. gratis excogitata.

2. Prob.

Tertiò. Sacerdos absoluit tanquam Dei minister: sed Deus illo modo sæpe absoluit à culpa retinendo aliquam pœnam soluendam: ergo pari modo poterit sacerdos absoluens à culpa ad illam pœnam obligare.

3. Prob.

Quartò. Sacramentum pœnitentiæ est tum castigatio pro præteritis, tum & medicina ad cauendum futura: & ideo pœnitentia semper indicitur in luctu & planctu, vt habetur Ioel. 2. & alijs operibus pœnalibus, vt diximus: ergo cum vtrumque sit necessarium, sacerdos potest obligare ad pœnitentiam, quæ sit non solùm vindicatio præteritæ culpæ, verum & medicina: nam pœna purgatorij non est medicina. Quare si omnia illuc remitterentur, nihil aut parum sacramentum pœnitentiæ prodesset corruptis affectibus humanis medendis.

4. Prob.

Quintò. Vt ius accedat canonicum, certa est determinatio concilij in cap. Omnis vtriusque sexus. vbi sub eodem tenore ponitur, vt omnis sua peccata confiteatur, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, susciplens reuerenter Eucharistiæ sacramentum: quare si de confessione & Eucharistiæ susceptione præceptum est, idem de pœnitentia implenda, est sentiendum. Et cap. Statuimus. de maledicis. habetur, quod blasphemo, qui noluerit acceptare pœnitentiam, interdicatur ingressus Ecclesiæ: qui quidem pœnæ rigor indicium est peccatum esse mortale non acceptare pœnitentiā. Quod si dixeris illud intelligi de pœnitentia publica, fateor equidem. Cæterum nulla est causa cur non sit eadem ratio de pœnitentia secreta. Atqui & Roffensis nobilissimus autor, artic. 5. contra Lutherum eandem sustinet conclusionem, quam multis sanctorum sententijs corroborat. Ait enim Leo primus, & refertur de pœnit. dist. 1. can. Multiplex. quòd mediator Dei & hominum homo Dominus Iesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem admitterent. Et Rabanus in collatione Synodorum. Pœnitens, inquit, illud quod ei institutum fuerit, ita cautè obseruet ac si ex ore Dei fuerit prolatum. Et ex vetustissimo Tertulliano & Cypriano idem colligitur. Et beatus Rhenanus in prologo eiusdem Tertulliani dicit se reperisse antiquam Synodum, vbi iubebantur presbyteri secundùm canones pœnitentiam iniungere, & pœnitentes vt quicquid à sacerdote illis fuisset institutum, ac si ab ipso omnipotentis Dei ore esset prolatum, ita diligenter ac cautissimè obseruarent. Idemque in pœnitentiali Romano iubetur.

Obiectio. Dilutio.

Leo 1.

Rabanus.

Syluest. limitatio.

Caiet. opinio de pœna acceptas.

Iudicium Auto. de opin. Caiet.

Declaratio conclusionis.

Probatio conclusionis.

Quin-

6. Prob. Quinuerò ex hoc sumitur sextum argumentum. Olim Ecclesia sanxit canones pœnitẽtiales, quos tenebantur presbyteri imponere, & postmodum, vt habetur cano. Mensuram. ex Hieronymo, de pœnitentia dist. 1.& c. Deus qui. de pœnit.& remiss. pœnitentiæ relictæ sunt ad arbitrium sacerdotis. Et concilium Florentinum, Pars, inquit, pœnitentiæ, satisfactio est secundum arbitrium sacerdotis: ergo manifestè colligitur, quòd sacerdotes autoritatem habent illas imponendi, obligandiq́ue pœnitentes ad illas exoluendas. Et hoc est quod sonat admonitio autoris libri de pœnit. can. Consideret. de pœnit dist 5. Ponat se, scilicet pœnitens, omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ. Quapropter vna inter conditiones confessionis ponitur, quòd sit parere parata. Reuera nescio quo modo ad hæc satis responderi possit.

Can. Consideret.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argum. respondetur, quòd passio etiam Christi, quæ virtute clauium applicatur, requirit, vt ait ad Rom. 8. Paul. vt cum eo compatiamur, vt simul conglorificemur.

Solut. 2. Ad secundum respondetur, quòd non solum peccatum, sed & pœna peccati est obstaculum regni, ad quam ideo soluendam sacerdos ligat, vt aditus regni pateat.

Pro solut. 3. Sylues. opi. Ad tertium. Sylues. verb. Confessio. 1. §. 3. respondet concedendo consequens: nempe quòd qui oblitus est pœnitentiæ, tenetur confessionem iterare, secùs si non est oblitus, licet non adimpleat, quia adimplere potest. Et est opinio Ricar. d. 17. artic. 2. q. 8. Et citat præterea Sylue. Palud. in eandem sententiam, sed reuera non est eius assertum: nam di. 17. q. 5. postquam eam videtur tenere, subdit quod multis apparet contrarium, & in illa opinione videtur persistere. Sed mirabilius est, quòd non solùm alij summistæ, verùm & ipse Sylu. eandem opinionem D. Th. impingat, cùm illam nullibi insinuauerit. Imò di. 16. q. 3. ar. 3. quæst 5. ad quartum expressè in vniuersum dicit, nullum teneri confiteri peccata quæ non habet, atque adeo neque illa quæ ritè semel confessus est, & à quib. est absolutus. Et ita procul dubio tenendum est. Quare ad argumentum negatur consequentia: licet enim teneatur pœnitens pœnitentiam implere, tamen si illius oblitus est citra culpam, liber fit à præcepto: & si ex culpa, illam solam confiteri tenetur. Damnum autem, quod vtroque casu incurrit, est, quòd manet reus eam in purgatorio soluendi.

S. Thom. opinio.

Sol. arg. primo Scoti, §. Hanc vero postremam, &c. Ad primum verò argum. eorum, quæ in fauorem Scoti vrgentiora videntur, satis responsum est. Negatur n. in arbitrio pœnitentis esse subijcere se sacerdoti, vt vult. Imò cum sit ille vicarius ordinarius Christi, tenetur se illi pœnitens de plano submittere. Quare si iustam pœnitentiam acceptare renuat, eo ipso non est in gratia, quia peccat, atque adeò non est absoluendus. Nulla enim est consequentia, Dum iste confitetur est in gratia, ergo nullam tenetur acceptare pœnitentiam? nam & dum contritus est, habet gratiam, & nihilominus tenetur confiteri.

Solutio 2. Ad secundum autem respondetur negata consequentia, qua infertur, quod possit sacerdos obligare ad implendum omnem pœnam, quæ post absolutionem relinquitur. Nam possent esse tam grauia peccata, vt homo per totam vitam nequiret quantum pœnarum debet, persoluere. Et ideo error esset clauis, illam imponere: sanè cùm non solùm secundùm peccata, sed secundum humanam fragilitatem imponendus sit pœnitentiæ modus, vt illico dicturi sumus.

Solut 3. Ad tertium responderi vno modo potest, negando non esse diuinum præceptum satisfactionis. Imò Magist. Sentent. distinctione 16. ait, verbum illud Ioan. Matth. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ, esse præceptum satisfactionis, quod S. Thom. in expositione textus glossat, dicens quod Ioan. non erat autor illius præcepti, sed enunciator, cuius Christus fuit institutor: quia instituit tres partes pœnitentiæ. Secundò verò ad maiorem explicationem respondetur, concesso non esse præceptum diuinum, quod per se obliget, nisi satisfactio à sacerdote imponatur. Nam quamuis alijs aliud placeat, re vera dicere non auderem, quòd per se pœnitens secluſa pœnitentia iniuncta teneatur satisfacere sub reatu peccati mortalis. Siquidem ante confessionem nemo diceret hominem teneri ad satisfactionem: ergo si tunc non imponatur pœnitentia, certè nulla apparet ratio, cur aliquam teneatur facere. Item, quia sequeretur eadem ratione teneri ad totam pœnam soluendam, quod iam negatum est. Nam cùm quantam facere debeat, arbitrio sacerdotis taxandum sit, si ille non decernit quantam, pœnitens iudicare non tenetur. Crediderim ergo præceptum diuinum satisfactionis esse non simpliciter, sed secundum quod Ecclesia per suos ministros satisfactionem iniunxerit. Quare licet ante confessionem non obliget, non sequitur quòd non possit sacerdos virtute illius pœnitentem obligare.

Sol. Magist. Sent.

Quale sit satisfactionis præceptum.

Ad quartum denique conceditur, misericordiam Dei esse vt leuius in hac vita satisfaciamus, quàm sunt in purgatorio tormenta: sed illa misericordia habet admixtam iustitiam, qua compellamur illas pœnas soluere. Atqui in hoc cumulatior apparet misericordia, vt cogamur hic pro leuioribus satisfacere, vt grauiora euitemus. Quare non possumus hac parte iuri nostro citra clauium iniuriam renunciare.

Misericordia Dei habet admixtam iustitiam.

Solut. 4. Ad confirmationem verò respondetur, quòd licet daretur, posse hominem renuntiare indulgentiarum subsidio, eas non accipiendo, quod dist. proxima examinabitur, non tamen inde sequitur, quòd non teneatur acceptare pœnitentiam, quia hic est iustitia, illic autem libertas.

ARTICVLVS III.

Vtrum sacerdos secundum proprium arbitrium ligare possit & soluere.

SI potest sacerdos pœnitentem obligare, necesse est inquirere an proprio arbitrio possit, an verò aliquibus teneatur legibus. Et arguitur, quòd possit ligare secundum proprium arbitrium, ex can. suprà citato Mensuram. vbi ait Hieronymus, Mensuram temporis in agendo pœnitentiam idcirco non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant qualiter vnumquodque sit emendandum, sed magis arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt.

Partis affir. 1. Argum.

Secundò arguitur. Si sacerdos non posset proprio arbitratu pœnam metiri, sequeretur, quòd necessarium ei esset admetiri eam quantitati delicti, vt tanta esset pœna quantum fuit delictum: consequens tamen est falsum, vt supra dictum est, tum quòd quandoque esset nimis rigida, tum quod sacerdos nescit semper quanta pœna cuique peccato ad iustum respondeat.

2. Argu.

Tertiò. Si sacerdos liber non esset ad quamcunque imponendam pœnitentiam pro suo arbitrio, sequeretur quod non semper pœnitentia iniuncta sufficeret ad soluendam omnem pœnam purgatorij, idque citra culpam pœnitentis & sacerdotis. Vt verbi gratia, Si pœnitens sit paratus quamcunque pœnitentiam recipere, & sacerdos pensata qualitate personæ & alijs circunstantijs non tanta pœna pœnitentem plectit, quanta pro quantitate delicti deberet: tunc enim apparet luendum restare in purgatorio residuum illius pœnæ: consequens tamen apparet falsum: nam sacramentum, vbi nullus interuenit error, suum effectum plenè consequitur: effectus autem pœnitentiæ per tres suas partes est remittere & culpam, & pœnam.

3. Argu.

In contrarium autem, quòd scilicet non possit sacerdos proprio arbitrio taxare pœnam, probatur ex illo Gregorij cano. Falsas. de pœnit. dist. 6. Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum autoritatem sanctorum patrum pro qualitate criminum imponuntur.

Pars neg.

In ingressu quæstionis huius præsupponere oportet cuicunque peccato certum supplicij gradum quoad pœnam sensus respondere in inferno, atque adeò postquam remissum fuerit, verbi gratia, per minimam contritionem respondere illi quoque in purgatorio certam pœnam tam in duratione tempotis, quàm in rigore tormenti. Illius ergo quantitatis pars aliqua remitti potest per contritionis feruorem, & per confessionem & per absolutionem virtute clauium, vt diximus. Illud autem, quod post hæc omnia restat, necessum est, vt vel hic per satisfactionẽ extinguatur, vel in purgatorio æquali pœna perpurgetur. Atqui, vt supra diximus, pœnitentia hic liberè assumpta ratione meriti plus potest remittere pœnæ purgatorij, quàm si illic solueretur. Quòd si sit vi clauium in sacramento iniuncta, maioris efficaciæ cæteris paribus est, quam si sua sponte eam pœnitens assumeret.

Cuique peccato certa pœna respondet.

Digitized by Google

1. Concl.

His præhabitis ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Nequit sacerdos pœnitentiam secundum arbitrium pro libito suo imponere, sed arbitrari illam debet habita circunstantiarum consideratione. Conclusio liquida est: quoniam non absoluit sua propria autoritate, sed Dei: qua ratione data est ei clauis scientiæ, vt secundum rationem perpendat, quem debet absoluere, & quomodo. Instrumentum enim, qualis est sacerdos, non mouetur, nisi ad nutum principalis agentis. Vnde Dionys. in fine libri Eccles. Hierar. Sacerdotibus, inquit, vtendum est virtutibus hierarchicis, quando diuinitas eos mouerit. In cuius signum Matt. 16. antequàm Petro potestatem contulerit soluendi & ligandi, præmisit, quòd fidei mysteria non caro & sanguis, sed pater ei reuelasset. Et Ioan. 20. Accipite, inquit, Spiritum sanctum, Quorum remiseritis, &c. insinuans illa potestate remittendi non proprio arbitratu, sed secundum iudicium Spiritu sancto regulatum eis esse vtendum. Atque hoc est, quod nuper citatus Hieron. super verb. Matt. 19. Quodcunq; solueris, admonuit, ne s. presbyteri Pharisæorum supercilio tumentes putent si quem indignum absoluerint, absolutum ideo esse apud Deum: vel si innocentem ligauerint, putent esse ligatum. Et quod Hiero. ait, quantum ad culpam, eadem ratione intelligendum est, quantum ad pœnam. Si enim quispiam in purgatorio dignus est igne vnius anni, non putent quòd per septem Psalmos pœnitentiales quos in pœnitentiam iniungunt, pœnitens à tota pœna liberetur: nam tunc iustitiæ Dei non fieret satis. Neque est Christus de hac re in exemplum adducendus, quem sacerdos imitari debeat, qui quidem quibus peccata remittebat, nullam satisfactionem imponebat, sed, vt legitur Ioan. 8. eos commonebat, ne amplius vellent peccare: nam cùm haberet potestatem excellentiæ, plenissimè peccata remittebat quoad culpam, & pœnam. Sacerdos verò debet esse sacramenti legibus adstrictus.

Dionys.

Nota.

Obiectio.

Quod si arguas, Christus laudauit villicum iniquitatis, quòd prudenter fecisset, dum debitoribus domini sui dimisisset largiter, ergo similiter debet facere sacerdos. Negatur consequentia: quia de hoc non laudabatur ille, quòd propria autoritate quæ domino debebantur remisisset, imò in hoc fuit etiam iniquus: sed de hoc laudatus fuit, quòd secundum prudentiam huius seculi sibi consuluit: prudentia ergo sacerdotis esse non debet nisi legibus Domini in solutione debitorum adstringi. Pari modo si pro suo arbitratu vellet maiorem pœnam iniungere, quàm cuius pœnitens debitor est, erraret clauis, ad quam ideo pœnam ligare non posset.

Dilutio.

2. Concl.

Secunda conclusio. In pœnitentijs arbitrandis non debet sacerdos peccatorum tantum grauitatem æstimare, sed etiam possibilitatem ac commoditatem implendi prospicere secundum qualitatem personæ & circunstantiarum. In inferno quidem, & in purgatorio, vbi nulla in pœnis habetur medicinæ ratio, sed solùm vindictæ, aut purgationis, secundum qualitatem delictorum ad iustum infliguntur. At pœnitentiæ in sacramento, vt sæpiùs dictum est, non solum sunt peccatorum vindictæ, sed etiam medicinæ: vnde sicut medicus non semper rigore medicaminum vtitur, quæ morbus exigit, sed ad ægri debilitatem attendit, qui si rigorem illum ferre nequit, remissius cum eo agit: ita sacerdos licet admonere debeat pœnitentem quantam peccata sua satisfactionem exigant, eumque animare, vt satisfaciat, nihilominus si pœnitens ei suam imbecillitatem exponit, præsumiturque, aut propter debilitatem corporis, aut propter animi spiritusque languorem & teporem quod non esset condignam pœnitentiam impleturus, debet illi morem gerere, & remissiores imponere. Imò quamuis pœnitens paratissimus sit omnes acceptare pœnitentias, nihilominus sacerdos debet qualitatem personæ æstimatè considerare. Haud enim homini secundum suum statum pauperi, aut alenti familiam debent largæ eleemosynæ imponi, neque is qui labore & sudore vultus sui pane vescitur, in magnam ieiuniorum inediam adigendus est. Item & honori consulendum: non n. illæ sunt pœnitentiæ iniungendæ, quas personam implere non deceat. Decretum est Leonis Papæ cano. Tempora. 26. q. 7. & can. His qui. ex concilio Laodicen. Nam etsi in tota illa q. de pœnitentia publica fiat mentio, ratio tamen eadem est de priuata, & secreta. Item licet oculus ad magnitudinem delictorum conijciatur in pœnitentia, quæ ratione vindictæ imponitur, consideranda est tamen contritionis vis: nam quanto plus per contritionem, & alia opera remissum fuerit, tantò minor iniungenda est pœnitentia: & quantò minus, maior. Rursus & in ratione medicinalis remedij habenda est ratio personæ, vt vbi vehementior est peccati illecebra, maior iniungatur pœnitentia. Quare iuueni pro eadem fornicatione maior est iniungenda pœnitentia quàm seni, tamesi minus peccet: quia cum vehementius instigetur ad malum, vehementiori indiget cohibitione. Et homini auaro & tenaci amplior est iniungenda eleemosyna, vt liberalitatis virtuti assuescat.

Notandum confessario.

Pœnitentiæ iniungendæ modus optimus.

An per pœnitentiam arbitrio sacerdotis iniunctam remittantur pœnæ purgatorij.

At quoniam dictum est virtute clauium posse sacerdotem satisfactionem arbitrari, quæritur, vtrum secundum suum arbitramentum claue non errante remittatur pœna purgatorij. Exempli gratia. Iudicat, idque prudenter, sacerdos istis delictis tantam respondere pœnam in purgatorio, vt tali satisfactione possit tota deleri, vtrum quamuis fortè maior illa purgatorij fuerit, tota per illam satisfactionem vi clauium remittatur. Videtur n. tota remitti: siquidem illa commutatio fit claue non errante: quæ vim habet per absolutionem, & per iunctam satisfactionem aperiendi regnum cælorum.

Scoti opinio.

Scot. distinct. 18. ait iustitiam pœnæ, quæ debetur peccato, verbi gratia, homicidio, non consistere in indiuisibili. Imò verò sicut in commutationibus pretium rei quæ valet decem, latitudinem habet pretij vt iustè possit paulò plus minusue æstimari, vt nouem, vel vndecim, ita est de iustitia pœnæ, quæ debetur peccato. Quod si intelligat de pœna quæ est in purgatorio, falsum est: nam illa ad punctum æqualitatis exigitur, sicut in inferno. Si autem intelligat (vt videtur) secundum taxationem sacerdoti commissam virtute clauium, verum dicit. Exempli gratia. Si pœna vt decem respondet homicidio in purgatorio, commissum est sacerdoti, vt illam possit remittere vsque ad sex. Hoc non aliunde conuincitur, nisi quia virtute clauium, dum Christus dixit, Quorum remiser. &c. fecit sacerdotes ordinarios iudices, vt illam pœnam prudenti arbitramento remitterent. Et quia æqualitatis punctum non poterat homo percipere, fit maximè credibile, quòd arbitrium, vt nomen ipsum sonat, haberet latitudinem, vt posset remittere vsque ad quinque, vel vsque ad septem. Ait ergo Scotus, quòd quando arbitramentum fit intra illam latitudinem, clauis non errat: si verò deficiat vel excedat, tunc errat. Hic autem nonnulla sunt tenui iudicio meo adnotanda. Primum spectat ad sacerdotis autoritatem. Potest enim, vt bene ait Scotus, pœnam, quæ in purgatorio est vt decem, taxare ad septem, ita vt eius sententia rata habeatur in cælo: quare illa impleta, nihil amplius debetur in purgatorio. Et potest etiam remittere vsque ad sex vel quinque. Itaque si tres, æqualia omnino peccata confiteantur diuersis sacerdotibus, licet vnus imponat vni pœnitentiam, vt quinque, & alius vt sex, & alius vt septem, nullius clauis errabit: & ideo omnes tenentur suas implere pœnitentias. Quare vbi primus impleuerit quinque, erit liber à purgatorio: secundus verò minimè quousque impleat sex: neque tertius quousque impleat septem. Et si moriatur antequam compleat omnia septem, in purgatorio soluet tantum, quantum illi residuo, quod hic non soluit, respondet. Si autem sacerdos taxet vltra septem, quamuis sit error clauis, nihilominus si non excedat denarium numerum, qui debetur in purgatorio, quamuis posset pœnitens non acceptare propter rigorem pœnitentiæ, tamen à pœna purgatorij non liberabitur, nisi totam accepter & soluat, vel sacerdos minorem imponat, quia si non acceptetur, nihil virtute clauium remittitur. Hæc omnia, si superficie tenus aspiciantur, videri potuerunt gratis asserta. At verò si medullitus considerentur, profectò ex natura clauium soluendi & ligandi colligi apparebunt. Si autem imponatur pœnitentia infra quinque, tunc clauis errat per defectum. Et ideo sunt qui dicant, nihil tunc virtute illius remitti in purgatorio, eo quod claue errante nihil fit. Est tamen hæc sententia dura, & certè falsa: nam licet clauis erret non imponendo pœnitentiam ad iustum, non tamen errat in totum: & ideo remittetur illud quod illi gradui pœnitentiæ respondet. Alioqui hac nostra tempestate, in qua pœnitentiæ quàm leuissimæ imponuntur, nihil virtute illarum in purgatorio diminueretur.

Exemplum.

Iudicium Autoris & 1. notab.

Digitized by Google

2. Notab. Secundum etiam ex parte sacerdotis notandum, quòd non habet potestatem ligandi ad pœnam, quæ illam excedat, quæ in purgatorio debetur, nisi forsan per viam salutaris medicinæ ad cauendum in futurum. Quo fit, vt si in casu præsenti sacerdos imponeret pœnitentiam vsque ad vndecim, vel duodecim, eamque pœnitens acceptaret, cùm partem illius soluere vsque ad decem, liber esset à purgatorio. Quare illic excessus reponeretur in thesauro Ecclesiæ.

3. Notab. Tertium autem ad pœnitentem spectans, est, quòd vt non teneatur pœnitentiam acceptare, non requiritur vt excedat illam, quæ debetur in purgatorio, sed satis est, vt sit excedens secundùm tenorem secundæ conclusionis assertæ: pensatis scilicet non solùm peccatorum grauitatibus, sed personæ qualitate, & alijs circunstantijs.

3. Concl. Ex his planè infertur tertia conclusio. Sæpe & quàm sæpissimè persoluta pœnitentia in sacramento iniuncta restat pœnitens debitor alterius in purgatorio soluendæ. Nam si clauis errat, res est clara, siquidem propter vitium ministri iustitia Dei non variatur. Et quamuis non erret, idem etiam accidit: nempe dum sacerdos vel ob imbecillitatem personæ, vel ob aliam causam prudenter non totam pœnam iniungit, quam alias iniungeret. Nam circunstantiæ illæ, quamuis sufficiant ad excusandum sacerdotem & fortè pœnitentem à culpa, non tamen apud Deum adæquandum stabilimentum suæ iustitiæ. Hinc fit culpam esse sacerdotum non animare pœnitentes ad acceptandas condignas pœnitentias, vel eas saltem, quæ essent alicuius ponderis, quibus acerba purgatorij supplicia tollerentur, vel bona ex parte relaxarentur: nam profectò quæ modò in vsu sunt, non tam pœnitentiæ, quam pœnitentiarum ludibria existimantur.

Dubium. An sacerdos mutare possit pœnit. ab alio iniunctam? Syluestri opin. Refutatur. In calce autem quæstionis huius dubitatur, vtrum possit sacerdos mutare pœnitentiam ab alio eidem pœnitenti impositam. Sylueſter enim verb. Confessio. 1. §. 27. citat quosdam canonistas, quos hac parte sequitur: videlicet, quòd si crimen, pro quo imposita fuit pœnitentia, non sit superiori reseruatum, potest secundus sacerdos pœnitentiam ab alio impositam mutare. Sed re vera quamuis hoc in vsu versetur, non video qua autoritate id fieri queat. Si secundus non sit superior primo, sed ambo sint priuati & æquales. Nam sacerdos quicunque iniungens pœnitentiam est absolutus iudex, qui non subditur nisi superiori: cùm ergo ille fuerit officio suæ clauis perfunctus, non video quo iure alter possit sententiam eius mutare. Præsertim si verum sit, vt verum est, quòd sacerdos claue non errante potest obligare de iustitia pœnitentem.

Dubij solutio 1. Ad dubium ergo dicendum est, primò, quòd quando pœnitentia illa errorem continet, pensatis omnibus circunstantijs iuxta tenorem secundæ conclusionis, potest quidem secundus non vtique mutare, sed declarare illam pœnitentiam non fuisse obligatoriam. Id tamen non potest, nisi audita confessione criminis, vt perpendat an clauis errauerit.

Solutio 2. Secundò dicitur, quòd si iudicauerit clauem non errasse, non potest sententiam alterius mutare: quia par in parem non habet imperium. Et confirmatur: quia cùm in foro exteriori non possit vnus iudex alterius sententiam irritare, aut reuocare, nisi sit superior, nulla permittit ratio vt id fieri valeat in foro pœnitentiæ. Atque ad hanc sententiam alludit canon Placuit. Vrbani, de pœnitentia. dist. 6. vbi cauetur ne vllus sacerdos commissum alteri pœnitentem ad pœnitentiam suscipiat, nisi de illius consensu, nisi pro ignorantia illius prioris. Nam etsi de pœnitentia publica illic habeatur sermo, eadem tamen ratio de priuata & clancularia censetur.

Solutio 3. Tertiò additur, quòd hoc quoque fieri potest extra confessionem: si n. pœnitens sentiens se esse grauatum, doctorem consulat, recitando peccatum & eius merita, potest respondere doctor.

Solutio 4. Illa pœnitentia non est valida, quia clauis errauit. Quartò. Forsan licet clauis non errauerit, superior illo sacerdote, dum tamen confessionem eiusdem peccati sacramentaliter audiat, poterit mutare, & absoluere à priori præcepto: quia est superior, non solùm in foro exteriori, sed in interiori, ad corrigendam eius sententiam bona causa. Tandem ipse idem sacerdos, qui pœnitentiam imposuit, si pœnitens ad eum recurrat, poterit mitigare sententiam, si tamen in tempore recurrat, quo censetur idem durare iudicium. Si n. quis hodie vel heri quempiam absoluit, recurrit pœnitens cras vel postridie, quando adhuc in memoria sunt peccata, videtur idem iudicium durare. Si autem longius tempus defluxerit, negotium iam transiuit in rem iudicatam: & ideo non potest aliud facere, quàm quod de alio sacerdote dictum est.

Sacerdos qui pœnitentiam imposuit, potest commutare

Sol. 1. arg. Ad 1. igitur arg. respondetur, quòd pœnitentiæ sic imponendæ sunt arbitrio sacerdotis, vt tamen illud sit diuino instinctu, & iudicio regulatum.

Solutio 2. Ad 2. etiam responsum est negata consequentia, s. quòd debeat imponere pœnitentiam ad æqualitatem delicti: quia habendus est respectus, vt pœnitentia sit pœnitenti medicina.

Solut 3. Ac perinde ad tertium simul responsum est in tertia conclusione, concesso eo quod concluditur: videlicet, quòd etiam claue non errante, non semper oportet vt pœnitens maneat liber ab omni pœna purgatorij: quia mos gerendus est ingenio pœnitentis, si non potest condignum hic pœnitentiam persoluere.

Tractatus Pœnitentiæ finis.

DISTINCTIO VIGESIMAPRIMA,

DE INDULGENTIIS.

Cap. 1. FACVLTAS hæc clauium commemorata, præter vsum, quem in sacramentis habet, & potissimum in sacramento pœnitentiæ soluendi & ligandi, latiùs patet, etiam extra sacramenta. Nam eadem facultate pontifices, tum maximus, tum suo ordine reliqui, & à culparum pœnis, quæ remissæ sunt, per indulgentias absoluere iure solent, & ab eorum obedientia rebellantes excommunicationis sententia, alijsque censuris ligare. Est ergo indulgentia Ecclesiastica, vt sua definitione pateſcat, relaxatio pœnæ peccato debitæ, quæ extra sacramentum fit. Enimuerò cum merita, pijsque labores tum imprimis Christi Seruatoris nostri, tum subinde sacrosanctæ Virginis, aliorumque Diuorum in thesauro sint Ecclesiæ recondita, nil mirum si ijdem pontifices, & præcipuè Summus, quem sibi Christus vicarium substituit, dum bonum publicum Ecclesiæ id exposcit, virtute eiusdem thesauri eiusmodi relaxationes faciant. Eadem enim facultas in illa plenaria fundatur Matth. 16. Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælo. Et Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: siquidem hoc relaxationũ genus ad remissionem attinet peccatorum. Quocirca indulgentiarum vsus non est res noua, vt hæretici autumant, sed à tempore Apostolorum antiquissima. Quod vel ex eo loco satis constat 2. Cor. 2. vbi Apostolus pœnitentiam incestuoso illi relaxauit. Vnde ait: Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.

Definitio indulgentiæ

Indulgentiarum antiquitas.

Cap. 2. Vnde cùm huiusmodi facultatis vsus vera sit absolutio, eademque extra sacramenta fiat, consequitur, vt iurisdictionem in foro exteriori exigat, vt pontificio Alexandri decreto admonitum nobis est. Atque adeò penes pon-

Ca. Quod autem de pœn. & remiss.

Penes quem sit potest. ius conferendi indulgentias.

tificem maximum, & penes œcumenicam synodum plenissimè, ac subinde pénes Episcopos sita sit, qui tanquam Ecclesiæ principes Ecclesiasticum thesaurum suis subditis dispertiri valent: Parochialibus namque presbyteris, quia eiusmodi iurisdictione carent, eiusdem indulgentias concedere non permittitur. Sunt enim duntaxat Antistites, Ecclesiæ prælati ac propriè sponsi, in cuius testimonium, dum ordinantur, annuli insigne recipiunt, quos Papa proinde solos fratrum nomine dignatur.

Cap. 3. 1 Cor. 4.

Non sine causa impertienda indulgentia.

At verò quoniam autore ad Corinth. Paulo, prædicti Prælati non sunt dissipatores, sed dispensatores mysteriorum Dei, nequeunt sine pia causa eiusmodi indulgentias impertiri. Si autem illa intercurrat causa, quæ in Ecclesiæ commodum, & Dei honorem referatur, tantum valent, quantum sonant, & prædicantur. Ecclesia enim, quæ nutu Spiritus sancti regitur, permitti nequit vt autoritate publica falsa prædicet. Nam vt ait ad Corinth. Apostolus, Si inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra: quod quidem licet de prædicatione fidei, in qua summa est certitudo, enunciatum sit, suo etiam gradu ad ea, quæ autoritate summi Pontificis prædicantur, spectat. Quapropter nisi indulgentiarum forma ad iniunctas vel non iniunctas pœnitentias coarctetur, vniuersim de omnibus intelligitur, idque quantum ad pœnas quæ in purgatorio nobis decretæ sunt.

1 Cor. 15.

Cap. 4.

Quibus valeant indulgentiæ. Tria necessaria vt indulg. valeant.

Ad hæc cùm indulgentiarum beneficium opus sit gratiæ diuinæ, nihil nisi Dei amicis valere potest. Quare qui in peccato mortali existit, ceu membrum mortuum nihil eiusmodi influxus diuini participare valet. Necessaria ergo tria sunt, vt indulgentiæ valeant: nempe, in conferente autoritas, in recipiente charitas, & in causa pietas.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ PRIMÆ.

Quæstio prima.

DE INDVLGENTIARVM POTESTATE, ET EIVS SVBIECTO.

Ordo.

QVONIAM, vt dictum est, vsus clauium est soluere & ligare, non solum in sacramento, sed etiam extra per iurisdictionem in foro exteriori: Et de priori satis dictum est, subsequitur vt de posteriori, quæ bipertita est, in duabus reliquis distinctionibus dicamus. Et cum absoluere dignius sit ac pretiosius quàm ligare, ratio ordinis exposcit, vt materiam prius indulgentiarum expediamus, quàm alteram de excommunicatione. Distinctio ergo præsens, quæ de indulgentijs instituitur, duas habebit quæstiones. Primum de potestate eas conferendi, deque eiusdem potestatis subiecto. Et secundam de earum valore. In prima quatuor sunt articuli. Primus, an talis potestas sit in Ecclesia. Secundus, quænam sit illa potestas. Tertius, de indulgentiarum antiquitate. Et quartus, de ijs qui possunt indulgentias conferre.

ARTICVLVS I.

Vtrùm potestatis clauium, qua est in Ecclesia, sit quidpiam de satisfactoria pœna relaxare.

Partis negatiua 1. Argu.

PRIMVM igitur tractatus indulgentiarum initium, est constituere, potestatem indulgentiarum in Ecclesia consistere. Et ideo arguitur, quòd nulla sit. Nam in Euangelio non legitur alia potestas remittendi peccata, nisi illa Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. sed illa potestas solùm intelligitur de remissione quæ fit in sacramento: relaxatio autem per indulgentias fit extra sacramentum: ergo illa non legitur in Euangelio. Probatur minor, quia peccatum extra sacramentum remittere, seu quo ad culpam, seu quo ad pœnam, est potestatis excellentiæ, quam Christus habuit, & nulli commisit: ergo Ecclesia id facere nequit.

Pars affirmatiua.

In contrarium est illud 2. Corinth. 2. Ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. vbi ait glossa, ac si Christus donasset: Christus autem relaxare poterat peccata absque vlla satisfactione, vt patet Ioan. 8. de adultera: ergo Ecclesia perinde atque Paulus potest: nam id non fecit peculiariter tanquam Apostolus, sed tanquam Episcopus.

De hac re super hunc locum Pauli relectionem pridem publicè recitauimus, vbi penè omnia discussimus, quæ hic paulò mutato ordine dicturi sumus. Et primum ne de nominis vsu in hoc significatu in Theologia contendamus, constat Latine indulgentiæ nomen sæpe vsurpari pro eo, quod est immodicam licentiam alteri facere, ad aliquid, quod non licet, perpetrandum. Vt indulgere gulæ, Veneri, &c. iuxta illud Quintiliani. Mollis educatio, quam indulgentiam vocamus, &c. Istæ verò Ecclesiasticæ appellantur, idque ad rem germanius, relaxationes & remissiones, & possunt vocari veniæ. Nihilominus cum indulgentiarum nomen inter Latinos Theologos, eosdemque doctissimos in hac etiam significatione vsurpetur, non est cur ab illo abhorreamus. Nã ex eo quod indulgemus quasi consentientes, vt malum fiat, tractum est nomen ad id, quod est ignoscere cuipiam quod fecit. Atque in hoc significato Hieronymus super illud Daniel. cap. 4. Ignoscet Deus delictis tuis: ait, Rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Et Augustinus super Psal. 101. Ne desperatione homines peius viuerent, promisit Deus indulgentiæ portum. Et Cypria. tum alibi sæpe, tum in epistola ad Iubaianum crebro hoc nomine vtitur.

Indulgentia significatio.

Definitio indulgentiæ Ecclesiasticæ.

Est ergo indulgentia Ecclesiastica (vt definitionem eius præsupponamus) relaxatio pœnæ peccato debitæ, quæ extra sacramentum fit. Scio alios alias particulas adhibere, quæ potius sunt inter disputandum examinandæ, quàm in definitione ponendæ, eo quod definitio tanquam communis animi conceptio supponenda sit potiùs quàm in disputationem vocanda. Et ideo non diximus quod sit relaxatio pœnitentiæ iniunctæ, vt Caiet. in tract. de indulg. ad Iulium Medicem cap. 2. ait: nam de hoc disputãdum restat, vtrùm etiam indulgentia pœnitentiæ non iniunctæ sit valida. Dicitur ergo indulgentia relaxatio, quia est opus misericordiæ id condonantis, quod debitum est. Quare dum dicitur relaxatio pœnæ, non intelligitur in foro iudiciario, dum fit remissio pœnæ pecuniariæ, aut absolutio ab excommunicatione, sed pertinet per extensionem ad forum pœnitentiale, nisi quod fieri debet extra sacramentum pœnitentiæ. Nam quando virtute absolutionis, vt dictum est, remittitur pœna, remissio illa est sacramentalis. Atque in hoc ratio indulgentiarum consistit.

Declaratur definitio.

Hæreticorũ blasphemi errores. Lutherus satisfactiones negauit.

Igitur aduersus hanc indulgentiarum assertionem hæretici, inter quos præcipuè Lutherus, insignib. blasphemijs oblatrant. Hoc enim fuit primum præcipitium, vnde in suarum hæresum abyssum sese coniecit, odium S. indulgentiarum, quæ tempore suo in sua prouincia prædicari cœperunt. Vnde cùm in articulo quinto inter condemnatos à Leone, satisfactiones negauerit, postea in articulo 17. negauit, merita Christi & sanctorum posse per indulgentias dispensari. Et in articulo 18. dixit prius indulgentias esse pias fraudes, & postea dixit non esse nisi impijssimas sceleratissimorum Pontificum imposturas. Ac subinde tribus alijs articulis subsequentibus multa in hunc modum contra indulgentias blasphemauit. Biforme autem est

eius

Lutheri argumen. primum.

eius argumentum. Ait enim primum. Ei qui in gratiam Christi receptus est, nulla opus est alia satisfactione, quàm eiusdem Christi passione. Addit verò deinde, quod etiam gratis admisso illam esse necessariam, Ecclesia nullam habet autoritatem satisfactionem remittendi: quoniam Deus peccatis pro sua iustitia supplicia decreuit, quorum ipse solus exactor est, vel in hoc seculo, vel in futuro, iuxta illud Psal. 88. Si peccauerint, visitabo eos in virga ferrea.

2. Argu.

3. Argu.

Quocirca addit tertiò esse rem nouam, in nullo loco sacræ paginæ fundatam, neque apud sanctos Ambros. Hieron. Augustin. &c. sed in impia, inquit, illa Clementis sexti, Vnigenitus (quæ inserta est in Extrauag. Dudum. de pœnit. & remiss.)

4. Argum.

Addit demum quartò bullarum prædicationem esse rem quæstuariam, & simoniacam: quia pecunia spiritualia venundantur, esseque pernicioſam, tum quia facit homines segnes ad opera satisfactionis exercenda, tum quia & populis, potissimum agricolarum, est molesta.

Cont. primũ arg. Luther.

At verò contra primum fundamentum satis superque dist. 19. q. 1. & 3. disputauimus, ostendentes nos hic dùm per claues Ecclesiæ à peccatis actualibus sanamur, incorporari nos Christo, vt eius passio plenissimè nobis quoad remissionem culpæ & pœnæ applicetur, sed applicari secundum quantitatem nostræ contritionis, quæ ex Dei fauore procedit, atque adeo reliquam fieri nonnunquam post sacramentalem absolutionem pœnam aliquam temporalem virtute clauium arbitrandam, & à nobis in hoc seculo, vel in futuro exoluendam. Secundùm autem punctum, an Ecclesia extra sacramentum eiusmodi pœnas relaxare possit, ad præsentem locum attinet constituendum.

Cont. 2. arg.

Conclusio.

Ad quæstionem ergo vnica conclusione respondetur. In potestate clauium, quam Christus Ecclesiæ commisit, positum est, vt peccatorum pœnas quoad culpam remissorum possit extra sacramentum relaxare, quod est indulgentias conferre. Probatur. Christus absolutè dixit Petro, Tibi dabo claues, Quodcunque solueris, erit solutum. Et Ioan. 20. Quorum remiseritis, remissa erunt, non restringendo, siue in sacramento, siue extra, ergo sicut in sacramento virtute clauium aliqua pœna remittitur per arbitramentum sacerdotis, vt artic. præcedenti expositum est: eadem ratione Ecclesia potest extra sacramentum eandem pœnam, quæ remissa culpa relinquitur, ex legitima causa relaxare. Et confirmatur, quia Ecclesia, vt supra distinct. 19. quæst. 2. diximus, canones pœnitentiales instituit, ad quorum normam compellendi erant pœnitentes pro peccatis satisfacere: quæ vtique autoritate potuit illos abrogare, vt re vera iam non sunt in vsu: ergo eadem ratione postquam illæ pœnitentiæ essent à sacerdote iniunctæ; potuit illas Ecclesia ob legitimam causam remittere, & eadem ratione, licet pœnitentiæ non sint iniunctæ, pœnas quæ in purgatorio debentur autoritate Christi sibi indulta propter causam quæ in bonum commune Ecclesiæ cederet, relaxare.

Rationis confirmatio

Sed quia, vt suprà argutum est, videtur Ecclesia non habere autoritatem remittendi peccata; nisi sacramentis alligatam, secundò arguitur sic: Ecclesia habet autoritatem simpliciter remittendi peccata quo ad culpam & pœnam, quæ in Euangelio non est limitata, ergo habet facultatem remittendi culpam iuxta naturam suam, & pœnam iuxta suam. Natura autem lethalis culpæ est, vt nequeat nisi per gratiam remitti, & quia ministri Ecclesiæ nequeunt gratiam nisi per sacramenta conferre, inde colligitur quantum ad hoc habere suam potestatem sacramentis alligatam: at quia pœna non exigit gratiæ infusionem, vt remittatur, sed vt Ecclesiæ thesaurus applicetur, quo eius fiat solutio: non est cur hac parte alligata sit potestas Ecclesiæ sacramento. Tametsi ad forum pœnitentiale, vt diximus, eiusmodi relaxatio pertineat. Et confirmatur ratio: Si ad remissionem pœnæ necessarium esset sacramentum, id esset maximè, vt taxatio illius iuxta culparum quantitatem fieret: ergo postquam taxatio facta est in sacramento, potest postea sine ipso remitti. Imo verò per applicationem thesauri, licet nulla esset taxatio, remitti potest, vt inferius videbimus.

Potestas remittendi pœnam non est sacramento alligata.

3. Argum.

Tertiò arguitur. Ecclesia habet autoritatem etiam extra sacramentum remittendi culpas veniales per alia remedia, qualia sunt aqua lustralis, benedictio Episcopi, atque alia sacramentalia. Item sunt & alia media plura ad remissionem pœnarum, quæ ex peccatis remissis fiunt reliquæ, vt eleemosyna, iuxta illud Luc. 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: & remittere iniuriam, iuxta illud Luc. 6. Dimittite, & dimittemini: & oratio, iuxta illud Iacob. 5. Oratio fidei saluabit infirmum: quæ quidem testimonia non intelliguntur de remissione mortalis culpæ, quippe quæ per solam contritionem & sacramentum pœnitentiæ dimittitur, sed de remissione pœnæ per modum satisfactionis, quamuis sint etiam meritoria augmenti gratiæ, ergo pariter Ecclesia per sanctorum merita potest easdem pœnas remittere.

Confirmatio argum.

Postremò confirmatur ex autoritate Paul. 2. Cor. 2. vbi historia testatur incestuosum, cuius mentio in priori epistola cap. 5. facta fuerat, post remissam culpam traditum fuisse Satanæ in interitum carnis, sed postmodum admonuit Corinthios sacerdotes vt illius pœnitentiam relaxarent, & illa satisfactione essent contenti: quod re vera non faceret, nisi crederet pœnam purgatorij illi respondentem per illam relaxationem à Deo etiam remitti. Et ideo ait, Si quid donastis, idem & ego donaui, quod autem donaui, propter vos in persona Christi.

Solu. arg. S. Tho.

Ad argu. igitur in contrarium respondet S. Thom. dist. 20. art. 3. quod effectus sacramentalis absolutionis est minuere pœnam peccato debitam, sed tamen extra sacramentum per indulgentias non est pœnam remittere, aut diminuere, sed soluere: nam qui indulgentiam confert, applicat thesaurum Ecclesiæ, quo suscipiens pœnam soluit. Tenere enim videtur quod collatio indulgentiarum non est absolutio à pœna, sed potius solutio. Sed de hoc statim dicturi sumus: & ideo adhibemus secundam solutionem concesso quòd collatio indulgentiæ pertinet ad remissionem peccatorum. Vnde ad minorem, vt modo dicebamus, respondetur, quòd remittere peccata quoad culpam alligatum est sacramentis, sed non quoad pœnam: quia ipsa sine nouæ gratiæ infusione solubilis est.

Solut. 2. eiusdem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm indulgentias conferre, sit pœnas pro peccatis soluere, an verò ab illis absoluere.

QVAMVIS certum sit Ecclesiæ prælatos conferre posse indulgentias, non tamen de modo satis inter doctores cõuenit, qui ideo antequam de earum antiquitate & vsu dicamus explicandus est. Arguitur ergo, quòd conferre indulgentias non sit à pœnis absoluere, illasque relaxare, sed pro illis soluere. Nam vt legitur Deuteron. 25. secundùm mensuram delicti erit & plagarum modus: cum ergo sententia sacerdotis, qua hominem ligat ad pœnam, rata sit apud Deum, fit vt nullus habeat autoritatem remittendi pœnam illam, quæ illic taxata est, atque adeò Ecclesia non habeat autoritatem illam condonandi, sed applicandi thesaurum, vt soluatur.

Per. neg. arg. 1.

Secundò. Ecclesia confert indulgentias non solùm pro viuis, verũ & pro defunctis: at defunctos non potest à pœnis absoluere, sed illis tantum applicare thesaurum: ergo eodem modo confert indulgentias viuis.

2. Argum.

Tertiò denique arguitur ex Extrauag. Vnigenitus. Clementis 6. in Extrauag. Dudum. de pœnit. inserta, vbi fundamentum indulgentiarum non aliud ponitur quàm thesaurus meritorum Christi, beatæ Virginis, & sanctorum, qui per Ecclesiam dispensatur.

3. Argu.

In contrarium autem reclamant nomina ipsa, indulgentiæ, relaxationes, remissiones, & veniæ: nam his omnibus nominibus appellantur, quæ absolutionem sonant.

Pars affirmatiua.

In hac quæstione duo insinuantur differenda. Primum de thesauro Ecclesiæ, & secundum de modo quo applicatur, s. vtrum fiat per formam solutionis, an per formam absolutionis.

1. Concl.

Ad quam ideo quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima fundamentalis est. In Ecclesia est Thesaurus tam Christi, quàm sanctorum, qui eius præsidio suffulti multa merita satisfaciendi efficacia cumularunt. Attamen Franciscus Mayro. in 4. dist. 19. q. 2. contendit huiusmodi thesaurum de medio prorsus tollere, non solùm sanctorum, sed etiam Christi: quoniam non tantum sanctorum, inquit, singuli gloriam pro suis meritis vltra condignum susceperunt, verùm & ipsi Christo redemptori nostro sufficiens fuit

Franciscũ Mayron thesaurum Eccles. conatur tollere.

præmium suorum meritorum collatum, vbi datum est ei nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, &c. Quocirca nullus fuit residuus meritorum thesaurus, quem Papa dispensare possit. At verò certè mens autoris huius vix percipi potest. Primum enim omnium Christus nullum sibi præmium essentiale meruit, puta gratiæ, aut gloriæ: quippe cuius fœlicissimæ animæ ratione vnionis cumulatissima debebatur, sed nobis ipsis meruit, quem, vt ait Paul. posuit Deus propitiatorem nostrum per fidem in sanguine ipsius. Vnde Esaiæ 53. Verè languores nostros ipse tulit, & propter iniquitates nostras vulneratus est, & posuit super eum Deus iniquitates omnium nostrorum. Imò idem ipse ait: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et, Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur. Atqui ex hoc, quod nobis essentiale præmium gratiæ & gloriæ promeruit, illud subinde sibi accidentale meruit, vt quia redemptor orbis fuit, in nomine eius omne genu flectatur. Hinc biforme sumitur argumentum contra illam opinionem. Primum, quòd non fuerunt in illo satis præmiata sua merita, sed in nobis: nam merita sua fuerunt gratiæ & gloriæ: illud autem nomen non pertinet ad essentialem gloriam, quæ est Dei visio, sed ad accidentalem, quod ideò præmium sua merita in infinitum exuperauerunt.

Christus nō meruit sibi aliquod essentiale præmium.

Christus nobis essentiale præmium promeruit.

1. Argum. contra opinionem Mayron.

Secundum argu. est euidens: quod si nobis meruit remissionem peccatorum, atque adeò gloriam, negari neutiquam potest, quin in Ecclesia sit thesaurus meritorum eius. Et confirmatur planè: nam cum omnia Ecclesiæ sacramenta gratiam conferant in virtute passionis Christi, fit vt per omnia applicetur nobis eius thesaurus. Ecquid autem aliud esse potest applicari nobis thesaurum passionis, quàm virtute illius nobis fieri remissionem peccatorum? Meritis verò Christi accedunt in thesauri cumulum sanctorum merita quæ virtute eiusdem passionis præstiterunt: nam vt d. 15. q. 2. art. 4. ostendimus, cum omnes simus vnius corporis membra, vnusquisque potest pro altero satisfacere, iuxta verbum Paul ad Colloss. 1. Gaudeo nunc in passionibus meis pro vobis, & impleo ea quæ desunt passionum Christi: hoc est, satisfactionibus Christi meas quoque pro vobis adiungo. Quod illic amplius expositum est.

2. Argu.

Arg. confirmatio.

Durand. verò d. 20. q. 3. licet thesaurum Christi non abneget, renuit tamen sanctorum thesaurum concedere propter duo argumenta.

Durandi opinio.

Primum, quia quicquid passa est beata Virgo, ac perinde quicunque sanctorum, & quicquid operis in Dei obsequium præstiterunt siue ratione meriti, siue ratione satisfactionis, totum eis supra condignum remuneratum est: nam etsi illi qui innocenter vitam duxerunt, nulla satisfactione indiguerint, nihilominus satisfactionis ratio commutata eis fuit in remunerationem gloriæ, iuxta illud 1. Cor. 3. Vnusquisq; propriam mercedem recipiet iuxta suum laborem: & quod receperint vltra condignum patet ex illo Lucæ 6. Mensuram bonam & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum: nihil ergo inde thesauri redundat.

1. Argu.

Secundum eius argumentum est, quòd opus vnius non cedit in satisfactionem alterius, nisi ille pro alio satisfacere proponat: cum ergo nulla nobis historia referat sanctos meruisse pro illis, qui modo viuunt, nulla est autoritas applicandi eorum satisfactiones nobis.

Argum. 2. Durandi.

Nihilominus & contra Durand. eadem asseritur conclusio. Nam, vt ad primum eius argu. respondeamus, in quocunque opere ex gratia procedenti ratio meriti sic à ratione satisfactionis secernitur, vt propter augmentum meriti nunquam satisfactionis ratio minuatur, atque in hoc falsus fuit. Enimuerò quamuis ego opus aliquod in satisfactionem pro amico offeram, nihil mihi decrescit meriti: imò quia meritum in charitate fundatur, quo mea charitas latius in proximos diffunditur, eò mihi diuino munere plus accrescit meriti. Quocirca quantumcunque beatæ Virgini & Sanctis sua fuerint merita per gloriam remunerata, nihilominus supereſt satisfactionis ratio, iuxta illud Iob 6. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera quasi arena maris hæc grauior appareret, vbi præter merita Iob denotatur laborum redundantia in satisfactione, qua ipse non indigebat. Ex quo subsequitur secundi argumenti solutio. Nam quamuis dum quis in sanctis se operibus exercet, non habeat singulare propositum referendi suam satisfactionem ad hunc, vel ad illum, nihilominus per diuinam prouidentiam acceptantur, reseruanturque in bonum Ecclesiæ, ne suo sint orbata effectu & fructu. Et cum summus Pontifex ac cæteri suo ordine prælati sint in suis diœcesibus velut principes, ad quos attinet bonorum communium dispensatio, illis incumbit eiusmodi thesaurum pro causa legitima dispertiri. Quod quidem propositum in genere & sancti ipsi habuerunt, dum opera sua Deo referebant, qua relatione includitur, vt ipse suaque Ecclesia de illis disponeret. At verò eiusmodi distributio non pertinet ad iustitiam distributiuam, vt secundum proportionem meritorum personarum vnusquisque recipiat, sed est opus misericordiæ: & ideo cuicunque largienti vel facienti, quod lator indulgentiarum iubet, æqualis obuenit indulgentiarum sors & satisfactio.

Sol. 1. arg. Durand.

Satisfaciens pro al. eo nihil meriti perdit.

Sol. 2. arg. Durand.

Hoc tamen sic constituto thesauro dubium restat secundum, vtrùm indulgentiarum largitio non sit aliud, quàm eiusdem applicatio, vt fiat solutio pœnæ, an verò sit vera absolutio. De hac enim re sunt quatuor opiniones. Vna est, quam refert D. Thom. loco citato dist. 20. dicentium indulgentias nil conferre ad remissionem pœnæ purgatorij, sed ad absoluendum pœnitentem ab obligatione, qua præcepto sacerdotis tenebatur satisfacere.

Dubium An indulgentia sit absolutio. Opinio 1.

Sed hoc falsum est, primum quia indulgentia fundatur in illa autoritate, Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælo: quare quod per indulgentiam remittitur, ad remissionem pœnæ purgatorij valet. Præterea eiusmodi indulgentiæ potiùs essent nocuæ, quàm proficuæ: quoniam inducerent homines, vt satisfactionibus leuioribus huius seculi prætermissis, grauioribus solutionibus subderentur in purgatorio. Tertiò, quia etiam indulgentiæ dantur de non iniunctis pœnitentijs, & præterea vt valeant existentibus in purgatorio.

Impugnatur.

Secunda opinio, est citati autoris Franciſci Mayronis: is enim cum thesaurum neget, ait indulgentiarum concessionem esse meram absolutionem. Itaque sicut Deus gratis potest condonare pœnas purgatorij: ita potest facere Papa pro legitima causa, vt non soluta pœna absoluatur homo ab illa extra sacramentum, sicut in sacramento absoluitur à culpa. Christus enim cum dixit Magdalenæ: Remittuntur tibi peccata tua, gratis sine vlla applicatione thesauri condonauit illi omnem culpam & pœnam.

Opinio 2. Franciſci Mayronis.

At verò dicere sic per indulgentias fieri meram absolutionem sine applicatione thesauri, est abijcere thesaurum passionis Christi: nam etiam in sacramentis non fit absolutio, nisi virtute eius thesauri, quæ est quædam eius applicatio: multò ergo minus extra sacramentum fieri potest remissio pœnæ, quæ debetur peccato. Secus habet absolutio ab excommunicatione: nam illa non pertinet ad remissionem peccatorum culpæ, vel pœnæ, sed ad iurisdictionem fori exterioris. Et ideo Caiet. quæst. 1. de indulgent. ad tertiam partem adiecta, meritò hanc opinionem refutat. Præterquàm quòd contraria est Extrauaganti illi, Vnigenitus, vbi Clemens sextus affirmat, esse thesaurum meritorum Christi & sanctorum, qui per indulgentias à Christi clauigero dispensatur.

Impugnatur.

Caiet.

Tertia opinio est, quam D. Thom. & Bonauent. ac doctores communiter amplectuntur, dicentes concessionem indulgentiarum non esse aliud quàm applicationem thesauri Ecclesiæ, quo soluitur pœna illius qui illas recipit. Quare fundamentum indulgentiarum, vt ibidem ait S. Tho. est vnitas corporis mystici, in qua sancti multas tribulationes sustinuerunt, quorum ideo meritorum copia pœnam debitam nunc viuentibus excedit, præcipuè propter meritum Christi, quòd licet in sacramentis operetur, non tamen eius efficacia in sacramentis includitur.

Tertia opinio.

Fundamentum indulgentiarum.

Hæc autem opinio, nisi sano modo explicetur, non videtur consona indulgentiarum nomini & potestati: nam indulgere idem est quod remittere, relaxare, ignoscere, & veniam dare. Et ideo Durand. dist. 20. qu. 3. ait, quòd tripliciter potest aliqua pœna dimitti. Vno modo, quando ille, cui offensa facta est, pœnam gratis condonat. Secundo modo, quando vnus in totum satisfacit pro alio. Et tertiò, quando debitum partim solvitur, & partim dimittitur. Primo, inquit, modo solus Deus remittit peccata, neque illam potestatem dedit hominibus. Sed secundo & tertio modo ministerio hominum remittuntur pœnæ peccatorum. Imò addit, quòd neque in sacramentis baptismi aut pœnitentiæ mera fit condonatio culpæ & pœ-

Declaratur opinio. Tripliciter potest aliqua pœna dimitti secundum Durand.

Digitized by Google

Palud. aliter loquitur.

næ: nam illic applicatur meritum passionis Christi, per quod in parte fit solutio. At verò Palud. ead. dist. q. 4. hoc de sacramentis non admittit: nam cùm in illis, inquit, maximè sit Deus liberalis, qua ratione sacramenta gratiæ vocantur, credendum est quòd illic fit mera condonatio, & non solutio: ita vt remissio illic procedat non ex satisfactione & solutione Christi, sicut in indulgentijs, sed ex eius amore liberaliter culpam vel pœnam condonantis.

Vterque ab autore refutatur.

Sed profectò nescio, quid isti egregij aliàs autores commiscantur. Neque n. Durand. negare potuit, quin in sacramentis fiat vera remissio & condonatio culpæ, iuxta verbum, Quorum remiser. neque vero Pal. quin id fiat virtute passionis Christi, quæ est eius applicatio. Quare neque propria est Dur. assertio quòd pœna in sacramento partim condonatur, & partim soluitur: imo totum condonatur, quia gratis nobis applicatur passio, & totum soluitur non à nobis, sed à Christo, & in hoc eius liberalitas consistit. Meliùs ergo

Caiet. opinio.

Caiet. in opusculo 21. quæstionum q. 1. ait, quòd indulgentiarum concessio est quidem absolutio & remissio respectu illius qui indulgentias suscipit, quia ille non soluit, sed est solutio respectu Christi & sanctorum qui soluerunt pro eo. Tametsi postea in tract. citato ad Iulium Medicem cap. 6. plurimum verborum consumat, vtrum participalis sit absolutio quàm dispensatio, an verò dispensatio, quàm absolutio. Et in hanc partem propendet, quòd est primum absolutio.

2. Concl. Tot. suprad. opiniones.

Igitur, vt veritas ex hac opinionum turba liquidò eruatur, sit secunda conclusio huius articuli. Indulgentiarum concessio est vera absolutio, & remissio pœnæ, quæ fit virtute passionis Christi & Sanctorum: primum omnium, quòd sit absolutio & relaxatio, nomen ipsum persuadet: indulgere enim est relaxare, quod quidem est nomen misericordiæ, & non iustitiæ, & ita habet indulgentiarum forma, Misericorditer indulgemus: si autem esset solutio, tunc esset opus iustitiæ, sicut si pœnitens ipse satisfaceret, vel alius pro eo. Secundò probatur. Nam si non esset absolutio, tunc conferre indulgentias non esset potestatis clauium: potestas enim clauium fundatur in illo, Quodcunque solueris. & in illo, Quorum remiseritis. cùm ergo indulgentiarum collatio, vt omnibus in confesso est, ad potestatem clauium attineat, eisdemque Euangelicis locis fundetur, sequitur quòd sit absolutio & remissio. Tertiò. Si non esset absolutio, nullam requireret iurisdictionem, sed posset Episcopus Salmantinus Segobiensibus indulgentias conferre: nam si hoc non esset aliùd, quàm applicare thesaurum, nihil obstaret quominus thesaurum, qui sub eius applicatione est, alijs non subditis impertiret: consequens tamen est falsum, vt patet in cap. Quod autem. de pœn. & remiss vbi Alexand. determinat conferre indulgentias esse iurisdictionis actum, & ideo non posse exerceri, nisi erga subditos. Idem confirmatur ex c. cum ex eo. eo. tit. vbi Innoc. tertius ait, quòd per indiscretas & superfluas indulgentias claues Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur. Quasi illa sit absolutio à pœnitentia iniuncta, vel iniungenda. Imò verò consequens fieret, nullam requiri spiritualem potestatem, vt quis indulgentias largiretur: nulla enim ratio dicere prohibet sacerdotes veteris legis potuisse applicare sacrificia sua & suffragia illis quibus vellent: si ergo hoc esset indulgentias conferre, id illi potuissent, quod est falsum. Quartò consequeretur, vt nulla esset differentia inter indulgentias quæ conferuntur defunctis, & illas quæ conferuntur viuis: quia non differunt, nisi quòd illæ conceduntur per modum suffragij illis qui non sunt de iurisdictione Ecclesiæ, & istæ per iurisdictionem clauium illis qui sunt subditi. Ad hæc tandem, Ecclesia extra sacramentum verè absoluit à venialibus culpis aspersione aquæ lustralis, & Episcopali benedictione: ergo potest eodem iure & à pœnis culparum, quæ remissæ sunt, absoluere. Colligitur ergo, per indulgentias eum, qui eas recipit, absolui à pœna & satisfactione, eamque illi remitti, iuxta verbum Paul. 2. Corinth. 2. Si quid donastis, & ego in persona Christi.

Indulg. esse absolutionem & remiss. pœna. Probatur 1. Prob. 2. Prob. 3. Prob. 4. Prob. 5.

Secunda verò pars conclusionis, scilicet quòd talis remissio fiat virtute meritorum passionis Christi & sanctorum, probatur. Nam quòd fiat virtute passionis Christi, ambigi non potest. Enimuerò cùm ipse fuerit vniuersalis redemptor, quem, vt ait Paul. ad Roman. 3. Deus posuit propitiationem pro nobis in sanguine ipsius, fit vt quemadmodum habetur Actu. 4. non sit aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri: & cùm remittere pœnas peccatorum ad virtutem & meritum redemptionis pertineat, fit vt sicut in sacramentis nulla fit remissio culpæ, aut pœnæ, nisi virtute passionis Christi: ita neque extra sacramentum.

Remissionem fieri virtute meritorum Christi. Prob. 1.

Quòd autem fiat remissio virtute etiam meritorum, quæ sancti accumularunt, iam supra distinct. 19. quæst. 2. artic. 4. ostensum est. Nam etsi passio Christi fuerit infinita quoad sufficientiam, applicatur tamen limitato modo per sacramenta & opera nostra, atque adeò quò plures sanctorum passiones thesauro accrescunt, plus nobis applicatur, iuxta illud Paul. ad Coloss. 1. vbi ait, implere pro illis ea, quæ desunt passionum Christi. Exemplum est in ipsis operibus Christi, vnico enim passionis actu infinitè quoad sufficientiam meruit, eo quòd erat actio suppositi infiniti: tamen quantum ad applicationem maior nobis fructus accrescit ex accessione aliorum, quæ per totam vitam patri obtulit, quàm si sola passio nobis applicaretur. Licet verò in conclusione dicatur, quòd virtute passionis Christi & Sanctorum fit remissio per indulgentias, non tamen intelligitur eodem modo: nam potestas clauium, virtute cuius fit illa absolutio, non est nobis collata sanctorum autoritate, sed solius Christi. Quare si sola applicarentur sanctorum merita, non esset absolutio, sed tantum applicatio pretij, quo fieret solutio. Sed quia Christus contulit Ecclesiæ potestatem applicandi sanctorum merita, dicitur quodammodo virtute illorum fieri absolutio.

Virtus meritorum sanctorum.

Vnico passionis actu Christus infinitè meruit.

3. Concl.

Ex his sequitur tertia conclusio. Indulgentiarum concessio non ita est mera absolutio, quin solutio interueniat. Nam etsi ille cui fit remissio non soluat, soluit tamen in primis Christus, ac deinde suo ordine sancti. Ait enim Paul. de Christo 1. Corinth. 2. Qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis: itaque non solùm impetrauit nobis veniam, sed pretium per modum sacrificij perpendit satisfactorium. Vnde Hebr. 9 Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Et 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis non solùm nostris, sed totius mundi. Quibus testimonijs constat Christum pro nobis satisfeciſſe, pretiumque pro nostris piaculis persoluisse, ferendo suis humeris, vt habetur Esaiæ 53. infirmitates & languores nostros. Cùm igitur Papa potissimum, ac deinde prælati Christi vices gerant, per indulgentias illam satisfactionem applicant, vt virtute illius, ac subinde satisfactionum sanctorum hominem à pœna debita absoluant. Et in hoc sensu intelligenda est opinio S. Thom. & communis, quod indulgentia est solutio pœnæ per applicationem thesauri. Dixerim, absolui, intelligens, vel in totum, vel in partem: nam indulgentiarum concessione semper iubetur qui illis potiri voluerit, quidpiam soluere, aut facere, quare nonnihil commiscetur solutionis etiam personę quæ absoluitur, sed nihilominus multò plus habet relaxationis. Diluta ergo est Lutheri calumnia, qua ait per istas indulgentias plurimum detrahi diuinæ iustitiæ: siquidem commonstratum est, Deum ipsum qui eiusdem est exactor iustitiæ, ratam habere solutionem, quæ ex merito passionis filij sui emanat.

Per indulg. non detrahi iustitiæ diuinæ, contra Luth.

Hinc sequitur differentia inter collationem indulgentiarum, & satisfactionem, quam quis facit pro alio: nam quando quis satisfacit pro alio, est simplex solutio, ad iustitiam pertinens, quæ fit à persona priuata pro amico. Indulgentia verò fit autoritate publica, estque remissio, & gratuita condonatio pœnæ.

Differentia inter indulgentiarum collationem & satisfactionem.

Sed rogas, Quid ergo discriminis interest inter absolutionem à pœna, quæ fit in sacramento, & illam quę per indulgentias fit extra sacramentum, si vtraque fit virtute passionis Christi? Marsilius quidem in 4. quæst. 12. nullum constituit discrimen, imò ait sacerdotem dum in sacramento absoluit, indulgentias conferre, perinde atque Romanum pontificem extra sacramentum. Et quando vsu venit, vt pœnitens absoluatur à culpa & pœna, tunc confert indulgentiam plenariam. At profectò ille loquendi modus extraneus est. Pari enim modo diceret per baptismum & alia sacramenta conferri indulgentias. Respondetur ergo, quod etiam si in sacramento applicetur Christi passio, est tamen latum discrimen. Primum, quòd sacramentum est instrumentum à Christo institutum, quo applicatur eius passio. Secundum, quod absolutio in sacramento neutiquam fieri potest ex thesauro sanctorum, eo quòd

Differentia absolutionis, per sacram. & per indulg.

Primum discrimen. 2.

sacramenta conferunt gratiam, quam solus Christus potuit nobis de condigno mereri: & ideo non nisi in eius virtute fit in sacramento remissio. Sancti verò licet
3. possint satisfacere pro alijs, non tamen gratiam de condigno alijs mereri, vt sæpe dictum est. Item quia in sacramentis fit remissio pœnæ, commutando pœnam æternam in temporalem, quidpiamque illius temporalis remittendo: per indulgentias verò pœna æterna remitti nequit. Neque minuitur temporalis ex vi clauium, vt S. Thom. loco citato in solu. 3. argumen. ait, sed tollitur vel tota, vel pars secundum proportionem causæ, propter quam confertur indulgentia, vt quæst. sequen. art. 2. dicturi sumus. Est ergo collatio indulgentiarum absolutio à pœna temporali virtute passionis Christi, non applicatæ per suum instrumentum, sed per peculiarem Ecclesiæ facultatem.

Solut. 1. argum. Ad primum igitur argumen. respondetur, quòd quamuis secundum mensuram delicti sit de iustitia intelligendus plagarum modus, nihilominus misericordia Dei & clementia est per suos ministros, tam in sacramentis, quàm extra aliquid de illis condonare.

Solut. 2. Ad secundum verò iam responsum est, non esse eandem rationem defunctorum & viuorum: nam illis, quia non sunt iurisdictionis Ecclesiæ, non possunt conferri indulgentiæ per modum absolutionis, sed per modum suffragij.

Ad extr. Vnigenitus. Ad extrauagantem denique, Vnigenitus. respondetur, ita illic constitui Ecclesiæ thesaurum, vt tamen non affirmetur indulgentias esse meras solutiones pretij, sed hoc tantum quod virtute illius thesauri fit absolutio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm indulgentiarum vsus sit in Ecclesia à tempore Apostolorum antiquus.

HÆc quæ dicta sunt meditati, luculentius possumus indulgentiarum antiquitatem & vsum explorare. Arguitur ergo quòd fuerit res admodum noua: nam neque apud August. Hieronym. aut alium illius classis sanctum Patrem, vlla indulgentiarum memoria reperitur: & quod multùm mouet, neq; Petrus Lombardus diligens sententiarum patrum collector vllibi de indulgentijs meminit.

Par. neg. arg. 1.

Pars affirmatiua. In contrarium tamen est, quod vbicunque in sacris canonibus historia indulgentiarum habetur, inducitur non tanquam noua institutio, sed tanquam memoria rei antiquæ.

Propter argumentum factum doctores scholastici, vt Duran. Caie. & reliqui locis citatis fatentur indulgentiarum vsum esse rem nouam, quæ nulla autoritate, vt Aug. aut Hiero. aut id genus duorum patrum connititur, sed solum pontificum quadringentis retro annis antecedentium. Atqui rationes nouitatis huius recenset Roffensis art. 18. aduersus Lutherum. Quarum
Ratio 1. Roffensis pro nouitate indulgent. prima est, quòd olim non erat vsque adeò Ecclesiæ notum purgatorium, imò Græcis, inquit, ad hunc vsque diem non est creditum. Attamen mirum est virum alioqui doctissimum, & egregiè catholicum sic locutum,
Refutatur sanè cum, vt dist. 19. q. 3. art. 1. & 2. retulimus, Aug. 21. de ciuit. Dei, & sermo. 4. de igne purgatorij, & alibi sæpe de purgatorio meminerit, vbi illud Pau. 1. Cor. 3. de illis qui saluabuntur, sic tamen quasi per ignem, de purgatorio exponit. Et in enchiridio ait, acerbiorem esse purgatorij pœnam, quàm aliqua quæ sit in mundo. Et Greg 4. lib. dialog. innumera de purgatorio refert. Et antiquior Hiero. in postremis verbis lib. 18. super Esaiam. Et Cypr. in epist. ad Antoninum, cuius verba sunt. Aliud est ad gloriam peruenire, aliud missam animam in carcerem non exire inde donec soluat vltimum quadrantem, quod de purgatorio intelligit. Et lib. 1. epist. ep. 9. Statutum, inquit, est in concilio Africano, Si quis hoc fecerit, non offeratur pro eo, nec oret quis pro eo. Isti ergo antiqui patres mille ferè ducentis hinc annis manifestam purgatorij historiam composuerunt. Et inter Græcos, Origenes homilia 6. super Exodum, cuius verba illic citauimus. Et Dionys. Apostolorum coætaneus in li. de Ecclesia. hierarc. c. 7. par. 3. docet tunc in more fuisse pro defunctis orare, cuius verba sunt. Nam venerandus antistes precem sacram supra mortuum agebat, vt Deus peccata dimittat per infirmitatem humanâ admissa, eumque in luce statuat, in regione viuorum, in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, & tristitia, & gemitus. Vnde eadem verba semper in Ecclesia conseruata sunt vsque in hodiernum diem, vt super mortuum canantur. Et quamuis hæretici isti negent illum librum esse Dionisij Areopagitæ, Gregor. tamen atque alij sancti libr. de cælesti hierarch. citant tanquam eiusdem Dionysij.

Ratio 2. pro nouitate indulg. Aliam deinde commemorant causam cur pridem indulgentiæ non essent in vsu: videlicet, quia omnes erant ea charitate feruentes, vt vnusquisque satageret debitas peccatis satisfactorias pœnas in hoc seculo ad iustum pendere. At verò quod qui has comminiscuntur causas, non satis ad rem attendunt indulgentiarum, sed tantum ad nomen. Constat n. quod quamuis nomen non fuerit ita multum priscum, res tamen est à temporibus Apostolorum antiquissima.

Refutatur

Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima, indulgentiarum nomen inter canonicas scripturas ante quadringentos annos relatum legimus. Prima enim scriptura, quæ de illo habetur, est c. illud. Quod autem de pœniten. & remiss. Alexand. tertij, qui sedit anno Domini 1160. vbi mentio fit de indulgentijs, quæ concedebantur in dedicationibus Ecclesiarum, aut pontium, sed tamen illic non constituitur tanquam res noua, sed memoratur veluti antiqua. Magist. autem senten. præcessit illum Pontificem viginti annis: quare credibile est sua etiam ætate in more illas indulgentias fuisse, sed quia vidit ad remissionem peccatorum pertinere non fecit de illis peculiarem mentionem. Quare neque Hugo eius coætaneus, qui de sacramentis scripsit, de illis meminit. Sunt qui arbitrentur indulgentiarum concessiones cœpisse a tempore Gregorij magni. De hoc autem nulla exstat historia, præterquam quod antiquissimæ stationes Romanæ ad sanctorum basilicas documentum aliquod rei huius perhibent. Alij aiunt cœpisse quinquaginta annis antea: nempe sub annum Domini 1090. quando sub Vrbano secundo congregata fuit Claramontana synodus, vbi Gothifredus de Bullione Lothoringiæ dux cum ingenti Christianorum expeditione ad bellum Hierosolymitanum delegatus est. In synodo verò illa nulla fit indulgentiarum mentio, sed quod milites rubea cruce signabantur in pectore, vnde diplomatis, quæ modo aduersus Turcas expediuntur, cruciatæ nomen relictum est. Creduntur tamen illiusmodi indulgentiarum concessionem fuisse contentam in parte illa decisa Decretalis. Ad liberandam terram sanctam. de Iudæis. Meminit tamen earundem indulgentiarum, quæ accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur, Innocen. tertius cap. Excommunicamus. de hæretic. Qui quidem Pontifex in concilio Lateranensi canonem edidit, qui refertur. c. Cùm ex eo. de pœniten. & remiss. anno Domini. 1200. vbi mentio fit antiquæ formæ indulgentiarum, quæ in subsidium hospitalium conceduntur, cohibenturque episcopi ne indiscretas indulgentias largiantur. Postea successit Innocent. quartus, qui in concilio Lugdunensi eundem canonem confirmauit. Deinde Bonifacius octauus, qui circa annum Domini 1300. commemorans quanta fuerit antiquitus indulgentiarum copia concessa visitantibus Apostolorum limina, indulsit plenariam indulgentiam in anno Iubilæi, in extrauag. antiquorum. de pœnit. & remiss. Ac demum Clemens sextus post annos 40. in allegata extrauag. Vnigenitus, latissimum sermonem de thesauro Ecclesiæ per indulgentias dispertiendo fecit. Non ergo indulgentiarum vsus res est tam noua, quàm Lutherus contra propriam scientiam affirmauit. Sub ætate ergo Innocent. tertij Altisiodorensis, Alex. Albertus Magnus, & Sanct. Thom. de indulgentijs scribere orsi sunt.

1. Concl. Nominis Indulgentiæ antiquitas

Quidam à Gregorio magno cæpisse indulg. putant

Alij ab Vrban. 2.

Cruciatæ origo.

Innocen. 4.

Bonifa. 8.

Clemens. 6.

Secunda conclusio. Quamuis indulgentiarum nomen non fuerit antiquius, res tamen fuit à tempore Apostolorum semper in vsu. Conclusio peruia illis est qui rem intellexerunt. Enimuerò indulgentias conferre, est verè à peccatis absoluere quantum ad pœnam remissis culpis. Hoc autem fecit supra citatus Pau. 2. Corinth. 2. Sanè qui incestuoso à suo flagitio conuerso pœnitentiam, quam prius imposuerat, relaxauit, ea parte contentus quam persoluerat. Id ipsum in remissionibus publicarum pœnitentiarum crebrò in primitiua Ecclesia vsu venisse constat. In concilio namque Carthaginensi. 4. capit. 76. præcipitur vt pœnitentes secundum suam diligentiam vel negligentiam

2. concl. Rem indulg. a tempore Apostol. fuisse Probatur.

Pœnitentia pub. relaxa-

citiùs

citiùs vel tardius reconcilientur, vbi denotatur quod secundum pœnitentis diligentiam condonabatur pars pœnitentiæ iniunctæ. Et 26. q. sexta & septima. iubetur tandem, vt pœnitentiæ secundum personarum qualitatem imponantur, aut remittantur, & existentes in articulo mortis etiam absque pœnitentia reconcilientur. Re vera omnia illa figuram præ se indulgentiarum ferebant. Et quando aliud antiquitatis huius documentum non esset, quàm quòd vbiuis mentio indulgentiarum fit in sacris canonibus, commemoratur tanquam res prisca, sufficeret ad confirmandum fuisse Apostolorum traditionem secundum Euangelium Sic enim de confessione argumentamur, quòd cùm vbique inter sanctos Patres refertur tanquam res vsu iam longo celebrata, solidum argumentum est fuisse à Christo institutam. Sic & de charactere diximus, licet nomen non sit ita multum vetus, rem tamen, puta potestatem conferendi sacramenta, à Christo dimanasse.

Tertia conclusio. Vsus condonandi pœnas remissorum criminum extra sacramenta ex duplici fonte frequentari cœpit. Primus fuit, quod in ortu Ecclesiæ, vt pœnitentiales canones testantur, pœnitentiæ ita ad iustum solitæ fuerint imponi, vt nihil iudicio sacerdotis relinqueretur in purgatorio soluendum. Alioquin sancti illi patres non arbitrabantur legitimè clauium potestate vti: tunc enim fetuor sanguinis Christi in causa erat, vt Christiani ad nutum essent Ecclesiæ obsequentes. Deinde verò aucta Christiana familia, tepefactoque illo calore cæpit rigor ille canonum languere, & arbitrio sacerdotum impositio pœnitentiarum committi, vt supra monstratum est. Sed tandem cùm neque illud onus satis populus ferre valeret, apertus est alius fons pietatis, vt pœnitentiarum rigor in eleemosynas commutaretur, quæ in causas pias & publicam vtilitatem conducerent, vt notatur in cap. Alexandri prælallegato, Quòd autem. At verò iam nostra tempestate, tum quia pœnitentiæ nimium tenues esse cæperunt, tum quia Turcarum incursus sunt nobis infestissimi, factum est vt in subsidium aduersus illos indulgentiarum vsus percrebuerit. De hac verò causa & vsu latius quæstio. sequenti. Interim ergo hæc maneat conclusio firma & fixa, quòd indulgentiarum facultas non solum fundatur in doctorum sententia, aut in sacro Ecclesiæ canone & vsu, verùm in sacrosancto Euangelio: quare eius assertio est de iure diuino, eiusque adeò negatio manifestaria hæresis.

Ad argu. autem in contrarium propositum in capite articuli respondetur satis esse, tum quòd indulgentiarum nomen & vsus ante quadringentos annos tanquam de re antiqua in Ecclesia celebratur, tum præsertim quòd res ipsa sub nomine remissionis peccatorum fundatur in euangelio & in doctrina Pauli, cuius ab illo tempore sancti patres meminerunt.

eis, nostrarum fiunt indulgentiarum figura.

Argum. pro antiquitate indulgentiarum.

3. Concl. Prima indulgentiarum origo.

Nota.

2. Fons.

Assertio Indulg. est de iure diuino.

Sol. arg.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm solus Papa & reliqui prælati possint indulgentias conferre.

Pars neg. arg. 1.

QVAERITVR tandem de huiusmodi potestatis subiecto, vtrùm sint tantùm prælati. Et arguitur à parte negatiua. Indulgentiarum facultas ex cumulo meritorum Ecclesiæ efficaciam habet: sed etiam in quacunque parœcia est suus parœcianorum thesaurus meritorum: ergo parochialis sacerdos, qui illis præest, potest eis eundem thesaurum per indulgentias dispensare. Potissimum cùm hæc facultas ad remissionem peccatorum pertineat quæ omnibus presbyteris est communis.

2. Argu.

Secundò arguitur per aliud extremum. Thesaurus meritorum Christi & sanctorum est toti Ecclesiæ communis: ergo solus Papa vniuersalis Ecclesiæ princeps & gubernator potest illum dispensare, & non episcopi.

3. Argu.

Tertiò. Saltem episcopi in peccato mortali existentes vsu eiusdem facultatis carent: nam plus videtur indulgentias conferre quàm percipere: ille autem qui est in peccato mortali suscipere fructuosè non potest.

Pars affirmatiua.

In contrarium tamen est quod huiusmodi facultas iurisdictionem in foro exteriori requirit, quæ in solis est prælatis.

1. Concl.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Solus summus Pontifex, & concilium, ac subinde reliqui prælati habent autoritatem conferendi indulgentias. Hæc conclusio in primis est de iure pontificio. c. Quod autem. & ca. Cum ex eo. de pœnit. & remiss. & cap. Accedentib. de excess. prælator. Rationem autem adducit loco citato. d. 20. art. 4. D. Th. ex suo fundamento, quòd indulgentias conferre est thesaurum Ecclesiæ dispensare. Nam tripliciter, inquit, quis potest pro alio satisfacere. s. aut in singulari, dum Petrus satisfacit pro Paulo dirigendo ad illum suam intentionem, aut in speciali satisfaciendo pro sua domo, aut pro sua parœcia. Et hoc non est indulgentias conferre, quia merita personæ satisfacientis non dicuntur thesaurus: quia sunt certa & finita, & deficere possunt. Præterea quia per illam satisfactionem alter non absoluitur ab obligatione iniunctæ pœnitentiæ. Tertio modo aliquis satisfacit pro alio in generali, vt dum quis sua opera in bonum commune Ecclesiæ refert: tunc n. quantum ad meritum in integrum sibi cedunt, iuxta verbum Pauli. † Vnusquisque recipiet secundùm proprium laborem. Imò & quantum ad satisfactionem, quantum sibi necessarium est, tantum censetur sibi reseruare, nisi peculiariter velit à se tolli & alteri conferri. Quod autem ei supereſt, hoc reponitur in communi thesauro: qui quidem generalis Ecclesiæ est indeficiens tum propter merita Christi, tum propter plurimos sanctos & martyres, qui in hoc sua merita contulerunt. Conferre ergo indulgentias, est thesaurum istum dispensare. Dispensatio autem bonorum reipublicæ pertinet ad eius principes & gubernatores qui in Ecclesia dicuntur prælati. Ecclesia verò sub summo Pontifice, qui toti præest, distribuitur per distinctas diœceses, quæ sunt sicut diuersæ ciuitates, quæ est politica respublica, polis n. idem est quod ciuitas. Et ideo antistites eisdem diœcesib. præfecti sunt propriè prælati gubernatores. Parœcia verò non habet iustam imaginem vnius politiæ, sed sunt diuersæ parœciæ, sicut diuersæ familiæ & prosapiæ in eadem ciuitate: quare parœciales presbyteri non sunt propriè prælati, nec iurisdictionem in foro exteriori habentes, sed sunt episcoporum auxiliares. In cuius signum dum episcopi ordinantur, annulo insigniuntur tanquam veri sponsi Ecclesiæ, quos ideo summus Pontifex fratres appellat. Sed dum ordinantur presbyteri, ait episcopus. Quanto fragiliores sumus, tanto magis his auxilijs indigemus. Ecce ergo ex parte dispensandi thesaurum sumitur prima ratio cur solis prælatis tanquàm Ecclesiæ principibus ex proprio officio incumbat indulgentias conferre. Secunda tamen adhibetur præcipua ex ar. 2. vbi monstratum est indulgentiarum collationem esse veram absolutionem à peccatis in foro exteriori extra sacramentum, & ideo exigere iurisdictionem in eodem foro, vt nullis eas possit conferre nisi subditis, vt habetur in allegato c. Quod autē. huiusmodi autem iurisdictio non est in parœcialibus presbyteris, sed in solis episcopis.

Ratio conclusionis.

Tripliciter quis pro alio satisfacere potest.

1. Cor. 3.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Ad maiorem autem conclusionis intellectum, quæritur, vtrùm hoc discrimen inter episcopos & presbyteros in conferendis indulgentijs sit de iure diuino, an verò de iure positiuo. Nam cùm indulgentiarum collatio, vt dictum est, ad peccatorum remissionem pertineat, videtur & parochialibus presbyteris iure diuino competere, nisi iure Pontificio essent prohibiti. Secundò per aliud extremum arguitur, quod neque episcopis competat de iure diuino: nam alioqui non posset eorum potestas per pontificem hac parte limitari, vt limitatur in dic. ca. Cum ex eo. Colligitur ergo discrimen tantum hoc iure positiuo Constitutum esse. Sed nihilominus subiungitur secunda concl. Iure diuino & episcopi autoritatem habent conferendi indulgentias, & presbyteri parochiales non habent. Nam episcopi iure diuino succedunt Apostolis tanquam prælati & gubernatores in suis diœcesibus, atque adeo eo ipso quòd creantur episcopi iure diuino, habent iurisdictionem in foro exteriori: at verò sacerdotes quamuis de iure diuino sint instituti sacerdotes, tamen forsan non eodem iure præceptum est vt parœcijs præficerentur tanquam animarum curati, sed hoc fortasse institutum est ab Ecclesia. Et quamuis (quod verisimilius est) à iure diuino id sit deductum, tamen ad animarum curam, quam iure diuino ipsi gerunt, non attinet illam habere iurisdictionem.

Dubium. an Iure diuino Episc. eam potestat. habeat; non autem Parochi.

Ratio dubij 1.

Ratio dub. 2.

2. Concl.

Nota.

Vnde ad primum argu. respondetur, quòd quamuis verum sit autoritatem indulgentiarum ad remis-

Ad 1. rationē dubij.

Digitized by Google

sionem peccatorum attinere, cuius potestatis facultas collata est Apostolis Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, tamen idem Spiritus sanctus, tunc eis ad idem munus insufflatus Ecclesiam docuit, vt eadem peccatorum remissio non eodem modo presbyteris quo episcopis concrederetur: sed presbyteri illam haberent alligatam sacramentis, vt absque illis nullatenus peccatorum pœnas remittere possent, atque adeò nec iurisdictionem in foro exteriori haberent: sanè cùm ad illam functionem plus scientiæ, & iudicij sit necessarium, quàm quæ in tanta multitudine presbyterorum reperiri posset. Sed satis est, vt in sacramentis administrandis, quæ quotidie sunt necessaria, episcopis auxiliarentur. Itaque hoc quod non possint parochiales presbyteri indulgentias conferre, non est, quia sunt per sedem Apostolicam prohibiti, sed quia illam de se non habent facultatem.

Ad 2. rationem dubij.

Ad secundum verò argum. de. episcopis respondetur, quòd etsi habeant de se eiusmodi facultatem, nihilominus autorirati Pontificis subiectam: nam thesaurus vnius episcoparus non est tam diues, vt amplissimas possint facere indulgentias: ob idque meritò eorum abusus Apostolica autoritate quandoque compescitur, vt in citato cap. Cùm ex eo. vbi eis interdicitur ne in dedicatione Basilicæ ampliores indulgentias quàm vnius anni largiantur, neque in anniuersario dedicationis ampliores quàm quadraginta dierum. Ait verò glos. quòd si mandatum illud excedant, nihilominus indulgentiæ sunt validæ. Attamen S. Thom. loco citato contrarium sentire videtur. Et c. Indulgentiæ. eod. tit. lib. 6. contrarium decernitur: nempe quòd episcoporum indulgentiæ vigorem non obtinent, si statutum excesserint generalis concilij (s. eiusdem Lateranensis) nisi pro ea parte, quam statutum permittit.

Quantas possint Episcops indulgentias concedere.

Hinc fit ad conferendas indulgentias minimè characterem sacerdotalem esse necessarium: quippe cùm electus in episcopum antequam ordinetur, eas possit largiri. Capitulum autem cathedralis Ecclesiæ sede vacante hac non pollet autoritate, quia est potestas episcopalis. Hinc tamen minimè colligitur, nec concilium generale eandem habere: quoniam concilium legitimè congregatum iure diuino habet plenam iurisdictionem, capitulum verò cathedrale non nisi secundùm limitationem Ecclesiæ.

Capitulum cathedralis Ecclesiæ. Concilium generale.

De abbatibus autem apparet paulò iustior dubitandi ratio. Attamen simpliciter non sunt prælati, & ideo ratione propriæ dignitatis indulgentiarum autoritate non funguntur, nisi ex commissione, vt eod. ca. Accedentibus. de excess. prælat. decernitur.

Abbates.

Vtrum verò ex consuetudine id possint obtinere, respondet glo. eiusdem cap. affirmatiuè, ob illam particulam, quæ est in tex. vel aliam legitimam causam. Attamen sententia hæc non satis firmum habet fundamentum in textu. Tutius ergo est dicere, quòd mera consuetudo ius hoc illis tribuere non sufficit. Sed potest esse signum antiqui priuilegij, & ideo licet illud non compareat, valebit tanquam indicium legis.

Prælati religionum.

Prælati verò aliarum religionum licet illo nomine appellentur respectu suæ familiæ, habeantque iurisdictionem subditos excommunicandi, non tamen simpliciter censentur Ecclesiæ prælati, & ideo indulgentias largiri nequeunt absoluendo à pœnis peccatorum extra sacramenta, sed tamen sacrificia & oblationes subditorum per viam suffragij quibus voluerint possunt applicare. Non obstantibus conuitijs hæresiarchæ illius Witcleff, quibus huiusmodi applicationem religiosorum veluti commentitiam irridet, vt est videre apud Thomam Waldensem tomo 3. de sacramentalibus sub titulo 10. vbi idem orthodoxus doctor veritatem hanc exemplo Christi confirmat. Nam quemadmodum ipse tulit dolores nostros: ita & nos alter alterius debemus dolores portare. Vnde sicut subditorum singuli pro alijs benefactoribus satisfacere valent: ita & prælatus huiusmodi suffragia eisdem benefactoribus impertiri: eo vtique iure quo singulis potest præcipere pro tali aut tali persona sacrificium & orationem offerre. Exemplo sæpe citati Pauli Coloss. 1. Gaudeo in passionibus meis pro vobis, &c. Adducit ibidem Wald. historiam Iuonis Carnotensis episcopi antiquissimi, & Anselmi, & aliorum Patrum qui literas concesserunt, per quas subditorum suffragia benefactoribus participabant, vt quorum temporalia, vt ait Paul. † metebant, eisdem spiritualia imperirent. Ex quo fit eiusmodi applicationem non solum de congruo valere, sed & de condigno quantum ad rationem satisfactionis, quia fit solutio sicut si vnus pro alio satisfaceret. Quare non tantùm orationes, verùm & ieiunia & alios labores & vigilias quantum ad rationem satisfactionis adscribere alijs potest. Tametsi ratio meriti eis ipsis religiosis, qui hæc patiuntur, integra seruetur.

Vitcleff applicationem religiosorum irridet.

1 Cor. 9.

Valet de condigno.

Quod si sciscíteris quem igitur in modum eiusmodi applicatio à collatione indulgentiarum distet, respondetur primò: quia religiosorum prælatus in hoc claue Ecclesiæ non vtitur, neque vllam facit absolutionem aut relaxationem, sed meram solutionem & satisfactionem. Quare neque applicat passionem Christi sicut indulgentiarum collatores, quia illa non applicatur nisi virtute clauium, sed solùm labores suæ familiæ. Est & aliud notandum discrimen, quòd prælatus nisi sacrificia & labores, aut dum fiunt, aut priùs applicet, reseruantur in thesauro Ecclesiæ, quamobrem nequit postquam facta sunt illa applicare. Itaque nequit ipse thesaurizare, sicuti neque priuata persona potest suas satisfactiones in thesauro sibi reponere, vt scilicet sibi reseruentur pro tempore, quo eis indiguerit. Cuius ratio est, quòd eo ipso quòd quis satisfactione, quam facit, non indiget, iure communi reseruatur in thesauro per Papam aut episcopos distribuendo, nisi ipse vel eius prælatus ea applicuerit. Quocirca dum prælatus ait se benefactores ad beneficia ordinis recipere, intelligitur ad illa quæ subsecutura inde sunt: nam præterita, nisi priùs applicuerit, iam non potest. Haud, inquam, potest hodie missarum sacra hesterna cuipiam tribuere. Et ideo in more religiosis est semper facere applicationem ante vel dum fiunt sacrificia.

Applicatio hæc in quo differt à collatione indulgentiarum.

Postremum hic tamen non dissimulandum dubium restat, vtrum præpositus possit subditorum sacrificia, orationes & labores alijs impendere, quibus subditi ipsi in rationem etiam satisfactionis indigent.

Dubium. An prælatus possit subditorum merita alijs applicare, si ipsimet egeant

Est enim magnum argumentum a parte negatiua, quòd charitas bene ordinata ab homine ipso incipit: quare si subditus indiget, iniuria videtur illum suo labore expoliare. Præterea quia in thesauro communi non reconduntur nisi illa quæ facienti supersunt. Accedit & exemplum Euangelicum prudentium virginum, quæ imprudentibus, dum de suo oleo postulabant, responderunt: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.

Negat. pars probatur. Exemplum.

Veruntamen his non obstantibus certè contraria sententia probabilitate non caret: nempe, quòd prælatus ratò & graui ingruente causa tunc illa opera quibus subditi egent, possit alicui insigni benefactori tribuere.

Pars affirmatiua.

Nam cum subditus ipse vltrò queat se sua satisfactione priuare, vt alteri ex charitate tribuat, nulla apparet ratio cur id non valeat prælatus pro causa legitima facere: quia hoc non est priuare subditum suo essentiali merito apud Deum, sed temporali subsidio. Item quia potest subdito prælatus aliquòd opus supererogationis iubere per se alicui applicandum, quod quidem subditus ipse, licet indigeret, nisi iuberetur, non faceret.

Ratio 1.

2. Ratio.

Contra hanc autem assertam veritatem emergit argu. quòd si conferre indulgentias requirit iurisdictionem in subditum, fieret consequens, vt nec Papa, nec prælatorum quispiam posset sibi indulgentias conferre, quoniam nemo potest in se ipsum iurisdictionem exercere. Præsertim cum indulgentia, vt dictum est, pertineat ad remissionem peccatorum: & tamen nemo potest se à peccatis absoluere. Propter hoc arg. quòd facit Durand. 20. q. 5. Caie. in citato opusculo ad Iulium Medi. c. 5. concedit quòd cum prælatus confert indulgentias, non fit illarum particeps. Palud. verò oppositum sentire videtur, licet nullam afferat probationem. Sed reuera non est cur in dubium reuocetur, quin dum indulgentias prælatus confert lege communi visitantibus talem Ecclesiam, aut erogantibus talem eleemosynam, similiter ipse easdem consequitur. Esset n. à ratione prorsus alienum, prælatum & potissimum caput Ecclesiæ à tanto beneficio excludere, eo quod caput est Ecclesiæ. Secundò, quia dum dispensat in aliquo die ieiunij cum omni vrbe, non est cur ipse non possit eodem priuilegio gaudere. Tertiò, quia princeps distribuens bona communia, potest portionem suam suscipere. Quartò, quia dum legem fert omnibus generalem: puta ieiunij vel festi seruandi, eadem ipse lege

Obiectio.

Inquiritur an Papa sibi etiam conferre possit indulgentias.

Sententia autoris.

1. Ratio.

2. Ratio.

Ratio 3.

tenetur,

Digitized by Google

tenetur, licet non vi coactiua, sed directiua: ergo eadem ratione in fauorabilibus si confert indulgentias, fit earum particeps. Vnde ad arg. respondetur, quòd licet nemo possit iurisdictionem in se exercere cogendo se ipsum, atque adeò non possit se excommunicare, neque verò possit quispiam se in sacramento absoluere: quia ille est actus personalis vnius in alterum, vbi se pœnitens subijcere debet singulariter sacerdoti, cui parere tenetur: tamen quia indulgentiæ conferuntur extra sacramentum vniuersim opus tale facientibus, nihil vetat quominus conferens tanquam pars reipublicæ eodem possit beneficio frui.

Ad obiect.

Solut. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd licet in parœcia sit partialis thesaurus., nihilominus quia parœcialis presbyter non est propriè prælatus, non potest ipsum distribuere: quia non habet potestatem remittendi peccata, nisi alligatam sacramentis. Sed ille adiungitur cumulo thesauri, vel episcopatus, vel totius Ecclesiæ.

Solut. 2. Ad secundum respondetur, solùm concludere, quòd penes Pontificem sit plenaria potestas totius thesauri Ecclesiæ, quia est summus vicarius in toto regno cælorum. Nihilominus reliqui antistites sunt gubernatores ciuitatum, & diœcesum, in quibus ideo possunt eadem facultate fungi.

Solutio 3. Ad tertium denique respondetur, quòd etiam si episcopus in peccato mortali existens indulgentias conferat, non frustrantur suo valore & fructu, tum quòd functio hæc pertinet ad iurisdictionem, quæ per peccatum mortale non amittitur, tum quòd fructus indulgentiæ non ex merito conferentis, sed ex thesauro Christi & sanctorum prouenit. Nec inde tamen sequitur, quòd quis extra charitatem possit eodem fructu gaudere: quia licet plus quantum ad potestatem sit indulgentias conferre quàm recipere, tamen quantum ad vtilitatem plus exigitur ad earum fructum percipiendum.

Peccatum non tollit potestat. indulgentias conferendi, sed recipiendi.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ PRIMÆ.

Quæstio secunda.

DE VALORE INDVLGENTIARVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant.

QVÆSTIO hæc secunda, de valore Indulgentiarum, per quatuor itidem articulos distribuitur. In primo enim quæritur, quid valeant. In secundo, an earum valor causam exigat. Et in tertio, vtrum peccatoribus quidpiam valeant. Sed quartus extra ordinem, de compositionibus adhibetur. Arguitur ergo, quod non semper tantum valeant, quantum earum prædicatio sonat. Solent nonnunquam indulgentiæ sic sonare, & prædicari, quod concedantur mille anni, imò annorum millia indulgentiarum, quod certè vix est intelligibile, præsertim si verum est, quod supra diximus, † neminem in purgatorio tam multis annis retineri: ergo non tantum valent, quantum sonant.

Part. neg. 1. Argu.

† *d. 19. q. 3. art. 2. in fine.*

Secundò. In more etiam est concedere indulgentias plenarias, & plenissimas, quæ si iuxta nominis sonitum valerent, apparet vt purgatorium esset hominibus vacuum: non ergo tantum valent. *2. Argu.*

Tertiò. Si indulgentiæ quantum sonant, tanti essent æstimandæ, possent homines nullis operibus satisfactionis vacare, sed indulgentias identidem sumere, vt fierent à purgatorio immunes, quòd re vera in magnũ detrimentum diuini cultus vergeret, ergo non tanti sunt, æstimandæ, quantum pollicentur. *3. Argum.*

In contrarium est, quòd sicut Deus nequit mentiri: ita neque Ecclesia, quæ Spiritu sancto regitur, publica autoritate fallere potest: indulgentiarum autem prædicatio publica fieri videtur Ecclesiæ autoritate: ergo quantum sonant valent. *Pars affirmatiua.*

De indulgentiarum valore statim dum eius vsus crebescere cæpit, variæ obortæ sunt opiniones, vt Altisiodorensis lib. 4. capit. de relaxationibus, & sanctus Thomas, & Albertus Magnus, & reliqui doctores in 4. distinctio. 20. referunt. Et primum est gloss. super capitul. Quod autem. de pœnitent. & remissio. quæ ait, Quid valeant indulgentiæ vetus querela est. Adhuc tamen satis dubia. At quia res hæc ad ius diuinum attinet, de quo glossatores isti parum callent, putant hoc esse inextricabile. Alij dixerunt indulgentias nihil prorsus valere, nisi quantum vnusquisque deuotione sua, faciendo quod indulgentia præcipit, meretur, sed esse, vt postea Lutherus dixit, pias Ecclesiæ fraudes ad alliciendos Christianos, vt eleemosynis & peregrinationibus incumberent. Attamen isti ceu blasphemi non sunt audiendi, sanè qui autoritatem Ecclesiæ infringunt. Si enim de hac re nos Ecclesia seduceret, nulla ei esset in reliquis adhibenda fides. Alij opinati sunt non in foro Dei, sed tantum in foro Ecclesiæ efficaces esse: videlicet ad liberandum pœnitentem ab obligatione pœnitentiæ iniunctæ in sacramento, non vt ab aliqua pœna in purgatorio soluenda eximatur. Sed hanc opinionem Alexand. quarta parte quæst. 83. membro 1. articulo primo, & Bonauent. distinctione 20. & sanctus Tho. ob id confutant, quòd impiam faciunt Ecclesiam & crudelem: nam si hoc esset verum, absoluendo pœnitentes relinqueret eos grauioribus purgatorij pœnis obnoxios, à quibus per leuiores in hoc seculo eripi possent. Adrianus verò in quæstione de indulgentijs ait non esse opinionem adeò reprobam: nam valerent saltem indulgentiæ illis, qui alias non essent impleturi iniunctam pœnitentiam, vt liberarentur à peccato remissionis, & illis qui per contritionem exempti iam sunt: vt nihil in purgatorio debeant. Sed profectò exiles valde sunt eiusmodi euasiones. Præterquam quòd illa opinio non tantum tribuit veritati clauium quanta ipsa est. Enimuerò eiusmodi virtus efficax est ad remittendum pœnas extra sacramentum in purgatorio debitas, iuxta verbum Christi, Quodcunque solueris in terra, erit solutum & in cælo: quod quidem illa opinio non agnoscit, vt superius expositum est. Alias opiniones refert S. Thom. de quibus art. sequenti commodiùs agetur.

varie opiniones de valore indulgent. Gl. ca. Quid autem.

Quorundã opin. blasphema, vt Lutheri.

Aliorum opin.

Opinionis refutatio.

Adriani defensio oppugnatur.

Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima. Indulgentia, si modò causa pia adsit, tantum valet non solum in foro Ecclesiæ, sed apud Deum, quantum sonat. Vt si visitantibus limina Petri concedãtur indulgentiæ quadraginta dierum, qui verbi gratia impositi erant in pœnitentiam alicui, absoluitur ille nõ solum ab obligatione illam implendi, verùm & ab illa pœna purgatorij, cuius veniam pœnitentia impleta obtinuisset. Conclusio ista ratione modò tacta, & supra latiùs explicata probatur: quia cum Ecclesia possit peccata quoad pœnam remittere, & id per indulgentias facere prædicet, impium esset non ei adhibere fidem.

1. Conc.

Ratio.

Dubium autem hic primum est quomodo intelligãtur huiusmodi indulgentiæ quadraginta dierum, aut vnius anni, aut septem pœnitentiæ. Quinimo solent nonnunquam inuulgari indulgentiæ, quibus remittuntur quinque annorum millia aut plura pœnitentiæ, & quadragenæ totidem. Ad hoc prima fronte responsio dari posset cum Gersone Cancellario Parisiensi in suo tractatu de absolutione sacramentali, atque in alio de indulgentijs, quod istæ portentosæ indulgentiæ non emanant à Papa, sed sunt quæstorum impostura. Quare præfatus doctor illas irridet. Et reuera tam immodicus excessus non est ferendus: nam audies nonnunquam indulgentias viginti mille annorum & eo ampliores. At verò quia quæ moderatiùs conferuntur solidæ sunt, opus est explicare, quid sonat quadraginta dies, aut annus vnus aut septem pœnitentiæ. Potest enim intelligi aut de pœna, quæ in purgatorio toleranda est, aut de pœnitentia, quæ fit in hoc seculo. Et apparet, quòd intelligatur de pœna in purgatorio luenda: nam indulgentia debet esse certa: illa verò pœnitentia, quæ in sacramento imponitur, licet quantum ad tempus sit æqualis, non tamen quantum ad asperitatem & rigorem. Nam antiquitus licet tam pro adulterio quàm pro homicidio imponerentur septem anni pœnitentiæ, non tamen tot ieiunia & orationes imponebantur in illis annis pro vno peccato, quàm pro alio. Imò & secundum qualitatem personarum etiam eædem pœnitentiæ vel mitigabantur, vel augebantur. Dum ergo visitantibus talem Ecclesiam, aut conferentibus talem

Dubium. Quomodo intelligendum: pœnitentia vnius vel septem, &c. annor. Indulgentiæ.

Sensus duplex.

Argum. quod intelligatur de pœna purgat.

eleemo-

eleemosynam remittuntur septem anni, si intelligerentur de pœnitentijs huius seculi, non fieret omnibus æqualis remissio: intelligitur ergo de alijs purgatorij.

Hoc tamen non obstante subiungitur secunda conclusio. Hæc tempora non intelliguntur de diebus aut annis durationis purgatorij, sed de pœnitentijs in hoc seculo iniunctis vel iniungendis, & de pœnis purgatorij illis respondentibus. Probatur primò manifestè ex forma ipsa indulgentiarum. Non enim forma est, Remittimus & relaxamus tot annos pœnæ, sed pœnitentiæ, pœna autem purgatorij non est pœnitentia, quia non vltro assumitur, sed est perpessio pœnæ per vindicem iustitiam inflictæ. Secundò, quia forma antiqua semper habet, de pœnitentijs iniunctis: ergo de istis in hoc seculo intelligitur. Et quando non fit restrictio ad iniunctas, intelligitur de illis, vt illico videbimus, quæ iusta ratione essent iniungendæ.

Ratio conclusionis.

Ratio 2.

Tertiò. Inde etiam planè constat, quòd nemo in purgatorio vnquam fuit viginti, imò forsan nec decem annis, ne paucioribus dicamus, quare inane esset centum annos pœnæ purgatorij remittere, cum in indulgentijs quandoque habeantur mille, & multò plures.

Ratio 3.

Sed rogas. Quomodo ergo verum habet prima conclusio, quòd indulgentiæ valent ad remissionem pœnarum purgatorij? Fateor equidem cum variè de hoc doctores loquantur, nullibi quòd plenè satisfaciat, me legisse. Ad huius ergo explicationem est primò notandum, istas annorum relaxationes & remissiones fieri secundum formam antiquorum canonum, quibus admonebatur, vt pro quocunque peccato mortali, si esset graue, imponerentur septem anni pœnitentiæ, & pro grauissimo etiam decem & plures.

Quomodo Indulg. valeant ad remissionem pœnar. purg. Pœnitentia secundum antiquos can.

Secundò est attentè animaduertendum, quòd per illos septem annos non fiebat remissio in purgatorio septem quoque annorum, imò forsan neque vnius mensis, in quo multos deceptos videas. Nam etsi spontanea pœnitentia huius seculi plus valeat ad remissionem pœnæ, quàm æqualis in purgatorio, intelligitur tamen cæteris paribus. Si enim quispiam hic per vnum diem pati posset pœnam tam grauem, quanta est in purgatorio, profectò remitteretur illi pœna vnius mensis. Sed tamen quòd per septem annos hic quispiam dicat quotidie, Aue Maria, vel ieiunet semel in mense, vel reciter psalmos pœnitentiales, certè non sufficit ad remittendum in purgatorio pœnam vnius mensis: sanè cùm illa extra omnem comparationem sit vehementior & acerbior. Igitur remissio septem annorum pœnitentiæ est remissio pœnæ, quæ in purgatorio responderet pœnitentiæ hic septem annorum assumptæ. Quòd si dicas, Non semper imponebantur omnes illi anni. Respondetur, quòd si pœnitentia imponebatur de iniunctis, sanè non remittebatur nisi pœna purgatorij, quæ respondet iniunctæ, si fieret. Si autem non fieret talis limitatio, intelligeretur de illis etiam, quæ meditata ratione essent iniungendæ, quarum pœnitens secundùm mensuram suorum delictorum reus esset. Et isto modo nec ridiculum est, nec certè vanum indulgentias concedere centum, imò mille annorum. Nam posset homo commisisse centum, imò bis centum peccata mortalia, pro quibus reus esset tot annorum pœnitentiæ. Et quamuis homo tantum viuere nequeat, nec decimam partem illius pœnitentiæ facere in hoc seculo, nihilominus in purgatorio secundum æqualitatem iustitiæ exigenda est illa pœna, quæ illis omnibus annis responderet. Ex his ergo colligitur, quòd remittere mille annos pœnitentiæ, non est remittere in purgatorio decem.

Pœnitentia secundum, antiquos can.

Obiectio.

Quòd si arguas. Quamplurimi sunt, qui non sunt rei pœnæ purgatorij vnius anni. Fateor equidem, sed tunc si fecerint quod pœnitentia iubet, sua merita reportabunt, sed ratio satisfactionis reseruabitur rursus in Ecclesiæ thesauro. Quid ergo de indulgentijs centum aut mille annorum? Dicendum, quòd huiusmodi portenta nunquam Papa concedere cogitauit, sed quia forsan concessit visitantibus tale hospitale decem annos, & visitantibus talem basilicam totidem, & sic pluries, & tandem certam conferentes eleemosynam facit participes illarum gratiarum, illa ratione conficiuntur illa miliaria. Sed tamen nemo esse potest qui tanta satisfactione, nec centesima parte indigeat. Præterquam quòd nullatenus negari potest, quin indulgentiarum quæstores, cum sint homines non nimis ad religionem attendentes, deridenda nonnunquam prædicent, qui ideo essent publica autoritate cohibendi.

Arg.

Indulgentia centum, aut mille annorum.

Quæstores indulg. cohibendi.

Ad argumentum ergo proximè factum respondetur concesso eo quod concludit: videlicet, quòd cùm remittuntur quadraginta dies pœnitentiæ, non æqualiter omnibus remittitur in purgatorio, sed illis plus quibus asperior pœnitentia in illis quadraginta diebus erat iniuncta, vel iniungenda, nam Papa pro causa iusta id potest facere. Præsertim quando indulgentiæ de iniunctis pœnitentijs conceduntur, & illi dies sunt rigore dispari pœnitentiæ iniuncti. Quod autem in indulgentijs prædicari solet, concedi: scilicet tot aut tot quadragenas indulgentiarum, ortum habuit ex numero dierum quadragesimæ, quod est satisfactionis tempus. Et ideo in concilio Lateranensi limitata est episcopalis potestas in commemoratione ædificati templi ad quadraginta dies, sed postea Papa quasi plurium episcoporum autoritate fungens concedit plures quadragenas.

Solu. arg.

Quadragena indulgentiarum origo.

Aliud dubium est, an valeant indulgentiæ solùm de iniunctis pœnitentijs, an verò etiam de non iniunctis. Nonnulli namque arbitrantur non valere nisi de iniunctis. Quam quidem opinionem Caieta. in tract. de indulg. ad Iulium Medicem ca. 7. constanter asseuerat. Concedit, inquam, ingenuè, Papam indulgentias posse facere de non iniunctis, tamen nec vnquam fecit, nec præsumitur facere, nisi de iniunctis. Patet ex cap. Cùm ex eo. de pœni. & remis. vbi episcopis interdicitur indulgentias concedere, nisi de pœnitentijs iniunctis. Et in clem. si dominum. de reliquijs, & venera. sanctor. vbi de solis iniunctis pœnitentijs conceduntur. Item quia Papa semper admonet, indulgentias in forma antiqua concedere. Et tertiò, quia semper quòd Papa facit præsumitur facere secundum ius: ius autem fuit, vt solum pœnitentiæ iniunctæ relaxarentur. Sequitur eandem opinionem Adria. in q. de indulgen. in quam, & Paluda. prius propenderat dist. 20. q. 4.

Indulgentiæ an valeant de iniunctis, an de non iniunctis.

Nihilominus contraria hic adhibetur 3. conclusio. Si in forma ipsa indulgentiarum non fiat restrictio de iniunctis, absolutè intelligitur etiam de non iniunctis. Conclusio est S. Thom. loco citato di. 20. Probatur. Papa potest extra sacramentum illas etiam pœnas peccatorum remittere, quæ non sunt in sacramento impositæ, quod Caietanus ipse concedit: ergo si in indulgentia nulla fiat moderatio, censenda est valere quantum sonat. Sed respondet, Papam semper intelligere in forma iuris. Contra hoc autem arguitur. Propterea quod antiquitus in more fuerit indulgentias non nisi de iniunctis pœnitentijs conferri, non proinde lata est lex, ne de alijs conferantur, quoniam nullibi talis scripta est lex. Sed ait. Semper in concessione indulgentiarum apponitur hæc moderatio, quòd dantur in forma antiqua. At verò responsio hæc non valet: quia non in omnibus indulgentijs illa legitur moderatio. Præterea verbum illud generale non opus est, vt ad omnes antiquos modos accommodetur: nam si Papa vellet indulgentias ad pœnitentias iniunctas coarctare, tam facile illud exprimeret, quàm diceret, in forma antiqua. Secundò, longè diuersa est ratio prisci temporis, & præsentis: nam olim quia pœnitentiæ iniungebantur grauissimæ ad mensuram delictorum si pœnitens illas ferre posset, consentaneum erat, vt indulgentiæ non nisi de iniunctis pœnitentijs concederentur. Hac verò tempestate adeò tenues imponuntur pœnitentiæ, vt nisi relaxationes fierent earum quæ non sunt impositæ, nihil propemodum indulgentiæ afferrent emolumenti. Paluda. ergo hanc ob rem consulit, vt qui susceperus est indulgentias, prius confiteatur, & graues pœnitentias acceptet, vt per indulgentias ei remittatur purgatorij pœna, quantum remitteretur si illas impleret. Sed re vera consilium hoc non videtur tanto autore dignum: apparet enim res ludicra eo solum animo pœnitentiarum sibi molem, hominem imponere, vt per indulgentias ab illa se exoneret.

3. Concl.

Ratio.

Resp. Caiet. impugnatur.

Ratio. 1. cont. Caiet.

2. Ratio.

Paludani consilium.

Refutatur.

Tertiò arguitur, quia non satis constat antiquitus non fuisse pœnitentias impositas de non iniunctis: imò in prælegato cap. cum ex eo. contrarium insinuatur: nam duæ illic fiunt episcopis prohibitiones, vna, ne indulgentias vltra annum in dedicatione templi, vel vltra quadraginta dies in eius commemoratione largiretur: & altera, vt non concederent, nisi de iniunctis: ergo indicium est in vtroque excessisse: quia etiam de non iniunctis illas conferebant: quod quidem non docetur illic nullatenus esse licitum, sed

3. Ratio.

hoc

hoc solùm forsan, quòd concedere de non iniunctis reseruaretur sedi Apostolicæ. Caiet. ergo postea quasi suæ sententiæ moderator in quæstio. de indulgentijs adiecta ad tertiam partem, dixit valere indulgentias de non iniunctis, si id exprimatur in forma. Attamen dicendum potius illam expressionem non esse necessariam, imò si absolutè absque aliqua restrictione ferantur, simpliciter intelliguntur tam de iniunctis, quàm de non iniunctis. Id quod & quarto argumento confirmatur autoritate Bonifacij octaui, in extrauag. citata antiquorum, de pœnitentijs & remissio. qui plenissimam remissionem peccatorum in anno Iubilæi Apostolorum limina visitantibus largitus est. Neque vlla est responsio Caiet. quòd forsan fecit tanquam doctor, non tanquam pontifex: nam isto modo possemus inualidare omnia Pontificum decreta: præsertim cùm Clemens sextus eandem plenissimam remissionem fecerit quingentesimo quoque anno, & Paul. ampliauit ad 25. vbi autem plenissima fit remissio, non opus est expressione alia.

Author.

Ratio 4.

Caiet. responsio.

Iubilæi annus.

Cæremonia verò hæc anni Iubilæi ex veteri lege desumpta est: nam instar quinquaginta dierum à paschate vsque ad pentecosten, iubebat Deus, vt quilibet quinquagesimus annus esset sanctus, vbi diuenditæ possessiones ad suos dominos reuertebantur. Instar ergo illius fiunt nunc remissiones plenissimæ iubilæi. Sed iam nec expectantur anni quinquaginta, neque xxv. neque verò annus integer. Nescio equidem an causarum necessitas id exigat, tamen tanta iubilæorum frequentia nequit non eorum parere vilipendium.

Iubilæorum frequentia.

Præter hæc fortasse quis percontetur quid sibi velint verba illa, Indulgentia plenaria, plenior, & plenissima. Paluda. loco citato, quem Adria. & Summistæ sequuntur, aiunt quòd plenaria indulgentia intelligitur de pœnis peccatorum mortalium remissorum: Plenior verò de ipsis vnà cum culpis venialium: sed plenissima de absolutione ab omni pœna, & venali culpa. Est tamen hoc excogitatum commentum, quòd certè nullo nititur fundamento, neque dignum est doctore theologo. Imò non est maior indulgentia plenissima, quàm plenaria, sed indulgentiarum concionatores exaggerationis gratia illam gradationem inuenerunt positiui, comparatiui, & superlatiui, instar illius iuridicæ sæpe, sæpius, & sæpissimè.

Quænam Indulgentia Plenaria, Plenior, & Plenissima?

Adr. reprobatur.

Authoris sententia.

Primum igitur argumentum solutum est, vbi explicuimus quomodo intelligantur relaxationes tot annorum, vel dierum pœnitentiæ.

Sol. 1. arg.

Ad secundum respondetur, quòd plenissima remissio, vt homo à purgatorio liberetur, non debet crebrò, sed rarò & grauissimis de causis fieri, ne abusus potestatis dispensandi beneficia Dei præiudicare eius iustitiæ videatur. Attamen quando causæ legitimæ id exposcunt, nullum eidem iustitiæ præiudicium fit, quamuis per indulgentias à purgatorio liberemur.

Sol. 2. arg.

Circa materiam tertij argumenti Caietanus disputauit secundam quæstionem in illo opusculo viginti vnius quæstion. vtrùm dare operam acquirendis indulgentijs, sit opus imperfectionis. Sine disputatione tamen respondetur primum, indulgentias suscipere non dicit per se imperfectionem, sed perfectionem religionis: quia est vti remedijs Ecclesiæ ad soluendas pœnas quas homo debet. Sed nihilominus ex genere suo multò perfectius est per se quemque proprijs operibus pro suis delictis satisfacere: quia tunc magis meretur satisfaciendo per se quàm si indulgentias suscipiat, quamuis eas recipere, quia est actus virtutis, non careat suo merito.

Circa sol. 3. arg.

Est tamen lepida quorundam prædicatio, qui inter euulgandas indulgentias dicere assolent, quòd sit tantum meritum indulgentiam suscipere soluendo duos argenteos, ad consequendas indulgentias, quæ peregrinantibus Romam vel Hierosolymam decretæ sunt, ac si homo personaliter iret. Et quòd sit tantum meritum quàm integram ieiunare quadragesimam, & flagellari, &c. Hoc enim certum est nunquam pontificem cogitasse: quoniam indulgentiæ solum dantur per viam satisfactionis: quare Papa potest quidem facere, vt quis per indulgentias liberetur à pœna purgatorij quæ pœnitentiæ respondet: quamuis pœnitentia illa esset ieiunare totum annum, vel ire Hierosolymam. Attamen rationem meriti ipse non potest mutare, sed ex ratione rei pensanda est. Cum ergo ex natura operis longè magis meritorium sit personaliter longam facere peregrinationem ad loca sancta, quàm duobus argenteis recipere indulgentias, quas peregrini in eisdem locis lucrantur, vberiorisque sit meriti longa ieiunia perferre, aut orationes offerre, aut largas facere eleemosynas, quàm suscipere indulgentias, neutiquam autoritate Pontificis mutari potest. Sed meritum sumendi indulgentiam augetur ex causa, & necessitate Ecclesiæ.

Dubium, An dare operam suscipiendis relaxationibus sit perfectionis opus.

Lepida prædicatio.

Nota. Pontifex satisfactionem non meritum mutare potest.

Ad argumentum igitur respondetur, quòd possunt homines per indulgentias eximere se ab omni opere satisfactionis, dummodò alia legis mandata seruent. Si tamen inde occasionem sumant, vt remissius se exerceant in operibus meritorijs, illa malignitas non est in indulgentijs, sed in ipsis.

Sol. arg. 3.

Veruntamen circa hæc tandem hoc maximè adnotandum est, quod absque comparatione pluris æstimandum est minimum augmentum meriti & gratiæ, quàm liberatio à maxima pœna purgatorij. Incomparabiliter, inquam, pretiosius est cum maiori merito & gratia existere in purgatorio viginti annis, quàm cum minori esse illic vna die, imò sine purgatorio in cælum euolare.

Notandum.

At forsan id quis hic quærat, quod mihi nonnunquam in mentem venit, vtrum esset consilium nullam accipere indulgentiam, ea saltem de causa, vt liberetur à pœna purgatorij, sed vel per se hominem satisfacere, vel eligere pœnas purgatorij, ad iustum perferre. Videtur enim hoc ex egregio amore Dei procedere: quia homo tanti facit frui Deo in patria, vt præter illud nihil aliud ab ipso expostulet, sed optet perferre pœnas pro criminibus, quibus eum offendit. Certè mihi quandoque visum est consilium hoc esse. Sed tamen re meditatius pensata, contrarium censere mihi videor. Enimuerò si in pœnis purgatorij solam pœnam sensus contemplaremur, profectò ingentis excellentisque esset pœnitentiæ indicium, velle cruces illas pro Deo perpeti, quas quis metuit. Si tamen consideretur pœna damni, quæ est à diuino conspectu retardari, multò maioris dilectionis signum est velle hominem ab illo carcere breuissimè dissolui, & esse cum Christo.

Dubium. An sit consilium nullam recipere indulgentiam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad valorem indulgentiarum requiratur iusta & pia causa illas conferendi.

AD maiorem explicationem valoris indulgentiarum scire oportet, an causa illas conferendi sit necessaria. Arguitur ergo à parte negatiua. Indulgentiæ, vt dictum est, tantum valent, quantum sonant, alioqui mendacium continerent, & sic autoritas & fides Ecclesiæ infringeretur: si autem causa esset necessaria, non semper tantum valerent: quia posset qui indulgentias confert, in æstimatione causæ falli: ergo illa causa non est necessaria.

Part. neg. 1. Argu.

Secundò in absolutione sacramentali, quia sacerdos habet potestatem sacramento alligatam, non potest, vt libuerit, remissionem facere, aut culpæ, aut pœnæ, sed æstimata & perpensa dispositione, & contritione pœnitentis: potestas autem conferendi indulgentias non est sacramentis ligata, quia exercetur extra sacramentum, sed fundatur in thesauro Ecclesiæ, qui est locupletissimus, & indeficiens: ergo pro libito potest Papa virtute illius indulgentias conferre sine alia causa, vel saltem, licet id faciendo peccet, ad minus indulgentia tenebit.

2. Argu.

Tertiò arguitur. Si causa esset conferendis indulgentijs necessaria, illa deberet esse spiritualis, & non temporalis, alioqui cum indulgentiarum beneficium sit spirituale, simonia committeretur: talis ergo esse videtur dum indulgentiæ pro pecunijs conceduntur.

3. Argum.

In contrarium est, quòd collatio indulgentiarum pertinet ad dispensationem thesauri Ecclesiæ: dispensare autem non est dissipare, sed iusta de causa bona publica distribuere, iuxta illud Paul. 1 Corinth. 10. habentes potestatem in ædificationem, non in destructionem.

Pars affirmatiua.

De hac quæstione duas video opiniones extremas, sed in medio consistit veritas. Vna est opinio Altisiodorensis, qui primus de indulgentijs inter scholasticos tractauit. Is enim quæstione prima de relaxationibus septem adstruxit conditiones ad indulgentiarum valorem necessarias. Prima, est autoritas conferentis. Secunda, necessitas loci, in cuius fabricam indulgentiæ conceduntur. Tertia, necessitas personæ quæ illas

Opi. Alti. septem conditiones requirentis. 1. Authoritas. 2. Necessitas loci. 3. Persona.

Digitized by Google

illas recipit, quia aliter satisfacere non potest, vt iuuare, aut alias iniunctas pœnitentias exoluere. Quarta, deuotio fidei, vt credat per indulgentias fieri posse illas relaxationes. Quinta, vt ille qui recipit, sit in charitate. Sexta, discretio, vt discernat quanta ex parte vellet à satisfactionibus exonerari: nam quod ipse facere valet, non potest per indulgentias ei relaxari. Et septima, iusta æstimatio, vt secundùm quòd ei dimittitur, ipse recompenset. Atqui hæ quidem conditiones, vt Adrian. in quæstione de indulgent. refert, in pretio olim fuerunt apud iurisconsultos super capit. Quod autem. de pœnitent. & remiss. quorum fuit Innocentius, Hostiensis, &c. licet Panormitanus septimam, scilicet de iusta æstimatione, non approbauerit. At verò S. Thom. loco citato distinct. 20. articu. 3. his fermè recitatis conditionibus in alterum abijt extremum, nempe nullam prorsus requiri conditionem præter autoritatem conferentis, & charitatem suscipientis. Ait enim, quòd si iusta æstimatio requireretur, vt tantum suscipiens recompensaret quanta est indulgentia, tunc non esset relaxatio, aut remissio, sed vera commutatio. Item quia quandoque visitanti basilicam conferuntur septem anni indulgentiæ, vbi non est iusta æstimatio: nam pluris æstimatur id quod confertur, quàm visitandi labor, qui, si propinqua sit Ecclesia, peretiguus est. Illa verò conditio fidei in hoc sensu est necessaria, quòd qui autoritatem relaxationis non crederet, esset in peccato hæresis, atque adeo nihil ei proficerent indulgentiæ, sed tamen qui esset verè Christianus, licet aliquo modo dubitaret, an indulgentia tantum valeat, quantum sonat: quia dubitat de causa, an fuerit legitima, si tamen faciat quod indulgentia præcipit, fructum eius percipiet.

Tertia verò, & quinta conditio, quòd requiratur necessitas suscipientis, quia non potest per se satisfacere, & consideratio, vt videat quantam satisfactionem per se facere possit, certè gratis sunt adhibitæ. Nam etsi frequens indulgentiarum vsus ob hanc inter alias causam fuerit introductus, quòd homines non possent satisfacere, lex tamen non respicit casus particulares, sed ea quæ plurimum contingunt. Et ideo quòd quispiam per se satisfacere possit, non obstat quominus indulgentiarum subsidio potiri queat. Idque ex celebri Ecclesiæ vsu confirmatur, quæ illas conditiones non exigit, de quibus latiùs art. proximo.

Conditio autem quæ in dubium reuocatur, est illa secunda, si requiratur necessitas causæ, propter quam dantur indulgentiæ: quoniam neque hanc ibidem D. Thom. videtur admittere. Interdum enim, inquit, Ecclesia maiores indulgentias confert, quàm sit illa causa, propter quam conceduntur, vt modò dicebamus. Et ideo ait, quòd quantitas effectus insequitur quantitatem causæ: causa autem, inquit, remissionis indulgentiarum non est alia, quàm abundantia meritorum Christi, quæ est sufficientissima ad expiandam totam pœnam. Quare causa effectiua remissionis non est deuotio, vel labor, vel pretium recipientis, neque verò illa, pro qua fit indulgentia, vnde non oportet ad aliquam harum proportionare quantitatem indulgentiæ, sed ad merita Ecclesiæ quæ semper abundant. Et ideo quæcunque, inquit, causa adsit, quæ in vtilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei vergat, sufficiens est ad indulgentias. Sed ad applicandum thesaurum requiritur autoritas conferentis, & charitas suscipientis, & causæ pietas, quibus tribus concurrentibus indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur. Sunt verba subobscura, & quæ multis videntur ambigua.

Et ideo ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Præter autoritatem dantis, & charitatem suscipientis, requiritur ex parte conferentis causa pia & iusta conferendi, vt indulgentiæ valeant. Conclusio est, post citatum Altisiodorensem omnium doctorum communis in quartum, distinctione vigesima, vt Alberti, S. Bonauenturæ, & Ricardi, & Caiet. locis citatis, & Adriani. Et re vera rationes quæ se offerunt, patronis non indigent. Nam etsi Christus thesaurum infinitum suum & sanctorum Ecclesiæ ministris commiserit, non tamen vt prodigè illam effunderent, sed tanquam eius administri dispensarent: nam vt ait Paul. primæ Corinth. 4. & 9. Non fecit eos, nisi dispensatores mysteriorum eius. Prodigalitas autem & effusio bonorum hoc solum differt à dispensatione, quòd illa fit sine causa, hæc verò non nisi pro causa legitima. Oeconomus enim qui sine causa bona domini prodigit, dissipator est, & dilapidator: sed ille est dispensator, qui quando, & vbi oportet iudicio illa expendit.

Secundò, quia indulgentiarum collatio, vt suprà diximus, est vera absolutio à peccatis: ergo sicut in sacramento non potest sacerdos pro suo libito quenquam absoluere à culpa, sed eum duntaxat, quem iudicat absolutione dignum, neque verò pœnam temporalem in quamcunque mutare, sed æstimata qualitate personæ, & circunstantiarum: ita neque extra sacramentum potest pœnas, quæ relinquuntur, pro vt ei libuerit, relaxare, sed pro causa pia, quæ in bonum Ecclesiæ referatur.

Tertiò. Indulgentiarum autores debent illud munus exercere exemplo Dei, cuius sunt ministri: Deus autem dum culpas remittit, non gratis omnes pœnas condonat: nam sic est summè misericors, vt sit etiam summè iustus: & ideo reliquit pœnitentem satisfactionibus temporalibus obnoxium, quas non sine causa remittit: ergo neque eius ministri absque vlla causa eas possunt relaxare. Profectò ratio est vrgentissima: sic enim debent ministri satisfactiones Christi & sanctorum alijs impertiri, vt eius iustitiæ nulla irrogetur iniuria: irrogaretur autem, si absque vlla prorsus causa virtute eiusdem thesauri homines absoluerent à peccatorum pœnis. Hac enim ratione facilè purgatorium vacuum relinquerent. Et hoc ipsum significat Apostolus 2. Cor. 2. Ego si quid donaui, propter vos in persona Christi; hoc est, propter vtilitatem Ecclesiæ vestræ tanquam Christi minister.

At verò vulgò sola charitas apparere solet legitima causa: nempe, vt Papa eiusmodi indulgentias propter charitatem, qua prosequitur tam viuos, quàm defunctos, conferat: nam illa est Ecclesiæ vtilitas, vt homines à pœnarum reatu absoluti, liberentur à purgatorio. Est tamen satis vulgaris ratio: nam si illa sufficeret causa, porro Deus sine Papæ adminiculo id faceret: nam maiori charitate amicos suos quàm Papa prosequitur. Si ergo illa charitas Deum non mouet quominus leges iustitiæ suæ custodiat, re vera eius ministri adstringuntur eiusmodi charitatem ratione & iudicio non nisi pro causa Deo grata exercere. Nam vtilitas illa liberandi à purgatorio non est causa, sed effectus, & finis ipsius indulgentiæ. Et ideo antequam indulgentiæ conferantur, requiritur aliqua motrix causa, quæ vergat in bonum commune Ecclesiæ.

Quartò arguitur. Maior causa requiritur ad dispensandum thesaurum Ecclesiæ, qui est commune bonum, absoluendumque hominem a iustitiæ vinculo, quo iudicio Dei constringitur soluere peccatorum pœnas, quàm ad dispensandum in votis, quæ ex voluntate vouentis ortum habent: sed super his non potest Papa sine causa dispensare: ergo nec indulgentias conferre. Ad hæc & vsus ipse Ecclesiæ, & indulgentiarum forma eandem nos docent veritatem, quoniam nunquàm indulgentiæ, nisi vel aduersus infideles, vel in fabricam alicuius hospitalis, aut in aliud hoc genus opus, conceduntur: & in forma semper adijcitur: In quantum facultas nobis concessa se extendit.

Dubium autem est, vtrum quæcunque causa ad quantascunque & qualescunque indulgentias conferendas sufficiat. Sunt enim nonnulli ex discipulis S. Thomæ, qui arbitrantur hanc fuisse eius opinionem, vt causa aliqua requiratur, nihilominus quæcunque etiam minima quibuscunque indulgentijs sufficiat. Sed re vera nulla hoc ratio permittit: quoniam causa respectum habere debet ad effectum: ergo si causa ad quascunque indulgentias requiritur, eadem ratione requiritur & proportio ad effectum, vt minoribus indulgentijs minor sufficiat, & maioribus maior sit necessaria: nam si minoribus minor est iusta, totus excessus maiorum carebit causa. Atque adeo idem erit minores sine vlla causa concedere, quod maiores sine illa quæ proportionem habeat. Porrò namque magis prodigus esset qui magna bona absque causa proportionabili dispenderet, quàm qui parua sine vlla causa. Et confirmatur hæc veritas ex c. Cùm ex eo. concilij Lateranens. quo inhibentur Episcopi maiores conferre indulgentias vnius anni in dedicatione templi, & quadraginta dierum in commemoratione eius, vbi secundum proportionem causæ permittuntur indulgentiæ. Et certè sic habet Ecclesiæ legitimus vsus, vt grauitatis causæ semper rationem habeat.

Atqui quemadmodum ex parte conferentis requiritur

4. Deuotio fidei. *5. Charitas.* *6. Discretio.* *7. Iusta æstimatio.* *Opin. S. Th.* *Septima conditio reijcitur à S. Th.* *Fidei necessitas.* *Tertia & quinta conditio non admittitur.* *Circa secundam conditionem quæ est necessitas causæ.* *1. Conc.* *Ratio 1.* *Simile.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio vulgaris, quod charitas sufficiat.* *Impugnatur.* *Ratio 4.* *Alia ratio.* *Dubium.* *Quanta sit causa necessaria.* *Opinio quorundam Thomistarum, impugnatur 1.* *2.*

Digitized by Google

ritur causa pia, ita ex parte recipientis requiritur, vt aliquid faciat in subsidium illius causæ, quod aliquam proportionem habeat ad illius indulgentiæ quantitatem. Probatur. Nam illa causa pia requiritur, vt ait S. Thom. ad applicandum illum thesaurum huic vel illi, illa verò applicatio non fit nisi in præmium alicuius obsequij, quod iste facit: nempe, aut visitare aliquam insignem Ecclesiam, quod est in honorem Dei, vel orare, vel ieiunare pro prosperitate Ecclesiæ, vel aliquod erogare subsidium: ergo si ille vel nihil, quod sit alicuius emolumenti, facier in proportione ad illam indulgentiam, certè non valebit ei quantum sonat. Nam etsi necessariè essent preces pro Ecclesiæ fide, aut incolumitate, nihilominus concedere indulgentiam plenariam cuicunque recitanti, Aue Maria, vel Pater noster, profectò nullam haberet proportionem, imò quasi pro nihilo fieret illa amplissima remissio.

Non æqualitas sed proportio causæ requiritur.

Est hic tamen animaduertendum, quod non dicimus requiri æqualitatem causæ ad indulgentiam, sed proportionem: vt si paruæ indulgentiæ pro parua causa dantur, maiores non dentur, nisi pro maiori: non tamen, quòd sit æqualitas causæ ad effectum. Et hæc fuit opinio S. Thomæ aduersus Altisiodorensem. Quocirca non est cur S. Thom. imponatur sensisse non requiri causam ad conferendas indulgentias, aut sine tali causa validas esse, cùm toties concludat tantum valere indulgentiam, quantum prædicatur, si modò adsit causæ pietas. Sed solùm voluit contra Altisiodorensem dicere, quòd non requiritur æqualis æstimatio. Et hoc solum est quòd eius ratio concludit: videlicet, quòd Ecclesia sæpe confert maiores indulgentias, quàm sint illæ causæ, quia non ex ipsis, sed ex thesauris Ecclesiæ sortiuntur valorem. Aliud enim est, vt bene ait Adria. quòd causa sit sufficiens: & aliud, quòd sit æquiualens. Nam si semper requireretur causa æquiualens, non esset absolutio, sed vera commutatio: quare nihil faceret autoritas conferentis. Sat ergo est quòd sit sufficiens.

Indulgentiarum collatio in vtilitatem Ecclesiæ.

At verò contemplandum est verbum S. Thom. quod est omnium doctorum: videlicet, quòd indulgentiæ debent conferri in vtilitatem Ecclesiæ, quod intelligitur, in bonum commune eius. Nam cum thesaurus sit bonum commune, non nisi pro alio bono communi dispensari valet. Et ita habent omnes indulgentiæ, quæ publicitus conferuntur: quia nunquam, vt paululò ante dicebamus, prædicantur, nisi ingruente aliqua communi Ecclesiæ necessitate. Dare tamen indulgentias nulla tali imminente causa communi, sed ob causam particularem: nempe intuitu & precibus cuiuspiam personæ nobilis, vel propter aliquam suam particularem affectionẽ ad aliquod sacellũ, vel altare, vel certè ad exaltãdam suam autoritatẽ (vt cum omni obedientia, quæ Ecclesiæ debetur, loquar) nec res antiqua est, nec synceritatem causæ, quæ in indulgentijs obseruanda est, præ se ferre videtur. Quare neque solidam habent valoris certitudinem: quia non tam in vtilitatem Ecclesiæ conferuntur, quàm ex mera supplicatione petentium.

Quid de Indulg. datis intuitu Personæ nobilis.

Contra id ergo, quod modò dicebamus ex parte suscipientis requiri proportionabilem causam, est argu. Solent indulgentiæ pares conferri inæqualia facientibus: ergo non requiritur illa proportio. Consueuit, inquam, visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli, aut Iacobi, conferri indulgentia plenaria: & tamen qui propè sunt in vrbe minus laboris patiuntur, quàm qui ex Germania illuc peregrinantur.

Obiectio cont. §. Est hic tamen.

Item indulgentiæ bullæ cruciatę æquales conferuntur duos argenteos erogantibus: & tamen diuissimus, & magnatum quisque multò minus confert quàm pauper plebeius. Respondetur, quòd si indulgentiæ conferrentur priuatim huic, vel illi, ratio postularet, vt æqualitatis laboris aut pretij haberetur respectus. Sed quando dantur per modum legis ratione visitandi loci, tunc quia lex debet esse æqualis, nulla habetur ratio laboris, aut itineris longitudinis: & ideo propinquiores, & remotiores eandẽ assequuntur indulgentiam. Quando verò pretium est soluendum, profectò in forma antiqua non æqualis eleemosyna ab omnibus postulabatur, sed vt locupletiores ampliorem contribuerent. Iam verò proportio hæc cessauit, & ab omnibus æquale exigitur, vt sicut de vno visitando loco lex est vna, ita de vno soluendo nummo. Attamen tantum posset diminui pretium, vt nulla esset temeritas dicere in tali casu non valere indulgentias quantum sonant.

Diluitur.

Ex his ergo appendet alia quæstio, vtrum quæcunque causa indulgentiarum à Pontifice constituatur, sit habenda tanquam certa & indubitata. A parte enim affirmatiua facit quod in textu dicebamus: nempe quòd si prædicationi, quæ autoritate Ecclesiæ fit, subesse posset falsum, periret fides, quæ Ecclesiæ debetur. Respondetur nihilominus tertia conclusione, quę est Caietani in quæstionibus indulgẽtiarum ad tertiam partem S. Th. appositis, & Adriani, imò quæ ex omnibus doctoribus colligitur dicentibus causam requiri legitimam. In causis indulgentiarum discernendis potest error accidere, neque ob id Ecclesiæ fides infringitur. Fides enim, quæ de indulgentijs Ecclesiæ debetur, est in genere, vt articulo præcedenti constitutum est: nempe quòd in ea residet autoritas earum conferendarum, & quod si legitima causa eas contulerit, valent quantum sonant, vt D. Thomas & omnes doctores aiunt. At verò quod hæc aut illa indulgentia ob legitimam causam fuerit concessa, non est Catholica fides: quemadmodum licet sit de fide, quod sub speciebus consecratis sit corpus Christi, tamen quod hæc vel illa hostia sit consecrata, non est de fide. Quare sicut Papa audiens confessionem pœnitentis potest ab illo decipi, vt vel eum absoluat, qui absolutione non est dignus, vel minorem pœnitentiam iniungat, quàm ei deberet imponi: ita & in collatione indulgentiarum potest decipi in relationibus quæ ei fiunt, & in causis quæ à petentibus allegantur. Imo & potest affectu nimium pio moueri, vt in gratiam petentium eis morem gerat. Idem euenire potest in dispensationibus votorum & legum Ecclesiasticarum, vt enim certa fide tenetur, quod possit legitima de causa dispensare, tamen quod hæc aut illa dispensatio sit legitima, non est de fide. Præsertim quod in collatione indulgentiarum propterea Papa & antistites faciliores se exhibent, quod arbitrantur minus periculi subesse, etiam si absque legitima causa conferantur: quia si sunt validæ, spiritualis fructus obuenit suscipientibus: sin minus, merito saltem suorum laborum & eleemosynarum non fraudantur.

An indulg. causæ sint habendæ indubitatæ & certæ.

Quomodo incerta fides debetur.

Notanda distinctio.

Sunt tamen hæc, hoc distinctionum moderamine temperanda. Aliud enim est quantum ad præsumptionem loqui, & aliud quantum ad veritatem. Rursus aliud vbi res manifestum præ se fert errorem, atque aliud vbi error ipse est manifestus. Enimuerò vbi error non est manifestus, licet in veritate possit causa non esse legitima, debetur tamen hic honor autoritati pontificis, vt sit præsumenda legitima, atque adeo non est decens contra huiusmodi indulgentias obmurmurare. Secus tamen, si talis error esset manifestus: tunc enim potius est religionis officium veritatem docere.

Indulgentiæ semper præsumẽdæ sunt legitimæ nisi error sit manifestus.

Nostris enim temporibus vsque adeo piorum clementia erga animas, quę in purgatorio cruciantur, succreuit, vt importunis supplicationibus à summo Pontifice concessio fuerit extorta, vt qui tangendo quendam benedictum calculum, Aue Maria, vel Pater noster, recitaret, animam inde, quantocunque tempore cruciari deberet, eriperet, vt protinus libera euolaret. Hanc ego non dicam piam fraudem, quia hæreticorum verbum est, sed tamen citra religionis iniuriam posset hoc populo dissuaderi. Primum, quia hic nulla interest causa pia in communem vtilitatem Ecclesiæ: nam pius affectus in defunctos non reputatur causa, vt diximus, illa enim ratione Deus per se animas omnes indeliberaret.

Calculus benedictus.

Ratio 1.

Secundò, quia neque ex parte facientis quod indulgentia iubet, aliquid præstatur, quod ad tam ingentem effectum vllius sit momenti. Quid enim refert dicere, Pater noster, vt anima à tam immodicis tormentis eruatur? Profectò diræ crudelitatis argueretur Deus, si animam tribus annis tam atrociter contorqueret, cuius tamen liberatio ex vno Pater noster penderet, & calculi tactu. Præsertim quod Papa non potest defunctis indulgentias conferre per modum absolutionis, vt viuis, sed per modum suffragij. Et ideo mirabile est quod per vnum, Pater noster, thesaurorum Ecclesiæ tam insignis effectus applicetur. Præterquam quod illa oratio plurimũ ab ijs qui sunt in peccato mortali, fit quæ ideò apud Deum nullius valoris est. Concessit Papa quantum concedere potuit, sed non est credendum credidit se suam concessionem tanti esse quanti supplicatores valere putabant.

Ratio 2.

Nota.

Ratio 3.

Atqui si sub hac populari opinione nihil aliud nocumenti lateret, quàm quod fortè populum fallit, nul-

Nota incommoda.

Digitized by Google

lum esset periculũ illam relinquere propter imaginem religionis, quam habet. Sed tamen illi, qui illam crederent, metus purgatorij radicitus euelleretur. Id enim quod præter infernum homines à peccato arcet, est purgatorium, & tamen si tam facilè euaderetur, nullum posset ingenerare metum. Vnde Adrian. ipse, qui Papa fuit, non fuit veritus dicere in citata quæst. de clauibus, quòd cum prælatus pro exilij causa puta omnibus contribuẽtibus vnum stuferũ dat plenam omnium peccatorum remissionem, dissipatio est, & non dispensatio indulgentiarum, & tenet solum pro ea parte, in qua rationabilis fuerit.

Adrian.

Obiectio.

Contra hæc tandem, vt rem absoluamus, arguitur. Esto sit ad conferendas indulgentias causa legitima necessaria, inde tamen solùm consequitur, quòd si Papa absque illa indulgentias contulerit, peccabit, quia indignè munere suo fungitur: non tamen inde infertur quòd indulgentiæ non sint validæ. Nam etsi absque causa dispenset in matrimonio inter affines contrahendo, vel beneficium indigno conferat, licet peccatum committat, factum tamen tenet. S. Thom. loco citato quæstiunc. 2. in solutione ad primum ait, quòd si quis ordinatè per indulgentias pœnas remittat, ita quòd homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ reuocentur, conferens quidem peccat, nihilominus suscipiens plenam indulgentiam consequitur. Vbi docere videtur, quòd indulgentiæ sine causa collatæ valeant. Quidam tamen Thomistæ, vt diximus in verbo, quasi pro nihilo intelligunt, quòd dummodo vlla sit causa, licet minima, quantiscunque indulgentijs sufficit.

S. Thom.

4. Concl. perpendenda.

Attamen communis doctorum sententia est in contrarium: & ideo adhibetur. 4. conclusio, quod sine proportionabili causa non valent quantum sonant. Est tamen distinguendum: nam in bullis cruciatæ non solum indulgentiæ, quæ hoc nomine propriè appellantur, verùm & alia priuilegia conceduntur, vt ouorum esus, & lacticiniorum diebus aliàs prohibitis, & confessionalia, vt quisque possit confessorem eligere, à quo plenè absoluatur. Et hæc quamuis absque vlla causa concederentur, etiam si Papa peccaret, nihilominus sunt validæ, quia sunt dispensationes iuris positiui. Sed conclusio statuitur de indulgentijs, hoc est, de remissionibus pœnarum, quæ sunt vel satisfactiones, vel in purgatorio soluendæ. Vnde Caiet. in q. citata adiecta ad tertiam partem, distinguit de bonis quæ Papæ dispensationi subduntur. Nam licet in omni dispensatione requiratur causa, in aliquibus tamen, licet defectu causæ peccatum committatur, nihilominus factum tenet. In alijs verò irrita est dispensatio & nulla. Et quanquam plura ipse verba immisceat, tamen quando dispensatio fit in iure humano, res est clara, vt si dispenset Papa in contrahendo matrimonio in tertio vel quarto gradu, vel in ieiunio Ecclesiastico: dispensatio etiam sine causa tenet: quia hæc sunt iure humano prohibita. Sed quando res est de iure diuino, maius est dubium. Et vt alia relinquamus, quæ non sunt ad propositum, vt si dispensaret, quòd Pater contraheret cum filia, de quo in materia matrimonij dicemus, subdit Caiet. aliud exemplum, quòd etiam si beneficium cõferat indigno, quamuis ius diuinum sit vt conferat digno, licet Papa peccet, nihilominus collatio tenet. Videtur ergo idem de indulgentijs censendum. Sed est tamen discrimen, quòd aliud est commissam esse alicui dispensationem sub præcepto, vt sic faciat, & aliud sub restrictione, vt aliter factum non teneat. Præcipitur n. iure diuino prælato, vt beneficium non nisi digno conferat, quia hoc ius etiam naturæ iubet, non tamen sic restrictè, vt collatio aliter facta non teneat. Et ratio est, quia beneficium non est bonum commune, sed particulare stipendium huius Ecclesiæ pro hoc seruitio: & ideo postquam hic instituitur, factum tenet. Alioqui omnes ecclesiasticæ hierarchiæ & iurisdictiones essent in ambiguo: quare omnes essent dubij, an verè absoluantur à suis quos putãt prælatis. Quemadmodum licet ius diuinum & naturale sit, vt patri & extraneo in extrema aut graui necessitate existentibus potius patri, quàm alieno succurratur, nihilominus si peruerso ordine subuentio fiat extraneo, donatio tenet. At verò in dispensationibus votorum secus res habet, nam postquam ille qui vouit iam est iure diuino obligatus Deo, sic dispensatio vororum simplicium est commissa Papæ, vt nisi legitima causa fiat, dispensatio non tenet, vt ex. c. 1. de voto. & vo.

Sine causa dispensatio in iure humano tenet, non in iure diuino.

Obiectio ex Caiet.

Resp.

redem. colligitur: quia Deus quod sibi debetur sine causa non remittit, quamuis vbi manifestus error non interuenit, præsumatur causa legitima. Pari ergo modo in indulgentijs, si considerentur quatenus sunt absolutiones & remissiones pœnarum, quarum homo est Deo debitor, si sine causa fiant, Deus non approbat: sicuti neque absolutionem sacramentalem, quæ claue errante fieret, haberet ratam. Quod si considerentur quatenus dispensationes & distributiones communis thesauri Ecclesiæ, idem sequitur: quoniam si œconomus sine causa bona Domini dilapidaret ea prodigendo, donatio non teneret. Adde, quòd neque Christus, neque sancti, qui bona sua in illum thesaurum contulerunt, talem habuerunt intentionem, vt sine causa dispergerentur sua bona. Et eadem ratione, nec dispensatio in votis, vel iuramentis per priuilegia indulgentiarum fieri potest, nisi causa sit vel præsumatur legitima. Et confirmatur hæc veritas: quia si Papa bona Ecclesiæ temporalia dilapidaret, illa absque causa profundendo, adeo donatio esset iniqua, vt non teneret: ergo neque tenet distributio thesauri spiritualis qui sine causa fit. Sunt qui contendant consequentiam infirmare, eo quod per alienationem bonorum temporalium Ecclesia minus habet quàm antea, sed per largitionem spiritualium non habet minus. Et tamen Caiet. bene istos redarguit, propterea quod hoc discrimen est accidentarium: quare non est habendus oculus, nisi ad naturam ipsam distributionis, quæ si sit sine causa, iniquior est in spiritualibus, quàm in temporalibus. Et tandem confirmatur postremò. Si n. indulgentiæ nulla de causa concessæ essent validæ, sequeretur quod quamuis ob iniquam causam concederentur, videlicet ob spectaculum ludorum qui fiunt in theatro, licet Papa peccaret, nihilominus tenerent: sicuti si pontifex bona sua propria, quæ in suo sunt arbitrio, illam ob causam donaret: quod nemo concedere auderet. Sed vt D. Th. respondeamus, negari non potest, quin ambiguè fuerit locutus: nam prius dixit indulgentiam valere quantum sonat si sit auctoritas inferente, & charitas in suscipiente, & pietas in causa: vbi cùm causam æquiparauerit autoritati conferentis, & charitati suscipientis, & sine his duabus indulgentia non valeat, sentire visus est quod neq; sine causa legitima valeat. Postea verò dixit alia citata verba, forsan magis vulgarem opinionem secutus, vt quandoque solebat in quarto, quàm propriam decernens, vt faciebat in summa. Nam profecto si de casu proximè recitato fuisset interrogatus, videlicet, an pro vno Pater noster, redimeretur anima à purgatorio, nunquam id affirmasset. Quamuis glo. Adriani non est mala: scilicet quod cùm dixerit, indulgentias indiscretè concessas esse validas, non intellexit indiscretas, id est, sine proportionabili causa collatas, cùm inferiùs in solutione quinti dicat, quod collatio indulgentiarum non valeat sine causa legitima: sed indiscretè, id est, nimium frequenter. Nam etiam si causæ occurrãt, non debent esse frequentes, vt religio satisfaciendi pereat. Quod pro nostra hisce tẽporibus adnotandum est.

Diſpenſatio in voto ſine cauſa non tenet.

Necindulgentia ſine cauſa conceſſa tenet.

Probatur.

1.

2.

3.

4.

Mens S. Thomæ aperitur.

Glo. Adri.

Sed arguat quis forsan sequeretur ex ijs quæ dicta sunt, quod si indulgentia ex aliqua causa conferatur, non tamen proportionabili secundum quantitatem indulgentiæ, nihil prorsus illa valeret: nam quod sine causa legitima fit, irritum est & cassum. Negatur consequentia: nam esto causa non sit legitima, vt indulgentia tantum valeat quantum sonat, nihilominus nulla est ratio, cur non valeat secundum proportionem causæ. Vt si causa sit legitima, vt conferantur quadraginta dies indulgentiæ, vt permittitur in Cap. Cùm ex eo. in commemoratione dedicationis templi, & conferatur annus, saltem indulgentia valebit pro ratione quadraginta dierum.

Obiectio.

Solutio.

Ad primum igitur arg. respondetur, quod indulgentias tantum valere, quantum sonant, semper intelligi debet sub conditione, si causa adsit legitima. Est enim sensus, quod in Ecclesia est autoritas conferendi quascunque indulgentias habentes effectum quem promittunt. Quod autem deceptio in æstimatione causæ contingat, hoc non prouenit ex autoritate Ecclesiæ, sed ex causis particularibus: & ideo propter hoc non infringitur autoritas Ecclesiæ in communi. Secùs si Ecclesia determinaret autoritate publica tanquam de fide hanc esse causam legitimam, hoc autem nunquam faciet, nisi verè sit legitima. Exemplum est in absolutione sacramenteali: haud enim in genere negare

Solut. 1. Argum.

Explicatio illius vulgatæ ſententiæ indul. tantum valet, quantum ſonat. Exemplum.

fas est,

Digitized by Google

Indulgentiarum frequetia.

tas est, quin absolutio sacerdotis tantum valeat, quantum sonat, & tamen subintelligitur, si clauis non errauerit. Veruntamen, vt cum omni reuerentia loquamur, negari non potest, quin indulgentiarum nimia frequẽtia, maximè in tanta copia, vt passim concedatur indulgentia plenaria, & redemptio animarum à purgatorio, nisi causæ sint manifestæ, non potest non decorem huius autoritatis aliqua ex parte obfuscare.

Solut. 2.

Ad secundum respondetur, quod etsi potestas conferendi indulgentias non sit alligata sacramento, quia fit sine illo, nihilominus non est vsque adeo libera, quin sit legitimæ causæ subdita, quæ, vt dictum est, in bonum commune referatur.

Solut. 3. Causa pia esse debet aut reipub. Christiana bonum.

Ad tertium respondetur, quod causa propter quam indulgentiæ conceduntur, debet esse spiritualis & pia, vt religio, quæ templorum fabrica aut visitatione augetur: & pax Ecclesiæ, quæ Turcarum propulsatione protegitur. Aut licet appareat temporalis, vt structio potis, aut viarum apertio, satis est illud esse bonum reipublicæ, in qua religio colitur. Pecunia autem quæ à suscipientibus erogatur, non habet rationem pretij, quasi sit indulgentiarum contemptio, sed est subsidiaria elee mosyna illi operi seruiens: sicut neque eleemosyna quæ sacerdoti offertur, pretium est missæ, sed sacerdotis alimonium. Hæc autem eatenus vera sunt, vt tamen formæ promulgandi indulgentias modus sit adhibendus, ne ansam hæreticis offeramus illas blasphemandi: ne s. figuram potius cõpulsionis habeat, quam prædicationis: eleemosyna enim vltro oblata est quæ Deo placet: nam hilarem datorem diligit Deus.

2. Cor. 9.

ARTICVLVS III.

Vtrùm indulgentiæ illis etiam valeant, qui sunt in peccato mortali.

Pars affirmatiua. 1. Argu.

ALIA deinde consideratio sequitur de ijs quibus indulgentiæ prosunt. Et arguitur, quod illis etiam prosint qui sunt in peccato mortali. Nam ille qui est in gratia, potest existenti in peccato mortali gratiam de congruo mereri: videlicet, merendo illi bonum motum in Deum, vt Stephanus Paulo: sed indulgentiæ sortiuntur effectum ex meritis Christi & sanctorum: ergo etiam si existentibus in peccato mortali applicentur, proderunt.

2. Argu.

Secundò. Ei qui magis indiget, maior est misericordia exhibenda: qui autem est in peccato mortali, in maiori est indigentia: ergo ei sunt potius indulgentiæ impendendæ.

Pars neg.

In contrarium est, quod membrum mortuum nullum suscipit viuentis corporis influxum: qui autem in peccato mortali existit, membrum mortuum est: nullum ergo influxum meritorum Christi & sanctorum, qui per indulgentias communicatur, suscipit.

Sensus art.

Quæstio hæc licet de existentibus in peccato solum interroget, tamen habet duo membra: scilicet, vtrum ad suscipiendas indulgentias requiratur gratia, & vtrùm præter ipsam requiratur aliquid aliud. Et ideò ad quæstionem respondetur per tres conclusiones. Hanc tamen distinctionem priùs oportet notare, quod indulgentiarum formæ possunt bifariam exprimi. Quandoque n. indulgentia non habet ampliùs, quàm quòd qui hanc susceperit bullam, eo ipso talem aut talem indulgentiam consequatur, nempe virtute eleemosynæ, quam tribuit dum bullam suscipit. Solet etiam sic exprimi forma, vt qui talem susceperit bullam visitando postea talia altaria, vel dicendo tales orationes, vel conferendo talem eleemosynam, tales aut tales consequatur indulgentias. Distinctio est Caietani in illa quæstio. de suscipientibus indulgentias, post tertiam partem. Et in priori casu ait, idem esse tempus operis, nempe suscipiendi indulgentiam, & tempus percipiendi fructum earum. Et in posteriori vnum esse tempus suscipiendi, & aliud esse tempus percipiendi fructum.

Distinct. prænotanda, de forma indulg.

Caietan.

1. Concl.

Sit ergo prima conclusio. Existentibus in peccato mortali nihil indulgentiæ prosunt, hoc est, si tempore percipiendi fructum existat homo in peccato mortali. Conclusio. est. S. Thomæ atque omnium doctorum, præter Mayronem. Probatur conclusio ex his, quæ distinct. 19. de satisfactione dicebamus. Enimuerò inter nos & Deum nulla est prorsus ratio iustitiæ, nisi quæ eius gratiæ subnititur: & ideo vt non potest quispiam in peccato aliquid gratum Deo reddere, ita neque acceptum Deo esse, quod pro illo offertur. Vnde illic concludimus, quòd dum vnus satisfacit pro alio, necessarium est ambos esse in gratia. Cum ergo indulgentiarum fructus sit, sicut fructus satisfactionis Christi & sanctorum, sit vt existenti in peccato mortali applicari nequeat.

Ratio conclusio.

Ratio. 2.

Secundò, quia applicatio thesauri fieri nequit contra eorum propositum, qui eius fuerunt autores: Christus verò & sancti non habuerunt intentionem offerendi quantum ad efficaciam sua opera satisfactoria, nisi pro membris viuis corporis Christi: scilicet pro illis, quibus per Dei gratiam remissa esset culpa: non ergo alijs applicari potest.

Ratio. 3.

Tertiò, quia applicatio thesauri fit non solum per autoritatem conferentis, sed etiam per opus suscipientis disponentis se in genere subiectiuè: cum ergo opus peccatoris non sit Deo gratum, fit vt neque sit ei grata eiusmodi applicatio. Confirmatur tandem conclusio ex forma antiqua Ecclesiæ, qua non conferuntur indulgentiæ, nisi verè contritis & confessis, & licet in forma noua dicatur, vel habentibus propositum confitendi sua peccata, in illo proposito intelligitur, quòd sint per contritionem in gratia.

1. Obiectio.

Contra hanc autem veritatem duplex est argum. Primum. Potest ille qui est in gratia mereri illi, qui est in peccato mortali de congruo: ergo potest satisfacere pro illo, atque adeo merita sanctorum possunt illis applicari. Propter hoc argumentum quidam, vt refert S. Tho. dixerunt indulgentias valere existentibus in peccato mortali, non quidem in ratione satisfactionis: quia pœna ei non dimittitur qui est in culpa, sed tamen in ratione meriti de congruo. Attamen opinio hæc nullius est veritatis: quoniam licet existens in gratia, vt Stephanus, potuerit mereri Paulo gratiam de congruo merendo illi bonum motum in Deum, hoc fuit, quia Stephanus retulit suam orationem in ratione meriti ad Paulum. Sed tamen opera Christi & sanctorum per indulgentias non applicantur in ratione meriti, sed solùm in ratione satisfactionis.

2. Obiectio.

Secundum argu. extrui posset ex opinione Scoti, qui vt d. 19. retulimus, tenet quod existens in peccato potest satisfacere pro pœna peccati alias remissi. Inde. n. Mayrones d. 19. q. 2. infert, quod eadem ratione indulgentiæ possunt existentibus in mortali valere: nam si peccator potest pro se satisfacere, à fortiori potest & satisfactione sanctorum gaudere. Ad hoc autem, præterquam quod opinio illa Scoti, vt illic ostendimus, veritate caret, eo quòd apud Deum neque in solutionem pœnæ nullum opus quidpiam valeat, nisi ex eius gratia oriatur, respondetur quod etiam si gratis illa opinio admittatur, non sequitur vt possit thesaurus Christi peccatori applicari: quia autores eius thesauri, vt diximus, non habuerunt intentionem applicandi, nisi eis qui in gratia eiusdem Christi existerent.

Solutio.

Ad maiorem autem declarationem conclusionis dubitatur, vtrùm non solùm requiratur gratia, dum opus illud fit quod in diplomate præcipitur, ad consequendam indulgentiam, verùm etiam dum suscipitur ipsum diploma. Exempli gratia. Si indulgentia absque vllo diplomate, quod singulis personis conferatur, sic prædicetur. Quibuscunque, qui in festo omnium sanctorum proximo visitauerint talem Ecclesiam, aut erogauerint talem eleemosynam, confertur indulgentia plenaria vel vnius anni, vel quadraginta dierum, &c. res est clara, quòd nemo eam consequitur, nisi qui in gratia illud opus fecerit. Sed tamen, vt antiquitatem cruciatæ in memoriam reuocemus, mos erat antiquitus, vt qui susciperet crucem semel in vita quando vellet, & postea in articulo mortis, plenissimam indulgentiam omnium peccatorum consequeretur. Et quod tunc erat suscipere crucem, nunc est suscipere diploma cruciatæ, pro quo soluuntur duo vel quatuor argentei. Vtrùm ergo sit necessarium ad consequendas indulgentias, quæ continentur in bulla, vt qui eam suscipit, tunc dum suscipit sit in gratia. Caietanus enim loco citato ait hoc esse requisitum: quia debet, inquit, illud esse opus viuentis in gratia. Et ait formam illam, Contritis, &c. referri ad illud tempus. Quapropter qui tunc non est in gratia, licet eligeret postmodum confessarium, non posset eum absoluere plenariè ab omnibus culpis & pœnis.

Dubium an requiratur quod homo sit in gratia dũ bullam suscipit. Excepta.

Cruciata antiquitas.

Caietan. opin.

Vt autem inter dubia & certa discernamus, in huiusmodi bullis continentur, quæ propriam habent in-

Nota. distinctionem inter illa quæ propriam habent indulgentiarum rationem & mera priuilegia.

Opi. Caiet. probabilitas.

Contraria opin. probabilior. sc. Non requiri quod homo sit in gratia dum bullam suscipit.

Ratio. 1. à simili.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Additio de iubilæo.

Circa 2. membrum. An ad fructum indulg. satis sit hominem esse in gratia?

Opin. Caiet. & ratio.

2. Concl.

1. Ratio.

2. Ratio.

fulgentiarum tationem, qualia sunt quæ ad remissionem pœnarum attinẽt, quæ in purgatorio debentur, & alia, quæ non sunt indulgentiæ, sed mera priuilegia, vt quòd in diebus vetitis possit homo vesci ouis & lacticinijs, & quòd possit eligere confessarium, qui eum absoluat ab omnibus peccatis, etiam reseruatis, quoad culpam. Et de ijs non est dubium, quin quicunque susceperit diploma, quamuis in peccato mortali illud susceperit, potest illis gratijs gaudere: quia hæc sunt mera priuilegia, quæ quibuscunque concedi possunt. Sed tamen quantum ad indulgentias, profectò res est dubia, & fortasse opinio Caietani vera est, quòd si bulla suscipitur in peccato, licet postea festis in bulla contentis quis faciat orationes ad obtinendas eiusdem bullæ indulgentias, nihil prodest. Et si hoc est verum, certè licet confessarius, quem elegerit, possit eum absoluere à culpis, etiam reseruatis: nihilominus absolutio plenaria à pœnis per modum indulgentiarum cassa esset & vana. At verò forsan & contraria opinio non caret probabilitate: nam bulla vim forsitan habet cuiusdam priuilegij, etiam quoad indulgentias: & ideo licet in peccato mortali sumatur, satis est, vt postea dum percipiendus est indulgentiarum fructus, homo sit in gratia. Enimuerò si Papa viua voce proficiscentibus in bellum aduersus Turcas concederet, dicens. Quemcunque elegeritis confessarium, absoluat vos plenariè, & si in festo Natiuitatis feceritis hoc, aut illud opus, consequimini indulgentiam plenariam, profectò licet tunc dum hanc concessionem facit, illi essent in peccato, si postmodum designatis illis temporibus suscipiendi fructum, essent in gratia, illum adipiscerentur. Idem autem est conferre diploma soluendi duos argenteos, ac si gratis viua voce tunc Papa illam faceret concessionem.

Secundò, quia bulla non dicit, quòd ea ipsa tunc solutione pretij dum suscipitur, conferatur indulgentia: si n. hoc diceret, certũ esset tunc gratiam exigi, sed quòd tunc quando hoc vel illud fecerit.

Tertiò, quia potest ille, qui est in peccato mortali, sumere bullam pro alio qui est in gratia. Adrianus quidem hoc sub limitatione duntaxat concedit: scilicet, si ille agat procuratorem alterius. At verò profectò arbitror, quòd licet quis sua sponte suscipiat bullam pro amico existẽs in peccato mortali, proderit alteri, si dum fecerit quod bulla præcipit in gratia extiterit: quia hoc non est nisi donare pecuniam alteri: secùs si oraret, vel elargiretur eleemosynam pro alio.

Quin verò addiderim sub doctiorum censura, quod dum concessio iubilæi die Dominica prædicatur, quo iubilæo, indulgentia plenaria cunctis conceditur, qui proxima hebdomada orauerint, ieiunauerint, eleemosynas erogauerint, & tandem octaua die sacrosanctam Eucharistiam sumpserint, licet quis feria quarta, & quinta, & sexta in peccato ieiunauerit, orauerit, vel fecerit eleemosynam, si tandem die dominica confiteatur, & in gratia suscipiat sacramentum, hoc sufficit, vt indulgentias consequatur.

De secundo autem quæstionis membro explorandum restat, vtrùm ad perceptionem fructus indulgentiæ satis sit hominem esse in gratia. Hoc autem solum interrogatur propter Caietanum, qui in q. citata adiecta ad tertiam partem, ait non sufficere gratiam ad indulgentiam consequendam, sed requiri præterea, quòd qui ea potiturus est, habeat curam & solicitudinem satisfaciendi per se. Quare si vel in acceptandis condignis pœnitentijs vecors est, vel negligens in adimplendis, indignus sit indulgentiarum subsidio. Opinio fuit Altisiodorensis, quem art. præcedenti allegauimus, quem & Paludanus subsequi videtur. At Caietan. est qui licet cum aliqua formidine, contendit tamen illam probare: sed nescio an argumentis ita multum dignis autore.

Quocirca statuitur secunda conclusio. Quicunque in gratia existens, si modo id fecerit quod indulgentiarum forma præscribit, ipsam consequitur. Probatur, quia quicunque est in gratia, est membrum Christi, atque adeo capax cuiuscunque influxus, qui ex eius passione dimanet: cum ergo per indulgentiam ille influxus deriuetur, non est cur non omnis in gratia existens illum possit suscipere. Secundò, quia conferentis autoritas, & suscipientis charitas, & pia causa facit, vt indulgentiæ tantum valeant quantum sonant: cum ergo Papa solum dicat, quod conferentibus talem eleemosynam, vel visitantibus talem basilicam illam confert, neque aliud exigat, dicere, quòd aliud præterea requiritur, est dicere quòd nos Papa decipit. Præsertim cùm oratio vel eleemosyna illius, qui alias fuit negligens, tantum ad hunc præstat effectum, quantum alius diligentis. Tertiò, indulgentiarum vsus vt supra dictum est, ob id crebrescere cœpit, quod antiquitùs homines non erant tam diligentes ad implendas graues illas pœnitentias: imò illis adiutrices manus contendit Ecclesia porrigere.

3. Ratio.

Et per hoc soluitur argumentum, quod potissimum est Caietani. Indignus est amicabili adiutorio, qui negligens est soluere quod per se possit: ergo si ego per meipsum satisfacere renuo, indignus fio vt amicus pro me satisfaciat. Negatur inquam, prior præmissa. Propterea enim quod amicus meus sit negligens in suis negotijs, non est indignus cui ego succurram: imò inter amicitiæ iura etiam hoc venit, vt amicus amici defectus suppleat etiam spirituales, atque adeo sola gratia, quæ facit amicos Dei, facit eos dignos, quibus Ecclesia subsidia Christi impartiatur. Præsertim quod dum suscipiens indulgentiam facit aut soluit quod indulgentia præcipit, iam adhibet diligentiam ad suorum remissionem debitorum. Arguit præterea, quia dum forma Ecclesiæ dicit, verè contritis nomine contritionis intelligitur, vt sint diligentes ad satisfaciendum. Sed hoc gratis est dictum: quia contritio solum format hominem esse in gratia.

Solut. rationis Caietan.

Caiet. replica.

Obiectio.

Contra illam autem conclusionis particulam, quod indulgentiam non percipit, nisi qui facit quod in ea præcipitur, arguitur sic. In eo qui operari non potest voluntas pro facto reputatur: sunt autem plures pauperes, qui eleemosynam facere nequeunt quam indulgẽtia præcipit, & multi debiles, qui nec ieiunare valent, nec peregrinari: ergo illi non sunt fraudandi thesauro communi, qui in reliquos distribuitur. Respondetur ad maiorem, quod respectu præmij essentialis gratiæ & gloriæ voluntas pro facto reputatur. Sed tamen remissio pœnæ, quæ fit per indulgentias, pertinet ad præmium accidentale: & ideo quia non dantur nisi sub conditione, nemini nisi eandem implenti prodest. Quare qui implere non potest, licet non peccet non implendo, fructu tamen earum caret: veluti ille qui ob debilitatem vel paupertatem vel alia negotia non satisfacit pro suis peccatis, non quidem fraudabitur essentiali præmio si in gratia decedat, luet tamen in purgatorio quod hic non persoluit.

Dilatio.

Indulgentiæ pro defunctis.

3. Concl.

De indulgentijs autem, quæ in defunctorum subsidium conferuntur, non est tam præsentis loci disputare quàm alterius, qui dist. 45. de suffragijs mortuorum nos expectat. Nihilominus de hoc adhibetur hic tertia conclusio. Indulgentias Ecclesia militans concedere nequit defunctis per modum absolutionis, sed solum per modum suffragij. Prima pars nota est, quia illa fit virtute clauis ratione iurisdictionis, quæ exercetur in subditos: illi autem qui iam sunt extra viatorum militiam, non sunt Ecclesiæ subditi. Suffragari autem viui defunctis possunt tripliciter. Vno modo via impetrationis per orationem. Secundo per modum meriti de congruo, non quòd possit homo mereri de congruo augmentum gratiæ defuncto: quia nulla ei augeri potest, sed quòd merito operum iusti Deus liberet animam à purgatorio. Et isti duo modi non fundantur in lege certa: videlicet, vt eadem certitudine, qua in merito de condigno oratio aut meritum viuentis sortiatur effectum pro defuncto, quia de hoc nulla est lex, etiam si viuus offerret pro viuo. Atqui neutro istorum modorum indulgentiæ valent defunctis, vt bene ait Caietanus q. 5. opusculi. 25. quæstio. quia indulgentia nec est oratio, nec meritum. Tertio modo suffragantur viui defunctis per modum satisfactionis, soluendo suis operibus pro illis. Atque ad hos modos reducuntur illi quatuor Gregorij, qui referuntur can. Animæ. 13. q. 2. vbi ait quod animæ defunctorum quatuor modis soluuntur: aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Indulgentiæ verò illis non prosunt nisi tertio modo per viam satisfactionis: quia applicatur eis thesaurus Ecclesiæ.

Suffragatur viui defunctis tripliciter.

Dubium. An viuor. satisfactiones valeant defunctis de condigno?

Est tamen hic dubium solutu non facile, vtrum satisfactiones viuorum valeant illis de condigno, hoc est, de iustitia & lege certa, ita vt quemadmodum si iustus satisfaciat pro viuo existenti in gratia, de iustitia satisfacit, ac si pro se satisfaceret, eademque lege est certum Deum satisfactionem acceptare, ita sit sen-

tiendum

Ratio dubij.

tiendum si vnus satisfaciat pro defuncto. Est enim à parte affirmatiua argumentum, quod cùm existentes in purgatorio eadem nobiscum sint charitate coniuncti, apparet, quòd eodem modo satisfactio amicorum prosit defunctis, sicut viuis. Ex altera tamen existit non infirmum argumentum, quòd cum sint iam extra viam, atque adeo non sint in statu merendi aut satisfaciendi, sed satispatiendi in carcere inclusi, non videtur lex certa, vt Deus acceptet satisfactiones, quæ pro illis fiunt, nisi ipsi illas in legatis reliquerint, quia illæ reputantur suæ, reliquas verò acceptabit si pro sua misericordia voluerit, sicuti quandoque nostras audit orationes, quãdoque minimè. Certè res est dubia, & quamuis clementius sit credere quòd valeant de condigno, non tamẽ res vsque adeò est certa. Eadem forsan ratione quis posset dicere de indulgentijs, quæ conferuntur defunctis per modum suffragij, videlicet quod non tam infallibili certitudine prosint defunctis quam viuis. Magis autem pium est oppositum sentire: nam parem autoritatem Deus Ecclesiæ tribuit applicandi thesaurum per modum suffragij defunctis, & per modum absolutionis viuis, sicuti & sacrificia offerre pro viuis & defunctis.

De indul.

Caiet. opinio non omnibus defunctis prodesse indulgen. August.

Aliam etiam singularem opinionem commentus est Caietanus quæstio. illa 5. citata, quòd scilicet indulgentiæ non prosint omnibus defunctis, sed illis tantum, qui in hac vita meruerunt, vt illis prodessent. Et quidem sub his generalibus verbis assertio est D. Aug. in enchiridio: & in lib. de cura pro mortuis agenda, & citatur à Gratiano eadem causa 13. q. 2. can. Non æstimemus, vbi ait, quod non pro quibus fiunt, omnibus prosunt, sed ijs tantum, qui pro eis dum viuunt cooperantur vt prosint. Sed tamen Caiet. ex his generalibus verbis infert nescio quid particulare: nempe quod cum suffragia nostra & indulgentiæ non prosint illis ad præmium essentiale, sed ad accidentale, puta ad remissionem pœnarum, infertur quod non prosint omnibus illis, qui præmium essentiale meruerunt per gratiam, sed eis qui per accidentalia merita hoc sanctorum subsidium meruerunt: scilicet qui deuotionem eis magnam habuerunt ad claues Ecclesiæ: per quas indulgentiæ conferuntur, & misericordiam quoque & solicitudinem ad satisfaciendum pro suis peccatis, & studium item adhibuerunt adiuuandis defunctis. Itaque illis qui his virtutibus dum viuerent, non fuerunt imbuti, nihil prosunt nostra suffragia vel indulgentiæ. Confirmat hoc simili quodam asserto S. Th. 3. par. q. 52. art 8. ad primum argumentum, vbi ait quod Christus descendens ad inferos liberauit à purgatorio non solum illos qui satis purgati erant, verùm & illos quoque, qui dum viuerent, meruerunt per fidem & deuotionem ad mortem Christi, vt eo descendente ab eodem purgatorio liberarentur. At verò profectò opinio hæc tam singularis est, quàm illa quam proximè impugnabamus. August. enim omnes descendentes in gratia existimat meruisse; vt nostris suffragijs iuuarentur, itaque ab hac ratione solos damnatos excludit. Et ideo quia nobis non constat qui fuerint damnati, quive seruati, pro omnibus, inquit, regeneratis oportet sacrificia offerre pro quibus prodesse possunt & debent. Alia ergo exigere accidentalia merita ad excludendum multos in purgatorio existentes, vt à viuis nequeant neque à tota Ecclesia iuuari, neque Augustinus docuit, neque ratio diuinæ clementiæ ferre videtur. Nam vt proximè arguebamus, qui in diuina gratia existunt, & præsertim existentes in purgatorio, qui sunt in eadem confirmati, eo ipso capaces sunt cuiuscunque influxus sanguinis Christi, qui per indulgentias dispensatur: & tanquam amici & chari nostri sunt etiam digni, quibus nostra ope & suffragijs opitulemur. Præsertim quòd qui in gratia defuncti sunt, in nullo errore circa claues decesserunt, & satis fuerunt misericordes, & solicìti ad sua expianda peccata, satisque erga defunctos affecti. Satis enim, non dixit virtutis excellentiam, sed modum, qui sufficit vt homo in Dei gratia & amicitia viuat, & moriatur.

Caietan.

Confirmatio similis.

Opinio Caietani reijcitur egregiè.

Ratio conclusionis.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd per indulgentias non applicantur Christi & sanctorum opera in rationem meriti, sed satisfactionis. Et quamuis possit homo meteri peccatori primam gratiam de congruo, & Christus de condigno, tamen satisfacere pro illo qui est in peccato nemo potest: pari ergo ratione neque ei prosunt indulgẽtiæ. Ad secundum respondetur, quòd licet peccator: sit indulgentiarum indigentior, non est tamen earum capax.

Sol. 2. arg.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm compositiones, quæ bullis cruciatæ appendantur, sint licitæ.

OPERAE PRETIVM duximus in calce materiæ huius indulgentiarum postremum verbum de compositionibus adijcere, quæ cum ipsis prædicari consueuerint: videlicet, vt qui debita contraxerit incerta, nempe quorum creditores ignorantur, pro quinque millibus dupondijs, septuaginta aut centum soluat, vt sit ab omni debito absolutus. Arguitur enim hoc nequaquam licere. Id enim quod iustitiæ aduersatur, iustum esse non potest, æqualitas autem commutatiuæ iustitiæ est, vt quantum quisque accepit tantum reddat: ergo nemo, nisi solus creditor, quidpiam debiti remittere potest, atque adeò remissio illa, quæ fit per Papam, nulla est.

Partis negatiua. 1. argum.

Secundò. Ea, quorum certi Domini non habentur, cedunt in ius pauperum, vt decreto Alexandri Papæ constat, cap. Cùm tu. de vsur. & canon. Qui habetis. &, Non sanè 14. quæstione quinta, sed pauperes in eiusmodi remissiones non consentiunt: ergo nullæ sunt. Tertiò. Nihil quod malorum occasio est, iustum esse potest: frequentia autem huiusmodi compositionum occasionem offert vulgari plebi suffurandi aliena, potissimum illi coemptorum generi emptores defraudantium: ergo prædictæ compositiones non sunt ferendæ.

2. Argu.

3. Argu.

In contrarium tamen est vsus.

Deci. art.

Neque in hac quæstione, neque in vlla vnquam os in cælum ponere cogitamus. Absit, inquam, vt vel Apostolicæ autoritati, vel regio subsidio vel minimum detrahere contendamus, sed quoniam vulgare murmur compescì, sedariqué aliter nequit, fundamentum compositionum exploremus oportet, vt ad veritatis regulam vsus exigatur. Ad quæstionem ergo vnica conclusione respondetur. Penes Pontificem facultas est, si modò legitima adsit causa, quæ in bonum publicum referatur, compositionem debitorum facere, quæ incertis Dominis debentur, vt vna parte soluta, à reliqua fiant debitores liberi. Ad probationem huius conclusionis nosse oportet ea debita, quorum Domini incerti sunt, iure naturæ & gentium esse reipublicæ. Non dixerim res omnes, sed solùm debita, quæ à proprijs Dominis fuerunt vel recepta, vel sublata: nam eorum quæ inueniuntur alia est ratio, quia iure naturæ fortè sunt inuentoris, iuxta illud Inst. de rerum diuisio. Res cuius non est Dominus, occupanti conceditur: Nisi vbi leges ciuiles aliter disposuerint, de quibus in præsentiarum exactiùs disputare non est proprius locus. Sed tamen quòd debita incertis Dominis iuri reipublicæ cedant, probatur. Ciues omnes sunt partes reipublicæ, ergo quocunque eorum pereunte, si alium non habet legitimum successorem, iure propinquitatis succedit respublica. Id quod inde etiam confirmatur, quòd bona temporalia in communi data sunt humano generi possidenda: sed post peccatum iure gentium sunt diuisa: deficiente ergo possessore, redeunt in bonum commune. Quando autem dominus rei omnino est incertus, perit non solùm ipse, verùm & quicunque eius legitimi successores: nam ipso ignorato, & cæteri ignorantur: ergo tunc respublica quæ semper extat succedit, alioqui bona illius tanquam deserta in nullius dominio haberentur, quod natura abhorret. Inde sequitur, quòd huiusmodi bona iure gentium vel sunt in publica commoda reipub. exponenda, vel si nulla publica ineſt necessitas, sunt inter ciues refundenda, nisi respub. rege gubernetur, qui reputatur ipsa respublica: nam tunc ipse posset illa in eadem publica commoda & vsus reseruare.

Concluſio.

Debita incerta iure naturæ & gentium sunt reip.

Inuenta inuentoris sunt.

Probatur debita incerta esse reip.

Notanda.

Hinc vtique ortum est ius vt debita creditorum, qui sunt incerti, pauperibus applicentur. Enimuerò quòd incerta debita sint pauperibus restituenda (id quod hic maximè adnotandum est) nec ius naturæ iuber, nec gentium, quia neutro istorum iurium deficiente domino efficiuntur domini, sed Papa tanquam eorum bonorum dispensator illa eis adiudicauit. Nam cum iuxta verbum Domini, † Pauperes semper habebitis vobiscum, hoc genus miserorum nunquam in repub. deficiat, optimè consultum est, v.

Vnde ortũ quod incerta debita pauperibus applicentur.

† Ioann. 12.

Alex. 3.

quæ in ipsa supersunt, in eos refundantur. Quo vtique iure suffultus Alexander tertius in prælegata decretali restitutionem incertorum debitorum egenis faciendam duxit ceu membris reipublicæ. Itaque restitutio non fit pauperibus ac si ipsi sint Domini, sed fit ipsis Dominis in pauperibus. Quapropter saluum reseruatur semper reipub. ius, vt si aliquid publicum commodum occurreret, cui citiùs sit consulendum & succurrendum, illi potiùs subueniatur, quàm pauperibus: quare nulla eis tunc fit iniuria, quia non sunt Domini. Ad hæc autem accedit, quòd cùm Pontifex nesciat qui sint isti debitores, quidque, quantùmve debeant, neque verò id via iuris facilè cognoscere possit, non potest cõpendiosiori via debita illa colligere, quàm ea, vt vnusquisque sua sponte debita sua solueret: ad hoc autem commodissimum, imò necessarium est, vt lege tanquam dispẽsator illorum bonorum aliquid debitorum remittat vt reliquum libenter soluant. Ex his igitur colligitur asserta conclusio. Papa tanquam dispensator bonorum communium, quę certos non habent dominos, potest illa dum publica vtilitas Ecclesiæ exigit, meliori via qua potest colligere & conficere: via autem illa est aliquid remittendo, quod compositionis nomine intelligitur: ergo potest per suum diploma easdem compositiones facere.

Conclusionis assertio.

Rex aut Princeps debitorum compositionem posset in necessitate facere

Quin verò non video, si id modò fieri commodè possit, cur non respublica ipsa & princeps legitima vrgente necessitate, quæ in bonum commune referatur, id facere possit. Exempli gratia. Si grauissimum bellum reipublicæ ingrueret, cui propulsando necessaria esset ingens pecunia, quæ per tributa esset conficienda, non video cur rex non posset lege iubere, vt quicunque in ære alieno essent, dum bona fide certi essẽt creditorum copiam haberi non posse, medietatem, verbi gratia, in subsidium reipublicæ contribuerent, & à reliquo debito essent liberi, dummodo summa non excederet viginti ducatorum summam aut paululò maiorem. Et tunc re vera debitor esset liber à toto debito tam in foro exteriori, quàm conscientiæ. Hoc enim contributionum genus multum tunc alleuiaret onus reipublicæ, vt minus tributum ab alijs exigeretur. Et non solùm debitores libentius id soluerent, verum & ipsi incerti creditores qui ea quæ sibi eo modo debentur, quasi pro desertis habent, boni cõsulerent quòd in bonum commune reipublicæ conferrentur. At quando hoc nunquam factum est, neque ita commodè per rempublicam ciuilem agi potest, non id dixerim, quò ansa sumatur vt fiat, sed ad maiorem iuris explicationem quo Papa id facere consueuit.

Salutaris admonitio.

Requisita vt legitimè fiat debitorum compositio

At verò vt huiusmodi compositiones fundamentum habent legitimum, ita multa indigent circunspectione, vt legitimè fiant. Requiritur enim in primis vrgentior causa & certior quàm ad conferendas indulgentias: nam in indulgẽtijs solum agitur de dispensatione spiritualium bonorum, quæ si non valeat quantum indulgentiæ sonant, non plurimum imminet periculi: in compositionibus verò agitur de consumptione æris alieni, quod proprijs dominis, licet incertis, verè debetur, & in pauperes, si illa causa non intercederet, esset totum erogandum. Item: si cum omni obedientia & reuerentia fas est hoc ad compescendum detrahentium linguas admonere, fortasse non deberet fieri remissio tanta, vt satis sit vnum pro quinquaginta aut sexaginta soluere. Quoniam Papa non eas facit tanquam verus Dominus, sed tanquam dispensator & pater pauperum. Et tamen per tam viles compositiones & parum confertur in bonum publicum, & multum pauperibus detrahitur, multumque indignis debitoribus indulgetur. Neque forsan tam ordinaria hæc compositionum consuetudo tantum ærario publico confert, quantum vulgo eorum nocet, qui minutiores mercaturas exercẽt, sanè qui inde præsentaneam occasionem fallendi nanciscuntur. Cætetum dum in diplomate compositionis habetur, vt pro duobus argenteis liberetur quisque ab ære alieno vsque ad summam duodecim aut tredecim ducatorum, cauendum est ne qui vigintiquatuor debet, aut plures quàm tredecim, putet se à toto ære alieno liberari si bis aut ter duos argenteos conferat, quasi duas vel tres faciens compositiones. Esset enim hoc & intentioni, & diplomati pontificis fraudem nectere. Imò qui maiorem summam, quàm quæ in diplomate taxatur debet, nec pro tota, nec pro parte potest se pretio duorum argẽteorum componere. Atqui & hoc in præsentiarum meminisse oportet, quod lib. de Iust. & iur. q. 7. art. 1. annotauimus: nempe aliud esse creditorem esse absentem, aliud esse incertum. Qui enim scit cui debet, re vera per compositionem cruciatæ nullatenus à debito liberatur quãtuscunque illud sit, sed totum cogitur vel absenti mittere, vel totum in pauperes expendere: quoniam diploma non designat nisi debita incerta. Neque verò creditor ob id tantum dicitur incertus, quod debitor ignoret quisnam sit, quousque soleerti, pro ratione pretij adhibita diligentia explorare nequeat quis sit. Quare isti coemptores & negotiatores non arbitrentur ita facilè se esse securos, mentientes sibimetipsis illa quæ debent esse incerta.

Documentum.

An ea cõpositio reddat tutos in conscientia & foro exteriori.

Dubium tandẽ postremum est, vtrùm qui illo pretio diplomatis compositionem fecit, maneat de toto debito duodecim vel tredecim ducatorum tutus in conscientia, & in foro exteriori. Respondetur, Papam id posse facere, vbi causa legitima manifesta esset, & æquiori pretio fieret compositio. Attamen cùm tam crebro tamque vili pretio compositiones fiant, satis est si maneant tuti in foro conscientiæ: nam in foro iudiciario arbitror Pontificem non intendere eos liberare. Imò si postea creditores comparerent, qui sua debita legitimè comprobarent, non reciperetur debitoris exceptio, dicentis se fuisse compositum pretio in diplomate cruciatæ taxato. Esset enim hoc latissimam viam fraudibus aperire.

Solut. 1. argum.

Et per hæc quæ dicta sunt, argumenta facta soluuntur. Ad primum enim respondetur, quod non solùm creditor, verùm & Papa potest iusta de causa debitum incertum remittere, etiam si pauperes non consentiant, vt secundo loco arguebamus: quia ipsi non sunt Domini illorum bonorum, sed decreto Papæ illis obuẽniunt.

Solut. 3.

Ad tertium autem nihil est quod respondeamus. Tractamus enim quid iuris in compositionibus sit, si autem malorum occasionem offerant, non est illud vitium iuris.

DISTINCTIO VIGESIMASECVNDA.

DE EXCOMMVNICATIONE.

Cap. 1.

LTER demum vsus clauium extra sacramenta est vinculo excommunicationis rebelles & contumaces ligare. Est enim excommunicatio, vt sua definitione circumscribatur, Ecclesiastica censura, qua homo ab Ecclesiæ communione, quoad sacramentorum suffragiorumque communium fructum, & ab externo fidelium contubernio separatur. Attamen excommunicatio duplex est, altera maior, quæ anathema nuncupatur, & cui hæc definitio conuenit: atque altera minor, quæ duntaxat à participatione sacramentorum excommunicatum cohibet. Hanc enim facultatem, licet hæretici in Ecclesia non agnoscant, Christus seruator noster Matth. decimooctauo, Apostolis eorumque successoribus contulit, dicens Petro: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, hoc est, à Christiana fraternitate alienus. Et ne tantum quoad exterum commercium separatio illa, verùm & quantum ad orationes & sacramenta, per quæ Deus in cælis suffragatur hominibus, intelligeretur, subiunxit. Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo, & quæcunque ligaueritis, ligata. Atqui eadem potestate Apostolus vsus est in illum incestuosum, vt primæ Corinth. quinto legitur, quem quia sua abutebatur nouerca, iudicauit in nomine

Definitio excommunicationis.

Excomm. alia maior alia minor.

Facultas excommunicandi à Christo.

1. Cor. 5.

Domini Iesu tradere Satanæ in interitum carnis, vt spiritus in die Domini saluus fieret. Congruit enim, vt quemadmodum chirurgus, dum mitiùs morbido membro mederi nequit, id resecat: ita Ecclesia, dum ratio poscit, excommunicationis mucrone tabidam ouem à reliquo grege semouet, vt Hier. can. Resecandæ. vigesimaquarta quæst. 3. autor est.

Simile.

Cap. 2. Cã. Corripiantur. 24. q. 3.

Veruntamen cùm excommunicationis pœna tanta sit, qua nulla, vt August. ait, in Ecclesia maior existit, non temerè, sed pro mortali delicto est infligenda: nempe, dum quis vel ad iudicium accedere renuit, vel ante eius terminum iniussus recedit, vel sententiæ non paret, vt sanctis canonibus, Nemo. &, Certum est. vndecima, quæstione tertia cauetur. Tametsi, nisi vbi manifestum errorem contineat, sententia pastoris, vt ait eadem cau. & quæstion. Gregor. siue iusta, siue iniusta timenda sit.

Nulla cõmunio cũ excommunicato habenda in 5. casibus.

Hinc fit vt tam qui excommunicatur, si aliorum communioni sese immiscear, quàm reliqui, si cum illo communicant, inobedientiæ culpa innodentur. Imò si talis communio vel in eodem crimine, vel in sacris, vel in contemptũ Ecclesiæ fieret, lethale delictum esset. Sunt autem quinque, in quibus cum excommunicatis communicare non licet, vt decretis Calix. & Isidori. vndecima quæst. tertia cautum est. Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Neque enim eis osculum pacis porrigendum est, neque pro illis orandum, neque sunt salutandi, neque ad sacramentorum participationem aut ad secularem mẽsam admittendi, iuxta verbum Ioannis in 2. canon. Nolite recipere eum in domum, neque Aue, ei dixeritis: & iuxta aliud Paul. Cum eiusmodi neque cibum sumere.

Versiculus.

1. Ioan. 2.

Cap. 4. Ad excõmunicandum est necessaria iurisdictio.

Quod autem ad subiectum eiusdem potestatis attinet, quemadmodum ad indulgentias conferendas, ita & ad censuram excommunicationis ferendam iurisdictio est necessaria. Atque adeo solus Papa, & concilium, ac subinde episcopi etiam electi antequam sacerdotali charactere insigniantur, ex officio autoritate excommunicandi funguntur. Quare fœlix mucro episcopi nominatur decimasexta quæst. 2. canon. Visis. Extenditur nihilominus ad inferiores prælatos, qui ab aliquo collegio eliguntur, quales sunt abbates & religionum præfecti. Presbyteris verò parœcialibus, quoniam pœna hęc acerba est, multoque adeo iudicio indigens, non fuit condecens, vt eadem functio concrederetur, nisi vbi consuetudo habet, vt pro furto, vel rapina excommunicent, vt ex cap. Cùm Ecclesiarum. de offic. ordina. colligitur.

Excom. est episcopi mucro.

Cap. 5. Quisnam & quousq; possit excommunicare?

Nemo autem excommunicatione aut suspensione ligatus potest quempiam eisdem cẽsuris colligare. Neque vllus seipsum, aut superiorem, aut aliquam vniuersitatem communi nomine hoc anathematis mucrone ferire valet: quia nemo in seipsum iurisdictionem habet. Neque potest quispiam, nisi pro peccato, huiusmodi nexu illaqueari. Peccare autem personalis actio est, quæ ideo nulli cõmunitati, sed personis singulis competit.

Cap. 6.

Atqui à minori excommunicatione parœcialis sacerdos, quemadmodum à peccatis mortalibus absoluere potest. A maiore verò, quæ à iure decreta est, solus episcopus, nisi in casibus, quos sibi Papa reseruat. Ab eo autem quæ à iudice fertur, eidem iudici absoluere incumbit. Nisi quod in articulo mortis à quocunque sacerdote potest quisque ab omni excommunicatione absolui. Potestque adeò & inuitus quispiam absolui, & ab vna excommunicatione, alia permanente, quod peccatorum mortalium absolutioni contingere nequit.

Quis possit absoluere.

Inuitus potest absolui.

Cap. 7.

Interdictũ.

Autoritati autem Ecclesiasticæ excommunicandi annexum est: vt vbi obstinata & pertinax rebellio id poposcerit, ad interdictum atque adeò ad cessationem à diuinis more & ordine procedere valeat. Fuit enim olim interdictum ferè idem quod cessatio, dum tempore interdicti diuina cessabant, vt ex can. Si sententia. &, Si ciuitas. de sententia excommu. libro sexto compertum sit. Sed posthodum Pontificio munere indultum est, vt clam exclusis interdictis personis eadem sacra officia celebrentur, vt decreto Bonifacij. c. Alma mater. constat. At verò tam tristis & atrox plaga neutiquam debet populo nisi grauissima, rarissimaque de causa infligi, multoque adeò rarius cessationis eclipsis permitti, vbi diuinis organis Ecclesiæ suspensis eius splendor obtenebratur, & populus in tenebris relinquitur. Debent autem conditiones illæ decem, quas idem Pontifex capitul. Quamuis. de offi. ordin. in sexto prouidenter posuit, ob seruari, vt eiusmodi cessatio locum habeat.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆSECVNDÆ.

Quæstio Prima.

DE AVTORITATE ET CAVSIS EXCOMMVNICANDI.

IN calce demum facultatis clauium distinctio de excommunicatione adhibetur, in qua tres erunt quæstiones Prima, de autoritate & causis excommunicandi. Secunda, de eius subiecto: nempe, tam de illis qui excommunicare possunt & absoluere, quàm de illis qui excommunicari debent & absolui. Tertia de interdicto & cessatione à diuinis. Prima quatuor continet articulos. Primum, an autoritas excommunicandi sit in Ecclesia. Secundum, quibus de causis excommunicare liceat. Tertium, an sententia excommunicationis iniustè lata aliquem habeat effectum. Et quartum, an cum excommunicatis communicare sit licitum.

Quæst. 1 Quæst. 2.

Quæst. 3.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Ecclesia sit excommunicandi facultas.

EX ORDIVM ergo tractatus excommunicationis inde sumendum est, vt exploremus an in Ecclesia sit, & quænam sit excommunicandi autoritas. Arguitur ergo à parte negatiua. Excommunicatio vt à doctoribus definitur, est separatio à communione Ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia: sic au-

Partis neg. 1. arg.

Digitized by Google

tem Ecclesia neminem separare potest, quia talis fructuum & suffragiorum prouetus in charitate fundatur, qua nemo, nisi per suum consensum in peccatum priuatur: ergo in Ecclesia non est excommunicandi autoritas.

2. *Argu.* Secundò. Hominem excommunicare est ipsum auxilijs Ecclesiæ destitutum tradere Satanæ, vt habetur. 1. Corinth. 5. nemo autem Satanæ tradendus est, nisi de cuius salute desperatur: cùm ergo de nullius salute in hac vita sit desperandum, nemo est excommunicandus.

Pars affirmatiua. In contrarium autem est illud Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus: id est, à tua communione remotus.

Excomm. antiquitas. Excommunicationis nomen superuacaneum est inquirere an fuerit inter Latinos antiquum: sanè cùm ante Christianam rempublicam res ipsa nunquam fuerit audita. Est enim excommunicatio a communione fidelium separatio. Atqui inter fideles communio per antonomasiam vni sacramento Eucharistiæ tribuitur: eo quòd, ait Dionys. in lib. de Ecclesia. hierarchia. c. 3. & Damasce. lib. 4. c. 14. & nos dist. 8. artic. 4. explicuimus, per illud sacramentum Christo capiti nostro coadunamur, in eiusque carnem transformamur, atque adeò illud potissimum est sacramentum, per quod qui membra Ecclesiæ sumus, in vnum corpus compingimur. Ab hac ergo sancta communione deriuatum fuit in primitiua Ecclesia excommunicationis nomen: nam mitior excommunicādi mos ille primum fuit, vt homines propter manifesta peccata à sacrosancta Eucharistiæ communione arcerentur: quare excommunicatio idem erat, quod extra sanctam communionem fieri, ac subinde à reliquorum sacramentorum perceptione cohiberi. Deinde verò qui contumax erat & pertinax, trina monitione præmissa à fidelium cœtu pellebatur, atque adeò à suffragijs & orationibus communibus. Et huiusmodi excommunicatis dicebatur anathema. Atque hæc est distinctio inter minorem & maiorem excommunicationem. Nam excommunicatio maior, minorem, includit, & aliud addit.

Excommunicatio in primitiua Ecclesia.

Maioris & minoris excommunicationis discrimen.

Anathema quid? Anathema autem verbum græcum est, idem significans quod suspensum, vt q. 4. super Nume. ait Aug. vel sepositum, & separatum: ἀνὰ enim vtrumque significat, & seorsum scilicet & sursum. Vnde donaria quæ templorum delubris oblata in ipsis templis suspenduntur, anathemata appellantur, quasi ab vsu humano semota. Et per hanc metaphoram dicuntur excommunicati anathemata, hoc est, separati, iuxta illud Apostoli ad Rom. 9. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Vel, vt quidam volunt, sursum signati, quia in frontibus olim solenniter damnati signabantur. Sed profectò longe verisimilius est quod super epistolam ad Galat. cap. ait Hierony. nempe quòd sit verbum Iudæorum proprium, quo quidem significāt id quod detestationi & abominationi habetur, vt Nume. 21. legitur de illis ciuitatibus Chananæorum. Vocauit nomen loci illius Horma, id est, anathema. Et Iosue 6. de Hierico. Sitque ciuitas hæc anathema. In quo sensu ait Paul. 1. Cor. 12. Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu: hoc est, detestatur, & execratur Iesum. Quare ex Iudæis Ecclesia verbum desumpsit, vnde anathema idem est. quod homo detestabilis. & execrabilis. Et Cyprianus appellat anathematizatos, offensos, & Hierony. can. Audi 11. q. 3. notos, quasi in publicum infamiæ expositos, vt per erubescentiam resipiscant. Et sic accepit nomen Paulus loco citato ad Galat. Licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit. Tametsi anathema pro ipsa quoque detestatione vlurpetur: dicitur enim hæreticus anathemate percussus. Est ergo anathema idem prorsus quod excommunicatio maior, vt habetur in quinta synodo cano. Certum. 24. q. 3. nisi quod anathema quendam per se maiorem terrorem videtur incutere: & ideo in concilijs & in iure frequentior est huius nominis vsus. Discrimen hoc simpliciter inter excommunicationem minorem & maiorem, quæ est anathema, colligitur ex verbis Nicolai, can. De presbyterorum. 17. q. 4. vbi habetur, quòd priùs fratres delinquentes à sacra communione priuentur, deinde si obstinati fuerint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecentur. Et 11. q. 3. can. Nemo episcoporum. ex concilio Meldensi, idem habetur: videlicet, vt nemo episcoporum sine certa & manifesta peccati causa communione priuet Ecclesiastica (hoc est Eucharistia) sub anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi, aut episcoporum nullum præsumat ponere, nisi vnde canonica docet autoritas: quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine. Hæc ibi, quasi excommunicatio minor citra mortale possit incurri, vt incurritur pro communicatione cum excommunicatis. Et ita est intelligenda differentia ca. Engeltrudam. 3. q. 4. s. Engeltrudam vxorem noueris non solùm excommunicatione, quæ à fraterna societate separat (hoc est, à sacramentorum perceptione) sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, recidit, crebrò perculsam.

Can. Engel.

Igitur si excommunicationem maiorem & minorem vnica definitione comprehendere lubet, excommunicatio est Ecclesiastica censura, qua homo ab aliqua Ecclesiæ communione separatur: nempe, vel à sacramentorum perceptione tantum, vel ab illa, & à suffragijs, & conuictu fidelium simul. At quoniam excommunicatio minor non fit à tota communione, sed a parte: nempe ab illa quæ est in sacramentis, definitio excommunicationis non solet nisi maiori, quæ simpliciter excommunicatio dicitur, coaptari. Est ergo excommunicatio Ecclesiastica censura, qua homo ab Ecclesiæ communione quoad fructum & suffragia cōmunia separatur. Et nota, ecclesiastica censura: nam quidam definitionem nudam in cortice aspicientes, scilicet separatio à cōmunione, &c. quorum est Gabriel. d. 18. q. 2. aiunt enim per quodcunque peccatum mortale hominem incurrere excommunicationem minorem: quia fit indignus Eucharistia, & reliquis sacramentis percipiendis. Imò verò addit subinde Gab. quod Ecclesia sententiam proferens maioris excommunicationis, neminem damnificat, sed solum ostendit hominem à se ipso, delicto suo damnificatum. Hoc autem non est rei medullam callere. Excommunicatio enim non sonat quamcunque indignitatem accedendi ad sacramenta, sed illam, quæ per ecclesiasticam sit censuram. Quare licet quis, dum à Dei gratia per mortale peccatum decidit, fiat perceptione sacramentorum indignus, hoc est, lege diuina ex natura peccati, non tamen censetur propriè excommunicatus, quousque per Ecclesiæ censuram à sacramentis arcetur: & ideò licet per contritionem resipiscat, & constituatur in gratia Dei, nihilominus quousque ab excommunicatione absoluatur, nequit sacramentorum particeps fieri. Rursus quamuis quis sit in peccato mortali, si non sit excommunicatus, non est exclusus ab orationibus & suffragijs communibus Ecclesiæ. Quare falsum est dicere, quod qui excommunicatur, solùm dicitur à se ipso damnificatus. Imò verò propter culpam quam ipse commisit, condemnatione Ecclesiæ expoliatur iure participandi eius orationes, & suffragia, & sacramenta. Nomine autem fructus & suffragiorum communium, intelliguntur tria bonorum genera s. fructus sacramentorum. Secundò, orationes, & suffragia communia. Tertiò, conuictus in actibus externis. Nam ab ipsa etiam communione externa recipiunt Christiani ab inuicem fructum: videlicet, ex mutuis colloquijs de rebus diuinis, ex communi mensa, & cibo, qui cum gratiarum actione sumitur. Qui quidem actus ad quinque reducuntur versiculo illo contentos. Os, orare, vale, communio, mensa negatur: nempe, vt illi, qui pro aliquo delicto anathema fit, neque osculum pacis detur, neque applicetur communis oratio, neque vale dicatur: hoc est, nec salutatio fiat, neque in eadem mensa cum illo cibus sumatur aut potus. Ita Calixtus Papa censet can. Excommunicatos. & cano. Cum excommunicato. qui est Isidori. 11. q. 3.

Excommunicationis definitio.

Excom. maioris definitio.

Ecclesiastica censura.

Gab. epis.

Refutatur Gab. epis.

Peccans mortaliter non proprie est excomm.

Quid fructuum & suffragiorum communium nomine intelligatur.

Versiculus.

His sic expositis, hæretici hanc excommunicandi autoritatem, hoc est, priuandi bonis spiritualibus internis, contendunt non esse in Ecclesia. Enimuerò Witcleff ille Bohemus, & Hieronymus à Praga vtramque potestatem s. soluendi & ligandi, tam in sacramento, quàm extra negabant, ac subinde contendebant Ecclesiam non habere facultatem conferendi indulgentias, quod pertinet ad autoritatem absoluendi, nec facultatem excommunicandi, quod attinet ad potestatem ligandi, vt est videre in conci. Constan. & sessione 8. & 19. & postmodum in bulla Martini quinti, vbi de ambob. articulis fuerunt condemnati. Eadem nihilominus damnatas hæreses suscitauit Lutherus, cuius art. 23. inter eos qui à Leone. x. condemnati sunt, sic habet. Excommunicationes sunt tantum pœnæ ex-

Hæretici negantes autoritatem excomm. in Eccles. Witcleff.

Luther.

ternæ,

Digitized by Google

Ratio Luthe.

ternæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus ecclesiæ orationibus. Et ratio eius est illa, quam primo loco tetigimus: quoniam homo per fidem, spem, & charitatem fit membrum Christi: hęc verò spiritualia bona non est in facultate ecclesiæ diuellere, quippe cum non nisi per solum proprium consensum hominis in peccatum perdantur: eum autem qui verum Christi membrum est, non potest ecclesia orationib. suis aut alijs suffragijs expoliare. Vnde in art. 24. addit docendos esse Christianos plus diligere excommunicationem, quàm timere: nam Papa ipse Innoc. 4. c. Cum medicinalis, de sent. excom. in 6. concedit, quòd excommunicatio sit medicinalis.

Conclusio affirm.

Nihilominus ad quæstionem hac affirmatiua conclusione respondetur. Ecclesia per autoritatem clauium facultatem habet excommunicandi, hoc est, priuandi hominem non solùm cœtu fidelium, verùm & communibus bonis spiritualibus, & orationibus, & suffragijs. Ad cuius intellectum adnotandum est, quòd homo dum per baptismum efficitur ecclesiæ membrum, admittitur in ecclesiæ gremium, & in communionem fidelium: communo autem dicit rationem conferendi, & suscipiendi aliquid inter plures. Hæc verò inter Christianos consistit in communicatione bonorum tam internorum & spiritualium, quàm externorum & corporalium. Bona verò interna & spiritualia sunt in duplici differentia. Quædam. n. sunt in quibus substantia spiritualis vitæ consistit, vt gratia & charitas, ac subinde fides, spes, & reliquæ virtutes quæ eadem charitate & gratia informantur. Alia verò sunt accidentalia, quibus scilicet homo ad eandem gratiam adipiscendam & colendam adiuuatur. Atqui inter ista primum est meritorum communio. Ob id. n. quòd eiusdem sumus corporis membra, meritum vnius alteri prodest. Non quidem quòd essentiale præmium quod merito Petri respondet, detur alteri quàm illi, sed neq; illa solùm ratione, quòd vnus orat, aut meretur, aut satisfacit pro alio, imo ob id etiam, quòd Deus ob meritum vnius membri gratiùs audit orationes alterius, atque ad eius aspicit opera, eiq; suffragatur, iuxta illud Psalmi, Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Sicuti regi ob gratiam vnius ciuis, gratiores etiam sunt alij eiusdem ciuitatis. Vnde Gen. 18. Deus Abrahæ dicebat, quòd si essent in Sodomis quinquaginta, aut triginta, aut certè decem viri iusti, toti vrbi pepercisset. Et hæc communio secundum aliquos explicatur in symbolo, vbi credimus sanctorum communionem. Præcedens enim articulus, Credo sanctam ecclesiam, pertinet ad fidem: & subsequens, sanctorum communionem, ad charitatem, qua viua Christi membra conglutinantur. Deinde sunt orationes & suffragia communia, quibus ecclesia adiuuat suos filios. Ac demum sacramẽtorum participatio. Est autem inter illa priora substantialia bona & reliqua duplex discrimen. Primum, quòd illa solum pendent ex Deo & homine ipso, qui illis bonis vtitur: gratiam enim & charitatem solus Deus confert: & ideo quicunque † manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quocirca neque vlla indigent ecclesiæ applicatione, neque verò ecclesia aut vlla potestas potest illa bona ab homine auferre, sed solus ille peccando perdit. Alia verò bona, vt orationes, & suffragia, sunt bona quæ ecclesia instituit, atque adeò quæ per eius applicationem membris eius prosunt. Secundum, ex hoc discrimen consequitur, quòd illa non nisi iustis competunt: hæc verò etiam peccatoribus, quippe cùm illis ecclesia suis etiam orationibus & suffragijs opituletur vt à peccato exeant.

Nota.

In quo cõsistit communio fidelium.

Bona spiritualia duplicia. Substantialia & accid.

Psalm. 118.

Communio hæc explicatur in symbolo.

Primum discrimen inter bona spirit. substantialia, & accid.

† *1. Ioã. 4.*

2. Discrimen.

Ex his ergo sumitur argumentum ad nostram conclusionem. Et primò, quòd ecclesia possit hominem priuare communione sacramentorum, quod sit per quamcunque excommunicationem siue maiorem, siue minorem, res est clara. Nam cùm omnes Christiani sint ecclesiæ eiusque prælatis subditi: & quodcunque delictum mortale sit obex gratiæ, quæ per sacramenta confertur, iure optimo propter peccatum inobedientiæ, quod genere suo est mortale, potest inobedientem ab eorum sacramentorum susceptione cohibere.

1. Arg. quo probatur conclu.

Quòd autem possit etiam priuare bonis illis spiritualibus, quæ ex eius institutione dimanant, probatur. Nam post quam illa ex eius applicatione pendent, potest eum, qui à sua obedientia eximitur, illis priuare. Quod si dicas nimis esse rigidum supplicium vt illis subsidijs hominem destituat, probatur non esse, nisi salutare. Condecens enim fuit, vt ecclesiæ iudicium, quæ ministerium Christi per se agit, similitudinem præ se ferret iudicij diuini: Deus autem quo peccatores ad se pertrahat, tanquam infirmos, & ægrotos dupliciter corripit. Primò salutaribus monitis alliciendo. vt medicus lenitiuis emplastris. Deinde vigentiùs aliqua calamitate, potionis instar. Ac demum si opus est, putre membrum, ne alia inficiat, in tempus resecando: nempe destituendo homines salutaribus auxilijs ex sua ipsorum culpa, vt suam fragilitatem cognoscant. Hæc autem duo postrema acerbiora in excommunicatione reperiuntur: nam erubescentia, & pudor hominis à gremio ecclesiæ excluſi est ei calamitas, & supplicium. Deinde priuare eum subsidiarijs orationibus & suffragijs, & sacramentis, est eum deserere, vt sic derelictus acrioribus tentationibus vexetur, quousque suam inopiam sentiens ad cor redeat.

2. Arg.

Hanc autoritatem tribuit Christus Matt. 18. sub virtute clauium, vbi instruens in Petro omnes, quemadmodum deberent fratrem corripere, ait. Si correptus non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Et subdit, Amen dico vobis, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. In hoc. n. quòd ait, sicut ethnicus, adnotatur non solum ab æterno consortio Christianorum debere esse semotum, verùm & communibus orationibus & suffragijs ac sacramentis: nam ecclesia hæc non impertitur nisi fratribus, qui sunt sui gremij. De ethnico tamen ait ibidem Aug. Noli eum iam reputare in numero fratrum tuorum. Idque subinde notatur in verbo subiuncto, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, quasi excludere hominem tanquam ethnicum, non sit tantum à terreno contubernio repellere, verùm & ab spiritualibus subsidijs, quæ vim habent apud Deum in cælo. Vnde illic Chrysost. Vide, inquit, qualiter duplicibus colligauit necessitatibus. s. & pœna, quæ hic est, vt proiectione ab ecclesia, sit tibi sicut ethnicus; & supplicio futuro, quod est esse ligatum in cælo, hoc est, peccati reus, nisi ecclesiæ audiens fuerit. Eadem autoritate vsus fuit Paulus, vt refertur. 1. Corint. 5. in illum incestuosum, qui nouerca abutebatur. Iudicaui enim, inquit, eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Quare, vt hic S. Thom. & doctores exponunt, veluti Christus, vt Matt. 10. legitur, potestatem apostolis tradidit eijciendi dæmonia, ita è conuerso tradendi homines dæmonijs, à quibus torquerentur quando essent ecclesiæ inobedientes, vt metu illo resipiscerent. Quocirca quia spiritualia in primitiua ecclesia ad confirmandam fidem sensibilibus oculis obijciebantur; veluti super baptizatos in confirmatione Spiritus sanctus visibiliter descendebat, ita fortasse tunc rebelles visibiliter Satanæ torquendi tradebantur. Vel fortè excommunicatus dicitur Satanæ traditus: quia auxilijs ecclesiæ destitus in magno versatur periculo, vt iterum atque iterum dæmonum incursu in peccatorum barathrum præcipitetur. At inquiet forsan Lutheri patronus, Hic Pau. non ait tradidisse Satanæ animam Corinthij, qui ipse iam per peccatum eam tradiderat, sed in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat: quare illic non significatur separatio quoad bona spiritualia. At verò ex verbis Pauli contrarium colligitur: nam etsi per peccatum anima tradatur Satanæ, nihilominus Paulus aliud traditionis genus designat. Dum enim ait in interitum carnis, illecebram significat carnalem, qua ille incestum commiserat. Traditio ergo illa fuit, vt ille vehementiùs dæmonis incursibus perculsus tanquam ab ecclesia destitutus rediret ad cor. Atque hoc ipsum designat cum ait, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vbi denotatur virtus supernaturalis clauium, quæ cum sit spiritualis, etiam ad animã penetrat, eam spiritualibus, auxilijs priuãs. Nam si excommunicatio solum ab extero contubernio, vt ait Luther. priuaret hominem, nulla indigeret supernaturali virtute Christi. Vnde in eiusdem rei consequentiam subdit Apostolus, Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrũpit? Expurgate vetus fermentũ, vt sitis noua conspersio, quasi abijcere excommunicatum à cœtu fidelium sit corruptum fermentum rescindere, ne familiam Christianam contaminet.

Obiectioni occurritur: excomm. esse salutarem. Simile.

Institutio excommunicationis. Matth. 18.

Augustin.

Chrys.

Vsus est ex comm. Paulus. 1. Corin. 5.

Matt. 10.

In primitiua Eccl. rebelles Satanæ tradebantur visibiliter torquendi.

Obiectio.

Dilutio. Ex scrip. 1. Cor. 5.

Digitized by Google

Eandem quoque excommunicandi autoritatem, idem Apostolus exercuit aduersus Hymenæum, & Alexandrum, quos vt. 1. ad Timot. 1. ait, tradidit Satanæ, vt discerent non blasphemare. Accedit & illud ad Titum. 3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est: & deliquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Atque illud 1. Can. Io. c. 5. Est peccatum ad mortem, non dico pro eo vt oret quis. licet dist. 15. q. 1. art. 1 aliter exposuerimus, tamen in hoc sensu exponi à quibusdam consuetum est, vt prò excommunicato non sit orandum, vt D. Tho. de malo. q. 3. ar. 13. illud exponit. Sed & de euitatione excommunicati quantum ad externa commercia, intelligitur illud. 2. Io. 1. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi, Aue, communicat eius operibus malignis.

Scriptura testimonia.

Ex his autem occasio sumitur interrogandi, vtrùm excommunicatio sit de iure diuino. Apparet. n. ex vna parte formam excommunicationis nullibi in sacra pagina esse expressam, ex altera verò in prædictis locis designari. Sunt qui sentiant, vt Almain distin. 18. q. 1. quosdam esse iure diuino excommunicatos propter verbum Pauli, † Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. Veruntamen non est opinio vera: quoniam secundùm formam, quæ est in vsu Ecclesiæ, nemo est in euangelio excommunicatus. Et ideo respondetur, quòd potestas quidem excommunicandi iure diuino tradita est ecclesiæ, vt allegatis locis monstratum est. Attamen forma ipsa, & effectus, scilicet priuare hominem participatione sacramentorum, & suffragijs, & orationibus, non est expressus in euangelio: quia Christus sub hoc nomine neminem excommunicare iussit. Sed tamen ecclesia eandem potestatem sibi diuinitus concessam optimè sic interpretata est: & ideo vsus excòmunicandi, quem Ecclesia seruat, hac ratione est de iure diuino, quòd habet fundamentum in euangelio.

Vtrùm excommunicatio sit de iure diuino.

† *Ad Tit. 3.*

Responsio.

Ad hæc, & in antiqua lege huius ecclesiasticæ censuræ figura præfuit & exemplum. Figura, inquam, quia leprosi excludebantur à castris. Si enim ad cauendam corporalem contagionem illud erat tunc permissum, multò æquius ad cauendum spiritualem labem hæretici atque alij rebelles ab ecclesia pelluntur. Præcessit etiam exemplum, quia propter delicta etiam excludebantur à synagoga, vt patet ex illo Io. 9. vbi refertur, quòd conspirauerant Iudæi, vt si quis confiteretur Dominum esse Christum, extra synagogam fieret. Quamuis illa non propriè esset excommunicatio, vt nostra: quoniam illic nulla erat spiritualis virtus clauium, atque adeò nec à communibus sacrificijs priuare tunc sacerdotes quemquam poterant. Quapropter certè qui negant ecclesiam per excommunicationem priuare excommunicatum à fructu orationum & suffragiorum, dicentes solùm priuare ab externo contubernio, reuera negant virtutem supranaturalem clauium. Nam id etiam secularis princeps facere potest relegando in exilium ciuem, priuandoque adeò ne quis cum illo communicet. Item neque excommunicatio esset maxima pœna, quæ in Ecclesia est, vt ait Aug. can. Corripiantur. 24. q. 3.

Figura excommunicationis in lege antiqua.

Exemplũ. Ioan. 9.

Eadem veritas innumeris sanctorum patrum testimonijs comprobatur, vt Cypria. epist. 11. lib. 1. epist. vbi disertè docet pœnam excommunicationis in euangelio successisse pœnæ legis veteris mortis temporalis. Adnotandum enim est, quòd cum in lege veteri præter supplicia de iure gentium, pro multis criminibus Deus iure diuino positiuo statuerit pœnam capitis, in euangelio nullam huiusmodi pœnam Christus statuit, sed tantum principibus secularibus reliquit gladium, qui iure gentium & ciuili illis competit ad vlciscendum crimina. Sed Ecclesiæ tantum reliquit gladium spiritualem. Et ratio est, quia circuncisio tùc carnalis erat, nunc verò, vt ad Colosſ. 2. ait Pau. circuncisio est merè spiritualis per baptismum. Vnde cum Deuter. 7. lata esset lex, vt quicunque sacerdotem non exaudiret, morte moreretur, loco illius in Ecclesia reliquit excommunicationem, vt gladius qui tunc erat carneus, esset in euangelio spiritualis. Atque hi sunt duo gladij: scilicet ciuilis, & spiritualis, quos Lucæ. 22. Christus dixit satis esse ad Christianam familiam gubernandam. Vnde derivatum est, vt potestas excommunicandi dicatur gladius, & fœlix episcopi mucro, vt habetur 16. quæst. 2. can. Visis. Atque hac ratione Aug. loco citato distinguens maiorem & minorem excommunicationem, ait quod corripiantur subditi minoribus, vel amplioribus excommunicationibus pro culparum diuersitate: quoniam pœna quæ per episcopale iudicium fit, nulla maior est. Et subdit, vt pastores separare curent morbidam ab ouibus sanis, ne per plures serpant dira contagia.

Patrum testimonia

Notandũ.

Cur Ecclesia Christus reliquerit, tantum gladium spiritualem.

Duo gladij

Est ergo vafra Lutheri irrisio, qua ait, excommunicationem non esse timendam, quod ex condemnato præcessore suo Ioanne Witcleff in concilio Constantiensi ebibit. Pariter enim ipse dicebat, non esse excommunicationes prælatorum timendas, sed peccata, per quæ homo à Deo excommunicatur. Quibus non admodùm dissimiliter Erasmus in suis colloquijs de side iocatur, dicens, quòd huiusmodi excommunicationes territant pueros, non autem fortes viros. Est enim re vera malum quoddam, non quidem culpæ, sed pœnæ. Nam cum triplex sit bonum: scilicet honestum, vtile, & delectabile: priuatio boni honesti, est malum culpæ: priuatio verò boni vtilis & delectabilis, est malum pœnæ: excommunicatio ergo non est malum culpæ: quare quæcunq; culpa etiam venialis est maior quam excommunicatio: est tamen malum pœnæ, videlicet, priuatio vtilissimæ ac dulcissimæ communionis Ecclesiæ. Estque tum effectus peccati, scilicet pœna eius, tum etiam & causa per accidens aliorum peccatorum. Nam qui Ecclesiæ præsidijs destituitur, in præcipitio est dilabendi. Et nihilominus sic est malũ quoddam, vt tamen intentione Ecclesiæ referatur ad bonum excommunicati, iuxta verbum Pauli. † Vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. Sed tamen ei qui non resipuerit, vertitur in perniciem. Et ideo Augustinus loco citato appellat illam maximam pœnam. Et libro primo contra aduersarium legis & prophetarum, capit. decimoseptimo, vbi illud Euangelicum, Quæcunque ligaueritis, &c. de potestate excommunicandi exponit, ait grauius esse hominem excommunicari, quàm si gladio feriretur, flammis exureretur, feris subigeretur. Et sermone. 68. de verbis Apostoli, & refertur. 11. quæstione 3. canon. Omnis Christianus. Omnis, inquit, Christianus, qui à sacerdote excommunicatur, Satanæ traditur: quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus. Et canon. Nihil. qui est super Ioan. Nihil sic debet timere Christianus quàm separari à Christo. Et Orig. super libr. Iudic. ibidem can. Audi. exponens illud Pauli. Tradidi eum Satanæ. Vides, inquit, quia & modò non solùm per Apostolos suos tradidit Deus delinquentes in manibus inimicorum, sed etiam per eos qui Ecclesiæ præsunt, & non solùm potestatem habent soluendi, sed etiam ligandi. Vbi multa de forma excommunicationis subnectit. Et canon. Resecandæ. idem Hieronymus. 24 quæstione 3. Resecandæ, inquit, sunt putridę carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant & intereant. Et Ambros. lib. 2. de officijs. capit. 27. Omnia, inquit, tentanda priùs, quàm ad hoc disciplinæ genus veniatur. Cum dolore enim amputatur etiam quæ pũtruit pars corporis. Nihil deniq; antiquius & firmius in Ecclesia est, quàm excommunicandi autoritas, qua vtiq; synodus Nicæna c. 5. & 12. vsa est aduersus Arium, & synodus Calcedonensis, atq; aliæ antiquissimæ, & celeberrimæ aduersus alios hæreticos. Atq; adeò assertã conclusio non vtcunq; vera est, sed & catholica, & non solùm in canonibus Ecclesiæ, verùm & in euangelica & Apostolica doctrina fundata.

Lutheri vafra irrisio excõm.

Excommunicatio malum pœna.

Excõmm. effectus & causa peccati.

Intentione Eccl. refertur ad bonum.

† *1. Cor. 5. August.*

Grauitas excom. ex Aug.

Antiquitas vsus excom. ex Concil. & Euangelio.

Vnde sermo, qui. 5. tomo adhibetur inter sermones Chrysostomi, & incipit, Nuper ad vos. vbi ambiguè de anathemate loquitur, in eam partem vergens, quòd nemo, aut viuorum, aut defunctorum sit anathemate feriendus, neque eius est, neque eius redolet phrasim. Nam ipse Chrysostomus super. 1. epistolam ad Timoth. homi. 5. Et super. 1. Gor. homil. 15. Et super epistolam ad Hebr. hom. 4. & refertur canon. Nemo contemnat. 11. quæst. 3. apertè docet, eos qui Ecclesiæ non sunt audientes esse excommunicandos.

Quomodo autem intelligatur excommunicatio quoad externa commercia, art. 4. disputabitur. Nunc verò tria vel quatuor restant parua dubia. Primum, circa illud, quòd excommunicati priuantur orationibus & suffragijs Ecclesiæ communibus, certum est nomine illo intelligi orationes & suffragia, quæ publicitùs in ecclesia fiunt eius nomine per ipsius ministros:

1. Dubiũ.

quare

quæ orationes priuatæ non vetantur, quominus possit quisque pro excommunicato priuatim orare. Sed dubitatur vtrùm in ipso Memento, vbi sacerdos nomine Ecclesiæ orat, vel in alijs missæ collectis possit intentionem ad excommunicatum dirigere. Respondetur, quòd tanquam persona publica, & minister Ecclesiæ non potest. Quare si rex (quod absit) vel episcopus excommunicatus esset, non esset nominandus in canone. At verò quia etiam est liberum sacerdoti inter sacra orare pro suis consanguineis & amicis, videtur quòd tanquam persona priuata, si aliquis eorum est excommunicatus, possit pro illo in Memento, vel inter collectas orare, vt Deus eum in mentem reuocet. Et ita Syluester verbo Excommunicatio. 1. §. 2. quia licet missa sit sacrificium publicum, oratio tamen illa fit priuatim. Certè opinio clemens est, & forsasse vera, tametsi non prorsus scrupulo careat. Nam potuit Ecclesia non solùm excommunicatum suis sacrificijs priuare, verùm & suis ministris inhibere, ne inter sua sacrificia pro eo deprecarentur. Vnde Sanct. Thom. loco citato signanter ait, quòd possit pro excommunicatis orari, licet non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt. Et tamen fructum non participant quamdiu in excommunicatione persistunt, sed oratur, vt detur eis spiritus pœnitentiæ, vt ab excommunicatione soluantur. In die autem parasceues singulariter Ecclesia pro ethnicis, & schismaticis, & Iudæis orat, quod quidem planum documentum est in reliquo anni tempore non orare pro illis. Id tamen tunc exemplo Christi facit, qui illa die fuit vniuersalis redemptor. Quin verò Bernardus ait. Vide quàm mala excommunicatio, quod in parasceue Ecclesia pro Iudæis & Paganis orat, & non pro excommunicatis. Intelligitur autem, sub illo nomine excommunicatorum: nam orat pro hæreticis, & schismaticis, quos ad illum effectum censetur illa hora ab excommunicatione absoluere. Adnotauit autem Roffensis articulo vigesimotertio, quod licet excommunicatus vita careat, est tamen per fidem mortuam Christo colligatus, & ideo nonnullo fouetur calore mystici corporis, hoc est, per Ecclesiæ spiritualia bona. Hoc tamen certè si de communibus orationibus & suffragijs intelligat, non video quomodo sit verum, quandoquidem his omnibus est priuatus.

An in missa intentio possit ad excomm. dirigi.

S. Thom. Limitatio.

Eccl. die Parasc. orat pro Ethnicis Schism. & Iudeis Cur.

Roffensis.

Attamen dubium est, quod sit hic secundum, vtrùm si qui legitimè excommunicatus est ad cor redeat, vt sit in charitate, vtrùm scilicet, antequam absoluatur, quia licet propositum habeat satisfaciendi, forsan non satisfecit, sit semper priuatus illo calore & fomento, quod iustis ex consortio iustorum suprà diximus prouenire. Respondetur, quòd etiam tunc orationibus & suffragijs priuatur. Et sunt qui dicant priuari etiam illo fructu participationis iustorum. Sed tamen hoc tertium nescio an verum sit: quoniam fructus ille non nascitur ex institutione & applicatione Ecclesiæ, sed iure ipso charitatis Dei. Et ideo forsasse Ecclesia non potest bonos, & iustos illo orbare fructu.

2. Dubiū. An excom. contritus ante absolut. sit priuatus fructu participationis iustorum.

Contra nomina verò minoris & maioris excommunicationis arguitur. Sacramentorum participatio, per quæ gratia confertur, est potissima Christianorum communio: ergo excommunicatio, quæ hominem sacramentis priuat, non est cur dicatur minor. Respondetur, quòd dicitur minor, non propter paruitatem obiecti, sed quia est pars excommunicationis maioris, quæ sacramentis & alijs bonis priuat. Item quia minoribus peccatis incurritur.

Obiectio contra maiorem & maiorem excom. Cur minor excom. sic vocetur.

Effectus autem minoris excommunicationis, vt can. Si celebrat. de cler. excommu. habetur, est priuare hominem passiua tantùm sacramentorum participatione, & passiua pariter electione. Tametsi illic habeatur, quòd excommunicatus minori excommunicatione peccet conferendo sacramenta, quæ tamen ab ipso collata virtutis effectu non carent.

Effectus excom. minoris.

Postremum tandem dubium est, vtrùm sic excommunicatio priuet hominem participatione sacramentorum, vt non solùm illa suscipiens peccet, verùm & sacramentum sit nullum, an sic solum quòd sit peccatum ea suscipere, nihilominus sacramentum teneat. Ad hoc distinguendum est de sacramentis: nam si reliqua sacramenta suscipiat, quæ consistunt in applicatione materiæ extrinsecæ, vt sunt Confirmatio, Extrema vnctio, Eucharistia, &c. nullum est dubium quin sacramentum valeat, licet ille qui in peccato suscipit fructum non percipiat. Sed duntaxat dubium est de sacramento pœnitentiæ. In primis non est dubium quin tam excommunicato etiam excommunicatione minori, accedere ad sacramentum quàm sacerdoti illud ei administrare, sit peccatum: quia & vnus prohibitus est suscipere, & alter conferre. Ita ait Caieta. in summa verb. Absolutio. Et cum collatio sacramentorum sit grauis, fit vt sit peccatum mortale. Quare nunquam licet à peccatis absoluere, antequam ab excommunicatione fiat absolutio. Nisi fortasse casus contingeret, vt quis dum confitetur, tam proximus esset morti, vt animam iam iam exhalaret: adeò vt præmitti nequiret absolutio ab excommunicatione sine periculo, vt moreretur sine absolutione à peccatis. In hoc enim casu ait Adria. q. 2. principali. de clauibus. penultimo. absoluendum esse illum à peccatis antequam ab excommunicatione. At verò quanquam hoc verum sit, si casus posset contingere, quia intentio Ecclesiæ non est obstaculum obijcere saluti morientis, qui per absolutionem à peccatis posset fieri ex attrito contritus. est tamen casus qui nunquam contingere potest: sanè cum vnico verbo possit fieri absolutio ab vtroq; Absolue te ab excommunicatione, & à peccatis. Imò verbum absoluo cum intentione absoluendi ab vtroque sufficeret.

Absolutio ab excom. præcedere debet absolut. à peccatis.

Sententia auctoris.

Sed hoc casu prætermisso, dubium est, vtrum si excommunicatus absolueretur à peccatis ante quàm ab excommunicatione, sacramentum teneret. Ad hoc ibidem Caieta. respondet tria. Primum, quòd si scienter absolueretur, vel per ignorantiam vincibilem, non percipit sacramenti fructum: quia accedit in peccato, & ideo opponit obicem gratiæ. Et hoc quidē certum est, nec de illo dubitari potest.

Dubium. 4. An absolutio à peccatis ante absol. ab excom. data teneant.

Caie. 1. responsio.

Secundò ait, quòd si accedat ignorans inuincibiliter, vel factum, scilicet esse excommunicatum, vel ius videlicet, excommunicato non licere accedere ad sacramentum, tunc non solum sacramentum est validum, verùm & fructum gratiæ suscipit. Et in hoc etiam Adrian. ibidem consentit, & Palu. di. 14. q. 4. Et suffragatur bona ratio: nā alias nemo esset tutus, an verè fuerit absolutus: quia nemo scit certò non esse excommunicatum, saltem excommunicatione minori. Item quia licet excommunicatus celebrans incurrat irregularitatem, tamen si inuincibiliter ignorans celebret, non incurrit eiusmodi censuram, quia excusatur à culpa. Idem ergo erit si sacramentum ignoranter suscipiat.

2. Responsio.

Tertiò addit, quòd absolutè loquendo absolutio sacramentalis impensa excommunicato valet etiam illo casu, quo fructum non percipit: scilicet, quia scienter accedit vel vincibiliter ignorans. Quare si integrè confiteatur etiam de illa excommunicatione, & ab ignaro sacerdote absoluatur, non tenetur confessionem iterare, sed sufficit contritio ad suscipiendam postea gratiam. Et ratio eius est, quia licet absolutio excommunicati sit iure prohibita, nullibi tamen sancitum est eam esse irritam, & leges non sunt temerè aggrauandæ. Item quia reliqua sacramenta, vt dicebamus, vt puta Confirmatio & Eucharistia, excommunicato exhibita tenent, cur ergo non pariter & sacramentum pœnitentiæ?

Rō. Caiet.

Ratio. 2.

Attamen quamuis de excommunicatione minori hæc opinio vera sit, quia non creditur Ecclesia eiusmodi excommunicatum cum tanto rigore à sacramentis arcere: tamen de excommunicatione maiori opinio nec est tam certa, nec tam tuta. Et ratio est, quia sicut excommunicatus excommunicatione maiori prohibetur sacramenta conferre, ita & ipse suscipere: sed sic priuatur conferre, vt absolutio non teneat, saltem si est nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clericorum, vt excipitur in concilio Constan. quod quidem & Caiet. & omnes fatentur. & q. seq. probabitur: ergo eadem ratione licet absoluatur, nullum est sacramentum. Item quia si excommunicatus in foro exteriore aliquam sententiam vel excommunicationis, vel de re alia proferre attentet, totum est cassum & nullum, ergo eadem apparet ratio si sacramentum suscipiat.

Responsio auct. non tenere absolutionem à peccatis ante absol. ab excom. maiori.

Ratio 1.

Ratio 2.

Et accedit bonum argu. ex c. Si celebrat. de clerico excomm. vbi habetur, quòd si clericus minori excommunicatione irretitus sacramēta conferat, virtutis non carent effectu: cùm non videatur à collatione, sed à perceptione sacramētorum remotus: ergo insinuatur, quòd si attentet recipere, receptio est nulla. Quod saltem in excommunicatione maiori videtur concludi.

Ratio. 3.

Item

Ratio 4. Item, quia eodem textu habetur, quòd si excommunicatus etiam excommunicatione minori eligitur, electio sit irrita: quia est illa priuatus, & cap. Postulastis. eod. tit. habetur quòd clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec ipsi ea possunt sine dispensatione retinere: ergo eodem modo videtur sacramentum irritum.

Ratio 5. Ac demum arg. Ecclesia potuit excommunicatos maiori excommunicatione præter mortis articulum sic à sacramentis arcere, vt attentata susceptio esset irrita, sicut potuit sacramentum matrimonij inter consanguineos & affines irritare: sed vt Aug. suprà citatus ait, nulla pœna maior est in Ecclesia quam excommunicatio: ergo per maiorem excommunicationem susceptio irritatur: alioqui non esset illa maxima pœna. Non equidem prorsus sententiam Caiet. refutauerim: sed tamen neque in re tanti momenti tam libenter subscriberem.

Solutio 1. arg. Ad primum igitur arg. respondetur, quòd etsi fructu charitatis, nempe suis meritis apud Deum nemo priuari possit, nisi per suum proprium peccatum: quia illa non pendent ex applicatione Ecclesiæ, tamen suffragijs & orationibus communibus, quas Ecclesia instituit, potest quemcunque priuare, quem iudicat esse sibi inobedientem.

Solutio. 2. Ad secundum verò respondetur, quòd quamuis nemo in hac vita sit Satanæ permittendus eo fine, vt in perpetuum crucietur, quia de nullo est quamdiu viuit desperandum, congruit tamen illum ei tradere ad tempus, eo fine, vt ad cor redeat, & per dæmonem correptus corrigatur, & saluus fiat in die domini, vt ait ad Corint. Pau. & vt ait de Hymenæo, & Alexan. 1. ad Timoth. 1. vt discat non blasphemare, ac perinde non peccare. Non quòd dæmon intentionem habeat hoc docendi, sed quòd homo eius incursionibus vexatus id discat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm pro quocunque peccato, etiam pro temporali damno iuste possit homo excommunicari.

Paris. neg. ar. 1. SECVNDVS articulus est de criminibus, pro quibus potest excommunicationis sententia ferri. Et arguitur, quòd pro peccato, per quod damnum solum temporale datur, ferri nequeat. Pœna non debet excedere culpam: sed excommunicatio est priuatio bonorum spiritualium, quæ longe dignitate excedunt bona omnia temporalia, ergo pro damno dato in temporalibus non erit satis aliquem excommunicare.

2. Argu. Secundò. Quia excommunicatio est sæuissima pœna, qua Ecclesia vti potest, temporalia autem bona sunt bonorum minima: ergo si pro illis Ecclesia excommunicaret, non haberet aliam pœnam, quam pro maioribus criminibus posset infligere.

Pars affirmatiua. In contrarium est quòd Petrus, vt legitur Acto. 5. Ananiam & Sapphiram pro defraudatione pretij agri vita mulctauit: ergo eius exemplo potest Ecclesia pro damnis temporalibus illatis excommunicare.

Plurimum ponderandæ sunt causæ sententiæ excommunicationis ferendæ: nam pœna grauissima non nisi grauissimo iudicio decernenda est. Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Sententia excommunicationis maioris, hoc est anathematis ferri nequit, nisi pro peccato mortali. Decretum est concilij Meldens. can. Nemo episcoporum. 11. q. 3. quam S. Tho. d. 18. q. 3. & doctores omnes vno consensu suscipiunt. Probatur, quia per huiusmodi excommunicationem quodammodo excluditur homo à regno cælesti, hoc est, ab ecclesiasticis subsidijs, quæ Dei amicis impenduntur: ergo Ecclesia id facere non debet, nisi vbi iudicauerit hominem mortale admisisse crimen, quo charitas & gratia tollitur, qua homo est acceptus ad regnum.

1. Concl.

Ratio cõclusionis.

2. Ratio. Et secundò argu. Quia crudele esset contra naturam peccatum, si medicus in leuibus morbis atrocissimo vteretur medicamine, potissimum si chirurgus sine causa membrum amputaret infirmo: ergo & excommunicare, nisi pro graui causa. Quinuerò eadem conclusio colligitur ex verbis Matthæ. 18. vbi dicens, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus, de peccato mortali sermonem faciebat. Prædixerat enim, Non est voluntas ante patrem vestrum, vt pereat vnus de pusillis istis. Si autem peccauerit in te frater tuus, &c. Et si te audierit, iam lucratus es eum. Loquebatur ergo de peccato, per quod homo perit, quod non est nisi mortale, & dum resipiscit, animam suam lucratur. Id que ex diligenti cautela constat, quam iubet per admonitionem adhiberi antequam habeatur vt ethnicus. Imò & nomine ipso, ethnicus, designatur mortale crimen. Quòd si quis in contrarium arguat ex concilio Carthaginensi 4. c. 24. vbi habetur, quòd si sacerdote in Ecclesia verbum faciente quispiam exierit, excommunicetur. Quod intelligendum videtur de maiori excommunicatione secundum Gregorium nonum c. Si quem. de sententia excommunica. vbi ait, quod cum sub hac forma dicitur, Illum excommunico, vel simili à iudice excommunicari contingat, intelligitur de maiori, & tamen exire ab Ecclesia non apparet peccatum grauius quàm veniale. Respondetur primum, quòd ille textus concilij intelligitur de minori secundùm antiquam formam qua excommunicari non erat, nisi priuari sacramento Eucharistiæ. Decretum verò Greg. intelligitur de forma noua, quando à iudice cognita causa sententia excommunicationis pronunciatur. Præsertim quòd fortasse canon concilij intelligitur, quando quis prænonitus concionẽ audire contẽnebat, quod tũc habebatur vt mortale.

Obiectio.

Alia obiectio.

Sed hinc emergit aliud ar. Apparet enim nec minorem excommunicationem incurri debere pro minori peccato quàm mortali: quippe cùm per ipsam homo priuetur sacramentorum participatione, quæ sunt subsidia ad regnum cœlorum potiora quàm orationes, eo quod sunt causa gratiæ: & tamen excommunicatio minor, vt infra videbitur, per solam cõmunicationem cum excommunicatis incurritur, quæ non est nisi veniale peccatum. Respondetur non esse cætera paria, tum quod orationes & suffragia sunt perennia & continua subsidia, quorum ideo priuatione homo grauiter læditur: receptio autem sacramentorum raro est necessaria, tum præsertim, quod vt excommunicatio minor faciliter incurritur, facillimè ab ipsa fit absolutio. Ex his sequuntur duo corollaria. Primum, quod vbicunque, siue à canone, siue ab homine sub anathematis censura præcipitur aliquid sub pœna maioris excommunicationis, intelligitur peccatum mortale esse non parere, etiam si illius trãsgressio alias de se non esset peccatum mortale. Vt si sub tali comminatione iuberentur ciues ire ad concionem de fide, vel ad processionem pro sospitate reipublicæ. Nam cum prælati Ecclesiastici sint iudices in spiritualibus, eo ipso quod sub tali pœna præcipiunt, constituunt illud vt præcipuam virtutem, cuius omissio sit mortalis. Nisi vbi tanta esset facilitas & abusio excommunicandi, vt præceptum de re leuissima manifestum contineret errorem, tunc enim præceptum non ligat.

Solutio.

1. Corollarium.

Secundum corollarium est, quod quoties homo certus est non peccasse mortaliter contra obedientiam Ecclesiæ, tutam subinde conscientiam habet nullam incurrisse excommunicationem apud Deum, nec esse priuatum Ecclesiæ suffragijs: licet quandoque propter falsam præsumptionem iudex possit eum arcere ab externo fidelium cœtu.

Secundum Coral.

Secunda conclu. Non sufficit ad excommunicandum, peccatum mortale, nisi sit peccatum inobedientiæ, quo quis renuit Ecclesiæ obedire. Hæc planè colligitur ex dictis verbis Christi, quibus non tradidit potestatem excommunicandi, nisi eum, qui præmissis salutaribus monitionibus noluerit Ecclesiam audire. Ad hoc n. duntaxat hunc gladium Ecclesiæ tradidit, vt subditos posset in suam obedientiam cogere. Quare licet quis scelera & flagitia quantumcunque grauissima commiserit, dummodò Ecclesiæ sit parere paratus, potest quidem iudex alio supplicio pro commisso crimine eum plectere, excommunicare verò minimè. Atque id confirmatur ex naturâ ipsa excommunicationis, quæ est expellere hominem à fidelium cœtu & suffragijs & precibus: nemo n. tali expoliatione dignus est, nisi ille qui per inobedientiam ab Ecclesia se subducit. Id demum confirmatur ex concilio Triburiensi can. Certum est. 11. q. 3. Illic n. statuitur trina excommunicationis causa: nempe, cum quis ad synodum canonicè vocatus venire contemnit, aut si postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis: aut si ante finitam causæ suæ examinationem à synodo exire præsumit. Et quod dicitur de synodi tribunali, intelligitur & de foro cuiuscunque iudicis.

2. Concl.

Probatur.

Confirm 1.

Tertia conclusio. Nullum censetur inobedientiæ

3. Concl.

pecca-

Digitized by Google

peccatum, ob quod sit sent. excom. ferenda, nisi admonitio sub excommunicationis commination præcesserit, vel à iure, vel ab homine. Conclusio liquidò ex superioribus elicitur: quia cùm obedientia non sit nisi respectu præcepti superioris, fit vt nisi admonitio præcesserit, nemo censetur rebellis Ecclesiæ. Atqui dum admonitio fit à iure, non opus est vt sit bina vel trina: quia admonitio iuris est solennis, & ideo ipsa valet pro trina. Quapropter qui contrà admonitionem iuris in peccatum impingit, eo ipso excommunicationem incurrit. Quando autem fit à iudice, tunc propter maturitatem iudicij, quæ ante excommunicationem est necessaria, oportet per trinam monitionem explorare an tanta sit subditi contumacia, vt digna sit, quæ illo mucrone confodiatur. Atque ista trina monitio colligitur ex Euangelio loco citato. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Vbi peccantem fratrem admonetur Petrus corripere priuatim, & si tunc non audierit, iubetur secundò adhibere duos testes: quos si non audierit, iubetur denunciari Ecclesiæ. Ex quo in concilio Rhotomagensi colligitur trinæ monitionis necessitas. 16. quæstio. 7. cano. Omnes decimæ. sub his verbis, Statuimus, vt decimas dare nolentes secundum Domini præceptum admoneantur semel, secundò, & tertiò: qui si non emendauerint, anathematis vinculo feriantur. Idemque habetur ex Decreto Nicolai can. De presbyterorum 17. q. 4. Neque obstat illud Pauli ad Titum 3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, quia licet non numerauerit omnes tres euangelicas, attamen secundùm Ecclesiæ interpretamentum, licet per secundam admonitionem constet hæreticum esse subuersum, nihilominus adhibetur tertia, vt ad audiendam sententiam compareat. Vnde iudices huiusmodi monitiones prætermittentes decreto Innoc. 3. in concilio Lateranensi c. Sacro. de sententia excommunicatio. & decreto Innoc. 4 in concilio Lugdunensi. c. Cùm medicinalis. eodem tit. libr. 6. interdicuntur ingressu Ecclesiæ per mensem, aliis insuper pœnis, si visum fuerit, mulctandi. Ex quo colligitur esse peccatum mortale. Et quamuis nonnunquam causa instante & vrgente vna sufficiat monitio pro tribus, debent nihilominus tria iusta interualla designari, vt reus inducias resipiscendi habeat. vt cap. Constitutionem. de sententia excommunic. in 6. cautum est. Veruntamen laudabilis hic & necessarius iuris ordo, contra iuris decorum, nec sine populi detrimento à multis hoc tempore negligitur, sanè cùm quacunque occurrente causa vnam putant pro tribus sufficere monitionem, eandemque sine competentibus interuallis. Quando causa quidem vrgentissimè instaret, vt quando clericus in sacris repente in supplicium arriperetur, fas esset celeri illo remedio vti, alias verò, non dicam nefas esse, sed tamen profectò iuris maiestas non seruatur. Fuit n. intentio iuris, vt seorsum illæ fierent monitiones, vt reus, si non aliter, saltem ter iterata monitione tempus haberet compungendi sese.

Quòd si sciscitaris, vtrum illa trina monitio, vel vna cum interuallis, sit de essentia excommunicationis, vt illo iuris ordine prætermisso sententia sit nulla. Apparet n. esse de essentia, quia est ordo correptionis fraternæ expressus in euangelio loco modò citato Matt. 18. Respondetur nihilominus non esse de essentia: nam in allegatis cap. Cùm medicinalis. &, Constitutionem. Pontifices non censent talem excommunicationem prætermisso illo ordine esse iure irritam, sed iubent recurrendum ad superiorem, qui illam, si æquum iudicauerit, irritet. Vnde ad ordinem euangelicum respondetur, quòd licet ille sit in præcepto, vt obseruetur, non eo ipso, quod prætermittitur, irritatur excommunicatio. Tametsi cap. Statuimus. de sententia excommunicationis lib. 6 caueatur, ne participantes cum excommunicatis innodentur excommunicatione maiori autequam canonica monitio præcedat: quod si aliter fiat, excommunicatio non teneat. Et ideo in illo particulari casu non teneret.

Dubium autem grauius est, vtrum saltem aliqua præcedens admonitio sit de essentia, licet non trina nec bina. Quod est quærere, vtrum pro peccato præterito, quod nulla vel à iure, vel ab homine admonitio præcessit, possit quis excommunicari: sicut pœna pecuniaria, aut alia quauis puniri. Caietanus enim 2. 2. quæst. 69. artic. 2. dicit quòd sicut potest excommunicatio comminari ne fiat peccatum futurum: ita & post factum potest excommunicari qui fecit, non solum sub conditione si non restituerit, sed absolutè. Et probat exemplo Gregorij in cap. Quidam maligni. 5. q. 1. vbi sanctus ille Pontifex excommunicauit quendam secretum infamatorem, qui libellum famosum in publicum ediderat. Et quamuis illic dicat Papa, quod si non exierit, & publicè confessus fuerit, sit excommunicatus, ait nihilominus Caietanus, sententiam non ferri in conditionem si se non prodiderit, sed in perpetratum crimen editi libelli.

Contra hoc autem statuitur quarta conclusio. Pro nullo peccato præterito quantumuis grauissimo & enormissimo, cuius nulla monitio præcessit sub excommunicationis nota, potest excommunicatio ferri: imò adeò de essentia est monitionem aliquam præcedere, vt absque illa excommunicatio non teneat. Et sanè miror doctissimum Caietanum contrarium sensisse, non modo quia nemo vnquam hoc dixit, verùm quia autoritati in Euangelio concessæ aduersari videtur. Nam in euangelio non apparet alia facultas Ecclesiæ concessa, vt quempiam habeat tanquam Ethnicum & Publicanum, quàm si eam non audierit. Nullius autem dicitur Ecclesiam non audire, nisi fuerit ab illa prænonitus, imò nec dicitur non audire, vt dignus sit excommunicatione, nisi sub eadem censura fuerit iussus. Nam tunc Ecclesia aperit suam mentem, illud præcipere sub reatu peccati mortalis.

Nec valet arg. si quis arguat, eum, qui quodcunque committit mortale delictum, satis fuisse prænonitum diuino iure, naturali, aut humano, quod violat, vt excommunicari debeat: quia Deus licet transgressores iuris æterna damnatione condemnet, tamen excommunicationis censuram, quæ est priuatio bonorum Ecclesiæ, ipsi ferendam commisit aduersus eos solùm qui eam non audirent. Vnde can. Omnes decimæ. 16. q. 7. ius diuinum ad hoc allegatur, vt secundum Domini præceptum qui excommunicatur ter sit prænonitus. Et cap. Romana. de sentent. excomm. lib. 6. cauetur, ne vlli iudicum pro culpis præteritis vel præsentibus excommunicationum sententijs absque competenti monitione præmissa promulgent. Et si contra præsumpserint, iniustas nouerint esse illas.

Et accedit ratio, quod cum excommunicatio non possit nisi pro peccato mortali ferri, si quis pro peccato præterito excommunicaretur, sæpe eum excommunicari contingeret, qui iam esset per contritionem in gratia. Atque id demum ex obseruatissimo Ecclesiæ more & vsu competitissimum est, quæ neminem vnquam excommunicat pro peccato præterito, sed eum qui furatus aliquid est, si non restituerit, aut eum qui iniuriam intulit, si non satisfecerit. Quapropter vbi primum malefactor restituerit, quamuis possit in vltionem criminis alia pœna plecti, est nihilominus quantocius ab excommunicatione absoluendus. Idque planissimè ex eodem can. Quidam maligni. constat. Gregorius n. illic non cogitauit illum excommunicare pro commisso crimine, sed iussit, vt ille diffamator se proderet, quod ipse iure naturæ tenebatur, si aliter non posset famam alterius restarcire, & nisi periculum ei capitis immineret. Cùm in his enim exceptionibus intelligitur illud Chrysost. Non tibi dico, vt te prodas. can. Quis aliquando. de pœnitent. distinct. 1. Et ideo adiecit Papa, quod quamdiu exire renueret, hoc est, satisfacere, vt debebat, à sacrosancta Eucharistia abstineret: nam quia erat in peccato mortali, tenebatur abstinere. Quòd si à sacramento non abstineret, anathematis vltione percuteretur. Itaque sub pœna excommunicationis fuit prænonitus ne ad sacramentū accederet, quod si sumeret, laqueo excommunicationis colligaretur. Itaque nunquam excommunicatio fertur sub hac forma. Quia hoc feci sti, sed, Nisi hoc feceris. vt cap. Præterea requisiti. de appellatio. Vel quicunque hoc crediderit, dixerit, aut fecerit, vt excommunicantur à iure hæretici, percussores clericorum, &c.

Quò igitur prima conclusio luculentior fiat, adnotandum, non solùm peccatum mortale esse ante anathematis sententiam necessarium, sed requiritur graue. Non negatur quin pro quocunque peccato mortali inobedientiæ lata teneat, sed quod non debet ferri nisi pro graui & enormi. Paul. namque autequam incestuosum traderet Satanæ, † enormitatem criminis exaggerauit, dicens. Auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio, qualis neque inter gentes. Et hæreticum iubet post vnam & secundam monitionem vitare. Et similiter Ioan. in 2. Cano. hæretico, ait, neque Aue di-

Trina monitio colligitur ex euangelio & concilijs.

Obiectio.

Iudices omittentes trinam monitionem arcentur per mensem ab Eccles.

Vna pro trina quando & quomodo sufficiat.

Dubium. An trina monitio sit de essentia excom m.

Aliud dubium. An saltem aliqua monitio sit de essentia. Caiet. opin.

4. Concl. Dubij resolutiua contra Caiet.

Obiectioni occurritur.

Ratio notanda.

Explic. canonis ex Greg.

Chrysost.

Explicatio 1. Concl.

1. Cor. 5.

Digitized by Google

cendum. Et Aug. can. Corripiatur. 24. q. 3. ait, pro diuersitate culparum subditos corripiendos, minoribus vel amplioribus pœnis. Vbi subdens excommunicationem esse pœnarum maximam, insinuat non esse imponendam nisi pro maximis peccatis. Et Prosper can. Ecce. ait, leue medicamentum applicandum prius, deinde velut igne piæ increpationis vrendum vulnus. Deinde si hæc non suffecerint, resecandum putre membrum. Itaque quousque homo esset incorrigibilis, non esset excommunicandus. vt ibidem ait Anacle. can. Tam sacerdotes. Et 11. q. 3. can. Nullus. admonet concilium pro paruis & leuibus causis neminem à communione suspendendum, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri ab Ecclesia iusserunt committentes. Vnde S. Tho. in præsentiarum non censet ferendam esse excommunicationis sententiam pro damno temporali, nisi sit pro spoliatione bonorum Ecclesiæ, & pro decimis, vt habetur 16. q. 7. can. Omnes decimæ. Et re vera si anathemata, quæ iure decreta sunt consulantur, nunquam Ecclesia in more habuit acerrimo anathematis mucrone percellere, nisi insignes criminosos, vt hæreticos, schismaticos, clericorum percussores, Ecclesiarum violatores, atque id genus alios. Quocirca negare non possumus, quin splendorem illum antiquum nouus vsus (ne dixerim abusum) magna ex parte obnubilauerit. Adeò ingens est excommunicationum frequentia, eademque pro damnis non solùm merè temporalibus, verùm & pro minimis causis. Est quidem pœna spiritualis mortis, & tamen pro rebus decernitur, pro quibus vix homo dragma argenti mulctaretur, pro minimo scilicet furto vel holerum, vel fructuum. Et cum sit pœna, non nisi alijs multis tentatis remedijs & pœnis deberet adhiberi, nihil prorsus iudices præcipere sciunt nisi sub pœna excommunicationis. Imò citationis schedulas subscriptas notarijs concredunt, in quibus quorum ipsi voluerint nomina inscribant. Qua vtique ratione fieri nequit minus, quin & autoritas ipsa vilescat, & populus vix possit ab excommunicationis sententia liberari. Neque sufficiens est quorundam iudicum excusatio, dicentium se sæpe non habere excommunicandi intentionem: nam cùm subditos illa intentio lateat, non excusantur à peccato, dum contra conscientiam non obtemperant. Et longè peius est homines in peccatum conijcere, quàm pœnæ subijcere excommunicationis.

S. Thom.

Contra frequentiam excomm. ob minimas causas.

Iudicum vana excusatio.

Admonitio.

Inter hæc & hoc quoque admonitum non est prætereundum, quod dum debitor notus est, & notum debitum, nullatenus permittendum esset, vt per viam excommunicationis creditor debitorem soluere cogat. Id quod in locis, vbi episcopi vtramque habent iurisdictionem, ciuilem scilicet & spiritualem, in vsum abijt. Enimuerò excommunicatio non habet locum nisi vbi alia non est via possibilis, puta quando furtum ab occulto fure factum est. Quando verò vel in foro ciuili, vel alia seculari via res potest transigi, certè fas non est per potestatem spiritualem, qua homo priuatur suffragijs spiritualibus procedere. Profectò non est mihi religio, dicere tam immodicum excommunicandi vsum præsentaneo remedio indigere, quod sola sancta sedes, vel œcumenicum concilium adhibere legitimè potest.

Casus in quibus excommunicatio non tenet.

1. Casus. Quando error est manifestus. Exemplum.

Iam verò diximus eum qui certò scit peccatum inobedientiæ non commisisse, tutum esse in conscientia se non esse excommunicatum. Id autem pluribus modis potest contingere. Primum, vt si excommunicatio intolerabilem manifestumque errorem contineat, vt pro re minima. Imò licet feratur pro re notabili, quæ tamen in tali casu sit parua, non incurritur, vt quamuis percussores clericorum sint excommunicati, & qui sanguinem in Ecclesia effuderit, nihilominus si corrixantes clerici pueri in Ecclesia se pugno percusserint mutuò, & sanguinem è naribus emiserint, vel etiam ex capite in parua copia, nulla innodantur censura.

2. Casus. Impossibilitas.

Secundo, si feratur pro re, in qua homo obedire non potest, quia nemo ad impossibile obligatur. Vt si qui aliena deprædatus est excommunicatur nisi soluerit, & tempore, quo excommunicatur non sit soluendo, nullatenus excommunicationem incurrit. Quare si est occultus, absque scrupulo potest interesse diuinis. Quanquam hic cauenda est fraus: si enim non potest in totum, tenetur tamen in partem, quam potest etiam cum detrimento victus & vestitus: non enim licet ære alieno maximè per iniuriam sublato, honorem & æstimationem proprij status seruare. Atqui si tunc non habet vnde soluat, arbitror postea teneri dum habet sub sententia eiusdem excommunicationis, quæ semper durat. Et vice versa: si quando excommunicatio fertur est soluendo, tunc si non soluat, incurrit. Quare licet postea in egestatem incidat, semper manet in foro Ecclesiæ excommunicatus, quamuis quoad Deum sit in gratia.

Cauenda fraus in hoc casu.

3. Casus. Defectus causæ. Exemplum.

Tertiò, potest contingere, vt homo excommunicatione non vinciatur, quando deficit causa excommunicationis. Exempli gratia. Si quis rem meam detinebat, quam quia aliter recuperare non poteram, ego clam ab illo surripui, tunc si eius petitione publicitus sub excommunicationis censura præcipiatur, vt quicunque eam habuerit reddat, vel manifestet: ego non teneor præcepto parere, si modo certissimus sim rem esse meam. Dum autem sub eadem censura præcipitur, vt quicunque habuerit has vel illas scripturas quæ quoquo pacto ad aliorum ius attinent, tunc proferendæ omnino sunt, nec sufficit, vt qui habet se excuset, dicendo quòd inde vexationem timet, nisi forsan omni dubio procul manifestissimum sit taliter illas ad meum ius conducere, vt nullatenus ad alterius ius confirmandum attineant. Tametsi in foro seculari ad viam excommunicandi recurrere, ad occulta instrumenta exploranda, saltem ad compellendos occultos testes, vt in iudicium prodeant, nec mos priscus est, nec res fortè legitima, sed humana auaritia bonorum temporalium, ceu idolorum cultrix istarum fuit ecclesiasticarum censurarum inuentrix.

Obiectio.

Arguitur autem, quod pro peccato minori quàm sit mortale, possit ferri excommunicatio. Vsu venire solet, vt quis ex vinea aliena duos tantùm aut decem racemos surripuerit, quod non est nisi veniale, & alij pariter sex, & sic multi totam vindemiauerint vineam, nec tamen sint criminis consortes: quia non simul prædam fecerunt, tunc quia damnum totum simul magnæ æstimationis est, potest ferri sententia excommunicationis, vt restitutio fiat: & tamen nullus peccauit mortaliter.

Responsio.

Respondetur, quòd casus profectò non nisi quàm rarissimè contingere potest, vt damnum sic datum tam ingens sit, vt censuram iustificet. Si tamen accideret, dicendum est quod quamuis accipere, non fuerit mortale crimen, nihilominus quia pro toto damno excommunicatio fuit iusta, quicunque, tenetur sub peccato mortali, id, quod abstulit, restituere, nisi tam paruum sit, vt pro nihilo reputetur.

4. Casus. Si sit ignorantia.

Quartus demum casus, quo quis ab excommunicatione excusatur, est ignorantia, de quo perplexius inter doctores controuertitur. Distinguitur enim de ignorantia multipliciter. Est namque alia ignorantia facti, & alia iuris. Et iuris quidem, aut dum excommunicatio lata est à iudice, vel statuto iudicis ordinarij, vel à iure communi. Et tam ignorantia iuris, quàm facti potest esse vincibilis, aut inuincibilis. Et vt quæ certa sunt ante incerta præmittamus, sit prima propositio. Quicunque inuincibiliter ignorat factum censuræ excommunicationis subditum, excusatur ab illa censura. Ignorantia inuincibilis est, quam quis non potest vel non tenetur vincere. Propositio hæc expressa est in iure cap Si verò. de sentent. excommunicat. vbi habetur, quòd qui percussit clericum, quem ignorabat esse clericum, anathemate non læditur: nam vt ait Gregorius capite Cognoscentes. de constitutio. Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. Secunda propositio. Quamdiu quis excommunicationem à iudice latam inuincibiliter ignorauit, etiam si contra id quod prohibuit faciat, censuram non incurrit. Probatur, quia eiusmodi subditus inobediens non censetur. Vt fur occultus dum censura excõmunicationis in eum qui furtum fecit, nisi restituerit, fulminata est, quamdiu inuincibiliter ignoraret, vinculo illo non ligatur. Tertia. Qui statutum iudicum ordinariorum inuincibiliter ignoraret, quamuis contra fecerit, nulla irretitur censura. Tex. est expressus. in c. Vt animarum. de consti. in 6. Et per hoc confirmatur secunda propositio: nam si inuincibilis ignorantia statuti excusat, fortiori ratione excusabit illa, quæ est mandati aut sententiæ iudicis. Quando verò ignorantia est crassa & culpabilis, non excusat. Atqui de his tribus assertis nulla est inter doctores controuersia.

Duplex ignorans facti & iuris. Vtraque aut vincibilis aut inuincibil. 1. Propos.

Ignorantia inuincibilis qua.

2. Propos.

3. Propos.

Dubium autem præcipuum est de ignorantia iuris communis. Sunt enim autores tam theologi, quàm

iurisconsulti

Dubium. An. ignorantia iuris communis excuset. Opinio Scot. Adriani & alior. neg.

iurisconsulti autoritatis minimè contemnendæ, qui sustinent, quòd quamuis quis ignoret ius Ecclesiasticum, quo sub sententia excommunicationis factum aliquod prohibetur, satis est vt sciatur esse iure diuino vel naturali prohibitum, vt in sententiam excommunicationis incurratur. Sic sentit Scotus in 4. d. 6. q. 8. cùm quo consentit Adrianus q. 3. de clauibus. Et est glossa super cap. A nobis, in 2. de sententia excommunicati. Et opinio Ioannis Andreæ super dicto cap. Vt animarum. quæ & Bartolo placuit super l. Cunctos populos. C. de summa Trinitate. Distinguit enim Adrianus, dicens, quòd dum aliquid sub censura excommunicationis iure prohibetur, quod per se antea erat licitum, ignorantia inuincibilis censuræ excusat ab illa. Sed tamen vbi prohibetur id quòd aliàs erat lege prohibitum, canon censuræ licet ignoretur, satis est ad incurrendum illam quòd sciatur esse aliàs illicitum. Est ergo opinio probabilis, quam cui sustinere libuerit, non deerunt patroni. Contrarium tamen tenet Panor. super tit. eod. c. A nobis. Et Anto. 3. p. tit. 25. c. 33. quos Summistæ sequuntur. vt Sylu. ver. Excommunicatio. 2. & vltimo. vtrobique. §. 3. Et summa Angelica & Rosel. Imò videtur etiam opinio Innocent. super cap. Si verò. citato, & illic aliorum expositorum, quamuis rationem non adferant.

Distinctio Adrian.

Contraria opinio probabilior.

Et reuera hæc est longè verisimilior, imò si quæ hactenus diximus vera sunt, est certè vera. Quare sit 4. propositio, vt quæ suprà posita est, generaliter affirmetur, scilicet quod quicunque inuincibiliter ignorat mandatum Ecclesiæ sub censura excommunicationis latum, nunquàm in eam impingit, quantumcunque sciat factum esse aliàs illicitum. Probatur, quia (vt hoc decies repetamus) autoritas excommunicandi non est in Ecclesia, nisi in illum qui ei non obedit, vt patet in Euangelio: qui autem inuincibiliter Ecclesiæ iussa ignorat, nullatenus ei est inobediens, nec dicitur eam non audire, vt verbo Euangelico vtamur, neque eam offendit: nam qui canonem ignorat, eius conditorem minimè offendit: ergo censura excommunicationis non implicatur. Vnde ad rationem Scoti respondemus, aliud esse Deum non audire, atque aliud non audire Ecclesiam: qui ergo facit contra ius diuinum naturale, non audit Deum: sed tamen propter hoc nemo excommunicatur, quoadusque sit non audiens Ecclesiam id sub censuram excommunicationis prohibentem: alioqui licet culpa contra Deum committatur, non tamen contra Ecclesiam.

4. Propos.

Ratio.

1. Argum. contra Scotum.

Et arguitur contra Scotum. Si sua vera esset opinio, sequeretur, quòd si quis sacerdotem occideret, quem sciret esse hominem, ignoraret tamen inuincibiliter esse sacerdotem, illaquearetur censura canonis, quod scit iure naturali interdictum: consequens tamen, licet non desint qui concedant, profectò est contra citatum canonem. Si verò. Secundò arguitur. Ignorantia facti & iuris hoc solo differunt, quòd cum plures sint qui teneantur scire ius, non tam admittitur ignorantia inuincibilis iuris, quàm facti. Cæterum profectò pariter excusant ignorantia iuris & facti: ius autem contra quod peccatum est vt habeat locum excommunicatio, non est nisi Ecclesiasticum: ergo eius ignorantia inuincibilis ab excommunicatione excusat. Sine distinctione namque ait Innocentius cano. Proposuisti. 81. distinct. quod ignorantibus venia datur.

2. Argum.

Distinctio Adriani refellitur.

Quare distinctio illa, quam Adrian. refert, scilicet quòd quando iure sub censura excommunicationis prohibetur aliquid, quod alias erat licitum, tunc ignorantia canonis excusat. Si tamen prohibetur, quod alias erat illicitum, vt percussio clerici, tunc ignorantia iuris non excusat à censura, nihil ad rem facit. Nam discrimen non est, nisi quod dum adhibetur censura rei alias illicitæ, qui ignorat canonem, peccat nihilominus contra Deum, quod non contingit in secundo casu. Sed tamen quantum ad censuram par est ratio vtrobique, vt ignorans excusetur.

3. Argum.

Tertiò demum arguitur. Cum pœnæ, vt est in regulis iuris, sint potius restringendæ, quàm ampliandæ, esto vtraque opinio probabilitatem haberet, hæc nostra eligibilior est, ne absque vrgente ratione homines asseramus crebris excommunicationibus inuolui. Imò verò in citato cap. Vt animarum. fundamentum hæc opinio habet, tametsi Adrianus in suam partem illud vertat. Arguit quippe sic. Pontifex in illo cap. admonens, quòd ignorantes non ligentur sententijs per statuta ordinariorum prolatis, ius aliquod nouum idemque necessarium condere voluit: si autem ignorantia inuincibilis iuris summi Pontificis iure communi contenti à pœna excommunicationis excusaret, non opus esset ius illud condere: quia à fortiori intelligeretur excusare ignorantia statuti: ergo mens Pontificis fuit, quòd ignorantia statuti excusaret, non autem si censura esset de iure communi. Ad hoc autem negatur ius aliquod nouum illic Papam tulisse, imò fuit declaratio communis iuris, contra quod ordinarij iudices credere possent ignorantiam inuincibilem suorum statutorum non excusare: & ideo Pontifex declarando ius commune contrarium statuit.

1. Obiectio.

Secundum argumentum sumit Adrianus ex cap. Cùm illorum. de sententia excomm. vbi Papa quosdam reprehendens, qui propter manuum iniectionem in clericos excommunicati, ordines suscipere non formidabant distinguens ait, quòd si sciebant se esse excommunicatos, perpetuò ab ordinibus deponerentur. Si autem ignorabant vel factum, quia non erant delicti memores vel iuris, tunc ait cum illis posse dispensari. Quo verbo insinuatur fuisse excommunicatos etiam ignorantes. Respondetur, quod illic Papa non loquitur de ignorantia inuincibili, vt Adrianus putat, sed de vincibili, quæ non excusat. Idque ex eo probatur, quod indiscriminatim loquitur de ignorantia facti & iuris: & tamen de ignorantia facti inuincibili nemo dubitat, neque Adrianus, neque Scotus, quin excuset: cùm ergo censet illos excommunicatos, manifestè loquitur de ignorantia vincibili. Et confirmatur, quia ignorantia illius solennissimi canonis, Si quis suadente. vix potest esse inuincibilis. Aliter tertiò arguitur. Licet quis ignoret pœnam ciuilem: nempe, quod homicida vel fur est reus mortis, nihilominus qui illa peccata committit, incurrit pœnam, & idem est de Ecclesiastica irregularitatis censura. Licet enim quis ignoret ius, quod excommunicatus celebrans, vel bigamus est irregularis, nihilominus qui bigamus est, aut excommunicatus celebrat, incurrit illam censuram: ergo idem est de excommunicatione. Negatur consequentia: ad hoc enim semper habendus est oculus, quod censuræ excommunicationis proprium est & singulare, vt neminem nisi inobedientem, ac præuia monitione liget, vt ex Euangelio colligitur. Reliquæ verò pœnæ sequuntur naturam delicti, cui per legem decretæ sunt, licet lex illa pœnalis ignoretur.

Solutio.

3. Obiectio.

Ad primum igitur argumentum respondet S. Tho. quòd quantitas culpæ non attenditur ex nocumento, sed ex voluntate contra charitatem: & ideo licet pœna excommunicationis sit maior, quàm damnum temporale, non tamen quàm voluntas nocendi proximo contra diuinum mandatum.

Solut. 1. arg.

Secundum verò argumentum bene probat, quòd excommunicatio non debet ferri pro quocunque peccato mortali, nisi sit graue: nihilominus pro inæqualibus etiam potest eadem pœna infligi. Suspenditur enim fur si furatur mille aureos, & si furatur centum.

Solut. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm excommunicatio iniustè lata nullius sit effectus.

ARTICVLO præcedenti, qui est de excommunicationis iustitia disputatus, annexum est quærere, vtrum excommunicatio iniustè lata vilius sit effectus. Et arguitur, quòd nullius sit: quoniam cùm per excommunicationem auxilijs Ecclesiasticis spiritualibus, quæ tanti sunt pretij, homo denudetur, nulla fert ratio vt per iniustam sententiam tam ingens damnum detur. Quod & autoritate Hieron. fulcitur super Matth. cap. 18. vbi ait, quod hoc sit de supercilio Pharisæorum, scilicet, æstimare esse ligatum, vel solutum, qui ligatur, vel soluitur iniustè.

Pars neg.

Hieron.

In contrarium est verbum Gregorij 11. q. 3. Sententia pastoris siue iusta, siue iniusta, timenda est.

Pars affirmatiua. Decis. art.

Documentum hoc Greg. in causa fuit, vt doctores hanc disputarent quæstionem. Ad quam ideo per distinctionem quatuor conclusionibus respondetur. Excommunicatio enim, vt ait S. Tho. prædicta dist. 18. q. 2. dupliciter fit iniusta. Vno modo ex parte excommunicantis, qui non sana mente, sed ex odio, vel ira sententiam profert. Et de hoc est prima conclusio ab omnibus suscepta: Sententia excommunicationis, quæ

Excommunio iniusta ex parte excommunicantis. 1. Concl.

nullo alio vitio polluitur quam corrupta intentione iudicis, ſolida eſt, ſuumque ſortitur effectum, quamuis iudex ille quo ad Deum iniquus ſit, & peccatum committat. Probatur, quia corruptio illa mentis iudicis non tollit, quin ſententia ſeruet æquitatem iuſtitiæ, quæ inter homines eſt neceſſaria. Secundo modo poteſt eſſe iniuſta ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa non eſt iuſta, vel quia iuris ordo fuit prætermiſſus.

Ratio concluſionis.

2. Concl.

Et de hoc eſt ſecunda concluſio bimembris. Si error ille vel in cauſa, vel in ordine tantus eſt, vt ſententiam annullet, nullum habet effectum, aut excommunicationis vim: ſi verò ſententiam non annullet, habet quidem effectum ſuum, ſed nihilominus qui abſque iuſtitia excommunicatus eſt, debet humiliter obedire, cuius obedientia cedet ei in meritum, & poteſt abſolutionem vel ab excommunicante petere, vel à ſuperiore implorare: ſi autem id facere contemneret, nihil ducens in excommunicatione manere, mortaliter peccaret. Et hic eſt ſenſus verbi Gregorij. Tertio modo contingit ſententiam ex parte excommunicationis & excommunicantis eſſe debitam, licet ex parte excommunicati ſit indebita: nempe, cùm quis pro falſo crimine in iudicium defertur, & criminis reus idoneis teſtibus comprobatur.

Indebita ex parte excommunicati.

3. Concl.

Et tunc eſt tertia concluſio ſanct. Tho. Si humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum, excommunicationis damnum recompenſat. Vbi inſinuat, quod ſententia etiam tunc habet effectum.

1. & 2 conc. expoſitio.

Concluſio iſtarum prima certiſſima eſt, neque vlla indiget diſcuſſione: quoniam vbi æquitas iuſtitiæ ſeruatur, peccatum proferentis ſententiam nullatenus eam vitiat, quanquam illam proferret pretio vel prece, & intentione quomodocunque nocendi.

5. modis ſententia reddatur nulla.

1. Modus.

Neque verò ſecunda eſt dubitabilis, ſi per ſingula membra exponatur. Diſtingunt enim iuriſconſulti inter ſententiam nullam & iniuſtam. Vnde Paludanus diſt. 18. quæſt. 1. art. 4. quinque enumerat modos, quibus ſententia eſt nulla, licet Sylu. verb. Excommunicat. 1. §. 1. in quindecim diſtribuat. Primus ex parte excommunicantis, ſi non ſit legitimus iudex, vel ſit ſuſpenſus aut manifeſtè excommunicatus, vel ſi eſt delegatus, & fines mandati exceſſit, vt de reſtituti. ſpoliatorum cap. vltimo.

2. Modus.

Secundò ex parte excommunicati, ſi legitimè in tempore appellauit, vt habetur de offic. delegat. capit. Cùm contingat. & de ſententia excommunicatio. Per tuas.

3. Modus.

Tertiò ex parte excommunicationis, ſi continet errorem intolerabilem & manifeſtum contra ius diuinum aut Pontificium. Vt ſi quis, vt ſupra diximus, excommunicaretur aut pro re minima, aut pro re fortè quæ eſſet virtus, aut pro culpa, quam manifeſtum eſt non habere, vt ſi quis excommunicetur pro debito, quod omnibus eſt euidens perſoluiſſe.

4. Modus.

Et quartò eſt nulla ex cauſa tacita, licet non ſit expreſſa. Vt cùm manifeſtum ſit, vt diſt. 18. probauimus confeſſos mendicantibus legitimè eſſe confeſſos, iudex in odium illius priuilegij excommunicaret omnes qui accederent ad Euchariſtiam, ſi non eſſent parochiali ſacerdoti confeſſi.

5. Modus.

Et quintò, quando prætermittitur ordo iuris, qui ſic eſt de eſſentia ſententiæ, vt prætermiſſus illam annullet, vt ſupra dictum eſt, ſecundùm cap. Statuimus, & Conſtitutionem de ſententia excommunic. lib. 6. vbi præcipitur, quòd participantes cum excommunicatis non excommunicentur excommunicatione maiori ante monitionem canonicam, aliter excommunicatio non teneat. Sententia ergo, quæ aliquo iſtorum modorum nulla eſt, non habet cauſam vt timeatur, nec de illa loquitur Gregor. quod in eius verbis adnotari poteſt: ait enim, ſententiam paſtoris eſſe timendam. Requiritur ergo vt ſit paſtoris, ſcilicet legitimi iudicis: & præterea vt ſit ſententia, & tamen ſententia nulla, non eſt ſententia.

Gregor.

Modi quibus ſententia redditur iniuſta.

Sententia verò iniuſta, quæ non proinde ſit nulla, poteſt contingere primò ex defectu ordinis iuris, qui non eſt de eſſentia, vt ſi non præcedat trina monitio, aut vna pro tribus cum legitimis interuallis, vt ca. Sacro. de ſententia excommunicatio. aut non proferatur in ſcriptis, vt c. Cùm medicinalis. eo. ti. lib. 6. tunc n. licet ſit iniuſta, eſt tamen valida.

2. Modus.

Secundò modo id contingit, quando re vera cauſa non fuit iuſta, nihilominus ſententia non continet manifeſtum & intolerabilem errorem, ſed res eſt dubia, tunc n. non eſt ipſo iure nulla. Et ideo licet reus etiam conſilio ſuorum aduocatorum iudicet cauſam non fuiſſe iuſtam, eſt nihilominus illi timenda. Quare debet ſe gerere tanquam excommunicatum in foro exteriori. Et ſi eſſet clericus & conſecraret, fieret irregularis. Et ſi ſententiæ non pareret quouſque appellaret, & recurreret ad alia beneficia iuris, peccaret mortaliter non parendo. Imò ſententia tunc habet effectum priuandi orationibus & ſuffragijs Eccleſiæ. Atque hic eſt proprius caſus, de quo loquitur Gregor. vbi ait ſententiam paſtoris etiam iniuſtam timendam.

3. Concl. elucidatur.

Tertia verò concluſio eſt, quæ multo plus difficultatis ſecum adfert, & de qua inter doctores controuerſatur: nempe dum iudex ſecundum allegata & legitimè probata contrà innocentem ſententiam excommunicationis pronunciat, vtrùm ſcilicet eiuſmodi ſententia totum habeat ſuum effectum, ita vt excommunicatus non ſolum in foro exteriori debeat à ſacris abſtinere, verùm etiam ſit ſuffragijs & communibus orationibus Eccleſiæ orbatus, an verò non habeat iſtiuſmodi effectum. Alexander enim 4. part. 81. memb. 2. Et Ricardus d. 18. art. 3. q. 5. Et poſt illos Sylu. verb. excommunicatio. 2. §. 2. & verbo Reſti. 8. §. 6. tenent quamcunq; excommunicationis ſententiam, dummodo à legitimo iudice proferatur, & intolerabilem errorem non contineat, habere ſuum effectum. Et intelligunt etiam quantum ad priuationem ſuffragiorũ. Verum eſt tamen autores iſtos non exprimere hunc caſum quando procedit ex falſa præſumptione legitimè probata. Arguitur autem quod liget quantum ad omnem effectum. Eiuſmodi ſententia eſt legitima, hoc eſt, iuxta leges Eccleſiæ prolata, atque adeò ſic iuſta, vt ſi iudex eam non proferret, peccaret; ergo ligat quantum ad omnem Eccleſiaſticum effectum internum & externum. Et ita videtur hic inſinuare S. Tho. dum ait, quòd tunc humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum, quaſi verè ſit excommunicatio. Et Gratianus cano. Qui iuſtus. 11. q. 3. ait, quòd qui iniuſtè excommunicatur, etſi non ſit ligatus quoad Deum, ſententiæ parere debet, ne ſuperbia ligetur. Palud. verò diſt. 18. q. 1. ambiguè loquitur: nam art. 1. in 4. concl. ait, quòd cùm Eccleſia ſciat ſe poſſe errare, videtur nolle aliquem lædere iniuſtè: & propterea non videtur excludere iniuſtè excommunicatos à participio ſuorum bonorum. Nihilominus art. 3. dicit, quòd ſententia iniuſta ſi non ſit nulla, licet excommunicatus ſit innocens, & per falſos teſtes condemnatus, eſt timenda, tum propter culpam: quia peccatum eſſet non illi obtemperare, tum propter pœnam, quia ſimiliter, qui eam non ſeruat, incurrit pœnam iuris, ſicut ſi eſſet iuſta. Itaque eiuſmodi excommunicatus ſi celebraret, fieret irregularis. Durandus verò eadem diſt. q. 4. licet prius dicat, quòd innocens excommunicatus importat damnum, nihilominus in ſolutione primi ait, quòd licet non participet ſuffragia intentione Eccleſiæ, participat tamen ratione charitatis. Vbi inſinuat, quòd Eccleſia priuat cum ſuis ſuffragijs, nihilominus ille gaudet illis, quod re vera non eſt ſanè conceſſum: nam tunc Eccleſia non haberet vigorem in ſua ſententia quantumcunque legitima.

Opin. Alex.

Ratio opin. Alex.

Confirm. ex S. Thom.

Gratian.

Paludan.

Durand. opinio.

His tamen non obſtantibus, adhibetur hic ad declarationem tertiæ concluſionis quarta. Ille, qui certus eſt ſe eſſe innocentem, quamuis ſecundum allegata & probata legitimè excommunicetur, in rei veritate non eſt excommunicatus, neque ſuffragijs & orationibus communibus Eccleſiæ priuatus. Concluſio eſt Caietani 2. 2. q. 70. art. 4. ad ſecundum argum. cum quo Adrian. in quodlib. q. 6. vbi fuſius hanc quæſtionem deducit, tandem conſentit. Et re vera ratio præcipuè huic veritati ſuffragari videtur. Prudenter enim Caieta. ait, in purè moralibus theologos aliter vti nominibus iudicij, & ſententiæ iuſtæ, & iniuſtæ, & aliter iuriſconſultos. Theologi enim ſolam rei veritatem contemplantes, non diſtingunt inter iudicium iniuſtum & nullum. Id quod D. Tho. ibidem expreſsè docet, dicens, iniuſtum iudicium non eſſe iudicium. Quare idem eſt iniuſtum & nullum. Sed quia iuriſconſulti non tam ad rei veritatem, quàm ad præſumptionem iuris attendunt, diſtingunt inter ſententiam iniuſtam & nullam, dicentes, quòd poteſt eſſe iniuſta, & nihilominus non eſſe nulla. Eſt tamen aſſertio hæc intelligenda de ſententia quæ per ſe eſt

4. Concl. Reſolutiua dubij.

Aliter accipiũt Theol. aliter Iuriſc. nomina iudicium ſententia iuſta & iniuſta.

iniuſta.

Digitized by Google

Sententia iniusta per accidens. iniusta. Potest enim esse iniusta per se aut per accidens, quando procedit ex corrupto affectu iudicis: puta ex odio, vel ira, vel prætermisso ordine iuris, qui non est de essentia. Et tunc non est simpliciter iniusta, & ideo ligat. Sed per se iniusta est ex parte causæ, quando s. non interfuit æqua causa, sed vel iniqua, vel solùm præsumpta, vt quando innocens condemnatur. Et quòd huiusmodi sit nulla probatur: quia iudicium, vt ait S. Thom. ead. 2. 2. q. 60. art 1. est determinatio iusti, & sententia est sicut lex particularis in particulari facto: ergo vbi non est determinatio iusti, sed iniusti, non est iudicium: & vbi non est æqua lex iusti, non est lex: quemadmodum iniquæ leges in genere non sunt leges. Colligitur ergo, quòd excommunicatio iniusta ex parte causæ non est excommunicatio, atque adeo quantum est ex natura sui, nec ligat, nec est seruanda.

Sententia iniusta per se.

Ratio.

Ratio 2. Secundò probatur. Ecclesia non habet maiorem vim ad lædendum homines in spiritualibus, quam principes seculares in temporalibus: sed in foro ciuili sententia prolata secundum allegata & probata contra innocentem in foro conscientiæ non tenet, sed potest ille condemnatus subterfugere, dummodo non inferat vim ministris iustitiæ, & non soluere id ad quod condemnatus est: saltem si sine scandalo eximere se potest: ergo neque dum innocens excommunicatur, vlla est in rei veritate excommunicatio: Ecclesia enim non accepit potestatem lædendi in spiritualibus innocentem, imò illam multò minus accepit, quàm princeps secularis in temporalibus, eo quod pretiosiora sunt spiritualia temporalibus. Quare non accepit potestatem excommunicandi, nisi pro peccato, vt diximus, sed innocens nullum habet peccatum licet præsumatur.

Ratio 3. Accedit textus Augustini 11. qu. 3. cano. Illud planè. vbi ait, Illud planè non temerè dixerim, quòd si fuerit aliquis fidelium anathematizatus iniustè, potiùs ei oberit qui facit, quàm qui patitur iniuriam. Fateor equidem Augustinum loqui in casu, quo iudex iniustus est: nam dicit, quod ei oberit. Attamen est bonum argumentum, quod si iniustitia iudicis nihil obest excommunicato, neque iniustitia testium falsa testimonia dicentium ei oberit, licet iudex legitimè sententiam proferat. Et confirmatur per sententiam Hieron. can. Si quis. 24. quæstio. 3. dicentis. Si quis non recto iudicio ab Ecclesia repellatur, si non ita exit, vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quòd non recto iudicio expulsus est: innocens autem non meruit excommunicari. Adde & sententiam Gelasij can. Cui est illata. 11. qu. 3. vbi ait, quòd si sententia iusta non est, tantò cutare eam non debet cui illata est, quantò apud Deum, & eius Ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia. Ait glossator illic loqui Gelasium particulariter de sententia illata à Dioscoro, & ideo, quia erat hæreticus, sententiam esse nullam. Sed tamen hæc glossa nulla est, quia Pontifex generaliter loquitur de sententia iniusta, & tamen illa, quæ fertur in innocentem, licet ex parte iudicis non sit iniusta, est tamen natura sua vana, quantum ad excommunicatum attinet. Hinc fit, quòd taliter excommunicatus, si est sacerdos, & celebrat, nullam irregularitatem nec pœnam iuris incurrit in conscientia: estque adeò ei licitum, vbicunque citra scandalum id facere valuerit, sactis se perinde ingerere, ac si non esset excommunicatus.

Ratio 4.

Ratio 5.

Glossa.

Obiectio bimembris. Arguet tamen quis forsan in contrarium. Primum quod tunc verbum Gregorij non habet locum: scilicet quòd sententia iniusta sit timenda, tum etiam quod distinctio illa celebris inter sententiam nullam & iniustam explodatur. Respondetur autem, quòd iam verbum Gregorij expositum est, illo casu intelligi quando sententia non habet intolerabilem errorem, sed aliquale est dubium, & ambiguitas an sit iusta. Quare qui certus est se esse innocentem, non habet causam eandem timendi sententiam. Ad secundum respondetur, quòd hæc assertio non aduersatur distinctioni de iniusta & nulla sententia: nam distinctio non intelligitur quantum ad rei veritatem in conscientia. Et ideò restrictè locuti sumus, quod sententia in innocentem lata ex natura sua non est timenda, quia est nulla, sed nihilominus ratione scandali est ei obtemperandum in foro exteriori. Nec verò solùm ratione scandali, sed ratione etiam obedientiæ, quæ debetur prælato in foro exteriori. Nam tunc potest iudex eum reijcere ab Ecclesia, cui si resistat, peccaret mortaliter. Si tamen peregrè proficisceretur vbi non posset venire in notitiam iudicis, neque eorum qui audierunt sententiam, potest se tutò tanquam non excommunicatum gerere. Idem ferè est de sententia iniusta, quæ scilicet non cõtinet intolerabilem errorem. Si enim re vera non habuit causam iustam, nulla est in rei veritate, nec ligat in conscientia, sed tamen quia priuato homini non incumbit iudicare sit iusta nec ne, parendum est ei donec procuretur remedium iuris. Et ideo non dicitur nulla, sed reuocanda. Et fortasse Gratianus vbi supra citatus est, nihil aliud vult, quam quòd sit ei in foro exteriori parendum. Et hoc forsan dunta xat est, quod dicit S. Tho. sed quia illud grauamen exterius est aliquod damnum, ait illud per meritum obedientiæ recompensari. Et per hoc patet solutio argumenti in capite quæstionis propositi. Si enim sententia solùm est nulla ex defectu ordinis iuris qui non est de essentia, dummodo causam habeat iustam, argumentum non concludit non habere effectum. Si verò sit iniusta ex parte causæ, vt expositum est, concludit carere effectu in rei veritate, sed nihilominus est timenda, & obseruanda, & ad euitandum scandalum propter obedientiam, quæ in foro exteriori præfectis debetur.

Obiectio bimembris.

Sol. 1. mem.

Sol. 2. mem.

Solu. arg. initio allata.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm liceat cum excommunicato in externis corporalibusq; actionibus communicare.

Pars affirmatiua. arg. 1. QVIA dictum est excommunicatos excludi à fidelium cœtu, quæritur, vtrùm liceat cum illis in interioribus & corporalibus communicare. Et arguitur à parte affirmatiua. Potestas clauium, per quam excommunicatio fit, est spiritualis: ergo non extenditur ad arcendum hominem à contubernio & commercio humano exteriori, quod iure naturæ & gentium commune est omnibus hominibus, sed duntaxat ad priuandum bonis spiritualibus, quæ sunt Christianis particularis.

2. Arg. Secundò. Quod pro charitate institutum est, vt libro de præcepto autor est Bernardus, contra charitatem militare non debet: sunt autem multæ necessitudines inter homines, quas etiam erga inimicos vinculo charitatis exercere debemus, vt visitare infirmos, consolari tristes, docere indoctos, &c. quæ sine conuersatione exerceri non possunt: ergo si excommunicati nostra opera indigeant, possumus cum illis conuersari.

Pars neg. In contrarium autem est, quod Ioann. in 2. cano. præcipit, quòd deuiantibus à doctrina Christiana, nec Aue dicamus. Et Paul. 1. Cor. 5 quòd cum illis, qui corruptis sunt moribus, nec cibum sumamus.

Decis. art. 1. Concl. In ista quæstione multæ sunt extricandæ particulæ. Quas quinque conclusionibus comprehendemus. Et prima, quæ omnium sit fundamentum, est constitutio concilij Constant. Nullos teneimur euitare excommunicatos, nisi sint altero duorum modorum excommunicati: scilicet vel nominatim, vel quia percussores sunt clericorum adeò notorij, vt factum non possit aliqua ratione conuersatione celari. Id enim fuit salubriter in dicta synodo ad sedandas timoratas conscientias, & ad adimendos scrupulos salubriter constitutum. Nam cùm aliter excommunicati non sint manifesti, multi inferperent scrupuli inter homines, vtrum illi, cum quibus conuersantur, sint excommunicati.

In duobus tantum casibus excomm. vitandi.

Tenor decreti concilij Constant. Tenor autem decreti, quod D. Antoninus 3 par. titu. 25. c. 2. refert, est huiusmodi. Insuper ad euitandum scandala & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius in sacramẽtorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunque, diuinis vel extra, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare: aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, aut censura huiusmodi fuerit in vel contra personam (intellige nominatam) vel contra collegium, vel vniuersitatem, Ecclesiam vel locum certum, vel certam terram (intellige quantum ad interdictum, nam vniuersitas, vt statim dicemus, non potest excommunicari) à iudice publicata, & denunciata specialiter &

Digitized by Google

expresè (Loquitur de interdicto: excommunicatio n. potest ferri à iure, sed interdictum, nominato loco, aut persona, non nisi per sententiam iudicis.) Constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Et sequitur exceptio. Saluo si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum sententiam latam a canone adeò notoriè constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari: nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones. Requiritur ergo ad euitandum excommunicatum, quod sit ipsa persona, quæ excommunicatur, nominata, vel manifestus percussor clerici. Hanc constitutionem iam supra d. 1. q. 5. ar. 6. explicuimus. Refert n. Adrian. q. 3. de clauibus. & Syl. ver. Excom. 5. §. 9. postmodum conc. Basil. ampliorem fecisse exceptionem: nempe vt teneremur vitare omnes notoriè excommunicatos quacunque de causa essent excommunicati. Et illi literæ Basilienſi ait Syl. standum esse. In quam sententiam Panor. in cle. 2. de sen. excom. & Fel. in c. Rodolphus. de rescriptis. Illam autem exceptionem sunt qui repellere velint, eo quòd Basilienſe concilium fuit schismaticum, & Itali illud non susceperunt, licet Germani & Galli illud susceperint. Quocirca, vt ibidem ait Adri. quia de illius autoritate plures dubitant, & communiter ei pondus autoritatis non defertur, possumus stare concilio Constan. Imò licet illa constitutio facta fuisset ante schisma, postea tamen in concilio Florent. sub Martino 5. omnia fuerunt decreta secundum tenorem concilij Constant. Et ideo iam more & vsu Ecclesiæ receptissimum est, vt non euitemus, nisi duas illas excommunicatorum species, quas prædictum concilium iussit. Et eidem tenet Caietanus in summa, ver. Excommunicatio. cap. De excommunicatione minori. & ita absque vllo metu tenendum est. Quocirca & si sciuerim aliquem esse occultum excommunicatum non nominatum, non teneor illum euitare. Neque si sciuerim esse hæreticum, donec sit condemnatus de hæresi: eo enim quod quis de hæresi condemnatur, censetur nominatim excommunicatus. Item non est necessarium, vt sub nomine proprio excommunicetur, satis n. est, quòd excommunicetur sub nomine officij. Dum n. prætor Salmantinus excommunicatur, teneor illum euitare. Nec solum cum alijs excommunicatis communicare licet extra sacra, verum etiam in sacris, & sacramenta ab illis suscipere.

Exceptio.

Licet inuitare eum qui excom. est non nominatè, ad ministrandum sacr.

Nec sic ministrantes peccant.

Ait verò illic Syl. quòd hoc intelligitur, quando ipsi sunt parati conferre, alioqui non licet nobis illos ad id inuitare, quia esset eos inuitare ad peccatum. Nihilominus, vt loco citato monstrauimus, licet eos inuitare, imò casu, quo aliàs tenentur, licet eos compellere: parochianus n. potest suum plebanum excommunicatum cogere, vt suam confessionem audiat, & Eucharistiam administret, & pariter qui est in articulo mortis. Vnde illic intulimus sacerdotes ipsos generaliter excommunicatos, dum inuitantur, non peccare sacramenta administrando: alioqui non satis consultum fuisset conscientijs populi: nam si sacerdos peccaret, teneretur se subtrahere aliorum communioni, atque adeò neque subditi possent illos compellere, neque alij tutò illos inuitare. Quare quòd non peccent, non est illis indultum in fauorem ipsorum: quia concilium dicit nolle excommunicatis in aliquo suffragari, sed in fauorem populi. Atque inde subsequitur, quòd nemini excommunicatorum quomodocunque sit excommunicatus, quamuis generaliter & occultus, concessa est per eandem constitutionem licentia communicandi cum alijs in sacris. Quare non possunt interesse missarum sacrificijs, aut reliquis diuinis officijs: quia in hoc alij non communicati non indigent suis officijs & obsequijs. Possunt autem non excommunicati etiam in diuinis communicare cum illis interessendo sacris, imò sacerdos celebrare coram illis, & extra sacra in alijs externis actibus: quia hæc non in fauorem excommunicatorum synodus illis concessit. Itaque dum fulminata est sententia excommunicationis in eum, quicunque fuerit, qui furtum fecit aut incendium, si non restituerit, & ego certo scio Petrum esse illum, non teneor illum euitare neque in sacramentis, neque in sacrificijs, imò possum coram illo celebrare. Quin verò si lata fuerit censura in incendiarios, vel concubinarios generaliter non nominatis personis, licet aliqui sint publici incendiarij, vel concubinarij, tamen nemo tenetur illos vitare. Atque hoc est tanquam tutum fundamentum hic subijciendum ad diluendam nubium densitatem, quam faciunt Summistæ, & illi quos citant autores de isto participio cum excommunicatis, vt est videre apud Sylu. verb. Excommunicatio, 5. per totum: distingunt enim de illis qui sunt occultè vel publicè excommunicati: nempe quòd non tenemur euitare occultos, sed publicos, cum tamen omnia illa solum habuerint locum ante concilium Constant. post illud namque non tenemur euitare nisi illas duas excommunicatorum species.

In quibus excomm. occultis non liceat cum alijs conuersari.

Fundamentum.

Quòd si arguas. Si illi extra sacramenta non possunt communicare nobiscum in diuinis officijs, sit, vt nec nos cum illis, alias cooperamur illorum crimini. Negatur consequentia: quia cum nos vtamur iure nostro, nullatenus eorum delicti causa sumus.

1. Obiectio.

Solutio.

Vnum autem arg. posset incautum decipere: cum enim concilium concedat, vt possimus cum excommunicatis communicare tam in administratione, quàm in receptione sacramentorum, apparet inde consequi, quòd non solum possimus ab excommunicatis recipere sacramentum, verùm etiam illis administrare: consequens tamen est falsum, quia illa concessio non est facta in eorum fauorem, & ideo illi peccant recipiendo, imo non verè à peccatis absoluerentur, atque adeò qui sciret aliquem esse excommunicatum, peccaret illi dando. Negatur ergo consequentia. Haud n. licet vt excommunicato sacramentum præbeamus, non ex eo quòd non liceat cum illo communicare, sed quia tenemur iure diuino vitare peccatum proximi quantum possumus: & ille excommunicatus est à participatione sacramentorum exclusus, & concilium non concessit, nisi quantum potuit. Vnde cùm non liberauerit eos qui generaliter sunt & occulti excommunicati ab excommunicatione, subsequenter, nec potuit facere, quòd non esset eis peccatum recipere sacramentum. Ex quo sequitur, quòd si excommunicatus habet aliàs ius compellendi sacerdotem, nempe, quia est parochianus eius, & occultè excommunicatus, petit autem Eucharistiam in publico, tenetur illi ministrare, sicuti & occulto peccatori, vt dist. 12. q. 1. art. 6. monstrauimus. Secùs si occultè petat. Attamen sacramentum pœnitentiæ quomodocunque sit excommunicatus, & quomodocunque petat, non potest ei exhiberi, quia absolutio nulla esset.

2. Obiectio.

Dilutio.

Occultè etcõmun. petenti Eucharist. publicè, non est negãda: secus si occultè.

Postremum autem argumentum contra eandem constitutionem existit, quòd concilium id concedere nequiuerit: nam videtur iure diuino excommunicatis prohibitum cum alijs communicare, saltem hæreticis, qui iure diuino videntur esse excommunicati, vt ait Almain dist. 18. q. 1. Ad hoc autem iam art. 1. respondetur est, nullum peccatum iure diuino esse excommunicationi subiectum sub illa forma, qua vtitur Ecclesia. Iussit enim Paulus hæreticum hominem euitare, sed tamen quòd hoc vel illo modo sit euitandus, non est lex, nisi Ecclesiastica, quam ideò Ecclesia potest recto iudicio variare.

3. Obiectio.

Solutio.

Secunda conclusio. Cum prædictis duobus excommunicatorum generibus in concilio expressis peccatum est, nisi in casibus iure concessis, communicare, & illi quoque peccant, imò magis, cum alijs in actibus prohibitis communicando. Conclusio est clara: nam excommunicatum priuare à communione, est ei præcipere ne cum alijs communicet, ac subinde alijs ne cum illo participent: quare tam ipse, quàm alij inobedientes sunt, inuicem conuersando. Quamuis cæteris paribus grauius peccet excommunicatus, qui causam dedit excommunicationi, & à communione excluſus est, quàm alij, qui solùm in odium excommunicati excluduntur ab eius consortio. Et sunt decreta Fabiani can. Sicut. & Callisti, & Isidori in duobus sub sequentibus, 11. q. 3. Imò additur inibi statutum esse Apostolorum, vt cum excommunicatis non sit communicandum. Quod fortè dixerunt propter verbum Apostoli, Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.

2. Conclu.

Declaratur cond.

Statutum Apostolorũ.

Vtrùm verò hoc peccatum semper sit mortale, est dubium: nam quidam, vt ait S. Tho. d. 18. q. 2. art. 4. dixerunt in vniuersum semper esse mortale: quia est contra præceptum Ecclesiæ. At verò cùm neque contra præcepta diuina semper committatur peccatum mortale, vt patet in mendacio iocoso, quod non propriè dicitur contra, sed præter, sit vt neque semper violator præcepti Ecclesiæ mortaliter delinquat. Vnde S.

Dubium, An semper sit peccatũ peccatum mortale cõmunicare cum excom. Innocent.

Thom.

Digitized by Google

Thom. cui omnes Theologi consentiunt, & sapientiores iurisconsulti, tenet, quòd communicare cum excommunicatis non semper est mortale. Hoc ergo æstimari debet ex quantitate materiæ sitne grauis an leuis.

Primum n. nulla est prohibitio communicandi cum excommunicato excommunicatione minori. Ob idque fertur, quòd excommunicatio non transit in tertiam personam. Quod est dicere: si ego, quia communicaui cum excommunicato, peccaui, & sum excommunicatus excommunicatione minori, non ideo qui mecum communicant, vel peccant, vel excommunicati sunt.

Effectus excomm. maior.

Ad intellectum autem participationis excommunicati excommunicatione maiore præsupponēdi priùs sunt eiusdem excommunicationis maioris effectus.

1. Priuatur susceptione sacramentorum.

Excommunicatus enim, tam excommunicatione minori quàm maiori, quamuis sit occultè & generaliter excommunicatus, priuatur susceptione sacramentorum, atque adeò cuncti peccatum mortale committunt suscipiendo sacramenta: quia susceptio sacramentorum est res grauis, & prohibita, tametsi grauiùs peccet excommunicatus excommunicatione maiori. Erat autem olim omnis sic excommunicatus maiori excommunicatione, priuatus etiam administratione sacramentorum, nunc autem non nisi nominatim excommunicatus, & manifestus percussor clericorum, qui ideo si sacramenta ministrent, mortaliter delinquunt, & si sunt sacerdotes, & celebrant, fiunt irregulares. Imò eandem incurrunt pœnam omnes cuiusque generis excommunicati celebrantes, aut sacros ordines suscipientes.

Excommunicati olim priuati erāt administratione sacra.

2. Priuatur munere eligendi tam actiuè quā pass.

Item excommunicatus excommunicatione maiori eligendi munere priuatus est, tam actiuè quàm passiuè: quare si eligat, vel electus sit, electio est nulla, vt habetur de consuetudine. c. Cùm dilectus. Quocirca in vtroque peccat mortaliter. Nec potest beneficium recipere, nec conferre, nec actum iuridicum exercere, siue secularis fuerit iudex, siue Ecclesiasticus: quare si illa tanquam iudex exerceat, peccat mortaliter: quia graue officium vsurpat, & damnum dat litigantibus, eisque iniuriam infert. Et fortè de expensis, quas suâ causa litigator in cassum dispēndit, tenetur ei. Hæc patent 24. q. 1. can. Audiuimus. & de concess. præben. ca. Tanta. Nec potest accusare, aut testis esse in iudicio. Hoc tamen non esset peccatum mortale, si verum perhiberet testimonium, quia nemini videtur iniuriam irrogare, sed solùm esset inobedientia venialis: sicut nec est peccatum petere, aut reddere coniugale debitum, vt benè ait Caiet. ver. Excommunicatio. circa finem. magis quàm petere pecuniam à debitore, aut creditori soluere: quamuis debitor excipere possit contra creditorem allegando excommunicationem: quia excommunicatus non potest stare in iudicio tanquam actor, sed conueniri tanquam reus, vt c. Intelleximus. de iud. cauetur.

3. Nec accusare, nec testis esse potest in iudicio.

4. Priuatur commercio fidelium exteriori.

Præterea priuantur excōmunicati excommunicatione maiori cōmercio fideliū exteriori, quod illo versiculo citato continetur: Os, orare, vale, communio, mēsa negatur. Quòd si arguas ciuilem hāc communicationem & conuictum esse de iure naturæ omnibus gentibus communem, ac proinde non posse Ecclesiam homines huiusmodi vrbanitate priuare. Negatur consequentia: quia etiam in illis potest suos subditos punire, sicut in bonis fortunæ.

1. Obiectio. Solutio.

2. Obiectio.

Sed iterum arguitur. Magis sunt à nobis elongati ethnici quàm excommunicati: sed cum gentilibus licet communicare: ergo & cum excommunicatis. Præsertim quòd Christus non amplius de excommunicatis dixit, quàm quòd essent nobis sicut ethnici. Respondetur autem, quòd forsan allusit Christus ad ethnicos respectu Iudæorum, qui prohibiti erant cum eis communicare. Secundò respondet S. Thom. quòd de ijs qui foris sunt Ecclesia non curat: quia non propriè dicuntur rebelles Ecclesiæ. Suos autem subditos contumaces punit, vt in eorum odium, alij non communicent cum illis.

Solut. 1.

Solut. 2.

Regula bimembris.

In hoc ergo participio cum excommunicatis, vt excusentur tam multæ distinctiones occultorum & publicorum, solus referendus est oculus ad fundamentum prætactum ex Concilio Constant. Vnde eliciatur bimembris regula, quòd excommunicati excommunicatione maiori in vniuersum cuiuscunque generis tenentur se subtrahere à communione aliorum in rebus diuinis, præterquam in collatione sacramentorum, in quibus alij opus habent eorum officio. Alij verò in nullo tenentur se subtrahere ab eorum communione, s. neque in sacramentis, neque in officijs diuinis, neque in rebus exterioribus: quia concilium nihil eis in eorum fauorem concessit, sed in fauorem non excommunicatorum.

Circa orationem 1. part. † a. 1. huius §. Quomodo autem.

Hoc supposito, vt ab oratione incipiamus. Primum vt, suprà diximus, † nullus ministrorum Ecclesiæ in orationibus communibus potest orare pro excommunicatis maiori excommunicatione cuiuscunque generis sint, atque id facere esset peccatum mortale: quia est res grauis, & concilium Constantiense in hac parte nihil eis concessit.

Circa conuersationem in sacris.

Sed quantum ad conuersationem cum illis, in sacris distinguendum est, vt diximus. Si n. non sint ex illis duabus speciebus in concilio Constan. nominatis, generaliter possumus cum illis communicare, siue in sacris, siue extra, nec opus est alia distinctione. Si verò sint ex illis, habent locum istæ quinque in quibus non possumus cum illis communicare. Quare non possumus coram ipsis missas aut diuina officia celebrare, neque eorum audire sacra, neque alternatim cum illis recitare soluendo horas Ecclesiæ. Et quodcunque istorum esset peccatum mortale, vt patet. ca. Nuper. de sent. excomm. & ca. Sacris. de his quæ vi met. ve. cau. fiunt.

An liceat idem sacrū audire cū excomm.

Sed vtrùm possimus simul interesse officijs diuinis, vt si non excommunicatus audiat sacra, & videat intrare excommunicatum ex illis duabus speciebus, teneatur exire. Ad hoc Durand. dist. 18. q. 5. ait, quòd licet non consuleret, vt quis cum excommunicato simul audiret sacra, nihilominus non videtur ei hoc esse prohibitum: quia communicare in diuinis non est, nisi vel missam dicere, vel audire ab illo, vel simul Psalmum canere cum illo: tamen quòd vni intersint missæ, non est secum communicare, sed cum sacerdote.

Opin. Durand.

Opin. Palu. Caiet.

Nihilominus indubiè omnes fatentur hanc esse communionem prohibitam, vt Palu. q. 6. & Syluest. ver. Excommunicatio. 5. & Caie. eo. ver. circa fin. Tria ergo prohibentur, s. ab illis audire, illisque dicere sacra, & cum illis interesse sacris. At verò, vt ait Inn. super c. Nuper. de sen. exco. & vbi suprà Caie. quòd excommunicatus & non excommunicatus sint in vna Ecclesia, non sufficit, vt dicantur communicare. Si enim dum ego audio missam, excommunicatus est in Ecclesia non gratia audiendi sacrum, sed suam exercendo artem, vel in angulo sedens, imò licet ego in vna capella missam audiam, & excommunicatus in alia, non communico cum illo. Quinuerò si ambo priuatim, & quando officia non celebrantur seorsum oramus, non communicamus: nam ingressus Ecclesiæ ad orandum non est excommunicatis prohibitus: licet aliqui Summistæ gratis contrarium dicant. Neque si clericus excommunicatus extra officiorum tempus in Ecclesia solus suas horas canonicas persolueret, causam video cur peccaret.

Autor opin.

Dubium, Quid celebranti faciendū dum excomm. superuenit.

Hic autem interroget quis fortè, quid, si dum sacerdos celebrat, huiusmodi excommunicatus ingrederetur Ecclesiam, faciendum esset. Respondetur cessandum esse quousque exeat: quòd si exire noluerit, expellatur, sine scandalo tamen, & percussione. Si autem id fieri non potuerit, & canon non fuerit inceptus, cessandum omnino. Imò forsan, vt Innocen. insinuat super cap. Nuper. nisi consecratio incepta fuerit, cessandum esset, quia illic incipit sacrificium. Facta autem consecratione, necesse est vsque ad sumptionem procedere: quia strictius præceptum est integritatis sacramenti: quàm excommunicatos excludere.

Excommunicatus potest audire concionem, non autem habere.

Prædicatio autem, vt habetur can. Episcopus. de consecrat. dist. 1. & lectio quantumcunque sit theologiæ, fieri potest coram excommunicato. Quare & Doctor respondere potest discipulo excommunicato interroganti circa lectionem. Ipsi autem excommunicati eosdem actus solenniter exercere non valent in publico, saltem si sint ex illis duabus excommunicatorum speciebus expressis in concilio Constantien. Nam si sint occulti, & generaliter excommunicati, nullum est peccatum eorum interesse concionibus & lectionibus. Neque ipsi peccarent mortaliter, saltem dum ex officio eis eiusmodi munera incumbunt.

Communicatio in mutuo colloquio.

Interdicitur deinde os, id est, ne oris munere cum illis duabus excommunicatorum speciebus, præterquam in casibus à iure concessis, de quibus statim videbi-

videbimus, communicemus: nempe ne osculum pacis eis porrigamus, aut eos amplexemur, aut alia pacis indicia eis ostendamus, nec colloquium aliquod cum illis ineamus, siue per verba in præsentia, siue per literas, aut per nuntium in absentiam.

Salutatio aut resalutatio prohibetur.

Interdicitur & Aue, videlicet, quia nec eos salutare licet, nec si nos salutent, resalutare. Addunt aliqui, nec capiat eis detegere, nec assurgere, quia omnia illa sunt salutationis indicia. Tamen cùm pœnæ non sint ampliandæ, sed restringendæ, & nomine salutationis solum verbum, vel literæ in rigore intelligantur, fortasse alia vrbanitatis indicia non prohibentur, quamuis scrupulo non careat. Possumus tamen eis dicere, Dominus te illuminet, aut te conuertat.

Commun. in sacramentis & mensa.

Inhibetur præterea & communio, primum in sacramentis, deinde in alijs commercijs & contractib.

Postremò denique & mensa communis negatur. Haud enim cum eis licet in eadem mensa edere aut bibere. Si autem in eadem camera non excommunicatus in vna mensa comedat, & excommunicatus in alia, non est cum illo communicare. Hæc igitur omnia cum illis tantùm duabus speciebus intelliguntur expressis in concilio Constantiensi.

Quale peccatum sit in externis communicare.

Veruntamen eiusmodi communiones in actibus externis non sunt peccata mortalia, sed venialia: quia non fiunt in re graui, & ideo non censetur Ecclesia illas cum tanto rigore inhibere, vt loco citato autor est S. Thomas, & cum ipso omnes.

3. Concl. In 4 casibus mortale est peccatum participare cum excom.

Quo ergo colligamus quando participium cum excommunicatis sit veniale peccatum, & quando mortale, subiungitur tertia conclusio. In quatuor casibus communicare cum excommunicatis peccatum est mortale, præter quos in nullo alio est nisi veniale.

1. Casus.

Primus est, cum participatur cum excommunicato in crimine criminoso: nempe in eo crimine, pro quo lata est excommunicatio, vt patet c. Nuper. de sent. excommun. Et hoc intelligitur non solum de illis duabus speciebus expressis in conci. Constantien. sed quocunque crimine quomodolibet excommunicationi subiecto, videlicet si quis excommunicatus est propter adulterium, quia detinebat adulteram, quousque illam abijciat, quicunque fauore, aut auxilio, aut consilio eum iuuerit ne eam expellat, in eodem crimine peccat, licet autem in alio crimine participet cum illo, non peccat contra excommunicationem. Adultera verò, vt habetur capit. Si concubinæ. de sent. excom. pariter peccat contra excommunicationem, nisi persuaserit ei ne se relinquat.

2. Casus.

Secundò, si participet in diuinis, vt supra expositum est, & autoritate capituli, Nupes confirmatum. Quod intelligitur cum illis duabus speciebus conci. Constant.

3. Casus.

Tertius casus est secundum S. Tho. loco citato, & c. Si celebret. de cle. excom. quando communicatio illa fit in contemptum Ecclesiæ. Atqui Dur. loco citato ait contemptum subesse, quando quis ita crebrò cum excommunicato communicat, ac si non esset excommunicatus. Huius tamen rationem non video, postquam communicatio non est prohibita, nisi sub ratione veniali. Nunquam ergo in hac re est contemptus, nisi quando quis pro nihilo prorsus excommunicationem duceret, & Ecclesiæ autoritatem in hac parte.

Durand.

4. Casus.

Alios casus multiplicant Summistæ, vt Sylu. ver. Excommunic. 5. sed certè sine solido fundamento. Quare non sunt, nisi isti tres, & præterea quartus, quando est lata sententia excommunicationis maioris in participantes: tunc n. est peccatum mortale. Quoniam, vt supra dictum est, quodcunque præceptum sub comminatione excommunicationis maioris ponitur, insinuat obligationem sub reatu mortali. Sed est tamen adnotandum, quòd eiusmodi excommunicatio in participantes ferri non potest, nisi explicentur illi excommunicati sub certis nominibus, cum quibus participium prohibetur. Si enim iudex sic diceret, Præcipimus, sub censura excommunicationis maioris, vt nemo communicet cum excommunicatis huius ciuitatis, sententia esset nulla, quamuis exprimeret, cum illis, qui sunt nominatim excommunicati, vel manifesti percussores clericorum, quos alias teneremur vitare. Esset n. hoc confusionem parere, & laqueos timoratis conscientijs obtendere. Sed debet esse forma censuræ, vt nemo participet cum Petro aut Paulo excommunicato, vel saltem nominare eos de officio, aut alia qualitate manifesta, s. vt nemo participet cum prætore:

Excommunicatio in participantes ferri debet expressis excommunicatorum nominibus.

sed si diceret, cum omnibus ministris iustitiæ, adhuc sententia esset illicita, quia vix ministri iustitiæ noti esse possunt. Secus si diceret, cum senatoribus, aut scribis, casu quo eorum numerus certus est, idemque notissimus. Et præterea vt talis sententia sit legitima, debet præcedere canonica admonitio, aliter nulla est, vt in cap. supra citato, Statuimus. de sen. excom. in 6. sancitur.

Canonica monitio debet præcedere.

4. Concl.

Quarta conclusio. Ex participatione cum excommunicatis contrahitur quandoque excommunicatio maior, quandoque minor. Maior quidem in tribus casibus, scilicet, quando quis communicat cum excommunicato in crimine criminoso: nempe in illo pro quo lata est excommunicatio, vt patet in citato, c. Nuper. de sen. excom. Secundò, si quis communicet cum excommunicato nominatim à summo pontifice in officijs Ecclesiæ: vt patet. c. Significauit. eo. tit. Nam planè intelligit illic Papa contrahi excommunicationem maiorem, sanè cum dicat pro beneficio absolutionis ad apostolicam sedem esse recurrendum. Item colligitur ex capitu. Sacris. de his quæ vi met. can. Tertiò, postquam pronunciata est sententia excommunicationis in omnes participantes. Ex nulla verò alia participatione prohibita cum excommunicatis contrahitur, nisi excommunicatio minor: quia talis participatio non est nisi veniale peccatum. Vnde quod in can. Excommunicatos. & in proximo. Cùm excommunicato. dicitur: videlicet, participantem cum excommunicatis simili excommunicationi subiacere, intelligendum est primum, si communicauerit cum illis duabus speciebus concilij Constan. Deinde simili, non æquali, sed quòd subiacebit etiam excommunicationi puta minori.

Participando cum excomm. tribus casib. maior excomm. contrahitur.

5. Concl.

Quinta conclusio. Quinque sunt casus, in quibus licet sine peccato cum excommunicatis communicare, qui his versibus continentur. Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse. Hæc anathema faciunt, ne possit obesse. Vtile, hoc est, propter propriam vtilitatem: quia licet vnicuique quod sibi debetur ab excommunicato petere & exigere, & eum in iudicio conuenire, vt in c. Intelleximus. de iudicijs. citatum est. Item: propter vtilitatem ipsius excommunicati: licet enim ei consulere, & persuadere, vt se à censura explicet, vt ca. Cum excommunicato. 11. q. 3. Et quanquam aliqua verba intermisceantur vrbana ad captandam eius beneuolentiam, nullum est periculum.

Versiculi. Vtile.

Lex.

Secunda causa est lex matrimonij, quia quamuis alter coniugum sit excommunicatus, licet alteri communicare, & debita petere, & reddere, nisi forsan excommunicatio lata esset in causa matrimonij: quia lis esset, an sit legitimè contractum. Tertiò humile, s. propter subiectionem. Quare filij, serui, & familiares possunt cum parente, & hero excommunicato, & cum hera communicare, vt can. Quoniam multos. 11. q. 3. à Gregor. prouidenter decretum est, & rustici etiam seruientes. Et eadem ratione pater potest communicare cum filijs excommunicatis quos habet domi: nam si emancipati sunt, non licet cum eis participare, vt ait S. Thom. di. 18. q. 2. ar. 4. & cum excommunicatis seruis, in ijs saltem officijs quæ sibi debentur. Et idem censetur de subditis in religionibus respectu prælatorum: tametsi hoc Ricardus & Paludanus gratis negent.

Humile.

Res ignorata.

Quartò: & ignorantia excusat, vt si quis ignorat alium esse excommunicatum, vt eod. can. Quoniam multos. habetur.

Necesse.

Et similiter necessitas, quæ legem non habet. Quare eod. can. præuidetur, vt peregrinus, qui non potest aliunde, possit ab excommunicatis necessaria emere. Et hoc verum est, siue necessitas sit ex parte excommunicati, siue ex parte alterius: quia debemus in necessitate excommunicati ei succurrere, & in nostra possumus ad eum recurrere. Vnde cap. Voluntate. de sentent. excomm. conceditur prædicatoribus, vt valeant ab excommunicatis eleemosynas postulare. Papa verò, quia communicare cum excommunicatis solùm est iure positiuo vetitum, in quo ideo ipse dispensare potest, eo ipso quòd loquatur, vel communicet cum excommunicato, censetur dispensare in lege: & ideo nunquam in huiusmodi conuersatione peccat. Secùs de alijs inferioribus prælatis, quia nemo eorum dispensare potest, vt cum excommunicato communicare liceat, quare ipsi peccant cum illis communicando.

Dubium tandem hic præcipuum restat, vtrùm ne-

tus

Dubium. An metus mortis excuset à peccato.

tus mortis hominem excuſet, vt citra peccatum liceat cum quocunque excommunicato communicare. Et cauſa dubitandi eſt, quòd videtur Innocen. ca. Sacris. de ijs quæ vi met. ve. cau. fiunt. partem negatiuam definire: videlicet, quòd pro nullo metu debet quis cum excommunicatis communicare, quia pro nullo metu debet quis peccatum mortale incurrere. Sed ex altera parte facit, quod neceſſitas, vt modò dicebamus, facit eiuſmodi participationem cum excommunicato licitam: metus autem mortis eſt inter neceſſitates præcipua. Quæſtio eſt, de qua plurimum inter doctores controuertatur. Adrianus enim in illa citata q. 3. de clauibus contendit nullum metum mortis excuſare, quo minus peccatum ſit communicare cum excommunicatis, in quorum ſententiam plures iuriſconſultorum refert, quia videtur eſſe apud eos opinio communis.

Ratio dubij.

Opin. Adr.

Notandum 1. ad dub. reſolut.

At verò, vt quæ liquida ſunt priùs ſtatuamus, diſtinguendum eſt in primis de participatione cum excommunicatis. Nam de illa, quæ non eſt niſi peccatum veniale, Papa illic minimè loquitur, cùm expreſsè dicat pro nullo metu incurrendum eſſe peccatum mortale. Quocirca S. Thom. in 4. & Caiet. 1. 2. q. 96. arti. 4. capitulum intelligit. de participatione in ſacris: nempe de illo qui celebrat coram excommunicato nominatim. Secundò eſt adnotandum, quòd pro nullo prorſus metu quantumcunque vehementiſſimæ mortis incurrendum eſt vllum peccatum, non ſolum mortale, verùm neque minimum veniale. Quare Papa ex ſuperabundanti ibidem dixit, mortale, quia licet dixiſſet generaliter nullum incurrendum peccatum, verùm dixiſſet. Nec de hoc vlla prorſus eſſe poteſt controuerſia: quia implicat contradictionem licere peccare. Licitum enim & peccatum è diametro pugnant: idem enim prorſus eſt, id facere quod non licet, & peccare, atque id facere quod licet, & non peccare. Tota autem lis eſt & contentio, vtrum eo rigore Eccleſia præcipiat non communicare excommunicatis, vt obligare etiam velit non obſtante metu & periculo mortis, an verò mitior ſit eius obligatio, vt cum tanto periculo non intendat nos obligare. Rurſus notandum, quòd quidam, quos illic refert, impugnatque Caietanus, negare contendunt Eccleſiam aliquod præcipere ſub reatu mortali, non obſtante periculo & metu mortis.

2. Nota.

Sęſus dubij.

3. Nota.

1. Reſponſ. Eccleſia poſſet talem legem condere.

Ad quæſtionem ergo duo reſpondetur. Primum, quòd Eccleſia poteſt talem legem facere. Enimuerò tanta eſt poteſtas in Eccleſia ad ſuas ferendas leges, quanta in principe ſeculari ad ferendas ſuas: princeps autem ingruente legitima cauſa poteſt talem legem condere, vt priùs debeat cuiuis morti ſuccumbere, quàm illam frangere: atque adeò illam metu mortis infringere eſſet peccatum mortale. Nam ciues non ſolum quantum ad ea quæ poſſident, verùm & quantum ad ſe ipſos ſunt partes reipublicæ: & ideo quando cauſa communionis id exigit, poteſt eos princeps mortis periculo obijcere. Vt patet in bello, vbi plurimæ huiuſmodi leges iuſto iudicio feruntur.

2. Reſponſ.

Alia ſunt prohibita quia mala; alia mala quia prohibita.

Sed quia de hoc primo membro non attinet ad propoſitum, adhibetur ſecundum. Eccleſia hactenus nullam talem legem edidit, niſi vbi de cauſa protectionis fidei & virtutum ageretur. Vbi illius celebris diſtinctionis meminiſſe opus eſt, aliqua ſ. eſſe prohibita, quia mala: videlicet quia intrinſecam habent malitiam: alia verò mala, quia prohibita, quia non ſunt intrinſecus mala. In illis ergo primi generis priùs debet homo mortem opperire, quam legem tranſgredi, etiamſi non ſit niſi peccatum veniale. Citiùs enim mors obeunda eſt, quàm adulterandum, vel peierandum, vel mentiendum, etiamſi non ſit niſi mendacium iocoſum leuiſſimum. In alijs verò ad explorandam intentionem legiſlatoris & legis, ſpeculanda eſt rei quantitas, quæ vel præcipitur, vel prohibetur. Probatur ergo concluſio. Quamuis lex obligans ſub peccato mortali, imò obligans ſub reatu veniali, genere ſuo adferat, vt etiam non obſtante metu mortis ſit ſeruanda: quia pro nullo metu, vt dicebamus, peccandum eſt, nec venialiter, tamen ex bonitate ipſius legis, & prudentia legiſlatoris, non ſemper cum tam ingenti periculo obligat. Sed hoc perpendendum eſt ex rei ipſius natura, vt videlicet conſideretur quanti obſeruatio eius legis reipublicæ referatur. Exempli gratia. Lex Pontificia præcipit quadrageſimale ieiunium, & feſtorum obſeruantiam, tamen profectò quando quis infirmatur, non tenetur

Non ſemper leges cum tanto periculo obligant.

ieiunare, ſed excuſatur, quia non tanti refert ieiunare, quanti ſalus hominis. Igitur ſi alicui metus mortis incuteretur: vt ieiunium frangeret aut feſtum, diſtinguendum eſt. Aut enim ille incutitur a tyranno in contemptum & odium fidei, & legis: ſcilicet, ad conuincendum fidem noſtram & legem falſam eſſe, & nullius valoris. Tunc reuera potiùs debet homo ceruicem gladio ſubijcere, quàm ieiunium frangere, propter diuinum præceptum, quo tenemur confiteri fidem non obſtante periculo mortis. Simili ergo ratione ſi quis tyrannus metum mortis ſacerdoti offerret, niſi coram excommunicatis celebraret, idque in contemptum Eccleſiaſticarum legum, & odium Eccleſiæ, ad oſtendendum vanam eſſe eius poteſtatem, patiendus illi eſſet priùs gladius & ignis quàm tale ſacrilegium committere: peccaret enim contra ius diuinum de confeſſione fidei. Si tamen ille metus non eſſet oblatus illa cauſa, ſed quia prætor verbi gratia excommunicatus, vel princeps aliquis, non in odium legis, ſed ad oſtendendum ſe non eſſe excommunicatum, vel pro ſua libidine talem metum incuteret, profectò Eccleſiæ non tanti refert arcere homines à communione excommunicatorum, vt intendat in tali caſu ad id obligare. Quare ſacerdos excuſaretur celebrans, neque vllam committeret culpam. Et fortè non eſſet conſilium illa de cauſa vitam exponere. Et confirmatur hoc. Quando neceſſitas famis offert periculum mortis, imò citra tantum periculum, poſſumus ab excommunicatis neceſſaria petere, imò fortaſſe coram illis celebrare, vt nobis in extrema neceſſitate eleemoſynam conferant: ergo idem, licet vbi metus incutitur ab alio. Scio Diuum Antoninum, quem Adrianus citat, negare conſequentiam: quia neceſſitas famis eſt ab intrinſeco, & neceſſitas gladij ab intrinſeco. Et Altiſiodorenſis ſubdit exemplum de Iudæis, quibus propter extremam famem licebat ſuillis carnibus veſci, non autem propter metum intrinſecus incuſſum, vt patet 2. Machabæorum 7. vbi ſeptem fratres ab Antiocho cruciati ſunt, quia eiuſmodi carnes comedere renuebant. Attamen diſtinctio illa profectò nulla eſt, ſed ad hoc potius recurrendum, an in odium legis metus mortis obijciatur. Illa enim de cauſa Antiochus premebat Iudæos. Illa verò cauſa ceſſante idem eſt, quòd mortis periculum intrinſecus oriatur, vel extrinſecus offeratur.

Metus mortis à tyranno incuſſus in fidei contemptum nõ excuſat.

Exemplum.

Metus mortis alio fine incuſſus, quandoque excuſat.

Antonin. diſtinctio de neceſſitate ab intrinſeco refutatur.

Obiectio.

Quòd ſi arguas. Lex prohibens matrimonium inter conſanguineos eſt humana Eccleſiaſtica, & tamen metu mortis nemini licet cum ſanguinea intra quartum gradum ſine diſpenſatione contrahere: ergo lex Eccleſiaſtica obligat in periculo mortis. Reſpondetur, quòd etſi prohibitio matrimonij inter conſanguineos ſit de iure Eccleſiaſtico, tamen illo ſuppoſito matrimonium nullum eſt, & qui cum conſanguinea contraheret, fornicationem committeret, quæ iure diuino prohibita eſt, ac ſubinde in periculo mortis cauenda. Igitur neque S. Thom. loco citato in 4. vbi cap. Sacris. citat, neque vllus Theologorum illam opinionem tenet, vt vſque ad metum mortis ſit lex illa obſeruanda, ſed Adrianus inſequutus decretorum gloſſas, quæ de iure diuino non ita ad amuſſim loquuntur. Vnde Caie. licet loco citato exemplum poſuerit in dicto cap. Sacris. de lege obligante in periculo mortis, ſubiunxit tamen id potius exempli gratia dixiſſe, quàm vt ita ſit. Quare D. Thom. ad idem cap. nihil aliud reſpondet, quam quòd intelligat Pontifex potiùs eſſe moriendum quàm legem frangendam, vbi peccatum vel mortale, vel veniale incurritur: nempe, vt ait Syluester, verb. excommunicatio, 5. §. 6. in fine, in ijs quæ ſunt per ſe peccata, vt communicare in crimine criminoſo. Verumtamen mens, vt arbitror, legitima Pontificis fuit, quando metus mortis incutitur in odium fidei & contemptum legis.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quòd quia corporalia ſpiritualibus ſeruiunt, poteſtas clauium ſe extendit ad puniendum hominem etiam in temporalibus.

Solut. 2.

Secundum autem ſuprà ſolutum eſt, vbi diximus quòd quando lex charitatis neceſſitatem participandi cum excommunicatis inducit, licita eſt eiuſmodi communicatio.

Digitized by Google

DISTINCTIONIS VIGESIMÆSECVNDÆ.

Quæstio secunda.

DE IIS, QVI EXCOMMVNICARE POSSVNT, ET ABSOLVERE, AC DE IIS, QVI SVNT EXCOMMVNICANDI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm quilibet sacerdos possit excommunicare.

SECVNDA quæstio est de illis qui possunt excommunicare, & excommunicari. Cuius tres sunt articuli. Primus, vtrum quilibet sacerdos possit excommunicare. Secundus de ijs qui possunt excommunicare. Et tertius de absolutione ab excommunicatione. Arguitur ergo à parte affirmatiua primi articuli. *Affirm. par. 1. Argu.* Potestas excommunicandi est potestas clauium, sed omnis sacerdos habet potestatem clauium, potissimum si sit parochialis, qui possit absoluere & ligare in sacramento, quod plus est quàm excommunicare, ergo omnis potest excommunicare.

Pars neg. In contrarium est, quòd illa, in quibus maius periculum imminet, maioribus sunt reseruanda: in excommunicatione autem ferenda maximum potest imminere periculum, atque adeo plurimo indiget iudicio: ergo solis prælatis meritò reseruatur.

Opin. Scots. De hac quæstione Scotus dist. 19. quæst. 1. art. 5. singularem habet opinionem: nempe quòd nemo præter solum Papam potest propria autoritate sic subditum excommunicare, vt vbique in tota Ecclesia euitetur. *Ratio ei.* Et ratio eius est, quòd quempiam excommunicare, est non solùm ipsum cohibere ne cum alijs communicet, verùm & omnes alios ne cum illo participent: episcopus autem Parisiensis autoritatem non habet in ciues Colonienses, ergo illos prohibere non potest, ne cum suo Parisiensi excommunicato communicent, atque adeò non potest episcopus Parisiensis suum subditum excommunicare, nisi restrictè, vt scilicet nemo Parisiensium cum illo communicet. Item quia excommunicare est priuare suffragijs Ecclesiæ, ita vt pro excommunicato nullibi sit orandum, non potest autem Archiepiscopus Toletanus priuare suum parœcianum suffragijs Ecclesiæ Hispalensis: solus ergo Papa potest propriè excommunicare, episcopus verò non nisi strictè, vt dictum est, priuando subditum suffragijs suæ Ecclesiæ. *2. Ratio. Scot.* Quòd si episcopi, inquit, generaliter excommunicant priuando subditum suffragijs totius Ecclesiæ, hoc non faciunt nisi commissione Papæ. Et Almain distin. 28. q. 1 vbi Scotum interpretatur, ait hanc opinionem esse omnium mendicantium, qui adulantur & fauent summo Pontifici propter sua priuilegia. Porrò verò nemo est mendicantium, qui in hac opinione Scotum sequatur.

Prima conclusio. Respondetur ergo ad quæstionem tribus conclusionibus. Prima. Omnes episcopi & prælati ex proprio officio autoritatem habent excommunicandi suos subditos generaliter, vt in tota Ecclesia sint excommunicati. Quòd enim soli ipsi hoc possint, probat loco citato S. Thom. ex discrimine inter forum conscientiæ, & forum exterum: nam in foro pœnitentiæ res agitur solum inter hominem & Deum, quare illic sacerdos solum absoluit, & ligat in foro Dei. In foro autem exteriori absoluitur homo & ligatur non solum in ordine ad Deum, sed in ordine ad alios ciues, & totam Ecclesiam, quia illic priuatur homo suffragijs Ecclesiæ, & communione fidelium: ergo illi soli excommunicare possunt qui in foro exteriori habent iurisdictionem. *Episcopi possunt excomm. propria autoritate.* Quòd autem omnes id possint propria autoritate, probatur, quia ad excommunicandum non aliud quàm iurisdictio requiritur, si modò iudex non sit suspensus vel prohibitus: quoniam quicunque habet iurisdictionem, eo ipso est iudex: excommunicatio verò est pœna coërciua, qua iudex vim habet cognoscendi causam, & exequendi sententiam, ergo quicunque habet Ecclesiasticam iurisdictionem, potest excommunicare, alioqui eius iurisdictio trunca esset & manca. *Ratio 1.*

Secundò id probatur, quia hæc autoritas concessa fuit Apostolis Matt. 18. vbi dixit eis Christus: Quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cœlis: & quæcunque ligaueritis, &c. episcopi verò iure diuino Apostolis successerunt, & patet cano. Quorum vices. distin. 68. ergo omnes episcopi iure diuino habent illam autoritatem. *Ratio 2.*

Tertiò. Quicunque non audit Ecclesiam, potest ab illa excommunicari, vt patet eodem loco euangelico: quicunque autem crimen alterius defert ad tribunal episcopi, dicit Ecclesiæ, & qui non audit episcopum, non audit Ecclesiam: ergo episcopi autoritatem habent publicandi illum tanquam ethnicum & publicanum, quod est illum excommunicare. Sed ait Sco. Verum est, quòd possunt excommunicare, sed strictè priuando suffragijs suæ Ecclesiæ, plenè tamen non nisi authoritate papæ. Vtraque autem est res noua, & in Ecclesia inaudita: nempe, & quòd aliquis sit excommunicatus, qui non priuetur suffragijs totius Ecclesiæ, & quòd hæc potestas sit à Papa episcopis collata. Imò vbique asseritur tanquam eorum propria, vt can. Corripiatur. 24. q. 3. qui est Augu. & can. Audi. qui est Hieron. 11. q. 3. & multis alijs illius quæstionis. Imò 16. quæst. 2. cano. Visis. appellatur excommunicatio fœlix episcopi mucro. *Ratio 3.* *Scot. opin.*

Respondetur ergo Scot. quòd ad excommunicandum sufficit iurisdictio in eum qui excommunicatur. Quòd autem excommunicatus sit suffragijs totius Ecclesiæ & cœtu fidelium priuatus, non prouenit immediatè è iurisdictione excommunicantis, sed ex ipsa excommunicationis natura: nempe, quia Ecclesia ex traditione apostolorum sic instituit, vt patet canon. Sicut. & duobus sequentibus. 11. q. 3. Vnde in concilio Niceno cap. 5. scriptum est, Seruetur ista sententia, vt ij, qui ab alijs excommunicantur, ab alijs ad communionem non recipiantur. Vtrum autem sicut limitata est iurisdictio ad personas, vt nemo possit nisi subditum excommunicare, ita & quoad territorium, vt non possit subditum ad aliud territorium fugientem excommunicare. Gabr. d. 18. q. 2. conclu. 6. affirmatiuè respondet. Vnde infert, quòd non potest Parisiensis episcopus subditum suum dum est Coloniæ excommunicare. Cuius exemplum est in foro ciuili. Haud enim potest rex Hispaniæ subditum existentem in Gallia iure cogere. Hæc autem sententia moderamen desiderat. Si enim subditus Salmantinus crimen in alieno territorio commisit, nequit episcopus Salmantinus illum excommunicare pro illo crimine: sic enim sancitur cap. Vt animarum. de constitu. lib. 6. Tametsi sanè intelligendus est canon: quando enim per viam statuti excommunicantur omnes qui furtum fecerint, tunc non incurrunt excommunicationem ipso facto subditi qui furtum fecerint in alieno territorio. Si autem Salmantinus, qui furtum fecit Segobiæ, Salmanticam reuertitur, & ibidem conuenitur, vt restituat, potest quidem Salmanticensis iudex per excommunicationem eum cogere. Et è conuerso si furtum fecit Salmanticæ, quamuis illico trans limina diœcesis aufugiat, nihilominus excommunicatione Salmanticensi ligabitur, si fulminetur in eum qui furtum fecit. Neque est simile de foro ciuili, nam cum iure gentium sint regna diuisa, cùm primùm quis limina regni transit, liber fit ab executione sententiæ: potestas verò clauis est spiritualis, & non indiget alia executione quàm prolatione vbicunque reus extiterit. *Respondet Sco.* *Dubium, An possit subditus ad aliud territorium fugiens excomm. Gabr affir.* *Moderatio sens. Gabr.*

Nomine autem prælatorum intelligimus primum omnium concilia tam prouincialia, quàm œcumenica. Mox archidiaconos, archipresbyteros, &c. Deinde prælatos, qui ab aliquo collegio eliguntur, vt Abbates ca. Sicut tuis. de simonia. Et religionum præfectos, etiam Priores conuentuales, & Guardianos. Isti omnes id possunt ex officio, eorum autem vicarij ex commissione. Ex quo fit, vt quemadmodum ad conferendas indulgentias non requiritur character ordinis, ita neque ad excommunicandum. Enimuerò ad soluendum & ligandum in sacramentis, quia gratiam conferunt, eiusmodi character necessarius est: at quia nec per excommunicationem tollitur, per illa verò conferuntur subsidia, & per hanc tolluntur suffragia, ad vtrumq; *Prælatorum nomine quos intelligantur.*

sufficit

sufficit iurisdictio in foro exteriori: quare episcopi electi & excommunicare possunt, & alios iudices ad eandem functionem delegare.

Pontifex & Concilium œcumenicum.

Atqui Pontifex maximus, & œcumenicum concilium non solum per sententias veluti iudices, verùm & per leges ceu legislatores excommunicare possunt, nempe leges edendo, ne hoc aut illud sub censura excommunicationis fiat. Episcopi verò, & prouincialia concilia sub eadem forma possunt item constitutiones facere, quæ non tam leges quàm statuta dicuntur.

Minores prælati.

Sed minores prælati nequeunt aut leges, aut propria statuta condere, licet visitatores diœcesium, aut religionum, dum visitant, possint ordinationes in scriptis sub eadem censura relinquere, quæ vim habent quousque per alium reuocentur.

2. Concl.

Secunda conclusio. Non solum simplices sacerdotes, verum neque parochiales ex officio iurisdictionem habent excommunicandi: quia non sunt propriè prælati, nec iurisdictionem habent nisi in foro pœnitentiæ, nisi eis fuerit à superiore commissa, vel nisi in aliquibus casibus iure eis concessis, velut in furto & rapina. Nam cap. Cum ab Ecclesiarum. de officio ordina. pro solido & ratò habetur, quòd Plebanus sancti Pancratij subditos suos excommunicaret. Sed reuera arbitror hoc iam in desuetudinem abijsse.

Tertia conclusio. Nullus suspensus, vel maiori excommunicatione excommunicatus potest excommunicare: nam est iurisdictionis vsu nudatus, & excommunicare est iurisdictionis actus. Et eadem ratione si sit à iurisdictione suspensus: nam potest fieri suspensio à iurisdictione, & non ab ordine, vel ab vtroque. Et colligitur conclusio ex can. Infamis. 3. quæstione 7. vbi habetur, quòd qui à senatu amotus est, iudicare non potest. Sed est expressus canon in cap. Ad probandum. de sentent. & re iudic. quod excommunicatus excommunicare non potest. & can. Audiuimus. 42 quæstio. 1. Et eadem ratione qua episcopus excommunicatus est, non potest iudicem aliquem instituere, quia ille etiam est actus iurisdictionis. Si tamen postquam instituit excommunicatur, non cessat institutio.

Dubium, An sententia excom. à iudice excom. lata sit valida.

Dubium autem est, vtrùm dum iudex ignoratur esse excommunicatus, si sententiam excommunicationis vel aliam proferat, sit valida. Apparet enim sententiam eius esse nullam postquam reuera est prohibitus. Nihilominus proculdubio tenendum est, quòd quamdiu quis ignoratur esse excommunicatus, sententia eius & actus tenent. Et ita censet Palud. dist. 18. q. 2. art. 3. Et Ricard. ead. d. Et Sylvest. verb. excommunica. 3. Et ratio est, quia cum hæc sint de iure positiuo, non censetur Ecclesia iudices vsu iurisdictionis priuare quousque constet esse excommunicatos Et hoc propter bonum commune: nam aliàs si actus excommunicatorum latenter irriti essent, detecta excommunicatione multi de suo statu dubitarent. Hac enim de causa concilium Constantiense prouidè statuit, vt excommunicati, exceptis illis duabus speciebus, possent sacramenta conferre. Et ducuntur exempla de iure ciuili: nam in dicto capitu. Infamis. 3. q. 7. habetur, quòd licet seruus non possit esse iudex, tamen quatenus ignoratur eius seruitus, facta eius teneãt, & l. Barbarius. ff. de officio prætoris. iurisconsulti adnotant, quòd licet à prætore dubitetur an conspirauerit in rempublicam, facta eius sint solida.

Ad arg in principio factum respondetur, quòd excommunicatio non est directè actus clauis, quia non immediatè per illum clauditur nec aperitur regnum, quod solum clauditur per peccatum, & reseratur per gratiam. Sed tamen mediatè & indirectè tendit ad clausuram regni, quatenus per illam homo priuatur subsidijs Ecclesiæ ad regnum conducentibus: & ideò dicitur vsus clauis iurisdictionis. Quare non sequitur, quòd si sacerdos habeat clauem ordinis, propterea habeat clauem iurisdictionis. Nam quamuis absoluere, & ligare in sacramentis sit pretiosius, tamen excommunicatio est actus magis solennis, ad quem maior scientia & iudicium exigitur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm possit quispiam seipsum, vel superiorem, aut æqualem excommunicare.

POST considerationem eorum qui excommunicare possunt, sequitur de illis qui possunt excommunicari. Arguitur ergo, quòd quis possit excommunicare superiorem: nam Paulus ad Galat. 1. excommunicauit Angelum si aliter euangelizaret: & tamen, vt habetur Matth. 11. qui minor est in regno cælorum, maior est maximo in Ecclesia militante.

Pars affir.

Secundò, quia potest quis ferre excommunicationem in eum qui furtum fecit: & tamen accidere potest, vt ipse vel superior, vel æqualis furtum faciat.

2. Argum.

In contrarium est, quòd ad excommunicandum requiritur iurisdictio, quæ respectum solum dicit superioris ad inferiorem.

Pars negat.

Quæstio facilis est, ad quam duabus conclusionibus respondetur. Prima. Nemo potest seipsum, aut sibi æqualem, aut superiorem sententia excommunicationis ferire. Probatur ratione modò facta, quia excommunicare est actus iudicialis habens vim coactiuam: nemo autem nisi sibi subditum cogere potest: nullus verò sibi subditus esse potest, neque par pari: quia par in parem non habet imperium, neque superior inferiori. Decretum est Clementis tertij cap. A nobis, in primo. de sententia excommunica. Et can. Inferior. 21. distinc. legitur. Inferior sedes potiorem absoluere non potest, atque adeò nec ligare.

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Vt enim ad primum argumentum suprà factum respondeamus. Paul. non excommunicauit Angelum nisi sub conditione, in conditionibus autem nullum est absurdum, vt ex vno impossibili sequatur aliud. Etenim sicut impossibile est, vt Angelus falsum euangelizet, ita est impossibile, vt excommunicetur. Quod autem glossa super cap. Siquidem. eo. titu. ait, hominem à seipso excommunicari excommunicatione minori quoties mortaliter peccat, quia fit inidoneus vt sacramentum Eucharistiæ suscipiat, & aliorum effectum, nempe gratiam, impropriè dictum est, vt quæst. præcedenti, art. 1. contra Gabrielem diximus. Nam licet possit illa dici excommunicatio quodammodo quoad Deum, vti ait Sylvest. verb. Excommunicatio. 4. nihilominus excommunicationis nomen propriè non sonat, nisi Ecclesiasticam censuram.

Ad 1. arg.

Quod si quis forsan contra conclusionem arguat. Potest quis indulgentias sibi ipsi concedere, saltem dum illas generali lege confert visitantibus talem Ecclesiam, aut largientibus talem eleemosynam, si idipsum ipse faciat earundem fructum percipiet: ergo eodem modo dum generalem excommunicationis sententiam pronunciat, si ipse est in illo crimine, poterit eadem ligari. Negatur consequentia: quoniam licet potestas indulgentiarum non exerceatur, nisi erga subditos, non tamen exercetur per vim coactiuam: sed fructus eius percipitur à quibuscunque volentibus conditionem implere. Excommunicatio verò dicit potestatem per vim coërciuam, quam nemo in seipsum exercere valet. Imò verò neque in sacramento potest quispiam seipsum absoluere, neque verò superiorem propria autoritate, nisi per illam, quam ab ipso susceperit: Papã enim nemo, nisi quem ipse elegerit, absoluere valet, aut ligare in sacramento.

Obiectio.

Dilutio.

Et per hoc respondetur ad argumentum secundum supra factum. Dum enim episcopus censuram excommunicationis profert, siue per statutum, siue per sententiam in eum qui furtum, vel quid aliud fecerit, si ipse, vel alius episcopus, vel archiepiscopus illud fecit, neminem ligat.

Ad 2. arg.

Vtrùm saltem per modum statuti possit inferior superiorem ligare. Syluester quidem verb. Excommunicatio. 1. §. 9. in vtramque partem autores citat. Vt verbi gratia, si episcopus synodalem fecit constitutionem, vt nullus sacerdos in sua diœcesi luderet tali aut tali ludo, & archiepiscopus, vel alius episcopus ibidem ludat, vtrùm incurrant. Sed certè superuacanea est disputatio, quia proculdubio non incurrunt, vt benè ait Panor. cap. 1. de raptoribus.

Dubium, An per modum statuti inferior superiorem possit ligare.

Dubium autem est hic graue, an Papa excommunicari possit: nam cùm sit supremum Ecclesiæ caput, atq; adeò neminem habeat superiorem, apparet excommunicari non posse. Hæc autem quæstio aliam non minus prolixam, quàm molestam submouet, de comparatione Papæ & concilij, vtrius sit maior potestas. Attamen alterutra pars teneatur, omnes fatentur Papam saltem in casu, quo vehementi hæresis laboraret infamia excommunicari posse. Illi enim, qui ea imbuti sunt opinione, quòd concilium est supra Papam, quam opinionem sequitur Almain in tracta. de autoritate Eccle. c. 11. planè aiunt, quod concilium tanquam superius potest

Aliud dubium. An Papa excommunicari possit.

Almain.

Papam

Caietan.

Papam compellere, vt compareat redditurus rationem suæ causæ. Caietanus verò Cardinalem de Turrecremata secutus in opusculo de autoritate Papæ & concilij cap. 20. ait id non posse nisi per potestatem ministerialem Ecclesiæ. Hic autem in primis supponendum, confessionem esse omnium sanè loquentium, præter causam hæresis & apostasiæ, nullatenus excommunicari posse, vel à iure, vel ab homine. Nam quicquid sit de autoritate concilij supra Papam, quando inter ambas potestates dissidium aliquod existit, tamen cum concilium potestate ordinaria nullam ferat legem, nisi Papa, qui supremum est Ecclesiæ caput, præsidente, quamcunque concilium legem edat sub excommunicationis censura, nulla tamen potest Papam ligare, magis quàm illa, quæ ab ipso Papa conderetur. Quapropter licet esset hæreticus, non incurreret ipso facto sententiam excommunicationis, sed opus esset, vt prius de hæresi condemnaretur. Nam in legibus ordinarijs quamuis ipse, vt pars concilij (nam caput pars est) teneretur stare legibus concilij per vim directiuam, sicut princeps tenetur stare suis legibus: quia ratio eum ad id dirigit, non tamen per vim coactiuam. Leges enim Papæ & concilij sunt sicuti leges regis & regni, quibus princeps per vim coactiuam stare non cogitur. Veruntamen quamuis nonnulli doctores nostri temporis contendant papam nullatenus posse esse hæreticum, nihilominus communis sententia à parte contraria stat. Quamuis enim inquantum Papa errare non possit, hoc est, statuere errorem nequeat tanquam articulum fidei, quia Spiritus sanctus id non permittet, tamen vt singularis persona errare in fide potest, sicut alia peccata committere, quia non est impeccabilis. Sententia est Bonifa. marty. can. Si papa. d. 40. qui quamuis non sit pontificis, nec generalis concilij, est tamen præcipua autoritate donatus.

Papa esse potest hæreticus.

Bonifac. marr.

Probatur Papam posse excomm.

Hoc autem supposito palam hoc discursu colligitur, quòd possit excommunicari. Papa eo ipso quòd est hæreticus non est depositus, & est indignus qui sit caput Ecclesiæ: ergo est deponendus. Caiet. probat maiorem hoc pacto. Eo ipso, quòd est hæreticus etiam per hæresim exterius prolatam, non est excommunicatus: ergo non est depositus. Attamen quamuis antecedens sit verum, & consequentia bona, licet esset excommunicatus, non eo ipso sequeretur esse depositum. Declaratur hoc in alijs inferioribus. Si quis duntaxat mente consentiat in hæresim, non est excommunicatus: quia Ecclesia neminem propter actum interiorem anathemate percellit: cum primum autem verbo hæresim profert, incurrit canonis excommunicationem: non tamen eo ipso facto est suspensus quousque de hæresi condemnetur: depositio enim & priuatio sententiam prærequirit, qua homo condemnetur factum lege damnatum commisisse, vt lib. 1. de iustit. & iure. q. 6. art. 6. latè diduximus. Alioqui omnes iurisdictiones vērsarentur in ambiguo & in confuso: si ergo in personis minoribus contractio ipso iure excommunicationis non sufficit, vt ipso facto sit homo suspensus, multò minus sufficit in papa, præcipuè cum, vt dictum est, nec canonis excommunicationem ipso facto incurrat. Quòd autem sit deponendus sic constat. Caput est membrum, imò excellentissimum membrum corporis: ergo qui non est membrum, indignus est, vt sit caput: per amissionem autem fidei homo præscinditur à corpore Ecclesiæ, & desinit eius esse membrum: ergo fit dignus, vt declaretur non esse caput. Et confirmatur inde, quòd si non præscinderetur, posset eius contagio in totam Ecclesiam inserpere. Accedit, & exemplum particularium religionum: qui enim professus non est vnius religionis, nequit eius esse caput: multò ergo minus qui non est Christianæ professionis, caput esse potest Ecclesiæ. Hinc deducitur assertio nostra: papa tunc est deponendus, & non vi, & armis, sed ordine & iudicio: ergo aliquis est, qui facultatem habeat ad eius depositionem procedendi: hæc autem potestas non est nisi in tota Ecclesia, quam concilium repræsentat: ergo potest ordine iudiciali ad eius depositionem procedere, ac subinde eum compellere, vt compareat, sua crimina auditurus, suamque defensurus causam, alioqui non posset iuris ordo seruari: vis autem compulsiua nulla esse potest, quam anathematis censura: ergo per illam potest eum vt compareat cogere, atque adeò eam ipse, si non paruerit, incurret. Siue hoc sit, quia in illo peculiari casu concilium sit superius, siue quòd iure naturæ vnaquæque respublica potest se à tyranno defendere: illumque a se præscindere: siue quòd concilium, vt ait Caietan. ministerium Ecclesiæ, atque adeò tunc pontificis exerceat, quod quidem ministerium non potest tunc pontifex à concilio diuellere. Non tamen vacat nunc locus hæc pressiùs differendi.

Qui mente consentit in hæresim nō est excom.

Quod Papa hæreticus sit deponendus.

Ratio 2.

Ratio 3.

Tenet Concil. est potestas deponendi Papam.

At quia de ijs, qui excommunicari possunt præsenti tractamus ar. ne alios opus sit multiplicare, subiungitur secunda conclusio. Sententia excommunicationis in vniuersitatem vel collegium nullatenus pronuntiari potest. Conclusio est S. Th. loco citato, atque omnium in vniuersum. Et ratio est plana, quia nemo nisi propter peccatum inobedientiæ excommunicari potest: peccatum autem est actus personalis: vniuersitas n. non peccat, nisi quia singuli peccant: quare sententia ferri non potest nisi in singulos inobedientes. Sunt qui censeant, quod licet talis sententia ferri non possit, nihilominus lata teneat, vt ait Syluester eod. verb. §. 6. Attamen citra dubium non tenet, vt ait Ricar. in 4. d. 18. quia esset periculum, vt aliquis citra culpam excommunicaretur. Sed rogas. Quid si ferretur sententia, vt nemo de collegio exiret, aut eligeret, aut quidpiam aliud ageret? Respondetur, quòd si esset per viam statuti, quicunque non pareret, incurreret. Sed tamen si illa esset monitoria, non posset postmodum proferri sententia, tanquam in contumacem in totum collegium, quousque singuli audirentur, an haberent causam legitimam excusandi se à peccato. Atque hinc patet consequentiam non valere, Tota ciuitas potest interdici: ergo excommunicari: quia interdictum non semper ponitur pro culpa eorum qui interdicuntur, sed in odium illius qui in vrbe est excommunicatus. Quare interdicti si non sint in culpa, quæ excommunicationi subiecta est, licet arceantur ab audiendis sacris, non tamen priuantur Ecclesiæ suffragijs.

2. Concl.

Collegium excomm. non potest.

Ratio.

Lata sententia non tenet.

Dubium.

Tertia conclusio. Excommunicatus potest iterum excommunicari non solum propter nouum crimen, verùm & propter idem aggrauatis censuris ad maiorem terrorem & confusionem, quia licet non sit aliud crimen in alia specie, obstinatio tamen ipsa quia indurescit, & recrudescit, acriori animaduersione fit digna.

3. Concl.

Semel excomm. iteratò potest excomm.

Quòd si arguas. Semel excommunicatus iam est priuatus suffragijs, & sacramentis, & participatione fidelium: priuatio autem non suscipit magis aut minus, ergo nullus est magis excommunicatus quàm alius, vel nunc, quàm antea. Respondetur ad minorem, quod licet priuatio secundùm se non recipiat magis aut minus, tamen ex parte causæ potest vna excommunicatio ex vrgentiori & acriori causa proficisci, quàm alia: quare vnus excommunicatus est indignior suffragijs Ecclesiæ, atque adeo elongatior ab illis quam alius, ac subinde maiori satisfactione indigens, vt reconcilietur.

Obiectio 1.

Sed arguitur secundò. Excommunicatus iam est traditus satanæ, vt Pau. 1. Cor. 5. ait, atque adeo est extra Ecclesiam: sed vt ibidem subdit Apostolus. Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? ergo excommunicatus excommunicari non potest. Respondetur ad minorem, quod Paulus per eos qui foris sunt, intelligit infideles, qui cùm baptismum non susceperint, non sunt Ecclesiæ subditi, vt possit illos per aliquam censuram cogere, neque eos suffragijs Ecclesiæ priuare, cùm non sint eorum participes, licet possit Christianos, vbi ratio id exposcerit, prohibere, ne cum illis conuersentur in illis actibus, qui visi fuerint expedire.

2. Argum.

Vltimum tandem hic dubium restat de defunctis, vtrum possint excommunicari. Sylu. namque verb. Excommunicati. 1. §. 7. generaliter ait, non posse excommunicari, quia non sunt de foro Ecclesiæ, imò non sunt homines. At verò sententia hæc distinctione & expositione indiget, vt verum habeat. In primis enim qui viuens excommunicatus fuit, excommunicatus manet post mortem, vt viui non possint cum illo in suffragijs vel eleemosynis communicare. Est n. primum omnium ecclesiastica sepultura interdictus, neque possunt eleemosynæ pro ipso recipi saltem à ministris Ecclesiæ, quia nec possunt in sacrificijs communibus orare, nec fiunt suffragiorum participes, quibus erant in vita priuati. Imò quamuis fortè in charitate decesserint, si Ecclesiæ non satisfecerunt, quia fortè non poterant, præsumuntur semper ab Ecclesia excommunicati. Sententia est Vrba: 24. q. 2. can. Sanè. & Innoc. tertij. c. A nobis. de sentent. excomm. vbi tamen permittitur, quod si aliqua signa contritionis in excommunicato

Dubium. An defuncti possint excomm.

appa-

apparuerint, possit etiam postquam fuerit defunctus absolui, vt possit loco sacro solenniter sepeliri, & pro illo possint suffragia offerri.

At verò pro nullo crimine, quod viuens commiserit, potest defunctus excommunicari. Nam si crimen non erat à iure excommunicationi subiectum, necessaria est ante excommunicationem canonica præmonitio, quæ erga defunctum fieri non potest. Imò quamuis dum viueret fuerit facta præmonitio, si non fuit prolata sententia, non potest in defunctum proferri: quia iam exemptus est ab Ecclesiæ tribunali, neque iam censetur contumax. Si verò crimen erat a iure excommunicatione damnatum, iam viuens ipso facto excommunicationem incurrerat propter præuiam monitionem iuris. Potest tamen postquàm defunctus est declarari, & iuridicè pronunciari, illud crimen incurrisse, quod sæpenumero fit in crimine hæresis. Solent enim aduersus hæreticos libelli inscribi, & sententiæ pronunciari, quibus declaratur fuisse hæreticos: quare inde priuantur Ecclesiæ suffragis, imò declaratur fuisse priuatos, eorumque ossa exhumata igni traduntur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm quilibet sacerdos possit suum parochianum quacunque excommunicatione absoluere.

Pars affirmatiua 1. arg.

VLTIMA consideratio in materia excommunicationis est de absolutione ab eadem censura. Arguitur ergo, quod sacerdos parochialis possit suum subditum ab excommunicatione absoluere. Excommunicatio non fertur, nisi pro culpa eademque inobedientiæ: quilibet autem parochialis sacerdos potest absoluere à culpa, & sublata causa tollitur effectus: ergo potest absoluere ab excommunicatione. Præsertim, quod cum peccatum grauius malum sit quàm excommunicatio, apparet, vt qui potest a peccato absoluere, possit ab excommunicatione.

Pars negatiua.

In contrarium est, quòd eiusdem potestatis est per excommunicationem ligare, & ab excommunicatione absoluere: excommunicare autem non quicunque parochialis sacerdos valet: ergo neque ab eadem censura absoluere.

Dec. art.

Materia hæc, quippe quæ absolutiones summo pontifici reseruatas comprehendit, licet olim non fuerit tam multiplex, iam verò nunc temporis propter earum numerositatem prolixa est & varia, quam ideo in sex conclusiones distribuemus. Vt autem à facilioribus exordiamur; recolenda nobis est distinctio excommunicationis in maiorem & minorem. Et quidem circa minorem tria sunt tantum consideranda: nempe quæ sit eius natura, & effectus, & quibus de causis incurratur, & quis est qui ab ea absoluere possit. Atqui primum in superioribus satis expeditum est: natura enim excommunicationis minoris explicatur cap. Si celebrat. de clerico excommunic. vbi sex de huiusmodi excommunicato asseruntur. Primum, quod si celebrat, grauiter peccat: Secundum, quod nihilominus celebrans non incurrit irregularitatem, quam incurreret, si esset excommunicatus excommunicatione maiori. Tertium, quod eligere non prohibetur, nec ea exercere, quæ ratione iurisdictionis ei competunt. Quartum, quod si scienter electus fuerit, eius electio est irritanda. Quintum quòd si sacramẽta ecclesiastica confert, peccat, nihilominus ab eo collata virtutis non carent effectu. Sextum denique, quod à participatione sacramentorum quæ in eorum perceptione consistit, puta, à participatione passiua, est prohibitus. Duo ergo sunt eius substantiales effectus: scilicet, ne taliter excommunicatus eligatur, & ne sacramenta suscipiat. Quintum autem assertum, quod peccat conferens sacramenta, Syluester verb. excommunicatio. §. 1. intelligit de peccato mortali. Atqui Durandus & Adrian. indistinctè aiunt, quòd excommunicatus conferens sacramenta mortaliter peccat. At verò ex verbis ipsis capituli certius colligitur, non peccare nisi venialiter. Ait enim, quod non priuatur administratione sacramentorum, sed solùm susceptione: vnde elicitur non tantùm peccare conferendo, quantum suscipiendo. Quare si celebrat, ait Papa grauiter peccare, quia celebrare est suscipere sacramentum. Grauiter autem idem est, quod mortaliter. De administrante verò simpliciter ait, quòd peccat, id est, non mortaliter. Quod autem illic ait Syluester, scilicet conferentem peccare quoad Deum, & non quoad Ecclesiam, non bene intelligo, quia nisi esset ab Ecclesia priuatus, nullatenus peccaret conferendo. Sed quod Papa dicere cogitauit est, quòd non eodem modo priuatur susceptione, quo priuatur ne conferat. Susceptione namque priuatur directè: & ideo si suscipiat, peccat mortaliter, atque adeò gratiam sacramenti non suscipit: collatione autem non priuatur nisi consecutiuè. Eo. n. quòd ad sacramenta suscipienda accedere nequit, venialem quandam irreuerentiam eisdem sacramentis irrogat conferendo. Ait præterea Syluester, quod ex Paludano delumpsit eodem loco confessum excommunicato minori excommunicatione teneri iterum confiteri. Huius tamen contrarium ex capitulo colligitur sanè, vbi habetur, quòd illud sacramentum est solidum, & sortitur suum effectum: imò qui ei confitetur, non peccabit nisi venialiter, sicut ipse sacerdos. Quinuerò post concilium Constantiense taliter excommunicatus conferens sacramentum non pectabit, saltem nisi se ingerat sed ab alio requiratur: quia non est nominatim excommunicatus. Habet excommunicatio minor aliam qualitatem, vt diximus: quia non transit in tertiam personam, eo quòd qui cum eiusmodi excommunicato communicat, non excommunicatur.

Confessus excommunicato minoris excom. non tenetur iterum confiteri.

Quibus ex causis incurratur minor excom. Sylues.

Circa secundum verò membrum, quomodo scilicet excommunicatio minor contrahatur notandum primùm, quòd nunquam infligitur ab homine, nullus enim iudex aliquid vnquam præcipit sub pœna excommunicationis minoris, sed semper incurritur à iure. Et Syluester, Gabriel, & alij dicunt eam incurri; quoties quis mortaliter delinquit, quia fit sacramentis indignus: sed hanc iam diximus non esse propriè excommunicationem. Incurritur autem per omne sacrilegium, vt habetur 17. quæst. 4. can. Miror. Et per omnem violationem ecclesiasticæ immunitatis. Sed per hanc sæpissimè incurritur excommunicatio maior. Et olim per simoniam: sed iam omnis simonia anathemate damnata est. Item per notoriam fornicationem, & concubinatum clerici, vt ca. Vestra. de cohab. cleri. & mulier. Sed iam ista non est in vsu, neque aliæ quas Syl. verb. Excommunicatio. 4. refert. Quæ autem plurimum contingit est per communicationem cum excõmunicato. Neque hæc post concilium Constantiense tam crebrò vsu venit, quàm pridem solebat.

1. Concl.

Tertium ergo membrum est, quod ad præsentem quæstionem attinet, de quo ideo prima statuitur huius articuli conclusio. A minori excommunicatione quicunque sacerdos parochialis, hoc est, habens iurisdictionem absoluendi à peccatis mortalibus, absoluere potest. Probatur. Excommunicatio minor solùm priuat participatione sacramentorum: ergo quicunque iurisdictione pollet administrandi sacramenta, subsequenter valet ab ea absoluere: hanc verò ex officio habet quicunque parochialis sacerdos. Sed arguat quis fortè. Excommunicatio hæc contrahitur ex peccato veniali: nempe ex participatione cum excommunicato: sacerdos autem simplex absque vlla iurisdictione, vt suprà diximus, potest absoluere à venialibus: ergo omnis sacerdos, etiam si non sit parochialis, potest a minori excommunicatione absoluere. Respondetur, quòd excommunicatio minor verè est censura, quæ incurritur à iure: censura verò est actus iuridicus, ac proinde non potest ab ea absolutio fieri, nisi per eum, qui iurisdictionem habeat. Quocirca ad minorem respondetur, quòd licet simplex sacerdos possit absoluere ab alijs venialibus, non tamen à participatione cum excommunicatis: eo quod participatio hæc est excommunicationi subiecta. Et ideò probè dixit Sanct. Thomas distinctione 81. quæstione 2. articulo 5. quòd ab excommunicatione minori absoluere ille valet sacerdos, qui absoluere potest à participatione cum excommunicatis, insinuans, ab illa non posse absoluere, nisi illum qui iurisdictionem habet in subditum. In eadem sententia est Caiet. in summa c. 1. de excommunicatione minori. Atqui cùm hæc sit leuissima censura, non aliud ab excommunicato exigitur, quàm vt proponat obedire Ecclesiæ abstinendo à peccato, quod hanc habet excommunicationem annexam.

Ratio Cõclusionis.

Obiectio.

Dilutio.

Caietan.

De excommunicatione verò maiori distinguendum est, aut enim est à iudice lata, quod aiunt, ab homine, aut à iure. De priori subnectitur secunda conclusio. Ab excommunicatione ab homine lata ipsi

2. Conclu.

Excommunicationis minoris triplex consideratio.

Circa 1. sex considerãda.

Primum.

Secundũ.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Duo effectus substantiales.

Circa quintum assertum quomodo peccet sacram. ministrando, aut suscip

idem iudex, qui tulit, potest absoluere. Hoc patet quia eiusdem potestatis est ligare & soluere. Conclusio tamen intelligitur expotestate ordinaria, potest. n. esse sententia lata à iudice inferiori, & nihilominus eius absolutio esse Papæ reseruata, vt est illa de incẽdiarijs cap. Tuanos. de sent. excom. Illic enim pontifex non fert sententiam excommunicationis in incendiarios, vt bene ait Caiet. ver. Excom. cap. 22. Sed ait, quod si fuerint per Ecclesiæ sententiam publicati, hoc est, excommunicati & publicati, tũc pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem mittantur: nempe vt iustam illic cautionem præstent, sicuti clericorum percussores.

Conclu. expositio.

Superiores excommunicatos ab inferior. b, possunt absoluere.

Præterea & superiores possunt ab excommunicatione inferiorum absoluere, vel cùm ad eos fit recursus per nouam causæ cognitionem, & etiam Papa de plenitudine potestatis facta satisfactione id potest. Veluti in diplomate cruciatæ conceditur facultas absoluendi à quacunque sententia excommunicationis satisfacta parte. Vbi maximè adnotandum est, quod facultas non est amplior, quàm verba sonant, hoc est virtute cruciatæ nemo potest absolui, nisi satisfacta parte. Verbi gratia. Si aliquis esset excommunicatus pro furto, vel alio debito, licet non esset soluendo, ita, vt quantum ad Deum esset absolutus, nihilominus virtute priuilegij cruciatæ non potest absolui: quia illud arbitramentum, an excommunicatus possit soluere, nec ne, Papa nemini sacerdotum committit, sed soli iudici excommunicanti reseruatur. Et præterea id confirmatur, quia per huiusmodi priuilegium nemini conceditur facultas absoluendi ad reincidentiam, sed simpliciter. Et tamen qui modo non habet vnde soluat, licet tunc quoad Deum non sit excommunicatus, recidit tamen quoad ipsum, quando habet vnde soluat, & tamen si per cruciatam absolueretur, non rediret sine noua sententia.

Notandũ. de virtute Cruciatæ.

Nomine partis qui intelligantur.

Nomine verò partis non intelligitur iudex: & ideo si cuilibet episcopus præcepisset, vt sub sentẽtia excommunicationis iret, verbi gratia ad processionem, vel quidpiam aliud faceret, quod non fecit, inconsulto episcopo potest per priuilegium cruciatæ absolui, si tamen non perseueret in rebellione, sed sit res, quæ iam transiuit. Nam si præceperit verbi gratia, vt relinqueret concubinam, quousque relinquat non potest absolui. Neque tenetur soluere iura iudicum, vt quamuis ille excommunicatus non absolueretur à iudice, nisi solueret tantum pro sententia, vel sibi, vel tabellioni, absolui nihilominus per diploma cruciatæ potest sine eorum solutione. Secùs si condemnatus iam esset ad soluendum aliquam pœnam, siue pecuniariam, siue aliam, condemnatus, inquam, per pronunciatam sententiam cognita culpa.

Dubium dignum scitu.

Sed aliud est hic dubium dignum scitu, vtrum si quis excommunicatus est à suo iudice, & postmodum reperit se in aliena diœcesi, & satisfacit parti, soluit, verbi gratia, furtum aut debitum, vtrùm episcopus alterius diœcesis, vel eius vicarius possit eum absoluere. Respondetur posse, saltem si fuit excommunicatio generalis, Quicunque fecerit furtum, vel aliud retinuerit, quod ad ius alienum pertineat, vt sunt instrumenta scripturarum, tunc enim expleto mandato potest ab alio episcopo absolui: quia nulla proprio irrogatur iniuria. Secus si esset lis contestata inter partes in tribunali proprij iudicis, tunc enim per ipsum debet, vel per Pontificem lis peragi.

3. Concl.

De excommunicatione verò lata à iure subiungitur tertia conclusio, quæ in præsentiarum ad multas dissoluendas ambiguitates est adnotanda. Quæcunque excommunicatio cuiuscunque generis fuerit à iure siue per concilium, siue per summum Pontificem condito lata, absolutio ab ea, pertinet ex officio ordinario ad Episcopum, imò & ad parochialem sacerdotem, nisi fuerit specialiter vel Papæ, vel episcopo reseruata. Conclusio est S. Thom. loco citato, quam absque vlla probatione ceu indubitatam affirmat. Ratio tamen est clara, quia excommunicatio, quæ est censura quæ à iure imponitur, ratione peccati, & ratione illius incurritur: ergo quantum ex natura excommunicationis quicunque habet iurisdictionem absoluendi ab illo peccato, habet iurisdictionem absoluendi ab illa censura, imposita pœnitentia: sed non solum omnes episcopi, verum & omnes parochiales presbyteri, imò quicunque prælatus in suo collegio, vel conuentu iure diuino & ordinario, eo ipso quod habet iurisdictionem in foro pœnitentiali, potest absoluere à quocunque peccato cuiuscunque generis, quia iure diuino nullum est reseruatum, nisi ab homine reseruetur: scilicet à Papa, vel episcopo, vel alio prælato: ergo pariter iure diuino potest quicunque absoluere à quacunque excommunicatione.

Ratio 1.

Secundò id probatur, quoniam si excommunicatio, propterea quòd esset lata à iure concilij, vel Papæ, esset ei reseruata, non opus esset vt exprimeret, Cuius absolutionem nobis reseruamus. aut, Pro beneficio absolutionis ad nos veniatur, aut simile: cùm ergo per huiusmodi clausulas specialiter sibi absolutiones reseruat, signum est, quod iure diuino & ordinario ad singulos prælatos absolutio pertineat.

Obiectio.

Est tamen argumentum in contrarium. Per excommunicationem maiorem homo priuatur suffragijs totius Ecclesiæ: ergo vbi Papa eiusmodi suffragijs hominem priuat, eidem soli incumbit eadem restituere. Ad hoc autem iam supra responsum est, quod ad excommunicationem non requiritur immediata potestas in omnia suffragia Ecclesiæ, alias episcopus non posset excommunicare, sed illorum priuatio insequitur naturam excommunicationis. Quare sicut episcopus excommunicando consecutiuè priuat hominẽ eiusmodi suffragijs, ita potest absoluendo ab excommunicatione illa consecutiuè restituere. Atque eadem ratione parochialis sacerdos licet excommunicare nequiret, tamen autoritate, qua potest absoluere à peccatis, potest & ab excommunicatione, ad quam absolutionem ex natura rei sequitur suffragiorum restitutio.

Solutio.

Ac per hoc soluitur argumentum in principio quæstionis propositum quo arguebatur sacerdotem parochialem posse absoluere ab omni excommunicatione. De illa namque, quæ fertur à iudice, non militat: quia nemo potest alienam iurisdictionem vsurpare. De illa verò quæ fertur à iure, bene probat, quòd quilibet curatus possit à qualibet absoluere, nisi essent plurimæ reseruatæ.

Ad 1. Argum.

His constitutis conclusionibus de reseruatione adhibetur quarta. Olim non erant nisi sex casus summo Pontifici reseruati, vt ex autoritate Sanct. Thom. colligitur, qui illos duntaxat enumerat. Primus erat de ijs qui injiciunt manus violentas in clericum, vt habetur 17. quæst. 4. cano. Si quis suadente qui fuit Innocentij secundi ante tempus Sanct. Thomæ, nempè anno Domini 1130. Secundus est de illis qui incẽdunt Ecclesiam, & sunt denunciati. At verò Caietan. in dicto c. citato 22. ait, hunc canonem specialiter tangentem incendiarios Ecclesiarum non reperiri in iure: nam ille proximè citatus, quem hic Sanct. Thomas insinuat, capit. Tua. de sententia excommunica. non loquitur specialiter de incendiarijs Ecclesiæ, sed generatim de incendiarijs. Nec excommunicat incendiarios, sed reseruat absolutionem si per Ecclesiam denuncientur. Doctores autem sunt qui illam restrictionem faciunt ad incendiarios Ecclesiæ, quos Syluester refert verb. Excommunicatio. 7. & 13. Canon verò. Canonica. 11. q. 3. neque est concilij generalis, nec papæ, sed concilij Arausicani, quod non ligat totam Ecclesiam. Neque loquitur particulariter de incendiarijs ecclesiarum, sed generaliter de ecclesiæ violatoribus. Tertius casus est de illis qui frangunt ecclesiam, & spoliant ipsam. Et iste habetur cap. Conquesti. de senten. excom. vbi non habetur quod ipso facto sint excommunicati, sed quod excommunicentur. Et si ante denunciationem voluerint satisfacere ecclesiæ, absolui possunt ab episcopo, sed si se denunciari permiserint, tunc absolutio deuolnatur ad summum pontificem omnino, sicut de incendiarijs dictum est.

4. Concl. 6. Casus olim Papæ reseruati.

1. Casus.

2. Casus.

3. Casus.

Furtum in Ecclesia quod sit excommunicationis subiectũ.

Vbi adnotandum est, quòd non quodcunq; furtum in Ecclesia factum est sacrilegium, nec excommunicationi subiectum. Vt si quis alicui in Ecclesia, sacra audienti crumenam surripiat, sed dum porta vel seræ Ecclesiæ franguntur, vt bona eius eripiantur. Itaque ambæ actiones concurrant, vt Caiet. verbo Excommunicatio, cap. 21. Quartus est de illo sacerdote, qui in diuinis scienter communicat cum excommunicato nominatim a Papa, vt habetur cap. supra citato Significauit. de senten. excom. Quintus est de illis qui literas apostolicas falsificant, de quo extat canon cap. Ad falsariorum de crimine falsi. vbi excommunicantur literarum apostolicarum falsarij, eorumque fautores & defẽsores. Sextus demum est de illis qui cum excommunicatis communicant in crimine, pro quo lata est sententia, vt habetur ca. Nuper. & cap. Si concubinæ.

4. Casus.

5. Casus.

6. Casus.

desent.

Digitized by Google

ac tent. excom. Et intelligitur de communicantibus cum illis, postquam excommunicati sunt. Licet. n. quis consuluerit alteri, vt furtum faciat, & postea non excommunicetur, nisi qui furtum fecit, qui consuluit non est excommunicatus, nisi postea ei consuluerit vt non restituat. Item licet quis cum excommunicato maiori excommunicatione communicet in alio crimine, non ideo excommunicatur excommunicatione maiori. Vt si clericus sit excommunicatus propter concubinatum, licet concubina eius in eo actu cum illo communicans sit excommunicata, non tamen si communicet cum eo in furto. Neque verò huiusmodi absolutio reseruatur Papæ, sed iudici excommunicanti.

Nota.

5. Concl.

Quinta conclusio. Præter istos sex casus, quos S. Thom. refert, sunt alij ferè innumeri Papæ reseruati. Et primum sunt omnes, qui in bulla cœnæ Domini sic reseruantur, vt neque per absolutionem, quæ illo die generalis fit, nec per aliam quamcunque solemnem, nec per concessionem cruciatæ intelligantur concessi, nisi exprimantur. Vnde post. §. 12. eiusdem bullæ, subduntur hæc verba. Declarantes nihilominus ac protestantes (prout tenore præsentium declaramus, ac expressè protestamur) absolutionem hodie, vel alias etiam solemniter per nos faciendam præfatos supra nominatos, & qualificatos, ac cãcellarios, vicecancellarios, consiliarios, & procuratores, atque omnes qui executionem literarum apostolicarum impediuerint, nisi decreta sua & acta reuocauerint, non comprehendere.

Verba bullæ cœnæ Domini.

Bulla cœnæ Domini non admodum antiquæ. Paulus 2. Leo decimus. Paulus 3.

Hæc autem bulla non videtur res vsque adeo antiqua, quandoquidem D. Tho. illius non meminerit, sed a tempore Martini quinti circa annum Domini 1420. quo tempore Bohemorum hæreses in concilio Constant. fuerint damnatæ. Cuius etiam bullæ Paulus secundus, & Sixtus quartus in suis extrauag. Et si Dominici gregis. meminerunt. Postmodum verò Leo decimus aduersus Martinum Lutherum eam auxit, ac deinde Paulus tertius aduersus regias curias apostolicarum literarum executiones impedientes. Nuperrima verò est sub Paulo quarto, qui nunc sedet, & continet casus quindecim.

1. Casus hæresis.

Primus eius casus est aduersus omnes hæreticos cuiuscunque fuerint nominis, & sexus, & contra eorum fautores, defensores, ac receptatores, ea ratione qua hæretici sunt. Quæ quidem fuit censura Honorij tertij cap. Nouerit. de senten. excommu. quo alter fuit antiquior canon Gelasij. 24. quæstione 1. canon. Achatius 1. vbi admonetur, quod quicunque in hæresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit. Atqui tempore Sanct. Thomæ iam isti canones conditi erant, quippe qui tempore Honorij natus fuit, vel paululo post. Veruntamen quia in dictis canonibus nulla fit reseruationis mentio, minimè illorum meminit. Et quamuis multi ex recentioribus glossatoribus, quos Syluester verb. Excommunicatio. 7. §. 3. refert, in dubium reuocauerint, vtrùm per hæresim mentalem huiusmodi excommunicatio contrahatur, proculdubio tamen non contrahitur, nisi hæresis verbo aut facto fuerit exteriùs prolata, vt benè ait Caietan. verb. Hæresis. Nam etsi hæresis per actum mentis contrahatur, eo quòd in mente est veritas, ac subinde hæresis, tamen Ecclesia nullum actum mentalem intendit excommunicare, non solum quia quantum est ex natura illius actus nequit in cognitionem Ecclesiæ venire, verùm quia esset laqueos humanis conscientijs obtendere. Item requiritur quòd sit error pertinax. vt idem Caiet. verb. Excommunicatio cap. 1. ait. Pertinax autem est si sit assertio, quam homo scit vel sacræ paginæ contrariam, vel ab Ecclesia damnatam, vel quam ignorantia crassa ignorat. Quare si sit ignorantia inuincibilis excusans à peccato, eadem ratione ab excommunicatione excusat. Requiritur etiam deliberatus actus: puta assertio exterior, quam interior præcesserit. Ad hæc, adnotanda sunt verba extrauag. Sixti quarti, Et si Dominici. quibus alicui Pontifex illic videri potest rigorem huius reseruationis quodammodo relaxare, quæ tamen si bene æstimentur, eam potiùs restringit. Ait enim, quod prætextu facultatum ab ipso vel sua autoritate concessarum, seu concedendarum, etiam in fauorem fidei & cruciatæ, nullus confessariorum aliquos absoluere audeat ab hæresi postquam fuerint de ea sententialiter condemnati, seu delati, seu publicè diffamati. Apparet ergo, quòd nisi fuerit quis damnatus, delatus, vel diffamatus, quamuis sit hæreticus, eius absolutio non sit Romano pontifici reseruata. Et tamen hæc non fuit pontificis intentio: non enim ait, quod hæresis citra hos tres gradus non sit apostolicæ sedi reseruata, sed quòd per nullam concessionem ab ipso factam vel faciendam possint hæretici absolui, si fuerint damnati, delati, vel diffamati. Duo ergo collige. Primum, quòd nullus hæreticus citra pontificis facultatem potest absolui, si fuerit hæresis pertinax, & exterius prolata, vt dictum est: quia omnis excommunicatio ratione hæresis est Papæ reseruata. Secundò, quòd si standum esset extrauaganti Sixti, quamuis Papa concederet generalem facultatem absoluendi ab hæresi etiam in diplomate cruciatæ, non posset absolui hæreticus damnatus, delatus, diffamatus, nisi hi casus essent nominatim expressi. Quare verba illa magis sunt restrictiua, quàm relaxatiua. Dixerim verò, si standum esset extrauaganti Sixti, quoniam ipse non dixit nisi quòd per facultates generales ab ipso concessas, vel concedendas non comprehendantur illi tres gradus hæresis: vbi noluit ipse, nec potuit coercere, & restringere concessiones per alios pontifices postmodum faciendas: quoniam extrauagans illa posita fuit tanquam regula cancellariæ, vel tanquam adiectio in bulla cœnæ Domini, quæ cessat cum ipso autore. Quocirca, vt bene ait Syluester verb Excommunicatio. 7. casu. 32 illi casus Sixti remanent in dispositione iuris communis, & in forma concessionum, quæ à summis pontificibus pro tempore emanant. Imò & Angelus, qui fuit eiusdem pontificis commissarius, ait illam restrictionem Sixti non fuisse omnino receptam. Quapropter si modò in diplomate cruciatæ dicat Papa, quod possit quicunque absolui ab omnibus casibus reseruatis in bulla cœnæ Domini, illi etiam tres gradus Sixti comprehenduntur, licet non exprimantur, vt ab illis possit quicunque hæreticus emendatus absolui in foro conscientiæ, reseruata tamen potestate inquisitoribus procedendi in foro exteriori.

Corollarium. 1.

Corollar. 2.

Nota.

Bulla cœnæ Domini cessat cum ipso Papa.

Per hæresim mentalem non incurritur excommunicatio, nisi fuerit exterius prolata.

Pertinax.

Deliberatus actus.

Damnatus, delatus & diffamatus.

Secunda excommunicatio bullæ cœnæ Domini est contra piratas, & cursarios, & maritimos latrunculos. *2. Casus.*

Tertia, aduersus illos dominos; qui in suis terris noua pedagia imponunt, vel prohibita exigunt. *Tertius.*

Et quarta aduersus falsarios bullarum, seu literarum Apostolicarum. *Quartus.*

Quinta, aduersus eos qui equos, arma, ferrum, & instrumenta bellica deferunt Saracenis, Turcis, atque alijs inimicis Christiani nominis. *Quintus.*

Sexta anathematizatio est eorum, qui victualia, atque alia ad vsum Romanæ curiæ adducentes impediunt & inuadunt. *Sextus.*

Septima est eorum qui ad sedem apostolicam venientes, aut inde recedentes, aut in eadem commorantes, rapiunt spoliant & detinent, aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, aut occidere præsumunt. *Septimus.*

Octaua, aduersus verberantes, mutilantes, vulnerantes, interficientes, incarcerantes, patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, atque ea mandantes. *Octauus.*

Nona est multo latior, quæ in quatuor membra sub eodem ferè capite distribuitur, quæ omnia ad asserendam libertatem executionis mandatorum pontificis referuntur. Anathematizantur enim illi, qui per se, vel per alios, eos qui ad Romanam curiam super causis & negotijs recurrunt, vel earundem causarum iudices, aduocatos, vel procuratores verberant, mutilant, vel occidunt. Atque illi, qui literas apostolicas executioni demandari inhibent, vel eorum executores capiunt, incarcerant, vel capi & incarcerari faciunt. *Nonus.*

Decima excommunicatio est aduersus illos seculares iudices, qui personas ecclesiasticas, aut capitula, ad suum ipsorum tribunal, aut cancellariam, aut consilium trahunt, aut trahi faciunt. *Decimus.*

Vndecima eiusdem ferè tenoris excommunicatio decernitur aduersus eos, qui iurisdictiones, vel reditus, vel prouentus ad ecclesiasticas personas ecclesiarum pertinentes vsurpant, vel surripiunt, & qui collectas, decimas, vel taleas eis imponunt, ac subinde qui talia consulunt. *Vndecimus.*

Duodecima anathematizatio est aduersus cancellarios, aut consiliarios, aut præsidentes quorumcunque regum aut principum, qui beneficiales, & spirituales, illique annexas causas ab auditoribus & commissarijs apostolicis ad se euocant. *Duodec.*

Tertiadecima est aduersus mutilantes, verberantes, aut interficientes, aut capientes Romipetas, hoc est. *Tertius decimus.*

Digitized by Google

Peregrinos Romam petentes, aut inde reuertentes.

Quartusdecimus. Quartadecima excommunicatio est aduersus illos, qui directè vel indirectè, per se vel per alios detinent, aut hostiliter inuadunt, vrbem Romam, aut terras patrimonio Ecclesiæ pertinentes. Ac demum quintadecima fuit adiecta à Clemente septimo aduersus eos, qui in direptione Vrbis, quæ suo tempore contigit, Ecclesiastica diripuerunt, vel direpta tenent. Huius tamen excommunicationis materia iam transiuit.

Syluest. Præter hos autem casus sunt alij perquam multi apostolicæ sedi reseruati, quos Syluester verb. Excommunicatio 7. ad 57. enumerat. *Caiet.* Sed D. Antoninus, qui de censuris ecclesiasticis longum edidit tractatum, vsque ad 73. præter bullæ cœnæ multiplicat. At verò Caietanus diligenter profectò & luculenter, & doctè in summa verb. Excommunicatio per 81. capitula explicat, vbi eorum exceptiones, & quæ circa illos dubia emergere possunt, disertè & compendiosè enucleat. A quo nos ideo labore, quia prolixissimus esset, in præsentiarum abstinendum duximus.

Percutiens clericum in septem casibus non incidit in excommunicationem. 1. Casus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. A casibus reseruatis potest quis absolui à suo curato in octo casibus. Excipit enim D. Thom. septem casus, in quibus percutiens clericum non incurrit excommunicationem. Primus est, si causa disciplinæ id faceret, vt magister, prælatus, Pater, &c. quæ dicitur sacra læsio. Secundus, si leuis fuerit percussio, aut iocosa.

Tertius, si quis clericum turpiter abutentem vxore sua, vel matre, vel sorore, vel filia offenderit, tunc enim licet sic eum percutiat, vt sit peccatum mortale, clementia tamen legis fuit, vt dolor excommunicationem excusaret. Quartus, si quis vim vi repellat, defendendo se vel sua, scilicet bona, vel pudicitiam, vel religionem suam, &c. Et quintus, si quis per ignorantiam eum percutiat, quem nesciebat esse clericum. Et sextus, si inueniat quis clericum in apostasia post trinam monitionē. Septimus denique, si à clericatu se ad aliud vitæ institutum transferat.

Demum & ab excommunicationibus Papæ reseruatis potest quis absolui à suo prælato, vel sacerdote in octo casibus, videlicet in articulo mortis. Vel quando ostiarius defendens ingressum, clericum absque dolo malo percutiat. Item si percutiens sit mulier, vel seruus, vel religiosus, nisi sit enormis percussio, si sit pauper, aut puer, aut senex, aut valetudinarius, aut capitales inimicitias gerat, ita vt sit persona, cui non pateat accessus ad Romam: nam his personarum generibus non est Romanum iter possibile. Tametsi hæc omnia antiqua erant, nunc autem standum esset consuetudini, potissimum in causa hæresis, vbi non esset tuta absolutio, nisi autoritate Romani pontificis fieret.

6. Concl. Sexta conclusio. Forma demum absoluendi ab excommunicatione non est certa, quemadmodum absoluendi à peccatis, sed potest esse qualiscunque, vt absoluo te, libero te, restituo te communioni fidelium, & sacramentis Ecclesiæ, &c. Quinuerò potest etiam in absentia fieri, & per literas, tametsi iam sit in vsu absolutionem committere sacerdoti qui absoluat à peccato, & ab excommunicatione. Sed nihilominus potest fieri absolutio ab excommunicatione, licet non fiat à peccatis. Imò potest inuitus quispiam ab excommunicatione absolui. Enimuerò à peccato, quia non nisi propria voluntate committitur, nemo, nisi propria voluntate consentiat, absolui potest. At verò quia excommunicatio non est culpa, sed pœna: & pœna non incurritur propria sponte, imò contra inuitum decerni potest, fit vt quis renuens absolui possit. Ac perinde sicut potest homo pluribus excommunicationibus excommunicari, potest ab vna excommunicatione absolui alia remanente: quia excommunicationes non habent veluti peccata connexionem, imò potest homo pro vna excommunicatione satisfacere non satisfaciendo pro omnibus.

Absolui potest absens ab excommunicatione. Inuitus.

Potest fieri absolutio ab vna excom. licet non ab alia.

* *
*

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ SECVNDÆ

Quæstio tertia,

DE INTERDICTO, ET CESSATIONE A DIVINIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm interdictum sit expediens censura.

Pars neg. 1. arg. MATERIAE excommunicationis ne curta relinqueretur, singulos articulos de interdicto, & cessatione à diuinis adhibendos duximus. Non quod totā rerum syluam, quæ de interdicto cumulatur, explicare proponamus: est.n. prolixa, & Summistis propria, sed vt nonnullam eius depingamus effigiem. Arguitur ergo, quod interdictum non sit licitum, quia nemo sine culpa puniendus est: solet autem interdictum contra innocuos & innocentes poni, cū locus interdicitur, ne populus sacra audiat.

2. Arg. Secundò. Id non est fas in Ecclesia permittere, quod in detrimentum diuini cultus vergit: dum autem Christiani per interdictum à sacris arcentur, religio diuini cultus nocumentū patitur: nefas ergo est id permittere.

Pars affirmatiua. In contrarium tamen est catholicæ Ecclesiæ vsus.

Interdicti significatio. Interdicere, vt in superficie verba sonant, est inter duos aliquid dicere. i. constituere. Sed tamen altera est eius significatio, vt idem sit quod prohibere, vt interdico tibi ingressum domus meæ, aut interdico te ingressu, hoc est, prohibeo. Et secundum has duas significationes nomen interdicti diuersimodè vsurpatur, & iure ciuili, & ecclesiastico, nam id iure ciui. interdictum est formata quædam, & solemnis verborum conceptio quib. prætor inter duos, hoc est, inter actorem & reum, aliquid dicendo cōstituit: hoc est, aliquid iubet, aut prohibet, vt habetur inst. de interdict. ff. & C. eo tit. Quod quidem etiam dicitur interdictio, quæ est aut prohibitoria, aut restitutoria, aut exhibitoria. Vt cum prætor prohibet ædes extrui in loco, in quo actor eas petebat extrui: aut cum iubet aliquid restitui, quod reus per exceptionem defendebat, non esse ab eo restituendum. Hoc autem interdicti genus non attinet ad rem præsentem, sed interdictum ecclesiasticum, & canonicum, quod idem est quod prohibitio à sacris. Est autem operæpretium hic in fronte discrimina inter censuras ecclesiasticas, quæ in vsu habentur, constituere. Sunt n. quæ ad rem præsentem attinent numero quinque. s. excommunicatio, suspensio, irregularitas, interdictum, & cessatio à diuinis. Conueniunt. n. omnes primò, quia omnes sunt ecclesiasticæ censuræ propter delictum, licet irregularitas nonnunquam citra delictum incurratur. Item ratione causæ efficientis, quia omnes possunt decerni, vel à iure, vel ab homine, saltem ex fundamento, quod est in iure. Nam irregularitas propriè non decernitur ab homine: quia non potest iudex imponere pœnam irregularitatis, nisi sit iure decreta propter aliquod factum. Neque cessatio propriè decernitur à iure propter aliquod factum, vt ipso facto intelligatur posita, sed, vt articulo proximo videbimus, conceditur Ecclesiæ facultas, vt quando iustum iudicauerit cesset.

Interdictū Ecclesiasticum. *Interdictum iuris Ciuilis, quod.* *Censurarum Ecclesiasticarum conuenientia.*

Discrimē. Tertiò, quia omnes præexigunt canonicam monitionem, vel quæ in iure sit, vel quæ ab homine fiat.

Definitiones Suspēsionis. *Irregularitatis.* Differunt autem primò definitione, & effectu: nam excommunicatio, vt supra diximus, est ecclesiastica censura, qua homo priuatur Sacramentis, & suffragijs, & conuictu fidelium. Suspensio verò est ecclesiastica censura, qua quis priuatur vsu potestatis ecclesiasticæ, quam habet. Potest enim sacerdos suspendi, vel ab executione ordinum, ne consecret, vel ab vsu iurisdictionis, ne ius dicat, vel absoluat, vel ab actu prædicationis, &c. Sed irregularitas est quasi priuatio regulæ, hoc est, indignitas secundum canones, ne quis possit ad ecclesiasticos ordines promoueri, vel si

promotus

Digitized by Google

promotus fuerit, nequeat in eis ministrare. Tametsi hæc secunda suspensionis potius imaginem præ se fert, quam irregularitatis. Interdictum autem canonicum est Ecclesiastica censura, qua homo separatur à certis sacramentis, omnibusque diuinis officijs, & Ecclesiastica sepultura, vt ex. c. Non est vobis. de spon. & ex. c. Quod in te. de pœ. & remiss. colligitur. Cessatio demum à diuinis est organorum suspensio, hoc est, ministrorum prohibitio ne sacra faciant, aut diuina celebrent.

Interdict.

Cessation. à diuinis.

2. Discrimen censurarum.

Secundum discrimen est, quod quatuor istorum non decernuntur, nisi propter peccatum, irregularitas verò potest citra peccatum contrahi. Est n. duplex irregularitas, altera quæ in pœnam peccati est imposita, vt si excommunicatus ordines suscipiat. vt c. 1. de ijs qui fur. ord. suscepit. vel ab episcopo excõmunicato, vt prima. quæstione prima. can. Gratia & cano. Statuimus. vel si excommunicatus celebrat, & propter alia complura peccata. Et hæc propriè dicitur censura irregularitatis. Sed altera irregularitas est, quæ incurritur citra culpam, vt propter bigamiam, vt extra eod. tit. vel propter effusionem sanguinis etiam licitam, vt cum iudex suspendere facit reum. Et hæc non est censura, quia non habet rationem pœnæ. Quocirca quando conceditur in bulla cruciatæ facultas absoluendi ab omni censura Ecclesiastica, illo nomine includitur etiam irregularitas ratione peccati contracta. sed tamen aliud irregularitatis genus, vt propter bigamiam, effusionem sanguinis, orbitatem membri, aut fœditatem corporis, quia non est censura, sub illo nomine non comprehenditur. Præsertim quòd absolutio non fit nisi a culpa, vel pœna: huiusmodi autem irregularitas, nec est culpa, nec pœna: quare non opus habet absolutione, sed habilitate, quæ nomine absolutionis non intelligitur.

Duplex irregularitas.

Nota.

3. Discrimen cessio.

Tertium discrimen inter alia quatuor est, quod licet non decernantur, nisi propter peccatum, differenter tamen: nam excommunicatio & suspensio non decernitur, nisi propter peccatum ipsius personæ quæ excommunicatur, vel suspenditur: interdictũ verò non semper decernitur propter peccatum illorum qui sacris interdicuntur, sed propter alienum. Nam in odium illius, qui pertinaciter obstinatus est in excommunicatione, interdicitur ciuitas. Atque id ipsum de cessatione à diuinis dicturi sumus.

4. Discrimen.

Hinc subsequitur quartum discrimen, quòd excommunicatio, suspensio, & irregularitas non decernuntur, nisi aduersus personam in pœnam sui delicti. interdictũ autem, & cessatio decernitur aduersus totam ciuitatem, vel regnum, eo quòd citra vniuersitatis culpam potest ipsa interdici.

Suspensione autem & irregularitate prætermissis, ad quæstionem sex conclusionibus respondetur. Prima. Interdictum legitimè positum res est Ecclesiæ gubernaculo necessaria. Nam etsi excommunicatio, vt suprà dicebamus, pœna sit, qua Ecclesia maiorem non habeat, tamen quando quis obstinato animo in ipsa recrudescit, condecens est, vt eadem Ecclesia sensum mœroris & tristitiæ representet, & quasi totum populum indignatione, aduersus eum commoueat, & à iure, quòd habet sacra audiendi, suspendat, vt vel illa populi indignatione, & sacrorum silentio perterrefactus resipiscat.

1. Concl.

Interdictum duplex.

Atqui interdictum est duplex, scilicet interdictum loci, & interdictum personarum. Interdictum locale seu loci est, quando interdicitur ciuitas, ne illic diuina officia audiantur, & tunc populus, præter personas illas, quæ causam dederunt interdicto, potest extra ciuitatem & suburbia illa audire: nam nomine ciuitatis etiam suburbia intelliguntur. cap. Si ciuitas. de sentẽ. excom. libr. 6. Interdictum autem personale: est, quo interdicitur populus, vel aliqua eius persona: nam etiam populus citra propriam culpam in odium excommunicati, præsertim si sit rector, vel princeps, potest interdici, vt patet can. Miror. 17. q. 4. vbi Aug. propter delictum Bonifacij interdixit eum sacris, totamque eius domum, & familiam. Imò potest interdici populus sine clero, & clerus sine populo. Et tunc personæ interdictæ nullibi, scilicet neque in illo loco neque in alio audire sacra possunt. Hæc omnia habentur cap. Si sententia. de sent. excom. lib. 6. Ex quo fit vt interdicto loco, non cẽseatur populus interdictus, nisi ne in illo loco audiat, & è conuerso interdicto populo non censetur interdictus locus. Quare populo exclusoetiam in præsentia peregrinorum possunt solenniter celebrari diuina.

Interdictum loci.

Interdictum personarum.

Et vtrumque istorum interdictorum sunt qui distinguant in tria, scilicet in generale, speciale, & singulare. Sed tamen satis est diuidere in duo: videlicet in generale & speciale. Generale enim interdictum loci est, quando interdicitur totum regnum, vel tota ciuitas, vel totum castrum. Dicitur enim generale, quia nulla Ecclesia excipitur, vt colligitur ex cap. Cum in partibus. de verb. sig. Interdictum speciale loci est, quando aliqua Ecclesia, vel Ecclesiæ ciuitatis, vel castri interdicuntur, & non omnes. Et tunc interdicta Ecclesia, interdicuntur omnes eius capellæ, vt eodem capite. Si ciuitas. admonetur, non tamen clerus eiusdem Ecclesiæ: potest enim alibi celebrare. Pari modo interdictum personarum esse potest aut generale, vt dum propter peccatum regis interdicitur totus populus regni, aut propter delictum Domini totus populus ciuitatis, vel castri. Speciale autem est, cùm interdicitur aliqua persona, vel personæ ciuitatis. Quare hoc imponi potest propter peccata ipsarum personarum, quæ nominatim interdicuntur. Quæ quidem pœna est minor, quàm sententia excommunicationis: nam minor pœna est arceri à sacris tantùm audiendis, quàm priuari suffragijs Ecclesiæ, & conuictu fidelium. Quocirca episcopis sæpe Pontifex prius præcipit sub comminatione, vt arceantur ab ingressu Ecclesiæ, quàm sub comminatione excommunicationis.

Subdiuisio interdicti.

Interd. Generale loci.

Speciale loci.

Generale personarũ.

Speciale.

De illis autem qui interdicere possunt subiungitur secunda conclusio. Omnes prælati ecclesiarum cathedralium, aut collegiatarum, nempe & episcopi, & abbates, qui præsunt collegiatis ecclesijs, possunt interdicere, tam personas, quam locum: quia habent iurisdictionem ordinariam, vt notatur in c. Cùm inter. de consuetud. & in c. Cum ab ecclesiarum. de officio ord. Pariter concilium generale, & capitulum sede vacante. Minores autem prælati, qui excommunicare possunt, vt prælati religionum, eadem ratione possunt interdicere subditos, id est, ab audiendis diuinis cohibere, vt ex eod. cap. Cùm ab Ecclesiarum. colligitur: quia hoc minus est quàm excommunicare. Interdicere autem ecclesiam vel locum, non est in consuetudine, nisi habeant iurisdictionem in oppidum aliquod vel castrum.

2. Concl.

Tertia conclusio. Ad interdictum requiritur causa, eademque grauis, & digna: nam certè locus & populus non est nisi grauissima de causa interdicendus, nec quæcunque sufficit, quæ ad excommunicandum satis esset. Nam excõmunicatio fertur contra singularem personam, interdictum verò in damnum populi citra eius culpam. Imò interdictum quamuis ex vna parte ad terrorem excommunicatorum conducat, ex altera tamen in periculum diuini cultus vergit, potissimum si sit prolixum: nam tunc non solum populus desuetudine frequentandi diuina officia, effectum eorum & sensum perdit, verum etiam & clerus ipse remissior fit & ignauior ad eadem diuina celebranda. Qua vtique ratione & diuina religio detrimentum patitur, & populus solet in moribus sylueſcere. Vnde Innoc. & Hostiens. super c. Quæsiuit. de ijs quæ fiunt à maiori parte capit. sentiunt sententiam interdicti non ferendam ob delictum particularis personæ, sed vniuersitatis, nisi sit dominus loci, vt. Non est vobis. de sponsa. Et Bonifac. octauus in extrauag Prouide. sanxit ne pro debito pecuniario, vel cuiusuis pecuniæ quantitate possit iudex ordinaria vel delegata potestate locum vel populum interdicere. Secus, vt ait Archidia. de interdicto singularis personæ Nunc autem saltem in aliquibus locis Hispaniæ solet ciuitas pro exigua causa pecuniaria interdicto obnubilari, quod profectò nullatenus esset ferendum. Putant enim illa ratione ecclesiastici iudices suam autoritatem asserere, & tamen præterquam quod grauissimum dant populo damnum, & iniuriam grandem irrogant, eandem autoritatem extenuant, quæ hac ratione indies minoris habetur. In alijs nationibus vix vno seculo interdictum vnum auditur: in Hispania verò crebrissima videntur. Atqui solebat mos priscus vigere, vt posito interdicto, personæ excommunicatæ intra triduum vrbe pellerentur, vt cessaret: nunc verò temporis nulla huius Christiani moris habetur ratio.

3. Concl. De causa interd.

Non interdicendum ob particularis personæ delictum.

Nec pro debito pecuniario.

Mos priscus.

Debet præterea & monitione canonica excommunicatus præmoneri inscriptis, vt cap. Cùm medicinalis. de sentent. excom. lib. 6. iubetur. Forma au-

Forma interdicti.

Digitized by Google

tem sententiæ est, talem populum, aut locum interdicto ecclesiastico supponimus. de verb signifi. ca. Cùm in partibus. & de officio delegati. cap. Sanè. in 2.

Est que notandum, quod post concilium Constan. nemo interdictum seruare tenetur, siue à iure, siue à iudice positum, nisi aduersus certum locum, aut contra certam personam fuerit enunciatum. Sufficit autem interdictum Ecclesiæ matrici intimari, quod quidem ipsa seruante, & reliquæ omnes Ecclesiæ seruare tenentur.

Et hæc de interdicto, quod ab homine decernitur. Nam sunt multi casus, in quibus, & ipso iure decretum est. Ciuitas enim vbi Papa moritur, si non illico ad electionem seruatis iuris conditionibus procedatur, eo ipso interdicto subijcitur. cap. Vbi periculum. de electio lib. 6. Item quando vniuersitas ciuitatis ab ecclesijs, vel ecclesiasticis personis pedagia vel alia tributa exigit. vt cap. Quanquam. de censibus lib. 6 Et in multis alijs casibus, quos Syluest. ver. Interdictum 4. refert.

Atqui illud quod à iudice decernitur, ab eodem est tollendum, & relaxandum, imò & idem iudex potest illud suspendere, vel in tota vrbe, vel in aliqua Ecclesia, vel per diem. vel per aliud tempus, causa alicuius officij celebrandi, aut defuncti sepeliendi, aut alia legitima, vt cum Innocentio, & Hostien. contra Bernard. ait Syluest verb. Interdictum. 3 §. 8.

Nota. Quin verò quantum est ex tenore iuris, videntur interdicta iure posita, cessante causa, & facta satisfactione per ordinarium posse tolli: quoniam interdicta iure non reseruantur Papæ, sicut excommunicationes Si autem alicubi reseruetur, standum est verbis iuris. Suspendi autem manente causa, aut non facta satisfactione, per nullum, nisi per summum pontificem possunt.

4. Concl. Effectus interdicti. Ad hæc, & de natura, & effectibus interdicti adhibetur quarta conclusio. Effectus & natura interdicti est trina prohibitio. 1. diuinis interesse, & certa suscipere sacramenta, & in loco sacro sepeliri. Enimuerò antiquitus ferè nihil interdictum à cessatione differebat: nam cùm tempore interdicti interesse sacris non liceret, clerus ipse ab eis celebrandis omnino abstinebat, vt colligitur ex cap. Non est vobis, de sponsalibus. & capitu. Quod in te. de pœnitentia & remissio. sed semel in hebdomada causa conficiendi sacramenti celebrari permittebatur. de sententia excommunic cap Permittimus. At verò Bonifacius octauus, capitul Alma mater. referens quemadmodum antiquitus tempore interdicti nulla celebrabantur officia, & subdens, quòd ex districtione huiusmodi statutorum, decresceret deuotio populi, pullularent hæreses, & infinita pericula animarũ insurgerent, & Ecclesijs sine earum culpa debita obsequia subtraherentur, concessit, vt tempore interdicti siue ab homine, siue à iure prolati possent homines non solùm in articulo mortis, sed etiam sani quoties vellent sacramentum pœnitentiæ suscipere, dum tamen non essent excommunicati, qui quidem, præterquam in articulo mortis, ad sacramenta non admittuntur. Et nisi essent illi, qui interdicto causam dederant. Secundò concessit, vt exclusis interdictis, & excommunicatis quotidie diuina officia submissa voce, ianuis clausis, non pulsatis campanis celebrarentur. Tertiò, vt in die natalis Domini, paschæ, & pentecostes, & assumptionis Beatæ Virginis pulsatis campanis, apertis ianuis, alta voce eadem officia solenniter fierent. Iure autem antiquo permittebatur baptismus & pœnitentia morientium, & viaticum. ca. Non est vobis, de sponsalibus. & confirmatio in fronte, vt cap. Responso. de senten excom. Festa autem illa quatuor solennia incipiunt à primis vesperis, sed festum paschatis à missa vigiliæ, saltem ab initio Gloriæ, quando pulsantur campanæ, finiuntur tamen in vltimo completorio vltimi diei paschatis, aut die assumptionis. Haud tamen licet in ijsdem festiuitatibus sacramentum Eucharistiæ suscipere, nisi ab his, qui priuilegium habent: quia hoc in dicto ca. Alma mater. non conceditur.

Bonifacij concessio circa interd. Hoc autem sunt qui dubitant, vtrum cum priuilegiatus sumit Eucharistiam, possit populus interesse, eo quòd illud expressè non conceditur. At verò cum populo concedatur tunc publicè interesse sacrificio missæ, non est cur dubitetur, quin liceat interesse sumptioni Eucharistiæ, cum non sit nisi pars sacrificij. Potest & lic assumptionis virginis benedictio coniugum solennis fieri, quia illud non est sacramentum. Imò & defuncti solenniter sepeliri, vt ait Syl. verb. Interdictum. §. §. 4.

Triplex effectus interdicti. Igitur extra illa festa trinus est interdicti effectus, vt conclusio asserit. Primus scilicet, quòd nemo audire sacra valet, nisi clerici, etiam primæ tonsuræ. Nisi sint coniugati: nam illi omnia priuilegia clericalia amittunt, vt habetur cap. Ioannes. de clericis coniugatis. præterduo, vt Bonifacius decreuit cap. vnico, eod. titu. lib. 6. Nam si tonsuras deferant, gaudent priuilegio canonis. Si quis suadente diabolo. & ne conuenire debeant coram iudice seculari. Sed præsertim priuilegium audiendi sacra tempore interdicti perdunt, quia iam non sunt altaris ministri, neque Ecclesiæ. Possunt etiam audire sacra quicunque per pontificis diplomata sunt priuilegiati. Et qui huiusmodi priuilegium habet, potest familiam suam, quæ eum comitatur, in Ecclesiam secum inducere, iuxta concessionem eiusdem Bonifacij cap. Licet vobis. de priuileg. lib. 6. Nisi vel causam dederint interdicti, vel in fraudem hanc ob causam fuerint in eandem familiam assumpti. cap. vlt. de verb. sig. lib. 6.

Priuilegiati. Adde hic quòd supra d. 13. q. 2. art. 1. inter explicandum præceptum audiendi missam diebus festis diximus: nempe, quod priuilegiati non excusantur tempore interdicti audire sacra die festo. Non quòd priuilegium eos per se obliget, sed præceptum audiendi missam obligat omni tempore omnes audire potentes. Secundus effectus interdicti est, quia nec possunt suscipi sacramenta ordinum aut extremæ vnctionis, vt notant doctores super ca. Responso. de sentent. excom.

Tertius, quia nec defuncti gaudere possunt ecclesiastica sepultura, præter clericos. vt cap. Quod in te. de pœ. & remis. Et quamuis illic addatur, quòd clerici sepeliantur sine solennitate, & cum silentio, iam verò hodie, vt ait Syl. verb. interdictum. 5 §. 10. conceditur vt missa & officium funeris cum moderamine capituli. Alma mater. celebretur.

5. Concl. Mortaliter peccare clericus violantes interdictũ. Ad hæc de violantibus interdictum distinguendum est inter clericos & laicos: nam de clericis subnectitur quinta conclusio. Clerici interdictum violantes peccant mortaliter, fiuntque irregulares, & vt verbis iuris vtamur, ineligibiles & impostulabiles. Itaque nec eligere valent, nec eligi, nec postulari, suntque suspensi ab officio & beneficio. Prima pars, licet eam concedere renuat Caiet. in summa, verbo, Interdictum. nihilominus vera profectò censenda est. Et probatur, quia mandatum interdicti imponitur propriè clericis secundum antiquum ius, vt non celebrent, & secundum ius nouum, vt non celebrent nisi iuxta tenorem capituli. Alma mater. exclusopopulo, clausis ianuis, &c. & cum præceptum sit de re graui, fit consequens, vt non obtemperantes lethaliter delinquant. Secundò id confirmatur ex pœnarum grauitate, quæ violatoribus iure decernuntur, vt irregularitatis, & aliæ: tam graui enim censura non plectuntur nisi mortaliter delinquentes. Quòd autem tria illa pœnarum genera incurrant, probatur cap. Is qui. & cap Is cui. de sent. excommu. lib. 6. & cap. Cum æterni tribunal. de sen. & re iudi. eod. lib. & cap. 1. de postula. prælatorum. Sed quòd sint suspensi officio & beneficio, probatur ex ca. Tanta. de excessibus prælato. Imò sunt beneficijs expoliandi. vt patet ca. Postulastis de clerico excommunicato. Atqui si sit religiosus, & sciens matricem Ecclesiam interdictum seruare, & non seruat est excommunicatus, per clem. Ex frequentibus. de sent. excommunicatio. Et est notandum, quòd clericus dupliciter est interdicti violator: scilicet, vel dum ipse est interdictus, tunc enim nullibi, vt dictum est, officia sacrorum ordinum exercere potest, & si decedat interdictus, caret Ecclesiastica sepultura, vt in dicto cap. Is cui. habetur. Secundo, si locus sit interdictus, licet clericus ipse non sit interdictus, exercendo ordines in eodem loco, violat interdictum. Sunt tamen notanda verba capitulorum irregularitatem decernentium, quia non loquuntur nisi de clericis, qui sunt in sacris, & celebrant, vel officia diuinorum ordinum exequuntur. Quare licet religiosus, qui non est in sacris, & secularis, & monialis solenniter in Ecclesia canant, non fiunt irregulares, vt non possint ad ordines sacros promoueri, sunt tamen aliter puniendi in aliquod arctius monasterium intrusi, vt eodem capitu. Postulastis. sancitur. Nam & moniales & religiosi non clerici nomine clericorum hoc casu intelliguntur, quibus incumbit diuina officia solenniter facere, vt censeantur

Clericus dupliciter violat interd.

Nota.

violatores

violatores interdicti, non autem quantum ad irregularitatem. Quapropter simplex clericus primæ tonsuræ, imò qui minoribus ordinibus initiati sunt, (vt Syluester, contra quosdam Canonistas cum theologis sentit, verb. Interdictum. 5. § 6.) quamuis solenniter in Ecclesia canant, & sua munera exerceant, deferendo cereos, aut legendo, & agendo ea quæ sunt sui muneris, non fiunt irregulares, vt non possint ad maiores ordines promoueri: quia prima tonsura & minores ordines non sunt ordines sacri, sed dispositiones ad illos. Et ideo non est eis matrimonium interdictum.

Nota. Quinuerò quamuis presbyteri aliqua munera exerceant in Ecclesia tempore interdicti, quæ quidem munera non sunt propria sacrorum ordinum, sed possunt per laicum exerceri, vt responsorium canere, vel Psalmum, non ideo fiunt irregulares, vt cum Panormitano ait ibidem Syluester. Vnde concluditur regula, illos tantum clericos irregularitatem incurrere, qui sunt in sacris, vt subdiaconi & superiores, & exercent aliquod officium, quod est ordini annexum. Imò quamuis subdiaconus sine apparatu epistolam diceret, non fieret irregularis: quia illam illo pacto laico dicere permitti tur, secùs si cum apparatu tanquam subdiaconus eam diceret.

Regula.

At verò de laicis interdictum eo modo violantibus, quòd ad audiendum sacrum, vel alia diuina officia sese ingerunt, grauius est dubium, vtrùm mortaliter peccent. Nam quòd nullam iuris pœnam incurrant, vt certissimum supponitur, est tamen argumentum, quòd peccent, & quidem mortaliter: nam de excommunicatione diximus, quòd non solùm excommunicati peccant communicando cum alijs, verùm & alij communicando cum ipsis: ergo æquali ratione non solùm clerus violat interdictum diuina coram populo celebrando, sed & populus insinuando se in Ecclesiam, vel per valuarum rimas audiendo diuina, & adorando sacramentum. Accedit & autoritas Innocentij & Archidiaconi, quos in eandem sententiam citat Syluester verb. Interdictum. 6. §. 7.

Dubium de laicis. An mortaliter peccent violantes interdictum.

Affirm. arg.

6. Concl.

Nihilominus tanquam probabilior, & fortasse certa subiungitur sexta conclusio. Laicus, si sit totus populus, vel ipse interdictus, mortaliter peccat ingerendo se diuinis officijs audiendis, si tamen ipse non sit interdictus, sed solus locus, non peccat ingerendo se, saltem mortaliter, nisi aliquod violentiæ genus faciat vt se ingerat, vel clericis eum expellentibus non obtemperet. Prima pars liquida est: nam populum vel aliquos ciues interdicere, est eis inhibere ne diuina officia audiant, & ideo si non sint Ecclesiæ audientes, cum sit res grauis, certum est eos peccare mortaliter. Secunda verò pars est sententia Sylue. loco citato, vbi ait, quòd nisi sese ex contemptu ingerant, nihil faciendo Ecclesiæ interdictum vel autoritatem, non peccant mortaliter. Sed & Caietanus verb. Interdictum. eandem sententiam asseuerantiùs affirmat, dicens, quòd violatio interdicti solùm est clericorum. Et ratio, quæ id suadere, nescio an persuadere videtur, est quòd quando solus locus interdicitur, mandatum iudicis non dirigitur ad laicos, neque illis intimatur, sed tantum ad clericos, quibus præcipitur, vt interdictum seruent. Et pariter religiosis ne ianuas perforent, aut fenestras faciant, per quas seculares possint diuina videre, vel audire, vt clem. 1. de senten. excommunicatio. illis ergo incumbit à diuinis populum arcere, quibus laici, cum ab ipsis expelluntur, parere tenentur. Alioqui si contemptus absit & scandalum, certè non videntur mortaliter peccare, licet se ingerant, sed solum esset quædam venialis culpa, propterea quòd interpretatiuè faciunt contra clericorum intentionem. Atqui, vt ibidem addit Caietanus, quamuis dum diuina sumus audientes, interdictus ecclesiam intraret, non tenemur eum vitare, quia non iubemur non participare cum interdictis, sed solum clerici tenentur à sacris eos eijcere.

1. Pars prob.

2. Pars. prob.

Caietan.

Solutio arg. in oppositū.

Ad argumentum ergo contrariæ partis respondetur, non esse idem de excommunicatione & interdicto: nam cum excommunicatis omnes prohibentur communicare, omnibusque imponitur pœnâ maioris vel minoris excommunicationis, si cum illis communicent: sed in interdicto soli clerici plectuntur, nisi illud seruent: quare illis solis videtur præceptum impositum. Clementina verò Grauis. de sententia excommunicatio. quam fautores contrariæ opinionis pro se afferunt, nihil eis suffragatur: quoniam illic non habetur sermo de laicis qui tempore interdicti ingerunt se sacris, sed de illis dominis qui eo tempore missas & diuina officia in ecclesijs publicè & solenniter factunt celebrari, alioq; conuocant, imò compellunt, vt eisdem sacris intersint, quos quidem non est dubium mortaliter & grauissimè peccare, qui ideo ob id peccatum illic excommunicantur. In horum ergo consequentiam non possunt adduci qui simpliciter se sacris ingerunt.

Primum igitur argumentum iam supra solutum est, conceditur namque neminem nisi pro sua culpa puniendum, tamen quando populus interdicitur sacris pro sola culpa excommunicati, non punitur populus, sed excommunicatus ipse in populo. Sicuti dum propter culpam patris soboles perdit nobilitatem, non punitur soboles, licet damnum patiatur, sed pater in sobole.

Solutio 1. argum.

Ad secundum verò respondetur, quòd etsi aliqua detrimenta ex interdicto sequantur in diuino cultu, & deuotione populi, recompensantur tamen per necessitatem defendendi autoritatem ecclesiasticam. Dum tamen, vt diximus, modus adhibeatur, ne vel sine vrgentissima causa interdictum ponatur, vel tantum duret, quòd in populo diuinorum sensus tepescat.

Solutio 2.

ARTICVLVS II.

Vtrùm cessatio à diuinis sit licita.

SECVNDÒ quæritur de cessatione, & arguitur, quòd non sit licita. Diuina officia celebrari est de iure diuino, ac potissimum missam, quæ vt supra diximus, est proprium Christianorum sacrificium: per nullum autem ius humanum derogatur diuinum, ergo nulla de causa cessatio à diuinis est licita.

Part. neg. arg.

In contrarium est concessio iuris cap. Si canonici de officio ordi. lib. 6.

Pars affirm.

Supremum afflictionis documentum, quod ecclesia ostendere potest, est cessatio a diuinis, quæ dicitur organorum suspensio, hoc est, ministrorum ecclesiæ silentium. Et sumitur ex illo Psal. 126. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Vt enim populus Israeliticus in Babyloniâ captiuus adductus organa, quibus in templo sacrificabat, suspendit, & petentibus Babylonicis, vt quæ in templo consueuerant canerent, responderunt. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Ita ecclesia in vltimas angustias coacta cessatione à diuinis afflictionem suam significat.

Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima. Nulla cessatio à diuinis propter aliquod crimen ipso facto iure imponitur, sicut aliæ quatuor censuræ. vt ar. proximo dicebamus, sed solum iure conceditur, vt quando ecclesiæ visum fuerit, cesset. Quare cessatio, vt Panor. in cap. Dilectus de appellatio adnotauit, hoc differt ab interdicto, quod sententia interdicti est quid iuris, cessatio verò non est nisi quid facti, non quidem iure latum aut decretum, sed iure permissum & concessum.

1. Concl.

Secunda conclusio. Cessatio, si legitimè fiat, est licita & decens propter causam iam dictam, nempe, vt quos rebelles ecclesia iure & ordine vincere & cogere nequit, saltem tam ingenti doloris sensu exterreat. Quòd autem cessatio iure concessa sit, patet ca. Irrefragabili. de officio ordi. & ca. Si canonici. & ca. Quamuis. eod. tit. lib. 6 Et cle. 1 de senten. excom. ait Papa cessationem vnicum esse lumen ad repellendas iniurias ecclesijs illatas.

2. Concl.

Tertia conclusio. Ingentissima grauitas incommodorum quæ cessatio præ se fert, exigit, vt sit legitima, conditiones decem. Illas ex ordine recensēt Bonifacius octauus in dicto cap. Quamuis. adiunctis glossis Ioan. Andreæ, & aliorum. Primum requiritur, vt cessantes habeant à iure, vel consuetudine, vt cessare possint, vt in prælegato cap. Si canonici. habetur. Vbi notandum est, quòd episcopus officio suo proprio & ordinario cessare potest, capitulum verò minimè sine autoritate & consensu episcopi, vt ex dicto cap. Irrefragabili. colligitur: alioqui cessatio non est valida, & episcopus potest eam reuocare, nisi sede vacante capitulum cessauerit, vel idem capitulum consuetudine, vel priuilegio obtinuerit, vt inconsulto episcopo cessare possit.

3. Concl. Conditiones 10. vt sit legitima cessatio. 1. Conditio.

Tunc ergo requiritur secunda conditio, scilicet vt omnes canonici nemine dempto conuocentur, etiam absentes, qui conuenire possunt, ac si de electione ageretur.

2. Conditio.

Digitized by Google

3. Conditio.

Tertiò requiritur, vt de causa cessandi maturè, & diligenter tractetur.

4. Conditio.

Quartò, quòd de cessando deliberent. Et videtur necessarium, quòd maior pars capituli cõcludat cessandum esse: nam in d. c. Quamuis. conuocatio ad cessationem faciendam æquiparatur ei, quæ fit ad electionem canonicè faciendam. Vnde etiam colligitur, quòd conclusio deliberationis debeat fieri à maiori parte omnium deliberantium. Itaque si alij concludant cessandum, & alij non cessandum, & tertij indifferenter se habeant, pars prima debet alias ambas superare.

5. Conditio.

Quintò requiritur, quod offensa propter quam cessatur, sit manifesta & notoria: alioqui nulla consuetudo sufficeret, quia esset onerosa, vt. c. 2. de consuetu. habetur. Quapropter vt ait Syl. verb. Cessatio. non sufficit, vt cum illo, contra quem cessatur, probabilibus rationibus agatur. Sed requiritur, quòd apertis, & notorijs conuincatur.

6. Conditio.

Sextò requ ritur, quòd causa illa manifesta sit rationabilis. Hæc autem conditio per præcedentem satis explicatur: quia non sufficit, quod sit rationabilis, sed apertis rationibus demonstrata.

7. Conditio.

Septimò, quòd ante cessationem instrumento publico, vel patentibus literis authentico sigillo munitis causa cessationis exprimatur.

Octaua.

Et Octauò, vt idem instrumentum ei, contra quem cessatur, tradatur.

Nona.

Nonò, quòd cessaturi requirant illum, vt emendet competenter iniuriam vel offensam, propter quam vo lunt cessare, quòd si ille emendare noluerit, tunc habet locum cessatio.

Decima.

Decimò tandem requiritur, vt infrà mensem vtraque pars tam cessans, quam contra quam cessatur, per se vel per procuratores iter ad sedem Apostolicam arripiat, & competenti dierum spacio se ei repræsentet, vt cognita causa pontifex remedium adhibeat.

Transacto mense partibus concordantibus citra tussim pontificis cessatio potest tolli.

Hinc autem quidam, qui de hoc mecum dum semel cessatio posita erat, congressi sunt, colligebant, quòd mense transacto licet concordia inter partes componeretur, nullatenus posset ante iussum Pontificis cessatio tolli. Sed reuera nescio quo colore hoc ex dicto capitulo colligatur: nam Papa illud ad se iter non iubet nisi ad tollendum Ecclesiæ, & populi grauamen: nempe, ad prouidendum ne cessatio diu duret, vt licèt partes non consentiant, ipse eam tollat. Intentio ergo Pontificis non est viam occludere, quominus etiam transacto mense quocunque tempore inter partes conueniat, possit cessatio tolli autoritate eius, qui eam posuit. Imò verò secundum Ioannem Andream, si omnes istæ decem conditiones non concurrant, cessatio non est valida. Vnde infert, quod si transacto mense iter non arripiatur ad sedem Apostolicam, cessatio non est seruanda. Quinuerò textus id ipsum de parte saltem cessante asserit, nempe, quòd si pars cessans iter non arripuerit ad sedem Apostolicam, non seruetur cessatio. Secùs vt ait Syl. verb. cessatio. Si pars, contra quam cessatur idem iter aggredi renuerit: nam propter eius contumaciam non debet Ecclesia iure cessandi spoliari.

Pœna clericorum cessationē violantiū.

De pœnis autem clericorum cessationem violantium est dubium, vtrum etiam irregularitatem incurrant sicut dum violant interdictum. Ad quòd Syluester verb. Cessatio §. 5. respondet, quòd si cessatio est particularis vnius Ecclesiæ, vel duarum aut plurium, non autem generalis omnium totius vrbis, non incurritur irregularitas etiam si sit matrix Ecclesia, quia illa non æquipollet interdicto. Si autem sit generalis in vrbe, vel castro, vel regno refert quosdam dicentes, quod incurritur eadem irregularitas, & quod religiosi non seruantes excommunicatione feriuntur, iuxta tenorem Clem. 1. de sententia excommunica. Ipse tamen contrarium cum alijs sentit propter celebrem illam regulam de sent. excommu Is qui. lib. 6. quod nunquam fiat quis irregularis, nisi in casibus à iure expressis. Attamen quantum ad excommunicationem religiosorum contrarium profecto crediderim: nam in prædicta Clemen. postquam religiosi non seruantes interdictum anathemate plectuntur, subdit Papa. In cessationibus generalibus à diuinis ciuitatum, terrarum, aut aliorum locorum idem intelligimus obseruandum, quibus verbis eadem insinuatur pœna.

Virum Religiosi cessationē non seruates excommunicentur.

Sententia autoris.

Pœna cessantium

Tenentur præterea qui sine legitima, & canonica causa cessant, omnia, quæ de quibuscunque prouentibus illius Ecclesiæ, in qua cessatum fuerit susceperint, eidem Ecclesię restituere, & quę sibi debentur non possunt percipere. Tenenturque subinde alteri parti sumptus restituere. Si vero causa propter quam cessatum est, inuenta fuerit iusta & canonica, tunc tenetur pars contraria cessantibus resarcire omnia damna & detrimenta, quæ causa cessationis acceperunt.

Sine legitima causa.

Ad capitale igitur argumentum respondetur, quod quanquam diuina officia, & potissimum missarum solennia sint de iure diuino, tamen singulis diebus celebrare, aut singulis mensibus non tam strictum ius est, quin possit Ecclesia, quando ratio poposcerit, ad asserendam suam autoritatem, quæ etiam est de iure diuino, in tempus organa sua suspendere. Et hæc de clauium potestate, & eius partibus.

Soluitio argum.

DISTINCTIO VIGESIMATERTIA,

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

Cap. 1.

QVINTVM denique postremumque adeò sacramentum eorum, quæ ad singularium attinent perfectionem personarum, est vnctio extrema. Quæ quidem est sacramentum vnctionis infirmorum ad salutem animi & corporis. Tria quippe sunt vnctionum genera, vt venerabilis Hugo ait. Est enim vna, eademque principalis, quæ fit chrismate, per quam copia gratiæ confertur, vt in confirmatione, licet eodem sacro vnguento, & sacerdos baptizatum chrismet in fronte, & episcopus sacerdotes, quos ordinat, in capite & manibus. Alia est, quæ oleo fit simplici benedicto, qua cathechumeni, & neophyti vnguntur in pectore, & inter scapulas. Ac demum tertia, qua infirmi in exitu vitæ liniuntur. Ex his ergo sola prima: nempe, confirmatio, & hæc vltima sacramenta sunt, reliquæ verò non nisi sacramentalia quædam. Quod autem hoc sit sacramentum, inde constat, quòd quæcunque Ecclesiastica cæremonia, quæ ceu passionis Christi instrumentum ad remissionem valet peccatorum, est sacramentum. Iacobus autem ait, quod dum infirmus presbyteri ministerio vngitur oleo in nomine Domini, si in peccatis est, remittuntur ei. Et quamuis hoc sacramentum pluribus perficiatur vnctionibus, vnicum tamen ex omnibus resultat, perinde atque ex consecrationibus panis & vini vnica Eucharistia. Eius autem institutor nec Iacobus quidem, nec Apostolorum collegium, vt quidam autumant, fuit, sed solus Christus, quod illi sua prædicatione promulgarunt. Nam institutio sacramentorum, quippe quæ fundamenta legis Euangelicæ existunt, & gratiam conferunt, ad potestatis excellentiam Christi attinet, quam ipse nemini impertitus fuerit.

Extrema vnctio definitur.

Esse Sacrā. probatur.

Iacob. 5.

Esse vnū.

Christus Author.

Est igitur sacramenti huius effectus, vt idem ait Iacobus, & per remissionem peccatorum animum sanare, & per morborum curationem alleuiare corpus. Materia verò eius est oleum oliuarum episcopali benedictione consecratum. Id enim idem Apostolus designat dicens. Vngentes eum oleo in nomi-

Cap. 2.

Effectus huius Sacram.

Materia.

Digitized by Google

ne Domini: quia hoc nomine & oleum benedicitur, & vnctio exercetur. Sed forma non est enunciatoria, & indicatoria velut in cæteris sacramentis, at deprecatoria, vt verbo illo apud eundem Apostolum designatur, Orent super eum, hoc est, infirmo deprecando salutem. Cuius quidem ratio potissima est, quòd cùm non solum animæ, verùm & corporis sit medicina, & hunc secundum effectum non semper infallibili ordine sortiatur, condecet, vt deprecatione Deus pulsetur, qui eundem præstet sospitatis effectum.

Forma deprecatoria.

Iacob. 5.

Ratio.

Ministri autem eius sunt presbyteri, vt in eadem canonica epistola admonemur. Nec tamen sanis ministrandum est, sed infirmis, vt ibidem subiungitur. Neque verò quibuscunque infirmis, sed illis qui in exitu sunt vinentium, tum quod absterſio per ipsum fit reliquiarum peccatorum, quæ toto vitæ curriculo contrahimus; tum quòd cùm virtutem habeat diuinam sanādi corpus, non nisi naturalibus medelis propemodum desperatis exhibendum est.

Cap. 3.

Ministri.

Subiectū.

Atqui cùm præcipuus finis sacramenti huius sit morbis animi mederi, congruentissimè non toti corpori, quod per animam viuit, sed illis eius partibus in quibus radices peccatorum vigent, applicatur. Rādix autem prima nostrorum morum est cognitio, vnde vis appetitiua excitatur, cognitio verò nostra teste Arist. à sensu incipit. Quocirca secundum vniuersalem Ecclesiæ ritum quinque sensuum organa, quasi hoc sit de essentia sacramenti, inunguntur: nempe oculi, aures, & nares, os, & manus, in quarum digitorum pulpis tactus præcipuè residet. Est tamen plerisque Ecclesiarum in more, propter virtutem motiuam, pedes quoque vngere, & quibusdam propter appetitiuam, etiam renes. Ad hæc cùm hoc sacramentum non sit ex illis quæ characterem imprimunt, nihil vetat quominus etiam in eadem infirmitate iterari valeat.

Cap. 4.

Partes vngenda.

Iterari potest.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆTERTIÆ.

Quæstio Prima.

DE SVBSTANTIA SACRAMENTI EXTREMÆ VNCTIONIS. ET EIVS EFFECTV ET PARTIBVS.

IN ordine quem d. 1. q. 6 art. 2. inter sacramenta constituimus, quinque diximus ad perfectionem vniuscuiusque personæ pertinere: tria scilicet per se, vt baptismum, confirmationem, & Eucharistiam, quæ sunt generatio & nutritio spiritualis vitæ: & duo per accidens ratione peccati, quæ sunt pœnitentia, qua sanamur: & extrema vnctio, qua integram valetudinem recuperamus. Dictum est autem hactenus de quatuor, dicendum ergo modo de quinto: nam reliqua duo non ad perfectionem hominis quatenus singularis persona est, attinent, sed ad perfectionem Christianæ societatis: nempe matrimonium, vt genus nostrum corporaliter propagetur: & ordo, quo spiritualiter gubernetur. De quibus ideo duobus sacramentis in subsequenti tomo Deo dante differendum restat. In hac ergo dist. duæ erunt quæstiones. Prima de sacramenti essentia, effectu & partibus. Secunda de eius ministris, ac de illis, quibus est conferendum. Atqui prima quæstio quatuor complectitur articulos. Primus est de ipso sacramento secundum se. Secundus de eius effectu. Tertius de materia. Et quartus de forma.

ARTICVLVS. I.

Vtrum extrema vnctio sit sacramentum.

ARTICVLVS ergo primus est, vtrùm extrema vnctio sit sacramentum; & arguitur a parte negatiua. Sicut oleum assumitur ad infirmos, ita & ad catechumenos, sed vnctio catechumenorum, quæ oleo fit, non est sacramentum: ergo nec extrema vnctio.

Partis negatiuæ argum. 1.

Secundò. Sacramenta veteris legis fuerunt signa sacramentorum nouæ: sed in illa lege nullum præcessit sacramentum, quod esset huius figura; ergo hoc non est sacramentum.

Secundū argument.

Tertiò. Omne sacramentum, vt autor est Dion. lib. de eccleſiastic. hierar. vel est ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum, sed extrema vnctio nec est ad purgandum, nec ad illuminandum, quia hæc ipse baptismo tribuit: neque verò ad perficiendum, quia hoc attribuitur chrismati & Eucharistiæ: ergo non est sacramentum.

Tertium argument.

In contrarium autem est verbum Iacobi. 5. vbi iubens vt infirmi per presbyteros oleo sancto vngantur, subdit dicens. Et si in peccatis est, remittentur ei: remittere autem peccata proprium est sacramenti tanquam instrumenti diuinæ passionis.

Pars affirm.

Non defuerunt hæretici, qui contra veritatem huius sacramenti extremæ vnctionis insurgerent. Nam vt Thom. Waldensis tom. 2. de sacramentis capit. pen. refert, Witcleff assiduus Ecclesiæ hostis eam negauit esse sacramentum, dicens quod si esset sacramentum, Christus & cæteri Apostoli eius promulgationem & executionem non tacuissent: cùm tamen in Euangelio Christus huius non meminerit vnctionis, & quamuis vt Marci. 6. legitur, vngerent infirmos oleo, illud tamen non erat sacramentum, quia extrema vnctio est complementum sacramenti pœnitentiæ, & tamen tunc Apostoli non erant sacerdotes, nec sacramentum pœnitentiæ administrabant. Eiusdem hæresis (vt Guido Carmelita in lib. suo de hæresibus, & Æneas Syluius qui postea fuit Papa Pius, in libr. de origine Bohemorum cap. 35. referunt) VValdenses fuerunt priores autores, ex quibus illam hæreditarunt Bohemi, ac subinde Lutherani, qui eandem vnctionem negant esse sacramentum, dicentes primum, epistolam Iacobi non esse canonicam. Deinde, quod etiam si fuerit Iacobi, ipse sicut nec cæteri Apostoli, non potuerit sacramentum instituere. Quare vbi admonuit vt infirmi ministerio presbyterorum oleo sancto vngerentur, nullius, inquiunt, meminit sacramenti, sed illius Apostolorum moris, qui vnctione olei infirmos recreabant. Quare Iacobus, inquiunt, non loquebatur solum de infirmis morti propinquis, sed de quibuscunque. His tamen non obstantibus ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Extrema vnctio est verè sacramentum. Tria enim sunt vnctionis genera, vt Hug. lib. 2. de sacra. par. 15. cap. 1. cuius verba Magister præsenti d. desumpsit. Est enim vnctio, quæ fit chrismate, quæ dicitur principalis, & hæc fit & à sacerdote in vertice baptizati, & episcopo in manibus & capite sacerdotis, quem ordinat, & in fronte baptizati dum eum confirmat. Secunda est vnctio catechumenorum, quæ fit oleo simplici benedicto in pectore, & inter scapulas. Et tertia, qua eodem oleo inungitur infirmus. Reliquæ ergo non sunt sacramenta, sed sacramentalia. Confirmatio verò & hæc extrema sunt sacramenta. Probat igitur S. Thom. d. 13. conclusionem præsentem hoc pacto. In his quæ Ecclesia visibiliter operatur, quædam sunt sacramenta vt baptismus: quædam sacramentalia, vt exorcismus, aqua benedicta, &c. Horum autem discrimen est, quod sacramentum est illud, quod principalem effectum spiritualem attingit: nempe remissionem peccatorum, qua fit per gratiam, iuxta illud Esa. 28. Hic est omnis fructus vt auferatur peccatum. Sacramentale autem est quòd licet hunc effectum non attingat, est tamen ad eius assecutionem dispositio quædam, vt exorcismi, &

Witcleff. argum. contra extrema vnctionis Sacr.

Lutherani.

1. Concl.

Ratio S. Thom.

Inter sacramenta & sacramentalia discrimen.

vnctiones

vnctiones catechumenorum, quæ dæmones abigunt, ne effectui sacramenti obsint: extrema verò vnctio illum principalem effectum attingit: ergo est sacramentum.

Ratio confirmatur.

Est autem adnotanda vis probationis huius, alicui n. videbitur esse circulum in probatione: nam ad probandum, quòd illum effectum attingat, necessarium videtur probare priùs esse sacramentum: probare ergo, quòd sit sacramentum per hoc, quod peccatum remittat, videtur petitio principij. At verò nulla est, sed legitima probatio. In sacra enim pagina non habetur hoc, aut illud esse sacramentum sub his verbis, sed hoc solum, quod sunt aliquæ cęremoniæ in Euangelio, quæ peccata remittunt, & vitam spiritualem conferunt, vt de baptismo, † Nisi quis renatus fuerit ex aqua & *Ioann. 3.* Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum & de Eucharistia, † Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Et de pœnitentiâ *Ioann. 6.* Lucæ vltim. Oportet pœnitentiam prædicare in remissionem peccatorum. Igitur quamuis causa cur aliqua cæremonia conferat gratiam, sit esse sacramentum, nihilominus ex Euangelio non possumus probare aliquod esse sacramentum nisi ab effectu, quia gratiam & remissionem peccatorum operatur. Vnde cum Iacobus post mentionem vnctionis subiunxerit, Si in peccatis est, remittentur ei: quibus verbis significauit virtutem illius vnctionis esse peccata remittere, eisdem verbis docuit esse sacramentum. Enimuerò quia vt Apostolus 1. Cor. 11. ait, ex peccatis sæpe oriuntur infirmitates corporis, vtrumque tribuitur huic sacramento, & peccata remittere, & alleuiare infirmum. Quocirca illud: Si in peccatis est, vt distinct. 18. quæst. 1. articul. 1. dicebamus, non solum ad orationem refertur, vt prædicti hæretici autumant, dicentes, quòd solum merito orationis presbyter potest sanitatem corporis & animæ impetrare infirmo: sed refertur ad vnctionem, quasi ipsa vnctio virtute operis illum habeat effectum sicuti confessio, de qua subnectit, Confitemini alterutrum peccata vestra. Non enim illa sacramenta eo ordine narrauit, quo applicanda intellexit. Enimuerò cùm dixit accersendos esse presbyteros, intellexit à confessione exordiendum, & deinde procedendum ad vnctionem, quorum vtrique remissionem attribuit peccatorum.

Quo in Euangelio aliquod probatur sacramentum.

Exponitur locus Iacob. 5.

Conclu. veritas.

Est ergo conclusio hæc nostra non vtcunque vera, sed orthodoxa veritas, neque verò tantum testimonio sanctorum, aut Ecclesiæ, aut conciliorum corroborata, verùm & in sacra pagina fundata. Eandem conclusionem Beda lib. 2. super Marcum capi. 4. & super Lucam. li. 3. cap 7 fundat in commemorato vsu apostolorum Marci. 6. vngentium oleo infirmos, quasi ad illum vsum Iacobus alluserit. Cautè tamen hoc legendum est: non enim sic est intelligendum quasi apostoli antequam fuerint sacerdotes instituti, vnctione illa ceu sacramento vsi fuerint, quia, vt modò dicebamus, nec erat tunc vsus sacramenti pœnitentiæ: quare non legitur apud Marcum quòd vngebant oleo sancto, sed simpliciter oleo, ad salutem corporis per donum sanitatis: Iacobus verò non ait simpliciter oleo, sed ait: Orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, quasi oleum debuisset in nomine Domini esse benedictum, vel quod in nomine Domini per formam sacramenti esset vnctio facienda. Et hic responsum sibi hæretici putent, dicentes non aliud insinuasse Iacobum, quam illud quod viuente Christo apostoli vsurpabant, imò longè nos aliud docuit.

Cautè intelligendus Beda.

Extrema vnctionis definitio.

Ex quo colligitur definitio extremæ vnctionis. Est enim sacramentum vnctionis infirmorum ad salutem animi & corporis. Sed tamen quod ait Beda, est, vnctionem illam priorem, fuisse quoddam præambulum sacramenti, quod post Christi resurrectionem vim erat habiturum.

Meminit & de hoc sacramento Aug. lib. 2. de visitatione infirmorum ca. 4. dicens. Nec prætermittendum est illud Iacobi Apostoli præceptum, Infirmatur quis in vobis, &c. Nota verbum, præceptum, quòd certè rem grauem atq; adeò sacramentum designat. Et subdit, Sic ergo roges de te, vt sicut dixit apostolus Iacobus: imò per apostolum suum Dominus. Vide præceptum non esse apostoli, sed Domini per apostolum promulgatum seu commendatum. Et subiungit rursum. Vt fiat pro te ipsa scilicet sacrati olei delibutio, quæ intelligitur Spiritus Sancti typicalis vnctio. Vbi liquidò Augusti. spiritualem virtutem sacramenti designat.

Et per hoc ad hæreticorum calumnias respondetur. Nam ad illud, quòd epistola illa non sit Iacobi, non est hic locus respondendi. Est enim illa Luthero via peruia protegendi se, quando alia ei non succurrit, quamcunque scripturam è sacro canone abradere. Est tamen Ecclesiæ antiquissima & firmissima confessio, illam esse epistolam Iacobi. Fatemur tamen nec Iacobum, nec aliquem apostolorum sacramentum instituisse, vt quod ad potestatem excellentiæ, quam Christus nemini commisit, attinet. Sed tamen illa apostoli admonitio non fuit eius institutio, sed relatio & commendatio instituti Christi. Similiter enim proximè præmiserat, Ante omnia fratres mei nolite iurare neque per cælum, &c. & tamen illud non erat præceptum eius, sed Christi. De eodem sacramento idem meminit Augusti. quarta parte sermonum, sermo. 9. qui incipit, Rogo vos. Quoties enim, inquit, aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat: oleum benedictum à presbyteris fideliter & humiliter petat, & inde corpusculum suum vngat, vt illud quod scriptum est impleat. Infirmatur quis in vobis, &c. Vbi nos ordinem Augustinus docet, quem presbyteri erga infirmos obseruabant. Primum enim sacramentum pœnitentiæ infirmis administrabant, mox eucharistiam, ac demum oleo eos sancto vngebant

Hæreticorum calumnias satisfit.

August.

Sed quo & sacris canonibus idem sacramentum illustretur, autoritatem qi adrogauit Leo papa primus can. Illud superfluum. 95. distin. vbi dixit, quod si episcopus posset chrismate, hoc est, oleo à se benedicto ægrotos inungeret Et Innocen. 3 de sacra vnctione cap. 1. hoc sacramentum secundùm Iacobi admonitionem recenset. Et concilium Florentinum inter septem sacramenta ecclesiæ constituit. Et tandem capitu. Ad abolendam. de hæret. hæreticus censetur, qui aliter quàm Ecclesia Romana de sacramentis Ecclesiæ senserit, quæ tamen septem sacramentis instructa est.

Innocen.

Conc. Florent.

At quoniam ob id, quod in hoc sacramento plures cum pluribus formis vnctiones fiunt, posset quis arbitrari non esse vnum, sed plura sacramenta, annectitur secunda conclusio. Hoc sacramentum est vnum, alioqui sacramenta plura essent quàm septem. Vnum enim, vt præsenti distinctione ait Sanct. Thomas, tripliciter dicitur: scilicet, aut indiuisibilitate, vt punctum & vnitas, quæ nec actu nec potentia diuidi potest. Aut continuitate, vt linea, quæ actu est vna, & potentia plura. Aut denique perfectione, eo quòd res est pluribus constans, vt domus, quæ ex pluribus materiebus vna perficitur forma. Hoc ergo tertio modo omne sacramentum est vnum quatenus ex plurib⁹ rebus, & verbis vnum constat signum, & vnum effectum gratiæ tum significans, tum etiam efficiens. Sed est differentia, quòd quandocunque vnica actione sacramentum conficitur, vt confirmatio, vbi ideo vnica chrismatio est sacramentum. Quandoque verò indifferens est, vnâ perficiatur, an pluribus, vt baptismus, qui vel vna, vel trina mersione fieri potest. Et tunc vel vna mersio est sacramentum, vel omnes tres. Sed quandoque plures sunt ad vnum sacramentum necessariæ, vt ad eucharistiam, quæ ratione corporis & sanguinis constat. Atque hoc pacto sacramentum extremæ vnctionis est simul plures vnctiones, eo quòd perfecta significatio salutis animæ non fit nisi vnctis sensibus, & organis, quæ sunt morborum spiritualium, hoc est, peccatorum radices. Quare vnctio partialis cuiuscunque sensus non est, nisi pars sacramenti.

2. Concl. Sacram. extr. vnct. esse vnum perfectione.

Nota.

Ex quò fit consequens, vt sacramentalis gratia, neque per primam, neque per subsequentes vnctiones conferatur, vsque ad punctum vltimæ partialis formæ, vt quæstio. sequenti ar. tertio luculentius explicabitur. Nulla ergo est consequentia, quòd si plures sint vnctiones, plura sint sacramenta. Nam sicut partiales formæ ossium, carnium, & neruorum in homine vnum integrant suppositum: ita & illæ omnes vnctiones vnicum signum vnius gratiæ.

Corollarium.

Aliud tamen hic argumentum facere quis potest. Sequeretur, quod si sacerdos vna facta aut duabus vnctionibus moreretur, sacramentum maneret imperfectum, atque adeò nullum esset. Profectò conceditur argumenti conclusio, nisi alius præsto esset, qui alias prosequeretur. In quo vnicum sacramentum per duos ministros perficeretur: veluti si facta consecratione panis sacerdos subita morte interiret, tunc enim alius

Obiectio.

Dilutio.

deberet

Digitized by Google

ieberet ad consecrationem vini procedere. Sed est duplex differentia. Prima, quod licet nullus alius esset, qui sacramentum perficeret, nihilominus corpus sub speciebus panis sumptum sufficeret conferre gratiam, non tamen vna, aut duæ vnctiones. Secunda, quia posset sacerdos vel solum vinum consecrare, vel à capite consecrationis exordiri: nempè, consecrando aliam hostiam, vt ait Sanctus Thomas, sed in extrema vnctione non deberet vngi pars, quæ vncta est: quia vnctio in eadem parte iterata esset similis consecrationi super eadem hostia repetita, quod nullo modo faciendum est. Consultius tamen est, vt in Eucharistia non alia hostia sumatur postquam alia est consecrata. Quare in tertia parte quæstione 83. articulo sexto non meminit huius secundi membri, sed simpliciter dixit, quòd debet missæ celebritas per alium sacerdotem expleri.

A quo fuerit hoc sacramentũ institutũ.

Quæ autem hic præcipua ambiguitas est, ad sacramenti huius institutionem attinet. Hugo namque libro secundo de sacrament. part. 15. ait quod sacramentum vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus, Infirmatur aliquis in vobis, &c Atque hanc opinionem ad literam, vt alias eius autoris sæpe solebat, amplexus est præsenti distinctione Magister sentent. Et quamuis Sanctus Thomas glosset eum, quòd intellexerit institutum ab Apostolis, id est, promulgatum, planè tamen & Hugo & Magister fuerunt illius sententiæ, quòd fuerit ab eis institutum, quos sequitur & Bonauentura articul. 1. quæstio. 2. dicens, Quod Spiritus Sanctus per Apostolos hoc sacramentum instituit.

Hugon. & Magistri sentem. opinio.

3. Concl.

His tamen non obstantibus subiungitur tertia conclusio. Hoc sacramentum, sicut reliqua omnia, à Christo ipso institutum est. Hanc conclusionem, contraria recitata, & reiecta, asserit D. Thom. distinctione præsenti, & Ricardus distinctione secunda, articulo primo, quæstione tertia. Atqui nos suprà distinctione prima, quæstione quinta, articulo secundo, generatim omnia sacramenta monstrauimus à Christo esse instituta. Et ratio id certè conuincit. Sacramenta enim sunt legis Euangelicæ fundamenta: ad legislatorem autem pertinet fundamenta legis constituere, quæ nemo alius dimouere possit. Vnde Paulus, Sic nos, inquit, existimet homo, vt dispensatores mysteriorum Christi. non ait fundatores, sed dispensatores. Et quamuis ad Ephes. 2. dixerit ciues Ecclesiæ esse fundatos super fundamentum Apostolorum, & prophetarum, intelligit super fundamento, quod Prophetæ & Apostoli promulgarunt. Secundò, quia cum sacramenta gratiam conferant, eorum institutio ad potestatem excellentiæ Christi pertinet, qui & meritor fuit eiusdem, & dator, quam quidem potestatem, vt illic dicebamus, nemini communicauit. Accedit quòd si vel Apostoli possent sacramenta instituere, eadem ratione possent eadem variare & tollere: consequens tamen est falsum & erroneum. Præterea cum sacramenta veteris legis, quæ tantùm erant nostrorum figura, Deus solus condiderit, condecens fuit, vt Christus ea, in quibus veritas consistit, & instrumenta suæ passionis sunt, instituerit.

1. Ratio conclusionis.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Ratio. 4.

Arg. contrariæ opinionis.

Argumentum autem contrariæ partis est, quòd nullibi in Euangelio huiusmodi institutio legitur. Ad quod sunt qui respondeant, illud institutum fuisse Marci 6. vbi Apostolos ad prædicandum cum illa potestate misit, vt infirmos oleo curarent. At verò D. Thom. hoc non respondit, intelligens curationem illam non fuisse sacramentum. Et ideo ait Christum sacramentum hoc instituisse, satis probari ratione communi omnium sacramentorum: quia sunt fundamenta Ecclesiæ, & causa gratiæ. Euangelistæ verò non fuerunt soliciti vniuersa pernarrare, sed illa tantùm, quæ ad salutis necessitatem, & Ecclesiæ dispositionem pertinebant, qualia sunt baptismus, pœnitentia, Eucharistia, ordo, & matrimonium. Confirmatio verò, & extrema vnctio non habent tantam necessitatem, sed nihilominus Spiritus Sanctus extraditione Apostolorum illa declarauit. Possumus præterea dicere, quòd Marci 6. hoc sacramentum insinuauit, sicuti confirmationem vbi promisit Apostolis virtutem ex alto.

Sol. D. Thom.

Nota.

Cur Christus solam Eucharistiam ministrauerit & sumpserit.

Ex omnibus autem sacramentis solam Eucharistiam ministrauit: ob id quòd & eandem ipse in exemplum sumpsit, quod nullam in eo imperfectionem designabat. Reliqua verò ideò non ministrauit, quia non decebat ea recipere, vt baptismum, pœnitentiam, & extremam vnctionem: quia sunt remedia peccati, quod in ipso non erat, nec confirmationem & ordinem, qua dantur ad perfectionem gratiæ, aut potestatis, quibus ipse non carebat.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd vnctio catechumenorum non est sacramentum, quia non confert gratiam.

Solut. 1. argum.

Ad secundum respondetur, quòd cùm virtus huius sacramenti sit exeuntes ab hoc seculo ad ingressum gloriæ disponere, qui quidem in veteri lege decedentibus non patebat, nullum fuit illic sacramentum huius figura, quamuis per curationes lepræ, & aliorum membrorum quodammodo designabatur.

Solut. 2.

Ad tertium respondetur, quòd Dionysius mentionẽ non fecit de extrema vnctione, sicut neque de pœnitentia, & matrimonio: quia non recensuit nisi sacramenta quantum ad ordinem Ecclesiasticæ hierarchiæ, quæ consistit in benedictionibus ministrorum, quæ sunt per ordines sacros, & in purgatione, & illuminatione recipientium, quæ fit per baptismum, & in eorum perfectione, quæ fit per confirmationem & Eucharistiam. Nihilominus, vt Diuus Thomas tertia parte. quæstio. 65. articul. 1. dixit, & sacramentum matrimonij quodammodo attinet ad ministros: quia per ipsum generantur homines, qui futuri sunt ministri, & pœnitentia, & extrema vnctio ad purgationem, & illuminationem eorum qui à gratia baptismali decidunt.

Solut. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm effectus extremæ vnctionis sit peccatorum remissio, & sanitas corporalis.

QVONIAM rei natura per eius effectum innotescit, quæritur de effectu extremæ vnctionis, & arguitur, quòd non sit remissio peccatorum. Ad id, quod per vnum satisfieri potest, aliud superfluit, sed ante extremam vnctionem requiritur pœnitentia, per quam, quantum est de se, omnia peccata, tam venialia, quàm mortalia remittuntur: ergo extrema vnctio non valet ad remissionem peccatorum.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. In peccato sunt tria: scilicet macula culpæ, reatus pœnæ, & reliquiæ: nempe malæ inclinationes inde resultantes: macula autem culpæ non remittitur, nisi per contritionem, quæ ad pœnitentiam est necessaria, & quæ per se sufficit peccata remittere: quæ quidem contritio non est dispositio proxima extremæ vnctionis, neque per extremam vnctionem remittitur peccatum quoad reatum pœnæ, alioqui si infirmus conualesceret, non teneretur satisfacere pro peccatis, quod tamen est falsum: sed neque per ipsam remittuntur reliquiæ: quoniam experitur infirmus, qui post vnctionem bonam valetudinem recuperat, easdem malas inclinationes: ergo effectus extremę vnctionis non est remissio peccatorum.

2. Arg.

In contrarium tamen est, quòd vtrumque coniunxit Iacobus tanquam binum huius sacramenti effectum, dicens, Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est, remittentur ei.

Pars affirmatiua.

De hac quæstione aliqua sunt certa, & aliqua dubia, ad omnia verò sex conclusionibus respondetur. Prima. Effectus huius sacramenti est duplex. Vnus vtique principalis, atque alter minus principalis, & quasi adiunctus; nam etsi vnum quodlibet sacramentum ad vnum sit effectum principaliter institutum, vt baptismus ad gratiam generationis, & Eucharistia ad gratiam nutritionis spiritualis, nihil tamen vetat quominus alios possit habere adiunctos, vt Eucharistia animi hilaritatem.

1. Concl.

Secunda conclusio. Effectus præcipuus huius sacramenti est gratia ad peccatorum remissionem. Conclusio est beati Iacobi dicentis, Si in peccatis est, remittentur ei. Est autem triplex peccatum: nempe originale, mortale, & veniale, & in vnoquoque est distinguere tria: scilicet maculam culpæ, & reatum pœnæ, & reliquias quæ ex ipsis peccatis relinquuntur.

2. Concl.

Est ergo tertia conclusio. Effectus proprius huius sacramenti non est remissio culpæ originalis vel mortalis. Probatur, quia effectus proprius cuiusque sacrament ex ipsa eius significatione deprehenditur. Sicuti purgatio ab originali, & regeneratio ex significatione abluti-onis baptismi, emersionisque ex aqua, & liberatio:

3. Concl.

Ratio.

ligamine peccati, ſuſcitatioque ex eius morte ex forma abſolutionis pœnitentiæ: cum ergo extrema vnctio applicetur per modum vnctionis, quæ medicinæ effigiem habet, effectus eius proprius eſt medicari & ſanare. Vnde ſicut baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, & pœnitentia quædam ſpiritualis ſuſcitatio: ſic & extrema vnctio quædam ſpiritualis medicatio & ſanatio. Sicut autem medicatio & ſanatio præſupponit vitam corporalem, quia mortuo, quia ſanari nequit, nulla applicatur medicina: ita & extrema vnctio præſupponit ſpiritualem vitam, languidam tamen, debilem, & infirmam, atque adeò non eſt inſtituta, vt per ſe directè tollat mortem originalis vel mortalis culpæ, ſed hoc ei eſt accidentarium, ſicut omnibus ſacramentis, ſi peccatum mortale ſine obice inueniat. Quare Iacobus non dixit ſimpliciter, quòd directè remittit peccata ſicut pœnitentia, ſed quòd ſi infirmus in peccatis eſt, remittentur ei. Et confirmatur hæc ratio. Duo ſacramenta non ordinantur ad eundem effectum: nam ad remiſſionem originalis non ordinatur niſi baptiſmus: cùm ergo ſacramentum pœnitentiæ ſit propriè inſtitutum ad remiſsionem culpæ mortalis, ſit vt extrema vnctio non ſit ad illum effectum inſtituta Id quod ex ordine ipſo præterea confirmatur. Nam ſicut pœnitentia ſupponit baptiſmum, quo tollitur originale: ita & extrema vnctio ſuo ordine & inſtitutione præſupponit pœnitentiam, qua tollitur mortale. Accedit, quòd ſi ſacramentum hoc ad remiſsionem mortalis culpæ eſſet inſtitutum, nulla vetaret ratio quominus ſanis poſſet exhiberi, imò indiſcriminatim vel ipſum, vel ſacramentum pœnitentiæ, quod eſt erroneum: nam forma eius non præſupponit accuſationem peccatorum, quæ eſt ad ſacramentalem mortalis culpæ remiſsionem neceſſaria. Concluditur ergo, quòd ſua per ſe virtus eſt abſtergere infirmitatem, quæ ſublato peccato mortali in homine relinquitur.

Simile.

Confirm. ratio 1.

Cõfirm. 2.

3.

Dubium. Quænam ſit infirmitas quã tollit hoc ſacram.

Tres ergo iſtæ concluſiones certiſsimæ ſunt, & ab omnibus receptiſsimæ. Sed tamen dubium eſt, quænã ſit illa infirmitas, ad cuius ſanationem ſit inſtituta: nam ſublata mortali culpa, poſſunt in homine relinqui vel venialia peccata, vel aliquæ reliquiæ ex peccato mortali: nempe pronitas ad malum, & ineptitudo quædam & torpor ad bonum. Plerique ergo omnium doctorum autumant effectum proprium extremæ vnctionis eſſe venialium remiſsionem. Sic enim diſtinct. præſenti opinati ſunt Bonauentura, Scotus, Ricardus & Durandus. Et apparentia ſuæ opinionis eſt, quòd ſicut ſunt tria peccatorum genera, nempe originalis, mortalis, & venialis: ſic ſunt tria ſacramenta illis accommodata: ſcilicet baptiſmus, pœnitentia, & extrema vnctio. Contra hanc tamen opinionem arguitur. Primò ex ipſa forma ſacramenti: nam cùm peccatum veniale ſit quodammodo ligamen, ſi per formam ſacramenti deberet remitti, deberet forma ipſa aliquam habere figuram abſolutionis: imò deberet habere aliquem actum doloris vel charitatis: atque adeò ſi ſine tali actu venialem culpam remitteret, non eſſet tam ſacramentum, quàm ſacramentale quoddam, vt aqua benedicta, & benedictio epiſcopalis.

Opinio Bonau. Scoti Durand. Fundamentum opinionis. Impugnatur & probatur 1. extrema vnct. non ordinari per ſe ad remiſſionẽ peccatve-nialis.

Secundò, ſacramentum pœnitentiæ, licet principaliter ſit inſtitutum ad remiſſionem mortalis culpæ, nec veniale ſit eius neceſſaria materia, eſt nihilominus eius materia: quare & idem ſacramentum ad remiſsionem omnis peccati actualis poſt baptiſmum conditum eſt, quod eius generalis forma, ego te abſoluo, ſignificat: & ideo ſub conditione ait Iacobus. Si in peccatis eſt, hoc eſt, ſi in peccato eſt vllo, ſiue mortali, ſiue veniali: inſinuans quòd non debet infirmus poſt ſacramẽtum pœnitentiæ, quod ei applicatur, in aliqua eſſe culpa peccati: ergo extrema vnctio non per ſe ordinatur ad remiſsionem venialis. Tertiò. Omne ſacramentum eſt cauſa gratiæ, & per ipſam habet ſuum proprium effectum: ergo ad illum præciſum effectum; qui ſine gratia haberi poteſt, nulla opus eſt inſtitutione ſacramenti, ſed ſufficiunt ſacramentalia: ad remiſſionem autem venialis culpæ non requiritur infuſio gratiæ: ergo, vt Diuus Thomas tertia part. quæſtione ſexageſimaquinta, articulo primo, concludit, ad remiſſionem venialis nullum eſt ſacramentum inſtitutum, ſed ſatis ſunt præter ſacramentum pœnitentiæ complura ſacramentalia, quibus indies venialia remittuntur. Quartò arguitur. Si remiſſio venialium effectus eſſet extremæ vnctionis, tam commodè miniſtraretur ſanis, quàm infirmis, quandoquidem peccata venialia quotidie committimus: quare non eſſet propriũ ſacramentum infirmorum. Reſpondet autem Bonauentura, quòd non miniſtratur hoc ſacramentum ſanis, quia in ſtatu viæ venialis morbus eſt quaſi inſeparabilis ab homine, & quaſi quadam neceſſitate iterabilis, ſed in egreſſu ab hac luce eſt eiuſmodi morbus ſine iteratione curabilis, & ideo tunc applicatur hoc ſacramentum. Hæc autem ſolutio, ſi fas eſt ſic loqui contra Diuum, egregiumque doctorem, non eſt tam theologa quàm fuit ipſe: quoniam ſacramentum non exhibetur contra futuros morbos, ſed contra præteritos, & ideo metus quòd iteranda eſſent venialia, non deberet obſtare quominus etiam ſanis pro præteritis applicaretur: nam eodem modo miniſtratur infirmis, licet ſpes vlla ſit quòd à morbo ſoſpites relabantur in peccatum. Poſtremum argumentum, neque verò infirmius ſumitur ex ipſa forma ſacramenti, Indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum, per auditum, &c. Non enim dicitur reſtrictè, Quicquid venialiter deliquiſti, ſed ſimpliciter, Quicquid deliquiſti, quod potiſſimum ad mortalia delicta refertur: ergo effectus eius eſt non ſolùm venialia remittere, ſed certè mortalia quantum ad infirmitates & languores, qui ex ipſis relinquuntur.

2.

Reſponſio Bonauentura.

Impugnatur.

4. Prob.

Subiungitur ergo quarta concluſio, quæ eſt S. Tho. Proprius effectus ſacramenti extremæ vnctionis eſt per gratiam ſanare & abſtergere peccatorum reliquias, & veſtigia, & cicatrices, quæ ſunt prauæ habitudines: puta pronitas & procliuitas ad malum, & ineptitudo, torpor, languor, & debilitas ad operandum bonum. Ac ſubinde animum nitore quodam & hilaritate afficere. Concluſio ſufficienti diuiſione probata eſt: nam cùm quodammodo ſit inſtitutum ad remiſſionem peccatorum, & peccata non remittantur niſi quoad culpam, vel pœnam, vel huiuſmodi reliquias, & effectus eius non ſit remittere culpam, vel originalem, vel mortalem, vel venialem, ſed neque reatum pœnæ, quoniam ipſa ſacramenta baptiſmi & pœnitentiæ, dum delent culpam, remittunt partem pœnæ, & reliqua pars non per extremam vnctionem, ſed per ignem purgatorij expurgatur, fit vt eius effectus non ſit niſi prædictas reliquias abſtergere. Idque potiſſimum ex ipſa Sacramentali vnctione confirmatur: nam ſicut homines ex præterita infirmitate languentes vnctione olei liniuntur, vt fota membra & nerui conſolidentur & irroborentur, & eorum plagæ cute obducantur, per cuius metaphoram Eſaiæ 1. conqueritur Deus de gente peccatrice, quod non eſſet eius plaga fota oleo: ſic oleum ſacrum illis, qui ob peccata præterita debilitatem ſpiritualem ſentiunt, adhibetur ad ſignificandam gratiam, quæ ad ſimiles ſpirituales effectus illic confertur. Quæ quidem gratia in vltima prolatione poſtremæ omnium formæ infunditur. Sed de hoc vltimo inſtanti latiùs quæſtio. ſequenti artic. 3.

4. Concl.

Concluſionis probatio.

Ratio. 2.

Arguit autem contra hoc D. Bonauentura. Sequeretur, quod hoc ſacramentum non eſſet inſtitutum in remiſsionem peccatorum, contra verbum Iacobi, ſi in peccatis eſt, remittentur ei, vbi nullam facit mentionem reliquiarum peccati, ſed ipſorum peccatorum. Ad hoc autem reſpondetur dupliciter. Primùm, quòd Apoſtolus non loquitur niſi ſub conditione, ſi in peccatis eſt, inſinuans peccata quoad culpam debere iam eſſe remiſſa. Secundò, quòd & ſanare illa peccatorum veſtigia, eſt remittere peccata: quia remittere peccatum non eſt niſi peccatum cum omnibus eius veſtigijs & cicatricibus tollere, nam & fomitem ex originali peccato relictum appellat Paul. ad Romano. 7. peccatum, dicens, Ego non operor malum, ſed quod habitat in me peccatum. Et 2. Machabæ. 12. de exiſtentibus in purgatorio, qui non ſoluuntur niſi à pœnis, dicitur, Vt à peccatis ſoluantur.

Obiectio Bonauentura.

Solu. 1.

Solu. 2.

Sed aliter nos arguimus. Propterea non eſt inſtitutum ſacramentum ad remiſsionem venialium quòd ad id non requiritur infuſio gratiæ: ſed multò minus videtur requiri ad iſtarum reliquiarum abſterſionem: ergo neq; iſte eſt effectus huius ſacramenti.

3.

Alia obiectio.

Et ſecundò arguitur cum Durando. Iſtæ reliquiæ ſunt nobis à natura innatæ; licet ſint effectus originalis labis tanquam remouentis, prohibens ſcilicet iuſtitiam originalem: vel ſunt habitus ex prauis actibus geniti, iſti autem non tolluntur per ſacramentum.

Alia obiectio ex Durand.

Ad primum negatur minor: nam etſi ad remiſſio-

Solut. 1.

4.

nem

nem culpæ venialis non exigatur infusio gratiæ, tamen ad tollenda vestigia, quæ ex peccatis fiunt reliqua, gratia exigitur, quæ virtutem habeat supernaturalem, sicuti ad remittendam pœnam, & sicuti in confirmatione ad corroborandas vires, vt homo possit defendere fidem. Ad secundum respondetur, quòd per extremam vnctionem non tollitur fomes peccati, aut pronitas naturæ ad malum, quæ ex peccato originali nobis insunt, suntque nobis naturales, neque eradicantur habitus ex actibus prauis ingeniti: quia illi non nisi per contrarios actus euelluntur. Sed tamen valet gratia huius sacramenti contra actus & effectus eorundem habituum ex peccatis tam originalibus quàm actualibus impressorum, qui actus sunt inclinare ad malum: & contra infectiones membrorum, quas ex iniqua seruitute peccati contraxerunt, & ad nitorem animi & hilaritatem ad ingrediendum iter gloriæ.

Solut. 2.

Obiectio Durand.

Et per hoc diluitur aliud argumentum Durandi, quod est huiusmodi: Si hoc sacramentum valeret contra illas reliquias, & ad exhilarandum animum, deberet potius sanis quàm infirmis adhiberi: nam easdem patiuntur debilitates & tristitias peccatorum, imò non deberet administrari infirmis, cùm iam propemodùm vsum amiserint rationis, nec possint alacritatem illam & lætitiam sentire. Respondetur autem, quòd quamuis eiusmodi debilitates & tristitiæ sanos etiam premant, nihilominus in mortis articulo, vbi corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, maiorem animus sentiscit languorem, acrioriqué afficitur mœrore, tum propterea quòd mundum relinquit, tum quòd non est de sua salute certus. Et ideo sicut antiquitus illi qui agones & luctas aggrediebantur, oleo vngebantur & confouebantur: ita Ecclesia institutione Christi suos athleras agonizantes, & cum mortis tristitia depugnantes, tum viatico Eucharistiæ refouet, tum illo vnctionis fomento corroborat & exhilarat; vt difficile iter firmioribus viribus & spe ingrediantur. Ac demum, vt iuxta verbum Psalmi 103. exhilaret eorum faciem in oleo, & pane cor hominis confirmet. Quocirca non debet sacramentum hoc differri quousque infirmus sensu caret, sed tunc applicari quando huiusmodi spirituales effectus sentire possit. Et quamuis in vita hac illos effectus non sentiret, nihilominus virtute sacramenti in exitu à corpore poterit illos experiri.

Solutio.

Simile.

Nota.

5. Concl.

Quinta conclusio. Effectus secundus & minus principalis huius sacramenti est infirmum ab ægritudine corporali alleuiare, & nonnunquam seruare. Hoc patet testimonio Iacobi hoc ipsum asserentis.

1. Obiectio cõtra cõcl. 5.

Contra hanc autem conclusionem arguitur. Medicina corporalis non valet ad salutem spiritualem: ergo nec medicina spiritualis ad sanitatem corporalem, sed solùm ad spiritualem. Secundò, hoc sacramentum non tollit nisi effectus & reliquias peccatorum actualium, vt patet per formam, Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, per auditum, &c. Sed corporales infirmitates ex originali peccatò tanquam remouente iustitiam originalem pullulant, ergo & illam sanare non est effectus huius sacramenti.

2. Obiect.

3. Obiect.

Tertiò. Vel hoc sacramentum ad corporis sanitatem confert virtute naturali aut supranaturali: non primum, quia virtus sacramentorum non est naturalis. Si autem virtute supranaturali sanat: ergo per miraculum ad modum doni sanitatis: consequens tamen est falsum: quia sacramentum à dono sanitatis distinguitur.

4. Obiect.

Quartò. Iacobus sanitatem & alleuiationem corporis non attribuit sacramento, sed orationi fidei: ergo eiusmodi sanitas non acquiritur nisi per modum deprecationis, sicut sacerdos in sacro potest collectam adhibere pro infirmorum salute. Et hæc est causa quare non semper sequitur ille effectus. quia deprecatio non est impetratoria per modum meriti de condigno infallibiliter. Etenim si virtute sacramenti liberatio fieret à corporali morbo, tunc inde quintum exurgeret argumentum, quod est Lutheri apud Roffensem in assertione septem sacramentorum. Ait enim quòd cùm sacramentum, vt Theologi profitentur, sit signum efficax sui effectus, si hoc esset sanatio corporalis, infallibili ordine semper sanaret, atque adeò in potestate nostra esset per hoc sacramentum vitas hominum perpetuas facere. Sic solet ille sacramenta irridere.

5. Obiectio qua est Lutheri.

Solut. 1.

Ad primum ergo negatur consequentia: nam virtus sacramenti, cum sit supranaturalis, potest extendi ad effectus corporeos, sicut donum sanitatis & linguarum, &c.

Ad secundum verò respondetur. Primum, quòd plurimæ infirmitates ex peccatis actualibus nascuntur, vt 1. ad Corinth. 11. ait Paulus. Secundò, quòd etiam valet contra infirmitates & reliquias peccati originalis, quatenus per peccata actualia augentur, & confirmantur. Ad tertium respondetur, nunc effectum prouenire virtute supranaturali sacramenti, negatur tamen consequentia, dum infertur esse miraculum sicut donum sanitatis: nam ad miraculum non sat est, quòd fiat virtute supranaturali, sed requiritur, quòd fiat præter rerum ordinem, sicut contingit in dono sanitatis. Quare virtutes sacramentorum licet sint supranaturales, non tamen dicuntur per miraculum operari, eo quòd certa lege operantur. Ad quartum respondetur, quòd oratio illa fidei, cui Iacobus sanitatem attribuit, non est ordo ille orationum & psalmorum, quæ vnctioni præmittuntur, sed forma ipsa sacramenti. Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, &c. Quæ quidem non habet tantùm vim simplicis deprecationis, sed significat effectum gratiæ sacramentalis ad tollendum quicquid contractum est per delictum: siue sint reliquiæ peccatorum, siue infirmitas, quæ ratione delicti sæpe contrahitur, vt art. 4. iterum explicabitur.

Solut. 3.

Non quicquid fit virtute supernaturali est miraculum.

Solut. 4.

Ad quintum igitur argumentum in quo maior est difficultas, Hugo loco citato, lib. 2. de sacramen. ca. 15. quem Magister senten. ac subinde eius interpretes Bonauentura, Ricardus, & S. Thom. sequuntur, ait quòd cùm sanitas corporis sit effectus minus principalis huius sacramenti, debet insequi naturam effectus principalis, quæ est salus animæ. Et ideo quando saluti animæ sanitas corporis expedit, sanatur etiam infirmus corporaliter: quando verò non expedit, non sanatur. Hæc verò sententia licet tot habeat patronos, imò verba concilij Florentini huc videantur alludere, tamen re vera non videtur visui & naturæ sacramenti apta: nam multi post vnctionem sanitatem recuperant, qui postmodùm sunt peiores, atque adeò expedientius eis fuisset tunc mori. Et è conuerso multi tunc moriuntur, etiam in gratia, qui forte si in pristinam sanitatem redirent, plurimis meritis vitam suam exornassent. Item, quia si quotiescunque salus corporis ad salutem animi expediret infirmo, esset per sacramentum liberandus, creberrimo opus esset miraculo: quia sæpissimè tanta est iniquitas morbi, vt citra miraculum non possit sanari: miraculum autem expectare non attinet, vt supra diximus, ad naturam sacramenti. Ad hæc demum accedit, quòd sanitas corporis licet quandoque ad salutem animæ conducat, nunquam tamen est medium necessarium: & ideo non est ad illum finem necesse, quòd per virtutem sacramenti, quæ principaliter ordinatur ad salutem animæ, recuperetur salus corporis. Quare concilium non dixit hoc tanquam articulum fidei, sed ad doctrinam Hugonis alludendo.

Solut. 5. ex Hugon.

Impugnatur solutio Hug.

1.

2.

3.

Rei ergo veritas ex similitudine aliorum sacramentorum est venanda. Diximus n. in materia confirmationis gratiam illius sacramenti habere hanc virtutem, vt propterea quòd quis confirmatus est, specialiùs adiuuetur à Deo ad profitendam fidem coram tyranno, quàm si non esset confirmatus: nihilominus virtus illa non est semper sufficiens, & infallibilem consequens effectum. Nam potest natura meticulosi hominis esse in causa, vt iuuamen confirmationis non sufficiat ei, imò faciliùs abneget fidem quàm alius vir fortis non confirmatus. Pariter gratia Eucharistiæ est speciale iuuamen contra incursus dæmonum, tamen imbecillitas naturæ potest esse tanta, vt alius sine illo iuuamine melius resistat. Pari ergo modo gratia sacramenti extremæ vnctionis habet virtutem supranaturalem sanandi morbum corporeum. Itaque cæteris paribus faciliùs sanitatem recuperat in extremis vnctus, quàm si non vngeretur, quæ quidem virtus causas etiam naturales adiuuat, vt corroborando virtutem naturæ, imò & virtutem medicaminum. Sed tanta potest esse infirmitas, vt illud iuuamen non sufficiat. Imò posset nonnunquam ars & solertia peritissimi medici plus ad id conferre, quàm virtus sacramenti, sicuti virtus fortitudinis plus valere ad propugnandam fidem, quàm virtus confirmationis. Vnde ad formam argumenti, quo Lutherus huic sacramento conuiciatur, respondetur, quòd effectus præcipuus sacramenti est certus: vt aliorum sacramentorum, scilicet infusio gratiæ ad remissionem peccatorum quantum ad eorum reliquias

Solutio Auctoris.

Sed quantum ad secundum effectum respectu salutis corporis, qui non est principalis, hanc prorsus habet certitudinem, quòd ex sua natura semper ad illum effectum iuuat, non tamen eandem habet ordinariam certitudinem quantum ad effectus consecutionem: nam potest natura morbi adeò inualuisse, vt id non sufficiat. Quapropter si aliquando contingit supra istum ordinem hominem pristinæ saluti restitui, non erit virtus sacramenti, sed miraculi, quod Deus in bonum Ecclesiæ & fidei operabitur.

Haud enim vana esset consideratio si quis diceret, quòd in primitiua Ecclesia, vt in confirmatione ad roborandam fidem Spiritus sanctus visibili miraculo illabebatur, ita & dum hoc sacramento infirmi vngebantur, multò plures saluti restituerentur, quàm modò, vt illo beneficio tum gentiles, tum & Iudæi allecti Christianam religionem susciperent.

6. Concl. At verò quoniam multa sacramenta characterem imprimunt, adhibetur hic tandem sexta conclusio: Hoc sacramentum nullum imprimit characterem. Probatur, quia *Ratio conclusionis.* characteris munus, vt distinct. 1. qu. 4. diximus, est tum signum distinguendi inter diuersos status Ecclesiæ militantis, tum etiam potestas ad conferendum vel suscipiendum aliquod sacrum, sicut per characterem baptismi distinguuntur Christiani ab infidelibus, & fiunt habiles ad suscipiendum alia sacramenta, & per characterem ordinis distinguuntur fidei milites potentes iam pro fide pugnare, ab ijs qui ceu infantes lacte fidei nutriuntur, & per characterem ordinis distinguuntur Ecclesiæ proceres, qui possunt sacramenta ministrare, à reliquo populo, qui illa recipit. Sacramentum verò extremæ vnctionis non confertur homini tanquam in Ecclesia militante permansuro, sed tanquam inde in aliam vitam proficiscenti. Et ideo per huiusmodi sacramentum nec fit distinctio quantum ad status Ecclesiæ militantium respectu fidei, neque suscipitur potestas ad aliquam rem sacram faciendam vel suscipiendam, quocirca nullus illic imprimitur character.

Obiectio. Quòd si arguas. In omni sacramento distinguenda sunt tria, quæ sunt sacramentum tantum, & res tantum, & res & sacramentum: Sed hoc tertium non potest in hoc sacramento assignari, nisi sit character. Respondetur, quòd sacramentum tantùm est hic vnctio exterior, & res tantùm gratia sacramentalis: rem autem & sacramentum posset quis opinari esse sanitatem corporalem, quæ & per externam vnctionem significatur, & significat sanitatem animæ: tamen quia res sacramenti debet esse certa & intus latens, quorum neutrum eidem sanitati conuenit, congruentius ait S. Thom. rem & sacramentum esse deuotionem internam, & mentis hilaritatem, qui est effectus extremæ vnctionis, & signum remissionis peccatorum quoad reliquias.

Dilutio.

Solu. 1. arg. Ad primum igitur argumentum eorum, quæ in capite quæstionis proposita sunt, iam responsum est: nempe, quod ad remissionem culpæ tam mortalis quàm venialis, & ad ablationem alicuius partis pœnæ sufficit sacramentum pœnitentiæ: quare ad hoc non ordinatur vnctio, sed ad remissionem peccatorum quoad reliquias.

Solut. 2. Et eadem responsio sufficit ad secundum. Sed tamen ad redargutionem, quæ illic adhibetur, quòd scilicet postmodum conualescentes sentiunt easdem peccatorum reliquias, iam responsum est, quod sacramentum non euellit habitus prauos, nec tollit fomitem peccati, qui in nobis est naturalis, sed pro tempore, quo applicatur, reprimit eorum actus generando spiritualem lætitiam. Et ideo posteà cùm maneant eædem radices, repullulant ijdem effectus.

ARTICVLVS III.

Vtrum materia huius sacramenti sit oleum simplex ab Episcopo consecratum.

Pars. neg. arg. 1. QVæritur tertiò de materia huius sacramenti, & arguitur quòd non opus est, esse oleum simplex. Vnctio huius sacramẽti significat incorruptionem, cùm eis solùm adhibeatur, qui ex hac corruptibili vita eruuntur, incorruptio autem per balsamum significatur, quo chrisma conficitur, ergo chrisma huic sacramento congruentius est quàm simplex oleum.

2. Arg. Secundò arguitur, quòd nulla oporteat benedictione consecrari, tum quòd significatio huius sacramenti, quia est medicatio, oleo ex sua naturali proprietate conuenit, efficacia verò ex institutione diuina: superfluit ergo benedictio. Potissimùm cùm applicatio ipsa sub forma crucis & sanctorum verborum satis fit pro benedictione.

3. Arg. Tertiò arguitur. Quamuis aliqua benedictio requiratur, sufficit benedictio presbyteri: nam maior est benedictio panis & vini in Eucharistia quàm olei, & tamen illam simplex Sacerdos facit.

Pars affir. In contrarium tamen est verbum Iacobi: Vngentes oleo in nomine Domini: & similitudo aliorum sacramentorum, in quibus vngendi est vsus: nam illud vnguentum Episcopus consecrat.

1. Concl. Quæstio est facillima, quæ ideò tribus conclusionibus expeditur. Prima est. Materia huius sacramenti est oleum. Cuius probationi sufficit verbum Apostoli. Atqui cùm nomine olei simpliciter intelligatur oliuarum liquor, veluti de materia baptismi diximus, quòd debet esse simplex aqua: consequitur, vt veluti ad baptismum non sufficit aqua rosacea, vel ex alijs herbis eliquata, sic neque oleum ex nucibus, vel alia quauis vnctuosa materia expressum, esse valeat huius sacramenti materia, quia non est oleum: imò neque oleum oliuarum si per commistionem rosarum, aut aliarum medicinalium herbarum adeò fuerit ingrossatum, vt formam olei amiserit: debet enim esse simplex oleum.

Oleum simplex.

Oleum congruit sacramento huic. Et quòd huiusmodi materia congruat huic sacramento, probatur: quia est medicatio quædam, eademque postrema, & ideò debet esse perfecta & simplex, quæ significet internam curationem animi, & doloris mitigationem, quia applicatur extremè laborantibus, & quæ spem polliceatur salutis: huiusmodi autem proprietates maximè oleo congruunt, quæ est materia simplex, & in genere medicaminum perfecta, & lenitiua, & vsque ad intima penetratiua, & effusa, & sua pingui suauitate spem salutis offert, quæ potissimùm & vulneribus, & athletis in agone certantibus applicatur. Quibus remedijs, peccatis vulneratus, dum agonizat, opus habet.

Obiectio. Quòd si quis arguat, materiam sacramentorum debere esse illam, quæ vbique reperiri possit, oleum autem non vbique prouenit. Respondetur satis esse tantam esse copiam in orbe Christiano, vt possit saltem per vecturam vbique reperiri.

2. Concl. Secunda conclusio. Oleum hoc simplex debet esse benedictum. Et quidem, quòd hoc sit de necessitate præcepti nemo est qui ambigat: quandoquidem vniuersalis Ecclesiæ vsus ita habeat, vt oleum catechumenorum sit ab Episcopo consecratum, & autoritate Innocentij tertij cap. vnico de sacra vnctione confirmatur. Vtrum verò sit de essentia sacramenti, non apparet prima fronte vsque adeo certum, attamen indubiè tenendum est, quòd requiritur benedictio olei, tanquam de essentia sacramenti. Quæ quidem veritas potissimùm ex vsu, & autoritate Ecclesiæ confirmatur, quæ si hoc sacramentum oleo non benedicto fieret, non reputaret esse sacramentum.

An oleum consecratũ sit de essentia sacramenti.

1. Ratio S. Thom. Supposita verò veritate, declaratur congruentia à S. Tho. tribus rationibus. Prima, quia quando sacramentum consistit in applicatione materiæ extrinsecus, (quod dicimus ad excludendam pœnitentiam, matrimonium & ordinem) si Christus fuit illa materia vsus in ratione sacramenti, non indiget alia benedictione, sed tactus eius valet pro benedictione: nam quia tactu sui corporis dum fuit à Ioanne baptizatus, destinauit aquam sacramento baptismi, & panem & vinum suis manibus tetigit, quando illa consecrauit, neque in baptismo requiritur tanquam de essentia benedictio aquæ, neque in Eucharistia benedictio panis aut vini, præter illam qua fit sacramentum. At quia nunquam vsus est oleo in ratione sacramenti, (nam cùm vnctus fuit à Magdalena Lu. 7. & post mortem à Nicodemo Ioan. 19. vnctiones illæ nullam habebant sacramenti rationem:) consequens fit, vt materia sacramentorum, quæ ex oleo fit, vt in confirmatione, & extrema vnctione, esse debeat benedicta.

2. Ratio congruentia. Accedit secunda ratio, quia in istis sacramentis datur plenitudo gratiæ, in confirmatione ad propugnandam fidem, in extrema vnctione ad remittendum peccata etiam quantum ad eorum reliquias.

3. Ratio. Præterea in extrema vnctione est tertia ratio, vt per illam consecrationem significetur, virtutem olei ad sanandum morbos corporis non esse naturalem, sed supranaturalem.

Digitized by Google

Ratio 4. Durandi.

Aliam adducit Durandus, quòd in sacramentis, vbi de necessitate requiritur minister consecratus, requiritur etiam benedictio materiæ. Sed certè si hoc esset verum, requireretur etiam, panem & vinum ad Eucharistiam debere esse per Episcopum consecrata: quia etiam illic requiritur minister consecratus, puta, presbyter.

Refutatur.

An requiratur quòd consecretur ab Episc.

Vtrùm verò requiratur, quòd consecratio olei fiat per Episcopum, quantum ad necessitatem præcepti non dubitatur: esset n. peccatum alio oleo inungere, vt vniuersalis Ecclesiæ vsus testatur. Sed quantum ad essentiam sacramenti, Caietanus 3. par. q. 72. art. 3. neq; chrisma confirmationis, neq; oleum infirmorum, existimat esse de essentia sacramenti, vt ab Episcopo sit consecratum, quamuis hoc timidè dicat & non concludendo. Attamen, vt dist. 7. q. 3. disputauimus, contrarium nos admonet Ecclesiæ vsus tenere. Et re vera de chrismate res est certissima, quòd lege ordinaria consecretur ab Episcopo, vt patet ex can. Literis. qui est Fabiani, de consec. dist. 3. vbi ait ab Apostolorum tempore in vsu fuisse consecrari ab Episcopo chrisma in cœna Domini. Sed de Chrismate satis illic diximus.

3. Concl.

De oleo ergo extremæ vnctionis, adhibetur tertia conclusio, quòd est de essentia, vt sit ab Episcopo consecratum, nisi forsan ex commissione summi Pontificis consecrari à presbytero possit. Et est optima cõgruentia, quam sanct. Thom. adducit: nempe quòd effectus sacramenti non procedit ex propria virtute ministri, sed fit ex efficacia sacramenti, quod dispensat. Illa autem efficacia tanquam à primo fonte emanat à Christo. Deriuatur autem in alios ordine quodam, scilicet in populum mediantibus ministris, atque in ministros inferiores mediantibus superioribus. Et ideo & episcopi presbyteros consecrant, ita vt in sacramentis, quæ materiam consecratam exigunt, consecratio materiæ illis incumbit, vt non vtantur nisi illa, quæ ipsis ab episcopis suppeditatur.

1. Obiectio ex Caiet.

Duo autem sunt aduersus hoc Caietani rgumenta. Primum, illud, quod nos in capite quæstionis postremum fecimus. Præstantior est consecratio panis & vini in Eucharistia, quàm olei: illam autem potest facere presbyter: ergo & hanc. Ad hoc autem S. Tho. optimè respondet consequentia perempta. Est enim argumentum fallax, quòd qui maius potest, possit & minus. Sacramentum enim Eucharistiæ non consistit in vsu alicuius materiæ, sed in consecratione illius, itaque consecratio eius est perfectio sacramenti. In potestate autem supra corpus Christi verum episcopus non est superior presbytero, & ideo presbyter potest illam consecrationem facere: habet autem præeminentem potestatem supra corpus Christi mysticum, ratione cuius potest consecrare templa & altaria, &c. quæ simplex presbyter consecrare nequit. Quare non sequitur, quòd si huiusmodi consecrationes non sint tantæ excellentiæ quàm Eucharistia, non requirant eminentiorem ministrum. Imò per istas ostenditur dependentia presbyteri ab episcopo, sanè cum presbytero non liceat consecrare nisi in vasis ab episcopo consecratis. Pari ergo modo dicendum, quòd non potest consecrare oleum, licet per illud consecratum possit administrare sacramentum.

Sol. S. Th.

Nota.

2. Obiectio.

Aliud eius argumentum sumitur ex capit. Pastoralis. de sacram. non iterand. vbi cùm quidam esset confirmatus non chrismate, sed oleo, respondet Papa non esse iterandum sacramentum, sed supplendum quod defuerat: nempe apponendum esse confirmato chrisma: ex quo colligitur quòd sine chrismate fuerat verum sacramentum. Respondetur autem argumentum esse vrgentissimum, vt illic diximus, ad probandum quòd chrisma, hoc est, commixtio balsami, non sit de essentia confirmationis. Nihilominus oleum illud erat catechumenorum ab episcopo consecratum: quapropter inde non colligitur materiam confirmationis & extremæ vnctionis non esse necessariò ab episcopo consecrandam.

Solutio.

An ex commissione Papæ oleum consecrari possit à presbytero.

Vtrùm verò ex commissione Pontificis maximi possit presbyter oleum catechumenorum & extremæ vnctionis consecrare, res est dubia. At verò quamuis illic non libens adduci potuerim, vt cum Caietano concederem posse committi presbytero consecrationem chrismatis, reliquimus tamen illud vtcunque probabile. Quòd si illud probabile est, multò est probabilius, vt possit committere consecrationem simplicis olei.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd balsamum non erat huic sacramento necessarium: quoniam incorruptio gloriæ non est res contenta in hoc sacramento: quare non oportebat illam per materiam balsami designari. Neque huic, aliæ sunt qualitates balsami congruentes, quas distinct. 7. declarauimus sacramento confirmationis aptari propter fragrantiam odoris, quæ significat bonam famam qua debet Ecclesiæ miles quamdiu in Ecclesia viuit, fragrare: nam qui in extremis vngitur, non est amplius in Ecclesia permansurus. Quare illam tantùm famam habebit, quam viuens bonis operibus acquisiuit. Quòd si contra obijciatur textus can. Illud superfluum. distinct. 95 vbi admonet Innocent. vt episcopus, si dignum duxerit, aliquem ex languidis à se visitandum, benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest. Ad hoc glossa ibidem respondet, quòd forsan in primitiua Ecclesia propter dignitatem episcopi, quando ipsi vngebant infirmos, poterant chrismate id facere. Et hoc insinuatur illo verbo, potest, quod dicit licentiam rei non necessariæ. At verò cùm chrisma idem sit quod vnguentum, fortasse illic non significatur, nisi quodcunque oleum ab episcopo consecratum.

Contrà solut.

Solut. 2.

Ad secundum verò respondetur, quòd etsi oleum proprietate naturali significet medicationem interiorem, nihilominus efficacia eius, quam habet ex diuina institutione, debuit in oleo per eius consecrationem designari, quæ quidem consecratio ratione iam dicta, debuit ab episcopo fieri, ad denotandam dependentiam presbyteri vtentis materia à superiori prælato.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm forma huius sacramenti per verbum deprecatiuum sit congruens.

POSTREMA speculatio de essentia sacramenti attinet ad formam. Et arguitur, quòd illa deprecatoria non sit rei consentanea. In primis cùm sacramenta sint de iure diuino, debent eorum formæ in euangelio, vel saltem in sacra pagina designari: hæc autem, Indulgeat tibi Deus, &c. nullibi reperitur.

Partis neg. 1. arg.

Secundò. Illa quæ sunt de essentia sacramenti, debent esse eadem apud omnes: sed non omnes Ecclesiæ hac forma vtuntur: ergo non est de essentia.

2. Arg.

Tertiò, formæ aliorum sacramentorum, quia significant certum effectum, omnes proferuntur verbo indicatiuo, Hoc est corpus meum, Ego te baptizo, &c. cùm ergo hoc etiam sacramentum significet certum effectum, deberet eius forma esse indicatiui, & non optatiui modi.

3. Arg.

Quartò. Forma debet significare intentionem ministri, & materiam & effectum sacramenti, vt ego te baptizo, ego te chrismo, &c. hæc autem forma nullum istorum significat, ergo non est legitima.

4. Arg.

In contrarium est verbum Iacobi, Oratio fidei sanabit infirmum: vnde colligitur formam huius sacramenti debere esse deprecatoriam.

Pars affirmatiua.

Neque hæc quæstiuncula quidpiam præ se fert difficultatis, & ideo vnica conclusione absoluetur. Fuerunt enim quidam, vt S. Thomas commemorat, qui negarunt sacramentum hoc vllam habere formam, propter argumenta suprà facta: nam illa verba, Indulgeat tibi Deus, potius apparent inuocatio diuinæ misericordiæ, quàm assertio alicuius effectus. Quædam præterea Ecclesiæ, quod etiam S. Thomas refert, vt forma huius sacramenti similis sit formis aliorum, vtuntur verbo indicatiuo dicens: Vngo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris, &c.

Nihilominus statuitur conclusio. Prædicta verba sunt forma huic sacramento congruenter accommodata. Nam primum, quòd omne sacramentum debeat constare ex materia & forma, dist. 1. satis ostendimus. Sacramentum enim est signum gratiæ, quam efficit: significatio autem materiæ exterius applicatæ est indifferens ad plura, atque adeo indeterminata: nam vnctio illa olei plura potest significare, scilicet curationem tantùm corporis, vt dum à medico applicatur infirmis, vel recreationem, & solamen lassati corporis, debet ergo per aliqua verba, quibus propriè suapte natura conuenit esse signa, ad certum sacramenti effectum adaptari. Est præterea Decretum Florentinæ synodi omnia sacramenta constare ex materia & forma. Et peculiariter de isto affirmatur for-

Conclusio.

Forma huius sacr.

Digitized by Google

mam esse illam, Per istam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, &c. Sed quòd eadem forma aptissimè huic sacramento congruat, probatur primò, quia suscipiens hoc sacramentum est iam propriis viribus destitutus, & ideo indiget orationibus adiuuari. Secundò, quia cum sit iam in illo articulo, quo de foro Ecclesiæ exit, debet solius Dei clementiæ & potestati per orationem committi.

Probatur 1. aptissimè esse deprecatoriam.

Prob. 2.

Prob. 3.

Tertiò, quæ potissima est ratio, quòd cùm hoc sacramentum præter gratiam sacramentalem alium habeat effectum, nempe sanitatem corpoream, quem quidem omnibus, quæ ad eius attinent essentiam, ritè peractis, non semper infallibili ordine consequitur: sicut in baptismo, & confirmatione subsequitur character, & in consecratione Eucharistiæ transubstantiatio, & in sacramento pœnitentiæ assistente contritione, sequitur peccatorum remissio, condecens fuit, vt forma esset deprecatoria ad inclinandum Deum, qui huiusmodi corporis sanitatem conferret. Quartò. Congruentia eiusdem formæ inde etiam ostenditur, quòd per ipsam significatur & sacramenti materia, vbi dicitur, Per istam vnctionem: & virtus quæ in sacramento speratur, dum adiungitur, per suam pijssimam misericordiam: & tertiò vterque sacramenti effectus, dum tandem adhibetur, Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, &c. Quoniam illic non qualiscunque petitur peccatorum indulgentia, sed perfecta, quantum ad eorum effectus, & vt culpam remittat, si in aliqua est, vt ait Apostolus, & aliquam subinde faciat pœnæ remissionem, sicut in cæteris sacramentis. Præterea, vt & peccatorum reliquias, & languores, vt expositum est abstergat, in super & infirmitatibus corporis (nam etiam illas ex peccatis contrahimus) medeatur. Hæc n. omnia amplitudo verbi, indulgeat, comprehensim significat.

Prob. 4.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum iam superiùs responsum est, vbi diximus, quòd non omnia sacramenta necessarium erat ab Euangelistis explicari, sed illa potissimum, quæ sunt ad fidem & Ecclesiæ ordinem necessaria. Reliqua verò, licet sint à Christo instituta, relicta sunt per Apostolorum doctrinam, quæ etiam est diuina promulganda. Quocirca Iacobus, vbi huius sacramenti nos admonuit, illic formam explicuit, dicens, vt presbyteri orarent super infirmum, vt oratio fidei saluaret eum, vbi orationis nomine formam sacramenti expressit, quæ esset deprecatoria.

Solut. 2.

Ad secundum respondetur, quod orationes, quæ ante vnctionem præmittuntur non sunt formæ, sed sacramentalia quædam, & ideo quælibet Ecclesia potest suis vti, sed tamen forma sacramenti eatenus est de essentia, vt sit apud omnes deprecatoria. Quòd autem dicatur, indulgeat tibi Deus, aut remittat, aut sanet quicquid deliquisti, aut commisisti, &c. non variat essentiam.

Solut. 3.

Ad tertium iam responsum est, quod licet hoc sacramentum habeat hanc certitudinem, quòd gratiam producat, & per se adiuuet ad salutem corporis, tamen consecutio huius sanitatis potest impediri ex indispositione suscipientis, quamuis legitimè suscipiat hoc sacramentum. S. Tho. dicit, ex fictione, sed forsan est mendum: nam non impeditur, nisi ex indispositione: quia grauitas morbi, aut debilitas naturæ cum illo iuuamine non sufficit.

Solut. 4.

Propter quartum argumentum aliæ Ecclesiæ vtuntur illa forma indicatiui, Vngo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij, &c. Et ideo Ricardus dist. præsenti art. 1. q. 4. ait, quod si talis vsus apud aliquas Ecclesias viget, dicendum est quod modus exprimendi per formam indicatiui aut optatiui, non est de essentia. At verò D. Thom. & D. Bonauent. & alij graues autores aliter sentiunt: videlicet, quòd illa forma indicatiui, si alicubi sit in vsu, non debet existimari forma sacramenti, sed præambulum. Ecclesia n. Romana non vtitur illis verbis, vt patet in concil. Florentin. sed forma deprecatiua, quod etiam antiquus autor Altisiodorensis lib. 4. ca. de extrema vnctione, affirmat. Itaque dicere illæ Ecclesiæ debent, Vngo hos oculos oleo consecrato, vt indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, &c. alioqui non esset sacramentum. Quod re vera sic probatur: nam forma debet exprimere spiritualem effectum, quem operatur determinando materiam ad eius significationem: vt cùm dicitur, Ego te baptizo, forma illa significat abiutionem illam corporalem fieri ad significandam internam animi: & pariter in confirmatione, Ego te confirmo chrismate salutis: cùm autem dicitur, Ego vngo hos oculos, tunc illa confusa significatio, quæ potest esse vel ad refrigerandum, vel ad curandum oculos, vel ad alium effectum, non determinatur ad effectum sacramenti, nec satis exprimitur intentio ministri, nisi addatur, vt indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti, &c.

Forma indicatiui non est forma huius sacramenti.

Igitur ad argumentum respondetur, quòd nullo opus est verbo indicatiuo, sed per illam formam deprecatiuam exprimitur primùm materialis causa, per istam vnctionem, quemadmodum Græci aiunt, Baptizetur seruus Christi: & virtus sacramenti per suam misericordiam: & simul intentio ministri, & effectus sacramenti, cùm dicitur, Indulgeat tibi Deus, ad illum enim effectum intendit sacerdos vngere.

Solut. arg.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆTERTIÆ.

Quæstio secunda.

DE MINISTRANTIBVS, ET SVSCIPIENTIBVS SACRAMENTVM EXTREMÆ VNCTIONIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm solis & omnibus sacerdotibus hoc sacramentum administrare competat.

QVAESTIO hæc secunda tribus articulis erit contenta. Primus est de ministris. Et secundus de suscipientibus. Et tertius de membris corporis, quibus est applicandum. Arguitur ergo quòd non omnes sacerdotes sint eius administri. Virtus sacramenti huius innititur orationi fidei: sed laicus etiam orat oratione fidei: ergo potest sacramentum hoc administrare.

Pars negat. arg. 1.

Secundò. Videtur quòd etiam diaconis hoc incumbat officium: nam diaconi, vt ait Dionys. de Eccles. hierar. habent purgare: effectus autem huius sacramenti non est nisi purgare à morbo animi & corporis: ergo possunt illud administrare, præsertim cum ex officio incumbat illis baptizare, vt legitur de beato Laurentio, quòd quidem sacramentum perfectius est quàm extrema vnctio.

Secundum argum.

Tertiò arguitur, quòd solis episcopis hoc ex officio incumbat, nam perficitur vnctione veluti confirmatio: sed confirmare solis episcopis conuenit ex officio: ergo & infirmos vngere.

Tertium argum.

Sed in contrarium est verbum Iacobi, Inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.

Pars affirmatiua.

Ad hanc quæstiunculam vnica etiam conclusione satis est respondere. Omnis & solus sacerdos est huius sacramenti minister. Itaque nec requiritur episcopus, nec sufficit diaconus, aut alius non sacerdos.

Conclusio.

Conclusio præter verbum Iacobi dicentis, vt presbyteri oleo vngant infirmos, probatur ratione. Laicis enim ex officio nullum sacramentum administrare competit, eo quòd sacramentorum administratio est actus hierarchicus, qui solis ministris ad id muneris ab Ecclesia consecratis competit: sola enim baptizatio propter extremam illius sacramenti necessitatem illis permittitur, quam quidem necessitatem non habet extrema vnctio. Sed neque diaconis id competit ex officio: quoniam ipsi non habent nisi purgare, quod fit per exorcismos & catechismos: illuminare autem, quia fit per infusionem gratiæ, non eis competit ex officio. Quare non possunt administrare extremam vnctionem. Neque verò baptismum eadem ratione ex officio, vt ait S. Th. Quamuis in materia baptismi sub dubio reliquimus, vtrũ saltem ex commissione episcopi propter frequentiam baptismi id in primitiua Ecclesia possent, vbi erat raritas sacerdotum.

Ratio.

Non conuenire Laicis huius sacr. administrationem.

Non conuenire diaconis.

Quare

Digitized by Google

Quare non eadem est ratio vt possint neque ex commissione sacramentum extremæ vnctionis administrare, neque vsquam legitur id illis fuisse commissum. Quòd autem episcopi huic administrando sacramento non sint necessarij, probatur, quoniam in can. citato. Illud superfluum. ait Inno, quod cum sint archioribus negotijs implicati, non eis vacat, imò neque eos decet per domos infirmorum discurrere, quod esset ad vngendum illos necessarium. Et sic colligitur quòd administratio sacramenti solis & omnibus presbyteris competat. Non quidem ex commissione episcopi, sed ex proprio officio, vt baptizare, consecrare, & in sacramento pœnitentiæ absoluere. Et est decretum concilij Florent. & in c. Quæsiuit de ver. sig quòd ministri huius sacramenti sunt presbyteri.

Episcopus non necessarius.

Obiectio.

Quòd si verbum obijcias dist. 95. can. Presbyteros. quòd presbyteri non possunt chrismare in fronte, hoc est, confirmare, permittitur tamen eis vngere infirmos oleo sanctificato. Respondetur, quòd verbum illud, permittitur, non est canonis, sed Gratiani, & ideo non est vis in illo facienda, neque accipi debet in eo rigore, vt permitti significet ex commissione episcopi: quasi non habeant ipsi ex proprio officio, sed quòd officium eorum hoc habet annexum. Et cum dicimus neminem, præter sacerdotes, posse hoc sacramentum ministrare, non solum intelligimus peccatum committi si aliter fiat, sed quod de necessitate sacramenti est, quòd à presbytero exhibeatur, alioqui nullum erit sacramentum.

Dilutio.

An quilibet sacerdos possit hoc sacramentum administrare.

Sed est tamen hic dubium, vtrum quicunque simplices sacerdotes, licet non sint parochiales, possint hoc sacramentum administrare. Respondetur in primis, quòd nemini sacerdotum est licitum vllum sacramentum administrare, nisi suis subditis, præterquam baptismum in extrema necessitate, vt patet clem. 1. de priuil. vbi etiam sacramentum extremæ vnctionis exprimitur, sine licentia proprij sacerdotis, sub pœna excommunicationis, etiam si sint religiosi. Et idem peculiariter de religiosis habetur clem. dudum de sepult. quòd non se intromittant in officia presbyterorum parochialium. Attamen sacramentum hoc à quocunque priuato sacerdote administratum tenet, licet administrans peccet, quoniam concurrunt omnia quæ sunt de essentia sacramenti: nempe materia, & forma, & intentio ministri. Secùs in sacramento pœnitentiæ, vt distin. 18. diximus, quoniam absolutio, nisi ab eo fiat qui iurisdictionem habet, vel priuilegium absoluendi, nulla est. Vbi subinde adiecimus, quod sub ratihabitione confessionem alterius subditi audire non sufficit, nisi licentia præcesserit.

Dubium. An ratihabitio futura sufficiat.

Vtrùm verò sufficiat certa opinio ratihabitionis futuræ, vt liceat sacerdoti aut religioso alieno subdito sacramentum extremæ vnctionis administrare. Archidiaconus, vt refert Syl. verb. Vnctio extrema. §. 4. negat id licere neque religiosis in articulo necessitatis, propter excommunicationem, quam prædictæ clementinæ illis comminantur. At verò profectò non oportet cum tanto rigore clementinas illas intelligere. Nam sic sunt ad arcendam audaciam religiosorum scriptæ, vt tamen non fuerit pontificis intentio in detrimentum Christiani populi illas edere. Et ideo vbi clarè præsumitur ratihabitio plebani: nempe, vbi quis iamiam animam expirat, & copia proprij sacerdotis haberi non potest, profectò posset & deberet quicunque alius sacerdos, etiam religiosus, infirmum inungere: nam licet non sit sacramentum necessitatis, sæpe posset contingere, vt per illud homo fieret ex attrito contritus. Quare tunc ratihabitio plebani certò præsumeretur. Imò quamuis non præsumeretur, non censetur Ecclesia illo articulo infirmum eo beneficio destituere. Vnde Caieta. verb. excommunicatio. c. 64. ait religiosos non incurrere sententiam illarum clementinarum si sub spe ratihabitionis sacramenta administrent.

Sententia autoris.

An liceat laico ministrare hoc sacr.

Opin. Tho. Wald.

Fortasse quispiam, qui Thomam Waldensem tomo 2. de sacrament. c. pen. legerit, crediderit absente sacerdote licere etiam laico sacramentum extremæ vnctionis infirmo in articulo mortis administrare: ita enim ille autumat citans Bedam super epistolam Iacobi, qui quidem Beda allegat Innocentium primum in epistola ad Decentium, quòd omnibus Christianis vti liceat eodem sancto oleo in suam & suorum necessitudinem vngendo. At verò hoc præter omnium opinionem asseritur. Neque verò Beda aut Innocentius hoc affirmant, sed hoc duntaxat, quod licitum sit sanitatis gratia oleo illo ab episcopo consecrato infirmos delinire. Non tamen sentiunt illud esse sacramentum, nisi à presbyteris in forma Ecclesiæ illud fiat. Neque verò diuus Thomas in præsentiarum hoc siluit: refert enim morem sanctorum Patrum in Ægypto, qui oleum ad infirmos transmittebant, & sanabantur. Et beata quoque Genouefa olei vnctione infirmis salutem restituebat, quæ quidem vnctiones non erant sacramenta.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod oratio, cui hoc sacramentum innititur, non est quæcunque, sed illa forma sacramenti, quam quidem sacerdos non in persona propria, sed nomine publico Ecclesiæ profert, quod laicus efficere non potest. Quapropter licet sacerdos esset in peccato, nihilominus sacramentum suam haberet vim, quod in laico non contingeret.

Solut. primi arg.

Ad secundum iam responsum est, quòd diaconi possunt quidem purgare per exorcismos, non tamen illuminare, quod fit per gratiam, & ideo administratio sacramenti illis non incumbit.

Solut. 2.

Ad tertium respondetur, quòd cùm confirmatio characterem imprimat, quo homo in statu perfectionis collocatur, illius administratio episcopalis dignitatis est propria, secùs de extrema vnctione.

Solut. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum hoc sacramentum sanis, furiosis, & pueris sit exhibendum.

POST ministrorum considerationem quæritur de recipientibus hoc sacramentum. Et arguitur, quòd sanis sit conferendum. Principaliter enim huius sacramenti effectus est sanatio animi, quam corporis, sed sani corpore ægrotant mente: ergo illis etiam est necessarium.

Pars affirmat. 1. arg.

Secundò arguitur, quòd furiosis & amentibus sit etiam tribuendum. Baptismus est præstantius sacramentum, & tamen, vt suo loco diximus, illud non est amentibus denegandum.

2. Arg.

Tertiò arguitur, quòd etiam pueris debeat impendi: nam quandoque eisdem morbis tenentur, quibus adulti, quibus medendis hoc sacramentum accommodatur.

3. Arg.

In contrarium autem est, quòd Iacobus non docet inungendos nisi infirmos: & cum valeat ad deuotionem & hilaritatem animi, non competit amentibus: & cùm detur in remissionem peccatorum actualium, non congruit pueris.

Pars neg.

Quoniam quæstio sub tripertita forma proposita est, tribus, quatuorue conclusionibus absoluetur. Prima. Sacramentum hoc non nisi infirmis conferre licet, imò si sanis conferatur, non erit sacramentum. Est enim hoc non solum de necessitate præcepti, sed de necessitate sacramenti. Ratio sanct. Thomæ est, quòd internus effectus sacramenti debet per externam cæremoniam designari: hoc autem sacramentum est quædam spiritualis curatio: non ergo debet applicari nisi infirmo.

1. Conclusio.

Ratio S. Th.

Durand. verò quæst. 4. hanc rationem non admittit, tunc enim, inquit, sequeretur, quòd baptismus non deberet applicari, nisi ei qui sordidus est, vt per externam lotionem designaretur interior. Imò & pœnitentia, inquit, non deberet impendi, nisi mortuis corporaliter, quia est suscitatio spiritualis. Hoc autem de mortuo ridiculum est, constantissimum enim est sacramenta non competere, nisi viuis. Ad aliud autem de ablutione baptismi respondetur, quod ablutio corporalis etiam mundis competit. Præsertim quod rationem sanctus Thomas non adfert ad probandam veritatem, sed illa ex autoritate Iacobi suppositа adducit hanc congruentiam, quæ apparentior est, quàm alia Durandi. Ait enim rationem esse, quia sani pluribus alijs remedijs contra peccata abundant, quàm infirmi, maximè in extremis. Quæ ratio non est multum solida: nam omnia remedia, quæ habent sani, habent etiam infirmi, saltem antequam vsum rationis amittant.

Durand. impugnat rationem S. Tho.

Refutatur Durand. & Eius ratio.

Ratio verò potissima est, quòd effectus huius sacramenti, vt dictum est, non solum est gratiã conferre, sed etiam ab infirmitate corporea liberare. Et quia ex effectu sacramenti debet iudicium sumi materiæ, & subiecti, inde colligitur, quod subiectum de essentia huius sacramenti est homo infirmus. Itaque sicut nullum esset sacramentum pœnitentiæ si absolueretur puer, qui nul-

Ratio potissima concluſ.

Simile.

Digitized by Google

lum haberet peccatum actuale, eo quòd illud sacramentum ad remissionem illorum delictorum institutum est: ita si vngeretur ille qui non est infirmus, nullum esset sacramentum, quia deesset materia effectus eius. Et simile exemplum est in ordinibus: si enim mulier sacerdotio initiaretur, nullum esset sacramentum: quia non est subiectum sacramenti capax. Idem confirmat ratio Hugonis loco citato libro secundo, parte 15. nempe, quòd vt homines intelligerent infirmitates corporeas ex peccatis oriri, institutum est hoc sacramentum infirmorum proprium, quo per remissionem peccatorum sanantur infirmitates.

Aliud simile.

Ratio Hug.

Fundamentum principium conclus.

Solidum autem fundamentum conclusionis est verbum Iacobi, Infirmatur quis in vobis, &c. Et post Iacobum autoritas est Innocentij c. vnico. de sacra vnctione, vbi oleum huius sacramenti appellat oleum infirmorum.

Argutia Lutheri.

Sed esto necessarium sacramenti subiectum sit infirmus, nulla tamen autoritas, vel ratio persuadet, vt debeat infirmus graui morbo iacêre morti propinquus. Argutia est Lutheri, quem Roffensis in assertione septem sacramentorum refert. Quinimò & Faber Stapulensis super septimum cap. Dionysij. de Ecclesiasti. hierar. idem ferè ait: nempe, quòd non deberet dari desperatis, sed à principio infirmatis, vel in medio. Vnde ridendo ait Lutherus, quòd Iacobus non ait: Si quis moriatur aut proximus sit morti, sed si quis infirmatur: quibus verbis nullum infirmum ab hoc sacramento excludit. Ac perinde ludibrio dat nomen extremæ vnctionis: non enim, inquit, est cur dicatur extrema, nisi respectu aliarum, puta illius quæ fit in baptismo, aut in confirmatione, aut in sacris ordinibus.

2. Concl.

His tamen non obstantibus subditur secunda conclusio. Hoc sacramentum non debet exhiberi nisi infirmis, qui morti appropinquant. Conclusio quidem potissimum autoritate, & vsu Ecclesiæ fundatur. Habetur enim in concilio Florentino, quòd non nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari debet. Quem quidem vsum vniuersalis obseruat Ecclesia. Supposita ergo ex his fundamentis veritate, non desunt in eius confirmationem congruentes rationes. Prima est Sancti Thomæ, quòd cùm hoc sit remedium vltimum, quod suis fidelibus admouere potest, non debet illud adhibere, nisi illis qui iamiam ab hac luce commigrant, vt eos ad fruendum cœlesti fœlicitate disponat.

Ratio S. Th.

Ratio 2.

Attamen ex effectibus eiusdem sacramenti eadem veritas inroboratur. Cùm enim effectus eius præcipuus sit remissio peccatorum perfecta, vsque ad eorum reliquiarum absterſionem, non congruit, vt quæstion. precedenti dicebamus, illud applicare, nisi circa postremum vitæ articulum, vbi & infirmus reliquijs eorum peccatorum pressiùs vexatur: scilicet mœrore & metu, & vbi peccata, quæ earum fuerunt causa, transiuisse prorsus censentur nunquam reditura. Accedit, quòd hoc sacramentum non nisi post viaticum adhiberi debet: viaticum autem, vt nomen sonat, non nisi viam ingredientibus vniuersæ carnis ministrari debet. Si verò ad secundarium effectum spectemus, cùm ille sit sanatio corporalis per supranaturalem sacramenti virtutem, non est consentaneum in quacunque leuicula infirmitate, cui per naturalia remedia, & medicamina facillimè succurri potest, remedio hoc supranaturali vti: imò ille status expectandus est, quo tentata naturalia remedia non censeantur sufficere: nempe, vt si effectus salutis corporeæ subsequatur, honor inde & existimatio sacramento tanquam eiusdem remedij causa deferatur. Potissimum cùm hunc effectum Deus non nisi ad confirmandam fidem tribuerit, vt scilicet inde homines propensiùs ad eam colendam efficiantur. Si verò infirmitas leuis esset, vel non vsque adeò grauis, salus tunc nullatenus virtuti sacramenti referretur accepta.

Ratio 3.

Ratio 4.

Ratio 5.

Quinuerò hoc ipsum ex dono miraculorum confirmatur. Haud enim credibile est apostolos dono sanitatis in quoscunque infirmos fuisse vsos, sed in dæmoniacos, atque alios grauiter iacentes, vt virtus Dei & gloria patentiùs eluceret.

Ad argum. Luth.

Vnde ad argumentum aliud Lutheri, quòd Iacobus non meminit de infirmitate illius qui extremè laborat. Respondetur, quòd quamuis id non expresserit, illud tamen insinuauit. Remittens enim infirmum ad supranaturale subsidium, voluit infirmos naturalibus remedijs diffidentes hoc diuino beneficio in commendationem fidei consolari.

No. attentè.

Nihilominus præsens conclusio hoc indiget temperamento, quòd ad hoc exhibendum sacramentum non est expectandus articulus, quo infirmùs sensu prorsus careat, aut ille, quo omnino eius sit desperata salus. Hæc est enim altera Lutheri calumnia, quòd propterea vocamus hanc extremam vnctionem: quòd non eam facimus, nisi vbi nulla sit reliqua spes salutis. Hoc enim falsum est: natura siquidem vtriusque effectus sacramenti exigit, vt tam extremus articulus non expectetur. Primum enim effectus spiritualis poscit, vt infirmus sensum habeat, vt sacramenti deuotione afficiatur, & animi hilaritate corroborata spe gloriæ recreetur. Præterea & affectus corporalis salutis postulat, vt non sit eius salus omni spe destituta: nam cùm sacramentum ad hoc, vt diximus, non operetur per modum miraculi, sed virtute ordinaria supranaturali, quæ naturales causas adiuuat, non debet expectari articulus, quo eædem naturales causæ roborari non possint, sed aliqua spes salutis duret.

Luth. calumnia.

Impugnatur.

Ratio 1.

Ratio 2.

Atque hoc orationes ipsæ, quas Ecclesia præmittit, magno sunt documento & testimonio. Instanter enim, & instantiùs Dei clementiam deprecatur, qui infirmanti opem ferat, vt sanitate ei restituta, sospes valeat idem diuinæ maiestati amplius inseruire.

Ratio 3.

Quis mortis articulus requiratur.

Ad hæc apostolicum verbum adnotandum est: Infirmatur quis in vobis: non enim periculum mortis, aut alius quilibet articulus ad huius sacramenti susceptionem sufficit, sed requiritur infirmitas. Quare licet quis procellosum mare intret, aut bellum, vbi præsentaneum imminet periculum mortis, aut ad supplicium capitis ex lege ducatur, non est huius sacramenti capax, neque vllum esset si ei applicaretur: quia huiusmodi homo non est subiectum in quo secundarium effectum habere possit sanandi corpus.

3. Concl.

Tertia conclusio. Amentibus & furiosis non est sacramentum hoc concedendum, nisi aliquibus potirentur lucidis interuallis, quibus possent deuotione erga ipsum adducti illud petere. Probatur, quia, vt dictum est, effectus eius est deuotionem animi & spem gloriæ excitare: qui autem à natiuitate vel perpetuò est amens, non est huius effectus capax. Dum verò infirmus sanæ mentis illud petijt, licet postmodum phrenesi corripiatur, potest, & debet illi adhiberi, nisi timeretur aliqua indecentia, & vituperium, quo sacramentum deturparet.

Ratio conclusionis.

Nota.

4. Concl.

Quarta conclusio. Neque verò pueris hoc sacramentum administrari potest ob eandem rationem, tum quia deuotionem & effectum erga ipsum habere non possunt, tum quòd, vt supra dictum est, non est institutum, nisi contra reliquias peccatorum actualium, quæ ipsi ante vsum rationis committere nequeunt, vel contra reliquias originalis, quatenus per actualia sunt confirmatæ. Quare sacramentum hoc neque principalem effectum in illis habere potest, neque alterum adhærentem: quoniam infirmitates, quas pueri patiuntur, non sunt nisi nudi peccati originalis effectus.

Ratio.

Dubium.

Quòd si quæras, quando pueri possint isto frui sacramento, respondetur, quòd ab illo tempore, quo illis viaticum porrigitur: nam hoc illi succedit.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd licet principalior effectus sit sanatio mentis, est tamen secundus sanatio corporis, & ideo non debet applicari, nisi subiecto, quod vtriusque sit capax. Præsertim quod applicatio eiusdem sacramenti debet fieri per modum curationis, quæ non conuenit nisi infirmis. Vnde sicut pueri, inquit Sanctus Thomas, in ventre matris non sunt baptismi capaces, ita neque sani sunt apti, vt hoc sacramento vngantur.

Solut. 2.

Ad secundum, quo arguitur, quòd si amentibus & furiosis confertur baptismus, debet conferri & extrema vnctio, negatur consequentia: quoniam baptismus nullum requirit motum proprium suscipientis, qua ratione confertur pueris ante vsum rationis, & etiam amentibus. Hoc autem requirit deuotionem, vel saltem affectum ad ipsum, & ideo non est par ratio.

Ad tertium denique iam responsum est, quod infirmitates puerorum nullatenus ad peccata actualia attinent, contra quæ hoc sacramentum instituitur.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum hoc sacramento non totum corpus, sed certa partes sint vngenda.

Part. neg. arg. 1.

POSTREMA tandem quæstiuncula est de membris, quibus hoc sacramentum admouetur. Et arguitur, quòd non tantum illis sex septèmve partibus, quæ in vniuersali vsu sunt, sit applicandum. Nam cum applicetur per modum medicationis animæ, & ipsa sit in toto corpore, quod eadem ratione totum est infirmitatibus subditum, totum deberet inungi: quod si membrum aliquod inungendum esset, propterea, quòd est peccatorum radix, potius locus cordis, vnde, vt ait Redemptor Matth. 14 prodeunt cogitationes, quæ coinquinant hominem, debet inungi, quàm vel oculi, vel aures.

2. Arg. Secundò. Puritas mentis non minus necessaria est exeuntibus ex Christiana militia, quàm intrantibus: sed baptizati propter mentis sanitatem vnguntur in vertice capitis: ergo illic infirmantes deberent hoc sacramento inungi potius quàm in reliquis membris.

Pars affir. In contrarium autem est vniuersalis Ecclesiæ ritus, quæ non nisi membra certa & organa vngere iubet.

1. Concl. Ad quæstionem tribus conclusionibus breuiter respondetur. Prima. De essentia sacramenti extremæ vnctionis est, quòd vngantur quinque sensuum organa: nempe oculi propter visum, & aures propter auditum, & nares propter odoratum, & os non propter loquelam, sed propter gustum, & manus propter tactum, quippe in quarum digitorum pulpis, vt in textu dicebamus, sensus tactus, licet per totum sit corpus protensus, præsertim viget, qua vtique ratione medici illis extremis digitorum articulis pulsum tangunt. Potissimum huius conclusionis fundamentum est ritus Ecclesiæ, more & vsu vbique seruatus. Sed præterea accedit congruens ratio sancti Thomæ. Hoc enim sacramentum per modum medicationis operatur: ergo eius forma ex similitudine corporalis medicinæ ducenda est: in corporalibus autem licet totum corpus infumetur, medicina tamen non applicatur, nisi illi loco, vbi radix & fons infirmitatis latet: initium autem, & radix peccatorum spiritualium triplex est: scilicet potentia cognoscitiua, & appetitiua, quæ ab illa mouetur, & motiua, seu executiua, quæ ab appetitiua excitatur: cognitio autem nostra teste Aristotele à sensu sumitur: ergo quantum ad essentiam attinet sacramenti, satis est quinque organa sensus inungere, eo quòd istorum trium principiorum peccandi prima radix est cognoscitiua potentia, & propterea hunc morem tenet vniuersalis Ecclesia.

Fundamentum conclusionis.

Ratio S. Th.

2. Concl. Secunda conclusio. Nonnullæ Ecclesiæ in more habent propter virtutem appetitiuam inungere renes, & plures etiam propter executiuam, & motiuam inungere pedes, eo quòd sunt principale instrumentum motus localis. Est ergo notanda sancti Thomæ distinctio, quod vsus vniuersalis Ecclesiæ est inungere quinque sensus, quasi illud sit de essentia sacramenti, sed particulares habent diuersos mores vngendi pedes, & renes, quasi illud sit de essentia, alioqui vniuersalis Ecclesia illum morem seruaret. Neque obstat decretum concilij Florentini vbi septem omnes vnctiones connumerantur: nam patrum intentio non fuit, nisi numerare omnes, quæ vel Ecclesiæ vniuersali, vel alicui particulari in more sunt, vt omnes approbaret, non tamen omnes in eodem gradu. Et re vera vnctio in renibus posset optimè excusari: quare in religionibus & in quamplurimis Ecclesijs vnctio illa non est in vsu propter pudorem, præcipuè in fœminis: imò si fœminæ essent vngendæ propter appetitum, in vmbilico essent vngendæ: nam vt potestas appetitus viris in lumbis insidet, secundum illud Iob 40. Potestas eius in lumbis eius: ira & appetentia mulieris in vmbilico est. Vngere autem viros in renibus prætermissis mulieribus, non congruit formæ sacramenti, quæ vnica debet esse in omnibus. Vnctio verò pedum, quia nullum adfert pudorem, fieri decenter potest. Mutilati autem & truncati homines, qui vel pedes non habent, vel manus, in partibus proximis inungendi sunt, etiam cæci à natiuitate & surdi: nam licet exteriùs per illa organa non peccauerint, peccare tamen possunt per internas potentias, quibus illa membra respondent.

Nota distinct. S. Tho.

Obiectio.

Dilutio.

Vnctio renum.

Vnctio pedum.

Mutilati vngendi in partib. proximis.

Cæci, surdi, etiam vngendi.

3. Concl. Tertia conclusio. Cùm hoc sacramentum non imprimat characterem, potest iterari. Nam sacramentalia, & quædam sacramenta propterea non iterantur, quòd habent effectum perpetuum, vt consecratio altaris, vasorum, & ornamentorum eius, & illa sacramenta, quæ characterem imprimunt: quia fieret illis iniuria, quasi semel applicata ad illos effectus non sufficerent. Sacramenta verò quæ illum effectum non habent, sed feruntur in materiam iterabilem: id est, quæ identidem recurrere potest, natura sua sunt iterabilia, vt quatuor sacramenta, quæ characterem non imprimunt, quorum vnum est hoc. Potest enim infirmus sanari, & iterum infirmari, qui ideo iterum atque iterum hoc sacramento indigebit.

Nota. Ex quo fit, quòd in eadem infirmitate, quamdiu durat idem infirmitatis status, idemque periculum mortis, semel vnctus non potest iteratò vngi. Si autem ab illo statu & periculo liberetur, licet eadem perseueret infirmitas, si iterum ad eundem statum redeat, iterum potest vngi. Nam cum subiectum sacramenti non sit simpliciter infirmus, sed in tali statu proximo morti, licet eadem infirmitas maneat, si tamen immutentur status, vt per aliquot dies sit sine periculo, & iterum redeat in periculum, potest sacramentum iterari.

Sol. 1. arg. Primo igitur argumento iam redditum est responsum, cur non opus sit totum corpus inungere, sed sat sit inungere membra, quæ sunt peccatorum radices. Quod autem de corde arguitur, respondetur, quòd de corde non exeunt cogitationes prauæ: hoc est, de voluntate (nam illo modo accipitur illic cor) nisi moueatur ex aliqua imaginatione, quæ sumitur à sensu, & ideo cor non est prima radix peccandi, sed potentia cognoscitiua.

De corde.

Solut. 2. Ad secundum respondetur, quòd baptizati, quia ecclesiam intrant, sunt in statu acquirendæ sanitatis puritatem, & ideo vnguntur in vertice, sed morientes sunt in statu expurgandi eius impuritatem, & ideo vnguntur in partibus illis per quas mens coinquinatur.

Obiectio contra secundam conclusionem. Grauius autem argumentum contra secundam conclusionem existit. Dictum enim est supra sacramentalem gratiam infundi in termino prolationis vltimæ formæ. Arguitur ergo sic: Quinque priores vnctiones, vt dictum est, sunt tantum de essentia sacramenti: ergo in termino prolationis formæ in manibus infunditur gratia: atque adeo vnctio renum vel pedum, non est pars sacramenti. Ad hoc respondetur, vt de tribus mersionibus baptismi, & de forma consecrationis calicis dictum est. Differt enim inter partem essentialem sacramenti, & partem integralem: essentialis enim est, sine qua nullum esset sacramentum, integralis verò, quæ ex institutione Ecclesiæ concurrit ad effectum sacramenti. Digitus enim & manus in homine pars quidem integralis est concurrens ad opera vitalia, sed tamen non est de eius essentia: quia abscissa manu homo viueret. Quare si non esset sic institutum, sine illis duabus vnctionibus esset iure diuino sacramentum. Vnde quando Ecclesia iubebat, vt tribus mersionibus fieret baptismus, intentio ministri deberet ad omnes referri: quare gratia tunc non conferebatur, nisi in vltima mersione, sed tamen vbi illa constitutio cessauit, vna sufficit de iure diuino. Pari modo per omnia verba consectationis calicis fit consecratio, quamuis non sint de essentia, nisi, Hic est calix sanguinis mei. Horum ergo instar vbi non fieret vnctio nisi vsque ad manus, illic conferretur gratia: in Ecclesijs verò vbi aliæ adhibentur, intentio ministri debet ad omnes referri, & tunc nisi in vltima non confertur.

Sol. arg.

Simile.

Ex his tandem consequitur, quòd licet homo dum priores vnctiones fiunt non esset dispositus ad suscipiendam gratiam, si tamen in vltima per attritionem esset dispositus, vt non opponeret obicem, illic eam reciperet.

Tomi primi finis.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRATRIS

DOMINICI SOTO;

SEGOBIENSIS, THEOLOGI,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

Cæsareæ Maiestati à sacris Confessionibus, publici apud Salmanticenses Professoris,

IN

QVARTVM SENTENTIARVM

COMMENTARII.

Editio sexta.

Nunc postremò post omnes omnium editiones summo studio, fide, exactáque diligentia, recogniti.

Cum triplici Indice. Quorum primus Distinctiones, Quæstiones, & Articulos; Secundus autem loca Iuris Canonici, in hoc opere ab Authore peculiariter aut declarata, aut emẽdata: Tertius verò, isq; copiosissimus, res & verba in hisce Commentarijs maximè insignia ordine Alphabetico continet.

TOMVS II.

DVACI CATVACORVM,
Ex typographia PETRI BORREMANS, sub signo SS. Apostolorum Petri & Pauli.
M. DCXII.

Cum priuilegio XII. *annorum.*

Digitized by Google

Digitized by Google

DISTINCTIO VIGESIMAQVARTA,

DE

SACRAMENTO

ORDINIS, ET EIVS

ANNEXIS.

TEXT. Cap. 1.

EXPEDITO sermone Sacramentorum quinque, ad singulos Christianos pertinentium, textū locum sibi vendicat Sacramentum Ordinis, quod ecclesiasticæ Reipublicæ ad procreandos spirituales filios necessarium est. Est enim ordo, Sacramentum, quo potestas spiritualis significatur & traditur, in ordine ad Sacrosanctum corpus Christi consecrandum. Quod quidem sanctum ordinis Sacramentum, qui Ecclesiæ subtrahunt, hæretici planè sunt; eius nimirum pulchritudinem & decorem contenebrare molientes, quæ tanquam regina sedet à dextris principis, in vestitu deaurato, circundata varietate. Splēdet enim Ecclesiæ corpus, vti ait ad Corinth. Paulus, membrorum diuersitate: vt aliud sit oculus, aliud auris; aliud verò manus vice, atq; aliud fūgatur officio pedis. Vnde & ad Ephes. Alios, inquit, dedit (scilicet Christus) apostolos, quosdam prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & Doctores in opus ministerij.

Definitio ordinis.

Cap. 2. Septem sunt ordines.

Quocirca iuxta septiformem Spiritus sancti gratiam, septem sunt ecclesiastici ordines; quorum munera Christus seruator noster per semetipsum exercuit, ac subinde partim instituit, partimque instituenda insinuauit. Hæc autem (vti in epistola ad Gudifredum autor est Isidorus) sunt ostiarius, lector, exorcista, acolythus, seu acoluthus, subdiaconus, diaconus, presbyter. Ostiarij cura est, claues habere Ecclesiæ, & quæ intus sunt custodire; cymbalo populum conuocare: genus immūdum infidelium, ingressu arcere. Quo vtique officio Christus (qui ostium, inquit, sum; per me si quis introierit, saluabitur) functus est, quando flagello de funiculis confecto, vendentes & ementes eiecit de templo. Quapropter eiusmodi ordo in traditione clauium & cymbali confertur.

Ostiarius.

Lector.

Lectoribus autem incumbit catechumenos prima fidei rudimenta erudire, & vetus testamentum legere. Quorum igitur ordinatio in traditione lectionarij consistit. Horum exemplar præbuit Christus, quando in medio seniorum librum Esaiæ, aperiens distinctè ad intelligendum legit.

Exorcista.

Exorcistæ officium est, energumenos dæmonum expulsione emundare: quibus ideo exorcismorum liber, in sua ordinatione exhibetur. Quod quidem beneficium Christus præstitit, tum surdo & muto, cui saliua sua delinitis auribus ait: Epheta, quod est, Aperire; tum etiam Magdalenæ atque alijs, de quibus dæmonia eiecit.

Acolythus.

Acoluthus, seu acolytus idē Græcè quod subsequens, huic potissimùm ministerio addicitur; vt subdiacono vinum & aquam porrigat. Quare licet & ceroferarij sint; per traditionem tamen vrceolorum ordinantur. Atque isti ordines quatuor, minores dicūtur.

Cap. 3. Subdiaconus.

Quinto ascensionis gradu locatur subdiaconus, Græcè hypodiaconus, quasi diaconi minister: quippe cui calicem cum materia consecranda subministrat, quem ille sacerdoti ministret. Hi autem Mosayca lege Nathinæi dicebantur, vt apud Esdram legitur: quia erant Leuitarum ministri, quibus Leuitis diaconi apud nos respondent. Debēt præterea aquam, bacile & manutergium ad lotionem presbyteri habere parata: tametsi per susceptionem vacui calicis cum patena character eis imprimatur; vt synodus nos sancta Florentina admonuit, cum illa forma: Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur, &c.

Diaconus.

Super his sunt diaconi, hoc est, ministri: nam ipsi sunt qui presbytero proximè administrant. Quorum idcirco figuram Leuitæ olim præferebant, in ministerium sacerdotum assumpti: adeò vt & leuitarum nomen, diaconi modò retineant. Eorum ergo muneris est, materiam consecrandam sacerdotibus porrigere; sed potissimum euangelium legere, illudque per modum catechismi absque solennitate prædicare. Quapropter tunc diaconus ordinatur, dum librum euangeliorum sub forma ab episcopo prolata recipit.

Presbyter.

Denique presbyteri, hoc est, seniores, ob sacramentorum administrationem sacerdotes, vtpote sacra dantes, appellantur. Quorum ideò ordinatio tunc perficitur, dum ordinator materiam eis præbens consecrādam, Accipe, inquit, potestatem offerre sacrificium Deo, missasq; celebrare, tam pro viuis, quàm pro defunctis. Congruit autem vt priùs eius manus oleo benedictionis ad illam muneris sublimitatem consecrentur. Et postmodum per manuum impositionem, facultas qua remittendi peccata funguntur, designetur.

Digitized by Google

Cap 4. Sacerdotium procul dubio sacramentum est.

Ex his commemoratis ordinibus sacerdotium procul dubio sacramentum est, quod vtique citra hæreseos labem inficiari non licet. Quamobrem & characterem imprimit, & gratiam confert. Fuit enim à Christo Domino in vltima cœna, quantum ad potestatem consecrandi, institutum; & post resurrectionem, facultate remittendi peccata, quæ antea fuerat Petro promissa, cumulatum. Sed & de diaconatu idem sentire congruit: nam vt in Actis Apostolorum memoriæ proditum est, per manus impositionem, septem fuerunt diacones ordinati; quorum cùm sanctos mores Paulus in priori Epist. ad Timoth. tam anxiè deposcat; citra dubium altaris ministerio per sacramentum ex Christi institutione sunt addicti, & in diaconos & subdiaconos diuisi. Igitur tres isti ordines, qui idcirco & maiores dicuntur & sacri, votoque continentiæ, oneriq́ue diuinum officium persoluendi obnoxij sunt, inter sacramenta ecclesiastica referuntur. Reliqui verò quatuor minores, ecclesiæ sancto decreto instituti creduntur. Quare eatenus sacramenta censentur, quod sunt sacramentorum præambula.

Minores ordines Ecclesia instituit.

Cap. 5. Corona insigne clericorum.

Omnium autem clericorum insigne, corona est, quam Petrum in memoriam spineæ coronæ Domini gestasse, tum Beda in lib. de gestis Anglorum, tum & alij nobiles autores scripto retulerunt. Prima verò tonsura inter ordines propriè non habetur, sed est quoddam ordinum rudimentum, vtpote per quod clericus nulli officio ecclesiastico mancipatur, quo laicus fungi nequeat. Deputatur enim non nisi diuinis laudibus canendis.

Cap. 6. Duo sacerdotum ordines.

At verò sacerdotum duo sunt ordines: nempe eorum qui simplices sunt presbyteri, & eorum qui episcopali dignitate fulgent, atque adeo sacerdotum apicem obtinet. Nam etsi sacerdotum munus sit sacramentorum administratio; tamen simplices neque omnia possunt perficere, vt sacramenta confirmationis & ordinis; neque templa, altaria, & vasa consecrare: quæ quidem episcoporũ sunt propriæ functiones, atque adeò, ceu cõsummato sacerdotio pollentes, summi sacerdotes appellantur, Quo fit, vt episcopatus, licet ordo ea ratione sit, qua altior est dignitatis gradus, non tamen sit per se sacramentum, sed sacerdotalis sacramenti perfectio, cuius character per episcopalem consecrationem ad alia munera exequenda protenditur, quæ simplex sacerdos præbere nequiuerat. Atqui discrimen hoc episcopi & presbyteri diuino iure per Christi institutionem semper fuit in ecclesia designatum. Apostolos quippe Christus in Episcopos creauit, vt inter quæstiones veteris & noui testamenti August. pro constantissimo ducit, quibus subinde episcopi successerunt: cum tamen presbyteri non nisi septuaginta duorum discipulorum vicem gerant, vt Anacletus papa autor est. Tametsi Apostolus Pau. alterutro sæpe nomine vtrumque comprehendat.

Ad hæc & episcopis tum archiepiscopi, tum & superiùs patriarchæ præferuntur, & cardinalium senatus, vt pulcherrima hæc membrorum compago in vnum summum Pontificem consummetur, qui vicè Christi omnium sit culmen & caput. *Cap. 7.*

Quos quidem vniuersos ordines sacrosanctæ ecclesiæ, vt locorum dignitate, sic & indumentorum varietate & decore meritò decuit esse dignotos.

Digitized by Google

DISTINCTIO VIGESIMAQVARTA

QVÆST. I.

DE SVBSTANTIA SACRAMENTI ORDINIS, ET EIVS QVALITATIBVS.

Ordo doctrina.

SECVNDVS tomus nostri huius instituti oneris: tribus erit partibus distributus Nam cùm primus, quinque nobis Sacramentorum disputationem præstiterit, quæ singulis personis coaptantur; in hoc præsenti reliqua duo tractanda supersunt, quæ non singulis membris, sed toti reipublicæ & Ecclesiæ in commune bonum sunt necessaria. Ea verò sunt ordo & matrimonium: quorum priùs ad procreationem filiorum spiritualium attinet; posterius verò ad propagationem filiorum secundum carnem. Quibus denique tertium est membrum adhibendum, de statu resurgentium. Atqui tractatus Sacramenti ordinis duas occupabit distinctiones, quarum hæc vigesimaquarta circa eius substantiam, partes & qualitates versabitur. Secunda verò de ijs, qui ordinare, quique ordinari possunt, continebit sermonem. Quocirca distinctionis præsentis duæ erunt quæstiones: prima de substantia & partibus sacramenti ordinis, & secunda de quibusdam, quæ eidem sunt sacramento connexa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ordo in Ecclesia esse debeat.

Part. ne. arg. 1.

IGITVR quæstionis primæ articulus primus est, an sit, hoc est, an esse debuerit ordo in Ecclesia. Et arguitur id non decere. Primò. Ordo dicit prælationem eorum qui subditos habent: ecclesiam verò id non decet: quia videtur libertati repugnare, qua nos Christus donauit, iuxta verbum Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

2. Argu.

Secundò. Christus Matth. 10. videtur huiusmodi ordines condemnare, dicens, Principes gentium dominantur eorum; vos autem non sic: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et ad Ephes. 2. Apostolus, Inferiores, inquit, inuicem arbitrantes.

Pars affirma.

In contrarium autem est illud eiusdem apostoli ad Roma. 31. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt: vnde colligitur quòd in Ecclesia, quæ à Deo est, quippe quam ipse suo sanguine ædificauit, ordo esse debeat.

Decisio articuli.

Primum omnium hic de nomine ordinis fortasse quispiam hæsitet, cur isti Ecclesiæ gradus & magistratus sic appellentur: nam ordinis nomen latius multò patet ad res vniuersas. Ordo enim autore Augustin. 19. de ciuita. cap. 13. est parium disparium querum sua cuique loca tribuens dispositio. Dicuntur namque & religiosorum ordines, & coniugatorum, atque virginũ. Quinuerò in republica ciuili sunt ordines. Vnde Cicero & alij, senatum, ordinem amplissimum appellant. Erant enim tres ordines, scilicet senatorius, equestris & plebeius. Et modò in republica est ordo opificum & nobilium; vt comitum, ducum: & in militia ordo peditum & equitum. Quinuerò vulgatum dictum est, tum rempublicam bene habere, cum vnusquisque suum seruat ordinem, vt Homil. 2. super libr. Numer. ait Origenes, vbi hos diuersi generis ordines connumerat.

Ad hoc respondetur, nomen latissimæ significationis sanctos patres per antonomasiam gradibus ministrorũ Ecclesiæ accommodasse, vt docerent quòd quamuis ad omnes alios magistratus ciuilis reipublicæ, ad alioſque virtutum gradus diffundatur; tamen inter Christianos, per excellentiam ministris ecclesiæ, secundum diuersas eorum dignitates competeret. Atqui ordo secundum proprium significatum relationem & habitudinem inter superiores & inferiores significat vel personas ipsas & status diuersos. Quam ob rem Thomas Waldensis tomo. 2. De sacramentis cap. 116. Ordo, inquit, est sacramenta ministrantium habitudo legitima, cuique ratione ministerij sui conueniens. Inde tamen tractum est ad significandum illud sacramentum, quo ijdem ministri initiantur, & per gratiam ad ritè administrandum sacramenta consecrantur.

Vnde gradus ministrorum Ecclesia, ordines dicti.

Vnde, vt Petrus Lombardus definit, ordo est signaculum Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato: puta, vt in textu dicebamus, est sacramentum, quo potestas spiritualis significatur & traditur in ordine ad sacrosanctum corpus Christi consecrandum. Itaque signaculum non accipitur pro charactere ordinis, sed pro sacramento, quo character imprimitur, qui est potestas illa spiritualis. Quocirca ordo idem est in præsentiarum, quod ordinatio. Atque adeò non est tam exacta definitio illa Scoti, quòd sacramentum ordinis sit potestas spiritualis: nam potius est ordinatio, per quam eadem potestas acquiritur.

Definitio ordinis.

Hoc ergo sanctum ordinis sacramentum de medio tollere conantur hæretici. Witcleff siquidem, vt est videre apud Waldensem tomo 2. De sacrament. cap. 7. & 28. Sacramentum ordinis abnegat, quamuis postmodum idem Vualdensis cap. 116. referat eundem concessisse, in primitiua ecclesia fuisse presbyterum & diaconum, non tamen sacramento sensibili initiatos, sed per internam Christi inspirationem, vt cap. postea. 123. commemorat. De qua re distin. sequenti nobis resumendus est sermo.

Hæretici negantes sacram. ordinis.

Eandem hæresim ab orco suscitauit Lutherus, qui in suo illo pestilenti libro de abroganda missa priuata, omnes istos ordines ecclesiasticos prosternit, pessundatque dicens, hierarchiam ecclesiasticam, in qua constituitur summus sacerdos, deinde episcopi & sacerdotes, esse similem gentilitiæ constitutioni de sacerdotibus Iouis, Veneris & Saturni. Christianus enim, inquit, populus debet esse omnino simplex, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus laicus, nullus clericus, nullus monachus esse debet, sed tantum prædicatores. Ecce monstrificam Lutheri ecclesiam sine capite & membrorum varietate. Contra hanc autem hæresim satis superque distin. 13. q 1. art. 1. locuti sumus, ad demonstrandam Ecclesiæ hierarchiã episcopis, presbyteris atque alijs ministris distinctam, quasi reginam, vt est in Psal. 44. circundatam varietate à dextris Christi sedere.

Lutherus.

Et ideo nihil est reliquum, quod hic possimus adhibere, sed satis est duas conclusiones simpliciter ponere. Prima. Decentissimum fuit, imò necessarium, ordines in ecclesia existere. Potissima huius ratio est, quòd Christus omnia sua opera tam naturæ quam gratiæ ad similitudinem virtutis suæ produxit, vt per ipsa eadem opera cognosceretur, iuxta verbum apostoli ad

1. Concl. In Ecclesia meritò esse diuersitatem ordinum.

Digitized by Google

Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: in Deo autem sicut intus inter personas ordo est originis, vt pater à nullo procedat, & filius à patre, & Spiritus sanctus ab vtroque: ita & in virtute, qua cuncta procreat, ordinis pulchritudo lucet, vt per superna infima gubernet, disponat & administret. Quare in supracælestibus spiritibus idem est ordo, vt per superiores inferiores illuminet, præter beatem visionem, qua cuncti essentiam contuentur. Et in operibus naturalibus, elementa cælestibus orbibus subdidit, quorum terra in infimo loco subsideret, vt omnis inferiorum virtus (vt ait in Meteor. Arist.) à cælestibus lationibus gubernarẽtur. Quocirca & omnem ciuilem rempuplicam lumine naturali docuit, vt caput sibi instituerent, & digniora membra; per quæ inferior populus iustitiam reciperet. Barbari ergo sunt & humano nomine indigni, qui hac ordinis micante luce & pulchritudine Ecclesiam Christi, quæ inter mundi politias optima est, denudare contendunt. Sanè cùm non solùm in lege veteri Deus summum sacerdotem, ac sub ipso alios, & præterea Leuitas instituerit, qui diuino cultui essent mancipati: verùm & gentes naturæ radio docuit, nullum, siue Dei veri, siue deorum cultum, sine sacrificijs & sacerdotibus vigere posse. Quapropter Dionysius ecclesiasticam hierarchiam instar cælestis depinxit, episcopis, presbyteris & diaconibus distributam.

Accedit autem particularis ratio in Ecclesia, quòd cum sacramenta sint instrumenta passionis Christi, quę ab ipso virtutem habent supranaturalem conferendi gratiam; ratio subsequenter postulabat, vt eorum ministri in ordine sanctitatis constituerentur, & quo eadem sacramenta idoneè administrarent, gratia suffunderentur. Quam ob rem nisi hæretici prius virtutem sacramentorum supranaturalẽ negassent, nunquã ordines sacros inficiarentur: sunt enim virtutes sacramentorum & ministrorum connexæ: sed quia omnia deturbant, indigni sunt cum quibus disputemus. Paulus enim ad Ephes. 4. ordinem eundem Ecclesiæ depingens ait, Christum quosdam dedisse Apostolos, quosdam prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores.

Idem probatur à testimonijs scripturæ. Ephes. 4.

Sed aiunt Lutherani non nominasse illic sacerdotes, quare ipsos plebanos appellant pastores ob solum officium prædicandi, quos quidem inter eos ciuilis respublica creat. Attamen eorum calumnia eo retunditur, quòd nomine Apostolorum, episcopi eorum successores, intelliguntur; & pastorum appellatione sacerdotes, qui sacramentorum pabulo, quod potissimum est in Ecclesia, populum pascunt: & ideo subiungit, Pastores & doctores, hoc est, sacramentorum administratione & verbo doctrinæ plebem imbuentes. Quare cùm respublica ciuilis nulla polleat supranaturali potestate, ridiculum est dicere, quòd ipsa possit spirituales pastores instituere. Idem ex illo Pauli 1. Corinth. 12. confirmatur, vbi ait, quòd diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationũ, idem verò Dominus: & diuisiones operationum, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Et subnectit analogiam corporis, quòd sicut in vno corpore multa sunt membra, ita & in vna Ecclesia multi sunt ordines. Vnde. 1. ad Tim. 3. postquam episcopi mores delineauit, quos in cunctis sacerdotibus requirebat: de diaconibus verbum subiunxit. Ac subinde ca. 4. Noli, inquit, negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, per impositionem manuum presbyterij. Et ca. 5. Aduersus presbyterum, inquit, accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Et infrà. Manus citò nemini imposueris. Et epist. 2. ad eundem cap. 1. Admoneo, inquit, te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Et ad Tit. 1. Huius, inquit, causa reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Ac demum Act. 14. expresè habetur, quòd Apostoli constituebant per singulas ciuitates presbyteros.

1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum &c.

1. Tim. 3. 4. & 5.

2. Tim. 2.

Tit. 1.

Act. 14.

Canones autem, immensum effet opus, hic omnes hac de re citare. Satis autem sit vnus pro omnibus Anacleti Papæ discipuli beati Petri, In nouo. di. 21. vbi ait quòd post Christum Dominum in Petro sacerdotalis cœpit ordo, cui Christus pontificatum in Ecclesia dedit dicens, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Apostoli namq; cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, scilicet Apostolicam, quorum loco successerunt episcopi sed postmodum Dominus alios septuagintaduos discipulos elegit, quorum typum gerunt presbyteri. Cætera loco citato † latiùs desseruimus.

Testimoniũ Anacleti.

Secunda conclusio. Ordo ecclesiasticus est sacramentum. Probatur. Sacramentum, vt d. 1. dictum est, nihil aliud est quàm sacræ rei signum, hoc est, signum gratiæ hominem sanctificantis: sed ordo est eiusmodi, non. n. accipitur, pro ea habitudine & relatione, quæ est inter superiores & inferiores: sed pro ipsa ordinatione, quæ est sensibile signum spiritualis potestatis, quæ illic confertur; vt cùm episcopus oblato calice cum hostia ait, Accipe potestatem offerendi sacrificiũ, &c. Per illa. n. verba & traditionem materiæ, confert potestatem, nempe characterem ad consecrandum; ac subinde, nisi obex obstiterit, gratiam ad ritè & rectè idem obeundum munus. Ex quo fit, gratis Scotum præsenti dist. negasse hoc esse propriè sacramentum, eo quòd non est visibile signum, sed solùm, inquit, est sacramentum accipiendo pro signo inuisibili, nempe pro charactere. Quod enim hoc gratis dicatur, patet: nam materia illa, quæ exhibetur ab episcopo, & forma, qua traditur, vt articulo proximo notius fiet, signum sensibile est potestatis quæ confertur, & gratiæ. In subsequentibus † verò de isto effectu gratiæ iterum dicendum est. Deinde examinandum an singuli ordines sint sacramenta: atque adeò vtrum omnes simul sint vnum sacramentum, & vtrùm omnes sint de iure diuino à Christo instituti. Fit ergo ex his consequens, quòd neque ordo, qui est inter angelos, sit sacramentum, neq; verò vnctiones, quibus reges vnguntur, vel abbates, quia per illas non confertur potestas supra corpus Christi verum. De ordinatione verò episcopi infra fiet sermo.

† *Dist. 13. q. 1. ar. 1. Concl. 2. Ordinem ecclesiasticum esse sacramentum.*

Scotus reijcitur.

† *q. 1 huius, ar. 4. concl. 3.*

Ad vtrumque igitur argumentum in capite propositum respondetur, quòd ordo subiectionis, qua quis vt seruus alteri subditur, libertati repugnat; sed tamen ille non est ecclesiasticus ordo: imò qui in Ecclesia præsunt, non debent dominari tanquam Domini seruis, sed tanquam subditorum ministri: non enim potestatem habent in bonum proprium, sed in bonum Christianæ reipubl. Et hoc est, quod Christus admonebat Apostolos. Paulus verò persuadebat, vt licet prælati sint officio superiores; existiment tamen se meritis inferiores.

Solutio argumentorum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc sacramento materia & forma congruè designentur.

QVAERITVR secundò de partibus huius sacramenti, quibus constat. Et arguitur quòd forma eius non sit conueniens, Sacramenta ordinantur ad sanctificationem illius cui applicantur, quæ quidem applicatio fit virtute diuina: ergo debet in forma exprimi eadem sanctificatio & virtus, per quam fit, sicut in baptismo cùm dicitur, Ego te baptizo in nomine patris, &c. & in confirmatione, Ego te confirmo, &c. & in extrema vnctione, Indulgeat tibi Deus, &c. in forma verò huius sacramenti dum dicitur, Accipe potestatem, &c. nec sanctificatio suscipientis, neque virtus qua sanctificatur, exprimitur: ergo non est apta.

Partis neg. arg. prim.

Secundò de materia arguitur. In materia sacramenti debet esse virtus sanctificandi per applicationem eius, vt 1. distinct. † diximus: per ablutionem enim baptismi, instrumentaliter abluitur anima: vnde Hugo ait, quòd sacramentum est elementum exterius, internam sanctitatem significans: sed in illis, quæ traduntur eis qui ordinibus initiantur, vt in calice cum hostia non consecrata; & in libro Euangeliorum, qui traditur diacono, nulla inest virtus, quæ effectum sortiatur sanctitatis internæ: ergo illud non est legitima materia.

2.

† *q. 3. ar. 1. & 4.*

In contrarium tamen est, quòd omne sacramentum debet constare ex verbis & rebus: & vsus habet vniuersalis Ecclesiæ, per huiusmodi verba, & traditionem rerum, sacramentum hoc administrare.

Sed contra.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Forma sacramenti ordinis optimè exprimitur per verbum imperatiui modi. Conclusio est concilij Florentini, in instructione Armenorum; vbi forma sacerdotij ponitur hæc, Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis & mortuis in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et similiter aliorum ordinum formæ, prout in Pontificali Romano latè continetur.

Rectè huius sacramenti formam exprimi verbo imperatiuo Accipe &c.

Digitized by Google

tinetur. Ratio autem sumitur ex discrimine inter hæc atque alia sacramenta: nam quia gratia cuiusque sacramenti ad effectum eiusdem proprium refertur; materia & forma debent eundem effectum subnotare: effectus autem prius aliorum sacramentorum, quæ consistunt in vsu, est sanctificare hominem secundùm seipsum, inquantum est priuata persona, quemadmodum de quinque præcedentibus dictum est: vt quia effectus baptismi est abluere animam, eamque regenerare, fit vt per illam ablutionem, & verba, Ego te baptizo, illa regeneratio significetur. Et idem in Eucharistia, & confirmatione, reliquisque sacramentis ostenditur. Institutio autem huius sacramenti non fuit per se ordinata ad sanctificationem hominis cui adhibetur, quatenus est quædam priuata persona, sed in ordine ad populum, qua ratione ipse est pars Christianæ Reipublicæ, in qua constituitur minister & persona publica. Et ideo sicut creatio regis aliusque cuiusque magistratus fit per verbum imperatorium, Accipe potestatem, tradendo illi sceptrum, vel pileum, vel claues, vel quodpiam aliud insigne reipublicæ; sic dum ordinatur Ecclesiæ minister, forma ordinandi esse debet, Accipe potestatem, tradita materia, circa quam vsus eiusdem potestatis versatur. Et quia potestas per vsum eius designatur, optimè dicitur in forma, Accipe potestatem offerendi sacrificium: nam ille est facultatis vsus. Et similiter in cæteris ordinibus, vt suis cuiusque locis videbitur.

Quòd si contra arguas. Imperare est actus habentis autoritatem: sed autoritas effectus sacramentalis non est, nisi in Deo, vt distinct. 1. † dictum est: in ministro namque non est nisi ministerium: ergo episcopo ordinanti non congruit dicere, Accipite potestatem sicut Christus dixit, Accipite spiritum sanctum. Respondetur, quòd quamuis in episcopo non resideat prima autoritas, quia est tantum Christi minister: habet nihilominus potestatem, hoc est, ordinis characterem similem illi quem confert. Differt tamen hoc à reliquis sacramentis, quòd nullum aliorum ad hoc conditum est, vt minister similem facultatem ei quam habet, conferat suscipienti: sed hoc huic sacramento est peculiare, quòd per ipsum similis potestas ipsi quæ est in ministro, traducitur in suscipientem, sicut ignis in subiecto similem sui formam producit. Itaque effectus aliorum sacramentorum est suscipientem per gratiam assimilare Deo, non autem ministro, qui sæpe assolet illa carere: effectus autem huius sacramenti est, vt ordinans, per characterem assimilet sibi suscipientem: & ideo congruentissimè dicit, Accipe potestatem, videlicet qua ego polleo. Hoc enim non profert nisi tanquam Christi minister: sicut in baptismo baptizans ait, Ego te baptizo.

Valentius autem argumentum est, quòd cùm inter effectus sacramenti, gratia sit præstantior charactere, apparet quòd potiùs forma deberet designare gratiam; quàm characterem: & tamen illa facultas, quæ per formam exprimitur, non est nisi character. Huius autem responsum ex ijs quæ modò dicebamus colligitur: videlicet, quòd quamuis gratia secundùm se sit excellentior, vtpote per quam suscipiens iustificatur; nihilominus finis huius sacramenti non fuit sanctificare suscipientem, quatenus est persona priuata: nam ad hoc alia sacramenta sufficiebant, sed dare ei publicam potestatem: & ideo illam potiùs debuit forma explicare.

Aliud hic dubium restat soluendum, vtrùm impositio manuum sit pars formæ huius sacramenti. Sed huius examen artic. 4. † inter tractandum de singulis ordinibus commodiùs fiet.

Quòd autem in præfato concilio additur formæ, In nomine patris & filij & spiritus sancti, non est de essentia eiusdem formæ, sed de decentia. Nam vt distinct. 7. articu 4. dictum est, sola sacramenta baptismi & confirmationis, quia in illis fit professio fidei, inuocationem trinitatis tanquam de essentia requirunt.

Ex his colligitur de materia, secunda conclusio priori similis. Materia huius sacramenti est res illa, quæ suscipienti ordines traditur, vt calix cum hostia, vel euangeliorum liber, & vrceoli, & claues Ecclesiæ, vt in alijs † ordinationibus dicturi † sumus. Conclusio, veluti præcedens, est assertio eiusdem Florentinæ synodi, cui & ratio hæc suffragatur, quòd materia debet esse formæ coaptata: cùm ergo forma sit imperatoria, Accipe potestatem; applicatio materiæ debet esse traditio vasorum, & instrumentorum, quibus vsus eiusdem potestatis designatur. Penitius verò eandem rationem speculatus S. Tho. ex eodem principio prioris conclusionis & hanc quoque elicuit. Enimuero sacramentorum, quæ in vsu materiæ consistunt, materia debet significare effectum sacramenti extrinsecus aduenire, sicut ablutione baptismi significatur, per illam, ad iuncta forma, animam ablui. Secus in sacramento pœnitentiæ, vbi materia sunt intrinseci actus ipsius pœnitentis, qui ideo ab intrinseco ad eius sanctificationem concurrunt. Eiusmodi autem materiarum, quæ forinsecus admouetur, diuersa est ratio Nam cùm alia sacramenta ordinentur ad sanctificandum suscipientem per gratiam; quæ quidem gratia à Deo ipso deriuatur, & non à gratia, quæ est in ministro (siquidem existens in peccato virtute sacramenti, quòd confert, sanctificat hominem) necesse est vt materia per sui applicationem virtutem habeat sanctificandi, sicut aqua in baptismo per ablutionem, & chrisma in confirmatione per vnctionem: ad denotandum, quòd minister non sanctificat nisi per virtutem Dei, quæ est in materia. In isto autem quia per se primo non ordinatur nisi ad conferendam potestatem, quæ est character, quæ quidem deriuatur à Deo per ministrum habentem similem characterem; tota virtus sacramentalis est in ministro & in forma, quam profert Quare materia non applicatur sicut habens virtutem, veluti aqua in baptismo, & chrisma in confirmatione, sed ad determinandum intentionem ministri, & ad designandam explicandamque facultatem illam, quam elargitur: quare materia potiùs significat vsum potestatis exhibitæ a ministro, quam ipsam potestatem. Idque deinde luculentius confirmatur ex diuerso modo applicandi materiam: nam in cæteris sacramentis debet materia tangere suscipientem per modum causæ efficientis, vt abluendo, vngendo, &c. vt suscipiens patiatur ab illa: in hoc verò sacramento potius suscipiens agit tangendo & accipiendo materiam.

Cauendus est hic tamen error, ne quis putet traditionem illam materiæ non concurrere ad vtrumque sacramenti effectum: scilicet gratiam & characterem: imò concurrit simul cum forma: quia est pars sacramenti. Sed solum ait S. Tho. quòd non concurrit per modum rei, in qua sit virtus, sed ad determinandam & designandam potestatem, quæ confertur. Quod quidem discrimen inde præterea patescit, quod materia aliorum sacramentorum, vt chrisma in confirmatione, & oleum in extrema vnctione, & aqua baptismi, dum solenniter fit, benedicuntur & consecrantur, & præ omnibus materia Eucharistiæ: materia verò huius sacramenti minimè.

Vnum autem hic suboritur dubium, vtrum materia debeat tangere suscipientem, sicut in reliquis sacramentis, seu potiùs suscipiens debeat eam tangere, cùm ei ab episcopo porrigitur. S. Th. inpræsentiarum refert duas opiniones; arguit enim sic tertio loco. In quolibet sacramento habente materiam necessarius est contactus materiæ, ad eum qui suscipit sacramentum: sed, vt à quibusdam dicitur, contactus materiarum in hoc sacramento ab eo qui illud suscipit, non est de necessitate sacramenti, sed eorum porrectio: ergo in hoc sacramento nulla reperitur materia. Est tamen litera responsionis mendosissima, & vix intelligibilis: debet ergo hoc pacto vel legi, vel intelligi, quòd sustinendo dictum illud (nempe, illorum opinionem, scilicet contactum non esse necessarium) ratio eius potest ex dictis colligi; videlicet, quòd cùm in reliquis sacramentis effectus, vt dictum est, quia est gratia non accipiatur à ministro, qui ea potest carere, sed à materia; necesse est, vt materia tangat suscipientem. In sacramento verò ordinis, effectus (nempe character) non suscipitur à materia, sed à ministro habente characterem, vt expositum est: & ideo porrectio materiæ ab episcopo magis est de essentia sacramenti, quàm suscipientis contactus. At verò Sanctus Thomas propensiùs inclinat in alteram opinionem: apparet enim, inquit, quòd contactus materiæ sit de essentia sacramenti: nam videtur forma ipsa, Accipe potestatem, id exigere. Et confirmatur. Accipe est correlatiuum huius, quod est dare: cùm ergo episcopus det potestatem, & iubeat vt alter accipiat, videtur necessarium vt manibus tangat. Fatemur ergo hanc opinionem multò probabiliorem altera: nam cùm episcopus non tradat potestatem solo verbo, sed offerendo materiam, certè probabilissimum est, quòd suscipiens debeat eam tangere. Imò Caietanus quodli. 1. q. 16. duo asseuerat. Primum, quòd non opinatiuè dicendum est requiri contactum. Secundum, quòd necessarium est illum contactum simul fieri dum episcopus,

† q. 5. ar. 1.

Ordinans confert characterem, qualem ipse habet: vnde recte dicit Accipe &c.

†. §. Argu. autem. In nomine patris &c. Non est de essentia formæ.

2. Concl.

† Fortè legendum illis † 4. 3. huius. post medium. Materia ordinum sunt res quæ traduntur in ordinatione.

Materia aliorum sacramentorum adhibetur tanquam sanctificans, & propterea prius consecratur & benedicitur, non autem materia ordinis, sed ad designandam potestatem.

An contactus materiæ sit de essentia.

Sent. negans.

S. Thomas affirmat.

Caietanus.

formam profert, ſicut in cæteris ſacramentis; in quibus requiritur ſimul concurſus materiæ & formæ. Veruntamen in ſumma. verb. Ordinandi, ſeipſum videtur retractaſſe, dicens, non eſſe neceſſarium contactum: quia neque in concilio Florentino, neque in Pontificali ponitur tanquam neceſſarius. Et re vera non vſque adeo videtur opinio S. Thomæ neceſſaria: nam hoc diſcrimen, quod pro altera opione attulit inter materiam huius ſacramenti & aliorum, multùm eidem opinioni faciet. Materia ſiquidem huius ſacramenti non habet virtutem eo modo, quo materia aliorum ad aliquam actionem erga ſuſcipientem; puta ad abluendum, vngendum, &c. Sed ſolùm ad determinandam intentionem agentis: illa autem determinatio poſſet ſignificari per id, quod epiſcopus oſtendat præſentem materiam: nempe calicem & hoſtiam, vt ſuſcipiens vſum illius poteſtatis intelligat. Et tunc dicendum eſſet quòd materia per oſtenſionem concurreret ad effectum ſacramenti. Item quia in ſermonibus familiaribus cùm quis donat equum alteri, alter ſolo nutu vel verbo poteſt accipere illum, licet non tangat. Et ſic certè non videtur omnino neceſſarius contactus. Quod ſi quis contra arguat. Sequeretur ex hoc, quod ſine oblatione materiæ poſſet epiſcopus ſolo verbo dicere, Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, &c. Negatur conſequentia: nam cum in omni ſacramento ſit neceſſaria materia & forma, non ſufficit quòd Pontifex ſuam intentionem ſolo verbo patefaciat, ſed oſtendendo præſentem materiam, vt actu intelligatur tunc poteſtas traduci. Hæc dixerim, non quòd negare contenderim contactum requiri, imò requiri comprobo. ſed ad tollendos eorum ſcrupulos, qui arbitrantur niſi tetigerint calicem, & ſimul hoſtiam, nullatenus eſſe ordinatos. Nam cùm contactus ille non ſit niſi cæremonia, quomodocunque tangant, ſufficit. Imò fortaſſe licet non attingant hoſtiam, ſed ſolum calicem tangant, illic cenſentur totum quod ibi datur pertingere: nam ſicuti qui tangit calicem cenſetur tangere vinum quod eſt intus, ita & hoſtiam quæ eſt ſupra patenam. Tametſi non negauerim, quin ſit adhibenda diligentia contingendi etiam hoſtiam ad modum in Pontificali Romano præſcriptum.

Sent. S. Tho. non eſſe omninò certam.

Eam tamen Author ſequitur vt probabiliorē.

Nota.

Quomodo debeat contactus ſimul eſſe cum forma.

†*d. 3. a. 3. §. Quando autem.*

Quod autem Caietanus ait, requiri ſimul concurrere contactum cum forma, non intelligitur mathematicè, vt non finiatur verborum prolatio antequam tactus fiat, vt in materia baptiſmi diximus: † ſed ſatis eſt quòd ſint ſimul more loquendi humano. Nam qui dicit, Ego te baptizo, ſi ſtatim baptizet, ſimul cenſetur dicere & facere. Quinuerò in præſentiarum forma multò minus requirit, vt contactus ſimul fiat: nam ad verificandum illud verbum, Accipe, non exigitur ex vi ſignificationis, vt antequam præcipiens mandatum proferat, alter adimpleat, ſed quòd ſtatim accipiat.

Ad 1. arg.

Ad primum igitur argumentum iam reſponſum eſt per diſcrimen inter hoc ſacramentum & reliqua: nempe quòd per alia aſſimilatur ſuſcipiens per gratiam Deo, & ideo neceſſe eſt vt materia ipſorum per applicationem habeat illam virtutem diuinam, quæ explicatur in forma, Ego te baptizo, id eſt, applico virtutem diuinam: effectus autem huius eſt, vt ordinans aſſimilet ſibi ſuſcipientem per virtutem quæ eſt in ipſo: nempe per characterem: & ideo eſt actio vniuoca, qua agens aſſimilat ſibi paſſum. Atque adeò non requiritur, vt forma explicet aliquam virtutem, quæ eſt in materia, ſed traditionem virtutis, quæ eſt in miniſtro per verbum imperandi, Accipe poteſtatem, &c.

Ad 2.

Et per hoc ipſum, dilutum reſtat ſecundum argumentum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm conuenienter ſint in Eccleſia ſeptem ordines diſtincti.

Part. neg. argum. 1.

SERIES legitima expoſcere videbatur, vt poſt conſiderationem ſubſtantiæ & partium ſacramenti, de eius effectibus diceremus. At quoniam non eadem apparet ratio in omnibus ordinibus eoſdem proferendi effectus; ne ſit opus eadem pluries reſumere, congruentius eſt, vt de ordinum diſtinctione & numero præmittatur ſermo. Arguitur ergo quòd ordinum multiplicatio non erat decens. Virtus enim quanto maior, tanto minus eſt multiplicata, & ideo non eſt niſi vnicus Deus, vnicus Dei vicarius, ac in republica rex vnus: qua de cauſa Ariſt. 8. Ethicor. regiam poteſtatem prætulit omnibus alijs, in quibus plures gubernant: ordo autem ea ratione, qua homines conſtituit in altiori gradu, quàm ſit reliquus populus; dignior eſt reliquis ſacramentis, quæ non multiplicantur: non enim eſt niſi vnicus baptiſmus, vnica confirmatio, &c. ergo multo minus decuit in plures diuidi.

2.

Secundò. Si plures eſſent ordines; aut diuiſio ſacramenti ordinis in plures eſſet veluti totius in partes integrales; ſicut homo diuiditur in caput, manus & pedes: aut totius vniuerſalis in partes ſubiectiuas; ſcilicet, generis in ſpecies, vt animalis in hominem & equum. Si primum dederis; tunc ſequitur quòd ſacramentum non verificatur de aliquo in ſpeciali: totum enim non prædicatur de parte integrali: quia nec caput nec manus eſt homo: ſi ſecundum admiſeris, tunc ſinguli per ſe omnes ſunt ſacramenta, atque adeò omnes ſimul ſunt ſeptem ſacramenta: nam genus pluraliter prædicatur de ſpeciebus ſimul iunctis: ſiquidem homo & equus ſunt plura animalia. Quòd ſi verum eſſet, plura eſſent quàm ſeptem ſacramenta: nam præter hæc ſunt ſex alia, baptiſmus, confirmatio, &c.

3.

Tertiò. Eſto plures deberent eſſe ordines, apparet non congruere, vt eſſent numero ſeptem: nam ordinum numerus ſecundum actiones hierarchicas multiplicandus eſt: ſecundùm autem Dionyſium de eccleſia. hierarch. †. tres ſunt tantum hierarchiæ actiones: ſcilicet purgare, illuminare, & perficere: quare tres duntaxat ordines diſtinguit, diaconatus, presbyteratus & epiſcopatus.

† *c. 5. pars 1.*

4.

Quartò ab aduerſa parte arguitur, quòd deberent eſſe plures, ſcilicet ſaltem nouem. Virtus, vt modò dicebamus, quo altior eſt, minus eſt multiplicabilis: ſed hierarchiæ angelorum, quæ ſublimiores ſunt quàm hierarchiæ eccleſiæ militantis, ſunt nouem: ergo in eccleſia deberent eſſe nouem.

Sed contra.

In contrarium eſt vſus orthodoxæ Eccleſiæ, quæ ordines in ſeptem diuidit.

1. Concl. Conueniente eſſe ordinum eccleſiaſticorum diuerſitatem.

Ad quæſtionem præſentem duabus concluſionibus reſpondetur. Prima. Congruentiſſimum fuit, vt ordines eccleſiaſtici plures eſſent, triplici ex cauſa. Prima fuit, vt pulchritudo diuinæ ſapientiæ in eccleſiaſtico cultu fulgentiùs ſplendeſceret. Sapientia enim Dei licet in ſe vna ſit maximè, eademque ſimpliciſsima; extra ſe tamen multiiuga effectuum varietate promicat: vt patet in orbium cæleſtium, aſtrorumque concinnentiſsima multitudine, & in elementorum compoſitione, & in numeroſiſsima fructuum, animalium, aliarumq; rerum copia. Eodem ergo modo eccleſia diuerſis gradibus, ordinibus, & hierarchijs diuinam refert ſapientiam. Inde enim regina Saba, vt 3. Reg. 10 legitur, admirata eſt Salomonis ſapientiam, quòd domum Dei tanta miniſtrorum varietate extructam decoraſſet. Et Dauid pſalmo. 44. eccleſiam contemplatus eſt tanquam reginam à dextris ſedentem circundatam varietate. Secunda ratio ſumitur ex ſubuentione humanæ infirmitatis. Nequiuerant enim omnia, quæ ad diuinum cultum attinent, per vnum miniſtrorum genus commodè expleri; ob idque plura adhibita ſunt. Quam ob rem & antiquitus, vt Numeri 11. legitur, Moyſi Dominus ſeptuaginta ſenes in adiutorium adhibuit, & Chriſtus in Euangelio ſeptuagintaduos diſcipulos adiunxit Apoſtolis. Tertia denique ratio fuit ſecundùm Dionyſium loco citato, vt multiplicatis miniſtris diuini cultus, amplior hominibus panderetur via eodem modo proficiendi.

2. Concl.

Secunda concluſio. Septenarius ordinum numerus fuit congruentiſsimus, qui ſunt, presbyter, diaconus, ſubdiaconus, acolytus, ſeu acoluthus, exorciſta, lector, & oſtiarius. Hanc concluſionem negauit Witeleff, vt eſt videre apud Waldenſem tomo. 2. de ſacramen. cap. 116. dicens, Chriſtum non inſtituiſſe niſi duos ordines: ſcilicet Apoſtolorum, qui erant ſacerdotes, & ſeptuaginta duorum diſcipulorum, Luc. 10. qui erant ſicut diaconi, hoc eſt, miniſtri Apoſtolorum. Redarguitur autem eius error teſtimonijs multis ſanctorum, quos illic Waldenſis in teſtes accerſit. Extat enim inter canones Apoſtolorum cap. 42. & 43. ſeptenarius iſte numerus miniſtrorum altaris. Qui quidem canon ſemper fuit habitus in veneratione, vt autor imperfecti Homil. 53. ſuper Matth. edocet. Et Clemens Apoſtolis proximus, imò coætaneus in Epiſt. 3. ad vniuerſos eoſdem ſeptem miniſtros recenſet. Et Anacletus ſub id ferè temporis etiam Pontifex cap. 2. ſuorum decretorum,

Probatur contra Witeleff ſeptenarius ordinū numerus.

Clemens.

Anacletus.

in ſo-

Ignatius. in solennibus diebus diaconos iubet episcopo assistere, & subdiaconos atque reliquos ministros. Et Ignatius Apostolorum quoque coætaneus in quadam epistola ad suos Antiochenos. Saluto, inquit, sanctum presbyterum vestrum, saluto sanctos diaconos, subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, exorcistas, &c. Et Cornelius Papa in epist. ad Fabianum Antiochenum eosdem prorsus ordines septem commemorat. Atqui & Eusebius lib. 6. historiæ Ecclesiast. cap. 33. refert epistolam Cornelij, qui fuit ducentis annis à Christo, vbi eosdem septem ordines commemorat. Et Ambros. super illud ad Ephes. 4. Dedit quosdam Apostolos, &c. officia istorum ordinum septem denarrat. Et Hierony. in prologo epistol. Pauli ad Thessal. ait illas Apostolum misisse ab Athenis per Tychicum diaconum & Onesimum acolytum. Mittimus Isidorum atque Rabanum, qui in suis libris de offic. eccles. istorum septem ordinum & numerum & rationem satis explicant. Et idem Isidorus in Epistola ad Ludriferum, singulorum ordinum officia describit, & refertur. dist. 25. can. Perlectis. Et distin. 23. can. Presbyter, & pluribus subsequentibus ex Concilio Carthaginensi 4. de singulorum septem ordinum promotione amplior fit sermo. Et tandem Hugo lib. 2. de sacrament. par. 3. c. 5. quem Magist. sent. imitatur, eosdem septem ordines, quasi per Ecclesiam receptissimos enumerat. Est ergo conclusio nostra catholica qua affirmatur, hos septem ordines antiquissimos: nempe à tempore Apostolorū semper in Ecclesia fuisse celebres. Error ergo est dicere septuagintaduos discipulos fuisse diaconos: quippe cùm presbyteri fuerint, quos Dominus in adiutorium Apostolorum, ac subinde episcoporum coaptauit: nam de institutione diaconorum articulo sequenti dicemus.

Cornelius.

Ambros.

Hierony.

Isidorus.

Conc. Carthag.

Ratio septenarij numeri inquiritur. Rationem autem huius numeri sunt qui velint ex adaptatione ad gratias gratis datas venari, quas Apostolus 1. Cor 12. connumerat, dicentes sermonem sapientiæ conuenire episcopo, qui est aliorum ordinator: ordinare enim, actus sapientiæ est. Sermonem verò scientiæ, sacerdoti competere, qui claui scientiæ in sacramento pœnitentiæ vtitur: sed fidem competere diacono, qui legit Euangelium fidei. Virtutum autem opera tribuunt subdiacono, in quo incipit continentiæ votum, quæ omnium est virtutum genitrix. Interpretationem sermonum acolyto, qui lumine, quod defert, interpretationem scripturæ significat. Et gratiam sanitatum exorcistæ, qui dæmones expellit. Et genera linguarum psalmistæ, & prophetiam lectori, & discretionem spirituum ostiario, qui quosdam repellit, & quosdam admittit.

Prima.

Reijcitur. Attamen adaptatio hæc non est apta. Primum, quia gratiæ gratis datæ secundùm Apostolum, non dantur eidem, sed diuersis: & tamen ordines eidem conferuntur. Item quia episcopatus, vt videbimus, non est ordo, neque verò psalmistæ officium. Sed quæ præcipuè aduersus istos ratio pugnat, est, quòd ordinum functiones, nullis indigent gratijs gratis datis.

Secunda. Propterea alij aliam rationem comminiscuntur, vt numerum ordinum instar cælestis hierarchiæ conditum velint. Officia quippe angelorum sunt purgare, illuminare, & perficere. Aiunt igitur, quòd ostiarius purgat exteriùs, arcendo malos ab ingressu Ecclesiæ, & admittendo bonos: interiùs verò purgat acolytus: quippe qui lumine cerei, quem defert, expulsionem mentis tenebrarum designat. Exorcista verò vtroque modo purgat pellendo dæmonem, qui intus & foris conturbat hominem. Sed illuminatio, quæ fit per doctrinam, quantùm ad propheticam fit per lectores, quantum ad Euangelicam, per diaconum, & quantum ad apostolicam per subdiaconum. Perfectio autem communis, quæ fit per sacramentum baptismi, pœnitentiæ, extremæ vnctionis & Eucharistiæ, pertinet ad presbyterum. Alia verò excellentior per confirmationem plebis, & ordinationem sacerdotum, & cōsecrationem virginum, incumbit episcopis. Ac demum suprema, quæ est episcopos creare, attinet ad Papam, in quo plenitudo residet potestatis.

Reijcitur. At verò neque speculatio ista legitima est. Primùm, quia ordines cælestis hierarchiæ non distinguntur per illas actiones: nam cuilibet hierarchię in suo gradu conueniunt omnes, vt in materia de angelis disputatur. Præterea quia perficere solis episcopis secundum Dionysium conuenit, eo quod chrismate in confirmatione & ordinibus vtuntur, quæ quidem sacramenta exuberantem copiam fragrantis gratiæ conferunt, quæ in balsamo designatur. Illuminare autem conuenit presbyteris per alia quatuor sacramenta: nam matrimonium non competit ad hierarchiam. Sed purgare conuenit diaconibus & alijs inferioribus ordinibus, quatenus plebem ad Eucharistiæ functionem præparant.

Tertia. Ob idque alij ordinum seriem septem donis spiritus sancti assimilare contendunt: vt donum sapientiæ, quod supremum est, sacerdotibus adscribatur: illud quippe donum pane vitæ & intellectus homines cibat, quos perinde sacerdos eucharistia reficit. Donum verò timoris, quod est infimum, attribuunt ostiario, qui in ingressu Ecclesiæ bonos per timorem à malis separat. Ac subinde alia media dona, alijs intermedijs ordinibus accommodare pergunt.

Non probatur. Sed re vera neque ista distributio est germana: nam in quocunque ordine, qui est sacramentum, septiformis gratia confertur.

Vera ratio petita ex respectu, quē habent ordines ad Eucharistiam. Legitima ergo ratio distinctionis ordinum, ex ordine & respectu ad sacrosanctam Eucharistiam, ad quam omnes referuntur, sumenda est. Enimuerò, vt loco citato autor est Dionysius, vt templa & altaris vasa, ministrorumque ornamenta propter dignitatem eucharistiæ consecrantur; ita & omnes ministri ratione eiusdem sacramenti initiantur. Vnde quò quisque istorum ordinum propinquiùs ad eandem eucharistiam accedit, eò præstantior est & sublimior. Quo fit, vt sacerdotum ordo, quorum munus est eucharistiam ipsam consecrare, sit omnium dignissimus. Quapropter dum ordinantur, tanquam materiam, accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane, vbi (vt forma ipsa significat) potestatem accipiunt consecrandi offerendique altaris sacrificium. Reliqui verò ordines hanc virtutem non attingunt; sed omnes sunt in ministeriū sacerdotis, cui cooperantur, instituti.

Diaconi, Leuitarum loco. Eorum autem ministeria aut sumuntur in ordine ad eandem eucharistiam, aut in ordine ad populum, qui ad ipsam apparatur. Prior ordo est tripertitus, in quo diaconi sunt supremi: quia sunt sacerdotis proximi cooperatores, & ideo tenent Leuitarum locum, qui antiquitus erant diuino cultui mancipati, ceu sacerdotum ministri. Ministrant enim ei in suis manibus, consecrandam materiam. Et in primitiua Ecclesia, quando mos vigebat ministrandi sanguinem populo, diaconus id exequebatur. Quapropter per antonomasiam dicuntur diaconi, id est, ministri: id enim Græcum nomen sonat. Ob idque Paul. 1. ad Timoth. 3. post mores episcoporum (quo nomine omnes presbyteros comprehendit) subdit, & quibus debent esse virtutibus diaconi imbuti: eò quòd tam prope ad sacra mysteria accedunt.

Per quid fiat ordinatio diaconorum. Scotus. Per quam tamen episcopi cæremoniam ordinatio eorum fiat, & characteris impressio, inter Doctores controuertitur. Scotus namque dist. præsenti, art. 2. ait, proprium actum diaconi non esse legere euangelium, neque subdiaconi legere epistolam. Vbi insinuat eius ordinationem non consistere in acceptione libri euangeliorum, neque illic imprimi characterem. Similiter Duran. ead. dist. q. 3. ait non imprimi characterem in traditione libri, sed cùm episcopus manum ei imponens ait, Accipe spiritum Sanctum ad robur, &c. eo quòd tunc ad ministerium applicatur, vt dist. 23. can. Diaconus. decernitur. Probatque id præterea; quia non est vsus vniuersalis Ecclesiæ tradere ei librum. Imò ait, in Ecclesia Anicienſi, cuius ipse fuit pontifex, non fuisse in more trādere diacono librum, sed ipsum illum statuisse. Ricardus verò ead. dist. art. 4. q. 3. contrarium censet: scilicet, in traditione libri imprimi characterem. Sed litem concilium Florentinum in instructione Armenorum diremit, affirmans, diaconatum per libri euangeliorum dationem conferri: ob idque tunc character imprimitur, & infunditur gratia. Idque adeo inde confirmatur, quod cap. Presbyter. de sacram. non iterand. manuum impositio asseritur non esse de essentia. Vnde episcopus, sicuti presbytero ait, Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis: ita ait diacono, Accipe potestatem legendi euangelium pro viuis & defunctis: quæ ideo est eius ordinationis forma, qua infunditur gratia, & character imprimitur, quod est indicium illum esse præcipuum eius actum.

Duranduſ. Richardus. Vera sent. ex conc. Flor.

Quòd autem in sua ordinatione diaconi admonentur, eorum officium esse baptizare & prædicare, in superioribus expositum reliquimus. Nam dist. 4. art. 1.

secundum

Quatenus diaconi permittantur baptizare & prædicare.

secundum S. Thom. 3. par. q. 67. ar. 1 ostendimus baptizare ex proprio officio non incumbere nisi sacerdotibus, vt can. Diaconos. dist. 93. ait Gelasius, & can. Constat de consecra dist. 4. Isidorus. Diacono enim (vt nomen eius sonat, & vt idem Isidorus can. Perlectis dist. 25. admonet) non incumbit nisi sacerdotibus assistere & ministrare. In primitiua autem Ecclesia, vbi raritas erat sacerdotum, ex commissione poterant baptizare, vt eod. can. Diaconos. habetur. Et fortasse cum reliqua catechismorum & exorcismorum solennitate. Et tunc quoque propter eandem ministrorum inopiam, permittebatur eis prædicare, vt Ambros. super 4. c. ad Ephes. autor est. Veruntamen ex officio, vt eodem loco ait S. Tho. non conuenit diacono nisi recitare euangelium, & per modum catechismi articulos fidei & decalogum exponere. Et ita intelligendus est Isidorus in dict. can. Perlectis. & Greg. in can. In sancta. dist. 92. officium prædicandi diacono tribuentes: nam ex officio prædicare docendo exponendoque euangelium, solis episcopis incumbit: quia prædicare est perficere, quod officium episcoporum est, vt Dionysius ca. 5. de eccle. hierar. author est, quod & nos latiùs distinctione 1 quæstione 5. articulo quinto, commonstrauimus. Quare neque sacerdotibus hoc conuenit ex officio. Ob idque in eorum ordinatione hoc illis munus non adscribitur. Vnde euidens est argumentū multò minus debere diaconibus attribui: sed solùm catechizare sine solennitate concionis. Et ideo. 16. q. 1. can. Adijcimus. prohibentur alij prædicare quàm presbyteri. Nam plebanis in sua parœcia id conceditur, atque alijs etiam committi potest. Quinuerò & diacones, si sint idonei, facultate suorum prælatorum possunt id muneris quandoque etiam solenniter exercere.

Subdiaconi loco Nathinæorum.

Post diaconum est subdiaconus, Græcè hypodiaconus, hoc est, subminister, quia est minister diaconi: offert enim ei nomine populi materiam consecrandam, quam diaconus de manu eius accipiens porrigit sacerdoti. Quapropter, vt ait Hugo subdiaconi sunt sicut in veteri lege Nathinæi, qui, vt legitur lib. 1. Esdræ cap. 2. & lib. 3 cap. 8. erant Leuitarum ministri ducenti viginti. Quocirca eis traditur calix vacuus cum patena superposita, & per archidiaconum traduntur subinde vrceoli cum vino & aqua, ac bacile cum manutergio: nam ipsius munus est lotionem manuum presbyteri habere paratam, vinumque & aquam calici infundere.

In quo consistat eorum ordinatio.

Hærere tamen hic dubius quispiam posset, vtrùm in illa calicis & patenæ traditione, an verò in traditione libri epistolarum subdiaconi ordinatio consistat, per quam & character imprimatur. Nam si exemplum à diacono duxeris, per traditionem libri epistolarum eadem fieri videtur ordinatio: similiter enim tunc dicit episcopus. Accipe librum epistolarum, & habeto potestatem legendi, &c. Atque idem de lectoribus & exorcistis dicturi sumus. At verò D. Tho. dist. 25. q. 1. ad 2. ait subdiaconum characterem non suscipere nisi dum calicem cum patena recipit. Atque eiusdem sententiæ author est loco citato Richardus, & Palud. distinct. præsenti, & omnes sanè docentes. Nam eodem Florentino concilio sic definitum est. Et ideo ad argumentum oppositum respondetur, quòd quemadmodum ordinatio presbyteri in traditione materiæ consecrandæ consistit: ita & ordinatio cuiusq; ministri in actu eius principali. Est autem ille principalis, qui ministerio eucharistiæ propinquiùs accedit: propinquiùs autem ei ministrat subdiaconus, cùm materiam consecrandam diacono porrigit. Diacono vero non potuit similis materia in eius ordinatione tradi: nam cùm presbytero calix cum vino & patena cum hostia tradatur, subdiacono verò eadem vasa vacua, modus non restabat medius, quo posset tradi diacono. Quam ob causam & propter euangeliorum dignitatem per eorum traditionem suscipitur diaconatus.

S. Thomæ sententia.

Conc. Flor.

Ordinatio acolythi.

Tertio loco ordinatur acolytus, seu acoluthus: nam vtrumque nomen rei congruit. Acolytus namque Græcè idem est, quod non prohibitus, id est, qui à sacris non cohibetur, sed permittitur ignem aut quid aliud ministrare. Acoluthus verò idem quod famulus & ministrans, vti est pedisequa: nam licet cum cereo antecedat presbytero prodeunti ad altare; ministrat nihilominus postmodum subdiacono, cui debet ampullas cum vino & aqua offerre. Et ideo quamuis primò acoluthis tradantur cerei, quia sunt etiam ceroferarij, quasi lumen fidei ad illuminandam plebem deferentes, postmodum tamen traduntur vrceoli vacui. Et in illa traditione cum illa forma (Accipe vrceolum ad suggerendum vinum & aquam in eucharistiam sanguinis Christi) consistit eorum ordinatio. Et viguit olim vsus, vt archidiaconus tam subdiacono quam diacono materiam præberet, & episcopus proferret formam, vt loco citato dist. 25. ait S. Th. Iam verò in Pontificali Romano scriptum est, vt episcopus illam tradat.

Alij verò tres ordines sumuntur ex ordine ad populum, quem ad eucharistiam præparant. Hæc autem præparatio est immundorum emundatio, vt eucharistiæ suscipiendæ idonei fiant. Est autem immundorum, vt Dionysius loco citato edocet, triplex ordo, infimus, scilicet infidelium credere renuentium, qui ideo omnino sunt à sacris cohibendi: quod quidem munus ostiarijs conuenit, quorum ordo infimus omnium est. Tamen si, vt ait loco citato Hugo lib. 2. par. 3. cap. 6. hoc officium Dominus in sua persona susceperit, quando flagello ex funiculis facto ementes & vendentes de templo eiecit. Marci 11. Ad quos ideo ostiarios spectat cymbalum ad conuocandum populum pulsare, & aperire Ecclesiam, cohibereque infideles, ne ad sacra irridenda ingrediantur. Et ideo traditur eis cymbalum cum clauibus.

Ostiarij officium.

Secundum immundorum genus, est eorum qui fidem vtique suscipere annuunt, sed nondum sunt satis instructi, vt catechumeni; quorum emundatio & instructio officium est lectoratus: nempe prima fidei rudimenta eos docere, præsertim aliquid ex veteri testamento, quod est velut inductio ad legem nouam. Quod quidem munus Dominus vsurpasse videtur, vt illic etiam adnotauit Hugo, quando in medio seniorū librū Esaię aperiens distinctè ad intelligendū legit. Luc. 4. Quapropter lectoribus, etiam si non sint subdiaconi, ex officio competit cantare in Ecclesia prophetias & lectiones, quæ canuntur in hebdomada sancta, & maximè in sabbato. Quare non est necesse vt qui illas canunt sint dalmaticis induti, sed satis eis sunt superpellicia. Quod si quis arguat, psalmistarum eadem ratione debere institui diuersum ordinem; negatur consequentia. Psalmi enim pars sunt veteris testamenti: quare psalmistatus non addit rem, sed modum: scilicet psallere, quod est canere. Lectorum igitur ordinatio consistit in traditione lectionarij, & illa forma, Accipite, & estote verbi Dei relatores.

Lectoris officium.

Psalmista.

Tertium denique genus immundorum, est eorum, qui quamuis fidem susceperint; sunt tamen energumeni, hoc est, à dæmonib. obsessi, quos exorcistæ, eosdem dæmones pellendo, emundant; quibus traditur liber, quo scripti sunt exorcismi sub illa forma, Accipite, & habete potestatem imponendi manum super energumenos. Quod quidem beneficium contulit Christus, vt Marci 7. legitur, quando saliua sua tetigit aures surdi & muti, dicens, Epheta, quod est, aperire. Et quando de Magdalena septem eiecit dæmonia. Est enim officium exorcistæ dæmones pellere, ne aures obstruant baptizando, ne audiat fidem, néve linguam alligent ad eandem confitendam. Omnes ergo à minimo connumerando sunt, ostiarius, lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, & presbyter.

Exorcistæ officium.

Ad primum igitur argumentum negatur consequentia: quoniam reliqua sacramenta non sunt instituta, nisi ad recipiendum vnicum effectum sacramenti, hoc autem est collatiuum potestatum ad agendum: & ideo quia sunt diuersæ potestates ministeriales, scilicet legendi Apostolicam doctrinam, vel euangelicam, vel consecrandi; sunt diuersi ordines.

Ad argum. in oppos. Ad 1.

Secundum argumentum præsupponit difficultatis examen, vtrùm singuli ordinum sint sacramenta. De qua art. proximo. Interim tamen supposita, disputationis gratia, parte affirmatiua, saltem quantum ad tres ordines maiores; respondetur prædictam diuisionem ordinum non esse in partes integrales sicut diuiditur sacramentum Eucharistiæ in consecrationem panis & sanguinis, quæ sunt duæ partes integrales eiusdem coniuiij, & ideo neutra per se est totum sacramentum, sed ambo simul; sicuti nulla pars hominis, sed omnes simul, sunt homo. In præsentiarum namque non solùm, omnes simul, verùm & sacerdotium ipsum est sacramentum, & diaconatus, & subdiaconatus. At neque est diuisio generis in species: nam tunc, vt argumentum concludit, omnes simul ordines essent plura simpliciter sacramenta. Sed est, inquit, S. Thom. diuisio totius potestatiui in suas partes, cuius nonn ullum exem-

Ad 2. Qualis sit diuisio ordinum.

Responsio S. Thomæ.

plum

plum lucet in anima & eius potentijs, scilicet intellectu & voluntate: quæ quidem potentiæ dicuntur quodammodo partes animæ, quamuis sint eius accidentia propria. Natura autem huiusmodi diuisionis est, quòd totum secundum completam rationem sit in vno, tamen participatiuè in reliquis: sicut tota virtus secundum essentiam est in animo, cuius potentiæ sunt participes Eodem enim modo tota ratio sacramenti ordinis est in sacerdotio; in reliquis verò ordinibus est quædam participatio, quatenus ad ipsum omnes referuntur. Atque hac ratione non dicuntur simpliciter plura sacramenta, sicut si esset diuisio generis in species, sed omnes sunt vnum, non tanquàm partes integrales, vt in sacramento eucharistiæ, sed quia reliqui sunt supremi sacerdotij participationes.

Soluitur obiectio Durand.

Ex hac autem sententia S. Thom. Durandus dist. præsenti quæst. 2. colligit contra ipsum, reliquos ordines præter sacerdotium, non esse sacramenta, sed sacramentalia quædam: sicut exorcismi sunt dispositiones quædam ad baptismum, atque adeò per illa nullam conferri gratiam. Sed certè illatio nulla est, vt art. proximo videbimus. Imò verò ex hoc quòd ratio sacerdotij participatur ab alijs, colligitur, quòd quidpiam gratiæ in illis conferatur, saltem in diaconatu & subdiaconatu, vt latiùs illic commonstrabimus.

Ad 3.

Ad tertium respondetur, quòd Dionysius non loquebatur illic de ordinibus secundum quod sunt sacramenta, sed secundùm quod ad hierarchicas actiones attinent. Et ideo omnes tres actiones attribuit episcopo, licet episcopatus non sit sacramentum. Nam solus ipse chrismate in confirmatione vtitur, & ordines confert, ad significandum gratiæ copiam, quod est perficere. Illuminare verò & purgare adscribit sacerdotibus, qui per administrationem baptismi illuminant: nam vnus effectus gratiæ baptismalis est illuminare lumine fidei: & per gratiam pœnitentiæ & extremæ vnctionis purgant animam, ac demum per eucharistiam pascunt. Id autem, quod est purgare tantùm, adscribit diaconis, quia eis ex officio non incumbit sacramenta administrare, sed populum ad eucharistiã disponere, quod est quoddam purgationis genus. Sed tamen nomine diaconi, hoc est, ministri, omnes inferiores intelligit.

Sacerdotibus aliter conuenit populum ad eucharistiam disponere: aliter clericis inferiorum ordinum.

Et per hoc soluitur aliud argumentum, quod est huiusmodi. Diuersorum ordinũ diuersa debent esse officia: sacerdotibus autem competit populum ad eucharistiam per sacramentum pœnitentiæ disponere, eum scilicet emundando: ergo præter hoc officium non opus erat alios inferiores ministros ad disponendum populum adhibere. Respondetur, quòd populum emundare & disponere contingit dupliciter. Vno modo dispositione remota, vt in minoribus ordinibus explicatũ est. Et pariter diaconus & subdiaconus plebem disponunt & præparant legendo illi doctrinam euangelicam & apostolicam. Sed alia est dispositio & emundatio proxima, qua quis sit idoneus ad suscipiendam illico eucharistiam, quæ est remissio peccatorum. Et hæc per sacramentorum gratiam baptismi & pœnitentiæ incumbit sacerdotibus; quibus competit eucharistiam consecrare & ministrare: nam & in rerum natura, eidem agenti, cui conuenit principalem formam ingenerare, subinde congruit & proximam dispositionem inducere.

Ad 4.

Ad quartum denique respondetur, quòd ordinum hierarchiæ in angelis sumuntur secundùm diuersam eorum naturam; in hominibus verò non nisi secundùm ministeria gratiæ, quæ est vnam consecrationem corporis & sanguinis Christi referuntur: & ideo non opus est vtrobique parem esse numerum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm omnes ordines sint verè sacramenta, quæ gratiam conferant, & characterem imprimant.

Pars 1. Arg. 1.

ORDINVM distinctione præuisa duplex eorum effectus subsequitur explorandus. Arguitur ergo quòd ordinis effectus non sit gratia gratum faciens. Etenim si ordinatio gratiam conferret; maximè vt ordinatus ad ordinum executionem idoneus fieret: sed nemo ad suscipiendos ordines est admittendus antequam eandem probitatem & idoneitatem habere censeatur, quæ quidem probitas non nisi per gratiam obtinetur: ergo illa gratia non confertur per sacramentum ordinis, alioqui causa suum præsupponeret effectũ.

2.

Secundò arguitur, quòd non omnis ordo imprimat characterem. Character non imprimitur, nisi vt homo idoneus fiat ad sacramenta vel suscipienda, vel conferenda: per characterem autem baptismalem homo fit porens suscipiendi omnia sacramenta, & per characterem sacerdotalem fit idoneus ad omnia conferendum: ergo per reliquos ordines nullus imprimitur.

3.

Tertiò. Si sacramentum ordinis characterem imprimeret; sequeretur, quòd præsupponeret sacramentum baptismi: quia qui non est Christianus, nullius est sacramenti capax: consequens tamen inde apparet falsum, quòd alias, si quis non baptizatus, licet bona fide crederet esse baptizatum, ordinibus initiaretur: nullum characterem susciperet, atque adeò quicquid in executione ordinum, vel consecrando, vel absoluendo attentaret, cassum esset & vanum: quòd quidem graue periculum & nocumentum afferret Ecclesiæ.

Sed contra. † a. 1. huius, cond. 2.

In contrarium tamen est, quòd ordo, vt dictum est † censeatur sacramentum: & omnium sacramentorum proprium est gratiam conferre: atqui cum omnia sacramenta, quæ characterem non imprimunt sint iterabilia, si hoc characterem non imprimeret; esset iterabile, quod est falsum.

Decisio art.

Huic quæstioni tres aliæ connectuntur, vt sint numero quatuor: scilicet, vtrùm omnis ordo sit iure diuino sacramentum à Christo institutum, gratiam conferens, & characterem imprimens. Omne enim sacramentum iure diuino, ac perinde ex Christi institutione, id habet, qui solus potuit sacramenta instituere. Atque adeò si est sacramentum, gratiam confert: & si est sacramentum ordinis, characterem imprimit.

1. Concl. Ordo sacerdotalis est sacramentum.

Ad quæstionem ergo octo conclusionibus respondetur. Atqui vt à primo omnium fundamento exordiamur, quod citra vllam controuersiam catholicis omnibus est in confesso, prima sit. Ordo sacerdotalis est sacramentum. Enimuerò cum omnes fateantur ordinem esse sacramentum, & sacerdotalis sit omnium caput & finis, quò omnia referuntur; certum est illum esse propriè & potissimum sacramentum, cui maximè definitio suprà posita adaptatur. Est enim signum rei sacræ: nempe spiritualis diuinæque potestatis, in quo sacerdos constituitur ad conficiendum corpus Christi verum, qui quidem effectus, opus est supranaturale.

2. Conc. Idem est iuxta dicenda.

Hinc continuò consequitur secunda conclusio. Sacerdotium est de iure diuino, atq; adeò institutione Christi constabilitum, quippe qui solus potuit sacramenta instituere. Instituit autem ipsum quantum ad potestatem consecrandi in cœna, vbi tradens proprium corpus & sanguinem consecratum, subiunxit, Hæc facite in meam commemorationem. Potestatem autem priori annexam remittendi peccata tradidit Ioan. vlti. dicens, Accipite Spiritum sanctũ. Quorum remiseritis peccata, &c. quæ omnia copiosiùs dist. 20. † exposita sũt.

† q. 1 in. à.

3. Concl. Item in eo confertur gratia.

Subsequitur deinde conclusio tertia: nempe, quod per sacramentum sacerdotalis ordinis confertur gratia gratum faciens. Etenim cùm Dei opera, vt Deutero 32. legitur, perfecta sint, cuicunque potentiam tribuit ad aliquid agendum, auxilium subinde speciale fert, vt dignè huiusmodi potestatis munus exequatur. Nam in naturalibus, quibus natura dat potentiam, dat & membra, quæ ad eius vsum sunt necessaria. Animalibus namque, quibus potentias tribuit sensitiuas, consequentia membra & organa accommodat necessaria. At verò sicut ad dignè & rectè suscipiendum sacramenta requiritur gratia: ita & ad eadem dispensanda: ergo sicut per baptismum confertur gratia ad dignè reliqua sacramenta suscipiendum: ita per sacramentum sacerdotalis ordinis infunditur gratia gratum faciens ad sacramenta administranda.

4. Concl. Et imprimitur charact. † a. 2.

Ex his denique colligitur quarta conclusio: videlicet, quòd per idem ipsum sacramentum imprimitur character. Enimuerò vt distinct. 1. quæst. 4. † dictum est, character nihil aliud est, quàm potestas protestandi fidem per susceptionem vel collationem sacramentorum: cùm ergo hoc sacramentum sit signaculum potestatis supranaturalis conficiendi Eucharistiam, aliaque sacramenta dispensandi, fit vt per ipsum imprimatur character, qui signum eiusdem potestatis est: quin verò ipsa potestas, per quem ideo ordinati à reliquo vulgo Christiano præeminenter secernuntur. Et confirmatur conclusio authoritate concilij Florentini, vbi decernitur tria sacramenta characterem imprimere, quorum vnum est hoc.

Conc. Florent.

Quòd si scisciando arguas. Nonne satis esset gratia

ad sacer-

Non sufficit gratia sine charactere ad functionē sacerdotalem.

ad sacerdotalem functionem absque charactere? Respondetur, non satis esse: nam in naturalibus priùs consideratur potentia nuda, quæ est animæ coæua, vt intellectus, & voluntas, & deinde accidentariè adhibentur ei habitus ad ritè & rectè operandum. Pari ergo modo character est potestas ad operandum simpliciter, siue bene, siue male: nam sacerdos extra gratiam verè consecrat, & vera sacramenta administrat: sed gratia facit, vt sit administratio idonea.

5. Concl. De puncto, quo gratia infunditur & character imprimitur.

Quinta conclusio. Eodem puncto, quo infunditur gratia, imprimitur character, & quo imprimitur character, infunditur gratia, nisi obex opponatur. Momentum autem illud est, quando sacramentum perficitur: perficitur autem quando materia & forma applicantur: videlicet, vbi episcopus calicem tradens & hostiam, ait, Accipite potestatem consecrandi, &c Quapropter illo momento, vti ait S. Thom. distincti. præsenti quæst. 2 artic. 3. & doctorum cœtus, vterque subsequitur effectus. Ex quò fit, vt vnctiones, quæ oleo fiunt in manibus & capite, non sint sacramentum, sed sacramentalia quædam: quare per illas nec gratia confertur, nec character imprimitur. Ridiculum enim esset dicere characterem sacerdotalem in manibus, vel in capite, dum consecrantur, imprimi: est enim in intellectu, vt dist. 1. q. 4. monstrauimus, vbi est fides, ad cuius protestationem imprimitur.

Vnctiones sunt Sacramentalia tantum.

1. Obiectio.

Argumentum autem nec parum molestum contra hanc conclusionem est, quòd apparet impositionem manuum cum illis verbis, Accipe potestatem remittendi peccata, ad formam, tanquam eius partem pertinere: quoniam character ordinis duplex est potestas: scilicet consecrandi, & remittendi peccata, quarum prior exprimitur in traditione calicis & hostiæ: posterior verò in manuum impositione: quocirca apparet illuc vsque nec gratiam infundi, nec characterem imprimi. Et confirmatur, quia Christus, vt modò dicebamus, diuersis temporibus has duas potestates apostolis impartitus est. Et accedit præterea argumentum potissimum, quòd tempore apostolorum non legitur forma alia consecrandi sacerdotes, quàm per manuum impositionem. Vnde Paulus 1. ad Timoth. 4. Noli, inquit, negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et cap. 5. Manus citò nemini imposueris. Et in epistola. 2. cap. 1. Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

2. Obiectio.

Argumenta sunt minimè infirma: imò non desunt, quos in talem sententiam cogant: scilicet, quòd vsque ad manuum impositionem non perficitur sacramentū. Quinetiam nec S. Thom. loco proximè citato sententiam suam satis declarat. Arguit enim, quod non imprimitur character vsque ad manuum impositionem: propterea quod tunc dedit Christus apostolis sacerdotalem, potestatem, dum dixit, Accipite Spiritum sanctum, &c. Et respondet nihil aliud, quàm quòd Christus dedit illam potestatem quantum ad principalem actum, scilicet consecrandi in cœna: & quantum ad secundarium, videlicet remittendi peccata. Ioan. 20. Et inferius distin. proxima quæst 1. artic. 1. ad primū argumentum, ait, quod in impositione manuum non datur character sacerdotalis ordinis, sed gratia, qua ad exequendum ordinem sint idonei.

Probatur sacram. perfici in traditione calicis atq; adeo gratiam tuc & characterē imprimi.

At verò his non obstantibus respondetur sacramentum perfici in traditione calicis & hostiæ cum forma tradendi potestatem consecrandi, atque adeò & illic charactere sacerdotem insigniri, & gratia donari. Primùm, quia hæc est opinio communis, à qua non est temerè recedendum. Secundò, quia Florentina Synodus has duntaxat esse decernit materiam & formam, nulla alius formæ mentione facta. Idemque hic prorsus S. Thomas docet. Tertiò, quia characteri sacerdotali annexa est indiuiduaq; potestas remittendi peccata si adsit iurisdictio: cùm ergo tunc homo fiat sacerdos cum ei traditur potestas consecrandi corpus Christi verum & sanguinem, illic imprimitur character, qui est consecrandi potestas, ac subinde remittendi peccata. Alioqui dicendum esset, aut quòd potestas consecrandi non conceditur vsque ad manuum impositionem, quòd est contra veritatem formæ, Accipe potestatem offerendi, &c. quæ pro eodem instanti debet esse vera: aut quòd prius imprimitur character vnus ad consecrandum, & postea alter ad remittendum peccata, quod esset ad euitandam Charybdim, in Scyllam incidere. Est enim præter omnium opinionem duos characteres ad illas duas facultates fingere. Scio posse quempiam opinari characterem priùs impressum applicari extendiq; post ad munus absoluendi, sicuti sacerdotalem characterem dicturi sumus extendi, dū consecratur episcopus, ad conferenda sacramenta confirmationis & ordinis. Attamen similitudo non est legitima: quoniam episcopus suscipit potestatem illa conferendi sacramenta, quam non habebat dum erat simplex sacerdos: quod impræsentiarum dici non potest de potestate absoluendi. Alioqui fieret consequens, quod si tradita priori consecrandi potestate moreretur episcopus, nec esset alius qui posset manus postmodum imponere, ordinatus ille non esset simpliciter sacerdos, atque adeò neque (quamuis haberet iurisdictionem) posset subditos à peccatis absoluere. Paluda. distinct. 25. quæst. 1. concedit, quod posset absoluere ex commissione, non tamen ex propria potestate. Sed nescio quo fundamento hoc possit fulciri: nam certè si non habet potestatem ordinis ad absoluendum, per nullam commissionem id posset facere. Adde quòd vt cap. Presbyter. de sacrament. non iterān. definitur, manuum impositio non est de essentia sacramenti, sicuti neque in subdiacono: quare licet omittatur, non est iterandum sacramentum, sed postmodum illa cæremonia supplēda. Atqui D. Tho. hanc impræsentiarum insinuat sententiam. Dicens enim quòd Christus in cœna tradidit potestatem sacerdotalem quoad principalem actum, sensit, quòd tunc qui ordinatur simpliciter fit sacerdos, atque adeò vtramque potestatem suscipit. Nam vt postremum adhibeamus argumentum, Christus per potestatis excellentiam potuit illas facultates diuisim apostolis tradere, quod re vera eius ministris episcopis non est concessum. Quòd autem D Thom. ait, prius characterem imprimi, & postmodum gratiam conferri, intelligere non valeo. Neq; suspicor, quòd in summa si huc usque peruenisset, illud affirmasset: nam gratia non infunditur sacramentalis, nisi dum applicatur materia & forma sacramenti, vbi character imprimitur. Præsertim quòd tam est necessaria ad idoneè consecrandum, quàm ad dignè absoluendum. Quòd si quis dixerit, in traditione materiæ consecrandæ conferri vnum gradum gratiæ, & in impositione alterum, (vt quidam de sumptione corporis & de sumptione sanguinis opinantur) redarguitur primò illam opinionem de gratia in sumptione sanguinis non esse tam probabilem, quàm quòd vnus tantum, idemque in sumptione corporis conferatur. Et secundò non esse simile: quoniam sumptio sanguinis verè est sacramentum, esseque adeo quamuis sumptio corporis non præcessisset: & tamen impositio manuum nullū est per se sacramentum. Adde quod similiter imposita manu diacono ait episcopus, Accipe Spiritum sanctum, &c. & tamen illic nemo censet infundi gratiam.

Charact. non creditur in impos. manuum ad munus absoluendi.

Manuum impositio nō est de essētia.

Neq; alterū gradum gratiæ conferri.

Ad argumentum ergo supra factum respondetur, quod per manuum impositionem, & illam formam, Accipe potestatem remittendi peccata, nulla traditur noua potestas, sed explicatur illa, quæ prius collata fuerat. Nam quia simul non potuit decenter vtraque forma coniungi, & decebat Christi verba referre, institutū est, vt seorsum proferrentur. Sed tamen secunda forma referenda est ad illud momentum, quo prima fuerat prolata. Neque verò ad essentiā sacramenti necessaria est, sed tamen est de necessitate præcepti.

Solut. obiect. contra 5. concl.

Solut. 2. obiect.

Ad aliud, quo argutum est, apostolos per manum impositionem ordinasse presbyteros, respondetur, quòd licet certum sit manuum impositione fuisse vsos, non solum in ordinatione presbyterorum, verùm & diaconorum, tamen neque ambigere licet, quin formam, qua ecclesia vtitur, per traditionem eorundem apostolorum didicerit, qui à Christo eandem edocti fuere. Quapropter illa manuum impositiō non erat sacramentum, sed sacramentale quoddam, sicut & hæc, quæ modò Ecclesiæ in more est, vt ait impræsentiarum S. Thom. Simile enim argumentum fit de confirmatione: nam & tunc, vt Actuum 8. & 19. legitur, manus apostoli imponebant, & tamen sacramenti materia non est nisi chrismatio.

Manuum impositio est de præcepto non de essentia Sacram.

Hinc fit, solam traditionem calicis & hostiæ esse de essentia sacramenti: impositio verò manuum episcopi, & vnctio manuum sacerdotis non sunt de essentia, sed de præcepto. Et ideò licet absque illis imprimeretur character, nihilominus si omittantur, supplenda sunt postmodum. Esset enim, vt ait Siluest. verb. Irregularitas q. 12. peccatum mortale ministrare

Digitized by Google

in ordine susceptо antequam illud suppleretur, quamuis non inde contraheretur irregularitas. Intelligitur autem quando illud omissum res est præcipua, vt impositio manuum & vnctio, vt cap. 1. & fi. de sacrament. non iteran. secus si esset res parui momenti. vt si quis forsan canonem cum episcopo non legerit, licet peccauerit, non tamen necessarium est suppleri: quia neque est res magni momenti, neque episcopus illud omisit, sed ordinatus.

An omnes ordines sint sacramenta

His de sacerdotio constitutis dubium de alijs ordinibus emergit, an omnes sint verè sacramenta. Vbi septem ordines in tres gradus distinguere oportet, quorum primus sit sacerdotium, & in secundo collocentur diaconatus & subdiaconatus, qui sunt etiam ordines sacri: & in tertio quatuor minores, qui non censentur pari ratione sacri. Vnde vt D. Thom. dist. præsen. q. 1. art. 2. refert, tres fuerunt opiniones. Vna scilicet quorundam, qui dixerunt in solo sacerdotio characterem imprimi, atque adeò solum esse propriè sacramentum ordinis. Atque hanc opinionem, ceu probabiliorem sustinet Durandus ead. dist. quæst. 2. Sed alij dixerunt omnes, solosque tres ordines sacros imprimere characterem, ac perinde esse sacramenta. Quorum opinio veritati propiùs accedit. Tertij dixerunt omnes septem ordines verè esse sacramenta, characterem imprimentia. Et hæc fuisse videtur sententia in hac distinct. Magistri sententiarum, quàm proinde plerique eius interpretes complexi sunt, vt S. Thom. D. Bonauentura, Ricardus, & complures alij. Quamuis Magister pugnantia dixisse videatur, dicens, quòd subdiaconatum & reliquos ordines post tempora apostolorum Ecclesia instituit: & tamen quod omnes conferunt gratiam, vt vera sacramenta, & characterem imprimunt: nam Ecclesia non potest instituere sacramentum.

Prima opinio.

Secunda opinio.

Tertia opinio.

Primum argumentum Durandi pro 1. opinion.

Atqui rationes Durandi adeò profectò non sunt despicabiles, vt plurimum habere videantur energiæ. Arguit enim sic primò. Quando plures actiones ad vnum referuntur spiritualem effectum, quarum non nisi vna eundem effectum attingit, reliquæ non videntur sacramenta, sed sacramentalia: nam sacramenta ab spirituali supranaturaliquе effectu rationem sacramenti sortiuntur. Exemplum est in baptismo, vbi catechismi & exorcismi ad deletionem peccati referuntur: sed quia illum effectum solus baptismus attingit, reliquæ actiones non sunt sacramenta, sed sacramentalia quædam. Ordines autem omnes gratia Eucharistiæ consecrandæ & remittendi peccata instituti sunt: cùm ergo illos spirituales effectus solus sacerdotalis ordo attingat, fit

2. consequens, vt reliqui non sint sacramenta. Secundò Sacramenta, & potissimum quæ characterem imprimunt, non sunt instituta nisi ad aliquem supranaturalem effectum vel conferendum vel suscipiendum, vt in baptismo imprimitur character ad reliqua sacramenta suscipienda, & in ordine ad conferenda: sed per solum ordinem sacerdotalem tribuitur potestas conferendi sacramenta: nam diaconus, qui est aliorum ministrorum supremus, non habet ex officio sacramenta consecrare vel administrare: ergo ad functiones ministrorum sub sacerdote nullo opus est sacramento, quo ministri gratiam & characterem suscipiant, tanquam supranaturalem potestatem suscipientes. Porrò argumentum non est parum vrgens. Tertiò.

3. Per sacramenta accipitur potestas ad simpliciter aliquid suscipiendum vel administrandum: itaque sine illa potestate si illud attentaretur suscipi vel administrari, totum esset cassum & irritum: etenim per baptismum sic accipitur potestas suscipiendi alia sacramenta, vt si quis ante ipsum aliqua attentaret suscipere, nihil susciperet: & per sacerdotium sic fit consecrandi facultas, vt si absque illo quis consecrare præsumeret, nihil faceret: sed tamen ordines inferiores non sunt huiusmodi: nam diaconus per suum ordinem solùm accipit potestatem ritè legendi Euangelium, non tamen simpliciter legendi: nam si quis sine susceptо diaconatus ordine illud solenniter caneret, quanquam

4. peccaret, nihilominus vera esset lectio. Et quartò, vt suprà diximus, accedit argumentum, quòd ex concessione S. Thomæ sumitur, vbi ait, quòd sacramentum ordinis secundùm completam rationem est in sacerdotio, in alijs autem est quædam participatio ipsius. Vnde collectio fieri videtur, non opus esse tot characteribus.

5. Præterea, vt eidem opinioni nos quoque patrocinemur, arguitur sic. Si aliquis ordinum sub sacerdotio esset sacramentum, maximè diaconatus, propterea quòd in actis apostolorum & apud Paulum mentio fit crebrò huius ordinis: attamen hoc non inde satis colligitur: nam diaconi nomen nihil aliud sonat, quàm ministrum, & tempore Apostolorum apparet diaconos non fuisse nisi pauperum ministerio addictos, iuxta illud Actuum 6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis: quare constituti sunt septem viri boni testimonij, qui illi sunt muneri mancipati, quorum Stephanus fuit primicerius. Atque his accedit maximè argumentum, quòd materia & forma in ordinandis diaconibus & subdiaconibus per traditionem libri non videtur à Christo instituta, nec tempore apostolorum in more fuisse, sed sola manuum impositio, vt apparet Actuum 6. quia tunc non erant libri euangeliorum, aut epistolarum.

6.

Re vera qui opinionem Durandi sustinere vellet, non esset magna reprehensione dignus. Nihilominus non est tam facile à communi antiquorum opinione deflectendum: esset enim nonnulla temeritatis nota. Ob idque subiungitur sexta conclusio. Diaconatus & subdiaconatus sunt verè iure diuino sacramenta, characteris subinde & gratiæ efficacia. Probatur, de diacono primum, antiquissimi authoritate Dionysij, qui de diaconibus ceu de altaris ministris identidem meminit. Et, quod vrgentius mouet, Paul. 1. ad Timot. 3. depicta suis moribus episcoporum imagine (quo nomine omnes presbyteros comprehendit) de diaconibus extemplò subiungit dicens, Diaconos similiter oportet esse pudicos, non bilingues, non vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes ministerium fidei in conscientia pura: vbi illos ceu altaris ministros egregijs virtutibus præditos requirit. Ex quo subsequitur, quod verò sacramento initiari debent, vbi gratia ad id muneris perfundantur, ac subinde characterе exornentur. Id quòd præcipue Actuum. 6. confirmatur: nam apostoli septem illis diaconibus in suo conspectu constitutis orantes manus imposuerunt, quod erat sacramenti signum. Quare ad munus altaris instituti sunt. Atque inde in more habet Ecclesia manus imponere diaconis, & non hypodiaconis.

6. Concl. Diacon. & subd. sunt vere sacramenta.

Et quamuis de subdiaconibus non adeò habeatur in antiquis memoria expressa, tamen nomine diaconorum re vera intelliguntur: tum quia vt ait D. Thom. cum in primitiua Ecclesia non esset tanta ministrorum copia, diaconi persæpe & Euangelium & epistolas legebant, vt modò crebrò propter inopiam fieri assolet: tum etiam, quòd cùm diaconus idem sit quod minister, nominis amplitudine intelligitur & subdiaconus. Accedit Ecclesiæ authoritas & vsus, quæ subdiaconatum connumerat inter ordines sacros, quos ad recitanda soluendaque diuina officia compellit, qui ceu ministri adeò altari mancipantur, & (quod vehementer urget) à laicorum statu separantur, vt sint matrimonio contrahendo prohibiti: & ideo Dalmatica & manipulo vtuntur.

Septima conclusio. Reliquos quatuor ordines minores absque erroris periculo sustineri potest non esse propriè sacramenta, quibus vel gratia infundatur, vel imprimatur character. Hanc opinionem insinuat Magist. Sentent. dicens, hos ordines fuisse institutos ab Ecclesia. Quin verò de subdiaconatu idem censere videtur. Quam subinde opinionem Caieranus in illa quæstio. de ritu suscipiendi ordines, in additio. ad 3. partem approbat. De subdiaconatu verò, vt modò ostendebamus, alia est ratio. Sed de alijs quatuor ordinibus minoribus probatur conclusio: quoniam de illis in Ecclesiæ primordijs non ità expressè reperitur mentio facta, neque illi ministri eis officijs dedicantur, quæ ad dignitatem consecrandi Euchāristiam attinent, sed ad disponendum populum. Atque adeò licet in peccato vsum suorum ordinum exerceant, nullatenus peccare censentur: quare neque opus est, vt gratiam ad id muneris suscipiant, ac perinde nec characterem. Quod inde præsertim confirmatur, quod à seculari cœtu non eatenus abdicantur, quin absque vlla dispensatione possint matrimonia contrahere. Et quòd vrgentissimè mouet, ad nullas obligantur horas recitandas, vt subdiaconi, neque verò ad canticum graduum, quod nonnulli absque vllo fundamento fingunt. Neque arbitror profectò, quòd si D. Thom. ad hunc locum in summa perueniisset, in contraria perstitisset opinione, quam in Quarto, vulgus secutus, tenuit. Et confirmatur per id conclusio, quòd subdiaconatus, & ordines superiores

7. Concl. Minores ordines non esse sacram.

Ratio.

Digitized by Google

dicuntur sacri, inferiores verò non sacri: nam etsi S. Th. respondeat omnes secundùm se esse sacros, quia omnia sunt sacramenta; sed superiores dici sacros ratione materiæ sactæ, circa quam exercentur: gratior tamen solutio est, quod superiores dicuntur sacri, quia verè sunt sacramenta, reliqui verò non nisi sacramentalia quædam. Atque hac de causa, vt inferiùs visuri sumus, simplex presbyter potest ex commissione minores ordines conferre, non tamen maiores.

Sol. argu. Bonauenturæ.

Et per hoc soluitur argumentum Bonauenturæ, quo sic arguit. Illi ordines minores non sunt iterabiles: ergo imprimunt characterem. Consequentia quippe hæc nulla est, sed si sic argueretur. Sacramentum hoc non est iterabile: ergo imprimit characterem. Concedimus namque illos quidem esse verè ordines, non tamen propriè sacramenta ordinis, sed sacramentalia ad sacramentum disponentia: & ideo non sunt iterabiles, non quia sacramenta sunt, sed quia per quandam consecrationem celebrantur, vt consecrationes altaris, & vasorum, ac ornamentorum, quæ eidem sunt deputata.

Ordines minores quare non iterabiles.

Arguim. Paludani soluitur

Et eodem modo soluuntur argumenta Paludani asseuerantis omnes istos ordines esse verè sacramenta. Arguit enim contra Durandum, quod si non essent sacramenta, sed sacramentalia, non deberent diuersis temporibus conferri, sed simul omnia cum presbyteratu, sicut exorcismi & catechismi in baptismo. Item sequeretur, quod si quando presbyter ordinatur, error contingeret, vt sacramentum esset nullum, postmodum quando iteraretur, deberent iterari omnia. Respondetur, inquam, eiusmodi ordines non esse sacramentalia instar omnino exorcismorum & catechismorum, sed sunt consecrationes & dedicationes ministrorum ad aliqua officia, quare & longè ante presbyteratum conferri possunt, & nunquam sunt iterandi.

Solutio.

Argumenta Durandi diluuntur.

Argumenta verò Durandi quatenus probant, quatuor ordines non esse sacramenta, admittuntur, sed quatenus contendunt diaconatum, & subdiaconatum à sacramentorum ratione excludere, non necessariò concludunt. Et ideo ad primum respondetur, quod etsi illi ordines ad Eucharistiam consecrandam referantur, quem quidem effectum solus presbyteratus attingit, non tamen inde subsequitur, non esse sacramenta: quia non sunt sicut exorcismi, sed consecrationes & dedicationes ad certa officia. Et quanquam illa officia legendi Euangelium vel epistolam, etiam si non ordinatus exequeretur, re vera essent lectiones: nihilominus ad eadem officia cum idoneitate exercendum & diguitate ordinantur per sacramentum ministri. Quare non opus est, vt per quodlibet sacramentum accipiatur potestas ad simpliciter agendum, sed ad dignè agendum.

Ad 1.

Ad 3.

Ad Sanct. Thom. in 4. arg. citatum.

Et ad authoritatem S. Thomæ dicentis, quòd sacramentum ordinis totum secundùm completam rationem est in sacerdotio, in alijs verò secundùm participationem, respondetur, non esse sensum, quòd gratia & character solùm sit in sacerdote, sed quòd gratia & characteres aliorum sint participationes eorundem effectuum, qui sunt in sacerdotio. Non quod eadem gratia diuidatur, vt vna pars sit in sacerdote, & alia in diacono, sed quòd gratiæ inferiorum referuntur ad ministerium superioris, iuxta illud Numer. 11. vbi Dominus dixit Moysi, vt septuaginta viros congregaret, qui ei essent auxiliares, & subdit, Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent tecum onus populi. Non enim intellexit quòd partem spiritus, quem Moysi aspirauerat, esset ei adempturus, sed quòd similem alijs spiritum traderet, licet non tam egregium.

Ad 5. & 6.

Ad aliud verò, quod nos fecimus, iam responsum est, diaconos non solùm in ministerium mensarum secularium, verùm etiam sacri altaris fuisse institutos. Et quamuis in initio statim non essent libri epistolarum & euangeliorum, nihilominus tradebatur eis potestas ad legendum, & fortè scripta charta. Et ita Apostoli docuerunt Ecclesiam, vt sub vtraque forma & materia illam traderet.

Alia 2. argum. contra 6. concl.

Duo autem restant argumenta soluenda. Primum, quòd cùm omnia sacramenta ex institutione Christi habeant efficaciam, & sacramentum ordinis quantum ad omnes eius partes non inueniatur à Christo institutum, non est sacramentum.

1.

Secundum, Si in diaconatu & subdiaconatu confertur gratia, consequitur vt quotiescunque solenniter suis ordinibus funguntur legendo euangelium vel epistolam extra gratiam, peccent mortaliter, quod creditu durum censetur.

2.

Ad 1.

Ad primum autem respondetur, quòd presbyteratum, iam dictum est, à Christo fuisse in cœna institutum, atqui & diaconatum postquàm Apostoli expressam de illo fecerunt mentionem, certum est ex institutione Christi id habuisse, licet non ille, sed ipsi ordinem promulgauerint, vt de extrema vnctione dictum est. † Subdiaconos verò & alios inferiores ministros ait impræsentiarum Sentent. Magister Ecclesiam pro tempore instituisse. At verò de subdiaconatu, si est, vt diximus, verum sacramentum, non est ambigendum quin Apostoli ex Christi institutione illum susceperint diuidentes diaconum, hoc est, ministrum in duos. Sed minores ordines credendum est Ecclesiam postmodum instituisse, & hoc est nouum argumentum, non esse sacramenta, sed sacramentalia.

† 23. q. 1. ar. 1.

Minores ordines Ecclesia instituit.

Ad 2.

Ad secundum distinct. 1. quæst. 5. artic. 6. diximus, nonnullos ita sustinere, quod sit peccatum mortale diacono & subdiacono solenniter altari in peccato ministrare. Sed re vera oppositum est valde probabile, & forsan probabilius: quia ad concludendum peccatum mortale, habendus est respectus ad obiectum & materiam operis. Quod ex S. Thom. 3. part. quæst. 64. articul 6. ad 1. si bene intelligatur, colligitur. Non enim constituit regulam, quòd quando minister est consecratus per gratiam ad aliquam actionem, tunc exercendo illam extra gratiam peccet mortaliter, sed quando est dedicatus ad aliquam actionem, quæ in se ipsa habet sanctificationem, qualia sunt sacramenta. Vbi duntaxat sentit, quòd administrare sacramenta in peccato mortali, sit peccatum. Et ita est intelligendus illic Caietanus, si est auscultandus. Vnde cum legere Euangelium vel epistolam non sit actio habens in se sanctitatem: quia non est administrare sacramentum, per quod populus sanctificetur, fit vt quamuis illi ministri gratiam ad id muneris susceperint, non indo eliciatur peccare mortaliter. Satis enim est quòd sit veniale. In minoribus autem ordinibus, quia functiones illæ multo sunt minoris momenti: non est gratia necessaria, & ideò eorum administratio extra gratiam nullum est peccatum.

Ad pedem tandem istorum subnectitur octaua conclusio. Ordines ecclesiastici sunt peculiaria sacramenta legis euangelicæ. Nam etsi apud Ethnicos in lege naturæ fuerint pontifices & sacerdotes suorum Deorum, nunquam tamen erant propriè sacerdotes: nam vbi idola colebantur, non erat vera, sed falsa religio. Et sicubi verus colebatur Deus, non tamen illi sacerdotes per sua sacrificia conferebant gratiam: quia neque illa, vt dist. 1. dictum est, erant sacramenta. Atqui in lege veteri erant quidem, vt illic diximus, verè sacramenta, non tamen eius muneris efficacia, cuius nostra: quia non conferebant gratiam. Ob idque sacerdotes illi nullo initiabantur sacramento ordinis, quo gratiam characteremve reciperent: quia cùm neque ipsi per sua sacrificia animam per gratiam emundarent, nulla pollebant potestate, quæ verè esset spiritualis. Erant autem figura & vmbra nostrorum ordinum prognostica.

8. Concl.

Ad primum igitur argumentum ex capitalibus respondetur, quod ante susceptionem ordinum requiritur illa gratia in suscipiente, quæ toti plebi est communis, qua scilicet homo sit iustus; sed per sacramentum ordinis confertur gradus excellentior, quo sacerdos alijs eminet.

Ad 1. initio positum

Ad secundum verò respondetur, quòd licet solus sacerdos habeat administrare sacramenta, diaconus nihilominus & subdiaconus, quia ei administrant, suis quoque characteribus indigent.

Ad 2.

Ad tertium tandem respondetur, vt expressè docemur cap. Veniens. de presb. non baptiza. quòd absque baptismo, qui ianua est sacramentorum, nullius est homo sacramenti capax. Atque adeò si quis inuentus fuerit ante baptismum ordinatus, baptizandus est, & iterum omnibus ordinibus initiandus. Et hoc ipsum hic D. Tho. fatetur. Addit tamen quod licet eiusmodi sacerdos non baptizatus nec conficere possit sacramentum, nec absoluere in foro pœnitentiali, & si in episcopum promoueatur, & ordinare alios attentauerit, verum sacramentum non conferat: tamen piè, inquit, credi potest, quòd quantum ad vltimos effectus sacramentorum summus sacerdos Deus suppleret defectum, neque permitteret hoc ita latere (scilicet non esse baptizatum,) vt periculum Ecclesiæ immineret.

Ad 3.

Additio S. Thom.

Quod Deus suppleat defectum Sacram.

Digitized by Google

Autoris censura.

Hoc autem, quòd de supplemento Dei hic adhibet S. Thom. supra dist. 5. art. 2. generaliter tractauimus de omnibus talibus, quibus doctores nonnulli Deum supplere sacramentorum defectum opinantur. Est enim res ex quadam potius piorum existimatione orta, quàm ex legis vllius certitudine. Nam, vel ex Euangelio, vel ex illo loco sacræ paginæ elici nequit vllus modus obtinendæ augendæve gratiæ Dei, quàm vel per sacramentum, vel per contritionem, aut alium actum meritorium. Quare si sacerdos non verè absoluit, & pœnitens non est contritus, credere quod tunc Deus supplebit defectum, & conferet gratiam, cùm sit omnino præter legem, nullum habet fundamentum. Quocirca non dubito, quin S. Thomas in Summa nunquam tale verbum dixisset. Est enim dicere, quòd Deus peccatorem sine sacramento & contritione iustificat, quod esset manifestarius error.

Alia est aliorum magis lepida responsio, quòd quando quis attritus accedit ad sacramentum, si minister vel non est sacerdos, vel non habet rectam intentionem conferendi sacramentum, tunc Deus specialiùs opitulabitur attrito, vt eius actus obiectum mutet, vt qui erat dolor propter pœnas inferni, fiat vera contritio: scilicet, dolor propter Deum. Est enim somnium absque vllo prorsus fundamento. Deus siquidem semper est promptus concurrere ad veram contritionem: sed si pœnitens prius illo auxilio non vtitur, figmentum est dicere, quòd solùm defectus ministri sit in causa, vt vel pœnitens eodem auxilio moueatur, vel Deus specialius concurrat. De alio denique dicto S. Thomæ, scilicet, quòd Deus non permittet diu latere errorem illum, vt qui non est verè sacerdos permittatur sacramenta administrare, nulla est lex certa, quòd id non permittet: alia enim maiora mala permittit.

Sacr. ordo. supponit Confirm. non de necessitate, sed de congruitate.

Quod si interrogès, vtrùm sacramentum ordinis præsupponat characterem confirmationis, respondetur, illum non præsupponere de necessitate, sed de congruitate. Quapropter sine confirmatione esset verum sacramentum ordinis: nihilominus nonnullum peccatum esset, si quis scienter non confirmatus ordinaretur, etiam in episcopo, si eum ordinaret, quamuis nulla ratio cogat, vt credatur esse mortale.

An character superior inferiorem supponat.

Vtrum verò character superioris ordinis inferiores præsupponat, titulus de clerico per saltum promoto, respondet, quantum ad necessitatem negatiuè: mandatur enim illic, vt ille, qui sine suscepto ordine diaconatus in sacerdotem est ordinatus, non iterum ordinem sacerdotalem suscipiat: quia sacramentum fuit validum. Sed ordinetur in diaconum. Imò vt air S. Thom. in primitiua Ecclesia multi, antequam reliquos susciperent ordines, sacramento sacerdotali initiabantur: quia sunt per se potestates distinctæ, quarum sacerdotalis reliquas omnes includit. Quocirca sacerdos, licet alios ordines non susceperit, potest omnium functionem exercere. Sed institutum Ecclesiæ fuit, vt gradatim ordines susciperentur, neque liceret superiores absque inferioribus conferre.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆQVARTÆ.

Quæstio secunda.

ARTICVLVS I.

Vtrùm clerici omnes ordinati debeant coronâ tonsurâ insigniri.

Partis negatiua 1. arg.

QVÆSTIÒ secunda mouetur de ijs quæ sunt ordinibus annexa: nempe de corona, & episcopatu, & vestibus sacris. Arguitur ergo, quòd corona clericis non congruat: nam Hierem. 49. attonsi sub his verbis maledicuntur. Dispergam in omnem ventum eos qui in comam attonsi sunt: ministris autem Ecclesiæ potius benedictio congruit, quàm maledictio. *2.* Secundò arguitur. Si coronæ vllum esset fundamentum, maximè illud Nazaræorum, quod distinctio præsenti adducit Magist. Sentent. Nazaræi autem, vt Numer. 6. legitur, non attondebantur in mysterium altaris, sed ex voto, quo Deo consecrabantur, etiam si non essent Leuitæ: ergo inde nullum deducitur argumentum tonsuræ clericorum.

Tertiò. Si tonsura cunctis clericis conueniret, consequeretur, quòd omnes clerici, eo ipso quòd tondentur, renunciarent temporalibus bonis, quod & ipsa detonsio significat, & versiculus Psalmi, † quem dum tondentur proferunt, Dominus pars hæreditatis meæ. Super quo ait Hieronymus, quòd Dominus cum istis temporalibus pars fieri dedignatur: non autem omnes abdicationem bonorum faciunt, sed retinere possunt patrimonia & alia bona. *3.* *† psal. 15.*

Quartò denique arguitur. Si tonsura insigne esset clericorum, sequeretur, quòd etiam prima tonsura esset propriè ordo: est enim corporale signum ab Ecclesia ministris altaris institutum, per quòd clericus in altiori gradu constituitur quàm sit laicus: quapropter à solo episcopo prima fit tonsura: consequens autem est falsum, alioqui plures essent ordines quàm septem. *4.*

Sed contra.

In contrarium autem est, quòd corona regalem dignitatem significat, & vt ait Gregor. seruire Deo regnare est: cùm ergo clerici peculiari quodam excellentioríque modo seruitio Dei adscribantur, insigne hoc coronæ eis meritò adaptatur.

Clericorum tonsuram V Vitcleff, vt est videre apud V Valdens. tomo 5. de sacram. sub tit 9. cap. 80. abominabatur, quem Lutherani secuti subsannando appellant catholicos clericos rasos & tonsos. Idemque V Vitcleff eosdem appellat Cæsareos, non quod Cæsariem detondeant, vt nonnulli arbitrantur, sed à Cæsare Constantino, vt idem refert V Valdensis in initio eiusdem tomi veritate 7. & tomo 2. ca. 120. Indè namque quòd pientissimus ille imperator Ecclesiam ditauit, clericatumq; honoribus extulit, ac perinde hæreticos contra sacerdotes obgannientes extirpare curauit, in inuidiam eorundem clericorum hæretici appellabant eos Cæsareos, quasi ab illo Cæsare procreatos.

1. Concl.

Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima contra hæreticos hæc asseritur. Optimum est & clericis dignum insigne, detonsa corona. Probatur primò antiquitatis dignitate. Petrus enim apostolus eadem fertur insignitus in memoriam spineæ coronæ, quam Christi crucifixores eius capiti imposuerunt. Quare præcipua causa huius ritus non fuit illa, quam à Nazaræis antiquæ legis Magist. Sent. adfert, sed hæc, quòd cùm hostes Christi ad ignominiam & dedecus eum coronauerint, religiosissimum duxerunt Apostoli, idem insigne ad suum ipsorum decus, & gloriam Christi vsurpare. Quo fit, vt corona non sit pars illa in vertice rasa, sed capillorum circulus, qui capiti circunstat. Ob id n. & capitis vertex supernè abraditur, & capilli infernè in circulum attondentur, vt in modum coronæ capilli restent. Vnde priscus clericorum mos non fuit capillum in vertice radere, & demissam comam habere: nam tunc capilli nō haberent effigiem coronæ, sed tondebantur eodem prorsum modo, super aures, quo nunc religiosi. Atqui de hac tonsura, vt illo citato cap. 80. V Valdensis commemorat, schismata in primæua Ecclesia oborta fuere. Refert enim Beda li. 5. de gestis Anglorum Colfridum abbatem, illius controuersiæ meminisse, qui post multa subdit, nullam magis sequendam nobis amplectendamq; iure tonsuram ea, quam in capite suo gestabat Petrus Apostolus. Et inferius. Neq; verò, inquit, ob id demum, coronam attondemur, quòd Petrus in memoriam Dominicæ passionis attonsus est. Et subditur. Sicut enim omnis Ecclesia, quia per mortem sui viuificatoris facta est, signum sanctæ crucis in fronte portare consueuit: ita oportet eos, qui monachi votum, vel gradum clericatus habentes, altioribus se continentiæ frenis adstringunt, coronam in capite gestare. Et rem prosecutus venerabilis Beda tonsuram, inquit, quam Magum ferunt habuisse Simonem, quis rogo fidelium non statim cum ipsa magia detestetur? Radebat enim ille anteriorem partem capitis super frontem, sed vbi ad ceruicem declinabat, tonsuram faciebat strictiorem, vt ab Apostolis discriminaretur. Contra quam ritus peruersitatem Anitius Papa can. Prohibete. 23. dist. Prohibet ne clerici, aduersus Apostolum, comam nutriant. Reprehendit enim 1. Cor. 11. viros, qui comam nutriunt. Et subiungit Papa. Sed desuper caput in modum sphæræ radant. Extat & in concilio Toletano 4. sub Isidoro capit. 41. coronæ decretum hoc verborum tenore. Omnes clerici & lectores, sicut Leuitæ & sa-

Ratio præcipua coronæ clericalis, & eius antiquitas.

Digitized by Google

cerdotes detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant. Attende quemadmodum capillorum circulus coronæ nomine denotatur. Quare ſubditur. Non ſicut hucuſque in Galetiæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpanijs hucuſque hæreticorum fuit. Hæc ibi. Idemque narrando confirmat Rabanus libr. de inſtitutio. clericor. cap. 3. Et Hieron. in quadam breui epiſtola ad Auguſtin. Dominum meum, inquit Allipium, & dominum meum Euodium vt meo nomine ſalutes, precor coronam tuam. Et idem Aug. ad Proculianum. Honorant, inquit, nos veſtri, honorant vos noſtri. Per coronam noſtram nos adiurant veſtri, per coronam veſtram vos adiurant noſtri. Ac denique Hugo lib. 2. de ſacrament. part. 3. cap. 5. Primum, inquit, ſignaculum clerici corona eſt. Corona ergo res eſt antiqua à temporibus vſque Apoſtolorum. Vnde Dionyſius libr. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 6. part. 2. ait, quòd epiſcopus dum quemlibet ſacris initiat, conſignans eum crucis ſigno tondet. Inde ergo ſeruatus eſt mos, vt epiſcopus eum, quem prima tonſura donat, in apice capitis tondeat. Vbi Linconienſis: ſignat, inquit, criminum detonſio omnium materialium ab amore deciſionem, quæ variè formantur, vt clericus intellectu puro ad Deum pertingat, & eius ſimplicitate formetur.

Caſſiodorus. Et Caſſiodorus ſuper illud pſalmi 39. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei. Non fruſtra, inquit, in comparatione delictorum capilli adducti ſunt: nam in veteri teſtamento ſacerdotes ipſa ſimilitudine radebantur, vt tali emundatione purgati carnis vitia depoſuiſſe viderentur.

Vt ergo ex his tandem rationes concluſionis eliciamus, ex quintuplici myſterio congruitas coronæ colligitur. Primò ex memoria Dominicæ coronæ. Secùdò, *Congruitas coronæ.* quia corona, vt diximus, regiam dignitatem deſignat, quæ Eccleſiæ miniſtris competit, vt Hieron. ait 12. quæſt. 1. can. Duo ſunt. Quòd enim Petrus apoſtolus generaliter Chriſtianos omnes appellat genus electum, regale ſacerdotium, per antonomaſiam clericis congruit. Tertiò ratione figuræ, quæ cum ſit circularis, imaginem perfectionis præ ſe fert, quam altaris àdminiſtri adipiſcuntur & profitentur. Quartò denique ratione detractionis capillorum ex parte ſuperiori per raſuram, ne clericorum mens temporalibus occupationibus oppreſſa, à diuinorum contemplatione præpediatur: & ex parte inferiori per tonſuram, ne eorum ſenſus temporalibus obuoluantur. Qua vtique ratione detonſio illa, ſuper aures fieri debet, ne ſenſum auditus operiant. Adhiberi quoque poteſt & quinta cauſa: quia decet clericatus ordinem à reliquo vulgo illo publico ſignaculo diſcerni.

Obiectio. Per hoc ſoluitur obiectio, quam obmoliri quis poſſet. Si capillorum abſciſſio ſuperfluorum abiectionem ſignificat, omnes prorſus pili deberent abradi. Reſpondetur, inquam, quòd cùm plures aliæ cauſæ concurrant, neceſſe eſt ſic circuncidi, vt coronæ figura appareat.

Dilutio. Ex his tandem colligitur tonſuram omnibus clericis, licet non in eadem amplitudine competere. Atque hinc nominis etymologia ducitur: nam clerus Græcè, vt 7. etymologiarum ait Iſidorus, & refertur diſt. 21. can. Clerbs. & ab Innocentio ca. Cùm ſecundùm Apoſtolum. de præbend. idem eſt quod ſors Latinè: & clerici caducis rebus poſthabitis Dei hæreditatem ſingulari quadam præeminentia ſortiti ſunt. Vnde clerus idem eſt, quod ſors Dei, ſeu cui Deus ſors eſt, & vt eſt in prænominato verſiculo pſalmi, pars hæreditatis. Quo etiam nomine alluſio fit ad electionem Mathiæ apoſtoli, quæ ſorte facta eſt.

Monachi. Sed nihilominus, vt ſuprà allegatus Beda autor eſt, vniuerſi religioſi, qui choro addicuntur, licet nullis ſint ordinibus initiati, tamen propter ſeculi renunciationem eadem coronæ tonſura conſignantur. Reliqui verò conuerſi, qui alijs monaſterij ſeruitijs mancipantur, licet propter eandem renunciationem tondeantur, non tamen in modum coronæ, eò quòd non vitæ contemplatiuæ, quæ per verticis raſuram deſignatur, ſed actiuæ vacare debent.

Monachi laici. Præfixæ tamen concluſioni ſecunda eius moderatrix adhibetur. Clericorum tonſura, hoc eſt, pilorum abraſio & circunciſio, non eſt de ſacramenti eſſentia, imò qui intonſus ordinaretur, etiam in præsbyterum verum ſacramentum ſuſciperet. Nam ſacramentum ordinis, vt dictum eſt, in collatione materiæ cum prolatione formæ perficitur: quare reliqua cæremonialia ſunt, & ſacramentalia. At verò tam epiſcopus, qui ordines intonſo conferret, quàm ipſe, qui ordines ſuſciperet, grauiter peccaret, vt bene in præſentiarum ait Ricardus. Et, vt arbitror, in ſacris ordinibus: nempe, ſubdiaconatu & ſuperioribus eſſet peccatum mortale. Grauius enim eſſet ordines ſacros ſine raſura ſuſcipere, quàm poſt ſuſceptos comam nutrire. Non dico, ſine prima tonſura, ſed abſque vlla capillorum tonſura. Et nihilominus diſtinctione 23. & de vita & honeſtat. cler. multis capitibus clerici prohibentur comam nutrire. Quin verò vtrobique Gregorius capit. Si quis. ait, quod ſi quis ex clericis comam relaxauerit, anathema ſit. Intelligitur autem, vt bene ait Gloſſa, non quòd ipſo facto ſit excommunicatus, ſed quòd ſi præmonitus inobediens perſtiterit, excommunicetur. *Qui intonſus ordinatur, grauiter peccat.*

Rurſus huiuſmodi cenſuræ intelligendæ ſunt eos tantùm clericos ferire, qui priuilegio gaudent clericali: nam clerici primæ tonſuræ vel in minoribus ordinibus, tenendo non eſſe propriè ſacramenta, ſi nullum habeant Eccleſiaſticum beneficium, & voluerint publicè in ſtatu ſecnlari, clericatui repugnante, viuere, non tenentur apertam habere coronam, imò peius facerent ſi illam aperirent: nam in contemptum ordinis cederet. Quare dum admoniti priuilegijs clericatus renunciant, tunc nec tenentur, nec debent eam ferre, vt patet ca. Contingit. 2. de ſent. excomm. Et multò minus tenentur clerici coniugati, ſi eiſdem voluerint priuilegijs abdicari, vt in titu. de clericis coniugatis ſancitur. Si verò voluerint priuilegijs gaudere, tonderi tenentur. Quare ſi tertiò admoniti, vt in dict. cap. Contingit. decernitur, noluerint corona & habitu clericatum profiteri, immunitatis efficiuntur extorres. Et arbitror nullam conſuetudinem in contrarium valere: nam reges & principes ſemper reclamant, admonentque ſuos miniſtros ne priuilegium immunitatis eis ſeruent, qui habitu clericali non ſunt induti. Quod quidem, idque in Hiſpania præſertim ſeruandum eſſet, vbi in more eſt ſecularibus, nobilibus, & militibus, abſque vllo propoſito aſcendendi ad ordines ſacros, ſed ſolo animo conſulendi ſibi in ſuis digladiationibus & criminibus & foro ſe ſecùlari ſubducendi, primam tonſuram ſuſcipere: qui quidem abuſus non eſſet ferendus, ſed iure & ordine emendandus. *Clerici coniugati an teneantur aperire coronam.*

Quo fit, vt bigami: quoniam eiſdem priuilegijs non fruuntur, non ſolùm non teneantur, imò nec licitè poſſint clericali tonſura inſigniti incedere, vt diſt. 84. cauetur, can. Si quis clericus. & de bigamis, ca. Altercationis. *Bigami.*

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quòd Dominus per prophetam diſperſionem eis comminatur, qui in religionem idolorum ſe etiam detondebant, veluti Iudæi ob religionem veram. *Sol. 1. arg.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod in veteri lege, non erat verum ſacramentum ordinis, ſed imperfecta quædam eius imago & figura, & ideo illa Nazaræorum religio non vigebat duntaxat inter Leuitas & templi miniſtros, ſed in omni populo. Quare neque abraſio fiebat in modum coronæ: quia nec illic erat tanta contemplatio, nec repræſentatio coronæ Chriſti, ſed omnes capilli radebantur ad ſignificandum temporalium contemptum. *Sol. 2. arg.*

Ad tertium reſpondetur, quòd clerici per capillorum abiectionem non cenſentur omnino propria patrimonia & temporalia bona à ſe abdicare: quia non repugnant diùlno cultui, ſed anxium affectum & ſolicitudinem eorum deponere: & hoc profitentur dicentes, Dominus pars hæreditatis meæ. Debent enim in hoc, præſertim ſacerdotes, & qui ſunt in ſacris, plebi præeminere. Tametſi iam rariſſimi ſint qui hanc religionem profiteantur, id quod in comis, quas longiores quàm religioſi nutriunt, præ ſe ferunt. *Sol. 3. arg.*

Vtrùm etiam per contrarium liceat eos ſacris ordinibus initiare, & potiſſimum ſacerdotio, qui nullam prorſus habent ſubſtantiam vnde viuant, diſtinct. ſequenti diſputabimus.

Ad quartum non deſunt qui cenſeant primam tonſuram eſſe propriè ordinem, in quibus eſt Maior diſtinct. 24. quæſt. 1. vbi adijciens, etiam epiſcopatum eſſe ordinem, nouem ordines connumerat. Cui ſubſcripſit Ekius in quadam homilia de ordinibus. Sed bene fatetur Maior paruis rationibus fuiſſe motum: quia nullius ſunt momenti. Cùm enim tam celebris ſit ſanctorum *Sol. 4. arg.*

& Eccle-

Digitized by Google

& Ecclesiæ traditio, septem tantùm esse ordines, effigies quædam temeritatis est asserere primam tonsuram esse ordinem, aut episcopatum, de quo statim dicturi sumus. Prima ergo tonsura, vt D. Thom. impræsentiarum, & D. Bonauentura, & Ricardus & omnes fatentur, non est ordo, sed quædam ad sacros ordines dispositio, quasi media inter laicos & Ecclesiæ ministros. Veluti in religione nouitius, & in Christianismo catechumenus, qui nondum suscepit characterem. Et ratio est, quòd huiusmodi clerici non sunt in diuino cultu ad aliqua officia destinati, quæ non possint seculares præstare, sed ad solas diuinas laudes decantandas: quare ad hoc non exigitur specialis aliqua potestas. In cuius signum ad conferendam primam tonsuram non expectatur missæ celebratio, sed quacunque hora confertur. Et quod maximum est argumentum, dum prima corona quis tondetur, nulla fit mentio vllius potestatis. Adducit autem pro se Maior verbum Innocentij capit. Cùm contingat. de ætate & qualita. scilicet, Per primam tonsuram iuxta formam Ecclesiæ datam clericalis ordo confertur. At verò illic ordo non vsurpatur pro sacramento, sed pro dispositione, qua primus fit ad ordines introitus. Colligito ergo ex supradictis, quòd tres tantùm ordines, qui peculiariter dicuntur sacri, sunt verè sacramenta: quatuor verò minores ordines quamquam non sint sacramenta, & ideo pròpriè non dicantur, sacri, sunt tamen sic sacramentalia, vt potestates illic ad certas functiones conferantur, atque adeò propriè dicuntur ordines. At prima tonsura hac ratione non est ordo, sed quædam præparatio ad reliquos ordines. Neque verò est essentialis dispositio, vt sine prima tonsura alij ordines collati non valeant, sed pertinet ad rei congruentiam.

Prima tonsura non est ordo, sed ad eum dispositiue.

Ratio 1.

2.

Tres ordines sacri sunt sacramenta.

Vnde ad argumentum quartum respondetur consequentia perempta: prima enim tonsura non est potestatis spiritualis signum ad aliquid, quod laici facere nequeant, sed quædam ad id particularis deputatio, quæ ideo fieri debet per episcopum. Quocirca etsi huiusmodi clericus sit in statu altiori quam laicus, tamen (vt verba referamus S. Thom.) non habet ampliorem potestatis gradum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm supra sacerdotalem ordinem altior sit episcopalis potestas.

POST primam tonsuram, quæ est omnibus clericis communis, & per se reliquis inferior, sequitur de episcopali dignitate disquirere, vtrùm sit sacerdotali sublimior. Et arguitur à parte negatiua. Veritas debet respondere figuræ, sacerdotium autem Aaron fuit sacerdotij Euangelici vmbra, quo vtique sacerdote nullus erat in illa lege superior: ergo neque in Ecclesia vlla est dignitas sacerdotali eminentior.

Partis negatiuæ argumenta.

1.

2. Secundò. Dignitas ministrorum dignitatem functionum insequitur: functio autem sacerdotalis est verum corpus & sanguinem Christi conficere, quo vtique mysterio nullum est in Ecclesia excellentius, ergo neque vlla est altior dignitas.

Sed contra. In contrarium tamen est, quod illa potestas & dignitas est præeminentior, quæ cæteris paribus ad plura se extendit: sed episcopatus secundum Dionysium 5. cap. Ecclesiast. Hierarch. extendit se ad plura, quia sacerdoti tantùm incumbit illuminare per administrationem baptismi, & purgare per pœnitentiam & Eucharistiam: episcopo autem super hæc incumbit etiam perficere chrismate confirmando, & alios ministros ordinando & prædicando, ergo est excellentior potestas.

Duplex artic. sensus. Duo sunt sensus præsentis quæstionis. Vnus, vtrùm re vera vllum sit discrimen inter episcopum & simplicem sacerdotem aliquo iure, siue diuino, siue humano. Alter verò vtrùm hoc discrimen sit de iure diuino. Et ideo quæstioni duabus conclusionibus fiet satis. Enimuerò de priori sensu nemo orthodoxorum ambigit, sed hæretici sunt, qui huiusmodi discrimen inficiari pergunt, quorum fuit VVitcleff, vt est cernere apud VValdens. tomo 2. de sacrament. cap. 117. & tom. 1. de sacramentalibus lib. 2. cap. 60. vbi ait, nullum esse prorsus discrimen, sed promiscuè omnes sacerdotes esse episcopos, atque adeò quemlibet posse confirmare & ordinare; habereque plenam iurisdictionem in sua parœcia. Eundem errorem sequuntur Lutherani, imò nequiorem: quia omnes, quos ciuilis respublica creat pastores, censent esse presbyteros & episcopos. At verò cum Lutheranis superuacaneum est disputare: quia nec veros sacerdotes habent, cùm verum sacramentum Eucharistiæ non agnoscant, neque veros episcopos: quia neque confirmationem, neque ordinationem admittunt. Probat autem suam perfidiam VVitcleff primùm ex Apostolo 1. ad Timotheum 3. vbi dicens Episcopum oportere esse irreprehensibilem, &c. omnes presbyteros comprehendit. Et è conuerso ad Titum 1. in illis verbis. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, nomine presbyterorum episcopos intelligit. Secundò, id præsertim confirmat autoritate Diui Hieronymi super eundem locum ad Titum, & refertur can. Olim. distinct. 95. Olim enim, inquit, idem erat presbyter qui & episcopus.

Luther.

Ratio VVitcleff.

Contra hanc tamen hæresim statuitur prima conclusio. Quicquid sit de iure diuino, tamen certissimum est, saltem Apostolorum traditione discrimen esse inter episcopos & simplices presbyteros: Id quod Hieronymus adeò non inficiatur, vt planè affirmet eodem etiam citato loco. Subdit enim. Antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesia gubernabatur. Postquam autem vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, & non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris superponeretur omnibus, & schismatum semina tollerentur. Ecce Hieronymum affirmantem instituto Apostolorum præfectos esse presbyteris episcopos. Vnde super Esaiam lib. 2. idem Sanctus Pater, Inter senes, inquit, & principes hoc discrimen fuisse reor in veteri populo, quod nunc est inter presbyteros & episcopos. Fuit ergo vafricies VVitcleff rescindere vnam partem pro se verborum Hieronymi, Olim idem erat presbyter qui & episcopus, atque alteram dissimulare, vbi adiecit, Toto deinde orbe decretum est, vt vnus de presbyteris superponeretur omnibus. Manifestaria ergo hæresis est ecclesiasticam hierarchiam Episcoporum & presbyterorum distinctione fundatissimam & speciosissimam confundere, dicendo nullum esse inter episcopos & simplices clericos discrimen. Eodem enim commento & supremam pontificis Maximi potestatem abnegant, atque adeò schismatum semina serunt, quæ Hieronymus ibidem ait per episcoporum electiones fuisse deleta. Igitur aduersus hæreticos satis hæc sint. Augustinus namque lib. de hæresibus hæresi 53. Aërium quendam commemorat qui cùm presbyter esset, doluisse fertur, quòd non potuerit esse episcopus, quam ob rem, in Arianorum hæresim lapsus proprium adhibuit dogma, quòd presbyter ab episcopo nulla differentia deberet discerni. Et simile ait loco citato cap. 66. VValdensis VVitcleffo visu venisse: quia episcopatum, quem ambierat, obtinere nequiuit.

Probatur ex Hieron.

Vafricies VVitcleff.

Hæresis manifestaria.

Augustin.

Alius verò sensus multum nobis propter Hieronymum maiorem obijcit scrupulum, vtrùm semper iure diuino fuerit inter episcopos & simplices presbyteros discrimen, ita vt hoc præfecturæ genus, non ab Apostolis ad sedanda schismata fuerit inuentum, sed ex institutione Christi semper obseruandum. Verba enim Hieronymi vehementer mouent illam eius fuisse opinionem, quòd non semper fuerit idem discrimen, atque adeò non esse de iure diuino, sed ex traditione Apostolorum post aliquantulum temporis institutum.

Alter sensus quæstionis.

Nihilominus subiungitur secunda conclusio. Discrimen hoc & præeminentiam inter episcopos & simplices presbyteros non ex sola traditione Apostolorum suscepit Ecclesia, sed iure diuino ex institutione Christi. Hæc est sententia S. Thom. 2. 2. quæst. 184. artic. 6. omniumque Sanctorum Patrum & Doctorum, vt Turrecremata lib. 1 de summa Ecclesiæ capit. 69. ait. Et est expressa sententia Dionysij, Apostolorum discipuli cap. 5. De Ecclesiast. Hierarch. vbi ponit tres ordines hierarchicos, vt sunt purgantium tantùm: nempe diaconorum quibus conuenit catechumenos catechizare, & illuminantium: scilicet presbyterorum administrantium baptismum, pœnitentiam, & Eucharistiam, & perficientium: scilicet episcoporum, quibus conuenit confirmare, & ordinare, & præsidere: & cùm istæ functiones sint de iure diuino, palàm edocet eosdem gradus eodem fuisse iure distinctos. Hoc au-

2. Concl.

Est S. Tho.

Iuxta Dionysium tres Hierarchicos ordines.

tem artic. 4. apertius fiet, vbi Petrum à Christo fuisse institutum caput Ecclesiæ monstrabimus. Etenim quo iure vnus est, qui in Ecclesia apicem tenet, eodem concluit, vt singulæ vrbes & diœceses proprios haberent antistites, qui tempublicam tam presbyterorũ quàm secularium administrarent, vt à capite per maiora membra ad minora influxus charismatum descenderet. Sic enim in corpore naturali per maiores arterias in minores venas alimenta dispensantur. Sed præter ea, vrgentissimum argumentum est hoc. Multa episcopi facere possunt, ad quæ presbyterorum facultas non pertingit: ita vt si presbyteri simplices id attentarent, nihil re vera facerent: idque præcipuè in sacramentis, ergo illa distinctio est de iure diuino. Probatur antecedens, nam vt ait Eusebius papa can. Manus. de consecrat. distinctione 5. Episcopi possunt confirmare: si tamen presbyteri, saltem siue licentia id attentarent, totum esset irritum & vanum, & inter Ecclesiastica sacramenta non reputaretur. Idemque mos, ait Papa, tempore Apostolorum erat celebris. Et eadem ratione si simplex sacerdos conferret maiores ordines, nullum perficeretur sacramentum. Et idem est de consecratione chrismatis & templorum, &c. Ecclesia verò non potest sic potestatem sacramentorum variare: ergo illa descendit de iure diuino. Non enim potest Ecclesia facere, vt qui non est sacerdos consecret, aut absoluat. Et quamuis possit sacerdotem prohibere ne consecret, non tamen potest facere vt eius consecratio non sit valida. Si ergo sacerdotes de iure diuino possent omnia perficere quæ Episcopi, nequiret Ecclesia facere, vt sacramenta confirmationis & ordinis per ipsos administrata non essent valida: nam ista pertinent ad potestatem ordinis, sicut consecrare: huiusmodi ergo potestas de iure diuino competit episcopis, & non simplicibus presbyteris. Quinimò & de iurisdictione arguitur. Si quilibet sacerdos plebanus tam plenam haberet legè diuina iurisdictionem in sua parœcia, quam Episcopi, iniuria eis irrogaretur ab Ecclesia, si prohiberet ne excommunicandi ius aliaque iudicia tam plenè exercerent quàm Episcopi: in hoc autem non solùm nulla eis fit iniuria, imò optimus lucet ordo: ergo à iure diuino institutum est. Haud enim credendus est Christus in re tanti momenti non per se Ecclesiæ suæ consuluisse. Est ergo de iure diuino discrimen inter episcopum & simplicem presbyterum, tam quantum ad potestatem iurisdictionis in iure dicundo, quam secundùm potestatem ordinis in administrationibus quorundam sacramentorum. Itaque, vt discriminis punctum attingamus, non differt episcopus à presbyteris solo merito & electione, vt locis citatis VVitcleff opinatus refertur. Aiebat enim ille hæreticus, quòd episcopus non est nisi quem propter merita presbyteri eligunt. Neque ob id solùm erat olim episcopus quod erat presbyterorum antiquissimus, sed instituebatur consecratione & manuum impositione, quamuis fortè non tam longo cæremoniarum ritu, quàm modo. Id quod ex dictis Pauli ad Titum & ad Timoth. palam fit: nam Apostoli per impositionem manuum episcopos creabant. Et de vnctione, qua episcopi chrismate vngantur, meminit Clemens Papa Apostolorum coæuus in Epist. 3. ad vniuersos dicens: Omnis pontifex sacro chrismate perunctus, & in ciuitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus & pretiosus hominibus oppidò esse debet. Et illius vnctionis figuram in Aaron & summis sacerdotibus præcessisse, qui similiter vngebantur.

Vrgentissimum arg.

Argu. de iurisdi.

Nullam sacerdotibus fieri iniuriam.

Punctum discrimnis.

Non differre merito & electione tantũ, contra VVitcleff.

Vnum tamen argumentum obuiare nobis apparet, quod dist. præsenti q. 5. facit Durandus. In euangelio nullibi leguntur episcopi seorsum à presbyteris ordinati: ergo discrimen non est de iure diuino. Probatur antecedens. Christus nunquam ordinasset Apostolos Episcopos antequam eos sacerdotes fecisset: fecit tamen eos sacerdotes in cœna, quibus & potestatem remittendi peccata post resurrectionem contulit dicens, Quorum remiseritis peccata, &c. postmodum verò non legitur eis superiorem episcoporum dignitatem contulisse: ergo presbyter & episcopus iure diuino non differunt. Respondetur primò, multa, vt ait Ioan. fecisse Christum, quæ Euangelistæ scripto non demandarunt. Secundò, quòd Christus per potestatem excellentiæ, prætermisso ordine, qui nunc seruatur, potuit Apostolos cùm eos ad apostolatum assumpsit, episcopos creasse quantum ad eorum peculiares functiones, licet postmodum virtutem consecrandi & absoluendi contulerit. Certo n. certius est, siue ante sacerdotium, siue postea, Apostolos ante fuisse in episcopos à Christo institutos, quandoquidem summa eis Ecclesiæ gubernatio incumbebat: Apostolis autem Episcopi successerunt. Augustinus enim in libr. de quæstionibus noui & veteris testamen. ca. 97. Nemo, inquit, ignorat episcopos saluatorem Ecclesijs instituisse. Ipse enim priusquam in cælos ascenderet, imponens manum Apostolis ordinauit eos episcopos. Hoc Apostolus sancto Spiritui deputat cum dicit, † Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Domini Iesu. Et Anacletus papa, Petri discipulus in epist. citata de patriarchis & primatibus & reliquis episcopis, quæ refertur can. In nouo. 21. distinct. Et Isidorus in synodo aiunt Apostolis succesisse episcopos, & septuaginta duobus discipulis simplices presbyteros, vbi discrimen inter presbyteros & episcopos in iure diuino fundatum docent. Et Beda lib. 3. super Lucam cap. 15. Sicut duodecim, inquit, Apostolos formam episcoporum exhibere simul & demonstrare nemo est qui dubitet, sic & septuaginta duos figuram presbyterorum gessisse sciendum est: tametsi primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtrique presbyteri, & vtrique vocabantur episcopi: quorum vnum scientiæ maturitatem, aliud industriam curæ pastoralis significat Sunt ergo iure diuino episcopi à presbyteris prælatione distincti. Vnde Apostolus ad Eph. 4. postquam dixit quòd Christus quosdam dedit Apostolos, quosdam prophetas, &c. ad denotandum reliquos presbyteros subiunxit, Alios Pastores & Doctores, &c.

Obiectio Durandi.

Solu. 1.

Solu. 2.

Apostoli à Christo creati episcopi.

Act. 20.

Beda.

Supereſt autem ad obiecta respondere: nempe, non solùm ad Hieronymum, sed & ad Apostolum Paulum: nam 1. ad Timoth. 4. nomine episcoporum omnes presbyteros intelligit. Recensitis enim moribus, quibus episcopum instruit dicens, Oportet episcopum irreprehensibilem esse, &c. nulla presbyterorum interiecta mentione ad diacones commigrat, quos ait debere esse pudicos, non bilingues, &c. Presbyteros ergo vniuersos appellauit episcopos. Et ad Philippenses 1. Paulus & Timotheus omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus gratia vobis & pax. si autem presbyterorum medius esset ordo, illos non præterijsset. Et ad Titum 1. admonet Titum, vt per ciuitates presbyteros constituat, episcopos illo nomine intelligit. Et 1. ad Timoth. 5. dicens, quòd qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, episcopos quoque significat. Et Actuum 20. presbyteris Epheſi loquens (nam in vna ciuitate non erant plures episcopi) Attendite vobis, inquit, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos: presbyteros quoque designat, licet interprete Augustino, præcipuè episcopos.

Dilutio obiectionum.

Quid in ep. Pauli nomine Episcopi intelligatur.

Ad hæc loco citato S. Tho. 2.2. q. 184. artic. 6. ad 1. breuiter respondet, quòd de episcopo & presbytero vno modo loqui possumus quantum ad nomen: quoniam olim omnes promiscuè vocabantur & episcopi & presbyteri. Nam presbyteri, vt Aug. 19. de Ciuit. inquit, idem est Græcè, quod Latinè seniores, quod quidem nomen aptissimè congruit episcopis: & episcopus idem est Græcè, quod superintendens seu vigilans, quæ etiam appellatio presbyteris accommodatur. Siquidem vnusquisque, cui animarum cura incumbit, etiam si parœcialis sit, debet super gregem vigilare. Sed re vera inter ipsos presbyteros erat in diœceſi vnus iuxta Christi institutum præpositus, qui erat episcopus. Quare licet honoris gratia omnes presbyteri dicerentur episcopi, & ne episcopi superbirent, etiam dicebantur presbyteri, nihilominus in re erat distinctio.

Solut. S. Th.

Presbyteri etymologia.

Episcopi etym.

Nota.

Et quidem solutio hæc ad respondendum Apostolo efficacissima est: quippe qui nusquam significat neque innuit re non fuisse dignitates distinctas, sed duntaxat promiscuo nomine appellari. Itaque Paul. non dignitatem, sed sola nomina facit, episcopis & reliquis presbyteris communia. Vnde Chrysost. hom. 11. super eandem epistolam ad Timoth. ob id dicit Apostolum illic substituisse presbyteros: quòd non multum differunt ab episcopis, sed sola inthronizatione episcopi super reliquos presbyteros ascenderunt. Et illic Aymo, Omnis enim episcopus presbyter est, sed tamen non omnis presbyter, episcopus est.

Appositissima solutio.

Attamen profectò verba Hieronymi non satis hoc responso diluuntur: haud enim solum ait quod presbyter & episcopus eodem nomine vocabantur, sed quòd idem omnino erant, neque aliud habebat episcopus

Hieron. auctoritas vrgetur.

quàm

quàm presbyter. Et subdit, quòd communi presbyterorum consilio tunc Ecclesiæ gubernabantur. Sed postmodum toto orbe decretum est, vt vnus superponeretur. Non ait, solùm decretum fuisse, vt diuersis nominibus appellarentur, sed vt re vera distinguerentur, vbi insinuat antea nullatenus discriminatos. Et ad rem præsertim subiunxit, quòd episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispensationis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores. Ecquid apertiùs? Et in epistola ad Euandrium, quæ à Gratiano citatur distin. 93. can. Legimus. eandem prorsus sententiam sequitur, autumans tempore Apostolorum non nomine tantùm, sed re eundem fuisse episcopum, qui erat presbyter. Quare Scotus in 4. dist. 7. hanc censet fuisse opinionem Hieronymi, quam & probabilem iudicat. Et Durandus distin. 24. q. 5. non dubitat quin Hieronymus fuerit huius sententiæ, tametsi in eam ipse non subscribat. Et vt ego ingenuè fatear, porrò arbitror Hieronymum in ea fuisse opinione, quòd primitus de iure diuino nullum erat discrimen. Nihilominus licet hoc quispiam de Hieronymo suspicatus fuerit, non ideo, salua egregia autoritate, quæ sacro doctori debetur, negare debet, quin discrimen hoc fuerit de iure diuino. Hieronymus namque ad contundenda episcoporum supercilia illam edidit doctrinam, quam tamen non probat. Neque ex verbis Apostoli colligi potest, sed hoc tantùm, quòd nomina essent promiscua, & communia. Et idem est respondendum Ambrosio, qui super 4. c. epistolæ ad Ephes. idem ferè cum Hieronymo sentiens ait, quòd primi presbyteri episcopi appellabantur, vt primo recedente sequens ei succederet. Quare apud Ægyptum, inquit, presbyteri consignant, hoc est, confirmant, si non sit præsens episcopus. Falsum enim est vnquam fuisse presbyterum sine noua consecratione episcopum. Quocirca si Ægyptij illum ritum seruant, errore tenentur.

Scotus de mente Hieron. *Durand. Sententia autoris.* *Nota.* *Ad Autor. Ambrosij.*

Ad primum igitur argumentum in contrarium respondetur, quòd quamuis in veteri lege non essent omnino episcopi & presbyteri sicut in noua: quia non conferebant gratiam, nec aliquo sacramento initiabantur, tamen in Aaron præcessit nostrorum sacerdotum figura, quatenus sacrificia, sicuti cæteri sacerdotes, offerebat, & præterea episcopi vmbra, nam fuit pontifex maximus, cui aliqua congruebant singulariter tum indumenta, tum etiam & munera, vt introire semel in anno in Sancta Sanctorum, quę quidem reliquis sacerdotibus non licebant. Hoc autem Euangelicum discrimen à Christo exordium sumpsit, qui omnium Ecclesiasticorum officiorum exemplar extitit. Gerunt eius ergo typum simplices presbyteri quantum ad ministeria quæ ipse compleuit, vt conficere corpus & sanguinem suum: episcopi verò quantum ad illam potestatem, qua ministros in Ecclesia instituit, in qua quandam habuit eminentiam.

Solu. 1. arg. *Sacerdotum figura.* *Episcoporũ figura.*

Ad secundum autem respondetur, quòd quamuis nullum sit altius munus in Ecclesia quàm corpus & sanguinem Christi consecrare, in quo episcopi presbyteris non antecellunt, nihilominus cùm & hoc illis competat, præcellunt in alijs functionibus, vt ordinare sacerdotes, qui consecrare possint, & altare, vasa, & indumenta ad confectionem eiusdem sacramenti benedicere.

Solu. 2. arg.

ARTICVLVS III.

Vtrùm episcopatus sit ordo.

Partis affirmatiua arg.

EX quæstione proximè decisa exurgit altera, vtrùm episcopatus sit ordo. Etenim si sit sacramento sacerdotij præstantior, consequens apparet, vt sit ipse sacramentum: nam sacramento nihil videtur præstantius, nisi sit aliud sacramentum: præsertim cùm loco citato Dionysius episcopatum, presbyteratum, & diaconatum tres ordines appellet:

Pars neg.

In contrarium autem est, quòd si episcopatus esset ordo, plures essent quàm septem, contrà quam vsus habet Ecclesiæ.

Decis. art.

Sunt qui huius quæstionis partem affirmatiuam tueantur, quibus, vt supra diximus, Maioris & Ekius adhærent. Alij verò arbitrantur quæstionem nominalem esse potius quàm realem, vtrùm scilicet sit appellandus ordo, nec ne. At verò profectò ad quæstionem commodius cum D. Thoma, sub distinctione, vnica conclusione respondetur. Nomen enim ordinis vsurpari vno modo pro eo propriè consueuit, quod est sacramentum ordinis: & altero modo, vt est nomen officij, dignitatis & gradus. Sit ergo conclusio. Episcopatus non est sacramentum ordinis: est tamen ordo, hoc est, dignitas & gradus altior sacerdotio, cui eminentiora officia sunt annexa. Secunda hæc pars artic. præcedenti satis demonstrata est, vbi discrimen ostensum est inter presbyteros & episcopos, qui sunt reliquis dignitate, gradu & officio superiores. Prima verò, scilicet quòd episcopatus non sit per se sacramentum, probatur primò: quia contrarium asserentes sine causa aduersantur communi opinioni & Ecclesiæ vsui, quo non celebrantur nisi septem ordines. Secundò & potissimùm. Ordines omnes ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum referuntur, & in ordine ad ipsum distinguuntur: episcopatus autem neque est ordo ministrandi sacerdoti in Eucharistia, quia est altior: neque verò quantum ad potestatem consecrandi est ei superior: quia sacerdotum quisque æqualem potestatem habet, & quantum ad substantiam sacramenti independentem ab episcopo: nam quicunque sacerdos per se potest consecrare: ergo non est sacramentum, tametsi quantum ad accidentarias cæremonias dependeat sacerdos ab episcopo, qui habet vasa & vestes consecrare. Tertiò. Si episcopatus esset per se sacramentum superius sacerdotio, sequeretur quòd nouum characterem imprimeret, consequens tamen est falsum: nam tunc subsequeretur quòd si quisquam antequam fieret sacerdos consecraretur in episcopum, eundem episcopalem characterem cum gratia gratum faciente susciperet: siquidem in susceptione sacramentorum non est essentialis ordo, vt superius ab inferioribus pendeat: potest enim fieri diaconus qui non erat subdiaconus, & presbyter ille, qui non erat diaconus, vt patet per titulum de clerico per saltum promoto: consequens tamen est falsum, quoniam si episcopus antequam fieret sacerdos consecraretur, nihil fieret. Quin verò quartò arguitur. Si in consecratione episcopi imprimeretur character, esset profectò superior charactere sacerdotis, atque adeò potestatem includeret consecrandi, veluti character diaconi characterem subdiaconi includit: ex quo fieret consequens, vt non alio opus fuisset præcedenti ordine sacerdotali. Accedit quintò, quòd sacramentum ordinis in sabbatis quatuor temporum confertur: episcopus verò non nisi diebus Dominicis consecratur. In summa, in tota episcopi consecratione nulla apparet forma & materia sacramenti, siue vnctiones, siue traditionem baculi, & impositionem mitræ, & alia omnia speculeris.

Duplex ordinis vsurpatio. *Conclusio.* *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.*

Eandem conclusionem affirmare videtur V Valdensis loco citato lib. 2. de sacramentalibus, vbi ait quòd in episcopo duo consistunt, potestas & ordo. Ordo quidem episcopo in parte cum cæteris sacerdotibus communis est, sed episcopus in culmine eorum consistit: & ita non tam alius ordo est, quàm alius gradus in eodem ordine. Et August. in quæstio. veter. & noui testamenti cap. 101. explicando verbum Apostoli ad Timoth. quomodo promiscuo nomine appellauerit presbyteros & episcopos, concludit. Quid est enim episcopus nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos?

V Valdensis. *August.*

Et per hoc ad argumentum in contrarium respondetur: non enim si dignitas & gradus est superior, subinde fit consequens vt sit nouum sacramentum: alioqui eadem ratione archiepiscopatus & papatus essent noua sacramenta. At verò Dionysius ac subinde alij, vbi non est disputatio de sacramento, illum gradum & dignitatem episcopalem appellant ordinem, & merito: nam gradus & dignitas superior, respectu inferiorum significantissimè ordo dicitur.

Sol. contrarij argum.

Alia verò sunt argumenta, quibus fautores aduersæ opinionis contendere possunt episcopatum esse sacramentum. Secundò igitur arguitur. Episcopus reliquis presbyteris non solùm iurisdictionis amplitudine antecellit, verùm & ordinis potestate: nam potest, vt dictum est, sacramentum confirmationis & ordinum administrare, qui non sunt actus solius iurisdictionis: aliàs posset vicario suo ea committere, sicut alia iurisdictionis officia, sed pertinent ad potestatem ordinis: quare nisi episcopus sit consecratus, non potest illa exequi. Tunc sic arguitur. Sacramentum ordinis nihil aliud esse videtur, quàm signum potestatis vel ministrandi sacerdoti in Eucharistia, vt diaconatus & subdiaconatus, vel administrandi sacramenta: sed per consecrationem episcopi confertur ei potestas administrandi

2. Arg. contraria opinionis.

sacramenta, quæ non potest simplex sacerdos: ergo illa eius consecratio est singulare sacramentum imprimens characterem. Tertiò arguitur ex eodem fundamento, quo suprà nos vsi sumus. Diaconatus & subdiaconatus propterea sunt sacramenta, quòd immediatè ordinantur ad Eucharistiam: puta ad subministrandum sacerdoti: sed functiones episcopi, vt ministros ordinare, vasa & vestes consecrare, referuntur ad sacramentum Eucharistiæ consecrandum: ergo episcopatus est sacramentum.

3. Arg.

4. Arg.

Quartò (quod est omnium maximum) arguitur. Sacramentum est gratiæ signum & causa suscipientem ad sua officia exercenda sanctificantis: sed episcopus ad ea quæ super sacerdotem dispensat, altiori gradu sanctitatis indiget, cùm amplior illi administratio Ecclesiæ incumbat: ergo per suam consecrationem recentem gratiam recipit, atque adeò illa est sacramentum.

Solut. S. Th. ad secundū argum.

Ad secundum argumentum S. Tho. loco citato præsenti dist. respondet, quòd licet episcopo detur aliqua potestas non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis supra illam quam habet simplex sacerdos, nihilominus illa non habet rationem noui characteris: quia omnis character ordinis ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur: episcopatus verò non tam ordinari dicitur ad illud sacramentum, quàm eius facultatem præsupponere. Et ideo licet diaconatus, quia per se potest esse diaconus, antequam sit presbyter, characterem per se imprimat, tamen episcopatus, quia non est via ad sacerdotium, sed illud præsupponit, illudque perficit, non imprimit characterem nouum, sed ipse idem character sacerdotalis, dum sacerdos in episcopum consecratur, fit extensior & amplior extenditur, inquam, ad aliqua munera exequenda, quæ antea nequiuerat.

Episcopatus non imprimit characterem.

Sol. 3. arg.

Et per hoc respondetur ad tertium. Negatur enim episcopatum propriè ad sacramentum Eucharistiæ ordinari: quia non ordinatur ad sacerdotium, sed est eius perfectio: episcopus enim non est nisi quidam consummatus, & vt ait Aug. primus sacerdos, qui simpliciter omnia sacramenta conferre valet, & vasa consecrare, &c. Tametsi illa ratione dicatur ordinari ad Eucharistiam, quòd episcopus confert sacerdotium, quæ est potestas illam consecrandi. Hic autem ordo non est proximus & immediatus ad Eucharistiam, ceu diaconi & subdiaconi sacrificio ministrantium, sed remotus ad conferendam potestatem consecrandi.

Sol. 4. arg.

Ad quartum argumentum. Posset quispiam dicere, quòd sicut character sacerdotalis extenditur in episcopo: ita & gratia per eius consecrationem augetur. Attamen hoc veritati non consonat: quoniam gratia non augetur, nisi nouus producatur intensionis gradus: qui si virtute operis producatur, necesse est illud opus esse sacramentum, veluti gratia baptismalis augetur per confirmationem: cùm ergo consecratio episcopi non sit sacramentum, fit vt nec gratiam adaugeat. Notandum ergo quod gratia in sacramento ordinis non confertur ad illa officia exercenda, quæ spectant ad iurisdictionem & gubernationem, sed ad illa quæ ad potestatem ordinis attinent: hoc enim sonat gratia sacramenti ordinis, quæ ideo annexa est characteri, nisi opponatur obex. Alioqui dicendum esset copiosiorem gratiam conferri archiepiscopo, dum consecratur, quia ampliore fulget iurisdictione, ac longè ampliorem summo pontifici, cui amplissima competit gubernatio. Gratia verò, quæ ad potestatem characteris ordinis attinet, completè per sacramentum ordinis sacerdotalis confertur ad omnia administranda sacramenta, quæ quocunque tempore sacerdos administrare debuerit. Et ideo licet dum consecratur in episcopum, extendatur eius potestas ad alia tradenda sacramenta, scilicet confirmationem, & ordinem, non tamen indiget noua gratia sacramentali, tametsi per morum meritorumque augmentum debeat conniti, vt cumulatiori prouehatur.

Gratia in sacramento ordinis ad quæ confertur.

Gratia completè in sacerdotio confertur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm supra Episcopos sit aliquis superior ordo in Ecclesia.

Pars negatiua 1. Arg.

POST hæc quæritur de Archiepiscopis & alijs Pontificibus vsque ad summum. Et arguitur nullum esse ordinem in Ecclesia episcopatu superiorem. Episcopus enim nihil aliud est, quàm consummatus & summus sacerdos, secundùm illud Ambrosij super epistolam ad Ephe. ca. 4. In episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est: hæc ille. potest n. omnia sacramenta simpliciter dispensare, in quo summa ratio potestatis ordinis consistit: ergo episcopatu nullus est superior ordo: quapropter Romanus pontifex non aliud se quàm episcopum Romanum nominat, ac subinde episcopum totius orbis.

2. Arg.

Secundò arguitur. Superior potestas per inferiorem non confertur, neque æqualis per æqualem: quia vt ad Hebr. 7. ait Paul. sine vlla contradictione quod minus est, à maiori benedicitur: quare simplex sacerdos neque episcopum ordinat, neque alium simplicem sacerdotem, sed episcopus sacerdotem, episcopus autem quemcunque alium potest promouere, & consecrare, etiam Pontificem maximum: nam Hostiensis episcopus consecrat Papam: ergo episcopatu nullus est excelsior ordo.

Pars affir.

In contrarium autem est autoritas Isidori distin. 21. can. Cleros. vbi pluribus episcopis Archiepiscopus præficitur: & super archiepiscopos est patriarcha, vt 80. distin. cano. Vrbes. definitur.

1. Concl.

Ad quæstionem præsentem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Inter episcopos & summum Pontificem interstant alij ordines per gradus ascendentes. Sunt enim primùm archiepiscopi, hoc est, principales episcopi, vt canonibus citatis asseritur, & vsu Ecclesiæ obseruatur, qui pluribus episcopis præficiuntur, atque adeò pallio super humeris insigniuntur, quod episcopis non conceditur, can. Quoniam quidam. dist. 100. Quapropter Metropolitanus idem est quod archiepiscopus, solo nomine differens: ob certam n. ciuitatum mensuram, quibus debet præsidere, sic appellatur, vt eo. cano. Cleros, & can. Scitote. 6. q. 3. legitur: Archiepiscopis præponitur patriarcha, quod Græcum nomen idem sonat Latinè quod principalis pater. Patriarchæ autem sunt post summum Pontificem dignitate & authoritate primi 10. dist. cano. Vrbes. & can. Diffinimus. Quare patriarchæ & primates solo nomine differunt, vt ibidem legitur. Fuerunt que instituti instar protoflaminum, qui fuerunt inter gentiles sacerdotum primores, vt eod. can. habetur, & Magist. sentent. affirmat. Non autem sic est intelligendum, quòd illa ratione Ecclesia hos ordines instituerit, sed quòd cùm religio Iudæorum non fuisset per diuersa regna & prouincia diffusa, sicuti gentilium ritus, sed erat in vna gente concluſa, apparet varietas ordinum in lege euangelica quantum ad eius effusionem, potius gentilitatis imaginem referre, quàm Iudaismi: cæterùm quantum ad rei veritatem, non fuerunt ijdem ordines instituti, nisi propter decorum Ecclesiæ & necessitatem.

Archiepiscops.

Metropolitanus.

Patriarcha.

Primas.

Et quidem prope Apostolorum ætatem quatuor Ecclesiæ patriarcharum honore sub Romana Sede insignitæ sunt, nempe Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana, vt eod. cano. Diffinimus. refertur: nam in gratiam Constantini Cæsaris Constantinopolis dicta est noua Roma. 22. distin. can. Constantinopolitanæ. Iam verò plures sunt, vt in Hispania patriarcha noui orbis: nam vt ait Anicetus Papa can. Nulli. dist. 99. dum gens aliqua ad fidem conuertitur, potest præ multitudine Primas ibidem constitui.

Quatuor Patriarchæ primitiuæ Ecclesiæ.

Patriarcha noui orbis.

2. Concl.

Secunda conclusio. Isti ordines nec sacramenta sunt ordinis, neque potestate ordinis differunt, sed sola iurisdictionis amplitudine. Primam partem iam supra monstrauimus: nam si episcopatus non est per se sacramentum, multò minus vel archiepiscopatus, vel papatus. Imò qui autumant episcopatum esse sacramentum, non aliud nouum agnoscunt in papa. Quòd autem non differant potestate ordinis inde constat, quòd nullum sacramentum potest papa administrare, quòd non possit & quicunque episcopus. Templa etiam, altaria, vestes, vasa & virgines possunt omnes episcopi sicut papa consecrare & benedicere, atque adeò consecrare episcopos & archiepiscopos, & ipsum papam. Quapropter si qui in papam eligitur, episcopus erat, non denuò consecratur in papam: quia papa non est nisi summus episcopus.

Prima pars conclusionis probatur.

Secūda pars cōclusionis.

Ex his ergo argumentorum solutio colligitur. Ad primum enim conceditur, episcopatum quantum ad potestatem ordinis esse summam Ecclesiæ dignitatem. Differunt ergo prædicti ordines solo iurisdictionis ambitu & latitudine. Dicuntur, inquam, ordines diuersi propter gradus dignitatis diuersos.

Sol. 1. arg.

Et simili modo ad secundum respondetur, quòd

Sol. 2. arg.

pote-

potestas episcopi excellit potestatem sacerdotis, quasi potestas altioris generis, & ideo non quicquid potest episcopus, potest simplex sacerdos. Non autem eadem episcopalis dignitas à superioribus excellitur tanquam à potestatibus celsioris generis, & ideo quicquid potest papa pertinens ad potestatem ordinis, potest quicunque episcopus. Sed potest ratione iurisdictionis eligere & confirmare episcopos, quod alij episcopi non valent.

Ordo Cardinalium an sit per se ordo.

De ordine verò Cardinalium est dubium, vtrùm sit per se ordo ab his connumeratis iure diuino distinctus. Etenim Cardinalis de Turrecremata lib. 1. de summa Ecclesiæ ca. 80. affirmat ordinem esse iure diuino cæteris Ecclesiæ sublimiorem. In cuius confirmationem nescio quam distinctionem in Apostolis comminiscitur. Ait liquidem primùm in illis considerandum, quòd ante ascensionem Christi principaliter ei astiterunt, iuxta illud Lucæ 22. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Deinde & post eius ascensum assistebant Petro tanquam eius vicario administrationem papalis ministerij gerenti. Sed tertiò considerantur, vt à Petro separati ab inuicemque adeò in diuersas regiones distributi ad prædicandum, iuxta illud, Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Ait ergo quòd quantùm ad primam & secundam considerationem Cardinales Pontifici maximo assistentes repræsentant Apostolorum statum. Sed quantum ad tertiam episcopi successerunt Apostolis. Vnde infert primò, quòd Apostoli prius fuerunt Cardinales quàm episcopi: nam prius fuerunt Christi consiliarij, quàm pastores & prædicatores instituti, atque adeò prius fuerunt Cardinales orbis, quàm episcopi vrbium.

Opinio Turrecremata.

At verò licet placuerit viro alioqui doctissimo ordini suo nimium indulgere & fauere, certè commentatio hæc non nititur solido fundamento: & ideo subiungitur tertia huius articuli conclusio. Cardinalium ordo non censetur iure diuino institutus tanquam à presbyteris & episcopis distinctus, sed est iure pontificio introductus. Prior pars probatur, quia in sacra pagina non habet firmius fundamentum, quàm illud Turre Crematæ, quòd quidem est infirmissimum. Sed dicti sunt Cardinales, id est, principales, siue episcopi sint, siue presbyteri, siue diaconi, siue subdiaconi, imò & acolyti: eo quod Romæ residentes summo Pontifici assidentes, quasi Ecclesiæ cardines. In qua subinde meritò splendorem habent, tum quia in summo eius consistorio considunt, tum præsertim quia electio summi pontificis ad eos de iure spectat, vt patet per decretum Nicolai papæ secundi in sexta synodo can. In nom. domin. 23. dist.

3. Concl.

Cardinalium ordo iure Pontificio est introductus. Cardinales quare sic dicti.

De antiquitate verò eiusmodi cardinalatus non satis constat quanta fuerit. Quod enim Hieronymus fertur Cardinalis fuisse, nondum est ab Ecclesiasticis vel historicis, vel doctoribus satis exploratum. Sunt verò qui censeant eundem ordinem antiquissimum: nam in concilio Lateranensi sub Gregorio secundo anno Domini DCCXXIIII. post episcopos subscripserunt presbyteri Romani. At cùm non sint appellati cardinales, sed fuerint episcopis posthabiti, non est certum an de cardinalibus, quales sunt modò, id sit intelligendum. Alij autumant iam tunc tempore Syluestri hunc fuisse ordinem constitutum: nam in Romana Synodo ait, quòd presbyter cardinalis nisi quadraginta quatuor testibus non damnabitur. 2. q. 5. can. Præsul. Et postea, A subdiacono, inquit, vsque ad lectorem omnes subditi esse debent diacono cardinali 93. dist. can. A subdiacono. At verò nescio vtrùm nomen cardinalis in hoc significato illic vsurpauerit, an verò pro eo simpliciter, quod est principalis: vt presbyter cardinalis idem sit quod archipresbyter, & diaconus cardinalis, idem quod archidiaconus: pluris enim Papa æstimat illic episcopum, quem nisi in septuagintaduobus testibus damnari non permittit, quàm presbyterum cardinalem, quem in quadraginta quatuor condemnandum censet. Qua vtique ratione & Archiepiscopus potest episcopus cardinalis appellari, id est, principalis, quo alludit Gregorius, qui 7. q. 1. can. Pastoralis. appellat Ioannem Squillitanæ Ecclesiæ episcopum cardinalem. Et certè neque in concilio Niceno, neque in Synodis Constantinopolitanis vsque ad sextam sub Nicolao secundo inuenitur hoc nomen. Tametsi canone illo, In nomine Domini, qui à quingentis hinc annis conditus est, cardinales sint appellati, non tanquam res noua, sed tanquam res longè vetustior. Quare Cardinalium ordo antiquior est multò quam nonnulli censent. Hoc autem alius fuerit loci pressiùs disputare.

Cardinalium antiquitas.

Tempore Syluestri an creati fuerint cardinales.

Huiusmodi autem episcoporum & archiepiscoporum ordinibus vestes ornatus gratia adaptauit Ecclesia, quæ eorum dignitatem illustrarent, idoneitatemque designarent, quæ in eis requiritur ad tractandum diuina. Horum verò indumentorum quædam sunt episcopis, sacerdotibus, eiusque ministris communia, quæ sunt sex: scilicet, amictus, & talaris vestis alba linea, cingulum, manipulum, stola, casula. De quorum significatione dist. 23. q. 2. artic. 4. fusè dictum est. Præter hæc autem episcopis adhibentur nouem propria, vt vestium numerus numero functionum respondeat. Conuenit enim episcopis propriè supra sacerdotum munera populum confirmare, clericos ordinare, virgines benedicere, basilicas dedicare, Synodos celebrare, chrisma conficere, vestes & vasa consecrare, sacram paginam prædicando interpretari, ac demum ius dicere. Primum igitur eorum ornamentum sunt caligæ, quibus gressuum rectitudo designatur. Secundum sandalia, quæ pedes contegunt, ad significandam pulchritudinem pedum, vti est apud Esaiam, † annunciantium & prædicantium pacem, annunciantium bonum, & prædicantium salutem. Hæc autem sandalia, vt Hugo. lib. 2. de sacrament. part. 5. cap. 14. autor est, subtus habent integras soleas, ad admonendum episcopos ne terrena affectibus tangant, sed despiciant: supernè verò locis quibusdam aperiuntur, alijsque conteguntur, ad significandum mysteria fidei non omnibus esse propalanda, sed quibusdam, iuxta illud, † Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Tertium est succinctorium, quo stola ligatur cum alba sacerdotali, in signum amoris honestatis, quo candor vestis ad lumbos succingitur. Quartum est tunica serica talaris, significans virtutum, & potissimùm honestatis, perseuerantiam: nam & castissimum Ioseph talari tunica vsum fuisse scribitur: demissio enim vsque ad talos, perseuerantiam vsque ad vitæ extremitatem designat. Quintum est dalmatica, largitatem operum misericordiæ repræsentans. Sexto loco traditur ei baculus pastoralis vncus, vt illa curuitate vagas & errantes oues colligat, stipite autem infirmos sustentet, sed extremitatis cuspide segnes & desides ad opera virtutis stimulet. Quo vtique Papa propter plenitudinem potestatis non vtitur. Carmen ergo sic episcopos admonet. Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta. Septimum traditur ei quasi Ecclesiæ sponso annulus benedictus, qui est sacramentum fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo, ipsique subinde episcopus eidem Ecclesiæ. Octauum ornamentum est mitra, duo habens cornua, quæ scientiam vtriusque testamenti referunt, qua vtique velut galea salutis, vt ait Paulus, † communitus episcopus hostibus veritatis terribilis apparere debet. Nonum denique sunt chirothecæ, quibus manus operiantur, ad significandum prudentiam & splendorem operum, iuxta illud Matth. † Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Ac demum vt velut Iacob hædorum pellibus manus contectus benedictionem paternam accepit, sic episcopus sacrosanctam hostiam altaris offerens, diuinam benedictionem impetrare mereatur.

Episcoporũ & sacerdotum vestes.

Episcoporũ nouem indumenta propria. Eorumq; functiones nouem.

Primum ornamentũ, quid designet.

Secundum.

Sandalia. Isa. 52.

Luc. 8.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Octauum.

Ephes. 6.

Nonum.

Matt. 5.

Super hæc archiepiscopo confertur pallium propter honoris augmentum, vt 100. dist. can. Prisca. & can. Rationis. quod habet torquis effigiem. Quo insigni aureo egregiè certantes olim donari solebant. Quapropter eo Romanus Pontifex in missarum solennijs semper & vbique vtitur propter plenitudinem potestatis, quæ in pallio significatur. Archiepiscopus verò non nisi in sua Ecclesia & suffraganeis, & quibusdam solennibus diebus. c. Ad honorem. extra de autor & vsu pallij.

Pallium archiepiscopi.

Aduersus hæc autem forsan quis obijciat ritum Mosaicæ legis: nam episcopatus Euangelici figuram præferebat tunc Pontifex maximus, & tamen alijs ornamentis induebatur quam noster Episcopus. Etenim vt Leuit. 28. legitur, & Iosephus lib. 3. de antiquitatibus c. 11. interpretatur, decem ornabatur vestibus, quatuor scilicet quæ cunctis sacerdotibus erant communes. Istæ erant fœminalia linea, & tunica de byssо, & baltheus, 3. cingulum, & ciara siue mitra de byssо supernè acuta. Atqui cùm fœminalia sacerdotem castitatis admonerent, quam euangelici præ illis seruare tenentur, illis

1. Obiectio.

Pontificis maximi antiquæ legis ornamenta.

debe-

Digitized by Google

2. Obiectio. deberent modò similiter vti. Prætèrea sacerdotium noui testamenti dignius est quàm illud veteris: ergo deberent omnes, sicut illi, mitras in signum dignitatis gestare.

Sol. 1. arg. Ad primum loco citato respondet Hugo, quòd illis non indicebatur continentia, nisi illo tempore, quò templo ministrabant: nam erant coniugati: & ideò tunc fœmoralibus succingebantur. Nostri verò perpetuæ castitatis cultores, non indigent illo habitu dum ad altare accedunt. Sed loco illorum calciat se episcopus noster sandalia. Ad secundum respondetur, quòd mitra sacerdotum non erat dignitatis insigne, sed vt ait Hierony. erat ficut quoddam galerum. Cidaris autem, quam pontifex maximus illi superponebat, erat indicium dignitatis, cui ideo mitra nostrorum episcoporum successit.

Sol. 2. arg.

Propriæ vestes summi sacerdotis. Vestes autem summi sacerdotis erant propriæ sex aliæ: scilicet poderis, quæ erat vestis byssina vsque ad pedes, quo etiam talari indumento vtitur noster episcopus. Deinde tunica hyacinthina, cui in episcopo respondet dalmatica. Nam quia in episcopo, qui alios ministros creat, origo eorum existit, dalmatica diacono & subdiacono vtitur subtus casulam, sacerdos verò minimè. Item gestabat superhumerale, cuius loco episcopus vtitur stola: nam illud humeris impositum onus Euangelij, interprete Beda, vt modò stola, significabat. Quartò præferebat & in pectore rationale, cuius locum refert pallium archiepiscopi. Quintò gerebat & cidarim, hoc est, mitram byssinam, veluti & nostri episcopi. Ac denique in fronte laminam, vbi Dei nomen scriptum erat tetragrámaton, pro qua noster pontifex gerit crucem, vt lib. de officio missæ ait Innocentius. Sunt qui addant ephot, pro quo episcopi vtuntur amictu, tametsi alij autument non aliud fuisse quàm superhumerale.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in culmine omnium ordinum sit iure diuino vnus summus pontifex.

Pars negatiua arg. CONSEQVITVR hic tandem, vt de primatu Summi Pontificis supremus adhibeatur articulus. Arguitur enim à parte negatiua. Si vnus esset huiusmodi summus Pontifex, id maximè esset: quia Christus aliquid vni præ cæteris Apostolis singularis dignitatis tribuerit, vt Petro Apostolo, Matth. 16. Quodcunque solueris, &c. Sed ipsum Matth. 18. concessisse legitur cunctis Apostolis, Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, &c. & Apostolis Episcopi successerunt: ergo præter episcopos nullus est qui iure diuino apicem Ecclesiæ teneat.

Pars affirmatiua. In contrarium tamen stat authoritas Constantinopolitani concilij, vbi legitur. Veneramur secundùm scripturas & canonum definitiones sanctissimum antiquæ Romæ episcopum primum esse & maximum episcoporum, & post ipsum Constantinopolis episcopum.

Decis. art. Quæstio hæc inter orthodoxos nulla est, quippe qui affirmatiuam veritatem ceu catholicam venerantur. Quare qui eam abnegant, meritissimò vt hæretici & schismatici habentur. De qua multi nobiles autores tum antiqui, tum etiam iuniores luculenter disputarunt, quorum sunt Caietanus inter sua opuscula, & Ekius in suo opere, quod de hac re non minus egregium quàm amplum edidit. At quoniam S. Tho. & reliqui hoc loco eam tractant, non debuit à nobis intacta præteriri. Respondetur ergo vnica affirmatiua, eademque catholica conclusione: Vniuersis Ecclesiæ ordinibus supereminet dignitas Pontificis maximi, qui apicem totius Ecclesiæ obtinet. Ratio cum primis est, quam art. 2. insinuabamus. Instituit enim Christus Ecclesiam instar monarchiæ, quæ optimum est omnium regiminum: in monarchia verò omnes ordines consummantur in vnum culmen, quod sit particularium omnium vniuersale: nam vt 1. Ethic. author est Philosophus, in omnibus virtutibus & actibus secundùm ordinem finium sumitur & artificum præeminentia, arti enim frænifactiuæ imperat equestris, & ei quæ est extruendarum nauium, imperat ars nauigandi: eadem ergo similitudine in Ecclesiastica republica parœciarum plebani subduntur episcopo ciuitatis, episcopi verò plures vni archiepiscopo, ac demum vniuersalis Ecclesia vni summo Pontifici, qui est Christi vicarius. Id quod præterea inde confirmatur, quòd Christus Ecclesiam exemplo optimæ politiæ fundauit: optima autem, vt 2. Polit. autor est Philosophus, est regalis, cui vnus præest. Quod exemplo apum Hierony. can. In apibus. 7. q. 1. demonstrauit.

Cond. Ratio conclusionis. Aristot. Eadem catholica veritas præclaro testimonio Christi confirmatur, Matth. 16. vbi Petrum fundamentum instituit Ecclesiæ, dicens ei: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis: & quodcunque ligaueris, erit ligatum. Sed quamuis alij hunc locum locupletissimè edisserant, quorum est Ekius lib. 3. de primatu pontificis, non erit superuacaneum hic nos tantisper immorari. Sunt enim qui verbum illud, Super hanc petram, non ad Petrum referant, sed vel ad Christum ipsum, qui est lapis angularis totius Ecclesiastici ædificij, de quo 1. Corinth. 3. ait Paul. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præterquam quod positum est, quod est Christus Iesus: vel ad ipsam confessionem Petri, Tu es Christus filius Dei viui, quæ prima est petra, hoc est, articulus, cui fides nostra subnititur. Quorum vtramque expositionem Augustinus aliquibus locis sequitur. Alij item, Tibi dabo claues regni cœlorum, non Petro singulariter dictum autumant, sed vel toti apostolorum collegio, vel Ecclesiæ in communi. Porrò autem Euangelico contextu attentius inspecto ad Petrum singulariter totum pertinere constat. Enimuerò non sine mysterio interrogante Christo Apostolos, Quem dicunt homines esse filium hominis? Omnes responderunt, Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, &c. Sed rursus scisciranti, Vos autem quem me esse dicitis? Non omnes, sed singulariter Petrus respondisse fertur, Tu es Christus filius Dei viui, quasi confessio illa ipsius esset propria: nam aliorum corda, in quibus latebat fides, quomodo ipse Petrus habere potuisset comperta? Præsertim quòd inter illos erat Iudas, qui fidem nondum ebiberat. Vnde cùm postmodum idem Petrus, non satis cunctorum pectora exploratus, omnium nomine fidem confiteretur, dicens, Nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus, respondit Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Quasi dixisset, non satis omnium pectora inspexeris, vt pro omnibus respondeas. Quocirca Leo papa in sermone 3. de passione Dominica, Vnus, inquit, de toto mundo eligitur Petrus, qui cunctis Ecclesiæ patribus præponatur. Et causam subdens ait, Omnes Apostolos, quid de se opinentur homines, Christus interrogat, & tamdiu respondentium communis est sermo, quamdiu humanæ intelligentiæ explicatur ambiguitas (scilicet alij Ioannem, &c.) At vbi quid sensus habeat discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in apostolica dignitate & potestate. Confessio ergo Petri, sua ipsius fuit singularis. Id quod & ex subiunctis verbis firmius confirmatur. Nam ei singulariter respondit Christus dicens: Beatus es Simon Barionà, j. filius Ioannis: quia caro & sanguis, hoc est, pater iste tuus carnalis; non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Vbi opponendo patrem suum patri Petri, reuelationem edocet esse illi peculiariter factam priusquam cæteris Apostolis: ob idque adeo eum singulariter beatum appellat. Quæ quidem sententia est Clementis Papæ in epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini, vbi Petrum fundamentum fidei à Christo positum esse commonstrat, cuius ideo ore cognominatus est Petrus: nam & primùm, inquit, Petro Deus pater filium reuelauit, cui & Christus competenter beatitudinem contulit.

Petri nomen. Sed age & de nomine ipso Petri rem apertius pandamus. Quid n. in causa esse potuit, vt nullum aliorum, sed Simonem solum, Petrum nuncupauerit, nisi vt de petra fidei, quam ore protulerat, nomen duceret, quo deinceps appellaretur? Quam quidem nominis mutationem ei prædixerat Io. 1. Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod quidem non est nomen græcum, vt κεφαλη, hoc est, caput, sed (vt ait in interpretatione Hebraicorum nominum Hieronymus) Syrum, idem sonans quod solidum, hoc est, stabilis & immobilis petra. Ob idque subdit Euangelista, quòd interpretatur Petrus, ac si petra masculini generis esset. Fatemur ergo ingenuè confessionem illam, Tu es Christus, primam esse fidei petram: nam nisi quis

Ratio 2. Ratio 3. Fusè exponuntur locus Matth. 16. Tu es Petrus, &c. Super hanc petram. Augustin. Tibi dabo claues, &c. Nota.

Christum primùm agnouerit esse Deum, qui mentiri nequit, neutiquam quæ ipse nos docuit, firma fide tenebit. Qui autem illud semel fundamentum supposuerit, cuncta subinde credet per ipsum reuelata. Veruntamen non dixit, super hanc petram ædificabo fidem meam (quanquam & hoc sit verissimum) sed Ecclesiam, hoc est, politiam & rempublicam meam, quæ prælatorum administratione gubernatur: atque super vno summo prælato fundari debet. Fuit ergo legitimus sensus. Eo quòd tu confessus me es filium Dei, atque adeo primam petram & fundamentum, vt verè sum, Ecclesiæ quam fabricare pergo, Ego te vicissim Petrum (i. petram) instituo, qui vice mea petra eiusdem sis & fundamentum in terris. Atque hoc significat colusio illa verborum & concentus, Tu es Christus: Et, Tu es Petrus. Vnde quid sibi per naturam competit, id Christus per gratiam tribuit Petro. Quapropter dum ait, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. demonstratio pronominis non refertur ad confessionem Petri, s. Tu es Christus, aliàs non opus erat inferere, Tu es Petrus, sed refertur ad ipsum Petrum. Ac si dixisset, tu es petra, & super hanc petram, &c. Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam (s. Ecclesiam) super te fundatam. Et sicut ego habeo clauem Dauid, qui occlusos cœlos aperturus modò sum, eorundem cœlorum ego tibi claues concredam, vt quicquid tu vice mea solueris super terram, sit solutum & in cœlo: & quicquid ligaueris, ligatum. Atque huius sententiæ sunt quotquot præcesserunt patrum, qui eiusdem fuerunt Ecclesiæ columina. Origenes homilia 5. super Exod. Magno illi, inquit, Ecclesiæ fundamento, petræque solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam suam; vide quid dicatur, Modicæ fidei quare dubitasti? Et in epistola ad Iubaianum Cyprianus, Super Petrum, inquit, Christus ædificauit Ecclesiam suam, vnde vnitatis haberet originem. Et Hieronymus super eundem locum Matth. Quid est, inquit, quod ait Christus, Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti, Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi non sermone casso, nec nullum opus habente, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt mundi lumen appellarentur, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in Christum, Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei, Ædificabo Ecclesiam meam super te. Idem Ambrosius in sermone de natali Petri & Pauli, & in sermone de fide Petri, & in multis alijs locis.

Atqui Augustinus ipse, licet eius ingenium fuerit cuncta variaque adeò Euangelij sensa explorare, vt lectoribus optionem relinqueret, & ideo quandoque petram ibi pro Christo, quandoque pro fide accipiat, nihilominus tandem in eam se recipit sententiam, vt referatur ad Petrum, vt in sermone de cathedra Petri & expressiùs sermone 26. de sanctis, Audistis, inquit, frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum, sicut ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè pedes sanat, &c. Extant & decreta plurima, tum conciliorum, tum & pontificum, quale est illud citatum Leonis, & aliud Anacleti, can. In nouo. d. 21. In nouo, inquit, testamento post Christum Dominum à Petro sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia datus est, dicente Domino ad eum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Sed & ille alius locus Ioannis vlti. nihilo minorem habet energiam ad id constituendum. Haud n. temerè Christus Petrum interrogauit, Diligis me plus his? sed quia aliquid ei præ alijs singulare committere volebat, nempe, Christiani orbis gubernaculum: ob id n. præmisit eius examen, an dignior reliquis esset: quo præmisso subiunxit, Quia diligis me plus his, pasce oues meas, hoc est (interprete illic Chrysost.) præpositus & caput esto fratrum, vt ipsi te in loco meo assumentes vbique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment. Qua vtique de causa & fidem Ecclesiæ, propriam Petri appellat, Lucæ 22. vbi eum à reliquis secernens ait, Ego rogabo pro te vt non deficiat fides tua, tu autem aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et ea propter Matthæus & Marcus inter referendum Apostolorum numerum à Petro incipiunt, quamuis, vt patet Ioan. 1. non ille fuerit priùs vocatus, sed Andreas. Neque simpliciter eum nominant, sed dicendo, Primus Simon, qui dicitur Petrus, ac si dicant, qui est capitis dignitate primus. Accedit quòd in concilio Nicæno & alijs antiquis, summus est Romano pontifici delatus honos. Et beatus Cyrillus episcopus Alexandrinus inter sua decreta, Vt membra, inquit, maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus: quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere & ligare loco illius qui ipsum ædificauit, & nulli alij quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit: cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Idemque Anacletus can. In sancta. dist. 22.

Igitur ad argumentum in capite obiectum respondetur, quòd quamuis omnibus Apostolis, quinuerò in ipsis omnibus sacerdotibus communiter data sit potestas ligandi & soluendi, tamen vt derivationis ordo quidam designaretur, primò promissa est Petro. Vnde Leo papa in sermone illo citato de passione post verba quæ suprà retulimus. Magnum, inquit, & mirabile huic viro, dilectissimi, consortium potentiæ suæ diuina tribuit dignatio, & si quid commune cum eo cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per istum dedit, quicquid cæteris non negauit.

Ex his planè fit consequens, in facultate Ecclesiæ non esse positum sic gubernationem Christianæ reipublicæ mutare, vt non esset Papa, sed diœceses per episcopos, archiepiscopos, & patriarchas gubernarentur: quoniam Papam Christus diuino iure sibi subrogauit vicarium, quem ideo de medio tollere Ecclesia non valet, sed tenetur illum ceu caput suum colere.

Quòd si contra arguas. Si Ecclesia eum non eligeret, nullus esset Papa: posset autem Ecclesia pro bono pacis, aut alia bona causa, nullum creare: ergo hoc est in sua positum facultate. Respondetur concessa maiori: nam electio papæ ad Ecclesiam pertinet, & ideo nisi ea ipsum legitimè crearet, nullus esset, sicut nullus esset episcopus, nec presbyter, nisi eius authoritate ordinibus initiatus. Attamen Ecclesia nullo iure posset ab electione pontificis abstinere, & ideo Spiritus sanctus eam non permittet in talem erroris foueam collabi.

Quòd si percuncteris vtrum posset saltem duos aut tres Romanos pontifices eligere, quorum alter occidentali Ecclesiæ, alter verò orientali præsideret. Haud n. defuerunt, quibus hoc probabile sit iudicatum. Vt si inter Romanam & Constantinopolitanam Ecclesias dissidium oboriretur, quod aliter placari non posset, quàm singulis earum singulos concedendo pontifices. Apparet enim nil diuini iuris tali instituto aduersari: quia vterque esset Christi vicarius alteri minimè subditus. Atqui si totus orbis orthodoxam fidem suscepisset, adeò non apparet incongruum, vt videri cuiquam posset congruentissimum vnum vni hemispherio, atque alterum alteri præficiendum. Nihilominus respondetur huiusmodi opinionem eo vsque esse errorem, vt sit etiam hæresis: quoniam Christus vnicam monarchiam instituit, cui vnum sui vicarium prætulit, sicut ipse vnicus est rex regni cælorum, quem ideo constituit esse summum caput, cui vniuersalis Ecclesia pareret. Repugnat autem duos esse, & vtrumque summum.

Sed forsan morosus & importunus sic nos redarguat. Quamuis constet Christum Dominum personam Petri suo sibi loco substituisse pastorem, non tamen inde palam colligitur instituisse, vt eius successores apicem illum semper tenerent. Respondetur tamen, quòd verba ipsa, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &, Tibi dabo claues, &c. & pasce oues meas, palàm demonstrant illa ratione Ecclesiam vsque ad postremum diem orbis duraturam fundasse, vt Petri successores perinde ac Petrus ipse vice Christi fungerentur, atque adeò vnusquisque eorum summum in Ecclesia fastigium teneret. Potest tamen suos legatos ad diuersas Ecclesias delegare cum plenitudine potestatis, vt sæpe assolet, non tamen supremam à se potest abdicare potestatem, quin illos valeat amouere, & causas, si ab illis appellaretur, cognoscere.

Verùm autem culmen hoc summæ dignitatis iure diuino in Ecclesia Romana consistat, ita vt episcopus Romanus & Summus pontifex sint diuino nexu coniuncti, non est tam certum quàm nonnulli arbitrantur.

Legitimus sensus loci.

Pronomen Hanc ad Petrum referri.

Origenes.

Cyprianus.

Hieron.

Ambro.

Auguſti.

Decreta conciliorum.

Locus Io. vlti.

Cyrillus.

Anacletus.

Solutio argu.

Leo papa.

An Ecclesia posset facere, vt non esset Papa.

Obiectio.

Dilutio.

Dubium. An possint plures summi Pontif. eligi?

Solutio dubij.

Redargutio.

Dilutio.

Legati papæ.

Dubium. An papa debeat esse Episcopus Romæ.

Digitized by Google

Caieta.

Porrò, Caietanus cap. 3. apologiæ de primatu papæ adeò hoc pro constanti habet, vt censeat iure diuino electionem pontificis maximi ad clericos Romanos spectare, sicuti & eligere suum episcopum. Idemque per illam historiam confirmat, quæ narrat, quòd cùm Petrus carcerib. absolutus ab vrbe exiret, obuius ei Christus dixit, Vado Romam iterum crucifigi: quam vtique historiam Inn. cap. per venerabilem. Qui filij sint legitimi. ad idem propositum allegauit. Inde enim colligit Caiet. mandatum fuisse Petro diuinitus, vt vrbem reuersus illic vitam finiret, atque adeò morte sua summum orbis episcopatum sibi commissum stabiliret esse episcopatum Romanum. Ita quòd episcopatus orbis & episcopatus vrbis non sunt duo coniuncti, sed episcopatus vrbis in episcopatum orbis fuerit erectus. Hæc autem subtiliter quidem dicta sunt, in quib. amplectendis nihil fortè subest periculi. Attamen primum historia illa, quam Egesyppus lib. 3. de excidio Hierosolymitano, & Ambrof. lib. 5. episto. refert, non tanta pollet autoritate, vt rei tanti momenti solidum sit fundamentum. Quare nec Inno. vt sactam refert. Præterea quamuis historia infirma non esset, collectio tamen non est satis firma. Nam etsi inde vtrumque colligatur, voluntatem Christi Domini fuisse, vt Apostolus Romam suo sanguine rubricaret: tenuissima tamen est rerum consequentia, vt subinde voluerit sedem Romanam sic esse sedem Pontificis summi, vt nulla ratione Ecclesia posset illas seiungere.

Sententia authoris. Ad Hysto. Egesyppi.

Esse decentissimum vt Rom. sedes sit sedes Successorum S. Petri.

Duo ergo ad quæstionem dicenda videntur. Primum, rem esse impendio decentissimam, vt Romana sedes Petri sanguine decorata, sit sedes successorum Petri. Id quod hactenus omnium conciliorum sanctionibus, & pontificum decretis qui hucusque præcesserunt, confirmatur. Et hoc est, quod Inn. voluit docere. Sed hac non obstante veritate, nulla profectò ex Euangelio prohibitio planè colligitur, quominus posset Ecclesiæ constitutione fieri, vt episcopus orbis sedem suam ab vrbe demutaret. Imò vt nullam sibi particularem Ecclesiam applicaret, cuius diceretur antistes, sed esset vniuersalis mundi episcopus, cui omnes particulares subijcerentur. Primum, quia in hoc more exemplum apostolorum referret, qui inquantum Apostoli, episcopi fuerunt vniuersales totius mundi, quamuis re vera fuerint in orbem nutu Spiritus sancti dispersi. Secundò, quia cùm Petrus quando institutus fuit à Christo vniuersalis Ecclesiæ caput, nulli fuerit particulari addictus, nulla ratio conuincit, vt per eius mortem fuerit iure diuino adstrictus Ecclesiæ Romanæ. Quapropter sicut ipse Antiochiæ septem annis sedit, & postmodum se Romam contulit, ita vnusquilibet suorum successorum, nullo vetante diuino iure, videtur posse sedem mutare. Hæc autem sic à me dicta sint, vt tamen semper Romanis pedibus meum submittam caput.

Non tamen necessariũ.

Ratio. 1.

Ratio 2.

DISTINCTIO VIGESIMAQVINTA, DE ORDINANTIBVS, ET ORDINATIS, ET EORVM EXEMPTIONE.

Textus Cap. 1.

HIVS autem sacramenti minister omnis solusque episcopus censetur. Sunt etenim qui pontificia dignitate funguntur, veluti publici administratores politiæ Ecclesiasticæ, quibus de priuatis ministris ac ministerijs disponere incumbit. Et cum, autore super Ioan. August. sacramentorum administri non sua propria, sed Christi facultate illa dispensent (nam ea fuit facta Baptistæ reuelatio. Super quem videris spiritum descendentem, &c. ipse est qui baptizat) consequens fit, vt quacunque fuerint episcopi criminis labe, etiam hæresis, intincti, & quomodocunque ab Ecclesia fuerint præcisi, veram & solidam sacramenti substantiam conferant: tametsi suscipientes, qui id vel non ignorant, vel nosse tenentur, gratiam sacramenti minimè suscipiant. Quæ quidem veritas confessio est eiusdem Aug. lib. 2. contra epistolam Parmeniani, quæ refertur can. Quod quidam. 1. quæstio. 1. ac perinde Greg. d. 68. can. Sicut semel. Nihilominus qui per simoniam hoc sacramento initiantur, irregulares iure sunt, atque vsu ordinis suspensi, vt Leo Papa can. Gratia. & Gregor. can. Quicunque ea. cau. & q. admonitum curarunt.

Solus episcopus & omnis est huius Sacr. minister.

Tract. 5.

Etiam hæreticus, præcisus &c.

Cap. 13.

Per simoniam ordinati, irregulares sunt.

Qua verò parte res ad suscipientes spectat, fœmineus sexus huic suscipiendo sacramento sic est ineptus, vt etiam si id fœminæ attentent, nullum suscipiant: est enim sacramentum hoc prælationis, quæ fœminas suopte sexu non decet. Vt enim Christus, autore Paulo, † caput est viri, ita & vir mulieris. Vsus autem rationis non est de eius necessitate: at quia maiores ordines votum habent annexum, illos ante rationis lucem suscipere meritò Ecclesia vetat. Quocirca qui illos tunc susciperet, nullo colligaretur voto. De ætate verò ordinandorum in concilio Viennẽsi sub Clemente pontifice c. Generalem. eod. titu. sancitum est.

Cap. 2. Fœmineus sexus nisi in est huius Sacr. capax.

1. Corint. 11.

Vsus rationis non est de necessitate huius Sacr.

Arcentur quoque Ecclesiæ cohibitione vt absque dispensatione hoc sacramento non fruantur, primum illi, qui non sunt legitimo matrimonio nati. Mox qui insigni corporis vitio fœdati sunt, aut membro mutilati. Deinde & serui. Ac demum ab eodem sacramento repellitur, tum bigamus, tum & homicida, & membri mutilator, vt titu. de homicidio cauetur. Polygamia namque significationi sacramenti dispensationis Christi & Ecclesiæ contraria est, & homicidium eius dignitati repugnat. Præter hæc demum alia sunt impedimenta, à diuersis delictis emanantia, quæ homines à regula excipiunt, & excludunt, quam Ecclesia ad ordines promouendis præscripsit. Vnde irregularitatis nomina sortiuntur. De quibus sacri canones ac decretales nos admonent. Hæc autem omnia impedimenta non quidem substantiam sacramenti auersantur, sed sunt præceptis aduersa.

Cap. 3. Cap. vt filij de fil. presbyter. Distinct. 14. per totam Quorum arcentur à suscep. huius Sacr.

Ad hæc & morum integritas, & iusta scientiæ copia, vnicuilibet ordini accommoda, necessaria est, vt Gregor. in pastorali docuit. Idque illo Leuitico testimonio confirmauit. Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offerat panem coram domino. Quinuerò Paulus ipse ad Timoth. pulcherrimam morum honestatem ab illis requirit, qui vel ad presbyterorum ordinem, vel ad diaconorum ascisciuntur. Iustam verò lineam hæretici hac de re iniquè transcendunt dicentes, lætalem quamuis labem clericum de suo ordine deijcere. Sed satis pestilentem eorum errorem testimonium illud citatum Ioan. interprete ibidem August. condemnat. Super quem videris spiritum descendentem, &c. ipse est qui baptizat. Colligitur enim inde gratiam non à ministro, sed à Christo pendere, quam ipse per sacramentum infundit: & ideo ministri vitio-

Cap. 4. Morum integritas & scientia necessaria.

1. Ad Timotheum 3.

Hæresis.

Ministri vitiositas non obstat Sacr. substantia nec effectui.

sitas,

Digitized by Google

sitas, dummodo charactere sit insignitus, neque sacramenti substantiæ obstat, neque verò effectui gratiæ.

Cap. 5. Ordinati pertinent ad Ecclesiasticam Remp.

Omnes igitur, qui ordinum sacramentis illustrati sunt, ad ecclesiasticam rempublicam pertinent, quæ vtique potestas est & facultas à ciuili distincta, illique adeò superior: siquidem Petrus vniuersalis pastor beneficio Christi institutus fuit totius eius familiæ. Quamobrem Pontifex maximus, licet non absolutè, vt ciuilis potentatus vniuersalis sit rex regnorum omnium temporalium, tamen in ordine ad spiritualem Ecclesiæ administrationem ea fungitur in omnes reges & regna facultate, vt possit bonis omnium temporalibus vti, cunctosque principes ac reges, etiam vsque ad eorum priuationem, cogere. Qua vtique ratione meritò censetur vtriusque gladij potentia pollere: hanc enim potestatem & Christus assumpsit, & nisi vicario suo commisisset, non satis Ecclesiæ consultum curasset.

Pontifex max. in ordine ad spiritualia omnibus superior.

Cap. 6. Ecclesiæ ministri à causis potestate sunt exempti.

Quocircà Ecclesiæ ministri in suis rebus & causis ecclesiasticis & spiritualibus eo ipso diuino iure, quo ecclesiastica potestas instituta est, censentur à ciuili potestate exempti. Sed & quod eorum personæ in alijs criminibus & causis secularibus sint à foris secularibus liberæ, quàm maximè est eidem diuino iuri consentaneum. Imo verò quamuis ius diuinum de re hac non esset expressum, in summo pontifice ea est diuina potestas, vt valeat clericorum ordinem, & vniuersa eorum bona à ciuilibus iudicijs, tributis & exactionibus prorsum excipere, iuxta tenorem sacrorum canonum, quibus. 11. quæst. 1. & alibi frequenter res hæc sancitur.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆQVINTÆ

Quæstio prima,

DE ORDINANTIBVS ET ORDINANDIS.

ARTICVLVS I.

Verùm omnis, solusque Episcopus sit huius sacramenti minister.

CONSTITVTO ordinis sacramento cum suis annexis, subsequitur de eius causa efficiente & suscipiente, ac de Ecclesiæ potestate & libertate dicere. Hæc ergo distinctio duas cepit quæstiones. Arguitur igitur, quòd non solus episcopus possit ordinare. Ordinantis proprium munus est materiam tradere ordinato & manus ei imponere: viget autem Ecclesiarum multarum vsus, vt archidiaconus materiam subdiacono, acolyto, & inferioribus tradat: item sacerdotes omnes adstantes manus post episcopum presbytero, qui ordinatur, imponant (dist. 23. cap. Presbyter.) Ergo non solus episcopus minister est conferendi ordines.

Pars negatiua arg. 1.

2. Arg.

Secundò. Ea quæ sunt ordinis non possunt alteri committi, quàm eis quibus ex officio incumbit: sed ex commissione Papæ presbyteri cardinales minores ordines conferunt, imo potest hoc simplicibus presbyteris committi: ergo non solus episcopus potest ordinare.

3. Arg.

Tertiò arguitur, quod non omnes episcopi ordinare valeant. Hæretici namque episcopi quidem sunt: quod verò ordinare nequeat, videtur affirmare Innoc. in can. Arrianos, 1. quæstio. 1. vbi ait, Arrianorum clericos non esse suscipiendos tanquam habentes sacerdotij aut alius ministerij dignitatem: quia solum eorum baptisma ratum esse permittitur, quod in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti perficitur.

4. Arg.

Quartò. Episcopus, qui per simoniam sacros ordines diuenderet, videtur nullum perficere sacramentum: nam qui sacramentum contra eius naturam dispensare contendit, nullum perficit, vt si Ecclesiæ intentioni contraueniret: natura autè & institutum sacramenti est gratiam conferre: vendere autem est non gratis dare, quòd gratiæ opponitur: ergo ille intentioni Dei contrarius est, atque adeò eius sacramentum non exhibet.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem, scilicet quod solus episcopus sit huius sacramenti minister, est, quòd sacramentum ordinis excellentius est confirmatione: sed confirmare, vt dist. 7. conclusum est, soli episcopi valent ergo & ordinare illis solis competit. Quòd autem omnis episcopus ordinare possit, inde patet, quòd etiam hæretici baptizare valent: ergo & ordinare.

Decis. ar.

Quæstio hæc de ministro huius sacramenti, quoniam distinctio. 1. quæstio. 5. abundè de ministris sacramentorum in genere discussa est, fastidium nunc generaret si prolixiùs deduceretur. Sub compendio ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Solus episcopus ex officio est huius sacramenti minister. Probatur ratione optima S. Thomæ. Episcopi dignitas est in ecclesiastica republica id, quod politica, id est, ciuilis & publica potestas in republica seculari respectu inferiorum artium & artificum: ad publicam autem ciuitatis potestatem, vt 1. Ethico. autor est Philosophus spectat commune bonum dispensare, atque adeò de artibus & magistratibus reipublicæ disponere, hoc est, instituere quam quisque debeat artem exercere, & quem administrare magistratum: ergo episcopi munus est vnumquemque in diuinis ministerijs collocare. Quamobrem eius functio est, populum confirmare: eo quòd per illud sacramentum Christianus instituitur Christi miles ad protegendam fidem, virginesque benedicere, quæ imaginem præ se ferunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cuius scilicet Ecclesiæ cura ipsi potissimùm incumbit: & fortiori ratione ei congruit eiusdem Ecclesiæ ministros sacris ordinibus inuitare, templaque subinde, vasa & vestes, quibus vtuntur, benedicere: instar secularis principis, qui publica officia & magistratus inter ciues distribuit.

1. Concl.

Ratio conclusio.

† lib. 1. c. 2.

Obiectio.

Quòd si quis arguat. Plus est corpus & sanguinem Christi conficere, quàm ordines conferre: sed simplex presbyter potest prius: ergo & posterius. Negatur consequentia: fallax enim est regula, vt quicunque potest maius, possit minus, quando illud minus præsupponit potestatem maioris. Potestas enim ordinandi præsupponit potestatem consecrandi, & quidpiam super addit.

De hæreticis & ab eccles. præcisis.

De hæreticis autem & ab Ecclesia discisis fuerunt opiniones tres errantium autorum. Prima dicentium hæreticos, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, posse conferre ordines, non tamen postquam sunt præcisi, id est, publica sententia condemnati & excommunicati. Alij verò dixerunt, quod etiam si sint abscisi dum tamen ante labem hæreseos fuerint ab Ecclesia legitimè promoti, post eandem labem, si sua fungantur dignitate, ordinati ab eis verum sacramentum obtinent. Si tamen non ab Ecclesia legitimè, sed ab hæreticis fuerint promoti, & sacramentum ordinis administrare tentent, nullum præbent.

2. Concl.

Aduersus has tamen contrarias opiniones statuitur secunda huius articuli conclusio. Hæretici quicunque, etiam præcisi quamuis non ab Ecclesia prius legitimè, sed ab hæreticis fuerint promoti, verum ordinis sacramentum, si id attentent, vtique conferunt: tametsi iure sint ab Ecclesia prohibiti, & ideo dum conferunt, mortaliter peccent. Postrema hæc pars certissima est apud omnes: scilicet quod peccent. Ambæ tamen priores probantur. Nam, vt Augu. tract. 5 super Ioan. ait, sacramentorum ministri non sua propria potestate, sed facultate Christi sacramenta confe runt, iuxta illud Ioanni Baptistæ reuelatum, Super

Conclusio probatur.

Ioan. 1.

Digitized by Google

quem videris ſpiritum deſcendentem, &c. ipſe eſt qui baptizat: ergo in miniſtro eſſentialis qualitas eſt, vt intentionem habeat conferēdi id, quod Chriſtus, ac perinde Eccleſia intendit, atque adeò formam legitimam & materiam obſeruet: probitas autem morum, ac ſubinde perſiſtentia in fide, non eſt niſi accidentaria, quæ ideò virtutem principalis agentis impedire non valet, ſi ſuſcipiens ſit diſpoſitus, vt habetur de can. Non nocet. 1. q. 1. & can. Baptiſmus, de conſec. diſt. 4. atque alijs quos in illa noſtra q. art. 5. allegauimus. Quòd ſi quis diuerſàm excogitet eſſe rationem inter baptiſmum & ſacramentum ordinis, vt can. Quod quidam. 1. q. 1. §. Opponitur autem inſinuatur ſ. quod apud hæreticos manet ius baptizandi, non tamen conferendi ordines, Auguſtinum conſulat lib. 2. contra epiſt. Parmeniani ca. 13. & refertur eod. can. Quod quidam. vbi docet nullam eſſe cauſam, vt qui baptiſma inter hæreticos retinet, ius dandi amiſerit, vel baptiſma, vel ordinis ſacramentum. Vtrumq; n. inquit, tam baptiſma, quàm ſacer ordo ſacramentum eſt, & ideo neutrum, quamuis ab hæreticis ſuſcipiatur, iterare licet in Eccleſia catholica. Et infra. Quia ſicut baptiſma in eis, ita manſit ordinatio integra. Et inferius. Sicut in baptiſmo eſt ius, quod per eos dari poſſit: ſic in ordinatione ius dandi eſt, vtrumque quidem ad perniciem ſuam: quia peccant dando. Aliud eſt enim, inquit, habere, aliud perniciosè habere, aliud ſalubriter habere. Atque idem lib. 2. de vnico baptiſmo repetit. Et Grego. diſt. 68. can. Sicut ſemel. Quod dicitis, vt ordinatus ab hæretico iterum ordinetur, valde ridiculoſum eſt. Accedit ratio manifeſta. nam poteſtas, quæ per conſecrationem ſuſcipitur, nullo accidenti euentu deleri poteſt, aut tolli, ſicut neque ipſa conſecratio: quia nec conſecrationes altaris & ornamentorum delebiles ſunt: vbi autem poteſtas permanet, vſus etiam quanquam illicitus ſit, ſuum ſortitur effectum: nam vt ſupra dictum eſt, character dicit nudam potentiam ad operandum, gratia verò eſt habitus ad rectè operandum. Epiſcopus ergo, quanquā ſit extra gratiam, ſacramenta adminiſtrare poteſt, quamuis perniciosè.

An ſit differetia inter hoc ſacramentū & baptiſmum. Aug.

Gregor.

Ratio.

Obiectio.

Sed arguat forſan quiſpiam contra. Epiſcopus, vt dictum eſt, characterē non ſuſcipit, ergo nec indelebilem poteſtatem. Reſpondetur autem, quòd etſi non recipiat nouum; extenditur tamen in eo ſacerdotalis character ad noua ſacramenta diſpenſanda, atque adeò ſuſcipit indelebilem poteſtatem.

Dilutio.

Secunda opinio ſecum pugnat.

Alia verò ſecunda opinio, quæ aiebat, quòd qui ordines ante hæreſim ſuſceperunt, retinent in hæreſi poteſtatem ordinandi, non tamen ſi illos ab hæreticis ſuſceperint, ſibi ipſi non conſtat, ſed pugnantia dicit. Nam ſi ordines, quos quis in Eccleſia catholica ſuſcepit, poſtea in hæreſi retinet, conſequitur, vt qui ab ipſo eodem hæretico fuerint ordinati, veros quoque ſuſcipiant ordines, atque adeò ipſi alios ſubinde ordinare queant.

Tertia opinio.

Tertia opinio in aliud peccabat extremum, nempe, quòd hæretici non ſolùm verum ſacramentum ordinis conferunt & characterem, verùm ſupremum etiam effectum gratiæ. Contra quos ſubiungitur tertia concluſio, quæ ſit quarta, eademque veriſſima, opinio. Illi, qui ab hæreticis ordinantur, gratiam non ſuſcipiunt: quia cùm illis interdicta ſit ſacramentorum adminiſtratio, fit vt qui illis ſeſe ordinandos ſubmittunt, eorum ſint participes criminis, atque adeò obicem gratiæ opponant. Quapropter ſicut illi perniciosè conferunt, ita & hi perniciosè ſuſcipiunt, atque adeò ſic charactere ſacramentali inſigniuntur, vt tamen eius gratia fruſtrentur.

Tertia cōcluſio contra 3. opin.

Nota.

Quòd autem de ſacramentis hæreticorum dictum eſt, id de ſacramentis quomodocunque ab Eccleſia præciſorum eſt intelligendum. Quicunque n. verè Epiſcoporum, quamuis excommunicatus ſit, vel ſuſpenſus, vel irregularis, vel degradatus, vel ſchiſmaticus, vel apoſtata, ſi ordines adminiſtrare attentet, vera ſacramenta perhibet. Et eadem ratione ſi baptizat, confirmat, conſecrat, vel extremam vnctionem adminiſtrat. Secus autem de ſacramento pœnitentiæ: nam ad alia conferenda ſacramenta, vt verè ſint ſacramenta, ſufficit poteſtas ordinis per indelebilem characterem, ſed ad abſoluendum requiritur præterea iuriſdictio. Quocirca qui iuriſdictione orbatus eſt, aut ab eius vſu ſuſpenſus, neminem abſoluere iure valet, neque abſolutio tenet.

Epiſc. quamliſcunq; ſi confirmat, baptizat &c. Sacr. tenet: non autem ſi abſoluat.

Hic tamen decreti Conſtantienſis concilij meminiſſe oportet, cuius tenore euitare non tenemur niſi nominatim excommunicatos (in quibus comprehenduntur hæretici) & præterea manifeſtarios clericorum percuſſores, vt diſtin. 22. dictum eſt. Quòd ſi hæretici vera ſacramenta conferunt, multò id minus impedit aliorum quorumcumque morum corruptio, vt Augu. tract. 5. ſuper Ioan. qui refertur can. Baptiſmus. de conſecra. diſtin. 4. autor eſt. Non enim, inquit, timeo adulterum, non ebriōſum, &c. quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic (ſcilicet Chriſtus) eſt qui baptizat. Imò verò & iſtorum ſacramentum gratiam conferre poteſt, quia ab illis ſuſcipere non eſt peccatum, ſicut ab hæreticis.

Concilium Conſtātienſe.

Auguſt.

Quarta demum fuerit hic conſtituta concluſio. Quamuis Epiſcopus per ſimoniacam ſacramenti venditionem ordines contulerit, & alius ſimiliter receperit, nihilominus verum eſt ſacramentum: tametſi recipiens ſi aut ſimoniam fecerit, aut nouerit, lumine gratiæ non infundatur. Concluſio liquidò ex ſuperioribus conſequitur: nam illic omnia, quæ ſunt de eſſentia ſacramenti conueniunt: ſcilicet, materia, forma, & intentio tam ſuſcipientis quàm conferentis: ob idque neutrius iniquitas, vt quæ ad eſſentiam ſacramenti accidentaria eſt, poteſt eius ſubſtantiam & characterem impedire, ſed ſolam gratiam. Adde quòd infidelitas & Apoſtaſia grauiora ſunt crimina, quàm ſimonia: ſi ergo illa non obſtant, quominus verum ſit ſacramentum, ſit vt nec ſimonia. Attamen qui per ſimoniam ordinibus initiantur, irregulares iure Pontificio fiunt atque adeò à ſuorum ordinum vſu ſuſpenduntur, vt cauetur decreto Leonis, cano. Gratia. & can. Quicunque. qui eſt Gregorij; & can. Si quis Epiſcopus. qui eſt concilij Chalcedonenſis. 1. q. 1.

4. Concl. De Epiſc. Simoniaco.

Per Simoniam ordinati irregulares ſunt.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quòd quamuis quibuſdam Eccleſijs in more habeatur, vt archidiaconus materiam vel ſubdiacono, vel inferioribus ordinatis præbeat, nihilominus Epiſcopus eſt, qui formam profert, & ſacramentum perficit. Præſertim cùm hæc conſuetudo ſecundùm Pontificale Romanum iam modò non perſeueret. Impoſitio verò manuum, quæ fit ab alijs presbyteris, non eſt ſacramentum.

Sol. 1. arg.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd etſi ſacramentum ordinis conferre, Epiſcopis ex propria facultate incumbat, nihilominus papa ex plenitudine poteſtatis poteſt illam functionem delegare, quippe cùm ad Euchariſtiam ordinem immediatum non habeant. Quam ob rem, vt diſtin. 17. dictum eſt, poteſt & ſacramentum confirmationis ſimplici presbytero cōmittere, & eadem ratione, vt minores cōferat ordines, non tamen vt exhibeat maiores: ſcilicet, ſacros ordines, qui ad Euchariſtiam proximè referuntur. Vnde bonum ſumitur argumentum, minores ordines non eſſe ſacramenta. Epiſcopus verò nullam huiuſmodi commiſſionem facere valet.

Sol. 2. ar.

Sacra. Cōfirmatorum, minorum ordinum non autē maiorum adminiſtratio, poteſt ſimplici Sacerd. committi.

Facultas Abbatibus iure cōceſſa.

Abbatibus autem iam eſt facultas iure conceſſa, vt minores ordines adminiſtrent, diſtinct. 19. cano. Quoniam. & de ætate & qualit. capi. Cùm contingat. quamuis illic non fiat mentio niſi de oſtiariatu. Sed tamen presbyteri cardinales id faciunt ex conſuetudine, quæ eſt legis interpres. Atqui. Hoſtien. ſuper eod. ca. Cùm contingat. cenſet primam tonſuram poſſe à presbytero parochiali conferri, cui Panor. capit. Quāto. de conſuetudi. adſtipulatur. Vſus tamen Eccleſiæ reclamat: & ideo non eſt tenendum. Poteſt id tamen presbyter ex commiſſione papæ, ſicuti ordines minores dare.

Prima tōſura an poſſit à paruciano conferri.

Sol. tertij argum.

Ad tertium verò reſpondetur, Innocentium id duntaxat intelligere, quòd ordinati ab hæreticis non ſuſcipiunt ordinum dignitatem, quantum ad eorum executionem: quia prohibiti ſunt ſacramenta adminiſtrare. Et hoc eſt quod inferius dicit, Epiſcopos hæreticos non dare ordines ſecundùm plenitudinem, id eſt, debitè cum gratia. Idemque ait can. Si perfectionem. eod. cau. & quæſt. quia ſicut ipſi plenitudinem Spiritus ſancti perdiderunt, ne poſſint adminiſtrare ſacramenta, ita neque illam plenitudinem ordinatis impertiuntur. At quia non ſunt prohibiti baptizare in extrema neceſſitate, poſſunt conferre plenitudinem baptiſmi: ſcilicet, gratiam. Et hoc eſt quod ait Papa, ſolum baptiſma illis concedi. Simili interpretatione ad alia teſtimonia reſpondendum, quæ Magiſt. ſenten. diſtin. 25. refert, & Gratianus. 1. q. 1. Vt eſt illud Gregorij can. Superueniente. vbi hæreticorum ſacramenta appellat perfida & ſacrilega.

Nota ad explicationem. SS. Patrum, Gregor.

Et illud

Cypria. Et illud Cypriani cano. Si quis, inquit. vbi ait, quæcunque faciunt hæretici carnalia esse, & inania, & sacrilega. Quamuis Cyprianus in hoc nimius fuerit: quippe qui illa hæresi quandoque lorduerit, vt baptizati ab hæreticis essent rebaptizandi. Et illud Hieronymi in Aggæum prophetam, & refertur ibidem cano. Si hic populus. & can. Illi offerunt. vbi ait, omnia, quæ ab hæreticis fiunt, in conspectu Dei esse contaminata & polluta. Atque illud Leonis Papæ can. Manifestum. quo ait in Alexandrina sede propter hæresim omne cælestium sacramentorum lumen extinctum, & chrismatis sanctificationem, atque alia mysteria esse subtracta. Hisce, inquam, omnibus atque his similibus hoc tantum admonemur, quòd hæreticorum sacramenta quantùm ad gratiæ fructum sunt inania, Deoque ingrata, quia culpæ sordibus maculata & polluta: non tamen negantur esse vera sacramenta.

Hieronym.

Leo Papa.

Sol. quæstis argu. Eodem tenore respondetur ad quartum: videlicet, quod & si qui contra sacramenti naturam sacramentum tentaret perficere, nihil faceret, vt si intentionem Ecclesiæ non haberet, aut legitimam materiam & formam non applicaret: tamen qui huiusmodi substantiam seruans effectui sacramenti contrarius est, nihilominus sacramentum confert, sed sine gratia.

Simonia obex est gratiæ non characteris. Labes autem simoniæ solùm est obex gratiæ, non tamen characteris. Attamen quia qui per simoniam ordines suscipiunt, vsu eorum interdicti sunt, perinde de illis quandoque loquuntur canones, ac si non essent ordinati. Et sic intelligendum est illud Gregorij cano. Quicunque. 1. quæst. 1. Quicunque studet per pretij dationem sacrum ordinem suscipere, sacerdos non est, sed inaniter tantummodo dici concupiscit. Et inferiùs. Quicunque sacros ordines emunt aut vendunt, sacerdotes esse non possunt. Sensus enim est, quòd qui alios ordines simoniacè suscepit, irregularis fit, vt non possit fieri sacerdos. Qui verò sacerdotium per huiusmodi nequitiam suscepit, dicitur non esse sacerdos, quia prohibitus est, vt sacerdotem se gerere. Et eodem sensu intelligitur illud cano. Si quis episcopus. Qui per simoniam ordinatus est, nihil ex hac ordinatione proficiat, sed sit alienus à dignitate: hoc est, ab eius vsu. Similiter can. Qui per pecuniam, ex octaua synodo, alienus à sacerdotio iubetur esse. Eodem modo intelliguntur reliqui canones, vbi simoniacè ordinati pronunciantur dignitate carere.

Notãdum pro explicatione modorum loquendi SS. Patrum, & Concil.

Occasione huius particulæ simoniæ, quæ in sacris ordinibus accidere potest, Sententiarum interpretes totam hic concitant simoniæ materiam, cui profectò ineptè & præter ordinem hic datur locus. Est enim materia non ordinum, sed iustitiæ, de qua S. Thom. 2. 2. q. 100. copiosè disputat, & nos longè lateque lib. 9. de Iusti. & Iure pro captu nostro diximus, vbi q. 8. artic. 1. quæ ad hanc ordinum simoniam spectant, scripta reliquimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fœmineus sexus sacramenti ordinis sit capax.

Impedimẽta ordinãdorum, alia naturalia, alia accidentalia. Irregularitatis definitio. Irregularitas vnde. Fœmina non dicitur irregularis.

SVBSEQVITVR sermo de subiecto ordinum: nempe, de qualitate & ætate ordine præficiendorum, vt titulus habet decretalium, qui scilicet sint quos ordinare liceat ac deceat. Vbi adnotandum est, impedimenta, quæ ordinandis obstant, quædam esse naturalia, ratione quorum personæ dicuntur ordinum incapaces, vt sexus fœmineus & hermaphroditus in talem sexum inclinans, & monstrum, quod sine legitimis membris ad obeunda ordinum ministeria nascereturr, & perpetuò amentes. Alia sunt impedimenta, quæ irregularitates dicuntur: & sunt illa, quæ ex facto aut defectu accidunt. Vnde irregularitas est canonicum impedimentum ex facto seu defectu proueniens ad ordines sacros, vel suscipiendos, vel exercendos. Et dicuntur irregularitates: quia homines à regula excipiunt, quam in ordinibus suscipiendis Ecclesia præscripsit. Itaque irregularitas capacitatem naturalem supponit: quare mulier siue bigama sit siue homicida, non est irregularis: quippe quæ vt non est ordinis capax, ita nec irregularitatis. Ex quo fit non omne impedimentum ordinum esse irregularitatem: nam excommunicati & suspensi ordines nec suscipere, nec exercere valent, & tamen non ideo irregulares sunt: quia illud impedimentum non in ipsis per modum habitus ineſt, sed est Ecclesiæ prohibitio in tempus, quo cessante homo fit habilis, sed si excommunicatus celebret, tunc fit irregularis ratione delicti. Subsequitur secundò, irregularitatem non diuino aut naturali iure, sed solo Pontificio esse impedimentum, vt Innocentius cap. Nisi cùm pridem. de renunciatio. adnotauit. & Syluest. verb. Irregularitas. q. 28. Quocirca illegitimè natus, quanquam habeat impedimentum naturæ, irregularis nihilominus dicitur: quia iure diuino & naturali capax est, nisi Ecclesia eum a regula excipieret. Itaque inter incapacem & irregularem, hoc est discrimen, quod incapaces diuino naturalique iure inepti vel ad ordines sunt, vel ad eorum vsum, vt in subsequentibus luculentius explicabitur: irregulares verò iure sunt canonico excepti & excluſi. Quapropter qui cum aliqua deformitate nascitur vel in oculo, vel in naso, perinde est irregularis ac si casu ei accideret: quia non diuino, sed ecclesiastico iure vitium reputatur. Irregularitas autem in tria membra diuiditur. Contrahitur enim aut ratione defectus, aut ratione sacramenti, aut ratione delicti. Defectus (vt tam incapacitates, hoc est, naturales ineptitudines, quam irregularitates comprehendamus) sunt sex: scilicet sexus, rationis, libertatis, ætatis, corporis & animæ; defectus namque religionis: videlicet defectus baptismi, quo suscipitur Christianissimus, non particularis defectus ad hoc sacramentum, sed ad omnia alia suscipienda existit: & ideo hic cum aliis non connumeratur. Ex parte verò sacramenti, nempe quia dignitati aut significationi eius obstant, sunt tres irregularitates: puta bigamia, homicidium, & mutilatio membri. De his ergo octo defectibus & irregularitatibus articuli isti duo tractant. In quorum calce irregularitates ratione delicti summariè appendentur.

Irregularitas sure Pontificio statuta. Illegitimè natus. Incapacis & irregularis discrimen. Nota. Tribus modis irregul. contrahitur. Defectus sex. Defectus baptismi. Ex parte sacramenti tres.

Qualitates igitur eorum, qui huic sacramento inepti sunt partim ad naturam spectant, partim ad conditionem fortunæ, & partim ad morum & scientiæ dignitatem. Arguitur ergo, quòd fœmineus sexus non sit ab ordinibus sacris arcendus. Ordinum potestas non corpori, sed animæ inest: in anima verò nulla est sexuum discrepantia, ergo etiam fœminæ sunt ordinibus suscipiendis idoneæ.

Partis negatiuæ Argu. 1.

Secundò. Donum prophetiæ & prælationis officium, præstantiora esse videntur ordinibus sacris: prophetiæ autem donum mulieribus concessum est, vt 4 Reg. legitur, & Debora, vt Iudic. 4. refertur, iudex fuit in Itraël: ergo & mulier ad ordinum gradum assumi potest.

2. Argu.

Tertiò. Si sexus fœmineus suscipiendis ordinibus incongruens esset, multò magis puerilis ætas, cui rationis lumen nondum affulsit: defectus autem ætatis non obstat, vt extra de clerico per saltum promoto sancitur.

3. Argu.

In contrarium tamen est quod 1. ad Timoth. 2. Apostolus, mulierem docere in Ecclesia non permittit, nec dominari in virum: vnde colligitur, quod neque ad ordinis sacramentum, quod eminentiam super viros significat, sit admittenda.

Pars affirmatiua.

Pro solutione quæstionis notandum est in suscipiente sacramenta quædam esse de necessitate requisita, quibus deficientibus non solùm res sacramenti, hoc est, gratia, verùm nec sacramentum suscipitur. Quædam verò etsi non sint de necessitate sacramenti, sunt tamen de necessitate præcepti, quæ ideo si desint, recipitur quidem sacramentum, non tamen res sacramenti.

Prænotandum.

Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Sexus virilis est de iure diuino de necessitate, non solum præcepti, sed etiam sacramenti. Ita vt quamuis mulier ordinem suscipere præsumeret, nullus esset, siue ex ordinibus sacris, qui sunt sacramenta, siue ex minoribus. Quemadmodum de extrema vnctione diximus, quam si quis in sanitate susciperet, nullum esset sacramentum. Probatur conclusio ratione potissima, quæ ex Christi institutione sumitur: quippe qui neque in cœna, dum potestatem exhibuit consecrandi, neque Ioan. vlti. dum facultatem contulit absoluendi, fœminam vllam sed solos viros ordinauit, quamuis sacratissima eius mater omnium esset dignissima. Et solos viros fecit episcopos, nempe Apostolos. Ratio autem fuit congruentissima: nam qui sacris initiatur, in præeminenti gradu constituitur, quo alijs præsit: sexus autem fœmineus lege naturæ subditus est virili, quam quidem legem Deus initio statim, quo virum & fœminam condidit, expresit dicens Genes. 3. sub viri potestate eris, &

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Ratio congruentissima.

Exceom. non sunt irregulares nisi celebrent. ipse

ipse dominabitur tui: quare non decuit fœminam ad vllos ordines susci-piendos admittere. Et ideo si fœmina ordinari tentaret, quia sacramentum est signum rei sacrę: & hoc sacramentum est signum consecrationis ad gradus præeminentiam, esset signum falsum, atque adeò nullum esset sacramentum, vt de quadam Papa refertur, quæ reperta fuit mulier. Quare inter hoc sacramentum & reliqua omnia non intercedit similitudo, vt si reliqua sint vtrique sexui communia, sit etiam & istud. Secundò, quia pulchritudinem ecclesiasticæ hierarchię maximè sexus fœmineus dedecebat. Etenim sicut teste Apostol. 1. Corinth. 11. Christus caput est viri, ita & vir caput mulieris: quia non vir ex fœmina primò, sed fœmina ex viro sumpta est: in cuius signum mulier velamen gestare debet super caput suum, cui ideo turpe est tonderi aut decaluari: vir autem potest caput detegere & tonderi: & cum tonsura, vt dictum est, sit clericorum insigne, meritò à clericatu sunt fœminæ exclusæ. Tertiò, quia ordines ecclesiastici inter alia officia ad docendum sunt instituti: mulier autem, ait loco suprà citato Apostolus in silentio discat cum omni subiectione, docere autem mulieri non permitto. Quartò, quia qui ordines suscipit, eo ipso habilis fit, vt fieri possit episcopus, qui quidem est Ecclesiæ sponsus: mulierem autem non decet sponsum esse Ecclesiæ, Christum repræsentantem. Atque hac de causa non solum maiorum ordinum non est capax, verùm neque minorum, nec primæ tonsuræ, quamuis non sint sacramenta: quia sunt sacramentorum ordinis præambula. Et re vera lumen ipsum naturæ prima facie absurditatem offert in fœmina, vt ad consecrandum & ad confessiones audiendas promoueretur: nam etsi aliquæ sint prudentes, sexus tamen ipse quandam rationis inopiam, & animi lenitatem præ se fert, atque adeo dedecus ad munia ecclesiastica obeunda. Vnde cap. Noua. de pœnitent. & remiss tanquam execrabile condemnatur, quòd abbatissæ moniales proprias benedicant, & ipsarum confessiones in criminibus audiant, aut quòd etiam legentes euangelium publicè prædicare præsumant. Quocirca can. Sacratas. dist. 23. vasa sacra, & sacratas pallas contingere, & incensum circa altare deferre etiam sanctimoniales prohibentur. Quòd si quis canonem obijciat, Diaconissam. 27. quæstio. prima, vbi Diaconissæ ante quadragesimũ annum ordinari inhibentur: & distinctione trigesimasecunda, can. Mulieres. fit mentio de mulieribus, quæ apud Græcos erant presbyteræ, qua occasione Cataphrygæ illo tenebantur errore, vt mulieres ad sacros ordines admitterent. Respondetur, Diaconissas appellari illas sanctimoniales, quæ inter cæteras aliqua forsan benedictione erant lectionibus homiliarum & Euangeliorum destinatæ in choro: nam diaconissa nihil aliud est quam ministra. Et similiter presbyterę erant matronæ viduæ: nam presbyter, vt diximus, idem est quod senior, quæ forsan apud Græcos eligebantur, vt curam haberent aliquam de rebus Ecclesiæ. Sed prædicto can. cauetur, ne tanquam ordinatæ constituantur.

Hinc fit hermaphroditum non licere ordinibus initiari, quousque constiterit quisnam sexus in ipso præualeat, tum quia monstrum est, tum quia anceps, vt possit fœmineus sexus in eo præualescere. Si autem præualuerit virilis, tunc vir est censendus. l. Quæritur. ff. de statu hominum: atque adeò huic sacramento idoneus tunc erit.

Vnde ad primum argumentum respondetur, quòd quamuis character in anima imprimatur, tamen quia non imprimitur nisi per sacramentum, quod debet esse eminentiæ signum, non imprimitur nisi in anima, quæ est corpori virilis sexus coniuncta.

Et per hoc respondetur ad secundum, quod cum prophetia non sit sacramentum, sed Dei donum, potest quidem mulieribus conferri. Debora autem præfuit in temporalibus.

De pueris autem ante vsum rationis Durandus distinct. præsenti, quæstio. 2. sustinet, nullos ordines posse susci-pere. Opinatur quippe vsum rationis esse de necessitate in suscipiente, non solùm præcepti, verùm & sacramenti ordinis: itaque si quisquam illud prius reciperet, nullum putat esse sacramentum. Et ratio eius prima est, quòd absurdum videtur, vt infans ante vsum rationis possit vel sacerdos fieri vel episcopus. Secundò, quia ad susceptionem, inquit, cuiuslibet sacramenti requiritur intentio susci-pientis vel propria, vel interpretatiua ex consensu parentum: infans verò propriam habere non valet: interpretatiuam autem habere ex consensu parentis non potest, nisi in ijs, quæ sunt de necessitate salutis, qualis est baptismus: cùm ergo sacramentum ordinis non sit de necessitate salutis, non videtur sufficere consensus parentum. Et confirmatur, quia baptismus ad deletionem originalis culpæ institutus est, quam non propria voluntate, sed peccato primorum parentum contrahimus, & idcirco ad baptismum sufficit voluntas parentum: quæ quidem ratio in sacramento ordinis non reperitur.

In contrarium autem statuitur conclusio; quæ sit huius articuli secunda. Ad susci-piendos minores ordines non requiritur, vt puer annos discretionis attigerit: imò vsus rationis nec est de necessitate sacramenti, neque verò expressè de necessitate præcepti, quemadmodum impræsentiarum ait S. Thomas, sed solum de honestate, quæ habet quandam præcepti rationem ne sine necessitate id fiat. Prima pars definita est, in titulo de clerico per saltum promoto, vbi ille, qui ordines minores ante annos discretionis susce-pit, censetur non iterum eisdem initiandus, sed ad diaconatum promouendus. Et ad illud capitulum Durandus non respondet, eò fortasse, quod non censuit esse sacramenta, quod nos supra similiter concessimus. Secunda verò probatur, quia tanta posset ingruere necessitas, quæ primitiuæ Ecclesiæ in vsu erat, vt posset puer nondum rationis lumen ingressus minores ordines susci-pere. Tertia demum pars, quòd sit contra honestatem & decentiam admonetur canon. Pueri. 1. quæstione 1. Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur: tametsi illic forsan sacri ordines non nominentur, nisi maiores. Veruntamen cùm etiam per minores homo adscribatur diuinis officijs, non decet ante rationis lucem quempiam illis insigniri, nisi adsit necessitas. At verò iam non est in vsu vllam admittere necessitatem, vt ante vsum rationis alicui huiusmodi ordines conferantur.

Tertia conclusio. Vsus rationis ad maiores susci-piendos ordines, quamuis non sit de necessitate sacramenti, est tamen de necessitate præcepti Ecclesiæ: quare illi tunc collati verè erunt sacramenta, tamen conferens mortaliter peccabit. Sententia est Ricardi distinctione præsenti, articul. 4. quæstione 2. & Bonauenturæ, qui ait esse opinionem Sanct. Thom. distinctione præsenti. Vbi prioris partis rationem hanc subdit. Sunt enim, inquit, quædam sacramenta, quę actum susci-pientis requirunt vt pœnitentia, vbi requiritur contritio & accusatio: & matrimonium, vbi requiritur consensus: & ista non possunt ante vsum rationis susci-pi: illa verò, quę characterem imprimunt, nullum requirunt actum in susci-piente: quoniam virtutes infusæ, sicut character, quę sunt potentię supranaturales, sunt priores suis actibus: eo quod non gignuntur ex actibus, sed ipsos gignunt: tametsi virtutes acquisitæ sint actibus posteriores, quippe ex quibus generantur: prius autem suapte natura esse potest sine posteriore: ergo nil vetat quominus ordines, etiam maiores, quę sunt sacramenta, per quę character imprimitur, conferantur puero ante vsum rationis. Secundo arguitur: quia confirmatio etiam si ante vsum rationis conferatur, est verum sacramẽtum, vt distinctione septima diximus, imo Eucharistia solebat olim in aliquibus Ecclesijs infantibus tanquam verum sacramentum porrigi. Præceptum autem Ecclesię id propterea prohibet, quod huiuscemodi ordinibus votum est castitatis annexum, quod nemo ante vsum rationis emittere potest: ob idque ordinans iniuriam instituto Ecclesię facit.

Quod si roges, vtrùm huiusmodi ordinatus teneatur seruare castitatis votum. Ricardus loco citato perplexè respondet, ait quippe secundùm aliquos continentiam non esse annexam ordinibus, nisi sponte susceptis, sed secundùm alios esse annexam. D. vero Thomas nihil ad hoc respondet, ob id fortasse, quod rem ceu claram reliquerit. Et ideo non est credendum eiusmodi ordinatum teneri voto castitatis, vt bene ait Paludanus distinctione præsenti, quæstione tertia, licet verum sacramentum susceperit, sed potest matrimonium contrahere: quoniam votum natura sua requirit consensum. Secus de baptismo: nam quia est sacramentum professionis fidei, iure diuino paruulus

bapti-

Ratio. 2. *1. Cor. 11.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio naturalis.* *Cap. Noua.* *Obiectio. ex canon.* *Dilutio.* *Sol. 1. arg.* *Solut. 2. arg.* *Opinio Durandi quod pueri nullum possint recipere ordinem.* *Ratio 1. Durand.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *2. Concl. Contra Durandum.* *Prima pars prob.* *Secunda pars conclusionis. Tertia pars.* *3. Concl.* *Ratio S. Thom.* *Ratio 2.* *Ratio prohibitionis.* *Ordinatus ante vsum rationis non tenetur voto castitatis.*

baptizatus tenetur postmodum seruare fidem. Addidetum tamen, quòd nisi aduenientevsu rationis in votum ille castitatis consenserit, ab vsu ordinum debet manere suspensus, maximè verò qui matrimonium contraxerit, propter indecentiam.

Solut. 1. arg.

Ad tertium igitur argumentum eorum quæ in initio huius articuli proposita sunt, respondetur non esse parem rationem, vt quemadmodum defectus sexus, sic & defectus ætatis impediat sacramentum ordinis. Et ad primum argumentum Durandi conceditur indecentissimum esse infanti ordines maiores conferre, non solum propter præceptum Ecclesiæ ad votum annexum spectans, verùm & propter ordinum dignitatem: quare vtraque ratione esset peccatum, at nihilominus esset sacramentum. Episcopus autem, quippe cui populus committitur, nemo creari potest, nisi consentiens, atque adeò post rationis vsum: quia episcopus dum constituitur, fit sponsus Ecclesiæ, cuius curæ nemini, nisi consentienti, concredi potest. Quanquam si re vera ante vsum rationis consecraretur, extensionem sacerdotalis characteris modo exposito susciperet, non tamen animarum curam, donec consentiret. Quinimò neque presbytero eadem ratione potest animarum cura, nisi post vsum rationis consentienti imponi. Vnde de præbendis capit. Si tibi absenti. libro sexto, censetur, quod si absenti beneficium conferatur, quousque ratum habeat, ius illi non acquiritur.

Episcopus creari debet consentiens.

Dilnitur primum argum. Durandi.

Ad secundum eiusdem Durandi argumentum, negatur, quòd ad susceptionem sacramenti ordinis, quantum ad substantiam sacramenti, consensus exigatur, vel formalis suscipientis, vel interpretatiuus parentum, sed quemadmodum si renuentibus parentibus puer baptizaretur, sacramentum teneret, quia sufficit intentio Ecclesiæ: ita si postquam baptizatus est, ordinaretur: quanquam vtrumque, vt distinctione præsenti, quæstione tertia, bene ait Paludanus, iniustè fieret, si parentes reclamarent. Neque quidpiam valet Durandi discrimen, quòd quia baptismus est de necessitate salutis, & contra originale peccatum, sufficiat consensus interpretatiuus Ecclesiæ, non tamen in sacramento ordinis: nam postquam vtrobique character imprimitur, vtrobique sufficit vt suscipiens ipse non renitatur.

Sol. arg. 2. Durandi.

Discrimen Durand. nullum.

Contra hanc verò conclusionem quis forsan obijciat, inde consequi, perpetuò amentes posse quoque ordinari: quos tamen supra diximus esse iure diuino incapaces. Respondetur autem, quòd licet quispiam discrimen meditari forsitan possit inter pueros ante vsum rationis, & perpetuò amentes, re vera tamen nullum est quantum ad substantiam sacramenti: sed si quis mente captus ordinaretur, ordinem susciperet, sicuti baptismum, si baptizaretur. Quòd autem diximus, iure diuino esse incapacem, intelleximus quantum ad vsum. Quapropter peccatum esset mortale idemque grauissimum sacrilegium, talem hominem in ludibrium sacramenti ordinare, quippe qui perpetuò esset vsu carituras. Quod pueris ante vsum rationis non accidit.

Obiectio.

Dilutio.

Mente captus ordinari potest.

Hinc autem emergit alia ambiguitas, vtrum in adulto requiratur consensus ad hoc suscipiendum sacramentum. Ad quod respondetur, quòd quis potest ordinari vel vi, vel metu. Si per vim renitens cogatur, certum est sacramentum non suscipere, sicut nec reciperet baptismum, vt patet capitul. Maiores, de baptismo & eius effectu. Si verò per metum, qualiscunque ille sit, consentiens ordinetur, verum suscipit sacramentum, & eius characterem: imò & gratiam, si alium obicem non opponat: quia cùm illic re vera sit consensus, nihil eorum deest, quæ ad substantiam sacramenti exiguntur. Sed quantum ad voti vinculum castitatis distinguendum est: nam si metus non fuerit cadens in constantem virum, constat eiusmodi ordinatum illo voto ligari. Si verò fuerit illorum metuum, qui cadere in virum constantem assolent, tunc in dubium reuocatur, vtrum voti obligationem annullet. De qua re libro septimo, De iustitia & Iure, quæstione secunda, articulo primo, copiosiùs disputauimus. Non enim desunt Iurisconsulti, qui aiunt, votum in foro conscientiæ apud Deum valere, non tamen in foro Ecclesiæ. Nam si Ecclesia, inquiunt, eiusmodi vota irrita habet, vt capitul. Petlatum. De ijs quæ vi metusve cau. fiunt. est, quia vbi eiusmodi metus intercedit, præsumit nullum subesse consensum, & est opinio Panormitani in capitul. Cum locum. de sponsalibus. & Syluestri verb. Metus. §. octauo. Quapropter idem Syluester in præsenti proposito verbo, Ordo. 4. §. primo. recitat alios tenentes simpliciter eiusmodi votum non tenere, moderatur ipse opinionem, dicens, quòd si qui coniugatus est, per huiusmodi metum promouetur, non tenetur continere, imò potest licitè vxore vti. Si tamen sit vxore solutus, constringitur voto. Et probat per Canon. De Iudæis. distinctione 45. vbi qui per huiusmodi metum sunt baptizati, iubentur in religione Christiana viuere. Et est sententia Hostien. At verò contraria sententia, quam loco citato sustinuimus, semper est nobis probatior: videlicet, in nullo foro huiusmodi votum tenere, vt distinctione vigesimanona, quæstione prima, articulo tertio, iteratò monstrabimus. Neque est idem de baptismo: quia baptismus non est tam propriè votum, quam professio religionis, quæ non requirit alium consensum, quam Ecclesiæ, vt patet in infante dum baptizatur: & ideo ex mera natura sacramenti enascitur obligatio Christianæ religionis. Et re vera si qui non est coniugatus teneretur in illo casu voto, vt Syluester concedit, pariter si esset coniugatus, non posset petere debitum, quod ipse non admittit: & ideo eius discrimen non est legitimum.

Iurisconsultorum opinio.

Sententia auctoris.

Discrimen Syluest. nullum.

Quo autem ad rem de ætate ordinandorum redeamus, adijcitur hic conclusio quarta. Quamuis iure diuino ad substantiam sacramenti nulla sit ætas distincta, nihilominus iure pontificio eiusmodi ætates decretæ sunt, & præfinitæ. Et iure quidem antiquo longiora ætatis tempora exigebantur, vt patet distinctione 77 & 78. per plures Canones: nam vt habetur capitul. In singulis. dicta distinctione septuagesimaseptima. Ab infantia, hoc est, à primo septennio poterat quisque nomen Ecclesiasticis ministerijs dare, hoc est, primam tonsuram accipere. Sed tres minores ordines non vsque ad annum duodecimum, neque acolytatum vsque ad quartumdecimum. Subdiaconus verò nemo quinquerat minor viginti annis completis fieri, vt patet ex sexta Synodo cano. Subdiaconus. Neque diaconus ante vigesimumquintum, quod fuit decretum concilij Carthaginensis, Canon. placuit. Neque verò presbyteratum obtinere minor triginta annis, vt tota distinctione 78. decernitur. Postmodum verò in Concilio Viennensi sub Clemente quinto huiusmodi tempora decurtata sunt, & in breuiora redacta, vt patet in Clemen. Generalem. De ætate & qualitate. libro sexto. videlicet, vt non modò prima tonsura, verùm & omnes minores ordines à septennio statim suscipi possint, tametsi hoc non in textu, sed in glossa notatum est. Ad subdiaconatus verò ordinem promoueri potest, cùm primùm decimumoctauum annum fuerit ingressus: & ad diaconatum, postquam inchoauerit vigesimum: & ad presbyteratum, dum attigerit vigesimumquintum. Sed ad episcopatum requiritur trigesimus annus, veluti canon. Episcopus eadem distinctione septuagesimaseptima sancitum est, & capitu. Cùm in cunctis. de electione. libro 6.

4. Concl.

Ordinãdorum ætas de iure antiquo.

Ætàs ordinandorum iure nouo.

Ex quo fit, vt ordines citra prædictas ætates aut conferre, aut suscipere, crimen sit mortale: quippe cùm in re graui transgressio sit ecclesiasticæ præceptionis. Vnde eiusmodi ordinator per annum à collatione clericalis tonsuræ ob huiusmodi culpam suspenditur, cano. Nullus. de ætate & qualitate, libr. 6. Qui verò ante easdem ætates ordinis sacramentum suscipit, verum characterem & sacramentum suscipit, etiam presbyteratus, non tamen ordinum executionem, imò ipso iure est ab eiusmodi executione suspensus quousque legitimam ætatem attigerit. capitu. Vel non est. de temporibus ordinand. Atque adeò quoties quis vel subdiaconus, vel diaconus solenniter priùs suis fuerit ordinibus functus; mortaliter delinquit, & multò magis presbyter, si celebrauerit: qui quidem celebrans sit irregularis, vt notatur capitulis Sanè, & Cum quidam, Consultationi, de temporibus ordinand. Tametsi illic mentio non fiat nisi de ijs qui ordinantur extra quatuor tempora ab Ecclesiâ statuta. Sed iam per extrauagantem, Cum ex sacrorum, Pij secundi, & per regulas Cancellariæ statutum est, vt eiusmodi presbyter fiat irregularis, vt ait Syluester verb. Irregularitas. §. 19.

Tempora ordini suscipiendo præfixa præuertere, peccatum est mortale.

Pœna ordines antè legitimam ætatem suscipientium & ministrantium.

Celebrans ante ætatẽ legitimam fit irregularis.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrùm præter defectum vsus rationis sint alij, qui ordinibus suscipiendis obstent.

NON solum nationis defectus: verùm & alia sunt suscipiendis ordinibus obstacula, tam naturæ & fortunæ, quàm etiam criminis. Arguitur ergo, quòd illegitimè nati non debeant ab ordinis sacramento arceri: quia, vt Ezechielis decimo octauo habetur, filius non debet iniquitatem patris portare: quam tamen contraheret, si qui illegitimus est, ab ordinibus suscipiendis abigeretur.

Partis negatiuæ argumenta.

1.

2. Secundò arguitur, quòd nec membrorum labes nec mutilatio vllum sit ordinib. suscipiendis impedimentum quantùm ad substantiam sacramenti. Defectus discretionis non obstat, vt à nobis iam suprà dictum est, ergo nec membrorum vitium, quod est minus, dummodò ea membra non desint, quæ ad executionem sunt necessaria.

3. Tertiò arguitur, quòd nec seruitus huic sacramento impedimento esse debeat: quoniam corporalis subiectio spirituali prælationi non repugnat: in seruo autem non est subiectio nisi corporalis: ergo ordinum dignitati non est contraria.

4. Quartò arguitur, quòd propter homicidium nullus sit ab ordinibus repellendus: nam propter actum virtutis nemo debet culpari, atque adeò nec inhabilis reddi ad quamuis obeundam dignitatem: sed quandocunque iudex aut miles vel virtute iustitiæ vel fortitudinis homicidium facit, actus virtutis est: ergo illi non debet ordinum honos denegari.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem est Ecclesiæ vsus, quæ has omnes maculas ordinibus suscipiendis obstare censet.

Ad hanc quæstionem iuxta numerum argumentorum quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Legitima natiuitas, licet non sit de necessitate sacramenti, est tamen de necessitate præcepti: quare si illegitimè natus ordines absque præuia dispensatione suscipiat, sacramentum quidem verè suscipit, est tamen mortale peccatum tam ipsi, quàm conferenti, nisi per ignorantiam excusentur. Quare natiuitas illegitima, irregularitas quædam, vt suprà diximus, est: quia non est impedimentum iure diuino; sed pontificio, idemque ad defectum corporis attinens. Et est audienda conclusio generaliter de quibuscunque, qui non ex legitimo matrimonio fuerint progeniti, siue ex adulterio, siue simplici fornicatione nati sint, & multò magis si ex sacrilego concubitu clerici concepti, vt habetur cap. Vt filij. & cap. Nimis. de filijs presbyter. & cap. Is qui. eodem titul. libro sexto. & cap. Consuluit. de seruis non ordinandis. Et ratio præcepti est, quòd cùm ordinati in quadam dignitate præ alijs constituantur, condecet vt sint honestate clari: qui autem ex sordido concubitu gignuntur, sordes contrahunt, & generis obscuritatem. Accedit & alia causa in detestationem paterni criminis, cuius assolent filij imitatores esse. Et addit Ricardus præsenti distinctione, quòd plurimùm esse solent malè morigerati, eo quòd à parentibus non ita solicitè, atque legitimi, educantur. Quare si ordinentur, ab ordinum sunt executione suspensi. Potest tamen episcopus cum huiusmodi personis, quantum ad minores ordines, dispensare, sed quantum ad maiores, non nisi summus pontifex, vt in allegato capitul. Is qui. libro sexto, decernitur. Et tantò esse debet difficilior dispensatio, quantò turpior fuerit eorum origo. Ex quo colligitur, vt ad episcopatum obeundum fortiori ratione sint illegitimè nati inhabiles, vt patet capitu. Cùm in cunctis, de electione. Qui verò religionem profitentur, licet sint illegitimi, possunt absque alia dispensatione, ordinibus promoueri, vt distinctione 56. canone Presbyter. habetur. Quamuis verba canonis non insinuent cum eis esse dispensatum, sed quod sit cum illis facilè dispensandum. Attamen in allegato capitu. Vt filij. de filijs presbyter. apertiùs asseritur, quòd si monachi fiant, ordinari possint. Et idem ait loco citato Ricardus secundùm glossam capitu. Nimis. eodem titulo. Prælationem tamen absque dispensatione obtinere nequeunt, vt eodem capitu. Vt filij. subiungitur. At verò mos nunc in religionibus seruatur, siue iure communi, siue consuetudine vel priuilegio fuerit obtentus, vt per professionem omnis irregularitas, quantùm ad ordinis susceptionem aboleatur, præter illam, quæ vel ex homicidio voluntario, vel ex bigamia contrahitur: non autem quantum ad prælationem.

Conclusio generaliter intelligenda.

Ratio prima præcepti.

Ratio. 2. Ratio tertia Ricardi.

Episcopus dispensat quoad minores, non autem maiores. Illegitimi nequeunt eligi episcopi.

Peringressum religionis tollitur irregularitas.

Nota.

Vnde ad primum argumentum respondetur, quòd irregularitas non est pœna iniquitatis, & ideo illegitimus non contrahit iniquitatem patris, contrahit tamen quidpiam turpitudinis & sordium, quod suscipiendos ordines impedit. Quare Deuteronomij 23. Manzer, hoc est, de scorto natus in Ecclesiam Dei vsque in decimam generationem ingredi prohibebatur. *Solut. 1. arg.*

Quòd si arguas. Potius deberet homini proprium vitium, quàm alienum officere: fornicator autem à clericatu non abigitur: ergo neque ex fornicatione natus esset abigendus. Respondetur ad maiorem, quòd quantùm ad mores plus officit propria culpa, illa tamen per contritionem deleri potest: sed quantùm ad claritudinem & dignitatem plus officit vitium naturæ, quod de illegitimo conceptu deriuatur. *Obiectio. Dilutio.*

Secunda conclusio. Corpore vitiatus ordinum promotioni ineptus est. Ratio huius conclusionis est altera duarum, vel quia vitium membri fœditatem aliquam ad suscipiendam potestatem ordinis oculis offert, quia dignitatem deturpat, vel quia ineptum reddit clericum ad ordinum vsum. Prioris generis sunt amputatio nasi, vel insignis macula in oculo, quæ horrorem aspicientibus obijciat. Posterioris verò, vt si digitis careat quibus hostiam frangere impeditur: aut si sit adeò tremulus, vt calicem absque periculo effusionis eleuare nequeat. Huiusmodi autem membrorum vitium aut mutilatio non obstat substantiæ sacramenti, quo minus verè suscipiatur, sed est contra præceptum Ecclesiæ, sicut dictum est † de puero ante vsum rationis. Confirmatur conclusio exemplo veteris legis: iubebatur etenim Leuitici 22. vt quodcunque animal offerretur Deo, omni careret macula. Et Deuteronom. 23. non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis Ecclesiam Domini. Atqui vitium propter fœditatem, quandam habet irregularitatis rationem, quia sola est Ecclesiæ prohibitio. Sed quando est membri mutilatio ad vsum necessarij, iure diuino naturali facit hominem incapacem. Et hoc quoque impedimentum, sicut natiuitas illegitima, pertinet ad defectum corporis. De hac re extat titulus de corpore vitiatis. vbi capitu. Presbytero. ait Papa, quòd qui partem digiti amiserat, quia non erat tanta, vt vsui sacramenti obstaret, poterat fieri presbyter. Et cano. Cùm de tua, idem censetur de illo, qui maculam habebat in oculo, qui iudicio prælati commissus fuit vt perpenderet quanta esset eiusmodi macula. *2. Concl. Ratio. Deformitates. † art. præc. ad 3. Confirm. scripe.*

De eunuchis autem & sectis extat decretum Niceni Concilij: Si quis à medicis, & concilium sub Martino, Si quis pro ægritudine, distinctione quinquagesimaquinta, quòd si quis à medicis sanitatis gratia fuerit sectus, non fiat ideo ad sacros ordines inhabilis. Si verò sanus se castrauerit, etiam si id ad reprimendam concupiscentiam fecerit, irregularis sit ad clericatus officium: quòd si iam tunc susceperit, sit à ministerio prohibitus. Tametsi dum id ignorans fecerit credens se obsequium præstare Deo, facilius sit cum illo dispensandum, vt capitu. Significauit. eodem titulo, ait Clemens. De beato verò Marco, qui legitur sibi pollicem consultò abscidisse humilitatis gratia, & tamen postea ad Alexandrinam sedem assumptus fuit, respondendum, quòd vel non totum pollicem, sed partem abscidit, vel Diuus Petrus tunc pontifex cum eo dispensauit. *Eunuchi. Qui se castrauit. D. Marcus.*

Ad secundum igitur argumentum iam responsum est, non sufficere hominem aptum esse ad vsum ordinum, verùm & ad dignitatem & decorem, qui in clericatu requiritur. *Solut. 2. arg.*

Tertia conclusio. Seruitus licet substantiam sacramenti non tollat: impedit tamen ex præcepto Ecclesiæ, adeò vt tam ordinans quàm ordinatus, nisi inuincibili ignorantia protegantur, grauiter peccent. Et est irregularitas ex defectu libertatis prouenies. Ratio conclusionis est, quòd licet libertas non sit de substantia sacramenti, sicut neque integritas membrorum, est tamen ad ordinum ministerium & vsum necessaria. Et enim cùm per ordinis susceptionem homo diuinis officijs mancipetur, debet esse sui iuris, vt liberè possit seruitio Ecclesiæ vacare: seruus autem quia non est sui iu- *3. Concl. Ratio cõclusionis.*

Digitized by Google

tis sed neri sui, non potest se Ecclesiæ ministerio adscribere: quandoquidem dare quod suum non est nequeat, nisi heres voluerit eum manumittere, aut facultatem ei facere. Conclusio est quæ distinctione quinquagesimaquarta per totam sancitur. & extra per totum titu. de seruis non ordinandis.

Solut. 3. arg. Et per hæc solutum restat argumentum tertium: concludit namque seruitutis conditionem potestati ordinum & substantiæ non obstare, quominus sit sacramentum, obstare tamen visui. Quod si contra priorem partem obijcias, quòd cùm sexus fœmineus plus habeat libertatis, quam seruitus, & nihilominus sit ordinibus suscipiendis ineptus, adeò vt sacramentum sit nullum, tantum erit obstaculi in seruitute. Negatur consequentia: quoniam sexus fœmineus suapte natura includit subiectionem, quæ obstat formæ sacramenti præeminentiam, ex eius natura significanti: in seruo verò non est nisi legalis subiectio. Præterea ex secundo membro responsi arguitur contra primum. Vana est potestas, quæ perpetuo caret vsu: si ergo seruitus ordinum ministerio fungi nequit, nullum est sacramentum.

Obiectio.

Dilutio.

Obiectio. 2.

Solutio ex decretis. Ad hoc respondet tota ferè distinctio. 54. Decretorum, si enim seruus sciente neque contradicente hero ordinatur, eo ipso fit ingenuus, vt habetur illic, can. Si seruus sciente. Si verò Domino nesciente Episcopus sciens eum esse seruum, ordinauerit, tenetur duplo pretio hero satisfacere, vt seruus libertate donetur quemadmodum in dicto capit. Si seruus nesciente decidit. Et à fortiori si Dominus contradixerit. Idemque adeò iudicium est de præsentante & ordinante, vt ibidem ait Gelasius Papa cano. Ex antiquis. Quod si tam domino quam præsentante & episcopo ordinante inscijs, seruus se ingesserit, si habuerit peculium, tenetur se redimere: sin minus, à seruitute non eripitur, vt habetur can. Frequens, eadem distinctione 54. Quare nisi per heri facultatem non potest ordinum ministerio vacare. Imò si est fugitiuus, & callidè se ordinibus initiandum insinuauit, sperans inde libertatem consequi, deponendus est, vt habetur capit. De seruorum. de seruis non ordinandis. Neque verò licet ordinibus insignito, saltem sacris, sese in seruitutem tradere, esset enim contra ordinum dignitatem, nisi aliqua insignis pietas intercesserit, vt de Paulino Nolanæ Episcopo refert libro tertio dialogorum capitu. 1. Gregorius, qui sese, vt subditos redimeret, tyrannis vendidit.

Præsentã. & ordinans seruum.

Obligati ad ratiocinia an ordinandi. Quod autem de seruitute dicitur, & de illis etiam intelligitur qui ratiocinijs sunt obnoxij, vt concilio Aurelianensi cautum est, De obligatis ad ratiocinia ordinan. vel non, capit. Vnico. Attamen non est eadem prorsus ratio: nam huiusmodi homines, liberi simpliciter sunt, sed quia Ecclesia eorum ordinatione infamatur, non sunt ordinandi, si tamen ordinentur nihil obstat, quominus possint sua officia administrare, nisi Ecclesia propter insignem infamiam id eis interdixerit.

4. Concl. Quarta conclusio. Homicidium voluntarium & membri mutilatio, etsi substantiæ sacramenti non obstet, si suscipiatur, vetat tamen suscipiendum ex Ecclesiæ præcepto. Prior pars manifesta est, quoniam homicidium non tollit significationem sacramenti, in qua eius substantia consistit.

Ratio conclusionis. Secunda verò ratio est, quòd omnes ordines ad sacrosanctum eucharistiæ sacramentum referuntur, quod est sacramentum pacis, sanguinis Christi effusione confirmatæ, cui quidem paci homicidium & mutilatio è diametro opponuntur, imò facto eorum qui Christum crucifixerunt assimilantur. Quapropter condecens maximè fuit, vt Ecclesia homicidas & mutilatores ab ordinibus sacris arceret, atque inhabiles decreto suo redderet, quod est esse irregulares. Atq; eam ob rem irregularitas hæc non ad primum genus trium supra positorum spectat, vt scilicet nascatur ex defectu: sed ad secundum, quia oritur ex ratione sacramenti, cuius dignitati opponitur. Conclusionem hanc titulus de homicidio voluntario constituit. Ob idque ratio huius irregularitatis non emergit ex ratione delicti: sed quia dignitati sacramenti aduersatur. Sicuti bigamia eius significationi contraria est, quæ ideo irregularitas etiam ratione sacramenti sumitur, de qua distinctione vigesimaseptima, quæstione tertia articulo primo, habendus est sermo. Quapropter non solùm iniquum homicidium, quod contra ius priuata authoritate perpetratur, verùm & legitimum, dummodo sit spontaneum & post baptismum commissum, irregularitatem inducit, canone. Aliquantos. distinctione quinquagesimaprima. Qua ratione quartum argumentum supra factum solutum restat. Vt si iudex aut miles Reipublicæ hostes interimat, aut mutilet: mutilatio enim ad partiale, vt fertur, homicidium reducitur: quia cùm anima omnia membra viuificet, in membro aliqua pars vitæ demitur. Debet autem vt irregularitas contrahatur, factum subsequi: nam licet quis sagitta animo occidendi hominem, aut fuste ipsum aut gladio percusserit, si non sequatur mors, quia non est homicida, non est irregularis. Et quia mors non est nisi viuentis, qui fœtum in vtero ante aduentum animæ extinxerit, irregularitatem non contrahit, quamuis peccet mortaliter, & quantum ad peccatum reputetur homicida, sicuti & qui impedit ne mulier concipiat, cap. Si aliquis, de homicidio. Atqui non modò qui alteri, sed & qui sibi membrum aut membri partem notabilem amputat, irregularis fit, vt qui digitum vel digiti partem detruncauerit. Neque solùm qui per se vel occidit, vel mutilauit, verùm etiam qui in causa fuit: vel consilio vel ope adiuuit, irregularitatem incurrit, vt habetur de clericis pugnantibus in duello capitu. 2. & de homicid. capitu. Sicut dignum. Quare & omnes ministri iustitiæ, etiam notarij, efficiuntur irregulares. Nec refert an occisio sit Christiani, vel infidelis, vt eodem titulo, capitulo. Petitio, declaratur. Debet autem homicidium esse voluntarium, & non casuale: dicitur enim casuale, quod occidens non intendebat, sed casu fecit: quemadmodum si quis inter venandum adhibita circumspecta diligentia iaculum iecerit, quo hominem imprudens interfecerit. De hac autem re totus fermè titulus de homicidio voluntario loquitur. Sed quia nos latissimè lib. 5. De iustitia & Iure, quæst. 1 artic. 9. de eadem re disseruimus, nihil præterea hic duximus adhibendum. Illic enim habes hoc potissimùm expositum, quando laicus vel clericus dicatur dare operam rei illicitæ, vt homicidium, quod alias diceretur casuale, dicatur voluntarium. Hinc fit effusionem sanguinis citra homicidium vel mutilationem per se non inducere irregularitatem, quoniam pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ, capitu. Odia. & capit. In pœnis. De regulis iuris. libro 6. & Canones non loquuntur nisi de homicidio vel membri mutilatione. Tametsi clericis interdicta sint negotia, vbi periculum esse potest effusionis sanguinis, vt patet per totum titulum, Ne clerici vel monachi secularibus negotijs se immisceant. qui si illis se immiscuerint, officio sunt priuandi, vt patet capit. Clericis, & capitulo. Sententiam sanguinis. eodem titulo.

S. Iu. 4. argum.

Irregularitas non contrahitur nisi actu homo interficiatur.

Iuuantes ope vel consilio.

Item Ministri iustitiæ sunt irregulares.

Homicidiũ debet esse voluntarium.

Quando quis dicatur dare operam rei illicitæ.

Ex his igitur irregularitates, siue quæ ex defectu naturæ, aut fortunæ, aut corporis, siue quæ ratione sacramenti accidunt, satis tibi exploratæ relinquuntur. Aliæ quàm plures sunt, quæ ratione delicti contingunt, quas apud Summistas non tam ordine dispositas, quàm absque ordine coaceruatas inuenies. Et notandum primum omnium, quòd subsequentes omnes irregularitates hoc modo intelliguntur esse impedimentum ordinum: quòd si irregularis ordinatur, ordinem quidem suscipit & characterem, peccat tamen grauiter contra Ecclesiæ præceptum. Quare gratiam non suscipit, manetque subinde suspensus, atque adeò quoties in ordinibus administrat, grauissimè peccat. Sunt autem huiusmodi delicta in triplici differentia: nam alia ordinationem præcedunt, & alia in ordinatione committuntur, atque alia post ordinationem. Delicta siquidem quæ ante ordinationem hominem faciunt irregularem, sunt quatuor singularia. Primum, si quis apostatauit à fide: nam si erat ordinatus, fit irregularis quo ad vsum, cap. Iulianus. vndecima quæst. 3. & si laicus, fit irregularis quo ad susceptionem, cap. Presbyteros. dist. 50. De quo Innocentius capitu. 1. de apostatis. Secundùm, rebaptizatio, vt si quis bis scienter quem quam baptizauit, aut baptizatus est. De baptizante est textus in cap Eos quos. & de rebaptizatis, cano. Quibis. De consecrat distinctione 4. Quos quidem Canones cum alijs supra dist. 3. artic. 9 expositos reliquimus. Iterantes autem alia sacramenta, etiam characterem imprimentia, quamuis sit sacramentum confirmationis, nullam irregularitatem incurrunt, quicquid alij contra comminiscantur. Quoniam irregularitas propter anabaptistas hæreticos decreta est, qui baptizato ab hæreticis iterum baptizabant, aut baptizatos autrationis vsum post annos discretionis rursum in immiriam prioris baptismi, quasi non sufficeret, baptiza

Irregularitates ratione delicti.

Delicta fiunt in triplici differentia, ante, in, & post ordines.

Ante ordinationem, quatuor contingũt. Primum Apostasia: Secundum Rebaptizatio.

Digitized by Google

Tertium.

bant. Tertium, vt si quis religiosus gratia audiendi leges, aut physicam, id est, artem medicam, monasterium exierit, nisi infra duos mènses fuerit reuersus. capitu. Super speculam, ne clerici vel monachi. cap. Ad aures. de ætate & qualitate. Quartùm, si quis in eo ordine administrat, quem non habet, capitulo primo & secundo. De clerico non ordinato ministrante. Quod intelligitur, si sit administratio in ordine sacro: nam in quatuor minoribus laicum administrare, non est irregularitatis causa. In maioribus autem, quamuis merè laicus sit, illam incurrit, vt bene contra quosdam ait Syluester verb. Irregularitas. §. 12. Item requiritur, vt seriò & solenniter administret. Aliud generale ponitur, quando quis enorme delictum commisit. distinctione vigesimaquinta, cano Primum. de quo Innoc. cap. Ex tenore, de temporibus ordinando. Syluester verb. Irregularitas. quæstione decimaquarta.

Quartùm, ministrans in ordine quem non habet.

Delicta in ordinatione. Ex parte ordinati.

In ordinatione committuntur alia delicta, quibus irregularitas contrahitur. Primò simpliciter ex parte ordinati, vt si excommunicatus excommunicatione maiori ordines sacros susceperit, cap. primo, de eo qui furtiuè ordines susceptit, & capit. Cùm illorum. De sententia excommunicationis libro sexto. Non quòd excommunicatio, sed quòd delictum suscipiendi tunc ordines, fit irregularitas. Et aliqui volunt, quòd etiam suscipiens ordines minores in excommunicatione maiori efficiatur irregularis, vt ait Syluester verbo, Irregularitas. quæstione decimatertia. Sed nescio quid veritatis habeat. Deinde delictum committitur in ordine ad episcopum ordinantem, vt si quis ordinetur ab episcopo, qui episcopatui renunciauit, non solùm loco & diœcesi, sed etiam dignitati, cap. primo. De ordinato ab episcopo, &c. Secùs si tantùm loco, non autem dignitati renunciauit: Quod intellige, si maiores ordines ab eo susceptt, secùs si minores ex licentia proprij episcopi. Item si ab episcopo excommunicato contra tenorem concilij Constantiensis ordinetur. Scilicet qui excommunicatus est nominatim, aut propter manifestam manuum iniectionem in clericum. can. Gratia. & can. Statuimus. 1. quæstione prima. Et quæstione septima. can. Daibertum. Et idem est si ordinetur ab hæreticis vel schismaticis: nam omnes censentur nominatim excommunicati.

Post susceptos ordines. Suspensus ab vsu ordinum.

Tertiò, post susceptos ordines alia multa committuntur delicta, quæ secum irregularitatem adferunt. Primum. Si suspensus ab vsu ordinum, in illis ministrauerit, fit irregularis. Etenim secundùm antiquos canones, vt ait Glossa super capitu. Cùm medicinalis. De sententia excommunicationis libro sexto, non nisi ille, qui excommunicatus maiori excommunicatione, in sacris ordinibus administrabat, efficiebatur irregularis, sed tamen Innocentius quartus eadem Decretali eandem censuram ad omnes suspensos extendit. Igitur, vt hinc exordiamur, si quis ab alieno episcopo citra licentiam proprij ordinetur, ordinatio illa rata non habetur, sed irrita, vt can. Episcopum. 9. quæstione secunda. Irrita, inquam, non quod ordinatio non valeat, nam character imprimitur, sed tamen ordinatus suspensus est ab vsu ordinum quos recipit, quousque episcopus proprius eum recipiat. Episcopus enim potest eis facultatem facere administrandi, vt can. Lugdunensis. eadem. cau. & quæstio. Ordinator verò per annum à collatione ordinum ipso facto est suspensus. Et subditi horum suspensorum possunt tunc absque eorum licentia ab eorum vicinis episcopis ordinari, can. Eos qui. de temporibus ordinandorum libro sexto. Suspensio tamen illa non est irregularitas, quia non est impedimentum aliorum suscipiendorum ordinum, sed peccabit suspensus mortaliter, si in susceptis absque licentia proprij prælati administrauerit. Aiunt verò nonnulli, quòd tunc administrando non efficietur irregularis, quia hoc non est expressum in iure. Et ita tenet Syluester verb. Irregularitas. quæst. 9. Et fortasse hoc verum est, quia ordinari sine licentia proprij Episcopi, non censetur propriè papalis suspensio, sed solùm inhibitio, ne ille administret sine licentia sui prælati. Sed est nihilominus per eundem prælatum suspendendus illa suspensione, quam si transgressus fuerit, efficiatur irregularis. Quæ quidem tunc irregularitas Per solam Papæ dispensationem tollitur, vt notauit Glossa super eodem cap. Eos qui. Et est tex. expressus, in cap. Quod translationem. extra eodem titulo. Nam qui simpliciter est suspensus, administrans fit irregularis per Decretalem citatam, Cùm medicinalis. Alius suspensionis casus est, quando quis vna die ordines minores & subdiaconatum recipit, capit. Cum H. de eo qui furtiuè ordines suscepit. Vel si duos simul susceperit sacros ordines, cap. fina. eodem titulo. In primo enim casu ordinatus ille suspenditur, ne in superiori ordine, sed tantùm in minoribus administret. In secundo verò in nullo potest: quia ambo sunt sacri. Veruntamen de ambobus distinguendum est. Etenim si ordinandi non fuerant sub anathematis sententia prænoniti ne illos simul ordines susciperent, tunc cum huiusmodi ordinatis vtroque casu, si aliquam religionem ingrediantur, poterit Abbas dispensare. Ex quo fit, quòd etiam si non ingrediantur, poterit episcopus eandem facere dispensationem. Si verò sub tali sententia fuerant prohibiti, tunc solus Papa poterit dispensare: quia excommunicatione maiori irretiti ordines susceperunt: qui ideo si sine dispensatione administrent, efficiuntur irregulares. Et idem est de eo qui furtiuè contra prohibitionem episcopi etiam sub anathematis sententia absque eius facultate & examine ordines susceperit, vt eodem titulo cap. 1. habetur.

Suscipiens vno die duos ordines.

1. Casus.

Secundus.

Episcopi dispensatio.

Tertius suspensionis casus eos tangit, qui per saltum promouentur, can. Solicitudo. distinctione quinquagesimasecunda. Quare si illi sic promoti in ordine superiori administrauerint, quicquid alij dicant, efficiuntur irregulares, vt bene ait Syluester verb. Irregularitas. quæstione vndecima. quia omnis simpliciter suspensus administrans saltem in sacris ordinibus, vt bis iam diximus, eo ipso fit irregularis, per citatum cap. Cùm medicinalis. de sententia excommunicationis lib. 6.

3. Casus. De promotis per saltum.

Quartus subsequitur suspensionis casus de illis qui extra tempora legitima ordinantur, distinctione 75. cap. fin. & de temporibus ordinandorum. cap. Sanè. & cap. vltimo. Et antiquitus huiusmodi non erant suspensi, sed suspendendi, vt cap. Literas. & cap. Cum quidam. eodem titul. Iam verò iure nouo sunt ipso facto suspensi, & si celebrent, fiunt irregulares à solo Papa absoluendi. Et possunt ipso iure beneficijs priuari per extrauagan. Pij secundi, quæ incipit, Cùm ex sacramento. confirmatam per regulas Cancellariæ Innocentij octaui, & Alexandri sexti, & per alia iura, quæ notauit Syluester verb. Irregularitas. q. 10.

4. Casus. De ordinatis extra tempora.

Quintus casus est, si suspensus, excommunicatus, vel interdictus ingerat se diuinis officijs celebrando vel administrando in aliquo ordine, saltem maiore, solenniter, vt notatur cap. de clerico excommunicato ministrante. & cap. fina. de excess. prælato. Isti enim non solùm sunt suspensi, sed irregulares, quia iam officia prohibita exercent. Quare solus Papa potest cum illis dispensare cap. primo. de re iudicata. libro 6. Ait verò Syluester verb. Irregularitas. q. 12. quòd etiam si administret in minoribus, eandem irregularitatem incurrit. Sed tamen id non facile crediderim: nam qui non facit nisi ea, quæ merus laicus potest facere: vt cantare Requiem æternam, aut aliquem psalmum, non efficitur irregularis, vt habetur cap. Tanta, eodem titulo, lib. 6. Officia verò minorum ordinum etiam laicus exercere potest. Dixerim solenniter, cum vestibus, illi ordini deputatis.

5. Casus. De excom. suspen. aut interd. ingerente se diuinis.

Circa omnes has irregularitates hoc est animaduertendum, quòd cùm vniuersæ, vt dictum est, non nisi ex iure Pontificio oriantur, super omnibus potest summus Pontifex dispensare, nisi quando ius diuinum attigerint. Cum illo enim, qui truncus est manibus, aut mutus, dispensari non posset, vt presbyter fieret.

Notandū.

Ad hæc matrimonium contractum, inter irregularitates propriè non connumeratur, quia nec delictum est, nec defectus, sed potest largo modo dici irregularitas, seu potiùs incapacitas ratione status: quia coniugatus nequit ad sacros ordines promoueri, idque, vt reor, diuino iure prohibente, vt libro septimo, De Iustitia & Iure, quæstione sexta, diffusè dissertum curauimus. Nec sufficit vxoris licentia, nisi approbatam religionem fuerit professa, vel diuortium inter eos fuerit celebratum, vt distinctio. trigesimaquinta dicturi sumus. Quare qui vxore relicta in seculo ordines sacros susceperit, perpetuò erit suspensus quousque ipsa vel vita fuerit perfuncta, vel religionem professa: imò esset tanquàm de hæresi suspectus in iudicium deferendus. Hoc præsertim tempore, quo Lutherani coniugatos arbitrantur esse diaconos & sacerdotes & episcopos. Quamuis illi

Matrimonium contractum non est irregularitas.

Si coniugatus ordinetur.

nullum,

Digitized by Google

nullum, quod verum sit ordinis sacramentum, agnoscant. Alij sunt casus, quos non opus est hic persequi: hi enim sunt, in quibus potissimum potest esse difficultas. Cæteros Summistæ in verbo Irregularitas, multiplicant.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ad ordinum susceptionem morum honestas & scientia requiratur.

POST illas ordinandorum qualitates, quæ ad mores non attinent, sequitur, vt de eorum probitate & scientia dicamus, an sit etiam necessaria. Et arguitur à parte negatiua. Per ordinis sacramentum instituitur homo sacramentorum minister: sed sacramenta administrate tam mali possunt, quàm boni, & Christus ipse mulierem peccatricem & infamem, vt legitur Lucæ septimo, à suo ministerio non repulit: ergo probitas vitæ non est necessaria.

Partis negatiuæ argumenta.

1.

2. Secundò præterea arguitur, quòd nec requiratur in ipso scientia scripturæ sacræ: quia multi absque eius prorsus cognitione ad sacerdotium promouentur, & in vitis patrum multi simplices referuntur monachi ad sacerdotium promoti, qui tamen erant sanctissimæ vitæ

3. Tertiò arguitur. Si probati mores, ad ordinum susceptionem essent necessarij, quo melioribus quis esset imbutus, eo esset ad id munus magis idoneus. Cùm ergo paupertas sit opus consilij, quantò quis esset indigentior, tantò deberet facilius ad ordines assumi: consequens tamen est contra ritum & consuetudinem Ecclesiæ, quæ non permittit quenquam sacris initiari, nisi vel titulum habeat sacerdotij, vel patrimonium quo se possit alere.

4. Quartò arguitur. Si dignitas aliqua esset in suscipiente necessaria, sequeretur, quòd Episcopi indignos promouentes grauiter peccarent: consequens tamen inde apparet falsum, quòd alioqui deberent solertissimum examen facere morum & scientiæ ordinandorum, quod certè non faciunt: potissimum, quòd, cum multis ministris & auxiliaribus indigeant, si non possunt in tanta copia idoneos inuenire, excusari quodammodo videantur.

5. Quintò denique arguitur. Si probitas vitæ ad ordines esset requisita, sequeretur, quòd qui susceptis ordinibus in peccato mortali vteretur, mortaliter peccaret: consequens tamen videtur falsum, nam alias qui sacramenta ab illo susciperet, eiusdem esset peccati particeps, quod videtur durum.

Sed cõtra. In contrarium est exemplum antiqui testamenti: dicitur enim Leuitic. 21. Homo de semine Aaron, qui habuerit maculas, non offerat panem coram Domino: maculæ autem nomine, vt ait glossa, omne vitium intelligitur, quo altaris administri impinguntur. Inter defectus artic. 2. propositos, postremus erat ad animam pertinens, qui ad scientiam spectat, & mores, de quo præsens articulus instituitur.

1. Concl. Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima. Quamuis morum integritas non sit de essentia sacramenti, est tamen præcepto diuino maximè necessaria. Nam etsi non eodem gradu, quo Apostoli, eorumque successores episcopi, sunt tamen omnes clerici, & potissimum sacerdotes lumen Ecclesiæ, & sal terræ. vt Christus ait Matthæi. 5. Atqui cùm ordinentur, vt eodem sint gradu, quo possint esse pastores, debent in charitate Dei esse progressi, vt Petri nonnullum exemplum referant, quem Christus non antea vicarium suum instituit, quàm tertiò interrogaret, an se plus cæteris diligeret, Ioannis vlti. Nam bonus pastor, vt ait Ioannis. 10. animam suam debet ponere pro ouibus suis, quod certè nisi charitate proiectus perficere non potest. Quocirca Paulus. 1. ad Timotheum tertio episcopum (quo nomine presbyteros omnes comprehendit) plurimo virtutum ornatu decoratum desiderat, & à diaconibus non qualemcunque morum probitatem requirit. Vnde tertio cap. cælestis hierarchiæ, ait Dionysius, quòd vt subtiliores & clariores essentiæ (nempe cælestia sydera) repletę influxu solarium splendorum, lumen in eis supereminens ad similitudinem solis in alia corpora inuehunt: sic in ordine diuino nemini audendum est alijs ducem esse, nisi secundùm omnem habitum suum factus sit Dei firmissimus, & Deo simillimus. Cùm ergo qui sacris initiantur ordinibus, duces se aliorum esse profiteantur, necessum est eis, vt diuino sint lumine imbuti, ac perinde Deo simillimi. Facere autem homines simillimos Dei, officium est charitatis: nam, vt ait Ioannes, † Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Vnde ad Colossenses. 3. Paulus. Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. charitas autem sanctis moribus colitur: hæc est ergo prima ordinandorum qualitas. Quocirca Gregorius in prima parte Pastoralis, † & refertur distinctione. 49. can. Hinc etenim. vitæ integritatem, quæ in sacerdotibus est necessaria, citato illo testimonio veteris legis confirmat. Qui habuerit maculam, non offeret panem Deo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, &c. vbi in corporis vitijs spirituales labes depinguntur, quæ hominem sacris ordinibus indignum reddunt. Et D. Hieronymus. 8. quæstione prima. cano. Qualis. ait, quòd presbyteri & diacones debent summa diligentia prouidere, vt cunctum populum, cui præsident, conuersatione, scientia, ac sermone præeant. Imò & qui sunt in minoribus ordinibus id etiam debent curare. Vehementer enim, inquit, Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos, quàm clericos. Operosum autem esset nimis, canones recensere, qui de vita & honestate clericorum loquuntur, quos Gratianus à distinctio. 25. vsque ad 50. & 81. compilauit. Sed super omnes consulendus est in libro de sacerdotali dignitate Chrysostomus, qui sacerdotes docet tanto morum interuallo debere reliquo populo antecellere, quanto brutis ouibus rationalem pastorem: imò ceu cælestes angelos debere inter homines viuere. Tractant enim tum reliqua sacramenta, tum præsertim sanctissimum corporis & sanguinis Christi, quod angelis tangere non est indultum.

1. Ioan. 4.

† Cap. 11.

Hæc apud B. Hiero. non inueniuntur vide post cano. citat.

Chrysost.

At verò hæretici fucato religionis prætextu adeò hanc veritatem extollunt, vt in foueam falsitatis corruant. Enimuerò VVitcleff, vt est videre apud VValdensem secundo Tomo, de sacrament. capit. 3. & 4. & subsequẽtibus. Et capitu. 144. & 145: aiebat sanctitatem ministrorum Ecclesiæ esse necessariam, non solum de præcepto, sed tanquam de essentia sacramenti: ita vt non susceptio sacramenti, sed meritum vitæ in gradu ecclesiastico hominem suscipiat. Quapropter aiebat, quòd nec malus homo dum sacris initiari contendit, vllum suscipit sacramentum, neque sacerdos, dum est in peccato sacramenta Eucharistiæ conficit, aut alia verè administrat. Quem errorem secutus est Armachanus lib 11. cap. quarto, falso dogmatizans, per quodcunque peccatum mortale amitti omnem potestatem, non solùm spiritualem, sed etiam ciuilem. Et ideò inferebat loco citato cap. 145. VVitcleff. quòd nisi qui habuerit sanctitatem Petri, non fungitur eius clauibus.

VVitcleff. error.

Armachani.

Probatur scripturis, Patrum & canonum Authoritate.

Contra hunc autem errorem statuitur secunda conclusio. Quamuis honestas vitæ sit in sacerdotibus & alijs ministris, scilicet diacono & subdiacono, necessaria necessitate præcepti: non tamen est de necessitate & essentia sacramenti, neque ad eorum vsum. Imò licet quis in peccato ad susceptionem ordinum accedat, si modò intentionem habeat suscipiendi sacramentum, quamuis gratiæ beneficio frustretur, nihilominus verum suscipit sacramentum. Et pari ratione si postea in peccato sacramenta administret, vera confert: conclusio satis articul. 1. confirmata est per illud testimonium August. tract. 5. super illud Ioannis 1. Super quem videris spiritum descendentem, &c. Sacramenta quippe sunt instrumenta Christi, quibus ipse operatur, & ideo nullatenus ex sanctitate & iustitia ministri pendent. Gratia enim tanquam à proprio autore non à ministro, sed à Christo ipso, in quo est gratiæ plenitudo, confertur. Cui ideo suscipiens sacramentum per gratiam assimilatur: minister autem non confert gratiam nisi conferendo sacramentum, quod quidem per characterem confert, licet gratia careat. Quare perinde malus ac bonus verè baptizat, & confecrat, & absoluit, & ordinat: imò & gratiam confert, si suscipiens obice gratiæ non obstet. Et quamuis eundem opponat obicem, verum potest absque gratia suscipere sacramentum, tam ordinis, quàm alia. At verò quoniam hanc veritatem supra distinctione. 1. quæstione. 5. quàm plurimis sanctorum autoritatibus constabiliuimus, non opus est nos hic amplius morosos esse. Congessit huius nonnulla testimonia Gratianus. 1. quæstio. 1. ex Hieronymo can. Sicut Christus. & ex Augustino

2. Concl. Necessaria est vita honestas necessitate præcepti, non sacramenti.

Dionys.

can. In-

can. Intra Catholicam. & can. Omnia sacramenta. & can. Vt euidenter.

Ratio sufficiens contra hæreticos.

Et quando contra istos hæreticos nullum aliud extaret argumentum, hoc vnum pro omnibus satis esset, quod secundum ipsos nihil certi in sacramentorum effectibus haberemus, sed omnia versarentur in ambiguo. Nam cum nemo sciat an minister, à quo sacramenta suscipit, in gratia sit, non fieret certior sacramentum suscepisse, quàm si ab vnoquolibet laico susciperet.

Obiectio ex Chrys.

Vnum autem testimonium videtur in superficie huic veritati aduersari ex opere imperfecto Homilia 45. & refertur distinctio. 40. cano. Multi. Multi enim, inquit, sacerdotes, & pauci sacerdotes: multi nomine, & pauci opere. Non omnis sacerdos est sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Vbi insinuatur, quòd qui non est sanctus, non est sacerdos, & quod omnis sanctus etiam laicus, sit sacerdos.

Dilutio. S. Thom.

Sed probè S. Thomas impræsentiarum respondet, allusionem illic fieri ad etymologiam nominis sacerdotis: est enim sacerdos idem quod sacra dans. Et ideo quicunque etiam laicus sanctus, quatenus sacra sua merita amicis communicat, dicitur generali nomine sacerdos, iuxta illud Apocalypsis 5. Feciſti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.

Apoca. 5.

Sed tamen sacerdotes sacramentorum ministri, quia non operantur in sua virtute, sed Dei, absque sanctitate possunt sacerdotio fungi, impertientes gratiam de plenitudine Christi.

An qui initiatur in peccato, mortaliter peccat.

Dubium ergo ex his emergit. Vtrùm quicunque sacris ordinibus in peccato initiatur, mortaliter delinquat, ac perinde sacerdos ille, qui in peccato sacramenta administrat. Hæc autem ambiguitas per ea quæ dicta sunt facilè diluitur. Enimuerò quicunque susti nuerit, omnes septem ordines esse sacramenta gratiam conferentia, dicere subinde cogitur, quòd quodcunque illorum quisque suscipiat in peccato mortali, peccat mortaliter, eo quod opponit obicem gratiæ. Si autem non sint sacramenta, nisi tres ordines sacri, vt à nobis suprà dictum est, quamuis quispiam alios quatuor ordines minores existens in peccato suscipiat, non peccat mortaliter.

Dubij solutio.

Administrare sacramenta in peccato est mortale.

Administrare vero sacramenta in peccato mortali, mortale est, eo quod & presbyter ad eorum idoneam administrationem gratiam suscipit, & administratio ipsa sacramenti est actio sanctificans. De functione autem ordinis diaconatus & subdiaconatus supra moderatius locuti sumus. Nam etsi eiusmodi ministri per gratiam ad suam functionem sanctificentur, tamen quia ipsæ functiones non sunt sanctificatrices, durum esset ad peccatum mortale illos adigere, qui extra gratiam illas exercent.

Quæstio præsens.

At verò quòd articul. præsenti de idoneitate eorum qui sacris sunt ordinibus initiandi, definitur, non est generalis illa dispositio, quæ in suscipiente quodcunque sacramentum requiritur, ne sacramentalis gratia obicem inueniat, est enim illa quædam actualis præparatio. Sed definitio præsens ad morum habitus attinet. Enimuerò quoniam per sacramentum ordinis homo non solum gratiam suscipit, sed ad sublimiorem statum conscendit, requiritur in eo morum honestas, & virtutum claritas, vt testimonia præcedentia testantur: nempe, vt sit prudens, vt ait Paul. ornatus, pudicus, &c. Quapropter ad aliorum sacramentorum susceptionem nullum prærequiritur examen vitæ, sicuti ad ordinum susceptionem. Debet enim, vt loco citato ad Timotheum ait Paul. presbyter & diaconus testimonium habere ab ijs quæ foris sunt.

3. Concl.

Tertia conclusio. Præter morum compositionem requiritur in suscipiente ordines scientia & prudentia, quanta sit suo ministerio sufficiens. Probatur, quia cum facultas operandi sit propter vsum, nemini illa permitti debet & concredi, nisi qui ea vti sciuerit: scientia enim est quæ opus dirigit. Hinc fit, quòd ad minores ordines suscipiendos satis sit, vt ordinandus legere saltem sciat, & commodè pronunciare: quia eorum munus non est sacram scripturam intelligere. Ad sacros verò ordines exigitur, vt diaconus & subdiaconus latinè sciat: nempe, vt quæ legit intelligat: quamuis mysteria non adeò Theologicè calleat. Ad presbyteratum autem aliquanta scripturæ intelligentia exigitur. Sunt enim duæ presbyteri functiones, vna præcipua, supra corpus Christi verum: atque altera secundaria, supra corpus Christi mysticum. Prima conuenit in vniuersum omnibus sacerdotibus, secunda verò non nisi plebanis. Igitur quando quispiam ad solum priorem actum presbyter ordinatur, vt vsu venit inter religiosos, qui animarum curam non habent, non requiritur alia scientia, quàm vt mysterium sacramenti intelligat. Indignè enim profectò presbyter diuina illa mysteria tractat, quorum sensum & gustum non percipit: neque illum sine aliqua mysteriorum cognitione habere aut percipere potest.

Ratio cõclusionis.

Diaconi & subdiaconi scientia.

Duæ presbyteri functiones.

Et per hoc responsum putato ad secundum argumentum. Illi enim sancti eremitæ, & alij simplices sacerdotes, quia se prorsus ab animarum cura sequestrabant, non multa indigebant scripturarum scientia. Qui verò parœciæ in pastorem præficitur, debet, vt idoneus habeatur, ea scire quæ plebi sunt cognitu necessaria: nempe illa quæ sunt de necessitate salutis. Vt videlicet docere suos subditos sciat fidei articulos, & decalogum, & ordinaria peccata, quæ ei per confessionem deteguntur, & vt pœnitentibus salutaria concilia præstare valeat. Etenim vt Malachiæ 2. legitur, debet populus de ore sacerdotis legem requirere. Non tamen tenentur eiusmodi presbyteri eo vsque esse Theologi, aut Iurisconsulti, vt ardua vel sacræ scripturæ, vel sacrorum canonum penetrent: huiusmodi namque scientia Episcopis, qui sunt maiores sacerdotes, incumbit. Et pari modo admonitio illa 1. Petri 3. intelligenda est: vt scilicet parati simus semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe: longè enim altius & perfectius tenetur rationem fidei reddere Episcopus, quàm plebanus presbyter. Presbyteris namque satis est, vt arduas causas ad peritiores referant, quos quid eis agendum sit consulant.

Solut. 2. arg.

Malac. 2.

1. Petri 3.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, illud concludere in peccato mortali verum sacramentum, tum recipi, tum etiam administrari: tametsi tam recipere illo modo, quàm administrare, sit peccatum mortale. Neque est par ratio de ministerio corporali, quod Christo in sua persona impendebatur, ac de ministerio spirituali. Etenim quia Christus ceu peccatorum medicus venerat, non renuebat, sed amplectebatur peccatores ad se aduentantes. Qui verò in spiritualibus sacramentis ministrat, mediatorem agit inter Deum & homines, vt per suum ministerium gratiam Deus populo impertiatur. Et ideò dignè eiusmodi ministerium, nisi ab eo qui est in gratia, non exhibetur. Quanquam & peccatores ad Christum properantes, & potissimum Magdalena, iam tunc digito Dei attacti accedebant.

Sol. 1. arg.

Ad tertium respondetur, quòd si fieri modo posset, vt sacerdotes ea sanctitate pollerent, qua Diuus Nicolaus, aut alij id genus sancti patres, & populus eo charitatis igne flagraret, quo primitiui Christiani, cõgrueret fortasse vt sacerdotes essent pauperes: tamen cùm modò fieri nequeat vt in tanta clericorum multitudine ea reperiatur sanctimonia, necesse est vt clerus aliquem honestatis habeat splendorem in victu & vestitu. Imò & aliqua sint clericis præmia decreta, quibus ad literarum studia alliciantur. Ob idque è re Ecclesiæ est, vt nemo ad sacros ordines assumatur absque titulo beneficij, aut patrimonij, ne alia incommoda clericatui indigna accidant: nempe, vt tam immodicus sit sacerdotum numerus, vt nequeant nisi mendicitate viuere. Qua vtique ratione vsu iam venit, vt contra gradus dignitatem sacrificiorum eleemosynæ augeantur. Imò vt antistites sacerdotibus interdicant vili pretio sacrificia offerre, quod non potest non in magnum scandalum cedere. Nam præterquam quòd promissa, non pretium, sed eleemosyna sit eroganda, quæ, vt nomen ipsum sonat, libera esse debet, cur non poterit sacerdos, etiam gratis pro amico sacrum facere, sicut & aliud beneficium ei impendere? Quòd si gratis, cur non & pro quacunque parua eleemosyna? Certè si Augustinus talia mandata audijsset, non potuisset non execrari. Est n. mandatum (si vllibi est) iniquum, atque iniquius si sententiam excommunicationis habeat annexam. Quare nullus sacerdotum ei parere tenetur. Satis n. esset admonere populum, vt in victum sacerdotum largiores pro sacrificijs erogaret eleemosynas. Sed dicunt episcopi. Nequeunt sacerdotes minori subsidio sustentari. Hi vellem tria responsa adnotarent. Primum: quod decimæ, sacerdotia, & beneficia in alimentum sacerdotum sufficiunt, quare si illi, qui fructus deuorant, residerent, quæcunque eleemosynæ sufficerent, sed quia eiusmodi beneficia absque vlla residentia perinde ac propria patrimonia possident, ac subinde Ecclesias proprio patrimonio, quod sacerdotum stipendium erat, expoliant, in causa sunt, vt merce-

Sol. 3. argum.

Ecclesiæ decoris interest, ne vllus ordinetur citra beneficium aut congruum patrimonium. Contra episcopos, qui prohibent ne sacerdotes minori pretio sacra peragant.

Episcoporum obiectio.

Primum resp̃sum.

rarij mendicatis eleemosynis cogantur viuere, & omnium literarum ignari seruitio Ecclesiarum deputentur, quarum fructibus alij impinguantur, qui cum non laborant, nec manducare, vt ait Apostolus, deberent. Secundum est, quod episcopi iure prohibiti sunt quenquam ad sacros ordines admittere, nisi beneficium habeat, vel patrimonium quo sustentari possit. Huius autem prohibitionis nulla ferè rationem habent. Quare cùm sua sit culpa, qui mendicos ordinant, pergunt onus imponere populo, qui illos, ac si decimas non soluerent, insuper alant. Sed accipe tertium, cum absque vllo ferè examine & delectu quoslibet ad clericatus ordines suscipiant, fecerunt iam presbyteratum merum officium de pane lucrando. Quocirca non pro deuotione ordinis, sed vt ociosius in clericatu, quam in alijs opificijs viuant, ordinantur. Qua ratione numerus pauperum sacerdotum adeò creuit, vt Ecclesiæ nullum adferant decorem, sed populo multum oneris.

Secundum Nota.

Tertium Nota.

Sol. 4. arg

Ad quartum respondetur, concesso, mortale esse episcopo peccatum eos ordinare qui prorsus indigni sunt. Conqueritur enim Christus in Euangelio Matthæi 24. dicens. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Episcopus ergo, qui nomine Dei indignos constituit in Ecclesia, Deo cum primis infidelis est, atque adeo iniurius Ecclesiæ: quippe cuius decus & honor per indignos ministros multum denigratur, multumque subinde detrimenti huiusmodi homines, non per ostium, sed aliunde intrantes Ecclesiæ adferunt: cùm tamen ordinandorum dignitas non sit de iure tantùm positiuo, vt ætas & monogamia, sed (vt monstratum est) de iure diuino. At verò huius calamitatis remedium fermè iam desperatum est.

Episcopus indignos ordinans grauissime peccat.

Ordinandorum dignitas de iure diuino est.

Ad quintum denique respondetur, concesso peccatum esse mortale sacramenta in peccato administrare. De recipientibus autem ab indignis sacerdotibus, & præsertim à præcisis, latè diximus distinctione 1. quæst. 5. artic. 6. & latius distinct. 22 quæst. 1. art. 4. quibus in locis constitutionem Concilij Constantiensis explicuimus.

Suscipiens sacramenta ab indignis.

Quæstio secunda.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA, ET EXEMPTIONE CLERICORVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm potestas Ecclesiastica sit hac ratione suprema, vt ciuilis ab ea, tanquam eius delegata, pendeat.

QVO PRAEPRETIVM duximus in calce huius materiæ ordinum de potestate ecclesiastica respectu ciuilis quæstionem adhibere, in duos articulos distinctam. Quorum primus sit, vtrum potestas ecclesiastica sit, hac ratione suprema, vt ciuilis ab illa tanquam eius delegata dependeat. Arguitur enim à parte affirmatiua: Christus Ecclesiam seu optimam rempublicam instituit: optima verò ea respublica est, quæ instar regni vnico summo capite gubernatur, vt 3. Politi. autor est Philosophus: summum verò caput esse non potest in Ecclesia, nisi potestas ciuilis sit prorsus ecclesiasticæ subiecta, vt Papa sit Dominus omnium tam temporalium quam spiritualium. Alioqui duo essent capita, quod 12. Meta. idem reprobat Philosophus. Et confirmatur ex illo ad Roma. 12. & 1. Corint. 12. vbi Paul. ait, Christianos omnes esse vnum corpus ex diuersis membris constans: vnius namque corporis, ne sit monstrum, vnicum debet esse caput. Quod exemplo apum Hieronymus declarat cano. In apibus 7. q. 1.

Partis affirm. argu. 1.

2. Argu.

Secundò arguitur. Christus illam potestatem suo vicario reliquit, quam ipse habuit: ipse autem etiam inquantum homo non solùm fuit Dominus regni cœlorum in spiritualibus, verùm etiam rex temporalium: ait quippe Ioan. vlt. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra: quare in Apocalypsi ca. 18. pronunciatur Rex regum, & Dominus dominantium.

3. Argu.

Tertiò id è iure canonico colligitur: nam à quocunque iudice seculari in quacunque causa potest ad sedem apostolicam appellari. 11. quæstione. 1. cano. Quicunque litem. potest Papa deponere reges: nam Zacharias Papa Regem Francorum tanquam regno inutilem deposuit. 15. quæst. 6. cano. Alius. & Innocentius Fredericum. distin. 96. cano. Duo sunt.

Pars nega.

In contrarium autem est autoritas Pelagij Papæ eod. citato cano. Duo sunt. vbi ait, Duo sunt, Imperator Auguste, quibus hic regitur mundus, autoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.

Decisio articuli.

De hac lite, vt libr. 2. ca. 113. ait Turre-Cremata, duę sunt è diametro distantes opiniones, inter quas media est tanquam catholica constituenda. Sunt etenim qui eo studio, & (vt putant) religionis zelo, extollere contendunt dignitatem apostolicam, vt arbitrentur Romanum Pontificem summum iudicem tam in temporalibus, quàm spiritualibus, atque adeò ad ipsum pertinere reges ac principes seculares instituere, qui ideo sunt sicut eius vicarij delegati. Hanc opinionem ebibit Augustinus de Anchona in tract. de potesta. eccles. quem Syluester verb. Papa. §. 2. secutus est. Cuius etiam patronus fuit Panormitanus, atque alij iurisperitorum complures. Alij in alterum extremum collapsi omnem prorsus temporalem potestatem summo Pontifici detrahunt. Imò in temporalibus ciuili omnino potestati subijciunt, neque vllam clericorum exemptionem iure diuino permittunt. De qua hæresi sequenti artic. copiosiùs dicturi sumus.

Prima opinio.

Augu. de Anchona. Syluester. 2. Opinio.

Ad quæstionem ergo præsentem quinque conclusionibus respondetur. Prima. Potestas ecclesiastica & ciuilis sunt duæ distinctæ. Assertio est Pelagij citato can. Duo sunt. At quia materia hæc ad ius diuinum attinet, ex testimonijs scripturæ sacræ est colligenda. Nam quia (vt bona venia dixerim) interpretibus sacrorum canonum non datum est de iure diuino & naturali ad amussim tractare, nil mirum si impræsentiarum hallucinentur. Canones enim sacri, qui hac de re loquuntur, per sacram scripturam ex qua collecti sunt, veniunt elucidandi. Probatur ergo conclusio. Potentiæ & artes, vt 2. Ethi. autor est Philosophus, per actiones differunt, & actiones per obiecta & fines, quò actiones diriguntur: sed in corpore mystico Christiano sunt duo fines, vnus naturalis, quò ciuilis administratio tendit: nempe pax & tranquillitas reipublicæ: & alter supranaturalis, qui in diuino conspectu possidetur, quem, vti ait Paulus, neque oculus vidit, neque auris audiuit: ergo sunt potestates diuersæ ad illos consequendos. Ratio est Hugonis part. 2. de sacrament. vbi ait, quòd cùm duæ sint vitæ, vna terrena, & altera spiritualis, vt vtraque in iustitia seruetur, & vtilitas proueniat, necessaria est duplex potestas ad conseruationem iustitiæ: vna, quæ præsit terrenis ad gubernandam ciuilem vitam: atque altera, quæ præsit spiritualibus ad componendam vitam spiritualem. Eadem autem veritas secundò probatur. Potestas ecclesiastica est facultas clauium regni cœlorum, vt patet Matth. 16. & 18. ac perinde remissionis peccatorum, vt habetur Ioan. 20. & insuper potestas consecrandi corpus Christi verum & sanguinem: hæc autem facultas non est potestati ciuili concessa: duæ sunt ergo potestates. Tertiò, quia ad promouendos homines ad huiusmodi fines diuersæ sunt leges, respectu scilicet temporalis finis leges prorsus humanæ & ciuiles, sed respectu supranaturalis adhibita etiam sunt supranaturalia mandata sacramentorum: item & diuersi sunt gladij: scilicet diuersa supplicia: nam supplicia ciuilia gladio temporali, nempe corporis morte consummantur, neque vlterius protenduntur: potestas autem ecclesiastica gladio insuper spirituali vtitur: videlicet excommunicatione, atque alijs censuris. Quartò denique Potestas spiritualis ad animas proximè refertur, cui & diuinas leges scrutari & consulere incumbit, & circa diuinum cultum versatur, atque adeò pontifices & sacerdotes instituit, quæ quidem munera regibus non competunt, sed iura imperatorum tractare, creare prætores atque alios magistratus: sunt ergo hierarchiæ diuersæ, atque adeò diuersæ potestates. Addè quòd non solùm in lege Mosayca, verùm & in lege

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Ratio. 4.

Ratio. 1. naturæ diuersi erant sacerdotes ab alijs magistratibus, penes quos summa religionis ac diuini cultus posita erat. Nam vt dist. 1. q. 2. monstrauimus, in omni lege fuit semper aliqua reuelatio fidei supranaturalis necessaria, quæ cultum Dei necessarium monstrabat. Quinuerò & in statu naturæ integræ iltæ duæ potestates floruissent, tametsi illic nulla fuissent sacramenta necessaria. At non est præsentis loci fusiùs hoc diducere.

Obiectio. Sed arguat quis forsan in contrarium, Finis ciuilis reipublicæ, est, vt eodem loco autor est Aristo. bonos facere ciues, ac bene institutos: bonus autem non est, nisi qui Dei fuerit amicus, quæ quidem amicitia sufficit ad vitam æternam: vnde colligitur iura ciuilia sufficere ad consecutionem vitæ æternæ. Et cõfirmatur ex illo Matth. 22. Si vis ad vitam ingredi, ser-

Matt. 22. ua mandata, vbi sermo fiebat de mandatis naturæ, Non occides, Non furtum facies, &c. quod si verum habet, non plures, sed vnus est finis ciuilis & ecclesiasticæ potestatis, atque adeò vna potestas. Atqui hinc hæretici huius tempestatis colligunt penes Reges & ciuilem rempublicam spiritualem potestatem vna cum ciuili sitam esse. Quæ quidem hæresis, vt est inter omnes nuperrima, nunquam vsque ad nostra secula audita, ita est pestilentissima.

Dilutio. Respondetur ergo, quòd etsi mandata iuris naturalis & ciuilis ad consecutionẽ æternæ fœlicitatis referantur, non tamen sunt ad illum assequendum sufficientia: nam vbi ait Aristoteles, principis propositum esse facere ciues bonos, de bonitate duntaxat morali loquebatur, officia verò moralia non sufficiunt ad amicitiam Dei sine charitate infusa, sine qua scilicet nullus dicitur aut est bonus, neque vllum opus bonum. Quare supra legem naturalẽ & ciuilem requiritur cùm primis auxilium speciale Dei, & sacramentorum leges, quæ sunt supranaturales: nam nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. & nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Hæc ergo potestas excelsior est ciuili, quam Christus Dominus suo cùm primis vicario ac per ipsum Ecclesiæ concredidit.

Obiectio. Quòd si rursus scisciteris, nunquid Deus per vnicam potestatem, perque vnicum caput potérat ambas comprehendere, vt scilicet rex (quemadmodum apud Anglos nuper opinatum est) vniuersa tam ad diuinum cultũ, quàm ad ciuilem rempublicã spectantia administraret, vel Papa solus vtrumque faceret? Respon-

Dilutio. detur de potestate absoluta Dei nihil nos disputare, tamen

Sapiẽ. 7. quia, vt Sapient. 7. legitur, disponit omnia suauiter: & sapientiæ vt Metaphysic ait Aristote. est omnia secundum suos fines disponere & appositè ordinare, & gubernare, non fuit condecens tam diuersa officia vni soli potestati committere: sunt enim ecclesiastica & ciuilis administrationes per quam veriæ: quippe quarum vna per magistratus seculares, qui vxores habent & liberos administratur: altera verò non est, nisi viris ab onere vxorio liberis, consentanea. nam vt ait, 1. Co-

1. Cor. 7. rinth. 7. Apostolus, qui vxorem habet, quærit quomodo placeat vxori, & qui absque vxore sunt, quomodo placeant Deo: Si ergo eadem potestas penes eundem esset supremum gubernatorem, non possent non omnia esse confusa, atque adeò multis periculis subiecta. Quare fuit vtique necessarium, vt rebus tam diuersis diuersa capita decernerentur, & esset Ecclesia sicut regina à dextris principis sedens circumamicta varietate, & corpus Christi mysticũ, vt 1. Corinth. 10. ait Paulus, ex varijs membris compactum.

2. Concl. Secunda conclusio. Potestas spiritualis præstantior est ciuili. Conclusionem hanc nomina per se ipsa declarant, vt capit. Solitæ. de maior. & obedien. autor

Innocen. est Innocentius. Reprehendit enim illic Pontifex Constantinopolitanum Imperatorem, qui propter illud re-

1. Petri 2. stimonium. 1. Petri. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictã, &c. opinabatur regiam potestatem cæteris præcellere. Reprehendit, inquam, obijciẽs, illic Apostolum solùm significare præcellentiam Regum in temporalibus respectu ducum & aliorum, qui ab illis illa recipiunt. Sed nihilominus Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori. Itaque sicut anima corporis est viuificatrix, & spiritus corporis dux: ita & spiritualis potestas debet temporalibus præeminere. Cui & aliam similitudinem aptissimam subiecit, quòd Deus pontificalem & regalẽ autoritates instituit veluti duo luminaria magna: nempe solem & lunam: sicut enim sol præest diei, ita & Pontifex spiritualibus: & sicut luna præst nocti, ita & rex temporalibus, quæ noctis imaginem præferunt. Adde quod sicut luna a sole, ita & ab spirituali potestate ciuilis recipit lumẽ: nam sic rex tẽporalia regere debet, & gubernare, vt spirituali religioni subseruiant.

Similitudo optima.

Ratio. 2. Secundò id probatur ex fine vtriusque potestatis nã vt. 1. Ethic. autor est Philosophus, qualis est ordo inter fines, talis est inter facultates & artes, quæ illos habent propositos fines. Ob id enim equestris ars præstantior est frænifactiua, & nautica superior arte extruendarum nauium, quòd fines illarum sunt finibus istarum superiores: & ideo equestris præcipit frænifactiuæ, qualiter debeat frenum fabrefacere, & nautica nauium factiuæ, qualiter debeat nauim conficere: cùm ergo finis spiritualis potestatis sit, vt diximus, sempiterna beatitudo, & finis potestatis secularis sit tranquillus status reipublicæ, qui ad illam supernam beatitudinem refertur sit, vt Ecclesiastica potestas sublimior sit. Exemplo id præterea confirmatur Pauli ad Hebræ. 7. vbi probat, quòd sacerdos Melchisedech superior fuit, quàm secularis Abrahã, propterea quòd vt legitur Gen. 14. Melchisedech Abrahamum benedixit, & sine dubio maior, inquit, est qui benedixit, quàm qui benedicitur.

3. Concl. Tertia conclusio. Excellentia potestatis Ecclesiasticæ respectu ciuilis non est huius rationis, vt papa sit Dominus totius orbis in temporalibus. Non loquimur de peculiari regno, si Pontifex Maximus earum vrbium & prouinciarum quarum habet in temporalibus supremum dominium, verè sit rex temporalis, cùm in illis nullum in terris superiorem agnoscat. Hoc enim adeò non inficiamur, vt fateamur, ad eius munimen & splendorem pertinere. Sed de vniuersali regno orbis, aut totius, aut Christiani. Conclusio hæc ex prima consequitur: nam si Papa esset supremus Dominus omnium, non essent duæ potestates, sed vna: tunc enim sicut antistites omnes subduntur pontifici summo, & duces, regi: eadem ratione & forma reges subderentur Pontifici maximo, ab illoque prorsus eodem modo penderent: quare sicut tota potestas ecclesiastica est vna, & tota ciuilis vna, pari modo tunc ambæ simul essent vna.

Ratio conclusionis.

Quòd autem conclusio hæc & subsequentes per primum earum fundamentum eluceſcant, adnotandum est, non aliam Christum suo vicario reliquisse potestatem, quàm ipse in quantum homo, orbisque redemptor accepit: nullum tamen regnum temporale assumpsit, sed illud rerum temporalium præcisum Dominium, quod ad finem redemptionis erat necessarium. Dixerim, inquantum homo: nam quatenus Deus erat, vniuersis mortalibus nedum Christianis, confessissimũ est & receptissimum, iure creationis absolutum esse orbis dominum & regem. Domini enim, vt est in psalmo, est terra & plenitudo eius: & vt legitur Sapientiæ 8. per ipsum reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Quare Ioann. Faber qui super legem Cunctos populos. C. de summa trinitate adstruere contendit Christũ fuisse Regem, quia erat Deus, nihil ad rem attulit. Disputamus n. de ipso, qua ratione homo erat. Atqui inquantum homo poterat quidem, si voluisset, vniuersale Dominium orbis etiam seculare accipere. Sed tamen, quod nos asserimus est, non accepisse eiusmodi dominium & regnum, sed solùm spirituale, & de temporalibus quantum ad illud erat necessarium. Est etiam spirituale, regnum illud, quod supra diximus habere pro fine proximo vitam æternam: & temporale illud, quod circa pacificum Reipublicæ statum versatur. Probatur ergo prima conclusio. In toto Euangelio nulla fit mentio regni Christi temporalis: igitur vanum est, ne dicam temerarium, illud asserere: quoniam rem tanti momenti, si vera esset, nunquam Euangelistæ filuissent: solùm autem meminerunt de spirituali, quod appellatur regnum cælorum. Quare prothema prædicationis precursoris Ioannis ac subinde Christi fuit Matth. 4 Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. & Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Atque id genus plura.

Fundamentum conclusionũ.

Sapien. 8.

Ratio prima conclusionis.

Matth. 4.

Ratio. 2. Secundò id plana ratione confirmatur. Christus, qui cùm Deus esset, vt ait Dauid, bonorum nostrorum non egebat, humanitatem nostram sola ea ratione & fine induit, vt nostrã redemptionẽ perficeret: hac enim ratione

& fidem

& fidem nobis prædicauit, & leges instituit, & Apostolos ac Pontifices creauit, qui nostri essent pastores, vt ad illam nos beatitudinem perducerent: hæc enim est regni cœlorum facultas, ergo cùm Christus nihil superfluum assumpserit, & potestas temporalis regni, quàm latè & absolutè patet in regibus secularibus, ad illum finem non fuerit illi necessaria, consequens sit vt neutiquam illam assumpserit.

Testimonia prophetarũ.

Obiectio. Sed aiunt patroni contrariæ sententiæ, potestatem regiam totius orbis Christum propter suam eximiam excellentiam & dignitatem vsurpasse. Veruntamen in contrarium stat ratio, quòd hoc minimè ad eandem eius excellentiam pertinebat. Quæ etenim rogo honoris accessio fieret Christo, cum per se ipse Deus esset, & inquantum homo rex etiam regni cœlorum, si temporalia dominia & regna, hoc est, eorum potestatem assumpsisset? Profectò nulla. Quin verò longè altiùs eius maiestas inde commendatur, quòd præter id, quod ad sisum ipsius munus erat necessarium, totum mundum despectui habuit: nam in paupertate vixit, & humiles abiectosque in Apostolos elegit, & contra mundi gloriam & pompam semper prædicauit: paupertatemque, humilitatem, & mundi abrenunciationem tum docuit, tum & laudibus extulit. Quæ quidem vita post lapsum Adæ optima est, & paucioribus periculis peruia. Vnde Paul. ad Philippens. 3. hæc omnia tanquam stercora arbitratur.

Dilutio.

Ratio 3. Tertiò arguitur. Nunquam Christus munere hoc regiæ potestatis functus est, imò semper se ab huiusmodi vsu subtraxit, quod contrariæ opinionis fautores fatentur, quoniam diffiteri nequeunt: nam vt ipse de se ait Ioan. 3. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Et quando adultera illa ei delata fuit, cuius causam iudicaret, nullam sententiam vt iudex tulit, qua illam vel condemnaret, vel absolueret, sed tantùm ius naturale ac diuinum explicuit, Qui sine peccato est vestrum, primum in eam lapidem mittat. Et quando numisma census illi oblatum fuit, noluit se iudicem exhibere, deberetur ne Cæsari tributum nec ne, sed illud eorum iudicio reliquit: ius duntaxat naturale & diuinum commendans, vt si quid Cæsari deberetur, ei solueretur, sicut & Deo quod suum est. Et quando alij eum conuenerunt, vt inter ipsos iudex sederet, munus illud detrectauit dicens, Quis me constituit iudicem inter vos? igitur si nunquam regis munere functus fuit, fit vt neque talem potestatem assumpserit: nam superuacanea est & vana potestas, quæ nunquam reducetur in actum. Oculus enim vel auditus nullam dignitatem homini adiungeret, nisi propter vsum. Quare si Christus nunquam illa potestate erat vsurus, nulla ei inde accrescebat dignitas. Adde quòd cùm potentia per actus innotescat, si euangelium nos docet nullum habuisse vel vsum, vel splendorem regiæ potestatis, absque fundamento asseritur illam assumpsisse. Nam si propter suam dignitatem illam accepisset, debuisset illam per vsum hominibus propalare. Id quod ab eius proposito tantum abfuit, vt quando eum turbæ in regem eligere adornabant, se eorum conatui subduxerit. Futile ergo commentum est lepida illa quorundam cogitatio, dicentium in Christo fuisse potentiam regiam, non autem vsum.

Ioan. 3.

Matt. 22.

Quartum argumẽ. Quartò etiamnum euidentiùs arguitur. Christus, vt euangelico testimonio docemur, non fuit nisi rex Iudæorum: rex autem Iudæorum non erat futurus rex temporalium bonorum, sed spiritualis sempiternæque hæreditatis: ergo non fuit rex in temporalibus, vt sunt seculares reges. Hoc planè confirmatur ex illo Ioan. 18. vbi cùm de hoc ipsum coram Pilato accusassent, quòd regem se fecisset, interrogatus à præside an rex esset, scisciatus est vicissim eum vtrùm à se ipso id diceret, an verò alij id dixissent de illo: ac si quæreret, de quonam regno id intelligeret: de illo ne seculari, quo Romani & cæteri gentium regnant, an de alio altiori? Et cum Pilatus respondisset, non à se, sed relatione gentis Iudaicæ id dixisse: concedens Christus illum ipsum se esse regem quem illi expectabant, adiecit, regnum suum non esse de hoc mundo, hoc est, illius generis, cuius sunt regna temporalia & caduca. Quapropter præsens mysterium illud non intelligens eum ab obiecto crimine absoluit. Et postmodum quasi spiritu prophetico epitaphium illud cruci affixit, Iesus Nazarenus rex Iudæorum.

Ioan. 18.

Quòd si prisca prophetarum vaticinia consulamus, id palàm manifestant. Ait enim ipse per prophetam psalmo 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo (hoc est, à Deo) super Sion montem sanctum eius (nempe super Ecclesiam) prædicans præceptum eius. Ecce regnum eius in sola fidei prædicatione constitisse regni cœlestis. Cui & ipse Matth. 28. consonat, vbi ait: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. vbi potestatem non aliam sibi datam affirmat, quam quæ ad regnum cœleste pertinebat. Et Hieremiæ 23. Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. In diebus illis saluabitur Iuda, hoc est, solùm erit rex ad saluandum Iuda. Et Esaiæ 9. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud amodò in sempiternum. Sic enim ait Dauid de sua prole psalmo 144. Regnum tuum, regnum omnium seculorum: quia non finitur vt seculare per elapsum mortalis vitæ, sed absque interpollatione durat in æternum. Atqui hoc ipsum exposuit Angelus ad Mariam, dicens: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Christus an fuerit rex iure paterno.

Quòd autem alij fingunt fuisse regem iure paterno: quia Ioseph descendit à Dauide per Salomonem, & beata Virgo per Natham, nihil ad rem. Primò, quia illud non erat regnum nisi peculiare illius prouinciæ, loquimur autem de regno vniuersali totius orbis. Deinde quòd regnum illud temporale Dauidis in Sedechia prorsus extinctum fuit iuxta prophetiam Hieremiæ 22. vt 4. Reg. 24. scriptum est. Vnde Ambrosius lib. 3. super Lucam ait, quòd licet Christus rex à Ieconia descenderit, cui comminatum est per prophetam, neminem suæ sobolis futurum regem, nulla tamen (inquit) est contradictio: quia non regnauit seculari honore, neque sedit in sede Ieconiæ, sed in sede Dauid. Imò licet Ieconias sederit in sede Dauid, non tamen in eadem, qua Christus: quippe qui regnum habuit æternum, quale neque Dauid ipse habuit.

Sanctorum testimonia.

Postremò denique eadem veritas omnium sanctorum Patrum testimonio confirmatur, quibus res fuit semper indubitata, non aliud Christum assumpsisse regnum, quàm spirituale cœlorum. Vnde August. lib. 83. qu. 61. & vbilibet de hac re disserit, non ait nisi quòd Iesus Christus fuit rex noster, eo quòd nobis pugnandi & vincendi monstrauit exemplum, cuius ducatu ab Ægypto liberamur, & in cœlestem Hierusalem, tanquam in terram promissionis, introducimur.

Obiectio.

Quòd si quispiam nobis D. Tho. obiecerit opusculo 20. lib. 3. cap. 3. vbi contrariam nonnullis apparet docuisse opinionem, respondetur quòd nemini eum attentè inspicienti talis fuisse opinionis apparebit. Id enim tantùm illic constituit, quòd Christus fuerit monarcha totius vniuersi. Id quod ex illo psalmo 8. deduxit. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et ex illo Malachiæ: Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen eius. Hæc autem testimonia solùm de regno suo cœlesti intelliguntur, cuius respectu omnia sunt illi subiecta. Quòd ipse sanct. Th. fatetur subdens, dominium illud & regnum Christi ad salutem animę ordinari, & ad spiritualia bona, licèt à temporalibus, inquit, non excludatur eo modo, quo ad spiritualia ordinantur. Non ergò affirmat fuisse regem in temporalibus, nisi præcisè in ordine ad spiritualia. Et ita sunt intelligenda postrema eius verba in 2. sententiarum.

Dilutio.

Burgensis. Burgensis verò additione 3. super primum cap. Matth. contrariam comminiscitur opinionem: nempe, fuisse regem in temporalibus. Tametsi fateatur ex prophetarum vaticinijs minimè colligi: quippe qui non nisi regnum æternum illi adscribunt. Sed ait, quòd quia Iudæi expectabant eum fore regem etiam temporalem, ordinauit Deus vt eandem quoque Christus haberet dignitatem. Est autem coniectura hæc adeò tenuis, vt potius nostram confirmet sententiam. Existimatio enim illa Iudæorum falsa erat & erronea: nam præter testimonia citata habebant illud clarum Zachariæ, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, quo docebantur absque regia pompa venturum. Non ergo decuit, vt propter illum errorem Christus regnum assumeret temporale.

Burgensis consectaria tenuis.

Boni consulat lector si hoc veritatis fundamentum tam multis confirmauerim. Ex quo iam ad confirmationem tertiæ conclusionis positæ reuertamur. Enimuerò quamuis Christus regnum temporale sim-

Confirmatio tertia exclusionis.

pliciter assumpsisset, non tamen inde fieret protinus consequens, vt parem potestatem suo vicario commisisset: nam dicere possemus illud ad potestatem eius excellentiæ attinuisse, vt sacramenta instituere, & absque illis gratiam conferre, quod munus Papæ non commisit. At cùm neque ipse huiusmodi regiam potestatem assumpserit, planissimum est, neque illam suo contulisse vicario.

Alia confirmatio.

Sed præterea eadem ex illo veritas elucescit, quod Christus ait Matthæi 20. & Lucæ 22. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos: non ita erit inter vos. Sed qui maior est inter vos (nempe Petrus, qui futurus erat Ecclesiæ caput) sit sicut minister vester. Filius enim hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis. Quem locum Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium inducens ait: Nam quid tibi aliud dimisit Apostolus? Quod autem, inquit, habeo, hoc tibi do. Quid illud? vnum scio, non est aurum nec argentum. Esto vt alia quacunque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico iure: nec enim ille tibi dare quod non habuit potuit: quod habuit dedit, solicitudinem (vt dixit) super Ecclesiam. Nunquid dominationem mundi? Ipsum audi. Nec dominantes, inquit, in clero, sed forma facti gregis. Et ne fortè putes sola humilitate dictum, non etiam in veritate, vox Domini in Euangelio est, Principes gentium dominantur, &c. Planè Apostolis interdicitur dominatus: Quomodo tu & tibi vsurpare audes aut dominans apostolatum, aut Apostolus dominatum? planè ab alteutro prohiberis. Si vtrumque simul habere voles, perdes vtrumque, alioqui non te exceptum illorum numero putes. Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extitetunt, & non cognoui. Forma apostolica hæc est. Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Et infra, Exi in agrum, ager mundus est: exi, non tanquam dominus, sed tanquam villicus. Hæc ille. Non potuit Christus, Bernardo interprete, luculentius hoc temporale dominium ab Apostolis abalienare. Quare figmentum est dicere Papam habere potentiam huius dominij absque vsu. Multò enim efficacius de illo, quàm de Christo arguitur, frustraneam esse potentiam, quæ non potest reduci ad actum.

Osea 8.

Arguit.

Aliud arg.

Item. Si talem potentiam haberet, posset etiam Papa citra iniuriam principum iurisdictionem vsurpare, atque reges, etiam extra causas fidei amouere, & instituere: quòd certè sanctissimi pontifices, quicquid assentatores eius affirmauerint, nunquam attentare audebunt. Agnoscit enim Innocent. citato can. Duo sunt, duas esse potestates distinctas imperatoris & papæ. Neque aliam tribuit Papæ super reges quàm pastoris, vt illos possit excommunicare, & causa fidei amouere. Et can. Si imperator, ait, imperatorem priuilegia habere suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est. Et cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, ingenuè fatetur se non habere potestatem in temporalibus super regem Franciæ. Et quicquid alij somnient, id de omnibus regibus intelligit. Et can. Cùm ad verum. Nicolaus expressè ait, quod nec imperator iura pontificatus vnquàm arripuit, nec pontifex nomen imperatorium vsurpauit: quoniam mediator Dei & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.

Confirmatio.

Hæc præterea patentius confirmantur. Administrationes reipublicæ ecclesiasticæ & ciuilis adeò sunt diuersæ, vt ecclesiastica per negotia secularia maximè impediatur: quapropter omnia canonica iura clericalem ordinem, ne se negotijs secularibus implicet, instituere admonent. Quamobrem iustissimum fuit, vt à re vxoria essent alienissimi: nam, vt ait Paul. qui vxores habent, quærunt quomodo placeant vxori. Qua vtique de causa eod. can. Nicolaus ait, quod sicut imperator non debet se diuinis negotijs immiscere, ita nec papa, Deo militans, secularibus negotijs implicari, ne non diuinis rebus, sed secularibus præsidere videatur.

Aliud arg.

Rom. 13.

Sed vt patentiora etiamnum hæc fiant, rursus arguitur. Potestas tam ciuilis quàm ecclesiastica diuinitus est instituta: non est n. potestas, vt ad Rom. 13. ait Apostolus, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: & ideo qui potestati resistit, siue ciuili, siue ecclesiasticæ, ordinationi Dei resistit. Diuersimodè tamen Deus sapienter eas disposuit: ciuilem enim potestatem per ius naturæ, cuius ipse autor est, vnicuique Reipublicæ concessit, vt libro 4. de iustit. & iure quæst. 4. art. 1. copiosè monstrauimus: cuicunque enim reipublicæ sua ipsius gubernatio competit, veluti rebus vniuersis sua ipsarum conseruatio: videlicet, vt se vel optimatum potentia, vel populari regat, aut regali: quare suapte sponte in principem omne suum imperium & potestatem transtulit, vt l. Quod principi. de constitutio. principum. ff. legitur. Ecclesiasticam verò potestatem Christus per se suo vicario contulit: Regia ergo potestas à Deo per rempublicam deriuatur: in quo sensu illud Sap. 6. intelligitur, Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: sed potestas ecclesiastica & euangelica à Christo est Petro collata: non ergo aut Petro, aut eius successoribus secularia regnorum dominia simpliciter commissa sunt.

Aliud arg.

Ad hæc deinde manifestè arguitur. Lex fidei legem naturæ non destruit, sed perficit: lege autem naturæ, & gentium, quæ ab æterna Dei lege deriuantur, ante aduentum Christi dominabantur reges: vnde Daniel. 2. legitur, Deum cæli, imperium & regnum Nabuchodonosor tradidisse: & Pilato respondit Christus. Nullam in me haberes potestatem, nisi tibi data esset desuper: regna ergo Christus non mutauit, vnde eodem loco ad Roman. Apostolus vniuersim de potentatibus etiam infidelium loquens, Omnia, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quibus & tributa præstare admonet: & 1. Pet. 2. iubet Christianis vniuersis Petrus, vt subiecti sint omni humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi, inquit, tanquam præcellenti. Et infra. Serui subditi estote in omni timore dominis & non solùm bonis, modestis, sed etiam discolis, vnde colligitur, quod etiam infidelibus regibus, quamdiu absque periculo fidei & iniuria Saluatoris regnant, parere debeant Christiani: multò ergo libertius Christianorum reges per se suis funguntur potestatibus independenter à papa, quamdiu nullam fidei iniuriam irrogant.

Est ergo merum commentum sic Papam dominum constituere ordinarium regnorum temporalium, & regum, vti est supremus iudex rerum prælatorum que Ecclesiæ, aut sicut secularis rex suorum est ducum, & comitum, & aliorum magnatum iudex. Quare neque omnes iurisprudentes illa intincti sunt opinione. Nam Ioan. Andr. Hugo, atque alij nobiscum sentiunt. Neque Syluester contrariæ debuisset adhærere sententiæ, cùm D. Thomas (cuius ille discipulum agit) quamuis fuerit sedis Apostolicæ studiosissimus protector, nullibi tale commentum reliquerit.

Opinionis.

Ea propter minori etiam probabilitatis argumento adstruunt præfati patroni illius opinionis, donationem factam Syluestro à Constantino (si qua fuit) vel à Philippo Cæsare, non fuisse donationem, sed restitutionem. Quinuerò vice versa Syluestrum bono pacis orientale imperium Constantino donasse. Item quod Papa, si non vtitur administratione bonorum temporalium in toto orbe Christiano, non est defectu potestatis, qua re vera pollet, sed propter confirmandam cum filijs suis tranquillitatem & pacem. Nil ergo mirum si alij cordatiores, ceu nugamenta hæc respuant. Si enim simpliciter & absolutè ius haberet omnium temporalium, citra iniuriam posset habere vsum, quod nemo illorum fateri audet.

4. Concl.

Quarta conclusio. Non solùm Papa non est dominus temporalium regnorum, imò nec sic superior, vt reges possit instituere: dicere enim quispiam fortè posset, quòd quamuis non sit dominus simpliciter temporalium regnorum, potest tamen via ordinaria reges vbique instituere, sicut instituit episcopos, licet non sit episcoporum simpliciter dominus, vel sicut rex instituit duces & magnates, quamuis non sit illorum patrimoniorum simpliciter dominus: contrarium autem asserit hæc nostra conclusio. Quare neque potest inter reges via ordinaria citra causas fidei iudicare, sicut inter Ecclesiæ præsules, vel sicut inter duces. Nisi fortè eorum dissidia in detrimentum fidei, aut in religionis perniciem vergerent: tunc n. optimè posset, non tantùm per viam correctionis fraternæ, vt cap. Nouit, de iudic. ait Innocentius, verùm & coactiuo iudicio. Hanc ex superiori colligitur: quoniam vtraque potestatum per se est sufficiens, & diuersimodè diuinitus instituta, ita vt regum quisque in regno suo sit in temporalibus supremus iudex à sua republica creatus. Quocirca eodem capit. idem Pontifex protestatur se

Conclusio ex superiori colligitur.

non

non intromittere ad vsurpandum iudicium regium. Et Alexander 3. ca. Causam. in 2. qui filij sint legitimi, fatetur non ad Ecclesiam de possessionibus iudicium pertinere, sed ad regem.

Ex ijs denique fit consequens, quòd quamuis rex in tyrannidem prorumperet: citra iniuriam fidei, non Pontifici, sed reipublicæ incumberet illum regno depellere.

In summa, vt cuncta complectamur, in Papa nulla est potestas merè temporalis, vt in regibus, præterquam in terris sibi seculariter subditis. Id quod Caietanus fidus eius sedis defensor, in apologia de potestate Papæ cap. 6. adstruxit. Et ratio est, quia huiusmodi potestas merè temporalis non est ad regimen Ecclesiæ necessaria.

Caietan.

Ratio.

Ad horum tamen rum maiorem charitatem, tum & firmitatem adhibetur quinta eademque catholica conclusio, contra eorum hæresim, qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem. Potestas quæcunq; ciuilis eatenus est Ecclesiasticæ subiecta in ordine ad spiritualia, vt Papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei & religionis exegerit, non solum ecclesiasticarum censurarum fulminibus aduersus reges agere, eosque cogere: verùm & cunctos Christianos principes temporalibus bonis priuare, & vsque ad eorum depositionem procedere. Dixerim, per suam potestatem spiritualem: quia potestas pontificis, quatenus pontifex est, non est merè temporalis, sed temporali vtitur, vt spiritualis ministra. Atqui conclusio hæc non est eadem, quæ fuit secunda: illa quippe id duntaxat asserebat, quod ecclesiastica sit superior. Vnde forsan quispiam id duntaxat colligeret, quòd teneatur princeps secularis suas leges & acta fini spirituali admetiri, & obedire pontifici in censuris spiritualibus. Hæc autem asserit præterea, quòd potest Papa vti bonis temporalibus ad suum ipsius finem, & spirituale propositum, & per temporales pœnas principes coërcere. Ad cuius elucidationem notandum, quod potestas ecclesiastica non solum est præstantior ciuili, eò quòd eius finis, qui est æterna beatitudo, est perfectior & sublimior fœlicitate ciuili: sed ea insuper ratione quòd fœlicitas ciuilis non est satis in se perfecta, atque adeò per se est ordinata & relata ad cœlestem beatitudinem. Volo dicere non esse ceu duas respublicas omnino distinctas & diuersas, quarum nulla pendet ex altera, quales sunt Gallorum & Hispanorum, vel quales erant Romana & Athenienſis: nam ex his quamuis vna esset præstantior & perfectior altera, tamen neutra tenebatur alteri inseruire. Non sic, inquam, conferendæ sunt potestates spiritualis & ciuilis: sed ciuilis quæcunque sit, refertur ad spiritualem, quæ vnica est omnium Christianorum, eo quòd humana fœlicitas per se est ad diuinam ordinata. Neque sunt vt duæ artes prorsum diuersæ: scilicet vt ferraria & lignaria, sed sicuti ars armorum fabrifactiua ordinatur ad militarem, & nauium structoria ad artem nauigandi: quarum inferior tenetur arma & naues taliter fabricare, vt non deuient à fine artis superioris, atque adeò vt ait 1. Ethicor. Philosophus, superior artifex præcipit inferioribus qualiter debeant operari: quia ipse est iudex inferiorum artium. Pari enim modo ciuilis respublica ad spiritualem refertur: ambæ enim simul in vnum corpus mysticum compinguntur, quod ex ambabus constat, vt ad Roman. 12. & 1. Corinth. 12. luculenter declarat Paulus: in vno autem corpore omnia membra debent ad vnum caput referri, non autem spiritualia ad temporalia ordinantur, quæ minùs perfecta sunt: ergo è diuerso temporalia debent spiritualium iudicio subesse. Vnde idem Apostolus 1. Corinth. 2. comparando temporalem facultatem ad spiritualem, ait, quòd animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, sed spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Neque verò obstat quod supra diximus: scilicet regem in temporalibus supremam habere potestatem, quia cum hoc stat fic subordinatam esse spirituali, vt ab illa deuiare non debeat.

5. Concl.

Potestas pontificis non est mere temporalis.

Potestas ecclesiastica præstantior ciuili.

Ciuilis respublica spiritualis subseruit.

Argum.

Hoc ergo subiecto fundamento arguitur sic. Ad debitum regimen, & administrationem Reipublicæ spiritualis necessarium est, vt secularis omnis potestas illi obtemperet: ergo & necessaria subinde est in præsidente spirituali facultas vtendi temporalibus quatenus ad eius finem sunt necessaria, atque adeò cogendi principes dum oportuerit, etiam vsque ad eorum depositionem, tanquam membrorum, quæ iam tunc sunt putrida & pestifera. Christus autem non defuit in ijs, quæ suæ Ecclesiæ erant operæpretium: ergo eiusmodi temporalem potestatem ad spiritualem relatam tum ipse in se assumpsit, tum subinde vicario suo concredidit.

Secundò ad eandem veritatem arguitur. Pontifex maximus, pastor summus atque vniuersalis à Christo constitutus est totius Christiani gregis: pastoris autem officium est errantes oues cuiuscunque sint ordinis & dignitatis in viam reuocare, & quacunque ratione compellere: ergo per illam pastoralem potestatem potest, dum opus illi fuerit, temporalibus vti. Atque hac de ratione aduersus Imperatorem Constantinopolitanum coarmauit Innocentius in capit. Solitæ. de maior. & obedi. ad illum coërcendum. Nobis enim, inquit, in beato Petro sunt oues Christi commissæ nullo discrimine inter has & illas interiecto: & quod ad Petrum Christus dixit, in ipso ad eius successores dixit, Quodcunque ligaueris super terram, &c. nihil excipiens. Atqui in eodem sensu intelligendus est Nicolaus Pontifex can. Omnes. 22. distinctione, vbi ait: quòd Christus beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperij iura commisit. Per iura enim terreni imperij intellexit potestatem terrenam bonorum & principium temporalium, non absolutè, vt falsò putant supra citati authores, sed in ordine ad spiritualia. Et sic intelligenda est Glossa, vt veritati sit consentanea, quæ inde illic colligit, Papam habere vtrumque gladium: quia deponere potest reges, vt 15. quæstione sexta, cano. Alius. & 96. distinctione, cano. Duo sunt. Et eodem moderamine audiendus est textus Bonifacij in Extrauag. Vnam sanctam, de maiorit. & obedien. vbi ait, in potestate Romani Pontificis duos esse gladios, spiritualem, scilicet, & temporalem. Tametsi dum hunc sensum illo verbo Apostolorum adscribit Lucæ 22. Ecce duo gladij hic, non intelligit talem sensum facere articulum fidei: nam fortasse illic Christus dum dixit, Qui non habet gladium, emat illum, non aliud significare voluit, quàm calamitatem, quæ illis imminebat. Quare Petrus, qui de gladio materiali illud intelligens auriculam Malchi amputauit, culpatus fuit. Nihilominus probè etiam ad propositum adaptatur. Quare nunquam nisi causa fidei regna per pontificem mutata sunt: hac enim de causa Stephanus Papa transtulit imperium à Græcis ad Germanos, vt patet, capit. Venerabilem, de electione. & capit. Licet. de foro competenti. Et Innocentius 4. Regi Portugalliæ regni administrationem interdixit, vt in capit. Grandi, de supplenda negligentia prælatorum, libro sexto.

1. Arg.

Imno. cap. Solita.

Nicolaus Pontifex.

Gloss ca. Omnes. 22. dist.

Extrauag. Vnam sanctam de maior. & obe.

Oportet autem discrimen inter hanc & duas præcedentes conclusiones exemplis aperire. Quamuis enim rex alijs iniuriarum generibus, citra periculum fidei, regni gubernacula administret, nihil ad Papam, nisi per viam correctionis fraternæ. Si verò, vt verbi gratia dicamus, aut leges in detrimentum fidei rex Christianus cõderet, scilicet sacramẽtis vel quomodolibet religioni Christianæ aduersas. Aut si Papa concilium indiceret, quòd rex contra ius & fas impediret, aut si hæreticis, infidelibúsve fidem nostram oppugnantibus, aut schismaticis suppetias iret, aut aliam quamuis perniciem vel sedi Apostolicæ vel Ecclesiæ obmoliretur, tunc Papa posset non solùm spirituali, verùm etiam temporali gladio aduersus eum agere.

Exempla.

Sed arguis primò contra, Nónne satis esset, gladio spirituali, nempe anathematis aliarumque censurarum fulmina in illos iaculare: videtur enim non alia habere arma: nam vt Paulus 1. Corinth. 10. ait, Arma militiæ nostræ non carnalia, sed spiritualia sunt. Respondetur, quòd non satisfuisset Ecclesiæ consultum, nisi rebus eius per potentatus seculares afflictis, dum arma spiritualia non sufficiunt, temporali quoque gladio posset illos vrgere: quia tunc non haberet vim prorsus coërciuam, qualis est illi necessaria.

Obiectio.

Dilutio.

Sed rursus quis forsan scisciteretur, vtrùm in eiusmodi euentibus posset Papa illico, prætermisso spirituali gladio temporalem eximere: videtur enim posse, quia vtrumque habet ex æquo. Respondetur id nec decere, nec licere, nisi præsentaneum esset in mora periculum: quoniam via ordinaria Pontificis est pastorale baculum: gladius verò secularis est extraordinarius. Debet autem via ordinaria antecedere, neque gladio vti temporali, nisi ingruente exigenteque necessitate: videli-

cet dum vires spirituales expertus, cognoscit illas non esse ad rem satis. Imò verò nisi esset in terris proprijs, quarum est temporalis Dominus, ad illas defendendum in reliquis non condecet Papam per se bella gerere, sed quando vnus princeps est Ecclesiæ, aut fidei rebellis & iniurius, alteri debet principi armorum negotium exhibere. Eatenus n. verum est quod ait Paulus, arma militiæ Christianæ non esse carnalia. Quamuis legitimus sensus sit de bellis, quæ quisque aduersus dæmones & propriam carnem sustinet.

Leges fidei noxias potest Papa abrogare. Nota.

Quia verò diximus, leges, quæ fidei essent noxiæ, posse Papam abrogare, intelligendum est quando apertam afferrent pestem. Nam illa lex principum, vt testamentum nisi quinque testibus confirmatum non valeat, non prorsus verbo scripturæ sacræ Matthæi 18. & Ioannis 8. contradicit, In ore duorum vel trium stat omne verbum: illud namque intelligitur vbi synceritas humani generis efloreret: quoniam vbi adeò est corrupta humana fides, nil illi verbo repugnat, plures exigere testes: quia lex illa euangelica illud non vetat. Idem, lex, quæ in deceptione intra dimidiam iusti pretij non permittit actionem, vt leg. 2. C. de rescind. venditio. & capit. Cùm dilecti. & capit. Cùm causam. de emptione & venditione. non est iustitiæ contraria: quia non absoluit deceptum in foro conscientiæ, sed solùm intendit sopire lites. At verò si rex legem ferret, vt possessor malæ fidei præscriberet, illa esset, tum contra conscientiam, tum plurium fraudum doloumque nutrix: quæ ideo esset per pontificem abroganda: sicuti meritò abrogata legitur, capit. Vigilanti. & capit. fina. de præscriptionib. Atque idem de alijs id genus, quas conderet pestilentes.

Solut. 1. arg.

Primi ergo argumenti solutio ex superioribus facilè colligitur. Potestas enim ciuilis & ecclesiastica duæ sunt distinctæ, vt dictum est: Christus autem solam Ecclesiasticam instituit sub vno capite vniuersi orbis: ciuilem verò à iure diuino & naturali derivatam reliquit, vt vnicuique regno suum esset caput: sed voluit ciuilem sic subordinatam esse Ecclesiasticæ, vt eius iura non aduersarentur fidei, & legi, quam ipse prædicauit: atque hac ratione Pontifex est vnicum caput omnium Christianorum regum. Et ille est sensus Pauli dicentis, omnes Christianos esse vnum corpus Christi mysticum. Nam de infidelibus nihil amplius ad Papam spectat, quam fidei concionatores ad ipsos mittere, qui eis more & ordine legitimo fidem persuadeant. Sed de hoc nihil ad locum præsentem, neque de imperatore, an sit vnus totius orbis: quod libro 4 de Iustitia & iure copiosè tractauimus.

Sol. 2. arg.

Ad secundum verò satis responsum est, Christum non assumpsisse regnum nisi spirituale, & de temporalibus quantum ad illud erat necessarium. Et hoc est, quod citata testimonia sacra docent.

Sol. 3. arg.

Ad tertium denique respondetur, quòd canon ille, Quicunque litem. 11. quæstione prima, abrogatus est, vt bene ait Glossa, quod multis decretis probat, vt capit. Si duobus, de appellationibus. & 2. quæstione sexta, can. Non ita, ac pluribus alijs. Est enim ille textus non sacra determinatio Ecclesiæ, sed Theodosij imperatoris, qui voluit se erga sedem Apostolicam pientissimum exhibere. Iam ergo nunc temporis in causis ciuilibus nulla est appellandi necessitas ad Ecclesiam.

Obiectio. Dilutio.

Quòd si arguas, Omnium peccatorum Papam esse iudicem: Respondetur, hoc esse verum in foro spirituali, sed in foro exteriori non nisi causarum Ecclesiasticarum: ciuiles autem per iura ciuilia sunt iudicandæ, nisi dum inter reges iuribus omnibus ciuilibus consultis conueniri non posset: tunc enim Papa per viam correctionis fraternæ posset se in medium inducere, iuxta tenorem capit. Nouit. extra, de iudicijs.

ARTICVLVS II.

Vtrùm clerici sint à potestate ciuili exempti.

Partis negatiuæ argum. 1.

SVPERIORI articulo adnectitur disputatio de exemptione clericorum: apparet enim neque in suis esse personis, neque verò in suis bonis exemptos. Primùm, quia si expediret illos ea libertate donari, Christus in Euangelio id admonuisset, & tamen nullus est in Euangelio apertus locus, quo eximantur.

2. Argum.

Secundò arguitur. Clerici quamuis sint sacrorum ministerio addicti, nihilominus sunt veri ciues: ergo tenentur legibus Reipublicæ, quatenus ecclesiasticis officijs non obstant, obtemperare: & eadem ratione onera eiusdem Reipublicæ, vbi bonum publicum id exegerit, sustinere: ergo neque in personis, neque in bonis sunt exempti.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quòd potestas spiritualis, vt dictum est, ciuili est superior: ergo per se est sufficiens, neque ciuili subiecta, atque adeò est exempta.

Decis. art.

De hac quæstione partim cum hæreticis lis nobis est, & partim inter catholicos non satis conuenit. Ad quam ideo quæstionem sex conclusionibus respondetur. Prima sit generalis aduersus hæreticos. Negare clericos esse vllo iure vlloque pacto, exemptos à potestate ciuili, est error condemnatus, tum contra Ioannem VVitcleff in concilio Constantiensi, tum etiam contra Marsilium de Padua, & Ioannem de Landino per Extrauagantes Ioannis 22. Qui quidem quatuor errores sustinebant: primum scilicet, quòd cùm Christus soluit tributum, hoc non fecit liberalitate & condescensione, sed necessitate coactus. Secundum, quòd ad imperatorem spectat corrigere Papam & instituere. Tertium, quòd vnus sacerdos maiorem habeat autoritatem quàm alius, ab imperatore emanauit, & sicut illam autoritatem contulit, potest tollere. Hi, inquam, errores locis citatis damnati sunt, & 11. quæstione 1. per totam, & capit. Non minus. de immunitate ecclesiarum. & capit. Quanquam. de censibus, libro sexto. & multis alijs canonibus quos operosum esset percensere. Solum ergo est nobis explorandum, quoniam iure eiusmodi exemptio nitatur.

1. Concl.

Error VVitcleff condemnatus.

Primus error.

Secundus.

Tertius.

2. Concl.

Secunda conclusio. Aliquam esse iure diuino clericorum exemptionem à potestate ciuili, constantissimum est: nempe in creandis episcopis & sacerdotibus, & in distribuendis diœcesibus & parœcijs, & in litibus inde emergentibus, atque in id genus alijs. Probatur. Potestas ecclesiastica, vt superiori arti. præfati sumus, est non solùm à ciuili distincta, verùm & ea superior: ergo saltem in causis, quæ merè ecclesiasticæ sunt, nihil à ciuili pendet, atque adeo nullatenus hac ratione ciuili subijcitur. Secundò arguitur. Potestas ciuilis, vt illic itidem dicebamus, à sola republica originem trahit, seu potius à Deo per rempublicam: potestas verò ecclesiastica est à Christo immediatè Petro collata, dum dixit Matthæi 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, Quodcunque ligaueris super terram, &c. & Ioan. vlt. Pasce oues meas: ergo potestas ecclesiastica quantum ad suas proprias causas nullatenus à ciuili derivata est, atque adeo neque illi subordinatur. Imò verò è conuerso, vt Innocentius in capit. Nouit, de iudicijs, ait, in spiritualibus Papa est supremus pastor non solùm clericorum, verùm & omnium secularium, nemine excepto. Quare seculares principes cohibiti sunt iure diuino de illis causis iudicare, sed ab Ecclesia sunt iudicandi, iuxta verbum Pauli 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, spiritualis autem iudicat omnia. Ob idque Apostoli sola Christi autoritate, nulla à principibus secularibus expectata, munere Apostolico fungebantur. Quo fit, vt si modò principes aut alij inferiores magnates potestate fungantur præsentandi Episcopos vel alios sacerdotes ad sacerdotia Ecclesiastica, totum habeant ex indulto & priuilegio Ecclesiæ. Quanquam, vti ait Caietanus in Apologia de potestate Papæ capit. 27. non sit principibus neganda illa tyrannidi resistendi potestas, quam iure naturali, & gentium habent, etiam in rebus Ecclesiasticis. Etenim si (quod absit) summus Pontifex, vel Episcopi ecclesiastica bona manifesta tyrannide dissiparent, & sacerdotia in perniciem Ecclesiæ prouiderent, possent principes possessiones prohibere, & Ecclesiæ ipsi contra huiusmodi pestem adiutrices manus porrigere. His tamen euentibus exceptis conclusio est verissima. Et confirmatur tertiò ex verbis & facto Magni Constantini in synodo Nicena, quam historiam Rufinus lib. primo Ecclesiasticæ historiæ capit. 2. refert. Et Gratianus can. Continua. vndecima quæst. prima citat: nempe, quod cùm episcopi ei libellos causarum obtulissent, quæ inter ipsos agitabantur, respondit, Deus vos constituit sacerdotes, quibus & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos autem iudicari ab hominibus non potestis. Quæ quidem verba quamuis (quia non sunt nisi Cæsaris) non habeant diuinam authoritatem, est tamen vero simillimum instructum à Syluestro, & alijs sanctis Patribus illa protulisse. Accedit & capit. Quanquam. de censibus, l. 6. vbi habetur, quòd Ecclesiæ Ecclesiasticæq;

Ratio conclusionis.

3. Arg.

Principes aliqui sunt patrons Ecclesia priuilegio Pontificum.

Nota casum.

Ratio 3. concl.

Constantini Cæsaris verba.

personæ,

personæ, & res ipsarum non solùm iure humano, sed diuino sunt ab actionibus secularium personarum immunes: quamuis hoc infra exponamus. Et distinctione 96. can. Si imperator. ait Papa, quòd si imperator catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ, discere ei conuenit, non docere,

3. Concl. Tertia conclusio. Quòd res & bona clericorum sint à potestate ciuili libera, non planè constat ex iure diuino. Nam imprimis, quòd Glossa prædicti capit. *Glossa ca. Quanquam* Quanquam. & Gratianus can. Tributum. 23. quæstione octaua, ex Genes. 47. in illius confirmationem adfert, videlicet Ioseph omnem terram Pharaoni præter terram sacerdotum subiecisse, ad confirmandum ius diuinum non ita multum confert: nam sacerdotes Ægyptij non erant propriè sacerdotes, vt nostri, quia neque vera ministrabant gratiæ sacramenta: imò neque verum Deum colebant: quare solo iure gentium erant exempti. Tametsi in lege naturæ, vbi veri Dei cultus vigebat, radius ille fidei tunc reuelatæ admonebat sacerdotes institui. Ius ergo diuinum hoc ex euangelio est perpendendum.

Authoris ratio. Est autem ad hoc propositum adduci solitus locus ille Matthæi 17. vbi cùm didrachma à Christo fuisset exactum, ait Petro, Reges gentium à quibus accipiunt tributum vel censum, à filijs suis, an ab alienis? Et respondit ille: Ab alienis; vnde intulit Christus, Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus, &c. Hinc ergo colligi solet Christum clericorum libertatem, etiam quoad tributa, pronunciasse. At verò diuus Thomas 2. sententiarum distinctione 44. quæstione secunda, artic. secundo, & illic Bonauentura, atque alij Theologi, non interpretantur illum locum, nisi de ipsa persona Christi, & de sua familia, eo quòd non solùm erat filius Dei, verùm & inquantum Messias & verus Rex regni cælorum, erat liber ab omni censu. Quo vtique priuilegio diuino iure soli illi gaudent, qui Apostolicam vitam secuti statum paupertatis elegerunt. Quapropter super illud ad Romanos 13. Ideo & tributa præstatis (scilicet principibus) inquit, A solutione tributorum clericos esse exemptos, priuilegio principum, quod naturalem æquitatem habet. In cuius confirmationem citat allegatam historiam Ioseph, qui terram sacerdotum liberam Pharaoni reliquit: quam quidem non adducit tanquam testimonium diuini iuris, quod Canonistæ faciunt, sed alludit ad naturalem æquitatem: quia scilicet clerici diuinis vacantes laborem principum compensant, qui administrationi ciuilis reipublicæ insudant.

Matt. 17. *Loci Matt. declaratio.* *S. Th. super illud ad Rom. 13.* *Historia Ioseph.*

4. Concl. Quarta conclusio. Personæ Ecclesiasticæ neque iure diuino, neque humano sunt omnino à legibus ciuilibus exemptæ. Probatur, Clerici non obstante clericatu sunt ciues Reipublicæ, & eius membra: sed respublica ciuilis non gubernatur nisi legibus principum: ergo quatenus prædictæ leges ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ spectant, clerici tenentur eis parere. Alioqui clerici Hispani non magis tenerentur legibus Hispanis obtemperare, quàm Gallicis, quod est falsum. Enimuerò si rex pretia frumenti, aut olei, aut quarumcunque rerum lege moderetur, clerici carius vendentes mortaliter delinquunt, & ad restitutionem, sicuti laici tenentur. Et idem est de multis alijs legibus. Tametsi à pœnis iuris, quæ sunt corporales, sint excepti. Non enim clerici propter homicidia vel furta suspenduntur.

Ratio conclusionis. *Clerici vendentes frumentum contra pragmaticam peccant.*

5. Concl. Sed dubium est, vtrùm transgressores legum ciuilium sint ab ipsis principibus & iudicibus secularibus iudicandi & puniendi. Et ideo adhibetur quinta conclusio. Quòd personæ ecclesiasticæ non sint ad secularе iudicium deferendæ, sed sint ab huiusmodi iudicijs exemptæ, non expressè constat esse de iure diuino: licet maior sit æquitas quòd personæ eximantur, quàm quòd earum bona secularia. Imò quòd personæ eximantur, est iuri naturali & diuino maximè consentaneum. Probatur conclusionis prior pars, quia in euangelio nullum tale testimonium reperitur expressum. Et ideo adduci illud Psal. 104. consueuit, Nolite tangere Christos meos. Veruntamen verbum illud in sensu literali non adaptatur solis clericis Euangelicis: nam & reges sunt vncti, quod Christorum nomen sonat. Et peculiariter videtur illic Psalmista de prophetis loqui, & de omnibus patriarchis. Neque aliud volebat Deus illic explicare, quàm quòd nulla suis ministris irrogaretur iniuria: esset enim atrocior, quàm quæ priuatis personis impingitur. Quare licet possit ad clericos applicari, non tamen est in sensu literali testimonium diuinum exemptionis illorum, quandoquidem nulla illic fiebat mentio de administratione iustitiæ.

Secunda verò pars probatur. Cùm iure diuino sint Ecclesiæ ministri constituti, eidem iuri proximum esse videtur, vt nequeant à iudicibus secularibus euocari: nam per id maximum obijceretur illis impedimentum, ne idoneè possent ministerijs Ecclesiasticis vacare: nemo enim potest duobus dominis seruire. Qua de causa ait Paul. 2. ad Timotheum 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Secundò, quia cùm in causis Ecclesiasticis, vt dictum est, iure diuino sint à foro seculari immunes, contingere sæpe posset, vt simul cum illis causæ etiam seculares concurrerent: quare cùm tunc ad diuersa tribunalia euocarentur, perplexi essent cuinam iudicum deberent esse audientes. Adde tertiò, quòd non esset decorum, vt ministri Ecclesiæ, qui pastores sunt secularium etiam iudicum & regum, tanquam rei coram ipsis sisterentur.

Ratio 2. *Ratio 3.*

Imò verò quartum argumentum etiam viget, quòd cùm potestas ciuilis & ecclesiastica sint omnino distinctæ, vt supra diximus, necesse est, vt quemadmodum vtraque suos habet ministros, ita vtriusque ministri habeant suos distinctos præpositos: absurda enim esset nimium confusio, si episcopi, qui principes in spiritualibus habent iudicare, ab ipsis in secularibus vicissim iudicarentur: plurimum enim inde ecclesiastica autoritas tum obscuritatis, tum detrimenti contraheret. Qua vtique de causa Apostol. 1. Corinth. 6. Christianos interdictos curauit, ne apud Ethnicos causas suas tractarent. Audet enim, inquit, aliquis vestrum habens negotium contra alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Tametsi ad Roman. 12. admoneat, vt sint suis potestatibus subiecti. Quare non negat, quin si Christianus conueniretur coram principe ethnico, cui erat subiectus, compareat, sed admonet vt lites euitent, ne actores sint coram ethnicis. Atque hanc conclusionem verba illa Magni Constantini Cæsaris in supra citato cap. Continua. 11. q. 1. multùm corroborant, quibus sacerdotes Deos appellat, à suo tribunali exemptos.

Ratio 4.

6. Concl. Sexta conclusio. Quamuis clerici neque in suis personis, neque in suis bonis essent iure diuino liberi, nihilominus Papa potuit, etiam inconsultis principibus, & debuit eos ab eorum exactionibus & foro excipere: cui quidem exemptioni principes contrauenire nequeunt, nisi ad vim vi repellendam, sicubi fortè eiusmodi priuilegia in tyrannidem vergerent. Probatur. Potestas ecclesiastica, vt diximus, est per se sufficiens, à ciuili independens: ergo potest per se condere leges, quæ suæ administrationi sunt vel necessariæ, vel congruentes: exemptio autem clericorum non solùm est congruens, verùm certè moraliter loquendo ad debitam Ecclesiæ administrationem necessaria: ergo illos potuit & debuit eximere. Quòd enim quantum ad personas fuerit necessaria, iam probatum est. Sed quantum ad bona etiam probatur illa superiori ratione S. Thomæ: nam cùm tributa & vectigalia regibus ad suam ipsorum sustentationem pro laboribus, quos in administratione Reipublicæ perferunt, exoluantur, & clerici non minores operas rei Ecclesiasticæ impendant, æqua fit recompensatio, vt alia tributa ab eis non exigantur. Atque hæc conclusio fundamentum est canonum, vt 11. quæst. 1. & aliorum, quibus clerici eximuntur.

Ratio conclusionis. *Bona clericorum exempta.* *11. q. per totam.*

Per hæc ergò exponendum est & temperandum verbum Bonifacij ca. Quanquam. de censibus in 6. nempe, quòd personæ Ecclesiasticæ cum suis bonis sint iure diuino exemptæ, vt intelligatur primùm in rebus & causis Ecclesiasticis: mox quantum ad personas, est maximè iuri diuino consonum. Cæterùm quantum ad bona secularia, quòd Papa per potestatem, quam diuinitus suscepit, potuit & debuit clericos eximere. Fuit enim priscum, vt ait Vrbanus can. Tributum. 23. q. 8. quòd clerici de bonis, non quidem Ecclesiasticis, sed secularibus, quæ possidebant, tributa soluerent; sed postea omnia fuerunt exempta, præter illa, quæ per negotiationem acquirerent, vt præfatum ca. Quanquam. affirmat.

Bonifacius ca. Quanquam. de censib. in 6. *Vrbanus.*

Iam verò in eiusmodi priuilegijs Ecclesiasticis & exemptionibus obseruandis plurimùm potestas ecclesiastica obnubilatur. Cui rei causam negligentia prælatorum suggessit, qui iusto remissiùs clericorum cri-

Nota.

Digitized by Google

Negligentia prælatorũ. Prætores ciuitatum.

mina vlciſcuntur. Sed tamen ex altera parte prætores etiam nonnunquam exorbitant: nam licet clerici aliquam vim Reipublicæ ciuili videantur obijcere, rex eſt qui debet ſuæ reipublicæ conſulere, admonendo ſummum Pontificem, vt remedium adhibeat. Verbi gratia. Si clerici primæ tonſuræ impunè ſanguinem paſſim fundunt, & cædes faciunt, deberet ad ſanctam ſedem recurri. Et quando Papa nollet prouidere, poſſet rex ſeſe protegere. Sed tamen prætoribus, quamdiu leges durant, nefas eſt eas non ſeruare. Præſertim quòd quamuis rex poteſtatem habeat vim repellendi, non tamen ſemper liquidò conſtat, an in facti contingentia, vis verè illa ſit, quæ vis iudicatur. Et in re dubia Eccleſia eſt iudex. At de ijs quæ ad concurſum duorum magnorum luminarium ſpectant, hæc pauca ſufficiant: oportet enim ſeruum plura ſcire quàm loqui.

DISTINCTIO VIGESIMASEXTA,

DE SACRAMENTI CONIVGII INSTITVTIONE ET VERITATE.

Textus Cap. 1.

VEMADMODVM ordinis ſacramentum procreandis Dei filijs ſecundum ſpiritum idoneum eſt, ita & matrimonium propagando generi noſtro neceſſarium. Eſt enim non qualecunque inuentum: nempe, aut iure gentium, aut ciuili poſitum, ſed vinculum natura magiſtra, eiuſque parente Deo præcipiente inſtitutum: ante peccatum quidem in officium, poſt verò in remedium. Legitur enim in Geneſi, quòd Adę priùs de terra plaſmato, Euam, quam de eius latere Deus efformauit, in adiutorium adiunxit. Ob idque ſpiritu Dei ille afflatus, Hoc nunc os, inquit, ex oſſibus meis, & caro de carne mea: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quibus Deus & mandatum adiecit, dicens: Creſcite, & multiplicamini. Vbi Auguſt. ſuper Gen. Non video, inquit, ad quod aliud adiutorium mulier data ſit viro, ſi generandi cauſa ſubtrahatur. Sed quia concupiſcentia, quæ ante peccatum rationi prorſus obediens fuiſſet, poſt lapſum exorbitare à recto cœpit, idem ipſum matrimonij vinculum in remedium permanſit, vt genitricem naturam à culpa exciperet. Vtriuſque enim ſexus infirmitas (vt ibidem ſubdit Aug.) propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, vt quod ſanis poſſit eſſe in officium, ſit ægrotis in remedium.

Geneſ. 2. *Auguſt.* *Auguſt.*

Cap. 2.

Illud autem coniugale præceptum, tanquam naturæ neceſſarium, ſuum etiam ſemper vigorem retinet, vt quoties humanum genus fuerit periclitatum, nuptiarum beneficio reparetur. At verò vbi generis propagatio abundat, quia Dei prouidentia eſt, vt non deſint, qui rei vxoriæ operas impendant, præceptio hæc minimè caſtitatis virginitatiſque votum auerſatur, imò ſingulis liberum eſt ſancta hæc conſilia ſequi, iuxta verbum Pauli, Volo omnes vos eſſe ſicut me ipſum, ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic. Dico non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego.

1 Cor. 7.

Cap. 3.

Meritiſſimò ergo hæreſis damnati ſunt Tatiani & Encratitæ, & quicunque Marcionem & Manichæum ſecuti coniugalem torum, ceu rem illicitam & abſurdam, repudiabant, contra decretum Pauli, Virgo non peccat ſi nubat. Hoc enim cæco errore, vt natura noſtra, quam Deus bonam condidit, abſumeretur & periret, contendebant. Quos ideo ſpiritu prophetico Paul. ad Timoth. vituperabat, & vt ab illis caueremus, admonebat. In nouiſſimis enim, inquit, temporibus quidam diſcedent à fide in ſpiritu dæmoniorum prohibentium nubere, & iubentium abſtinere à cibis, quos Deus creauit. Adeo ergo verum eſt coniugum torum non eſſe prohibitum, vt Dei ope valeat ad meritum apud ipſum.

1 Tim. 4.

Cap. 4.

Hoc autem coniugij fœdus, quod ab orbe condito originem duxerat, Chriſtus in lege gratiæ in ſacramentum inſtituit, vt coniuges ſacramentali gratia ſanctificaret. Hanc enim vt induceret religionem nuptijs conuiua intereſſe perrexit. Nempe vt aqua in vinum conuerſa illam deſignaret gratiam, per quam id, quod erat in officium, vbi amor coniugum ſolis caducis rebus innixus frigere ſolet & lãguere, virtutem nouam & vim ad procreandos Dei filios acquireret. Vnde interrogantibus Phariſæis, an liceret vxorem dimittere, vetus inſtitutum nouo mandato confirmauit. Ait enim: Non legiſtis, quia qui fecit hominem à principio, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: iam enim non ſunt duo, ſed vna caro. Quos ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Ioan. 2. *Matt. 19.*

Cap. 5.

Signum ergo myſteriumque hoc ſacramentum eſt duplicis ſignificatus: quippe quod & deſponſationem Chriſti cum Eccleſia extrinſecus deſignat, & gratiam, quam continet, & intus confert. Vnde Apoſtolus: Sacramentum hoc, inquit, magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Quapropter tum coniugum dilectio amorem, quo Chriſtus Eccleſiam ad mortem vſque dilexit, repræſentat: tum & commiſtio ſexuum, vnionem, qua noſtram ſibi copulauit naturam. Quocirca Paul. Vir, inquit, caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Et infra: Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea. Ad hunc ergo conglutinandum amorem hoc gratiæ ſacramentum inſtituit, quæ de eius latere, vnde Eccleſia, ſicut Eua de coſta Adæ educta eſt, promanauit.

Epheſ. 5. *Ibid.*

Cap. 6.

At verò quamuis finis matrimonij propagatio ſit generis noſtri per generationem, tamen conſummatio carnalis copulæ non eſt de eſſentia: quippe quæ ſolo ſpontaneo contractu conſtat.

1 Cor. 7.

Digitized by Google

DISTINCTIONIS VIGESIMÆSEXTÆ.

Quæstio prima.

DE SACRAMENTO CONIVGII QVATENVS EST IN OFFICIVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm matrimonium sit hominibus naturale.

POSTREMVM denique sacramentorum est matrimonium, vt quod minimum quàm reliqua spiritualitatis habet. Sortitur autem amplissimam disputationis supellectilem: quæ ideo materia per distinctiones non pauciores, quàm decem & septem decurret. Est autem tractatus tripertitus, in quinque enim distinctionibus vsque ad trigesimam protenditur sermo de eius causis, quibus innititur & perficitur: nempe de consensu, & eius qualitatibus, & conditionibus. In tribus subsequentibus vsque ad trigesimamtertiam de bonis coniugij, quibus res vxoria excusatur, ac de legibus, quæ ad eius vsum attinent. Ac demum in nouem vltimis vsque ad quadragesimamsecundam de impedimentis, quibus coniugium vel ne fiat cohibetur, vel etiam celebratum dirimitur.

Tractatus tripertitus.

Nota.

Igitur vt ad præsentem distinctionem descendamus, quamuis sacramenta, omnia sint sacramenta fidei, quæ supranaturale donum est, tamen quædam sic sunt solius fidei, vt omnino sint supranaturalia, vt baptismus, confirmatio, Eucharistia, &c. Alia verò sunt, quæ admixtum quidpiam habent naturæ, vt pœnitentia, quam de malefactis natura docet: qua vtique ratione diximus esse virtutem, cui natura præter lumen fidei & institutionem sacramenti inclinationem tribuit. Pari ergo modo coniugium habet quòd sit tum officium naturæ, tum sacramentum. Et ideo licet initialis quæstio in cæteris sacramentis sit de eorum ratione sacramentali, tamen sicuti in materia pœnitentiæ disputatum est, priùs de ipsa sub ratione virtutis, & deinde sub ratione sacramenti: ita præsens distinctio duas exigit quæstiones, vnam de officio, atque alteram de sacramento matrimonij.

Partis negatiuæ argum. 1.

Quæritur ergo primum, an matrimonium sit hominibus naturale. Et arguitur à parte negatiua. Ius naturale, vt instit. eod. titu. & ff. de iusti. & iu. habetur, est quod natura omnia animalia docuit: in cuius exemplum subditur maris & fœminæ coniunctio, quæ fit generationis causa: in brutis autem animantibus non est coniunctio maris determinatè ad hanc fœminam, instar matrimonij, sed promiscuus temerariusque concubitus: ergo matrimonium, quod est vinculum inter certas personas indissolubile, non est de iure naturæ: quandoquidem concubitu vago, vt patet in fornicationibus, posset humanum genus propagari.

2. Argum.

Socratica respublica.

Secundò arguitur. Ad id natura propensiùs inclinat, quo amplior charitas & amicitia custodiri potest: sed si mulieres essent viris omnibus communes, & viri vicissim mulieribus, qui promiscuè generarent, vt Socrates, referente 2. Politi. Aristotele, rempublicam instituebat, amplior esset & protensior amicitia: quandoquidem non esset distinctio inter meum & tuum, quæ pronomina amicitias dissoluunt, sed vnusquisque seniorum quemcunque iuuenum appellaret filium, & iuuenes omnes maiores, patres: vnde dist. 1. can. Ius naturale, communis omnium possessio, & omnium vna libertas asseritur esse naturalis: ergo appropriatio vxoris per matrimonium non est de iure naturæ.

3. Arg.

Tertiò. Ius naturale, vt eo. can. author est Isidorus, omnium est nationum commune: sed vt 1. lib. de inuentione testatur Cicero, homines in principio syluestres erant, neque nuptias celebrabant legitimas, neque certos quisquam inspiciebat liberos: ergo matrimonia non sunt iure naturæ instituta.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem est illud Aristotelis 8. Ethic. Homo magis naturaliter est animal coniugale, quàm politicum: est autem, vt ibi docetur, politicum & ciuile: ergo & coniugale, atque adeò coniugium est iuris naturæ.

Descr. ord.

Naturalis ordo exposcere hic videbatur, vt à nomine & definitione matrimonij exordium sumeremus. Attamen ob prædictam causam, quia s. & officium est, & sacramentum, ex istis priùs expositis conditionibus commodiùs deinde potest tam nomen elici, quàm definitio. Præterquam quòd senten. Magist. interpretes in sequent. dist hæc ponunt, quorum ordinem inuertere nolumus. Vtrùm verò matrimonium sit licitum, quod hæretici negant, art. 3. inter agendum de officio coniugali contra ipsos constituetur. Nunc autem ad naturam matrimonj expendendam eius causam exploramus: videlicet, vtrum sit à natura inditum. Neque verò interrogamus: vtrum coitio maris & fœminæ causa generationis sit naturalis: quoniam neque hoc in dubium euocari potest, eo quòd affectus instinctusque naturæ in rebus caducis & corruptioni obnoxijs, sit per generationem speciem propagare. Sed quod hic disputatur est, vtrum inter animalia hoc sit hominibus peculiare, & suapte natura inditum, vt ad illud officium destinati mas & fœmina nodo indissolubili coniungantur. Hoc enim vt distin. sequenti patebit, matrimonij nomine intelligimus.

An matrimonium sit licitum.

Naturale dupliciter dicitur.

Ad quam vtique quæstionem sub distinctione duabus conclusionibus respondetur. Naturale n. dupliciter dicitur, vno modo prout distinguitur contra liberum, quod s. ex principijs naturæ quadam necessitate prouenit, vt igni moueri sursum, & graui deorsum.

1. Concl.

Atque isto pacto palàm est matrimonium non esse naturale, quæ sit hic prima conclusio. Siquidem liberè aliqui mortalium matrimonio copulantur, à quo alij abstinent. Alio modo aliquid dicitur naturale, quia ad id natura inclinat & instigat, tametsi per liberum arbitrium compleatur: quemadmodum cibum sumere, & virtutum officia exercere, ad quod rationalis natura stimulat, naturalia censentur.

2. Concl.

Sit ergo secunda conclusio. Matrimonium hoc modo est naturale, vt distinguitur contra ius humanum & gentium: non n. est quoddam inuentum ex hominum condicto, sicuti tributorum leges, aut aliæ ciuiles, nec sicut possessionum diuisio iure gentium introducta, sed res ex naturæ instinctu profecta. Probatur. Prima causarum, vt Aristoteles 2. Physico, sapienter docuit, ex qua naturæ opera perpenduntur, est finis, eo quòd Deus & natura quicquid agunt, in finem aliquem referunt: non enim, vt Democritus aiebat, molares dentes obtusi sunt, & anteriores acuti, aut planta pedum plana, ratione materiæ, sed certè ratione finis: quia id aptæ manducationi & ambulationi congruebat. Neque pluit temerè, sed ad procreanda terræ nascentia, quibus opus est pluuia: vnde quia in Ægypto non pluit, diuina naturalique prouidentia Nilus sua redundantia terram irrigat. Qua vtique ratione Albertus Magnus in libr. de animalibus, Plinij Dioscoridisque opinionem refellit, dicentium, viperam nonnullasque serpentes partu disrumpi. Est quippe fabula, quoniam cùm natura intendat effectus suos ad perfectum perducere, & conceptio fit propter partum, fit vt quibus dedit concipiendi, dederit & pariendi facultatem. Finis autem concubitus maris & fœminæ inter homines, non est prolem in hoc tantùm edere, vt sit, & viuat, sed vt debita nutritione & educatione ad perfectum secundùm corpus & animam perducatur. Vnde, vt eod. loco præmisit Philosophus, filij à parentibus tria suscipiunt maximè beneficia: nempe, esse, ali, & educari. Finis autem hic & intentio naturæ nequiret modo debito obtineri, nisi singulariter vir & vxor arctissimo nexu copulati vicarias operas ad proles nutriendas & educandas sibi præstarent. In aliquibus enim necessarium est opus vxoris, & in alijs mariti: quibus ideo si liberum esset societatem dissoluere, nequiret proli bene esse consultum: est ergo matrimonium de iure naturæ. Secundò id probatur alia eiusdem Aristotelis ratione. Homines hoc etiam brutis animantibus præstant, quòd illa consortio maris & fœminæ non egent, nisi solius procreationis causa: homines verò non solùm propter illam, sed & eorum gratia, quæ ad vitam conferunt: habent enim officia

Ratio conclusionis.

Albertus Magnus.

Filij à parentib. tria suscipiunt beneficia.

2. Ratio ex Arist.

diuersa: vxori namque illa congruunt officia, quæ domi exercentur, vt nere, & res domesticas curare: viris autem ea incumbunt quæ foris exercentur, vt victum procurare, & publica gerere negotia. Vnde concluditur, quòd cùm homo quatenus pars est domus, sit coniugalis, & quatenus pars ciuitatis, sit politicus, quanto domus prior est, & ad vitam magis necessaria quam ciuitas, & procreatio filiorum animalibus communior, tanto magis sit natura sua coniugale animal quam politicum. Eadem deinde conclusio authoritate diuina confirmatur. Vbi enim Deus primùm homines plasmauit, marem condidit & fœminam, qui essent duo in carne vna. Imò quamuis sacra nos pagina id non docuisset, ratio ipsa naturalis ostenderet, matrimonium esse de iure naturæ. Quin verò marem Deus & fœminam non aliter copulauit, quàm docendo quidnam ius postularet naturæ. Quapropter vt arctius doceret interesse vinculum matrimonij inter homines, quàm societatem inter bruta, & si in singulis brutorum speciebus marem & seorsum fœmellam condiderit, tamen in specie humana vnicum priùs hominem de terra plasmauit, ex cuius latere sociam eius fœminam eduxit: non quidem de pedibus, vt esset serua, nec de capite, vt esset domina, sed de latere, vt esset par naturæ consors: nempe, vt edoceret quanta inter eos non solùm corporum, verùm & animorum necessitudo esset interceßura, quantoque subinde amore deberent conglutinari. Quo fit vt summus amicitiæ nexus, qui inter homines esse debet, sit coniugalis viri & vxoris. Hoc enim admonitum Adam nobis, imò per ipsum Deus esse voluit illis verbis: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc est, quæcunque alia naturæ vincula huic posthabebit. Vnde Paul. quod quæstione sequenti latiùs disserendum est, ad Ephes. 5. permulta inculcatione exaggerat, quàm debeat vir vxorem diligere: nempe sicut Christus Ecclesiam. Propositum ergo, quod præcipuè in matrimonio contrahendo condecens est, eò tendere debet, vt non propter temporaria caducaque bona, qualia sunt vel dotis amplitudo, vel habitudo formæ, sed propter virtutum honestatem celebretur: alioqui in medio nuptiarum conuiuio vinum, hoc est, coniugalis lætitia, deficiet.

3 Concl.

Nota hominis creationem.

Vxor ducenda non propter bona temporalia, sed propter honestatem.

Ad primum igitur argumentum optimè Diuus Thomas per distinctionem respondet. Naturale enim est id, ad quod natura inclinat: est autem in homine considerare & naturam generis, quod est animal, & naturam speciei, quam habet ratione differentiæ, quæ est rationalis. Genus autem, quia non reperitur nisi contractum per diuersas differentias, non nisi secundùm illas inclinat. Brutis vero animantibus nulla est necessaria coniunctio, nisi solùm generationis causa: & ideo simpliciter in omnibus requiritur, vt coëant in actu generationis. Ob idque in illis speciebus, in quibus proles solo subsidio fœmellæ nutritur, nulla alia societas maris est necessaria. Sed vbi subsidium maris etiam requiritur (vt in quibusdam auium speciebus) aliquanto protensior inuenitur societas ad nutriendam prolem in paruum tempus, quo tempore par maris & fœminæ simul conuiuit. In hominibus autem, quia non solùm nutritio prolis quantum ad corpus, verùm & educatio quantum ad animam, & maris & fœminæ fauore & opera in longum tempus indiget, non solùm coitio ad generandum naturalis est, verùm & indissolubile consortium, quæ est matrimonium. Vnde in prædicta lege tanquam exemplum naturalis iuris non modò ponitur coniunctio maris & fœminæ quæ brutis etiam communis est, sed liberorũ successio, & puerorum educatio, quæ naturalem finem matrimonij explicant. Quòd si quis morosus redarguat, fornicationem ad procreandas proles sufficere, imò & sæpe ad educandas: respondetur, ad generationem sufficere, sed tamen quòd ad educationem quandoque sit satis, est accidentarium. Et præterea habẽt homines præ cunctis animantibus secundam conditionem, quatenus sunt animalia politica, quòd propter mutuas operas, quibus in re domestica & politica inuicem se mas & fœmina iuuant, perpetua egent societate.

Sol. 1. arg.

Necessaria indissolubilis societas in hominibus.

Obiectio.

Dilutio.

Ad secundum respondetur, illam Socraticam rempublicam meritò Aristotelem multis nominibus repudiasse. In statu n. naturæ integræ, quando omnibus cura fuisset communia curare, congruens erat illa in communi rerum possessio. Corruptæ verò naturæ, in qua vnusquisque non quærit nisi quæ sua sunt, optimum fuit ius gentium, quo fuerunt dominia diuisa. Vnde licet meum & tuum nunc lites foueant, illis tamen exclusis multò peius haberet rerum gubernatio. At quicquid sit de alijs bonis, quæ ad rem præsentem non attinent, tamen communis vxorum liberorumque possessio tam absurdam præ se fert deformitatem, vt neque in statu naturæ integræ locum habuisset. Multò enim minor amicitia per illam promiscuam possessionem firmaretur, quàm nunc est: quoniam, vti ait Philosophus, licet omnes complexim possent se appellare patres, & filios, & fratres, nemo tamen singulariter aut diuisim suum cognosceret filium ac patrem, quod etiam in statu innocentiæ fœdum esset: nam & tunc ius paternum & vxorium viguisset. Et præterea in statu naturæ corruptæ innumera essent incesta inter patres & filios, fratres & sorores, multaque impia bella & rixæ inter huiusmodi incertos cognatos. Superuacaneum autem est omnia recensere incommoda, quæ eiusmodi rempublicam consequerentur.

Meum & tuum.

Arist.

Ac tertium denique respondetur, meritò Ciceronem ibidem nationes illas cum bestijs contulisse: quippe quæ victu ferino vitam propagabant, & bestiarum more vagantes nihil ratione animi, sed viribus corporis omnia administrabant, & ideo nec nuptias legitimas, nec certos liberos iuspiciebant. Quare ex illa corrupta natura nullum sumitur contra nostram veritatem argumentum, nec vult sentire Tullius, quòd in toto orbe illa esset corruptio, sed in aliquo fortè angulo. Nam vt historia sacra & allæ profanæ tradunt, nullum fuit tempus, quo non fuerit aliqua matrimonij ratio cognita.

Sol. 3. arg.

Cicero.

ARTICVLVS II.

Vtrum matrimonium semper fuerit, maneatque adhuc sub præcepto.

HABEMVS ergo matrimonium rem esse naturalem, consequitur autem, vt perscrutemur, an ille instinctus naturæ vim habuerit præcepti, vel saltem sit rei huius diuinum mandatum positum, quod etiam nunc permaneat. Et arguitur à parte affirmatiua. Verbum illud Gene. 1. Crescite, & multiplicamini, formam præ se fert præcepti, quod nullibi legitur reuocatum, imò per Christum Matth. 19. apparet confirmatum, vbi ait: Quos Deus coniunxit, homo non separet: ergo etiam nunc perseuerat.

Partis affirm. arg. 1.

Secundò. Præcepta naturæ irreuocabilia sunt quamdiu ratio eadem iuris permanet: perstitit autem eadem ratio multiplicandæ speciei, sicut conseruandi indiuidui: ergo sicut præceptum naturale alimenti ad conseruandum indiuiduum permanet, ita & mandatum coniugij ad propagandam speciem.

2. Argum.

In contrarium existere illud videtur 1. Cotinth. 7. qui non iungit matrimonio virginem suam, melius facit (scilicet, quam qui iungit) consilium autem nullum est validum contra præceptum, alioqui illud non esset præmio dignum: ergo nunc videtur præceptum matrimonij non vigere.

Pars negat.

Quæstio præsens nonnullas habet partes, scilicet vtrum hoc sacramentum fuerit diuinitus institutum, & quando, & an sub præcepto, & vtrum præceptum fuerit naturale, & vtrùm nunc duret. Ad horum autem intellectum supponendum est, matrimonium institutum esse & in officium, scilicet ad procreandas proles, & in remedium concupiscentiæ, & præterea sub ratione sacramenti. Est ergo prima conclusio. Matrimonium institutum fuit duntaxat in officium in statu innocentiæ ante peccatum. Post lapsum verò hominis illico institutio perstitit non solum in officium, verùm etiam in remedium. Doctrina est August. libro nono super Gen. ad literam cap. 7. Et Hugo lib. 2. de sacramentis part. 11. Vbi ait August. Vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis rectè excipitur honestate nuptiarum. Quæ quidem verba Magister distinctione præsenti retulit, vbi nonnulli pro, excipitur, substituunt excusatur, non intelligentes vim verbi: nam excipi à culpa, idem est quòd à culpa, quæ esset in actu, per matrimonium excusari. Vnde subdit. Vt quod sanis possit esse in officium, sit ægrotis in remedium. At verò nondum satis inter Scholasticos constat, vtrùm à Deo immediatè, & quibus verbis fuerit institutum. Magister quippe sentent. distinct. præsenti insinuare

Decis. art.

1. Concl.

videtur,

videtur, illic fuisse institutum, dum dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quam ob rem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Quem modum sequi videtur Scotus dicens, quòd indissolubilem obligationem instituit Deus per illa verba Adæ: Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. At Bonauentura sustinens institutum fuisse per instinctum internum ipsius Dei instigantis Adam, vt illa verba proferret. Ricardus autem distin. præsen. art. 1. q. 3. ait, quòd facto instituit illud, cum Euam ex costa Adæ produxit, sed verbo benedixit dicens: Crescite, & multiplicamini.

Institutio huius sacramenti quando.

S. Thom. & communis opinio.

Nihilominus S. Thom. hic & quæst. sequenti artic. 2. & communis opinio, quæ etiam est Magistri, si sanè inspiciatur, aiunt illo verbo Gen. 1. Crescite, & multiplicamini, fuisse à Deo tum institutum, tum etiam præceptum. Nam etsi postmodum capit. 2. modus referatur eductionis Euæ de costa viri, id tamen per recapitulationem (vt aiunt) fit: nam quando dixit, Crescite, iam ambo erant producti.

Ratio conclusionis.

Probatur conclusio. Matrimonium est ad procreandam speciem ita necessarium, vt ad conseruationem indiuidui alimenta, nisi, quòd magis est vnicuique necessaria conseruatio sui indiuidui, quàm conseruatio speciei: ergo sicut præceptum naturale est, vt homo ad suam ipsius conseruationem alimentum sumat, ita est illi præceptum conseruandæ speciei: illud autem non alibi expressiùs habetur, quàm in illis verbis, Crescite & multiplicamini: institutione autem nulla alia opus erat, quam ipsa præceptione: sic enim Eucharistiam instituit, Hoc facite in meam commemorationem: ergo illic fuit simul tum institutum, tum etiam iussum.

Ratio. 2.

Secundò id probatur. Cum matrimonium non fuerit institutum nisi propter finem propagandæ speciei: & illic illum finem Deus expresserit: illic certè sacramentum tum instituit, tum simul præcepit: ob idque sub forma benedictionis eandem institutionem & præceptionem expressit: nam Deum nobis benedicere, benefacere est: quare quæcunque rerum procreatio benedictio Dei censetur.

Est præterea doctrina hæc Augustini 14. de ciuita. Dei cap. 22. vbi ait, Nos nullo modo dubitamus secundùm benedictionem, Crescite † & multiplicamini, & replete terram, donum esse (hoc est, institutionem) nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam. Non quòd creatio illa fuerit institutio sacramenti, vt Ricardus censet, sed quòd fuerint creati, vt connubio copularẽtur. Et subdit, Adam autem Deo instigante institutionem matrimonij specificauit, & explicuit. Non quòd illa instigatio fuisset institutio, vt Bonauentura intellexit, sed quòd instigauit, vt institutionem Dei explicaret dicens, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quam ob rem relinquet homo, &c. Non enim opus habebat Deus institutionem per verba Adæ facere: sanè cùm longè esset decentius, vt suis ipse verbis illud institueret. Sed illis verbis Adam explicuit institutionem, quam Deus facturus erat dicens, Crescite, & multiplicamini: apparet enim quòd verba Adæ antecesserint verbis Dei.

Creatio illa non fuit institutio sacramenti. Instigatio illa non fuit institutio sacramenti

Matrimonium statim post peccatum cœpit prodesse in remedium.

In secundo verò membro conclusionis diximus illico post peccatum cœpisse matrimonium prodesse in remedium. Diximus id, inquam, ad eis obuiandum, qui suspicari possent non fuisse positum in remedium vsque post diluuium, quando eadem verba Genes. 9. Deus repetijt, Crescite, & multiplicamini. Nam remedium illico debet occurrere dum morbus illo opus habet. Quare dum Adam primò genuit, iam vsus est matrimonio in remedium, quia ante peccauerat. Quocirca loco citato Scotus & Ricardus aiunt institutum fuisse in remedium, cùm Deus dixit Euæ, In dolore paries filios, & sub viri potestate eris. Et viro: Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c. Attamen verba illa nullam videntur præferre imaginem instituendi matrimonij, sed maledicendi eius conceptus & partus. Dicendum ergo illud ipsum præceptum antea, natura integra, fuisse positum, vt cuicunque statui pro eius ratione seruiret: scilicet, ante peccatum, vbi nulla erat concupiscentia, in officium, & post etiam in remedium. Hinc fit consequens post diluuium non esse positum aliud præceptum quam prius, sed illud repetitum & confirmatum per modum etiam benedictionis propter necessitatem, quæ tunc ingruebat, sicut priùs procreandi humanum genus, quod aquis fuerat submersum. Attamen tanquam verum sacramentum non potuit institui nisi à Christo in lege Euangelica, de quo q. proxima adhibendus est sermo.

Sententia autores.

Appendix.

Contra hanc autem conclusionem est argumentum, quo inquiramus oportet an illud præceptum fuerit naturæ: arguitur enim sic. Instinctus ipse naturalis & delectatio illi adiuncta per se sufficiens erat ad propagationem nostri generis: redundabat ergo præceptum Dei. Et confirmatur. De alimento sumendo non videtur aliquod extitisse præceptum: nam illud Genes. 2. Præcepit ei dicens, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: non videtur in priori membro vim habere præcepti, sed permissionis, ac si dixisset, Præcipio tibi, vt licet ex omnibus alijs comedas, de hoc tamen ne comedas. Scotus distin. præsenti non vult admittere, matrimonij præceptum esse omnino naturale: quia non admittit esse naturale nisi sit vel principium practicum per se notum, vel conclusio euidenter ex illo collecta. Et tamen coniunctio matrimonij per indissolubile vinculum, neque est principium per se notum, neque conclusio inde euidenter illata: nam licet sit euidens, procreationem speciei esse bonam: vidit enim Deus omnia quæ fecit, & erant valde bona, non tamen euidenter colligitur ad id necessarium esse matrimonium, cùm quicunque sufficiat concubitus. De hac autem re hoc verum est, quod Scotus affirmat: nempe non esse ius naturæ tanquam principium per se notum, aut tanquam euidentem conclusionem. Nihilominus non est negandum, quin simpliciter sit de iure naturæ: nam vt in Posterio. & 1. Ethic. autor est Philosophus, sunt in scientijs euidentiæ gradus diuersi, quorum summus est in mathematicis, sed nihilominus non est negandum scientias etiam naturales & morales esse scientias: licet non tanta cum euidentia concludant. Cùm ergo lex matrimonij sit cognitio quædam, satis est vt dicatur ius naturæ, quod ex principijs naturæ per se notis efficaci consecutione inferatur. Sic scilicet probabili, vt viri eam sapientes inficiari nequeant. Et sanè hoc pacto ex fine nutriendæ procreandæque prolis matrimonij nodus indissolubilis elicitur.

Argumentum contra concl.

Argumenti confirmatio.

Aristot.

Ius diuinum duplex.

Atque eam ob rem cùm duplex sit ius diuinum: nempe positiuum, quod naturæ superponitur, vt sunt sacramentorum mandata & fidei: aliud verò diuinum naturale, præceptum matrimonij non est prioris, sed posterioris generis. Deus enim non supra naturam, sed tanquam naturæ autor & parens illud posuit, Crescite, &c. tanquam vim instinctumque naturæ explicans. Quocirca licet Deus ipse præceptum illud non expressisset, natura nos ipsa obligaret. Tale etiam fuit & illud, Dominamini piscibus maris: nam iure naturæ per Deum conditæ, homo, quia rationalis est, suique adeò suarumque actionum dominus, dominium subinde aliarum rerum obtinet.

Sol. 1. arg.

Vnde ad prius argumentum modò factum respondetur, quod quamuis instinctus naturæ sufficeret, vt homines non deficerent, qui liberos procrearent, nihilominus posset accidere, vt ingruente generationis necessitate peruersitas hominum nollet generationi vacare, & ideo fuit necessarium præceptum.

Sol. 2. arg.

Ad secundum eodem pacto respondetur: nempe simile extare naturæ præceptum alimenta sumendi, quatenus fuerint seruandæ vitæ necessaria. Itaque quamuis Deus id non expressisset, natura nos ipsa compelleret sub reatu culpæ, quæ alioqui in Deum naturæ autorem committeretur. Et ideo non est necesse dicere illud prius membrum, Ex omni ligno paradisi comede, esse præceptum, sed permissionem: quia non tenerentur tunc homines vniuersos fructus gustare: ob idque nota vniuersalis permissionem solum sonat. Nihilominus illa permissio fuit signum præcepti sustentandi vitam per esum aliorum fructuum.

Ex omni ligno paradisi comede.

De alio membro quæstionis, vtrùm s. tunc præceptum illud permaneat, Bonauentura distinctione præsenti artic. primo quæstio. 3. dicit, quod cessante necessitate multiplicandi humani generis, cessauit & hoc præceptum. Alij aiunt cessasse quando Christus laudauit cœlibatum eorum qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, Matth. 19.

An etiam nunc præceptum matrimonij maneat.

Nihilominus hic adhibetur secunda conclusio. Præceptum illud semper ab orbe condito durat, durabitq;

2. Concl.

Digitized by Google

Conclusio S. Tho.

vsque in finem sub eodem tenore & vigore. Et est conclusio sancti Thomæ distinctione præsenti quæstio. 2. articul. 2. ad 1. cui ideo falsò à quibusdam contraria sententia imponitur. Probatur primò argumentis duobus in fronte quæstionis factis. Deinde, quia hoc est præceptum iuris naturæ ad propagandam speciem: posset autem nunc etiam necessitas generationis accidere: ergo semper manet præceptum. Nam non est dicendum, quod quando ingrueret necessitas, tunc præceptum exurgeret, & quando illa cessaret, tunc præceptum sopiretur. Enimuerò præceptum succurrendi per eleemosynam extremè patienti, non exurgit tunc nouum quando illa necessitas occurrit, sed semper manet, tanquam præceptum affirmatiuum, cuius natura est, vt obliget semper, sed non pro semper.

Ratio conclusionis.

Præceptum eleemosynæ.

Ad huius autem maiorem explicationem notandum, præceptorum vim ex eorum fine esse perpendendam: necessitas autem naturalis dupliciter homines inclinat: vno modo ad finem cuiusque particulatem, vt conseruatio individui, & huiusmodi necessitas obligat singulos ad sumendum cibum, non semper, sed quando & vbi oportet: alia verò est necessitas non singulis, sed toti reipublicæ incumbens, & hæc non obligat singulos, sed rempublicam in communi, atque adeò principes, qui eius sunt administratores, vt necessitas agriculturæ, ædificatoriæ, atque aliarum artium, non enim singuli tenentur esse agricultores, aut ædificatores, aut milites, &c. sed vnusquisque suapte sponte vnamquamlibet sequitur artem. Sed si fortè contingeret, vt aliqua earum artium esset artificibus destituta, tunc princeps compellere posset eos qui essent necessarij: pari ergo modo lex matrimonij non singulos, sed collectim rempublicam obligat. Vnde in initio conditi orbis, quia Adam erat tota respublica, illi posita est lex, qua quidem filios suos cogere etiam poterat, vt connubia inter se conciliarent, quousque iusta esset generis facta propagatio. Et pari lege Noe suos filios & nepotes potuit compellere. Quando verò illa necessitas non ingruit, prouidentia Dei est, naturæque instinctus & voluptas sufficit, vt non desint qui absque coactione rei vxoriæ operam impendant.

Respublica opificibus destituta cogi possunt, quos necessarij principi videbuntur.

Matrimonij præceptum consilio castitatis non aduersatur.

Hinc colligitur, præceptum matrimonij, licet semper duret in republica, nullatenus consilio castitatis esse aduersum. Vtrum verò in omni ætate ab orbe condito virginitas fuerit laudabilis, disputabimus dist. 30. quæstione 2.

Dubium.

Sub lege autem euangelica, quando iuxta consilium Christi, vti ait Paulus, virginitas celebratur, dubium est vtrùm si aliqua natio eo vsque vel peste, vel alia calamitate deuastaretur, atque ad eam hominum raritatem esset peruentum, vt periculum immineret, ne genus humanum deperiret, possent cogi etiam sacerdotes & religiosi & sanctimoniales connubia celebrare. Respondetur, quòd eos, qui non se voto adstrinxissent, posset deberetque rex cogere. De monachis autem Palud. distin. præsenti q. 3. quosdam refert dicentes, quòd etiam tunc non tenerentur, nec possent ad id cogi: quia credi tunc posset numerum electorum esse completum, ac perinde finem mundi adesse. At verò opinio hæc non est tam vero similis, quàm sua contraria: quoniam quando sit cessatio mundi futura, non est in cognitione humana positum: horam quippe illam nemo scit, nec filius hominis. Et ideo nisi specialis reuelatio affulgeret, ius naturale & commune seruandum esset. Ob idque si casus (qui non videtur possibilis) eueniret, etiam illi, qui se voto castitatis obstrinxerant, ad matrimonia tenerentur: quia votum semper includit conditionem illam, nisi ius naturæ conseruandi humanum genus obstet.

Solutio dubij.

Sententia autoris.

Nota.

Per hæc argumenta in capite quæstionis proposita, soluta restant. Concedimus enim cum S. Tho. præceptum matrimonij non esse reuocatum, sed obligare rempublicam, vt expositum est. Cum quo tamen stat vt vnusquilibet singulatim possit castitatem vouere.

Sol. 1. arg.

Et eodem modo soluitur argumentum secundum.

Sol. 2. arg.

ARTICVLVS III.

Vtrum vsus matrimonij, hoc est, maritalis complexus, sit licitus, atque adeò esse possit meritorius.

CVM potentia sit propter actum, atque adeò matrimonium propter vsum: & matrimonium, vt dictum est, natura naturæque autor Deus instituerit, compertum inde sit coniugum conuersationem & generationis actum licitum esse. At verò, vt hæreticis respondeamus, tertius hic adhibetur articulus. Arguitur ergo congressum illum coniugalem non esse licitum. Quicquid rationis vsum corrumpit, quæ omnium virtutum fons & origo existit, illicitum est & vitiosum: eruberantia verò sensualitatis, quæ in coitu ebullit, eiusmodi vsum absorbet, adeò vt 7. Ethic. Philosophus asseruerit, impossibile esse hominem illo tunc articulo aliquid intelligere: ergo ille actus est illicitus. Qua de causa Exodi 19. præcipiebatur populo qui Deũ erat visurus, ne vxoribus se tunc commiscerent. Et Augu. 2. lib. Soliloquiorum ait, nihil sic deijcere animam ab arce virtutis suæ, sicut contactum illum corporum, sine quo vxor haberi non potest. Et Hieronymus super Matthæum, quod refertur 32. quæstione 2. can. Connubia, ait tempore concubitus præsentiam Spiritus sancti non dari, etiam si propheta videatur qui officio generationis obsequitur.

Partis negatiuæ arg. 1.

Hieron.

Secundò, illud quod secundùm se est turpe, fieri nequit honestè: sed officium coniugale habet concupiscentiam cum turpitudine coniunctam: ergo nunquam fieri potest honestè.

2. Arg.

Tertiò arguitur, quòd huiusmodi actus esse nequeat meritorius. Ait enim Chrysostomus super Matthæum cap. 19. Matrimonium & si vtentibus se pœnam non inferat, mercedem tamen non præstat: meritum autem non est nisi respectu mercedis: vnde Magister sentent. ait, quòd coniugium non meretur palmam: ergo non est meritorius.

3. Arg.

Quartò. Id quod sine peccato veniali fieri nequit, esse non valet meritorium: sed actus matrimonialis semper habet adiunctam venialem culpam: quia non potest esse sine motu sensualitatis, cuius primus etiam motus est saltem venialis: ergo officium illud non potest esse meritorium.

4. Arg.

In contrarium autem est verbum Apostoli 1. Corinth. 7. Virgo non peccat si nubat.

Pars affir.

De hac re nulla inter catholicos est controuersia, imò hæreticorum dogma adeò fuit absurdum, & humanis conceptibus dissonum, vt ipsum suam proderet falsitatem. August. lib. de hæresibus capit. 25. Tatianos & Encratitas facit illius hæresis autores, quòd actus coniugalis, atque adeò nuptiæ in illum vsum non sint licitæ, sed permissæ ad vitandas alias peiores absurditates, iuxta verbum Pauli, Propter fornicationem vnusquisque suam habeat vxorem: melius enim est nubere, quàm vri. Hieronymus verò lib. 1. contra Iouinianum, Marcionem, & Manichæum Tatiano antiquiores, inuentores eiusdem erroris refert. Et Tertullianus aduersus Marcionem de eodem errore eum reuincit. Atqui Guido Carmelita Armenis etiam eundem adscribit: quippe qui aiebant, quòd si primi parentes nostri non peccassent, nunquam ad generandum coijssent, sed aliter genus nostrum multiplicaretur, scilicet per creationem singulorum hominum. Sed propter peccatum aiebant mutatam fuisse propagationis formam per generationem. Qua vtique ratione appellati sunt Adamiani. Eorum hæresim refert libr. de bono coniugali August. cap. 2. quam reprobat. Occasionem errandi inde nacti sunt, quòd primus parens obscœnum motum non nisi post peccatum sensit. Hanc phrenesim suscitauit postmodum tempore Innocentij tertij Almaricus quidam Parisiensis doctor. Atque hic error est, quem idem summus Pontifex cap. Damnamus. de summa Trinita. & fide catholi. insinuat, dicens: Reprobamus etiam & condemnamus peruersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem sic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica, quam insana sit censenda.

Decis. artic.

Hæreticorũ error.

Hieron.

Tertull. Guid. Carmelita. Armenorũ error.

Almaricus hæreticus.

Contra hos ergo vesanos errores duæ statuuntur orthodoxæ conclusiones. Prima. Negare complexum coniugalem licitum esse, fuisseque necessarium in statu naturæ integræ, est non modò impietas aduersus scripturam sacram, verùm & stupida dementia aduersus naturæ lumen. Probatur primùm ex verbo Domini Gen. 2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. In quem locum August. lib. 9. super Gene ad literam, cap. 7. Non, inquit, video ad quod aliud adiutorium mulier facta sit viro, si generandi causa subtrahitur. Imò verò Dominus ipse Matth. 19. & Marci 10. interrogantibus Pharisæis, an liceret vxorem dimittere: Non legistis, inquit, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos?

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Armenorũ error confutatur.

Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, vbi indissolubilem matrimonij nexum illic constitutum fuisse declarat. Et clarum est, illa verba ante peccatum fuisse prolata. Quare in statu innocentiæ eadem fuisset generatio. Item dicere, quòd præter Adam alij essent creandi homines, est contra illud Ecclesiast. 8. Qui viuit in æternum creauit omnia simul: quasi dixisset, non alia amplius creaturus, præter animas rationales, quæ de materia per generationem educi nequeunt. Præterea natura per peccatum in officijs naturalibus non est mutata, vt patet in nutritione, & in alijs: ergo si nunc species nostra, veluti aliæ vniuersorum animalium, per commistionem masculi & fœminæ propagantur, manifestum est hoc esse naturale opus, atque adeò simile in statu naturæ integræ fuisset.

Aliud argumentum.

Argumentum contra alios hæreticos.

Deinde contra alios hæreticos, dicentes illicitam nunc esse generationem, fit argumentum, quòd Deus creauit naturam nostram tum in suis naturalibus bonam, tum & ad suam fœlicitatem aptam: eius ergo multiplicatio non solùm naturæ maximè consonat, verùm & Dei propositum implet, qui eam ad reparandas angelorum ruinas condidit. Quinimò quamuis angeli non cecidissent, eam in illum finem creasset. At verò stultum est aduersus hanc stultitiam pluribus agere. Multa de hoc tum Hierony. tum etiam Augustinus adnotarunt. Et extant decreta plurima Pontificum & conciliorum, vt apud Leonem in epistola ad Termilum capitu. 7. & in concilio Bracarensi & Toletano. 1. atque alijs multis. Imò fuit error adeò à naturæ ingenio abhorrens, vt Paulus ad exaggerandam hæreticorum absurditatem hanc spiritu prophetico prædixerit, 1. ad Timoth. 4. Spiritus enim, inquit, manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus (vel illà vocat nouissima tempora, vel fortè rursum eadem hæresis repullulasset) quidam discedent à fide in spiritu dæmoniorum prohibentium nubere, & iubentium abstinere à cibis quos Deus creauit. Vide quomodo duo officia naturæ coniunxit ab hæreticis reprobata: scilicet, cibos sumere ad conseruationem indiuidui, & nuptias celebrare ad conseruationem speciei. Quocirca sicut cibatio modo & mensura temperata actus virtutis est, ita & generatio. Ex quo fit præfatas hæreses nullum potuisse habere fundamentum præter Manichæorum blasphemiam, dicentium corpoream naturam non à bono, sed à nequam Deo dimanasse. Aduersus quam non vacat hic modò disputandi locus. Eandem veritatem Apostolus 1. ad Corinth. 7. edocet, vbi ita virginitatem & carnis abstinentiam profuso iam nunc satis humano genere matrimonio præfert, vt tamen illud non condemnet, sed prorsus approbet, admonens vt vnusquisque suam vxorem habeat, ne se defraudent.

1 Tim. 4.

2. Concl. Ratio conclusionis.

Secunda conclusio. Actus coniugalis potest esse apud Deum meritorius gratiæ. Probatur primò, quia est actus obedientiæ, iuxta illud Genes. 1. Crescite, & multiplicamini: ergo si non alia vitietur praua circunstantia, & fiat extra charitatem, erit moraliter bonus, sicut vbi & quando oportet, comedere ad conseruandam vitam, & si fiat ex charitate, erit simpliciter virtus, atque adeò apud Deum gratus & meritorius. Imò verò non solùm est obedientiæ officium, sed etiam iustitiæ, si fiat ad reddendum coniugi debitum, iuxta verbum Pauli, Vxori vir debitum reddat. Et insuper esse potest virtus religionis, si fiat ad procreandos liberos in cultum Dei. Neque verò oportet, vt actu coniuges istos fines dum congrediuntur meditentur, sed satis est virtualis relatio, vtpote si nullam apponant malam circunstantiam. Nam actus ipse de se refertur in bonum honestum, vt sit moraliter bonus, & si fiat ex charitate, vt sit meritorius.

Actus coniugalis obedientia & iustitia virtus.

Virtus religionis.

Obiectio.

Quòd si quis inde inferre contendat, consulendum esse, vt crebrò coniuges amplexus illos frequentent, quandoquidem sunt meritorij, negatur consequentia. Nam ita sunt bona officia, vt tamen non sint optima. Stat enim bonum esse aliquando comedere, & sanctius abstinere. Eodem modo ait Paulus, quòd licet bonum sit, vt non se defraudent, nihilominus melius est, vt communi consensu aliquando abstineant orationis gratia. Et eadem ratione propter alios honestos fines. Præterquam quòd ad probitatem moralis actus, oportet vt suis sit appendicibus & circunstantijs circumseptus: & vna circunstantiarum est quantitas & modus: & ideo si frequentia modum excuperet, vt conseruationi indiuidui noceat, virtutis lineam transgredietur.

Dilutio.

Adiunxit hic tamen S. Thom. quæstione 1. artic. 4. tria alia, quibus asserit posse peccatum actui coniugali accidere. Primus casus est, si fieret ociosè, hoc est, absque vllo fine formali vel virtuali: quod quidem omni actioni generale est. Nam vt ipse 1.2.q.18. artic. 9. demonstrat, nullus datur actus indifferens in indiuiduo: quia si fiat absque vllo fine, est ociosus & malus, atque adeò venialis culpa. Secundus casus est, si coniunx sola libidine moueatur, tamen infra bona matrimonij. Itaque vir accedit ad vxorem ob solam venerem, sic tamen affectus, vt non accederet ad aliam. Et est opinio Magistri dicentis, quòd coniugium est permissiò de minoribus bonis: coitus verò coniugum, qui fit causa incontinentiæ, est de minoribus malis. Et Magistrum sequuntur ferè doctores. Inferiùs tamen distinctio. 31. † emunctiùs venit hoc examinandum: nempe, vtrùm præcisè gratia euitandæ fornicationis liceat propria vxore vti. Cuius pars affirmatiua fortasse probabilior est vt videbimus, quàm altera. Tertium dictum est, quòd si coniunx libidine extra bona matrimonij efferatur, vt scilicet cum quacunque muliere id facere proponeret, esset peccatum mortale. Quæ quidem assertio sanè intellecta, vera est, non enim dicit, quod accessus ipse ad vxorem sit mortalis, sed propositum accedendi ad alienam: nempe hoc, Etiam si hæc non esset mea, accederem ad illam, quod quidem speciem fornicationis induit.

Primus casus.

Secundus casus.

Opinio Magistri Sent.

† 4.d.4.q.4.

Tertius casus.

Assertionis intellectus.

Ad primum igitur argumentum respondetur per distinctionem maioris. Redundantia namque passionis, quæ tollit non modo rationis vsum, sed rationis ordinem, illa quidem est peccatum: quia est peruersio rationis. Illa tamen, quæ tollit rationis vsum, non tamen ordinem, non est peccatum, alioqui somnus esset peccatum. Delectatio ergo contactus maritalis licet in paruum tempus rationem eclipset, ne altiori rei vacare possit, tamen non tollit rationis ordinem: imò ratio generationis exposcit, vt ob illum finem tantillo temporis rationem ad aliam rem homo non applicet, Nam & esus ciborum, & quandoque medicinæ, ferè eundem habent effectum. Vnde licet actus fornicatoris & actus coniugalis sint eiusdem naturæ ad tollendum rationis vsum, non tamen in genere moris ad tollendum rationis ordinem: & ideo prior est peccatum: posterior verò non item. Qui autem vult orationi, vt ait Paulus, & alijs studijs vacare, vel vxorem non ducat, vel de eius consensu abstineat in tempus.

Sol. 1. arg.

Nimia fruitio coniugibus vitanda.

Sed & hoc rursus ratio flagitat, ne in illo actu coniux nimiam procuret fruitionem, id quod Paul. loco citato admonet dicens: Qui nubunt, sint tanquam non nubentes. Non enim vult vt nubentes ab illo actu prorsus abstineant, sed consulit, vt studeant sic eum exercere, ac si non exercerẽt: quemadmodum subdit, Qui vtuntur hoc mundo, sint tanquam non vtentes.

Ad secundum respondetur, turpitudinem, alteram esse culpæ, atque alteram pœnæ. Prior quidem semper est peccatum, posterior verò non vtique. Turpitudo autem coniugalis officij non est culpæ, sed pœnæ ex peccato primorum parentũ prouenientis: propterea quod membra corporis & sensualitas non obediunt rationi ad nutum, vt scilicet non moueantur, nisi quando ratio iusserit, quod fieret in statu naturæ integræ.

Sol. 2. arg.

Quòd si rursus arguas. Si actus huiusmodi genere suo licitus prorsus est: quidnam opus habet excusari? Et tamen, vt infra videbimus, multa bona adferuntur matrimonium excusantia. Respondetur, illa opera ex merito excusari, quæ vllam præ se ferunt effigiem mali, quorum vtique aliqua in partem, aliqua verò in totum excusantur. Et quia actus coniugalis continet ex vna parte concupiscentiæ turpitudinem modo exposito, excusatur in totum, vt infra videbimus.

Obiectio.

Dilutio.

Ad tertium respondetur, quòd radix meriti quantum ad præmium substantiale est charitas: accedit autem ei aliqua etiam merendi ratio ex difficultate: quia virtus, vt ait Aristoteles, circa difficile versatur. Et hanc mercedem, ait Chrysostomus, non sic accedere huic virtuti, sicuti alijs difficilibus: quia delectatio illa tollit difficultatem laboris, tametsi non tollat difficultatem ponendi medium inter extrema, in quo ratio virtutis consistit. Quinuerò & nonnunquã est difficultas laboris, vt in viro, qui languore & debilitate laboraret, & nihilominus generationis gratia rei vxoriæ insisteret. Atque hoc pacto intelligendus est Magister, vbi ait, coniugium non mereri palmam: quia non est difficile sicut virginitas.

Sol. 3. arg.

Ad

Sol. 4. arg. Ad quartum denique negatur minor. Motus enim primus concupiscentiæ, non est peccatum veniale, nisi quando est de aliquo delectabili præter rationis ordinem, velut motus primus fornicationis. Id quod à legitimo vsu coniugij alienum est.

Quæstio secunda.

DE MATRIMONIO SECVNDVM RATIONEM SACRAMENTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm matrimonium sit sacramentum nouæ legis.

Partis negatiuæ argum. 1. POTISSIMA ratio matrimonij, præterquam quod est in officium & in remedium, est esse sacramentum. Sed nihilominus à parte opposita arguitur. Omne sacramentum nouæ legis constat ex materia & forma: matrimonij autem neque vlla est forma, quia benedictio sacerdotis in nuptijs non est de essentia matrimonij, neque verò vlla est materia: quia nulla est illic materia sensibilis: & tamen Hugo ait, quòd sacramentum est materiale elementum: ergo matrimonium non est inter sacramenta.

2. Argum. Secundò arguitur. Omne sacramentum nouæ legis efficit quod figurat: matrimonium autem figurat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam tamen non efficit: ergo non est sacramentum.

3. Arg. Tertiò. In omni sacramento distinguuntur tria: scilicet, id quòd est sacramentum tantum, puta, signum sensibile, & id quod est res tantum, vt gratia: & aliquid quod sit res & sacramentum simul, quod non potest in matrimonio signari, cùm non imprimat characterem, ergo non est sacramentum.

Pars affirmatiua. In contrarium est verbum Pauli ad Ephesios 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.

Quæstio inter catholicos quam facillima est. Non autem defuerunt hæretici sacramentum hoc abnegantes. Cuius erroris autores, vt ait Guido Carmelita, fuerunt Armeni. Et nostris temporibus patroni sunt Luthetani, qui negant vlla ratione sacramentum esse: quia nunquam fuit, inquiunt, institutum in signum cuiuspiam gratiæ, atque adeò neque illam confert. Hunc enim effectum omnibus sacramentis subtrahunt.

Hæreticorũ error. Igitur cùm omne sacramentum nouæ legis gratiam conferat, duo sunt impræsentiarum examinanda. Primum scilicet, vtrùm matrimonium sit sacramentum, accipiendo nomen generaliter, id est, signum & mysterium alicuius sanctitatis, siue illam conferat, siue non conferat, quod quidem nomen est commune tam sacramentis veteris legis, quàm nouæ. Et secundum, an gratiam conferat. Vtrumque enim Lutherani negant. De hoc autem secundo membro articulus nos tertius erudiet.

Conclusio. Ratio conclusionis. Sed ad primum, quod hic disputatur, vnica conclusione respondetur. Matrimonium est sacramentum Ecclesiæ. Probatur. Nomine sacramenti, vt dist. 1 prædiximus, intelligitur mysterium aliquod sanctitatis, nouæ legis, quam sacramenta vetera significabant futuram, nostra verò significant præsentem: sed matrimonium est huiusmodi: ergo est sacramentum. Minorem docuit nos loco proximè citato Paulus admonens, vt subiecti inuicem Christiani sint in timore Christi. Mulieres enim, inquit, viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ecce mysterium, quòd coniunctio mulieris cum viro, qui sunt quasi membrum & caput, sit signum coniunctionis Ecclesiæ cum Christo, sub quo quasi sub capite suo viuit. Et quia ex hac coniunctione pullulat mutuus amor, subinfert. Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Quocirca dilectio viri & vxoris, signum est etiam dilectionis Christi & Ecclesiæ. Vnde sicut

Probatio minoris. *Mysterium matrimonij.* Christus diligit Ecclesiam, veluti caput suum proprium corpus: ita & viri sicut propria corpora debent vxores diligere. Imò qui vxorem, inquit, diligit, seipsum diligit. Vide quanta cum exaggeratione & emphasi commendat vnionem viri & vxoris, etu sacramentum vnionis Christi & Ecclesiæ. Quocirca omnes, inquit, membra sumus Christi de carne eius & de ossibus eius: alludens ad Euam, quæ de ossibus Adæ fuit fabricata. Atque adeò subdit verba Adæ, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Ex his ergo catholicam veritatem concludit dicens, Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia: vbi duas coniunctiones, si considerate perspexeris, tam in coniugibus, quàm in Christo designauit Apostolus. Sunt enim coniuges vnum vnitate naturæ: quia duo in carne vna, per commistionem copulæ. Ac subindè vnum vnitate charitatis: quia debent se ambo mutuò sicut vterque seipsum, diligere. Quarum prior vnio significat vnitatem naturæ Christi & Ecclesiæ, quia nostram naturam induit. Et posterior significat item charitatem Christi, qui se pro Ecclesia morti exposuit.

Commendatio vnionis coniugum. Duplici verò cauillo abigere conatur Lutherus Paulinum hunc sensum. Primò quòd Apostolus græcè scribens non dixit sacramentum, sed mysterium. Attamen hoc futile est: quoniam idem est mysterium & sacramentum, vt in fronte primæ distinctionis præmonstrauimus. Quare interpretes latini vtroque nomine promiscuè vtuntur. Secundò sensum prætiaricatur dicens: Paulum non affirmasse de matrimonio, quòd sit sacramentum aut mysterium, sed de coniũctione Christi & Ecclesiæ: illam enim, inquit, appellat sacramentum sanctificationis per fidem. At verò prætiaricatio hæc ex verbis ipsis Paũli falsitatis conuincitur. Nam cùm coniunctionem tam naturæ quàm amoris viri & vxoris, ita multis verbis conferat cum coniunctione & amore Christi & Ecclesiæ, palàm demonstrat arctissimam illam communionem viri & vxoris esse signum desponsationis & amplexus Christi & ecclesiæ, in quo consistit ratio sacramenti. Quocirca potuisset optimè Caiet. illam adnotatiunculam excusare, quam adiecit in expositione huius Paulini loci: nempe, quod ex illo verbo, sacramentum hoc magnum est, non colligitur matrimonium esse sacramentum: quia non dixit, nisi mysterium: Nam re vera idem est mysterium & sacramentum, si modo de collatione gratiæ non contendamus. Leo enim Papa in epistola 11. ad Constantinopolitanos in hoc sensũ adduxit hoc verbum: nempe, quod ab exordio generis humani prænunciatus est Christus per coniugium primorum parentum, dicente Apostolo, sacramentum hoc magnum est. Et concilium Florentinum hoc Pauli testimonio probat, matrimonium esse sacramentum. Et Ambrosius super eundem locum, Mysterij, inquit, sacramentum grande in vnitate viri & fœminæ esse significat. Ac demum Magister sententiarum, eodem ipso testimonio eandem confirmat veritatem. Quin verò expresè ibidem Augustinus, Non tantùm, inquit, fœcunditas, cuius fructus in prole est: neque tantùm pudicitia, cuius vinculum est fides, verùm etiam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apostolus, Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.

Duplex tutillum Lutheri. Refutatur error Lutheri. Secundus error Lutheri.

Cauenda fallacia. Hæc verò cauenda est hic fallacia, ne quis verbis Pauli seducatur, arbitratus voluisse dicere, illo tunc temporis articulo, quo dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. illam eius coniunctionem cùm Eua fuisse sacramentum, sicuti est modò: tunc enim, quia nullum vigebat peccatum, nullo opus erat sacramento. Sensus ergo Apostoli est, quod tunc fuit sacramentum, hoc est, mysterium & figura futuræ vnionis Christi & Ecclesiæ, sed posiquam ex latere eius in cruce emanauerunt noua sacramenta, ac subinde Ecclesia quasi de eius costa, sicuti Eua ex Adam plasmata fuit, idem ipsum coniugale vinculum vim obtinuit sacramenti.

Germanus sensus Apostoli. Secundò eadem veritas confirmatur. Sacramentum nouæ legis est signum alicuius occulti remedij contra aliquod peccatum: sed matrimonium est huiusmodi: nam cùm propagatio humani generis, quod ad æternam beatitudinem creatum est, & per Christum recreatum, fuerit ad illum finem necessaria, quę quidem sine concupiscentia carnis fieri non potest, decentissimum fuit, vt matrimonium in remedium illius concupiscentię institueretur.

Secunda confirmatio.

Quòd

Obiectio.

Quòd si arguas. Alia sunt peccata grauiora, contra quæ nullum est institutum sacramentum: ergo nec debuit contra concupiscentiam. Respondetur, quòd cõcupiscentia, quia est vitium totius naturæ idq; homini quasi natiuum, indigebat præ alijs remedio, potissimùm in re tam necessaria, quàm est nostri generis propagatio. Sed he hoc latius articulo. 3.

Probatur conil. ex iure canonico.

Veritas præterea hæc, nempe, quòd matrimonium sit sacramentum, multis est canonibus constituta. Primùm capi. Ad abolendam. de hæretic. damnantur qui aliter quàm ecclesia Romana de septem sacramentis ecclesiæ senserint, inter quæ numeratur matrimonium. Et in concilio Constantiensi sessione. 15 de hoc inter alios errore condemnatus fuit Ioannes Hus, quòd septem sacramenta ecclesiæ inficiebatur. Ac subinde in concilio Florentino & hoc quoque in ordine sacramentum collocatum est. Quapropter quicquid sit de collatione gratiæ, de quo statim dicturi sumus, manifestaria hæresis est, negare hoc esse sacramentum ecclesiæ nouæ legis, perinde ac reliqua sex. Atque adeò semper inter sacramenta nouæ ligis fuit cultum.

Conc. Constantiense.

Erasmus.

Et ideo Erasmus consultiùs fecisset hoc nõ reuocare in dubiũ, qui in antidoto epistolæ Hieronymi ad Gerontiam ait. Haud scio an ætate Hieronymi ecclesia matrimonium inter sacramenta numerauerit. Neque Dionysius, inquit, li. 3. ecclesia. hierar. inter alia sacramenta mentionem huius facit. Cum enim tum Hieronymus contra Iouinianum, tum Augustinus tam latè de fidelium matrimonio disputauerint, procul dubio erat sacramentum, fuitque semper ex institutione Christi

Sol. 1. arg. Durandus.

Ad primum igitur argumentum respondetur cum D. Thom. Durandus quippe in 4. distin. 1. q. 3. fateri renuit propriè in matrimonio materiam & formam distingui posse: nam dicere, vt Paludanus comminiscitur ead. distin. q. 4. quod materia sint ipsi contrahentes, non est consentaneum: propterea quod materia debet esse pars sacramenti: & tamen contrahentes non sunt pars eius, sed subiectum. Item neque dicere quòd materia sint interni consensus, forma verò extera verba, rationi consonat: quoniam tam materia quàm forma debent esse res sensibiles. Si ergo dicatur, quod verba aut nutus alterius sint formæ, contra redarguit Durandus. Primò, quia materia solet dici res, sicut ablutio baptismi: forma verò verba: è rebus enim & verbis sacramenta perficiuntur: in matrimonio verò non distinguuntur materia & forma, vt res & verba quia in vtroque contrahentium sunt tantum verba vel nutus. Secundò, quia illa verba ex æquo se habent in vtroque: quare non possunt discerni, vt præcedentia sint materia, & sequentia forma. Hoc præter alia argumento mouetur Durand. vt non satis planè affirmet matrimonium esse sacramentum nouæ legis.

Paludanus.

1. Argum. Durandi.

2. Argum. Durandi.

Autoris dissensio.

De hoc autem art. 3. aduersus eum acturi sumus. Interim tamen respondetur, contrahentium verba, aut nutus, qui eorum loco substituuntur, esse materiam & formam, vt dist. 1. q. 1. art. 6. latius dissertum à nobis est. Neque refert præcedentia ne sint, an subsequentia, vt illa sint materia, hæc verò forma, vt Ricard. dist. præsenti artic. 4. q. 2. autumat. Sed siue vir priùs consensum exprimat, siue vxor, amborum verba sunt sibi inuicem materia & forma: nam vtriusque verba per verba alterius informantur, vimque obtinent significandi, colligandiq; coniugalem nodum. Quocirca quando D. Thom. superiùs distinct. 1. artic. 3. ad quintum, dixit, formam in matrimonio esse verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab ecclesia institutas, non intelligit ex æquo, sed quòd verba exprimentia consensum sunt forma essentialis, benedictio verò accidentaria ad solennitatem pertinens, vt ex presse hic ait. Verba enim, inquit, quibus matrimonialis consensus exprimitur, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. Et statim in solutione secundi confert hoc sacramentum cum sacramento pœnitentiæ dicens, quòd quia vtrunque per actum eius perficitur, qui sacramento vtitur, non est in istis alia materia præter actus suscipientis. Id quod distinct. 14. q. prima. articul. 1. latiùs expresserat. Respondetur ergo ad Durandum, quando dicimus materiam esse rem, non accipi sic strictè, vt res distinguatur à verbo, sed vtriusque verba possunt esse materia respectu verborum alterius, siue præcedant, siue sequantur.

S. Thom.

Benedictiones ecclesiæ an sint forma.

Diluitur argum. Durandi.

Non autem desunt qui arbitrentur verba sacerdotis, dum nuptiæ solenniter contrahuntur, esse formam essentialem. Sed de hoc artic. 3. Ad illud autem Dionysij respondetur, quòd non fuit eius mens omnia sacramenta percensere, sed illa quę ad actus hierarchicos attinent, qualia sunt quinque, & ideo vti de pœnitentia, ita & de matrimonio subticuit.

Ad illud Dionysij.

Ad secundum respondetur, quòd hoc sacramentum significat & aliquid exterius, quod est desponsatio Christi cum ecclesia, & aliquid interius, quod est gratia, & hæc est res contenta. Sacramentum autem non debet efficere id quod exteriùs significat, sed rem contentam. At verò Magister sententiarum, vt hic ait Sanctus Thomas, quia erat illius opinionis, quòd in hoc sacramento nulla esset res contenta, non asseruit per ipsum significari nisi rem exteram, scilicet desponsationem Christi & ecclesiæ.

Solut. 2 arg.

Magister senten.

Ad tertium respondetur, quòd sacramentum tantùm in præsentiarum sunt actus & consensus contrahentiũ exteriùs significati. Res autem & sacramentum est vnio & nexus maritalis, qui ex illis actibus resultat. Sed res tantùm contenta est gratia.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS II.

Vtrùm matrimonium fuerit in noua lege in sacramentum institutum.

Partis negatiua argum. primum.

ARTICVLO proximo hic ad eius expositionem adnectitur de eius institutione, quatenus sacramentum est. Et arguitur, quod non fuerit in nouâ lege institutum, atq; adeò quod non sit sacramentum nouæ legis. Vnum sacramentum pluribus institutionibus non indiget: matrimonium autem, vt quæstione superiori dictum est, fuit institutum ante peccatum, & post peccatum in lege naturę: ergo non fuit institutum à Christo.

2. Arg.

Secundò. Non apparet in euangelio locus vbi de nouo fuerit institutum nam Matthæi 19. antiquam institutionem retulit Christus dicens, Non legistis, quia ab initio qui fecit hominem, masculum & fœminam fecit illos?

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quòd omnia sacramenta habent virtutem à passione Christi, atque adeò ipso authore instituta sunt.

1. Concl.

Quæstio est facilis, ad quam tribus conclusionibus respondetur. Prima. Matrimonium fuit in officium institutum ante peccatum. Matrimonium enim, vt prædictum est, naturali instinctu & præcepto est hominib. inditum: Deus autem & natura in bonum semper sua opera refert, & secundùm illum bonum finem eadem opera admetitur: tria autem sunt bona in matrimonio, quorum primum & naturæ inclinationi proximum est procreatio humani generis, quod quidem & ante peccatum erat necessarium: & ideo in hoc officiũ illicò condito homine institutum est matrimoniũ.

Tria bona matrimonij.

2. Concl.

Secundum bonum est remedium contra peccatum, & de hoc subiungitur secunda conclusio. Illico post hominis lapsum mansit idem matrimonium remedium contra concupiscentiam, vt quęstione præcedenti articulo 1. latè expositum est. Et ideo quantum ad hæc duo tantùm beneficia vigorem habuit in lege naturæ. Et præterea sub lege Moysi aliqua huic sacramento adiuncta fuit personarum determinatio. Nam quamuis lex naturæ iuberet, vt matrimonij fœdus indissolubile esset, quod quidem vbicunque naturæ lumen emicabat, seruabatur, & ficubi dirimebatur, vt viuente priore coniuge alter alias nuptias iniret, hoc erat propterea quòd eiusmodi lumen cõtenebresceret. Nihilominus quod vna non nisi vni viro nuberet, & matrimonia in certis consanguinitatis gradibus non permitterentur, non fuit ita liquidum, & ideo lex Mosaica de huiusmodi personarum cautione nonnulla adhibuit mandata. Quamuis viris vxorum multitudo non fuerit vsquequaque interdicta, vt dist. 33. disputabimus.

Lege naturæ nexus matrimonij indissolubilis.

3 Concl. Ratio.

Tertium munus matrimonij est mysterium desponsationis Christi cum ecclesia indicare, atque adeò, tanquam eiusdem redemptoris instrumentum, gratiam ad idoneum eius vsum infundere. Et de hoc subditur tertia conclusio. Sacramentum matrimonij, qua ratione est sacramentum, in noua lege a Christo institutum est. Et ratio est huic cum reliquis sacramentis communis: quoniam omnia sacramenta, eo quod instrumenta sunt passionis Christi, ab ipso fuerũt

Digitized by Google

Iure gentiũ & ciuili leges adhibita circa matrimonium.

institutа. At verò quantum ad alia commoda, quæ ex hoc coniugali fœdere in rempublicam pullulant, quale est mutuum obsequium, & vicaria officia coniugum, quibus eorum amicitia colitur, iure etiam gentium & ciuili nonnullæ adhibentur leges, quibus nuptiarum conciliatio decoratur, & constabilitur, vt de dotibus. Nam reipublicæ interest dotes mulierib. conseruari, ad sobolem procreandam, & replendam liberis ciuitatem. l. 1. ff. solut. matr. Et de libero bonorum vsu, qui competit viro, de successione vxoris in partem bonorum, & de legatis, & iure hæreditatis, &c. Vnde inter leges ciuiles extat titulus de sponsalibus. ff. & de iure dotium, atque alij.

Nota.

Ex quo fit consequens hoc peculiare esse huic sacramento, quòd cùm relíqua in noua lege tanquam res prorsus nouæ, & ante illam nunquam auditæ fuerint institutа, hoc, cùm res vetus fuerit, nouam rationem sacramenti per Christi institutionem acquisiuit. Primitus enim Christus hac fortè de causa, si coniectari licet, nuptias sua præsentia honestare voluit: & primo, quòd in mundo edidit, miraculo insignire, vt illic facto ipso insinuaret, illud quod antea solum erat officium in remedium, per suam legem celebrandum fore vt sacramentũ.

Christus quare nuptijs interfuerit.

Præscius, inquam, illucusq; nuptiarum vinum, hoc est, amicitiam, gaudium & gustum plurimũ defecisse: quia sine gratia Dei omnis humana necessitudo veluti aqua friget & languet: iuit conuersum aquam in vinum, quo futura gratia sacramenti designata fuit. Vbi & coniuges vniuersos admonitos curauit, ne matrimonialia fœdera in bonis caducis, hoc est, in amplis dotibus, aut alijs formis & causis fundarent, quæ facilè dilabuntur, sed in sola virtute, quæ perpetuæ lætitiæ & amicitiæ coniugalis custos est.

Vinum nuptiarum.

Nota.

Deinde verò, vt Matthæi 19. legitur, à Pharisæis rogatus, liceret ne hominibus vxorem quacunq; de causa dimittere? quæ quidem interrogatio indicabat lumen naturæ, quo indissolubilis coniugalis nexus admonetur, obscuratum illis iam tunc fuisse, contrarium eos docuit non quidem denuò naturam matrimonij instituens, sed ostendens ab orbe condito à Deo naturæ conditore fuisse institutam. Et ideo, non legistis, inquit, quia qui hominem fecit à principio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: hoc est, Adamum instigauit, vt diceret, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro, hoc est, indiuisibilis. Non autem hæc Christi euangelica institutio solùm fuit, (vt quidam volunt) declaratio naturalis iuris, sed insuper confirmatio. Quare subdit, Quos Deus coniunxit, homo non separet: quasi diceret, Hanc, quam Deus coniunctionem sanxit, ego, quatenus orbis redemptor, nouo iure & præcepto meo confirmo. Quo quidem loco id, quod antea erat in officium & remedium, fecit esse sacramentum, vt per suam deinceps passionem vim nouam diuinæ conferendæ gratiæ obtineret. Nam licet illuc vsque sic fuisset in remedium, vt maritalis concupiscentia non esset peccatum, imò posset esse meritum, non tamen singularem habebat ad id muneris fauorem diuinæ gratiæ.

Matt. 19.

Quos Deus coniunxit.

Solut. arg.

Per hæc ergo argumentis responsum est. Concedimus enim ad primum, nullum sacramentum, quatenus sacramentum est, plurium egere institutionum, sed tamen hoc, quia non est solum sacramentum, sed etiam naturæ officium, decuit vt postquam sub vna ratione priùs fuerat institutum, denuò fieret sacramentum, in locis euangelicis modò designatis. Per quæ secundo argumento satisfactum est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm matrimonium gratiam conferat.

NON satis concluditur matrimonium esse sacramentum nouæ legis, quousque ostendatur conferre gratiam, quod nostrorum sacramentorum priuilegium est. Arguitur ergo à parte negatiua. Omne sacramentum, quod gratiam confert, per materiam suam & formam eam infundit: materia autem & forma sacramenti huius sunt actus contrahentium: dicere verò quod nostra propria opera sint causa gratiæ, hæresis est Pelagiana contra Paulum. nam si ex operibus, iam non esset gratia: ergo matrimonium gratiam non confert. Et augetur dubium de matrimonio, quod inter absentes conciliatur, aut per epistolam, aut per internuncium, non enim videtur quomodo gratiam conferat, cùm vsu venire possit, vt dum posterior consentit, prior dormiat.

Partis negatiuæ.

1. Argum.

2. Argum.

Secundò arguitur. Si gratiam conferret, maximè contra concupiscentiam: at per matrimonium concupiscentia potiùs inflammatur, quàm extinguatur, sicut ignis alio appositio igne. Vnde Philosophus. 3. Ethicor. Concupiscentia, inquit, voluptatum insatiabilis est, & sua ipsius ratione tanquam sui simili augetur: ergo matrimonium non est remedium concupiscentiæ.

3. Argum.

Tertiò. Si tale remedium gratia præstaret, cùm concupiscentia omnibus sit mortalibus commune malum, salubre consilium cunctis esset matrimonium: quod est contra consilium Pauli. 1. Cor. 7. ergo non est remedium concupiscentiæ.

4. Argu.

Quartò arguitur. Si sacramentum matrimonij conferret gratiam, hoc esset fidelibus baptizatis: nam baptismus est ianua omnium sacramentorum: hoc autem apparet falsum: quia vt capit. Gaudemus. de diuortijs. decernitur, sacramentum coniugij apud fideles & infideles existit, iuxta verbum Pauli 1. Cor. 7. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem est, quod matrimonium est per Christum institutum tanquam remedium, iuxta verbum Augustini lib. 9. super Gen. ad literam ca. 7. Matrimonium, quod sanis est ad officium, ægrotis est ad remedium: Christi autem remedia aduersus peccata non sunt nisi per gratiam: ergo matrimonium confert gratiam.

Decisio artic.

De hac quæstione, vt hæreticos prætereamus, qui effectum gratiæ in sacramentis non agnoscunt, etiam inter catholicos controuertitur. Durandus namque distinctione præsenti, quæstione 3. quamuis affirmet matrimonium esse hac ratione sacramentum, quod est signum, vt ad Ephes. 5. ait Paulus, desponsationis Christi & Ecclesiæ, ait tamen citra periculum hæresis licitum esse opinari non esse sacramentum gratiam conferens, atque adeò non esse sacramentum vniuocè, vt ait, cum alijs sacramentis nouę legis. Quam quidem opinionem, ceu probabiliorem sustinet. Non tamen aliter probat, quàm quia ex interpretibus sacrorum Canonum nonnulli sic opinati sunt, vt Gaufredus in summa sub titulo de sacramentis non iterandis. & Hostien. sub eodem titulo. & Bernar. in apparatu extra de simonia super cap. Cum in Ecclesiæ corpore. Et est præterea Glossa. 32. quæstione 2. can. Honorantur. Et ratio omnium istorum est, quia pro matrimonio contrahendo potest pecunia in dote pacisci, vt eodem can. permittitur. Et extra de condit. appositis. ca. de illis. Ait verò Durandus se non determinare, an istorum opinio, suæque allegationes veræ vel falsæ sint, sed hoc solum accipere vt verum, quòd cum iura canonica nouerint, neque eorum scripta reprobentur, non sit eorum opinio vt erronea censenda. Adiungit aliud fulcimentum ex Magistro senten. in 4. distinct. 2. vbi ait, quòd quædam sacramenta sunt remedium contra peccatum, & gratiam adiutricem conferunt, vt baptismus: alia in remedium tantùm sunt, vt coniugium: alia gratia & virtute nos fulciunt, vt eucharistia & ordo. At verò S. Thom. tres hic opiniones refert. Vnam negantium omnino in matrimonio vllam suffundi gratiam. Aliam dicentium, quod confert gratiam in ordine ad recessum à malo: puta ad excusandum actum peccati, non tamen ad auxiliandum in bonum. Quibus reprobatis subiungit tanquam probabilius, quod simpliciter conferat gratiam.

Probatio opinionis.

Durandus.

Durandus.

Magister sentem.

S. Thom. 1. Opinio, 2. Opin.

3. Opinio vera.

Duabus ergo conclusionibus ad quæstionem respondetur. Prima. Matrimonium, sicut cætera sacramenta Ecclesiæ, gratiam confert. Hæc est opinio communis theologorum: videlicet S. Thom. Scoti, Bonauenturæ, Ricardi & aliorum dist. præsenti. Et probatur. Matrimonium ab ecclesia inter sacramenta nouæ legis connumeratur, vt distinctione prima referebamus: sacramentum autem nouæ legis, vt eadem distinct. monstrauimus, gratiam confert. Id quod concilium Florentinum expresè decernit. Et est sententia August. super psalm. 73. dicentis, quòd vetera sacramenta promittebant tantùm & significabant, hæc verò dant salutem. Vnde concilium intulit, quòd nostra sacramenta in hoc ab illis differunt atque abundant, quod illa gratiam significabant, non autem conferebant: ergo matrimonium confert gratiam. Atque hinc colligitur, quàm Magister, senten. non fuerit sibi constans, sanè qui cùm distinct. 1. hoc

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Magister sentem.

ipsum

ipsum discrimen inter illa & nostra vsque adeò agnouerit, vt sacramentum sic diffinierit, quòd sit signum inuisibilis gratiæ, cuius imaginem gerit, & causa existit. Postmodum distinctione secunda, septem sacramenta Ecclesiæ confessus, coniugium, quod illis adnumerat, ait in remedium tantum fuisse institutum. Tametsi fortasse non simpliciter gratiam huic sacramento subduxerit, sed illam secundam opinionem, quam hic refert Sanctus Tho. fortè insinuauit, quòd gratia matrimonij non sit nisi in remedium ad recedendum à malo, graria verò aliorum sacramentorum sit adiutrix ad promouendum bonum. Attamen neque moderatio hæc veritati consonat, tum quòd cùm gratia auxilium Dei sit, nulla est, quæ non in vtramque partem iustitiæ sufficiat, tum etiam quia hac ratione nunquam matrimonium in noua lege illi præstaret, quod sub lege naturæ decurrebat: quoniam matrimonium eatenus fuit semper in remedium, vt coniugalis torus nullam impingeret culpæ maculam, imò posset meritum accumulare. Christus autem illud denuò in remedium eiusdem concupiscentiæ confirmauit, vt Apostolus 1. Cor. 7. admonet dicens. Propter fornicationem vnusquisq; suam vxorem habeat, quæ debitum viro reddat, & vir vxori. & Infra. Ijs, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, &c. Et 1. ad Thess. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos a fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, ad matrimonium alludens, quo hæc sancta & honorifica possessio coniugum perficitur: ergo certum est Christum nouam vim matrimonio ad id adiunxisse, quæ esse non censetur alia, quàm gratia, qualis non est in cæteris sacramentis. Et ideo S. Tho. in expositione literæ distinctionis. 2. aliter exposuisse videtur Magistrum, scilicet quod non aliud senserit, quàm quod principalis finis matrimonij fuerit in remedium, non tamen negauerit ad illum finem conferre gratiam. Citat enim Magist. distin. præsenti illud inter alia Augustini in lib. de bono coniugali cap. 18. In nuptijs plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas ventris. Non autem sanctitatem appellasset, nisi sacramentalem gratiam. Re vera qui negat matrimonium conferre gratiam, in virtute negat esse sacramentum nouæ legis. Et idcirco Durandus negans conferre gratiam, simul in priori æditione, vt impræsentiarum refert Capreolus, negauit esse simpliciter sacramentum nouæ legis: sed in posteriori æditione, quia de hac hæresi malè audiebat, vt periculum sibi caueret, concessit quidem esse sacramentum, sed tamen negando conferre gratiam, si id simpliciter negasset, asserendoque subinde non esse cum alijs nouæ legis vniuocum. parum sibi cauisset. Et ideò solùm dixit, non censeri hæreticũ. Fallitur tamen, hoc ceu probabile sustinendo. Nam si non diceretur sacramentum, nisi ob id duntaxat quod significat vnionem Christi & Ecclesiæ, illam profectò rationem ab initio conditi orbis habuit: de illo enim matrimonio primorum parentum ait Paulus fuisse magnum sacramentum, hoc est, mysterium Christi & Ecclesiæ, quia illud significabat: tamen asserentes esse sacramentum Ecclesiæ, quidpiam ei noui attribuunt.

Et confirmatur hoc planè, quia sicut Eua tunc è costa Adæ educta fuit in officium matrimonij: ita & de latere Christi in cruce educta est Ecclesia, vt per sacramentum matrimonij Christiani filij procrearentur, qui eius colerent religionem, atq; adeo in spirituales Dei filios adoptarentur: ergo matrimonium gratiam ex eodem latere promonantem veluti reliqua sacramenta confert. Quocirca non concludimus nos, vt censet Durandus, ex hoc solùm esse sacramentum, quòd sit remedium contra peccatum: nam hoc antea habebat, sed inde quod est à Christo institutum, vt idoneè coniugale officium exerceretur, veluti sacramentum ordinis, vt idoneè sacerdos sacramenta administret.

Hæc autem sacramentalis gratia contra trinam concupiscentiæ pernersitatem, vt ait Bonauentura, fert opem. Concupiscentia namque nec numerum personarum moderatur, quia impudicus quamcunque promiscuè optat, neque commoditatem, sed delectationem procurat, ac demùm satiatus fœminas fastidit. Gratia verò sacramentalis adminiculatur, vt vir sua sit contentus, & vxor suo, vt officium debitum coniugio vtantur, neque vbi opus fuerit ob satietatem à debito reddendo abhorreant. Guilielmus Parisiẽsis in materia matrimonij. cap. illo, vbi tractat de eius virtute, plurimum energiæ ei tribuit aduersus concupiscentiam. Tametsi malitia possit huic gratiæ præualere.

Quòd si sciscitetis quandonam eiusmodi gratiam conferat, respondetur, quod tunc, dum consensus de præsenti amborum coniugum simul concurrunt, vt paulò inferius repetetur.

Si verò quis interroget, vtrùm eum gradum hæc veritas obtineat, vt sit habenda tanquam catholica, eiusque negatio tanquam hæretica, profectò vtrinque sunt angustiæ. Nihilominus adhibetur secunda conclusio. Quamuis hoc non sit in sacris biblijs, vel in sacris concilijs expressum, tamen ægrè defensari posset non esse erroneum, imò hæreticum id negare, saltem est temerarium & valde periculosum. Vtimur hoc moderamine, eo quod Canonistæ opinantes matrimoniũ non conferre gratiam, non sunt de hoc condemnati, nec Durandus eorum patronus. Imò verò Diuus Thomas, Bonauentura, Scotus, & reliqui solum aiunt, partem affirmatiuam esse probabiliorem. Sed ex altera parte extat cap. Ad abolendam. de hæreticis, anathematis mucrone eos confodiens, qui de septem sacramentis aliter quàm Ecclesia Romana senserint. Et in concilio Florentino illud, iuxta verbum Augustini, constitutum est discrimen inter vetera & noua, quòd illa significabant tantùm salutem & gratiam, nostra verò dant illam, virtutemque conferendi in se continent. Profectò adeò vrget argumentum, vt si Sanctus Thomas & antiqui patres hoc concilium ætate attigissent, non tantùm asseruissent, vt reor, esse hoc probabile, verùm & esse catholicum. Nam negare illud concilium non fuisse legitimè congregatum, non esset tutum: quandoquidem celeberrima illa in eo fuerit celebrata conciliatio Armenorum cum ecclesia Romana. Imò verò Canonistæ, vt arbitror, suam opinionem recantassent. Præterquam quòd miror Durandum tantam autoritatem eis de hac re præter suum morem detulisse. Primùm, cum hoc ad ius diuinum spectet, cuius ipsi non sunt adeò docti fidique interpretes. Secundò, quod manifestum est non maiorem habere in hac parte authoritatẽ, quàm ratio ab eis allata illis arrogat: & tamen rationem illorum palam est nullius esse vigoris. Omnium enim vnum hoc fundamentum est, quod pro matrimonio confertur pecunia: & tamen debuissent attendere sacramentum matrimonij propterea quod conferat gratiam, rationem non exuere contractus ciuilis, & ideo nil vetat, quominus ista ratione pecunia possit inter contrahentes interuenire victus causa, sicut in emptione & venditione, & alijs contractibus: licet illa non detur pro matrimonio, quatenus res est sacra. Igitur sic illi, qui concilium Florentinum antecesserunt, non sunt hæresis damnandi, vt iam sint vehementer suspecti qui gratiam matrimonio negauerint. Præsertim quod illa negata debent dicere non esse propriè & simpliciter sacramentum. Adde quod Lutherani etiam de hoc sinistrè audiunt, quod huiusmodi gratiam in hoc sacramento diffitentur. Quocirca authores, qui contra eos scripserunt, vt Roffensis & Ekius, & concilia Parisijs & Coloniæ congregata, tanquam errorem eum vituperant. Et si œcumenica Synodus Tridenti fuisset progressa, id ipsum definisset: nam sic erat patribus in animo.

Circa materiam verò primi argumenti capitalis posset quispiam fortè comminisci actus contrahentiũ, nempe expressos consensus, non esse materium & formam sufficientes ad conferendam gratiam, sed formam necessariam, per quam confertur, esse verba ministri, nempe sacerdotis, qui amborum celebrat coniunctionem. Cuius magnum argumentum ex verbis concilij Florentini duci posset, quibus asseritur omnia sacramenta tribus perfici: videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia. Inde enim sunt qui colligant præter contrahentes necessarium esse sacerdotem ministrum, cuius verba sint forma necessaria sacramenti. Id quod reliquorum omnium sacramentorum exemplo confirmant. Accedit quod actiones sacramentorum, vt distinctione prima in fronte expositum reliquimus, sunt actus religionis quibus profitemur diuinitus sanctificari: actus verò religionis absque ministri benedictione non reperitur, qui quidem minister, vt arguit Durandus, debet esse sacerdos, nisi

Opinio Magistri sent.

Refutatur moderatio.

Nota.

2. Concla.

Capit. Ad abolendam.

Conc. Florentinum.

Sententia authoris.

Concilium Florentinum legitimè congregatum. Nota.

S. Thom. expositio.

Durandus.

Canonistarũ fundamentum.

Durandus fallitur.

Qui gratiam matrimonio negant suspectissimi.

Lutherani.

Nota Auctorem scripsisse ante finem Conc. Trid. Vid. d 28. q. 1. a. 1.

Alia ratio.

Dei. arg.

Matrimonij quare sacramentum.

1. Argum.

Gratia sacramentalis effectus.

2. Argum.

Guiliel. Parisiensis.

vbi sacramentum tantæ necessitatis est, vt eadem laicũ permittat ministrum, vt in baptismo. Tertiò arguitur, quòd cùm matrimonium, quod erat tantum in officium, institutum sit in sacramentum, decentissimũ fuit nouum illi ministrum, nouamque formam necessariam adscribere: verba enim contrahentium non videntur vim habere, nisi contractus cuiusdam & pacti, sicut in emptione & venditione: neque habent præscriptam formam, nam & nutus satis sunt. Concedendum ergo secundùm istos esset nunquam per matrimonium conferri gratiam, quando priuatim & clanculum absque ministro contrahitur, nisi sacerdos cum sua forma intemenerit. Atqui Sanctus Tho. 4. lib. contra gentes capitu. 78. ait, quòd matrimonium inquantum ad bonum ecclesiæ ordinatur, oportet quod subiaceat regimini ecclesiæ ea autem quæ populo per ministros ecclesiæ dispensantur, sacramenta dicuntur. Vbi insinuat matrimonium non esse sacramentum, nisi quando per ministrum ecclesiæ dispensatur. Et Guilielmus Parisiensis ca. citato de matrimonio, ait, quòd forsitan matrimonium, dummodo nuptialis benedictio non contemnatur, sacramentum est, sed virtutem sacramenti talem non habet, nec veri nominis est sacramentum, nisi sicut diximus. Hæc ille. Vbi insinuat absque benedictione sacerdotis non esse verum sacramentum.

3. Argum.

Appendix.

Opinio singularis.

Hanc autem opinionem, quia singularis esset, nullum arbitror habuisse hactenus assertorem, sed disputatorem: nam præterquam quòd nemo eorum, qui hucusque scripserunt, eius meminerit, non apparet quemadmodum sit sustentabilis. In primis. n. de benedictione nuptiarum, qua in ecclesia sponsi solemniter benedicuntur, affirmari nequit, quòd sit forma necessaria. Nam S. Th. & vniuersi, nemine excepto, fatentur impræsentiarum non esse de essentia, sed de solennitate sacramenti: quippe quod iam antea per consensus de præsenti fuerit confirmatum. Id ergo sustinere quis fortè contendat, de forma ministri, dum sponsalia de præsenti (quæ matrimonium sunt) publicè in forma ecclesiæ celebrantur: tunc etenim ad interrogationem sacerdotis vterque coniugum respondet se alterum in coniugem accipere, & sacerdos addere solet, Ego igitur vos coniungo in nomine patris, &c.

Benedictio nuptialis solum est de solemnitate.

Verba sacerdotis an sint forma.

1. Argum.

Quòd autem hæc non sit necessaria forma, demonstratur: quia si esset necessaria, procul dubio Ecclesia illam expressisset tanquam necessariò vbique seruandam, & tamen nullibi inter sacros canones talis extat forma: cùm tamen sæpissimè de hoc sacramento fiat mentio: & potissimùm cap. Licet. de sponsa. duorum exprimitur forma solemnis exprimentium consensus, Ego te accipio in meam, & Ego te accipio in meum: licet neque hæc, vt Glossa bene ait, sit necessaria: si ergo & forma sacerdotis esset necessariò adhibenda, eius illic certè facta fuisset mentio. Sed & concilium ipsum Florentinum, quod recitata opinio sibi suffragari censet, ei maximè refragatur: nam licet priùs in genere ministrum omnium sacramentorum nominauerit, tamen dum in specie ad matrimonium descendit (vnde potissimum debet argumentum peti) solùm ait quòd causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Vbi cùm in reliquis omnibus expresse materiam explicuerit & formam, si qua esset matrimonij alia præter verba contrahentium, necessaria forma, ambigere non licet, quominus illam expressisset. Cùm ergo de illa nihil memi nerit, manifestè colligitur non aliam posuisse, quàm contrahentium verba. Nominauit autem illa, non formam, sed causam efficientem: quia compertissimum habebat Synodus easdem causas efficientes, quibus sacramentum perficitur, rationem habere materiæ & formæ, quæ sunt necessariæ: sed quia non habebant illam imaginem extrinsecarum materiæ & formæ, quæ est in cæteris sacramentis, appellauit eas causas efficientes, sicut actus pœnitentis appellauerat quasi materiam, non quòd non sint verè materia, sed quia non sunt extrinseca, vt in cæteris.

Conc. Florentinum.

2. Argum.

3. Argu.

Præterea. Forma sacramentorum, quæ à sacerdote apponitur, significat effectum sacramenti, vt patet in baptismo, Ego te baptizo, &c. & in cæteris: effectus autem matrimonij est coniunctio coniugum: hanc autem consensus ipsi expressi contrahentium satis significant: verba ergo ipsa contrahentium sunt sibi mutuò pro materia & forma. Quæ quidem, expressa sententia est Hugonis lib. 2. de sacramentis. part. 11. ca. 5. Interrogatus, quando coniugium esse incipiat, respondet, quòd ex quo consensus inter masculum & fœminam factus fuerit, ex eo statim coniugium est. Quare licet sacerdos adijciat, Ego vos coniungo, forma illa non potest accipi in sensu, quem sonat, quasi per illam coniungantur, sanè cùm illi per suos consensus fuerint coniuncti, sicut tempore antiquo antequã matrimonium esset sacramentum, sed in hoc sensu, Ego approbo, vel benedico coniunctionem vestram.

Hugo. lib. 2. de sacr.

Et confirmatur hoc maximè. Opinio illa non negat, quia nec negare potest, absque forma sacerdotis coniungi coniuges per suos consensus, atque adeò matrimonium fieri tunc indissolubile, sed ait, non esse sacramentum. Arguitur ergo sic contrà. Ergo quando sacerdos ait, Ego vos coniungo, non applicat coniunctrices causas: nam illas contrahentes ipsi sibi inuicem applicant, Ego te accipio, &c. ergo sacerdos non verè eos coniungit, quippe qui iam sunt coniuncti: ergo nec tunc facit sacramentum coniugij: nam idem est facere sacramentum coniugij: & facere coniugium, sicut idem est facere seu administrare sacramentum baptismi, & ministrare baptismum, & sic in cæteris: quare nec sacerdos est agens, sed ipsi contrahentes sunt sibi mutuò agentes & recipientes. Quocirca forma illa sacerdotis non est de essentia, imò neque est vniuersalis in Ecclesia, sed alij dicunt, Ego vos sponso, & sacramentum confirmo, & alij, Quos Deus coniunxit, homo non separet, atque alij aliter.

Confirm.

Forma diuersa.

Arguitur demum. Excludere omnia clandestina matrimonia, quibus sacerdos non interest, à ratione sacramenti, cùm nullo ecclesiastico iure id expressum sit; imò neque hactenus ab aliquo sanctorum assertum, temerarium est. Et certè cùm clandestina matrimonia sint iure prohibita, vt patet eodem titu. si illa non essent sacramenta, ab Ecclesia quidem fuisset admonitum. Accedit quòd tunc non solùm iure pontificio, sed & diuino essent interdicta, tanquam non habentia legitimam formam, nec gratiam conferentia: & tamen solum pontificum iure inhibentur, & propter solam inobedientiam & excommunicationem Ecclesiæ non conferunt gratiam. Imò verò si non essent sacramenta, deberent postea solenniter iterari, vt ratificatis consensibus forma sacramenti accederet: quod tamen non fit. Accedit & Sanctus Thomas distinctione 28. articulo 3. vbi secundo loco arguens, quod cum in cæteris sacramentis requiratur ecclesiasticus minister, idem videtur in matrimonio necessarius, negat consequentiam: quoniam in cæteris, vt in pœnitentia actus nostri licet sint de essentia, tamen non sufficiunt ad inducendum effectum sacramenti, scilicet absolutionem à peccatis sine sacerdote: sed in matrimonio actus nostri sunt sufficientes causæ proximi effectus scilicet colligationis: & ideo benedictio sacerdotis non est necessaria. Vbi insinuat, quòd quia actus nostri sunt causa coniunctionis, in qua consistit substantia matrimonij, sunt subinde causa gratiæ absque sacerdotis munere. Sed non opus est pluribus.

4. Argu.

5. Ratio.

6. Ratio.

Ratio. 7.

Respondetur ergo ad argumentum cum Sancto Thoma, quæ omnium est vniuersalis responsio, vt articulo primo expositum est, quod actus illi contrahentium: nempe verba exprimentia consensum, eo quòd directè faciunt nexum, qui est sacramentum matrimonij, non quidem tanquam meri actus humani, vt aiebant Pelagiani, sed ex institutione Christi conferunt gratiam, quæ ideo tunc confertur dum amborum consensus coëunt: nempe in illo momento, quo posterior consensus accedit priori. Neque alia expectatur forma. Quo fit, vt vbi sponsalia de futuro præcesserint, illo pòst articulo, quo amplexu maritali sese per copulam commiscent, sacramentalis gratia conferatur: quia tunc consensus perficiuntur. Ex quo secundò subsequitur, quòd quando dicitur per matrimonium conferri gratiam, intelligitur per causas, quibus fit matrimonium: nempe per consensus, quibus fit obligatio & vinculum, quod est matrimonium.

Solut. 3 arg.

Vnde ad argumentum primum contrarię partis respondetur, quòd concilium ipsum, quod prędixerat, in omni sacramento requiri ministrum, & materiam, & formam, se in matrimonio explicuit docens, mutuos consensus per verba de præsenti, qua ratione causa sunt efficiens matrimonij, materiam esse & formam, atque adeò non esse alium necessarium ministrum præter ipsos contrahentes, qui materiam applicant & formam. Cùm enim Christus hoc instituens

Solu. 1. argum.

sacra-

sacramentum nihil aliud fecerit, quàm antiquum fœdus sanctificare, neque nouam materiam, neque formam instituit, sed eosdem actus voluit esse ad hæc officia destinatos & sanctos.

Solut. 2 arg. Et per hoc ad aliud de religione respondetur, quod actus ipsi, qui antea non erãt nisi legitima quædam pactio & merus contractus, iam nunc in lege euangelica sunt verè actus religionis, veluti materia & forma in baptismo, licet per iacrum applicentur. Tametsi benedictiones ecclesiæ, quibus sponsi in nuptiali missa consecrãtur, eiusdem religionis sint maximum documentum. Atque hoc pacto Guiliel. Parisiensis est intelligendus: palam enim est eum non loqui de verbis sacerdotis dum sponsalia fiunt de præsenti, sed de benedictionibus, quibus in templo sponsi benedicuntur: nam fortasse suo tempore matrimonia non celebrabantur nisi illo temporis articulo Constat autem communi omnium consensu illas non esse de essentia, sed eas commẽdauit doctor ille ita fieri in testimonium religionis Christianæ, vt si contemnantur, maneat matrimonium quodammodo sine solemnitate imperfectum, nihilominus verum sacramentum. Atque id ipsum sentit loco citato S. Thom. probat enim esse sacramentum: quia regimini ecclesiæ subditur, vt materia eius determinetur non constare inter consanguineos, & benedictio per ministros Ecclesiæ nubentibus adhibeatur. Et ideo ait hoc sacramentum dispensari per ministros Ecclesiæ.

Benedictiones ecclesiæ. Guiliel. Parisiensis.

S. Thom.

Matrimonium inter absentes an sit sacramentum

De matrimonio autem inter absentes aut per epistolam, aut per internuncium, maior offertur dubitandi occasio: sed hæc disputatio distinct. sequenti suum habet locum.

2. Argum. Solutio. Ad secundum principale argumentum respondetur, quod quamuis concupiscentia absolutè considerata, quo magis exercetur, eo ardentiùs feruescat, tamen dum eius necessarius vsus rationis ordini per matrimonium subijcitur, illam reprimit, quatenus illæ actiones habitus, qui alias essent vitiosi, studiosos generant. Matrimonium ergo concupiscentiæ medetur tam ex parte actus, quàm ex parte ipsius concupiscentiæ. Ex parte quidem actus ea ratione qua est legitimum vinculum in officium naturæ per bona sibi annexa. Et hoc dupliciter. Vno modo, quia facit actum licitum ratione generationis, qui, si esset concubitus vagus, esset illicitus. Secundò, quia cùm per ipsum homo concupiscentiæ satisfaciat, cohibetur ab alijs turpibus congressibus & immunditijs, iuxtà verbum Pauli, Melius est nubere, quàm vri. Sed tamen ex parte concupiscentiæ secundum se opem fert coniugium quatenus est sacramentum: quippe quod per gratiam, quatenus est ex natura gratiæ, concupiscentiam in sua radice extinguit & eneruat ad actus illicitos.

3. Argu. Dilutio. Ad tertium autem, quo inferebatur consilium esse omnibus matrimonia contrahere, negatur consequentia. Nam alia sunt salubriora remedia, vt carnem ieiunijs & vigilijs macerare, contemplationi & orationi vacare, quæ opera esse debent virginum, & eorum qui in cœlibatu viuunt. Ob idque Paul. consulebat, vt omnes essent sicut ipse, si tamen possent: nam vt Christus Matth 19. apostolis dicentibus, Non expedit nubere, dixit, Non omnes capiunt verbum istud, scilicet consilium non nubendi, sed quib. datum est: & ideo qui potest capere, capiat.

Matt. 19.

4. Argu. Dilutio. Ad quartum argumentum Adria. in materia de matrimonio q. 1. sub dubio respondit, vtrum matrimoniũ infidelium sit sacramentum nouæ legis. Tametsi gratiam illis eo non infundant, quòd obicem opponunt. Ac perinde sub iudice reliquit, vtrum fidelibus non baptizatis, nempe catechumenis, gratiam conferat pro eo quod in capi. Veniens. de presbytero non baptizato quasi arguendo ait Innocentius quòd videatur sacramentum matrimonij, eucharistiæ, & ordinum absque baptismo suscipi posse. At verò non est cur huiusmodi dubitatione, quæ nulla est, conturbemur. Enimuerò si nomen sacramenti accipiatur pro legitimo vinculo in officium & pro mysterio, quo significatur vnio Christi & Ecclesiæ, liquidum est matrimonium infidelium esse sacramentum: quia hac ratione ab orbe condito fuit institutum. Et hoc est quod prædicto capit. Gaudemus. desinitur. Hanc enim ob causam docet Apostolus vxorem infidelem posse cum marito ad fidem conuerso manere, si fiat citra periculum fidei. Si verò nomen accipiatur pro sacramento nouæ legis conferente gratiam, certissimum est matrimonium infidelium non esse sacramentum. Neque contrarium affirmat in dicto capi. Veniens. Innocentius. Primùm, quia solùm disputando ait, baptismum non esse fundamentum omnium sacramentorum. Et forsan accipit sacramentum matrimonij, vt est duntaxat vinculum in officium. Quare concludendo diffinit cum concilio apud Compendium capit. Si quis presbyter eodem titu. vt clericus non baptizatus iterum susceptо baptismo de integro ordinetur: nam absque baptismo, qui est ianua sacramentorum, nullum sucipitur sacramentum nouæ legis. Quapropter licet catechumenus, qui per fidem sacramenti formatam est iam membrum Christi, matrimonium contrahat, tamen non susçipit sacramentalem gratiam: quia neque illud est sacramentum: sicut neque esset sacramentum si ordinaretur, aut confiteretur.

Inno. exponitur.

Sed hoc forsan dubitabit curiosus lector, vtrum si baptizatus contraheret cum muliere non baptizata, quæ esset catechumena, esset verum sacramentum nouę legis. Apparet enim non esse, quia alias esset claudicans ex altera parte. Attamen nulla apparet absurditas, si dicatur esse sacramentum ex parte viri, qui est aptum subiectum, non tamen ex parte fœminæ, quæ est ineptum.

Dubium.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm commistio sexuum per copulam sit de essentia & integritate matrimonij.

TANDEM, vt perfectio matrimonij innotescat, quæritur, vtrùm actualis commistio coniugum sit de eius essentia. Et arguitur à parte affirmatiua. Primò ex vnionis natura. Dictum est in eius institutione, Erunt duo in carne vna, quod non fit nisi in maritali complexu.

Pars affirmatiua. Arg. 1.

Secundò ex fine: est enim tam in officium generandi, quàm in remedium: & tamen neutrum coniuges assequuntur, nisi per carnis commistionem.

2. Argu.

Tertiò ex significatione: significat enim coniunctionem Christi & Ecclesiæ in vnitate naturæ: hæc autem non designatur, nisi per corporum copulationem in actu.

3. Argu.

In contrarium autem est, quòd inter primos parentes ante lapsum fuit verum matrimonium, quando tamen nulla fuit copula consummata: quia iam tunc dictum fuit. Erunt duo in carne vna. &, Crescite, & multiplicamini.

Pars negatiua.

Circa hanc quæstionem in eo fuit errore Witcleff vt crederet ante coniugum carnalem copulam matrimonium non esse solidum nec firmum, quemadmodum Thomas Waldensis tomo. 2. de sacram. capit. 130. refert. Quin verò & Gratianus. 27. q. 2. can. Institutum. §. Potest & aliter. & can. Sic quippe. §. Ex his. ex quibusdam sanctorum autoritatibus id ipsum sibi videtur elicere. Hæc tamen assertio non tantùm falsa opinio, sed error censenda est.

Ad quæstionem ergo distinctione præmissa per duas conclusiones facilè respondetur. In matrimonio enim, sicut & in qualibet re naturali, duplex integritas & perfectio consideratur. Vna, quæ consistit in essentia rei & definitionis complemento. Atque hæc dicitur perfectio prima ipsius substantiæ & speciei veluti est ignis, licet in vacuo positus non calefaceret. Altera verò est perfectio, quæ attenditur penes operationem, & illa est perfectio secunda, per quam res suum assequitur finem.

Matrimonij duplex integritas, & perfectio.

Prior ergo conclusio sit. Matrimonium per mutuũ consensum de præsenti conciliatum, est integrum & perfectum integritate prima & essentiali.

Prior conclusio.

Posterior autem. Matrimonium non est perfectum perfectione secunda quousque commistio carnalis copulæ accedat. Hæc per se manifesta est, sed prior, in qua est difficultas probatur. Matrimonium, vt habetur ca. Illud. de præsumptio. & citatur a Gratiano in fronte. 2. quæstionis, causa 27. vbi hæc materia compilatur, est maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens: quare essentialis natura matrimonij est nodus & vinculum, quo personæ sibi se mutuò tradunt: tunc enim contrahere dicuntur matrimonium, quia tunc contractus celebratur: hoc autem fit dum amborum consensus de

Posterior conclusio.

Ratio prioris conclus.

Digitized by Google

Ratio. 2.

præsenti concurrunt: ergo tunc matrimonium in sua substantia perficitur. Idque inde secundò confirmatur, quòd cùm vsus & operatio rei non sit de eius essentia, sit vt ante copulæ consummationem sit legitimum matrimonium.

Ratio. 3.

Tertiò arguitur, quia alias matrimonium sterilium & senum non esset verum matrimonium: quoniam coniugalis copula non refertur, nisi ad prolis generationem: consequens tamen est falsum.

Ratio. 4.

Quartò. Internus finis sacramenti est homines per gratiam sanctificare: sed tunc, vt prædictum est, dum consensus amborum interueniunt, gratia sacramentalis confertur: ergo tunc fit sacramentum. Atque hinc dist. sequenti q. 1. artic. 3. collecturi sumus, consentum in carnalem copulam non esse ad essentiam matrimonij necessarium.

Confirmatio ex sacris canonibus.

Quintò veritas hæc catholica multis canonib. ead. causa & quæst. comprobatur. Ait enim can. Matrimonium. Chrysostomus super Matth. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Et alludit ad illud Pauli 1. Corinth. 7. Præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam: vbi docet, separationem tori non dissoluere matrimonium. Hinc ergo euidens sumitur argumentum. Si enim post copulam separatio tori non dissoluit matrimonium, fit vt etiam si ante copulam, vt vacent orationi, vt ait Paul. constituerent perpetuò abstinere, nihilominus esset verum matrimonium. Vnde in lib. de bono coniugali cap. 18. Augustinus in nuptijs, inquit, plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas ventris, vbi ante coniugalem congressum matrimonium nominat. Cui consonat Nicolaus papa can. Sufficiat. ea. cau. & quæst. vbi ait solum consensum matrimonium facere, vt sint veri coniuges.

1. Cor. 7.

Augustinus.

Nicolaus.

Verum matrimonium inter Ioseph, & beatam Virginem.

Præterea id patet, quia inter Ioseph & Deiparam virginem fuit verum matrimonium, vt dist. 30. quæstione 2. videbimus, idemque docet Augustinus lib. 1. de nuptijs & concupiscentia capit. 9. & refertur cano. Beata Maria. ead. cau. & quæst. iuxta verbum angeli Matth. 1. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Vnde infert, quòd coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus. Quo verbo condemnatur erroris glossa Gratiani locis citatis, vbi ait, coniuges consuetudine scripturæ non appellari nisi spe futurorum: quia scilicet in animo habent coniungi carnali commercio. Esset enim hæresis dicere, quòd beata Maria & Ioseph in proposito habuerint illam carnalem copulam cùm priùs illud diuinæ voluntati commiserint, & postea voto continentiæ confirmauerint. Sed de hoc virginis matrimonio inferiùs. Vnde Ambro. lib. de virginibus, & citatur can. Cùm initiatur. Defloratio, inquit, virginitatis non facit matrimonium, sed pactio coniugij. Quod profectò pessimè Gratianus can. Sic quippe. interpretatur, dicens, quòd coniugalis pactio facit, vt mulier in defloratione suæ virginitatis nubere viro dicatur: imò antea per consensum verè nubit, fitque verè coniux. Id ipsum Isidorus libr. 9. Etymologiarum censet, vt ibidem can. Omnis res.

Gloſſa Gratiani.

Ambroſius. Gratianus reprehenditur.

Iſidorus.

Falsus autem fuit Gratianus, primùm non distinguens secundùm philosophiam inter perfectionem essentialem, quæ consistit in natura rei, & accidentariam, quæ ad eius attinet operationem. Deinde, quia inter citandos Doctores sacros non satis eorum sensus penetrauit. In primis enim canō ille, Non est dubium. illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commistio sexus non docetur fuisse, nescio an in Augustino reperiatur, quamuis Magister etiam ceu illius ipsum citet. Hugo namque lib. 2. de sacrament. part 11. illum non tribuit Augustino. Cuiuscunque tamen ille fuerit, non facit illum sensum, in quo Gratianus illum citat, cum sæpissimè Augustinus docuerit, matrimonium ante carnalem copulam esse verum sacramentum. Et ideo vel intelligitur, vt ait Diuus Thomas, quod non est perfectum perfectione accidentali secundum operationem. Vel quantum conijcio, commistio non accipitur illic pro copula, & congressu carnali, sed pro vinculo, quod per mutuum consensum innodatur, vt à ratione matrimonij non excludatur matrimonium non consummatum, sed concubinatus. Hic enim est legitimus sensus Leonis can. proximo, Cùm societas. secundùm expositionem Hugonis in summa sententiarum tracta. 7 capi. 6. quod Gratianus animaduertere debuisset. Extat enim ille textus in epistola eius. 70. capitu. 5. vbi tractat discrimen inter veram vxorem & concubinam, & inter verum & falsum hæredem, vbi citat historiam de Sara & Agar, quam adducit Paul. ad Galat. 4. At verò Agar licet dicatur Gen. 25. concubina: non tamen taliter, vt non fuerit vxor, sed quia erat ancilla, vt infra dist. 33. q. 1. artic. 2. pleniùs explicabitur: & ideo nec eius filius fuit legitimus hæres: ob idque præcepit Deus Abrahæ dicens, Eijce ancillam & filium eius, Genes. 21. Ex his ergo concludit pontifex dicens, quòd cùm præter commistionem sexuum, nempe per matrimonialem consensum, non habeant in se nuptiæ coniunctionis Christi & ecclesiæ sacramentum, non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale mysterium, vbi non est legendum, nuptiale ministerium, sed mysterium, hoc est, nuptiale sacramentum. Insinuat enim illic Pontifex, quòd solerent pacta turpia inter concubinarios interuenire perpetua instar matrimonij: & hæc sunt, quæ illic condemnat. Hugo verò loco citato idem exponens ait, quòd vbi copula carnalis non interuenit, non est integra significatio desponsationis Christi cum nostra humana natura, quam induit, nihilominus est verum coniugium, verumque sacramentum, significans eandem vnionem Christi per amorem. Et inde illud desumpsit Innocentius cap. Debitum. de bigamis non ordinan. Verum est tamen quòd Origenes, vt refertur can Inuenta. beatam virginem non vult simpliciter appellari vxorem Ioseph. Neque Hieronymus, vt refertur cano. Genuit. neque Gregorius cano. Sic quippe appellant illas veras nuptias: quia nuptiarum nomen coaptari non censet nisi carnali copulæ, sed tamen non negant quin citra illam sit verum sacramentum.

Galat. 4.

Hugonis interpretatio.

Innocent. Origenes.

Hieronym. Gregor.

Atque hac de causa matrimonium per consensus firmatum dicitur ratum, attamen nisi adueniente copula, non est consummatum. Et ea propter illud per ingressum religionis alterutrius coniugum dirimitur, hoc verò minimè, nisi per mortem, id quod inferius examinaturi sumus distinct. proxima.

Matrimonium ratum.

Ad primum igitur principale argumentum respondetur, quòd Adam verbis illis, Erunt duo in carne vna, naturam sacramenti secundùm vtramque perfectionem explicuit.

Solut. 1. arg.

Ad secundum autem respondetur, quòd finis rei non est de eius essentia: & ideo quamuis matrimonium non nisi per copulam finem assequatur prolis, nihilominus antea est verum sacramentum. Præterquam quòd & alterum assequitur finem, qui est cohabitatio & mutua coniugum obsequia, vt in de bono coniugali ait Augustinus. Remedium autem contra concupiscentiam est duplex, alterum in habitu & proxima potentia: & hoc præstatur per gratiam ante copulam, vt scilicet idoneo affectu coniuges dum libuerit possint se amplecti. Alterum autem est in actu & in vsu, per quem homo satisfaciendo concupiscentiæ ab alia cauet turpitudine. Sed hoc non est de essentia.

Solut. 2. arg.

Remedium contra concupiſcentiam duplex.

Ad tertium denique respondetur, duplicem esse in matrimonio significationem Christi & Ecclesiæ. Vnam scilicet per affectum, & vnionem charitatis, quemadmodum admonet Paul. vt coniux coniugem, sicut Christus ecclesiam, diligat. Et hæc essentialiter in mutuo consensu consistit, qui est ante copulam. Sed alia est significatio per commistionem carnalem, per quam significatur vnio hypostatica Christi cum nostra natura. Atqui hæc pertinet ad secundam perfectionem, quæ non est de essentia.

Solut. 3. argum.

Digitized by Google

DISTINCTIO VIGESIMASEPTIMA,

DE MATRIMONII ESSENTIA, DEQVE SPONSALIBVS ET BIGAMIA.

Textus Cap. 1.

CÆTERVM quo huius sacramenti naturam penitiùs speculemur, matrimonium dicitur quasi matris munium. Primùm nim fœtus in vtero, & deinceps tenera proles materno subsidio potius fouetur, quàm paterno, à quo ideo, vt Gregor. 9. autor est, matrimonij contractus nomen sortitur. Deinde verò paterna potitur hęreditate, quæ ob id patrimonium nuncupatur. Sed nuptiæ dicuntur à nubendo, quod proprium est fœminæ, sicuti vxorem ducere, proprium virî. At verò coniugium ab vtroq; denominatur, quorum est vinculum. Matrimonium ergo, vt Alexan. tertius ait, est viri mulierisque maritalis coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.

Ca. fi. de conuer. infideli.

Ca. Illud. d. præsump.

Cap. 2.

Hoc igitur matrimonij fœdus & nexus (vt de eius causa dicamus) solo contrahentium mutuoque consensu de præsenti connectitur verbis aut nutibus expresso, alioqui esse nequit mutuus. Est enim nuptialis contractus, non quidem simplex donatio aut traditio, sed permutatio, Do, vt des, quæ ideo suapte natura deposcit, vt vtrique contrahentium mutua eorum voluntas innotescat. Vnde Nicolaus Papa, Consensus, inquit, contrahentiũ sufficit, quo deficiẽte nihil fit. Id quod inter Armenorũ instructiones Florentina Synod. decernẽdo repetijt. Nam præterquam quòd omnibus sacramentis generale est, vt intentio suscipiẽtis in adultis requiratur, hoc huic, quatenus contractus exiſtit perpetui vinculi, est quodammodo peculiare. Quod. n. quis non eligit, nec optat, id profectò, vt ait Sanctus ille Pontifex, minimè diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit: atq; adeò matrimonium nisi animi assensione confirmaretur, perpetuò durare nequiret; neque verò procreandis prolibus satis esset aliter consultum.

Ca. Sufficiat 27. q. 2.

Conci. Florent.

Cano. præsens 20. q. 3.

Cap. 3.

Consensus autem huiusmodi non est necessarium vt in carnalem copulam formaliter feratur, quandoquidem illa essentiam matrimonij non ingreditur, sed satis est vt sit in perpetuam indiuiduamque consuetudinẽ & consortium, in quo, vt idem ait Nicolaus, essentia matrimonij consistit: vbi in virtute facultas illa implicatur, quam sibi inuicem coniuges suorum corporum faciunt in rem vxoriam. Quod in matrimonio beatæ virginis, de quo inferius recurret sermo, perspectum est. Vnde Chrysosto. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas: & Ambros. Cùm initiatur coniugiũ, coniugij nomen nascitur: nam defloratio virginitatis non facit matrimonium, sed pactio coniugalis.

Cano. Sufficiat.

Cano. Cum instituatur. ibidem.

Atqui præfatus iste consensus non est necesse vt eodem temporis articulo ab ambobus proferatur: quippe cum nihil obstet, quin per literas & internuncios matrimonialia fœdera concilientur. Quocirca cum Christus matrimonium simpliciter in sacramentum erexit, fas non videtur, vllum, quod verè sit matrimonium, quamuis inter absentes, à ratione sacramenti excipere.

Cap. 4.

Cap. 5.

Vinculum huius sacramentalis contractus adeò est, postquam per copulam consummatum fuerit, diuino naturalique iure firmum & solidum, vt, nisi per mortem, sicut ad Rom. ait Paul. sit prorsus indissolubile. Illud verò quod ratum, minimè tamen consummatum fuerit, per religionis professionem eodem diuino iure distrahitur, quo religionis status tanquam auctioris charitatis vinculum institutus est, vt per Augu. 33. q. 5. perque Alexand. de conuer. coniug. & per Nicolai, aliorumque Pontificum decreta. 27. quæst. 2. definitum est. Nam tunc, eodem interprete Nicolao, quos Deus coniunxit, non homo, sed Deus ipse sancto suo flamine separat. Quapropter ei, qui in seculo permanet, (quo vtique inuito alter potuit statum fœlicioris frugis optare) liberum est aliud inire coniugium. Attamen cum per susceptionem sacrorum ordinum matrimonium non dirimatur, vt Ioan. 22. in sua extrauaganti decreuit, nequit vir post matrimonium ratum, nisi de consensu vxoris, illis initiari. Imò neque antequam religionem fuerit professa, nisi sexagenariam ætatem attigerit.

Roma. 7.

Cano. Quod Deo placet. Cap. ex publico. Can. Scripsit. 27. q. 2.

Antiqua, de voto.

Hinc fit, vt sponsaliorũ consensum, quæ mutuam in futurum sponsionem designant, matrimonium non contrahatur, etiam si sponsionem fides iureiurando fuerit stabilita, vt nos Alexand. Papa docuit, nisi vbi fuerit carnalis copula affectu maritali subsecuta. Quæ quidem tunc copula perfecti consensus interpres est, vt Gregor. nonus suo nos commonuit decreto.

Cap. 6.

Cap. De illis, de sponsalibus.

Ad hæc & de bigamis hoc adhibendum, quòd quamuis polygamiam Lamech primus sub lege naturæ introduxerit, lexque subinde Mosayca vsu & more admiserit, tamen cum ante euangelicam legem nullum fuerit verum ordinis sacramentum, sub ipsa primum irregularitas est ei adnexa, eademque non iure diuino, sed Pontificio, quo omnis irregularitas inuenta est. Admonitionem enim Pauli, vt episcopus, hoc est, omnis sacerdos, sit vnius vxoris vir, non ceu Apostolus, quasi ius diuinum promulgans fecit, sed ceu pastor & antistes Ecclesiæ. Quam igitur ob rem, vbi causa occurrerit legitima, in facultate summi Pontificis est super omnem irregularitatem dispensare, vt decreto Martini distinct. 34. docti sumus. Quinuero & ad minores ordines suscipiendos eadem quoque in episcopis viget dispensandi facultas.

Ca. Is qui fidem. de spons. Cap. 7. Gen. 4.

c. Ad Timoth. 4.

Cano doctor. dist. 34.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆSEPTIMÆ,

Quæstio prima.

DE MATRIMONII DEFINITIONE ET CAVSA.

ARTICVLVS I.

Vtrùm definitio, qua matrimonium describi solet, sit idonea.

TRES quæstiones præsens distinctio desiderat, quæ sunt de matrimonio, de sponsalibus, & de bigamia. Videtur ergo matrimonium non rectè sic definiri, vt in ca. Illud. de præsumpt. & apud Petrum Lombardum præsenti dist. definitur, vt sit viri mulieris q; maritalis cõiunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens Et arguitur primò de nomine. Denominatio à digniori parte sumenda est: sed pater præstantior est matre: ergo non matrimonium, sed patrimonium dicendum esset.

Matrimonij definitio.

Partis negatiuæ. Argum. 1. 2. Argum.

Secundò arguitur de genere. Coniunctio est nomen relationis: coniugium autem non ponitur in genere relationis, quia est vinculum, & vinculum est causa coniunctionis, nam est funiculus quo res colligantur: ergo matrimonium non est coniunctio.

3. Argum.

Tertiò arguitur quod non sit maritalis coniunctio. Enimuerò mariti ratio per matrimonium definitur: est enim maritus vir mulieri matrimonio coniunctus: ergo maritale nomen non est in definitione ponendum, aliàs daretur in definitione circulus.

Pars affirmatiua.

In contrarium est authoritas tum Iurisconsultorum in prædicto cap. tum maximè theologorum distinctione præsenti.

Decisio articuli.

In hoc sacramento, vt ait D. Tho. tria est considerare: scilicet essentiam, quæ est coniunctio & nexus: atque hac ratione dicitur coniugium. Deinde causam, quæ est disponsatio: & hac de causa dicuntur nuptiæ à nubendo. Præterea effectus, qui est proles, & inde sortitur nomen matrimonij. Sed vt vice versa hæc apertiora fiant, etymologia matrimonij multiplex accumulatur. Dicitur enim matrimonium, matris munium: quia prolem munit, vel matrem muniens. quia & vicissim proles est matris munimen vel matrem monens, scilicet ne virum deserat. Sed tamen quæ ad rem pertinet, hæc duntaxat est interpretatio, vt sit matris munimen· quia mater prolem munit. Ad alēdam namque æducandamque prolem vterque coniugum suas operas confert, diuersimodè tamen. Qui enim generat est pater, sed tamen nec generatio, nec conceptio dicitur munimen, sed officium quod proli iam genitæ impenditur. Primum autem munimentum est matris, quæ priùs in vtero, & deinde vberibus filium nutrit, & alia infantilia officia ei præstat. Postea verò adulta prole sequitur munimentum patris, non solùm æducationis, sed prouisionis bonorum, in quibus proles succedat. Et ideo matrimonialis contractus à munimine matris, tanquàm à priori & magis necessario sortitus est nomen, vt ca. Ex literis. de conuersione infidelium. ait Grego. Sed hæreditas appellata est patrimonium. Quamuis & altera ratio eidem nomini suffragatur. Cùm enim pater sit causa efficiens generandi, & mater quasi materialis, non tam pater adiutorium est matris, quàm mater patris. Vnde priùs productus fuit Adam, deinde adiuncta est ei fœmina quasi eius adiutorium, vt Gene. 2. legitur. Itaque non vir propter vxorem, sed vxor propter virum producta est. Quapropter pater dicitur adiungere sibi matrimonium, hoc est, adiutorium matris, & matrimonio sibi copulare vxorem: sed mulier non dicitur adiungere sibi patrimonio virum.

Matrimonij etymologia.

Altera ratio.

Gene. 2.

Nuptiæ verò à nubendo dicuntur: est enim nubere proprium fœminæ, cui antequam tradatur viro, caput obnubitur, hoc est, velatur: nubere enim est quasi nube tegere, in signum obedientiæ, quam debet viro. Inde enim & nuptiæ dictæ, quòd pudoris gratia se puellæ obnuberent, vt ait Ambro. cano. Nec illud. 30. q. 5. Quapropter velamen, quod sponsæ caput tegit, non nisi humeris sponsi imponitur: quippe qui onera matrimonialia sustinere debet. Et Paul 1. Corinth. 11. vitio dat mulieri caput non velare. Præterea velatur caput sponsæ in signũ verecundiæ & pudoris, quem præ se fert officum illud coniugale, quo mulier viro teruit. Id quod Rebecca, vt legitur Gene. 23. documento monstrauit: quippe quæ viso Isaac pallio se operuit. Quocirca nuptiæ, vt sancti patres canonibus proximè citatis aiunt, non adipiscuntur hoc nomen vsque ad traditionem, qua vxor traditur viro, ad consummandam copulam Et ideo nomen hoc conuenit vinculo matrimonij à suo effectu. Atque hac ratione negant inter Mariam & Ioseph celebratas fuisse nuptias. Propriè ergo mulier est quæ nubit viro, sicut proprium est viri vxorem: ducere, nisi fortè figuratè dicatur vir nubere vxori: qui tam mollis est vt sit vxori subditus. Sed vt ad definitionem descendamus, prænotare oportet pro qua re nomen coniugij & matrimonij supponat. Est enim hic quinque considerare: scilicet, consensus internos, & contractus exteriores: videlicet, verba, & obligationem seu vinculum inde resultans, & facultatem, quam vterque alteri facit sui, & carnalem copulam Matrimonium autem seu cõiugium non supponit pro interiori cõsensu, qui non est sensibilis: quippe cum omne sacramentum debeat esse sensibile. Neque pro contractu extẽrno: scilicet pro verbis, quibus consensus exprimuntur: quoniam consensus interni per verba exteriora expressi non sunt matrimonium aut coniugium, sed causa ipsius. Neque facultas, quam vir haberet in mulierem ad concubitum, sufficeret ad matrimonium. Si enim Deus facultatem faceret alicui licitè vtendi aliqua muliere, non ideo esset matrimonium: neque si faceret vtrique mutuam facultatem ad illum actum, sed requiritur mutua, perpetuaque coniunctio ad indiuiduam vitam peragendam, in omnibus officijs tam ad procreandas proles, quàm ad mutua alia obsequia domestica Quare nomen coniugij & matrimonij supponit pro vinculo, nexu, & obligatione mutua, quæ ex mutuo consensu exteriùs expresso ad communem vitam enascitur. Quocirca cum matrimonium dicitur vinculum, non accipitur nomen causaliter, vt aiunt pro re, quæ coniuges copulat & vinculat, illi enim sunt consensus, sed formaliter pro nodo, qui per tales consensus fit.

Velaminis ratio.

Coniugium & matrimonium pro quare supponunt.

Coniugium & matrimonium.

Ex his ergo colligitur conclusio, qua ad quæstionem respondetur. Definitio matrimonij, à doctoribus assignata, est optima Cùm enim res per suas causas debeat definiri, illa, quæ datur per causam formalem & finalem, primatum obtinet: talis autem est hæc, Matrimonium est viri mulierisque coniunctio maritalis indiuiduam perpetuamque vitæ consuetudinem retinens: ergo hæc est optima. Probatur minor. Causa enim formalis idem est quod species, quæ constat ex genere & differentia: genus autem matrimonij est quòd sit formalis coniunctio, quòd significantius nomen est, quàm obligatio: quoniam quamuis non se obligarent per mutuos consensus, sed Deus illos coniungeret, vt inferius explicabimus, quia traderet vnum alteri, & alterum alteri in perpetuam societatem, esset matrimonium: nisi dixeris, quòd etiam tunc esset obligatio, licet non per consensus. Differentia autem, quæ constituit speciem, est quod sit maritalis: nam si esset aliud genus pactionis aut contractus, quo se mutuo masculus & fœmina obligarent, vt sibi inuicem seruirent, scilicet propter pretium, vel aliam ob causam, non esset matrimonium. Et quamuis idem ferè sit, aptius tamen dicitur, viri & mulieris, quàm maris & fœminæ: namas & fœmina remotius genus significant: quippe quod & inter bruta reperitur: vir autem & mulier non nisi inter homines. Pudet autem adnotare, inter personas eiusdem sexus non posse matrimonium contrahi. l. Cùm vir nubit. C. ad legem Iuliam de adulter. Id quod de nefando Nerone scribit Sueto. qui virum duxit in matrimonium. Quod autem Magister senten. adducit. Inter legitimas personas (quod quidem, vt creberrimè solet, ex Hugone lib. 2. de sacra. par. 11 cap. 14. desumpsit) quamuis ad maiorem expressionem subiecti fuerit adiectum, non tamen erat vsque adeò necessarium: quoniam maritalis coniunctio id satis exprimebat: inter personas quippe illegitimas nulla intercedit maritalis coniunctio. Adiectio autem alia, in-

Conclusio. Ratio conclusionis.

Minor probatur. Genus.

Differentia.

Viri & mulieris.

Inter legitimas personas.

diuiduam

Indiuiduam vitæ consuet. retinens. diuiduam vitæ consuetudinem retinens, explicatio fuit causæ finalis: ad hanc enim consuetudinem eiusmodi coniunctio refertur Quòd si arguas, non semper coniuges eorumdem esse morum, respondetur, satis esse in officijs coniugalibus cõuenire, & inter Christianos neutrum fidei repugnare. Quare inter fidelem & infidelem non permittitur, vt matrimonium contrahatur, nisi antea fuerit contractum. vt. C. de Iudæis. l. Ne quis. De hoc autem latius dist 39. Sed præter has causas etiam verbum, retinens, explicat proximum effectum matrimonij. scilicet, perpetuum vinculum & indissolubilem nexum: hoc enim impræsentiarum sonat retinere, quod perpetuò tenere.

Obiectio.

Retinens.

Quòd si quis arguat. Res, & potissimum contractus per contrarias causas colligatur, & dissoluitur, vt si mutuo consensu celebrata fuerit emptio & vẽditio, vtroq; consentiente potest quod factum est, infectum reddi. §. fi. insti. quib. mod. tollit. obliga. ergo sic erit in matrimonio. Negatur consequentia: quoniam contractus matrimonialis, vt suprà diximus, non est merè ciuilis à solo dependens humano consẽsu in fieri & conseruari, sed à lege quoque diuina. Vnde licet conciliatio matrimonij ex mutuo consensu contrahentium pendeat: lege tamen diuina, qua institutum est sacramentum, fit illico indissolubile, vt per contrarias voluntates dissolui nequeat Vnde Augu. can Solet. 32. q. 2. si quis inquit, aliquam sibi ad tempus habuerit, adulter est.

Hugonis definitio.

Hugo verò lib. 2. de sacram. par. 11. cap. 4. dicens, coniugium esse consensum masculi & fœminæ, &c. orationem vsurpauit in sensu causali: puta quòd coniugium sit coniunctio per consensum facta. Sicuti & alia definitio, quæ solet per solum effectum & finem designari, debet similiter interpretari. Aiunt enim quidam, quòd matrimonium est consortium communis vitæ & communicatio diuini & humani iuris. ff. de ritu nupt. l. 1. intelligitur namque vt sit vinculum & obligatio ad huiusmodi consortium, quæ quidem obligatio sit diuino, humanoq; iure firmata ad differentiam aliorum contractuum, qui solo ciuili iure cõfœderantur.

Alia definitio.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd licet pater sit præstantior matre, tamen mater prius magisque necessarium munimen confert proli, à quo ideo inditum est matrimonio nomen

Solut. 2. arg.

Ad secũdum autem negatur, matrimonium non collocari in genere relationis. Accipitur enim vinculum non efficienter pro consensu, qui facit vinculum, sed formaliter pro ligamine, quòd ex consensu nascitur, quod quidem est relatio rationis, vt bene ait Scotus distinct. 26. permanens permodum habitus perpetuò. Nam si vinculum accipiatur pro causa: hoc est, pro consensibus, quibus fit colligatio, res est momentanea & transitoria. Relatio autem rationis nihil aliud est, quàm mutuus respectus vnius ad alterum, qui ex vtriusque voluntate pullulat. Quare non opus est esse rem realiter distinctam à subiecto.

Sol. 3. arg.

Ad tertium denique respondetur, non inconuenire, vt priora, quæ sunt nominata, per aliqua, quæ sunt posteriora simpliciter, nobis autem priora & notiora, definiantur. Maritus autem est quid posterius simpliciter, quàm matrimonium, nam per matrimonium fit maritus. Nobis autem est prius & notius: & ideo matrimonium definitur per maritum à posteriori, sicut maritus per matrimonium à priori. Neque iste est vitiosus circulus: definitur enim, qualitas à Philosopho, quòd sit res, qua quales dicimur, & quale est, quod qualitate afficitur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm consensus mutuus sit sufficiens causa matrimonij.

Partis negatiua argum. primum.

AD pleniorem intellectum substantiæ matrimonij, quæritur de eius causa, an sit mutuus consensus. Et arguitur à parte negatiua. Sacramenta non sunt à voluntate humana: consensus autem emanant ab illa: ergo isti non sunt illius causa.

2. Argum.

Secundò arguitur, quòd non sit sufficiens causa. Alioqui enim sequeretur, quòd sicut consensus de præsenti expressus sufficit ad matrimonium de præsenti: ita consensus de futuro sufficeret ad matrimonium de futuro: nam sicut voluntas præsens se habet ad præsens, ita & futura ad futuram: consequens autem est falsum: quia isti consensus, Accipiam te in meam, & Accipiam te in meum, per se non faciunt matrimonium in futurum.

3. Arg.

Tertiò. Si consensus esset causa matrimonij, tunc vel eius obiectum includeret carnalem copulam: & hoc non: quia vt distinctione præcedenti quæst. 2. concluſum est. carnalis copula non est de essentia matrimonij, alioqui inter sacram Virginem & suum coniugem non intercessisset verum coniugium, quod vt distinct. 30 quæst. 2. latiùs patebit, falsum est: vel sufficeret consensus in indiuiduam vitę consuetudinem sine respectu ad copulam: quod autem hoc non sufficiat inde apparet, quod alioqui illis, qui voto se virginitatis obligarunt, fas esset vera matrimonia contrahere, imò & fratribus inter se, quoniam secluſa copula reliqua omnis cohabitatio est illis licita: consequens tamen est contra Hieronymum, qui refertur. 27. dist. Vouentibus enim inquit, virginitatem non solùm nubere, sed etiam velle, damnabile est.

Hieronym.

In contrarium autem: scilicet, quòd consensus de præsenti sit causa sufficiens matrimonij: est decretum Nicolai papæ can. Sufficiat 27. q. 2. vbi ait, sufficere consensum, qui solus si defuerit, cætera frustrantur.

Pars affirmatiua.

Ad præsentem quæstionem quatuor concluſionibus respondetur. Prima. Consensus hominum, si de potentia Dei absoluta loquamur, nulli sunt ad matrimonium necessarij. Probatur, primò per causam physicam. Consensus sunt matrimonij efficiens causa: Deus autem potest cuiuscunque efficientis causæ vicem se solo supplere: potest enim absque sole illuminare, & sine alimento animalia sustentare, quemadmodum sine vlla causa (præter se) efficiente mundum de nihilo condidit: ergo potest matrimonium inter duos absque eorum consensibus perficere. Secundò probatur morali ratione. Deus est absolutus Dominus non solùm nostrorum bonorum, verùm & nostrorum etiam corporum & vitæ: ergo sicut potest bona vnius ipso inuito alteri tradere, quin verò & principes diuina autoritate sibi collata id facere possunt: ita potest mulieris facultatem viro facere, & virum in potestatem mulieris tradere, ipsis etiam inuitis, non solùm in officium generandi, verum etiam ad perpetuam vitæ consuetudinem, quod ad rationem matrimonij satis est. Essentia enim matrimonij, vt dictum est, consistit, vt sint vir & fœmina ad perpetua obsequia addicti & deuincti, quod re vera arbitrio Dei ipsis renuentibus fieri potest. Tertio. Ambigere non licet, quin Deus maiorem habeat in hominem potestatem, quàm homo in seipsum: homines autem suis proprijs voluntatibus se inuicem possunt matrimoniali pacto colligare: ergo Deus, qui dominus est naturæ, atque adeò voluntatis nostræ, id potest absque humana voluntate efficere.

1. Concluſio.

Ratio. 1.

Ratio 2.

Ratio. 3.

At quia cauillare quis rem posset dicens, quod talis coniunctio non haberet tunc matrimonij rationem: quippe quę secum intrinsecus adfert, vt ex mutuo consensu nascatur, arguitur sic Sola causarum varietas non tollit in effectu eandem naturam: calor enim solis eiusdem speciei est cum calore ignis quare ille nonnunquam ignem generat: & Adam à solo Deo productus, & reliqua animalia, eiusdem speciei fuerunt cum illis, quæ per generationem proferuntur: cum ergo essentia matrimonij sit indissolubile vinculum, quo coniuges obsequio mutuo tenentur sibi morem gerere, à quacunque id causa fiat, erit verum matrimonium: potissimum si à solo Deo rerum conditore & Domino fiat. Certè non est cur concluſio in dubium reuocetur.

Argumentum.

Hoc autem in litem euocari potest, vtrum re vera id aliquando Deus fecerit, vt absque humano consensu matrimonio aliquos coniunxerit. Legitur enim Oseæ. 1. quod Deus illi præceperit dicens, Vade, sume tibi vxorem fornicationis, & fac tibi filios fornicationis, &c. Respondetur bifariam id Deum voluisse prophetæ præcipere. Vno modo, faciendo illi facultatem vt posset vti muliere. Et tunc licet neuter illo vsu peccaret, non tamen esset matrimonium: quia non esset mutua & perpetua copulatio ad omnia obsequia. Atque hoc certè videntur sonare verba: Fac tibi filios fornicationis, vt esset præsagium quod fornicatura esset terra. Secundò, quòd ipsis inuitis illam mutuam & perpetuam coniunctionem efficeret, & tunc certè esset matrimonium, de quo loquimur. Sed re vera non est credibile, Deum qui omnia suauiter disponit, sic fecisse, imò in illorum animos induxit, vt in matrimonium

An aliquando Deus aliquos citra ipsorum consensum matrimonio sociauerit.

consen-

consentirent. Sed dicti sunt filij fornicationis, propter turpitudinem qua prius mater sordebat.

Aliud argumentum ex historia Adæ & Euæ.

Perplexius autem dubium exurgit ex historia primorum parentum, inter quos apparet matrimonium interceſſiſſe, non ex eorum conſenſu, ſed Dei iuſſu, eo modo, quò concluſio noſtra loquitur. Quoniam ſi ipſi more communi matrimonium conſentientes conſœderaſſent, hiſtoria id retuliſſet: & tamen non refert, niſi quòd educta Eua de coſta ſoporati viri expergefactus ipſe dixit, Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. Id quod, vt ſupra ex Auguſtino retulimus, ſpiritu prophetico locutus eſt. Ergo videtur matrimonium illud ſolo Dei iuſſu perfectum. Atque hoc inde ſatis probabiliter confirmatur, quòd non aliter videntur ſibi inuicem obligati, quàm illa Dei iuſſione, Creſcite & multiplicamini, quæ certè abſq; aliquo eorum conſenſu ad vinculum ſufficiebat. Et tertiò id corroboratur ex verbo Chriſti Matt. 19. vbi coniugalem nexum primorum parentum referens, de alio modo illius contrahendi non meminit, ſed ſolum dixit, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, inſinuans non aliter quàm per Deum eſſe coniunctos.

Ratio 2.

3. Ratio.

Sententia autoris.

Veruntamen quamuis hoc probabilitate nõ careat, ratio tamen ſuauiſſimæ prouidentiæ Dei multò probabilius eſſe docet, quod dum illis præcepit, vt genus ſuum propagarent, tunc eis inſpirauit, vt in matrimonium conſentirent, & iſta ratione ait Chriſtus. Deum eos coniunxiſſe. Poteſtatem ergo hic diuinam de eius potentia abſoluta conſtituimus, qua abſque humanis conſenſibus copulare homines matrimonio valet. Quòd autem ea vſus fuerit poteſtate, fortaſſe citra temeritatem non liceret adſtruere.

Nota.

Dubium.

Sed hoc tamen rurſus in diſputationem poſſet produci, vtrùm eandem prorſus facultatem Deus Chriſtianæ Reipublicæ vel eccleſiaſticę vel ciuili contulerit, vt dum expediret inuitas diſſentientesque perſonas in matrimonium cogeret. Nam quòd id facere valuerit, nemo ſapientum abſolutę eius omnipotentiæ denegaret. Quod autem eam tribuerit, arguitur. Dedit enim poteſtatem Reipublicæ & principibus, vt ciues ad contractus compelleret, quos prorſus abhorrent, vt ad vendendum frumenta tempore neceſſitatis, & ad alios, qui eorum bona & nonnunquam honores etiam & vitam attingunt: nam poteſt rex compellere ciues ad militandũ in bello cum mortis periculo quando id Reipublicæ expediens eſt: ſed vſu quoque venire poteſt, vt reipublicę expediat, propter bonum fidei catholicę vel pacis, vt rex vel alius nobilis hanc vel illam illuſtrem matrimonio ſibi adiungat: ergo è re Chriſtiana fuit, vt talem facultatem Chriſtus eccleſię reliquerit cogendi tunc homines: quod ſi expediens fuit, credibile eſt feciſſe. Reſponſio autem quòd non eſt par ratio de matrimonio & alijs contractibus, eo quòd matrimonium eſt vinculum indiſſolubile, & ideo requirit partium conſenſus, non eſt ſufficiens: nam & princeps alios cogit ad indiſſolubiles contractus: quare in caſu, quo hic communi bono expediret, videtur ratio probare, eccleſiam, cui incumbit cura Reipublicę, ad id poſſe compellere

Partis affirmatiuæ Argum. 1.

Solutio.

2. Arg.

Secundò arguitur. Deus dominium, quod habet non modò nõſtrarum rerum, verùm & noſtrę vitę, videtur per ius naturę Reipublicę contuliſſe: ait enim. 2. Politic. Philoſophus, ciues potiùs eſſe Reipub. quàm ſuos ipſorum, veluti membra totius ſunt corporis, cui ſeruire tenentur: ergo eadem ratione habet reſpublica hanc in ſuos ciues facultatem cogendi ad matrimonia.

3. Argum.

Tertium argumentum ex ijs, quę inferiùs dicturi ſumus, compertius fiet, Videtur enim eccleſia hac autoritate pollere, & ſępe vti: nam vbi duo ſibi ſe per verba de futuro deſponſarunt: ſi copula ſe poſtea commiſcuerint, coguntur ab eccleſia in matrimonio perſeuerare, neque admittitur exceptio reclamantium, quod non conſenſerint. Item vbi quis ſub conditione impoſsibili conſenſit in matrimonium, licet conſenſus ſua pte natura non videatur legitimus, nihilominus iudicio eccleſiæ ad matrimonium reſtringitur, vt patet capi. Si conditiones. de conditio. appoſitis: hæc autem non videtur eccleſia facere poſſe, niſi haberet autoritatem compellendi ad matrimonia inuitas etiam perſonas.

Confirm.

4. Arg.

Quartò arguitur Status religionis præſtantior eſt ſtatu coniugatorum, atque adeò ibi tanta exigitur libertas: & tamen eccleſia videtur ad religionem compellere: nam ſi quis vltra annum habitum indutus in clauſtro perſtiterit, licet alium conſenſum non habuerit, ad profeſsionem conſtringitur, ergo poteſt eadem ad matrimonium fieri compulſio.

Ob hęc fortaſſe argumenta poſſet quis nouorum inuentor, neque omnino abſque apparentia, hanc tutari partem: veruntamen plus temeritatis quàm probabilitatis ſuboleret. Et ideo ſubiungitur ſecunda concluſio. Deus eiuſmodi facultatem Reipublicæ non tribuit, vt poſſit abſque conſenſu contrahentium connubia firmare. Nam præter hoc quod matrimonio rationem ſacramenti adiunxit, cæterum expedientiſſimum fuit, vt illud ſic relinqueret quemadmodum per ius naturæ ipſum inſtituit: ius autem naturæ res omnes ad ſuum finem admittit: finis verò matrimonij id quàm maximè expoſcit, vt coniuges libentiſſimè in ſuam ſocietatem conueniant: nam niſi ſibi inuicem perplaceant, non poſſunt indiuiduam vitam perpetuò viuere: eſſe autem ſibi inuicem grati nequeunt, niſi ſua ſponte conſentiant: quod enim quis non eligit, nec optat (vt. 20. quæſtione. 3. cano. Præſens, ait Nicolaus papa) profectò non diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit: qua vtique ratione neque ad religionem illic iubet pontifex vllum eſſe cogendum. Quocirca qui compulſi contraherent, non poſſent proles ſuas, qui finis eſt matrimonij, prouidenter nutrire & æducare. Quod ſi quis arguat, eadem ratione conſequi, Deum id facere non poſſe: negatur conſequentia: quoniam Deus quos coniungeret, poſſet per ſuam inſpirationem ad mutuum amorem allicere.

2. Concl.

Ratio. 1.

Nicolaus.

Obiectio.

Dilutio.

Et per hoc ad primum argumentum reſponſum putato: nempe non fuiſſe expediens facultatem hanc Reipublicæ eſſe commiſſam: quoniam licet ſæpe coduceret, vt perſonæ illuſtres matrimonio copularentur: quod tamen Reipublicæ potiſſimum confert, eſt, vt coniuges amore mutuo conglutinentur. Quare commodum hoc non eſt propter quodcunque aliud violandum. Et hoc eſt inter hunc atque alios contractus diſcrimen: nam alij cùm non referantur ad communem conuictum, licet non ſint vltronei, nihil periculi adferunt.

Sol. 1. arg.

Ad ſecundum autem reſpondetur, eatenus rempublicam habere dominium in ciues, vt tamen eis debeat libertatem, quam ius naturæ docet, ſeruare: docet autem id maximè ratione iam dicta, vt liberè matrimonia contrahantur. Membra verò tertij argumenti ſuis locis diſſoluentur. Si enim dum ſponſalibus de futuro accedit copula, eccleſia ad matrimonium cogit, eſt, quia præſumit affectu maritali fuiſſe complexos. Conditionem autem impoſſibilem pro non adiecta ducit: & ideo iudicat fuiſſe abſolutum conſenſum. Si tamen re vera conſenſus non præfuit, eccleſia facere nequit, vt verè ſit matrimonium. Et pari modo reſpondetur ad quartum, quòd in eo qui vltra annum durauit in religione, eccleſia interpretatur habuiſſe in virtute conſenſum, poſtquam ſciens & prudens permanſit: ob idque eum cenſet profeſſum tacitum,

Solut. 2. arg.

Sol. 3. arg.

Solut. 4. arg.

Vtrum verò parentes poſſint inuitos filios matrimonio copulare, in calce diſtinct. 29. videbimus.

Tertia ex his colligitur concluſio. Ad matrimonium requiritur mutuus de præſenti conſenſus contrahentium in indiuiduã perpetuãque, vitam tanquã neceſſaria cauſa ex qua indiſſolubile vinculum naſcitur. Probatur. Bona vnius non poſſunt in alterius poteſtatem tranſire, niſi vel cogente lege, vel accedente ipſius Domini conſenſu. Vnde l. Conſenſu. ff. de actio. & obligat. conſenſu fiunt obligationes in emptionibus, vendit. &c. & inſtitu. de rer. diuiſ. §. Per traditionem. & ff. de acqui. rerum dom. l. Qua ratione. §. Literæ. Nihil eſt tam conueniens naturali æquitati, quàm voluntatem Domini volentis rem ſuam in alium tranferre, ratam haberi: ſed per matrimonium mulier tradit poteſtatem ſui viro, & vir poteſtatem ſui mulieri: nam vt ait Apoſtolus. 1. Corint. 7. mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: & ſimiliter vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier: &, vt prima concluſione oſtenſum eſt, nulla lege poſſunt homines ad id compelli: ergo neceſſarius eſt mutuus amborum conſenſus.

3. Concl. Ratio concluſionis.

1. Cor. 7.

Veritas eſt non ſolum apud Theologos, verùm & vtroque iure celebratiſſima, vt cano. citato Nicolai, Sufficiat. 27. quæſt. 2. & canon. Tuas. de ſponſa.

Probatur concluſio iure.

duo.

Digitized by Google

duo. & can6. Cùm locum. & Cùm apud, de sponsa. &. l. Nuptiæ. ff. de ritu nuptiarum, quamuis illic insinuetur requiri consensus etiam parentum: sed hoc intelligitur de honestate, non tanquam de essentia. Est etiam decretum concilij Florentini in instructionibus Armenorum, vbi decernitur, regulariter mutuum consensum per verba de præsenti esse causam efficientem matrimonij. Sed additur, regulariter, propter sponsalia de futuro, quæ, vt infrà dicemus, sufficiunt accedente copula. Quod verò dictum est, requiri consensum in perpetuam consuetudinem, hoc est, indissolubilem, artic. præcedenti declarauimus.

Concilium Florentinum

4. Concl.

Quarta conclusio de obiecto consensus sit. Non requiritur consensus formalis & expressus in carnalem copulam, sed satis est illam implicitè & in virtute in illo consensu contineri. Istam conclusionem Magistri senten. dist. sequent. posuit, sed tamen iste est eius proprius locus, neque articulum exigit distinctum: quoniam distin. præcedenti q. 2. art. 4. satis est contra Witcleff demonstrata: nempe, quòd carnalis copula non sit de essentia matrimonij. Inde enim planè fit consequens, non requiri consensum formalem & expressum in eandem copulam. Et est conclusio Hugonis li. 2. de sacramen. part. 11. & in tract. beatæ Virginis, & August. cano. Beata Maria. & Chry. can. Matrimonium. 27. q. 2 vbi ait. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Quod quidem verbum in ff. inter regulas. iuris. l. Nuptias, relatum est. Et ratio est plana: quia substantia matrimonij, vt loco citato dictum est, & Nicolaus papa can. Sufficiat. docet, consistit in traditione mutua propriorum corporum & animorum, qua scilicet vnus alteri potestatem sui facit, tum in reliquis obsequijs rei familiari annexis, tum etiam implicitè in illo vsu & commercio carnali, ad quod matrimonium ordinatur, iuxta verbum Pauli. 1. Corinth. 7. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. Quare substantia matrimonij exprimitur in illa forma, Accipio te in meam, & trado me in tuum, & vice versa Quæ ideo substantia in hoc consistit, vt vterq; coniugum potestatem habeat & ius vtendi altero ad illum finem, & sine alterius consensu neutri abstinere liceat, neque cùm alieno commisceri. In hoc autem consensu non exprimitur formaliter consensus in copulam, sed tantum implicitè, si alius voluerit. Quo fit huiusmodi consensum matrimonij perfectæ virginitati aut corporis aut mentis minimè repugnare. Nam licet quis tradat potestatem sui corporis alteri, si tamen scit alterum illius potestate nunquam vsurum, nihil firmo proposito virginitatis contrarium admittit. Et ita dicendum restat distinct. 30. q. 2. de beata virgine, erat enim certa de Ioseph, quod nunquam esset ab ea debitum exacturus.

Ratio.

Substantia matrimonij.

Consensus in copulam implicite.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod licet princeps causa sacramentorum sit diuina virtus, quæ in eis operatur salutem, nihilominus causæ instrumentales sunt nonnunquam nostræ actiones per diuinam institutionem ad gratiam concurrentes, vt sunt contritiones pœnitentium, & contrahentium consensus.

Obiectio.

Quòd si quis rursùs arguat. Vnius rei vnica debet esse causa, matrimonium autem est vnum: ergo non requiruntur duo consensus Respondetur, quod licet consensus sint plures ex parte consentientium, est tamen vnus ex parte obiecti: quia ambo in eandem rem & vinculum consentiunt.

Dilutio.

Solut. 2. arg.

Ad secundum negatur consequentia: nam licet verba tam de præsenti, quàm de futuro in præsenti tempore proferantur, non tamen eandem vim habent: si quidem verba de præsenti pro tempore, quo proferuntur, vinculum perficiunt: tamen per verba de futuro tunc cùm proferuntur, matrimonium minimè contrahitur. quippe quod in rei traditione consistit, sed solum verba illa gignunt obligationem promissoriam: & ideo non sufficiunt matrimonium cõpingere, sed duntaxat obligant ad contrahendum in futurum. Hoc autem q. seq. quę est de sponsalibus, apertius fiet.

Sol. 3. arg.

Ad tertium argumentum per quartam conclusionem satis responsum est. Includit. n. coiugalis consensus copulam implicitè, non tamen est id necessarium explicitè. Et ideo non repugnat perfectæ virginitati: attamen repugnaret voto emisso virginitatis: nam vouentibus virginitatem non solum nefas est in copulam carnalem consentire, verum & potestatem sui corporis in eum vsum alteri tradere: quia tunc ponit in alterius voluntate id facere, quod voto repugnat. Quocirca Deipara virgo, vt Augu. can. citato, Beata Maria. ait, & distinct. 30. quæst. 2. explicabitur, ante contractum matrimonium non emisit absolutum votum virginitatis, sed pòst ambo coniuges communi consensu illud susceperunt.

Votum beatissima virginis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm consensus matrimonialis sufficiat internus, an verò requiratur, vt sit exteris verbis expressus.

QVONIAM consensus & internus est, & per verba exprimi potest, quæritur vtrùm hæc expressio sit ad matrimonium necessaria. Et arguitur à parte negatiua. Votum tantam inducit obligationem apud Deum, quantam matrimonialis contractus apud homines: votum autem nulla indiget forinseca expressione, sed sola mente fieri potest: ergo neq; consensus matrimonialis eandem requirit expressionem.

Partis negatiua argum. primum.

Secundò. Si verba exprimentia internum consensum essent requisita, sequeretur quòd illa sine intrinseco consensu non sufficerent: consequens tamen inde apparet falsum, quòd fraus & dolus nemini, vt iura cauent, suffragantur: & tamen si verba sine interiori consensu non sufficerent, fraus illa proferenti suffragaretur: ergo consensus non requiritur expressus.

2. Arg.

In contrarium autem est autoritas Alexandri cap. Licet. de sponsa. duorum.

Pars affirmatiua. An soli consensus interni efficiant matrimonium.

Circa istam quæstionem Witcleff, vt refert Waldensis tomo 2. de sacramen. cap. 32. & 33. ait sufficere internos consensus contrahentium: quia Deus, qui videt corda, illos potest approbare consensus. Et videtur Panormit. eandem tenuisse opinionem super verbo, Sufficit. cap. Cùm locum. de sponsalibus. Quin verò & Innocentius ipse cap. Tuæ fraternitati eo. tit. verba quædam perplexa de hac re protulit dicens, matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri & mulieris consensum, sed quantum ad ecclesiam necessaria esse verba consensum exprimentia de præsenti. Et potest apparenter idem confirmari: nam si contractus exterior per verba vel nutus esset necessarius, id præsertim quia omne sacramentum debet esse signum sensibile: hæc tamen ratio minimè videtur cogere, eo quòd circa matrimonium nihil Christus super iure naturæ mutauit, præterquam quòd gratiam conferret: si ergo iure naturæ sine verbis matrimonium erat solidum, nihil obstat quominus etiam sit sub lege euangelica. Dicere autem, quòd vt constet Ecclesiæ, requiruntur verba, nihil ad rem: quia aliud est matrimonium in se esse firmum & legitimum, atque aliud esse notum: modò autem non quærimus de via, per quam debet innotescere, sed de ratione, per quam fit validum.

Innocen.

Ratio partium vrgens.

Nota.

Veruntamen his non obstantibus sit prima conclusio. Non sufficiunt interni consensus etiam de præsenti, nisi exteriùs per verba itidem de præsenti vel nutus exprimantur. Conclusio est vniuersalis omnium Theologorum in præsenti distinct. nempe Magistri sentent. S. Thomæ, Bonauenturæ, Scoti, Ricardi, & cæterorum: imò, vno excepto hæretico Witcleff, arbitror neque Panormitanum, neque alium quempiam Canonistarum, si sanè intelligatur, eandem negare: quia neque potest, vt dist. 1. q. 1. artic. 4. dicebamus. Et ratio est plana. Matrimonium namque non est simplex donatio, sed mutuus contractus, do vt des: & ideo non sufficit simplex consensus, vt omnibus est in confesso, sed mutuus: scilicet, Consentio si consentis, aut quia consentis: huiusmodi autem consensus natura sua requirit, vt vicissim vtrique constet alterum consentire, alias non consentit quia alter consentit. Vnde Hugo in summa Sententiarum tract. 7. c. 6. Eos, inquit, qui coniunguntur sic oportet consentire, vt inuicem se spontaneè recipiant. Quo alludens Gratianus. 29. q. 1. Consensus, inquit, est duorum sensus in idem, id est, simul cum alio sensus. Id quod ipsissimus Alexand. cap. Licet. de sponsa. duorum. egregiè docuit dicens, oportere vt vterque in suo mutuo consensu verbis consuetis expresè alterum recipiat. Et confirmatur, quia Christus, vt diximus, matrimonio quatenus erat de iure naturæ nihil detraxit: iure autem naturæ est contractus quidam veluti emptio & venditio, & reliqui,

1. Concl.

Communis conclusio.

Hugo.

Alexand.

qui

qui absq; mutuo consensu atq; adeò expresso vigore nó habent. Ex quo fit nomine consensus non intelligi voluntarẽ, qua quis vult cõtrahere, sed quod vere per consensum cõtrahat. Aliud enim est, volo facere, atq; aliud, verè facio. Atq; hinc sumitur nouum argumentũ, quod non sufficit internus cõsensus, sed requiritur locutio de præsenti, saltem per nutus, capio te. Vnde fit, quod licet Deus viro reuelaret mulierem velle illum accipere, & eidem mulieri viri voluntatem patefaceret, non sufficeret ad matrimonium.

Postremum argum. Postremò tandem arguitur. Si consensus interior sine externa expressione sufficeret, sequeretur quòd quando duo loco distantes consentiunt in matrimoniũ, & mittunt sibi inuicẽ nuncios vel literas, antequã eas alteruter reciperet, esset verum matrimonium, quia præcesserunt consensus: cõsequens tamen est falsum: quoniã quousq; vtriq; de alterius voluntate constet, non est mutuus cõsensus. Quando ergo pontifices & doctores dicunt solũ consensum sufficere, necesse est vt intelligant cõsensum mutuũ. Quapropter non excludunt, quin sint necessaria verba, signa vel nutus, quibus fiat mutuus, sed excludũt a necessitate sacramenti alia circunstantia, quę ibidem Panormit. sese exponendo percensent: nempe quod non requiritur consensus parentũ, aut carnalis copula, aut cõsensus in copulam, vt patet in beata virgine, neq; benedictio ecclesię: imò neq; certa verborum forma, sed sat est quomodocunq; alterutrũ suos cõsensus exprimãt.

Panorm. *Expositio c. Tuæ fraternitati. de sponsalibus.* Innocentius verò nihil aliud dicere voluit, quàm quòd quomodocunq; constaret consensus internos esse mutuos, id sufficeret, vt si mentaliter sibi possent loqui tanquã angeli: sed tamen quia id de lege fieri nequit, requiruntur signa exteriora tanquàm necessaria, vt consensus sint mutui. Et ideo probè dixit, matrimoniũ in veritate contrahi per legitimum, consensum mutuum. s. Quod autem adiecit, necessaria esse verba quantum ad ecclesiã intellexit de verbis expressis, vt distinguuntur à nutibus: scilicet, Ego te accipio in meã, &c. Hæc enim in eo qui loqui potest, licet non sint de essentia sacramẽti, requiruntur tamen in foro ecclesiæ ad obuiandum litibus. Et quod is fuerit eius sensus, subiuncta eius verba declarãt: scilicet, Nã surdi & muti possunt cõtrahere matrimoniũ per consensum mutuum sine verbis, scilicet per nutus.

Verba an sint de essentia matrimonij. *Innocentij sensus.* Secunda conclusio. Sicut consensus interni sine externis verbis vel nutibus non sufficiunt. ita neque è diuerso verba sine interno consensu. Conclusio est eiusdem Innocentij eo. cap. citato Tuæ fraternitati. ait quippe in puero ante legitimam ætatem verba non sufficere, quia nec legitimum consensum habere potest. Et cap. statim. Tua nos. ad eundem casum respondens ait, quòd quæcunque verba interuenerint, si propositum & consensus matrimonij non sit in animo, nihil fit: quia, vt dictum est, voluntas est, quæ matrimonium facit. Et. ff. de pact. l. 1. Vlpianus, Stipulatio, inquit, quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.

2. Concl. *Innocen.* *Verba sine consensu interno non sat sunt.* Atqui hoc confirmatur ratione etiam generali sacramentorum, quæ quidem nulla sunt, si intentio ministri & suscipientis, si sit adultus, defuerit: in matrimonio autem contrahentes, vt diximus, sunt tum suscipientes, tum etiam ministri.

Ratio conclusionis. Ex huiusmodi autem conclusionibus nonnullæ emergunt dubitandi occasiones. Et primum circa primã ambigitur, vtrum vbi qui contrahunt verba proferre audireq; valẽt, sufficiant nutus vel signa. Videtur enim Innoc. in dicto capit. Tuæ fraternitati. id negare. Et sic ait glossa ibid. In his qui loqui possunt non cõtrahitur sine verbis, per quæ exprimatur consensus. At verò procul dubio sufficiunt nutus, etiam si verba possint proferri, vt ipse idem Pontifex eodem loco docet. Si enim verba essent de essentia connubij, neutiquam nutibus cõtrahi posset. Cùm autẽ illic papa dicat in mutis nutus sufficere, palam asserit verba non esse de essentia. Quod enim quis loqui possit, aut mutus sit, essentiam sacramẽti non variat. Quo fit, vt essentiæ sacramenti quocunque casu nutus sufficiant, sed æquitas est, vt vbi est possibile, verba exprimantur, ad certitudinem ecclesiastici fori. Vbi autem sponsalia de futuro præcesserunt, aduenies copula sufficit, vt ecclesiæ decreto sancitum est, quod est euidens argumentum verba non esse de essentia.

An in valentibus loqui verba sint necessaria. *Sententia auctoris.* Vtrùm autem loco nutus sufficiat taciturnitas puellæ, dum alij pro ea pudore suffusa affirmant eam cõsentire: Magister sent. dist. 29. (quod ex Hugone desumpsit in summa sententiarum tract. 7. c. 6.) ait sufficere consensum patris, quod Pandectarum testimonio adstruit, alludens ad l. In sponsalibus. ff. eod. tit. vbi habetur, filiam patri consentire, nisi euidenter dissentiat. De hac ergo ambiguitate hoc cunctis in confesso est, quòd si alius in præsentia sponsæ pro ea affirmando respondeat, & ipsa non contradicat, illam taciturnitatem sufficere, quasi consensus indicium. In litem autem hoc vocat Paluda. dist. præsenti, q. 2. art. 3. vtrùm quicunq; respondeat, sufficiat, licet sit extraneus, an verò solum sufficiat, quando pater vel mater pro illa respondent, vel tutor. Et tenet non sufficere nisi sit aliquis parentum vel tutor. Nam quamuis vna regula iuris sit, quòd qui tacet consentire videtur: alia tamen continuò subsequitur, Is qui tacet non fatetur, sed nec vtique negare videtur. Quapropter silentium per sẽ non est assensionis sufficiens iudicium: quare tunc solùm sufficit, quando qui affirmat ius habet in sponsum vel sponsam. Vnde l. Sed quæ patris. eo. tit. exemplum de solo patre ponitur, nempe quòd puella, quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur, idq; habetur iure canonico de desponsatione impu. c. vnico. §. Porrò. lib. 6.

Sententia communis. *Paluda.* *L. Sed quæ patris.*

Sententia auctoris sub distinctione. *In foro exteriori.* Præsens autem ambiguitas per distinctionem dissoluitur. In foro enim conscientiæ, si adsit verus contrahentium consensus, quicunque alius pro sponso vel sponsa respondeat ipsis tacentibus & non contradicentibus, valet matrimonium. Sed nihilominus in foro ecclesię non haberetur pró rato, nisi pater vel mater, vel tutor esset ille qui responderet. Et ideo in foro conscientiæ exploranda aliundè esset contrahentiũ voluntas. Nam etiam si pater pro filia respondeat, suspicio suboriri potest, an ipsa eius metu siluerit, neq; reclamare sit ausa. Si autem per alias coniecturas cõstiterit ei cordi fuisse nuptias, sed præ verecundia tacuisse, quiuis alius pro ea responderit, sufficit in conscientia.

An vtriusq; consensus simul tempore concurrere debeant. At verò circa eandem primam conclusionem, adiunctam tertiæ superioris articuli dubitatur, vtrùm necessarium sit amborum consensus simul tempore concurrere & explicari, an verò nullum temporis interuallũ impediat inter vnius consensum & alterius: nam in cæteris sacramentis necessum est materiam & formam simul concurrere: cùm ergo supra cõstitutum sit consensum vnius esse formam respectu alterius, apparet concursus huiusmodi eodem tempore necessarius.

Dubij solutio Nihilominus respõdetur, non ita esse. Christus enim, vt sæpenumero dictum est, contractum matrimonij, quatenus erat de iure naturæ, non mutauit, sed exornauit per gratiam. In lege autem naturæ instar reliquorũ contractuum poterant conciliari nuptiæ vno hodie cõsentiente, & eras altero vel postridie, imò verò longiori tempore intercedente per literas vel per internũcium: ergo & nunc temporis eodem pacto possunt contrahi. Nec de hoc vllus est catholicus qui ambigat.

Si vnus hodie, alter verò cras consentiat. *An longo tempore lapso possit alter consentire.* Sed alia hinc nascitur ambiguitas, an nullum scilicet temporis interuallum obstet, vt si quis hodie consensit, & alter post septennium vel decennium, sit matrimonium. Vsu enim venire potest, vt eorum coniugum, qui ante decennium matrimonio de facto iuncti sunt, alteri nunc primò iuris impedimentũ innotescat, aut quia vir cum cõsanguinea vxoris rem habuerat, aut quia compertum ei modo sit esse consanguineos in gradu prohibito. Quæritur ergo vtrùm tunc satis sit, vt ille inscia vxore dispensationem procuret, & deinceps consentiat, sufficiatq; primus consensus vxoris, an verò requiratur, vt vxor denuò consentiat. Ad hoc dist. 29. q. 2. latius respondebitur. Vbi enim consensus feruntur in materiam illegitimam, nullius prorsus sunt momenti: & ideo non sufficit, vt dispensatio perueniat, nisi post ipsam noui consensus vtriq; accedant. Si vero materia sit legitima, satis est si vnus hodie consentiat, & alter post aliquod tempus, vt cùm matrimonium per nuncium aut literas contrahitur, dummodò consensus prioris coniugis non sit recisus, sed in virtute maneat. Quod quidem in huiusmodi interuallis obseruandũ est. Si enim quis modò in matrimoniũ per literas cõsentit, & pereũtibus postea literis negotiũ intercipitur, & ferè oblitioni traditur, & post septenniũ vel decenniũ alteri cõsentit, certè non esset matrimoniũ tutum, nisi priori consensu integrato: quia iã videtur eius virtus exoluisse.

Solutio dubij. At verò quamuis nemini in dubium veniat, quin matrimonium per literas vel procuratorem sit verum idque adeò indissolubile, de hoc tamen controuertitur, vtrùm verè sit sacramentum gratiam conferens. Nam præter Durandum di. 26. q. 3. Caietanus quoq; in quæstione speciali ad tertiam partem adiecta negat esse sacramentum. Cuius ratio duplex est. Prima, quòd nullum sacramentum suscipitur per procuratorem:

Matrimoniũ per procuratorem institũ an sit sacramentum. Pars negatiua. *Ratio. 1.*

quia

quia cum sit passio personalis, requirit actionem personæ præsentis, cuius ministerio gratia conferatur, vt in cæteris sacramentis liquidum est. Idque adeò confirmatur, quòd sicut sacramentum matrimonij in contractu consistit, ita & sacramentum pœnitentiæ in actu iudiciali: sed absolutio sacramentalis non impenditur nisi præsenti: nemo enim potest per procuratorem confiteri, vt dist. 18. q. 2. art 6. monstratum est: ergo nec matrimonium per procuratores est sacramentum. *Ratio secunda.* Secundò id probatur: quia si sacramentum esset, consequens inde fieret, vt sæpe dormientibus, nullaque eis applicita tunc actione gratia conferretur: nempe dum procuratores vtrinque missi conuenirent, quod non videtur intelligibile: imò sequeretur quòd quoties illi, qui procuratorem miserunt, in peccato dormitum irent, nouam culpam committerent, opponentes obicem gratiæ sacramenti, quod inopinabile videtur.

Sententia autoris. Pars affir. Ratio prima. Non prorsus diffiteor opinionem hanc esse vtcunque probabilem: quippe cuius argumenta non sunt prorsus despicabilia. Veruntamen adeò contraria videtur probabilior, vt eam crediderim omnino amplectendam. Et ratio quæ vrgere videtur, est, quòd cum Christus matrimonium simpliciter & absque vlla exceptione instituerit esse sacramentum, nonnihil temeritatis offert, id quod sit verè matrimonium, à ratione sacramenti accipere, potissimum cùm illud ratione & virtute nouæ legis sit indissolubile. *Ratio secunda.* Item quia gratia quæ in matrimonio confertur, est propter idoneum eius vsum: hic autem finis tam necessarius est matrimonio per procuratorem contracto, quàm reliquis. Adde, quod si hoc matrimonium non esset sacramentum, profecto Ecclesia non deberet illud permittere. *Ratio tertia.* Fingere autem quod requiritur ad gratiæ collationem, vt sponsi postmodum in conscientia iteratos consensus ratificent, certè gratis asseritur: quoniam consensus priores sufficientes erant. Quare dum per procuratores consensus concurrunt, tunc matrimonium fit indissolubile. Tametsi ad tollendos scrupulos, ne fortè fuerint consensus interrupti, laudabile sit, vt in præsentia postea eosdem ratificent.

Sol. 1. arg. Vnde ad primam obiectionem respondetur, hoc esse huic sacramento singulare, quod cùm sit naturalis ciuilisque contractus, in sua permaneat natura, ratione sacramenti nihil obstante. Atque adeò cùm materia eius & forma non sint nisi actus contrahentium, potest in eorum absentia celebrari, dum prædicti consensus per procuratores coëunt. Quod quidem reliquis sacramentis non accidit.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd cùm pueris ante vsum rationis & amentibus gratia baptismatis infundatur, & dormientes, vt plurimorum fert opinio, martyrio coronentur, non est miraculo tribuendum quòd dormientes gratia etiam sacramenti huius perfundantur. Nam etsi tunc ipsis nihil extrinsecus applicetur, quia hoc sacramentum non habet formam & materiam extrinsecas, coëunt tunc tamen eorum consensus per procuratores, qui se habent vt materia & forma. Neque verò absurdum est consequens illud concedere, quòd nouum committunt peccatum, si dum verisimiliter coniectantur conuenturos mutuos consensus, obicem culpæ gratiæ opponunt. Secus verò dum neuter scit prorsus quando alter est consensurus.

Dubium. Veruntamen ex secunda conclusione, qua dictum est, externa verba absque interno consensu non sufficere, graue perplexumque dubium emergit, quod multas molestias in hac materia facessit. Etenim si consensus amborum requiritur, nemo esse potest tutus, an verum matrimonium contraxerit: quia neuter habet consensum sui coniugis exploratum. *Solutio prima.* Ad hoc autem primum respondetur, quòd nemini potest suum matrimonium esse euidens, sed sola pars negatiua, quando ipse non consensit. *In moralibus non exigitur euidentia.* Cæterùm in his, quæ mortalia sunt, non exigitur euidentia, sed sufficit humana coniectura, sicut in reliquis sacramentis. Quando enim verba ablutionis audimus, aut consecrationis, aut absolutionis à ministro proferri, sat est vt certiores de eius intentione efficiamur certitudine, quæ sufficit in sacramentis. Pariter per verba, quibus coniuges consensus explicant, satis vterque fit de matrimonio certus.

Primum documentum. Attamen quia sæpenumero in dubium & suspicionem venire res potest, solertiùs de huiusmodi euentibus disquirendum est: vbi quæ subsequuntur documenta obseruanda sunt. Primum enim distinguendum est de foro exteriori Ecclesiæ, & de interiori conscientiæ. Dum enim coniugum aut alter, aut vterque consensisse in matrimonium negat, quod verbis contraxit: si verba legitimè probantur, tunc Ecclesia in fauorem matrimonij sententiam profert, illud habens pro rato. Idque facit quotiescunque dubium in æquilibrio pendet, licet nonnunquam in foro conscientiæ nullum fuerit. Si verò probatur vel error, vel metus, vt dist. 29. & 30. videbitur, irritum illud ducit.

In foro conscientiæ. At verò in foro conscientiæ res est maiori periculo obnoxia. Creberrimè namque ex parte virorum fallaciæ nectuntur, sanè qui, vt sua libidine potiantur, miseras puellas seducunt. Quapropter dum postmodum se consensisse negant, eas relinquunt perplexas credere ne ipsis debeant. Ex parte quoque fœminarum (quamuis non simili causa viros decipere soleant) tamen cùm facilè consentire consueuerint, postmodum parentum metu perculsæ dicta retractant. Et è contrario metu etiam parentum dicunt se quandoque consentire, cùm tamen non consentiant, quare vtroque modo postea dicentes se non consensisse, ancipites viros reddunt. Ex his ergo alijsque similibus casibus dubia inter coniuges, an legitimum fuerit matrimonium, suboriri consueuerunt, quæ conscientias exurunt. In hoc enim foro rem tractamus.

Tenuis scrupulus deponendus. Tunc ergo primum omnium considerandum est, vtrum dubium illud aliqua morali probabilitate nitatur, an verò sit tenuis scrupulus. Etenim dum leuis scrupulus est, concilium esto, idemque certissimum, vt qui eum habet, deponat, vt bene ait Scotus distinct. 30. & omnes. Imò expressè habetur capit. Inquisitioni, de sentent. excommunicat. Sed est præterea in præsentiarum animaduertendum, quòd dubium tunc dicitur, quando homo nec assentit, nec dissentit, sed anceps pendet animo. *Nota.* Dum verò assentitur, iam non dicitur dubius, sed cum formidine opinari. At quamuis minus sit periculum in re dubia, quàm in opinionis assensu, potiùs tamen perpendenda est causa dubij vel assensus, quàm assensus ipse. Nam quamuis quis assentiat, si assensus nullas habeat probabiles coniecturas, sed ex animi infirmitate nascatur, deponendus est, aliàs qui fecerit contra ipsum, facit contra conscientiam. Et vice versa, quamuis quis non sit nisi dubius absque assensu, si tamen habet causas assentiendi, quibus consultò renititur, non potest citra periculum officium coniugale exercere.

1. Propos. Quo ergo gradatim ad hæc respondeamus, sit prima propositio. Quotiescunque de vno matrimonio certitudo habetur moralis, fuisse legitimum, nullo modo ei, qui certus est, licet citra mortale crimen ad alias transire nuptias, vel debitum primo coniugi petenti denegare, vel vllo pacto contra illam certitudinem agere. *Certitudo moralis. Coniecturæ variæ.* Certitudo moralis est, quæ de bonis coniecturis ad arbitrium sapientium colligitur. Eiusmodi autem coniecturæ ex diuersis qualitatib. pensandæ sunt. Si puella multò inferioris sortis credit iuueni nobili, & longè altioris conditionis asserenti se illam ducere, qui postmodum ea potitus negat habuisse consensum, & est vir probatæ vitæ, aliamque ducit, danda illi fides est. Præsertim si illico id negat. Et tunc potest puella alteri nubere. *Aliud exemplum.* Eodem modo si puella quæ consentire se dixerat, consensisse negat, verisimilibus coniecturis metum patris probans, si est fœmina aliàs bonis morib. imbuta, & alteri viro copulatur, tunc tutò potest vir prior alteram sibi matrimonio sociare. Si tamen coniecturæ præteriti consensus sint vehementes: quia si non sunt fortè adeò dispares, neque est tam verisimilis metus, & talibus verbis & modo vir consensit, vt ipsa arbitrio sapientum non possit non credere illum consensisse, præsertim si post notabile tempus, vt ait Ricard. distinct. 19. artic. 1. quæst. 3. id negat, re vera vxor, quamuis id iurando ipse neget, & ad alias transeat nuptias, non debet illi adhibere fidem: quia, vt habetur cap. Per tuas. de probatio. nimis indignum est, vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. Quocirca nec potest ipsa alteri nubere: quod si nubat, matrimonium nullum est, sed prorsus deserendum, quamuis pluribus sit iam liberis fœcundum: non obstantibus quacunque seditione & scandalo. Deserendum, inquam, quoad torum: quoniam neque potest illa debitum petere, neque verò reddere, sed mortem potius debet sustinere quàm reddat. Licet possit manere separato toro tanquam socia, dummodo nullum ingruat congressus periculum. *Conclusio certa.* Conclusio certè nemini debet

Digitized by Google

esse dubia: nam si talis certitudo est moralis; non licet illam deponere, & multò minus contra eam facere. Quare qui ad aliud se matrimonium transferret, committeret secundùm suam conscientiam, eandemque legitimam, adulterij crimen, quod ne quis committat, potiùs illi mors est opperenda.

Idem de viro iudiciū. Dubium.

Hæc quippe certissima sunt. Idemque de viro pari iure respectu mulieris iudicandum. Dubium autem emergit dum autoritate Ecclesiæ in foro exteriori secundum allegata & probata matrimonium secundum pronunciatur legitimum. Ad hoc autem distinct. proxima, vbi de clandestino matrimonio subsequetur sermo, respondebitur. Et pariter ad illud, an fœmina in tali casu possit ingredi religionem, etiam si prius matrimonium fuerit consummatum.

Alterum dubium.

2. Propos.

Secunda propositio. Quamuis quis non habeat eiusmodi certitudinem de primo matrimonio, sit tamen ad arbitrium sapientum dubius, ita quòd adhibita diligentia ad explorandam veritatem sint pares vtrinque coniecturæ, nequit ad secundas transire nuptias. Non vtique tantum esset crimen contra dubium tunc agere, quam contra certitudinem. At tamen tunc etiam peccaret contra conscientiam, quam secundum rationem habet, atque adeò deponere non tenetur. Et confirmatur hoc, quia postquam matrimonium contractum est, vterque habet in alterum possessionem: quare neutri fas est propter suum dubium alterum possessione sua spoliare.

Dubium tamen est, postquam coniuges vicariam habent in se possessionem, & tunc vel ambo, vel alter incipit de matrimonio dubitare. Vt si vxor bona fide credens primum matrimonium non esse legitimum, quia vir dixit non consensisse, aut esse consanguineos, ad secundas nuptias euolauit, quibus celebratis ambigere probabiliter vel opinari incipit primum matrimonium legitimum fuisse, atque adeò secundum non esse solidum. Aut dubitare incipit secundum maritum esse sibi sanguine coniunctum: aut si fortè bona fide credens priorem maritum fuisse defunctum, nupsit alteri, sed tam ex auditu dubitare incipit an viuat, vtrum tunc possit petere exigereque debitum.

Ad huiusmodi euentus postmodum 32. dist. vbi tractabitur de reddendo debitum, & 37. vbi disputabitur de ea, quæ viuente viro mortuum credens, alteri nupsit, iterum est nobis redeundum. Vt autem interim aliquid dicamus, Adrianus in 4. quæst. de præscriptione, arbitratur coniugi de matrimonio hæsitanti neutiquam licere debitum aut reddere, aut petere. Cuius fundamentum est, quod censet nemini rem, quam dubitat esse suam, posse sibi vendicare, & eadem ratione nec si eam possideat, posse retinere: & ideo coniux ille dubius periculo se fornicationis, inquit, exponit tam reddendo quàm petendo. At verò de reddendo contrarium habetur in allegato cap. Inquisitioni. de sentent. excomm. & in capit. Dominus. de secund. nuptijs. Habetur enim, quòd si dubitatio sit leuis, qui dubitat, consilio pastoris scrupulum deponat. Si verò est talis dubitatio, quam relinquere aut non potest, aut non debet, tunc reddat, sed non petat. Neque euasio Adriani vllius est ponderis, scilicet quod loquuntur capitula in solo foro exteriori, quo cogitur eiusmodi coniux alteri cohabitare, non tamen debet in opus consentire. Nulla, inquam, est euasio, quoniam capitula postquam admonent, quòd si est leuis suspicio, deponatur, manifestè loquuntur in foro interiori ad sedandas conscientias. Item arguitur contra fundamentum Adriani. Cùm enim conditio possidentis, vt est in iure, melior sit quàm non possidentis, quamuis qui dubius est, an res quàm alius possidet, sit sua, nequeat illam autoritate priuata surripere, tamen si in eius possessionem bona fide ingressus est, quamuis deinceps dubitet æquali probabilitate ad vtramque partem rem esse suam, non tamen tenetur eam deserere, sed potest retinere, quousque iudicio publico à se euincatur. Eam ergo ob rem cùm vir vxoris corpus bona fide possideat, non potest ipsa propter suum dubium negare illi petenti debitum.

Adrianus.

Euasio Adriani.

Argum. contra fundamentum Adriani.

Imò verò vt lib. 4. de iustitia & iure quæstio. 3. art. 4. disputabamus, secundum membrum eorundem capitulorum, scilicet quòd non possit petere, durum est, nisi moderamine mitigetur. Si enim facta sufficienti indagine idem coniux anceps manet, quia res nequit satis explorari, durissimum est dicere, quòd non possit etiam petere, propter rationem modò factam: quia postquam habet possessionem, non tenetur propter dubium, in quo sine culpa sua est, nec deponere potest, manere ligatus vt non possit vti coniuge sua. Præsertim si ambo coniuges essent dubij. Tunc enim citra suam culpam essent sua libertate priuati, vt petere neuter posset. Item cùm, vt nuperrimè dicebamus, dum quis est dubius dubitatione morali de matrimonio quod contraxit, non valeat ad alias nuptias transire, cogeretur citra suam culpam cœlibem vitam trâsigere: quod non est credibile canones sanxisse. Et ideo capitula illa sic sunt moderanda, vt quamdiu coniux est prudenter de matrimonio dubius, reddat quidem debitum propter ius quod alter habet in ipsum, non tamen petat quousque explorandæ veritati diligentiam adhibeat. Si tamen illa satis adhibita dubietatem sibi non potest abstergere, crediderim (sub peritiorum censura) quòd non interdicitur quo minus etiam petat, postquam possessionem habet. Per hæc & dictum Scoti distinct. 30. quæst. 1. temperandum est, quo ait, quòd quando coniux non potest tollere conscientiam, quam habet, an alter verè consenserit, mortaliter peccat reddendo debitum, quia fornicatur. Similiter & non reddendo, & à fortiori à matrimonio recedendo exponit se periculo peccati mortalis: vbi videtur miserum coniugem in perplexitatem inextricabilem conijcere, quod reuera nefas est. Nam solùm vbi quis habet conscientiam erroneam peccat agendo contra & pro, non tamen est perplexus, quia tenetur illam deponere. Sed tamen impræsentiarum facta sufficienti indagine tenetur homo inclinare in possessionem. Quare marito neganti consensisse, in eam potiùs partem inclinandum est, quòd mentitur, si vxor credere non conuincatur. Quocirca tunc non est perplexa, sed debet reddere, & potest petere debitum. Quòd si arguas. Illa facit contra dubium: ergo peccat. Respondetur ad antecedens, dubium esse duplex: scilicet speculatiuum & practicum. Et quidem agere contra dubium speculatiuum non est peccatum, sed agere contra practicum. Dubitat autem illa speculatiuè, an ille sit suus, sed non inde sequitur, quòd dubitet reddendum esse debitum aut petendum, quod est dubium practicum. Imò per possessionem fit certa, quod vtrumque potest.

Moderatio cap. Dominus.

Dictum Scoti corrigitur.

Dubium duplex.

Alia verò ex his enascitur ambiguitas, dum quis mala fide, dubitans scilicet probabili dubio priores nuptias fuisse legitimas, transit ad secundas, vtrum scilicet secundæ sint dirimendæ. Apparet enim esse obseruandas, & priores antiquandas: nam postquam alter coniux bona fide contraxit, videtur non esse propter dubium alterius suo iure expoliandus. At verò multò probabilius est esse secundas irritandas: nam cùm mala fides nemini suffragetur, illud secundum matrimonium altera parte claudicat, & ideo ex neutra est firmum. Et confirmatur, quia cæteris paribus prior possessio prævalet, atque adeò in re dubia prius matrimonium.

Dubium.

Dubij solutio.

Alia præcipua ambiguitas circa aliam secundam conclusionem ijs adnectitur, vtrùm quando quis fallacibus verbis asserit se habere consensum, quem verè non habet, teneatur alteri fidem seruare, & matrimonium contrahere. In primis hic non loquimur de illa fallacia, qua virginem defloravit: nam inde maior obligatio exurgit, vt habetur extra de adulterijs. capit. 1. & 2. si modo illam seduxerit, aut vi oppresserit. Sed etiam si non fuerit virgo propter solam deceptionem, quia verbis consensit. Scotus distinct. 30. quæst. 1. respondet eiusmodi fallacem hominem teneri matrimonium perficere. Quem sequitur Adrianus, & doctores in vniuersum. Dicendum ergo primùm, quòd si intus non fuit consensus, & ille transit ad secundas nuptias, illæ sunt legitimæ, quia priores nullæ fuerant. Quare tunc non potest implere promissum. Si verò res est integra: quia nondum se ad alias nuptias transtulit, tenetur stare in conscientia priori contractui, & adhibere consensum, quem fallaciter significauit, vt ait S. Thomas distinct. 28. art. 2. ad 4. Nam licet illic loquatur de virgine, quam quis sibi per verba de futuro desponsauit, nihilominus & si non sit virgo, tenetur ipse verba sua solida facere, veluti in quibuscunque alijs contractib. & promissis, in quibus interuenit, do, vt des. Imò verò quamuis ille secundum inierit coniugium, ecclesia iudicabit in fauorem prioris quassato secundo, licet in conscientia secundum teneat. Præsertim vbi quis affirmans se puellam in matri-

Aliud dubium.

Scotus.

Authoris distinctio.

Sententia autoris.

monium

monium ducere, cui ipsa sese sub illa fide cognoscendam permittit, certè licet tunc non consenserit, tenetur postea sub pœna grauis peccati mortalis consentire, & illam ducere. Et ideo ait ibidem D. Th. quòd si ille secundam duxit vxorem, tenetur prouidere priori de nuptijs. Facit autem duas exceptiones, quas omnes doctores admittunt: scilicet, si sponsus sit multò melioris conditionis, vel si ex verbis eius & bonis & coniecturis facile poterat deprehendi fallacia. Quæ quidem exceptiones intelliguntur tam antequam ille celebret secundas nuptias, quam post celebratas. Cùm enim mulier longè inferioris sortis credit nobili, nimis est credula, & licet non esset nobilis, dum facilè poterat intelligere illum non consentire, ei imputanda est leuitatis culpa. Et ideo alter non solùm non tenetur eam ducere, imò forte neque in integrum eam dotare si fuit hiimiùm leuis, sed arbitrio prudentum compensare illi, etiam si fuerit virgo, pensato ex vna parte damno, & ex altera, quod ipsa censetur sua sponte voluisse decipi.

Dictum S. Thomæ. *Exceptio dicti.* *Exceptionū intellectus.* *Nota.*

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd in voto non est aliqua corporalis & ciuilis obligatio, sicut in matrimonio, sed tantum spiritualis inter hominem & Deum, qui intuetur corda: & ideo votum verborum vocalium non eget, sicuti matrimonium.

Sol. 2. arg. Ad secundum conceditur consequentia: scilicet quòd ad matrimonium nulla verba sufficiunt sine consensu, vt expositum est. Negatur tamen inde consequi fraudem fallaci suffragari. Est enim illic considerare & defectum consensus, & verborum dolum. Et quidem defectus consensus per se propriè non videtur dolus, sed quatenus falsis verbis vestitur. Et ideo licet quodammodo dicatur homini suffragari in foro conscientiæ, quia propter illum defectum in rei veritate nullum est matrimonium: non tamen simpliciter suffragatur, quia est peccatum, atque adeò supplicio dignum apud Deum. Nec suffragatur in foro Ecclesiæ, quæ illam exceptionem non admittit, sed pronunciat fuisse consensum. Verborum autem dolus nec patrocinatur in foro pœnitentiæ apud Deum, neque in foro Ecclesiæ: quia in vtroque punitur.

Defectus consensus non videtur dolus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm matrimonio consummato liceat vtrique coniugum alteri inuito ad religionem transire.

Dubium. QVÆRITVR tandem de vi obligationis & vinculi matrimonij, vtrum ista tanta, vt neutiquam coniugatis liceat ad sanctiora religionis vota transcendere. Et arguitur à parte affirmatiua. Lex diuina plus debet spirituali frugi fauere, quàm humana: sed Iustinianus Augustus facultatem facit vtrique coniugum sine vlla exceptione vel consummati, vel non consummati matrimonij, vt possit ad meliorem vitam migrare, & sub castitate viuere: ergo & lex diuina hoc fortiori ratione permittit.

Partis affir. 1. Arg.

2. Argum. Secundò arguitur. Si consummato matrimonio non liceret alteri coniugum altero inuito religionem optare, sequeretur, quòd neque ante consummationem id liceret: quoniam carnalis copula, vt supra dictum est, non est de essentia matrimonij, atque adeò ante ipsam per consensum fit verum sacramentum, quod quidem natura sua est vinculum indissolubile, vt supra diximus: consequens autem esse falsum ostendit Ecclesiæ consuetudo, quæ boni consulit, si ante consummationem matrimonij coniugatus meliorem frugem religionis eligat.

3. Argum. Tertio arguitur. Si ante consummationem copulæ marito liceret vel vxori religionem altero inuito profiteri, sequeretur, quòd alter qui in seculo maneret, deberet inuitus perpetuam castitatem seruare, quod nulla vel lex, vel ratio permittere videtur: quod autem sequatur inde apparet, quòd matrimoniale vinculum est simpliciter indissolubile. Item quia si esset solubile, hoc maximè esset per consensum ipsorum: attamen licet post consummationem ambo consentientes religionem profiteantur, vinculum semper manet: imò & dum altero consentiente alter profitetur: ergo multò minus vnius tantum consensus altero renuente potest matrimonium dissoluere.

Pars neg. In contrarium autem, s. quòd consummato matrimonio neutri liceat altero inuito religionem ingredi, patet ex illo Paul. 1. Cor. 7. vbi prohibet, ne conIux altero inuito etiam orationis causa à reddendo debito abstineat.

Declarat. Causæ dirimendi matrimonij plures sunt quæ ad præsentem articulum non attinent. Nunc n. vsque ad dist. 30. de his, per quæ constituitur, diputatur, & postmodum dist. 34. & sequentibus subijciendæ sunt causæ, quibus dirimitur. Inserit hic tamen articulus præsens ad conferendum in dignitate matrimonium cum religione. Ad quam ideo quæstiunculam per tres conclusiones respondetur, Matrimonium n. vt ex superioribus colligitur, duplex est, s. ratum duntaxat: nempe per consensus de præsenti ante carnale commercium & consummatum, s. postquam eadem accessit copulatio. Et refert plurimùm scire quando dicatur consummatum. Haud n. oscula, aut pudendi tactus, aut seminatio extra legitimum vas sufficit, quantumcunque alia præposterа & nefandissima interueniret. Seminatio autem quæcunq; intra vas sufficit ad consummandum, etiam citra ruptionem virginei claustri: nam vsu venire potest, vt citra rupturam semen coletur. Conatus verò ad rumpendum & seminandum, vbi neutrum illorum fit, ad matrimonij consummationem non sufficit, quamuis si fœmina seminat, dubium esse possit an sufficiat. Crediderim tamen ad ipsum non sufficere, licet virginitatis florem illa tunc amittat: quoniam consummatio vtramque personam respicit, vt illa aliquid patiatur, & ipse aliquid agat: & tamen ille tunc nihil ad consummationem peregit.

Matrimonium duplex. *Consummatum quando dicatur.* *Conatus ad copulam non consummat matrimonium.*

Dubium. Hoc autem perplexum dubium est, vtrùm si vir claustrum aperuerit, tamen seminare conatus id non potuerit, ad consummationem sufficiat, siue ipsa seminet, siue non: siquidem seminatio fœminæ non est de essentia. Et profectò magnum argumentum est illud sufficere siue illa virgo fuerit, siue ab altero prius cognita, postquam ille tum quantum potuit fecit, tum etiam & vas penetrauit: alioqui inter senes & steriles nunquam posset matrimonium consummari. Solutio huius inde ducenda est, quòd de frigidis dist. 34. dicturi sumus: frigidi n. sunt, qui seminare nequeunt, quamuis claustrum aperiant: & ideo frigiditas matrimonium dirimit, quia consummari non potest. Senes verò & steriles seminant quidem, licet non generent: & ideo matrimonium consummant. Inde ergo colligitur, vt seminatio viri intra vas necessaria sit ad matrimonium, quæ quidem etiam intus absque claustri reseratione fieri potest. Atque id inferiùs q. 2. art. 4. testimonijs iuris interpretum confirmabimus: nam eiusmodi seminatio requiritur, vt sponsalia per copulam vim obtineant matrimonij.

Dilutio dubij.

1. Concl. Sit ergo prima conclusio. Ante matrimonij consummationem vtrique coniugum altero inuito licitum est ad religionem conuolare. Hæc conclusio vtrinque à quibusdam impugnatur: nam supra citatus Wicleff, qui negat matrimonium ante carnalem copulam esse solidum: consequenter ait, hunc non esse propriè transitum à matrimonio ad religionem. De hoc tamen errore dist. præcedenti diximus, & dist. sequenti & 30. rediturus est sermo. Alij verò religionis ficti & iniqui patroni contra hanc etiam veritatem per alterum extremum obmurmurant. Quotum est Erasmus super primam epistolam ad Cor. 7. vbi iniquo ferre videtur animo, quòd ob professionem instituti humani (vt eius verbis vtamur) & ob mutatum pallium legitimus sponsus sua fraudetur sponsa. Aduersus ergo hos ambos errores statuitur hæc veritas; quòd etsi ante consummationem copulæ legitimum sit matrimonium, nihilominus legitimè inde fieri potest ad religionem ascensus. Conclusio est multis canonibus constituta, vt cap. Verum. de conuer. coniugatorum. & cap. Ex publico. & 27. q. 2. ex Eusebio cano. Desponsatam. & ex Gregorio can. Decreta. & ex Nicolao, can. Scripsit. & multis alijs. At ne cui videantur canones isti inconsulti, probatur etiam ratione, Status religionis, vt Paul. 1. Cor. 7. apertè docet, perfectior est statu coniugali: id autem quod perfectius est, non debet per minus perfectum impediri: ergo vtrique coniugum si citra alterius iniuriam fieri potest, integrum est ad religionem se conferre. Quòd autem ante copulam relicto coniugi non fiat tam atrox iniuria, quæ per lucrum religionis non repensetur, probatur. Illa iniuria vel irrogaretur fini matrimonij, qui est prolis procreatio, aut desertæ sponsæ: non quidem proli; quia nullus præcessit coniugalis congressus: neq; verò sponsæ, quia cū maneat integra, nihil decoris aut honoris in-

Wicleff. *Conclusio iure probatur.* *Ratio conclusionis.* *Ante copulam relicto coniugi non fit iniuria.*

Digitized by Google

tet Christianos amisit, quo minus possit alium sibi adsciscere coniugem. Item vt lib. 2. de sacra. par. 11 autor est venerabilis Hugo, coniunctio maris & fœminæ per mutuum consensum significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ per gratiam & charitatem, coniunctio autem per carnalem copulam significat Christi coniunctionem per assumptionem humanitatis: quare prior, realis & spiritualis est, posterior verò carnalis. Spiritualis autem despōsatio inter homines nihil vetat quominus possit in illam commutari, quæ singularis est & egregia hominis ad Deum, iuxta verbum Paul. 2. Cor. 11. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo, quod licet de Christiana religione vniuersim assertum sit, tamen gradu quodam peculiari de religionibus, quæ sunt in consilio, intelligitur. Et confirmatur per analogiam minimè ineptam. Sicut enim carnalis coniunctio per copulam morte corporali dirimitur, ita & coniunctio spiritualis, quæ mutuo fit consensu per mortem spiritualem, qualis est religio. Confirmatur eadem veritas vsu & more plurium sanctorum, qui celebratis nuptijs ante torum voto sese castitatis addixerunt. Id quod & de Ioanne Euangelista celebri historia refertur, vt est in præfatione operum Ioannis, siue Augustini, siue Hieronymi fuerit, quod virginem illum Christus de media nuptiarum solennitate ad apostolatum assumpsit. Nam ratio, quam alij obijciunt, videlicet non esse credibile, nuptias quas Christus sua præsentia honestauit, extemplo dirimeret, à nobis potiùs pugnat. Est enim rationi consentaneum credere, vt quibus nuptijs interfuit, easdem per transitum sponsi ad vberiorem frugem decoraret, instar matrimonij suæ intemeratæ matris, quam virginem virgini commendauit. Alia exempla extant can. Scripsit. 27. q. 2. de Machario & Alexio.

Confirmatio rationis.

De Ioanne Euangelista.

Ratio.

Ad illud ergo diuinum præceptum, Quod Deus coniunxit, homo non separet, Alexand. 3. cap. Ex publico. respondet, quòd intelligatur de matrimonio consummato, eo quòd per copulam fiunt duo in carne vna. Sed tamen quamuis ad propositum, quo Papa loquitur de transitu ad religionem, sufficiens sit solutio, non tamen omnino sententiæ Christi germana est, vt paulò inferius videbimus q. 2 quoniam nec matrimonium ratum potest homo, sed solus Deus separare. Ob idque legitima expositio est, altera Nicolai Papæ citato can. Scripsit. 27. q. 2. scilicet, quòd in transitu ad religionem coniuges non homo, sed Deus ipse interna inspiratione separat diuino iure, quo religio tanquam spirituale connubium Dei instituta est: Quod si arguas. Per consensum matrimonialem vterque alteri potestatem sui corporis facit in vsum carnalis copulæ: ergo perinde est tunc indiuisibile matrimonium, vt postea. Respondetur, quod etsi prius iam sint sibi inuicem potestate traditi per expressum consensum voluntatis, iure tamen ipso diuino & naturali subintelligitur conditio, nisi inter ea alter frugem sanctioris vitæ sibi optare voluerit: per carnalem verò copulā vsu ipso & facto completur corporis traditio, per quam vterque possessionem corporalem potestatis sibi traditæ ingreditur.

Argum.

2. Concl.

Secunda conclusio. Post matrimonij consummationem neutri coniugum iam integrum est & liberum altero inuito religionem optare. Eadem conclusio in eisdem canonib. cautè subditur. Et ratio est: quia nullus potest Deo rem alienam per votum dicare, quoniam nemo nisi quod suum est alteri obligare valet: per consummationem autem copulæ vterque se in alterius possessionem confert, iuxta verbum Pauli: Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, &c. ergo iam inde neuter potest sine alterius assensione se Deo mancipare. Secundò, quia per tale votum fini matrimonij, hoc est educandæ proli iniuria irrogaretur. Neque refert per copulam illam generatio tunc fiat, aut secus, quia hoc est accidentarium: nam per se commercium illud eum finem habet. Fieretque adeo & alteri coniugi iniuria, si post illud tori commercium desereretur. Possunt tamen communi consensu quoad torum separari, vt statim patebit.

Ratio 1.

Ratio 2.

Matrimonium consummatum sola morte dissoluitur.

Huic conclusioni appendix est, matrimonium consummatum, per solum temporalem obitum alterius coniugum dissolui, iuxta verbum Pauli ad Rom. 7. Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi (scilicet connubij) si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Et subdit: Vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Idque ipsum sonant verba Christi: Quos Deus coniunxit, homo non separet; nempe quousque Deus eos per mortem disiungat.

3. Concl.

Tertia conclusio. In euentu, quo alter iuxta tenorem primæ conclusionis religionem profitetur, alter liberè potest alium sibi cōiugem copulare. Conclusio est Alexandri in nuper citato ca. Verum. Etenim sicut matrimonium per copulam consummatum morte temporali, iuxta citatam sententiam Pauli sic dissoluitur, vt mulier citra adulterij labem possit alteri nubere, ita & matrimonium non consummatum, quod, vt diximus, spirituale est, morte spirituali distrahitur, qualis est religionis professio.

Ratio.

Ad primum argumentum D. Tho. impræsentiarum, & Ricardus, atque alij iuxta verbum Gregorij can. Sunt qui. & can. Agathosa. 27. q. 2. respondent, Cæsarem in lege illa ciuili solùm habuisse rationem matrimonij quatenus est in officium, & ideo permisit vt etiam consummato matrimonio, vt Glossa ibidem habet, posset vterque ad altiora vota transire: quia quatenus est in officium, non est tam indiuisibile: quandoquidem antiquitus per diuortium dirimebatur, & modò per baptismum alterius. Sed lex diuina contemplatur illud quatenus sacramentum, quam ob rem decernit esse indissolubile. Nihilominus cùm eadem lex in illa particula non meminerit de matrimonio consummato, nihil obstare videtur, quin possit glossari de solo non consummato. Vel forsan de consummato vtroque coniuge consentiente. Tametsi Gregor. in can. Sunt qui. 27. q. 2. ad priorem expositionem alludat dicens, quòd licet lex humana coniugia dissolui religionis gratia permittat, non tamen diuina.

Sol. 1. arg.

Secundum argumentum iam solutum est: nam quanquam ante consummationem sit verum sacramentum & indissolubile per homines, est tamen Dei instinctu solubile: quia integrum est sponsis fœliciora vota eligere.

Sol. 2. arg.

Ad tertium respondetur, quòd consensus vel alterius, vel vtriusque coniugis per se non sufficit ad dissoluendum matrimonium, sed commigratio ad altiorem statum & optio melioris frugis: nam vt art. 1. diximus, indissolubilitas & perpetuitas iure diuino indita est matrimonio, quæ ideo ex voluntate contrahentium non pendet.

Sol. 3. arg.

Alia verò argumenta maioris momenti aduersus singulas præfixarum conclusionum sese offerunt. Et primum omnium aduersus primam, qua dictum est, post matrimonium ratum posse coniugem altero inuito religionem profiteri, arguere quispiam extemplò posset, inferendo super idem matrimonium ratum non consummatum posse Romanum Pontificem dispensare, vt illo distracto vterque possit alias inire nuptias. Nam cùm voti solennitas. vt cap. 1. de voto lib. 6. ait Bonifacius, ex Ecclesiæ statuto sit inuenta, fit vt qua ratione potuit Pontifex illo statuto matrimonium ratum ingredientis religionem dirimere, possit & sine ipsius religionis ingressu. Opinio est iurisconsultorum, nempe Ioan. Andreæ in nouellis, & Panor. & Hostien. cap. Ex publico. de conuersi. coniugat. (vbi & Glossa id ipsum opinatur) aliorumque, quos Syluester verb. Diuortium. q. 4. refert. Quamuis ipse in eorum opinione non videatur persistere. Theologorum verò vniuersalis sententia est in cōtrarium, vno excepto Caiet. quodli. 29. quæstiunc. q. 13. sed latiùs in opusc. 27. q. 25. vbi gratis quidem & tenuissimis rationibus subnixus à theologa professione defecit. Nam Canonistæ, vt sæpe (salua eorum authoritate) diximus, non sunt iuris naturalis aut diuini, quibus hæc veritas nititur, legitimi interpretes. Potissimùm cùm sancti Patres sacræ paginæ scrutatores nunquam tale fuerint suspicati. Caietanus verò complures congeminat metaphysicas distinctiones, ad quas omnes molestum esset respondere. Sed vt summatim eas complectamur, ait primò, matrimonium considerari posse, aut inquantum officium & remedium, aut inquantum sacramentum. Si priori ratione, notum, inquit, est & certum non esse indissolubile: quandoquidem rationem illam ante orbem redemptum habebat, & tamen per conuersionem vnius coniugis ad fidem distrahitur. Si verò consideretur inquantum sacramentum, tunc vel consideratur tanquam signum effectus, quem confert, atque hac ratione clarum est, non esse indissolubile: quoniam effectus ille non est aliquid indelebile: puta character, sed sola delebilis gratia. Quare altero coniugum defuncto est iterabile. Si verò consideretur inquantum

Obiectio.

An Rom. Pont. possit dispensare super matrimonio rato. Iurisconsultorum opinio.

Caietani opinio.

signum

signum vnionis Christi & Ecclesiæ, tunc neque illa ratione est indissolubile: primò, quia illa coniunctio non est perfecta, atque adeò nec significans perfectam coniunctionem Christi & Ecclesiæ, alioqui qui vxorem post ratum matrimonium ante consummationem relinqueret ratione diuortij, aut quia ipsa religionem profitetur, esset bigamus, quod est falsum, vt patet cap. Debitum, de bigam. Et hac ratione fatetur se esse conuictum. Præterea, quia dist. præsenti q. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. ait D. Thom. per matrimonium ratum solùm significari coniunctionem Christi ad animam per gratiam, quæ est amissibilis, & ideo dissolui per ingressum religionis, sed per consummatum significari vnionem eiusdem redemptoris ad humanitatem, cuius partes nunquam dimisit: & ideo tunc fieri matrimonium omnino indissolubile. Atque eam ob rem dixerat in fine præcedentis distinctionis, quòd matrimonium ante carnalem copulam non est omnino integrum & perfectum. Et Leo Papa 27. q. 2. can. Cùm societas. ait, quod præter commistionem sexuum societas nuptiarum non habet in se coniunctionis Christi & Ecclesiæ sacramentum. Ecce quibus conuictus est Caietanus dicere, matrimonium ratum per dispensationem Pontificis posse dissolui. Addit & historias, quas refert D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in 3. parte tit. 1. cap. 21. §. 3. circa finem. de Martino 5. & Eugenio 4. qui dispensasse feruntur super matrimonio rato.

S. Thom.

Historiæ.

Autoris opinio.

His tamen nihil obstantibus, re vera opinio hæc quamuis aliquibus sustentabilis appareat, mihi tamen, vt tenuitatem ingenij mei fatear, salua semper Ecclesiæ censura, nullam probabilitatis effigiem repræsentat. Et primùm, vt status litis, in quo Caietanus hallucinatus videtur, aperiatur, non dubitamus, quin matrimonium ratum nondum consummatum sit dirimibile; negamus tamen aliter dirimi posse, quàm diuino iure Deo ipso dispensante. Nam cùm ipse autor fuerit & matrimonij, & fidei, & religionis: causa fidei, quæ finis est omnium legum, dispensat super matrimonio etiam consummato infidelium, quando alter conuertitur ad fidem, & causa status perfectioris religionis super ratum. Id quod duntaxat rationes Caietani comprobant: ipse verò contendit, quòd sit etiam solubile per dispensationem Pontificis, quod re vera nullatenus facit probabile.

Status litis.

Solat. 1.

Vnde id ipsum, quod tanquam sibi exploratissimum supponit: nempe quòd si matrimonium consideretur quatenus est in officium & remedium sit dissolubile, nisi distinctionis cõdimento temperetur, falsum est. Imò verò statim ab ipsa eius institutione in Adam matrimonium per consensus legitimos ratum fuit iure diuino & naturali indissolubile, nisi Deo ipso dispensante. Id n. significant verba illa Adæ, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: quæ quidem verba in statu innocentiæ ante consummationem matrimonij prolata sunt. Et confirmatur id planè, quia Christus Matth. 19. vt ex professo matrimonij vinculum indissolubile ostenderet, ad illa verba Adæ causam retulit: ex quibus concluſit: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Ex quo fit consequens, verbum hoc de matrimonio rato ante consummationem intelligi.

Alia confirmatio.

Rursus id inde confirmatur, quòd Iudæi interrogantes, an possent dimittere vxores quacunque ex causa, non loquebantur solùm de consummato, sed indiscriminatim etiam de rato. De quo respondit: Quos Deus coniunxit, homo non separet. At quia in hoc punctum controuersiæ consistit, id exactiùs examinemus, iuris enim interpretes inde suam hauserunt opinionem, quòd capit. Ex publico. de conuersio. coniuga ait Alexander, verbum illud Christi intelligi solùm de consummato matrimonio. In cuius fauorem ait Caietanus, quòd Deus non protulit eadem verba, nisi post illa Adæ, Et erunt duo in carne vna: & tamen non fiunt vna caro, nisi per copulam.

Argum.

Contra hoc tamen est euidens argumentum, quòd vinculum ipsum per mutuum consensum colligatum suapte natura ordinatur ad copulam: & ideo per illum mutuum consensum, tanquam per integram causam, tradunt sibi inuicem coniuges mutuam suorum corporum potestatem, atque ex illo temporis momento verum esse incipit illud Pauli: Vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor, neque vxor sui, sed vir. Quapropter cùm primùm coniux in mora fuerit optandi religionem, tenetur sub reatu peccati mortalis coniugi petenti debitum reddere: ergo sententia Christi: Quos Deus coniunxit, homo non separet, statim post ratum matrimonium verum obtinet.

Deinde & hoc maximè vrget argumentum, quòd carnalis copula, vt paulò ante dicebamus, non est de essentia matrimonij, sed est accidentaria perfectio ad consequendum finem: ergo tota substantia & matrimonij vis consistit in mutuis illis consensibus: atque adeò cùm vinculum matrimonij sit suapte natura indissolubile, naturam illam & nexum ex consensibus ipsis sortitur, quibus alterutrum coniuges potestatem suorum sibi corporum faciunt. Mirabile enim est, quòd cùm inter matrimonium ratum & matrimonium consummatum non sit discrimen nisi accidentarium, ratum natura sua sit dissolubile, & consummatum natura itidem sua indissolubile: cùm tamen vbi discrimen non est nisi accidentarium, natura sit eadem.

Aliud arg.

Alexander ergo, quia solum loquebatur de transitu ad religionem, qui post consummatum matrimonium non licet inuito altero coniuge, non curauit legitimam expositionem verbis Christi subscribere, sed illam quæ sibi sufficiebat. Legitima verò est, quam ex Nicolao Pontifice supra retulimus, can. Scripsit. quòd tunc non homo, sed Deus ipse coniuges separat.

Alexander.

Interpretatio legitima.

Ac perinde ad aliud (quod Caietanus minimè inspexit) respondetur, quòd cùm alter infidelium coniugum fidem suscipit, dirimitur matrimonium per Dei dispensationem, nam si ambo conuertantur, dirimi non potest. Natura namq; matrimonij, quæ ipsum facit indirimibile, semper est subiecta dispensationi Dei, qui sic ipsum instituit, vt ratione fidei dirimeretur, & rursum ante consummationem ascensum non cohiberet ad religionem, quem ipse quoque vt perfectiorem statum condidit.

Sed obijciet forsan contraria opinio, quòd cùm Papa dispensat, tunc non homo, sed Deus coniuges separat, quandoquidem Papa autoritate Dei fungitur. Hæc autem obiectio principium petit: ob idque nullius est roboris. De hoc enim controuersamur, an talis fuerit Papæ commissa facultas. Quod enim ipsi aiunt, matrimonium consummatum natura ipsa esse indissolubile, id ipsum nos ostendimus rato etiam competere. Quare cùm Christus ait, homo non separet, Pontificem etiam ipsum exclusit, quasi talem potestatem ei non committeret: quia super iure diuino & naturali, quale illa verba significant, Papa minimè dispensat. Id enim ipsum illi concedunt de consummato: & tamen inter ratum & consummatum nequeunt tantum discriminis ostendere, vt non eodem modo intelligatur de rato.

Obiectio.

Dilutio.

Pontifex nequit dispensare.

Autoritas verò Martini & Eugenij, si ita verum est, quòd similem dispensationem fecerunt, nullatenus tanquam Ecclesiæ determinatio mouet: quia factum Pontificum non facit fidei articulum, sed opinionem Canonistarum sunt secuti. Et tamen alij Pontifices non leguntur talem fecisse dispensationem, cùm tamen credibile sit, creberrimè oblatos fuisse dispensandi casus. Imò Adrianus 6. vir tum vtriusque iuris peritissimus, tum & rei theologicæ non infimè doctus, cùm ab illo huiusmodi dispensatio fuisset postulata, oblataque fautrix sententia Caietani, demiratus est, virum theologum hoc sibi in animum inducere potuisse: & ideo improbis precib. succumbens respondit, se dare quod posset, sed tamen credere nihil posse.

Ad historias.

Adrianus.

At quo tandem illam opinionem exulceremus, si matrimonium ratum non esset natura sua indissolubile, profecto non solùm Papa, sed etiam Episcopus dispensare super eo posset: nam quicquid potest Papa in huiusmodi dispensationibus, potest episcopus, nisi sit prohibitus. Quinuerò nihil mirarer, si quispiam inferret, quod etiam citra dispensationem possent se coniuges separare. Nam si verbum illud: Quos Deus coniunxit, &c. non intelligatur de matrimonio rato, vnde rogo conuincitur, arctiorem nexum esse in matrimonio rato, quàm in sponsalibus de futuro? Et ideo saltem si de facto separarentur, & alia matrimonia consummarent, teneret factum.

Argumentũ vrgens.

In summa, si hæc dispensatio semel vsu admitteretur, frequentissimi essent qui eam procurarent: & sic contractus matrimonij adeò esset languidus, vt vix vllius esset roboris. Id quod experientia nos docuit: nam

Nota.

plurimi hac opinione Caietani coarmati Apostolicam sedem super tali dispensatione pulsarunt, qui tamen repulsam meritissimò passi sunt. Absit ergo vt hæc opinio, his maximè temporibus audiatur, quando hæretici tam multis de causis putant matrimonium dirimendum. Caietanus vtinam nunquam de hac re Erasmum legisset, vt dist. 36. iterum adnotabimus, qui eadem facilitate dixit, matrimonium fornicationis causa non modo quoad torum separari, verùm & quoad vinculum disrumpi.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur, quod nos in capite obiecimus, argumentum respondetur, quod etsi cæremonia solennis voti ex statuto Ecclesiæ, vt ait Pontifex, sit inuenta: tamen ex natura rei sit illic traditio, qua homo in connubium spirituale Dei mancipatur, vt d. 38. q. 2. iterum dicturi sumus. Quocirca dissolutio matrimonij rati per ingressum religionis non fit iure Pontificio, sed diuino, quia fit transitus ad fœliciorem statum. Quare citra talem religionis ingressum non est in potestate Pontificis eiusmodi matrimonium discindere.

Solutio argumentorũ Caietani. Ad alia argumenta Caietani, scilicet, quod inquantum matrimonium ratum est sacramentum, non est indissolubile, iam respõsum est, primùm quod causa indissolubilitatis matrimonij rati non in hoc potissimum fundatur quòd sit sacramentum nouæ legis, sed in iure naturæ & diuino ab eius exordio. Nihilominus etiam inquantum est sacramentum, licet sit solubile per ingressum religionis, non tamen aliter. Et ad hoc propositum ait S. Th. quod non significat vnionem Christi cum humanitate, quæ vnio est indissolubilis, sed cum anima per gratiam, quæ est amissibilis. Et rursum quod non est integrum & perfectum. Non quòd ei deficiat integritas vlla aut perfectio essentialis, sed solùm accidentalis, & carnalis, qua ratione per congeminationem matrimonij rati, aut per vnum matrimonium ratum & alterum consummatum non fit homo bigamus; quia irregularitas bigamiæ respicit copulam. Hoc tamen solum inde sequitur, quòd sit dirimibile per aliud connubium spirituale, quod est causa fœlicioris gratiæ: non tamen vllatenus sequitur, quod sit alia via dirimibile. Aliud verò Leonis dictum in can. Cùm societas. si id ponderis haberet, quod Caietanus putat, multò plus concluderet, quàm ipse vellet. Habetur enim illic, quòd præter commistionem sexuum, mulier non pertinet ad matrimonium. Sequeretur ergo inde, quod matrimonium ratum non esset matrimonium. Ergo vel intelligitur, quod præter copulam non est matrimonium perfectum perfectione accidentali: vel aliter, vt dist. præcedenti, qu. 2. art. 4. dicebamus, est interpretandum.

Contra 1. concl. Præterea contra eandem primam conclusionem arguitur. Si potest coniugatus ante copulam ad religionem transmeare, subsequitur quòd possit similiter sacris ordinibus citra religionem initiari: nam cùm votum sit illis castitatis annexum, est etiam ille status matrimonio perfectior. Vel saltem, poterit ad episcopatum inuita vxore conscendere: nam vt est in iure, Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te. Status autem religionis vincit statum matrimonij, cùm ergo episcopatus, vt lib. 10. de iustit. & iure dicebamus, religionem perfectione superet, fit vt fortiori ratione possit coniugatus fieri episcopus. Ad hoc respondetur consequentia perempta. Haud enim licet sine licentia vxoris sacros ordines suscipere, vt vtroque can. Vxoratus. † de conuer. coniug. cauetur, neque ad episcopatum promoueri, vt ibid. cap. Sanè. habetur. Nam cùm prædicta cap. inter matrimonium non distinguant, siue ratum sit, siue consummatũ, veritatem continent etiam in non consummato, vt bene ait Durand. dist. præsenti q. 2. & Palud. q. 3. Quamuis Hostiensis in sua summa contrarium insinuet. Et ratio est plana: quia nequaquam coniugato licet altero inuito statum mutare, nisi quando per talem mutationem matrimonium dirimitur, vt qui manet in seculo possit aliud contrahere. Per susceptionem autem ordinis vel episcopatus non dirimitur matrimonium: vt expressa determinatio est Ioan. 22. in Extrauag. Antiquæ concertationi. sub titulo de voto: quia illa non est mors spiritualis: neque enim vouent pauperratem aut obedientiam eo modo quo religiosi: & votum continentiæ annexum non est de essentia sacerdotij. Potest enim Papa dispensare, vt sacerdotes vxores habeant, vt Græci. Et tamen si dispensaret cum sacerdote in virtute continentiæ, non posset ille cum alia contrahere, sed deberet cum priori cohabitare, quod est signum, matrimonium per susceptionem ordinum non dissolui, atque adeò neminem posse inuita vxore ordinari. Alioqui compulsa illa esset perpetuæ castitati addici. Imò verò, vt in prædictis cap. legitur, non sufficit simplex consensus vxoris, vt habetur cap. Ex parte. in 1. de conuer. coniug. sed requiritur, vt continentiam ipsa etiam voueat: quinimo si non sit ætate prouecta, nempe sexagenaria, requiritur vt religionem profiteatur: scilicet, vt matrimonium dirimatur. Si verò fuerit sexagenaria, satis est vt simplex votum continentiæ faciat, per quod iuri suo petendi debitum abrenunciat. Quod si non fecerit, & maritus ordinetur, potest illum in consortium coniugale repetere: ille autem manet ordinatus, sed irregularis.

Solut. arg. Et per hæc soluitur argumentum supra factum: quia votum continentiæ non perinde est de essentia ordinis, sicut de essentia religionis. Et episcopatus quamuis sit altior quàm religio, eo quòd episcopus profitetur se perfectionem habere, ad quam religiosus ascendit, non tamen est eiusdem generis, quia non est mors spiritualis. Quòd si arguas secundum opinionem supra citatam, quòd Ioannes vocatus est de nuptijs ad apostolatum: & tamen episcopi succedunt apostolis. Respondetur, quòd præterquam quòd Christus potuit quod voluit facere, apostoli fuerunt religiosi, in quo ordine episcopi non succedunt illis, sed in eo quod sunt pastores. Potest tamen vt bene ait Palud. coniugatus eligi in episcopum, dum tamen ante votum continentiæ vxoris non confirmetur: quia semper in electione subintelligitur consensus vxoris. Nisi forsan ante matrimonij consummationem religionem profiteatur, vnde in episcopatum resumatur.

Paludani opinio.

Coniunx ante copulam non potest ad religionem non approbatã transire. Hinc fit neutrum coniugum ante copulam posse transire ad religionem, nisi sit approbata, cuius votum solenne impediat dirimatq; matrimonium. Quare non satis est, vt sponsa fiat beata nostri ordinis, nec sufficit coniugatum fieri militem in religione militari, nec sufficisset antequam cum illis dispensatum esset, vt vxores haberent. Nam certè per talem habitum militarem non dirimitur matrimonium. Secus de eorum clericis & monialibus, qui viuunt in claustro.

Per ingressum religionis D Ioannis cruce signatorum. Quocirca, si mea modò sit audienda opinio, per ingressum religionis diui Ioannis (loquor de militibus) affirmare non auderem dirimi matrimonium ratum, aut posse coniugatum inuita vxore illam religionem profiteri, vt de sacerdotio dictum est. Nam etsi cum illis hactenus super nuptijs dispensatum non fuerit, arbitror tamen, sub aliorum censura, posse cum illis salua eorum religione sicut cum cæteris dispensari, licet non esset ita honestum & condecens.

Inducia duorum mensium. Præter hæc quæ dicta sunt, obseruanda est iuris præscriptio in prælegato ca. Ex publico. etenim ne nimiam sponsi licentiam vsurparent renuendi debitum soluere, causantes quod habent in animo religionem ingredi, præscriptum eis est duorum mensium spatium, quo possit vterque de illa religione deliberare: & præterea, vt ait S. Tho. vt præparentur: quæ ad nuptiarum solennitatem necessaria sunt: & tertiò ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauit sponsus dilatam. Sic n. emendanda est litera canonis, Institutum. 27. q. 2. qui est Augustini lib. 4. confessionum. Quo spatio transacto neuter potest differre debitum reddere petenti.

Triplex ratio. At verò si infra tale bimestre tempus habitum induat, tunc dubitatur vtrùm tempus professionis debeat abbreuiari, ne qui manet in seculo tamdiu expectet. Bernardus n. in apparatu super cap. Statuimus, de regularibus absolutè tenet fore abbreuiandum. Glossa verò super can. Desponsatam. 27. q. 2. distinguit, quod si coniunx ingressus est de consensu alterius, expectandus est annus. Si verò contra eius voluntatem, tunc est tempus abbreuiandum. Sed multò certior, imò certissima est opinio Durandi & Paludani, & Hostiensis in summa, quòd etiam si ingrediatur altero inuito, non est compellendus renunciare iuri suo, quo sibi conceditur annus probationis. Nam si iure ei licet habitum induere, illum cum priuilegijs iuris induit, præsertim cum annus probationis etiam in fauorem monasterij sit concessus. Quare qui manet in seculo, totum annum expectare tenetur: quia ante alterius professionem ad alias nuptias migrare non potest.

Quid autem iuris, si sponsus infra illud tempus bimestre vi sponsam compresserit renuentem, quæ dicebat se velle religiosam fieri, num post illam violentam

Alius incipit Coniugatus.

Durandus. Hostien. Ratio.

Matrimonium per susceptionem ordinum non dissoluitur.

Solut. arg.

consum-

Sponsa vi oppressa ab sponso, an alio renuente possit religionem profiteri.

consummationem copulæ semper sit puellæ integrum, & licitum desiderium religionis explere. Apparet n. licitum ei semper manere: quia contra suam voluntatem non potuit per vim suo priuari iure. Ad hoc non desunt qui respondeant, sponsum nullam iniuriam inferre sponsæ dum vi debitum extorquet ab illa, eo quòd ipsa per consensum de præsenti fecit ei illam facultatem petendi. Alij per illud extremum aiunt iniuriosam violentiam puellæ inferri, cui ideo ius etiam permanet transeundi ad religionem. Media verò incedit veritas: est n. peccatum mortale ante duos menses sponsam affirmantem in animo habere religionem, comprimere: quoniam licet consenserit in copulam, semper tamen consensus intelligebatur cum beneficio iuris, quo sibi conceduntur induciæ bimestres ad religionem. Nihilominus etiam illo pacto consummata copula religionem ingredi nequit altero inuito: quoniam matrimonium ratione consummationis fit natura sua simpliciter indissolubile: & ideò quod per vim vel sponte consummetur, accidens est, quod naturam mutare non potest. Ipsi ergo puellæ imputetur quæ non sibi satis cauit. Neque mirum si quis absque sua culpa ius amittat ingrediendi religionem, vt si aliam infirmitatem incurreret, qua fieret ad id inhabilis.

Opinio quorundam.

Opinio aliorum.

Sententia autoris.

Nota.

Ratio.

Circa 2. cõcl.

Circa secundam conclusionem de matrimonio consummato oriuntur etiam nonnulla dubia. Arguitur enim quod nec per mortem temporalem dissoluatur. Nam si defunctus maritus vitæ restitueretur, vt Lazarus, apparet priori vxori tunc restituendum iuxta verbum Pauli ad Hebr. 11. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Respondetur, absque dubio matrimonium per mortem dissolui, vt citatus Paul. ad Rom. 7. autor est: quia matrimonium contractus temporalis est: omnia autem temporalia vincula per mortem dissoluuntur. Mulierum autem nomen in autoritate inducta non accipitur pro vxoribus accipientibus maritos, sed pro quibuscunque recipientibus filios, aut alios sibi cognatos & charos, vt de Sunamite, & alijs libr. 3. & 4. Reg. legitur, quibus Elias & Elisæus filios suscitarunt. Quare nulla est quorundam glossa dicentium, quòd dum mortuus post breue tempus suscitatur, non est illa propriè æstimanda mors, & ideo non dissoluitur matrimonium. Imò quæcunque separatio animæ à corpore sufficit ad illud dissoluendum.

Solutio.

Matrimonium consummatum nunquam quoad vinculum dissoluitur.

At verò citra mortem nullatenus dirimi potest quoad substantiam & vinculum, quantumcunque post consummationem coniuges castitatem voueant, & alter vel ambo religionem ingrediantur, eo quod suapte natura & diuino iure consummatum matrimonium simpliciter est indissolubile. Veruntamen separatio ex vtriusque consensu fieri potest quoad torum, vt ait Augustinus cano. Quod Deo placet. 33. quæst. 4. Et Grego. cano. Sunt qui. & in 8. Synodo, Si quis coniugatus. 27. q. 2. Tametsi cano. Si vir & vxor, caueatur ne id vllatenus sine episcopi conscientia fiat. Quamuis illud non sit de essentia: quia vota sine eius licentia tenerent. Id quod ius ipsum diuinum permisit, vt 1. Corinth. 7. docet Paulus dicens, Nolite fraudare adinuicem nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Inde enim consequitur, quòd vbi incontinentiam non timent, possunt ambo in votum continentiæ consentire.

Bifariam coniuges possunt vouere continentiam.

Id autem fieri bifariam potest. Vno modo, vt separato toro maneant in seculo. Enimuerò vt lib. 7. de iusti. & iure quæst. 3 art. 1. diximus, quando vnus tantùm votum continentiæ de consensu alterius fecit, potest alter qui facultatem dedit, illam reuocare, vt ait Augustinus cano. Manifestum 33. quæstio. 5. Imò durante etiam voto tenetur petenti debitum reddere, licet petere nequeat. At verò vbi ambo eodem consensu idem votum castitatis emiserint, iuri ambo renunciarunt exigendi debitum, atque adeo neuter potest petere aut reddere sine dispensatione voti.

Secundus modus.

Potest præterea & secundo modo id fieri per ingressum religionis amborum aut alterius coniugum. Si enim ambo communi consensu religionem profitentur, nemini dubium quin professio teneat, neque est in illorum potestate reuocare votum.

Iuris cautela.

Potest & vnus solus de alterius consensu intrare altero in seculo remanente, vt habetur cano. Agathosa. vigesimaseptima quæstione secunda. Sed tunc consideratior habenda est cautela secundùm iura, & de illo, qui in seculo remanet, distinguendum. Nam si est mulier ætate prouecta, nempe sexagenaria (& idem est de viro) quæ in periculo castitatis iam non versatur, satis est si in seculo continentiam voueat. Si verò est iunior ætate, cui idcirco idem periculum timendum est, non sufficit simplex eius votum, vt alter religionem intret, sed ambo tenentur religionem profiteri, vt ex eodem can. Agathosa. colligitur, & expresè habetur ca. Cùm sis. de conuersi. coniug. & cap. Ex parte abbatis. ibidem.

Gloss. can. Agathos.

Quòd si contra arguàs. Quando vterque votum simplex continentiæ fecit, iuri renunciauit petendi debitum, nec potest illud reuocare: ergo licet ipsa iuuenis maneat in seculo, potest ipse religionem ingredi. Negatur consequentia: quoniam periclitante altero de pudicitia, consilium est, vt super dicto simplici voto dispensetur ab episcopo. Atque hac de causa non permittitur fieri solenne in vno, nisi fiat in vtroque. Vnde gloss. prædicti can. Agathosa. scilicet, quod sufficit consensus vxoris, licet expresè non voueat nec intret religionem, vt maritus possit ingredi, quia tunc ipsa compellerur intrare, certè non est tuta, nec habetur in practica, sed prædictis canonibus aduersatur. Nam licet in can. ab illa glossa citato, Qui vxorem. 33. q. 5. præcipiatur, vt qui vxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur, præsumitur tamen, quòd qui id permiserat, iura sciret, quibus compellebatur intrare, alioqui posset excipere dicens, quod putaret se posse manere in seculo. Et iste est casus capi. Ex parte abbatis. de conuersio. coniuga. vbi maritus compulsus est redire ad vxorem licet ipsa consensisset. Et ideo neuter est admittendus ad religionem, nisi vterque intret.

Ca. Veniens. Nota.

Casus autem ca. Veniens. de conuersio. coniugat. diuersus est. Fecerat quippe maritus professionem consentiente vxore manente in seculo. Sed quia illa postmodum fornicata fuit, non fuit maritus compulsus exire, nec ipsa intrare: quoniam fornicationis causa poterat fieri diuortium. Si verò vnus de alterius consensu manentis in seculo intret religionem propter ignorantiam, vt in casu citati cap. Ex parte. tunc ipsa mortua non potest ad secundas nuptias transire, sed tenetur ad monasterium reuerti, vt eo. cap. habetur: quia votum fecerat de consensu vxoris, solùm per illam reuocabile. Attamen qui contra voluntatem vxoris votum fecit castitatis solenne in religione credens id posse, tenetur ad vxorem redire: neque verò illa mortua compellitur ad monasterium reuerti: quia votum non fuit solidum religionis. Non tamen potest ad alias transmeare nuptias: quia votum quatenus in sua erat potestate consolidauit, scilicet, non petendi debitum. Definitio est cap. Quidam. eo. tit.

Quod hic de separatione tori post consummatam copulam per ingressum religionis de consensu alterius dictum est, id per susceptionem ordinum aut episcopatus intelligendum etiam venit. Vxore enim castitatem vouente si est sexagenaria, vel religionem ingressa, si est iunior, potest vir citra religionem sacros ordines suscipere, & episcopus fieri. Id quod de Diuo Hilario Pictauiensi episcopo legitur, qui cum episcopus esset, vxorem habebat & filiam. Definitio est cap. Sanè, de conuersio. coniugato.

Propter fornicationem separatur torus.

Præter hos casus absque consensu alterius potest separatio fieri quoad torum fornicationis gratia, vt dist. 36. videbitur. Tunc enim facto diuortio, quamuis fornicationis reus maneat in seculo, potest alter innocens religionem ingredi. Cuius exemplum legitur in Paulo simplice. Imò si vxor fornicata est, potest vir ad sacros ordines extra religionem promoueri: quoniam solutus est vinculo reddẽdi debitum, nisi fornicatiæ pepercerit. Collige ergo tres casus, quibus matrimonium soluitur. Quoad substantiam namque non nisi ante copulam dirimitur, idque etiam altero inuito, non tamen nisi per ingressum religionis. Consummati verò separatio fit quoad torum, non tamen nisi per consensum alterius, aut fornicationis gratia. Ex quo fit, quòd licet ante copulam discrimen sit inter ingressum religionis, & susceptionem ordinum, tamen consummata copula, quocunque euentu vir potest religionem ingredi, potest etiam sacros ordines suscipere. Quod ante nos Paluda. dist. præsenti quæstio 3. probè concessit.

Quæstio secunda.

DE SPONSALIBVS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sponsalia conuenienter dicantur futurarum nuptiarum promissio.

QVONIAM definitum est consensum matrimonio necessarium esse de præsenti, vt oppositа iuxta se posita clariùs innotescant, quæritur de sponsalibus quemnam habeant effectum. Et arguitur prius de nomine, quòd sponsalia non sint futurarum nuptiarum promissio, vt ait Nicolaus papa canon. Nostrates. 30. q. 5. Sponsus namque, vt nomen sonat, ab sponsalibus dicitur, ait verò Isidorus li. 9. etymologiarum ca. vlt. quod sponsus non dicitur quia promittit, sed quia sponsores dat: ergo sponsalia non sunt idem quod promissio.

Partis negatiuæ.

1. Arg.

Secundò. Si sponsalia essent promissio, sequeretur quod in foro Ecclesiæ compellendi essent sponsi ad matrimonium: nam promissio obligationem parit: & tamen Ecclesia sponsos non compellit, vt patet cap. Præterea. de sponsalibus. ergo sponsalia non sunt promissio.

2. Argum.

Tertiò. Nullus dicitur sponsus nisi ab sponsalibus: vocatur autem sponsus non solùm qui contraxit per verba de futuro, sed etiam qui contraxit per verba de præsenti, vbi realis interuenit datio & acceptio: ergo sponsalia non sunt promissio.

3. Argum.

In contrarium est autoritas iuris, vt allegata Nicolai, & l. sponsalia. ff. e. ti. vbi habetur, quòd sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum.

Pars affirmatiua.

Sponsalia, vt nomen ipsum sonat, ab spondendo dicuntur: spondere autem est sponte promittere: quod ideo nomen connubio, quod libertimum esse debet, dignè coaptatur. Quapropter Vlpianus eo. tit. l. 2. sponsalia, inquit, dicta sunt ab spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi vxores futuras. Vnde, vt Florentinus subdit, sponsi sponsæque appellatio nata est. Hunc autem ritum Gellius li. 4. c. 4. ex Seruio Sulpitio lib de dotibus refert. Nam qui vxorem ducturus erat, à parente vel tutore puellæ stipulabatur: hoc est, postulabat eam sibi in vxorem promitti: spondebatque adeò illam se ducturum, sponsoresque promissæ fidei dabat & fideiussores, fortè de seruanda dote: quia tunc lex illa & consuetudo vigebat, quæ postmodum reuocata est in Codice, Ne fideiussores dotium dentur, ne s. vir vxori fideiussorem dotis exhibeat: licet vxor pro dote, quam marito promittit, talem fideiussorem dare permittatur, vt l. Cùm dotis. ff. de iure dotium. Quod si pater illam promittebat, contractus illi vtrinque mutui sponsalia dicebantur. Atque adeò qui puellam spondebat, dicebatur sponsor, vt pater: Puella verò, quæ promittebatur & spondebatur, dicebatur sponsa. Vnde apud Terentium, Aliam pater ei desponderat natam Chremetis. Sponsus verò non ea ratione dicitur, quia promissus, sed quia ei fit promissio: vel quia, vt ait Isidorus, sponsores dat, vt sponsus idem sit, quod sponsoribus stipatus. At verò non solum pater dicitur spondere filiam, sed & ipsa se etiam spondet, & iuuenis eam dicitur despondere sibi.

Sponsalia vnde.

Vlpianus.

Gellius.

Sponsus.

Isidorus.

Est autem consideratè animaduertendum, vt ait impræsentiarum S. Tho. art. 1. solu. ad 6. quòd cùm duo in matrimonio considerentur, scilicet coniunctio matrimonialis, & vsus ipse, dupliciter dicuntur sponsi. Vno modo ratione futuri coniugij: quia scilicet tantum sponsalia contraxerunt. Et isti sunt simpliciter sponsi, quia non sunt verè coniuges: coniuges enim sunt verè coniugati per coniugium de præsenti. Quare in rigore sponsi & coniuges opponuntur. Sed aliter dicuntur sponsi, ipsi etiam coniuges per verba de præsenti ante copulam. Sponsi scilicet, respectu futuræ copulæ, quam sibi inuicem implicitè spoponderunt.

S. Thom.

Sponsi dupliciter dicuntur.

Quo pacto beata Virgo fuit verè coniunx Ioseph. Quod quidem adnotatu est necessarium ad intellectum plurimorum canonum, qui nomine sponsi & sponsæ diuersimodè vtuntur.

Tres ergo dignoscendi sunt gradus impræsentiarum. Primus, cùm sponsalia tantùm de futuro fuerint contracta, quod non sufficit, vt dicantur coniuges. De qua desponsatione loquitur can. Si quis sponsam. vigesimaseptima, quæstione secunda, vbi habetur, quòd si quis sponsam filij sui oppresserit, filius aliam accipiat. Quod non liceret si fuisset sponsa de præsenti. Et can. Quidam desponsauit. ibidem. vbi illa, quam quidam sibi desponsauerat, oppressa à fratre sponsi, non prohibetur quin possit alteri viro nubere. Secundus gradus est, quando interueniunt consensus per verba de præsenti: & illi dicuntur sponsi respectu futuræ copulæ, & nihilominus viri coniuges. Et sic accipitur desponsatio ab Isidoro & Augustino can. Coniuges. & can. Coniunx vigesimaseptima, quæstione secunda, vbi habetur, quòd coniunx verius appellatur à prima desponsationis fide, quamuis ignoretur concubitus. Et can. Qui desponsatam, quo ait Gregorius, Qui desponsatam puellam proximi sui acceperit in coniugium, anathema sit. Vbi subditur moris esse diuinæ legis sponsas (scilicet per verba de præsenti) appellare coniuges; vt in Euangelio, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Et Deutero. 21. Si quis desponsatam hominis puellam oppresserit, moriatur, quia vxorem proximi sui violauit. Tertius gradus est, dum res vxoria per copulam consummatur. Quod quidem matrimonium, vt diximus, non potest, nisi amborum consensu quoad torum dissolui. Et tunc maximè mulier dicitur vxor. Qua ratione Origenes can. Inuenta 27. q. 2. noluit admittere, vt beata Maria diceretur vxor Ioseph. Vnde verbum Gratiani can. Decreta. vbi intulit, inter sponsum & sponsam coniugium non esse: quia sponsa sine consensu sponsi potest intrare religionem, coniunx verò non nisi de consensu coniugis, non est verum nisi sit sermo de sponsis per verba de futuro. Nam inter sponsos per verba de præsenti est verum coniugium, & tamen vterque ante copulam sine alterius consensu potest religionem intrare. Quare verbum illic Gregorij, Decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo consueuerunt damno mulctare, etiam de desponsata per verba de præsenti, licet iam tunc dicatur coniunx, intelligitur. Antea tamen quàm fuerit matrimonium consummatum.

Tres gradus ad matrimonium. Primus.

Secundus gradus.

Tertius gradus.

His ergo præmissis ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Sponsalia sunt mutuæ promissiones viri & fœminæ de contrahendo matrimonio. Probatur per etymologiam iam expositam. Quapropter veluti matrimonium non perficitur nisi per mutuum vtriusque consensum, ita neque sponsalia vim obtinent, nisi per mutuam vtriusque partis promissionem. Nam consensus, qui de præsenti faciunt matrimonium, de futuro faciunt sponsaliâ. Quocirca si ipsa tantum polliceatur viro se nupturam, aut si vir duntaxat polliceatur Mariam ducere, quousque ambæ inuicem promissiones coeant, non sunt sponsalia,

1. Concl.

Ratio.

In contrarium tamen arguitur. Simplex promissio, quando iusta est, & honesta, vim obtinet obligandi: ergo dum iuuenis pollicetur Mariam ducere, & ipsa promissum acceptat, iam ille tenetur seruare promissum, etiam si non ipsa statim sese illi spondeat, sed tempus deliberandi accipiat: ex quo subsequi videtur sponsalia non esse mutuam promissionem. Ad hoc respondetur concesso antecedenti, negando hanc vltimam consequentiâ. Conceditur, inquam, illâ promissionem esse obligatoriam, non quidem in vi sponsaliorum, quousque reciproca promissio alterius partis accedat, sed in vi simplicis promissionis. Quare non est illa obligatio tanti valoris, quanti sunt sponsalia. Nam si altera pars diu deliberationem prolatet, censetur alterius promissionem contemnere.

Obiectio.

Solutio.

Secunda conclusio. Sponsalia neutiquam sufficiunt ad matrimonium contrahendum, nisi nouus consensus de præsenti accedat vel formalis, vel virtualis per consummationem copulæ affectu maritali. Probatur, quoniam matrimonium est vera & realis traditio, qua se sibi mutuò coniuges dedunt: promissio autem non est traditio: aliud enim est nuptias polliceri, atque aliud nubere.

2 Concl.

Ratio.

Quòd si contra arguas. Sicut præsens se habet ad

Obiectio.

præsens, ita futurum ad futurum: ergo sicut consensus
Dilatio. de præsenti facit matrimonium de præsenti, ita consensus de futuro facit de futuro. Respondetur, argumentum amphibologia laborare. Si enim antecedens in hoc sensu vsurpetur, scilicet, quod sicut consensus de præsenti facit tunc temporis matrimonium: ita consensus de futuro facit illud in tempore futuro: negatur quidem, quia consensus de futuro non est realis traditio, sed promissio. Si autem sumatur in hoc sensu, quòd sicut consensus de præsenti facit matrimonium in præsenti, ita & consensus de futuro parit obligationem contrahendi illud in futurum, conceditur, sed nihil contra conclusionem. Et est sic intelligenda conclusio hæc, quòd licet consensus interni sint de præsenti, si tamen illos non sibi inuicem per verba de præsenti explicent, sed tantùm per verba promissoria de futuro, non fit matrimonium.

Nota. Quòd si scisciteris, Quisnam ergo effectus est sponsaliorum? Respondetur, esse obligationem, quæ inde nascitur ad contrahendum postea, nisi legitima intercesserit causa dirimendi, vt artic. vltim patebit.

Hinc sequitur, quòd sponsalia non sunt de essentia matrimonij: quia absque illis præcedentibus potest illico matrimonium contrahi per verba de præsenti. Sunt tamen non prorsus impertinentia, imò sæpe conducentia, præsertim cùm sub conditione fiunt: quia non possunt conditiones dotium vel aliarum rerum ita facilè conuenire: eo quòd iste contractus est omnium ciuilium grauissimus, vtpote quo homo de tota vita disponit. Et erant olim maximè in more, quando banna erant in vsu, quæ quidem post sponsalia fiebant, ad explorandum si qua essent matrimonij impedimenta. Iam verò non sunt in tanta celebritate. Et quemadmodum matrimonia, sic & sponsalia, imò fortiori ratione possunt inter absentes: per procuratores vel literas fieri, l. vlt. ff. eod. tit. imò & inter solos parentes iuuenum tractari, & concludi, vt artic. proximo videbimus.

Nota verborum vim Est tamen circa hanc conclusionem oculatissimè discernendum inter verborum vim, vtrùm nudam habeant significationem de futuro, an verò virtutem præsentis. Si enim dicant, Accipiam te, manifestum est verbum futuri. Sed si dicant, Habebo te in meam, & te in meum, aut Tenebo te, vel reputabo te pro mea, & tractabo te sicut meam, aut quid simile, verbum ambiguum est. Nam facere sensum potest, ex nunc, & sic æquipollet verbo de præsenti: quoniam quòd vir habeat fœminam pro sua, fieri legitimè nequit, nisi consensus antecedat: quare si ex nunc vel posthac habiturus est eam pro sua, signum est iam nunc consentire de præsenti. Et idem erit si dicant, Eris posthac, seu ex nunc meus, & eris mea. Secus si dicat, Esto mea vxor, aut meus vir: quoniam hoc futurum est imperatiui, quasi rogantis aut petentis consensum. Et ideo non denotat inchoationem ex illo articulo, vt cùm testator ait, Hæres meus esto, non intelligit nisi post suam mortem.

Verb. volo. Eadem fere amphibologia latet sub verbo, volo, vt si quis dicat, Volo te esse vxorem meam: & ipsa volo te esse virum meum. Sunt enim qui negant satis esse ad matrimonium contrahendum. Attamen quia, volo, æquiuocum est, si idem valeat quod consentio, & voluntatem, id est, assensum præbeo, matrimonium est: secùs si idem sit quod cupio vel desidero. Si autem dicant, Volo tecum contrahere: & ille respondeat, Ego tecum, non satis est ad matrimonium: quia velle contrahere, non est contrahere. Quocirca in eiusmodi verborum nubilo vtendum est regula Hilarij in cap. Intelligentia. de verborum significa. vbi ait, Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Est enim pensanda in primis materia subiecta, vtrum scilicet tunc de sponsalibus, an verò de matrimonio de præsenti ageretur. Et secundum hoc interpretanda sunt verba, Præterea, vt Alexan. tertius cap. Ex literis. in 1. de sponsalibus admonet, inspiciendum est iudici in similibus dubijs si matrimonium contracturi ad id sint
Nota. idonei scientia & ætate. Quo cognito, si alter non intellexit quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur vterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare. Hæc ibi. Et est cæteris paribus sententia in fauorem illius ferenda, qui simpliciter loquebatur, contra alterum, qui fraudem nectere videbatur, in foro quidem exteriori: nam in foro conscientiæ, vbi nullus interfuerit consensus de præsenti, nullum existit matrimonium.

3. Concl. Tertia conclusio. Sponsalia fieri possunt aut absolutè, aut sub cõditione. Absolutè quidem quatuor modis, vt ait impræsentiarum S. Thom scilicet aut nuda promissione, vt accipiam te in meum, aut meam, aut promitto te accipere. Secundò, per annuli subarrhationem, vt can. Si quis vxorem, ait Greg. & can. Si quis desponsauerit, Iulianus papa, 27. q. 2. Quanquam illic non fiat mentio de sponsalibus de futuro, sed de vero coniugio de præsenti: nam subditur, quod illam sic annulo subarrhatam defuncto sponso, etiam ante carnalem copulam, nemo de consanguineis ob publicam honestatem possit accipere in vxorem: & tamen si solùm essent sponsalia de futuro, vt infra distinct. 41. dicemus, liceret. Tertio per arrharum dationem, vt cap. fin. de sponsali. impub. Hoc autem annuli insigne & arrharum donatio, si nulla præcesserint verba, non sunt sufficientia desponsationis documenta, sed solùm ex præsumptione: quia possunt alia de causa conferri; nam & in emptione & venditione solet intercedere arrha, & propter turpes amores donari annulus. Quare si verba de præsenti præcesserunt, sunt confirmatio veri matrimonij: si autem de futuro, sunt sponsaliorum insignia. Quartò contrahuntur sponsalia sub forma iuramenti. Quibus & quintus adhibetur modus, quando impuberes ante legitimam ætatem contrahunt per verba de præsenti, quæ quidem ob defectum ætatis non æstimantur nisi sponsalia.

1. Modus. *Secundus.* *3. Modus.* *Quartus.* *Quintus.*

De conditionibus autem appositis supersedendum modò vsque ad distinctio. 29. quæstione secunda, quia possunt apponi tam verbis de futuro, quàm verbis de præsenti: & ideo illic de vtrisque copiosiùs habendus est sermo.

Sol. 1. arg. Per hæc argumenta proposita soluta restant. Ad primum enim negatur, quòd sponsus dicatur ab sponsalibus, scilicet à promissionibus, quia promissus est, vt sponsa, sed ab sponsorum, hoc est, fideiussorum dãtione, quibus confirmantur sponsalia, quæ sunt promissio.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd etsi sponsalia promissionem includant, ac subinde obligationem, nihilominus in foro exteriori non compelluntur sponsi contra suam voluntatem contrahere propter damna, quæ afferre solent sponsalia coacta, vt cap. citato Præterea. decernit Innocentius. Vtrùm verò dum sponsalia iureiurando confirmantur, sint ab eod. Ecclesia sponsi ad matrimonium cogendi, illico artic. 3. videbimus.

Sol. 3. arg. Tertium etiam solutum est, vbi declarauimus nomen sponsi etiam coniugi competere ante copulam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm septennium tempus sit contrahendis sponsalibus necessarium.

Partis negatiua arg. 1 DE tempore & ætate ad matrimonium contrahendum requisita, d. 35. artic 3. dicturi sumus: de tempore autem sponsaliorum legitimo arguitur, quòd non sit septennium. Contractus, qui per alios fieri potest, non requirit in eis, ad quos pertinet, discretionis vsum: sed sponsalia fieri per parentes possunt vtroque impuberum ignorante c. 1. de desponsa. impube. ergo in illis non requiritur rationis vsus.

2. Arg. Secundò. Sponsalia ad matrimonium ordinantur: sed ad matrimonium contrahendum non idem vtrique præscribitur tempus, vt loco citato videbimus, imò minus puellæ, quam puero: ergo idem deberet in sponsalibus obseruari.

3. Arg. Tertiò. Si qui prope ætatem legitimam pubertatis paulò ante matrimonium contrahant, pro valido habetur: ergo pari iure si paulò ante septennium sponsalia fiant, valebunt.

Pars affirmatiua. In contrarium est decretum can. Literas. can. Accessit. c. Ad dissoluendum. extra. de desponsa. impuber. & c. Vnico. eo. tit. lib. 6.

Concl. Quæstio facillima est, ad quam vnica conclusione respondetur. Sponsalia antequam ambo illorum, ad quos attinent, septennium impleant, non sunt valida.

Ratio conclusionis. Conclusio præter citata iura probatur ratione, quoniam vsque ad illum temporis articulum protenditur infantiæ periodus, qua, vt nomen sonat, homo ea quæ rationis sunt fari nequit: & tamen cùm sponsalia, vt di-

Digitized by Google

ctum est, quædam sint futurorum promissio, exigunt in promittente iudicium aliquod & prudentiam futurorum, alioqui eorum promissio non esset prorsus libera.

Tres gradus cognitionis humanæ.

Primus.

Ad cuius maiorem intellectum, adnotandi sunt tres gradus cognitionis humanæ, quos Philosophus 1. Ethic. dignouit. Primus n. est, quando homo neque suopte ingenio, neque aliorum adminiculo intelligere quidpiam potest ad prudentiam pertinens: quod quidem est tempus ætatis primæ, nempe infantiæ, quæ primo septennio durat. Quia de re tunc non est homo idoneus alicui celebrando contractui: quia nihil deliberare potest, sed eius cognitio penè nihilo à cognitione brutorum differt. Secundus gradus est, quando homo licet non suopte Marte, tamen aliorum subsidio intelligere quidpiam valet, quod nonnullam habeat prudentiæ imaginem. Et hoc est tempus secundæ ætatis, nempe pueritiæ, quæ per secundum septennium currit. Quo ideo tempore, nempe septem annorum, scholis puer ad discendum mancipatur: atque adeò tunc aliquid polliceri potest in futurum, de quo licet tunc obligationem adferat, potest tamen deinceps maturius deliberans mentem mutare. Sed tertius gradus succedit à fine secundi septennij, vsque ad annum vigesimumquintum, quò tertia ætas adolescentiæ procedit. Tunc enim iam homo, scilicet anno ætatis quartodecimo, etiam per se ipsum potest ea deliberare, quæ ad prudentiam spectant. Quare tunc disponere de propria persona potest, & statum eligere siue coniugalem, siue monachalem. Quamuis de bonis suis, ne prodigè dilapidet, disponere iure non permittatur vsque ad vigesimumquintum annum, quo incipit iuuentus.

Secundus gradus.

Tertius gradus.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum conceditur posse parentes antequam nati septennium attingant, sponsalia pro illis contrahere: hoc enim est ius paternum, eo quòd infantes tunc quasi in vtero rationis paterno gestantur. Et in hoc sensu intelligenda est. l. In sponsalibus, la. 2. ff eod. titu. scilicet, In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, vt in matrimonijs Intelligitur, inquam, dum parentes pro filijs contrahunt: nam si filij ipsi ea contrahant, cum ipsi consentire debeant, vt illic habetur, in l. Sponsalia. 2. Septennium debent compleuisse. Imò verò dum parentes pro filijs contrahunt, sponsalia illa dependentia sunt ex consensu filiorum postquam vsum habuerint rationis, vt cap. citato de desponsatio. impuber. habetur. Quòd verò illic subiungitur, nempè, Postquam filius peruenerit ad legitimam ætatem, omnino debet hoc adimplere, intelligitur, quòd debet de honestate, non tamen de necessitate, vt bene ait glossa. Itaque si adueniente vsu rationis reclamauerint, sponsalia nulla sunt. Si verò tunc scientes tacuerint, silentium erit consensus interpres. Quapropter parentes Rebeccæ, vt legitur Genes. 24. puellæ voluntatem requisierunt. Atque eam ob rem parentes ante liberorum septennium districtius à Nicolao Papa inhibentur, cap. Vbi non est, eo. titu. ne ante legitimam filiorum ætatem eos coniũgant, nisi forsitan aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vtpote pro bono publicæ pacis talis coniunctio toleretur. Quare nisi inter principes aut magnates non debent fieri: nam vt habetur c. Literas. Desponsationes in cunabilis nullæ sunt, atque adeò illæ quę fiunt ante septennium: neque vlla inde affinitas contrahitur. Respondetur ergo ad argumentum, septennium requiri vel ad contrahendum sponsalia, vel ad illa confirmandum.

Lex In sponsalibus.

Parentes Rebeccæ.

Nicolaus Papa.

Nota.

Sol. arg.

Obiectio.

Quòd si arguas, ante illam ætatem hominem posse peccare mortaliter: nam vt 4. Dialogorum c. 1. refert Gregorius, quidam puer quinque annorum propter peccatum blasphemiæ à diabolo extinctus est: quem ideo paterna negligentia gehennæ nutriuit. Respondetur, casum illum esse singularem & præter legem, vt tanta esset rationis acceleratio, quæ ad peccatum mortale sufficeret. Non n. est negandum quin quacunque ætate liber sit consensus in peccatum, contrahatur macula. Sed tamen canones attendunt ad id quod plurimum via ordinaria contingit, qua quidem via ante septennium non assolet ratio lucere. Et pariter ad id respondetur, si quis arguat, tunc debere esse valida sponsalia, ex quo alicui possunt futuræ nuptiæ placere, vt in præalleg. c. Literas, habetur: sed ante septennium puellis nonnunquam solent placere nuptiæ. Respondetur, inquam, eiusmodi immaturam complacentiam non tam ex rationis ordine, quàm ex naturæ libidine tunc exurgere, quam ideo canones nihili ducunt.

Dilutio.

Aliud arg

Dilatio.

Ad secundum principale respondetur, quod in contractu matrimonij non tantùm vsus rationis expetitur, verùm & generandi potestas. Puer autem ante finem secundi septennij non est generandi potens: puella autem in duodecimo potest concipere, vt 11. de animalibus autor est Philosophus. Præterquam quòd in viro, cui domus administratio incumbit, maior est necessaria prudentia. Ad sponsalia verò duntaxat exposcitur rationis vsura, quæ vtrique sexui in primo septennio aduenit.

Sol. 2. arg.

Ad tertium verò respondetur, quod vt in matrimonio, ita & in sponsalibus parum pro nihilo reputatur: nam vt 2. Physico. author est Philosophus, Quod parum distat à re, nihil distare videtur. Et ideò si paulò ante finem primi septennij fiant sponsalia, solida reputantur. Tametsi Pan. ca. Iuuenis de sponsalibus, nimius iuris obseruator nihil de rigore canonum remittendum censeat: ita vt si hebdomada, vel fortè dies defuerit, non sint valida. Attamen Archidia & Archiepiscopus Florentinus. & Sylue. verb Sponsalia. §. 2. & communis opinio S. Tho. sequuntur, & meritò: quia moraliter quod parum distat à re, nihil distare videtur. Et ideo hebdomadà non tollit, quin censeatur septennium impletum, imò nec maluisculum tempus.

Sol. 3. arg.

Quòd si percunctaris, quantum sit illud parum, S. Tho. sol. ad 7 ait, à quibusdam taxari tempus sex mensium: puta in septimo anno dimidiato l. Non tantum. de excus. tutorum. ff. Sed melius est, inquit, vt determinetur secundum contrahentium conditionem paulò plus minusve: quia in quibusdam celeriùs matureſcit rationis vsus, quàm in alijs.

Quantum sit illud parum.

ARTICVLVS III.

Vtrum sponsalia iureiurando per verba de futuro confirmata vim habeant matrimonij.

ARTICVLVM præsentem & subsequentem doctores propter ordinem Magistri sentent. in proxima di. futura tractant. At cùm ad sponsaliorum qualitatem attineant, hanc sibi sedem propriè vendicant. Arguitur ergo, quòd si sponsalia de futuro iuramento firmentur, vim habeant matrimonij de præsenti. Nemo se potest contra diuinum ius ad rem aliquam obligare: iuramentum autem implere est iuris diuini, iuxta illud Matth. 5. Reddes altissimo iuramenta tua: ergo nulla subsequens obligatio potest hominem à præterito iuramento absoluere, atque adeò qui post eiusmodi iuramentum se subdit secundis nuptijs, tenetur nihilominus iuramentum seruare contrahendo cum priori: quod non esset verum, nisi illud matrimonium vim habuisset matrimonij de præsenti.

Pars affirmatiua 1. Arg.

Secundò. Omnis controuersiæ finis iuramentum est, vt ad Hebræ. 6 ait Paul. ergo saltem in foro exteriori, vbi constat de iuramento, in eam potius partem propendendum est, quàm in alteram, vbi non nisi humanus consensus simpliciter interuenit: ergo sponsalia de futuro cum iuramento verbis præualent simplicibus de præsenti.

2. Arg.

In contrarium est decretum Alexandri 3. capit. De illis. de sponsalibus.

Pars negatiua.

Facillima est quæstio, & idcirco vnica conclusione contenta, quæ omnium est tam iurisconsultorum, quàm Theologorum confessio. Sponsalia de futuro, quocunque fuerint iureiurando asserta vim non habent contrahendi matrimonij. Et ratio est plana: quoniam iuratio, vt loco citato ait Paul. non est nisi dictorum confirmatio, quod ideo eorum significationem non mutat: igitur si verbis de futuro apponatur, solùm confirmat promissionem: promittere autem matrimonium non est illud facere: qui ergo promittit, licet id iurauerit, nunquam fecit. Vnde Hugo in summa sententiarum tract. 7. cap. 7. cuius rationes Magister Sentent. adduxit, cum non fiant, inquit, coniuges nisi illi, qui se ex consensu ad præsens recipiunt, quomodo coniuges appellari possunt qui nondum fecerunt, sed in futuro se facturos iurando promiserunt? Deinde si ex vi iuramenti ad futurum pertinentis mox coniuges efficiuntur, cur iurant se id postea facturos? Repugnantia enim est iurare se facturos id quod efficiunt, & iterabile non est. Item, qui iurat se matrimonium facturum, iurat consensum se

Concl.

Ratio.

Hugonis ratio.

pòst

Digitized by Google

pòst adhibiturum de præsenti, in quo essentia matrimonij consistit: ergo ipso iuramento denotatur verba illa iurata futuri non sufficere. Bene ergo Papa in *Ratio alia.* præallegato cap. De illis. ait, quod qui sponsalia de futuro iuramento confirmarunt, si ad alias se nuptias transtulerunt, illæ sint validæ, recepta tamen de periurio pœnitentia, si per eum qui iurauit, steterit quominus matrimonium consummaretur. Idemque habetur in *Obiectio.* cap. Si inter. eod. titul. Quòd si quis obijciat verba ciuilis legis, quæ can. Si quis diuinis. 30. quæstione 5. referuntur. Si quis diuinis tactis scripturis iurauit mulieri legitimè eam vxorem habiturum, vel in oratorio tale iuramentum dederit, sit illa legitima vxor. Respondet Glossa, & loco citato Hugo, illud iuramentum cecidisse super verba de præsenti, quibus præcedentibus se *Dilutio.* fidem tori & alia coniugij iura seruare pollicebantur. Iam enim supra diximus, quod hoc verbum. Habebo te in vxorem, respectum præsentis temporis includit, scilicet ex nunc.

Dubium. Quòd si roges, vtrum saltem propter iuramentum sponsalibus de futuro adiectum sint sponsi ab Ecclesia ad matrimonium cogendi; respondetur primùm, certum esse multò maiorem vim in conscientia obligandi habere iurata sponsalia quàm simplicia. Vnde licet *Solutio.* propter simplicia non cogantur sponsi ab Ecclesia, vt artic. 1. dicebamus, tamen si iuramento confirmentur, propter eius reuerentiam videntur cogendi Et ita censet Alexander 3. ca. Ex literis Syluani, de sponsalibus. ait quippe, quòd puella quæ iurauit se alteri nupturam, si resilierit, monenda sit: quòd si monitis non acquieuerit, compellatur. Sed tamen Lucius tertius, *Cap. Ex literis.* qui proximus illi pòst sedit, cap. Requisiuit. eod. titu. non ait, nisi quòd monenda sit potiùs quàm cogenda. Et subdit rationem Innocentij in cap. Præterea. eo quòd coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Quæ quidem contraria decreta negotium glossatoribus facessunt, vt concilientur. Attamen, vt sæpe diximus, sententiæ Pontificum, quibus ad interrogata respondent, non semper vim habent articulorum fidei, sed sæpè proferuntur secundum opinionem probabilem ipsorum Pontificum. Quapropter nihil eorum authoritati derogat, si alius Pontifex nonnunquam emendatius loquatur. Id quòd (vt cum omni obedientia Ecclesiæ debita loquamur) visus est facere Lucius 3. Cui potius ideo auscultandum est. Nisi hoc forsan modo eos volueris conciliare, quòd Lucius loquitur secundum ea incommoda, quæ plurimum contingunt. Et ideo secundum legem ordinariam non sit sponsus, qui iurauit, cogendus, sed omnino admonendus, & suæ relinquendus conscientiæ coram Deo. Præsertim cùm in eiusmodi iuramenta cadat dispensatio, & sæpissimè intercedat iusta dispensandi causa. Quando verò sponsus, qui iurauit, censetur nullam habere causam à iuramento resiliendi, neque vlla timentur ex coactione incommoda, imò sperantur commoda, maximè si in bonum commune cedat, tunc iuxta sententiam Alexandri cogendi sunt, id tamen quàm rarissimè.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur quod implere licitum iuramentum iure diuino constringimur, non tamen illud, quod vel dum fit illicitum erat, vel postea illicitum seruatu fit aut impossibile. Igitur quemadmodum si maritata mulier iurasset alicui suo superstite marito nubere, iuramentum non esset implendum, quia illicitum: ita licet soluta licitè iuret se soluto nupturam, tamen si antequam iuramentum impleat, alteri nubat, impossibilitate se inuoluit ne possit prius iuramentum implere, quia iam facta est aliena. Tametsi qui iurata sponsalia fregit, grauius peccatum committat quàm si non fuissent iurata. Imò verò si iuramentum illud inter personas legitimas intercessit, quamuis postmodum causa occurrat dissoluendi sponsalia, non sunt sine dispensatione iuramenti dissoluenda. Secus si personæ erant consanguineæ, vel alio impedimento irretitæ: tunc enim sponsalia nullius erant vigoris.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd neque in foro exteriori illud iudicandum est matrimonium: quia nec de illo potest contestari lis, sed de illo duntaxat, qui sponsalia iurauit, vt promissum seruet.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm carnalis copula pòst sponsalia de futuro matrimonium perficiat.

ALIA sponsaliorum qualitas est quando carnalis copula subsequitur: & ideo quæritur, vtrùm illa tunc copula habenda sit pro consensu, vt matrimonium perficiatur. Et arguitur à parte affirmatiua. *Partis affir. 1. Arg.* Plus est facto quàm verbis consentire: sed qui cum sponsa congreditur, facto consentit ad perficiendum quod inceptum erat: ergo illa copula sufficit.

Secundò Non solùm consensus formalis, sed interpretatiuus sufficit: nulla autem videtur expressior interpretatio consensus, quàm illa copulæ consummatio: ergo illa sufficit. *2. Arg.*

Tertiò. Omnis consensus in fornicationem peccatum est: sponsa verò de futuro consentiens sponso in concubitum non peccat: ergo tunc non fornicatur, atque adeò rei vxoriæ operam impendit. *3. Arg.*

In contrarium est decretum Nicolai capit. Sufficiat. 27. q. 2. vbi ait, quòd solus consensus (scilicet de præsenti) si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Et idem habetur capitu. Tua nos. de sponsalibus. *Pars negatiua.*

Ad hanc quæstionem respondentes doctores, licet variare videantur: nam Ricardus & nonnulli alij dist. 28. adstruere videntur, sufficere huiusmodi copulam, quòd alij videntur negare: distinctio tamen S. Thomæ rem tutò conciliat. Possumus enim de matrimonio loqui vel in foro conscientiæ, vel in foro exteriori Ecclesiæ, vbi ex præsumptione sæpenumero iudicatur. *Decis. art.*

Tribus ergo conclusionibus respondetur. Prima fundamentalis est. Copula per se nudè considerata, quantumcunque sponsalia de futuro præcesserint, non est in foro conscientiæ sufficiens causa matrimonij colligandi. Probatur, quia, vt supra dictum est, nisi consensus de præsenti accesserit, nunquam est matrimonium: ergo vbi ille consensus internè defuerit, quantumcunque accesserit copula, non fiet matrimonium. Atque hoc est quod citata decreta definiunt. Et confirmatur hoc liquido: quoniam copula illa, cùm sit quid externum, vim nequit habere maiorem quàm si essent verba de præsenti: sed hæc, vt supra dictum est, si internus consensus defuerit, non sufficiunt, multò ergo minus sola copula. *1. Concl.* *Ratio conclusionis.* *Confirmatur.*

Hinc sequitur, quod si dum sponsi coeunt, nihil de præcedentibus verbis cogitant, nullum sit matrimonium: quia nullus tunc interuenit consensus, & multò minus si vel intus alter dissentiat, vel aliquo indicio alteri ostendat, non accedere vt coniugem, vt si alter illorum sit conditionis longè superioris nobilitate vel dignitate aliqua. Vel si dum vnus ait se accedere vt coniugem, alter non prorsus adnuat, sed significet, illud in posterum differendum. *Corollarium.*

Si quæratur, vtrùm requiratur expressus de præsenti consensus cum copula, Accipio te in meam, vel similis, respondeat secunda conclusio. Satis est in conscientia si ambo affectu maritali se inuicem per copulam amplexari contentiant, intendentes perficere quod per sponsalia inceptum fuerat. Tunc enim ille est interpretatiuus consensus de præsenti propter verba de futuro, quæ præcesserunt, cap. Is qui fidem. de sponsalibus. Si ambo, inquam, nam si alter duntaxat consentiat altero oppositum insinuante, nullum est in conscientia matrimonium. *2 Concl.*

Tertia conclusio. Quantum ad iudicium Ecclesiæ res attinet, vbi post sponsalia de futuro copula interuenisse comprobatur, matrimonium censetur, coguntúrque adeò eiusmodi sic copulati vt coniuges cohabitare: quare licet alter vel ambo ad alia se vota transferant, compelluntur ad primum redire, quod præsumptum fuit matrimonium, nec secundum censetur matrimonium. Verba sunt Gregorij noni cap. Is qui fidem. de sponsalibus, vbi id decernit. & capitu. De illis, & Per tuas, de conditio. apposit. Neque est contra hoc exceptio vlla admittenda. Et ratio est, quia Ecclesia non potest de occultis, nisi per extera indicia iudicare: & nullum potest habere efficacius, quàm eiusmodi copulam. Intellige autem non admitti exceptionem illius, qui signa dissensus non ostenderat: nam si alter allegat se reclamasse, & est paratus probare, audiendus est *3. Concl.* *Ratio conclusionis.*

Digitized by Google

Rursus intelligendum etiam dum copula consummatur. Nam oscula & tactus, imò verò nec conatus ad consummandum sufficit, nisi re vera consummetur, vt capitu. fina. de sponsa. decernitur. Quin etiam Innoc. super eodem capitulo, & Panor. tenent, quod licet vir puellam omnino defloraverit: si tamen non seminaverit, non sufficit vt iudicetur matrimonium post sponsalia de futuro. Et ratio eorum est, quòd cum Ecclesia in tali casu ex præsumptione procedat, deuiando à communibus regulis iuris, non debet id iudicare, nisi absoluta fuerit consummatio. Et Sylu. verb. Matrimonium 2.§.19. ait, hanc opinionem esse communem. Et consonat superiori sententiæ nostræ q.1.arg.4. vbi diximus ante virilem seminationem in vase legitimo matrimonium non consummari. Requiritur præterea vt consummatio copulæ sequatur sponsaliorum fidem: nam sponsalia post copulam contracta non faciunt matrimonium cap. Veniens.2. de sponsalibus.

1. Dubium. Dubia tamen hic sunt alia parua tria. Primum, vtrùm si habeant intus huiusmodi consensus perficiendi matrimonium, non tamen alijs verbis aut nutibus explicent de præsenti, quàm sola illa corporum commixtione, sufficiat ad matrimonium in conscientia. Apparet enim non sufficere ob id, quod supra dictum est, consensus internos de præsenti per sola verba de futuro explicitos non sufficere. Nihilominus respondetur, copulam carnalem maritali affectu adiunctam verbis de futuro præcedentibus sufficientem esse nutum ad exprimendum consensum de præsenti, si adsit. Quare si ambo confiteantur tales consensus habuisse, illud matrimonium est validum. Quamuis multò sit tutius tales consensus de præsenti tunc exprimere.

Dubij solutio.

2. Dubium Secundum dubium est circa tertiam conclusionem, vtrùm dum sponsi per verba de futuro carnaliter commiscentur sine consensu legitimo, nec maritali affectu, si vterque vel alter per legitimum consensum de præsenti transeat ad secundas nuptias, cogendi sint vt reuocato secundo matrimonio perficiant illud præcedens. Hostiensis namque, vt Panor. cap. Is qui. eum citat, licet Sylvest. ver. Matrimonium. 2. §. 15. impositionem censeat, opinatur secundum esse dirimendum, & conciliandum primum. In cuius opinionem incidit propter verba cap. citati. Is qui fidem. vbi habetur, quòd contra præsumptionem prioris matrimonij illud quod de facto est postmodum subsecutum, non est verum. Inde ergo colligit, quòd licet illud posterius non irritetur ratione prioris, quod re vera nullum fuit: tamen quòd Ecclesia potuit illud cassare, sicut illud, quod inter consanguineos contrahitur. Itaque suspicatur, eos qui post verba de futuro carnaliter commiscentur, inhabiles ad alia matrimonia reddi. Est tamen opinio, vt bene ait Syl. contra communem opinionem theologorum & Iurisconsultorum. Ecclesia namque in prædicto capi. non iudicat nisi tantum ex præsumptione. Quapropter eodem modo, quo præsumit prius fuisse validum, præsumit posterius esse nullum in foro suo. Nihilominus si in foro Dei primum non fuit validum, non vult quòd secundum in conscientia sit dirimendum. Imò neque illud Ecclesia decernere potuit, postquam personæ illæ, quæ primum matrimonium verè non contraxerant, liberæ sunt ad contrahendum alterum. Quare in conscientia illud secundum est verum.

Hostien. & Panorm.

Tertium dubium. Tertium dubium est. Si quis sponsalia contraxit per verba de futuro cum aliqua, cum qua copulam non consummauit, & postmodum cum altera itidem per verba de futuro, cum qua tamen per copulam se commiscuit, non tamen maritali affectu, sed fallaciter, vtrùm debeat citiùs cogi contrahere cum secunda quàm cum prima? Partem enim affirmatiuam tenet Maioris præsenti distinct. quæst. 5. quam putat esse decisionem capit. 1. de sponsa duorum. Cui & ratio suffragari videtur: nam postquam secundæ maius intulit damnum, potiùs ei debet seruare fidem. At verò contraria pars in conscientia magis est veritatis amica: nam quum antea ille priori fœminæ fidem impignorauerit, ei potiùs seruare debet, vt habetur capit. Sicut. de sponsalibus. Quinetiam quamuis prima sponsalia non fuerint iurata, & secunda fuerint, standum est prioribus, & indicenda pœnitentia pro iuramento: quia iniuria, quæ illata est secundæ, non aufert suum ius priori. Neque in cap. illo citato, de sponsa duorum, quippiam est quod huic veritati refragetur. Loquimur in conscientia, vbi res occultè agitur: nam in foro exteriori si concubitus ille legitimè fuerit probatus, ex præsumptione iudicabitur fuisse tunc matrimonium consummatum.

Pars affir. Ratio.

Pars neg.

Postrema denique dubitatio est, an sponsalia de futuro alia via, quam per carnalem copulam, sine expresso consensu de præsenti censeantur in matrimonium transire. Respondetur autem, quòd in foro conscientiæ, vt dictum est, nunquam eiusmodi vim habent: in foro autem exteriori quantum ad iudicium Ecclesiæ, quando verba de præsenti ante pubertatem legitimam matrimonij præcesserunt, quæ vim tum duntaxat habent sponsaliorum, dum tamen verba inter sponsos ipsos post septennium intercesserint: tunc aiunt nonnulli doctores, quos Syl. eodem loco matrimonium 2. §. 16. refert: quòd si post legitimam ætatem sese osculis & amplexibus etiam citra copulam tractent, tunc præsumitur matrimonium. At verò cap. Vnicum, quod citant, de desponsa. impub. lib. 6. id non planè conuincit: quippe vbi nihil aliud habetur, quàm quòd eiusmodi sponsalia per carnis copulam vel aliquem modum alium cum eiusdem perseuerantia voluntatis post pubertatem consummantur in matrimonium. Glossa tamen super verb. modum alium, ait quòd si simul cohabitauerint, fit matrimonium. Verùm tamen non est tunc profectò tanta præsumptio iuris, quanta si intercessisset copula: & ideo citra illam non sunt cogendi.

Postremum dubium.

Solut. dubij.

Cap. Vnicũ de sponsalib. in 6.

Glossa eiusdem cã.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi qui per copulam commiscentur facto consentiant in carnalem copulam, non tamen eadem ratione verè consentiunt in matrimonium, sed secundum præsumptionem & interpretationem iuris, nisi affectus connubialis accedat.

Sol. 1. arg.

Et per hoc respondetur ad secundum, quòd licet eadem cõmistio sit interpretatio in foro exteriori matrimonij: non tamen veritatẽ mutat, si consensus desit.

Sol. 2. arg.

Ad tertium denique respondetur, quòd si puella consentiat rem cum sponso habere, credens bona fide illi in animo esse matrimonium consummare: quia non præsentiscit contraria signa, non peccat. Nihilominus si viri animus non erat affectu coniugali accedere, nihil fit: & ideo si transmigret ad secundas nuptias, solùm tenetur violatæ puellæ satisfacere, vt supra expositum est.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS V.

Vtrùm sponsalia legitimè valeant aliquibus modis dirimi.

TANDEM de dissolutione sponsaliorum disputandum superest; & ideo arguitur, quod non possint per ingressum religionis dirimi. Quia quod vni promissum est (vt pecunia) non potest alteri erogari: sed per sponsalia vterque se alteri pollicetur: ergo illa pollicitatio non potest per religionem quassari.

Partis neg. 1. Arg.

Et eadem ratione arguitur, quòd nec dirimantur, per hoc quod alter sponsorum in longinquam regionem peregrè proficiscatur, neque per aliam quamcunque viam.

2. Arg.

In contrarium tamen est Ecclesiæ vsus, & præterea ratio: nam cùm non habeant, vt dictum est, vim matrimonij, fit quòd si vterque vel alter ad aliud matrimonium commigrauerit, priora sponsalia dirimantur.

Pars affirmatiua.

Hic primum supponendus est sponsaliorum suprà dictus effectus: nascitur enim ex illis obligatio ad contrahendum matrimonium, vel tempore præfixo, si præfinitum est, vel adueniente decente opportunitate, vt sponsi non sint in mora. Hic autem effectus oriri intelligitur, quando ipsi post septennium sibi se inuicem spoponderunt, vel si parentes ante illam ætatem sponsalia pro illis pascisserentur, & sponsi ipsi completo eodem septennio vel consenserunt, vel scientes tacuerunt: alioqui nulla pullulat obligatio.

Effectus sponsaliorũ.

Hoc tamen non obstante statuitur conclusio. Sponsalia quamplurimis modis legitimè dirimuntur. Primus modus est sponsalibus cum matrimonio non consummato communis, scilicet per ingressum religionis. Imò verò, Sylvest. ver. Sponsalia. §. 10. ait, non est tunc expectanda professio, vt in matrimonio: sed quum primum vnus sponsorum habitum induit, alter potest ad alia vota euolare: nam quamuis cap. Veniens. extra qui monachi vel vouen. quod citat id

Conclusio.

1. Modus.

clarè

clarè non definiat: ratio tamen videtur id persuadere, eo quòd per sponsalia non fit matrimonium perfectum, quod quidem vsque ad professionem, vt dictum est, non dirimitur. Quam ob rem qui habitum induit, eo ipso insinuat quòd sponsaliorum fidei nolit stare, sed propositum reuocauerit. Nec propter eiusmodi sponsaliorum dissolutionem incurritur arrhas amittendi pœna l. Deo nobis. C. de epis. & cleri.

Dubium c. commissum.

Dubium hic tamen nobis offert cap. Commissum. de sponsalib. vbi habetur, quòd si quis sponsalia iurauit, & postea ad frugem melioris status suspirat, tutius ei est iuramento seruato contrahere: & tunc demum ad religionem migrare. Id quod subinde

Scotus.

Sco. d. 30. q. 2. seruandum arbitratur. At verò profectò cap. illud, vt Syl. dict. 28. & Palud. q. 1. censent; potius glossandum est, vt glossator illud interpretatur, quàm vt in superficie sonare videtur, sit obseruandum. Enimuerò cum religio sit excellior status quàm matrimonium, non dubium, quin sicut in sponsalibus iure ipso intelligitur exceptio, nisi alter sponsorum ad religionē voluerit migrare, eadem ipsa subintelligatur in iuramento, quo sponsalia confirmātur: quia iurare nemo id debet, nec præsumitur, quod est cōtra consilium euangelicum. Quapropter hoc iuramento nō obstāte potest vterq; ad religionem ascendere: neq; est consulendum, vt prius contrahat matrimonium. Esset quippe vanum illud illo animo contrahere, vt statim ante copulam dissolueretur. Imò verò iuramentum tunc non impleretur eo proposito quo factum fuerat, neq; in eo sensu, quo alter ipsum susceperat: nam sponsaliorum iuramentum eo animo fieri solet & debet, vt matrimonium consummetur. Adde quòd puellæ manenti in seculo nonnihil iniuriæ irrogaretur, si qui non habebat propositum consummandi matrimonium: consensum de præsenti ab illa extorqueret, quam protinus erat relicturus. Textus ergo illa sit glossa contentus, quòd intelligatur, tutius esse seruare iuramentum, & postea intrare religionem. Non quidem re vera tutius, sed secundùm vulgi opinionem, ne ille censeatur de facto contra iuramentum venire.

Iuramentū in sponsalibus quo animo appenatur.

Glossa. c. Commissum.

Atqui quod de ingressu religionis dictum est, id ipsum de susceptione sacrorum ordinum intelligendum, propter votum castitatis annexum: per quod vtique licet non matrimonium, tamen sponsalia legitimè dirimuntur.

Sponsalia an per simplex votum castitatis dirimantur.

Vtrum verò per votum simplex castitatis dirimantur, disputari assolet. Attamen in dubium euocari non debet, quominus tale votum sit licitum; atque adeò sponsalia dirimens quum sit melioris frugis, quæ ideo exceptio semper in sponsalibus implicatur. Innocen. tamen & Hostien. vt Syl. ver. Sponsalia. §. 7. refert, autumant, illum sic vouentem cogendum, vel religionem profiteri, vel matrimonium conficere. Rationem autem huius non video: nam quum sponsalia non faciant matrimonium, liberum vtrique est votum simplex castitatis extra religionem seruare, secus de matrimonio rato. Quare alter sponsorum qui non vouit liber tunc manet, vt ad alia queat vota commigrare.

Opinio Hostien.

2. Casus.

Reliqui casus sunt sponsalibus peculiares. Secundus ergo est, dum alter ad secunda connubia se transfert per verba de præsenti, aut de futuro cum carnali copula, vt c. Si inter virum, de sponsalib. & c. De illis. vbi habetur, quod etiam si sponsalia fuerint iuramento confirmata, dirimantur per consensum de præsenti cum altera. Vnde in c. 1. de sponsa. duorum, &c. fi. 27. q. 1. distinguitur inter fidem pactionis & fidē cōsensus: fides namq; sponsaliorum vel simpliciter, vel sub aliqua conditione, dicitur fides pactionis, quæ quidem dissoluitur per consensum de præsenti cum altera subsecutum. Fides verò consensus est, quando interuenit consensus de præsenti, & fit indissolubile matrimonium. Ratio huiusmodi dissolutionis sponsaliorum est, quod cùm non faciat matrimonium, integrum est sponsis ad alias nuptias se conferre: licet mortaliter delinquant, si sine causa id faciant. Quare in his duobus casibus, vt ait D. Tho. ipso iure sponsalia dirimuntur: in reliquis verò debent, inquit, dirimi iudicio ecclesiæ.

Fides consensus.

3. Casus.

Tametsi hoc secundum ego non planè intelligam. Tertius namque accedit etiam casus, quo ipso iure dirimuntur sponsalia, nempe quando celebrantur ante annos nubiles pubertatis scilicet, duodecimum fœminæ & quartumdecimum viri. Tunc enim si ille, qui minor ætate consenserat, annos pubertatis ingressus illico dissentiat: sponsalia ipso iure dirimuntur, vt habetur c. de illis. 1. & c. Nobis. de despon. impub. quamuis nulla alia causa interueniat, quam mera voluntas, vt ait Pan.

4. Casus.

Quarta causa est, communis amborum consensus, dissociare se sua sponte volentium, vt c. Præterea. 1. de sponsal. Neque valida est, inquit, S. Th. quorundam opinio hunc casum non recipientium, dicentium que adeò potius ecclesiam hoc sustinere, ne peius eueniat, quàm quod sit de iure. Hic enim cauillus verbis decretalis aduersus est, vbi habetur, quod qui se adinuicem admittere noluerint, hoc possit in patientia tolerari, ne fortè inde deterius contingat: vt talem scilicet quis ducat, quam odio habet. Quibus verbis ecclesia decernit, quòd possunt sibi vtrinque relaxare fidem, instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt.

S. Thom.

Quintus casus huic proximus est quando vnus sponsorum renuit matrimonium cum altero contrahere: tunc enim cùm fides fuerit mutuò data, alter manet liber. Et si terminus matrimonio contrahendo fuerat præfixus, eo transacto ille, per quem non steterat, solutus sit promissionis vinculo, vt habetur c. Sicut ex literis, de sponsali.

5. Casus.

Quod si scisciteris, cur postquam sponsalia conscientiam ligant, non compellantur sponsi ab ecclesia promissæ fidei stare? Præsertim ille, qui renuit altero annuente, quandoquidem in reliquis ciuilibus contractibus compellantur à iudice contrahentes pacta seruare. Respondet Pontifex, c. Præterea citato, id salubriter fieri: quia bono consulitur matrimonij, quod vtique, nisi summa cum libertate concilietur, perpetuam nequit firmitatem habere. Et ideo non est par ratio de hoc & de reliquis contractibus.

Dubium.

Solutio.

Sextus casus est, quando sponsalia cum conditione fiunt. Tunc enim si ille, cui incumbit, conditionem non seruet, vt si puella non soluat promissam dotem sponsalia nullius sunt vigoris, vt c. De illis, de conditio. appos. Et idem est de omnibus conditionibus iudicium, si modò possibiles sint & honestæ, vt dist. 29. dicturi sumus.

Sextus casus.

Septimò dirimuntur propter crimen: nempe propter fornicationem, quæ quidem licet matrimonium non nisi quoad torum dirimere valeat, sponsalia tamen prorsus dissoluit, etiam si fuerint, iureiurando confirmata: videlicet si fornicatio sponsalia subsequatur, secùs si antecesserit, habetur cap. Quemadmodum, de iureiurando. Et intelligitur in potestate innocentis esse sponsalia dissoluere: nam reus, si innocens consentit, resilire non potest: quippe cui proprium peccatum non debet patrocinari. Neque refert puellam per vim aut sponte fuisse fornicatam. Quinuerò si ante sponsalia etedebatur virgo, & postea ante consensum de præsenti inuenta est corrupta potest sponsus à promisso recedere. Adde quodetiam spiritualis fornicatio, vt dum alter sponsorum in hæresim labitur, aut in apostasiam, dirimit sponsalia.

Septimus casus.

Notā.

Octauò dirimuntur per superuenientem affinitatem, vt si alter cum alterius consanguineo se carnaliter commiscuerit. 27. quæst. 2. Si quis sponsam. & cap. Ex literis, de eo qui cogno. consang. vxor. aut si alterius filium de fonte leuauerit: vel propter aliud quodcunque iuris impedimentum, aut scandalum, quod matrimonio contrahendo aduersetur, iuxta tenorem cap. Cùm in tua. de sponsalib.

Octauus casus.

Nonò quando alter lepram vel paralysim incurrit, visuue aut nasō orbatur, aut aliquam fœditatem contrahit. ca. Literas, de coniug. leprof. Rationem subdit S. Tho. quòd si cùm sibiipsi sponsi displicent, coniugari compellerentur, non posset res bonum exitum habere. Secus si id genus morbi sponsalibus antecesserit, & fuerit prænotus.

Nonus casus. Ratio S. Thomæ.

Decimo, quando alter in longinquam regionem commigrauit: iure enim ciuili diffinitur biennium quod debet sponsa sponsum expectare, vt C. de sponsalib. l. 2. Sed tamen iure Pontificio nullum præscribitur expectandi necessarium tempus: ideo ille, per quem non stetit, quominus matrimonium perficeretur, illico potest ad alias euolare nuptias: quia alter per suum discessum ad remotas gentes censetur suo renuntiare iuri, nisi de alterius licentia fuerit profectus, cap. De illis, de sponsalib.

Decimus casus.

Vndecimò, si causa grauium inimicitiarum inter

Vndecimus casus.

sponsos interceſſerit, aut atrox ſæuitia ſponſi vel ſponſæ antea inopinata, poſtmodum comperta fuerit, vt cap. dilectus de ſponſa. In ſumma, plures cauſas poteſt experientia docere, ob quas, ſaltem iudicio eccleſiæ, poſſunt ſponſalia dirimi.

Solutio argumentorũ. Et per hoc reſponſum ad capitale argumentum reſtat. Per ſponſalia namque neuter traditur in poſſeſſionem alterius, ſed promittitur: & quum matrimonium ſit res, vbi tantam oportet circumſpectionem adhiberi, ratio fert, vt tot de cauſis eiuſmodi pollicitatio quaſſetur.

Quæſtio tertia,

DE BIGAMIA.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per bigamiam irregularitas contrahatur.

SICVTI ſponſalia via ſunt ad matrimonium, ita & bigamia multiplicatio eſt matrimonij: ob idque præſens diſtinctio de illa quæſtionem expoſcit, eo quod huiuſmodi matrimonij congeminatio, licet per ſe vitium non ſit, vitio tamen datur ijs qui ſacris ordinibus initiari cupiunt. Quæritur ergo, vtrùm per bigamiam ad ſacros ordines irregularitas contrahatur. Et arguitur à parte negatiua. Peius eſt cum pluribus fornicari, quàm pluribus, ſaltem ſucceſſiuè, vxoribus copulari, & maius præ ſe fert concupiſcentiæ indicium: fornicatio autem iterata nullam habet irregularitatem annexam: ergo neque matrimonium.

Pars negatiua. *Argum. 1.*

2. Arg. Secundò arguitur. Plures ſimul habere vxores, vnam ſcilicet de iure, & alteram de facto, irregularitatem non videtur inducere: ergo neque illas habere ſucceſſiuè: quoniam hoc licitum eſt, illud verò minimè. Antecedens verò probatur: quoniam matrimonium de facto contra ius intentatum, non eſt verum matrimonium: atque adeò neque bigamiam conſtituere videtur.

3. Arg. Tertiò arguitur. Si ex bigamia irregularitas aliqua naſcitur, vel hoc habet ratione ſacramenti, vel ratione carnalis copulæ, non ſecundum, vt modò dicebamus: nam alioqui ex fornicatione pariter oriretur: neque ratione primi: nam alias ſi quis matrimonium contraheret per verba de præſenti, quod per copulam non conſummaſſet, & illa mortua conſummaſſet matrimonium cum altera, eſſet bigamus, cuius contrarium decernit Innocen. cap. Debitum, de bigamis.

Pars affirmatiua. In contrarium eſt illud Pau. 1. ad Tim. 3. quo admonet, epiſcopum debere eſſe vnius vxoris virum, vbi nomine epiſcopi omnes ſacerdotes comprehendit: quare & in diaconibus eandem conditionem expoſcit.

Bigamus quid. Bigamus & digamus idem eſt, quod homo qui binas contraxit nuptias: & monogamus, qui vnis ſolis eſt contentus, γάμος, enim Græce, idem eſt quod nuptiæ, à γαμέω quod eſt nubo. Vnde bigamia in omni extitit lege.

Bigamia in omni lege. In lege quippe naturæ Lamech, qui fuit ſeptimus ab Adam per Cayn, vel inde peſſimus cenſetur, quod primus fuit, qui duas vxores duxerit: vt Gen. 4. legitur, & 31. q. 1. cap. Quomodo citatur: veluti Enoch ſeptimus itidem ab Adam per Seth tanquam optimum ſcriptura commendat, quem ideo mortis expertem Deus viuum ſuſtulit. Deinde & in lege Moſaica polygamia fuit etiam celebris, nempe vxorum pluralitas. De qua re diſt. 33. rediturus nobis eſt ſermo. At verò cùm ante legem euangelicam nulla fuerint ſanctificantia ſacramenta, quæ ideo in miniſtris ſanctitatis dignitatem hac ratione depoſcerent, neque verò matrimonium indiſſolubilem vnionem Chriſti cum noſtra humanitate factam deſignaret, nulla erat bigamiæ irregularitas annexa. Idcirco eiuſmodi irregularitas ſub lege euangelica cæpit, quæ ideo per ſacros Canones eſt perpendenda. Dictum eſt autem q. 1. (quod ad hoc propoſitum Innoc. ca. Debitum. de bigamis inducit) in matrimonio rato non conſummato ſignificari vnionem Chriſti & eccleſiæ ſecundum animam, hoc eſt, ſecundum charitatem: in matrimonio verò conſummato deſignari vnionem eiuſdem Chriſti ſecundùm corpus, hoc eſt, humanitatis aſſumptionem, cuius partes nunquam dimiſit: atque adeò eiuſmodi conſummatum matrimonium perfectam Chriſti vnionem & eccleſiæ demonſtraſſe. Quam ob rem eccleſia neminem cenſet ſimpliciter bigamum, hoc eſt, irregularem, propter duo aut duodecim matrimonia contracta per verba de præſenti, niſi duo ſaltem conſummauerit. Et in hoc repudiatur Magiſter ſentent. qui præſenti diſt. tenuit, ſolos conſenſus de præſenti in duo matrimonia citra copulam conſtituere bigamum. Definitur enim contrarium in præallegato ca. Debitum. Quare multò minùs iterata ſponſalia ſufficiunt. Neq; verò fornicationes aut adulteria iterata, vt habetur cap. Quia circa, eod. tit. niſi matrimonijs de iure aut facto ſuperuenerit copula.

Bigamia duobus matrimonijs conſummatis contrahitur.

Duplex bigamiæ genus. Nihilominus maioris claritatis gratia duplex poteſt diſtingui bigamiæ genus: verum ſcilicet & interpretatiuum, vt habet gloſſa, cap. Super eo. de bigamis. Verum eſt, vbi duo vera matrimonia fuerunt conſummata. Interpretatiuum autem, vbi vnum fuit verum, & aliud de facto intentatum. Vnde D. Th. quatuor deſignat bigamiæ modos. Primus eſt, dum quis ſucceſſiuè duas habuit legitimas vxores, quas cognouit. Et hæc eſt veriſſima bigamia. Secundus, quum quis plures ſimul habet vxores, cum quibus per verba de præſenti contraxit: prior enim eſt legitima, poſterior verò non niſi de facto. Tertius, cum plures habuit ſucceſſiuè, vnam de iure, & alteram de facto. Quare iſti duo modi ſolum interpretatiuè dicuntur bigamia. Et ſunt intelligendi, vt bene ait Ricardus diſt. præſenti, arg. 4. q. 1. quando ille ambas cognouit: alioqui non contrahitur irregularitas. Quartus modus eſt, quando quis viduam atque ab alio viro cognitam ducit vxorem: nam niſi illa matrimonium prius conſummauerit, ille non fit bigamus. Et iſte etiam quartus modus eſt vera bigamia: eo quod fuerint duo matrimonia ex parte vxoris. Sunt autem præter duos nominatos alij etiam tres modi interpretatiuæ bigamiæ.

Quatuor bigamiæ modi. *Primus.* *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.*

Quintus. Quintus ergo eſt, quando quis contrahit conſummatque matrimonium cum illa, quæ ab alio fuerat per fornicationem ſiue ipſe id ſciuerit, ſiue ignorauerit, corrupta.

Sextus. Et ſextus, vbi quis propriam vxorem cognoſcit, poſtquam fuerat cum alio adulterata.

Septimus. Septimus demum, quando quiſpiam poſt votum emiſſum ſolenne caſtitatis contrahit de facto matrimonium, licet iure ſit nullum.

1. Concl. His præhabitis ad quæſtionem ſex concluſionibus reſpondetur. Prima. Per bigamiam primi modi, ſcilicet per matrimonium cum duabus vxoribus ſucceſſiuè conſummatum contrahitur irregularitas. Concluſio eſt concilij Aurelianen. cap. 1. de bigamis. & ca. Super eod. priuantur officio eorum ordinatores. Idem habetur cap. Debitum. & multis alijs. Ratio autem huiuſmodi irregularitatis eſt duplex. Prior ſumitur ex ſignificatione: nam cùm per ſacrorum ordinum ſuſceptionem miniſtri ſacramentorum inſtituantur, decentiſſimum fuit, vt qui huiuſmodi ſacris ordinibus initiarentur, nullo eſſent commaculati defectu: cùm verò ſacramentum matrimonij in noua lege indiuiduam, vt dictum eſt, coniunctionem Chriſti & eccleſiæ deſignet, macula cenſeretur, ſi qui ad hos ordines promouetur, eandem integram ſignificationem non haberet, quę in ſingulari matrimonij vnitate perficitur. Bigamus namque in plures ſuam carnem diuidit: cum Chriſtus vnicam ſibi eccleſiam, vno ſcilicet baptiſmate & fide, copulauit. Vnde Cantic. 6. Vna eſt columba mea, &c.

Conci. Aurelianen. *Ratio irregularitatis.*

Ratio. 2. Poſterior verò ratio ſumitur ex ſanctitate & candore, qui eiuſmodi miniſtris debet eſſe cognatus: qui enim vno ac ſubinde altero matrimonio complicatur, indicium præ ſe fert nimiæ incontinentiæ, quæ eiuſmodi miniſtros dedecorat.

An huiuſmodi irregularitas bigamiæ ſit de iure diuino. Hæſitabit autem quis forſan, an huiuſmodi irregularitas ſit de iure diuino: nam canonum interpretes qui in cortice de iure diuino iudicant, id ſibi facilè perſuadebunt: propterea quod Pau. 1. ad Tim. 3. admonet epiſcopum & ſacerdotem debere eſſe vnius vxoris virum, vbi ad literam huiuſmodi bigamiã reprobat plurium ſucceſſiuè vxorum. Et quicquid in ſacra pagina illi legunt, in iure diuino reponunt. Et adijcitur argumentum, quod cap. Super eo. propter autoritatem Pauli cauetur, ne diſpenſatio fiat cum bigamis. At verò ſi ius diuinum propriè acciplatur, irregularitas bigamiæ

Innocen. *Sententia auctoris.*

non

non est de iure diuino: alioqui nullam Pontifex dispensationem admitteret, cuius contrarium artic. 3. monstrabitur. Item, de iure diuino in sacramentis id duntaxat existit, quod ad eorum essentiam spectat: de essentia verò sacramenti ordinis non est vt susceptor sit vnius vxoris vir: si enim bigamus ordinaretur, verum esset sacramentum: non ergo est propriè de iure diuino. Neque verò de iure naturæ, quatenus matrimonium ciuilis contractus est.

Ratio optima.

Nota.

Adnotandum ergo, quòd Apostoli non erant tãtum apostoli, verùm & ecclesiæ rectores & pastores, sicut modò est summus & reliqui põtifices. Vnde quatenus apostoli, vtebantur spiritu prophetico, quo sacram scripturam condebant: sed quatenus pastores & prælati, statuebant in concilio leges, vt Actuum. 15. & consilia dabant, vt 1. ad Cor. 7. Præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Et sic Paul. tanquàm rem decentissimam, & significationi connubij Christi aptam admonuit, vt sacerdos esset vnius vxoris vir, veluti vt esset hospitalis & pudicus, neque esset vinolentus, &c. Et hac ratione canones idem Paulinum testimonium ad hoc propositum citant. Sed de ea. Super eo. inferius art. 3.

2. Concl.

Secunda conclusio. Ex bigamia secundi & tertij modi, plurium scilicet vxorum, vnius de iure, & alterius de facto, siue successiuè, siue simul contrahitur irregularitas. Conclusio est Innoc. 3. ca. Nuper. de bigamis. vbi ait, quod licet illi non sint verè bigami, quia non sunt duobus veris matrimonijs addicti, sunt nihilominus bigami, quia quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt. Quare reputantur, inquit, bigami, non propter sacramenti defectum: quia non fuerunt duo sacramenta, & ideo non defuit significatio coniunctionis Christi & ecclesiæ: sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, scilicet cum naturali copula, atq; adeo fuit aliqua similitudo & interpretatio duorum matrimoniorum. Et subdit Papa exemplum de clerico in cano. Presbyterum. d. 18. vbi refertur, quòd presbyter orientalis ecclesiæ mortua prima vxore contraxit cum secunda de facto quidem, sed non legalibus nuptijs. Ob quod facinus tãquã irregularis suspensus est ab officio.

Innocen.

Exemplum.

Dubium tamen est, vtrùm si quis duo matrimonia ambo de facto contraxerit & consummauerit, neutrum tamen de iure: quia scilicet contraxit cum consanguineis, vel alio impedimento cohibitus, reputandus sit bigamus. Pontifex enim ibidem hunc casum arguendo inducit, sed non clarè decidit. Nihilominus Palud. dist. præsenti. q. 4. censet, illum esse bigamum. Et ita est credendum: quia sunt duo interpretatiua matrimonia.

Dubium.

Paluda.

3. Concl.

Tertia conclusio. Bigamia quarti generis, cùm quis scilicet viduam ab alio viro cognitam ducit, secum affert irregularitatem. Definitio est cap. De bigamis. & debitum. eod. tit. quibus cauetur, ne bigamus aut maritus viduæ ad sacros ordines promoueatur: vbi innuitur, hunc non esse propriè bigamum: quia non contraxit duo matrimonia: sed quia duo ex parte fœminę fuerunt. Ratio autem huius conclusionis est: quia in vnitate & coniunctione Christi & ecclesiæ vnitas vtriuq; inuenitur: nam ecclesiæ vnicus fuit sponsus nempe Christus: & Christi vicissim vnica sponsa, scilicet ecclesia, in qua vnicum est baptisma & vnica fides. Vnde Pau. 2. ad Cor. 11. Despondi. n. vos vni viro virginem castã exhibere Christo. Quocirca synceritas matrimonij illius, qui ad sacros ordines est promouẽdus postulat vt non solũ ex parte ipsius, verũ etiã ex parte vxoris vnicũ sit matrimonium. Et intelligitur vidua ea etiã, quę à marito fuerit repudiata, dũmodo ab ipso fuerit cognita, vt habetur cã. Qui in aliquod. 51

Ratio conclusionis.

4. Concl.

Quarta conclusio. Quintus modus bigamiæ, quum quis videlicet duxerit vxorem corruptam, licet non fuerit vidua, inducit irregularitatem. Quam quodammodo contrarijs prædictis verbis damnare videtur Paulus, Despõdi vos virginẽ castã, &c. De hoc est tex. eo. can. Qui in aliquo. & extra. Qui cle. vel vo. ca. 1. vbi doctores adnotãt, vt Palu. & Syl. & Canonistæ, imò & S. Thom. impræsentiarum, quòd etiam si ille corruptionem sponsæ ignorauerit, putans fuisse virginem, si postea constiterit, non potest sacros ordines suscipere. Cuius rationem subdit D. Tho. quia irregularitas non est pœna inflicta pro culpa, sed propter defectum significationis sacramenti: & ideo etiam præter voluntatem potest contrahi.

Ratio S. Thom.

Existit tamen in contrarium argumentum. Plus impeditur homo defectu proprio quam alieno: si verò homo corruptus ducat virginem, non fit bigamus: ergo nec cùm ducit corruptam. Respondetur maiore perempta. Discriminis autem huius causam decretistæ, vt ait D. Thom. eam assignant, quòd episcopus atque adeò sacerdos significat ecclesiam militantem, cuius curam gerit: in qua ecclesia sunt corruptiones multæ: & ideo corruptio sponsi in viris obstat: sponsa verò significat Christum, qui fuit virgo. At verò commentum hoc nullam est: quoniam Christum per sponsam significari falsissimum est, contra illud Paul. ad Ephes. 5. Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam. vbi significatur Christus vt sponsus, & ecclesia vt sponsa. Ob idque subdit, quod vir est caput mulieris, sicut Christus ecclesiæ. Et secundæ ad Corinth. 11. Despondi vos vni viro virginem, &c. id est, Christo. Alij verò dicunt, per sponsam significari ecclesiam triumphantem, cuius nulla est macula: Christus autem eius sponsus primò associauit sibi synagogam ceu concubinam: & ideo nihil deperit significationi sacramẽti propter sponsi corruptionem. Hoc autem interpretamentum perabsurdum est: quia synagoga non fuit concubina Christi, sed vera vxor, quoniam vna eademque fuit antiquorum fides & nostra: quod enim illa significabat futurum, nostra significat factum. Quare Ieremiæ 3. & Ezechielis 16. & Oseæ 2. memoratur sponsatio Messiæ & synagogæ. Rei ergo veritas sic habet: quod mulier non potest esse irregularis, sed solus vir: eò quòd ipsa non est ordinibus suscipiendis idonea. Defectus autem, qui causa est irregularitatis, est ille qui in sacramento committitur, non autem ille, qui est extra sacramentum: corruptio autem viri ante matrimonium extra ipsum sacramentum est: sed cum ipse sibi corruptam matrimonio coniungit, ipsum vitiat eius significationem tollens: nam motus ex termino specificatur, & matrimonium viri terminatur ad fœminam: & ideo contrahens cum corrupta fit irregularis. Et pari sorte, si ipsa posset esse irregularis, irregularitatem contraheret nubendo ei qui corruptus est.

Obiectio.

Dilutio.

Redarguuntur decretistæ.

Ratio aliorũ.

Impugnatur ratio.

Authoris ratio.

Si autem quis virginem defloruerit, quam postea ducit, cum qua & matrimonium consummat, sunt qui dicant perinde fieri bigamum, ac si ab alio fuisset corrupta. Sed probabilius est, inquit, S. Thom. quin verò ita tenendum est, quòd non sit bigamus: quia neque ipse, neque ipsa carnem suam diuisit in plures.

Nota casum.

Opinio quorundam.

Opinio S. Thom.

5. Concl.

Probabilior opinio.

Quinta conclusio. Sextum genus biganiæ, nempe, dum maritus post quam vxor cum alio rem habuit; eam cognouerit, irregularem facit secundùm probabiliorem opinionem, vt ait S. Thom. dicens quòd licet de hoc sint opiniones, hæc tamen est probabilior & tenenda, quamuis dum eam cognouit, eius ignorauerit adulterium, vel illud sciens ei indulserit: & quanquam fuerit ab ecclesia compulsus cum illa habitare, quia fortasse adulterium in iudicio non probauit. In quocunque ergo casu sit ille irregularis, non propter pœnam culpæ, sed propter defectum, vt modò dicebamus, significationis, veluti si corruptam duxisset: quę ideo irregularitas contra voluntatem quoque contrahi potest. Pro hac conclusione citantur canones, Si cuius. & si laici 34. d.

6. Concl.

Sexta conclusio. Ex postremo denique bigamiæ genere, scilicet dum quis post votum solenne castitatis matrimonium de facto contrahit, irregularitas suboritur, vt patet cap. supra citato. Presbyterum. 28. distin. quanquam illic sermo habeatur de illo qui ante ordines fuerat coniugatus, & illis susceptis aliud matrimonium de facto contraxerat. Sed est præterea text. cano. Quotquot. 27. quæstione prima, & ca. Nuper. de bigamis. vbi sancitur, quòd cum illis non dispensetur, licet in veritate bigami non existant. Matrimonium namque spirituale, quod voto contraxerant, per aliud de facto carnale violarunt.

Can. presbyterum.

Ca. Nuper.

Ex superiorib. ergo solutum restat primum argumentum: nam quamuis fornicatio & adulterium peiora sint quam plures ducere vxores; imò hoc non est malum (successiuè id modò fiat) tamen non vitiat significationes vnitatis sacramenti, sicut vitiant matrimonia multiplicata. Et quamuis maiorem fornicatio ostendat concupiscentiam, non tamen eam penitus inhærentem & tam perpetuam quàm matrimonia, quæ multiplicantur.

Solut. 1. arg.

Ad secundum quoque satis responsum est, quòd

Solut. 2. arg.

licet matrimonia non iuridica, sed de facto intentata non sint vera: nihilominus propter similitudinem matrimonij & contrahentis affectum irregularitatem inducunt.

Solut. 3. arg. Ad tertium denique iam supradictum est propter ambas rationes: scilicet & propter defectum significationis, & propter concupiscentiam, bigamiæ irregularitatem annecti: sed tamen requiritur quòd sint duo saltem matrimonia, vel de iure, vel de facto ambo consummata.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per baptismum bigamia soluatur.

QVAERITVR iam de solutione bigamiæ, vtrùm scilicet per baptismum soluatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Id quod tollit maius, à fortiori tollit minus: sed baptismus tollit omne peccatum, vt suo loco dictum fuit, & omnem pœnam: ergo irregularitatem.

Partis affirm. argum. primum.

2. Arg. Secundò. Bigamia contrahitur ex defectu significationis vnius Christi cum ecclesia: hæc autem non fuit ante nouam legem: ergo matrimonium antea contractum non debet in numerum recenseri ad bigamiam contrahendam.

In contrarium est autoritas Augu. can. Acutius. 28. q 3.

Pars negatiua. Hieronymi opinio. De hac re dissidium inter Hieronymum fuit & Augustinum. Hieronymus quippe, vt distinct. 26. patet. can. Vnius vxoris. & 28. q. 3. can. Oportet, censuit, quòd si quis in infidelitate fuerit coniugatus, licet mortua vxore aliam post baptismum ducat, non censetur bigamus: quia cùm tunc fiat nouus homo, nihil quod antecesserit debet ei obesse. Augustinus verò quod citato can. Acutius. ea. dist. & q. refertur, contrarium sentit: nempe eiusmodi hominem esse bigamum: nam de sacramento, inquit, agitur, non de peccato: & ideo qui carnem suam in plures diuiserit, siue ante, siue post baptismum, significationem non retinet vnitatis sacramenti, sacris ordinib. suscipiendis idoneam. Quemadmodum si puella ante baptismum corrupta fuit, non refertur post baptismum in catalogum virginum: atque adeò si quis eam coniugio sibi copulauerit, bigamus fit, ac perinde irregularis. Quare in hac controuersia Hierony. relinquitur, & Aug. tenetur.

Augustini opinio.

Exemplum.

Augustini opinio tenenda.

Ad primum igitur argumentum respondetur negando maiorem: non enim quicquid tollit maius, tollit minus: nisi pariter sit ad vtrumque institutum. Baptismus verò institutus est ad remissionem peccati & pœnarum quæ peccatis debentur, non tamen ad tollendas irregularitates, præsertim eas, quę consequuntur non peccata, sed significationis defectum & indecentiam, qualis est hæc.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quod licet ante nouam legem polygamia non fuerit irregularitas: quia tunc nullum erat sacramentum ordinis: nihilominus bigamia ante baptismum contracta obstat sacramento ordinis, quod est nouæ legis. Quòd si arguas, Per baptismum conformamur omnino Christo: ergo tunc vnusquisque simpliciter eum repręsentat: atque adeò nullus restat bigamus. Respondetur ad antecedens, quod conformamur omnino ei secundùm mentem: sed non secundum carnem, quæ in indiuisione carnis consideratur.

Obiectio.

Dilutio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm cum bigamo dispensare liceat.

Pars negatiua. Argum. 1. TANDEM quæritur de bigamiæ dispensatione. Et arguitur quod nullatenus dispensari super eam liceat. Nam capi. Super eo. extra de bigamis. ait Lucius Papa, quòd cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet. Et capitulo Nuper. ait Innocent. quòd cum clericis, qui quantum in illis fuit, secundas milieres sibi matrimonio coniunxerunt, tanquam cum bigamia non licet dispensare.

2. Argum. Secundò, quia significatio vnionis Christi & ecclesiæ videtur de essentia sacramenti: sed illa significatio tollitur per hoc quòd quis carnem suam diuidit in plures: ergo super hoc non cadit dispensatio.

Pars affirmatiua. In contrarium est textus Martini Papæ, can. Lector. distinctione 34. vbi dispensauit cum bigamo vt subdiaconus fieret.

Interpretes canonum, quia de iure diuino censere non est eorum munus, putantes irregularitatem bigamiæ iure diuino contrahi, propterea quòd Apostolus monuerit, sacerdotem debere esse vnius vxoris virum, anxiè se discruciant super citato ca. Super eo. de bigamis. perscrutantes vtrùm Papa possit dispensare cum bigamis. Respondetur nihilominus duabus facillimis conclusionibus. Prima. Papa potest super irregularitate cuiuscunque bigamiæ vniuersim dispensare, vbicunque id causa exegerit. Conclusionem mos ecclesiæ celebratissimus satis comprobat, passim dispensantis ad omnes sacros ordines suscipiendos: nam & Lucius Papa fertur, vt S. Thom. & glossator super citatum cap. Lector. & omnes referunt, dispensasse cum episcopo Panormitano, qui fuerat bigamus. Et ratio est plana: quoniam in omne ius positiuum eò quòd ab ecclesia dimanauerit, potestatem habet Papa dispensandi: hæc autem irregularitas à iure positiuo, vt attic. 1. monstrauimus, vim obtinuit: Apostolus namque non tanquam Christi præceptum promulgans, sed ceu pastor ecclesiæ sacerdotis decentiam docens, dixit, debere esse vnius vxoris virum, veluti & pudicum, & non vinolentum, nec percussorem, &c. ergo Papa, qui eadem pastoris ratione vtitur in ecclesia, potest dispensare, sicuti & Paulus si modò ecclesiæ præsideret, dispensaret. Quandoquidem ad essentiam sacramenti monogamia non attineat. Et confirmatur: nam similiter Papa cum homicidis dispensat, licet Paulus dicat, non percussorem: vana ergo est illa collectio, non potest Papa facere de bigamo non bigamum: ergo non potest cum eo dispensare. Enimuerò neque potest facere de homicida non homicidam, cum quo tamen dispensat. Eadem que veritas confirmatur per capit. Presbyter. dist. 82. vbi habetur quòd quanquam secundùm canones Apostolorum fornicatores presbyteri sint deponendi: habet tamen locum super eo pontificia dispensatio.

Decisio art.

1. Concl.

Mos ecclesiæ.

Ratio conclusionis.

Secunda conclusio. Licet ad suscipiendos sacros ordines maiores solus Papa cum bigamo eispensare valeat, tamen ad suscipiendos minores episcopus id præstare valet. Prima pars ab omnibus conceditur super citato capitulo Lector. 34. distinctione, vbi habetur, quòd si quis viduam in vxorem acceperit, in lectoratu permaneat, aut si necessitas fuerit subdiaconus fiat, id est, ad sacros ordines non promoueatur. Illic enim notant interpretes, subdiaconatum non fuisse tunc inter ordines sacros existimatum. Iam verò neque super subdiaconatum dispensatur, nisi per Pontificem maximum. Ratio est: quia ordinibus sacris annexum est continentiæ votum, per quos adeò homo diuino cultui mancipatur. Per rationem verò contrariam probatur secunda pars, tanquam probabilior opinio, quam S. Thom. impræsentiarum certus affirmat: cùm enim per minores ordines homo sacris non simpliciter mancipetur, non est cur episcopis non liceat, quandoq; ordinaria pollent potestate. Franciscus ergo ille iuris peritus, qui in glossa super can. vnico de bigamis. libr. 6. refertur, absque ratione ex dicto ca. intulit, episcopis eiusmodi dispensationem esse prohibitam: quia in textu nil aliud sancitur, quàm quòd bigami omni clericali priuilegio sint nudati. De dispensatione verò nihil prohibetur. Quinimò & D. Tho. addit, quosdam dicere quòd etiam episcopi possint dispensare quantum ad maiores ordines cum religiosis, ad euitandum eorum discursum. Eiusmodi tamen opinio iam nunc more & vsu non celebratur, vt bene ait Palud. dist. præsenti. q. 4. Abbates verò, nisi ex priuilegio aut ex consuetudine, quæ priuilegij indicium sit, super bigamia dispensare nequeunt.

2. Concl.

Ratio prima partis.

Ratio secundæ partis.

Opinio S. Thom.

Palud.

Ad textum ergo Inno. ca. Nuper. bene respondet D. Tho. sensum decretalis esse, quod cum illis qui de facto complura illegitima matrimonia contraxerunt non liceat dispensare aliter quàm si legitima & iuridica matrimonia cõtraxissent, sed non negat quin sit vtrumque dispensabile.

Solut. 1. arg.

Ad aliud tamen Lucij. capit. Super eod. In bigamis contra Apostolum dispensare non licet, non respondet in forma, sed respondet ad verba Pauli, quòd quantùm ad id quod est de iure naturali & de essentia sacramentorum, non licet contra Apostolum dispensare. Secùs in alijs, quæ sunt de institutione Apostolorum, cum quibus ecclesia nunc pari fungitur potestate. Et in hoc sensu interpretandus est Lucius.

Solut. 2. arg.

Digitized by Google

DISTINCTIO VIGESIMA OCTAVA.

DE CLANDESTINO MATRIMONIO.

Textus. Cap. 1.

VTRVM verò cõsensus de præsenti quemadmodum ad matrimonium requiritur, ita sufficiat, explorandum supereſt. Vbi primum omnium de clandestino matrimonio hoc ab ecclesia consultissimè cautum est, ne vllo pacto fiat, nempe absque arbitris, quorum testimonio ecclesiæ ipsi innotescere valeat. Nam & parentum ius prohibet, ne ipsis inscijs filij de nuptijs deliberent, & amoris nexus perpetuando matrimonio necessarius expostulat, ne leuiter concilientur. Ac demũ tum absurda incommoda, quæ ex clanculario matrimonio crebrescunt, tum & sacramenti religio, quod per sacerdotes celebrari decet, idipsum efflagitat. Nihilo secius quamuis in angulo abditissimè per liberum mutuumque de præsenti consensum inter legitimas personas matrimonium concilietur, verum est & solidum. Quocirca Canon illius prisci Pontificis Euaristi, quo ait legitimum non fieri cõiugium nisi ab ijs, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, vxor petatur, & à parentibus desponsetur, & secundum leges dotetur, & suo tempore benedicatur, &c. de solenni matrimonio auscultandus est, quod magnopere condecet tali ritu & more celebrari. Vnde quod subdit, Aliter præsumpta, non coniugia, sed adulteria aut stupra censenda, intelligitur quoad forum & æstimationem ecclesiæ: quia secundum eius sanctiones non sunt legitima: secus in foro conscientiæ.

Can. Aliter. 30. q. 5.

Cap. 2.

Banna verò sic iure nominari solita, hoc est, publicæ proclamationes, quæ vetustam in quibusdam ecclesijs originem duxerunt, & ab Innocentio sunt ad totam ecclesiam generaliter prorogata, non vbique more & vsu perseuerant. Imò fortasse nec tanti iam modò referunt, vt tanto sint cum rigore obseruanda. Eo potissimum, quòd canones per nullas vel excommunicationis, vel alius generis censuras illa fieri vrgeant, atque adeò consultius sanctiùsque forsan esset, vt neque particulares inferioresque antistites eiusmodi censuras de bannis adhiberent.

Ca. Cum inhibito, de clandest. desponsat.

Cap. 3.

Vnde quamuis culpa sit absque legitima causa, eiusmodi banna, vbi eorum consuetudo viget, prætermittere, multa tamen euenire assolent, ob quæ dispensare ne fiant operæpretium est. Id quod episcopi præstare possunt, neque super eiusmodi dispensationibus difficiles se debent exhibere. Imò vbi constiterit nunquam aut vix vnquam obseruari, sanctius esset eiusmodi bannorum ritum de medio tollere.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ OCTAVÆ,

Quæstio prima.

DE CLANDESTINO MATRIMONIO.

ARTICVLVS I.

Vtrùm clandestinum matrimonium sit validum.

Ordo autoris

IN superiore distinctione constitutum est, consensum per verba de præsenti explicitum esse causam quæ ad vinculum matrimonij est necessaria. Subsequitur ergo, vt in tribus distinctionibus exploretur, an solus ipse nudus sufficiat. In præsenti namque disputandum est, vtrum sufficiat etiam si nuptiæ absque vlla iuris solennitate clanculo fiant: & in duabus subsequentibus disputabitur de libertate ad huiusmodi consensum necessaria.

Pars negatiua. Argum. 1.

Arguitur ergo, quòd clandestinus consensus matrimonio contrahendo non sit satis. Perinde ecclesia prohibere videtur matrimonia clandestina atque inter cognatos in quarto gradu. vt. 30. q. 5. & de clandest. desponsa. apparet: sed illa, quæ inter cognatos contrahuntur, nulla sunt: ergo neque clandestina.

2. Argum.

Secundò. Sacramenta reliqua non nisi per ecclesiæ ministros perficiuntur, vno excepto baptismo propter eius extremam necessitatem: vt patet in sacramento etiam pœnitentiæ, cuius actus nostri sunt materia veluti huius: ergo eadem ratione matrimonium, nisi per ministros ecclesiæ concilietur, non erit legitimum & solidũ: & ea propter Euaristus can. Aliter 30. q. 5. censet clanculania matrimonia adulteria potius vel stupra aut fornicationes, quàm legitima coniugia.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quod posita causa ponitur effectus: sed consensus est sufficiens causa matrimonij, vt decernit Nicolaus cano. Sufficiat. 27. q. 2. dicens. Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumque consensu & coniunctionibus agitur: ergo clandestinum matrimonium est validum.

Decisio artic.

Clandestinum matrimonium inter canonum professores ad sex modos distinguitur, quos Theologorum nonnulli ab illis mutuantur, nempe, quando ante legitimam ætatem contra prohibitionem ecclesiæ quipiam vel matrimonia contrahunt, vel sponsalia, item quando spõsalia quæ publica iudicis autoritate essent dissoluenda, priuatim sponsi dirimunt. Isti autem modi vel parum, vel certè nihil ad rem pertinent. Bifariam ergo contingit matrimonium esse clandestinum. Vno modo (idque maxime propriè) quando sit sine testibus legitimis, per quos in foro ecclesiæ possit comprobari. Atque altero, tametsi non tam propriè, quando licet testes interfuerint, defuerunt tamen banna, hoc est, proclamationes & denunciationes, quę iure debebant in ecclesia precedere. Bannum quippe non est latinum nomen, sed ex Gallico factitium. Vnde Innoc. cap. Cum in tua, de sponsalibus scribens episcopo Belnacensi Gallo, Bannis, inquit, vt tuis verbis vtamur. Potest & quodammodo clandestinus appellari coniugalis concubitus, qui ante solennem ecclesiæ benedictionem fit. Sermo autem præsens non est de vsu, sed de matrimonio ipso, dum clanculo per consensum de præsenti initur.

Bifariam matrimonium est clandestinum.

Bannum quid.

Secundus modus.

Matrimonium clandestinũ & minus solenne non idem.

Ex his colligitur non esse idem matrimonium clandestinum & matrimonium minus solenne. Matrimonium quippe solenne est, quod fit cum omnibus iuris solennitatibus, quas in decreto Euaristi paulò inferius adnotabimus. s. cum dote, paranymphis & benedictionibus, &c. sed tamen non ob cuiusque solennitatis defectum fit clandestinum.

His præhabitis ad quęstionem duabus respondetur conclusionibus. Sunt enim apud quos clanculare matrimonium tam malè audiat, vt sibi vir persuadeant

Eraſmus. ſuadeant eſſe validum. Enimuero Eraſmus ſuper Matth. c. 9. Quod hodie, inquit, paſſim in ſcholis dictitant, ſolo conſenſu contrahi matrimonium, vtinam tam probatum eſſet, quàm receptum. Idque ſuper priorem epiſt. ad Cor. c 7. amplificans ait, quod cum neque apud ethnicos, neque apud Iudæos matrimonium eſſet, niſi quod parentum aut tutorum autoritate comprobaretur, tamen apud vtroſque quibuſdam ex cauſis dirimi poterat: & tamen apud Chriſtianos, cùm parentum conſenſus non exiſtimetur neceſſarius ſed ſæpe inter pueros & puellas per lenones ac temulentos matrimonium copuletur, indiſſolubile reputatur. Nam quæ nos de cõſenſu (inquit) & verbis de præſenti, de rato & non rato differimus, humanæ ſunt interpretationes, non oracula Dei. Sub quę multa congeminat ad perſuadendũ matrimonia pluribus de cauſis debere diſſolui: eademq; profectò tum ex nimia licentia deprompta, tum perinde quæ ſilentio conſultiùs ſepelijſſet. Igitur de matrimoniorum diuortijs diſtinct. 36. agendum ſupereſt, hic interim de clandeſtino matrimonio reſpondere oportet.

1. Conclu. Sit ergo prima concluſio. Conſultiſſimè ab Eccleſia cautum eſt, ne clanculo matrimonia copulentur. Eſt enim in huiuſmodi cautione ratiohis plurimum. Primum ſiquidem ius naturæ, quo parentes in liberos funguntur, ſub quorum ſunt poteſtate, exigit vt citra eorum conſenſum nihil nati deliberent, de re potiſſimum & vinculo vnde totum vitæ inſtitutum pendet, quale eſt coniugium.

Ratio. *Ratio. 2.* Secundò & perpetuitatis ratio, & amoris nexus, quo debent coniuges conglutinari, perquam maturum conſilium in paſciſcendis conciliandisque nuptijs expoſcit, ne facti, quod leuiter contractum eſt, diu contrahentes pœniteat: quam ob rem plurima diſſociantur matrimonia. Id quod puellæ præſertim animaduertere deberent: nam quo ſe faciliùs viris permittunt, ſatietatem illis citius & nauſeam ingenerant, ac ſubinde deſpicatius contemnuntur. Iuxta verbum Aug. ſupra citatum can. Inſtitutũ. 27. q. 2. Vilem habet maritus datam, quam non ſuſpirauit ſponſus dilatam.

Auguſt. *Ratio potiſſima.* Sed omnium potiſſima cauſa & ratio eſt, quòd matrimonia clandeſtina ſæpe conſueuerunt priuatim dirimi: ſolent, inquam, parentes filias & filios qui in contrahendis matrimonijs honori ſuo & commodo minimè conſultum curarunt, ad alias nuptias adigere. Quam ob rem quam plurimi ſæpiſſimè ſolent ſecunda quę falſa ſunt matrimonia ſuſtinentes, in perpetuo adulterio viuere, & illegitimos ſuſcipere liberos. Quin verò & eccleſia, cui de primo legitimè non conſtat, illos ad ſecundum compellit. cum tamen, vt diximus, & infrà repetituri ſumus, potiùs debeat tunc coniunx mortem perpeti, quàm cum ſecũdo marito in rem vxoriam conſentire. Quę quidem pericula adeò ſunt tum frequentia, tum etiã magna, vt nihil aliud ſancta eccleſia quàm rem conſultiſſimã faceret, ſi rationẽ excogitaret, qua poſſet matrimonia clandeſtina, ſcilicet quæ duobus tribuſve ſaltem teſtibus comprobari non poſſent, perinde irrita ac nulla æſtimare, atque illa, quæ inter cognatos in quarto gradu contrahuntur. De qua vtique re in Tridentino concilio exijt ſæpè ſermo inter patres. At quia nunquam ad hoc ſacramentum peruentum fuit, ab eodem interim ſermone fuit ſuperſeſſum. Eſt enim res, quæ vel per ſolum œcumenicum concilium, vel per Summum pontif. quàm maturiſſimo conſilio poteſt debetque adeò definiri. Et ideo nos nil hic aliud quàm quod illic diximus, repetimus. Nam vt vbique, ita hic quod eccleſia ſancit prudentius eſt & æquius.

In concil. Triden. hac de rebabitus ſermo.

Concluſionis confirmatio. Accedit in confirmationem huius concluſionis, quòd cùm matrimonium verum ſit ſacramentum, ratio religionis poſtulat, vt non niſi per miniſtros eccleſiæ celebretur, quod in clandeſtinis non obſeruatur.

Euariſtus. His ergo rationibus ſancti patres imbuti eiuſmodi occulta latentiaque matrimonia inhibuerunt. Vnde veteſtiſſimus Euariſtus Papa can. Aliter. citato. 30. q. 5. Aliter, inquit, legitimum non fit coniugium (legitimum ſcilicet, vt leges præſcribunt) niſi ab ijs qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus doteur, & ſuo tempore, vt mos eſt, cum precibus & obiationibus à ſacerdote benedicatur, & à paranymphis (vt conſuetudo docet) cuſtodita & conſociata à proximis congruo tempore ac ſolenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, vt caſtitatem cuſtodiant. Paranymphi autem ſunt, quos vulgus patrinos vocat. Aliter verò, inquit, præſumpta non coniugia, ſed adulteria vel contubernia, vel ſtupra, &c. eſſe non dubitetur: niſi voluntas propria ſuffragauerit, & vota ſuccurrerint legitima. Idemque cauetur cap. Nullus. & Noſtrates. atque alijs ſubſequentibus. Et Ambr. lib. Epiſt. 9. Epiſt. 1. ad Virgilium. Cùm ipſum, inquit, coniugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificare oporteat, quomodo poteſt aliter coniugium appellari? In prædicto ergo canone & apud Ambro. deſcribitur matrimonium non ſolum publicum, vt diſtinguitur contra clandeſtinum, ſed quod eſt inſuper ſolenne: nempe iuris ſolennitatibus exornatum.

Paranymphi. *Ambroſ.*

Banna vnde originem traxerint. Deinde verò ad maiorem cautelam cœperunt fieri illę denunciationes & proclamationes in eccleſia diebus aliquot feſtis, vt impedimenta matrimonij contrahendi qui noſſent, denunciarẽt. Et forſan mos ille cœpit in Gallijs, vbi banna nuncupata ſunt: vt ſupra, ex cap. Cum in tua. de ſponſal. coniecturam fecimus. Demum Inno. cap. Cum inhibitio. de clandeſti. deſpon. quo eiuſmodi furtiua coniugia penitius inhiberet, ſpecialem illam quorundam locorum conſuetudinem bannorum ad totam eccleſiam generaliter prorogandam ſtatuit, pœnasque in tranſgreſſores decreuit. Eſt & clãdeſtinum matrimonium legibus ciuilibus reprobatum, vt l. in ſponſalibus. 1 eodem titu, & de ritu nupt. l. Nuptiæ. vbi habetur, nuptias non conſiſtere niſi conſentiant omnes, ſub quorum poteſtate ſunt contrahentes.

Cap. Cum inhibitio.

2. Concl. Veruntamen his minimè repugnantibus ſubnectitur ſecunda concluſio. Clandeſtinum matrimonium ſi modò per verba de præſenti (ſemotis etiam omnibus arbitris) fiat, validum eſt, Aſſertio eſt dedecreti ſupra citati, Sufficiat. vigeſima ſeptima, quæſtione ſecunda. vbi habetur ſolum conſenſum contrahentium ſufficere. Idemque habetur cano, Matrimonium. & cano. Omnes. Cui concinit & lex ciuilis. Sufficit. titu. citato Id quod diſtinctione præcedenti, quæſtione prima locũpletiùs demonſtrauimus. Nihil enim magis naturale eſt, quàm vt poſſit per ſuam quiſque voluntatem alteri ſe in coniugem tradere. Quocirca etſi decentiſſimum ſit, vt nõ niſi magno cõcilio & deliberatione matrimonia conſœderentur, tamẽ quantum ad ſacramenti ſubſtantiam & contractus vinculum ſat eſt conſenſus eſſe liberos. Nam ſi propter defectum maturitatis conſilij matrimonia, vt ſupra citatus Eraſmus autumat, eſſent diſgreganda, & propter alia diſſidia & tœdia, quæ inter coniuges oboriri conſueuerunt, rara eſſent quæ firma permanerent: atque adeò ratio matrimonij, quæ in perpetuitate conſiſtit, deperiret. Venerabilis quidem Hugo libro ſecundo de ſacra. part. vndecima, capit. ſexto dicere videtur furtiuos iſtos conſenſus, qui nullo teſtimonio probantur, irritos eſſe debere. Attamen hoc diſputando profert, non aſſerendo, nam extemplò ſubdit, quod ſiue in manifeſto ſiue in occulto talis ſit conſenſus, perfectum iudicatur ſacramentum coniugij.

Hugo.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum negatur pari modo eſſe prohibita clandeſtina matrimonia, vt inter cognatos. Nam cognati cenſentur ab eccleſia illegitima materia matrimonij, veluti & illi qui voto ſolenni religionis ſe adſtrinxerunt, ideo illa prohibitio pertinet ad eſſentiam matrimonij: ſed tamen prohibitio clandeſtini coniugij non tangit materiam aut formam, ſed modum.

Nota. Vtrùm verò eccleſia poſſit facere, vt conſenſus abſque teſtibus nullius habeantur momenti, ſicut ſolenne votum non approbat, niſi cum certis cæremonijs celebratum, ad iudicium ipſius eccleſiæ, vt nuperrimè dicebamus, referendum eſt, ſi de hoc ei aliquando conſultandum duxerit.

Solut. 2. arg. Ad ſecundum reſpondetur, in cæteris ſacramentis nunquam ſic actus ſuſcipientium eſſe materiam, vt attingant effectum ſacramenti ſine actione miniſtri: hac enim ratione in pœnitentia abſolutio ſacerdotis eſt neceſſaria. Actus verò contrahentium ſunt ſufficientes ad innodandum matrimonij vinculum, ac perinde ad ſacramentalem gratiam: & ideo ſacerdotale munus non eſt de eius eſſentia.

Parentes poſſunt deſponsare filios. Ad aliud de parentibus, quos diximus ius habere deſponſandi filios, id planè conceditur: attamen filij non ſunt ſic ſub eorum poteſtate, vt bruta vel mancipia, quæ ſui corporis poteſtatem non habent, ſed ceu liberi, vt educẽtur ab illis: & ideò licet obedire teneantur

parenti-

Digitized by Google

parentibus, dum bene eis de matrimonio consulunt, & nonnunquam sit mortale peccatum non esse eis audientes & obedientes, nihilominus propria eorum voluntas celebrando matrimonio sufficit. Pontifices verò in detestationem matrimoniorum quæ clam fiunt, exaggerationis schemate appellant illa potiùs stupra & adulteria quam legitima coniugia quia non sunt solennia secundùm tenorem legis: atque adeò in facie & iudicio ecclesiæ reputantur stupra & fornicationes, quāuis in foro conscientiæ sint vera matrimonia Idque videtur Euaristus Papa insinuasse in vltimis verbis canonis, dicens non esse legitima coniugia, nisi voluntas propria suffragauerit, & vota succurrerint legitima quasi dixerit, si tamen proprij consensus interuenerint quamuis occulti, verum erit secundùm conscientiam matrimonium.

Euarist. sensus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm clandestinum matrimonium nonnunquam sit licitum.

Pars negatiua.

SVBSEQVITVR, vt de culpa & pœna, deque dispensatione huiusmodi matrimonij dicamus, vtrùm scilicet aliquando sit liçitum. Et arguitur à parte negatiua. Nunquam ab ecclesiæ obedientia neque vnquem deflectere licet: ecclesia autem, idque sanctissimè & consultissimè furtiua hæc clandestinaque matrimonia inhibet: ergo secus facere nunquam licet

Argum. 1.

2. Argum.

Secundò arguitur. Parentes & Rempub. offendere non potest non esse impium: qui autem clanculò contrahunt, & parentes offendunt & Rempub. quæ inde plurimum conturbatur, quod illegitima matrimonia atque adeò illegitimi hæredes inserpant: ergo nunquam huiusmodi matrimonia sunt licita. Atque inde colligendum apparet quòd Papa præter rationem & prudentiam super his dispensaret.

3. Argum.

Tertiò denique arguitur. Si matrimonium clandestinum vllo pacto esset validum, sequeretur quòd semper illud ecclesia deberet habere pro rato: atque adeò si alteruter coniugum transiret ad secundas nuptias, non posset illum compellere, vt in eisdem perseueraret: quia vsus illarum est merum adulterium: quod ecclesia nequit ratum habere: cùm ergo vsus doceat, quòd secundum matrimonium quod in manifesto fit, approbet: fit, vt prius in occulto factum nullum fuerit.

Pars affirmatiua.

In contrarium tamen est, quòd cùm matrimonium fieri in manifesto non sit de eius essentia, sed ecclesiastica constitutio, euenire potest casus, qui licitè à communi prohibitione excipiatur.

1. Concl.

Ad hanc quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Matrimonium clandestinum genere suo ab ijs nudatum incommodis quæ accidere solent, & ecclesiæ prohibitione, nullum est peccatum. Nam quemadmodum potest quisque sua bona alteri absque arbitris & testibus tradere, ita & se potest alteri coniugare. Si opinio illa, quam dist. 26. recitauimus. ſ quod per consensus contrahentium non confertur gratia, nisi interueniat forma sacerdotis, Ego vos coniungo: consequens fieret, peccatum per se esse mortale absq; sacerdote contrahere. Sed iam diximus nihil probabilitatis eiusmodi opinionem continere.

2. Concl.

Clandestinū quid.

Secunda conclusio. Matrimonium clandestinum ratione incommodorum subsequentium, & prohibitionis ecclesiæ, nisi aliqua sit legitima excusatio, est peccatum mortale. Appellamus id modò clandestinum, cui duo saltem treſve testes non interſunt, quorum testimonio in foro ecclesiæ probari possit. Probatur: quia non obedire ecclesiæ peccatum mortale est, nisi ex leuitate materiæ excusetur: hoc autem ecclesiæ præceptū est de re graui: quia vt explicatum est, magni refert tum ad tranquillitatem Reip. tum præsertim ad sacramenti firmitatem, & ad falsas cauendas nuptias & proles: ergo huiusmodi præcepto non obtemperare peccatum mortale est. Quod si quis arguat, saltem dum aliqui clanculò contrahunt, in quibus impedimentum matrimonium dirimens interuenit, nullum peccatū incurri, neque sententiam excommunicationis, quoniam cum non sit matrimonium, non censetur clandestinū. Responderur nihilominus, illos peccare, & excommunicationi se subdere. Imò ea de causa furtiua matrimonia interdicuntur, ne eiusmodi vitiosa matrimonia attententur. Quocirca in clem. de consang. & affin. contrahentes in gradibus prohibitis sententiæ excommunicationis subijciuntur.

Ratio conclusionis.

Obiectio.

Dilutio.

Tertia conclusio. Sunt euentus plures, in quibus dispensare licet, & decet. Idque vniuersim fieri potest per episcopum: imò in quibus si copia episcopi haberi non posset, vel si ipse iniustè dispensare renuerit, valeāt priuata autoritate sponsi citra culpam contrahere. Primò namque, quando matrimonium in facie ecclesiæ celebratum est, quod tamen in veritate propter occultum impedimentum nullum fuit, tunc obtenta dispensatione non debet matrimonium iterum publicitus contrahi, ne oriatur scandalum, sed secretò debent coniuges iterum mutuo consentire. Imo si alter tantum impedimentum nouit, non oportet id alteri reuelare, sed dissimulanter persuadere, vt se habeat pro coniuge Secundò ait Caieta. quæsito 2. de matrimonio super. 3. part. si repentinus casus rationem offerret contrahendi: & testes haberi non possent: Vt si in inuasione & direptione ciuitatis ratione coniugij seruari aliqui incolumes possent, qui soluti non valerent, possent subitò contrahere consummareque matrimonium. Vel fac concubinarios iter facientes, vel alia ratione comprehensos, in periculum ob concubinatum incidere, subitò tum possent matrimonium secretò contrahere, vt affirmarent se esse coniuges. Adde quod vbi iuuenis, alterutrius sexus iniuriam vel à parentibus, vel à tutoribus atrocem patereturr: quia iniquè nollent puellam nuptui tradere, vt patrimonium suum consumerent, posset quidem citra mortale, imò absque aliqua culpa, secretò nubere honesto iuueni, vbi tuta esset, quod ipse postmodum matrimonium non negaret. Quin verò si quipiam essent soli quibus ex re maximè esset coniugari, & valde metuerent illo elapso tempore inhibendos fore, ne contrahere possent, tunc si secretò in matrimonium consentirent, animo postmodum publicandi, non video quidnam culpæ, saltem mortalis, committerent.

3. Concl.

1. Casus.

Aliud exemplum.

3. Exemplū

4. Exemplū.

Quid autem si vir nobilis matronam aliquam honestam, cum qua consuetudinem habuit, ea conditione duceret, vt matrimonium esset perpetuò aut in longum tempus secretum, vel alia quauis honesta causa talis conditio poneretur, vtrùm fas esset & licitum. Respondetur, quòd quantum est ex natura matrimonij, nihil mali habet. Sed tamen ratione emergentium detrimentorum, & ratione scandali vix posset à culpa mortali excusari in longum tempus. Nam qui in viro consuetudinem illam frequentandi alienas ædes viderent, scandalum datum acciperent. Et præterea non posset commodè dari opera liberis educandis. Imò & periculum immineret, ne non haberentur pro legitimis: eò quòd matrimonium in facie ecclesiæ non esset celebratum. Quod autem in paruum tempus secretum teneretur, dum res & pacta commodè componi possent, aut nullum esset peccatum, aut non mortale.

Dubium.

De bannis verò quidnam necessitatis habeant, dicere restat, nam etsi in præallegato capit. Cum inhibitio. Innocent. bannorum morem ad omnem ecclesiam prorogauerit, non tamen vniuersim est mos ille receptus. Item casus non pauci sunt, in quibus, vt doctorum habet consensus, dispensare licet, ne fiant. In primis cum magnatibus, qui magna cum deliberatione solent connubia tractare, facilè dispensari permittitur. Deinde, dum nullius subest impedimenti timor. Ad hæc & propter contrahentium verecundiam, vt si egregiè nobilis ignobilem ducat, aut ditissimus pauperem, aut senex puellam. In quibus omnibus euentibus episcopus, ex consuetudine per papam dissimulata, vt scitè ait Paluda. dispensare valet ne banna fiant. Sed omnium vrgentissimus casus est, dum periculum timetur ne per banna, quibus matrimoniorum impedimenta caueri curantur, obstacula potiùs obijciantur ne fiant. Quæ quidem causa frequentissima est, præsertim in Hispania. Profectò si bannorum stata tempora expectarentur, vix possent nuptiarum pacta confici, adeò vel ex inuidia, vel alia de causa offendicula occurrerent, quæ rem vel differrent, vel prorsus dissoluerent. Qua vtique de causa in multis ecclesijs Hispaniæ, quarum princeps est Toletana, & secundum eam aliæ, huiusmodi ritus aboleuit ab vsu, vbi ob eorum defectum non æstimantur clandestina matrimonia, sed solùm ob defectum testium. Et vbi idem ritus permanet, multa crebrescunt incommoda. Sunt enim nonnullæ ecclesiæ, in quibus in toto vno seculo nulla fiunt bāna, & tamē antistites neutiquam dispensare volunt, vt matrimonia absque illis contrahantur, sed sententia excommunicationis contrahentes vulnerant, à qua nisi certa mulcta pecuniaria

Bannorum mos.

1. Casus.

Secundus. Tertius.

Quartus.

Nota rationem vrgentissimam.

Improbatur mos quarund. Eccle.

in fabricam ecclesiæ soluta absoluere illos vetant. Imò illa de causa aiunt se nolle dispensare, ne fabricam illo subsidio defraudent. Consultò ergo permittunt excommunicatos cõtrahere, quos illicò soluta pœna absoluũt. Aduersus hunc idcirco ritum, ne abusum dixerim, faciebat me sæpe reclamasse. Primùm enim omnium hoc abusu fit, vt per nullum vnquam sacramentum matrimonij gratia conferatur: quin verò nullum nisi in peccato mortali fiat. Quo nescio quid absurdius dici possit. Saluberrimum ergo esset eiusmodi bannorum ritum, vbi nullus eius fructus expectatur, exemplo aliarum ecclesiarum dissimulare, aut prorsum explodere, & cum quibuscunque contrahere volentibus dispensare, ne in peccato excommunicati contrahant, dum tamen legitimi intersint testes, quibus valeat ecclesiæ matrimonium innotescere.

Bannorum ritum auferre saluberrimum.

Nota.

Nam propriè clandestinum matrimonium illud iure censendum est, quod clam ecclesia fit, hoc est, ipsa nesciente, vtpote sine testibus, per quos illi constare possit. Banna enim quanuis ad maiorem cautelam fuerint adiecta, non sunt vsque adeò necessaria. Præsertim cùm in prædictis ecclesijs nec finis ipse, ob quem instituta sunt, seruetur: quoniam nulla adhibetur à prælatis cura inquirendi si quid impedimentorum matrimonio contrahendo obsit: sed soluta pœna statim coniuges absoluuntur. Et esset lõge salubrius, vt fabrica in summa esset egestate, quam tali via subsidia corradere.

Banna non sunt iussa sub excommunicationis pœna.

Quò igitur ad ius commune reuertamur, nulla est per ipsum decreta vel excommunicationis, vel alius censuræ pœna contrahentibus absque bannis & clanculò: sed peculiariter nonnulli prælati illam censuram in suis diœcesibus ad canones, vt aiunt, adijciunt. Et certè si summi Pontifices & concilia tales sententias & censuras iudicassent necessarias, ab ipsis essent adiectæ: & ideo consultius forsan esset, ius commune relinquere nudum, ne leges particulares in eam suspicionem veniant, quòd propter subsidium potius fabricarum quàm animarum sint popositæ. Zelus venerandi sacramenti matrimonij me in hæc verba compulit.

Qui huiusmodi censuram ignorãs, minimè ea ligantur.

Ex his primum colligitur, quod qui huiusmodi excommunicationis censuram ignorant, minimè eam incurrunt. Imò forsan quamuis aliqua sua culpa vincibiliter, vt aiunt, ignorent: quoniam licet à censura iuris communis & summi Pontificis nulla excuset ignorantia vincibilis, excusat tamen, vt nobiles autores docẽt, à censuris particularium prælatorum. Dũ tamen ignorantia crassa non fuerit & supina, vt ait Bonifa. ca. vt animarum. de constitutio. lib. sexto. crassa verò est & supina, quæ vel ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Rursus in illis supra recensitis euentibus, quibus ratio admonet vt episcopus dispenset, si copia episcopi haberi tunc non potest, nec peccatum, neque excommunicationis sententia incurritur contrahendo. Ad hæc si episcopus petitam facultatem sine causa denegauerit, profectò tunc contrahentes non peccabunt, neque excommunicationis vinculo ligabuntur. Neque verò in causam non dispensandi vllo pacto adduci debet, ne fabrica subsidio mulctæ fraudetur: quoniam illa mulcta & pœna vbi causa intercedit dispensandi, iniquissima est. Adde, quod etiam illi qui censuram incurrerint, possint per priuilegia diplomatum apostolicorum, hoc est, per bullas absolui, mulcta etiam synodali non soluta: nam etsi diplomata non concedant, vt eorum virtute quisquam antequam fuerit parti satisfactum, absoluatur, tamen iudex non est pars, sed tertius inter partes. Et ideo pensio quæ synodalis est eademque fabricæ applicata, ad satisfactionem partis nequaquam pertinet, sed ad reorum vltionem. Ob idq; cum Papa illam exceptionem non faciat, rectè potest reus absolui ab excommunicatione & pœna. Quandò verò in iudicio quis esset condemnatus ad aliquam pecuniam, qui quidem in sententiam consensit, quia tunc illa pœna transiuit in rem iudicatam, non potest vigore bullarum relaxari.

Qui huiusmodi censuram incurrerunt, per bullam cruciatæ absolui possunt.

Pœna clandestini matrimonij.

Aliæ sunt censuræ & pœnæ in transgressores prohibitionis clandestini matrimonij eodem cap. fin. de clandesti. despon. decretæ, præter peccatum mortale, quod illic committitur, si sine causa & licentia id fiat, videlicet vt parochialis sacerdos vel monachus, qui illic interfuerit, ab officio suspendatur per triennium. Et præterea vt filij ex eo matrimonio suscepti non habeantur legitimi. Vbi glossa, quam Palud. & Archidia. sequuntur, eandem illegitimationis pœnam incurri autumant solum propter bannorum omissionem, vbi eorum consuetudo viget. Panor. verò atque alij quos Syluest. verb. Matrimonium. 2. §. vlt. approbat, aiunt, quod vbi testes interfuerint, sola bannorum prætermissio tam grauem pœnam non incutiat. Miror tamen vtrosque sic de intellectu huius textus hallucinasos. Papa enim illic non censet filios esse illegitimos ob sola clandestina & interdicta matrimonia, sine banna defuerint, siue etiam testes: sed si contrahantur in gradu prohibito, etiam si parentes impedimentum matrimonij ignorauerint. Nam si contrahantur in gradu concesso, quanquam sine bannis & testibus, illico subdit non aliam pœnam, quam quod condigna pœnitentia contrahentibus ob suam culpam iniungatur. Et profectò vsus ecclesiæ nunquam illegitimos liberos ob solum clandestinum matrimonium censet: sed duntaxat, quando matrimonium propter impedimentum pronunciatur fuisse nullum. Nam tunc etiam si parentes impedimentum ignorauerint, filij nihilominus sunt spurij.

Syluest.

Intellectus c. fi. de clandest. desponſ.

Dubium.

Sed rogas. Quid opus illic erat hoc admonere, sanè cum liquidum sit contrahentes in gradu prohibito non verè contrahere, atque adeò nec filios procreare legitimos? Respondetur, hoc Papam admonuisse nè liberis ignorantia parentum suffragari posset, contendentibus eo quòd bona fide fuerint progeniti, habendos esse pro legitimis. Decernit ergo papa, quod parentum ignorantia propter clandestinam desponsationem non est ceu bona fides censenda, quæ possit spurijs liberis patrocinari. Et simili ratione lucidum fit subsequens verbum prædicti cap. videlicet, quod si ambo parentes matrimonij impedimentum sciuerint, quamuis in facie ecclesiæ contrahant filij sunt illegitimi. Papa enim non ambigebat, quin si impedimentum subest, siue sciuerint, siue ignorauerint, nullum sit matrimonium: atque adeò nec in dubium euocabat, quin filij sint illegitimi: sed censet, quod sicut ignorantia parentum ob clandestinam desponsationem iuuare ceu bona fides nequit liberos contendentes, quantum ad honores & successiones habendos esse pro legitimis: ita vice versa propter malam fidem amborum parentum, quos impedimentum matrimonij non latebat, non possit filijs patrocinari, quod in facie Ecclesiæ fuerit matrimonium celebratum. Et quoniam pœnæ sunt coarctandæ, fortasse glossa prædicti ca. spernenda non est, quæ ait, quod vbi alter tantum parentum impedimentum nouerit, valeant tunc liberi contendere se esse legitimos. Sed de hoc vsus & mos ecclesiæ consulendus est. Illegitimi verò censentur, tum in foro ecclesiastico quantum ad honores obeundos & sacerdotia suscipienda, tum etiam in foro ciuili quantum ad successionem in hæreditate. De qua sermo iterum dist. sequenti. q. 1. redibit.

Dilatio.

Postrema denique ambiguitas emergit de consummatione matrimonij ante solennem benedictionem ecclesiæ. Apparet. n. peccatum esse mortale, postquàm Ambrosius proximè citatus matrimonium, quod non est benedictione sanctificatum renuit appellare coniugium. Cui consonat & Euaristus cano. Aliter. 30. quæstione 5. & Silicius Papa in epistola ad Pomerium capit. 4. Illa, inquit, benedictio, quam nuptura fœmina sacerdos, imponit, sacrilegium est, si violatur. Et cano. Consanguineorum 1. quæstione quarta, idem fermè ait Calixtus. Idemque expressiùs 35. quæstione tertia, capit. Nulli. habetur ex concilio Lugdunensi. Ob hæc atque alia id genus testimonia Waldensis tomo 2. de sacramentis, capit. 133. arbitratur peccatum esse mortale absque benedictione rei vxoriæ vacare. Idemque ex iureconsultis non pauci affirmant, quos Syluest. verb. Debitum coniugale. §. 9. refert. Tametsi quidam dicant, primum congressum esse mortale delictum, subsequentes verò non item. At Ricardus distinctione præsenti aliter distinguit. dicens petere tunc debitum mortale esse, reddere verò, minimè. Sed Caietanus super. 3 part quæst. 2. de vsu matrimonij simpliciter negat mortale crimen esse benedictionem ecclesiæ per rẽ vxoriam prævenire, nisi id forte ex contemptu fiat. Et est opinio, quæ longè plus probabilitatis & securitatis affert. Ad cuius intellectum, notandum, quod in primitiua ecclesia priùs per sponsalia de futuro nuptiarum pacta firmabantur: consensus autem de præsenti non adhibebantur nisi ad valuas ecclesiæ cum benedictionibus: & ideo maior tunc earundem benedictionum ratio habebatur, ac si absque illis censeretur matrimonium clandestinum. Tametsi in locis etiam vbi talis

An consummatio matrimonij ante benedictionẽ ecclesiæ sit mortalis culpa.

Euarist. Silicius. Calixtus Waldens.

Syluest.

Ricardus.

Caieta.

vsus

vsus vigebat, omissio earum non reputabatur mortalis, vt Nicolaus Papa in can. Nostrates. 30. quæstione. 5. annotauit, dicens, quòd si cuncta nuptiarum solennia defuerint, non ideò peccatum interuenit. At verò postquam mos increbuit vt matrimonia per verba de præsenti ante benedictionem contrahantur, earundem benedictionum omissio matrimonium non facit clandestinum, si alioqui publicè fiat. Et ideo non est cur peccato mortali tribuatur, matrimonium absque illis consummare Imò verò in Germania in nocte, pridie quàm benedictiones fiant, consueuerunt coniuges concubere. Et in concilio Florentino, quia Ioannes Hus & Witcleff eiusmodi benedictiones contemnebant, sub hac forma interrogati sunt. Vtrùm credant quod contemnens susceptionem solennitatis sacramentorum confirmationis, extremæ vnctionis & matrimonij, peccet mortaliter. Solus ergo contemptus mortali macula denotatur: esset autem contemptus, vbi quis perinde eas nihili faceret, ac si non essent ab ecclesia institutæ, sed essent res vanæ. Vnde S. Tho. distinctione præsenti artic. 2. solut. ad 1. ait, quod si sponsa sponsum admittat credens, eum velle matrimonium consummare, excusatur à peccato, nisi aliqua expressa signa fraudis appareant. Vbi quamuis sermonem non inierit de excusatione ab omissione benedictionis; sed de excusatione à peccato fornicationis: quia fit tunc legitimum matrimonium: insinuat tamen quod illa clancularia consũmatio ante benedictionem non est peccatum, saltem mortale, est autem veniale, si absque vlla causa fiat: quia legitimus ecclesiæ ordo anteuertitur, qui est, vt ante vsum matrimonij, vt debitè & idoneè coram Deo fiat, sponsi benedicantur.

Dixerim absque vlla causa: quia quamuis nulla occurreret alia, consulendum est sponsis, qui per verba de præsenti contraxerunt, dum benedictionum solennitas prolatatur & procrastinatur, si pudicè nequeunt continere, vt matrimonium consumment ad euitandas absurdas & obscœnas pollutiones, quæ inter ipsos interuenire assolent. Id quod puellarum matres animaduertere debent: quę ne filiæ ad velum corruptę accedãt nihili æstimant quod alijs absurditatibus polluantur

Ad primum igitur argumentum respondetur quòd si fiat de matrimonio propriè clandestino, quòd sit absque testibus, probè concludit esse mortale propter incommoda quæ habet annexa, vt conclusione secunda explicatum est. Si verò argumentum obijciatur de illo quod sit sine bannis: respondetur, quòd stando in iure communi, non est peccatum mortale illa prætermittere: quia non tanti referunt, vt credantur cum tanto pondere iussa, sed excommunicationes particularium antistitum culpam mortalem offerunt. De quibus tamen satis suprà dictum est Quod autem pro causa rationabili Episcopi super eisdem dispensare debeant & possint, non est in dubium euocandum.

Tertium argumentum maioris est momenti nempe de illo, qui postquam clandestinè contraxit cum vna, publicè de facto contraxit cum altera, cum qua ab ecclesia cohabitare compellitur, quidnam sit facturus. Magister namque sententiarum dist. 38. arbitratus est per obedientiam ecclesiæ excusari à peccato quamuis debitum reddat. In quo, vt dist 37. artic. 5. videbimus, non tenetur. Quidam autem nuper peius de hac re opinabatur: nam Magister dixit, eum quodammodò excusari à culpa: iste autem, imò contra vniuersalissimam omnium opinionem & planam veritatem, contendebat, quòd in tali casu licitum sit minus peccatum committere ad euitandum maius: nempe, debitum illegitimæ vxori reddere ad euitandum inobedientiæ crimen, qua ab ecclesia cogitur, vel saltem ad cauendam mortem: si quis ei illam comminaretur, nisi fornicationis flagitium committeret. Sententia eius, quam ab ipso scriptam legi, sic habebat. Qui minus peccatum committit causa vitandi maius, cum simul vtrumque vitare non potest, is tunc non peccare intelligitur. Et mirabatur theologorum ignorantiam, qui illum sensum nunquam concepissent, quousque suis ipse rationibus eos conuicit Hinc ergo inferebat, quòd Terentia, quæ post priores legitimas nuptias cum Sempronio secundo viro priore viuente cohabitare cogebatur, reddere illi deberet debitum, maximè si mortem, dum renueret, timeret. Atque hoc aiebat non nisi prodigos vitæ negare potuisse.

Sanè verò mirandum potiùs est, vt quispiam theologi nomine dignus in animum commentum hoc inducere potuerit. Primum enim omnium ineptus error est dicere, quod liceat minus omnium peccatum committere ad euitandum maius, imò nec minimum ad vitandum maximum Non enim idem est dicere ex duobus malis minus esse eligendum, aut permittendum, quod Philosophus docuit, & minus committendum peccatum ad euitandum maius. Licet enim mihi bonorum meorum iacturam facere ad redimendam vitam, iactura tamen tunc illa bonorum nullum est peccatum: quia dum illo vestitur fine, rationem exuit prodigalitatis. Est enim contradictionis implicatio, quod liceat minus peccatum committere ad cauendum maximum: nam peccatum nullum est nisi id quod non licet: quare si licet, peccatum non est: & si peccatum est, non licet. Vnde Augustin. lib de mendacio cap. 18. peccata, inquit, esse desinunt, quæ propter grauiora vitanda suscipiuntur. Quare cum hanc sententiam idem doctor allegauerit, non debuisset in illo falso sermone persistere, minus peccatum committendum ad euitandum maius, sed dicere, quod liceret illud minus malum facere, quod alias per se peccatum esset, ad euitandum grauius. Ille enim est sensus concilij Toletani cano. Duo mala. 13. distinct. Qui enim iurauit hominem interficere, si illum propter iuramentum interficiat, vt Herodes Ioannem, grauius peccat, si tamen non interficiat, quamuis fractio iuramenti per se peccatum esset, tamen in tali casu nullum est. Iurasse tunc, inquam, rem illicitam peccatum fuit, sed iuramentum illud non adimplere, non est nisi virtus. Et idem est sensus Gregorianæ doctrinæ ibidem can. Nerui & Bedæ cano. Non solùm. 22. q. 4.

Hac ergo veritate sic expolita notandum rursus quædam esse mala intrinseca sua ratione peccata, quæ dicuntur prohibita, quia mala, vt mentiri, fornicari, peierare, &c. Alia verò sunt, quæ non habent innatam malitiam, quæ sunt mala, quia prohibita, vt ieiunia ecclesiastica, & festa frangere, &c. Ea ergo, quæ innatam habent natura sua malitiam, neutiquam vllo prorsus euentu aut causa committere fas est, non solùm ad seruanda temporalia bona, aut honorem, aut vitam, verum neque ad euitandum quodcunque aliud maximũ scelus & crimẽ. Et ratione est, quia malũ, quod ad euitandum aliud committere licet, eo ipso desinit esse peccatum. Hæc autem non magis possunt desinere esse peccata, quàm homo esse rationalis. Quapropter Deus nunquam permittet, imò nec permittere potest, vt illis homo angustijs intercludatur, vt necessariò vnum aut alterum peccatum committat: nam quod necessarium est, non est peccatum. Secus ergo accidit, vbi peccatum est intrinsecè malum. Licet enim mihi causa seruandi vitam, aut bona mea, aut famam festum frangere, aut ieiunium: quia ecclesia nos ad hæc non cum tanto rigore ligauit. Ad propositum ergo vt descendamus, cùm fornicatio sit intrinsecè & sua natura mala, nullam prorsus ob causam licet. Atque adeò qui legitimam habet occultam vxorem, & ab ecclesia compellatur habitare cum secunda, quam duxerit publicè, non est ecclesiæ inobediens si debitum non reddat: quippe cùm ecclesia ex falsa præsumptione eum putans legitimum maritum, iubeat eum habitare cum illa. Imò esset Deo inobediens illam cognoscendo, quamuis id ad cauendam mortem perpetraret. Veluti si puella illata sibi vi in stuprum consentiret, vt mortem fugeret.

Aiebat autem ille citatus autor, quod iste non committebat peccatum, sed permittebat in se committi, sicut poterat permittere in altero. Veruntamen latissimum discrimen minimè perspexit. Quod enim ego in altero permitto, non facio: vt si permittam aliquem fornicari, quem scio me cohibere non posse, quin incidat in adulterium. Quare mea permissio suum non excusat flagitium. Mulier verò, quæ in se ipsa id permitteret, permittendo faceret: & ideo non cauere tur in se culpam. Secus, si ego furem permitterem mea bona furari, metuens occidi si resisterem: nam cùm sim eorum dominus, desinit ob illam causam esse prodigalitatis peccatum. Sed non opus est pluribus de hac re contendere: est enim expressa decisio Innocentij ca. Inquisitioni. de sentent. excommunic. vbi habetur quòd coniunx qui matrimonij impedimentum scit, potiùs debet sententiam excommunicationis su-

Ratio. *Conc. Florentinum.* *Nota dictum S. Thomæ.* *Absque vll. causa.* *Solut. 1. arg.* *Dubium.* *Opinio cuiusdam.* *Casus.* *Sententia autoris.* *Nota.* *Augustin.* *Grego. Beda.* *Nota.* *Ratio.* *Redargutio eiusdem. Autoris solutio.* *Mulier.* *Innoc. c. Inquisitioni.*

Limitatio textus.

nis sustinere, quàm debitum aut petere, aut reddere. Et mirum est, quòd ille textum eundem ad id limitauerit: quando non incumbit causa vitandi maioris mali: sanè cùm Pontifex excommunicationem maximum censuerit malum, quam tamen sustinendam ait potiùs quàm debitum fit reddendum: quia illud, inquit, est peccatum. Videlicet intrinsecè malum, quod ideo nulla de causa exuere valet rationem culpæ. Quocirca meritò opinio Magistri, qui distin. 38. in contrarium deflectere videtur, tanquam nullatenus tenenda explo ditur. Et mirandum est cum semper Hugonem imitetur, quomodo ei hac de re non auscultauerit, qui lib. 2. de sacrament. part. 11. cap. 6. locupletissime, quod suum ingenium est, hoc argumentum edisserit: vbi concludit, quod quamuis ecclesia aliud nequeat, quàm secundum allegata & probata in suo foro iudicare, compellendo in hoc euentu, vt coniuges in secundo matrimonio persistant, nihilominus mulier, qua impedimenti conscia est, martyr esse potius debet, quàm in copulam aut alium actum maritalem cum secundo viro consentire: quippe cùm re vera non sit maritus. Imò episcopus ipse, qui externo iudicio cogit illam, si per sacramentalem confessionem intelligeret non esse eius coniugem, deberet eam in sacramento cogere, ne quantum ad illos actus cum secundo viro consentiret, licet possit cum illo cohabitare.

Opinio Magistri sent. reijcitur. Hugo.

DISTINCTIO VIGESIMA NONA.

DE CONSENSU COACTO, ET DE CONDITIONATO.

Textus. Cap. 1.

AD hæc quæ de clandestino matrimonio definita sunt, de consensus libertate & conditionibus appositis sermo consequitur. Enimuerò cum coniugalis nodus perpetuus sit, idemque perinde indissolubilis, & quemadmodum ait Nicolaus Papa, quod quis non eligit nec optat, id profectò non diligat: quod autem non diligit, facilè contemnat: consequens fit, vt consensus, quo matrimonium perficitur, ex magna debeat libertate proficisci, atque adeò si per metum, qui in virum constantem cadit, fuerit coactus, minimè sit matrimonio copulando sufficiens. Secus si leuis fuerit. vnde Alexan. Papa, Cum locum, inquit, non habeat consensus vbi metus vel coactio intercedit, necesse est vt vbi assensus cuiuspiam requiritur, coactionis materia repellatur. Cui adnuit & Vrbanus can. Si verum. 31. q. 2. Multaque subinde sacra decreta suffragantur. Accedit, quòd vt idem Alexand. autor est, ea quæ vi vel metu fiunt, debent in irritum reuocari. Si verò consensus eiusmodi violentus matrimoniũ concinnaret, cùm suapte natura perpetuum sit, illud irritari nequiret.

Cano. Præsens. 20. q. 3.

Cap. Cùm locum, de sponsalibus.

Cap. Abbas. de his quæ vi metusve. cau. fiunt.

Metus autem, qui in virum constantem incidit, est in primis timor mortis atrocisve cruciatus, vt Innoc. eod. titu. nos admonet. Cui accedit & metus longæui carceris, aut exilij, aut amissionis status, aut virginitatis, &c. vt consultissimis legibus. ff. eodem titu. cautum est. Reliqui namque minoris momenti, vt amissionis exiguæ pecuniæ, & similes, veluti leues repelluntur, vt. l. Vani timoris. Neque verò ita multum refert iustè ne an iniuria eiusmodi metus fuerint incussi, dummodo illati extrinsecus fuerint, ijdemque ob hunc finem, vt quispiam in matrimonium adigatur, tunc quippe nullum inde nectitur vinculum. Ex his ergo fit consequens, quòd neque princeps ciuem, neque pater filiam compellere ad nuptias iure valeat, vt Honorius Eusebio episcopo respondit.

Cap. Cùm delectus l. Qui in carcerem. Ego puto l. ffi quidem. ff. quòd me. caus.

Cap. Tuas nos. de spons. salib.

Post consensum coactum ordo nobis idoneus conditionatum offert. Consuescunt enim nuptiali contractui conditiones apponi, seu generales, vt Contraham tecum si Deus voluerit, vel si tu consenseris, vel nisi cõsanguinea extiteris, & similes, quæ quamuis non apponantur; suapte tamen natura intelliguntur appositæ: seu particulares, quarum aliæ sunt simpliciter necessariæ, vt si sol oriatur cras: aut simpliciter impossibiles, vt si cœlum digito attigeris: aut denique contingentes, vt si pater meus consenserit, aut si te tuus dotauerit.

Capi. 3.

Capi. 4.

Cõditio ergo simpliciter necessaria semper habetur pro impleta: quare perinde ac si non esset apposita, contractus illico valere incipit. Vt qui dixerit, Contraho tecum si cras sol oriatur, eodem momento altero consentiente matrimonium perficit. Et similiter sponsalia qui dixerit, Contraham. Quod. n. in futurum est necessarium, pro vero habetur de præsenti. Vnde Iurisconsultus. Qui sub cõditione, inquit, stipulatur, quæ omnino extitura est, purè videtur stipulari. Similiter conditio impossibilis, vt Greg. nonus autor est, habetur pro non adiecta, dissimili tamẽ ratione, nempe quòd cùm existere nequeat, neminẽ obligare valet. Quocirca eiusmodi conditio neque matrimonium, quod absque ipsa nullum esset, consolidat, neque verò consensum, si adest, pendulum reddit, sed vel per ipsam, vel per alias coniecturas perpendendum est, vtrum consensus intercesserit, an secus, vt inde matrimonium validum inualidúmve iudicetur.

l. Si pupillus §. 1. ff. de nouatio.

Cap. fi. de condi. appos.

Cap. 5.

Ex conditionibus autem contingentibus aliæ sunt, quæ substantiæ, finíve, aut fidei coniugij obstant, atque aliæ, quæ ei impertinentes adhærent. Quarum aliæ honestæ sunt, aliæ verò turpes. Illæ ergo quæ obstant, vt idem ibidem ait Pontifex, matrimonium tollunt: puta si alter dicat alteri, Contraho tecum donec inueniam aliam meliorem, aut facultatibus ditiorem (quod perpetuitati ac substantiæ aduersatur.) Aut si generationem prolis euitaueris (quod finem tollit.) Aut si pro turpi te quæstu prostitueris, (quod fidei contrarium est.) Reliquæ verò, quæ turpitudinem præ se ferunt, acsi non essent adiectæ censendæ sunt: nam vt ad impossibile, ita neque ad id quod turpe est, vllus obligari valet. Quare quæ dixerit viro, Contraho tecum, vt meum inimicum occidas, verè nupserit, & nihilominus vir minimè illius obligatione tenetur.

Cap. finã.

Cap. 6.

Quando autem honesta conditio de præsenti, verbo præsentis temporis adhibetur, si tunc existere fuerit comperta, consensus ille absque alio uouo eodem momento matri-

Digitized by Google

monium perficit: vt si quis dixerit, Contraho tecum si meis nunc parentibus placet: nihil enim tunc deest, quod ad substantiam matrimonij attineat. Si autem conditio sit de futuro, quamuis verbo sit temporis præsentis adiecta, pendulum consensum reddit, & ideo quousque per eius existentiam contractus purificetur, matrimonium non conualescit. Imò verò quamuis non desint qui aliud sentiant, consensus ille sub conditione prolatus, quantumcunque illa fuerit impleta, quousque alius absolutus accesserit, vel maritalis copula, neutiquam est ad matrimonium sufficiens. Nam cùm conditio huiusmodi contractum in futurum pertrahat, perinde habet dum verbo de præsenti adijcitur, acsi verbo de futuro apponeretur: ob idque adeò nouum alium de præsenti consensum pòst expostulat. Hoc enim certè tum Vrbanus Papa canon. Super eo De conditionibus appositis. oculatè perspectus, tum & Innocentius capit. Per tuas. eod. titu. liquidò edocent.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ NONÆ,

Quæstio prima,

DE CONSENSV COACTO.

ARTICVLVS I.

Vtrùm consensus aliquis esse possit coactus.

POST illam conditionem clandestini matrimonij, quam diximus eius substantiæ non obstare, sed esse tantummodo trãsgressionem ecclesiasticæ præceptionis, quæritur de conditione libertatis, vtrum sit in consensu necessaria. Et quoniam libertati, vt 3. Ethic. autor est Philosophus, duo sunt quæ obstant: nempe vis & ignorantia, in distinctione præsenti agitur de vi, & in subsequenti de ignorantia. Duas ergo quęstiones præsens distinctio requirit, quarum prima est de vi & coactione, & secunda de conditionato consensu, qui non nisi sub conditione est liber.

Partis negatiuæ argum. primum.

Quæritur ergo primò de eo quod quæstio supponit: nempe vtrum consensus vllus possit esse aliquo modo coactus. Arguitur enim à parte negatiua. Coactum & violentum vt ibidem ait Philosophus, idem sunt: violentum autem, inquit, est id, quod fit à principio extrinseco passo non conferente vim, id est, inclinationem: quod est dicere, quando contra propriam inclinationem mouetur, vt lapis sursum: hoc verò voluntati respectu actus, quem elicit, accidere ne quit quoniam quemcunque actum eliciat, ille est sua ipsius inclinatio, atque adeò nullus esse potest contra suam inclinationem: ergo contradictio est, vt voluntas cogatur, vt 2. sentent. dist. 25. doctores demonstrant.

2. Argum.

Secundò arguitur. Vis (à qua dicitur violentum) est maioris rei impetus, qui repelli nõ potest. l. vis. ff. de eo quod metus caus. huiusmodi autẽ impetus in voluntatẽ non cadit: ergo nec coactio. Probatur minor. In actu voluntatis perficitur peccatum: nemo autem, vt in de libero arbit. ait Augu. peccat in eo quod vitari non potest: ergo impetus, qui est vis, voluntati repugnat.

3. Argum.

In huius confirmationem accedit tertiò Ciceronis definitio, vbi ait, quod vis est impetus dominantis retinens rem infra terminos alienos. Arguitur enim sic. Primum tum actionum, tum subinde rerum dominium penes voluntatem est, quæ est per se libera: ergo nihil ei dominari valet, atque adeò nec vim inferre.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quod id, quod nõ est, nullius potest esse causa: sed coactus consensus matrimonium vitiat, quia vt habetur de sponsalib. cap. Cùm locum. libertatem tollit: ergo consensus potest esse coactus.

Violentia duplex.

Quæstio hæc duabus conclusionibus absoluitur. Ad quarum intellectum prænosse oportet, coactionem & violentiam quæ in idem coincidunt duplicem esse. Vnam scilicet, quæ absolutam infert necessitatem: atque illud à Philosopho loco citato simpliciter censetur violentum, vt dum quis alterum renitentem loco depellit: illic enim nullus est voluntatis consensus. Et ideo simpliciter motus ille fit à principio extrinseco passo non conferente vim. Aliud est violentum seu coactum mixtum: vt dum quispiam in naufragio, vt vitam seruet, bona sua in fluctus eijcit. Hoc enim quamuis per se absolutè consideratum, quatenus est iactura bonorum, non sit voluntarium, sed violentum: nihilominus illa circunstantia & qualitate vestitum, quod est necessarium ad euadendam mortẽ, quæ grauius malum est, fit per electionem voluntarium. Et quia actiones circa singularia versantur, pro vt hic & nunc fiunt, ideo illud simpliciter est voluntarium: quippe vbi consensus interuenit, licet sub conditione sit violentũ. Nam si ille posset aliter vitam seruare, iacturam illam bonorum neutiquam faceret.

Violentum mixtum.

1. Concl.

Hac præmissa distinctione sit prima conclusio. Violentia primi generis, quæ est coactio simpliciter dicta, in rebus duntaxat inanimis est, & in membris corporis animatorum: in appetitu verò siue rationali, siue sensitiuo quantum ad actus elicitos nequaquam esse potest. Prima pars compertissima est, si quidem lapis per violentiam proijcitur, & tam homo, quàm brutum ad motum corporis, licet nullum habeat consensum, sed dissentiat, depellitur. Huiusmodi autem motus non est actio subiecti, sed mera passio forinsecus illata. Secundam verò partem probant argumenta proposita. Nam huiusmodi violentia est passio contra inclinationem agentis: motus autem appetitus tam sensitiui quàm rationalis est ipsa animalis inclinatio: quare à quocunque metu idem nascatur motus, fit secundùm eius inclinationem, imò ipsissima inclinatio. Et quamuis primum principium motus, nempe timor, extrinsecus incutiatur, consensus tamen ad motum ab intrinseco appetitu elicitur. Quocirca contradictione complicatur, qui ait appetitum ad actum elicitum posse cogi.

Ratio primæ partis.

Ratio secũdæ partis.

Dubium.

Vtrùm autem hoc proprium sit voluntatis & appetitus sensitiui, nonnulli ambigunt. Imò verò Durandus lib. 2. distin. 25. quæst. 4. ait, neq; intellectum neque vllam apprehensiuam potentiam eadem ratione cogi posse. Nam quocunque timore homo cogatur intelligere aut videre, intellectio ipsa est intellectus inclinatio, & visio inclinatio visus. Doctrina verò hæc non est rei physicæ germana: nam violentiæ iudicium non sumitur ex inclinatione potentiæ, quæ actum elicit, sed ex inclinatione suppositi. Enimuerò cùm actio & passio sit propriè suppositi, ipsum est, quod propriè cogitur. Propria autem inclinatio totius suppositi est appetitus naturalis in rebus inanimis, & sensitiuus in brutis, & rationalis in homine. Vnde quicquid homo contra suam voluntatem patiatur, propriè cogitur, quamquam fiat secundùm inclinationem apprehensiuæ potentiæ. Ob idque quispiam & ad intelligendum cogitur, & ad videndum, &c. Imò verò damnati multa contra suam voluntatem intelligere compelluntur, & resumptis corporibus sentire cogẽtur.

2. Concl.

Secunda conclusio. Violentia & vis secundi generis, scilicet conditionata in sola voluntate & brutorum appetitu repiriri potest, eademq; non nisi per metũ. Probatur, quia hæc violentia actum dicit simpliciter voluntarium cum inuoluntario conditionato admixtum, vt expositum est: huiusmodi autem consensus esse non potest nisi in vlountate, vt dum homo metu periculi aliquid agere consentit, & dum pecus metu oblati verberis à pabulo discedit.

Vis & metus idem.

Ex his ergo sit consequens, vt impræsentiarum D. Tho. ait, quòd vis hoc secundo modo & metus conuertũtur. Imò vis in præsentia non solùm non vsurpatur pro violentia eis illata, quæ anima sensitiua carent, qualia sunt saxa, & ligna: verùm neq; pro illa quæ brutis animãtibus infertur: quia cum illa non sint propter se, sed propter hominem, atq; adeò per se non sint

iuris

iuris iniuriæve capacia, nulla eis propriè infertur vis, sed homini eorum domino. Vsurpatur ergo hic vis humano more pro ea, quæ homini fit, quæ idem est quod metus. Est. n. metus, vt autor est Vlpianus, instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio. Et vt ait Cicero li. 4. Tusculanarum quæstionum, opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videtur. Optimè ergo idem Iureconsul. l 1. ff. De eo quod met. cau. adnotauit, quòd cum olim tit. sub disiũctione ponere tur, De eo. s. quòd vi metúsve causa fit (vt titulus habet canonici iuris) postea detracta est vis mentio: ideo quòd quicquid vi atroci fit, id metu fieri videtur. Vnde tit. ciuilis iuris non est nisi, De ijs quæ met. caus. Et ideo titulus iuris canonici non debet tanquam de duabus rebus distinctis intelligi, sed cum dicitur, vi metusve causa, posterior particula est prioris expositio.

Tit. De his quæ vi, &c.

Solutio argumentorũ.

Ad argumenta ergo iam responsum est, illa solidè concludere, in actum voluntatis elicitum coactionem simpliciter cadere non posse, potest tamen cadere conditionata & mixta.

ARTICVLVS II.

Vtrùm metus aliquis possit in virum constantem cadere, quo eum excuset.

Pars negatiua. Argum. 1.

SVBEQVITVR, vt de solenni metus distinctione dicamus, respectu viri constantis aut inconstantis Et arguitur quod nullus metus in virum constantem cadere possit. Nam vir constans & fortis, vt 3. Eth. autor est Philosophus, impauidus, atque intrepidus est: qui neque mortis periculo, quæ omnium terribilium est maximum, cogitur, sed ficut tetsera vndique quadrata quomodocumque iaciatur, æqualiter cadit: ergo nullus metus in virum constantem incidit.

2. Arg.

Secundò. Inter illa impendentia mala, quæ viri probi timere debent, venit infamia: timor autem infamiæ, vt autor est Vlpianus l. Nec timorem. ff. de eo quod met. caus. timoris edicto non continetur: ergo neque vllus alius metus in virum constantem sic incidit, vt eum excuset.

Pars affirmatiua.

In contrarium tamen est, quod Abraham & Isaac viri fuere constantes, qui tamen metu mortis, vt historia Geneseos refert, vxores suas sorores esse dixerũt: ergo metus in virum constantem cadere potest.

Decis. ar.

Quando dicitur, metum in virum quempiam cadere, verbum cadere, sub duplici significato audiri potest. Vno modo vt idem sit, quod metum concipi, ac illoque hominem concuti & percelli, etiam si ab eo non vincatur. Et isto pacto in Christum seruatorem nostrum, qui omnium fuit constantissimorum hominum exemplar, cecidit mortis metus, qui naturalis est. Itaque metum cadere isto modo in constantem virum nihil aliud est, quam virtutem constantiæ & fortitudinis secum vnà compari id genus metum concipere. Quam quidem finitionem lib. 7. de iust. & iure, quæstio. 2. art. 1. sufficientem rati sumus. Nihilominus licet parùm forsan re differat, aliter secundum doctorum vniuersitatem loquendum est, nempe quòd metum in quempiam virum cadere, vt in præsentiarum ait. S. Thom. sit ipsum metu cogi, hoc est, vinci & superari ad illum cauendum. Cogi ergo illo metu est, hominem aliquid eius appulsu facere, quod alias non faceret, vt exemplo supra posito proijcientis bona sua in mare monstratum est. Qua vtique ratione in Christum non cecidit metus mortis: non enim constans fuisset, si illi succumbens, mandatum patris de morte ferenda recusasset.

Definitio metus cadentis in constantem virum.

Alia definitio.

Rursus adnotandum est tres esse hominum ordines, scilicet inconstantium, id est, eorum, qui sunt meticulosi, & pertinacium, & constantium, hoc est, fortium. Est namque constantia inter inconstantiam & pertinaciam media virtus, nempe fortitudinis. Ratio enim recta docet, vt Philosophus ait, ex duabus malis minus eligendum, & ex duob. bonis id, quod melius est: summum autem malorum est peccatum, quod ideo eligere ad vllum euitandum incommodum &. malum pœnæ, nefas est. Inconstans ergo est, qui peruersò rationis iudicio vt minus caueat malum, in grauius impingit: vt si quis ne iacturam pecuniæ faceret, detrimentum honoris eligeret. Pertinax autem per alterum extremum etiam minus nocumentum renuit ad maius vitandum. Vt si quis à quatuor pluribúsve latronibus inuasus mortem potiùs oppeteret, quàm decem aureis vitam redimeret. Inter hos constans, medius est, nempe qui ad cauendum periculum maioris mali minus eligit, nunquàm tamen è diuerso ad cauendum minus optat maius. Vnde Vlpianus. l. Metum. 1. eod. titu. Metum, inquit, accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed maioris mali. Atque hoc est primum discrimen inter constantem & inconstantem.

Tres hominũ ordines.

Inconstans.

Pertinax.

Constans.

Alterum verò attenditur penes æstimationem periculi: quia constans non nisi ex probabili & vehementi æstimatione periculi, quod est præsentaneum & iam iam impendens, mouetur. Inconstans verò ex leui & remotiori, iuxta illud Prouerbio. 27. Fugit impius nemine persequente: debet enim vir strenuus muscam imitari, quæ non nisi instante flabello euolat: quo transeunte protinus eodem reuolat. Vnde idem iureconsultus. l. Metum. 3. Metum, ait, præsentem accipere debemus, non suspitionem inferẽdi eius. Præsentẽ scilicet, id est, iam illatum. Quare non obstat doctrina Philosophi. 3. Ethi. dicentis, metũ esse de futura, & tristitiam de re præsenti, quam quis iam patitur: nam dum quis nuda sica tibi, manus ligato, minatur mortem, licet mors futura sit, metus tamen est præsens. Si verò dum quis puellam domi sollicitat, strepitũ sentiret aliquem, metuq; illo percussus in matrimonium consentiret, valeret illud quidem: quia metus nondum erat illatus, atque adeò nec præsens. Et eadèm esset ratio si timeret postmodum a parentibus inferendum sibi metũ. Vel si puella ipsa vel mater eum leuiter aggrederentur fustibus comminantes ei mortem.

1. Discri.

2. Discri.

Obiectio.

Dilutio.

Metum ergo cadere in constantem virum est, virtuti constantiæ & fortitudinis non repugnare, metu illo quempiam vinci & cogi. Atque hanc ob rem talis metus à tota excusat culpa.

Metum cadere in constantem virum quid.

Eiusmodi autem metum tum ex obiecto, tum etiam ex alijs qualitatibus iura perpendunt. Primum enim metus mortis & enormis cruciatus inter eos qui cadunt in constantem virum est primus, ca. Cum dilectus, de his, quæ vi met. ve cau. fiunt. Nam terribilium malorũ terribilissimũ mors. Huic accedit & vinculorum atrociũ timor & lõgæui carceris vt. l. Nec timorem. & l. Qui in carcerem. eo tit. Deinde metus seruitutis: nam priuatio libertatis in mortem cõputatur, vt l Ego puto, ibidem, & l. Isti quidem. Ad hæc & metus stupri in virgine, vt eadem l. subiicitur. Præterea metus amissionis status, vt ead. l. exprimitur, & cap. Abbas, eo titu. Metus autem leuiorum malorum, vt amissionis pecuniæ, vel illationis pœnæ contumeliæ, censentur leues. Hæc autem omnia grano salis & prudentiæ iudicio condienda sunt: nam si verbera & carceres & bonorum iactura non sunt adeo grauia? tunc metus non est iustus, sed leuis. Quocirca plurimum ad prudentiam iudicis deferendum est: nam & metus etiam principis, qui tyrannicè tractare eos consueuit, qui sibi ad nutum non obtemperant, inter iustos cõputatur Neque solus metus propriæ personæ, sed etiam liberorum atque vxoris inter eos venit, qui virum constantem excusant, vt. l. citata, Isti quidem, habetur.

Metus mortis & cruciatus corporis.

Metus vinculorum.

Metus seruitutis.

Metus stupri.

Metus ergo, vt cadere censeatur in constantem virum, ex duobus perpenditur. Primo ex obiecto. Deinde ex effectu. Ex obiecto quidem, vt sit metus mortis, aut mali penè equialentis. Et ille dicitur propriè ex se & ex obiecto viri constantis: nam fortitudo, vt inquit, Aristote. versatur circa pericula belli hoc est, mortis extrinsecus oblatæ.

Metus ex duobus considerat.

Secundò per accidens attenditur ratione subiecti, scilicet hominis, ne ad cauendum minus malum, maius admittat. Hinc fit, non satis esse, vt metus cadat in constantem virum, quòd vir illum constanter caueat. Si. n. ille, cuius pulcherrimum equum latrones in nemore surriperent, recuperare aliter nequit, quàm pretio decem aureorum, constanter profectò facit illos erogando. Sed tamen metus amissionis equi ex obiecto non est viri constantis: quia non est ex numeratis.

Sed tamen ex parte subiecti desinit esse metus cadens in constantem virum si metu mortis vincatur ad peccandum, saltem mortaliter. Hoc ideo addiderim, quòd, vt sub peritiorum censura loquar, licet quis metu mortis mendacium officiosum diceret, vel aliud peccatum veniale committeret: non desineret esse vir constans: nam quamuis id non liceat, non tamen peccatum veniale rationem tollit virtutis: quia septies in die cadit iustus. Et ideo eiusmodi leuis culpa non obstat viri constantiæ, nec vulgò talis vir incon-

Nota.

stantiæ

tantiæ argueretur, quamuis egregiæ laudi tribueretur si potiùs mori eligeret, quam mentiri.

His præhabitis ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Metus leuis non excusat a culpa. Probatur quia nihil culpam abluere potest, nisi sit virtuti consentaneum: virtus autem fortitudinis, vt 2. Ethic. ait, Philosophus, suopte ingenio repellit timores leues: nam eius officium est medium inter timorem & audaciam tenere: ergo qui leui timore vincitur, firma virtute caret, atque adeò timor ille non excusat a culpa. *1. Concl.*

Secunda conclusio. Timor cadens in constantem virum excusat à culpa. Probatur contraria ratione, Quicunque timor qui secum compatitur virtutem, excusat à culpa: nam virtus & culpa è diametro opponuntur: timor autem cadens in constantem virum idipsum sonat, quod non repugnare virtuti: ergo excusat à culpa. Et ideo eiusmodi metus dicuntur iusti. *2. Concl.*

Contra hanc autem conclusionem arguitur. Malorum omnium maximum, vt diximus, est peccatū, quod ideo nullo metu committendum est: ergo nullus metus excusat à culpa. Probatur consequentia. Demus illum (verbi gratia) virum superiori exemplo designatum, qui metu mortis iacturam bonorum facit, quæ in mare proiicit, vel alium, qui à latronibus in nemore inuasus, pondus auri, quo vitam redimit, illis offert: & supponamus verbi gratia proiectionem illam mercium & largitionem auri suopte genere secluso metu, esse peccatum prodigalitatis: imò tunc, v. g. mortale. Arguitur ergo sic. Metus, qui est causa peccati, non cadit in constantem virum: ille est causa peccati nempe illius quod genere suo peccatum est: ergo non cadit in constantem virum, atque adeò nec excusat. Vel maioris claritatis causa arguamus sic. Si quis metu hostis, quem certò credit paratum esse se occidere vbicunque obuium habuerit, omitteret die festo ecclesiam adire, vbi sacra audiret, metu illo non excusaretur: quia videtur esse causa peccati, atque adeo non cadere in constantem virum: & de nullo alio metu vrgentior ratio probat excusare posse: ergo nullus excusat. Et confirmatur ratio: quia qua ratione admiseris metum posse excusare à fractione præcepti ecclesiastici, videris coactus, vt dicas excusare etiam à præcepto diuino, vt si puella metu mortis perculsa oblatum stuprum admitteret, aut mētiretur, aut peieraret. *Argumen.* *Aliud argum.* *3. Argu.*

In solutione argumenti hoc pro constantissimo habendum est, quòd ad nullum cauendum periculum peccare licet, vt habetur cap. Sacris, de his quæ vi met. ve cau. si. Est nihilominus distinguendum, vt dist. 27. dicebamus, quædam esse intrinseca ratione peccata, quæ sunt prohibita, quia mala: alia verò esse mala, eo solùm quòd iure sunt humano prohibita. Illa quidem prioris generis, quia cum sint natura sua mala, nequeunt non esse mala, nullo metu quantumuis atrocissimæ mortis cōmittere licet, atq; adeò eo ipso, quòd quis illa saltem mortaliter committat, desinit esse constans, ac perinde nec talis metus cadit in constantem virum, neque excusat saltem in totum, sed in partem, capit. Sacris; de his quæ vi met ve. Non tamen quod mortalem culpam vsque ad venialem extenuet. Sed alia posterioris generis, quia non sunt intrinsecè mala, possunt quidem bona fieri quando sunt media cauendi grauioris mali. Ecclesia namque obseruationem festorum aut ieiuniorum præcipiens non tam stricto rigore voluit nos obligare, vt pro eorum obseruatione mortem deberemus obire: quare qui metu mortis ieiunium vel festum frangit non desinit esse constans atque adeò excusatur à culpa. In iactura autem nostrorum bonorum, quia sumus eorum Domini, nullam homo culpā contrahit, si ad redimendam vitam vel honorem, vel aliud pretiosius bonum, illa expendat. Quare in casibus inter arguendum obiectis negatur, metum non cadere in costantem virum, imò cadit & excusat, vt illud liceat, quod aliàs illicitum erat: secùs in iure diuino & naturali Dixerim ea quæ sunt de iure positiuo, posse fieri per metum licita, quia id non est semper necessarium. Posset enim princeps in bello, vel alia simili necessitate militi aut ciui quidpiam præcipere, quod non obstante periculo mortis teneretur implere, Sed de ijs casibus nihil ad præsentem locum. *Solutio argum.* *Duplex peccatorum genus.* *Prioris generis.* *Posterioris generis.* *Ad argu.*

Ad primum igitur argumentum Philosophus ipse loco citato respondet: non enim virum probum & constantem pertinacem esse oportet, vt nihil prorsus timeat, sed debet vbi & quando oportet, metum excutere, vt officio virtutis intrepidus fungatur. Debet tamen quando & vbi oportet timere, ne in audaciæ extremum impingat, atque hac ratione medium inter extrema tenet. *Solut. 1. argum.*

Ad secundum argumentum D. Tho. imprǽsentiarum & reliqui respondent, quod quamuis infamiæ detrimentum graue in damnum, facilè tamen potest reparari. Hoc tamen intelligitur de infamia facti, vt si quis cui comminaretur falso testimonio eum infamaturum a quo tamen ipse se postea posset purgare. Sed tamen metus infamiæ iuris iustus est. vt ead. l. Nec timorem, habetur. Vt si quis ei, quem in infami delicto morte digno deprehendit, comminaretur se eum proditurum: quoniam tunc ad metum mortis vel ad similem reduceretur. Eadem ratione nec metus excommunicationis censetur iustus, quia potest ei facilè succurri. *Metus infamiæ iuris.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm consensus extortus per metum cadentem in constantem virum sufficiat ad matrimonium.

PEr hæc quæ dicta sunt, ad matrimonium descendentes explorēmus oportet, vtrùm consensus per metum cadentem in virum constantem extortus sit ad matrimonium validus. Et arguitur à parte affirmatiua. Violentum mixtum, vt expositum est, plus de voluntario continet quam de inuoluntario, imò est simpliciter voluntarium: consensus autem extortus est mixtus, atque adeò absolutè voluntarius: ergo est ad matrimonium sufficiens. *Partis affirmatiuæ argum. 1.*

Secundò arguitur. Ei qui coactus in matrimonium consensit, consulendum est vt in matrimonio persistat, quod vtique absque alio consensu potest esse validum: ergo ille est sufficiens. *2. Argu.*

In contrarium est textus Alexandri tertij capitulo Cùm locum, de sponsalibus, vbi ait, quòd cum locum non habeat consensus vbi metus vel coactio intercedit, necesse est vt vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur. *Pars negatiua.*

De hac quæstiuncula varij modi versantur dicendi. Sunt enim, quos Scotus distin. præsenti refert, qui autument, neminem cogi ad consensum matrimonij posse. Et eorum ratio est. Vnusquilibet potest pœnas & nocumenta sibi oblata verbis euadere, dicendo se velle matrimonium contrahere, licet corde non consentiat: ergo ad consensum non cogitur: secus si cogeretur fugere, id n. facere nequiret, nisi fugere vellet. Opinatio tamen hæc falsa est: nam metus mortis constantem etiam virum cogere valet, vt verba illa extera proferat, vt autores ipsi confitentur: potissimùm cùm coactè cōtractum matrimonium minus malum sit quam mors. Tunc arguitur sic. Metus qui virū constantē ad aliquid cogit, consecutiuè eum ad id constringit, sine quo nequiret citra peccatum reliquum facere: nam vir constans, vt dictum est, nullo metu peccare debet: dicere autem se consentire, nequit citra peccatum mendacij, nisi consentiat: etsi iurare cogeretur, crimen mortale committeret: ergo eodem metu, quo cogitur ad verba, compellitur ad consensum, veluti ille qui obortа procella merces in mare exonerat. Et confirmatur eadem ratio, quia religiosus, qui votum solenne emisit, per quod fit ad matrimonium inhabilis, nullo metu affirmare potest se in matrimonium consentire, eo quòd si non consentiat, mentitur. & si consentiat, peccat contra votum: qui ergo diceret, constantem virum cogi non posse ad consensum, subsequenter dicere teneretur, nec cogi posse ad verba, alioqui non esset constans. Et sic repugnantia est dicere, cogi posse ad verba, non tamen ad consensum. *Decisio articuli.* *Scotus.* *Ratio.* *Opinio falsa.* *1. Argu.* *2. Argu.*

Imò verò aliter etiam arguitur. Ille non cogitur proferre verba per absolutam violentiam: quia incutiens metum non mouet eius linguam manu, sed ipse propter metum mouetur ad proferenda verba atque adeò cogitur ad consensum proferendi: potest ergo etiam cogi ad consensum matrimonij. *Ratio tertia.*

Supposito ergo, quod metus ad huiusmodi consensum matrimonij possit in virum constantem cadere, ad quæstionem respondetur duabus conclusionibus. Prima. Consensus coactus per metum cadentem in constantem virum, non est ad matrimonium perficiendum validus. *1. Concl.*

Secunda. Metus leuis non obstat quominus consensus sit validus. Prior conclusio expressa est in iure cap. *2. Concl.*

Probatur 2. Concl.

citato, Cùm locum, & cap. Veniens, & capi. Consultationi, de sponsalibus. Et can. De neptis, & can. Si verum 31. quæst. 2. Secunda verò non reperitur expressa in iure, sed tamen ex eisdem locis à contrario sensu colligitur. Cùm enim illic sola matrimonia irritentur, quæ metu cadente in constantem virum contrahuntur, documentum perhibetur per metum leuem non irritari. Ratio ergo prioris conclusionis ex natura vinculi finisque matrimonij depromitur. Cùm enim huiusmodi sacramentum nexum includat indissolubilem: & quod gratum non est, perpetuum esse nequeat: nam, vt Nicolaus Papa tm. Præsens. 20. quæst. 3. autor est, quod quis non optat, id non diligit, ac perinde facilè contemnit, necesse est vt consensus, qui matrimonij futurus est causa, spontaneus sit. Quocirca quamdiu durat metus causa, tamdiu & metus durare censetur. Sed quando cessante causa coniuges cohabitant, iam tunc in foro ecclesiæ præsumitur consensus conualescere. Neque est necessarium, vt quidam adnotant super capit. Ad id, de sponsalibus. vt cohabitatio post legitimam ætatem dimidio anno proferatur, vt bene ait ibidem Panor. Sed satis est, vt opportunitate recedendi & fugiendi ille qui in metu erat perseueret. Hæc dixerim in foro exteriori, quia in foro conscientiæ quousq; consensus adsit metu liber, aut maritalis affectus cum carnis copula, nihil fit.

Ratio primæ conclusionis.

Cardinalis.

Quæstio autem, quæ se statim offert, est: quonam iure præsens veritas fundetur, diuino ne & naturali, an duntaxat Pontificio. De hac re Cardinalis in capi. Abbas, de his quæ vi metusve cau. fiunt. vt Syluester, verb. Matrimonium. 8. §. 11. refert, opinatus est consensum, quamuis iusto metu coactum, iure diuino & naturali validum esse, venit autem inquit, rescindendus actione quod metus causa. Hæc autem opinio satis eorum esse ostendit, quorum proprium non est de iure diuino & naturali censere. Enimuerò matrimonium, quod semel iure diuino firmum est & solidum, non est in ecclesiæ facultate rescindere, quicquid sit de dispensatione super matrimonio rato non cõsummato, quam tamen opinionem superiùs refutauimus. Opinio verò hæc, etiam si consummatum fuerit, rescindendum arbitratur. Videtur autem huic opinioni fauere textus Augustini can. inter cætera. 22. quæst. 4. vbi ait, matrimonium timore necis iuramento confirmatum valere. Sed de hoc paulò inferiùs.

Sententia autoris. Ratio.

Augustin.

Hac ergo opinione ceu inepta prætermissa, supponatur hic in primis, quod in superioribus sæpè à nobis repetitum est, quod si in voluntate non sit consensus, nulla verba matrimonium in rei veritate copulant. Si autem sit consensus iusto timore coactus, tunc sunt qui dicant in rei veritate secundum conscientiam in foro Dei esse matrimonium, idque diuino iure: sed tamen in foro Ecclesiæ non iudicari validum, quod quidem iudicium ex præsumptione profertur. Præsumit enim, inquiunt, Ecclesia coactum hominem non consensisse.

Nulla verba citra interiorem consensum faciunt matrimonium quoad Deũ.

S. Thom.

Refutatur tamen hæc opinio à S. Tho. hic & à Ricardo & reliquis, & bene: quia Ecclesia non debet peccatum occultum alicuius sine indicijs præsumere: ergo illum, quem coactum nouit dixisse, quòd consentiebat, non debet præsumere fuisse mentitum. tametsi Durandus non vsque adeò putet rationem conuincere: quia nonnunquam Ecclesia præsumit deteriorem partem. Sed re vera impræsentiarum optima est ratio quamuis vrgentior sit hæc, quòd Ecclesia in citatis decretis, si eorum formam perpendas, non irritat matrimonia coacta, præsumens non fuisse consensum, sed illum etiam præsupponens. Ille enim est sensus citati capituli, Cùm locum non habeat consensus vbi metus vel coactio intercedit. Non enim Pontifex negare poterat, quin aliquando esset coactus consensus: duntaxat ergo negat esse legitimum & validum. Quo fit vt non solùm in foro Ecclesiæ, sed etiam in conscientia sit apud Deum nullum. Quod vsu eiusdem Ecclesiæ præsertim confirmatur, quæ licet in suo tribunali coactus ille confiteatur se habuisse consensum, nihilominus absoluit eum à matrimonio.

Durandus.

Scoti opinio.

Vtrùm verò ille sit iure diuino cassus, an solo humano, sunt duæ opiniones. Prima est Scoti distinct. præsenti, art. 2. dicentis iure diuino & naturali esse inualidum. Alia est Ricard. ead. distin. q. 1. art. 1. & Paludani, & aliorum plurium astruentium per solum decretum Ecclesiæ fieri inualidum. Nemo tamen hanc opinionem suspicetur esse illam Cardinalis supra refutatam. Ille siquidem dicebat validum cõsensum coactum iure diuino, rescindendum tamen postea matrimonium per Ecclesiam. Ricardus verò, & isti theologi negant vnquam per talem consensum fieri matrimonium, idque iure Pontificio vetante. Itaque ius diuinum merum & naturale coactum consensum neque confirmat, neque irritat: Durandus autẽ nonnullis videtur tenere cum Scoto, & alijs cum Ricardo. Sed tamen ipse se planè exponit iuxta hanc secundam opinionem Ricardi.

Durandus.

Nihilominus rationes non desunt bonæ, quæ opinioni Scoti patrocinentur. Prima est ipsius hæc. Contractus matrimonij natura sua exigit vt sit liberrimus, tum propter perpetuam cohabitationem coniugum, iuxta illud Genes. 2. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: quæ quidem cohabitatio, nisi ex summa libertate nascatur, vix potest esse perpetua: tum etiam propter educationem prolium, quibus per matrimonium coactum ægerrimè consultum iri potest: ergo Deus, qui institutor fuit matrimonij, & omnia suauiter disponit, tale instituit, vt non nisi per consensum ab omni compulsione liberum conciliaretur.

1. Argu. Scoti.

Et secundò arguitur. Consensus iusto metu coactus omnes alios contractus iure naturali enerua atque inualidat: quia talis consensus per iniuriam extorquetur, & ideo debet, qui cogitur, in suam libertatem restitui: ergo à fortiori in matrimonio, vbi maior exigitur libertas, id ipsum eadem natura secundùm Deum constituit.

2. Argu.

Tertio, quia neque compulsæ promissiones, si citra iuramentum fiant tenent natura ipsa magistra.

3. Argu.

Quartò, quod est validum argumentum. Si metus coactus solo iure humano esset infirmus, sequeretur quòd votum siue simplex siue solenne per iustum metum emissum esset validum: quoniam ecclesia, licet contractus qui inter homines fiunt irritos possit facere, votum tamen, quod fit Deo, non item irritare valet, si legitima fiat ætate. &c. Consequens tamen est falsum nam etiam vota metu extorta irritat, vt c. Perlatum de his quæ vi. vt illico sumus ostensuri: ergo illa sunt iure diuino & naturali nulla, & pari ratione consensus matrimonij.

4. Argu.

Et quintum, quod vrgentius est, adhibetur argumentum. Si solo iure Ecclesiastico consensus coactus infirmaretur, consequens fieret, vt si inter infideles tale matrimonium contraheretur, esset validum, etiam si ad Ecclesiã post transmigrarẽt: quia ecclesia erga infideles, nihil potest disponere: consequens tamen est falsum, imò illud etiam censetur irritum & inualidum sicuti inter Christianos.

5. Argu.

Accedit sextò, quod prædicta iura non habent statutorum formam quasi ecclesia sic intistuerit, sed ad interrogata respondent, id quod ex natura rei diuina ordinatione respondendum erat.

6. Argu.

Septimo arguitur, quia cùm matrimonium sit verè sacramentum, de cuius essentia est consensus, & ecclesia ea mutare nequeat, quæ sacramentorum essentiam attingunt: consequens est, vt si iure diuino coactus consensus non esset irritus, eum ecclesia irritare nequiret: rationes profectò sunt, quæ opinionem hanc perquàm probabilem reddunt.

7. Argu.

Altera opinio.

Quæstionem hanc D. Th. non tractat. Neque vero satis constat in quam partem propenderit. Licet ratio eius, quæ vitio impressorum multis in locis corrupta est, videatur ad secundam opinionem Ricardi inclinare. Ducit enim illam ex perpetuitate matrimonij hoc modo. De natura matrimonij est, vt sit perpetuum: metus autem viri constantis perpetuitatem tollit: ergo & matrimonium. Probatur minor. Metus eiusmodi suapte natura postulat restitutionem in integrum: si tamen talis consensus validus esset, eandem restitutionem excluderet, eo quòd matrimonium non posset dissolui: ergo impedit ne matrimonium perficiat. Sed alia, inquit, coactio per leuem metum eandem perpetuitatem non tollit: quia illam restitutionem non exigit.

Primum argumen. pro Ricardo.

Hinc ergo primum argumentum sumitur pro altera opinione: scilicet quòd solo iure Pontificio consensus coactus irritatur, quæ non est minus probabilis, quàm illa Scoti, imò forsan probabilior. Si ius tantùm diuinum & naturale expendatur, metus leuis, nisi sit tam exiguus, vt pro nullo reputetur, perinde restitutionem exigit, ac metus viri constantis: quia non differt iste metus nisi secundùm magis & minus, quæ quidem differentia speciem non mutat, atque adeò metus

leuis

leuis etiam suapte natura est iniurius, & omnis iniuria iure venit resarcienda: quare more & vsu alij contractus præter votum & matrimonium, quocunque metu notabili facti rescinduntur: igitur si metus constantis viri inualidat matrimonium, non autem metus leuis, hoc certè discrimen nec ius diuinum statuit nec naturale, sed humanum, idque in fauorem matrimonij meritissimò. Sit explicatur sic argumentum. Si quis metu amissionis pecuniæ, vel famæ. vel honoris, vel vapulationis, licet non esset atrox, cogatur equum suum vendere, aut domum locare, aut aliquid donare, contractus rescinditur propter fundamentum naturalis iuris: ergo si id non fit in matrimonio, solùm ius ecclesiasticum id disposuit. Et confirmatur ratio. Quamuis metus mortis, & abscissionis manus, & seruitutis & carceris sint genere suo ex obiecto maiores, quàm metus pecuniæ vel honoris, potest tamen in particulari fieri compensatio: nam certè iacturam quinque aut decem millium aureorum pluris nonnulli etiam prudenter facerent, quam abscissionem digiti vel manus, & quam vinculorum triennalium, imò quam seruitutem, quæ longè minori pretio posset redimi: ergo si amissio pecuniæ vel famæ ad inualidandum matrimonium non admittitur, sicuti & abscissio membri, id mero iure diuino aut naturali non fit, sed certè ecclesiastico.

Exposito argum.

Alteratio.

2. Argu.

Et secundò arguitur. Si metus cadens in constantem virum veritatem matrimonij tollit, ratio est, quia tollit libertatem: sed re vera metus alius leuis potest quandoque eandem libertatem auferre, vt si puellæ incuteretur metus ablationis dotis: & etiam ex conditione personæ, si est vir meticulosus, potest ei vrgentior fieri metus, quam maior alius viro constanti oblatus: ergo si metus constantis viri admittatur, & leuis repellitur, id certè non natura, sed ecclesiastica sanctio fecit. Præsertim quòd, vt supra diximus, vix potest nisi ad arbitrium prudentum metus cadens in constantem virum à leui discerni. Hæc demum sic confirmantur. Vxorem ducere, quam homo nollet, minus malum est, quam mortem perpeti: ergo natura non vetat quo minus hoc medio homo vitam redimat: atque adeo consensum huiusmodi coactum ius merum naturæ irritare non videtur, nisi Ecclesia in bonum matrimonij secus statueret.

3. Argu.

Qui ergo hanc opinionem, quæ certè verisimilior est, sustinere voluerit, dicere cum Ricardo & Durando debet, quòd cùm matrimonium non solùm sit sacramentum, verùm etiam contractus ciuilis, quamuis Ecclesia quatenus sacramentum est, eius essentiam mutare nequeat, tamen quatenus est contractus ciuilis, potuit, vt inualidare eius materiam inter cognatos, ita & irritare consensum eius coactum per metum cadentem in constantem virum, ad obuiandum incommodis maximis, quæ illo admisso oborirentur, & in fauorem matrimonij alias causationes leuiorum metuum repellere. Et re vera id videntur verba citati capituli, Cùm locum, innuere. Id autem Ecclesia iure potest per potestatem ei diuinitus commissam administrandi Christianam rempublicam: quandoque, vt diximus, merum ius diuinum, & naturale illum consensum minimè confirmat.

Solut. 7. arg.

Et per hoc responsum est ad septimum, quòd postremum fuit argumentum à parte alterius opinionis.

Aliud argumen.

Ac perinde respondetur ad aliud, quod exemplo aliorum sacramentorum duci solet. Si quis baptismum metu constantis viri suscipiat, vt habetur can. De Iudæis. distin 45. & eadem ratione confirmationem aut ordines, verum suscipit sacramentum, imò etsi suscipiat Eucharistiam vel extremam vnctionem, in quibus nullus imprimitur character: ergo si suscipiat matrimonium erit firmum. Negatur enim ab omnibus consequentia. Rationem autem discriminis D. Thomas hanc subdit, quòd intentio non est causa efficiens in baptismo, sed solùm elicitens actionem agentis. Et intelligit non solùm de intentione suscipientis, sed etiam de intentione ministri, quod quidam non aduertunt: quia intentio ministri non est nisi applicans materiam & formam, quæ sunt causa efficiens, & intentio suscipientis est eius dispositio. Quare licet vtraque sit extorta per metum, non impeditur, quin sit verè sacramentum. Et idem est de reliquis sacramentis. In matrimonio verò consensus est causa proxima efficiens, & ideo debet esse libera iuxta naturam contractus. Sed præterea respondetur (licet ferè idem sit) iuxta ea quæ prædicta sunt, quòd matrimonium non solùm est sacramentum, sed contractus ciuilis resultans ex solo consensu mutuo, qui ideo debet esse liber. Reliqua verò sacramenta non sunt contractus huiusmodi. Et ideò consensum matrimonij potuit Ecclesia infirmare & quassare tanquà iniurium, & fini matrimonij nocuũ. In reliquis verò, quia sunt mere sacramenta, nihil mutare potuit circa eorum essentias, quæ sunt de iure diuino, forma & materia extrinsecus admota cum intentione faciendi quod Christus instituit, & multo minus in his per quæ characteres imprimuntur, vt supra distinctio 5. artic. 7. prædictum est de illo qui metu viri constantis baptismate tingitur.

Solutio.

Argum.

Quòd si arguas. Per baptismum nascitur obligatio profitendi Christianam religionem: ergo tam illic requiritur libertas, quàm in matrimonio. Negatur consequentia: quia professio ipsa fit per naturam sacramenti, ex quo ideo exoritur obligatio etiam in paruulis per intentionem Ecclesiæ.

Argum.

Ad primum autem eiusdem opinionis Scoti respondetur, consensum coactum, vt superius explicuimus, esse simpliciter voluntarium in particulari. Et ideo si nullum ius diuinum & naturale consideraretur validus esset, atque adeò argumentum vrgentiùs à parte nostra pugnat: nempe quod Ecclesiæ autoritate quassatur.

Sol. 1. arg. Scoti.

Ad secundum simili modo respondetur, quòd neque alij contractus locationis aut venditionis, &c. per metum celebrati, sunt ipso iure nulli, sed debent in irritum reuocari, vt cap. Abbas. de his quæ vi metùsve cau. fiunt: quia restitutionem expostulant. Et hoc facit pro nobis, quia secundum merum ius naturæ etiam matrimonium deberet tenere: at quia rescindi nequit, statutum per ecclesiam est, vt non sit validum.

Sol. 2. arg.

Ad tertium pariter respondetur, quòd promissiones coactæ non sunt ipso iure nullæ, sed quassandæ & restituendæ.

Solut. 3. argum.

De voto autem, quod quarto argumento tactum est, an dum coactione metus constantis viri fit, non prorsus doctores consentiunt, sit ne validum, vt libro septimo de iust. & iure, quæstione 2. articul. 1. disputando dicebamus. Panormi. namque super cap. Abbas. de his quæ vi metùsve cau. fiunt. tenet esse validum in conscientia apud Deum, sed ecclesia pronuntiat tale votum non tenere, quia procedit ex præsumptione: præsumit siquidem virum sic coactum non habuisse consensum vouendi. Et ita glossat cap. Perlatum, de his quæ vi metùsve caus. fiunt. Et eidem opinioni adstipulatur Sylvest. verb. Metus. §. 8. Isti autem id non probant nisi more suo: quia nullibi, inquiunt, authenticè contrarium legerunt. Sed profectò & canonibus & rationibus bene perpensis contraria opinio est multò probabilior, quam tenet Ricardus distinctione præsenti, quæstione secunda, articulo primo: imò vsus Ecclesiæ videtur eam vt certam habere. Nam primùm verba capit. Cùm locum, de sponsalibus. generaliter loquuntur de omni consensu coacto, scilicet quod locum non habet consensus vbi metus vel coactio intercedit: & cùm manifestum sit vt supra dicebamus, non ignorasse Pontificem, quin possit eiusmodi consensus quandoque metu extorqueri: consequitur vt intellexerit non esse legitimum, nec in matrimonio, nec in voto. Item in capit. Perlatum, de his quæ vi metùsve cau. fiunt. Alexander non videtur ex præsumptione procedere, sed mulierem, quæ metu mortis monasterium intrauit, voto absoluit, siue consensum habuerit, siue non. Imò certè mulier illa videtur consensum habuisse coactum: quia pepigit cum illis qui eam occidere adornabant, monasterium intrare, vt illam seruarent. Præterea trigesimatertia quæstione quinta, cano. Notificasti. summa libertas requiritur in eo qui religionem vouet. Ad hæc item accedit ratio similis vt in matrimonio. Quæcunque metu & vi fiunt, iure debent in irritum reuocari. c. Abbas. sæpe citato: votum autem saltem solenne, vinculum suapte natura facit perinde perpetuum, & sua natura indissolubile ac matrimonium: ergo pari ratione ecclesia debet eiusmodi consensum in votum solenne inualidare, vt in matrimonium. Sed quod inter hæc omnia maximè vrget, est vsus Ecclesiæ: nam quamuis ille, qui metu vouit, cõfiteatur in iudicio se dũ vouit habuisse consensum, idque per sacra iuret, nihilominus si iustum metum legitimè probauerit, absoluetur voto. Quod certe non faceret, si ex sola præsumptione procederet. Censet ergo illum cõsensum non esse legitimum

An votum metu emissum sit validum. Panorm.

Sylvest.

Opinio Ricardi.

Ratio.

Cap. Perlatum.

Can. Notificasti. 33. q. 5. Ratio.

Vsus ecclesiæ.

Sed tunc procedere videtur argumentum factum: nempe quod iure diuino ille consensus fuerit casus: alioqui Ecclesia nequiret illum irritum pronunciare. *Solutio.* Fateor equidem argumentum minime esse infirmum. Nihilominus respondetur, quòd quamuis votum per hominem ad Deum fiat, nihilominus ecclesia tanquam Dei ministra ius habet formas vouendi, saltem solenniter, limitandi. Et ideo sicut constituit, vt nullum fiat votum solenne, nisi sub certis cæremonijs, ita & illius qui coactè vouit non approbat votum. *Obiectio.* Et certè de voto solenni satisfacit solutio. Sed tamen de voto simplici, cuius ipsa non est iudex, apparet quòd si iure diuino non sit nullum, quòd ab Ecclesia irritari non possit, quamuis possit super illo dispensare. *Dilutio.* Nihilominus respondetur, quod sicut potuit tempus legitimum statuere ad vouendum etiam simpliciter: ita potuit & de modo vouendi disponere, atque adeò coactum votum pro nullo ducere.

Sol. 5. arg. Ad quintum negatur consequentia. imò, neque inter infideles huiusmodi consensus tenet: quoniam licet Ecclesia erga illos nihil disponere valeat, nihilominus ius gentium & ciuile vim habuit inualidandi tale matrimonium, ea ratione qua est ciuilis contractus.

Sol. 6. arg. Ad sextum verò respondetur, quod iura, licet minimè præ se ferant statutorum formam, nihilominus ostendunt more & vsu illud semper esse seruatum, vt matrimonium per metum constantis viri contractum sit inualidum, & peralium leuem minimè.

Cui autem opinio Scoti plus placuerit, dicere sub inde cogitur, hoc interstitium metus grauioris & leuioris in matrimonio diuino iure & naturali esse positum. Quicquid autem alterutra opinio veritatis habeat, constitutissimum est tamen eiusmodi cõsensus coactos non habere ad matrimonium vim.

Dubium. Exurgunt hic tamen ex his dubiola quædam soluturdigna. Primum enim offertur dubium de causa, ex qua oriri debet metus, vt sit iustus. *Metus ab intrinseco an impediat matrimonium.* Potest enim vel ab intrinseco nasci, vel extrinsecus offerri. Item extrinsecus metus iure offerri potest, vel iniuria. Et sunt qui dicant, metum ab intrinseco non impedire matrimonium, quia infertur à Deo. Vt si quis metu morbi, cui per rem vxoriam posset mederi, vxorem duceret. Sed si sit ab extrinseco, ille impedit. At verò neque omnis, qui fit ab extrinseco, impedit. Si enim culpiam dum iure ad suspendium ducitur, offeratur conditio, vt si Mariam vxorem ducere voluerit, seruetur: *Consuetudo.* quia iuxta morem quarundam prouinciarum si fur publicam meretricem vxorem optauerit, donatur vita, matrimonium tenet, si conditionem acceptet. Et ideo Syluestet verb. Metus, *Syl. distinctio.* §. 6. aliter distinguit, scilicet, quòd si metus sit iustus, matrimonium non vitiatur: si verò sit iniustus, tunc vitiatur. Sed re vera neque ista distinctio tuta est: quoniam potest esse metus iustus, qui tamen matrimonium vitiet, vt si qui furem in crimine deprehendit, comminetur ei se eum delaturum, nisi filiam suam vxorem duxerit, re vera metus iure incutitur, & tamen matrimonium non tenet. Suffragatur enim ei edictum, Quod metus causa, vt habetur, l. Nec timorem. & l. Isti quidem. ff. eod. tit.

Regula generalis. Regula ergo generalis & tuta est, quòd quoties metus ad hoc peculiariter incutitur, vt matrimonium contrahatur, ille, si est cadens in constantem virum, vitiat matrimonium, siue iustè, siue iniuria fuerit oblatus, alioqui minimè.

Metus nullus ab extrinseco vitiat. Hinc primò colligitur, quòd nullus metus ab intrinseco matrimonium vitiat: quoniam nullus talis potest illo sine incuti. *Nota.* Fit enim metus ab intrinseco, dum quis propter vitandam infirmitatem, vt dictum est, vxorem duceret: quem quidem metum nemo incutit, sed è rei natura nascitur. Imò licet incutiatur à rebus inanimis extrinsecus, vel à feris animalibus, propriè dicitur ab intrinseco. Et ideo si quis metu tempestatis in mari, aut incendij, quo circumsepitur, vel ferarum, à quibus obsidetur, votum emitteret, illud teneret: quia metus ille non censetur ab extrinseco illatus: eo quod fit per modum naturæ, sed quando offertur ab hominibus. *Metus alio fine illatus non impedit Exemplum.* Rursus quamuis inferatur ab hominibus extrinsecè non illo fine, vt matrimonium contrahatur, sed alio, matrimonium tenet, etiam si iniustè inferatur. Vt si in obsidione vrbis metu captionis obsessus princeps vel alius priuatus ciuis offerret hosti matrimonio sibi copulare filiam eius, matrimonium teneret: quia ille non est metus ad illum finem oblatus, sed sua sponte voluit qui illum patiebatur ea se conditione liberare. Secus si hostis illo fine vrbem obsideret, vt principem ad matrimonium cogeret. Eodem modo si infirmus metu mortis polliceatur medico se eius filiam ducturum, si eum sanauerit. Imò quamuis medicus hanc conditionem offerat, alias eum non curaturus, matrimonium teneret: quia tunc medicus non infert metum, sed morbus: matrimonium autem est sicut pretium pro medela constitutum. Eadem ratione si latroni ob sua crimina in carceres coniecto puella conditionem offerret, se illum liberaturam si se velit in vxorem ducere, certe matrimonium teneret: quia metus ille non est illatus ab illa, sed est oblata conditio, si vult à metu, in quo est, liberari, iuxta l. Metum 2. §. licet. In casu autem allegatarum legum, Nec timorem. & Isti quidem. diuersa est ratio: quia qui deprehendit aliquem in crimine, incutit ei metum eum accusandi, nisi puellam ducat, qui ideo matrimonium vitiat. Similiter si quis alium in carcerem detrudat, vt consensum matrimonij extorqueat, vt. l. Qui in carcerem. ff. eod. tit. Pariter si pater iuueni, quem cum filia sua deprehendit, comminetur accusare nisi eam duxerit, matrimonium non tenet: quia metum infert, licet iustè possit eum accusare.

De infirmo. *Aliud exemplum de incarcerato.* *Solut. ad l. Nec timorem.*

Quòd si obieceris casum. l. Si mulier. ff. quod met. cau. vbi habetur, quòd si liberta ingrata est patrono qui eam manumisit, metuens se iterum in seruitutem redigendam, si aliquid egerit, factum tenet. Respondetur, quòd illic non est metus oblatus, sed quem ipsa ex natura rei, & ex lege concipit, & ideò non vitiat contractum. *Obijcitur l. Si mulier.*

Ex his sequitur, quòd si princeps reo, quem iustè posset capite plectere, dicat, Occidam te nisi hanc duxeris, matrimonium non tenet: quia metus est illatus illo fine. Si autem ipse, quo metum euadat, conditionem illam sponte eligat, matrimonium tenet. Eadem ratione tenet matrimonium, si metu etiam ad illum finem incusso contrahatur, quando metus ille est lege propositus: vt si sit lex, quòd qui virginem violauerit, eam ducat, vt cap. 1. de adult. tunc quamuis iudex etiam metu mortis compellat eum, ille consensus solidus est & firmus. *Appendix.* Et ita intelligendum est verbum l. Continet. §. Sed vim. ff. quod met. cau. scilicet, quòd vis, quam magistratus rectè intulit iure licito non vitiat contractum. *Intellectus l. Continet.*

His nihilominus suppositis arguitur nullum posse metum in virum constantem cadere in materia matrimonij. aut enim dum quis dicere cogitur, se in matrimonium consentire, cordè consentit aut secus: si non consentit, mendax est, atque adeò non est vir constans: si verò consentit, & est doctus, aut à doctis veritatem didicit, scit consensum illum nullius esse momenti, atque adeò nec matrimonium contrahere: decipit ergo cogentem, quod viro constanti non licet: & ideo perinde est ac si non consensisset & mentiretur. *Argu. de metu.*

Respondetur, quod quamuis nouerit nullum esse consensum, debet illum, si verba proferat, adhibere, alioqui mentiretur. Et ad cauendum mendacium satis est dicat se contrahere quantum in se est, id est, consentire, & ideo ille non decipit, sed alter sese decipit. *Sol. arg.* Quod si cogẽs dicere pergeret, Enecabo te nisi sponte cõsenseris, esset ille tunc fatuus & mentis inops: nam in illo articulo consentire in matrimonium, quod non est alteri gratum, nequit nisi coactè. *Nota.*

Vtrum verò laudabilius esset mortem potius oppetere, quàm talem consensum habere. Respondetur, quòd genere suo potiùs esset vituperabile, saltem dum posset metum probare: quia esset ille prodigus vitæ, cùm illa via posset mortem cauere. Nam cùm ingratum matrimonium contrahere minus malum sit quàm mors, minimè viro constanti repugnat, per illum consensum vitam seruare. Si autem sciret se non posse postea probare metum, etiam tunc è genere rei laudabilius esset consentire, quia minus malum est ingratam vxorem ducere, quàm gladio ceruicem subdere. Posset tamen matrimonium tam inhonorum esse, tamque incommodum, & fœdum, vt licitè posset potiùs mori, quam in illud consentire. Vt si vir illustris infamem mulierculam ducere cogererur, *Ingratum matrimonium minus malum quàm mors.*

Aliud deinde subsequitur grauius dubium de iuramento. Quod si quispiam metu mortis compellatur sponsalia vel matrimonium iurare, vtrum teneatur iuramentum seruare? Arguitur enim à parte affirmatiua. Periurium genere suo mortale est: qui autem non *Dubium. de iuramento extorto.*

implet

implet quod iurat, periurus est: nam iurat falsum. ergo quamuis consensus coactus sit inualidus, saltem per iuramentum conualescit in vi sponsaliorum ad matrimonium contrahendum: ob id quod iuramentum suapte natura secum adfert compulsionem dicendi verum.

Pars affirmatiua argu. 1.

Item dum quis in manus latronum incidens in nemore metu mortis iurat se illis pecuniam aliquam numeraturum, tenetur numerare: quia cum possit homo suis proprijs bonis vitam redimere, iuramentum fuit licitum: pari ergo modo, cum (vt modò dicebamus) minus malum sit in matrimonij ingratum incidere, quàm in mortem, iuramentum licitum fuit.

2. Argu.

Accedit autoritas, quæ videtur expressa, Augustini can. Inter cætera 22. quæstione quarta, vbi refert, quendam Vbaldum metu mortis iurasse se concubinam ducturum, & dicere videtur fuisse matrimonium.

Aug. can. Inter cæteras. 22. q. 4.

3. Argu.

Duæ de hac re versantur opiniones, prior scilicet affirmatiua, quæ his modò argumentis instructa fouetur. Quæ etiam inde confirmatur, quòd si iuramenta metu coacta non tenerent, nulla opus esset absolutione, ab illis: indigent autem eiusmodi absolutione vt patet cap. Verum, de iureiu. ergo non sunt nulla. Item quia renunciatio electionis, quæ per metum iuramento firmatur est obligatoria, vt capitul. Ad aures, de his quæ vi metusve cauſ. fiunt.

Alia verò, his non obstantibus est opinio negatiua, quod tale iuramentum neque in sponsalibus, neque in matrimonio tenet. Quam Ricardus dist. præsenti, cui Paludanus ad literam subscribit, licet aliam existimet probabilem, probabiliorem arbitratur. Et certè crediderim non id solum, verùm quod sit probabilissima, & quòd vix alia possit sustineri. Et primum quamuis tale iuramentum esset in conscientia obligatorium, tamen eiusmodi iuratus per verba de futuro nullatenus debet ab Ecclesia compelli: nam si dum iuramentum non fuisset per vim extortum, non esset cogendus, vt dist. 27. q. 2. art. 3. diximus, dum per talem vim extorquetur, non est dubium quin sit multò minus cogendus. At verò quod nec tale iuramentum obliget in conscientia, siue verbis de futuro, siue de præsenti sit appositum, probatur: quia alias non satis incommodis esset consultum, quæ contra finem matrimonij orirentur. Nam si Deus, vel eius autoritate Ecclesia, inualidat consensum metu extortum per verba de præsenti, eo quòd si matrimonium esset solidum, nullus pateret locus restitutioni: eadem ratione ipsum inualidat quocunque iuramento confirmatum, cùm iuramentum ipsum etiam per iniuriam fuerit expressum: alioqui maneret ille per iniuriam citra remedium ligatus. Neque Augustinus allegato can. Inter cætera, si perspectè intelligatur, contrarium sensit. Ille. n. Vbaldus duo necis timore impulsus iurauit. Primum, quòd suam concubinam in vxorem duceret. Alterum, quòd matrem cum fratribus domo expelleret, neque quicquam illis alimoniæ impenderet. Respondet ergo Augustinus, quòd quantum ad matrimonium contrahendum, quia nihil vetat concubinam in vxorem accersere, sit illud firmum in Deo, id est, licitum & fortè sanctum si propter iuramentum, confirmetur. Non enim ait, firmum iam tunc fuisse, quia non iurauerat nisi per verba de futuro. Sed quantum ad aliud membrum de priuanda matre vitæ subsidio, iuramentum, inquit, est illicitum & non seruandum. Itaque non approbauit matrimonium tanquam necessarium, sed tanquam licitum & honestum.

Pars negatiua. Ricard.

Sententia autoris.

Ratio opinionis.

Ad autoritatem Aug.

Ad primum igitur argumentum in contrarium respondetur, illum, qui coactè matrimonium iurauit, licet non impleat, non esse periurum: quia vel Deus, vel Ecclesia, secundùm opiniones supra relatas, illud facit irritum, nisi qui per metum iurauit, absente metu iuramentum confirmauerit.

Sol. 1. arg.

Ad secundum respondetur, non esse simile: nam qui latronibus pecuniam per metum propter ius iurandum numerauerit, potest in integrum reperendo restitui. Secus in matrimonio. Et ideo illic iuramentum dandi erat obligatorium, hic verò minimè.

Sol. 2. arg.

Et per hoc respondetur ad cap. Verum, de iureiu. omnia enim alia iuramenta in alijs contractib natura sua ob eandem rationem sunt implenda, quamuis per metum extorta: sed tamen si petatur relaxatio, consueuit Ecclesia huiusmodi iuramenta relaxare: sed in matrimonio nulla opus est relaxatione: quia nullum erat.

Addita. Verum.

Et eadem ratione, si quis renunciationem electionis per metum iurauit, iuramentum tenet, nisi relaxetur antequam alius eligatur.

Ad ca. Ad aures. Dubium.

Potissima tamen omnium ambiguitatum in hac materia est, si quis necis metu compellatur matrimonium consummare: videtur enim tunc matrimonium esse validum, eo quòd metus non censetur cadere in constantem virum. Arguitur enim sic. Aut ille verè contrahit, aut secus: si contrahit, ergo consensus fuit firmus: si verò non cõtrahit, concubitus ille est fornicarius, atque adeo intrinsecè mortale delictũ: ob nullum autem metum licet peccare: ergo ille non est vir constans: metus verò non cadens in constantem virum non inualidat matrimonium: ergo illud est validum.

Argum.

In contrarium autem est argumentum quod nihilo videtur infirmius. Nam si illud matrimonium teneret, non satis esset (vt supra de iuramento argutum est) eius perpetuitati consultum: quoniam consensus in carnalem copulam perinde est coactus, atque consensus in matrimonium, eademque perinde ratione conuenit esse irritum & cassum. Paludanus dist. præsenti. q. 1. art. 4. censet eiusmodi matrimonium in foro Ecclesiæ esse validum, saltem si viro illata est coactio: quoniam ille non potest nisi consentiens coire. Quare licet consensus fuerit metu extortus, tamen ille metus non iudicabitur viri constantis, si eum in delictum conjecit. Ob idque licet dicat non consensisse in matrimonium, non dabitur ei fides. Et idem est de puella, si metu consensit in copulam. Potest tamen ipsa non solum allegare metum, sed vim, ita vt fuerit tenta vel ligata dissentiens, atque adeo citra suam culpam turpitudinem passa. Et tunc nec in foro Ecclesiæ, nec in foro conscientiæ matrimonium est validum, nisi ipsa in copulam consenserit. Profectò res est mihi perplexa. In primis nisi consensus adfuerit in matrimonium, certum est nullum fuisse in conscientia, licet consensus in copulam interuenerit: quia tunc concubitus non potest esse maritalis. Sed dubium est dum vterque consensus adest tam in matrimonium quàm in copulam, sed vterque metu necis extortus. Tunc autem si ille vtrumque consensum coactum confiteretur, nescio quidnam Ecclesia decerneret. Certum tamen est, quod si decerneret matrimonium non esse validum, re vera neque in conscientia esset validum: quoniam non procederet tunc ex præsumptione, sed iudicando talem consensum non fuisse legitimum. Si tamen iudicaret esse validum, tunc etiam in conscientia esset validum, quia iudicat illum metum, nisi copula affectu maritali fuerit consummata, non cadere in constantem virum. Et ideo ad vsum & morem Ecclesiæ est res deferenda. Et qui sustinere voluerit non esse validum, non erit prorsus ratione destitutus. Sed recurrendum illi est ad illam distinctionem in capite articuli propositam, nempe quod ille metus genere suo & obiecto, scilicet mortis, sit cadens in constantem virum, licet per accidens ratione subiecti non sit viri constantis, quia lapsus est in peccatum: Et talem tunc dicendum est sufficere ad inualidandum matrimonium. Vulgus enim eum, qui metu mortis accessisset ad illam etiam affectu fornicatio, non ideo censebit inconstantem, quia sicut vnus actus non facit virtutem, vt ait secundo Ethico. Philosophus, ita neque vnus actus peccati tollit habitum virtutis, vt vir desinat esse constans. Ob idque Ecclesia illum accessum quamuis fieret maritali affectu, irritum esse voluit. Atque hanc opinionem olim magistris probabiliorem æstimabam: modò tamen non satis mihi firmus videor illi incumbere. Admittere enim, metum esse viri constantis illum, qui hominem in lethale crimen prosternit; certè neque doctorum sermo, neque ratio gratis consentit. Et ideo qui hanc opinionem tutari vellet, dociùs fortè diceret, matrimonium inualidum esse: non quia metus esset cadens in constantem virum, sed quia esset terribilissimus, & illum libertatis gradum, qui matrimonio est necessarius, auferens. Sed quia hoc etiam mori loquendi sacrorum canonum non vsque adeo consonat, tutior est altera pars: nempe quod Ecclesia debet illud præsumere matrimonium, atque adeò contrahentes perstringere, vt in illo perseuerent. Nihilominus tam in foro conscientiæ, si consensus in matrimonium fuit iusto metu coactus, & consensus in copulam non fuit, vt affectu maritali, sed vt fornicario accederet non fuit matrimonium: secus si fuit cum maritali affectu.

Contrarium argum.

Paluda.

Nota.

Sententia autoris.

Res perplexa.

Probatur pars negatiua.

Aristo.

Nota.

Autoris resolutio.

Percontatio.

Quod si roges, Quomodo ergo qui in istas angustias cogitur, debeat peccatum euadere, respondetur, quod altero duorum modorum, scilicet vel citius morti succumbendo quam copulam consummet: veluti si cuipiam præsentanea mors offerretur, nisi in fornicationem consentiret. Vel eandem copulam affectu maritali consummando, matrimonium perficiendo.

Resp. ad.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum in principio articuli positum respondetur, quòd etsi consensus ille coactus simpliciter sit voluntarius in particulari, tamen quia per iniuriam tam ingenti metu extorquetur, illo caret libertatis gradu, qui est matrimonio necessarius.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, non semper esse necessarium aut condecens, vt qui coactus consensit, ad spontaneum consensum inducatur, nisi quando è re sua illud fuerit matrimonium. Si autem voluerit contrahere, vel iterum debet sua sponte consentire, vel coactum illum consensum cessante coactione retinere. Nam etsi in pœnam raptus raptor secundum antiquos canones & leges prohibitus fuerit cum rapta contrahere, vt can. De puellis. trigesimasexta quæstione septima. & C. de raptu virginum. l. vnica. iam tamen potest rapta puella cum raptore contrahere, si prior dissensio transeat postmodum in consensum: & quod antea displicuit, tandem incipiat complacere, vt extra de raptoribus, c. vlt. Consensus autem raptoris seu metum inferentis nunquam ad matrimonium sufficit, quousque accedente libero consensu alterius, fiant ambo mutui.

Capi. si. de raptorib.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm vel princeps subditum, vel pater filium possit ad matrimonium cogere.

EX his quæ dicta sunt parua demum oritur dubitatio, vtrùm aliquis quempiam inuitum valeat ad matrimonium cogere.

Et arguitur, quòd princeps id possit. Nam vt supra citatum est. l. Continet. §. sed vim. ff. quod met. cau. Vis quam Magistratus intulit iure licito non vitiat contractum: vsu tamen venire potest, vt in bonum publicum nuptiæ alicuius illustris conferant: ergo tunc princeps ipsum potest iure perstringere.

Partis affirmatiua 1. argu.

2. Argu.

Secundò de patre arguitur. Legitur enim Genes. 38. quòd Isaac præcepit Iacob, vt non acciperet vxorem de filiabus Chanaam, quod nunquam, nisi vim haberet coerciuam, fecisset.

3. Argu.

Accedit verbum Pauli ad Colossen. 3. Filij obedite parentibus per omnia: nam à quibus esse & viuere suscepimus eisdem omnimodam obedientiam debemus: qua vtique ratione supra monstratum est, patrem posse despondere filios, sponsaliaque iuramento firmare, quòd certè nisi cogere eos posset, nefas esset, nam periculum tunc periurij subiret.

4. Argu.

Quartò denique arguitur. Per leges ciuiles principum in nonnullis prouincijs, vt in Hispania, facultas facta est parentibus exhæredandi filias, quæ ipsis inuitis vel inscijs clam nubunt: huiusmodi autem leges non essent licitæ, nisi parentes valerent filios constringere.

Pars negatiua.

In contrarium est, quod vt ca. Accessit. & alijs de despons. impub. cautum est, puellæ à parentibus ante septennium desponsatæ facultas sit reclamandi.

Decisio articuli.

Quæstiunculæ huius negatiua solutio satis lucidè ex superioribus colligitur, potissimùm ex art. 2. dist. 27. q. 1. vbi abunde monstratum est, Deum hanc facultatem nemini hominum reliquisse, vt inuitum quempiam in matrimonium obtruderet: quippe quod cum natura ipsius, quod perpetuum esse debet, è diametro pugnet. Et hæc sit prima huius art. conclusio, sed ad dissoluenda nonnulla contraria eadem hic quæstio & conclusio repetitur.

1. Concl.

Vnde ad primam autoritatem de principe respondetur, lege illa citata nihil aliud contineri, quàm quod vis iusta principis matrimonium non vitiat. Iusta autem vis est, quando ex lege procedit, vt dum qui virginem defloravit compellitur eam sibi matrimonio copulare, nisi dotare voluerit: nam postquam ille sua sponte vitium perpetrauit, non censetur inuitus id passus, quod inde subsecutum est. Vbi autem nulla adest

Sol. 1. arg.

Cap. 1. d adulter.

hominis voluntas, naturæ matrimonij repugnaret, ob bonum aliquod commune ingrato sibi coniugio eum complicare.

An pater id possit.

Quòd autem nec pater eodem iure polleat, probat D. Thom. hoc pacto. Cùm in matrimonio sit quædam quasi seruitus perpetua, nequit pater filium, quippe qui liberæ conditionis est, cogere.

Obiectio.

Quòd si contra quis arguat. Pater necessitate compulsus poterat filium vendere, saltem vetusta lege. C. de patribus qui filios distraxere. l. 2 tametsi inter Christianos non sit in vsu: sed mera seruitus molestius vinculum est, quam coniugale: ergo eadem ratione potest filium ad matrimonium cogere. Negatur consequentia, tum quia seruitus non exigit amorem, sed satis est, vt seruus timore seruiat, cùm tamen coniugale commercium suapte natura mutuum amorem coniugum exposcat: tum etiam quia seruitus suapte conditione non adfert perpetuitatem, vt matrimonium, cum possit se seruus redimere.

Dilutio.

Colligitur ergo secunda conclusio, quod pater non potest filios ad matrimonium simpliciter cõpellere, vt ciuilis etiam lex. Non cogitur. ff. de ritu nuptia. admonet. Et ratio præsertim theologica, Nam si post matrimonium ratum potest vnus coniugum altero inuito religionem profiteri: fortiori ratione filius inuitis parentibus ad matrimonium eum compellentibus id potest, atque adeo eum compellere nequeunt.

2. Concl.

Accedit tandem huic tertia. Pater potest inducere filium precibus & monitis, imo nonnunquam præcepto, cui tamen ipse eatenus parere tenetur, quatenus causa illius præcepti se habet erga ipsum, vt si causa ipsum cogat, de necessitate tenetur sub pœna peccati obedire. Et sic intelligitur. l. Si patre cogente. eod titu. Vt si pater eum desponderat, & sponsalia iurauerat, matrimoniumque sit filio vtile & commodum, neque vlla sit causa repudiandi. Si autem causa præcepti procedat ex honestate: tenetur filius tunc etiam ex honestate obedire, & non ex necessitate. Atque hoc pacto intelligitur verbum Honorij cap. citato, Tua nos, scilicet quod filius omnino debet quod pater promisit adimplere.

3. Concl.

Obiectio.

Quod si quis arguat. Videtur conclusio tertiæ repugnare, quippe quæ concedit teneri filium nonnunquam parere patenti sub pœna peccati mortalis, hoc enim est cogi. Respondetur nonnullam esse repugnantiam. Secunda enim conclusio solum affirmat, quod sine consensu filij per consensum patris non firmatur matrimonium, licet possit illum desponsare. Præterea quòd neque ipsum potest, aut metu mortis aut alio cadente in constantem virum ad consensum perstringere. Cui non repugnat, vt possit iubere.

Dilatio.

Sol. 2. arg.

Per hæc ergo ad secundum argumentum respondetur. Iacob enim iussa parentis capessere tenebatur: nempe vxorem ex Chananæis non suscipere, tum propter eorum malignitatem & idololatriam, tum etiam quia terra illa Chanaam patribus promissa, bello erat petenda, & suis habitatoribus priuanda: quare præceptum Isaac non aliud quam æquissimum fuit.

Sol. 3. arg.

Et eadem est solutio Paulini verbi. Tenetur siquidem filius obedire patri in licitis omnibus & honestis tanquam liber homo. Quare non cogitur omnimodè in ijs obtemperare, in quibus est tam liber, quàm ipse pater: puta, in matrimonio contrahendo, per quod filius futurus est pater. Vnde licet pater possit sponsalia filij iurare, tamen iuramentum non habet arctiorem vim, quàm quòd quantum in se erit operam dabit matrimonio filij conciliando: quod quidem ius non aufert eidem filio reclamandi: & ideò conditio illa, nisi filius renuerit, semper iuramento includitur.

4. Argu.

Quartum argumentum, quia non solum ecclesiasticas leges, verùm & ciuiles tangit, negotium doctoribus facessit. Et primum omnium capit. vlt. de clandest. despon. vbi statuitur, vt filij ex clandestino matrimonio nati non habeantur, vt legitimi, nil ad rem attinet præsentem: quoniam vt dist. præcedenti monstratum est, non censentur illegitimi propter solam clancularam desponsationem, sed propter eius contractionem in gradu prohibito, quæ causa est, vt filij sint spurij. Impræsentiarum verò non agitur nisi de pœna eorum, qui contra voluntatem parentum contrahunt, licet verum perficiant matrimonium. In eos enim, qui sic se matrimonio iungunt, ciuiles leges pœnas

Cap. Cum inhibitio.

decernunt

Contrahentes contra voluntatem parentum legibus puniuntur. Ius commune.

Nota.

L. 49. Tauri. Pragmatica 41. anno 1537. An huiusmodi leges sint iusta Sententia authoris.

Nota.

Diluuntur fundamenta.

Aliud. ca.

Obiectio.

Dilutio.

Exemplū.

nerexerunt, saltem peculiares regni Hispaniæ, nescio an & aliorū nationum: nam & de Neapoli idem fertur nempe quòd si filia contra parentum voluntatem clam nupserit, licet ipso facto non sit hæreditate abdicata, sit tamen in potestate parentis eam abdicare. Ius autem commune, quòd viderim, nullum erat de hac re expressum: nam in authen. vt cùm de appella cog. §. Caulas autem colla. octaua. inter iustas ingratitudinis causas, ob quas pater potest filias ab hæreditate excludere, non habetur nisi quòd si filia, quam pater vult nuptui tradere, non consenserit, sed luxuriosam vitam degerit. Subditur tamen quòd si a vigesimoquinto anno parentes distulerint eam marito copulare, & forsan contigerit in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum marito se (libero tamen) coniungere, hoc ad ingratitudinem filiæ non imputetur. Ex ista tamen particula aliqui ex canonistis elicere contendunt à contrario sensu, quòd si ante vigesimum quintum annum inconsultis vel dissentientibus parentibus nupserit, exhæredari possit. Sed re vera collectio ægerrima est, imò glossa illic, & de inofficioso testamen. Authen. Sed si post. in. C. vbi eadem authentica transcribitur, non infert nisi quòd si ante vigintiquinque annos, vel in suum corpus peccauerit, vel certo nupserit ingratitudinis rea sit, secus si nupserit liberè.

Extat autem in Hispania lex. 49. inter Taurinas, vbi si filia clam præter parentum voluntatem nupserit, facultas sit eis eam hæreditatis iure expoliare. Quin verò alia nuperrima Vallisoleti adiecit, quòd quamuis filia 25. annorum ætatem excesserit, eidem subdatur legi. Interpretes autem canonici iuris de hac re dissident: nam alij dicunt leges istas ciuiles non esse iustas, quippe quæ iure canonico sint abrogatæ, alijs contrarium asserentibus. Et sunt doctorum turbæ vtrinque tam multæ, vt rem potius confundant, quàm elucident: quia non agunt opinionum ponderе, sed numero.

Duo ergo hic pro nostra tenuitate respondemus. Primùm enim quòd iura canonica principibus huiusmodi leges interdicant, non video. Imò cum matrimonium vt sæpè diximus, sic sit sacramentum, vt sit etiam ciuilis contractus, nil vetat quominus vt priori ratione ad forum Ecclesiasticum spectat, posteriori ciuili etiam aliquatenus subdatur. Non quod principes ea possint, quæ sunt de matrimonij substantia demutare, sed tamen, quòd valeant contrahentes mulctare, vbi in bonum publicum contrahendo deliquerint: nam possunt delictis, quorum iudicium ad Ecclesiasticum tribunal pertinet, supplicia etiam quatenus pacem reipub. perturbant, decernere, vt aduersus vsurarios & periuros, & aduersus eos qui viuentibus vxoribus incestas nuptias contrahunt: & in illos fideles qui cum infidelibus aut Iudæis matrimonia coniungunt. Delictū autē profectò est inconsultis parentibus id sine vrgente causa attentare: adeò & ratio naturalis, & iura tam canonica, vt can. Aliter 30. q. 5. & alij: tum etiam ciuilia plurima ius erga liberos de hac re parentibus conferunt. Cap. autem Tuam, de ord. cognitio. quo aiunt hanc facultatem principibus adimi, profectò ineptè ad hoc allegatur: quippe cum illic Honorius solum decernat, causam matrimonialē atque adeò legitimationes liberorum ad examen ecclesiæ pertinere, sanè, cui incumbit iudicare an matrimonium fuerit validum. Ex quo profectò nulla consequutione colligitur, vt principibus inhibeatur de successione hæreditatis leges ferre. Quin verò capi. aliud: scilicet, Causam quæ in 2. qui filij sint legitimi, quod simul pro se afferunt, contra eos militat: quippe vbi Alex. faretur ad regem pertinere non ad Ecclesiam de possessionibus iudicare, vbi agitur de illegitimo matrimonio, licet causa matrimonij fuerit ne firmum aut infirmum, pertineat ad ecclesiam. Quòd si arguas. Ius canonicum liberam potestatem tribuit filijs matrimonia contrahendi. Conceditur quidē, imò & iure naturali & diuino eadem fundatur libertas. Sed si inde inferas, eadem iura inhibere principibus, nè vllas pœnas contrahentibus decernant, negatur consequentia. Nam etsi ob eandem libertatem matrimonia inconsultis parentibus sint validā, non tamen semper contrahentes excipiuntur à delicto, quod princeps punire potest. Si enim duo illustrissimi magnates vellent suos liberos matrimonio coniungere, qua ratione duæ eorum amplissimæ primogenituræ in vnam domum coalescentes periculum regi & reipublicæ crearent, profecto posset tunc rex & deberet tale matrimonium sub grauissimis pœnis inhibere. Pari ergo ferè ratione interdicere valet, ne magnatum filiæ inconsultis parentibus nubant.

Addiderim tamen secundò hoc temperamentum, quod huiusmodi leges non debent semper toto rigore executioni mandari. Vnde consultissimè non eandem pœnam infligunt liberis masculis absque voluntate parentum contrahentib quam fœmellis, quæ cùm non tanto ingenio & prudentia vigeant, debent (in concinnandis potissimùm nuptijs) parentibus obstrictius esse subiectæ, ne leuiter de se disponant. Sed nihilominus debet causa quoque nubendi æstimari, vt si fortè filia erat iniuria parentum oppressa, quam ne dotarent, vel alia de causa, nuptui tradere recusabant, tunc certè non esset rigore legis in illam animaduertendum si clam nupserit suo æquali, quemadmodum si absque vlla causa id fecisset. Quare neque in personis inferioris sortis debet ille rigor obseruari, vt in illustribus: quia nec tantum detrimenti populares per hæc matrimonia suis domibus afferunt. In summa quod Christianissimus quisque rex de hac re decreuerit, iustum est.

Nota.

Pœna. l. 49. non habet locum in masculis. Ratio. Causa nubendi æstimanda. Nota.

Quæstio secunda.

DE CONSENSV CONDITIONATO.

ARTICVLVS I.

Vtrùm consensus conditionatus sit ad matrimonium per se sufficiens.

PROPE ad coactum consensum accedit conditionatus: & ideo similiter quæritur, vtrùm aliquando per se sufficiat. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonij exigit verba simpliciter consensum exprimentia, quod autem sub conditione enunciatur, nō simpliciter asseritur: ergo nunquam eiusmodi consensus sufficit.

Pars negatiua argu. 1.

Secundò, quia verba, quibus matrimonium conciliatur, debent esse certa & firma: adiecta vero conditio incertitudinem quandam præ se fert.

2. Argu.

In contrarium tamen est, quod cùm alij contractus sub conditione celebrati impleta conditione sint puri & firmi: nil obstat quominus simili consensu contrahatur matrimonium.

Pars affirmatiua.

Conditio impræsentiarum non vsurpatur pro rei qualitate, quemadmodum dicimus aliquam esse seruilis liberæve conditionis, sed pro illa, quæ contractui apponi consueuit. Vnde conditio in hoc significato est, dispositionis; scilicet actus vel contractus ex euentu incerto suspensio: vt si dicam. Ducam te in vxorem si tantum mihi æris pondus in dotem numeraueris. Et solent iuris periti quatuor contractuum moderamina distinguere, quæ sunt, Demonstratio, modus, causa, & conditio. Quorum singula suas habent notulas. Demonstratio enim fit per relatiuum aut per nomen exprimens qualitatem, vt Duco Mariam, quæ libera est, aut Duco istam virginem. Sed modus exprimitur per coniunctionem, vt Duco ducis filiam, vt honoris mihi accessio inde fiat. Et ad modum reducitur determinatio temporis, vt contraham tecum Dominica in albis, quando per Ecclesiam licet nuptias celebrare. Causa autem exprimitur per, quia, vt duco Crassi filiam, quia prædiues est. Conditio vero exprimitur per, si, nisi, aut, cùm, & similia, vt Contraham tecum si dederis, vel cùm dederis tantum; vel, nisi pater renuerit.

Conditio quid.

Quatuor contractuū moderamina. Demonstratio.

Modus.

Causa. Conditio.

His præmissis ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima est. Tria reliqua moderamina siue vera sint, siue falsa, siue turpia siue honesta, aut cuiuscunque qualitatis, nihil ad matrimonium confirmandum, vel infirmandum referunt, magis quàm si nō apponerentur, nisi formam conditionis induant. Exemplum. Si quis dicat. Accipio te, quæ, vel quia vene-

1. Concl.

Exemplū.

num sterilitatis potatti, matrimonium contrahit, siue potauerit illa siue secus, licet eiusmodi potatio fini matrimonij obstet: quia non apponitur vt conditio Imò quamuis dicat, quia scio te sterilitatem procuraturam, vel pretio amicos recepturam. Et ratio est, quia illa non ceu conditionem apponit, sed quia vxorem sterilem, solùm vt illecebris carnis occurrat, quærit, vel quæ illum quomodocunque sustentet, etiam turpi lucro. Si autem diceret de futuro, Contraho tecum, quæ datura mihi es tantum dotis, illa iam vim habet conditionis, & ideo contractum suspendit quousque, per impletionem purificetur. Et pariter si diceret, Accipio te, quæ venenum sterilitatis potabis, non esset securum matrimonium: quoniam videtur habere formam conditionis contra eius finem, id est, si potaueris. Quoniam si diceret, quia dabis mihi tantam dotem, conditionem videretur apponere. Quamuis cauſales istæ de futuro ambiguæ sint, possunt enim referre vel conditionem, vel duntaxat credulitatem proferentis. Et isto secundo modo nullatenus contractum vitiant matrimonij. Et idem de demonstrationibus sentiendum. Eademque ratione si diceret, Contraho tecum, vt impedimenta generationis procures, anceps esset oratio. Nam etsi coniunctio, vt, modum, suapte significatione designet, crebertimè tamen vim habet conditionis. Similiter si quis dicat. Contraho tecum quæ libera es, vel quia libera es, illa non est mera demonstratio, sed vim gerit erroris cauendi. Et ideo si erat illa mancipium, & illud ille præsciuerat, matrimonium tenet: si autem crediderat esse liberam, nullum est, non propter defectum demonstrationis, sed propter errorem circa personam, qui matrimonium vitiat. Quare illa demonstrationis adiectio suffragabitur proferenti, vt credatur existimasse eam liberam, & onus probationis transferetur in fœminam, quæ probare tunc tenetur, eum sciuisse se esse ancillam.

Ratio conclusionis.

Conclusio hæc facili ratione probatur: quoniam illa, quæ matrimonium variant vel vitiant, debent ad substantiam seu vim contractus spectare: demonstratio autem & modus & causa ad vim contractus non spectant, sed ad causas quæ contrahentes mouebant, vel ad opiniones rerum, quas conceperant. Quocirca quamuis demonstratio aut causa sit falsa, nihil refert. Vt quispiam dicat, Contraho tecum, quam pater mihi desponsauit, aut, quia parentibus nostris perplacet, tunc quamuis falsum illud sit, nihilominus matrimonium tenet. Falsa enim demonstratio minimè legatum aut contractum vitiat. l. Falsa. ff. de condi. & demonst.

Conditionum genera. Conditiones generales.

Ante secundam verò conclusionem prænosse oportet plurima esse conditionum genera Quædam enim sunt conditiones generales, quæ licet non apponantur, intelliguntur. Vt, Contraham tecum, si Deus voluerit, aut si nos viuos seruauerit. Aliæ sunt particulares, sed tamen contractui matrimonij necessariæ, vt si vir diceret hermaphrodito. Contraham tecum si sexum elegeris fœmininum, aut si mihi non fueris consanguinea: aut si diceret Sarracenæ, Contraham tecum si fidem Christi profiteri decreueris. Et huiusmodi omnes conditiones nil refert seu apponantur seu taceantur, nam ex natura rei censetur appositæ. Ex alijs verò particularibus quædam sunt aut necessariæ in se, aut simpliciter impossibiles, vt si sol oriatur cras, aut si cælum digito tetigeris. Aliæ verò sunt contingentes. Atque istæ sunt rursus bipertitæ: quædam enim sunt contra substantiam matrimonij, aut eius finem aut fidem. vt, Contraho tecum quousque aliam inuenero melioribus moribus præditam, quod est contra matrimonij perpetuitatem. Vel contraho tecum si sterilitatis causas procurueris, quod est contra eius finem. Aut si aliquem admiseris qui tecum adulteretur, quod est contra eius fidē. Aliæ verò sunt, quæ matrimonio minimè aduersantur: & istarum quædam sunt honestę, vt Contraho tecum si pater consenserit, aut si dotem mihi dederis, vel si fueris virgo. Aliæ autem turpes, vt Contraho tecum si mihi fueris in furto vel homicidio perpetrando adiutrix. Atqui omnes istæ apponi possunt aut verbo de præsenti, contraho, duco, nubo: aut de futuro, contraham, &c.

Conditio particularis duplex. Conditio contingen. duplex.

Conditio quæ matrimonio non contradicit.

Rursus animaduertendum, quod matrimonium ipsum conditionem non admittit, sed eius consensus: Quod est dicere, quòd consensus potest quidem ex conditione pendere, sed quamdiu ille pendet, matrimonium nullum est, quippe cùm absolutus purusque debeat esse contractus, atque adeò quousque conditio purificetur, & consensus fiat de præsenti purus, aut maritalis accedat copula; vigorem coniugij non habet.

Nota.

In calce demum animaduertendū, quòd nulla istarū conditionum, quicquam adfert momenti ad matrimonium confirmandum vel infirmandum, nisi ambò contrahentes in illam conditionem consentiant, ita vt quam vnus obtulit, alter accipiat.

2. Cond.

Sit ergo secunda conclusio. Consensus de præsenti sub conditione de præsenti, si illa tunc vel impleta est, vel adimpletur, per se absque alio consensu sufficit ad matrimonium, quod ideo eodem momento perficitur: vt si Petrus dicat Mariæ secum consentienti. Contraho tecum si patri meo placuerit, id est, si iam modò placet Conclusio est omnino dubia, quippe cuius ratio est liquida. Nil enim hinc, quòd substantiam sacramenti attingat, deest, si modò personæ sint legitimæ, cùm interueniat assensus mutuus de præsenti nullatenus ex futuro dependēs, qui ideo eodem momento, quo exprimitur, vim suam obtinet: nam & in alijs ciuilibus contractibus ita res habet l. Institutio talis ff. de condi. institu. & l. cum ad præsens. ff. si cer. pet. vbi habetur, quòd si conditio est de præsenti aut de præterito, non suspendit contractum. Vnde l. Itaque. ff. eod. concluditur, quòd tunc potestatem conditionis ob tinet cum in futurum confertur. Si verò conditio non esset adimpleta, aut esset matrimonio contraria, consensum irritaret. Et intelligitur sic conclusio, quod etiam si contrahentes assentionem parentum ignorent, imò quamuis credant eis displicere, si postmodum constiterit parentibus fuisse gratum, non opus est alio consensu, sed matrimonium habendum est pro rato. Quinetiam satis est in virtute eis placuisse: nempe, si licet tunc essent dormientes, cogitauerant tamen de illo matrimonio, & placuerat eis. Quinimò fortasse licet de hoc nunquam cogitassent, si postea interrogati matrimonium approbarent, approbatio illa esset interpres virtualis consensus præteriti, vel saltem non displicuisset. Cùm enim dicitur si patri placuerit, sensus videtur si non fuerit dissentitus, & sciens gratum habuerit. Attamen si tunc parentibus displicebat, quamuis postmodum scientibus placeat, matrimonium nullum est absque nouo consensu. Nam conditio ad illud momentum referanda est quo consensus de præsenti exprimitur.

Ratio conclusionis declaratio.

Conditio si patri placuerit.

Corollarium.

Hinc colligitur, quòd quamuis conditio verbis de præsenti adiecta sit de futuro, si tamen est necessaria in se, vt si sol oriatur cras, perinde sit solidum matrimonium, acsi cōditio esset de præsenti. Assertio est S. Tho. dist. præsenti. art. 3. q. 3. quamuis glossa super c. Per tuas. de condi. appos. contrarium sentiat dicens quòd etiam huiusmodi necessaria conditio suspendit contractum: & ideo si iste antequā sol oriatur, cras aliud matrimonium contraxerit de præsenti, illud, inquit, est validum. Sed re vera glossa hæc nulli est rationi consentanea. Nam cum illa conditio sit iam in suis causis naturalibus necessaria, impleta censetur. Ad quod facit expressè. l. Si pupillus. §. Qui sub conditione. ff. de nouationibus. Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, purè videtur stipulari. Et insti. de inuti lib. stipula. §. si impossibilis. Et. l. Impossibilis. ff. de ver. obliga. Si quis sub illa conditione aliquid spōdet, Si cœlum digito non attigero, purè facta obligatio intelligitur, quia conditio est necessaria. Secus si conditio poneretur vt modus: scilicet contraho tecum in diem vel pro die crastina sub solis ortum: tunc enim conditio trahit consensum ad futurum, & facit tantum sponsalia. Si verò talis per se necessaria conditio addatur verbis de futuro, contraham tecum si sol oriatur cras, aut si cœlum circunferatur, eadem ratione valebit pro sponsalibus acsi nulla esset adiecta conditio. Sed tamen non restringit ad contrahendum cras: quia non apponitur tanquam determinatio temporis. Si autem diceres, Contraham tecum si pater meus moriatur, quamuis conditio sit necessaria, videtur tamen adiecta, vt modus tanquam temporis determinatio: & ideò non teneris contrahere vsque ad patris obitum. Sed si dicas de præsenti, Contraho tecum si pater meus sit moriturus, continuò tenet matrimonium: quia conditio est necessaria, & non ponitur vt designatio temporis. In his ergo & similibus, discernendis prudentia opus est.

S. Thom. Glossa ca. per tuas.

Reprobatur glossa.

Dum

Dubium.

Dum autem verbis de præsenti adhibetur honesta conditio de futuro, dissidium est inter iuris peritos & theologos, vtrum conditione adimpleta opus sit nouo consensu ad confirmandum matrimonium, an verò sufficiat ille præcedens. Panor. siquidem cap. De illis. de conditio. apposi. & Inno. 4. ac penè omnes tenent non opus esse consensu nouo, sed solo impletæ conditionis accessu, nisi conditio substantiæ matrimonij sit contraria. Vt si quis alicui dicat, Contraho tecum si pater consenserit, aut si mihi talem dotem dederis, aiunt, impleta conditione sine nouo consensu matrimonium esse solidum, quia consensus est purificatus: ita vt si ad alia vota ille transierit, nulla sint prorsus. Adstipulatur eis Paluda. dist. præsenti. q. 2. ar. 5. Est hic tamen per distinctionem cauendum, quòd huiusmodi conditio de futuro adhibita verbis de præsenti potest dupliciter apponi. Vno modo super illegitimam prohibitamque materiam, vt si cognati intra quartum gradum contrahant sub conditione, si Papa dispensauerit. Et tunc alia est diuersa ratio. Quare non omnes prædicti canonum doctores de ista loquuntur, vt paulò post videbimus. Sed dum super legitimam materiam cadit, vt in exemplo posito, si dotem dederis, aut si pater consenserit. De quo ergo nobis primum agendum. Potissimum igitur argumentum canonistæ à similitudine aliorum contractuum ciuilium ducunt. Dum enim quis ædes suas alteri sub hac conditione vendit, si alias ipse emerit, vel si rex consenserit, impleta conditione non opus est alio contractu nec consensu, vt venditio teneat: idem ergo de matrimonio sentiendum.

Conditio de futuro dupliciter cõtingere potest.

Iurisconsultorum argumentum.

Sed nihilominus subiungitur tertia conclusio. Conditio de futuro adiecta verbis de præsenti facit consensum in virtute esse de futuro ceu sponsaliorum: & ideo adueniente conditione non fit matrimonium nisi nouus consensus de præsenti accedat. Conclusio est S. Thomæ dist. præsenti ar. 3. quæstiuncula 3. & omnium theologorum. Et re vera perspecta ratione nullatenus esse potest dubia. Ratio quippe est, quòd conditio de futuro facit consensum expressum per verba de præsenti esse pendentem de futuro, & ideo ante completam conditionem non est sufficiens: consensum autem pendere in futurum, in virtute est esse de futuro: ideo optimè ait S. Thom. quòd conditio de futuro, licet adhibeatur verbis de præsenti, perinde habet ac si adhibeatur verbis de futuro: cùm ergo matrimonium nullatenus nisi per consensum de præsenti, vel copula superueniente carnali contrahatur, fit vt per talem consensum, nec quando exprimitur conditio, nec quando impletur, fiat matrimonium, atque adeò opus sit alio nouo de præsenti. Et confirmatur ratio maximè quatenus matrimonium sacramentum est, aliorum sacramentorum exemplo: nullum enim sub conditione quidpiam valet, vt si quis diceret, Ego te baptizo, aut confirmo, aut absoluo si ieiunaueris, aut psalmos recitaueris: aut si prælatus ratum habuerit: neque verò valere incipit dum conditio impletur: nam in sacramentis locum non habet ratihabitio.

3. Concl.

S. Thom.

Ratio conclusionis.

Quòd si contra arguas. Si quis dicat fœminæ, Contraho tecum si tu consenseris, ille consensus pendet de futuro consensu alterius: & tamen ipsa cõsentiente non est necessarius in viro alius nouus. Respondetur, quod consensus ille in virtute continuatur, donec fiat mutuus adueniente alterius consensu. Et ideo non est simile illi qui pendet de futura conditione, aut de consensu alius tertij: puta parentis; &c. Imbecille ergo & nullius vigoris est argumentum, quod ex alijs ciuilibus contractibus ad matrimonium à canonistis accersitur: nam in alijs iure præsumitur consensum semper in virtute durare, quousque conditio superueniat. Et ideo licet ille fuerit de futuro, impleta conditio confirmat contractum. Secus verò in matrimonio, vbi necessarius est consensus de præsenti.

Obiectio.

Solutio.

Solutio ad arg. Iurisconsultorum.

Sed ecce aliud argumentum Palud. Vbi D. Th. ait, conditionem de futuro adiectam verbis de præsenti perinde habere ac si apponeretur verbis de futuro, aut intelligit nunc quando profertur consensus, aut tunc quando impletur conditio: non nunc: quia non sunt sponsalia. nam conditio in futurum pendens vt impedit nunc matrimonium, ita sponsalia: nec tunc quando conditio impletur, nam tunc fit quidem matrimonium, vt in reliquis contractibus contingit. Meritò tamen Adrianus q. 2. de matrimonio reprehendit Paludanum, qui tam infirma ratione suum Magistrum deseruit. Respondetur enim ei, eiusmodi contractum vim habere sponsaliorum ab illo puncto, quo fuit consensus prolatus. Similiter enim ipse debet respondere in verbis de futuro. Si enim quis dicat, Accipiam te si dederis mihi talem dotem, quis neget oriri sponsalia? ergo conditio illa licet impediat tunc esse matrimonium, non impedit esse sponsalia. Pari modo quando dico Accipio, si conditio sit de futuro. Et simili ratione impletio conditionis non sufficit ad matrimonium sine consensu nouo de præsenti.

Arg. Paludani.

Adria. reprehendit Paludanum

Sol. arg.

Et confirmatur vigentissimè eadem sententia. Iste contractus, Accipio te si hoc dederis, vim illico habet obligandi sub conditione & non ratione matrimonij, vt contraria opinio fatetur: nam si ante completam conditionem ille voluerit à contractu resilire, & aliam ducere, ille secundus contractus erit verum matrimonium: ergo obligat in virtute duntaxat sponsaliorum, atque adeo adueniente conditione non erit amplius quam ceu spõsalia obligatorius. Et corroboratur ratio. Si eo ipso, quod conditio adimpletur, esset matrimonium, non opus esset Ecclesiæ coactione, vt qui sic pepigerunt contraherent: compellit autem eos vt contrahant: ergo non erat nisi sponsalia sub conditione obligantia.

Ratio 2.

Sed arguitur ad id præterea ex ca. De illis, de condit. appolit. vbi ait Alexander, quod qui mulieri sic iurauit, Ego te in vxorem accipiam si tantum mihi donaueris; non est postmodum reus periurij si nolentem soluere accipere renuerit, nisi vel consensus de præsenti vel copula interuenerit: ergo nisi vbi consensus de præsenti absolutus interuenerit, matrimonium non est validum. Et est explicatio Vrbani tertij in c. Super eo. Quare mirandum est quomodo Canonistæ hoc caput vrbani sibi arbitrentur suffragari, cum significantius eis refragetur, & patrocinetur nobis, vt bene ait loco citato Adrianus. Cùm enim illic Vrbanus decreuisset, eum, qui in quandam mulierem consenserat, si pater suum præstaret assensum, antequam voluntas patris accederet non esse cogendum, obijcit verba Alexandri, nisi consensus de præsenti intercedat, & ait, illud non esse suæ definitioni aduersum: quia iste, inquit, consensus (s. contraho tecum, si pater meus consenserit) non est de præsenti habendus, licet euidentius per verba de præsenti exprimatur, quia in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit. Tam clarè Papa quàm nos loquitur. Et c. Per tuas. liquidò id etiam docet Inn. 3. in illis, qui in matrimonium consenserant si pater vel patruus in ipsum quòque consentirent: pronunciati enim fuissent tanquam non coniuges, nisi quia antea quàm pater consentiret copulam consummarunt, per quam visi sunt à conditione recessisse. Concluditur ergo, conditionem de futuro verbis etiam de præsenti adiectam non facere, dum adimpletur matrimonium, sed confirmare sponsalia. Quare si alter illorum ad aliud matrimonium transierit, illud erit validum. Certè nescio cur huiusmodi opiniones circunferantur tanquam Canonistarum aut Theologorum. Deberent enim pensata ratione perpendi, & non simplici assertione doctorum sustentari.

Aliud arg.

Intellectus c. Super eo.

Notam autem dubitandi rationem nobis offert, quando conditio de futuro super illegitimam materiam fertur. Vt si quis cognato suo intra gradum prohibitum dicat, Contraho tecum si Papa dispensauerit. Liquidum enim est ante dispensationem nullum esse matrimonium: sed tamen dispensatione concessa, non desunt qui autument absque nouo consensu esse matrimonium, vt Calderi. & alij, quos Syluester verbo Matrimonium 5. §. 9. inducit. Isti eodem argumento vtuntur, quo superiores. Sed multò habet minus energiæ in ista materia, quàm in alia. Vnde idem Panor. & Inno. in c. Super eo, licet in capit. De illis, vbi legitima est materia, censeant matrimonium absque nouo consensu tenere, tamen, vbi est illegitima, id negant. Et re vera non est cur hæc pars negatiua sub opinione tenenda sit, cùm sit prorsus certa. Nam præter rationem nuperrimè factam, quæ sufficiens est, existit alia hic noua, eademque vrgentior. Ad cuius intellectum notandum est documentum Diui Thomæ in 4. distinctio. 40. articulo 4. quòd leges Pontificum non referuntur ad præterita, vt sententia, sed ad futura. Si enim dum lex vigebat prohibens matrimonia in quinto gradu, aliqui in illo contraxissent, & postmodum dum lex alia, quæ permisit contrahere in

Conditio, si papa dispensauerit.

Syluester.

Pars negatiua.

Documentum Diui Thomæ. Lex & dispensatio futura.

quin-

respicit, non autem præterita.

quinto superueniret, non ideo eorum matrimonium confirmatum censetur nisi nouo consensu vtentes dispensatione contraxissent: quia lex non loquebatur nisi in posterum. Et vice versa. Si modò ederetur lex prohibens quintum gradum, matrimonium eorum qui in illo contraxerunt, non dissoluitur. Regula est omnium doctorum vtriusque scholæ, scilicet & Theologorum & Iurisconsultorum communi consensu receptissima. A fortiori ergo sic intelligendæ sunt dispensationes. Cùm ergo Papa super matrimonio dispensat in gradu prohibito, solùm intelligit (id quod nomen ipsum dispensationis sonat) facultatem illis facere contrahendi, non autem ratum habere quod factum est: ergo si contrahere volunt, nouo opus habent consensu. Consequentia quidem liquida est, sed minor etiamnum confirmatur. Nam quod in se nullũ fuit, fieri nequit vt validum fuerit: imò neque ex illo vlla potest oriri obligatio, l. Cùm lex ff. de fideiussoribus. vt loco citato bene adnotauit Panorm. consensus autem ille inter illegitimas personas nullus fuit: quia erat iure prohibitus: ergo non potest pro rato haberi, vt ad matrimonium sufficiat.

Probatio minoris

Et arguitur explicatiùs. Materia legitima, quem admodum & in ædificijs, ita & in contractibus præsupponitur formæ: ergo consensus super materiam illegitimam nullus est, sed postquam fuerit per papam legitima, opus est nouo consensu. Et tandem arguitur. Si sine nouo consensu virtute prioris fieret matrimonium, sequeretur quòd illi, si Papa illis inuitis dispensare vellet (quod certè bona occurrente causa potest) nequirent a priori pacto resilire, atque adeò posset Papa inter inuitos matrimonium constituere, quod nulla potest opinione affirmari. Certè res est constantissima necessarium esse nouum consensum post dispensationem.

Aliud argument.

Postremum argum.

Appendix.

Ex quo fit, quòd quamuis ante dispensationem cognati sponsi per verba de præsenti, & per copulam carnalem affectu maritali matrimonium cõsummauerint, & proles susceperint, nullum est matrimonium, sed omnes sunt fornicationes, quousque post dispensationem denuò de presenti consenserint.

Quòd autem maiorem offert ambiguitatem est, vtrùm saltem eiusmodi contractus inter cognatos sub conditione, si Papa dispensauerit, vim habeat sponsaliorum, ita vt superueniente dispensatione teneantur contrahere. Est n. casus frequentissimo vsu occurrens. Hoc dubium latè disputat Adrianus in materia de matrimonio q. 10. Et pluribus à parte negatiua præmissis sustinet affirmatiuam. Contrarium verò, scilicet nullam inde nasci sponsaliorum obligationem, communis opinio doctorum asserit, in ca. citato, Super eo, vt Adrianus ipse fatetur. Quæ quidem opinio plurimùm ciuilibus legibus fulcitur, vt l. Inter stipulantem. §. sacramen. ff. de verborum obliga. vbi stipulatio, quæ fit de re sacra vel publica, vana reputatur, etiam si prófana fieri possit & priuata: quia dum fiebat stipulatio, res erat vsibus sacris dedicata. Et idem habetur. l. continuus. §. cùm quis. Et l. si stipuler. ff. eo. tit, habetur, quòd si quis stipulatur, vt id fiat, quod natura fieri non cõcedit, obligatio non cõsistit. Et subditur ad propositum quòd si quis stipuletur de eo, quod leges fieri prohibent, cessat obligatio, veluti si quis nupturam sororem sibi aliquis stipuletur. Et additur, quanquam etiam si non sit perpetua causa impedimenti, vt accidit in sorore adoptiua, quæ licet fieri possit non adoptiua, tamen si quis stipuletur cum illa dum est adoptiua, stipulatio est nulla. Proximè certè ad rem nostram attinet hęc lex. & in l. Idẽ Iulianus. §. fin. ff. de legat. 1. scribitur, quòd illa conditio, quæ pendet ex voluntate principis, censetur impossibilis, & Innocen. in. ca. Pastoralis. de cau. possess. & proprie. notat, quòd quæ siue dispensatione fieri non possunt, impossibilia à iure reputantur Quo fit, vt conditio illa, si Papa dispensauerit, impossibilis censeatur, quæ habetur pro non adiecta. Vnde cùm sine illa contractus sponsaliorum nullus esset, fit vt nec valeat cum illa. Adrianus verò censet conditionem illam esse possibilem: nam Papa non solùm dispensare potest super matrimonio, verùm aliquando debet, vt si promisit, vel in bonum publicum aliquid retulerit. Et ad iura allegata, ait, illa stipulationes rerum sactarum, prohibitarum & publicarum quassare quando in ipso contractu stipulationis non exprimitur conditio voluntatis principis, qui potest super his dispensare. Quando verò totum ad eius voluntatem refertur, tenet obligatio.

Non sunt sponsalia. confirmatio communis opinionis.

Adrianus.

Conditio. si Papa dispensauerit, impossibilis.

Adrian.

Solutio Adriani.

Re vera fateor rem esse ancipitem, & vtrinque ambiguam, facilius tamen in sententiam opinionis communis descenderim, quòd nulla scilicet inde sponsaliorum obligatio oriatur. Et ratio, vna est illa, quam Panorm. inducit ex l. Cùm lex. ff. de fideiussor. scilicet quòd ex facto iure improbato nulla nascatur obligatio. Ægra enim esset solutio dicentis, quòd lege solùm improbatur matrimonium inter cognatos, non tamen sponsaliorum contractus sub illa dispensationis conditione: Quoniam cùm cognati lege sint exclusi à matrimonio tanquam indebita materia, & sponsalia sint vinculum & obligatio matrimonij contrahendi, eadem ratione est inhabilis materia sponsaliorum, quousque materia sit legitima, iuxta. l. Oratio. ff. de sponsali. vbi habetur, quòd lex, quæ prohibet matrimonium, subinde prohibet sponsalia. Et confirmatur ratio. Si sponsalia inter cognatos contraherentur sine expressione conditionis dispensationis, nullius vigoris esset contractus, vt Adrianus ipse fatetur: ergo quamuis apponatur ipsa conditio, nihil valet. Probatur consequentia: quoniã licet in priori contractu non explicetur conditio, implicitè tamen iure ipso intelligitur: eiusdem autem vigoris est implicita iuris conditio & explicita per contrahentem: ergo si posterior valeret, prior valeret: prior autem non valet: ergo nec posterior. Præterea, certè conditio dispensationis in mortalibus impossibilis reputatur: nam regula est, vt nunquam dispensatio fiat, & rarissima exceptio, vt non nisi vrgentissima de causa fiat: quare cum natura contractus non debeat ex accidentibus, sed ex ipsis, quæ per se insunt, iudicari non debet talis contractus censeri sponsalia.

Sententia authoris.

Ratio sententia.

Obiectio

Dilutio.

Ratio alia.

Alia ratio.

Ad hæc demum arguitur. Affinitas sponsalibus superueniens illa dissoluit, vt cap. Veniens, de eo qui cogno. consang. vxor. & capi. Super eo, de consang. & affinit. vt si sponsus cum sorore sponsæ rem haberet: facilius autem est rei ortum impedire, quàm existentem rescindere: ergo eadem affinitas & à fortiori consanguinitas præcedens sponsalia irrita facit, quacunque illa conditione fiant.

Postremum argumen.

Quòd si cum Adriano respondeteris, aliquem subsequentem euentum vitiare sponsalia præterita, quæ si præcederet, non impediret futura, vt si post sponsalia sponsa fornicetur, aut lepram contraxerit, respondetur id contingere propterea quod si illi euentus præcessissent, sponsus sua sponte illas maculas non repudiasset, quia non sunt iuris impedimẽta: cognationis verò impedimenta sunt iure posita, & ideo si irritant sponsalia præterita, certè à fortiori impediunt futura. Hanc ergo opinionem licet non necessariam, multo tamen probabiliorem existimauerim.

Adriani obiectio.

Dilutio.

Quo fit, vt non modò ante dispensationem obtentam (de hoc enim nulla est ambiguitas) verùm & post, vterque possit à pacto illo recedere. Neque verò id tantum de consensu alterius: quia & id certissimum est, sed altero etiam inuito & reclamante. Imò quamuis contractus ille iuratus esset, si hæc nostra communis opinio vera est, iuramentum non ligat neque dispensatione indiget quia super illicitam materiam latum est.

Hoc tamen addiderim temperamentum, quòd licet eiusmodi contractus vim non obtineat sponsaliorum, quandoque tamen ex quadam honestate oritur inde obligatio: nempe dum matrimonium illud inter cognatos ob aliquem bonum finem expediens est: & dum expensæ in expeditione dispensationis ample factę sunt. Præsertim si sponsa sese permiserit spe illa deflorari. Tametsi non solùm talis concubitus peccatum sit graue, verùm & oscula, & tactus, qui aliàs inter sponsos de præsenti licent: quia omnia feruntur super indebitam materiam.

Nota temperamentum.

Sed arguis. Ergo sic paciscentes inter cognatos semper peccatum erit? Respondetur, quòd si paciscantur intendentes facere sponsalia, profectò ita secundum hanc opinionem concedendum est: & grauius peccatum erit si iuramentum adhibeant: quia fertur in materiam vtilem. Quanquam excommunicationem non incurrant: quoniam pœnæ sunt restringendæ, & excommunicatio iure non fertur, nisi in eos qui in gradu prohibito, matrimonium de facto contrahunt, capit. De muliere, de matri. contra. contra interdi. Ecclesiæ, & Clemen. vnica, de. consangui, & affinit. vbi nulla fit sponsaliorum mentio.

Obiectio. Solutio

Nota.

Si verò

Si verò non cogitent sponsalia facere, sed obligare se ex honestate ne expensæ incassum fiant, vel alia ipsona de causa, tunc nullum peccatum erit, etiam id iurare. Et in hoc sensu debent eiusmodi pacta semper iniri, vt euitentur peccata.

Dubium optimum.

Postremum tamen hic dubium sit reliquum, vtrùm si huiusmodi cognati post concessam à pontifice dispensationem affectu coniugali commisceantur corporaliter, illud sit habendum pro matrimonio absque alio consensu, siue dispensationis concessionem ignorent, siue sciant. Videtur enim matrimonium non conualescere: quoniam carnalis copula illud non perficit, nisi sponsalia præcesserint: & contractus ille, vt dictum est, non habebat sponsaliorum vigorem. Nihilominus respondetur, illud esse matrimonium, siue scientes, siue ignorantes dispensationem affectu coniugali coeant: quia consummata copula post sponsalia non ob id tantum matrimonium componit, quòd sponsalia fuerant, sed eo quòd sponsalia testimonium sunt, quòd affectu maritali coierint. Et ideo quamuis impræsentiarum ille contractus non fuerit sponsaliorum, nihilominus quia in animo habebant matrimonium, in illudque, licet vetitum, consenserant, quando postea sublato impedimento illo se affectu commiscent, affectus ipse habetur pro consensu. Igitur cognati, quale inierunt pactum, caueant sese mutuò cognoscere tempore, quo speratur dispensatio: nam si compertum sit post tempus concessionis affectu maritali conueniisse, matrimonium retractare nequeunt.

Sententia authoris.

Nota.

Sol. argu.

Ad argumenta igitur in capite quæstionis proposita respondetur, optimè concludere consensum ex conditione de futuro pendentem neutiquam ad matrimonium sufficere. Si verò sit de præsenti, & conditio de futuro nulla adhibeatur, quæ illum pendentem teneat, ille certissimus est, & simpliciter de præsenti, ac perinde ad matrimonium sufficiens, vt latè monstratum est.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conditio impossibilis matrimonium tollat.

DE conditionibus generalibus, deque illis particularibus, quæ licet non apponantur, verbis ipsis contrahentium subintelliguntur, atque adeò de necessaria per se satis dictum est. Ex reliquis autem aliæ sunt impossibiles, atque aliæ contingentes. Arguitur ergo de impossibili, quod matrimonium tollat. Cõsensus per verba exprimitur: qui autem dicit, Contraho vel contraham tecum, si digito cælum attigeris, nullum videtur habere consensum nisi sub illa conditione: ergo est conditionalis, & non de præsenti, atque adeò matrimonium nec ligat, nec ligare potest, cum conditio impleri nequeat.

Partis affirmatiuæ argum. 1.

Secundò arguitur. Qui verba illa affirmando profert, vel ridiculus est, vel ridens illa & ioco profert, atque adeo non est censendus habere consensum magis quàm si dolo ea proferret: ergo per illa nullum matrimonium nectit, sicut neque vllum aliud sacramentum susciperet.

2. Argu.

Tertiò. Reliqui omnes contractus ciuiles sub huiusmodi conditione initi quasi iure sunt irriti. Instit. de inutilib. stipula. §. Si impossibilis. & l. Impossibilis. ff. de verb. obli. sed maior libertas exigitur ad coniugium, ergo nec coniugalis contractus tenet.

3. Argu.

In contrarium est Grego. 9. capitulo finali. de conditione appositi. dicens, impossibiles conditiones in fauorem matrimonij pro non adiectis haberi.

Pars negatiua.

Quæstio est profecto intellectu non facilis, ad cuius igitur enucleationem primùm omnium illud persæpè supra suppositum hic etiam supponendum, quòd in foro conscientiæ apud Deum, vbi non sit vetus consensus de præsenti, nullum coniungitur matrimonium siue conditio impossibilis addatur, siue nulla: quamuis Ecclesia in suo tribunali possit illud ex præsumptione pronunciare validum. Hoc supposito ait Paluda. dist. præsenti quæstione. 2. articulo, 5. con. 5. hoc Gregorij decretum satis esse mirabile, cum ille, qui talem conditionem apposuerit, deridere potiùs videatur, quàm consentire, & ideo non est consensisse præsumendus: nam in foro conscientiæ si diceret confessario non consensisse, non iudicaretur matrimonium. Atque hoc quidem certissimum est, vt

Decis. ar.

Nota fundamentum.

Paludan.

modo supposuimus. Sed hoc in Paludano mirabilius est, quod subdit, id non præsumi matrimonium, sed esse contrahendum propter præceptum Ecclesiæ. Ecclesia namque nullum tale præceptum illic ponit matrimonij contrahendi: quia vt supra diximus, neminem, qui sua sponte non contrahit, cogere ad contrahendum iure valet.

Authoris reargutio.

Ad quæstionem ergo vnica conclusione respondetur. Matrimonium sub conditione impossibili contractum iudicio Ecclesiæ præsumitur tale ac si nulla esset conditio apposita. Conclusio est prædicti decreti. Dicens enim Pontifex eiusmodi conditionem in fauorem matrimonij pro non adiecta haberi, præsumendum matrimonium iubet, acsi illa non esset apposita conditio. Et pari ratione si conditio illa addatur verbis de futuro, Contraham tecum, erunt sponsalia. Non autem est intelligendum quòd conditio impossibilis faciat matrimonium illud, quod sine illa nullum esset, sed quòd manet contractus in sua natura. Quare si quis dicat, Contraham tecum cras, si sol de cælo ceciderit, aut si digito cælum attigeris, tenetur contrahere cras. Vrimur enim nunc verbi gratia exemplis communibus, quicquid de eorum sit veritate, quæ iam iam examinabitur.

Conclusio.

Cap. fi. de condit. appos. Intellectus verus ca. fi. de conds. appos.

Sed profectò indigere conclusio videtur expositione, ne sit mirabilis: nam re vera, vt iacet, dura prima fronte apparet. Si enim quispiam Philosophus mulieri, quæ ceu philosopham se vanè iactaret, assereret lunam esse in infimo orbe, & illa contendente non esse nisi in secundo vel tertio, ille subinde diceret, Ego contraho tecum si luna non fuerit in infimo orbe, profectò nemo posset præsumere, illum voluisse matrimonium cum illa contrahere, quamuis conditio illa sit impossibilis: imò censeret quisque stupidam potiùs inscitiam mulieris irridere voluisse. Aut si contendenti astra esse anima viuentia, diceret, Contraho tecum si astrum vixerit animali aut rationali vita. Et pari ratione si magicæ dicenti, se posse volare, quis diceret, Contraho tecum si in turrim vel in cælum euolaueris, re vera non est cur præsumeretur voluisse contrahere, sed potius eam voluisse subsannare.

Expositio conclusionis.

Propterea nonnulli suspicantur in his casibus posse Ecclesiam de non matrimonio matrimonium facere: sed profectò nullatenus opinio est audienda. Potest enim materiam inhabilem reddere matrimonio contrahendo, vt inter cognatos, potestque in suo tribunali secundum allegata & probata hoc aut illud pronunciare esse matrimonium, aut non esse tale. At vero illud, quod re vera matrimonium fuit, facere vt non sit, aut quod matrimonium non fuit, facere vt sit, re vera non valet. Adrian. in tracta. de matrimonio. dubio. 7. alia via incedit: nempe quod vbi contrahentes sciunt conditionem esse impossibilem, tunc non debet haberi pro non adiecta: quia cessat, inquit, causa præsumendi voluisse contrahere, imo censendi sunt tanquam impossibile matrimonium reputasse: secus si putabant esse possibilem: quia tunc præsumuntur se illaqueare voluisse. Attamen distinctio hæc textui Gregorij minimè consonat: eodem enim tenore ait, conditionem turpem haberi pro non adiecta, & impossibilem: turpis autem, etiam si sciatur esse turpis, habetur pro non adiecta: ergo & impossibilis. Item quia quamuis existimarent conditionem esse possibilem, non inde sumitur argumentum præsumptionis, quod habuerint absolutum consensum, imò pendentem ex illa conditione quam putabant esse possibilem: & tamen Papa iubet habendam pro non adiecta.

Quorundam illatio.

Adrianus.

Sententia authoris.

Ratio.

Profectò res sic in cortice aspecta perplexissima est, de qua fateor hactenus nihil me certi compertum legisse. Atque ob id Durand. in 3. sentent. distin. 39. q. 4. dicit se non videre quomodo contrahens sub conditione impossibili præsumatur contraxisse, & ideo relinquit peritioribus iudicandum. Et quod mirum mihi est, D. Thom. nec dist. præsenti, nec 27. quæst. 2. de sponsalibus, de ista conditione impossibili meminit. Quare intellexisse videtur nullam difficultatem hic re penitius inspecta latitare. Et quod etiam notandum est, Pontifex non subiecit exemplum de illa conditione impossibili, si cælum digito attigeris, aut de alijs huius generis. Sed doctores e iure ciuili legibus citatis & alijs eadem exempla acce sunt.

Durandus.

D. Thom.

Nota.

Mon

Intellectus ca. fi. Primum assertum.

Mens ergo Pontificis Maximi (si punctum forsan attigerim) per hæc asserta explicatur. Primum, supponatur quod in conscientia ad consensum intrinsecum spectandum est: nam si fuerit verè de præsenti, matrimonium facit: si verò de futuro, sponsalia: sin minus, neutrum. At quantum ad præsumptionem Ecclesiæ hoc maximè notandum est, quod ex conditione impossibili Ecclesia non contendit sufficiens sumere præsumptionis indicium, sed aliunde. Et multò minus intendit conditionem huiusmodi aliquid variare circa matrimonium aut sponsalia: id. n. illa particula sonat, habeatur pro non adiecta. Hoc ergo duntaxat sapienter Papa definiuit, quòd vbi per alias coniecturas præsumitur adfuisse consensum vel de præsenti, vel de futuro, perinde pronuncietur illud fuisse matrimonium, aut sponsalia, acsi nulla fuisset adiecta conditio, id est, neuter coniugum teneatur illam implere: quia ad impossibile nemo obligatur. Quamuis nonnunquam etiam ex natura ipsius impossibilis conditionis fiat præsumptio, qualis fuerit ipse consensus. Neque verò hoc, quod conditio impossibilis habeatur pro non adiecta, est singulare matrimonio: nam & in testamentorum legatis id mos obtinuit, vt habetur. l. Obtinuit. ff. de cond. & demon. & Instit. eo. tit. & Inst. de hæred. instit. §. Impossibilis.

Secundum assertum. Conditio impossibilis duplex.

Secundò ad huius maiorem elucidationem animaduertendum huiusmodi impossibiles conditiones esse in duplici genere: quædam enim sunt ex se & ratione obiecti impossibiles, nihil ad mores aut matrimonium attinentes: quæ ideo nec appositæ tanquam per alterum contrahentium adimplendæ existimantur. vt illa, si cælum digito attigeris, & aliæ in exemplis positæ. Aliæ verò sunt ad mores spectantes, & tanquam adimplendæ positæ, vt si quis diceret pauperculæ mulieri, Contraham tecum si decem millia aureorum mihi in dotem numeraueris.

Exempla.

Ad propositum ergo vt descendamus, si quis in iudicium delatus fateatur se consensisse sub illa conditione impossibili, de qua disceptabatur, an esset vera. s. si luna non est in infimo orbe, aut si viuit vita animali, profectò non est præsumendus matrimonium contraxisse, sed disputanti mulierculæ illusisse. Si autem confiteatur dixisse, Contrahò tecum si cælum digito tetigeris, perpendendum aliunde est, verum ne habuerit consensum: nempe quia per alia verba aut facta illud conijcitur, & tunc præsumetur ioco conditionem adiecisse, atque adeo matrimonium manere solidum. Et eodem modo si concijciatur adiecisse conditionem per fraudem, vt si pollicebatur quis puellæ matrimonium, si secum in rem veneream consentiret: sed vt illam deciperet, adiecit, si cælum digito tetigeris, profectò tunc ad repellendam fraudem meritò compelletur in matrimonio perdurare. At verò si ex coniecturis perpendatur, aut ioco totum dixisse, Contraho tecum si cælum tetigeris, aut tanquam vnum impossibile, profectò non est cur magis præsumatur matrimonium contraxisse, quàm si dixisset, si Angelus fueris, quod est contra substantiam matrimonij: aut quàm si in alijs contractibus dixisset, si tu mihi oculos, quos euulsos habeo, restitueris, dabo tibi centum millia aureorum, aut si cælum attigeris.

Iudicium in moralibus conditionibus.

Per hæc iudicandum in alijs moralibus conditionibus, si puella, quæ pauper videtur, dicat se habere decem aut viginti millia ducatorum, & iuuenis dicat, Contraho vel contraham tecum si tantum mihi dederis, & non aliàs. Aut si mentita diceret, se frui maximo apud regem fauore, & iuuenis ei responderet, Contraham tecum si mihi feceris donari illustre castrum, aut marchionatum. Quamuis istæ conditiones sint illi puellæ impossibiles, tamen quia poterant, neque prorsus absque prudentia, credi possibiles, profectò non sunt habendæ tanquam non adiectæ, imò faciunt contractum pendulum: & ideo si non adimplentur, non obligant. Si verò esset alchimica mulier, quæ diceret, se scire verum aurum cõflare ex cupro, & alius dicat, Contraho tecum si hoc cuprum fuerit à te in aurum versum, re vera illa cõditio sic erat impossibilis vt nisi ab ignarissimo homine non posset credi possibilis, & ideo tunc ad alias coniecturas recurrendum est vt iudicetur interfuerit ne consensus, nec ne, vt reputetur illud matrimonium. Per hæc exempla quisque poterit de alijs iudicare.

De alchimica.

Intellectus ca. fi. circa conditionem impossibilē.

Et in summa nos nihil aliud constituere volumus, quàm quòd sensus Pontificis de conditione impossibili habenda pro non adiecta, non sit quòd eo ipso sit iudicandum verum esse matrimonium aut sponsalia: sed intentio eius fuit nudare contractum ea conditione, vt si vel ex ipsa vel aliunde præsumatur habuisse verum consensum, matrimonium habeatur pro rato, & illa conditio neutrum obliget contrahentium. Hoc enim sonat, habeatur pro non adiecta, hoc est, perinde ac si apposita non esset, de sponsalibus aut matrimonio iudicetur: nam idem est sensus de conditione turpi, quę non est contra substantiam matrimonij. Sensum enim hunc clarissimum ficta doctorum mysteria in angustias perplexitatis coniecerunt.

Solut. 1. arg.

Argumenta ergo per hæc facilè soluuntur. Qui enim contraxit sub conditione, si cælum digito attigeris: nec præsumendus est contraxisse, neque verò non contraxisse, sed aliunde id iudicandum est. Quamuis & ipsa conditio posit præsumptionem facere totum irrisoriè dixisse.

Solut. 2. arg.

Et per hæc ipsa secundum etiam argumentum solutum restat.

Sol. 3. arg.

Ad tertium respondetur, quòd sicut nec contractus ciuiles per impossibilem conditionem nulli fiunt, ita nec matrimonium, vt expositum est, nisi alius consensus præsumatur, quàm qui per conditionem exprimitur. Discrimen autem, quod in fauorem matrimonij subijcitur, eò pertinet, vt si aliunde, & etiam per ipsam conditionem præsumptio fiat veri consensus, conditio ipsa non magis obstet, quàm si non fuisset adiecta: neque verò ad sui impletionem obliget.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnis & sola turpis conditio, qua contraria est matrimonio, ipsum tollat, honesta verò semper obliget.

INTER contingentes conditiones aliæ sunt turpes, aliæ verò honestæ. Et turpium aliquæ sunt contra substantiam matrimonij, vt contraho tecum si adulterium commiseris: atque aliæ impertinentes, vt Contraho tecum si furtum feceris, aut homicidium. Quarum priores matrimonium tollere censentur, posteriores verò haberi pro non adiectis. Arguitur ergo quòd non omnis illa, quæ est prioris generis, tollat matrimonium. Maximè enim illa tolleret, quę in exemplo posita est: si adulterium cõmiseris: illa verò non videtur substantiæ matrimonij contraria: nam ad eius finem & fidem satis est, quòd debitum viro reddat, quoties ab eo fuerit exactum, cui non repugnat, vt quandoque commisceatur alteri: quare habenda esset pro non adiecta, sicut illa si furtum feceris, atque adeò non tollit matrimonium.

Pars negatiua arg. 1.

Secundò arguitur. Si quis alteri dicat, Contraham tecum si mecum concubueris, illa est conditio turpis, quæ non est contra substantiam matrimonij, & tamen videtur matrimonium tollere: ergo non sola illa, quæ est contra substantiam matrimonij, illud tollit. Probatur minor, quia si illud non auferret, maximè quia haberetur pro non adiecta: hoc tamen videtur falsum: nam sæpe homines se sub illa conditione obligant, & non aliter: nempe vt florem puellæ explorent, quæ est honesta conditio: ergo vel contractum suspendit quousque ipsa impleat conditionem, vel quia illam non tenetur implere contractum reddit nullum.

2. Argu.

Tertiò arguitur. Si quis cum aliqua sub ista conditione contrahat, Si es virgo, est honesta conditio: & tamen non videtur obligare: quia est impossibilis: nam corruptæ impossibile est esse virginem: ergo non omnis honesta habenda est pro adiecta & obligatoria.

3. Argu.

In contrarium est prædicta decretalis Gregorij noni cap. fin. de condi. appos. vbi habetur, quòd conditiones, quæ sunt contra substantiam matrimonij, illud tollunt: si verò sunt impertinentes, & turpes vel impossibiles, habentur pro non adiectis & contractus matrimonij manet firmus, vt c. de illis, approbantur conditiones honestæ.

Ad quæstionem tribus facillimis conclusionibus respondetur. Prima. Omnis conditio matrimonio contraria ipsum tollit.

1. Concl.

Secundò

2. Concl. Conclusionum declaratio.

Secunda. Si autem sit impertinens, & turpis vel impossibilis, habetur pro non adiecta. Ambæ sunt assertiones prælegati capit. Et quia tria sunt in matrimonio, scilicet perpetuitas, finis, & fides, cuicunque istorum obijciatur conditio, matrimonium vitiat. Vt si quis dicat, Contraho tecum vsque ad mortem patris mei: nam tunc propter adeptam hæreditatem aliam illustriorem inueniam: hic enim concubinatus potius esset, vt can. Solet. 32. q. 2. ait Aug. quàm matrimonium. Aut, contraho tecum hac lege vt sterilitati des operam, vt nunquàm concipias, aut si adulteriorum lucris domum sustentaueris. Et ratio primæ conclusionis est clara: nam vnumquodque per suum contrarium corrumpitur: cum ergo natura consensus matrimonialis perpetuitatem includat, generationem & fidem, qui sub contrarijs conditionibus ait se consentire, re vera non consentit, imò suis ipse verbis suum perimit extinguitque consensum. Ratio verò secundæ est, quod cum nemo ad id, quod turpe est, obligetur, imò multò minus quàm ad impossibile, vbi conditio turpis consensum matrimonialem non aufert, ille relinquitur solidus, & ipsa fit vana & futilis, nullam vim habens obligandi.

Ratio 1. conclus.

Ratio 2. conclus.

2. Concl. quoad forum exterius intelligenda.

Hanc tamen secundam conclusionem semper intelligito in publico Ecclesiæ foro, vbi proceditur ex præsumptione. Nam si qui dixit, Contraho tecum si mihi ad furandum fueris socia, nullum alium habuit consensum nisi sub tali conditione, neque intellexit se aliter obligare, re vera non fecit matrimonium, quamuis id præsumatur fecisse. Quare vel debet planè postea consentire, vel in alium locum fugere, vbi non compellatur. Si verò affectu maritali postea copulam consummauerit, tunc fiet matrimonium.

In prima autem conclusione generaliter diximus conditionem contra substantiam matrimonij (absque restrictione ad turpes) illud tollere: nam etiam honesta, si contraria est, ipsum impedit secundum opinionem, quæ communis doctorum est & vera, quamuis Palud. aliter sentiat. Est enim dubium, si quidam sub hac conditione & lege contrahant, vt neuter alteri debitum vnquàm reddat, neque se carnaliter cognoscant: vel si dicat vterque alteri, contraho tecum si voto te priùs castitatis sic obstrinxeris, vt nunquàm à me petas, neque mihi debitum reddas, vtrum matrimonium teneat. Apparet enim ex vna parte matrimonium esse validum: quia conditio est honesta, & possent forsan illi verè contrahere solum propter cohabitationem & alias necessitudines domesticas, à re tamen vxoria abhorrentes. Item quia quod contracto matrimonio accidere potest, non est illi contrarium, vt contrahatur: possunt autem coniuges antequàm lecto conueniant, votum castitatis emittere, non obstante matrimonij substantia, vt Maria & Ioseph fecerunt: ergo illa conditio apposita contractui quando fit, non censetur illi contraria, atque adeo nec matrimonium vitiat. Hac ratione Paludanus communitus dist. 30. quæst. 2. opinatur, matrimonium sub illa conditione contractum non vitiari, vbi non prorsus videtur absque vlla probabilitate locutus. Nihilominus contraria opinio est communis, eademque vero similior, censens conditionem illam esse contrariam fini & fidei matrimonij: fini, scilicet generationis: & fidei, sibi inuicem debitum persoluendi. Et ita ait Adrian. in tract. de sponsalib. quæstio. 9. Imò & D. Tho. d. 28 artic. 4. ad 3. dicit, quod si mulier dicat viro, Consentio in te, vt non cognoscas me, non est consensus matrimonialis: quia illa conditio non solùm actui, verùm & potestati contrariatur carnalis copulæ. Et Ricardus ead. dist. art. 2. q. 4. idem ait, nempe quòd per talem conditionem nunquam reddendi debitum, non solùm excluditur carnalis copula, verùm translatio corporum in alterius potestatem contra vinculum coniugale. Quibus adstipulatur Bonauentura eadem 28. distinct. quæst. vltima. Imò verò si tenorem citati capit. fin. de condit. appoſit. inſpicias, consultò Pontifex dixit conditiones contra substantiam coniugij ipsum priuare suo effectu, non restringendo ad turpes: quoniam & honestæ possunt esse contrariæ. Adde, quòd si conditio illa, si sterilitatem procuraueris, censetur matrimonio contraria: eadem ratione matrimonio aduersatur & hæc, si nullo nos vnquam amplexu inuicem coniungamus. Videtur enim illi naturæ matrimonij contraria, per quod fiunt duo in carne vna.

Conditio nunquàm reddendi debitum.

Pars affir.

2. Argum.

Pars neg.

Conditio, si sterilitatem procuraueris.

Verum est tamen fautores alterius opinionis dicere posse, quòd si mulier sic contraheret, Contraho tecum, non tamen tradendo tibi potestatem mei corporis, aut ius vllum in meum corpus, non esset matrimonium: quia hoc est contrarium substantiæ eius. Sed si dicat, Contraho tecum tradendo facultatem mei corporis tibi, hac tamen lege, vt iuri tuo per votum castitatis renuncies, non esset contra substantiam, nam potest quisque sicut post, ita & ante renunciare iuri suo. Nihilominus quia facultas est propter vsum, consonantius rationi est, vt qui alterum priuat vsu, non ei simpliciter facultatem conferat.

Defensio alterius opin.

Sententia Author.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod licet conditio sit honesta, est tamen substantiæ matrimonij aduersa: quia matrimonium non est vinculum cohabitationis cuiuscunque, sed vtendi se inuicem.

Sol. 1. arg. alterius opinionis.

Ad secundum respondetur, quòd licet illud votum possit emitti post matrimonium contractum, translata scilicet potestate vnius in alterum: quia possunt se sua sponte priuare vsu matrimonij, nihilominus idem votum est contrarium pactioni contractus dum fit, si talis conditio exprimatur. Et ideo si beata Virgo illam Ioseph in contractu matrimonij expressisset, non fuisset matrimonium verum: consensit enim explicitè in matrimonium, sed implicitè in copulam, vt supra diximus, & dist. proxima repetemus.

Sol. 2. arg.

Matrimonium beatæ Virginis.

Tertia conclusio. Conditio honesta de futuro, quæ non est substantiæ matrimonij contraria, suspendit contractum, hoc est, facit illum obligatorium sub illa conditione, & non aliter. Vt si quis dicat, Contraho tecum si hanc aut illam mihi dotem numeraueris, aut si pater consenserit. Decreta sunt Alexandri cap. De illis, & Vrbani cap. Super eo, & Innocentij cap. Per tuas, de conditionibus appositis. Et ratio est, quia consensus non aliter est iudicandus, quàm exprimitur: cum ergo sub conditione exprimatur, non obligat nisi sub illa: id quod omnibus etiam cõtractibus ciuilibus est commune. Dixerim, conditio de futuro: nam si est de præsenti & adimpleta, contractum non suspendit. Sed si est de futuro, quamuis addatur verbis de præsenti, perinde eum suspendit ac si adderetur verbis de futuro. Quare contractus nunquam erit nisi sponsaliorum. Hæc enim omnia artic. 1. explicata sunt.

3. Concl.

Ratio conclusionis.

Condstio de futuro.

Rogas autem. Quid si postquam filius contraxit sub illa conditione, si pater consenserit, pater priùs dissentiat, & postea consentiat, aut vice versa? Facilè respondetur, standum esse priori eius voluntati. Si enim prius consenserit, satis est ad confirmandum sponsalia, licet postea dissenserit. Et si priùs dissenserit, satis est ad illa dirimenda, licet postea consenserit, nisi nouus deinceps adhibeatur sponsorum consensus.

Circa conditionem. Si pater consenserit.

Sed rursus sciendum, quòd si post huiusmodi conditionales contractus sponsi consumment copulam, tunc perficitur matrimonium, licet non impleatur conditio: quia per illam consummationem videntur à conditione discessisse. Casus est prædictorum cap. De illis, & Per tuas, vbi mulier quæ contraxerat dicens, Si pater consenserit, quia ante dissensum patris commista est viro, compulsa est manere: secus si non conuenissent nisi post dissensum patris: nam tunc iam essent dirempta sponsalia. Intelligitur autem capitulum, matrimonium esse tunc præsumptum in foro Ecclesiæ: nam in foro conscientiæ, si qui sub conditione contraxerat, non accedit affectu maritali, sed fornicario, non discedit à conditione, nec perficit matrimonium. Et idem est de dotis conditione in cap. De illis.

Copula subsequens conditionales contractus.

Nota.

Contra hoc autem est argumentum: nam quàm sæpissimè sponsi ante solutam dotem congrediuntur: ergo tunc puella esset à dotis solutione absoluta. Sed respondetur, quòd hoc ferè semper fieri solet post consensum de præsenti. Et quamuis sit de futuro, & per copulam fiat de præsenti, nihilominus mulier manet obligata per publica instrumenta, quæ viam suam obtinent, & quanquam nulla essent instrumenta, verbalis promissio eam obligat, neque vir matrimonium consummat, nisi intelligens eam manere obligatam, nisi sponsus illam absoluat.

Argument. circa dotem.

Solutio.

Dubium autem ex his oritur non facile, vtrùm si quis sponsalia cum puella contraxerit sub illa conditione si fueris virgo, illa conditio vim habeat suspendendi contractum, vt aliter non obliget, quàm conditione impleta. Cùm enim sit honesta, obligatoria videtur: Hostiensis existimat, illam haberi pro non adiecta, si inueniatur corrupta, eo quòd sit impossibilis; dicente Hieronymo, Non potest Deus suscitare virginem

Conditio, si fueris virgo.

Opin. Hostis.

Digitized by Google

ginem post ruinam, id est, facere vt sit virgo. At verò sententia hæc bene videtur non esse philosophi: neque vllius est probabilitatis, vt bene ait Adrian. de sponsali. q. 6. Nam conditio impossibilis, quæ habetur pro non adiecta, intelligitur illa, quæ genere suo ex obiecto est impossibilis, non tamen illa, quæ in se possibilis est, sed per accidens, quia ad præteritum non est potentia, facta est impossibilis. Si n. nunc quis mulieri donaret centum ea conditione, si non fuerit fornicata, & non aliter, certè si esset fornicata, non posset in conscientia donationem recipere. Sic enim ciuiliter & moraliter illud putatur possibile quod esse solet: licet per accidens sit factum impossibile.

Arg. Hosti.

Sed aliter nihilominus ipse Hostien. arguit, quòd habenda sit pro non adiecta, & contractus maneat purus, ex l. Alioqui. ff. de contrahen. emptione. vbi habetur, quòd si quis emit corruptam putans esse virginem, emptio tenet: quia error non contingit in sexu, sed in qualitate. Et idem habetur 29. q. 1. §. ad hoc, & §. Item, quòd si quis duxit corruptam putans esse virginem, matrimonium tenet.

Duplex sensus illius conditionis.

His nihilominus non obstantibus notandum, quòd dupliciter potest apponi ista conditio. Vno modo turpiter, id est, contraho tecum si tecum congressus te inuenero virginem. Alio modo honestè, id est, si modò fueris virgo, quod potest explorari per matronas. Et isto secundo modo crediderim conditionem esse obligatoriam: & ideo nisi conditio sit impleta, matrimonium non tenet. Sententia fuit ante nos Paludani præsente distinct. q. 2. art. 5. con. 4. & Adriani dubio 6. de sponsalibus. Et ratio mea est, quia conditio est honestissima. Et sunt qui copiosissima etiam dote numerata non contraherent cum corrupta. Imò possent voto se vel iureiurando obstrinxisse non ducere corruptam: & ideo si illa ipsum de hac re deciperet, maximam ei iniuriam irrogaret. Quin verò addiderim, quòd licet contraherent sponsalia per conditionem de futuro, si te in toro incorruptam inuenero, & tunc accederet ad illam non animo maritali, sed fornicario ad explorandam veritatem, non teneretur in conscientia sponsaliorum contractui stare: quia conditio non fertur super turpem actum coëundi, sed super honestam virginitatis qualitatem. Et hoc doctores deberent animaduertere antequam dicerent, conditionem, si te inuenero virginem, esse turpem: nam potest res indagari alia via quàm per turpitudinem. Quare de per se conditio non est turpis. Sed accidit postea vt per turpem congressum deprehendatur non esse virgo. Fateor quidem quòd in foro Ecclesiæ illud haberetur pro matrimonio: quia præsumeretur ille à conditione discessisse, secundum distinct. cap. Per tuas, & illud consummasse. Sed secus est in conscientia.

Honesta obligat.

Ratio.

Si deprehendatur non esse virgo.

Ad illud igitur argumentum Hosti. quod ex illis textibus induxit, respondetur, quòd debuisset animaduertere quàm longè error à conditione distet. Error enim est in intellectu qui non apponitur contractui: & ideo, vt dist. proxima visuri sumus, si non sit de substantia, sed de qualitate personæ, matrimonium non vitiat. Quare sicut contrahens cum aliqua putans patri suo placere, quamuis displiceat, verè contrahit: ita si quis contrahat cum muliere, quam putat esse virginem, licet sit corrupta, veluti si putasset esse pulchram, & esset fœdissima. At verò sicut dum quis contrahit sub conditione, si patri placuerit, matrimonium non tenet nisi per impletionem conditionis purificetur: ita si sub conditione virginitatis contrahat, non erit purum & validum nisi sit virgo.

Conditio, si mecum concubueris.

Subsequitur autem de conditione turpi. Contraho tecum si mecum concubueris. Nihil enim refert, postquam conditio iam est turpis, si addiderit, causa explorandæ virginitatis, aut libidinis explendæ. Et quidem doctores Canonistæ non disputant sit ne contractus validus, quia hoc non dubitaui, sed vtrùm sit statim matrimonium, eo quòd conditio habetur pro non adiecta, vel sit tantùm contractus purus sponsaliorum.

Censent enim, vt Adrianus dub. 8. de matrimonio refert, esse pura sponsalia ac si non esset apposita conditio. Nam si intelligatur de fornicario coitu, habetur pro non adiecta, vt probatum est. Si verò de legitimo coniugali, multò fortiùs sunt pura sponsalia: quia conditio illa est necessaria, id est, ex natura matrimonij extitura. Quare neutro modo illa sponsalia sunt in futurum pendentia, sed illico sunt absoluta, & per subsequentem copulam fiunt matrimonium. Sententia est glossæ cap. 1. de sponsa duorum, & quidem vera. Hæc autem semper intelligenda sunt in foro contentioso, quod procedit ex præsumptione: & quando ex alijs coniecturis intelligitur voluisse contrahere sponsalia, vt diximus de conditione impossibili: nam in conscientia si ille non habuit intentionem vllum faciendi matrimonialem contractum, sed potiundi puella, eamque fallendi, contractus ipse nullus est. Quin verò si erat lata disparitas, quia ipse erat illustris, & fœmina pauper, non est cur præsumantur sponsalia, imò quòd ille tantùm volebat Veneri satisfacere. Conditio enim turpis ob id iudicatur non adiecta, quia nihil mutat de natura contractus. Quare aliunde sumenda est præsumptio. Imò ex hac, si mecum coieris, potiùs sumitur coniectura quòd non habuerit contrahendi animum, sed potiùs puellam seducendi. Item neque si conditio intelligebatur consummandi copulam maritalem, idcirco sequitur contractum illum fuisse purum sponsaliorum: præsertim si additum esset, si statim mecum in coitum consenseris: nam legitimæ sponsæ etiam de præsenti inducíæ dantur duorum mensium ad consummandum copulam, vt cap. Ex publico. de conuers. coniugat. Et ideo sponsus potuit deducere in pactum, vt illa renunciaret illi iuri suo, atque adeo sponsalia erant pendentia: itaque si illa statim non implet conditionem, ille non manet obligatus. Igitur si huiusmodi contractus superueniente copula iudicantur ab Ecclesia vera matrimonia, causa est quia præsumuntur tunc sponsi ab illa conditione discessisse secundùm iura supra citata. De illis, & Per tuas.

In foro contentioso.

Conditio turpis quare iudicatur pro non adiecta.

Inducia duorum mensium.

Tandem, quod de virginitatis conditione diximus, quando honestè apponitur, scilicet quòd suspendit contractum, de alijs etiam honestis conditionibus quodammodo ad perpetuitatem matrimonij pertinentibus, & ad amorem inter coniuges conglutinandum, censendum est. Nempe si quis contraxit cum aliqua, quam non vidit, sub illa conditione si non fuerit cæca, aut muta, aut cocles, aut leprosa, vel aliqua insigni turpitudine deformata, profectò si secus sit, matrimonium non tenet, etiam si fiat per verbum de præsenti, Contraho. Et par ius est de sponsa respectu sponsi. Quare eadem est ratio si dixerit, Nubo tali si hanc aut illam doctus est artem ad alendam vitam, aut si est ingenuus vel ingenua, aut alia similia. Nam etsi conditiones illæ iure expressæ, si pater consenserit, aut si dotem dederis, propinquiùs ad naturam matrimonij spectent, & ideo iure admittantur, nihilominus istæ sunt etiam conditiones tum honestæ, tum ad perpetuitatem cohabitationis, & generandi permultum referentes: & ideo nulla est causa cur non pariter eodem iure approbentur tanquàm necessariò implendæ. Secus si essent conditiones ad matrimonij finem minùs referentes. Si enim quis contraheret cum aliqua absente hac conditione, si esset pulchra, aut bene morigerata, quia istæ qualitates recipiunt magis & minus, non sunt in foro Ecclesiæ admittendæ tanquàm matrimonium vitiantes, maximè si de præsenti fuerit contractum: quia de sponsalibus non tantum imminet periculi si dissoluantur. At prudentia est priùs per inquisitionem illas deprehendere, quæ prudentia si defuerit, sponso imputetur. Imò verò dum contrahitur matrimonium de præsenti, nunquam est contrahendum cum conditione de præsenti, præter illam forsan, si pater consenserit: nam multi inde scrupuli oborirentur, qui conscientiam pungerent. Semper autem illud mente obseruetur quod diximus de foro conscientiæ, in quo sub quacunque futura conditione consensus exprimatur, nunquam facit matrimonium quousque consensus sit de præsenti. Imò neque eius impletio sat est, quousque talis habeatur consensus.

Conditiones honestæ suspendunt matrimonium. Exemplum.

Per conditiones iure expressas alias admouemur.

Conditio si est pulchra.

De hac autem negatiua contrahendi forma, Non aliam nisi te ducam, & similibus, nimium inter doctores nonnullos sit contentionis, vt est videre apud Paludanum dist. 27. quæst. 1. & apud Adrian. dubio 12. de matrimonio, vbi multos iuris peritos allegat. Sed res non est tanta disceptatione digna. Statuenda enim est hic regula, quòd nunquàm per puram negationem contractus matrimonij vel sponsaliorum vim obtinet, sed per affirmationem explicitam vel implicitam, eo quòd ad matrimonium requiritur consensus. Hoc supposito aliquæ sunt formæ manifestæ, & aliquæ an-

Non aliam nisi te ducam. Palud. Regula.

cipites

cipites. Certum enim est per hanc orationem, Nunquam aliam à te vxorem ducam, nullum contractum fieri, neque obligationem oriri ducendi hanc: quoniam est mera negatio. Per oppositum, certum est per hanc orationem, Non aliam, sed te ducam, fieri sponsaliorum contractum: quia, sed te, exceptio est affirmatoria ducendi illam. Eadem ratione si dicas, Nullam mulierem ducam præter te: nam secundum dialecticos sensus est, non aliam ducam, & ducam te. Hæc autem oratio, Nullam mulierem ducam, nisi te, æquiuoca censetur: nam potest facere sensum exceptiuum, vt idem sit quod præter te, qui ideo obligationem parit contrahendi. Sed nescio quid mysterij comminiscitur hic Adrianus de nomine, alia, nempe vt qui dixerit, non ducam mulierem nisi te, obligetur illam ducere ratione iam dicta. Sed si dicat, non ducam aliam mulierem nisi te, non obligetur propter falsitatem secundæ exponentis. Exponitur enim, inquit, sic, Non ducam aliam mulierem à te: & tu es alia mulier à te, & ducam te. Sed profecto commentitia est illa secunda exponens: satis enim est veram esse, tu es mulier. Quare idem est, Non ducam aliam nisi te, & non ducam mulierem nisi te.

Potest etiam, nisi, facere sensum conditionalem, vt idem sit, quod si non duxero te, nullam ducam. Et hæc certè mera negatiua est. Et ideo quando ponitur nisi, consulenda est in foro conscientiæ intentio contrahentis qualem habuerit. Et in foro contentioso aliunde est exploranda. Idem est de particula, quàm, vt nullam quàm te ducam, aut non contraham cum alia quàm tecum: potest enim facere sensum exceptiuum, & plurimùm conditionalem. Quare si quis dicat, Non vendam meas ædes alij quàm tibi, non obligatur vendere illi. Imò forsan facit hunc sensum, Non contraham cum alia à te, quæ mera negatiua est. In huiusmodi autem ambiguitatibus si communis verborum intelligentia non liquet, iuxta tenorem cap. Ex literis. el. 1. de sponsalibus tunc ex causis & appendicibus veritas indaganda est, vt ait Hilarius, ca. Intelligentia. de reg. iur.

Primo argumento in capite posito adducitur Angelus in summa, vt neget conditionem illam, si adulterium commiseris, obstare fini matrimonij, nisi addatur, & mihi debitum non solueris. Haud tamen satis inspexit coniugalem fidem vtrumque includere: scilicet & coniugi debitum reddere, & cum nullo alio commiscri. Vtrumque enim ambit admonitio Pauli, Vir non habet potestatem corporis sui, sed vxor, neque vxor sui, sed vir. Et ideo illa sola conditio, si adulterium commiseris, aduersa est fidei matrimonij, atque adeò illud tollit.

Ad secundum, de illa conditione, si mecum concubueris, satis dictum est, & sub compendio dicitur, quòd si quis non habuit consensum nisi sub illa conditione, in conscientia non fit matrimonium nec sponsalia. Imò verò in foro exteriori si non esset alia coniectura ad præsumendum consensum, profectò illa conditio potius admonet nullum fuisse consensum contrahendi, sed decipiendi. Quare sensus canonis, quòd illa est habenda pro non adiecta, non est, quòd per illam iudicandum sit fuisse matrimonium, sed quòd illa secluſa ac si non fuisset posita, aliunde præsumatur præcessisse consensum, habeatur pro non adiecta, id est, iudicetur contractus sponsaliorum purus & validus ante impletionem conditionis, vtpote quam sponsa non tenetur adimplere nisi ad consummandum matrimonium.

Ad tertium denique iam responsum est contra Hostiensem, illam conditionem non censeri impossibilem in moralibus, imò est honesta & contingens, atque adeò si honestè apponatur, vt dictum est, contractum suspendit, & purificari debet.

* *
*

Nunquam aliam vxorem à te ducam.
Non aliam, sed te ducam.
Nullam præter te ducam.
Nisi te.
Author.
Nisi, potest facere sensum conditionalem.
Nullam quam te ducam.
Nota regulam.
Sol. 1. arg.
Sol. 2. arg.
Intellectus c. fin. de condit. apposi.
Sol. 3. arg.

DISTINCTIO TRIGESIMA,

DE ERRORE, DEQVE NVPTIIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

Textus. Cap. 1.

SVEMADMODVM metus, sic & error libertatem voluntatis auersatur. Ob idque ille, qui substantiæ matrimonij est aduersus, illud vitiat: vtpote error aut personæ, aut conditionis seruilis. Qui enim arbitratus sibi Mariam copulare, seductus se Annæ coniunxit: quia in Annam minimè consensit, nullum contraxit matrimonium. Iacob enim per concubitum cum Lya, quam arbitrabatur esse Rachelem, nisi postmodum in Lyam denuo consensisset, nullum vtique matrimonium contraxisset. Neque verò liber homò, qui contraheris cum ancilla, quam putabat esse liberam, lege se coniugij obligauit: eo quod vt personæ, sic & earum libera conditio ad essentiam matrimonij attinear: quippe quo inuicem sibi cohabitare seruireque, & vt ait Paul. mutuò placere obstringuntur: quibus persoluendis officijs seruitus illius, qui sui iuris non est, è diametro aduersatur.

Error autem seu qualitatis, seu fortunæ, vtpote quæ ad essentiam matrimonij minimè spectant, eius vinculum nequaquam tollit. Sic nos sancti patres sacris canonibus. 29. causa. instructos curarunt. *29. quæst. 1.* Ad hæc demum, vt inter causas nuptiarum de fine etiam hoc verbum dicamus, duplex huiusmodi finis est. Vnus scilicet aut duo ipsi sacramento per se innati, vt generatio, iuxta illud Genes. 1 Crescite & multiplicamini: & remedium temperandæ libidinis, iuxta illud Pauli, Propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem suam: *1. Cor. 7.* qui quidem fines, ceu à Deo ipso sacramenti institutore profecti semper boni sunt. Alij verò sunt accidentarij à voluntate contrahentium dimanantes: qui si citra culpæ turpitudinem adhæreſcant, neque actionem vitiant, neque sacramentum, vt dum Iacob Rachelis pulchritudine allectus illam sibi in vxorem optauit. Quinimò possunt & honestissimi esse, vt pacis amicitiarumque reconciliatio. Si verò vitium præ se ferant, vt qui ob turpes causas matrimonialia fœdera componunt, sic actionem deturpant, vt tamen non ideo sacramentum ipsum, quatenus Dei munus est, vllo pacto sordeſcat. Imò verò quocunque fine matrimonium fiat, dummodò intentio Christi & Ecclesiæ seruetur, validum est & solidum.

Quò autem tractatus hic *Cap. 3.* usarum, quibus matrimonium coniungitur, pro dignitate concludatur, addamus oportet de Mariæ & Ioseph coniugio. Ambos, vt contra Faustum autor est Aug. quantum credi potest apud se *Lib. 4. cap. 8. & 9.*

disposuisse virginitatem seruare, nisi Deus aliter iuberet: quam tamen voluntatem in consensu matrimoniali minimè expresserunt. Id quod in lib de nuptijs & concupiscentia de beata Virgine repetit. Si enim sub conditione, nunquam se inuicem cognoscendi, contraxissent, nequaquam eorum matrimonium fuisset solidum: vtpote quòd conditio eorum contractui repugnaret. At verò neque expressè eadem virgo, sed implicitè in copulam consensit: nam eiusmodi expressus consensus perpetuæ virginitati animi & corporis aduersatur. Quam vtique virginitatem, cùm certior esset maritum à se rem vxoriam nũquam petiturum, integerrimam custodiuit.

27.q.2. can. Beata Maria.

Cap. 4.

Quo fit, vt eorum matrimonium fuerit perfectissimum, non quidem consummatione aut significatione: quandoquidem nulla corporum commistio intercesserit, quæ corpoream humanitatis vnionem Christi significat, at sanctitate. Sanctiora namque, vti idem ad Eluidiam ait August. sunt coniugia pari voto continentium, quam rei vxoriæ vacantium. Omne denique nuptiarum bonum, vt eod. li. de nuptijs idem sanctus pater docuit, impletum est in illis parentibus Christi: fides, proles, & sacramentum. Prolem siquidem cognoscimus ipsum Dominum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato: sine qua concipi voluit, qui sine peccato futurus erat.

Aug. lib. de nupt. c. 11.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ

Quæstio prima.

DE ERRORE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm error matrimonium impediat.

Partis neg. 1 Arg.

QVEMADMODVM vis & metus, ita ignorantia voluntario obstat: & ideo post vim & metum sequitur in hac distinct. vt de errore dicamus. Arguitur ergo quòd error matrimonium non vitiet. Si error aliquis illud impediret, maximè error (vt aiunt) vel personæ, vel conditionis: sed quòd error personæ matrimonium non tollat, arguitur. Eadem est sacramentorum omnium ratio: nam omnia debent per cognitionem administrari: si quis autem putans se baptizare vel confirmare Petrum, baptizaret Paulum, esset verum sacramentum: ergo pariter si quis putans contrahere cum Maria, contraheret cum Anna. Et confirmatur. Iacob, licet per errorem contrahere crederet cum Rachele, vt legitur Genes. 29. verè contraxit cum Lya: ergò error personæ non impedit.

Confirmatio arg.

2. Argum.

Secundò. Sicut conditio seruitutis est accidens personæ: ita & aliæ qualitates corporis & animi: ergo sicut error circa libertatem impedit, ita & error circa alias qualitates & fortunas, vt virginitatis, nobilitatis, aut diuitiarum, &c. quòd tamen iura negant. Et confirmatur. Id quod alicui ex natura sua conuenit, in toto suo ambitu conuenit: errori autem ex natura sua conuenit impedire matrimonium; ergo circa quamcunque qualitatem aut conditionem errare contingat, nullum erit.

Confirmatio arg.

Tertiò. Alia sunt iuris impedimenta, vt infra dicemus, quibus matrimonium fit nullum, vt disparitas cultus: scilicet Christiani cum infideli, & impotentia coeundi, solenne votum, &c. ergo istorum error potius debuit inter impedientes connumerari, quàm error circa libertatem.

3. Argum.

In contrarium est illud verbum ciuilis iuris. Quid tam contrarium est consensui quàm error? l. Si per errorem ff. de iurisdi. omn. iudi. & illud 3 Ethico. Aristotelis, quòd ignorantia tollit voluntarium: quippe quod secundum Gregorium Nicenum & Damascenum, est illud, cuius principium est in aliquo sciente omnia singularia, in quibus est actus.

Pars affir.

Ad dissoluendam præsentem quæstionem primò notandum de erroris nomine, quod posset cuipiam apparere, dicendum esse ignorantiam potius impedire matrimonium quàm errorem. Ignorantia quippe de se nullam ponit cognitionem, quæ idcirco dicitur puræ negationis: error verò, qui dicit ignorantiam prauæ dispositionis, ponit iudicium falsum. Error namque, vt ait Aug. in Enchiridio c. 13. est approbare falsa pro veris: Omnis autem ignorantia, etiam circa errorem, tollit voluntariũ: ergo nó tantũ error, sed ignorantia in genere debuit poni tãquam impedimentũ. Ad hoc autẽ dicimus, quod quantum ad impedimentum matrimonij non differt, vtrũm dicatur ignorantia vel error: attamen cùm matrimonium nunquam nisi per aliquod iudicium contrahatur, necesse est, vt si illic ignorantia lateat, error subinde nascatur, quo vnum pro alio iudicatur: quoniam consensus in id non dirigitur, quòd prorsus ignotum est. l. Cùm ab eo. 5. Massam ff de contra. emptio. Quocirca quia error, id est, iudiciũ falsum, est tunc causa proxima contractus, congruentius dicitur error, quàm ignorantia. Vnde bene aiunt doctores, quod omnino ea ignorantia circa personam non permittit, vt sit propriè error personæ: sed illa quæ aliquam æstimationem personæ aut conditionis præsupponit. Quæ enim nunquam audiuit regem habere filium, non potest errare in persona nubendo alicui putans esse filium regis. Mox animaduertendum, errorem circa matrimonium quadruplicis esse generis, scilicet personæ, conditionis nempe seruitutis, & qualitatis, ac fortunæ.

Deciſ. art.

Ignorantia.

Error. Aug. definitio.

Sententia auctoris.

Error grauius quàm ignorantia.

Solutio ergo quæstionis tribus conclusionibus continetur. Prima. Error personæ impedit matrimonium. Vt si quis putans se contrahere cum Maria, contrahat cum Anna. Decretum est iuris 29. q. 1. Et idem est in alijs contractibus ciuilibus. Si n. credens se emere mancipium masculum emat fœminam, contractus non tenet, vt ibidem habetur. Quemadmodum si ementi aurum supponeretur loco eius aurichalcum, aut pro vino acetum l. In venditionibus ff de contrahen. emptio. Quòd si arguas. Cùm pro aureo ducato datur pondus argenti, vel alius metalli tantundem valens, commutatio est legitima: ergo si qua nubat vni viro tantæ æstimationis, quantæ erat ille, quem putabat sibi præsentari. Negatur consequentia, quia pecunia, imò & res quæ commutantur, pretio æstimantur, quod quidem potissimum est in contractu. Et ideo argentum pro auro, si eiusdem valoris est, non vitiat contractum. Consensus autem matrimonij fertur in hanc personam propter se, & ideo non est simile. Ratio ergo conclusionis est, quam impræsentiarum D. Tho adducit. Quicquid tollit causam, tollit effectum: consensus autem matrimonij est causa ipsius & error tollit consensum: quia consensus ex errore profectus non est liber: voluntatis quippe libertas cognitionem intellectus supponit: illa ergo sublata nullum est voluntarium aut liberum, iuxta illud, Errantis voluntas nulla est. l. Cum testamentum. C. de iuris & facti ignoran. Enimuerò qui putat se consentire in Petrum, nullatenus consentit in Paulum. Vt enim autor est August. 10. de ciuit. ca. 1 Non possunt amari neque eligi nisi cognita, & vinculum matrimonij absque amore & voluntatis electione non potest esse perpetuum. Vnde optimè concludit S. Thom quod error non solum matrimonium euacuat, verùm & id iure naturali ei competit ac perinde diuino.

1. Concl.

Ratio S. Tho.

Secunda conclusio. Error conditionis, nempe seruitutis, impedit matrimonium. Conclusio est iuris, vt patet de coniugio seruorum, cap. Proposuit, & reliquis. & 29. q. 2. can. Si quis. 1. & 3. & can. Si fœmina, &c. Et rationem conclusionis subdit eleganter D. Thom. Error enim ea ratione tollit matrimonium, qua excu-

2 Concl.

Ratio S. Th.

saret

sarer actum à culpa: est enim culpa hominem in causa matrimoniali decipere: error autem non excusat actum à culpa nisi sit illius circunstantiæ & qualitatis, quæ apposita differentiam facit illiciti & liciti. Verbi gratia, si quis percutiat patrem in capite gladio, arbitratus se non nisi fulte scapulas attingere, licet minuatur culpa, non tamen prorsus excusatur: quia ignorare instrumentum, quo, aut membrum, quod percutiebat, non purgabat rationem illiciti: quandoquidem sciebat patrem ferire, quod erat impium. Sed si credens alapa filium correctionis gratia percutere, percuteret patrem, error tolleret culpam: quia ignoratur circunstantia patris. Pari ratione error, qui matrimonium impedit, non debet esse qualiscunque, sed ille, quo ignoratur aliquid, quod ad essentiam pertinet matrimonij.

Duo essentialia matrimonij.

Duo autem sunt huiusmodi essentialia, scilicet & personæ, quæ coniunguntur: nam ipsæ sunt, quæ contractum & sacramentum perficiunt; & ceu proprium subiectum illud suscipiunt. Præterea mutua potestas & facultas, quæ inter eos debet esse cohabitandi, sibi que inuicem ad nutum persoluendi debitum. Primum autem auferrur per errorem personæ, & secundum per errorem conditionis. Qui enim alterius seruus est, non est sui iuris, vt possit cum coniuge cohabitare, & quærere, vt ait Paulus, quomodo ei placeat.

Plenaria tamen conclusionis huius intelligentia vsq; ad distinctionem trigesimamquintam, vbi de coniugio seruorum habenda est disputatio, expectanda est. Quapropter ne materiam, quæ simul luculentiùs tractabitur, discerpamus, nihil illius hic præposterè ponemus, sed illuc vsque totam reponamus oportet.

3. Concl.

Tertia conclusio. Error qualitatis aut fortunæ matrimonio contrahendo non obstat. Decretum est supra citatorum canonum. Error qualitatis est, dum quis contrahit cum corrupta, putans esse virginem: aut cum inhonesta putans esse honestam.

Error fortunæ.

Error fortunæ est, cùm quis contrahit cum paupere, putans contrahere cum diuite. Contractus autem cum ignobili aut rustica, quæ putatur esse ingenua & nobilis, inter errores qualitatis statuitur. Ratio conclusionis huius est superiori contraria: nam hæc omnia extra essentiam sunt matrimonij. Vnde quamuis si in conditionem ducerentur, pendentem facerent contractum, impleriqúe adeò indigerent: tamen dum per modum conditionis non apponuntur, illum non vitiant. Præsertim dum matrimonium de præsenti contrahitur: nam si essent sponsalia, profectò non esset ille, qui per errorem grauiter deceptus est, compellendus, quemadmodum can. Raptor. 27. q. 1. adnotauit Hugo. Qui n. sponsalia cum corrupta contraxit putans esse virginem, non est cogendus. Et eadem arbitror ratione neque illustris qui aliquam sibi infimæ sortis desponsauit, quam credebat esse illustrem.

Contractus cum rustica aut ignobilis.

Ratio.

Argum.

Contra hanc tamen conclusionem tertiam arguitur. Si filia regis aut magnatis, quæ putat se nubere filio alterius regis aut illustris viri sibi pari, præsentaretur alius inferioris sortis, quem illa putaret esse illum principem, matrimonium non teneret: & tamen esse filium principis est qualitas personæ propter nobilitatem: & ampla substantia est bonum fortunæ: ergo error qualitatis & fortunæ tollit matrimonium. Et eadem est ratio de illa, quæ cogitat se nubere primogenito, cui obuenit primogenitura, nubit tamen minori, qui sibi pro alio offertur.

Solutio argumenti.

Respondetur, vt probè ait D. Thom. artic. 2. in solutione 5. quòd error nobilitatis aut fortunæ per se matrimonium non euacuat. Sed est tamen ocuiatè attendendum, quòd error huiusmodi nonnunquam refertur ad errorem personæ, vt in casibus propositis, & illa ratione matrimonium eneruat. Ad hoc autem deprehendendum discrimen, quod non est facile, considerare oportet, vtrùm consensus feratur in hanc particularem personam directè, an verò in illum duntaxat, cui illa conditio aut dignitas adest. Priori n. modo est error qualitatis, & posteriori est error personæ. Si n. puella huic singulariter nupserit, licet id fecerit, quia credebat esse filium regis vel primogenitum aut diuitem, cui alias non nupsisset, matrimonium nihilominus tenet: quia esse filium regis aut primogenitum, est tunc qualitas huius. Sed si non intendebat contrahere nisi cum illo filio regis, aut diuite, quem habebat in corde, matrimonium non tenet: quia est error personæ. Quo fit, vt quamuis Petrus ille primogenitus, cui illa volebat nubere, iam esset defunctus, quando nupsit Ioanni fratri eius, qui ideo Ioannes iam erat primogenituræ hæres, matrimonium non esset validum: quia non intendebat contrahere cum hoc, sed cum illo. Rursus sequitur, quòd si per verba de præsenti intendens nubere absenti Petro, nupsit præsenti Ioanni, quem putabat esse Petrum, licet postea gratius habeat matrimonium cum Ioanne, quam cum Petro, non potest viuente Petro nubere Ioanni, etiam si in illo errore permanens multos eidem Ioanni peperierit filios: quia non fuit illud matrimonium, quamuis per ignorantiam fuerit à culpa immunis.

Nota.

Nota casum.

Ad primum igitur argumentum negatur consequentia: nam in baptismo & alijs sacramentis intentio ministri, vt semel iam dictum est, non est proxima causa effectus sacramentalis: nempe characteris & gratiæ, sed materia ipsa elementalis, & verbum, quod est forma: intentio n. non est nisi applicans materiam & formam ad suum proprium effectum. Et ideo error putantis baptizare alium quàm baptizat, non tollit effectum. Consensus autem est causa proxima vinculi matrimonij: ille autem, qui fertur in Petrum, non fertur in Paulum, & ideo non est simile.

Sol. 1. arg.

Ad confirmationem verò negatur, Iacob contraxisse cum Lya per illum consensum & concubitum: quibus arbitrabatur contrahere cum Rachele, sed per consensum, quem postmodum habuit nouum in Lyam.

Ad confirmationem.

Secundum supra iam solutum est per rationem secundæ conclusionis. Non enim eadem est ratio de errore conditionis, & de erroribus qualitatis & fortunæ. Quapropter ad confirmationem negatur minor: nempe, quòd errori secundum naturam sui generis conueniat impedire matrimonium, imò id ei conuenit ex natura differentiæ adiunctæ: videlicet, quatenus est error eorum quæ sunt de essentia matrimonij.

Sol. 2. arg.

Ad confirmationem.

Quòd si solutionem redarguas. Maior pernicisiorque videtur error infidelis hominis aut hæretici, qui non credit matrimonium esse indissolubile vinculum nec sacramentum: & tamen inter hæreticos & infideles est verum matrimonium: ergo à fortiori neque error conditionis impedit. Respondetur, quòd matrimonium per mutuum consensum contrahitur: error autem infidelis non adiacet illi consensui, sed est circa ea quæ illum consequuntur: nempe, an sit indissolubile sacramentum; quod autem ratione posterius est, non tollit id quod prius est.

Redargutio.

Solutio.

Ad tertium denique respondetur, quòd alia impedimenta, scilicet voti solennis, infidelitatis, frigiditatis, &c. non tollunt matrimonium per viam erroris, sed siue sciantur, siue ignorentur, illud tollunt. Et ideo non opus fuit eorum ignorantiam inter errores connumerari, sed habebunt inferiùs suum locum.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS II.

Vtrùm matrimonium ob turpem causam contractum sit legitimum.

HACTENVS de consensu, qui causa matrimonij est, tum formalis, vt dictum est, tum etiam materialis, ac perinde efficiens. Ob idque causarum series admonet, vt etiam de finali breue tandem verbum addamus. Arguitur ergo, quòd nulla alia de causa liceat matrimonium inire, quàm ob illam ob quam institutum est: nempe generandæ prolis, concupiscentiæque medendæ. Cum enim sacramentum hoc diuina sit institutio, iuxta illud Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet, apparet nullo alio fine contrahi posse ab illo, quem illi Deus constituit: præsertim si finis sit inhonestus: Deus enim causa peccati esse non potest, atque adeo nec concurrere ad illum contractum, qui est peccatum, actio autem sacramentalis est à Deo: ergo vbi finis inhonestus interuenit, quia videtur actum deturpare, nullum necti videtur matrimonij sacramentum.

Pars negat. 1. arg.

Secundò. Sacramentum, vt dictum est, matrimonij, significat vnionem Christi cum Ecclesia: id autem quod turpe est, tam excellentem significationem habere non decet, ergo matrimonium, quod turpi fine vitiatur, nullum est.

2. Arg.

In contrarium est aliorum sacramentorum exemplum. Qui enim baptizat cum intentione Ecclesiæ, licet alium finem adiungat, verè baptizat: ergo idem vsu venire potest in matrimonio.

Pars affirmatiua.

Quæstiuncula facillima est, ad quam quatuor con-

1 Concl.

clusionibus respondetur. Prima. Dummodò consensus mutuus de præsenti, quo alteruter coniugum se alteri tradit interueniat, quicunque finis siue honestus, siue turpis adiungatur, componitur matrimonium. Probatur, quia illic seruatur quicquid est de essentia matrimonij: nempe materia & forma & intentio Ecclesiæ, quæ est coniuges in communem cohabitationem per vicariam traditionem corporum in rem vxoriam copulare.

Ratio conclusionis.

2 Concl. Secunda conclusio, quæ ad eius qualitatem attinet, sit. Matrimonium è suo proprio fine semper est bonum: quare in se ex nequitia contrahentium nullam contrahit maculam. Duplex n. consideratur matrimonij finis, alter qui est eidem sacramentali contractui innatus: nempe procreatio prolis, & remedium contra carnis illecebras, iuxta verbum Pauli: Qui non potest abstinere, nubat. Qui quidem finis in intentione contrahendi matrimonium ex natura rei includitur. Quare hic suapte natura semper bonus est.

Duplex matrimonij finis.

3. Concl. Possunt autem huic per accidens adhærere alij fines ex parte contrahentium. Et ideo sit tertia conclusio. Contrahere matrimonium propter bonum delectabile vel vtile, quod necessario fini impertinens est, nullum est de se peccatum. Vt contrahere propter mulieris pulchritudinem: exemplo Iacob, qui propter pulcherrimam Rachelem seruitutem quatuordecim annorum pertulit. Et Deuteron. 21. aiebat Deus, Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, & volueris eam habere vxorem, introduces eam in domum tuam, &c. Item nec propter bonum vtile malum de se est matrimonium contrahere, videlicet, locupletem vxorem sibi hominem associare, cuius substantia possit familiam sustinere. Verum est tamen, quòd vt dist. 26. dicebamus, mulieris probitas & honestas, quæ ad alendam coniugij charitatem confert, est eligenda, & pariter viri. Quare ex ijs accidentarijs finibus creberrimè peccata venialia pullulant.

Propter bonum vtile.

4 Concl. Quarta conclusio. Matrimonium eo fine contexere, qui peccatum mortale est, est itidem mortale crimen. Vt si vxor aut vir eligitur causa furandi, aut occidendi, aut hæreses seminandi. Probatur, quia, vt 2. Ethic. autor est Philosophus, actiones ex fine sortiuntur speciem. Ex qua igitur conclusione subsequitur, quod quamuis huiusmodi intentio non obstet quominus sacramentum firmum sit & legitimum, est tamen obex suscipiendæ sacramentalis gratiæ, si dum illud contrahitur, adest. Facillima omnia sunt, in quibus idcirco non est immorandum.

Ratio conclusionis. Appendix.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd Deus per suam institutionem est causa coniunctionis viri & vxoris, dummodò consentiant in id quod Deus instituit. Accidentariæ autem intentiones contrahentium non mutant matrimonij substantiam, sed si nullam habeant turpitudinem, sunt impertinentes, quod quidem commune est omnibus sacramentis. Quicunque enim cum intentione Ecclesiæ confert vel suscipit sacramentum, quamcunque aliam adiungat intentionem, verè confert, & suscipit, vt dist. 1. q. 5. dictum est. Si autem illa intentio peccatum sit, licet actionem contrahentium maculet matrimonium, tamen secundum se quatenus à Deo est, non est nisi bonum: nempe coniunctio & vinculum matrimonij.

Redargutio. Quòd si redarguas Deus non potest concurrere ad malum: illi autem actus contrahentium sunt mali: ergo non potest concurrere ad illos; illi verò sunt causa coniunctionis: ergo Deus non concurrit ad coniunctionem. Et confirmatur, quia effectus ex causa vitiatur: cuius n. bonus finis est, vt ait Boëtius 2 lib. Topic. ipsum quoque bonum est, & è conuerso cuius finis malus est, ipsum est malum. Et eo. quoque lib. ait Philosophus. Quorum generationes malæ, & ipsa mala sunt; & vice versa, quæ mala sunt, malas habent generationes: mali ergo illi. consensus malam faciunt coniunctionem, ad quam ergo Deus non cooperatur.

Confirmatio redargutionis. Aristot.

Solutio. Ad hoc respondetur nihil obstare quominus Deus ad eundem effectum, in quo diuersæ sunt rationes, sub vna ratione confluat, & causa, quæ peccatum est, ad eundem concurrat sub alia ratione. Dum enim proles ex adulterio gignitur, Deus & emissio seminis, quæ peccatum est, simul ad generationem concurrunt. Concurrit, inquam, Deus simul cum illa actione adulteri quatenus actio naturalis est. Qua etiam ratione & proles genita bona est, scilicet quatenus effectus naturæ. Non autem concurrit cum eadem actione quatenus ex mala intentione hominis procedit, quæ generationem vitiat. Pari modo in proposito concurrit Deus cum sinistris consensibus contrahentium, nempe quatenus iure diuino & naturæ instituti sunt causa matrimonij. Qua vtique ratione coniunctio matrimonialis bona est. Non tamen cum eisdem concurrit quatenus à voluntaris prauitate dimanant.

Et per hoc solutum restat argumentum secundum principale. Vnio enim illa quatenus effectus Dei est & naturæ, significat vnionem Christi & Ecclesiæ, non autem quatenus per culpam commaculatur. *Sol. 2. arg.*

Quæstio secunda.

DE VIRGINITATE ET MATRIMONIO BEATÆ VIRGINIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm condecens fuerit Dei matrem, virginem emisso voto perpetuo permansisse.

IN calce demum membri huius primi, quo causarum disputatio, quibus matrimonium perficitur, absoluitur, hæc quæstio adhiberi consueuit de matrimonio beatissimæ Virginis, quod fuit inter omnia illustrissimum Tametsi in tractatu de vita eiusdem Virginis aptius D. Thomas eandem posuerit disputationem, nempe in 3. part. q. 29. Arguitur ergo, quod non decuerit, & virginem simul esse & nuptam. In lege enim veteri, vt Deut. 7. & Exod. 23. colligitur, maledictio in eos pronunciabatur, qui semen non relinquebant super terram: vnde pro benedictione scribitur, Non erit apud te sterilis vtriusque sexus: ergo tunc virginitas non erat in consilio. *Partis neg. 1. Arg.*

Et secundò arguitur, quòd cùm virginitatis votum ad consiliorum perfectionem spectet, & Christus fuerit qui legem consilijs suis impleuerit & perfecerit, à sua ipsius persona culmen hoc virginitatis debuit inchoari. *2. Arg.*

In contrarium est illud Virginis ad Angelum, Luc. 1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *Pars affir.*

Duo quæstio insinuat disputanda. Prima de perpetua virginitate Deiparæ virginis: & secundum de eius connubio. Ad quarum priorem quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Quam maximè decentissimum fuit beatam Virginem in perpetuo virginitatis statu deguisse vitam. Quod enim in conceptu & partu & post fuerit semper virgo, orthodoxa nos admonet fides, non solùm per ecclesiasticam sanctionem, sed tum per verbum illud Virginis ad Angelum: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? tum etiam per angelicum responsum, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Causas autem decentissimi huius virginei instituti non est præsentis loci persequi, eas tamen D. Th. 3. par. q. 28. egregiè percenset. Decuit n. Dei filium, qui verbum patris est, instar verbi, à solo ipso patre obumbrante Spiritu sancto, vt ait Angelus, absque vlla corruptione modo quodam spirituali hominem concipi. Decuit & patris dignitatem, vt eius naturalis filius nullum alium patrem haberet in terris, quàm in cælo. Decuit & Christi humanitatem, in qua nec peccatum, nec operatio peccatricis carnis locum habere debuit, per quem peccatum mundi tollebatur. Decuit & ad incarnationis finem, qui fuit, vt homines renascerentur in filios Dei non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri. *Decis. art. 1. Concl. Causa virginei status Deiparæ Mariæ.*

Sed quod & in partu mater maneret virgo, eidem quoq; verbo congruens fuit. Nam verbum, vt corde absque corruptione concipitur, ita inde absque corruptione procedit. Item congruebat & redemptionis affectui, qui erat nostram corruptionem tollere. Quare non debuit nascendo vterum corrumpere. Quod & ad honorem matris quàm maximè referebat, vt integra inuiolataque permaneret. *Quoad effectum redemptionis.*

Virgo post partum.

Vnigenitus.

Nota.

Hæretici.

2. Concl.

Ratio.

Ratio 2.

Quomodo fiet istud?

Percontatio Solutio.

Primogenitus.

Explicantur quædam loca scripturæ.

Solut. S. Th. ad 1. arg.

At verò quod post partum debuerit etiam perseuerare perpetuò virgo, res erat adeò condecens vt impudentissima sit blasphemia illud negare. Virgo enim si postea virum erat cognitura, non ex libidine, quæ ab ipsa longissimè aberat, sed gratia procreandæ prolis facere cogitandum est. Id autem filij eius dignitati maximè derogabat: quippe quem, vt vnigenitus erat filius Patris, ita quàm maximè decebat vnigenitum esse matris. Mox iniurium maximè fuisset Spiritui sancto, vt vterus, qui eius fuerat sacrarium, homini esset cognitus. Deinde ingratissima esset, quæ gratissima Deo fuit, sanctissima Virgo, si vnica prole non fuisset contenta, quæ erat Dei filius & suus: & virginitatem, quam ei filius supra naturam seruauerat, naturali officio amitteret. Demum & Ioseph temeritatis & impudentiæ reus esset, si quàm de Spiritu sancto concepisse nouerat, polluere cogitaret. Quare Ebion, Cherinthus & Eluidius contraria his blasphemantes meritissimò sunt tanquam impudentissimi hæretici condemnati. Hæc tamen non adeò sunt præsenti loco accommoda.

Sit ergo ad propositum secunda conclusio. Decebat itidem fuit sacrosanctam virginem suam virginitatem Deo per votum consecrare. Hanc conclusionem contra quosdam asseruerim molestos morososque homines, qui nihil aliud approbantes, quàm quod in sacris biblijs legerint, aiunt commentum esse fictum hoc, quod de voto beatæ Virginis doctores tradunt, quia nullo sacro testimonio confirmatur. Satis enim istis factum esse debuisset per autoritatem Augustini locis citatis, & Ambrosij, atque aliorum sanctorum patrum. Sed præterea ratio illos vincit hæc, quòd cùm fides Catholica contineat, Mariam fuisse perpetuò virginem, ratione optima elicitur, perfectissimum virginitatis statum habuisse, qualem Dei matrem decebat: status autem firmitatem sonat: firmitas verò non nisi per votum constabilitur, quòd ideò quàm certissimum est virginem emisisse.

Id quod & verbo ipsius virginis ad angelum confirmatur, Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Plana enim res est, verbum illud non facere sensum: qui est, non cognoui: quia illud ad conceptionem futuram impertinens erat: sed sensus fuit, Quoniam virum non cognoscere statui votoque firmaui, quod maritalem complexum repellebat. Et ideò, Quomodo fiet istud? non erat verbum renuentis facere quod angelus proposuerat, sed modum interrogantis, quam scilicet operam præstitura esset: videlicet, vtrùm esset cognitura virum, an verò per solam orationem vel consensum conceptura. Ad quod respondens angelus ait, Spiritus sanctus superueniet in te, &c.

Sed rogas. Cur Euangelista hanc perpetuam post partum virginitatem non expresserit. Respondetur, quòd ex eo quod minus erat credibile, illud quod facilius erat creditu, reliquit vt notum. Ex eo, inquam, quod dixerat, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Et, Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei: vbi conceptum partumque virgineum designauit, vt notum reliquit post partum mansisse virginem, nec postmodum Ioseph matrimonium consummasse. Quod quidem viri sancti non nisi prolis generandæ gratia debuissent consummare. Et ideo cùm Deus illis tam admirabilem præstitisset, absurdum esset aliam optare & gignere. Vnde quia Matthæus propter perfectum matrimonium appellauit Mariam coniugem Iosephi, Lucas verbum temperans ait cap. 3. quòd putabatur (quia non erat) pater Christi. Nec quòd Matthæus appellat Christum primogenitum virginis, insinuat alium fuisse post genitum, sed quod nullum antea genuisset. Nam & vnigeniti censentur primogenituræ hæredes. Et quod ait, Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens: & non cognoscebat eam donec peperit filium suum, non significat, quòd postea conuenerint, sed solùm (vt inquit Hieronymus) significauit antequam id accideret, quod communi lege sperabatur, eam tunc & concepisse & peperisse. Sic enim loquimur, Antequam viginti annos expleret, seu antequam nauem intraret, mortuus est. Hæc autem apud Hieronymum & alios Patres peruulgata sunt.

At verò argumentum primum, quod in contrarium obiectum est, nonnihil difficultatis offert. Enimuerò D. Thom. loco citato, videlicet 3. part. q. 28. articu. 4. respondet, quòd quia lege veteri videbatur prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram, beata Virgo ante nuptias non simpliciter virginitatem vouit, sed sub conditione, si Deo placeret. Et dist. præsenti q. 2. ait, quòd quamuis virginitas in se optima sit, tamen tempore Mosaicæ legis matrimonium ei præferebatur propter expectationem benedicti seminis per viam generationis venturi: & ideo beata Virgo sub conditione vouit.

Sententia autoris.

D. Th. in 4.

Horum autem vtrumque profectò fateor mihi durum esse creditu: nam primum, quòd absque vllo peccato licitum esset in illa lege virginitatem seruare, D. ipse Thom. in 4. distinct. 33. q. 3. ar. 2. ad 2. planè fatetur, dicens quòd post multiplicatum genus humanum siue in statu naturæ integræ, siue in statu naturæ corruptæ, nullum fuisset peccatum à matrimonio abstinere: quia iam cessasset necessitas præcepti, Crescite & multiplicamini. Et eadem, inquit, ratione in lege Moysi post sufficientem propagationem illius populi, qui ad cultum Dei erat necessarius, non peccasset qui à matrimonio se abdicasset, atque adeò multò minus qui virginitatem seruasset. Quare quod quidam arguunt, in præcepto tunc fuisse matrimonium ad augendum populum, id fortasse in initio, dum populus erat exiguus, verum habuit: vt in Abraham, Isaac & Iacob, quorum ideo matrimonia scriptura insigniter commendat.

In l. Moysi.

Arg. quorundam.

Aliud verò argumentum, quod ex verbis S. Tho. colligitur: videlicet, quod propter expectationem venturi Messiæ nefas erat à matrimonio contrahendo se hominem abstrahere, non ita multum mouet. Nam etsi Abrahæ, vt Gen. 22. legitur, facta fuerit promissio vt in semine suo benedicturus esset Deus omnes gentes, tamen sola tribus Iuda erat, quæ Messiæ carnem erat exhibitura, quemadmodum erat in lege vaticinatum: Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, &c. Quare aliæ tribus non tenebantur illo vinculo. Adde, quòd licet aliqui à re vxoria abhorterent, prouidentia Dei efficeret ne linea procreando Christo deficeret. Adhæc si tanta tunc esset obligatio nauandi operam liberis, consequens fieret, vt si quis ex primo matrimonio non suscepisset prolem, teneretur ad secundas nuptias commigrare, quòd ex nulla historia colligitur, imò Iudith absque prole in viduitate permansit.

Aliud arg.

Solutio.

Quinuerò addiderim, si mea est audienda opinio, semper fuisse virginitatem nuptijs meritò prælatam, saltem post naturam corruptam. Nam in natura integra cum amplexus tunc maritalis absque vlla delectationis exuberantia fieret, atque adeò nec contemplationem, nec alia spiritualia opera impediret: fortasse genere suo non fuisset virtus à matrimonio abstinere. Tametsi propagato genere humano nec fuisset peccatum, vt ait S. Tho. sed esset indifferens, quod ex fine posset fieri bonum. At verò sub lege naturæ corruptæ prolatato satis humano genere, proculdubio semper fuit virginitas matrimonio præstantior, quippe quæ ad contemplationem & spiritualia opera longè aptior, quorum gratia multi sapientes voluptuosæ se veneri subduxerunt. Quin verò de Abel nulla fert historia vxorem habuisse, quia fortasse nondum sororem nactus fuerat connubio maturam. Atque adeò inde iam angelica virginitas genus humanum decorare cœpit, & abstinentia rei venereæ florere.

Sub lege naturæ corruptæ.

De Abel.

Hinc ergo, vt ad legem Mosaicam gradum faciamus, arguitur. Cùm illic, vt dictum est, licitum fuerit aucto iam populo à matrimonijs se homines abdicare, nescio cur non virginitas propter easdem causas, ob quas sub lege naturæ laudabilior erat quàm matrimonium, etiam sub eadem scripta lege eundem excellentiæ gradum præ nuptijs obtineret.

In l. Moysi.

Veritas hæc præterea multis prophetarum exemplis comprobatur. Esaias namque Elisæus & Hieremias, vt Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum c. 16. autor est, complureſque alij à re vxoria se prorsus abdicarunt, circumeuntes (vti ait Paul. ad Hebr. 11.) in melotis & in pellibus caprinis, in solitudinibus oberrantes & in speluncis, & cauernis terræ. Et Iosephus lib 18. Antiquit. & Solinus in polyhistoria cap. 48. referunt, ante Christi aduentum Essenorum collegium, in deserto Iudææ more nostrorum Anacoritarum sanctissimam deguisse vitam, ab vxoribus prorsus & omni fœmineo conspectu semotissimum: quorum institutum secutus est Ioan. Baptista. Vnde quamuis nullam aliam habuisset beata Virgo reuelationem, exemplum in sua gente haberet virginitatis colendæ.

Prophetarum exempla.

Igitur quod hic ait S. Tho. ſub illa lege matrimonium prælatum fuiſſe virginitati, vel intelligitur ſub initio illius legis, vel dicendum quod in ſua ſumma, vbi omnia polliebat, id non dixiſſet. Imò 2. 2. q. 152 art. 4. ſimpliciter concludit virginitatem præferendam eſſe matrimonio: vbi hanc exceptionem illius legis non facit, ſed ſolum ait, matrimonium Abrahæ propter neceſſitatem illius temporis æquatum fuiſſe continentiæ virginis Ioannis. Et loco citato 3. part. q. 28. non ait ſimpliciter, quod ſub illa lege prohibitum fuerit non dare operam liberis, ſed quod prohibitum videbatur. Id quod forſitan dixit propter lineam rectam tribus Iuda, & ſingulariter propter ſacram virginem, quam procul dubio credo ex eadem tribu per paternam lineam deſcendiſſe, nempe à Dauid per Nathan filium eius: quam quidem lineam aſcendendo recenſuit Lucas ca. 3. Sed per lineam maternam creditur fuiſſe de tribu Leui, nempe cognata Eliſabeth. Præterquam quod etſi non ſit certum fuiſſe ei reuelatum futuram Dei genitricem, eſt tamen credibile aliqualem inſpirationem ab Spiritu ſancto recepiſſe, ſe eius genituræ aliquid operæ præſtituram: & ideo ante nuptias deſiderium, quod virginitatis habebat, non auſa eſt abſoluto voto firmare.

Sol. 1. arg. Ad argumentum igitur principale reſpondetur, id, quod ait D. Tho. vt maledictionem cenſeri in vetuſta lege ſterilitatem, de nuptis fœminis eſſe intelligendum. Quare Anna Samuelis mater exprobrabat, vt legitur 1. Reg. 1. quòd Dominus concluſiſſet vuluam eius. Non autem inde ſequitur, quòd fuerit omnibus in præcepto nubere. Illud enim Deut. 7. Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, quod & in Exod. c. 23 habetur, non ſonat præceptum contrahendi matrimonium, ſed contrahentium benedictionem. Veluti in Pſal. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Promittebat n. populo illic Deus ſi ſuam legem ſeruaret, dicens, Benedictus eris inter omnes populos. Non erit in te ſterilis vtriuſque ſexus, ſiue in hominibus, ſiue in gregibus. Auferet à te Dominus omnem languorem, &c.

Sol. 2. arg. Ad ſecundum autem reſpondetur, quòd beata Virgo, vt in Canticis legitur, fuit ſicut aurora conſurgens, enixura ſolem iuſtitiæ, atque adeò confinium fuit tenebrarum antiquæ legis, & lucis nouæ. Quapropter ante nuptias propoſitum habuit virginitatis, & poſt nuptias votum eiuſdem fecit, quod filius eius diuino exemplo & lege confirmaturus erat. Quocirca licet antea multi ob alios fines virginitatem ſeruaſſent, tamen id ſub voto veræ religionis à beata Virgine ortum habuit. Votum enim Veſtalium virginum deorum ſuperſtitione vitiabatur. Solennitas verò Euangelici voti à Chriſto cœpit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm virginem Dei matrem nuptam ſimul eſſe decuerit.

Partis negatiuæ 1. Arg. ALTER articulus quæſtionis præſentis de caſtiſſimis nuptijs beatæ Virginis initur. Arguitur ergo non decuiſſe fuiſſe nuptam. Votum virginitatis, quod dictum eſt virginem emiſiſſe, è diuerſo cum matrimonio pugnat: quoniam vt ait Hierony. vouentibus virginitatem non ſolum nubere, ſed velle nubere damnabile eſt: ergo nequiuit & votum emittere virginitatis, & matrimonij contractum celebrare.

2. Arg. Secundò. Si deſponſatio virginis condecens fuit cauſa, extitit vt partus eius, quemadmodum ait Ignatius martyr, diabolo celaretur: ille autem illa via celari eum nequiuit, quoniam oculatè noſcere poterat intactam viro concepiſſe: ergo illa cauſa friuola eſt. Imò potius miraculo, quòd ex virgine Chriſtus tum conciperetur, tum & naſceretur, congruens erat vt mater non eſſet maritata: nam miracula in teſtimonium fidei eduntur: qua vtique ratione in manifeſto fieri debent: fuiſſet autem manifeſtius, ſi in opinione vulgi maritum non haberet.

Pars affir. In contrarium autem eſt verbum Euangelicum Luc. 1. Miſſus eſt Gabriel angelus ad Mariam virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph.

1. Concl. Ad quæſtionem præſentem duabus, ſicut ad præcedentem, concluſionibus reſpondetur. Prima. Congruentiſſimum myſterio fuit Dei matrem vnà & virginem & deſponſatam fuiſſe. Cauſas huius congruentiſſimas ad vndecim vſque D. Tho. q. citata 29. connumerat. Quarum quatuor Chriſto ipſi accommodantur, nempe ne à Iudæis tanquam illegitimè natus repudiaretur: atque vt conſueto modo genealogia eius per virum deſcriberetur. Quas vtique cauſas aſſignauit ſuper Lucam Ambr. Et tertiò, quod ait Ignatius, vt diabolo eius partus occultaretur, ne in puerum machinamenta moliretur. Ac demum vt obſequio patris Ioſeph nutriretur.

Cauſæ duodecim. Ad Chriſtū quatuor ſpectant. Tertia. Quarta. Ad virginem tres. A parte autem virginis tres aliæ exurgunt cauſæ, videlicet vt & ab infamia, & à pœna lapidationis liberaretur, quemadmodum ait Hieronymus, tum honeſtius, tum etiam accuratius eidem virgini miniſterium maritus exhiberet.

Ad nos quinque. Secunda, Tertia. Quarta. Duodecima. Demum ad nos quinque aliæ attinebant. Nimirum prima, vt teſtimonio mariti firmius natiuitas Chriſti ex virgine comprobaretur. Locupletior enim, ait ſuper Lucam Ambro. teſtis pudoris maritus adhibetur, qui poſſet & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret ſacramentum. Secunda, vt idem ſubdit Diuus pater, vt verba virginis credibiliora redderentur, quod & in noſtram redundauit fidei firmitatem. Videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mendacio innupta prægnans, cauſam autem mentiendi deſponſata non habuit, cùm coniugij præmium & gratia nuptiarum partus ſit fœminarum. Tertia, vt tolleretur excuſatio virginibus, quæ non omnem cautelam adhibent, vt infamiam euitent. Quarta, quia per illud virginis connubium vniuerſalis eccleſia deſignatur, quæ virgo, vti 2. Corint. 11. ait Paul. deſponſata eſt vni viro Chriſto. His denique & duodecimam, eandemque pulcherrimam, adhibeamus cauſam, videlicet, vt quemadmodum in Chriſto duæ naturæ Dei & hominis copulatæ ſunt, ſic & in eius parente duæ coniungerentur egregiæ dignitates matris & virginis. Etenim illuc vſque, vt florida virginitatis integritas prolis fuerat ſterilitate truncata, ſic & matrimonialis fœcunditas pudore corruptionis fuerat abiecta. Vt ergo neque fructus coniugij florem virginitatis deijceret, neque flos virginitatis prolis orbitatem perferret, ambo in Maria confœderata ſunt iura: nimirum, vt inuiolata matris virginitas filium pareret Deum & hominem.

An coniugium Mariæ fuerit perfectum. Dubium autem circa quæſtionem hanc emergit, vtrùm puriſſimum illud coniugium fuerit perfectum. Suppoſito namque ex articu. 1. vt fides catholica profitetur, illud nunquam fuiſſe per copulam conſummatum, Witcleff, vt eſt videre apud Thomam Waldenſem cap. 130. opinatus matrimonium non eſſe legitimum & perfectum niſi fuerit conſummatum, infitiabatur virgineum matrimonium, inſinuans non fuiſſe perfectum. Nec deſunt prorſus argumenta, quæ rem aliquo probabilitatis colore afficiant. Perfectum enim matrimonium dicit abſolutum conſenſum: & tamen videtur virgo non abſolutè in matrimonium conſenſiſſe, ſed illud commiſiſſe Deo, ſicut ſuam virginitatem: alioqui ſi abſolutè conſenſiſſet, non licuiſſet Ioſepho eam dimittere, quod tamen Euangeliſta ait eum cogitaſſe. Secundò, quia ad perfectionem matrimonij conuenit & conſummatio & perfecta ſignificatio: illud autem nunquam fuit conſummatum: quare per illud non fuit ſignificata vnio Chriſti cum natura humana.

1. Arg. Secundum. His tamen nihil obſtantibus ſubtexitur ſecunda concluſio. Sacroſanctum illud matrimonium fuit perfectiſſimum. Dei namque perfecta ſunt opera: illud autem matrimonium fuit diuinitus inſpiratum: ergo perfectum: id quod euangeliſta illo nomine ſignificare voluit, quo Mariam appellauit Ioſeph coniugem. Ratione etiam eadem concluſio exponitur. Duplex enim, vt di. 26. q. 2. art. 4. diximus, eſt rei perfectio: vna eſſentialis, quæ ad eius naturam ſpectat: atque alia accidentaria, quæ ſecundum eius operationem conſideratur. Ignis enim, licet in vacuo poſitus non calefaceret, eſſet tamen eſſentialiter perfectum in ſuis partibus. Perfectio autem eſſentialis matrimonij conſiſtit in mutuo conſenſu de præſenti, quo ſe alteruter coniugum alteri tradit: quo pacto inter Mariam & Ioſeph fuit perfectiſſimum matrimonium. Commiſtio verò per copulam eſt vſus & operatio matrimonij, atque adeò accidentaria perfectio, quæ non eſt de eius eſſentia.

2. Concl. Ratio.

Solut. arg. Et per hoc reſponſum eſt ad argumentum factum de conſummatione & ſignificatione vnionis humanitatis Chriſti: ſunt enim accidentariæ matrimonio, & ideo eorū defectus nihil de eius eſſentiali perfectione tollit.

Digitized by Google

Solut. alius argu.

Ad aliud autem argumentum negatur beatam Virginem sub conditione contraxisse, imò absolutè contraxit, vt illicò planius fiet, certa tamen, quòd nunquam per vsum vxorium esset violanda. Quod autem Ioseph cogitabat eam dimittere, non intelligitur de separatione quoad vinculum, sed quoad torum.

Sol. 1. arg.

Ad primum argumentum in capite articuli propositum omnes præter Scotum respondent, illud satis probare sacrosanctam virginem ante contractas nuptias non emisisse absolutè votum, alioqui consentire in illas nefas esset. Emisit autem illud sub conditione, vt ait S. Tho. & Doctores, nisi Deus aliud iuberet.

Argum.

Contra hanc autem vulgatam assertionem arguitur. In omni voto, siue simplici, siue solenni subintelligitur conditio illa, nisi Deus aliter iusserit: ergo illa expressa conditio non obstabat, quo minus votum beatæ Virginis absolutum esset, sicuti modò vsu & more fit. Paludanus atque alij non aliud respondent, quàm quod licet implicitè illa includatur in omni voto, perfectius tamen est illam exprimere. Sed certè hoc difficultatem non eneruat: tum quia si naturam voti non mutaret, non tanti referret exprimeretur nec ne, tum præsertim quod argumentum eò tendit, quòd quemadmodum post absolutum modo votum non licet matrimonium inire non obstante inclusione illius conditionis, ita nec licuit beatæ Virgini non obstante eiusdem conditionis expressione.

Nota.

Scotus.

Scotus ergo dist. præsenti. q. 2. tenet beatam Virginem etiam ante nuptias absolutè vouisse. Cui quidem, inquit, voto non repugnauit absolutus consensus in matrimonium: propterea quod certa erat, nunquam se daturam operam rei vxoriæ. At profectò solutio hæc ægrè sustineri valet. Est enim contra citatum Hierony. dicentem, quòd vouentibus virginitatem etiam vello nubere damnabile est: nam nubere est tradere potestatem sui corporis alteri, quod vouenti virginitatem non licet, vt bene ait D. Tho. dist. 29. in fine. Quare Aug. non dicit, nisi quòd proposuit. Et inde omnes Doctores inferunt, ante nuptias non vouisse absolutè. Quibus ideo Scotus non debuisset tam facilè contradicere. Proculdubio igitur respondendum longissimè differre inter votum absolutum, quod modò illam conditionem implicat si Deus voluerit, & illud virginis ante contractum matrimonium. Nunc enim minimè licet post votum solenne, aut sine dispensatione post simplex nuptias contrahere, quoniam per talem contractum ille qui vouit concedit facultatem alteri coniugi sui corporis. Quare licet includatur conditio, Nisi Deus aliter iusserit, intelligitur tamen per diuinas leges Deum non aliud iubere, quàm vt votum seruetur. Votum ergo beatæ virginis ante nuptias sic intelligitur, quòd non fuerit firmatum: nunquam n. absolutè dixit. Voueo. Quocirca non tam votum dicendum est, quàm desiderium vouendi. Sed tamen quia anceps erat animi quid Deus vellet, ipsi deliberationis conclusionem reliquit. Vnde Aug. non dicit, quod tunc vouit, sed quòd proposuit se permansuram virginem, nisi Deus aliter reuelaret. Et ideo fortasse per reuelationem etiam nupsit tradendo viro facultatem sui corporis, eandemque absolutè. Etenim in contractu non expressit conditionem & pactum nunquam se mutuò cognoscendi: nam cum illa conditio, vt supra dictum est, sit fini matrimonij contraria, non fuisset verum matrimonium: sed neque expressit consensum in copulam, vt dist. 27. q. 1. art. 2. latè monstrauimus; quia illa expressio proposito & desiderio perpetuæ virginitatis derogaret, atque adeò non fuisset perpetuò virgo mente & corpore. Præsertim quia vt dist. 26. q. 2. art. 4. præmiseramus, carnalis copula non est de essentia matrimonij. Fuit tamen talis consensus copulæ illic in virtute implicitus, sicut actus in potentia. At quia per Spiritum sanctum certa erat, nunquam suum coniugem exacturum debitum, nihil de perpetua virginitate etiam mentis detractum ei est: quippe cui virginitati non nisi voluntas contrahendi consummandiq; matrimonium officit. Atque ea propter si D. Ioan. fuit ille sponsus, cuius nuptijs Christus interfuit, non est censendus tam virgo mente, quàm beata Virgo. Nam credibile est contraxisse matrimonium lege communi consummandi. Sed tamen fuit virgo corpore & mente per mutationem propositi: quia postmodum voto eum confirmauit, quod ad laureolam sufficit. Cæterum quo ad sacram virginem, eiusque sponsum redeamus, illico matrimonio contracto ante angelicam salutationem ambo communi consensu per absolutum votum Deo suam virginitatem consecrauere. Id quod beata Virgo verbis illis ad angelum expressit, Quomodo fiet istud? &c.

Autoris solutio.

De diuo Ioann.

Ad secundum verò respondent doctores, quòd diabolo diuinitus non permittitur omnia fidei mysteria perscrutari: quia vt 3. de Trini. ait Augustus multa potest virtute suæ naturæ, à quibus diuinitus prohibetur, & ideo non deprehendit modum conceptionis Christi. Hæc autem solutio non satis prorsus rei facit: nam si per solam Dei prouidentiam idem conceptus celatus fuit, nulla erat necessitas, vt illa de causa virgo desponsaretur. Dicendum ergo quòd Deus ad occultandum Satanæ illud secretum vsus est modo naturali consueto: diabolus namque non est ad omnes conceptus hominum attentus, quando solito modo per matrimonium fiunt. Et ideo, quia beata Virgo virum habebat, non explorauit mysterium, quod tamen si esset innupta, cùm eximiam eius sanctitatem & puritatem haberet comperta, diligentius explorasset.

Solut. 2.

Sol. autori dissentes.

Autoris solutio.

Ad aliud verò membrum, quòd miraculum debuerit esse propatulum, respondetur, quòd miracula sunt in duplici differentia. Alia quidem, quæ sunt ipsi articuli fidei, vt incarnatio, &c. alia verò quæ fiunt in testimonium fidei, vt infirmorum sanitas, & mortuorum resuscitatio. Hæc ergo secundi generis debent publicitus fieri, non tamen illa, nisi dum per rationem temporis expedierit. Vnde quamdiu Christus fuit infans, necessum fuit mysterium dæmonibus occultari, ne acrius puerum infestarent: tunc enim Christus nec pati disposuerat, nec suam virtutem patefacere. Postmodum verò iam adultus, quando se legislatorem exhibebat, non rentit eisdem dæmonibus innotescere: qui ideo, vt Marci 1. legitur, exclamabant dicentes. Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, &c Scio quòd sis sanctus Dei.

Sol. ad membrum arg. 2.

Obiectio.

Contra aliam congruentiam, qua dictum est virginem desponsatam, ne inuenta prægnans lapidaretur, existit argumentum: quia solæ maritatæ propter adulterium lapidabantur: quare illa de causa potiùs debuit non esse maritata. Respondetur, quòd non solùm vxores, verùm & virgines, quæ in ædibus paternis seruabantur, lapidibus propter stuprum obruebantur, vt Deut. 22. legitur, & potissimùm illæ, quæ de genere erant sacerdotali, vt legitur Leuit. 21. qualis, vt paulò ante dicebamus, creditur fuisse beata Virgo per lineam matris.

Solutio.

DISTINCTIO TRIGESIMAPRIMA.

DE BONIS MATRIMONIVM EXCVSANTIBVS.

Textus. Cap. 1.

SACRAMENTVM hoc quod per causas hucusque denarratas constituitur, quamuis bonum per se vtique honestumque sit, tamen quia molestias secum fert, adnexaque incommoda, exposcere videtur, vt bona ei appendantur, quibus excusari honestarique valeat. Hæc sunt numero tria, quæ Aug. lib. 9. super Gen. scripta reliquit: nempe fides, proles, & sacramentum in fide attenditur, ne coniux cum alio aliáve sese commisceat. In prole, vt amanter suscepta, religiosè educetur. In sacramento, vt consummatum coniugium quoad substantiam non dirimatur, tametsi coniuges, seu fornicationis causa, seu gratia religionis, toro separari valeant.

Capite 7.

Cap. 2.

At verò fides & proles, licet bona sint intentioni & naturæ sacramenti innata, quippe quod in hoc institutum est, vt mutua fide con-

ſtricti coniuges generi propagando incumbant, tamen re & vſu non ſunt eius ſubſtantię neceſſariæ. Fides namque ab adulteris violata vinculum ſacramenti non abrumpit, ſed ſi coniugio adfuerit, vt ait venerabilis Hugo, amplius commendatur: ſi verò defuerit, non inde annihilatur. Neque verò ſterilitas eorum qui fructu prolis fruſtrantur, coniugium diluit. Quocirca proles fructuoſius ſacramentum reddit: ſi verò ſterile fuerit, non ideo nullum erit. Ratio verò ſacramenti eſt matrimonio natiua, ac perinde inſeparabilis: nam vti

Capite 10. li. 1. de nuptijs autor eſt Aug. vſqueadeo manent inter viuentes ſemel inita nuptiarum iura, vt quamuis toro ſeparati alias inire tentarent, potius ſint inter ſe coniuges quàm quibus adhæſerint: ſicut apoſtata anima de coniugio Chriſti recedens, etiam fide perditâ ſacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis recepit. Eſt ergo gradus ſacramenti inter reliqua matrimonij bona potiſſimum.

Cap. 3. Concubitus itaque coniugalis huiuſmodi bonis exornatus, nempe qui cauſa prolis vel fidei ſeruandæ fit, adeo eſt cuiuſlibet culpæ expers, vt ſit ſæpe Deo acceptus & gratus. Vbi autem hæc defuerint, ſi voluptatis libidine fiat, labem contrahit venialis culpæ. Vnde

Capite 6. Auguſt. lib. de bono coniugali Coniugalis, inquit, concubitus generandi cauſa non habet culpam; concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge, propter fidem tori venialem habet culpam. Et rurſus. Reddere debitum

Capite 7. coniugale nullius eſt criminis, exigere autem vltra generandi neceſſitatem culpæ venialis. Vbi docere videtur, quòd debitum ſoluere ad cauendam in coniuge fornicationis turpitudinem, legitimum ſit: exigere autem ad eandem in ſe vitandam, non item. Quamuis nefas fortè non ſit rigorem ſententiæ huius ſic mitigare, vt vbi humano more remedium hoc neceſſarium fuerit iudicatum, id fortaſſe liceat, nempe vt in hoc ſenſu audiatur 1. Corint. 7. Paul. vbi ait, Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum. Et inferius. Iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam. Tametſi Augu. in lib. de verbis Domini indulgentiæ nomen ad matrimonium ſic referat vt intelligatur permiſſum tanquam minus bonum quàm caſtitas. Sed ſi referatur ad vnum cauſa fornicationis cauendæ, permittatur tanquam minus malum.

* *
*

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ PRIMÆ.

Quæſtio prima.

DE BONIS MATRIMONIVM EXCVSANTIBVS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm matrimonium debeat per aliqua bona excuſari.

EXPEDITVM primum membrum eorum trium, quæ de matrimonio diſputanda propoſuimus, ſ. de cauſis, quibus matrimonium contrahitur. Subſequitur ergo in his tribus proximis diſtinctionibus ſecundum, de eius poſtquam contractum eſt, concomitantibus bonis & legitimo vſu. Arguitur igitur quòd matrimonium nullis indigeat bonis, quibus excuſetur. Illud enim, quod genere ſuo honeſtum eſt, nullo indiget alio bono, quo excuſetur: amicitia autem, quæ eſt inter virum & vxorem, vt 8. Ethic. autor eſt Philoſophus, eſt naturalis, quæ in ſe honeſtum includit, & vtile & delectabile: ergo non indiget excuſari. *Partis negatiuæ 1. Arg.*

Et confirmatur. Tam naturale eſt homini ſuam conſeruare ſpeciem per propagationem, quàm proprium individuum per nutritionem, quinimò quanto ſpecies præſtantius bonum eſt quàm individuum, tanto eius conſeruatio videtur magis naturalis: ſed alimenta ſumere non indiget aliqua excuſatione: ergò nec generatio, quæ fit per matrimonium. *Confirmatio argum.*

Secundò arguitur ex fine. Matrimonium non indiget excuſari, quatenus eſt in officium: nam tunc deberet etiam excuſari in ſtatu innocentiæ, quod eſt falſum: quoniam, vt ait Auguſt. tunc fuiſſent nuptiæ honorabiles & torus immaculatus: quatenus verò eſt in remedium, non eſt magis excuſabile, quàm cætera ſacramenta, quæ pariter ſunt contra peccata inſtituta, quæ tamen excuſari non egent. *2. Arg.*

Tertiò. Virtutes ſufficiunt dirigere, atque adeò excuſare omnia opera, quæ honeſtè fieri poſſunt: matrimonium autem contrahi poteſt honeſtè: ergo non alijs indiget bonis vt honeſtetur, quàm virtutibus. *3. Arg.*

In contrarium eſt, quòd omne bonum propter indulgentiam permiſſum indiget excuſari: vſum autem matrimonij Paul. 1. Cor 7 ſecundum indulgentiam concedit hominibus: ergo indiget excuſari. *Pars affirmatiua.*

Idioma iſtud & negotium excuſandi matrimonium introductum in ſcholas fuit ad cauendam vetuſtam eorum hæreſim, qui nuptias negabant eſſe licitas, de quibus Paul. 1. Tim. 4. meminit: ad eorum enim retundendum errorem hæc excuſantia bona commemorat Aug. lib. 9. ſuper Geneſ. c. 7. Et ideo ad quæſtionem vnica concluſione reſpondetur. Matrimonium indiget per aliqua bona excuſari. *Deciſ. artic.*

Veruntamen concluſionem hanc non eodem modo doctores probant. Durand. namque diſt. præſenti probat hoc pacto. Supponit primò, & quidem probè cum S. Thom. diſt. præſenti q. 2. bifariam actum excuſari. Vno modo ex parte facientis, quo vtique modo id etiam quod per ſe eſt malum, poteſt per ignorantiam excuſari, vt dum quis rem furatur alienam putans eſſe ſuam, de quo excuſationis modo ſermo impræſentiarum non habetur. Alio modo excuſatur ſecundum ſe, & de iſta excuſatione loquimur in præſentia, ſ. quantum ad excuſationem operis, qua per ſe indiget vt ſit bonum. Hoc ſuppoſito arguit ſic. Actus intrinſecè malus, cum fieri non poſſit bene, nequit excuſari: excuſatio enim nulla eſt, niſi actum bonum reddat. Quare furtum per nullum bonum excuſari poteſt, licet qui furatur poſſit per ignorantiam à culpa eximi. Item neque actus intrinſecè bonus excuſatione opus habet: quia à ſe ſuam habet bonitatem. Reſtat ergo, vt ſolus actus indifferens, qui bene & malè fieri poteſt, indigeat ex- *Concluſio. Durandus.*

cuſatione,

Digitized by Google

cusatione, vt sit bonus. Veluti ambulare, & loqui, quod si fiat bono fine, est bonum: sin prauo, prauum: si verò nullo, erit otiosum. Ad hunc ergo modum putat Durand. matrimonium excusari: quia actus, inquit, carnalis ex genere suo indifferens est.

Sententia autoris. At verò ratiocinatio hæc non est satis solida: nam si sola actus indifferentia in causa esset, vt excusari indigeret, tunc (vt Palud. bene colligit) omnis actus indifferens similiter esset excusandus, quod patribus non est in more. Quin verò comedere & bibere, quæ sunt opera indifferentia, deberent excusari: nam si respondeatur non esse parem rationem, eo quòd in esu & potu non tam absorbeatur rationis vsus quàm in re venerea, iam concedis non solam indifferentiam actus excusatione indigere.

Arg. aliud contra opinionem Durand. Aliter tamen mihi videor hanc opinionem falsitatis euidenter redarguere. Cùm enim August. & Doctores matrimonium excusare satagunt, non intelligunt solùm actum generationis excusare quatenus ad honestum, & inhonestum: nempe ad coniugalem, & fornicarium, indifferens est: nam tunc per hoc quòd contraheretur ad honestatem coniugij, satis excusaretur: quemadmodum comedere per hoc quòd sit gratia alendæ vitæ: sed matrimonium ipsum, atque eius vsus (vt nostra asserit conclusio) quæ in sua ratione bonitatem & honestatem includunt, sunt quæ August. & Doctores per tria illa bona excusare contendunt. Non ergo quia matrimonium est actus indifferens, indiget excusari. Imò quamuis de se sit bonum, vt filiorum educatio.

Ratio conclusionis. Ratio itaque conclusionis propositæ est hæc. Omne opus siue indifferens, siue de se bonum, quod præ se fert speciem mali, siue culpæ, siue pœnæ, aut alius cuiusque detrimenti, indiget excusari, eo quod eiusmodi detrimenta non sunt absque alijs conducentibus bonis, & commodis eligenda. Exemplum quodammodo apparet in somno, quod cùm hoc afferat detrimentum, quòd aufert rationis vsum, quamuis per se sit bonum, excusatur per alia commoda: scilicet quia per ipsum quiescit, refocillaturque natura ad alia honesta officia obeunda. Tametsi alij dicant, quòd cùm sit naturæ quies, non indiget alia excusatione: sed exempla ponimus, non ita sint. Ad rem ergo vt accedamus, matrimonium molestiarum plurimum, tribulationumque, & grauissima onera secum importat: quare nisi per alia bona fieret istorum compensatio, neutiquam esset eligibile bonum: ergo necessarium est aliqua bona ei assignare, per quæ excusetur. Hæc eadem veritas colligitur ex Paulo 1. ad Corinth. 7. vbi ait omnes percupere, veluti ipse erat, vinculo matrimonij esse solutos, quasi id præstantius sit & optatius: attamen secundùm indulgentiam permittit, vt ad cauendam iniquam Venerem vnusquisque suam vxorem habeat. Et infra: Si acceperis vxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Quo loco Ambr. multas commemorat maritorum vxorumque molestias, quales sunt gemitus ventris, nutrimenta filiorum, &c. Quas idem Hierony. lib. 6. contra Iouinianum recenset. In primis enim matrimonium affert vinculum indissolubile, quod est genus quodammodo seruitutis, vt teneantur alterutrum debita reddere, neque possit coniux pro suo arbitrio ab altero secedere. Et postmodum per vxorium vsum, concitantur carnis prurigines, adeò, vt quemadmodum ait Aristot. rationis vsus tunc absorbeatur. Qua vtique consuetudine homo ab alijs dignioribus studijs præpeditur. Nam vt ibidem ait Paul. *1. Cor. 7.* Qui sine vxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Mox vxor tenetur sub viri esse potestate: cum pudore concipit, cum molestia vterum gestat, cum dolore parit. Sed & onera in tolerandis & mariti & vxoris peruersis moribus, in alenda domo, in educandis liberis, in augenda re domestica, quæ perferre opus est, satis commonstrat, quàm debeat matrimonium excusari, vt eius bonitas & honestas appareat.

Solutio argumenti. Et per hoc soluuntur alia argumenta communia, quæ extant apud Scotum. Matrimonium, inquit, primorum parentum in statu naturæ integræ excusari non indiguit, nec verò matrimonium Mariæ & Ioseph, ergo matrimonium excusari non eget. Negatur, inquam, consequentia: quoniam hoc fuit peculiare illis matrimonijs. In statu enim naturæ integræ nullæ potuissent esse molestiæ, quippe quæ ex peccato originali succreuerunt. Neque verò sanctissimum commercium Mariæ & Ioseph ærumnas habuit siue in concipiendo, siue in pariendo, aut in alenda domo, sed labores, quos parentes pertulerunt, in seruando puero Deo ab Herodis tyrannide, obsequium fuit Deo exhibitum, meritis plenum.

Argu. Primum autem argumentum supra factum istorum declarationem inuestigat, quod est hoc. Matrimonium de se bonum est & honestum: ergo nullis indiget excusantibus bonis. Distinguitur quippe consequens: si enim intelligatur de bonis extrinsecis, & alienis, conceditur consequentia: si verò de intrinsecis, vel ei connaturalibus, negatur. Bona enim illud excusantia, saltem quantum ad eius intentionem, vt articulo sequenti declarabimus, de intrinseca eius ratione existunt: scilicet fides, proles, & sacramentum. At dicuntur isto modo illud excusare, quòd cum vinculum, & finis matrimonij, quanquam sit bonus & honestus, annexam habeat malorum molestiam, nisi secum illa bona afferret, non esset per se bonum: non autem aliunde opus habet excusationem mendicare.

Solut. arg.

Solutio cõfirmationis. Ad confirmationem respondetur, quòd quicquid sit de hoc dubio, quod distin. sequen. attingemus, an tam naturale existat, speciem, quàm indiuiduum conseruare: esus tamen & potus non tam vehementem affert delectationem, quæ rationem absorbeat, quàm generandi officium: eo quod per vim generatiuam originale traducitur: atque adeò est magis infecta quàm nutritiua. Præterquam quòd ad sumptionem cibi non opus fuit, vt tantam tamque allectiuam delectationem natura prouideret: quia solus sensus famis sufficit ad cibum capessendum, sed ad excitandum appetitum ad conseruandam speciem, vrgentiori opus fuit delectatione, quia defectus speciei non tam instigat indiuiduum, quàm proprius ipsius indiuidui. Maximè cùm nonnunquam fiat cum detrimento indiuidui, cui per nutritionem subuenitur, & ideo nutritio non indiget bonis excusantibus, quemadmodum & matrimonium.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd matrimonium indiget excusari vtraque ratione. s. & quatenus in officium, & quatenus in remedium institutum est: quia licet vtrumque rationem vtilis includat, affert nihilominus molestias supra explicatas.

Sol. 3. arg. Ad tertium denique respondetur, quòd officium aliquod honestatur dupliciter, vno modo tanquam ex principio elicitiuo, & sic exornatur per alias virtutes ad illud concurrentes. Alio modo honestatur quasi ex principio formali, quemadmodum circunstantiæ actum decorant, & isto pacto excusatur matrimonium per sua dicta bona.

ARTICVLVS II.

Vtrùm tria sint tantùm matrimonium excusantia bona.

Partis neg. 1. Arg. OSTENSO quemadmodum matrimonium debeat per aliqua bona excusari, quæritur de eiusmodi bonis. Et arguitur, quod non sint tãtum tria. Primò sic. Qua ratione ponitur fides, addenda esset charitas, vtpote per quam perficitur significatio coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quæ est de ratione matrimonij.

2. Arg. Secundò. Finis matrimonij non solùm est proles, sed consortium etiam & societas, vti 8. Ethic. autor est Philosophus, in alijs operibus vitæ: ergo qua ratione ponitur proles, deberet adhiberi & communio in alijs officijs.

3. Argum. Tertiò, In matrimonio inquantum significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ, vt requiritur esse indiuisibile: ita & vnitas vt sit vna vnius: ergo sicut inter bona ponitur sacramentum, quod significat indissolubile bonum, ita deberet poni vnitas.

Pars affir. In contrarium autem arguitur quod superfluat numerus, quoniam vnumquodlibet illorum bonorum sat esset ad honestandum matrimonium. Imò videtur sacramentum non debere inter illa numerari: nam bonum, matrimonium excusans, debet esse qualitas eius: qualitas autem differt à substantia: ergo cum sacramentum nominet substantiam ipsam, non debet inter eius bona censeri.

1. Concl. Ad quæstionem (quæ facillima est) quatuor con-

clusionibus respondetur. Prima. Tria sunt tantum bona excusantia matrimonium: scilicet fides, proles, & sacramentum. Doctrina est Aug. 9. super Gen. ad literam cap. 7. & lib. de bono coniugali, & lib. de nuptijs & concup. c. 11. de quibus bonis Hug. lib. 2. de sacra. par. 11. c. 7. & sequentibus eleganter edisserit. Est denique conclusio in theologorum scholis receptissima: & refertur à Gratiano 27. q. 2. ca. Omne. Tametsi Gandulphus quidam in Glossa ibidem citatus, dicat non esse nisi duo propter argumentum à nobis factum. Quoniam sacramentum non est bonum excusans: sed ipsa substantia matrimonij: cui paulò pòst respondebimus. Ad conclusionis ergo intellectum notandum quòd inter bona matrimonij quædam sunt de intrinseca intentione ipsius: alia verò ei accidentariè adhærentia. Vt sunt amicitiarum reconciliatio, atque alia quammulta commoda, quæ non comprehenduntur numero, quorum ideo impræsentiarum non initur sermo: sed illorum prioris generis, quorum sufficientia hoc pacto monstratur: Matrimonium bifariam (vt dictum est) consideratur, nempe tanquam officium & tanquam sacramentum. Et quidem tanquam officium duo postulat, vt sit bonum honestum. Vnum s. ex parte agentis, quod est recta intentio finis: & ex hac parte primum bonum excusans est proles, cuius procreandæ gratia institutum est. Alterum verò ex parte ipsius actus quatenus est virtus, quæ quidem ex genere suo debet circa materiam versari: qua vtique ratione ponitur fides, per quam maritus ad suam propriam accedit coniugem, & vxor ad suum proprium virum: hoc n. honestat generationis actum, instar aliarum generationum, quibus vnicuique agenti propria subditur materia. Quòd si arguas, finem matrimonij non solùm esse prolem: quandoquidem sit etiam institutum in remedium. Respondetur, finem directum & proprium non esse nisi prolem, sed alter est illi annexus: quare non fuit necessarius, qui exprimeretur: quatenus verò matrimonium est sacramentum, ponitur tertium bonum ea vtique ratione, qua sacramentum nominat significationem, quæ annexa est substantiæ matrimonij.

Bona matrimonij duplicia.

Matrimonium in officium duo postulat.

Obiectio.

Dilutio.

Et per hæc respondetur ad argumentum vltimo loco propositum. Respondetur, inquam, dupliciter. Primò, quod sacramentum, vt ponitur inter bona matrimonij, non accipitur pro substantia matrimonij, sed pro inseparabilitate, quæ est eius conditio. Et hæc est solutio Magistri. Secundò, quod matrimonium vna ratione consideratur quatenus est matrimonium, nempe ciuilis contractus ex inclinatione naturæ, atque altera quatenus est sacramentum, quod quidem sonat significationem vnionis Christi & Ecclesiæ. Et quia significatio est conditio adiacens contractui, & matrimonium non excusatur quatenus sacramentum, sed quatenus vinculum ex contractu resultans, consequitur, vt sacramentum ponatur inter bona excusantia, tanquam suæ conditio substantiæ.

Solutio prima 3. argument.

Solut. 2.

Aliter etiam deprehendi hæc sufficientia potest, vti ait Ricardus distin. præsenti. Est enim in matrimonio & vinculum, & vsus, & fructus. Vinculum honestat rationem per sacramentum, & vsus per fidem, & fructus per prolem. Imò & tertio modo arguitur iuxta diuisionem illam Philosophi 8. Eth. c. 2. qua bonum diuiditur in vtile, delectabile & honestum. Vtilitas enim matrimonij est proles, & delectatio eius consistit in fide tori, sed honestas decoratur per rationem sacramenti.

Argum.

Secunda conclusio. Non omnia hæc bona in re sunt de essentia matrimonij, sed sola ratio sacramenti, reliqua verò satis est, si seruentur in intentione, & natura matrimonij. Veritas est hæc etiam Augustini locis citatis, & Hugonis, quem Magister, eiusq; interpretes sequuntur. Fides namque ab adulteris violata vinculum matrimonij non rumpit. Vnde, vt ait Hugo, fides ita coniugio adhæret, vt ex ea, si adsit, amplius commendetur: si non adsit, non inde annihiletur. Quæ enim adultera est, non ideo coniux non est. Imò si coniux non esset, adultera non foret. Neque verò steriles quæ fructu prolis frustrantur, ideo coniuges esse desinunt. Si ergo proles accedat, fructuosum facit sacramentum: sin minus, non ideo sterile nullum est. Sunt tamen ambo de intentione sacramenti, quippe quod generationis causa institutum fuit, vt fideliter alterutrum sibi debitum ad illum finem redderent. Differunt tamen hæc duo, quod fides non solùm ad intentionem matrimonij spectat, verùm & debet in intentione contrahentium existere: debent, inquam, proponere sibi mutuam fidem seruare, tametsi quamuis mente proponant adulteros fore, non annihiletur matrimonium. Proles autem non est necessum, vt expressa de intentione contrahentium existat: beata quippe virgo verum matrimonium contraxit, tametsi procreare prolem per concubitum nunquàm expressè proposuerit, seruauit ergo fidem marito, vt ait Augustinus, in hoc quòd alium non cognouit: prolis autem fructu, diuina opera & munere potita fuit. At ratio sacramenti matrimonio legitimè contracto inseparabilis est: nam vt ait Augustinus l. 1. de nuptijs cap. 20. vsque adeò manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges, etiam separati quoad torum, quàm cum alijs, quibus adhæserint. Sicut apostata anima, etsi è coniugio Christi recedens, fidem perdiderit, sacramentum tamen fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Nota egregiam sacramentorum similitudinem inter indelebilem characterem baptismi, & insolubile matrimonij vinculum.

2. Concl.

Fides.

Beata Virgo

Tertia ex his colligitur conclusio. Inter hæc bona ratio sacramenti culmen obtinet: Primum, quia proles & fides ad officium naturæ pertinent, sacramenti verò ratio ad gratiam, quæ per ipsam confertur: gratia verò præstantius bonum est, quàm natura. Deinde, quia ratio sacramenti inseparabilius, vt monstratum est, adhæret matrimonio, quàm reliqua bona.

3. Concl.

Ad primum igitur argumentum in capite propositum respondetur, quòd fides in præsentia non accipitur prout est theologica virtus: sed prout est pars iustitiæ, quæ est promissorum firmamentum, vt seruentur, qualis vtique in contractu matrimonij ad eius firmitatem intercedit: & ideo non opus fuit hic charitatis meminisse. Hæc autem fides duo comprehendit: primum, vt alterutrum sibi ambo debitum reddant, deinde vt neuter extraneo commisceatur.

Sol. 1. arg.

Ad secundum respondetur, quòd nomine prolis non solùm eius generatio intelligitur, sed eius nutritio, & educatio, ad quem finem domesticum viri & vxoris commercium, & eorum vicariæ operæ referuntur: quare vno prolis nomine, totus matrimonij finis expressus est.

Sol. 2. arg.

Ad tertium denique respondetur, quòd nomine vinculi indissolubilis etiam intelligitur, vt fœmina non nisi vni viro nubat, quanquam & hoc ad fidem etiam matrimonij spectet. An verò licuerit viro plures accersere vxores, distin. 33. disputabitur.

Sol. 3. arg.

Ad argumentum verò in contrarium iam responsum est, quòd fides hic non accipitur pro aliqua singulari virtute, quæ per se sola sufficeret facere honestum actum, sed pro conditione virtutis, quæ est pars, seu fundamentum iustitiæ, quæ connumeratur alijs bonis matrimonij.

Ad aliud argum.

Tertia verò conclusio plusculum lucis exigit, contra quam ideo arguitur. In vnaquaque re finis est bonorum potissimum: proles ergo, quæ est finis matrimonij, est præstantissimum bonum. Secundò, quia ratio sacramenti est generica omnibus conueniens, fides autem & proles contrahunt genus ad hanc speciem sacramenti: differentia autem contrahens, quæ habet rationem formæ, est præstantior genere, quod habet rationem materiæ. Tertiò, quia ratio sacramenti in matrimonio non secum videtur inseparabilitatem afferre, tum quia matrimonium ratum non consummatum dirimitur per ingressum religionis, tum quia sacramentum quod præ se fert perpetuitatem, imprimit characterem, qui tamen per hoc sacramentum non imprimitur.

Contra tertiam concl.

2. Arg.

3. Arg.

Ad horum solutionem animaduertendum, quòd in re qualibet principalius vnum altero dicitur dupliciter, s. aut quia dignius, aut quia essentialius: quod autem ratio sacramenti dignior sit cæteris bonis matrimonij, satis probatum est, quia spectat ad gratiam. De essentia verò distinguitur, nam fides & proles bifariam considerantur, vno quidem modo in re, quo pacto pertinent ad vsum matrimonij, qui non est de eius essentia, quemadmodum est indiuisibilitas, in qua ratio sacramenti consistit: & hac ratione essentialior est ratio sacramenti, vtpote sine qua matrimonium nullum est, cùm esse possit sine fide & prole. Nam si matrimonium ratum, & non consummatum dirimitur per ingressum religionis, hoc est, quia illud non est carnaliter perfectum, sed per spiritualem consensum, & religio est quædam mors spiritualis.

Solutio arg.

Digitized by Google

Alio verò modo possunt fides & proles considerari non in re, sed in intentione matrimonij, & isto modo sunt illi essentiales, quia nisi in contractu includantur, saltem si contrariæ conditiones ponerentur, nullus esset: vt si cum illa conditione contraherent, vt nunquam sibi tenerentur debitum reddere, aut sterilitatem procurarent. Et isto pacto fatemur maximè essentialem esse prolem, mox fidem, deinde sacramentum: sed tamen præstantior est ordo secundùm rem, quàm secundum intentionem.

Solut. 1. arg. Ad primum ergo respondetur, quod quamuis proles sit prior in intentione matrimonij, & hac ratione magis essentialis, est tamen posterior in executione, quare in re magis essentialis est ratio sacramenti.

Solut. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd etiam ratio sacramenti pertinet ad differentiam contrahentem genus in matrimonio: nam generalis ratio est esse signum rei sacræ, & peculiaris huius est significare vnionem Christi & ecclesiæ.

Solutio 3. Ad illud autem de charactere respondetur, quòd character est potestas spiritualis. hic autem non confertur nisi potestas corporalis, & ideo non imprimitur: conuenit tamen cum illis, quòd etiam hæc potestas corporalis ratione sui finis perpetuitatem vinculi exigit.

1. Argum. Veruntamen aliter in calce horum articulorum aduersus amborum conclusiones arguitur, quod prædicta bona nequeant matrimonium à culpa satis excusare. Quicunque enim iacturam & detrimentum maioris boni propter id quod minus est, sustinet, ordinem rationis peruertit, contra quam idcirco peccat: sed bonum rationis, quod coniugali vsu editur, præstantius est his bonis: ergo per illa non excusatur.

2. Argu. Secundò, bonum malo adhibitum in genere moris, non facit ex malo bonum, imò vertitur in malum, quia vnica praua circunstantia totum actum vitiat, actus verò coniugalis de se est malus propter rationis perturbationem, alioqui non indigeret excusatione, ergo nulla eum adiuncta bona excusare valent.

3. Argum. Tertiò, hæc bona neque efficere possunt, quo minus delectatio in illo actu sit immoderata, neque eius verecundiam abstergere, immoderantia autem in malum sonat: & verecundia non est nisi de malo: ergo nulla sunt bona matrimonium excusantia. Id quod Paul. ipse docere videtur, vbi ait, secundùm indulgentiam coniugale officium permittere.

Propter hæc argumenta non defuerunt, vt distinctio. præsenti, artic. 2. quæst 1. ait Bonauentura, qui tenerent, neutiquam posse actum coniugalem sine peccato, saltem veniali, contingere: id quod ex Iureconsultis Hugo super capit. Vir cum propria. 33. q. 4. opinatus est, propter verbum, quod illic ait Gregorius, quòd vir cum propria vxore dormiens, nisi lotus aqua ecclesiam intrare non debet.

4 Concl. Aduersus istos verò statuitur quarta conclusio. Non solùm hæc bona excusant actum coniugij, vt sit bonus ex parte agentis, quemadmodum, vt dictum est, solet per ignorantiam excusari, quin etiam efficiunt, vt sit genere suo bonus, & perfæpe meritorius: tantum abest, vt semper sit peccatum. Vnde ad maiorem explicationem superiorum conclusionum, notandum, quòd actus humanus dupliciter est bonus, vno modo ratione generali virtutis, quæ est vt opus in mediocritate consistat, atque hoc in matrimonio faciunt fides & proles: hæc enim differentia, vt dictum est, actum generandi rectificat. Per has siquidem qualitates coniugalis concubitus à fornicario distat, atque adeo in specie virtutis collocatur. Est præterea redditio debiti actus iustitiæ, quem Paulus præcipit dicens, Vir vxori debitum reddat, &c. Vnde manifestaria iuris tam naturalis quàm diuini ignorantia est dicere, vt ait Canonista ille Hugo, omnem actum coniugalem esse peccatum. Sed & altero quoque modo actus quispiam est bonus quatenus opus diuinum est, perque diuinam institutionem gratiam ex se conferens. quæ quidem ratio actum non solum bonum constituit, verùm etiam sanctum, quod vtique in matrimonio sacramentalis ratio operatur: nempe indissolubilis nexus, qui coniunctionem Christi & ecclesiæ significat. Quin verò, vt loco citato ait Venerabilis Hugo, ratio hæc cætera bona sanctificat, vt fides matrimonij sit sancta. Haud. n. bonum prolis illic satisperficitur, quòd ad terrenam vitam & hæreditatem procreetur, nisi educatio accedat religiosa, qua naturalis hominis filius, tanquam adoptinus Dei instituatur, vt in vita cælesti hæreditatem possideat æternam. Vnde Aug lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 4. in vsu infidelium coniugatorum veram pudicitiam coniugalem non agnoscit: non solùm quia nulla virtus extra charitatem vera virtus est, verùm quia non vtuntur coniugio ad finem sacramenti, quæ est generare regenerandos in Christo. Requiritur ergo hæc spiritualis intentio in coniugibus, si non formaliter, saltem in habitu & virtualiter: nempe vt vtãtur matrimonio eo fine, quo illud Christus instituit.

Solut. 1. argum. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd detrimentum illud rationis, quod in vxoris vsu homo patitur, non est per modum habitus, sed actu transiens: nec tamen est absurdum, vt quandoque actus, qui genere suo præstantior est, tantillam patiatur eclipsim gratia minoris boni, quod est permanentius, & ad perpetuitatem boni communis necessarium, quale est conseruatio speciei humanæ: nam licet quandoque dormire, & quandoque à contemplatione cessare, vt mos geratur actiuæ vitæ.

Solut. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd malum culpæ per adiectionem boni non fit bonum, illud autem malum quod adhæret coniugali actui, non est culpæ, sed pœnæ, & ideo repensatur per alia bona.

Solut. 3. arg. Ad tertium denique respondetur, quod immoderantia passionis, quæ culpatur, non attenditur ex quantitate, sed ex eo quòd à ratione exorbitat. Illa autem quæ annexa est actui coniugali, rationis metas non excedit, & ideo non est culpæ, sed pœnæ: quare licet non tollatur, excusatur. Et similiter respondetur de verecundia, quæ non solùm est de peccato, sed etiam de malo pœnæ, qualis est turpitudo illius actus. Antea namque, quam fuisset natura corrupta, motus ille membrorum nec obscænus fuisset, neque vllam offunderet verecundiam. Paulus autem vbi ait, secundùm indulgentiam congressus coniugales permittere, non insinuat rem minus malam, sed minus bonam quàm castitatem.

Ad Gregorij autoritatem. Ad illud autem Gregorij respondetur id non dixisse propter culpam coitus, quasi aliqua inde excommunicationis imago, vt Hugo, & alij arbitrati sunt, oriatur: aliàs non abstergeretur aqua: sed propter indecentiam, quia vsus ille videtur inhabilem hominem reddere ad spiritualia: qua vtique de causa consulit coniugibus Paulus, vt orationis causa tantisper abstineant. Illa verò lotio, quæ vt ait ibidem Gregorius, Romanis erat olim in more, iam aboleuit ab vsu. Hic autem Gregorianus textus articul. sequenti amplius examinabitur.

ARTICVLVS III.

Vtrum absque isthis bonis coniugalis vsus voluptatis causa sit licitus.

QVAMVIS ostensum fuerit hæc tria bona matrimonium excusare, restat tamen explorandum, vtrum sint ita necessaria, vt absque eorum aliquo complexus coniugum sit culpabilis. Sunt autem duo quæ nos in huiusce modi ambiguitatem conijciunt, scilicet vtrum causa voluptatis coniugalem vsum à culpa excipiat. Et vtrum causa vitandæ fornicationis, aut alius hocumenti idem sit licitus. Arguitur ergo quod solius causa voluptatis, explendæque libidinis, absque spe prolis debitum exigere liceat. Cuicunque enim re sua vti licet indeque voluptatem moderatam captare, dummodo à ratione non exorbitet: vterque autem coniugum est alterius: nam vir, vt ait Paulus, sui corporis potestatem non habet, sed vxor: illa autem voluptas est licita, postquàm est à natura: ergo quando corpori non nocet, neque aliqua infert nocumenta, licita est & bona. *Partis affirmatiuæ argum. primum.*

Secundò, voluptatem capere non est de se malum, sed de genere bonorum, vt comedere, & bibere, etiam dum famis necessitas, aut alimenti, illud non exigit, sicut & venari, & ludere, atque alia captare voluptatis genera, ergo vxore vti licitum est voluptatis gratia. *2. Argum.*

Tertiò, quia alioqui mariti, qui steriles sunt, aut senio progressi, neutiquam debitum petere liceret, quod profectò esset nimium rem vxoriam perstringere & coarctare. *3. Argu.*

In contrarium autem est auctoritas Augustini lib. de bono coniugali cap. 9. vbi ait, quod concubitus

Concubitus coniugalis quadrupliciter potest accidere.

coniugalis gratia concupiscentiæ explendæ venialem habet culpam.

Inter soluendum hanc quæstionem, notandum quatuor de causis posse concubitum, coniugalem contingere, scilicet aut causa generandi, aut debitum reddendi, aut solius libidinis explendæ, aut fornicationem, morbúmve, aut aliud incommodum vitandi. Et quidem quod causa generandæ prolis, aut reddendi debitum id licitum sit & iustum, nemo sanæ mentis negat: nam in petitione debiti causa generandi concurrit primum bonum, matrimonium honestans, quod est proles: & in redditione debiti etiam si alter non causa generandi, sed oblectandi se exigat, seruatur secundum bonum, nempe fides, & iustitia, iuxta verbum Apostoli, Vir vxori debitum reddat. Neque valet consequentia, maritus indebitè exigit, scilicet solius oblectationis gratia, ergo vxor non tenetur reddere: quoniam ille vtitur re sua. Sicut si quis à me pecuniam suam peteret, ad expendendum prodigè. Sententia est Augu. lib. de bono coniugali, cap. 4. Neque obstant verba Pauli Rom. 1. Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt digni sunt morte: quia reddens non consentit perenti, sed soluit quod debet. Quòd si rursus arguas. Non licet furioso suum gladium tribuere. Respondetur, quod secus est quando Dominus rei vult vel sibi vel alteri nocumentum aliquod temporale inferre: tunc.n.licet ad tēpus rem illius detinere. Et pariter coniux posset differe debitum, si præsentisceret alteri coniugum petenti magnum periculum salutis impendere: secus de solo nocumento spirituali: nam illud vnusquisque sibi cauere potest. Et ideo plus homo obligatur occurrere nocumentis magnis temporalibus proximi, quam spiritualibus, nisi sit prælatus.

Obiectio.

Tres opiniones.

Vtrùm verò petere liceat solùm voluptatis captandæ gratia, hoc vertitur in quæstionem, de qua sunt tres opiniones, vna in vno extremo, quod sit peccatum mortale: altera in altero, quòd nulla sit culpa: & tertia in medio, quòd sit venialis. Ad quæstionem ergo tribus respondetur conclusionibus. Quidam, n. vt impræsentiarum ait S. Tho. q. 2. art. 3. distinguentes aiunt, quod quandocunq; ad actum coniugalem libido principaliter mouet, est mortale delictum, sed quando mouet ex latere, quia principaliter intenditur generatio, sed annectitur voluptas, tunc est veniale. At quando homo delectationem omnino respuit: quippe quæ sibi displicet, tunc fit ab omni culpa immunis. Quare tres gradus discernunt, scilicet delectationem eligere, & intendere, quod est mortale: illam acceptare, quod est veniale: atque illam respuere, quod est perfectionis.

1. Concl.

Contra hanc autem opinionem statuuntur duæ conclusiones. Prima. Concubitus coniugalis solius voluptatis gratia, ita vt illa sit electa, & principaliter intēta, non est de se peccatum mortale, nisi alia forte adsit mortalis circunstantia. Probatur, quia vt 10. Eth. c. 8. autor est Philosophus, delectatio de se neq; bona, neq; mala est, nisi ratione operationis, vnde captatur. Itaq; delectatio operationis bonæ est bona, operationis verò malæ, est mala: concubitus autem coniugalis de se non est operatio malà: ergo neque delectatio illi adiuncta: quare electio huiusmodi delectationis non est ex genere suo mortalis.

Ratio conclusionis.

Obiectio.

Sed aiunt, saltem electio eiusmodi delectationis est peruersa quia cum vsus coniugalis à natura sit institutus propter generationem, eligere voluptátem non illo fine, est peruersio finis. Hæc autem argutia nihil illis patrocinatur, quia non omnis peruersio finis de se est mortalis, nisi quādo prorsus ad transgressionē progreditur limitum naturæ, vt si quis citra matrimonium voluptate illa vteretur. At quia matrimonium de se bonum est, & honestum, quia ad illum finem institutum, atque adeò voluptas illa honesta, consequitur, vt & si eligatur absque illo fine, non ideo fiat mortalis. Sed satis est esse venialem. Id quod expressa sententia est Aug. lib. de bono coniugali c 6. scilicet, accedere ad vxorem satiandæ concupiscentiæ causa venialis culpa est. Alioqui si mortalis esset, tunc steriles & senes nequirent debitum citra mortalem culpam exigere, quod quidem concessu esset absurdissimum.

Dilutio.

Augusti.

2. Concl.

Secunda conclusio. Accedere ad coniugem generationis causa, cum delectatione & voluptate adhærente & placente, nullum est peccatum, nisi nimius excessus voluptatis procuretur. Probatur, quia coniugalis vsus ea ratione & conditione, qua naturæ sagacitate instigatur, nullum est delictum: natura autem sagaciter delectationem illi actui propter necessitatem conseruandi speciem adiunxit, veluti sumptioni cibi & potus ob necessitatem conseruandi indiuidui, ergo sicut cibum & potum cum delectatione capere nulla est culpa, ita neque coniugalis coitus. Et certè, qui contrarium dicunt, videlicet esse peccatum nisi homo tunc delectationem abhorreat, contendunt homines naturali sensu priuare: nam vix tunc potest ratio displicentiam elicere.

Ratio.

In alio extremo: nempe, quòd eiusmodi concubitus absque vllo generationis proposito, sit licitus, nemo reperitur antiquorum, sed nuperrimus Io. Maioris. dist. præsenti, concl. 7. id adstruxit, cui Ekius hom. 1. de matrimonio subscripsit.

Ioan. Maior. 3. Concl.

Contra quos statuitur tertia conclusio. Huiusmodi concubitus voluptatis gratia est venialis culpa. Ad huius assertionem conclusionis sat circunspectis esse debet autoritas Augustini, qui loco citato de bono coniugali, illam affirmat, & lib. 1. de nuptijs & concupiscentia c. 4. & in Enchiridio. cap. 78. ait, quòd huiusmodi concubitus sunt ex illo peccatorum genere, quorum veniam quotidie petimus, dicentes dimitte nobis debita nostra. Quam sententiam venerantur Bed. 1. ad Cor. 7. & suadet Grego. loco citato. 33. quæst. 4. can. Vir cum propria. Eandemque non solum D. Thom. impræsentiarum, sed Theologi omnes docent, vt Altisiodorensis, Ricard. & reliqui, quos ita facilè contemnere, nonnihil temeritatis habet.

Augustinus.

Rationes.

Neque verò rationes desunt eiusdem sententiæ confirmatrices. In primis enim Paul. 1. ad Cor. 7. non nisi propter incontinentiam, nempe ad illam cauendam permittit, vt vnusquisque propriam vxorem habeat, non ergo ad solam explendam voluptatem.

Ratio Maioris.

Item ratio ipsius Maioris ei potiùs refragatur. Ait quippe, quòd sicut licet pulchrum pomum edere, & alium quemuis sapidum cibum, neque hoc vllam affert culpam, ita voluptate vxoria vti: dummodo in notabile detrimentum corporis minimè vergat. Hæc inquam, ratio in ipsum retorquetur: nam certè comedere, & bibere, nisi vel nutritionis gratia, vel alio honesto fine fiat, non caret veniali culpa: nam quando maior non contraheretur, esset actus ociosus. Præterquam quod in esu & potu, vt supra dictum est, non inest vis tanta ad perturbandam rationem, quanta in coitu. Cui præterea accedit, quòd etiam seminis effusio de se nocua est corpori, quod in cibo moderato & potu non reperitur: multò ergo minus licita est voluptas hæc, quàm illa cibi, nisi in illum finem referatur, ob quem institutum est matrimonium. Neque admittendus est cauillus dicentis, voluptatem ipsam per se esse honestam: nam vt citatus Philosophus 10. Ethic. autor est, voluptas per se non est bona nisi ratione operationis, cui annectitur. Cum ergo complexus maritalis non sit bonus, nisi in bonum prolis relatus, aut propter fidem reddendi debiti, aut fortè in remedium concupiscentiæ (hæc enim sunt penitus excusantia bona) fit vt voluptas, nisi his associetur bonis, non sit bona.

Alia ratio.

Cauillus.

Deinde arguitur. Cum tria sint bona, scilicet vtile, delectabile, & honestum, solùm honestum est, quod facit virtutem: nam honestum idem est, quod honore dignum, qui est præmium virtutis, quare vtile (vt pecuniæ acquisitio) per se non est bonum, nisi in id quod honestum est referatur: ergo eadem ratione non sat est ad actum virtutis, vt fiat propter delectabile, nisi vsque ad honestum pertingat. Actus autem qui non est virtus, necesse est vt sit malus, quia nullus est indifferens.

Argu.

Rursus arguitur, si concubitus ob voluptatem non est malus, consequitur vt sit bonus, quia nullus particularis est indifferens, atque adeò si fiat in gratia, erit meritorius. Videtur autem non esse concessu dignum, quòd sola captatio voluptatis absque alio fine, sit Deo accepta ad vitam æternam. Et tandem arguitur. Matrimonium contrahere illo solo fine, vt homo illo actu se ipsum oblectetur, certè non est laude dignum: ergo similis vsus vituperabilis est. Profectò conclusio hæc non est quæ in dubium reuocanda videatur.

Aliud arg.

3. Argu.

Nihilominus aduersus conclusionem primam pugnare videtur autoritas Hieronymi aduersus Iouinianum, & refertur canone, Origo, 32. q. 4. vbi Xistum Pythagoricum inducit, qui aiebat, Adulter est in suam vxorem ardentior amator. Et infra. Sapiens iudicio

Hieronym.

debet

debet amare coniugem, non affectu: non reguet in eo voluptatis impetus, neque præceps feratur ad coitum, nihil est fœdius, quam vxorem amare quasi adulteram. Et infra can. Liberorum. In matrimonio inquit, concessa sunt liberorum opera: voluptates autem, quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in vxores sunt damnabiles: quibus verbis concubitum solius voluptatis gratia tãquam meretricium affectum, ac perinde vt mortalem damnare videtur. Respondet autem D. Thomas, quòd vbi delectatio vltra matrimonij honestatem quæritur, dum scilicet quis in coniuge non attendit, quòd coniux est, sed solum quod mulier, idem paratus cum ea facere, quamuis vxor non esset, tunc mortalis culpa contrahitur. Ille enim est ardentior amator vxoris, quem Hieronymus condemnat. Si verò delectatio infra limites matrimonij contineatur, videlicet quia in aliam, quæ non esset vxor, non affectaretur, tunc est veniale. Animaduerte tamen ne te istæ conditionales fallant, nam si sint tantum in re, & non in affectu, nulla sunt peccata. Propterea enim quod si meretrix adesset, ille illam cognosceret, nulla tingitur culpa: sed si talem habeat affectum & actum voluntatis cognoscere illam si adesset.

Solutio D. Thom.

Obiectio ex Grego.

Rursus contra secundam pugnare videtur autoritas Gregorij supra citata can. Vir cum propria 33. q. 4. vbi ait, quòd voluntas ipsa accedendi ad coniugem, sine culpa nullatenus esse possit: vbi insinuat illam opinionem superius reprobatam, videlicet nunquam posse contingere coniugalem actum sine culpa, saltem venali: quia ipsa, inquit, licita admistio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest: atque adeò voluptatem ipsam adhærentem legitimo fini generandi, quam nos diximus carere culpa, apparet ipse culpare. Et probat, quia de legitimo, inquit, matrimonio conceptus fuerat Dauid, qui tamen dicebat. In iniquitatibus conceptus sum.

Psalm. 50.

Solutio.

Respondetur, inquam, quòd ipse non condemnat voluptatem omnem, sed illam quæ dominatur, vt paulò inferiùs subdit. In iniquitatibus autem Dauid non dicitur conceptus, propterea quòd semper parentes iniquè coeant, sed propter originale, quod puer conceptus contrahit: quod quia causa est multorum actualium, pluraliter dicitur, iniquitates, vt sit sensus. In iniquitatum seminario conceptus sum.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum, quod contra tertiam conclusionem obiectum est, negatur, cuicunque licitum esse vti re sua, nisi debito ordine illa vtatur. Qui enim bona sua dilapidat, peccat saltem venialiter. Et pariter qui vxore sua vtitur alio fine, quàm quo data est sibi in adiutorium: scilicet ad generandum, vel ad seruandum ei fidem, vel in remedium.

Sol. 2. arg.

Et pariter ad secundum respondetur, quòd voluptatem capere in genere, neque est de se bonum neque malum, sed indifferens. Fit autem in particulari bonum vel malum ex fine & circunstantijs: & ideo qui honesto fine caret, est malus actus, & talis est concubitus solius voluptatis gratia.

Solut. 3. arg.

Ad tertium, quod mouere vulgus potest, respondetur, quòd apud sapientes non æstimatur absurdum concedere, quod senes & steriles non accedant causa reddendi debitum, quod coniux formaliter aut interpretatiue petit, aut forsan vt illico dicemus, ad vitandam fornicationem, sed solùm ad obsequendum libidini, illas contrahant veniales culpas, quæ, vti ait Aug. vt nobis dimittantur quotidie postulamus.

De pregnantibus.

Et idem de prægnantibus est dicendum, quarum coniugale officium Hierony. atque Aug. condemnant eo quòd concipere nequeant. Nam etsi postquam in vtero habent, possint per aliquod tempus iteratò concipere, habet tamen obscœnitatis quippiam: at non est mortale. Nam licet elephas, aliæque brutæ animantes & aues plurimæ, postquam conceperint, coitum abhorreant, tamen mulier, vt 4. de genera. animalium ait Philosophus, etiam prægnans illum apperit. Quare non est ei mortale debitum exigere, neque viro ab ea petere, nisi id cum periculo grauidi ventris fiat.

Bruta.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm liceat coniugibus ad vitandam fornicationem debitum exigere.

MAIOR ambiguitas est de concubitu ad fornicationem vitandam. Arguitur enim quòd sit licitus, etiam si intentio prolis non intercedat. Primò. Actus coniugalis de se non est malus: ergo quocunque bono fine fiat, nisi mala adint circunstantia, erit bonus: sed fornicationem cauere est bonus finis: ergo coniuge vti tanquam medio ad illum finem est licitum: veluti medicamine vti ad cauendum morbum.

Pars affirmatiua. Argum. 1.

Secundò & autoritas Pau. 1. Cor. 7 huic sententiæ patrocinari videtur, vbi ait, Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum: vbi matrimonium præter prolis generationem in remedium etiam contra incontinentiam institutum docet: quam ob rem licitus eius vsus apparet ob illum finem.

2. Arg.

In contrarium autem videtur esse Aug. li. de bono coniugali. ca. 6. & 7. & 18. quibus locis idem repetit concubitum alia quacunque quam procreandi causa, vel seruandi fidem debiti esse venialem.

Pars negatiua.

Quæstio est, quæ profectò sapientissimum quemque ancipitem & perplexum reddere potest. Pars enim negatiua grauitate & numero patrum protegitur: nam Aug. Grego. & Beda locis supra citatis ita videntur loqui, & Mag. sentent. quos subinde D. Thom. dist. præsenti. q. 2. art. 2. Bonauentura, Ricardus, & reliqui fere ita interpretantur, vt neque ad vitandam fornicationem concubitus citra venialem culpam fieri possit. Altisiodorensis verò Magistri sentent. coæuus lib. 4. in materia de matrimonio cap. 4. q. 2. distinguit dicens, quòd cognoscens vxorem causa vitandæ incontinentiæ non peccat, sed qui illam cognoscit causa libidinis, vt delectetur. Eandem opinionem. s. quòd ad vitandam fornicationem concubitus ille sit licitus, videtur quoque tenere Hugo super Ecclesiastem in illo verbo, Tempus amplexandi, &c, vbi ait, quod licet concubitus ille ad infirmitatem pertineat, non tamen subinde imputatur ad turpitudinem. Ad quam etiam sententiam videtur inclinare Scotus dist. 26. in fine quæstionis. Eandemque opinionem tanquam certam sustinuit Durand. distinct. præsenti. q. 4. & Caiet. in summa cap. de vsu matrimonij, vbi ait, quòd exercendus est, vel causa generandi, vel in remedium concupiscentiæ. Et in opusculo eiusdem tituli. Et idem ait Syl. verb. debitum coniugale. 6. in fine, in hoc tamen falsus, quod putat illam esse mentem S. Thom. Sequitur Maioris, atque alij neotherici.

Decis. art. Pars negatiua.

Altisiodorensis.

Hugo.

Durandus. Caietanus.

Respondeamus ergo duabus conclusionibus. Prima. Maritum debitum ab vxore exigere causa vitandæ fornicationis in illa, similiter & ipsam petere à marito causa vitandi in illo, licitum est, & ab omni culpa immune. Sententia est Augustini lib. de bono coniugali cap. 7. &. 10. vbi ait, quod huius causa debitum reddere licet, ne alter coniugum fornicando damnabiliter peccet, exigere tamen non licet. Idem ait epistola ad Ediuiam, quæ est 199. & refertur à Gratiano. 33. q. 5. can. Secundum verba. Et Beda super 1. Cor. 7. & Magist. sent. & S. Thom. atque omnes sententiarum expositores. Et ratio est, quia huiusmodi redditio debiti pertinet ad fidem coniugij: quare non opus est, vt maritus formaliter petat, sed satis est si vxor infirmitatem mariti nouerit: tunc enim interpretari debet illum exigere.

1. Concl.

Augustin.

Beda Magister senten. Ratio.

Secunda conclusio. Quamuis alia opinio negatiua satis sit probabilis, videtur tamen hæc mitior, & rationi fortassis matrimonij magis consentanea, neque verbis apostoli dissona, quòd quando coniux necessarium arbitratur ad vitandam in seipso fornicationem, liceat ei debitum exigere. Quod enim negatiua opinio sit valde probabilis, patefecit ex Aug. ca. 6. de bono coniugali, vbi ait, quòd concubitus gratia concupiscentiæ satiandæ sit venialis. Qui autem ad vitandam fornicationem congreditur, concupiscentiam satiare videtur. Et cap. 7. ait, quòd vltra necessitatem prolis exigere debitum venialis culpa est. Idem repetit cap. 10. per quam negationem omnem alium finem excludit præter prolem & fidem ad exigendum. Et in lib. de verbis Apostoli verbum illud Pauli. secun-

2. Concl.

dùm indulgentiam, si referatur ad vsum coniugalem, qui fit causa cauendæ incontinentiæ, ait designare venialem culpam.

Ratio.

Nihilominus quod affirmatiua opinio sit fortè probabilior ostenditur. Atqui præter alias, imò præ alijs rationibus quas Durandus adfert, hæc vrgentior est, & rei punctum apertius pandens. Matrimonium, vt supra vitum est, & omnib. est in confesso, ob duplicem finem institutum est, nempe in officium generandi, qui est primarius, & deinde in remedium concupiscentiæ ipsius qui matrimonium contrahit: vti autem matrimonio ad suum finem, licet ille non sit principalis, non est ius coniugale transgredi: ergo quando concubitus est ad id moraliter necessarius, vt scilicet coniux in se aliam pollutionem caueat, quam aliter moraliter loquendo, cauere non sufficit, licitus est.

Autoritas Pauli. 1. Cor. 7.

Accedat textus Pauli, si fortè huic sententiæ faueat. Ait quippe, Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, &c. Hoc verbum, secundùm indulgentiam, Augustinus loco citato sic exponit, quod non referatur ad matrimonium, quasi illud secundum veniam concedatur tanquam minus malum, sed ad concubitum, vt si sit ad cauendam incontinentiam absque causa procreandi, sit culpa venialis.

Secundum indulgentiã, quid.

Sententia autoris.

At verò profectò optimè quoque potest indulgentia Pauli sic intelligi, vt nullatenus illic designet id quod minus malum est, sed id quod minus bonum, respectu illius quod est, non nubere, & sic potentiam referri ad vsum matrimonij, qui fit causa fornicationis vitandæ in ipso petente. Nam loquebatur de illis qui abstinent, vt vacent orationi, & iterum ad torum redeunt: ait ergo illud indulgere, eo quòd melius esset si abstinere semper possent. Sed & illud verbum paulò antecedens, Propter fornicationem vnusquisque propriam vxorem habeat, & vnaquæque proprium virum, patrocinari multum videtur huic opinioni. Nam docet, licitum esse vxorem ducere ad obuiandum incontinentiæ & propriam cauendam fornicationem. Si ergo cuique licet propter fornicationem in se vitandam vxorem ducere, nempe quia videt se continere non posse, & melius esse nubere quàm vri, profectò & vsus matrimonij ad illum finem erit licitus: nam si potentia ad aliquem finem est bona, certè & vsus ad eundem finem bonus erit. Reliqua autem argumenta, si cuiuspiam sunt valoris, huic connituntur. Arguitur enim præterea. Prudentissimus quisque ex ordine charitatis accuratius tenetur in se peccatum vitare quàm in proximo: licet autẽ viro debitum vxori reddere ad cauendam fornicationem in illa: ergo petere ad cauendam in se. Hanc verò consequentiam negat D. Thom. quoniam vnusquisque potest alia sibi adhibere remedia, & per liberum arbitrium omnino renuere fornicationem: coniugi autem nequit alter coniux aliter mederi. At verò si argumentum præcedens efficax, fuit, cùm concubitus coniugalis simpliciter sit remedium contra fornicationem, licitè illo potest maritus vti ad vitãdum in se, sicut ad vitandum in vxore, si sit moraliter necessarium.

Verbũ Pauli huic fauet opinioni.

2. Argum.

Solutio D. Thom.

Nota.

Hoc autem ingenuè fatendum ad maiorem conclusionis explicationem, quòd non semper tam necessarium est ad vitandum in se, quàm ad vitandum in altero: nam pluribus in se quisque abundat remedijs. Attamen dum adhibitis remedijs illis, quæ humano modo adhiberi possunt, homo nequit se ab illecebris carnis eripere, nisi per vsum coniugalem, tunc ille reputatur moraliter necessarium medium.

Nota distinctionem.

Vnde distinguendum est hic cum Paludano, quæstione 32. & cum Capreolo, quòd quando homo alia via fugiendo occasiones potest fornicationem propellere, non licet illa sola de causa ad vxorem accedere: quia tunc non tam facit causa vitandæ fornicationis, quàm potiundi voluptate illa, quam vltro eligit: id quod vt ar. proximo diximus, venialis culpa est. Sed dum moraliter loquendo non habet aliam viam, hæc est licita.

Solutio confirmationis.

Et confirmatur hæc responsio. Nam quandoque marito ad vitandam fornicationem in vxore licet illam cognoscere, quamuis nec formaliter petat, nec interpretatiuè: quia scilicet est occultè adultera, quæ præ amore adulteri exosum habet maritum, eiusque adeò amplexum abhorret: ergo tunc ille non accedit causa reddendi debitum, sed ad vitandam fornicationem in illa: ergo potest dum est necessarium, idem sibi remedium vsurpare.

Ad Augustinum.

Cui ergo hæc opinio placuerit, potest ad Augustinum respondere, vt ait Durandus, quod cum dicit concubitum ad explendam concupiscentiam esse venialem culpam, intelligit, quando ipsa concupiscentia dominatur, vt ait cap. 10. & pariter Gregorius cap. Vir cum propria. citato: scilicet quando coniux alia via posset concupiscentiam sedare: nam tunc si hæc eligatur, id fit ob voluptatem.

Gregorius.

Ad aliud Augustini.

Sed tamen aliæ istorum patrum negationes: nempe quòd nunquam coniugibus liceat, nisi procreandi gratia sese cognoscere, vel propter fidem debiti reddendi, vrgentius contra nos militant. Nihilominus respondetur, quòd isti sancti pudicitiæ amantissimi nimium solebant coniugalem torum coarctare & perstringere, non attendentes ad euentus, qui possent contingere, humano more necessarios ad vitandum fornicationis flagitium. Si enim illa opinio esset vsque adeò necessaria, tunc steriles, senes, & prægnantes nimium essent ab amplexibus cohibiti: nempe quia non solum ob voluptatem, imò neque ad cauendam fornicationem possent se amplexari. Quamuis qui illam opinionem sustinere voluerit, respondere potest, non esse mirandum si status coniugalis huiusmodi habeat annexa venialia pericula. Et propterea Paulus cupiebat, vt omnes essent sicut ipse. Quapropter consilium est de his nunquam prædicare, nec cum secularibus tractare: nam si dicas, illud eis licere, ipsi licentiam ampliabunt. Sed in sacramento pœnitentiæ, vbi quis confiteatur ad vitandam fornicationem vxore vti, non grauem ei scrupulum obijcias, sed admoneas, vt ceu christianus rei vacet vxoriæ.

Nota.

Solutio.

Nota.

Obiectio.

Sunt qui contra conclusionem argutentur. Si ob commodum vitandæ fornicationis licitus est ille vsus, pari iure licebit ob aliam quamcunque vtilitatem & lucrum: nempe accedere ad inescandam vxorem, vt sua bona marito impartiatur. Consequentia autem nullius est roboris: quoniam coniugalis vsus non est medium ad finem lucri relatum, vel ad alios præter suos proprios.

Dilutio.

Grauius autem dubium est vtrum liceat sanitatis gratia. D. enim Thom. neque hoc admittit. Arguit siquidem quarto loco. Id quod genere suo bonum est, non nisi ex mala intentione vitiatur: vsus coniugalis genere suo est bonus, ergo si fiat bono fine, qualis est sanitas corporis, non est culpandus. Et respondet, quòd quamuis intentio sanitatis per se sit bona, tamen si per medium procuraretur, quod non est per se ad illam ordinatum; intentio tunc efficitur mala. Veluti si quis sacramentum baptismi tantum ad salutem corporalem quæreret. Et intelligit esse malam venialiter. Et re vera opinio est perquàm probabilis: nam si quis contra obijciat, emissionem superflui seminis persæpe suapte natura ad sanitatem conferre: de illo namque Verino legitur, Ne se polluueret, maluit ille mori. Respondetur, quod quamuis medium illud natura nonnunquam ad illum finem retulerit, tamen institutio sacramenti non est ad illum finem relata: quippe quod nisi prolis gratia, aut in remedium concupiscentiæ institutum est. Tametsi dum tam præsentaneum esset periculum ingentis morbi, & constaret illud esse medium necessarium, forsan nulla esset culpa dignum. Quãquam malim opinioni S. Thom. adhærere. Has enim veniales culpas, quæ tam facile quotidie & committuntur & diluuntur, non est operæpretium tanta cum anxietate perscrutari.

Dubium.

Solutio.

Opinio S. Thom.

Verum.

Primo igitur argumento in capite obiecto, si quæ diximus vera sunt, sua conceditur conclusio. Ei autem qui contrariam tenuerit opinionem, dicendum est cum D. Thoma, quòd licet cauere in se hominem fornicationem bonus sit finis, tamen per illud medium nunquam est bonus, quia semper aliqua voluptatis redundantia interfluit.

Solut. 1. arg.

Et pari modo secundum solutum restat: nam potest locus ille Pauli in vtramque opinionem interpretari, vt supra à nobis explicatum est.

Sol. 2. arg.

Appendix autem articuli huius est, vt de vitijs, quæ vsui matrimonij euenire assolent, breuis subdatur sermo. Primum enim depudendus abusus illegitimi vasis contra naturam, nefandissimum flagitium est, & grauius quidem inter coniuges propter fidem, quam sibi mutuo debent, quam si inter solutos contingeret.

De vsu coniugij.

Abusus vasis.

Digitized by Google

Effusio seminis.

tingeret. Effusio etiam seminis extra vas legitimum est itidem lethale crimen, si sit notabilis: nam distillatio non semper tantæ culpæ tribuenda est. Item si dum vir bona fide legitimè congredi conatur, festinantius forte fusse extra vas seminat, non est vitio dandum, etiam si metus aliquis eum prius subierit: quia illud festinationi naturæ adscribendum est.

Dubium.

Vtrùm verò intra consuetum vas peccatum possit contingere mortale à multis ambigitur. Nempe dum vir vxori resupinus succumbit, aut præposterè accedit: sunt enim qui dicant peccatum esse mortale: propterea quòd congressus ille non est generationi idoneus. At verò vt Albertus Magnus, & ex medicis multi aiunt, falsum est illo modo conceptum impediri: eo quòd matrix perinde atque stomachus virtutem habet attractiuam, qua semen exorbet. Quapropter non debet res in has delictorum angustias perstringi, sed crediderim intra legitimum vas nunquam contingere mortale crimen. Quo alludit Caieta. in summa. verb. Matrimonium. Sunt autem illi insueti complexus venialia peccata, eademque obscœna, virisque probis omnino exhorrenda.

Albert. Magnus.

Tactus impudici.

Qua verò res ad tactus impudicos attinet, si vtique fiant cum periculo mollitiei, peccata sunt mortalia. Si verò fiant tanquam necessarij ad irritandam Venerem, generationis gratia, nullam præ se in coniugibus ferunt culpam. Extra hos verò casus peccata sunt venialia.

Oscula.

At verò oscula, licet non alio fine inter coniuges fiant, quàm ceu amoris indicia, nulla sunt culpa denotanda.

DISTINCTIO TRIGESIMASECVNDA,

DE MVTVA CONIVGVM FIDE IN REDDENDO DEBITO.

Textus. Cap. 1.

COLLIGITVR ergo ex his quę dicta sunt, æquali præcepto coniuges coerceri exactos sibi inuicem complexus persoluere sub reatu mortalis criminis iniustitiæ: dummodò vterq; suæ sospitati & incolumitati consulat, neque alia legitima excusatio intercedat, iuxta verbum Pauli, Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Nam etsi in reliquis domesticis officijs vir, vti idem ait Apostolus, caput sit mulieris, sub cuius ideo potestate esse iussa est, tamen cum in generandi vsu sint duo in carne vna, neuter sui corporis potestatem habet, sed alter coniux. Neuter ergo absque facultate & voluntate sui coniugis, postquam consummatum fuerit matrimonium, continere valet, ac multò minus continentiam voto firmare. Vnde Aug. super Psalmum, Si dicat vir, Continere iam volo, vxor verò, nolo, non potest: quod enim tu vis, non vult illa: nunquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Et rursus. Secundum verba, inquit, apostolica etiam si vir continere voluisset, & tu noluisses, tibi debitum reddere cogeretur: & illi Deus imputaret ad continentiam si non suæ, sed tuæ cederet infirmitati, ne in adulterium caderes.

1. Cor. 7.

Ad Ephes. 5.

Psalm. 46. can. Si dicat. 33. q. 5.

Ca. Secundū verba. 33. q. 5.

Cap. 2.

Inter causas verò, quæ debitum exigere vetant, aut reddere excusant, lepram Alex. 3. non admittit: imò, vt in de coniugio leprosorum scriptum reliquit, admonuit, vt leproso exigenti non denegetur, ne coniugiū suo fine in perpetuum frustretur. Ei verò vxori, quæ menstruo sanguine legitimis temporibus polluitur, fas non est petere, neque viro ab ipsa exigere: nam vt autor est super Esaiam Hierony. ex illo infecto sanguine nascuntur cæci, claudi, leprosi: vt quià parentes, inquit, non erubuerunt in conclaui commisceri, eorum peccata pateant cunctis, & apertius arguantur in paruulis. De æmorrohisis autem, quæ perpetuum fluxum sanguinis patiuntur, leprosorum iudicio censendum.

Cap. peruenit & cap. Quoniam.

Esaiæ. 44.

Capi. 3.

Veruntamen orationis causa consilium est apostolicum toro coniugali abstinere, imò solennitatibus præcipuis, illis præsertim, quibus articuli fidei celebrantur, non prorsus culpa, saltem veniali, careret debitum expetere, atque adeo dum manè sacrosancto sacramento communicandum est. Vnde Aug. Quotiescūque dies, inquit, natalis Domini, aut reliquæ festiuitates aduenerint, non solum ab infidelium concubinarum, sed etiam à proprijs vxorib. abstinere debemus. Et Amb. dieb. etiam ieiuniorū, & idem Aug. lib. de quæst. noui & veter. testa. q. 187. causa etiam processionum abstinendum admonent. Reliquis verò minoribus festis vsque adeò rem vrgere; vt sit prorsus coniugibus abstinendum, oneri fortasse imputaretur. Multa enim patres admonent, quę non subinde censent vim obtinere præcepti.

Can. Quoties 33. q. 4.

Can. Fratres ibidem.

Can. Christiano.

Capi. 4.

De loco verò sacro diuersa est ratio: nam cùm per turpem spontaneamque seminis emissionem polluatur ecclesia, fit vt si concubitus coniugalis intra eius corpus sic fiat, vt manifestus per publicam famam aut legitimos testes fieri possit, sacrilegus sit, atque adeò genere suo mortalis. Cæterū & ob communionis sanctæ reuerentiā, quæ sub natale Domini, & in Paschate, & in Pentecoste antiquitus erat in more, nuptiarum solennitas his tribus temporibus interdicta est, nempe ab aduentu Domini vsque ad Epiphaniam, & à septuagesima vsque ad octauas paschatis, & à diebus rogationum, vsque ad festum trinitatis, can. Non oportet 33. q. 4. & de ferijs c. Capellanus.

Can. Capellanus.

Digitized by Google

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆSECVNDÆ

Quæstio prima,

DE MVTVA CONIVGVM FIDE REDDENDI SIBI INVICEM DEBITVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm alteruter coniugum teneatur alteri debitum reddere.

Pars negatiua.

SEQVITVR de fide & ratione reddendi debitum inter coniuges. Et arguitur quod neuter teneatur alteri debitum reddere ex necessitate præcepti. Nemo enim præcepto cohibetur eucharistiam sumere, aut oratione vacare: sed Hieron. in quodam sermone, qui refertur. 33. quæst. 4. can. Sciatis. ait. quod qui vxori debitum reddit, nequit orationi vacare, aut carnes agni edere: ergo nemo tali præcepto subijcitur.

Argum. 1.

2. Arg.

Secundò. Nemo cum detrimento suæ salutis aut alia sua iactura tenetur alteri obsequi: aliquando verò reddere poscenti debitum vergit in nocumentum reddentis: ergo tunc non tenetur. Idque potissimum vsu venit quando coniux, qui petit, lepra infectus est: qui vtique morbus tum contagiosus, tum etiam hæreditarius est, atque adeo tam coniugi reddenti, quam gignendæ proli periculum inde infectionis creatur, tunc ergo reddere non tenetur.

3. Argu.

Tertiò. Si coniuges hanc sibi vicariam operam dare cogerentur, tunc neutri liceret se impotentem ad illum vium reddere, ius enim tunc alterius violaret, atq; adeo nec liceret ei ieiunijs aut alijs vigiliarum laboribus aut studijs corpus attenuare, quod vtique consequens contrarium religioni videtur.

Pars affirmatiua.

In contrarium est verbum Apostoli. 1. Corint. 7. Vir vxori debitum reddat, similiter & vxor viro.

1. Concl.

Huic quæstioni duæ conclusiones satisfacient. Prima. Vterque coniugum est alteri de necessitate præcepti obnoxius, vt debitum ei reddat. Probatur ex natura, fide, & fine matrimonij. Præcepta. n. sunt circa media, quæ ideo ex natura finis sunt perpendenda: finis autem matrimonij fuit propagatio generis nostri per generationem: ex quo fit, vt natura matrimonij sit mutua corporum traditio in illum vsum, iuxta verbum Apostolicum: vbi. n. iubet, quòd vterque alteri debitum reddat, causam subdit, quòd mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir: similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier. Ex hac ergo matrimonij natura suboritur mutua obligatio & fides soluendi sibi debitum: quæ scilicet obligatio, cùm sit in re graui, sub reatu mortalis culpæ genere suo vtrumque coniugum perstringit, estque adeò peccatum illud, iniustitiæ crimen: veluti illud, quo quispiam rem alienam inuito Domino vsurpat. Et confirmatur ratio: nam etsi matrimonium libero consensu copuletur, est tamen postmodum genus quoddam seruitutis: vnde sicut seruus obsequi tenetur hero de necessitate præcepti, iuxta illud Pauli Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, &c. ita & coniuges sibi mutuo in re vxoria morem gerere compelluntur.

Ratio.

Confirmatio rationis.

2. Concl.

Secunda conclusio. Neuter tenetur alteri debitum reddere cum detrimento salutis conseruatricis proprij indiuidui. Probatur, quia ordo tam naturæ, quam charitatis, quæ naturam perficit, id postulat, vt vnaquæq; res accuratius sibi prius consulat, quàm alteri: vnde cum nutritiua virtus conseruationi indiuidui seruiat, generatiua verò cõseruationi speciei, natura prouida sic indiuiduis consuluit, vt nutritiua indiuiduo prius prouideat, & deinde quod superfluit generatiuæ subministret, nemo ergo iiunc ordinem peruertere tenetur, imò neque id vlli licet. Quamuis hic ansam malæ fidei surripere nemo debeat, vt coniugem isto colore defraudet: nam etsi quandoque aliquod paruum detrimentum valetudinis timeatur, nihilominus virtuti iustitiæ satisfaciendum est.

Ratio.

Obiectio.

Quòd si contra primam conclusionem quis arguat. Sequeretur inde semper esse peccatum mortale non reddere debitum: respondetur, quòd præter legitima impedimenta, de quibus illico subsecuturus est sermo, est adnotandum, quod non semper maritus vel vxor petit sub intentione obligandi sub peccato mortali, sed sæpè insinuando & alliciendo, & mouendo: Et tunc negare non est peccatum mortale, imò crebrò nec veniale: quoniam neque creditor pecuniam sibi debitam sub illa ratione semper exigit, vt sit peccatum non reddere. Adde quod etiam si alter obnixè petat, potest alter, dum causa adest, precibus eum demulcere, & persuasum habere ne petat. Imò verò quando vel vxor, vel maritus creberrimè, importunè & molestè petit, non tenetur alter semper ad nutum ei obsequi: quia in petendo debet modus adhiberi: & ideo tunc negans non facit iniuriam, saltem grauem, sed aut nullam, aut venialem. Atque eam ob rem moderati fumus conclusionem, dicentes quòd sit peccatum mortale ex genere, quod vtique potest ex circunstantia & attenuari, & tolli. At verò quando coniux non nisi cum magna difficultate, & quàm tarissimè reddere vellet, & potissimum si periculum in suo coniuge præsentisceret aut adulterij aut alius iniquæ pollutionis, tunc peccatum esset mortale non reddere. Item si vir abstineret, vt prolem ex illa vxore susciperet renueret: vel vxor ne ex viro illo conciperet, vtpote cum vir duxit vxorem maculati sanguinis. Solent enim tunc viri torum separare, quòd certè peccatum mortale est.

Dubium. Solutio.

Quid autem si longa liberorum propagine abundarent, vtrùm tunc licitè possent abstinere? Respondetur, quòd de consensu amborum absque dubio possunt. Vtrùm autem alteri poscenti alter licitè negare valeat, maius est dubium. Sed nihilominus si periculum alterius pollutionis in petente non timeatur, non esset condemnanda illa recusatio alterius præsertim dum paupertate premuntur, vt tantam sobolem alere nequeant: tunc enim profectò solutionem debiti recusans non esset (saltem de mortali) culpandus.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur quòd Hieronymus non arcet coniuges reddentes sibi debitũ ab altari, quia nuptias aut earum vsum condemnet vt ipse se ibidem explanat, sed propter indecentiam. Si enim vt 1. Reg. 21. legitur, qui cum coniugibus se polluerant, ab eiu panum propositionis in lege veteri arcebantur, quanto magis repelli debent à pane qui de cælo descendit? Et eodem pertinet verbum Gregorij can. Vir cum propria. vt maritus cum vxore dormiens, nisi lotus aqua, ecclesiam non intret. Præterquam quòd Magister Hieronymum loqui non censet nisi de ecclesiæ ministris: Quam ob rem sacerdotes Græcorum quo tempore altari ministrant, ab vxoribus cohibentur.

1. Reg. 21.

Greger.

Magister senten.

De temporibus autem, quibus coniuges vt orationi aut communioni vacent, abstinere debeant, tertius nos monet articulus.

Sol. 2. arg.

Ad secundum secunda conclusio respondet, nempe quòd coniux non habet in alterum potestatem nisi integra eius sospitate & incolumitate. Et ideo quando cum detrimento salutis alterius id petit, alter reddere non tenetur, vt si febri aut alio morbo aut dolore ad tempus teneatur.

Obiectio.

Sed iterum contra hanc solutionem arguitur. Appetitus generalis naturæ præfertur particulari: quare membrum contra particularem appetitum offert se ad cauendam plagam toti corpori, & aqua ascendit ad replendum vacuum: cùm ergo species respectu indiuidui se habeat vt totum vniuersale ad membrum particulare, fit vt indiuiduum detrimentum ad conseruandam speciem perpeti debeat.

Solutio

Respondetur, concesso appetitum vniuersalem sua pte natura ad conseruandam speciem præstantiorem esse: quia per indiuidua eam conseruat, vt per media finem, & per membra corpus. Conseruatio autem totius aut est ordinaria ab intrinseco, aut est defensio contra forinseca pericula. Conseruationem verò ordinariam ab intrinseco natura fieri prouidit absque membrorum detrimento. Quare membrum corporis sibi prius nutrimentum prouidet naturale, quàm ad aliud membrum mittat. Sed quando extrinsecus imminet capiti periculum, brachium se offert: sicuti dum locus

per

per violentiam euacuatur aëre, tunc aqua ascendit, vt illum repleat. Conseruatio autem speciei per generationem est ordinaria: quare fieri non debet nisi salua incolumitate individui de superfluo.

De Leprosis.

Id autem quod de leprosis adiectum est, plusculum perplexitatis adfert. Nam & si morbus temporalis, vt dictum est de febri, excusare in tempus coniugem iure valeat à reddendo debito, tamen quia lepra perpetuus morbus est, videtur excusare eum non posse: quia tunc liceret ei perpetuò separari, quod est genus diuortij. Et tamen quamuis lepra sponsalia dirimere sufficiat, neutiquam tamen matrimonium, vt ait S. Th. hic, & Theologorum cœtus, & habetur cap. Quoniam, de coniugio leprosorum. Et quòd lepra dicitur non soluere matrimonium, intelligitur non esse impedimentum dirimens, etiam si nuptias antecesserit, vt d. 34. videbimus. Sed ex altera parte durissimum apparet onus cum tanto periculo obligare coniugem debitum leproso persoluere: & tamen Alexander tertius eodem cap. & antecedenti Peruenit, omnino cogit leprosi coniugem debitum ei reddere, etiam sub anathematis comminatione si renuerit.

Lepra.

Opiniones.

De hac ergo re inter Doctores variatur. Gaufredus namque Cardinalis in sua summa per extremum ait coniugem leprosi non solum teneri ei debitum soluere, verùm & ei cohabitare, si separatim à leprosorum conuentu viuat. Si autem illic vitam degat, tenetur ei reddere, sed non cohabitare. At verò Sanctus Thomas, Bonauentura, Ricardus, & Theologorum plerique sententiam temperant dicentes, teneri quidem reddere, nunquam tamen cohabitare, neque in eodem lecto dormire. Et certè hoc est verissimum: quia cum principalis finis matrimonij non sit nisi generatio, sat est si sanus tali infirmo in illo actu seruiat: nam reliqua cohabitatio non est tam necessaria, & est horrenda. Præsertim quod non tantum periculi in vno congressu imminet, quantum in cohabitatione & communicatione mensæ & lecti. Quapropter Leuit. 22. leprosi de sanctificatis Domino edere vetabantur. Et Nu. 5. iubebantur extra castra eijci.

Communis opinio.

Ratio.

Caietanus.

Imò verò Durandus, Paludanus & Caietanus in summa capitul. De vsu matrimonij, temperatius eandem obligationem mitigant. Et quidem meritò, videlicet, quòd si in redditione debiti medicorum consilio constet periculum contagionis creari, cessat obligatio reddendi. Nam Sanctus Thomas & reliqui propterea dicunt teneri, quia non imminet tantum periculi, quantum in cohabitatione. Ergo à contrario sensu, si tantum impendet, obligatio tollitur. Quare non desunt qui contra tam rigida Decreta Alexandri obmurmurent. Attamen citra murmurationem dicere possumus, quòd Pontifex id solum decernere admonereque contendit, quod lepra de se quamuis horrorem offerat, & metum aliquem leuem contagionis, non sufficit coniugem absoluere ab obligatione debiti: quia non sequitur semper contagio. Neque sufficit, quamuis timeatur prolem eandem lepram contractum ire: nam vt ait hic Sanctus Thomas, melius est prolem sic fore, quàm nullarenus fore. Quare si sanus in causa est coniugi leproso, vt fornicetur, vel se alitet iniquè polluat (quia propter pessimum morbi incendium prurigines carnis patiuntur crebras) particeps fit illius criminis. Et quod de lepra dicitur, de morbo etiam calamitoso Gallico dictum putetur, qui inter nostrates miserè inserpsit. Veruntamen vbi periculum esset morali more certum, aut ingentissimus horror, vt natura ipsa congressum abominaretur, noluit Papa coniugem compellere: vtpote dum lepra eum attigit gradum, qui dicitur leoninus, quo nimirum corpus frustatim dissoluitur. Ecquis enim spectaculum illud in eo potissimum amplexu ferat? Docet præterea cùm ars medica, tum etiam rerum vsus præsentius viris periculum impendere ad leprosam accedentibus, quàm fœminis si viris leprosis obsequantur, adeo vt certius sit periculum ad sanam accedere, quæ fuerat leproso viro cognita, quàm ad leprosam. Itaque in fœmina maior est vis transmittendi morbum vnius viri in alterum, quàm se ipsam eodem maculandi propter exorbitantem iniquitatem fœminei caloris in illo actu. Quam ob rem minus hac ratione vir sanus tenetur vxori leprosæ reddere, quàm vxor viro, non quidem propter inæqualitatem iuris ad petendum, nam par est in ambobus, sed propter diuersam conditionem fœminæ & periculum maius.

Notã.

Declaratur textus.

Viris periculum offertur.

Ad tertium denique argumentum respondetur, non licere coniugi sese impotentem consultò reddere, vt coniugem contra monitum Pauli defraudet, atque adeò nec per illicita media potest se debilitare & extenuare: irrogaret enim tunc alteri iniuriam. Attamen si absque fraude & bona fide honestisque medijs id faciat: nempe seruando ecclesiastica ieiunia, & quædam etiam ex deuotione, impendendoque moderate tempora honestis studijs, nulla est culpa metuenda. Est tamen inter virum & vxorem discernendum, quòd vir reddendo debitum fit in dies impotentior, & ideo fit ei quotidie remissior obligatio, quod non accidit fœminis. Sed è conuerso fœminis minus licet sese ieiunijs & vigilijs macerare & extenuare sine licentia mariti: nam occasionem eis offerunt qui eas negligant & despectui habeant, atque alijs irretiantur iniquis amoribus.

Solut. 3. arg.

Discrimen.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in petitione & solutione debiti æquum sit ius vtrique coniugum.

Partis negatiuæ argum. primum.

QVONIAM coniugium quandam præ se fert æqualitatem, quæritur vtrùm pari iure ambo sibi inuicem teneantur. Et arguitur à parte negatiua. Agens nobilius est patiente, vt 12. super Genes. ad literam author est Augustinus. sed in coniugio vir est agens, & fœmina patiens: in cuius signum, vt Genes. 2. legitur, facta est in adiutorium viri, quasi propter ipsum: ac subinde iussa est sub viri potestate esse: ergo non æquo iure fruuntur.

2. Argum.

Leuit. 18.

Secundò arguitur. Menstruatæ non licet debitum petere propter incommoda quæ timentur in prole: vnde Leuit. 18. Ad mulierem quæ patitur menstruum non accedas: & tamen illa tenetur viro reddere, etiam si ipse fluxum seminis patiatur: ergo non æqua amborum sors est. Idem est de leprosa: nam si maius periculum imminet sano accedenti ad leprosam, quàm sanæ accedenti ad leprosum, minus tunc ipsa petendi ius habet, quàm ipse.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quòd similibus verbis ait Paulus 1. ad Corinth. 7. Vxori vir debitum reddat. Similiter & vxor viro: quoniam vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier: & mulier non habet, &c. sed vir.

Conclusio.

Quæstio facilis est, quæ vnica conclusione dissoluitur. Vir & vxor æquali iure gaudent, æqualitate non quantitatis, sed proportionis. Æqualitas enim quantitatis est, quæ in eadem mensura consistit, vt inter libram vnam & alteram, atque inter vnam & alteram vlnam. Æqualitas autem proportionis est inter duas æquales proportiones: qualis enim proportio est duorum ad vnum, est quatuor ad duo nempe dupla. Vxor ergo non viro æqualis est in quantitate, quia neque eadem prudentia in illa viget, neque idem gubernandi iudicium. Quare neque eodem debet potiri imperio, sed debet esse audiens viro qui vt ait Paul. est caput mulieris. Est tamen æqualitas proportionum: habent enim distributa inter se officia, vnde quo iure tenetur vxor ea quæ ei domi pertinent, agere, eodem tenetur vir ea quæ ad ipsũ spectãt, perficere. In toro verò vterq; eodem iure tenetur alteri: nam fides inter eos est æqualis. Imò verò quodammodo vir arctiùs obligatur quàm vxor. Præceptum namque reddendi debitum affirmatiuum est, ac perinde licet semper obliget, non tamen (vt aiunt) pro semper, sed tunc quando alter exigit: nam petere nunquam tenetur, sed ad vitandam fornicationem in altero, quod est quodammodo reddere.

Æqualitas quantitatis.

Æqualitas proportionis.

Vxor non est æqualis viro in quãtitate, sed in proportione.

Petitio duplex.

At verò duplex est petitio, scilicet expressa & interpretatiua, quando signa apparent voluntatem subindicantia. Et quoniam in fœmina vehementius verecundia obtinet & pudor, quàm in viro: licitum est vxori expectare expressam petitionem viri, quando viro eandem non licet expectare in vxore, sed debet ad illam interpretatiuam aduuere. Sicut medicus morbo infirmi, quando illum sentit, occurrere tenetur, & prælatus subuenire subdito. Quòd si redarguas. Ergo non pari iure militant coniuges in redditione debiti. Negatur consequentia, quia hoc non nascitur ex iuris disparitate, sed quia vxoris petitio non est ob verecundiam tam libera.

Obiectio.

Solut. 1. arg.

Et per hæc primo argumento satisfactum est: nam & si agens nobilius sit passo, est tamen eadem propor-

tio patientis ad patiendum, quæ agentis ad agendum: & ideo eodem iure tenetur vterque alteri. In reliquis autem domesticis officijs sicut membra tenentur obedire capiti, ita & caput, licet sit principalius, tenetur suo modo morem gerere membris.

Circa 2. arg. Circa secundum argumẽtum de menstruata notandum in veteri lege loco citato prohibitum fuisse accessum ad menstruatam duplici de causa, nempe propter legalem immundiciem: qua ratione erat præceptum cæremoniale: quare qui ad eam accedebat, erat irregularis ad tractandum sacra. Illa autem cæremonialis ratio cessauit in lege noua cum reliquis cæremonialibus præceptionibus. Fuit autẽ alia ratio moralis, quod illo mẽstruo sanguine proles crebrò solet infecta gigni: quæ quidem ratio etiam in lege euangelica perdurat. Quam ob rem menstruata mulier peccat debitum petendo. Quòd si arguas. Ergo si sterilis est, non erit ei culpa petere. Respondet D. Tho. quod quamdiu menstruum patitur, constare non potest esse sterilem. Præsertim cùm quædam, licet fuerint in iuuentute steriles, postea efficiuntur fœcundæ.

Obiectio.

Dilutio.

Menstrua naturalia. Cùm autem de tempore menstruorum loquimur, illa prorsus intelligimus, quæ sunt naturalia, & certis temporibus per menses (vnde nomen sortiuntur) mulieribus accidunt. Sunt quippe alia menstrua innaturalia, nempe perpetui fluxus ex morbo prouenientes, à quibus æmorrhoissam illam curauit Dominus Matth. 9. quorum causa non tenetur mulier non petere, alio qui perpetuo deberet abstinere.

Solu. alius argumen. Et per hoc soluitur argumentum de lepra: nam etiam si periculum offerat generandæ proli, nihilominus quia est morbus perpetuus, non obligat ad perpetuam abstinentiam.

Et patiter ad illud, quod de fluxu seminis in viro obiectum fuit. Est enim perpetua passio & nimis diuturna, quæ ideo exactioni debiti obstare non debet. Præterquam quòd corruptum illud semen non est tam generationi aptum, quàm menstruus sanguis, vt perinde ac ex menstruo sanguine sit inde proli timendum. Ex his fit consequens, quòd nec vito licet à menstruata propter idem periculum debitũ exigere. Quapropter in hoc pares sunt ambo coniuges.

Appendix.

Dubium. Vtrùm verò aut menstruatæ petenti teneatur maritus reddere, aut ipsa petenti marito, maius dubium est. Scotus namque distinctione præsenti negat licere, propterea quod idem periculũ sequitur reddẽdo quod petendo. Et idem ait Glossa super can. Ad eius. distin. 5. Nisi timeatur fornicatio in petente. Et idem Ricardus distinctione præsenti, articulo 4. quæstione 1. At verò Diuus Thomas hic hanc opinionem non approbat, sed sub distinctione respondet. Quod si vir petat scienter, tunc debet eum vxor precibus & monitis auertere, non tamen quando periculum iniquæ pollutionis in ipso timeat. Si verò perit ignoranter, potest aliquam occasionem obtendere, vel aliam infirmitatem (si habet) allegare, quamuis non illam, ne horrorem illi objiciat. Si tamen ille omnino institerit, reddere debet: quia mulier, vt ait Paul. potestatem sui corporis non habet, sed vir. Vbi insinuat, quòd etiam si non timeat aliud periculum in viro, teneatur reddere propter ius quod habet ille petendi. Et eandem opinionem tenet Sylvest. verb. Debitum coniugale. §. 6. & Caietanus in summa cap. de vsu matrimonij, & Bona uentura & Paluda. quæst. 1. vbi citat Petrum de Tharantasia.

Scotus.

S. Thomas.

Dubium. Sed vt omnia simul disputemus, quæritur quale quantumque peccatum sit menstruatæ, eiusque viro debitum aut petere, aut reddere. Scotus distinctione præsenti tenet vtrumque esse mortale: maiori enim, inquit, præcepto tenetur vir cauere proli futuræ morbum, quàm dare operam ei progignendæ. Idque ex illo Leuit. 20. confirmat, Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Pœna autem mortis non infligebatur, nisi pro peccato mortali. Quod quidem præceptum, quatenus mortale est, vt supra diximus, perseuerat nunc etiam in lege euangelica. Et Hiero. super illud Esaiæ 44. Omnes iustitiæ vestræ quasi pannus menstruatæ. Tunc, inquit, viri abstinere babent à mulieribus: quoniam concipientur membris damnati, cæci, claudi, leprosi, vt quia parentes non erubuerunt in conclaui commisceri, eorum peccata pateant cunctis, & apertius redarguantur in paruulis. Sylvester verò loco citato concedit propterea peccatum mortale esse sponte petere, nullum tamen exactum reddere.

Scotus.

Hierony.

Sylvest.

At re vera vt reddere cum circunstantijs, quas D. Tho. explicat, nullum est peccatum, ita nec petere est mortale. Et ita tenet impræsentiarum Palu. & Caiet. loco citato. Et in primis, quòd hæc sit mens S. Thomæ, patet: nam vbicunque ipse peccatum agnoscit mortale, id certè expressè profert: hic autem non ait, nisi simpliciter esse peccatum, petere. Et re vera ratio non vrget esse mortale: quoniam & si illa nocumenta proli timeantur, tamen neque sunt adeò certa vt semper eueniant, neque tenentur coniuges tam arctè illa cauere, vt iuri suo cedere debeant. Et re vera, vt ait S. Tho. melius proli est esse, licet cum infectione, quàm simpliciter non esse. Vnde illa vetusta prohibitio legis, qua parte erat cæremonialis, habebat annexum supplicium illud mortis: quæ quidem ratio iam cessauit. At quatenus erat morale præceptum, vt cessauit supplicium illud, ita transgressio desiuit esse mortalis. Et certè si mortale esset petere, non esset facilè alteri concedenda licentia reddendi. Et ideo Scotus vtrumque censet esse mortale. Sed Sanctus Thom. quia petere solùm arbitratur esse veniale, ait, nullum esse peccatum reddere.

Scotus.

Quòd si contra arguas, Leuit. 18. & 20. simpliciter prohibebatur vir accedere ad menstruatam vxorem: ergo etiam reddere est illicitum. Negatur consequentia: nam quicquid sit de illo tempore propter cæremoniale mandatum, modò tamen accessus non prohibetur, nisi qui spontaneus est. Qui autem reddit debitum, non sua sponte accedit.

Obiectio.

Dilutio.

De tempore autem puerperij, quo scilicet puerpera manet in purificatione, antequam templo suum offerat infantem, ait Gregorius in epistola vltima ad Augustinum Anglorum, quæ refertur canone citato, Ad eius, dist. 5. quòd debent coniuges abstinere. Sed vt ait impræsentiarum Ricard. mos ille iam abiuit ab vsu: vel potius, inquit, magis est monitio, quàm præceptum. Quare reddere non est dubium quin tunc liceat, quin etiam & petere, nisi aliqua sit indecentia quando dies partus nuperrimè antecessit.

Tempore puerperij.

ARTICVLVS III.

Vtrùm causa voti, aut orationis, aut temporis sacri possit coniux debitum negare alteri.

Pars affirmatiua. Argum. 1. QVAMVIS æquo iure coniuges, vt dictum est, sibi mutua fide teneantur debitum soluere; tamen explorandæ sunt causæ & casus, qui coniugem ab hoc vinculo eximunt. Arguitur ergo primò, quòd religionis causa possit vterq; altero inuito votum castitatis emittere, quod eum à reddendo debito excuset. Primò, quia non est expectandus illius consensus, qui eum citra peccatum negare nequit: sed si vouere volenti alter esset impedimento, peccaret: quia statum melioris frugis impediret: ergo absque eius consensu potest alter vouere.

2. arg. Secundò. Tempore festo neutri licet debitum petere: quia tunc tenetur quisque sacris vacare, cui officio carnalis vsus ineptum hominem reddit: ergo potest tunc vnus altero inuito votum facere non reddendi. Idemque est argu. de loco sacro, in quo nullus videtur posse petere, neque teneri reddere.

Pars negatiua. In contrarium est verbum Pauli 1. Corinth. 7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.

Decis. art. Hanc quæstionem, qua parte ad votum coniugum spectat, dist. 27. q. 1. art. 4. copiosè disputatam reliquimus, vt ipsa diffusa est, & locuples. Et ideo huius partis nihil restat repetendum: præsertim quia hic solùm de vsu matrimonij disputamus. Ad quam quæstionem tribus conclusionibus facillimè respondetur. Supponimus enim in primis ex loco citato, posse matrimonium ratum non consummatum licere alterutri coniugum altero inuito, religionem profiteri, quod tum rationibus, tum & canonibus compluribus de conuersio. coniuga. & 27. q. 2. comprobauimus. Quapropter induciæ duorum mensium vtrique conceduntur, cap. Ex publico. eo. tit. vt eandem sibi religionem optare valeat. Quo vtique tempore neuter alteri tenetur debitum reddere. Item neq; adulteræ vel adultero tenetur innocens coniux eiusmodi officium

Post matrimonium ratum.

soluere:

soluere: quæ quidem disputatio vsq; ad dist. 36. dif fertur. Post matrimonium verò consummatum. vt ibidem monstratum est, neutri licet absque alterius facultate religionem ingredi, vt eisdem canonib. & potissimum ca. Quidam. eo. tit. definitur. Imò neque alterius consensus sufficit, nisi vel simul ipse intret, vel sexagenarius existat. Omnia illic discussa concluſaque sunt.

1. Concl. Quo ergo citra religionis ingressum ad coniugalem vsum descendamus, sit prima conclusio. Neuter coniugum potest citra voluntatem alterius votum facere non reddendi, imò faciendo mortaliter peccat, neque implere tenetur. Eandem conclusionem affirmat Aug. super Psal. 46. & refertur. 33. q. 5. can. Si dicat, & can. Secundum verba, vbi ait. Si dicat vir, Continere iam volo, vxor autem, Nolo, non potest: quod enim tu vis, non vult illa. Et rursus. Secundùm verba apostolica si vir continere voluisset, & tu noluisses, tibi debitum reddere cogeretur. Probatur, quia votum, vt nomen ipsum sonat, spontaneæ voluntatis actus est: quare non est emittendum nisi de illis rebus, quæ nostro subiacent arbitrio, cuius generis non sunt illa quæ alijs debemus, quippe quæ sunt aliena: cùm igitur maritus sui corporis potestatem non habeat, sed vxor: neque verò vxor sui, sed maritus, neuter potest altero inuito tale votum non reddendi emittere. Imò verò vt lib. 7. de iustit. & iur. q. 3. art. 1. disputabamus, quamuis alter alteri huiusmodi licentiam concedat, potest illam postmodum reuocare. Idem hic tenet Ricardus art. 2. q. 1. Et est sententia Aug. can. Manifestum. 33. q. 5. Nisi forsan mutuam sibi facultatem facientes vouendi, vterque iure suo petendi renunciet. Præsertim dum ambo vel alter religionem mutuo consensu profitentur. Quo casu intelligitur verbum eiusdem Augu. can. Quod Deo, ead. caus. & q. Quod Deo enim, inquit, pari consensu voueratis, perseueranter vsque in finem reddere debuistis.

Ratio conclusionis.

Dubium. Vtrùm autem possit vterque altero inuito votum facere non petendi, dissidium inter doctores est. Nonnulli namq; (quorum est dist. præsenti Ricardus art. 2. q. 1.) licitum arbitrantur. Et hanc ille putat opinionem esse securiorem & communiorem: quia in arbitrio cuiusque positum est exigere. At D. Th. hic solutio ne ad 3. probabilius censet id negare. Cui Durandus & alij multi adstipulantur, quia per eiusmodi votum fit alteri coniugi matrimonium oneroſum: quippe cùm pondus exigendi in eum semper propendeat. Negat autem Ricardus inde fieri oneroſum, cùm neque alter, qui non vouit, petere, nisi dum ei libuerit, teneatur: imò ab onere reddendi liberatur, quòd vtiq; solet esse molestum. Veruntamen certè huiusmodi votum, præsertim in viro, suppoſita humana fragilitate oneroſum est vxori propter verecundiam, qua fœminæ in petendo suffunduntur: & nunquam petere, re vera periculo non caret: præsertim in iuuentute vsque ad ætatem senilem, quamuis senibus non esset tanto periculo peruium. Hæc enim per prudentiam moderanda sunt. Et re vera nunquam aut quàm rarissimè consilium est talia vota emittere: & dum fiunt, consilium est, vt episcopali dispensatione tollantur. Cæterum & contra Ricardum arguitur. Vir potest quæcunque vota vxoris irritare, vt lib. 7. de iusti. & iur. q 3. artic. 1. latè diduximus: ergo & illud si faciat non petendi.

Ricardus.

S. Thomas.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum negatur, quòd dissentiens voto alterius delinquat: quoniam id non facit, vt bonum religionis auertetur, sed vt bono proprio consulat.

Aliud arg. At verò aliud soluendum restat argumentum. Licet n. viro absque vxoris facultate crucem in subsidium terræ sanctæ accipere, & illuc peregrinari, vt habetur cap. Ex multa. §. quod autem, de voto & voti redemptio. id quod imaginem præ se fert voti castitatis: ergo vxor idem potest. Respondetur in primis, acceptionem crucis non esse votum castitatis, sed militiæ. Potest. n. vxor maritum sequi in bellum, & quamuis nequeat, tamen in fauorem Christianæ religionis id ecclesia concessit. Imò iussu regis potest maritus vxore etiam inuita & relicta militare, & ad alia negotia suapte sponte peregrè proficisci: neque fides matrimonij obstare potest. Mulier autem, quæ non est militiæ & similibus negotijs idonea, minimè id absque viri facultate valet.

Solutio.

Diebus festiuis. De temporibus autem sacris Magister sententia. hic ac perinde D. Thomas. & reliqui eius interpretes nimium strictè loqui videntur. Aiunt quippe nullo die festo aut ieiuniorum licere debitum petere, sed esse peccatum veniale. At reddere nullam esse culpam. Membrum autem prius profectò durum apparet concessu.

2. Concil. Et ideo fortasse sat est sic secundam conclusionem statuere. Diebus solennitatum, quæ sunt præcipuæ, non caret veniali culpa debitum petere, nempe in diebus natalis, & paschatis, & aliorum festorum, quibus articuli fidei celebrantur, vt in die Pentecostes, Ascensionis, & in die veneris sancta. Nam etsi actus matrimonialis de se nullam habeat annexam culpam, habet tamen nonnihil indecentiæ & ineptitudinis ad orationem, & contemplationem, quibus diebus illis opus est vacare. Quamuis cùm circunstantia diei festi non trahat actum in aliam speciem, scilicet sacrilegij, veluti loci sacri, non aggrauat mortaliter. Quanquàm si tunc solius gratia delectationis, petatur, grauius est veniale. Decretum est August. quod refertur 33. quæstione 4. canon. Quotiescunque. vbi ait, quod quotiescunque dies natalis Domini aut reliquæ festiuitates aduenerint, à proprijs vxoribus abstinendum est. Idem censet causa processionum, quæ fiunt solenniter, aut causa ieiuniorum, vt ait Ambros. in sermone de aduentu Domini, & idem August. in lib. quæstionum noui & veteris testamenti. c. 187. & referuntur ibidem can. Fratres, & canon. Christiano. Veruntamen fortasse non tam præcepta insinuare volunt, quàm salutaria monita. Præsertim quod cùm iam mos iste processionum solennium adeò elanguerit, vt rarissimus populus interesse soleat, nescio an illa de causa petitio debiti sit culpæ tribuenda. Et idem ferè de ieiunijs dixerim, & de alijs festis, quæ non tanta cum solennitate celebrantur. Quorum iam numerus plerisque locorum valde succreuit. Quamuis in his locum illud habeat Gregorianum, Timorati animi est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. At si Paulum de hac re consulamus, non in tantas angustias rem vxoriam conijcit: imò admonet ne se defraudent, nisi orationis causa, & de consensu vtriusque. Cæterum quia festiua tempora orationi dedicantur, hæc decreta tunc abstinendi patres inde collegerunt. Sunt tamen, ne oneroſum fiat matrimonium, cum moderamine auscultanda: esset enim nimis graue per totam quadragesimam coniuges iure petendi spoliare.

August.

Ambros.

Sententia autorum.

Gregor. Paulus.

Reddere. Quod autem reddere quocunque tempore liceat, inde patet, quod ait Paul. Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, & è conuerso.

Vnum tamen hoc verum est, quòd qui sacram communionem manè susceperus est, non esset liber à culpa si illa nocte debitum exigeret: imò illo exigente deberet alter, antequàm redderet, petitionem honestis precibus & excusationibus repellere, iuxta admonitum Hieronymi supra citatum can. Sciatis, ea. cau. & q.

Solut. 1. arg. Et per hæc patet responsio ad secundum argumentum. Obijcitur autè historia Gregorij 1. lib. dialogorum, vbi de quadam muliere refert, quod cùm nocte cognita fuisset viro, & mane in processionem prodiret, à diabolo arrepta est. Et Exodi. 29. præcipiebatur vt dum populus accepturus erat legem, vxoribus non appropinquarent: quæ quidem videntur peccati mortalis indicia. Respondetur autem, quòd mulier illa non præcisè propter coniugalem amplexum fuit castigata, sed propterea quòd ingenti temeritate & impudentia sese diuinis iniecerat. Præcepta autem vetera, quæ plurimùm erant cæremonialia, & carnis immundiciem nimium prohibentia, non sunt in noua lege ceu sub reatu mortali obligantia alleganda.

Exod. 19.

In loco sacro. 3. Concl. Ad hæc verò & consideratio loci sacri accedit, in qua maior difficultas consistit. Ob idque subnectitur tertia conclusio. In loco sacro siue exigere, siue reddere, vtrumque genere suo peccatum mortale est. Probatur, quia per turpem effusionem spontaneamque seminis violatur locus, sitque celebrandis sacris ineptus, quousque reconcilietur. Quapropter eiusmodi effusio sacrilegium est, quod genere suo est mortale. Nomine autem loci sacri intelligitur corpus ecclesiæ consecratæ, vel benedictæ: nam in cæmiterijs, & in cameris ecclesiæ adhærentibus. & in campanilis nulla est violatio.

Locus sacer quis.

Limitatio. Hanc autem conclusionem Ricardus distinctio-

Digitized by Google

ne præsenti, articulo 3. quæst. 1. sic moderatur, quòd sit intelligenda quando coniuges diuturnam moram non trahunt in ecclesia: nam si diu ibidem commorentur violenter recluſi, videtur, inquit, tunc licitum esse eis in illo loco exigere & reddere: quia non est ponendus, ait, laqueus animabus propter immunditiem loci. Attamen profectò si propter debitum coniugale violatur ecclesia, vt est fatendum, nescio quo modo ratione diuturnæ habitationis excusetur talis concubitus à peccato mortali. Alia ergo fortasse erit aptior moderatio, quòd quando talis concubitus est sic occultus, vt in publicum venire non possit, tunc forte non est coniugibus peccatum mortale. Nam vt dist. 13. quæst. 2. artic. 3. scripsimus, nisi de violatione legitimè constiterit, non est à celebratione abstinendum. Ob idque iniuria non est adeò atrox censenda. Si tamen concubitus ille sit publicus, ad quod sufficit, vt coniuges in eodem toro publicè accubent, profectò non accusarentur à mortali, etiam qui redderet, postquàm neuter illic habet ius petendi. Quocirca nulla de causa admittendi sunt coniuges intra corpus ecclesiæ in eodem lecto cubare, nisi in turri, vel in adiacentibus cameris, vt prædictum est. Si tamen vi tenerentur iunctim, vis fortasse eos à mortali culpa excusaret: nam esset tentatio maior, quàm vt superari posset.

Sententia auctoris.

Alia limitatio.

Nota.

In calce denique memorandum, quòd non quibuscunque anni temporibus nuptias solenniter celebrare fas est, sed aliqua sunt excepta. Enimuerò, quando nouæ traduntur sponsæ, tunc coniugum animi vehementi voluptate tenentur: cognatique & necessarij immodica lætitia dissolui consueuerunt: & ideo temporibus illis, quæ sunt ad vacandum spiritualibus dedicata, nuptiarum celebratio interdicitur: nempe ab aduentu Domini vsque ad Epiphaniam propter communionem, quæ in more erat antiquitus sub natale Domini fieri. Et à septuagesima vsque ad octauas Paschæ causa communionis paschalis. Et à triduo ante Ascensionem vsque ad octauas Pentecostes: nam & tunc sacra communio erat consueta, vt in concilio Ilerdensi statutum est can. Non oportet. & per Nicolaum, can. Nec vxorem. 33. quæstione 4. Nam etsi illic tres hebdomadæ ante festum natalis beati Ioannis Baptistæ fuerint designatæ, illud est, quia in illud tempus plurimùm solet festum Pentecostes incidere: quare maioris claritatis gratia, Clemens. 3. aliàs Cœlestinus, ca. Capellanus, de ferijs, expressit tempus à rogationibus vsque in festum trinitatis.

Nuptiarum solemnitas quo tempore interdicta.

Ca Capellanus. de ferij.

Super hæc tamen tempora, vt in illis nuptiæ solenniter celebrentur, quòd Papa dispensare possit, nemo ambigere potest, cùm sit de iure positiuo. An verò episcopus id possit, dubitatur, propterea quòd canones illi, Nec vxorem, & Capellanus, à pontificibus magnis emanarunt. At verò quia episcopus in sua diœcesi quantum ad hoc id quod Pontifex in toto orbe, nisi ab eodem Pontifice impediatur, facere potest, non est negandum, quin si aliqua vrgens causa ingruerit, vt si aliquis pauperem puellam dotare noluerit, nisi illico nuptias cum aliquo solenniter consummet, vel alia vrgentior, episcopus valeat dispensare, vt sponsi in ecclesia inter sacra velentur. Dummodo nec populus adsit frequens, nec aliæ consuetæ solennitates interueniant.

Episcopus.

* *
*

DISTINCTIO TRIGESIMATERTIA,

DE POLYGAMIA ET REPVDIO.

Textus. Cap. 1.

AT quoniam de mutua fide loquimur, quæ in vicario reddendo debito coniuges sibi inuicem debent, operæpretium est de polygamia sermonē interserere, quæ apud antiquos patres in more fuisse legitur, an fuerit licita, deq; libello repudij, quod matrimonij perpetuitati obstare videtur. Procul dubio tamen numerositas illa vxorum licita fuisse creditur, neque alio quàm honesto fine introducta. Fuerat quidem primæuum syncerumque matrimonij fœdus non nisi in coniunctione vnius cum vna institutum: vnam quippe vxorem de vna Adæ costa, non duas de duab. Deus condidit, quæ esset ei socia. Cuius ideo diuino spiritu plenus ait, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in carne vna. Id quod ad pacificum tranquillumq; conuictum domus maximè congruit. Quapropter Lamech, qui ante diluuium duas legitur sibi adsciuisse vxores, non tam iure, quàm libidine allectus id fecisse censetur. Attamen cum Dominus ex vastissima gentilitate vnum Abrahā segregauerit, cuius soboles, perexiguus populus, vnum verum Deum coleret, ratione optima per internum spiritum patres illos docuit polygamiam eis ad propagandum eundem populum & cultum licere. Tametsi Abraham ad Agar vxoris ancillam altiori mysterio fuerit ingressus, quod Paul. ad Gal. enarrauit. Quocirca de Iacob August. lib. 16. de ciuita. Dei. Ob id, inquit, plures accepit vxores: quoniam eo tempore multiplicandæ posteritatis causa plures vxores accipere, lex nulla prohibebat. Et contra Faustum, qui negabat vnquam polygamiam licuisse, ac proinde aiebat Iacob quatuor habuisse scorta, lib. 22. Obijciuntur, inquit, Iacob pro ingenti crimine quatuor vxores. At quando mos erat, crimen non erat. Et nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia cōtra mores, alia contra præcepta. Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur. Si morem, illo tempore atq; in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus hoc non licet. Et lib. de bono coniugali. Tunc patres plures vxores inculpabiliter ducebant. Sicut enim sapiens & iustus, qui iam concupiscit dissolui & esse cum Christo, & hoc optimo magis delectatur non iam hic viuendi cupiditate, sed consulendi officio sumit alimentum, vt maneat in carne, quod necessarium est propter alios:

Genes. 2.

Genes. 4.

Capi. 4. Cap. 38.

Cap. 47. & 49.

Cap. 15.

sic

Digitized by Google

sic miſceri fœminis iure nuptiarum tunc officioſum fuit ſanctis viris, non libidinoſum.

Cap. 21. Et infra. Sicut non eſt impar meritũ patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Ioanne, qui paſſus non eſt: ſic non eſt impar meritũ continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abrahã, qui filios genuit. Nam illius cœlibatus, & iſtius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militauerunt: ſed continentiam Ioannes in opere, Abraham in ſolo habebat habitu. Melior eſt autem caſtitas cœlibum, quàm nuptiarum: quarum vnam Abraham habebat in vſu, ambas in habitu.

Cap. 2. Veruntamẽ quanquam vnum virum pluribus vxoribus commiſceri non ſic natura vetet, quin bona cauſa fieri Deus permiſerit, tamen eandem fœminam pluribus nubere viris vſque adeo abhorret, vt nulla

Cap. 17. de cauſa fuerit vnquam licitum. Vnde Aug. eod. lib. de bono coniuga. Occulta, inquit, lege naturæ amant ſingularitatem quæ principantur: ſubiecta verò non ſolum ſingularia ſingulis, ſed ſi ratio naturalis vel ſocialis admittit, etiam plura vni non ſine decore ſubdũtur. Neque enim ſic habet vnus ſeruus plures dominos, quomodo plures ſerui vnum dominum. Ita duobus ſeu pluribus maritis viuis nullam legimus ſeruiſſe ſanctarum, plures autem fœminas vni viro legimus coniunctas, cum gentis illius ſocietas ſinebat, & temporis ratio ſuadebat. Neque enim contra naturam nuptiarum eſt. Plures enim fœminæ ab vno viro fœtari poſſunt, vna verò à pluribus non poteſt. Hæc eſt principiorum vis, vt plures fœminæ vni viro ſint, ſicut multæ animæ vni Deo rectè ſubduntur. Ideoque non eſt verus Deus animarum niſi vnus: vna verò anima per multos falſos deos poteſt non fœcundari.

Cap. 3. Vbi autem, vt ait Paul. venit plenitudo temporis, quo Chriſti gratia eſt per vniuerſum orbem effuſa, reducta eſt lex nuptiarum ad priorem honeſtioremque inſtitutionem, vt aliud nullum probetur coniugium, quàm vnius cum vna. Habet enim iam inde ſacramenti rationem, quod de latere Chriſti emanauit, atque adeo oportet, vt ſignificationem indiuiduæ deſponſationis eius cum eccleſia integram ſeruet. Quapropter ſuper hoc nulla eccleſiæ diſpenſatio locum habet, vt ſub tit. de ſponſa duorum decretum eſt.

Cap. Gandemus. Nam, vt Inno. in quodam. c. de diuortijs arguit, ſi dimiſſa vxore fornicationis gratia non licet dimittenti citra mœchiæ crimen (vt Chriſtus admonuit) aliam ducere, longè quidem id minus alia retenta fas erit.

Cap. 4. Quod autẽ ad libellum repudij attinet. Ad duritiam, inquit, Iudæis Chriſtus, cordis veſtri permiſit vobis Moyſes dimittere vxores veſtras: ad legem nimirum alludens, quæ

Cap. 24. in Deuter. de hac re ſcripta erat. Eam autem legem, licet non deſint qui ſic interpretentur, vt facultas illic fuerit conceſſa licite repudiandi vxores, tamen & redemptoris verbis, & rationi ex natura matrimonij profectæ longè eſt magis conſentaneum, legem illam nulli feciſſe facultatem rei minùs bonæ, ſed licentiam indulſiſſe rei minus malæ, nempe vt impunè id fieri ſineretur ad cauẽdum vxoricidium, ſicut nunc per meretricium cauetur adulterium. Adeò enim eſt perpetuitas matrimonio ſuapte natura innata, vt niſi religionis gratia nunquam fuerit diſſolubile. Sed ne duricies cordis eorum peiora machinaretur, minus incommodũ viris illis indultum eſt. Fœminis verò, quibus nefandiſsimum crimen eſſet virorum necem intentare, nequaquam permiſſum fuit illos repudiare. Id quod & aliud indicium eſt viris non tanquam licitum fuiſſe permiſſum.

Cap. 26. Vnde lib. contra Fauſtum. 19. Auguſt. Non, inquit, ait lex, Qui voluerit dimittat vxorẽ, ſed quia nolebat dimitti vxorẽ à viro, hanc interpoſuit moram, vt in diſsidium animus præceps, libelli conſcriptione refractus abſiſteret, & quid mali eſſet vxorem dimittere, cogitaret. Et ideo ad ſcribas, huiuſmodi diſſidij diſſuaſores lex mittere voluit eũ quem iuſsit libellum repudij dare. Neque enim niſi ab ipſis Scribis libellus ſcribi poterat. Hæc ille. Lex autem euangelica ſynceritatis matrimonij cuſtos nullum repudium, ſed ſolùm quoad torum diuortium, idque duntaxat fornicationis cauſa, permittit.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆTERTIÆ,

Quæſtio prima,

DE VXORIBVS PLVRIBVS VNIVS VIRI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm habere plures vxores ſit iuri naturæ contrarium.

AD hanc ſecundam principalium partem, qua de nexu & vſu matrimonij diſputatur, rimari tandem attinet, an liceat, licueritve, & quo iure licuerit plures habere vxores, & per repudium coniuges ſeparari. Quæ quidem duo diſtinctio præſens trigeſimatertia, nobis ſuggerit, diſputanda duabus proinde contenta quæſtionib. vna ſcilicet de pluribus vxorib. atque altera de libello repudij. Nam tertia, de virginitate, & quarta, de concubinatu ſeu fornicatione, quas hic Magiſter ſentent. commiſcuit, longè ſunt à re præſenti peregrinæ, pertinent enim ad materiam caſtitatis, quæ ſpecies eſt temperantiæ. De quibus ideo Diuus Tho. 2. 2. q. 152. & ſubſequentibus diſputauit: quare hic prætereundæ nobis ſunt.

Quæritur ergo primò, vtrum cum pluribus ſimul vxoribus vnum virum matrimonia coniungere ſit contra ius naturæ. Et arguitur à parte negatiua. Illud eſt contrarium iuri naturæ, quod aduerſatur fini, quem ſibi natura in agendo præſcripſit, vt nomen ipſum per ſe ſatis oſtendit: habere autem plures vxores non aduerſatur fini, quem natura matrimonio contrahendo præſcripſit: ergo non eſt contra ius naturæ. Probatur minor. Finis matrimonij potiſſimus eſt prolis generatio & educatio, vt 8. Ethic. Philoſophus autor eſt: huic autem fini nequaquam commercium cum pluribus vxoribus aduerſatur: nam vt idem philoſophus. 15. de animalibus ait, mas in generatione ſe ge-

Pars negatiua. Argum. 1.

Probatio minoris. Ariſtot.

rit erga

sit erga fœminam, vt agens circa materiam quæ patitur: neutiquam verò naturæ agentis repugnat in plures materias, suas simul exercere vires. Imò verò id generi multiplicando plurimum conducit: tum quòd si vna fuerit inutilis, alia potest esse grata, & si vna sterilis, alia erit fœcunda: tum quòd postquam vna concepit, poterit aliam ac subinde aliam fœcundare: nam quæ semel in vtero habet, raro alterum fœtum concipit, & ratissimè absque aborsu parit: & ideo experientia docet quod qui pluribus vtuntur vxoribus, quemadmodum Saraceni, vberrimè procreant.

2. Arg. Secundò. Ius naturale est, quod natura omnia animantia docuit, vt ff. de iure naturali genti. & ciuili habetur: sed natura cætera animantia non docuit, vt mas non nisi vni fœmellæ copuletur: ergo id ipsum si homo faciat, minimè naturali iuri officit.

Pars affirmatiua. In contrarium est verbum illud Domini (primum instituentis matrimonium) ore Adæ prolatum, Erunt duo in carne vna.

Decisio art. Quæstio præsens duos potest exhibere sensus. Vnus est, vtrum vxores plures vni commisceri viro, sit modo aliquo iuri naturæ contrarium, hoc est, dissonum & minus congruens. Alter verò, vtrùm simpliciter sit contra ius, hoc est, contra præceptum naturæ, ita vt citra dispensationem nequaquam id vnquam licuerit. Et quia prioris sensus pars affirmatiua nemini in dubium venit, sed de posteriori nonnulla est opinionum controuersia, duo de hac re distinguendi sunt artic. Ad primum ergo tribus conclusionibus iuxtà tres matrimonij fines respondetur. Quidpiam enim esse contra ius naturæ per id quod naturale est, venit perpendendum: naturale autem est quicquid rei naturæ congruit, siue ratione generis, vt magneti, quatenus graui, conuenit deorsum cadere: & homini inquantum animali esus & potus: seu ratione speciei, vt magneti ferrum trahere, & homini ratiocinari.

Contra ius naturæ quid. At quia de iure naturæ loquimur, nihil aliud quàm operæpretium fuerit distinctionem exponere inter inclinationem naturæ & institutum naturæ & legem, seu ius naturæ. Inclinatio enim communis omnibus rebus est, siue cognoscentibus, siue cognitione carentibus: inclinatur quippe graue (vt ferrum) ad descensum: & leue (vt ignis) ad ascensum. Instinctus autem est eadem inclinatio in rebus cognoscentibus, sed tamen intellectus & rationis expertibus: instinctus namque est impetus appetitus cognitionem sequentis. Lex autem ijs propriè competit qui intellectu vigent, vt angelis & hominibus. Et ratio discriminis est, quòd lex idem est quod regula, qua actiones diriguntur. Bruta verò cùm non cognoscant suarum actionum finem, (hirundo enim non cognoscit quo fine nidum extruat) nequeunt actiones suas in finem dirigere, atque adeo nec eorum cognitio potest dici regula aut lex, ius, sed instinctus appetitum instigans, quo à natura impellitur ad cibum & potum, atque ad alia, quibus animalia conseruantur. Instinctus verò ille descendit ex lege Dei dirigentis res quascunque in suos fines. In homine verò, quia cognoscit suarum actionum naturalem finem, in quem eas dirigit, cognitio eius practica dicitur, & est lex, seu regula iusque naturæ.

Nota distinctionem. *Inclinatio naturæ.* *Instinctus.* *Lex siue ius naturæ.*

Finis matrimonij triplex Primus. Est autem finis matrimonij triplex, sicuti & bonum eius trinum. Primarius quidem est prolis generatio & educatio, qui homini conuenit ex naturâ generis: nempe tanquam vni ex animalibus, quæ natura in hoc officium commistionem docuit maris & fœminæ, vt 8. Ethic. author est Philosophus, & loco superius citato. ff. refertur. Et bonum, quod huic fini respondet, est proles. *Secundus.* Alius est secundarius, vt idem ibidem ait Philosophus, qui est vicaria communicatio actionum & officiorum, quæ sunt tum in officium generandi, tum toti transigendæ vitæ humanæ necessaria. Et bonum huic fini aptum est fides, qua inter se coniuges inuicem obstringuntur. *Tertius.* Sed tertius finis congruit matrimonio quatenus sacramento, qui est significare coniunctionem Christi & ecclesiæ: nempe assumptionem humanitatis, cuius partes nunquam dimisit: qua vtiq; ratione sacramentum matrimonij est indissolubile vinculum. Et huic fini adnexum est bonum sacramenti. Matrimonium ergo conuenit homini propter primum finem, quatenus animali, & propter secundum inquantum homini: puta, vt est animal politicum: & propter tertium, qua ratione Christianus est.

His præhabitis sit prima conclusio. Coniugia vnius viri simul cum vxoribus pluribus non sunt contra ius naturæ primæuum, hoc est, contra primum finem matrimonij. *1. Concl.* Conclusionem hanc argumenta superius obiecta satis comprobant. Itaque finis ille per congeminatas vxores neque tollitur, neque impeditur: nam potest vir vnus ex pluribus vxoribus proles suscipere, susceptasque alere & educare, & vnaquæque vxorum, suorum liberorum propriam gerere curam.

2. Concl. Secunda conclusio. Vxorum multitudo quodammodo est contra secundum finem matrimonij, quodammodo verò non. Valde, inquam, illum impetit, sed non prorsus tollit. *Ratio primæ partis.* Probatur prior pars primùm, quia pluribus simul debitum exigentibus non posset vir illud omnibus simul persoluere: imò cùm actus ille viri vires debilitet, & sæpe exhauriat, postquam vni vxori satis fecisset, non euaderet satis potens, vt posset reliquis morem gerere: quare nulli valeret satis ad votum facere. Atq; adeò (quod nouum est argumentum) matrimonium frustraretur alia sua virtute, quæ est esse remedium contra concupiscentiam, vt per licitum vsum sedetur. Potissimùm si vnam præ altera diligeret, illa despecta ceu viro orbatâ viueret. *Ratio secunda.* Secundò, quia pax non posset inter illas vxores constare: nam omnes zelotypia vrerentur, & inuidia contabescerent: neque vna posset alterius filium videre: quocirca nouercæ hac de re malè audiunt erga priuignos. His ergo de causis rixis & litibus domum implerent: nam de figulis ait illic Philosophus, quòd quia eandem artem exercent, sæpenumero corrixantur. *Exempla.* Documento nobis de hac re quodammodo fuere tum sanctissima Sara Gen. 21. quæ Agar ferre domi nequiuit, sed eam cum suo Ismaele domò pepulit: tum etiam & Rachel, quæ, vt legitur Gen. 30. inuidens sorori suæ liberos, famulam marito suppositit, quæ pro se pareret. *Posterior pars.* Posterior nihilominus conclusionis pars veritatem suam retinet, quoniam vxores plures si modo honestæ sint & probæ, possunt vni viro cohabitare, vt patriarcharum exemplis citatis atque alijs compertum est. Et quamuis non tanta probitate vigeant, licet ægrè, vtcunque tamen possunt conuiuere.

3. Concl. Tertia conclusio. Commistio vnius viri cum vxoribus pluribus apertè aduersatur tertio fini matrimonij, scilicet sacramentali significationi, ita vt illum non modò impediat, verùm & prorsus tollat. *Obiectio. Dilutio.* Nam connubium Christi cum ecclesia fuit vnius cum vna. Neque obstat quòd ecclesia ex pluribus constet fidelibus: quia propter vnam fidem & vnum baptisma omnes vna sponsa reputantur, iuxta illud Cantico. 6. Vna est columba mea, perfecta mea, &c. & Paulus, Desponsi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Præsertim quòd Christus vnicam naturam sibi vniuit, quam vnionem matrimonium Christianorum repræsentat, atque adeo eandem significationem desponsatio vnius cum pluribus prorsus tollit.

Solut. 1. arg. Primum igitur argumentum ex superioribus restat solutum. Probat namque primam conclusionem, quam nos concedimus, nihil tamen contra secundam aut tertiam.

Sol. 2. arg. Ius naturæ trifariam vsurpatur. Secundum verò plusculum roboris habet, per distinctionem tamen diluitur. Ius siquidem naturæ trifariam vsurpatur. Vno enim modo ius naturæ accipitur, vt natura, quæ ex necessitate operatur, condistinguatur contra rationalem appetitum, qui operatur liberè. Quo pacto illud quod propriè competit homini, inquantum est homo, licet ex naturali dictamine ei conueniat (veluti esse politicum) non tamen dicitur de iure naturæ, sed id tantum, quod illi cum reliquis animantibus est commune, vt concubitus maris & fœminę. Quare hoc modo nefandum crimen dicitur, & est contra ius naturæ. Et hoc pacto concedimus, societatem vnius viri cum pluribus vxoribus non esse contra ius naturæ, quippe quod natura generis animalium non vetat. *2. Modus.* Secundo verò modo sumitur jus naturæ pro eo quod ex principio naturæ vnicuique speciei tanquam ei congruens inditum est. Et hoc modo multitudo vxorum est homini contra ius naturæ: nam est contra modum, quem natura speciei hominis præscripsit, propterea quod fecit eum animal ciuile, atque adeo debet vxori fidem seruare, & in pace familiam regere. Vnde & quibusdam alijs animalibus, in quibus ad educationem prolium maior conuictus exigitur, similem natura instinctum

impressit,

Digitized by Google

impredit, vt perdicibus & turturibus, in quibus vnus vni associatur. Rursus quia Deus est principium supremum totius naturæ, id etiam quod homini à Deo in Euangelio præceptum est, appellauit quoque Isidorus ius naturæ, dicens, Ius naturale est quod in lege & in Euangelio continetur, veluti refluxus maris, qui ex constellatione cœlesti ei imprimitur, dicitur ei naturalis. Et hoc modo singulariter Christianis contra ius naturæ est plures vni vxores nubere: vtpote quorum matrimonium est sacramentum, coniunctionem Christi & Ecclesiæ demonstrans.

3 Modus C. 1. d. 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum plures simul habere vxores aliquando licuerit.

AD maiorem explicationem superioris articuli quæritur, vtrum connubia cum pluribus simul vxoribus fuerint aliquando licita. Et arguitur à parte negatiua. Ius naturale, vt 5. Ethicor. meminit Aristoteles, semper & vbique eandem habet potentiam; sed vxorum multitudo, vt secunda conclusione superioris articuli assertum est, aduersatur iuri naturali: nempe naturali fini matrimonij, ergo nunquam fuit licita.

Partis negatiua 1. Arg.

Secundò, quia si aliquando licuit, vel id propter dispensationem acciderat, vel quia per se erat licitum, si secundo modo: ergo & tunc liceret, quod est falsum: quod autem non licuerit per dispensationem patet; nam cùm Deus, vt August. ait, sit naturæ conditor, nil contra rationes facit, quas naturæ inserit: cum autem naturæ humanæ ad fidem & pacem seruandam inseuerit, vt non sit nisi vna vnius viri, nunquam credendus est super hoc dispensasse.

2. Arg.

Tertiò arguitur. Si id duntaxat per dispensationem licuisset, nullis fuisset licitum, nisi illis præcisè, cum quibus fuisset dispensatum: dispensatio autem huiusmodi nullibi in veteri testamento legitur, sed omnes indiscriminatim illi patres cum pluribus vxoribus matrimonia confœderabant: ergo non per dispensationem id faciebant. Præsertim quòd si ratio illa dispensandi vera erat, nempe ad multiplicandum diuinum cultum: cùm eadem modò permaneat ratio, licita etiam nunc eadem esset dispensatio, quod est falsum.

3. Arg.

Quarto arguitur. Id quod præstantius est, non debet ei posthaberi quod minus bonum est; sed fides, quæ seruanda est in matrimonio, & significatio desponsationis Christi cum Ecclesia præstantiora bona sunt quàm proles: ergo propter multiplicandas proles non debuit dispensari contra fidem & contra significationem sacramenti, quæ consistit in vnitate vnius cum vna: nunquam ergo talis facta fuit dispensatio. Et cum ius naturale id vetuerit, colligitur quòd non per fas, sed per nefas id faciebant.

4. Arg.

Pars assir.

In contrarium tamen est, quòd Deut. 21. de consortio vnius viri cum pluribus vxoribus fit mentio, non ceu de re illicita & prohibita, sed certè tanquàm de re licita. Si habuerit homo duas vxores, vnam dilectam, & alteram odiosam, & filius odiosæ fuerit primogenitus, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, eumque filio odiosæ præferre.

Defi. artic.

Quæstio præsens duas virtute continet, vnam explicitè, an videlicet aliquando licuerit plures habere vxores, alteramque implicitè, vtrum id solum per dispensationem, an verò per se fuerit licitum. Et primum omnium vt rerum historia oculis supponatur, primus, qui duas sibi accersiuit vxores, vt Gen. 4. legitur, & nos supra distinctio. 27. meminimus, fuit Lamech ex linea Cain, nempe septimus ab illo, veluti Enoch vir iustissimus, qui ambulauit cum Deo, septimus fuit à Seth. In duobus enim illis fratribus Seth & Cain bipium diuisum fuit duarum ciuitatum, Dei scilicet & diaboli. Quocirca factum illud Lamech non est idoneum documentum, quod licitum fuerit vni viro plures simul ducere vxores: nam libidine potius credendus est id fecisse quàm iure. Id quod Nicolaus Papa ca. An non. 24. q. 3. insinuauit. Neque verò concubitus inebriati Loth cum duabus filiab. Gen. 19. censendus est matrimonij vsus, sed incestus. Sed prima, quæ licita creditur, bigamia fuit Abrahæ, qui postquàm cum Sara contraxerat, vt legitur Genes. 16. eius precatu ad ancillam ingressus est. Cuius subinde exemplo Iacob duas primum sorores Lyam & Rachelem, singulasque deinde earum ancillas, vt Genes. 30. refertur, sibi coniunxit. Quod quidem exemplum ad propagandum, vt fertur, Dei populum postea multi patres sunt imitati.

Lamech primus duabus vxoribus vsus est.

Congressus Loth cum filiab. 1. Bigamia.

Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Polygamia, hoc est, connubia plurium simul vxorum, cum vno viro ante legem euangelicam licita fuit; non solum sub lege Moysi, verùm & ante illam scriptam legem, quam quidem Abraham quadringentis annis, & Iacob trecentis antecesserunt. Conclusionem hanc non desunt qui negent, vt Abulensis super Matth. c. 19. quæstio. 34. refert, dicentes, quod Deus permisit vxores plures non tanquàm rem licitam, sed vt impunè fieret, sicuti illi genti permisit ab extraneis vsuras suscipere, & nunc permittitur meretricium ad euitanda maiora mala. Sed hæc opinio vno ferè doctorum consensu meritò repudiatur. Probatur ergo nostra conclusio. Adulterium semper fuit cognitum vt graue peccatum: Abraham ergo, quem Deus vt iustissimum ex toto orbe selegit, cum quo fœdus iniret venturi Messiæ, fas non est credere eiusmodi commisisse scelus, sed iure ad Agar fuisse ingressum. Latuit autem in hac Abrahæ bigamia singulare inter alios patres mysterium: non enim causa solum prolatandi populi Dei vt reliqui, duas habuit mulieres. Imò Ismahelitæ ab Agar descendentes non prorsus ad illum Dei populum attinebant. Sed causa fuit potissima, quam Paul. ad Galat. 4. enarrat, vt in duobus filijs, vno de ancilla, & altero de libera vetus & nouum testamenta designarentur. Quare natò Isaac, Ismael cum matre sua iussu Dei expulsus fuit domo Gen. 21. ad significandum legem veterem, postquàm impleta fuit, explosam tanquam ancillam, & euangelicam tanquàm liberam approbatam. Vnde cum Agar in perpetuo vsu coniugij non permanserit, non defuerunt qui Abrahæ crimen fornicationis cum illa obijcerent, neutiquam admittentes fuisse eius coniugem, vt Aug. lib. 2. contra aduersarium legis ca. 9. refert. Neque verò illic diuus pater aliter ipsum ab adulterio vendicat, quàm quod non lubrico libidinis amauit ancillam, sed de vxoris consensu & rogatu. Vbi de matrimonio nihil meminit. Et Ambr. lib. de patriarchis, quod Gratianus can. Dixit para. 32. q. 4. refert, videtur illud appellasse adulterium. Ait enim, quando Abraham ancillam cognouit, nondum adulterium interdictum videbatur: quia fuit ante legem Moysi. Quasi diceret ob id fuisse Abraham ab adulterio immunem, quod nondum fuerat vetitum: rursum quia non ardore libidinis succensus, sed studio quærendæ posteritatis ancillæ contubernio coniugalem posthabuit torum. Vbi contubernium ancillæ minimè censere videtur coniugalem torum.

1. Concl.

Opinio quorundam.

Ratio conclusionis.

Mysterium bigamiæ Abrahæ.

At vero sancti isti interpretes Abraham ab adulterio in primis excipiunt, ab omnique culpa liberant. Dicendum ergo quod id fecerit inspiratione Dei affulsus. Sed posset fortè vno modo opinari, quòd inspiratio non fuerit, vt vero matrimonio Abraham secum ancillam copularet, sed quòd Deus, non quidem super adulterium dispensando, quia non est dispensabile, verùm tanquam Dominus totius humani generis illam mulierem Abrahæ iure fœcundandam tradiderit, vt verbum illud Oseæ sonare videtur, de quo inferius redibit sermo: Sume tibi vxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationis. Quapropter tanquam non vera vxor postea diuino iussu electa est. Attamen non opus est hanc opinionem admittere, sed dicendum quod fuit vera vxor, sicuti & Oseas credendus fortè est cum fornicaria legitimum inijsse coniugium. Veruntamen quia Agar non fuit Abrahæ coniugata nisi per occasionem, vt à Sara substituta, vt germen vice illius ederet, & postea ratione mysterij erat mandato Dei abijcienda, sancti patres non appellant illud ita planè coniugium. Præsertim quod cum finis matrimonij, vt diximus, duplex sit, vnus generatio, atque alter communicatio in officijs domesticis, ad hunc secundum non fuit omnino in locum coniugis admissa, vt ea familiaritate & honore tractaretur vt Sara, sed semper habebatur tanquam ancilla, & Sara tanquam domina. Atque eam ob causam Iudæi conceptionem illam Ismahelis fornicationem censebant: id n. insinuabant dicentes, Nos ex fornicatione non iumus nati. Vnum patrem habemus Deum. Quasi dicerent, Non sumus Ismahelitæ ab ancilla descendentes, sed liberi à Sara

Autoris ratio.

Osea 1.

Agar vera vxor Abrahæ. Nota.

Duplex matrimonij finis.

Ioan. 8.

Leo Papa.

cui Deus sobolem fuerat pollicitus. Vnde & Leo Papa can. Non omnis 32. q. 2. vbi ait, quòd non omnis mulier viro coniuncta est vxor viri, adducit exemplum de Sara & Agar. Et idem est de Iacob & suis duabus ancillis: nam cum ancillis lege nequeunt matrimonia inîri, nisi fiant liberæ. Atque hoc pacto Ge. 25. duæ vxores Abrahæ, nempe Agar & Cethura, eius concubinæ appellantur.

Fornicatio nunquam licita.

Hinc fit (ne rursum ad hòc reuertamur, quod doctores hic de concubinis & de fornicatione non satis ad propositum disputant) quod nunquàm fuit licitum habere concubinam: nam fornicatio, quia legitimo fini generationis opponitur, adeò est contra ius naturæ, vt nulla dispensatione fieri possit licita. Enimuerò nisi insolubili vinculo (quale est matrimonium, parentes copulentur, nequit commode educari proles. Quapropter sicubi inter gentes fornicatio simplex tanquàm licita permittebatur, id ex obfuscatione luminis naturalis procedebat. Hac enim de causa Iudæi scandalum accipiebant, quod de gentilibus conuersi ceu licita vtebantur fornicatione, quam ideo apostoli, vt legitur Actuum 15. eis interdixerunt. Igitur vbicunque in sacra scriptura aliqui leguntur habuisse concubinas, vt Salomon atque alij, vel culpandi sunt tanquam fornicarij, veluti Iudas cum Thamar: vel si excusentur, nomine concubinarum intelligendæ sunt mulieres, quæ cum viris insolubili coniunctione erant coniugatæ quoad fidem tori ceu vxores, sed tanquam ad secundum finem matrimonij, qui erat æqua societas maritalis, non recipiebantur, vt legitimæ vxores. Vnde inter ethnicos mos erat, vt licet paterfamilias pluribus vxorum nomine vteretur fœminis, non tamen nisi vnicam haberet, quæ esset materfamilias: quæ vt Gellius li. 18. c. 6. autor est, non in matrimonium tantum, sed in familiam mariti & in sui hæredis locum veniret, esset que familiæ administratrix, & quæ in mariti manu & mancipio esset. Accipiebatur enim per illam cæremoniã, vt dextris contactis vir diceret, Tu mihi materfamilias esto. Quocirca Iurisconsultus. l. Pronunciatum. ff. de ver. sig. Matremfamilias, inquit, accipere debemus eam, quæ non inhoneste vixit.

Nota.

Concubinæ in sacra scriptura.

De Osea.

Oseam verò, cui Deus iussit fornicariam mulierem accipere, D. Thom. 2. 2. q. 154. arti. 2. à crimine excusat, eo quòd id voluntate Dei fecerit. Et intelligit, vt supra diximus, quòd Deus tanquam dominus illius mulieris tradidit eam illi citra matrimonium fœcundandam. Quamuis Augustin. & Gregor. & alibi Sanct. Thom. mollius rem exponentes aiunt, verum cùm illa matrimonium contraxisse. Et vt sermonem de Abraham concludamus, Deus ad euitandum iurgium inter ancillam & liberam, & Ismahelem & Isaac, & potissimum ratione mysterij abolitionis veteris testamenti, iussit Agar cum filio domo propelli, quasi dispensans super perpetuitatem matrimonij.

Patriarchæ.

Ad rem igitur vt redeamus, nemo de sanctis patribus ambigit, quin iure optimo ad propagandam Dei populum & cultum pluribus fuerint vxoribus usi. De iure autem, quo huiusmodi matrimonia defenduntur, nonnihil est controuersiæ. Sunt etenim qui arbitrentur nulla opus tunc fuisse dispensatione, sed per se contubernium plurium vxorum fuisse licitum. Quam vtique opinionem nihil hæsitantes tuentur Durand. d. præsenti. q. 1. & Abulensis super eo. c. 19. Matthæ. q. 30. & seq. vsque ad 34. Et extant re vera argumenta non pauca, neque verò infirma, quibus opinio hæc, & si videatur peregrina, fulciatur. Primum est hoc. Vxorum multitudo, vt præcedenti art. constituimus, nullatenus primo fini matrimonij obstat, neque verò sic aduersatur secundo, vt illum tollat, sed quodam modo impedit: nihil enim propagandis educandisque liberis obuiat, sed quietam pacem domus modo quodam perturbat: illa verò, quæ sunt de iure naturæ tanquam prima principia, secum adferunt naturale præceptum, vt, Id non facias alijs quod tibi fieri non vis: atque adeò illa, quæ sic primis principijs sunt propinqua, vt quædam eorundem expositiones reputentur, veluti præcepta decalogi. Attamen alia, quæ in isto ordine non collocantur, sed longius deriuantur ex eisdem primis principijs, non videntur vim obtinere præcepti, quo vsque consuetudo vel lex aliqua diuina vel humana illud sanciuerit, iuxta verbum illud Ciceronianum: Res à natura profectas, & à consuetudine approbatas legum virtus & religio sanxit: at verò ante legem euangelicam nulla inuenitur lex plures vxores prohibens: ergo quanquam aliquo modo esset paci conseruandæ dissonum, nulla tamen erat præceptoria prohibitio, quæ dispensatione indigeret, sed sola consuetudo gentibus approbata pro ratione & necessitate temporum & indigentia propagandi humani generis potuit illud licitum facere. Hanc rationem videntur satis validè confirmare verba quæ in textu ex Augustino citauimus: videlicet quod tunc plures vxores accipere nulla lex vetabat. Et contra Faustum lib 22. c. 49. (id quod Gratianus 32. q. 4. can. Obijciuntur. sub nomine Ambrosij citat) Obijciuntur, inquit, Iacob quatuor vxores, quod, quia tunc mos erat, crimen non erat. Et rursus, Quod pluribus fœminis vtebantur, nec contra naturam hoc faciebant, cùm non lasciuiendi causa, sed gignendi hoc facerent: nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant: nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. si ergo nulla lege erat prohibitum, nulla exigebatur dispensatio. Non ergo dispensationi, sed morì tribuit fuisse licitum.

Cicero.

Opinio quorundam.

Durandus. Abulensis.

1. Arg. pro Abul.

Augustin.

2. Arg.

Deinde arguitur. Abraham non videtur ad Agar ingressus nisi precibus vxoris victus, quod re vera Sara non fuisset precata, nisi quia licitum per se illud censebat: non ergo ob dispensationem illam sibi secundam adhibuit vxorem. Et idem apparet in polygamia Iacob: nam postquam deceptus accessit ad Lyam, postmodum desponsauit sibi Rachelem, & earum rogatu abhibuit toro coniugali earundem ancillas.

3. Arg.

Deinde arguitur, quòd nulla interfuerit desponsatio, sed solus mos lege naturæ seruatus: nam Labam, qui erat merus gentilis, Iacob cum Lya coniugato, vltro obtulit Rachelem in secundam vxorem, quem postea rogauit ne plures acciperet: quod certè non fecisset, nisi quia mos sub lege naturæ vigebat plurium vxorum.

Præterea arguitur. Fidei, cui vxorum numerositas derogare videtur, eo quòd vir omnibus eam nequit ad nutum seruare, nulla fit iniuria quando posteriores adhibentur de consensu priorum, vel de consuetudine nota & recepta: sed Abraham non nisi ex consensu Saræ accepit Agar, neque Iacob nisi ex consensu sororum vsus fuit ancillis, imò neque Lya creditur ad eum clam ingressa nisi de consensu Rachelis, quæ consulens pudori maioris natu illud admisit: ergo illa ratione plures accipere vxores ius naturæ non vetabat.

Ac demum arguit Durand. Perturbatio pacis per plures vxores non per se adnectitur matrimonio, sed accidentariè propter praua mulierum ingenia: si enim ipsæ sint suopte ingenio pacificæ & mites, nulla fiet pacis conturbatio: id autem, quod accidentarium est, non mutat rei naturam. Et sic concludunt isti autores vxores plures per se licere.

2. Concl.

Nihilominus statuitur secunda conclusio. Nunquàm fuit licitum viro plures sibi simùl adiungere vxores, nisi ex aliqua saltem interna inspiratione, quæ vim diuinæ dispensationis haberet. Declaratur primò conclusio. Cùm dispensatio super aliqua fieri debeat prohibitione, fit vt qualis est prohibitio, talis esse debeat dispensatio: sed ante legem euangelicam nulla fuit scripta lex aut extrinsecus posita, quæ plures simul haberi prohiberet vxores: quare non requirebatur expressa extrinsecus dispensatio: sed tamen illa prohibitio erat extrinsecus lumine naturali in mentibus hominum impressa, nisi vbi per naturæ corruptionem erat deleta. Probatur, nam cùm plures xores, vt supra probatum est, pacem domus & tranquillitatem impediant, & præsertim officium reddendi debitum singulis, re vera natura ipsa multitudinem illam auersabatur, & respuebat, ac subinde lumen naturæ, vbi purum erat, id ipsum dissuadebat. Et secundò id patet, nam proculdubio talis lex menti Adæ impressa fuit, cum videret ex vnica costa vnicam sibi fuisse vxorem conditam, non geminam: quare diuinitus affulsus dixit, Erunt duo in carne vna: cum ergo in Abraham & Iacob lumen naturæ non fuerit obnubilatum (vt erat in Lamech) nunquam plures sibi associassent vxores, nisi interna inspiratione aliqua diuina fuissent admoniti, vt sicut prohibitio intrinseca erat, talis esset dispensatio.

Declaratio conclusionis.

Ratio 1.

Ratio 2.

Genes. 2.

Hanc eandem conclusionem asseruit Innocent. 3. cap. Gaudemus. de diuortijs dicens, Nulli vnquam licuit infimul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum: non dicit dispensatione extrinsecus verbo facta, sed reuelatione intrinsecus inspirata.

Cap. Gaudemus. de diuortijs.

Sed

Sed dubitatur quibus facta fuerit huiusmodi reuelatio. Respondetur, quòd Abrahæ in primis & fortè duobus, deinde alijs patribus, filio eius & nepoti Isaac & Iacob. Vtrum verò alijs, Scot. dist. præsenti art. 2. respondet, quòd non nisi quibusdam eorum successoribus: puta illis, in quibus permansurus erat cultus Dei, nam illa fuit reuelationis causa. Quare descendentes ab Ismahele & ab Esau non arbitratur Scotus dispensatione illa potuisse vti. Sed nihilominus vero similius est cum omnibus descendentibus ab Abraham, & cum omni gente illius legis Mosaicæ fuisse dispensatum, neque opus fuisse reuelatione in singulis, sed ea quæ facta fuit Abrahæ in consuetudinem abijt, vt totus populus pro lege illam duceret. Quamuis multi viri sancti nollent illa vti quia non tenebantur. Quare Elcana & Ioachim tametsi vxores essent sortiti steriles, & sobolis procreandæ arderent desiderio, non tamen alias duxerunt fœcundas.

Dubium. Longè tamen maior ambiguitas est, an cum gentibus fuerit dispensatum. Non desunt qui putent omnibus infidelibus cuiuscunque sortis fuisse polygamiam licitam. Sed profectò rationem non video: nam iure naturæ nemini gentium licuit: dispensatio autem cum non fuerit facta nisi ad propagandum populum circuncisionis, non est cur ad ethnicos ampliata credatur. Et idem tenuit ante nos Palud. Quare nisi fortasse per ignorantiam inuincibilem excusarentur, illi præsertim qui commercium cum Iudæis habebant, vt eorum exemplo adducerentur, profecto crediderim nullis gentium fuisse vnquàm licitam, neque eorum matrimonia fuisse solida.

Solutio Author.

Sol. 1. arg. Et per hoc diluuntur argumenta, quæ modo pro Abulensi & Durando construebamus. Ad primum enim respondetur, quod etsi commistio plurium vxorum cum vno viro non fuerit illo tunc seculo expressa lege & præcepto extrinsecus interdicta: erat nihilominus per internam inspirationem sic vetita, vt nisi pro diuersis conditionibus personarum ac temporum atque aliarum circunstantiarum fuisset contrarium reuelatum, non esset legitima: nam illa quæ sunt in hoc gradu iuris naturæ, possunt variatis humanis moribus variari. Attamen quoniam non est facile huiusmodi varietates agnoscere & definire, necesse est vt ipse qui legem intrinsecus inspirauit, eandem subinde mentem illuminet, quando liceat contra facere: & illà impræsentiarum dicitur dispensatio. Quare sola consuetudo non sufficeret vspam excusare. Et quamuis extrema forsan necessitas propagandi humanum genus, vt illico dicturi sumus, pro reuelatione sufficeret, tamen temporibus Abrahæ, Iacob, & aliorum Patriarchatum ratio naturalis id non docebat, quia necessitas tunc non erat nisi ad propagandum diuinum populum & cultum sub illa peculiari lege supra naturam à Deo posita, ad quam ideo propagationem singularis eiusdem Dei inspiratio exigebatur.

Ad Auguit. pariter respondetur, id solum velle, quòd vxorum multitudo non erat tunc contra præceptum scriptæ legis, sicut modo est in Euangelio, neque contra naturam: quia id faciebant ad propagandum cultum Dei: ex diuina tamen inspiratione, vnde exortus fuit mos, qui crimen excusauit.

Sol. 2. arg. Ad aliud de Sara respondetur, quòd fortè eidem facta fuit reuelatio, vt marito ingressum ad ancillam persuaderet, vel ambobus forsan, qui de re se inuicem consuluisse creduntur.

Quod autem Laban duas filias vni Iacob desponsauerit, vel fuit, quia Iacob ei dixit sibi esse licitum, vel quia fortasse in lege naturæ propter luminis naturalis tenebrositatem putabant sibi licere.

Sol. 3. arg. Aliud verò, quod prima vxore consentiente non fit iniuria fidei matrimonij, negatur prorsus: quia per se matrimonium requirit illam libertatem, ne vir sit impeditus per vnam vxorem ad reddendum alteri, nisi ambo votum castitatis emittant. Et pariter negatur aliud Durandi, nempe accidentariam esse perturbationem pacis matrimonijs plurium vxorum propter corruptos mores vxorum, imò per se ex natura rei multitudo ipsa mulierum secum adfert zelotypiam & iurgia, sed accidit, si sunt mansuetæ, vt huiusmodi discordiæ non oboriantur.

Confirmatur 2. conclusio Et quod in lege naturæ vxorum numerositas non fuerit absque diuina inspiratione licita, præterquàm argumentis factis confirmatur alio potissimo: nam si id tunc licuisset, profecto liceret etiam modo infidelibus, quippe qui legibus peculiaribus euangelicis non tenentur, vt bene ad hoc propositum ait Innoc. c citato Gaudemus, citans illud Pauli: De ijs quæ foris sunt nihil ad nos: consequens tamen est falsum, nam aliàs si tam vir quàm vxores conuerterentur ad fidem, nullum earum matrimonium esset dirimendum, quandoquidem in gentilitate fuissent legitimè contexta, quemadmodum non dirimuntur eorum matrimonia inter consanguineos: cuius contrarium determinatum est ab Ecclesia eo. ca. Gaudemus. Neque Abulensis se potest ab hoc argumento satis extricare: ait quippe, quod quia lege euangelica illa iam sunt matrimonia plurium simul vxorum prohibita, facta sunt inter infideles etiam ethnicos illicita. Sed re vera responsio hæc non plene satisfacit: nam, vt ibidem bene ait Innoc. licet lex euangelica vniuersum orbem obliget, vt recipiatur, tamen illi qui eam non receperunt, minimè canonibus tenentur Ecclesiasticis, neque singularibus præceptis legis nostræ. Et ideò si lex naturalis plures vxores illis permitteret, non essent illis irrita propter legem euangelicam: sunt tamen irrita, quia dirimuntur post earum conuersionem, præterquàm cum sola prima; sunt ergo iure naturæ nulla, atque adeò nunquam nisi per peculiarem inspirationem fuerunt licita. Quod si arguas. Pariter si Iudæi conuertantur ad fidem, dirimuntur eorum matrimonia cum pluribus vxoribus, & tamen erant eis licita Respondetur, non fuisse eis licita, nisi per dispensationem, quæ vtique dispensatio iam per Christum abrogata est. Cum gentilibus autem, vt nuperrime dicebam, nunquam fuit diuinitus dispensatum. Et quamuis quis opinatus fuerit cum illis dispensatum, dicere debet, quòd cum illa dispensatio per euangelium prorsus cessauerit, quòd tam gentes quàm Iudæi relicti sunt in iure naturæ, vt iam matrimonium illorum cum pluribus vxoribus non sit validum.

Abulensis responsio.

Nota.

Obiectio.

3. Concl. Tertia conclusio. Iam modò post latam euangelicam legem nemini toto orbe licet plures vxores ducere, imò vero qui id post primam attentaret, nullum contraheret matrimonium, sed omnia præter primum sunt irrita & nulla. Probatur, quia iam inde ab orbe redempto matrimonium, vt dictum est, vim habet sacramenti, quod ex latere Christi pendentis in cruce promanauit, significans coniunctionem eius cum vna Ecclesia, & assumptionem vnius humanæ naturæ in vnitatem personæ: quare secundum matrimonium adiectum primo, quia hanc significationem non retinet, non esset sacramentum, atque adeo nec matrimonium.

Ratio 1.

Ratio 2. Secundò ad id arguitur. Matrimonia cum pluribus vxoribus, vt dictum est, quia sunt contra naturam, nunquam fuerunt licita, nisi ex dispensatione Dei ob causam legitimam, quæ nulla alia creditur, quàm populi Dei ad eius cultum multiplicandi: lex autem euangelica non est lata vni singulari populo, sed toti orbi: ergo illa iam causa cessauit, Quapropter Christus legem coniugij ad primæuum eius institutum & decorem reuocauit, vt nec repudiare liceret vxorem, nec plures ducere. Vnde Matth. 19. quærentibus Iudæis liceret ne vxorem dimittere, neganter respondit legem integrans orientis naturæ. Non legistis, inquit, quia qui fecit hominem à principio masculum, & fœminam fecit eos? Hoc est, vnicum & vnicam. Et dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quæ quidem verba apertè sunt monogamiæ confirmatoria. Vnde indissolubilitatem præcipiens intulit. Quos Deus coniunxit, homo non separet.

Ratio 3. Tertiò, & ex subiunctis illicò verbis confirmatur, Dico vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur: eriam (vt bene arguit in dicto cap. Gaudemus. Innoc. & non longe dissimiliter Aug. lib. 1. de adulterinis coniugijs ca. 9.) si dimissa vxore non licet viro aliam ducere, multò minus retenta prima alteram ducere. Sunt, vt Durandus refert, qui rationes has cauillari contendant, sed sunt eorum cauillationes friuolæ.

4. Concl. Ex his colligitur quarta conclusio. A tempore Euangelicæ legis non licet super hoc dispensare, vt quis possit plures simul habere vxores. Probatur, quia super ius diuinum nulla, nisi per diuinam inspirationem, cadit dispensatio: nam cùm Papa non sit nisi vicarius Christi, atque adeò eius inferior, nequit super eius leges dispensare. Et confirmatur, quoniam si qua esse posset dispensandi causa, illa potissimum esset religio-

Digitized by Google

dum infidelis cum pluribus vxoribus conuertitur ad fidem, ne propter difficultatem diuellendi se ab inuicem absterrerentur a fide nostra: sed tunc nullatenus dispensatur, imò separantur omnino: ergo nulla restat dispensandi causa. Et hæc est determinatio Innoc. 1. quod in 2. parte conciliorum sic habet. Qua de re statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat gratia diuina fundatum, conuentumque secundæ mulieris priore superstite, nec diuortio electæ, nullo pacto esse legitimum. Quod quidem decretum sancitur lib. 4. decretalium per totum titulum de sponsa duorum. Cui adstipulatur Innoc. tertius in prælegato ca. Gaudemus. de diuortijs. Et 24. q 3. can. An non. vbi Nicolaus districta vltione, hoc est, excommunicatione eum ferit, qui de facto duas habet vxores: nam cum secunda adulterium committit. Et lege ciuili sunt infames, vt C. ad l. Iuliam, de adulterijs. l. Eum qui binas. & corporali supplicio afficiuntur, nempe cauterio in frontem impresso. Imo verò habentur tanquam de hæresi suspecti, quasi Mosaicam licentiam in hoc vsurpantes, & de sacramentis Euangelicis perperam sentientes. Valentinianus autem senior, vt historia tripartita lib. 8. c. 11. ex Socrate refertur, legem tulit, vt cuiuis liceret duas habere vxores. Sed erat Arrianus.

Determinatio Ecclesiæ.

Polygami infames.

Polygami suspecti de hæresi. Valentinianus.

Contra hanc autem veritatem militare videtur canon ille Gregorij. Quod proposuisti. 32 q. 7. vbi ait, quòd si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum reddere, vir poterit aliam ducere, dummodò primæ subsidij opem non subtrahat. Qui quidem canon, non est Gregorij magni, nec secundi, vt citatur à Gratiano, sed Gregorij 3. Et ideo ibidem Gratianus non curat eum glossare, sed ait, sacris canonibus, imò Apostolicæ Euangelicæque doctrinæ esse aduersum, quia scilicet permisit bigamiam vtraque viuente vxore. Quare multi Theologi aiunt errasse. Attamen non est sic de Pontifice Max. loquendum. Quam ob rem vel dicendum est, quòd loquebatur de sponsa de futuro, quam poterat infirmitatis gratia dimittere: vel intelligitur, vt alij dicunt, de illis neophytis, qui conuertebantur ad fidem, qui poterant infideles vxores relinquere, vt dist. 39. declarabimus. Sed neutra solutio sufficit, quia tunc non iussisset vt opem subsidij priori conferret Alij dicunt fuisse illam tolerantiam in illis qui conuertebantur, ne à fide auerterentur: quemadmodum Gregorius magnus scribens Augustino Anglorum Episcopo, in illis neophytis plura toleranda suadet, & refertur cano. Quædam lex. 35. quæstione 3. Sed re vera neque hoc credibile est, sed legitima solutio est, quòd loquebatur de infirmitate quæ matrimonium dirimit, qualis est vel frigiditas, vel maleficium, de qua habetur ca. Consultationi. de frigid. & malefi quòd si non potest habere vt vxorem, saltem habeat vt sororem. Et can. Requisisti. 33. qu. prima, idem ait Gregor. magnus, nempe quòd si cum illa impotenti quis contraxit tanquam cum habenda vt socia, & alteram post voluerit ducere, alat priorem.

Ca. Quod proposuisti.

Solutio authoris.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis propositum respondetur, quòd licet ius naturæ quantum est de se, eandem vbique teneat vim, per accidens tamen, vt ibidem ait Philosophus, mutatis rebus mutatur. Ob idque non tam eius, quàm rerum mutatio censenda est. Quocirca Deus per suam inspirationem ius rebus mutatis accommodat.

Sol. 2. arg.

Et per hoc respondetur ad secundum. Concedimus enim non nisi per Dei dispensationem plures vni viro licuisse vxores, haud tamen per illam dispensationem contra rationes fecit, quas naturæ inseuit: quia rationes illæ, quæ non sunt in primis principijs naturæ, sed in eius conclusionibus, non habent vim semper, sed in pluribus.

Sol. 3. arg.

Ad tertium iam partim responsum est: nempe quòd sicut prohibitio naturalis non erat foris scripta, sed intus menti impressa: ita neque dispensationem esse oportuit nisi per intrinsecam inspirationem.

Obiectio.

Ad id autem, quod ibi tangitur, quòd si dispensatio non erat nisi interna, nemini licuit plures ducere vxores, nisi cui singulariter esset facta reuelatio: leguntur tamen in veteri testamento plurimi indiscriminatim illas habuisse: & tamen non est credendum singulis singulas fuisse reuelationes inspiratas. Respondetur, quòd postquam primis, nempe Abrahæ, illa facta est reuelatio, & fortè Iacob, posteri vel viua maiorum voce, vel ipsa consuetudine edocti sunt illud fuisse licitum. Vnde tanquam de re vsu receptissima mentio illius facta legitur, vt Deuteron. 21. Ne filius dilectioris vxoris primogenito odiosæ hæreditate præferatur. Et Deuteron. 17. rex prohibetur ne plurimas duceret vxores, quæ eius animam illicerent. Vbi August. sic ait. Manifestum est Salomonem hoc præceptum transijsse, Dauid autem plures habuit, nec præceptum præterijt. Permissum est enim regi plures habere, non plurimas, &c.

Solutio.

Ad postremam denique argumenti particulam iam responsum est, quòd cùm lex Mosaica non esset nisi in illo perexiguo Iudæorum angulo, multiplicatione populi egebat. Lex verò Euangelica vniuerso orbi lata est: quare non est amplianda per propagationem populi, sed per hoc, quod vniuersus orbis eam suscipiat; & ideo non licet modò super polygamia dispensare.

Ad postremam arg. particulã.

Sed quid si casu aliquo humanum genus ad extremam hominum raritatem deueniret, vtrum nunc ad eius multiplicationem liceret vni plures ducere, saltem vtrùm posset Ecclesia super hoc dispensare, veluti de religionem professis supra quæsiuimus, an liceret eis tunc matrimonia contrahere.

Nota casũ.

Ad hoc primò respondetur, quòd nisi extrema necessitas ingruerit, hoc non licet, quoniam, vt supra diximus, nec tempore Adæ, neque vero Noe seculo illa dispensatio legitur. Et ideo si vnus vir esset superstes, haberetque fœcundam vxorem, quæ pareret, non posset plures accipere, vt ampliorem sobolem propagaret. Nam neque si aliqui quantumuis pauciſsimi seculares essent superstites, liceret religiosis rei vxoriæ operam dare, quare multò minus vni plures ducere: & credo Ecclesia nunquam super hoc dispensaret. Si verò tunc vir ille vnicus vxorem haberet sterilem, aut senio confectam, tunc extrema esset necessitas ducendi aliam. Nihilominus Scotus distin. præsenti ad hoc non aliud respondet, quam quòd tunc fortè diuina approbatio vel dispensatio specialiter Ecclesiæ reuelaretur. Sed nihilominus addiderim, nulla alia opus esset reuelatione præter naturæ clamorem: & ideo tunc liceret illi aliam vxorem accipere, quæ esset fœcunda.

Scoti responsio.

Sol. 4. arg.

Ad quartum postremò respondetur secundùm D. Thom. quòd proles, vt est bonum matrimonij, includit fidem Dei, in qua debet proles educari, quæ quidem fides altior est fide matrimonij; & ideo ad illam amplificandam licuit cum aliquo detrimento huius dispensari. Et satis erat seruari hanc fidem inter virum & vxores singulas. Et eodem modo respondetur de significatione desponsationis Christi: nam & hæc ordinatur ad fidei cognitionem: & idcirco licuit super significationem dispensare ad prolatandum cultum fidei. Adde quòd cum tunc matrimonium non esset sacramentum, non significabat vnionem Christi iam factam, sed futuram. Quapropter sicut dirimitur infidelium matrimonium, dum alter conuertitur ad fidem, ita & super vxorum numero dispensatum fuit. Præterquam quòd quamuis per plures vxores non significaretur vnitas Ecclesiæ, designabantur tamen diuersi eius gradus, qui sunt tam in Ecclesia militante quàm in triumphante.

Sol. de significatione.

Alia ratio.

ARTICVLVS III.

Vtrum licuerit vnquam eidem mulieri pluribus simul viris nubere.

APPARET autem & eidem mulieri similiter licuisse pluribus simul viris nubere, quòd ideo hic postremò disputatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Par est vtrique coniugum conditio & sors in coniugali commercio & fide: licuit autem viro plures habere vxores licuit ergo & vxori plures habere viros.

Partis affir. 1. Arg.

Secundò. Cùm mulier non seminet, eo saltem modo quo vir ex lumbis virtuosum semen, non debilitatur eius virtus vt viri, atque adeo potentior est ad reddendum pluribus viris debitum, quàm vir pluribus vxoribus: hac ergo de causa minus naturæ contrarium apparet, vt mulier pluribus nubat, quàm vt vir plures ducat.

2. Arg.

In contrarium est, quod nulla vnquam historia proditum est vnam mulierem pluribus viris matrimonio coniunctam: quod magnum existit argumentum,

Pars neg.

naturam

naturam id protinus abominari.

Conclusio. Breuiter ad quæstionem, quæ facilis est, vnica conclusione negatiua respondetur. Sic eandem mulierem simul pluribus nubere abhorret natura, vt neque per dispensationem id vnquam licuerit. Dixerim, nubere: quia apud barbaros, vt supra ex Ciceronе retulimus, & Solinus in Polyhistore commemorat, sunt barbari, vt Garamantes, qui nulla matrimonialia fœdera norunt, sed promiscuo vagoque concubitu generant. Et de quibusdam nefandis hæreticis eadem depudenda absurditas legitur. Probatur conclusio. Eandem fœminam pluribus viris matrimonio sociari est contra finem primum matrimonij, qui est velut primum principium, nempe contra prolis generationem, in prima autem principia, vt supra diximus, non cadit dispensatio: quia habent necessariam rectitudinem innatam, veluti principia in speculatiuis euidentiam: ergo id non est dispensabile. *Ratio conclusionis.* Probatur maior: quia mulier, quæ virorum vicissitudinem identidem admittit: nempe vnum paulo post alium, fit generationi inepta; & hoc est, quod ait Augustinus de bono coniugali cap. 17. quod vna fœmina non potest à pluribus viris fœtari: cuius exemplo sunt meretrices: nam receptio diuersi feminis prope aliud susceptum obstaculo est, ne fiat idonea embrionis conformatio & animatio. Item, quia postquam vna potest ab vno satis fœtari, alter superueniens non quidem generationis, sed libidinis causa adhiberi censeretur. Qua vtique ratione fieret consequens, vt vxor plurium virorum multò plus operæ impenderet rei venereæ, quàm par esset & decens. *Probatio maioris.* Vnde Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. Vxorum, inquit, plurium simul vni viro habendarum sufficiendæ prolis causa inculpabilis esset confuetudo, vnam tamen fœminam maritos habere plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fœcundior, sed est meretricia potiùs turpitudo, &c.

2. Arg. Secundò præcipuè arguitur, quia id manifestè prolibus educandis aduersatur: nam ad hanc perueniratem protinus consequeretur absurdum illud, quod Aristoteles Socratis apud Platonem politiæ obiecit de vxorum communitate: vix, inquam, possent parentes suos dignoscere liberos nisi raro per effigiem, atque adeò nullus posset ea charitate & amore suum educare natum, qua deceret.

3. Arg. Tertiò eiusmodi connubia secundarium finem matrimonij, nempe tranquillam cohabitationem, fere tollunt: nam cum vir sit vxoris caput, potest vnus plures vxores sic gubernare, vt vel non corrixentur, vel earum iurgia compescat ne ad tantam iracundiam & damna prorumpant: virorum tamen iras non posset vxor compescere, præsertim cum ardor amotis & zelotypiæ in viris vehementior sit multò, & ad procos ferendum impotentior quàm in fœminis, eo maxime momento, quo libidinis procella percellit: quapropter non possent se mariti alterutrum ferre, sed semper taurino more dimicarent, potissimum si præsentiscerent ab vxore alterum alteri amore posthabitum.

4. Arg. Adde, quòd cùm vir multò fœdius deturpet in concubitu fœminam, quàm fœmina virum, qua de causa sæpè numero vir abhorret fœminam à se cognitam, vt historia Ammon cum sorore Thamar testatur, vsu veniret, vt vir vxorem ab alio cognitam facilè abominaretur, quod esset amori inter coniuges necessario valdè contrarium.

5. Arg. Quintò, quia vxor debet esse sub viri potestate, vt Genes. 2. iussa est: quare Aristoteles virum ponit quasi caput œconomiæ domus. Et Paul. 1. Cor. 13. & 1. ad Timoth. 2. non permittit mulierem docere aut dominari, sed præcipit auscultari viro: si autem essent plures viri in vna domo, monstrum existeret plura habens capita: quare nullus posset alio impediente idoneè gubernare, ac perinde vxor perplexa esset cuius documenta deberet eligere, cuiusque mandatis obtemperare. Nemo enim, vt ait Christus (id certè auersante natura) potest duobus dominis seruire: & tamen natura non vetat vnum dominum pluribus principari. Id quod Aug. cap. 17. de bono coniugali in textu citatus latius elisserit.

6. Arg. Postremo denique eadem confirmatur conclusio: quia coniugia plurium virorum cum vna vxore plus longe repugnant tertio fini matrimonij: nempe rationi sacramenti, quam plurium vxorum cum vno viro: nam licet Ecclesia, vt supra diximus, quæ se habet vt vxor, sit vna per vnam fidem, admittit tamen plures personas & gradus, quibus plures vxores vtcunque comparantur: Christus autem, qui est vt vir, nullatenus est nisi vnica persona.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd illa ratione, nempe quòd in reddendo debito æquè militant coniuges, probat Innocentius in sæpe citato cap. Gaudemus. naturam decentiamque matrimonij esse vnius cum vna, vt fuit in prima eius institutione, & nunc est in reformatione euangelica. Sed tamen ob causas supra relatas tolerabilior fuit dispensatio cum viro, qui est caput vxoris, vt plures haberet ceu membra, quam cum vxore, vt plures haberet tanquam capita.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd etsi vna mulier magis sufficiat pluribus viris ad reddendum debitum, quam è conuerso, hoc tamen solum vergit in remedium contra ardorem concupiscentiæ: attamen quantum ad præcipuum finem generationis & educationis, cuius præcipuè habendus est respectus, peruersus est, vt monstratum reliquimus.

Quæstio secunda.

DE LIBELLO REPVDII.

ARTICVLVS I.

Vtrùm perpetuitas & inseparabilitas vinculi matrimonij ita sit de iure naturæ, vt nullam admittat dispensationem.

QVÆSTIO hæc de libello repudij plus ambiguitatis inuoluit, quàm præcedens. Quam ob rem tanquam primum eorum fundamentum quę dicenda sunt, videndum est, an matrimonij indissolubilitas sit de iure naturæ. Et arguitur à parte negatiua. *Partis negatiuæ 1. Arg.* Lex naturæ communis est apud omnes; sed nulla lege, præterquam Christi prohibita fuit vxoris dimissio: quinimò Romanorum leges huiusmodi repudia non abhorrebant: ergo indiuisibilitas matrimonij non est de iure naturæ.

2. Argum. Secundò. Inseparabilitas conuenit matrimonio ratione sacramenti: sacramenta autem non sunt de iure naturæ: ergo neque inseparabilitas.

3. Arg. Tertiò. Primum matrimonij bonum est proles: sed quando coniux sterilis est, inseparabilitas potius in perniciem huius finis vergit, quàm in rem eius: esset enim tunc expedientius matrimonium dirimi: ergo inseparabilitas non est de iure naturæ.

Pars affir. In contrarium est, quod illud de iure naturæ ex prima ratione censetur, quòd ipsa bene instituta in suo primæuo exordio disposuit: sed natura integra ante peccatum (docente id Christo Matthæi 19.) instituit coniuges indiuiduo nodo fore perpetuò coniugatos: ait quippe quod in initio non fuit sic, id est, nullum admittebatur diuortium. Vnde ipse quasi naturam instaurans infert. Quos Deus coniunxit, homo non separet: ergo inseparabilitas est de iure naturæ.

Argu de dispensatione. Et per hoc arguitur, quòd hoc ius nullam admittat dispensationem: nam illa, quæ sunt contra prima præcepta iuris naturæ, non sunt dispensationi subiecta: dimissio autem vxoris est contra bonum prolis, quod est primus matrimonij finis, atque adeò primum principium: nam primus finis in practicis est, sicut in speculatiuis primum principium: ergo super hoc nulla cadit dispensatio.

1. Concl. Ad quæstionem, eiusque duo membra tribus conclusionibus respondetur. Prima. Indiuisibilitas matrimonij est de iure naturæ. Hanc conclusionem antea in superioribus assertam reliquimus, & ex fine matrimonij elicitam & comprobatam. *Probatur conclusio.* Est enim finis primus matrimonij, vt sæpissimè dictum est, prolis non modò generatio, verùm & nutritio & educatio, imò eodem fine admonentur coniuges prolis successioni in totam eius vitam prospicere: nempe illis thesaurizare, vt ait 2. Cor. 12. Paul. & bona prouidere, quorum hæreditate vitam transigant: per huiusmodi namque successionem & prouidentiam humanum genus propaga-

vtr: cum ergò proles bonum sit vtrique parentum commune, sit vt non solùm in tempus aliquod, verùm & in totam vitam debeant esse individui comites & socij. Quod & præcipuus amor quo se inuicem coniuges prosequi debent, quos nexus matrimonij colligauit, id etiam admonet. Propter hoc enim, inquit ore Adæ Deus, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, hoc est, nullius alterius humani temporalisque amoris causa ab hoc vnquam diuelletur.

Repudium contra ius naturæ. Hinc sit repudium esse contra ius naturæ. Quòd si contra quis arguat, Ius naturæ est, vt supra monstrauimus, quod natura omnia animantia docuit: & tamen inter bruta non seruatur lex perpetuæ coniunctionis.

Obiectio. Respondetur, vt illic de pluribus vxoribus respondimus, quòd licet non sit contra ius naturæ secundum hanc definitionem, est tamen contra ius naturæ hominibus peculiare. Natura enim docet, vt vnaquæque species peculiarem naturam, quæ suis proprijs principijs respondet, & ingenium sequatur.

Dilutio.

2. Concl. Ex his sequitur secunda conclusio. Nullo iure humano aut gentium potest super hoc dispensari, vt matrimonium, quod fuit legitimum, sit dissolubile. Probatur, quia super ius naturæ nemo præter Deum, qui autor est institutorque ac perinde dominus iuris naturæ, facultatem habet dispensandi. Sed de hoc illico articulus secundus.

Ratio conclusionis.

3. Concl. Tertia conclusio. Deus super hoc ius dispensare potest, vt matrimonium dirimatur. Conclusio est S. Thom. in præsenti, & Scoti & omnium. Probatio est hæc. Prima principia legis naturæ, vt crebrò diximus, nulli subduntur dispensationi, sed illa quæ sunt in secundo gradu. Hoc autem loco id obiter adnotauerim, quod S. Tho. in præsenti dist. aliqua opinionem communem secutus dixit, quæ postmodum emendatius in summa collimauit. Ait, inquam, quòd super prima præcepta nonnunquam Deus dispensauit ratione alicuius mysterij: nam homicidium & fornicatio & furtum, vt cætera præcepta Decalogi, sunt in illo primo ordine, & tamen dispensauit cum Abraham, vt filium occideret, & cum Osea, vt fornicario concubitu vteretur.

S. Th. opin. Veruntamen 1.2. q. 100. art. 8. perspectius rem intuitus simpliciter asserit nullatenus huiusmodi præcepta dispensationem admittere, quia per se habent innatam rectitudinem & iustitiæ ordinem: sicut nulla potest esse super hoc dispensatio, Voluntatem Dei & rectitudinem iustitiæ seruat. Est enim hoc tam intrinsecè bonum, quàm quòd homo sit rationalis, atque adeò vt Deus non potest facere hominem irrationalem, ita neque licitum facere id quod est contra præceptum Decalogi. Et ideo quando Deus præcepit Abrahæ filium immolare, non id iussit tanquam legislator dispensans super homicidium, sed tanquam Dominus vitæ & mortis humanæ, tradens Isaac patri occidendum, sicuti quis potest tradere suum pecus. Neque cum Hebræis in Ægypto dispensauit super furtum, sed vel tanquam Dominus rerum dedit eis Ægyptiorum vasa, vel tanquam iudex adiudicauit illis illa præmia, quæ Ægyptij pro operis & laboribus sibi à Iudæis impensis eis debebant. Oseæ denique vel tradidit meretricem tanquam Dominus eius, qui erat etiam Dominus ad illum vsum, vel iussit verum coniugium. Simpliciter ergo prima præcepta naturæ, & præcepta Decalogi sunt indispensabilia.

S. Thom.

Abrahæ filij immolatio, an per dispensationem.

De Osea.

Hoc autem de perpetuitate & indissolubilitate matrimonij magis, inquit S. Thom. inter secunda præcepta legis naturæ continetur: nam etsi quodammodo pertineat, vt explicitum est, ad primum finem matrimonij, qui est bonum prolis, non tamen simpliciter. Sunt n. gradus: nam ius nutriendi & educandi proles simpliciter pertinet ad primum gradum tanquam primum principium: thesaurizare autem futuræ vitæ filiorum, & prouidere illis in posterum, non pertinet ad illum finem simpliciter, sed ex quadam honestate: quia appropriatio rerum non est de prima intentione naturæ, vtpote secundùm quam omnia erant communia. Et ideo non nutrire & educare tenellam prolem, per nullam dispensationem potest fieri licitum, sicut non pascere extremè indigentem. Sed tamen super hoc, quod est prouidere in posterum, potest Deus bona de causa dispensare: perpetuitas autem matrimonij per totam coniugum vitam non fundatur in nutritione & educatione: quia hoc officium tunc finitur dum liberi sunt adulti, vt per se sibi prouidere possint, sed fundatur in illa prouidentia, quam debent coniuges habere de hæreditate filiorum. Et ideo educata prole potest Deus bona de causa dispensare, vt matrimonium dissoluatur.

Proles nutrito.

Hanc rationem sequitur Abulensis quæst. 45. super 19. cap. Matth. & omnes ferè qui de hac re loquuntur. Crediderim tamen, quòd si Diuus Thomas suam summam, vbi res limatiùs examinabat, hucusque protraxisset, minimè hac ratione fuisset contentus, adeo videtur debilis & infirma. Primum, quia certè perpetuitas matrimonij non fundatur in illa prouidentia hæreditatis liberorum, vtpote quæ non est vsqueadeò necessaria: imò possunt parentes de illis tam longis prouisionibus non esse tam soliciti; sed satis est liberos vsque ad illam ætatem alere, qua ipsi per se viuere possint & sibi consulere. Secundò, quia hac prouidentiæ ratione secluſa alimentatio & educatio puerorum vsque ad adolescentiam perpetuitatem per se exposcit matrimonij: nam tota coniugum vita dicata est per se filijs procreandis: potest enim vxor quadragesimo secundo anno, & vsque ad quadragesimum quintum generare, & vir etiam post septuagesimum: quare si addas viginti annos filij, ad quam vsque ætatem est educandus, profectò matrimonium per totam vitam coniugum duraturum perspicies. Et quamuis aliqui sint steriles vel senes, qui iam generare cessarunt, illud est accidentarium, & lex non debet ad ea quæ accidunt prospicere, sed ad id quod est per se.

Abulensis.

Ratio 1.

Ratio 2.

Tertiò (quod valentius est argumentum) Deus si dispensare potest, vt repudium post filios educatos fiat, profectò & ante illud tempus potest: nam ipse educandis liberis alia remedia prouidere valet, vt legitur de Ismahele: nam quando eiectus est cum matre à domo patris, non nisi quartumdecimum annum, vt ex Gen. 17. & 21. colligitur, compleuerat: & tamen Deus illi obtulit per Angelum remedium.

Ratio 3.

Ratio ergo huius conclusionis ex ipso D. Thom. 1,2. loco citato hæc colligitur. Tunc dispensatio legis locum habet, quando, si eius verba obseruarentur, obuiaretur intentioni legislatoris: intentio autem legislatoris est primum obseruatio boni communis, ac deinde ordo iustitiæ & virtutis: vnde quando forma ipsa verborum legis expresè continet bonum commune, aut ordinem iustitiæ, tunc lex illa non est dispensabilis, & talia sunt illa, Vnum cole Deum, & cætera Decalogi mandata. Et illa dicuntur in primo gradu iuris naturæ. Quando verò lex datur de aliquo medio ad seruandam iustitiam vel bonum commune, illud est dispensabile. Cape exempla. Hoc præceptum reipublicæ, Nullus destruat rempublicam, aut ciuitatem hostibus prodat, non recipit dispensationem in contrarium, sed hæc principis iussa. Singuli ciues statis per vices noctibus euigilent ad ciuitatis custodiam, & ad bellum procedant, quæ quidem sunt media ad illum finem, possunt dispensationem tolerare. Ad propositum ergo alimentatio & educatio filiorum ætate minorum est de primo ordine iuris naturalis, quæ nullam fert dispensationem: medium autem ad illum finem est coniunctio indissolubilis parentum: & ideo potest Deus super hoc dispensare: nam potest ipse aliter alendis educandisque pueris prospicere. Et per aliam causam, nempe ad euitanda homicidia, detrimentum illud compensare. Et est simile in vxorum multitudine. Pax & tranquillitas domus est de iure naturæ in primo gradu dispensationem abhorrens, sed tamen ius de vnica vxore, quod est medium ad illum finem, potest alia bona de causa dispensationem admittere.

Ratio D. Thom.

Exemplum.

Educatio filiorum.

Simile.

Et per hoc solutum restat postremum argumentum, quod contra dispensationem legis huius supra obiectũ est. Ad primum igitur in initio articuli propositum respondetur, quòd quamuis hæc lex repudium vetans interna mente scriptum commune sit apud omnes gentes, non tamen per legem humanam ab omnibus fuit sancita: quia sola lex Christi humanum genus ad perfectum adduxit, atque ad synceritatem suarum primarum institutionum & originum reduxit.

Solut. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quòd inseparabilitas licet principaliter conueniat matrimonio ratione sacramenti, quod non est de iure naturæ, sed supra; nihilominus etiam ei conuenit iure naturæ ob bonum prolis, vt expositum est.

Sol. 3. arg.

Ad tertium respondetur, quòd vt supra diximus, lex non attendit ad id quod accidit, sed ad id quod est per se: & ideo quamuis coniugi, quando alter est sterilis,

expediret

expediret soluto matrimonio alterum accersere, nihilominus per se debet esse indissolubile.

ARTICVLVS II.

Vtrùm aliquando fuerit repudium vxoris licitum.

SVPPOSITO iure, quod artic. præcedenti expositum est, quæritur de facto, vtrùm aliquando repudium fuerit licitum. Et arguitur à parte affirmatiua. Primò. Inter Romanos, qui toto orbe sub lege naturæ laudantur tanquam illius legis iusti custodes, permittebatur repudium: vnde vt Plutarchus in vita Romuli memoriæ prodidit, ille Romæ Deus de repudio legem tulit, si vxor in veneficio natorum, aut in adulterio deprehenderetur, aut claues adulteraret: & Cæsares iure ciuili leges quoque sanxerunt, quomodo repudia & diuortia fierent sub titulis de diuortijs & repudijs. ff. & C. quod autem ad normam legis fit, licitè fit.

Pars affirmatiua. 1. Arg.

2. Arg.

Secundò. Sub lege Moysi permissus fuit libellus repudij, vt Christus redemptor noster Matthæi decimonono inter: respondendum Hebræis fatetur, dicens, Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: permittere autem rem illicitam, quam homo prohibere potest, peccatum est illi: nam est peccato consentire. Vnde Paul. Roma. 1. Digni sunt morte non solùm qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus: ergo repudium res licita erat, alioquì Moyses peccasset in populi gubernatione, quod nefas est credere.

3. Argum.

Tertiò. Malachiæ 2. scribitur, Si odio habueris vxorem, dimitte eam: prophetæ autem Spiritu sancto inspirati loquebantur. 2. Pet. 1. ergo illud erat licitum.

Pars neg.

In contrarium est verbum citatum Domini, Moyses ob duritiam cordis vestri dimittere vxores vestras permisit: duritia namque in malum sonat, quæ ideo non excusat à culpa.

Repudium & diuortiũ.

Quamuis nomina hæc repudium & diuortium nonnunquàm promiscuè & indiscriminatim vsurpentur, & Iurisconsultus l. Inter stuprum. ff de verbo. signifi. dicat, diuortium inter virum & vxorem fieri, repudium verò sponsæ remitti, nihilominus impræsentiarum repudium propriè significat dissolutionem matrimonij, quoad substantiam, vt fiat transitus ad alias nuptias: diuortium verò separationem tori quo ad vsum & cohabitationem. Dicitur enim diuortium, vt ait Caius l. 1. ff. eodem titul. vel à diuersitate mentium, vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. Tametsi hæc interpretatio & ad repudium accommodari possit.

Diuortium vnde.

Duplex quæstio. Abulensis.

Quæstio ergo præsens alia est sub lege naturæ, & alia sub lege Moysi. Abulensis quidem super citatum cap. decimum nonum Matth. q. 47. & 48. arbitratur Romanis & reliquis gentium licitum fuisse repudium: si tamen distracto matrimonio prouideretur liberis educandis, quemadmodum Romanorum leges prouidebant. Perstitit namque in illo suo principio, quo similem opinionem de pluribus vxoribus fundabat. Cùm enim tunc nullum esset scriptum præceptum diuinum aut humanum repudium prohibens, sed sola illa lex naturæ in secundo gradu mentibus impressa, minimè, inquit, tenebantur gentiles tanquam præceptum, illam obseruare quousque illud extrinsecus ederetur. Quare exclusa dispensatione poterant repudium in morem ducere.

1. Concl.

Ratio.

Nihilominus ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Sub lege naturæ nullis gentium licitum fuit repudium. Probatur: nam vt quæstione præcedenti dicebamus, contra ius naturæ etiam in secundo gradu, quamuis non sit per aliquam legem extrinsecus expressum, fas non est agere: nisi ab ipso eiusdem iuris conditore intrinseca saltem reuelatione admoneatur, quando, quamque ob causam id sit faciendum, eo quod iure naturæ nec tempus, nec causæ determinatæ sunt tale ius variandi: cùm ergo Deus gentibus nec legatur, nec credatur talem dispensatoriam reuelationem inspirasse, neutriquam illis legitimum fuit repudium, sed ex corruptione & obnubilatione naturalis luminis id, vt animo obsequerentur suo, faciebant. Nam quamuis tunc non esset tam indissolubile matrimonium, quàm sub euangelio, quia non erat sacramentum significans vnionem Christi cum humanitate iam factam, dirimi tamen nequiuerat nisi propter nuptias spirituales, nempe propter confessionem ad fidem altero coniuge cum ignominia Saluatoris in sua perfidia persistente, vt distin. 39. videbimus.

Spurius Carbilius vxorem repudiauit.

Vnde Spurio Carbilio, qui quingentis viginti tribus annis ab vrbe condita vxorem, quòd sterilis esset, repudiauit, id vitio datum est, vt Aulus Gellius lib. 4. cap. 3. & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. referunt, & Plutarchus in Theseì & Romuli collatione. Cuius vtique exemplo plures alij Romani, ijdemque leuissimis de causis, vxores ab se abdicarunt, vt idem Plutarchus in problematis Romanis autor est. Et quod ait Auicenna lib. 10. Metaphysices ca. pen. videlicet quòd si non liceret viro aliquando vxorem dimittere, multa damna prouenirent, non tam spiritu mentis doctus, quam carnis illecebris subditus effutiuit. Est enim Saracenorum ingenium ad carnis sentinam procliue. Extat & lex 1. ff. de diuortijs. vbi legitur, matrimonium diuortio, morte, captiuitate vel alia contingente seruitute vtriusque coniugum dirimi. Et lege 2 ponitur forma repudij, nam forma distrahendi matrimonij erat in viro ad vxorem, Res tuas tibi habeto, vel tibi agito, sed in discutiendis sponsalibus erat hæc, Conditione tua non vtar. At leges istæ Iurisconsulti sunt Romanorum moribus imbuti.

Leg. 1 de diuortijs.

Forma repudij.

Leges imperatoria de repudijs. D. Thom.

Maiorem autem scrupulum obijciunt imperatoriæ leges de repudijs. C. lib. 5. quibus non solùm viris repudiandi vxores facultas fit, verùm & vxoribus repudiandi viros, quòd vt D. Thom. libr. 3. contra Gentes cap. 123. ait, ius naturæ abhorret. Est enim vir mulieris caput, cuius nutu & prudentia gubernari debet, cui ideo non licet eum inuitum deserere. Et tamen aiunt imperatores Theodosius & Valentinianus l. Consensu. Si qua mulier maritum suum adulterum aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum inuenerit, &c. tunc repudij auxilio necessariam ei permittimus libertatem. Huiusmodi autem leges ius canonum non admittit, sed duntaxat, secundùm euangelium, vt fornicationis causa vir diuortium, hoc est, separationem tori faciat. De quo Christianorum diuortio dist. 36. futurus est nobis sermo.

L. Consensu.

Ius pontificium.

Iudæis repudium licitum. 1. opinio.

De Iudæis autem apparentius est, repudium illis fuisse licitum: versantur tamen de hac re opiniones duæ. Vna, quæ primo loco recitari solet negatiua, nempe quòd non fuerit eis licitum, sed solùm impunè permissum. Itaque permissio non eos excusabat à culpa, sed liberabat à pœna. Distinguuntur namque quatuor permissionis modi. Vnus per priuationem præcepti maioris boni: & tunc id, quod permittitur, declaratur esse minoris virtutis, veluti Paul. 1. Corinth. septimo, non præcipiens virginitatem permittit matrimonium. Secundus per priuationem prohibitionis, vt si quis ad euitandum mortale in subdito permitteret veniale: & tunc id quod permittitur, denotatur esse minus malum. Tertius per priuationem simpliciter cohibitionis voluntatis: sicut Deus permittit omnia mala fieri non cohibens & impediens, cùm possit. Quartus per priuationem punitionis: & tunc id quod permittitur, non excusatur à culpa, sed relinquitur impunitum, vt meretricium delictum ad cauendum adulterium. Et hoc modo, ait ista opinio, permissum fuisse Hebræis libellum repudij, ad cauendum vxoricidium, sicuti & permissum eis fuit fœnerari ad vsuras alienis, ne eas à suis ciuibus corraderent.

Permissionis quatuor modi. Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Secunda opinio ait, repudium fuisse permissum tanquam licitum, hoc est, tanquam minus bonum, vt in primo quatuor modorum explicuimus. Quæ quidem opinio, ait D. Thom. est probabilis, sed prima communius sustinetur. Et Ricardus artic. 3. primam etiam inquit communiorem & securiorem. Et eandem sequitur Nicolaus Lyranus Deuter. 24. & Matth. 19. Imò & Magister ipse senten. Et Altisiodorensis & Bonauentura, ac subinde Theologorum plerique. Durandus verò q. 2. licet fateatur primam esse magis communem, secundam tamen existimat probabiliorem, veluti & Paludanus, & Scotus. Sed Abulensis super ca. 29. Matth. q. 49. vsque adeò eandem sustinet, vt priorem dicat esse irrationabilem: atque adeo quæst. 51. eandem secundam ait indubitanter esse tenendam. Caietanus denique super verbo, Moyses permisit, Matth. 19. quendam habet singularem modum, quem etiam tractabimus.

2. Opinio.

Ex his ergo secundam conclusionem negatiuam

2. Concl.

eliciamus. Repudiare vxores minimè fuit Iudæis licitum ceu minus bonum, sed fuit, quemadmodum ait prima opinio, tanquam minus malum, vt impunè fieret, permissum. Et primùm quòd inter gentes nunquam fuerit licitum, manifestum fit ex vsu & more Ecclesiæ. Nam vt Innocent. cap. sæpe citato Gaudemus, de diuortijs. probè adstruit. Qui legitimam repudiauit vxorem, licet aliam duxerit, cogitur dum ad fidem conuertitur, alijs dimissis, cum illa repudiata reconciliari & permanere, si modò voluerit conuerti: ergo per repudium nunquam fuit inter gentes matrimonium diremptum, quia cum gentibus nullibi legitur neque verò creditur aliquo tempore dispensatum, atque adeò repudiatio peccatum eis fuit, & secundum matrimonium nullum: Quod quidem argumentum non æquo pede, vt de gentilibus, ita de Iudæis currit: nam & si ipsi conuersi compellantur quoque cum priori vxore, quamuis repudiata, permanere, dicere altera opinio potest hoc accidere, vt de pluribus vxoribus diximus, eo quòd per Christum abrogata fuit dispensatio, quæ illis antea facta fuerat dissoluendi matrimonij.

Nota.

Arguitur nihilominus de Iudæis exemplo illorum, qui inter ipsos autoritate & sanctitate eminebant. Nemo enim eorum legitur vxorem repudiasse, nisi fortasse singulari reuelatione & iussu Dei, vt Abraham propter mysterium, vt dictum est. Quamuis & dici posset Agar non fuisse prorsus repudiatam per solutionem matrimonij, sed instar diuortij quo ad vsum & cohabitationem. Vnde non desunt ex Hæbreis qui dicant Abraham mortua Sara reconciliasse sibi Agar, quæ alio nomine dicitur Cethura. Genes. 25. quamuis litera non arrideat, quæ ait, Aliam duxit vxorem nomine Cethuram. Et S. Thom. censet Agar verè repudiatam, quòd certè mysterio repudiatæ legis à Christo magis consentaneum est. Quare Cethura tertia vxor fuit Abrahæ, vt ex ipso textu planè colligitur, vbi habetur, quòd Abraham cuncta, quæ possederat, dedit Isaac, filijs autem concubinarum dedit munera. Appellat enim concubinas, vxores illas ratione supra relata.

Agar quomodo repudiata.

Sed vt ad nostram conclusionem reuertamur, probatur secundo argumento ex verbis Domini Matth. 19. rectè perspectis. Postquam enim Christus ad propositam quæstionem Phariſæorum, liceret ne vxorem quacunque ex causa dimittere, neganter respondisset, synceramque legem instituti matrimonij instaurasset dicens, Quos Deus coniunxit, homo non separet, vbi perpetuum nexum matrimonij monstrauit, obiecerunt Iudæi exceptionem dicentes: Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij & dimittere? alludentes ad illud Deutero. 24. Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Tunc Christus eorum exceptionem tanquam non legitimam repellens, verbum, mandauit, correxit dicens, permisit: insinuando, quòd illud non mandauit tanquam bonum, sed quòd permiserit tanquam minùs malum. Ob duritiam, inquit, seu ad duritiam cordis vestri, hoc est, ad confundendam duritiam cordis vestri non potentium obedire legi Dei, quæ quidem duricies praua erat, atque adeò per se illa non excusabat illos: & ideo non erat cur Moyses morem gereret eorum duricici, & quasi conniuens eorum nequitiæ rem per se prauam licitam faceret & honestam. Idque ex subiecto verbo confirmatur. Ab initio autem non fuit sic: quasi diceret, vera & legitima institutio matrimonij id non permittit: quare nec Moyses permisit vt licitum, sed eatenus quòd cum alijs criminum generibus sua singulis propria supplicia assignauerit, huic tamen nullam iniunxit pœnam, ne vestram duriciem tanto rigore coercens peioris vobis mali occasionem offerret. Itaque Moyses dimittere quidem vxorem non mandauit, sed permisit. Libellum autem repudij, vt lib. 1. de sermone Domini in monte ait Aug. sub conditione, si vxor dimitteretur, dari ei mandauit, vt libera ipsa esset commigrandi (quod ipsi iure fieri putabant) ad alias nuptias.

Ratio secunda.

Rationis confirmatio

Caietanus illic nescio quodnam medium comminiscitur, intellectu non facile. Ait quippe, quòd dimittere vxorem nec omnino erat licitum (quia permissio non nisi malorum est) nec omnino erat mortale crimen. Primò, quia permissio ponebatur per modum legis. Secundò, quia Malachias 2. quasi ore Dei ait, Si odio habueris vxorem, dimitte. Et tertiò, quia licebat dimissæ alteri viro nubere, vt patet loco citato Deut. 24. Hoc autem medium vix intelligitur: quia si permissio non nisi malorum est (vt ipse fatetur) profectò illud malum relinquitur in sua natura: quocirca si dimittere vxorem lege naturæ peccatum mortale erat, lex permittens nihil culpæ minuebat. Et sic ad primum in contrarium respondetur, quod lex ponebatur non tanquam excusans à culpa, sed à pœna. Et Malachias loquebatur non tanquam præcipiens, sed alludens ad Mosaicam legem, quam Deus approbabat tanquam permittentem impunè fieri. An verò dimissæ liceret aliam maritum accipere, art. sequenti dicetur.

Caiet. opin.

Ratio 1. Secunda. Tertia.

Sententia autoris.

Solut. 1. rationis. Caietanus. Ad Malachiam.

2. Argum.

Tertiò ad eandem conclusionem arguitur. Dispensatio iuris naturalis non est credenda autoritate Dei fieri, nisi propter aliquem honestum finem, eumque ad religionem pertinentem: hic autem finis in repudio non reperitur, ergo nec illa dispensatio habet locum. Accipe exemplum. Quod Deus dispensaret in vxoribus pluribus ducendis, ratio diuini cultus augendi admonebat. Et si fortè dispensauit cum Abraham vt Agar prorsus repudiaret, ratio id mysterij videbatur exposcere. Quod autem Moyses autoritate Dei sic dispensaret in repudio, vt faceret illud licitum, duntaxat propter duriciem cordium illius gentis, & vt eorum peruersis animis obsequeretur, profectò nulla ratio suadet: esset enim hoc potiùs eorum prauitati conniuere. Satis ergo erat, quòd permitteretur tanquam minus malum sine pœna temporali fieri: hoc enim pacto permittuntur meretricia & vsuræ. Profectò si ratio perpendatur, plurimum vigoris habet. Imò nomen ipsum permittere; si vim significationis obserues, non est nisi mali, sicut concessio est boni. Vnde super Malachiam Hieronymus, quem Magister præsenti distinct. refert, permisit, inquam, repudium, non vt concederetur dissidium, sed vt tolleretur homicidium.

Exemplum.

4. Arg.

Et quartò arguitur, inquirendo quando dirimebatur matrimonium. Et clarum est, quod ante libellum non erat dissolutum. Neque verò dirimebatur per libellum, si quidem antequam dimissa transiret ad secundas nuptias, licebat viro eam sibi reconciliare sine nouo consensu denuò contrahendi: ergo necessum est dicere, quod dirimebatur quando fiebat transitus ad aliud matrimonium: atque adeò libellus non dirimebat, sed faciebat illis potestatem dirimendi. Quod re vera minus credibile est.

5. Arg.

Sed quò res liquidior fiat, quintò arguitur examinando causas, propter quas libellus repudij dabatur. Peccant enim nonnulli de hac re per ambo extrema. Quidam enim aiunt, quòd solùm dabatur propter fornicationem: alij autem quòd propter quamcunque causam, etiam ob solum odium, quo vir prosequeretur vxorem. Sed quis credat, quod cordatissimus legislator Moyses licitum fecerit repudium solùm propter odium viri, quod ex sola sua iniquitate absque alia causa prodiret? Imò verò neque hoc ex lege, sed contrarium colligitur. Si enim solum odium sufficeret, non opus esset marito aliam causam allegare: & tamen illud oportebat, iuxta illud Deutero. 22. Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, scilicet quod non virginem eam inuenisset, tollent eam pater & mater eius, &c. Vide quemadmodum non sat erat allegare odium, sed causas legitimas odij. Quod ergo ait Malachias, Si odio habueris eam, dimitte: intelligitur, si causas habueris odij legitimas, vt loco citato Deuter. 24. his verbis explicatur, Si non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem.

Opinio quorundam.

Solum odium.

Malachias expenitur.

Nota.

Vnde colligitur, quòd vt non sufficiebat odium, ita nec requirebatur fornicatio, sed aliæ causæ sufficiebant fœditatis. Id quod Christus insinuauit dicens, Ego autem dico vobis, Quod quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: quasi Iudæi alias causas in vsu haberent dimittendi, vt ait Augustinus super Deuter. 24. Multæ enim, inquit, erant in lege causæ dimittendi vxores: Christus solam fornicationem excepit: cæteras molestias iubet pro fide & castitate coniugij sustineri. Est n. vero simillimum repudium Moisen permisisse instar Romanorum & aliarum gentium, præcipuè Ægyptiorum, quorum moribus intinctos ipse Moyses inde eos eduxerat. Duritia enim cordium Iudæorum erat, nolle seruare legem naturæ, quæ erat Dei instituentis matrimonium ceu indissolubile vinculum, sed contendere more gentium vxores dimittere. Gentes autem pluribus causis dimittebant, nempe illis, quæ aliquo modo obstare

matri-

Repudium gentilium.

matrimonio videbantur: vt si vxor sterilis esset, aut venenum marito aut filijs propinasset, aut si post contractum matrimonium aliquam fœditatem incurreret, seu corporalem vt lepram, seu in moribus si esset fornicaria aut seditiosa, &c. vt exponuntur in lege supra allegata Consensu. C. de repudijs, quæ quidem erant odij & abominationis causæ. Imò verò tempore Christi adeò multiplicabantur repudij causæ, vt in quæstionem verteretur, vtrùm quacunque ex causa id liceret. Hanc enim quæstionem ad iudicium Christi detulerunt. Id quod relatione Iosephi lib. 4. de antiquitatibus constat, vbi ait, ab vxore copulata sibi volens quicunque disiungi propter quascunque causas, quæ multis modis hominibus prouenire noscuntur, ex scripto, eo quòd nunquàm cum ea conueniat, compromittat. Et Abulensis quæstio. 55. super 19. cap Matth. ex quacunque causa putat licitum fuisse repudium.

1. Arg.

Ex his ergo quintum argumentum conclusionis conficimus. Christus solùm approbat diuortium, hoc est, tori separationem, causa fornicationis: ergo iure naturæ sola illa poterat esse legitima: non ergo est credibile, quod Moyses authoritate diuina tanquam licitum admitteret libellum repudij propter tam multas causas, imò (vt ait Abulensis & alij) quibuscunque de causis, potissimùm si non necesse erat eas in iudicio probare, sed priuatim allegare: esset enim hoc iudicio & arbitrio ipsorum matrimonium subdere, vt quicunque iudicio suo priuato matrimonium absque culpa dirimeret, quod re vera fas non est credere. Hanc nostram conclusionem apertè profectò affirmare videtur Diuus Augustinus contra Faustum lib. 19. capit. 26. in textu citatus, vbi ait, legem non dixisse, Qui voluerit, dimittat vxorem, sed quia nolebat dimitti, interposuit moram scribendi libellum, vt ille ab illo dissidio absisteret, & quod malum esset vxorem dimittere, cognosceret. Sed & articu. proximo noua argumenta eidem conclusioni adijcientur.

Forma libelli.

De forma autem libelli, qualis tunc esset, nihil certi scriptum habemus. Magister Sententiarum, distinct. præsenti ait, causas repudiandi oportere in illo scribi. Abulensis verò super 19. cap. Matth. quæst. 57. id negat. Id tamen creditu durum est tenendo opinionem quam ipse sequitur: nempe quòd remedium erat licitum. Credit n. simul neque opus fuisse causas vllo modo probari, vel in iudicium deferri. Durissimum, inquam, est creditu, duriciei Iudæorum Deum vsqueadeò indulsisse, vt repudium eis tanquam licitum ob quascunque causas neque probatas, neque in iudicium delatas concesserit. Quare qui hæc omnia membra sustinere profitentur, multum sibi onetis imposuere. Secundùm tamen opinionem tenentem repudium non fuisse licitum, liberius loqui possumus de forma libelli. Possumus n. tenere, quòd sine tanto strepitu fiebat discessio. Quanquam apud Romanos ratum non erat repudium, nisi testibus legitimis in iudicio causæ comprobarentur. Erat enim certus causarum numerus præscriptus, vt l. Nullum. ff. de diuortijs. & l. Consensu. C. de repudijs. At verò Moyses, si repudium non vt rem licitam permittebat, nil mirum si nec causas præscripserit necessarias, nec formam scribendi repudium, sed tantum ait, Scribet libellum repudij, & dabit in manu eius: quasi non in iudicio, sed priuatim res esset transigenda. Vnde quamuis libellus nomen sit forense, quod videtur scriptas causas criminis denotare, tamen cùm ille Iudæorum non daretur nisi in fauorem vxoris, credibile est non continuisse causas repudij, saltem speciatim expressas, ne mulier suam secum ipsa importaret scriptam infamiam. Et Iosephus supra citatus non insinuat aliam libelli formam, quàm illam. Nunquam tecum conueniam compromitto. Itaque quando crimen fornicationis aut aliud lethale obijciebatur vxori, tunc in iudicium delata accusabatur ad vltionem, sed tamen ad repudiandum non colligitur ex scriptura quòd fieret forensis processus, sed cùm odio haberetur à viro, ipsa consentiebat discedere, dum modò per libellum posset constare solutam esse (vt putabant) matrimonio. Nonnulli dicunt, quòd scribebantur in genere causæ. Verbi gratia, si diceretur, quòd mores ipsius non erant congruentes marito. Magister autem historiarum ait, quòd res coram sacerdotibus agebatur. Augustin. verò loco proximè citato ad Scribas ait fuisse recurrendum, qui marito repudium dissuaderent, quod si persuadere non possent, ipsi libellum conscriberent.

Romanorũ repudium.

Causarum certus numerus.

Nota.

Sol. 1. arg.

Restat vero ad argumenta contrariæ opinionis respondere. Ad primum ergo, quòd nos obiecimus, iam satis responsum est, quod lex illa & mos gentium repudiandi vxores ex naturalis luminis obfuscatione oriebatur. Vtrùm verò longa consuetudo totius gentis etiam inter illos qui vt sapientes habebantur, posset plebem à culpa excusare, alia quæstio est: nam licet consuetudo in principio ortum habuerit ex culpa: nempe quia alijs peccatis obnubilatum erat rationis lumen, nihil vetat quominus aliquem potuerit post longum tempus excusare. Sed neque hoc certè libenter affirmauerim: quoniam genus illud repudij tam frequens speciem præ se ferebat cuiusdam concubinatus.

Longa consuetudo an excusaret repudiantes.

Ad secundum respondetur, quòd legislator non coërcens malas voluntates subditorum, si sperat posse perficere, consentire censetur: si verò id non sperat, imò potiùs prudenter timet ex sua coërtione, quòd subditi in peius malum prorumpent, tunc permittens non consentit, sed potius cauet maius malum, sicuti principes nunc meretricia permittentes.

Sol. 2. arg.

Ad Malachiam autem iam responsum est, quòd illa non fuit præceptio, sed Mosaica permissio modo iam exposito.

Ad Malachiam.

Ac per id soluitur argumentum, quod Scotus non parui facit. Scripturam, inquit, sacram nihil falsi suspicandum est continere: cùm autem locis citatis Moyses & Malachias mandent repudium: sic syncerè audienda lex est. Respondendum, inquam, id minimè mandare, sed permittere modo exposito. Imò Hieronymus Malachiam interpretans, non ait prophetam illud assertiuè dixisse, sed quasi tacitam obiectionem aliorum referendo. Cùm enim dixisset, Vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere: subiecit de repente, Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus: hoc est, sed dices mihi, scriptum est, Cùm odio habueris, dimitte.

Sol. Arg. Sco.

Potissimum autem argumentum est hoc. Lex vetus quamuis gratiam non conferret, ostendebat tamen prohibebatque peccata, vt ad Rom. 3. ait Paul. & Esaiæ 58. Annuncia populo meo peccata eorum: ergo Moyses autoritate Dei omnia illi populo crimina denunciauit, aliàs neglectui fuisset ab eo habitus: nunquam autem declarauit repudium esse peccatum, imò concessit eius libellum: ergo non erat peccatum. Et confirmatur, quia obseruatio legis sufficiens erat ad vitam æternam iuxta verbum Domini, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: sed etiam in repudio seruabat homo mandatum: ergo erat licitum.

Argumentum forte.

Confirmatio arg.

Ad primum autem respondetur negata minori. Imò lex matrimonij in Adam & Eua constituti bene intellecta, iuuante lumine naturali, & antiquissima sanctorum patrum consuetudine, repudium satis superque declarabat esse illicitum. Et hoc est quod Christus voluit Pharisæos docere. Sicut enim ipsi male intelligebant, quòd diligendus esset amicus, & odio habendus inimicus, & quod occidere esset peccatum, non tamen interna cordis ira, & ideo Christus sensum naturalem legis explicans ait, Ego autem dico vobis, Quicunque irascitur, &c. &, Diligite inimicos vestros: ita quia malè intelligebant legem matrimonij, docuit quòd ab initio lex non permiserit dimittere vxorem nisi ob fornicationis causam, idemque per diuortium quo ad tori separationem, vt mos seruat Christianus.

Sol primi.

Super omnia solet alia opinio adhibere autoritatem Chrysostomi homilia 32. super 19. cap. Matth. cuius verba sunt, quòd Moyses permittendo libellum repudij à peccato abstulit culpam peccandi. Hæc tamen subobscura verba per præcedentia & subsequentia in nostrum sensum planè explicantur. Non enim vult dicere, quòd à repudio abstulit culpam, vt maneret licitum, sed quòd ab illo, quòd erat, manstrque peccatum, abstulit reatum pœnæ, vt non videretur peccatum. Verba enim præcedentia hæc sunt. Permisit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Nota, permisit mala. Et subdit, igitur hæc permittendo, non vobis iustitiam Dei demonstrauit (nempe quanto supplicio dignum esset repudium) sed à peccato abstulit culpam peccandi, scilicet pœnã, quæ testis est culpæ. Vt quasi secũdũ legem agentibus vobis peccatum vestrum non videatur esse peccatum. Hæc ille. Quæ quidem verba paulò differentius refert Magister sententiarum, in fauorem nostræ opinionis, quam ipse sustinet. Ait enim quod permissio libelli in peccatore minuit culpam, scilicet dum per repudij culpam cauit homicidium.

Chrysost. autoritas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm dato libello repudij tam vxori quàm viro liceret ad secundas nuptias transire.

IN calce demum quæstionis huius quæritur, an repudiatæ vxori par ius esset, sicut viro transeundi ad secundum matrimonium. Et arguitur à parte affirmatiua. Iniquitas nemini suffragatur: sed in repudio maior erat iniquitas repudiantis viri, quàm repudiatæ vxoris: ergo si viro licebat aliam ducere, licebat & vxori alteri viro nubere.

Pars affirmatiua.

1. Arg.

2. Arg.

Secundo. Quando mos erat (vt August. in primo articu. citatus ait) peccatum non erat, sed in lege illa mos erat vt vxor alij nuberet, vt ex Deuter. 24 cap. constat: ergo licitum erat.

Pars neg.

In contrarium est quòd in eodem cap. repudiata, quæ alij nuberet, polluta nominatur, & abominabilis facta coram Deo.

1. Concl.

Hæc quæstiuncula ex superioribus decisa restat, ad quam ideo tribus conclusionibus, quæ superioribus sunt appendices, respondetur. Prima. Si repudium lex tanquam licitum permittebat, matrimonium dato libello restabat solutum: si verò (quod monstrare conati sumus) non permittebatur tanquam licitum, nullatenus per libellum dirimebatur matrimonium. Res est clara: quia repudium erat matrimonij dissolutio: si ergo iure fiebat, verè dirimebat matrimonium: sin autem non fiebat licitè per dispensationem iuris naturæ, dissolutio re vera non fiebat, sed attentabatur. Quare secundùm hanc opinionem peccatum erat apud Deum repudium facere.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quamuis matrimonium non dissolueretur, nihilominus vir poterat aliam vxorem ducere: nam poterat tunc vnus vir (vt superiori quæstione dictum est) plures simul ducere vxores.

3. Concl.

Tertia conclusio. Si vera esset opinio tenentium licitum fuisse repudium, consequens fieret, vt repudiata cum alio posset coniugium transigere. Id quod apud ethnicos iure fieri credebatur. Secundùm tamen opinionem, quàm veram existimamus, repudiata iure diuino & naturali prohibita nequiuerat alteri adhærere viro, quamuis per legem liceret ei id impunè facere: quoniam primum matrimonium non dirimebatur, neque mulieri fas erat plures sibi simul adiungere viros, sed debebat vel reconciliari cum priori, vel cœlibem degere vitam, sicut modò tenentur vxores per diuortium à suis viris semotæ.

Argum.

Et quod hæc sit rei veritas, super omnia argumenta facta probatur, etiamnum per verba illius legis Deuter. 24. reconciliationem repudiatæ prohibentis, scilicet quòd si alterum maritum duxerit, illo vel mortuo, vel eam repudiante non poterit cum priori reconciliari, quia polluta & abominabilis facta est coram Domino: si n. primum matrimonium fuisset re vera discissum, tunc secundum esset legitimum, atque adeò illa non fuisset polluta neque abominabilis: cum ergo existimata fuerit polluta, denotatur mœchatam fuisse cum secundo, atque adeò primum matrimonium non fuisse diremptum. Ex quo patet patronos alterius opinionis non ad veritatem literæ fuisse locutos dicentes, causam, cur vir repudiatis vxorem prohiberetur eam sibi reconciliare, fuisse in pœnam, ne faciles essent ad repudiandum. Est n. ficta causa, tum quòd in textu non illa assignatur, sed quia polluta erat: tum quòd si illa fuisset causa, quamuis non nuberet alteri vito, deberet etiam reconciliatio prohiberi: quod falsum est. Nam insinuatur eadem lege à contrario sensu, quòd antea quàm alij nuberet, posset cum priori viro reconciliari.

Patroni alterius opinionis. Causa ostenditur ficta.

Aliud arg.

Quinuerò ex verbo subiuncto, reconciliari, nouum sumitur argumentum: denotat enim prius matrimonium non fuisse solutum: alioqui reconciliatio non haberet locum, sed contractio noui matrimonij cum eodem priori marito. Profectò lex illa loquitur de repudiata instar euangelij, de illa, quæ modò per diuortium fornicationis causa separatur à viro, quæ scilicet reconciliari suo viro potest, & si alteri nubat, mœchatur.

Testimonium Christi.

Et hoc videtur Christus insinuasse duo membra sermonis faciens, nempe quod non liceat vxorem dimittere, nisi vna sola causa fornicationis, in quo condemnat Iudæos, qui plurimis de causis id faciebant. Et addidit, quòd qui dimissam duxerit, mœchatur. Quocirca firmius irroborata restat sententia præcedentis articuli, quòd repudium inter Iudæos non fuerit plus quàm inter ethnicos licitum.

Ad primum igitur argumentum in contrarium respondetur, quòd quamuis maior esset iniquitas viri repudiantis, quàm vxoris, non tamen licebat illi propter illud aliam ducere, sed quia licebat ei plures habere, quod non congruebat mulieri.

Sol. 1. arg.

Ad secundum verò respondetur, quod moris nomine Augustinus intelligit honestam consuetudinem, qualis erat habendi simul plures vxores. Illa namque repudij, non erat honesta: & ideo non erat mos, sed moris peruersio.

Sol. 2. arg.

DISTINCTIO TRIGESIMAQVARTA.

DE QVATVOR PRIORIBVS IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Textus. Cap. 1.

AD hæc, quæ de matrimonij substantia & vsu dicta sunt, consequitur impedimentorum sermo, quibus personæ illegitimæ ad matrimonia redduntur. Hæresis namque labe sordescerent qui Ecclesiæ hanc impediendi facultatem abnegarent. Sunt ergo quædam sic contrahendo matrimonio obstantia, vt contractum non dirimant, veluti interdictum Ecclesiæ, ne clanculò aut feriato tempore fiat: alia verò, quæ etiam dirimunt, vt cognatio atque id genus alia, quæ hisce carminibus designantur. Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, Si sis affinis, si fortè coire nequibis. Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Versiculi.

Inter hæc caput tenet frigiditas, eo quòd à natura proficiscitur: quo vtique nomine naturalis omnis impotentia coeundi denotatur. Hoc enim impedimentum, si perpetuum est: puta si citra miraculum & periculum, vt author est Innoc. humano remedio remoueri nequit, matrimonium dirimit. Quocirca si alter tunc coniux filios procreare cupit, distracto matrimonio Ecclesia iudice ad alias potest conuolare nuptias. Sed qui impedimento tenetur, illis interdicitur. Si verò impedimento non obstante commanere volunt, tunc illam, si non vt vxorem, saltem habeat, vt sororem. Id quod Grego. Rauennati episcopo respondit, & secundùm eum Lucius tertius asseruit. Ad explorandum verò impotentiæ perpetuitatem Cælestini prouidentia triennium indulsit, quo elapso secundum Greg. idem quoque pontifex septima manu iuratorum testium diuortium permisit. Quòd si qui frigidus pronunciatus est, compertus fuerit aliud matrimonium consummasse, ad prius reuocandus est, sentit quippe se tunc sancta Ecclesia deceptam, vt idem sancti pontifices autores existunt.

Cap. 2.

Cap. Fraternitatis de frigidis & maleficiis.

Cap. Quod autem, & Requisisti. 33. q. 1.

Cap. Consultationi, de frigid. & malefic. Cap. Laudabilem. eo. tit.

Ad frigiditatem adiungitur maleficium, quod impedimentum pariter est matrimonij, nisi quòd cum possit duos singulariter inuicem ligare, qui tamen ad alias personas co-

Cap. 3.

gnoscendas

gnoscendas sunt idonei, dissoluto matrimonio par vtriq; facultas fit ad aliud commigrandi. De hoc Hismarius Remensis Archiepiscopus scripsit. Si per sortiarias maleficasque artes occulto, sed nunquam iniusto Dei iudicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eueniunt, vt corde contrito Deo, & spiritu humiliato sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & per exorcismos & alia Ecclesiæ munia sanari procurentur. Quòd si fortè sanari non potuerint, separari valebũt. Si tamen pòst comperti fuerint matrimonia cum alijs consummasse, non subinde satis exploratum fit inter se id posse perficere; atque adeo ob solum illud iudicium, nisi aliud intercesserit, non sunt ad prius matrimonium cogendi: secus si fortè constiterit inter se quoque coeundi potestatem habere, vt per Grego. sententiam definitum apparet.

Can. Si per sortiarias. 33. q. 1.

Can. Requisisti. 33. q. 1. Cap. 4.

Neque verò furiosi dum in amentia sunt, matrimonium contrahere valent, est enim furia quoddam erroris genus, rationis vsum absorbens. Vnde Fabia. neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur. Item Nicolaus Papa. Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & vni ex duobus vel ambobus amentia, vel furor, vel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium coniugia solui non possunt.

Can. Neque furio. 32. quæst. 1.

Ibidem Ca. Hi. qui.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆQVARTÆ.

Quæstio prima.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EX DEFECTV NATVRÆ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm aliqua sint matrimonij impedimenta.

Diuisio trimembris matrimonialis tractatus.

IN TRES partes distinct. 26. partiti sumus hanc matrimonij disputationem. Per septem enim distinctiones egimus de causis efficientibus, quibus matrimonium constituitur & perficitur: & in tribus subsequentibus de causis eius formali & finali: nempe de vinculi perpetuitate, deque eius bonis & vsu ad finem generationis. Per nouem ergo hinc restantes tertia pars eiusdem disputationis extenditur, quæ est de causa eius materiali seu de subiecto: videlicet de personis ad matrimonium & eius vsum legitimis, siue de impedimentis, quibus illegitimæ redduntur. Huiusmodi autem impedimentorum duo sunt genera, quædam enim non prorsus illegitimas reddunt personas, sed aliquo modo idoneas. Et de istis agitur in tribus distinctionibus: puta in hac & duabus proximis. Sed alia sunt simpliciter illegitimas reddentia, de quibus in sex consequentibus subsequitur sermo: nempe à distinctio. 37. vsque ad 42.

Partis neg. arg. 1.

Quæritur ergo primò in genere, an aliqua sint matrimonij impedimenta. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonium cæteris sacramentis adnumeratur: reliquis verò non adscribuntur impedimenta: ergo nec debent matrimonio consignari, præsertim cùm sit inter reliqua in minimo perfectionis gradu & quo res minus est perfecta, eò paucioribus impeditur.

1. Argum.

Secundò. Vbicunque est morbus, ibi est remedium necessarium, sed concupiscentia, in cuius remedium est matrimonium indultum, existit in omnibus: ergo nemo debet simpliciter à matrimonio arceri.

3. Argum.

Tertiò, coniunctio viri & mulieris nunquam nisi per matrimonium licita est: sed omnis illicita coniunctio dirimi potest: ergo quicquid matrimonium impedit contrahendum, dirimere debet contractum, tanquam illicitè initum, atque adeò non distinguuntur impedimenta, vt alia sunt quæ impediant duntaxat matrimoniũ contrahendum, atque alia quæ dirimant contractum.

Pars affir.

In contrarium per alterum extremum arguitur quòd sint infinita impedimenta: tum quod matrimonium quoddam bonum est: boni autem defectus, vt Dionys. 4. c. de diuinis nominibus autor est, infinitis modis accidit, veluti ab scopo aberrare, vt ait Philosophus: tum quòd huiusmodi impedimenta sumuntur secundùm conditiones particularium personarum, quæ sunt infinitæ.

Hæretici.

Hæretici illi, qui facultatem Ecclesiæ circa sacramentorum substantiam & ornatum adimunt, eam negant leges posse condere impedimentorum matrimonij, præter illas quæ sunt de iure naturæ, vt filia non contrahat cum patre, vel fortè cum fratre, vel quæ iure diuino sunt in Leuitico. Quare & sacerdotes dicunt posse matrimonia contrahere, & religiosos: nam alia impedimenta veteris legis cæremonialia erant, & iam cessarunt. Ita dogmatizant Lutheranorum scholæ. Sed sunt in hoc, veluti in alijs plurimis, planè hæretici.

1. Concl.

Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima. Multa sunt impedimenta matrimonio obstantia, non solum quæ vel ex defectu consensuum, vel lege naturæ obueniunt, verùm quæ ecclesiasticis institutis decreta sunt. Quæ quidem conclusio non tantum veluti scholastica veritas, verùm ceu catholica, cuius contraria negatio hæretica est, asseritur. Probatur. Res vniuersæ, quæ ex causis mutabilibus & variabilibus pendent, obnoxiæ sunt impedimentis, quibus vel impediuntur ne fiant vel factæ cessantur: matrimonium est huiusmodi: ergo habent impedimenta. Probatur minor, quia maior notissima est.

Probatio minoris.

Matrimonium ex triplici causarum genere constat: nam quatenus est in officium generandi, est naturæ institutum, & quatenus sacramentum, est institutum Dei, & quatenus ad conuictum humanum attinet & Reipub. pacem, legibus humanis subditur, & omnes sunt causæ variabiles & impedibiles: nam iure naturæ constituitur per mutuum consensum ad finem generationis: consensus autem, cùm sit res humana vi & errore impediri potest, & generatio per impotentiam coeundi: significatio verò sacramenti vnionis Christi cum ecclesia impeditur per bigamiam: conuictus autem pacificus impeditur per vxoricidia & incestus atque alia crimina, quæ ideo ecclesia prudenter impedimenta esse voluit matrimonij. Sed & ornamentum & ciuile decus matrimonij per hoc accedit, quod cognatione propinqui à matrimonio propellantur. Quo fit, vt de omnibus istis ecclesia possit leges prohibitorias condere. Quin verò principes, & ciuilis respublica, si modò id ecclesia permittat, facultatem habent huiusmodi ferendi leges, quibus matrimonia cohibentur, vt inferius d. 40. & 42. latius monstrabitur.

Obiectio.

Et per hoc soluitur argumentum, Si contra obijciatur quod matrimonium est vinculum diuina autoritate perfectum, iuxta verbum illud, Quos Deus coniunxit, homo non separet: diuina autem voluntas impediri per causas nequit creatas. Respondetur, inquam, quod Deus matrimonium non coniunxit nisi per causas supra dictas. Dicitur enim ipse coniungere, quia id facit per leges à sua æterna lege deriuatas, deque humanis rebus disponentes, quæ quidem res per leges itidem Ecclesiasticæ Reipub. quam ipse instituit, possunt impediri.

Dilutio.

2. Concl.

Secunda conclusio. Impedimentorum matrimonij quædam sunt quæ impediunt contrahendum, non autem dirimunt contractum: alia verò sunt, quæ & contrahendo obstant, & contractum distrahunt. Diuisio hæc nascitur ex alia eorum partitione, quæ ad matrimonium spectant. Quædam enim sunt quæ ad eius tantum solennitatem attinent, atque alia, quæ sunt de eius essentia. Impedimenta ergo eorum quæ sunt de solennitate, impediunt quidem contrahendum, quia

Duo impedimentorũ genera.

illis

illis impedimentis existentibus peccatum est matrimonium contrahere, sed contractum non dirimunt. Impedimenta verò eorum quæ sunt de essentia, diluunt etiam contractum. Et ratio discriminis est clara: quoniam existentibus illis qui sunt de essentia rei, quamuis eius ornamenta desint, res nihilominus consistit, vt si adsit materia & forma, quamuis color vel aliud accidens defuerit, res seruatur. Attamen vbi id quod est de essentia, deest, res ipsa perimitur. Exemplum etiam est in alijs sacramentis: nam sine exorcismis, catechismis vel alijs cæremonijs, si fiat baptizatio in aqua cum legitima forma, erit verus baptismus. Quòd si arguas. Perpetuitas indissolubilitasque matrimonij est vsque adeo ei propria, vt sit de eius diffinitione: quod autem est de diffinitione rei, est ab ipsa inseparabile: nulla ergo sunt impedimenta, quæ dirimant contractum. Respondetur, sensum non esse, quod dirimant coniugium illud, quod legitimè fuit compactum & semel valuit, sed quòd si sit de facto attentatum, erit irritum & cassum. Qui enim clam contrahunt, peccant quidem, sed factum tenet. Cognati vero intra quartum gradum & peccant attentando, & nihil faciunt. Quare hæc impedimenta non proprie dirimunt: quia nullum vnquam fuit matrimonium, sed dicuntur dirimere ad differentiam aliorum, quoniam qui de facto sic contraxerunt, iure sunt separandi.

Ratio discriminis.

Obiectio.

Solutio.

Impedimenta primi generis sunt tantum duo s. vetatio Ecclesiæ, & tempus feriatum, his carminibus contenta. Ecclesiæ veritum, nec non tempus feriatum. Impediunt fieri, permittunt facta teneri. Vetatio seu prohibitio Ecclesiæ est, ne clanculo matrimonium fiat. De quo quidem impedimento d. 28. dictum est, vbi declarauimus matrimonium clam contrahere esse peccatum mortale, hoc est, si sine testibus fiat, quibus publicè constare possit, fortasse autem sine bannis non semper est mortale. De alio vero impedimento feriarum, nempe de temporibus, quibus nuptiæ solenniter fieri prohibentur, diximus dist. 32.

Impedimenta circa solennitatem.

Tempus feriatum.

Impedimenta dirimentia sunt duodecim, de quibus sigillatim agendum est, hisque versibus continentur, Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, Si sis affinis, si forte coire nequibis. Hæc socianda vetant connubia, facta retractant. Potest etenim matrimonium impediri aut ex parte ipsius contractus, qui per spontaneum mutuumque consensum compingitur: & quia voluntarium per violentiam, ac per ignorantiam errorem que tollitur, hæc duo prima sunt coniugij impedimenta. Sed quia causam formalem attingunt, non ad hunc locum, sed ad superiora, quibus de causis efficientibus matrimonium agebatur, spectant. Et ideo de violentia dist. 29. & de errore dist. 30. dissertum est.

Versiculi.

Impedimenta matrimonij vnde possint oriri.

Ex parte verò personarum, quarum legitimam idoneitatem impræsentiarum tractamus, bifariam accidunt impedimenta. Sunt enim quæ simpliciter impediunt, vt persona nullatenus possit matrimonium contrahere. Alia verò impediunt non simpliciter, sed respectu alterius certæ personæ. Illa autem prioris generis sunt, quæ fini matrimonij obstant, seu generationis tantum, seu generationis & cohabitationis. Et sunt numero quatuor. Aut enim facto obstat, vt nullo modo fiat, vt impotentia coeundi: aut quia libertatem aufert ne liberè fiat, vt seruitutis conditio: aut iure priuat ne licitè fiat, idque siue ratione officij, vt ordo: siue ratione voti, vt castitatis votum. Illorum verò impedimentorum quæ non simpliciter, sed respectu alicuius personæ obstantia sunt, aliquod impedit propter obligationem ad alteram personam, & illud est ligamen prioris matrimonij, ratione cuius fieri nequit alterius contractio, vel quia proportio deficit quæ triplex esse potest. Aut enim est nimia distantia, & sic est disparitas cultus: nequit enim fidelis cum infideli contrahere. Aut nimia propinquitas, ex qua nascitur triplex impedimentum, scilicet cognatio consanguinitatis, quæ est propinquitas duarum personarum ratione tertiæ sanguine eis coniunctæ: & affinitas, quæ est propinquitas duarum personarum ratione tertiæ matrimonio coniunctæ: & publica honestas, quæ est propinquitas duarum personarum ratione tertiæ per sponsalia coniunctæ. Aut tertiò deest proportio propter earundem personarum indebitam coniunctionem prius factam. Quod est impedimentum criminis, scilicet adulterij. Nequit enim quis cum ea contrahere, cum qua adulterium commiserat. Cui adiungitur & alterum crimen vxoricidij: occisor namque vxoris irregularis fit ad alterum matrimonium contrahendum.

Ex parte personarū.

Impedimētum prioris generis.

Cultus.

Consanguinitas.

Affinitas.

Publica honestas.

Crimen adulterij.

Crimen vxoricidij.

His appenditur alia personarum distinctio ex superioribus collecta. Quædam enim sunt ad matrimonium contrahendum planè legitimæ, nempe quibus neque votum obuiat continentiæ, neque sacer ordo, neque quodpiam aliorum impedimentorum. Quædam verò penitùs illegitimæ, vt puta quibus vel votum obstat, vel ordo, vel aliud quodpiam huiusmodi impedimentum. Sed quædam sunt neque plenè legitimæ, neque omnino illegitimæ, sed mediæ, vt frigidi & serui, qui quibusdam accidentibus causis commanere possunt, & eisdem deficientibus sunt separandi, vt suis proprijs locis videbitur.

Votum.

Sacer ordo.

Frigidi serui.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod etiam alijs sacramentis commune est, vt impediri possint si quid de eorum essentia aut solennitate subtrahatur. Adscribuntur tamen matrimonio peculiariùs impedimenta: primò, quia in duabus personis tanquam in subiecto sacramentum hoc consistit, cætera verò non nisi in vna: quod autem ex pluribus pendet facilius impeditur. Secundò, quia matrimonium pendet ex humanis causis & contractibus: quare & pœnitentia est impedibile sacramentum, sed non tantum quantum hoc. Tertiò, quia cætera propter suam perfectionem sunt de præcepto aut consilio: hoc autem fundatur in indulgentia tanquam minus bonum: quare per tot impedimenta offertur occasio ascendendi ad perfectiorem statum continentiæ.

Sol. r. arg.

Ratio r. Impedimentorum matrimonij

Ratio 2.

Ratio 3.

Secundum autem argumentum procederet, si non essent alia remedia, quibus posset efficacius & decentius morbo concupiscentiæ succurri.

Solut. 2.

Ad tertium respondetur, quod non omnis contractus illicitè factus est dirimendus, sed ille cui deest aliquid de substantia. Impedimenta verò, quæ non dirimunt, non impediunt prorsus ne fiat, sed ne absque tali solennitate fiat. Et ideo licet faciant matrimonium culpabile, non tamen nullum: veluti si quis post secularem cibum sumptum consecraret.

Solut. 3.

Ad aliud, quod in contrarium de infinitis impedimentis obiectum est, respondetur, quod ea, quæ per accidens bonum aliquod impediunt, sunt infinita, sed quæ illud corrumpunt, sunt determinati numeri, vt patet in naturalibus, vbi vt causæ constituentes sunt finitæ, ita & earum contrariæ corrumpentes. Et quamuis indiuiduæ conditiones personarum in speciali sint infinitæ, sicut ipsæ in infinitum multiplicari possunt: tamen in generali possunt ad certum numerum reduci, vt in præceptis artium est inspicere.

Solutio alius obiectionis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm frigiditas matrimonium contrahendum impediat, & contractum dirimat.

SVBSEQVITVR vt sigillatim de huiusmodi impedimentis dicamus, ab impedimento frigiditatis exordientes. Igitur quod frigiditas nullum sit matrimonij impedimentum, arguitur primò: Nullum est impedimentum, saltem dirimens, nisi quod substantiæ matrimonij obstat: frigiditas autem non est huiusmodi: quoniam coitus non est de essentia, vt superius ostensum est, & matrimonium virginis cum Ioseph declarauit: ergo non est impedimentum.

Pars negat. 1. Arg.

Secundò. Nonnunquam redundans caliditas virtutem exiccat seminandi, & potentiam adimit coeundi: imò ætas seu puerilis, seu senilis virtute coeundi non vigent. Quin verò & instrumentorum naturalium inepta dispositio in vtroque sexu obstare potest ne coitus idoneè fiat: ergo non est cur potius frigiditas, quàm alia quæuis qualitas inter impedimenta connumeretur.

2. Arg.

Tertiò. Si mulier antequam nubat conscia sit frigiditatis viri, & nihilominus in matrimonium consentiat, non dirimitur: ergo frigiditas non est sufficiens impedimentum.

3. Arg.

In contrarium est decretum Innocentij 3. in ca. Quod sedem, de frigid. & malefi. Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio: sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.

Pars affirmatiua.

Quoniam quæ à natura dimanant priora sunt, quàm quæ ab arte vel ab humana lege constituuntur, sermo impedimentorum naturalium antecedere debet. Hæc

Decis. artic.

autem

Impotentia coeundi duplex.

autem generali nomine dicuntur impotentia coeundi. At quia hæc impotentia vel naturalis esse potest, vel ab arte, ad explicandas ambas species, inscriptus fuit speciatim titulus de frigidis & maleficiatis. Atque adeò nomine frigiditatis omnis impotentia, quæ à natura competit, comprehenditur. Frigiditas, inquam, non accidentaria, quæ transit, sed complexionis naturalis. Etenim cum vis caloris naturalis sit, quæ semen satis ad egestionem digerit, nomẽ frigiditatis obtinuit, vt omnes impotentias naturales coeundi significaret. Quapropter frigiditas mulieris, quia non se habet nisi vt patiens & recipiens, matrimonio non obstat. Nota tamen impotentiam coeundi, non autem generandi, sunt n. diuersæ. Potentia siquidem coeundi est potentia seminandi in vase idoneo, per hoc n. efficiuntur coniuges vna caro, quæ quidem esse potest sine generandi vigore. Potest n. seminatio effectu generationis frustrari tam ex parte viri, quàm ex parte fœminæ. Impotentia verò generandi appellatur sterilitas: & hæc nequaquam est impedimentum matrimonij, sed impotentia coeundi. Et ratio est, quoniam consummatio matrimonij consistit in commistione sexuum, quæ per eiusmodi seminationem celebratur. Quocirca quamuis masculo instrumentum erigatur, & fœmineum referet, si tamen impotens sit seminare, frigidus censetur. Imò verò licet quis potens esset seminare, tamen præpropere, ita vt non posset vas idoneum expectare, sed foris semen funderet, vt frigidus haberetur. Quanquam hoc quam rarissime accidat, vt sit impedimentum perpetuum, quia facilè videtur remedium per artem medicam adhiberi posse. Nisi forsan potens sit semen effundere, sed non erigere, quod accidere sæpe solet tam in senibus, quàm in debilibus alijs. Præterquam quod inepta corporis habitudo congressum impedire potest ad legitimè seminandum.

Impotentia coeundi & generandi diuersa.

Impotentia generandi.

Quod si arguas, Cum proles sit finis matrimonij apparet non tantum frigiditatem, verum & sterilitatem impedimentum esse. Respondetur, steriliter seminãtes posse contrahere, si non in officium naturæ, saltem in remedium concupiscentiæ, vt de vetulis ait impræsentiarum D. Thom.

Impotentia duplex.

Hæc autem coitus impotentia vel est naturalis, vel accidentalis. Accidentalis quidem vel per abscissionem virilium, vel per maleficium. Illa autem, quæ per abscissionem accidit, quamuis à naturali quodam pacto differat, vt videbimus, tamen ad naturalem reducitur orbitatem, & nomine frigiditatis quodam modo continetur. Est igitur impotentia naturalis triplex s. vel ratione ætatis, vel ratione priuationis, ineptæve dispositionis membrorum, vel ratione alius qualitatis idoneam seminationem impedientis.

Impotentia naturalis triplex.

Varia impedimenta.

Se hæc impedimẽta multiplicis generis esse possunt. Alia quippe sunt perpetua: puta quæ omni remedio medicę artis sunt destituta: alia verò, quibus per artem subueniri potest: atque alia, quæ adulta ætas tollit: ac demum alia, quæ non sunt simpliciter respectu omnium, sed aliquarum personarum. Potest n. quispiam esse aptus ad conueniendum cum corrupta, & ineptus ad virginem, & validus ad congrediendum cum pulchra, & non cum deformi.

1. Concl.

His ergo præiactis ad quęstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima generalis sit, Impotentia naturalis coeundi perpetua suapte natura impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, ad sensum supra expositum: non n. dirimit id quod legitimum fuit, sed declarat non fuisse legitimum. Probatur. Contractus matrimonij in hoc consistit, quòd alterutrum se coniuges obligent debitum sibi soluere, iuxta illud 1. Cor. 7. mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, &c. nemo autem se ad impossibile obligare valet: ergo frigiditas, hoc est talis impotentia coeundi impedit matrimonium. Ex quo fit hoc impedimentum ex iure naturæ ortum trahere: nempe per naturalem defectum. Dixerim impotentia naturalis, ad differentiam maleficij, de quo art. seq. dicturi sumus, & ad differentiam impotentiæ legalis, vt est cognatio: cuius ratio, vt illico patebit, aliquatenus diuersa est. Et adiecimus, perpetua, quoniam si sit temporalis, puta cui vel per ętatem vel artem aliquam mederi potest, non impedit. Quare impotentia pueri solum impedit vsque ad quartumdecimum annum, vt dist. 35. relaturi sumus. Et dum frigiditati viri per aliqua medicamina succurri potest, aut claustrum fœmineum, quod naturaliter à viro rumpi nequit, aliqua arte potest pandi, non est impedimentum.

Ratio.

Naturalis.

Perpetua.

Quamuis qui cum huiusmodi impedimentis, donec sublata sint contrahunt, delictum committant.

2. Concl.

Quapropter adhibetur hic secunda conclusio. Quãdo lis de frigiditate contestatur, aut de alia huiusmodi impotentia, si illa potest legitima via iuris probari, illico dirimendum est matrimonium. Vt si vir per testes legitimos probaret, antequam matrimonium contraheret virilibus caruisse, vel non habuisse ętatem legitimam, nec postea ea completa consensisse: vel si mulier matronarum iudicio monstraret sic esse clausam, vt nequeat vlla arte penetrari. Si verò impedimentum hac via constare non possit, expectandum est triennium, in quo bona fide operam nauare debent consummando matrimonio, quo elapso si constiterit congredi non potuisse, tunc si cohabitare noluerint, quia qui idoneus est matrimonio, dicit se filios velle procreare, separandi sunt. Si autem cohabitare consenserint, perdurare possunt in eadem domo, vt vir fœminam, si non vt vxorem, saltem habeat vt sororem. Decretum est Cęlestini. 3. ca. Laudabilem. de frigi. & malefic. iuxta sanctionem Greg. can. Quòd autem. 33. q. 1. Et ideo diximus, in prima cõclusione hanc impotentiam suapte natura dirimere, vt exciperemus spontaneum vtriusque consensum, qui efficere potest vt non dirimat. Quare hoc nõn est impedimentum necessarium, vt cognatio intra quartum gradum, sed voluntarium modo inferius explicando.

Triennium expectandũ.

Suapte natura.

Nota.

Rogas autem quonam pacto elapso triennio constare potest, nunquam matrimonium consummasse? Respondetur, quòd si ipsa est virgo, potest per inspectionem matronarum comperi, quibus adhibenda est fides, c. Proposuisti. de probatio. Si verò ipsa, quę diuortium petit, corrupta est, & nihilominus negat viri potentiã, ille verò iurat se eam cognouisse, eius iuramento in fauorem matrimonij standum est: quia est caput fœminę, vt c. Si quis. 33. q. 1 &c. 1. de frigid. & malefic. sancitur. Quod si ambo negant, tunc, si fieri potest, septem sunt adhibendi iurati testes, vt Greg. & Cęlestinus locis citatis aiunt. Sed re vera si in eodem lecto triennio cubuerunt, quàm difficillimum est alterutram partem probare. Crimen. n. fornicationis vel adulterij probatur ex præsumptione si adsint testes qui viderint eos amplexantes, aut in eodem lecto, aut per publicam famam, vt c. Prętera. de testibus. Si autem maneant in eodem toro vt coniuges, nęgatiua pars probari neutiquam potest, neque verò affirmatiua per visum, nisi turpissimè adhibeantur testes: quare tunc referenda est res ad testes ex auditu, qui ab ipsis audierint matrimonium consummasse, aut nunquam ipsum consummare valuisse, aut amborum iuramento standum est. Quocirca adhibenda est maxima prudentia iudicis. Et te dubia proferenda est sententia in fauorem matrimonij ne dirimatur, alioqui fraudibus & dolis sterneretur via.

Dubium.

Dilatio.

Quãdo vterque coniux negat copulam.

Quid autem si huiusmodi impedimenta contracto iam consummatoque matrimonio superueniant? Respondetur, quòd tunc nullatenus impediunt, nec hoc potest in dubium reuocari. Si tamen accidant post ratum matrimonium nondum consummatum, non defuerunt qui dicerent, vt Ricardus & Scotus hic referunt impedire & dirimere. Et videtur opinio Gratiani in summa. 33. q. 1. vbi alt, quòd coniugium confirmatur carnali officio, & postquã confirmatum fuerit, non est; nisi causa fornicationis, diuisibile. Verum antequam confirmetur, impossibilitas officij soluit vinculum coniugij. At verò nisi loquatur de sponsalibus, certè (vt salua eius autoritate loquamur) cum sua opinione relinquendus est: quoniam nullum est impedimentum, quod matrimonium, quod vere legitimum fuit, discindere valeat. Quare matrimonium ratum, eo quòd legitimum est, non nisi per ingressum religionis potest dirimi. Atque eam ob rem diximus in conclusione huiusmodi impotentiam impedire contrahendum. & dirimere contractum: nimirum insinuantes, quòd si non præueniat contrahendum, non dirimit contractum.

Si impotẽtia coeundi superueniat.

Solutio.

Ricardus.

Gratianus.

Declaratur concl.

Tertia conclusio. Dissoluto matrimonio ille qui frigidus vel aliter impeditus probatur, iure interdicitur ne ad aliud possit matrimonium commigrare, alteri verò facultas sit transeundi. Cuius ratio plana est quandoquidem impedimentum vnius alteri minimè

3. Concl.

Digitized by Google

Vir impedi so vxor fecu do nubit.

obstat. De impedimento viri extat tex. supra citatus. Laudabilem, de frigid. & malefi. post Gregorium can. Requisisti. 33.q.vbi vxori fit facultas ad secundas nuptias conuolandi. Atqui de impedimento fœminæ extat ca Exliteris eod. tit. vbi viro libera fit potestas accipiendi aliam. Quapropter quod Grego. ait in dicto can. Requisisti. quòd vir impeditus debet vxorem habere vt sororem, vel si separentur, debent ambo manere innupti, consilium duntaxat est respectu illius, qui impedimentum non habet, sed respectu impediti est præceptū. Similiter quod Lucius.3. can. Consultationi. eod. tit. dixit: scilicet quod dum mulier est occlusa, Ecclesia Romana consueuit iudicare, vt illas si non possunt viri habere tanquam vxores, habeant saltem vt sorores, non obligat virum non transire ad alias nuptias.

Vxore impedita uir alia ducit.

Gregorij can. declaratur.

Cap. Consultationem.

Perpetuò impedit nunquam conualescunt.

Ex quo planè fit; quòd vbi impedimentum coeundi fuerit simpliciter perpetuum, ita vt omni prorsus sit remedio destitutum, vt si vir, antequam contraheret, eunuchus esset, aut exectus, quamuis neuter diuortium petat, nullum re vera est matrimonium; alioqui non posset per ecclesiam sic dirimi, vt facultas fieret alicui illorum ad alias nuptias commigrandi. Et hic est sensus cap. Quod sedem. ibi. qui impotentes sunt, minimè apti ad matrimonia contrahenda reputantur: sunt enim sicut duæ fœminæ. Nam etsi copula non sit de essentia, potestas tamen & obligatio copulæ essentialis est matrimonio.

Intellectus capit Quod sedem.

4. Concl.

Quarta cõclusio. Si ille, qui tanquã impeditus condemnatus est, transiens ad secundas nuptias reperitur matrimonium consummasse, ad priores reuocandus est, etiam si vxor iam tunc cum alio fuerit viro coniugata: tunc enim Ecclesia se agnoscit fuisse deceptam, atque illud matrimonium, quod ratum & legitimum erat, tanquam irritum pronunciasse. Decretum est eorundem capitulorum, Requisisti, & Laudabilem, & Innocentij cap Fraternitatis. eodem tit. Secus si religionem fuisset professa, quod quidem, quia matrimonium non erat consummatum, facere potuit. Aut si fuisset fornicata: nam tunc posset vir diuortium quoad torum facere, vt ibidem habetur.

Limitatio concl.

Verumtamen videtur conclusio hæc moderamine quodam indigere. Sunt etenim quipiam ad aliquam fœminam inhabiles, qui tamen ad alias sunt idonei. Simileque fœminis respectu virorum accidit. Atque id quidem plurimum in maleficiatis vsu venit. Sed quo illos (vt de quibus artic. proximo dicturi sumus) interim omittamus, per naturalem impotentiam id etiam, licet non tam crebrò, contingere solet. Potest enim quispiam imbecillis esse ad deflorandam virginem, qui tamen validus est vt cum corrupta conueniat, vel qui à deformi excitari non valet, potest tamen incitari ab alterius pulchritudine. Quod præterea propter membrorum disparem deformitatem contingere consueuit, nempe quia hæc fœmina strictior sit & occlusior, quam vt ab hoc viro possit reserari: quæ tamen ab altero cognosci potest. Ricardus ergo, Durandus & alij id simpliciter fateri videntur, quod tunc consummans secundum matrimonium non sit reuocandus ad primum, sed debeat in secundo perseuerare.

Membrorum deformitas.

Nihilominus perspicacius est iudicium adhibendum, ne fallacia delitescat. Est enim regula mente & vsu (iudicio meo) amplectenda, quam Innocen. cap. Fraternitatis, de frigid. & malefici. sapienter mihi docuisse videtur ad discernendum quando impedimentum sit temporale, & quando perpetuum, nempe quod illud non sit perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit remoueri.

Regula Innocentij.

Sed ais, quid si fœmina nimis obserata permittere renuit rumpi: quia non sine cauterio, aut alio ferri dolore id fieri potest? Respondetur, quod dummodo medici iudicent, impedimentum esse medicabile, nil refert, ipsa adnuat aut renuat: quia natura & nexus matrimonij per mutuos consensus confirmati, non pendet ex futura facti contingentia. Sed potestas tollendi impedimentum facit illum firmum. Et probatur hoc plane. Nam si quæ nunc disrumpi dissentit, postea id permitteret, tunc sine nouo consensu matrimonium iudicaretur validum: ergo anteaquam id permitteret, erat validum: quoniam actus chirurgi non potuit matrimoniũ, quod nullum erat, consolidare. Ex quo fit, quod quamuis vir ineptus sit ad virginem, nihilominus matrimonium tenet si aptus est ad corruptam: quoniam si non est alia clausura, quam virginitatis, profectò vt impræsentiarum ait Sanct. Thom. per artem potest pandi. Et ideo quomodocumque separentur coniuges (non loquimur modo de maleficiatis) si postea experimento comperitur, illum, qui inhabilis iudicatus est, habilem esse, remigrare ad primum debet matrimonium. Atque adeo quamuis iudicio medicorum asserentium non posse impedimentum tolli, fuerit matrimonium dissolutum: si post humana arte aufertur, iudicandum est fuisse deceptos, & coniugium fuisse validum. Secus si per miraculum: quia natura matrimonij non pendet ex miraculo. Quare illa quæ per miraculum aperiretur, posset tunc alteri nubere.

Sed ais, quid si per magicam, & non aliter, posset impedimentum amoueri? Respondetur, nihilominus illud censeri perpetuum, quia fas non est industria & ope dæmonum vti. Quid autem si illa iudicaretur, posse cognosci ab alio viro, vtrum deberet hoc matrimonium dissolui, vt alteri nuberet? Respondetur in primis nullatenus fœminæ licere cum altero fornicari, vt priori viro reddatur idonea: quia impedimentum, quod non nisi per peccatum potest tolli, non censetur auferibile. Secundò, respondetur nec tale matrimonium esse tunc dirimibile: nam si illa ab alio viro cognosci potest, signum est, quod sit ab hoc cognoscibilis, nisi iste sit frigidus. Hactenus nihil de maleficiatis.

Per magicã.

Nota.

Solutio dubij. 1.

Solut. 2.

Quod autẽ de deformi & pulchra adiectum est nihil ad dissoluendum matrimonium attinet, quia conditio illa est nimis accidentaria.

Dubium.

Dubium autem, quòd hic vehementius vrget, est vtrum in euentu, quo medicorum iudicio constat impedimentum seu fœminæ, seu viri esse amouibile, teneatur ille, qui impeditus est quãcunque molestiam & dolorem perpeti, vt tollatur. Apparet enim prorsus teneri: nam cum tunc ecclesia non debeat matrimonium dissoluere, non est cogendus ille, qui filios potest procreare, in cœlibatu viuere: est ergo alius cogendus, vt impedimentum tollat. Respondendum tamen (ni fallor) cum salis temperamento. Tenetur, inquam, pati molestiam aliquam & dolorem etiam grauem, eo præsertim, quod sua culpa in tales angustias se coniecerit, debuisset quippe sibi prospicere antequam matrimonium iniret. Et ideo pati debet incisuram, & si opus est cauterium. At verò grauissimum morbi incommodum non tenetur perpeti, præsertim cum periculo magnæ læsionis, maximè si diuturna timeretur. Neque nimium debet existimari grauamen, quod propter morbum vnius cõiugis alter sit vsu matrimonij priuatus: nam hoc perquam sæpè accidere assolet. Quando verò citra periculum mortis curari non potest, impedimentum reputatur perpetuum, atque adeò dirimens, vt loco citato Innocentius probe decernit.

Sol. dubij.

Nota.

Hic addere operæpretium est, quòd non licet ex isto frigiditatis impedimento ad alia morborum genera ducere. Si enim quis vxorem duxerit, vel leprosam, vel fœtorem ore spirantem, cuius causa molestissimum sit cum ea conuiuere, & concubare, licet morbis illis ante matrimonium laborasset, quos vir ignorauit, & si præsciuisset, nunquam eam duceret, nihilominus matrimonium est legitimum, neque vllo modo eius vinculum dirimi potest, quoniam cum vinculum matrimonij iure diuino & naturæ sit indissolubile, fas non est illud nisi propter sola impedimenta sanctionibus ecclesiæ expressa dirimere. Neque admittendum est argumentum à simili, quòd si frigiditas eò dirimit matrimonium, quòd obstat progignendæ proli, alij morbi, qui horrorem in concubitu offerunt quantumuis vehementem, illud etiam impediant. Legibus enim, præsertim tanti momenti, quibus matrimonium dirimitur, nullum prorsus locum huiusmodi argumenta sortiuntur.

Fœtor oris.

Nota de impo ad virginem.

Dubium.

Postremum denique dubium circa impedimenta diluendum restat, quid si fœmina ante confœderationem matrimonij impedimentum viri nouerit, vel vir impedimentum fœminæ, vtrum tunc si vltrò se associare volunt, matrimonium teneat. Apparet enim tenere postquam dictum est hoc impedimentum non esse necessarium, sed posse coniuges commanere. Simile enim vsu venit in conditione seruitutis, quæ ignorata dirimit matrimonium, præcognita verò non dirimit. Distinguendum namque hic consueuit duplex impedimentum,

aliud de

Duplex impedimenti.

aliud de iure, quod est legale, vt cognatio intra quartum gradum, & ordo seu religionis solenne votum: & hoc ne præcognoscatur, siue ignoretur, semper, iure ipso cohibente impedit. Aliud verò de facto, nempe quod officium illud coeundi reddit impossibile. Et hoc dicunt dum est præcognitum & electum, matrimonio non obstare. Hæc tamen conclusio prudentiæ iudicio condiri debet, vt vera sit. Enimuerò si impotentiæ impedimentum, vt supra diximus simpliciter sit perpetuum absque vllo remedio, nullum componitur matrimonium, secus, vt expositum est, dum impedimentum tolli potest. Tunc enim quamuis non tollatur, si tamen commanere volunt, sunt veri coniuges. Atque in hoc proprio casu verificatur hoc impedimentum non esse necessarium, sed spontaneum, quandoquidem illo existente matrimonium nihilominus perdurat.

Impedimentum perpetuum.

Spadoni aut castrati matrimonium.

Atque hinc iudicium sumitur de matrimonio spadonum castratorum, & eunuchorum. De quibus regula sit infallibilis & certissima, quod si nullatenus dum maritantur in vase legitimo seminare possunt, nullum contrahunt matrimonium: quia fieri nequeunt vna caro. Si verò seminare quoquo pacto illic possunt, licet ad generandum sint inepti, matrimonium verè contrahunt: quia tunc, vt supra dictum est, non frigidi, sed steriles reputantur. Castrati autem, eunuchi & spadones idem re vera sunt: nempe qui testiculis carent, nisi quod castrati appellantur, qui ita nascuntur. Spadones verò quibus postmodum euelluntur, non ab spatha, vt quidã volũt, sed ab σπάω, quod est euello. Et isti appellantur Thlibiæ. l. Spadonum. ff. de verbo. signifi. Eunuchi verò sunt, quos Domini castrant, vt vxoribus seruiant. Alij sunt qui obtritos maceratosque habent testiculos, qui quidem græcè dicuntur Thlasiæ. Vnde Deuteron. 23. Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testibus, & abscisso veretro ecclesiam Domini. Igitur si quis ità est spado, vt non solùm testiculis, verum & reliquo membro sit orbatus, certissimum est nullum posse matrimonium contrahere. Si verò spadonibus, qui testiculis orbati sunt, virile supersit, sunt qui dicant, vt Syluest. verbo. Matrim. 8. §. 16. refert matrimonium contrahere posse, quanquam non seminent, quia erigere valent: & possunt fœminam prouocare atque ei satisfacere. Ita censet glo. fi. in cano. Hi qui. 32. q. 7. Et fundant se isti in. l. Si serua. ff. de iure dotium, vbi ait Vlpianus, quod spado contrahere potest non autem castratus: quasi castratus sit, vt falsò illi putant, qui testiculis & virga careat, spado verò qui non nisi testiculis. Est tamen opinio intolerabilis: quia vbi non est seminatio, non fiunt coniuges vna caro, & sic nec est matrimonium, vt scitè ait Panormit. cap. Quod sedem. eod. titul. Et legem illam idem ipse Vlpianus exponit. l. Pomponius. ff de ædilitio edicto, vbi ait, quod tunc spado contrahere potest, quando vno dumtaxat testiculo caret. Igitur eunuchi vtroque vacui, quamuis virili polleant, illudque erigant, & in vas inducant, ré vera nullum contrahunt matrimonium: quia vel non seminant, vel eorum semen non est eiusdem rationis cum prolifico. Imò vero idem de viris, qui nimio sunt senio confecti, & exhausti cum Scoto hic crediderim: videlicet, quòd dum nullatenus seminare valent, nequeunt tunc matrimonium contrahere. Nam licet illud impedimentum accidentale sit, vt ait illic Panormitanus, nihil tamen refert, postquam est perpetuum, & nequeunt fieri vna caro cum coniuge. Vnde D. Tho. impræsentiarum vetuli, inquit, quamuis quandoque non habeant caliditatem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam, & ideo permittitur eis matrimonium, quatenus est in remedium, licet non competat eis quatenus est in officium naturæ: vbi insinuat, quòd si dum contrahunt seminare nequeant, matrimonium nullũ est.

Castrati.

Spadones.

Eunuchi.

Deut. 23.

Sylvest.

Panorm.

Vetuli.

S. Thom.

Sed quæ hinc emergit ambiguitas est, si illi, qui perpetuis eiusmodi impedimentis laborant, possint se vltrò cõiungere. Respõdetur, quòd per verum matrimonium, certum est minimè posse. Sed tamẽ quantum ad cohabitationem & communicationẽ officiorum domus possunt se in totam vitam confœderare & obligare, vt fœmina seruiat viro, & vir alat fœminam, qui quidem cõtractus non matrimonium, sed societas quædam ciuilis reputatur. Et hoc est quod aiunt põtifices, ca. Consultationi. & ca. Laudabilem. quòd vir habeat illam non tanquam vxorem sed tanquam sororem.

Dubium.

Solutio.

Nota.

Ex quo fit, quod non possunt lasciue se amplexari, aut impudicè tangere, aut carnaliter osculari, non solum propter periculum, si in aliquo illorum existeret extraordinariæ pollutionis, quæ certum esset peccatum mortale, verùm quia illi tactus & oscula per se, vt verior habet opinio, sunt mortalia, nisi inter veros coniuges. Quapropter periculosissima hæc esset confœderatio. Imò verò licet istiusmodi perpetua impedimenta in vase seminandi post consummatum matrimonium viro acciderint, non potest istis tactibus vti, tum periculo extra seminandi, & multò minùs potest ad seminandum cum vxore conari, si modò legitimè certus fuerit minimè id posse in vase perficere. Secus si potest ibidem seminare, licet sit ad generandum debilis & impotens.

Corollarium

Nota.

Hinc rursus subsequitur, quòd vbi non est verum matrimonium modo iam dicto, si ille qui non est impeditus, contrahat cum alia, etiam sine licentia iudicis matrimonium tenet: peccaret tamen si sententiam Ecclesiæ non expectaret. Præterquam quòd si se obligauit alere consortem, tenetur contractui ciuili stare, can. Requisiti 33. q. 1. sicuti & ipsa si se obstrinxit seruire viro.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd etsi copula non sit de essentia matrimonij, tamen potestas & obligatio eiusdem est necessaria, quæ tamen per impedimentum impotentiæ tollitur.

Sol. 1. arg.

Secundum autem argumentum cum omnibus suis particulis ex superioribus restat solutũ. Caliditas namque vix potest tantum exicciare, vt sit impedimentum. Si tamen per triennium impedire constaret, dirimendum quoque esset matrimonium. Cur autem illa & reliqua impedimenta tam ex parte viri quàm ex parte fœminæ generali nomine frigiditatis designentur, iam dictum est.

Sol. 2. arg.

Tertium itidem sic solutum est, quòd si illa frigiditas viri, cuius mulier erat conscia, est perpetua, nullum re vera conficitur matrimonium, sed si velint, possunt commanere tanquam frater & soror.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS III.

Vtrùm maleficium sit matrimonij impediens dirimensq; impedimentum.

CVM frigiditate coniungit maleficium. De quo arguitur non esse matrimonij impedimentum.

Maleficia fiunt arte & malignitate dæmonum: ipsi autem non habent potestatem impediendi coniugale officium magis quàm alias humanas actiones, alioqui & esum & gressum & sensum & alia omnia exercitia humana cohibere possent, quod esset intolerabilis peruersio orbis potissimum cum matrimoniũ opus sit Dei, qui est fortior dæmone.

Pars negatiua. 1. arg.

Secundò. Diabolus non habet potestatem nisi in peccatores, præsidio Dei destitutos: ergo non potest homini perpetuum impedimentum obijcere, imò expulso per pœnitentiam peccato, aut per exorcismum diabolo tolleretur maleficium: ergo illud esse nequit impedimentum perpetuum.

2. Arg.

Tertiò. Carnalis copula non nisi sublata coeundi potẽtia, quæ est eius principiũ, impeditur: potentia verò æqualiter se habet ad omnes fœminas: ergo per maleficium non potest homo impediri respectu vnius, & non respectu omnium.

3. Arg.

In contrarium est decretum can. Si per sortiarias 33. quæstio. 1. Si per sortiarias atque maleficas artes, &c. Et sequitur. Quod si forte sanare non potuerunt, separari valebunt.

Pars affirmatiua.

Maleficia dæmonum non defuerunt qui negauerint dicentes in hominum æstimatione potius quam in re existere, nempe quia rerum euentus, quorum homines causas ignorãt, dæmoniacis maleficijs adscribunt. Quapropter impedimẽta, quæ nos maleficia cẽsemus, ex frigiditate aut alia occulta naturali causa illi arbitrantur procedere. Istorũ tamẽ opinio inde illis oriebatur, quòd dæmoniacos spiritus, quia inuisibiles sunt fateri renuebant. Quod autem huiusmodi spiritus re vera existant, fides non orthodoxa docet, prædicans Luciferum è cælo cecidisse, & sub serpentis effigie primos parentes supplantasse. Quos itidem spiritus Christus sæpenumero in euangelio à corporibus obsessis proiecisse legitur. Eosdemque Apostolus aëreas potestates tenebrarum appellat. Quod vero huiusmodi dæmones

Decisio articuli.

Sententia autoris.

Dæmonum incursus.

grassandi in homines potestatem habeant, nisi diuinitus coerceantur, historia Iob in ipso statim exordio nobis refert: qui & cap. 40. de dæmonibus ait, non esse potestatem super terram, quæ eis comparetur. Cui & ratio patrocinatur: nam spiritus mouere possunt corpora vt intelligentiæ orbes.

1. Concl. Igitur ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Possibile est, imò frequenti vsu contingens, vt dæmonum astu & ope maleficium carnalem copulam impediat. Probatur primò, quia comperiuntur sæpè, coniuges non a causa naturali, sed a causa libera ligati. Natura n. semper & vniformiter operatur: quare quæ naturalia sunt similiter ad omnia similia se habēt. Quo fit, vt qui per naturā frigidi sunt, erga omnes mulieres eiusdem qualitatis frigeant, & tamen experimento compertum est virum aliquem hanc fœminam cognoscere non valere, qui tamen circa alias potens est. Imò verò cum hac congressum appetere, ac subinde membrū erigere, quod cum vas muliebre attingit, subito relaxatur. Et simili experimento constat fœminam alijs viris idoneam, dum maritus, quamuis eius complexum exoptet, illam aggreditur, eius congressum exhorrescere: quippe cui læsa phantasia virile ingentioris se deformitatis ostentat, quam est. Quod re vera maleficij indicium existit.

Frigids natura. Maleficiati. De fœmina.

2. Concl. At quoniam sunt alij sic de huiusmodi maleficijs opinantes, vt persuadere sibi nequeant quod possint esse perpetua, Vnde inferunt nunquam esse impedimenta matrimonij, subditur secunda conclusio. Huiusmodi maleficia, veluti de frigiditate dictum est, possunt esse tum temporalia, tum etiam perpetua. Probatur, quia qua ratione dæmones diuinitus permituntur in tempus homines diuexare, permitti possunt & per totam vitam molestiam eis facessere. Vnde cum per voluntatem operentur, possunt, quocunque tempore permittantur, nos contorquere, & eadem ratione ab vsu coniugij cohibere. Eadem conclusio autoritate Ecclesiæ confirmatur, quæ vt habetur trigesimatertia quæstione prima. canon. Si per sortiarias. decernit, vt si adhibitis remedijs, nempe corde contrito & spiritu humiliato, facta sacerdoti confessione & exorcismis, cæterisque Ecclesiæ spiritualibus medelis adiectis, qui maleficia patiuntur non sanentur, separari valeant. Sed aiunt autores prænarratæ opinionis vetustum illud decretum abrogatum esse. Est tamen hic cauillus in Ecclesiam iniurioſus. Non enim solùm non est abrogatum, verùm nouo est iure confirmatum cap. Literæ de frigid. & malefic. adiecta glo. Casus enim textus est, quòd quidam vir nequiuerat cum propria vxore coire, fatebatur tamen se coijsse cum alijs. Ex quo fit, vt idem triennium, quod secundum Gregorium & Cœlestinum locis supra citatis indulgetur frigidis ad suam comprobandam frigiditatem, concedatur & malificiatis: quo elapso, comprobatur maleficium, atque adeò matrimonium nunciatur inualidum. vt ex eod. cap. Literæ. colligitur.

Autoritas ecclesia. Casus ca. Litera.

Veruntamen quia dictum est medicamina maleficio dimouendo non applicari nisi spiritualia, dubium se offert, vtrùm possint & corporalia admoueri. Huius autem solutio notitiam modorum præsupponit, quibus hæc maleficia fiunt tam ex parte dæmonum, quàm ex parte magicorum, qui dæmonum facultate funguntur. Vbi notandum, quod dæmones possunt hæc multis modis perpetrare. Primo, mouendo hominis phantasmata ad illusionem. Quod quidem incommodum, vt in præstigijs accidere solet, fœminæ sæpe patiuntur, vt nuperrimè dicebamus, quibus horrificum vel tactu, vel visu, viri instrumentum offertur. Possunt per eādem specierum alterationem inuisam & exosam vxorem viro reddere, & virum fœminæ. Possunt tertiò, per solum motum virile impedire ne erigatur, erectumque relaxare, sicut possunt tenere motareque lapidem. Possunt præterea citissimo tractu applicando actiua passiuis & instrumentum fœmineum indurare, & lumbos viri infrigidare, & spiritus, quibus instrumentum erigitur, exufflare. Ac demum alijs incognitis modis similia obijcere impedimenta. Imò verò si modo diuinitus permittantur, possunt per venena vel aliam herbarum applicationem genitricem virtutem in viro exiccare, conceptricem in fœmina Et tunc quidem nō solum respectu huius aut illius fœminæ, sed simpliciter vir redderetur impotens, vti sunt frigidi. Sed tamen hoc perquàm raro contingit. Quapropter glo. super citato cap. Literæ, hoc discrimen constituit, quòd frigidi sunt simpliciter impotentes, maleficiati verò non, nisi respectu huius vel illius fœminæ. Et ideo qui maleficijs affecti sunt, propriè dicuntur ligati: quasi eorum potentia non quidem exhausta sit, sed ligata existat.

Quæ medicamina possint admoueri. 1. Modus. Secundus. Tertius. Quartus. Nota.

Magici. Magici verò & maleficiid facere sibi videntur aut incantamentis quibusdam, aut characteribus conscriptis, aut rebus alijs colligatis exustisque, aut in terram iuxta fossis, aut de arbore suspensis. Contendunt enim seducti prius ipsi hominibus persuadere, quod per huiusmodi impostoras dæmones cogant, vt maleficia ad ipsorum magicorum nutum & libitum vel faciant, vel infecta reddant. Id quod falsissimum est. Homines quippe nisi diuina virtute nulla arte valent inuitos dæmones trahere aut tenere, aut ad aliquod opus compellere: quippe quibus longe sint viribus inferiores. Sed possunt inferiores dæmones à superioribus vinci & cogi. Nam de viris sanctis nemini dubium est per miracula id posse, veluti Christus eos expellebat, mittebatque quo sua erat voluntas. Et de Bartholomæo atque alijs diuis legitur. Veruntamen dæmones, vt maleficos & magicos ad se alliciant, & illo modo inescatos teneant, illis persuadent eorum obsequio sic se esse addictos, vt ad eorum nutum eis obediant, & inuiti suis sint mandatis alligati Quare nonnunquam dum incantantur, audiri solent vociferantes, vt permittantur abire, aut non cogantur illuc aduenire, veluti dum virtute Christi & sanctorum propellebantur. Et eadem ratione dum illas ligaturas, quibus teneri se fingunt, magici auferunt, a maleficijs desistunt, illaque dissoluunt quasi aliud facere nequeant, quàm magicorum arti parere. Sed sunt omnia nugamenta diabolica vafricie composita. Non enim nisi vltrò omnia faciunt miseros maleficos seducentes. Et quia ista maleficia sæpissimè de criminum meritis oriuntur, admonet Ecclesia, vt corde contrito se in Deum conuertant, precibusque tam ipsi pro se, quàm alij pro ipsis apud ipsum instant: quod frigidis non iniungitur. Item vt exorcismorum beneficio vtantur.

Miracula. De D. Bartholo. Dæmonum fallacia. Ligatura.

Ad dubium ergo propositum respondetur, quòd si eiusmodi maleficijs mederi per artem medicam posset, non est cur non sit licitum huiuscemodi medelis vti: attamen cùm non ex causis merè naturalibus pendeant, sed ex voluntate dæmonum, frustranea essent eiusmodi medicamina. Nisi forsan constaret, causas aliquas naturales dæmones applicuisse, quę pharmacis aut alio humano remedio possint amoueri.

Sola, dubię. Dubium. Solutio.

Quòd si quis scisciteturvtrùm fas nobis sit magicos adire, qui maleficia per alia maleficia dissoluant In promptu est negatoria responsio. Haud n. licet, imò lethale crimen esset dæmonum potestate vti, quantumuis esset compertum eorum beneficio nobis nos posse consulere. Quare multò minus licet cum dæmonibus ipsis de eiusmodi rebus tractare: non solùm quod hostes nostri sint, qui nullam nobis fidem nisi in nostram perniciem seruant, verum quod in baptismo eorum pompis & auxilijs renunciamus, profitentes semper nos erga eos, veluti erga inimicos, gesturos, atque adeo nullum ab illis patrocinium aut auxilium suscepturos. Ea quippe ratione nos possent ad suum ipsorum amorē pertrahere. Quare Deutero. 18. & 1. Reg. 28. & Leuiti. 19. & sępe in sacris literis Phitones & magi, & qui eorum consilio vtuntur, aut ope, aut opera, abominabiles habentur. Et 26. q. 2. can. Qui sine saluatore, refertur Augustini decretum, vbi qui sibi beneficio dæmonum mederi satagunt, non sani, sed ægri, non prudentes, sed stulti, & dementes, & ad æternam perditionem tendentes pronunciantur. Igitur dum maleficium non nisi arte dæmonum curabile est, incurabile ac perpetuum, & tanquam dirimens matrimonium est iudicandum.

Cum dæmonibus. Phitones. Augustī. Nota.

Circa hoc autem forsan quis percontetur, vtrùm licitum sit maleficiopera, qui paratus est maleficia exercere, vti ad tollendum aliud maleficium. Petrus siquidem Aureolus di. prę senti quæst. 2. ait, quod quamuis non liceat maleficium facere, ad dissoluendum aliud, licet nihilominus vti maleficio alterius, qui paratus est, non quidem mouendo illum vt faciat, sed consentiendo, si sua sponte vult facere. Eādem opinionem sequitur Angelus in summa. verb. Superstitio. §. 13. Et argumentum istorum est, quòd licitum est sub fœnore accipere ab vsurario, qui paratus est dare. Et vt autor est Aug. licet & ab infideli per falsos Deos iuramentum susciperę: similiter ergo, vt aiunt, & maleficium

Dubium. Petrus Aureolus Angelus. Argumentum eorum.

abeo

ab eo poscere licet, qui paratus est. Hoc. n. non est ad maleficium concurrere.

Opinio falsa. Est tamen citra dubium opinio plusquam falsa. Sunt enim duo operum genera mala. Quædam sic intrinsece praua, vt fieri probè nequeant. Alia verò quæ de se fieri possunt bene, sed culpa facientis fiunt male. Ad hæc & *regula generalis* est quòd nemini fas est alium ad malum inducere: esset enim in malum consentire: & tamen Paul. ad Rom. 1. dignos morte pronunciat, non solum eos qui mala faciunt, sed eos, qui facientibus consentiunt. Quando verò quis ab alio id petit, quod licitè ille facere potest, non inducit ad malum. Etenim dum ego ab vsurario mutuum peto, non nisi bonum postulo: nempe mutuum, sed ipse dum non vult nisi cum spe fœnoris dare, perperam dat. Similiter dum ab infideli iuramentum postulo, id ego efflagito, quod ipse per verum Deum exhibere potest. Quare licet sciam per falsos iuraturum, ego non induco ad malum, sed vtor iure meo. *Maleficium per se est malum.* Maleficium autem de se est malum, quod fieri absque culpa nequit: & ideo qui illud quamuis à parati ssimo petit inducere cẽsetur ad malum. Hoc tamen licitum est ac meritorium, vt *Scotus* distinct. præsenti & *Caiet.* q. 2. quodlib. 2. in quo de hac re differuit, scitè iudicant, quòd potest quisque conuenire maleficum & rogare, imò & pecunia ab eo extorquere, vt illas ligaturas, quas habet sepultas aut suspensas aut alicubi asseruatas, inde dimoueat: quia illud maleficum facere virtus est. Et quicunque sciret vbi sunt, posset illas inde subtrahere: quia hoc non est maleficio vti, sed quod factum est destruere. Nam tunc dæmon licet non vi, tamen ex seductorio pacto, quod pepigit cum maleficо, cessabit à maleficio: nempe vt arbitretur ille in illis ineſſe maleficiorum virtutem.

Obiectio. Vnum autem hic argumentum posset quis nobis obijcere. Dictum à nobis superius est iuxta Innocentij decretum, impedimentum, quòd non nisi per Dei miraculũ est amouibile, censendum esse perpetuum: maleficium ergo, cum non nisi per orationem & confessionem & exorcismos diuina virtute sit dissolubile, videtur non nisi per miraculum esse amouibile, atque adeò debere censeri perpetuum. *Dilutio.* Respondetur tamen, non quicquid supra naturali fit diuinaque virtute censendum esse miraculum, sed id quod insueto fit modo. Remissio enim peccatorum per gratiam, non est miraculum.

3. Concl. Tertia conclusio. Quando maleficio legitimè comprobato dissoluitur per Ecclesiam matrimonium, vtrique coniugum æqua facultas fit ad aliud coniugium commigrandi, vt ex finalibus verbis prælegati cap. Literæ. colligitur. Et in hoc discriminatur maleficium *Maleficij & frigiditatis discrimen.* à frigiditate: nam cum qui frigidus respectu vnius probatur, respectu omnium fœminarum iudicetur, merito nuptijs interdicitur. Qui autem maleficiatus est respectu vnius, potest respectu aliarum esse liber.

Dubium. Vtrum vero si postmodum illi maleficiati alias celebrantes nuptias, habiles ad matrimonium comperiantur, ad priora sint connubia reuocandi, sicut de frigidis dictum est in dubium vertitur. *Can. Si per sortiarias.* Canon. n. ille, Si per sortiarias. 33. q. 1. negatiuam partẽ definit: ait quippe, quòd si alias nuptias expetierint, quamuis possibilitas concubendi eis reddita fuerit, illis viuentibus, quibus secundò nupserint, reconciliari nequibunt. *Gloss. eiusdem.* Glossa verò textui contradicit: censet enim Gregorianæ dispositioni cap. Requisisti. esse contrarium. Quare ait autorem illius textus ignarum potius quam Gnarum hac parte esse censendum, putans Archiepiscopum illum Remensem Gnarum appellari, cùm tamen non nisi Hismarius nuncuparetur. *Ricardus.* Ricardus impræsentiarum sequitur opinionem Glossæ contra textum: quia re vera text. nec est concilij nec Pontificis. Et prædictus canon *Can. Gregorij.* Gregorij, & capitula, Laudabilem, & Literæ, absolutè videntur loqui sine discrimine frigidorum aut maleficiatorum, quòd prius matrimonium sit tunc validum iudicandum. Quare hæc opinio glossæ est Magistri sent. & communis. *Opinio glossæ est communis.*

At verò non deest in fauorem textus egregium argumentum: nam cum maleficiati possint inter se vt diximus esse inhabiles, & tamen ad alias personas idonei, quando matrimonium propter maleficium dirimitur, videtur simpliciter dirimi: quocirca & si postea vir reperiatur habilis ad aliam: & fœmina ad alium, non ideo reuocandi sunt ad prius coniugium: quia non ob id censentur inter se habiles. Et ita tenent Scot. distinct. præsenti & Abulensis super Matth. c. 19. q. 90. secuti decretum, Si per sortiarias. Rei ergo veritas, ni fallor, est, quòd vbi non est aliud experimentum quam quòd vir cum alia matrimonium consummauit, & fœmina cum alio profectò non sunt ad prius matrimonium reuocandi propter argumentum modò factum: quia in maleficiatis non est illud indicium sufficiens, quod sint habiles inter se, sicut in frigidis. Et hoc forte voluit textus Hismarij sentire, dum dixit, etiam si possibilitas concubendi reddita fuerit: intelligit enim concubendi eum alijs, non autem inter se. Id quod Gregorianæ sententiæ non repugnabat. Quapropter postquam secunda matrimonia consummarunt, fortasse non sunt cogendi, vt inter se experimentum capiant, an coire possint, saltem si exploratum fuisset propter maleficium non potuisse prius coire: quia exponerentur periculo delinquendi absque matrimonij consummatione. Quare tunc secunda matrimonia sunt seruanda. Attamen si forsan ipsi priuatim animo fornicandi aut experiundi congrederentur, & copulam consummarent, tunc si Ecclesiæ legitimè constitisset, certò crediderim reuocandos fore ad matrimonium vetus perinde acsi propter frigiditatem fuissent separati. Quia tunc Ecclesia iudicat se fuisse deceptam, & tunc scire quod vel illud non fuerat maleficium, vel quod non fuerat perpetuum. Adde quòd si constare certo posset virum prius fuisse simpliciter maleficiatum quoad omnes, quia plures tentauit, & cum nulla consummare potuit, tunc de illo censendum simpliciter esset, sicut de frigido: videlicet quòd si postmodum aliud consummauerit matrimonium, iudicetur iam factus habilis etiam ad priorem, atque adeò ad prius matrimonium reuocetur. Sed certè hoc difficile est explorare. Et ideo Inno. cap. Fraternitatis. cordatè ait, quòd de talibus non est facile iudicandum.

Sententia aliorum. *Cap. Si per sortiarias. 33. q. 1.* *Nota.*

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum negatur, dæmones non habere vim aduersus homines & eorum actiones nisi diuinitus permittantur. At verò per Dei clementiam non permittuntur vsque adeò nobis incommodare, vt ab vniuersis nos nostris operationibus cohibeant: non enim tunc vitam transigere possemus. Sed occulto Dei iudicio quosdam eorum infestationi permittit. Vnde non colligitur, dæmonem Deo esse fortiorem: quia id non nisi Deo permittente perpetrat. Et quoniam per coniugalem vsum originalem culpam contrahimus, per quam specialiter dæmoni fuimus subiugati, in illo actu & vsu sæpius dæmon permittitur hominib. esse molestus, veluti in serpentis effigie, qui sua calliditate Euam seduxit, crebrius incantamenta fiunt. Et (quod mirabilius est) frequentius in vsu coniugij, quam in fornicatione: nam illam, cum peccatum sit illi gratum, prohibere non satagit, sed actum, qui Deo acceptus est.

Sol. 2. arg. Ad secundum duo respondentur: Primum, quod licet dæmon non habeat potestatem in hominem nisi propter peccatum, exercet tamen sæpe potestatem illam non propter peccatum peculiare illius quem torquet, sed propter peccatum Adæ, per quod potestatem obtinuit in orbem. Quare & innocentes potest vexare, veluti de diuo Antonio eremita legitur. Secundum quod respondetur est, quod quamuis maleficium propter peccatum singulare hominis accidat: nihilominus non est necessarium vt cessante peccato maleficium cesset: quia pœna, remissa culpa, remanet. Neque exorcismos oportet contra omnes dæmoniacas infestationes vim habere, sed contra illas, contra quas peculiariter instituti sunt, vt puta ad expellendos dæmones ab obsessis corporibus. Neque habent virtutem, quæ semper necessario sortiatur effectum, sed prout Deus ad salutem animarum nostrarum viderit expedire. Præsertim quod iam modò aucta propagataque fide non tam frequenter exorcismi dæmones pellunt, quàm in primordijs Ecclesiæ, vbi ad eandem fidem confirmandam virtutes illæ erant necessariæ. Sed nihilominus adhibendi sunt exorcismi tanquam habentes virtutem, veluti orationes & preces pro rebus temporalibus, licet non semper effectum obtineant. *Solu. 2.*

Sol. 3. arg. Ad tertium denique iam respondum est, quod dæmon non solum sublata potentia generandi potest copulam impedire, verum illam ligando. Et ideo non solum maleficium contingit in homine ad omnes fœminas, sed frequentius impedit respectu vnius modis supra expositis. Quare potest esse impedimentum dirimens

matrimonium hoc, non tamen impediens personas respectu aliorum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm furia impedimentum sit matrimonium dirimens.

Pars negatiua argu. 1.

IMPEDIMENTVM furiosorum facillimæ est expeditionis. Arguitur nihilominus, quod furia non sit impedimentum. Spirituale matrimonium, quod in baptismo contrahitur præstantius est carnali, sed furiosi baptizari possunt: ergo & matrimonium contrahere.

2. Argu.

Secundò. Frigiditas & maleficium ob id impediunt matrimonium, quod impediunt copulam: sed furiosi non impediuntur quin possint illam consummare: ergo non sunt à matrimonio arcendi.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quod plus furia vsum rationis tollit, quàm error: error autem impedit: ergo & furia.

Conclusio.

Ad quæstionem per distinctionem vnica conclusione, eademque trimembri, respondetur. Etenim si furia vel amentia matrimonio succesſit, siue consummato, siue solum rato, illud non dirimit, vt patet can. Hi qui 32. quæst. 7. idque ob rationem iam factam: quia verum matrimonium per nullum impedimentum dirimi potest, nisi per solam religionis professionem. Si verò rato antecesſit, tunc furiosus vel perpetuus est, vel lucidis vtitur interuallis. Si perpetuus, nullatenus matrimonium contrahit, et si attentet, nullum est: quoniam non potest habere consensum legitimum, quod est de essentia matrimonij. Imò verò neque vllum perficere ciuilem contractum, qui validus sit. Quare hoc impedimentum continetur sub erroris genere. Eadem ratione nec si habens lucida interualla eo tempore, quo ratio illi ecclipsatur, cõtrahere tentet. Eo tamen temporis articulo, quo rationis luce fungitur, si contrahat, solidum quidem fit matrimonium: sed tamen nonnihil iniuriæ eidem matrimonio irrogat: quia non satis ad educandam prolem idoneus est. Et re vera si tam vir quàm fœmina frequentiam amentiæ paterentur, fortasse esſet mortale delictum. Nisi fortè per alias coniunctas personas satis esſet educandis prolibus consultum. Per hæc patet sensus decreti Fabiani eadem cau. & q. Neque furiosus, neque furiosa matrimonia contrahere possunt, sed si contractum fuerit (scilicet extra furiam) non separentur.

Furia duplex.

Fabia.

Dubium.

Circa primam partem conclusionis de vsu matrimonij cum furioso dubitatur, vtrùm liceat coniugi sano cum insano & amenti concũbere. Apparet enim quòd cùm amens sit sicut bestia, non liceat. Respondetur tamen id licere postquam illegitimũ est matrimonium: veluti licet ad ebrium mente prorsus abalienatum accedere, tametsi non sit vsque adeò honestum, præsertim si est periculum ne illegitimè seminet. Imò verò si ipsa est mentis compos, potest vel causa liberos procreandi, vel in remedium concupiscentiæ dementem virum incitare, apparareque ad copulam.

Dilutio.

Aliud dubium.

Ad aliud subinde quæsitum: videlicet, vtrùm teneatur coniux sanus vel sana amenti dum est in amentia petenti debitum reddere, respondetur, quòd quantum ad rei naturam per se attinet, non tenetur, quia amens non petit tanquam homo per rationis vsum, sed tanquam bellua, maximè quia ineptus est ad educandam prolem. Tenetur tamen per accidens, si aliter succurri non potest periculo illegitimè polluendi se, vel commiscendi se cum alia.

Dubium.

Vtrùm autem duos prorsus amentes liceat copulare: non quòd in dubium sit vertibile, an id sit matrimonium: certissimum quippe est nullum existere, sed vtrùm liceat eos veluti duo pecora coniugare. Audiui equidem Parisijs regem Franciæ id vel attentasse, vel fecisse. Et videtur licitum: quia illi non sunt capaces, vt peccare possint magis quàm pecudes. Nihilominus respondetur non esse licitum. Primum, quia fieret proli iniuria non solùm educandæ: quia illi incommodo succurri posſet per herum aut aliam præcipuam personam, quæ curam gereret prolis, verùm & generandæ, quia filij nascerentur etiam amentes, quod est detrimentum humani generis. Quapropter quamuis ipsi se vellent copulare, essent prohibendi. Item propterea quod est monstrum, permittere, vt homines bellua-

Solutio Autoris.

rum more carnaliter congrediantur: id enim vbicunque, etiam in sacro attentarent. Veluti si infantes aut amentes blasphemarent, aut aliud attentarent, quod genere suo saltem lege naturæ, esſet peccatum & fœdum, cohibendi essent.

Nota.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argum. negatur consequentia. Matrimonium enim furiosi non ob id prohibetur quòd sit præstantius spirituali: sed quia dum fit, requirit consensum, ac subinde rationis vsum: baptismus verò, quo matrimonium contrahitur spirituale, non requirit suscipientis consensum, sed sufficit Ecclesiæ fides.

Solut. 2. arg.

Ad secundum respõdetur non eadem ratione furiam matrimonio obstare, quo frigiditatem aut maleficium. Illa enim, quia obstant effectui circa vsum matrimonij, illud dirimunt, furia verò non, nisi quia obstat causæ: nempe consensui, quo contrahitur.

Hic Magister sentent. ac subinde eius interpretes de incestu sermonem interserunt: cùm tamen impedimentum sit criminis, aptiùs distin. 37. inter alia crimina collocabitur.

DISTINCTIO TRIGESIMAQVINTA,

DE CONIVGIO SERVORVM ET PVERORVM.

Textus. Cap. 1.

PRÆTER recensita impedimenta conditio quoque seruitutis inter matrimonij impedimenta conscribitur. Nam etsi seruitus ius prorsus matrimonij contrahendi non extinguat, quominus si serui, heris etiam renuentibus, pactum matrimonij confœderent, solidum sit: quod Adrianus Pontifex ex illo ad Galat. 3. In Christo Iesu non est seruus, neque liber, colligit. Et Iulius præterea definit, quia omnibus vnus est pater. Tamen quia matrimonium non nisi libero consensu conglutinatur, si liber ancillam ducat, vel ingenua seruo nubat conditionis ignara, matrimonium neutiquam consistit. Si verò scientes & prudentes in eiusmodi coniugium consentiant, solidum est. Sic nos idem Iulius illo decreto curauit admonitos. Si quis ingenuus homo vxorem ancillam alterius acceperit, & existimat quod ingenua sit, si ipsa fœmina fuerit postea in seruitute detecta, si eam à seruitute redimere potest, faciat: si non potest, si voluerit, aliam accipiat: si autem ancillam eam scierat & collaudauerat, prout legitimam habeat. Similiter & mulier ingenua de seruo alterius facere debet.

Cap. 1. de coniug. seruor.

Cap. Omnibus 29. q. 2.

Can. Si quis ingenuus. 29. q. 2.

At verò si post pactum & ratum inter ingenuos coniugium, vir se in seruitutem dedat, non tamen proinde (vt Triburiensi synodo cautum est) aut matrimonium dirmitur aut vxor in seruitutem cogitur. At verò vxor absque cõiugis facultate seruã se facere nequit. Quo autem res ad filios spectat, ventris conditionem secundum Imperatorum leges, & sacra Pontificum instituta sequuntur.

Cap. 2.

Can. Perlatum. 29. q. 2.

L. Partum. C. de rei vxõd. Cap. Vnico. de natis ex libe. ventre.

Et quia puerilis ætas nonnullum seruitutis specimen refert, tandem animaduerten-

Cap. 3.

dum

dum ante ætatem quatuordecim annorum virilem, & duodecim fœmineam coniugale pactum minimè conualescere, vt tam ciuili lege, de ritu nuptiarum, quàm sacris canonibus, de desponsatione impuberũ, cautum est. Attamẽ cum huiusmodi decreta quodam potiùs arbitramento coniecerint, quàm punctim attigerint, prudenter excipiunt, quòd si paulò citiùs & vsus rationis & viri potentia maturuerit, vt tam prudentia quàm malitia ętatem suppleuerit, matrimonia inter impuberes consistant, vt Alex. 3. ca. Continebatur, & ca. De illis, eo. tit. prouidenter admonuit. Nam de sponsaliorum ætate supra scriptum reliquimus.

Dist. 27. q. 2. art. 2.

DISTINCTIONIS TRIGESIMAE QVINTAE,

Quæstio vnica,

DE CONIVGIO SERVORVM ET PVERORVM.

ARTICVLVS II.

Vtrùm inter seruos possit absque licentia dominorum matrimonium contrahi.

HAs quatuor distinctiones, quippe quæ apud Magistrum non tanta ordinis luce fulgebant, decuit ordine Paulò inuerso transmutare. Etenim post impedimenta naturalia frigiditatis & maleficij, congruentius sequuntur impedimenta seruitutis & ætatis, quę conditiones sunt personæ, quàm impedimentum criminis, quod ex voluntate procedit. De qua ergo seruitute in hac dist. dicere constituimus, & in duabus proximis de impedimento criminis, & in 38. de ordine & voto, quæ quandam inter se habent connexionem. Arguitur ergo, quòd seruorum matrimonium absque heri licentia nullum sit. Nemo rem, cuius non est dominus, absque domini facultate potest alicui tradere: seruus autem, vt ait Philosophus, non est sui iuris, sed domini: ergo non potest absque eius facultate se in matrimonium alteri dedere.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò ad maiorem huius explicationem arguitur. Seruus tenetur Domini iussa capessere, & ei obedire: ex altera parte maritus tenetur vxori debitum reddere, ipsamque alere: hæc autem incompatibilia sunt, quia nemo potest duobus dominis seruire: præsertim cum ius herus habeat diuendendi, seruum, eumque subinde ad exteras nationes traducendi, vbi vxorem amplius reuisere nequeat: ergo matrimonium absque Domini facultate contractum nullius est valoris.

2. Arg.

Tertiò. Obligatio, qua homo se diuinis obsequijs addicit, fauorabilior est, quàm illa qua se subijcit vxori: sed seruus absque domini consensu nequit religionem profiteri, vel ad clericatum promoueri: ergo multo minus se potest matrimonio complicare.

3. Arg.

Pars affirmatiua.

In contrarium est verbum Pauli ad Galat. 3 In Christo Iesu non est seruus neque liber: vbi æqua Christianorum libertas ad contrahendum matrimonium insinuatur, siue serui sint, siue liberi.

Conclusio.

Ad quæstionem vnica conclusione respõdetur. Seruitus ius non adimit seruis matrimonium contrahendi, quominus si etiam inuitis dominis illud cõtrahant, solidum sit & legitimum. Nomine seruorum ancillarumque iuridico mancipia duntaxat intelligimus, quocunque iure in dominium aliorũ venerint, vt serui à liberis discernantur. Conclusio est Adriani Pontificis cap. 1. de coniugio seruor. vbi testimonio citato Pauli probat inter seruos matrimonia nullatenus prohiberi, etiam si inuitis dominis contracta fuerint tametsi debita & consueta seruitia eisdem dominis nihilominus debeant exhiberi. Eadem est definitio Iulij Papæ, can. Omnibus. 29. q. 2. Quòd si concilium obijcias Gabilonense can. Dictum est, ea. cau. & q vbi cauetur, quò coniugia seruorum tum non dirimantur, cum per voluntatem dominorum fuerunt coniuncta. Respondetur, quòd illic insinuatur, quòd si fuerint contracta inuitis heris dissoluantur, sed quòd tunc debeat seruus nihilominus seruire domino. Quare non potest tam liberè cum vxore commanere.

Probatur conclusio.

Atqui conclusio hæc non solùm humano iure, sed etiam diuino fulcitur. Enimuero seruitus humano iure I. gentium, introducta est: ius autem positiuum naturali non obstat: est autem non tantum hominibus, verùm & cunctis animantibus à natura inditum, vt quemadmodum per alimoniam propria indiuidua sustentant ita & per generationem speciem propagando conseruent, quę quidem generatio inter mortales, vt ex superioribus constat, nisi per matrimonium non fit legitimè: ergo sicut domini cohibere seruos nequeunt, quominus alimenta sumant, & somnum capiant, atque alia faciant. quæ ad vitæ sustentamentum necessaria sunt, ita neque arcere eos à matrimonio possunt, quin si cõtrahant, validum sit & firmum.

Seruitus quo iure introducta.

Hanc rationem, quæ S. Thomæ, & Theologorum est, Ricardus d. prælenti. art. 4. eneruare conatur Ait siquidem falsum esse, seruitutem tantum iure gentium & humano introductã: quippe cùm Philosophus 1. Politi. homines elegãtioris ingenij cęteris hebetibus ac rudibus, qui viribus corporis valent, dominari autumet. At verò, vt lib. 4. de iustitia & iure. q. 2. art. 2. diximus, sub illa Aristotelica sententia obscurus intellectus latet, nisi prudenter legatur. Illa quippe naturalis seruitus longè a legali distat. Rudes enim homines, & qui non tam ingenio, quàm corpore valent non sunt sic elegantiorum serui, vt mancipia, imò seruitus illa libertatem non excludit, sed tenentur parere elegantioribus quantum ad doctrinam & eruditionem propter suum ipsorum proprium bonum: tenẽturque illis vicissim de honestate seruire. Quare neque ipsi, neque sua bona sunt aliena, vt ab elegãtioribus possideantur. De qua vtique seruitute impręsentiarũ non loquimur, sed de alia legali, de qua habetur Instit. de iure personarum. & ff. de statu hom. l. Libertas, vt qui bello capitur, aut seipsum vendidit, seruus sit: id est, heri mancipium & possessio, quæ quidem proculdubio iure gentium introducta est post peccatum, cùm in primæua hominum conditione omnes fuerint liberi conditi.

Ricardus.

Obiectio Ricardi.

Autor.

Seruitus naturalis.

Seruitus legalis.

Hinc ergo ratio nostra originem ducit, nempe quod quemadmodum ius gentium diuisionem faciens rerum, quarum possessio, natura integra, communis erat, efficere nequiuit quominus in extremà necessitate, ipsa acclamãte natura, possessio earum rerum sit egentibus communis, ita ius seruitutis non potuit hominibus ius naturale adimere conseruandi tum propria indiuidua, tum & per matrimonia propriam speciem. De hac seruitute superiùs distin. 30. q. 1. art. 1. nonnulla prædiximus. Conclusio verò intelligitur, siue serui inter se contrahant, siue cum ancilla liber, aut cum libera seruus, dummodo nullus error lateat, vt art. proximo explicabitur.

Ratio.

Conclusionis declaratio.

Contra hanc tamen conclusionem ius ciuile pugnare videtur. Nam lege, Cum ancillis. C. de incestis nuptijs, cauetur, ne cum ancillis coniugium fiat, ob id quod serui inde nascuntur: nam partus sequitur ventrem. Respondetur autem, quod quicquid ciuile ius propter suam Rempub. statuat, non tamen potest iuri canonico, quod naturali & diuino consonantius est, officere, quæ quidem iura huiusmodi seruorum matrimonia pro ratis habent & firmis. Quamuis certè liberis, si absque aliqua causa vel vrgente, vel valde commoda ancillam sibi in matrimonium adiungat, nequeat à culpa excusari, licet genere suo non sit mortalis, nisi grauibus circunstantijs aut scandalo augeatur.

Obiectio.

Dilutio.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod seruus non est heri in ijs quæ sunt naturalia, sed in alijs seruitijs, quæ naturalibus adijciuntur. Et ideo licet non possit aut se, aut sua quantum ad alia obsequia alteri tradere, potest tamen quãtum ad munus illud generandi, quod sibi à natura conceditur, in quo à domini seruitute exemptus est.

Sol. 1. arg.

Ad secundum per proximam solutionem partim responsum est. Non enim seruus tenetur domino obtemperare, si eum ab illo iure cohibeat, quod ei natura largitur, sed in reliquis. Vnde si dominus seruo facultatem faciat ineundi matrimonij cum ancilla, quamuis

Sol. 2. arg.

Digitized by Google

non ideo eum libertate donet, aut donare censeatur, iure tamen cogitur eum permittere cum vxore habitare, saltem quantum ad honestam solutionem debiti, non obstante detrimento quod sibi inde accrescat. Quare tunc non potest in longinquam regionem eum venditum emittere. At verò dum absque eius facultate seruus furtim se matrimonij vinculo irretiuit, siue cum ancilla eiusdem vel alius domini, siue cum libera, non subinde à debitis seruitijs domino soluendis eximitur, vt Pontifex decreto citato admonet. Imo aiunt nonnulli, quod potiùs tunc inclinandum ei est in obsequium domini, quàm in ius nuptiale. Veruntamen sapientiùs hic D. Thomas edocet, tunc prudentia opus esse ad discernendum, quando maritus ille seruus seruire potius domino teneatur, quàm vxori, & quando vicem vertere. Primum enim, quando domino nocumentum non nisi parui momenti agitur, debet vxori morem gerere. Attamen domino tunc aliquid imperante dum vxori reddendum est debitum, aliæve eius necessitati prouidendum, libranda est vtriusque necessitas, vt maiori succurratur, quamuis in re præcipui momenti domino sit obtemperandum. Et re dubia vtra necessitas præponderet, potiùs in fauorem matrimonij est inclinandum, & tunc potissimum dum periculum carnis in coniuge timetur, vt ex capite. Licet, eod. titulo colligitur. Nam ius naturale matrimonij iuri gentium seruitutis præfertur. Ibi enim cùm mulier diuortium postularet, causata virum suum esse seruum, & maritus contra allegaret se esse liberum, re dubia in fauorem libertatis pronunciatum est.

S. Thom.

In fauorem matrimonij re dubia. Casus ca. Licet.

De alio verò argumenti membro, vtrùm fas sit domino seruum absque eius licentia coniugatum vendere, vt in extraneam prouinciam transmissus vxore priuetur, glossa citati capituli 1. eodem tit.. quorundam opinionem recitat, dicentium esse licitum, & tunc subinde vxorem cogi eum sequi. Sed aliam contrariam amplectitur dicentium talem venditionem esse prohibendam, quia est in perniciem naturalis iuris matrimonij. Cui quidem sententiæ impræsentiarum Diuus Thomas patrocinatur. Præcipuè cùm non desit facultas seruum iusto pretio vbicunque atque adeo in propria patria vendendi. Aduersaretur enim in primis talis venditio charitati, & forsan iustitiæ, nisi bona fide herus compulsus id faceret: vt si peregrè proficiscens, vel ad bellum, vel aliqua de causa secum seruum duceret, & illic egestate pressus illum venderet. Tunc verò si maritus commodè posset illuc vxorem transferre, tenetur quidem illa obedire, si tamen ipsa sine graui detrimento eum sequi non posset, certe iure matrimonij non cogeretur, teneretur tamen viuente marito castè viuere, nec vlla ei irrogaretur iniuria, postquam sciens ac prudens seruo se adiunxit.

An liceat domino coniugatum seruum vendere. Opinio quorundam. Opinio vera S. Thom.

Ratio prima huius opinionis.

Ad tertium negatur, simile ius seruo suffragari, vt inuitis dominis religionem profiteatur: nulla enim est in hac parte religionis cum matrimonio similitudo. Nam per matrimonium seruus non omnino à seruitute subducitur: quandoquidem potest ad horam rei vxoriæ vacare, & protinus ad seruitia redire. Votum autem solenne religionis totum hominem absorbet, vt semper teneatur obedientiæ prælati præsto adesse, atque adeò à seruitijs Domini semper abesse. Item, quia per matrimonium, vt dictum est, non se obligat homo vxori, nisi in illo officio naturali generandi, sed religioni obligatur monachus in omnibus alijs operibus, quæ Domino debet. Et ideo furtum sui ipsius faceret seruus religionem ingrediens. Potest tamen etiam inuito Domino votum castitatis emittere: quia in hoc non ei subditur. An verò possit ordines sacros suscipere, d. 25. copiosè responsum est.

Sol. 3. arg.

Prima ratio discriminis.

Ratio 2.

ARTICVLVS II.

Vtrùm seruitutis conditio aliquo saltem modo matrimonium impediat.

POSTQVAM simpliciter ius patet seruis matrimonium contrahendi, quæritur, vtrùm aliquo saltem modo per seruitutem impediatur. Et arguitur à parte negatiua. Nihil matrimonium prohibet, nisi quod ei aduersatur: seruitus autem, vt modo definitum est, non est matrimonio contraria: ergo illud non impedit.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. Id quod contra naturam est, impedire illud nequit quod est secundùm naturam: seruitus autem est contra naturam, vt Institu. de iure personarum, & l. Libertas. ff. de statu hominum, habetur: ergo non impedit matrimonium, quod est secundum naturam.

2. Argu.

Tertiò. Impedimentum matrimonij nihil refert, sciatur ne an ignoretur, vt patet de consanguinitate & affinitate: sed seruitus scita non impedit, ergo neque ignorata.

3. Argu.

In contrarium est decretum Innocentij, Ad nostram, de coniugio seruorum, vbi qui ignoranter contraxit cum ancilla, nexu matrimonij exoluitur.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Si liber ancillam ducat, quam credit liberam: vel si libera seruo nubat, quem credit liberum, matrimonium nullum est. Conclusio præterquam decretali allegata, atque alijs eodem titulo confirmatur can. Si quis liber, & can. Si quis ingenuus, & can. Si fœmina 29. quæstione 2. Ac deinde ratione iure naturæ fulcita. Contractus coniugalis eam vim habet, vt alterutrum se coniuges obligent, tum debitum sibi inuicem reddere, tum in eadem domo & proles educare, & gubernare familiam: si ergo aut vir aut fœmina impotens est hæc munera persoluere, ignorantia eiusmodi personæ contractum vitiat, atque adeò matrimonium tollit. At verò sicut per impotentiam coeundi fit homo inhabilis ad soluendum debitum, ita per seruitutem ad liberè soluendum, atque ad alia obeunda domestica munia: ergo sicut ignorata impotentia coeundi matrimonium aufert, ita & ignorata seruitus: quoniam, vt ait Philosophus, ignorantia libertatem tollit: ideoque eiusmodi consensus non censetur spontaneus.

1. Concl.

Ratio.

Dubium autem est, an hoc impedimentum sit de iure naturæ, an verò solùm de iure Pontificio: Videtur enim quod sit de iure naturæ: nam error personæ, vt si quis credens se contrahere cum Maria, contrahat cum Ioanna, est impedimentum iure naturæ: quia non existimatur consensus: ergo idem est de conditione seruitutis. Paludanus distinctione præsenti, quæstione 1. ait, hoc non esse impedimentum nisi ex statuto ecclesiæ, neque esse simile de errore personæ. Et certè ita videtur: nam hic nō est, nisi error qualitatis: & ideo si statutum ecclesiæ non obstaret, matrimonium teneret. At vero statutum hoc multùm (vt dicebamus) iure naturæ fulcitur nam per eiusmodi errorem plurimū homo detrimentorū accipit, cum ex ancilla non possit suscipere filios nisi seruos, ad ordines sacros atque ad alios honores publicos obeundos minus idoneos. Quæ quidem incommoda iniquissimum esset hominē inscium pati. Quod si quis arguat. Peius est homini ancillam diaboli, hoc est, peccatricem in vxorem accerere, quàm ancillam legalem: sed illud impedimentum non obstat: ergo neque hoc. Negatur consequentia: quoniam licet peior sit seruitus spiritualis, non tamen est fini matrimonij tam incommoda.

Dubium.

Obiectio.

Secunda conclusio. Quando inter seruum & liberam, aut inter liberum & ancillam, conditione seruitutis cognita matrimonium contrahitur, solidum est & legitimum. Conclusio est eisdem citatis canonibus definita. Et ratio est liquida: quoniam cùm seruitus, vt superiori articulo definitum est, substantiæ matrimonij non obstet, scientique & volenti nulla fiat iniuria, consequitur, vt quamuis ingenuus sic cōtrahens eadem incommoda, & detrimenta ex coniugio ancillæ in liberis contrahat, nihilominus consensus ille suus liber meritò reputatur, vt matrimonium consistat. Quapropter, vt superius adnotauimus, impedimentum seruitutis non inter necessaria, sed inter voluntaria matrimonij impedimenta connumeratur.

2. Concl.

Ratio conclusionis.

De his conclusionibus distinctione trigesima dicere cœpimus, sed hic sunt exactius perpendendæ. In primis ergo dum de ignorantia loquimur, de illa sermonem habemus, quæ vsu & more reputatur ignorantia: nam leuissima, quippe quæ facilè purgari poterat, pro nulla reputatur. Qui enim cum atra muliere & vili contraxit, quam ab hero infimè tractari videbat, non censetur ab Ecclesia eius seruitutem ignorasse. Imò tam crassa esse posset ignorantia, vt in conscientia ille censeretur non ignoranter, sed sciens cum ancilla contraxisse. Mox in prima conclusione notandum verbum, si liber ancillam ducat, nam si liber ingenuam duxerit quam putat esse ancillam, matrimonium non tollitur: quoniam error erat conditionis peioris: quare non censetur error. Neque si seruus ancillam ducat, etiam si ingenuam

Ignorantia nomine quid intelligatur.

Si liber ancillam, &c.

Digitized by Google

Error melioris parisve conditionis nihil matrimonio obstat. Regula generalis.

genuam esse credat, matrimonium vitiatur, quia cum æqualis sit vtrinque obligatio, non est cur seruus in coniuge meliorem conditionem requirat, quàm ipse in se habet. Ex quo fit, vt in summa dicamus, quod seruitus nunquam matrimonio obstat, nisi quando ab illo coniuge ignoratur, qui liber est. Vbi autem re vera nulla interuenit seruitus, licet interuenire credatur, nullum est impedimentum.

Sed est præterea animaduertendum, quòd si ingenuus, qui ancillam, quam liberam crediderat, duxerit, postquam illam audiuerit esse ancillam, idque crediderit, aut probabiliter fuerit opinatus, carnaliter cognouerit, matrimonium sine alio consensu nouo fit legitimum: quia iam tunc censetur simpliciter consentire, & ita in foro Ecclesiæ præsumitur, vt patet capit. Proposuit. & capitu. Ad nostram eod. titu. Imò & in conscientia sic pariter est iudicandum, nisi quando accessit, mente proposuerit, non tanquam ad vxorem, sed tanquam ad concubinam accedere.

Dubium.

Quid autem si ingenuus ancillam duxit, quam liberam esse arbitrabatur, sed tamen quamuis nosset esse ancillam, eam nihilominus duceret? Ricard. dist. præsenti artic. 1 respondet, quòd si in animo teneat, quòd etiam cum illa contraheret, licet esset ancilla, matrimonium tenet. Non dicit simpliciter, quòd si esset ancilla, eam etiam duceret: nam huiusmodi conditionales nihil ad rem pertinent, sed si in animo teneret, hoc est, talem haberet affectum & cõsensum, scilicet quamuis ancilla hæc esset, illam ducerem. Et ideo non prorsus probabilitate caret, nam videtur ille tunc in ancillam consentire. Nihilominus explicatiùs respondendum est. Si enim expresè dicat, Duco te in vxorem quamuis sis ancilla, tum licet credat esse ingenuam, verum est matrimonium: quia consensus practicus fertur in ancillam, & ideo ignorantia speculatiua non obstat. Sed si seorsum apud se habeat illum consensum, Quamuis hæc esset ancilla, illam ducerem, nihilominus in consensu, quo contrahit matrimonium, nec voce, nec mente explicat illam conditionem, sed absolutè contrahit cum hac, quam credit esse liberam, re vera matrimonium non celebratur: quia canones simpliciter huiusmodi consensum pro nullo ducunt. Nisi postea cognita conditione absolutè integretur.

Solutio. Ricard

Authoris solutio.

Quando herus ancillam ingenuo locat.

Ex his colligitur, quòd si herus ancillæ ingenuo eam sua sponte desponsauerit, quamuis sponsus credat fuisse liberam, matrimonium vigorem obtinet, vt ait glossa super dicto ca. Ad nostram. & illic Panor. Et habetur in authen. de nuptijs. §. Si verò ab initio. colla. 4. quoniam eo ipso, quòd Dominus ancillam ingenuo nuptũ tradidit, eam manumittit, & libertate donat. Imò si sciẽs tacet, vt illic ait Panor. quia in tali casu qui tacet, consentire videtur. Secus si tradit eam seruo. Vnde à fortiori si Dominus ancillam suam propriam in vxorem duxerit, matrimonium tenet: quia eo ipso liberam facit. Et de hoc extat lex regia in Hispania. Quid autem si postquam ancilla inscio domino ingenuo nupserit credenti esse liberam, dominus eam manumittat? Respondetur, per hoc solum matrimonium non firmari, nisi nouus consensus vtrinque accedat, quia illuc vsque nullum erat matrimonium.

Dubium.

Sed per contaris, vtrum si dominus ancillam nuptam secretò manumittat, & pòst maritus manumissionem ignorans, eam cognoscat, vinculum inde matrimonij innodetur. Palu. distin. præsenti, quæst. 1. quorundam refert opinionem dicentium tunc matrimonium iniri: quia Ecclesia, cuius instituto hoc impedimentum initur, decreuit impedimentum esse, nisi quamdiu error durat: & iam tunc maritus credens esse liberam, non fallitur. Nescio tamen an contraria opinio sit probabilior, videlicet matrimonium non conualescere, nisi maritus nouerit esse manumissam: quia cõsensus ab initio nullus fuit, & illa ignorãtia, qua scilicet credebat ab initio fuisse liberam, semper durat. Quare copula tunc non reputatur nouus consensus. Ita tenet glossa super cano. Si quis ingenuus, 29. q. 2.

Sententia autoris.

Libertas perpetua.

Ad hæc cùm de libertate loquimur, perpetuam intelligimus: nam si fortè herus ancillam in tẽpus donauerit libertate, vt postea in seruitutem retrahatur, quamuis eo libertatis tẽpore eam ingenuus duxerit, credẽs esse liberam, matrimoniũ est nullum. Secùs si in perpetuum fuerit manumissa: nam tunc licet ingenuus credat nunquã fuisse ancillam, & si crederet, nũquam illam duceret, nihilominus matrimonium tenet, quandoquidem libertas in ratione matrimonij contrahendi verè libera est.

Vtrùm verò ad dissoluendum huiusmodi matrimonium, postquam ingenuus nouit coniugem suam esse ancillam, requiratur publicum Ecclesiæ iudicium, ambigere quispiam potest. Respondetur tamen, vt supra de adulterio diximus, & inferiùs de consanguinitate dicturi sumus, quòd si certior ipse factus fuerit, potest propria autoritate separare se quoad torum: imò si matrimonium fuerat clandestinum, poterit etiam quantum ad cohabitationem. Si verò fuerit in facie Ecclesiæ celebratum, & ipsa reclamauerit, necessarium est vt in foro iudiciali cognita causa pronuncietur esse ancillam. iuxta cap. Porrò suprà citatum de diuortijs. Quicquid de ingenuo respectu ancillæ dictũ est, de ingenua respectu serui intelligatur.

Dubium.

Solutio.

Dubium.

Postremum dubium est, vtrùm si quis cum ancilla contraxit, ingenuam arbitratus, & postea conditionem resciscens vult cum illa coniugium confirmare, tenetur ipsa ancilla consentire. A parte enim affirmatiua hoc pugnat argumentum. Illud matrimonium ab initio solum ex parte ingenui coniugis claudicabat: nam illa verè consenserat: ergo si postea ipsa vult consentire, ipsa tenetur in suo consensu permanere. Nihilominus respondetur, iure matrimonij ancillam non teneri consentire: nam cum matrimonium nequeat ex vna parte claudicare, & cõsensus ancillæ ab initio nullus fuerit, matrimonium nullum erat. Et ideo nisi denuo consentiat, nihil fit. Quare si alteri nubat, secundum tenet matrimonium. Attamen ob honestatem promissæ fidei deberet induci vt consentiret, non tamen iure cogi.

Dilutio.

Nota.

Ad hæc in calce notandum, quòd quousque homo seruus esse probetur, in possessione libertatis tuendus est. Imò verò libertas decennio præscribitur. Quare si seruus in coniugio tanto tempore durauerit, non potest ab hero repeti.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur arg. respondetur, quod si seruitus per se substãtię matrimonij non obstet, ignorata tamen obstat eius causæ, nempe libertati consensus.

Sol. 3. arg.

Et per hoc tertium arg. diluitur. Conditio. n. seruitutis non est per se impedimentum, vt cognatio, sed relata ad consensum. Et ideo ignorata impedit, scita verò minimè: cognationem verò aut cognosci aut ignorari nihil refert.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, nullam repugnantiam inuolui aliquid esse vno modo contra naturam, & alio modo secundum naturam. Seruitus namque est contra primam intẽtionem naturæ: si. n. integra maneret, qualis erat in statu innocentiæ, seruitus illi repugnaret. Sed tamen est conformis secundæ intentioni naturæ. Etenim postquam per peccatum corrupta fuit, ex qua vtique corruptione bella exorta sunt, & egestates atque aliæ ærumnæ, & miseriæ, hoc habet contra mortem, quę homini in bello imminet, remedium, vt in seruitute victus seruetur. Et pariter, vt antiquus mos erat, qui extrema inopia premebatur, vt seipsum venderet. Hoc. n. pacto, vt 2. de cælo autor est Philosophus, senium & quæcunque rei corruptio contra naturam est: quippe quæ nullum intendit malum. Est tamen corruptio illa ratione secundum naturam, quod intendit per generationem corruptibilia indiuidua conseruare, & non valet vnum nisi per alterius corruptionem gignere.

Inops.

ARTICVLVS III.

Vtrùm seruitus matrimonio superuenire possit.

DICTVM est de seruitute matrimonium præcedente, quæritur subinde an possit matrimonio subuenire. Et arguitur à parte negatiua. Quod in fraudem nocumentumque alterius factum est, pro rato haberi non debet: quod autem se vir ipsum vendat, in fraudem cedit, aut saltem in detrimentum vxoris: ergo venditio illa irrita est.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. Vir & vxor in ratione matrimonij ad paria, vt dictum est, iudicantur: vxor verò non potest se, inuito coniuge, in ancillam vendere: ergo neque maritus inuita vxore.

2. Argu.

In contrarium est, quod vnusquisque potest id alteri dare quod suum est: homo autem liber est sui iuris: ergo potest seipsum vendere.

Pars affirmatiua.

Cùm duplici ratione in seruitutem quispiam redigatur, scilicet aut ratione belli, vbi iustè capitur, aut quia se homo ipsum vendit, de priori seruitute nemo ambigit: quia fit viro inuito, eademque ratione possit

Deci. art.

& vxor in seruitutem venire. Sed de posteriori mouetur quæstio, ad quam brevissima conclusione respondetur. *Conclusio.* Vir facultate vxoris non expectata potest se in seruum vendere & dedere. *Ratio.* Probatur: quia vir non est vxoris nisi quantum ad torum, vbi opera procreandis liberis datur: de hoc enim vsu ait Paulus, Vir non habet potestatem sui, sed vxor: in reliquis verò est suarum actionum dominus: ergo saluo iure vxoris petendi debitum, cui ipse dum possit respondere tenetur, potest se alteri in seruum dedere. Itaque sicut seruus nolente domino potest se in matrimonium tradere, ita & liber nolente vxore in seruitutem mancipare. Quocirca per huiusmodi accidentem seruitutem neque matrimonium distrahitur, cùm fuerit legitimum, neque diuortium fit quoad torum: quia potest ipsa vult in libertate manens virum sequi: siquidem non subinde cogitur serua esse, cano. Perlatum, eadem cau. & quæst.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quamuis maritus in fraudem vxoris seruituti se vendens mancipet: videlicet, quia illud arbitratur fore medium, ne cum illa, quam odiosam habet, cohabitet, facit quidem contra charitatem, iusque subinde matrimonij violat, & fraus illa in suum ipsius caput refunditur, quia ex libero fit mancipium: nihilominus quia iure suo vtitur, non peccat contra iustitiam, quam debet vxori. Veluti si ob eandem fraudem aliam sibi causam obtendens peregrè proficisceretur.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd quamuis in re vxoria pari iure ambo coniuges teneantur, nihilominus in re domestica vir est caput vxoris: quare non quicquid ipse ea renuente valet, ipsa quoque absque viri facultate potest: atque adeò absque viri facultate obtenta nequit se in seruitutem dedere.

ARTICVLVS IIII.

Virum filij debeant conditionem patris sequi, an potius ventris.

Partis negatiua arg. 1. TANDEM de seruorum filijs quæritur, patris ne an matris conditionem sequantur. Arguitur enim quòd debeant sequi conditionem patris. Primò, quia à digniori debet fieri denominatio: & pater in generatione dignior est.

2. Argu. Secundò, quia esse rei est à forma, sicut esse rationale est ab anima: pater autem, vt 15. de animalibus autor est Philosophus, in generatione se gerit vt forma, mater autem vt materia.

Pars affirmatiua. In contrarium autem est, quòd dum quis in agro seminat alieno, fructus cedunt in dominium illius cuius est ager: sed mulier se habet vt terra, quam vir seminat: ergo partus sequitur conditionem ventris.

Quæstiuncula hæc facillimæ expeditionis est, quia tota in iure positiuo collocatur, licet rationibus sit naturalibus subnixa. Respondetur ergo duabus conclusionibus. Prima. Secundum leges ciuiles partus sequitur ventrem. l. Partum. C. de rei vendicā. Quæ quidem indiscriminatim loquitur, siue ex legitimo coniugio, siue ex vago concubitu nascatur. ff. verò de statu homi. l. Lex naturæ, fit restrictio, vt qui nascitur sine legitimo matrimonio sequatur matrem, nisi lex specialis aliud inducat. *1. Concl.* Quibus verbis vtitur *Isidorus.* Isidorus can. Liberi. 32. quæst. 4. vbi addit, quòd qui ex libero matrimonio orti sunt: scilicet ex libero & ancilla, deteriorem partem sequuntur. Nec valet *Glossa.* glossa dicens, per deteriorem partem intelligi matrem: quandoquidem illic fit distinctio inter natos ex legitimo vel sine legitimo matrimonio: & hos dicat sequi matrem, illos verò deteriorē partem, scilicet seruitutem siue matris, siue patris. At verò vniuersaliùs seruatur lex Codicis sine distinctione. Et idem insinuat *Grego. 9.* Gregorius. 9. capit. Vnico, de natis ex libero ventre, dicens, quòd filij libertæ aut liberæ non retrahuntur ad seruitium.

2. Concl. Secunda conclusio. In his, quæ pertinent ad dignitatem, sicut in honoribus publicis, & municipijs, & hæreditate & alijs proles sequitur patrem. Et vtriusque ratio ait S. Tho. est, quia proles habet à patre complementum formale, *Ratio S. Thomæ.* sed à matre substantiam corporis. Seruitus autem corporalis conditio est, cùm seruus sit quasi instrumentum domini in operando: & corpus sit animæ seruitium, honos verò & illa quæ ad perfectionem attinent, sequuntur formam, atque adeò patrem.

Ricardus. Ricardus verò hanc rationem satis firmam non existimat: quoniam libertas honorabilis conditio est, & nihilominus sequitur etiam ventrem. Item filij non solùm in hæreditate patris, sed etiam matris succedunt. At verò Ricardus non satis rationis meruum inspexit: nam D. Thom. eius, quod suapte natura constat, rationem non affert: libertas autem suapte natura, nisi aliunde obnubiletur, hominibus congruit. Ait ergo quòd macula seruitutis non nisi ex ventre contrahitur: si autem mulier sit libera, seruitus non contrahitur à patre seruo, quare ex natura rei libertas pullulat. Defectus autem hæreditatis non contrahitur ex matre sicut defectus seruitutis, sed ex natura rei sequitur hæreditas & patrem & matrem. Nihilominus & rationes aliæ Ricardi bonæ sunt. Partus namque ratione matris certitudinem habet, non autem ratione patris. Et hanc arbitror rationem secundum leges ciuiles esse optimam: sicut fructus vndecunque seminentur, certum est ab ista terra produci, & ideò cedunt in dominium domini prædij. Et præterea terra est, quæ totam substantiam tribuit multiplicandi seminis, & in ea nutriuntur fructus, & pariter mater est quæ totam corpulentiam fœtui ex suo sanguine subministrat: itaque ipsum sustinet, & in ventre nutrit, & labores perfert: quare naturali rationi consentaneum est, vt partus in dominium heri matris veniat. Et illa erat lex antiqua Exodi 21. Si dominus dederit ancillam suam alicui in vxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt Domini sui. Ipse autem, si fuerit seruus ex Hebræis, septimo anno egredietur liber. Et est notandum, quòd vt partus sit liber, satis est matrem vno temporis momento antequam fuerit partum enixa, esse liberam. §. 1. Iusti. de ingenuis.

Aliæ rationes Ricardi. *Aliæ ratio.* *Exodi lex.* *Nota.*

Addit verò S. Thom. in quibusdam terris, quæ iure ciuili, scilicet imperatorum, non reguntur, partum sequi deteriorem conditionem, vt quamuis mulier sit libera, si pater est seruus, filij nascantur serui: dummodo ex matrimonio oriantur. Et alludit ad præfatum cap. Liberi, Isidori, vbi ait glossa, quòd secundum leges Longobardorum & Theutonicorum filij sequuntur deteriorem partem, scilicet seruitutem aut patris aut matris. Intelligitur tamen lex, si pater ante contractum matrimonium seruus fuerit, secus si post se ipsum vendiderit: quia non debet ingenua mater, quæ bona fide libero nupsit ex superuenienti facto patris iacturam in filiorum libertate pati. Vnde fit, vt si alicubi lex illa viget, sequendi deteriorem partem, tunc si parentes sunt ambo serui diuersorum dominorum, domini illi debent inter se filios dispertiri, vel si vnus fuerit tantum filius, tunc dominus, qui illum vsurpauerit, debet alteri medietatem pretij refundere. At verò non est credibile, vt ait S. Thom. in Repub. prudentium hominum hanc legem vigere, quandoquidem alia, scilicet quòd partus sequatur ventrem, & legibus Imperatorum, & more plurimorum sapientium, & rationibus à natura profectis sit fulcita. Quare inter Hispanos, Gallos & Italos hæc more & vsu seruatur. Verum est, quòd in odium mulieris, quæ seruo suo nupserit, antiqua lege cautum fuit, vt partus patrem sequerentur: essent scilicet serui, & omni nobilitate priuati, imò, & à materna hæreditate excluſi, vt l. vnica. C. de mulieribus, quæ se proprijs seruis iunxerunt.

Partus alicubi deteriorem conditionem sequitur. *Declaratio legis.* *Nota.* *Vsus imperitus.*

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod licet pater sit dignior, quia principium agens: mater tamen dat substantiam corpoream, & corpus est, quod seruitio deputatur. *Sol. 1. arg.*

Ad secundum respondetur, quod propterea quòd pater dat formam, solùm sequitur esse specificum, atque adeo perfectiones filium potiùs à patre, quàm à matre ducere. Quapropter filij in rationis vsu & prudentia patribus similibres nascuntur, quàm matribus, quibus ideo in publicis honoribus & hæreditatibus succedunt, atque adeo eorum nomina & stemmata sequuntur. Quocirca genealogiæ per lineam masculinam, potius quam per fœmineam deducuntur, vt sacra nos etiam historia docet. Et ideo in Repub. illi qui nobiles per lineam paternam probantur, quamuis materna eis fuerit aut rustici aut contaminati sanguinis, iuribus nobilium fruuntur. *Solut. 2.* *Filij similes parentibus nascuntur.*

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Verùm ætas legitima contrahendi matrimonium rectè in viro statuta sit quartodecimo anno, & in fœmina duodecimo.

QVONIAM defectus ætatis defectui libertatis quodammodo assimilatur, quæstio de ætate superiori de libertate adiungitur. Arguitur ergo, quòd ætas illa, quæ de nuptijs contrahendis lege præscribitur non sit idonea. Prouectior ætas ad consensum coniugalem exigi videtur, vbi de statu totius vitæ deliberatur, quàm ad bonorum administrationem: hæredem autem in bonorum possessionem leges non mittunt vsque ad annum 25. ergo minor ætas ad matrimonium non deberet sufficere.

Pars negatiua arg. 1.

2. Argu.

Secundò. Seruitus & impotentia coeundi tantum nocet matrimonio quantum puerilis ætas, sed illa non obstant, nisi dum ignorantur, vt superius dictum est: ergo cognita ætas illegitima non debet esse impedimentum matrimonij, quominus sit validum si contrahatur.

3. Argu.

Tertiò, fœmineus sexus non tanta rationis virtute pollet, quàm masculinus: ergo diutiùs expectari deberet, vt matureſceret: non ergo satis illi consultum est, vt duodecimo anno fœminæ nubant, cùm masculi non possint vsque ad quartumdecimum contrahere.

Pars affirmatiua. Decisio articuli.

In contrarium est lex canonica, quæ quatuordecim annos viro, fœminæ verò duodecim præscribit.

Aristo.

In ætate contrahendo matrimonio constituenda distinguendum est, quid de rigore liceat, quíd ve de honestate deceat. Institutores namq; Reipub. vt Arist. 7. Politi. c. 16. tradit, non tantum quid liceat, sed quid deceat, contemplari debent. Ait. n. illic Philosophus, quod si vires naturales consulamus, virum spiritus gignendi anno septuagesimo aut circiter deficiũt: fœminam verò potestas concipiendi prope annum quinquagesimum. At verò fœmina ad concipiendum circa annum decimumoctauum fit idonea: nam ante illum non nisi ratò, & plurimum fœmellas concipit, & cum magno periculo parit. Habet ergo mulier spatium triginta fere annorum ad concipiendum. Et ideo tantum est viris ad generationem indulgendum, vt ambobus eodem tempore vires exhauriantur. Quocirca fœminis decimusoctauus annus constituitur ad nuptias, viris verò trigesimusseptimus aut circiter. Præterquàm quòd citra hæc tempora alia incommoda subsequuntur: nam generatio non debet fieri nisi ex superfluo salua semper viri substantia: dum autem viri in tenerrimà ætate rei Venereæ mancipãtur, vires proprias extenuant, & malignè adolescunt, & proles corporis & virium inopes gignunt. Nec fœminæ vterum habent satis amplum, quo possit fœtus extendi & informari. Præterea, qui in pueritia rei Venereæ assuescunt, libidinosi maximè & intemperantes fiunt: quippe qui carnis illecebras ante tempus exuscitant & irritant. Adde quod pueri non debent ab ætate paterna aut nimiùm, aut minimùm distare. Illi verò qui in senectuterei vxoriæ operam impendunt, nec tenellis filijs oblectantur, vt iuuenes, neque illis possunt alimenta prouidere, imò crebrò non nisi posthumos generant. Rursus qui in pueritia vxoribus sese dedunt, filios gignunt, qui non possunt parentes pro dignitate reuereri: quippe quibus sunt ætate ferè æquales. Hæc certè consideratè deberent parentes speculari, antequam teneros natos nuptialibus sarcinis & molestijs onerarent. At verò leges non tam decentiæ, quàm necessitati succurrunt, idcirco temporum rationem meditantur, quibus generationi homines operam nauare possunt.

Primum incommodum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

In pueritia.

Nota.

Nota.

Leges.

Conclusio.

Ad quæstionem ergo vnica conclusione respondetur. Tempus legitimum matrimonij contrahendi est in viro quatuordecim annorum, & in fœmina duodecim. Etenim in contrahendo matrimonio ratio habenda est, tum consensus, vt sit liber, tum etiam finis matrimonij, vt coniuges sint generare potentes. Et quantum ad rationem primam dist. 27. q 2 vbi de sponsalibus agebamus tria temporis interstitia distinximus. Primum scilicet quo homo, licet per se satis consulere, sibi nequeat, potest tamen qualecunque ab alio consilium capere: & illud est in fine primi septennij. Et ideo licet tunc non possit se in legitimum matrimonium tradere, potest tamen illud polliceri, postmodum legitima ætate complendum: quare ille temporis articulus sponsalibus est idoneus. Secundum tempus est in fine secundi septennij, quo potest de seipso disponere: nam habet tunc rationis lucem, vt liberè possit in matrimonium consentire. Sed quia id ad dispensationem & administrationem bonorum maturius iudicium exigitur, expectatur finis tertij septennij. At verò quantum ad potentiam generandi illo etiam tempore secundi septennij, vt experientia docet, reperitur in viro, licet vt diximus, malignè fiat & indecenter. Igitur cum matrimonium, eo quod ex vna parte contractus ciuilis est, & ex altera à natura ad generationem inditum, subiectum est & iuri humano positiuo & naturali: vtraque ergo ratione, & liberi consensus & generationis considerata, leges tempus matrimonio contrahendo diffinierunt: quatuordecim, scilicet annorum in viro, & duodecim in fœmina. Vnde capitul. Quod sedem, de frigidis & malefic. puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio. Et de desponsatio. impub. cap. Vbi, ait Nicolaus, Districtius inhibemus ne aliqui, quorum vterque vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non peruenerit, coniungantur. Lex autem ciuilis est de ritu nuptiarum, Minorem. Nam de ætate septem annorum in sponsalibus, est lex, In sponsalibus. ff. de sponsalib. Canones autem sunt, ca. Literas. & cap. Continebatur. & cap. Atteſtationes, de desponsatio. impube. Et intelligitur impedimentum hoc non solùm impedire contrahendum, sed etiam dirimere contractum. Veruntamen ante illam ætatem sponsalia, vt dictum est, valent post septennium: & quamuis matrimonium per verba de præsenti tunc ante secundum septennium contrahatur, non valet nisi pro sponsalibus. de desponſ. impub. cap. Vnico lib. 6. Quare nisi post legitimam ætatem denuò cõsenserint, separari possunt. Tametsi propter fidem precedentem, nisi causa aliqua legitima interceſſerit, teneantur de honestate matrimonium nouo consensu perficere. Si vero ante talem consensum alia matrimonia confœderauerint illa tenent.

Secundum.

Tertium.

Potentia generandi.

Nota.

Nicol. Papa.

Impedimentum etiam dirimens.

Nota.

An sufficiat annus ineptus.

Parum temporis quid. Semestre.

Est tamen adnotandum, quod cum hoc tempus Ecclesia arbitramento quodam vsa constituerit, non est tam punctim considerandum, quominus si circiter illud sponsi copulam consummauerint, matrimonium teneat. Ita habetur eo. cap. citato. Continebatur. cap. De illis. 2. & cap. fi. eod. tit. Nam vt ait Philosophus. 2. Physico parum pro nihilo reputatur.

Quod si rursus efflagitaueris, quantum sit illud parum tempus? Multi dicunt esse semestre, vt glossa eiusdem ca. Continebatur. nam dimidiatus annus postremus pro completo habetur. Determinatio est iuris ciuilis. l. Non tantum. ff. de excusatio. tutorum At vero glossa. §. Pupillus. Instit. de inutilib. stipula. & glossa in summa. Instit. de oblig. quæ ex delicto. ait, quod masculus ab anno decimo cum dimidio incipit esse pubertati proximus: quia inde iam transiuit medietas secundi septennij, Et ita tenet Panorm. & Sylueſt. verbo, Matrimo. 5. Attamen quicquid sit de alijs contractibus impuberum tamen in contrahendo matrimonio non designatur nisi vndecimus in fœmina, si modò copula consummetur. Vt cap. citatum Continebatur, ait, scilicet, quòd si fœmina fuerit ætati proxima: nempe in vndecimo, vel circa duodecimum annum & cognita fuerit à viro vndecimus annus satis est cum consummatione copulæ. Nisi satius cum S. Thoma dicere existimaueris supra distinct. 27. quæst. 2. art. 2. quòd vsus rationis secundum conditionem contrahentium determinetur: quia in quibusdam magis acceleratur rationis vsus, quam in alijs. Et tunc, scilicet, accedente copula, vt habetur cap. citato. De illis. ætatem malitia suppleuisse videtur. In capi. verò finali dicitur, prudentiam tunc supplere ætatem. Et potest vtrumque optimè dici. Nam cum, vt modò dicebamus, ad statuendum tempus contrahendo matrimonio vtriusque consideratio habenda sit: scilicet & causæ: nempe consensus, & finis: puta, generationis, quando paulò ante legitimum annum acceleratur rationis vsus, tunc dicitur prudentia supplere ætatem, quando verò tunc acceleratur potentia coeundi, dicitur malitia supplere ætatem: quoniam præcox illa & præpropera potentia ab exuberanti carnis insultu nimiaque concitatione illecebrę prouenit, quæ reuera meritò malitia vocari potest ab originali culpa contracta

Opinio S. Thom.

Malitia & prudentia supplet ætatem.

Prudentia supplet ætatem.

Malitia supplet.

Grauius tamen morale dubium hinc emergit, vtrum

Status temporis triplex. Primus.

ad hoc

An simul debeant prudentia & malitia supplere ætatē.

ad hoc, quod matrimonium circiter tempus legitimum validum sit, sufficiat quod prudentia ætatem suppleuerit: id est, vsus rationis fuerit acceleratus: vel quòd sola malitia illam suppleuerit. S. potentia coeundi, vel an requirantur ambo simul concurrere. Hic primum meditandum est, vnde malitia illa: hoc est, potentia coeundi, explorari possit: vtrum non aliunde percipi legitimè valeat, quàm si re vera impuberes illi copulam consummauerint. Id enim insinuare videtur Alexander citato cap. Continebatur. S. si cognita puella à iuuene fuerit. Sed in allegato cap. De illis non habetur, nisi quod si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint carnaliter coniungi: vbi sola potentia exigitur. Et ideo bipartiti sunt Iurisperiti, alijs asserentibus copulam requiri, atque alijs, sufficere potentiam. Quapropter si compertum sit masculum cum alia copulam consummasse, & fœminam cum alio, si inter se per verba de præsenti prope legitimum annum consenserint, etiam ante copulam tenet, vt isti dicunt, matrimonium. Atque hanc opinionem amplexus est Syluest. verb. Matrimonium. 5. q. 3. Et est valde probabilis in conscientia, quamuis tutius esse crediderim, copulam inter ipsos expectandam, vt in foro iudiciali sententia pro matrimonio pronuncietur. Et sufficit, quòd se maritali affectu commisceant, cum consensu præcedenti siue de præsenti, siue de futuro, qui eatenus non valebat nisi pro sponsalibus.

Opinio 1.

An sola prudentia sufficiat.

At verò vtrùm si nulla interueniente copula matureſcat ratio paulo ante annum legitimum, matrimonium tunc teneat, dubium est propter dictum ca. fi. vbi nulla facta fuit mentio copulæ, sed solum insinuatur, quòd si prudentia suppleret ætatem, matrimonium valeret. At quia non constabat, pronunciatum est consensum de præsenti non valuisse nisi pro sponsalibus. Et accedit argumentum, quòd vt dist. 27. q. 2. art. 2. cum D Thoma prædiximus, licet primum septennium non fuerit completum, sed circiter, sponsalia censentur: pariter ergo in matrimonio circa quartumdecimum contrahendo videtur iudicandum. His tamen non obstantibus, nullatenus asserere auderem, valere matrimonium ante legitimum tempus, nisi copula verè fuerit consummata: vel saltem sponsi fuerint ad id idonei. Ita tenet cum Panorm. Syluest. verb Matrimonium. 5. q. 2. quia in nullo canone hoc permissum habetur, & in contrahendo matrimonio non licet arbitrari, sed verbis canonum insistere. De sponsalibus autem, vbi contractus non est tam firmus, quin pluribus de causis valeat irritari, non tantum imminet periculi tempus legitimo proximum legitimum arbitrari.

Argum.

Sententia autorus.

Solu. arg.

Dubium.

Quòd si rursus quis sciscitetur, Quid si fœmella ante vndecimum annum, in decimo fortè, & vir in duodecimo copulam affectu maritali consummauerint, aut citiùs, in quibus tanta rationis lux effulgeat, quanta solet in maioribus. Casus enim profectò non est impossibilis. Hieron. namque in epistola ad Vitalem coniecturas adfert, Salomonem decimo anno Roboam genuisse. Et Achaz Ezechiam. Quicquid autem de illis patribus veritas habeat, Grego. 4. lib. dialogo. ca. 19. refert, puerum nouem annorum nutricem suam fœcundasse. Et Albertus dist. præsenti ait, se vidisse puellam in nono anno concepisse, & peperisse in decimo. Igitur vbi id vsu venerit, & rationis vsum constiterit, esse tantum qui consensum faciat liberum, profecto non est cur negetur, matrimonium oriri, vt Syluest. loco proxime citato ait: quoniam omnia ad matrimonium necessaria concurrunt. Nam ætas quatuordecim aut duodecim annorum non est præscripta, nisi propter arbitrium, vt dicebamus: quia non existimantur minori ætate impuberes ad liberum consensum & generationem idonei. Et ideo vbi experimentum contrarium palam edocet, arbitrarium iudicium cessat.

Hieron.

Gregor.

Albertus Magnus. Sol. dubij.

Sol. 1. arg.

Ad primum itaque argumentum respondetur interempta maiori. Lucidius enim rationis lumen requiritur ad administranda temporalia bona, quàm ad matrimonium, tum quod ad hoc natura ipsa est magis propensa, tum quod bonorum dispensatio multis est periculis & fraudibus peruia.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quòd immatura ætas non solum est impedimentum propter impotentiam coeundi, sed propter defectum vsus rationis, qui est libero consensui necessarius. Et ideo siue cognita sit, siue incognita ab altero contrahentium nihil refert.

Sol. 3. arg.

Ad tertium respondetur, quòd potentia concipiendi, vt 9. de animalibus autor est Philosophus, prius aduenit fœminis, quàm gignendi potentia masculis. Item in masculo vegetior maturiorque ratio exigitur ad gubernandam & fœminam, & domum, quàm in fœmina ad parendum viro. Vtraque ergo de causa minori ætate fœmina nubilis est, quàm vir connubio idoneus.

DISTINCTIO TRIGESIMASEXTA,

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS QVO TORI FIT DIVORTIVM.

Textus cap. 1.

POST impedimenta frigiditatis, & maleficij, quæ vel naturæ vitio, vel dæmonis æstu accidunt, sequuntur impedimenta criminis, quæ de voluntatis nequitia prodeunt. Inter hæc primum se offert adulterium, cuius causa ius fit innocenti ab adultero diuertendi, iuxta verbum redemptoris, Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ratio enim legis sinit, vt fides ei frangatur, qui fidem fregit. Septem verò casus sacrosancti canones diuino iure & naturali subnixi exceperunt, quibus legem illam moderandam curarunt: nempe si vir quoque eodem flagitio, quo vxor, implicatur: paria enim delicta, vt lex ait, mutua compensatione tolluntur, & ideo lege, quam ambo contempserunt, neuter est vindicandus. Quare nihil iniquius est, autore Augu. quàm causa fornicationis vxorem dimittere, si ipse conuincitur fornicari. Mox, si vxor per viri lenocinium adulterata est: illud enim mariti scelus, licet vxorem non excuset, ipsum tamen onerat. Deinde, si bona fide maritum defunctum arbitrata alteri nupserit. Præterea, si per ignorantiam adulterium ab eo passa, quem arbitrabatur esse maritum. Cui proximè accedit, si per violentiam id fuerit perpessa, vt lib. 2. de Ciui. Dei. docuit Aug. Adde sextò, quòd postquam fuerint coniuges reconciliati, nisi denuò comittatur delictum, diuortio non patet locus. Ac demum, si vxor in infidelitate per libellum repudiata alteri nupserit, & cum priori marito catholicæ fidei nomen dederit: cogitur enim tunc eidem priori viro vxor esse.

Matth. 19.

Cap. Pernenit. de iureiur.

Cap. Tua fraternitas. de diuortio.

Can. Nihil 22. quæst. 6. Cap. discretionem, de eo qui cogn. consangui. vx.

Can. Cum per bellicam 34. q. 2. Can. In lectum 34. q. 2. Can. Itane, & Propositio 32. qua. 2. Can. si quis & Quod autem 32. q. 1. Cap. Gaudemus, de diuortijs. Cap. 2.

His ergo exceptis casibus, non modo viro fas est vxorem fornicariam dimittere, verum & ratione cauendi scandali, eaque corrigendi nonnunquam tenetur: nam vt in Prouerb. est, qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens. Vnde Chryso. Sicut crudelis & impius est qui castam dimittit vxorem, sic fatuus est & insipiens qui retinet meretricem, patronus siquidem criminis est qui celat crimen vxoris. Postquam verò adultera resipuerit, spemque de se fecerit cau-

Prouerb. 18. Can. Sicut 32. q. 1.

Digitized by Google

trius post viuendi, salubrius sæpè consilium est illam retinere. Nam vt Augu. ad Pollentium ait, Non est durum reputandum, vt coniux adultera per pœnitentiam sanata viro reconcilietur. Atqui cum par sit vtriusque coniugis obligatio fidei, pari subinde iure hac parte vxor cum viro protegitur, vt possit adulterum quoque relinquere. vnde Aug. Indignantur, inquit, mariti si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto grauiùs eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Et Inno. Papa, Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat.

Can. Quod autem. 32. q. 1.

Can. Christiana. 32. q. 5.

At verò diuortium euangelicum non veluti repudium censendum est, quo Iudæi arbitrabantur matrimonium distrahi. Nam vt Innoc. 3. ait, sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ipsum in coniugibus perdurat. Quocirca neutiquam neu dimittenti, neu dimissæ ad alias conuolare nuptias fas est, dicente domino, Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. Et Paul. His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam. Et ad Roma. Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi. Et paulò inferiùs. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Vnde Hierony. Vbicunque, inquit, est fornicatio, liberè vxor dimittitur. Sic autem vir priorem dimittere iubetur vxorem, vt prima viuente secundam non habeat. Et August. ad Polentium, Licitè, inquit, dimittitur vxor causa fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij quicunque dimissam duxerit. Et infra, ambos coniuges in hac causa exæquans, Necesse est, inquit, ex duobus coniugijs quatuor adulteros fieri, si & ille alteram duxerit, & illa alteri nupserit. Ex quibus fit consequens, vt diuortium viam reconciliationi non occludat, quominus fieri etiam tunc possit.

Ca. Quanto de diuort.

Matt. 5.

1. Cor. 7.

Roma. 7.

Matt. 19. Can. Dixit Dominus. 32. q. 7. Can. Licitè 32. q. 7.

Lib. 2. c. 9.

* *
*

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆSEXTÆ,

Quæstio vnica,

DE DIVORTIO QVOD FIT FORNICATIONIS CAVSA.

ARTICVLVS I.

Vtrum propter fornicationem licitum sit viro vxorem dimittere.

HÆc distinct. 36. quæ apud Magistrum senten. erat 35. generaliter de impedimento criminis proponitur. Sunt autem huiusmodi crimina in triplici differentia. Quædam enim sunt, quæ non substantiam matrimonij, sed vsum offendunt, vt adulterium, quod innocenti ius facit torum diuidendi, de quo hac quæstione præcipuè disputatur. Alia sunt crimina, quæ contrahendum impediunt, contractum verò non dirimunt. Tertij demum generis sunt illa, quæ & contrahendum impediunt, & cõtractum dirimunt. De quibus duobus generib. tractabitur distinctione proxima. Primus igitur articulus est, vtrum diuortium fornicationis causa sit licitum. Et arguitur à parte negatiua. Non licet, vti 1. Pet. 3. habetur, malum pro malo reddere: vir autem adulteram vxorem traducens, malum pro malo reddit: ergo perperam agit.

Pars negatiua arg. primum.

Secundò. Alia sunt peccata adulterio peiora, vt si vxor blasphema esset, aut si vir contrà naturam nefarie flagitiosus esset: sed propter hæc crimina non licet coniugi ab alterius cubili discedere: ergo nec propter adulterium.

2. Argum.

Tertiò. Grauius est si ambo adulterentur, quàm si alter duntaxat: sed si vir sit quoque adulter, non potest vxorem ob id crimen repellere: ergo neque si ipsa duntaxat offendat.

3. Argum.

In contrarium est sententia Redemptoris Matthæi quintò, permittentis fornicationis causa virum ab vxore discedere.

Pars affirmatiua.

Materia hæc præcipui est momenti. Et quidem nomen diuortij quid importet, distinctione 33. dictum est, vbi de repudio disputabamus. Dicitur enim à diuertendo, hoc est, à mentis diuersitate: quia qui matrimonium distrahunt, in diuersas partes eunt. l. 1. ff. de diuortijs. Hoc est, quod toro se domoque separant. Atque primus hic articulus facillimæ expeditionis est. Cui ideo vnica ista affirmatiua conclusione fit satis. Licitum est viro vxorem suam fornicationis causa dimittere. Quæ vtique conclusio, quando nullam aliam, qua fulciretur, causam haberet per sententiam Redemptoris satis esset suffulta. Nihilominus sententia illa non solum diuina fuit, sed iuris etiam naturæ explicatoria. Est ergo conclusio hæc non solum humano iure, aut purè diuino, sed etiam naturali fundata. Hoc enim ius natura docet, vt vbi duo mutua sunt fide inter se constricti, fides ei frangatur, qui fidem fregit, cap. Peruenit, extra de iureiurando. In fœdere autem matrimonij coniuges fidem sibi mutuò seruandam paciscuntur, quæ est, vt sibi inuicem debitum reddant, simulque conuiuant, neuter tamen alijs commisceatur: ergo quę adultera est, digna redditur, cui debitum non soluatur, sed toro pellatur, ac subinde domo. Secunda ratio itidem naturalis est, quia fornicatio, saltem vxoris, prolium educationi, quæ finis est matrimonij, plane aduersatur: quippe cùm partum incertum reddat, cuius pater ignoretur. Tertiò, & alteri matrimonij fini, qui est conuictus, ad quem mutuus amor necessarius est, vehementer fornicatio vxoris repugnat, est enim hoc ità natura comparatum, vt vir, quòd vas semel ad procreandas proles elegit, alterius vitio pollutum ferre nequeat, sed despectui pollutam vxorem habeat, odioque subinde prosequatur. Vnde cùm antiquitus propter odium libellus permittebatur repudii, Chri-

Conclusio.

Conclusionis confirmatio.

Triplici iure fundatur. Ratio. 1.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Ob fornicationem.

Digitized by Google

stus seruator noster non aliam odij legitimam causam admisit, quàm vxoris fornicationem, quæ re vera in promptu est, vt vxoricidij causa esse possit. Sola quippe fornicatio est, quæ vt ait Hieron. vxoris vincit affectum, can. Dixit Dominus. 32. q. 1. Iam vero & charitati naturali consentaneum est, vt pudicus coniux impudicam traducat, ne eius crimini conniuere videatur, sed illa per infamiam castigata emendetur. His igitur de causis Aug. super Deutero 24. scripsit, quòd cùm multæ essent in lege causæ dimittendi vxores, Christus solam fornicationem excepit: cæteras molestias iubét pro fide & castitate sustinere. Ex his ergo fit consequens diuortium non esse solum inuentum & decretum humanum, sed ex diuino iure & naturali ortum.

Auguſt.

An nefandum crimen ſat ſit ad diuortium.

Opinio iuriſperitorum.

Vtrùm verò nomine fornicationis impræsentiarum nefandum etiam crimen comprehendatur ad faciendum diuortium, Innocen. super cap. Maritus, de adulter. & glo. in cap. Omnes 32. quæst. 7. negant, eo quod coniuges sola legitima membra & vsum ad generationem videntur sub fide coniugij sibi mutuo obligare. Et possumus nos id ex illo confirmare, quod distin. præcedenti diximus, nempe quod nefandus incestus contra naturam non impedit matrimonium nec vsum: quia ad affinitatem non pertinet. Nihilominus opinio Panormi. eodem. cap. & Sanct Thomæ impræsentiarum, & Paludani, & Sylue. verb. Diuortium. q. 7. & communis est, quòd huiusmodi crimen ad diuortium sufficiat, tametsi propter pudorem, vt ait S. Thom. non nominetur. Et ratio est, quia nomine fornicationis omnis illicitus coitus comprehenditur can. Meretrices. 32. q. 4. & can. Non solum. q. 7. Seminatio tamen extra vas non sufficit, quicquid Paludanus hic insinuare videatur, & multo minùs tactus vel affectus impudici: quia per eiusmodi seminationem & impudicitiam mulier non fit vna caro cum altero, atque adeò nec carnem suam diuidit. Ad Innocentium ergo respondetur, coniuges non solùm per legitimum vsum, sed etiam per illegitimum in vase perpetratum carnem suam diuidere, & fidem coniugalem frangere, licet per illum vsum non contrahatur affinitas: cuius ratio distinct. 41. patebit.

Opinio communis.

Ratio.

Ad Innocentium.

Obiectio.

Solutio.

Quòd si contra conclusionem quis arguat. Vicaria solutio debiti inter coniuges, saltem obligatio est de intrinseca ratione matrimonij: nam vir potestatem sui corporis non habet, vt ait Paulus, &c. ergo per nullam sententiam Ecclesiæ obligatio hæc extingui potest. Ex superioribus solutio colligitur, quòd id ecclesia non facit iure suo tantum proprio, sed diuino & naturali: vtrumque enim illa iura insinuant, scilicet quod & seruanti fidem seruatur, & frangenti frangi possit.

Septem caſus.

Primus. Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus. Sextus.

Septimus.

Sunt autem septem casus, qui ab hac conclusione merito excipiuntur, quibus vir adulteram vxorem deserere non sinitur. Nempe, quia vel vxor culpæ immunis est, vel vterque æqualem habent. Primus est, si vir quoque adulterio se deturpauerit. Secundus, si ipse vxorem prostituerit. In his enim tam culpandus est vir quàm vxor. Tertius, si vxor virum suum defunctum bonis coniecturis propter diuturnã eius absentiam existimans, alteri nupserit. Quartus, si latenti fraude ab eo cognita fuerit qui sub specie mariti se in eius lectum insinuauit. Et quintus, si vi fuerit oppressa. Hi enim euentus culpam ei vel auferunt, vel extenuant. Sextus, si post commissum adulterium eam vir suo toro susceptam reconciliauerit. Iam enim tunc noxam ei condonauit.

Septimus demum casus est, si in infidelitate vxor, cui maritus libellum repudij dederat, alteri nupserit: tunc enim si ambo sacro fonte abluantur, tenetur vir eam in matrimonium resumere.

Dubium.

Obiectio.

Solutio quorundam.

De his autem casibus in genere percontari quispiam posset, sint ne duntaxat per instituta ecclesiæ excepti, an verò iure diuino & naturali. Videtur enim sola ecclesia eos excepisse, quoniam Christus nullum exceptum reliquit, sed generaliter facultatem fecit viro adulteram vxorem traducendi. Attamen ab altera parte argumentum existit: quod si Christus generalem facultatem viro præbuisset, nequiuisset ecclesia exceptis illis casibus eandem facultatem restringere: quippe quæ supra ius diuinum nulla fungitur potestate. Respondere vero quisquam posset, quòd cum Christus non iusserit dimittendam fornicariam vxorem, sed permiserit, potuit ecclesia non obstante permissione, quæ ob delictum vxoris facta est, idem diuortium vetare. Quemadmodum, licet iure diuino permittamur toto anno carnes edere, potuit ecclesia virtutem abstinentiæ interpretando earum esum in Quadragesima prohibere. Attamen non est hoc satis scitè dictum: quoniam non est simile: de abstinentia namque non dedit Deus præceptum, nisi in genere, vt comedamus quæ, & quando, & vbi oporteat. Quare ecclesiæ relicta est facultas determinandi cibum & tempus edendi, sicut in præcepto confessionis definiendi tempus, & in sanctificatione festorum designandi dies. Sed tamen de diuortio fecit singularem permissionem. Quare fas non videtur, vt illam possit ecclesia restringere, nisi tanquam diuini ipsius naturalisque iuris interpres.

Solutio imprudens.

Quapropter dicendum restat omnes huiusmodi exceptos casus deduci ex iure diuino & naturali, vt singulos prospicienti constabit. Primus enim quando vterque deliquit, habetur cap. Tua fraternitas, & cap. Significasti. de diuortijs. Et fundatur in illa naturali iuris regula. l. Viro ff. solut. matrimo. Paria delicta mutua compensatione dissoluuntur. Ob id enim ea lege, quam ambo contempserunt, neuter est vindicandus. Vnde Aug. lib. de sermone Domini in monte. Nihil iniquius est quàm causa fornicationis dimittere vxorem, si ipse conuincitur fornicari. 32. quæst. 2. can. Nihil. Occurrit enim illud Pauli ad Roma. 2. In quo alium iudicas, teipsum condemnas. Qui dicis, Non mœchandum, mœcharis. Atque illud euangelicum: Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Et de adultera. Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.

Primus caſus.

Dubium.

Dubium autem ad huius casus intellectum ex dictis resultat, vtrùm quoties vir deliquerit siue ante siue post vxorem, ius amittat faciendi diuortium. Apparet enim semper illud perdere: quandoquidem nihil referte videretur, quo tempore crimen admittat. Respondetur nihilominus per distinctionem. Si vir antequam vxor, adulter fuerit, iure se priuauit petendi diuortium: nam cum prior fidem vxori fregerit, atque adeo ipsa soluta fuerit fide reddendi debitum, non potest postmodum illi crimen fractæ fidei obijcere. Neque refert occultus ne ipse fuerit adulter quando ipsa adulterata est, si modo mariti crimen ipsa probare possit. Idem iudicium est, quamuis ipsa prior se fœdauerit, si ipse antequàm diuortium popoſcerit, idem commisit scelus. Antea namque quàm de diuortio agatur, aut reconcilientur, nihil refert vter coniugum prius peccauerit, sed quandocunque vnus de adulterio accusetur, si idem crimen potest coniugi obijcere, vt paria sint crimina, absoluendus est. Nam in prædictis capitulis, Tua fraternitas, & Significasti, nulla habetur prioris aut posterioris ratio. Imò vir, qui post vxorem adulteratus est, eam relinquere prohibetur. Secundum dubietatis membrum est. Postquàm causa fornicationis vxoris factum est diuortium, vtrum vir deinceps adulterium committens, teneatur sibi vxorem reconciliare: de quo membro art. 8. habendus est sermo.

Dilutio.

Notã.

Secunda pars.

Dubium.

Dubitatio verò, quæ ancipitem videtur tenere animum, est. Si ante diuortium, postquam vxor vnum, maritusque subinde alterum adulterium commisit, vxor iterum relabatur, ius fiat viro illam relinquendi. Apparet enim non fieri: quoniam semper illa accusata potest idem crimen marito obijcere. Neque valet argumentum, si obijcias pluries adulteratam esse vxorem, atq; adeo crimina non esse paria. Quoniam si vxor decies & millies priùs fuerit adulterata, & postmodum maritus semel, nequit ipse de diuortio agere: quia iura numeri rationem non habent, sed paria crimina censent si ambo sint adulteri, nulla multiplicationis mentione facta. Neque rursus valet si obijcias, quod ipsa posterior deliquit. Nam iam dictum est, quod quamuis ipse prior deliquerit, non potest illam postea adulteram relinquere. Profectò res est dubia. Hoc tamen est certũ, quod quando non nisi singula adulteria, antequàm de diuortio ageretur, commiserunt, nulla inter eos habita ordinis ratione, diuortium fieri nequit. Item & hoc certissimum est, quòd si quibuscunque vtrinque adulterijs commissis reconciliatio fiat, nempe quia vir fœminei criminis conscius illam cognoscit, tunc si post talem reconciliationem ipsa recidat, potest vir illam dimittere: quoniam reconciliatio contractum ad suum vigorem reduxit, acsi nulla esset illuc vsque fornicatio commissa. Ob idque postea delinquens rea fit diuortij.

Obiectio.

Dilutio.

Alia obiectio.

Dilutio.

Nota.

Digitized by Google

Dubium. Dubium ergo restat, quando nec reconciliatio præcessit nec diuortium, sed ipsa prius adulterata est, deinde ipse, postea ipsa, ac subinde ipse, ac demum postremò ipsa, vtrum tunc maritus ius habeat diuortium petendi. Apparet enim ius habere propterea quòd antea erant crimina paria: si ergo ipsa post deliquit, rea videtur diuortij. Fortasse sic quispiam censere potest: quoniam (vt fertur) vltima mora nocet, illaque est, quæ ad se periculum trahit. Quid autem in vsu fori exteriorts versetur, nescio: ad eius tamen vsum res est remittenda. Crediderim tamen cum temperamento respondendum, nempe quòd si in ista alternatione peccandi vnus corrigitur, præcipuè si alterum coniugem admoneat, tunc quia hoc quoddam genus reconciliationis est, qui post deliquerit, reus sit diuortij: nam pacta nouissima, vt ait lex ff. de pactis, seruanda sunt. Vbi tamen neuter corrigitur, nec reconciliatio fit, arbitror (saluo saniori iudicio) propterea quod ipsa vltimo pluriesque fuerit fornicata, ipsum non acquirere ius, vt argumenta supra facta planè comprobare videntur. Imò quamdiu res occultè agitur, quousque reconciliatio vel emendatio fiat, aut diuortium petatur, idem reputatur crimen, atque adeò omnia paria.

Nota.

Sententia autoris.

2. Casus. Secundus casus idem in iure naturæ fundamentum habet: nam si ipse per lenocinium vxorem exposuit, in ipsum culpa refunditur. Casus est cap. Discretionem. de eo qui cogn. consang. vxor. & l. Cùm mulier. 1. ff. sol. matri. & l. 2. §. si publico. ff ad leg. Iuli. de adult. vbi maritus propter lenocinium accusare prohibetur vxorem, ipsum enim maritum onerat, licet mulierem non excuset. Sed dubium est, vtrùm satis sit, vt maritus à diuortio petendo repellatur, quod vxori occasionem præbuerit fornicandi, nempe quia ei in necessarijs non prouidebat. Respondetur id non sufficere, vt patet cap. Ex literis. de diuortijs, vbi mulier de fornicatione delata id causabatur aduersus virum, & tamen non est audita: quia propter pauperiem & egestatem nemini licet crimen committere. Quare nec sufficit, quod vir illam domo expulerit, vt habetur cap. Significasti. eodem tit. Nisi illo animo eam ejecerit, vt fornicaretur, vel nisi adulterantem sciret, & permitteret: hoc enim est conniuere crimini, atque adeò lenonem esse l. Crimen C. de adulte. Secus si suspectam de adulterio retineat. Quopropter eiusmodi mariti propter lenocinium lege damnantur, vt ab vxoribus publicitus ridiculis flagellis vapulent.

Dubium.

Solutio.

Pœna lenocinij.

3. Casus. Quod autem tertius casus, scilicet quando vxor bona fide arbitrata maritum defunctum, alteri nupsit, ius adimat viro petendi diuortium, est decisio canonis, Cùm per bellicam. 34. q. 2.

4. Casus. Quartus verò, videlicet quod si ignoranter passa fuerit adulterium, excusetur, est sententia Augustini lib. de fide & operibus. can. Si virgo. & concilij Triburiensis. can. In lectum 34. q. 3. Et ratio naturalis est, quia crimen requirit scientiam: ignorantia tamen inuincibilis excusat, vt exemplum Iacob cum Lya documentum est.

5. Casus. Et eadem ratione excusatur in quinto casu per violentiam, vt autor est idem Augustinus lib. 2. de ciuitat. Dei, qui refertur cano. Itane, & can. Proposito. 32. q. 5. Intelligitur autem quando est absoluta violentia, cum mulier inuita sic patitur, vt culpam non contrahat: nam si per metum ipsa consentiret, non excusaretur neque à culpa, neque à diuortio, vt ad Damasum, vel ad Amandum ait Hierony. can. Omnes causationes 32. quæstione septima, neque enim metu mortis licet contra legem agere, quæ est iuris naturæ, eo quod intrinsecam habet malitiam.

Hierony.

6. Casus. Sextus casus, nempe quod semel reconciliatam non possit vir, nisi iterum relabatur, abijcere, colligitur ex vtroque cano. Si quis, & ex canon. Quod autem, trigesimasecunda, quæstione prima. Sed tamen ad reconciliationem non sufficit, quod eam post adulterium cognouerit, sed exigitur, quòd id postquam adulterium rescinerit, fecerit: nam vxorem cognoscens, quam adulteram esse ignorat, non censetur eam sibi reconciliare. Neque vxor virum, si graui eius metu perculsa ei debitum reddat: neque si id faciat per ecclesiam compulsa, quia adulterium mariti probare non valuit, quem tamen scit esse adulterum. De quo infra, sicut neque qui non illico expellit vxorem, sed expectat opportunitatem petendi diuortium, ius perdit illud petendi. Adde quod si post celebratum diuortium vir vxorem cognoscit, reconciliare illam censetur, atque adeo deinceps tenetur in matrimonio permanere.

Sed nota, quòd etsi in his sex casibus vir nequeat vxorem ab alio cognitam dimittere, nihilominus bigamiæ irregularitatem incurrit, eam cognoscendo. Et sunt casus, in quibus bigamia citra propriam culpam incurritur: nam canones, Si cuius, & si laici. distinct. 34. absolutè decernunt, quod vir cum adultera contrahens, vel eam retinens, fiat irregularis, vt dist. 27. q. 3. artic. 1. diximus.

Nota.

Septimus casus habetur cano. Gaudemus. de diuortijs.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd fornicariam vxorem liuore vindictæ dimittere, peccatum est contra charitatem, licet non contra iustitiam, & hoc est malum pro malo reddere. Id tamen ad abstergendam infamiam facere, ne vir particeps criminis videatur, vel ad turpitudinem vxoris corrigendam, vel ad prolis incertitudinem cauendam, nullum est peccatum, imo potest esse virtus.

Solut. 1. arg.

Ad secundum respondetur, quòd non permittitur diuortium adulterij causa, eo quod sit crimen grauissimum, sed eo quod è diametro cum bonis matrimonij pugnat. Tollit enim adultera prolis certitudinem, frangitque fidem, nec significationem sacramenti, quæ est vnius cum vna, custodit. Peccatum autem contra naturam fornicationis, vt dictum est, censetur species. At verò fornicatio spiritualis, nempe infidelitas, aut idololatria, aut apostasia, hoc est, transitus ad Iudaismũ vel Paganismum, delictum quoque censetur ad diuortium petendum, præcipuè dum eiusmodi criminosus coniux alterum ad suam pernicioſam sectam pertrahere molitur, vt August. lib. 1. de sermone Domini in monte, qui refertur can. Idololatria. 28. quæst. 1. & Alex. 3. cap. Quæsiuit, de diuortijs, autores sunt. Hæc autem fornicatio spiritualis non fundatur in verbo Christi, vt causa fornicationis dimittatur coniux: quippe cùm non nisi de carnali loqueretur. Sed propter periculum peruertendæ religionis. Moderatur tamen hoc hic prudenter Sanct. Thom. discrimine inter has duas fornicationes interiecto: nempe quod propter vnum actum fornicationis carnalis matrimonium dirimitur, non tamen propter vnum fornicationis spiritualis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciæ indicium est. Hæc autem materia ad dist. 39. spectat, vbi Paulinum illum locum. 1. Cor. 7. enarraturi sumus, Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Vbi & de hæresi videbimus, an ratione illius diuortium sit faciendum.

Sol. 2. arg.

Fornicatio spiritualis.

Discrimen inter carnalem & spiritualem.

Tertium vero argumentum iam in casu primo illorum septem solutum est. Sed quæris, num ob alia crimina licitum sit vxorem dimittere? Origenes super Matthæi cap. 19. quamuis anceps disputando procedat, tamen videtur in hanc partem inclinare, quòd propter alia etiam crimina, quæ lege ciuili expressa sunt, vt l. Consensu. C. de repudijs, id etiam Christianis liceat, vt si mulier venefica est vel liberorum interfectrix, vel substantiam mariti deprædetur, &c. Verùm tamen non est in more Ecclesiæ, præter fornicationem diuortium permittere, nisi propter enormem sæuitiam coniugis: scilicet quando vxor legitimè probat periculum sibi mortis à viro imminere: tunc. n. vel cautio illi securitatis sufficiens danda est, vel discedendi facultas, & tunc debet maritus vel dotem illi reddere, vel alimenta. cap. Literas. circa finem, de restitu. spoliatorum. Vtrum verò maritus possit adulteram accusare, & capite plectere, alia quæstio est, quæ dist. sequenti disputabitur.

Solut. 3. arg.

ARTICVLVS II.

Vtrùm vir teneatur ex præcepto vxorem fornicantem dimittere.

QVONIAM arti. præcedenti solum de potestate dictum est dimittendi adulteram, quæritur subinde de necessitate, puta, an sit præceptum. Et arguitur à parte affirmatiua. Vir, eo quod caput vxoris est, tenetur eam corripere: separatio autem tori ad correctionem attinet: ergo vir tenetur eius se consortio subtrahere.

Partis affirmatiuæ Argum. 1.

Digitized by Google

2. Argu. Secundò. Qui consentit, vt ait Pau. peccanti, simili pœna condemnatur: vir autem cum adultera conuersatus, quia potest & debet eam corripere, consentit eius crimini: ergo se disgregare tenetur.

3. Argu. Tertiò. Qui adhæret meretrici, vt 1. Corinth. 6. ait Pa. vnum corpus efficitur: ergo & vir adhærens adulteræ: nemo autem esse potest corpus meretricis & Christi, vt ibidem habetur: ergo ille est in peccato, atque adeò tenetur ab illa diuertere.

Pars negatiua. In contrarium est, quod sententia Christi de dimittenda vxore fornicaria, permissio videtur, non præceptum.

Decis. art. Hanc quæstionem Magister senten. ac subinde S. Thom. reliquique eius interpretes facillima distinctione definiunt. Aiunt, inquam, quòd dum vxor adultera iam per pœnitentiam mutato corde emendata est, non tenetur illam maritus relinquere. Si verò emendari renuerit, & in flagitio persistere pergat, tunc vt ait Bonauen. Durand. & alij, si crimen sit occultum, non tenetur. Tamen occultum vno modo dicitur, vt opponitur publico: puta, per infamiam notorio. Alio modo, quòd neque est publicum, neque potest legitime probari. Et videntur hoc secundo modo loqui: quia tunc non potest in iudicium proferri, vt diuortium fiat. Si autem est publicum, tunc, aiunt, tenetur eam à se pellere, ne ei consentire videatur.

Occultum. Sed re vera, vt rerum vsus, & fortassis ratio docere videntur, paulo accuratius res meditanda est.

1. Conclu. Duabus ergo conclusionibus respondetur. Prima Si adultera ad cor rediens, pœnitentia ducta emendetur, potest illam vir retinere, imò sæpe id consilium est. Enimuero cum pœna illa diuortij ob culpam fornicationis sit posita, postquam culpa per emendationem fuerit deleta, potest vir iuri suo renunciare, & vxori pœnam illam condonare. Quocirca Augu. ad Pollentium lib. tertio. can. Quod autem. 32. q. 1. ait, non esse durum reputandum, vt coniux adultera per pœnitentiam sanata viro reconcilietur. Et infra can. Non erit, idem repetit. Quod autem hoc sæpe fit consilium, inde patet, quod mulier emendata cum se mariti præsidio viderit destitutam, periculum subibit, ne per inopiam oppressa turpem procuret quæstum. Verum est tamen Gregorium in lib. qui Pastor inscribitur, rem fuisse moderatum: debet enim, inquit, maritus recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe: nam sæpè relapsa spem emendationis adimit.

Aug. de adulteri. coniug.

Consilium.

Gregor.

Alterum membrum. Caietanus. De altero vero membro, scilicet, dum adultera neque emendata est, neque emendari proponit, perplexior est responsio. Caietanus quidem in quod lib. 21. quæstione vigesima disputauit, an vxor possit viro adultero, & in adulterio pertinaci debitum reddere. Et diffiniuit, licitum esse. Attamen quæstio de vxore adeo non est tam difficilis, quàm ipse putauit, vt potuisset multa præterire verba, quæ illic expendit. Est enim creditu quàm facillimum illud esse licitum, quoniam vxor, cum non sit viri caput, potestatem non habet eum corrigendi aut corripiendi. Quare licet cum illo adultero commaneat, nullum indicium exhibet, se in adulterium consentire, atque adeo nullum perhibet scandalum. Imo vsu exploratissimum est, fœminas id ægerrimè ferre & zelotypia exuri. Neque verò infamia vlla inde resperguntur, quia nulla, aut vix vlla est virum ferre adulterum. Neque se periculo obijciunt incertitudinis filiorum: nam ipsæ sunt quæ certissimos edunt, partus. Quare nulli sunt canones qui in hac parte de vxoribus loquantur, sed solis viris videntur iubere, vt à pertinaci adultera recedant. Quin verò consilium à viris prudentibus perhiberi solet vxori viri adulteri ne torum diuidat: illa enim abstinentia adeo non cedit in remedium viro, vt sæpius esse ei consueuerit maius præcipitium: recrudescere namque tunc solent viri, & peiores fieri.

Sententia autoris. Ratio. 1.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Nota consi.

Quæstio de viris. De viris ergo perplexior est quæstio, quando crimen est publicum, aut legitime probari potest: nam alioquì pro certo præfigitur, non teneri. Quod autem si sit publicum, teneantur viri obstinatas adulteras deserere, sunt in primis canones id admonentes. Ait enim Chrysostom. super Matth. cap. 11. & refertur. 32. quæst. 1. Sicut crudelis & iniquus est, qui castam dimittit vxorem: sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem: patronus. n. turpitudinis est, qui celat crimen vxoris: nam vt habetur Prouer. decimooctauo: Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens. Et subdit can. Si quis. quòd vir, qui vxorem, postquam in adulterio eam deprehendit, cognouit, duobus annis pœniteat, & quousque à crimine fuerit purgata, ab eius matrimonio abstineat. Et Hierony. ibidem, can. Dixit Dominus. Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Atqui & rationes eisdem canonibus egregiè suffragantur, quæ in capite obiectæ sunt: nam vir aliud faciens multis nominibus videtur delinquere. Primum, quia cum possit & debeat mulierem castigare, videtur in eius crimen consentire & conniuere: consentire siquidem censetur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. can. Consentire. 83. distinct. Secundò, quia periculo se subijcit prolis, vt vxor illi falsos hæredes supponat. Et tertiò significationem sacramenti vnitatis Christi cum ecclesia violat.

Hieron.

Rationes.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Sententia autoris. His nihilominus non obstantibus, miserum virum in tam arctas angustias sub præcepto citra vllam ipsius culpam conijcere, difficillimum est. Neque videmus vsu & more in tanto rigore seruari, neque confessarios tam presßim stringere viros, vt adulteras per diuortium relinquant, aut ab illis abstineant. Caietanus illic in calce de viris obiter loquens ait, quòd nec tenentur abeiusmodi vxoribus abstinere, nisi subsit spes emendationis futuræ, aut ratione scandali: sed satis esse illas & verbo & verbere castigare. At re vera & hoc quoque duriusculum apparet.

Caietanus.

2. Cond. Sit ergo, sub peritiorum censura, secunda conclusio. Viri non tenentur vxores quantumcunque pertinaces, & absque spe emendationis obstinatas, simpliciter & absolute loquendo, relinquere.

Ratio. 1. Probatur primò, quia si Christi verba perpendantur, non iubet, sed permittit. Secundò, quia cùm vir ob vxoris crimen nullam culpam contrahat, non obligatur illam deserere, nisi aliquod vinculum inde ad ipsum deriuetur: nam & viro pœna etiam est, vxorem dimittere, cum possit iuri suo petendi diuortium renunciare. Quare citra suam culpam non tenetur hoc genus supplicij subire. Vinculum autem hoc vno quatuor modorum potest virum ligare. Primum, inquantum vxor ipsum offendit. Et hoc adulteram solam denudat iure petendi, virum autem non item: quare ex hac parte non tenetur illam abijcere. Alio modo quatenus illud crimen emendabile est pro bono ipsius vxoris. Ad quod re vera vir non tenetur nisi ex præcepto correptionis fraternæ: quia licet sit eius caput, non tamen est prælatus. Huic autem præcepto satisfacit admonendo illam, & diuina lege deterrendo: & forsàn verberando eo modo, quo viro permissum est. Quòd si non se emendauerit, tenetur (vt Matth. 18 admonemur) dicere ecclesiæ. Sed hoc tamen intelligitur, si vlla fuerit spes emendæ, alioqui non tenetur illam denunciare. Neque verò cùm denunciat, tenetur diuortium postulare: quia illud est ius suum, cui renunciare potest. Tertiò, posset præcepto vinciri ad relinquendum illam propter bonum publicum: quia illa peccat in Deum & in rempublicam. At verò peccato, quod per se est in bonum commune, per denunciationem, & si oportuerit, per accusationem occurrendum est: adulterium autem per se non est in bonum commune, nisi adnexam habeat aliam communem perniciem: putà hæresis vel proditionis. Quare ob solam rationem adulterij vir non tenetur accusare vxorem potiùs quàm alias adulteras, vel quàm alij suam ipsius. Accusare autem vel ad necem, vel ad diuortium, cum sint iura propria, non tenetur, quia potest condonare iniuriam.

Ratio. 2.

Vinculum deferendi vxorem fornicariam.

Primum.

Secundum.

Notà.

Sententia autoris.

Tertium.

Adulterium non est contra bonum commune.

Neruus ergo & punctum rei in hoc consistit vtrùm teneatur illam relinquere quatenus crimen vxoris in ipsum refunditur, quia ipsi labes impingitur quasi consentienti in crimen, qua ratione scandalum dat, acsi patronus particepsque eius fiat. Vel ex altero capite, scilicet quia sperat, quòd per diuortium vxor emendabitur, & aliàs non. De primo ergo dicendum, quod si vsu veniret, vt vir non posset aliter monstrare se non consentire in crimen, sed ex eius cohabitatione cum vxore certum sumeretur argumentum, quod consentit, ita vt sit scandalum datum, quia scit vicinia quòd conscio viro & prohibere potente vxor adulteratur, atque adeò propter suam ipsius viri negligentiam & socordiam illud patiatur malum, tunc certè tenetur ab illa discedere: quia ne det scandalum tenetur aliquid de iure suo perdere. Et hoc est quod rationes supra factæ & canones conuincunt.

Ratio. 3.

Nota consi.

Quæstio de viris.

Res punctū.

Circa primū.

Sita

Si tamen hanc maculam potest aliter eluere, certè tunc non tenetur ab ea separari: quia tunc scandalum non quidem datum, sed acceptum esset: Nempe si vehementibus carnis illecebris diuexatur, quare nequit ab vxore, nisi cũ magno periculo, abstinere: re vera tunc non tenetur tali periculo se obijcere, vt vxorem relinquat. Item si est vir infirmus, aut pauper, qui labore manuum suarum viuit, quamobrem vxore nimis indiget, quæ ei in re familiari seruiat, nec tunc tenetur se, abijciendo illam, incommodare. Exemplũ mihi ab Insulanis sæpe relatum referam: vitam enim illi miseri degunt in summa necessitate vxoriæ societatis: panis namque illorum non potest in crastinum adseruari, sed debet vxor quotidie eum coquere & potum conficere: aliter viri nequirent agricultur e & alijs operis vacare. Ergo in similibus casibus profecto satis est, quod vir vxorem acriter reprehendat, & quàm poterit cautè custodiat, ita vt vicini intelligere valeant se inuito & egerrimè ferente illam delinquere, sed manere cum illa necessitate compulsum. Neque vero tenetur adulterum occidere: & si est vir potens, nequit eum abigere. Præterea ad petendum diuortium requiritur processus non facilis, & ideo non tenetur tanta se onerare molestia. Præterquam quod diuortium facere in viri etiam infamiam resultat. Quare viri ingenui vxorem citiùs inire enecant, quàm relinquant: quod tamen rarissimè consulendum est.

Nota.

Vir infirmus & pauper. Exemplum.

Nota consilium.

Circa secundam.

De secundo autem, quando putat non esse aliam emendationis spem, quàm illam relinquere, respondetur, nullum esse remedium ab vxore abstinere, & multo minus eam domo expellere: imo esset maius periculum, vt peior fieret. Secundò, quando illud esset necessarium, non tenetur vir cum tanto detrimento vxori mederi. Si autem tantum non pateretur detrimentum, consilium esset vt faceret. Ad hæc, quæ nobis dicta sunt, suffragium accedit Abulensis super Matthæi capitulo decimonono, quæstione septuagesimaprima. vbi post plurimas distinctiones de hac re factas quibus præceptum de dimittenda adultera extenuatissimum relinquit, tandem concludit, quod quamdiucunque (vt verbo eius vtar) vir retinet vxorem fornicariam, vel sub spe correctionis; vel vt ipse non infametur (addiderim ego, vel ne aliud incommodum graue patiatur) aut vt non infamet illam, non peccat. Sed tunc, inquit, videtur peccare si non dimittat, quando nulla est emendæ spes, & res est manifesta, & putatur vir eius crimini fauere tenendo illam. Neque verò tunc tenetur eam in perpetuum relinquere, sed quousque spes eius emendatior is renascatur. Satis enim est quatenus ad obligationem, vt diuortium sit tanquam medicina, quæ duret quanto tempore morbus exegerit, nisi perpetuus fuerit. Rationes ergo, vt diximus, probant, virum non debere crimini vxoris consentire, neque illud vlla de causa fouere. Et canones citati in hac præsũptione fundantur, nempe quòd vir habitans cum adultera consentit in crimen, & ei patrocinatur. Quando verò necessitate pressus id facit, re vera non consentit; neque adhæret illi tanquam meretrici, sed tanquam vxori.

Solutio 2.

Rationes.

Et per hoc tam argumenta, quàm decreta canonum soluta restant.

Argumenta soluta.

ARTICVLVS III.

Vtrùm maritus proprio iudicio, non expectato ecclesiastico, possit vxorem adulteram dimittere.

POSTQVAM dictum est de potestate & præcepto, quæritur de forma, vtrùm vir non expectato publico iudicio ecclesiæ possit priuatim ab vxore, quam in adulterio deprehendit, se subducere. Et arguitur à parte affirmatiua, tum quia Deus iustus iudex illam iam sententiam pronunciauit in adulteram: quare non opus est alia: tum quòd vt Matth. 1. legitur, Ioseph, cùm esset vir iustus, cogitabat occultè vxorem sibi suspectam dimittere.

Pars affirmatiua Argum. 1.

Secundò. Si vir adulterij vxoris conscius eam cognosceret, ius amitteret de diuortio agendi: ergo licet ei interim debitum denegare.

2. Argu.

Tertiò. Si res ad tribunal ecclesiasticum deferenda esset, legitima opus esset probatione: illa autem perquã difficilis est: nam vt Iob 25. legitur, oculus adulteri obseruat caliginem: ergo sententia fori non est necessaria.

3. Argu.

In contrarium est, quia nemini propria autoritate ipsum vindicare licet, iuxta illud Pauli Roman. 12. Non vos defendentes, id est, vindicantes, charissimi: quia Mihi vindicta, dicit Dominus: sed si vir propria autoritate vxorem dimitteret, se ipsum vindicaret: ergo illud non est legitimum.

Pars negatiua.

Ad quæstionem per distinctionem tribus conclusionibus respondetur. Dimissio enim vxoris propter adulterium intelligi potest aut quantum ad torum, aut quantum ad cohabitationem. De toro sit prima conclusio. Potest vir priuata autoritate vxorem à se in adulterio deprehensam dimittere, hoc est, ab eius amplexu abstinere, debitumque illi etiam petenti denegare. Probatur, quoniam iam tunc certus est fidem sibi illam fregisse, atque adeo diuina lege solutum se esse obligatione reddendi. Item, quia si eam post notum adulterium cognouerit, tum bigamiæ irregularitatem incurrit, vt artic. 1. dictum est, tum & se iure petendi diuortium priuat. Quare non tenetur hæc subire incommoda.

Diuortium duplex.

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Secunda conclusio. Nemini licet adulteram quantum ad cohabitationem sine iudicio ecclesiæ domo pellere, saltem si matrimonium fuerit in facie ecclesiæ celebratum. Probatur, quia publicum supplicium nemo nisi iudex publicus inferre valet, idque testibus aut alia legitima via iuridicè comprobatum traducere autem vxorem domo pellendo, quam publicitùs sibi copulauit, est publicum supplicium: nemo ergo id priuata autoritate inferre valet: idem enim tunc esset & iudex & actor: quod iura abhorrent. Tandem eadem conclusio definita est decreto Alexandri 3. cap. Porrò, de diuortijs. Dixerim, si matrimonium fuerit in facie ecclesiæ celebratum, quod intellige, vel coram testibus, quibus legitimè probari possit: quoniam si clandestinum fuit, priuatim potest eam dimittere: etiam quoad cohabitationem, vt autor est distinct. præsenti Ricardus q. 3. quoniam latentia non opus est in iudicium ecclesiæ, nisi pœnitentiale, deferri. Si autem matrimonium fuit modo prædicto publicum, tunc quamuis crimen publicum esset & notorium: semper est adeundus iudex, vt habetur in dist. cap. Porrò. Tametsi tam notorium esse potest, vt possit maritus eam absque alio iudicio deserere, vtpote si adultera in ædes adulteri se receperit, cum quo publicè habitat, vt ait Syluest. verb. Diuortium. q. 8. Aliàs si priuata autoritate quis vxorem dimittat, & ipsa restitutionem petat, compellendus est illam in domum recipere, nisi incontinenti testimonia ipse legitima fornicationis perhibeat, iuxta cap. Literas. de restitu. spoliato.

2. Concl.

Ratio conclusionis.

Tertia ex his colligitur conclusio. Diuortium fieri priuata authoritate non potest, sed sola publica ecclesiæ. Quoniam diuortium non dicit solùm abstinentiam illam occultam & priuatam ab vsu coniugali, sed diuersionem hanc, vt nomen sonat, vt facultas innocenti fiat non cohabitandi cum vxore, neque in re familiari communicandi.

3. Concl.

Circa singulas tamen primarum conclusionum nonnulla dubia oriuntur. Et primum circa primam quæritur, quænam cognitio criminis exigatur, vt vir possit vxori debitum denegare? Respondetur illam satis esse, quæ in foro ecclesiæ ad faciendum diuortium sufficeret: nempe si eam cum adultero in eodem cubili reperierit, aut aliter amplexatos. nam alia minora indicia & rumores leuiores non sufficerent. Vnde verbum illud Hieronymi super Matth. c. 19. quod citatur can. Dixit Dominus. 32. q. 1. Vbicunque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, liberè vxor dimittitur, non sic intelligitur, vt suspicio sola sufficiat, vt bene ait ibi glossa, sed quòd sit causa inquirendi legitima testimonia. Nisi suspicio vehementissima fuerit, quæ pro legitimo testimonio & præsumptione valeat.

Circa primã conclusionem dubium. Solutio dubij.

Quod si roges, vtrùm vir possit, postquam vxoris adulterium intellexit, ab illa debitum petere, non tamen reddere. Et videtur posse: cum ius petendi non perdiderit. Respondetur tamen nequaquam id licere, sed eligere debet aut nec petere, nec reddere, aut si petierit, reddere: non n. debet claudicare coniugium. Quare petendo iam censetur illam sibi reconciliari.

Dubium.

Vtrùm vero vxor, quæ clàm viro adultera est, certo tamen credit, quòd si ille sciret, eam traduceret, possit debitum ab eo exigere Apparet enim non posse, eo quòd fracta fide videtur ius perdidisse. Respondetur nihilominus posse, vt in opusculo quodam ait Ca-

Dubium.

Solutio. Cajetanus.

Digitized by Google

ietanus: quia rea non debet esse sui ipsius accusatrix, nec suum prodere crimen, sed maritus, vel iudex debet eam suo iure expoliare: quare quamdiu crimen latet, possessionem habet eiusdem iuris.

Dubium. Alia est ambiguitas fortasse grauior, si mulier querelam apud iudicem deponat, quòd vir tenuit ei debitum reddere, & ipse adulterium probare nequeat, vtrum Ecclesia compellere ipsum possit, vt reddat. *Solutio.* Respondetur id optimo iure, etiam per censuras, posse, quia debet iudicare secundum allegata & probata. *Nota.* Attamen vir sic potest, si velit, parere sententiæ, vt tamen non teneatur. Quia licet sententia in foro exteriori fuerit legitima, tamen quia falsa fuit præsumptione fundata, scilicet quòd illa non erat adultera, non ligat conscientiam: quare non tenetur ad illam accedere neque excommunicatione in foro interiori ligatur, sed debet exteriora iudicia & molestias patienter tolerare. Potest tamen, vt diximus, compelli, vt illam domi retineat & alat.

Dubium. Circa secundam conclusionem rogabit fortasse quispiam, verùm in foro conscientiæ possit vir innocens adulteram priuata autoritate à suis ædibus excludere, & diuortium inconsulta ecclesia facere. *Solutio.* Respondetur, quòd si id absque scandalo fieri possit, neque ipsa ad tribunal recurreret, posset quidem: quia re vera in conscientia nec debet ei copulam, nec alimenta, nec humanum conuictum. Et ideo si ipsa in separationem consentit, neque scandalum exoritur, neque ecclesia cogit eos cohabitare, tutas habebunt separati conscientias. Quare si ipse vult peregrè proficisci & illam deserere, nullum eum ius vetabit. *Pœnaciuiles.* De alijs pœnis ciuilis iuris, quas adultera incurrit, quo modo sit dote priuanda, & ad quem dos pertineat, & de via, qua legitimè debeat diuortium probari, non ad theologos, sed ad Iurisconsultos decernere spectat.

Solut. 1. arg. Ad primum igitur membrum primi argumenti respondetur, Dominum duntaxat legem tulisse, quare lege naturæ sententia iudicis requiritur, qua ius ad factum accommodetur. *Solut. 2. membri, arg. 1.* Et ad secundum membrum respondetur, quod Ioseph (vt nonnulli interpretantur) non volebat vxorem tanquam sibi suspectam occulte dimittere, sed propter reuerentiam, quia nonnihil diuinitatis in ipsa olfaciebat. *Alia solutio.* Vel secundum alios; quamuis habuisset suspectam, non tamen volebat traducere: quia tunc adultera non ad diuortium, vt modò, sed ad lapidationem petebatur. Et ideo cogitabat fortè, quomodo eam citra illam accusationem dimitteret.

Solut. secundi arg. Ad secundum iam satis per primam conclusionem responsum est: licet enim ei denegare debitum, non tamen expellere domo.

Solut. 3. arg. Ad tertium verò respondetur, quòd licet oculatos testes turpitudinis difficillimum sit inuenire, tamen potest vir ei, quem suspectum habet, insidias tendere, vt solam cum solo deprehendat: aliáve indicia expiscari, quæ sint ad diuortium legitima.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm vir & vxor in causa diuortij pari iure gaudeant.

Partis negatiua arg. primum. HACTENVS de viro, subsequitur ergo de vxore, & arguitur, quòd non eodem iure, quo maritus, possit vxor diuortium petere. Diuortium namque in euangelio loco repudij veteris legis successit: in illo autem non erant coniuges pares, quia non poterat vxor virum repudiare, sicut vir vxorem, neque verò in polygamia: haud n. vxori plures concedebantur viri, vt viro plures vxores: ergo neque in lege diuortij sunt pares.

2. Argum. Secundò. Maius nocumentum infert adulterium vxoris, quàm viri, nam tollit prolium certitudinem: acriùs ergo debet puniri, atque adeo eius diuortium peti, quam legem vir subire non debet. Præsertim cum vir, vt ait Paul. 1. Cor. 7. caput sit vxoris, qui ideo maiori iure fungitur corrigendi vxorem, quàm è conuerso.

Pars affirmatiua. In contrarium est Innocentius Papa can. Christiana. 32. q. 1. vbi ait, quòd Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat.

Caietani opinio. Quæstionem præsentem vniuersi Doctores in partem affirmatiuam definiunt: quia sacri canones ita iubent. Caietanus autem super Matth. 19. non solùm rem in dubium adduxit, verùm & partem negatiuam affirmare videtur. Ait quippe, quòd Dominus non id ius vxoribus concessit, quod viris: nam non est par ratio, quare de solo viro locutus ait, quòd ob fornicationis causam valeat vxorem dimittere. Fuit autem hæc assertio illius Parisijs condemnata, tametsi ipse labem abstergere conatus dixerit, id non asseruisse. Protulit tamen hæc verba, Nemo ex euangelio colligat vxori licere virum dimittere: quoniam Deus id non concessit. Quibus certè verbis suam negatiuam mentem satis aperuit. *Assertio Caiet. Parisijs damnata.*

1. Concl. Duabus ergo conclusionibus respondetur. Prima, quam inficiari nefas est. In causa diuortij vir & vxor ad paria iudicantur. Par, inquam, facultas conceditur vxori dimittendi virum, & viro dimittendi vxorem. Determinatio est ecclesiæ can, citato Christiana & eadem cau. q. 7. can. Apostolus. qui est Aug. & ca. Vxor à viro qui est Ambrosij. Et ex conci. Mileuitano can. Placuit. *Can. Christiana.*

Ex Euangelio. At verò non solis ecclesiasticis sanctionibus sed ex euangelio & Paulo eadem colligitur conclusio: quoniam cùm Apostolus æquali iure dicat, vxorem non habere potestatem corporis sui, sed virum, nec virum sui, sed vxorem: pari quoque iure tenetur vir fidem vxori seruare, vt vxor viro. Si ergo propter fractionem fidei ab vxore vir diuertere potest, vt ait Dominus, planè inde colligitur, idem ius vxori fauere. Dominus verò, quia de Iudæorum lege & more oborta fuerat quæstio, inter quos vxori non permittebatur virum repudiare, cùm inde gradum fecit ad legem euangelicam, non meminit nisi virorum, dicens, quòd quamuis illis antea alijs de causis impunè permittebatur repudium, in ecclesia sua non erat permittendum nisi solius fornicationis causa. Sed tamen quia æqualis obligatio fidei seruandæ existit in vtroque, propter quam vir diuortium facit, tanquam notissimum inde reliquit, vxori quoque idem ius patrocinari. Quamuis in lege veteri ad repudium non faueret, quod erat non solum separatio tori, sed de facto diuractio matrimonij.

Paulus. Id ipsum Apostolus aliis verbis confirmat, vbi ait, His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus. vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam. Vxorem autem à viro discedere, vt Aug. lib. de adulterinis coniugijs aduersus Polentium arguit, nunquam fas est, nisi ob fornicationem. *August.* Cùm ergo Paulus non expelli, sed discedere, dicat, insinuat non tantum virum posse illam expellere, sed mulieri causa fornicationis viri liberum esse discedere.

Demum per verbum illud, Et erunt duo in carne vna, itidem confirmatur: nam vt vxor tradens se alteri carnem diuidit, ita & vir: ius autem diuortij est, vt à coniuge, qui carnem diuisit, alter se subtrahat.

2. Concl. Secunda conclusio. Non est par causa in vtroque abscedendi. Vnde dici consuetum est, ad paria se habere, sed non pariter. Nam licet causa in viro maior sit discedendi, tamen quæ est in fœmina ad idipsum sufficit. Solent. n. duo homicidæ pari capitis supplicio plecti, quamuis vnius scelus atrocius, quàm alterius fuerit. Notandum enim est, quòd adulterium considerator & quasi fornicatio contra temperantiam, & quasi adulterium contra iustitiam. Atqui in prima consideratione masculus & fœmina mutuò conferuntur tanquam excedens & excessum: nam propensio ad Venerem ex duabus radicibus nascitur, scilicet & ex superfluente humiditate, & ex vegeto calore ad digerendum. In fœmineo autem sexu plus humoris redundat, ex qua parte attenuatur culpa, vsq; adeo vt Philosophus. 8. Ethico. fœminas non simpliciter incontinentes appellet nam incontinens est qui à vehementibus insultibus carnis vincitur, cum resistere debeat: & mulieres vix resistere valent, ceu bruta. Ex hac ergo parte potius esset mulieri indulgendum, quàm viro. Verùntamen in viro plus caloris viget ad digerendum & egerendum, qua ratione remissior est in eo culpa propter maiorem excitationem. Rursus quanquam in fœmina, quæ subdita est viro, quò viliùs in re illa seruit, maior debeat esse pudor, tamen in viro plus debet vigere ratio, quæ omnium est affectuum moderatrix. Atque eam ob rem, simpliciter loquendo, grauius est viro crimen carni succumbere, quàm fœminæ. *Adulterij duplex consideratio. 1. Consi.*

2. Consi. Si autem coniugis fornicatio, inquantum adulterium consideretur, etsi vir, quia est caput & custos vxoris, peiùs delinquat, nempe contra secundum finem matrimonij, quæ est familiæ gubernatio, tamen mulier longè sceleſtiùs & pernicioſiùs contra prima-

rium

rium finem delinquit propter prolis incertitudinem, cuius est causa. Nihilominus fractio fidei in viro sufficiens est, vt ius faciat vxori diuortium petendi.

Vxor potest denegare debitum viro adultero.

Ex quo fit pariter vxorem adulterij viri conscium posse priuatim sine iudicio ecclesiæ denegare ei debitum, illis modis, & formis, quibus ius viri expositum est. Imò verò quamuis semel aut pluries vir cogat vxorem pugnis & violentia, vt debitum reddat, & illo modo reddat, ius non amittit denegandi debitum, atque adeò petendi diuortium. Non tamen tam vel honestum vel consuetum est vxorem diuortium petere, quàm virum. Quinuerò, vt ſic rem concludamus, ius ciuile coniuges hac parte non facit æquales. Concedit. n. viro vt vxorem ad supplicium capitis petere valeat, vxori autem non item. Imò vbi criminaliter defertur, nihil ei exceptio suffragatur, quamuis viro simile crimen obijciat. Ius enim ciuile non tam æqualitatis mutuæ fidei inter coniuges rationem habet, quàm honestatis & subiectionis vxoris. Et super hæc incertitudinis prolium, quæ falsos hæredes supponens Rempublicam perturbat. De hoc autem d. seq. latiùs.

Ius ciuile.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argu. respondetur, quod repudiũ illic non permittebatur, nisi ad vitandum vxoricidium in viris: a fœminis autem non imminebat illud periculum. Et ideò quamuis in fide tori pares essent, non tamen fœminis illud permittebatur. Polygamia verò viro concedebatur, non vxori, propter incertitudinem prolis, quæ ab vxore oriretur, non à viro.

Polygamia viro antiquitus concessa.

Secundo verò argumento conclusio secunda satisfecit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm celebrato diuortio viro ius relinquatur aliud ineundi matrimonium.

Partis affirmatiuæ Argum. 1.

NONDVM hucusque diuortij naturam explicuimus, & ideò quæritur, vtrùm sit matrimonij dissolutio, vt viro liceat aliam accipere. Et arguitur à parte affirmatiua: Vir non tenetur ob culpam vxoris, cuius ipse non fuit causa, perpetuam seruare continentiam: compellitur autem quandoque, vt ex secundo artic. superiori colligitur, in perpetuo diuortio ab obstinatissima fornicaria, quæ spem correctionis nunquam de se offert, perseuerare: ergo tunc potest aliam sibi coniungere.

2. Argum.

Secundò. Non est peccati occasio offerenda pe ius peccandi: si autem dimissæ propter fornicationem aliæ interdicuntur nuptiæ, occasio ei offertur se in suis sordib. volutandi.

3. Argu.

Tertiò arguitur, quòd cum per diuortium obligatione sit iam soluta & debitum reddendi, & cohabitandi cum viro, videtur & à lege coniugij esse liberata.

Pars negatiua.

In contrarium est illud Apostoli 1. Cor. 7. Præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam.

Ambrosij locus.

Præsentem quæstionem, quam & canonicæ sanctiones & rationes naturales planè in partem negatiuam concludunt, vnus tantum locus in dubium quibusdam vertit, qui apud Ambros. reperitur super illo modò citato Apostoli 1. Corin. 7. & citatur. 32. q. 7 can. Vxor à viro vbi videtur partem affirmatiuam tueri. Et difficultatem auxit nostra tempestate Caietanus, qui super Matth. cap 19. non solùm Ambrosiano testimonio, verùm & verbis vt sibi apparet, euangelicis subnixus id ipsum astruxit. Salua tamen, inquit, definitione ecclesiæ, quæ hactenus non apparet: nam Decretales, inquit, Pontificiæ de hac materia non sunt definitiuæ fidei, sed iudiciales facti. Hæc ille.

Caietanus.

Nota de Caietano.

Nescio tamen, vt bona venia dixerim, an Erasmi sententiam de hac re pluris fecerit, quàm par erat. Miror. n. quo genio vir doctissimus hominem in theologia vix vllo nomine dignum tam frequenter obau diebat. Erasmus namque tum super Matt. c. 19. & in Paraphrasi, & in annotationibus; tum latissimè super Pau. 1. Cor. 7. non solum ob fornicationem, verùm & innumeris alijs de causis nititur ecclesiæ persuadere, vt matrimonium dissolueret, atque adeo fornicationis causa non tantùm viro, sed etiam vxori contendit licere alias nuptias inire. Quare non absque causa sua opera naufragium iam sub sanctissimo Paulo 4. fecerunt. Peperit. n. sicut alibi crebrò, ita & hic ouũ, quæ postmodum Lutherus incubauit, vt pullos excuteret.

Erasmus.

Erasmi operum prohibitio.

Vnde Lutherani, vt Ekius hom. 74. de matrimonio fideliter refert, quàm plurimis, eisdemque leuissimis de causis coniugibus indulgent, matrimonium discindere, atq; alia optare. Vt si alter debitũ recuſet, aut crimẽ dignum supplicio commiserit, aut peregrè fuerit profectus. Has enim, aliasque causas auditu indignas suo arbitratu confingunt. Alij suspicantur non ambobus coniugibus æquale ius patrocinari, sed innocenti, vt alias nuptias inire valeat, quæ nocenti interdicuntur.

Lutherani.

His ergo nihil obstantibus, conclusio hæc firmissima, quæ ad quæstionem respondeat, statuitur. Cuius contrarium, vt manifestarius error, reputandum est. Neutiquã seu viro seu vxori post diuortium ad alias nuptias commigrare fas est, sed vtriq; lex præscribitur vt ca. Ex literis, de diuortijs,) vt nisi reconciliari maluerint, in perpetua castitate vitam deinceps ducant. Et quidem conclusio inde pendet, an per diuortium matrimonium dirimatur. Si. n. dirimitur, liberum vtriq; est alia matrimonia pacisci. Si verò non dirimitur, liquidum est id nequaquam posse. Quocirca de sponsalibus de futuro nihil hic disputamus: quippe quæ antequam fuerint per copulam consummata, procúldubio per fornicationem dirimipossunt, si vult innocens à pacto recedere, vt suprad. 27. monstratum est, sed loquimur de matrimonio de præsenti rato siue etiam consummato: vtroque enim modo diuortium adulterij gratia fieri potest. Atqui quamuis apud catholicos satis sit Sanctorum canones allegare, tamen ad obuiandum hæreticis, his maximè temporibus, atque in re tanto periculo obnoxia, oportet, vt Apostolus Petrus admonet, rationes quoque huius catholicæ veritatis reddere. Funiculo ergo triplici asserenda est, scilicet sacræ scripturæ fundamento, & sanctorum testimonio, ac demum rationum energia. Et quo ab expositione euangelij ordiamur, ait Caiet. quòd cùm Christus Iudæis responderet, quibus repudium, hoc est, matrimonij dissolutio in more erat, colligitur, quòd cùm dixit, fornicationis causa licere vxorem dimittere, intellexerit eo ipso modo, quo inter Iudæos, matrimonio distracto, ad secundas nuptias commigrare licebat. Hoc tamen glossema multis modis retunditur. Primùm, si verum est, quod supra arbitror satis esse à nobis commõstratum, repudium illud nunquam fuisse licitum, neque matrimonium per libellum dissolutum, sed permissum duntaxat, vt impunè fieret, adeò Caieta. nihil concludit, vt hoc sit egregium argumentum ad nostram stabiliendam veritatem. Nunquam enim matrimonium legitimum, nisi causa religionis Christianæ profitendæ dissolui licuit. Igitur quamuis eodem modo permitteret Christianis fornicationis causa diuortium, quo Iudæis, non sequitur, illud vsque ad discisionem vinculi permisisse.

Conclusio.

An per diuortium matrimonium dirimatur.

Probatio triplex.

1. Argum. contra Caiet.

Secundò respondetur, quòd esto disputationis gratia admittamus apud Iudæos per repudium verè matrimonium dissolui, nullum est Caiet. argumentũ: nam Christus ex lege veteri gradum fecit ad suam euangelicam, & duos illius mores corrigere voluit. Primus erat, quòd multis de causis vxor abijciebatur. Et secundus, quòd illa abiecta, vterque ad secunda matrimonia transibat. Et ideo contra primum ait, Dico autem vobis, quod quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur: puta fidem infringit coniugalem, atque adeò & sibi & vxori periculum offert mœchandi. Et continuò contra secundum subdit: & qui aliam duxerit mœchatur: nempe quia dimissio illa non est matrimonij dissolutio. Et eadem ratione qui dimissam duxerit mœchatur, veluti ipsa Quocirca illa enunciatio, vt ait hic S. Tho. copulatiua fuit, vt verbum, mœchatur, bis referatur & ad dimittere vxorem, & ad aliam ducere.

2. Argu.

Primus mos.

Secundus.

Matt. 19. Quis dimiserit, &c. Caietanus.

At verò hæc est lis altera, quam nobis Caietanus & sui contestantur. Contendunt quippe non esse copulatiuam, sed de copulato subiecto, vt mœchari, non ad singulas partes diuisim, sed simul ad ambas complexim referatur. In hoc sensu. Omnis, qui quauis de causa vxorem dimiserit, & aliam duxerit mœchatur, excepta causa fornicationis, vt exceptio feratur in ambas partes complexim videlicet, vt significetur, causa fornicationis vtrumque licere, scilicet & vxorem dimittere, & aliam ducere. Sed tamen quod hic sensus Erasmi & Caietani vim textui inferat, probatur. Primò, quia inde colligitur, dimittere vxorem quauis alia de causa extra fornicationem, dum modò nec dimittens nec dimissa ad alias transirent nuptias, non esse

Sensus Caietani textui inimicus.

per verbà Christi prohibitum. Consequens tamen absurdissimum est : quoniam Christus planè prohibuit vlla prorsus de causa vxorem dimittere, etiam quo ad torum, nisi ob solam fornicationem. At quia Christus ad morem Iudæorum loquebatur, qui dimittebant vxores, vt alias ducerent, ambas simul coniunxit partes, sed tamen in sensu diuiso. Atque hoc luculentius explicatur Matth. 5. vbi distinctissimam copulatiuam ponit, Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.

Matt. 5.

Secundus locus scriptura.

Secundus locus, idemq; planissimus est ille Pauli proximè citatus 1. Cor. 7. His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Hoc autē cauillo Erasmus illum locum eludere contendit, dicens quod loquebatur de illis fœminis, quæ alia quàm fornicationis causa à viris discederent, quæ quidem debent absque spe coniugij viuere, secus si fornicationis causa discederent. Sed hanc suam impostura m certū est apud Augustinum explosam legisse, si fidem illi voluisset adhibere. Illa enim erat hallucinatio Polentij, qui hoc istorum errore tenebatur, cuius causa Augustinus tres contra ipsum libros de adulterinis coniugijs conscripsit. Vbi statim lib. 1. c. 2. & infra ostendit, neutiquam illum esse posse Apostolicum intellectum: quoniam secundum euangelium, quod Apostolus interpretabatur, nulla de causa præter fornicationem licet vxori à viro discedere: nam neq; vt vacetur orationi, nisi ex mutuo consensu, liberum est coniugibus carnali se debito defraudare : quia vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir, neque vir sui, sed vxor. Et ideo si alter ab altero se subtrahat, furtum sui ipsius facit: si ergo nefas est alia de causa discedere, documentum est de illo discessu ob fornicationem Apostoli sermonem intelligi quando præcipit, vt innupta maneat. Id quod & verbo subsequenti confirmatur: aut viro suo reconciliari: nam reconciliari non est, nisi ab adulterij crimine, quod fuerat diuortij causa.

Erasmi cauillus.

Aug. Erasmi impostura retundit.

Tertius locus.

Tertius denique locus, qui hanc veritatem confirmat, est apud eundem Apostolum Rom. 7. Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Vbi non solis Iudæis, sed ipsis conuersis atque vniuersis Christianis loquebatur, docens, viuente viro nullam causam interuenire posse vinculi matrimonij abrumpendi, sed solam mortem id facere. Vnde colligit, Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: Nullam hic excipit fornicationis causam, sed quamcunq; viuente viro alteri nubentem adulterij condēnat.

Canonum statuta.

Ambrosij locus depravatus.

Secundùm hæc canones sanctorum patrum, summorumque Pontificum eandem veritatem ceu orthodoxam vbique asserunt. Et vt Ambro. qui de hac re malè audit, in capite præponamus, Magister senten. dist. præsenti, & D. Tho. super eundē locū Pauli ad Corinth. & Gratianus canon. Quod proposuisti. 32. q 7. & quotquot sunt catholici aiunt, illa Ambrosij verba esse à falsarijs deprauata. Verba Ambro. sunt, quòd Apostolus præcipiens vxorem à viro discedentem manere innuptam, ideo non subdit de viro, sicut de muliere: quia licet viro aliam ducere. Et quod hæc fuerit deprauatio, fit magna coniectura ex similibus ferè Augustini verbis super eundem locum, quæ Magister hic citat, & Gratianus. 32. quæst. 7. cano. Apostolus. Verba sunt. Quare non addidit Paulus, de viro (ita enim legendum est) quod præmisit de muliere (videlicet, vt discedens maneret innuptus) nisi quod similem formam vult intelligi, quod si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. Et re vera ita Ambrosius conijcitur scripsisse.

Ambros. verba.

Coniectura non leuis.

Ratio contra Caietan.

Sed accedit ratio maior quàm coniectura. Et hoc sit contra Caietanum & Erasmum perpendendum argumentum. Si Ambrosius sensisset viro dimittenti vxorem ius patrocinari accercendi alteram, profectò illud non denegasset vxori: quia ius illud viri ex dissoluto matrimonio nasceretur: quapropter & vxor libera esset à lege viri, vt posset sibi alterum copulare. Quod quidem argumentum contra Caietanum militat, tenentem licere viro alias nuptias non autem vxori. Nam discrimen, quod ex veteri lege adfert, videlicet quòd viro licebat repudiare vxorem, non autem vxori virum, nullius est valoris: quoniam licet hoc verum esset, tamen facto iam repudio : quia putabant matrimonium dissolui, credebant pariter ambos posse alia inire matrimonia.

Erasmus.

Quocirca Erasmus bene intellexit, quòd facta viro repudianti facultate, eadem fieri deberet repudiatæ accersendi sibi alium maritum, quod ipse concedit Sed tamen ipsum condemnat Ambrosius, quin verò Pau. præcipiens dimissam manere innuptam. Vnde idem Ambro super eundem Apostolum loco citato ad Rom. 7. Quod mulier viuente viro alligata est legi eius, ait, Hæc idcirco prosequitur, vt doceat, quòd mulier etiā si à viro fuerit deiecta, nubendi licentiam non habet. Quicquid tamen Ambrosius de marito illo tempore senserit, quo ecclesia non erat tantis sanctorum testimonijs prouecta (nam idem opinatus fuit Lactantius lib. 6. diui. instit. cap. 23.) nihilominus postquam iam modò tam multis est instructa, non debet Ambros. reliquo Sanctorum cœtui præferre. Vnde Hierony. Matth. 19. & refertur. 32. q. 1. can. Dixit Dominus. Vbicunque est fornicatio, liberè vxor dimittitur: & quia poterat accidere vt quis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptialem veteri copulæ crimen impingeret, sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt prima viuente, secundam non habeat. Et super eundem locum Epistolæ ad Corint. ad Amandum (sic enim legendum est, non Damasum) ead. causa q. 7. Omnes, inquit causationes Apostolus amputans apertissimè diffiniuit viuente viro, siue adulter sit, siue Sodomita, adulteram esse mulierem si alteri nupserit: nam quomodocunque derelictus, tamen maritus est eius semper reputandus. Idemque prorsus de viro sentit. Augustinum autem non opus esset allegare, cùm tres integros libros super hoc argumento ad Pollentium scripserit. Licitè enim, inquit, dimittitur vxor causa fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij quicunque dimissam duxerit. can. Licite. 32. q. 7. Et subdit commodatissimum exemplum, quod sicut Christianus dum excommunicatur manet in sacramento regenerationis, ita coniux propter crimen ab altero separatus non carebit sacramento coniugij. Et idem repetit cano. Quemadmodum, ex eod. lib. Demum lib. 2. cap. 9 ambos coniuges in hac causa exæquans scilicet, quòd sicut vxor viuente viro, vt ait Paul alligata est ei, ita vicissim & mulieri vir. Concludit dicens. Vnde necesse est ex duobus coniugijs quatuor adulteros fieri, si & ille alteram duxit, & illa alteri nupserit. Idem in lib. de bono coniugali cano. Interueniente. ead. cau. & quæs. Interueniente, inquit, diuortio non aboletur confœderatio nuptialis, ità vt sibi coniuges sint, etiam separati. Et can. Tantum, idem ait. Vnde can. Vsque adeò, concludit dicens. Vsque adeò inter viuentes manent inita iura nuptiarum, vt potiùs inter se sint coniuges etiam separati, quàm cum his quibus adhæserunt. Et magnus Gregorius, cano. Hi verò, 32. q. 7. Qui vxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit neque eum, neque eam aliam vxorem accipere, neque virum. Et Beda super verbum Pauli. 1. Cor. 7. idem prorsus tam de viro relinquente quàm de relicta vxore cum Augustino sentit.

Ambro.

Hieron.

Aug. de adulterinis cōiugijs.

Exemplum.

Augustinus.

Gregor.

Beda.

Quod si Græcos consulere lubet, Origenes homilia 7. super Matth. eandem edocet in viro & in muliere inesse rationem, vt alteruter possit alterum fornicationis gratia dimittere, cæterum neuter potest altera inire connubia, tamen si alteruter id faciat mœchatur. Et Chrysost. homil. 17. super verb. Christi Matth. 5. Qui dimiserit vxorem suam, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat, ait, quòd tam ille dimittens, qui aliam ducit, quàm ipsa dimissa alteri nubens adulterium committit. Et ne dicat Caietanus aliud concedi viro quàm vxori, subdit Chrysosto. quòd de muliere eo nihil Christus locutus est, quòd cùm muliebris sexus infirmior sit, dum deteret virum, vitium quoque vxoris emendat. Idem Theophylactus super Matth. cap. 19. Causa, inquit hominis cum muliere perpetua & inseparabilis vnio est.

Origenes.

Chrysost.

Theophylactus.

Sed ait Caietanus has non esse ecclesiæ definitiones. At quando tales non essent, saltem profecto error esset manifestarius tantos negare patres: erroris enim nomine falsa assertio censetur, quæ adeò sacris literis dissona videtur, & sanctis est patribus contraria, vt sit hæresi quàm proxima. præsertim cùm eadem veritas iam decretis tum conciliorum, tum & Sanctorum Pontificum effulgeat. Sic enim habet con-

cilium

Concilium Mileuit.

cilium Mileuitanum, Placuit, vt secundùm euangelicam & apostolicam disciplinam neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur, &c. 32. q. 7. can. Placuit. Idemque in concilio Eliberti no can. Fidelis. Et Innoc. 3. can. Quanto, de diuortijs, Sacramentum, inquit, fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ipsum in coniugibus perdurat.

Concilium Florent.

His demum accedat concilium Florentinum, vbi in Armenorum instructione sic legitur. Quamuis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non inde aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum sit.

Nota.

Certè non video quomodo istæ non sint tanquam Ecclesiæ definitiones habendæ. Quare Parisijs primum contra Erasmum, ac subinde contra Caietanum hic error condemnatus est.

Error Parisijs damnatus.

At verò, vt tertiam argumentorum sedem rationibus instruamus, quæritur, si fornicationis causa dirimitur matrimonium, quonam temporis articulo dirimatur. Aut enim cùm primum coniux adulteratur: quod affirmari non potest: nam postea liberum est alteri coniugi adulterum sibi sine nouo consensu denuò contrahendi reconciliare. Vel quando ecclesia facit diuortium: verùm neque hoc asserere licet: quia tunc ecclesia non facit nisi pronunciare sententiam illius separationis, quæ per fornicationem illuc vsque incognitam acciderat. Et patet hoc manifestè, nam post diuortium celebratum potest vir dimissam sibi reconciliare: imò si fornicetur, potest ad reconciliationem compelli, vt articulo proximo dicemus. Reliquum ergo fit, quòd non dirimitur, quousq; ipse transeat ad secundas nuptias. Itaque vt supra de repudio dicebamus, diuortium secundum istos non dirimeret, sed faceret facultatem dirimendi. Esset autem concessio perquàm absurda dicere, quod matrimonium ratum & consummatum per transitum ad secundas nuptias dirimatur, cùm neque per ascensum ad religionem dirimi valeat. Ad hæc, vt Hieron. loco supra citato docet, si matrimonium per diuortium omnino rumperetur, tunc id, quod flagitiosis in supplicium decretum est, in lucrum & commodum sæpissimè eis cederet. Nam cum primum coniuges animo dissiderent, & inuisa mulier viro esse inciperet, aut vxori maritus aut si maritus aliam deamaret, aut vxor alium, facilè alteruter adulterium committeret, vt per illam occasionem matrimonio distracto ad alias optatas nuptias conuolaret. Imò vir facilè occasionem offerret vxori adulterandi, & vxor viro, & (quæ audacia odientium & amantium esse solet) falsos testes disquireret, quib. se alter ab altero extricaret, vt ad noua ineunda concubia se succingeret. Qua vtique ratione diuortium, quod odiosissimum inter Christianos esse debet, & velut infame effugiendum, fieret sæpe optatissimum. Sed non opus est pluribus aduersus istos agere, satis enim validum argumentum reputandum est, quòd nunquam in ecclesia aliqua natio vel prouincia inuenta est, vbi diuortium tale auditum sit, quo fuerit matrimonium discissum.

Hieron.

Incommodum.

Nota.

Validum argum.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quamuis per se nulla in innocente oriatur obligatio perpetuò abstinendi, potest tamen per accidentarium euentum oriri. Quoties enim vnus coniugum in morbum incidit incurabilem, quo rei vxoriæ perpetuò fiat inhabilis aut si sit perpetuo carceri mancipatus, vel in exilium missus, tenetur alter perpetuò abstinere. Eadem ergo ratione si sit perpetuò incorrigibilis, & alter citra scandalum datum non possit cum illo habitare.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quòd diuortium per se non est tanta occasio, vt sordida sordescat adhuc, quàm est remedium resipiscendi: quia illud opprobrium deberet errantem confundere, & in viam reducere. Si autem tam peruersa est, vt occasionem inde mali nanciscatur, sua sit culpa.

Solut. 3. arg.

Ad tertium demum respondetur, quòd quamuis celebrato diuortio vterque sit liber ab obligatione reddendi debitum, non tamen matrimonium dirimitur: & ideo quomodòcunque siue dimittens ad alteram, siue dimissa ad alterum accedat, committit adulterium. Potest tamen vterque votum castitatis siue solenne, siue simplex emittere, altero manente in seculo: attamen neque per votum ipsum solenne dissoluitur matrimonium. Est nihilominus votum ipsum, quantumuis simplex, validum, ità vt qui vouit non possit amplius debitum reddere coniugi, neque ab illo exigere propter votum, quamuis se reconciliare voluerint, nisi per dispensationem, si esset votum simplex: secus autem, si esset solenne. Quin verò, vt supra diximus, maritus siue dimissus potest sacris initiari & fieri presbyter vxore in seculo relicta. At verò si postmodum ecclesia comperiat se per falsos testes fuisse deceptam, & diuortium re vera non fuisse validum, debet saltem altero petente iteratò illos reconciliare: & tunc ille, qui votum fecit quamuis solenne, tenetur exire à conuentu, & debitum reddere, non tamen exigere, quamuis votum non fuerit nisi simplex, quando quidem bona fide susceptum est. Habet tamen iustam causam, vt cum illo debeat dispensari, postquam cogitur cum ea habitare.

Maritus potest ordinari.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm post celebratum diuortium locum habeat reconciliatio.

QVAERITVR tandem vtrum diuortium vim habeat perpetuam, vt nullus postea reconciliationi detur locus. Et arguitur non posse separatos pòst reconciliari. Nam si reconciliatio esset licita, id propter pœnitentiam vxoris adulteræ accideret: at verò si pœnitentia facit reconciliationem licitam, videtur illam facere necessariam, scilicet vt pœnitens possit cogere virum vt ad ipsam rediret: hoc tamen est falsum: ergo reconciliatio non est licita.

Partis negatiuæ arg. primum.

Secundò. Sequeretur, quòd si post diuortium vir innocens vellet reconciliationem facere, teneretur ipsa, quæ fuerat dimissa, ad eum redire: consequens tamen est falsum: nam per sententiam ecclesiæ videtur ab vsu coniugali liberata.

2. Argum.

Et tertiò. Si reconciliatio post diuortium locum haberet, sequeretur quòd si vir innocens, qui vxorem dimiserat, postea adulterium committeret, teneretur ad illam redire: nam si ante diuortium inuentus fuisset adulter, non posset diuortium facere: ergo ipsum eius adulterium, quod antea fuisset impedimentum diuortij petendi, esse debet postea causa, vt diuortium postea infectum reddatur.

3. Argum.

Quartò denique arguitur. Si ante diuortium vir occultum committens adulterium, quod vxor probare non potest, ipsam adulteram per iudicium ecclesiæ dimittat, videtur diuortium iniquè postulatum ex parte viri: ergo si in aliquo casu reconciliatio haberet locum, esset in isto: & tamen in hoc vir non cogitur vxorem sibi reconciliare: ergo reconciliatio post diuortium non habet locum.

4. Arg.

In contrarium est verbum Pauli 1. Cor. 7. Si vxor à viro discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem illi qui tenent celebrato diuortio ius fieri coniugibus ad aliud migrandi matrimonium, cogi videntur concedere, post diuortium non fieri reconciliationi reliquum locum: quia putant illud esse dissolutum. Veruntamen secundùm rei veritatem facillima est responsio, quæ vnica conclusione bimembri continetur. Si post diuortium adultera resipiscat, ita vt constet emendatam esse, potest eam sibi vir reconciliare, quemadmodum ante poterat retinere: sin autem incorrigibilis appareat, non licet eam resumere eo modo, quo antea non licebat eam retinere. Prima pars patet, quoniã diuortium solùm fit propter crimen: illo ergo cessante, potest & diuortium cessare, siue antequã fiat, siue postquam factum fuerit, nam cùm diuortium in fauorem innocentis fiat, qui obligatione reddendi debitum absoluitur, eandẽ libertatem, quam ante diuortiũ habebat ad retinendam vxorem, habet postea ad resumendam, si vult iuri suo cedere. Quòd si in contrarium regulam illam iuris obijcias. Quod semel bene definitum est, nulla debet iteratione retractari. Respondetur, quòd definitio ecclesiæ non est compulsoria, vt coniux necessariò dimittat adulteram, sed permissoria, vt dimittat si velit: quare semper est ei integrum, etiam facto diuortio, illam ad se reducere.

Conclusio.

Prima pars conclusionis.

Obiectio.

Dilutio.

Secundam verò partem conclusionis, quòd incorrigibilem non potest sibi reconciliare, cum eisdẽ moderaminibus intelligito, quæ art. 2. posita sunt inter disputandum, an illam teneatur relinquere. Difficultates ergo, si vllæ sunt, per argumenta referantur.

Secunda pars conclusionis.

Ad

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur respondetur, quod pœnitentia vxoris quamuis debeat virum emollire, & ad veniam inducere, tamen eum non cogit. Quare sicut vxor ante diuortium pœnitentiam suam & correctionem in iudicio allegans non auditur nisi ad mitigandum virum, ita nec potè diuortium ipsum cogit.

Solut. 2. arg. D. Thom.

Secundum verò maioris est difficultatis. Videtur enim vxor dimissa non teneri amplius ad virum redire. Nihilominus D. Tho. impræsentiarum ait, quòd cum diuortium in fauorem innocentis fiat, vt absoluatur redditione debiti, non debet ei nocere & incommodare, vt priuetur iure petendi: & ideo quotiescunque ipse velit, tenetur rea ei obtemperare. Certè est bona ratio, & antequam diuortium fiat, omnino conuincens: sed tamen facto diuortio non videtur tam efficax. Nihilominus semper videtur habere vigorem, nisi iam votum ipsa emiserit. Sed addit S. Tho. de licentia ipsius viri. Credideim tamen profectò sententiam ipsam diuortij valere pro viuendi licentia: nam postquam ipse noluit illi parcere, & persistit vsque ad sententiam, re vera per talem sententiam vxor liberatur, vt saltem antequam ipse eam repetat, possit ipso inconsulto votum castitatis facere. Quare si sit solenne, nunquam eam ecclesia reuocabit ad virum, quantumcunque ipse petat: imò verò, vt reor, licet fuerit simplex, si legitimè illa iurauerit & probauerit illud iam votum emisisse.

Sententia diuortij pro licentia.

Solut. 3. arg.

At verò tertium argumentum est intricatius, in quo dissoluendo variæ versantur opiniones: nam iuriperiti tenent virum post diuortium fornicantem compelli ad vxorem redire, ad quod citant capit. fina. de adulter. Illud verò nihil ad rem facit: nam illic sermo non habetur, nisi de viro, qui si ante diuortium fuerit adulter, non potest adulteram eadem de causa dimittere. Est tamen textus, qui videtur expressus, capit. Ex literis, de diuortijs. Sed nihilominus D. Tho. in hac præsenti distinctione & q. in solut. ad 4. ait, quòd propter adulterium, quod vir innocens post diuortium committit, secundum rigorem iuris non debet cogi ad recipiendum vxorem adulteram. Priùs tamen ex æquitate iuris iudex ex officio suo debet eum cogere, vt caueat periculo animæ suæ & scandalo aliorum: quamuis vxor non possit reconciliationem petere. Et tamen D. Tho. textum illum Alexand. 3. viderat, qui eo fuit antiquior.

Cap. fi. de adul.

Ca. ex literis de diuor.

S. Thom. textum vidit.

Et re vera pro hac opinione S. Thomæ ratio militat quòd per diuortium vir absoluitur ab obligatione reddendi debitum vxori, atq; adeò ille contractus societatis quoad torum & cohabitationem dissolutus videtur: quare licet postea vir peccet in Deum adulterando, quia manet verum matrimonium, non tamen videtur in vxorem iam dimissam peccare, atque adeo cogi non potest, vt ad illam reuertatur. Et confirmatur hoc maximè, quia sententia diuortij non fertur sub conditione, nisi vir deliquerit, sed absolutè vt separentur. Quapropter ad textum illum respondeti posset, intentionem Pontificis non esse facere decretum vniuersale, quod haberet vim legis: nam si hoc Sanct. Thom. intellexisset, nunquam dixisset, quod rigore iuris non posset ille cogi: sed fuit sententia particularis in illo casu propter circunstantias particulares. Vir. n. ille priùs fuerat causatus, quòd per vim vxorem illam duxerat, & quia illo modo non potuit illam expellere, crimen ei fornicationis obiecit, quod illa non conuicta confessa est: quæ quidem indicia erant ipsos propter mutuum odium separationem concupiisse: & ideo episcopus consilio capituli permisit eos vt separatim viuerent, dummodò continentiam obseruarent. Quæ quidem permissio non videtur omnino sententiam continuisse diuortij, sed cuiusdam permissionis. Deinde vir rebellis contra admonitionem ecclesiæ non solùm adulteratus est, sed nuptias contraxit nouas, vnde in suspicionem venit, quod affectu illarum nuptiarum technas alias subtexuisset. Quocirca meritò compulsus fuit ad illam redire. Quare certè inde lex non planè colligitur in alijs diuortijs necessariò seruanda. Et re vera solutio hæc omnino videtur textui satisfacere.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Intellectus c. ex literis.

Casus illius decretalis.

Nota.

At verò quia hæc ad vsum, qui vniuersalis in ecclesia seruatur, referenda sunt, dico primò, quòd vir post diuortium adulteratus non tenetur in conscientia ante compulsionem Ecclesiæ ad vxorem redire. Quia si fortè tenetur, non est nisi in pœnam criminis, quam ideo exequi ante condemnationem non tenetur: cum non debeat idem esse reus & iudex. Secundò addiderim, quòd neque iudex ex officio tenetur eum compellere, ni forsan perditissime viueret, & magnum suis adulterijs scandalum daret. Tandem adiecerim, quod si vxor eum in iudicium deferat reconciliationem petens, Ecclesiæ tanquam inobedientem suis mandatis, quibus ei præcepit, vt castè viueret, propter sua scandala potest eum compellere, vt cum sua vxore viuat.

In conscientia.

Iudex.

Ad quartum demum respondetur, quod vir occultè adulter peccat adulteram vxorem de eodem crimine accusans: quippe qui (vt verbis Pauli vtamur) cum dicat alteri non mœchandum, mœchatur. Quare illo casu, quo ante diuortium fuit adulter, si vxor reconciliationem petat, in conscientia tenetur vxori parcere: nam licet illa eius crimen probare non possit, non inde iure suo priuatur: quemadmodum qui re vera æs contraxit alienum, quamuis creditor id probare nequeat, debitor nihilominus est.

Solu. 4. arg.

In conscientia.

DISTINCTIO TRIGESIMASEPTIMA,

DE *ALIIS CRIMINIBVS*, QVÆ SVNT MATRIMONII IMPEDIMENTA.

Textus. Cap. 1.

POST hæc alia sunt criminis impedimenta, quæ matrimonio obsunt contrahendo, contractum verò minimè dirimunt, atq; alia, quæ etiam contractum dissoluunt. Prioris generis sunt incestus post matrimonium commissus, raptus alienæ sponsæ, homicidium simplex propriæ vxoris, baptizatio proprij filij, interfectio presbyteri, sacrilegum matrimonium cum moniali, quibus & solennis pœnitentia adiungitur. Posterioris verò sunt incestus matrimonio antecedens, adulterium cum homicidio coniunctum, adulterium fide adulteræ data post obitum coniugis contrahendi cum illa, ac denique matrimonium inter coniugatos de facto contractum.

Cap. 2.

Igitur si quis cum aliqua fuerit fornicatus, & cum eius postea consanguinea contraxerit, matrimonium iure propter incestum dirimitur: qui verò post matrimonium cum consanguinea vxoris incestuosum adulterium commiserit, sic iure petendi debitum nudatur, vt tamen teneatur reddere. Vnde concilium apud Miciam, Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, neq; à matre vnquam debitum petere, neque filiam vnquàm habere potest vxorem. Et in conci. Aurelianen. Qui dormierit cum duabus sororibus, & vna antea vxor fuerit, neutram ex ipsis habeat, neque ipsi adulteri vnquam in coniugio copulentur. Quod autè ait, neutram ex ipsis habeat, non sic intelligitur, quod vxorem debeat dimittere, sed quod debitum ab ea petere nequeat. Et pariter id intelligitur Zachariæ, Concubuisti cum sorore vxoris tuæ, si feciſti, neutram habeas. Quod autem subdit, Et si illa, quæ vxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit, intelligitur, viro vita defuncto.

Cap. 1. de eo qui cogn. consangui. vxor.

Can. Qui dormierit 27 q. 2. & 32. q. 7.

Digitized by Google

Cap. 3. Interfectores autem suarum coniugũ Nicolaus Papa ceu homicidas condemnat, can. Interfectores. Id quod si absque publica auctoritate perpetrent, interpretandum est. Nam Cæsarea iura id sane bona causa permittunt, quamuis ecclesia huiusmodi gladio temporali non vtatur, vt idem Pontifex can. Inter hæc. illic admonet. Ob idque ea. q. Pius papa, Quicunque inquit, propriam vxorem absque lege & sine causa interfecerit, aliamque duxerit, publicam agat pœnitentiam.

33. q. 2.

35. q. 2.

Cap. 4. De sponsalibus. De secund. nuptijs. Can. Cum per bellicam. Ca. cum in captiuitate. Ad hæc & ligaminis impedimentum accedit. Qui. n. vno matrimonio deuinctus est, aliud viuente coniuge inire non valet, quod si inierit, distrahendum est. Quocirca coniugata, quæ absentem suum coniugem defunctum arbitratur, quousque vel per certum nuncium, vel alia legitima via certior facta sit, alium sibi coniugem adsciscere non valet, vt Clemens Papa c. In præsentia, & Lucius c. Dominus. admonent. Quod si illud contraxerint, priorque coniux post comparuerit, prius est matrimonium obseruandum, vt Leo atque Imo. 34. q. 2. iubent.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆSEPTIMÆ,

Quæstio vnica,

DE ALIIS CRIMINIBVS, QVÆ SVNT MATRIMONII IMPEDIMENTA.

ARTICVLVS I.

Vtrum sint aliqua crimina, quæ matrimonium contrahendum impediant, contractum verò non dirimant.

IN tribus præcedentibus distinctionibus de illis impedimentis disputatum est, quæ non sunt necessaria, atque adeo constituunt personas medias, id est, nec penitus legitimas, nec prorsum illegitimas. Subsequitur ergo consideratio de impedimentis necessarijs quæ prorsus personas illegitimas reddunt. Quæ quidem consideratio per sex protenditur distinctiones. In tribus ergo prioribus disputabitur de impedimentis, quæ ex actionibus oriuntur: scilicet ratione criminis, aut susceptι ordinis, aut emissi voti, aut susceptæ Christianæ religionis. Et in tribus postremis de impedimentis ex cognatione contractis: nempe ex consanguinitate & affinitate. Magister autem senten. in hac dist. agit de ordine, veruntamen (vt supra diximus) commodius hic de reliquis criminibus disputatur, vt hæc distinctio præcedenti cohæreat, vt in subsequenti de ordine & voto, quæ connexionem habent, simul disputetur.

Igitur præter simplex adulterium, de quo dist. præcedenti dictum est, quæritur, vtrùm alia sint crimina matrimonium impedientia, non autem illud dirimentia. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonium institutum est tum in officium ad propagandum humanum genus, tum & in remedium contra concupiscentiam: crimen autem peculiare hominis non debet toti generi incommodare, neque illo modo puniri, qui offendiculum homini obijciat, vt perpetuò coniugio priuatus identidem illecebris carni succumbat.

Partis negatiuæ argumentum.

2. Argu. Secundò arguitur. Si aliquod esset huiusmodi crimen maximè incestus cum consanguinea vxoris, vt habetur ca. 1. & 2. de eo qui cognouit consang. vxoris: hoc tamen non vsque adeo rationi consonum videtur: nam sceleστius est cognatam propriam incestu polluere, quàm consanguineam vxoris, quæ tantum est viro affinis: sed incestus ille non legitur matrimonium impedire: ergo neque iste.

Pars affirmatiua. 1. Conclu. In contrarium sunt sancti canones huiusmodi pœnam quibusdam criminibus decernentes.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Sex sunt crimina, quæ matrimonium contrahendum impediunt, non tamen contractum dirimunt: scilicet incestus, raptus, alienæ sponsæ, vxoricidium, baptizatio proprij filij, vt vir ab vxore separetur, interfectio presbyteri, & matrimonium sacrilegum cum moniali. His additur & septimum impedimentum, pœnitentia solennis, quæ licet non sit crimen, agitur tamen propter crimen. Vnde carmina, Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris, Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis, Vel si pœniteat, solenniter, aut monialem Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

Versiculi.

Nota. Inter hæc autem crimina duo sunt, quæ vno modo considerata duntaxat impediunt matrimonium contrahendum, sed altero modo dirimunt etiam contractum. Hæc sunt incestus & vxoricidium. Vbi notandum, quòd incestus aut committitur cum consanguineâ vxoris, aut cum propria cognata. Atqui prior aut committitur ante contractum matrimonium, aut post. Si ante, tunc propriè non est incestus, sed tamen dirimit matrimonium contrahendum cum consanguinea illius, cum qua fornicatum est, atque hac ratione dicitur incestus. De quo impedimento art. proximo disputabitur. Si verò post matrimonium committatur, tunc duos habet effectus, quorum vnus est, quod incestuosus non potest debitum exigere. Secundus effectus est, quod impeditur, ne etiam mortua coniuge possit aliud matrimonium contrahere, non tamen si illud contraxerit, est rescindendum. Primus effectus pertinet itidem ad subsequentem articulum, & secundus ad istum. De incestu quamtum ad vtrumque istorum duorum effectuum extant decreta, in c. 1. & c. Veniens. & cap. Transmissæ, de eo qui cogno. consang vxor. & can. Qui dormierit. & Concubuisti, & Si quis nouercam. 32. quæst. 7. Quòd si roges, vtrum si mortua vxore vir committat incestum, cum eius consanguinea pariter impediat matrimonium contrahendum, dubium esse potest, sed tamen crediderim non esse impedimentum: quoniam hæc impedimenta restringenda sunt. Et tamen canones non loquuntur nisi de incestu viuente vxore. At si incestus fiat cum propria consanguinea siue ante matrimonium siue post (nihil enim ad rem pertinet) est etiam impedimentum contrahendi matrimonij, non tamen illud dirimit, vt can. Si quis viduam, ead. cau. & q. vbi id asseritur de incestu cum nepte, aut consobrina aut filia auunculi. Et ratio huius impedimenti non est alia nisi quod qui tam impudica Venere se polluit, interdicitur, ne alioqui licita vtatur. Vtrum verò talis incestus cum propria cognata impediat matrimonij vsum, nec incestuosus iure valeat debitum petere, arti. seq. videbimus.

Incestus.

Vxoricidium. Simplex item vxoris interfectio: videlicet quando non fit animo contrahendi cum altera, sed propter odium, aliaue de causa, impedit etiam matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, 33. q. 2. can. Admonere, & can. Interfectores. Ratio autem huius impedimenti est, quod qui vnam vxorem tam atroci affecit iniuria, indignus meritò est cui alia committatur. Syluester autem verb. Matrimonium. 7. q. 6. adnotauit, non inueniri scriptum ius, vbi vxor, quæ maritum occidit, matrimonio contrahendo prohibeatur. Sed tamen optimo similitudinis argumento colligitur. Vxoricidium verò causa & affectu conciliandi alterius matrimonium non solum impedit contrahendum, verùm dirimit contractum, vt artic. 4. disputabitur.

Ratio.

Syluest.

Raptus alienæ sponsæ. Ratio. De raptore alienæ sponsæ, quod ineundo matrimonio priuetur, habetur in concilio Toletano can. Statutum est. 27. q. 2. Et ratio est, quia expedit, vt qui alienum matrimonium perturbare ausus est, iure

proprij contrahendi priuetur, vt in eo puniatur in quo deliquit.

Baptizatio propria prolis.

Atqui de eo qui proprium filium baptizauit, vt affinitatem cum propria vxore contraheret, habetur ex concilio Maguntinensi can. De eo. 30. q. 1. Intelligitur autem si consultò ob eum finem filium quis de proprio fonte leuauerit, vt discidium quoad torum inter ipsum & vxorem fiat, tunc enim ab ipsa debitum petere, & ea mortua aliud inire coniugium prohibetur, eo quòd infideliter in primo se gesserit.

Occisio presbyteri.

De interfectore verò presbyteri habetur ex eodem concil. Maguntinen. capit. Qui presbyterum, de pœniten. & remissio. In cuius glossa reliqui omnes casus appenduntur.

Cum moniali. Pœnitentia solennis.

Sed de eo qui matrimonium cum moniali contraxit, habetur ex Concilio Triburiensi can. Hi ergo, & ca. Si quis. 27. quæst. 1.

De solenniter pœnitentibus habetur can. De his, & cano. Antiqui. 33. q. 2. Illud autem non impedit, nisi quamdiu pœnitentia durat, vt ex illis capitulis colligitur.

Episcopus dispensat. Panormit. Caietan.

Circa hos autem omnes casus & impedimenta contrahendi, quæ contractum non dirimunt, hoc in primis animaduertendum, quod citra dubium super omnibus potest episcopus dispensare, vt de incestu ait Panor. cap. 1. De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulte. iuxta cano. Si duo. 35. q. 2. Sed præcipue id adstruit Caie. verb. Matrimonium. Quin verò addit, quod si contemptus desit, contrahere cum istis impedimentis absque dispensatione, vbi non est consuetum illam petere, non est iudicandum mortale. Et vbi non est in hominum memoria, vt episcopi dispensent circa hæc, videntur tacitè consentire. Quamuis tutius sit secretè per tertiam personam dispensationem postulare. Atqui Panor. cap. Literis, de præsumptio. incestum occultum nullum esse impedimentum ait matrimonij contrahendi. Et super cap. Qui presbyterum, de pœniten. & remissio. asserit, quod neque occisor presbyteri arcetur à matrimonio, nisi fuerit conuictus.

Incestus occultus.

Et re vera cùm omnes isti canones impedimentorum non sint nisi conciliorum prouincialium, nihil mirum si iam nunc temporis non tanta eorum habeatur ratio. Etenim fortasse olim in vsu erant quantum ad forum pœnitentiale, vt confessarij illas pœnitentias iniungerent: qui mos iam non viget.

Concilij Prouincialis. Vsus eorum in foro pœnitentia.

Tandem ad pacandas conscientias notandum, quod vbi etiam consuetudo perseueret petendi dispensationem, quanquam esset peccatum mortale absque illa contrahere, tamen postquam contractum fuerit, nulla opus est dispensatione: quia & matrimonium solidum est, & nullum horum impedimentorum præcedentium matrimonio aut solutionem aut exactionem debiti coniugalis impedit.

2. Concl.

Secunda conclusio. Præter hæc septem sunt & alia quatuor impedimenta matrimonij contrahendi, sed non dirimentia, quæ non sunt crimina. Hæc ibidem à Caietano recensentur. Primum, si episcopus aliquibus rationabili de causa contrahere inhibeat: esset enim tunc peccatum mortale non parere mandato. Secundum, si quis in catechismo ante baptismum puerum catechizandum tenuit, vt dist. 41. videbimus. Et hoc ligat sub peccato mortali, sed tamen est ab episcopo dispensabile. Tertium est, sponsalia de futuro, tunc enim peccatum mortale suo genere esset absque legitima causa dirimente cum alia matrimonium contrahere. Neque cadit sub dispensatione, quia est in præiudicium tertij. Quartum denique est, votum simplex castitatis, post quod graue peccatum esset, si homo se in matrimonium immergeret. Neque episcopus, sed solus Papa dispensare potest. Post contractum verò poterit episcopus super petitione debiti dispensare.

Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quis dispenset.

Ad primum igitur argumentum iam responsum est, vbi rationes reddidimus, cur huiusmodi crimina matrimonium impediant. Haud enim graue supplicium æstimandum est, vt propter carnalia crimina arceatur homo à re vxoria: potissimùm cum hæc impedimenta facillimæ sint dispensationis.

Solut. 1. arg.

Et pariter secundum solutum est, nam quantum ad matrimonium futurum etiam incestus cum propria cognata impedit, vt patet can. citato. Si quis viduam.

Solut. 2 arg.

ARTICVLVS II.

Vtrùm incestus, quo quis cognouit vxoris consanguineam, sit impedimentum dirimens matrimonium.

Pars negatiua Argum. 1.

SECVNDÒ quæritur de incestu: & arguitur quod matrimonium non dirimat. Propter peccatum enim vnius non debet alter puniri: ergo propter incestum Petri cum Ioanna, non debet Maria Ioannæ cognata prohiberi à matrimonio cum Petro.

2. Argu.

Secundò. Grauius crimen est viro ad propriam cognatam accedere, quàm ad cognatam vxoris: sed propter primum nec dirimitur matrimonium, nec spoliatur homo iure petendi debitum: ergo nec propter secundum.

Pars affirmatiua. Incestus quid. Vnde.

In contrarium est, quod per incestum contrahitur affinitas cum consanguinea illius cum qua commissum est crimen: affinitas autem matrimonium impedit.

Incestus generali significatione idem est quod pollutio, & incestare idem quod polluere. Et dicitur à cestu, quod erat Veneris cingulum, quo Marti lumbos succinxit, quasi eum constringens, vt fidem tori ei ipsi seruaret. Quare in rigore quodcunq; adulterium dici poterat incestus, quo torus coniugalis commaculatur. Sed tamen ecclesiastico vsu arctatum est nomen ad pollutionem propriæ consanguineæ, vel vxoris infra quartum gradum.

1. Conclu.

Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima. Incestus cum consanguinea futuræ vxoris matrimonium præcedens, etiam si sponsalia antecesserint, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Incestus, inquam, consummatus in vase legitimo, nam extra vel nefariè in vase illegitimo perpetratus non impedit, vt patet can. Extraordinaria 35. q. 2. & 3. In quo canone vna negatio redundat, sic enim legendum est, Extraordinaria pollutio, nisi in naturalibus admissa, non videtur matrimonium impedire. Nam etsi fornicatio illa cũ consanguinea futuræ vxoris non propriè tunc dicatur incestus: tamen quia post haberet rationem incestus, si cum consanguinea illius fornicariæ contraheretur, dicitur incestus impedimentum contrahendi. Conclusio patet ex decreto concilij apud Meciam cap. 1. De eo qui cogno. consang. vxor & cap. Veniens. & Ex litteris, atque alijs supra citatis eodem tit. & 32. q. 7. Hoc autem impedimentum non habet in iure naturæ, perinde atque frigiditas & defectus rationis fundamentum, sed est merum ius positiuum: quia decreuit ecclesia per crimen incestus contrahi affinitatem, veluti per matrimonium. Vnde sicut qui contraxit cum Maria, non potest ea mortua contrahere cum Mariæ cognata, ita neque qui illam fornicatione polluerit. Cur autem affinitas constitui debuerit impedimentum, d. 41. declarabimus: pertinet enim ad honestatem & decorem matrimonij.

Can. Extraordinaria. emendatur.

Probatur iure.

2. Concl.

Secunda cõclusio. Si verò incestus matrimoniũ subsequatur, siue consummatum, siue non nisi ratum matrimonium non dirimit: nam vt crebro repetitũ est, matrimonium ratũ per solum ingressum religionis dirimitur. Impedit tamen in incestuoso matrimonij vsum ne petere debitum valeat. Ita eisdẽ citatis capitulis, & c. Tuæ fraternitatis, & 32. q. 7. can. Si quis viduam, & reliquis, decernitur. Quare petere peccatum est genere suo mortale contra ecclesiæ prohibitionem. Atqui in hoc pari iure vir & fœmina tenentur. Quæ enim consanguineo Petri succubuit, nequit cum illo copulari, & si post contractum matrimonium incestuosum hoc adulterium commiserit, iure petendi etiam priuatur: tenetur tamen incestuosus petenti reddere, vt eo. ca. Tuæ fraternitatis. & cap. Iordanæ, definitur. Hoc enim decretum institutum est in pœnam criminis incestus, vt scilicet illud incommodum non petendi patiatur. Crimen autem vnius non debet alteri innocenti nocere, & ius auferre suum. Quocirca quod Magister sent. dist. præsenti cap. De his. 2. ait, scilicet, quod incestuosus propriæ vxori reddere non potest debitum, non tenetur, nisi reddere, laxè pro eo quod est petere, vsurpet. Rursus hic adnotandum, quòd in foro conscientiæ quamuis incestus secrete commissus fuerit, matrimonium post contractum dirimit, tametsi in foro ecclesiæ dirimi non debeat, nisi legitimè fuerit comprobatus, vt habetur capit. De illo, & c. Transmissæ. eo. ti. licet ambo incestum fatean-

Opinio sentẽt. Magistri

Nota.

tur ca.

Digitized by Google

tur. ca. Super eo. Et idem est de commisso post contractum matrimonium quo ad petitionem debiti: ne fraudibus ansa offeratur.

Pœna temperatio. Debet autem pœna hæc non petendi debitum mitigari: primum, quia periculosum est coniuges concumbere, & virum petendi iure carere, consilium est, vt cum primùm fieri possit, dispensatio procuretur, idque quam fieri potest secretè, ne innocens coniux intelligat. Attamen dum incestus est scelestissimus, vt cum sorore vxoris, & potissimum si est cum socru: cum multo maiori difficultate & acerrima iniuncta pœnitentia dispensandum est: & si possibilis est ad illum accessus, ad Papam res est secretò referenda. Præterea si vir crimen commisit, & fœmina est innocens, quia mulieres rarò præ verecundia exigere consueſcunt, grauamen esset vxoris virum nunquam exigere: & ideo licebit viro, imò debet nonnunquam insinuare se vxori, & offerre se ad illum vsum: nam genus illud petendi quodammodo est reddere. Ad hæc dum incestus ex ignorantia inuincibili processit: dum vir, inquam, adulteratus est cum consanguinea vxoris, cuius cognationem prorsus ignorabat, quia quam affinitatem contrahat cum vxore, non tamen censetur iure petendi priuari: nam cùm pœnæ sint restringendæ, & hæc priuatio in pœnam sit culpæ incestus, & illic nulla præcesserit incestus macula propter ignorantiam speciei criminis, non debet iudicari priuatus. Et exrat casus ad hoc attinens propositum cap. Discretionem eod. tit. vbi refertur, quendam qui quandam sibi per verba de præsenti desponsauerat, quia odiosam habebat, antequam eam cognosceret reclamantem & inuitam suo ipsius viri consanguineo in vxorem tradidisse: & nihilominus prior vir compulsus fuit illam resumere. Si ergo quia inuita incestum commiserat, non priuatur iure petendi: minus priuabitur qui eum per ignorantiam commiserit. Cautè ergo illi Canones legendi sunt, quos in textu retulimus. 32. q. 7. Quod enim in can. Qui dormierit, & in cano. Zachariæ, Concubuisti, legitur, scilicet vt qui cum sorore vxoris suæ dormierit, neutram habeat, non sic intelligitur, quod suam debeat relinquere, sed quod debitum ab ea non petat: hoc enim est eam non tenere, quia ad libitum ea non potest vti: tenetur tamen ei reddere, quod est ab illa teneri. Et quod ait Zacharias, videlicet, quòd quæ vxor eius fuerit, nubat in Domino cui velit, intelligitur, postquam vidua fuerit: sed quod subiungit, adulteros absque spe coniugij manere, verum est, vt præcedenti art. dictum est.

In incestu quas possit dispensare. Dubium autem circa has duas conclusiones occurrit, quisnam possit super hoc impedimento dispensare. Ad hoc cum distinctione respondendum. Aut enim crimen subsequitur matrimonium, aut antecedit. Si sequatur, tunc, vt dictum est, non dirimit, sed interdicit petitionem debiti. Super hoc igitur certo crediderim episcopum posse, imò & debere dispensare, quamuis crimen ante consummatum matrimonium post ratum intercesserit, saltem si ad Romam non pateret incestuoso facilis aditus, aut propter eius paupertatem, aut infirmitatem, aut propter viæ longitudinem, aut ob alia quæcunque impedimenta, in quibus nullum obijcerem scrupulum: quamuis non essent tam manifesta: quia fortasse sine istis impedimentis etiam potest, cùm in huiusmodi dispensationibus potestatem Episcopus habeat ordinariam, nisi per Papam fuerit cohibitus, & in his non videtur cohibitus. Opinio est communis, vt Paludani in præsenti dist. & Syluest. verb. Debitum coniugale. q. 9. & verb. Matrimonium. 8. q. 15. & omnium.

Primus casus.

Nota.

Secundus casus. Si autem crimen præcesserit impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum, non tam affirmanter hoc assererem, quàm alios video id docere. Syluester namque in verb. Dispensatio. q. 9. ait, quòd quando ad Papam non potest haberi recursus, & separatio illorum, qui de facto contraxerunt, sine magno scandalo fieri non potest, Episcopus potest dispensare, sicut sæpe accidit in mulieribus cognitis à consanguineis viri antequam matrimonium contrahatur. Hæc ille. Idque alibi etiam repetit.

Sententia autoris. Ratio 1. Quam vtique opinionem fateor (saltem tam generaliter assertam) nunquam mihi potuisse persuasam habere. Enimuerò cùm dispensare super matrimonio contrahendo, quando impedimentum est dirimens, ad solum summum Pontificem iure ordinario pertineat, vt more & vsu Ecclesiæ constat, non est vlla exceptio facienda, nisi fortè vbi ingens necessitas ingrueret: nulla autem cogit dispensandi super matrimonio contrahendo propter solum scandalum: scilicet quia non possunt sine illo separari: ergo Episcopus non potest dispensare; quia in illud scandalum ipsi se sua culpa coniecerunt. Loquor de illis qui mala fide contraxerunt: puta, si vir sciens commisisse incestum cum consanguinea Mariæ, & illud esse impedimentum Ecclesiæ, contrahit cum ea. Culpa namque illorum non potest esse in causa, vt Episcopus dispenser super illo, super quo alias non poterat. Item quia possunt separare torum. Attamen quando matrimonium legitimè ante incestum contractum est, tunc, quia non potest dirimi, necessarium videtur, vt facultas fiat petendi debitum, atque adeò tunc Episcopus valet dispensare.

Nota. Ratio 2.

Obiectio. Et per hoc respondetur ad argumentum, quod isti pro se faciunt: videlicet si quis post votum simplex castitatis matrimonium contrahat, potest cum illo Episcopus dispensare, vt debitum exigat: ergo & cum incestuoso, vt eius matrimonium postea contractum conualescat. Etenim licet antecedens verum sit, vt credo & confiteor, tamen consequentia nihil habet vigoris: quia matrimonium post votum simplex est validum, & dirimi non potest: quare grauc esset periculum si cum illo post matrimonium contractum non dispensaretur in vsu: tamen illud, quod cum consanguinea pollutæ prius per fornicationem contrahitur, nullum est, & ideo nulla est dispensandi necessitas super illo.

Dilutio.

2. Arg. Secundum autem argumentum, quod me vehementius vrget, est, quod opinio hæc technis & fraudibus viam aperit. Certum enim est, vt isti fatentur, Episcopum non posse dispensare super matrimonio cõtrahendo præcedenti incestu, nisi de facto sit contractum: igitur si fornicarius illo astu cõtraheret de facto cum illa suæ amicæ consanguinea, vt postea Episcopus dispensaret, multo minus potest. Re vera nescio quis consequentiam neget: nam matrimonium illud attentatum nullum est prorsus, sed crimen fuit illud attentare. Nulla ergo ratio admittit, vt quod non erat dispensabile, techna ilia & cautela faceret dispensabile. Profectò vbi matrimonium mala fide & clam post incestum contrahitur, adduci non possem, vt talem dispensationem consulerem aut permitterem.

Nota.

3. Argu. Præterea arguitur, quia idem quis statim inferret de alijs impedimentis: nempe quod si quis contraxit de facto cum consanguinea vel affine prioris vxoris mortuæ, & nequeunt commode sine scandalo separari: quia scilicet plures procreatũt liberos, etiam tunc posset Episcopus dispensare, quod non credo vllus concedet. Illatio autem patet: nam etsi maius scandalum sit relinquere vxorem propter occultum crimen præcedens, quàm propter aliud honestum impedimentum: tamen iste paruus excessus rei naturam non mutat, vt facultatem Episcopo conferat, quam alias non haberet. Ista non sunt per solam opinionum recitationem & hominum placita concludenda, sed rationibus examinanda. Quando verò bona fide matrimonium non clam, sed in facie Ecclesiæ esset celebratum: nempe quia ille nentiquam fuerat suspicatus illam, quam cognouerat, consanguineam fuisse istius cum qua contrahit, sed post contractum matrimonium id intelligit, hæc fortasse censenda esset honestæ necessitas, vt nisi pateret aditus ad Vrbem, posset Episcopus dispensare. Quamuis & hoc sapientiorum prudentiæ relinquimus.

Illatum probatur.

Nota casus.

Dubium. Dubium autem est, vtrum incestus cum propria consanguinea pariter petitionem debiti impediat. Nam Panormit. super capit. 1. De eo qui cogno. consang. vxor. videns talem incestum impedire matrimonium contrahendum, licet non dirimat contractum, vt art. proximo ex can. Si quis viduam, retulimus, subinde impedire putat, ne talis incestuosus post matrimonium contractum possit à propria vxore debitum exigere. Et sequitur tum Angelus in sua summa verb. Incestus. Et posset quis simile deducere ab illo, qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxit. At verò cùm huiusmodi impedimenta potius restringenda sint, quàm amplianda, & hoc, vt ait Archidia. quem Syluester verb. Matrimonium. 7. §. vlt. refert, nullibi reperiatur in iure, neque ille textus, quem Panorm. glossat, tale insinuet, vt talis incestus nullum sit impedimentum existimandum ad petendum debitum, vt

Simile.

S. Tho. impræsentiarum, & Ricardus, & omnes Theologi docent. Neque est simile de voto simplici castitatis ante matrimonium emissum: nam illud cohibitionem petendi debitum secum adfert: quod de incestu cum propria consanguinea nullibi legitur.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod non punitur soror Ioannæ, sed fit affinis. Et ideo si crimen præcessit, impeditur matrimonium cum illa: sin verò sequatur, punitur incestuosus ne debitum petat.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd quamuis grauius sit virum accedere ad propriam cognatam, quam ad cognatam vxoris, non tamen sequitur, vt sit par impedimentum exigendi debitum, quia hoc impedimentum non enascitur ex grauitate delicti, sed ex quodam affinitatis genere, quam vir contrahit cum vxore per hoc quòd eius consanguineam nouit: quam vtique non contrahit, quamuis propriam sororem polluat. Item, vt ait Ricardus, quia maiorem irrogat iniuriam fidei, quam debet vxori, si cum eius cognata congrediatur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm vxoricidium sit in aliquo euentu licitum.

Partis affir. 1. Arg. ALIVD crimen matrimonium impediens est vxoricidium, quæritur autem, vtrum aliquo modo sit licitum. Et arguitur à parte affirmatiua. Lex diuina adulteras lapidari permittebat, vt Ioan. 8. legitur: ex lege autem agere licitum est: ergo licitum est viro vxorem in adulterio deprehensam interimere.

2. Argu. Secundò. Viri est vxorem propriam corripere & castigare, legitimamque subinde pœnam infligere: sed vxor ab alio iudicari non potest, aut disponi, quàm à proprio viro, vt ait Calixtus can. Sicut alterius, 7. q. 1. ergo potest eam legitimo supplicio afficere, qualis est mors iure decreta.

3. Arg. Tertiò arguitur ex cano. Interfectores. 33. q. 2. Interfectores suarum coniugum sine iudicio cum non addis adulterarum, quid aliud habendi sunt quàm homicidæ? vnde à contrario sensu videtur colligi, quod adulterarum occisores non sint homicidij rei.

Pars negatiua. In contrarium est textus illic proximus Nicolai can. Inter hæc. vbi ait, quod sancta Dei Ecclesia mundanis legibus, scilicet de occidendis vxoribus, non constringitur.

1. Concl. Ad quæstionem conclusionibus tribus respondetur. Prima. Viro non licet autoritate priuata vxorem quantumuis in flagranti adulterio deprehensam enecare, can. Interfectores. & can. Quicunque propriam. 33. q. 2. Conclusio hæc ex ijs, quæ libro 5. De iustitia & iure, quæstio. 1. artic. 3. diximus, colligitur: nemini enim priuata autoritate vindicare se licet, nisi vim vi cum moderamine inculpatæ tutelæ repellere. Nam cum homo sui sit ipsius amantissimus, iniquus esset sui ipsius vindex, vt supra quàm par esset, supplicium de hoste sumeret. Vnde Paul. ad Roma. 12. non vos defendentes, id est, vindicantes, charissimi: nam mihi vindictam, & ego retribuam. Quapropter malefactorum vltio ad publicum iudicem spectat, qui nullo corrupto affectu ex lege agat in reum. Vnde idem Apostolus ibidem capitulo 13. De publico iudice, Dei, inquit, minister est, nec sine causa gladium portat, vindex in iram ei, qui malum agit. Ex quo fit, vt maritus, qui miseram adulteram priuatim occidit, graue peccatum committat contra præceptum, Non occides. vt can. Admonere. 33. quæst. 2. ait Stephanus Papa, rationem subdens, quòd quæ inuenta est adultera, secundum legis tramitem debet accipere vltionis vindictam. Ob idque can. Quicunque propriam, ait Pontifex, quòd quicunque propriam vxorem absque lege & sine causa & certa probatione interfecerit, publicam agat pœnitentiam. Et confirmatur: quia si priuatam autoritatem spectes, vxor cum viro pari iure militat, vt in superioribus visum est, præterquam in domesticis mitioribus correptionibus: vxori autem non licet virum adulterantem occidere: ergo nec viro vxorem, quamuis vxor grauius peccasset.

2. Concl. Secunda conclusio. Occidenti vxorem in flagranti adulterio, quamuis & adulterum simul confodiat, nullum est decretum supplicium publicum. Iure quidem antiquo communi id de adultero tantum permittebatur, qui esset vilis conditionis, tamen postmodum, vt nationi Hispanorum moris est, indiscriminatim, etiam si fuerit nobilis, impune occidi permittitur. Meditari namque legislatores, eximium animi dolorem, quem zelotypia suscitat, indulgentiam illi decreuerunt. l. Gracchus. C. ad legem. Iul. de adulter. & l. Marito. ff. eodem titulo. Quinimò & patri olim licebat filiam in adulterio captam enecare l. Patri. & l. Neque in ea. ff. eod. & l. Castitati. C. eodem titulo. Nihilominus maritus ille incurrit pœnam iuris Ecclesiastici, vt sit ineundo matrimonio cohibitus. Dixerim, in flagranti adulterio deprehensam: nam si extra illum turpitudinis articulum eam occidat, quamuis postea legitimè probet eam fuisse adulteram, non eximitur à pœna iuris in homicidas decreta. Et ob eandem causam Ecclesia eum, qui in clericum cum sua vxore, vel sorore, vel filia turpiter deprehensum manus iniecerit violentas, à sententia excommunicationis excipit. capit. Si verò. in 1. de sententia excommunicat. Posset quis verò ex hac pœnarum incolumitate arguere non esse peccatum: nam cum leges id permittant, videntur dare maritis facultatem illam occidendi tanquàm ministris iustitiæ: veluti nonnunquam fit etiam facultas filijs occisi hominis occidendi homicidam patris, & eiuib. latrones publicos interimendi. De his casibus loco illo citato lib. 5. De iustit. & iur. diximus: id scilicet, non nisi quàm rarissimè, & propter atrocissima aduersus Rempub. crimina fas esse. Adulterium verò non est tam enorme flagitium, vt tam atroci rigore iuris esset vlciscendum, potissimum inter Christianos, vbi sæpenumero eueniret, vt adultera repente sine præuio sacramento interfecta tam animæ quàm corporis morte deperiret.

3. Concl. Tertia conclusio. Autoritate publica ciuili marito adulteram, quamuis non in adulterio deprehendat, sed legitimis testimonijs conuincat, licet occidere. Ratio est, quia adulterium est graue crimen, potissimum in vxore propter prolis incertitudinem, & falsos hæredes, quos adulteræ solent patris patribus supponere: ergo illud est supplicio capitis dignum, atque adeo ab aliqua publica autoritate licitum est marito eiusmodi vindictam deposcere, non autem ab Ecclesiastica. nam vt ait Papa can. citato. Inter hæc, Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem, quo non occidit, sed viuificat, ergo æquitas fuit, vt respublica ciuilis, cui incumbit de coniugijs, quatenus ad pacem & tranquillum statum Reipublicæ & legitimas hæreditates, disponere eiusmodi capitale supplicium in adulteras decerneret. Quod ait Pontifex, Ecclesiam non habere gladium, nisi spiritualem, intelligitur in vlciscendis criminibus, secus ad sui ipsius defensionem. Lex autem adulteræ occidendæ extabat inter Mosaicas legales Leuitic. 20. & Deuteron. 22. qua iubebatur adultera lapidibus obrui: & legalium exemplo licet Christianis similes edere leges. Extant & leges ciuiles supra citatæ. C. & ff. ad leg. Iul. de adult. Verum est tamen, quod leges illæ priscæ supplicium capitis adulteris decernentes temperatæ fuerunt in auth. Sed hodie. C. eod. tit. vt scilicet adultera postquam verberibus vapularet, in monasterium includeretur. Quæ quidem lex Gallis vsu & more recepta est, & nunc etiam obseruatur in nonnullis Christianorum prouincijs. Aliæ verò gentes rigorem antiqui iuris obseruant, vt Hispani. Et re vera Hispanorum ingenio huiusmodi animaduersio competens est & congrua: alioqui vix possent crebrrima adulteria caueri.

Scotus vero in 4. distinct. 15. quæst. 3. ait, quod licet populo Israëlitico fuerit diuinitus eiusmodi lex aduersus adulteras decreta, nihilominus eam Christus Ioan. 8. reuocauit dicens, Nemo te condemnauit mulier, neque ego te condemno. At verò locus euangelicus huiusmodi abrogationem minimè insinuat: nam Christus illic solum officium iudicandi recusauit, ostendens se non venisse ad iudicandum mundum, vt ait Ioann. 3. Atque eandem ob rem dixit alibi, Quis me constituit iudicem inter vos? Quocirca tanquam rex regni cœlorum æquitatem diuini iuris expressit dicens, Qui sine peccato est vestrum primum in eam lapidem mittat, vbi non negauit, adulteram supplicio illo esse dignam, sed declarauit, quod qui in peccato sunt, non recte aliena peccata vlciscuntur. Quare concludens, Nemo te condemnauit, nec ego te condemno, non abrogauit legem, sed tantum ostendit, se nolle illius causæ iudicem agere.

Ratio.

Can. Inter hæc.

Antiqua leges temperata.

Hispani.

Scoti opin.

Nota.

Sententia Authoris.

Est

Nota.

Est tamen adnotandum, Hispanos rigorem legis antiquæ moderari. Non enim adulteram necessaria morte condemnant, vt fures & homicidas, sed arbitrio mariti supplicium committunt. Traditur enim ei in manus, vt quod libuerit de illa decernat.

An occidens adulteram peccet.

Vtrum verò ille occidens delictum committat, inter aliquos ambigitur: imo non desunt qui affirment, mortaliter occidendo delinquere. Apparet enim eis ob id delictum, quod in sua voluntate est ei ignoscere. At verò proculdubio nullius est criminis reus in conscientia apud Deum, quamuis ipsam occidat. Primum, quia si peccaret, nefas inter Christianos esset publica solenniáque autoritate illam ei in manus tradere, vt apud Deum delinqueret, neque Ecclesia id vnquam fieri sineret. Neque valet responsio dicentium, solum ei permitti, vt impunè eam occidat: quoniam huiusmodi permissiones non fiunt nisi in delictis quæ priuata autoritate committuntur, quemadmodum in fornicationibus, & si vir vxorem priuatim adulterantem enecaret. Cum ergo eam criminis damnatam publicè & solenniter iudex ei in manus tradat, & si quis eam surripere vellet, iudex ipse id defenderet, signum est manifestum, quòd traditur ei tanquam iustitiæ ministro, non quidem necessario, vt lictori, sed spontaneo, vt faciat quod velit.

Sententia autoris.

Obiectionis dilutio.

S. Thomæ expositio.

Neminem ergo fallat verbum S. Thom. dist. præsenti q. 2. in solu. ad 2. scilicet quòd lex ciuilis non commisit viro occisionem vxoris, quasi præcipiens, quia tunc non peccaret, vbi insinuat, eum peccare: loquitur enim de occisione, quam priuata autoritate facit: nam de publica autoritate præmiserat, licitum esse eam accusare, & vsque ad mortem persequi.

Nota.

Attamen lex Hispana consultò adulteram non lictori tradit, qui iussu viri in eius præsentia eam iugulet; sed ipsi viro, vt commiserandus aspectus supplicis fœminæ vehementius eius viscera ad misericordiam commoueat, & cruentum ipsum facinus eius animum deterreat, ne proprias scilicet manus sanguine intingat, vileque officium atque infame exerceat. Hæc enim omnia possunt feruentem bilem hominis stupore illo mitigare. Nihilominus tam perdita esse posset mulier, tamque eius emendatio desperata, & ex altera parte tanta infamia virum respergens, vt potius viro esset ad iustitiam, quàm ad misericordiam propendendum. Euentus tamen huiusmodi quàm rarissimus est, quare consulendum est illi, vt à rigore illo animum temperet.

Adulterij crimen est mixti fori.

Colligito ergo inter diuortij iudicium & necis discrimen. Etenim quoniam diuortium ad emendationem flagitiosæ fœminæ, atque ad eius spiritualem salutem celebratur, ad tribunal Ecclesiæ, cui incumbit de sacramento matrimonij, quatenus sanctificans est, decernere, iudicium illud defertur. Alterum verò iudicium, quod ad vindictam fit, ad forum ciuile pertinet. Rursum in priori iudicio & foro admittitur vxoris exceptio viro idem flagitium obijcientis, qua ideo exceptione protegitur, in posteriori verò eadem exceptio non auditur. Nam cum adulterium viri nec tam infame sit, nec tam pernicioſum in proles & hæredes, nequaquam criminali pœna vindicatur. At verò super idem crimen non admittitur vtrumque iudicium. Quare si vir diuortium ab Ecclesia poscat & obtineat, nequit postea vxoris caput in foro ciuili petere, nisi post diuortium iterum pertinax ad spurcitiæ volutabrum reuertatur. Ad hæc demum si vir priuatim deprehensam in adulterio interimit, ius retinendæ dotis amittit, cùm verò publica autoritate eam capite truncat, dotem iure sibi acquirit & arrhas, vt Doctores super l. pen. ff. solu. matri. adnotant, Et Hispanis Taurina lege 82. sancitum est.

Discrimen vtriusque fori.

Indicium vnum parit excep. rei iudicatæ.

Dotis amissio.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd ex lege agere priuatis personis ob rationes superiùs allatas non permittitur, sed est in publico iudicio res cognita causa condemnanda.

Sol. 1. arg.

Ad secundum respondetur, quod correptio patrisfamilias non vltra se extendit quàm vsque ad correctionem & emendationem familiæ. Quare ei non permittitur carceres habere aut iudiciale forum, sed flagellare, aut aliquid huiusmodi leue: Atque adeò multò minus ei conuenit extremum supplicium capitis infligere aut mutilationis, sed hoc iudicio Reipublicæ reseruatur.

Sol. 2. arg.

Canon verò Interfectores, qui tertio argumento adductus est, insinuat, interfectores adulterarum, dummodo id publica autoritate faciant, non esse censendos homicidas, secus si vxoricidium perpetrent autoritate priuata.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum vxoricidium sit impedimentum matrimonij ipsum dirimens.

Sv BSEQVITVR de impedimento vxoricidij, & arguitur, quod matrimonium non dirimat. Interfectio vxoris si consideretur quatenus fides matrimonij obstat, minus matrimonio repugnare videtur, quàm adulterium: si vero consideretur ratione grauitatis, grauius est matrem occidere: sed tamen neque adulterium, neque matris occisio est impedimentum, ergo neque vxoricidium.

Pars negatiua 1. arg.

Secundo arguitur. Grauius peccatum videtur occidere alterius vxorem vel maritum propter adulterium, quàm propriam, quia minus ad eum attinet illorum correptio: sed tamen occisio alterius mariti non impedit matrimonium, vt patet exemplo Dauidis, qui postquam cum Bersabee adulterium commisit, ipsius marito Vria occiso, eam sibi matrimonio copulauit: ergo vxoricidium non impedit matrimonium.

2. Arg.

In contrarium est can. Interfectores 33. q. 2. quo interfectores suarum coniugum ad pœnitentiam commouentur, & deinde aliarum coniugio priuantur.

Pars affir.

Hic in primis distinctio trimembris supponenda est, atque adeo trina conclusione respondendum. Aut enim vxor publica autoritate à marito occiditur, aut priuata.

Si publica, tunc prima conclusio sit, quod huiusmodi vxoricidium nullum censendum est matrimonij impedimentum: nam sacri canones hoc impedimentum non nisi ob solum peccatum decernunt: cùm igitur illic nullum committatur, fit, vt nullum inde contrahatur impedimentum.

1. Concl.

Si vero tale vxoris homicidium priuata autoritate patretur, tunc aut id fit propter odium, aut propter fornicationem, aut propter aliam quamuis id genus occasionem aut causam, & de hoc sequitur conclusio secunda, quod tale vxoricidium impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, vt art. 1. dictum est. Et hoc est quod sancitur can. Interfectores. & can. Admonere. 33. q. 2. Quare licet vir vxorem in flagranti adulterio deprehensam occidat, huiusmodi surgit impedimentum: quia culpæ labe commaculatur. Est tamen impedimentum, vt illic diximus, per episcopum dispensabile.

2. Concl.

Sed si vxoricidium fit cum adulterio aut alio iniquo proposito aliarum nuptiarum commixtum, de hoc statuitur tertia conclusio. Tria sunt crimina ad mortem coniugis relata, quæ matrimonium non modò impediunt contrahendum, verùm & contractum dirimunt, quæ Alex. 3. in c. Proposuit. de eo qui duxit in matrimo. quam polluit per adulte. & D. Tho. impræsentiarum, Ricardusque & cæteri referunt. Primum est, adulterium cum machinatione in mortem alterius coniugis. Secundum, adulterium cum fide, quam adulter dat adulteræ, quòd eam post mortem coniugis ducet. Tertium, quando qui vxorem habet cum altera de facto contrahit, si tamen adulterium interueniat.

3. Concl. Tria crim. matr. etiam contractum dirimunt. Primum. Secundum. Tertium.

Obijciat quis forsan statim decretum Leonis primi, can. Nullus. 31. q. 1. qui generalissimus est: scilicet, nemo ducat in matrimonium, quam priùs polluit per adulterium, vnde titulus Decretalium desumptus est. Illic enim adulterium ponitur pro impedimento, quamuis nulla mortis machinatio intercedat. At verò, vt bene ait glossa, condimento & moderamine opus habet canon ille, vt verus sit. Nam adulterium, nisi in tribus positis casibus, non impedit, quin mortuis coniugibus adulter cum adultera contrahere possit. Et pariter est restringendum can. Illud vero, ibidem, vbi idem statuitur, scilicet quòd qui fornicatus est cum vxore alterius, mortuo eius viro non possint matrimonio coniungi: nam solum adulterium non potest esse causa tam atrocis pœnæ.

Obiectio. Solutio. Can. Illud. 31. q. 1.

Quando autem adulteri machinantur mortem ipsorum coniugum, tunc in perpetuum spe matrimonij inter se frustrantur, can. Si quis viuente. 31. q. 1. & ca. Super hoc, de eo qui duxit in matrimo. quam polluit per adulter. Et causa huius impedimenti est enormitas criminis, vt ait Ricardus: quia non solum violatur

Machinatio mortis.

torus, sed interficitur coniux. Et præterea si in tali casu adulteri non in perpetuum interdicerentur inter se matrimonio, occasio daretur adulteris suos enecandi coniuges, vt se inuicem copularent. Quando verò talis machinatio mortis non intercessit, non eadem ratio currit, vt impedimentum, sed locum tunc habet sententia Augustini, de nuptijs & concupiscent. eadem caus. & quæstio, cano. Denique, vbi ait, quòd mortuo eo, cum quo fuit verum connubium fieri potest coniugium cum qua præcessit adulterium. Et in de bono coniugali, Posse, inquit, sanè fieri legitimas nuptias ex personis illicitè coniunctis, honesto placito subsequente, manifestum est. Nam concubinarij possunt postea coniugari. Et intelligitur crimen æqualiter ex vtraque parte, vt si adulter machinatur mortem propriæ vxoris, aut mariti adulteræ, aut adultera pari modo. Ricard. verò hic, & Sylvest. verb. Matrimonium 8. q 9. aiunt quod requiritur, vt machinatio in mortem sit illo fine vestita contrahendi matrimonium. Quare si adulter maritum adulteræ in bello interfecerit, aut alia causa, aut casu, non impeditur, quin postea possint adulteri contrahere. Caietanus verò in summa verb. Matrimonium, impedimento 5. hanc exceptionem non approbat: quia canones illam non faciunt. Videtur autem dicendum, quod quantum ad præsumptionem Ecclesiæ quomodocunque sequeretur homicidium, impediretur matrimonium, quia censeretur illo fine factum. Sed in conscientia si homicidium fieret non illo fine, & esset occultum, nec in iudicium delatum, credo non impediret.

Sententia Authoris.

In conscientia.

Maius autem dubium est, vtrùm sufficiat homicidium sine adulterio: vt si duo, qui mutuis complexibus frui cupiunt, impediuntur, quia alter illorum est coniugatus, occidunt coniugem antequàm se polluant, vt postea copulentur. De hoc dicendum, quod si ambo adulteri in mortem coniugis machinẽtur homicidium, sine præcedenti adulterio sufficit, ad dirimendum postea matrimonium. Et est casus in ca. Laudabilem. de conuersio. infideli. videlicet, quod quidam Saraceni suggestione quarundam Christianarum viros earum occiderunt, & postea conuersi per easdem Christianas ad fidem volebant eas ducere, quibus tamen Cælestinus 3. præcepit, ne ducerent, aut si duxissent, separarentur. Hinc infert Sylvest. cum alijs, quod si tantùm vxores machinatæ fuissent in mortem suorum virorum, aut tantùm Saraceni sine earum consilio, non esset impedimentum, quia adulterium non præcesserat, secus si præcedisset. Adulterium verò solum etiam cum machinatione in mortem, nisi mors in effectu sequatur, vt hic planè ait S. Thom. non sufficit, quia prædicti canones de morte loquuntur.

An impediat homicidium sine adulterio.

Responsio.

Casus ca. Laudabilem.

Appendix.

Secundus casus habetur in citato c. Propositum. & ca. Veniens. & cap. Si quis vxore, de eo qui duxit in matrimo quam polluit, &c. Et potissimum in concilio Triburiensi can. Relatum. 32. q. 1. vbi habetur, quod qui viuente propria vxore, ei, cum qua adulteratur, fidem præbet, quod mortua vxore illam ducet, in perpetuum impeditur cum illa contrahere, & si contrahatur, matrimonium dirimitur. Et ratio huius impedimenti est, ne fide illa data affectantes illi coniugis mortem, eam procurent. Et idem est si iuramentum vnius interueniat, dum modo adulterium de facto perpetretur siue ante, siue post fidem datam.

Fides data adultera.

Iuramentum.

Tertium verò crimen his simillimum est, quando de facto adulteri contrahunt viuente alterius vel vtriusque coniuge c. si. De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulte. Ista verò duo postrema crimina intelliguntur, quando adultera cui fides datur, vel cum qua contrahitur, conscia erat adulterum tunc esse coniugatum, secus si id ignorasset, vt hic ait S. Th. Imò & ipsi canones id planè explicant. Et intelligitur impedimentum, si adulter solutus postquam sciuit alteram habere maritum, illam eo viuente fide data cognouit, vel postquam eam cognouit, fidem dedit. Si verò viuente marito solum alterum præcessit, scilicet vel adulterium, vel contractus matrimonij de facto, aut fides, licet illo mortuo alterum contingat, non impeditur matrimonium: quia mortuo marito non committitur adulterium.

Coniugatus contrahens secundo.

Quod dicimus de adultero dante fidem adulteræ, vel cum illa contrahente, intelligendum etiam est è conuerso de adultera præbente adultero fidem. Et ait Ricardus, quod nuda promissio cum adultero sufficit, vt sit impedimentum: nam illa reputatur sponsalia de futuro. Dicitur autem scire, non solùm qui certò scit, sed qui probabilem habet opinionem, c. Inquisitioni. de sent. excomm. At verò adulterium sine fide data, aut matrimonio contracto non impedit quominus postea defunctis coniugibus possint contrahere, vt cap. Significasti, de eo qui duxit, &c.

Nota.

Nuda promissio.

Nota.

Dubium autem est, si coniugatus fidem dedit Mariæ sine adulterio, & mortua vxore ducit Bertam, & postea adulteratur cum Maria, vtrum tunc exurgat impedimentum, vt mortua Berta nequeat contrahere cum Maria. Ioan. And. super c. Si quis. eo. tit. ait non esse matrimonium: quia iam concurrit fides data cum adulterio, licet in diuersis matrimonijs. Panorm. verò ibidem id negat: quia contrahens cum Berta videtur recessisse à fide data Mariæ. Et profectò hæc est vera opinio, vt ait Sylvest. verb. Matrimonium 8. q. 9. quia hoc crimen dandi fidem propterea est impedimentum, quia gignitur inde spes contrahendi, & inde machinatio in mortem: sed per secundum matrimonium iam tollitur illa spes: quare nisi machinatio & mors intercedat, non est impedimentum.

Dubium.

Vera opin.

Postremus casus est, quem ponit impræsentiarum Ricardus, si Maria sub hac fide cum Petro in adulterium consentit, vt defuncto marito ipsius Mariæ, & vxore Petri, ducet eam in vxorem, quam Berta eidem consuluerit: & postea mortuis coniugibus Berta consulit Petro, vt ducat Mariam, vtrùm possit eam ducere. Respondetur, quod si Maria hoc fecit, fraudulenter sciens Bertam consulturam Petro, vt se ipsam Mariam duceret, certè est impedimentum: quia Maria fraude seduxit Petrum: quare perinde reputatur ac si fides daretur ei. Quare licet ipse bona fide illud promitteret, tamen ex fraude Mariæ ortum est impedimentum: quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, ca. Aduersus, extra. de immun. Eccle. Si verò Maria illam fidem à Petro non per fraudem, sed alia causa accepit, s. quia credebat à Berta bene consultum iri Petro, vt probam vxorem eligeret, nullum emergit impedimentum.

Postremus casus.

Solutio.

Ad primum igitur arg. respondetur, quòd licet adulterium directius fidei coniugum opponatur, tamen occisio vxoris atrocius amorem violat, quo debent esse coniuges confœderati: & ideo magis reddit hominem indignum, cui vxor altera concredatur. Sed quando adulterium vsque ad machinationem mortis vxoris prorumpit, quamuis non sit tam atrox, quàm occisio matris, est tamen legibus matrimonij aduersissimum. Qua de causa & præterea ad cauendam vxoris necem, quæ vsu semper ex affectu ad transitum ad alias nuptias accidere solet, sanctè institutum est, vt matrimonium cum tanta pernicie contractum dirimatur.

Sol. 1. arg.

Ad secundum respondetur, quòd qui casu alienum maritum occidit, non tam contrarius est alterius matrimonio, quàm si vxorem occideret. Si tamen illud faciat, vt adulteram sibi matrimonio adiungat, iam dictum est esse impedimentum. Ad aliud autem de Dauid & Bersabe respondetur, quod in lege Mosaica multa permittebantur circa matrimonium, vt plures habere vxores, & repudium, quæ in lege euangelica permitti non licet.

Sol. 2. arg.

ARTICVLVS V.

Vtrum ligamen sit impedimentum matrimonium dirimens.

ALIVD impedimentum solet superioribus adhiberi, quod est ligamen, nempe cum quis matrimonium de præsenti contraxit: tale enim matrimonium, licet non sit peccatum, sed genere suo virtus, est tamen impedimentum, quod dicitur ligamen contrahendi aliud viuente coniuge, sicuti ordo & votum, vt dist. seq. videbimus. Arguitur autem quod hoc non sit impedimentum. Alioqui enim sequeretur, quod sæpe coniux citra suam culpam compulsus esset vitam cœlibem perpetuo ducere, vt si alter perpetua infirmitate laboraret.

Pars affir. arg. 1.

2. Argum.

Et secundò sequeretur, vt quamuis maritus longissimo tempore abesset, neque vxor certior fieri posset, mortuus ne esset, an viuus, nunquam posset cum altero pacto matrimoniali coniungi, quod est concessu difficile.

Pars affir.

In contrarium tamen est ca. Accepisti. atque omnes alij sub titulo de sponsa. duorum. vbi duo connubia tanquam iure diuino interdicta prohibentur.

quæstio

Decis. artic.

Quæstio hæc ex his, quæ superius diuersis locis dicta sunt, solutionem sortitur. In primis de sponsalibus de futuro, quo modo dissoluantur, dictum est dist. 27. q. 2. De matrimonio verò rato non consummato, quòd non nisi per solùm religionis ingressum dirimi valeat, ostendimus. ead. dist. q. 1. vbi ostensum etiam est super matrimonio rato Pontificem maximum neutiquam dispensare posse, vt illo distracto alia possint coniuges inire connubia. Atque adeò subinde monstratum est matrimonium consummatum nullo modo aut via posse dissolui. Id quod dist. 35. q. 2. rursus confirmatum est, nempe quòd repudio antiquæ legis nullatenus in noua locus concedatur. Ac demum ead. d. quæst. 1. pro consultissimo reliquimus per legem euangelicam neutiquam polygamiam licere, neque viam dispensationi super hoc patere.

1. Concl.

Ex ijs ergo omnib. colliguntur tres conclusiones, quibus ad quæstionem respondetur. Prima. Matrimonium per verba de præsenti legitimè contractum, siue consummatum fuerit, siue non nisi ratum, ligamen est & impedimentum dirimens quodcunque aliud viuente coniuge contractum, perinde ac de ordine sacro & solenni voto subsequens nos distinctio docebit. Id quod & titulus de sponsa duorum admonet. Ad canonem autem Gregorij, Quod proposuisti. 32. q. 7. quo permittere videtur, vt viuente vna vxore maritus aliam ducat, d. 33. satis responsum est.

Igitur vbi coniugato (& idem de fœmina censendum) acciderit propter aliquam ignorantiam nouas inire nuptias, duæ sunt considerationes habendæ, prior de facto, vtrùm matrimonium teneat, posterior de fide, qua contractum est, an bona fuerit, an culpæ rea.

2. Concl.

Sit ergo secunda conclusio quantum ad factum. Quodcunque matrimonium viuente coniuge, qui mortuus creditur, contractum, quantumuis optima fide & absque culpa fuerit initum, quotiescunque compertum fuerit priorem coniugem viuere, dirimendum est, vt prius matrimonium in suo vigore permaneat. Itaque licet maritus viginti aut triginta pluribúsve annis fuerit absens, idemque mortem obijsse creditus, atque vxor idoneis legitimisque testibus certior eius mortis facta alium virum, ex illoque plures liberos susceperit, quandocunque prior comparuerit, tenetur, secundo matrimonio soluto, ei vt legitimo coniugi adhærere. Decretum est Leonis Papæ can. Cùm per bellicam. & cano. Cum in captiuitate. Et, Si virgo. 34. q. 2. Et ratio est manifesta, quia prius nunquam fuit solutum, atque adeò neque secundum fuit solidum quantumuis absque culpa contractum. Et ideo ait tali euentu illic Pontifex, quòd cum præceptum sit, vt quos Deus coniunxit homo non separet, necesse est vt legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus.

3. Concl.

Ex hac sequitur tertia conclusio à contrario sensu, quòd quamuis mala fide, ac subinde graui culpa secundum fuerit contractum: nempe quia vehemens opinio vigebat priorem maritum viuere, si mutuus adfuerit de præsenti consensus, cum intentione contrahendi, & re vera ille erat vita defunctus, matrimonium secundum tenet: quia omnia tunc, quæ sunt de essentia, concurrerunt. Itaque stat, quòd sint veri coniuges, & nihilominus reddendo & petendo debitum propter malam fidem delictum committant. Si verò tanta erat mala fides, quòd contrahens credebat matrimonium non tenere, tunc non posset adesse intentio contrahendi, & sic matrimonium nullum esset. Secus si iure credebat matrimonium tenere cum illo minus probabili dubio de morte viri, licet esset peccatum.

Quatenus verò res ad bonam vel malam fidem attinet, dubitatur, quanta certitudo sit necessaria vt absente coniuge possit alter ad alias transire nuptias. Est enim casus vsu frequentissimus, idemque perplexissimus.

4. Concl.

Sit ergo quarta conclusio. Ad hoc quòd huiusmodi fides bona sit, & à culpa liberetur, exigitur moralis certitudo secundum arbitrium & iudicium prudentum, s. per nuncium, aut per æquiualens testimonium. Sic nos admonet Clemens 3. ca. In præsentia, de sponsalib. Quæsitum enim illic fuit vtrùm quæ post septennium absentem præstolata est virum, nec certificari potest de eius morte, quamuis solicitudinem diligentem ad id adhibuerit, & præ iuuenili ætate continere non potuerit, possit ad alias transire nuptias. Et respondet Papa, quòd cùm quantocunque tempore absentes fuerint, ijdemque viuentes, viri, ne queant aliud inire coniugium, non est cum huiusmodi fœminis dispensandum, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. Et Lucius Papa cap. Dominus. de secund. nuptijs similiter ait, vt nullus talis ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migrauerit coniux eius. Idemque & iure ciuili cautissimum est, vt C. de repudijs. Auth. Hodie. & in Auth. vt liceat matri & auiæ. §. Quod autem. colla. 8.

Cap. Dominus.

Ca. In præsentia.

De hac verò certitudine, quæ sufficit dubium coniugem secundas nuptias conciliantem à culpa excipere, Iurisconsulti multa congeminant verba, vt refert Syluest. verb. Matrimo. 8. q. 13. Sunt enim qui dicant, non requiri omnino certum nuncium, sed sat esse probabilitatem moralem: nam prædicta capitula, quæ certum nuncium requirunt, loquuntur quantum ad Ecclesiæ certificationem, quæ requiritur, vt licentiam conferat contrahendi. Maior enim, aiunt, certitudo requiritur in Ecclesia propter suam grauem autoritatem, quàm in persona vt priuatim contrahat. Sed re vera hoc non satis tutò assertum est. Crediderim namque non minorem certitudinem requiri in persona quàm in Ecclesia, si tale testimonium posset ad eandem Ecclesiam deferri.

Qua certitudo sufficiat.

Opinio Canonistarũ.

Sententia autoris.

In primis ergo hoc in præsentia est obseruandum, quòd re dubia potiùs inclinandum est in fauorem prioris matrimonij, ne contrahatur secundum, quandoquidem possessio, cuius melior conditio est, in fauorem prioris proclamat. Et in contrahendo secundo matrimonio imminet periculum, quod nullum sit, & in abstinendo ab illo nullum timetur. Hinc fit, quòd quamdiu res est dubia: nempe quod nullus est vel assensus, vel dissensus, sed animus pendet (hæc enim dicitur res dubia) nullatenus licet ad alias nuptias commigrare: quia illic esse nequit bona fides. Neque verò sufficit tenuis opinio de morte coniugis, sed requiritur tanta aut per nuncium, aut saltem per testes, vt iudicio prudentum non solùm probabile, sed certum iudicetur. Quare, vt reor, nec coniectura, nec fama sufficit. Nisi forsan re diligenter exquisita longitudo absentiæ, vel vniuersalis fama, vbi coniux commorabatur, obitum eius contestetur. Quod dictum est de morte absentis coniugis, id quoque intelligendum est post matrimonium ratum non consummatum dum fertur religionem esse professum.

Re dubia non licet secundo nubere.

Dum verò coniugatus, qui ad secundum transiuit coniugium, de vita coniugis hæsitat, tunc iubet Pontifex in allegato ca. Dominus. de secund. nup. vt debitum reddat, non tamen exigat. Idemque habetur cap. Inquisitioni. de sentent. excommu. Hanc autem consultam sententiam auscultandam reor secundùm intelligentiam, quam d. 27. q. 1. art. 3. explicuimus. Meditandum quippe est, vtrum possessio bonæ sit an malæ fidei. Qui n. mala fide in secundum illud matrimonium se immersit, ius petendi non acquisiuit: quia mala fides nemini suffragatur: & ideo neque exigere, neque reddere potest: quia matrimonium fuit claudicans ex parte iniquè contrahentis, ob idque neque ipse, neque alter coniux possessionem exigendi acquisiuit. Si verò bona fide pactum fuit contractumque matrimonium, tunc locum habent prædicta decreta: intelliguntur quippe de illo qui bona fide non dubitans, sed secundum arbitrium prudentum contraxit, & postmodum quia nouos audit rumores de cõiugis vita incipit dubitare, non quidem scrupulo leui, sed morali. Tunc enim reddere quidem debet, exigere tamen nequit. Quod tamen sic intelligere mihi videor, quòd non possit exigere quousque rursus diligentem nouam inquisitionem peragat ad explorandum vtrum coniux viuat. Illa tamen arbitrio sapientum adhibita si nihil comperti habere potest, licebit & deinceps sua vti petendi possessione, quam bona fide ingressus est, vt non solum reddere, verùm & exigere valeat.

Nota.

Considerationis duplex.

Atqui ad hoc propositum Magister Sentent. dist. sequen. 38. ait, quod si vir relicta in patria sua vxore in longinquam abiens regionem aliam ducat (scilicet mala fide credens priorem superstitem) & deinde pœnitentia ductus secundam dimittere volens ad priorem legitimam redire conetur, sed Ecclesia ad petitionem secundæ ex falsa præsumptione procedens eum cum eadem secunda commanere compellat, incipit, inquit, excusari propter obedientiam & timorem de hoc quo l.

Opin. Mag. Sent.

Digitized by Google

poscenti mulieri debitum reddit, à qua ipse nunquàm poscere debet. In hoc autem Magister non tenetur, sed meritò reprobatur illis rationibus, quas distinct. 28. artic. 2. demonstrauimus. Imò vt venerabilis Hugo parte 11. de sacramen. cap. 6. locupletissimè disseruit, citiùs debet talis coniux martyrium perpeti, quàm debitum contra conscientiam reddere: & tunc maximè, quando conscientia legitima est, & rationi consona: nam reddendo fornicationem committit: ad quam Ecclesia hominem compellere non potest. Sententia enim Ecclesiæ ex falsa præsumptione procedens eum non ligat, qui certus est contra veritatem fuisse prolatam, tametsi Ecclesia iustum ferat iudicium, quando secundùm allegata & probata sententiam pronunciat.

Magistri opinio reprobatur.

Solutio argumentorum.

Argumenta igitur in contrarium soluta per hæc quæ dicta sunt, censentur. Nihil enim absurdi habet, quod homo propter euentus, qui accidere solent, manere debeat vsu coniugali priuatus.

DISTINCTIO TRIGESIMAOCTAVA.

DE IMPEDIMENTIS ORDINIS, ET VOTI.

Textus. Cap. 1.

HACTENVS de impedimentis tum alijs, tum etiam criminum, nunc verò & de alijs ad religionem pertinentib. initur sermo. De ordinibus ergo sic discernere sacris canonibus admonemur, vt minores quidem nullatenus matrimonium respuant. Sic enim ait Leo Papa, can. Seriatim. dist. 32. Lectores, ostiarios, exorcistas, acolytos, si extra votum & habitum inueniuntur, & continentiam profiteri nolunt, vxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit, non viduam, nec repudiatam, alioqui ad subdiaconatum deinceps prouehi non poterunt. Maiores verò, qui sacri habentur, ordines tum ineundo matrimonio obsunt, tum, etiam si contrahatur, dirimunt, vt in concilio Carthaginēsi sub his verbis habetur. Placuit episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos etiam ab vxoribus abstinere: quod si non fecerint, etiam ab ecclesiastico remoueantur officio: cæteros verò clericos ad hoc non cogi. Adeò ergo semper fuit sacris ordinibus hæc habita reuerentia, vt neque occidentalis, neque verò orientalis Ecclesia cuipiam sacris ordinibus initiato ad nuptiarum contractum retrogradi siuerit. Vnde antiquissimus Calixtus canon. Presbyteris. distinctione 28. Presbyteris, inquit, diaconibus, & subdiaconibus & monachis concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitus interdicimus, contractaque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi iuxta sacrorum canonum definitionem iudicamus. Et in sexta Græcorum synodo, Si quis eorum, qui ad clericatum accedunt, voluerit nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat.

Eadem distinct. cano. Placuit.

Can. Si quis 32. dist.

Cap. 2.

At verò quoniam Græci ordinibus non admittunt adnexum solenne votum castitatis, quamuis propter ordinis dignitatem eos, qui ordinati sunt, coniugari deinceps non sinant, coniugatos tamen neque ab ordinibus suscipiendis repellunt, neque ab vxorio vsu cohibent, vt ex sexta synodo Gratianus cano. Quoniam, retulit. Veruntamen Ecclesia Latina, ab ipso Apostolorum tempore sic instituta, huiusmodi solenne votum ordinibus agnoscit adnexum: ob idque coniugatos, nisi vel diuortio celebrato, vel de consensu vxoris castitatem vouentis nullatenus sacris ordinibus initiari permittit, vt Gregor. Papa hisce verbis ait, Nullum facere Diaconum Episcopi præsumant, nisi qui se castè victurum promiserit: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ordinem fuerit approbata. Quamuis quomodocunque ordines sacri matrimonio superueniant, sacramentum cum suo charactere suscipiatur. Quo fit, vt Græcorum mos non ex aliqua Ecclesiæ sanctione, sed ex Vigilantij aut Nicolaitarum errore originem duxerit, qui, vt ait Hierony. & libr. de hæresibus August. neminem, nisi prius coniugatum, ad sacros ordines admittebant. Hunc enim errorem Niceta Græcus suæ genti persuasit, vt Vmbertus Leonis noni legatus in libr. contra ipsum refert. Quorum duritiem Ecclesia Latina miserata cum ipsis dispensare censetur.

Diff. 32.

28. dist. can. Nullum.

Cæterum vt sacris ordinibus, votorum religionem ea præcisa ratione, qua ad rem præsentem attinet, adiungamus, votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, eiúsve diuis, & ex ijs quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Votorum autem, vt alias à loco presenti extraneas diuisiones omittamus, aliud est priuatum & simplex, aliud verò solenne. Simplex quidem est nuda promissio, qua homo se aut sua Deo pollicetur. Solenne verò est illud quo sese in dominium & possessionem Dei & prælati eius vicem gerentis tradit. Quo fit, vt simplex votum matrimonium quidem sub reatu mortalis labis interdicat contrahendum: esset enim fidem Deo obstrictam infringere: illud tamen non dirimit: nam qui promisit, nondum dominio expoliatus est, quominus si se alteri dedat, contractus consistat. Votum verò solēne non solum contrahendum impedit, verùm & contractum diluit: nam dominium Deo traditum ab illo abdicari non valet. Vnde ad Iulianum August. In viduali continentia & virginali excellentia virtute electa & voto oblata iam non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est. Et Hieron. Vouentibus, inquit, virginitatem & viduitatem non solum nubere, sed velle damnabile est. Id quod Apostolus Timoth. scribens admonet, viduas enim, inquit, adolescentiores cuita: cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem (scilicet quam Deo vouerunt) irritam fecerunt. Hisce ergo verbis August. & Hieronym. tam simplex votum quàm solenne designant. At verò Gregor. ad Bonifacium scribens distinctiùs ait, Viduas à proposito discedentes viduitatis (per nuptias videlicet) nisi conuertantur, Apostolica autoritate damnandas censemus, nempe quousque ad bonum, quod cœperunt, vel voluntariæ vel in-

Cap. 3.

Voti finitio.

Voti diuisio.

Simplex.

Differentiæ

Can. Nupturarum. 27. q. 1.

27. dist.

1 Tim. 5.

Can. Viduas 27. q. 1.

tiræ

uitæ reuertantur. Hactenus de solenni voto. Et subdit statim. De virginibus autem non velatis (puta quæ votum duntaxat simplex susceperunt) si deuiauerint, à sanctæ memoriæ prædecessore nostro Papa Innoc. taliter decretum habemus. Hæ verò, quæ nondum sacro velamine sunt tectæ, si nupserint, aliquanto tempore ijs agenda pœnitentia est: quia sponsio à Domino tenebatur. Virgines enim non velatas eas censet, quæ votum solenne non susceperunt. Et extat decretum Innocentij ibidem canone, Hæ verò.

Cano. Hæ verò. 27. q. 1. Cap. 4.

Qui ergo post votum simplex nuptiarum sarcinam sibi imposuit, exigere quidem coniugale debitum propter fidem voti non potest, reddere tamen propter fidem coniugi datam tenetur. Sic nos enim Pontifices sub titulo, de conuersione coniugatorum, atque alibi pluribus decretis commonent. Ad hæc Innoc. pontifex. capit. Cum ad monasterium. de statu monacho. adiecit, quòd abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo adnexa est regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit indulgere. Vbi diuinum ius interpretatus super votum solenne nullam dispensationem locum habere decernit.

Cap. Quidam & ca. placet.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆOCTAVÆ.

Quæstio prima.

DE IMPEDIMENTO ORDINIS.

ARTICVLVS I.

Vtrum ordo matrimonium impediat.

SVBSEQVITVR in hac dist. de ordine & voto disputare: quæ igitur distinctio duabus opus habet quæstionibus, quarum prima est de ordine, atque altera de voto. Arguitur ergo, quòd susceptus ordo nullum sit matrimonio impedimentum. Nihil impeditur nisi à suo contrario: ordo verò non est matrimonio contrarius, quia vtrumque est sacramentum, imò verò cùm matrimonium coniunctionem Christi & Ecclesiæ significet, in ministris potissimum eiusdem Christi & Ecclesiæ congruens esse videtur, vt eadem significatio per matrimonium fulgeat.

Partis neg. arg. 1.

Secundò. Si ordo matrimonium impedit, id quidem virtute spiritualis rationis facit: spiritualis verò ratio in omnibus, etiam minoribus ordinibus, inest: ergo & minores impedimenta essent matrimonij, cuius contrarium decreuit Alexander 3. capit. 1. de clericis coniugatis, & can. Seriatim. distinct. 32. ergo ordo non est impedimentum.

2. Argum.

Tertiò. Eadem nobis est cum orientalibus Græcis Ecclesia: illorum verò presbyteri à re vxoria non cohibentur, vt can. Aliter. dist. 31. Stephanus Papa refert: ergo neque nostri arceri deberent.

3. Argum.

In contrarium est eadem Alexandri Decretalis, Si in subdiaconatu & alijs superioribus ordinibus vxorem suscepisse noscuntur, eos vxores dimittere compellere procuretis.

Pars affir.

Quæstio hæc latissimum nobis dicendi campum offerebat, quàm Ecclesiasticos ministros florida vitæ castitas deceat, nisi quæstio sexta, quam septimo libro,

Decis. art.

De iustitia & iure, locupletissimè disputauimus, & pro tenui ingenio nostro de hac re elaborauimus, ab hoc nos modò labore & negotio liberasset. Impudentissima enim hæresis, quæ sacerdotum cœlibatum labefactare contendit, à Iouiniano (quicquid alij dicant) cœpit, quam Vigilantius, vt Hieronymus ad Riparium epistola 2. refert, impudentissimè auxit, non solum permittens, sed compellens, vt nullus ordinaretur diaconus antequam matrimonium iniret. Hanc ebibit hæresim postmodum Witcleff, vt Thomas Waldensis tom. 2. de sacramentis c. 128. refert. Ac subinde Lutherus in illo suo sæpe damnato libello de abroganda missa priuata, Satanica rabie furens, contra clericorum cœlibatum inuehit dicens, nequaquam Papam posse clericis matrimonium interdicere. Hæc omnia illic copiosè art. 1. retulimus, abundeque perinde illis demonstrauimus, qui Græcanicum morem Latinis impingere affectant, quam sit ex visceribus euangelij sancta hæc institutio deducta, vt sacri Ecclesiæ ministri à re vxoria esse debeant alienissimi. Christus etenim ipse, vtique de intacta virgine natus, virginitatis ipse decus, Ecclesiam ceu columbam candore virgineo nitentem, sibi connubio copulauit, id exemplo suo sacerdotes docuit, quibus eandem Ecclesiam desponsauit, vt virgini si non virgines, saltem cœlibes fidem seruarent. Mox & cordis nitor, & corporis mundicies, quam tractatio corporis & sanguinis Christi expostulat, id ipsum eos commonet. Deinde & altissima meditatio, assiduaque orationis perseuerantia, & sacrorum impensissima lectio, quibus dediti esse debent, coniugali consortio è diametro aduersantur. Præterea solertissima cura, quam erga pauperes, viduas & orphanos gerere tenentur, solicitudinem familiæ, vxore & liberis occupatæ non permittit. Neque verò authoritas & dignitatis splendor, quibus reliquo populo antecellere debent, sinit vt cum vxoribus, sicuti reliquum vulgus, misceantur. Præterquam quod si liberos fas illis esset procreare, omnes illuc neruos intenderent, vt quasi hæreditario iure illis sacerdotia relinquerent. Hæc pauca ex illa disputatione detruncauimus, quam solertissimus quisque amplissimam illic & copiosissimam visere meditaque potest.

Hæresis impudentissima.

Prima congruentia.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Quo ergo satis præsenti loco faciamus, quæstio hæc geminum habet sensum: primum de ordinibus, quemadmodum susceptis impedimento sint, ne matrimonium deinceps contrahatur. Secundum verò vice versa, quemadmodum contractum matrimonium ordinibus suscipiendis viam claudat. De vno disputabit articulus primus, & de altero secundus.

Duplex sensus quæstionis.

Ad priorem igitur vnica illaque bimembri conclusione respondetur. Ex ordinibus minores quidem, qui sacri non censentur, nullum sunt matrimonio contrahendo impedimentum: maiores verò, qui sacri sunt, non solum contrahendum impediunt, verùm & contractum dissoluunt. Vtraque conclusionis pars constitutio est Concil. Carthaginensis canon. Placuit, & Leonis Pontificis contra epistolam Nicetæ Abbatis canon. Omnium. & can. Seriatim. 32. distinctio. & Alexandri decretali citata. de cleri. coniug. cap. 1. Multisque subinde alijs decretis, & celebri Occidentalis ecclesiæ vsu est constabilita. Cur autem quatuor minores ordines non dicantur sacri: subdiaconatus vero & reliqui duo superiores vt sacri habeantur, distinct. 24 quæst. 1. art. 4. præscripsimus. Qui enim autumant minores quoque esse sacramenta, aiunt ob id non esse sacros, quod eorum vsus non est sacras species Eucharistiæ tractare. Nos verò arbitrati sumus ob id non esse sacros, quod non sunt verè sacramenta. Atque inde argumentum exurgit, quod non fuerit necessarium minores illos ministros re vxoria interdicere: quia neque illa mentis spiritusque puritas aut corporis mundicies eis necessaria sunt, qui sacramenta non administrant. Minimè vero decet absque necessitate tantam hominum multitudinem à nuptiarum ritu repellere. Atque eandem ob rem neque onere persoluendi statis horis sacros psalmos obstringuntur.

Conclusio.

Probatur conclusio.

Nota.

Minores ordines matrimonium non impediunt.

Dum autem dicimus maiores ordines matrimonium dissoluere, non intelligimus si fuerat legitimum. Dum enim quis de consensu vxoris religionem vouentis, vel eadem per diuortium dimissa sacris initiatur, matrimonium non dissoluitur, sed vsus eius cessat. Dicuntur autem ipsum dirimere, vt in superioribus expositum est, quia post ordines sacros contractum nullum est, vt præter canones superiores ait Calixtus, cano.

Quando maiores ordines dirimant.

Presbyteris, vigesimaseptima dist.

Dubium. Dubium tamen est, quo iure ordo sacer à matrimonio ordinatum cohibeat: vtrum scilicet iure diuino, vt religionis professio. Quidam enim neoterici, vt Maioris in 4. distinct. 24. quæstio. 2. & Clichtoueus lib. de continentia sacerdotali c. 13. arbitrantur iure diuino esse prohibitum sacerdotibus matrimonium: quare, inquiunt, super hoc Papa dispensare non potest. Neutiquam tamen sententiam suam probant. *Argu.* Arguamus nos ergo in eorum gratiam. Apparet enim tam intrinseca ratione votum esse ordinibus sacris adnexum, quam religioni: & ideo ambo inuicem comparatur cap. vnico. de voto, libro sexto. Quare sicut iure diuino cum religioso dispensari non potest, vt matrimonium contrahat, ita nec cum sacerdote. *Solutio* Responsio tamen huius ex illo discrimine colligitur, quod lib. 7. De Iustitia & iure, quæstione 5. articulo 3. elucidauimus, nempe votum sic esse penitus de ratione religionis, vt eo exclusso religio desinat esse religio. Hoc enim ipsum nomen religionis sonat, quod solenne votum, quemadmodum si rationale sustuleris, hominem prorsus abstuliſti: non tamen sic est intrinsecum sacerdotio. Nil enim repugnat, quominus absque castitatis voto verè sit homo sacerdos, vt Græcorum mos nobis documento est. Doctrina est Sanct. Thomæ 2. 2. quæstione 88. articulo 11. Quicquid Caietanus reclamet, quem loco citato satis oppugnauimus. *Continentia ordinibus sacris adnexa iure positiuo.* Ex hoc ergo fit consequens, quod & si ordo quandam suapte natura secum adferat congruentiam decentiamque castitatis matrimonio repugnantem, non tamen ex se parit virtutem præcepti, vt eo ipso diuino iure, quo ordinis sacramentum institutum est, sint ordinati à matrimonio prohibiti. Sed præceptum hoc & prohibitio iure pontificio posita est. *Dispensatio pontificis.* Quod quidem præceptum Ecclesia ex decentia functionis sacrorum ordinum deduxit. Et ideo nihilominus potest super eodem præcepto dispensare, quamuis dispensatio cum sacerdotibus indecentissima esset, & Ecclesiæ pestifera, vt loco citato, De iustitia & iure, demonstrauimus. Quocirca pessilentissima est hæresis Lutheri negantis Ecclesiam tale præceptum edere potuisse.

Discrimen. Est tamen animaduertendum discrimen, quòd hic Sanctus Thom. inter Græcos & Latinos dignoscit, videlicet quòd apud Græcos ordo sacer solùm ex vi ordinis matrimonium impedit: & ideo post susceptos ordines neminem nuptias conciliare permittunt: non tamen habent ordinibus adnexum votum, vt Innocen. ait capit. Cùm olim, de cleri. coniug. Et ideo non solùm coniugatos sacris initiant, verùm & initiaros in vsu coniugali viuere sinunt, exceptis hebdomadibus, quibus altaris ministerio vacant. Vnde in sexta Græcorum synodo can. Si quis. dist. 32. Si quis, inquit, eorum qui ad clericatum accedunt, voluerit mulieri nuptiali iure copulari, hoc ante ordinationem diaconatus faciat. *Latini quare prohibeantur.* At verò Latini non modo propter ordinum dignitatem, verùm & propter votum quod habent adnexum, à matrimonio ineundo cohibentur: nam licet qui ordinatur, votum illic non exprimat, tamen ex statuto Ecclesiæ ibidem includitur. *Nota.* Quapropter non solum ordinati matrimonium contrahere prohibentur, & si id attentent, nullum est, sed etiam post contractum ab ordinibus suscipiendis excluduntur: nam votum in illis inclusum non modò contrahendo matrimonio, verùm & eius vsui impedimento est. *Discrimen.* Extat tamen discriminis plurimum, quòd susceptí ordines sacri matrimonium, quod post attentatur, prorsus tollunt, vt sit nullum: matrimonium verò contractum non sic ordinibus obstat, quin si coniugati illos susceperint, verum sit sacramentum, vt art. proximo repetendum restat.

Nota. Colligito ex his ergo nusquam gentium ab orbe vsque redempto vsu fuisse receptum, vt sacris ordinibus initiati (saltem presbyteratu) matrimonium contrahere permitterentur. Semper enim in hoc sancto ordinis sacramento illa fuit cognita confessaque dignitas, vt respuere matrimonium crederetur propter illas nuper à nobis insinuatas, & loco citato, De iustitia & iure, amplificatas, atque alijs pluribus auctas rationes. Quocirca, vt illic adnotauimus, demirandum se Caietanus exhibuit, quæstio. 12. primi quodlib. vbi hanc veritatem inficiatus ait, in more Græcis olim fuisse contrarium, propter verbum Stephani Papæ can. Aliter. distinct. 31. quod est hoc, Græcorum sacerdotes, diaconi & subdiaconi in matrimonio copulantur, ineptam existimans glossam, quæ verbum, copulantur, exponit, id *Glossa ca. Aliter. distinct. 31.* est, copulato vtuntur. Nam copulantur, inquit, non sonat, nisi quòd post ordines matrimonia contrahunt. Sed re vera verbum illud passiuum non actionem tunc præsentem, sed permanentiam in præterito designat, vt ait glossa. Sed absurdius profecto Panor. super c. Cùm olim, de cleric. coniuga. consultum iri Ecclesiæ arbitratus est, si sacerdotibus abstinere nolentibus facultas fieret vxores sibi associandi. Hæc ille. Verum est tamen aliquandiu durasse apud Græcos, vt subdiaconi ad matrimonium permitterentur, vt Gregorius cano. Ante triennium 31. distinct. insinuat. Imò durum illic reputat eos more Romanæ Ecclesiæ vsu vxorio arcere. Quinetiam & diaconi si in ipsa ordinatione protestati essent quòd vellent habere vxores, permittebantur illas postmodum accipere. At verò ipse idem Gregorius decreto suo inhibuit, quenquam in subdiaconum ordinari, antequam se castè victurum promisisset. can. Nullum, dist. 28. & can. Multorum dist. 32. Et in concilio Carthaginensi. can. Placuit. dist 32. atque alij supra à nobis allegatis. Ac demum clerici in sacris de facto contrahentes anathematis censura feriuntur per clem. vnicam. de consang. & affini. officioque & beneficio priuantur, cap. Decernimus. & can: De his. 28. distin. & can. Presbyter. ead. distin. iubentur deponi. & can. Eos qui. distin. 32. Quod si mihi plurimos obieceris, *Obiectio.* cum quibus Papa dispensauit post subdiaconatum, imò & post diaconatum ad matrimonia commigrare, Maioris & Clichtoueus vbi supra, responderent, dispensationem non tenere. Id tamen absque vlla probabilitate. Igitur secundum veritatem respondetur, de dispensationis causa, an fuerit legitima, non esse nostrum iudicare. Attamen cùm votum, vt diximus, non sit de intrinseca ratione ordinis, sed de iure pontificio, quamuis accidere possit, vt qui huiusmodi dispensationem petiuit, grauiter peccauerit, tamen facta dispensatione matrimonium est firmum & legitimum. Quare post pœnitentiam prioris peccati, si aliquod commisit, tuta conscientia debitum reddere debet, & si dispensationem habet, etiam exigere valet, ac demum in matrimonio perseuerare. *Dilutio.*

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi quatenus ambo sunt sacramenta, ordo & matrimonium non sibi inuicem aduersentur, vsus tamen matrimonij ordinum functionem dedecet. Illam autem desponsationem Christi & Ecclesiæ dignius ac præstantius per sua obsequia spiritualia referunt, non habentes alias sponsas nisi Ecclesiam, quàm si alias haberent. *Sol. 1. arg.*

Ad secundum respondetur, ordinem non ob quamcunque rationem spiritualem esse impedimentum matrimonio, sed propter illam, quæ est in tractandis rebus sacris ad Eucharistiam pertinentibus: quæ quidem ratio in minoribus ordinibus non inest. At verò cùm beneficiorum possessio in stipendium spiritualium obsequiorum sit instituta, quibus obsequijs exhibendis sese coniugati inidoneos reddunt, Ecclesia sanciuit, vt clerici coniugati beneficijs ecclesiasticis expolientur. ca. Sane, &, Quod ad te, atque alijs in titulo de clericis coniugat. *Sol. 2. arg.* *Clerici coniugati beneficijs priuantur.*

Ad tertium iam responsum est, Græcorum morem non esse ordinatis matrimonium permittere, sed coniugatos ordinari, atqui in vsu coniugali relinquere. De quo vtique more dicere pergimus. *Sol. 3. arg.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm matrimonio ordo sacer superuenire possit.

QVAERITVR secundò vice versa, vtrùm post matrimonium ordo sacer locum habeat. Et arguitur à parte negatiua. Quantum ordo obstat matrimonio, tantum è conuerso: sed ordo præcedens sic impedit matrimonium, vt nullum sit: ergo & præcedens matrimonium eodem modo impedit ordinem: vt nullus imptimatur character. *Partis negatiuæ. 1. Arg.*

Secundò arguitur, quòd saltem si coniugatus inuita vxore ordinetur, nullum recipiat sacramentum. Quoniam tunc ratione voti adnexi, atque ordinum decentiæ nequiret rei vxoriæ vacare, atque adeo iniuriam irrogaret vxori, quæ ius habet petendi debitum: ordo autem, cum res sancta sit, non debet cum iustitia pugnare, præsertim cùm secundùm monitum Apostoli 1. Cor. 7. neuter coniugum possit sine alterius licentia, etiam vt orationi vacet, alterum in tempus defraudare. *2. Arg.*

Digitized by Google

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quòd non minus, imò plus religioſi ad continentiam obligantur, quàm ordinibus conſecrati: & nihilominus poſt matrimonium poſſunt coniuges religionem vouere: ergo & vir ordines ſuſcipere ſacros.

Deciſ. artic.

Quæſtio præſens maius nobis negotium exhibet iuxta Græcorum morem, quàm ſecundùm Latinorum conſuetudinem. Quare diſtinguendum eſt tum inter matrimonium & eius vſum, tum etiam inter hoc, quod eſt, ordinem diguè ſuſcipere, & hoc quod eſt, ordinem verè ſuſcipere, quamuis illicitè. Atque adeò ad quæſtionẽ quatuor concluſionibus reſpondendum.

1. Concl.

Prima Latinis cum Græcis communis eſt. Poſt matrimonium, ſiue adnuente ſiue renuente vxore, ſuſcepti ordines verè ſunt ſacramentum. Hoc iam ſuperiori artic. declarauimus. Quoniam ordo eſt ſacramentum characterem imprimens, atque adeo vbi legitima materia, forma & intentio adeſt, verè imprimitur: quare ſiue coniugatus, ſiue ſeruus, ſiue ante vſum rationis quiſquam cum vera intentione ordinetur, verè ſit tam ſacerdos quàm diaconus aut ſubdiaconus.

2. Concl.

Secunda concluſio. Coniugatus conſentiente vxore, iure & more, atque adeò licitè poteſt quoſcunque ordines, etiam ſacerdotalem, ſuſcipere. Imo verò facto fornicationis cauſa diuortio nulla indiget maritus vxoris facultate, vt licitè vel religionem profiteatur, vel initietur ordinibus. Quod autem dicimus, conſentiente vxore, quod diuus Thom. hic, atque alij doctores aiunt, intelligitur quemadmodum diſt. 27. q. 2. articu. 5. de ingreſſu religionis dicebamus Haud quippe talis conſenſus ſufficit, niſi ipſa religionem approbatam profiteatur, aut ſexagenaria ſit, tunc enim poteſt in ſeculo manere.

3. Concl.

Tertia concluſio. Circa diuortium vxore inſcia vel inuita ordines ſacros ſuſcipere graue delictum & ſacrilegium eſt. Enimuerò eiuſmodi homo & vxori & ordinibus ipſis ſacris inſigniter iniurius eſt, quare perpetuo manet ab eorum vſu ſuſpenſus. Quinimò, vt Ioannes 22. in Extrauag. Antiquæ, de voto, ordinauit, non modò in ordine ſuſcepto miniſtrare cohibetur, verum & ad ſuperiores ordines prouehi, quod eſt eſſe irregularem, neque aliquod beneficium aut officium Eccleſiaſticum obtinere. Veruntamen per eoſdem ſuſceptos ſacros ordines matrimonium præcedens, etiam ſi duntaxat ratum fuerit, nondum conſummatum nequaquam dirimitur. Quocirca & vxor debitum petere poteſt, & ipſe tenetur reddere, neutiquam tamen exigendi ius habet. Adde, quòd etiam matrimonio, vt ibidem cauetur, ſoluto per vxoris mortem, manet irregularis, niſi aliquam tunc religionem approbatam fuerit profeſſus: & tunc diœceſanus poterit diſpenſare. Viuente tamen vxore ingredi religionem nequit, niſi ipſa vel ſexagenaria ſit & conſentiat, vel religionem pariter ingrediatur.

Suſpenſus.

Irregularis.

Nota.

4. Concl.

Quarta concluſio. Ex his ſit conſequens (quod hoc vno excepto caſu huius tertiæ concluſionis, quòd ſcilicet reclamante vxore tenetur clericus debitum reddere) coniugatus, qui ordines ſacros poſt coniugium quomodocunque ſuſcipiat, tenetur vitam perpetuò cœlibem viuere. Hæc eſt concluſio, quam vniuerſi ſupra citati canones conſtituunt, & Eccleſia occidentalis more & vſu perſanctè colit.

Mos Græcorum vnde ortus.

Dubium autem hic grauiſſimum offertur, atque hac præcipuè tempeſtate neceſſarium ſcitu, qua non ſolùm hæretici, verùm alij, qui catholicorum nomine cenſentur, vt ſacerdotes cum vxoribus copulentur, optant & procurant, vtrum Græcorum contrarius mos in aliqua legitima ſynodo, aut Eccleſiæ authoritate, aut deductione ex ſacris literis fundamentum habeat, an verò præter legem & rationem fuerit inuectus, ac perinde ab Eccleſia Latina, ceu alij eius gentis errores, permiſſus. Enimuero vniuerſi ferè Doctores illum morem tanquam legitimum exiſtimant, imò nonnulli canones id inſinuare cenſentur. Attamen ſi res penitiùs oculatiuſque inſpiciatur, longè contra, ni fallor, iudicabitur. Quocirca eod. libro noſtro citato ſeptimo, De Iuſtitia & iure, quæſtione 6. articu. 2. latiſſimam & locupletiſſimam diſputationem ſcripſimus, vtrùm ſacerdotalis continentia ab ipſis ſtatim Eccleſiæ incunabulis cœperit. Vbi partem affirmatiuam non modo coniecturis, verùm & rationibus & autoritatibus fultam curauimus. Quando enim alia non eſſet ratio, mos ipſe illorum id vtique docet. Cùm enim conſtitutiſſimum illis ſit poſt ſuſceptos ordines nemini matrimonium permittere, eodem more fatentur eos, qui ante matrimonium ſacro clericatui addicuntur, ad cœlibatum teneri. Si ergo ita eſt, inde conſequitur, vt coniugatos nullatenus ad ordines admittere debeant, niſi voto etiam caſtitatis cœlibatum profiteantur. Nam ſi coniugatos qui poſtmodum ordinantur, in vſu coniugij viuere ſinunt, quidnam cauſæ, eſſe potuit legitimæ, vt ordinatis matrimonia interdicerent? Quandoquidem cùm ipſa ſacrorum ordinum functio eadem ſit in omnibus eandemque ſubinde vitæ mundiciem exigat: vnde proinde iniquum ſit, vt alij cælibes viuere cogantur, alij verò cum vxoribus permittantur. Nam ratio Clichtouæi, quòd propter dignitatem ordinis non permittuntur ordinati ad matrimonium retrocedere, profecto nulla eſt. Quoniam ſi votum excludas, tam indecens apparet coniugatum ordinari, quàm ordinatum coniugari. Sed ais, In primitiua Eccleſia erat raritas Chriſtianorum, qui idoneè poſſent ad ſacerdotium promoueri, & ideo admittebantur coniugati. Hanc equidem veritatem fateor. Attamen non tanta erat raritas coniugatorum, qui non ſua ſponte conſentientibus vxoribus dum ordinib. initiabantur, votum caſtitatis emitterent. Quare profecto non dubito, quin tunc id fiebat, ſicuti modo Latina Eccleſia more ſeruat, videlicet quod ſine conſenſu & voto vxoris nemo ordinabatur, & ordinatus voto ſe quoque cœlibatus conſtringebat. Niſi quòd tunc vxores non cogebantur religionem ingredi (quia nec erant huiuſmodi monaſteria) ſed ſatis illis erat votum ſimplex caſtitatis emittere, & alebantur ab ipſis maritis iam ordinatis, & fortaſſe non in eadem domo commorantibus. Quapropter votum caſtitatis ſemper fuit à lata euangelica lege ordinibus ſacris adnexum. Id quod inde præterea conſtat, quod alias nunquàm Eccleſia Latina tam graue onus ſacerdotibus imponeret, niſi per apoſtolos edocta. Accedit, quòd Calixtus, qui autor fuit canonis citati Presbyteris, diſtinct. 27. antiquiſſimus eſt, ſcilicet anno Domini ducenteſimo quartodecimo, nempe centum annis ante Nicenum concilium. Et illic dicit Calixtus, quod contracta matrimonia à presbyteris, diaconis & ſubdiaconis, ſeparari debent, iuxta ſacrorum canonum definitionem. Vbi docet à primordijs Eccleſiæ definitum eſſe, vt ordinibus ſacris votum ſit adnexum. Vnde Epiphanius antiquiſſimus autor tomo 1. lib. 2. in hæreſi Catharorum, Eccleſia, inquit, poſt Chriſti aduentum eos non ſuſcipit ad ſacerdotium, qui mortua vxore aliam duxerint, imò neque eum, qui viuentem vxorem habet, & filios gignit, ſed eum, qui ſe ab ea continuit. Quod ſi alij (ad Græcos alludens) contrà faciunt, non iuxta canonem, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, id faciunt. Et tomo 2. lib. 3. circa finem expreſsè ait, non eſſe ad ſacerdotium admittendos, niſi eos qui virgines ſunt, aut continentiam à proprijs vxoribus ſeruant.

Ratio Clichtouæi.

Obiectio.

Diluitur.

Vxores ordinatorum.

Calixtus.

Epiphan.

Idem.

Pluribus hanc veritatem illic conſtituimus, viſat cui libuerit. Vbi oſtendimus Græcos errorem Vigilantij in hac parte fuiſſe ſecutos: quoniam non ſolum permittunt presbyteros rei vxoriæ vacare, verùm neminem ordinant, niſi prius interrogatus reſponderit, coniugatum eſſe: quod re verà inter ſacros canones nuſquam reperitur. Nam canon ſextæ ſynodi. Si quis. cui ſynodo ipſi nituntur 32. diſtinct. non habet, niſi quod ſi quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem ſubdiaconatus faciat. Quamuis nec iſte canon firma polleat autoritate. Sed illa fuit hæreſis Vigilantij, vt ait ad Cromantium Hieronym. & Nicolaitarum, vt refert lib. de hæreſibus Auguſt. qui ſic verbum illud Paulinum intelligebant, Oportet presbyterum eſſe vnius vxoris virum: quaſi verbum, oportet, eſſet præceptum, ita quod nemo niſi coniugatus ordinaretur ad ſacrilegas fornicationes cauendas. Quem poſtea errorem Niceta Græcus ſuæ genti perſuaſit, vt Vmbertus Leonis noni legatus in libro contra ipſum refert. Qui quidem Pontifex veritatem euangelicam contra ipſum Nicetam abbatem, ac ſubinde contra Græcos conſtituit, can. Omnino. 32. diſtinctione. Omnino, inquit, confitemur non licere Epiſcopo, presbytero, aut diacono, propriam vxorem cauſa religionis à cura ſua abijcere, ſed vt ei victum & veſtitum largiatur, ſed non cum ea carnaliter ex more iaceat. Sicut ſanctos Apoſtolos legimus egiſſe. Quocirca Gratianus illum

Vigilantij error.

Can. Si quis 32. diſt.

Pa. locus.

Leo 9. can. Omnino.

Illicitus illorum mos & permiſſus.

Continentia ordinibus ſacris adnexa.

ca. Quoniam. 31. dist. non debuisset ex sexta synodo tam syncere inter sacra decreta referre, qui quidem canon, vt iacet, videtur Græcis patrocinari, cum tamen boni autores, vt Albertus Pygius, atque alij, satis doceant non fuisse canonem illum in sexta synodo editum, sed viginti septem pòst annis, vt ex tertio canone eiusdem sextæ synodi colligitur. Imò verò neque verba illius canonis autoritatem aut maiestatem aliquam præ se ferunt, sed inuidiam & odium sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod sanctam synodum non decebat Audi verba. Quoniam in Romani ordine canonis esse cognouimus traditum, eos qui ordinati sunt diaconi vel presbyteri, confiteri quòd non suis iam copulentur vxoribus antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum vxoribus suis eorum connubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno.

Romanus legatus illic non sedit.

Hæc ibi. In primis hinc conijcitur illic tunc non sedisse Romanum legatum, nam in præsentia illius non fuisset canon Romanus tam indignè abiectus sub illis verbis, antiquum nos sequentes canonem apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum. Imo quamuis illic non sedisset, videntur verba illa nescio quid insolentiæ redolere, atque odij sacerdotalis castitatis, ac perinde Ecclesiæ Romanæ. Præterquam quod canon ille, apostolicæ diligentiæ, illic citatus nullibi extat: nam glossa, quæ dicit referri ad Paulinum verbum, ne coniuges seipsos defraudent, commentitia est: quoniam Paulinum verbum de secularibus coniugijs intelligitur, illud ergo ad connubium sacerdotum confirmandum afferre, iniquissima esset collectio. Item dum subdit, & constitutiones sacrorum virorum, non alludit ad Paulum. Quapropter non fit allusio, nisi ad concilium Carthaginense secundum & sextum. Fuit autem temeritas concilium prouinciale œcumenico Romano anteferre. Præterquam quòd ipsæ synodi Carthaginenses cum Ecclesia Romana expressissime sentiunt, vt patet can. Episcopus. dist. 31. & can. Cùm in præterito, & Cum de quorundam. di. 84. Sed illi Græci concilio sui Nicetæ prædictos canones deprauarunt. Et vbi legitur, in d. cap. Cùm de quorundam. Placuit, episcopos, presbyteros & diaconos, secundum priora statuta (s. præcedentium Conciliorum Carthaginensium) ab vxoribus continere, adiecerunt, Cum instaret tempus sacrificij. Ac subinde addiderunt, vt sacerdotes tempore ordinationis profiteri castitatem non cogerentur. Et ideo Adrianus illam synodum, quia corruptam intellexit, noluit suscipere, nisi quatenus Romanis institutis non repugnaret. Pariter & quintum Apostolorum canonem præuaricati sunt, & refertur can. Si quis docuerit. dist. 28 Est n. canon, Ne episcopi, presbyteri aut diaconi vxores suas protextu religionis abijciant, quem quidem ipsi intelligunt, quasi præceptum sit, vt illis vtantur. Cum tamen non sit intelligendus, nisi sicut Leo nonus ca. Omnino. citato interpretatur, vt non omnino eijciant, sed victum & vestitum suppeditent, tamen absque tori contubernio. Et similiter detruncant & vitiant verbum epistolæ cuiusdam, quæ dicitur Clementis, vbi habetur, Ministri altaris ad dominica tales eligantur officia, qui si semper continere noluerint, ante ordinationem coniuges suas nouerint. Ipsi amputarunt, si semper continere noluerint, interpretantes illud esse præceptum, ne quis ad sacerdotium eligatur, antequam sit coniugatus. Alia quamplura illic coaugmentauimus, vt Græcorum vsum ostenderemus nulla fulciri legitima autoritate aut ratione, sed esse errorem aduersus primum Apostolorum institutum. Quare can. Quæsitum. de pœnit & remiss. & can. Aliter. 21. distinct. & cap. Cùm olim. de clericis coniug. & alij plures, quibus asseritur Orientalem Ecclesiam non admisisse votum adnexum ordinibus, non refertur ille vsus tanquam legitimus, sed tanquam error à Latinis toleratus.

Græci canones deprauarunt.

Epist Clementis.

Intellectus plurium canonum.

Restat tamen verbum Nicenæ synodi, quod refertur can. Nicena. 31. dist. quod contra nos pugnare videtur. Cùm enim illic de hac re sententia interrogaretur, Pannutius coniugalem concubitum respondit sacerdotibus permittendum. Cui quidem sententiæ reliqui patres auscultarunt. Ad hoc autem illic respondimus, illam historiam inter canones Nicenæ synodi non extare, sed Gratianus ex Cassiodoro desumpsit li. 2. Tripartitæ c. 14. Et re vera si illud decretum illic fuit sancitum, mirum est quomodo in illo eiusdem synodi canone, quo fœminæ à domibus sacerdotum expelli iussæ sunt, excepta matre, sorore, aut auia, non fuerit pariter excepta vxor, si sacerdoti cohabitare fas erat. Sed vt fidei historicæ non derogemus, respondetur, quòd quia iam tunc corruptis sacerdotum moribus, vt ex Epiphanio citauimus, cœperant cum vxoribus habitare, synodusque cogitaret rem ad primæuum institutum reuocare, ille bonus pater, quia id facile fieri posse non videbat, consuluit permittendum esse abusum, potius quàm nationem Græcam deturbandam, sicut modo Ecclesia illos permittit libere. Et simili modo intelligendus est canon, si quis discerni. 28. distin. vbi iuberur, quod sacerdotes nolentes abstinere, non sunt ideo à sacris arcendi. Et per hæc respondetur illis, qui nos hic rogabunt, vtrum sacerdotes Græci nunc in peccato perseuerent vxoribus vtentes. Respondetur, inquam, quod cum votum castitatis adnexum ordinibus non sit de iure diuino, sed Pontificio, videtur Ecclesia Latina eorum tolerando duritiem, cum illis dispensare. Hæc ex illa copiosa nostra disputatione decerpsimus, reliqua illuc vise.

Cap. Nicena. 31. dist.

Solut. 1.

Solut. 2.

Dubium.

Ad primum igitur argumentum negatur maior Ordo namque est sacramentum secum adferens characterem, atque adeò causam à Deo determinatam, neque ex nostro consensu dependentem. Quare matrimonium præcedens non obstat, quominus si coniugatus illud velit recipere, si adsit materia & forma, illud suscipiat. Matrimonium verò, quia ex consensu contrahentium pendet tanquam ex causa, subinde quoque pendet ex Ecclesiæ arbitrio quæ pòtest nostrum consensum irritare: & ideo matrimonium post sacros ordines contractum non tenet. Non ergo matrimonium tanta vi obstat ordini, quanta ordo matrimonio.

Sol. 1. arg.

Ad secundum per secundam & tertiam conclusionem responsum est, quod scilicet si quis sine vxoris licentia ordinetur, peccat grauiter, sed nihilominus sacramentum tenet, cuius essentia (vt modò dicebamus) à voluntate humana non pendet. Et quamuis aliquatenus nexum coniugalem violet, nihilominus contra iustitiam vxoris non facit, quia ab obligatione reddendi debitum non absoluitur. Si autem id de eius licentia faciat, nullam ei irrogat iniuriam. Imo & Græci quamuis post sacerdotium cum vxoribus cohabitent, nequeunt tamen absque earum facultate ad ordines promoueri, propterea quòd per intercalatas hebdomadas eorum ab illis separant.

Sol. 2. arg.

De Græcis.

Quæstio secunda.

DE IMPEDIMENTO VOTI.

ARTICVLVS I.

Vtrum votum simplex sit matrimonij impedimentum ipsum dirimens.

MAGISTRI Sententiarum interpretes ipsum secuti occasione huius, quòd votum impedit matrimonium, totam materiam de voto, quæ latissimè patet, præsenti loco pertractant. Ob id præsertim, quòd cum Magister ipse de doctrina philosophiæ moralis non seorsum tractauerit, Theologi fragmenta moralia quauis nacta occasione in libris sententiarum frustatim interserunt. At verò huiusmodi disputationes ordinis luce carent. Atque eam ob rem diuus Thom. de virtutibus moralibus ac Theologicis selectissime simul ac locupletissimè secundam partem suæ summæ composuit, atque adeò in materia iustitiæ, ad quam disputatio voti spectat, nempe 2. 2. q. 88. diserte affatimque disseruit: & nos totum septimum librum, De iustitia & iure, hac eadem voti tractatione totum insumpsimus. Quapropter impræsentiarum molestissimos nos exhiberemus, si eandem repeteremus materiam. Rursum, quia dixit hic Magister, quòd solenne votum violare peccatum est & scandalum, ansam

Refert nos autor ad li. de iust. & iure.

inde

Digitized by Google

inde Sententiarij arripuerunt, totam tractandi materiam scandali, cùm tamen tractatio hæc ad materiam attineat charitatis. Quapropter S. Thom. 2. 2. q. 43. hunc tractatum appositè collocauit. Aliud verò impedimentum ligaminis, quod hic Magister immiscuit, dist. præcedenti nos aptiùs præmiimus. Ac simul de coniuge, qui alterum arbitratus defunctum, ad alias se transfert nuptias: nam hæc non sunt religionis, vt ordo & votum, sed ligaminis impedimenta. Nobis igitur de tota d. 38 vt est apud Magistrum, nihil ferme quod dicamus, fit reliquum. Quæ quidem vna fuit causa, vt impedimentum ordinis huc transferremus, quod est cum impedimento voti coniunctum.

Vt ergo quod de materia voti ad hunc locum attinet, de illo septimo libro de iustitia & iure, abscindamus, quæritur, vtrum votum simplex sit impedimentum matrimonium dirimens. Et arguitur à parte affirmatiua. Vinculum fortius illud quod debilius est abrumpit: vinculum autem voti simplicis nexu matrimonij fortius est: ergo illum dissoluit.

Pars affir. 1. Arg.

2. Argum.

Secundò. Præceptum Dei valentius est, quàm præceptum Ecclesiæ: sed præceptum Ecclesiæ, quo consanguinei prohibentur contrahere, matrimonium dirimit: ergo & præceptum Dei de voto ipsi reddendo eundem habet effectum.

Pars neg.

In contrarium est sententia Bonifacij, de voto cap. vnico. li. 6. vbi ait, quod etsi vota simplicia quandoque impediant matrimonium contrahendum, non tamen rescindere possunt matrimonia pòst contracta.

Votum.

Ad solutionem quæstionis primum supponendum est, quod votum, vt ait hic Magister sententiarum, est testificatio promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de ijs quæ Dei sunt propriè fieri debet. Quam definitionem lib. illo nostro septimo citato, De iustitia & iure q. 1. artic. 2. explicitam cutauimus. Non enim ad rationem voti sufficit propositum aliquid agendi, nisi accedat deliberata promissio, siue interna, siue externa. Et dicitur testificatio, quia ad maiorem firmitatem solebat vouens adhibere testes, imò & nonnunquam scripturam, can. Omnes fœminæ. 27. quæstione 1. quamuis si secretè, imò & interne in corde Deo fiat, ipse pro mille testibus sufficiat. Quare promissio, quæ nec Deo nec eius fit diuis, sed mortalibus hominibus, minimè voti nomine censetur.

Voti definitio explicit.

Votum duplex.

Ex omnibus verò voti generibus quod ad nostrum spectat propositum, solum est votum castitatis aut religionis. Id quod, alijs etiam diuisionibus prætermissis, diuiditur in simplex & solenne. De priori præsenti articulo agitur, & de solenni in subsequenti. Sed quia ad hoc propositum magni refert discrimen hoc internoscere, notanda ea sunt, quæ eod. lib. quæst. 2. articu. 5. scripta reliquimus. Caietan. quippe 2. 2. quæst. 88. articul. 7. arbitratur, votum solenne non aliter à simplici, quàm solo Ecclesiæ statuto differre, quæ vtique statuit, vt votum solenne non dicatur nisi cum tali cæremonia. Nam vt habetur eod. cap. vnico. de voto lib. 6. solennitas voti sola institutione Ecclesiæ est inuenta. Quare Ecclesia, vt ait Caietan. statuere posset, vt votum coram tribus testibus emissum haberetur solenne, quamuis in manu superioris non fieret. Et eadem est opinio Scoti distincti. præsenti, & Paludani, vt articul. proximo videtur. At verò S. Thom. illo articu. citato, in 2. 2. & impræsentiarum longe exactius rei punctum attingit. Ait quippe essentiale discrimen esse, quod votum simplex non aliud est, quàm promissio quædam, solenne vero est traditio in possessionem alterius, nempe Dei. Et eadem est opinio Ricardi distinctio. præsenti, artic. 7. quæstio. 2. & Bonauenturæ atque Alexandri, & omnium antiquorum theologorum. Sicuti inter homines aliud est, rem quamlibet alteri promittere, aliud vero eam in eius possessionem traducere: nam per simplicem promissionem non transfertur dominium, sed penes promittentem remanet. Et probat hoc optimè D. Thom. quoniam si solenne votum solo statuto Ecclesiæ, & non diuino iure hominem faceret religiosum matrimonioque inhabilem, consequeretur inde per contrarium eiusdem Ecclesiæ statutum fieri posse, vt votum solenne sub dispensatione caderet: quod D. Thom. & quotquot fuerunt clarissimi autores, nunquàm sunt concedere ausi. At verò Caietanus inde ex suo peruerso principio solennitatis voti collegit esse dispensabile. De hoc tamen illic latissimè disputauimus, & articulo proximo dicemus.

Rursus duplex.

S. Thom.

Ratio S. Th.

Quod ergo ad rem modo satis fuerit adnotare, est, quod dum Bonifacius ait, voti solennitatem ex sola constitutione Ecclesiæ inuentam, sic intelligitur, quod cum solenne votum sit traditio personæ, & traditio non sit nisi vbi persona recipitur, illa cæremonia, qua Ecclesia personam Dei nomine recipit, inuenta est Ecclesiastico statuto. Attamen substantia solennis voti non consistit nisi in traditione ipsa, & translatione dominij, qua homo sub alterius potestate fit. Vnde si Papa statueret, quòd votum coram tribus testibus emissum iudicaretur solenne, illam reputaret traditionem & à vouente factam, & ab ipsa Ecclesia receptam. Sed re vera statutum illud minimè deceret. Et ideo Ecclesia nunquam ab Spiritu sancto id facere permitteretur. Et quamuis glossa in ca. Rursus. qui clerici vel vouen. referat tres modos voti solennis, reducuntur tamen illi ad duos, scilicet per religionis professionem, & per susceptionem sacri ordinis, vt statuit Bonifacius, cap. vnico. de voto lib. 6. nam tertius modus, qui est per susceptionem habitus, qui à professis indui consueuit, in primum recidit. Vnde fit, non idem esse votum publicum, & solenne. Publicum enim est, quod coram testibus susciptur, etiam si sit simplex. Solenne verò est, quo homo se præfatò nomine Dei tradit, quod & secretè fieri potest.

Intellectus capit. vnici. de voto in 6.

Votum bifariam fit solenne.

Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Pòst votum simplex castitatis, religionis aut sacri ordinis ad coniugium transmigrare scelus mortale est, idemque ingens: quippe cùm tunc Deo fides frangatur. Atque hic est intellectus verbi Cælestini in cap. Rursus qui clerici vel vouentes. dicentis, quod simplex votum apud Deum non minus obliget, quàm solenne. Non enim intelligit, quod perinde simplex votum matrimonium dirimat, ac solenne, sed quòd sit etiam peccatum mortale simplex defrangere, sicut solenne, quamuis non tantum. Nam vt ait Magister distinct. præsenti, simplex violare, peccatum est, solenne verò peccatum & scandalum. Et ratio conclusionis est, quod qui solutionem obligationis impossibilem reddit, fidifragus est: matrimonium autem è diametro voto castitatis opponitur, quippe cùm coniux lege iustitiæ teneatur alteri debitum coniugale soluere: ergo matrimonium eum, qui vouit, contrahere, peccatum mortale est: imò. vt verbis Hieronymi vtamur, Vouentibus virginitatem non solum nubere, sed velle nubere damnabile est, distin. 27. Et can. subsequenti, Si nupserit virgo non peccat: non illa virgo, quæ semet cultui diuino dedicauit. Harum autem si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit, etiam de simplici voto intelligitur. Et est allusio ad illud Pauli 1. ad Timo 5. Adolescentiores viduas deuita: cùm n. luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Loquitur enim de viduis, quæ votum simplex castitatis emiserant.

1. Concl.

Intellectus capit. Rursus.

Ratio.

Atqui super voto simplici perpetuæ castitatis solus Papa dispensare potest, vt lib. 7. citato, De iustit. & iure q. 4. artic. 1. & 2. latè monstrauimus. Idque iusta de causa: quare ille, cum quo sine causa dispensatur, non manet tutus in conscientia, vt lib. 1. eiusdem operis, quæst. 7. artic. 3. dicebamus. Animaduertendum tamen est, quod votum præcisè non contrahendi matrimonium, non est votum castitatis, neque per fornicationem violatur: & ideo super eiusmodi voto episcopus potest dispensare. Sicuti fortè & super votum castitatis non perpetuæ, sed in tempus: quia illud non dicitur propriè votum castitatis.

Papa dispensat.

Nota.

Secunda conclusio. Matrimonium pòst votum simplex contractum, siue castitatis sit, siue religionis aut ordinis, firmum est & solidum. Itaque huiusmodi votum matrimonium impedit contrahendum, non tamen dirimit contractum: etiam si votum fuerit iureiurando confirmatum. Conclusio est Bonifacij loco citato, & Alexandri 3. capit. Consuluit. & Cælestini cap. Rursus, qui cleri. vel vouen. Vnde illud Augustini de bono coniugali, quod refertur can. Quidam. dist. 27. de voto simplici intelligendum est. Quidam nubentes pòst votum asserunt adulteros esse: ego autem dico vobis quòd grauiter peccant qui tales diuidunt. Et similiter proximus can. Si vir. Rationem conclusioni hanc Magister Sentent. subdit: quia votum simplex, eo quod fuerit occultum, probari non potest, & ideo non dirimit.

2. Concl.

Confirmatio.

Ratio autem nullius est ponderis, quia etiam si legi-

time

timè probaretur, matrimonium non iudicaretur dissoluendum. Rationem ergo optimam subiungit hanc D. Tho. Qui rem sqam promisit, non subinde dominio eiusdem rei expoliatus est: votum autem simplex non est aliud quàm promissio, qua se homo Deo pollicetur continenter viuere, ergo per huiusmodi votum dominium sui nondum amittit: quicunque autem habet dominium rei, potest alteri tradere, saltem traditio tenebit, quamuis, si alteri eam obligauerat, peccet. Etenim etsi ego Petro decem fuerim aureos pollicitus, si illos Paulo dono, firma est donatio: ergo si qui votum simplex emisit, in matrimonium se alteri dedat, contractus tenet, atque adeo sacramentum indissolubile celebratur. Neque vllo pacto commentatio Hugonis in præfato c. Rursus. cui Bernardus illic adstipulatur, audienda est, dicentis votum simplex perpetuæ continentiæ absque vlla solennitate matrimonium dirimere: quoniam non solum decretum Ecclesiæ capi. vnico, de voto lib. 6. ei refragatur, vbi solum votum solenne sancitur matrimonium dirimere, verùm & ratio modò facta: quia tale votum non est nisi promissio. Sed isti non solent rationes rerum consulere.

Ratio S. Th.

Obiectio 1.

Contra has tamen duas conclusiones exurgit extemplò argumentum, quod secum inuicem ambæ pugnent. Contractus enim, per quem quispiam ad id se obligat, quod est delictum, irritus est natura sua: quia nemo se potest ad delinquendum obligare: nempe ad furtum vel homicidium perpetrandum: qui autem post votum se matrimonio complicat, peccatum facit: ergo contractus non tenet. Item, quando datio aliqua est per legem prohibita, non tenet, vt si quis per simoniam sacerdotium alteri contulerit, quèmadmodum ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 62. arti. 5. traditio autem personæ per matrimonium est ei prohibita qui votum simplex emisit: ergo huiusmodi traditio non tenet.

Obiectio 2.

Obiectionis 1. solutio.

Ad primum respondetur, fallaciam in argumento latere. Nam etsi contractus, per quem homo ad delinquendum se obligat, non teneat, non tamen inde sequitur, quod omnis donatio, quæ per se est peccatum, sit inualida. Qui enim sua bona prodigè donat, prodigalitatis peccatum committit, & tamen donatio tenet. Quod si rursum redarguas. Coniugatus obligat se ad reddendum debitum: ergo ad peccandum. Negatur consequentia, quia reddere non est peccatum: ad exigendum tamen non se obligat. Ad secundum respondetur, quòd datio alicuius rei potest esse illicita dupliciter: vno modo, quia datio ipsa per se ex natura rei est illicita, atque adeo prohibita, vt emptio & venditio simoniaca, quia spiritualia non sunt mercatu venalia. Alio modo, quia prohibita est & illicita, non quatenus datio est ratione generis & substantiæ dationis, sed ratione circunstantiæ: scilicet quia excessiua est, vt donatio prodiga, vel ratione subiecti, quia alteri virtuti repugnat. Datio ergo prioris generis nulla est, datio verò secundi est valida. Et hoc secundo modo traditio per matrimonium ab eo qui fecit votum, est illicita, non quòd matrimonium per se illicitum sit, sed ratione subiecti, quia repugnat promissioni castitatis, quam fecit. Et ideo quamuis datio sit illicita, nihilominus tenet. Pretium autem, quod datur meretrici, non est ad propositum: quia datio illa licita est, licet pro re fiat absurda.

Alia obiectio. Solutio.

Secundus modus.

Pretium turp.

Contra primam conclusionem forsan quis iterum arguat, quòd contrahere matrimonium post votum simplex non sit peccatum, sed illud per copulam consummare: quia potest ante consummationem votum castitatis per ingressum religionis implere. Ita sentiunt & docent Sum. Angelica & Calder. super citato capitu. Rursus. atque alij. Attamen dicendum potiùs, quòd non solùm consummare, verùm & contrahere peccatum est, vt bene ait impræsentiarum S. Tho. cum toto Theologorum cœtu. Nam si non fiat animo ingrediendi religionem, res est liquida, si tamen fiat illo animo, illudetur coniux: quippe cum matrimonium non nisi proposito consummandi paciscì consueuerit, vt supra dist. 27. q. 2. arti. 5. super ca. Commissum, de sponsalibus dicebamus. Item, quia per contractum matrimonij tradit coniux potestatem sui corporis alteri, per quod iniuria irrogatur voto. Quare beata Virgo, vt supra diximus, non creditur votum emisisse antequam matrimonium contraheret: præterea quia aliud est expresè contra canones supra citatos 27. dist. & titu. Qui clerici vel vouentes, &c. quibus cauetur, ne post votum simplex matrimonium contrahatur.

Obiectio.

Angelus. Sententia autoris.

Quid autem remedij adhibendum si post huiusmodi simplex votum matrimonium contrahatur. Respondetur, quòd si fuerit votum religionis etiam post ratum matrimonium, antequam consummetur vis obligatoria durat, vt teneatur ille etiam tunc inuitam vxorem dimittere, & religionem ingredi. Neque poterit tunc episcopus dispensare, sed solus Papa. Nam cùm tunc res integra sit, vt possit religionem optare, tenetur quidem. Consummato autem matrimonio id, nisi de consensu vxoris religionem etiam profitentis, facere nequit. Imo verò quamuis votum non nisi castitatis emiserit, ait Syluester verb. matrimonium 7 q. 5. ad eundem religionis ingressum qui vouit, teneri: quia illo modo, & non alio, potest votum implere. Durum tamen est eiusmodi hominem in tam arctas angustias adigere: non enim tenetur votum castitatis cum tanto dispendio implere, nisi suapte sponte voluerit. Quare satis ei est delicti pœnitere, & debitum citra exactionem reddere. Atque idem dixerim, si votum emiserit sacri ordinis: nam religio est res arcua. Qui verò post ratum matrimonium religionem ingreditur, & quia bona fide eam experienti non videtur tolerabilis, ad seculum regreditur, tenetur ad idem matrimonium redire: quia vsque ad professionem non dirimitur.

Permutatio Soluto.

Post ratum matrimo.

Aliud verò ex supra dictis dubiolum emergit, vtrum peccatum, quod est matrimonium contrahere, aliud sit nouum illud consummare. Arguitur enim sic esse, saltem si votum fuit religionis: quoniam cum post ratas nuptias integrum illi sit religionem ingredi antequam consummet, consummatio ipsa, per quam fit iam remedium impossibile, erit peccatum. Et ita D. Thom. præsenti dist. q. 1. art. 3. & Ricard. arti. 7. q. 1. censent. Sed ex altera parte pugnat argumentum, quia non apparet, quod per matrimonium post votum committatur nisi vnum peccatum: quare si illud committitur contrahendo, non committitur aliud consummando. Responderi profectò potest, quòd contrahere sit vnum peccatum, propterea quod tunc contrahens facit facultatem sui corporis alteri, quæ est iniuria voti. Item, si votum præcessit religionis, tunc aliud peccatum committit consummando, quamuis id faciat reddendo debitum prima vice: quia illuc vsque durabat obligatio voti: & tunc fit impletio eius impossibilis. Et de isto voto satis est Diuum Thomam intelligere. Qui verò votum tantum fecit castitatis, si post ratum non tenetur religionem ingredi, vt diximus, fit vt neque consummando peccet, nisi id exigendo debitum faciat.

Dubiolum.

Dilatio.

Tertia conclusio. Qui post votum simplex solius castitatis matrimonij se vinculo innodauit, petere nequit debitum, reddere tamen tenetur. Decisio est cap. Quidam. & cap. Placet. de conuersio. coniug. & à simili in c. Transmissæ. de eo qui cogno. consan. vxor. Tametsi nonnulli ex sacrorum canonum interpretibus, quia omnia in opinionem vertunt, opinentur, quòd cum primum ille qui vouit, debitum exigit tunc peccat, postmodum verò minimè. Quorum est Host. & Cardina. super dict. c. Rursus. atque alij, quos citat glossa in cap. Si quis post votum. 27. q. 1. Est tamen opinio omni probabilitate destituta: nam votum perpetuæ castitatis ad sui obseruationem, quamdiu in facultate vouentis fuerit, obligat. Includit enim negationem, scilicet quòd nunquam se vouens polluet. Quod isti non animaduertunt. Et ideo nulla est vel apparens ratio, quod in illa prima trãsgressione voti obligatio extinguatur. Sed quocunque actu se ille polluit, votum frangit: perinde ac si lex diuina esset, ne se polluerent: habet enim votum illud vim perpetuæ legis. Et confirmatur autoritate citatorum canonum de conuersio. coniuga. atque aliorum similium, quibus simpliciter vouens arcetur, ne debitum exigat. Atque hæc est S. Thomæ, Ricardi, & omnium Theologorum concors sententia. Cui & plana demum accedit alia ratio: nam si ille qui vouerat, postea fiat vxore viduus, tenetur castitatem perpetuò seruare: nunquam ergo obligatio extinguitur, nisi fiat super ea dispensatio. Reddere tamen ob id tenetur, quod ex natura matrimonij exurgit obligatoria illa iustitia: nam vt ait Pau. vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, & vice versa. Quòd si obijcias, coniuges debere esse pares in exigendo. Respondetur id verum esse, nisi alter sua sponte iuri suo per votum renunciauerit.

Fi. Quæst.

Sententia autoris.

Confirmatio.

Opin. communis.

Ratio.

Obiectio.

Reddere

Digitized by Google

Episcopus dispensas.

Reddere etiam debet virtualiter petenti, vt si vxor præ verecundia non petat, debet se vir, qui votum fecerat, insinuare. potest tamen Episcopus iusta de causa, vt si non pateat accessus ad Vrbem, vel alia vrgenti, super illa petitione debiti dispensare, imò debet ad cauendum periculum. Haud tamen ob id dispensare potest simpliciter super voto (nisi solus Papa) quo minus defuncto coniuge teneatur votum seruare.

4. Concl.

Quarta conclusio. Qui votum emisit simplex religionis non explicando castitatem, si postea vxorem accipiat, non solum reddere debet, verùm & exigere absque vlla dispensatione debitum valet. Hanc conclusionem eod. lib. 7. De iustitia & iure q. 2. art. 1. demonstrauimus. Qui enim religionem vouet, ad id solum obligatur, vt illum religionis statum suscipiat: attamen quousque illum profiteatur, cæremonijs ac legibus eiusdem status non perstringitur: quia obligatio illarum legum ex professione status emergit.

Ratio.

Quemadmodum licet vniuersi mortales ad baptismi sacramentum suscipiendum teneantur, tamen quousque eodem baptismate intingantur, peculiaribus Christianismi legibus non subduntur. Atque id in voto religionis mos ipse & vsus manifestat. Non enim cùm primùm quis votum religionis simplex suscepit, ad ieunia & abstinentias ordinis, & ad clausuram, neque verò ad obedientiam seruandam constringitur: ergo neque ad castitatis votum, quod postea ex professione nascitur.

Simile.

Quare dum huiusmodi homo fornicatur, nihil contra votum committit, sed simplici fornicatione commaculatur. Imò quamuis sit in mora ingrediendi religionem, solùm peccabit, quia non adimplet votum, non tamen quia non seruat religionis statuta. Cùm ergo contractum post votum matrimonium teneat, fit vt coniugalis vsus, etiam petitio sit licita, neque vlla opus habeat dispensatione contra votum, sed satis ei erit delicti quod contrahendo commisit, pœnitere, & propositum seruare firmum, quod mortuo coniuge religionem intrabit. Latius hæc loco citato deduximus.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod votum etiam simplex, quantum ad eum cui fit, fortius est quàm matrimonium: nam per votum adstringitur fides Deo, & per matrimonium homini. Sed quantum ad vim ligandi, fortius est vinculum matrimonij, quippe quod est traditio, quàm votum simplex, quod non est nisi promissio.

Sol. 2. arg.

Ad secundum negatur consequentia: quoniam præceptum Ecclesiæ, quæ cognatos inhabiles reddit matrimonio contrahendo, non dirimit matrimonium eo quod fortius sit quàm diuinũ, sed quia materiam matrimonij facit illegitimam. Deus autem non ita promissum voti simplicis exigit, vt personam reddat matrimonio illegitimam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm votum solenne sit impedimentum matrimonium contractum dirimens.

Partis neg. 1. Arg.

ALTERA species voti est id quod est solenne, de quo subinde quæritur, vtrum matrimonium dirimat. Et arguitur à parte negatiua. Votum simplex, vt Cælestinus ait capit. Rursus. Qui clerici vel vouent, non minus obligat apud Deum quàm solenne: imò plus obligationis videtur simplex iureiurando firmatum, quàm solenne continere: quoniam solennitas voti non est nisi de iure positiuo, vt ait Bonifacius de voto lib. 6. & tamen iuramentum obligat iure diuino: sed simplex non dirimit: ergo nec solenne.

2. Arg.

Secundò. In matrimonio nihil clauditur quod voto solenni castitatis repugnet, nam maxime id esset carnalis copula: sed hæc non est de essentia, quia coniuges possunt per votum ius illud congrediendi à se abdicare: ergo sicut matrimonium consummatum per ingressum religionis non dirimitur, ita neque votum solenne præcedens debet id dirimere, quod post contrahitur.

Pars affir.

In contrarium est decretum Calixti cano. Presbyteris. distinctio. 27. quo matrimonia post votum sacrorum ordinum contracta dirimuntur. Et cano. proximo ait Hieronymus, Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ.

1. Concl.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Votum solenne non modò matrimonium impedit contrahendum, verùm & contractum dirimit. Hæc conclusio canonibus citatis, & ca. Insinuante. qui clerici vel vouent. & cano. Viduas à proposito. 27. quæstion. 1. plurimisque alijs decretis Ecclesiæ constabilita est. Quapropter non solum omnes, vt ait hic S. Thom. vno animo eam concedunt, sed etiam habenda est tanquam orthodoxa veritas, cui nemo ex catholicis reclamat, sed eius negatio hæresis est.

Opinio communis.

Imò & apud Græcos, vt diximus, est etiam receptissima & constantissima. Ait verò Sanct. Thom. quoidam scandalum in causam huius conclusionis afferre, & alludit ad sentent. Magistrum, qui ait, votum solenne infringere, peccatum & scandalum esse. Quæ vtique vocula occasionem obtulit eius interpretibus scandali materiam hic tractandi. Quamuis clare non dixerit, solum scandalum esse causam. Cuiuscunque autem hæc fuerit opinio, nihil ad rem attulit: nam & fractio voti simplicis, quando publicum est, scandalum quoque offert.

Ratio conclusionis.

Scandalum.

Et re vera solum scandalum non sufficeret voti speciem sic demutare, vt propter ipsum solum dirimeretur matrimonium. Item, quia indissolubilitas matrimonij ad veritatem vitæ & status attinet: scandalum autem accidentarium est, quod ideo matrimonium dirimere nequiret. Ratio ergo legitima illa est, quæ ex discrimine voti simplicis & solennis supra designato colligitur, nempe quòd votum solenne non tantum promissio, vt simplex, est, sed vera traditio in potestatem alterius.

Ratio 1.

Qui enim castitatem per religionis ingressum vouit, iam sese dedit, Deoque se in illam obedientiam, castitatem & paupertatem seruandam mancipauit. Quocirca deinceps non est sui iuris, vt possit se in coniugium alteri dedere. Et hæc est vniuersalis scholæ Theologicæ ratio.

Ratio 2.

Eam tamen Scotus dist. præsenti nihili pendit: quia per votum, inquit, etiam simplex & priuatum dat homo corpus suum Deo quantum ad actum voti: nam traditio consistit in actu voluntatis, per quam ideo homo dum votum etiam simplex facit, transfert dominium sui in Deum. Sed re vera, vt bona venia insignis doctoris dixerim, gratis videtur argumentum hoc veritati obmoliri. Nam etsi quisquis iuris sui est, possit dominium sui in alterum transferre, non tamen per solam pollicitationem hoc facit, quia promittere non est dare.

Præterea ad eandem conclusionem arguitur. Votum solenne religionis quædam est spiritualis dispensatio & matrimonium cum Deo. Nam etsi Paulus vniuersis Christianam religionem profitentibus dicat: Despondi vos vni viro (scilicet per baptismum) virginem castam exhibere Christo: quia illic se fideles diuino cultui dedicant, tamen quia religionis nomen per antonomasiam professioni solennis voti competit, per eiusmodi professionem celebratur singulare coniugium cum Deo, & peculiariter cum Christo. In cuius testimonium virgines cùm solenni voto religionis consecrantur, eodem velantur modo, quo nuptæ, dum suis traduntur viris. Atque adeò qui sic vouerunt, omnem à se facultatem abdicarunt tradendi se alteri in matrimonium.

Ratio 3.

Accedit demum, quòd religionis status perfectior est, longeque sublimior statu nuptiali, quam ideo religionem vbique Ecclesia fœliciorem frugem censet. Haud ergo fas est ab huiusmodi statu ad alium inferiorem retrogradi. Quare ad hoc propositum appositissimè illud Christi verbum adaptatur Lucæ 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

Status cælebs coniugalem præcellit.

Quod autem status solennis voti castitatis dignitate & priuilegio statui coniugali apud Deum antecellat, non vacat hic affatim disserere, neq; verò ad id aptus est locus, sed lib. 7. citato, De iustitia & iure q. 6. art. 1. pro virili nostra monstrauimus. Est enim status ille perfectionis, quo Christus Seruator noster adolescentem, qui se mandata custodisse respondit, inuitauit. Atque adeò peculiariter eos, qui se propter regnum cælorum castrauerunt, & seculo abrenunciantes obsequio obedientiæ manciparunt, beatos illic pronunciauit, vbi ait: Beati pauperes, & mites, & qui lugent.

Matth. 5.

Ob idque Paulus omnes sicut se ipsum esse volebat, sed non omnibus datum est. Et ideo propter eius sublimitatem ait, de virginibus se præceptum Domini non habere, consilium tamen dare. Et tandem coniugatos cum his, qui nuptiarum expertes sunt, con-

ferens ait, quod qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.

An super voto solennis castitatis possit Papa dispensare.

De his ergo quæ hactenus dicta sunt, nemo, qui catholici nomine censeatur, ambigit. Hoc autem in litem sunt qui vertant, vtrùm super votum solenne castitatis Papa valeat dispensare, vt qui illud susceperit, citra delictum possit coniugari. Quæstio hæc præcipui est momenti, quippe cuius decisio magnopere ad Ecclesiasticam Rempublicam refert. Eam tamen lib. 7. De iustitia & iure q. 5. art. 2. pro exilitate facultatis nostræ copiosè disputauimus. Et ideo hic breuius rem perstringemus. Opinio quidem affirmatiua, scilicet, quod Papa possit dispensare, patronos habet non infimæ authoritatis, videlicet Henricum Gandensem, quodlib. 5. q. 25. & 26. & Ricardum dist. præsenti, art. 9. & Durandum quæst. 2. & Palud. qu. 4. Quinuerò & Scotus id ipsum insinuat dicens, vt Palud. & cæteri, quòd Ecclesia illegitimauit vouentem solenniter, ne possit matrimonium contrahere: quasi non sit de iure diuino. Imò nec S. Thom. impræsentiarum illam respuit opinionem. Et Caiet. 1. 2. q. 88. & q. 12. 1. quodlibeti, non solum idem mordicus tenet, verùm & adstruit diuum Thomam illam non denegasse.

Pars affir.

2. Cond.

His tamen nihil obstantibus, secunda sit huius præsentis articuli conclusio. Super votum solenne religionis nulla cadit Ecclesiæ dispensatio. Hanc conclusionem expressè & ex professo constituit D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Eademque fuit indubitata opinio semper antiquorum Patrum, vt Altisiodorensis, & Alexandri Alensis 3. part. & Bonauenturæ distinct. præsenti in fine: & inter iuniores Syluest. verb. Votum. 4 q. 5. & glossæ in cap. Cum ad monasterium. de statu monacho. Et proculdubio non solum sanior est & tutior opinio, verùm, ni fallor, omnino tenenda, vt ibidem latius stabilire curauimus. Imò est assertio Innocent. Pontificis capit. Cum ad monasterium. de statu monacho. Cuius verba sunt, Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeò adnexa est regulæ monachi, vt contra eam nec summus Pontifex possit indulgere. Quod quidem decretum D. Thom. inter sua fundamenta refert.

Prioris opinionis corollarium.

Et vt claritatis causa ambo coniungamus, qui dicunt, Papam posse dispensare in voto solenni, subinde inferunt eiusmodi votum, non quidem ex natura sua iure diuino, sed solo iure Pontificum impedire dirimereque matrimonium, quemadmodum id facit consanguinitas. Atque id loco citato Scotus opinatur, & alij. Qui verò tenent esse indispensabile, subsequenter aiunt ex natura sua iure diuino votum dirimere matrimonium, sicuti ligamen vnius matrimonij subsequens dirimit, vt distinct. præcedenti dicebamus. Quò autem assertum hoc exactè firmetur, distinguendum est inter votum solenne sacrorum ordinum, & votum solenne religionis, vt D. Tho. loco citato 2. 2. doctè distinguit. Nam votum continentiæ non est de intrinseca ratione sacrorum ordinum, siquidem Græci sine illo sunt veri sacerdotes. Quare licet indecentissimum esset, Papam cum sacerdotibus nostris dispensare, nihilominus dispensatio teneret, essentque veri sacerdotes. Ex quo fit eiusmodi sacerdotale votum non diuino, sed Pontificio iure matrimonium dirimere. Votum autem continentiæ de intrinseca est ratione religionis, itaque sublato voto, non esset religio: hoc enim per se sola religio sonat, quod quidem ordo sacer non significat, sed est ei accidentarium votum. Et mirandum est, quòd Caietanus quæst. citata 12. cum hanc differentiam agnouerit, nihilominus adstruxerit, solenne religionis votum esse dispensabile.

Posterioris opin. appendix.

Distinctio voti solennis.

Papa dispensatio.

Sacer ordo iure canonico matrimonium dirimit.

Discrimen ergo harum opinionum, prætermissis alijs, quæ quæst. citata latius deduximus, in hoc consistit, quòd aduersarij putant, solennitatem voti esse de iure positiuo, propterea quòd cæremonia solennitatis ex statuto Ecclesiæ inuenta est. Sed tamen D. Thom. veritatem docens, ait consistere in hoc, quòd se homo Deo per mortale votum mancipat, & re vera sese tradit, perque abrenunciationem seculi & propriæ voluntatis in illum statum se consecrat. Quare sicut Papa non potest facere, vt qui se vni per matrimonium dedit vxori, ab illa semoueatur quantum ad vinculum: ita, imò multò minus, amouere à religione potest religiosum. Quod pro tam certo ducit Diuus Tho. vt præter suum ingenium subiungat, quosdam Canonistas ignoranter contrarium dicere. Neque mirum, quia hoc ad ius diuinum attinet, quod eis exponere non incumbit. Sed Palud. & Caiet. in hoc apud D. Thomam falluntur, quòd huiusmodi solennitatem ad quandam benedictionem & consecrationem ipse referre videtur, quæ fit dum religiosus solenniter profitetur: & ideo ait, quòd illud, quod semel Deo consecratur, perpetuò debet consecratum manere, vt altaria, & vestes sacræ, & illa, quæ in antiqua lege Deo sanctificabantur, vt Leuit. vlt. legitur: quare à diuino cultu sequestrari nequeunt. Inde ergo inferunt, quòd cùm illa consecratio & benedictio sit de iure positiuo, possit Pontificia autoritate auferri. Debuissent tamen animaduertere, D. Thom. illam consecrationem & benedictionem non attulisse, tanquam id in quo substantia solennis voti consistat, sed tanquam signa, quibus eadem mancipatio approbatur, Deoque offertur. Nam in ordine nostro post emissum solenne votum illa fit benedictio, sicut in matrimonio postquam contractum est, solennes fiunt benedictiones.

Caietani arg.

Diſpenſatio quorundã pontificum.

Hiſtoria Regis Aragonum apocrypha.

Sensus D. Thom.

Ratio S. Th. cõfirmatur.

Stat ergo firmissima ratio S. Thomæ, cui nos illic secundam confirmationem adiunximus. Si enim religiosus per dispensationem fieri posset non religiosus, infirmissima esset ratio, qua affirmatur, per ingressum religionis matrimonium ratum dirimi. Demus enim maritum post matrimonium ratum ante copulam religionem profiteri, vxoremque subinde alium sibi copulare coniugem, tunc si cum illo religioso fieri posset dispensatio, posset profectò subsequenter alias inire nuptias: quoniam matrimonium ab vxore cum alio contractum dissolui nequit, si legitimè fuerit contractum. Vnde fit consequens, quòd post matrimonium ratum possent coniuges ad alia transire matrimonia, quòd est omnino absurdum. Nam etsi Caietanus immeritò concedat, Papam posse super matrimonio rato dispensare, vt distinct. 27. q. 1. artic. 4. retulimus, in nostro tamen casu citra talem dispensationem hoc contingeret.

Appendix.

Nota.

Rationis confirmatio.

Et confirmatur ratio. Quia non alia ratione per promotionem ad sacros ordines, vt supra diximus, non dirimitur matrimonium ratum, nisi quia votum castitatis non est intrinseca ratione adnexum ordinibus, imò locum habet super eiusmodi voto dispensatio: ergo à contrario sensu si per votum religionis ratum matrimonium dissoluitur, euidens signum est, continere votum perpetuæ castitatis indispensabile adnexum. Certè nescio quidnam Caietanus & alij fautores contrariæ opinionis responderent.

Perpendamus ergo obiectionum contrariæ opinionis energiam. Potissimum, quod fatetur Caietan. eum mouere, est gestum Pontificum: nam vt Paludanus refert, dispensauit quandoque Apostolica sedes cum Rege Aragoniæ, vt vxorem duceret. Et Cælestinus tertius fertur dispensasse cum sanctimoniali Constantia Rogerij filia. Et ait, quòd si tempore diui Thomæ papa dixisset contra, quàm dixit Innocentius, ipse quoque sensisset cum illo.

Sed profectò (vt detur venia verbo) satis mirari nequeo, quomodo Caietanus tantam autoritatem vni Pontifici aduersus alium Pontificem arrogauerit, vt credat diuum Thomam illum potiùs, quem ipse Caietanus sequitur, secuturum, quàm alterum, quem secutus est. Præsertim quod illa historia Regis Aragonum apocrypha est, neque alio fulta testimonio, quàm Paludani aut aliorum, qui originalem historiam non referunt. Et loco citato Syluester ver. Votum 4. quæst. 5. refert alios dicentes, illum monachum non fuisse professum. Et inter annales Aragonum illa historia non refertur. Et tamen decretum Innocentij est inter decreta Pontificia relatum, quo asserit non posse Romanum Pontificem dispensare. Et Syluester vbi supra ait, quod si alij contrarium fecerunt, id quidem de plenitudine potestatis, non tamen de iure fecerunt, vt ait Glossa in dict. c. Cùm ad monasterium. Et addit, quòd ipse vidit Pontificem maiora facientem cum scandalo totius Christianitatis. Paludanus verò eludere vult decretum Innoc. dicens, Pontificem id tantum intellexisse, quòd cum monacho permanente monacho non potest in castitate dispensare. At verò Papa talem moderationem non insinuat, sed simpliciter ait, non posse dispensare cum monacho in castitate siue

manente

manente monacho, siue non manente. Alias glossas confarcinat glossator super eo. &c.

Sententia Authoris. At vero nec decet de summo Pontifice sic irreuerenter loqui, neque oportet ad illas glossas recurrere. Sed rei veritas, cuius sæpè meminimus est, quod Pontificum sententiæ in litibus occurrentibus, & eorum gesta non sunt habenda tanquam canonicæ leges, & multò minus tanquam articuli fidei, quia neque sub illa forma constituuntur. Sed in rebus, quæ sub diuersis opinionibus versantur, Pontifices nonnunquam vnam opinionem doctorum sequuntur, non tamen eam tanquam legem constituentes, neque contrariam condemnantes. Et ideo quamuis concedamus, Pontifices aliquos super voto solenni castitatis dispensasse, non illud habetur pro lege, potissimùm cùm inter decreta non referatur. *Nota.* Et mirandum præterea est Caietanum non animaduertisse, quod Cælestino tertio, qui fertur cum Constantia dispensasse, proximè Innoc. 3. successit, qui non obstante facto sui præcessoris, capitulum, Cum ad monasterium, de indispensabilitate voti solennis, inter decreta retulit. Quocirca Diuus Thomas idem gestum Cælestini, si verum fuit, non ignoranit, sed quia non erat inter decreta relatum, nullam eius vel rationem habuit, vel mentionem fecit, sed decretum est Innocentij, tanquam de iure diuino, veneratus. Arguit rursus *Palidani arg.* Palud. quod in omni voto, etiam solenni, includitur voluntas Papæ, nisi aliud ipse voluerit: quare pro bono communi totius reipublicæ potest in voto solenni dispensare. Sed tamen nescio vnde illam maximam suam corraserit. Si enim homo dum se per matrimonium coniugi tradit, nulla illic Pontificis voluntas includitur dispensandi, nec pro salute totius reipub. matrimonium Papa dirimere valet: cur cùm traditio voluntatis per votum solenne sit de iure diuino, non sit illa etiam absoluta, neque à Pontifice vllo modo dependens? Reliqua in quæst. nobis citata, De iustitia & iure, locupletius dicta sunt.

Sol. 1. arg. Primum argumentum sæpè & sæpissimè solutum est, ex discrimine inter votum simplex & solenne. Votum enim simplex, quamuis apud Deum sub reatu etiam mortali obliget (qui intellectus est loco citato Pontificis) est tamen mera promissio, & quamuis sit iureiurando firmatum, contractum matrimonium non dirimit. Solenne verò quamuis cæremonia solennitatis sit de iure Pontificio, est tamen vera traditio hominis, eiusque libertatis, & hac ratione iure diuino, imò & naturali, est indispensabile, vt satis superque expositum est.

Sol. 2. arg. Ad secundum etiam in superioribus responsum est, quòd quamuis copula non sit de essentia matrimonij, traditio tamen corporis & libertatis ad illum vsum est de eius essentia: & hac parte repugnat religionis voto, per quod se homo suamque libertatem Deo dederat.

DISTINCTIO TRIGESIMANONA.

DE CVLTVS DISPARITATE.

Textus. Cap. 1. POST sacros ordines religionisque votum, quibus connubialis contractus impeditur, reliquum fit, vt de cultus disparitate exploretur, quemadmodum eiusdem sit matrimonij impedimentum. Vbi hoc præiactum sit fundamentum. Inter infideles matrimonium constat legitimum: quippe cum illud Deus & natura ab orbe condito, vt in superioribus dictum reliquimus, in officium generandi constituerit, & aduersus concupiscentiam in remedium. Illud verò quamuis nomen sacramenti inde fuerit sortitum, quòd vt ait ad Ephes. 5. Paul. mysterium erat in Christo & Ecclesia: qua vtique ratione Innocent. ca. Gaudemus. de diuortijs, ait, sacramentum coniugij apud fideles & infideles existere: non tamen perfectum fuit omninoque ratum sacramentum gratiam conferens, quousque lege Euangelica hoc ei Christus ornamentum adiunxit.

Cap. 2. Fideli autem cum infideli contrahere, quod Ecclesia vetat, non modò sacrilegium mortale est, verùm & res nullius momenti: quippe cum eiusmodi matrimonium ob cultus disparitatem irritum sit & vanum. Nam & propter simile periculum, quod fideli ab infideli coniuge offertur, in Deuteron. cautum erat, ne populus Israël vxores de filiabus alienigenarum acciperet, ne post deos suos illos traducerent. *Deut. 7.* Quare Esdras quas Deus accipere vetuit abijcere iussit. *1. Esdr. 10.* Vnde ad Pollentium August. Ne nubat, inquit, fœmina nisi religionis viro, vel ne vir talem ducat vxorem iubet Dominus, monet Apostolus, vtrumque præcipit testamentum. *Can. Sic enim. 28. q. 1.* Et Ambrosius libr. de Patriarchis ca. 9. Caue Christiane Gentili vel Iudæo filiam tuam tradere. *Can. Caue. 28. q. 1.* Et in Concilio Vrbanen si iubetur, quòd si quis Iudaicæ prauitati coniugali societate coniungatur, à Christiano cœtu & conuiuio ac communione Ecclesiæ protinus segregetur. *Can. Si quis ibidem.*

Cap. 3. Hoc veruntamen non obstante, si infidelium coniugum alter in fidem Christianæ familiæ nomen dederit, alterque cum eo absque iniuria fidei & contumelia Saluatoris commorari consenserit, consilium est Pauli, vt eum non abijciat. Si quis, inquit, frater sororem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. *1 Cor. 7.* Et si qua mulier habet virum infidelem, &c. Sanctificatus enim est vir per vxorem fidelem, & vxor per virum. Quæ verba August. eodem loco enarrans subdit, Aliud esse de matrimonio inter fidelem infidelemque contrahendo, aliud verò de illo, quod ab infidelibus in sua tæcitate fuerat contractum. *Can. Sic enim.* Illud enim nullum est: de hoc verò, ait Apostolus, quòd Deus non iuber, sed tamen ipse dicit, vt fidelis infidelem, si lucrandi eum spes fuerit vlla, non deserat. *1 Cor. 7.* Iam verò tunc temporis dum infidelis requisitus & monitus, vt Christianissimum cum suo coniuge suscipiat, illum respuit, nec ritò censetur citra contumeliam Saluatoris nequire cum coniuge habitare. Ob idque iuxta tenorem concilij Toletani, coniuges ea lege distrahuntur, vt fideli liberum sit aliud inire matrimonium, per cuius contractionem antiquum dissoluitur. *Can. Iudæi. 28. q. 1.* Id enim Gregor. attestatur dicens, Contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur. *Can. Si infidelis. 28. q. 2.* Vnde August. in sermone Domini, sic verbum Christi de vxore fornicationis causa dimittenda interpretatur dicens, Idololatriam, omnemque noxiam superstitionem fornicationem esse. Imo verò Apostolus ipse, Ambro. ibidem interprete, in hoc sensu ait, quòd si infidelis discedit, discedat: non enim est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi. *Can. Idololatria. 28. q. 1.* *Can. Si infidelis. 28. q. 1.*

Cap. 4. Sunt tandem alia crimina, quæ licet vinculum matrimonij non rumpant, ius tamen tori diuidundi tribuunt, nempe dum coniux

in fœdera matrimonij pernicioſus eſt, vt ſi vxor venefica ſit, aut quæ liberos enecat: aut ſi vir ſæuitiam in vxorem exercet, aut ſi alter alterum ad latrocinia vel lenocinia incitat, alióſve id genus corruptos mores ei impingere molitur. Idem nos Chriſtus curauit admonitos, dicens, Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. *Matth. 5.*

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆNONÆ.

Quæſtio vnica.

DE CVLTVS DISPARITATE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm inter infideles legitimum poſſit matrimonium contrahi.

HIS quæ ſuperiori diſtinctione de ſacris ordinibus & ſolenni voto, nuptiarum vincula dirimentibus diſputata ſunt, proximè de religione Chriſtiana accedit ſermo vtrùm dirimere etiam poſſit matrimonium. Primò ergo quæritur, vtrùm inter infideles poſſit matrimonium conſiſtere. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonium eſt ſacramentum Eccleſiæ: ſed baptiſmus eſt ſacramentorum ianua: ergo infideles, qui nondum baptiſmate loti ſunt, matrimonium inire nequeunt, ſicuti neque alijs ſacramentis exornari. *Pariis neg. 1. Arg.*

Secundò. Duo mala vehementius ſunt bonis impedimentum, quàm vnum tantum: ſed fidelis cum infideli contrahere nequit, ergo multò minus infidelis cum infideli. *2. Arg.*

Tertiò arguitur, quòd ſaltem inter duos infideles diuerſarum ſectarum matrimonium non ſit legitimum. Diſparitas enim cultus inter Chriſtianum & Gentilem matrimonium dirimit: ergo & inter Iudæum & Gentilem, ſeu inter Iudæum & Saracenum. *3. Arg.*

In contrarium tamen eſt verbum Pauli 1. Corinthiorum 7. vbi ait, Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Vbi infidelem vxorem appellat, quæ ſi vult, ſaluo honore fidei, manere cum viro fideli ſine nouo conſenſu, eſt vera vxor. *Pars affir.*

Ad quæſtionem duabus breuiſſimis concluſionibus ſub diſtinctione reſpondetur. Matrimonium enim, vt in ſuperioribus monſtratum eſt, trinam induit rationem. Eſt enim contractus naturæ in officium propagationis humani generis. Cedit etiam & in remedium aduerſus concupiſcentiam. Sortiturque deinde ſacramenti virtutem ex inſtitutione Chriſti. Sit ergo prima concluſio. Inter infideles poteſt contrahi conſtareque matrimonium quatenus eſt naturæ contractus & concupiſcentiæ remedium, quod quidem vinculum habet indiſſolubile, niſi per ſolam Dei diſpenſationem religionis cauſa diſſoluatur. Concluſiò probatur. Natura Deusque eius parens & inſtitutor in medijs ad finem neceſſarijs non deficiunt: finis autem propagandi humani generis illico ex eius creatione ortum habuit: ergo & tunc medium ad id neceſſarium fuit inſtitutum: illud autem fuit matrimonium, vt dictum eſt: ergo in ſtatu naturæ integræ inſtitutum eſt, dum dixit Deus, Creſcite & multiplicate: id quod inſinuauit Adam, dicens: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: vt latiùs diſtinctione vigeſimaſexta præmonſtratum eſt. Eadem ratione conſtat, illico poſt lapſum primorum parentum, vt ibidem adiecimus, idem matrimonium in remedium concupiſcentiæ ceſſiſſe. Hinc fit matrimonij vinculum, ab illo tunc tempore conditi orbis eſſe ſuapte natura indiſſolubile, vt diſtinctione vigeſimaſeptima, quæſtione ſecunda, oſtendimus: nam tale tunc inſtitutum eſt, quale finis eius exigebat, qui erat procreatio educatioque prolis, quæ ſine perpetuitate matrimonij fieri nequit commodè. Quocirca Chriſtus Matthæi 19. indiſſolubilitatem matrimonij ad priſcam eius inſtitutionem retulit, atque adeo vim antiquæ legis naturæ confirmans concluſit, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Sed nihilominus Deo ipſo autore naturæ diſpenſante per ſuſceptionem Chriſtianiſmi infidelium matrimonium dirimitur, veluti & inter nos matrimonium ratum per religionis ingreſſum. *Genes. 2.* *1. Concl.* *Ratio.* *Indiſſolubilitas matrimonij.*

Quod ſi mihi legem diuortij obiecceris, qua licebat vxores repudiare, iam diſtinct. 33. reſponſum reliquimus, credentes diuortium nunquam tanquam licitum fuiſſe permiſſum, ſed vt impunè fieret. Quod ſi ſecundùm alios admittatur, diſpenſatum fuiſſe cum Iudæis, nihil contra nos: quia Deus tanquam autor naturæ diſpenſare poterat. Cum gentibus tamen non video quo modo fuerit diſpenſatum, niſi ignorantia eos à culpa exemerit. *Obiectio.* *Alia diluti.*

Secunda concluſio. Matrimonium, quatenus ſacramentum nouæ legis eſt gratiam conferens, ante Chriſtum eius inſtitutorem nuſquam gentium extitit. Res eſt liquida, quoniam ſacramenta ex latere Chriſti pendentis in cruce promanarunt, indeque per ipſius inſtitutionem virtutem conferendi gratiam adepta ſunt. Quocirca nec ſub lege Moſaica, neque verò ſub lege naturæ illis qui in gratia & amicitia Dei matrimonia confœderabant, vlla virtute operis conferebatur gratia, neque ſi modò catechumeni matrimonia contraherent. *2. Concl.* *Ratio.*

Et hoc eſt, quod primum argumentum conuincit: nam baptiſmus eſt ianua ſacramentorum: & ideo ante ipſum nuptiæ non ſunt ſacramentum: ſunt tamen matrimonium, & in officium, & in remedium. Quòd ſi contra quis illud obijciat Pauli ad Epheſ. 5. vbi inducens illud, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carne vna, ſubdit: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia: vnde inſinuatur ante Chriſtum natum matrimonium fuiſſe ſacramentum. Reſpondetur, ſacramentum bifariam accipi, vno modo ſecundùm propriam, ſed tamen nudam rationem ſacramenti, quæ eſt, eſſe ſignum rei ſacræ, quamuis gratiam non conferat, vt erant ſacramenta veteris legis. Et hoc pacto matrimonium etiam in lege naturæ erat ſacramentum, id eſt, myſterium & ſignum ſignificans vnionem Chriſti & Eccleſiæ futuram, per quam nos ſanctificamur. Et hoc eſt, quod ait Innoc. in ca. Gaudemus. de diuort. quòd ſacramentum coniugij apud fideles & infideles exiſtit. Non tamen erat ſacramentum nouæ legis, qui eſt ſecundus modus, ſcilicet ratio perfecta ſacramenti. *Sol. 1. arg.* *Obiectio.* *Diluitio.*

Ex his conſequitur, quod matrimonium antequàm eſſet ſacramentum, quamuis eſſet perfectum perfectione naturali, vt per quod proles tum gigni poterat, tum naturalibus legibus imbui & educari, non tamen erat omnino perfectum perfectione ſupranaturali, quæ conſiſtit in gratia Dei. Nam etſi poſſent tunc coniuges per conuerſionem in Deum gratiam obtinere, vt dignè poſſent filios procreare, non tamen illam gratiam virtute matrimonij nanciſcebantur, ad eiuſmodi liberos tanquam filios Dei adoptiuos educandos. Quapropter perfectio matrimonij in lege naturæ erat materialis, reſpectu perfectionis euangelicæ, quæ ceu ſuprema forma ei complementum adhibet. *Matrimonij perfectio duplex.*

Vnde Magiſter Sentent. præſenti diſt. quem Gratianus ſequitur 28. quæſt. 1. can. Si quis, tres ſpecies matrimonij colligit. Eſt enim coniugium legitimum, ſed non ratum, vt inter infideles: quia ſecundum leges naturales & mores prouinciæ contrahitur, non tamen eſt ratum, quia diſſolubile eſt per repudium. Ego autem dixerim per ſolam ſuſceptionem Chriſtianiſmi. Secundum eſt vice verſa ratum, ſed non legitimum, vt inter fideles clandeſtinum: quia indiſſolubile eſt, ſed præter leges & iuris ſolennitates. Sed tertium eſt ratum & legitimum, vt ſacramentum matrimonij ſolenniter celebratum, iuxta decretum Euariſti 30. quæſt. 5. can. Aliter. Quanquam profectò ſacramentum gentilium ſim- *Species matrimonij tres.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*

plicitet

Digitized by Google

pliciter potest dici ratum, quia nisi Deo dispensante per conuersionem ad fidem indissolubile est, sicuti & inter fideles matrimonium per verba de præsenti ratum quidem est, licet per ingressum religionis dissoluatur.

Obiectio 1. Quòd si quis argumenta Gratiani obijciat caus. 28. q. 1. in capite. quæ à theologis mutuatus est. Omne quod non est ex fide, vt ait ad Roma. 14. Paul. peccatum est: coniunctio autem infidelium non est ex fide: ergo est peccatum, ac perinde nec videtur esse matrimonium, cum matrimonium sit à Deo. *Obiectio 2.* Item secundùm Augustinum, Non est vera pudicitia hominis infidelis cum coniuge sua, matrimonium autem culpam tollit impudicitiæ: ergo non est verum matrimonium.

Dilutio primæ obiectionis. Ad primum respondetur, sensum Apostoli non esse, quod omnia opera infidelium sunt peccata, sed illa quæ ex infidelitate procedunt. Imò sensus eius legitimus est, vocare fidem conscientiam: quod enim fit contra conscientiam, peccatum est. Et ideo neque contractus matrimonij inter infideles, neque eius vsus, si fiat causa procreandæ prolis, seruandæque fidei vxoris, peccatum est, sed est actus moraliter bonus. Attamen absque charitate nullum opus obtinet virtutis absolutè gradum aut verè nomen, sed est virtus secundùm quid. Et hoc est, quod ait Aug. pudicitiam infidelium non esse veram virtutem: quod & de Christianis in peccato agentibus asserere simili modo poterat.

Dilutio secundæ obiectionis. *Sol. 2. arg.* Primum igitur argumentum iam solutum est. Et ad secundum negatur, duo mala, scilicet duo infideles plus obstare matrimonio, quàm obstat Christianus cum infideli: quia in hoc secundo disparitas cultus trahit proles ad diuersos mores & instituta. Quod quidem obstat educationi liberorum, non solùm secundùm gratiam, quæ est supranaturalis perfectio sacramenti, verùm etiam secundùm virtutes naturales, quæ est naturalis eius perfectio: nam ipsæ virtutes naturales in Christianismo perfectè docentur, in infidelitate verò imperfectè. Quando verò ambo coniuges sunt infideles, eiusmodi educatio per rationem matrimonij non impeditur: quia non est disparitas cultus. Præterquam quod Ecclesia ius habet super fideles, super infideles verò non item: quia vt ait Paul. de ijs qui foris sunt, nihil ad nos.

Circa materiam verò tertij argumenti, si inter infideles ipsos esset cultus disparitas, vtpote diuersæ sectæ, quæ matrimonium impediret, notandum est, quod ante legem scriptam, cùm non alia vigeret lex, quàm naturæ, nulla erat talis disparitas, sed promiscuè omnes gentes poterant inter se iure naturæ matrimonia contrahere. Tametsi Abraham noluerit filio suo Isaac ex gente Chananæa, vbi commorabatur, mulierem desponsare propter mysterium inuolutum, quæ inter gentem illam & suam sobolem erant futuræ. *Isaac & Rebecca.* Sed Rebeccam ex cognatione sua accersiri iussit. *Ioseph & Assenem.* Ioseph autem Hebræus Assenem Ægyptiam duxit: & Moyses ipse Sephoram Madianitem. *Lex Moysi.* Postmodum verò sub lege Mosaica Deus populo illi matrimonia cum gentibus terræ promissæ interdixit. Sic enim cautum legitur Deuteron. 7. ne cum Hethæis & Gergezæis & Amorrhæis & Chananæis & Pherezæis & Euæis & Iebuzæis septem gentibus coniugia sociarent. *Ratio illius legis.* Et ratio erat, ne illorum idololatria & corruptis moribus contaminarentur. Quapropter statuerat Deus gentes illas ex illa terra stirpitus euuellere. Cum alijs verò gentibus illud non prohibuit, imò lex erat Deuteron. 21. Si egressus ad pugnam videris mulierem pulchram in medio captiuorum, & adamaueris eam, introcas ad eam, dormiesque cum ea, & erit tibi vxor. Quod verbum, vt ait sanctus Thomas, vel intelligitur de alijs nationibus, cum quibus licitè poterant iniri connubia, vel loquitur, quando illa captiua ad cultum & legem Dei conuerti volebat.

Dubium circa legem Moysi. Dubium tamen est, vtrùm prohibitio illa Deuter. 7. contrahendi matrimonia cum illis septem gentibus intelligeretur solùm tanquam præceptum obligans ad mortale: an verò tanquam matrimonium irritans, veluti si modo fidelis cum infideli contraheret. Quod enim in primo sensu duntaxat intelligeretur, inde appareret, quòd post illam legem Salmon duxit Raab ex Hiericho Chananæam, Iosue 6. & Booz filius eius Ruth Moabitidem, & Hester nupsit Assuero. Et quòd vrgentius mouet Salomon, vt legitur 3. Regum 11. duxit alienigenas plurimas, vt filiam Pharaonis & Moabitidas, atque alias ex illis gentibus quas Deus prohibuerat. Et tamen subditur, quod fuerunt ei vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: vbi vxores nominantur à concubinis distinctæ. Et idem arguitur de Samsone, qui Dalilam duxit è genere gigantæo.

Sententia Authoris. Sed profectò ijs non obstantibus probabile videtur (quamuis nec contrarium probabilitate careat) intellectum illius legis, illegitimas fecisse personas illas ad matrimonium, nisi vellent ad Iudaismum conuerti, sicut modò non posset infidelis cum fideli contrahere, nisi conuerteretur ad fidem. *Ratio.* Et ratio est, quia lex illa erat lex Dei, per quam peculiarem populum ad suum ipsius cultum instituebat: atque adeò tanta fermè erat inter illos fideles & infideles cultus disparitas, quanta modo inter infideles & nos. Non ergo satis videretur illi populo consultum, nisi matrimonia cum corruptissimis illis alienigenis idololatris inita manentibus in sua perfidia essent irrita. De alijs verò gentilibus non erat par ratio, vt articul. sequ. dicturi sumus. Vnde Esdras, vt lib. 1. cap. 10. legitur, quia filij Israël præuaricati fuerant, vxores alienigenas ducentes, iussit coëgitque illos ab vxoribus illis separari: quod non fecisset, si matrimonia fuissent valida. Tametsi August. ad Pollentium de Adulterin. coniugijs lib. 1. cap. 18 licet non asserat, insinuat tamen fuisse coniuges, sed iussu Dei propter periculum idololatriæ, quod maritis imminebat, fuisse depulsas. At verò fortasse quando Israëlitæ eas duxerunt, fuerunt ad Iudaismum conuersæ, sed posteà ad idololatriam reuersæ. Vel fortasse alienigenæ illæ erant ex alijs gentibus, cum quibus non erant matrimonia interdicta. Veruntamen etiam si ex Chananæis & alijs gentibus interdictis aliqui vellent legem circuncisionis profiteri, non erant repellendi, neque ab ipsorum Iudæorum nuptijs arcendi. Lex enim generalis extat Exodi duodecimo, quòd si quis peregrinorum vellet in eorum coloniam transire, circuncisus admitteretur. Et hoc est quod sanctus Thomas nuperrimè citatus insinuauit, dicens sub disiunctione, quòd poterant cum captiuis conciliari connubia, vel ex alijs nationibus, vel si vellent Iudaismum suscipere.

Obiectionis dilutio. Et ideo ad obiecta respondetur, quòd Raab ad Iudaismum fuit conuersa antequam nuberet Salmon, & pariter Ruth. Hester verò, vt ex eius historia colligitur, reuelatione & iussu Dei nupsit Assuero. Et Samson Dalilæ, Iudicum enim 14. legitur connubium illud à Domino factum esse, vt quæreret occasionem contra Philistiim. Præterquam quòd neque Assuerus, neque Dalilà erant ex alienigenis interdictis. *De Salomone.* De Salomone verò non est tam facile respondere: nam expressè habet historia, quod accepit Amonitidas & Sidonias & Hethæas de gentibus, de quibus Deus iusserat, ne cum illis matrimonium contraherent. Attamen in primis, quod in huiusmodi copulandi sibi vxoribus grauissimè peccauerit, historia ipsa prædicat, & ideo nil mirum si dicamus, quòd ex illis alienigenis vxoribus illæ quidem, quæ ad Iudaismum conuertebantur (quod forsan faciebant, vt tanto frueren tur honore) erant veræ vxores: illæ vero quæ non conuertebantur, erant vxores de facto, cum quibus scilicet de facto contrahebat, non tamen de iure: atque adeo illa matrimonia non erant legitima, vt 33. dist. de libello repudij diximus. Adde quod filia Phataonis, & forsan aliarum aliquæ non erant ex interdictis, sed ex alijs gentibus.

Dubium. Sed aliud quispiam forsan interrogabit, vtrum inter Ethnicos potuissent respublicæ ciuiles & principes leges condere, quibus matrimonia cum extraneis prohiberent taliter vt nulla essent. Apparet enim id minimè potuisse, cùm ius naturæ eam facultatem fecerit vniuersis. S. Thom. hic artic. 2. ad 3. arg. nihil aliud respondet, quàm quod iure naturali aut diuino non prohibetur, quominus quicunque infideles possint cum alijs etiam diuersi ritus & sectæ contrahere: quia apud Deum nihil refert, qualitercunque quis à fide deuiet. Neque vero Ecclesia id prohibet, cùm non sint suæ iurisdictionis. *Solut. S. Th.* Concedit tamen quod ius naturæ per ius positiuum potest restringi, sed silentio de principibus infidelium prætermisit, an possint talia matrimonia cohibere.

Sol. 1. dub. Ad hoc ergo dubium primùm respondetur, quòd ante orbem redemptum nulli gentium poterant cum Iudæis matrimonia cohibere si vellent Iudaismum pro-

fiteri, ſicut modo non poſſunt prohibere cum Chriſtianis ſi vellent ad religionem conuerti: quia illa erat lex Dei, cui nullum ius humanum reniti poterat. *Solut. 2.* Secundò dicimus, quòd lex illa iudicialis ſynagogæ prohibens matrimonia cum illis gentibus prorſus iam expirauit: quia tota lex quantum ad illa iudicialia antiquata eſt. Et ideo ſi ipſi quando habebant Rempublicam, legem aliam ſimilem non tulerunt, cum quibuſcunque gentium poſſunt nunc nuptialia conſortia confœderare. *Solut. 3.* Tertiò cum probabilitate poſſumus aſſerere, quòd quæcunque reſpublica etiam infidelium poteſt leges condere matrimonia irritantes, ſi ſuæ Reipublicæ expedierit. Verbi gratia, ſi diuerſæ ſectæ gentilium inter ſe inimicitias gererent poſſet vtraque reſpublica matrimonia cum altera interdicere, vt non tenerent. Nam matrimonialis contractus eſt partim ciuilis, qua vtique ratione ſubditur Reipublicæ, quatenus ad pacem & tranquillum ſtatum Reipublicæ pertinet: in hac enim parte infideles non ſunt fidelibus inferiores: & fideles principes noſtri, vt diſtinctione ſequenti dicemus, poſſunt huiuſmodi leges facere, niſi ab Eccleſia cohibeantur. Eccleſia verò non poteſt in hac re, quæ ad ſuam ipſorum attinet Rempublicam, infideles cohibere. Hoc dixerim, quia fertur Saracenos lege ſua publicè lata eſſe prohibitos cum Iudæis per nuptias commiſceri. *Saracenorum mos.* Quod ſi ita eſt, profectò ſuſpicor illa matrimonia non tenere. Et ideo ſi tales coniuges fidem noſtram ſuſciperent, deberent ad tollendum ſcrupulum denuo in matrimonium conſentire, alioqui nullum eſſet. Si tamen lex illa ſic inter eos obſeruatur, vt non reputetur matrimonium. Et per hæc ſolutum reſtat tertium argumentum.

ARTICVLVS II.

Vtrum fidelibus modo liceat cum infidelibus iure coniugio.

Partis affir. 1. Arg. EXPEDITA re de infidelibus quæritur ſubinde de fidelibus Chriſtianis, vtrum liceat eis cum infidelib. matrimonia contrahere. Et arguitur à parte affirmatiua. Antiquo Iſraëlitico populo licebat cum aliquibus ethnicorum, etſi Iudaiſmum non profiterentur, matrimonia contrahere: ergo non eſt cur etiam nunc in Eccleſia non liceat, quia tunc tanta erat cultus diſparitas inter illum populum & idololatras, quanta modo inter nos & ipſos.

2. Argu. Secundò arguitur. Sponſalia ad matrimonia ordinantur: ſed ſponſalia inter fidelem & infidelem ſub conditione, ſi velit conuerti, ſunt firma & obligatoria: ergo & matrimonium.

3. Arg. Tertiò. Inter duos Chriſtianos poteſt eſſe diſparitas cultus, vt ſi vnus eſſet hæreticus vel apoſtata, & alter catholicus; ſed matrimonium inter iſtos eſt validum, neque dirimitur: ergo ſimiliter inter fidelem & infidelem matrimonium conſiſtit.

Pars neg. In contrarium eſt verbum Pauli 2. Corinth. 6. Quæ conuentio lucis ad tenebras? maxima autem temporalis conuentio, quæ inter homines eſſe poteſt, eſt connubialis: ergo inter eum qui fidei luce reſplendet, & eum qui tenebris infidelitatis caligat, nequeunt fœdera matrimonialia conuenire.

1. Concl. Ad quæſtionem duabus concluſionibus reſpondetur. Prima. Matrimonium inter fidelem & infidelem & peccatum graue ſacrilegij eſt, quo ſcilicet ſacra religio commaculatur, & nullum eſt prorſus. Hæc enim propriè eſt cultus diſparitas: quippe cum Chriſtiani verum Deum colant, infideles verò non niſi falſos. Ob idque cultus diſparitas inter impedimenta connumeratur matrimonium dirimentia.

Quæſtio. De ratione autem & fundamento, cui concluſio hæc innititur, dubitatur, vtrum ſcilicet ſit de iure naturali aut diuino, an verò ſolo iure Pontificio ſancita. *De iure naturali.* Arguitur n. quòd ſit de iure naturali. Finis enim naturalis matrimonij eſt non ſolùm generatio (quam vtique cultus diſparitas non impedit) verùm & liberorum educatio, quæ quidem vtrique ſimul parenti curæ eſſe debet, vt concordi propoſito liberos moribus imbuant: fidelis autem infideli in hoc negotio concors eſſe nequit: quia cùm minimè eandem profiteantur religionem, neque verò eadem ſacramenta & ſacrificia aut cæremonias colant, vterque prolem ad ſuam religionem pertrahet, atque adeo educatio eius impediretur. Eadem ratione & huiuſmodi cultus diſparitas ſecundo matrimonij fini, qui eſt tranquilla cohabitatio in eadem domo, aduerſatur: nam inter quos religio & vitæ inſtitutum non conuenit, re vera pax conſtare non poteſt, neque amor coaleſcere.

De iure diuino. Secundò & eadem concluſio videtur iure diuino præcepta, vt patet ex illo prælegato Pauli, vbi ad literam commercium fidelium cum infidelibus vetabat, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui, &c. Et 1. Corinth. 7. Mulier ſi dormierit vir eius, liberata eſt: cui autem vult nubat, tantum in Domino. *Tantum in Domino.* quod quidem verbum Pollentius, contra quem Auguſtinus de adulterinis coniugijs ſcripſit, gloſſabat, id eſt, tantùm Chriſtiano. Vnde colligebat, ſolùm inter Chriſtianos conſtare matrimonia, ob idque Apoſtolum contra præceptum Domini permittere, vt fidelis maneat cum infideli, ſi vult manere ſine contumelia ſaluatoris. *Auguſtini delatio.* Auguſtinus verò per diſtinctionem ei reſpondebat, concedens illud verbum intelligi de matrimonio contrahendo inter fidelem & infidelem: quod ait eſſe contra præceptum noui & veteris teſtamenti: aliud verò, quòd manere poſſit fidelis cum infideli, intelligi de matrimonio in infidelitate contracto; & refertur à Gratiano 28. q. 1. cano. Sic enim. Eadem expoſitio tantùm in Domino, fuit antiqui Tertulliani lib 2. ad vxorem, eſtque Ambroſij in commentarijs eiuſdem epiſtolæ. Et Hieronymi aduerſus Iouin. libro 1. & ad Gerontiam. Item ad idem arguitur exemplo veteris legis, in qua, vt artic. ſuperiori diximus, nuptiæ inter fidelem populum & gentes illas terræ promiſſæ iuſſu Dei inhibitæ erant. *In Domino.*

De Salomone. Et tandem arguitur, quod huiuſmodi matrimonium præſentaneum ſecum adferat periculum peruerſionis fidelis coniugis, vt exemplo Salomonis, 3. Reg. 11. conſtat: vbi legitur, alienigenas vxores cor eius deprauaſſe, & in idololatriam ſuam immerſiſſe. Idemque 1. Eſdræ 10. habetur documentum. Et Samſonis coniugium cum Dalila eius fuit internicies. Cuius exemplum inducit Ambroſ. libro 9. epiſtolarum epiſtola 1. quæ eſt ad Vigilium: cum alio de Phinees, qui gladio Hebræum & Madianitem transfixit, vbi multis rationibus probat eſſe contra ius naturale & diuinum, vt fidelis cum infideli contrahat. Nam cum ipſum, inquit, coniugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt coniugium dici, vbi non eſt fidei concordia? Cum oratio communis eſſe debeat, quo modo inter diſpares deuotione poteſt eſſe coniugij communis charitas? Iure ergo diuino & naturali videtur cultus diſparitas matrimonium impedire.

De iure Pontificio. His tamen nihil obſtantibus, communis opinio, tum Theologorum, tum etiam Iuriſprudentium eſt, quod non ſit impedimentum dirimens niſi tantum iure Pontificio. Et patet hoc, quia in tota lege euangelica non habetur tale impedimentum matrimonium dirimens. Imò verò Chriſtus, vt ſæpè diximus, nihil iuris naturæ in matrimonio immutauit, præterquàm quod fecit, vt eſſet ſacramentum gratiam conferens. Quin euidens argumentum eſt, non eſſe de iure diuino eiuſmodi matrimonium fidelis cum infideli prohibitum: alioqui per hoc, quod alter infidelium conuerteretur ad fidem, matrimonium dirimeretur. Quare Paulus non potuiſſet conſulere, quod ſi infidelis velit ſine contumelia ſaluatoris cum fideli manere, eum fidelis non deſereret. *Ratio 1.* Neque verò in veteri lege, vt præcedenti art. dicebamus, cõnubium erat cũ omnibus infidelibus fidelibus interdictum. Sed ſolum cum ſeptem illis gentibus terræ promiſſæ propter imminens periculum idololatrandi. Quod Chriſtus ſuæ familiæ non vſque adeo timuit, ſed ſuæ eccleſiæ rem concredidit, vt de huiuſmodi connubijs diſponeret. Et quicquid fuerit de illa vetuſta lege, legalia eius iam ceſſauerunt. Et verbũ illud Paulinum, nubat tantum in Domino, Calixtus in epiſtola ad vniuerſos Galliarum Epiſcopos, atque alij non exponunt, niſi quod nubat tantum regulariter, id eſt, ſecundum leges coniugij. Admonet n. vt matrimonium fiat ad gloriam Dei. Et hic eſt legitimus ſenſus. *Can. Sicut alterius 7. q. 1.* Sed nihilominus licet fiat in peccato, non propterea dirimitur. Adde, quod neque omnia Pauli præcepta ſunt de iure diuino, vt ſupra inter tractandum de bigamia dicebamus. Neque illud, Quæ conuentio lucis ad

tene-

tenebras? connubiale commercium expresse vetat. Quin adde, quod si ius positiuum non obstaret, euenire posset, vt salubre esset fideli cum infideli contrahere, scilicet quando certus esset sibi non imminere periculum, sed spes ei fieret, quod posset infidelem lucrifacere. Tunc enim consulit Paulus, ne fidelis infidelem deserat. Quare & posset illam ducere.

Autoris solutio.

Apparet ergo cum moderamine & temperata distinctione respondendum. Aliud enim est de impedimento loqui, ne tale matrimonium fiat, aliud verò de impedimento illud dirimente. Enimuero, iure etiam Pontificio secluso, stando in mero iure naturali & diuino, si Christi fidelis cum infideli contraheret, illud esset genere suo mortale, nisi aliqua vrgens vel expediens causa culpam excusaret. Et hoc est quod ait August. esse contra præcepta veteris & noui testamenti. Præceptum enim noui testamenti appellat illud Pauli de filijs Belial cum filijs lucis. Et illud: Nubat tantum in Domino: quæ non sunt propriè præcepta diuina. Sed re vera rationes inductæ id confirmare videntur: vix enim absque imminenti periculo fidei tale matrimonium iniri posset: quin in magnam iniuriam fidei resultaret, religioque Christiana maximè inde contenebresceret: si filij Belial legibus connubialibus cum filijs lucis commiscerentur. Et ægrè fieri posset, quominus liberi in periculo versarentur deflectendi ad infidelitatem, vt patet, si modò Christiana fœmina Iudæo vel Saraceno nuberet.

Aug. c. Sic enim. in fine 28. q. 1.

2. Concl.

Statuitur nihilominus præsentis articuli secunda conclusio. Matrimonium per cultus disparitatem dirimi, ius est mere positiuum Ecclesiasticum. Sed tamen re vera si decreta consulas, neque hoc in iure alicubi apparet expressum, nam omnes qui citantur canones, sunt sanctorum Patrum, vt Augustini, Ambrosij aut Cypriani, aut concilorum prouincialium. Asserta verò sanctorum, nisi publica autoritas vniuersalis Ecclesiæ accedat, nempe Pontificis, aut œcumenici concilij, non habent vim aut articuli fidei aut legis Ecclesiam obligantis. Neque synodi prouinciales sine vniuersali talem habent autoritatem. Item cano. Caue. 28. q. 1. Ambrosius non solùm cauere iubet connubia cum Gentili aut Iudæo, verùm eodem verborum tenore etiam cum hæretico. Et similiter ca. Non oportet, concilium Agathense cum hæreticis prohibet iniri coniugia: & tamen connubia cum hæreticis, vt paulo post videbimus, non dirimuntur. Et can. Si quis Iudaicæ. cohibens connubia cum Iudæo non est nisi concilij prouincialis Vrbanensis, sicuti & conci. Toletanum. 3. quod ca. 14. id ipsum prohibet. Neque loquuntur nisi speciatim de Iudæis. Imo sunt qui dicant, nullum vniuersale concilium quidpiam de hac re decreuisse. Sed isti non viderant conci. Calcedonense œcumenicum, vnumque ex quatuor præcipuis, vt ait Gregor vbi cap. 14. fidelium nuptiæ cum infidelibus iniri prohibentur. Similiter tamen cum hæreticis: & ideo quia si cum hæreticis contrahantur, non dirimuntur, non inde clare colligitur, quòd si cum infidelibus copulentur, sint dirimenda. Igitur, in nullo citatorum canonum, neque alibi in iure expresse habetur, quòd matrimonium, si inter fidelem & infidelem contrahatur, sit dirimendum, sed solùm præcipitur ne fiat. Nam c. Iudæi. 28. q. 1. de matrimonio inter infideles contracto, cùm alter coniugum fidem suscipit, præcipit vt dirimatur. Atqui & Cyprianus in sermone de lapsis, licet ad malos mores pertinere confirmet, iungere cum infidelibus vincula matrimonij, insinuat tamen tunc in more fuisse talia connubia, & tamen dissolnere ea non iubet, sed ait, illud esse prostituere gentibus membra Christi. Quam quidem Cypriani sententiam referens Augu. lib. 1. de fide & operibus cap. 19 ait (quasi consuetudinem deplorando) nostris temporibus iam non putantur esse peccata: quoniam re vera in nouo testamento nihil inde præceptum est: & ideo aut licere credirum est, aut velut dubium derelictum est. Ex quibus sanctorum verbis colligitur, illo seculo morem viguisse, vt fideles cum infidelibus nuptias tenerent.

Nota.

Can. Caue.

Conclusio more seruatur.

Hæc autem dicere constituimus, non quidem ad infirmandam conclusionis catholicam veritatem, sed vt huic, quæ eius infirmitas videtur, medeamur. Conclusionem ergo mos vniuersalis Ecclesiæ receptissimus satis superque confirmat. Neque catholicis alia est exploranda ratio, sed vt hæreticis etiam respondeatur, dicimus, Ecclesiam sanctorum testimonijs & rationibus præfatis edoctam, imò traditione Apostolorum instructam, & sancto flamine irradiatam hanc sustinere veritatem, vt matrimonium inter fidelem & infidelem si contrahatur sit nullum. Quoniam non opus est, vt omnes Ecclesiæ consuetudines sint scriptis mandatæ, aut inter decreta relatæ, dicente Apostolo 2. ad Thessalo. Tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Neque verò illo seculo prope ætatem Cypriani aut Hieronymi hæc cœpit institutio, sed certè ab Apostolis, licet tunc nequam Christiani sanctum morem corrumpere pergerent, quibus ideo sancti patres reclamabant. Quinimo ætate Apostolorum in contrarium plus iusto Christiani propendebant, scilicet vt cùm primùm quis fidem susciperet, coniugem desereret. Cui quidem mori Paulus sese obiecit, consulens vt si coniux infidelis cum fideli vellet sine iniuria Saluatoris manere, non repelleretur, sed potius fidelis eum lucrifacere satageret.

Prohibitionis huius ortus.

Tempore Apostolorũ.

Hinc fit, quòd quamuis fidelis cum catechumena antequam sacramentum suscipiat contrahere tentet, non obstante quòd illa credatur in gratia & amicitia Dei existere, matrimonium sit nullum. Et ille est sensus Ambrosiani verbi citato cap. Caue. quòd etsi Christiana sit, nempe catechumena, non est satis, nisi ambo initiati sint sacramento baptismatis. Etenim cùm matrimonium verè sit sacramentum, & baptismus sit omnium sacramentorum ianua, per quem homo peccatis moriens, & ad innocentiam resurgens, ceu virgo, vti ait Paul. Christo nubit, sit vt legitima materia matrimonij carnalis contrahendi non sit nisi Christianus cum Christiana: nempe vt spirituale matrimonium carnali antecedat. Quocirca legibus ciuilibus ijs Christianis, qui talia intentant sacrilega matrimonia, potius facta, quàm vera, decreta sunt supplicia, vt l. Nequis Christianam C. de Iudæis. vt scilicet tanquam adulteri puniantur.

Cum catechumeno.

Ratio.

Pœna.

Vnde verbum concilij Chalcedonensis supra citati, quo Christianis non permittitur in sacramento coniugij iungi Iudæo vel pagano, nisi fortè spoponderit se venire ad orthodoxam fidem, intelligitur de sponsalibus sub conditione susciendæ fidei, nam si intelligatur de matrimonio de præsenti, nullum erit antequam fidem ille per baptismum susciat. Glossa namque super cap. Veniens. de presbytero non baptizato, quæ ait, ante baptismum fluminis solum flaminis sat esse, vt possit quispiam sacramentum Eucharistiæ susciepere, explodenda est tanquam erronea. Imo esset peccatum illud susciepere, & ei ministrari. Sed glossatorem verbum textus fefellit, quo videtur Innocentius insinuare, baptismum non esse ianuam omnium sacramentorum, quod quidem vt dist. 26. q. 2. art. 3. in fine, præmonuimus, non nisi narrando & disputando referet, imò contrarium ibi de presbytero non baptizato definit.

Gloss. cap. Veniens.

Cap. Veniẽs. intellectus.

Ex hac secunda conclusione responsum colligitur, si quis sciscitetur, vtrum Papa possit dispensare, vt fidelis cum infideli per matrimonium copuletur. Etenim cùm super omne ius positiuum Papa ex rationabili causa dispensare queat, fit vt super eiusmodi matrimonium id ipsum valeat. Imò quamuis absque vlla causa vt contraheretur dispensaret, matrimonium teneret. Sed tamen absque vrgentissima id facere fas non esset.

Ad primum igitur argumentum posset quis fortè neque absque omni prorsus probabilitate respondere, quòd Iudæis cum nullis infidelium fas erat matrimonia contrahere, nisi circuncisionis legem susciperent. Vt lex illa Deuteron. 21. de contrahendo cum captiuis fœminis intelligeretur, si vellent Iudaicam legem susciepere: nam eadem ratio militare videtur de omnibus idololatris, quæ de Chananæis propter cultus disparitatem, & propter periculum Iudæis oblatum idololatrandi cum vxoribus. Nihilominus secundum aliam opinionem respondetur, quòd non erat tunc tanta cultus disparitas inter Iudæos & gentes, quanta modo inter nos & infideles. Et ratio est, quia lex illa non obligabat vniuersum orbem, sed peculiarem illum populum. Quocirca in lege naturæ poterant homines saluari. Et ideo ratio fidei synagogæ non excludebat naturale ius matrimonij cum alijs gentibus: quamuis per accidens peccatum esset cum illis contrahere, si periculum Iudæo crearetur idololatrandi. Et ideo non nisi peculiariter fuit illis interdictum matrimonium cum illis idololatris terræ promissæ. Sancta verò lex euangelica non vni angulo, sed vniuerso orbi proposita est, extra quam nemini patet salus: ob idque adeo Christianis cum omnibus infidelibus inhibitæ sunt nuptiæ.

Sol. 1. arg.

Sensus legis Deut. 21.

Alia solutio

Discrimen legis veteris & nouæ.

Digitized by Google

Aliud discrimen. Adde, quòd tunc matrimonium non erat sacramentum, vti est modo: quare ex natura eius non repugnabat cum infidelibus copulari: modo autem carnales nuptiæ matrimonium spirituale cum Ecclesia in illis prærequirunt, qui futuri sunt coniuges.

Solutio secundi. Ad secundum respondetur, consequentiam non valere. Quoniam sponsalia non secum commercium adferunt indissolubile, vt matrimonium: & ideo nihil obstat quominus valeant sub conditione profitendi fidem confœderari.

Solut. tertij. Ad tertium denique egregiè diuus Thomas respondet, quòd cùm matrimonium sit vnum ex septem sacramentis, eam præcisè vt necessariam exigit paritatem cultus, quæ pertinet ad sacramentum fidei, hoc est, ad baptismum, quo fit professio fidei. Non tamen quantum ad necessitatem exigit paritatem fidei interioris. Quam ob rem hoc, de quo modo agimus, impedimentum non dicitur disparitas fidei: nam illa esse potest in coniugibus corrupta, sed disparitas cultus, qui quidem cultus ad externum in operibus seruitium & religionis imaginem spectat. Cùm ergo hæretici re vera sint Christiani, characterem Christianismi seruantes, imò & apostatæ, licet à fide descisentes ad aliam sectam perfugiant, quamuis cum illis matrimonium contrahatur, non ideo est irritum, sed validum. Est tamen peccatum mortale cum hæreticis contrahere propter periculum. Et hoc significatur citatis canonibus Caue, & Non oportet. 28 quæstione prima, vbi cum hæreticis matrimonia interdicta leguntur. Nam cùm Paulus admoneat, hæreticum pertinacem euitare, & Ioannes prohibeat Aue peruersis & corruptoribus fidei dicere, plane colligitur, multo minus licere consuetudinem, quanta est inter coniuges, cum illis contrahere.

Disparitas cultus.

Matrim. cũ hæreticis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm coniux ad fidem conuersus possit cum coniuge eandem fidem renuente commanere.

POSTQVAM de contrahendo matrimonio inter fidelem & infidelem dictum est, quæritur de contracto inter infideles, vtrum per conuersionem alterius, coniugis non dirimatur, sed possit fidelis cum infideli commanere. Et arguitur à parte negatiua. Vbi idem periculum extat, eadem debet adhiberi cautela: propter periculum autem subuersionis fidei prohibetur fidelis ne cum infideli contrahat, imò eiuscemodi matrimonium dirimitur: ergo cùm idem sit periculum dum matrimonium fuerat in infidelitate contractum, necessariò per conuersionem alterius, altero eandem conuersionem renuente dirimitur.

Partis neg. arg. 1.

2. Argum. Secundò. Si fidelis posset cum infideli coniuge commanere, consequens fieret, vt ad id quoque obligaretur, saltem si spes esset conuersionis eius, tum quòd contra charitatem esset eam dimittere, cuius saluti retinendo consulere vir posset, tum quòd etiam esset contra iustitiam soluendi debitum, quod coniux exigere potest.

3. Argu. Tertiò. In concilio Toletano 4. vt can. Iudæi. 28. quæstione prima, relatum est, iubetur, vt Iudæi, qui Christianas habent vxores, nempe quæ post matrimonium in Iudaismo contractum conuersæ sunt, admoneantur eandem fidem Christianam cum vxoribus profiteri, alioqui ab eisdem vxoribus distrahantur: ergo non potest fidelis cum infideli manere.

4. Arg. Quartò arguitur. Matrimonium inter fideles contractum præstantius est illo quod inter infideles initur: sed si fideles contrahant in gradu prohibito, matrimonium dirimitur: ergo si conuersus in infidelitate contraxit cum consanguinea, non poterit eam retinere.

5. Arg. Quintò. Sequeretur, quòd si ille in infidelitate plures habuisset vxores, quas legitimè ducere quiuerat, posset manere cum omnibus: consequens tamen est falsum, quia id per legem euangelicam non licet: ergo in tali casu cum nulla manere potest.

6. Arg. Sextò Vsu etiam venire potest, vt infidelis vxorem aliquam repudiasset, aliamque subinde duxisset, quod secundùm ritum suum legitimè facere poterat: ergo tunc saltem si huiusmodi infidelis conuertatur, nequit cum illa secunda manere.

Pars affir. In contrarium autem est consilium Pauli 1. Cor. 7. vt si infidelis manere possit sine contumelia Saluatoris, fidelis coniugem illum non expellat, sed studeat lucrifacere.

1. Cond. Ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima, eademque capitale fundamentum sit. Matrimonium inter infideles legitimè contractum per conuersionem ad fidem catholicam siue amborum simul coniugum, siue vnius tantùm, non necessario dirimitur. Hanc conclusionem Aug. contra Pollentium de adulterinis coniugi. qui contrarium asserebat, constituit: cuius lata disputatio atque decisio refertur can. Sicut. 28. q. 1. Eandem conclusionem præfixerat idem Aug. in li. de sermone Domini in monte. Vnde Innocentius cap. Gaudemus. de diuor. Per sacramentum, inquit, baptismi non soluuntur coniugia, sed crimina diluuntur. Ratio autem conclusionis, illaque optima est, quod fides naturam non tollit, neq; eius iura, sed perficit, cùm ergo matrimonia, vt dictum est, inter infideles iure naturæ coalescant & consistant, professio fidei catholicæ per se eiusmodi vincula non rumpit, nisi aliquod obstaculum fidei inde obijciatur.

Ratio conclusio.

Igitur de conuersione infidelium, cuius titulus lib. 3. Decretalium extat, pluribus est modis distinguendum. Aut enim ambo conuertuntur, aut non nisi alter. Si ambo, nemo dubitat quin matrimonium antiquum sine nouo consensu permaneat. Id namque ex conclusione modo præfixa subsequitur: quia cùm per se fides naturam non destruat, neque alius inde obex fidei obijciatur, certum est matrimonium persistere. Si verò non nisi vnus, eam, altero repellente, fidem suscipiat, tunc aut infidelis ille adeò est pertinax, vt sine Saluatoris contumelia cohabitare nequeat cum fideli.

Conuersio infidelium multiplex.

2. Concl. Et tunc sit secunda conclusio. In tali casu fidelis nequit, neque vnquam quiuit cum infideli cohabitare, sed saltem quoad torum tenetur, tenebaturque apostolorum seculo ab illo discedere: quamuis per hoc solùm matrimonium non dirimebatur quoad vinculum.

Ratio prioris partis. Probatur prius membrum: quoniam cùm per fidem fiat connubium spirituale, & supranaturale cum Christo, quod quidem longè præstantius est carnali, fides naturalis soluendi debitum coniugi cum detrimento fidei, quæ Christo præstatur, non est seruanda, imò frangenda. Et confirmatur, quia cùm hæreticum pertinacem iubeat Paulus euitari, à fortiori est infidelium, qui Christi fidem blasphemant, consortium, etiam connubiale, vitandum. Atque hic legitimus est Apostoli sensus 1. Corinth. 7. qui locus ex Ambrosio citatur, can. Si infidelis. 28. quæstione prima. vbi ait Paulus, Si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi: in pace autem vocauit nos Deus.

Alia confirmatio.

Ratio 2. partis. Secundum verò conclusionis membrum, scilicet quod matrimonium non protinus dirimatur (quod artic. 5. apertiùs confirmabitur) obiter nunc probatur. Nam quamuis post conuersionem vnius coniugum alter paulo tempore conuerti renuat, si tamen antea quàm fidelis ad alias transeat nuptias, ad cor rediens conuertatur, matrimonium antiquum custodiendum est.

3. Concl. Tertia conclusio. Si infidelis, quanquam baptismum renuat, non tamen adeo sit iniquus, quin velit absque iniuria fidei & contumelia Christi, cum coniuge fideli commorari potest, si Apostolica verba consideres, fidelis cum eodem infideli coniuge cohabitare, & rei vxoriæ cum illo vacare. Imò verò quamdiu spes durat eius conuersionis, consilium est Pauli cum illo viuere. Hæc conclusio habetur apud Apostolum 1. Corinth. 7. quam Augustinus locis citatis in libro de sermone Domini, & ad Pollentium ceu catholicam defendit. Ait quippe illic Paulus, Cæteris (id est, in dispari cultu coniugatis) ego dico non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo (fidem scilicet non aspernando, nec contumelijs afficiendo) non dimittat illam. Verbo enim illo, dico ego, non Dominus, docet non esse præceptum Domini manere cum tali infideli, sed suum ipsius consilium, sicut paulò inferiùs de virginitate subdit dicens, De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Pari namque consilio admonet fidelem coniugem ne infidelem dimittat: sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis (id est, sanctificari assolet) per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Dixerim, si apostolica verba consideres, quia vtrùm nunc idem mos in Ecclesia vigeat, illico videbimus. Illa ergo verba can-

citato.

citato. Sic enim, scilicet, Non nisi eiusdem religionis & fidei coniugia maneant copulata, falso tanquam Augustini citantur, sed erant Pollentij negantis posse fidelem cum infideli in matrimonio prius contracto manere. Et ideo Aug. respondet, quòd licet non possint talia matrimonia contrahi, possunt tamen in infidelitate contracta manere.

4. Concl. Quarta conclusio. Quamuis infidelis velit sine contumelia seruatoris commorari cum fideli, fidelis non tenetur, neque tempore Apostolorum tenebatur manere cum illo, sed erat ei liberum vel abijcere coniugem, quo ad torum, vel retinere. Conclusio colligitur ex verbis Apostoli dicentis. Ego dico, non Dominus, vbi insinuat, non esse præceptum commanendi, sed facultatem, & quandoque consilium. Idque subinde Apostolus verbis citatis insinuat dicens, Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi: non enim id tantum significat, quòd quando infidelis discedit, tunc fidelis debeat discedere, sed quòd siue infidelis discedat, siue manere velit, non est ei subiectus fidelis, sed possit, si libuerit, eum relinquere, nec cogitur cum illo manere, nisi ille Catholicam fidem optauerit. Et ideo non iubet, ne discedat: quia ius etiam tunc habet discedendi, sed consulit, vt non discedat. *Ratio.* Et ratio conclusionis est, quia secundùm aliam atque aliam vitam diuersa homini competunt & expediunt: per baptismum autem homo moritur priori vitæ, & resurgit in nouam: est n. baptismus regeneratio quædam, vt ait Christus: ergo ille tunc homo liber à seruitute præteritæ vitæ fit, ad quam præcedens matrimonium attinebat, atque adeò liberum eidem deinde fit, vxori, etiam optanti manere cum illo, debitum reddere vel negare: sicuti qui statum religionis profitetur, in sua habet potestate illa vota, quæ in seculo fecerat, eidemque religioni non aduersantur, aut perficere, aut missa facere.

Durand. rationes has debiles esse censet: At verò quamuis non sint demonstratoriæ, tamen suppositæ veritate, quæ ex verbis Pauli colligitur, re vera sunt satis ad rem aptæ. Enimuero vt per baptismum à peccatis & infidelitate liberamur, ita & à seruitute, quæ erat in illa lege infidelitatis & peccati, à qua periculum imminet peruersionis. Adde quòd cùm in infidelitate nemo saluari valeat, status fidei liberat hominem à seruitute matrimonij, quæ erat in illo statu. Quare sub lege naturæ si quispiam ad Iudaismum conuerteretur, non ei suffragaretur eadem ratio, vt posset vxorem non conuersam deserere: quia illa poterat in lege naturæ salua fieri. Præterea id per similitudinem confirmatur. *Simile.* Infidelitas enim fornicatio quædam spiritualis est, ergo sicut ob carnalem fornicationem si obstinata vxor fuerit, debet innocens coniux, vt dist. 36. dicebamus, eam deserere: si autem pœnitentia ducta emendetur, potest eam innocens retinere, sed non tenetur, imò si velit potest eam relinquere: ita olim vsu & more in conuersione infidelium seruabatur. Et est animaduertendum, pari iure sub lege his quatuor conclusionibus explicita, maritum & vxorem militare: nihil enim refert, maritus ne sit ille qui prior conuertitur, & vxor quæ eum relinquit, an vice versa vxor conuertatur, & maritus eam relinquat. Etenim infidelis est, qui dicitur relinquens, dum non vult fidem suscipere, & fidelis relinquitur, vt eo. cap. citato. Si infidelis, ait Gregor. Ait quippe, quòd ius matrimonij soluitur per contumeliam circa eum qui relinquitur, puta circa fidelem, qui iure soluitur cohabitandi cum infideli. Quasi dicat, non perinde solui circa relinquentem, scilicet circa infidelem, qui iure diuino tenetur baptismate lotus suum coniugem sequi. Quare infidelis discedens & in Deum peccat (baptismum respuens) & in matrimonium, quod sua causa dissoluitur.

Dubium. Sed rogas. Quidnam est, infidelem manere nolle sine contumelia Saluatoris? Videtur enim nemo absque illa manere posse: quoniam ipsa eadem opera infidelitatis exercere est contumelia Saluatoris. Respondetur, quòd illud exercitium præcisè antequàm fides suscipiatur, non censetur in præsentia contumelia Saluatoris, sed si Christum blasphemet, aut in ipsius fidem conuitia iactet, aut si fidelem coniugem ad suam sectam peruertere moliatur, aut alia morum corruptela inficere: tunc enim eius est consortium propellendum. Cætera inter soluenda argumenta clariùs elucescent.

Error primus. Ex primo igitur argumento duo oborti sunt errores. Pollentius quippe, vt supra diximus, credens prohibitionem esse diuinam matrimonij inter fidelem & infidelem, dixit Paulum contra eiusmodi prohibitionem permisisse fidelem cum infideli manere. Alij, *Error secundus.* etiam è Iureconsultis, è conuerso permissioni Pauli plus iusto insistentes aiunt, Ecclesiam contra mentem Apostoli inhibere ne fidelis cum infideli contrahat. Vterque verò error ex ignorantia distinctionis pullulauit. Aliud enim est, vt ait Augustinus, contrahendum prohibere, aliudque contractum dissoluere. Facilius enim res, ne fiat prohibetur, quam facta rescinditur. Consultissima ergo Ecclesiæ prohibitio, matrimonium, si inter fidelem & infidelem contrahatur irritantis & cassantis, minimè contraria est Apostolo consulenti: ne si in infidelitate fuerit contractum, dissoluatur. Neque consilium Pauli est contra Dei iussionem: quia Deus nunquam cohabitationem fidelis cum infideli omnino cohibuit.

Sol. 2. arg. Secundi autem argumenti, quod contra quartam conclusionem obiectum est, negatur consequentia: quoniam susceptio baptismi in libertate hominem constituit, vt tanquam nouam vitam professus non teneatur antiquæ seruire, atq; adeò neque coniugi in illo antiquo instituto persistenti, sed solùm est opus misericordiæ, quod ideo in rigore iustitiæ non obligat.

Obiectio. Et per hoc aliud soluitur argumentum, quod quis ab adulterio ducere potest. Dum ambo coniuges sunt adulterio commaculati, quamuis vnus per pœnitentiam emendetur, non potest ab altero diuortium facere: ergo neque si ex duobus infidelibus vnus conuertatur. Negatur enim consequentia: quoniam pœnitentia non est regeneratio in nouam vitam, & mors prioris, vt baptismus.

Aliud arg. Quod si rursum arguas. Saltem si consummatum fuerit matrimonium, videtur coniux non posse absque consensu alterius Christianismum profiteri sicut nequit Christianus sine consensu Christianæ vxoris ad religionem transire. Negatur consequentia: quoniam susceptio baptismi non est solum perfectior status, vt religio, sed mors in Christo, cui, vt ait Paul illic consepelimur, & regeneramur: & ideò sicut per mortem temporalem viri, vt idem ait Apostolus, mulier nexu coniugali soluta est, ita & per baptismum obligatione soluitur reddendi debitum infideli: quare eius consensus non exposcitur. Præsertim quòd religio non est de præcepto, sed de consilio: præceptum verò suscipiendi baptismi vniuersos obligat mortales: & ideò culpa infidelis coniugis est, quod alterum in fide suscipienda non imitetur.

Alia obiectio. Arguitur autem præterea, quod saltem postquam ille qui conuersus est, infidelem coniugem cognouerit, non possit eam relinquere, vt patet ex similitudine à fornicatione carnali ducta: si enim maritus vxorem, cuius adulterij conscius est, agnouerit, non potest eam dimittere. *Dilutio.* Respondetur autem, exemplum non omnino conuenire: quoniam culpa fornicationis carnalis per carnalem copulam coniugis censetur condonata, fornicatio verò spiritualis minimè.

Aliud arg. Aliud argumentum etiam contra eandem quartam conclusionem militare videtur de seruitute; quoniam seruus conuersus ad fidem, vt 1. ad Timoth. 6. ait Paul. non fit à seruitute immunis: tanta autem videtur obligatio matrimonij, quanta seruitutis: ergo per conuersionem non deobligatur coniux ab alterius iugo. Negatur minor, saltem obligatio coniugalis & seruitutis *Solutio.* non est eiusdem generis: primum quia coniux non est alteri alligatus coniugi tanquàm eius possessio, ceu est seruus sub potestate domini, sed per modum societatis cuiusdam, vt 1. Corint. 7. docet Apostolus. Præterea seruitus perfectioni Christianæ non repugnat, imò ad eius humilitatem spectat: esse autem Christianum infideli alligatum, eidem Christianæ professioni multum derogat. Et per hoc alia soluitur redargutio. *Obiectio.* Si quis ancillam, cuius conditionem nouit, vxorem ducat siue seruus, siue liber, non potest eam relinquere: ergo neque fidelis infidelem. Negatur enim consequentia: nam cultus disparitas simpliciter facit personam illegitimam ad contrahendum: seruitus verò non nisi quando ignoratur.

Dubium. Dubitatio tandem huc subit, quando alter infidelium conuertitur, proles quem sequi debeant. Videtur enim quod debeant sequi matrem, sicut in seruitute, cano. Liberi. 32. quæstio. 4. veruntamen distin-

guendum

guendum est. Si enim filius est doli capax, non est cogendus ad fidem. 23. quæstio. 5. cano. Ad fidem. & 45. distinctio. cano. De Iudæis. Quare siue pater, siue mater conuertatur, suo arbitrio filius relinquendus est, & solis rationibus & monitis adducendus. Si verò non est doli capax, debet sequi conditionem fœliciorem. Quare si pater conuertatur, illi adiudicandus est, vt capit. Ex literis. de conuersio. infideli. Et si mater etiam eandem sequi debet, vt capit. Iudæi, quod nunc tractamus. 28. quæstio. 1. Et ratio est, quòd alterutter coniugatorũ fidem suscipiat, ius acquirit Ecclesia eum cogendi, vt filios baptizet, canon. Cum multæ. 15. quæstione 8. Non ergo eadem est ratio, quæ de seruitute: nam illa propter rationes, quas distinctione 35. posuimus, sequitur ventrem, religio verò fidem. Solet præscribi tempus septennij, vt dicatur proles non doli capax, nam illuc vsque durat infantia: sed tamen potius ad lucem rationis, quæ in prole fulget, spectandum est: quamuis in re dubia in fauorem fidei est inclinandum.

Can. Iudæi.

Sol. 3. arg.

Ad tertium argumentum posset vno modo responderi, canonem illum Toletanæ synodi non esse vniuersalem, sed peculiarem de Iudæis, eisdemque masculini generis. Loquitur enim de matrimonio in Iudaismo contracto: admonetque vt si vxores fidem catholicam profiteantur, viri admoneantur: quòd si cum eisdem vxoribus manere voluerint, Christianismum suscipiant, alioqui separentur: quia cùm perfidia Iudæorum peior sit quàm ethnicorum infidelitas, maiorique odio Crucem Christi insectentur, præsentaneum periculum à maritis crearetur vxoribus, ne ab illis peruertantur. Quare dicere quis posset, eundem canonem ad alios infideles non protendi.

Distinctio trium temporum.

Sed nihilominus Diuus Thomas, & Ricardus & aliorum plerique prudentius tria tempora dignoscunt. Primus enim decursus processit ab Apostolorum ætate per annos sexcentos, quo quidem seculo feruor sanguinis Christi durauit, atque adeò conuersio infidelium omnium, etiam Iudæorum, frequens erat. Quo ideo tempore consilium Apostoli vsu seruabatur ne fidelis coniux infidelem abijceret, sed illum ad Christum adducere studeret. Et præterea ne coniugati metuentes à coniugibus suis distrahi, grauem & odiosum haberent catholicam fidem, ab eaque suscipienda, absterrerentur. Illoque medio tempore floruit Augu. qui illud Apostoli consilium contra Pollentium asseruit. Aliud deinde subsecutum est seculum, quo Iudæi, potissimum in Hispania, obstinatius suam perfidiam tuebantur. Et ideo tunc circa annum Domini D C X L. facta est Toleti illa Synodalis constitutio, vt Iudæi nisi admoniti Christianismum susciperent, ab vxoribus distraherentur. Gentilium verò mariti non cum tanto rigore à Christianis vxoribus abigebantur. Tametsi eodem concilio aliud adiectum sit decretum, quod refertur cano. Sæpe. eadem causa & quæstione, quo iussi sunt Christiani infidelium consortia vitare. Postmodum verò seculorum successione vsus inoleuit Ecclesiæ, vt nemo infidelium cuiusuis sectæ fideli coniugi commorari permittatur. Neque verò mos iste Paulino consilio contrarius est: nam cùm consilium illud non sit diuinum ius, sed tantùm Apostoli quatenus Ecclesiæ pastoris, potuit pòst eadem Ecclesia pro temporum varietate & conditione diuersa idem interpretari, aut mutare consilium. Intellexit namque neminem infidelium, postquàm admonitus renuerit fidem suscipere, vllam de se spem relinquere conuersionis, atque adeò neque tutò posse absque iniuria fidei & Christi contumelia cum coniuge fideli vitam ducere. Fine autem & ratione, ob quam condita est humana lex, in vniuersum cessante, lex ipsa aboleri debet.

Dubium.

Quod si roges, vtrùm si nunc vlla spes existeret conuersionis coniugis, posset fidelis consilium Pauli sequi? vtpote si admonitus non sic respueret, vt spem prorsus suæ conuersionis extingueret, sed diceret temporis se fortasse decursu nomen in Christianismum daturum? Respondetur, minimè id licere, nam lex non respicit ea quæ raro accidunt, sed quæ plurimùm contingunt. Et ideo postquam ab Ecclesia præscriptus est modus, quæcunque alia spes affulgeat, ille seruandus est. Admonendus, inquam, & requirendus est Ecclesiastico more: quòd si in mora fuerit conuersionem procrastinando, non diutiùs expectandus est, sed diuortium fieri debet. Veruntamen iustum legitimumque tempus expectandum est, quo possit catechismis erudiri.

Solutio.

In Insulis verò, & in alijs infidelium prouincijs, vbi conuersiones crebriùs fiunt, Papa posset, imò verò Episcopus, inducias illas, quando fœlix euentus speraretur, nec quippiam periculi superesset, prolongare. Nam cùm hæc prohibitio, ne fidelis cum infideli cohabiter, non diuino, sed Pontificio iure vim fuerit sortita, potest, vt supra diximus, super hoc per summum Pontificem fieri dispensatio. Est tamen cautè videnda & cauenda infidelium simulatio, quorum pectus aliud condit, & aliud lingua profert.

De Insidi.

Sed alia hinc emergit non dissimulanda dubitatio, quanto scilicet rigore Ecclesia cohabitationem interdixerit fideli cum infideli coniuge, videlicet si Turcarum aliquis vel aliorum infidelium in sua prouincia conuerteretur ad fidem, & tamen si suam coniugem abijceret, capite truncaretur, vtrùm deberet potius mori quàm habitare cum illa. Respondetur: fortasse non posse rem eiusmodi euenire: nam neophytus ille propter conuersionem citiùs quàm propter diuortium occideretur. Si tamen latenter esset Christianus, & ne proderetur, maneret cum vxore, certè nullum contraheret peccatum: quia Ecclesia non vult cum tanto periculo quempiam hac lege obligare. Dum tamen ius seruaret diuinum, quo tenetur quisque cauere, ne consortium corrupti coniugis præsentaneum sibi offerat periculum peruersionis.

Dubium.

Dilutio.

Ad quartum respondent theologi omnes, & secundùm eos. Innoc. cap. Gaudemus. de diuort. quod qui dum iufidelitatis nebula tenebãtur, in gradibus contraxerunt ab Ecclesia prohibitis, si sacro fonte abluantur, tenentur in matrimonio persistere: quoniam cùm Ecclesiastica prohibitio eos qui extra Ecclesiam sunt, non comprehendat, dicente Paulo, De ijs qui foris sunt nihil ad nos, eorum matrimonium fuerat legitimum. At verò quia ius naturale & diuinum vniuersos obligat mortales, si forsàn contraxerant in gradibus tali iure prohibitis, qui Leuitici 28. referuntur, tales nuptiæ tanquàm nefariæ sunt dirimendæ. Non tamen de omnibus casibus illic prohibitis id intelligas, vt dist. proxima explicaturi sumus: sed si quis contraxisset cum matre, filia, aut sorore: & fortè cum auia, vt illico illic patebit.

Sol. 4. arg.

Nota.

Ad quintum citra controuersiam & à cunctis Theologis, & ab eodem Pontifice per eandem modò dictam rationem respondetur, quòd cùm Polygamia, scilicet multitudo vxorum viuentium, sit contra ius naturæ: & quamuis illa Iudæis diuinitus fuisset permissa, tamen per Euãgelicam legem eadem permissio fuerit extincta, & res ad ius naturæ reuocata, nequeunt illa geminata matrimonia in Christianismo tolerari, sed tanquam illegitima sunt dissoluenda, præterquam cum prima vxore, quæ vtique si conuertatur, sola est legitima vxor. Si verò illa conuersionem respuat, aliæque conuertantur, poterit maritus fidelis cum quacunque illarum, si libuerit, matrimonium contrahere, sed non tenetur.

Sol. 5. arg.

Pari prorsus iure ad sextum argumentum de repudiatis vxoribus respondetur. Est enim repudium contra ius naturæ, vt altè & fusè distinct. 33. demonstrauimus. Et ideo si quis infidelitatis cæcitate vxore repudiata aliam duxerit, cùm primùm fidem susceperit, debet illam, quam secundò accepit, abijcere, quia non est vera vxor. Sed si prima voluerit conuerti, cum illa debet, tanquam legitima, vitam viuere. Et quamuis illa alteri nupserit, non potest illam tanquam fornicationis ream repellere: quia consentiente viro, imo ab ipso repudiata nupsit. Si verò aliter fuerit fornicata, potest ab illa diuerti quoad torum. Decisio est eiusdem Innocentij eodem ca. Quòd si prima noluerit conuerti, cum secunda poterit contrahere, non obstante mœchia, quam illa commiserat. Et simili modo intelligendus est canon Euticiani Papæ. 28. quæstione prima. Si quis gentilis gentilem vxorem duxerit ante baptismum, post baptismum in eius potestate erit eam habere vel non habere: nam si demiserit per repudium absque tali fornicatione, & illa conuertatur, non poterit eam non retinere: si verò non conuertatur, non poterit eam retinere.

6. Arg.

Digitized by Google

ARTICVLVS IIII.

Virum fidelis ab vxore infideli discedens possit aliam ducere.

PENDVLVS hucusque est sermo, nisi naturam diuortij inter fidelem & infidelem penetremus, vtrum scilicet fidelis relictus possit ad alias transire nuptias. Et arguitur à parte negatiua. Nexus matrimonij, vt distinct. 28. demonstrauimus, indissolubilis suapte natura est, adeò, vt quemadmodum di. 35. dicebamus, Iudaicus libellus repudij contra naturam militauerit: matrimonium verò, vt sæpè diximus, inter infideles contractum legitimum est: ergo nulla prorsus ratione est dissolubile.

Pars negatiua.

1. Arg.

Secundò. Non minus est vxori infideli quàm filijs consulendum: & tamen quamuis filius dum est infidelitatis pertinax, ius paternæ hæreditatis amittat, nihilominus quotiescunque postea conuertatur, eadem hæreditas, etiam si in alios possessionem transierit, est ei in integrum restituenda: ergo pari modo quamuis vxor iniqui propositi tenax in infidelitate aliquandiu persistat, quoties conuertatur, restituenda est viro suo: quod, si ille aliud matrimonium iniuerat, fieri non potest: ergo ille nequit ad aliud matrimonium transire.

2. Arg.

Tertiò Hæresis tam pestifera est & pernicioſa fidei, quàm infidelitas; imò vt in 2. canon cap. 2. ait Petrus, peius est crimen: Melius enim, ait, erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab illo, quod eis traditum est, sancto mandato, & tamen catholicus non potest ab hæretico coniuge sic discedere, vt coniugale vinculum rumpatur: imò cùm primùm hæreticus ad sanam mentem redeat, tenetur coniux illum & domo & toro suscipere: ergo neque inter fidelem & infidelem locum habet tale repudium.

3. Arg.

Quartò arguitur. Si propter infidelitatem, quæ est spiritualis fornicatio, fas esset matrimonium dirimere, consequeretur, id ipsum ob quodcunque peccatum mortale licere: omne enim peccatum ex superbia descendit: initium autem superbiæ, vt habetur Ecclesiast. 10. est apostatare à Deo: & peculiariter de auaritia, ait Paul. ad Ephe. 5. quod sit idolorum seruitus, atque adeò infidelitatis genus: sed ratione istorum non licet diuortium facere: ergo neque ratione infidelitatis.

4. Arg.

In contrarium est, quòd matrimonium infidelium licet sit iure naturæ legitimũ & ratum, tamen non sic iure diuino ratum habetur, quin sit fidei gratia dissolubile: alioqui si infidelis sine contumelia saluatoris manere nequiret, deberet fidelis ob bonum fidei grauamen illud perpeti, vt perpetuò esset coniuge orbatus.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem sub distinctione duabus conclusionibus respondetur Supponitur enim ex primo articulo, quòd per solam susceptionem baptismi matrimonium non dirimitur. Quare si alter admonitus conuersionem pollicetur, expectandus est, dum non est in mora: & si conuertatur, matrimonium antiquum perseuerat, & fit simpliciter indissolubile.

Decis. artic.

Si verò alter duntaxat conuertatur, tunc aut infidelis vult sine contumelia Saluatoris cohabitare cum illo, de hoc est prima conclusio. Potest quidem tunc fidelis diuortium quoad torum facere, non tamen sic infidelem coniugem repudiare, vt possit illo vel illa viuente ad alias transire nuptias.

1. Concl.

At si infidelis manere renuit cum fideli sine iniuria fidei: itaque vel est in fidem iniurius, vel in Christum blasphemus, vel in coniugem scandalosus, quia illam conatur peruertere: de hoc subditur secunda conclusio. In tali euentu fidelis potest & debet ab infideli discedere, & sic potest eum repudiare, vt ipso viuente possit ad alias nuptias commigrare. Et intelliguntur conclusiones, vt in superiori artic. pari iure de vtroque coniuge, siue maritus prior conuertatur quàm vxor, siue è diuerso. Distinctio est hic S. Thomæ, & Ricardi, & omnium Theologorum, & Gratiani can. Si infidelis. 28. q. 2. vbi Gregorius ait, quòd contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur. Et eadem est prorsus distinctio Innocentij cap. Quanto. de diuort. vbi easdem conclusiones constituit. Atque idem docet ca. Gaudemus. eod. titu. Ratio verò discriminis harum conclusionum est, quòd cùm in priori casu, scilicet optante infideli cum fideli coniuge

2. Concl.

Ratio discriminis.

sine iniuria Saluatoris manere, non sit fideli necessarium infidelem abijcere, sed liberè possit eam retinere, non est cur eam liberè relinquens, aliam sibi possit copulare. In secundo verò casu cùm necessarium ei sit ab illa diuertere, non debet citra suam culpam absque vxore in cœlibatu viuere. Ob idque tunc iure diuino causa fidei matrimonium dirimitur, vt aliud possit iniri. Et in hoc casu aiunt in eisdem locis citati Pontifices habere locum verbum Pauli, si infidelis discedat; quia tunc frater conuersus aut soror, non subiectus est infideli pluſquam si fuisset simpliciter mortuus. Si verò voluerit sine contumelia fidei manere cum illo, tunc licet conuersus non sit simpliciter subiectus quoad cohabitationem, si non vult, est tamen eatenus, vt interim nequeat aliud celebrare coniugium.

Est tamen hic considerate inter tempora distinguendum ne eorum confusio lectorem seducat. Conclusiones enim istæ sub eo sunt constitutæ tenore, vt temporibus inseruirent, quibus fideli cum infideli coniuge consentiente manere cum illo, licitum erat, imò consilium commanere. Etenim iam modò si infidelis admonitus conuerti renuit, necessariò debet fidelis ab illo dimoueri, atque adeò iure potest secundæ conclusionis vti alias optando nuptias.

Nota temporum distinctionem

Aduersus hanc tamen conclusionem extant nonnulla argumenta solutu necessaria. Christus enim Matth 19. simpliciter iussit, vt quos Deus coniunxit, homo non separet, nullam faciens distinctionem. Eandemque sententiam exponens subdit. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur, vbi nullam causam, nisi solam fornicationem exemit. Quod si quis dicat, nomine fornicationis intellexisse etiam spiritualem, cùm quis cultus disparitate fornicatur, re vera commentum hoc gratis videtur inuentum: tunc quia illic solùm lis agitabatur de fornicatione carnali: deinde quia eadem ratione quoduis peccatum mortale posset dici fornicatio, vt per quod homo Deum relinquit, licet non tam propriè quam infidelitas, per quam radicitus eius fidem respuit. Tandem quia nec facultatem illic dimittendi vxorem fecit, nisi quoad torum. Item Paulus Roman. 7. nunquam mulierem matrimoniali iugo solui censet, quam per mortem coniugis. Accedit can. Si quis habuerit. 28 quæst. 2. vbi censet Meldensis synodus seu potiùs Triburiensis, ca. 39. quod si quis habuerit vxorem virginem ante baptismum, viuente illa post baptisinum alteram habere non potest. Postremò denique arguitur, quòd ex verbis Pauli eiusmodi matrimonij dissolutio non colligatur: id enim duntaxat ait, quòd si infidelis discedere voluerit, discedat: non enim illi seruituti subiectus est frater aut soror conuersa, sed debet Christianus vxorem, & patrem & matrem & filios atque omnes necessarios, vt ait Redemptor, propter ipsum relinquere: non tamen ait quod possit alias inire nuptias. Vnde Caietan. super eundem locum non solum miratur, sed stupet, quòd torrens doctorum (verbum eius est) ex hoc Paulino loco, cum Christus non exceperit nisi fornicationis causam, interpretetur, quòd causa fornicationis spiritualis matrimonium dissoluatur. Sed tamen negare minimè ausus est eadem de causa dissolui propter antiquum Ecclesiæ vsum.

Obiectio.

Fornicatio spiritualis.

Cã. Si quis.

Caietani opinio.

At verò non est vsque adeò demirandum: nam præterquam quòd sancti patres, potissimum in synodo considentes non humanis tantum rationibus subnixi, sed sancto flamine suffusi sacra interpretatur oracula. Verba etiam ipsa pauli non obscurè id edocent. Non enim illic generalem sermonem, vt Caietanus arbitratur, de omnibus cognatis relinquendis facit, sed peculiarem de discedente coniuge. Nam quod ait, fratrem & sororem non esse in huiusmodi subiectos, non refertur ad hoc, quòd frater fidelis debet relinquere sororem carnalem infidelem, aut soror fidelis fratrem infidelem, sed Christianos omnes more nascentis Ecclesiæ appellat fratres & sorores. Quasi dicat, neque conuersus subiectus est vxori infideli, neque conuersa infideli marito. Et dicens, non esse subiectos, intelligit esse à prisco matrimonio liberos, sicut dixit ad Roma. 7. per mortem viri liberatam esse vxorem. Secundò & inde quoque patres eundem sensum venati sunt, quòd alioqui infideles rem durissimam existimarent, & quæ illos à sacro baptismate absterrere posset, si neophytos à suis vxoribus necessariò abigeret, neque aliarum eis coniugia permitteret. Hinc, inquam, col-

1 Cor. 7.

Ratio 2.

ligitur,

ligitur, Deum rationem dirimendi matrimonia Apostolos ac subinde Ecclesiam docuisse. Et tertia ratio eademque potissima est, quòd illi, qui fidem baptismi Deo non offerunt, ad quam vniuersos mortales obligauit, digni non sunt quibus coniugale fœdus seruetur. Merituissimò ergo Gregorius & Innocentius, non quidem ex suo capite, sed Ecclesiam Apostolorum traditione sic intelligentes institutam, eandem pronunciarunt veritatem. Et Ambrosius super eundem locum Pauli, & August. in lib. de fide ad Petrum, qui refertur can. Vxor legitima. 28. q. 1.

Ratio 3.

Sol. 1. obiectionis.

Ad primum igitur obiectorum respondetur, quòd cum fidelis ab infideli discedit, non homò, sed Deus dissoluit illud matrimonium: non quidem propter illam exceptionem, quam Christus Matth. 19. facit, quasi hæc sit fornicatio, vt multi arbitrantur. Nam, vt modò arguebamus, illic non fit mentio nisi de fornicatione carnali, non spirituali: & quod infidelitas dicatur fornicatio, est sensus typicus, qui vt ait August non est efficax vt inde argumentum sumatur, neque loquitur nisi de diuortio quantum ad torum, sed propter rationes modo factas, & testimonium Pauli sanè intellectum. Itaque Deus quemadmodum eo ipso, quòd religionem ceu perfectiorem statum instituit, per eius professionem dirimi voluit matrimonium tatum Christianorum, ita & tanquam autor fidei, in qua sola patet salus, per eius professionem alterius coniugis, si alter eam detrectauerit, matrimonium dirimit, quod homo dirimere nequiuerat.

Ad can. Si quis. 28. q. 2.

Propter canonem autem Triburiensis synodi non defuerunt qui contra assertam veritatem fuerint opinati. At præterquam quòd synodus illa non fuit, nisi prouincialis, respondetur canonem illum intelligendum secundum interpretationem pontificum, & sanctorum patrum, qui iam allegati sunt, scilicet si illa absque contumelia Saluatoris cum illo commorari voluerit. Quod autem ait, Virginem, nullum secundùm glossam claudit mysterium. potuisset enim generaliter loqui, etiam de corrupta. Quamuis insinuauit, quod si contraxisset cum vidua, liberiùs illam relinquere potuisset, ne bigamiam post baptismum contraheret. Opinabatur enim fortasse synodus cum Hieronymo bigamiam ante baptismum per ipsum extingui. Si verò illa vxor cum marito vellet conuerti, nullatenus poterat deseri, quia matrimonium fiebat indissolubile.

Quando humsmodi matrimonium dissoluatur.

Alia verò dubia circa easdem conclusiones sunt re vera perplexa. primum enim ambigitur, quando eiuscemodi matrimonium dissoluatur? postquam, vt dictum est, per solam susceptionem fidei non dissoluitur. D. Thom. loco præsenti in solutione 1. ait, quod matrimonium, quod post in fide Christi contrahitur, soluit matrimonium quod priùs in infidelitate contractum erat. Itaque docet, nunquam matrimonium dissolui quantumuis infidelis habitare cum infideli recuset, quousque fidelis aliud matrimonium contrahat. Et tunc generatio vnius est corruptio alterius. Quare si nunquam fidelis contrahit, nunquam antiquum dirimitur. Ricardo verò artic. 2. q. 2. hæc non vsque adeo placet opinio. Et argum. eius est: quia non videt quomodo possit fidelis secundum matrimonium conciliare, nisi primum fuerit anteà solutum. Et ideo ait, quod matrimonium soluitur, cum primùm infidelis renuit sine contumelia habitare cum fideli. Atque ad hanc opinionem videtur Scotus propendere artic. 1. dubio. 2. & glossa super citato ca. Si infidelis 28. quæst. 2. Vnde carmen illud emanauit, Spernas spernentem vel blasphemare volentem: Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora. Et videtur textus ipse Gregorij opinioni huic patrocinari, cuius verba sunt. Contumelia quippe creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur.

Versiculi.

Can. Si infidelis. 28. q. 2.

Nihilominus profectò multò est probabilior opinio diui Thomæ, cui paludan. cum Durando adstipulatur. Et ratio est, quæ ex Innocent. ca. Gaudemus. de diuort. colligitur, nempe quod quantumuis infidelis vxor in sua perfidia persistat, iugumque suaue Domini recusèt, si tamen postea respiscat, & antequam fidelis maritus aliud matrimonium contrahat baptizetur, cogetur ille manere cum illa tanquam cum vera coniuge. Neque obstat, quod Ecclesia, vti ait allegata glossa, sententiam diuortij protulerit: tum quod eiusmodi sententia fortè non est necessaria, tum quod illa Ecclesiæ sententia vinculum matrimonij non rumpit, sed facultatem facit fideli illud per alias nuptias rumpendi.

Sententia autoris. Ratio.

Obiectio.

Respondent autem autores eius opinionis, quod Ecclesia, imò ipsa contumelia infidelis dirimit matrimonium. Tamen postea dum idem infidelis conuertitur, cogitur tunc fidelis in fauorem fidei eundem coniugem resumere, sed tamen per nouum consensum, ac si diremptum matrimonium sponsaliorum vim retinuerit. Sed certè hoc non est verisimile, imò crediderim, quod absque nouo consensu priscum matrimonium perduret. Accedunt & ad hanc veritatem exempla, quòd sicut sponsalia cum Maria contracta per matrimonium de præsenti cum alia contractum franguntur, & matrimonium ratum per ingressum religionis dirimitur, ita & matrimonium in infidelitate contractum, vt ait Diuus Thomas, per aliud in religione Christiana igitur dissoluatur. Solutio hæc non parui refert: nam si vera est, quamuis infidelis ante matrimonium à fideli celebratum, cum altero infideli contrahat, & ambo post simul fidei lumine irradiati baptizentur, dissoluendum est matrimonium illud, & suus coniux reddendus priori conuerso.

Solutio.

Sententia autoris.

Exempla.

Ad verbum ergo Gregorij vno modo respondetur, quòd non ait, contumeliam infidelis soluere vinculum, sed solum ius petendi debitum ante eius conuersionem. Et hoc denotat adiectio illa, Circa eum qui relinquitur, quasi ille fidelis relictus soluatur ab obligatione tori. Secundò respondetur, quòd licet intelligatur, vinculum etiam rumpi, non tamen id significatur per solam contumeliam fieri, sed illam ius tribuere aliud fideli ineundi matrimonium, per quod alterum dissoluatur.

Can. Si infidelis 28. q. 2.

Secunda dubitatio huic proxima est, vtrùm infidelis coniux, qui dicitur relinquens, eadem gaudeat libertate contrahendi aliud matrimonium, qua fidelis qui relinquitur. Glossa enim super sæpè citato ca. Si infidelis. in dubium reuocat, num infidelis quamdiu manet in infidelitate, possit contrahere. Et vtramque opinionem videtur vt probabilem relinquere. At verò S. Thom. hic, & Ricardus artic. 2. q. 3. & eadem glossa tripertitò respondent. Ait enim primò D. Thom. matrimonium infidelium per illud, quod fidelis contrahit, omnino dissolui quoad essentiam. Et ideò quantum ad ius attinet naturæ, illico posset etiam infidelis contrahere: quoniam matrimonium non claudicat ex altera parte. Quare si matrimonium ex parte fidelis iam solutum est, pari iure dicendum restat ex parte infidelis esse distractum. Addit verò secundò, quòd matrimonium claudicat quantum ad effectum: scilicet alterum contrahendi, quia propter crimen infidelis, qui non conuertitur, indicitur ei, ne possit matrimonium aliud inire altero viuente coniuge, etiam si ad alias conuolauerit nuptias.

Dubium 2.

28. q. 2.

Responsio 1.

Responsio 2.

Contra hoc tamen assertum militare videtur, quòd cùm Ecclesia infidelibus ius non dicat, nequit eis huiusmodi pœnam indicere: & cum ius naturale, neque diuinum, vt ait Ricardus & alij, infidelem illum iam priori matrimonio solutum nullatenus ab alio ineundo cohibeat, non apparet, quo iure illa decernatur pœna. Ad hoc respondendum crediderim primùm, quòd si eiusmodi infidelis alias concinnet nuptias, matrimonium tenebit, quod nec S. Thom. negat, neque vllus negare potest, postquam ille à prioris nexu enodatus est, sed tamen culpam committit mortalem contrahendo. Etenim (si mea non me fallit coniectura) ius ipsum diuinum suscipiendi baptismum, quod vniuersos mortales obligat, eo temporis articulo, quo alter coniugum orthodoxam fidem profitetur, peculiari ratione matrimonij, quo alter scilicet infidelis est fideli deuinctus, tenetur eum in eadem Christiana religione sequi: & ideo si non conuertitur, peccat non solum in Deum, vt sapientissimè, ait Gregor. sed etiam in matrimonium. Quam ob rem non quidem ab Ecclesia, quæ tali iurisdictione non fungitur, sed iure ipso naturali & diuino indicitur ei, ne fidelem coniugem relinquens, alterum sibi copulet.

Obiectio.

Dilatio.

Can. Si infidelis. 28. q. 2.

At verò (quod tertium dictum est D. Thomæ) si tandem ad fidem conuertatur, & eius coniux altero est coniugio colligatus, conceditur ei vt alteras eligat nuptias. Intelligitur tamen, nisi forsan postquam eius coniux in Christianismo cum altera contraxerat, infidelis ante conuersionem alium adsciuisset maritum: nam tunc, si coniux illa cum suo marito conuertantur, matrimonium illud ceu firmum manere debet.

Responsio 3.

Sed

Digitized by Google

3. Dubium

Sed alia huc quæstio protinus se insinuat: vtrùm votum solenne à neophyto susceptum eandem vim habeat dirimendi matrimonium antiquum, ac si nouum ipse paciscereturProponitur dubitatio. In primis quæstio est, quando infidelis requisitus & commonefactus renuit conuerti: nam antea fidelis, vt nequit alio se implicare coniugio, ita nec religionis voto: non solùm quia infidelis coniux difficilius tunc conuerteretur, verum quòd neque omnino fidelis ab obligatione reddendi debitum est absolutus. At verò postquam admonitus infidelis baptismum recusauerit, non est dubium quin fidelis possit vt matrimonium inire, ita & votum suscipere religionis: quinuerò & citra religionem ad sacros ordines promoueri. Sed vtrùm per tale votum sic dirimatur matrimonium, vt infidelis possit ad aliud commigrare, D. Thom. non respondet. Nihilominus de voto religionis non dubitatur, vt ait Ricardus, & omnes alij, quin perindè ac nuptiæ, matrimonium dirimat. Idem enim in hac parte de matrimonio infidelium consummato censendum, quod de rato nondum consummato inter Christianos, quod quidem per professam religionem dissoluitur.

Dubium præsens.

Sed re vera sacrorum ordinum susceptio perplexum me hoc loco habet, an matrimonium in infidelitate consummatum dirimat. Videtur enim D. Thom. in responsione quarti responsum dissimulasse: nam voto religionis tacito quasi compertum sit matrimonium illud dirimere, de sacris ordinibus initiato subdit. Quòd si vxor post conuertatur, non est sibi vir suus reddendus: & hoc certissimum est propter votum adnexum ordinibus quos ille legitimè susceperat. Subdit verò, Sed debet sibi imputare in pœnam suæ tardæ conuersionis, quòd viro suo priuetur. Quibus verbis insinuat, non posse alteri nubere.

Nota.

S. Thoma soluto.

A simili.

Atqui si de matrimonio rato inter Christianos argumentum ducas, id ipsum confirmatur: nam vt dist. 27. q. 1. secundùm extrauagant. Antiquæ concertationi. Ioan. 22. sub titu. de voto, monstratum est, susceptio sacrorum ordinum matrimonium ratum nequaquam dirimit. Item ad id vrgentiùs arguitur. Si eiusmodi ordinum susceptio matrimonium cum infideli consummatum dirimeret, sequeretur quòd si postea coniux conuerteretur, posset alteri nubere: quod quidem hoc pacto redarguitur. Si Papa pòst super votum sacerdotale castitatis dispensaret, quæ quidem dispensatio, vt dist. præcedenti dicebamus, si fieret, teneret, posset ille sacerdos secum aliam coniugem copulare. Quapropter inter Christianos contingeret, vt citra religionis votum qui veri erant coniuges, alia matrimonia potuissent contrahere. Certè argumenta conuincere videntur, matrimonium illud per sacros ordines neutiquam dirimi, atque adeò vxorem siue infidelitatis tenacem, siue fidem professam debere superstite marito, nec religionem profitente, vitam cœlibem ducere. Cui diuersa opinio fortè arriserit, debet similitudinem matrimonij rati inter Christianos repellere, & conclusionem postremi argumenti, quæ absurda videtur, concedere.

Arguit.

Redarguitio.

Nota.

Contraria opinio.

Ad primum igitur capitalium argumentorum satis responsum est. Nam etsi matrimonium infidelium sit natura legitimum, nec per legem naturæ dissolubile, non est tamen sacramentum, neque tam perfectum & ratum, quin iure diuino ratione fidei catholicæ, quæ fortius est vinculum, dirimatur, per quam tandem perficitur, fitque simpliciter indissolubile.

Sol. 1. arg.

Quòd si redarguendo resurgas. Crimen matrimonio superueniens illud non dissoluit: sed si coniux infidelis vult sine contumelia saluatoris cum fideli cohabitare, matrimonium non dirimitur: ergo crimen superueniens contumeliæ nolentis cohabitare, illud non dirimit. Ad hoc, qui tenent matrimonium per contumeliam dirimi, negarent antecedens: non tamen concedimus per solum illud crimen non dirimi: sed tamen fit per illud facultas, vt per superueniens vel matrimonium, vel solenne votum religionis dissoluatur.

Replica.

Solutio.

Sol. 2. arg.

Sed ad secundum respondetur, non existere parem rationem de prole & vxore: nam per disparem cultum superueniente nouo matrimonio fidelis, antiquum rumpitur, in quo ideo vxorem restitui amplius non est possibile. Sed tamen per eandem cultus disparitatem ius paternum non extinguitur, quominus filij quotiescunque post conuertantur, iure & beneficio postliminij gaudere debeant, hoc est, ad eorum hæreditatem admitti: cano. Deinde. distinct. 26 & Authen. Idem est de Nestorianis. C. de hæreticis & in Authen. Vt cum de appella. cognosci. §. Generalem. collat. 8. Postliminium enim est, cùm ille qui post limina prouinciæ relegatus fuerat, tandem reuertitur, cui ideo iura sua restituenda sunt. Vnde titulus in ff. nouo extat, De captiuis & postliminio reuersis, Et eadem de causa etiam vxor quotiescunque reuertatur, debet doris priuilegio gaudere, vt doctores super capit. Placet. de diuortijs, adnotare solent. Et mulieres, quæ credentes maritos in bello occisos, vel aliter defunctos ad alias nuptias euolarunt, ipsis reuersis sunt restituendæ. cano. Cùm per bellicam. 34 quæst. 2.

Postliminium quid.

Ad tertium de coniuge in hæresim lapso in primis respondetur, per hæresim aut apostasiam nullatenus matrimonium solui: quia, vt sæpè diximus, matrimonium ratum per solum ingressum religionis soluitur: consummatum verò per solam conuersionem ad fidem alio superinducto matrimonio, vt Innocent. cap. Gaudemus. & expressius cap. Quanto. de diuortijs, tautum duxit. Quinimò, vt artic. 1. dicebamus, licet cum hæretico & apostata matrimonium contrahatur, tenet ratione characteris baptisinalis. Licet fœmina hæretico nubens dotem amittat, capit. Decreuit. de hære. in 6. Et vidi causam hanc in Germania agitari. Contendebat enim illustris quidam vxorem hæreticam repudiare, & alias inire nuptias, sed non fuit auditus. At verò potest & debet diuortium fieri quoad torum, præcipuè si periculum subuersionis catholico immineat, quod vtique semper imminere censendum est. Verbum enim Pauli, Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, ad paternum & coniugale atque ad alia omnia necessaria vincula extenditur, vt illis non obstantibus, commercium talium hæreticorum euitetur. Atqui hic est omnium euentuum potissimus, in quo veritatem sortitur admonitio Christi, Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam, &c. Matthæi 10.

Solut. 3 arg.

Paul. ad Titum 3.

Si verò talis hæreticus resipiscens ad obedientiam Ecclesiæ redeat, illique reconcilietur, est dubium, vtrum catholicus teneatur reconciliatam in suam domum & torum suscipere. Sed distinguendum est. Nam si hæresis non processit vsque ad Ecclesiæ condemnationem, sed fuit ille vel illa coniux priuatim emendata, tenetur catholicus pœnitentem, si verè pœnitens est, illam sibi reconciliare. Si verò illa coniux publico Ecclesiæ iudicio fuit hæresis damnata, ac subinde à coniuge separata, eidemque Ecclesiæ reconciliata, tunc maritus catholicus potest, si vult, etiam inuita vxore, religionem approbatam ingredi & profiteri, illam scilicet religionem, cuius solennis professio impedit & dirimit matrimonium. Et idem est de vxore si maritus fuerit hæreticus. Decretum est ca. Mulier. de conuersio. coniuga. Et hoc catholico indulgetur ad cauendam infamiam facti, quæ ex cohabitatione cum hæretico vel hæretica reconciliata contrahitur. Quare tunc illa reconciliata non compellitur religionem ingredi, sed potest manere in seculo: quia facultas quæ sit catholico, non debet vim inferre reconciliatæ religionem profitendi. Si verò non vult religiosus fieri, compellitur pœnitentem coniugem ad coniugale commercium suscipere. cap. De illa. & cap. Quanto. de diuort. Intelligitur autem hæc compulsio, dummodò ille reconciliatus sit adeò pœnitens, vt absque periculo possit coniux manere cum illo.

Nota.

Quòd si arguas. Peior est fornicatio spiritualis per hæresim, quàm carnalis per adulterium; sed post separationem tori fornicationis causa, etiam si adultera emendetur, non tenetur innocens eam pœnitentem suscipere: ergo nec resipiscentem hæreticam. Negatur consequentia multis de causis, quas glossa eodem capitul. recitat: nam per hæresim sola anima commaculatur, sed per fornicationem anima & corpus, quod coniux magis abhorret. Item, quia si adulteram post maritus agnosceret, bigamiæ labem contraheret. Adde tertio, quòd fornicatio magis è diametro fidei matrimonij aduersatur.

Obiectio.

Solutio.

Rationes differentiæ.

Si verò sciscitetis, vtrum ille coniux reconciliatus possit inuita vxore catholica, vel vxor reconciliata inuito viro catholico religionem ingredi: respondetur, minimè posse sine catholici facultate: nam illa indulgentia facta est innocenti in eius fauorem. Qua-

Dubium.

De filijs.

Digitized by Google

re nec sufficit licentia catholici, nisi ipse etiam ingrediatur religionem.

Vtrum verò catholicus possit inuita vxore, quæ fuerat hæretica, sacros ordines suscipere, & manere in perpetuo diuortio. Respondetur, quod licet hoc non sit expressum in iure, credendum tamen est illud posse. Ratio enim quare potest religionem profiteri, est, quod cùm diuortium quoad torum iudicio Ecclesiæ condemnantis vxorem de hæresi, factum fuerit, facta est facultas catholico per votum solenne castitatis in perpetuo diuortio permanere, quod quidem votum sacris etiam ordinibus adnexum est. Et ideo sicut de diuortio fornicationis causa dicebamus, potest vir vt religionis votum, ita & ordines sacros in seculo suscipere.

Sol. 4. arg. Quartum argumentum partim dist. 36. artic. 1. dilutum reliquimus: illic enim disputauimus, vtrum propter alia peccata quàm fornicationis causa liceat diuortium facere quoad torum. Nunc ergo hoc tantùm adijciendum est, vt cuncta liquido sub compendio clarescant. *Crimen nequit matrimonium dissoluere.* Crimen enim simpliciter loquendo, nullum est, quod matrimonium possit dissoluere siue consummatum, siue non nisi ratum. Nam inter Christianos ratum solùm per ingressum religionis dirimitur, inter infideles verò altero eorum conuerso coniuge, crimen alterius conuerti renuentis non sufficit per se matrimonium dirimere, sed ius facit, vt persequens matrimonium dirimatur. Præter hunc tamen casum vniuersalis est conclusio, quòd ob nullum prorsus crimen aut causam matrimonium quoad vinculum dirimitur. *Conclusio.* Attamen quoad torum multifida opus est distinctione. *Quoad torum.* Potest enim fieri diuortium quoad torum & propter fornicationem carnalem, & propter lapsum in hæresim vel Apostasiam, quæ fornicatio spiritualis est: diuersimode tamen: nam in fornicatione vnicus sufficit actus, sed tamen in hæresi non propter vnicum aut duos faciendum est diuortium, vt Diuus Thomas distinctione 35. artic. 1. in solutio. 3. adnotauit, quousque persistat post admonitionem hæreticus in sua perfidia, vel periculum alteri coniugi offerat. Atque hæc sola peccata sunt, quæ per se diuortium quoad torum secum adferunt. Primum scilicet: quia fidei matrimonij contrarium est: & secundum, quia catholicæ fidei aduersatur.

Aliorum criminum distinctio. Cæterum inter alia vniuersa crimina, scelera & flagitia distinguendum est: quia aut sic sunt peccata in vno coniuge, vt ille non moliatur alterum peruertere. Et secundùm hanc considerationem peccata non adferunt rationem diuortij, neque ius habet alter coniux ea ratione à sceleste discedendi, nisi fortè, vt hic ait Sanctus Thomas, in tempus se velit vir ab vxore scelerata subtrahere, vt per priuationem illius solatij castigata emendetur. *Nota.* Atque id potissimum quando crimina essent grauia, quod & vxor eodem iure valeret, si de facto posset. At verò si crimina illa vel in perniciem vergunt corporalem & periculum coniugis, aut potissimum in detrimentum spirituale, tunc posset deberetque alter à consortio eius disiungi, & dum per se non posset, deberet beneficio iudicis aut Ecclesiastici, aut ciuilis vti. *L. Cõsensu, procedit hodie quoad diuortium tori.* Crimina primi generis sunt illa, quæ lege Consensu. C. de repudijs exprimuntur. Vt si vxor venefica sit, aut liberorum interfectrix, aut substantiam mariti deprædetur: aut si maritus periculum necis vxori offert, aut sæuitiam in eam exercet, vt habetur ca. Literas, de resti. spol. Secundi generis crimina sunt, si coniux coniugem ad latrocinia inflecteret, vel alios corruptos mores ei moliretur impingere: tunc enim posset deberetque alter à nequam illo & corruptore coniuge discedere, vt habetur c. Quæsiuit. de diuortijs, iuxta Domini admonitionem Matth. 5. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & eijce à te: & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te: vbi glossa in dextro oculo dextraque manu, vxorem, patrem & filios, atque alios necessarios agnoscit.

Obiectio. Quòd si arguas. Nullum ergo est discrimen inter fornicationem aut alia vitia quoad rationem diuortij: Negatur omnino consequentia, imò est discriminis plurimum: fornicatio enim ratione iniustitiæ toro coniugali illatæ ius facit alteri ab eodem toro diuertendi. Et ideo quantumuis fuerit fornicatio iam pridem elapsa, & correcta, potest vir vxorem in perpetuum dimittere. Sed propter alia crimina discedere non potest, nisi quando de præsenti fiunt, & non emendantur, diriguntur & referuntur ad peruertendum coniugem. His enim causis cessantibus, repetendum est coniugale commercium. Et per hoc solutum restat argumentum. Nomen quippe fornicationis in sensu proprio & literali non nisi carnali turpitudini conuenit. cætera verò peccata non nisi per metaphoram spirituales fornicationes nominantur, inter quas infidelitas & hæresis potissimùm eodem nomine designatur: ob id quòd prima desponsatio cum Deo fit per fidem, iuxta illud Oseæ 2. Desponsabo te mihi per fidem. Et iuxta illud Pauli, Despondi enim vos vni viro virginem, &c. Quare Aug. can. Idololatria. 28. q. 1. idololatriam & omnem superstitionem fornicationis nomine censet. Quocirca hæc duo crimina specialem rationem habent diuortij, reliqua verò minimè. Nam & auaritia itidem per translationem & similitudinem dicitur idolorum seruitus: ob id quod auarus perinde aurum adorat & colit, quod fallens bonum est, atque idololatra falsos deos.

Fornicationis nomine quæ intelligantur.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA,

DE COGNATIONE CARNALI.

Textus Cap. 1. INTER impedimenta, quæ confœderandis stipulandisque nuptijs obstant, cognatio tandem postremum obtinet locum. Est autem triplex, s. carnalis, spiritualis & legalis. Carnalis autem in consanguinitatem & affinitatem bipertitur. *Consanguinitatis definitio.* Est ergo consanguinitas vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Et quamuis olim plures gradus tenerentur, iam tamen nunc temporis satis est vsque ad quartum gradum bicornem arborem, duorum scilicet ramorum, extendere, vt stipite extra numerum posito fratres sint in primo, & in secundo nepotes, & pronepotes in tertio, ac demum abnepotes in quarto, vt ex canone Zachariæ Pontificis colligitur. In quibus duabus lineis hoc obseruandũ, vt nemo vnius rami propinquior esse sanguine cẽseatur alteri alterius rami, quàm ipse est stipiti, nẽpe vt quartus vnius lineæ eodem quarto gradu à quocunque alterius, scilicet tam ab eo qui est in primo, quàm ab eo qui est in quarto, distet. *Can. Parentela. 35. q. 5.* Ille autem, qui propinquior est stipiti, per diuersos gradus ab alijs alterius lineæ distat. Qui enim in vno cornu est in primo gradu, ab eo qui in altero est in secundo gradu, eodem secundo gradu distat: & ab eo qui est in tertio distat tertio, &c. Itaque quarto gradu remotior ab stipite, eodem ambo inter se distant.

Cap. 2. Ex sic compositis dispositisque gradibus aliqui sunt, qui iure naturæ à nuptiarum ritu depulsi sunt, atque alij, quos ius diuinum sub lege Mosaica prohibebat, demum alij, quos lex pontificia vetat. At verò cum vetusta lex, quantum ad ea, quæ cæremonialia iudicialiaque continebat, per legem Euangelicam fuerit prorsus antiquata illarum prohibitionum, quæ Leuit. 18. extant, nulla penitus sub Euangelica lege ducenda est ratio, nisi quatenus præcepta moralia insinuabant, quæ ex iure naturæ perpendenda sunt.

Digitized by Google

Gradus ergo primus rectilineus, qui est inter parentes & natos, sic est prorsus, id clamante natura, à coniugali copula explosus, vt ob nullam vnquam necessitatem fuerit tale matrimonium permissum. Est enim filius, vt ait Philosophus, pars patris. Quapropter coniunctionem patris cum filia, aut filij cum matre, natura quantum potest tantum semper exhorruit: Imo & inter auos & nepotes similem commistionem fortè abominatur. Tametsi quòd consanguinitatis necessitudo in infinitum abeat, nulla ratio persuadet. Cæterum primus consanguinitatis gradus in transuersa linea, nempe inter fratres, licet non tantam, quantam in recta, efficaciam habeat, quapropter in orbis ortu ob necessitatem propagandi generis nostri fratres iure matrimonij conuenerint, nihilominus illa expleta necessitate sic ille gradus, vt 15. de Ciuit. Dei, autor est Aug. nuptijs aduersatur, quasi nunquam licere potuerit.

Aug. 1. 6.

Cap. 3.

Alios verò secundos ac subinde longiùs semotos gradus non natura, neq; verò iam post orbem redemptum lex vlla diuina, sed tamen Ecclesia diuinitus instructa à connectendis nuptijs meritò coërcendos curauit. Et primum quidem, quamuis, vt apud Gregor. Magnum & Isidorum atque alios antiquos patres. 35. quæstione 3. & 5. videre est, qui ad sextum vel septimum secundum variam supputationem illos protendebant: tamen temporis curriculum experimento docuit tam longam decurtandam seriem. Quocirca sanctum concilium sub Innocentio tertio, ca. Non debet. de consanguin. & affinit. satis duxit vsque ad quartum gradum eodem sanguine cognatos, ne coniuges fierent, prohibere. Causæ etenim, quibus huiusmodi prohibitiones honestantur, vltra illum gradum non procedunt. Affertur enim in causis primum, quòd cùm eiusdem sanguinis feruor amorem ingeneret, non decet, vt Philosophus in Politicis autor est, carnalem alium ei adhibere, ne carnis illecebræ nimium per congeminatum amorem exardescant. Mox quia cùm consanguinei intra eosdem lares cõmorentur, nisi eis religio aditum ad matrimonia occluderet, in præsentaneo incestorum periculo versarentur. Demum vt nuptiarum iura inter diuersos sanguines composita amicitiarum rationes latius propagarent. Nihil tamen istorum vltra quartum gradum locum habet, sanè cum tam longa auorum & proauorum series in rebus humanis superstes esse non possit, atque propaginum ordo vsque adeo tunc elangueat, vt vix amplius ius amicitię & familiaritatis retinere sufficiat. Quare non est cur vltra quasi in carceribus & repagulis homines, ne se nuptiarum ritu confœderent, teneantur.

Innoc. 3.

Prohibitionis causa. Prima.

Secunda.

Tertia.

* *
*

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ.

Quæstio vnica.

DE COGNATIONE CARNALI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm definitio consanguinitatis constitui solita rei definitæ competat.

TRACTATVM impedimentorum matrimonij, distinct. 34. in nouem distinctiones, nempe in tres ternos dispertiti sumus, in quorum hoc postremo, his videlicet tribus subsequentibus distinctionibus, de impedimento cognationis & affinitatis tractare proposuimus. Quæritur ergo de nomine & re consanguinitatis, vtrùm scilicet consanguinitatis definitio constitui solita sit legitima, Illa verò apud omnes, tam Theologiæ quàm vtriusque iuris professores hæc est receptissima. Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Et arguitur primò contra nomen. Laban, vt Genesis 29. legitur, dixit ad Iacob, Os meum & caro mea es: idque ratione cognationis inter eos contractæ: ergo eiusmodi propinquitas potius carnalitas debet quam consanguinitas nuncupari.

Consanguinitatis definitio. Partis negatiua arg. 1.

Secundò. Si consanguinitas propter propagationem ab eodem stipite contraheretur, vniuersi mortales, vtpote qui ab Adam deriuantur, consanguineorum nomine censendi essent: quod tamen vsus non recipit.

2. Argu.

Tertiò. Si generatio ex eodem sanguine consanguineos procrearet, etiam inter bruta eadem esset necessitudo, quod tamen absurdum est, & concessu ridiculum.

3. Arg.

In contrarium tamen est vniuersalis doctorum autoritas.

Pars affir.

Primùm omnium, vt à nomine proficiscamur, cognatio secundùm amplitudinem suæ significationis superius nomen est quam consanguinitas. Est n. cognatio triplex, scilicet carnalis, spiritualis, & legalis. Carnalis est, quæ nomine consanguinitatis designatur, & per carnalem generationem deriuatur. Spiritualis verò est, quæ per regenerationem in sacro fonte baptismatis contrahitur. Et legalis, quæ per adoptionem lege acquiritur. At verò si cognatio specialius pro carnali accipiatur, idem est prorsus quod consanguinitas. Græcè n. συγγενεῖς, hoc est, congeniti, idem est Latinè quod cognati & consanguinei. Tametsi iurisconsultis inter agnatos & cognatos sic distinguere placuerit, vt agnatio genus sit, cognatio verò species. l. Inter agnatos. ff. vnde legitimi. & l. Iurisconsultis. ff. de gradib. Itaque cognati non dicantur, nisi qui per lineam maternam descendunt, vt auunculus, qui est frater matris: agnati verò appellentur, quomodocunque ad eundem sanguinem attineant, vt patruus, nempe frater patris, tam agnatus sit quàm cognatus. Titulus autem iuris canonici has distin. non meditatur, sed generaliter inscriptus est, De consan. & affin. vt consanguinitas dicatur coniunctio in eodem sanguine: sed affinitas sit coniunctio quæ per carnalem fit copulam. Nam cum vir & vxor per copulam fiant vna caro, fit vt consanguinei vnius fiant alteri affines.

Cognatio triplex.

Iurisperiti.

Tit. de consang. & affin.

In hac ergo dist. disputandum nobis est de consanguinitate, & in subsequenti de affinitate, & in 42. de alijs duabus cognationibus, scilicet spirituali & legali. Ad quæstionem ergo vnica breuissima conclusione respondetur, prædictam consanguinitatis definitionem esse optimam. Vbi adnotandum est, omnem amicitiam, vt 8. Ethicor. autor est Philosophus, super aliqua societate & communicatione collocari. Hæc autem societas aut naturalis est, aut ciuilis: nam omnis communicatio ad vnum vinculum refertur, quo plu-

Conclusio.

Digitized by Google

ra communicant, & ceu modo quodam colligantur. Ob idque secundùm diuersas vinculorum rationes diuersæ species amicitiæ sumuntur, quæ diuersa sortiuntur nomina. Et vt à ciuilibus exordiamur, inter Regem & ciues, interque ipsos eosdem ciues amicitia intercedit in illa communicatione & societate fundata, quæ est gubernatio. Rex enim, vt ibidem ait Philosophus, ad ciues, vt pastor se ad oues gerere debet. Ob id namque Homerus Agamemnonem pastorem populorum nuncupauit. Et qui eiusdem sunt sortis, consortes appellantur, hoc est, eiusdem conditionis & qualitatis: & qui eadem mensa participant, commensales. Eadem ergo ratione in naturæ necessitudine & vinculo qui ex eodem sanguine nati sunt, consanguinei nuncupantur, veluti qui eodem lacte fuerunt nutriti, appellantur collactanei fratres, quamuis diuersis fuerint parentibus geniti. Vnde Philosophus ibidem c.12 consanguinitatem naturale amicitiæ genus esse docuit.

Amicitia diuersa species.

Consanguinitas est vinculum.

Igitur cùm in definitione dicitur, Consanguinitas est vinculum, Ricardus atque alij non arbitrantur esse prædicationem identicam (vt cum dialecticis loquamur) sed causalem: hoc est, consanguinitas est vinculi causa. Attamen fortè è conuerso potius dicendum est, vinculum esse causam consanguinitatis: cognatorum enim vinculum est idem sanguis, & consanguinitas est communio plurium in eodem sanguine, quæ ideo nihil aliud est, quàm relatio quædam & habitudo realis ad eundem sanguinem. Si quidem sanguis vinculum est & glutinum, quo plures colligantur. Quamuis si vinculum accipiatur pro amicitiæ iure, quo consanguinei obligantur, consanguinitas potest dici eiusdem vinculi causa. Stipes autem est p r sona, & origo, à qua tanquam à fonte eiusmodi promanauit sanguis Veluti Adam prima radix fuit & stipes humani generis, à quo vniuersi mortales ceu rami eiusdem arboris pullularunt.

Stipes quid.

Obiectio.

Sed arguas forsan contra definitionem. Sequeretur inde, patrem & filium non esse consanguineos: quia non ab eodem stipite ambo descendunt, sed vnus ab altero. Respondetur primò, quod ambo descendunt ab auo, præterquam Adam & eius filij. Secundò, quod sub disiunctione sensus est, vel ambos ab vno descendere, vel vnum ab altero. Neque verò descensus per carnalem concubitum requiritur: quoniam Christus & eius sacratissima mater opera Spiritus sancti consanguinei fuerunt. Eua tamen nullatenus fuit Adæ consanguinea: quia ab illo non carnali propagatione descendit. Carnalis enim propagatio fit per decisum sanguinem vel vtriusque parentis, vel saltem matris, vt in beatissima virgine Eua verò nec per semen, nec per sanguinem ab Adam descendit, sed ex eius osse Deo carnem superducente fabricata est, non in ventre, sed extra. Quare nec genita fuit ab Adam, nec concepta, nec parta. Neque verò ambo per carnalem propagationem, sed à Deo ambo creati sunt.

Dilut. 1.

Dilut. 2.

Alia obiectio.

Quòd si quis tandem arguat. Consanguinitas nomen quoddam conuenientiæ est: conuenire autem homines, qui ex materia tantum & forma constant, non possunt, nisi aut ratione formæ, aut ratione materiæ: conuenientia verò ratione formæ est specifica, in qua vniuersi mortales conueniunt: in materia verò omnes differunt, etiam fratres: quia secundum materiam homines numero distinguuntur: ergo consanguinitas nulla est conuenientia. Respondetur, consanguinitatem non esse conuenientiam specificam ratione formæ, sed materialem: sanguis n. ad materiam spectat, vt caro. Et quamuis in diuersis individuis diuersæ sint numero materiæ, est tamen idem sanguis in ordine ad causam efficientem: quia scilicet ab eodem stipite & radice pullulat: veluti idem est riuulus, qui ab eodem effluit fonte.

Solutio.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur arg. respondetur, denominationem à proxima materia fieri debere, quæ quidem se habet vt forma respectu materiæ remotæ. Id autem, quod proximè in semen conuertitur, non est alimentum aut caro, sed sanguis, vt 15. de animalibus autor est Philosophus. Ob idque vinculum illud quo consanguinei conglutinantur, est sanguis. Quare cognatorum communicatio consanguinitas potius quàm carnalitas dicitur. Tametsi consueuerint cognati vnum os, vnaque caro ob id nuncupari, quòd sanguis, qui in semen viri, aut in menstruum fœminæ conuertitur, potentia est caro & os.

Ad secundum negatur consequentia. Est enim definitio sanè intelligenda, vt cùm dicitur vinculum descendentium ab eodem stipite, intelligatur cuius stipitis virtus in eisdem perseueret. Virtus autem agentis cum per multa deducitur media, attenuari incipit & debilitari, adeò vt tandem deficiat. Virtus tamen patris non solum mouet ad id quod est speciei, secundùm quam vniuersi mortales sunt similes, verùm & ad id quod est proprium individui. Qua vtique ratione filius patris, & nonnunquam aui nepos imaginem refert, complexionisque & morum effigiem, quæ quidem individualis conuenientia dicitur consanguinitas. Attamen virtus illa paterna non secundum totam perfectionem descendit in filium, & debiliùs elabitur in nepotem: qua vtique ratione, vt lib. 11. Etymologiarum ca. 6. ait Isidorus, & refertur distinctione 35. quæst. 4. c. Consanguinitas, dum virtus illa paulatim per propaginis ordinem exhauritur, consanguinitas extinguitur. Quemadmodum in arbore truncus radicibus proximus robustior est, mox rami, quò trunco propinquiores, eò sunt valentiores: deinde tamen ramusculi adeò propagantur exiles, vt tandem in cacumine euanescant. Ricardus verò & alij non prorsus hanc rationem approbant, eo quòd hæc virtus fortior est multò in vno quàm in alio. Et ideo consanguinitas in vno stipite latiùs propagaretur, quàm ab alio descendens. Non tamen tam superstitiosè rationes quæ à similitudine ducuntur vsurpandæ sunt, sed secundum ea quæ plurimum contingunt. Et certè similitudo arboris optima est: nam illo modo nobilitates, familiæque strenuæ & illustres quò à trunco plus elongantur, eo magis degenerant, & tandem fieri contingit, vt in paupertatem collapsæ dispereant. Atque hac de causa iura primogenituræ, & faculratem diuitiarumque amplitudines inuentæ sunt, vt domus illustres veluti ossa reipublicæ & columnæ perseuerarent: nam genus & virtus, vt ait Lyricus, sine re vilior alga est. Accedit nihilominus & alia ratio, quòd cùm consanguinitas, vt ait Philosophus, genus sit amicitiæ, eatenus protenditur, quatenus secundùm communem cursum eiusmodi amicitiæ affectionisque respectus & cognitio perdurat. Per quot autem gradus iure naturæ dilatetur, art. 4 videbimus.

Sol. 2. arg.

Filius patrem quandoque imitatur.

Nota.

Simile.

Nota.

Ratio 3.

Ad tertium per idem respondetur fundamentum. Non, inquam, communicatio sanguinis nudè considerata consanguinitatis nomen obtinet, sed quatenus est amicitiæ & humanitatis fundamentum: Brutæ verò animantes, quia cognitione finis carent, & libertate, qua suarum possint actionem habere dominium, non sunt amicitiæ capaces: tametsi nonnullam præ se ferant societatis effigiem & amoris. Ob idque in brutis consanguinitas non habet locum.

Sol. 3. arg.

In brutis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm consanguinitas per lineas & gradus commodè distinguatur.

QVONIAM consanguinitas instar arboris depingitur, quæritur vtrum per lineas & gradus distinguatur. Et arguitur à parte negatiua. Linea consanguinitatis nihil aliud est, quàm personarum collectio, quæ sunt consanguinitate coniunctæ: collectio autem huiusmodi eadem ipsa consanguinitas est: non ergo linea pars est, ex qua consanguinitas constet.

Partis negatiua arg. 1.

Secundò. Gradus est habitudo distantium personarum, consanguinitas autem est propinquitas vnius ad alium: distantia verò & propinquitas sibi opponuntur: ergo consanguinitas non constat ex gradibus, alioqui vnum contrariorum componeretur ex altero.

2. Arg.

Tertiò. Si consanguinitas per gradus distinguitur, & cognoscitur, sequeretur quòd quicunque inter se eodem gradu distarent, æquali consanguinitate tertium attingerent: consequens tamen est falsum vt colligitur ex can. Gregorij. Porrò 35. quæst. 5. nam ego & frater meus in primo gradu distamus: & tamen filius fratris, qui primo gradu distat à suo patre, secundo distat à me.

3. Arg.

In contrarium autem est authoritas Isidori, quæ refertur eadem caus. & quæst. cano. Primo gradu. & can. Ad sedem. Alexandri 2. quibus consanguinitas per lineas & gradus distinguitur.

Pars affir.

Ad

Linea quid.

Ad intelligentiam quæstionis huius præmisse oportet, quòd linea consanguinitatis, vt diuus Thomas hic & doctores aiunt, est ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendentium diuersos continens gradus. Collectio autem personarum, vt ad primum argumentum cum Diuo Thoma respondeamus, non est idem quod consanguinitas: nam collectio sunt ipsæ personæ complexim sumptæ, vt pater, filius & nepos, &c. Veluti populus est personarum multitudo. Consanguinitas verò est relatio ipsa: puta habitudo & respectus inter personas: veluti ordo est relatio inter magistratus & reliquos ciues. Itaque linea dicit personas, quæ sunt relationis consanguinitatis extrema.

Solut. 1. arg.

Gradus quid.

Gradus verò est habitudo distantium personarum, qua cognoscitur quanta distantia personæ inter se differant: vt habitudo filij ad patrem est primus gradus: quoniam inter illos nulla persona media distat, sed dicitur primus gradus, quia est prima distantia. Gradus quippe ascensum siue descensum significat: descensus autem duo extrema & terminos designat, scilicet à quo & ad quem. Quare eiusdem ad seipsum gradus esse non potest. Et ideo cauenda est fallacia, quam quis posset contrahere, imò aliqui contrahunt ex illo verbo Instit. & ff. de gradib. desumpto ab Isidoro cap. Primo gradu. 35. quæst. 5. vbi habetur, quòd primo gradu sunt supra pater mater, infra filius filia. Non enim pater & mater ponuntur primus gradus, sed vt primum extremum primi gradus, qui terminatur ad filios. Quòd si arguas. Gradus idem est, quod consanguinitas: nam eadem ipsa distantia inter patrem & filium est consanguinitas. Respondetur, quòd quamuis eadem intercapedo sit gradus & consanguinitas, diuersis tamen rationibus consideratur: nam per idem spatium res duæ appropinquant, per quod distant. Propinquitas ergo filij ad patrem est consanguinitas, sed qua ratione distat dicitur primus gradus: & ideo sunt duæ relationes ratione distinctæ.

Obiectio.

Dilutio.

Sol. 2. arg.

Et per hoc respondetur ad secundum argum. Distantia enim huiusmodi & consanguinitas non opponuntur, sed sunt idem re, ratione diuersa. Sed distantia illa, quæ eo vsque à primo stipite procedit, vt omnes consanguinitatis gradus transgrediatur, nempe si in quinto gradu quis ab stipite distaret, illa iam esset consanguinitati contraria.

Linea.

Hinc fit, quòd linea ex pluribus gradibus constat: est enim linea personarum series, vt quæ constat ex patre, filio, nepote, pronepote, & abnepote. Quòd si arguas. Linea inter duo tantùm extrema puncta secundùm Philosophos concluditur: ergo non potest ex pluribus constare gradibus. Distinguitur antecedens. Si enim accipiatur linea pro vna dimensione & specie quantitatis, vt superficies & corpus, concedimus duo dumtaxat habere puncta in actu, sed tamen habet plura in potentia: quia in quolibet puncto secari potest, vt in duas medietates, & quatuor partes, &c. Impræsentiarum verò accipitur linea pro rebus ipsis dimensis, & linealiter ordinatis, quæ quidem linea constat ex pluribus vnitatibus seorsum diuisis, sicut numerus.

Conclusio.

Ex his ergo colligitur affirmatiua conclusio, qua ad quæst. respondetur. Consanguinitas per lineas & gradus distinguitur. Quod est dicere, Sanguinis propinquitas instar arboris per ramos, pluresque subinde ramusculos diffunditur & propagatur.

Linea triplex.

Distinguitur autem linea triplex: scilicet descendentium, ascendentium & transuersalis, quæ est collateralium. Nam cum consanguinitas, vt 8. Ethicor. cap 12. ait Philosophus, sit sanguinis communicatio, triplex, inquit, est. Vna siquidem consideratur secundum habitudinem principij ad principiatum, qualis est descensus patris ad filium, filijque ad nepotem, &c. Vnde ait quòd patres diligunt filios tanquam partes ab ipsis decisas, atque ab ipsis existentes. Alia verò est secundum habitudinem principiati ad principium, qualis est ascensus filij ad patrem, & patris ad auum, &c. Et ideo ait, quòd filij diligunt patres tanquam illos à quibus existunt, & sicut partes suum totum. Quo fit vt hæ duæ lineæ non sint re diuersæ, sed sola ratione & consideratione: nam per eandem scalam descenditur & ascenditur. Tertia est linea transuersalis, quæ ad collaterales transuertitur, qualis est inter duos fratres, & inter duos fratrueles, qui sunt fratrum filij: & inter patruum, qui est frater patris, & filium fratris. Igitur si hunc ramorum ordinem & graduum consanguinitatis inspexeris, reliqui omnes gradus à primo, qui est inter patrem & filium oriuntur, & in illo tanquam linea in centro connectuntur. Ratione enim patris auus & proauus connectuntur filio eiusdē patris, sicuti & nepos & pronepos, & reliqui ratione eiusdem filij vniuntur eius patri & superioribus. Item fratres ratione parentum inter se vniuntur: & ratione eiusdem trunci colligantur patrueles cum consobrinis, & omnes breuiter transuersalis lineæ. Veluti omnes affines, vt distinctione sequenti dicturi sumus, compinguntur & compaginantur in vinculo mariti & vxoris. Etenim quia illi per copulam carnalem efficiuntur vna caro, omnes consanguinei vxoris efficiuntur affines mariti, & vicissim omnes consanguinei mariti fiunt affines vxoris.

Consanguinitas triplex.

Transuersalis.

Hanc consanguinitatis arborem, vt 35. quæstione quinta, & in titulo de consanguin. & affinitat. est videre, tanta ramorum & ramusculorum multitudine interpretes depingunt, vt confusionem potius oculis quàm lucem offundant: cùm tamen ad rei intelligentiam satis sit duas lineas ab eodem stipite quatuor gradibus cadentes sub hac bicorni forma delineare.



Declaratio arboris.

IN qua vtique figura ab Adam primo parente per alterutram lineam rectà descenditur, cuius primus gradus est filius, secundus nepos, tertius pronepos, & quartus abnepos. Et per eandem rursus ascenditur: eo tamen ordine, vt qui erat descendendo abnepos, relinquatur tanquam primus filius & terminus. Vnde primus gradus sit pater, qui descendendo erat pronepos. Secundus auus: & tertius, proauus: & quartus, abauus, qui est ipse Adam. Transuersim autem ab vna linea ad alteram diuertatur, vt inter duos primos filios & filias, qui sunt germani fratres, primus gradus agnoscatur: & inter nepotes, secundus, &c.

Iuris ciuilis & canonica discrimen.

Verum est tamen quòd in ista supputatione transuersalium linearum diuersam rationem Cæsares suis ciuilibus legibus secuti sunt, quàm in suis canonibus Pontifices. Nam iure ciuili ex vno gradu Iuris canonici fiunt duo: qua vtique ratione duplantur, ac subinde reduplantur, vt Alexander 2 can. Ad sedem. 35. quæst. 5. refert, qui quidem canon in concilio Lateranensi ad condemnandum supputationem ciuilem sancitus fuit.

Iustinianus

Enimuerò Iustinianus in Authentica, de hæredibus ab intesta venient. collat. 8. ob solam successionem hæreditatum ab intestato, gradus constituit, quam ideo decurtare volens, cùm vsque ad sextum gradum eiusmodi hæredes vocarentur, cogitauit sextum in tertio hac ratione terminare, quòd cùm vnusquilibet filiorum vno gradu à parentibus distet, finxit duos inter se fratres duobus gradibus distare, scilicet vt vnus distaret ab altero vno gradu, & alter ab altero reciprocè altero gradu. Et eadem ratione de nepotibus: quia vterque ab auo distat duobus gradibus, promulgauit ambos inter se quatuor gradibus distare. Ac subinde pronepotes in sexto, vltra quem gradum noluit ab intestato hæredes succedere. Et potest in fauorem huius ciuilis diuisionis sic argui: Sicut nepos distat ab auo duobus gradibus, ob id quòd filius interstat medius, ita & duo filij videntur duobus distare: quia pater est medius. Respondetur tamen, quòd inter filios non est medius pater, quasi filij sint duo extrema distincta in eadem linea, sed quia ambo eadem linea & gradu cadunt ab ipso. Et ideo ius canonicum non habet rationem numeri personarum cadentium ab stipite, sed solius distantiæ & casus, qui est vnus amborum fratrum.

Argum.

Solutio.

Aliud arg.

Dilutio.

Quòd si rursus arguas. Filius propinquior est sanguine patri quàm fratri suo: distat autem vno gradu à patre: ergo pluribus à fratre. Respondetur, quòd sicut vna albedo esse potest, altera maior, vel intensiuè propter maiorem perfectionem, vel extensiuè, quia per maiorem quantitatem dilatatur, ita filius est magis consanguineus patri, quàm suo fratri ex eodem patre: quia arctius & perfectius est vinculum inter genitum & genitorem: eo quòd sunt sicut effectus & causa, quam sit inter duos fratres, qui non se habent nisi sicut duo effectus ad eandem causam: licet frater non sit propinquior suo patri quàm suo fratri: quia fratres non distant à se inuicem, nisi quantum distant à patre, qui est vnus gradus.

Mos suppu tationis quorũdam.

Refert subinde idem ibidem Pontifex quorundam morem, qui non primum patrem, sed primam generationem stipitem constituunt: & quia prima generatio

est

est filiorum, supputationem à filijs tanquam a primo trunco exordiuntur, vt primus gradus sit a filijs in nepotes, & secundus in pronepotibus. Et fuit fortè ab Isidoro desumptus can. Series. 35. quæst. 5. vbi ait, quòd filius & filia, scilicet frater & soror, sit ipse truncus: sed nepos & neptis primus inde ramusculus. Sed tamen Ecclesia iam vniuersalis non habet nisi vnum supputandi modum, vt primus gradus sit inter germanos fratres, vt ait Zacharias Papa cano. Parentelæ. eadem cau. & quæst Secundus inter nepotes, qui si sint fratrum filij, fratrueles dicuntur: & si sororum, sobrini, hoc est, sororini: & tertius inter pronepotes: ac denique quartus inter abnepotes. Quamuis iam omnes isti sub fratribus collaterales consobrini dicantur.

Vsus communis supputandi.

Hinc ergo iudiciaria regula & index colligitur. Ad cognoscendum enim quoto gradu duo inter se distent, animaduertendum est, vtrùm sint ambo in eadem linea recta: an verò sint collaterales duarum linearum. Si sunt in eadem linea, & inter illos nulla est persona media, sunt consanguinei in primo gradu, vt pater & filius. Si verò interfit persona media, tunc connumeratis omnibus medijs & extremis, sunt in tot gradibus, quot sunt personæ, vna dempta. Vt quia pater & filius & nepos sunt tres personæ, nepos distat ab auo secundo gradu, & pronepos tertio, & sic descendendo. Si verò illi duo sint transuersales in diuersis lineis, & æqualiter ab stipite distent, quoto gradu distant ab stipite, distant inter se. Vt fratres distant inter se primo gradu, quo distant à patre. Si verò ab stipite inæqualiter distent, tunc quoto gradu remotior distat ab stipite, distant & ipsi inter se, capit. Vir qui ab stipite. de consang. & affinit. vt filius Adæ Abel distabat ab Enos nepote Adæ duobus gradibus, quibus Enos distabat à suo auo Adam. Et idem Abel tertio gradu distauit à Cainan pronepote eiusdem Adæ, & in quarto à Malaleel abnepote eius Et ratio huius regulæ liquida est hæc: quòd cùm collaterales non habeant in se consanguinitatem, nisi quam habent ratione primi stipitis, in quo vniuntur, nullus vnius lineæ maiorem habere potest propinquitatem ad lineam alterius, quàm habet ad stipitem: & cùm propinquitas inter duos sit relatio æqualitatis & similitudinis, fit vt abnepos non sit propinquior filio abaui, quàm sit ipsi abauo: puta in quarto gradu, atque adeo nec filius abaui sit eidem abnepoti propinquior quàm in eodem quarto gradu.

Regula generalis.

In linea recta.

In linea transuersa.

Regula generalis.

Ratio regulæ.

Igitur si oculum ad figuram suprascriptam retuleris, & postremum, nempe abnepotem vnius lineæ, conferas ad alteram lineam: omnes eodem gradu attingit, scilicet quarto: videlicet abnepotem alterius lineæ, & pronepotem, & nepotem, & filium. Si verò filium vnius lineæ ad alteram conferas lineam, non omnes personas eodem attingit gradu: sed filium alterius lineæ attingit primo gradu, & nepotem secundo, sed pronepotem tertio, & abnepotem quarto. Itaque nemo vnius lineæ propinquius quenquam alterius attingere potest quàm attingat stipitem. Potest tamen remotiùs se ad illum habere propter maiorem distantiam eius ab eodem stipite.

Nota.

Et per hoc tertium argumentum principale solutum restat: nam quamuis auus & nepos eodem gradu inter se distent, tamen filius eiusdem aui, qui est nepotis patruus, primo gradu attingit auum, & secundo nepotem: quia respectu radicis non æqualiter distant.

Sol. 3. arg.

Hinc rursus sequitur, quoscunque duos siue in linea recta, siue in transuersali eodem gradu inter se differre. Quo enim gradu Petrus refertur ad Paulum, Paulus refertur ad Petrum: licet non semper ad stipitem eodem referantur. Filius enim & nepos in eadem linea inter se in primo gradu referuntur: quia se habent, vt pater & filius, sed tamen ab auo pater distat vno gradu, & nepos duobus. Et idem est de filio vnius lineæ, qui est patruus nepotis alterius: referuntur n. inter se secundo gradu, sicut nepos ab auo: & tamen filius ad eundem auum non refertur, nisi primo.

Appendix.

Atque hoc obseruandum est, vt dum de dispensatione inter istos gradus sermonem habituri sumus, perpendamus, quòd si vnus ab stipite distat quarto gradu, licet alius distet non nisi tertio, vel secundo, non tamen videtur maior facienda difficultas, quàm si ambo essent in quarto: quia non sunt sanguine propinquiores.

Circa dispensationem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm gradus quispiam consanguinitatis in linea recta iure naturali matrimonium impediat.

PLANTATA consanguinitatis arbore, per suasque lineas & gradus distributa, reliquum fit, vt exploremus, quemadmodum conciliandis nuptijs impedimentum obijciat. Et quia hoc potest iure naturali, diuino, & humano contingere, exordiendo à iure naturali arguitur, quod nullus consanguinitatis gradus tali iure matrimonium impediat. Nulla mulier tam propinqua viro esse potest, quàm Eua fuit Adæ: quæ quidem confessio ipsius fuit dicentis Gene. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: fuerunt nihilominus matrimonio coniuncti: ergo nulla carnis vel sanguinis coniunctio iure naturæ coniugalem nexum exhorret.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. Si lex naturalis inter parentes & natos matrimonia impediret, similiter & auos & nepotes à nuptijs arceret: nam aui, magni patres dicuntur: hoc tamen falsum esse videtur: nam si talis esset prohibitio naturalis, consequeretur, vt nec matrimonium inter auum & neptem esset fixum, atque adeò dum conuerterentur ad fidem, esset necessario rescindendum: consequens autem videtur, vt falsum, decernere Innocent. c. Gaudemus. de diuortijs, vbi ait, quod qui in secundo vel tertio gradu contraxerunt, non sunt separandi.

2. Argum.

Tertiò. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit: sed brutæ animantes nullum in coitu sanguinis respectum habent: ergo ius naturæ hominibus talem respectum habere non iubet.

3. Arg.

In contrarium est, quod illud iure naturæ matrimonio obstat, quod eius fini repugnat: fratres autem matrimonio coniũgi fini generationis obstat: nam idem Gregorius loco citato ait, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere: qua ratione illud interdicit: ergo iure naturæ impeditur.

Pars affir.

Quæstio hæc præcipui momenti est, & à plerisque doctorum multis agitata nominibus. Quo autem fulgentiori luce procedat, proponendæ statim ante oculos sunt nuptiarum prohibitiones, quas antiquo populo, Leuitic. 18. Deus præscripsit, quæ quamuis sint numero duodecim, ad sex tamen gradus penitiùs perspectæ resoluuntur. Prohibentur namque nuptiæ in primo & secundo gradu in linea recta consanguinitatis, scilicet inter patrem & filiam, & matrem & filium, qui est primus gradus: & inter auum & neptem, ac subinde inter auiam & nepotem, qui est secundus: atque in transuersali quidem in primo, vt inter fratrem & sororem, & in secundo ascendendo, scilicet inter consobrinum & amitam, scilicet sororem patris, & pariter cum matertera, videlicet sorore matris. Isti enim, licet duo appareant gradus, non est nisi vnicus, scilicet secundus consanguinitatis ascendentium in linea transuersali. Rursum inter affines prohibentur quoque matrimonia in primo gradu duobus modis, scilicet ascendendo & ad latera. Primo modo, ne quis agnoscat matrem & filiam, puta ne quis ducat priuignam, id est, filiam vxoris suæ, neque gener socrum suam: neque vna nubat patri & filio: videlicet ne nurus nubat socero patri mariti sui, neque priuignus ducat nouercam. Omnes enim isti quatuor sunt idem gradus affinitatis. Prohibetur etiam secundo modo matrimoniũ in primo gradu affinitatis: videlicet ne quis ducat sorores duas, aut vna duobus fratribus nubat. Hic enim etiam primus gradus est, licet non tam efficax vt priori modo. Disputatio autem de duobus modis primi gradus affinitatis ad proximam attinet distin. At quoniam omnes quatuor gradus consanguinitatis nimium extenderent articulum vnum, in duos eum secuimus.

Decis. artic.

Inter affines duplicitèr prohibentur nuptiæ

In capite ergo totius disputationis id præstituere oportet, vtrum prohibitiones illæ Leuiti. 18. vim modò in lege nostra retineant. Operæ pretium enim est hanc quæstionem ad duos effectus dissoluere. Primum ad videndum, vtrum infideles, qui in illis gradibus contraxerunt, si modò conuertantur, sint separandi. Et deinde ad iudicandum, vtrum Papa modò possit super aliquem illorum graduum dispensare. Hæc n. duo membra mutua consecutione connectuntur. Si n. ius illud diuinum modò perseuerat,

Graduum prohibitio Leu. 18. an duret modo.

Digitized by Google

nullum est matrimonium inter infideles, nec Papa dispensare potest. Si verò abdicatum est, vtriusque membri contrarium est tenendum. Et quidem quæstio non solum cum hæreticis disputanda est, verùm & inter catholicos controuertitur. Etenim Witcleff vt est videre apud V Valdensem tomo 2. de sacram. c. 134. dicebat omnes illas prohibitiones modò vim suam iure diuino retinere: & ideo in illis gradibus matrimonia esse illicita, nec esse dispensabilia: Ecclesiam tamen non posse alios prohibere. Eundemque errorem mordicus tenent Lutherani. De hoc verò secundo membro, s. de Ecclesiæ facultate ad prohibendum gradus, artic. 5. nos docebit: sed primum est modò examinandum. Atqui inter catholicos, saltem si in superficie illos aspexeris, communis fere opinio est, illos gradus esse modò iure diuino prohibitos. Ita tenere videtur Bonauentura distinct. præsenti artic. 1. q. 2. & eod. loco Ricardus. Imò & S. Thom. d. 39. artic. 3. ad 3. argum. ait, quòd si infideles, qui in gradibus contraxerunt in Leuitico prohibitis, conuertantur, sunt separandi. Et Sylvest. verb. Matrimonium. 8 quæst. 6. & verb. Papa. §. 17. ait, omnes ferè illos gradus esse iure naturæ prohibitos, in quibus ideo papa dispensare non valet. Et idem ait Maioris. Et potissimum V Valdensis. At verò paludan. moderatius se exponit dicens, quòd ferè omnes gradus illic prohibiti sunt de iure naturæ. Cui sub eisdem verbis adstipulatur Arch. Florent. 3. part. tit. 1. capit. 14. In contrario extremo sunt Caiet. & Thomas de Argentina, qui dicunt, ius naturæ solum parentes & liberos prohibere, non tamen fratres.

Communis opinio catholicorum.

1. Concl.

His tamen prænarratis opinionibus ad quæstionem tribus respondetur conclusionibus. Prima. Præcepta illa prohibitoria Leuitici, ea ratione, qua illa lege posita sunt, nullum apud nos vigorem retinent, sed prorsus extincta cessarunt. Solum autem persistunt quatenus moralia sunt: videlicet quatenus vim retinent naturalis iuris. Posterior pars nota est: quia Christus ius naturæ non quidem extinxit, sed potius perfecit. prior verò pars probatur. Certum enim est totam illam vetustam legem, qua ratione illi populo posita fuit, penitus per Christum abolitam fuisse & antiquatam. Venit enim, vt eam adimpleret, vt idem ait Matth. 5. Et ideo in morte eius & resurrectione, vbi tota veritas, cuius ipsa fuerat figura, completa est, illa fuit extincta, quod verbum illud in cruce prolatum significat, Consummatum est. Vnde paul. ad Hebr. 7. Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat: Cum ergo in Christo translatum fuerit sacerdotium veteris legis in sacerdotium Melchisedech, fit vt & legis translatio facta fuerit. Et subdit. Reprobatio quidem fit prioris mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Et ad Hebr. 8. testimonium Hieremiæ 31. ad id confirmandum refert, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël testamentum nouum. Vnde subdit paul. quòd nouum antiquauit prius: quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est. Idemque confirmat ad Roman. 7. per mulieris similitudinem, quæ sub viro est, mortuo tamen viro soluta est à lege viri. Sic enim nos per mortem Christi liberati sumus à lege veteri. Et ad Galat. 4. id ipsum per allegoriam Abrahæ declarat, qui habuit duos filios, vnum de ancilla, & alterum de libera, qui duo testamenta significant; sed filius ancillæ eiectus est, & filius liberæ mansit, quo lex nostra libertatis designatur. Quocirca, vt Actuum 15. legitur, Apostolorum concilium, pharisæorum pertinaciam contendentium circumcisionem cum Euangelio seruandam sic pronunciauit, Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vltra vobis imponere oneris quàm hæc necessaria, &c.

Lex vetus antiquata.

Nota.

Igitur doctores huc deberent oculos conijcere, vt intelligerent, nullum posse argumentum desumi ex prisca illa lege modò post Christum passum, nisi quatenus naturam vim habet naturalis iuris. Quinuerò oculatiùs deberent attendere, hæresim esse illas prohibitiones, quatenus legales erant, modo tanquam obseruandas allegare, perinde ac si legem circumcisionis retinere contenderent.

Ratio optima.

Et accedit præterea euidentissima ratio. præcepta illa Leuitic 18 quatenus erant præcepta illius legis Mosaicæ, alias gentes non obligabant, quæ lege circumcisionis non tenebantur: ergo neque nos lex illa modò obligat, quia non magis nos, quàm Gentiles comprehendit: si quidem ab illa, vt Roman. 8. ait paulus, iam nos Christus liberauit.

Solum ergo perpendendum est, quantum iuris naturalis illæ prohibitiones contineant: quoniam non amplius nos obligant.

Dilutio.

At verò fortasse quispiam obijciat hic nobis August. qu. 53. super Leuitic vbi ait, omnia illa mandata in decalogo esse præconcepta, insinuans esse moralia: quo testimonio V Valdens. tom. 2. de sacrament. cap. 134. fundatur, vt dicat omnes illas prohibitiones nunc esse de iure diuino. Veruntamen vt demus quodammodo esse moralia, non tamen subinde colligitur, vt illa virtute matrimonia dirimant. Aliud quippe est, rem aliquam præcepto morali & naturali esse prohibitam, aliud verò eodem iure esse irritam. Nam prohibitio moralis solum inducit peccatum si contra fiat, non tamen subinde si fiat, euacuatur & irritatur. Iure enim diuino & naturali prohibita est beneficiorum incompatibilium multitudo, & peccatum est illa possidere, non tamen ideo collatio eorum non tenet. Item prodigalitas iure naturæ prohibetur, & tamen prodiga donatio tenet. Præterea qui post votum simplex castitatis matrimonium contrahit, peccat quidem, sed eius nihilominus matrimonium tenet. Et post sponsalia aliud matrimonium contrahere, peccatum est contra ius naturæ, & tamen matrimonium valet. Et matrimonium clandestinum quamuis sit culpabile, nihilominus est validum. Quin verò prohibitio illa, cuius supra meminimus, ne populus ille cum gentibus illis terræ promissæ matrimonia necteret, fortasse non erat nisi obligatoria sub reatu mortali non tanquam nuptias irritaret: nam hoc sub lite reliquimus. Pariter ergo ex illis prohibitionibus Leuit. 18. planè colligitur, absurdum esse peccatum iure naturæ talia matrimonia contrahere, non tamen subinde consequitur esse nulla. Sed solum subsequitur, expediens fuisse modo in lege euangelica, vt illa matrimonia iure positiuo impedirentur, vt factum est. Et accedit super hæc omnia magnum argumentum, quod in Leuit. aliqui gradus vetantur, quibus iure naturæ similes non vetantur. Prohiberur namque consobrinus cum amita vel materrera, hoc est, cum sorore patris aut matris copulari, & tamen non prohibetur neptis ceu consobrina patruo vel auunculo nubere, cum tamen iure naturæ idem sit gradus. Illud enim, Turpitudinem patrui tui non reuelabis, non sic intelligitur, vt neptis non nubat patruo, sed quod consobrinus non ducat vxorem patrui. Cum enim dicitur, Turpitudinem patrui tui non reuelabis, per modum expositionis subditur, Neque accedes ad vxorem eius, qui tibi affinitate coniungitur. Si ergo de iure naturæ aliqua illic vetantur, & aliqua permittuntur, non est cur nunc illæ prohibitiones tanquam iure naturæ matrimonium dirimentes sint auscultandæ.

Obiectio.

Simile.

Prohibitio.

Ratio 2.

Restat ergo in illis prohibitionibus energiam esse perpendendam, quam à iure naturæ mutuantur. At verò non desunt qui dicant cunctas prohibitiones illas esse de iure naturæ, vt est dist. præsenti Paludan. cui Archiepiscopus Florent. 3. par. tit. 1. c. 14. subscribit, ait, ferè omnes esse de iure diuino. Et recentiores, in quibus est Ioan. Maioris. & Sylvest. verb. Papa. §. 17. illa ratione arbitrantur non posse super illis Papam dispensare. His tamen non obstantibus dicendum est, sic omnes prohibitiones illas esse de iure naturali, vt tamen inter eas sit ordo dignoscendus. Multiplex quippe discrimen est in iure naturæ: quædam n. sunt tanquam prima principia, alia verò tanquam conclusiones propinquiùs longiúsve ex illis deductæ. Igitur inter eiusmodi prohibitiones, aliquæ sunt sic iure naturæ validæ, vt eodem iure matrimonium irritent, atque aliæ, quæ licet iure naturæ id prohibeant, non tamen eodem iure irritent: attamen congruit, vt Ecclesia sic talia matrimonia cohibeat, vt eadem casset & annullet, sed nihilominus poterit super ipsis dispensare.

Prohibitiones Leu. 18. an sint omnes iuris naturæ.

Ius naturæ multiplex.

2. Concl.

His ita præhabitis sit huius articuli conclusio secunda. Inter patrem & filiam, sicuti inter matrem & filiũ iure naturæ ac perinde diuino sic prohibitũ est matrimonium, vt quamuis nulla alia lex id prohiberet, esset nullum. Et ideo prohibitio hæc Leuit. 18. in capite posita fuit. Turpitudinem patris tui & matris tuæ non discooperies. Mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius. At quia dictum est, vim illius legis solo iure naturæ esse perpendendam, illud est perspiciendum. Rationes autem à natura profectas adfert D. Th. quatuor, sed lu-

Rationes quatuor.

Digitized by Google

culentiùs 2. 2. vbi de incestu disputat. q. 154. art. 9. Quæ quidem quamuis ad alios consanguinitatis gradus referri etiam possint, tamen ad parentes & liberos peculiari emphasi attinent. Prima sumitur à turpitudine contra primum finem matrimonij. Et est hæc. Illud est matrimonio contrahendo contrarium, quod eius potissimo fini, qui est generatio, aduersatur: congressus autem parentum cum liberis eidem fini è diametro opponitur: ergo est impedimentum dirimens. Probatur minor. Nam etsi pater ex filia posset filios suscipere & educare, sicuti & filius ex matre, id tamen fieri nequiret, nisi modo indecentissimo & fœdissimo. Etenim iura omnia diuina & naturalia consonantissimo concentu sibi mutuo concordant: iure autem naturæ & diuino liberi tenentur parentes reuereri adeò, vt quemadmodum 5. Ethic. ait Philos. ipsis veluti Deo paria debitis obsequia reddere non possimus: ad reuerentiam autem potissimum attinet, vt eorum, quos veneramur, honorem colamus, & ipsorum pudicitiæ, & honestatis simus in primis custodes. Qua ratione Valer. Maximus refert, liberis in Romanos non fuisse permissum simul cum parentibus balneari, ne se nudos conspicerent: in re autem vxoria summa detegitur turpitudo, adeò vt ipsæ coniuges pudore tunc suffundantur: reuerentiæ ergo, quam liberi parentibus debent, maximè repugnat eorum turpitudinem detegere. Atque hæc causa est, quam lex citata diuina commemorat

Ratio 1.

Ratio 2.

Secunda ratio sumitur à concupiscentia contra secundum matrimonij finem: & est hæc, Matrimonium præterquam in officium generationis, institutum etiam est in remedium concupiscentiæ: si autem inter parentes & liberos, imò & inter illos quos necesse est in eadem familia commorari, licitum esset, ingens offerretur periculum rei Venereæ: assidua quippe illa conuersatio de se incendium esset libidinis. Quod si arguas. Etiam mulieris pulchra forma irritat: & tamen non impedit matrimonium. Hoc verum est, sed tamen potest eius consortium caueri. Conuersatio autem intra easdem ædes creberrimas offert illecebras & lapsus occasiones: quare nisi vetitum esset inter domesticos matrimonium, omnes domus incestibus sordescerent. Quare & vxor zelotypia exureretur in maritum & filias: solent enim patres nimium esse filiarum amantes: quare vxores nunquam auderent filias permittere vt in secessu cum patribus colloquerentur, aut illos amplexarentur; sed religio, quæ tales nuptias abominatur, facit vt commercia illa tutò permittantur.

Obiectio.

Diluitur.

Ratio 3.

Tertia ratio eôdem prorsus tendit, quæ est 2. Politic. Aristot. vbi contra politiam Socratis easdem incestas nuptias reprehendit. Amor enim venereus illi, qui ex sanguinis coniunctione oritur, adiectus nimium ardoris libidinem suscitaret, & irritaret: nam cùm per se vterque ingens sit, ille certè, qui consanguineus est, alterum libidinosum, nisi per prudentiam & temperantiam arceatur, parturit: & ideo quando secundus inter cognatos flammas emittit, vehementissimus est, atque adeò nisi inter ipsos interdictæ essent nuptiæ, nimium homines emollescerent, & matrimonio, quod remedium est concupiscentiæ, ad maiorem libidinem abuterentur. Documentum profectò rei huius illæ prouinciæ perhibent, quæ postquam sacramentum confessionis abiecerunt, domesticis fœdissimisque incestibus scaturiunt. Vnde barbarus ferinusque ille mos erat, quem Ouid. lib. 10. Metamor. illo carmine refert. Gentes tamen esse feruntur, In quibus & nato genitrix, & nata parenti Iungitur, vt pietas geminato crescat amore. Quem quidem concubitum idem lib. 7. hoc carmine vituperat. Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron, Concubiturus erat sæuarum more ferarum. Istæ ergo rationes licet vehementiorem habeant de parentibus & liberis energiam, de omnibus nihilominus consanguineis procedunt. Quare Leuitic. 18. peculiariùs eorum concubitus & matrimonia vetabantur, quos in eisdem ædibus commorari conuersariqué oportebat.

Ratio 4. Aug. rationes.

Quarta demum ratio ad matrimonium, quatenus sacramentum, refertur: & sumitur ex Aug. loco citato 15. Ciuit. Dei cap. 16 Sacramentum enim matrimonij signum symbolumque est charitatis Christi & Ecclesiæ: ergo ratione sacramenti charitas est inter Christianos propaganda & amplificanda: cùm ergo inter consanguineos ipsa sanguinis coniunctio charitatem conglutinet, condecens est, vt per nuptiarum vincula diuersi sanguines affinitate copulentur: qua ratione noua amicitiarum genera oriantur. Etenim, vt illi ait Augustus, si pater filiam duceret, idem esset pater & maritus, imò idem auus & pater. Quæ vtique ratio etiam alios consanguineos attingit. Si enim frater sorori per connubium colligaretur, idem esset illis pater, & socer. Quòd si rursus nepos & neptis coniungerentur, essent coniuges, & fratrueles, & eorum pater esset eis pater, & socer, & auunculus: & mater esset simul socrus & amita. Istæ ergo necessitudines dum ad diuersos sanguines disseminantur, vt alij sint consanguinei, atque alij affines, latius honestiùs & pulchriùs possunt propagari. Quin verò ipsa per se absurditas est, vt tanta confusione iura consanguineorum & affinium commisceantur. Ait Paulus, naturali affectione virum quærere quo modo placeat vxori, & vxorem quomodo placeat viro: indecorum autem esset maximè patrem solicitum esse quomodo placeret filiæ, & matrem quomodo placeret filio, cùm ius consanguinitatis contrarium iubeat. Et multò absurdius esset, si vir, qui consanguinitate est inferior, per matrimonium fieret superior. Absurdius enim esset cui vehementius natura reclamaret, si filius matrem cognosceret, quàm si filia patri nuberet: quia cùm maritus debeat vxoris esse caput, illique superior, abominatio esset, si matrem filius superueniret. Et eadem ratione fœdiùs consobrinus duceret amitam quàm auunculus consobrinam. Honores enim, qui maioribus iure consanguinitatis debentur, ratione affinitatis inter cognatos contractæ indecorè sæpissimè peruertuntur.

Matris & filij matrimonium.

Sed vt alijs prætermissis gradibus ad parentes & natos reuertamur, hæc superioribus adhibetur ratio naturalis. In generatione, vt superiùs ex Aristotele retulimus, vir se habet vt agens, & fœmina vt patiens, qui per copulam efficiuntur vna caro: cùm ergo liberi, vt idem ait Philosophus, sint sicut partes parentum, atque adeò pater & filia sint quodammodo vna caro, sicut pater & filius, natura exhortatur, vt filij & parentes non coniungantur vt agens & patiens: esset enim quasi reciproca actio, vt idem ageret in seipsum.

Matrimonium parentum cum filijs.

Atque eam ob rem non ineptè sancti interpretes & hunc quoque sensum ex illis verbis enucleant, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, hoc est, causa huius coniugalis nexus, nec pater ascisceatur in maritum, neque in vxorem mater. Quamuis & alter addatur intellectus, scilicet quod ratione vacandi rei familiari & vxoriæ posthabendi sunt parentes atque alij cognati.

Propter hoc relinquet, &c.

Accedit in confirmationem huius veritatis & enormis ætatis disparitas: nam cùm mulier parit, plurimum attingere consueuit annum ferè vigesimum: quando ergo filio nuberet, esset quadragenaria, atque adeò ad concipiendum inepta. Sed quid opus est pluribus? Cùm liberi à parentib. ea ratione prodeant, vt successione perpetua soboles vltra procedat: quidnam scelestius illo nefando regressu excogitari potest, vt vir eundem vterum, vnde exijt, deturpare audeat, & fœmina eodem semine, quo sata fuit, polluatur?

Alia ratio.

Ratio optima.

Adde quod quacunque extiterint Barbari feritate, nulli tamen, aut vix vlli talia matrimonia excogitasse feruntur, quod perquam euidens naturæ documentum est tale facinus abhorrentis. Referunt quidem Tertullianus in Apologetico ca. 9. & Strabo li. 15. & Quintus Curtius lib. 7. & nonnulli alij, Persis huiusmodi incesta connubia in more esse. Sed isti si hæc non impostura potiùs, vt quidam aiunt, quam historia est, non sunt digni qui inter homines adscribantur: est enim huiusmodi ritus belluinus potiùs quàm humanus: cùm & bruta etiam ipsa tales perhorrescant congressus. Scribunt enim tum Aristoteles lib. 9. de historia animalium cap. 47. tum & Plinius libro octauo, cap. 42. de camelo & equo, qui operimento contractas matres superuenire coacti, postquàm agnouerunt matres esse, alter camelarium morsu defixo interemit, alter verò se præcipitem dedit.

Barbari.

Brutæ.

Vnde Ambr. libr. 8. epistolarum epistola 66. ad Paternum, contra connubia consanguineorum multa confert, vbi obiter ait, non reperiri specialiter sermone legis prohibitum, ne pater filiam suam accipiat vxorem. Quod quidam putant lapsum memoria dixisse, cùm id Leuit. 18. expressè prohibitum sit. At verò Ambros. in illo verbo, Turpitudinem patris tui non reuelabis, non agnouit expressè prohibitum matrimonium filiæ cum patre: quia non censetur vxor reuelare turpitudinem viri. Sed turpitudinem patris,

putauit

putauit appellare vas vxoris patris, quia sunt duo in carne vna: atque adeò prohibitum illic expresè matrimonium filij cum matre, sed virtualiter & implicitè intelligi, ne filia nubat patri. Attamen cùm distinctè sint positæ, turpitudo patris, & turpitudo matris, communis doctorum schola ambo matrimonia censet expresè prohibita. Nam & vxor quodammodo discooperit verenda mariti.

Dubium. Quòd si scisciteris, vtrùm eatenus hoc sit iure naturæ prohibitum, vt etiam natura integra id ipsum vetaret? Videtur n. quod si primus parens non fuisset prævaricatus, matrimonia inter parentes & liberos non fuissent prohibita: quoniam prima eademque potissima ratio, quam fecimus, in illo statu non militaret: quandoquidem peccatum fuit in causa, vt hominum nuditas turpis esset, & verecundiam offunderet: etenim quousque primi parentes prolapsi fuere, non fuerunt in obscœnis motibus verecundiam passi: fit ergo consequens, vt in illo statu absque vlla turpitudine fieret generatio, atque adeò filius matrem cognoscens non reuelaret eius turpitudinem. Item neque timendum tunc fuisset, ne carnis illecebræ vltra iustum excitarentur, quia nihil incommodi illis potuisset accidere: neque verò opus esset iure nuptiarum amicitiarum vincula prolatare: quia omnes essent sibi satis amicitia deuincti. Respondetur nihilominus, quòd etiam in illo statu natura homines docuisset, nefas esse talia inire connubia. Eandem enim reuerentiam & honorem deberent parentibus liberi, vt modò. Hæc ergo argumenta illius status sæpè fallunt. Etenim quamuis illo durante nullum potuisset peccatum existere, tamen sicut per esum ligni vetiti illum amiserunt, ita eundem per quodcunque mortale delictum contra ius naturæ commissum perdidissent, vt si filius cognosceret matrem, statum perderet, & tunc concubitus ille fieret turpis. Item consanguinei plus se quàm alios etiam tunc diligerent: quare aliæ quoque rationes factæ tunc suo modo militarent.

Ratio 2.

Sententia autoris.

Dubium Sed acrius dubium est, vtrùm vsque adeò iure naturæ sit tale matrimonium repulsum, vt nullam ob causam quantumcunque publicam possit super eo dispensari. Martinus enim, de temperantia, quæstione de incestu, tenet, ratione boni communis, ne scilicet humanum genus pereat, licere patri filiam, & filio matrem cognoscere. Casus eius est, Si Adam forsan non nisi filias ex Eua suscipiperet: & intelligeret maribus concipiendis ineptam fuisse. Vel fortè si eam tunc Deus sustulisset in cœlum, tunc, inquit, absque alia Dei dispensatione potuisset ad filiam accedere causa procreandi masculos. Vel demus nunc ex hominibus non esse superstites nisi patrem & filiam, qui crederent orbem abolitum iri, quod filiæ Loth cùm sese patri summiserunt, arbitratæ sunt, tunc videtur ille pater causa conseruandi humani generis posse filiam matrimonio sibi adiungere: veluti dist. 26. qu. 1. art. 2. de religiosis diximus, qui non obstante solenni voto possent tunc matrimonia contrahere: & 33. d. de pluribus vxoribus eadem necessitate ducendis.

Caiet. opin. Atqui Caietanus quæst. illa citata 154. art. 9. vsqueadeò arbitratur matrimonium patris cum filia esse indispensabile, vt ob nullam penitus necessitatem, etiam propagandi humani generis, posset fieri licitè: Arbitratur, inquam, adeò esse prorsus intrinsecè malum, vt mentiri & furari, à quibus nequitia inseparabilis est. Sed certè plus nimio rem exaggerat. Etenim si tam intrinsecè esset malum, consequens fieret vt neque Deus ipse posset dispensare: nam vt 1. 2. q. 100. art. 8. autor est D. Tho. cui Caiet. ipse fidem adhibet, Deus super his, quæ sunt eo modo intrinsecè mala, vt super præcepta decalogi, dispensare non potest. Et tamen idem Caietanus loco citato insinuat, quòd posset Deus dispensare super matrimonio patris cum filia. Non ergo sibi satis constat.

Sententia autoris.

Igitur quicquid ipse vel alij senserint, ego negare minimè auderem, Deum super eiusmodi matrimonium dispensare posse. Quo fit, vt non sit tam intrinsecè malum, vt mentiri aut peierare. Nihilominus addiderim secundò contra Martinum, casum eius & euentum non esse admittendum: nempe, quod Eua conceptioni masculorum esse posset inidonea: nam cùm Deus illos parentes ceu prima semina, quibus humanum genus disseminandum erat, creasset, suæ prouidentiæ repugnaret, quod non essent ambo ad id muneris idonei: aut si permisisset vt propagatio non nisi per tam fœdas nuptias, quales sunt inter parentes & liberos, fieri posset.

Ad Martinum.

Si tamen sciscitando vrgeas, Quid si modo non essent in orbe nisi pater & filia, aut mater & filius? Profectò saluo peritorum iudicio, compelli mihi videor vt dicam, tunc tale connubium fore licitum: quandoquidem non sit tam intrinsecè malum, quàm illa, quæ primis principijs iuris naturæ sunt contraria. Cauillum enim illum, quod tunc credendum esset, finem adesse mundi, nunquam facile admiserim: nam cùm cognitio illa supranaturalis sit, quia de die illa nemo scit, non esset fas hominibus illud credere, sed tenerentur omnia naturalia remedia adhibere, credentes quòd natura ipsa, & qui eius autor est Deus in tali casu dispensaret. Alij forsan erunt nimium reuelationum amatores, qui dicent, tunc expectandam fore Dei reuelationem. At verò extra illum casum in tale matrimonium nulla cadit pontificia dispensatio.

Percontatio.

Notæ.

Hoc de parentibus & liberis constituto, quæritur vtrùm in linea recta idem ius naturæ remotiores gradu à matrimonio pariter arceat. Ricardus hic, Scotus, Durandus & Paludanus, & Caius Iurisconsultus in l. Nuptiæ. 2 ff de ritu nuptia. (adeò vt communis opinio censeatur) aiunt, lineam rectam in infinitum connubia interdicere, vsque adeò vt Adam, qui nongentis triginta annis vixit, si viduus tunc esset, imò si modò resurgeret, cum nulla posset matrimonium componere. Quare Enoch, qui in fine mundi cum Elia appariturus est, cum nulla contrahere fœmina poterit: quoniam Noe, ex quo omnes originem trahimus, eius fuit soboles. Caietanus verò in illa citata quæst. 154. ar. 9. in 2. 2. & opuscu. ad Clementem septimum de coniugio Regis Angliæ, tenet iure diuino solùm prohiberi vnus gradus in linea recta, scilicet parentum & natorum. Et sumpsit fundamentum ex verbo S. Thomæ in solutione ad 3. vbi ait, quòd in commistione personarum coniunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens & repugnans naturali rationi, sicut commistio inter parentes & filios. Aliæ verò personæ, quæ non coniunguntur secundum se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam, sed variatur illa secundum consuetudinem & legem humanam vel diuinam. Ait ergo Caieta. quòd ad rationem filij attinet, vt deriuetur ex sanguinibus vtriusque parentis, vel saltem matris, vt Christus. Filio autem per accidens contingit habere auos ratione parentum: scilicet quia patres, alios habuerunt patres: quare filij Adæ absque auis fuerunt vere filij: id autem, quod est per se, secundum Aristot. est necessarium, vt ignem esse calidum: id verò quod accidit, est contingens, vt hominem calescere. Quare inter patrem & filiam est necessaria vnitas, quæ iure naturæ matrimonium excludit: inter alios verò non item.

In recta linea ad solus quartus gradus, ad vero citeriores prohibentur.

Caietan.

Verba S. Thom.

Vtraque verò opinio videtur extrema, & ideo constituitur conclusio media, quæ sit huius articuli secunda. Inter auum & nepotem ius naturæ matrimonium cohibet, licet in infinitum huiusmodi impedimentum non progrediatur. Prior pars probatur, quoniam Leuit. 18. post interdictum primi gradus inter parentes & filios subditur in recta linea de auis & nepotibus, Turpitudinem filiæ filij tui vel neptis ex filia non reuelabis: quia turpitudo est, quasi nepotes sint etiam quodammodo auorum partes. Quocirca quamuis non omnia illa præcepta sint purè moralia, quæ debeant durare in noua lege, vt dictum est, nihilominus profectò in secundo illo gradu natura ipsa videtur nuptias execrari: nam & aui solent appellari magni patres. Ob idque rationes supra de patre & filia factæ si intimè inspiciantur, pari fere vigore militant de auo & nepte. Et ideo licet non tanta cum turpitudine, tamen accessus aui ad neptem videtur reciprocatio quædam agentis ad se ipsum tanquam ad passum.

2. Cond.

Prima partis probatio.

Ratio verò metaphysica Caietani, licet non sit omnino inefficax ad probandum longe esse absurdius matrimonium inter patres & filios, quàm inter remotiores, non tamen vrget, nullam esse fœditatem inter auum & neptem: imò qua parte auus senior est, plus quodammodo deformitatis adfert. Et quamuis non tam per se nepotes ad auos referantur, quàm patres, satis est tam vicinum ab illis sanguinem ducere. Et Diuus Thomas noluit fratres & auos à naturali prohibitione excludere, sed tantum in re euidentiori exemplum ponere. Quare non dixit, reliquas personas non habere indecentiam ex se ipsis, sed non

Ratio Caie.

ita ex

ita ex se ipsis habere, id est, non habere tantam.

Secunda pars. Secunda verò pars: scilicet quòd progressus non fiat in infinitum, probatur: quoniam ludicra ridiculaque videtur tam longa consanguinitatum series. Et confirmatur primò ratione morali: nam consanguinitas consideratur, vt radix & fons amicitiæ: communi autem ordine naturali amicitia inter ascendentes, & descendentes nimium distantes euanescit, & tandem disperit: ergo non est cur semper sit consanguinitas reputanda. *Ratio 1.* Et confirmatur secundò, quia videmus prosapias & illustrium stemmata temporum longitudine omnino euanescere & mutari, & humano iudicio consanguinitatem aboleri: ligamina verò naturalis iuris ex communi hominum iudicio & æstimatione pensari debent. Profectò propinquius se videntur sanguine contingere Hispani, & Galli, & Itali, quàm Adam vel eius filij, si modò vixissent, ad nos accederent, imò quàm nos Noe & Iapheth, qui fertur Europam populis repleuisse, attingerent. *Ratio 2.* Accedit quòd consanguinitas, vt diximus, arboris instar propagatur: ergo sicut in arbore atque in alijs rebus datur methodus & terminus, vltra quem non est progredi, ita in consanguinitate

Ratio 3. Sed adhibetur demum & tertia ratio legalis. Etenim si linea recta in infinitum matrimonia interdiceret, id ius ecclesiasticum, quo gradus consanguinitatis prohibentur, admonitum curasset, at verò sine vlla discrepantia rectæ aut transuersalis lineæ duntaxat fuerunt olim prohibiti vel sextus, vel septimus gradus, & modò duntaxat quartus: ergo cùm Ecclesia aduersus ius naturæ nihil valeat decernere, signum est consanguinitatem lineæ rectæ iure naturæ perinde ac transuersalis finiri. Et re vera si modo tritauus, qui à trinepte quinto gradu distat, inter viuos existeret, à matrimonio cum illa contrahendo minime cohiberetur. Nam forma capituli, Vir qui à stipite citati, tale matrimonium non respuit. Id quod patroni illius infinitatis prospicere debuissent, atque alij, qui dicunt eiusmodi prohibitoriam lineam rectam vsque ad vigesimum vel trigesimum gradum progredi: quod absque vlla verisimili coniectura temere, vt libet, diuinare videntur. Certum enim est, quòd quantùm ad nuptias texendas vltra quartum gradum nulla linea descendit.

Dispensari an possit inter auũ & neptem. Quo autem ad prædictum secundum gradum reuertamur, fortasse Papa non valet inter auum & neptem coniugium dispensando permittere, saltem nunquàm fecisse legitur, nec credo facere auderet: propterea quod aui & nepotes proximè ad parentes & natos accedentes, quasi patres & filij reputantur. In alijs verò gradibus rectæ lineæ vsque ad quartum, neque vt dispensaret consulendum videtur, neque si vrgenti causa id faceret, reclamandum. Sed res est quæ perquam rarissimè potest vsu venire.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod etsi Eua ex osse fuerit Adæ composita, non tamen eius fuit filia, imò nec consanguinea: quia non fuit genita ex eius lumbis, sed ex osse à Deo diuinitus fabricata, sicut ex eodem osse poterat Deus facere quoduis animal.

Ad secundum, si vera sit opinio, quam veram credimus: nempe inter auum & neptem iure naturæ matrimonium interdici, necessarium est Innocentium restrictè glossare, & certè ita interpretandus videtur, in secundo gradu consanguinitatis in linea transuersali, puta inter patruum & neptem, & inter fratrueles: & pariter in secundo affinitatis, & in quocunque tertio.

Sol. 3. arg. Ad tertium respondetur, quod ius naturale, vt alibi iam supra dictum est, dicitur illud quod natura omnia animalia docuit, diuersimodè tamen secundùm ingenium quorumcunque animalium. Bruta verò fœderis iurisque consanguinitatis minimè capacia sunt, quia finem suarum operationum non cognoscunt, atq; adeò nec reuerentiam, quam nati parentibus debent, aut amicitiæ officia: consanguinitas autem ob id vinculum naturale est, quòd inde enascuntur reuerentiæ & amicitiæ iura. Item, quia cùm non habeant suarum actionum dominium & libertatem, sed mero instinctu naturali agantur, non sunt aut fœlicitatis capacia, aut iniuriæ: ob idque nec consanguinitatis fructu potiuntur, nec propriè eius necessitudinem violant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm aliquis gradus consanguinitatis in linea transuersali impediat iure naturæ matrimonium.

SVBSEQVITVR de linea transuersali consanguinitatis, & arguitur, quod nuptias non impediat. Si enim impediret, maximè primus gradus, qui est inter fratrem & sororem. *Partis neg. 1. Arg.* Quòd autem iure naturæ illas non impediat, probatur. Lex naturalis eadem est apud omnes gentes: sed tamen, vt August. 15. de Ciuit. Dei, cap. 16. refert: Barbaris gentibus in more sunt fraterna coniugia: ergo non sunt iure naturæ prohibita.

2. Arg. Secundò arguitur. Non solum filij Adæ matrimonium inter se contraxerunt, vt Cain & Seth cum suis sororibus, verùm & Abraham cum Sara sorore sua matrimonium cõiugauit: arguenti enim eum Abimelech, quod dixisset Saram sororem suam esse, cùm esset vxor, respondit, Verè soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.

3. Arg. Tertiò arguitur. Si primus, scilicet inter fratrem & sororem, matrimonium iure naturæ impediret, sequeretur quod etiam secundus gradus idem impedimentum secum ferret, puta inter patruum vel auunculum & consobrinam: nam patruus est alter pater: & ideo simili modo & contextu hic gradus Leuit. 18. prohibitus est, Turpitudinem sororis patris tui aut matris tuæ non discooperies: quod autem hoc non sit naturale impedimentum, inde apparet, quod Ecclesia super hunc gradum dispensare assolet: ergo gradus transuersalis consanguinitatis iure naturæ non impedit.

Pars affir. In contrarium tamen est, quòd gradus transuersalis inter fratres etiam est primus, vt inter patrem & filiam: ergo iure naturæ idem contrahendis nuptijs impedimentum obijcit.

Dec. 5. artic. Quemadmodum in linea recta consanguinitatis, ita & in transuersali duo gradus distinguuntur, qui difficultatem habent, an iure naturæ sint impedimenta. Primus enim est inter fratres, qui eodem gradu cadunt à patre, & secundus est inter ascendentes & descendentes, vt inter patruum vel auunculum & consobrinos, qui ratione prioris vinculi coniunguntur. Et ideò ad quæstionem duabus, vt ad superiorem, conclusionibus est respondendum. Igitur de primo gradu inter fratres, Caietanus eodem loco citato 2. 2. partem similiter negatiuam sustinet, vt de auo & nepte, nempe quod iure naturæ fratribus non sunt nuptiæ interdictæ. Idemque sentit Ricard. distinctio. præsenti, quæstione secunda, & Durand. imò & Scotus. Reliqui verò præter Caietanum, videntur non constanter loqui, sed pugnantia dicere. Aiunt quippe non esse illum gradum iure naturæ prohibitum, prohiberi tamen etiam post orbem redemptum iure diuino, ob id quod Leuit. 18. habetur, Turpitudinem sororis tuæ siue ex patre, siue ex matre non reuelabis. Et ideò autores isti (vt conijcio) non concederent, Papam posse super matrimonium inter fratres dispensare. Sed re vera non seruant dicendi consecutionem: quoniam licet iure diuino vetustæ legis illa fuerit facta prohibitio, modo tamen certè id esse non potest de iure diuino, nisi sit de iure naturali. Nam lex illa quoad cæremonialia & iudicialia, vt satis supra monstrauimus, per euangelium exposa est, sed solum quantum ad moralia perseuerat: præcepta verò moralia sunt de iure naturæ, præter præcepta supranaturalia fidei & sacramentorum, quæ Christus in euangelio adiecit. Cùm ergo idem Redemptor in lege gratiæ nullam nuptiarum prohibitionem inter consanguineos fecerit, fit vt si modò prohibitio inter fratres est de iure diuino, sit etiam de iure naturali. Ob idque Caietanus: quia arbitratur non esse de iure naturali, subsequenter censet nec esse de iure diuino: atque adeò expresè concedit, quod Papa posset modò super tale matrimonium dispensare. Et Thomas de Argentina, qui dist. præsenti ante ipsum eiusdem fuit opinionis, subinde infert, quòd si frater in infidelitate cum sorore contraxisset, conuersi ad fidem non sunt separandi. Rationes suas Caietanus sic disponit. Primum enim arguit, quòd si fraternum connubium iure esset naturali interdictum, nulla prorsus ex causa posset super illud dispensari, nisi ab autore naturæ: inter fratrem verò & sororem in orbis ortu fuerunt contexta

Inter fratres. Caietan.

Circa dispensationem.

Lex vetus.

Nota.

Thom. de Argentina.

1. Argum. Caietan.

coniu-

coniugia, vt inter filios Adæ: nam non erant tunc vxores aliæ quàm sorores. Et tamen nulla illic legitur diuina dispensatio. Neque verò interuenisse creditur: quoniam cùm ius naturæ diuinitus conditum sit, ridiculum esset dicere, Deum ceu naturæ authorem fraterna coniugia interdixisse, super quo tamen interdicto illico erat dispensaturus.

2. Argu. Secundò vtitur eadem ratione, qua supra de auo & nepte: quia fratres, inquit, non coniunguntur per se, sed ratione patris: tamen S. Tho. ibidem ait, quod personæ, quæ non iunguntur nisi ex ordine ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam.

3. Arg. Tertiò demum id sibi videtur palam concludere: quia Pontifices in hoc gradu dispensasse leguntur, vt cum rege Portugalliæ Emanuele, qui duas deinceps sorores duxit: & cum Catharina filia Ferdinandi & Elizabeth Hispaniarum Regum, quæ duobus nupsit fratribus regibus Angliæ. Et potest eadem opinio per historiam illam foueri 2. Reg 13. de Thamar, quæ fratri suo Amon incestuosum stuprum cum ea committere conanti respondit, Noli facere stultitiam hanc, quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi: quòd certè nisi fraterna connubia tunc essent licita, nunquam dixisset.

Historia Thamar.

1. Concl. His tamen non obstantibus statuitur hic prima conclusio. Matrimonium fratris cum sorore vsque adeò naturali iure prohibitum est, vt si attentetur, nullum sit, neque, vt sit validum, Ecclesia per dispensationem efficere valeat. Conclusio non inde solum probatur, quòd gradus hic sit in Leuitico expressus, sed quod sit consanguinitatis primus. Etenim sicut filij ad patrem in linea recta, ita fratris ad sororem in transuersali primus est consanguinitatis gradus. Et ideo quamuis intensiue, vt diximus, efficacior sit filij ad patrem, nihilominus eadem natura inter fratres eandem prohibitionem interponit: quandoquidem patri proximè & sine medio accedunt. Imò verò arctior est inter fratres consanguinitatis nexus, quàm inter auum & nepotem: quia ille est primus, hic verò secundus.

Ratio 1.

Ratio 2. Et secundo arguitur: quia omnes illæ rationes, quas superius de patre & filia accumulauimus, de fratribus quoque militant: nam ferè idem est pudor, si frater sororem cognoscat, ac si pater filiam adoriretur: & tam necessariò fratres in eadem domo habitant, imo sæpe in eodem cubili iacent, vt pater & filia. Et vti 8. Ethic. cap. 12. ait Philosophus, amicitia fraterna ingentissima est. Amant enim se fratres tanquam idem se ipsum: quia eodem sunt sanguine geniti, & lacte nutriti, & moribus imbuti, & arctissima consuetudine iuncti. Quare nisi religio eas nuptias vetaret, eadem succrescerent libidinis irritamenta. Quapropter Aristoteles 2. Politicorum contra Politiam Platonis eodem ferè modo fraterna connubia atque paterna abominatur. Vnde C. de episcopis & cleric. l. Eum qui. vbi sacerdotibus matres & germanas sorores domi habere permittitur. In his, inquit, nihil sæui criminis existimari fœdus naturale permittit. Et Lucanus, omnesque Poëtæ lumine naturali docti incestos appellant sororum partus ex fratribus. Et Lucianus in Necromantia eiusmodi connubia tanquam nefanda apud inferos haberi referr. Vnde Ouidius lib. 9. Metam. impudicam Byblim inducit conquestam, quod sibi non liceret cum fratre commisceri, sicut Dijs, qui suas duxerunt sorores. Sic Saturnus Opem iunctam sibi sanguine duxit, Oceanus Thetym, Iunonem rector olympi. Illa enim Gentilium Deorum monstra similia feruntur inculcasse connubia. In his quæ iuri naturæ nituntur, sacris fas est profana miscere.

Ratio 3. Item Genes. 20. & 26. Ob id Abraham iussit vxori suæ, vt diceret sororem se eius esse, vt illo nomine celaretur esse vxorem. Quare cùm primùm Abimelech resciuit esse vxorem, intellexit, non esse sororem. Quæ quidem historia documentum perhibet etiam gentibus illis lumine naturali innotuisse, fraterna connubia esse nefanda. Et tandem Diuus Augustinus loco citato de Ciuit. Dei, ait quod non nisi peruersis legibus permittebantur fraterna coniugia. Melior tamen, inquit, consuetudo ipsam mauult exhorrere licentiam. Et ad Paternum Ambrosius lib. 9. epistola 66. in easdem sceleratas nuptias vehementer inuehitur. Iam verò & lege ciuili inter fratrem & sororem nuptiæ prohibitæ sunt, siue vtroque parente, siue altero tantum progenitos. Insti. de nuptijs. §. Inter eas. Ac demum iure canonico apud Innoc. ca. Gaudemus. de diuort. decretum est, vt infideles, qui in primo gradu contraxisse fuerunt reperti, non permittantur in matrimonio permanere: sed illi duntaxat, qui in secundo vel tertio gradu contraxerint. Et necesse est intelligi de consanguinitate: nam de affinitate non est forsan tam certum, vt dist. seq. disputaturi sumus. Igitur primus gradus, qualis est inter fratres, iure naturæ est prohibitus. Neque scio quid habeat contraria opinio, quod ad hoc respondere possit.

Lege ciuili fraterna coniunctio vetita.

Nota.

Solut. 1. arg. Ad primum igitur argumentum Caietani responderetur, consecutionem non esse legitimam, vt si aliquid iure naturali prohibitum est, nullam possit dispensationem suscipere: nam matrimonium inter infideles est natura sua perpetuum, & tamen per conuersionem alterius ad fidem dissoluitur ab autore ipsius naturæ. Sicuti & matrimonium ratum fidelium per religionis ingressum. Veluti è contrario plures vxores vni viro coniungi contra ius naturæ est, vt dist. 33. ostendimus, sed nihilominus Deus ad propagandum populum Israel super illud dispensauit. Et Caietanus ipse fatetur, nuptias inter patrem & filiam iure naturæ esse nullas: & tamen non negauit dispensationem diuinam illic locum habere: quia re vera nemini est dubitandum.

Inter fratres nuptia iure naturæ vetita. Huic ordini patris & filiæ proximè accedit ordo fratrum inter se, adeò vt non sit secundus gradus, sed primus sicut ille, licet ille vehementiorem habeat efficaciam. Et ideo qua particula ab illo deficit, licet sit eodem iure naturæ matrimonium in illo prohibitum, eodem ipso tamen naturali iure in extrema necessitate procreandi humani generis, fuit super illo dispensatum. Idem enim est dispensari à natura, & à Deo tanquam authore naturæ. Et ideo in exordio mundi non alia opus fuit reuelatione præter clamorem ipsius naturæ, vt fratres sororibus commiscerentur. Quamuis inter patrem & filiam nunquam fuerit dispensatum, prouidente Deo, vt nulla id necessitas exigeret. Cessante verò illa necessitate omnino indispensabile restat. Vnde Aug. eod. loco de Ciuit. Dei citato. Sorores, inquit, accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuit: illa tamen necessitate cessante, sic naturæ aduersatur quasi nunquam licere potuerit. Quare omni procul dubio certissimum est Innocentium in cap. Gaudemus. hunc primum gradum tam lineæ transuersalis quàm rectæ censuisse tanquam iure naturæ simpliciter prohibitum. Et ideo neque inter infideles fuisse vnquam in tali gradu validum matrimonium. Quo fit, vt arctius sit vinculum inter fratres ad irritandum matrimonium, quàm inter auum & neptem: quia iste iam est secundus gradus, & plus ponderis habet primus gradus in transuersa linea quàm secundus in recta: quoniam immediatius fratres vniuntur patri, à quo sine medio deriuantur, cùm tamen inter auum & neptem medius sit pater.

Sol. alius arg. Caiet. Et per hoc solutum restat aliud metaphysicum argumentum Caietani: nam etsi fratres inter se non per se ipsos coniungantur, sed ratione parentum, satis tamen est tam propinquo stricto que nexu in illo vniri, vt quasi idem reputentur. Nam si filius, vt ait Aristoteles, est pars patris, filius & soror tanquam partes totius reputantur.

Sol. 3. eiusdem. Tertium autem argumentum, vt cum reuerentia Caietani, quæ illi vbique debetur, loquar, intelligere nequeo. Vnde enim illa consequentia? Papa dispensauit, vt idem vnam ac subinde alteram sororem duceret, & vt vna duobus similiter fratribus nuberet: ergo dispensauit, aut dispensare potest inter fratres. Est arguere à gradu affinitatis ad gradum consanguinitatis, qui longissimè distant. Sororius contrahens cum sorore vxoris, non contrahit cum sua ipsius consanguinea, sed cum affini: & similiter quæ nubit leuiro, scilicet fratri mariti. De quo gradu dist. sequenti futurus est sermo.

Nunquam dispensatū. Imò nusquam ab orbe redempto talis dispensatio facta legitur. Quinetiam in Gallorum annalibus extat de comite Armeniaco, qui nullum non lapidem mouit, vt sororem quam perditè deamabat, matrimonio sibi iungeret, obtulitque Pontifici amplissima munera, & allato sibi dispensationis breui, nuptias celebrauit. Qua de re admiratus Rex misit ad Pontificem, qui vehementius demiratus fuit, id sibi fuisse impositum. Et repertus fuit Apostolicus notarius, qui literas ceu Apostolicas falso subscripserat, cuius criminis pœnas dedit. Quamobrem Comes renuens sororem relin-

quere,

Digitized by Google

quere, bello à Rege inuasus fuit, suoque patrimonio expoliatus. Sylueſter verò verb. Papa. q. 17. falsus eſt dicens, quòd Archiepiſcopus Florenti. 3. par. tit. 1. cap. 11. referat Martinum quintum diſpenſaſſe cum fratre & ſorore in matrimonio: non enim diſpenſauit niſi cum quodam, vt contraheret cum illa, cuius germanam occulta fornicatione polluerat, vt diſt. ſeq. art. 3. videbimus.

Ad argum. Thamar. Ad aliud autem de Thamar cum fratre Amon, Paludanus reſpondet, quòd fortè Dauid non fuit verus pater Thamar ſed nutritius. Sunt enim qui dicant Thamar filiam fuiſſe cuiuſdam captiuæ Dauidis, quam bello cepit, ex qua ſuſcepit Abſalon, qui ideo erat frater Thamar maternus: nam Amon ex alia vxore genitus fuit. At verò, vt 2 Reg. 3. legitur, Maacha mater Abſalon, fuit filia Regis Ieſur, quam non eſt verosimile fuiſſe captiuam. Creditur ergo Thamar filia fuiſſe Dauidis. Et ideo forſan melius eſt dicere, quòd inopinata repentinaque ſceleris immanitate perturbata verbum illud protulit, non tamen quòd crederet per legem illi licere vxorem eſſe fratris, cùm expreſsè in lege eſſet prohibitio illa præſcripta: quam quidem ſcriptam legem pluris ipſi, quam legem naturæ æſtimabant.

Solut. 1. arg. Simili ergo modo primum argumentum principale ſolutum reſtat. Barbari namque deteſtandis fratrum nuptijs vtentes non id iure naturæ faciunt, ſed illud adulterantes: quare talia matrimonia nullius ſunt vinculi.

Saraam fuerit & ſoror & comun Abraha. Ad ſecundum verò de Abraham, vtrum ei fuerit Sara & vxor & ſimul germana ſoror, non deſunt qui id affirment. Quorum eſt Caieta. ſuper Geneſim cap. 10. vbi poſtquam Abraham in Geraris de vxore ſua affirmauerat, ſoror mea eſt, quo nomine celaret eſſe vxorem. Abimelech Regi Geraris, cùm eum mendacij redargueret, reſpondit, non eſſe mentitum: nam verè, inquit, ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem: quæ vtique verba ponderans ait Caietanus nihil expreſſius dicere potuiſſe, quàm verè ſoror mea eſt præſertim cum adiecerit, filia patris mei: & non filia matris meæ, nam ſi ſororem eſſe clarè aſſerere voluiſſet, non id alijs vtique verbis potuiſſet explicare.

Caiet. ar. 1.

2. Argu. Accedit, quòd ſi erat conſobrina, ſcilicet filia Aram fratris eius, vt communis habet opinio, atque adeò dicens, filia fratris mei, intelligeret, neptis, non adieciſſet, & non filia matris meæ, quoniam pariter etiam eſſet neptis matris eius: quia Abraham, inquit, & Aram vtroque parente fratres erant. Eandem opinionem tenet Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum non multum ante finem, dicens propterea adieciſſe, & non filia matris meæ: quia licebat ducere vxorem ex parte patris, & non ex parte matris.

Clemens Alexandrinus.

3. Argum. Atqui rationibus Caietani adhuc alia adiungitur, quod ſi non erat niſi conſobrina, quando poſtea Abimelech inſimulauit eum de mendacio, facilè crimen potuiſſet diluere dicens, Soror mea eſt, filia patris mei: mos enim nobis eſt propinquos cognatos appellare fratres & ſorores, vt verè ſunt apud nos: & tamen hoc non dixit, ſed ait, non ſimpliciter, ſoror, ſed verè ſoror: & ad explicandum quomodo eſſet ſoror, adiecit natiuam rationem ſororis, ſcilicet quod eſſet filia patris eius.

4. Argum. Præterea quamuis fratrueles & conſobrini fratres dici poſſent, quia ſunt pares, tamen maiores natu, vt patrui non ſolent appellare conſobrinas ſorores, ſed potius filias.

5. Argum. Item Abraham ſenior fuiſſe videtur, quàm frater eius Aram: nam Geneſ. 11. prior refertur quàm alij fratres: & tamen non ſuperabat ætate vxorem niſi decem annis: erat autem nonagenaria, vt Gen. 17. legitur, quando Iſaac concepit, & Abraham, vt cap. 21. refertur, centenarius: ergo non potuit Sara eſſe Aram filia.

6. Argum. Magnum demum rei huius colligitur argumentum ex Geneſi. cap. 11. vbi habetur quod Abraham & frater eius Nachor duxerunt vxores: nomen vxoris Abrahæ Sarai: & nomen vxoris Nachor Melcha filia Aram patris Melchæ & patris Ieſchæ: cum ergo Melcha explicatur fuiſſe filia Aram, ſi Sara eius quoq; fuiſſet nata, idem pariter explicaretur potiſſimum cùm pluris referret id de Sara ſcire, quàm de Melcha.

7. Argum. Ad hæc ſi non erat verè ſoror, fefellit Regem, qui credidit eſſe germanam ſororem, alias non colligeret non eſſe eius vxorem. Re vera his conjecturis ſuo pondere libratis res videtur valde fieri probabilis, quod fuerit verè ſoror.

Sententia authoris. Veruntamen hoc nec credendum eſt, neque vllo pacto, vt reor, aſſerendum, qua ratione id Caietanus affirmare cenſetur, nempe quod iure naturæ non eſſet connubium fratris cum ſorore prohibitum. Imò profectò, vt bona venia dixerim, crediderim hoc erroneum eſſe: præſertim cùm, vt diximus, Innocen. in ca. Gaudemus, doceat matrimonium infidelium in primo gradu non tenere. Et ideo cui illa opinio placuerit, dicere ſubinde compellitur, tale matrimonium Abraham cum ſorore non niſi ſpeciali Dei reuelatione contraxiſſe, vt ſicut in primordijs mundi ad propagandum humanum genus licuit fratribus ſorores accipere: ſic cum Abraham ex infideli Vr Chaldæorum iuſſu Dei egreſſus ſeminaturus eſſet Dei populum, iuſſus fuerit religioſam fideliſſimamque ſororem ſuam vxorem ad id muneris accipere.

Nota. At verò cùm neque iſta neceſſitas tam vigens appareat, neque illa reuelatio ſcripto ſit memoriæ prodita, conſultiùs tum Ioſephus libr. 1. de antiquita. cap. 14. tum & ſancti Patres non potuerunt ſibi tale matrimonium perſuadere, contra quod naturam prorſus reclamare videbãt. Et ideo Hieronymus tum in quæſtionibus Hebraicis ſuper eundem locum Geneſis 20 tum contra Eluidium, & in prologo ſuper Iob, & Aug. 16. de ciuitate Dei cap. Sed latiùs. 22, contra Fauſtum ca. 35. & in quæſt. Gen. & refertur. 22 q. 2. can. Quæritur. aſſeueranter docent Saram non fuiſſe niſi filiã Aram fratris Abrahæ, ac perinde ſororem Loth, quem Aram, vt Gen. 11. legitur, genuit. Et eandem ſentẽtiam amplexus eſt D. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. Et quamuis Chryſoſtomus Homilia. 45. ſuper Geneſim videatur in contrariam opinionem deflectere, non tamen ita planè hoc affirmat, ſolum enim addit ad verba textus, Data eſt mihi in vxorem, quia & eundem patrem vocat, quem & ego, & ideo eam ſororem vocaui. Enimuerò quia Thare erat paterfamilias illius domus, quæ à Babylonia receſſerat, illeq; totam ductabat adminiſtrabatq; familiam, non ſolùm filij, verùm etiam nepotes appellabant eum patrem.

Ioſephus. *Hieron.* *Auguſt.* *Sacra conſobrina Abrahæ.* *D. Thom.* *Chryſoſt.*

Sol. 1. ac. 3. argu. Et per hoc ſoluitur argumentum ex Geneſ. 20. collectum. Dixit enim non ſolum eſſe ſororem, ſed verè ſororem: quia ſoror & verè ſoror idem eſt: ſed adiecit, filia patris mei: nam illa ratione omnes dicebantur fratres, quod Thare omnes appellabant patrem. Atque id planè confirmatur, quia ſimiliter Iſaac de Rebecca Geneſ. 26. quam conſtat non fuiſſe ſororem eius, ſed filiam Nachor fratris Abrahæ, rogatus à viris Geraris, Quænam eſſet, reſpondit, Soror mea eſt. Et Geneſ. 13. ait Abraham ad Loth, fratres ſumus, quòd ſi dixit, quia erat conſobrinus eius, eodem modo Saram appellauit ſororem: ſi verò, quia erat leuir, ſcilicet frater Saræ vxoris ipſius Abrahæ, idem colligitur, videlicet quod Sara erat filia Aaram patris Loth.

Iſaac & Rebecca. *Loth & Abraham.* *Solut. 4.*

Cuius præterea magnum argumentum eſt, quòd Geneſ. 11. vbi familia Thare recenſetur, ſic legitur. Tulit itaque Thare Abraham filium ſuum, & Loth filium Aram filij ſui, & Sarai nurum ſuam vxorem Abrahæ filij ſui: ſi autem Sara eſſet filia ſua, id quoque expreſſiſſet, ſicuti de Aram & Abraham: & tamen non appellauit niſi nurum, vxorem filij ſui Abrahæ.

Solutio ſexti argum. Ad aliud verò argumentum, quod ex eod. cap. obiecimus, quòd ſcilicet Melcha refertur illic filia Aram, & non Sara, reſpondet Hierony. Geneſ. 20. ac ſubinde Auguſt. lib. 16. de ciui. Dei cap. 12. quòd vbi legitur Aram pater Melchæ, & pater Ieſchæ, illa Ieſcha creditur ipſa eſſe etiam Sarai vxor Abrahæ.

Argu. optimum. In ſumma vnum pro omnibus argumentis hoc eſt concludentiſſimum, quòd Abraham abſque expreſſa reuelatione & diſpenſatione Dei non potuit cum ſorore contrahere, vnde Auguſt. 22. libr. citato contra Fauſtum. cap. 35. hoc pacto colligit. Cùm igitur Abraham eo tempore viueret in rebus humanis, quo quidem iam fratres ex vtroque vel altero vel altera parente natos necti coniugio non licebat, filios autem alioſque longinquiori gradu generis conſanguineos fratrum, nulla lege nullaque poteſtate prohibita conſuetudo iungebat, quid mirum ſi ſororem ſuam, id eſt, ex patris ſui ſanguine procreatam habebat vxorem? Nam & Tobias, vt cap. 6. legitur, quam acceptus erat in vxorem, ſororem appellauit, eo quòd ex eius cognatione fuiſſet exorta. Hoc enim idiomate fratrueles & alij cognati Chriſti, fratres Domini vocãtur

Auguſt. *Tobia 6.*

Sol. 2. arg.

Ad aliud autem argumentum, filia patris mei, & non filia matris meæ, dicere possumus, quòd Thare ex altera vxore genuit Abraham, & ex altera Aram patrem Saræ. Id enim ipsum Caietanus dicere cogitur, tenens Saram fuisse sororem Abrahæ, nempe quòd ex altera vxore Thare ipsam genuerit. Commentum enim Clementis Alexandrini nulla fulcitur autoritate, imò illud Augustinus loco nuperrimè citato planè refutauit.

Ad Clementem Alexandrinum.

Solut. 3. arg.

Aliud verò argumentum molestius est de ætate Abrahæ & Saræ, qui non nisi decennio distabant. Sed respondetur cum Abulensi quæst. 27. super Gen. capit. 11. quod etsi ordine prior Abraham propter eius dignitatem fuerit nominatus, quàm eius fratres, fuit tamen omnium natu minimus, & Aram maximus. Itaque vbi legitur Gen. 11. quòd Thare septuagesimo anno ætatis suæ genuit Abraham Nachor & Aram, intelligitur tunc genuisse Abraham, sed antea, cùm esset forsan quadragenarius vel sexagenarius genuerat Aram, qui quidem Aram decennio post natiuitatem Abrahæ genuit Saram, & cùm vita ille defunctus fuisset in Vr Chaldæorum, Thare tulit alios duos filios Nachor & Abraham, & duas neptes filias Aram, vt commigraret in terram Chanaam. Et ideo vnam neptem nuptui tradidit vni filio, atq; alteram alteri.

Abulensis.

Gen. 11.

Solu. 3. arg.

Tertium argumentum in secundo gradu consanguinitatis inter ascendentes & descendentes, puta inter patruum, vel auunculum & consobrinam, alteram à nobis conclusionem efflagitat. Et idem est de amita vel matertera cum consobrino: qui vtique secundus gradus pariter est in Leuitico prohibitus Witcleff, vt est videre apud Waldensem tomo. 2. de sacrament. capitulo 134. opinatus omnes illas Leuitici prohibitiones vim suam sub lege Euangelica retinere, dicebat hunc quoque secundum gradum minimè sub dispensatione Pontificis cadere, vt matrimonium teneat, addens quòd neque Papa, neque ecclesia vllos alios gradus prohibere possit. Hoc autem secundum assertum articulo sequenti reprobabitur. Primum tamen etiam Maioris atque alij adstruunt, vt Sylvest. verb. Matrimonium. 8. quæst. 6. & verb. Papa. § 17. & glossa super capit. Literas. de restit. spoliato. Omnes isti dicunt, super gradus iure diuino prohibitos non posse Papam dispensare. Et vocant ius diuinum illud antiquum Leuitici. Et glossa subiungit exemplum in matrimonium materteræ cum consobrino, & patrui cum consobrina. Quare inter fratrueles, quia non erant illa lege prohibiti, non negat, matrimonium per dispensationem ecclesiæ posse constare.

VVitcleff.

Super gradus in leuitico prohibitos an possit Papa dispensare.

At verò vt contra istos hoc in primis animaduertamus, in Leuitico, vt paulò ante prænotauimus, non exprimitur prohibitio inter patruum, vel auunculum & consobrinam, sed inter consobrinum & amitam vel materteram, cum tamen, vt Ambrosius in illa citata epistola. 66. libro 9. ad Paternum ait, similiter non solum diuino, sed etiam naturali iure prohiberi matrimonium patrui cum consobrina. Volebat enim ille filium suum cum nepte ex altero filio copulare, de quo vehementer reprehendit eum Ambrosius.

Sententia authoris.

Ambros.

2. Concl.

Illis ergo citatis opinionibus nihil obstantibus, statuitur hic secunda conclusio. Secundus hic gradus consanguinitatis ascendentium & descendentium nullo diuino iure aut naturali sic modò prohibitus est, quominus Papa super illo dispensare valeat. Et primum quantum ad ius diuinum probatur. Est enim ius diuinum vnum positiuum, quod non est de iure naturæ, vt præcepta fidei & sacramentorum in euangelio, aliud verò est ius diuinum & simul naturale. Præceptum prioris generis sub lege euangelica nullum est positum, quo eiusmodi matrimonia prohibeantur: illæ verò Leuiticæ inhibitiones, vt satis probatum est, abolitæ sunt prorsus, nisi quatenus vim naturalis iuris retinent: nullum ergo iam modò diuinum ius censendum est in matrimonio nisi quatenus est naturale.

Probatur conclusio.

Nota.

Vt ergo ius hoc in hoc gradu secundo ascendentium perpendamus, quamuis tantum absurditatis adferat, vt condecuerit ecclesiam tale matrimonium irrirare: nihilominus merum ius naturæ non vsque adeo illud vetat, vt secluso iure Pontificio illud rederet nullum. Probatur primò, quoniam rationes illæ, quas de patre & filia, deq; fratre & sorore, & fortè de auo & nepte supra instructæ sunt, vltra illos gradus non vsque adeo vrgent, vt matrimonium ostendant esse nullum: neque enim tanta conuersatio est inter patruum & consobrinam, neque tanta naturalis amicitia, vt idoneo vsui matrimonij sint illæ personæ tam repugnantes, neque tantum fœditatis habent, vt coniungantur. Quare certè sub lege naturæ nullatenus credendum est, hunc gradum fuisse prohibitum.

Ratio. 1.

Secundò. Id palam conuincitur, nam Thare pater Abrahæ & Nachor, qui pater fuit illius familiæ, quam Deus vt plantationem sui populi selegerat, ambobus illis filijs neptes, nempe filias primi filij Aram matrimonio iunxit, quod planum documentum est sub lege naturæ non fuisse prohibitum: nam illud ante legem scriptam plusquam quadringentis annis fuit.

Ratio. 2.

Et tertiò ex illa prohibitione Leuitici argumentum sumitur: nam si huiusmodi gradus iure naturæ esset prohibitus, profectò non solùm amita & matertera prohiberetur consobrino nubere, verùm & patruus & auunculus consobrinam ducere, quandoquidem, vt ait. Ambr. par ius sit in vtroque: sed tamen in Leuitico tantum fuerunt prohibitæ fœminæ maiores natu contrahere cum consobrinis secundum S. Tho. quia sorores patris aut matris solent in eadem domo cum pueris consobrinis commorari, & ideo si possent contrahere, periculum oriretur incestus. Fratres verò parentum domo consueuerunt esse separati. Vel fortè ratio fuit, quòd plus absurditatis oculis omnium offert, vt consobrinus, qui subditus debet esse amitæ & materteræ, illam ducat vxorem, quæ sibi debet esse ratione coniugij subiecta: si enim patruus ducat consobrinam, vtroq; iure & consanguinitatis & coniugij erit illa subiecta. Et ideo Abraham duxit consobrinam, sed non legitur amitam consobrino nupsisse.

Ambros.

Ratio alia.

Igitur Ambrosius non intelligit iure naturæ sic esse istum gradum prohibitum, vt secluso iure positiuo matrimonium esset nullum, sed quòd pari iure naturæ cohibetur patruus à consobrina, quo amita à consobrino quantum ad peccatum si matrimonium fiat. Et ideo coniectura fit, iam tunc morem ecclesiæ cœpisse, vt iste gradus secundus prohiberetur non solùm in ascendentibus istis, verùm & in lateralibus, scilicet inter fratrueles, vt colligitur ex Gregorio cano. Quædam lex. 35. quæstione 2.

Ambr. expenitur.

Argumentū optimum.

Supremum autem argumentum, quod rem præsentem conuincit, est sententia Innocentij ca. Gaudemus, qui ait, infideles, qui in secundo gradu contraxerunt, si conuertantur non esse separandos: vbi plane docet, non esse impedimentum de iure naturæ. Ex quo rursus colligitur Papam super illo gradu posse dispensare. Quod & ecclesia more & vsu ostendit. Hanc ergo definitionem debuissent Maioris & alij animaduertere ante quàm dixisset, id Papam facere non posse. Glossa ergo citata capitulo Literas, dicens Papam posse dispensare in secundo gradu collateralium, scilicet inter fratueles, non tamen inter ascendentes, nullo nititur fundamento: quoniam textus non habet, nisi quòd contrahentes in gradibus, quos lex diuina prohibuit, non possunt permanere. Intelligit autem, lex diuina naturalis, primum prohibens gradum. Quandoquidem in allegato cap. Gaudemus. idem Pontifex eodem modo loquitur de secundo gradu, nulla facta distinctione inter ascendentes aut laterales. De capitulo verò finali eiusdem tituli de diuortijs, vbi habetur, quod Iudæa, quæ secundùm legem Mosaicam nupsit fratri viri sui defuncti sine liberis, non separetur, dicemus distinctione sequenti.

Glo. ca. Literas. de restit. spoliat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm gradus consanguinitatis matrimonia prohibentes potuerit ecclesia vsque ad quartum taxare.

PRAEMISSIS gradibus, quos ius naturæ videtur à matrimonio prorsum cohibere, subsequitur de alijs quos ecclesia adhibuit. Et quæritur, vtrùm potuerit vsque ad quatuor eos extendere & taxare. Et arguitur à parte negatiua. Mandatum Christi est Matthei 19. vt quos Deus cõiunxit, homo non separet: eos autẽ, qui in secundo aut tertio gradu iuncti sunt, Deus coniunxit, quandoquidem ius diuinum antiquum illud non vetuit: ergo non possunt per ecclesiam separari.

Partis negatiua arg. primum.

Secundò. Matrimonij vinculum, vt distinctione vigesimasexta dicebamus, est naturale, nempe naturæ instinctu constitutum: ius verò naturale nequit lex humana vel decurtare, vel ampliare: ergo ecclesia non potuit gradus huiusmodi præscribere.

2. Argu.

Tertiò.

Digitized by Google

3. Argum. Tertiò. Matrimonium est sacramentum, veluti baptismus: nequit autem ecclesia materiam baptismi sic mutare, quominus qui illum secta intentione suscipere velit, verè baptizetur, & characterem suscipiat: ergo nec valet materiam matrimonij, hoc est, contrahentes, aliter quàm ius diuinum vel naturale definire.

Pars affirmatiua. In contrarium est, quod præceptum ecclesiæ, quæ spiritu sancto regitur, diuinitus habet firmitatem, iuxta illud, Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: sed ecclesia huiusmodi gradus decreuit non esse nuptijs confœderandis idoneos: ergo illa prohibitio est legitima.

Decisio art. De hac quæstione, vt art. 3. dicebamus, hæretici, vt Witcleff apud Waldensem tomo. 2. de sacram. cap. 134. & eius asseclæ Lutherani à catholica veritate dissentiunt, pontifici vtique & ecclesiæ facultatem adimentes prohibendi à nuptiarum iure gradus aliquos consanguinitatis vel affinitatis. Ad quæstionem nihilominus tribus conclusionibus respondetur. Prima.

1. Concl. In facultate ecclesiæ munere Christi institutæ, & sancto flamine gubernatæ positum est, vt paciscendis coniungendisque nuptijs legitimas illegitimasque decernat, ob sanguinis propinquitatem personas. Probatur.

Ratio. Connubialis contractus, ab orbe condito naturalis, fuit ab autore naturæ Deo in officium naturæ institutus, nempe ad nostrum genus propagandum: sed tamen quia ad pacem tranquillumque reipublicæ ciuilis statum attinet, ad ciuilem quoque rempublicam de ipso statuere pertinebat, sicut de reliquis ciuilibus contractibus & stipulationibus, quorum peruersitate potest respublica perturbari: per legem verò euangelicam autore Christo seruatore nostro idem matrimonium in sacramentum statutum est: ergo cum sacramentorum administrationem & dispensationem idem redemptor ecclesiæ commiserit, huius etiam curam illi concredidit, vt pro locorum & temporum & gentium varietate de eius causis & conditionibus disponeret. Quocirca ius, quod penes rempublicam ciuilem erat de causis matrimonialibus decernendi, dum non erat sacramentum, ad ecclesiam facto sacramento translatum est.

Leges ciuiles. Legibus autem ciuilibus, vt patet. ff. de ritu nuptiarum. l. Sorores. l. Semper. & l. fina. & ferè cunctis eiusdem tituli. & l. Si adulterium cum incestu. ff. ad legem Iuliam de adulter. & compluribus alijs, certi personarum gradus sunt à pactis connubiorum repulsi: multò ergo sanctiori iure ecclesia fungitur, vt eosdem valeat diffinire gradus.

Rationis confirmatio. Et confirmatur: Naturalis rationis lumen ostendit absurditatis plurimum quospiam eiusmodi graduum afferre si per matrimonia commisceantur: sed tamen non satis lumen ipsum naturæ ostendit quantum se absurditas ostendat: ergo necessaria est ad id discernendum in republica facultas, quam vtique maximè condecuit ecclesiæ tribui, cui Christus sacramentorum curam commisit.

Ratio. 3. Enimuerò, vt circa alia sacramenta multa ecclesia dispensat de temporibus eorum & ritibus: & ad sacramentum ordinis, non promouet bigamos, homicidas atque alios, ita potest & à sacramento matrimonij consanguineos arcere.

Obiicitur. Sed redarguat quis forsan. In alijs non potest facere, vt sacramentum sit nullum, quamuis faciat esse peccatum id contra eius iussionem suscipere: ergo nec potest facere, vt matrimonium, quod aliàs validum esset, sit prorsus nullum.

Dilutio. Negatur consequentia. Hoc enim discrimen ex natura sacramentorum colligitur: illa namque quæ characterem imprimunt, quia suum secum adferunt effectum, qui à voluntate humana non pendet, si legitima intentione & conferantur & suscipiantur, impedire ecclesia non potest quominus sint valida, quamuis per delictum suscipiantur. Secùs autem in his, quæ ex humana pendent voluntate.

Ratio. 4. Vnde sicut potest per excommunicationem & suspensionem efficere, vt sacramentum absolutionis sit nullum, & votum solenne, nisi iuxta suas leges suscipiatur, sit irritum, ita quia matrimonium consensibus humanis contrahentiũ conglutinatur, potest illos consensus super tali materia eneruare, vt cassi sint, veluti in alijs stipulationibus, quæ per merum ius naturæ firmæ essent, humana lege infringuntur.

In summa, cùm Deus in lege Mosayca de huiusmodi gradibus prohibitiones decreuerit, quæ quidem prohibitiones per legem euangelicam, quatenus erant legis illius mandata, antiquata sunt: mancam Christus Dominus ecclesiam suam relinqueret, nisi illa facultate eam communiret, qua posset eiusmodi gradus secundùm naturalem decentiam & ornatum taxare & definire.

An seculares principes possint leges connubiales condere. Sed scisciteberis forsan, vtrùm seculares principes, etiam sub lege Euangelica, eadem facultate polleant & iure sic cohibendi matrimonia, vt si contra eorum prohibitiones fiant, sint nulla. Apparet enim ex vna parte id posse: quoniam cùm naturæ iura fides non sustulerit, sed perfecerit: & ante Euangelium in lege naturæ potuerint Cæsares huiusmodi leges de coniugijs condere, apparet & eandem nunc facultatem retinere.

Pars negatiua. Sed tamen ex altera parte extat argumentum, quòd si sub lege Euangelica eadem fungerentur facultate, cùm eadem penes ecclesiam existat, accideret vt sæpe sibi eiusmodi potestates contradicerent, quod in perniciem ecclesiæ vergeret.

Solutio bicornis. Interrogationis huius bimembre responsum est, Respublica, inquam, ciuilis & princeps, qui eius habet facultatem, leges potest de paciscendis stipulandisq; nuptijs condere, atque adeò sic consanguineos & affines à matrimonijs concinnandis arcere, vt si illa contra inire tentauerint, nulla sint. Veruntamen in huiusmodi ferendis legibus Respublica ciuilis subdita prorsus est ecclesiasticæ, vt absque permissu concilij, aut Pontificis Maximi eas ferre nequeat: quod si Papa contradixerit, irritæ erunt prorsus & inanes.

Prima solutionis pars. Prima pars responsionis sic patet. Respublica ciuilis & principis potestas in pacem & prosperum Reipublicæ statum instituta est: huiusmodi autem pax & tranquilla fœlicitas plurimùm ex nuptijs contrahendis pendet: imò plus quàm ex alijs ciuilibus contractibus: ergo potest legibus eiusmodi matrimonia definire & dirigere.

Ratio. 2. Secundò, quia rationes illæ, ob quas gradus cognationis prohibeatur, lumine naturali innotescunt, nempe quia fœditatem habent, & quia cùm consanguinei in eadem habitent domo, in periculo incestuum versarentur, quos quidem incestus Principi incumbit suæ Reipublicæ cauere.

Ratio. 3. Item principi etiam incumbit amicitias in sua Republica propagare, quod per matrimonia diuersi sanguinis cõtexta fieri potest: ergo de huiusmodi coniugijs leges potest condere.

Obiectio. Neque obstat cauillus, quod cùm matrimonium iam sit sacramentum, non potest princeps materiam eius & subiectum mutare, hoc est, prohibere, vt si cognati contraherent, matrimonium non teneret.

Dilutio. Non, inquam, hoc obstat, quoniam institutio sacramenti non abstulit quominus matrimonium sit ciuilis contractus: & qua ratione contractus ciuilis est, à potestate ciuili non eximitur.

S. Thom. Et sæpe matrimonia inter consanguineos in perniciem Reipublicæ vergerent. Vnde Diuus Thomas distinctione 26. quæstione 2. articulo 1. ait, quòd matrimonium, quatenus ad ciuiles vtilitates, qualis est amicitia & mutuum obsequium, institutionem habet à lege ciuili. Et distinctione 34. articulo 1. ad quartum ait, quòd inquantum est in officium communitatis, statuitur lege ciuili. His demum accedit, quod iure ciuili adoptiones filiorum instituuntur & approbantur, ex quibus legale vinculum contrahitur matrimonium impediens, vt §. 1. Instituta, de nuptijs.

Secunda solutionis pars. Nihilominus secundum membrum eiusdem responsi probatur: nam cùm ecclesiæ incumbat de sacramentis censere, & vt distinctione 35. dicebamus, in his quæ pertinent ad regnum cælorum, respublica ciuilis spirituali sit subdita, nequit ciuilis in matrimonialibus causis, præsertim in constituendis personis legitimis vel illegitimis ab ecclesiæ sanctionibus & potestate deflectere: alioqui duo essent capita, quod vtique monstrum vineam Domini demoliretur. Vnde D. Tho. distin. 42. quæst. 2. artic. 2. ad quartum, Prohibitio, inquit, legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonij nisi interueniret autoritas ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit. Et idem obseruandum est in discernendo quodnam matrimonium sit legitimum, quod re vera iudicium ad ecclesiam spectat. De dotibus verò & hæreditatibus decernere, atque de alijs, quæ mèrè secularia sunt, ad seculare attinet iudicium.

2. Concl. Secunda conclusio. Gradus consanguinitatis (nam de affinitate post dicturi sumus) temporum lapsu, &

Primus gradus lineæ rectæ.

Primus gradus lineæ transuersæ.

2. Gradus.

Secundus gradus lineæ collateralis.

Grego.

Alexand. 3.

Gradus sextus & septimus idem.

Septenarij numeri ratio.

Ratio.

3. Concl.

Obiectio.

Dilutio.

successione varietatem quantum ad nuptias coniungendas susceperunt. Etenim primus consanguinitatis gradus in linea recta adeò est iure naturæ a matrimonio repulsus, vt nulla vnquam necessitate fuerit permissus, putà patris cum filia: neque verò secundus, scilicet aui cum nepte. Primus verò gradus collateralium, nempe inter fratres, quia paululo minus efficaciæ habet, in primo orbis ortu propter extremam necessitatem dispensationem admisit. Sed tamen, vt supra citatus Augustinus ait, adeò postmodum vbique gentium, vbi tantillus rationis radius illucebat, prohibitus est acsi nunquam potuisset esse permissus. Quare matrimonia in hoc primo gradu, seu rectæ, seu transuersæ lineæ, post orbis initia sub nulla lege potuerunt esse firma & valida. Deinde sub lege scripta huic gradui adhibitus fuit secundus ascendentium & descendentium, nempe materteræ vel amitæ cum consobrino, vt patet Leuit. 18. (nam de affinitate modò non loquimur.) Quæ quidem prohibitio non vsquequaq; fuit moralis, sed iudicialis, vt artic. præcedenti diximus. Quare hic secundus gradus Pontificis dispensationem tolerare potest. Postmodum verò sub lege Euãgelica tẽpore Augustini quadringentis annis ab orbe redempto non solùm ille gradus verùm & secundus collateralis lineæ, nempe inter filios & filias fratrum, qui fratrueles dicuntur, iam erat à nuptijs confœderandis exclusus, vt ipse 15. de ciuitate Dei ca. 16. docet. Et Gregorius in epistola ad August. Anglorum episcopum, & refertur canone, Quædam lex. 35. quæstione 3. vbi Romanã legem condemnat, quæ huiusmodi connubia inter fratrueles permittebat: quoniam ex huiusmodi, inquit, coniugio experimento didicimus, sobolem non posse succrescere. Indulget tamen, vt in quinto vel quarto gradu contrahatur. At verò, vt bene Alexand. 3. in can. Ad sedem, eadem causa quæst. 5. admonuit, indulgentia illa solùm intelligebatur respectu gentis Anglorũ, quæ tunc recenter conuertebatur ad fidem: nam vt eodem can. Quædam lex. subiungitur, interrogatus Gregorius à Fœlice Messaniæ Siciliæ præsule, an eadem licentia possent sui subditi vti respondit minimè posse.

Iam ergo prohibitio tunc vsque ad sextum vel septimum gradum fuerat prolata, vt patet can. De affinitate. & can. De consanguinitate. & cano. Progeniem. & can. Porrò. 35. quæstione 3. & can. Series. & ad sedem, & reliquis, eadem causa, quæst. 5. At verò neminem gradus ille sextus vel septimus fallet, non enim te, sed solo nomine secundum diuersam supputationem differt, vt Isidorus ibidem cano. Primo gradu. exponit. Qui enim primum stipitem, scilicet primum patrem tanquam primum gradum faciebant, septem numerabant gradus vsque ad quintum nepotem, vt patres essent in primo, & fratres in secundo, ac quinti nepotes in septimo. Sed qui (vt moris iam modò est) stipitem non connumerabant, sed fratres in primo gradu collocabant, non statuebant nisi sex vsque ad eosdem quintos nepotes, vltra quos nullus fuit vnquam consanguinitatis gradus à matrimonio seclusus. Et subdebatur numeri ratio, eo quod hebdomada septem diebus decurrit, ac subinde eodem iterato numero recurrit. Quæ quidem non est vt vrgens ratio æstimanda, sed tanquam adaptatio quædam audienda. Ratio enim non erat, nisi quòd cùm consanguinitas tanquam fundamentum amicitiæ & familiaritatis habeatur, vltra illos sex gradus nullus vel odor amicitiæ sit reliquus: quia nemo potest natiuitatem quinti nepotis attingere. Vnum enim integrum seculum centum annorum & eo amplius inter stipitem & sextum in sobolis successione effluit.

Tertia conclusio. Iam nunc temporis consanguinei in solo quarto gradu, fratribus in primo collocatis, à nexu coniugali cohibentur. Decretum est concilij generalis Lateranensis sub Innocen. 3. cap. Non debet de consang. & affinita. Et intelligitur, quòd per alterutram lineam persona in quinto gradu ab stipite distet, potest cum quocunque alterius lineæ, siue in quarto, siue in primo differat, contrahere, vt Gregorius nonus cap. Vir qui ab stipite. declarauit. Quoniam, vt art. 2. dictum est, nemo vnius lineæ alteri alterius propinquior est, quàm stipiti.

Quod si arguas, Vbi eadem est causa, eundem conuenit effectum existere: ergo non debuit tanta varietate ecclesia in his prohibitionibus vti. Ad hoc respondet ibi Innocentius, quod non debet reprehensibile iudicari, si secundùm varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cùm vsus necessitas vel euidens vtilitas id exposcit: quia Dominus de veteri testamento multa in nouo mutauit. Et experientia compertum est expedire gradus illos decurtari. Enimuerò ecclesia quodammodo ius naturale contemplata huiusmodi gradus prohibuit: nam etsi idem naturæ ius non sic omnes prohibuerit, vt matrimonia essent nulla, nihilominus nonnihil absurditatis admonet præ se ferre in illis gradibus coniugia componi.

Graduum prohibitio.

Rationes.

Accedunt & rationes in tertio articulo adductæ, quæ licet non tam efficaciter in alijs gradibus militent, quàm inter parentes & natos, nihilominus quandam habent honestatem & decentiam.

Ratio. 1.

Veruntamen vltra quartum gradum omnes profectò cessant, tum quòd vix vsu venire potest, vt pater abnepotem qui in quarto gradu est, agnoscat, vt dicebamus de septimo, propter breuiorem vitæ periodum, quæ senescente mundo breuior fit indies: tum etiam, quòd tepescente iam quotidie charitate, vix inter propinquos in illo gradu vllus sanguinis calor viget, qui amorem retineat, & ideo illa de causa non est cur à coniugijs cohibeantur.

Ratio. 2.

Præterea tam longa graduum serie interdicta difficile est inuenire pares, inter quos coniugia debitè confœderari valeant. Atque alia subinde incommoda subsequuntur.

Adducit illic Pontifex alias congruitates in quarto gradu, quæ licet non sint tanquam necessariæ audiendæ, non sunt tamen ineptæ. In primis, vt Deutero. 5. legitur, Deus visitat peccata parentum in filios vsque in tertiam & quartam generationem. Et homo habet quatuor humores quatuor elementis similes. Quare sanguis parentum in primo gradu, scilicet in filijs, amittit quod subtilissimum est, vt naturam ignis: & in secundo, scilicet fratruelibus, quod minus tenue est, vt aëreum: & in tertio aqueum, & in quarto terreum: vbi ergo consanguinitas prorsus euanescit.

Tridentina synodus.

Imo verò non ita multum absurditatis inest, quando causa subest, in dispensando saltem super quarto gradu. Quapropter in Tridentino concilio tanquam res expediens inter patres agitabatur, vt quartus amoueretur gradus, veluti iam certè non vsque adeò vtilis & commodus, dum tamen sanctissimè statueretur tertius & superiores, vt nunquam, vel non nisi ex vrgentissima causa vlla admitteretur dispensatio, sed omnis dispensandi occluderetur via.

Lex futura prospicit.

Sed est tandem hic vnum, quod notissimum est, adnotandum, quòd cùm leges præterita non respiciant, sed prospiciant in futurum, quando Innocentius verbi gratia submouit quintum vel sextum gradum, non dispensauit cum illis, qui in quinto contra ecclesiæ interdictum contraxerant: quia illud nullum erat matrimonium: & vice versa si modò quintus gradus prohiberetur, non ideo seperandi essent qui in tali gradu hucusque contraxerant, sed prohibitio à tempore promulgatæ legis vim obtinet suam.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd cùm Christus ecclesiæ suæ potestatem tradiderit Christianam familiam, & potissimum in sacramentis, administrandi, legesque subinde condendi, fit vt Deus sicut illos, qui contra ius naturale diuinum contrahunt, non coniugat, ita neque eos qui contra ecclesiastica iussa copulantur.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, concesso quòd coniugium, naturale sit vinculum, & pariter quòd consanguinitas, naturalis sit necessitudo, & ideo ecclesia nec vinculum dissoluere potest postquam legitimum est, nec consanguinitatem mutare, vt qui non erant consanguinei sint, aut qui erant, non sint: attamen quòd consanguinitas matrimonium impediat, ne vinculum exurgat, non est naturale, nisi in quibusdam gradibus, vt expositum est. Et ideo condere leges per diuinam facultatem valet, quibus pro temporum varietate varij gradus matrimonium impediant.

Solut. 3. arg.

Ad tertium iam supra responsum est: baptismus namq; est sacramentum nullatenus ex humana volũtate dependens: quare vbi legitima intentio adest, ecclesia nihil potest variare. Matrimonium autem sic est sacramentum, vt sit etiam ciuilis contractus ab humano consensu dependens, quem ecclesia prohibere potest.

Digitized by Google

DISTINCTIO QVADRAGESIMAPRIMA,

DE AFFINITATE.

Textus. Cap. 1.

VEmadmodum in vnitate sanguinis, quæ à patre descendit in filium, consanguinitas fundatur, quæ per sobolem diffunditur: ita & per coniunctionem mariti & vxoris, qui vt Gen. 2. legitur, fiunt duo in carne vna, compingitur affinitas, quæ ex duobus illic coniunctis sanguinibus conglutinatur. Et ideo consanguinei vnius alteri fiunt coniugi affines, & vice versa. Vnde Gregorius. Greg. 35. q. 10. Si coniuges, inquit, vna caro fiunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus vni pertinere, nisi pertineat alteri? Hoc minimè credendum est. Non tamen subinde consanguinei vnius cum consanguineis alterius affinitatem colligunt, imò possunt duo fratres cum duabus sororibus commiscerі, vt Alexand. 2. Alexan. 2. can. Quod autem. 35. q. 5. ait, sicuti & filius vnius ex altera vxore cum filia alterius ex alio marito. Definitio affinitatis. Est ergo affinitas personarum propinquitas ex carnali copula proueniens, omni carens parentela, hoc est, in sua ratione non includens, vt ab eisdem parentibus descendant.

Cap 2. Et quamuis antiquitus tria extiterint affinitatis genera, iam verò reliqua ab vsu aboleuerunt, & tantum primum hoc reliquū est in vsu. Solebantq; perinde ac consanguinitatis, ita & affinitatis gradus ad sextum & septimū protendi, sed iam modò isti, sicuti illi, recisi sunt, vt vltra quartum nullus obseruetur, vt Cap. Non debet. Lateranensi synodo sub Innoc. 3. c. Non debet, de consang. & affin. definitum est. Quapropter canones illos vetustos aliorum generum & graduum hic recensere superuacaneū est. Vnde cum affinitatis gradus non per se, sed ratione consanguinitatis, vnde originē trahunt, distinguantur, quo gradu quisq; sanguinis ob vxore distat, eodē affinitatis elongatur à marito, & vice versa, vt ex Gregor. Greg. cano. Porrò de affinitate. 35. quæst. 5. colligitur. Ob idque facile est constitutis marito & vxore vtrinq; gradus affinitatis depingere.

Contrahitur autem affinitas non modò ex legitimo connubio, verùm & ex fornicario concubitu, dum tamen in vase legitimo consummetur: quandoquidē per huiusmodi cogressum duo etiam fiant in carne vna ad generationem idonei, iuxta verbum Pauli 1. Cor. 1. Cor. 6. 6. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Itemq; ex can. Si homo. 35. q. 3 colligitur. Ex nefanda verò seminatione, vt cano. Extraordinaria. ead. caus. & q. habetur, eiusmodi affinitas non emergit. Per sponsalia verò, licet non propriè affinitas, quippiam tamē paulo minus, nempe publica honestas pullulat, vt Alexand. 3. Alexan. 3. ca. Ad audientiā, de sponsalibus. & eod. tit. c. vnico. li. 6. Bonifacius affirmant. Quocirca lōgè efficacius vel eadem honestas, vel fortè affinitas per matrimoniū ratū ante eius consummationem conglutinatur.

Effectus autem affinitatis est matrimonium deinceps, quod. s. antea non præcesserat, impedire, & attentatum dirimere. Vnde Iulius Papa. 35. q. 3. Æqualiter, inquit, vir coniungatur consanguineis proprijs & consanguineis vxoris suæ. Idemq; cauetur can. Sanc. atque alijs, eadem cau. Atq; idem prorsus effectus publicæ honestatis, iuxta tenorem præcitati. c. Ad audientiam, de sponsal. & c. vnici. eo tit. in 6. Vtrum verò aliquis affinitatis gradus sic iure naturæ sit à matrimonio repulsus, vt omni alio secluso iure ipsum irriter, non desunt qui ambigant. At verò primo gradu excepto, eodemque inter ascendentes & descendentes. s. inter vitricum & priuignam, & inter nouercam & priuignum, inter nurum & socerum, ac inter generum & socrum, de quo nulla vnquam legitur in ecclesia facta dispensatio, atque adeo fortasse neq; est factibilis (quamuis cōtrarium probabilitate non careat) in cæteris locus Pontificiæ dispensationi non est negandus, quandoquidem Innoc. 3. Innocent. cap. vlt. de diuor. cum quodam dispensasse legitur, vt cum vxore defuncti fratris sui contraheret, cuius similes dispensationes alios subinde Pontifices fecisse constat.

Cæterum filij, qui extra matrimoniū procreantur, illegitimi censentur, atque adeo à parentum hæreditate maiori minoríve rigore abdicantur. Procreantur. n. illi aut per simplicem fornicationem, aut per stuprum virginis, aut per raptum aut per adulterij iniquitatem, aut per incestas cognatorum sordes, aut per sacrilegij nefas, quod sacræ personæ committunt: nam nefandum crimē, quod auctore Augustin. Augustin. can. Adulterij trigesima secunda q. 7. istorū omnium pessimum est, extra lineam generationis ponitur. Sed de istis non est hic locus dicere. Atqui quamuis plures soleant illegitimorum species discerni, satis tamen ad rem est duas denotare. Sunt enim naturales & manzeres, qui ex simplici fornicatione procreantur, qui ideo ab intestato matri absque legitima prole decedenti succedunt. Sunt item spurij & nothi, qui ex adulterio vel sacrilegio suscipiuntur, qui ideo illo successionis beneficio non gaudent.

Quo ergo tandem res sit concluſa, vbi matrimonium impedimento aliquo consanguinitatis vel affinitatis laborat, dissoluendum est, nempe si clam contractum fuerit, & de impedimento constiterit, priuatim se possunt debentque coniuges separare: si autem in facie ecclesiæ fuerit contractum, eius est iudicio dirimendum. Imò licet illud decepta vt validum pronunciauerit, cùm primum impedimentum innotuerit, suam debet sententiam rescindere secundum formam præscriptam sub titulo. Qui matrimonium accusare possunt, & vigesimaquinta quæstione sexta, & alibi crebrò.

Cap. 4. Can. Aequaliter. 35. q. 3.

Cap. 5.

Cap. 6.

Digitized by Google

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ PRIMÆ.

Quæstio vnica,

DE AFFINITATE ET EIVS ANNEXIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ex matrimonio affinitas aliqua contrahatur.

AD consanguinitatem consequitur affinitas, de qua in præsenti distinctione disputatur. Primò igitur quæritur, vtrùm ex connubio vterque coniugum cum consanguineis alterius affinitatem contrahat. Et arguitur à parte negatiua per regulam Philosophi ex Posterioribus. Id, propter quod vnumquodq; est, magis est: vxor autem propter copulam matrimonij non fit affinis mariti: ergo neque eius consanguinei fiunt propter ipsam eidem marito affines.

Pars negatiua Argum. 1.

Secundò. Si aliqua sunt inter se separata, ex eo quod aliquid vni eorum iungatur, non subsequitur vt coniungatur alijs: consanguinei autem inter se separati sunt, ergo propterea quod vna mulier per matrimonium iungatur vni, non censetur alijs mariti consanguineis coniungi, alioqui etiam consanguinei vxoris fierent affines consanguineorum mariti, quod est falsum.

2. Argu.

Tertiò. Si affinitas ratione vnius coniugis alteri competeret, sequeretur, quod mortuo illo coniuge affinitas cessaret: nam cessante causa cessat effectus: consequens tamen est falsum & contra Gregorium can. Fraternitatis. 35. q. 10. ergo nulla est affinitas.

3. Argum.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quod cum vir & vxor per copulam vna caro fiant, iuxta illud Gen. 2. Erunt duo in carne vna: fit vt consanguinei vxoris fiant marito affines, & consanguinei mariti fiant affines vxori.

1. Conclu.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Per matrimonium contrahitur affinitas inter vnum coniugem & consanguineos alterius, & vice versa. Probatur conclusio. Affinitas idem est, quod confinitas, id est, finium propinquitas: dicuntur enim agri affines siue confines, quia finis vnius proximus est fini alterius, & ipsum attingens: cum ergo per copulam carnalem fiant vir & vxor vna caro, sanguis vnius attingit, sanguinem alterius, & vice versa atque adeò consanguinei vnius efficiuntur alteri affines. Itaque sicut stipes consanguinitatis est pater, & consanguinei iunguntur in vnione patris & filij, ita fundamentũ affinitatis est copulatio mariti & vxoris. Ex quibus elicitur illa vulgata definitio. Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula prouenies omni carens parentela. Quam quidẽ postremam particulam ob id adijciunt, vt à consanguinitate secernatur, quæ propriè dicitur parentela. Quamuis Gregor. can. Porrò de affinitate. 35. quæst. 5. non neget, affinitatem speciem quandam esse parentelæ.

Affinitas.

Stipes affinitatis sunt maritus & vxor.

Affinitatis definitio.

Secundò probatur eadem conclusio ratione naturali Aristo. 8. Ethic. Consanguinitas enim vt suprà diximus, ob id vinculum naturale est, quia est fundamentum amicitiæ & familiaritatis inter cognatos, qui in eodem stipite connectuntur: sed affinitas simile fundamentum est amicitiæ & familiaritatis ratione copulationis viri & vxoris, quæ copulatio iure naturæ instituta est: ergo pari modo est naturale vinculum & necessitudo, qua homines coniunguntur. Quapropter duas illic Aristoteles naturales amicitiæ necessitudines dignouit, vnam scilicet, quæ per carnis propagationem descendit, alteram verò, quæ per carnis coniunctionem ad eandem generationem conglutinatur. Sunt autem duæ istæ necessitudines ratione diuersæ. Nam illa, quæ per generationem descendit, quia personæ eundem sanguinem ab eadem radice trahunt, eandem rem & nomen semper retinent: successores enim filij consanguinei patris sunt, sicut anteccssores patris consanguinei filij, licet plus minúsve distent: at verò quia vxor non trahit sanguinem à marito, nec maritus ab vxore, consanguinei vxoris non retinent eandem rem & nomen cum marito, vt dicantur eius consanguinei, sed transit necessitudo & coniunctio in aliam speciem, vt dicantur affines: & similiter consanguinei mariti respectu vxoris. Et hoc significatur illo versiculo: Mutat nupta genus, sed generata gradum: quia. s. vxor mutat necessitudinis & attinentiæ (vt aiunt) speciem, nam consanguineos facit affines, genita verò proles non mutat genus, quia manet consanguinea, sed elongationem gradus. Discriminantur ergo duæ istæ pertinentiæ seu necessitudines, sicut ordo in causis vniuocis, & ille qui est in causis æquiuocis: sol enim & homo generant hominem: homo autem est causa vniuoca, hoc est, eiusdem speciei & nominis cum effectu, nempe cum homine genito, & huic assimulatur consanguinitas: sol verò est causa æquiuoca, & ideo ex sole non generatur sol, sed res alius speciei.

Consanguinei vxoris fiunt affines mariti.

Versiculus.

Discrimen.

Et pari modo vxor non facit suos consanguineos cognatos mariti, sed affines. Et est tenor conclusionis adnotandus, scilicet quòd consanguinei vxoris efficiuntur affines mariti: non enim subinde fiunt affines consanguineorum mariti: quare filia vxoris ex alio marito potest nubere filio sui mariti ex alia vxore, & duæ sorores duobus fratribus, quæ quidem tunc sorores dicuntur ianitrices, quasi eandem ianuam intrantes, vt ait Alex. 2. can. Quod autem. 35. q. 5.

Conclusio declaratur.

Dubium tamen est, vtrùm affinitates sint concatenatæ, vt vna oriatur ex alia. Et apparet esse sic: quia commistio carnis per copulam perinde affinitatem parit, ac propagatio per generationem consanguinitatem: sed vna consanguinitas trahit aliam: nam propterea quòd filius est consanguineus patris, nepos est eiusdem consanguineus: ergo pariter affinitas vna aliam nectit. Idemque confirmatur autoritate Iulij Papæ cano. Contradicimus. 35. q. 3. vbi ait. Relictam consanguineorum vxoris suæ nullus ducat vxorem. & can. proximo. Porro, ait idem Pontifex, Duæ consanguineorum vxores vni viro vnam post alteram nubere prohibentur.

Affinitas vna aliam trahit.

Iulius Papa.

Nihilominus subnectitur secunda conclusio. Quamuis antiquo iure tria essent necessitudinum genera, quas pertinentias & quodam modo genera affinitatis appellabant, vt in citatis canonib. continetur, iam verò iure nouo secundum & tertium genus extincta sunt, & solùm durat primum quod aliud neutiquam parit. Exempli gratia, quemadmodum D. Tho. Ricardus & Bonauentura explicant. Si Maria fratri meo esset matrimonio coniuncta, erat mihi & sorori meæ affinis in primo genere. Si autem fratre meo defuncto eadem Maria nuberet Petro, ille fiebat mihi & sorori meæ affinis in secundo genere. Et si Maria defuncta ille postea Petrus duceret Annam, illa efficiebatur mihi affinis in tertio genere. Dicebantur autem istæ non gradus sed genera affinitatis: quia non erant eiusdem speciei cum prima affinitate: nam in causis æquiuocis semper effectus mutat genus causæ, vt diximus in sole & homine, sol enim non generat solem sed alios effectus alterius speciei. Vnde sicut copula coniugalis non generat consanguinitatem, sed aliud genus, puta affinitatem: ita si mortuo primo marito vxor alteri nuberet, non exurgebat propriè affinitas inter fratrem vel sororem prioris mariti, & secundum maritum, sed aliud genus attinentiæ aut necessitudinis. Et eadem ratione si mortua illa vxore secundus maritus alteram duceret, inter fratres primi mariti & illam non contrahebatur secundũ necessitudinis genus, sed tertium, iuxta versiculum citatum, Mutat nupta genus, sed generata gradum.

2. Concl.

Exemplum.

Nota.

Versiculus.

Antiquitus ergo ad omnes istas coniunctiones impedimenta matrimonij extendebantur, vt nec consanguinea primi mariti posset cum secundo marito mortua vxore contrahere, neque consanguinea secundi mariti cum tertio marito. Non quidem propter consanguinitatem aut affinitatem, quæ nulla erat, sed propter iustitiam publicæ honestatis. Iam verò illa impedimenta prorsus euanuerunt, & nullum iure nouo fit reliquum nisi in primo genere affinitatis, vt patet. can. Non debet. de consang. & affini. Quocirca loco illo Iulij, qui canon. Contradicimus. 35

Digitized by Google

Can. Consra. ducimus. 35. q. 3.

q. 3. citatur, vbi exprimitur ius antiquum, non est legendum, vt mendosa impressio apud S Thom. disti. præsenti ar. 1. quæstiunc. 5 habet, Relictam consanguineam vxoris suæ nullus ducat in vxorem: nam illud ius nouum est, & seruandum: sensus. n. est, quòd nullus maritus mortua sua vxore ducat consanguineam eiusdem vxoris vsque ad quartum gradum. Sed legendum est, Relictam consanguinei seu consanguineorum (vt ait Gratianus) vxoris suæ: erat. n. ius illud, vt maritus mortua sua vxore non posset ducere relictam fratris suæ vxoris aut aliorum consanguineorum eius. Et similiter can. Porrò duorum. habetur, quòd coniuges duorum consanguineorum, puta duorum fratrum aut fratruelium maritis mortuis non pollent succeſſiuè eidem postea viro nubere propter iustitiam publicæ honestatis: quod quidem impedimentum iam sublatum est, & meritò: alioqui siquis duas mulieres cognosceret, neutra posset eidem nubere, quod est absurdum. Item si consanguineæ vxoris non efficiuntur affines consanguineorum mariti, vt dictum est, multò minus illi, qui postea vxori affinitate coniunguntur, efficientur affines mariti. Quare canones hic citati iam antiquati sunt. Igitur secundum ius nouum Constantiensis synodi gradus affinitatis ad normam graduum consanguinitatis exigendi sunt.

Can. Porro duorum.

Gradus affinitatis.

Solet autem arbor affinitatis depingi tum truncatum nimium confusa. Pingitur autem secundum tenorem can. Porrò de affinitate. 35. q. 5. vbi ait Grego. Ego & soror vxoris meæ in vno & primo gradu (scilicet affinitatis) erimus: filius verò eius (nempe sororis vxoris meæ) in secundo gradu erit à me: neptis verò in tertio, & proneptis in quarto. Ad verò non ille solus est primus gradus: quoniam & parentes & filij vxoris meæ attingunt quoque me in primo gradu, idemque arctius quàm eius fratres & sorores. Sed quia si isti gradus vsque ad quartum cum omnibus suis lateribus delinearentur, arbor crescere opacissima & confusissima, satis est primum gradum oculis obijcere, per quem solertissimus quisque alias diducendo lineas potest reliquos facilè percipere. Esto ergo hæc exempli gratia figura.

Arbor affinitatis.

FIGVRA AFFINITATIS.



Declaratio arboris.

VBI hoc in primis cum D. Thoma hic adnotandum est, quod gradus affinitatis non distinguuntur per se, sed ratione cõsanguinitatis vnde nascitur. Consanguinitas enim est, quæ per se habet ramos ratione cadentis sanguinis, sed affinitas non nisi ratione eiusdem sanguinis, cui maritus per vxorem coniungitur, aut vice versa In hac igitur figura sunt tres circuli dextri maritum circunstantes: scilicet paretum, filiorum & fratrum. Isti ergo primo gradu affinitatis vxorem attingunt, & pariter tres sinistri eodem gradu ad maritum pertinent. Itaque quo gradu consanguinitatis persona distat à marito, eodem gradu affinitatis distat ab vxore, & vice versa. Quare si protrahas lineas sursum ad auos, & deorsum ad nepotes, & ad latera ad filios fratrum eiusdem mariti, omnes distant secundo gradu affinitatis ab vxore. Idemque in vxore contempleris respectu mariti, &c.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum per ea quæ dicta sunt respondetur: nam quamuis causa præstantior sit effectu, nihilominus in æquiuocis id quod est in effectu, non eodem modo, sed præstantiori est in causa. Calor enim eminentiori modo est in sole, quàm in ipsa terra, quam ille calefacit. Eodem ergo modo licet vxor copulata viro affinitatem generet suorum consanguineorum cum marito, ipsa tamen non fit ei affinis, sed quid propinquius, nempe quodammodo eadem caro: quemadmodum eiusdem ad se ipsum non est similitudo aut æqualitas, sed identitas.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quòd consanguinei licet inter se sint separati, quia sunt diuersæ personæ, sunt nihilominus quodammodo idem propter vnionem sanguinis: & hac ratione vxor copulata marito quodammodo coniungitur illis.

Quòd si metaphysicè arguas. Illi consanguinei mariti propter eius matrimonium nullatenus mutati sunt: ergo non acquirunt relationem affinitatis cum illa vxore. Negatur consequentia. Quemadmodum enim ego fio alij similis dum habitum ille meæ religionis induit, licet ego non muter, propterea quod eandem religionem ego antea fueram professus, eodem modo isti propterea quod eodem sanguine, quo Petrus, fuerant geniti, accidit eis vt Petro vxorem ducente, efficiantur vxoris affines. Non tamen sequitur, quod consanguinei vnius efficiantur affines consanguineorum alterius: quoniam requiritur vna immediata coniunctio, quam alia consequatur. Vxor enim quia proximè vnitur marito, fit cum eo vna caro, & ideo vnitur consanguineis mariti: sed tamen consanguinei mariti non vniuntur immediatè eius vxori, nec fiunt vna caro cum illa, & ideo non efficiũtur affines cõsanguineorum eius. cap. Quod super. de cõsan. & affin.

Obiectio.

Dilutio.

Ad tertium denique respondetur prima consequentia interempta: nunquam enim affinitas deletur, quamdiu illi, qui eam contraxerant, superstites fuerint. Relatio etenim illa affinitatis non fundatur in actione transeunte, sicut illa quæ est mouentis ad id quod mouetur, & è conuerso: sed in eo quod factum est, quod quidem semper permanet. Veluti filius in humanis non dicitur esse filius patris, quia nũc actu gignitur, sed quia ab illo genitus est. Eodem, inquã, pacto quia Maria meo nupsit fratri, affinis mea est: quare sicut mor-

Solut. 3. arg.

tuo fratre nihilominus in me ſemper manet conſanguinitas reſpectu illius, ita & affinitas reſpectu vxoris eius viduæ. Nam cùm affinitas, vt diximus, ex conſanguinitate oriatur, ſicut conſanguinitas eſt perpetua viuente perſona, ita & affinitas. Quocirca licet, vt ait Apoſtolus ad Roma. 7. mortuo viro vxor ſoluatur à lege viri, non tamen ab affinitate eius conſanguineorum qui ſunt ſuperſtites. Imò quamuis ipſa moreretur, & poſtea reſurgeret, vt de conſanguinitate diximus, non poſſemus matrimonium tranſigere. Nam affinitas vt cum morientę mortua fuerat, ita cum reſurgente reſurrexit.

Affinitas vinculum perpetuum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm affinitas, vel aliquod matrimonij impedimentum per ſponſalia contrahatur.

QVAERITVR ſubinde, vtrum ſicut per matrimonium, ita per ſponſalia contrahatur affinitas. Et arguitur à parte negatiua. Affinitas potius per copulam contrahitur, quam per conſenſum deſponſationis, quia per illam fiunt duo in carne vna: ſed per fornicarium concubitum non videtur affinitas contrahi, ergo nec per ſponſalia. Probatur minor, tum quia affinitas eſt res honeſta, quare non debet, per turpem amplexum contrahi: tum quod alioqui contraheretur per flagitium contra naturam commiſſum, quod cano. Extraordinaria. 35. q. 3 negatur.

Partis negatiuæ Argum. 1.

Secundò. Si per ſponſalia contraheretur affinitas, ſequeretur quod per omnia ſponſalia contraheretur nã eadem cauſa eundem ſemper effectum profert: non tamen per omnia contrahitur, vt colligitur ex cap. Literas. de deſponſa. impu. ergo per nulla contrahitur.

2. Argu.

Tertiò. Per matrimonium ratum non conſummatum propriè non oritur affinitas, eo quod coniuges niſi per copulam non efficiuntur vna caro: ergo multò minus contrahitur per ſponſalia.

3. Argum.

In contrarium eſt textus Eugenij Papæ cap. Iuuenis. de ſponſalib. vbi ex ſponſalibus aliquid affinitati ſimile contrahi cenſet, quo matrimonium cum conſanguinea ſponſæ impeditur.

Pars affirmatiua.

Tria in præſenti arti. per tria poſita argumenta inſinuantur ad ſuperioris intelligentiam pertinentia, ſcilicet vtrum affinitas contrahatur per illicitum concubitum, & per ſponſalia, & per matrimonium ratum non conſummatum. Ad quam ideo quæſtionem tribus concluſionibus reſpondetur. Prima. Per illicitum concubitum, dummodò in vaſe legitimo copula conſummetur, contrahitur affinitas. Probatur primò naturali ratione. Maritalis quippe coniunctio duos habet, vt ſupra viſum eſt, fines: vnus qui eſt prolium germinatio, ac ſecundarius alter, qui ad communionem & conſortium officiorum ſpectat. Et quamuis ſecundus non niſi inter coniuges conſiſtat, primus tamen in quacunque copula, quæ ſuapte natura genitrix eſt, reperitur. Hinc ergo argumentum hoc colligitur. Matrimonium quatenus carnis commiſtio eſt ad germinandum, affinitatem parit: in illicito autem concubitu eadem eſt corporum commiſtio: ergo ex illo profertur affinitas.

Decis. art.

1. Concl.

Ratio naturalis.

Argum.

Secundò explicatiùs arguitur. Affinitas ob id ex matrimonio contrahitur, quòd duo illic vna caro fiunt, iuxta verbum Gregorij cano. Fraternitatis. 35. q. 10. vbi citans illud. Erunt duo in carne vna, infert, Si vna caro fuerint, quo modo poteſt aliquis eorum propinquus vni pertinere, niſi pertineat alteri? Hoc minimè poſſe fieri credendum eſt: ſed quia adhæret meretrici, vt. 1. Corin. 6. ait Paul. vnum corpus efficitur: vbi idem citat teſtimonium, Erunt duo in carne vna, ex Geneſ. 2. ergo per illicitum concubitum contrahitur affinitas. Accedit, quòd cùm per illicitum concubitum etiam fiat generatio, ſi fornicarius contraheret cum matre fornicariæ idem eſſet & filius eius, & priuignus, nempe nepos vxoris ſuæ: etſi contraheret cũ ſorore fornicariæ, idem eſſet & filius & conſobrinus: & ſic geniti ex fornicaria & ex legitima vxore neceſſitudines conſanguinitatis confunderent.

2. Argu.

Paul. 1. Cor. 6.

Idem confirmatur ex can. Si homo, 35. q. 3. vbi habetur, quòd ſi homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater eius neſciens eandem duxerit vxorem, ipſa ſine ſpe coniugij maneat. Atque hac de cauſa in definitione affinitatis non diximus contrahi duntaxat ex legitima copula coniugali, ſed in genere ex quacunque copula per quam duo fiunt vna caro.

Can. Si homo.

Ex quo fit, nec per oſcula, & impudicos tactus, imò nec per ſolam penetrationem, nec per effuſionem ſeminis extra legitimum vas affinitatem exurgere: quia per nullum illorum fiunt duo in carne vna, quouſque ſeminatio in legitimo vaſe fiat. Neque obſtat cap. citatum Iuuenis. de ſponſalibus: cuius caſus eſt, quòd licet iuuenis puellam nondum ſeptennem vitiare tentaret, nec tamen complere potuiſſet, nihilominus affinitatem contraxit, ne poſſet eius conſobrinam ducere, quoniam illa affinitas non fuit contracta propter illos impudicos tactus, ſed quia illam ſibi deſponſauerat.

Appendix.

Quapropter neque per nefariam ſeminationem contra naturam, vt ait Vrbanus Papa ca. Extraordinaria 35. q. 3. vbi mendoſa eſt litera, quæ habet, Extraordinaria pollutio non niſi in naturalibus admiſſa, &c. ſed expuncta priori negatione legendum eſt. Extraordinaria pollutio niſi in naturalibus admiſſa non videtur matrimonium impedire.

Coitus nefarius non parit affinitatẽ. Canon. Extraordinaria emendatur.

Quod ſi redarguas. Eiuſmodi nefanda pollutio ius facit innocenti coniugi petendi diuortium, vt di. 36. præ. diximus, ergo pari ratione ſufficit ad contrahendum affinitatem. Negatur conſequentia: quoniã per illa coniux frãgit fidem, quã coniugi debet: quia diuidit corpus ſuum in duo. Sed tamen non propriè illa fit vna caro cum altero ad ſenſum illius verbi, Erunt duo in carne vna: ſcilicet ad generandum.

Quod ſi obijcias textum in ca. Fraternitati. de eo qui cog. conſan. vxo. vbi ille, qui extraordinaria pollutione quandam deturpauerat, prohibitus eſt cũ eiuſdem puellæ ſorore contrahere. Reſpõdetur illud diuortium nõ eſſe factũ propter affinitatẽ ratione pollutionis, ſed propter publicæ honeſtatis iuſtitiam: quia cum eadem puella ſponſalia pepigerat.

Obiectio.

Dilutio.

Aliter tamen arguitur. Affinitas, vt dicebamus, eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniẽs, omni carens parentela; ſi autem per illicitum concubitum contraheretur, non omni affinitati hæc definitio conueniret, vtpote ſi quis cum ſorore vel alia ſua conſanguinea inceſtum committeret: tunc enim fieret affinis eiſdem, quibus erat conſanguineus: quæ ideo affinitas non careret parentela. Reſpondetur, quòd cum parentela à parentibus propriè dicatur, voluerunt Doctores puram & nudam affinitatem per hoc definire, quod non eſſet admixta conſanguinitati. Nihilominus nihil vetat ambos reſpectus eidem conuenire poſſe. Imò non modò per inceſtum, verùm & per legitimum matrimonium, vt ſi qui mihi ex parte mei patris conſanguineus eſt, conſanguineam meam ex parte meæ matris duceret, quæ illi non erat conſanguinea. Tunc enim meus conſanguineus fit ex alia parte meus affinis. Satis ergo eſt, vt affinitas, quantum eſt de ſua propria ratione, ſit carens parentela. Ex quo fit, quod ſi aliqui duo ex vna parte conſanguinei ſunt, & ex altera affines, ſuper vtrumque impedimentum debeat Pontificia diſpenſatio obtineri antequam coniugio copulentur.

Aliud arg.

Solutio.

Nota.

Vnde ad primum argumentum reſpondetur, quòd quamuis affinitas res ſit honeſta, nihilominus ex turpi congreſſu contrahitur, non quatenus turpitudinem habet, qua à matrimonio differt, ſed quatenus cum matrimonio hoc habet naturale commune, quod per ipſum fit duorum vna caro. Ad aliud verò membrum de nefanda copula iam dictum eſt, non eſſe affinitatis cauſam.

Solut. 1. arg.

Secunda concluſio. Per ſponſalia impedimentum contrahitur, quod matrimonium tum impedit, tum ſubinde dirimit, quod licet propriè non ſit affinitas, eſt tamen quippiam ei ſimile, nempe publica honeſtas. Decretum eſt Alexandri tertij capi. Ad audientiam. Et cap. Iuuenis. de ſponſalib. Et cap. vnico. eod. tit. lib. 6. Et cap. Diſcretionem. de eo qui cogno. conſang. vxor. Quòd autem illa non ſit propriè affinitas, probatur: nam cum ſponſalia non conſummata perfectam non obtineant matrimonij rationem, ſed quandam inchoationem ac præparationem, conſequens ſit, vt nec propriè affinitatem ingenerent, ſed quidpiam aliquantulo minus. Vnde publicæ honeſtatis iuſtitia eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab eccleſiæ inſtitutione propter eius honeſtatem. Conſequitur ergo vt citra copulam carnalem contrahatur: nam ſi copula ſuperueniat cum maritali affectu, id affinitatem tranſit. Quòd ſi contra concluſionem obijcias, Sponſalia non faciunt perpetuum vinculum, nam genere ſuo multis modis dirimuntur, neque faciunt

Sol. 2. arg.

Publica honeſtas quid.

Obiectio.

obliga-

obligationem cohabitandi, neque facultatem mutuam corporum: ergo nullum impedimentum matrimonij secum adferunt. Negatur consequentia: quoniam sponsalia nullum adferunt impedimentum ex se ratione nodi quem in se habent, sed ratione vinculi matrimonij, ad quod ordinantur & referuntur: & ideo sicut matrimonium est perpetuum vinculum, ita & publica honestas, quæ ex sponsalibus contrahitur, est perpetua.

Dilutio.

Dubium.

Emergit hinc autem dubium, vtrum ex quocunque sponsaliorum genere, quomodocunque illa componantur, publica honestas oriatur S. Tho. quæstiuncula præsenti ad 3 arg. respondet quod omnia impedimenta quæ faciunt sponsalia non esse sponsalia, non permittũt ex pactione nuptiarum affinitatem fieri. Vnde siue habens defectum ætatis, siue votum solenne continentiæ aut aliquod huiusmodi impedimentum, sponsalia de facto contrahat, ex hoc non sequitur vlla publica honestas: quia nec sponsalia vlla sunt, nec aliquis affinitatis modus. Et idem ait Ricardus, & antiqui omnes. Syluester verò verb. Matrimonium. 8. q. 14. dicit S. Thomam fuisse secundùm rationem naturalem locutum, quæ docet, vt quod nihil est, nihil efficiat: & secundum antiquas expositiones canonum. Nihilominus post secula S. Tho. Bonifacius 8 cap. vnico. de sponsalibus in 6. decreuit quòd quocunque vitientur impedimento sponsalia siue consanguinitatis, siue affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quauis ratione sint nulla, dummodò non sint nulla ex defectu cõsensus, oritur efficax impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ad impediendum & dirimendum subsequentia sponsalia & matrimonia, non autem præcedentia. Sed profectò nequeo satis D. Thom. Ricardum & alios intelligere: nam idem Alexander tertius, quem ipsi longè antiquiorem ipsis citant, cap. Ad audientiam, de sponsalibus. id ipsum decernit, quod postea Bonifacius, sanè vbi casus refertur, quòd cùm quidam cum puella sponsalia contraxisset inter quos impedimentum consanguinitatis fuisset postea repertum ex parte patris sponsæ, frater eius ex altera matre matrimonium cum eadem contrahere tentauit, & non fuit permissus. Causa verò huius Pontificiæ sanctionis, vt sponsalia, quæ iure ipso nulla sunt, impedimentum alteri matrimonio cum prioris consanguineo obijciant, non aliam adferre possumus, quam quòd consulta fuerit cautio ad obuiandum fraudibus, & ad propellenda iniquitatem eorum, qui contra impedimenta iuris sponsalia contexere nituntur: scientes enim per illa publicam honestatem contrahi, cauebunt illa tentare.

Syluest.

Post S. Tho. can. condi tus.

Nota.

Casus cap. Ad audientiam.

Ratio.

Consultò tamen Bonifacius ait, si sponsalia sint pura & certa. Pura enim sunt, quæ sine conditione absoluta contrahũtur: nam si contrahantur sub conditione, & antequam adimpleatur, alter illorum cum alterius consanguinea contraxerit, secundum matrimonium tenet, vt eod. ca. sancitur: quoniam cùm conditio non fuerit adimpleta, locum non habuit publica honestas, dummodò conditio non sit impossibilis aut turpis, aut illarum quæ habentur pro non adiectis, sed sit honesta, quæ faciat sponsalia esse in futurum pendentia: nam tunc quousque conditio sit impleta, sponsalia non sunt firma, atque adeò nec oritur publica honestas. Certa verò sunt, quæ cum certa persona, nempe cum Maria vel Ioanna contrahuntur: nam si quis in genere sponsalia contrahat cum aliqua filia Petri certè illa non sunt efficacia ad concinnandam publicam honestatem. Item requiritur, quòd defectus non sit ex parte consensus, nempe quia defuit rationis vsus, cuius casus habetur cap. Literas. de sponsal. impub. nam cum quidam perfectæ ætatis puellulam in cunabulis sibi desponsasset, postmodum contraxit cum puellæ matre, & matrimonium pronunciatum est validum propter defectum vsus rationis in puella. Neque obstat cap. Iuuenis. de sponsalibus citatum: nam illa puella iam proximè septennium attigerat, & ideo præsumpta est vsum habuisse rationis. Alioqui sponsalia contracta ante septennium ex defectu consensus non pariunt publicam honestatem. Imò neque si contrahantur per parentes ante septennium filiorum, nisi sponsi post septennium consentiant, vel scientes non contradicant. Et idem est si defectus consensus fuerit vel per errorem habitus, vel per metum cadentem in constantem virum extortus.

Pura & certa.

Certa.

Defectus ex parte consensus.

Obiectio diluitur.

Vbi tamen sponsalia fuerint pura & certa liberoque consensu firmata puellæ, quæ cum sacerdote vel monacho, vel frigido, vel aliàs impedito illa contraxerit, non potest cum consanguineo illius intra quartum gradum sine dispensatione contrahere.

Nota.

Aliud verò ait loco citato S. Tho. videlicet, quòd si quis re vera frigidus vel maleficiatus in tenella ætate, antequam defectus per experientiam explorari posset, post septennium tamen vel propè cum adulta sponsalia contrahat, iure sunt legitima: quia tunc incognitus defectus sponsalia non impediebat.

Frigidi aut maleficiati.

Et per hoc solutum restat argumentum secundum. Explicitum enim est quænam sponsalia pariant honestatem, quæ verò minimè.

Solut. 2. arg.

Sequitur tandem de matrimonio rato non consummato, de quo tertia subtexitur conclusio. Per matrimonium ratum non consummatum contrahitur impedimentum, quod matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit. Conclusio notissima est, tum quia illud est verum & legitimum matrimonium, tum quod si ex sponsalibus tale oritur impedimentum, multò efficacius ex matrimonio rato per verba de præsenti pullulabit.

3. Concl.

Dubium tamen est, an tale impedimentum sit affinitas, an verò publica honestas. Nam D. Tho. impræsentiarum ait esse affinitatem: Scotus verò hic, cui Paludanus adnuere videtur, & Panor. cap. Sponsam. de sponsalibus, & iuris canonici professores aiunt esse publicam honestatem. Et possunt se illa ratiõe tueri, quam tertio loco in capite proposuimus, quòd affinitas non videtur contrahi nisi per carnalem commistionem, qua coniuges vna caro fiunt.

Dubium.

Ad hoc tamen primum respondetur, quæstionem non esse de re, sed de nomine: nam de re nemo dubitat, quin per matrimonium ratum efficacius impedimentum contrahatur, quàm per sponsalia: quæstio autem de nomine minimi momenti est. Sed nihilominus D. Tho. videtur ad rem vicinius loqui: nam certum est, per matrimonium ratum maius vinculum contrahi, imò alterius generis, quàm per sponsalia, cùm sponsalia non nisi in virtute matrimonij impedimentum germinent: & id quod ratum est, verum matrimonium existat: cùm ergo inter publicam honestatem & affinitatem nullum intersit medium, colligitur vt impedimentum, quod fit per matrimonium ratum, nomen affinitatis obtineat. Et ideo bene ait S. Tho. quòd affinitas non solum ratione carnalis copulæ in actu contrahatur, sed etiam secundum societatem coniugalem, quæ naturali eodemque perpetuo vinculo perficitur.

Soluitio dubij.

Opinio D. Thom.

Vnde ad argumentum in contrarium respondetur, quòd quamuis per copulam carnalem fiant coniuges vna caro, nihilominus quia in matrimonio rato traditur facultas corporum ad eandem copulam, per illud dicitur etiam fieri vna caro. Sylue. ver. matrimo. 8. q. 14. ait, quòd dicatur affinitas inchoatiuè. Sed quando de re inter nos conuenit, parui refert quomodo loquamur.

Solutio arg. alterius opinionis.

Syluest.

ARTICVLVS III.

Vtrum affinitas matrimonium impediat.

SEQVITVR de affinitatis effectu vtrum scilicet matrimonium impediat, & arguitur à parte negatiua. Effectus rei non videtur esse causa impedimenti eius: affinitas autem contrahitur ex matrimonio: ergo illud non impedit.

Partis negatiuæ arg. primum.

Secundò. Ille qui mulierem per carnem cognoscit, immediatius ad illam attinet, quàm eius consanguinei, qui non nisi ratione illius efficiuntur mulieris propinqui: sed qui cum muliere fornicatur, potest cum illa deinceps contrahere: ergo affinitas matrimonio nihil obstat.

2. Arg.

In contrarium autem est decretum Iulij Papæ can. Æqualiter. 35. quæstione. 3. vbi ait. Æqualiter vir coniungatur consanguineis proprijs, & consanguineis vxoris suæ.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur Prima. Omnis affinitas vsque ad quartum gradum impedimentum est matrimonium contrahendum impediens, & contractum dirimens. Decretum est cano. citati. 35. quæstione. 3. cum aliis ei ibidem multis adhærentibus: scilicet cano. Et hoc. & Sanè. & Si vir &

1. Concl.

Digitized by Google

cano. Porro de affinitate. eadem causa quæstio. 5. & cano. Fraternitatis. quæstione. 10. Et capit. Discretionem. de eo qui cogn. conjug. vxo. suæ. Idemque, vt supra expositum est, de iustitia publicæ honestatis asserendum. Et quemadmodum superiori distinctione de consanguinitate diximus, id ipsum de affinitate sentiendum: nempe quòd antiquitus vsque ad septimum gradum interdictum matrimonij proferebatur iam verò post concilium Lateranense non vltra quartum protenditur, cuius verba sunt in capit. Non debet. de consangui. & affinita. Prohibitio copulæ coniugalis quantum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat. Meminisseque subinde oportet eius, quod artic. 1. diximus, videlicet secundum & tertium affinitatis genus iam esse abolita, quorum vnum alterum præbebat. Quare iam solum primum durat, vt non nisi soli vxori consanguinei mariti fiant affines, & cõsanguinei vxoris soli marito. Quapropter quatuor illic canones, Si cuius, & tres sequentes, Si qua mulier. 35. quæstione. 10. iam non sunt in vsu quibus cauebatur, ne si defuncto marito vxor ex altero sobolem susceperit, liceret consanguineis prioris mariti cum illa sobole secundi matrimonio sociari. Imò verò possunt fratres prioris mariti cum filijs vxoris ex altero marito coniugari. Sed si prior maritus resurgeret ille non posset.

Affinitas quoto gradu prohibita. Nota.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd affinitas non impedit matrimonium, ex quo contrahitur, sed alia deinceps propter illas rationes quæ in consanguinitate adduximus, & potissimùm ad ampliandam amicitiam. Et quia cùm coniux efficiatur vna caro cum altero, quodammodo efficitur cum eius consanguineis

Solut. 2. arg.

Aliud verò sophisma est: nam qui carnaliter mulierem cognoscit, neque efficitur eius consanguineus, neque affinis, sed vna caro, quæ non impedit vinculum, imo illud facit.

An sit aliquis affinitatis gradus iure naturæ vetitus.

Potissimum autem dubium huius articuli est simile illi quod de consanguinitate disputauimus, vtrum aliquis affinitatis gradus iure naturæ sic matrimonium impediat & dirimat, vt neque in lege naturæ fuerit validum, neque modo per Papam possit super eo dispensari. Et totum ambiguitatis pondus in primum gradum incumbit: nam de secundo & duobus sequentibus Innocentius cap. Gaudemus. de diuortijs respondere videtur, non eo rigore esse prohibitos iure naturæ, quin inter infideles in eisdem gradibus inita connubia sint solida & valida.

Ca. Gaudemus.

Primus gradus affinitatis. Recta linea

Primus autem affinitatis gradus instar primi gradus consanguinitatis, imò ratione prorsus ipsius constituitur. Est ergo in duplici specie, scilicet secundum lineam rectam, & secundum lateralem. In linea recta ascendentium est, si quis matrem & pòst filiam ducat aut si maritus matris ea mortua ducat priuignam, aut si gener socrum. Aut si vna nubat patri & filio, vt si nouerca nubat priuigno, aut si nurus socero. In alia laterali specie primus gradus est, si quis duas successiuè ducat sorores, aut si vna duobus fratribus nubat. Et ex his speciebus efficacior est illa, quæ est in linea ascendentium: nam sicut in consanguinitate arctior est nexus inter patrem & filiam, quàm inter duos fratres, licet ambo sint primus gradus, ita in affinitate. Quare turpius esset matrimonium, siquis matrem & filiam duceret quàm si duas sorores sibi copularet.

Transuersa linea.

Primus gradus affinitatis linea collateralis.

Disputemus ergo prius id quod minus præ se fert dehonestatis, nempe in laterali. Et quidem casus vterque iam vsu venit in Hispania. Nam Rex Portugallij Emanuel per dispensationem Alexandri sexti duas subinde sorores matrimonio sibi coniunxit filias Catholicorum Regum Hispaniæ Ferdinandi & Elizabeth. Et deinde serenissima Catherina eorundem Regum filia, quæ Regi Arcturo Angliæ fuerat per verba de præsenti desponsata, eodem absque liberis defuncto, per dispensationem Iulij secundi nupsit leuiro, scilicet mariti fratri Henrico octauo, ex quo Mariam genuit. Postmodum verò idem Henricus occasionem ex quodam negotio arripiens, quod ei non ex voto successerat, ardentissima correptus cupidine gignendi masculinam prolem, causari cœpit, non potuisse summum Pontificem super matrimonium eius cum fratria dispensare, atque adeò posse aliam optare vxorem. Quæ quidem concepta opinio monstruosum illam malorum hydram pepererit, quæ Angliam hæresum clade prostrauit.

Henricus Anglia rex.

Fautores autem illius opinionis primum ei fundamentum ex Leuit. 18. subijciebant, vbi legitur, Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est, vbi idem gradus prohibetur. Quare Paluda. distin. præsenti quæst. 1. tenet, quòd super hoc gradu affinitatis Papa dispensare nequeat, sicut & Maioris supra citatus.

1. Argum.

Mox secundum obmoliebantur argumentum, quòd Ioannes Baptista, vt Matth. 14. & Marc. 6. legitur, ob id martyrio coronatus est, quòd Herodem de incesto matrimonio vituperabat cum Herodiade vxore fratris sui Philippi: vnde collectio fieri videtur, adeò esse contra ius naturæ, vt nullis vnquam gentium fuerit licitum.

2. Argu.

Deinde & ex cap. Gaudemus. de diuortijs. maius ducitur argumentum, vbi ait Innocentius, quòd infideles ad lucem fidei conuersi si in primo gradu reperiantur contraxisse, separentur: quod non dixisset, si gradus ille in lumine naturæ matrimonium non dirimeret: hic autem est primus gradus affinitatis.

3. Arg.

Nihilominus statuitur conclusio, quæ sit huius articuli secunda. Connubium inter leuirum & fratriam, scilicet vxorem fratris: & inter sororem vxoris & sororium, nempe maritum sororis, licet aliquam præ se ferat iure naturæ turpitudinem & fœditatem, non tamen vsque adeò eodem iure eiusmodi matrimonium vetitum est, vt excluso quocunque iure ecclesiastico fuerit sub eadem lege naturæ nullum. Ad probationem conclusionis illud præ oculis semper habendum est, quod dist. præcedenti abundè monstrasse credimus, nempe ex lege Mosayca nullum ad euangelicam argumentum trahi, nisi quatenus eius præcepta moralia erant, & iure naturæ constituta: nam quod in ea iudiciale aut cæremoniale erat, totum abolitum & antiquatum est. Rursus & illius quoq; meminisse oportet, quod, vt illic dicebamus, quamuis ius naturæ propter turpitudinem matrimonium vetet, non inde fit consequens, vt illud faciat nullum, alioqui in secundo & reliquis consanguinitatis gradibus annullaret matrimonium: quia in illis contrahere, etiam quidpiam naturalis fœditatis habet, cuius de causa ecclesia eos gradus prohibuit. In iure autem naturæ, vt dicebamus, tres gradus discernuntur. Quædam enim sunt sicut prima principia, quæ intrinsecè indiuiduam & inseparabilem rectitudinem iustitiæ includunt, quæ ob id indispensabilia sunt, vt præcepta decalogi. Alia sunt, quæ licet iure naturæ sint honesta, & eorum contraria inhonesta, nihilominus extrema necessitas boni communis, potest ea iure ipso naturali mutare, & quod inhonestum erat facere honestum, vt diximus de matrimonio fratrum in primordijs mundi, sed tamen illa extrema necessitate cessante nulla lex humana potest illa mutare. Alia sunt in tertio gradu iure quidem naturæ honesta, & eorum contraria inhonesta, quæ etiam citra extremam necessitatem propter honestas causas & fines, præsertim si ad bonum publicum spectent, possunt iura gentium & ciuilia, & multo efficaciùs ecclesiastica variare & mutare: nam id quod ex meró iure naturæ inhonestum erat, potest per aliud bonum repensari & honestari. Imò & ius ipsum naturæ hanc mutationem persuadet. Nam natura integra omnia vt essent communia admonebat, quæ tamen corrupta persuasit, vt res per proprias possessiones distribuerentur & diuiderentur.

Ex lege Mosayca ad nostram nullis ducitur arg. Nota.

Iuris naturæ tres sunt gradus. 2. Gradus.

Tertius gradus.

Quod ergo nostra asserit conclusio est, connubium in primo gradu affinitatis esse iure naturæ turpe & inhonestatum in hoc tertio gradu. Quod enim turpe per se sit, si nudè consideretur absque alia honestante causa, verba illa legis ostendunt: sanè cum in omnibus prohibitionibus dicatur: Turpitudinem patris tui, aut matris tuæ, &c. non reuelabis. Et eodem modo subiungitur, Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis. Lumen ergo ipsum naturæ turpitudinem oculis in huiusmodi connubijs offundit. Et illa inter alias de causa tum olim Deus, tum modò ecclesia eiusmodi coniugia interdixit. Quòd autem ius naturæ non vsque adeo tale matrimonium inhibeat, vt illud prorsus irritet & casset, probatur: quia ratio naturalis ex fine sumenda est: quod autem quis duas subinde sorores ducat, aut aliqua duobus fratribus nubat, neque primo fini matrimonij, nempe prolibus gignendis & educandis, neque secundo, scilicet cohabitandi & in domesticis officijs communicandi obstat: ergo iure naturæ tale matrimonium non irritatur.

Concl. declaratur.

Ius naturæ huiusmodi matrim. non inhibet.

Quod

Obiectio. Quòd si arguas. Neque verò inter patrem & filiam matrimonium eisdem finibus contra pugnat, & nihilominus diximus iure naturæ nullum. Respondetur, quod alia ratio supra relata militat in patre & filia, quæ inter huiusmodi affines non eandem vim obtinet, nempe quod filia est pars patris ex eius lumbis decisa, & filius pars matris ex eius ventre decisus, cui proximè accedunt fratres ex eodem vtero prolati; quod quidem inter leuirum & fratriam non reperitur: nulla ergo naturali ratione tale matrimonium euacuatur.

Dilutio.

Ratio. 2. Secundò probatur Philosophorum autoritate, qui naturali lumine peregregiè philosophati sunt, quorum fuere Aristoteles & Plato, atque alij id genus præclari, qui nullibi tale connubium tanquam nullum condemnasse leguntur.

Ratio. 3. Tertiò arguitur exemplo sanctorum patrum sub lege naturæ. Iacob enim ante scriptam legem Leuitici duas sorores, vnam ac deinceps alteram, ambas superstites sibi associauit, & tamen nulla vel legitur vel creditur facta dispensatio: quia non erat tanta dispensandi necessitas: ergo id fecit, quia sciebat iure naturæ non esse adeò vetitum, quia bona de causa fieri posset licitè.

Ratio. 4. Tandem & ecclesiæ autoritas, quæ super hunc gradum dispensat, & apud catholicos summum habet in terris momentum, quoscunque deberet conuincere, quæ postquam id facit, credenda est ius naturæ intelligere, vt si faciat, certum sit tenere. Haud enim Alexander sextus qui cum Rege Portugalliæ dispensauit, aut Iulius. 2. qui dispensauit cum Rege Angliæ, primi huiuscemodi dispensationis fuerunt autores, quoniam & Innocentius tertius, vt capit. vlti. de diuortijs relatum est, cum quodam Lugonensi dispensauit, vt vxorem fratris duceret, licet ibidem prohibuerit, ne deinceps fieret: quod est signum non tam lege naturæ, quàm ecclesiastica tale matrimonium esse prohibitum. Et Archiepiscopus Florenti. 3. part. titul. 1. capit. 12. in fine refert Martinum quintum theologorum concilio dispensasse cum quodam vt contraheret cum illa, cuius germanam fornicariè, occultè tamen cognouerat. Non quod certè dispensauerit vt frater cum sorore contraheret, vt putauit Syluester verb. Papa quæstione. 17. Imò verò quòd aliquando talis dispensatio expediat & decet.

Argumenta ex Leuitici. 18. In cuius confirmationem noua ex veteri lege argumenta ducuntur. Primum enim in Leuitico solum prohibetur, ne leuir vxorem fratris ducat: scilicet ne vna vxor duobus fratribus nubat: non autem prohibetur, ne soror vxoris leuiro nubat: scilicet ne quis duas sorores ducat: & profectò si ius merum naturæ consulas, eadem est prorsus coniunctio & necessitudo, atque adeò prohibitio: nam est idem primus gradus affinitatis: quam ob rem ecclesiâ vtrumque pari iure prohibet: ergo prohibere matrimonium leuiri cum fratria, & non è conuerso sororis vxoris cum sororio, certè non erat prorsus moralis, sed partim iudicialis mandati: quare nullum inde ad nos argumentum trahitur.

Aliud arg. Sed tandem efficacius arguitur. Lex illa Leuitici non erat omnino indispensabilis, quin bona de causa posset super illam dispensatio cadere. Imò alia erat huiusmodi lex Deuteronom. 25. Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex his absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomen illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel. Quæ quidem leges prima facie pugnare sibi videntur. Ob idque Maioris distinct. 40. quæstione. 3. sustinens super nullum casum Leuitici posse Papam dispensare, & cernens dispensatum esse cum Regibus Portugalliæ & Angliæ, ausus est dicere, illam prohibitionem, ne quis reuelaret turpitudinem vxoris fratris, non esse Leuiticam, sed scriptorum errore fuisse adiectam. Vide quo nimius amor propriæ opinionis prorumpere soleat. Ambigere nefas est talem prohibitionem illic esse cum alijs. Dicendum ergo quòd lex Leuitica in genere posita est de vxore fratris siue defuncti, siue viui, siue filios habentis, siue illis carentis. Illa autem Deuterono. erat specialis de vxore fratris sine liberis defuncti, & simul habitantis, &c.

Deute. 25.

Io. Maior.

Discrimen harum legum.

Nota. Has autem leges sic forsan quis posset intelligere, vt secunda esset dispensatio primæ hoc pacto, quod quemadmodum nunc omne matrimonium in quarto gradu prohibitum est, & nihilominus Papa singulariter cum Maria & Petro dispensat, ita in Leuitico vniuersim matrimonium cum vxore fratris esset prohibitum, sed postea dispensatum est fieri cum vxore defuncti sine liberis. Sed re vera hæc interpretatio non videtur idonea: quoniam dispensatio nunquam ponitur per modum legis. Multo autem minus credendus est Deus duas tulisse leges, vnam quæ esset dispensatio alterius. Non enim diuina sapientia & prouidentia permittit, vt credamus omne prorsus matrimonium leuiri cum fratria primum prohibuisse, & illud statim per alteram legem relaxasse.

Sententia autorum.

Colligitur ergo, quòd lex illa Leuitici nunquam prohibuit connubium leuiri cum vxore fratris defuncti sine liberis, sicut lex, Non occides, nunquam prohibuit homicidium, quod fit à iustitia, vel ab illo qui se caute inculpateque defendit. Et tamen si merum ius naturæ perspicias, æqualiter omne matrimonium respuit cum vxore fratris defuncti, seu cum liberis, seu sine liberis. Non ergo lex illa omnino moralis fuit, sed iudicialis. Et ideo nunc talis prohibitio ecclesiastica est & Pontificia.

Epilogus.

Postremum argum. Postremum igitur argumentum à fortiori ex illa lege deducitur. Si enim Deus illam ob causam tale matrimonium leuiri cum vxore fratris defuncti permisit, vt semen fratris suscitaret, ne domus successoribus orbaretur, id quod nondum certum erat fore, nam poterat & secundus frater sterilis quoque esse, vt prior, & forte vxor simpliciter ad patiendum inhabilis: profectò nunc tam expediens esse potest eiusmodi dispensatio: nam possunt causæ concurrere publicæ, quæ illam naturalem turpitudinem abluant, & matrimonium honestent, vt si fieret ratione pacis inter principes componendæ, aut ob aliam causam publicam: nam propter alias leuioris momenti non deceret.

Nota.

Solut. 1. arg. Ad primam ergo propositarum obiectionum de Leuitico iam responsum est, vim modò non retinere, nisi quatenus erat moralis, quæ huiusmodi matrimonium inter affines non reddidit nullum. Ex quo sequitur, & est adnotandum, quòd si Iudæus nunc, qui cum vxore defuncti fratris contraxit, ad fidem modo cum sua vxore conuertatur, non sunt separandi: non quia virtute legis antiquæ matrimonium tenebat, quoniam lex illa, vt diximus, post orbem redemptum quassata est prorsus & annullata, sed quia ius naturæ non sic tale matrimonium prohibet, vt nullum reddat.

Solut. 2. arg. Ioannes verò Baptista Herodem illius criminis increpabat, quod cum vxore viuentis fratris sui incestum committeret, quod siue matrimonium esset, siue adulterium, nefarium erat. Si verò defuncto fratre fratriam in vxorem duceret, vel illum non obiurgasset, vel non tantum, vt martyrium illam ob causam oppeteret.

Solut. 3. arg. Ad aliud verò Innocentij capit. Gaudemus. dicentis infideles, qui in primo gradu contraxerunt, esse separandos, respondendum est per suam ipsius Decretalem citatam vltimam de diuortijs: nam postquam super illo gradu dispensauit, sensit tale matrimonium non esse contra ius naturæ, quod illud irritaret. Atque adeò in capitu. Gaudemus. non loquitur de illo primo gradu affinitatis in linea laterali, sed consanguinitatis, vt diximus, & fortasse affinitatis in linea recta ascendentium & descendentium, de qua disputare iam pergimus.

Dubium. Quæritur ergo vtrum primus affinitatis gradus in linea ascendentium & descendentium sic iure naturæ sit à matrimonio repulsus, vt illud irritum & inane efficiat. A parte enim affirmatiua videtur Apostolus primæ ad Corinthios quinto proclamare: Omnino, inquit, auditur inter vos fornicatio, qualis neque inter gentes, (scilicet auditur) vt vxorem patris sui aliquis habeat. Intelligit enim de nouerca, inter quam & priuignum primus est gradus affinitatis in prima specie, scilicet in linea ascendentium & descendentium. Et idem est de genero cum socru, & de nuru cum socero & de vitrico, scilicet marito matris cum priuigna. Secundò est magnum argumentum, quòd ille gradus proximè accedit ad illum consanguinitatis, qui est inter patrem & filiam, vnde in Leuitico simul componebantur. Turpitudinem matris tuæ non discooperies, mater tua est. Et turpitudinem vxoris patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est: eandem

Paul. 1. Corint. 5.

2. Argu.

enim

enim ferè pietatem filij nouercis debent, quam patribus, & filiæ vitricis: cùm ergo primus ille consanguinitatis gradus tanto cum rigore sit iure naturæ prohibitus, profectò adeò nefas apparet similia matrimonia contrahere, vt iure naturæ videantur esse nulla. Nam cùm coniuges, vt dictum est, vna fiant caro, profectò eodem propemodum iure respui videtur matrimonium cum vxore patris, quo cum matre. Vnde quoniam Ruben cum Bala vxore patris sui Iacob sese commiscuit, vt Geneſis. 35. refertur, acerbam postmodum ab eodem patre maledictionem, vt cap. 49. legitur, audiuit. Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Et vt ibidem. 38. cap. videre est, Thamar nurus Iudæ, quia per fraudem socero se submisit, enorme flagitium commisisse censetur, quamuis id ea causa fecisset, quod socer nolebat fratrem mariti defuncti sine liberis cum ea coniugare ad suscitandum eius semen. Accedit quod & priuigno cum nouerca, aut nurui cum socero non est idonea ætatis ad matrimonium æqualitas.

Genes. 35.

Genes. 38.

Aliud arg.

Profectò quamuis contraria opinio probabilitate fortè non careat, probabilius tamen videtur hanc primi gradus speciem affinitatis sic esse natura prohibitam, vt super illam Papa dispensare non valeat. Et ita tenet præsenti distinctione Paludanus, imò & Diuus Thomas. 1. Corinth. 7. id sentire videtur. Et est prægrande argumentum, quòd nunquam talis dispensatio facta legitur. Nihilominus, vt dicebam, contraria opinio non omni probabilitate destituta est: quia certe nouerca non est verè mater: & sic tale matrimonium non est prorsus contra eius finem. Paulus namque 1. Corinth. 5. loquebatur de filio, qui viuente patre cum nouerca consuetudinem habebat. Quod patet primò, quia alioqui non appellasset eam fornicationem qualis neque inter gentes auditur. Item quia in 2. epistola capitu. 7. ait, reprehensionem prioris epistolæ non misisse, propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est, scilicet pater, sed ad manifestandum, inquit, solicitudinem vestram. Et Persis, lib. 3 quæstionum in Leuiticum, quæstione. 6. ait Augustinus, moris fuisse, vt mortuo patre filius nouercam duceret. Et Plutarchus in vita Demetrij de Seleuco narrat, qui filio suo Stratonicam, quæ sua fuerat, in vxorem dedit. Et Adonias filius Dauid petijt Abisac Sunamitidem, quæ fuerat patris vxor.

Argumentum optimū.

Persarum mos. Plutarch.

Adonia.

Solutio.

At verò Persarum argumenta, & aliarum gentium non sunt satis idonea. Imò Chrysostomus in 26. Homilia Pentecostes Persas de hoc tanquam de incestu obiurgat. Et Abisac non fuerat Dauidi cognita, imò non desunt qui negent eius fuisse vxorem. Præterquam quod Adonias repulsam fuit passus.

Faciamus ergo sub compendio eorum epilogum quæ dicta sunt. Primus consanguinitatis gradus tam in linea recta patris & filiæ, quàm in transuersali fratris & sororis, adeò iure naturæ est à matrimonio propulsus, vt etiam inter infideles nullum sit: quare conuersi ad fidem separandi sunt, nec super hunc gradum Pontifex Maximus dispensare valet. De secundo verò rectilineo, puta inter auum & neptem, licet res non sit tam certa, probabilius tamen est idem esse censendum. In secundo verò gradu consanguinitatis transuersali, & in tertio, & in quarto, & in ascendenti, scilicet inter patruum & consobrinam, & cæteris omnibus, non est dubium inter infideles matrimonium tenere, atque adeo conuersos ad fidem non esse separandos: quapropter super illos non ambigitur, quin dispensatio Pontificis locum habeat.

Epilogus duarum distinctionum.

Secundus gradus consanguinei.

Gradus affinitatis.

At verò graduum omnium affinitatis, si modò primum excipias ascendentium (de quo proximè dicebamus, matrimonium iure naturæ etiam inter infideles fortè dirimere) nullus est præterea matrimonia iure naturæ irritans: quare super omnibus potest Papa dispensare.

Circa quartum gradū.

Imò verò quartus gradus tam in consanguineis quàm in affinibus, vt in concilio Tridētino inter patres colloquebatur, non vsque adeò iam nunc ætatis tam necessarius videtur. Quocirca si sanctum ecclesiæ iudicium adesset, fortasse Christianæ familiæ consultum foret in illo gradu matrimonia permittere, dummodo tam frequenti dispensandi vsui via in cæteris occluderetur. Nam de illa clementia apostolicæ sanctæ sedis, quæ faciliùs super matrimonium consanguineorum de facto contractum dispensare solet quàm dum non est contractum: vt contrahatur, vulgaris hominum astutia ansam arripuit, vt cognati de facto incesta matrimonia contrahant & consummēt, quo per talem actum dispensationem facilius impetrare queant. Quapropter maiori cum difficultate, imò nullatenus esset cum illis dispensandum. Nam delictum graue, & excommunicatio, quam incurrunt, non deberet eis patrocinari, sed potius officere & nocere, ne posset eis indulgeri.

Vota.

Publicæ tandem honestatis, quæ ex sponsalibus contrahitur, nullus iam aut vix vllus est vsus: quoniam pura sponsalia de futuro quàm rarissimè fiunt. Et ideo fortasse nullum esset periculum, si sancta ecclesia de rigore illius legis aliquid remitteret. Imò si post sponsalia contra iustitiam publicæ honestatis aliqui contrahant, & expeditissimus non sit ad sacram sedem accessus, nullum esset periculum, quamuis episcopus dispensaret.

Publica honestatis vsus.

Episcopi dispensans.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm qui extra verum matrimonium nascuntur, filij sint illegitimi.

AD tractatum illegitimi matrimonij spectat & de illegitimis liberis disputare. Et ideo quæritur, vtrùm extra matrimonium nascantur filij illegitimi. Et arguitur à parte negatiua. Legitimus à lege dicitur: ergo qui secundùm legem naturæ nascuntur, quales sunt qui fornicariè sunt geniti, vt legitimi sunt habendi: sanè cùm lex illa post æternam diuinam omnium sit legum fundamentum & basis.

Partis negatiuæ arg. primum.

Secundò. Si filij ex fornicario concubitu sunt illegitimi, videntur subinde paterna hæreditate expoliandi: at verò iniquum apparet, vt quispiam propter alienum peccatum, cuius non fuit causa, puniatur: quia vt Ezechiel. 18. legitur, filius non debet puniri propter peccatum patris: qui autem ex nequam concubitu fuit genitus, non fuit in culpa sui conceptus: ergo nec hæreditatis priuatione mulctandus est.

2. Arg.

Tertiò. Si filius extra matrimonium genitus esset illegitimus, per nullam posset legem legitimus fieri: quia præteritus concubitus, qui illegitimus fuit, non potest fieri legitimus. Item, quia cùm tantum legitimus ab illegitimo distet, quantum è conuerso: & legitimus nequeat illegitimus fieri, fit vt neque illegitimus possit fieri legitimus: consequens tamen videtur absurdum: ergo nulli sunt filij illegitimi.

3. Arg.

Confirmatio argu.

In contrarium est, quod illegitimum id dicitur, quod est contra legem: sed qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem: ergo sunt illegitimi.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem iuxta argumentorum numerum tribus conclusionibus respondetur. Prima. Omnes filij, qui extra matrimonium procreantur, generali nomine dicuntur illegitimi propter rationem modò factam. Est enim lex non solum humana & diuina, verùm & hominibus naturalis, vt non nisi per matrimonium generatio fiat: quod quidem Deus & natura ad illum finem instituit, ac perinde qui aliter nascuntur, illegitimi sunt. Vnde quadruplex filiorum genus solet distingui: quod in glossa capit. Tanta. qui filij sint illegitimi refertur. Quidam enim sunt naturales & legitimi, nempe qui ex legitimo matrimonio oriuntur, quippe quibus procreandis & natura & lex conuenerunt. Alij sunt naturales & non legitimi, vtpote qui ex simplici fornicatione nascuntur. Dicuntur enim naturales, quia nuda natura, qualis etiam in brutis reperitur, fuit illius generationis ministra sine alia grauiori culpa, quàm est in illo simplici congressu. At verò quia contra legem matrimonij delictum committitur, sunt illegitimi. Alij verò vice versa sunt legitimi, sed non naturales, sicuti filij adoptiui. Quidam denique nec legitimi sunt nec naturales, vt spurij, qui de adulterio aut stupro, aut de sacrilegio progignuntur: quia non solum contra legem matrimonij, & humanam tam canonicam quàm ciuilem nascuntur, verùm etiam expresè contra legem naturæ, quæ homines arcet ab iniustitia adulterij, & à fœditate stupri, & à sacrorum violatione, quam committit vel clericus, vel monachus, vel monialis. Quamuis capitulo. Nisi cum pridem. de renuncia. illegitimorum aliter distinguantur species. Sunt enim naturales, & præterea manzeres, nempe qui ex ignoto scorto & vaga meretrice omnibus exposita ortum ducunt. Et

1. Concl.

Ratio.

Filiorum quadruplex genus.

Naturales.

Illegitimi. Adoptiui. Spurij.

Illegitimorum species.

spurij,

Spurij. spurij, qui ex peculiari concubina suscipiuntur: quamuis si etymologiam spectes Græcam, spurius idem est quod seminatus, ab σπείρω, quod est semino. Quare hoc nomine denotantur illi qui incerto patre nascuntur, quasi à patre nihil aliud quam semen habentes. Nothi verò, vt Quintilia. lib. tertio inquit, sunt illi, qui ex vxore non legitima, nempe ex adulterio sunt geniti: quicquid enim incertum est, Græci nothum appellant, veluti notham febrim, quæ certum terminum & periodum nõ seruat. Illi verò qui ex sacrilegio, nempe ex clerico, monacho, vel moniali procreati sunt peiori etiam nomine sunt digni. Quamuis ad rem satis est has quatuor ad duas species reducere, vt naturales & manzeres idem sint, scilicet qui absque peiori crimine quam fornicatione nascuntur. Spurij verò & nothi, quorum genituræ adulterium vel stuprum vel sacrilegium adijcitur.

Nothi.

Sol. 1. arg. Et per hoc primum argumentum solutum restat: nam etsi spurij secundùm naturæ legem, quæ est etiam brutis communis, generentur, non tamen secundùm eam quæ hominibus est peculiaris.

Obiectio. Quod si arguas, legitimum matrimonium dupliciter viu venire, scilicet in conscientia secundùm veritatem, & in foro exteriori secundùm iudicium ecclesiæ: tunc ergo accidere potest, vt qui sunt in rei veritate legitimi, ceu illegitimi habeantur, atq; adeo contra iustitiæ veritatem ab hæreditate sint abdicati: quod nefas esse videtur. Respondetur, quod si contrahentes bona fide putent, nullum inter eos inter esse impedimentum cognationis aut alius generis quominus matrimonium sit vt validum, & contrahant non clam, sed in facie ecclesiæ, culpæ omnino expertes sunt: & quamuis postmodum impedimentum compertum fuerit, matrimoniumq; dissoluatur, nihilominus filij cum illa bona fide & in facie ecclesiæ geniti habentur legitimi, vt patet. c. Cùm inter, qui filij sint legitimi. Si verò matrimonium fuit clandestinum, tunc ignorantia & bona fides parentum non patrocinatur liberis, vt propter illam possint se in iudicio tanquam liberi defendere: quia ecclesia in odium clandestini matrimonij bonam illam fidem repellit tum propter culpam, quam clanculò contrahendo committũt, tum quia illa ignorantia non prorsus bona fides reputatur: quoniam si publicitus contraherent, præsumuntur veritatem potuisse nosse. Et vice versa si mala fide contraxerunt, nempe vel quia sciebant se non posse contrahere, vel ignorantiam habebant crassam quam vincere tenebantur, tunc quamuis in facie ecclesiæ publicitus contrahant, non tamen illa solennitas suffragatur filijs vt habeantur legitimi propter malam fidem parentum. Vtrumque membrum vt distinctione 28. quæstione 1. articulo 2. expositum reliquimus, definitum est capitu. Cùm inhibitio. de clandestina. desponsa. Itaque ad hoc quòd filij sint legitimi, vtrumque requiritur, & bona fides parentum, & quòd matrimonium sit publicum. Quamuis glossa ibidem, & fortasse non aspernenda, dicat, quod quando matrimonium est publicum, sufficit bona fides alterius cõiugis, vt filij habeãtur legitimi

Solutio.

Nota.

Clandestinè contrahentes.

Contrahentes mala fide.

2. Concl. Secunda conclusio. Filij illegitimi vtriusque generis, scilicet siue naturales sint & manzeres, siue spurij & nothi, honoribus publicis parentumq; hæreditate priuantur, quamuis non omnes eodem pacto, sed magno discriminis interuallo. Hanc conclusionem latè & explicitè libr. 4. De iustitia & iure, quæst. 5. art. 1. pro captu nostro tractauimus. In primis omnes honoribus publicis priuantur, quia ad ordines sacros suscipiendos irregulares sunt, & ad episcopatum inhabiles, nisi cum eis dispensetur, atque ad alia ciuilia munera obeunda secundùm quod Cæsarum leges aut aliorum regum peculiares decreuerunt.

Illegitimi sunt irregulares.

Naturales non succedũt ab intestato. Sed quantum ad hæreditatem naturales quidem dummodo pater aut mater alios habeat legitimos, in nullam possunt assis partem ab intestato succedere, nam testator non videtur alienas successiones proprijs anteponere. l. Cùm acutissimi. C. de fidei commiss. Vnde lex Hispana. 9. Tauri, originem duxit, quæ spurios ab hæreditate repellit. Potest tamen mater hæredem illum ex quinta parte assis instituere, imò & pater: quia vnusquisque potest quintam partem, exceptis legatis pijs, cuicunq; extraneo legare. Si verò mater prolem non habet legitimãm, tunc filius naturalis ei succedit ab intestato, non tamen patri propter eius incertitudinem.

L. 9. Tauri.

Spurij verò & nothi, nempe qui ex damnato coitu nascuntur, scilicet vel ex adulterio, stupro, aut sacrilegio, neque patri, neque matri ab intestato succedunt. Tenentur autem parentes iure naturæ illos alere & educare si habeant in bonis, & possint id commodè facere. Quod dixerim propter matrem adulteram, quæ sine licentia mariti nihil potest expendere, præterquam quòd citra scandalum & periculum nequiret spurium filium nutrire. Patrem verò, licet esset matrimonio solutus, non arbitror rigore iuris teneri filium spurium tollere & alere, quia non tenetur credere suũ esse. Neque verò si credat, cura sibi incumbit, sed matri, si potest; cuius certus est filius. Si verò mater non posset, tunc pater ex quadam naturali misericordia deberet eum educare. At verò neuter parentum vetatur quintam bonorum eis legare.

Spurij & nothi.

Pater an tenetur alere spurium.

Hactenus de illis qui vel ex adulterio vel incestu oriuntur. Nam de illis, qui nascuntur ex sacrilegio, nempe de filijs sacerdotum aut monachorum, peculiares leges Hispanorum acrius acerbiusq; in odium talis sacrilegij decernunt, vt loco citato latius explicimus. Extat enim lex Regia. 22 tit. 3. lib. 1. & l. 2. tit. 3. lib. 5. ordinamenti, quibus sancitur ne clericorum filij (& in l. 9. Tauri extenditur vsque ad filios religiosorum) habeant, neque hæreditare possint bona suorum parentum aut consanguineorum, neque suscipiant. Habetur enim Hispanè, Ni ayan. Quo vtique verbo videtur lex eos prorsus inhabiles reddere ad suscipiendum dominium eorum, quæ sibi per hæreditatem relinquantur. Hoc ergo, ni fallor, discrimen est inter filios ex adulterio secularium & filios clericorum, quòd licet vtrique priuentur hæreditate, non tamen prorsus æqualiter fiunt inhabiles ad suscipiendum. Et ideo quamuis si pater adulter secularis carens legitima prole relinquat bona sua filio spurio, fiscus possit sibi adiudicare, nihilominus lex illa pœnalis est, & ideo quousque filius condemnetur, potest illa bona absque culpa possidere, atque adeo si pater bona illa secretò concredat amico, vt ea traducat in filium, tenetur ille amicus legè naturæ seruare, & dare filio, nisi fiscus eum præueniat. Dico, tenetur, nisi tamen timeat, quòd fiscus postea re comperta, ab eo sit eadem exacturus bona: quoniam non tenetur damnum illud incurrere: sed loquor dum res potest secretò & cautè transigi. In filijs autem sacerdotum & monachorum non id prorsus crediderim: nam cùm sint inhabiles ad suscipiendum dominium (quæ quidem lex in odium infamis sacrilegij potest esse iusta) non est expectanda condemnatio, sed si sacerdos bona sua amico suo sub illo pacto expresso vel tacito concredat, vt det filio, donatio illa non tenet, nec per illam transfertur dominium vel in amicum, vel in filium, sed in conscientia succedunt hæredes eius ab intestato, vel si nullos habeat, cedunt vel in vsus pauperum vel in alios publicos. Si tamen absolutè & sine pacto illa dederit tali amico, quamuis amicus intellexerit animum sacerdotis esse, vt transfundat in filium, dominium nihilominus acquirit, & potest cum bona conscientia, si vult, sibi retinere. Sed tamen potest, si libuerit, tanquam bona sua propria dare filio sacerdotis. Hęc latius loco citato, De iustitia & iure, diduximus.

Filij presbyterorum.

L. 9. Tauri.

Discrimen.

Spurius non tenetur in conscientia hæreditatem fisco restituere.

Vnde ad secundum argumentum respondetur, quod damnum potest quispiam dupliciter incurrere, vno modo ob id, quod ei subtrahitur, cuius iam ius sibi erat quæsitum & debitum. Et hoc pacto illegitimus filius nullum damnum incurrit. Alio modo per hoc, quòd aliquid ei non fit debitum, quod aliàs posset esse debitum. Atque hoc modo nihil obstat, quominus filijs, qui extra matrimonium nascuntur, non acquiratur ius, nec debitum fiat, id quod aliàs per matrimonium fieret debitum. Neque hoc tribuitur pœnæ propter eorum culpam, sed potiùs naturę & fortunę. Haud enim reputatur pœna, quod qui non nascitur parentibus regibus, non fit Regni hęres, neque quod qui nascuntur ex paupere aut ex infecto sanguine, pauperiem aut aliam labem cõtrahant. Nisi pœnam dixeris esse peccati Adæ.

Sol. 2. arg.

2. Modus.

Nota.

Quòd si rursus arguas. Lex humana instar diuinæ condenda est: Deus autem bona naturalia illegitimis filijs non subtrahit, imò nonnunquam locupletius eis largitur, quàm legitimis tam secundum corpus, quàm secundùm animam: ergo non decuit humanam legem illud discrimen interijcere. Negatur consequentia. In congressu enim illegitimo consi-

Obiectio

Dilutio.

Digitized by Google

deratur quod naturale est, & quod est culpabile: quatenus enim naturalis est, & legitimis & illegitimis est communis: & ideo Deus tanquam autor naturæ secundùm illam rationis æqualitatem concurrit ad dotandam prolem bonis naturalibus. Secundum autem, quod est coitus culpabilis, lex humana illustrata etiam diuinitus tum per naturæ lumen, tum etiam ecclesia per spiritum sanctum pronunciat filios illegitimos. Sit est in lege veteri nonnullum huiusce rei exemplum. *Gen 25.* Legitur enim Genes. 25. quòd Abraham dedit omnia bona Isaac filio Saræ, filijs autem concubinarum largitus est munera: & tamen illi non erant filij illegitimi: quoniam matres eorum, licet dicantur concubinæ, erant tamen vxores, vt dist. 33. explicuimus: ergo fortiori ratione potest lex humana illegitimos ab hæreditate secludere.

3. Concl. Tertia conclusio. Possunt filij illegitimi fieri per legem legitimi: non quidem, vt tertium argumentum contendebat, faciendo quod coitus, qui illegitimus fuerat, fiat legitimus: quia ad præteritum non est potentia: sed hoc pacto, quòd à damnis & incommodis, quæ illegitimi per legem incurrunt, per principes quoq; aut per ecclesiam liberentur. Nam quod per legem inducitur, per legem quoque reuocari potest. cùm igitur illegitimi per legem fiant, possunt priuilegio principum legitimi fieri.

Legitimandi modi sex. Et sunt sex modi & viæ, quibus illegitimi hoc beneficium consequuntur: duo scilicet secundum canonica iura, & quatuor secundum Cæsarea. *1. Modus.* Primus modus est, dum soluti ex simplici fornicatione filium suscipiunt, & postmodum in facie ecclesiæ matrimoniũ contrahunt. Decretum est Alexandri. 3 cap. 1 & cap. Tanta. qui filij sint legitimi. Id quod & legibus ciuilibus concessum est, vt §. vlt. Institu. de nuptijs. & in l. Cùm quis. C. de naturalib. liber. & Authen. Quibus mod. naturales efficiun. legit. §. Si quis igitur. colla. 7. Vtrùm verò is legitimorum modus sit etiam sufficiens ad honores ecclesiasticos, nempe ad sacros ordines suscipiendos, ambigitur. At quia pœnæ restringendæ sunt, fauoresque ampliandi, verisimilius est, quòd simpliciter fiant legitimi etiam ad sacros ordines. Si verò vir viuente vxore aut vxor viuente viro ex adulterio talem filium susceperint, quamuis postea defuncto coniuge legitimum matrimonium contrahant, proles non sit legitima, vt habetur in dicto cap. Tanta.

2. Modus. Secundus modus est per dispensationem Pontificis. Sed tamen huiusmodi dispensatio locum duntaxat habet in sacris suscipiendis: nam per Pontificis dispensationem tollitur irregularitas. Sed tamen quantum ad hæreditatis successionem res deferenda est ad Cæsares & Reges. Nam quamuis capitu Per venerabilem, qui filij sint legit. Papa dicat, super hoc apostolicam sedem plenam habere potestatem, etiam vt filij parentibus succedant. *Cap. per venerabilem* Quod & Ioannes Glossator illic extendit ad totum Christianum orbem, propterea quòd dum in spiritualibus dispensat, videtur à fortiori in temporalibus, quæ minora sunt, dispensare. Tamen glossa alia, quæ plurimum vsu & more celebratur, est, quòd idem summus Pontifex quantum ad successiones nequeat spurios legitimos facere, nisi in terris, quæ sibi sunt temporaliter subiectæ: de quibus ideo textus ille glossandus est. Id quod Alexander eodem titu. cap. Lator. sentire videtur. Nam hæreditatum successio, vt quæ res temporalis est, ad Rempublicam ciuilem spectat. Attamen causa cognoscendi matrimonium, sit ne legitimum, ex quo pendet filios esse legitimos, atque adeò hæreditas, ad summum attinet Pontificem, vt eodem cap. Lator. habetur. *Glossa.*

Alij sex modi. Alij quatuor modi sunt iuris Cæsarum, quibus naturalis fit legitimus. *Primus.* Primus est, si pater filium naturalem curiæ Imperatoris offerat, tunc enim propter curiæ honestatem fit legitimus, vt locis citatis Institu. Authent. & C. est videre.

Secundus. Secundus, si pater nominet eum legitimum hæredem, & filius testamentum postmodum imperatori offerat. Intelligitur tamen, nisi testator filium habeat legitimum.

Tertius. Tertius casus est, si deficiente alio legitimo filius ipse se curiæ Cæsaris offerat ad officium aliquod obeundum.

Quartus. Quartus, si pater in publico instrumento cum trium testium subscriptione eum legitimum nominet.

Quintus. Ricardus adhuc quintum adhibet, si filia naturalis nubat officiali curiæ.

Sextus. Sententia autorum. Et sextum, si ipsa concubina filium offerat Cæsari. Sed ista, quia ex mero iure humano pendent, in diuersis prouincijs & nationibus varietatem suscipiunt: in quibus ideo non est plus immorandum.

Sol. 3. arg. Tertium igitur argumentum partim solutum est. Sed ad alterum membrum respondetur, quod Papa & principes possunt quidem ciuibus suis & subditis per sua priuilegia beneficia indulgere, non tamen eosdem ciues suis iuribus sine ipsorum culpa spoliare. Et ideo possunt ex illegitimis legitimos creare, non tamen subinde eos qui legitimi sunt, illegitimos efficere.

Cæterum quia dictum est per illicitum concubitum tum affinitatem contrahi, tum & filios illegitimos procreari, interserunt hic nonnulli interpretes Magistri sententiarum, autorem ipsum secuti, species luxuriæ. Quæ certè ad propositum nihil attinent. Pertinet enim disputatio hæc ad materiam temperantiæ. Quam ideo materiam Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 154 copiosissimè, quod suum ingenium est, & diligentissimè pertractat. Sunt autem species istæ numero septem, quas generali nomine fornicationis Apostolus. 1. Colossen. 3. comprehendit. At verò dum mera est fornicatio soluti cum soluta, etiam si sit vidua, nomen generis trahitur ad speciem: quare simplex fornicatio ponitur prima & minima infimaque species luxuriæ ex genere suo. Secunda species ascendendo est stuprum, nempe corruptio virginis. Additur. n. illicnoua ratio iniustæ læsionis propter damnum virgini illatum, & iniuriam parentibus irrogatam. Quamuis fortasse dum virgo vltro se offert, species non mutetur, vt supra distin. 18. quæst. 2. artic. 4. disputauimus. Si verò additur violentia, est raptus. Quarta species est adulterij, per quod violatur iustitia & coniugalis fides. Quinta, incestus, putà cum consanguinea vel affini, de quo distinctione. 37. Sexta est sacrilegium, nempe sacerdotis monachi vel monialis: & propterea filij ex sacrilegio nati, longe acerbiùs ab omni hæreditate propelluntur. Septima denique atque omnium pessima est nefandum flagitium contra naturam. De quo Augustinus in libr. de adulterinis coniugijs, & refertur cano. Adulterij. 32. quæstione 7. Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur ab incestu, sed horum omnium pessimum est quod contra naturam fit, vt si vir membro mulieris non ad hoc concesso vtatur. Hoc execrabiliter fit in meretrice, sed execrabiliùs fit in vxore. Horum autem disputatio præsenti loco præter eunda est.

Species luxuriæ septē. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Cano. Adulterij.

ARTICVLVS V.

Vtrùm omne coniugium, quod inter consanguineos & affines contractum est, sit per diuortium dirimendum.

TANDEM quæritur de modo, quo est inter consanguineos & affines matrimonium dirimendũ. Et arguitur, quòd non omne huiusmodi coniugium debeat dissolui. Quicquid ecclesia facit, nutu Dei efficit: solet autem aliquando secundum allegata & probata eos coniungere, qui re vera erant occultè cognati: ergo illos Deus tunc coniunxit: quos autem Deus coniunxit, homo separare non debet: ergo quamuis postea impedimentum comperiatur, non est matrimonium dissoluendum. *Pars negatiua arg. 1.*

2. Argum. Secundò. Si deberet eiusmodi matrimonium distrahi, per viam accusationis esset procedendũ: quandoquidem non nisi propter crimen dissoluitur: accusationem verò in scripto præcedere debet, qua se homo pœnæ talionis subijcit, quod impræsentiarum locum non habet: ergo non est dirimendum.

3. Argum. Tertiò. Si in iudicio ad dirimendum matrimonium esset procedendum, deberent legitimi testes adhiberi, veluti in alijs forensibus causis: hoc tamen est falsum, quia in alijs omnes fide digni producuntur. in hac verò non admittuntur extranei: ergo huiusmodi matrimonium via iuridica non dirimitur.

Pars affirmatiua. In contrarium est textus Innocentij citatus in capitu. Non debet, de consangui. & affinita. vbi contrahentes in quarto gradu consanguinitatis & affinitatis separari iubentur.

1. Concl. Ad quæstionem, quæ facillima est, secundùm numerum argumentorum tribus conclusionibus respondetur. Prima. Omne matrimonium, quod cum

impedi

impedimento dirimente contractum est, dissolui debet. Inter quæ quidem impedimenta, vt dictum est, consanguinitas, affinitas, & publica honestas connumerantur. Conclusio est liquida: quoniam si impedimentum est dirimens, concubitus est fornicarius, atque adeo peccatum, quod si coniuges ipsi reputati cauere nequeunt, per ecclesiam sunt separandi. Et quidem conclusio ista in superioribus satis est comprobata.

Ratio.

Dubium.

Sed de forma quæritur, vtrùm ipsi priuatim non expectato iudicio ecclesiæ possint à se inuicem diuertere. Respondetur, quòd si impedimentum satis nouerint, & matrimonium fuerit clandestinum, non est dubium quin vterque altero inuito possit, imò debeat separari: quia de illo matrimonio, quod in iudicio probari non potest, non est ecclesiastica sententia expectanda. Si verò matrimonium fuerit in facie ecclesiæ celebratum, siue bona, siue malà fide, & impedimentum fuerit vel antea vel post plane manifesteque cognitum, pariter possunt priuata authoritate ab inuicem discedere, & vterque illorum ad alias nuptias transire: nisi propter scandalum, dum viciniæ constare impedimentum non potest, vel nisi ecclesia eos cogere tentauerit in coniugio persistere: tunc enim debent impedimentum ei patefacere.

Dilutio.

Nota.

Sabet. 1. arg.

Sed contra pugnare videtur argumentum primò factum, quando ecclesia eos coniunxit, decepta tamen. Respõdetur nihilominus, quòd in iudicio ecclesiæ interuenit diuina autoritas, quam ei Christus impertitus est: & hæc semper est solida & firma: concurrit nihilominus & humanum eius iudicium, quod de hominum testimonijs colligitur: quà vtique ratione falli sæpe potest: illos ergo tunc Deus non coniunxit, imò verò præcepit, vt veritate comperta ecclesia suum retractet iudicium.

Obiectio alia.

Quod si contra rursus arguas. Vinculum matrimonij fauorabilius est, quàm dominium: rerum verò dominia certo præfinito q; à iure tempore præscribuntur: ergo & matrimonium. Respondetur, quòd vt est in regulis iuris, Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit. Cùm primùm autem coniuges impedimentum nouerint, mala fide inficiuntur. Quare vt ait ad hoc ipsum propositum Innocen. in cap. Non debet. de consanguini. & affini. diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget. Cùm ergo consanguinitas faciat, vt concubitus sit fornicarius, non habet illic locum præscriptio, potiùs quam super alia peccata iure diuino prohibita. Secus autem de rerum dominio, quod consuetudo transferre potest eo quòd principes ad tranquillum statum reipublicæ ius habent de rebus ciuium ipsis inuitis disponendi. Imò & in iure percipiendi decimas, quamuis spirituale quid habeant adnexum, vim obtinet præscriptio, vt habetur de præscriptio. cap. De quarta. Matrimonium verò iure diuino & naturæ constitutum est, vt non nisi per consensus fiat, quos quidem ecclesia impedire potest. Et ideo fornicatio in incestuoso matrimonio semper durat. Quapropter nullus est matrimonij fauor, quòd per præscriptionem solidum illud fiat, quod nullum erat.

Dolatio.

Rerum dominia.

Decimarum iur.

Accedit ad robur huius conclusionis Innocen. in ca. Quod super. de consang. & affin. vbi ne in gradib. prohibitis contrahatur, iubet Pontifex, non obstante aliqua consuetudine, quæ dicenda est potiùs corruptela, publice inhibendum esse.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quando per rebellionem, imò etiam si per ignorantiam & bonam fidem, illegitimum matrimonium retinetur, matrimonium ipsum accusationi sit obnoxium.

Titul. Decretalium.

Et nota quòd non solùm accusantur personæ in matrimonio illegitimo persistentes, verùm & matrimonium ipsum. Etenim sicut matrimonium, vt 31. dist. dictum est, per se excusatur, ita quando cum impedimento aliquo ecclesiæ contrahitur, id ipsum matrimonium accusari potest. Et ideo titulus decretalium sub illa forma inscribitur. Qui matrimoniũ accusare possunt. Quo fit, vt etiam dum personæ bona fide contrauerunt, & per ignorantiam inuincibilem à culpa excusantur, nihilominus matrimonium ipsum accusatur. Et ita habetur illic cap. A nobis, & Videtur. & Cùm tua. Probatur conclusio: quoniam accusatio ad hoc inducta est, ne qui innocens existimatur, in culpa persistat: sicut autem ex ignorãtia facti culpabili contingit aliquem innocentem reputari, qui in culpa est, ita & ex ignorantia alicuius circunstantiæ ad contractum requisitæ vsu venit, vt contractus ipse vitiosus sit & pactum nullum: atque hac de causa potest matrimonium accusari tum propter alia impedimenta, tum propter illud quòd est consanguinitatis & affinitatis. Atqui accusatio coram ecclesia, cui incumbit de sacramentis censere, & per sacros canones fieri debet, vt ca. 10. de consan. & affin.

Ratio conclusionis.

Coram ecclesia.

Quòd si arguas. Sponsaliorum contractus multò facilius dissoluitur quam matrimonium: & tamen sponsalia non accusantur secundùm iura: ergo nec debet accusari matrimonium. Respondetur, id quod nondum est colligatum, non est cur accusetur vt dissoluatur: & quia sponsalia nondum habent perpetuum vinculum, nec sunt propriè matrimonium, ideo non accusantur.

Obiectio.

Atqui quemadmodum potest matrimonium accusari vt dirimatur, ita potest, vt sustineatur, defendi. Vnde potest iudicium pro matrimonio iniri aut sub forma petitorij, vt si mulier petat hunc aut illum eam sibi desponsasse, aut duxisse, & nolle datæ fidei stare, vt ca. Super eo. tit. & ca. 1. & Ex parte. & Veniens. de sponsalib. Aut potest ipsa vel ipse agere super possessorio: quia scilicet cum iure matrimonij fuerint vsi, ipsa vel ipse aliqua vana impedimenta causatur, vt discedat, vt cap. Ex conquestione, & cap. Ex transmissa. de restit. spoliat. Et in prima forma potest alter, qui accusatur, excipere, quòd sint cõsanguinei, vel alio impedimento interdicti. Et tunc quousque causa cognoscatur, non sunt ad cohabitandum cogendi. cap. vlt. de cognatio. spirituali. Veruntamen si fœmina à viro petitur, & probatur vim à parentibus vel tutoribus pati, auferenda est ab eorum potestate, & loco honesto sequestranda. Sed in secundo casu, quia melior est conditio possidentis, nõ obstante exceptione, regulariter qui possidet restituendus est, nisi in quibusdam casibus, vt subito petenti cohabitationem, in promptu probatur sæuitia aut metus mortis, tunc enim sequestranda est vxor, vt eodem cap. Ex transmissa. & cap. Literas. de restitu. spoliato. Aut si probationes impedimenti sunt in promptu, aut si petenti se in possessionem asseruari opponatur hæresis, aut quòd sine contumelia creatoris cohabitare renuit. cap. Gaudemus. de diuor. Aut si post matrimonium ratum petenti consummationem alter opponat se velle religionem profiteri: nam tunc induciæ duorum mensium ad deliberandum concedendæ sunt, cap. Ex publico. de conuersi. coniuga.

Nota.

Possessorio recuperãda.

Sanitia.

Exceptiones.

Quod si opponatur adulterium, cap. Significasti. de diuortijs. Dum autem opponitur exceptio rei iudicatæ, à qua non est appellatum, air Paluda. quæst. 2. reum esse absoluendum, vt cap. Lator. & capi. Tenor. de sententia & re iudi. At profectò contrarium ex eisdem capitulis colligitur: imò verò ex natura & conditione matrimonij: quæcunque enim sententia vel de dissoluendo, vel de conseruando matrimonio præcesserit, etiam si reus in eam consenserit, si postmodum constiterit sententiam, quæ secundum allegata & probata lata est, contra rei veritatẽ fuisse prolatam, matrimonium, quod dissolutum erat, in suam vim restituendum est, & quod pronunciatum fuerat esse validum, dirimendum. Nam cùm matrimonium iure diuino & naturali fuerit institutum, nec consistat nisi per consensus liberos, & per ecclesiam non impeditos, nulla præscriptio aut sententia ex falsa præsumptione procedens potest quod legitimum erat irritare, aut quod erat nullum, consolidare. Veruntamen quando post latam sententiam, à qua non est appellatum, accusatio præsumitur nõ iterari & integrari nisi ad exhibendam molestiam innocenti, & ad fugiendas & eludendas iustitiæ metas, non est admittenda.

Exceptiones.

Ca. Tenor de re iudi.

Adde quòd accusare propriè matrimonium nemo potest, nisi cuius interest, nempe alter coniux, aut qui eius habuerit speciale mandatum: nam sua solius propriè refert matrimonium dimittere aut retinere: & quamuis matrimonium non sit legitimum, possunt cohabitare, & vir habere fœminam si non vt vxorem, saltem vt sororem, can. Consultationi. 32. q. 5. nisi ab ecclesia separentur. Quare neque consanguinei, neque extranei id possunt. At verò denunciare quicunq; potest per viam correctionis fraternæ, vt iudex proprio officio, aut procurator fiscalis pertinaces compellat. Et ita intelligendum est cap. Quod in tua. Qui matrimo. accus. possint, vbi agitur de mattimonij accusatore. Et cap. A no bis. & Significante. cod. titu.

Accusare matri. quis possit.

arti.

In ordine denunciandi.

In ordine verò denunciandi præferuntur consanguinei. ca. Consanguineos, 35. q. 6. vt patet, mater, soror, &c. Verba capituli sunt, Consanguineos extraneorum nullus accuset, sed propinqui, &c. vbi ait glossa, quòd accusare illic vsurpatur pro agere, seu denunciare: nam certè propriè accusare non potest nisi coniux. Deficiente autem parentela possunt extranei admitti. Imò ordo ille non videtur necessarius, sed per viam correctionis fraternæ potest quicunque denunciare. Verum est, quòd cùm filij sint sicut partes parentum, fortasse parentes possunt accusare pro filijs. Præsertim quòd cùm accusatio matrimonij non sit accusatio contrahentium, sed contractus: quia illi possunt se per ignorantiam à culpa defendere, parum refert si illa cognatorum actio censeatur accusatio. Et

Ratio illius ordinis.

rationem illius ordinis accusatorum exponit hic D. Thom. hanc esse, quòd cùm extranei cognationem scire non præsumantur nisi per consanguineos, quando consanguineis tacentib. accusant extranei, in suspicionem veniunt, quod ex maleuolentia, aut alia iniqua causa id faciant. Et ideo in præsentia consanguineorum ab accusatione repelluntur.

Discrimen.

Est tamen discrimen, quod quando matrimonium ob aliquod impedimentum accusatur, quod perpetuum est, & matrimonium dirimens, parentes etiam ipsi admittuntur, vt eod. can. Consanguineos, sancitur. & can. subsequenti Videtur, qui est Cælestini Papæ, quod etiam citatur extra. Qui matrimo. accusa. possunt. Quamuis in criminalibus causis & contractib. non admittantur in testes, vt illic habetur, iuxta illud vulgatum. Pater non recipiatur in causa filij: nam tunc sunt suspecti.

Nota.

Et eadem ratione quando accusatur matrimonium non propter impedimentum, sed quia negatur de facto fuisse contractum, parentes, vt ait hic Sanct. Thom. suspecti sunt. Si enim sunt diuites, & sua non refert, vt filius vilem mulierem duxerit, non admittuntur in testes propter suspicionem. Nec vice versa si sint pauperes, & filius eius aut filia cum aliquo vel aliqua superioris classis fuerint coniugati. Et isti sunt casus ca. Super eo. de testibus. quod eius interpretes malè vexare solet. Repellitur enim mater illic à testimonio ferendo circa matrimonium filij, cùm tamen in multis canonib. parentes in tali casu præferantur. Sed est distinguendum, quod in causa, in qua agitur de impedimento consanguinitatis, præferuntur parentes: quando verò agitur de facto, vtrùm sit contractum, si è re sua sit esse validum, aut non esse validum, tunc sunt suspecti. Et ideo Papa, quod quia mater filiæ incrementum & honorem videtur diligere, vbi vir superior est diuitijs, nobilitate, potentia vel honore, testimonium matris asserentis matrimonium esse validum, est suspectum.

Cap. super eo.

Propter eandem denique causam qui cum matrimonium celebrabatur, accusare poterant, si tunc siluerunt, postea accusationem molientes repelluntur, vt patet cap. citato. Cùm in tua. qui matrimonium accusare possunt. Nisi constiterit quando banna fiebant absentes fuisse, aut alia ratione tractationem matrimonij ad suas aures peruenire non potuisse.

Cap. Cum in tua.

Sol. 2. arg.

Ad secundum igitur argumentum respondet duo Diuus Thom. Primum, quod accusatio potest verbo & scripto fieri, & secundo quod neque accusator obnoxius sit pœnæ talionis. Et ratio est hæc sæpè relata, quod accusatio matrimonij non est accusatio personarum, sed ipsiusmet contractus, qui præter legem confectus est. De hoc loquitur Innocentius 3. cap. Tuæ fraternitati. de procurator. sub distinctione, quod quando vir accusat vxorem criminaliter de adulterio coram iudice seculari, debet accusationem in scripto porrigere: quod etiam habetur can. Admonere. 33. quæstione 2. debetque se pœnæ talionis submittere. Si verò accusat de adulterio coram ecclesiastico, tunc etsi forsan oporteat libellum inscribere, non tamen se debet ad pœnam talionis obligare. Sed ille casus non est hic noster: quia ibi est accusatio de crimine ad diuortium tendens. Quando verò non accusatur crimen sed matrimonium propter impedimentum; multò minus rationis ineſt, vt inde exurgat ad talionem obligatio.

Cap. Tua de procur.

3. Concl.

Tertia conclusio. In accusatione matrimonij testes sunt adhibendi: quia propter solam coniugum assertionem etiam iuratam non debet matrimonium dissolui. cap. Consanguinei. de sententia & re iudica. Vnde capi. 1. de consangui. & affinit. testes circum specti & omni exceptione maiores sunt coram iudice adhibendi, vt veritas cum omni diligentia inquiratur. Inter quos ad dirimendum matrimonium ratione consanguinitatis præferendi sunt cognati, imò ab stipite, si fieri potest, incipiendum est, nempe à parentibus & germanis. cap. Tua nos. eod. titu. can. Consanguineos, & can. Videtur. 35. quæst. 6. & c. Videtur. extra qui matrim. accu. possunt. puta, qui certiorem cognationis notitiam habere censentur. De hac re. 35. q. 6. & illo titu. Qui matrimonium accusare possunt.

Nota.

Sed est notandum, aliquod testimonium valere ad impediendum matrimonium contrahendum, quod non sufficit ad id dirimendum postquam contractum fuerit. Atque hic est secundus casus capit. Super eod. de testibus, vbi asseritur, quòd si dum tractatur de matrimonio iuuenis, mater aut pater alterutrius asseruerit eos esse consanguineos, prohibendi sunt propter periculum, ne contrahant, quousque res fuerit comprobata. Si autem fuerit iam contractum, propter testimonium vnius non est dirimendum, sed plura sunt accumulanda testimonia: nam cum melior sit conditio possidentis, plus requiritur ad distrahendum matrimonium, quàm ad contrahendum.

Ca. Super eo.

Addit præterea hic Sanctus Thomas, quod in hac causa, qua non crimen, sed matrimonium accusatur, vt aiunt Iurisconsulti, plurima inueniuntur specialia, quæ in alijs causarum speciebus non admittuntur. Potest enim esse hic vnus accusator & testis, præsertim si qui accusat non est ipse coniux: nam aliorum accusatio imaginem potiùs habet denunciationis quàm accusationis: & denunciator potest esse testis. Item neque hic iuramentum calumniæ exigitur. Tertiò parentes & cognati in testimonium admittuntur, quod in alijs causis non fit, ca. Si testes. 4. q. 3. Neq; ad amussim ordo iudiciarius seruatur: quia denunciatione facta contumax potest excommunicari lite non contestata. Et admittitur testimonium de auditu. Et post publicationes testium testes etiam alij admittuntur.

S. Thom.

Accusator est testis.

Post publicatas attestationes.

Hoc tamen vltimum assertum inter canonum professores sunt qui non admittant, vt refert glossa super cap. Iurauit. de probatio. Sed illorum opinio inde procedit, quòd non distingunt inter sponsalia & verum matrimonium. Hæc enim, quæ in accusatione matrimonij peculiariter, secus quam in alijs causis conceduntur, duo habent fundamenta. Primum in fauorem matrimonij, ne aut quod non est legitimum, sustentetur, aut quod legitimum est, irritetur. Et secundum fundamentum est, ne aut in peccato fornicationis existimati coniuges persistant, aut qui verè sunt coniuges, fidem tori non seruent. Hæc autem in sponsalibus non habent locum, quia illic nullum est verum matrimonium: quare non est fauor matrimonij, vt sponsalia tantopere defendantur, imò melius illis esset alium statum castitatis eligere. Neque est idem periculum peccandi. Et ideo causa in sponsalibus tractatur, vt reliquæ forenses. Vnde in dicto c. Iurauit, quia quidam iurauerant sponsalia, & alij legitimè probauerant illorum consanguinitatem, dum postea voluit alius probare eosdem non esse consanguineos, non sunt admissi secundi testes. Quare eidem capitulo non aduersantur alia scilicet Fraternitatis, & Series, de testibus, vt bene ait glossa eiusdem ca. Iurauit, quia in illo agitur de sponsalib. ad contrahendum matrimonium, vbi nullum est periculum, licet non contrahantur. Sed in ca. Fraternitatis, & Series agebatur de matrimonio iam contracto: & ideo post publicationem testium propter periculum admissi sunt noui testes contrarij. Et quamuis in dicto ca. Fraternitatis, admissi fuerint propter noua capitula emergentia, nihilominus & propter eadem sunt admittendi, vt insinuatur in dicto cap. Series. In summa, tantus est fauor & præeminentia matrimonij contracti, vt semper pro illo clamantes, aut reclamantes sint audiendi, si non vanam aut maleuolam, sed legitimam adferant probabilitatem.

Ratio 1.

Ratio 2.

Cap. Iurauit. de probatio.

Conciliatio canonum.

Et per hæc solutum restat tertium argumentum.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO QVADRAGESIMASECVNDA,

DE COGNATIONE SPIRITVALI, ET DE LEGALI, ET DE SECVNDIS NVPTIIS.

Textus. Cap. 1.

QVo demum tractatum coniugalis huius sacramenti sua periodo cõcludamus, quemadmodum per sanguinis lineam consanguinitas, & per coniugalem nexum mariti & vxoris affinitas carnalis contrahitur, ita & ex sacramento baptismi & confirmationis spiritualis cognatio pullulat. Est quippe spiritualis propinquitas quædam personarum ex collatione sacramenti vel tentione statuto ecclesiæ proueniens. Enimuerò sicut per carnalem copulam anima infunditur, ita & per collationẽ baptismi confertur gratia, quæ anima spiritualis est. Quare tunc homo quasi in vtero ecclesiæ concipitur & gignitur, iuxta verbum Domini, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Ioan. 3. spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. At verò quemadmodum baptismus sacramentum est fidei, ita & in confirmatione robur adijcitur gratiæ, ad eandem fidem publicitus propugnandam, quæ idcirco iam veluti quædam est publica ex vtero natiuitas: quòd cùm cæteris non competat sacramentis, fit vt per nullum aliud cognatio contrahatur. Quod enim Symmachus ait. Omnes, 30. q. 1. can. Omnes. quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, vt & ipsi, quos vel nobis suscipientibus vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus vnda baptismatis regenerauit, aliam spiritualis vinculi rationem insinuat, scilicet quòd cum absolutionis gratia quædã sit cum Deo reconciliatio, quodammodo pœnitentes fiunt spirituales sacerdotis filij. At cùm non sit regeneratio, non habet propriam cognationis spiritualis vim, quæ matrimonia vetet.

Cap. 2. Effectus autem huius cognationis est, si præcesserit, matrimonium subsequens non solum impedire, verùm & dirimere: si verò nuptias iam contractas subsequatur, illas nequaquam dirimit: veruntamen sic vsum coniugalem interdicit, vt ille, qui in culpa fuerit, iure petendi debitum expolietur, tametsi innocenti reddere teneatur, vt si vir vxoris filium baptizauerit, aut ad baptismum vel confirmationem tenuerit, vt trigesima quæstione prima, & sub titulo de cognatione spirituali, & libro 6. multis est canonibus sancitum. Quapropter qui de industria filium vxoris suæ baptizauit, graui pœnitentia punitur, vt Synodus Maguntinensis can. Synod. Maguntinen. De eo. definit. Per catechismum verò talis cognatio matrimonium dirimens non contrahitur, tametsi illam inde emergere Bonifacio visum fuerit, eod. titu. lib. sexto, quæ contrahendum matrimonium impediat.

Huius autem cognationis tres sunt non tam gradus quàm species, scilicet paternitas, compaternitas (vt patrum vocibus vti liceat) & fraternitas. Paternitas quippe inter baptizantem intercedit, eademque inter susceptorem & baptizatum. Compaternitas verò inter baptizantem, & similiter inter susceptorem & parentes baptizati. Adde quòd eandem cognationem tam baptizans quàm susciens in suas coniuges transmittit, vt sint pariter & baptizati matres, & eius parentum commatres, similiterque ab vxoribus transfertur in viros. Fraternitas verò inter filios baptizantis, & inter filios susceptoris cum ipso duntaxat baptizato, non autem ad fratres eiusdẽ baptizati protenditur. Hæc trigesima quæstione prima & secunda, & extra de cognatione spirituali, & libr. 6. definita sunt. At verò huiusmodi spiritualis cognatio nequaquam nisi inter eos contrahitur, qui sacramento fidei baptizati sunt: quare neque non baptizatus, licet baptizet, illam contrahit, neque cum non baptizato ab eo qui eius filium sacro fonte aut tinxerit, aut leuarit, contrahitur. Cap. 3.

Tertia demum cognatio est legalis, nempe quæ lege per adoptionem introducta est. Hæc enim (præsertim si perfecta sit, quam abrogationem appellant, per quam filius qui adoptatur in potestatem adoptantis transmittitur (matrimonium non solum impedit, verùm etiam dissoluit: idque inter tres personarũ sortes. Pater enim ille que filiam adoptat, non solum cum ipsa, verùm cũ eius descendentibus vsque ad quartum gradum huiusmodi contrahit cognationis vinculum. Deinde inter adoptatum filium & vxorem adoptantis, quæ illi velut nouerca fit, pariq; ratione inter adoptantem & adoptati vxorem, quæ ceu nurus eius habetur, atque hæc impedimenta perpetua sunt, vt more & vsu ecclesiæ solenne est, de quibus instit. de nuptijs. §. ergo. & l. adoptiuis. ff. de ritu nuptiarum. Cap. 4.

Tertiò denique & inter filium adoptatum & naturales adoptantis proles, idem impedimentum intercedit, non tamen perpetuum, sed quamdiu naturales filij sub paterna potestate extiterint, vt ait Nicolaus Papa tertia quæstione tertia, & cap. vnico. de cognatione legali. Cap. 5.

Sermo igitur de secundis nuptijs tractatum nuptiarum claudat. Nouatus quippe, Montanus, Cataphrigæ & Tertullianus secundas conati sunt extirpare nuptias, sed tamen contra Apostolicam veritatem. Mulier enim (vt ad Rom. 7. ait Paul.) viuente viro ligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir, soluta est lege. Quare 1. Corint. admonet viduas, quæ abstinere non possunt, vt in Domino nubant. Nubere autem in domino non nisi rem honestam designat. Vnde ad Pammachium Hiero. non damno, inquit, bigamos, imò nec trigamos, & si dici potest octogamos. Idemque August. de bono viduitatis. Et lib. 2. contra aduersarium legis, & super epistolam ad Corinth. Hæc de septem ecclesiæ sacramentis. Cap. 6. 31. q. 1. can. Aperiant. & can. Deus masculum.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ SECVNDÆ,

Quæstio prima,

DE COGNATIONE SPIRITVALI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm spiritualis cognatio sit matrimonij impedimentum.

TRACTATVS hic demum de impedimentis matrimonij vt suam periodum finiat, trib. paruis quæstionibus concluditur, qui in hac distinct. de spirituali cognatione, & de legali, & de secundis nuptijs disputantur. Quæritur ergo primò, vtrùm spiritualis cognatio impedimentum sit matrimonij. Et arguitur à parte negatiua. *Partis negatiua arg. primum.* Nil est matrimonij impedimentum, nisi ei fuerit contrarium: quia vna quælibet res per suum contrarium impeditur: cognatio verò spiritualis non est matrimonio contraria: quia nulli eius bono aut fini repugnat: ergo non est ei impedimentum.

2. Argu. Secundò. Vnio spiritus non transit in carnem: sed matrimonium est carnalis coniugatio: & cognatio spiritualis spirituum coniunctio: ergo hæc non est illius impedimentum.

3. Argum. Tertiò. Ex duobus contrarijs non idem emanat effectus: spiritualis autem cognatio disparitati cultus videtur contraria, cùm illa sit sacramentorum communio, hæc verò sacramentorum discrepantia: cultus autem disparitas impedit matrimonium: ergo cognatio spiritualis illud non impedit.

Contrarium decernitur. 30. quæstione prima, can. De eo. & de cognatione spirituali, per totum.

Pars affirmatiua. 1. Concl. Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Cognatio spiritualis, est impedimentum matrimonij. Conclusio est, quæ determinatur causa & titu. citatis, & signanter. cap. Veniens. & cap. vlt. eod. tit. Et theologa ratio est hæc. Quemadmodum homo per carnis propaginem esse accipit naturæ, ita & per sacramenta suscipit spirituale esse gratiæ: ergo sicut vinculum ex carnis propagatione contrahitur, quod est naturale homini in quantum est res quædam naturæ, sic & vinculum ex sacramentorum susceptione resultat, quod est ei supranaturale, in quantum fit membrum ecclesiæ. Ex quo fit rursum, quod vt carnalis cognatio matrimonium impedit, ita & spiritualis.

Cognatio spiritualis quid. Vnde cognatio spiritualis est propinquitas quædam personarum ex collatione sacramenti vel tentione proueniens ex statuto ecclesiæ. Fit. n. baptizans, ac subinde susceptor, quem patrinum appellant, spiritualis baptizati pater: quæ quidem cognatio spiritualis est. Adiecimus autem, ex statuto ecclesiæ, ad significandum non modò quod huiusmodi cognatio per decretum ecclesiæ est impedimentum (nam & hoc quibusdam etiam gradibus consanguinitatis & affinitatis conuenit) verùm & ad admonendum, quòd eadem ipsa spititualis cognatio non habet fundamentum in natura, vt cognatio carnalis, quæ per carnalem generationem contrahitur, sed in ecclesiæ statuto, per quod baptizans & suscipiens seu tenens, patres spirituales declarantur, eo quòd per sacramentum gratia infunditur, quæ animæ vitam tribuit æternam, iuxta verbum Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Cognatio spiritualis solum ex statuto ecclesiæ.

Cognatio spiritualis post legem euangel. Ex quo subsequitur, hanc spiritualem cognationem ante legem euangelicam non viguisse, sed ex lege euangelica, cuius sacramenta gratiâ conferunt, ortum ducere. Nam etsi in circuncisione gratia conferretur, tamen quia non conferebatur ratione sacramenti, sed fidei nulla contrahebatur cognatio. Solet inter baptizantem & suscipientem sic non inepte distingui, quod baptizans sic sicut pater generans, & susceptor sicut mater, quæ nomine ecclesiæ suo gremio baptizatum suscipit, quamuis vterque sit ecclesiæ minister: nam & vnus nomine ecclesiæ fidem exigit à baptizato, & alter pro baptizato illam pollicetur.

Cognatio spiritualis an dirimat matrimonium. 2. Concl. Si autem roges, quale hoc sit impedimentum, vtrùm matrimonium duntaxat impediens contrahendum, an verò contractum etiam dirimens: Per distinctionem respondetur. Etenim videndum est, vtrùm eiusmodi cognatio matrimonio antecedat, an verò ipsum subsequatur. Et ideo statuitur secunda conclusio huius articuli: si talis cognatio matrimonio antecedat, ipsum impedit ac dirimit, veluti si esset cognatio carnalis. Si verò ante talem cognationem matrimonium fuerit contractum, nullatenus per illam subsequentem dirimitur. cap. Si vir. de cognatio. spirituali. & can. Dictum. & ad limina. 30. quæst. 1. Vbi autem eod. cap. Si vir. dicitur, generaliter fuisse statutum, vt debeant separari, alluſio fit ad can. Peruenit, ead. cau. & q. vbi hoc videtur constitui. Hoc tamen art. seq. repetendum est. Persistendum enim est in illa generali *Regula generalis.* regula, quòd matrimonium semel legitime initum nunquam dirimitur quoad vinculum, nisi Christianismi aut religionis gratia, modis supra expositis.

3. Concl. At verò in hoc casu matrimonij distinguendum est, vt tertia hæc subiungatur conclusio, Vbi huiusmodi spiritualis cognatio causa necessitatis, aut per inculpabilem ignorantiam fuerit inducta, nequaquam coniugalem vsum aut in petendo, aut in reddendo interdicit. Si vero fuerit aut extra casum necessitatis, aut ex ignorantia culpabili contracta, impedit eum cuius culpa fuerit, ne debitum petere valeat: tenetur tamen semper exactum reddere: quia culpa eius non est cur alteri coniugi noceat. Igitur si quis, exempli gratia, suæ coniugis filium tempore necessitatis baptizauerit, licet cognationem spiritualem cum ea subinde contraxerit, potest tamen & debitum petere & reddere: quia necessitas vt caret lege, ita & à pœna legis excusat. Et eadem est ratio, si quis suum, vxorisque suæ filium facta sufficienti diligentia putans non esse suum, baptizauerit. Quod verò dum citra necessitatem sciens ac prudens eum baptizauerit, aut per ignorantiam crassam, quæ scientiæ æquipollet, tunc debitum à sua coniuge exigere nequeat, licet, vt ait Durand. non sit expressum in iure, colligitur tamen ex capitulis supra citatis: nam cap. Si vir. habetur, quod debitum alteri subtrahi non debet, vbi insinuatur, quod exigere nequeat. Item colligitur ex finali verbo, quod illi fraus vel dolus patrocinari non debet. Et idem insinuatur altero can. De eo. Et est simile de coniuge, qui incestum cum consanguinea alterius coniugis committit, is enim iure petendi priuatur, ab obligatione tamen reddendi non absoluitur, vt capitu. & reliquis, de eo qui cognouit consang. vxor.

Ignorantia an excuset.

Dubium. Dubium tamen hic profectò potest cuilibet in animum subrepere, vtrùm qui in extrema necessitate parnulum morti proximum absque solemnitate baptizat, talem cum matre affinitatem spiritualem contrahat, quæ matrimonium cum ipsa impediat, & contractum dirimat. Et ratio dubitandi est, quod sicut extrema necessitas post contractum matrimonium baptizantem excusat, vt liberè possit à sua vxore debitum petere, profectò ratio persuadere videtur, vt eadem necessitas ius non adimat baptizanti contrahendi cum matre baptizati. Nam cùm ius petendi debitum ex contractu matrimonij oriatur, videtur necessitas quæ ius exigendi non tollit, neque facultatem contrahendi auferre. Et confirmatur hoc: hominem priuare iure contrahendi matrimonium cum aliqua, molestum grauamen est: ergo si propter baptismum ex extrema necessitate collatum illud onus baptizanti imponeretur, multi illud officium recusarent, atque adeò periculum paruulis extrema patientibus crearetur, vt absque baptismo perirent.

Partis negatiua 1. argum.

2. Argu.

3. Arg.

4. Argum. Et tertiò arguitur. Baptizare in extrema necessitate iure diuino omnes obligantur: ergo ecclesia non potuit, aut saltem non debuit hoc detrimentum illis offerre, qui munus illud obirent. Enimuerò quando solenniter baptizatur, sacerdotes, qui sacramenta administrant, vltrò ordines susceperunt, & susceptores sua sponte ad illud se officium offerunt: quare non est mirum si cognationem illam spiritualem contrahant: sed quod illi, qui ex necessitate iuri diuino obtemperant, illud patiantur incommodum, durum apparet.

Sententia auctorum. Profectò rationes non sunt contemnendæ. Et quidam ex Iurisconsultis, quos refert Paluda. aiunt, de hoc esse Papam consulendum. At verò in his, quæ ex

mero

mero statuto ecclesiæ pendent, non est tanta vsurpanda licentia, vt ex similitudinibus aut coniecturis in re tanti momenti iudicium sumatur. Et ideo dicendum, quòd eiusmodi baptismus causa est spiritualis cognationis. *1. Argum.* Nam canones absque vlla exceptione aiunt baptizantem & susceptorem cognationem contrahere cum baptizato. Et baptismus in extrema necessitate vere sacramentũ est. Et ideo cùm postea in ecclesia adhibentur sacramentalia, non contrahitur cognatio, vt illicò repetemus: quare nisi prius in baptismate nasceretur, nunquàm oriretur. Veruntamen quia illic non celebratur solenniter sacramentum, non planè affirmarem, quòd si quis puerum teneret, cui alter aquam infunderet, tenens ille cognationem contraheret: quia vbi non est solennitas, non dicitur propriè susceptor. *2. Argum.*

Solutio obiectionum. Vnde ad obiectorum primum respondetur, quòd cùm post contractum matrimonium ius iam sit quæsitum ad petendum debitum, consentaneum rationi est, vt cùm adest necessitas, coniux illo iure non denudetur: secus autem ante contractum, vbi nondum ius vllum acquisitum est. Et ad secundum respondetur, cognationem in extrema necessitate contractam, non propriè dici grauamen, sed potius ius amicitiæ, quæ cum baptizato & parentibus eius contrahitur. Et ideo quamuis iure diuino vnus quilibet teneatur baptizare, nihilominus ecclesia potuit ratione amicitiæ prolatandæ statuere, vt matrimonium non cum illis, sed cum alijs iniret. Nihilominus profectò adiecerim, quod si sancta ecclesia casum illum extremæ necessitatis exciperet vt eiusmodi matrimonia non impediret, vel saltem non dirimeret, fortasse nihil aliud quàm operæpretium faceret. Neque si episcopus dispensaret, dum facillimus non esset ad curiam transitus, vllum (ni fallor) subesset periculum.

Solut. 1. arg. Ad primum igitur capitalium argumentum respondetur, quòd quamuis cognatio spiritualis propagationem non impediat carnalem, neque verò cohabitationem domesticam, qui sunt matrimonij fines, decurtat tamen amicitiæ amplitudinem: nam cùm ipsa per se sit sufficiens amicitiæ nexus, expedit vt per matrimonia eadem amicitiæ iura ad alios profundantur.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd in matrimonio non tantùm coniunctio inest corporalis, verùm & spiritualis, & ideo quamuis cognatio spiritualis non transeat in carnalem, nihilominus impedit matrimonium: quia expedit vt spiritualis coniunctio ad alios, qui non sunt illo modo coniuncti, dilatetur.

Solu. 3. arg. Ad tertium quoque respondetur, minimè repugnare, vt duo contraria eidem tertio diuersis rationibus aduersentur, sicut magnum & paruum per duo extrema opponuntur æquali. Qua vtique ratione & cultus disparitas & cognatio matrimonio aduersantur: illa quidem, quia plus distat: hæc verò, quia plus appropinquat, quàm ratio matrimonij contrahendi permittit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per solum baptismum spiritualis cognatio contrahatur.

POSTQVAM constitutum est cognationem spiritualem obstaculum matrimonio opponere, consequens est, vt exploremus per quid contrahitur, vtrùm per solum baptismum. Et arguitur à parte affirmatiua, ex proportione corporalis ad spiritualem cognationem. *Partis affirmatiua arg. primum.* Cognatio corporalis per solam carnis generationem contrahitur: sed inter sacramenta solus baptismus formam habet generationis: ergo per ipsum solum cognatio spiritualis exurgit.

2. Argum. Secundò. Si ex alio sacramento à baptismo spiritualis pullularet cognatio, maximè, vt fertur, ex confirmatione, sed hoc non: quia potissimùm id accideret propter characterem, qui illic imprimitur: sed tunc similiter deberet ex datione sacrorum ordinum oriri, quod est falsum: ergo ex solo baptismo talis cognatio exurgit.

Pars negatiua. In contrarium autem est textus Bonifacij octaui c. 1. de cognatio. spirituali, lib. 6.

Prima opinio. De ista quæstione, vt hic D. Tho. refert, tres fuerunt opiniones. Quidam enim dixerunt; quòd spiritualis regeneratio sicut per septiformem spiritus sancti gratiam datur, ita per septem efficitur, incipiendo à primo pabulo salis sacramenti vsque ad confirmationem per episcopum factam: & per quodlibet eorum spiritualis cognatio contrahitur. Pabulum salis nominatur, dum inter catechizandum catechumenum, sal eius ori apponitur. Et hæc opinio refertur can. Peruenit. 30. q. 1. Sed re vera nunquam creditur in vniuersali ecclesia illud fuisse vsu & more receptum, quia neq; vlla id ratio permittit. Enimuerò cum à generatione carnali ad spiritualem ducere exemplum oporteat, sicut consanguinitas non nisi ex generatione enascitur, ita neque spiritualis filiatio nisi per generationem spiritualem, quæ quidem non nisi per sacramentum fit, vbi gratia animæ viuificatrix confertur: cum ergo illa, quæ baptismum antecedunt, non sint sacramentum, sed sacramentalia, fit vt per illa nulla contrahatur spiritualis cognatio. Glossandus ergo vtcunque canon ille est, non quòd sigillatim per illos catechismos contrahatur cognatio, sed complexim, vt per omnia simul, si tamen vsque ad baptismum fuerit peruentum, talis oriatur cognatio. Similiter & aliud, quod eod. can. Peruenit. institutum apparet, quòd si maritus filium vxoris suæ vel à se genitum vel ab alio viro, vel si vxor filium mariti sui baptizauerit, separentur, nunquam receptum est. vt cap Si vir. de cognatio. spiritua. ait. Alex. 3. Quare Magister sentẽ. ait, vel illud solum ad terrorem dictum esse, vel intelligendum fore, quando cognatio illa matrimonium anteceſſit.

Opinio reprobatur. *Ratio.* *Can. Peruenit. 30. q. 1.*

Secunda opinio. Alij deinde dixerunt, quòd cognatio contrahatur per tria. s. per baptismum, & per catechismum, & per sacramentum confirmationis. Sed isti, vt ait S. Thom. propriam vocem ignorarunt, connumerantes catechismum inter sacramenta.

Conclusio. Ad quæstionem ergo vnica conclusione respondetur. Cognatio spiritualis duntaxat per duo sacramenta baptismi & confirmationis contrahitur, vt cãp. citato Bonifacius. 8. alt. Et quidem de baptismo plures sunt canones, vt citati, & alij. 30. q. 1. & de cognatio. spirituali. Sed de confirmatione extat ead. cau. & q. can. Si quis filiastrum suum vel filiastram ante episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab vxore, & nunquam aliam accipiat. Intelligitur autem si tenuerit ante matrimonium, sed si post, solùm impeditur ab exactione debiti. *Ratio.* Ratio verò conclusionis est hæc. Cognatio spiritualis per generationem spiritualem succrescit: generatio autem spiritualis per baptismum fit, & per confirmationem confirmatur: confirmatio enim, vt distinct. 7. explicuimus, nihil aliud est quàm augmentatio quædam baptismalis gratiæ: per baptismum enim recipitur esse spirituale, & per confirmationem irroboratur Christianus ad publicam fidei defensionem, sicut per generationem fit homo, & per quantitatis augmentum validus homo. *Ricardus.* Alijs verbis eandem veritatem D. Tho. in præsentia & Ricardus explicant dicentes, quod sicut in generatione naturali præcedunt dispositiones, & subsequitur generatio, quam tandem consequitur natiuitas ita in spirituali antecedunt catechismi, qui sunt præparamenta, & subsequitur baptismus, ac demum consequitur confirmatio, quæ est velut natiuitas, per quam homo publicitus exponitur ad defendendam fidem. Et ideo sicut duplex est natiuitas, scilicet in vtero, & ex vtero: ita generatio per baptisma est natiuitas in vtero, qua scilicet homo in vtero ecclesiæ concipitur quasi ab ipsa fouendus, iuxta verbum Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Sed tamen per confirmationem exponitur iam homo extra vterum quasi fide irroboratus, vt publicitus confessionem Christi tueatur, in ambobus assignantur susceptores.

Atque hinc consequitur ratio, quare per nullum aliud sacramentorum huiuscemodi cognatio contrahatur. *Ratio.* Ratio enim est, quod aliorum nullum censetur generatio, sed vel alimentatio, vt eucharistia, vel sanatio & reconciliatio, vt pœnitentia, &c.

Obiectio. Quòd si canonem, Omnes 30. q. 1. objicias, vbi Symmachus Papa ait, Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, vt & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus vnda sacri baptismatis regenerauit. *Solutio.* Respondetur, quod pœnitentes non dicuntur ea ratione sacerdotis filij, vt cognatio illa matrimonium baptizati cum filia sacerdotis impediat: alioqui eius filij

cum nullo de tota parœcia possent contrahere. Sed dicuntur filij spirituales, quia per doctrinam, & monita atque administrationem sacramenti reconciliat eos Deo, quod quandam gerit cum spirituali genitura similitudinem. Illud autem Symmachus ob id induxit, vt duos subinde canones appenderet, quibus cauere sacerdotibus & deinde episcopis iubet, ne se cum illis, quas à peccatis absoluerint, carnaliter commisceant, esset enim graue sacrilegium. Et ait hic D. Thom. tantum esse peccatum, quantum si cum filijs spiritualibus delinqueret: quod vtrum verum sit nescio: potest enim ex circunstantijs esse tam graue, imò grauius, præsertim si ex confessione sacerdos nactus esset ansam complicandi se cum filia pœnitenti. Attamen illa species peccati spiritualis incestus, qui committitur inter cognatos spirituales, non committitur nisi cum illis, quos vel sacerdos vel alius baptizauit, vel leuauit de fonte.

Can. Omnes 30. q. 1.

Aliud arg.

Aliud argumentum ex illo verbo Pauli. 2. Corin. 13. existit, In Christo Iesu per euangelium ego vos genui: vbi docet per prædicationem euangelij prædicatores fieri patres spirituales, & per pastoralem curam. Sed facilè respondetur, quod dicuntur patres per metaphoram: quia conferunt subditis tria, quæ secundùm Philosophum 8. Ethic. natis impendunt patres, scilicet esse per gratiam sacramentorum, & nutrimentum per doctrinæ pabulum, & instructionem per legum lationem. Non tamen hoc sufficit ad contrahendam cognationem spiritualem, sed sola collatio gratiæ per modum generationis, qua anima spiritualis infunditur aut corroboratur.

Obiectio alia.

Vrgentius tamen argumentum imminet ex decreto Bonifacij. 8. Per catechismum. de cognatio. spiritua. lib. 6. vbi ait, Per catechismum, qui præcedit baptismum, contrahendum matrimonium impediri. Ad hoc autem duo respondentur. Primum, illud non asseruisse nisi quia id sibi visus est ex decreto Clementis 3. euidenter collegisse: & tamen in collectione non est tanta euidentia. Verba enim Clementis cap. Contracto. extra eo titul. sunt hæc, Quod etsi constaret, quod vxor Petri filium eiusdem ante matrimonium in catechismo tenuisset, vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret. Ex hoc ergo, quum ait, vix afferret, colligit Bonifacius Clementem sensisse, quod tale impedimentum afferret: cùm tamen eius verba potiùs sint dubitantis, quàm quidpiam asserentis. Secundò respondetur, vt ait hic Sanctus Tho. quod secundum aliquos ex catechismo contrahitur aliquod debilius quàm cognatio, videlicet quod impediat matrimonium contrahendum, (Et hoc est quod Bonifacius ex Clemente colligit) non tamen dirimit contractum. Et ducitur exemplum de sponsalibus: nam sicut ex illis, quia non sunt verè matrimonium, sed eius præparatio, non nascitur affinitas, quæ matrimonium dirimat, sed sola publica honestas, quæ impediat contrahendum: ita ex catechismo, quia est dispositio baptismi, contrahitur non cognatio prorsus, sed debilius quiddam. Sed profectò nescio an hoc vsu iam obseruetur.

Solutio 1.

Solutio 2.

Simile.

Quando cognatio spiritualis contrahatur.

Ex his prudentissimus quisque colligat quo temporis articulo cognatio hæc spiritualis contrahatur. Putat enim vulgus, quod qui ducunt infantem, eumque in ecclesiam comitantur, patrini, quos ipsi nominant, existant, cùm tamen non solùm hoc falsum sit, verùm neque qui illum ad valuas ecclesiæ, vel super fontem ad catechismos, & exorcismos, & vnctiones tenet, vllam contrahit cognationem: quia nec sacerdos illam contrahit, saltem quæ matrimonium dirimat.

Nota.

Quare si contingeret, vt Petrus baptizandum ad omnes illas cæremonias teneret, sed illo articulo, quo baptizandus est, alter infantem acciperet, qui eum dum aqua infunditur, teneret, vel de fonte leuaret, solus ille secundus cognationem contraheret, Petrus verò minimè. Contrahitur ergo tunc propriè cognatio hæc, cùm quis infantem tenet dum sacerdos aquam suffundit, vel tunc cùm illum de manibus sacerdotis cum illum emerfit suscipit. Ille verò qui postea de manibus susceptoris accipit & inuoluit, minimè. Et idem est de confirmatione dicendum: ille enim solus, qui tenet puerum dum ab episcopo vngitur, iuxta tenorem cap. citati, Si quis filiastrum. contrahit consanguinitatem.

Sententia authoris.

Sylvest.

Sylvest. verb. Matrimo. 8. q. 7. §. 13. multa prodigit verba de istis tactibus, quibus contrahitur cognatio, an scilicet sufficiat tangere puerum vel linteamina. Attamen vbi res rationibus definitur, non opus est opinionibus. Re vera tangere vel vestes, vel puerum ipsum etiam ea intentione, vt contrahatur affinitas; minimè sufficit. Nam solent fœminæ esse auidæ, vt dicantur commatres, & ideò tangunt puerum: & tamen ridiculum est dicere, quòd tangere digito aut manu sufficiat: requiritur enim quòd sic eum quis tangat, vt teneat vel leuet ex sacro fonte: illud enim est esse susceptorem. Nec refert, an teneat vestitum tactis vestibus, an nudum. Imò si eum teneret in disco argenteo honoris gratia, satis esset. Quapropter si multi ea intentione non dico tangant, sed teneant, omnes contrahunt cum baptizato consanguinitatem, vt habetur c. Quamuis. de cogna. spiri. in 6. licet peccatum sit plures esse susceptores: quia prohibitum est, de consecratio. dist. 4. can. Non plures. Nisi consuetudo patriæ excuset, vel honoris gratia fiat. Imò nisi ex contemptu legis id fieret, fortasse nunquàm esset mortale: quia non tanti illa prohibitio refert, sed solùm ne impedimenta matrimonij multiplicentur.

Sententia authoris.

Nota.

Susceptores plures contrahunt cognationem.

Hinc fit, quod si quis adultus baptizetur aut confirmetur, necesse est, quo cognatio contrahatur, à susciente, vt baptizandum teneat ad baptismum, sicuti & confirmandum: quamuis cùm illa tentio cæremonia sit, & adultus per se stare possit, satis est assistat quasi in suam curam suscipiens. Tametsi tutius sit, vt manu teneat. Ex quo fit rursus, quod nec respondere ad catechismos & exorcismos ad cognationem sat est, neque verò requiritur, sed sufficit suscipere, vt nomen susceptoris admonet.

Quando adultus baptizatur.

Atque adeò ex his tandem colligitur, quod si infans domi ob necessitatem baptizatus fuerit, dum postea in ecclesia hæ sacramentales cæremoniæ adhibentur, nulla contrahitur cognatio. Neque si vel errore, vel de industria iteraretur baptizatio, contraheretur: quia illud secundum non esset sacramentum.

Sunt multi iuris canonici professores, qui contrarium putant, dicentes illud esse sacramentum: nam aliàs non diceretur iterari. Sed isti diuinam sacramenti rationem non penetrant: nam baptizatus aut confirmatus non est materia simile sacramenti iterum suscipiendi. Sed dicitur iterari, quantum est de intentione rebaptizantis aut reordinantis: quia tentans quod facere nequit, iniuriam irrogat sacramento. Imò quamuis sub conditione, si non est baptizatus, baptizetur: si re vera erat baptizatus, licet baptizans excusetur à culpa, re vera nullam contrahit cognationem, sed propter dubium ab ecclesia præsumitur contraxisse. Quapropter si postmodum constaret illum fuisse prius baptizatum, pronunciaretur cognationem non fuisse contractam.

Cognatio spiritualis non contrahitur per procuratorem.

Consueuit autem inter magnates, præcipuè inter principes & reges, vt absentes contendant esse susceptores per procuratores vel nuncios, quos ad id muneris delegant quæritur ergo an tales principes verè cognationem contrahant. De quo Sylue. verb. Matrimo. 8. q. 7. §. 14. multos suo more vtrinque citat. At verò cùm hæc impedimenta potiùs in re dubia restringenda sint, quàm amplianda, credendum est nullam cognationem contrahere: præsertim cùm ratio huic parti longè plus faueat. Illa enim quæ per consensum & ratihabitionem transigi possunt, nil obstat quominus per procuratorem confici valeant, quales sunt forenses causæ, ad quas agendas procuratores substituuntur. Et eadem ratione potest matrimonium per procuratorem contrahi, ca. fi. de procuratio. lib. 6. quia solus consensus ad id sufficit, qui quidem per procuratorem aut literas, vt diximus, explicari potest. Ea autem, quæ in actione personali suapte natura consistunt, nequeunt per procuratorem fieri. Qua vtique ratione dist. 18. diximus, per literas vel per procuratorem neminem posse confiteri, aut sacramentaliter absolui: cùm ergo susceptoris officium in actione personali consistat, quæ est tenere & suscipere baptizatum, re vera nemo per procuratorem valet esse susceptor, vt cognationem ipse contrahat Sed sunt illæ cæremoniç, quæ ad colendam pacem & amicitiam fieri consueuerunt. Quare tunc procurator ille delegatus, est verè susceptor cognationem contrahens. Sicuti si papa officium confirmandi simplici presbytero committeret, tunc non Papa, sed ille presbyter esset confirmator.

Qua per procuratorem agi nequeunt.

Nota.

Vniuersitas an possit quic lenare.

Simili de causa neque tota ciuitas vel collegium potest esse susceptor, sed ille quē ad id muneris delegaret.

Ad

Solut. 1. arg. Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd quamuis propriè regeneratio in baptismate fiat, nihilominus confirmatio est quædam baptismatis ir roboratio, & quasi quædam natiuitas ex vtero ad publicam fidei confessionem.

Sol. 2. arg. Et per eandem solutionem diluitur secundum argumentum. Non enim ratione solius characteris est cognationis causa, sed quia est quædam generationis confirmatio & natiuitas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm cognatio spiritualis duntaxat inter baptizantem & baptizatum contrahatur.

SVBSEQVITVR tandem, vt de personis dicamus, inter quas hæc spiritualis cognatio intercedit. Quæritur ergo, vtrùm solùm inter baptizantem & baptizatum contrahatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Si inter alios contraheretur, id maximè inter suscipientem & baptizatum, vt dictum est: hoc autem nullam ex cognatione carnali similitudinem ducit: quippe quæ non nisi ab illo, cuius semine proles gignitur, deriuatur: ex parte namque natum suscipientis infantem nulla contrahitur: ergo neque susceptor spiritualem vllam contrahit.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

2. Argum. Secundò. Si susceptor illam contraheret, à viro transmitteretur in vxorem, vt fertur, & ab vxore in virum, vt si Petrus esset susceptor, eius vxor fieret cognata baptizato: huius tamen falsitas inde videtur colligi, quòd cùm coniunctio, quæ est inter virum & vxorem, sit carnalis, cognatio verò sacramentalis sit spiritualis carnalis verò & spiritualis sint res disparatæ: non videtur per carnalem spiritualis transmitti.

3. Argum. Tertiò. Si præter baptizantem alij quoque affinitatem contraherent, id etiam filijs baptizantis & susceptoris contingeret, vt à parentibus traduceretur in filios. hoc autem falsum apparet, tum quod alioqui gradus in hac cognatione distinguerentur: quia persona generata, vt dictum est, mutat gradum; tum etiam quia eadem ratione transfunderetur ad patrem & fratrem: nam sicut filius patrem, ita frater fratrem primo gradu consanguinitatis attingit: consequens tamen est falsum, quia non tantum extenditur: ergo solus baptizans est qui cum baptizato cognationem contrahit.

Pars negatiua. In contrarium tamen est, quod bona spiritualia plus sunt quàm corporalia effusa: consanguinitas autem corporalis transit ad filios, & per affinitatẽ ad vxores: ergo & spiritualis cognatio.

Decisio art. Tres per tria proposita argumenta designantur cognationis spiritualis species, quas præsenti articulo explicare operæpretium est. Istæ autem species sunt paternitas, compaternitas (vt aiunt) & fraternitas. Et ideo ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Inter baptizantem, & similiter inter susceptorem & baptizatum contrahitur spiritualis paternitas impediens dirimensq; matrimonium, vt patet can. De eo. & can. nosse. 30. q. 1. & 33. q. 2. can. si quis cum matre. & alijs eo tit. de cogna. spiritua. & cap. 1. eo. tit. in 6. Probatur exemplo carnalis generationis. Enimuerò quemadmodum homo naturaliter ex patre nascitur & matre, ita & spiritualiter per sacramentum in baptismo nascitur filius Dei tanquam patris, & ecclesiæ tanquam matris, quæ in suo gremio eum suscipit: minister autem, qui nomine Dei eius vice functus baptizat, gerit personam patris, susceptor verò personam matris, quæ eum ad fouendum, educandum & instruendum suscipit. Non negatur, quinetiam baptizans sit ecclesiæ minister, sed tamen quia illa potestas, qua gratia confertur, à Deo collata est sacramento, quod administrat, dicitur gerere personam patris.

1. Concl.

Ratio conclusio.

Sol. 1. arg. Et per hoc soluitur primum argumentum: non enim in generatione naturali filius solius patris dicitur semen ministrantis, sed etiam matris ipsum concipientis, cuius typum in spirituali generatione susceptor gerit.

Obiectio. Quòd si rursus arguas. Catechismus, vt dictum est, nempe eruditio catechumeni non sufficit ad contrahendam cognationem: sed susceptoris officium non est aliud, quàm filium spiritualem catechismis erudire, &

Dilutio. ideo apud Dionysium appellatur ἀνάδοχος: ergo ille non contrahit paternitatem. Negatur minor, nam etsi officium susceptoris sit erudire, non tamen ob id colligit paternitatem, sed quia suscipit curam tanquam mater: ἀνάδοχος enim idem est quod fidei iussor. De officio autem & functione susceptoris supra dist. 4. artic. 5. dictum est.

Non baptizatus an possit esse susceptor. Perplexior autem ambiguitas est, vtrum ille, qui nondum baptizatus est, alium baptizet, vel de sacro fonte leuet, consanguinitatem contrahat. Est enim glossa cano. In baptismate, de consecr. dist. 4. quæ sub distinctione respondet dicens, baptizantem contrahere cognationem, susceptorem verò non item. Quam glossam sequuntur summa Angelica, & summa Roscella. Est tamen glossa nulla ratione fulcita. Quapropter D. Thom. Ricardus, & theologi omnes, veritatem meditati, negatiue de ambobus respondent. Nam in primis infidelis susceptor esse non potest: quia qui non est Christianè eruditus, curam erudiendi Christiani susci pere non valet: at verò licet baptizare queat, cognatus tamen esse nequit spiritualis: cognatio siquidem hæc fundamentum habet in fide, imò & in sacramento fidei: nam sicut qui nondum carnaliter natus est, nulli potest esse aut pater aut cognatus, ita qui nondum baptismate regeneratus est, pater aut cognatus spiritualis esse nequit. Quare licet catechumenus baptizet, nullam acquirit cognationem: quod si nulla ante baptismum contrahitur, fit vt neque si postmodum ille baptizans conuertatur, illam contrahat, quia quòd à principio nullum fuit, conualescere nequit.

Sententia autoris.

Non confirmatus an possit tenere confirmandum. Ex quo fit quod si baptizatus, quamuis non confirmatus teneat eum qui confirmatur, verè contrahit cognationem: quia est Christianus, & ideo capax cognationis spiritualis: & pariter hæreticus, quia habet characterem Christiani.

2. Concl. Secunda conclusio. Compaternitas duobus modis contrahitur, scilicet inter baptizantem, similiter & inter susceptorem & baptizati parentes: præterea inter baptizatum & coniuges baptizantis & susceptoris, & idem est de confirmatione. Itaque radix & centrum cognationis spiritualis est habitudo baptizantis & suscipientis ad baptizatum, & inde transfertur cognatio inter parentes baptizati, vt sint baptizantis & susceptoris spirituales affines. Et ratio huius est, quod cùm baptizans & susceptor sint patres spirituales baptizati, & qui eum genuerunt, sint patres carnales, fit vt inter se sint compatres, id est, simul patres eiusdem filij diuersis rationibus. Et similiter baptizans & susceptor eandem cognationem transferunt in suas coniuges, vt pari ratione sint baptizati affines. Cuius ratio est, quod cùm maritus & vxor sint vna caro, affinitatem quam vnus contrahit cum baptizato, contrahit & alter. Affinitatem, inquam, quoniam etsi omnes tres species inter canonum professores generali nomine dicantur cognatio, tamen propriè cognatio, vtpote quæ à nascendo dicitur, inter patres spirituales, scilicet baptizantem vel susceptorem & baptizatum consistit: sed mediante baptizato, eius parentes efficiuntur baptizantis & susceptoris affines. Et ideo significanter ait S. Th. hoc fieri per modum cuiusdam affinitatis: sicut in cognatione carnali consanguinei vxoris efficiuntur affines mariti. De vtroque affinitatis modo habetur eo. c. 1. de cog. spir. li. 6. Et de primo rursum cap. Super eo. & ca. Veniens. de cogn. spir. De secundo est casus c. Martinus. eo. ti. vbi habetur, quod Lotharius quidam Thebergæ maritus Martini filium de fonte leuauerat, deinde Lothario defuncto Martinus tentauit eum eadem Theberga contrahere, & tamen non fuit permissus: quoniam Lotharius transmiserat cognationem Martini in Thebergam. Idem casus habetur can. Scisitatur. 30. q. 4. qui est Nicolai, vbi quidam, cuius vxor filium Bertæ de fonte leuauerat, prohibitus est cum eadem Berta matrimoniũ contrahere: & ibi habetur, quod non potuit duas commatres successiuè sibi matrimonio coniungere. Et idem habetur in conci: Chalcedonen. ibid. can. Si pater. Contrarium tamen definiri videtur ibid. can. Post vxoris. vbi refertur, quod post vxoris obitum cum commatre vxoris liceat matrimonium contrahere. Quos quidem canones illic Gratianus sic conciliare meditatus est, quod si Petrus postquam vxor sua commater facta est alterius mulieris, eandem vxorem cognouerit, non poterit postea vxore orbatus cum illa commatre contrahere iuxta decretum Nicolai & Chalcedonensis synodi. Si verò vxorem post non cognouerit, poterit illam commatrem ducere. At verò Gratianus hoc loco, vt ait glossa, hallucinatus est, nec rei punctum tetigit

Stipes huius cognationis.

Ratio.

Casus, Cap. Martinus.

Conciliatio Gratiani.

Gratianus hallucinatus.

Est ergo oculatè hic cum D. Th. adnotãdum, quod

Digitized by Google

Regula generalis S. Thom.

siquis cognationem spiritualem non per actum proprium, sed per alienum contrahat, illam cognationem minimè in suam vxorem transfert, vt si Petrus leuauit de fonte vel baptizauit filium Pauli, qui non erat filius vxoris eiusdem Pauli, tunc vxor Pauli non fit affinis Petri, quia Paulus non per se contraxerat cum Petro cognationem, sed per actum Petri. Secùs si fuisset filius vxoris Pauli, quia tunc pariter vxor & maritus contraherent eandem affinitatem. At verò si Paulus baptizaret vel leuaret de fonte filium Petri, tunc quia per proprium actum contraheret cognationem cum Petro, eandem transfunderet in suam vxorem. s. Pauli, vt esset affinis eidem Petro. Transfertur n. actio, sed non passio. Qua de re versus hi circunferuntur. Quæ mihi vel cuiusmea natum fonte leuauit, Hæc mea cõmater fieri, mea non valet vxor. Hoc est, mulier quæ vel mihi natum, puta meum filium, leuauit de fonte, vel cuius natum mea leuauit, sic fit mea commater, vt nequeat fieri mea vxor. Sed mea dicatur, quæ carne me sociatur. Et sequitur. Si qua meæ natum non ex me fonte leuauit, Hanc post fata meæ non inde vetabor habere. Hoc est, Si qua mulier natum vxoris meæ, quem non ex me genuit, fonte leuauit, post fata, id est, post obitum vxoris meæ, non vetabor illam ducere, quia non est affinis mea. Igitur canon Nicolai, & Calcedonensis intelligunt in secundo casu, quòd nullus contrahat cum commatre vxoris suæ defunctæ: si tamen vxor illa per actum proprium facta est, commater alterius durante matrimonio cum illo viro. Vel si altera facta fuit Petro commater, quia leuauit filium suum de fonte. Sed canon, Post vxoris, loquitur quãdo vxor Petri erat cõmater alterius fœminæ, quæ non erat commater Petri: quia scilicet, illa fœmina leuauerat de fonte filium vxoris Petri ex alio marito. Et idem habetur in conci. Triburiensi canon. Qui spiritualem. ead. cau. & quæst.

Versiculi.

Notà.

Adde quòd vt baptizans vel leuans cognationem in vxorem transmittat, exigitur, vt iam tunc dum baptizat vel leuat, habeat illam vxorem consummato matrimonio, vt habetur eod. c. 1. de cogna. spir. lib. 6. quoniam cognatio illa non transfertur, nisi quia sunt duo in carne vna: & tamen non fiunt vna caro nisi per consummationem copulæ. Quare si non est tunc nisi matrimonium ratum, licet postea consummetur, non transmittitur, & multò minus ad illas, cum quibus postea contraxerit. Et eodem modo possunt verificari canones. Qui spiritualem, & Post vxoris. Quod autem dictum est de baptismo, omnino de confirmatione intelligatur, vt habetur ibidem cano. Si quis ex vno. & eod. tit. lib. 6.

Cognatio spiritualis an oriatur ex illicito coitu. Ricard.

Dubium autem, quod hic graue reputatur est, vtrùm cognatio hæc per fornicariam commistionem transmittatur, vt si Petrus baptizat, aut de fonte leuat quempiam, omnes mulieres, cum quibus illuc vsque ille fuerat fornicatus, contrahant spiritualem affinitatem cum eodem baptizato. Ricardus quidem & Palud. negant quidem per impudicum concubitum talem contrahi affinitatem: quam opinionem complures Iurisconsultorum super cap. 1. eod. tit. libr. 6. sequuntur, quos refert Syluester, verb. Matrimo. 8. q. 7. §. 5. At verò D. Tho. impræsentiarum, & Albertus Magnus, & antiqui nihil hæsitantes aiunt, perinde contrahi affinitatem ex concubitu fornicario, ac ex maritali. Idem tenet glo. in c. Si quis. 30. q. 4. Et re vera qui non opinantium numero, sed pondere rem fuerit speculatus, aliud sentire nequibit. Enimuerò ratio huiusmodi cognationis à coniugẽ in coniuge transmittendæ non est spiritualis virtus animorum, quæ est in coniugio, aut indissolubile vinculum, sed quia ambo sunt vna caro, vt canones aiunt: qua vtique ratione per matrimonium duntaxat ratum nisi fuerit consummatum, non transmittitur: in commistione autem fornicaria similiter vir & fœmina efficiuntur vna caro: quia vt ait Pau. 1. Corinth. 6. qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur: ergo per eandem rãsfertur cognatio. Et confirmatur hoc plane. Quoniam ob hanc eandem rationem supra diximus per fornicarium concubitum contrahi affinitatem. Sed ait Ricardus, ob id non contrahi per fornicationem: quia spiritualis cognatio per purè carnalem non contrahitur. Hoc tamen gratis dictum est: nam tam purè carnalis commistio est coniugalis quàm fornicaria: quia purè carnale non eo dicitur, quod sit peccatum: siquidem coniugalis actus, qualis est clandestinus contra prohibitionem ecclesiæ, posset esse peccatum: sed dicitur carnalis, quia est commistio carnis cum carne. Et ideo in dicto cano. Scisciatur. vbi ad hoc propositum dicitur, quòd vir & vxor per connubium fiunt vna caro, exponit glossa, per carnalem copulam. Et idem habetur in glossa super cano. Agathosa. 27. q. 2. Quapropter in versiculo supra citato dicitur, Sed mea dicatur, quæ carne me sociatur.

Opinio S. Thom, Sententia autoris.

Ratio clarissima.

Ratio. 2.

Obiectio Ricardi. Solutio.

Glossa.

Palud.

Responsio Syluestri.

Addit præterea supplementum esse sibi mirabile dictu, quòd ex peccato abominabili oriatur spiritualis parentela, sicut ex glacie calor: & quod publica meretrix fieret spiritualis cognata pluribus de ciuitate. Sed argumenta hæc, vt ait Syluester, rudia sunt: procedũt enim ex sensu, sed non è rerum ratione. Admiratio enim inde procedit, quod non perpenditur rei causa. Concedimus ergo illa, & præterea quod si impudicitia parœcialis presbyteri tanta esset, vt plurimas parœcianas cognosceret, quàmplurimas cognationes spirituales disseminaret.

Sol. à. arg.

Respondetur ergo ad secundum argumentum principale, quod quamuis vniones corporales & spirituales sint disparatæ quoad esse, quia vna nequit esse altera, non tamen sic distant, quominus vna possit esse causa alterius, saltem per accidens.

Obiectio.

Quòd si redarguas. Inter duos susceptores nulla contrahitur affinitas: & videntur magis coniũgi in illo sacramento, cum sint patres spirituales, quam susceptor & sua vxor: ergo susceptor non transfert illam cognationem in vxorem. Respondetur, quòd duo susceptores non per se, sed per accidens conueniunt ad idem sacramentum, & ideo nullam inter se contrahunt cognationem, neque baptizans cum susceptore, vt versiculus ille admonet. Vnus semper erit compatrum spiritualis, Alter carnalis: nec fallit regula talis. Maritus vero & vxor sunt per se vna caro, & ideo vnus transmittit suam cognationem in alterum. Hinc ergo fit, quòd si maritus & vxor filium amici leuarent de fonte, vterque duplici ratione esset pater baptizati, scilicet & per actum proprium, & per actum coniugis.

Dilatio.

Dubium.

Postrema ex his dubitatio exurgit, vtrùm si quis baptizet aut leuet de fonte filium Iudæi vel Gentilis, contrahat cum patre affinitatem. Glossa cano. 1. 30. quæstione. 1. illud affirmat. At verò Diuus Thomas id meritissimò negat, neque in dubium reuocari debet: quoniam fundamentum spiritualis cognationis est esse spirituale, quod per regenerationem baptismi suscipimus: & ideo sicut non baptizatus baptizans nullam contrahit cognationem cum baptizato, ita ex aduerso neque baptizatus vllam contrahit cum non baptizato.

D. Thom.

2. Concl.

Secunda conclusio. Confraternitas contrahitur inter filios baptizantis (& pariter susceptoris) & baptizatum. Et idem de confirmatione. Conclusio est, quæ cap. 1. & ex literis. de cognatio. spiritua. habetur: & eodem titu. lib. 6. & 30. quæst. 3. cano. Pictauium & Non oportet. & reliquis. Et ratio est hæc. Filius, vt 8. Ethico. ait Philosophus, est aliquid patris, non tamen è diuerso pater est aliquid filij, aut frater aliquid fratris: & ideo baptizans & susceptor transmittit cognationem in proprios filios, vt sint confratres baptizati, non tamen transmittunt eandem in parentes suos aut fratres. Sed ista consanguinitas filiorum baptizantis aut susceptoris, solùm intelligitur cum persona baptizata, non tamen cum fratribus eius. Et hoc est decretum Vrbani cano. Super quibus. 30. q. 3. cuius verba sunt. Spiritualium parentum filij vel filiæ ante vel post paternitatem genitæ possunt legitimè coniungi, præter illam personam, qua compatres sunt effecti. Est enim sensus, quòd si Petrus leuauit de fõte Mariam filiam Pauli, & Paulus habet alios filios & filias, omnes filij & filiæ Petri tam ante quàm post compaternitatem genitæ possunt contrahere cum omnibus filijs & filiabus Pauli, præterquam cum Maria. Textus autem illico Paschalis. Post susceptum, ait, quòd geniti post compaternitatem siue à susceptore siue à parentibus baptizati non possunt contrahere: quem quidem tex. Alexander. 3. cap. 1. extra de cogn. spirit. putat esse contrarium priori: quia restringit facultatem illam ad natos ante compaternitatem. Et ideo ait illum textum Paschalis abrogatum esse per textum Vrbani. Quòd si verum est, necesse est textum illũ non esse Pachalis secundi, quippe qui sedit post Vrbanum, sed paschalis primi, qui eum antecessit. Hugo verò glossator eiusdem can. post susceptum. ait, Alexandrum

Ratio.

Vrbanus.

Paschalis.

Cap. 1. de cogna. spiri.

Glossa.

Digitized by Google

vandrum illum non intellexisse: nam paschalis noluit prohibere matrimonium nisi inter filios baptizatis seu susceptoris & baptizatam. Et ideo nec contradixit Vrbano, nec canon ille est abrogatus. Sed profectò Alexander melius quam Hugo caput illud intellexit, quoniam si noluisset prohibere matrimonium nisi cum baptizata, non fecisset restrictionem ad filios genitos post compaternitatem: quandoquidem neque prægeniti poterant cum illa contrahere. Et ideo Vrbanus consultò expressit ante vel post genitos à compatribus, vt corrigens dictum Paschalis eorum matrimonium permitteret, præterquàm cum baptizato, vel baptizata. Et eodem modo intelligẽdus est tex. Innocentij cap. Tua nos. de cogna. spiri. vbi ait quod natus ante compaternitatem filiam compatris sui non potest matrimonialiter copulare: intelligitur enim de filia, quam pater illius nati leuauit de fonte, vt bene ibidem admonet glossa: nã cum alia sorore bene poterat sicuti et susceptor ipsẽ, vt habetur can. Per adoptionem trigesima. quæstione tertia.

Sententia autoris.

Sol. 3. arg.

Ex his ergo tertium argumentum solutum restat. Dictum enim est cur baptizans aut susceptor non transferat cognationem in patres aut in fratres. Atque adeò ex dictis causa colligitur cur in hac cognatione spirituali non distinguantur gradus quoniam gradus intelliguntur in eodem genere, quamadmodum in consanguinitate & affinitate visum est. Tria autem hæc genere differunt: nempe paternitas, quæ est ad baptizatum, & compaternitas ad eius parentes, & confraternitas inter filios baptizantis seu susceptoris & ipsum baptizatum. Et quamuis velimus illos gradus vocare, certè paternitas baptizantis ad baptizatum, & fraternitas filij ipsius ad eundem baptizatum, idem est gradus, sed specie differunt: nam vna est, vt diximus, proprie cognatio, & alia quasi affinitas spiritualis. Et similiter eadem est compaternitas inter baptizantem & patrem baptizati, & inter vxorem ipsius baptizantis (si erat sacerdos Græcus) & ipsum baptizatum, quamuis hæc secunda oriatur median te prima.

Differentia.

Quæstio secunda,

DE COGNATIONE LEGALI.

ARTICVLVS I.

Vtrum adoptio sit iure appositè definita.

AD spiritualem adhibetur cognatio legalis quæ fit per adoptionem. Quæritur ergo primum, vtrùm definitio adoptionis iure posita sit rei apta, quæ est hæc. Adoptio est extraneæ personæ in filium vel nepotem vel deinceps legitima assumptio. Et arguitur à parte negatiua. Filius debet esse patri subiectus, & in eius hæreditate succedere, iuxta verbum Paul. 1. Corint. 12. Parentes debent filijs thesaurizare: sed aliquando adoptatus neque est subditus patri, neque eius necessarius hæres: ergo adoptio non est assumptio in filium, &c.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Argu.

Secundò. Adoptio, per quam quispiam in filium assumitur, naturali generationi debet assimilari, in cuius vtique defectum instituta est: ergo nulli debent iure adoptandi excludi: excluduntur autem & defectu generandi, vt eunuchi, & defectu sexus, vt fœminæ, & defectu ætatis, vt minores viginti quinque annis: ergo adoptio non est res legitima, atque adeò nec eius definitio.

Pars affirmatiua.

In contrarium est ius ciuile Institutu. & ff. de adoptio. quib eiusmodi adoptio constituta legitur.

Adoptare quid.

Optare idem est in præsentia quod eligere: vnde adoptare idem est, quod adsciscere, vt dum quis alium per electionem ad se adiungit, sed vsu iuris vsurpatur pro eo quod est quempiam in filium vel filiam assumere, vt quod natura non supperit, electio suppleat. Vnde filius adoptiuus naturali opponitur: vnus enim per naturam gignitur, sed alter per gratiam substituitur. Tanta, n. est à natura mortalib. insita cupido suam perpetuandi successionem & sobolem, vt fuerit iure gentium introductum, vt qui à natura lib. filijs orbati sunt, defectui illi per aliorum adoptionem mederentur.

Christiani filij Dei adoptati.

Quamobrem inde amplius charitas erga nos Dei commendatur, quod cùm filium haberet naturalem sibi coæternum, cui per naturam cum sua substantia cuncta bona communicauerat, nos etiam per gratiam in filios adoptauit, hæredes quidem eius, cohæredes autem eiusdem eius filij, vt ait ad Roma. Paul. Vnde ad Ephes. 1. Benedictus, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui elegit nos ante mundi constitutionem, & prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. &c Atqui & Christus ipse adeo nobis non inuidit, vt quod per naturam ipse erat, nos quoque per gratiam nominaremur & essemus, vt quo hoc nobis beneficium præstaret, & nostram carnem assumpserit, & suam insumpserit vitam.

Roma. 8.

De adoptione ergo, qua ratione ad hæreditatis successionem attinet, iure ciuili conitituta est, sed qua parte matrimonium impedit, ecclesiæ autoritate & decreto vim illam obtinuit. Duab. ergo conclusionibus ad quæstionem respondetur Prima. Illa definitio in capite proposita est optima. Etenim adoptio iuridica actione fit, & respectum habitudinemque dicit. Iurisconsulti ergo eam describunt ratione actionis qua fit, dicentes, quod adoptio est legitimus actus, per quem fit quis filius, qui non est, aut nepos penè naturam imitans. Et quo finis eius exprimatur, dicunt alij, quod sit legalis actio ad solatium eorum, qui liberos non habent. Institu. de adoptio. in glo. Et pari ratione theologi aiunt, quod adoptio est extraneæ personæ in filium vel nepotem vel deinceps legitima assumptio. Atque omnes in idem recidunt. Nam adoptare & adoptio, actio legalis est. Nisi quod hæc theologa causas omnes significantiùs exponit. Etenim quia ars naturam imitatur, eiusque defectum supplet: & ius est ars æqui & boni, excogitauerunt iuris conditores, vt quemadmodum per naturalem generationem quispiam producitur, ita vbi natura deficeret. & filios non produceret, posset quispiam per suam voluntatem & spontaneam electionem quempiam extraneum instar naturalis in filium assumere, quo defectum illum supplens solatium acciperet.

1. Concl.

Adoptio quid.

Definitio theologorum.

Ratio.

Vnde sicut in generatione naturali duplex est terminus scilicet à quo, & ad quem, qui quidem sunt formæ contrariæ, vt ex non homine fiat homo, & ex non albo album, ita per adoptionem legalem fit ex non filio filius, & ex non nepote nepos. Quapropter in prædicta definitione verbum illud, assumptio, locum generis obtinet: sedcùm dicitur, legitima, distinguitur à naturali: nam sicut per naturam, ita & per legem suscipitur & assumitur filius. Sed vbi additur, extraneæ personæ, explicatur terminus à quo: & cum subditur, in filium vel nepotem, concluditur terminus ad quem. Hæc omnia colliguntur ex institutio. de adoptio. & ff. eodem titulo. Verbo autem, extraneæ, non excluditur, quin possit etiam adoptari consanguineus, vt habetur Instit. de adoptio. §. sed hodie. Et vt legitur Hester. 2. Mardochæus adoptauit Hester, quæ erat filia fratris sui. Sed extraneus intelligitur ille, qui non erat sub potestate adoptantis, & per adoptionem manet sub eius potestate. Ex quo fit, quod adoptio non est idem quod filiatio legalis, sed habent se sicut generatio & consanguinitas. Etenim sicut consanguinitas est relatio & habitudo inter personas aliquas ex generatione resultans, ita & filiatio legalis est habitudo filij ad patrem ex legali adoptione pullulans.

Nota.

Assumptio.

Extranea persona.

Adoptio & filiatio legalis habent se vt causa & effectus.

Ad maiorem autem explicationem subnectitur secunda conclusio. Adoptio generalis duplex est. s. imperfecta & perfecta l. Generalis. ff. eo. tit. & Insti. §. Adoptio. Eiusmodi autem adoptiones quatuor quinquéve modis, qui ex eadem lege colliguntur, differunt. Primo in nomine: nam imperfecta dicitur simplex adoptio: perfecta verò dicitur adrogatio. Secundò differunt effectu: nam per simplicem adoptionem filius non transit omnino in potestatem adoptantis, neque habet necessariò legitimam in bonis adoptantis, neque pater tenetur ei quotam assis legare: succedit autem ab intestato. Adrogatus verò transit in potestatem adrogantis, sicut filius est in potestate patris, sortiturque subinde necessariò legitimam, saltem quartam

2. Concl. Adoptio duplex.

Prima differentia.

Secunda.

partem,

partem, à qua non potest testator eum excludere, præterquam quòd etiam succedit ab intestato. Tertiò differunt, quia adoptari etiam simpliciter potest ille qui non est sui iuris: puta ille qui est sub potestate patris naturalis: adrogari verò nequit nisi ille qui sit sui iuris; nempe emancipatus à patre, sicque liber homo, alioqui non posset in potestatem adrogantis transire. Vnde Insti. eod. tit. §. Apud Catonem, habetur, quod si quis filium suum alteri adoptat, eadem ratione libertate donat. Quartò differunt in forma: nam ad adoptandum simpliciter non sunt verba expressa iure constituta, sed ad adrogandum requiritur, vt qui adrogandus est interrogetur, an velit esse adrogantis filius aut nepos. Atq; inde vt ait lex, derivatum est nomen, vt dicatur adrogatio. Tametsi adrogare profectò in præsentia non est nisi ad se aduocare & assumere, & ad se applicare. Quintò denique differunt, quia adoptatio fieri potest sola autoritate magistratus, adrogare verò non nisi imperio principis. Atque ex his composita sunt carmina. Adrogo qui suus est, & habet meus esse necesse: id est, adrogo eum qui sui iuris est, & debet fieri meus, hoc est, sub mea potestate. Patris adopto suum, nec patris desinit esse: hoc est, possum adoptare eum qui non est sui iuris, sed patris, nec per adoptionem desinit esse suus. Est hæres primus firmante que principe firmus. Atqui discrimen hoc adoptionis & adrogationis exprimitur, Inst. eod. tit. §. sed hodie. quòd si pater naturalis filium extraneæ personæ in adoptionem dederit, non propterea eum a sua potestate emancipat: quare nec transit in potestatem alterius. Si verò eum in adoptionem tradat socero suo, scilicet auo eiusdem filij, aut alteri sanguine propinquo, tunc quia iura naturalis & legalis cognationis concurrunt, potest ille transire in potestatem illius cui in adoptionem datur. Hæc autem & similia ad professionem ciuilis iuris attinent.

Tertia. Quarta. Quinta. Verſiculi. Alia differentia.

Ad primum igitur argumentum respondetur, priorem præmissam habere verum solùm de adrogato: posteriorem verò in simplici adoptato. Soluit. 1. arg.

Ad secundum respondetur, quòd cùm adoptio ordinetur tum ad supplendum filiorum defectum, tum & ad hæreditatis successionem, fit vt illi tantùm possint adoptare, qui per naturam gignere possunt, vel saltem coire, dum tamen de suis bonis disponere valeant. Vnde lex. ff. eod. titu. Adoptio, inquit, in his personis locum habet, in quibus etiam natura potest habere. Atque adeò Inst. eod. titu. §. sed illud. Castrati omnino excluduntur ne adoptare possint: quoniam neque generare neq; coire valent. Et non oportet vt quibus natura suffragata non est, ius patrocinetur. Spadones verò non excluduntur, quo nomine illi designantur qui obstrictos habent testiculos, qui scilicet quamuis coire possint, & matrimonium consummare, non tamen gignere. Quapropter frigidi adoptare non possunt, sed bene illi qui steriles sunt. Imò in supplementum sterilitatis adoptio filiorum substituta est. Atque eadem ratione fœminæ, vt illic habetur. §. Fœminæ, quia nec naturales liberos in sua potestate habent. Tametsi beneficio principis possunt illo solatio frui, vt adoptare permittantur. Similiter & minores viginti quinque annis, quia illucusque sua bona administrare non possunt, adoptare quoque prohibentur. Neque minor natu potest maiorem adrogare, vt habetur illic. §. Minorem: quoniam ratio non fert, vt maior sit sub potestate minoris, tanquam filius sub patre. Sol. 2. arg. Castrati. Spadones. Frigidi. Fœmina. Minores 25. annis.

Quòd si rursus argnas. In hac cognatione legali non sunt gradus, nec plus distat in hac cognatione nepos ab auo, quàm filius à patre. Respondetur, quòd quia contingit & filios quis amittere, & nepotes & pronepotes, indulsit lex vt tam in nepotem possit quis sibi quempiam quàm in filium adoptare. Quanquam possit & ille in nepotem aliquem sibi adoptare qui filio caret. §. licet. Inst. e. Itaque adoptare in nepotem, est sic recipere acsi esset filius proprij filij. l. Adoptiones. ff. eod. tit. filium habeat, siue filijs careat. Obiectio. Solutio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm legalis cognatio matrimonium impediat.

Partis negatiuæ argu. 1.

QVAERITVR ergo subinde vtrùm eiusmodi cognatio legalis impedimentum sit matrimonij. Et arguitur à parte negatiua. Adoptio nihil aliud est, vt proximè dicebamus, quàm assumptio alicuius in propriam potestatem, scilicet ad eum nutriendum & educandum: sed tamen necessitudo hæc nullum videtur impedimentum afferre matrimonio, alioqui prælatus contraheret cognationem cum suis subditis, quæ matrimonium impediret, & paterfamilias cum omnibus suæ domus, & nutrices & pædagogi cum suis clientulis, quod est falsum. 2. Argu.

Secundò. Adoptio legalis iure ciuili & gentium introducta est: sed ius ciuile sine autoritate ecclesiæ non potest impedimentum matrimonio obijcere: ergo talis cognatio non est impedimentum. 3. Argum.

Tertiò. Si eiusmodi cognatio matrimonium impediret, descenderet per suos gradus, sicut dictum est de cognatione carnali, aut transmitteretur ad coniunctas personas, sicut dictum est de spirituali: sed neutrum istorum huic cognationi accidere videtur: quia neque inter adoptatum & neptem adoptantis, neque inter adoptantem & matrem naturalem adoptati vllum interpositum est impedimentum.

In contrarium est decretum Nicolai c. vnico de cognat. legali, vbi tale impedimentum constituitur. Pars affirmatiua.

Ad quæstionem quatuor conclusionib. respondetur. Prima. Cognatio legalis, quæ ex adoptione resultat, impedimentum est matrimonij. Probatur. Omnis cognatio impedimentum est matrimonij: sed cognatio legalis est cognatio quædam instar naturalis instituta: ergo debet esse impedimentum, non quidem naturale, postquam ipsa non est naturalis, sed ex ecclesiæ instituto, sicuti de cognatione spirituali dictum est. Et secundò eadem conclusio probatur. Rationes, quibus supra probatum est, cognationem carnalem esse impedimentum matrimonij, suo modo, & de hac cognatione legali militant: nam postquam adoptio ad concilianda amicitiæ iura sufficiens est vinculum, condecens fuit, vt ad eadem iura propaganda inter tales cognatos nuptiæ prohiberentur. Item quia eiusmodi cognati eadem domo perpetuò tanquam patres filij & fratres commorantur: ergo si inter illos matrimonia permitterentur, occasio offerretur, vt inter se mutuo amore conflagrarent, vnde periculum iniquæ libidinis crearetur. 1. Concl. Rationes.

Secunda conclusio. Triplex est legalis cognatio. Prima quasi ascendentium & descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem & filium & filiam adoptatos, & filium eiusdem filij, & nepotem eius, & deinceps vsque in quartum gradum. Secunda inter filium adoptatum & filium naturalem eiusdem adoptantis, Tertia verò per modum cuiusdam affinitatis resultat inter patrem adoptantem, & vxorem filij adoptati, & è conuerso inter filium adoptatum & vxorem patris adoptantis. 2. Concl.

Tertia conclusio. Prima & tertia cognatio perpetuum impedimentum sunt matrimonij quia eiusmodi cognationes postquam contractæ sunt dissolui non possunt. 3. Concl.

Quarta conclusio. Secunda cognatio est impedimentum matrimonij non perpetuum, sed quamdiu filius adoptantis sub potestate patris perstiterit: vnde vel eodem patre mortuo, vel filio emancipato potest inter eundem filium naturalem & filiam adoptatam matrimonium constare. 4. Concl.

Hæc autem omnia quia iure & vsu ecclesiastico constituta sunt, non nisi humanis legibus, quæ vt dictum est, à natura libus honestatem ducũt, probari possunt. Prima ergo & tertia cognatio in iure Pontificio non sunt planè tanquam impedimentum matrimonij expressæ, sed sunt Insti. de nuptijs. §. ergo, vbi habetur, quòd quæ per adoptionem filia vel neptis est, non potest per matrimonium adoptanti adiungi. Et l. Adoptiuus. ff. de ritu nuptiarum, habetur, quod nec potest adoptans cum vxore adoptati, quia est sicut eius nurus, neq; adoptatus cum vxore adoptantis quia est velut nouerca eius. Vbi & perpetuitas huius impedimenti sic exprimitur, vt quamuis filius ille adoptatus emancipetur, perpetuò impedimentum duret. Has igitur duas cognationis species ecclesia tanquam notissima impedimenta more & vsu suscepit. Et ratio huius perpetui impedimenti est reuerentia, quam filius & filia, qui adoptantur, debent adoptanti seu patri seu matri. Attamen de secunda cognatione inter fratres, quia illic minor ratio appatebat matrimonium vetandi, ius Pontificium legem expressit. vt Nicolaus Papa can. Ita diligere. 30. q. 3. sed expressius cap. vnico. de cognatio. legali. Et Paschalis Prima tertiæ cognatio.

can.

can. Per adoptionem. ea. cau. & q. qui ad literam extat vt lex. ff. de ritu nuptiarum. Illic enim habetur, quòd per adoptionem quæsita fraternitas eò vsque prohibet nuptias donec manet adoptio, atque adeo non est perpetua.

Dubium. Vnica hic tamen supereſt dubitatio soluenda, vtrum hæc legalis cognatio sit impedimentum, non solùm impediens contrahendum, verum & dirimens contractum. Ioannes And. & Speculator tenent duntaxat impedire contrahendum, non tamen dirimere contractum. Et poterant non absque probabilitatis colore moueri, eo quod non tantùm hæc cognatio referre videtur, vt si post illam matrimonium contrahatur, sit dirimendum. Attamen quamuis fortasse iam nunc ecclesia nihil aliud quàm operæpretium faceret si id decerneret, potissimum quia huiusmodi cognationis perquam rarus iam vsus viget, nihilominus interim non est negandum quinetiam matrimonium dirimat, vt ait Syluester verb. Matrim. 8. q. 8. quia ita tenet hic S. Th. Ricardus & Theologi: eandemque propemodum rationem afferunt quæ de consanguinitate & affinitate militabat, eo quod isti patres & filij & fratres in eadem domo habitant. Idque verbo Nicolai decerni videtur in dict. ca. vnico, quo ait, Quandiu durat adoptio inter me & filiam à patre meo adoptatam, nuptiæ consistere non possunt. Nam certè non consistere, idem est, quòd dissoluendas esse. Et ita illic glossa tenet. Idq; videtur confirmari ex verbis canonis, Ita diligere. bene perpensis. Quamuis tale impedimentum dirimens fortasse non sit nisi in adoptione perfecta, quæ est adrogatio: nam non oportet hæc impedimenta dirimentia tam latè extendere. Præsertim quòd quando adoptio est imperfecta, non habitant in eadē domo, nec tanta conglutinatur amicitia. Quādo ergo dicitur inter fratres non esse matrimonium perpetuum, sic sentito, quòd dum filius naturalis non emancipatur, si cōtrahat cū filio adoptato, matrimonium dirimitur, sed si illo prius emancipato contrahatur, matrimonium consistit. Et ideo si quis habens naturalem filium vult adoptare aliquam quæ sibi sit nurus debet emancipare filium. Et eadem ratione si vult adoptare aliquem, quem sibi esse generum cupit, debet emancipare filiam, vt habetur eo. can. Per adoptionem.

Sententia authoris. Si autem inuenirentur eiusmodi cognati matrimonium contraxisse & facillimus non pateret ad Pont. Maximum aditus, non omnino negarem, quin Episcopus ordinarius posset dispensare.

Syluest. *Nicolaus.* *Regula.* *Consilium.*

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum negatur consequentia, quoniam sacerdos parœcialis aut Episcopus docens aut prædicans non dicitur pater nisi per metaphoram, neque omnes subditi habitant cum illo in eadem domo.

Sol. 2. arg. Secundum verò per primam conclusionem solutum est. Nam etsi cognatio hæc iure gentium & ciuili sit introducta, quod tamen sit matrimonij impedimentum, Ecclesiastica autoritas facit.

Quæstio tertia,

DE SECVNDIS NVPTIIS.

ARTICVLVS I.

Vtrum secundæ nuptiæ sint licitæ.

QVAESTIVNCVLA demum postrema, quæ nuptiarum tractatum concludit, est de secundis nuptijs. Quæritur ergo primùm, an secundæ nuptiæ adeò sint licitæ, vt sint etiam sacramentum. Et arguitur à parte negatiua: Primum autoritate Chrisost. super Matth. quæ citatur. 31. q. 1. can. Hac ratione. Vbi ait, secundas nuptias propter incontinentiam hominum esse permissas: nam secundum veritatis rationem verè fornicatio sunt.

Par tis negatiua argu. 1.

2. Argu. Secundò. Si essent licitæ, essent verum sacramentum: quod autem secundæ nuptiæ non sint sacramentum, videtur inde probari, quod bigamia tollit significationem coniunctionis vnius Christi cum vna ecclesia: item quia non adhibetur illic benedictio, saltem si mulier nupta fuerat.

Pars affirmatiua. In contrarium est verbum Apostoli. 1. ad Timo. 15. in viduarum institutione: volo, inquit, iuniores nubere filios procreare matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario, &c.

Decis. art. Ad quæstionem, cui duo sunt obiecta argumenta, duabus pariter conclusionibus respondetur. Nouatiani enim & Cataphrygæ Montani discipuli secundas nuptias condēnabant, toricarias appellantes, dicentes ob id Paulum eas permisisse, quod nondum ad perfectum lumen, vt Montanus, peruenerat, vt August. lib. 1. de hæresi. c. 26. & 86. & Hieronymus super epistolam ad Titum. c. 1. & contra Iouinianum enariant. Cuius quidem hæresis, Tertullianus fautor fuit & patronus: qua de re librum de monogamia hæreticum scripsit: vbi non quidem Paulum condemnauit, sed dixit, secundas nuptias tanquam minus malum permisisse.

1. Concl. Contra hos autem hæreticos statuitur prima conclusio, Secundæ nuptiæ sunt licitæ. Probatur ex illo Pauli ad Roma. 7. Quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Et subdit. Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Eademque verba 1. Cor. 7. repetit dicens. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius, liberata est: cui autem vult nubat, tantùm in Domino. Re vera hæc verba non sunt permittentis tanquam minus malum secundas nuptias, sed tanquam minus bonum. Quoniam nubere in Domino idem est, quod nubere secundùm rationem & leges Domini, qui sacramentum instituit.

Tertull. Sed adducebat Tertullianus & aliam eiusdem Apostoli autoritatem eodem loco paulò priorem. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego, quod si non continent, nubant: melius est enim nubere quam vri: vbi cùm nubere conferatur cum malo, quod est vrere, videtur non permitti nisi tanquam minus malum. At verò si hæc argutia vllius esset vigoris, idem & de virginibus concluderet dum primò nubunt: nam simul componit illic Paulus non nuptas (id est, quæ nunquam nupserunt) & viduas, vtrisque consulens vt non nubant: quare primæ nuptiæ condemnarentur tanquam minus malæ. Est ergo illa comparatio impropria (vt dicunt) qua minus bonum dicitur melius quam malum.

Et loco superius citato ait, Volo iuniores viduas nubere, vt nullam occasionem dent aduersario: vbi manifestè tanquam bonum permittit, tum quia ait, Volo, tum quia subdit causam ne dent occasionem aduersario, hoc est, vt peccatum caueant: quod certè non fieret si secundæ nuptiæ delictum essent.

Ratio conclusionis. Sed accedit ratio plana ex fine matrimonij: nam contingere potest, vt primum matrimonium fuerit sterile: quare honestum tunc est aliud inire ad procreandos liberos. Et quamuis prius fuerit fructuosum, plures liberos procreare, non est nisi bonum matrimonij. Præterea quia matrimonium etiam institutum est in remedium: quapropter eis etiam viduis quæ steriles sunt, commodum est & honestum, imò nonnunquam consultum ad secundas commigrare nuptias: quod qui denegant, in eorum propendent hæresim, quos Apostolus 1. ad Timoth. 4. redarguit prohibentes nubere. De hac re August. lib. de bono viduitatis, & lib. 2. contra aduersarium legis: & super primam epistolam ad Corinth. ca. 7. & Hier. ad Pammachium. 31. quæst. 1. ca. Aperiant, & can. Deus masculum. & can. Quod si dormierit.

Chrysost. Chrysostomus autem loco citato noluit simpliciter secundas nuptias fornicationem apellare, sed causam illarum in nonnullis reprehendit: nam sine vlla causa secundas ac tertias nuptias cumulare videtur non tam honestum finem habere, quàm ob nimium libidinis ardorem fieri, quem Chrysosto. per hyperbolem fornicationem appellauit. Ad idque alludit Ambrosius super eundem locum. 1. Corinth. 7. vbi ait, quòd primæ nuptiæ secundum Deum sunt institutæ, secundæ verò sunt permissæ: vult enim quod cum primis parentibus institutæ fuerint nuptiæ, tantùm illic primæ fuerunt designatæ, vbi virgines copulantur:

sed nihilominus & secundæ tanquam minus bonæ sunt permissæ.

Secunda conclusio. Secundæ nuptiæ sunt verum sacramentum: nam quantũ ad rei substantiã coniunctionem Christi cum Ecclesia significãt propter vinculi perpetuitatem, quod perinde in illis atque in primis exurgit, cum sit verum matrimonium. Item quia illic quicquid est de essentia matrimonij reperitur. Quapropter per tale sacramentum confertur gratia, quod vtique negare, error esset.

Solutio. 2. argum. Respondetur ergo ad secundum argumentum: quod quamuis bigami non omnino significent coniunctionem vnius Christi cum vna Ecclesia: illa tamen significatio vnius cum vna, non est de essentia sacramenti. Sed solùm est, vt significet coniunctionem: & accidentarium est quod significet vnitatem.

Quam ob rem bigami non arcentur à secundis & tertijs, sed à sacris ordinibus, in quibus vtraque significatio Ecclesiastico statuto requiritur. Et huc fortè illud pertinet verbum Cæsarienſis concilij cano. De his, vbi prohibetur presbyter secũdis nuptijs interesse, maximè cùm præcipiatur secundis nuptijs pœnitentiam tribuere. Illic enim non simpliciter damnantur secundæ nuptiæ, sed vitio quodammodo datur frequenter vxores ducere & sæpius nubere: quia illud est nimiæ incontinentiæ indicium, nonnunquam signum quòd vir cupidine alterius vxoris insidietur suæ. Hactenus de matrimonio, atque adeò de septem ecclesiæ sacramentis.

DISTINCTIO QVADRAGESIMATERTIA,

DE RESVRRECTIONE CARNIS.

Textus. Cap. 1. SACRAMENTORVM meditatio iam expedita in alteram nos supremam mittit de carnis resurrectione ad quam eorumdem sacramentorum munere præparamur. Cum enim summus opifex noster, non tantum nobis anima ad eius imaginem immortali, cui eius sempiternam fœlicitatem impertiret, donauerit: verùm & corpus, cuius membra in eius obsequium exhiberemus, adiunxerit: congruentissimum eius benignitati fuit, vt eadẽ nobis restitueret corpora in quibus ante eius tribunal sisteremur, vt referret vnusquisque, quemadmodum ait Apostolus, propria corporis prout gessit. Adde, quod cùm Protoplastum hominem eatenus propter originalem iustitiam immortalem condiderit, vt potuisset non mori, ad Christi iustitiam spectabat, vt quod beneficiũ per Adam perdidimus, per ipsum in altero seculo cumulatius recuperaremus. Vnde Apostolus Christus (inquit) surrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et ad Thess. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credidimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Est ergo nostræ resurrectionis author Deus quidem, sed & per eius virtutem Christus Dominus, cui datum est iudicium facere. Eius itaque resurrectio, quia caput nostrum est, nostræ perinde existit exemplar, cuius instar debemus vtique reuiuiscere, iuxta verbum Pauli. ad Philippen. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ Descendet autem Dominus de cælo, vt ad Thes.. ait Apostol. in iussu & in voce Archangeli & in tuba Dei: quinuero Christus ipse Matt. 24. Mittet, inquit, Angelos suos cum tuba & voce magna. At quamuis hæc nostra resurrectio non sit vtique naturalis, sed super naturam diuinitus celebranda: nihilominus natura nobis nec pauca exhibuit, nec verò obscura eius documẽta, quæ Gregorius 14. moralium, atq; alij sancti patres adnotarunt: lux enim quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursus quasi resurgendo reuocatur, & arbusta viriditatem amittunt, & rursus quasi resurgendo reparantur, & semina putrescendo moriũtur, & rursum germinando resurgunt. Quò alludens Apostolus, Corpus, inquit, nostrum seminatur in corruptione, surget in incorruptione, &c. *Gregor.* *Cap. 3.*

Fuit autem congruentissimum maximè tum naturali rerum ordini, tum & nostræ ipsi resurrectioni, qua in vitam sempiternam instaurandi sumus, vt in suprema mundi die hoc celebraretur mysterium, quando cum cælorũ orbibus generationis series, ac perinde lubrica hæc & caduca vita cessabit, alteraq; sempiterna sola permanebit. Vnde Iob: scio quod Redẽptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. & Matth. 15. Messis, inquit Christus, hoc est, operũ fructus & merces, consummatio seculi est. Fuit præterea & nobis operæprecium, vt diem illam Christus suam celasset familiam, vt in prima, secunda, & tertia vigilia, hoc est, quocunq; momento diem illũ instar furis timeremus, ac perinde attentis animis expectaremus, atq; hic est sensus verbi Domini. De die illa & hora nemo scit, neq; Angeli cælorũ, nec filius hominis, sed solus pater, id est, nescit vt vlli pandat. Vnde Apostolis id sciscitantibus respondit. Non est vestrũ nosse tẽpora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. In momento ergo & ictu oculi, vt ait Pa. mortui resurgent appetente aurora, quæ nouissimam mũdi noctẽ totumq; subinde tempus claudet. *Iob. 19.* *Matth. 24. Marci 13.* *Act. 1.*

Cæterũ de illis quos dies illa viuentes reperiet, sciscitari inter Patres assolet, vtrum morti occumbent, vt quasi per raptum protinus excitentur. Ansam verò dubitandi obtulit varia illius loci lectio. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Quem quidem locum, vt ad Minerium, & Alexand. Hieronymus, plerique Græcorum conuersim legunt, scilicet. Non omnes resurgemus (seu non omnes dormiemus) sed omnes immutabimur. At verò vt illi sancti Patres autores sunt, nostra translatio tum sacris oraculis & rationibus gratiùs arridet, tum & Ecclesiæ plus placet. Quare vniuersos verisimillimum est morte casuros, vt generalem mortis sententiam, qua vniuersi filij Adæ ob eius præuaricationem complicati sumus, omnes persoluant, iuxta verbum Pau- *Cap. 4.*

1. Cor. 15. *1. Thess. 4.* *Cap. 2.*

li ad

li ad Hebræos 9. Statutum est hominibus semel mori. Quocirca 1. ad Thess. 4. vbi ait, Mortui qui in Christo sunt resurgent primi: Deinde nos qui viuimus rapiemur obuiam Christo in aera: nō negat viuos passuros mortem, sed affirmat non prius viuos rapiendos Christo obuiam quàm vniuersi resurgant.

Cap. 5. Quinuero quando alia de causa mors illos non eriperet, profectò ignis qui iudicem est anteceſſurus, eos quos viuos occupauerit non solùm absumet: verùm in cineres & puluerem prorsus resoluet, vt in vniuersum illa expleatur generalis sententia: Terra es, & in terram ibis. *Genes. 3.*

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆTERTIÆ,

Quæstio prima,

DE RESVRRECTIONE CARNIS, ET EIVS CAVSIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm animam esse immortalem ratione sit naturali cognitum.

Partitio operis. IN duas principes partes præsentem librum in prima eius fronte partiti sumus: quarum priorem tractatio septem sacramentorum sibi vendicauit, eamque pro captu nostro hucusque disputando diduximus, & tandem fauente Deo expediuimus. Posterior ergo, quam iam hinc eodem autore auspicamur, in tractatu de postrema carnis resurrectione, deque diuersa resurgentium sorte versatur. Etenim cùm sacramenta, instrumenta salutis nostræ sint, ac subinde via, qua sempiternam beatitudinem adimus, manca eorum consideratio maneret, nisi contemplatio finis ipsorum & termini, nempe conditionis resurgentium, Quartum hunc sententiarum librum concluderet. Hactenus ergo in re morali versati sumus, & plurimum in sacrorum canonum expositione: quæ verò modò sequitur disputatio speculatiua est, & in visceribus Philosophiæ ac Theologiæ magis recondita. Est autem meditatio, quę non minus voluptatis affert, quàm fructus: nam mortuorum resurrectio, Christianorum fiducia est. In qua ergo contemplanda, & pro mortalium captu intelligenda labor insumitur, quo animus tum recreatur, tum inescatur, vt ad rem ipsam in præsentia contuendam auidiùs anhelet. Constitui ergo pro exilitate ingenij mei, si modò vires altissimus suppeditauerit, in præsentem speculationem intentioribus neruis incumbere, nempe vt hæc particula minus indigna habeatur, quæ sit postremus comœdiæ nostræ actus. Vereor namque (quod meus mihi præsagit animus) ne hæc mearum sit lucubrationum futura postrema. Vtinam nos ergo hinc autor ipse resurrectionis Christus eo transuehat, vbi quæ hic per somnolentiam in ænigmate balbutimus, per suam illic misericordiam expergefacti in suo lumine videamus. Tractatus ergo præsens, qui per octo distinctiones est proferendus, tripertitus est. In primis enim tribus de resurrectionis veritate & modo, deque animarum receptaculis, & quæ pro illis offeruntur suffragijs disputabitur, & in tribus subsequentibus de finali iudicio. Nam duæ postremæ in explicanda tum fœlici agnorum beatitudine, tum & hædorum miserando supplicio versabuntur.

Quare resurrectionis & beatitudinis tractatus subnectatur.

Primus articulus. Ad rem igitur vt descendamus, quamuis intelligam exordium huius disputationis à resurrectione corporum sumendum fore, non tamen ante lineam rem auspicari mihi videor, si vnum verbum de animæ immortalitate hic præmiserimus: quoniam cùm homo ex duabus partibus constet, anima & corpore, nisi animam esse immortalem supponamus, vana est de corporum resurrectione disputatio. Neque verò quærimus, vtrùm anima sit corruptibilis, quamuis sub hoc titulo S. Th. 1. part. q. 75. art. 6. rem disputauerit, sed vtrùm hoc, quod orthodoxa fides de animæ immortalitate docet, ratione etiam naturali comprobetur. Nam etsi Christianæ religionis professoribus fides ipsa sufficiat, munus tamen Theologi est, vt ait Apostolus Petrus, rationem reddere eius quæ in nobis est spei, vt ethnicis quoque & infidelibus respondeamus. Præsertim quòd cùm naturale lumen, vt ait Dauid, lumen sit vultus Dei, catholicos etiam delectare debet, ea, quæ firma fide tenent, rationibus naturæ, quæ fidei ancilla est, elucidare. Adde quod & inter Christianos non desunt, quibus hæretica super Aristotelem commenta non satis displiceant. *Quæstio proponitur.*

Arguitur ergo, quòd anima sit mortalis. Primum ex illo Ecclesiastes 3. Vnus est interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: cùm ergo brutorum animæ sint corruptibiles, fit vt sit etiam nostra mortalis. *Partis neg. arg. 1.*

Secundò arguitur ex illo Sapient. 2. Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam si non fuerimus. Cum ergo non solùm secundùm corpus, verùm & secundùm animam simus ex nihilo conditi, fit vt secundum illam simus etiam in nihilum redigendi. *2. Argu.*

Tertiò arguitur ex Aristotele in prologo de anima, tex 12. Naturam animæ ex propria eius operatione, quæ est intelligere, venari decet: vnde si intelligere non potest esse sine phantasmate, vt illic ait Philosophus, quod est res corporea, fit vt neque intellectus, atque adeo nec anima sine corpore esse possit: intelligere autem non est sine phantasmate: quoniam necesse est intelligentem phantasmata speculari. 3. de anima textu. 39 ergo anima nequit esse sine corpore. *3. Argu.*

In contrarium est, quòd anima est substantia intellectualis, vt Dionysius. 4. de diuinis nominibus autor est, atque adeò habet substantialem vitam inconsumptibilem, veluti angeli. *Pars affirmatiua.*

In hac quæstione supposita fide catholicą de animæ immortalitate, rationes nonnullas à natura petitas eidem veritati subnectere constituimus. Sed quia inter Aristotelis interpretes non solum quid rei veritas habeat, verùm quid Aristoteles hac de re senserit, disputatur: & nonnulli adeo sunt Aristotelis amantes, vt propter eius quam opinantur autoritatem, nutantes sint: & quandoque in errorem impingant, hoc etiam obiter attingemus. *Deci. art.*

Tres ergo conclusiones articulus præsens requirit. Prima Animam esse immortalem firmissima eademque certissima confessio est Christianæ fidei, qua sublata tota spes nostra corruit. Hanc n. sacram veritatem ab ipso statim capite sacrorum nos biblia edocent. Fecit n. Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, vt Gen. 1. legimus: imago autem & similitudo Dei in trinitate potentiarum consistit, memoriæ. s. intellectus & voluntatis, quibus in hoc præditi sumus, vt eius diuinitate perpetuò frueremur: non n. nos alio fine & proposito Deus creauit, quàm vt suam deitatem ad suam ipsius gloriam protenderet & amplificaret, eandemque perinde nobis diuinitatem in sempiterna fœlicitate communicaret. Quapropter qui mundum à Deo conditum confitentur, diffiteri nequeunt quominus Deum credant propter hominem eum fabricasse, hominemque propter seipsum, nempe vt per hæc visibilia inuisibilia eius intellecta conspiceret, & conspiciendo amaret: quod re vera nequiret, nisi anima eius immortalis esset, qua posset tandem eius conspectu perfrui. Ea propter cùm reliqua animalia terra in animam viuentem produxerit, iuxta illud: Producat terra animam viuentem: & corpus hominis de terra Deus plasmauerit, de anima legitur, quòd inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: quasi anima non esset digna, ceu quæ formarum corruptibilium produceretur, sed singulari modo crearetur diuino. Quā ob rem Ecclesiast. vlt. scriptum est, Reuertatur puluis in terram suam. vnde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illum. Et Psal 145. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, nempe in cælum, quod eius est patria. *1. Concl.* *Ratio. 1.* *Ratio. 2.* *Genes. 1.*

Secundò. Tota historia veteris testamenti palam animorum immortalitatem certissima fide prædicat. Quorsum enim tanta ratio, quantam Deus illorum mortalium habuit, nisi homines cum ipso essent perpetuò victuri? Quorsum, inquam, electio Adæ de paradiso, inundatioque diluuij, qua tam acriter mundi *Argu ab historijs legis cæteris.*

Digitized by Google

crimina vltus est Deus? Quorsum Abrahæ separatio à Babylonica iniquitate, & eius circuncisio, & Angelorum ad eum missio, & tam immensa beneficia Israelitico populo impensa, & tantus legum latarum ordo, & sacrificiorum institutio, nisi per hæc gentem illam ad fructum capessendum supracælestis fœlicitatis erudiret, & instituendo perduceret? Et super omnia quorsum Messiæ promissio ad benedicendas omnes gentes, cuius aduentum tanto cum desiderio illi præstolabantur mortales, qui eos redimeret? Quare morientes in infernum descendere fatebantur, vbi aduentum eius expectabant? Nimirum postulantes, vt cæli desuper rorantes iustum pluerent, & aperta terra germinaret saluatorem, qui eos æterna fœlicitate donaret. Esa. 45. Vnde Dauid Psal. 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et Tobiæ 12. Misericordia est, quæ fecit inuenire vitam æternam. Et Ecc. 14 Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

3. Argu. Sed vt vetera illa mittamus, inde enarrabilia supplicium genera demerentur qui de animæ immortalitate vllo pacto ambigunt, quod ineffabile beneficium humanitatis & mortis Christi non agnoscunt. Quæ enim causa eum de cælo potuit ad nos deducere, relictis ibidem nonagintanouem ouibus, innumeris s. Angelorum turmis, nisi vt centesimam, nempe humanum genus redemptum illuc deportaret, quod eorum qui ceciderant Angelorum ruinas impleret? Quocirca initium prædicationis suæ illud sumpsit, vt omnes pœnitentiam agerent, quia appropinquabat regnum cælorum. Et aduersus illos, qui aliam vitam ignorantes apud Esaiam. 22. dicebant, Comedamus & bibamus, Esaia. 22. cras n. moriemur: quorum quidam, vt ait. 1. Ethic. Philosophus, in voluptatibus huius vitæ, atque alij in diuitijs fœlicitatem collocabant, & qui elegantiores erant in honoribus: tres illas sectas in capite legis suæ condemnans, ait, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, scilicet inter spiritus cælestes. Atque adeò tam suam concionandi rationem ad vitam æternã retulit, quam mandata seruãtibus pollicitus est Matth. 19. Et rursus, hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscãt te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christũ. Et alios monebat, vt de mammona iniquitatis amicos facerent, qui eos reciperent in æterna tabernacula. Luc. 17. Ac deinde alios Matth. 10. ne timerent eos, qui corpora possunt, non autem animas occidere: vbi docebat, quòd non alia animam mors maneret, quam quæ est in inferno. Demum finale iudicium ob oculos repræsentans alios mittit in vitam æternam, atque alios in supplicium æternum Matth. 25. Igitur veritas hæc immortalitatis animæ non solum catholica fides est, verùm & articulus fidei: videlicet non ob id duntaxat fides orthodoxa est, quòd in conci. Viennensi sub Clemente, & in conci. 3. Lateranen. sub Leone sessione 8. definita est, verum quòd in sacra pagina sit creberrimè expressa, & à Christo ipso in Euangelio prolata. Imò vsque adeò est de fide, vt inter articulos, qui vniuersis Christianis sunt creditu necessarij, sit consultò relata. Sic enim symbolum concludimus, Credo carnis resurrectionem & vitam æternam. Quæ re vera absque animæ immortalitate obtineri nequit.

Matth. 5. Matt. 19. Luc. 17. Matt. 10. Matt. 25. Articulus fidei.

2. Concl. Secunda conclusio. Animam esse immortalem lumine naturali vbi nulla obducitur caligine, notum est. In primis Plato in Phædro de pulchro, animæ immortalitatem disertè persuasit, imò ne singulos referamus, omnes tam Historici, quàm Poetæ, vt Virgilius, Ouidius, & reliqui de campis Elysijs longas texuerunt historias, vbi beatorum animas spaciari fabulantur. Et inde Ethnicorum error emanauit, qui defunctos heroas in deorum numerum referebant, mosque ortus est defunctis parentandi, iustosque honores deferendi. Vnde antiqui animam à corpore separatam Manem Deum nuncupabant. Sed hæc vulgatissima sunt.

Ratio prima. Igitur quo ab ipsa animarum natura priores rationes eruantur, hæc prima est. Anima est substantia simplex, nempe simplex forma substantialis, & per se subsistens: ergo nullatenus est corruptibilis, neque aliter quàm quemadmodum angelus, per solam annihilationem potens deficere. Probatur assumptum. Quòd enim sit simplex forma, hoc est, non composita, eademque substantia, nemo est Philosophorum qui non planè fateatur: est quippe forma & actus corporis, quæ dat homini esse hominem. Nam prisci Philosophi (vt Pythagoras & subinde Plato qui animam non vt formam inesse corpori arbitrati sunt, sed vt motorem adesse, meritissimò sunt ab scholis explosi. Aduersus quorũ errorem Arist. 2. de anima planè demonstrauit, esse formam actumque corporis: forma autem, quæ dat esse substantiale, nequit esse nisi substantia. Item si est forma necesse est vt sit simplex: hoc enim omnibus formis commune est: compositum namque nequit alteri adhærere tanquam forma: quoniam ratio formæ est dare esse composito atque adeò esse actum: actus verò debet esse à materia purus. Vnde Aristot. 2. de anima tex. 4. Anima, inquit est substantia ac perinde forma corporis naturalis. Aristo.

Anima per se subsistit. Quòd autem sit per se subsistens, hoc est, à corpore non dependens, vt brutorum animæ, ex eius propria operatione, quæ est intelligere, venamur. Nam cum esse rei sit propter eius operationem, qualem modum operandi in re cognoscimus, talem habere modum essendi colligimus. Habet autem anima quasdam operationes, & passiones, vt sentire, & alijs corporis passionibus affici, scilicet ira, delectatione, &c. & has quidem palam est non posse absque corpore exercere & pati: intelligere autem ac subinde amare per se absque corpore potest. Id quod Arist. 3. de anima text 4. & infra sic peracutè probat. Anima intelligit vniuersa corpora, vt notissimum est: ergo nulli est corpori mista. Eodem enim pacto probat, visum nullo esse colore affectum, quia omnes percipit colores. Enimuerò quemadmodum lingua amaro humore imbuta non valet alios sapores gustare, ita si oculus colore aliquo esset immistus, per illum impediretur, ne posset alios colores videre. Eadem ergo analogia, si intellectus cum aliquo esset corpore commixtus, per illud impediretur, ne alia posset percipere corpora: cum ergo omnia intelligat, nullum habet admixtum. Si ergo in se non est corporeus, per se potest absque corpore existere. A simili.

Obiectio. Quòd si arguas. Saltem indiget corporeo organo ad intelligendum, nempe phantasia: respondetur, neque tali organo quantum est de se indigere: nam pari modo si in aliquo vitro rubeo aquam liquidam infundas, ipsa aqua apparet rubea, cuius vtique & ex radio solari per vitrinam traducto experimentum sumitur. Quapropter si ratione sua tali corporeo organo indigeret, quo species reciperet, similiter in aliorum corporum intellectione impediretur. At verò per accidens, hoc est, quamdiu anima est actus & forma corporis, non queunt materiales res intellectui tanquam obiectũ applicari ad intelligendum, nisi per phantasmata: veruntamen neque ipsa phantasmata intelligere valet, nisi ab ipsis virtus intellectus agentis abstrahat species à corporeis conditionibus denudatas & purificatas, quibus intellectus possibilis informatus notitiam intellectiuam producat. Et hoc est argumentum, quòd quantum sua fert natura, organo corporeo non indiget. Si ergo modus operandi intellectui proprius à corpore non pendet, fit vt nec modus essendi animæ, cuius potentia ipse est, à corpore dependeat, sed natura sua per se subsistere possit, vt angelus. Anima organo corporeo non indiget.

Ex his ergo planum sumitur argumentum, vt ait D. Th. 1. p. q. 75. art. 6 non esse animam corruptibilem. Rem n. quamlibet corrumpi bifariam contingit, scilicet per se, & per accidens. Id autem corrumpitur per accidens, quod non corrumpitur nisi ad corruptionem alterius: & per se quod corrumpitur ratione sui quemadmodum equus corrumpitur per se, sed sua forma substantialis per accidens ad corruptionem equi. Quod autem habet per se esse subsistens, non potest corrumpi per accidens: nam cum esse sit illud quod per generationem acquiritur, & per corruptionem deperditur, fit vt nec generetur ad generationem alterius, neque ad corruptionem alterius corrumpatur. Hæc ergo est differentia inter animam nostram & brutorum, aliorumque corporum formas: quòd reliquæ cùm educantur de potentia materiæ, non generantur, sed congenerantur ad generationem suppositi, & pariter corrumpuntur ad corruptionem illius: anima verò nostra non gignitur ad generationem hominis, sed creatur, quia non educitur de potentia materiæ, vt Aristo. in lib. 2 de generatio. animalium cap. 3. autor est, vbi ait mentem extrinsecus aduenire, & esse diuinam. De qua autoritate iterum redibit sermo. Anima ergo quoties homo gignitur in embrione dispositio, Corruptio res bifariam accidit. Differentia anima nostræ, & beatorum. Li. 2. de gener. animal.

diuinitus

diuinitùs creatur & infunditur. Hac ergo ratione non corrumpitur per accidens ad corruptionem hominis, sed eodem generali concursu Dei, quo sustentatur in corpore, sustentatur separatà.

Corrumpirem quid.

Neque verò est per se corruptibilis: rem enim corrumpi, est materiam à forma separari: eo quod forma est per se actus, quæ adueniens materiæ dat esse composito: in forma autem, quæ simplex substantia est, non potest forma à materia separari, vt in angelo patet, quia non sunt res duæ, imo forma ipsa per se habet vt sit actus, & ideo esse suum non valet ab illa semoueri, nam quod rei per se conuenit, non est ab ea separabile, vt esse rationale non est ab homine amouibile: fit ergo vt anima, quemadmodum angelus, non sit per naturam corruptibilis, sed per solam annihilationem potest supranaturaliter esse desinere.

Anima incorruptibilis.

Imò quamuis anima fingeretur esse composita; nequiret corrumpi: generationes enim & corruptiones non fiunt nisi per contraria, vt patet in calido & frigido: in anima verò non recipiuntur contraria corruptiua, sed contrariorum species spirituales: ob idque, vt ait Arist. contrariorum eadem est scientia, eadem n. medicina & sanum cognoscitur & ægrum: cùm ergo anima & angelus non habeant in se contrarias qualitates, fit vt neque illis contraria immineant agentia, quib. corrumpantur, neque materiam habeant, quæ sit in potentia ad alias formas: nam neque cælum talem materiam continet. Atque hinc alia sumitur ratio. Omne n. corrumpens id quod corrumpit in seipsum conuertit, vt ignis ex stupa generat ignem: ex angelo verò, & ex anima nihil aliud gigni potest: non ergo sunt per se corruptibiles. Sunt quidem rationes istæ metaphysicæ, efficaces tamen, atque adeo solæ, quib. à priori animæ immortalitas colligitur.

Rationes alia ab effectis Intellectus.

Sunt tamen aliæ ab effectu collectæ, magis plausibiles, si earum vim & energiam perpendamus. Intellectus n. natura quadam immaterialitatem & spiritualitatem palàm præ se fert. Experimur n. neque loco, neque tempore, quæ materiales sunt conditiones, coerceri, sed subitò quæ quocunque loco sunt & quocunque tempore fuerint percipere: cogitat namque nunc subito non solum præsentia, sed præterita & futura, & quæ ab æterno fuere, & quæ in æternum futura sunt. Item & quæ hic existunt, & quæ vbique orbis, & quæ supra cælum eminent, & quæ sub terra latent. Quinimò & à materialib. & à singularib. abstrahit vniuersalia, vt species rerum & genera de repente speculetur, & rerum naturas vsque ad earum prima principia penetret: quæ omnia profectò apertum documentum perhibent esse instar spirituum cælestium rem spiritualem, atque adeo sicut ipsi sunt, perpetuam. Idemque & memoria, quæ fida apotheca tanti thesauri existit, similiter prædicat.

Memoria.

Voluntas Liberum arbitrium.

Quod si voluntatis amplitudinem contemplemur, idem profectò nos planè admonet. Primum eius æquilibris libertatis facultas, quæ à nulla re necessitatem patitur, sed quibuscunque oblatis in particulari seu bonis seu malis sic est ab omnibus exempta, vt possit alterutrum, vt libuerit, eligere, ostendit à nullis reb. præterquam à Deo pendere, atque adeo esse ceu eius perpetuam imaginem.

Ratio alia.

Adde quod vnaquæque res sic esse appetit, vt esse sibi suapte natura conuenit: desideria autem hominis pleraque sunt perpetua: nemo n. est si ingenio valeat, qui non anxiè cupiat in memorijs hominum perpetuò permanere. Qua vtique ratione & parentes filijs thesaurizant, ædificant & plantant: & qui sapientia præstant, suorum specimen ingeniorum relinquunt, suarumque monimenta literarum. Et duces & principes egregia facinora intentant. Quis ergo mentis compos non planè hic videat animam consumpto corpore superstitem esse, & ad posteros pertinere?

Alia ratio.

Sed aliud ex eius inquietudine elicitur ineluctabile argumentum. Constat siquidem quacunque re præsentis vitæ potiamur, nullâ nos satiari sed vbi vna fuerimus re potiti, aliud inde desiderium nobis succrescere, semperque adeò in futurum esse pendulos: quod quidem humanum ingenium

Eccles. 1.

Ecclesiastes contemplatus prothema illud suæ concionis assumpsit, Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Dixi in corde meo: Vadam & affluam delitijs, & fruar bonis, & magnificaui opera mea, ædificaui domos, & plantaui vineas possedi seruos & ancillas, & coaceruaui mihi argentum, & aurũ, & omnia quæ desideranerunt oculi mei non negaui eis, & vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi. Transiui ad contemplandam sapientiam: quid est enim homo, vt sequi possit regem factorem suum? Quasi dicat, in his omnibus nulla inuenitur requies, sed natura ipsa ad alia nos semper inducit, quæ ipsa nobis præstare sine diuino auxilio nequit, iuxta verbum Augu. Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te. Re vera qui in hac insatiabili desideriorum perpetuitate immortalitatem animæ non legit, talpa cæcior est.

Augustin.

Ratio optima.

Sed age, rem aliter contemplemur. Quando nulla nobis alia ratio in hac re famularetur, hæc satis esset. Etenim qui de animæ immortalitate vllo pacto ambigunt, omnem prouidentiam & curam erga nos Dei, omnemque subinde amorem & cultum ipsius nostrum, omneque inter nos & ipsum commercium, imò omne fœdus, & charitatem & fidem qua inter nos mortales conglutinamur, de medio tollunt: nam si anima immortalis non est, certè nullam Deus nostri curam gerit, vel non maiorem quàm brutorum animantium. s. vt in diem nobis caduca hæc terrena prouideat, quæ in continuo sunt fluxu & lapsu. At verò si altiora ab ipso non speraremus, neque spem haberemus eius nos conspectu aliquando fruituros, vt tanquam amicos ad suam nos fœlicitatem admitteret, profectò legitimum erga eum amorem nequiremus habere, neque verò timorem aut obedientiam vllam: amore verò Dei de genere humano sublato, nulla fieret reliqua inter mortales charitas, atque adeò neque fœdus, neque fides, neque iustitiæ aut amicitiæ iura consisterent: nam qui homines propter Deum non diligit, nequit eos firma fide diligere.

Alia ratio.

Præterea si, vt isti volunt, nulla nobis essent aut præmia aut supplicia æterna proposita, sed hæc lubrica caducaque bona, quæ perinde iniquis & reprobis atque iustis & probis, imò quam sæpissimè illis fœliciùs quàm istis obuenunt: atque illa supplicia, nempe calamitates, quæ viris egregie bonis acerbius ingruere solent, quàm perditis & corruptis: profectò nulla esset apud Deum iustitiæ æquitas. Vnde Dauid Psal. 72. Zelaui, inquit, super iniquos pacem peccatorum videns, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias: & dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, & lui flagellatus tota die. Existimabam vt cognoscerem, hoc labor est anteme, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Si ergo nouissima mors non mittret alios in præmia æterna, atque alios in supplicia, sed in hac vita tantùm, vt ait Paul. in Christo sperantes essemus, miserabiliores essemus omnibus hominibus.

Psal. 72.

1. Corinth. Cap. 15.

Imò verò vt appareat, quò se præcipitent qui aduersus immortalitatem animæ obmurmurant, re vera nulla in nobis tunc esset ratio aut virtutis aut delicti: nam virtus non est nisi propter obedientiam Dei, quæ officia iubet, neque delictum propriè, nisi quia est contra eius obedientiam.

Enimuerò qui in officijs non aliam virtutis rationem agnoscit, quam quod sit rationi iuriq́ue naturali consentaneum, profectò altissimam virtutis normam ignorat: nam præterquam quòd multa sunt nobis præter naturam iussa (vt sacramentorum fideiq́ue religio) præcepta ipsa iuris naturæ ex sempiterna Dei lege conditoris naturæ deriuantur: quod qui ignorat, non est lumine naturali satis affulsus. Ratio ergo virtutis etiam naturalis à Deo legislatore dimanat. Quis ergo non clarè intelligat: quos Deus legibus instituit, suumque ipsius amorem colere iussit, eosdem in suam æternam fœlicitatem receptum ire, vbi eorum coronet obsequia, quæ per suum ipsius fauorem ei exhibuerunt? Ac perinde eos, qui eius leges transgressi sempiternam eius voluntatem violarunt, in sempiternas cruces missurum? Innumera sunt eiusmodi documenta, quibus qui animæ æternitatem in litem vocant, obtundunturs.

3. Concl.

Tertia conclusio. Animam esse immortalem Aristoteles cognouit. Hanc conclusionem subiecerim non quòd Christianis tanti nosse referat, quid de hoc senserit Philosophus, sed quia sunt qui propter eundem perperam intellectum de hac catholica veritate vacillent. Et in primis. 3. de anima. tex. 5. planè affirmat, intellectum posse bilem immistum esse corpori, propterea quòd per ipsũ vniuersa intelligimus corpora si n.

corporis alicuius misturam haberet per illud impediretur, ne alia posset intelligere corpora, vt iam satis expositum est. Atque inde rursus optimè elicuit, esse separatum: hoc est, non dependere à corpore in sua subsistentia, atque, adeò esse immortalem & perpetuum. Et tex. subinde. 19. & 20. idem prorsus de intellectu agenti adstruit: nempe esse immistum & separatum Cùm ergo intellectus verque potentia sit animæ, fit vt anima ipsa immortalis sit quoque & perpetua: nam potentia animæ habere nequit esse firmius quam anima ipsa, quæ cùm sit suarum potentiarum subiectum eas sustinet. Quandoquidem vt in prædicamentis. c. 5. ait idem Philosophus, non subsistentibus substantijs non possunt accidentia quæ eis insunt, existere,

Intellectus agens & possib. potentia est anima.

Auerrois commentũ.

At commentator Auerrois locis illis crucem nonnullis interpretibus Aristot. oposuit, sic ipsum interpretatus, quòd non voluerit intellectum esse animæ accidens & potentiam, sed substantiam per se re ipsa separatam & subsistentem, vnumque subinde numero in omnibus hominibus qui non inest eis vt forma, sed præest vt motor, qui idcirco mortuo homine non exinguitur, neque alio nascente oritur, sed veluti idæa permanens successiuè desinit in alijs esse, in alijsque existere incipit. Et cum Aristo. 3. de anima ex professo docuerit animam esse actum corporis, nempe formam ei inhærentem, ipsumque viuificantem, tantum intulit discriminis inter animam & intellectum, vt animam diceret mortalem esse cum homine, intellectum autem perpetuò persistere.

2. De anima.

Sententia autoris.

Sed profectò si hanc mihi veniam illi, qui eum secuti sunt, darent, nihil cunctarer deliram phrenesim potius quàm opinionem appellare, neque recitatione dignam: tantum abest vt in mentem hominum cadat, illam alicui, qui ingenio valeat, obtrudere, aut suadere tam sinistram fuisse Aristotelis mentem Facit enim hæc opinio intellectum instar Dei existere in rebus quibus non inest: quod profectò diuinam quandã infinitatis imaginem præ se fert. Deus namque ob id quòd est infinita substantia omnia virtute continens, in cunctis rebus existit, per essentiam, præsentiam & potentiam, nec cum intereuntibus interit, neque cum orientibus oritur: quod alicui creaturæ tribuere (dicam iterum) dementia est. Id quod lumen ipsum naturale præterquàm cæcis hominibus liquidò monstrare potest. Plato quidem, vt D. Tho. 1. part. q. 70. art. 3. &. lib. 2. contra gentes c. 57. refert, non negabat intellectum esse animæ potentiam, sed tamen suarum dogmate Idæarum separatarum assuetus aiebat, animam ipsam non inesse corpori tanquam formam, sed adesse tanquam eius motricem, vt intelligentiæ mouent cœlum. Quam vtique opinionẽ latè prosequitur Plotinus lib. de immort. animæ, atque alij Platonici.

Plato.

Plotinus.

Veruntamen vt Platonicis omissis ad Aristotelem reuertamur, planè commentatori aduersatur. Primum in ipso statim introitu eod. tex. 5. vbi ait. De animæ autem eà parte, qua cognoscit atque cupit, siue sit separabilis, siue non, considerandum est. Vbi apertè intellectum possibilem appellat partem potentialem animæ. Et tex. 17. & 18. subdit, intellectum agentem & possibilem existere in anima tanquàm efficientem & materiam. Quare nunquam vir ille egregiè Philosophus somniauit, intellectum rem esse subsistentem ab anima seiunctum.

Commentatoris opinio conuincitur.

Ratio.

Et ratio profectò id palam facit, eademque ex manifesto eiusdem Aristotelis principio profecta. Supponit enim. 1. de anima. tex. 64. actiones non esse naturarum in abstracto aut partium, sed suppositorum: anima enim non dicitur texere, aut ædificare, sed homo: & eodem modo intellectus non intelligit, sed homo per ipsum, vel anima, præsertim separata. Igitur si anima, quæ est actus corporis, non haberet in se ipsa principia & potentias, quibus suas operationes compleret, esset homo à natura destitutus: cùm igitur intelligere sit hominis operatio, eademque potissima, necesse est in ipso existere potentias ad intelligendum sufficientes.

Status litis.

Et quoniam hic est status litis, quidnam Aristot. de immortalitate animæ senserit (nam si intellectus potentia animæ sit, cùm dicat eum esse perpetuum, fit vt & anima ipsa sit etiam perpetua) non molestè Theologus ferat hanc meditari philosophiam. Arguitur ergo quòd intellectus hominis sit animæ potentia, eidemque inseparabilis: appellat n. ibidem intellectum agentem Philosophus habitum & lumen: & certè nomen habitus inhærentem formam per modum permanentis significat: sed dicitur lumen, quia species phantasiæ illustrat: vt sint intelligibiles, sicut lumen sensibile facit colores visibiles: etenim qnia potentia nihil cognoscere valet nisi per species obiecti: & phantasmata sumpta à singularibus corporibus sunt materialia, intellectus verò immaterialis, necessaria fuit animæ virtus, quæ easdem species à conditionibus materialibus denudaret, quæ perinde virtus intellectus agens nuncupatur. Et certè alius non est modus cogitabilis, quàm quòd mediantibus phantasmatibus producit species immateriales & intelligibiles in intellectu possibili, qui illis informatus producit notitiam. Hinc ergo palam fit ambos intellectus esse potentias animæ.

Et re vera quamuis intellectum agentem aliquo, licet tenuissimo, colore effingi possit separatum, de possibili tamen nullo pacto suspicari potuit. Intellectus, inquam, agens, quia est ceu motor, potuit alicui apparere esse separatum, vt est intelligentia orbis. Qua quidem opinione Auicenna & Alexander Aphrodisæus imbuti fuisse videntur. Et Caieta. super tex. 17. 3. de anima, legitima, S. Thom. expositione posthabita, eandem opinionem conatur Aristoteli impingere. Sed male: quoniam intellectus non mouet localiter corpus, vt Angelus illud mouere potest, sed abstrahendo, vt diximus, à phantasmatibus species intelligibiles, quas infundit intellectui possibili: & ideo necesse est animæ intelligenti esse coniunctum.

Auicenna, Caietan.

At verò de intellectu possibili nulla est prorsus rationis apparentia, vt ponatur separatus. Nam Arist. appellat illum, id quo anima sapit, & intelligit, quemadmodum visus est, quo videt, & auditus, quo audit: principium autem, quo formaliter est in agente, præsertim cùm intelligere, vt. 3. de anima tex. 2. & 12. ait Philosophus, sit quoddam pati, & actio permanens in agente. Vnde cum expresè Philosophus dicat, intellectum possibilem esse immixtum & perpetuum, idipsum & de anima sentire profitetur. Attamen commentator vtrũque intellectum videtur separatum posuisse: nam 3. de anima tex. 5. expresè id de possibili affirmat: in quo sensu impugnat eum D. Thom. 1. parte. q. 76. ar. 1. Et de intellectu agente id etiam expressiùs subiungit super tex. 19. vbi distinctionem inter ambos intellectus constituit. Nescio ergo cur Commentator quibusdam tantum negotij facesserit, vt eum sustinere contendant, & Aristoteli Philosophorũ principi inurere hanc notam pergant, quod animam mortalem contra Platonẽ & omnes qui Philosophorũ nomine digni extiterũt, asseruerit. Fateor tamen aliud Aristotelis placitum, qui mundum ab æterno fuisse credidit, rem fecisse apud ipsum difficilem: fit enim inde consequens infinitas animas esse produ&tas, quæ si simul persistant, infinitæ sunt actu, quod veritati, quam ipse 3. Physicor. docuit, contrarium est. At verò facilius inde colligitur, in eo falsum fuisse, quod mundum posuit ab æterno, cuius vrgentiora argumenta. 8. Physicorum scripsimus, quàm quòd animas posuerit mortales. Multa enim sunt naturalia, quæ lumine naturali absque fidei illustratione plenè attingi nequeunt. Quapropter non solum de mundi æternitate, qui initio caruerit, sua fuit opinione seductus, verum & de animarum creatione nihil firmum, sed nutando & vacillando scripsit. Merito ergo Clemen. Firmiter. de summa trini. & fide catholi. tanquàm veritatem ex sacra pagina planè deductam explicans, eos condemnat, qui dicerent intellectum & animam non inesse corpori tanquàm formam, aut non inesse singulis corporib. singulas animas, aut non esse immortales. Idemque in concil. Lateranensi. 3. sessione. 8.

Intellectus possibilis nullatenus est separatus.

Commentator impugnatur.

Nota.

Clem. Firmiter. de summa Trinit. & fide cathol.

Duo autem sunt, quæ commentator apud Aristotelem intelligere renuit. Primum quod cum naturam animæ ab affectu per eius operationes Aristoteles vbique venari pergat. & anima perpetuitatem non habeat ratione specierum sensibilium & affectionum, quæ à corpore pendent, sed solum ratione intellectionum, quæ sunt res immateriales, non dixit planè animam esse perpetuam & immortalem, & immixtam, sed intellectum & mentem, per cuius operationem constat animam esse perpetuam. Itaque tantundem est, intellectum esse perpetuum, ac si diceretur, animam, quatenus intellectiua est, esse perpetuam.

Comment. Auerrois bifariam errat.

Aliud item apud Aristotelem familiare est, quod vbi ait, intellectum aut mentem esse separatam, non

Nota.

intelligit

intelligit actu tunc nulli inhærere, sed quantum est de natura sua esse per se subsistentem: quod est dicere, per se natura sua per solum generalem Dei concursum posse subsistere extra corpus, perinde atque in corpore: Angelus siquidem & anima sic differunt, quod ille est substantia spiritualis per se perfectè subsistens, adeò vt neque vlli corpori possit tanquam actus & forma inhærere, sed mouere corpus: anima verò non vsque adeò perfectè, quin sit etiam actus & forma corporis, quo nihilominus consumpto persistit.

Differentia inter Angelum, & animam.

Atqui & in hoc præterea Commentator, si consultò errare noluit, hallucinatus est, quod quamuis illic Philosophus non asseruisset, nisi intellectum esse perpetuum, non tamen ex illa affirmatiua inferre debuisset negatiuam, scilicet animam non esse perpetuam. Nam aliunde præterea eandem animę immortalitatem potuisset colligere: nempe, ex eo quod est substantia spiritualis, inde enim, vt supra monitum est, elicere debuisset, à corpore non esse pendentem, sed per se subsistentem, atque adeò incorruptibilem, veluti est Angelus: sed quia creationem eius ignorauit, nihil mirum si etiam in errorem immortalitatis eius fuerit collapsus. Veritatem autem hanc immortalitatis animæ præterquàm in locis citatis Phil. lib. 2. de generatio. animal. c. 3. planè affirmat dicens, mentem extrinsecus aduenire & esse diuinam. Enimuerò mens pars animæ intellectiua est: & quamuis intellectus agens species faciat intelligibiles, possibilis tamen est, quo homo intelligit: quapropter mens vtrumque intellectum amplectitur: atque adeò illo nomine animam intellexit, quam dixit extrinsecus aduenire ea ratione, qua mens erat. Et quod hic fuerit eius sensus inde constat, quod illic de alijs formis substantialibus sermonem habebat, quæ de potentia materiæ educuntur: & illa ratione exceptionem fecit de anima, quæ est forma & pars hominis: nam de intellectu agente, si, vt ait Commentator, non est forma hominis, non opus erat exceptionem facere. Imò verbum ipsum, extrinsecus aduenire, animam denotat. Nam intellectus, secundum opinionem Commentatoris, cùm non sit forma, sed semper vnicus immobilis & per se existens, non potest dici aduenire nec recedere, sed potiùs homines dum generantur dicendi sunt ei aduenire, quippe quibus tanquam instrumentis vtitur.

Alia commentatoris hallucinatio.

Li. 2. de genera. animal. capit. 3. Mens.

Sensus Aristo.

Eadem veritas constat ex eodem Philoso. eo. 2. de anima tex. 11. vbi ait, nihil prohibere quasdam partes animæ à corpore separari, vbi non solum intellectum agentem sed possibilem insinuat, quos appellat partes animæ: & lib. 3. tex. 4. etiam docet esse immateriales: nam si intellectus, inquit, esset callidus, aut frigidus, impediretur ne alia posset corpora intelligere, quem quidem intellectum asserit esse animæ potetiam. Item 1. de anima tex. 92. negat eidem intellectui possibili aliquam competere partem aut mistionem corporis. Et lib. 2. tex. 21. ait contemplatiuam potentiam (quo nomine etiam intellectus possibilis includitur) perpetuam esse, & ab eo quod accidit, hoc est, quod corrumpitur, esse quid separatum & seiunctum. Idemque ait 12. Metaph. tex. 17. Cùm autem ait separari intellectum ab eo quod corrumpitur, non intelligit intellectum agentem tanquam perpetuum separari à possibili tanquam corruptibili, vt scioli quidam suspicantur, sed quòd pars intellectiua & speculatiua separatur, à sensibili, puta, à phantasia & æstimatiua. Sed pertinacia Commentatoris eiusque sequacium est, illa loca solùm de intellectu intelligere, & non etiam de anima, cuius intellectus potentia existit. At quia Commentatori non expediebat, animam esse immortalem: mordicus contendit esse mortalem. eis verò, qui nolunt eius mortem perpetuam experiri, expedit vt de eius immortalitate non dubitent.

2. de anima tex. 11.

Aristo. loca.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, Ecclesiastem concionatoris more non protulisse verba illa affirmando, sed quasi aliorum nomine, qui illo tenebantur errore, vt Sapien. 2. explicatur, vbi legitur, Dixerunt impij cogitantes non rectè in corde suo, exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam si non fuerimus.

Sol. 2. arg.

Vnde vt ad ambo simul loca respondeamus, notandum, quòd aliquo modo .s. quantum ad coporum ortum & interitum, vnus est nobis cum brutis: nam cùm & corpora quoque nostra de terra sint plasmata, pariter vt brutorum corpora reuertuntur in puluerem. Et quantum ad vitæ cursum similis est corporum processus: nam similiter, vt eisdem locis legitur, Simul spirant omnia, & fumus, & flatus est in naribus nostris: quasi dicat, tenuissimo aere, quo spiramus & respiramus, conseruamur, quo sublato, extingueremur. At verò quantum ad animam, longè nos brutis superiores sumus: nam anima ipsorum de potentia materiæ ducitur, iuxta illud, Producat terra animam viuentem: nostram verò per creationem spirauit nobis Deus tanquam spiraculum vitæ. Vnde falsum est, quod illi dicebant, Nihil habet homo iumento amplius. Est ergo nobis & brutis vnus interitus corporum, non tamen animorum.

Tertium autem argumentum satis in superioribus solutum est, vbi discrimen inter angelum & animam nostram illud constituimus, quòd ille sic est per se, vt nequeat esse corporis forma, anima verò sic est corporis forma, vt possit esse per se. Respondetur ergo, quòd anima quamdiu est in corpore, nequit absque phantasmate intelligere, eo quod corpora non possunt intellectui nisi per corporalia obiecta applicari: illa tamen phantasmata ad intellectum possibilem perfingere nequeunt, nisi virtute intellectus agentis à corporeis conditionibus denudata: quod est testimonium, ex natura sua non pendere à phantasmatibus. Concedimus ergo quod licet pro isto statu ab illis dependeat, non tamen simpliciter ex natura sua, & ideo est perpetua & immortalis.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS II.

Vtrum corporum resurrectio sit futura.

IMMORTALITATEM animæ præmeditati, pauciores ad explorandam resurrectionem corporum descendimus. Arguitur nihilominus non esse futuram. Primo ex illo Iob. 14. Homo cùm dormierit non resurget, donec atteratur cœlum, neutiquam tamen cœlum attritum esse potest: ergo nunquam fiet corporum resurrectio.

Partis negatiuæ 1. argum.

Secundò arguitur. Si resurrectio futura est, omnes mortui debent resurgere: nam quod ex natura speciei sumitur, similiter in omnibus individuis eiusdem speciei reperitur: non tamen omnes resurrecturi videntur, quia Danielis 12. non dicitur, nisi quod multi qui dormiunt in puluere, euigilabunt, & Dauid Psalmo. 1. Non resurgent, inquit, impij in iudicio: ergo cùm æqua sit omnium ratio, nulli resurgent.

2. Argu.

Danie. 12.

Psalm. 1.

In contrarium est illud Iob. 19 Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circundabor pelle mea.

Pars affir.

Resurrectio corporum vt est auditu mirabilis, ita est creditu tum iucunda, tum etiam necessaria. De qua re quamuis inter philosophos sub lumine naturali nulla præcesserit certa cognitio, apparuit eis tamen nonnulla eius effigies, vt Aug lib. 12 de ciui. Dei ca. 13. refert de illis philosophis, qui mundi secula aiebant per circulum eadem numero reuolui. Et lib. 22 c. 25. & subsequentibus refert, quòd Marcus Varro in libris, quos de gente populi Romani scripsit, Genethliacos quosdam commemorat, qui aiebant παλιγγενεσιαν hoc est, hominum resurrectionem, in annis numero quadringentis quadraginta confici, vt eadem anima illo elapso tempore ad idem corpus, cui fuerat coniuncta, regrederetur. De quo seculorum circulo ait. proximo redibit sermo. Et Plato in Phædro, quę dialogum de pulchro inscripsit, de animorũ μετοιχεσιας, hoc est, transmigratione, quæ Pythagoræ fuit opinio, scripsit, vbi regulam Adrastiæ deæ, id est, ineuitabilis numinis eam refert, vt anima quæcunque Deum comitata aliquid verorum inspexerit, in aliud corpus, scilicet in genituram aut viri Philosophi, aut Regis, &c. sit transmigratura. Id cuius & Cicero in fragmento de republica meminit. Vnde fabulatur Euphorbon in pythagoram transmigrasse. & in pauum Homerum, vt Tertullianus in initio libri de resurrectione carnis retulit, vbi ait, illos resurrectionis veritatem prælibasse, non tamen prorsus adijsse. Agnoscebant enim illi mortales immortalem esse animam, atque adeò corporis amicam, & ideo hallucinantes aiebant, post discessum à corpore ad alia iterato recurrere. Quamuis illic Plato in diuersa bestiarum corpora etiam

Decisio articuli.

Marcus Varro.

Plato.

Pythagoræ dogma.

Cicero in Somnio Scipionis. Tertullia.

In bestias.

animas eorum qui nunquam veritatem inspexerunt, transmigrare dixerit.

Istorum autem ridiculi errores ex duobus falsis principijs ortum duxerunt. Credebant enim primum animam non esse formam corporis, sed vt motorem illud intrare & gubernare: quemadmodum articulatus aer tibicinis fistulam ingressus musicam resonare facit: sic enim putabant animam per diuersa corpora vagari. Rursum nec prorsus discrimen inter intellectum & sensum agnoscebant: haud n. arbitrabantur in homine aliud esse intellectum quàm sensum: sed propter optimam eius complexionē putabant in eo vim egregiùs vigere. Quapropter anima secundum istos in illud bestiæ corpus transmigrabat cuius similem vitam duxerat, vt qui fuerat luxuriæ deditus, eius anima in canis se corpus reciperet, & qui violentijs & rapinis fuerat addictus, in corpus leonis, & hunc in modum de alijs. Aliæ verò, inquit, animæ primæ vitæ finem consecutæ iudicantur, iudicatæ autem aliæ sub terra in iudicij locum euntes meritas illic pœnas sustinent. Aliæ in cœli quendam locum per iudicium eleuatę ita degunt, vt dignum est illi vitæ, qua in hominis figura vixerunt. Profectò non potuit in lumine naturali veritatis fimbrias propinquius attingere, quamuis feratur ab Aegyptijs multa mutuarus diuina, quæ illic Abraham ac subinde Iacob & eius soboles seminarunt.

Plato aliqua vete. testam. legit.

Sed Philosophorum placitis prætermissis sub lege Moysi secta Saducæorum viguit, qui corporum resurrectionem denegabant. Nam fortasse & animas perire arbitrabantur, vt Origenes & Hieron. referunt. Et Act. 23. insinuatur, vbi legitur, quòd dicebant, non esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque spiritum, vbi nomine spiritus insinuatur anima postquam contra Angelum distinguitur. Quamuis alij censeant eandem immortalitatem non negasse. Sed quoniam dotes corporum gloriosorum ignorabant, arbitrabantur resurrectionem non esse possibilem, nisi ad vitam mortalem alimentis sustinendam, & vxoribus propagandam. Et ideo, vt Matth. 22. refertur, accesserunt ad Christum quasi irridendo scisitantes, eum qui septem habuisset vxores, quam esset illarum in resurrectione resumpturus. Quibus Christus respondit, quòd illic neque nubent, neque nuptui tradentur. Post Saducæos in lege Euangelica adeò fuit articulus hic persuasu difficilis, vt quā plurimi fuerint hæretici illum abnegantes, vt Simoniani à Simone Mago, & Carpocratiani atque alij complures, quos Aug. lib. de hæresibus de nomine refert, & Isidorus lib. 8. Etymologiarum can. Quidam. 24. q. 3. inter quos Arabicos refert, qui aiebant animas esse mortales, quod fuit Commentatoris dogma, sed tamen cum corpore postea resurgere.

Saducæorum secta.

Mat. 22.

Atqui hæresum hæc diuersitas ex diuersis oriebatur causis. Manichæi namque arbitrati animā à bono Deo, corpus verò à malo fuisse conditum, aiebant, animam solam esse totam hominis perfectionem. Porphyrius verò Platonicus, de quo Aug. lib. 22. de ciui. Dei ca. 26. meminit, dicebat, totam animę perfectionem in separatione à corpore consistere, atque adeò illud non esse innouandum. Quare Marcionistæ apud Tertullianum multis conuicijs corpora nostra proscindunt, vt eorum dissuadeant resurrectionem.

Hæresum origo diuersa.

Marcionista.

Duo ergo argumenta in initio quęstionis proposita duas conclusiones poscunt, quibus conclusioni fiat satis. Prima Resurrectionem carnis esse futuram catholica nos fides docet, cuius hic vnus articulus est. Et primum de possibilitate, quam conclusio pręsupponit, sunt qui illam, vt Durand. sic demonstrent. Causa cur forma inducatur in materia, non est alia quærenda, quàm efficiens: sed post obitum hominis manet anima & materia prima, quæ est incorruptibilis. & Deus, qui est causa efficiens: ergo resurrectio virtute Dei est possibilis. At verò ratio hæc & curta nimium est, & minus physica. Nam primum non probat, resurrectionem possibilem, si anima & materia non essent post obitum superstites: & tamen quamuis essent in nihilum redactæ, posset Deus corruptum idem restituere, vt dist. seq. q 1. artic. 1. contra eundem Durand. commonstrabimus. Item quia agens naturale non potest virtute naturali formam, quæ antea fuerat separata, reunire materiæ, vt illicò dicturi sumus, sed illam de eius potentia educere. Igitur alia est causa quærenda, quàm quod agens & materia & forma existant. Causa verò resurrectionis non est naturalis, quam Aristote. cognouerit, sed hæc

1. Concl.

Possibilitas resurrectionis probatur.

Sententia autoris.

Ratio sū. pranatura. lis.

supranaturalis, Deus habet potentiam infinitæ virtutis, quæ ex nulla causa secunda in agendo dependet, cum omnia ex nihilo condiderit: ergo omnium virtutem se ipso absque illis supplere potest, causæ autem rei aliæ sunt ad producendum speciem: ignis enim est causa ignis, & equus est causa equi: aliæ verò sunt ad producendum indiuiduum: scilicet speciem in tali indiuiduo, quæ sunt hæ numero dispositiones in hoc loco & hoc tempore. Et quia transactum tempus & motus, quibus res hæc fuit producta, non possunt rursum redire (vt dist. seq. q. 1. art. 1. luculentiùs monstrabimus) agens naturale non potest idem reproducere numero, sed duntaxat idem specie. Deus autem vtrasque propter suam infinitatem supplere causas potest: ergo sicut sine igne potest producere ignem, & sine equo equum, ita rem illam, quæ hic & nunc per has dispositiones producta est, potest illis transactis singularibus conditionibus hic & nunc, quæ non possunt redire, eandem numero sine illo temporis puncto & motu reproducere, siue creando illam si fuerat annihilata, siue vniendo eandem formam eidem materiæ, si erant superstites, siue educendo de potentia materiæ, vt ipsi placuerit, quod agens naturale nullo pacto efficere potest.

Resurrectio probatur.

Supposita ergo possibilitate, rei veritas sicuti superior à primo sacrorum Bibliorum capite deducitur. Colligitur enim ex initio Geneseos, primos parentes à Deo conditos eatenus immortales, vt possent non mori: legitur namque cap. 2. quod plantauerat Deus paradisum voluptatis à principio, in qua inter alias arbores plantauit lignum vitæ in medio paradisi & lignum scientiæ boni & mali, vbi Deus posuit hominem, quem formauerat, præcipiens vt excepto ligno scientiæ de omni alio ederet: lignum autem vitæ arborem designat, quæ virtutem habebat diuinam perpetuandi vitam. Quo colligitur, Deum sic hominem creasse, vt si iustitiam custodisset originalem, potuisset non mori. Vnde August. lib. 13. de ciuit. Dei c. 20. Cibus, inquit, aderat homini ne esuriret, potus ne sitiret, & lignum vitæ, ne senectus eum dissolueret. Et quia hoc naturaliter fieri non poterat, inerat in anima supranaturalis virtus ad id idonea. Quare statim cap. 3. cum Deus hominem de paradiso eij ceret, ait, Ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Condecuit enim, vt quem Deus ad suam ipsius fœlicitatem participandam condiderat, ei non animam tantum immortalem spiraret, verum & corpus ei iuxta naturam eiusdem animæ coaptasset, quod posset non mori, vt creaturam illam, quam paulò minus ab angelis minuerat, à terrestri in cælestem paradisum sine mortis gustu transmitteret. Quapropter in pœnam, si de arbore scientiæ comederet, decreta fuit illi mors, In quacunque enim hora, inquit, comederis ex eo, morte morieris. Quare duarum duntaxat arborum mentio illic facta est, scilicet ligni vitæ, cuius esus immortalitatem conferret, & ligni scientiæ, cuius gustus mortem inferret. Quocirca Sapien. 1. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. & cap. 2. Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem & similitudinem sui fecit illum, inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Cui consonans Paul. Per vnum inquit, hominem introiuit peccatum in mundum, & per peccatum mors.

Aug. de ciuit. Dei.

Genes. 3.

Duarum arborum mentio.

Ex his ergo primum secundùm fidem exstruitur resurrectionis argumentum. Christus venit, vt per suam mortem ab illa nos morte peccati eriperet, in quam nos Adam coniecerat: nam sicut per inobedientiam vnius hominis, vt ait Paul. Roma. 5. peccatores constituiti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi: ergo cùm peccatum Adæ, quo anima occisa est, fuerit nobis causa mortis corporalis, ita & iustificatio Christi, cuius graria anima ad vitam spiritualem restituta est, causa subinde fuit nobis vitæ corporalis: nam vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Vnde ad Rom. 8. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Cùm ergo in hac vita secundùm nostram naturam iustitia originali denudatam decuerit, vt ad exercitium virtutis ærumnas & calamitates, ac subinde mortem pateremur, consequens est, vt tandem hac peracta mortali vita virtute passionis Christi corporum quoque resurrectione fruamur, vt totum quod nobis Adam abstulit, Christus conferat.

1. Arg.

Roma. 8.

Eandem veritatem vetus testamentum perdocuit, vt ex Iob & Daniele supra citatum est, & Ezechiel. 37. ait Propheta, quod in spiritu Domini eductus fuerit

Testimonia legis antiquæ

in cam-

in campum, qui erat plenus ossibus, & iussus est illis vaticinari, Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum & viuetis, & scietis quia ego Dominus. Vnde Christus Saducæis improperans ait, Erratis nescientes scripturas neque virtutem Dei: nam suis affectibus excæcati illas non intelligebant, neque putabant virtutem Dei id posse facere. Quare de resurrectione mortuorum subdit: Non legistis quod dictum est, scilicet Moysi, de rubo, Exod 3. Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Et subiungit, Non est Deus mortuorum, sed viuentium: vbi profectò, cùm non fuisset dictum, Deus animæ Abrahæ, Isaac & Iacob, sed Deus Abraham, Isaac & Iacob, quod dicit totum compositum. docuit resurrectionem illic fuisse insinuatam, vt essent rursum victuri. Imò apparet aptissimè illo tunc temporis articulo, quo Deus Moysi iubebat, vt educeret populum de Aegypto, illius suæ virtutis meminisse, qua erat patres illos in vitam reuocaturus, vt inde Moyses intelligeret, quòd qui poterat de sepulchris mortuos euocare, facilius posset de Aegypto populum educere. Et Dauid Psalmo. 1. dicens, Non resurgent impij in iudicio, resurrectionem prædixit. Et Esaiæ. 26. Resurgent mortui, & suscitabuntur qui sunt in monumentis.

Exodi. 3.

Psal. 1.

Quinimò & rebus gestis eadem resurrectio fuit illo seculo demonstrata, cum Elias & Elisæus, vt 3. & 4. Reg. legitur, mortuos suscitauerint.

Testimonium nouæ legis.

At verò eandem veritatem Christus palam mundo prædicauit, vt Ioan. 5. Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent: sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere. Vbi habere vitam in semetipso, non solum significat habere in se vitam humanam qua ipse viuit, sed quòd sicut pater habet potestatem tribuendi quibuscunque viuentibus vitam, ita & filius quatenus redemptor habet in se potestatem restituendi mortuis vitam: & ideo subnectit: Et potestatem dedit ei iudicium facere. quia in finali iudicio hoc perfecturus est. Ob idque subdit, quia filius hominis est, nolite mirari hoc, id est, nolite mirari quòd in filio hominis tam excelsa sit virtus: venit enim hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: cùm prædixisset, filius hominis, subiunxit, filius Dei, vt exprimeret qua virtute id facturus sit. Nam etsi per vocem humanam vel angeli sit mortuos euocaturus, virtute tamen diuina. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, & qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicij.

Nota.

Atqui ad eandem confirmandam resurrectionis fidem, & discipulis potestatem dedit mortuos suscitandi, & ipse tum alios, tum præcipuè Lazarum suscitauit, Ioan. 11. vbi perinde sermonem eiusdem fidei prolixum cum Martha conseruit, quæ vbi à Christo audiuit, Resurget frater tuus, respondit, Scio, quòd resurget in nouissimo die: in cuius confirmationem subnexuit Christus, Ego sum resurrectio & vita, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui credit in me, non peribit in æternum: & ait illi, Credis hoc? Respondet, Vtique Domine. Et merito eiusdem confessionis, quæ de Christi gratia processerat, perrexit fratrem ei suscitare.

Ioan. 11.

Alia confirmatio.

Accedit item in confirmationem huius orthodoxæ confessionis resurrectio Christi, de quo vaticinatus fuerat Dauid, Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et alibi, Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Sicut enim sua morte liberauit nos à peccato, nobisque mercatus est vitam, ita & resurrexit, vt causa esset & exemplar nostræ resurrectionis. De hoc tamen artic. 4. latiùs. Est ergo hæc resurrectionis conclusio non solum de fide, sed articulus fidei, vt de vita æterna diximus.

Psal. 15.

Ratio.

Sed præter diuina testimonia præsto sunt etiam rationes quibus eadem veritas confirmatur. Anima enim cùm sit actus corporis, vt Philoso 3. de anima tex. 4 ait, naturalem habet ad ipsum affectionem: fœlicitas autem quam Deus dilectis suis est retributurus, perfectissima est, ac subinde affectibus cunctis naturalibus & legitimis satisfaciens: ergo condecens est, vt Deus hunc animi appetitum in æterna beatitudine satiet: nimirum in corpore rursum adiungat.

Sunt qui putant D. Thomam hic & articul 4. negare animam separatam habere inclinationem ad corpus, propterea quòd naturalis inclinatio est illa quæ per causas naturales impleri potest, per quas vtique causas illa inclinatio expleri nequit. At verò neque hoc Diuus Thom. planè negat. Imò ait quod est semper dependens à corpore. Et fortasse potest esse inclinatio naturalis, licet naturaliter impleri nequeat, vt de nostra inclinatione ad videndum Deum super D. Thomam. 1. par. q. 12. artic. 1. disputauimus. Et præterea cùm anima sub illa fuerit inclinatione naturali creata, & quod naturale est nunquam separetur, dicere possumus eandem postquam corpus exuit retinere: & satis est quod potuerit inclinatio illa naturaliter impleri, vt dicatur modò naturalis. Quemadmodum graue etiam extra cœlos positum haberet inclinationem naturalem descendendi, licet naturaliter id non posset. Sed quicquid sit de illa inclinatione per modum habitus, qui est idem quod ipsa anima, saltem de appetitione quæ est actus elicitus, negari non potest quin anima cupiat esse in corpore, cum eiusmodi coniunctio sit ei naturalis. Imò verò August. 12. super Genes. ca. 35. Inest, inquit, animæ naturalis appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in summum illud cælum, ideest, in illam beantem visionem. Tametsi illa retardatio non sit per modum contrarij impedimenti, quemadmodum calor retardat actionem frigoris: quoniam per visionem Dei beatricem in quo corpora conspiciunt resumpturas, consolantur animæ, ne illa appetitio sit eis molesta: sed quemadmodum D. Tho. 12. q. 4. articul. 5. interpretatur retardatio illa fit per modum cuiusque defectus: appetit quippe anima sic Deo frui, vt ipsa fruitio deriuetur in corpus, per eorum dotes, à quo vtique effectu retardatur anima separata. Miseras verò inferni animas (quicquid sit de naturali inclinatione) non est credibile concupiscere corpora, quippe in quibus sunt peius cruciandæ.

D. Thom.

August.

Ratio. 2.

Secundò arguitur. Pulchritudinem vniuersi in tria Deus distribuit: condidit enim substantias purè spirituales, vt supra cœlestes spiritus, sub his alias corporeas, vt cœlum & elementa atque alia mixta infra hominem: inter has verò mediam, quàm ex spiritu & corpore composuit, vt hominem: non fuit ergo cõgruens, vt in perpetuum orbis pulchritudo orbaretur hac media, quod certè contingeret, nisi tandem animæ sua reciperent corpora.

Ratio. 3.

Tertiò denique & hoc æquissimæ iustitiæ Dei fuit congruentissimum. Creauit n. non solùm animam, quæ ei esset obediens, verùm & corpus, quod eidem animæ in hac obedientia seruiret: anima n. non tantum per suos actus intellectus & voluntatis, sed etiam per officia corporea, & Deo seruit & ipsum offendit: imò verò non anima, sed homo propriè est qui Deo famulatur, eique vice versa eum offendit: nam actiones sunt suppositorum. Quare obsequium Dei est, corpus castigare & domare, vt Paulus se feciſſe affirmat: & ad Roma. 6. Sicut exhibuistis, inquit, membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Et. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisque propria corporis, quæ gessit, siue bonum, siue malum: cùm ergo non anima sola, sed homo ipse per corpus de Deo bene aut malè mereatur, æquum est vt totus homo in anima & corpore retributionem & bene & male factorum suscipiat: vita enim hominis super terram militia quædam est, & colluctatio carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Condecet ergo, vt si anima sic edomauerit corpus, & corpus sic obedierit animæ, vt spirituale fiat, gloria animæ redundet in ipsum: si verò contra anima se corpori sic subdiderit, vt carnalis efficiatur, supplicia eius corpus itidem patiatur. Et ideo in symbolo de Christo confitemur, non quòd solum propter animas nostras, sed quod propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Neque ipse solam animam assumpsit, sed integram humanitatem ex corpore & anima: in quo vtique corpore mortem pro nobis pertulit. Quapropter postquam infirmum ad probaticam piscinam sanauit, murmurantibus Phariſæis quòd in die festo illud patrasset opus, ait, Si circuncisionem accepit homo in sabbato, mihi indignamini quia totum hominem saluum feci in sabbato? infirmos namque

2. Cor. 5.

Ioan. 7.

tanquam

tanquàm resurrectionis præsagium anima & corpore sanabat.

Obiectio. 1. His nihilominus rationibus alias obmoliri quispiam posset contrarias: Deus perfector est naturæ, non corruptor: perfectio autem naturalis animæ, quippe quæ in sua substantia à corpore non pendet, est ab ipso sequestrari: nam separata similior fit Deo, cœlestibusque spiritibus, puriorque redditur ab illis terrestribus affectionibus, quas à corpore contrahit: caro n. vt ait Pau. concupiscit aduersus spiritum, imò & liberior fit ad intelligendum: est namque intellectus, vt 3. de anima autor est Philosophus, per se agens, quia est vniuersalium cognitor, quæ a singularibus abstrahuntur: ergo non attinet ad eius perfectionem corpori rursus vniri, atque adeò carnis resurrectio non est futura.

Obiectio. 2. Item, Corpore anima nòn nisi tanquam instrumento vtitur: instrumentum autem non est præmio dignum aut supplicio: quid enim boni aut mali meretur aut demeretur fabri malleus? Primo argumento victus fuit Porphyrius ille Platonicus, qui, vt Augu. loco citato vigesimosecundo de ciuitat. Dei refert, aiebat, vt beata esset anima, corpus omne esse fugiendum. Quare & Marcianistæ apud Tertullianum, multa conuicia in corpora nostra iactitant, vt eorum dissuadeant resurrectionem: aiunt enim corpora ex seminis limo infirma esse, criminosa, onerosa, molesta, ignobilia, &c. atque adeò vt quæ resurgant indigna. Augustin. verò Porphyrium autoritate sui Platonis reuincit, qui Deos faciebat vel beneficio summi Dei immortales corpore & anima. Inducit enim verba Platonis quasi ore Dei non facti ad alios Deos factos prolata. Quoniam estis, inquit, orti, immortales esse & indissolubiles non potestis. Non tamen dissoluemini, neque vos vlla mortis fata periment, neque erunt valentiora quàm consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis colligati. Hæc diuinus Plato: quæ profectò verba Dei nostri ad fœlices homines postquam surrexerint fieri videntur.

Porphyrius. *Marcianistæ.* *Aug. Porphyrium refutat.* *Platonis diuina verba.*

Sol. prima obiectionis. Ad argumentum ergo negatur, animæ perfectionem in separatione à corpore consistere, imò cùm suapte natura sit pars totius compositi, perfectio sua est illi inesse: & ideò quamuis secundum quid separata sit Deo similior, simpliciter tamen loquendo similior est in corpore: nam quo vnaquæque res naturam suam perfectiùs obtinet, eo magis diuinam naturam imitatur. Veluti cor tunc immobili Deo similius est, dum mouetur, quàm dum quiescit: quia perfectio cordis est moueri, & quies est mori. Et quamuis liberior sit ad intelligendum à corpore corruptibili separata, tam libera tamē est in corpore glorioso, quòd eius operationes non impedit, & tam pura, vtpote quę ab illo corpore nullis affectionū sordibus inficitur. Quocirca non est cur corpus nostrum, vt vile quidpiam habeatur & sordidum: nam vt in prima eius conditione videre est, licet è terra fuerit plasmatum, non tamen Deus terræ commisit, vt veluti cætera viuentium corpora nostrum proferret, sed ipse limum, hoc est, purissimum terræ selegit, & quasi suis manibus, vt more nostro loquamur, ceu figulus efformauit, stupendaque membrorum & organorum firmitate cōpegit, & pulchritudine pernauit. Quare cum anima condecet vt dotibus gloriæ in cœlesti fœlicitate cortuscaret. Neque verò in corpus reijcienda est culpa sordium animæ, sed in eius consentientis voluntatem. Et quamuis lex, quam, vt ait Paul. in membris nostris sentimus, aliqua sit illarum sordium causa, illam tamen legem nobis Deus non impressit, sed ex originali culpa contraximus, à qua per mortem & incinerationem iustorum corpora propurgantur.

Aduersus Marcianistas.

Solutio secundæ obiectionis. Ad secundum itidem respondetur, quod secundùm Platonicos & Pythagoricos, qui putabāt animam non inesse corpori nisi tanquam motricem, aliquam haberet concludendi vim, quia tunc corpus non esset nisi animæ instrumentum separatum: at verò quia, vt dictum est, anima est actus & forma corporis, atque adeo pars hominis, corpus non est solùm instrumētum animæ, ac si ipsa sit tantum operans per ipsum, sed est instrumentum cōiunctum, hoc est, pars hominis operantis: ideo non tantùm animę, sed toti homini operum merces debetur.

Obiectio. Quòd si arguas inde consequi, pœnas purgatorij non esse iustas, quippe quas sola anima absque corpore patiatur, cùm & corpus earum etiam fuerit reum. Negatur consequentia, quia illic purgantur peccata venialia, quæ perfectam non habent rationem peccati: & ideò pœnæ illæ licèt ita nominentur, non tamen habent perfectam rationem pœnæ, quæ dicatur retributio, sed potius sunt purgatio. Et idē est de pœna mortalibus remissis debita. Loco tamen illius purgationis patitur corpus mortem & incinerationem, quibus purgatur.

Diluitio.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur capitale argumentum respondetur, quod Iob noluit illic resurrectionem negare, cùm planè alibi eam affirmet, sed dixit non futuram quousque cælum attereretur. Non quidē quoad substantiam, quæ perpetua est, sed quantum ad eius genitricem virtutem, quia corruptiones & generationes cessabunt. Quo sensu ait. 1. Corinth. 7. Paul. Præterit figura huius mundi.

2. Concl. Secundo argumento aliud submouetur dubium, vtrùm vniuersi sint resurrecturi: nō quidem vtrùm omnes sint morituri, hoc enim inferius disputabimus. sed vtrùm omnes, qui fuerint mortui resurgent. Ad quod igitur secunda affirmatiua conclusione respondetur, omnes fore resurrecturos. Ea enim, quorum ratio ex natura speciei sumitur, omnibus individuis eiusdem speciei conuenire oportet: cùm ergo resurrectio ratione speciei humanæ, quæ corpore & anima constat, sit futura, consequitur, vt omnes tam boni quàm mali sint resurrecturi. Sit ideo in autoritatibus inductis Ioann. 5. &. 11. dicitur, quod omnes qui in monumentis sunt viuent, alijque resurgent in resurrectionem vitæ, alijque in resurrectionem iudicij. Quo alludens Pau. 1. Corinth. 5. Omnes quidem, inquit, resurgemus sed non omnes immutabimur, id est, omnes corpora resument, iusti quidem vt mutentur, & transeant, vt habetur Ioan. 5. de morte temporali in vitam æternam: iniusti verò non vt mutentur, sed vt de morte tēporali ad æternam transeant. Quamuis alij, vt infra videbimus, aliter legant.

Ioan. 5.

1. Cor. 5.

Ratio 2. cōclusio. Item confirmatur eadem conclusio, quia cùm resurrectio in hoc futura sit, vt vnusquisque, vt ait Pau. recipiat prout gessit in corpore: & nullus sit, qui non sit retributione dignus, sit vt omnes sint resurrecturi.

Sol. 2. arg. Ad secundum ergo argumentum ex Daniele respondet Aug. 20. de ciuita Dei, quod multi, idem est quod omnes: talis est enim modus loquendi frequens in scriptura: vel dicendū, quod euigilare plus est quàm resurgere. Quare paruuli absque baptismo defuncti resurgent quidem, sed propriè non euigilabunt, quia discretio in eis non habebit vigorem ad sentiendum pœnas. Imò & damnati hoc modo possunt dici non euigilaturi, quia lucem non intuebuntur.

Euigilare quid.

Psalm. 2. Verbum autem Psalmi, Non resurgent impij in iudicio, vno modo intelligitur, quod non resurgēt in iudicio discussionis cōscientiæ resurrectione spirituali per gratiam à peccato quæ fit in hac vita. Vel intelligitur de infidelibus quantum ad finale iudicium, quod, vt infra videbimus, erit duplex, alterum discussionis, quo reddetur factorum ratio, & alterum condemnationis, quæ est prolatio sententiæ. Atqui infideles, quia non sunt de repub. Christiana, non iudicabuntur priori iudicio, sed posteriori, sicut hostes reipub. absque discussionis iudicio condemnantur. Et è conuerso Ioan. 5. de iustis legitur. Qui verbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, scilicet condemnationis, sed transit de morte ad vitam.

Iudicium duplex.

Infideles.

Obiectio prima. Quòd si contra arguatur. Christus Ioan. 6. non promittit resurrectionem nisi venientibus ad se: ait enim, Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et 1. Cor. 15. vbi colligit Paul. quòd si Christus resurrexit, nos resurgemus, insinuat per resurrectionem debere nos assimilari Christo, cui tamen iniqui non assimilabuntur. Item quia resurrectio corporis fit per resurrectionem animæ à peccato: illi ergo, quorum culpa, saltem originalis, non fuit remissa, indigni resurrectione videntur.

Obiect. 2.

Obiect. 3.

Solutio 1. Ad primum autem respondetur, quòd resurrectio alia est in vitam æternam, alia in mortem æternam: quando ergo ait Christus, quòd iustos resuscitabit, intelligit de priori resurrectione, nihilominus alij resurgent in mortem æternam.

Solutio 2. Ad aliud respondetur, quòd dupliciter contingit assimiliari Christo, vno modo quantum ad naturam speciei, quam integrem suscepit: & quantum ad hoc

tatu

tam mali quàm boni debent ei assimilari resumentes vera corpora. Sed alia est assimilatio per gratiam, quæ solis iustis competit.

Solutio 3. Ad tertium respondetur, quòd resurrectio vniuersalis fiet per Christum, non quidem resurrectio singulorum per gratiam iustificantem singulis collatam, sed per gratiam vnionis humanæ naturæ toti generi impensam, in qua quantum ad sufficientiam genus nostrum redemit per crucem. Et ideo etiam illi, qui redemptionis beneficium non susceperunt, resurgent, præsertim quia pœnam mortis ob originis culpam inflictam moriendo corporaliter soluunt: pœna enim illa fuit mori, non autem morte detineri.

Obiectio. Quòd si rursus arguas de paruulis, saltem non baptizatis, qui cùm nihil boni vel mali gesserint in corpore, non resurgent, saltem illi qui moriuntur in maternis vteris, qui cùm non nascantur, non possunt per gratiam renasci, atque adeò nec beneficio resurrectionis frui. Respondetur primò, quòd omnes in Adam peccauerunt. Et secundò, vt diximus, quod licet non receperunt gratiam regenerationis, receperunt tamen gratiam vnionis Christi cum natura humana, cui omnes in resurrectione debent fferi conformes.

Dilutio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm resurrectio sit naturalis.

Partis affirmatiua. arg. 1. 1. Argu. SVBSEQVITVR vt de causa resurrectionis dicamus, & primò an sit naturalis. Et arguitur à parte affirmatiua. Aristo. 8. Metaphysices cap. 4. videtur dicere, quòd vbi materia est eadem & agens idem, effectus est idem: cùm ergo post rei corruptionem maneat materia prima, & sæpè idem agens, potest per naturam effectus, qui antea fuit productus, & subinde corruptus, reproduci, atque adeò idem homo: ergo resurrectio est naturalis.

2. Argu. Secundò. Resurrectio est motus quidam ad perpetuam coniunctionem animæ & corporis, quæ quidem coniunctio naturalis est vtriusque quies, cùm vtraque pars appetat alteri esse coniuncta: motus autem naturalis dicitur, qui ad quietem naturæ terminatur, vt Philosophus 5. Ethico. docet: ob id enim descensus rei grauis naturalis est, quod eius quies in centro est naturalis: ergo resurrectio est naturalis.

3. Argu. Tertiò arguitur autoritate Gregorij. 24. Moralium, quem in textu retulimus, vbi ait, quòd qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, eandem ex ratione tenere debuerant. Ecquid enim, inquit, quotidie nisi resurrectionem nostram mundus in elementis suis imitatur? Lux enim quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursus quasi resurgendo reuocatur: & arbusta viriditatem amittunt, & rursus quasi resurgentia reparantur: & semina putrescendo moriuntur, & rursus germinando quodammodo resurgunt: quinuerò Apostolus eandem rerum imaginem à seminibus ducit: nam quod seminas, inquit, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum: eodem pacto corpus nostrum quod seminatur in corruptione, surget in incorruptione, &c. ergo resurrectio est naturalis.

1. Cor. 15.

Pars neg. In contrarium est, quod vt in prædicamen. cà. 10. ait Philosophus, a priuatione in habitum impossibilis est regressus: mors autem est priuatio vitæ, resurrectio verò, vt lib. 4. c. 19. ait Damascenus, est copulatio rursus animæ & corporis, id est, eius quod cecidit & dissolutum est, secunda surrectio: ergo resurrectio non potest esse naturalis.

1. quæst. Argumentis his tribus tres quæstiunculæ insinuantur, quæ sunt prorsus differentes. Prima, vtrùm resurrectio per naturales causas fieri possit, nempe vt quod corruptum est, idem rursus producatur. Secunda, vtrùm resurrectio, quæ re vera futura est, sit aliquo pacto naturalis. Et tertiò, vtrùm per rationes naturales possit aliquo modo cognosci. Quas idcirco quæstiones tres disputat Scotus dist. præsenti ad quas nos tribus conclusionibus respondebimus. Radix autem aliarum est prima de principio efficienti, vtrùm virtute naturalis agentis possit eiusdem iterata productio contingere. Et quidem de hac prima quæstione tres referuntur opiniones. Prima fuit illorum Philosophorum prisca, qui palingenesiam, vt supra retulimus, & Augustin. 12. de ciuita. c. 13. refert, docebant, nempe quod certis annorum periodis cælorum orbes ad eadem principia recurrentes eosdem prorsus effectus reuocabant: nam ab eisdem causis idem vbique proferuntur effectus: & vt ait Philosophus. 1. Meteo. hæc inferiora lationibus cælestium orbium gubernantur. Duo autem fuerunt horum Philosophorum placita. Empedocles enim, vt 1. Physic. text. 32 & alibi refertur, infinities aiebat mundum per circulum ad eadem redire: qua vtique ratione necesse erat, vt anima ad idem corpus completo circulo remearet, idque naturali via generationis. Pythagorici verò & Platonici non hac de causa, sed alijs iam supra relatis, non solum ad eadem corpora, sed ad alia diuersa putabant animas transmigrare. Quam vtique opinionem Philosophus. 1. de anima text. 52. & 53. refutat. Periodus autem magni seculi secundum Empedoclem, vt fertur, concludebatur triginta sex annorum millibus: nam secundum Ptolomæum octaua sphæra, nempe stellata, præter motum diurnum in centum annis mouetur retrò ab occidente ad orientem vno gradu: cum ergo orbis trecentos sexaginta gradus contineat, fit vt triginta sex millibus annorum toto circulo peracto orbes ad idem punctum redeant. Ad quem circulum sunt qui dicant, alludere illud Ecclesiastes. 1. Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in seculis quæ fuerunt ante nos.

Empedocles. *Ecclesia. 1.*

Illam verò circuitus opinionem Augustin. ibidem ex sacris literis condemnat: nam secundùm illam non solum mortui resurgent, verùm iterum atque iterum occident & orientur: & tamen Pau. Rom. 6. ait, qod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: id est, nunquàm ampliùs morietur: nam semel tantùm mortuus est: quare. 1. ad Thessalo. 4. idem de nobis asserit, scilicet, quod postquàm resurrexerimus, semper cum Domino erimus. Et Psalmo. 11. Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. Illa enim rerum volumina veræ fœlicitati aduersantur, quippe quæ in sempiterna tutaque & immutabili requie consistit. Illi ergo sunt, quos illic subnotauit Dauid dicens, In circuitu impij ambulant. Et verbum ecclesiastes non intelligitur de rerum circuitu quantum ad numerum, sed quantum ad speciem, scilicet quod vbi alij moriuntur, alij eiusdem speciei generantur, & postquã sol occidit, iterum exoritur, & post, aquas fluminum, quæ in mare elabuntur, similes ex fontibus emanant, quasi ex eodem mari recurrentes. Quamuis alij, vt ait ibidem Augustin. ad prædestinationem verba illa spectare autument, in qua vtique prædestinatione nihil est nouum: quia omnia illic ab æterno sunt præuisa. Accedit contra illam opinionem, quod mundus tot millibus annorum nec durauit, nec duraturus est.

Augu. 12. de ciu. Dei cap. 13. *Psalm. 11.* *Ecclesiastes authoritas declaratur.* *Augustin.* *1. Opinio exploditur.*

At verò & præter orthodoxam fidem rationibus quoque naturalibus illa exploditur voluminum secta. Nam primum, vt Thebit contra Ptolomæum demonstrauit, octaua sphæra stellata non est primum mobile, sed nona superior: quare illa est, quæ illo motu gradationis movetur. Et ideo quamuis illa posset illo annorum curriculo ad idem punctum redire, tamen octaua sphæra, quę ratione solis & stellarum in ea fixarum quã plurimum ad generationem horum inferiorum influit, non erit in eodem puncto, imò nec orbes planetarum, quorum aspectus multum etiam ad id conferunt. Quo circa ex solo recursu primi mobilis ad idem punctum non sequitur effectus eosdem reditum iri.

Ratio. 1.

Imò quod præ omnibus vrgentius est argumentum. Ad hoc quod ijdem numero effectus redeant, non sufficit eadem causa efficiens & materia, sed exiguntur eædem indiuiduales conditiones, vt hic & nunc: & tamen idem tempus redire non potest.

Ratio. 2.

Hac ergo opinione reiecta, secunda est in alio extremo, scilicet quod corruptum non potest per naturam idem numero redire. Hanc verò Scotus non approbat, imò tenet tanquam probabiliorem affirmatiuam, quæ fuit etiam opinio Ricardi præsenti d. q. 1. Quibus patrocinari apparet Philosophus autoritate in primo argumento inducta. 8. Metaphys. cap. 4. vbi dicere censetur, quod si materia eadem & agens idem sunt, effectus est idem. Et cùm post rei corruptionem maneat materia, atque idem agens, potest idem effectus iterato reproduci. Videtur præterea Scotus id sibi sic persuadere, quod cum sol in aere producat lumen, idemque per horam conseruet, nil obstat quominus etiam si in media tertia illius horæ esset interruptum,

2. Opinio *Scotiopi.* *1. Argu.* *2. Argu.*

nihilominus

nihilominus idem quòd erat in prima, posset manere in parte postrema.

1. Argu. Autoris. Sed apparentius eadem opinio sic posset corroborari. Agens naturale potest aliud sibi simile generare educendo formam de potentia materiæ, vt ignis dum generat ignem, & equus dum generat equum: ergo fortiori ratione si materia & forma sint separatè permanentes, poterit illas vnire: difficilius enim apparet formam, quæ non erat, de potentia materiæ educere, quàm illam, quæ superstes erat, materiæ vnire.

2. Argu. De resurrectione. Et vrgentiùs de resurrectione hominis arguitur. Homo dum hominem gignit, non gignit animam, quia ad eius productionem non attingit, quippe quam de potentia materiæ non educit, sed Deus eam creat: ob id ergo solum quod dispositiones in materiam inducit, dicitur (idque propriè) hominem gignere: potest autem homo in eandem materiam dispositiones inducere: ergo si tunc Deus animam vel beatam vel damnatam existentem in illam materiam induceret, perinde homo diceretur tunc hominem gignere, acsi Deus animam tunc nouam in illa materia crearet: si autem produceret animam, quæ erat Ioannis, fieret resurrectio Ioannis: ergo resurrectio est per causas naturales possibilis. At verò neque Scotus concedit, neque vllus suæ opinionis patronus concedere valet, resurrectionem hominum qualis futura est, per causas posse naturales fieri: quas agens naturale circa materiam corporalem non nisi per motum & determinato modo agere valet: resurrectio verò, vt d. se. dicturi sumus, futura est subitò nullo præuio motu, quo materia disponatur.

Opinio vera. His tamen nihil obstantibus, statuitur prima conclusio huius articuli. Non solùm resurrectio per causas naturales fieri nequit, imò neque quicquam corruptum idem numero redire. Conclusio est S. Tho. quodli. 4. art. 5. & lib. 4. contra Gentes cap. 81. & Durandi d. præsenti. q. 2. Quinetiam expressè Aristoteles non tantum loco citato in Prædicamentis, vbi ait, A priuatione in habitum impossibilem esse regressum verum, & ex professo. 2. de generatione text. 70. vbi ait, quod quæ naturam mobilem eandemque immortalem obtinent, vt cælestes orbes, eadem numero per circumlationes redeunt. Quorum verò mortalis dissipabilisque natura est, necesse est vt eadem specie redeant, non tamen eadem numero replicentur, vt cùm ex aqua fit ignis, & rursum ex igni aqua. Quo loco legitimi omnes interpretes eandem conclusionem concordes confitentur.

1. Concl.

Patroni conclusionis. Aristo.

Fundamentum conclusionis. At quia rationes adducuntur diuersæ, omnium fundamentum est hoc. In quacunque re est considerare & rationem speciei, & rationem indiuidui, & vtriusque est assignanda naturalis causa: & quidem speciei causa est similitudo: causa enim cur producatur ignis & non aqua, est quia fit ab igne, & vnum quodque producit sibi simile: eadem est ratio cur homo ab homine, & equus ab equo, & non aliud animal progignatur: causam verò cur nunc hic ignis hunc producat ignem, & non alium, quem fortè producet cras, aut hunc numero gradum caloris, & non alium æqualem; aut cur applicata aqua hunc gradum frigoris potius quàm alium corrumpat, plerique Nominalium non aliam reddunt, quàm quòd Deus sic vult: imò hoc tanquàm optimum argumentum vsurpant ad probandum Deum esse: quia in his naturalibus operationibus semper miscetur aliquid supranaturale. Alij dicunt prouenire ex cælesti constellatione occulta. Sed certè responsa hæc non sunt physica, sed eorum qui medullas naturæ non penitus inspiciunt. Deus enim dum cum agentibus naturalibus concurrit, quæ ex necessitate agunt, non concurrit nisi generali influentia, qua cum natura, dum illam condidit, concurrere pepigit. Sed finit vnumquodque agere, vt sua fert natura. Constellatio verò cælestis non agit nisi naturaliter secundùm determinationem causarum inferiorum. Igitur sicut datur causa cur res huius speciei producatur, & non alterius, ita reddenda est causa naturalis in his inferioribus, cur hoc nunc producatur, & non aliud numero differens eiusdem speciei. Et certè causam hanc Philosophi non aliunde, quàm ex conditionibus indiuidualibus piscari potuerunt. Producitur enim hoc numero nunc & non aliud, non alia de causa, nisi quia ista singulari actione producitur, quæ ad hunc terminum ex natura sua destinata est. Indiuiduatur autem (vt sic cum Philosophis loquamur) hæc productio, quia fit in hac materia, in hoc loco & hoc tempore. Et quia istæ conditiones, potissimè tempus & interruptus motus iterum redire nequit, neque verò idem temporis momentum antea esse potuit, fit vt agens naturale hunc effectum non potuerit antea producere, nec possit postea, neque modò possit eiusdem speciei alium, quàm istum. Et hæc est causa cur nequeat equus eundem filium, quem antea genuit, rursum gignere, siue corruptus fuerit, siue superstes sit, neque eadem arbor eundem numero fructum bis: neque vlla causa (vt summatim dicamus) eundem effectum. Et quoniam Deus ex his secundis causis in agendo non pendet, neque ab istis conditionibus temporis & loci, & motus potest id quod corruptum est, imò etiam si annihilatum fuerit, in alio tempore reproducere, vt distinctione sequenti latius ostendemus. Et certè hæc ratio penitius inspecta satisfacit, præterea nulla.

Nota.

Scoti. arg. Sed arguit contrà Scotus. Possunt duo motus eundem habere terminum, vt patet de motibus localibus ad eundem locum, etiam si diuersis temporibus fiant: ergo eadem res diuersis valet actionibus produci. Negari vtique posset antecedens: quoniam licet duo motus locales ad eundem locum terminentur, non tamen ad, vbi, quæ est relatio, quæ in diuersis subiectis diuersa est. Sed hoc prætermisso, consequentia est sophistica. Conclusio enim nostra de terminis loquitur, qui per actiones ipsas & mutationes producuntur. Idem enim calor, qui per hanc calefactionem producitur, non potest produci per aliam, neque idem equus, aut arbor, &c. Locus autem non producitur per motum localem, sed est permanens, quem diuersa mobilia possunt diuersis temporibus subintrare.

Solutio.

Sensus conclusionis.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis propositum respondetur, quod Philosophus illic solùm ait quod si materia est diuersa & agens diuersum, effectus est diuersus, vt ex lana non fit serra, sed ex ferro: & pictor non extruit gladium, sed faber. Non tamen infert, quod si materia est eadem, & agens idem, effectus sit idem. Quamuis id de identitate, vt aiunt, specifica affirmandum insinuet: nam si materia est eadem & agens idem, producent effectum eiusdem speciei. Sed tamen ad producendum eundem effectum numero id non sufficit, sed præterea exigitur, vt actio quoque & motus sit idem, quòd vtique fieri nisi in eodem loco & tempore non potest.

Obiectio. Quod si redarguas. Nunquid duo agentia eodem loco & tempore eidem materiæ applicari possunt? tunc ergo duorum agentium duæ erunt actiones, & tamen sequitur idem effectus, nempe idem calor, si duo applicentur ignes. Respondetur, quòd duo agentia possunt applicari per modum vnius, & sic poterunt producere vnum intensiorem effectum, sicut si essent vnum virtuosius, & sic duæ candelæ producunt vnum lumen intensius. Illud tamen lumen non possent alio loco & tempore producere. Applicari autem duo agentia eiusdem speciei eidem materiæ eodem & loco & tempore, & per modum plurium, certè non possunt, vt duos eiusdem speciei in eodem subiecto eodem momento inducant. Nisi teneatur opinio dicentium intensionem fieri per additionem gradus ad gradum: nam tunc vnus gradus producetur ab vno agente, atque alter ab altero, & sic erunt duæ actiones & duo effectus.

Dilatio.

Opinio quorundam.

Solutio 3. argum. autoris. Ad aliud autem argumentum quod nos fecimus, respondetur, agens naturale non posse producere formam, nisi eam educendo de potentia materiæ. Non loquimur de lumine, quod in hoc habet imaginem spiritualis formæ, quod nequaquam educitur de potentia aëris. Et ideo quamuis forma equi aut plantæ esset diuinitus per se separata, non posset naturale agens illam vnire materiæ: quia non potest equus aut planta producere formam nisi ex semine, in cuius virtute manet forma, quæ inde educitur.

Solutio 4. argumenti. Ad aliud verò, quod maiorem habet apparentiam de homine respondetur, quòd neque homo naturaliter potest produci per semen, in cuius virtute licèt nō lateat anima, vt de eius potentia educatur, latent nihilominus dispositiones organici corporis, quas naturaliter consequitur inductio animæ in eandem materiam. Et ad has dispositiones singulares & indiuiduas subsequitur inductio huius animæ singularis. Quare si Deus aliam formam induceret, non diceretur ille homo gignì ab illo homine, qui inducit dispositiones. Cum ergo Petrus postquàm genuit Paulum, nequeat iterum idem semen easdemq; dispositiones reproducere, nequit iterum progignere Paulum. Imò si alio semine

alijs-

alijsque dispositionibus numero productis eandem animam Pauli Deus illi infunderet, miraculũ esset: quare non diceretur ille homo productus per naturam, imò fortasse non esset ille homo idem Paulus.

Solut. argu. Scoti. Ad aliud argumentum Scoti negatur, quòd interruptio motus non sit necessaria causa vt alius sit motus, atque adeò alius effectus. Ait enim Philosophus 7. Physicorum tex. 39. quòd vnitas motus ex continuatione pendet: est enim vnus motus qui non interrumpitur. Si ergo sol in aula lumen certum producat, quamdiu continua actione illud conseruat, est idem lumen: si tamen actio clausa fenestra interrumpatur, certè postea iterum aperta, noua erit luminis productio, atque adeò nouus radius.

Ecce ergo causam cur non possit idem per naturam reproduci: quia eandem actionem & motum iterari non est possibile propter causas iam allegatas.

Dubium. Restat hic tamen dubium, vtrùm quamcunque rem cuiuscunque generis Deus possit iteratò producere. Huius autem dubitationis solutio ad initium proximæ distinct. spectat, vbi disputabitur, vtrùm idem prorsus homo, qui per mortem cecidit, in eodemque corpore sit resurrecturus.

2. Concl. Hinc ergo gradum ad secundum membrum quæstionis faciamus in initio propositæ, vtrùm scilicet resurrectio, quæ futura est, sit dicenda naturalis. Ad quod per secundam conclusionem respondetur Resurrectio corporum non est simpliciter naturalis censenda, imò simpliciter loquendo erit miraculosa, sed secundùm quid, hoc est, diminutè & moderamine quodam erit naturalis. Probatur conclusio facillimè. Naturale enim dicitur quippiam aut ratione principij agentis, aut ratione termini qui producitur, aut ratione vtriusque. *Ratio conclusionis.* Contingit ergo aliquem motum esse vtraque ratione naturalem, quia scilicet & principium & terminus sunt à natura, vt descensus rei grauis deorsum, & generatio ignis & animalium atque plantarum: & talis motus dicitur simpliciter naturalis. Contingit autem vtrumq; esse aut supra aut præter naturam, vt glorificatio corporum in æterna beatitudine, quæ ideo simpliciter dicitur & est supranaturalis: & proiectio rei grauis sursum, vbi principium & terminus est præter naturam grauis: & ideo motus ille simpliciter est violentus. *Motus tripliciter potest esse naturalis.* Potest tertio modo motus ratione termini esse naturalis, quia conueniens rei naturæ: principium verò non nisi aut supranaturale, aut ab arte, vt illuminatio cæci, quem Christus sanauit, & præmaturatio fructuum per artem. In his enim terminus est naturalis, non tamen principia. E conuerso verò vt principium sit naturale, & terminus non sit naturalis, fieri non potest: quia cùm natura agat determinato modo, nequeunt principia naturalia effectus nisi naturales proferre. Imò monstrum in natura humana quamuis respectu humani seminis sit præter naturam, hoc est, præter intentionem agentis, tamen respectu aliarum causarum, quæ illam intentionem impediuere, est naturale. *3. Modus.* Resurrectio ergo corporum respectu principij actiui supranaturalis est, vt hactenus est conclusum, sed potest dici quodammodo naturalis ratione termini: quia naturale est animam vniri corpori, & corpus per animam viuere, sed tamen simpliciter non potest dici naturalis, sed supranaturalis & miraculosa. *Resurrectio est supranaturalis.* Primum, quia denominatio fit ab ageate, quod præstantius est quàm materia & subiectum. *Ratio 1.* Secundò, quia etiam illa potentia passiua, quæ est in materia ad formam, non dicitur naturalis, nisi respectu agentis naturalis, cui est obediens: & tamen materia non est in potentia naturali ad eandem formam numero, quam perdidit, postquam pet naturam non potest eandem formam numero suscipere, neque eas dem dispositiones organicas humani corporis ad eandem animam idoneas. *Ratio à.* Et ideo magis dicitur obedientia supranaturalis, scilicet ad diuinam recipiendam actionem. Præterquam quod terminus ipse, nempe vita animæ in corpore glorioso, non est naturalis, sed supranaturalis: neque verò vita animæ damnatæ in corpore, quippe quod non viuit per alimenta, imò vita illa potius mors quædam est. *Ratio 3.*

Et per hæc secundum etiam argumentum dilutum restat.

3. Concl. Ad tertium tandem quæstionis membrum conclusione tertia facillimè respondetur. Finalis resurrectio futura nequit rationibus naturalibus probari, imò nec persuaderi: sed tamen potest aliquibus naturalibus similitudinibus declarari, & ostendi non esse impossibilem. Probatur prima pars. Sicut res se habet ad esse, vt ait Philosophus, sic ad cognosci, illa verò quæ sunt supranaturalia ex principijs naturæ fieri non possunt: ergo nec per eadem principia possunt eatenus cognosci, vt demonstrentur aut sufficienter probentur: resurrectio verò est supranaturalis. ergo non potest illo pacto cognosci. *Ratio primæ partis.* Quod autem similitudinibus & exemplis ad eius cognitionem deducamur, saltem ad ostendendum non esse impossibilem, probat Apostolus, & secundum eum Gregorius, & libro secundo de sacra. Hugo. ca. 13. Sicut enim granum cadens in terram, vt ait in Euangelio Christus, nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, fert fructum, ita ait Paul. quod homines seminati in corruptione & in ignobilitate, resurgent in corruptione & nobilitate: quicquid enim Deus per causas secundas potest, id potest se solo. Ratio verò non demonstrat, quia granum mortuum non idem numero, sed specie resurgit, sed tamen sunt quædam quodammodo naturalia exẽpla rei suprnaturalis. Vt occasus solis & ortus, exsiccatio plantæ & eius repullulatio, somnus & à somno expergisci, atque id genus alia. *Probatur similitudinibus naturalibus.* *Nota.*

Aliter tamen priorem partem conclusionis impugnare possumus. Desiderium naturale non potest esse frustra: anima autem habet desiderium naturale ad corpus, & naturali ratione probatur esse perpetua: ergo naturali ratione concluditur corpori aliquando restituendam. Respondere tamen posset Philosophus, quòd quamuis habeat naturalem inclinationem ad corpus, illam tamen satiat dum in ipsum infunditur: at verò quia post quam ipsum fuerit, non potest ad ipsum naturaliter redire, quod naturalis ratio, vt diximus, demonstrat, diceretur in lumine naturali quod nihil illius inclinationis sit ei reliquum. Quemadmodum proximè & de corpore diximus, quod quia non potest animam naturaliter suscipere, nõ ei propriè inest inclinatio ad ipsam. *Contra primam partẽ.* At verò potiùs est per discrimen animæ & corporis respondẽdum, quod cùm corpus abeunte anima corrumpatur, non permanet in eo inclinatio naturalis ad animam: anima verò quia eadem permanet, eandem retinet inclinationem ad corpus. Sed tamen inde non colligitur naturale argumentum resurrectionis: responderet enim naturalis Philosophus, quod illa inclinatio per contemplationem substantiarum separatarum satiatur. *Solu. 1.*

Sed aliter cum Augustino lib. 3. de trinit. cap. 8. arguitur. Non solùm anima, verùm & homo ipse naturale habet beatitudinis desiderium: omnes enim beati esse volunt: cognoscitur autem naturaliter beatitudinem hominis in hac vita non esse perfectam, quandoquidem nulla re in hoc seculo obtenta quiescit, sed semper ad aliud anhelat: ergo quo appetitu homines cupiunt esse beati, cupiunt esse immortales. Qua vtique de causa sub mortis articulum tristantur, nempe quòd sua beatitudine expoliari se cernant, vnde illo verbo Paul. 2. Cor. 5. Nolumus expoliari, sed superuestiri, desiderium naturale designat: nulli enim siue iusti, siue iniqui, sunt qui non semper esse optent, & in hoc arbitrantur suam beatitudinem consistere. Notum autem est lumine naturali desiderium naturæ, saltem totius speciei, non esse frustra: ergo eodem lumine colligitur, homines immortali vita esse perenniter functuros, atque adeo resurrectionem fore. *2. Argu.* *2. Cor. 5.* *Obiectio.*

Ad hoc respondetur, argumentum profectò in lumine naturali id concludere, vt supra diximus, quod sit in nobis quippiam immortalitatis capax, nempe anima. Inde n. Philosophus naturalis responderet, insatiabilia hæc desideria immortalitatis obuenire: anima enim est per quam desideramus, atque adeò secundùm illam satis arbitraretur naturalis Philosophus, vt sempiterna fœlicitate potiremur. Et hæc est responsio Augustini ibidem capit. 9. vbi ait, quod hæc humanis argumentationibus inuenire conantes vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt. Hactenus ille. De corporibus autem, quæ obnoxia esse corruptioni conspiciunt, nequeunt Philosophi eò assurgere, vt intelligant, dotes susceptum ire, quibus fiant perpetua: quoniam gloria, vnde dotes illæ dimanant, supranaturalis est. Perpetuitatem verò speciei humanæ per continentem individuorum successionem in eadem specie seruari satis autumant. *Dilutio.* *Solutio Augustini.*

Ob idque resurrectionem, quos fides non docet, fabulam putant. Vnde Actuum. 17. refertur, quod cùm Thessalonicæ Paulus, Christum resurrexisse prædicasset, quidam nouorum dæmoniorum annunciatorem eum censebant, quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis. Et capitu. 26. eandem mortuorum resurrectionem prædicanti reclamauit voce magna Festus: Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam vertunt.

Actu. 17.

Actu. 26.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm diuina Christi resurrectio nostræ sit resurrectionis causa.

QVONIAM definitum est, quòd resurrectio non naturalem, sed supranaturalem sit habitura causam, nempe Deum, quæritur, vtrùm resurrectio Christi secùdùm carnem sit etiam eiusdem resurrectionis causa. Et arguitur à parte negatiua. Posita vera causa, ponitur effectus: posita autem resurrectione Christi, nondum subsequuta est hominum resurrectio: ergo illa non est causa.

Pars negatiua 1. argum.

Secundò. Effectus esse non potest nisi causa præcesserit: potuit autem resurrectio fieri etiam si Christus carnem non assumpsisset: nam vt 3. de Trinita. cap. 10. autor est Augustinus, non defuit Deo modus alius possibilis remittendi scelera nostra: ergo resurrectio Christi non fuit causa.

2. Argu.

Tertio. Eiusdem rei non opus est esse plures causas eiusdem generis: sed resurrectionis causa potissima est Deus, cuius instrumentum ad excitandos mortuos futura est tuba, & tanquam ministri resurrectionis erunt Angeli, iuxta illud. 1. ad Thessal. 4. Ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo & mortui qui in Christo sunt resurgent primi, &c. vbi Christus non videtur describi tanquam resurrectionis autor, sed virtus & tuba Dei & vox archangeli. Ergo eius resurrectio, non est nostræ futura causa.

3. Argu.

In contrarium est, quod primum in vnoquoque genere, vt 2. Metaphys. cap. 1. autor est Philosophus, omnium eiusdem generis causa est, vt ignis omnium calidorum: Christus autem fuit resurgentium primus, iuxta illud Paul. 1. Corinth. 15. Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quam ob rem vocatur primogenitus mortuorum, id est, primus qui resurrexit: ergo eius resurrectio causa est nostræ.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Quamuis gratiæ & gloriæ nostræ atque omnium quæ ad nostram salutem pertinent, Deus suapte autoritate sit prima causa, nihilominus Christus quatenus redemptor, est eorundem beneficiorum etiam causa per potestatem sibi diuinitus collatam. Conclusio est compertissima. Prior scilicet pars secundum illud Theologorum axioma, Opera Trinitatis indiuisa sunt ad extra, hoc est, omnia à Deo quatenus vnus est in tribus personis procedunt. Quare & ipsius Christi incarnationis Deus fuit causa, atque adeò omnium beneficiorum, quæ inde nobis largissima prouenerunt. Posterior etiam pars inde colligitur, quòd cùm ipse in quantum Deus & homo nostram fuerit redemptionem operatus, inde constat Regem fuisse regni cœlorum, hoc est, iure sibi competere rationem nostrarum actionum exigere, præmiaque & supplicia decernere, iuxta illud Ioan. 5. Omne iudicium dedit pater filio: Dedit enim ei iudicium facere, quia filius hominis est. Et Matth. 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ob idque, vti ait Paulus. 1. ad Timot. 2. vnicus est mediator Dei & hominum. Medius quippe vtriusque extremi particeps esse debet. Etenim neque qui tam humilis esset sortis, vt nullum haberet ad regem accessum, neque qui tam sublimis esset, vt cum eo populus conuersari non posset, inter Regem & populum mediator esse valeret: Christus autem Deus & homo ex vno habet accessum ad patrem, & ex altero vt delicias ducit esse cum filijs hominum. Ob idque & tanquam aduocatus noster & internuncius apud Deum, tum nostra sacrificia ei offert, tum viciſſim & sua nobis confert beneficia. Vnde idem Apostolus ad Ephes. 4. Ascendens, inquit, Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et Ioan. 1. Vidimus illud (scilicet verbum) plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Non nos pleni, vt ipse plenus, quemadmodum perditi hæretici dogmatizant, dicentes, suam iustitiam perinde nobis imputari ac si nos ipsi fuissemus passi, ita vt nulla ampliùs satisfactione indigeamus, imò quòd ad æqualem eandemque cum sua sanctitatem simus per ipsum promoti. Sed ipse plenus tanquam vnigenitus Dei filius naturalis, cui non ad mensuram data sunt dona. Nos verò tanquam eiusdem patris filij adoptiui secundùm mensuram donationis Christi, vt ad Ephes. 4. ait Paulus, accepimus de plenitudine eius, scilicet quatenus per sacramenta aut per nostras actiones fauore eius præuentas, accipimus gratiam pro gratia: quia nulla iustitia nostra suam antecedit gratiam: nam in hoc est charitas, vt ait Ioannes, non quasi nos dilexerimus Deum (scilicet priùs) sed quia ipse prior dilexit nos. Et ideo quicquid nobis dat, gratis dat: & quamuis vnum pro alio, tamen vtrumque gratis. Dedit enim legem antiquam gratis, quæ ideo gratia erat, sed non erat nisi vmbra veritatis nouæ legis, neque ex se iustificare poterat. Pro illa ergo gratia dedit aliam, scilicet legem euangelicam, quæ veritas est, & per sacramenta iustificat. Quocirca subdit, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Item dedit nobis vnigenitum suum in carne plenum gratiæ & veritatis, quæ fuit nobis donorum gratiarumque summa, & per ipsum nobis confert iustificantem gratiam. Rursus pro hac iustificante gratia, quæ est acceptatio ad gloriam, collaturus est nobis gloriam, quæ est consummata gratia. Accepimus ergo de eius plenitudine gratiam pro gratia, scilicet legem pro lege, nouam pro veteri, iustitiam pro iustitia, scilicet nostram per suam: & gloriam tandem pro nostra iustitia, quæ procedit ex sua gratia, hoc est, præmium suum pro merito nostro, quod in sua virtute nititur. Vide quantum Deo Christo debeat humanum genus.

1. Concl.

Prima pars.

Secunda pars probatur.

Ioan. 5.

1. Tim. 2.

Ephes. 4.

Ioan. 1.

1. Ioan. 4.

Secunda conclusio. Resurrectio Christi fuit, futuraque est causa resurrectionis nostræ. Probatur, Quoniam licet, vt dictum est, Christus fuerit author beneficiorum omnium salutis nostræ, tamen diuersa eius opera ad diuersa beneficia appositissime coaptantur: & ideo sicut per passionem causa fuit redemptionis nostræ & liberationis ab spirituali morte peccati, ita & per resurrectionem causa fuit resurrectionis nostræ ad vitam perpetuam, etiam corporalem. Id quod sapientissimè Paulus ad Roma. 4. illo verbo insinuauit. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Nam quia in iustificatione duplex est terminus, scilicet à quo, qui est peccatum: & ad quem, qui est innouatio vitæ, per mortem & resurrectionem Christus mysterium redemptionis perfecit, quia moriendo extinxit nostra peccata, & resurgendo contulit nobis ius æternæ vitæ.

Secunda conclusio.

Ratio.

In iustificatione duplex terminus.

Paulus.

Et ideo ad Romanos sexto. Si mortui, inquit, sumus cum Christo (scilicet per baptismum) credimus quod simul etiam viuemus cum Christo, scientes, quod resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu. Quasi dicat: Sicut Christum necesse fuit à vita mortali pro originali culpa nostra semel mori, vt subinde resurgens vita diuina vineret, neque mors illi vltra dominaretur: ita & vos mortuos semel peccato in baptismo oportet diuina vita innocenter viuere, vt non ampliùs vobis peccatum dominetur. Et eadem ratione quantum ad vitam corporalem licet oporteat vos semel mori (ad Hebræos 9.) resurgetis tamen in vitam, qua Deo æternum corpore & anima per beneficium Christi viuatis.

Hebr. 9.

Quapropter idem Apostolus. 1. Cor. 15. ex resurrectione Christi tãquam ex propria causa nostram colligit. Si enim, inquit, Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quod resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, nec Christus resurrexit. Arguit à causa ad effectum. Vnde statim subnectit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra: quare si in hac vita tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Vbi antidotum depingit salutis nostræ, quòd sicut Adam initium fuit mortis viuorum, ita & Christus resurrectionis mortuorum.

1. Cor. 15.

Est

Resurrectio Christi, quomodo sit causa nostra.

Est tamen dubium, quo modo sit causa, vtrùm scilicet efficiens, an verò formalis aut finalis. Respondetur, diuersimodè considerata diuersimode conuenire. Si enim Christum mediteris quatenus Deum tunc prima est causa efficiens nostræ resurrectionis per suam infinitam virtutem. Sed tunc est causa æquiuoca, id est, altioris rationis & generis, sicut est causa cæterarum rerum creatarum. Si verò consideretur ceu Deus humanitati coniunctus, in qua resurrexit, tunc est causa proxima per virtutem diuinitus susceptam, & vniuoca: scilicet eiusdem rationis cum nostra resurrectione, vt ipse Ioan. 5. testatur, dicens Sicut pater suscitat mortuos & vinificat, sic & filius quos vult viuificat. Vnde quia causa efficiens vniuoca producit effectum sibi similem, vt ignis ignem, est etiam causa formalis, puta exemplaris, quia corpora nostra instar sui corporis suscitanda sunt, & dotibus similibus dotanda, iuxta verbum Pauli ad Philippen. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Quod verbum Ecclesia in die Transfigurationis canit, propterea quòd illic Dominus & viuis & defuncto Moysi & seruato Eliæ ostendit, quemadmodum ad eius exemplum debeant omnes resurgere. Est namque ipse caput nostrum, nos verò eius membra, & ideo omnia eius dona in nos redundant, quemadmodum, vt est in Psalmo, Vnguentum in capite quod redundabat in barbam Aaron, & vsque ad oras vestimenti eius. Vnde Paul. Hebræo. 2. Deus, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccato, cõuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit cælestibus.

Resurrectio Christi est causa formalis.

Dubium.

Quod si rursus sciscitando instes, vtrùm humanitas ipsa sit aliquo modo causa efficiens nostræ resurrectionis? Respondetur, quòd si de causa agenti & principali perconteris, non est nisi virtus Christi ei diuinitus impertita. Eadem enim quæ fuit causa resurrectionis suæ, erit & nostræ: & clarum est, quod humanitas, quæ in triduo non habuit partes coniunctas, non fuit causa suæ resurrectionis, sed diuina virtus Christo communicata, qui & animam habebat diuinitati coniunctam & simul corpus: quare eadem virtute easdem partes coagmentauit, & eadem virtute nos quoque resuscitabit. Et hoc est quod ait ad Roman. 7. Paul. qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit vitalia corpora nostra Si verò de causa instrumentali fiat sermo, resurrectio ipsa Christi, hoc est, coniunctio corporis & animæ suæ est instrumentum coniunctum eius diuinitati, quo mediante nostræ resurrectionis erit causa. Quemadmodum, vt lib. 3. ca. 15. ait Damascenus, tactu corporali mundauit leprosum, & linitione oculos aperuit cæco.

Solutio.

Rom. 7.

Damasc.

Obiectio.

Quòd si in contrarium arguas. Eadem esse debet causa omnium, quæ sunt eiusdem speciei: humanitas autem non fuit causa resurrectionis Christi, eo quòd anima erat tunc à corpore separata: ergo neque nostræ est causa. Respondetur ad maiorem, solùm habere verum, quando omnes illi effectus eundem habent ordinem ad causam. Et liquidum est resurrectionem Christi propinquiorem esse virtuti diuinitatis, quàm nostram: & ideo per suam propriam virtutem absque alio instrumento resurrexit: nostram autem resurrectionem mediante sua operaturus est.

Dilutio.

Resurrectio Christi an fuerit causa resurrectionis damnatorum.

Redarguitur nihilominus, quòd saltem eius resurrectio non fuerit causa resurrectionis damnatorum, quia in effectu quippiam similitudinis causæ relinquitur: in damnatis verò nihil fiet reliquum Christo simile: quia nullas obtinebunt aut animæ, aut corporis dotes. Respondetur verò omnium fore vniuersalem causam. Damnati enim assimilabuntur ei in natura humanitatis: quia integram, vt ipse, recipient, non tamen in gratia filiorum Dei, sed resurgent, vt executio in eis iustitiæ fiat, secundum corpus & animam.

Solutio.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd posita causa naturali, quæ se sola sine aliorum ordine operatur, extemplò subsequitur effectus, vt præsente sole illico fit illuminatio: illa tamen quæ ordine agit, aut mediante alia causa non protinus totum effectum profert, sed per ordinem applicata. Ignis enim, qui est causa caloris, non illico totum in passum influit, sed incipit paulatim illum effundere, imò nisi passum ei admoueatur, non agit. Resurrectio autem est causa non immediata, sed mediante diuina virtute, quæ per diuinam suam voluntatem, secundùm ordinem suæ sapientiæ applicabitur, tempore scilicet per eandem sapientiam decreto. Quare protinus resurgente Christo multa corpora sanctorum resurrexerunt: nam etsi dum expirauit, Matthæus referat, multa monumenta aperta fuisse, & multa corpora sanctorum qui dormierunt, resurrexisse, subdit tamen, quòd resurgentes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, vt ostenderet prius ipsum quàm illos resurrexisse, artic. 1. quæstionis sequentis explicatiùs dicemus Ob idque illi testes perinde facti sunt resurrectionis dominicæ, vt effectus causæ præsentiam contestari solet: sic enim per fumum cognoscimus ignem.

Christus prior cæteris resurrexit.

Sol. 2. arg.

Ad secundum verò respondetur, Deum aliter, vt ait Aug. salutem nostram operari potuisse, ignoscendo scilicet nobis absque perfecta satisfactione Christi per eius mortem. Et tunc etiam resuscitasset nos absque eius resurrectione. Sed tamen quia iustitia Dei perfectam illam satisfactionem per Christum exigebat, sicut non sanauit animas nostras nisi per eius passionem Christi, ita corpora nostra non nisi per eius resurrectionem reparabit.

In die iudicij an aliquæ sint futura voces.

Tertium verò argumentum aliud exposcit explorandum, nempe an aliqua sint illic futura Dei instrumenta, videlicet vocem, aliàve angelorum ministeria. Nam ex vna parte videntur superflua, cum Deus ipse se solo facere possit, iuxta verbum Damasceni lib. 4. cap. 28. Credo resurrectionem futuram diuina voluntate, virtute & nutu: sed nihilominus Paulus & vocis Dei & archangeli meminit & tubæ.

3. Concl. Ratio.

Sit ergo tertia conclusio. Signum aliquod dabitur in iudicio præsentiæ Christi ad iudicium aduentantis. Probatur. Christus, vt dictum est, per suam resurrectionem est causa vniuoca, hoc est, eiusdem rationis cum nostra: causa autem huiusmodi non operatur, vt 7. Physic. ait Philosophus, nisi per suam præsentiam applicata: cùm ergo Christus in carne sit appariturus, ante quem mortui sint conuenturi, necesse est signum aliquod sensibile aduentantis ipsius adesse: quod vtique signum vocem Paulus loco citato appellat, & tubam.

Tuba materialis an nunc canenda sit.

Haud tamen inter interpretes satis conuenit, vtrùm in sensu literali vox re vera sit intonanda, canendaque tuba humano auditu perceptibilis, an verò sola illa apparentia Christi, qui sua claritate refulget, per illa taphoram, vt sermo humano mori accommodetur, vox dicatur & tuba: Sunt enim quibus per metaphoram dictum placet. Vt enim legitur Matthæi 24 Sicut fulgur, quod venit ab oriente & apparet in occidente, ita erit aduentus filij hominis. Sicut ergo repentinus ille fulgoris splendor citissimo fulguri assimilatur, ita & apparitio ipsa iudicis, aiunt, nomine vocis exprimitur, eo quòd tota hominum corporalis natura illi obediat, & illius nutu omnia recepto spiritu vitæ præsto erunt. Et huic opinioni patrocinari videtur Gregorius dicens, quòd tubam sonare, nihil aliud est quàm mundo filium Dei vt iudicem demonstrare. Atque ad hanc opinionem, quippe quam secundo loco recitat, gratiùs videtur D. Thom. adnuere. At verò in Quarto non perinde ac in summa exactè res limabat, sed crebro aliorum scita referebat Minimè ergo ambigendum est quominus præter iudicis præsentiam sensibile aliquod signum præsentis iudicis sit affuturum: nam præsentia ipsa non est signum, sed res significata. Signũ ergo erit seu tonitrus, seu alius clangor, qui ad similitudinem tubæ exprimitur. Vnde illud Iob. 26. Quis poterit tonitrum magnitudinis eius intueri? exponens Gregor ait, quod quem Iob tonitrum, Sophonias tubam appellauit, ca. 1. vbi ait, Dies illa, dies iræ, &c. dies tubæ & clangoris.

Opi. quorundam.

Gregor. Tubam canere quid. S. Thom. Sententia authoris.

Gregor.

Ratio.

Accedit, quod cum iudicium sensibiliter faciendum sit, nempe oculis & auribus sit percipiendum, eo quod Christus in carne tanquàm Redemptor sit iudex venturus, quàm simillimum vero est aliquo sensibili sonitu eundem iudicem excitatos mortuos ad iudicium euocaturum. Ait enim Paul. quod dominus veniet in iussu Dei: nam iudicis est iubere, vt qui sententiam audituri sunt, in suo tribunali sistantur.

2. ad Thessalon. 5.

Ob idque re vera quicquid sit de tuba, vocem tamen certius credendum est tunc proferendam. Nam quamuis iussus ille potuerit fieri duntaxat intus in mente sine externo sonitu, quemadmodum creditur Deus mundum condidisse. Per illud enim Genes. 1. Dixit, fiat lux: &

lux: & Dixit: fiat firmamentum, &c. iussa diuinæ mētis designantur: tamen in finali resurrectione longe vero similius est sonora voce rem peragendam. Quando enim Deus mundum creauit, neque ipse Deus sensibilis erat homo, neque erant tunc mortales, qui essent eius voces audituri. Christus autem Deus & homo, qui proprio ore fidem nos docuit suam, & legem nobis posuit, credendus est sensibili voce terribile illud concilium initum ire. Vnde Paul. tria subinde connectit dicens, Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, quasi iussus voce sit explicandus, & tuba promulgandus. Et accedit præsertim verbum ipsius Christi Ioan. 5. Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent: vbi denotatur auditu vocis esse excitandos.

Vox sonora in iudicio.

Paulus.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Atque inde etiam ad id arguitur, quod verba sacræ scripturæ, quæ per proprietatem suauiter exponi possunt, non sunt ad metaphoras releganda. Potuit enim Christus ventis & mari interno nutu imperare, vt quiescerent, tempestatemque sedarent, eo vel maximè quod res illæ audiendi sensu non pollebant: & tamen, vt legitur Matth. 8. non imperauit nisi voce sensibili, veluti etiam dæmonibus, vt de corporibus exirent: quàm maxima ergo inde fit coniectura in die iudicij voce quoque mortuis iussurum, vt resurgentes compareant.

Ratio. 4.

Præterea arguitur. Illum stupendum aduentum multæ circunstantes qualitates facient terribilem, vt nigrās aëris imago & nubium fragor, atque alia: omnium autem horum profectò terribilissima est viua vox.

Vox iudicij

Imò hinc maxima cum probabilitate colligitur, vocem illam quasi ore fore articulandam, & humano more fore imperatricem: quandoquidem debeat Dei hominis iussum exprimere. Est autem rei accommoda vox illa, quam Hiero. in regula monachorum, cap. 30. & alibi sæpe meditatur. Surgite mortui, venite ad iudicium: qua videlicet & resurrectio edicitur, & conuentus indicitur.

An Christus ore proprio illam vocem sit prolaturus.

Vtrum verò vocē illam Christus ipse ore proprio, vel Archangelus à Deo iussus sit prolaturus, non multum decertarem. Est tamen plausibilius, quod angelus ante faciem iudicis præconium illud sit intonaturus, tum quod sic ait Paulus, in voce Archangeli, tum quòd & ad iudicis maiestatem, eiusque autoritatis amplitudinem plus confert, vt angelus illud ministerium exhibeat, quemadmodum in præsentia Regis præco est, qui eius leges & iussa diuulgat. Vnde Christus ipse Matth. vigesimoquarto. Mittet, inquit, filius hominis angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos, &c.

Matt. 24.

Esaia. 46.

Accedit, quod & in primo misericordiæ aduentu Ioannes tanquam angelus, vt Esaias fuerat vaticinatus, missus est ante faciem eius, qui præparans viam eius ante ipsum inclamaret, baptismum euulgando pœnitentiæ, quia appropinquabat regnum cœlorum: ex quo fit maximè verisimile in aduentu ad iudicium etiam angelū concitaturum mortuos.

Obiectio.

Sed arguis fortè contra. Vox illa non poterit à cadaueribus exanimis audiri: erit ergo superuacanea. Negatur vtique antecedens: vox enim cùm in aëris verberatione fiat, eodem aëris impetu percutiens dormientium aures, solet ipsos tam perniciter excitare, vt eandem vocem, qua excitantur, audiant, ita vt præcedens sonitus causa sit expergefactionis, & expergefactio causa auditionis. Ad hunc ergo modum vox illa supernaturali Dei virtute prolata mortua corpora perinde ac si dormirent, excitabit, quam excitari audient, & audientes iussa capessent. Quare glossa super illud Psalm. 67. Dabit voci suæ vocem virtutis, ait, id est, virtutem suscitandi corpora: naturaliter namque neque vox angeli id posset efficere. Est enim audienda non solum in vniuersi terra & mari vbicunque cadauera iacent, verùm & in inferno, vbi animæ detinentur, & in paradiso, vbi Deo fruuntur. Qua sanè iubebuntur corpora resumere sua.

Dilutio.

Gloss. Psal. 67.

Vocis iudicij virtus.

Sanctus Thom. & Theologorum plerique virtutem illam virtuti sacramentorum similem autumant: nempe vt sicut sacramentalia verba, veluti supra suo loco diximus, non quia audiuntur, sed quia proferuntur, instrumentalem habent gratiam: illa vox antequam auditur resuscitat mortuos: non tamen est negandum quin illico audientes ei obtemperent.

Obiectionis diuisio.

Et per eandem similitudinem soluitur obiectio alia fieri solita. Si enim voci illi virtus ineſt diuina, fit vt eidem voci naturalis sit effectus ille excitandi mortuos, sicut cæcus, qui per miraculum suscepit visum, postea naturaliter videt. Respondetur, inquam, virtutem illam diuinā non esse qualitatem voci illi inhærentem, imò quemadmodum de sacramentorum virtute diximus: non est illa virtus nisi motus quidam illius vocis, verberatique aëris, qua scilicet voce Deus ceu organo suo vtitur. Quare effectus ille non est voci naturalis, sed supranaturalis.

Damascenus exponitur.

Ad Damascenum ergo respondetur, quòd ad explicandam Dei cunctipotentiam tria composuit ad resurrectionem concurrentia, scilicet diuinam voluntatem, virtutem, & nutum: voluntas enim designat summam autoritatem imperij à nullo alio dependentem: virtus autem absolutam executionem absque alius indigentia: nutus denique citissimam exequendi facilitatem: ad nutum enim obedire, est non expectata imperantis voce, soli oculorum digitorumue nutui ausculare. Sed nihilominus non negauit, quin ad rei decentiam vox etiam esset adhibenda. Gregorius autem fortasse illius fuit sententiæ, quòd nullus sit illic futuros vocis vsus: tametsi neque id planè de voce neget, sed de sonitu tubæ ait, nihil aliud esse, quàm demonstrare mundo iudicem Dei filium.

Voluntas.

Virtus.

Nutus.

Ad Greg.

Tuba sonitus in die iudicij an sit audiendus.

Et ideò respondendum superest, vtrum præter vocem sit etiam illic tubæ sonitus futurus. Respondetur autem, quòd quamuis qui diceret, tubam, hempe instrumentum ipsum illic futurum, non absque colore ex verbis Pauli collecto loqueretur. Imò & ex verbis ipsius Christi Matth. 24. iam citatis. Nihilominus non est id dicere necessarium: siquidem Angeli possunt instar tubæ absque aliquo instrumento aërem verberare. Nam & tonitrua veluti tubæ sonare assolent. Vnde citatus Gregorius, tonitrum idem censet tunc fore quod tubā. Et fortasse præter illam articulatam vocem erunt similes clangores & rauci strepitus, vt terroris plus incutiant, & audientes maiori pauore stupeant: quandoquidem locis citatis vox & tuba vt duo distinguuntur. Quinetiam sonitus illi clangorem & musicam plurium tubarum fortè referent. Nihilominus, si cum diuo Hiero. ad Minerium & Alexandrum sentire placet, vox ipsa potest & clamor & vox & tuba censeri, vt clamor dicatur ab effectu conuocandi concitandique gentes, iuxta illud Matthæi. 25. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Et vox propter humanam articulationem & significationem imperium iudicis exprimentem. Ac demum tuba propter vehementissimam vocis magnitudinem: nam tuba altiùs quàm ore vox intonatur, iuxta illud Esaiæ 38. Quasi tuba exalta vocem tuam. Et est alluſio ad morem antiquæ legis: nam vt Numer. 10. legitur (quia tunc non erat cymbalorum vsus) duabus argenteis tubis ductilibus ad conuocandum cœtum canebatur. Vnde illud Iohel. 2 Canite tuba in Sion, conuocate cœtum. Et ideo Paulus. 1. Corinth, 15. In momento, inquit, in ictu oculi, in nouissima tuba. Vocat enim nouissimam vt ibidem ait Hieronymus, alludens ad illud Apocalyp. 7. de septē Angelis septem canentibus tubas, & subditur. ca. 10. quod in diebus vocis septimi Angeli, per quem, vt interpretum plerique aiunt, intelligitur Christus, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, scilicet finis mundi, sicut euangelizauit Deus per suos seruos prophetas, nempe Daniel. 12. Quapropter semper restat quàm vero simillimum: quod præter vocem sit strepitus aëris in modum clangoris tubæ audiendus. Quandoquidem Paulus ad maiorem emphasim subiungat. Canet enim tuba, & mortui resurgent. Si enim consummationem seculi huius contemplemur, vbi vita, vt c. 7 ait Iob, tanquam militia transigitur, sonare tunc tubam, erit receptui canere, vt consummato prælio fieri solet. Si verò dissidium consideremus, quod ad modum pugnæ, vt Sapient. 5. legitur, aderit tunc inter iustos & iniquos, erit classicum canere, vt solet dum initur prælium. Quare tuba tunc alijs triste, alijs lætum canet: victis scilicet supplicium, & victoribus præmium. Si verò illud ceu œcumenicum concilium vniuersalemque conuentum speculemur, quo de rerum summa totius orbis decernendum est, & ad illam conuocationem vox quoque tubæ accommodatur.

Clamor Vox.

Tuba.

Tubam sonare quid.

Secundus sonus.

Tertius.

Demum vtrùm & Angelorum obsequia illic sint futura hæsitatur: videntur enim superflua. Nam si necessaria essent, ad id maximè vt animæ suis corporibus

Angelorum ministeria in die iudicij.

poribus vnirentur: ad id autem non sunt necessaria imò sicut à solo Deo creantur in corporibus, ita & tunc vnientur.

4. Concl.

Nihilominus subiungitur quarta conclusio. Illuc aduenturi sunt angeli Christo iudici ministrantes. Probatur ex Augustino. 3. de Trinita. & ex Gregorio. 4. Dialogorum, dicentium, quòd corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur, ob idque Deus etiam in supranaturalibus corporum mutationibus ministerio vtitur angelorum ad modum naturæ, quæ vt. 1 Meteoro ait Philosophus, per lationes cælestes hæc inferiora gubernat: atque illa quæ infra hominem sunt, ipsius hominis iudicio reguntur, & corpus per animam. Inde ergo colligitur, quod Deus, qui supremus spiritus est, resurrectionem hominum, qui ex spiritu & corpore constant, per spiritus medios cælestes sit perfecturus. Præsertim quòd Christo ea ratione, qua Redemptor, angelorum obsequia debentur, iuxta verbum Pauli ad Hæbreos. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis? Quare & eius conceptionem matri, & eius natiuitatem pastoribus annunciarunt, & in eius passione & resurrectione sua quoque præstiterunt obsequia. Atque adeo in resurrectione, vbi eius potissimum maiestas & claritudo resplendebit, copiosissimus angelorum numerus eum comitabitur, iuxta verbum ipsius Matthæi 25. Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.

Aristot.

Paulus.

Matth. 25

Quatuor congregationes.

Quo autem angelorum illic functiones innotescant, notandum est quatuor illic rerum congregationes futuras. Prima erit, vt vniuersi pulueres vbicunque fuerint, congregentur ad compingendum corpus: & hanc facient angeli siue voce illa, Surgite mortui, siue citissimo præeunte locali motu per supranaturalem virtutem. Secunda erit commassatio & organizatio membrorum, quæ etiam, vt quidam volunt, compositio eorum ministerio fiet. Sed de hoc dicturi sumus quæstione sequenti articul. 2. Tertia erit vnio animarum cum corporibus: hæc autem à solo Deo immediatè absque vllo creato ministerio fiet, sicut earundem creatio animarum. Per quod argumentum proximè factum restat solutum. Veluti & glorificatio ipsa opus solius Dei est, absque angelico ministerio. Quarta congregatio erit omnium resurgentium ante tribunal Christi. Et in hac etiam angeli suas præbebunt opetas.

1.

2.

3.

4.

Angelorum bonorum & malorum officia.

Tametsi fortasse in hoc diuisum erit bonorum angelorum & malorum officium, vt boni iustos in tribunali Christi sistant: sic enim Matth. 24. ait Christus, quòd angeli, quos missurus est, congregabunt electos à quatuor ventis à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, vbi non fit reproborum mentio. Quare sicut reproborum animæ in primo exitu à corporibus per dæmones importantur ad inferos, ita nec sine probabilitate dici potest, eosdem fore ministros ad deferendos damnandos in iudicium, vbi eos sunt accusaturi. Et forsitan illud Matth. 13. quòd in consummatione seculi exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, sic intelligitur, quòd boni angeli separabunt electos ad dextram iudicis, vt inde euehantur ad gloriam: dæmones verò separabunt malos ad sinistram, quos inde præcipitabunt in tartara.

Matth. 13.

Dubium.

At cùm angelorum hierarchiæ & ordines plures sint, fortasse quis sciscitetur, cuiusnam ordinis illi angeli erunt? Apparet enim fore virtutes, quibus conuenit miracula ædere. Et tamen Paulus loco citato non vocat eum nisi archangelum. Respondetur, quod princeps illorum illic erit Michael archangelus, vt princeps militiæ cœlorum expugnauit Luciferum cum suo exercitu, fuitque adeò princeps synagogæ, vt habetur Esaiæ 10. & Daniel. 12. estque & Ecclesiæ princeps, sed sub illo multi erunt angeli propria singuli offerentes obsequia.

Solutio.

Ad tertium igitur argumentum respondetur non inconuenire, imò conuenire maximè eiusdem rei plures esse diuersi ordinis causas. Erit ergo Christus resurrectionis autor, & vox instrumentum, atque angeli ministri.

Sol. 3. arg.

Quæstio secunda,

DE RESVRRECTIONIS TEMPORE ET MODO.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm tempus resurrectionis sit finis mundi.

NON solùm causas, verùm & tempus & modum resurrectionis nosse oportet. Et ideo quæritur, vtrùm congruum fuerit resurrectionem vsque ad finem mundi prolatari. Arguitur-que à parte negatiua. Maior est concordia capitis ad membra, quàm membrorum ad inuicem, sicut causæ ad effectus, quàm effectuum inter se: sed Christus, qui caput est nostrum, non distulit suam resurrectionem vsque in finem mundi, vt cum membris simul resurgeret, ergo nec decuit vt nos vniuersalem illam resurrectionem expectaremus, sed vt vnusquisque suo tempore resurgeret: scilicet cùm ingressurus esset infernum aut cœlum.

Pars negatiua 1. argu.

Secundò. Resurrectio capitis, vt dictum est, causa est resurrectionis membrorum: cùm ergo resurrectio Christi extemplo effectum sortiri cœperit in illis qui cum illo resurrexerunt, & postmodum in quibusdam illustribus membris propter suam nobilitatem, vt de beata virgine fertur, & de Ioanne Euangelista: consequitur, vt deinceps sic deberent singulorum resurrectiones sigillatim fieri.

2. Argum.

Tertiò. Post mundi terminum nullum fiet reliquum tempus: post resurrectionem autem mortuorum connumerandi sunt anni mille, antequàm fiat consummata resurrectio in vitam perpetuam: ergo resurrectio corporum non erit in fine mundi. Minor probatur ex illo Apocalyp. capitulo vigesimo, vbi binæ resurrectionis fit mentio. Ait enim primò Ioannes, Vidi Angelum descendentem de cælo, &c. & ligauit diabolum per annos mille. Et vidi sedes & animas decollatorum propter testimonium Iesu sedentes super eas, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt quousque consummarentur mille anni. Et est resurrectio prima, vbi duæ insinuantur resurrectiones: vna quidem sanctorum martyrum, & altera post mille annos vniuersalis iustorum & damnatorum: habetur enim Apocalyp. capitulo duodecimo, quod mulier (per quam ecclesia significatur) habet locum paratum à Deo, vbi pascatur diebus mille ducentis sexaginta: & Daniel. duodecimo finis mundi legitur fore à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium: putà lex vetus, diebus mille ducentis nonaginta transactis: quibus locis dies ponitur pro anno, secundum illud Ezechielis quarto. Diem pro anno, dedi tibi: ex quibus ergo locis colligi potest dies ille: vel saltem Angeli, qui in conspectu Dei sunt, diem illum postremum mundi vident: & tamen ait Christus Matth. vigesimoquarto, quòd de die illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum: ergo non erit in fine mundi.

3. Argum.

In contrarium autem est illud Iob quartodecimo, Homo dū dormierit, non resurget, donec atteratur cælum, hoc est, quousque moueri cesset, quod erit in fine mundi.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem vnica conclusione respondetur. Resurrectio corporum in fine mundi erit. Conclusio est non vtcunque vera, sed proximè ex euangelio collecta: nam etsi in articulo fidei solùm confiteamur carnis resurrectionem, tamen illa resurrectio asseritur generalis fore in consummatione sæculi. Vnde Iob 19. Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: quasi dicat, ille iam resurrexit, ego verò non vsque ad nouissimum diem. Et Matth. 13. in zizaniorum parabola ait Christus, quòd messis consummatio seculi est: & nomine messis intelligitur vniuersalis resurrectionis dies, quando vnusquisque metet quod

6. Concl.

Matth. 13.

seminauit. Vnde subditur, quod in eadem consummatione seculi mittet filius hominis messores, nempe Angelos, qui colligent scandala, & mittent ea in caminum ignis, triticum autem congregabunt in horreum. Resurrectio ergo erit in consummatione seculi. Et
Matt. 24. Matthæi 24. interrogauerũt discipuli Christum, Quod signum aduentus tui & consummationis seculi? quasi idem sint. Et respondit Christus: Prædicabitur euangelium hoc in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Et rursus inferiùs. Statim post tribulationem dierum illorum, nempe Antichristi, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo: & virtutes cælorum commouebuntur, quæ sunt signa cessantis orbis à suo motu, atque adeò suprema dei mundi. Et subditur: Et tunc apparebit signum hominis in cælo, & mittet Angelos suos, & congregabunt electos, &c. vbi denunciatur, quòd finis mundi & carnis resurrectio in eandem incident diem & horam. Et Paul. 1 Corinth. 15. In Christo, inquit, omnes viuificabuntur (& loquitur de resurrectione corporum.) Et subdit: Deinde finis, cùm tradiderit Christus regnum Deo patri: vbi finem mundi cum resurrectione coniunxit.

Ratio 1. Neque verò rationes desunt eiusdem veritatis assertrices. Corpora namque nostra in vitam perpetuam & immortalem resurgere speramus, eum videlicet in modum, quo Christus resurrexit, de quo ait Paul. ad Romanos 6. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: ergo eo temporis articulo fore decuit omnium vniuersalem, quo generationes & corruptiones horum inferiorum cessabunt, & nulla fiet reliqua vita mortalis, sed sola sempiterna: cum verò hæc inferiora corpora, vt proximè ex Augustino tertio de Trinita. & Aristotel primo Meteo. citauimus, lationibus superioribus gubernentur, ordo diuinæ prouidentiæ exigit, vt quousque eorum motus cessauerint, resurrectio corporum differatur.

Ratio 2. Item tempus, vt quarto Physic. ait Philosophus, est numerus & mẽsura motus, & potissimum motus cœli, vt 2. de generatio. scriptum est, quo vtique omnia, quæ sub orbe lunæ generantur & corrumpuntur, mensurantur: vita verò resurgentium corporum nulli erit variabili mensurę subiecta, sed æternitati, quæ omni caret varietate & termino: igitur quousque variabilis illa temporis mensura periodum suum compleat, neque alia supersit, quàm æternitatis, sapientiæ diuina non tulit vt corpora resurgant, sed tunc omnia simul, tempus autem non nisi cum motu cœli finietur: ergo illic futura est resurrectio. Atque huc illud alludit, Apocalypsis. 10. vbi angelus inducitur supremæ diei nuncius, qui iurauit, quòd tempus non erit amplius, sed in diebus septimi angeli cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei.

Ratio 3. Tertiò. Quamdiu hæc rerum mutabilitas durauerit, suapte natura humana ingenia susque deque fert, affectusque mortalibus varios ingenerat, nostrasque pellicit voluntates, atque adeò toto, quod durauerit tempore, duratura est militia & palæstra humani certaminis, vt alij de Deo bene, alij verò malè mereantur: resurrectionem autem corporũ eo temporis momento fieri decuit generalẽ, quo Christus iudex viuorum & mortuorum à cunctis simul mortalibus generalem rationem exigeret eorum, quæ hoc mundo vtentes gesserunt in corpore: ergo resurrectiones, non fuit congruens singulorum diuersis temporibus fieri sigillatim, sed in suprema mundi hora vnam omnium vniuersalem.

Ratio 4. Quartò. Vniuersitas mutabilium creaturarum, quas Deus hominis dominio subiecit, eisdem mortalibus ad suum ipsorum libitum seruit: improbi enim rebus ipsis ad suam libidinem abutuntur, probi verò vtuntur in obsequium Dei: vnde Paulus Roman. 8. Vanitati creatura subiecta est non volens, id est, non ex primæua ordinatione Dei, sed propter eum qui subiecit eam, (scilicet mortalium arbitrio) in spe videlicet sperans vt homo spe retributionis legitimè ea fungeretur, sed ipse homo vanitati suæ voluptatis, eam subiecit, quare ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem filiorum Dei, & ideo id sperans ingemiscit: ergo reliquæ creaturæ non sunt ab hac hominum seruitute liberandæ quousque corpora eorum corruptibilia incorruptibilitatem induant, quod erit per resurrectionem, volubilitas autem creaturarum non cessabit vsque in finem mundi, quando omnes motus quiescent: ergo non nisi tunc futura est corporum resurrectio, atque adeò tunc omnis creatura ab iniqua hominum seruitute liberata per supremum ignem, vt inferiùs dicturi sumus, à sordibus cunctis & fæcibus, quas inde contraxerat, expurgabitur.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi quantum ad rationem influentiæ plus caput cum membris, quàm membra inter se cõueniat, quia influit in omnia, tamen qua ratione caput est membrorum causa, singulari ratione membra inter se conueniunt: nempe quia sunt effectus, qua vtique ratione à capite differunt. Igitur qua parte resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ, decuit sic fieri, vt spes inde nobis nostræ confirmaretur. Et ideo fuit necessarium, vt illico resurgeret, quo eandem nobis spem generaret: nos verò tanquam membra post resurgeremus. Præterquam quod in ipso tanquàm in vnigenito à patre, vt dictum est, fuit plenitudo omnium charismatum, de qua vtique plenitudine nos omnes suscepimus. Et præterea corpus eius, quia nulli, neque originali, fuit peccato obnoxium, sed instrumentum abluendi nostra, decentissimum fuit, vt gloria animæ, quæ in ipso mundi in nostra corpora redundabit, protinus suum glorificaret corpus.

Christus quare resurrexit.

Ratio 2.

Sol. 2. arg. Ad secundum diluendum hoc in primis adnotandum est, vt hic D. Tho. idque scientissimè adnotauit, quòd nulli eorum hactenus resurrexerunt, censendi sunt ob id resurrexisse, quod ratione sanctitatis propiùs ad Christi sanctitatem accesserint: nam quamuis alijs alius propinquius eidem capiti Christo per eius gratiam accesserit, & beata virgo proximè: nemo tamen accessit nisi tãquam membrum quod est dicere, omnis accessit tanquam recipiens influxum à Christo, & nemo tanquam causa influens in alia membra: & ideo nemini ratione illius propinquitatis debebatur resurrectio vsque in finem mundi: nam si festinatior resurrectio ante tempus ob meritum fieret personæ, non fieret nisi quia eius resurrectio causa esset resurrectionis aliorum, quod soli Christo competit. Item quia sicuti propter eminentiam sanctitatis deberetur resurrectio ante generalem, tunc par erat, vt omnes sancti etiam inferioris sanctitatis, in eadem temporis proportione resurgerent quo eorum sanctitas requirit: vt si beata virgo, verbi gratia, tertio die resurrexit, iustitia exigebat, vt qui sanctitatis erat duplo minoris, post sex dies resurgeret, & qui esset triplo minoris, nouem: hoc autem opinari fas non est ergo nemo ratione suæ sanctitatis, quasi id iustitia retributionis exegerit, hactenus resurrexit, sed ex singulari prærogatiua & gratuito priuilegio Dei.

Nullus ratione sanctitatis resurrexit cum Christo.

Ratio 1.

Ratio 2.

Illis igitur, qui cum Christo resurrexerunt, priuilegium illud indultum fuit in gratiam ipsius Christi: nempe vt testes essent eius resurrectionis. Caueat autem cordatissimus quisque ne fallatur, illos ante ipsum Christum resurrexisse, propterea quod ait Euangelista, quòd ipso emittente spiritum aperta sunt sepulchra, & corpora quæ dormierunt, resurrexisse: illa enim anticipatio est & prænarratio eius quod post contigit. Nam cùm resurrectio Christi fuerit illius resurrectionis causa, necesse est vt ipsam antecesserit, saltem natura. Ob idque subiungit Euangelista, quòd exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, quasi qui cum ipso resurrexerant. Quocirca omnes illi patres erant in limbo patrum: quia illuc vsque nullus erat in gloria, atque adeò omnes erant veteris testamenti, quia patres noui testamenti nondum vlli defuncti erant. Neque verò credendum est, quotquot erant in limbo resurrexisse, tametsi omnes illic existentes animæ inde cœperint beatitudine perfrui: quoniam si omnes resurrexissent, profectò id Euangelista non subticuisset: & tamen non dixit nisi quòd multa corpora sanctorum qui dormierant, resurrexerunt.

Nullus nisi ex priuilegio Dei resurrexit.

Quando resurrexerunt.

In limbo erant qui cum Christo resurrexerunt.

Nota.

Atque hoc est aliud argumentum ad comprobandum, quòd non ratione eminentiæ meritorum surrexerunt: nam illa ratione cùm iam omnes essent grati, omnes deberent resurgere: surrexerunt ergo illi tantum quos Christus elegit, vt suæ essent resurrectionis idonei testes. Reliquorum verò eripuit inde animas.

Argum.

Imò, si coniecturis agere licet, & omnes fortè, quæ erant in purgatorio, liberauit, quamuis non essent ad iustum purgatæ. Quis enim ambigat, quin lætificus ille & iucundissimus descensus ad inferos plenariæ indulgentiæ fuerit causa: quandoquidem

Animæ purgatorij.

Digitized by Google

Qui resurrexerunt cum Christo an iterum mortui sint.

id per Pontificiam potestatem aliquando accidere prædicamus, vt animæ inde aliquæ eruantur.

Vtrùm verò resurgentes illi iterum in mortem redierint, vt eorum non fuerit nisi transitoria quædam resuscitatio, an verò in perpetuam resurrexerint vitam, Hieronymus in sermone de assumptione virginis sub lite reliquit. Dixit enim, multos tenuisse, quod in vitam resurrexerint sempiternam, alioqui non essent idonei testes resurrectionis Christi, qui non vltra moriturus surrexit. Quapropter Petrus Actuum. 2. vbi de obitu Dauid meminit, non ausus est dicere, Corpus eius est apud nos, sed sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernũ diem: acsi resumptum corpus in cœlum euexerit. Et præterea arguitur. Christi opera & priuilegia perfecta sunt: cùm ergo illos eo donauerit resurrectionis beneficio, credibile sit, non mancum, sed integrum in perpetuam vitam illis contulisse.

Sepulchrũ Dauidis.

2. Argu.

Euangeliũ Nazaræorum.

In Euangelio Nazaræorum scriptum est, non nisi duos insignis sanctitatis viros, qui paulo ante mortem Christi obierant, resurrexisse, & suis notis & familiaribus apparuisse. Et est nonnulla verisimilitudo, illos qui apparuerunt, notos illis fuisse quibus apparebant, alioqui non eis constaret resurrexisse. At verò euangelium illud apocryphum est, nec verbis euangelicis satis consonans, vbi legitur, multa corpora sanctorum resurrexisse, & apparuisse multis.

Autoris opinio.

Est ergo maximè credibile ex illis sanctis patribus, quos populus ille colebat vt sanctos, veluti Abraham, Moysem, Dauidem, & quosdam similes resurrexisse. Vnde Aug. in epist. ad Euodium, quæ est 99. Durum, inquit, videtur, vt Dauid non fuerit in illa resurrectione iustorum. Atqui D. Tho. hic in hanc partem liberiùs inclinat, quòd in perpetuam vitam surrexerint: quam opinionem ait alibi Hieronymum affirmantiùs asseruisse. Veruntamen 3. parte, vbi res emunctiùs examinabat. q. 53. ar. 3. contrarium tenet: scilicet quòd iterum corpora reliquerunt. Quam vtique opinionem Augu. in epist. 99. modò citata ad Euodium, tenet, vbi illud de Petro, qui allegauit sepulchrum Dauidis, acutè in suum patrocinium adsciscit. Contendebat enim illic Apostolus illud Psal. 15. Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: non de se ipso Dauidem, sed de Christo dixisse. Quod inde comprobat, quòd Dauid mortuus est & sepultus, & sepulchrum, inquit, eius apud nos est. Si autem non intelligeret ossa illic Prophetæ iacere, nihil probasset. Et tamen Dauid, inquit, cum illis iustis resurrexit.

Augustin.

Opinio S. Thom.

Augustin.

Opinio illa reijcitur.

Et re vera opinio hæc gratius sustinetur. Nam cùm illa resurrectio tantùm inseruierit, vt mortui testimonium dominicæ resurrectionis ferrent, profectò videtur, illud priuilegium non fuisse illis amplius indultum, quàm ad id muneris necessarium erat: & ideo illo munere perfuncti postquàm allerunt Christum resurrexisse, redierunt ad mortem. Concedere enim quòd Christus paucos quosdam gratiâ resurrectionis in perpetuum donasset, alijs relictis, non est creditu facile, postquàm ad testificandam resurrectionem non fuerat necessarium.

Ratio. 1.

Sed quæ me ratio multum mouet est, quòd si resurrexerunt in vitam perpetuam, non est opinandum mansisse in terris, sed certissimè credendum in cœlos ascendisse: Si verò illuc ascenderunt, proculdubio non prius Christo, sed cum ipso simul: quod si ita gestum esset, non est dubium quin Euangelistæ inter enarrandam Christi ascensionem tam præclarè historiæ mentionem fecissent. Aut si non cum Christo ascendissent, eorum tamen ascensum, sicut & resurrectionem enarrassent.

Ratio. 2.

Accedit in confirmationem huius, quòd Moyses in transfiguratione Domini resurrexit, secundum veriorem opinionem, quæ est Hieronymi super Matth. ca. 17. nam postquam Euangelista ait, apparuisse illic Moysem, non satis est, vt apparuerit in corpore aëreo, vt quibusdam placet, quia non esset ille Moyses, nisi in suo proprio corpore, cui anima vniretur, apparuisset: & tamen non dubitatur quin postea fuerit mortuus, quia absurdum esset concedere Moysem in vitam perpetuam prius Christo resurrexisse.

Ratio. 3.

Iam demum arguitur. Si illi crederentur in vitam corporum æternam surrexisse, facilè de alijs noui testamenti fieret credibile: & tamen hæc tam ardua res est, vt etiam de beata Virgine nondum sit firmiter ab Ecclesia ceu articulus fidei definitum. Qui hanc opinionem tenuerint, dicere subinde debent, non fuisse propriè resurrectionem, sed suscitationem quandam, vt Lazari & aliorũ: quod Hierony. super eundẽ locum Matth. insinuat dicens, Quo modo Lazarus resurrexit, sic multa corpora sanctorum resurrexerunt, vt Dominum ostenderent resurgentem. Et fortasse manserunt cum Christo vsque ad eius ascensionem, & tunc relictis corporibus ascenderunt animæ cum illo simul cum cæteris, quæ de limbo prodierunt, iuxta verbum supra citatum Pauli, Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem.

Nota.

Hierony.

Quid egerint.

Quod si roges, vtrùm resurrexerint in corporibus glorioſis? Respondetur, minimè cum perpetuis dotibus, sed fortasse cum ipsis per modum citò transeuntium: tum quòd animæ erant beatæ, tum quòd deberent in corporibus illis quadraginta diebus Christum comitari. Quamuis fortasse non nisi in corporibus corruptibilibus resurrexerunt, quale Christus habuit ante passionem: nam cùm resurrectio non esset illa beatorum, non opus erat dotes diffundi in corpora, præsertim cùm illa tam breui deberent relinquere. Item quia aliqui sua claritate illos exterruissent, quibus apparebant. Et Moyses non creditur in transfiguratione apparuisse in corpore glorioso, alioqui perinde vt Christus resplenduisset.

An illi surrexerint in corporibus glorioſis.

Ratio 1.

Ratio 2.

Si verò in vitam æternam resurrexerunt, fuit illa simpliciter resurrectio suis perpetuis dotibus insignita. Quod nescio an tam propriè Euangelio consonet, quoniam tunc resurrectio postremæ diei non erit prorsus vniuersalis, cùm tam multi iam resurrexerint. Et tamen Ioan. 5. sic legitur: Omnes (nemine excepto) qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & loquitur de voce finalis iudicij, insinuatur ab illis quoque, qui cum ipso surrecturi erant, de monumentis etiam auditum iri: siquidem illi tunc, dum Christus loquebatur, in monumentis iacebant.

Nota.

Adde quòd profectò Iob, qui quasi euangelicè resurrectionem Christi & vniuersalem omnium præcantauit, piè credendus est inter alios sanctos resurrexisse, & tamen ait, quòd in nouissimo die de terra surrecturus est. Imò & de Ioanne Baptista, qui Christi fuit præcursor, aduentum eius prænuncians, maximè sit credibile inter illos tunc resurgentes fuisse, cuius tamen caput postmodum inuentum est.

Ratio 3.

Ioannes Baptista.

Postremo tandem loco adhibetur optima ratio, quam illic Augustinus, Epist. 99. ex verbis Pauli ad Hebr. vndecimo colligit. Postquam enim Apostolus fidem Abrahæ aliorumque sanctorum patrum, qua salui facti sunt, retulit, ait, nondum repromissionem, scilicet resurrectionem eos suscepisse. Deo, inquit, pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur, hoc est, non ante nos supremam animarum & corporum gloriam sortirentur.

Ratio. 4.

De sacratissima verò virgine si resurrexit, non est dubium, quin in vitam sempiternam resurrexerit, qua in cælis cum filio suo fruitur. Hoc autem Hieronymus eodẽ sermone sub dubio reliquit. Iam verò temporum curriculo, opinio hæc aut credulitas, quòd in corpore & anima fuerit in cælum assumpta, plurimum inoleuit, nondum tamen inter fidei articulos creditu necessarios relata est. Quamuis sit pientissimè credendum: nam & in collecta illius festi ait ecclesia, quòd nexibus mortis deprimi non potuit. At verò cauendum est ne dicatur id ei iure conceptionis absque peccato originali obtigisse: nam etiam si teneatur, illam maculam neutiquam contraxisse, nihilominus ratione mortalitatis, quam vniuersum genus humanum inde contraxit, mortua est. Solus enim Christus ab illa mortis necessitate fuit liber, nisi liberè se morti obtulisset. Et ideo virgo si resurrexit, ex mero priuilegio Dei resurrexit, congruentissimè tamen, nam sacratissimum corpus, quod tanta cum virginitatis integritate apotheca fuerat carnis Christi, decuit vt quod ipse per naturã habuit, ipsa per priuilegium obtineret, vt scilicet absque incineratione resurgeret.

Virgo mater an corporè sit in cælum cuecta.

Ratio optima.

At verò de Ioanne Euangelista, quem hic S. Tho atque alij resurrexisse opinantur, res non est tam certa: imò certius est non resurrexisse. Quod enim quidam referunt, in sepulchro, quod viuens aperiri sibi fecit, mansisse viuum, apocryphum est. Quinuerò quòd non fuerit mortuus, fabulosum. vt Aug. tracta tu 124. super Ioannem, imò & Ioannes de se ipso capitu. vigesimoprimo testatur: nam cùm Christus ad Petrum dixisset, Si volo eum manere donec veniam

Ioan. Euangelista an resurrexerit.

Digitized by Google

quid ad te: exijsset que subinde sermo inter fratres, quia discipulus ille non moritur moderatus est Euangelista verbum, subdens, quòd Christus non dixit, non moritur. Quare Hierony. & Eusebius in eius vita clarè fatentur fuisse mortuum, extareque eius sepulchrum Ephesi. Quod autem post mortem resurrexerit, nullo idoneo testimonio fulcitur.

Apocal. 20.

Tertium argumentum expositionem petit illius capituli 20. Apocalypsis, quod D. Augustin. lib. 20. de ciuitat. Dei, cap. septimo & octauo edisserit. Illis enim verbis Ioannis, Papias eius discipulus seductus duas commentus est corporum resurrectiones. Quo errore Lactantius atque alij fuerunt subinde commaculati. Excogitarunt liquidem quòd quemadmodum mundus sex diebus fuit conditus, & in septimo Deus sabbatum, hoc est, requiem fecit, ita in fine sexti millenarij ab orbe condito venturus esset Christus, iustos omnes resuscitans, quos illic Ioannes martyrum nomine designat, qui fuerunt propter testimonium Iesu decollati. Qui quidem toto septimo millenario in paradiso terrestri summis fruentes delicijs victuri cum eodem essent Christo. Quare illo tunc millenario Dominus ligaturus erat diabolum, ne eos posset tentare, aut infestare: illo autem expleto millenario soluendus erat sub ætatem Antichristi exiguo tempore, vt seduceret gentes, & protinus facienda erat vniuersalis resurrectio proborum & reproborum. Sed hæc fabula non diu in Ecclesia perstitit. Erat enim hominum nimiùm sensibus indulgentium. Quid enim opus erat eis, qui in Domino dormierant, & prorsus peccatorum maculis erant expurgati, ac subinde in gratia & amicitia Dei confirmati sensibilium voluptate deliciari, acsi terrenorum fruitio merces eorum esset? Cùm Christus iustis non nisi regnum cælorum fuerit pollicitus, Gaudete enim, inquit, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.

Lactantius lib. 7. de diuino præmio cap. 24. & 26.

Fabula erronea.

Notè.

Adde quòd si cibo & potui deberent indulgere, deberent subinde rei vxoriæ vacare, atque adeò filios procreare, qui non essent, vt ipsi, beati. Sed vanum est aduersus talem cogitationem verba prodigere.

Resurrectiones duæ.

Duæ ergo illæ resurrectiones non aliæ interprete Augustino, intelligendæ sunt, quàm spiritualis à peccatis & corporalis, gemino aduentu Christi celebratæ. Quare angelus ille, quem cum claui descendentem vidit Ioannes, non alius quam ipse Christus fuit descendens in carne. Mille verò anni, quibus dicitur Satanam ligasse, totum tempus designant Ecclesiæ euangelicæ: nempe ab orbe redempto ad finem mundi. Nam cùm numerus ille sit perfectus, perfectum designat tempus. Dicitur autem Christus hoc tempore ligasse Satanam, eo quòd eum non permittit sic prædestinatos tentare & superare, vt vsque ad mortem vinctos detineat. Quare isto tempore homines prædestinati sunt sicut sacerdotes, vt illic ait Ioannes, & in sua Canonica Petrus, Christo sacrificia suorum corporum offerentes, atque adeò cum ipso isto millenario regnantes. Et ideo Ioannes appellat eos beatos, qui habent partem in hac prima resurrectione à peccatis per gratiam. In his enim, inquit, secunda mors non habet potestatem. Prima enim mors est corporis, quæ tam bonos quàm malos reti suo comprehendit: secunda verò est animæ, quæ fœlices sanctos non tangit. Secunda ergo resurrectio est vniuersalis corporum, de qua præsens nunc decurrit sermo.

Mille anni quid.

Satanam ligare.

ARTICVLVS II.

Vtrum dies & hora resurrectionis sit hominibus vel Angelis cognoscibilis

Partis affirmatiua arg. 1.

AD præcedentem articulum adiungitur secundus, de notitia illius diei postremæ mundi. Et arguitur, quòd possit per speculationem sacrarum literarum innotescere. Habetur enim Apocalyp. ca. 12. quòd mulier (per quam Ecclesia significatur, habet locum paratum à Deo, vbi pascatur diebus mille ducentis sexaginta, & Daniel. 12. vbi finis mundi legitur fore à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium & posita abominatio, dies ille ducentos sexaginta: quibus locis dies ponitur pro anno, secundùm illud Ezechiel. 4. Diē pro anno dedi tibi. Vel saltem Angeli qui in conspectu Dei sunt, diem illū postremū mundi vident.

Pars negatiua.

In contrarium est illud verbum Christi Matthæi 24. De die illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum.

Ad quæstionem vnica conclusione respondetur. Dies illa omni puræ creaturæ tam per causas naturales quam secundùm viam Dei ordinariam occulta est, & prorsus ignota. Assertio est Christi Matthæi 24. verbis modò citatis, & Marc. 13. additur, Nec filius, sed solus pater. Nam postquam constitutum est diem resurrectionis corporum & consummationem seculi, & aduentum Domini in eandem concursuras, idem est quærere: vtrùm dies iudicij, & vtrùm dies postrema mundi sit prorsus occulta. Atqui quòd secundùm naturæ lumen & cursum dies illa sit prorsus ignota, probatur: quoniam finis temporis quod, vt prædiximus, est mensura motus cæli, non nisi vbi idem motus cessabit futurus est: terminus autem illius motus per naturam cognosci non potest: ergo neque vltima hora, aut dies, aut annus temporis. Probatur minor, quia per motus quidem cælestes possumus illa cognoscere, quorum ipsi sunt causa, vt hyemem & ver, atque inde de pluuijs, temporibus & complexionibus coniectari: at verò finis motus cæli, non est effectus eius naturalis, sed eius cessatio: finis autem & cessatio cuiusque motus nosci nequit, nisi aut ratione subiecti, quia corruptibile est ac perinde lassatur, aut ratione spacij, quod est peragendum, aut ratione motricis causæ, quæ vltro quiescere potest: cælum autem (quod Philosophis notissimum est, corruptionem non patitur, neque suo motu atteritur, neque intelligentia motrix (quoniam spiritualis est) lassari aut fatigari potest: rursum neque spacium in longum protenditur: quia cælum perpetuò circulo per eadem spacia conuoluitur: sciri ergo per naturam nequit quando cessabit. Imò Philosophus supranaturalium causarum ignarus, optimè profectò. 8. Physi. & alibi ex natura eiusdem motus elicuit fore perpetuum. Haud enim nouit intelligentiam iussu Dei liberè illud mouere, ergo in sola voluntate Dei positum est & reconditum quando sit finem habiturus. Quare neque Angeli de cælo, neque ipsæ motrices intelligentiæ possunt hoc viribus naturæ nosse.

Conclusio.

Matth. 24.

Probatio minoris.

Aristot.

Vnde Augustin. lib. 83. quæstionum, quæstio. 58. ait, quòd quemadmodum hominis, ita & mundi, suprema ætas non est certò cognoscibilis: complet enim infantia suam periodum in primo septennio, & pueritia in secundo, & reliquæ in suo cuiusque termino, vt distinct. 27. quæstio 2. artic. 2. explicuimus: senectus verò, aut si mauis decrepitas, quæ ab octuagesimo incipit anno, certum terminum non habet: nam alios citiùs, alios verò tardiùs mors occupat. Sic ergo prima ætas mundi in diluuio finita fuit, & secunda in Abraham, & tertia in Moyse, & sic de reliquis. Septima verò hæc, quam Apostolus horam vocat nouissimam, & ab orbe redempto vsque ad mundi finem fluit, nescitur naturaliter quando sit habitura terminum.

Augustin.

Secunda conclusionis pars, scilicet quòd nec per viam ordinariā Dei dies illa possit hominibus innotescere, probatur. Viam enim Dei ordinariam appellamus sacram scripturam nobis reuelatam, & si quæ aliæ fuerint Apostolis verbo tenus factę reuelationes ad Ecclesiæ regimen spectantes. De ista ergo via arguitur, quod neque in pagina veteris testamenti, neque in pagina noui fuerit scriptum, nec verbo, quod sciatur, reuelatum. Si quibus enim debuit eiusmodi dies patefieri, illi fuerunt Apostoli, quos Christus promulgatores Euangelicæ legis instituit: quibus ideo dixit Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Lucæ. 8. Et iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis Ioan. 15. Eis autem, vt legitur Actuum 1. scisscitantibus de die illa, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Respondit, Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: quasi dicat. Quòd agnoscatis futurum esse aduentum, necessarium vobis est ad Ecclesiæ salutem. Tempus verò nosse non est vestri muneris: quia neque Ecclesię, cuius estis gubernatores instituti, id nouisse expedit. Quo vno loco conuincitur, in veteri testamento non fuisse scripto madatum, alioqui Apostoli nouissent, neque vero in nouo fuisse detegendum, alioqui non eos tunc id calleret.

Dies illa ex voluntate alicuius esse nota.

1. Arg.

Ad intellectum autem huius loci adnotandum est, Apostolos iam tunc non dubitasse, illum esse Messiam, sed tamen Pharisæi, plurimique illius populi putabant aduentum Messiæ futurum fuisse ad liberandum populum illum ex omni humana miseria, atque ad restituendum regnum ipsorum temporale: & quia non vide-

Enarratur locus. Luca. 8.

bant

bant Christum in illa maiestate venientem, ob id cunctabantur illum vt Messiam recipere. Ob idque, vt Matth. 26. legitur, dum sub articulum passionis dixit ei Pontifex, Adiuro te per Deum viuum vt dicas nobis si tu es Christus, respondit, Tu dixisti. Et adiecit, Veruntamen dico vobis amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli, &c. Quasi diceret, Quia ob id me non quasi Messiam suscipitis, quod non in me illam maiestatem conspicitis, quam sperabatis, volo vos vestræ deceptionis admonere. Non est hic aduentus ille quem putatis, sed amodò, id est, secundo aduentu, videbitis filium hominis in sua maiestate. Et eandem ob causam dixerat Ioan. 3 Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: duos hos aduentus designans. Hoc ergo est quod Apostoli ab ipso scire itabantur, vtrum scilicet tunc deberet restituere regnum Israel.

Aduentus Christi duplex.

Quò autem res apertior fiat, notandum inter aduentum Christi misericordiæ in carne mortali ad liberandum nos, atque alium iustitiæ in maiestate ad iudicandum, quorum primus in veteri testamento sperabatur, & secundus expectatur in nouo, hoc interesse discrimen, quòd cùm in primo deberet ceu homo, occulta maiestate venire mitis & mansuetus sedens super asinam, deberetque adeò per fidem suscipi, condecuit illius figuras longè ante præcedere, & prophetias, quæ tempus illius aduentus designarent, quales fuerunt septuaginta hebdomadæ Danielis capitu. 9. & prophetia Iacob Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est: atque aliæ, quibus tempus illud salutis subindicabatur. Quamuis vt fidei quoque aliquis relinqueretur meriti locus, non vsque adeò perspicuè & punctim tempus illud Messiæ prophetæ designabant: quare nec fuit Iudæis planè intellectum.

Daniel. 9.

Aduentus secundus.

Aduentus verò secundus, quo, vt ait Dauid, Deus manifestè veniet, sicut fulgur, quod exit ab oriente, & apparet vsque in occidente vniuerso orbi, non indiguit reuelatione illa: quia non est suscipiendus per fidem, sed euidenti conspectu. Tametsi nonnulla fuerit eius prænunciatio per Danielem cap 12. scripta.

Diem iudicij nosse an expedierit ecclesiæ.

Imò verò adeò non fuit Ecclesiæ necessarium tempus illud nosse, vt fuerit etiam expediens maximè illud ignorare. Nam si punctim fuisset prægnitum, segniores fierent homines, atque ad virtutum officia vecordes. Hoc enim hic apprimè animaduertendum est, quòd Deus, vt dis. 14. dicebamus, non in hoc nos tantum creauit, vt in nouissima hora ad ipsum conuerteremur, sed re vera vt totam vitam in eius obsequijs expenderemus, neque quicquam admitteremus, cuius nos postea pœnitere opus esset. Vt ergo continenter in hac vigilia persisteremus, expediens nobis fuit tempus aduentus eius ignorare, tum singularis ad vnumquemque iudicandum, tum & generalis ad iudicandum mundum. Videlicet, vt nihil nobis certius esset, quàm quod venturus sit, nihilque occultiùs quàm quando venturus sit.

Lucæ. 12.

Vnde Lucæ. 12. Sint lumbi vestri præcincti, id est, semper in opere persistentes: & lucernæ ardentes, id est, nunquàm fidei lumen extinguentes, quod Deus in cordibus vestris accendit, & similes hominibus expectantibus dominum suum, scilicet omni momento: quia nescitis, an in prima, secunda vel tertia vigilia sit venturus Quocirca intelligenda est vis argumenti, quod subiungit. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam: & vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Videtur namque inepta collectio ab eo qui scit horam, ad eum qui nescit: est tamen aptissima. Vult enim persuadere, vt quàm attentè qui horam venturi furis sciret, illa hora vigilaret, tam vigilanter, imò vigilantiùs ille, qui horam ignorat, in quacunque sit attentus, certò nimirum sciens quacunque posse venire.

Matt. 25.

Atque huic alia subinde egregiè consonat virginum parabola Matthæi 25. Nam quinque prudentes, quia quacunque hora sponsum expectabant, nunquam dormierunt, fatuæ verò ob moram, quam faciebat, hæsitare cœperunt quando veniret: & ideo somno occupatæ oleum minimè prouiderunt.

Matt. 24.

Et hæc est querela, quam Christus loco citato Matthæi 24. proponit, Vbi enim dixit, de illa hora neminem, neque verò angelum scire, nisi solum patrem, subiunxit, Sicut autem in diebus Noe, ita & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes & nubentes & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Quasi diceret, cum pater meus secretum diei illius ea cauta in suo pectore condiderit vt homines vigilantiores paratioresque essent, & cautiùs viuerent, inde ipsi occasionem nanciscuntur socordiùs ac negligentiùs viuendi.

Prænunciatio diuina duplex.

Est igitur adnotandum hic, quòd prænunciatio ciuina alicuius imminentis mali aut est comminatoria, quam scit se mutaturum: & tunc nihil vetat quominus certus dies designetur: vt fuit illa Niniuitis per Ionam facta. Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.

Secunda.

Quando verò prænunciatio illa non est mutanda, non designatur singularis dies, vt est illud Lucæ 19. super Hierusalem. Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, &c. Et pariter centum annis ante diluuium præcepit Noe Deus arcam fabricare nulla tunc designata die & tamen neque toto illo tempore mortales illi fidem ei præstiterunt. Gen. 6. At verò, vt aliud adhibeamus argumentum quamuis diem illum nobis Christus prædixisset, parum nobis prodesset: nam vnusquisque finem suum, maximè in prouecta ætate, appropinquare cognoscit, & nihilominus mores non ideò accuratiùs componimus, sed nouissimâ horam expectamus:: quando corpus, quod corrumpitur, aggrauans animam vix vllam ei libertatem permittit, qua possit de re tam ardua tractare. Igitur hominibus notitia illius diei nondum affulsit.

Arcà Noe

Aliud ar.

Dubium.

Vtrùm verò singulariter alicui talis fuerit facta reuelatio, vanum est disputare. Quod enim id Deus facere potuerit, ambigere non licet. Sed tamen quia vnicuique, vt 1. Corinth. 12. ait Apostolus, datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, & in hac vita id nosse non expedit, non est facilè credendum tale priuilegium alicui fuisse indultum. Secus de obitu cuiusque singulari, qui multis reuelatus legitur Quamuis nec propriæ diei mortis notitiam affectare debeamus; admonet enim nos Paul. 1. ad Timoth. 4. vt aduentum domini diligamus. Sed vt ait ad Eſychium Aug. non ille diligit aduentum domini qui eum asserit propinquare, nec ille qui eum asserit non propinquare, sed ille potius qui eum siue prope, siue longè sit, synceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis expectat.

Lactantij opinio.

Lactantius, vt paulo ante diximus in lib. 7. de diuino præmio. in illa sua hebdomada dierum persistens. c. 14. & rursum c. 25. arbitratur expleto ab orbe condito sex mille annorum numero iudicium futurum: & post septimum millenarium quo cum iustis regnaturus est Christus, mundū finiendum. Atqui Elias quidam non ille sacer Propheta, sed alius nuperrimus, quem Andreas Osiander refert, mundi cursum in tres periodos partitus est, ita vt cum vsque ad Abraham per duas ætates duo millia annorum fuerint consumpta, & vsque ad Christum alia duo, totum tempus Euangelij non nisi alia duo millia annorum sit duraturum. Sed hæc & similia cōmenta nullius sunt autoritatis. Similiter enim, vt Aug. super illum locū Act. 1. lib. 18. de ciui. c. 53 scripsit, quidam dixerunt, mundum duraturum quadringētis annis, quibus fuit populus Israël in Ægypto. Alij verò quingētis, & tamen decepti sunt, quem admodum & omnes, qui id computare contenderint decipientur. Quod enim Apostolis Christus id scisciantib. non dixit, nulli reuelabit: quare omnium de hac re calculantium digitos resolvit, & quiescere iubet. Hæc ille. Quare qui certitudinem illius diei prædicauerint, non sunt audiendi. Nam etsi D. Vincentius atque alij sancti iamiam aduentare prædicauerint, prudenter tamen annorum numerum non denotabant. Vnde Augustinus ad Eſychium epist. citata. 80. Nec centum, nec mille anni cognosci possunt post quos sit Christus venturus, sed vocauit Pau. Euangelicum tempus horam nouissimam, quia mille anni ante oculos Dei tanquam Dies vnus. Et solet esse Dei prouidentia, vt nonnunquam aliquibus viris iustis opinari permittat, vt credant citius venturum, non quod eis mendacium reuelet, sed quod sinat eos talem sensum habere ad percellendum populorum animos prope ad illum modum, quo per Ionam. Niniuitis eorum interitum comminatus est.

Opinio quorundam.

Obiectio.

Quòd si quis contra conclusionem sic arguat. Cuius principium notum est, eius perinde finis innotescere potest: quoniam, vt 2. de generatione ait Philoso-

Digitized by Google

plus, cuncta sua durant periodo: principium autem mundi Christianis notum est: ergo per id potest innotescere finis. Respondetur, quod vt ex principio alicuius rei finis perpendatur, necesse est vt eius mensura sit nota. Si enim ego scirem quantum alicui Deus dederit vitæ, cognito die natiuitatis, cognoscerem quando futurus ei sit dies mortis. At quia mensura seculi mundi nobis incognita est, quamuis sciamus quantum temporis à suo ortu defluxerit, non tamen inde colligimus quantum sit in posterum duraturus.

Dilutio.

Ad principale igitur argumentum respondetur, quod Daniel Propheta bis legitur tempora adùentus Domini designasse. Primùm capit. 9. vbi ab ædificatione templi post hebdomadas septem & alias sexaginta duas ait occidendum Christum, vbi manifestè de primo loquitur aduentu ad mortem: non de secundo, vt eadem Epistola ad Esych. ait Augustinus. Post verò de secundi aduentus tempore loquitur cap 12. vbi ait, quod à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium. Et iste est locus, quem Christus citat Matth. 24. de secundo aduentu. Et similiter ferè dicetur Apocalypsis 12. quod scilicet mulier, quæ Ecclesia intelligitur, habebit locum, vbi Deus illam pascat, diebus mille ducentis sexaginta. Per illum verò numerum designat Ioann. totum tempus Ecclesiæ ab orbe redempto vsque ad Antichristum: sed tamen illic non ponitur dies pro anno, vt aliqui volunt, secundùm illud Ezechiel. 4. Diem pro anno dedi tibi, quasi non esset nisi mille ducentis sexaginta annis duratura, cum iam sint plures transacti, quàm mille quingenti. Sed per dies illos à Ioanne significatur totum tempus, quo ecclesia est duratura, propterea quòd prædicatio Christi tribus annis & tribus mensibus protensa fuit, qui numerum illorum dierum paulo plus minusve complent. Quare illic tempus durationis ecclesiæ non præscribitur certum. Responsio verò hæc verum obtinet secundum Sanctum Thomam, atque alios, qui putant dies Apocalypsis designare dies ecclesiæ vsque ad finem mundi: dies verò apud Danielem significare tempus, quo persecutio Antichristi grassatura est. Nam profectò possumus optimè vtrumque numerum ad durationem persecutionis Antichristi referre: eandem quippe illic persecutionem Daniel graphicè pingit. Vbi ait, quod durabit in tempus & tempora & dimidium temporis: & nomine temporis intelligit vnum annum, & nomine temporum duos alios, & per dimidium temporis, dimidium anni. Et ideo subdit, A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, scilicet Christi, & posita fuerit abominatio, scilicet Antichristi, in desolationem, current dies mille ducenti nonaginta, scilicet persecutionis. Et tunc extinguetur Antichristus. Sed beatus qui ab eius persecutione liberatus alios quadraginta quinque dies superuixerit, nempe vsque ad mille trecentos triginta quinque. Tunc enim erit finis. Et profecto eodem modo possùt glossari dies Apocalypsis: nam præmittitur illic, quod mulier, scilicet istorum cœtus à Dracone illo rufo, id est, Antichristo fugiet in solitudinem, vbi pascetur diebus illis.

Sol. 4. arg.

Apocalypsis. 12.

Dies Apocalypsis.

D. Thom.

Dies Daniel.

Daniel.

Habemus ergo hominibus diem illum Domini occultum esse. Sed si de Angelis quis dubitauerit, illos quoque respondit Christus de die illa nescire: quod intelligi potest quantum ad suam cognitionem naturalem, & quantum ad supranaturalem in proprio genere: quia via ordinaria Dei dies ille prorsus eos latet.

Dies Apocalypsis.

An angeli illum diem nouerint.

Vtrùm autem in verbo visione beatifica illum diem contueantur, non desunt qui affirment, vt impræsētiarum refert Ricardus. Nam licet hoc ad eorum essentialem beatitudinem non attineat, spectat tamen ad eorum gloriam accidentalem: quia res est dignissima scitu. Quemadmodum Augustinus in Enchiridio cap. 62. Cognouerunt, inquit, Angeli sancti de Deo docti, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. Nam quamuis inde non colligatur cognoscere illum diem, fit tamen coniectura, quod sicut cognoscunt saluandorum numerum, perspiciant & salutis diem. Veruntamen si id Angelis concedamus, similiter animabus sanctis tribuendum est: nam pariter illis erit iucundissimum diem illam nosse, quam suis optant amicis. Præsertim cùm nullum immineat periculum, vt mysterium mortalibus enuncient. At verò probabilius apparet, vt neque in verbo id videant, tum quod hoc ad eorum beatitudinem non pertineat, tum potissimum quod dicens Christus, neque Angeli de cælo, significasse videtur, neque beatos vllo pacto id cognoscere.

An diem illum videat in visione beatifica.

Augustin.

Sententia authoris.

Sed grauior apparere potest dubitandi ratio de illo verbo apud Marcum cap. 13. Neque filius hominis. Attamen re vera nullum ingerere potest dubium, quominus Christus eundem cognoscat diem, non solum quatenus Deus, cui eadem est cum patre communis essentia, atque adeò infinita notitia, & per ipsum facta sunt non solum cuncta tempora & dies, verùm rerum vniuersitas. Imò & inquantum homo. Nam cum ei, quatenus Redemptori congruat iudicium facere, eadem ratione competit, vt sciat quando ad id venturus sit. Nihilominus nefas esset & hæresis dubitare, vt quidam hæsitant, illam apud Marcum vocem existere, propterea quod non sit apud Matthæum, imò è conuerso cùm Marcus quasi epitomen Matthæi fecerit, bona sit coniectura etiam apud eundem Matthæum similiter fuisse scriptum. Et ita ait Hieronymus aliqua exemplaria habuisse, tam Latina quàm Græca. Et in enarratione eandem particulam interpretatur. Et Origenes in homilijs super Matthæum eandem etiam legit vocalem. Et Chrysostomus eodem loco. Sed fit vero simile, vt ex Hieronymo colligitur, aliquos nimium cautos Arianorum tempore eandem vocem abrasisse, vt eis ansam auferrent dicendi filium esse creaturam. Vnde & Augu. lib. de verbis Domini sermone. 21. super Matthæum eodem modo legit. Sensus ergo Christi hic fuit, quòd filius non sic illum diem nouerit, vt alicui reuelare debeat. Nam cum potestas ei à patre in salutem humani generis fuerit impensa, & ad eandem nostram salutem id non nobis expediat scire, minimè ei detegendi illud secretum facultatem fecit. Et ideo, vt ait Chrysostomus, addendo, Neque filius hominis, os Apostolis obstruxit, ne amplius id quæreret. quia non erat interrogatio, ad quam ille poterat respondere. In confessarijs modus ille negandi se scire illa, quæ sub sigillo confessionis audierunt, legitimus est, scilicet nescio vt dicam. Itaque sicut Apostolis dixerat, Non est vestrum nosse tempora vel momenta: similiter de se ait, Non est meum dicere vobis. Sunt enim in eo, vt ait Paulus ad Colossenses secundo, omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi, quos non nisi vbi congruens fuerit, reuelat.

Neque filius hominis.

Christus quatenus homo diem illam nouit.

Hieron.

Origen.

Chrysost.

Nota.

ARTICVLVS III.

Vtrùm resurrectio futura sit in instanti, eodemque nocturno.

AD notitiam temporis resurrectionis spectat rimari de eius mensura & momento, vtrùm scilicet facienda sit subitò noctuque. Et arguitur à parte negatiua. Ezechiel. 17. de resurrectione mortuorum sic prænunciatum legitur Accesserunt ossa ad ossa, & vidi, & ecce super ea nerui & carnes ascenderunt, & & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant: ergo reparatio & compactio corporum coniunctionem animarum antecedet: in instanti verò non potest esse anteceſſio & simul successio, quia hæc dicunt motum, qui non est in instanti possibilis, præsertim cum illic plures actiones debeant ordine procedere: priùs enim debet esse cinerum collectio, mox corporis organizatio, ac demum animæ infusio, quæ non apparet quemadmodum possint se subitò subsequi.

Pars negatiua 1. argum.

Secundò aduersus membrum secundum arguitur. Finis vniuscuiusque rei debet esse perfectissimus: tunc autem futurus est temporis finis, iuxta illud Apocalypsis. 10. Tempus amplius non erit: ergo tunc debet esse tempus in sua optima dispositione quæ est dies: eo vel maximè quod qualitas illius temporis illis debet adaptari rebus, quæ tunc gerentur, sed tunc, vt 1. Cor. 4. legitur, illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: ergo fiet in meridie, quæ hora illi negocio præcipuè congruit.

2. Arg.

In contrarium autem quantum ad primum membrum est illud Pauli. 1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus in momento, & in ictu oculi. Et quantum ad secundum, est exemplum Christi, cuius instar, vt Gregorius in homilia Paschali autor est, nos resurrecturi sumus, quæ vtique resurrectio fuit in nocte.

Pars affirmatiua.

Quæstio hæc bimembris binam exigit conclusionem. Atqui prius membrum duplicem potest facere sensum, vnus enim est, vtrùm omnes quotquot resurrecturi

Decis. art.

Digitized by Google

surrecturi sunt, in eodem temporis articulo sint suscitandi, an verò quidam prius quam alij. Qui quidem sensus pertinet ad subsequentem articulum. Alter verò intellectus est, vtrùm cuiusque resurrectio sit futura in instanti vel subitò. Et de hoc in præsentia disputatur. Ad cuius definitionem notandum in resurrectione aliqua esse ministerio Angelorum gerenda, vt puluerum collectio, alia verò à Deo immediatè perficienda, vt animæ inductio in corpus.

1. Concl. Sit ergo prima bimembris conclusio. Quicquid ministerio Angelorum faciendum est, fiet non in instanti, sed in tempore imperceptibili, illud autem quod diuina virtute est perficiendum, consummabitur subitò, scilicet in termino illius temporis, quo opus Angelorum complebitur. Quo autem conclusio apertior

Resurrectio quid. fiat, supponendum est, quod resurrectio, vt loco citato lib. 4. c. 28. ait Damascenus, est eius quod cecidit iterata surrectio: cadit autem in mortem primùm ipse homo per separationem animæ & corporis, qui ideo cadit in cadauer: cadit item deinde cadauer in alia corpora, in quæ resoluitur, nempe in terram, vel in aliud elementū aut mistum: & tandem per diuisionem potest cadere in alias ac subinde alias res, vt vna particula crescat in herbam, transeat deinde in carnes, &c. In resurrectione autem ab illo exordiendum est, quod in resolutione fuerat postremum, vt scilicet primum congregentur cineres.

Cineres quid. Nomine autem cinerum intelligitur quicquid sit illud, in quod corpus fuerit resolutum. Cur autem dicantur cineres, explicabimus art. 5. Primum ergo opus erit illas particulas & reliquias in vnum locum congerere, vbi reficiendum est corpus: opus autem illud manifestum est ministrandum esse per Angelos: Angelus verò non potest in instanti corpus mouere, tum quia actio quæcunque corporea in instanti arguit virtutem infinitam, vt patet in creatione, quam angeli non habent, tum quòd motum & præsertim localem fieri in instanti implicat contradictionem: quia quidpiam moueri est prius alicubi esse quàm alibi: prius autem & posterius absque successione intelligi non valet: successio autem diuisibile tempus intrinseca ratione includit, atque adeò in instanti fieri repugnat. Fiet tamen in tempore nobis imperceptibili, non solum propter eximiam angelorum virtutem, sed quia id virtute diuina exequentur, iuxta verbum Christi Matth. 24. Et mittet

Matt. 24. angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, hoc est, a quacunque orbis parte: & à summis cælorum vsque ad terminos eorum: quod si referatur ad corporum partes, intelligitur ab orbe Lunæ, scilicet ab elemento ignis & infra, vbicunque illæ fuerint particulæ. Si autem referatur ad animas, ad literam adducentur de cælo, vbi sedes sunt beatorum. Quomodo verò quæcunque particulæ à corporibus, quibus fuerint commistæ, extrahendæ sunt, distin. sequen. repetendum est, vbi disputabitur, vtrùm idem prorsus homo qui obijt secundum omnem suam partem sit resurrecturus. Sed nota cum S. Thoma, in tempore imperceptibili, non

In tempore imperceptibili. enim ait, subito: quia subito id fit, quod modo non est, & proximè (vel quod aiunt immediatè) post hoc erit, quod illi cinerum congregationi non conuenit, cùm per motum sit exequenda.

Organizatio. Congregatis illis particulis seu cineribus, subsequitur corporis organizatio, vt particulæ in ossa efformentur, atque aliæ in neruos, & aliæ in carnem, quæ simul compacta suscipiendæ animæ sint idonea. Et hanc

Scotus. Scotus quæstio. 5. ait in instanti futuram esse virtute diuina, non autem angelica. Opinatur enim ipse formam corporeitatis antecedere animo in corpore: & Angelus nequit formam corpori inducere nisi applicando actiua passiuis, quæ illam educant de potentia materiæ, vt applicando ignem ligno: vel vt ad rem proximè loquamur, infundendo semen matrici, vbi corpus humanum efformatur: & tamen resurrectio non est sic facienda, sed sine opera secundarum causarum naturalium efficientium.

Sententia autoris. At verò quamuis nullam aliam formam præter rationalem in homine admittamus, profectò idem crediderim, scilicet quod corpus non est angelorum ministerio organizandum, vt cum Scoto etiam Durand. quæst. 4. consentit. Primum propter rationem modo factam: quoniam organizatio vna est quæ ancedit animam in embrione, altera verò quæ cum ipsa anima inducitur: illa verò quę præcedit, fit per determinatas causas, scilicet recepto in ventriculo semine, quod aliam

Ratio 1. ac subinde aliam formam vsque ad animationem recipit, quas ideo angelus nisi applicando actiua passiuis inducere nequit: quibus quidem agentibus illic locus non dabitur, quia nulla erit seminis virtus. Organizatio verò completa, quæ est vltima dispositio animæ, & tanquam propria passio hominis in ipso perseuerat, non antecedit animam, imò eam natura saltem subsequitur, veluti reliquæ propriæ passiones, quæ ad introductionem animæ consequuntur, iuxta doctrinam Aristotelis docentis, quòd vnaquæque forma suas secundas dispositiones adfert. Igitur in resurrectione nulla erit organizatio antecedens introductionem animæ. Id quod optimo cuique Philosopho impræsentiarum est considerate meditandum: quoniam organizatio illa non fiet per causas naturales disponentes materiam ad introductionē animæ, neque verò Angeli id supplere possunt: sed in eodem instanti virtute diuina introducetur anima, corpusque organizabitur. Imò prius natura fiet animæ inductio, quam organizatio.

Aristot.

Probatur ergo secunda pars conclusionis, scilicet quòd quicquid illic virtute diuina fiet, qualis est inductio animæ & organizatio, perficietur subito. Nam si tempus illic esset requisitum, id esset aut ratione formæ quæ inducitur, aut ratione agentis, aut ratione subiecti, quod illam recipit: non vtique ratione agentis: quoniam virtus Dei infinita est, quæ vt non à loco, ita nec à tempore vllo pendet. Nec ratione formæ, quæ inducitur, tum quòd anima est indiuisibilis, quæ non habet partes successionem exigentes, tum quòd etiam si haberet partes, posset Deus illas simul producere: sicut enim in instanti creauit cælum, creat & animas, & potest in instanti quamcumque rem producere. Neque vero tempus exigitur ratione subiecti: nam corpus illic non præstat nisi obedientiam causæ supranaturali, cui resistere non potest, quo minus formam, quemadmodum diuina virtus intulerit, suscipiat.

Subitò.

Argum. Sed ambigat quis forte hoc pacto. Dum anima rationalis in embrionem inducitur, non simul in totum infunditur corpus sed successu quodam: priùs enim viuit cor, vt doctissimus quisque Philosophus consentit, deinde remotiores aliæ partes, cuius contrarium in obitu accidit, nam quod postremum moritur est cor: ergo hunc ad modum fiet resurrectio. Negatur consequentia: quoniam cùm in vtero animatur fœtus, infunditur anima secundùm exigentiam dispositionum naturalium præcedentium, quæ non incipiunt simul esse sufficientes in omnibus membris: in

Dilutio. resurrectione verò, quia non expectabuntur naturales dispositiones, sed simul virtute diuina inducentur omnes organicæ formæ, nulla erit animationis successio.

Subito & in instanti. Diximus autem in secunda parte conclusionis, quod inductio animæ virtute diuina fiet subito, vt ait Sanctus Thomas scilicet in termino temporis, quo angelorum ministerium complebitur. At potest quis philosophiæ peritus arguere, quod non fiat subito, sed in

Obiectio. instanti. Differunt enim, vt per philosophiam discimus, quòd res quæ fit in instanti, incipit, vt aiunt, per primum sui esse, ita quòd modò sit, & immediatè antea non fuerit, vt cœpit esse lux mundi, quam nullus antecesserat motus: quod autem fit subitò, incipit per vltimum suum non esse, itaque nunc non est, & immediatè post hac erit, sicut incipit esse motus. Arguitur ergo, quòd

Argum. resurrectio illa non fiat subitò, sed in instanti. Resurrectio enim facienda est in termino temporis & motus, quo ministerium Angelorum colligentium cineres durabit: tempus autem & motus, quia sunt successiua non possunt terminari per vltimum sui esse: quoniam omne quod mouetur, vt ait Philosophus, posthac mouebitur: ergo desinet esse per primum non esse: illud ergo erit primum esse animæ in corpore, quare in instanti fiet resurrectio. Profectò ita credo. Neque verò Sanctus Thomas tam strictè locutus est, vt subitò diceret, id est non in instanti. Imò super illud. 1. Corinth.

S. Thom. 15. In ictu oculi, in instanti ait resurrectionem futuram. Et confirmatur hoc quia certè anima in minima parte cordis, quæ primum viuit, in instanti producitur, quo scilicet motus dispositionis per primum sui non esse finitur. Igitur, vt summatim dicamus, in illo instanti fiet infusio animæ cum suis partialibus formis, ossis scilicet, & carnis & neruorum, atque adeò omniū membrorum compaginatio & organorum idonea dispositio.

Et per

Et per hæc elucidatur verbum Pauli 1. Corin. 15. in momento & ictu oculi mortui resurgent. Si enim ictus oculi palpebrarum motionem designat, alluſio fit ad cinerum congregationem, quæ Angelorum ministerio, nō in instanti, sed tempore fiet imperceptibili: si verò ictus referatur ad tactum specierum visibilium, quæ in termino apertionis palpebrarum pupillam iciunt & tangunt, tunc instantanea designatur animarum infusio. Vtrùm verò ille sit terminus temporis mundi & motus cæli, articulo sequenti videbimus.

Molestum argumen. Emergit autem ex his molestissimum argumentum in contrarium, Cineres, ex quibus, verbi gratia corpus Petri coaugmentandum est, aut maiorem locum occupabunt quam corpus Petri, propterea quod sint in materia plus tenui & rara, aut fortasse occupabunt minorem, quia erunt in materia crassiori & densiori: præterquam quod cum cineres illi & materia diuersam habeāt figuram, quam habiturum est corpus, necesse est maiorem minoremve locum occupare: si primum dederis, tunc cùm in instanti contrahantur in corpus Petri, aut relinquent partem loci vacuam, aut in instanti rarefiet circunstans aliud corpus, vt partem illam subintret: vacuum autem natura nō fert: rarefactioni verò in instanti ad implendum vacuum natura & conditio motus aduersatur, qui non potest fieri in instanti: neutiquam ergo illa corporis organizatio & animæ inductio potest fieri in instanti.

Scotus. Scotus hic quæstione. 5. ne vacuum admittat, concedit motum & rarefactionem corporis circunstantis ad locum implendum fieri in instanti, quod virtute diuina non existimat impossibile. Durandus verò putat, quod incidit in Scyllam euitando Charybdim nam certè motum in instanti fieri naturæ motus repugnat, sicut hominem dici irrationalem: quia nec per Dei potentiam potest in instanti fieri. Et ideo duas alias effingit solutiones, vnam, quod in collectione puluerum ac cinerum Deus ita adaptabit materiam vt nec densior sit nec rarior, nec alterius figuræ, quàm futurum sit corpus. Sed bene timet, quod hæc solutio animum legentis pacare nequeat: quoniam non est possibile cineres cùm non sint ossa nec caro, vt ante animationem, sub eadem sint densitate & figura. Quare subdit, quod ex omnibus, quæ inconuenire videntur, tutius est dicere, quod si cineres occupabunt maiorem locum, tunc in transitu ad corpus creabit Deus in illo instanti aërem vel aliud corpus replens illum locum: & vice versa si occupabunt minorem, tunc quando efformabitur corpus, annihilabitur aliquid circunstantis, quousque locus possit corpus illud capere.

Durand.

Sententia egregia auctoris. At verò profectò nulla istarum commentatio potest viro Philosopho satisfacere: & ideo dicēdum quòd de rarefactione & condensatione corporis circunstantis seu ad replendum locum, quem cineres relinquent vacuum, seu vt corpori cedat resurgentis, iudicandum est secundum rarefactionem, aut condensationem ipsorum cinerum, qui sunt materia corporis resurgentis: nam ad condensationem cinerum sequitur rarefactio, & subintratio circunstantis corporis: & ad eorum rarefactionem sequitur condensatio & cessio corporis circunstantis. Illam autem condensationem cinerum, si erant rariores, palam est fieri in instanti, quo anima inducitur: quoniam est dispositio individua ipsius animæ, quam ideo anima secum adfert. Hinc autem fit, illam condensationem non fieri per motum, quod oculatè est meditandum, quia re vera motus nequit in instanti fieri, sed incipit virtute diuina per primum sui esse sicuti homo ipse.

Dubitatio. Dilutio. Quod si roges, Quomodo fieri potest condensatio absque motu? Respondetur, naturaliter quidem fieri non posse, attamen virtute diuina, sicuti potest fieri ex aëre aqua in instanti, & ex aqua terra, ita potest in instanti fieri ex aëre rariori densior: non quod in eodem instanti sint simul minus & magis densum, sed quod nunc sit aër densus, & non immediatè ante hoc erat densus. Idem ergo est dicendum de corpore circunstanti, quod in instanti fiet illius mutatio sine motu, quia nullus est illic motus naturalis, sed mutatio diuina. Quemadmodum Aristoteles in formis substantialibus ait generationem esse mutationem instantaneam. Nisi quod illam præcedit motus, qui tamen in resurrectione non præcedet. Et hoc fortasse voluit dicere Scotus concedens motum fieri in instanti, accipiendo motum pro occupatione maioris loci, quamuis non esset concedendum mutationem illam esse motum.

Aristot.

Scotus.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod apud Ezechielem, si nomine illius accessionis ossium intelligantur pulueres & cineres, ex quibus consolidanda sunt ossa, accessio ipsa quippe quæ angelico ministerio facta est, tantillo temporis resurrectionem antecedet. Si verò illo nomine intelligatur ossium, neruorum carniumque formatio, subitò, imò in instanti temporis, vt dictum est, efficientur, sed tamen ordine quodam naturæ: nam cùm ossa per neruos sint colligata, ac subinde carne vestita, prius natura fient ossa quam nerui, & ambo quam carnes. Quemadmodum Deus, dum ex costa Adæ Euam plasmauit, in instanti temporis fecisse creditur, licet partes ordinem inter se seruauerint naturæ. Quamuis Propheta naturæ ordinem per successionis effigiem explicuerit.

De hora aduentus. De secundo autem membro, quà scilicet hora diei sit resurrectio futura, variè opinatur, quia hoc non est expresè reuelatum, sicuti neque dies ille. Sunt enim qui dicant, in medio noctis futuram. Cui alludere videtur Paul. 1. ad Thessalonicen. 4. Vbi Dominum venturum refert sicuti in nocte furem. Et Historia Exodi. 12. vbi legitur, quod Dominus ad eripiendum populum de Ægypto in noctis medio percusserit omne primogenitum. Et Christus, qui exemplar nostræ resurrectionis fuit, illa ferè hora resurrexisse censetur. Et Matthæi 25. Media, inquit, nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit. Et fuit Cassiodori opinio super illud Psalmi. 108. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicium iustificationis tuæ: illa enim, inquit, hora veniet ad iudicandum orbem, qua vtique venit ad liberandum Israël de Ægypto.

1. ad Thes. 4.

Matt. 25.

Cassiodo.

2. Cant. Sed nihilominus statuitur secunda articuli huius conclusio. Resurrectio celebranda est summo diluculo dum aurora clarere incipit, sole scilicet existente in oriente, & Luna in opposito Occidentis puncto, secundum Orizontem respectu zenit, quod respicit vallem Iosaphat, vel alium quemuis locum vbi futura est resurrectio. Definitio est. S. Thomæ, Ricardi & Durandi, quam Theologorum plerique sequuntur. Quoniam cùm articulus illius temporis colligi planè nequeat, cōiecturis vero similioribus vti licet. Atqui omnium primam ex Christi resurrectione, cuius instar nos resurrecturi sumus, sumere oportet: ipse autem creditur hora tertia à medio noctis ceu noua lux nouusque dies mundi resurrexisse: vnde dies Dominica nomen sortita est. Sic enim ait D. Matth. quod eluescente prima sabbati, scilicet Dominica, mulieres venientes ad monumentum terræmotum senserunt: & Marcus ait, valde manè orto iam sole, id est, nondum eius corpore ab Orizonte emergente.

Ratio. 1.

Ratio 2. Item hora illa videtur rei quàm maximè idonea: tum quod illa est hora, qua profundiori somno homines sopiti sunt, qua ideo securitas designatur, in qua tunc homines erunt, sicut in diebus Noe, vt ait Christus; tum etiam quod cum resurrectio fiat ad manifestanda omnia opera, quæ tunc vsque in cordium latebris delitescunt, & tunc sunt propalanda & proferenda in lucem, commodatissimus temporis articulus est lucis aurora, quasi tunc lucis accensio fiat: nam Christus, qui autor naturæ est, eiusdem naturæ ordinem in suum famulatum tunc vsurpabit. Item & parabola Matthæi 14. & Lucæ. 12. qua Christus admonuit, vt omnes in vigilia essemus aduentum Domini præstolantes, vt si in prima vigilia venerit, paratos nos inueniat: quæ vtique prima vigilia est tribus horis ante mediam noctem: & similiter si venerit in secunda, quæ est in noctis medio: & tandem addit, quod si venerit in tertia vigilia, quæ est tribus horis post, nempe aduentante diluculo, beati sunt serui illi quos inuenerit vigilantes.

Matt. 14.

Sol. 2. arg. Ad secundum igitur argumentum principale in capite quæstionis præmissum respondetur, optimam dispositionem temporis esse prope ortum solis: nam in illo cæli puncto creditur sol creatus, quippe cùm secundùm Aristotelem inde incepisset motus, si habiturus fuisset principium: imò inde re vera cœpit, quia fides non docet habuisse principium. Atqui articulus ille maximè est rei resurrectionis accommodus, vt expositum est.

Et per hoc verbo Pauli fit satis, quod venturus sit sicut fur in nocte: nam certè fures illam horam obseruant, qua homines securiùs dormiūt. Quare Apostolus

nullam

Digitized by Google

nullam designauit horam noctis. Quod autem legitur Matth. 25. Media nocte clamor factus, quando fatuæ virgines dormiebant, non tam ad designandum punctim horam dictum est, quam ad significandum per modum parabolæ securitatem profundè dormientium. Aduentus autem angeli in Ægyptum non tanti ad rem facit, quàm Christi resurrectio: tunc enim expediens illa hora mediæ noctis fuit, vt populo reliquum noctis ad fugiendum superesset.

Media nocte.

Luna plena

Adiecimus in conclusione, quòd tunc luna erit plena soli opposita in occidente, quoniam in illa dispositione creata luminaria creduntur: nam cùm sol conditus fuerit, vt diebus præsit, & luna vt præsit noctibus, illa est optima luminarium dispositio, vt sole oriente luna occidat, & illo occidente, oriatur ipsa: condecet ergo vt quibus punctis moueri cœperunt, in illis quiescant.

Æquinoctium.

Imò non parua hinc fit coniectura, vt dies illa circa æquinoctium Martij sit futura, nam licet de hoc inter Doctores controuersetur, longè sit tamen probabilius in illo æquinoctio orbem fuisse conditum, quod nunc in duodecimum Martij cadit. Et ibidem annis tribus millibus nongentis quinquaginta nouem elapsis conceptus fuit Christus: nam anno ter millesimo nongentesimo sexagesimo ferè completo natus est. Error enim calendarij est, vt dies conceptionis vigesima quinta Martij celebretur, & dies natiuitatis vigesima quinta Decembris, deberent enim tredecim diebus retrogradi. Et triginta tribus integris expletis annis ab eius conceptione sub eodem æquinoctio passus fuit. Igitur quamuis non sit tanquam omnino certum asserendum quando dies illa sit ventura, quia securos & aliud agentes præoccupabit homines, optimè tamen conijcitur, vt quo die orbis & conditus fuit & redemptus, sit itidem iudicandus.

Mundus quo die conditus.

Dies conceptionis Christi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm viuiuersi mortales sint resurrecturi.

Partis neg. 1. Argum.

SVPERIORI quæstione definitum est, omnes quotquot primo sonitu tubæ inuenientur mortui, fore resuscitandos. Restat ergo de illis qui tunc viui reperientur, explorare vtrum itidem morti occumbent, vt subinde resurgant. Et arguitur à parte negatiua ex illo potissimum, 1. ad Thessal. 4. Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus: vbi inter mortuos, & viuentes distinguit, quod illi resurgent, atque hi viui rapientur in aëra, insinuans quod tunc viui non morientur. Cui maximè consonat articulus fidei, quo in symbolo confitemur, quod venturus sit iudicare viuos & mortuos.

2. Argu.

Secundò. Naturale & commune desiderium totius speciei non potest sic in tota vacuum & inane esse, quin in aliquibus indiuiduis expleatur: naturale autem desiderium mortalium explicat Paul. 2. Cor. 4. dicens, Nolumus expoliari, sed superuestiri: ergo aliqui erunt, qui non expoliabuntur corpore, sed viui rapientur ad gloriam.

3. Arg.

Et tertiò confirmatur hæc ratio. Vbi abundauit delictum, vti ait Rom 5. Apostolus, superabundauit & gratia: ergo Christus humanæ speciei, saltem in aliquibus suppositis illud beneficium naturæ integræ restituet, quando poterant homines non mori, sed viui erant in gloriam transferendi.

Pars affir.

In contrarium est collectio illa Pauli ad Rom. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: cum ergo in Christo vniuersi sint viuificandi, fit vt in Adam omnes sint morituri.

Opinio quorundam.

Quæstio hæc grauis est, & in controuersia doctorum posita. Sunt enim qui dicant, illos qui sub articulum aduentus Domini viui reperientur, non morituros, saltem iustos, sed in aëra viuentes rapiendos obuiam Christo. Aliorum verò (quæ vt probabilior, ita vniuersalior est) fertur sententia, quòd omnes etiam illi, tam probi quàm reprobi, morte sint occupandi, & extemplo suscitandi. Atqui primus locus qui liti ansam obtulit, est ille 1. Corinth. 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Enimuero vt Hieronym. in epistola ad Minerium & Alexandrum, quam de hac re conscripsit, & Aug. in epist. ad Esychium, & 20. de ciuitate Dei, cap. 20. fatentur, varia est illius loci apud Græcos & Latinos lectio, tum quantum ad verbum: nam vbi nos legimus, resurgemus, plerique Græcorum codices legunt, dormiemus: solenne enim illis est, qui spem resurrectionis habent, mortem somni nomine designare. Et præterea quantum ad affirmationem: nam cùm nos legamus, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur: quidam permutata negatione conuertim legunt, Omnes quidem non resurgemus, seu non dormiemus, sed omnes immutabimur. Neque verò Hieron. & August. fatentur, omnes Græcos à Latinis diuertere, sed multos. Atqui, vt ait super eundem locum D. Thom. quantum ad verbum nihil refert, seu resurgemus legamus, seu dormiemus: quoniam quotquot morituri sunt resurgent, & nulli sunt, nisi qui morientur, resurrecturi. Sed tamen negatio sensum omnino in contrarium vertit: nam si legatur, omnes non resurgemus aut non dormiemus, planum fit, quòd illi qui tunc in viuentibus fuerint, vel eorum aliqui, mortem non sint experturi.

S. Thom.

At quoniam etiam si sint omnes morte complicandi, dubitare quis potest, vtrùm simul illi cum alijs antea defunctis sint excitandi, an verò postea, duas conclusiones præsens quæstio deposcit.

Opinio prima partis.

Atqui pars illa, quæ legit, Omnes non dormiemus, suos habet, neque verò contemnendos, autores, quorum quosdam Hieronym. in præfata epistola commemorat, vt Theodorum & Apollinarem, quibus Chrysostomus & Theophylactus adstipulantur. Et vt apparet, etiam Origenes lib. 2. contra Celsum. Et ex neotericis, Faber Stapulen. & Erasmus super eundem locum, & 1. ad Thessal 4. nimio pugnantiùs eam asserere contendit, cum quo Caietanus eisdem locis consentit.

1. Concl.

Nihilominus prima conclusio sit. Vniuersi, qui tunc vita fuerint superstites, morti succumbent, vt protinus cùm cæteris resurgant. Sententia est Hieronymi, qui quamuis in epistola ad Marcellam nutans videatur in contrariam partem propendere, tamen ad Minerium & Alexandrum, quorum rogatu rem definit, hanc tandem sententiam affirmat dicens, huic magis Ecclesiam acquiescere, magisque veritati conuenire, vt nemine excepto, præter Enoch & Eliam, quos sacra oracula viuos disparuisse commemorant, omnes sint morituri. In quam vtique sententiam citat venerabilem Didymum, quem vt vetustiorem, ait Origenem fuisse secutum, qui ambo fuerunt Græci peritissimi. Eiusdem sententiæ est August. lib. citato 20. de ciuit. Dei, c. 20. & præterea de fide ad Petrum cap. 3. vbi ait, quod ab eo primi hominis corpore, quod de terra Deus plasmauit, vsq; ad omnium hominum corpora, quæ animata quandoque viuere cœperunt, ab illo resuscitabuntur, à quo operante creata sunt. Eadem hic est opinio S. Thomæ & Ricardi & Scoti qu 3. & Durandi & Palud. qu. 4. & Theologorum ferè omnium.

Enoch & Elias.

Veruntamen hic D. Thom eam non est amplexus nisi seu securiorem & communiorem, vt eius verbis vtamur, & 1. Cor. 15. ait, contrariam opinionem non esse contra fidem. Imò in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 7. quamuis August. communem sententiam maxima, vt ait, Patrum turba tradente susceperit, censet tamen patronos alterius opinionis catholicos & eruditos, nec ob id censendos esse hæreticos.

Opinio communis.

At verò quanquam nec ego aliter sentiam, nihilominus profectò nonnihil vel temeritatis, vel audaciæ præ se fert contrariam iam nunc temporis sententiam tueri, præsertim tam pugnaciter, quàm quidam faciunt: quandoquidem Hieron. dicat, huic sententiæ magis Ecclesiam acquiescere, & magis esse veritati consonam. Et omnes latini ita legant. Omnes quidem resurgemus, & nonnulli ex Græcis. Quinetiam à tempore Tridentinæ synodi, vbi editio vulgata inter omnes est solenniter suscepta, nescio an contraria lectio Græcanica peiori quàm temeritatis nota sit subnotanda. Eo vel maximè, quod tum rationes, tum & oracula sacra huic, quæ vulgata est editio, liberiùs patrocinentur.

Sententia autoris.

Synodus Tridentina.

Primum enim, vt à nostra natura exordiamur, cùm ex anima & corpore constantes nostrapte natura simus in easdem partes resolubiles, nulli sunt ab hac naturali lege excipiendi antequàm de diuino priuilegio constiterit: vniuersalis enim sententia est illa Genes. 2. Terra es, & in terram ibis: quam Augustinus loco citato libro 20. de ciuit. Dei, cap. 20 ad hoc propositum de vniuersali resurrectione interpretatus ait,

Ratio 1.

In tertam ibis, amissa vita: nullum autem exrat priuilegium expressum: ergo asserendum est, omnes mortem esse obituros.

Ratio 2. Secundò & ex cælestibus lationibus id rimari sic possumus. Cùm enim illis cælorum motibus subluna res fiant generationes & corruptiones, consequens fit, vt cessante motu cæli cesset & actio calidi & humidi, quo nostra vita consistit, quare sicut extincta cordis palpitatione extinguitur homo, sic quiescente motu cæli subitanea cuncti morte animas sunt expiraturi.

Ratio 3. Tertiò & id ex natura originalis culpæ colligitur. Per primum hominem, vt ait Paulus, intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, iuxta diuinam illam sententiam Genes. 2. In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris: cum ergo sententia illa vniuersos mortales comprehenderit, nulla est ratio qua vlli inde eximantur: imò diuinæ iustitiæ concors omnino est, vt cuncti semel moriantur: iuxta verbum Paul. ad Heb. 9. Statutum est hominibus semel mori. Et iuxta illud Psal. Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? Etenim si Christus, vt à nostris nos piaculis expiaret, mortuus est semel, vt resurgeret; profectò æquissima ratio à fortiori persuadet, vt filij Adæ, qui mortis incurrerunt sententiam, exemplo Domini sui moriantur, vt resurgant.

Ratio 4. Accedit quartò & collectio facta Pauli. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: qui accommodatissimum à natura deduxit exemplum. Insipiens tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur: nam quamuis exemplum illud, vt patroni alterius opinionis aiunt, ad possibilitatem resurrectionis demonstrandam induxerit, nihilominus & in exemplum quoque, quo Christus suam familiam viuificaturus est, retulit. Vnde subdit, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, &c. quotidie enim per corporis macerationem corruptibile corpus seminamus, sed tandem per mortem absumitur vt resurgat.

Ratio 5. Quintò ergo loco expendamus vtra illarum lectio 1. Corinth. 15. gratius arrideat. Omnes quidem resurgemus: an verò contraria. Omnes quidem non resurgemus. Omnes enim tam vni quàm alteri fauentes lectioni confitentur nomine mutabilitatis Paulum intellexisse, mutationem à mortalitate ad immortalitatem per dotes corporis, de quibus sermonem præmiserat, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria, &c. quæ vtique fœlicissima mutatio duntaxat, iustorum præmium est. Vna ergo ratio, quæ Caietano atque alijs persuadet non esse legendum, Omnes quidem resurgemus, est: quod tunc secundum membrum, sed non omnes immutabimur, non est rei consentaneum: videtur enim tunc Apostolus se inter perditos connumerare, qui non sunt mutandi, cùm dicat, sed non omnes immutabimur. At verò non solùm nihil roboris notula hæc habet, verùm ex confessione ipsius Caietani facillimè diluitur. Fatetur enim in more esse Paulo iustis se tantum connumerare, aut cum tota vniuersitate iustorum & iniustorũ, quod re vera hic planè facit. Loquitur enim nomine totius vniuersitatis resurgentium. Et ideo ait; Omnes quidem resurgemus, scilicet tam reprobi quàm probi, sed non omnes immutabimur. Non quod insinuet se non esse mutandum, sed quod ex illa vniuersitate non omnes mutabuntur. Sic enim illustris persona alicuius reipub. dicere potest, Omnes quidem sumus ciues, sed non omnes sumus illustres, quamuis ipse sit illustris. Et ideo ad maiorem huius sensus expositionem subdit, Mortui resurgent incorrupti, nimirum vniuersi: nam hæc indefinita vniuersali æquipollet, & nos immutabimur. Itaque quod nomine totius vniuersitatis dixerat, Non omnes immutabimur, explicando illico nomine iustorum dicit, Et nos immutabimur, non autem iniqui.

Ratio Caiet. *Caietani ratio conciuitur.*

Ratio 6. Et sextò, quod profectò vehementissimum argumentum est & inuincibile, arguitur. Nemo illorum qui legunt, Non omnes resurgemus seu dormiemus, negat, quia neque inficias ire potest, quin omnes reprobi, qui tunc reperientur viui, sint morituri: nam fatentur Paulum loqui hic de solis iustis, qui non omnes morientur, sed omnes immutabuntur, & 1. ad Thess. 4 ait, Nos qui viuimus rapiemur in nubibus obuiam Domino in aëra, & semper cum Domino erimus: miseri autem damnandi non rapientur in aëra, vt postea videbimus, ergo illi antiqui Græci de solis iustis aiebant: non fore corpora deposituros. Hinc ergo sumitur argumentum. Si iniusti, qui tunc viui reperientur, de repente exanimabuntur, non est cur iusti non simul morti occumbant: nam si essent immunes à morte, seruandi, hoc esset propter suam iustitiam: & tamen multi multo sanctiores mortui sunt, vt beata Virgo & Apostoli. Profectò non est cur negetur, vniuersos tunc morti concessuros. *Argum.*

Quapropter Origenes, vt Hieron. refert, & hic S. Thom. illam aliorum negatiuam lectionem, Non omnes dormiemus, non potuit sibi persuadere, de vera morte fore intelligendam: quocirca eam interpretabatur de dormitione spirituali, hoc est, de morte peccati. Et hæc fortè est causa cur non omnes legebant, non omnes resurgemus, sed non omnes dormiemus. Itaque omnes vtriusque lectionis patroni formidabant negare omnes morituros. Quamuis illa interpretatio de dormitione peccati aliquanto sit violentior, quàm vt eam textus gratis admittat.

Ad alium igitur locum Paul. 1. ad Thessal. 4. Descendamus, quem autores contrariæ opinionis robustissimum sibi putant firmamentum. Ait enim: Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus, obuiam Domino in aëra. *Locus Pauli 1. ad Thes. 4.*

Sed vt obiter hoc in præsentia admonemus, non defuerunt qui superficie horum verborum seducti arbitrati sint, Apostolum, & qui cum eo scribebant Syluanum & Timotheum deceptos putasse, aduentum Domini tam esse propinquum, vt in sua ætate esset futurus. Quinuerò Erasmus nihil cunctatus est illud sub opinione dixisse. Hieron. verò in epistola illa citata ad Minerium & Alexandrum hunc errorem legentibus cauit. Ait enim Thessalonicensibus eundem ab eisdem verbis errorem irrepsisse, ad quem eis detergendum scripsit Apostolus epistolam secundam, vbi ait, Rogamus vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, vt non cito moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam quasi per nos missam, quasi instet dies Domini, &c. Qui enim ad Timotheum scribens cap. 4. dixerat, Ego enim iam delebor, & tempus meæ resolutionis instat: non dubitabat sibi ante aduentum Christi moriendum. Vnde Petrus Apostolus in sua 2. Canonica cap. 3. de aduentu Domini loquens, & persuadens ne quis putet ipsum tardare, ait, nonnulla Paulum scripsisse intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauant, quasi ex illis fuerint decepti, putantes quod tempore illo Apostolorum esset Christus venturus. *Notia.* *Paulus non fuit deceptus.*

Igitur vbi ait Paul. Nos qui viuimus, qui relinquimur, &c. nihil aliud admonere cogitat, quàm quòd viuentes in lege euangelica non præuenient iustos antiquæ legis, qui mortui sunt in fide Christi, sed simul omnes rapientur in nubibus obuiam Christo; & ideo in se & suis consortibus repræsentat illos, qui tunc erunt in vita residui. Nihilominus neutiquam negat, se cum alijs pluribus de hac luce migraturum: quin verò id anxiè cupiebat: aiebat enim ad Rom. 7. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et 2. Cor. 5. Habitantes in corpore peregrinamur à Domino: magis autem volumus exire de corpore & esse cum Domino. *Sensus Pauli.*

Videtur tamen prima facie insinuare, quòd qui tunc vita fungentur, nulla erunt morte occupandi, sed viui rapiendi obuiam Domino. Nam ait: Mortui resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, rapiemur in nubibus obuiam Domino. Atqui si locus alius non esset vniuersalis resurrectionis apertior, neque rationes, quæ factæ sunt, illam suaderent, nescio an dicam, persuaderent, iste non esset sufficiens ad probandum omnes esse morituros. Sed tamen neque illis locis & rationibus contradicit. Non enim hic Paulus de vniuersali omnium morte sermonem habebat, sed solùm volebat conferre iustos, qui tunc essent vita fungentes, cum alijs iustis, qui tunc erunt vita defuncti, docens quòd propterea quòd tunc erunt viui, non occurrent citius Christo obuiam, quàm alij, qui tunc erunt in sepulchris, sed illi resurgent primi, id est, primùm, & protinus omnes simul iusti rapientur in nubibus obuiam Domino: non tamen negat viuentes illos per mortem transituros ad immortalem vitam. Et ideo Augustinus lib. citato 20. de ciuitate Dei, ait, quòd in raptu illo morientur & reuiuiscent. *Qui viui erunt in iudicij.* *Pauli sensus.*

Sed

Alia dubitatio. Sed tamen hic locus aliam ambiguitatem superiori adnectit: scilicet, vtrùm esto superstites illi sint morituri, prius alij quàm ipsi sint resurrecturi. Apparet enim sic fore, tum ex verbis Pauli, qui ait, Mortui resurgent primi, deinde nos qui viuimus, &c. tum etiam ex verbis Augustini, qui ait, in raptu, quo viui rapientur in aëra, morituros: cum ergo antequam illi rapiantur, alij resurrexerint, fit vt illi post alios sint resurrecturi.

Opinio 1. Tres sunt ergo eorum opiniones, qui arbitrati sunt non omnes simul suscitandos. Antiquus enim Papias & Lactant. quos supra retulimus, existimabant in fine sexti millenarij venturum Christum, & tunc resurrecturos iustos, cum quibus erat mille annis in summis delicijs conuersaturus: & pòst in fine septimi millenarij erant reprobi excitandi. Et sic glossabant illud Pauli, Mortui, qui in Christo sunt, hoc est, iusti, resurgent primi, id est, per mille annos ante. Sed hanc

Opinio fabulosa. Hieron. in epistola citata ad Minerium & Alex. appellat fabulam, cùm 1. Corinth. 15. idem Apostolus dicat, quòd in momento & ictu oculi canente nouissima tuba mortui resurgent, & nos, scilicet iusti, immutabimur.

Opinio 2. Alij verò, quorum sunt Scotus & Durandus, qu. 4. censent, quòd tunc qui inuenientur defuncti, resurgent prius, & qui reperientur viui, rapientur in aëra, vbi in ipso raptu morientur, ac subinde post alios resurgent.

Opinio 3. Sed alij sunt quos Ricard. impræsentiarum refert, qui aiebant, electos citius quàm reprobos, excitandos: atque huius sententiæ fuit Theophylactus 1. Thessal. 4. Sic nimirum Deo disponente, vt illorum obedientia, qui, vt ait Paulus, diligunt aduentum Domini, promptior appareat, Miseros namque (quippe quibus ingratus horrendusque ille aduentus erit) cunctatiùs putabant isti in vitam redituros.

2. Cond. Veruntamen his nihil obstantibus statuitur secunda huius articuli conclusio. Vniuersi, scilicet & probi & improbi, atque illi, qui superstites tunc in vita reperientur, & qui defuncti erunt, simul eodem temporis momento resurgent. Sententia est Ricardi, & Aug. si eius opus est liber de Ecclesiasticis dogmatibus, sic enim illic cap. 6. legitur, Erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed vna & insimul & semel, non prima iustorum, & secunda peccatorum, vt fabula est somniatorum, sed vna omnium. Cui vtique sententiæ rationes gratanter suffragantur:

Ratio 1. quoniam cùm, vt ait Paulus, omnes in momento & ictu oculi debeant resurgere, fit consequens, vt eodem momento resurgant.

Ratio 2. Item cùm resurrectio illa sit conuocatio ad vniuersale iudicium, fiatque adeò virtute Dei, cui omnis creatura ad nutum paret (nisi in his quæ ad mores in hac vita pertinent) quia nemo ei resistere valet, fit vt eodem momento omnes resurgant.

Solutio. Et per hoc respondetur illis, qui putant rebelles iniquos morosiùs resurrecturos. Si enim sua sponte deberent exurgere, probabilitas quædam inesset in argumento. Attamen cum omnes virtute diuina sint euocandi, non dabitur eis remorandi locus. Adde, quod cùm omnes sono vocis & tubæ Dei, vt ait Paulus, sint veluti ex somno excitandi, eodem sonitu atque eodem momento resurgent vniuersi.

Ratio 3. Illud verò, quòd ait Aug. videlicet, quòd qui viui reperientur, in aëre sint morituri, & resurrecturi, possibile quidem est, & cum honore, qui diuo patri debetur, audiendum. Pugnat tamen in contrarium argumentum, quòd infœlices damnandi, qui viui reperientur, non in aëre, sed in terra interibunt antequam iusti rapiantur in aëra: ergo profectò non est cur non simul moriantur iusti, etiam in terra: vnde cùm vniuersis alijs iustis rapiantur in aëra. Præsertim quod in illo raptu in aëra non est credibile tantum moræ interfuturum, vt illic moriantur & purgentur & resurgant: nam si quidpiam habent sordium, omnino illis expurgandum est antequàm resurgant.

Arg. contra verba Aug. Igitur, vt tandem aliquid dicamus, hoc quàm maximè est vero simile, quod in illo tantillo imperceptibilis temporis, quo angeli cineres sunt collecturi, morientur vniuersi qui viui reperientur, & instanti terminatiuo extrinseco illius temporis, vt expositum est, fiet generalis omnium resurrectio.

Sententia autoris. Ad huius autem maiorem intelligentiam arguitur contra. Et supponatur mortem, quam ex culpa originali contraximus, de qua dictum est, in quacunque die comederis ex eo, morte morieris: non esse violenter inflictam, cuiusmodi sunt mortes, quibus malefactores plectuntur, aut alij interficiuntur per iniuriam, sed est naturalis. Enimuerò quamuis nullum fuisset peccatum originale, ex eo quòd sumus ex corpore & anima compacti, fuissemus mortales. At quia Deus nos iustitia originali dotauerat, cuius beneficio poteramus non mori, dum illam iustitiam per præuaricationem Adæ amisimus, in nostra moriendi natura relicti sumus: atque hac ratione mors dicitur pœna originalis peccati.

2. Argum. Hinc ergo ducitur argumentum. Illi, qui viui reperientur propter aduentum illius diei non sunt digni violenta morte, ergo qui tunc nullis laborabunt lethalibus morbis, quibus alioqui morituri tunc essent, non est cur morti debeant occumbere.

Solut. 1. Ad hoc satis respondere quis posset, quòd cum ex locis sacris supra citatis & probabilibus rationibus colligatur omnes fore morituros, non opus est perscrutari quomodo morientur. Deus n. qui pro culpa originali nobis decreuit mortem, potest infligere aliam etiam violentam, vt quod statutum est impleatur, & est statutum, vt ait Paul. hominibus semel mori. Nihilominus secundò respondere possumus, quod

Solut. 2. omnes præ nimio terrore naturaliter incusso exanimes concident; nam vt Lucæ 21. legitur, tanta erit tunc pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, & præportentis quæ in luminaribus cæli apparebunt, vt homines terrore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi periculum arescant: & sub illum potissimè temporis articulum, quo angelorum ministerio cinerum fiet puluerumque collectio. Imò verò quàm maxima existit consideranda coniectura, illa temporis morula ignem, qui faciem iudicis est antecessurus, de quo dist. 47. resumendus est sermo, homines cum cæteris mixtis combustum iri, vt art. proximo iterum dicemus.

Locus Pauli 1. Cor. 15. enarratur. Locus ergo Pauli non sic legendus est, vt ordo constituatur prioris & posterioris inter resurrectionem qui tunc fuerint defuncti, & eorum qui tunc morietur, sed inter resurrectionem iustorum, qui tunc erunt defuncti, & omnium simul iustorum raptorum in aëra. Loquitur n. speciatim, vt illic habetur, de resurrectione iustorum. Quasi dicat. Non priùs, qui tunc inuenientur in vita, rapientur in aëra; quàm iusti alij, qui erunt defuncti, sed omnes priùs simul resurgent: scilicet tam qui erant mortui, quàm qui tunc morientur, extemploque subinde omnes simul rapientur in aëra.

In instanti. Ex his demum id, quod articulo præcedente insinuabamus, planè colligitur: scilicet quod generalis omnium resurrectio erit in instanti extrinseco terminanti totum mundi tempus, quo scilicet Cœli, vt cum Philosoph. loquamur, per primum non esse motus moueri desinent. Nam illa quæ deinceps in iudicio subsequentur, non opus est vt temporis mensura fiant: sed in æternitate, quæ iam inde absque alia mensura remanebit.

Solut. 1. arg. Solutum ergo est primum argumentum, quod ex verbis Paul. 1. Thessal. 4. erat instructum: haud enim negat repertos tunc viuos fore morituros, sed ait non prius illos rapiendos in aëra quàm omnes resurgant.

Articulus fidei. Verbum autem articuli fidei, quòd Christus sit iudicaturus viuos & mortuos, ad illud diei tempus referendum est, vt Aug. ait in Enchir. cap. 55. Nam viuorum nomine illi comprehenduntur, qui tunc in carne viuentes de hac luce migrabunt: mortui verò intelliguntur qui ante diem illam fuerint vita defuncti.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd desiderium sanctorum absolutum ad salutem animæ necessarium frustrari non potest: desiderium autem illud apud Paul. Nolumus spoliari, sed superuestiri, non est absolutum, sed conditionale, si possibile esset. Quemadmodum illud Christi, Si possibile est, transeat à me calix iste: repræsentat enim Apostolus nomine totius humani generis affectum illius status naturæ integræ, in quo creati sumus, quo absque temporali morte poteramus ad æternam vitam aduolare. Cupimus ergo vt mortale hoc corpus immortalitatem induat: tametsi id fieri nequeat nisi moriendo mortalitatem exuat, quemadmodum Christus mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.

Solut. 3 arg. Ad tertium respondetur, quòd cum per præuaricationem Adæ tota natura, vt ait Paul. in illo peccauerit, atque adeò mortis fuerit rea, iustitia Dei exigit, vt morti omnes debitum soluant, præter illos qui priuilegio Dei excepti sunt. Quo vtique priuilegio

Digitized by Google

Enoch & Eliam donauit, ob causam & mysterium nobis occultum. Illis ergo solis exceptis, vt ait ad Minerium Hieronym. nulli præterea contingit. Abundauit autem gratia Christi, vt ait Paulus, plusquam delictum, quia cum solo illo peccato Adæ fuerimus per originem contaminati, Christus non solum originalem, verùm cunctas nostras proprias actuales maculas nobis abstersit, seruata tamen iustitia, vt cuncti morti succumberemus.

Aliud arg. Per hoc aliud soluitur argumentum. Melius perficitur quod compendiosius fit: compendiosius autem res transigeretur, si raperentur, qui tunc viuentes essent, antequàm morerentur. Respondetur, inquam, viam compendiosiorem tunc esse præferendam, quando est ad rem tam accommoda.

ARTICVLVS V.

Vtrum omnes mortui resoluantur in cineres antequam in iudicium exurgant.

QVAERITVR tandem de materia, ex qua corpora resurgent, & subinde de loco, vtrum, si omnes ex cineribus vbicunque fuerint debeant resurgere. Et arguitur à parte negatiua. Corpora nisi ignis officio, non resoluuntur in cineres: qui autem vita decedunt, non omnes concremantur; ergo non omnes resoluentur in cineres.

Pars negatiua arg. 1.

2. Arg. Secundò. Si omnes in cineres resoluerentur, nulla in eis remaneret inclinatio ad resumendas animas: magis, quàm in carne leonis aut alia quacunque re: consequens tamen apparet falsum: nam sicut animæ etiam separatæ iugis inest appetitus corporis, ita videtur corpus semper appetere animam, vt aptior fiat vtriusque coniunctio.

3. Arg. Tertiò arguitur, Si mortui omnes essent in cineres abituri, non ex eodem loco exurgerent, quo sepulti sunt: nam puluercs facilè in diuersa loca dilabuntur, imò in herbas exeunt, quibus animalia pascuntur, & sic vix poterit tunc reperiri particula eiusdem corporis, quod fuerit incineratum.

Pars affirmatiua. In contrarium est illud Gen. 3. Terra es, & in terram ibis: quæ quidem sententia, vt autor est Haymo, omnes tenet, qui in originali peccato nascuntur.

Tribus conclusionibus secundum argumentorum numerum ad quæstionem respondebitur. Consuetissimum autem patribus ac theologis est corporum humanorum reliquias, hoc est, quicquid illud sit in quod resoluuntur, generali nomine cineres appellare. Cuius variæ causæ feruntur. Vna est, quod olim in more fuit cadauera comburere, vnde sepulchra & cinerum loca busta dicebantur: sed fortasse alia non fuit causa nisi quod cùm homo ex puluere & terra fuerit plasmatus, & sententia pro peccato fuerit: Terra es, & in terram ibis; puluerib⁹q⁹ cum cineribus maxima sit similitudo, cinerum nomen pro terra & puluerib⁹ vsurpatur. Præsertim quod exiliores sunt, faciliusque in fauillam & auras euolant. Vnde Abraham Genes. 18. Loquar (inquit) ad Dominum meum cum sim puluis & cinis. Quapropter nos quotannis Ecclesia admonet, Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Et fit præterea allusio ad peccati fomitem, qui nobis ex originali culpa sit residuus: fomes enim ignis fomentum est. Vnde sicut ardore concupiscentiæ exurimur, ita & corporum reliquiæ cineres nuncupantur.

Cadauerũ reliquiæ cur cineres dicantur.

Quod autem in disputationem modo producitur est. Vtrum vniuersa mortalium cadauera sint antequam in vitam redeant, vsque ad elementa resoluenda, an verò satis sit quod moriantur, seruatis aliquorum ossibus, aliorumque carnibus; nam Ezechiel vt capit. 37. legitur, in resurrectionis visione campum vidisse se ait ossibus plenum, super quæ Deum vidit neruos & carnes inducentem. Item multi in die iudicij erunt, qui ossa habebunt integra, illi præsertim qui tunc sunt obituri.

1. Concl. Nihilominus statuitur prima conclusio. Cuncta humana corpora omnino vsque ad elementa resoluentur. Conclusio est sanct. Thomæ impræsentiarum artic. 4. & Ricard. & Theologorum. Ad cuius probationem præsupponendum est hominem constare ex corpore & anima: corpus verò ex ossibus, neruis, &c. quæ sunt partes eterogeneæ, hoc est, diuersarum rationum: ac demum partes illæ constant ex elementorum commixtione, quod de terrenis omnibus affirmat. 2. Cœli, Philosophus. Primo ergo moritur homo per separationem animæ à corpore, quod restat, vt cadauer, mox per plurimas transmutationes tandem resoluitur in elementa: quia vt 3. Physic. habetur, quicquid ex contrarijs constat, in ea tandem reducitur.

Homo ex quibus constet.

Probatur ergo conclusio primum ratione naturali, quia conglutinatio elementorum in mixto cælorum lationibus fit & conseruatur: consequens ergo fit, vt eisdem orbibus quiescentibus cuncta mixta resoluantur in elementa. Quare post diem iudicij omnia interire necesse est mixta, ac perinde corpora nostra, solis superstitibus elementis. *Ratio naturalis.*

Secundò arguitur ex illa sententia citata, Terra es, & in terram ibis. Vnde colligitur, quòd in pœnam originalis culpæ, non tantum mors nobis decreta est, quæ est animæ à corpore separatio: verùm & corporis resolutio vsque ad terram & alia elementa, ex quibus commixtum est; nam omnes illæ resolutiones non sunt nobis naturales, à quibus per donum originalis iustitiæ præseruabamur. Quam ob rem ex debito iustitiæ propter crimen Adæ non solùm obituri omnes sumus mortem, verùm resoluendi, vt nostra fert natura, illo iustitiæ originalis munere destituta, vt constet quantum nobis illa fuerat beneficium. Resoluendi, inquam, præter Christum, qui vt nullo fuit attactus peccato, ita nec vlli fuit peccati legi obnoxius. De quo ideo præcinit Dauid, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Id quod Petrus Actu. 2. necessariò duxit persuadendum in Christum propriè competere. Et præter illos, qui illo priuilegio donati sunt, vt non incinerarentur, quale Enoch & Eliæ, vt prædictum est, indultum fuit, & Deiparæ virgini piè creditur etiam concessum. *Ratio 2.* *Omnes resoluendi sunt in cineres.*

Tertiò demum ad eandem conclusionem arguitur. Christus qui soluto pretio redemptionis nostræ reparator est vitæ, quam in Adam perdidimus, non solùm vita nos donaturus est per refusionem animæ in corpus, verùm & corpora ipsa nostra, vt ad Philipp. 3. ait Paulus, habet reformare, vt configuretur corpori claritati eius: reformatio autem integra & perfecta illa est, quæ ex primis principijs integratur. Ergo vt illa reformatio perfectè fiat, debet resolutio vsque ad omnia, ex quibus componitur, procedere, vt non solum sit corpus nouum, verùm & ossa & nerui & cutis prorsus innouentur, & omnia membra. Profectò quamuis conclusio nec sit in sacris Biblijs expressa, nec ab Ecclesia definita, indecens esset illam negare. Quæ præsertim in iustorum corporibus demonstratur: nam cum sint per dotes gloriæ vsque ad minutissimas particulas purificanda, videntur vsque ad vltima eorum principia fore resoluenda.

Quod si perconteris, cur ergo in scriptura facta non sit mentio de alijs elementis, sed de sola terra. Terra es, & in terram ibis. Respondetur rationem esse, quia elementum quod in homine dominatur, est terra de qua conditus est. Vnde August. Enchir. cap. 88 Non petit (inquit) Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet puluerem cinerem q⁹ soluatur, in quoslibet halitus auras q⁹ diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium, etiam hominum, cibum cedat, carnem q⁹ mutetur; illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, vt homo fieret, creseeret, viueret, animauit. *Dubitatur.*

Sed arguat quis forsan. Resurrectio Christi fuit nostræ exemplar: ergo sicut ipse non ex cineribus resurrexit, ita nec nos debemus resurgere. Negatur tamen consequentia: nam ratio exemplaris causæ non consistit in termino à quo, sed in eo ad quem fit confirmatio. Resurgent enim omnes in corporibus verè viuentibus, in quo etiam damnati conformabuntur corpori Christi, Iusti verò in corporibus glorioſis, in quo præterea erunt ei similes. *Argum.*

Arguitur autem rursum. Terminus qui est finis, ei respondere debet, qui est principium: fœlices autem & infœlices ad diuersa resurgent; quoniam, vt ait Paulus, omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, ergo pari ratione non omnes resurgent ex cineribus. Respondetur, resurrectionem damnatorum & iustorum differre, non ex termino vnde procedunt, sed ex finibus ad quos resurgent; nam motus à fine sortiuntur speciem: & ideo ex eisdem cineribus alij resurgent ad vitam, atque alij ad mortem.

Primo igitur argumento principali satisfactum est, *Sol. 1. arg.*

vbi

vbi oſtendimus cur corporum reliquiæ dicantur cineres, licet non in morte crementur.

Sol. 2. arg. Ad id autem Ezechielis. Reſpondetur, quòd ipſe loquebatur populo, quemadmodum cadauerum oſſa videri ſolent vbi ceciderint homines, & quemadmodum Deus ex coſta Adæ inducta carne formauit Euam. Nihilominus non opus fuit, vt ad viuum modum depingeret, quo ſunt corpora priùs vſque ad cineres migratura, quàm in vitam remigrent.

Solut. alius arg. Ad aliud autem quod ſubiecimus argumentum de illis quorum corpora nondum erunt in cineres diſſoluta, reſpondet Diuus Thomas & Ricardus, & alij, quod ignis ille faciem iudicis antecedens, quo expurganda eſt mundi facies, poterit corpora tunc viuentium cum alijs miſtis, quæ non fuerint prorſus reſoluta, in cineres vertere, de quo vtique igne, articulo præcedenti diximus illos exanimandos, ſi priùs ingentiſſimo illo portentorum terrore ſpiritum non exhalauerint.

Quæſt. 2. Ex hac prima concluſione facilis ſit gradus ad ſecundam quæſtiunculam: vtrùm in cineribus illis ſemper inclinatio perſiſtat ad animam reſumendam. Non enim deſunt qui id affirment, arbitrati nunquam ſic diſſolui vſque ad elementa corpus, quin aliqua mixti particula perſeueret, quæ fuerat in humano corpore.

2. Concl. Nihilominus ſubiungitur ſecunda concluſio. Nulla in cineribus reſtat inclinatio, aut appetentia animæ reſumendæ. Probatur per præcedentem: quia in elemẽtis ac miſtis diuerſarum ſpecierum nulla ineſt organizatio aut peculiaris diſpoſitio ad animam. Si ergo omnium corporum reſolutio vſque ad elementa & alia longè diuerſa miſta fit, liquidò colligitur, nullam in illis ſupereſſe appetentiam animæ, præter generalem appetitum materiæ indifferentem ad omnem formam.

Ratio. Item arguitur, quia omnium pleraque, imò quàm longiſſimè plurima erunt, & in alias ac ſubinde alias formas tranſimiſſa: iam cùm (vt proximè citatus Auguſtinus ait) plurima iam tunc prodierint in herbas, & ceſſerint in animalium cibos, & in aëreos halitus, in illis ergo nullus ſupereſt appetitus animæ. Cùm ergo conſentaneum rationi ſit, vt cuncta eandem legem ſubeant, ſit vt omnia pariter diſſoluantur, in nullisque eadem peculiaris inclinatio ſuperſit.

Ratio 2. Ad ſecundum igitur argumentum reſpondetur, quòd cùm anima ſeparata à corpore eadem perſeueret, nihil mirum, ſi eandem naturam ac ſubinde eandem affectionem ac corpus retineat, quod non accidit corpori. Ineſt ergo illis cineribus ſola obedientia ad omnipotentiam diuinam.

Sol. 2. arg. Quid autem ad illud Iob reſpondebimus cap. 20. Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient? Si enim in puluere perſeuerant animæ vitia, potiori ratione perſeuerabit inclinatio ad ipſam reſumendam. Reſpondetur, non eſſe ſenſum Iob, quod vitia animæ actu perdurent in oſſibus, ſed quod ſecundùm ordinem diuinæ iuſtitiæ eſt vnuſquiſque ad illud præmium, vel ſupplicium deputatus, quod homo in corpore & anima meruit.

Ad teſtimonium Iob. Tertia verò, quæ hinc emergit ambiguitas, pluſculum perplexitatis habet, quibus ſcilicet locis reſurgent omnes. Tribus enim modis poſſumus cunctorum reſurrectionem ſpeculari. Vno ſcilicet, vt omnium vniuerſitas cinerum Angelorum miniſterio, in eundem locum congregetur, quo iudicium futurum eſt: verbi gratia, in valle Ioſaphat, de quo in diſt. 47. diſputaturi ſumus, vt illic omnes clangore tubæ & ſonitu vocis expergefacti ſiſtantur ad tribunal Domini. Vel quod vnuſquiſque ab eodem loco reſurgat, in quo vel mortuus fuit, vel ſepultus. Aut tertiò, quòd exurgat inde quiſque, vbi maior vel præcipua pars cinerum eius iacuerit, ex quibus corporis compages eſt facienda. Et certè vnuſquilibet iſtorum modus in vtramque partem anceps eſt.

Quæſt. 3. *Reſurrectio tripliciter conſideratur.*

1. Modus. Primus quidem apparet inde probabilis, quod cum Angeli ſint cineres, vndecunque fuerint, collecturi, gratiùs videtur arridere ratio, vt ad illum locum iudicij vniuerſos aſportent, quàm, vt ad tam innumera loca eos diſtrahant, vt in diuerſis illis mundi partibus excitatos, viuos illic deferant. Nam & ſi diuinæ virtuti æquè ſint cuncta facilia, ille tamen modus conijciendus nobis eſt, qui noſtro modo concipiendi compendioſior apparet. Præterea cùm eo tunc temporis cadauera multa ſint reperienda integra, atque alia ſua retinentia oſſa, facilius eſt intellectu, quod in illo tranſitu ad locum iudicij per ignis flammam faciem iudicis præeuntem incinerentur, quàm ſi eſſent in viſceribus terræ abdita.

Veruntamen in contrarium occurrere videtur illud Ezechiel. 27. Aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populo meus, & dabo ſpiritum meum in vobis, &c. Et Ioannis 5. Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei. Et Matthæi 27. Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, reſurrexerunt: quæ vtique teſtimonia docere videntur ex monumentis futurum eſſe reſurrectionem. Cui & ratio hæc fauet, quòd monumenta videntur quaſi in depoſito excepiſſe defunctos, quos ſuo poſtmodum creatori reddant. Et exemplum præterea Chriſti ad id facit, qui de monumento ſurrexit, non autem de loco, in quo priùs fuit.

1. Arg. At verò neque deſunt contra hoc argumenta alia. Primum. Quòd multa monumenta diſperierunt: nam terra quotidie illuuionibus corroditur: quare vbi erat terra, iam (vt ait Ariſtoteles) eſt vel aër, vel aqua. Item quia quamplurima cadauera in præiacentem materiam dilapſa, in diuerſiſſimas orbis partes diffugerunt, alia ſcilicet, quòd eſca diuerſis animalibus fuerunt, alia quòd ventis in diuerſa loca efflata ſunt. Et vſu ſæpè venit, vt caput in vno loco cuſtodiatur, & cor ſeruetur in alio, & corpus alibi ſit humatum. Vnde probabili ratione colligitur, quòd vnuſquiſque vbi mortuus fuit, reſurgat, vel vbi maior pars puluerum extiterit, quod ſi nullibi fuerint plures partes, quàm alibi, tunc ait Ricardus, quòd reſurget talis homo vbi Deus voluerit.

2. Arg.

Vbi quis mortuus eſt, ibi reſurget.

Igitur, vt ab hoc vltimo verbo exordiamur, hoc in ſolam voluntatem Dei referre non eſt Theologi. Nam etſi voluntas Dei ſit omnium cauſa, nec habeat ipſa priorem: tamen quia cuncta pro ſua ſapientia ſuauiter diſponit, inquirimus rationem diſpoſitionis diuinæ voluntatis: quæ rationi gratiùs arrideat. Inter has autem tres modos iſte poſtremus minus præ ſe fert probabilitatis: nam ſi angeli ſunt collecturi cineres, non eſt cur rationem habeant loci, in quo plures ſunt partes. Quamuis qui hunc modum cum Ricardo ſuſtinere voluerit, vix poterit in contrarium reuinci. Nihilominus propter allata teſtimonia alius modus probabilior eſt: videlicet vt omnes & ſinguli de ſuis ſepulchris reſurgant, ſi in illis exiterint, vel de illo terræ loco, qui ad perpendiculum proximus fuerit illi, in quo fuerat quiſque ſepultus. Itaque Angeli ſingulorum cineres ad cuiuſque ſepulchrum ſunt delaturi.

Vbi debeamus reſurgere.

2. Opin.

Extat tamen aduerſus hoc aliud argumentum, quòd frequentiſſimi ſunt in eodem ſepulchro conditi: quo modo ergo eodem monumento citra penetrationem vnius corporis cum altero ſurgent? Reſpondetur glorioſa corpora iuſtorum non ſe inuicem impedire propter dotem ſubtilitatis: ſaltem, in his officijs obeundis, quæ diuino nutu & iuſſu exequi debent; de corporibus autem damnatorum videtur tunc dicendum, quod diuina virtute in illo exitu ſe penetrabunt, vt diſtinctione 49. iterum examinabitur.

Argum.

Solutio.

Nihilominus profectò iſtorum trium modorum ille maximè videtur probabilis, quòd omnes pulueres ſint in locum iudicij congregandi, & ibi ſint omnes reſurrecturi. Ad illa ergo teſtimonia, quæ de monumentis & tumulis loquuntur, reſponderi poteſt, quòd ſunt ad modum intelligendi populi prolata. Præſertim cum in monumentis creberrimi tunc erunt cineres, ex quibus tunc extrahentur. Quare cum ex eiſdem monumentis plures ſint pulueres educendi, meritò dici poteſt, quòd ex monumentis reſurgent. Quemadmodum ſub articulum reſurrectionis Chriſti non dubium eſt, quin de ſepulchris corpora viuentia exierint, vt Euangeliſta refert.

1. Opinio reſpondet.

In calce denique diſtinctionis præſentis Magiſter Sententiarum & ſui ſermonem adijciunt de peccatorum memoria, quæ homines in hoc ſeculo commiſerant, vtrum reſurgentes tam aliena, quàm propria peccata ſint cogniturі. Sed ſermo hic minimè ad præſentem diſtinctionem ſpectat: quippe, qua ſolum agitur de actione & modo reſurrectionis: de termino namque & ſtatu in quo mortui reſurgent, & de his quæ poſt reſurrectionem illis contingent: in diſtinctione proxima & ſubſequentibus ſubſequetur ſermo. De cognitione ergo, quam vnuſquiſque ſeu aliorum, ſeu propriorum peccatorum ſit habiturus, diſtinctione 47. propria nos manet dicendi ſedes.

Peccatorum memoria.

Digitized by Google

DISTINCTIO QVADRAGESIMA QVARTA,

DE TERMINO, ET QVALITATE, ET QVANTITATE RESVRGENTIVM.

Textus. Cap. 1.

QVO autem hæc quæ dicta sunt, luculentiùs eluceant, sic Resurrectionis veritatem profiteri oportet, vt credamus eundem ipsum hominem qui vita defungitur, in eodemque, quo cecidit, corpore resurrecturum, iuxta illud Iob: Quem (scilicet Redemptorem) visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, & in carne mea videbo Deũ Saluatorem meum. Vnde in enchiridio August. Non perit, inquit, Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, sed in quemlibet puluerem cineremve soluatur, in quoslibet halitus auraſq; diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum, cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit.

Iob 19.

Cap. 88.

Cap. 2.

Quicquid ergo ad perfectionem humanæ attinet naturæ, tam secundùm animam, quàm secundùm corpus resurget, vt membra cuncta, humores & organa, etiam si aliquo membro homo aut orbatus genitus fuerit, aut viuens truncatus: quoniam Dei perfecta sunt opera, qui ideo quemadmodum naturam integram primitùs condidit, integram instaurabit, iuxta illam Christi pollicitationem, Capillus de capite vestro non peribit. Neque ita multum refert, vtrum singulæ particulę in singula, quibus primitus inerant membra, reuertantur. Sed quemadmodum (vt ait ibidem Augustinus) si statua cuiuslibet metalli, aut igne liqueſceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toro, quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet.

Luca 21.

In enchiridio c. 89.

Resurgent igitur, vt idem ibidem ait Augustinus, Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas resurgendi, quanta fœlicitas erit. Propter quod spiritualia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. De reprobis autem subiungit, Quicunque verò ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per vnum mediatorem Dei & hominum, resurgent quidem etiam ipsi, vnusquisque cum sua carne, sed vt cum diabolo & angelis eius puniantur. Vtrùm sanè ipsi cum vitijs & deformitatibus suorum corporum resurgant, quicunque in eis vitiosa & deformia membra gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio.

Cap. 3. Cap 91.

Cap. 92.

At quoniam ad Ephes. ait Paul. Donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: sunt qui arbitrentur, eadem cunctos ætate & statura fore suscitandos. At verò vt 22. de Ciuit. Dei, ait Aug. non dictum est, in mensuram corporis vel staturæ Christi, sed in mensuram ætatis. Et ideo cum Christus ætatem agens triginta trium annorum passus fuerit, in illo ætatis flore resurgent: quia illud est medium iuuenilis ætatis. Quod autem dixit, in virum perfectum, non ad sexum retulit, imò Deus, qui vtrumque sexum instituit, vtrumque restituet: cum sexus fœmineus non sit naturæ vitium, sed necessitas: sed virum perfectum per metaphoram appellauit corpus Ecclesiæ mysticum, quod ante finem mundi ad illam fidei vnitatem & agnitionem filij Dei peruenturum est, vt Christiani non tanquam paruuli omni vento iactati nutent, sed contra omnia satanica tela, & præsertim contra Antichristi iacula stare per Dei gratiam valeant.

Cap. 4. Ephes. 4.

Cap. 15.

Resurgent igitur omnes in eadem iuuenili ætate. Cæterum neque in eodem sexu, neque eadem statura æquales, sed in ea singuli, ad quam cuiusque corpus, natura neque impedita, neque errante, sub illum ætatis flotem adoleuisset.

Cap 5.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ QVARTÆ.

Quæstio vnica.

DE MODO ET CONDITIONE RESVRGENTIVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm idem prorsus homo, in eodemq; corpore, quo vixerat, sit resurrecturus.

PRAECEDENS distinctio eatenus nos de resurrectione docuit, vt eius possibilitatem & veritatem, eiusque terminum, à quo illa actio processura est, didicerimus: quemadmodum scilicet ex puluęribus & cineribus, in quos sit postrema corporum resolutio, simus suscitandi. Consequitur ergo vt distinctione præsenti, de alio termino (quem vocant adquem) nempe de statu, in quem resurgentes prodire debeant, perscrutemur.

Tres quæstiones.

Atqui Magister Sententiarum, ac nonnulli subinde eius interpretes, quorum est sanctus Thom. tres hic

quæstio-

Prima. quæstiones disputat. Primam videlicet de termino statu & conditione, quæ erit damnatis cum iustis in resurrectione communis. Secundam de pulcherrima iustorum habitudine, in qua fœlices illi resurgent. Ac demum tertiam de miserabili fœditate & sorte, quæ resurgentibus damnatis continget. Attamen peculiaris de beatis damnatisque tractatio in hac dist. præposte ra est & inepta. Tractant n. illi hic de glorificatorum corporum dotibus, & de damnatorum pœnis. Dotes autem corporum ex dotibus animarum deriuantur. Vnde dist. 49. vbi de beatitudine agendum est, & animarum dotibus proprium habet hæc disputatio locum. Et eousque Ricardus, Scotus, atque alij consultius eundem tractatum differunt. Ac subinde consideratio damnatorum in distinctione 50. habenda est. Quare hic de solo communi termino resurrectionis, scilicet quo modo tam beati, quàm damnati resurgent, disputare vnica quæstione conuenit.

Secunda.

Tertia.

Primus itaque articulus ad substantiam spectat: nempe vtrum idem prorsus homo, qui mortuus est, atque in eodem corpore sit per resurrectionem instaurandus. Et arguitur à parte negatiua ex illo Aristotelis 2. de generatione, tex. vltimo. Quorum natura mortalis & dissipabilis est, illa specie, non numero, replicentur necesse est.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Argu.

Secundò. Vnus homo esse non potest nisi sit vnum animal, cum ratio animalis sit de essentia hominis: sed in resurrectione non erit homo idem animal quod erat: quoniam animal 2. de anima Aristot. definit, per sensum: est enim corpus sensibile, saltem sensu tactus: & tamen sensus cum per obitum hominis extinguantur, non poterunt eidem in resurrectione reuerti: quo fit vt homo nec sit animal id ipsum futurus.

3. Arg.

Tertiò. Si idem prorsus esset resurrecturus homo, consequens fieret, vt in eodem quoque corpore deberet reuiuiscere. Nam cum constet ex anima & corpore, requiritur vt idem sit homo, eandem animam idem resumere corpus, consequens tamen est contra illud Apost. 1. ad Corinth 15. Non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum: vbi insinuat aliud nos corpus per mortem seminare, atque aliud esse nobis per resurrectionem resumendum.

4. Arg.

Quartò. Res non potest eadem redire, nisi materia eius & forma redeat: forma verò misti, ex qua cum materia componitur corpus humanum, nequit eadem remeare: ergo nec corpus idem. Probatur minor. Illud quod penitus cedit in non ens (id est, cuius nihil remanet, sed tota substantia interijt) redire non valet: tota verò substantia formæ misti perijt, cuius nulla sit pars reliqua: ergo reuerti non potest. Maior verò probatur. Quia si res tota perijt, totum eius esse omnino interruptum est: quando autem esse interrumpitur, illud esse quod reuertitur, est diuersum: res autem cuius esse substantiale est diuersum, non est eadem.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem est illud Iob 19. Quem (scilicet Redemptorem) visurus sum ego ipse & non alius, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Vbi idem homo idemque corpus insinuatur.

Consideratio animæ & corporis.

Ad huius quæstionis intellectum prænotare oportet, aliam esse considerationem animæ, aliam verò hominis, sed aliam corporis. Enimuero de anima quæ separata per se subsistit, ambigit nemo, resurrectionem confitentium, quin eadem numero sit, in corpus reuersura. De homine ergo & de corpore est in præsentiarum tribus conclusionibus respondendum. Prima. Idem ipse homo, qui per mortem cecidit, est in vitam resurrecturus. Hæc conclusio, non tantùm ceu scholastica veritas, sed tanquam articulus fidei constituitur. Idem enim articulus, quem de resurrectione confitemur, intelligitur de resurrectione eiusdem hominis. Resurgere namque, vt 8. de Trinit. ait August. idem est quod reuiuiscere: nemo autem reuiuiscit, nisi qui mortuus est rursum viuat. Si enim non idem Lazarus, qui obierat resurrexisset, non illa fuisset Lazari resurrectio, sed substitutio vnius pro alio. Quocirca (vt scienter hic ait S. Thom.) qui eundem hominem resurrecturum negarer, perinde esset hæreticus ac si resurrectionem diffiteretur.

1. Concl.

Resurgere quid.

Ratio conclusionis.

Atqui ratio præterea conclusionis est: quia homo in hoc ad imaginem Dei conditus est, vt per officia huius vitæ quæ diuino fauore & munere operatur, regnum cælorum obtineat, vbi diuino fruatur consortio. Quod si secus fecerit, supplicia erratorum in altero seculo persoluat: & quia corpora nobis fabricauit, in quibus anima militaret, ad hoc resurrectio futura est, vt in anima & corpore retributionem reciperemus. Actiones enim vt 1. de anima ait Philosoph sunt suppositorum. Non enim anima, aut corpus, sed totus homo est, qui operatur & meretur & demeretur, ac perinde aut præmio donari aut supplicio affici debet. Vnde Paul. 2. Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit. Si autem non idem homo qui natus & mortuus est resurgeret, nemo propria corporis reciperet prout gessit.

Hac autem catholica veritate præfixa de resurrectione eorundem corporum controuertitur. Atqui inter cæteros Durandus distinct. 43. quæst. 3. non modò negat idem corpus (nempe illud cadauer, quod anima separata relinquitur) rediturum. Imo audenter affirmat, neque per absolutam Dei omnipotentiam fieri posse, vt vlla res, cuius essentia totaliter perijt, rursus reparetur: siue successiua sit, siue permanens. Non quod dubitet quin quicquid sit possibile efficere Deus valeat, sed quòd arbitretur non esse hoc vllo pacto possibile.

De successiuis.

Et re vera de successiuis, qualia sunt tempus, & motus, id etiam Palud. atque alij concedunt. Imò & S. Thom. quodli. 4. art. 5. & est planè confitendum, si formalem successiuorum rationem speculemur. Neque verò opus est alias metaphysicas lubricasque rationes congeminare, quas Durand. accumulat; sed causa ex intrinseca ratione successiui sumitur. Ens n. successiuum eiusque essentia est cuius esse in continuo fluxu consistit secundum rationem prioris & posterioris: partes enim horæ ac diei simul existere non possunt, sed quando vna influit, altera effluxit.

Ratio.

Argum.

Arguitur ergo sic. Deus non potest partem temporis, quamdiu tempus durat retinere vt non effluat, alioqui non esset tempus, cùm hæc sit essentia temporis vt fluat: sicut si ab homine amoueret rationale, non esset homo: ergo multo minùs partem elapsam potest reuocare, quoniam facilius est retinere ne labatur quàm elapsam reuocare. Imò illa esset ad præteritum potentia, scilicet facere vt quod fuit, non fuerit, & res quæ effluxit, non effluxerit: nempe facere vt annus qui transiuit, non transierit. Et idem est prorsus de motu. Non loquor de motu, si admittatur rem esse distinctam à mobili: nam si sit qualitas distincta, non ambigo quin Deus possit illam reproducere, veluti lapidem, sed loquor de tempore & motu formaliter: videlicet quod sicut non potuit diem hesternam tenere ne flueret, atque adeò nec modo facere, vt illa dies sit hodie, vel annus præteritus sit præsens: ita non est factibile vt circulatio cæli, quæ heri præterijt, sit hodie. Et hæc est Arist. sententia 5. Physic. text. 29. vbi ait, quod vnitas motus sit ex continuatione. Nam postquam interruptus est, non potest idem redire.

De permanentibus.

De rebus autem permanentibus Durand. eadem quæst. 3. sustinet opinionem negatiuam: scilicet quod neque per omnipotentiam absolutam Dei, possit id quod penitus fuit corruptum, idem numero redire, sed ait quod in resurrectione erit idem homo duntaxat propter resumptionem eiusdem animæ; quæ est perpetua. Rationes autem eius prolixitate laborant satis obscura. Arguit enim sic primò. Non plus potest Deus agere per voluntatem quàm si ageret ex necessitate naturæ: quoniam voluntas non auget potentiam, sed modum apponit agendi, & quamuis sit infinita, & ideo possit agere in temporis momento, & absque auxilio causæ secundæ, nihilominus agit modo aliorum agentium naturalium: sed agens naturale non potest reparare id quod omnino corruptum est, ergo nec Deus.

Argum. Durand.

Secundò, quia si agens naturale non valet huiusmodi corruptum reparare, id prouenit ex illo Arist. axiomate 2. de generat. Idem inquantum idem, semper est natum facere idem. Vt autem agens sit omnino idem numero ad edendum eundem numero effectum, non sat est eandem habere potentiam, sed quòd eandem præterea habeat habitudinem ad passum: & quia postquam agens rem conseruans illam interrumpit conseruationem, nequit eandem numero habitudinem ad idem passum habere, fit vt neque valeat idem corruptum reproducere. Hæc autem ratio pari, inquit, modo, quo in agentibus creatis, in Deo militat.

2. Arg.

Aliud arg. Alia eiusmodi accumulat argumenta. Apertiùs autem possumus eidem opinioni argumentum mutuare. Etenim quod in rebus successiuis est fluxus, in permanentibus est esse: igitur vt interrupto motu (vt 5. Physic. ait Philosophus) non potest idem esse motus: sic postquam res totum esse substantiale amisit, non potest idem recuperare: res autem cuius esse est diuersum, non potest esse eadem.

Nota. Tandem Durand. conatur eandem opinionem diuo Tho. impingere, nam in præsenti articulo quæ. 1 ad tertium argumentum, quod nos hic secundum fecimus, ait, quòd si anima sensitiua à rationali distincta poneretur, consequens fieret, vt non idem homo resurgeret: quia cùm anima illa esset prorsus interrupta, redire non posset. Et idem ait quæstiuncula 1. ad tertium, quod nos hic quarto loco posuimus de forma misti in corpore, si esset à rationali diuersa. Ac demum tertia part. q. 77. arti. 5. ait, quod si substantia panis aut vini sit annihilata, non potest iterum redire. Ex his ergo colligit Durand. semel annihilatum Angelum non posse vtique per Dei potentiam creari, neque verò mistorum aliquod corruptum restitui nisi formam eius, vt animam rationalem Deus conseruaret.

Opinio Durandi. Quod si eum redarguas. Quomodo ergo idem homo resurget, vt fides catholica prædicat? Respondet dist. hac 44. q. 1. quòd redibit idem ratione duntaxat animæ rationalis, quia eadem permanet. Nam cùm esse (vt docet Philoso.) sit à forma: neque materia vllum suppositò esse tribuat, ad hoc quod homo sit idem, sufficit quod animam resumat eandem. Imò verò ab eadem, inquit, anima corpus sortitur, vt sit idem: quia non est in homine nisi vnica forma: scilicet rationalis, dans corpori esse corporeum. Quapropter licet in resurrectione corpora non ex ijsdem cineribus, in quos fuerunt resoluta conglutinentur, sed ex quacunque alia materia, nihilominus (inquit) idem esset homo. Quin etiam licet anima Petri corpus resumeret, quod fuerat Pauli, & anima Pauli id ipsum quod fuerat Petri, nihilominus idem, inquit, Petrus resurgeret, idemque Paulus. Et hæc eadem fuit doctrina Ioannis de Neapoli quodlibet. 2. q. 6. Et si opinio hæc tam vera esset, quàm apparet facilis, à multis nos impræsentiarum anfractibus liberaret.

2. Concl. Nihilominus statuitur secunda conclusio. Deus idem potest, quod prorsum annihilatum est, iteratò creare, & quod semel corruptum fuerit, rursum producere. Assertio est diui Th. quodlibeto modo citato 4. art. 5. & opusc. 9. q. 82. Et probatur ratione, quàm ibidem affert. Omne possibile Deus facere potest: quod autem possibile sit idem de genere permanentium interemptum reproduci, inde probatur, quòd si aliqua esset repugnantia, maximè quia vnitas rei continuitate seruatur: quare repugnat si interrumpatur, vt id quod præcedit & postea redit, sit vnum. Hæc autem ratio in solis successiuis veritatem obtinet, eo quod de intrinseca ratione & essentia vnitatis ipsorum est continuus fluxus. In permanentibus autem continuatio non est de vnitatis essentia: eo quòd essentia ipsorum non est fluere, sed est accidentaria eorum vnitati continuatio: propterea quod subduntur tempori, quod est continenter fluens. Igitur si ex parte rei non repugnat, vt eadem res sit cuius conseruatio fuit interrupta, non debet omnipotentiæ Dei, qui minimè à temporis continuitate pendet, hæc facultas subduci, quin possit idem corruptum reproducere. Nam ad demonstrandum Deum quidpiam posse, satis est ostendere id ex parte rei nullam inuoluere repugnantiam, & ei qui illam obmolitur respondere.

1. Argum.

Ratio in quibus militet.

2. Argum. Secundò arguitur. Infinita omnipotentia Dei ob id quod rem aliquam condiderit, quæ deinceps absumpta est, non minuitur: neque verò rei ipsi esse magis repugnat, quam anteaquam fuerat: ergo Deus potest illam in esse restituere.

3. Arg. Sed argumentum quod rem elucidat est illud, quod dist. præcedenti. artic. 1 informauimus. Causa enim cur agens naturale non potest idem numero reproducere, est quod requiruntur eædem numero dispositiones: ad quod exigitur, vt eodem loco & tempore (quæ sunt indiuiduationis principia) fiat applicatio agentis ad passum: & tempus nequit idem reuerti. Item requiritur vt motus & actio sit eadem, & tamen interruptus motus non potest reuerti idem: Deus autem ob suam infinitam potentiam neque à loco, neque à tempore pendet, neque à motu, ergo nil obstat quominus idem valeat bis terque producere. Et arguitur præterea, quod si illa contraria Durandi opinio esset vera, consequeretur vt præsenti mundo perempto nequiret Deus eandem instaurare. Imò verò, si vera est opinio S. Tho. quod duo angeli esse nequeunt eiusdem speciei, similiter subsequeretur quod Michaele in nihilum redacto nequiret Deus eandem restituere speciem: quoniam neque illum, neque alterum solum numero differentem posset iterato creare: quæ quidem consequentia absurda videtur: & tamen consequentiam cum sua conclusione concedit ipse.

4. Arg.

Sol. 1. arg. Durand. Primum igitur argumentum Duran. falsum assumit, scilicet non plus posse Deum agentem per voluntatem, quàm si ageret ex necessitate naturæ. Nam si non esset agens per voluntatem, non posset infinitam potentiam habere: siquidem infinita potentia agens ex necessitate infinitum effectum produceret: quod est impossibile. Ob idque Aristot. 8. Physic. infinitam virtutem Dei fassus, artissimis angustijs intercluſus fuit, vt euitaret infinitum effectum, quem tandem in cælorum lationibus infinitum duraturis concessit.

2. Solut. Secundò respondetur: quod si per impossibile daretur, Deum esse infinitæ potentiæ, & non agere per voluntatem, nihilominus posset aliquid producere ex nihilo, ac subinde agere sine dependentia à tempore & motu, atque adeò posset super naturam aliorum agentium idem corruptum reproducere.

Sol. 2. arg. In secundo etiam argumento caligat: conceditur namque quod ratio quare agens naturale nequit idem corruptum reproducere est, quod non potest habere eandem ad passum habitudinem, quam quando illud primo produxit, habuerat: sed tamen ratio huius est, quod non potest redire idem tempus & motus & actio. Cùm ergo ab his Deus non pendeat, fit vt semper habeat eandem habitudinem ad producendum quicquid voluerit, siue corruptum fuerit, siue nunquam productum.

Solut. 3. arg. Ad aliud verò, quod nos adiecimus, iam responsum est, dum ostendimus non interesse similitudinem inter motum, & esse rei permanentis: quippe cùm de essentia vnitatis motus sit continuatio, non autem de essentia rei permanentis. Sed ad verba S. Thom. quibus cum Dutando sentire videtur, suo loco respondebimus.

3. Concl. Tertia conclusio ad nostrum propositum ex hac proxima colligitur. Vnusquisque debet in eodem corpore resurgere, in quo vixit, quod non solùm sit ab extrinseco idem, nempe quod ab eadem informetur animeturque anima rationali: verùm quod ex ijsdem pulueribus & elementorum partibus sit reformandum, in quas fuit resolutum. Hæc conclusio non est tam expressè de fide, quàm prima: nihilominus non posset non temeritatis nomine, imò fortè periculi, denotari, qui illam diffiteretur. Quocirca Durand. (bona venia dixerim) nimia libertate vsus de hac re locutus fuit. Est enim de fide, vt non solùm sit idem homo resurrecturus, verùm in eadem carne, vt ait Iob: vocare autem eandem carnem, ob id solùm quod ab anima eadem rationali informetur, neque Physicæ consonum est, neque fidei, quippe cuius articulus de carnis resurrectione decretus est.

Ratio Physica. Et primò, si rationem Physicam consulamus, nulla est consequentiæ vis, quod si esse suppositi sit à forma, sufficiat vt idem sit numero suppositum, idemque corpus, quod eadem informetur anima: quoniam licet à forma suppositum sortiatur esse specificum: puta esse hominem, equum, &c. tamen esse indiuiduale, nempe esse Petrum, non suscipit nisi à forma in hac singulari materia: eo quòd materia est principium indiuiduationis. Imò anima propterea est hæc quod in hac materia suscipitur. Et hoc est quod ait Philosophus 5. metaphysic. scilicet, quod quæ differunt secundum numerum, differunt secundùm materiam: sicut quæ differunt secundùm formam, differunt specie. Neque ad hoc profectò Durand. quid responderet satis rimari valuit. Potest enim eadem forma diuersa corpora successiuè informare, quæ non ideo erunt idem corpus. Imò si admittatur per omnipotentiam Dei eandem in diuersis locis duo simul diuersa corpora informare, certè nec esset tunc idem corpus, neque idem homo. Adde quod secundum Philosophum 1. Physico. eadem materia manet successiuè sub diuersis formis: non ergo à forma habet materiam, vt sit eadem, atque adeò nec vt sit idem corpus.

2. Argu. Secundo arguitur, quia si eadem anima ad resurre-

ctionem

ctionem eiusdem hominis eiusdemque corporis sufficeret, tunc transmigratio eiusdem animæ in diuersa corpora (vt Pythagoras philosophabatur) esset resurrectio eiusdem hominis quod est concessu absurdum. Quocirca diuus Gregorius super illud Iob 19. Et in carne mea videbo Deum: tanquam ridiculum errorem refert quorundam commentum (in quibus quidam erat Constantinopolitanus Episcopus) qui aiebant animam iterato coniungi corporibus cælestibus, vel quibusdam in modum venti subtilibus. Illud n. non est resurgere in propria carne, quæ vixerat. Quocirca hic Diuus Thomas optimè concludit non posse resurrectionem censeri, nisi anima ad idem reuertatur corpus, quo vtique verbo sophisma illud eliditur Durandi, quod dicatur idem corpus propter eandem animam, nam tunc anima non posset resumere nisi idem corpus: quandoquidem quicquid resumeret per resurrectionem fieret idem. Dicens ergo S. Th. nisi anima idem corpus resumat, intelligit ex ijsdem cineribus compactum: quia resurrectio est, vt ait Damascenus, iterata surrectio, id est, eiusdem quod cecidit. Et Augustin. ait quod resurgere est idem quod reuiuiscere. Quare optimè Thomas adnotauit, quod resurrectio magis respicit corpus, quod per mortem cecidit, quam animam, quæ semper post mortem viuit, atque adeò si non est idem corpus, quod anima resumit, non dicerur resurrectio, sed noui corporis resumptio secundum doctrinam Pythagoræ, qui credens non inesse animam corpori tanquam formam, sed adesse tanquam motorem, colligebat aliud, atque subinde aliud corpus submutare. Imò verò quamuis disputationis gratia admitteretur dogma Empedoclis de magno seculo, vbi eædem formæ ad eadem corpora redibant, non esset propria resurrectio, sed noua generatio per causas naturales, ac si nunquam eadem res fuisset producta aut corrupta. Resurrectio namque dicit surrectionem eiusdem corporis quod cecidit, & ideo propriè dicit subitaneam ac supernaturalem resumptionem vitæ.

Resurrectio quid.

S. Thom.

Adde quod secundùm opinionem Durandi posset anima resurgentis illud corpus resumere, quod nunquam per mortem cecidisset: puta corpus quod nullius fuit animalis, sed saxi vel elementi. Tunc ergo quomodo carnis fieret resurrectio? cùm articulus fidei non tantum resurrectionem, sed carnis resurrectionem affirmet.

Sed præterea rationibus theologicis idem planè conuincitur. Resurrectio vt prædictum est, ob hoc nobis fuit diuinitus indulta, vt vnusquisque (quemadmodum ait Paulus) propria corporis referat prout gessit: ergo in eodem ipso corpore, in quo homo Deo, vel dæmoni militauit, debet resurgere, vt in eodem vel triumpho coronetur, vel pœnas luat: vt scilicet idem corpus, quod particeps fuit laboris obsequendo rationi, vel causa scelerum resistendo, particeps quoque sit retributionis, qualiscunque fuerit. Quæ enim æquitas ferre posset vt anima Petri corpus Neronis resumeret, aut anima eiusdem Tyranni corpus Pauli? Ad consolationem enim nostram, vt membra corporis nostri promptiùs exhiberemus in obsequium Deo, ait 1. ad Cor. 15. Apost. de corpore, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, &c. Docens id ipsum corpus quod in hoc seculo diuinis obsequijs mancipatum atteritur, propria fore retributione donandum.

Rationes theologicæ.

Quapropter Iob loco citato non fuit contentus dicere, In nouissimo die de terra surrecturus sum, sed conculcatissimè adiecit, Et rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei, (scilicet corporis) conspecturi sunt, & non alius. Vnde Christus Matth. 10. vbi Apostolos ad perferendam mundi tyrannidem animis implet, Nonne duo passeres (inquit) asse veneunt, & vnus ex illis non cadet in terram sine patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Cui concinens Augustinus iam citatus in Enchiridio, Non (inquit) perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, sed in quemlibet puluerem cineremque, aut partes elementi soluatur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, scilicet, in resurrectione.

Iob 19.

Existit præterea argumentum contra illam opinionem, quod tunc nullo opus esset angelico ministerio ad colligendos cineres, in quos facta fuerat corporum resolutio, sed ex quacunque materia, quam casus fortuitò offerret, homines resurgerent, contra quàm Augustin. verbis proximè citatis decernit. Imò si resurrectio futura esset in vnò loco, puta in valle Iosaphat vel alia ex materia illic circunstante vniuersa mortalium corpora plasmarentur, quod nefas est dicere. Igitur fas non est negare, quin idem prorsus corpus exurgere debeat, quod per mortem cecidit, alioqui non esset idem homo resurrecturus.

Egregium argum.

Vnde ad primum argumentum ex Aristotele sumptum respondetur, Philosophum locutum fuisse naturaliter in rebus quæ per motum redeunt: ostendit enim eo loco circulationes cælorum, quæ per motum localem fiunt, easdem numero redire, hoc est, per easdem lineas, quia cælum non perit: in generationibus autem horum inferiorum redeunt cuncta in eadem specie, sed non eadem numero: Deus autem qui nec à motu pendet, nec à tempore, potest idem numerò reproducere. Et hæc est legitima solutio; nam altera quam D. Thom subiungit, videlicet quod quia anima per se semper persistit, possibilis est resurrectio, non est tam efficax, tum quod restat de corporibus difficultas, quæ eadem debent resurgere, tum quod etiam si anima in nihilum esset redacta, posset Deus eiusdem hominis in eadem anima eodemque corpore resurrectionem perficere.

Ad argumenta principalia.

Ad secundum respondetur, D. Thomam optimè contra illos concludere qui ponebant animam sensibilem à rationali distinctam in homine: tunc enim cum per obitum anima illa corrumpatur, non rediret. Nescio tamen an tunc temporis in eadem opinione fuerit doctor Sanctus, quam ei Durandus tribuit, scilicet quod Deus non posset illam reproducere. Dicere tamen possumus, quod nullam habuit omnipotentiæ Dei memoriam, quidnam efficere posset, sed ad solam respexit ordinariam legem: & ideo respondit, id quod satis erat negando animam sensibilem à rationali distinctam: quocirca in resurrectione per eandem animam Petrus erit & idem homo & idem animal, quia habebit eandem animam sensitiuam, per quam secundùm substantiam diffinitur animal.

Ad secundum.

Quod si arguas. Saltem easdem non habebit sensitiuas potentias, quæ sunt animæ accidentia: quippe quæ abscedente anima corrumpuntur: cùm secundum veriorem opinionem in ea separata non permaneant, sed est tunc sensibilis secundum substantiam, hoc est, apta sentire cùm potentias resumpserit. Conceditur ergo, quod in resurrectione non redibunt ipsissimæ potentiæ numerò, sed eædem secundùm speciem, longeque præstantiores: veruntamen variatio accidentium substantiam non mutat, neu suppositi, neu corporis, quominus idem in eodemque corpore resurgat.

Obiectio.

Ad tertium, quod ex Apostolo desumptum est, respondetur: quod noluit æqualem similitudinem inter granum seminatum & corpus nostrum constituere. nam granum in semine non est idem numero, quod est postea in spica, si quidem illud emoritur, & enascitur aliud eiusdem speciei, in resurrectione verò idem erit corpus, quod mortuum fuerat. Sed similitudo seruatur in hoc, quod resurgent corpora nostra, alia secundum accidentia, scilicet quod seminantur corruptibilia & ignobilia, & resurgent nobilia & pulcherrima.

Solut. 3. arg.

Ad quartum respondetur perinde vt ad secundum, quod forma misti in corpore non est alia quàm anima rationalis, quare in obitu hominis nulla substantialis forma perit, sed solùm rationalis separatur, quæ cum eadem in corpus redeat, tribuet ei idem esse mistum, sed & quamuis forma misti esset alia, non euincit argumentum: quod Deus nequiret eandem reproducere in eodem esse quod habebat, vt satis ostensum est.

Sol. 4. arg.

ARTICVLVS II.

Virum omne, quod est de veritate humanæ naturæ, resurgit.

CONCLVSIO præcedens, nempe quod idem prorsus homo in eodemque corpore sit resurrecturus, nonnullos scrupulos obijcit, illis præcipuè Philosophis, qui non sunt veritate Christiana imbuti, quibus tamen ab eiusdem veritatis professoribus responderi oportet. Quod vtique respondendi negotium assumpsit Augustin. in libro de Ciuit. Dei contra Philosophos, & in Enchiridio, & alibi

sæpè. Quæritur ergo secundò, vtrum quicquid in corpore viuentè præfuit, ad veritatem naturæ pertinens, sit per resurrectionem recuperandum. Et arguitur à parte negatiua. Defunctorum corpora sexcentas perpessa sunt ab orbe condito transmutationes, nempe in saxa, in metalla, in herbas, in alia animalia, in elementa, quapropter in postrema die particulæ, quæ fuerunt humanæ, in rebus diuersissimis delitescent, ex quibus absque ipsorum corruptione distrahi nequeunt, imò vix deprehendi potest quemadmodum tam innumera rerum congeries possit ex rebus tam diuersis fieri.

Partis negatiua arg. 1.

2. Arg.

Secundò, Humanis corporibus per assiduam in dies nutritionem, vt 1. de generat. docet Philosophus, fit iugis accessio, & vicissim per digestionem fit etiam particularum egestio: si ergo totum deberet resurgere, multa absurda consequerentur. Primum, quod vnum quodque corpus portentosam molem resumeret. Secundò, quod cum homo diuersorum animalium carnibus vescatur, cunctorum corpora dicerentur resurgere, vt ouium, boum, piscium, &c. Tertium, quod vsu veniat, vt homines nonnunquam humanis carnibus vescantur, aut in propria forma, quemadmodum Iosephus de miseranda Hierosolymorum obsidione refert, aut in alijs figuris, dum ex cadaueribus, campus herbescit, quo pabulo oues & boues pascuntur, quæ in esum tandem hominum veniunt: tunc ergo impossibile est, quòd illi homines propria corpora resumant, cùm plures eodem fuerint nutriti & aliti. Et fit de costa Adæ, ex qua condita fuit Eua, argumentum: nam si Eua suum est corpus resumptura, Adam tunc sua erit costa in perpetuum orbatus.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Costa Adæ non restituenda.

3. Arg.

Tertiò. Omnes vt paulò post ostensuri sumus, debent in adulta iustaque statura resurgere: ergo paruuli non sua præcisè corpora resument, sed aliunde sufficientur eis maiora: & qui plus iusto fuerunt obesi aut grandes, non tota recuperabunt.

Pars affirmatiua. 1. Cond.

In contrarium est illud Lucæ 21. Capillus de capite vestro non peribit.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima, quam viro catholico nefas esset negare, sit. Quicquid est de veritate humanæ naturæ tam in anima quam in corpore resurget. Et ratio est plana. Idem enim est res & vera res, vt aurum & verum aurum: vnde sicut quod non est verum aurum non est aurum, ita qui non est re vera homo, non est homo: & pariter in indiuiduis, qui non est verus Petrus non est Petrus, quare vt superius dicebamus, si Moyses in transfiguratione non resurrexit in proprio corpore, non erat Moyses, quia non erat verus Moyses. Sicut & Samuel, quem vt legitur 1. Regum 28. Pythonissa suscitauit, si non erat verus Samuel, non erat Samuel. Hinc ergo informatur argumentum. Resurrectio futura erit vera & nullatenus ficta, imò erit perfectissima, quia erit opus Dei, & Christi, quatenus redemptor est per virtutem diuinam, & certè si non erit vera, decipiet nos: ad veritatem autem eiusdem hominis requiritur quicquid est de veritate naturæ, non solùm speciei, sed illius etiam indiuidui: ergo quicquid est de veritate naturæ, & de integritate illius indiuidui resurget. Illa verò quæ superflua sunt & per modum digestionis egesta & decisa, minimè sunt recuperatu necessaria.

Ratio.

Argum.

Ad intellectum autem huius quæstionis adnotandum est, diuersimodè à diuersis autoribus explicari. Durand. quippe distinct. præsenti q. 2. in sua persistens opinione ait, quòd si loquamur de ijs que pertinent ad veritatem naturæ, hoc est, sine quibus natura nequit consistere, solus homo resurgere habet, & nulla eius pars, quoniam anima non cecidit per mortem neque materia prima, quæ perinde atque anima incorruptibilis est: solus ergo homo cecidit, qui resurget per iteratam vnionem animæ cum eadem materia. At verò, vt supra diximus, opinio hæc non seruat syncerè & castè resurrectionis idioma: quia non solùm homo cecidit, sed & corpus ipsum per incinerationem, quod ideo debet idem numero resurgere. Cùm ergo per nutritionem semper viuentis corpus in perpetuo fluxu sit partium, dubium inde emergit quomodo idem corpus possit resurgere.

Durand.

Sententia autoris.

Tres igitur opiniones de nutritione humani corporis versantur, quas Philosophi 1. de gener. Theologi verò 2. sententiarum distinct. 30. referunt, & disertè D. Thom. 1. par. q. vlt. Prima fuit quorundam dicentium de veritate humanæ naturæ quantum ad corpus non esse nisi illud præcisè, quod fuit ex semine genitum. Atque illud aiunt tota vita hominis permanere integrum, neque illi quicquam per digestionem distrahi, neque per nutritionem accrescere, sed illud præcisè extendi ad maiorem quantitatem: nutrimentum verò apponi non vt per nutritionem fiat augmentatio, sed in fomentum & præsidium caloris naturalis, quemadmodum cum purificatur aurum, apponitur ei plumbum ne aurum consumatur. Aiebant ergo isti, quòd in resurrectione animæ non resument nisi illud duntaxat, quod primum fuerat per semen genitum: nam quod per nutritionem aduenit, esse non existimabant de veritate naturæ: cùm nunquam fuerit in substantiam illius suppositi transformatum. Hæc autem opinio deridicula est: nam illud humidum, quod ipsi appellãt radicale, ex semine genitum nequit ad iustam hominis quantitatem excrescere, nisi aut per rarefactionem aut per coagmentationem nouæ materiæ, nam vt 20. super Genesim ad literam aduersus Tertullianum ait Augustinus, nihil est absurdius quàm putare vllum esse corpus, quod manente naturæ suæ quantitate (hoc est, nihilo substantiæ adiuncto) vndique crescat, nisi rarescat: dicere autem corpusculum, quod vtero gestatur, posse ad tantam quantitatem, quantam homo quadragenarius habet, rarescere, ratio Physica non permittit: quoniam vnicuique præscriptus est rarefactionis terminus, quem transgredi citra corruptionem sui non potest. Nequit enim terra ad tantam raritatem peruenire, quanta est aeris, nisi corrumpatur in aërem: cum ergo per rarefactionem quantitas nequeat tantum crescere, consequitur vt crescat per coagmentationem nouæ materiæ: quam vtique, cùm non creetur, constat ex alimento gigni.

Opinio reiutatur.

Item isti non ponebant nutritionem tanquam per se necessariam ad augmentum, vt nutritiua virtus augmentatrici seruiret, sed solum in præsidium caloris. Neque putabant id in quod alimentum conuertebatur, vniri substantiæ aliti, neque eius forma informari, sed esse sicut sanguinem & alios humores, qui non sunt corpori continui. Quare profectò superflua esset digestio, per quam transmutatio fit in substantiam alito similem.

Ratio 2.

Secunda opinio erat paulò ab hac differentior. Consentiebant quippe alij cum prioribus id quod ex semine primò gignitur, semper manere fixum in homine, seiunctum ab eo quod per nutritionem acquiritur, nihilominus opera nutritiuæ virtutis aliquid accrescere fluens & refluens. Dissentiebant tamen à prioribus, dicentes hoc quod per nutrimentum gignitur, non solùm seruire in fomentum caloris, verùm & in augmentum quantitatis, quæ quidem per rarefactionem non posset tantum crescere sine appositione nouæ materiæ: atque adeo fatebantur illud, quod ex nutrimento gignitur, adiungi priori. Et huius opinionis Commentator lib. 1. de generatione dixit Alexandrum fuisse inuentorem. Vnde illud ex semine genitum appellabant humidum radicale, quod diffundebatur postea per totum corpus: aliud verò adiunctum vocabant humidum nutrimentale. Atque in hoc sensu illud Philosophi 2. de generatione textu 35 intelligebant, scilicet quod caro secundum speciem semper eadem manet in homine, caro autem secundùm materiam aduenit & recedit. Similiter ergo illi dicebant, solum illud humidum radicale restituendum in resurrectione, non autem aliud nutrimentale.

2. Opinio.

Discrimen inter hanc & priorem.

Auctoris.

At profectò isti paulò minus quàm priores à lumine naturali erant auersi. Enimuero calor naturalis tam humidum consumit, quod ex semine fuit per generatiuam virtutem genitum, quàm aliud per nutritiuam adiunctum: quia est actio naturalis æqualiter agens in passum, & illa humida æqualiter illi applicata subduntur: cùm ergo æqualiter illa duo consumat, æqualiter per nutritionem ambo instaurantur: si autem æqualiter instaurantur, non potest illud manere fixum, quod per generationem fuit primò genitum, distinctum ab alio, quod per nutritionem acquiritur, sed ambo perfectè miscentur, vt ex ambobus fiat vna caro: quemadmodum dum perfecta fit aquæ vinique mistio, non remanet per se vinum & per se aqua, sed vinum languidum, nisi quod in animali quod per nutritiuam adiungitur, non est infirmius, sed quandoque robustius & virtuosius.

Autor opinionem reiecit.

1. Opinio.

Et con-

Digitized by Google

Cõfirmatio rationis.

Et confirmatur ratio ex doctrina Philosophi. Non enim nutritionem ait solum fieri instar mistionis aquæ cum vino, sed quemadmodum ignis fomento lignorum, quorum alia ac subinde alia suggeruntur, nutritur & crescit. Quam ob causam in igne non possunt distingui partes, quæ ex diuersis lignis fuerunt genitæ, sed totus ignis ex vna lignorum congerie fuit auctus.

Opinio 3.

Tertia ergo opinio, eademque verissima est, quàm Aristot. 1 de gener. docet, & secundùm eum Commentator, ac subinde Philosophorum reliqui, nempe quòd per vim nutritiuam, quæ augmentatrici seruit, nutrimentum vertitur in substantiam aliti, eiusque forma informatur: non solum in hominibus & in cæteris animantibus, verùm & in plantis. Quapropter dum corpus adolescit, non permanet idem, quod ex semine fuit primò genitum, discretum ab alio, quod per nutritionem accrescit, sed vna fit amborum commassatio & conglutinatio. Quare radicale humidum & nutrimentale non differunt ratione principij, scilicet quod illud ex solo semine generetur, hoc autem aggeneretur ex cibo, sed ratione termini, vt nutrimentale dicatur quamdiu alimentum speciem aliti non est assecutum, nec ipsi conglutinatum, radicale verò dum est in naturam aliti coagmentatum. Ob idque distinctio Aristotelis 2 de gener. de eadem carne secundùm speciem & secundùm numerum, non est diuersarum rerum, sed diuersarum rationum eiusdem rei. Quod est dicere. Si consideretur caro hominis per totum vitæ curriculum, persistit eadem secundùm speciem: quia semper alimentum conuertitur in carnem Petri, sed tamen secundùm materiam particulæ fluunt & refluunt, sicut in igne, qui suggestione lignorum nutritur.

Ariſt. diſt.

Argumen. commune.

Sed tunc alia opinio obmolitur commune argumentum, quod non esset idem homo iuuenis qui fuerat infans, neque idem senex qui fuerat iuuenis, quia non manet eadem materia. Sed tamen ad hoc respondet 1. de genera. Philosophus interimendo consequentiam. Quando enim, inquit, aliqua materia per se tota conuertitur in ignem, tunc est nouus ignis, vt dum lignum incipit inflammari. Quando verò paulatim accenso iam igni submittuntur ligna, non nouus gignitur, sed idem ignis permanens augetur. Multò ergo verius in homine & quocunque animali, quia paulatim adhibetur per vim nutritiuam substantia ad reficiendum id quod calore naturali consumitur, idem prorsus homo permanet.

Solut. Ariſt.

2. Concl.

Ex his ergo colligitur posterior impræsentiarum conclusio, quæ ad intellectum prioris meditatius contemplanda est. In resurrectione id in vnoquoque resurget, quod ad naturæ tam individui quàm speciei, veritatem & ornatum pertinet secundùm illum statum, in quem resurgent. Demus verbi gratia (quod postmodum disputabimus) omnium resurrectionem futuram in illam ætatem & corporis, qua Christus resurrexit, & in quantitatem eidem ætati congruam. Dicimus ergo quod quicunque in vita vsque ad illam iustam quantitatem natura non errante fuit adultus, illud resumet corpus, quod sub illum temporis articulum habuit, ex eademque materia refectum. At verò quia vt 22. de ciuit. Dei ait August. nihil illic vitij in corporibus existet, si aliqui plus fuerint obesi & crassi, non totam corporis molem resument, sed quod illam habitudinem superabit, reputabit superfluum. E diuerso quicquid vel morbus, vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute diuina. Vt si aliqui propter macrorem fuerint graciles, quia Christus non solum reparabit nobis vitam, sed quicquid per miserias huius vitæ fuerit nobis ademptum. Imò & id quoque, quod natura conferre non valuit. Quare paruulis & infantibus, & eis qui fuerunt aborsi, aliunde supplebitur angelorum ministerio, vt in Enchirid. cap. 85. ait idem August. materia vsque ad legitimam quantitatem. Id verò materiæ, quod per digestionem fuerit egestum, non redibit, eo quod natura id tanquam redundantes fæces emittit, neque ad veritatem naturæ deinceps pertinet. Quapropter non solùm idem homo resurgere dicendus est propter vnionem animæ ad materiam primam, sed idem prorsus corpus, eadem scilicet ossa, carnes, & organa.

Obeſi & craſſi.

Graciles & macri.

Paruuli.

Sed hæc per argumentorum solutiones luculentiùs liquebunt: sunt enim omnia Philosophorum argumenta, quibus fidem nostram resurrectionis subsannant.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur respondetur, quod quascunque transmutationes corpus fuerit perpessum, virtuti Dei, qui ex nihilo condidit vniuersa, nequaquam difficile est angelorum ministerio reliquas illas vndequaque subtractas colligere: nam quæ in alijs mistis ratione carentibus reperientur, cùm omnia eiusmodi mista sint tunc peritura, facile est intelligere quemadmodum in corpora humana reuerrantur. Quæ verò particulæ in elementis delituerint, quæ permansura sunt, nihil in eis detrimenti relinquent, quoniam Deus ex mistis, quæ corrumpentur, ruinas illas implebit, vel quemadmodum sua dispoſuerit sapientia.

Particulæ in elementis.

Existit tamen in contrarium argumentum huiusmodi. Illæ particulæ in rebus alijs latitantes, quas nomine cinerum theologi designant, non habent respectum magis peculiarem ad corpus humanum, quam ad quodcunque aliud: quoniam materia prima indifferens ad quamcunque formam existit: & formæ, quibus tunc illa materia continebitur, nullum habebunt ordinẽ ad humanum corpus: ergo corpora tũc non sunt censenda ex sua materia potiùs resurgere, quàm ex aliena quacunque: atque adeo non redibit idem corpus, vt supra dicebat Durandus.

Obiectio.

Diuus Thomas hoc loco sequitur opinionem Commentatoris in libro de substantia orbis, dicentis quod in materia sunt dimensiones interminatæ quantitatis, quæ quidem perpetuæ sunt, & sub quacunque forma eædem numero perseuerantes. Et ideo materia sub illis dimensionibus, sub quibus erat in corpore Petri, facit vt eadem redeat materia Petri.

S. Thom.

Illa verò Commentatoris opinio falsa est & inepta, quam ideo sanctus Thomas prima part. quæstio. 76. articulo 6. deseruit, nosque 1. Physicor. quæstione 6. pluribus expugnauimus: nam certè in composito nulla est quantitas præter illam quam forma eiusdem suppositi secum adfert. Cùm enim quantitas sit accidens, toti supposito, vt autor est Philosophus, tanquam subiecto ineſt: ponere ergo aliam quantitatem materiæ coæuam, est naturam quantitatis, quæ accidens est, ignorare: nullum enim accidens materiæ inesse potest nisi per formam. Itaque anima rationalis aduenies corpori priùs natura dat ei esse corporeum, per quod corpus fit quantitate aptum, vt inde fiat homo. Respondetur ergo ad argumentum, quod cum anima Petri dederit suo corpori quantitatem illi aptam, quæcunque forma in cadauere & deinceps succedat, semper materiæ particulæ seruant respectum ad eundem hominem ad hunc sensum, quod illæ particulæ, quæ in illo præfuerunt, ad eius postmodum instaurationem resumantur.

Commentatoris opinio falsa.

Solut. arg.

Ad secundum verò iam responsum est: quod non totum, quod per nutritionem in corpore fluit, resumetur, sed illud, quod est de veritate naturæ. Quare non resumetur tanta moles, quanta esset si omnia quæ per alimenta corpori accreuerunt, simul permansissent, sed illa quæ iustæ resurgentium staturæ congruens est. Neque verò propterea quod corpus humanum fuerit in carnes bouinas aut suillas versum, illorum brutorum animalium corpora resurgent, tum quod neque anima bruti partem illam resumet, tum quod neque illa caro resurget nisi sub forma humana.

Sol. 2. arg.

Ad ſecundũ abſurdum.

Ad aliud verò tertium absurdum respondetur, quod vbi vsu venerit, idem corpus humanum aut eandem eius partem in diuersis hominibus vixisse, inæqualiter tamen, nempe quod in vno plus illius corporis extitit, aut perfectius rationis speciei fuit particeps, eidem reddetur homini. Si verò æquè fuit in pluribus, respondet 22. de ciuitate Dei capit. 20. Augustinus, quod reddetur illa caro homini, in quo esse caro humana primitus cœpit: ab altero namque tanquam mutuo sumpta amputanda est, sed Deus supplebit id ipsum in alio ex partibus, quæ in ipso per nutritionem effluxerant, vel aliunde.

Ad tertium abſurdum.

Auguſt. reſponſio.

At verò de costa Adæ probè hic Diuus Thomas, & rursum 1. parte quæstione 92. articulo 4. ait, non extitisse in Adam tanquam indiuiduo necessariam, sed tanquam superfluam per modum seminis ad multiplicandam speciem: figmentum enim est hominum dicentium homines vna modò costa carere, vel saltem Adam vnam minus habuisse. Et ideo costa illa non est Adæ restituenda, vtpote quæ ad eius integritatem non spectet.

De coſta Adæ.

Solut. 3. arg.

Ad tertium itidem responsum est, quemadmodum paruulis ex aliena materia circunstanti supplementum sit adhibendum. Sed tamen existit in contrarium

argu-

argumentum: quia tunc non esset idem qui resurgeret. Nam si modò Petro paruulo quadruplo aut decuplo plus materiæ simul adhiberetur, vt non paulatim per nutritionem, sed subito staturam quadruplo aut decuplo maiorem acquireret, non videretur idem esse numero Petrus: ergo nec tunc. Respondetur ad antecedens, quod si id Deus faceret virtutem supplendo nutricis virtutis, negatur, quòd non idem maneret Petrus, secus si totam materiam, quam habebat, adimeret, atque aliam totam illi substitueret. Igitur cùm in resurrectione augmentum illud non faciat, nisi ad supplendum id, in quo natura defecit, non est existimanda natura Petri secundum substantiam mutata, sed potius perfecta.

De capillis. Sed & postremum argumentum, quod de capillis in contrarium obiecimus, secundùm ea quæ dicta sunt moderandum est. Resurgent enim homines cum capillis & vnguibus quatenus sunt ad ornatum necessarij, non tamen quatenus sunt naturæ superflui, vt Augustinus libro 22. de ciuitate Dei capitu. 19. ait. *August.* Est enim adnotandum, quòd natura & eius imitatrix ars vtitur instrumentis quibusdam necessarijs, quæ sunt de prima intentione naturæ, alijs verò ad ipsorum instrumentorum conseruationem, quæ non sunt de prima, sed de secunda intentione naturæ. Veluti prima intentio naturæ est fructus arborum germinare, secunda verò eosdem folijs contegere. Quare vuas, quæ tenerrimæ sunt amplioribus folijs protegit. Similiter ars militaris tanquam principali instrumento vtitur gladio, vagina tamen ad eius conseruationem. Pari ergo modo prima intentio naturæ est, partes tam essentiales hominis quàm organicas exequendis officijs animæ necessarias fouere, sicut cor, epar & alia similia: sed tamen veluti de secunda intentione adhibet capillos & vngues ad capitis digitorumque custodiam, pariter & ornatum. Qua de causa cum eiusmodi etiam particulis resurgent homines.

Obiectio. Quòd si arguas. Capilli & vngues sunt expulsiones naturæ, veluti vrina & sudor, aliaque id genus egestiones: istæ autem non restituentur: ergo neque capilli. *Dilutio.* Respondetur, bifariam naturam humorem egerere: vno modo tanquam omnino superfluum & ad nihilum iam vtilem, qui quidem humores in resurrectione non redibunt, sicut nec recisi vngues, nec capillorum tonsura, sed alios egerit humores non tanquam inutiles, sed tanquam illi, qui membris sunt emolumento & ornamento. Et ideo ait Augustinus, quòd non resumet homo capillos omnes, quos habuerit; sed quos decuerit, iuxta illud: *Aug. vbi supra.* Omnes capilli vestri capitis numerati sunt, id est, qui secundùm diuinam sapientiam sunt reparandi.

Dubium. Postremum denique huius articuli dubium, quod ad hanc rationem eiusdem corporis suscitandi pertinet, est, vtrùm non solum reliquiæ & cineres ad idem corpus redibunt in quo præfuerant, verùm & singulæ cinerum particulæ ad singulas corporum, vt quæ præfuerant in corde, redeant ad cor, & quæ in manu ad manum, & quæ in osse ad os. *Argum.* Arguitur enim hoc esse necessarium: quia vt Philosoph. 2. de anima autor est, sicut tota anima se habet ad totum corpus, ita & pars animæ, scilicet potentia, ad partem corporis, veluti visus ad pupillam oculi: ergo sicut vt idem resurgat corpus, requiritur vt ex suis proprijs pulueribus reficiatur, ita id ipsum requiritur, vt idem resurgat os, & idem caput, &c. nam materiæ diuersitas facit, vt non sit idem numero: Cum ergo non solùm requiritur, vt idem resurgat corpus, sed etiam vt eædem ei restituantur partes, colligitur, vt puluercs non solum ad idem corpus, verùm & ad easdem partes reducantur.

Item resurrectio, vt dictum est, ad id refertur, vt corpus, quod laboris fuerat particeps, sit etiam præmij & quod fuerat in causa culpæ, idem & supplicio plectatur: sed diuersis officijs diuersa seruiunt membra: ergo necesse est vt idem oculus eademque manus resurgat.

Dilutio dubij. Ad hoc per distinctionem partium respondendum est. Sunt enim in homine partes homogeneæ, id est, similares, eiusdemque rationis & figuræ, quales sunt partes ossis inter se, & partes inuicem carnis: sed aliæ sunt eterogeneæ, hoc est, dissimiles, vt os respectu carnis, & caput, si illud cum manu conferas. Igitur, vt idem resurgat os, necessarium videtur, vt ex suis proprijs puluerib⁹ resurgat, & similiter vt idem resurgat caput, manus, & cor. At verò quod particulæ, quæ erant superiores in osse, redeant vel in mediam, vel in inferiorem partem, non facit varietatem nisi in situ partium, per quam non mutatur substantia, sicut videtur mutari si ex partibus carnis fiat os, aut ex partibus ossis caro, aut ex partibus pedis caput. Tametsi Augustinus, tam in Enchiridio capit. 89. quàm 22. de ciuita. Dei, capit. 19, non tam anxiè respondeat, sed ait, quod quemadmodum statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquescere, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursum ex illa materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerat, restituta resumeret. ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet. Assertum ergo illud Aristotelis, sicut totum ad totum, ita & pars ad partem, intelligitur de partibus organicis & eterogeneis: nam in homogeneis licet vt eadem sit pars, requiratur eadem materia, non tamen idem partium situs. Postremum verò argumentum non ita multum efficax est: quoniam meritum aut demeritum non est membri, sed totius hominis, quare sat est vt illud recipiat corpus ad sensum tam expositum.

August. responsio. *Aristotelis assertum.* *Arg. postremum.*

ARTICVLVS III.

Vtrum cuncta prorsus hominis membra ac perinde humores debeant homini resurgenti restitui.

QVAMVIS ex artic. proximo, quò definitum est, quicquid est de veritate naturæ fore recuperandum, colligatur omnia membra & humores debere restitui, ad maiorem tamen rei explicationem arguitur à parte negatiua. Amoto fine remouetur medium, quòd ad illum refertur: post resurrectionem autem multorum membrorum vsus cessabit, vt quæ sunt virtuti generatiuæ & nutritiuæ deputata, quia illic neque nubent, neque vlla erit indigentia cibi: ergo membra illa non restituentur. *Partis negatiuæ arg. 1.*

Secundò. Sanguis non redibit, quia vt habetur 1. ad Corinth. 4. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: ille autem inter quatuor humores primatum obtinet: ergo humores illic corporibus non reddentur. *2. Arg.*

In contrarium est, quod membra & humores sunt de veritate humanæ naturæ: quocirca absque illis non idem corpus vere resurgeret. *Pars affirmatiua.*

Ad explicationem quæstionis huius distinguere primum oportet inter membra: nam alia sunt, quæ homines integri & absque vllo naturæ defectu nati sortiti sunt, atque in totam vitam conseruarunt: alia verò, quibus vel defectu naturæ truncati geniti sunt, vel morbo aliquo aut casu viuentes orbati. Rursus & inter electos & reprobos sunt qui hac parte distinguant. *Decis. art.*

Duabus igitur conclusionibus respondendum est. Prima. Electi & pij proculdubio cum omnibus suis membris, quæ ad integritatem naturæ spectant, sunt vitæ restituendi. *Probatur.* Dei perfecta sunt opera: resurrectio erit diuinum opus: erit ergo perfectum. Præsertim in beatis illis & fœlicibus, quos in vitam æternam suscitabit: non autem esset perfectum opus nisi homo qualis suapte natura gignitur resurgeret: natura autem ad sui perfectionem exigit omnia membra & organa: ergo cum illis resurget. *1. Concl.* *Ratio.* Probatur hæc postrema præmissa. Anima quippe non solum est forma corporis, verùm & finis, propter quam homo creatur, & præterea efficiens causa, quæ illum gubernat: vnde Philosophus 14. de animalibus habitudinem corporis ad animam censet, vt artificij ad artem: & ideo corporis membra organa dicuntur animæ. Quapropter sicut in artificio elucet virtus artis, ita & cuiuscunque membri figura & compositio repræsentat virtutem aliquam animæ, in qua tanquam in origine & radice insunt omnes virtutes membrorum motrices. Igitur quemadmodum res per artem fabricata non esset perfecta, nisi omnem virtutem, quæ continetur in arte demonstraret, ita neque esset perfectus homo, nisi omnes animæ virtutes & vires emicarent in corpore: neque verò corpus esset perfectum, & animæ satis coaptatum, nisi omnium membrorum integritate consummatum esset. Cum ergo homines, saltem insti, atque adeò eorum corpora debeant in naturali perfe-

Probatio.

ctione

ctione resurgere: quia resurrectio hæc corporum fit propter animam, propter quam condita sunt, consequitur, vt debeant omnes, saltem electi, cum integro membrorum ornamento resurgere. Et ratio hæc conclusionem ipsam elucidat. Intelligitur quippe de omnibus membris, siue illa habuerint, siue illis orbati fuerint. Itaque tam qui nati fuerint seu cæci, seu claudi, seu quocunque alio membro mutili, quàm qui integri in lucem prodierint, etiam si aliqua postmodum amiserint membra, integri & perfecti resurgere debent. Et confirmatur inde præterea, quia alioqui appetitui animæ ad corpus non fieret satis, quem tamen Christus in resurrectione sanabit.

Conclusio exponitur

Cæci, claudi & mutili.

Ratio 2.

Secundò probatur conclusio. Si aliqua corporis ruina & defectus esset in resurrectione, ille proueniret aut ex defectu virtutis agentis, quam ob causam solent procreari monstra, aut ex defectu obedientiæ materiæ: sed neuter huiusmodi defectuum illic erit, quia virtus illic efficiens erit supranaturalis Dei, cui nihil resistere potest: in materia verò nihil erit requisitum, quod ex causis naturalibus pendeat: neque in probis, quicquid sit de reprobis, alia potest inueniri causa, quæ absolutè membrorum perfectioni obstet: ergo omnia resurgent perfecta.

Ratio 3.

Tertiò. Illa resurrectio erit opus peculiare Dei, quemadmodum prima rerum creatio: sed non solum hominem, verùm cuncta, quæ de nihilo Deus condidit, in sua protulit absoluta perfectione: ergo illa naturæ reparatio ex pulueribus perfectissima erit secundùm naturam.

Ratio 4.

Quarta ratio & ex beneficio Christi colligitur, cuius gratia, vt ait Paul. illic abundauit, vbi abundauit delictum Adæ, vniuersi namque defectus & deformitates, quas in corporibus patimur, de præuaricatione Adæ & originis labe nobis obueniunt: ergo omnes illos defectus, & quas fecimus in Adam iacturas, & quas in nobis natura corrupta fecit ruinas, reparabit Christus in suis membris, quæ certè instar resurrectionis ipsius nostri capitis resurgere habent, iuxta verbum Pauli ad Philipp. 3. Configurabit Christus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: quod tamen integerrimum surrexit.

Ratio.

Iam verò si hominem, qui in hoc terreno seculo vitam erat ducturus, tam pulchrum Deus in prima creatione effinxit, illos, quos velut cœlorum ciues refecturus est, quosque dotibus gloriæ insignire proposuit, vt vna secum ceu eius aulici perpetuo eius conspectu fruerentur, ambigere nefas est, quin sit vniuersos absolutissimos secundum naturam in vitam reuocaturus. Erunt enim illi verè beati, & vt ait Aug. 13. de Trinit. Beatus est qui habet quicquid vult, & nihil mali vult.

Obiectio.

Sed arguitur contra. Vsu sæpe venit, vt alicui propter furtum, aut propter aliquam illatam iniuriam auris, manus, vel aliud membrum abscindatur: ergo illud membrum illi non restituetur, quia propter illud quod patrauit malum, non est ei restituendum bonum.

Dilutio.

Respondetur autem, vt dictum est, merita aut demerita non esse membrorum, sed suppositi, cui ideo si pœnitentiam egerit, restituetur ad præmium, sin minus, ad supplicium.

August. sententia.

Sententia est præterea Aug. 22. de ciuit. cap. 19. & in Enchirid. cap. 87. & 91. vbi ait, quod nulla vitiata corpora sunt sanctorum resurrectura, sed correcta emendataque natura. Vnde illud, inquit, monstrum, nempe bimembris homo, quem Hieronymus in Oriente natum refert, quia duplex erat, duoque coniuncti, non vnus resurget, sed duo seiuncti. Si autem non fuissent perfecti duo, sed vnus cum vna anima, quale monstrum ego vidi, ex cuius vtero homuncio alter excepto capite integer pendebat: non resurget nisi vnus.

Monstrum.

Quid autem de martyribus, qui membris truncati sunt, vtrùm sint absque illis resurrecturi, vt amputatio illa sit eis sicut stigma gloriæ & aureola sui triumphi? August. eod. 22 lib. cap. 20. respondet, quod non erunt absque illis membris. Non enim posset illa mutilatio non esse corporis vitium, alioqui qui capite truncati essent, deberent sine capite resurgere. Veruntamen extabunt in eorundem membrorum articulis gladij cicatrices effulgentes super omne aurum & lapidem pretiosum, veluti cicatrices vulnerum Christi.

De martyribus.

De reprobis autem, vtrùm membris integris resurgent, August. in Enchirid. cap. 92. definire recusauit, quamuis id de electis capit. præcedenti sanciuerit: sed ait, vtrùm cum vitijs & deformitatibus suorum corporum resurgant quicunque in eis vitiosa & deformia membra gestarunt, inquirendo laborare quid opus est: Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo & pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Durandus verò distinctione præsenti quæstione 2. per distinctionem respondet. Ait quippe in homine quasdam esse partes de essentia, sine quibus esse homo nequit: & cum istis certum est damnatos quoque resurrecturos fore. Sed alia sunt de integritate, quæ non sunt simpliciter de essentia, vt manus, pes, oculus, &c. sine quibus viuere quisque potest. De istis ait, quod si damnati cum omnibus suis membris fuerint orti, neque in vita morbo aliquo vel casu illa perdiderint, resurgent eo modo, quo de hac luce migrarunt: sin verò abiq; aliquo membro vel cum aliqua deformitate vel nati, vel defuncti sunt, ab illa non liberabuntur, sed cruci resurgent, vt illud quoque vitium perpetuo patiantur. Ratio eius est, quia reparatio illa naturæ in resurrectione ad illum finem refertur, vt retributionem recipiant diuersam: boni scilicet vitam æternam, & damnati supplicium æternum, vt habetur Ioan. 5. Reprobi autem nullam fœlicitatis retributionem accipient, ergo non est cur eorum natura præclarius reparetur, quam ceciderat. Et confirmatur, quia sicut probis nihil deerit, quod ad fœlicitatem æternam pertineat, ita nec miseris quicquam deficiet, quod ad eorum miseriam in vita præsenti attinebat: quare illa vitia non sanabuntur. Et tertio arguitur. Resurrectio illa futura est per gratiam Christi, quæ antidotum fuit peccati Adę: ergo sicut Adam per mortem animæ lapsus est in miserias corporum, ita Christus nullis corporum vitia sanabit, nisi quibus vitam restituet animæ.

Durandi responsio.

Ratio Durandi.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ad hoc autem, vt luculentius respondeamus, distinguendum de vitijs corporum est, quæ in triplici sunt differentia. Prima est membrorum orbitas, atque alia ipsorum turpis inepraque positio, & corporis habitudo deformis, vt sunt homines obesi, gibbosi, alijsque tortuosis membris corporis compositi: & tertia morbositas, vt lepra, febris, &c. Et quidem D. Thomas distinctione præsenti, quæstione tertia, artic. primo, & Ricar. atque alij primam vitiositatem in dubium non reuocant, sed plane affirmant, illam non esse in damnatis futuram, imò omnes suis membris integri resurgent. Neque D. August. vt illic Diuus Thomas insinuat, videtur hoc in dubium reuocasse, sed de alijs deformitatibus aliorum generum ambiguit. Quod enim etiam miseri cum omnibus suis membris reuiuiscere debeant, probatur: quia resurrectio erit quædam naturæ reparatio per supranaturalem virtutem Dei tanquam autoris naturæ: cùm ergo Dei perfecta sint opera, naturam, quam integram creauit, integram reparabit sine respectu ad culpam: si verò membro aliquo careret, non esset integra.

Deformitas triplex.

Opin. S. Th.

Damnati cum omnibus membris resurgent.

Et ad maiorem explicationem arguitur secundò. Resurrectio Christi bifariam fuit nostræ causa, vno modo quantùm ad instaurationem naturæ, atque altero quantùm ad dotes gratiæ: in reparatione ergo naturæ respectus duntaxat ille habendus est, quòd quemadmodum ipse naturam, quam assumpsit, in vitam restituit, ita & vniuerso humano generi sua corpora integra tribuet. Absurdum enim esset dicere, quod damnati deberent cum tanta monstruositate resurgere, quanta in monstris esse solet.

2. Argum.

De alijs verò vitiorum generibus, de quibus Aug. hęsitauit, sunt qui affirment cum illis fore calamitosos illos suscitandos, propter rationes Durandi. At verò Diuus Tho. doctius profectò contrarium, vt probabilius affirmat: quoniam in reparatione resurgentis corporis potiùs consideratur naturæ terminus & perfectio, in quam restituitur, quàm eius conditio quæ in ipsa præfuerat. Vnde etiam perditi illi reprobi, qui ad perfectam ętatem nondum in vita peruenerunt, in illa sunt ætate, vt beati resuscitandi.

De alijs deformitatibus. S. Thom.

Sed claritatis gratia sic aliter arguitur. Vniuersi absque vllo naturæ defectu essent in resurrectione instaurandi, nisi in pœnam peccati illi defectus redirent: sed in pœnam peccati non redibunt: ergo resurgent sine illis defectibus vt beati. Probatur minor. Pœna secundùm culparum mensuram & quantitatem infligenda est: vsu tamen creberrimè venit, vt qui in hac vita minora commiserunt crimina, plures morbos aliasque ærumnas, & calamitates corporis sint perpessi, & è conuerso qui grauissimis se sceleribus compliciuerunt, nulla eiusmodi corporum vitia fuerint experti:

Aliud arg.

tunc ergo si damnati deberent cum vitijs corporum quæ habuerunt resurgere, illi defectus non tam responderent quantitati culpæ, quàm pœnæ, quam in vita fuerant perpessi, atque adeò pœna non infligeretur pro culpa, sed pro alia pœna, quod ratio æquitatis diuinæ non fert: si ergo illi defectus non sunt redituri in pœnam culpæ, consequitur, vt nullatenus sint reuersuri. Resurgent tamen illi nequam cum illis defectibus qui ex naturalibus principijs humanis corporibus insunt, nempe cum passibilitate, & opacitate, & pondere, & ignobilitate, & obscuritate, atque alijs, quæ in beatis per dotes gloriæ sunt excludenda. Quomodo autem resurgere habeant in corporibus incorruptibilibus absque dote incorruptibilitatis, & quomodo sint futura incorruptibilia, sed passibilia, dist. 50. vbi de eorum supplicijs agendum est, nos manet dicendi locus.

Nota.

Sol. 1. arg. Durand.

Et per hæc ad primum argumentum Durandi respondetur: conceditur enim resurrectionem illuc referri, vt vnusquisque retributionem accipiat: nihilominus damnati non recipient corporum defectus tanquam suorum delictorum supplicia. Imò ob hoc recipient omnia membra, vt in omnibus puniantur, licèt aliquibus in vita caruerint, quia supplicium non debetur membris, sed toti supposito. Quare illa restitutio membrorum non pertinebit ad eorum fœlicitatem, sed ad eorum miseriam. Et hoc est, quod ait Paul 1. Cor. 15. Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Etenim qua ratione damnati resurgent in incorruptione, vt perpetuò puniantur, resurgent suis membris integri, vt in omnibus crucientur.

Sol. postremi arg.

Ad postremum autem respondetur, quod illa vniuersalis resurrectio corporum in suam integram naturam non fiet per gratiam gratum facientem, per quam Christus collaturus est gloriam peculiariter iustis, sed per gratiam quasi gratis datam, non singulis personis ob sua merita, sed totæi naturæ, vt sistatur ante tribunal Dei: quare sicut illi etiam, qui non fuerunt mundati ab originali resurgent, ita omnes resurgent integri.

Intestina an vacua resurgent.

De intestinis autem videtur scrupulus hinc emergere: haud enim vacua restituentur, quia vacuum abhorret natura: quod autem plena immundis & turpibus egestionibus resurgant, fœlicem illum statum minimè decet: non ergo restituentur. Respondetur autem, quòd restituentur in beatis plena non illis turpibus egestionibus, sed decentibus alijs humiditatibus. Vnde Aug. In interioribus, inquit, visceribus quæ nullum decus modò videntur habere, ita pulchritudo rationis delectabit, vt omni formæ apparenti, quæ oculis placet, secundùm mentis iudicium referatur. In damnatis verò nil mirum si fœtidis egestionibus oppleta redeant: siquidem illæ naturales sunt.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur principale argumentum respondetur, quòd corpus ad animam bifariam refertur, vno modo tanquam materia ad formam, & tunc finis corporis atque membrorum non est operatio, sed esse speciei perfectum. Qua vtique ratione quamuis nulla futura esset operatio, necessaria nihilominus erat integra membrorum compago ad complementum speciei. Secundo modo refertur tanquam instrumentum ad agens. Et hoc pacto quamuis finis eius sit operatio, nihilominus membrorum compositio non est sine operatione frustranea: quoniam seruit ad ostendendum virtutem ipsius agentis, nempe animæ, quæ vim habet cuncta mouendi, veluti ars musicum instrumentum. Et ideo quamuis illic neque vllus nubet, neque nuptui tradetur, erunt nihilominus vtriusque sexus instrumenta, vt paulo pòst videbimus, atque adeò virtutum nutritiuæ & augmentatiuæ organa.

2 Concl.

De secunda parte articuli, nempe de humoribus, secunda similis subiungitur conclusio. Humores omnes & humiditates, quæ ad vitæ etiam mortalis necessitatem & integritatem spectant, erunt in resurgentibus. Quoniam licet vita illa deinceps supranaturalis sit, nihilominus erunt veri homines, quales natura producit. Est ergo ad huius perspectionem de humoribus distinguendum. Et primò inter humores & humiditates Physici distinguunt, quorum est Auicenna lib. 10. de animalibus capit. De humoribus & humiditatibus. Humoris enim nomine censentur illi, qui in præcipuis venis sunt inclusi, habentque determinatam formam, secundùm quam licet disgregati sint, connumerantur tamen cum partibus corporis, vt sanguis, chollera, melancholia & phlegma, qui ad hominis veritatem & integritatem spectant, atque adeò instaurabuntur in illa mensura, quæ ad optimam corporis valetudinem conferunt. Humiditates verò sunt, quæ per minores venas & arterias diffluunt. Quæ vtique humiditates in triplici sunt differentia. Quædam enim sunt in recessu a perfectione, quas quidem natura ceu nocuas pellit, quales sunt vrina, sudor, sanies, atque aliæ huiusmodi: & istæ locum in resurrectione non habent, quia ad veritatem naturæ potius eorum expulsio attinet, quàm retentio. Aliæ verò sunt, quæ quamuis in indiuiduo redundent, pergunt tamen ad conseruationem speciei, seu ad generationem, vt semen, seu ad nutritionem vt lac, & neque istæ redibunt: quia ad indiuiduorum perfectionem non spectant. Tertij generis humiditas est in transitu & via ad aliam formam, quæ scilicet ex nutrimento in substantiam aliti commigrat. Quæ sunt etiam in triplici gradu: nam substantia, quæ ex alimento gignitur, in principio viæ vocatur ros, qui per capillares venas dispergitur: in medio verò cùm albescit, vocatur cambium: sed in fine dum in substantiam aliti iam est versa, vocatur gluten. Igitur cùm sola veritas naturæ debeat resurgere, sola humiditas in tertio gradu resurget, quia est pars corporis. Reliquæ verò duæ priores minimè: quoniam deinceps nulla opus erit nutritione, neque illius virtutis officio, sed partes erunt constabilitæ & firmæ. Quare neque in stomacho erit nutrimentum, sed erit plenus vel aere, vel alia incorruptibili substantia, vt de intestinis dictum est.

Humiditas triplex.

Humiditas tertij generis triplex est.

Sol. 2. arg.

Ad secundum deinde argumentum respondetur, quod nomine carnis illic Apostolus & sanguinis non intellexit nisi opera quæ carnis suggestione fiunt, vel vt libro 2. retractat. & in epist. ad Consentium ait Aug. negat Apostolus illic fore carnem & sanguinem corruptioni subiecta, vt sunt in hac vita. Quare neque humores ad id resumendi sunt, vt quod per calorem deperditur reficiant, sed quemadmodum de membris dictum est, seruient integritati naturæ, & ad ostendendum animæ virtutem.

Obiectio.

Quod si redarguas, Negatum est humiditates illas sub forma roris aut cambij reuersuras corpori, quamuis illas in obitu habuerit, propterea quòd sunt in via ad nutritionem, cui tunc non dabitur locus: sed sanguis alijque tres humores sunt pariter in via ad nutritionem: ergo non redibunt. Respondetur ad minorem, aliter humiditates illas esse in via quàm humores istos: nam illæ sic sunt in via, vt non habeant determinatam formam, sed imperfectam. Humores autem habent determinatam formam veluti ossa & caro. Vnde sicut elementa, quamuis sint in via generationis respectu corporum, quæ ex illis commiscentur, nihilominus quia habent formas determinatas & perfectas, perdurabunt post resurrectionem, ita & quatuor humores, qui elementis respondent.

Dilatio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum omnes in ætate iuuenili resurgent.

POSTQVAM de veritate & integritate corporum dictum est, sequitur vt de ætate & statura resurgentium dicamus. Et quæritur primò, vtrùm omnes in ætate iuuenili sint resurrecturi. Et arguitur à parte negatiua. Deus resurgentibus, si beatos præcipuè contemplemur, nihil subtrahet, quod ad eorum pertinet perfectionem: sed ætas venerandæ senectutis plurimum perfectionis affert, iuxta illud Prouerb. 16. Corona dignitatis senectus, ergo qui senes obierunt, in ea ætate resurgent.

Pars negatiua arg. 1.

Secundò arguitur. Si omnes in eadem ætate deberent resurgere, consequens fieret, vt in eadem quoque quantitate & corporis mole deberent resurgere: quia quantitatis habitudo ætatem plurimùm sequitur, eo quòd corpus per temporis cursum adolescit: non autem omnes resurgent in eadem molis quantitate & statura: quoniam dimensio hæc quantitatis conditio est indiuidui, sicut & vultus effigies atque aliæ corporis habitudines, quibus indiuidua inter se discrepant: quare ad veritatem indiuiduorum attinet vt has habeant diuersas effigies: ergo neque omnes in eadem ætate resurgent.

2. Arg.

In contrarium autem est illud Apostoli ad Ephes. 4. Donec omnes occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Pars affir.

Humoris & humiditatis discrimen.

Bimembris est quæstio, quæ duas proinde conclusiones postulat. Ad priorem enim partem vniuersalis omnium responsio circumfertur affirmatiua, quæ sit prima conclusio: scilicet, Omnes resurgent in ætate iuuenili. *1. Concl.* Sed re vera locus proximè citatus Pauli id non satis comprobat: quoniam illic Apostolus de perfectione spirituali loquebatur corporis mystici, quod est Ecclesia, & non de corporea ætate aut quantitate. Ait quippe, Christum quosdam dedisse Apostolos, quosdam Prophetas, & alios Euangelistas, &c. in ædificationem corporis Christi nempe mystici, donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitione filij Dei, sed quia Ecclesia non vtcunque ad hanc fidem progressura est, sed vsque ad robur & firmitatem, persequens analogiam de corpore, confert robur & perfectionem fidei, quam est habitura Ecclesia cum virium firmitate, quæ est in virili corpore, dicens, Donec occurramus in virum perfectum, hoc est, dum secundum animam ad eam virtutis copiam pertingamus, quæ est in viro perfecto. Et quoniam complementum perfecti viri illa ætas adfert, in qua Christus mortuus est & resurrexit, componit simul in virum perfectum & in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *In virum perfectum.* Vnde sicut dicens, in virum perfectum, non insinuat corporeum sexum, quasi in virili debeamus omnes resurgere, vt illico dicturi sumus, ita nec per ætatem Christi designat ad literam, quòd omnes debeant in illa ætate resurgere, sicut neque in eadem statura. Et hanc expositionem insinuat primum August. 22. de ciuit. Dei cap. 15. Subiungit autem, quòd si de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, vt nec vltra nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ætate & robore, vsque ad quam hic Christum peruenisse cognouimus. *Argum.* Vixit enim vsque ad tertium mensem anni trigesimi tertij. *Christi vita.* Quos vtique annos doctissimi homines definierunt esse iuuentutem. Decurrit enim iuuentus, vt distin. 27. dicebamus ab anno 25. vsque ad quadragesimum, cuius medium attigit Christus. Et quamuis virilitas, vt à iuuentute distinguitur, non incipiat nisi ab anno quadragesimo, nihilominus illico à trigesimo habent homines ætatis complementum, vt dicantur viri perfecti.

Adfertur ergo autoritas Apostoli ad hoc propositum propter ætatis accommodationem ad perfectionem in qua homines debent resurgere. *Ratio.* Enimuerò cùm resurrectio, vt diximus, opus sit futura Dei, tanquam tunc instaurantis naturam instar illius, quam in protoplasto Adam condiderat, sit vt sit illam reparaturus non solum absque omni vitio & deformitate naturali, verùm omnino perfectam & absolutam: tunc autem natura illud obtinet complementum, dum medium attingit iuuenilis ætatis. *Notà.* Bifariam enim natura ab illo complemento deficit: vno modo quia nondum illud attigit: videlicet, quando est in infantia, pueritia vel adolescentia; alio modo quando ab eadem perfectione recedit, scilicet quando inclinat in senium. In illa tamen ætate inter triginta & quadraginta annos natura persistit in illo quod iustum est, quantum ad corporis tum vires tum pulchritudinem, atque alia ornamenta. *Adam eius ætatis creatus.* Vnde & coniectura fit in eadem prorsus ætate fuisse Adam creatum, vt naturæ recreatio per mortem Christi, & instauratio per generalem resurrectionem primæ eius institutioni respondeat.

Ad hæc item accedit, quòd cum in resurrectione appetitus, qui ex natura promanat, satiandus sit omnibus æqualiter: & anima illud corpus appetat, quod ad perfectum peruenit, si infantes & pueri in illa tenella ætate resurgerent, essent perpetuò illa perfectione priuati, quod quidem natura sua eorum fœlicitati derogare videretur.

Obiectio. Sed arguat quis forsan. Quanto aliquid prius fuit in homine, tanto videtur plus ad veritatem humanæ naturæ accedere, quia est propinquius suo principio: pueritia verò priùs aduenit homini quàm iuuentus: ergo plus attinet ad veritatem naturæ, vnde Philosoph. 1. de generat. senium propter eius debilitatem diluto vino comparat: ergo potiùs in pueritia quàm in ætate iuuenili resurgent. *Dilutio.* Respondetur, quòd in pueritia virtus speciei ob id quodammodo perfectior censetur, quòd est ad digestionem alimenti efficacior, quia ætas illa plutis indiget ad augmentum alimenti. Iuuentus tamen simpliciter est perfectior, quia tunc species ad complementum peruenit. Et eadem ratione senes, si in illa ætate resurgerent, essent quasi suo naturali affectu frustrati. Naturaliter enim omnes cupiunt in illo flore iuuentutis viuere, tristanturque dum inde recedunt. nam senectus genus quoddam morbi & infirmitatis est, sicut & infantia & pueritia imbecillitatem quandam & debilitatem habet adiunctam. Quare neque ad munera publica infantes & pueri admittuntur. Atqui ad hanc rem, quæ ad naturam pertinet, non est habenda ratio maioris minorisve meritorum cumuli, qui ex gratia procedit: illa enim remunerabuntur per gloriam, sed solum habetur ratio naturæ, quam Deus æqualem tum condidit, tum & instaurabit. Quapropter & damnatos quoque credendum est in eadem ætate corpora resumpturos.

Obiectio. Quòd si arguas. Ætatem temporis cursu & lapsu metimur: tempus autem, quod in hoc seculo dilabitur, non redibit: ergo neque ætas. *Dilutio.* Respondetur, quòd non dicitur reditura ætas, propterea quod tunc habebunt tot aut tot annos, sed quod redibit corpus in illo flore & habitudine & pulchritudine, quæ inesse solet corporibus, dum illam in hoc seculo agunt ætatem. *In damnatis.* Quanquam in damnatis fulgor ille floris & pulchritudinis per nebulam nigrantis ignis contenebrescet.

Salus. ad arg. Ad primum igitur argumentum principale respondetur, senectutis effigiem non esse venerandam propter corporis habitudinem, sed quia documentum est & testimonium prudentiæ & sapientiæ, aliarumque virtutum, quæ in senibus vigent, iuxta illud Sapient. 4. Senectus veneranda est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. In altero verò seculo non opus est sapientiæ aut virtutum corporeo testimonio, quia vnumquemque illud manet præmium, quòd ei Christus secundùm meritorum mensuram, quæ ex sua gratia processerunt, vnicuique palam retribuet. Et præterea qui in hac vita disciplinarum sibi peritiam comparârunt, & prudentia prædicti fuerunt, easdem disciplinas & sapientiam retinebunt, quas in sexaginta vel centum vel pluribus annis nacti fuerint, iuxta verbum Hieronymi in epistola ad Paulinum. Ea discamus in terris, quorum scientia nobiscum perseueret in cœlis.

2. Concl. De secundo quæstionis membro subiungitur secunda conclusio. Non omnes eiusdem quantitatis resurgent, sed secundùm staturas diuersas. Conclusio est Augustini in Enchiridio cap. 90. & libr. 22. de ciuit. Dei cap. 20. quam transtulit Hugo capit. decimoquinto. Illum quippe Hugonis tractatum de resurrectione ob id non citamus, quod ad literam eum ex Augustino in Enchiridio & libris de ciuita. Dei transscripsit. Ratio autem est, quòd in resurrectione non tantùm recuperanda est perfectio speciei, verùm etiam indiuidui cuiusque: species autem habet aliquam quantitatem, vltra quam progredi non potest: nam vt autor est 2. de anima Philosophus, vnicuiq; speciei præscriptus à natura est certus terminus augmenti & decrementi, quæ tamen quantitas non consistit in puncto indiuisibili, sed in quadam latitudine, vt sint homines alijs alij maiores aut minores, graciliores, aut pinguiores, secundùm diuersam complexionem & caloris vim ad dirigendum. Et præterea secundùm qualitatem alimenti, quod ad augmentum aptius esse potest aut ineptius. Imò & regionis solum & aër ad id confert. *Notà.* Resurget ergo vnusquisque in ea statura & corporis mole, ad quam natura neque errans, neque prohibita hominem proferret dum ætatem ageret iuuenilem. Quare quod cuipiam deerit, Deus supplebit aut ex illa materia, quæ à paruulo illo per digestionem elapsa fuerat, aut aliunde. Si autem superexerit, tanquam superfluum relinquetur.

Argum. Quòd si arguas. Forma humana eiusdem speciei est in omnibus, & terminus augmenti vel decrementi conuenit indiuiduis ratione formæ: ergo natura non errante idem in cunctis erit. *Solutio.* Respondetur ad minorem, quod quantitas augmenti, non solum ratione specificæ formæ, sed ratione eiusdem formæ in tali indiuiduo conuenit, & ideo est diuersa. Sed redarguet quis fortè. Statura & quantitas resurgentium non respondebit virtuti naturali, quæ in multis impedita est, sed virtuti supernaturali, quæ erit causa resurrectionis: illa autem erit eadem: ergo effectus quantitatis idem. Ad hoc iam responsum est, quòd illa quantitas non respondebit naturæ erranti aut impeditæ, sed illi si non impediretur: nam licèt virtus diuina sit eadem, non tamen tunc operabitur per modum naturæ, sed

spontaneè reparando naturam in illo statu, ad quem ipsa sana & valida peruenisset.

Ratio secunda conclusionis. Confirmatur conclusio: quia staturæ diuersæ ac diuersi vultus, & facies hominum, & corporum variæ habitudines, perinde ad pulchritudinem humani generis conferunt, atque voces diuersæ in musica, quarum consonantissima varietate harmonicus concentus suaue resonat: erunt ergo in corporibus resurgentium & staturæ variæ, & vultus & corporum habitudines.

Obiectio. Quòd si arguas. Staturæ hominum in diuersis seculis & ætatibus mundi fuerunt plurimùm distantes: fertur enim Adam & qui diluuium anteceſſerunt mortales gigantæa corpora habuisse, vt Geneſ. 6. legitur, propterea quòd tunc fructus terræ fortiori vigebant virtute ad vegetandos augendosque homines: quin imò & à diluuio vsque ad Abraham gigantes erant, vt Nembroth, & sui, quibus postea Philistijm succeſſerunt: in illa ergo statura erunt homines illi suscitandi; non tamen apparet pulchritudini consonum, quòd sint in cœlo alij alios tanta proceritate superantes: præsertim cùm Christus caput nostrum ab illa longo interuallo defecerit.

Vultus & habitudines corporis. Item quantum ad vultus & habitudines corporum si debent varietate discriminari, scisitatur, vtrùm vnusquilibet eam debeat habere corporis effigiem & compositionem, quam habuit in hoc seculo: nam sunt plurimi nimium deformes, qui si tales resurgerent, oculos offenderent: si verò aliter sunt effigiandi, non apparet quænam sit in variandis formis & figuris corporum seruanda ratio.

Sol. prima obiectionis. Ad primum respondetur, quod re vera gigantæa statura, dum modo non fuerit monstrifica, restituenda est illis qui eam habuerunt, quia & hoc ad veritatem indiuidui spectat. Et quamuis Christus illam non attigerit, non ideo quidpiam absurditatis res habebit quamuis alij sint proceriores ipso. Gigantes autem qui vitio naturæ ad proceritatem immodicam adoleuerunt, reformabuntur, sicuti neque erunt Pygmæi, neque exigui homines, in quibus natura ob vitium aliquod defecit, sed cuncta Christus supplebit

De vultu. Quantum verò ad effigies & formas respondetur, quod vnusquisque recipiet quam habuit effigiem, ab omni tamen deformitate puram & collimatam, vt nullus sit gibbosus, aut claudus aut luscus, obesus aut macer, aut aliquam habens in ore deformitatis notam. Veruntamen tales erunt, vt possint dignosci eos esse qui in hoc seculo vixerunt. Et similiter dicendum est de coloribus, non enim necesse est, vt omnes aut rufi aut albissimi resurgant, sed ea erit colorum varietas, vt venustati & pulchritudini nihil officiat. Quare Æthiopes non sunt credendi nigri resuscitandi, aut Insulares suppallidi, saltem pij & iusti: nam ille color, vt qui ex nimia exustione solis prouenit, vitio naturæ tribuitur. In summa, nullus in beatis reliquus fiet color, qui non sit nitidus, splendoriqué & doti claritatis aptissimus. De impijs autem iam dictum est.

De coloribus.

Sol. 2. arg. principalis. Ad secundum igitur argumentum respondetur, discrimen esse inter ætatem & staturam, vt illa debeat esse eadem, hæc verò minimè: quoniam cùm tempus indiuidua ad illum articulum perducat, quo natura speciei venustior est festiuiorque, atque adeò perfectior, congruens est vt omnes in illo statu resurgant. At verò quoniam illic diuersitas est indiuiduorum, diuersaque corporis statura & habitudo quæ ad speciei pulchritudinem confert, non est cur non eadem diuersitas in resurgentibus eluceat.

ARTICVLVS V.

Vtrum omnes in sexu virili cum animali resurgent.

Partis affir. 1 Arg. SEQVITVR tandem de sexuum discrimine & animali virtute, vtrùm in resurrectione redibit. Et arguitur quòd omnes in sexu virili resurgent. Primò, quia omnia vitia, vt dictum est, defectusque naturæ resarciendi sunt, fœmineus autem sexus præter intentionem naturæ occasione & defectu virtutis formatricis in semine, quæ non potuit fœtum ad perfectionem virilem perducere, nascitur, vt 16. de animalibus autor est Philosophus, vbi ideo fœminam occasionatum marem appellat: atque adeò 1. Physicorum ait, quòd sicut fœmina virum, ita materia appetit formam, nempe tanquam res imperfecta suam perfectionem.

2. Arg. Secundò. Si sexus illic vterque resurget pari ratione & vita animalis locum habebit: scilicet tam virtus nutritiua & augmentatiua, quàm generatiua: omnes autem illæ erunt superfluæ: quia vt ait Christus Matthæi 25. in resurrectione neque nubent, neque nubentur (vt verbo euangelico vtamur) & eadem ratione neque comedent, neque bibent: omnes ergo virtutes erunt superfluæ, quod non est Deo autori tribuendum.

Pars neg. In contrarium est, quòd Deus vtrumque sexum, vt Gene. secundo legitur, tanquam de necessitate naturæ creauit: in instauratione ergo eiusdem naturæ vtrumque restituet.

1. Cond. Bimembris, vt superior, est præsens articulus expeditionis facillimæ, qui ideo duabus conclusionibus erit contentus. Prima. Vterque resurget sexus. Conclusio est Augustini 22. de ciuitate Dei cap. 17. Dubitatiuncula enim hæc inde ortum duxit quod ait Paulus ad Ephesios 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum: inde enim quidam comminisci cogitarunt, fœmineum sexum in resurrectione in virilem euasuruna. Ait verò Augustinus veriùs eos sapere qui vtrumque sexum resurrecturum non dubitant. Deus enim qui vtrumque instituit, vtrumque restituet. Et verbum Pauli non refertur ad sexum corporis, sed ad animi robur & virtutem fidei: loquitur enim illic de corpore mystico Ecclesiæ, quoad perfectum influxu Christi prouehendum, vt paulò ante dicebamus. Ratio autem conclusionis est, quàm proximè explicuimus. Est enim restituenda integra natura non solum quantum ad veritatem speciei, sed quantum ad veritatem & naturam cuiusque indiuidui: vir autem & fœmina quamuis eiusdem sint speciei, pertinent tamen ad veritatem naturæ indiuidui, vt de diuersa quantitate & statura proximè dicebamus, diuersa enim quodammodo est complexio & virtus seminis ad progignendum masculum, quàm ad gignendum fœminam: & ideo sunt membra tam generationi quàm nutritioni fœtus diuersa.

In virum perfectum.

Ratio conclusionis.

Ratio 2. Secundò, quia & ad naturam speciei illa diuersitas sexus spectat.

Cùm enim species humana sit secundum indiuidua corruptibilis, quæ ideo non nisi per generationem propagatur & conseruatur, vterque sexus ad eius veritatem & integritatem est requisitus: quare sicut in vtroque instituta est nostra natura, ita & in vtroque est restituenda.

Ratio 3. Accedit etiam & ratione fœlicitatis & infœlicitatis resurgentium nouum argumentum. Nam aliqua sunt merita ratione sexus: fœminæ enim, quæ in sexu tenero & fragili aut molestias carnis aut trucem tyrannorum rabiem perpessæ sunt, pulchriorem inde palmam reportabunt, sicuti è conuerso maiora supplicia quæ in muliebri sexu ferocitatem & immanitatem virilem exercuerunt. Et super omnia intemeratæ Virgini, quæ Christum concepit & peperit, quis ambigat, quin sexus conditio sit in gloriam & laudem acceſſura?

Nuditas. Neque vero nuditas quidpiam pudoris oculis offundet: nam si primos parentes ante peccatum nequaquam nudos esse pudebat; quanto magis in illo statu confirmatæ gloriæ, vbi nulla erit libido nec pudenda titillatio, nullus aderit pudor, sed Deum omnes de tam decora vtriusque sexus pulchritudine laudabunt. Quapropter Christus Matthæi vigesimo secundo à Saduceis, qui resurrectionem negabant, interrogatus: illa quæ septem fratrum fuerat vxor, cui esset tunc adhæsura, respondit, scripturas illos ignorasse: quoniam illic nullæ essent futuræ nuptiæ. Si autem nec sexus differentia illic esset reditura, id profectò Christus faciliùs respondisset: non autem negauit sexuum discrepantiam, sed eorum vsum.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quamuis fœminæ generatio sit præter intentionem naturæ particularis, scilicet indiuidui generantis, quæ non potuit semen ad perfectum perducere, est tamen de intentione vniuersalis naturæ: nempe totius speciei, quæ ad sui conseruationem vtrumque requirit sexum.

Obiectio. Quòd si redarguas. Si illic vterque resurrecturus est sexus, consequitur, vt locum sit etiam habitura prælatio, vt mulier sit subdita viro. Negatur conse-

Dilutio.

quentia

quentia, quia mulier in hoc seculo subdita est viro, propter imbecillitatem sexus, & quantum ad virtutem animi, & quantum ad robur corporis. Illic autem nulla huiusmodi erit imbecillitatum, sed quò quisque merita habuerit per Dei gratiam cumulatiora, alterutrius fuerit sexus, erit alijs superior. Quanquam honesta charitas & reuerentia maritalis suum etiam illic splendorem habebit.

2. Concl. Secunda conclusio. Potentiæ animalis vitæ, nempe virtus nutritiua augmentatiua & generatiua erunt illic absolutissimæ & perfectissimæ. Probatur, quia illæ, sicuti & sexuum discrepantia, sunt de integritate & veritate naturæ. At verò, vt contra illud mortalium genus, qui ventri dediti ad has fluxas caducasque voluptates, quæ brutis nobiscum sunt communes, proni sunt, vnum addamus verbum. Virtutes istæ nullum post resurrectionem sunt habituræ vsum, est enim duplex naturæ nostræ perfectio: vna naturalis, quam per naturales causas generali Dei influxu adiutas in hoc seculo natura consequitur, quæ ideo sagax natura, vt ad illum vsum vitæ necessarium mortales alliceret, voluptatem illis actionibus indidit. Altera verò supranaturalis & perpetua: nam quamuis anima postquam creatur perpetua sit, corpus tamen nequit per naturam perpetuò durare: resurrectio igitur corporum non fiet in illa priori curtaque naturæ perfectione. Dicere namque quod Deus debeat corporum vitam conseruare perpetuam eo modo, quo fluxa hæc nostra per alimenta conseruatur, ridicula opinio est.

Potentiarum nullus illic vsus.

Alimentorum vsus. Illi ergo siue Saraceni sint, siue alij feri & agrestes homines, qui aiunt in altero seculo vsum alimentorum fore & animalis vitæ, non sunt digni quibus respondeatur. Aut enim alimenta illa & semina corruptibilia erunt, aut incorruptibilia: si incorruptibilia, nutrire non poterunt, neque semen aliquid generare: nam nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fert fructum: & pariter nisi semen animalis putrescat, nequit inde aliud gigni animal: quare neque alimenta, nisi corrumpantur, transeunt in substantiam aliti. Si autem illa semina & alimenta fuerint corruptibilia, nequeunt homines nisi corruptibiles gignere & nutrire. Quocirca nomen ipsum, æternæ vitæ, vbicunque in Euangelio extat, planè admonet nullis seminibus aut alimentis, quibus sustineatur, indigere. Sed non opus est pluribus aduersus huiusmodi hebetes homines agere.

Saducæi. Bene ergo Christus dementiam Saducæorum retundens ait, Erratis nescientes scripturas neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt tanquam Angeli Dei in cœlo, vbi negans generationis vsum, negat subinde & nutritionem & augmentationem, ex quibus semen redundat. Et subdens, quòd erunt sicut Angeli in cœlo, naturam perpetuitatis explicat: quòd scilicet non erit terrena, sed cœlestis & angelica: videlicet quòd sicut angeli suapte natura absque cibo & potu perpetui sunt, ita sint per gratiam & virtutem Dei futuri sancti in cœlo, vbi nec seminatio est nec germinatio. Vnde *Augustin.* Augustin. 13. de ciuitate Dei cap. 20. & 22. Neque tales, inquit, futuri sunt sancti in cœlo, quales fuerunt primi nostri parentes ante peccatum: quoniam licet tunc morituri non essent, erant tamen alimentorum egentes, vt vitam alerent, & tandem ligni vitæ, quo à senio præseruati, in flore iuuentutis conseruarentur, quorum similium nulla erit indigentia in cœlo, neque verò in inferno.

Qualitates prima an debeant resurgere. Per hæc alia dubitatio clarescit, si quis quærat, vtrùm resurgentium corporibus restituentur qualitates primæ, vt calor, frigus, humiditas & siccitas. Respondetur n. huiusmodi qualitatum binum esse vsum. Requiruntur enim primùm ad corporum complexionem ac perinde integritatem, qua vtique ratione in corporibus resurgentium redibunt, tam proborum quàm reproborum. Ossa enim ficciora sunt quàm carnes, & phlegma frigidius quàm sanguis, & cholera calidior, & sanguis humidior. Rursus ex his conflantur qualitates secundæ: vt color & calor, lene & asperum, quæ sunt qualitates tangibiles, sicut color est visibilis. Et corpora resurgentium tangibilia erunt, & suis coloribus affecta. Legitur enim Lucæ 24. Christum postquam resurrexerat discipulis dixisse: Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Alter autem eorum vsus est, vt se mutuò suis contrarijs actionibus corrumpant, & perimant, quem quidem tunc vsum nequaquam habebunt: nam corpora gloriosa, quippe quæ dote incorruptibilitatis fruentur, non sunt vel forinsecus vel intrinsecus passibilia. Corpora verò damnatorum quamuis ab externo igni pati possint, & frigore: tamen cum sint etiam incorruptibilia, vt distinct. 50. videbimus, non habebunt complexionum alteritatem, quæ corruptionem corporum machinetur.

Nota. Hinc fit qualitates huiusmodi non fore tunc simplices, vt in elementis latitant, sed in suis complexionibus qualitatumque secundarum compositione commistas. Cum ergo dicimus qualitates secundas in corporibus tunc fore, intelligitur nisi per dotes gloriæ impediantur. Haud enim patientur grauitatem subtilitatis dote impediente.

Obiectio. Contra hanc autem qualitatum assertionem obijcere quis posset verbum Augustini. 22. de ciuitate Dei cap. 23. vbi ait, quòd corpus tunc humanum dono cœlesti tale erit, vt etiam cœlo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat: videtur enim fieri inde consequens, quòd sicut in cœlo nulla est primarum qualitatum, ita neque in corporibus gloriosis, vt loco adaptetur locatum. Respondetur, non esse mentem Augustini, quod illa corpora sint resurrectura cœlestia, hoc est, ex natura cœli, alioqui non essent illi veri homines, sed quia resurgent cum dotibus illis incorruptibilitatis & claritatis, & subtilitatis, quæ sunt cœlestibus qualitatibus similes, eisdemque superiores, quibus beati donati poterunt ratione status in cœlo viuere, cui licet non per naturam, tamen per gratiam sunt coaptati.

Dilutio.

Comedere & bibere. Postrema tamen ambiguitas in calce articuli exurgit, vtrum resurgentes in corporibus gloriosis vti possint hac animali vita, comedere scilicet & bibere & gignere. Diuus Augustin. 22. de ciuitate Dei cap. 22. ait, quòd si velint, possibilitate non necessitate vesci possunt. Et confert resurgentes cum Angelis, qui vt legitur Genes. 18. ab Abraham conuiuio excepti sunt, & à Tobia, vt cap. 12 memoriæ proditum est. Imò & Christus, Luc. 24. refertur, comedit, postquam surrexit, de fauo mellis, & de asso pisce. Ad hoc autem respondetur cum D. Thoma 1. part. q. 51. art. 3. angelos propriè in assumptis corporibus nequaquam comedere: quia comedere est actus vitæ, & tamen Angeli non insunt corporibus ceu animæ, sed adsunt vt motores, quare cùm corpora illa non sint propria ipsorum, non possunt in propriam substantiam cibum conuertere, licèt possint illum sumere, & applicato extrinseco calore illum corrumpere. Vnde Angelus apud Tobiam: Cùm essem, inquit, vobiscum, videbar quidem manducare & bibere, sed ego poculo inuisibili & cibo vtor. Et eadem ratione possunt incubi dæmones semen aliunde euectum in matricem emittere. Resurgentes vero homines possunt vere comedere & bibere: quia habent animas corporibus coniunctas. Quare Christus vere comedit. Imò possunt alimentum in substantiam corporis (si nudam eius naturam speculeris) conuertere, atque adeò semen decidere & proles gignere. Tamen quia per dotem incorruptibilitatis, vt à corruptione præseruantur, eadem ratione impediuntur ne quid possit in eorum substantiam conuerti. Quare quod Christus Dominus comedit, non in suum corpus, sed in præiacentem materiam dissolutum emisit. Dicitur autem dispensatiuè Christus comedisse, hoc est, præter legem, quæ resurgentibus communis est: videlicet vt testimonium veri corporis, quod resurrexerat, exhiberet. Id autem in vniuersali resurrectione, quippe quæ cunctis erit manifesta, non erit operæpretium.

Solutio dubij.

Tob. 12.

Incubi.

Nota.

Christus comedit post resurrectionem.

Ad secundum igitur argumentum negatur consequentia, qua infertur, resurrecturos in vita animali, hoc est, in eius vsu: quia animalis vita per vsum ciborum non est perpetua, qualis futura est vita resurgentium.

Solut. 3. arg.

Obiectio. Quòd si redarguas. Homines tunc Deus tam secundum corpus quàm secundum animam beaturus est, beatitudo autem cuiuscunque, vt 2. Ethic. ait Philosophus, consistit in propria operatione eademque perfecta: ergo omnes potentiæ corporeæ vsum exercitiumque habebunt suum. Præsertim quòd cùm beatitudo sit status omnium bonorum congregatione perfectus, & magna insit in vsu generatiuæ & nutritiuæ virtutis voluptas, non sunt illis corpora frustranda. Respondetur ad primum, quod operationes corporeæ non

Solutio.

sunt hominis inquantum homo, sed inquantum animal, est enim forma hominis specifica, rationalis, atque adeo illæ operationes sunt ei propriæ, quas secundum mentem exercet. Ob idque in operationibus corporeis eius beatitudo non consistit, imò sicut corpus animæ subditur, ita & per redundantiam gloriæ animæ sua fruetur beatitudine.

Aliud arg. Et pari modo respondetur ad secundum, quod illæ corporeæ voluptates adhibitæ sunt in hoc seculo propter vsum, qui huic seculari vitæ necessarius est. Et ideo ad perfectam beatitudinem hominis non conferunt, imò vt 7. & 10. Ethic. autor est Philosophus, quatenus ipsis homo præter rationis ordinem vtitur, sunt ægritudines quædam animi. Si autem eis secundum rationis normam vtamur, sunt medicinæ quædam ad leuandum fastidium laboris & molestiæ, quæ huiusmodi actionibus nutritiuis & generatiuis insunt. *Nota.* At verò sicut Deus eminenter omnia continet, ita & eius visio, qua fœlices illi sunt beandi, omnes voluptates, quas de actionibus naturalibus mortales captant, eminentiori gradu & altiori continebit. Et ideo satietas illa fœliciſſima per esum & potum Christus explicuit Lucæ 22. dicens: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Hæc de statu communi resurgentium. De peculiaribus autem beatorum & damnatorum, dist. vt diximus. 49. & 50. reliquus habebitur sermo.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA QVINTA,

DE ANIMARVM RECEPTACVLIS, ET SVFFRAGIIS DEFVNCTORVM, sanctorumq; orationibus.

Textus. Cap. 1. AD HÆC autem & alia est de animarum receptaculis adhibenda meditatio. Vt enim super Ioann. *Tract. 49.* Augustinus ait, Omnes animæ cum de hoc seculo exierint, diuersas habent receptiones: bonæ habent gaudium, malæ autem tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Fuerunt tamen ab orbe condito receptacula illa numero quinque: nempe pro sanctorum animis ante Christi mortem limbus patrum, post verò cœlum empyreum, pro his verò, quæ purgantur, purgatorium: sed his, quæ in læthali crimine de hac luce demigrant, infernus cum dæmonibus destinatus est: his verò, quæ cum solo originali, puerorum limbus. Vnum ergo est in cœlo, & quatuor fuerunt sub terra. Iam verò modò limbus patrum vacuus est, sicuti erit post resurrectionem purgatorium. In singula ergo horum receptacula singulæ pro suis meritis defunctorum animæ cùm primum corpora exuunt excipiuntur. Et quamuis neque à paradiso, neque communi lege ac inferno, neque à puerorum limbo possibilis sit exitus in perpetuum, nihil tamen obstat, quominus, vt Hieron. aduersus Vigilantium, & 4. lib. Dialog. Greg. autores sunt, ex omnibus receptaculis Deo id vel disponente, vel permittente, animæ ad nos exeant, illuc tandem reuersuræ.

Cum ergo certa fide docti locum quo animæ expurgantur confiteamur, negandum non est, vt ait in Enchiridio Augustinus, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat: & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est: Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viueret, comparauit, vt ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propitiationes: pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum consolationes existunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio: aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. Cum ergo, vt 2. Machab. lib. scriptū est, Sancta & salubris sit cogitatio pro mortuis exorare, vt à peccatis soluantur, cura nobis semper pro mortuis gerenda est, vt idem Augustinus lib. eiusdem tit. latè disseruit.

Cap. 2. *Cap. 110. & c. Tempus 13. q. 2.* *1. Cor. 5.*

Cap. 3. Atqui quemadmodum illi iusti, qui à leuioribus reatibus purgantur, nostris egent suffragijs: ita & sancti qui diuino conspectu fruuntur, suis nobis orationibus opitulantur. *Rom. 5.* Etenim cum Apostolus Romanos fratres per Iesum Christum, perque Spiritus sancti charitatem obsecret, vt suis ipsum orationibus adiuuent, quis ambigat fœlices illos in diuinum consortium admissos, & in charitate, qua nos dilexerant, confirmatos, pro nobis iugiter interpellare? *2 Pet. 1.* Vnde Petrus in 2. cano. Dabo, inquit, operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. *Cap. vlt.* Et de Hieremia. 2. lib. Machab. legitur, Hic est, qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate. Quocirca & ad ipsos nos nostras orationes fundere tum Deo gratum est, tum & nobis commodum, iuxta illud Iob: *Iob 5.* Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Fuit ergo & de hoc Vigilantius hæreticus, qui orationes sanctis dirigendas negabat, quem Hieron. sanctis verbis insectatus est. Enimuero cum visione illa diuinæ substantiæ cognitionem omnium hauriant, quæ ad suum pertinent

Digitized by Google

ſtatum, credendum eſt illic noſtras preces agnoſcere. Ait quippe in lib. de orando Deum Auguſt. Angelis, qui ſunt apud Deum innoteſcunt orationes noſtræ, vt quodammodo eas offerant Deo, & de his conſulant, & quod Deo iubente implendum eſſe cognouerint, hoc nobis euidenter vel latenter reportent. Cap. 12. Ob idque Angelus apud Tobiam, Cum oraretis, orationem veſtram obtuli Deo. Imò verò, niſi noſtra culpa obſtaculum obijciat, efficaciſſimæ ſunt apud Deum ſanctorum preces, quod Hieronymus aduerſus eundem Vigilantium comprobat.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ QVINTÆ.

Quæſtio prima.

DE RECEPTACVLIS ANIMARVM POST MORTEM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm animabus poſt mortem receptacula ſint aſſignanda.

AD plenam reſurrectionis corporum notitiam noſſe oportet de receptaculis animarum, tum quod inde in iudicium euocandæ ſunt, tum quod eodem poſt latam ſententiam ſunt cum ſuis corporibus remittendæ. Et ideo ante iudicij ſpeculationem operæpretium fuit de eiuſmodi receptaculis ſermonem præmittere. At quoniam & illi, qui in purgatorio detinentur, noſtris egent ſuffragijs, & qui in cœlo exiſtunt ſancti ſuis nobis orationibus ſuffragantur, tres quæſtiones præſens diſtinctio poſtulat, nempe de receptaculis omnium, de ſuffragijs pro illis qui purgantur, & de orationibus tam quas ſancti pro nobis fundunt, quàm quas nos ad illos dirigimus. Primus igitur articulus eſt, vtrum receptacula ſint animabus poſt mortem aſſignanda. Et arguitur à parte negatiua. Boëtius in libro de hebdomadi. Communis, inquit, animi conceptio eſt apud ſapientes, incorporalia in loco eſſe: cui Aug. duodecimo ſuper Gen. ad literam cap. trigeſimoſecundo verbis illis concinit, vbi interrogans, quò ferantur animæ corporibus exutæ: Cito, inquit, reſponderim, ad corporalia loca eas vel non ferri niſi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri: ſubdit autē illico, animam non eſſe corpoream, ſed ſpiritualem: ergo ad locum corporeum non fertur.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Argu. Secundò arguitur. Si animæ ſeparatæ corporeis locis deputarentur, id eſſet propter aptitudinem & coaptationē ad illum locum, ſed animabus, cum ſint ſpiritus, nihil cum locis corporeis conuenit: ergo nullis locis recipiuntur.

3. Arg. Tertiò. Si locis aliquibus adſcriberentur, id præſertim ratione aut præmij eſſet aut ſupplicij, quo frui illic debent aut plecti: animæ verò ſeparatæ à locis corporeis nihil vel recipiunt, vel patiuntur: ergo ſuperflua eiuſmodi ſunt receptacula.

Pars affirmatiua. In contrarium eſt illud ſecundæ Corinth. decimoquinto: Si terrena noſtra habitatio diſſoluatur, domum habemus non manu factam conſeruatam in cœlis: ergo diſſoluta animæ, carniſque compagine, iuſtorum animæ, qualis erat Paulus, in cœlum recipiuntur, & eadem ratione iniquorum animæ detruduntur in infernum.

1. Concl. Ad quæſtionem, quæ digna eſt ſcitu, tribus concluſionibus reſpondetur. Primò autem circa nominis ſignificatum notandum, quod cum duplex ſit animarum ſtatus, vnus in hoc ſeculo militandi, nempe merendi & demerendi, & alter in futuro retributionem ſuſcipiendi triumphi aut ſupplicij, ſeculum hoc non dicitur receptaculum: quia non recipiuntur in eo animæ niſi in corporibus per creationem, ſed loca illa, quibus exutæ corporibus excipiuntur, dicuntur earum receptacula. Quare receptaculum non eſt ad merendum, ſed ad recipiendum retributionem pro præteritis meritis. Enimuerò quamuis ſpirituales ſubſtantiæ ſecundùm ſuum eſſe à corpore non pendeant, ſed abſque illo ſubſiſtere poſſint, nihilominus, vt Auguſt. tertio de Trinita. & Grego. quarto Dialogo. autores ſunt, corporalia Deus per ſpiritualia gubernat; & ideo ſubſtantiæ ſpirituales per conuenientiam quandam & congruentiam ad corpora adaptantur, atque adeò præſtantiores ad ſublimiora, quemadmodum Philoſophi ſecundùm ordinem mobilium orbium ſubſtantias illis ſpirituales accōmodarunt. Hac ergo ratione quamuis animæ corporibus nudatæ non deputentur corporeis locis, tanquàm eorum formæ aut motrices, adaptantur tamen eis ſecundum ſuorum meritorum dignitatem eo modo, quo plus Deo vel propinquiores ſint, vel elongatiores. Quapropter qualitate illorum locorum vel oblectantur, vt fœlices animæ nobilitate, ſublimitate & ſplendore cæli: & infœlices vilitate, abiectione & tenebroſitate.

Sit igitur prima concluſio. Quinque ab orbe condito fuerunt animarum receptacula, ſcilicet cælum empyreum, infernus, purgatorium, limbus puerorum, & limbus patrum. Enimuerò ſi finem, quo Deus, dum angelos hominesque condidit, propoſitum ſuum retulit, contemplemur, non niſi vnicum omnium receptaculum cunctis propoſuit, nempe cælum: nam has duas creaturas eo fine condidit, vt ſuam ipſius fœlicitatem eis in cælo impertiret, ſed tamen per occaſionem ſi fortè à ſua lege & voluntate deuiarent, infernum præparauit, quò ſuos inimicos obtruderet. Et quoniam angelus primus fuit tranſgreſſor, ait Chriſtus Matth. vigeſimoquinto. Ignem æternum ab initio mundi paratum eſſe diabolo & angelis eius. Præterquam quòd angelis reprobis, vt alias diximus, quos ſuorum erratorum pœnitere non poteſt, infernus deſtinatus eſt. Homines namque etiam peccatores per pœnitentiam illum cauere poſſunt. Duo ergo hæc ſunt extrema receptacula, alterum ſumma felicitate, alterum verò ſumma miſeria plenum. Peccatum verò primorum parentum tria nobis oſtendit alia receptacula media. Nam cùm poſt illam præuaricationem cuncti mortales cum labe originali naſcantur, neque vlli vnquam, niſi per fidem Chriſti, patuerit ſalus, neceſſe eſt vt paruulis, quibus citra vſum rationis antequam eis eadem fides fuerit applicita, ab hac luce decedunt, neque in conſortium filiorum Dei admittantur, neque verò cum nullum actuale crimen commiſerint inter ſummos eius inimicos prorſus deputentur, decretus fuit limbus, vbi ſic à regno exulent, diuinoque conſpectu priuentur, vt tamen igneos inferni cruciatus non ſentiant. Rurſus quia ingreſſus cæli nemini conceditur, niſi eo ſit nitore, quem in baptiſmo ſuſcepit, aut olim in circunciſione, aut ſimili in iure naturæ, vt ſcilicet ſit quemadmodum ad Epheſ. ait Paul. non habens maculam neque rugam, ſcilicet neque lethalem maculam, neque verò venialem aut vllius reatum pœnæ, fit vt non ſolùm inimci Dei ab introitu cæli prorſus excludantur: verùm & amici dum perpurgantur, remorentur, quibus ideo purgatorius locus aſſignatus eſt. Tandem cum ante peractam per Chriſtum redēptionem nemini apertum eſſe potuerit cælum, adhibitum eſt receptaculum quintum, quò patres tam legis naturæ quàm ſcriptæ in amicitia Dei hac vita defuncti, poſtquam purgati eſſent, quaſi in depoſito recipientur, qui quidem locus & limbus patrum & ſinus Abrahæ, vt illico explicabitur, appellatus eſt. Vnde Auguſtinus ſuper Ioannem tract. quadrageſimonono. Omnes animæ cùm de hoc ſeculo exierint, diuerſas habent receptiones, bonæ habent gaudium, malæ verò tormenta. Sed cùm facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corporibus torquebuntur.

Calum & infernus.

Limbus puerorum. Purgatorium

Limbus Patrum.

Igitur ante Chriſti mortem quatuor tantum fuerunt receptacula, quia in cælo nemo recipiebatur. Poſt eandem verò paſſionem limbus patrum vacuus manſit, quoniam animæ inde in cælū tranſlatę ſunt. Quare nec modo ſunt niſi quatuor, ſiquidem pro illo limbo ſubſtitutum eſt cælum. Sed tandem poſt diem iudicij purgatorium

Nota.

gatorium quoque euacuabitur: quapropter non erunt deinceps nisi tria, eademque necessaria receptacula, nempe cælum, infernus & puerorum limbus, vel quicunque fuerit locus in quo recipientur, de quo distinctione quadragesima octaua dicemus. Ex quo fit nec purgatorium esse, nec limbum patrum fuisse humanorum corporum receptaculum.

Ratio quinarij numeri receptaculorum

Quòd ergo numerus hic receptaculorum tum necessarius, tum etiam sufficiens sit, hac ratione colligitur. Anima, vt dictum est, in hoc seculo in statu est merendi & demerendi: corpus verò egressa eo est loco excipienda, quem in corpore commeruit: igitur vel merita est perpetuum præmium, quod est hæreditas regni cælestis, aut perpetuum exilium ab eodem regno; si præmium, tunc vel aliquod habet impedimentum, quo ab eius ingressu retardetur, aut nullum. si nullum, destinatum ei receptaculum est cælestis paradisus: si autem quodpiam habet obstaculum, aut est ratione personæ propter veniale, aut mortalium reliquias, & tunc eius receptaculum est purgatorium, aut ratione naturæ, quia non erat redempta, & ideo olim adhibebatur limbus patrum: si verò anima est in exilium relegata, tunc aut propter mortale crimen, & propter hoc obtruditur in infernum, aut propter originalem labem, & tunc recipitur in limbum puerorum.

Obiectio 1. Quòd si contra arguas. Receptacula non sunt nisi ratione meritorum præcedentium præparata: non sunt autem nisi duo meritorum genera, scilicet bonum & malum: & non est nisi vnum receptaculum pro bonis: ergo non debet esse nisi alterum pro malis. Item,

Obiectio 2. Non sunt nisi tria peccatorum genera, originale, mortale, & veniale: ergo non debent esse nisi tria receptacula.

Solut. 1. Ad primum respondetur, quod cùm bonum, vt Dionysius quarto cap. de diuinis nominib. & Philosophus authores sunt, non nisi vno modo contingat, malum verò multifariè, nihil mirum si pro bonis vnum sit tandem finale receptaculum, pro exulibus verò sint

Solut. 2. plura. Ad secundum respondetur, quod quia originali culpa potest teneri aliquis vel ratione personæ, quia non suscepit fidem, vel ratione naturę, quia non fuit redempta, assignantur illi duo limbi.

1. Argum. Sed alia in contrarium extremum obijciuntur argumenta, scilicet quòd plura esse debeant receptacula. Primum, quod si contingeret quempiam cum solo originali & veniali peccato decedere, videtur illius anima in nullo istorum recipienda: quia in purgatorium nullus recipitur, nisi qui inde euolaturus sit in cælum: & in infernum, nisi propter peccatum mortale, neque in limbum puerorum nisi ob solum originale.

2. Arg. Secundo. Quia multi in hoc aëre puniuntur tam damnati quàm qui purgantur, vt ex Gregorio quarto lib. dialogorum, colligitur: quare iste aër debet poni aliud receptaculum.

3. Argu. Tertiò. Sicut nonnulli in gratia decedentes, quibusdam sordescunt aut venialib. aut mortalium reatibus, ita decedentes in peccato mortali solent complura bona opera hinc secum ferre, quę in hoc seculo præstiterunt: ergo sicut designatum est purgatorium vbi priores purgentur, signandum est aliud receptaculum vbi posteriores præmium suorum operum recipiant, vt suam illud obtineat axioma veritatem, Nullum est malum, quod non puniatur: neque bonum, quod non premietur.

4. Arg. Tandem. Sicut ante orbem redemptum patres à plena frnitione cohibebantur, ita & modo animæ à fruitione glorię corporum: ergo sicut tunc consignatus illis erat limbus, ita & nunc debet aliud receptaculum animabus adscribi, vbi sint antequam recipiant corpora.

Sol. 1. arg. Ad primum autem respondetur, impossibile esse aliquem in originali cum solo veniali viuere: quia primum peccatum peruenientis ad rationis vsuram non potest esse nisi mortale, si homo non se conuertat, vt D. Tho. autor est. Sed illo tamen admisso euentu respondetur, receptaculum illius animę esse infernum: quoniam si venialis culpa in ingressu purgatorij deletur, & pœna tam venialis quàm mortalis delicti illic persoluitur, id accidit propter gratiam in qua homo decedit: quoniam nisi culpa prius per gratiam fuerit remissa, non potest pœna persolui. Quare qui cum originali & veniali decederet, perpetuo in inferno pro illa culpa veniali puniretur.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quod etsi nonnunquam, vt loco citato ait Gregor. animæ separatæ in hoc nostro habitationis loco puniantur, hoc non est, quia iste sit locus lege communi destinatus ad supplicium, sed hoc fit vel propter nostram instructionem, vt earum cruciatus videntes à delictis abstineamus, vel propter suffragia quæ à nobis exposcunt. Et ideo non est hic noster aër inter receptacula computandus.

Solut. 3. arg. Ad tertium respondetur, quod summum bonum absque mistione alicuius mali esse potest, vt Deus: & ideo qui in eius consortium admittendi sunt, nihil debent mali admistum habere: quare conditus est purgandi locus. Malum autem non potest tantum esse, quin habeat fundamentum in bono, saltem naturæ: in illis ergo qui in delicto decedunt mortali, si consideretur tantum bonum naturæ, nihil eis supra naturam debetur, sed seruantur in suis naturalibus. Si verò considerentur opera bona, quæ per Dei gratiam fecerunt: quia tota ratio boni in eis ex speciali auxilio Dei & diuina acceptatione inerat, ius per peccatum amiserunt, vt eorum retributionem reciperent: ob idque tam opera illa quàm moralia ex obiecto bona, quæ in peccato exhibuerunt, nulla sunt digna remuneratione apud Deum, quæ propriè dicatur retributio. Sed nihilominus propter illa minus habebunt in pœnis, & mitius patientur. Non quod pœnarum, quas meruerunt, quidpiam eis remittatur, nam secundum mensuram delicti erit & plagarum modus: aut quod vermis conscientiæ remittatur: nam & hoc ad pœnam attinet, vt dist. 19. q. 1. art. 5. explicuimus. Sed quod, vt illic dicebamus, per eiusmodi opera impediuntur in hac vita plura maioraque delicta, & fit ad bonum frequentior consuetudo: nam dum quis bene agit, non agit perperam. Et per opera in peccato mortali exhibita possunt impleri mandata quantum ad substantiam, vt euitetur nouum peccatum,

Sol. 4. arg. Ad postremum denique negatur similitudinem consistere: nam gloria animę est essentialis, & ideo patres, dum illa potiri non poterant, deponebantur in limbo. Gloria verò corporum est animabus accidentaria, & ideo propter eorum defectum non debent animæ detineri, quominus in cœlum euolent, vt art. 3. dicturi sumus.

Post hæc ergo operæpretium est loca timari, quibus hæc sunt receptacula. Igitur quo à supremo exordiamur, subiungitur secunda conclusio. Receptaculum fœlicium animarum, in quibus nihil extat purgandum, est cœlum. Conclusio hæc assertio est catholicæ fidei, quam negare esset hæreticum. Probatur non solum loco citato Pauli 2. ad Corinthios 5. quo asserit, domum æternam nobis in cœlo ædificatam: verùm & ex illo Matthæi 5. Merces vestra copiosa est in cœlo. Et Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum. Et Ioann. 14. ait Christus, In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vnde subdit, Ego vado parare vobis locum: & loquebatur de cœlo, quo erat ascensurus. Et ad Colossenses 1. ait Paul. Cupio dissolui, & esse cum Christo. Vnde 4. dialogor. Gregorius infert, quod cùm Christus sit in cœlo, proculdubio & Paulus cum cæteris sanctorum animis est ibidem, quem quidem librum integrum exemplis referit animarum defunctorum, quæ de corporibus exeuntes in cœlum euolarunt, vel etiam ab angelis sunt deportatæ. De hac ergo veritate ambigere nefas est. At verò de cœlo illo, quod sedes est beatorum, non est per catholicam veritatem constitutum; sed tamen credendum est cum patribus vniuersis, esse cœlum empireum, nempe decimum, omniumque supremum. Sunt n. vt ab inferioribus inchoemus, septem planetarum orbes, super quibus eminet octaua sphæra, puta firmamentum, astris consitum & splendidum: cui superpositum est aqueum, quod ideo cristallinum appellant. Legitur n. Gen. 1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis: diuisitq; aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Illudque iam nunc temporis asseritur esse primum mobile, quod tempore Aristotelis firmamento tribuebatur, quippe quod tunc nona sphæra nondum Philosophis innotuerat. Atqui cùm Aristot & Philosophorum reliqui orbes cœlestes non nisi de motu perpenderint, neque nisi propter generationes & corruptiones horum inferiorum eorum necessitatem rimati fuerint, nullum cœlum posuerunt immobile, sed primum mobile opinati sunt fuisse supremum. Et ideo vt D. Tho. 1. par. q. 66. art. 3. ait, cœlum empireum non inueniri positum nisi per autoritatem Strabonis, Bedæ,

2. Concl.

Testimonia scripturæ.

Cælum empireum.

1. Mobile.

& Basilij

& Basilij magni, 2. lib. hexameron, quod vtique immobile & quietissimum, atque ab omni motu & latione semotissimum adstruunt, nempe vt aptissima sit beatorum sedes, & requies, altissimæ illi contemplationi accommodata, quæ ab omni motu & mutatione longissimè esse debet exempta. Quocirca vt idem ait Strabo, vbi dictum est: In principio creauit Deus cœlum & terram, intelligitur non firmamentum, sed cœlum empyreum, quod vbi primum fabricatum fuit, spiritibus angelicis fuit repletum, vt illa esset inchoatio gloriæ, quæ postmodum hominum supplemento & consortio amplificanda erat & perficienda.

Empyreum quare sic dictum.

Dicitur ergo cœlum empyreum, id est, igneum, non quidem ab ardore, sed ab splendore, vt locus sit locaris aptissimus. Consistit enim beatitudo, vt dist. 49. videbimus, in illa oculari Dei visione & conspectu: qui summa gloriæ claritate beatos perfundit, amoreque rapit, vt immobiles tum contemplatione Dei, tum etiam charitate sint ei infixi, vt pace summa & tranquillitate fruantur. Quòd si contra vtramque illius cœli qualitatem arguas, Omne corpus sensibile, vt 8. Physic. ait Philosophus, est mobile: illud autem cœlum, si est, sensibile esse oportet: ergo mouetur. Rursum si lucidum est, cum omnes subtus cœlestes orbes sint diaphani & transparentes: quapropter per medios Planetarum orbes astra firmamenti nobis promicant, sequeretur, quòd cœlum illud aërem hunc nostrum perpetuo splendore noctu etiam illustraret. Respondetur autem ad primum, axioma illud, omne corpus sensibile esse mobile, inde habuisse ortum, quòd Philosophi nihil sensibile nisi per motum cognouerunt, & ideo id quod non moueretur, ociosum putabant. Neque intelligentias, nisi tanquam cœlorum motrices agnouerunt. At verò quia in consummatione mundi, quam ipsi ignorarunt, motus illi cœlorum cessabunt, congruit vt ab initio supremum immobile crearetur, quod quietis aliorum esset exemplar. Ad secundum verò respondetur, non esse lucidum per condensatam lucem, quam possit emicando foras emittere, vt sol, sed per subtilissimam tenuissimamq; claritatem gloriæ beatorum simillimam, quam habet imbibitam. Quomodo autem post resurrectionem corpora ipsa glorificata illic existent, dist. 49. videbimus, vbi de dote subtilitatis acturi sumus. Haud enim supra conuexum cœli erigentur in vacuo: quia vacuum non est corporum locus, sed intra ipsum cœli solidum cum quo se per dotem subtilitatis penetrabunt. Nunc enim interim de solis animabus, quæ spiritus sunt, agimus.

Obiectio.

Diluitio.

Dilut. 2.

3. Concl.

Tertia conclusio superiori similis. Infernum esse damnatorum carcerem fides catholica docet: quo autem loco sit situs, nondum tanta est certitudine compertum. Prior pars patet, quoniam inferni nomine damnatorum locum intelligimus, de quibus & Christus Ioan. 5. ait, Procedent qui mala fecerunt in resurrectionem iudicij. Et Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et Matth. 11. Et tu Capharnaum nunquid in cœlum exaltaberis, vsque in infernum descendes? Et Dauid Psal. 54. de impijs. Veniet mors super illos, & descendent in infernum viuentes. Et Luc. 16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno: vt vna habet lectio.

August. Gregor.

Quòd autem locus eius & situs non sit tanta cum certitudine notus, patet tam ex Augustino 20. de ciuit. Dei c. 16. quàm ex Greg. 4 lib. dial. c. 42. qui id in dubium reuocant. Et Aug. arbitratur, hominem scire neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit. Gregorius verò ait, quòd de hac re temerè definire non audet. Nonnulli enim, inquit, in quadam terrarum parte infernum esse putauerunt (scilicet in superficie terræ) nempe in aliqua horrida valle, aut in tenebroso aëre. Alij verò, ait ibidem Gregorius, sub terra esse æstimant. Et hanc ipse sententiam libentiùs amplectitur. Chrysostomus verò sermo. quodam 19 de gehenna, ait, quosdam dicere illam esse in valle Iosaphat constitutam, vbi atrocissimum bellum olim gestum fertur. Sed tamen potiùs ipse credit, infernum & gehennam esse extra terrarum orbem, scilicet in aëre caliginoso, vt alij volunt. Quò alludere videtur Paul. ad Eph. 6. dicens: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Idemque ait autor imperfecti homilia 53. super illud Matth. 25. Proijcite eum in tenebras exteriores. In cuius alij confirmationem illud Iob 18. commemorant. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum, quod de Antichristo Gregor. enarrat.

Infernus vbi.

Vnde sunt qui dicant esse in superficie terræ opposita nobis versus antipodas sub orbe tristi; & ideo respectu nostri dici infernum. Quo alludit Isidorus dicens: quòd post finem mundi Sol & Luna in ordine, quo creati sunt (scilicet in Oriente & Occidente) stabunt ne impij in tormentis fruantur eorum luce. Si autem essent in visceribus terræ, quocunque ordine luminaria sita essent, absconderentur eis.

Alij autem aiunt eodem loco corpora puniri, quo deliquerant, sic illud intelligentes Sapient. 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur, atque adeò in eodem loco. Ad quod referunt historias Greg. in 4. dialog. narrantis animas aliquorum in balneis & alijs diuersis locis cruciari.

Sententia autoris.

Veruntamen ijs atque id genus alijs prætermissis, profecto quamuis hoc expressa sacræ paginæ autoritate non connitatur, minimè ambigendum est, quin infernus sit subter terram. Imò adeò hoc est & autoribus & rationibus subnixum, quin verò & sacris oraculis consonum, vt crediderim plus quàm temerarium esse id negare. Primùm enim nomen ipsum, infernum, id plane admonet. Sonat enim locum infimum, non quidem tantum respectu nostri, sed simpliciter: infimus autem locus sub terra est. Vnde psalmo 85. Liberasti animam meam ex inferno inferiori: vbi Gregor. adnotauit, infernum quoque esse super terram, vbi animæ nonnunquam cruciantur, atque alium subtus. Quamuis potius crediderim solum esse emphasim & epitheton inferni vocare eum inferiorem. Nisi mauis, vt infernus damnatorum dicatur inferior, respectu limbi Patrum, qui est superior. Et Esaiæ 14. Infernus subtus conturbatus est in occursum tui. Et super illud Ionæ 2. Posuisti me in profundo in corde maris, ait glossa, quod illic intelligitur infernus, pro quo Christus Matth. 12. dixit, quod sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, ita filius hominis erit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Infernus ergo in corde terræ est. Et Numer. 16. de Dathan & Abiron legitur, quod descenderunt in infernum viuentes, eo quod aperta terra eos absorbuit. Quò alluxit Dauid psalmo 54. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes. Item Luc. 8. eiecti dæmones à corporibus obsessis rogabant Christum, ne mitteret eos in abyssum, scilicet ne grauius illic torquerentur: abyssus autem profunditatem significat. Et simile illud est Apocal. 19. vbi legitur de illis, qui adorauerunt bestiam, quod ij missi sunt in stagnum ignis ardentis sulphure. Item Apocal. 5. quod Gregorius loco citato ad hoc propositum adfert, cùm signatum librum septem sigillis vidisset, ait, quod nemo est inuentus dignus, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum. Et subdit, quod omnis creatura, quæ in cœlo est, & in terra, & sub terra, adorauerunt agnum qui occisus est, vt angelos, & viuentes homines, & eos qui sub terra degunt spiritus designaret. Quemadmodum ad Philipp. 2. ait Paul. In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: quamuis damnati Christum non adorant. Et Esaiæ 7. Pete tibi signum à Domino, in profundum inferni, siue in excelsum supra.

Ratio 1.

Nota.

Limbus Patrum vbi sit.

Ad hæc limbus Patrum sub terra fuisse censetur, quo patres antiqui descendere dicebantur, iuxta illud Genes. 44. de Iacob: Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos. Quamuis August. 22. super Gen. cap. 34. de inferno peccatorum id intelligat, quod articulo sequenti repetendum est. At verò quamuis libro 20. de ciuitate Dei, de inferno anceps fuerit, tamen hoc proximè citato loco ipsum sub terra delitescere affirmat. Primum, quòd cùm animæ amore carnis deliquerunt, consentaneum sit, vt hoc eis exhibeatur, quod mortuæ carni exhiberi solet, scilicet vt sub terra condantur. Deinde, quod illud sit animabus tristitia & lætitia, quod corporibus grauitas & leuitas. Et ideo sicut electorum gaudio conueniens est empyreum cœlum, sic & reproborum mœstitiæ & tristitiæ congruat locus sub terra infimus. Et quoniam illic sub disiunctione dixerat, sub tertis dicuntur inferi vel credentur, post modum lib. 2. retract. cap. 24. ait, quòd potiùs debuisset docere, quòd sub terris sint, quàm rationem reddere, cur sub terris esse credantur. Illud verò Luc. 16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno: non sic legit illic Aug. sed puncto præposito, scilicet, Mortuus

Infernus quare sit sub terra. Ratio 2.

Augus.

est

est dives, & sepultus est. In inferno autem eleuans oculos suos, &c. sed parum refert.

Nota.

Præ his autem omnibus ponderat, quòd Christus, vt articulus Christianæ confessionis habet, descendit ad inferos, & ipse asserit fuisse in corde terræ. Et Paul. ad Ephes. 4. Qui ascendit, inquit, ipse est qui descendit ad inferiores partes terræ. Vnde Actuum 2. ait Petrus: Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: siue dolorum nomine intelligatur anxietas, quę patres in limbo expectantes affligebat, siue purgatorius ignis, à quo, vt supra diximus, Christus fortè eos qui purgabantur, eripuit. Cui applaudit loco proximè citato super Genes. Augustinus. Re vera his perspectius meditatis, non video quo modo negari queat infernum esse sub terra, qui idcirco Græcè Τάρταρος, profundissimus inferorum locus dicitur, est enim Ταρταρίζειν cum tremore quodam obrigere, horrere, & expauescere. Quare omnia receptacula dicuntur tartara.

In centro grauitatis terræ.

Quinuerò quàm maxima sit probabilitate credibile existere in centro grauitatis terræ. Quod re vera Greg. loco citato sub his verbis insinuat. Si idcirco infernus dicitur, quod inferius iacet, quod terra à cœlo est, hoc esse debet infernus à terra, id est, sicut terra centrum est respectu orbium cœlestium, ita & infernus centrum est terræ.

Ratio.

Sed ratio præterea profectò id etiam persuadet. Nam si beati & damnati meritis & præmijs è diametro distant, congruens est, vt loco sint etiam quàm maximè semoti & diuersi: cùm ergo beati sint in supremo cœlo, sit vt damnati sint deorsum in puncto inde longissimè distanti: illud autem est centrum grauitatis terræ. Cùm enim non sit æqualiter vndequaque ponderosa: nam qua parte aquas tangit, ponderosior est, & qua vsui nostro patet, leuior, non idem est punctum quantitatis medium & grauitatis. Hoc autem, quò grauia cuncta feruntur, maximè à lunari orbe remotum est.

Pythagoræ dogma.

Imò si à Philosophis sua placita mutuari licet, Pythagorici Itali, vt 2. de Cœlo & mundo tex. 73. ait Philosophus, in centro mundi aiebant elementum ignis incluſum, quem Iouis custodiam appellabant. Multa enim Pythagoras à Chaldæis & Ægyptijs, inter quos Hebræi commorati sunt, didicit, quæ suis Dijs adscripsit. Et poëtæ omnes fabulantur, in cauernis terræ subesse, vt apud Virgilium libro 6. Æneid. qui Æneam inducit ad inferos descendisse. Et Ouid. libro 4. Metamorph. Est via decliuis funesta nubila taxo: Ducit ad infernas per multa silentia sedes.

Gehenna vnde dicta.

Illis ergo qui putabant infernum esse in valle Iosaphat, propterea quod campus illic patens dicebatur gehenna, & Christus infernum appellat gehennam ignis, respondetur, quia idololatræ filij Ennon illic dæmonibus filios sacrificantes igne concremabant, vsu inter Hebræos fuisse receptum, vt infernum appellarent gehennam, quod est vallis Ennon.

Illud verò Iob cap. 18. Expellet eum de luce, & de orbe transferet eum, Gregorius sic interpretatur, quod Antichristus supremo apparente iudice de hoc mundo tolletur. Nam illud Christi: Proijcite eum in tenebras exteriores, non aliud significat, quàm tenebras quæ sunt extra cœlum: quare quò sub terra profundius abduntur, eo plus exteræ censentur.

Ad aliud de dæmonibus respondetur, quod non sunt huic aëri, quo nos viuimus, eò deputati, quo illic pro meritis sint puniendi: quandoquidem ad hoc deputatus est illis ignis æternus, iuxta illud Matth. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus est vobis, &c. Sed sunt in aere tanquam in loco ad colluctandum nobiscum idoneo, vt Paulus significat, quod propter nostrum exercitium & meritorum augmentum permissum est.

Aliud arg.

Ad aliud tandem, quod aliqui aiunt, animas eisdem locis, quibus delinquunt, apud nos cruciari, respondetur, non posse constare: quoniam anima pro diuersis peccatis, quæ diuersis locis & temporibus commisit, simul punitur. Et secundùm illos deberet successiuè omnia loca discurrere. Præterea vsu venit, vt quàmplurimi eodem loco diuersis temporibus delinquant: deberent ergo illic simul puniri. Sed de pœnis inferni minus probabilitatis habet: nam illæ sunt perpetuæ, & in hac vita non sunt sempiternæ pœnæ. Item quia affliguntur nunc animæ, vbi postea cum corporibus torquebuntur: post resurrectionem verò non erunt hic damnatorum corpora. Neque Sapiens ait, quod eodem loco, quo quis peccat, debet puniri, sed per quæ peccat, nempe per animam & corpus. Tametsi, vt ait Augustinus, ad pœnas potius huius vitæ id sit referendum, vt qui gladio perimunt, gladio pereant, & qui adulterantur, eandem in suo toro patiantur iniuriam. Igitur si aliquæ fortè damnatorum animæ in hoc seculo torquentur, illud est extraordinarium & accidentarium, & in tempus, nam tandem in tartara sunt recludendæ.

Obiectio 1.

Alia verò obijciuntur argumenta. Primum de ignis natura. Nullum enim violentum esse potest perpetuum: ignis autem, quippe cuius naturalis locus sursum est, Lunæ proximus nequit sub terra nisi per violentiam detrusus esse: non ergo illic manere poterit perpetuo.

Obiectio 2.

Item contra loci capacitatem arguitur. Locus ille post resurrectionem vniuersa capturus est damnatorum corpora, quæ nulla erunt dote subtilitatis donata, sed vnumquodque suum occupabit locum. Cùm ergo illa numerosissima sit gentium turba, quia vt Ecclesiastici 1. legitur, Stultorum infinitus est numerus, sit vt locus ille esse debeat capacissimus, atque adeo amplior & spatiosior, quam in illo centro terræ fingi potest.

Solut. 1.

Ad primum autem respondetur, quod ignis illic non per naturam, sed diuinitus per ordinem diuinæ iustitiæ tenetur, neque est purè elementaris: est enim sulphure mistus, multoque ardentior propter antiperistasim terræ, qua vndique cingitur. Nec tamen nutritur consumptibili esca: quoniam nec animas nunc, nec corpora tunc consumet. Et similiter respondetur

Solut. 2.

ad secundum, quod virtute diuina ab initio relictum est concauum in centro terræ, quod esset omnium damnandorum capax, imò insatiabilis, iuxta illud Prouerb. 30. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis verò nunquam dicit, sufficit.

Porta inferni.

Vtrum verò infernus portis claudatur, & vectibus ferreis sit obseratus, vanum est percontari. Nulla enim est horum necessitas: quippe cùm absque huiusmodi impedimentis Deus virtute sua potuerit illic miseros inuitos tenere. Sed per metaphoram ad significeandum impossibilem esse inde regressum, dicitur infernus habere portas, vt in Psal. 23. Attollite portas principes vestras. Et Psal. 106. Eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit, contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Imò & hæreticos per quos infernus aperitur appellauit Christus Matth. 16. portas inferi, dicens: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Dicitur autem Christus erupisse vincula, vt educeret vinctos, quia ingressus ad inferos iniquis omnibus vltro patet, vt intrent, sed non vt exeant. Quod & ethnici cecinere. Vnde illud Maronis 6. Æneidos, Facilis descensus auerni, Noctes atque dies patet atri ianua ditis. Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras, Hoc opus, hic labor est.

De modo autem, quo nunc animæ & corpora sunt igne torquenda, non est hic locus disputandi proprius, quo de solis receptaculis agimus, sed distinct. 50. quæ de statu & supplicio damnatorum instituetur.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, Boëtium & Augustinum solum docuisse spiritualia non esse in loco, modo nobis secundum naturam consueto id est, quod loco circunscribantur. Quare anima non est in loco nisi per accidens ratione corporis. Sunt tamen in loco, modo nobis non planè manifesto, quia est supra naturam. Philosophi enim tantum intellexerunt, animam esse in corpore, & intelligentias admotas esse cœlestibus orbibus.

Solut. 2. arg.

Ad secundum autem respondetur per distinctionem secundæ præmissæ. Spiritualia enim non adaptantur loco, eo quod aliqua qualitate cum loco conueniant, vt calida inuicem conueniunt: coaptantur tamen per quãdam proportionalitatem & metaphoram, qua quidpiam à corporalibus ad spiritualia transfertur: veluti solis nomen Deo transcribitur, eo quod sicut sol corporibus luminis & vitæ fons est, ita & Deus spiritibus. Hac ergo ratione animæ fulgore gratiæ illuminatæ lucidis corporibus adscribuntur, veluti &. illæ quæ culpæ nubilo tenebrescunt, tenebrosis mancipantur. At quemadmodum illic torqueantur dist. 50. videbimus.

Solut. 3. arg.

Vbi solutio tertij argumenti clarescet.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrùm purgatorium limbus Patrum & puerorum loco cum inferno conueniant.

DVOBVS extremis receptaculis præstitutis, subsequitur vt de tribus medijs exploremus, an scilicet loco & situ conueniant Et arguitur à parte affirmatiua primò de limbo patrum. Limbus enim ille dicitur sinus Abrahæ, quò mendicus Lazarus ab angelis portatus est: fuit autem in infernum ductus, vt habet glossa Iob 30. super illud, Vbi constituta est domus omni viuenti: ait enim glossa, quod infernus domus erat omnium viuentium ante aduentum Christi, atque adeo illic erat sinus Abrahæ: cui consonat illud Genes. 44. Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Item quia Christus dicitur descendisse ad inferos, & tamen non descendit, nisi ad liberandos patres.

Partis affir. 1 Arg.

2. Argu.

Secundò arguitur, quod limbus patrum non solùm sit idem, quod infernus, verùm idem quod infernus damnatorum. Christus enim dicitur infernum momordisse, iuxta illud Oseæ 13. Morsus tuus ero inferne: mordere autem est partem capere: cum ergo Christus omnes sanctos patres eduxerit, & damnatos reliquerit, subsequitur sanctos patres fuisse partem inferni.

3. Arg.

Tertiò arguitur, quod limbus puerorum & patrum idem sit, atque adeo idem cum inferno. Pœna debet respondere culpæ: sed tam patres quàm pueri pro culpa originali detinebantur: quare & vtrique pœna damni, scilicet carentia visionis puniebantur: ergo erant in eodem loco.

4. Arg.

Quartò de purgatorio arguitur. Eodem igne purgãtur electi à reatu pœnarum, quem de peccatis contraxerant, & cruciantur damnati, nisi quod horum supplicia æterna sunt, illorum verò temporalia: ergo in eodem sunt loco.

Pars neg.

In contrarium tamen est, quod diuersis meritis & pœnis diuersa accommodantur loca: damnati verò in perpetuum pœna sensus cruciantur, & purgandi in tempus: pueri autem nullum percipiunt sensu dolorem: ergo loco distant. Præterea patres in limbo spe beatitudinis fruebantur, ergo eorum limbus à limbo puerorum loco differebat.

Decis. art.

Quæstio præsens, non mouetur, vt vel purgatorium aduersus Lutheranos adstruere hic meditemur, de quo superius dist. 19. q 3. disseruimus: & quæstio. proxima verbum vnum repetemus. Neque verò de puerorum pœna locus est hic disputandi, vtrum scilicet sola pœna damni, an verò pœna sensus crucientur. Id n. lib. 1. de natura & gratia c. 14. diffusè tractauimus. De qua re Aug. variè sentire videtur. Sed supposita veritate, quæ iam ab illo seculo receptissima est, videlicet duntaxat pœnam damni, hoc est, priuationem diuinæ visionis pati, de solo loco & receptaculo, hoc loco ambigitur, quod & Lutherani etiam negare contendunt, dicentes originale peccatum etiam inferno dignum esse: imò nec per baptismum satis deleri, vt secundus eorum articulus ad Leonem continet. Quod nos lib. 1. de nat. & gratia cap. 9. expugnauimus. Ad rem ergo vt redeamus, quæstio quatuor exigit conclusiones. Primum autem de nomine sunt qui putent, quatuor illa receptacula subter terram generali nomine vocari inferos, locum verò damnatorum peculiariter vocari infernum. At verò certè infernus & inferi idem sunt. Paulus n. vbi ait, Omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, cunctos sub terra degentes insinuat. Nomen n. tam inferorum quàm infernorum, & pro personis ipsis, nempe pro dæmonibus & hominibus subtus latentibus, & pro locis in quibus abduntur, vsurpatur. Infernus autem singulariter accipitur pro loco. Limbus verò nomen græcum est, idem sonans quòd gulosus & insatiabilis, & vorax. Quare & inferno quoque potest accommodari. Sed iam Theologorum vsu pro locis, vbi nulla est pœna sensus, sed tantùm carentia diuinę visionis, vsurpatur. Nec desunt qui putent limbum seu puerorum, seu patrum aliam esse concauitatem muro distinctam ab inferno, in qua sunt pueri & fuerunt patres. At vero D. Tho. hic art. 2. eundē esse putat locum inferni, & purgatorij, & vtriusque limbi quātum ad situm, licèt qualitatib discrepent. Et certè est opinio longe probabilior. Et propter illas diuersas qualitates & distātias diuersa dicuntur receptacula. Atqui omnia illa subterranea loca plus minusue tenebrosa sunt. Et cum tenebræ in imo loco sint, quo lux non penetrat, secundum tenebrarū gradus perpenditur quisnam locus inferior sit, quisque infimus ac supremus. Est autem lux duplex spiritualis, scilicet gratiæ & gloriæ: quare tam priuatio gratiæ quàm gloriæ tenebræ dicuntur, quibus possunt & tenebræ infernalis ignis adhiberi.

Inferi, & infernus. Nota.

Limbus.

Lux spiritualis, duplex.

Igitur in damnatis tria sunt tenebrarum genera: sunt enim obducti tenebris gloriæ & gratiæ: & nonnulli etiam fidei, & insuper cruciantur tenebroso igne pœna sensus. Sancti verò patres perpurgati solis tenebris gloriæ, eisdemque in tempus vsque ad passionem Christi tenebantur. At verò iusti in purgatorio binas tenebras patiuntur, scilicet gloriæ & cruciantis ignis. Pueri verò non nisi tenebras gloriæ & fidei, easdem tamen in perpetuum.

Tenebrarū tria genera.

Ex his ergo colligitur prima conclusio huius articuli, quæ in vniuersum est receptissima. Limbus patrum supremus erat inter omnia subterranea receptacula. Probatur, quoniam illic minimum tenebrarum existit: scilicet gloriæ: neque enim illuc ignis inferni crucians pertingebat, neque spes gloriæ tollebatur: sed fide firma & spe illam præstolabantur. Et huc alludit illud Lucæ c. 16. Abrahæ ad epulonem diuitem, quem epulo eleuans oculos à longè viderat. In his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est.

1. Cond.

Ratio.

De reliquis verò duobus, scilicet purgatorio & limbo puerorum, nondum inter Doctores satis constat quo ordine disponantur. nam quidam, vt Palu distinctio. præsenti q 3. atque alij, arbitrantur, quod saltem post diem iudicij pueri erunt in superficie terræ luce solis fruentes. De hoc tamen nonnihil sermonis dist. 48. redibit. Interim tamen negandum non est (asserente id Augustino in lib. de baptismo paruulorum, & refertur de conse. d. 4 can. Nulla præter.) esse in perpetuis tenebris, atque adeo sub terra. Videtur ergo ex vna parte limbus puerorum esse inferior, tum quod fide & amicitia Dei careant, tum subinde quod in perpetuum à regno exulare debeant. Quam rationem D. Thom. secutus in 3. dist. 22. quæst. 2. art. 1. limbum puerorum sub purgatorio collocauit. Et hanc opinionem Ricard. dist. præsenti art. 1. q. 2. atque alij sequuntur. Sed ex altera videtur purgatorium esse inferius, infernoque damnatorum proximum: nam qui pœnam sensus patiuntur, videntur inferius subsidere, pueri namque illius expertes sunt: imò videntur eodem igne, quo damnati cruciantur purgari. Quam vtique rationem idem Doctor Sanctus amplexus in 4. distin. 21. q. 1. art. 1. ait, locum purgatorij esse inferno damnatorum coniunctum, quia eodem igne purgantur. Et hac dist. præsenti q. 1. artic. 2. ait limbum puerorum & patrum secundùm situm eundem esse locum, nisi quod patres sunt in loco superiori.

Purgatoriū & limbus puerorum.

S. Thom.

Igitur cum D. Thom atque alij de hoc variè fuerint locuti, statuitur tanquam probabilior secunda conclusio. Infernus damnatorum infimus omnium est, locus verò purgatorij illi superius coniunctus: limbus autem puerorum proximè superior, sed limbus patrum supremus. Duorum extremorum, scilicet inferni damnatorum & limbi patrum, ratio est plana. Sed quod ordo hic purgatorij & limbi puerorum congruentior sit, atque adeo probabilior. videtur ratio hæc modò tacta conuincere. Quicquid absque rerum multiplicatione satis intelligi potest, vt superfluam eandem multiplicationem respuit: potest autem & damnatorum cruciatus: & iustorum purgatio ab eodem igne commodè fieri: ergo supernacaneum est diuersos distinguere. At verò si idem ignis vtrosque attingit, necesse est loca esse coniuncta: nam si puerorum limbus interstaret, nequiret ignis ille pueros prætermittere, & remotiores vrendo purgare. Nisi quis fingeret, puerorum limbum ex vna parte, & purgatorium ex altera medium infernum circumcingere, quod nullam habet veritatis similitudinem.

2. Cond.

Ratio optima.

Secundò idem ordo comprobatur: quia illo constituto facilè intelligitur quemadmodum ignis inferni in profundo damnatos discruciet, & sursum iustos compurget, & superius ad pueros non attingat, & multò minus patres tetigerit: quare non opus est tunc diuersas cauernas fingere, vt interpositus murus ignem à limbis arceat, sed sint omnes quasi in eodem carcere.

Ratio 2.

Et tertiò inde idem ordo aptissimus apparet, quod cùm duplex sit pœna, scilicet & sensus, & damni, locus

Ratio 3.

Digitized by Google

suppliciorum sensus sit subtus, locus autem solius pœnæ damni sit supra, & rursus vterque sit bipertitus, nempe vt qui perpetuis cruciatibus sunt addicti, in ima Tartarorum abyssi sint obtrusi, qui verò temporalibus cum spe beatitudinis purgantur, superstent. Et pari modo in superiori loco pueri, qui diuino conspectu absque vlla spe priuati sunt, inferius subsint: qui verò patres cum certa spe beatitudinis potiundæ eiusdem conspectus saluatorem præstolabantur, in supremo fuerint receptaculo.

Solut. obiectionis. Quapropter ad argumentum in fauorem alterius opinionis factum respondetur, quod receptaculorum ordo non est perpendendus tam secundum accidentariam differentiam, quàm secundùm essentialem; essentialis verò est illa, quæ sumitur secundum pœnarum genus, s. sensus & damni: & ideo illi sunt subtus, & isti supra. Accidentaria verò est illa, quæ sumitur secundum tempus. Et ideo in vtroque loco illi qui perpetuam patiuntur, sunt inferius, qui temporalem, superius.

At nosse hic oportet quod non cuncta infernorum supplicia eos qui purgantur torquent, vt distinctione 50. monstrabitur, sed solus ignis, cuius natura est purgare.

Receptaculorum distinctio. Quomodo autem hic inferiorum & superiorum ordo distinguatur, coniecturis explorandum est. Nam cùm à centro terræ quocunque versus fiat ascensus, nempe ad superficiem, quæ rotunda est, appropinquatio: dubium est versus quod punctum cæli ascensio illa locorum sit consideranda. Et respondere possumus, quod versus orientem aut versus angulum mediæ diei quæ puncta sunt cæli præstantissima. Vel aliter fortasse dicendum, quod cùm damnati sint in centro, in circulo quocunque versus sunt illi qui purgantur: & superius quo ignis non attingit, sunt pueri, & in alio supremo circulo erant patres.

Vtrum vnica sit cauerna. Vtrùm autem vna sit omnium cauerna, nondum inter patres constitutum est, quia ex sacris literis colligi non potest, sed ex coniecturis. Atqui quantum ad nudas animas non est necessaria cauernarum distinctio: quia cùm nulla grauitate deorsum ferantur, possunt in sublimi quasi in aëre esse suspensæ. Post resurrectionem verò, quia damnatorum corpora nulla erunt agilitate dotata, cuncta ferentur ad centrum: quare tunc si cauerna est in imo centro terræ, necesse est dicere, quod erunt congesta, & aliud super alio conglomerata ad centrum, & vt in aceruo lapides, compressa, saxorum instar, quæ in camino ignis exuruntur, vt fiant calx. Portentosa miserorum calamitas, altissimaque meditatione exhorrenda. Nisi forte Deo aliter disponente ita sint corpora illic pendula, vt inuicem non se tangant. Qui autem dicere voluerit fore tunc in pauimento iacentia, necesse est dicat, cauernæ illius concauitatem non esse circum centrum: nam aliàs illuc corruentia corpora coaceruarentur, sed citra centrum. Et tunc distinguenda esset alia cauerna, quæ esset puerorum cum suis corporibus receptaculum. Nisi forsan supra terram sint deinceps habitaturi, de quo distinctione 48. rursum dubitabimus.

1. Argum. At verò contra id quod de limbo patrum dictum est, arguitur. Limbus patrum idem est, quod sinus Abrahæ, vt Lucæ 16. admonemur, vbi legitur, quod mortuus Lazarus portatus est ab angelis in sinum Abrahæ: sinus autem Abrahæ etiam nunc perseuerat: ait enim August. 9. lib. Confessionum de Nebridio amico suo, quod in sinu Abrahæ viuebat: nunc autem nemo purgatus descendit ad inferos: ergo non fuit illic limbus Patrum.

2. Arg. Secundò idem August. 12 super Genes. ad literam cap. 33. ait, nondum inuenisse inferos appellatos vbi iustorum animæ requiescunt. Et inferius subdit: Nec mihi occurrit inferos alicubi in bonum posuisse scripturam canonicam: limbus autem Abrahæ in bonum sonat, vbi iustorum animæ requiescunt, ergo nunquam fuit sub terra.

3. Concl. Ob hoc ergo statuitur tertia conclusio. Sinus Abrahæ est quicunque locus, quo animæ compurgatæ res quiescunt, qui ideo per se paradisus cœlestis est, accidit tamen ei ante orbem redemptum, vt esset sub terra. Nomen enim hoc, sinus Abrahæ, ex fide Abrahæ originem duxit. Nemo enim post peccatum Adæ, vt creberrimè diximus, nisi per vnius fidem Christi seruari potuit, iuxta illud Actuum 4. Non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Primus autem mortalium, cum quo Deus de mysterio venturi Messiæ tractauit, fuit Abraham, qui pollicitus fuit, in semine suo omnes gentes benedictionem susceptura: & quia in senectute sua & vxoris iam effœtæ id credidit, fidei laudem meruit, iuxta illud Genes. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, quod ad Rom. 4. refert Apostolus. Ob idque characterem circuncisionis accepit, quæ erat signaculum & professio iustitiæ fidei, atque adeo nomen hæreditauit, vti ait Apostolus, vt esset pater omnium credentium, & quia patris est filios in sinu suo fouere & protegere, sicut gallina sub alis suos complectitur pullos, inde sinus Abrahæ, vt eodem libro ait August. locus ille, quicunque sit, censetur: vbi nitore fidei & charitatis sine macula & sine ruga splendentes requiescunt. Et quoniam ante Christi mortem, quando pretium redemptionis solutum non erat, nemo in cœlum recipi poterat, sinus ille, quo iusti recondebantur, ab Hebræis apotheca & custodia iustorum dicebatur, à Christo autem appellatus fuit sinus Abrahæ, vt fidem significaret, in cuius virtute seruabantur. Itaque limbus ille bifariam est considerandus: nam quatenus spe certa patres illi recreabantur possidendæ regni hæreditatis, sinus Abrahæ appellabatur, sed quatenus aliquid eis requiei deerat, quia nondum visione Dei fruebantur, dicebatur limbus inferni.

Dubitatio. Quapropter hæsitare quis posset, vtrum carentia illa visionis diuinæ aliquatenus eos afflixerit. Respondetur, negari non posse, quin ex natura rei, nempe desiderij, quo ardebant aduentus Messiæ, per quem erant in possessionem hæreditatis mittendi, afflictarentur. Sed tamen certè spes, quam suæ fœlicitatis habebant, & præterea quia cognoscebant secundùm diuinam dispositionem, quæ omni est æquitate plena, cuique suam habebant voluntatem conformem, aduentum Domini non tardare, diuina consolatione eandem afflictionem vel repensabant, vel cohibebant. Vnde illa suspiria, vt cœli iustum rorarent, & quod Deus cœlos inclinaret, & descenderet, & similia, non tam afflictionis erant indicia, quàm firmissimæ spei & ardentissimæ charitatis. Igitur post Christi mortem, resurrectionem & ascensionem sinus Abrahæ cœlestis paradisus est, quæ nomen propter dignitatem fidei retinet. In quo sensu Ecclesia in defunctorum exequijs Deum precatur, vt eos in sinu Abrahæ suscipiat. Atque illic August. suum putabat esse Nebridium. Et in sinu Abrahæ ait, animas sanctorum expectare resurrectionem, per quam sua recipiant corpora.

Ex quo fit tandem consequens, sinum Abrahæ significare per se locum, in quo Deus facie ad faciem videtur: nam visio illa est merces fidei Christi, quam professus est Abraham. fuit nihilominus eidem Abrahæ sinui ante Christi mortem accidentarium, vt tunc illa visione non illustraretur. In illis verò quadraginta diebus inter resurrectionem & ascensionem interiectis sinus Abrahæ erat in superficie terræ, vbi animæ illæ beatæ Deum videbant, iuxta verbum Christi ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso.

Vnde vt ad Augustinum respondeamus, quando dicit, inferos non appellari vbi iustorum animæ requiescunt, neque in bono vsurpari, intelligit ea ratione, qua inferi & limbus significant, non quidem quietis rationem, sed quietis defectum. Nihilominus accidentariè fuerunt coniuncta infernus, id est, locus sub terra, & sinus Abrahæ. Sic S. Thom. respondet & alij: quamuis mens illic August. non sit satis liquida. fortasse namque aliquando ea fuit imbutus opinione (quam post deseruit) vt artic. proximo videbitur, quod animæ non euolent in cœlum vsque ad diem iudicij, sed sint etiam nunc in limbo qui non erat nec est subter, sed super terram. Et idcirco ait de sanctis patribus nunquam esse assertum, descendisse ad inferos tanquàm ad sinum Abrahæ: quare illud Genes. 44. de Iacob, Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos: de loco damnatorum intelligit. Videtur enim, inquit, hos magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, vt non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum: quæ re vera interpretatio non est nisi docta. Quare & eodem pacto illud Iob 17. intelligi potest, in profundissimum infernum descendent omnia mea. Tametsi & de limbo patrum ratione supradicta intelligi possit, quem insinuauerat, dicens: Infernus domus mea est. Vnde subdit: Putásne saltem ibi erit requies mihi? quia illic in limbo non erat plena.

Sinus Abrahæ.

Digitized by Google

Sol. 1. ar.

Ad primum igitur principale argumentum respondetur, concludere, quòd loco & situ limbus patrum & infernus idem sunt, nempe sub terra: & quod probabilius diximus, in eadem concauitate. Sed nihilominus limbus patrum est in suprema parte, quò ignis inferni non attingit.

Sol. 2. ar.

Ad secundum commune ferè omnium responsum est, sic intelligentium articulum fidei de descensu Christi ad inferos, quòd non descenderit nisi vsque ad limbum patrum, & quia illos inde eduxit, dicitur infernum momordisse, accipiendo infernum pro omnibus simul receptaculis, quorum pars erat ille limbus, qui relictus est vacuus: nam nec de limbo puerorum, nec de inferno damnatorum vllum excepit. Et sic intelligitur illud Zachariæ. 9. Tu verò in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu. Neque verò, vt communis habet opinio, de purgatorio quempiam eripuit, nisi illos qui secundum diuinam iustitiam essent purgati. Aut illos, vt. 3. par. q. 52. ar. 8. ait S. Th. qui dum viuerent, per fidem & deuotionem ad mortẽ Christi meruerunt vt illuc descẽdente liberarẽtur. Et re vera si rigorem iustitiæ Dei speculemur, ita dicendum est. Nihilominus profectò, vt superius dicebamus, nihil absurdi dixisse videbitur, qui dixerit, ex singulari priuilegio tũc Christũ inde omnes liberasse, idque virtute suæ passionis: nam si eadem virtute, qua indulgentiæ pontificiæ modò nituntur, propter aliquod celeberrimum factum aut festum conceduntur indulgentiæ, & nonnunquam liberationes animarum a purgatorio, nil mirum si in tanta festiuitate, quantam tunc inferis præsentia Christi attulit, libertate omnes donarentur qui filij Dei erant. Et videtur sententia Augustini loco citato. 12. super Gen. cap. 33. vbi ait, Christi animam descendisse vsque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, quos esse soluendos occulta sua nobis iustitia indicabat. Quo sensu intelligit illud Petri Actuum. 2. Quem Deus suscitauit ex mortuis solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis. Et eadem videtur sententia Damasceni, in sermo. de fidelib. defun. vbi ait, quòd eduxit omnes illos qui in fide formata discesserant. Atque hoc pacto efficacior intelligitur morsus, quo infernum momordit. s. vt ex quatuor receptaculis duo euacuauerit. Sed hoc iudicio prudentium committitur, dum ecclesia aliud non definit.

De purgatorio qui fuerint liberati.

Sententia autoris.

Sol. 3. ar.

Tertium argumentum solutum restat, vbi concessimus ambos limbos esse in eodem loco, extra ignem tamen, licet ille puerorum sit ordine inferior.

Sol. 4. ar.

Et pari tandem proportione solutum restat & quartum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm statim post mortem quorumcunque animæ in istorum aliquem locorum deducantur.

HOc ordine receptaculis dispositis, quæritur de modo, quo illuc animæ ingrediantur, & arti. seq. de modo quo exeant. Quæritur ergo vtrùm eodem momento, quo anima corporis ergastulo liberatur, ad suum deducatur receptaculum. Et arguitur à parte negatiua. Anima, vt. 1. de anima tex. 49. & subseq. auto. est Aristot. cum sit actus corporis, per se de loco ad locum non mouetur, sed per accidens ad motum corporis: quemadmodum idem ait Philosophus, quòd motis nobis mouentur ea quæ in nobis sunt: ergo anima separata moueri localiter non potest, quandoquidem localis motus à corpore pendere videatur: vnde colligitur, quod anima exuta corpore si non portetur, ad nullum valeat receptaculum commigrare: quòd autem portentur ab alijs non est necesse.

Partis negatiuæ 1. arg.

2. Argu.

Secundò. Videntur iustorum animæ, in quibus nulla reatus macula purganda existit, in nullum protinus receptaculum euolare: nam si in aliquod euolarent, illud esset cælum: quòd autem illuc non ferantur, videtur sentire Aug. in glossa super illud Psalmi. 36. Adhuc pusillum & non erit peccatum, dicens quòd licet sancti liberentur in fine vitæ, post hanc tamen vitam non ibi erunt, vbi erunt sancti, quibus dicetur, Venite benedicti patris mei. Et in Enchirid. cap. 109. (quod refertur. 13. quæstione. 2. can. Tempus) ait, Tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis cõtinet sicut quæq; digna est, vel requie vel ærũna pro eo quod sortita est in carne dum viuere[t].

[illegible]

In contrarium tamen est, quod de iustis ait. Paul. ad Philippen. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo: ex quo. Grego. 4. dialogo: infert. Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cælo negat. Et de damnatis habetur Lucæ. 16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno, vt vulgo legitur.

Anima separata an moueatur localiter.

Quæstio in duobus argumentis tres conclusiones deposcit. Primo enim argumento quæstio submouetur, vtrùm anima separata per se moueatur localiter, quæ profectò quæstio non est contemnenda: nam cùm vnicuique rei actiones iuxta naturam suam congruant, & anima non sit per se suppositum sed forma suppositi, quamuis anima separata possit per se intelligere, & velle, quia illæ sunt actiones a corpore non dependentes, non tamen posse videtur secundùm locum moueri, eò quòd motus localis corporalis sit.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Argu.

Et secundò arguitur, quia si anima moueretur secundum locum, deberet moueri successiuè secundùm tempus nostrum, quemadmodum mouetur in corpore: nam dicere quod mouebitur secundùm angelorum instantia, quæ non sunt nostri temporis, esset concedere eidem rei duos diuersissimos mouendi modos suapte natura competere: neque rursus dicere, quòd separata mouebitur secundùm tempus nostrum, videtur rationi consentaneum, propterea quòd sit tunc purus spiritus, atque adeò nullatenus à loco & tempore pendens.

3. Argu.

Tertio. Si anima separata se ipsam mouere valeret, consequens fieret, vt posset subinde mouere corpus, quemadmodum angelus, postquam est pariter spiritus, cui corpora subsunt: consequens tamen ostendit falsum D. Tho. 1. par. q. 117. art. 4. quia ob id, quòd suapte natura est actus corporis, non habet nisi vnicum determinatum medium ipsum mouendi, scilicet animando & viuificando: quare nec membrum mortuum dum est in corpore mouere potest, neque corpus egressa potest suum mouere cadauer. Item consequeretur quod posset dùm vellet corpus relinquere & abire nuda.

1. Concl.

Certè argumenta non sunt despicanda, nihilominus constituitur prima conclusio. Anima separata potest se ipsam localiter mouere. Conclusio in sententia Aristotelis non potest planum fundamentum habere, eo quòd de anima separata nunquam fuit clarè locutus, neque præter intelligere & velle de aliqua eius actione tractauit, nisi in corpore. Probatur tamen hac ratione. Anima, vt dist. 43. artic. 1. monstrauimus, est per se subsistens: nempe natura sua potens separata subsistere, cui tunc intelligere & velle competit: demus ergo præter legem animam sine culpa & gratia à corpore separatam, vt si homo in puris naturalibus conditus moreretur: qui negaret animam se posse mouere, fateri teneretur, quòd eodem loco, quo corpus egreditur, deberet perpetuò manere: consequens tamen videtur absurdum, nam posset illa anima alia à se distantia loca agnoscere, ac subinde appetere: cùm ergo suapte natura corpore non indigeat, vt sit, videtur eadem natura ei tribuisse, vt possit de loco in locum migrare. Adde quòd cum Aristoteles illa animalia, quæ de loco in locum se non possunt conferre, vt conchilia, imperfectissima esse dixerit, non est animæ, cui perfectissimã vitã natura tribuit, illa denegãda mouẽdi facultas.

Ratio conclusionis.

Animalia imperfectissima.

Ratio. 2.

Secundò id probatur. Animæ separatæ possent gregatim vitam ducere, & Rempub. suo ordine gubernare: possent ergo moueri, secundùm quod earum prudentia disponeret, possetque vnaquæque incommodum fugere, si in vno loco ei immineret, atque adeò inde fugiendo recedere.

Ratio. 3.

Item, Anima virtutem motricem viuenti corpori impertitur, veluti alia quæcunque vitæ opera: ergo postquam motus localis non repugnat spiritui separato, non est cur non eandem virtutem separata retineat mouendi sese.

Ratio. 4.

Ad hæc, vt ar. subseq. videbimus, animæ separatæ possunt de suis receptaculis exire, & viuis apparere, vt Augu. lib. de cura pro mort. gerenda, & D. Tho. 1. par. q. 89. artic. 8. ait: ergo possunt localiter moueri: nam si dicas id non posse, nisi Deo eis supranaturalem virtutem tribuente, non est necessarium. Præsertim quod tunc sequeretur, animas damnatas non posse à tartaris exire, quod nulla ratione conuincitur.

Sol. 1. ar. Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis propositum respondetur, ob id quod anima sic est actus corporis, vt tamen sit per se subsistens, ei conuenire non solùm corpus mouere, verùm & se ipsam separatam. Et pariter alia soluitur ratio, qua

Sol. 2. ar. obijciebatur, animam non esse suppositum, satis enim est per se subsistere, vt mouere se valeat.

Vnde ad aliud respondetur, non moueri tunc ea successione, quæ tempore nostro mensuratur: ille enim motus à corpore pendet, sed secundùm tempus angelicum, cuius instantia possunt esse immediata: ita vt possit in hoc instanti anima esse in hoc loco, & in altero fine medio tempore esse in alio loco: quēadmodum de angelis ait. S. Thom. 1 par. q. 53. ar. 3.

Sol. 3. ar. Neque obstat postquam habet naturam quodammodo duplicem, vt scilicet sit actus corporis, & præterea per se subsistens, quod habeat duos illos mouendi modos.

Sol. 4. ar. Ad postremum respondetur negata consequentia: non enim si se animæ separatæ possunt mouere, sit consequens, vt mouere valeant corpora. Enimuero angeli quia sunt substantiæ spirituales, quorum virtutes non determinantur per respectum ad corpus, habent vt corpora quæcunque obedientia eis sint in locali motu: animæ verò non habent virtutem motricem corporum nisi determinatam ad certa corpora, & certum modum: & ideo nequeunt illa nisi viuificando mouere. Et multo minus consequitur, vt possit dum ei libuerit corpus egredi, illudque relinquere: quia cum sit actus corporis, sicut non potest illud ingredi nisi per generationem hominis, ita nec potest abire nisi per eiusdem hominis corruptionem.

Contra hanc autem definitionem militare videtur

Luca 16. illud Lucæ 16. Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ: quo verbo docemur, angelos animas defunctorum deferre: vnde videtur subsequi, quòd non ipsæ se ipsas moueant.

2. Concl. Ad hoc per secundam conclusionem respondetur. Animæ defunctorum non quidem necessitate, eo quod in sua receptacula conferre se ipsæ nequeant, sed alijs de causis deferuntur vel ab angelis, vel a dæmonibus. Et primò, vt à iustorum animabus exordiamur, quæ nihil habent purgandum, sed cum innocentia baptismali absque macula & ruga, à corporibus liberantur, nullam habent necessitatem, vt ab alijs spiritibus euehantur, sed ipsæ volare possunt.

Nota. Ad intellectum autem huius & subsequentium conclusionum adnotandum, eodem momento quo anima corpus exuit, eodem loco iudicari: nam illas, quæ vel inferno vel purgatorio vel puerorum limbo sunt adigendæ, non est putandum in cælum ad tribunal Christi prius aduolare, vt sententiam audiant, sed ex corporibus rectà in sua quæque receptacula mittuntur: cum ergo missio illa sit iudicij sententiæque executio, & sententia debeat executionem antecedere, tanquam causa effectum: iuxta illud Matthæi. 25. Quia dedistis mihi manducare, ite benedicti, & quia non dedistis, ite maledicti: consequitur vt eodem protinus loco, quo quæuis anima à corpore expiratur, iudicetur. Fit autem iudicium illud mentaliter, reuelatur, inquam, cuique animæ, idque

Anima iudicij mentale. virtute Christi aut per angelum custodem, aut certè per infusionem specierum aut cognitionis, quo statu quibusque meritis decedat, adiecta sententia, quā inde statim anima exequi pergit. Et quia ista iudicij reuelatio fit virtute & autoritate Christi, cui datum est iudicium facere, quia vt ipse ait Ioan. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: in morte cuiusque dicitur idem dominus illuc aduenire: De quo aduentu ait Matth. 24. Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit: vt bene illic adnotauit Abulensis quæst. 239. Non quod corpore illic adsit, sed virtute & effectu. Quemadmodum dicitur venire in cor nostrum dum illud suo numine tangit.

Anima iustorum illico in cælum euolant. Igitur, vt ad conclusionem reuertamur, iustorum animæ nihil purgandum habentes per se illico possunt in cælum euolare, quia nec facultas eis deest, vt dictum est, mouendi se, neque loci, quo ituræ sunt notitia, & viam quoque sciunt: nam postquam in ipso exitu corporum iam sunt beatę quicquid ad earum beatitudinem attinet illico noscunt, alioqui non esset perfectè beatæ: & quando id non per se nossent, per iudicij sententiam agnoscerent. Præterea auiditas eos tenet ingentissima in cælum euolandi. Adhæc & summa obedientia obtemperandi Christo. Quare sola eius voluntas & iussio sufficeret, vt citissimè illuc se raperent. Nihilominus angelico ministerio euehuntur honoris gratia, & præsertim vnaquæque anima à suo angelo custode eleuatur, quam Christo quasi suo munere functus offerat. Deinde & secundùm meritorum cuiusque cumulum illic angeli aduentant, vt de diuo Benedicto, Antonio & Martino Gregorius atque alij referunt: nam tanta est angelorum erga Dei seruos, sibique adeò conseruos charitas, vt non tantùm in cælo eos præstolentur, sed morientibus adsint, & eorum animas tanquam Christi sponsas ad eius thalamum deferant, & tanquam victrices ad triumphum deducant.

Angeli animas in cælū euehunt.

Gregor.

De damnatis vero diuersa est ratio: nam etsi per latam sententiam mente nouerint cui sint carceri mancipandi, tamen neque oportet eos viam scire, neque

Animas damnatorum dæmones rapiunt. adnuunt, imo renuunt horrentque illuc ire. Neque sunt iudici obedientes, vt eius iussa capessant, sed odio & rebellione recalcitrant. Quare non sufficeret illas animas verbo mittere, nisi aliqua Dei potestas illas surriperet, instar secularis iustitiæ, quæ per suos ministros, reos in carcerem trudit. Præterquam quòd potestates illæ tenebrarum adeò sunt animas torquendi cupidæ, vt etiam si non iuberentur, sed tantùm permitterentur, eas de corporibus egressas illico surriperent. Quare certum est illas proripere, & secum importare.

Anima puerorum sine baptismo decedentium. Atque idem est de puerorum animabus siue baptismo decedentium, quamuis non permittantur dæmones tam truces & feri eas rapere: quia nunquam se per propriam voluntatem illis submiserunt, sed tanquam executores sententiæ aduersus Adam latæ, & illius Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: illas vt conijcitur, ad limbum adsportant, vbi illas relinquunt: quia cum non debeant illas torquere, non est cur illas sua præsentia molestent.

Anima purgatorio destinata. De illis verò quæ purgatorio deputantur, medio modo dicendum. Sciunt, inquam, in quem sint locum adigendæ. Et quamuis tormentorum conditio eas absterreret, vt ire illuc renuerent, tamen quia obedientes sunt diuinis mandatis, & sciunt ad patriam, cui destinatæ sunt, non posse nisi per purgatorium transeuntes peruenire, absque alio spiritu, qui eas importaret, sua sponte irent. Vero simillimum

Nota. tamen est ab angelo saltem custode illuc deferri: tum vt angelus animam viam ignorantem ducat, tum vt sua consolatione amicam confortet. Vt solent eos amici qui in supplicium rapiuntur. At verò chorus angelorum, qui solet sanctas animas in cælum comitari, non creditur eas in purgatorium deducere: quoniam iubilus ille angelicus solis purgatis debetur. At in purgatorio angeli animas non cruciant: quia non est angelorum cælestium officium eas vt carnifices torquere. Neque verò dæmones eas torquere existimantur, quia sunt filiæ Dei, eiusque regni hæredes, & cohæredes Christi, sed flamma ab inferno exultans eas compurgat.

Iustorum animæ ex statim in cælū euolent. Materia verò secundi argumenti in aliam nos meditationem mittit, vt exploremus, vtrùm sanctorum animæ illico de corpore absque mora transferantur in cælum. Et eadem est meditatio de illis, quæ sunt in purgatorio cum primum fuerint perpurgatæ. Haud enim defuerunt qui opinione negatiua fuerint intincti.

Opinio D. Bernardo impingitur. Et sunt qui illam diuo Bernardo tanquam eius autori impingere moliantur, qui sermone 4. de festo omnium sanctorum videtur eam multis verbis affirmare. Fuit tamen longe antiquior: nam diuus Hieron. super Ezechielem ca. 36. plures antiquorum eosdemque catholicos in eandem refert sententiam. Et

Vigilantij error. Vigilantius contra quem idem Hieron. scripsit, eodem tenebatur errore. Et si coniecturis agendum est, videtur à Papia Ioannis discipulo originem duxisse ex illo. s. supra memorato errore, quòd Christus post sex annorum milliaria venturus esset, instauraturusque Hierusalem, vbi mille annis cum iustis regnaret, & postmodum futura esset generalis resurrectio. Inde enim, vt conijcio, in hunc sunt errorem collapsi, quòd vsque ad illam resurrectionem animæ iustorum non sint cælum ingressuræ. Quam opinionem Irinæus. li. 1

Irinæus. aduersos Valentinianos fuit sequutus, vt in eius pro-

Digitized by Google

Tertul.

go colligit Erasm. Et Tertullia. li. 4. aduersus Marcionem ait, quod sinus Abrahæ, de quo fit mentio Lucæ. 16. locus est non cælestis, sublimior tamen inferis: interim refrigerium animarum iustarum, donec consummatio rerum per resurrectionem omnium plenitudine mercedis cælesti apparitura eas expungat. Vbi insinuat iustorum animas non statim in cælum euolare, sed in limbum patrum, vt olim, descendere: quem ideo locum in Apologetico, cap. vlt. paradisum appellat. Atque huius opinionis sine autorum nominatione meminit S. Thom. 4. contra gentes cap. 91. vbi de hac re disserit. Et in eadem opinione fuit Lactantius lib. 7. Bernardus verò postmodum loco citato non prorsum cum illis antiquis consensit, quippe qui sanctorum animas in cælo collocat, sed ait solùm frui visione humanitatis Christi. Sic illud exponens Apocalyp. 6. Sub altari Dei audiui voces occisorum, vindica domine sanguinem sanctorum tuorum, &c. Quo vtique altaris nomine Christi humanitatem designat, cuius sola nunc visione animæ recreantur. Sed postmodum resumptis corporibus exaltabuntur, inquit, super altare, vt diuinitatem conspiciant: quia tunc, inquit, Christus ostendet se non in forma serui, sed in forma Dei. Ostendetque subinde patrem & spiritum sanctum. Hæc Bernardus. De hac re latè in nostris lectionibus scripsimus super D. Thomam. 1. 2. q. 4. art. 5. quo rem hanc etiam discutit.

Lactantius cap. 25

Bernard.

3. Concl.

Sit ergo tertia præsentis articuli conclusio. Sanctorum animæ, quæ vel nil habent purgandum, vel iam sunt purgatæ, absque vlla mora protinus recipiuntur in cælum, vbi diuinam essentiam clara visione contuentur. Hanc conclusionem impræsentiarum D. Tho. ceu catholicam affirmat, dicens quòd huic veritati autoritates scripturæ canonicæ manifestè attestantur, & documenta sanctorum patrum, vnde contrarium pro hæresi, inquit, est habendum. In Summa tamen loco citato solùm asserit contrarium esse falsum. Iam verò Pontificia autoritate veritas hæc definita est, nam Ioannes Papa 22. vt Marsilius refert in quarta quæstione 13. articulo tertio errorem illum Lactantij & Irinæi tenuit & publicè prædicauit, sed ex decreto Parisiensis vniuersitatis illum retractauit, & tandem Benedictus duodecimus in sua extrauag. quæ incipit, Animas purgatas, sanciuit tanquam catholicum, quod animæ sanctorum vtriusque testamenti postquam Christus in cælum ascendit, cùm primùm fuerint purgatæ ante corporum resurrectionem sunt in cælo in consortio angelorum, & vident diuinam essentiam.

Concl: catholica.

Pontificum decretum.

Et ne cui Pontifex gratis id sanxisse videatur, testimonijs sacræ scripturæ & sanctorum & rationibus comprobatur. Et primum omnium est illud testimonium Pau. 2. Corin. 5. Scimus quoniam si terrena domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis, vbi insinuat, nullum esse interuallum aut temporis, aut loci, sed quòd dissoluta habitatione corporis, illico commigramus in æternam cohabitationem, quæ est in cælis. Ad quod alludit aliud Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis (scilicet per mortem temporalem) recipiant vos (id est, protinus excipiant) in æterna tabernacula. Sed clarius eodem loco Paulus: Quandiu sumus, inquit, in corpore, peregrinamur à Domino: & quia peregrinari idem est, quod absentem esse, rationem absentiæ explicat dicens: per fidem enim cognoscimus & non per speciem: ergo per oppositum esse præsentes Deo, est cognoscere per speciem Deum & intuitiuè: sed animæ sanctorum corporibus exutæ illico sunt Deo præsentes: nam subiungit continuò Paulus, Habemus voluntatem peregrinari à corpore & esse præsentes Deo: ergo animæ peregrinantes à corpore protinus sunt in cœlo, atque adeò Deum per speciem non in ænigmate contuentes. Cui & illud consonat ad Philippenses. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo: quasi nulla intersit mora, si modò quisque talis sit qualis Paulus. Vnde Luc. 23. Christus ad Latronem, Hodie, inquit, mecum eris in paradiso: quod non potest nisi de visione beatifica intelligi. Et actuum. 7. Stephanus, Ecce, inquit, video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Quasi illuc esset statim recipiendus. Et Apostoli, vt Matthæi. 19. legitur, assessuri sunt Christo ad iudicandum, ergo ante diem iudicij in cælo existunt. Sunt & sanctorum testimonia, vt Augustini nono confessio. qui suum Nebridium ait esse in illo sinu Abrahæ, vbi bibit ad fontem quantam potest sapientiam sine fine fœlix. Et in libr. supputatio. ait ad sanctos, Fœlices sancti omnes de pulchritudine Dei iam satiamini, de cuius beatissima visione semper gaudetis. Et Gregorius quarto dialogorum, id tanquam catholicum definit quam plurimis subiunctis exemplis animarum, quæ a corporibus recta in cælum angelorum comitatu perductæ sunt. Vnde capitu. 25. allegato loco Pauli, Cupio dissolui & esse cum Christo, collectionem hanc subiungit, Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cælo negat. Et Origenes Homil. 3. Is, inquit, qui de corpore exierit, si mundum habuerit cor, statim meretur diuina videre: quia spiritualia illa non videntur per corpus.

2. Cor. 5.

Testimonia sanctorum. August.

Grego. 4. Dialo.

Cap 25.

Origenes.

Hic Origenes primam rationem conclusionis insinuat, quæ est hæc. Vera beatitudo in visione diuinæ essentiæ consistit: intellectus autem ad huiusmodi visionem corporeo phantasmate non indiget, quia diuina essentia, quæ purè spiritus est, per phantasma videri nequit, quo intellectus in corpore vtitur: ergo corpus ad perfectionem beatitudinis essentialem non est necessarium, atque adeò non est cur anima separata corporis resurrectionem expectet ad videndum Deum: nam diuina opera ordine & sapientia sunt disposita: quare si ex natura rei præsentia corporis ad visionem illam non est necessaria, error est dicere, absque corporibus animas non videre Deum.

Ratio conclusionis.

Quinuerè arguitur secundò. Beatitudo, vt Matthæ. 5. ait Dominus, merces est operum, quæ per Dei gratiam fiunt: mandatum verò Dei Leuitic. 19. extat. Ne merces mercenarij maneret apud Dominum vsque mane: æquissimus ergo Deus nil moratur mercedem retribuere: cũ ergo in exitu animæ à corpore finiatur merendi tempus, fit vt habenti cor mundum illico merces illa visionis tribuatur, iuxta illud Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Et Apocalyp. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur: quo insinuatur, illico à morte esse beatos.

Ratio. 2.

Et est tertium maximum argumentum, quòd si sanctorum animæ non illico in hæreditatem gloriæ admittuntur, sed vsque ad diem iudicij expectant, non multum nobis profuisset, quòd tanto tempore ante illum diem Christus nos redemisset: nam poterant animæ nostræ vsque in illum diem veluti sanctorum patrum in limbum descendere: consequens tamen hæreticum est contra illud Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum: appropinquari enim nihil aliud est quàm aperiri cælum. Baptismus namque, vt cap. Maiores, de baptismo & eius effectu decretum est, regnum cælorum aperit, ob idque lex nostra dicitur lex gratiæ, quæ iam adoptiuos filios non ceu seruos, & vt ait ad Galat. 3. Pau. tanquàm paruulos sub pædagogo ab hæreditatis possessione cohibet, vt antiquos patres, sed tanquàm liberis & proiectis eandem hæreditatem tribuit. Sumus enim, vt ad Roma. 8. ait idem Apostolus, hæredes Dei, cohæredes autem Christi, atque adeò vt ipse suam humanitatem in cælum euexit, vbi diuina visione fruitur, sic & omnia sua membra, nempe animas, dummodò sint sine macula & ruga, ad eandem protinus hæreditatem admittit.

Ratio. 3.

Cap. Maiores.

Ad Gal. 3.

Roma. 8.

Quartò arguitur. Deus longè propensior ad miserendum est largiendumque præmia, quàm ad vindicanda crimina, reproborum autem animæ absque mora per suam iustitiam detruduntur in tartara: quia nulla fingi potest causa, cur debeant corporum resurrectionem expectare: & pariter puerorum animæ abduntur in limbum, & qui purgandi sunt, addicuntur purgatorio: ergo cùm corpus, vt dictum est, ad visionem intellectualem Dei non sit requisitum, fortiori ratione animæ corpora exeuntes cælum aduolant.

Ratio. 4.

Neque naturalis similitudo deest, quæ rem confirmet. Quod enim in corporibus grauitas est & leuitas, hoc in animabus est meritum & demeritum: ergo sicut graue corpus protinus deorsum fertur, & leue sursum, ita & anima lethali crimine onusta ad ima descendit, & quæ per gratiam Dei sublimem ha-

Ad Philippen. 1. Luca 23.

Actuum. 7.

Simile.

bet affectum, nisi aliquid impediat quod sit purgandum, statim sursum ad Deum aduolat.

Sol. 2. ar.

Ad secundum igitur argumentum respondetur, primò, vt supra dicere cœpimus, quod suspicione non caret, aliquando Augustinum illa fuisse tentum opinione, quòd iustorum animæ ante finalem resurrectionem non sint in cœlo, sed in limbo patrum, qui erat sinus Abrahæ, quem non putabat esse sub terram, vt 12. super Gene. ad literam. cap. 33. insinuat, sed super terram in aliquo honorabili loco: nam expressè ait in glossa citata Psalmi, quod post hanc vitam non erunt ibi, vbi erunt sancti, quibus dicetur, Venite benedicti patris mei, &c. Etenim eius mentem sic interpretari, quòd duntaxat voluerit dicere, quòd non habebunt duplicem stolam animæ & corporis, non plenè illi verbo satisfacit, Non erunt ibi, vbi erunt sancti. Et secundus locus in Enchiridio id præ se fert, cùm tempore inter hominis mortem & resurrectionem interposito dicat animas abditis receptaculis teneri: abdita namque non cælum, sed terrena habitacula designat. At verò certum est postmodum sententiam mutasse, atque adeò confessum animas in cælo Deum videre, vt patet locis citatis, & lib. 9. confessio. vbi eum esse ait in loco, in quo Deum videt, atque alijs locis frequentibus. Qui verò sustinere voluerit, Augustinum nunquam aliter, quàm veritas habet, fuisse opinatum, glosset ipsum cum S. Thoma, quòd cùm ait, non esse nunc ibi, vbi erunt sancti, intelligat, non habere nunc vtramque stolam: & cùm ait, inter mortem hominis & resurrectionem esse animas in abditis receptaculis, inter ipsa abdita receptacula connumerasse tam cælum quàm infernum: sed designauit illud tempus medium, quia tunc non habens completum affectum, quem habent ad corpora.

Au. opinio.

In Enchiridio.

Aug. sententiã mutauit.

Glossa S. Thom.

Obiectio.

Et per hoc respondetur ad aliud argumentum, quod Greg. 4. libr. dialogorum soluit, Pœna & præmium, quæ per sententiam iudicij redduntur, non debent iudicium ipsum antecedere: supplicia verò inferni & gaudia paradisi reddentur per sententiam Christi in vltimo iudicio, vt patet Matth. 25. Ite benedicti, &c. ergo antea non sunt in illis locis. Respondet, inquam, Grego. quod tunc sententia mittet non solum animas, sed damnatos ipsos cum suis etiam corporibus, in quibus illuc vsque non erunt corpora.

Dilutio.

Ad illud verò, quod fuit Bernardi fundamentum, Apocalyp. 6. Vidi subtus altare animas interfectorum, &c. respondet glossa, interlinearis illud non intelligi de animabus existentibus in ecclesia triumphante, sed in isto mundo sub agone martyrij. Sunt enim tunc sub altari Dei, id est, sub protectione Christi. Vel dicuntur esse animæ sub altari, id est, in templis, vbi condita sunt corpora, prænunciantes tyrannorum vindictam. Neque tamen credendus est Bernardus in illa opinione permansisse: nam alibi sæpè videtur veritatem confessus, scilicet quòd animæ visione beatifica fruantur.

Ad fundamentũ Bernardi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm animæ ex prædictis receptaculis aliquando egredi valeant.

Pars negatiua argum. 1.

QVONIAM constitutum est animas statim post mortem ad sua transmitti receptacula, quæritur an inde valeant exire Et arguitur à parte negatiua, primum ex authoritate August. lib. de cura pro mortuis gerenda. c. 13. dicentis. Si rebus viuentium vterentur animæ mortuorum, vt de alijs taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra mariq; secuta est, vt mecum viueret: vnde colligit, mortuorum animas viuentium rebus non interesse.

2. Argum.

Secundò arguitur ex illo Psalmi: Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: & Iob. 13. Qui descendit ad inferos, non ascendet: ergo saltem ex inferno aut paradiso nulla potest egredi anima.

Pars affirmatiua.

In contrarium est Hieronymus contra Vigilantium, ostendens animas illis receptaculis non sic esse mancipatas, quin Deo sic disponente, permittente vel iubente egredi ad nos valeant.

De exitu animarum à suis receptaculis.

De exitu animarum à suis receptaculis bifariam loqui possumus. Vno modo vt simpliciter inde exeant nunquam illuc reuersuræ, atque alio modo vt in tempus egrediantur, iterum regressuræ. Præterea exire de receptaculis potest vno modo contingere citra corporum resurrectionem: scilicet vt vel nudæ exeant, vel sic corporibus assumptis, vt non sint in illis vita animali vsuræ. Sed alio modo per veram suscitationem, sicuti puer quem Elisæus suscitauit, & Lazarus atque alij, quos suscitauit Christus.

1. Conc.

His prænotatis modis ad quæstionem quinque conclusionibus respondetur. Prima. Beatorum animæ, secundum beatitudinis positam legem, nequeunt inde exire nunquam reuersuræ. Conclusio est liquida, quia beatitudo est vita æterna: æternum autem id sonat, quod nunquam est habiturum finem. Item beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, non autem esset status perfectus, nisi beatus suæ haberet beatitudinis certitudinem: hæsitatio enim, an homo possit perdere quod habet, non posset non anxium eum reddere, atque adeo non esset ille simpliciter beatus: cùm ergo beatitudò sit vita æterna, quicunque beatus est certus se habere vitam æternam, neque ab illo statu cadere posse, quo vtique iudicio falli nequit. Si autem inde exire posset nõ reuersurus, falsum haberet iudicium: repugnat ergo vt hoc pacto exire valeat. Atque hoc docuit Pau. 1. ad Thessalonicen. 4. Rapiemur obuiam Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus.

Ratio.

Secunda conclusio. Neque de inferno, neque verò de limbo puerorum possibilis est egressus, qui non sit regressum habiturus. Probatur ratione per contrarium simili. Nam infernus suopte nomine mortem etiam æternam significat, nullam habens redemptionem, iuxta illud Matth. 25. Ite in ignem æternum: quare secundum legem illius status nemo inde egredi potest non reuersurus. Et idem est de puerorum limbo: nam sunt in perpetuum à regno cælorum relegati iuxta verbum Domini Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Nisi quod in damnatis est noua ratio quòd habent in odio Dei obstinatam voluntatem, iuxta illud Psalm. 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper: pœna autem remitti non potest nisi deleta culpa: quare & eorum obstinatio facit, vt nulla esse possit ab inferno redemptio.

2. Conc.

Infernus.

Limb. puerorum.

Tertia conclusio. A purgatorio & limbo patrum constat possibilem imò necessarium fieri in cælum transitum.

3. Conc.

Contra secundam autem conclusionem fit argumentum de Traiano, qui fertur precibus beati Gregorij ab inferno, vbi multis annis egerat, exijsse liber. De hoc tamen quæstione proxima fiet sermo.

Quarta conclusio. Quamuis secundum legem ordinariam animabus separatis congruentem neque ad nos exeant, neque vllum nobiscum habeant commercium, tamen secundùm permissionem aut dispensationem diuinam & extraordinariam legem, nil vetat quominus in quocunque sint receptaculo ad nos reuertantur. Prima pars inde probatur, quòd animæ separatæ eo quòd corpora exuunt, & a vita præsenti & mortali decedunt, à nostra rebusque nostris, officijs & moribus segregantur: & ideo ordinaria lege sicut nos mortales rebus earum non adsumus, ita neque immortales ipsæ nostris intersunt. Atque hanc communem ordinariamque legem explicat illis verbis August. in argumento quod primo loco obiecimus. Si rebus viuentium interessent animæ mortuorum, vt de alijs taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, vt mecum viueret: absit enim vt facta sit vita fœliciori crudelis. Et confirmat hoc ex illo 4. Reg. 22. ad pientissimum Regem Iosiam, cui cùm Deus exitium regni & gentis suæ prænunciasset, pollicitus est subinde dicens, Ecce ego apponam te ad patres tuos, & apponeris cum pace, & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ ego induco in locum hunc, & qui commorantur in eo.

4. Concl.

Probatio secundæ partis.

Secunda verò pars colligitur ex verbis Hieronymi contra Vigilantium, qui putabat Apostolorum & martyrum animas in fortunatorum insulis & campis Elysijs, vt ethnici de animabus philosophantur, detineri, in quem Hieronymus sic inuehitur: Ais vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas apostolorum & martyrum consedisse,

nec

nec posse suis tumulis, nec vbi voluerint adesse præsentes? Quasi dicat, Falsus id ais. Et subdit, Tu Deo leges ponis? Tu apostolis vincula injicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est, Sequuntur agnum quocunque ierit. Et August. in lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 16. ait, Fœlicem confessorem cùm à barbaris Nola oppugnaretur, humanis aspectibus fuisse visum, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verum ista, inquit, diuinitus exhibentur longè aliter quàm se habet vsitatus ordo. Alij namque sunt, ait, humanarum limites rerum, alia humanarum signa virtutum, alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. Ambas igitur conclusionis partes hisce verbis edocet Augu. nempe quòd secundùm ordinarium & vsitatum cursum animarum è suis non exeunt receptaculis, sed tamen secundum diuinam dispensationem exire & possunt & assolent. Id quod cumulatis exemplis Gregor. 4. libr. dialogo. confirmat.

Probatur conclusio.

Gregor.

Quapropter ex omnibus ferè exire solent, scilicet ex paradiso, ex inferno, ex purgatorio, & ex limbo patrum, vt de Samuele, vt. 1. Reg. 28. legitur, qui apparuit Sauli. Quamuis vt Aug. eod. lib. de cura pro mor. geren. cap. 15. refert, non desint, qui negent verum fuisse Samuelem. Sed tamen Moyses, vt Matth. 17. legitur, in transfiguratione Domini apparuit.

Samuel.

Atqui &. vsu apparitiones istæ accidere solent, vt ibidem August. cap. 16. autor est, siue ad viuorum qualecunque solatium, ad quos pertinent illi mortui, siue vt iis admonitionibus more humano sepulturæ commendetur humanitas. Animæ namque beatæ Deo dispensante possunt apparere suis, vel vt eos consolentur, ostendentes se diuino conspectu frui, vel vt eos admoneant, & ad eandem beatitudinem alliciant. Vel vt suis reliquiis iustos honores deferant: vt de Ioanne Baptista & aliis legitur. Existentes verò in purgatorio solent præterea apparendo suffragia sibi fieri deposcere. De limbo verò puerorum nulla est ratio cur egrediantur.

Mortui quare appareãt.

De cælo.

De purgatorio.

De limbo puerorum.

Addit verò hic Diuus Thomas interesse inter sanctos & damnatos, quòd sancti, cùm voluerint, apparere possunt viuentibus, non tamen damnati. Meruerunt, inquit, sancti in hac vita, vt aliquando gratiarum dona sanitatum, quæ reprobis non conueniunt, ita vt post hanc vitam cùm expedierit, possint huc redire. Hæc D. Thom. At verò patentissima ratio est, quòd beati nihil optare possunt, nisi quod rationi sit ac perinde diuinę voluntati consentaneum: quicquid autem huiusmodi Deum poscunt, obtinent: ergo quoties volunt exire, exeunt.

Distinctio S. Thom.

Ratio.

Infernales tandem animæ exire non permittuntur dum volunt, sed dum ob aliquod mysterium nobis occultum diuinitus permittuntur, veluti dæmones. Quare diues epulo, vt legitur Lucæ. 16. rogare non audebat, vt sineretur ipse ad suos ire, sed rogabat Abraham vt Lazarum mitteret. Neque verò illi egredi cupiunt, vt aliquod beneficium nobis conferant, eo quòd nobis bonum optent, quia adeò à charitate longè distant vt neque naturalem inclinationem permittant actus rectos elicere. Quocirca epulo ille non tam ex naturali amore, quo ferebatur in suos, quàm ex superbia cupiebat, ne sui necessarij in illum tormentorum locum venirent: mallent enim damnati, vt omnes secum essent miseri, sed quando id non possunt efficere, volunt in hoc aliis eminere, vt sui aliis præferantur. Vel fortè illa petitio nihil aliud significat, quàm rei ipsius infernalis naturam: nempe tam trucem esse & atrocem, vt summoperè omnes debeant illam cauere.

Inferni anima.

Nescio tamen, an affirmare liceat miseras quandoque animas officium ipsorum dæmonum vsurpare, vt scilicet ceu ministri Satanæ ad tentandos homines tendendaque illis retia & parandos laqueos veniant. Certum est tamen hoc non esse earum officium. Tametsi cùm sint odio Dei obstinatæ, ac subinde nostri, nil mirum si eodem odio id paratæ sint facere. An verò Deus quandoque sinuerit, ipse nouit.

Cæterum ita est possibile animas ex suis locis huc remeare, vt tamen non sit facile creditu toties id accidere, quoties nobis apparent. Primum, quod vt idem Aug. lib. de cura pro mor. geren. ait, quando inter somnia nobis videntur charorum animæ aut aliæ nobis infestæ apparere, rarissimè accidit, vt sint ipsę minimę, imò quàm sępissimè contingit, vt non nisi sub earum imaginibus in sensu communi propter nostras præcedentes cogitationes apareant illa phantasmata. Sed vanitas vulgi est, credere animas esse veras.

Præterquam quòd quam plurimas eiusmodi fallacias præstigiatores & præstigiatrices mulierculæ vulgo offerre solent, quibus ignorantibus illudunt. Nam animæ fœlices rarò cupiunt ab illo cælesti loco exire, & ad admonendum viuos non est necessarium vt veniant. Quare nec Lazarus permissus est venire: quia habemus leges & prophetas, quibus nos Deus satis edocuit, & in dies commonefacit, quibus nisi credamus, neque si damnati, neque illi qui purgantur, ea quæ illic fiunt nobis denuncient, fidem eis dabimus. Imò de hoc Deus offenditur, quòd simus magis parati apparentibus defunctis, quam suo euangelio credere.

Primum igitur argumentum, quod est autoritas Augustini, iam solutum est, quòd loquatur de lege communi. Et pariter intelliguntur testimonia alia secundi argumenti ex Psalmo & ex libro Iob accersita.

Sol. argumentorum.

Si verò tandem obijcias, quòd animæ eo sunt suis receptaculis adscriptæ, vt sua illic vel præmia vel supplicia habeant: si verò ad nos venirent, interrumperentur præmia & supplicia, negatur illatio, quia propterea quod ab illis receptaculis egrediantur, neque animæ beatæ desinunt videre Deum, neque quæ cruciantur à suis eripiuntur tormentis.

Superest autem vt de alio exeundi modo dicamus per resumptionem vitæ mortalis, quemadmodum resuscitati ab Elia & Elisæo, à Christo, & apostolis, & reliquis deinceps sanctis, è suis receptaculis prodierunt. Subiungitur ergo conclusio quinta. Nullus vnquam, cuius fœlix anima cælestem paradisum inhabitaret, in vitam mortalem resuscitatus est. Conclusio hæc quamuis in sacris Bibliis non sit expressa, efficaci tamen ratione illa probatur, qua primam asseruimus. Beatus enim nemo est, nisi qui certò scit se sempiternam vitam, hoc est, indefectibilem possidere, quo vtique iudicio falli nequit: nam si ambiguus hæreret, vel falli posset, non esset plenariè fœlix: si verò potest in vitam mortalem redire, beatitudo illa interpollaretur, atque adeò falsum fuisset iudicium: ergo illud fieri nequit. Nam si objicias de Christo seruatore nostro, qui fuit beatus, & tamen naturam habuit mortalem nihil ad rem afferas, tum quia erat verè Deus & homo, & ratione vnionis anima visione fruebatur illam beante, & ratione redemptionis corpus erat mortale: tum præsertim quòd passiones, quas secundum corpus pertulit, repugnant beatorum statui, quo fruuntur in cælo.

5. Concl.

Ratio optima.

Obiectio.

Ex quo alia colligitur ratio, quòd Deus animæ iustorum præcipuè qui sunt confirmati in gratia & gloria, nihil confert, nisi quod eis sit beneficium. At verò quamuis resuscitatum illum Deus confirmaret in gratia, priuaretur tamen illa beatifica visione, & esset multis molestiis peruius in corpore, quæ anima illa non duceret pro beneficio sed pro damno: quare ex natura rei non esset ei resuscitatio grata, vt vitam degeret mortalem.

Ratio. 2.

Atque idem protinus subsequi videtur de illis qui sunt in inferno. Sunt enim damnati ad æternam pœnam, quæ ideo illis interpollari nequit: cuius contrarium vsu veniret, si damnatus in vitam nostram resuscitaretur. Sed tamen hoc quæst. seq. emunctiùs examinabimus contra Altisiodorensem, qui contrarium opinatus est. Et idem est de illis qui in puerorum limbo tenentur.

Appendix.

Fit ergo consequens, si hæc quæ diximus vera sunt, vt quotquot resuscitati sunt, vel ex purgatorio, vel ex limbo patrum prodierint. Supponimus enim manifestam veritatem, quòd nemo vnquam verè fuerit resuscitatus, aut per naturam, aut dæmonum potestate, sed solo diuino miraculo. Quare si Samuel, de quo. 1. Regum 28. legitur, verus fuit suscitatus Samuel, diuino numine fuit vitæ restitutus: quoniam operis huius supranaturalis neque homo, neque angelus per propriam virtutem potest esse causa: sed sola virtute diuina. Illi ergo, quos Elias & Elisæus suscitarunt, in limbo patrum fuisse creduntur: erant enim circuncisi, & minores ætate, quàm vt possent mortaliter deliquisse. Et Lazarus vel in limbo erat patrum, vel in purgatorio. In summa idem fortè de cunctis credendum est.

Suscitati ab Elia.

Digitized by Google

Sed profectò nec satis sit animo vt quiescat. Arguitur enim sic. Quicunque in limbo patrum erant, aut in purgatorio modò existunt, certi, vt supra diximus, in exitu corporum facti sunt prædestinatos se esse ad gloriam, quo vtique iudicio falli non possunt, imò sunt & in gratia & amicitia Dei confirmati: cum verò ad vitam mortalem redeunt, nulla apparet lex vt sint vel in gratia confirmati, vel suæ salutis infallibiliter certi: ergo resuscitatio illa nullatenus illis potest esse expediens: nam à firmissimo statu salutis exire, & periculo perditionis subiici, summum profectò detrimentum est: præterea iudicium illud certum deserere, & hæsitatione, qualem nos de nostra prædestinatione habemus, torqueri, nemo sanæ mentis eligeret: quare nemo illorum vellet suscitari, neque tamen concedendum, quòd eos inuitos Deus ad nostras miserias remittat: præsertim illos qui erant in limbo patrum, vbi omni dolore & pœna erant exempti.

Aliud argu. De animis purgatorij.

Imò & de illis qui sunt in purgatorio, arguitur. Aut enim dum suscitantur debitas omnes pœnas luerant, aut secus: si luerant, idem, quod de beatis, iudicium illis patrocinatur, quia inde iam euolant in vitam æternam: si verò non omnia debita persoluerant, non seruatur iustitia diuina, cùm ante tempus inde eruantur.

Sol. 1. ar.

Ad primum vt respondeamus, hæc primum veritas pientissimè credenda est, quòd nemo vnquàm à morte fuerit in vitam nostram excitatus, qui non tandem fuerit saluus. Itaque nunquam fuit vllus resuscitatus nisi prædestinatus. Veritas est, quam Abulensis super. 4. Reg. 4. q. 56. inter narrandam suscitationem pueri ab Elisæo, affirmat dicens, quod quãuis non habeatur in sacris scripturis, est tamen piè credenda.

Atqui præter eius autoritatem hac ratione colligitur, saltem admisso quod nemo nisi vel ex purgatorio vel limbo patrum fuerit vnquam suscitatus. Nemo vnquam nisi Dei virtute resuscitatus fuit, neque verò aliunde, quàm vel ex limbo patrum, vel ex purgatorio: cùm ergo nemini Deus tantum, quantum est resuscitationis beneficium in detrimentum sempiternæ salutis contulerit, certum est quod illos qui in via erant salutis certissima, in eandem vitam æternam tandem remittat.

Ratio. 2.

Accedit & ex eorum conditione ratio alia. Nam cùm se viderint ad vitam æternam destinatos, in vigilia semper erunt & cautissima cura, ne inde decidant. Quinuerò addiderim, in gratia & meritis cumulationibus ab hac luce post demigrasse quàm prius, præsertim illi qui purgatorij tormenta fuerint experti, quàm sint grauia. Id cuius & Lazari egregia sanctimonia documentum est. Et illum viduæ filium resuscitatum aiunt postea fuisse Diuum.

Ratio. 3.

Sed neque hoc satis argumento facit, nisi tertium assertum addiderimus. Crediderim, inquam, omnes illos semper mansisse in gratia confirmatos: & præterea de sua salute certissimos: nam postquam fuerant confirmati, nulla est ratio cur ab eadem fuerint confirmatione depulsi: neque vero iudicij, quod certissimum de sua salute habuerunt, cur fuerint obliti. Si enim Paulus memor erat, se in tertio cælo arcana vidisse Dei, multò iustius illam iudicij certitudinem suscitati retinent, alioqui Christus minimè cum illis clementer egisset.

Sol. 1. ar.

Et ideo respondetur ad primum argumentum, quod etsi existentes in limbo ad molestias huius vitæ fuerint reuersi, non id illis in damnum, sed certè in magnum cessit lucrum & meriti augmentum. Resuscitati verò ex purgatorio non sunt credendi omnino fuisse perpurgatos, sed nihilominus reliquum pœnarum, quas passuri erant, poterant reuiuiscentes operibus satisfactionis persoluere, aut si negligentiores essent, postmodum secundò defuncti illas in purgatorio luerent.

Quæstio secunda,

DE SVFFRAGIIS DEFVNCTORVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm suffragia à viuis impensa defunctis prosint.

DVO defunctorum genera duas nobis offerunt elucubrandas quæstiones: illi scilicet qui sunt in purgatorio vnam de suffragiis: atque illi qui sunt in paradiso, de orationibus ipsorum pro nobis & nostris ad ipsos. Et quidem quæstio prior, quæ est hæc secunda, longam nobis exhiberet disputandi rationem de purgatorio: hoc præsertim tempestatis articulo, quo perditi hæretici tam impudenter illud populo dissuadere contendunt. At verò non solum lib. primo De natura & gratia, capit. decimoquarto, verùm & hic supra distinctione decimanona quæstionem tertiam in tres articulos distributam, in eadem elucidanda confirmandaque veritate totam insumpsimus. Fuit enim Armenorum hæresis, ac subinde Vualdensium, & Ioannis Hus & Witcleff, ac tandem pestilentissimi Lutheri in articulis ad Leonem exhibitis. 4. & 37. & 38. Quem errorem inter alios in illo suo errorum fonte potarunt, quod Christus in sua passione non solum quoad sufficientiam, verùm quoad efficaciam, tam plenariè pro vniuersis nostris sceleribus satisfecerit, vt nihil nobis fiat pœnarum reliquum, quas vel in hoc seculo per satisfactionem, vel in altero per purgationem soluere debeamus. Hac inquam ratione confessionem purgatorij ab Ecclesia catholica exsibilare explodereque contendunt. Contra illud Paul. ad Corint. 3. Si quis super fundamentum Christi superædificat ligna, fœnum, stipulam, dies domini declarabit: quia in igne reuelabitur. & subdit: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed permolestum esset quæ locis citatis copiosè congessimus huc accersere. Illa igitur, supposita veritate locus præsens nobis duntaxat offert de suffragiis dicere, quę ijdem hæretici tanquam rem confictam & ludicram irridentes abiiciunt.

Hæresis Armenorum.

Quatuor igitur se offerunt disputanda. Primum, scilicet per quos debeant suffragia fieri, vt prosint: secundò quibus prosint: & tertiò quæ sint illa suffragia: ac demum quartò, vtrùm quæ pro vno defuncto fiunt tam aliis prosint quàm illi. Quæritur itaque primò, vtrùm suffragia per vnum exhibita alteri prosint. Et arguitur à parte negatiua, ex illo Pauli ad Galat. 6. Quæ seminauerit homo, hæc & metet: si autem quispiam fructum suffragiorum alterius perciperet, meteret quidem non propria, sed aliena semina.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. Ad iustitiam Dei pertinet, vt vnicuique pro meritis propriis retributio fiat, iuxta illud Psalmi, Tu reddes vnicuique iuxta opera sua: ratio verò diuinæ iustitiæ deficere nequit: ergo per suffragia vnius alteri non succurritur.

2. Argu.

Tertiò. Eadem est in opere ratio meriti, satisfactionis & laudis: sed pro opere vnius, alter nõ laudatur, nec per illud meretur: ergo nec per satisfactionem alterius satisfacit.

3. Argu.

Sed peculiariter quod viuorum suffragia defunctis non prosint, arguitur quartò. Secundùm Apostolum. 2. Cor. 5. Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt accipiat vnusquisque propria corporis prout gessit. & Apocal. 13. Opera illorum sequuntur illos: ergo vnusquisque defunctorum propria debita per se patiendo debet exsoluere. Præsertim quod vt vnus pro alio satisfaciat, requiritur, vt ambo sint eiusdem Reipub. ciues, & tamen defuncti non sunt ex nostra Repub. vt supra dictum est.

4. Argu.

Quintò. Si suffragia vnius alteri seu viuenti, seu vita defuncto prodessent, consequens fieret, vt si ille qui suffragatur, nequam homo esset, nihilominus eius suffragium sufficeret: alioqui cùm non constet, sacerdotem esse in gratia, nunquam securi essemus & certi eorum sacrificia prodesse, atque adeò periret

5. Argu.

religio

religio offerendi talia sacrificia pro defunctis: sed tamen ex alia parte, cum vt Ioan. 9. legitur, peccatores Deus non exaudiat, videntur eorum suffragia nullius esse pretij apud Deum.

5. Argu. Sexto denique arguitur. Si vnius suffragia alteri subuenirent, sequeretur, quod facienti ipsi nihil ad satisfactionem prodesset: nam si quis pecuniam suam alteri erogauit, sibi amplius non prodest: videtur autem hoc durum & contra illud Psalmi, Oratio mea in sinum meum conuerteturtergo nemo alteri suffragari potest.

Pars affirmatiua. In contrarium autem est illud Psalmi, Particeps ego sum omnium timentium te, vbi bonorum communicatio insinuatur, & 2. Machabæorum 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Quæstio est præcipua, qua tamen multa submouentur, quę in superioribus sunt satis excussa, qua ratione brevior leuiorque erit præsens disputatio. Sunt autem ad quæstionis solutionem septem conclusiones necessarię. Prima. Vnusquilibet potest pro altero satisfacere, ac proinde alteri suffragari. Ad intellectum autem terminorum ex his quæ distin. 19. de satisfactione diximus, notandum est opera nostra bona, quæ ex gratia procedunt bifariam esse apud Deum preciosa, vno modo in ratione meriti, atque altero in ratione satisfactionis. Et meritum quidem duplex esse potest, scilicet de condigno, nempe quod ex gratia procedit, & ideo ratione iustitiæ prę-mium habet vitę ęternę. Quo vtique pacto nemo potest alteri mereri, sed solum sibi: præter solum Christum, qui tanquam caput nostrum meruit nobis quicquid gratiæ & gloriæ confertur. Et ratio huius est, quia gratia non facit gratum nisi habentem, atque adeo illa nemini confertur nisi per sacramentum, aut per opera propria ipsius ex gratia hominem iustificante procedentia, iuxta illud Gen. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Et hac ratione ait ad Romanos secundo Paulus, quod reddet vnicuique Deus secundum opera eius: his qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem, & vitam æternam. Et secundæ ad Corinthios quinto. Vnusquisque recipiet secundum propria corporis prout gessit. Vnde vt patet Matth. 25. Nemo mittitur in regnum aut in exilium nisi propter propria opera: Quia dedistis mihi manducare, Quia non dedistis, &c. Isto ergo modo nemo alteri suffragari potest.

1. Concl.

Roma. 2.

Meritum de congruo. Sed aliud est meritum de congruo, non quidem, vt aliqui fingunt, in peccatore dum disponitur ad gratiam, illud enim certè est contra Paulum dicentem, Si ex operibus, iam non est gratia, vt secundo lib. de nat. & gratia, capitulo. 4. latè demonstrauimus: sed in eo qui est in gratia. Potest enim iustus alteri etiam existenti in peccato primam mereri gratiam de congruo, vt Stephanus meruit Paulo: id tamen fieri nequit, nisi merendo illi proprium actum in Deum, quo conuertatur: quia gloriam, vt dictum est, nemo potest nisi per proprium actum aut sacramentum assequi. Et fortiori ratione potest vnus iustus alteri iusto augmentum gratiæ mereri de congruo, merendo scilicet illi: vt per proprios actus proficiat in gratia. Et isto modo D. Tho. 1. 2. quæst. 114. artic. 6. concedit meritum de congruo. At qui ista ratione quicunque iustus potest alteri suffragari per suas orationes & bona opera. Et hoc negare esset hæreticum contra articulum fidei, Credo sanctorum communionem. Sic enim intelligitur illud allegatum Psalmi, Particeps ego sum omnium timentium te.

Discrimen meritorum. Sed est considerate speculandum discrimen inter rationem meriti condigni & congrui. Non enim ex radice æstimatur: nam vtrumque procedit ex gratia, sed ex consecutionis necessitate aut contingentia. Per meritum enim de condigno certissima & ineuitabili lege ille qui meretur, consequitur proprium præmium: sed tamen alteri de congruo, pro quo orat, non eadem lege impetrat quod petit, sed secundùm quod Deo placuerit annuere vel renuere.

Opera satisfactoria. Habent præterea aliam virtutem iustorum opera, vt sint in virtute passionis Christi satisfactoria pro pœnis, quæ remissis culpis, siue mortalibus, siue venialibus, fiunt reliquæ quæ quidem opera in ratione satisfactionis potest quicunque iustus alteri iusto communicare. Et hæc pariter veritas est catholica, quam qui negaret, hæreticus esset contra eundem articulum fidei de sanctorum communione. Atque hanc conclusionem diffuse distinct. 19. quæst. 2. art. 4. commonstrauimus, vbi hæreticorum technis responsum ire abundè pro captu nostro curauimus. Eò enim quod eodem baptismate abluti sumus, eisdemque sacramentis participamus, & potissimum sacratissima altaris communione, quæ inde nomen sortitur, quod eodem sancto consuimo communicantes eiusdem nos corporis Christi membra profitemur, debemus, vti ait ad Galat. 6. Paul. alter alterius onera portare, non solum in temporalibus, vt hæretici subterfugientes aiunt, verùm & in spiritualibus. Imò in eis eo potius, quo in eis vicaria opera alter alterius magis indigemus. Quæ enim onera grauiora sunt nobis quàm pœnæ, quarum ob præterita peccata rei sumus? Atque hæc potissimum impræsentiarum appellamus suffragia: vt quemadmodum debet vnusquisque proximo indigenti de sua substantia opitulari, ita debet alter pro altero orationes, eleemosynas & sacrificia offerre, quibus pœnarum obligationem soluat. Et re vera nemo hanc veritatem inficiari potest, nisi qui negat satisfactiones etiam proprias esse cuiquam necessarias. Et ideo cum istis hæreticis non opus est pluribus contendere.

Suffragiorũ nomen.

Veruntamen considerandum est hic, fructus huius sanctorum communionis bifariam prouenire, vno modo ex intentione generali existentis in charitate. Quicquid enim boni operis Deo iustus exhibet, hac ipsa generali ratione boni operis, omnibus Christi membris, quæ ei charitate coniunguntur, prodest. Sed altero modo prouenire potest ex particulari intentione orantis, aut sacrificantis, aut eleemosynam largientis pro isto particulari. Qui quidem fructus cæteris paribus vberior est, vt in subsequentibus apparebit.

Secunda conclusio. Hæc viuorum suffragia non solum viuentibus prosunt, si pro illis offerantur, verùm & defunctis. Probatur. Hæc sancta communio in charitate fundatur, quæ, vti ait Paulus. 1. ad Corint. 13. nunquam excidit, atque adeò neque per corporalem mortem interrumpitur: ergo sicut potest quis amico suo aut necessario viuenti officia sua tribuere & applicare, potest & defunctis: debent enim defuncti in memorijs hominum viuere, imò eo eis accuratius ac diligentius opitulari debemus, quàm viuis, sastem in ratione satisfactionis, quò plus nostris subsidijs egent: viui enim possunt per propria opera satisfacere, defuncti autem nequaquam, sed patiendo. Hæc autem conclusio art. proximo in meditatione existentium in purgatorio locupletius confirmabitur, vbi sacra oracula & sanctorum patrum testimonia perpendemus aduersus hæreticos, qui adeò hoc mordicus negant, vt propter testimonium citatum libri Machabæorum negent illum esse canonicum.

2. Concl.

Interim verò operæpretium est eandem conclusionem meditatius euoluere. In primis subsidia hæc & suffragia nostra valere defunctis nequeunt, vel ad remissionem culpæ, vel ad augmentum gratiæ, quemadmodum diximus ratione meriti de congruo. Primùm, quia cùm sint iusti, non possumus illis conuersionem mereri: item nec remissionem venialis culpæ, quæ vt distin. 15. quæst. 2. artic. 2. & distinctione 21. quæst. 3. art. 3. diximus, in ipso ingressu purgatorij ratione confirmatæ charitatis eis dimittitur: vel fortè per patientiam, qua pœnam illius culpæ qui purgantur tolerant. Neque verò eorum potest augeri meritum, aut gratia, quia vt Ecclesiastes. 11. legitur, vbi ceciderit lignum, illic erit: sed solum illis suffragia hæc nostra subueniunt ad remissionem & alleuationem pœnæ, per viam satisfactionis. Per quæ autem opera & quot modis suffragia hæc viui possint defunctis impendere, art. 3° docebimus.

Explicatio conclusionis.

Eccles. iust. 11.

Subsequitur autem alius ambiguitatis responsio, vtrum illa, quæ per peccatores exhibentur suffragia, sint vllius valoris. Ad quam in eandem responsionem prænotandum est, in suffragijs quæ per iniquos fiunt, duo considerari, scilicet opus ipsum, quod vocant operatum, quale est sacrificium altaris: & præterea opus operantis, scilicet qua ratione ab ipso operante, proficiscitur.

Est ergo tertia conclusio. Suffragium per vitiosum ministrum exhibitum nihil valoris amittit, qui ex opere operato prouenit. Hanc conclusionem di-

3. Concl.

Digitized by Google

ſtinctio. 1. q. 5. art. 5. vbi de malis miniſtris, quibus ſacramenta diſpenſantur, egimus, exploraram probatamque reliquimus. Vbi oſtendimus quod cum ſacramentorum cauſa prima ſit Chriſtus, iuxta illud Ioan. 1. Super quem videris ſpiritum deſcendentem: ipſe eſt qui baptizat: nihil impedimenti effectui ſacramenti ex miniſtri malignitate obiicitur, dummodò legitima intentione ipſius Chriſti & eccleſiæ, ſacramentum diſpenſet: Docet enim Auguſtinus tractat. 5. ſuper Ioannem, illic Baptiſtam agnouiſſe, Chriſtum autoritatem & poteſtatem baptiſmi penes ſe retenturum, ſed tamen miniſterium tranſiturum in bonos & malos. Et confirmatur comparatione miniſtri ad inſtrumentum: etenim quia inſtrumentum non agit per propriam formam, ſed per illam quæ eſt in artifice, opificium non aſſimilatur inſtrumento, ſed ideæ, quæ eſt in mente artificis. Et ideò dummodò ſerra ſit bene dentata, nihil refert aurea ne ſit, an ferrea: & medicus infirmus, ſi bene artem calleat, tam bene ſanare poteſt, quàm ſanus Id ipſum ergo, quod de ſacramentis, quantum ad gratiæ collationem diximus, de ſacrificio miſſæ quatenus virtute operis ſatisfactorium eſt, poſtmodum ſenſimus diſt. 13. q. 1. art. 6. cuius quæſtio erat, vtrum miſſa mali ſacerdotis tantum valeat, quantum boni. Id quod & latius ead. diſt. q. 2. art. 1. diſſerere ſtuduimus. Illis ergo locis viſere quiſque poteſt, quę hic moleſtè repeterentur.

4. Conc. Quarta concluſio. Si opus æſtimetur ex virtute operantis, tunc perpendendum eſt opus vel quatenus eſt principalis agentis, vel quatenus inſtrumenti vel miniſtri. Si principale agens Deo gratum eſt: nihil de eius meriti & ſatisfactionis propter iniquitatem miniſtri deperit. Exemplum cùm primis patet in eodem ſacrificio miſſę. Haud. n. in miſſa mali miniſtri id tantum ſatisfactionis integrum eſt, quod illic virtute operis exiſtit, verùm & illud quoque, quod virtute operantis, nempe eccleſię, quę per miniſtrum ſacrificium offert, obuenit: quoniam ſicut virtus ſacramenti non vitiatur per miniſtrum, ita neque ſancta opus eccleſiæ. Conſulto autem dixerim, nihil deperire illius, quod ab eccleſiæ intentione prouenit: nam præter illud augere aliquid poteſt probitas miniſtri, vt in art. citato. 6. d. 13. q. 1. adnotauimus, explicando illum can. 1. q. 1. Ipſi ſacerdotes, vbi habetur, quod quanto ſacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in neceſſitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. Non enim de priuatis tantum orationibus ſacerdotum verbū intelligitur: verùm & de illis, quas nomine publico eccleſiæ in ſacrificio miſſæ, & in canonicis pſalmis fundunt. Et hac ratione certè miſſa boni ſacerdotis plus prodeſt, quàm mali, non ſolum propter priuatas orationes, quas præter eccleſiæ iuſſum adhibet, verum & propter ipſas quas eccleſia iubet, quia dignius eas offert: nam licet indignitas miniſtri nihil tollat de eo quod eſt de intentione eccleſiæ, dignitas tamen non parum auget. Quare conſilium eſt ſacrificia per digniores ſanctioresque ſacerdotes offerre. Pari forma dum herus probus per improbum ſeruum eleemoſynam facit, nihil propri meriti amittit, ſed nihilominus ſi ſeruus eſſet etiam iuſtus, qui ex charitate mandatum exequeretur, opus ipſum eſſet apud Deum pretioſius.

5. Concl. Quinta concluſio. Præter hos caſus, quibus homo tanquam eccleſiæ vel alterius miniſter opera exhibet alieno nomine meritoria & ſatisfactoria, nemo ſuo nomine poteſt ſuffragium vllum, aut ſatisfactorium opus quod apud Deum ſit meritorium, vel vllius momenti præſtare, niſi ſit in gratia & amicitia Dei. Rationem huius ſupra multis in locis, & præcipuè diſt. 19. q. 1. art. 2. attulimus. Cùm enim inter nos ex viribus noſtris propriis & Deum nulla interſit iuſtitię ratio, vt contra Pelagium decretum eſt, tum quod operæ noſtra finita ſunt, & meritum apud Deum infinitum, tum quod iuſtitiæ noſtræ quando in peccato ſumus, vt Eſaiæ. 64. legitur, quaſi pannus menſtruatæ ſint, ſit vt niſi remiſſa culpa in gratia Dei ſimus conſtituti, noſtraque ſubinde opera ex fauore Dei fiant, Deo accepta eſſe non valeant. Reſpexit. n. Deus, vt nuperrimè dicebamus, prius ad Abel, deinde ad munera eius.

6. Concl. Et ex his ſit alia ſexta concluſio conſequens. Nemini pro quo vel eccleſia, vel alia quæuis priuata perſona ſuffragia offerat, quicquam proſint, niſi in gratia ille quoque ſit. Quoniam vt nulla cuiuſpiam opera, niſi qui prius per charitatem fuerit filius Dei, grata ſunt Deo, ita neque ſuffragia aut orationes, quæ pro illo, qui non eſt eius filius, offeruntur, accepta Deo ſunt, vt in ratione ſatisfactionis ei proſint: licet ratione meriti de congruo, vt explicatum eſt, poſſit quis alteri, vt conuertatur, mereri. Imò requiritur, vt tunc ſit ille in gratia, dum ſuffragia pro illo offeruntur: nam licet poſtea conuertatur, illa ei non proderunt, vt eadem diſt. 19. q. 1. art. 5. monſtratum eſt. Quare quæ pro aliquo viuo offeruntur ſuffragia, ſi ille in peccato extiterit, vel proderunt offerenti ſi indiget, iuxta illud Pſalmi. 34. Oratio in ſinu meo conuertetur: vel in eccleſię theſauro reponentur. Et idem eſt ſi offerantur pro illo qui creditur eſſe in purgatorio (vbi nemo eſt niſi Deo charus) qui tamē eſt in inferno, aut in cęlo. *Pſal. 34.*

Per hæc iudicare quiſpiam de hoc interrogato poteſt, vtrùm dū ſicut dominus in gratia exiſtēs eleemoſynam facit per ſeruum nequam, fructuoſa eſt illa elleemoſyna: ita ſi prælatus iuſtus iniquo ſubdito iniungat pſalmos aliquos, aut ieiunia in ſatisfactionem pro benefactoribus, orationes illæ & ieiunia ſint apud Deum ſatisfactoria? Apparet enim ſic habere propter vtriuſque exempli ſimilitudinem. Et ita credit, docetque Palu. diſtinct. præſenti quæſt. 1. Sed profecto mihi non ſatis perſuaſum eſt. Nam in eleemoſyna pecunia ipſa eſt domini, quare nihil refert per quem illam pauperibus mittat: ſed tamen orationes priuatæ perſonæ & paritèr ieiunia ſunt propria operā ipſius. Quare licet prælatus meruerit iniungendo, opera tamen ſerui nequam non ſunt Deo accepta. Accipe Paludani exemplum. Iubet Papa ſolennes vigilias pro defuncto ſummo Pontifice fieri, cap. vbi maius. de electio. lib. 6. ſi intelligatur, de vigilijs & miſſarum ſolennibus, quæ nomine publico eccleſiæ canonicè fiunt, tunc licet ſacerdotes non ſint in gratia, proſunt: quia fiunt nomine eccleſiæ. Et idem eſt de proceſſionibus & litanijs ſolēnibus & canonicis. Sed ſi Papa, vel epiſcopus, vel prælatus in religione orationes & ieiunia & eleemoſynas iniungat, certè quę à peccatoribus fient, non erunt ſatisfactoria, quia ſunt peccatorum propria.

7. Concl. Poſtremum denique dubium eſt, vtrùm dum quis pro alio ſuffragia offert, ſibi ipſi qui facit, etiam pro ſint. Ad quod ſeptima concluſione reſpondetur. Opus pro altero in ſubſidium eius erogatum poteſt aut in ratione ſatisfactionis contemplari, aut in ratione meriti. Primo modo, niſi opus ſatisfactionem ſuperet, ad quam alter eſt obligatus, nihil eroganti prodeſt. Nihilominus de ratione meriti nihil ei deperit, imò plus ei poteſt meriti accumulari, quàm ſi pro ſe offerret. Probatur prima pars. Satisfactio fieri debet ad æqualitatem pœnæ debitæ: ſi ergo tantum ille debet vel orationis vel eleemoſynæ vel ieiunij, quantum ego pro illo offero, nihil fit reliquum, quod in meam cedat ſatisfactionem. Ex quo fit, quod ſi illam eleemoſynam non ſolum pro illo, ſed pro me & pro illo offeram, minus vtrique prodeſt, quàm ſi totum pro illo, vel totum pro me offerrem. An verò eadem de ſacrificio & oratione ſit ratio, videbimus artic. 4.

Poſterior verò concluſionis pars liquida eſt: quoniam opus quodcunque ex charitate profectum eſt illi meritorium, qui facit: opitulari autem alijs vel orationibus, vel eleemoſynis, vel ieiuniis, eſt opus egregiæ charitatis, cùm ſit alterum alterius portare onera: ergo eſt id exhibenti meritorium. Imò tanta poteſt eſſe alterius indigentia, vt magis ſit meritorium, quàm ſi ipſe pro ſe faceret, niſi per hoc fortè impediretur pœnitentiam ſoluere, quæ ſibi in ſacramento fuerat iniuncta.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, Paulum loco illo citato retributionem tantùm docere condigni meriti: ſiquidem merita ſunt operæ, quæ per Dei gratiam ſeminamus: meſſis autem eſt vita æterna, iuxta illud Ioannis. 4. Qui metet, fructum congregat in vitam æternam. Hæc autem nemini niſi pro eius propriis meritis confertur, iuxta illud Pſalmi, Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Quare dum quis pro alio ſuffragia offert, ille qui offert ſeminat meritum, & metet præmium: alter verò nec ſeminat, nec metit, ſed ſatisfacit per alterius ſuffragium. *Sol. 1. ar.*

Et hinc colligitur ſolutio ſecundi. Etenim cùm opus ſatisfacientis fiat ex ſua liberalitate opus alterius, *Sol. 2. ar.*

pro

pro quo fit satisfactio, nihil derogat diuinæ iustitiæ, vt illud insolutum referat, acsi ipse offerret, & sic quodammodo acceptatur illud quasi opus illius.

Sol. 3. ar. Ad tertium verò respondetur, quod laus & meritum nemini tribuitur, nisi ratione proprij operis, & ideo qui suffragia erogat, meretur laudari, alter verò minimè, sed beneficium suscipit, quo expietur. Nemo enim ex opere alieno laudatur, nisi consulendo, vel adiuuando causa eius extiterit. Quòd si rursus arguas. Par iustitia est reddere bona pro bonis, & mala pro malis: sed neminem Deus pro alienis malis punit: ergo nec pro alienis bonis debet à proprio debito quempiam absoluere. Respondetur, quod auferre alicui sine causa quod suum est, diuinæ iustitiæ repugnaret, quod contingeret si innocentem quempiam pro alieno delicto puniret, præsertim æterno supplicio. Acceptare autem bonum alterius pro altero, sic diuinæ iustitiæ non repugnat, vt liberalitatem Dei & charitatem, quæ est inter proximos, commendet.

Sol. 4. ar. Ad quartum, quod defunctos respicit, respondetur, quod defuncti in gratia decedentes, dum in corpore viuerent meruerunt, vt alienis suffragijs post mortem iuuarentur, vt Aug. in Enchiridio cap. 110. ait. In hac enim, inquit, vita omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari. Et ideo illa etiam ratione retribuetur eis prout in corporibus gesserunt. Vel fortè prudentius dicendum, quod Paulus loquitur de retributione, quæ in die iudicij pro propriis operibus fiet, Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Id enim sententia illa significat, Opera illorum sequuntur illos.

Ad aliud verò respondetur, quod quamuis illi nobiscum non eandem constituant Rempub. nihilominus sumus charitate communicantes, in qua charitate nostra fundantur suffragia.

Obiectio. Quòd si rursus obijcias. Defuncti iam non sunt viatores: ergo neque sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi: quibus illud adaptatur Iob. 19. Semitam meam circunsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit. Respondetur, quod quamuis non sint in via merendi aut demerēdi, vt respectu gloriæ vltra citraue progredi aut regredi valeant, nihilominus sunt in via, eo quod ab ingressu cæli remorantur. Et ideo licet simpliciter sit eorum via circunsepta suis gressibus, est nihilominus sic peruia, vt à nobis iuuari possint.

Dilutio.

Sol. 5. ar. Ad quintum per distinctionem responsum est. Peccatoris enim oratio & suffragium, quod non suo nomine, sed ecclesiæ vel alterius iusti facit, sunt quidem accepta Deo, non quia peccatoris, sed quia iustorum: nam licet per charitatem facientis, opus illud non viuat, viuit tamen per charitatem illud mandantis. Quare licet sibi, scilicet ministro, prodesse non possit, quia non est dispositus vt fructum charitatis suscipiat, prodest nihilominus alijs, qui diuina sunt charitate imbuti. Suffragia verò peccatorum, quatenus eorum sunt. Deo nec grata sunt, neque ad satisfactionem accepta, imò neque eorum orationes lege communi perinde ac illas Deus exaudit, quæ sunt de condigno meritoriæ. In quo sensu ait in Pastorali Gregor. Cùm is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

Gregor.

Deus exaudit peccatores. Solet nihilominus Deus peccatorum preces exaudire, non quidem ob eorum dignitatem & meritum, sed si iusta petant, propter eius diuinam clementiam. Quare aliqui appellant illud meritum de congruo. At verò vt 2. lib. de natu. & gratia cap. 4. dicebamus, profecto in peccatore nulla potest esse ratio meriti nec de congruo. Sed Deus illos ex sua benignissima largitate quandoque exaudit: at verò pluries ex sua iustitia aures eorum precibus occludit.

Sol. 6. ar. Sextum denique in septima conclusione per distinctionem dilutum est. In suffragio namque pro altero oblato satisfactio alteri tribuitur, sed meritum facienti reseruatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum suffragia pro defunctis oblata quibuscunque defunctis prodesse valeant.

Partis affirmatiuæ argum. 1. QVAERITVR secundò prætermissis suffragijs, quæ pro viuis offeruntur, quibusnam defunctorum prosint, vtrum scilicet omnibus. Et arguitur à parte affirmatiua: & primum quod possint existentibus in inferno prodesse, arguitur ex verbis Augustini in Enchiridio cap. 110. dicentis, quod quibus valent suffragia, vel ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, vel ad hoc vt tollerabilior sit eorum damnatio: sed plena remissio non fit nisi in purgatorio, & damnati nulli sunt nisi in inferno: ergo illis prodesse possunt, vt tolerabilius crucientur. Accedit, quod vt in historia quadam vitæ Gregorij refertur. Traianus, qui magno annorum numero in inferno cruciabatur, precibus eiusdem diui inde fuit liberatus. Quinucrò Damascenus in egregio illo sermone, De his qui in fide hinc migrarunt, id ipsum testatur dicens, quod illius historiæ testis est Oriens omnis & Occidens.

2. Argu. Secundò arguitur, quod etiam pueris in limbo prosint, ex verbis eod. loco Aug. dicentis, quòd suffragia ecclesiæ pro non valde malis propitiationes sunt: pueri namque cùm non propria voluntate peccauerint, sed aliena in Adam, non sunt valde mali æstimandi. Illis autem, qui non sunt valde mali, ait ibidem Augustinus suffragia prodesse.

3. Argu. Tertiò arguitur, quod etiam quòdammodo prosint fœlicibus animabus, qui sunt in cælo: nam suffragiorum potissima sunt missarum solemnia, in quorum vna collecta habetur: Sicut sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis proficiant ad medelam: quare in oblatione hostiæ, quæ in ratione sacrificij offertur, in tres particulas diuiditur, quarū tertia in calicem mersa beatos designat, vt distinctione. 13. quæstione 2. artic. 5. diximus.

Quòd autem existentibus in purgatorio prosint, ambigere non licet, secundum verbum Augustini loco citato, vbi ait, suffragia ecclesiæ prosunt his qui sunt mediocriter boni vel mali: hi enim sunt qui in purgatorio detinentur.

Pars negatiua. In contrarium est verbum eiusdem sancti patris libr. de verbis Apostoli sermone. 32. Qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius (scilicet pietatis) dum hic erant pignore caruerunt. Et de beatis idem Diuus sermone 17. de verbis Apostoli, & citatur capit. Cùm Marthæ. de celebratio. missarum. Iniuria, inquit, est orare pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendari.

Quinque opiniones. Quæstio præsens iuxta receptaculorum numerum quatuor exigit conclusiones. Et quo à damnatis exordiamur, plures de illis olim, nempe quinque, versabantur opiniones, quas hic Diuus Thomas refert, & aliquas tangit Augustinus in Enchiridio c. 112. Origenis namque error fuit, quòd suffragia existentes in inferno iuuant, atque adeò cùm illa pœna sit secundum intensionem finita, tandem multiplicatis suffragijs finiri valet. Antiquus ille fertur Origenis error in lib. Periarchon, vt ad Auitum Hieronymus refert, scilicet quòd ex dæmonibus possint fieri homines. At verò homil. 9. super illud Matth. 19. Cum venerit filius hominis, &c. hanc opinionem remissionis suppliciorum inferni referens, non ita firmiter videtur ei adhærere.

Origenes.

Nota. Alij verò & de tempore distinguebant, & inter personas. De tempore, inquam, aiebant, quod licèt post diem iudicij omnia cessabunt suffragia: quare deinceps nullus in inferno existens illis iuuabitur, tamen ante illum diem quandiu hoc seculum duraturum est, prosunt nonnullis illorum. Ad cuius perspectionem inter personas illic occlusas sic discriminabantur, vt infidelibus, qui nec fide Christi imbuti, nec sacramentis initiati de hac luce migrarunt, quia nunquam membra Christi fuerunt, neque ecclesiæ filij, nequaquam ecclesiastica suffragia prosunt, quippe cùm ecclesia non nisi pro illis qui fidem professi sunt, oret. Et illos censebant appellari ab Augustino valde malos, de quibus in Enchirid. capit. 110. ait, quòd nostra suffragia nulla sunt illis adiumenta. Alij vero sunt, qui ecclesiæ gremio per fidem recepti fuerunt, & sacramentis imbuti, aliaque opera genere suo bona præstiterunt. Sed nihilominus in peccato mortali animam expirarunt: atque hos arbitrantur appellari ibidem ab Augustino non valde malos, atque adeò illis nostra opera suffragari.

At verò quoniam extemplo illis occurrebat ambiguitas, videlicet inde consequi, eorum pœnam posse multiplicatis suffragijs tandem exhauriri, quod

erat

erat in errorem Origenis impingere, illum errorem cauere curãtes bipertiti sunt. Præpositiuus enim cuius est secunda opinio, concessit posse tandem totam pœnam extingui, non tamen in perpetuum, vt Origenes censebat, sed vsque ad diem iudicij, quando resumpti corporibus retrudendi in eadem tartara sunt, absque fine vllo & remedio cruciandi.

Præpositiuus.

Hanc vero opinionem absurditas hæc consequitur, quod remittatur pœna ei cui non est condonata culpa, quod tamen ordo diuinæ sapientiæ non permittit. Etenim cum, vt supra diximus, opera nostra nullam apud Deum sortiantur rationem iustitiæ ex viribus nostris, sed ex sua gratuita acceptatione, fit vt nisi persona, quæ opus offert, grata sit ei, opus nequeat esse acceptum.

Porretani 3. Opinio.

Hoc ergo Porretani quidam nomine perspicientes, aliam excogitarunt tertiam opinionem. Nempe per nostra suffragia illorum infernalium, qui in fide mortua Christi receſſerunt, supplicia minui: non tamen secundùm æqualem quantitatem, sed secundùm partes, eadem semper proportione minores. Verb. gratia. Si per vnum sacrificium dimidium pœnæ remittitur, per aliud æquale dimidium illius residui tollatur, & per aliud itidem dimidium residui: & cùm hac diuisione quantitas sit in infinitum diuisibilis, nunquam tota poterit exhauriri pœna. Horum autem opinionem probè ait Diuus Tho. multis modis deficere. Primò, quia huiusmodi proportionalis diuisio non tam spirituali congruit quantitati, quàm corporali. Secundò, quia non est vlla ratio cur subsequens æquale suffragium non tantundem pœnæ tollat quantum præcedens. Tertiò, quia cùm pœna sequatur culpam, & culpa non diminuatur, ratio non permittit pœnam minui. Quartò, quia licet in diuisione lineæ procedatur in infinitum, deuenitur tamen ad tam exiguam partem quæ non sit sensibilis. Pariter ergo in diuisione pœnarum deueniretur ad insensibile, quod ferè esset in errorem Origenis recidere.

Altisiod. opinio.

Altisiodorensis, vt hic ait Diuus Thomas, quartam meditatus est opinionem, scilicet quòd per suffragia viuorum licet damnatorum pœnæ non remittantur, corroborantur tamen ipsi, vt minus eas sentiant. Quanuis libro, 4. capitulis duob. de damnatis opinionem Præpositiui prius sustinens, probabilius arbitretur, quòd nullatenus damnatis prosint suffragia. Cuiuscunque tamen illa fuerit opinio, falsissima est. Nam cùm pœna infligatur, vt sensu cruciet, & culpa damnatorum nullatenus remittatur, non est iustitiæ consentaneum leuamen illud, vt minus sentiatur pœna. Præsertim quod si illud esset verum, tantum posset irroboratio illa crescere, vt pœnarum sensum adimeret.

3. Opinio.

Quinta demum opinio plusculum prima facie probabilitatis præfert, nempe quod suffragia, quamuis non aliter, hoc tamen modo refrigerium damnatis afferant, vt conspicientes non vsque adeo esse à suis amicis in hac vita despectos, quin pro eis orent, minus doloris sentiant, quam si viderent prorsus esse obliuioni & despectui habitos. Sed tamen hæc opinio legi communi non consonat. Quoniam, vt Augustinus in libro de curã pro mortuis gerenda autor est, spiritus damnatorum non vident quæ apud nos aguntur. Quod autem supra legem communem suffragia eis Deus viuorum reuelet, non est consentaneum.

1. Concl.

His igitur posthabitis falsis opinionibus, statuitur prima huius articuli conclusio. Damnatis qui in inferno cruciantur, nihil ecclesiastica suffragia secundum ordinariam legem prodesse valent, neque vllus eis potest opem ferre, sed debent in perpetuum ad iustum meritas pœnas luere, quia eas nusquam persoluere valent. Dixerim secundùm legem ordinariam, propter illos qui arbitrantur per singulare priuilegium posse secus cõtingere, quod citò examinabimus. Ratio conclusionis ex parte damnatorum est, quod ratione sui status sunt in odio Dei obstinati, Deum subinde continenter sua mente blasphemantes, quo sensu ait Psal. 6. Dauid, Conuertere domine, & eripe animam meam, scilicet dum vita mihi superest. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Quasi dicat, In mortis articulo, dum corpus quod corrumpitur aggrauat animam, difficile est vt homo sit memor tui: in inferno autem impossibile: & cum nisi eorum qui ipsum confitentur, Deum non misereat, non sunt illi misericordiæ eius capaces, neque fructus passionis Christi, per quam solam & culpę & earum subinde pœnæ remitti valent.

Secunda ratio ex parte nostra est, quod suffragiorum fundamentum est charitas, qua sumus membra viuentia in Christo: cum ergo illi extra charitatem sint, nullatenus nostrorum suffragiorum participes esse possunt.

Confirmatur hoc ex sententia illa Matthæi. 25. qua vt beati in vitam æternam, ita & damnati in ignem mittuntur æternum. Nomen autem æternitatis hoc sonat, quod res perpetuò sine interpollatione, aut vllo cremento, vel decremento, pari modo duret. Ergo sicut beatorum gloria, neque augeri, neque minui essentialiter potest, ita neque damnatorum tormentum.

Imò verò adeò est hæc conclusio certa, vt pro damnatis orare peccatum sit genere suo mortale. Quoniam petere à Deo non licet nisi quod secundum eius legem impetrare ab illo possumus. Cum ergo de damnatis stet firma sententia, vim obtinens legis, qua sunt ab eius misericordia excluſi, peccatum est pro illis orare. Vnde Augustinus, Si scirem, inquit, matrem meam esse in inferno, non magis pro illa orarem quàm pro diabolo

Orare prò damnatis peccatum.

Augusti.

Atque hoc est aliud recens conclusionis argumentum. Sunt etenim animæ eadem qua dæmones sententia damnatæ: pro dæmonibus autem orare non licet, ergo neque pro damnatis hominibus. Quocirca idem Augustinus loco in Enchiridio citato vniuersos infernales, siue infideles fuerint, siue Christiani, appellauit valde malos, quibus nostra suffragia auxilio esse non possunt.

Aliud arg.

Quapropter etsi Diuus Thomas impræsentiarum moderatè dixerit, tutius esse simpliciter dicere quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis ecclesiam orare, quia suo tempore (vt ex Altisiodoren. colligitur) in opinionibus id versabatur: asseuerantius tamen iam nunc asserenda est conclusio, vel tanquam catholica, vel tanquam catholicæ proxima, saltem de lege communi. Ille quippe est sensus illius Ecclesiast. 11. Vbi ceciderit lignum, illic erit: siue ad Austrum, siue ad Aquilonem: quasi nulla sit post mortem amplius vel in cælo, vel in inferno mutatio. Et de damnatis præcipuè intelligitur illud Deuterono. 25. Prõ mensura delicti erit & plagarum modus. Et Apocalypsis. 18. Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et Iob. 7. Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendit. Sed præ omnibus ponderat, quod infernus appelletur ignis æternus. Quapropter canit ecclesia, quod in inferno nulla est redemptio. Quo verbo omnes opiniones contrariæ excutiuntur. Non enim solum ait, Non est redemptio: sed nulla. Videlicet neque vt possint inde exire, neque, vt possit eorum pœna remitti, neque vt vllo valeant refrigerio releuari. Quare in oblatione hostiæ nulla particula damnatis consignatur.

Testimonia sacra.

Sed afferebat pro se Præpositiuus, quod ecclesia pro cunctis fidelibus defunctis orat in illa collecta: Fidelium Deus omnium conditor, &c. scilicet pro omnibus qui fidem susceperunt. Iuxta verbum Augustini loco citato dicentis, quod orat pro omnibus baptizatis. Adde quod saltem damnati, qui baptizati fuerunt, mereri potuerunt, iuxta verbum Augustini, vt ecclesia pro illis oraret.

Fidelium Deus, &c.

Item orat ecclesia, ne animam defuncti absorbeat tartarus, quo nomine significari videtur damnatorum infernus. Altisiodorensis præterea loco citato inter defendendum Præpositiuum, affert historiam de vita Sancti Brandani, qui vidit Iudam incedentem per prata, & rogatus cur non esset in inferno, respondit, quod vsque ad aliquod tempus refrigerium habebat propter bona quæ fecerat.

Historia Brandani de Iuda.

Respondetur autem ad primum, quod ecclesia non orat nisi pro fidelibus, qui discesserunt cum fide formata, quibus scilicet redemptio Christi profuit: & ideo additur, Conditor & redemptor, & collecta sic concluditur. Vt indulgentiam quam semper optauerunt, scilicet vsque ad mortem, pijs supplicationibus consequantur. Quare licet Christiani in gratia existentes mereantur, vt ecclesia post eorum obitum

Ecclesia non orat nisi pro iustis defunctis.

pro

pro illis oret, tamen per peccatum mortale meritum illud extinguitur: iuxta verbum Ezechielis 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius quas fecit non recordabuntur. Et ideo August. in autoritate supra citata de verbis Apostoli, Sermone. 32. ait, quod eis qui sine fide quæ per charitatem operatur, de corporibus exierunt, frustra impenduntur suffragia. Idemque repetit in Enchiridio cap. 112. dicens. Frustra nonnulli damnatorum pœnam & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserentur affectu, allegantes illud psalmi, Non obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Quia hoc, inquit, sine vllo scrupulo de his intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupantur.

Sol. 2. ar. Ad secundum respondetur, quod ecclesia ante obitum orare potest & solet pro infirmo, vt ab inferno damnatorum liberetur: sed post obitum nequaquam, nisi vt liberetur à purgatorio, vel saltem pœna ei illa remittatur. Quod ideo purgatorium nomine Tartari intelligit, quia est locus horrendus, & animas quoque dicitur absorbere. Quapropter licet iam tunc lata sit sententia, nihilominus ecclesia loquitur ac si tunc anima esset in iudicio. Et ideò inter preces ait, Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Vel dicendum, quod etsi sententia lata sit, rogat tamen, vt illam pœnam vel in totum, vel in partem condonet. Quare vbicunque in exequijs orat, vt Deus pius & misericors indulgeat & abluat quicquid homo peccauit, non intelligit de remissione culpæ: nam si mortalis erat, iam anima est in inferno: venialis verò per propriam charitatem ei remittitur in purgatorio. Sed intelligitur de remissione pœnæ. Illa verò historia Brandani non est authentica.

Obiectio. Quòd si arguas. Ecclesia orat pro vitis existentibus in peccato mortali: ergo potest orare pro existentibus in inferno. Negatur consequentia: quia viuentes possunt conuerti, & ideo orat ecclesia vt conuertantur: damnati verò minimè.

Dilutio.

Solutio argumentorū. Quo ergo ad argumenta respondeamus, autoritas Aug. primo argumento citata interpretes iuris canonici conturbat super canonem, Tempus 13. q. 2. non intelligentes quidnam Augustinus intellexerit per non valde malos, & per valde malos. Arbitrantur namque etiam in inferno esse non valde malos, pro quibus ideo orare licet, nempe si fuerint Christiani: & ideo glossa incidit in illam confutatam Porretanorum opinionem, quod damnatis remittitur pœna, licet inæqualis per æqualia suffragia. Et ideo cum subdit Aug. quòd quib. prosunt: aut prosunt, vt sit plena remissio, aut vt tolerabilior fiat damnatio: primum membrum referunt ad eos qui sunt in purgatorio, secundum verò ad quosdam existentium in inferno.

Sententia autoris. Sed hæc omnia sunt manifestè falsa: quare, vt bona venia dixerim, consultius isti facerent si de ijs quæ alienæ sunt facultatis nil definirent. Diuisio enim trimembris August. manifestè de tribus diuersis receptaculis intelligitur: appellat enim valde bonos cūctos fœlices in paradiso existentes, & ideo ait, quod suffragia respectu illorum qui illis non indigent, sunt gratiarum actiones: sed valde malos appellat per contrarium extremum, vniuersos qui sunt in inferno, tam Christianos quàm infideles, etiam si minimo peccato mortali discesserint: idem enim est, valde mali, quod inimici Dei, & istis ait nullatenus suffragia nostra esse adiumenta, sed sunt qualescunque viuorum consolationes. Et idem est de existentibus in limbo puerorum. Igitur per non valde malos, omnes solosque intelligit existentes in purgatorio, qui dicuntur esse & mediocriter boni, & mediocriter mali: quippe qui ita sunt amici Dei, vt tamen in tempus arceantur ab eius conspectu. Et de istis duntaxat suddit suffragia illis vt propitiationes prodesse, vel vt sit plena remissio, vel vt tolerabilior sit damnatio: non enim loquitur de damnatione inferni, sed appellat damnationem illam condemnationem purgatorij. Nam cum pœnæ illæ sint longè inæquales, & pariter suffragia, quandoque contingit, vt per vnum suffragium tota pœna tollatur, quandoque verò non, nisi quod vna pars remittatur.

Historia Traiani. Historia verò illa de Traiano diuum Thomam, Altisiodorensem, & Theologorum pleroſque non parum mouet. Nam quamuis apud Gregorium ipsum non reperiatur, Damasceenus tamen autoritatem illi adrogat. Et primum omnes consentiunt non potuisse Traianum ab inferno eripi, & denique per eius contritionem & conuersionem: repugnaret namque legi Dei aliter fieri. Et ideò aiunt precibus Gregorij resuscitatum in paruulum tempus, quo conuersus iterum defunctus est & saluus factus. Quinuerò Altisiodorensis in illo capitulo, de damnatis lib. 4. plures existimat ab apostolis ex damnatis infidelibus resuscitatos. Qui ideo potuerunt salui fieri. Quod si ita est, necesse est subinde dicere conclusionem perpetuitatis inferni intelligi secundum legem ordinariam, sed ex priuilegio posse inde animas erui.

Sed tamen primum omnium profectò de historia Traiani diffiteri non possum mihi fieri creditu durissimam: quoniam, vt supra diximus, certum est peccatum esse mortale orare pro damnatis. Quomodo ergo Gregorius hoc ignorare potuit? quod si non ignorauit, quomodo secus fecit? Atqui Abulensis super quartum librum Regum quæst. 57. fatetur Gregorium mortaliter peccasse orando pro Traiano, sed nihilominus fuisse exauditum: & in pœnam peccati condemnatum fuisse, vt dolore stomachi laboraret. Quod profectò nescio quis credat. Mallem dicere Gregorium dubitantem an esset in inferno, orasse pro illo: sed neque hoc facile credo. *Abulensis.*

Item quòd aliqui fuerint ex inferno damnatorum resuscitati, qui postea in cælum euolauerint, videtur rationi prædestinationis aduersum. Consequitur enim quòd aliqui prædestinati fuerint in inferno damnati, non simpliciter, sed sub conditione, nisi postea resuscitarentur. Id quod autores illarum opinionum facilius concedunt, fortè quàm valeant alijs persuasum facere. Nam verisimillimum est in obitu cuiusque sententiam absolutè ferri. Ite in ignem æternum, aut in vitam æternam: qualiter est in die iudicij ferenda.

Fateor tamen hoc argumentum non esse contemnendum, quòd cùm Apostoli ac deinceps alij euangelij promulgatores plures inter gentes excitauerint mortuos, coniectura fit, quosdam sua gentilitate damnatos suscitasse. Respondere tamen possumus fortè non suscitasse nisi eos qui inuincibili ignorantia Christianæ legis laborantes in lege naturæ seruari poterant: aut alios catechumenos aut Christianos, atque adeò in purgatorio existentes. *Argum.*

Quibus autem contraria opinio placuerit, non subinde dicere tenentur, vt de existentibus in purgatorio & in limbo patrum diceb amus, resuscitari confirmatos in gratia, aut certos de sua salute. Satis enim amplum beneficium Dei erat, quòd cùm in inferno essent, restituerentur in vitam, in qua lege communi possent saluari. At quamuis hæc teneatur opinio, quòd ex priuilegio possunt aliqui ab inferno exire, nullatenus tamen pro illis orare licet: quia oratio non debet nisi secundum legem communem fieri.

Secunda superiori similis conclusio est. Pueris non baptizatis in limbo suffragia viuentium non prosunt. Et ratio est similis: quia sunt in perpetuum à regno cælorum relegati: neque in vita meruerunt, vt eis defunctis suffragia prodessent. Neque verò sunt in charitate, qua sumus destincti, & nostànquam membra viuentia in Christo communicantes: quibus iubet Apostolus alterum alterius onera portare. *2. Concl.*

Vnde ad secundum argumentum respondetur. Quòd quamuis pueri non damnentur nisi pro peccato, quod aliena voluntate in Adam commiserunt: nihilominus sunt valde mali ea ratione qua sunt Dei inimici, & eius fide carentes. Quod sufficit, vt eis non prosint nostra suffragia. Tametsi non sint tam mali quam qui in inferno cruciantur. *Sol. 2. ar.*

Tertia conclusio. Neque verò beatis nostra suffragia quicquam valent. Illos enim appellat Augustinus valde bonos, respectu quorum nostra suffragia non sunt iuuamen, sed gratiarum actiones. Et ratio est patentissima: quoniam suffragia, vt nomen ipsum sonat, non sunt nisi auxilia, quibus miseris & egenis opem ferimus. Beati verò ab omni sunt miseria & egestate immunes. Neque quippiam habent de quo satisfacere debeant: neque verò eorum potest augeri fœlicitas: & ideo, vt ait citatus Augustinus, iniuria fit sanctis dum pro eis oratur. *3. Concl.*

Quapropter ad tertium argumentum respondetur, sacra altaris solennia prodesse sanctis ad gloriam: non quòd eis aliqua essentialis gloriæ ratio augeatur: *Sol. 3. ar.*

cum

cum obiectum illius gloriæ sit Deus. Sed nobis potius festa quæ illis feriamus, prosunt ad gloriam. Dicuntur tamen eis quodammodo prodesse materialiter & extensiuè. Quia cum illa sacrificia quæ nos facimus, videant in verbo, de illis gaudent. Non quidem quod gaudium sit eorum intensius, sed extensius, quia gaudent de pluribus quàm antea: quod proinde appellatur gaudium accidentale. De quo gaudio intelligitur illud Lucæ. 15. Gaudium est angelis Dei de vno peccatore pœnitentiam agente.

Ad aliud verò de particula mersa in calice pro beatis. Respondetur, quòd non immittitur ad significandum quòd sacramentum & sacrificium aliquid gratiæ, vel satisfactionis eis impartiatur, sicut suscipientibus sacramentum: aut illis pro quibus sacrificium offertur, qui indigent adiuuari. Sed ad significandum esse participes redemptionis Christi, & triumphare de victoria parta dum hic militarent.

4. *Conc.* Quarta conclusio, quæ ex superioribus colligitur. Illæ defunctorum animæ, quibus suffragia viuentium prosunt, sunt omnes & solæ existentes in purgatorio. Illas enim appellat Augustinus non valde malas, quibus ait suffragia esse propitiationes. Quare de his intelligitur conclusio præcedentis articuli, qua diximus suffragia prodesse defunctis. Habent enim qui sunt in purgatorio conditiones duas. Priorem, quòd suffragijs indigent, quo differunt à beatis: posteriorem, quod sunt in charitate, qua meruerunt vt illis viuentes suffragari possent: quo differunt à damnatis.

Probatio. Hanc conclusionem refutant hæretici dicentes, in sacris Biblijs non contineri. At verò imprimis purgatorij confessione supposita, quam locis supra citatis commonstrauimus, quamuis nullum esset sacrum testimonium, ratio ipsa charitatis satis hanc veritatem edocet. Pœnæ enim purgatorij adhibitæ sunt in supplementum satisfactionis, quæ in hoc seculo non fuerat plenè consummata: & ideo viui sicuti viuentibus, ita & istiusmodi defunctis suffragari possunt.

Libri Machabæorum. Nihilominus extat testimonium supra citatum 2. lib. Machabæorum. c. 12. Vbi legitur fortissimum Iudam mille drachmas argenti Hierosolymam misisse, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium: bene & religiosè de resurrectione cogitans. Mortuorum scilicet, qui cum pietate dormitionem acceperant. Vnde subdit sacra historia. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

At vero hæretici, qui aliter respuere tam apertum testimonium non poterant, cogitarunt (quæ sua genuina vafricies est) autoritatem illorum librorum demoliri, dicentes non esse canonicos. At vero quamuis in concilio Laodiceno relati non fuerint, neque Hieronymus in prologo galeato eos retulerit, tamen ecclesia, quæ veluti aurora consurgens successu temporum magis ac magis spiritus sancti lumine in huiusmodi decretis suscipiendis, ampliandisq; perfunditur, illos in canonem retulit, vt patet in concilio Carthaginensi tertio, cui Aug. subscripsit, qui ideo. 2. li. de doctrina Christiana cap. 8. eos inter canonicos recenset. Et Gelasius Papa cap. Sanè, Romana, distin. 15. & concilium œcumenicum Florentinum, ac subinde Tridentinum. Quibus adeò sacrosanctis decretis fidem abrogare aut infirmare nefas est. Et Tobiæ. 4. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.

Augustin. Veruntamen Augustinus in libro, De cura pro mortuis gerenda ca. 1. postquam testimonium illud Machabæorum ad hanc veritatem allegauit, subiungit dicens: Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac consuetudine claret autoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Et de verbis Apostoli sermone. 32. Orationibus, inquit, sanctæ ecclesiæ, & sacrificio salutari & eleemosynis quæ prò eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino quàm sua peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa seruat ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, atque pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, &c. Hæc ille.

Hæc autem ecclesiæ sancta consuetudo ab ipso apostolorum æuo certum est originem ducere. Dionysius enim Pauli discipulus, in libro ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 7. Quemadmodum sacer præsul pro defunctis oret, commemorat dicens, Sanctorum preces in vita ista, & non tantum post mortem prodesse. Vbi dicens post mortem, insinuat & defunctis prodesse: & subdit, Inter precandum igitur oratur diuina bonitas, vt cuncta peccata defuncti per humanam infirmitatem admissa dimittat: eumque in luce collocet, & regione viuorum, in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, tristitia & gemitus. Vide quàm sit antiqua precatio hæc, qua ecclesia in exequijs vtitur defunctorum. Idem repetit antiquis ille Theologus Gregorius Nazianzenus in oratione funebri ad Cæsarium fratrem de matre sua. Et Chrysostomus homilia. 41. super primam Epistolam ad Corinthios capit. 15. ait: Non est temerè hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, nec temerè qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat pro omnibus in Christo dormientibus. Vnde concludit dicens, Opitulemur igitur his fratres, & memoriam pro ipsis faciamus. Et homilia. 69. & 70. ad populum mirificè de suffragijs mortuorum loquitur. Ad hæc eloquentissimè simul ac religiosissimè Damascenus totum illum citatum sermonem, de his qui in fide hinc migrarunt, hoc suffragiorum pro defunctis argumentum locupletat. Vbi ait Apostolos ipsos saluatoris discipulos memoriam eorum qui fideliter obdormierunt habendam edixisse. Quod adhuc firmiter atque adeo sine contradictione obseruat Apostolica & catholica ecclesia Christi & Dei, à finibus vsque ad fines terræ, ab eoque tempore vsque in præsens, & in finem mundi vsque. Omne hoc neque vanè, neque absurdè, neque temerè, fortuitóue ordinatum est. Quæ enim Christiana religio erroris nescia suscipit, & in tot secula seruat inconcussa, minimè vana sunt, sed vtilia, Deo placita, salutiq; nostræ conducibilia plurimum. Hactenus ille. Operosum autem nimis esset aduersus istos hæreticos in suffragia oblatrantes vniuersa sanctorum patrum testimonia percensere. Consultissimè ergo simul ac sanctissimè, præter quotidiana suffragia & sacrificia, diem crastinum omnium sanctorum ecclesia dedicauit: quo viuentium pietas animabus purgatorij suffragaretur.

Dionysius. *Greg. Nazian.* *Chrysost.* *Damasc.*

Hinc fit verbum illud Ecclesiasticum, In inferno nulla est redemptio: atque illud Psalmi, In inferno autem quis confitebitur tibi? binam expositionem admittere. Aut enim intelligitur de inferno damnatorum: aut si accipiatur nomen, vt etiam comprehendat purgatorium, intelligitur (vt in prædicto sermone ait Damascenus) comminatoriè, secundum causas inferiores, puta secundum exigentiam meritorum animarum quæ purgatorio deputantur: vt scilicet ad iustum pœnas luant: sed secundum diuinam misericordiam, quæ vincit humana merita flectitur Deus, vt sententiam mutet: cuius exempla in Niniuitis, Achab, & Ezechia extant. Quare tantum potest esse suffragium, vt tota expietur pœna: quæ quidem expiatio vicem habet purgationis, quæ erat facienda per ignem.

ARTICVLVS III.

Vtrum solo sacrificio altaris, & orationibus, & eleemosynis inueniantur defunctorum animæ.

SVBSEQVITVR articulus tertius de suffragiorum numero & genere, & arguitur quod non sint tantum tria illa suffragiorum genera quæ Augustinus sermone citato. 32. de verbis Apostoli, & lib. de cura pro mortuis gerenda, commemorauit. Scilicet orationes sanctæ ecclesiæ, & sacrificium salutare, & eleemosynæ, quæ pro defunctorum spiritibus erogantur. Et arguitur primò à parte negatiua. Gregorius ad Bonifacium, & refertur cauo. Animæ. 13. quæstione secunda. Animæ, inquit, defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdo-

Partis negatiuæ 1. argum.

tum,

tum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Non ergo sunt tantum tria.

2. Argu. Secundò. Et cura funeris, & sepulturæ pompa, ad suffragia pertinere videntur. Refert enim Augustinus libro. 1. de ciuitate Dei antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata, & exequias celebratas, & sepultura prouisa: & Tobias, angelo id attestante, capitu. 12. suæ historiæ sepeliendo mortuos Deum promeruisse refertur. Sunt ergo hæc defunctis adiutoria, alioquin vana essent.

3. Argu. Tertiò & indulgentiæ, quas ecclesia in subsidium mortuorum largitur, illis prosunt. Ergo non sunt tantùm tria illa suffragiorum genera.

In contrarium videtur militare August. allegata sententia.

Pars affirmatiua. Restitutio & satisfactio non sunt idem. In introitu statim quæstionis præsentis hoc admonere operæpretium est, quod distinctione. 19. prædiximus. Nempe restitutionem, & satisfactionem non esse rem vnam, sed diuersas. Restitutio namque opus iustitiæ est inter homines: vt vnusquisque quod debet reddat, quamuis citra iniuriam fuerit acceptum: satisfactio verò fit Deo ratione iniuriæ. Quare suffragia ad satisfactionem pertinent, non ad restitutionem. Hoc ob id dixerim, quòd imperitum vulgus arbitratur animam defuncti in purgatorio detineri, quousque debitorum restitutio hic fiat, veluti si teneretur apud nos in carcere seculari: quod quidem res est falsissima, diuinæque iustitiæ aduersa. Etenim si defunctus dum viuebat, in ære alieno soluendo fecit quod debuit, in suo scilicet testamento id mandauit hæredibus, quos bona fide credebat suam executuros voluntatem: & aliud purgandum non habebat, illico euolabit in cælum, quamuis debita nunquam soluantur. Quia culpa hæredum in illa restitutione facienda nullatenus nocere potest defuncto: cum in sua potestate non sit remedium adhibere, Deus enim neminem punit nisi pro propriis culpis quas egit in corpore. Anima ergo non purgabit in purgatorio nisi illud satisfactionis quod supererat remissis culpis. Quapropter purgato illo peccatorum reatu, quamuis debita nunquam soluantur, anima de purgatorio transmigrabit in cælum. Alioquin si exitus a purgatorio à voluntate penderet illorum, quibus hic restitutionem facere incumbit, sequeretur, quòd si nunquam illam facerent, nunquam anima à pœnis illis eriperetur, quod est conceptu absurdissimum. E conuerso si defunctus in restitutione hæredibus aut executoribus testamenti demandanda non fecit quod debuit, vtpote quia non bona fide existimabat esse faciendam, damnabitur quidem, quamuis illico post mortem forte æs alienum soluatur. Itaque defuncto post mortem nihil refert quando fiat restitutio, nisi fortè existens in cælo suorum diligentiam agnoscat, quæ illi erit grata. Sed executores testamenti vel hæredes tenentur debita soluere: vbicunque credant esse animam defuncti, siue in inferno, in purgatorio, siue in cælo. Suffragia ergo sola sunt quæ existentes in purgatorio iuuant, siue quæ defunctus pro se fieri mandauit, siue quæ viui pro eis offerunt.

Imperitia vulgi.

Notæ.

Hoc ergo supposito ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima, licet tria sint potissimum & maximè proprie suffragiorum genera: scilicet sacrosanctum sacrificium missæ, eleemosyna, & oratio, nihilominus ieiunium quoque, & alia eiusmodi pœnalia opera ad id muneris conferunt. Probatur prior pars. Viuorum suffragia ex duplici radice defuncti prosunt, scilicet & quia viui defunctis per charitatem compingimur, & quia viuentium intentio ad eosdem defunctos refertur. Quocirca ea viuentium opera suapte natura nata sunt defunctis præcipuè suffragari, quæ ad communionem charitatis, vel ad directionem intentionis in alterum attinent: sacramentum autem altaris, quia Christum continet, quo tota ecclesia vnitur & consolidatur, est origo & vinculum charitatis inter omnes qui fide viua sunt membra eiusdem Christi. Et ideo illud est suffragiorum omnium princeps: & quod potissimè suo genere defunctis prodest. Inter effectus autem charitatis, quæ est inter proximos, principem locum obtinet eleemosyna, quæ est miserorum subleuatio. Ob idque ratione eiusdem charitatis conuenit eleemosynæ propria ratio suffragij. At verò ratione directionis qua intentio in alterum dirigitur, oratio etiam propriè inter suffragia collocatur. Quippe quæ non solùm respectum dicit ad orantem, vt cætera bona opera, sed ad illum pro quo oratur.

1. Cont.

Sacrificium missæ.

Eleemosyna.

Oratio.

Ieiunium.

Non constituimus hic vtra suo genere præstantior sit, oratio ne an eleemosyna. Nam cum oratio ad Deum immediatiùs dirigatur, præstantior suo genere est. Sed rationes explicamus quibus hæc propriè suffragia censeantur. Ieiunium verò non tam propriè refertur ad alterum, quàm alia tria, sed ad ipsum ieiunantem, nempe ad macerationem & afflictionem proprij corporis. Et ideo quamuis propriè inter opera satisfactionis, quia pœnale est annumeretur: non tamen tam propriè inter suffragia quę pro aliis offeruntur. Et ea propter Augusti. tanquam propria suffragia illa duntaxat tria recensuit. Gregorius verò laxius extenso nomine ieiunium quoque comprehendit. Et eadem ratione flagella & humi cubatio & alia id genus tristia molestaque opera, potest homo pro suo defuncto in ratione suffragij perferre & offerre.

Aug. Grego.

Sol. 1. ar.

Et per hoc solutum est argumentum Gregori. Ex quo sequitur, quod in ratione propria suffragij non tam æstimanda est ratio pœnalitatis, quam patitur ille qui suffragatur (qualis est in ieiunio) quàm effectus, qui in alium transit, qualis est in eleemosyna.

Cur alia sacramenta non sint suffragia.

Eadem est ratio in sacramentis. Baptismus enim & confirmatio, & reliqua, quia non sunt nisi mera sacramenta, quorum effectus solum recipienti tribuitur, qui regeneratur, confirmatur, & ordinatur, suffragiorum rationem minimè sortiuntur: sed eucharistia, quæ non solum sacramentum, verùm & sacrificium est. Quanquam virtute operis operantis possint reliqua sacramenta ad suffragia referri, quatenus homo vel baptizatur, vel confitetur, vel ordinatur, vt maiori cum dignitate pro suis oret defunctis.

1. Co. 15.

Autoritas verò illa Paul. 1. ad Cor. 15. Si omnino mortui non resurgunt, quid faciunt illi qui baptizantur pro mortuis? videtur insinuare quòd sicut eucharistia, ita baptismus offerri valeat pro mortuis. At verò illic Paulus imperitiam quorundam subnotat: qui dum ad fidem conuertebantur, postquam semel baptizabantur, vt fierent Christiani, rursus baptizari contendebant pro suis defunctis, qui sine baptismo decesserant, existimantes illis profuturum.

Eleemosyna pro defunctis.

At quoniam dictum est, sacrificium missæ, omnium suffragiorum esse potissimum, admonito hic opus est: quòd quanquam id verissimum sit, ex obiecto & genere suo, quia Christus illic offertur, nihilominus ratione necessitatis pauperum, quos nobis Christus tantopere commendauit, dicens: Pauperes semper habebitis vobiscum: potest eleemosyna quandoque esse Deo gratior & acceptior in satisfactionem pro defunctis, quàm longa missarum multiplicatio. Absit vt quis negauerit missas imprimis esse pro defunctis offerendas. Veruntamen postquam aliquo numero pro ratione qualitatis personæ offeruntur, melius est largissimas eleemosynas in pauperes profundere: quàm centenas aut millenas missas accumulare. Necessitas. n. pauperum etiam corporalis efficere potest, vt verum sit tunc etiam verbum Christi. Misericordiam volo, non sacrificium. Et diuites iussit, vt de mammona iniquitatis amicos pauperes sibi conciliarent, qui eos reciperent in æterna tabernacula. Et in die iudicij non aliam rationem mittendi alios in vitam æternam, atque alios excludendi, commemorat, quàm quia esuristi, & dedistis mihi manducare. Nam quod vni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Defunctorum missæ.

Cæterum missæ, quæ pro defunctis offerri ordinaria lege debent, sunt illæ quas ecclesia pro defunctis constituit dicendas: in quibus psalmos & collectas, ad rem propriè accommodatas optimo iudicio selegit cantandas, aut recitandas. Quare ratione huius ecclesiasticæ institutionis eiusmodi missæ sunt magis meritoriæ & satisfactoriæ pro defunctis. Nihilominus ratione singularis deuotionis, qua defunctus erga sacratissimam virginem, vel erga aliun duum affectus: potest fieri compensatio, vt aliæ missæ in honorem eorundem sanctorum offerantur, qui pro defunctis Deum exoratum curent.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quamuis sepultura, per se nuda rationem suffragij non induat, exequię tamen

Digitized by Google

quibus funus curatur suffragia sunt. In sepultura enim tria est considerare: scilicet officium ipsum humandi tumulandique cadauer. Præterea pompas & ornamenta, quibus funus honestatur. Et tertiò exequias. Et de sepultura quidem fuit inter Ethnicos error, ob id cadauera cremari aut humari, vt animæ quietis sedem obtinerent, qua ante cadauerum sepulturam potiri negabant. In quam sententiam Augusti. illud Maronis Æneidos sexto refert: Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta Transportare, prius quàm sedibus ossa quierunt. Sed religio christiana fabulosa illa figmenta execratur. Vbicunque enim corpora nostra cadant, siue in bello, siue in mare, vt cadauera siue anibus, siue piscibus esca sint: pollicitus est nobis Christus nec capillum capitis nostri periturum. Ob idque nos admonuit ne eos qui corpora tantum occidunt, timeremus: quippe qui in animabus nihil amplius habent quid faciant. De hac re loco citato Augustinus & libr. 1. de ciuitate Dei, & Chrysostom. super epistolam ad Hebræos, & refertur can. Vbicunque. 13. quæst. 2. Vbicunque enim, inquit, sepeliamur: domini est terra & plenitudo eius.

Sepultura Ethnicus error.

Augustinus.

Officium sepultura Christiana.

At nihilominus officium sepulturæ Christianum obsequium est, idemque tum viuis, tum etiam ipsis defunctis vtile. Viuis quidem & quantum ad corpora, ne cadauerum aspectu offendantur, & fœtoribus afficiantur. Et speciatim quantum ad animas: quoniam per hoc officium fidem resurrectionis profitemur deponentes corpora, vnde postea cum dotibus gloriæ resurgant. Et præterea affectum ostendimus quo charos nostros & necessarios etiam à nobis decedentes prosequimur. Quare cadauera non ritu gentilico comburimus, sed humamus, profitentes de terra corpora nostra esse plasmata, atque iterum in terram esse resoluenda: iuxta illud, Terra es, & in terram ibis. Præterquam quòd humana corpora exurere horror est.

Cadauera non cremantur.

Sed & defunctis quoque sepultura beneficium est. Nam sepulchra inspicientes eorum memoriam retinemus, & pro eis oramus, & alia offerimus suffragia. Quapropter & in locis sacris officiosa religio est, mortuos sepelire. Non quòd ex ipso opere & loco aliquid accrescat defuncto: sed ratione deuotionis, aut defuncti: qui præcipiens in aliquo sacello sepeliri, illius diui precibus se commisit: vel propter deuotionem viuorum, qui dum sacrificijs ibi intersunt, in memoriam defunctos reuocant. Ob id namque, vt eodem libro ait Augusti. Sepulchra & tumuli memoriæ vel monumenta dicuntur, quòd moneant mentem. Ad hęc cùm caro sit pars naturæ, vnde Apostolus ad Ephes. 5. ait Nemo carnem suam vnquam odio habuit: ex illo iusto carnis affectu, homines charorum funera curant. Vnde eisdem locis Augustinus, Si paterna, inquit, vestis, si annulus, aci quid huiusmodi, tanto charius posteris est, quanto erga parentes maior affectus, nullo modo ipsa aspernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiarius, atque cõiunctius, quàm quælibet indumenta gestamus.

Sepultura opus misericordiæ.

Quapropter sepultura vnum ex operibus misericordię est: quod Tobias exercuit, & Christus etiam impendi sibi voluit: non tamen tantum, vt eius fit in die iudicij mentionem inter cætera facturus. Quinuerò Matthæi. 8. illi qui sequi ipsum recusabat, causatus quod vellet mortem patris expectare quem sepeliret, Dimitte, inquit, mortuos, id est, mortalia curantes, sepelire mortuos suos. Quamuis illic eos potiùs increpare voluit quos cura viuentium parentum à professione religionis cohibet vel remoratur. Cæterum patres antiquę legis in terra promissa sepeliri curabant: vbi Messias erat & nasciturus & moriturus. Qua vtiq; religione Abraham emit agrum, vbi sepeliuit Saram vxorem suam, Genesis. 23. vbi ipse postea tumulatus fuit, & Isaac, ac demum Iacob, ex Ægypto illuc fuit deuectus.

Pompa funerum.

Pompa verò funerum nihil defuncto prodest, vt pullę vestes, & atræ, & lamentationes, & planctus. Nam, vt ait Augustinus in eodem libro de cura pro mortuis, & Grego. 4. dialo. & refertur. 13. q. 2. cano. Animę. Curatio funeris, conditio sepulturę, pompa exequiarum, magis viuorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla.

Moderatus luctus.

Quanquam si luctus illa indicta cum moderamine fiant, non sunt Christianæ religioni aduersa, vt Ambrosius in libro de obitu Theodosij. 13. & refertur. q. 2. cano. Quia alij. Nam defuncto eodem Iacob, vt Gene. vltimo refertur, præcepit Ioseph patrem sepeliri, & septem diebus luxit eum. Et Deute. 24. legitur: quod defunctum Moysen filij Israel triginta diebus fleuerunt. Et Dauid luxit mortem Amon filij sui multis diebus. 2. Reg. 13. Nam si de alijs temporalibus damnis licitum est cum moderamine tristari, multò iustius de morte parentis aut alius necessarij, cuius vita chara nobis erat, atque aliquid afferebat emblumenti. Christus enim super mortem Lazari lachrymatus est, & Maria Magdalena ploraut, & fleuit ad monumentum Christi: sunt hæc enim amoris indicia. Excessus tamen est vituperio dandus, vt ait Cyprianus, can. Quàm prępostęrum. eadem causa & quęst. Est enim aut pusillanimitatis, vt ait Chrysostomus, aut certè eorum qui non habent certam spem resurrectionis, aut pluris hanc vitam, quàm illam perpetuam æstimantium. Vnde Apostolus 1. ad Thessalonicen. 4. non simpliciter prohibet contristari de morte, sed contristari sicut gentes quę spem non habent. Illæ enim resurrectionis fide carentes existimant defunctos simpliciter in perpetuum mori. Nos autem debemus existimare eos quasi dormire: ob idque eo moderamine contristari, vt certa resurrectionis spe consolemur.

Excessus lamentorum.

In exequijs demum sunt primum sacrificia & canonici psalmi, quæ propriè suffragiorum rationem obtinent. Sunt & orationes, & preces, ad rem profectò aptissimę, & in ordine nostro deuotissimę. Adhibentur præterea & oblationes, nempe cera & oleum: quę quidem oblatio antiquissima fuit, vt Damascenus in citato sermone refert: sunt enim luminis fomentum, quod ante sacrificium & sacramentum altaris ardet. Vnde Athanasius ibidem à Damasceno allegatus. Licet in aerem, inquit, qui in pietate consummatus est depositus fuerit, ne renuas oleum & ceras, dominum inuocans in sepulchro accendere: accepta enim ista sunt Deo, & multum ab eo recipientia retributionem. Adhibentur nihilominus in sacerdotum subsidium oblationes panis & vini, quæ rationem eleemosynarum repręsentant. Hæc ergo officia religiosa sunt, nisi vbi vani excessus, qui ad captandam inanem gloriam adhibentur, religionem obnubilant.

Exequiarum ritus.

Damasce.

Athanas.

Secundi ergo argumenti solutio per ea quę dicta sunt explicata est. Dictum est enim sepulturam per se non esse satisfactionem pro defuncto, sed resurrectionis testimonium: atque illam ob causam Tobias in humandis hominibus officiosus fuit.

Sol. 2. ar.

Tertia conclusio. Indulgentiæ quas ecclesia defunctis impertitur, eis in ratione satisfactionis suffragantur. De indulgentiarum beneficio satis superque distin. 21. scriptum reliquimus. Quare impræsentiarum huius particulæ, quę ad defunctos spectat, meminisse sat est. Indulgentiæ enim quarum autoritatem penes ecclesiam esse, quarumque fructum nobis prouenire illic satis ostendimus, vel viuis conferuntur, vel etiam defunctis. Igitur quę viuis conceduntur, illis tantum prosunt, qui faciunt quod indulgentiæ iubent. Vt cùm indulgentiæ sub hac forma conferuntur: Quicunque talem erogauerit eleemosynam, aut basilicas visitauerit, hos dies aut annos remissionis obtineat: his duntaxat qui id faciunt prosunt. Cùm verò in defunctorum subsidium sub hac forma indulgentur: Si quis pro suis defunctis talem eleemosynam erogauerit, aut recitauerit psalmos, hęc aut illa remissio eis fiat: tunc illud subsidium per modum suffragij auxiliatur defuncto.

3. Concl.

Quò fit, vt illo loco adnotauimus, non eodem prorsus modo, quo viuis posse pontificem aut alium prælatum defunctis remissionem indulgere. Nam viuis bifariam id potest: vno modo per viam absolutionis potestate clauium qua in subditos vtitur. Quinuerò vt in sacramento prælatus absoluendo à culpis, etiam à pœnis vel in partem, vel nonnunquam in totum absoluit: ita & extra sacramentum, pro pia causa potest pontifex pœnas remissarum culparum absoluendo relaxare. Quam quidem autoritatem non habet in defunctos, eò quòd non sunt iam sibi subditi, neque ad eos eius iurisdictio extenditur. Sed alio modo confert indulgentias per modum suffragij: & hoc pacto confert defunctis, applicando illis thesaurum

Notandum

ecclesiæ,

Digitized by Google

ecclesiæ, quo defuncti ipsi censentur debitum soluere, vt expientur, sicut si personæ priuatæ pro illis satisfacerent.

Dubium. At ambigere, vt illic etiam diximus, fortè quis potest, non ea lege ordinaria & infallibili Deum acceptare indulgentias pro defunctis, qua lege meritum condigni acceptat ad præmium merentis, eo quod defuncti iam sunt non modò extra iurisdictionem ecclesiæ, verùm & extra viam: vnde fit coniectura non tam infallibiliter eas acceptare. Sed veluti in merito de congruo, si ei placuerit, preces acceptat quas vnus pro alio fundit. Nihilominus tamen tutius est dicere, quòd semper certa lege eadem indulgentias acceptat, sicuti & alia suffragia, & preces, quas ecclesia publicitus offert, postquam offeruntur pro illis qui sunt in gratia. Et idem videtur dicendum de satisfactionibus priuatis, & suffragiis, quæ singuli pro suis offerunt defunctis.

Dubium. Sed vnum est hic graue dubium. Vtrùm si ille qui indulgentiam pro suo defuncto suscipit, est tunc in peccato mortali, prosit defuncto: & apparet prodesse, postquam defunctus est in gratia. Ad hoc respondetur, vt eadem dist. q. 2. art. 3. dicebamus, supposita illa veritate, quod existenti in peccato indulgentia non prodest, quod nihilominus si peccator sumat indulgentiam pro amico existenti in gratia, videtur prodesse amico: quia sumens indulgentiam non facit nisi donare illam pecuniam & prætium amico, quo *Solutio.* indulgentia constitit. Et isto modo etiam videtur prodesse defunctis, non in ratione meriti, quia illa solutio pecuniæ nullius est meriti. Sed quia indulgentia applicatur à Pontifice, quomodocunque soluatur pretium. Secus si conferretur indulgentia sub hac forma, Quicunque recitauerit hos vel illos Psalmos, aut visitauerit altare, obtineat pro defuncto talem remissionem. Nam tunc illa sunt propria opera facientis, quæ ideo si in peccato fiant, nullius sunt valoris. Et idem est si diceret Pontifex. Si quis dederit eleemosynam pro suis defunctis, ne[illegible] quod si fieret in peccato, nihil prodesset.

Caietani opinio. Eodem articulo quandam opinionem recitauimus Caietani in opuscul. 21. q. 5. dicentis indulgentias non prodesse defunctis, nisi illis præcisè, qui singularem deuotionem habuerunt ad claues ecclesiæ, per quas indulgentiæ conferuntur, & singularem curam gesserunt opitulandi defunctis. Est tamen opinio singularis, & infirmissimo fundamento subnixa. Augustinus enim non ait, nisi quod suffragia prosunt quibuscunque defunctis, qui in fide per charitatem operante decesserunt: quicunque enim eiusmodi defuncti meruerunt, vt sibi suffragia prodesse[illegible] quia decesserunt in charitate in qua suffragia fundantur. Fingere ergo quòd præter illud esse[illegible] le meritum requiratur aliud, quod Caietanus appellat accidentale, est gratis loqui. Cætera illic fusè refutanda. Nempe quemadmodum, vt illæ indulgentiæ valeant, requiritur pia causa, eademque pro quantitate indulgentiarum sufficiens, & reliqua.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum suffragia quæ pro singulari defuncto fiunt plus ei quàm alijs prosint, aut plus quàm si in genere pro pluribus fierent.

POSTREMO tandem articulo, quæritur de modo & gradu quo suffragia auxiliantur defunctis. Et est bipertitus. Vtrum scilicet suffragia quæ pro vno fiunt, omnibus æquè prosint. Et è conuerso vtrùm quæ pro pluribus in genere fiunt, tantundem singulis prosint, quàm si pro singulis offerrentur. Et arguitur a parte affirmatiua vtriusque membri. Suffragia, vt secundum Aug. dictum est, illis sunt defunctis adiumenta, qui dum viuebant meruerunt, vt sibi post obitum prodessent. Sed omnes in charitate ab hac luce demigrantes id meruerunt. Imò plus illi qui auctiori charitate decesserunt: ergo illis cumulatius prosunt.

Partus affirmatiua. 1. ar.

2. Argu. Secundò arguitur, quia nisi hoc esset verum, cùm pro pauperibus rariora offerantur suffragia, deteriores essent conditionis, contra illud Lucæ. 6. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum Dei.

3. Argu. Tertiò de altero membro arguitur. Suffragia, præcipuè orationum, diuina virtute nituntur: sed diuinæ virtuti non est difficilius multis quàm paucis subuenire: ergo quantum quis iuuaretur oratione singulari pro eo oblata, adiuuabitur, licet offeratur simul pro pluribus.

Pars negatiua. In contrarium est exemplum, quòd ab humanis licet ad diuina transferre. Etenim quando quis pro aliquo debitore peculiariter soluit, nõ soluit pro alijs.

Item si oratio pro pluribus oblata tanti in progesset singulis, quantum si singulariter pro illis offerretur, vana esset ecclesiæ constructio, statuentis vt pro singulari defuncto, singulare fieret suffragium.

Præpositiuus. Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. De prima enim quæstione fuit Præpositiui, de quo supra meminimus, opinio, quòd suffragia facta pro vno defuncto non plus ei quam vniuersis prosunt, imò tantò plus alijs, quanto maiori fuerint præditi charitate. Id quod duobus exemplis ostendebat. Primò, quod si fax in aula accendatur regi, non plus ei quàm aulicis ibidem astantibus lucet, imò plus alijs qui perspicaciori fuerint visu. Item si prælato ad mensam quippiam legatur, non magis ipse lectionem audit, quam reliqui assidentes, imò reliqui eo magis quo acutiorem habuerint auditum. Alij verò per oppositum dicunt simpliciter magis prodesse illi pro quo suffragia fiunt quàm reliquis.

Est tamen operæpretium, & de suffragiis ipsis, ac subinde de eorum valore distinguere. Suffragia enim, vt supra diximus, alia sunt in genere oblata, quorum cuncti Christi fideles sunt participes: alia verò quæ peculiariter pro hoc aut illo offeruntur. Et hæc rursus in duplici differentia: quædam scilicet, quæ sua sponte amici & necessarij pro suis defunctis offerunt: alia verò quæ defuncti ipsi pro se fieri iusserunt: & hæc sunt omnium maximè peculiaria. Rursus suffragia tripartiam prodesse possunt, vno modo in ratione satisfactionis, vt hactenus dictum est. Secundo in ratione orationis & impetrationis, vt dum quis orat Deum, vt pœnas defuncto condonet. Quę quidem impetratio non necessariò consequitur orationem, quia non est meritum condigni. Tertio modo per modum meriti de congruo, quia omne opus factum in charitate pro alio qui est in charitate potest ei mereri de congruo: & ideo existenti in purgatorio potest mereri aliquam remissionem pœnę.

1. Concl. His suppositis, sit prima conclusio. Suffragium peculiariter oblatum pro singulari defuncto, licet ratione charitatis in qua fundatur, prosit quibuscunque in ea existentibus: nihilominus simpliciter plus prodest illi pro quo offertur. Quinuerò sæpè in ratione satisfactionis illi soli. Sensus prioris partis est, quòd cùm fit satisfactio pro vno defuncto, omnes existentes in purgatorio, qui illud beneficium nouerunt, imò & vtiliter obtentant de illo beneficio ancto quod ille suscipit: & quo sunt maiori charitate instructi, magis obtentant. Sed nihilominus in ratione satisfactionis soli illi auxiliantur pro quo offeruntur. Sine indulgentiæ sint ecclesiasticæ, siue priuatæ eleemosynæ. Diximus autem sæpè illi soli prodesse: quia sacrificia communia & publica ecclesiæ licet pro singulari defuncto offerantur, etiam pro alijs quodammodo satisfaciunt. Quare & collectę communes intermiscentur, tametsi non tantum quantum pro illo pro quo offeruntur.

Quo circa exempla illa Præpositiui non sunt ad rem accommoda. Suffragia enim hæc peculiaria non comparantur lumini aut lectioni quę non potest vni lucere, quin luceat alijs astantibus: neque audiri ab vno quin audiatur ab alijs. Sed comparantur solutioni, quam quispiam singulariter pro aliquo amico facit, & non pro alijs.

2. Concl. Secunda conclusio. Inter particularia suffragia illa magis sunt singularia, ac perinde cæteris paribus plus adiuuantia, quæ ab ipso defuncto sunt fieri iussa. Quoniam sunt veluti propriæ satisfactiones, quibus quispiam sua propria deuotione & opera pro se ipso satisfacit.

vol. 1. ar. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd isti non meruerunt in hac vita absolutè, vt omnia suffragia futura in ratione satisfactionis illis prodessent: sed conditionaliter, si pro illis offerrentur. Illud enim mereri non fuit aliud quàm facere se per charitatem capaces illorum suffragiorum quæ pro illis fierent, atque habiles ad eorum percipiendum fructum.

Sol. 2. ar.

Ad secundum verò, quod de pauperibus subiungitur, respondet hic Magister sententiarum, duas referendo opiniones. Quidam enim dicebant, quod pauperibus tantum suffragantur sola communia suffragia ecclesiæ, quantum diuitibus communia simul cum specialibus. Alii verò, quod specialia auxiliantur diuitibus, vt celerius à pœnis liberentur, non tamen vt plenius. Sed sunt opiniones desertæ. Et ideo respondetur cum Diuo Thoma, nihil obstare quominus diuites hac parte melioris sint conditionis: vt scilicet cumulationibus eleemosynis magis subleuentur à pœna purgatorij. Sed multo pretiosius est, quod pauperes cum minori periculo, & maiori cumulo charitatis ad ampliorem gloriam acceptentur: cum diuitibus neque tam facilis sit ingressus, neque ad tantam gloriam.

Dubium.

Circa secundam conclusionem est dubium. Vtrum dum defunctus tanta pro se iussit sacrificia & eleemosynas atque alia suffragia fieri, quæ toti pœnæ purgatorij persoluendæ sufficerent, mora postmodum eadem suffragia faciendi eidem noceat defuncto, ne tam cito pœnas euadat. Videtur enim nihil ei nocere: nam vt de mora restituendi art. præcedenti dicebamus, id quod in potestate defuncti non existit, nullum debet ei nocumentum afferre.

Sol. dubij.

Respondetur bifariam huiusmodi suffragia considerari, vno modo in virtute operis (vt aiunt) operati: atque alio virtute operis operantis. Atqui nomine operis operati non tantùm intelligitur sacrificium missæ, sed quantitas ipsa eleemosynæ, & numerus missarum, quæ fieri & offerri iubentur. Et opus etiam operantis intelligitur, vel ipsius suffragia mandantis, vel ministri mandatum exequentis. Quantum est ex virtute operis operantis: nempe iubentis opus fieri, cum primum moriturus iubet hæc vel illa suffragia fieri, quæ bona fide facienda credit: consequitur valorem ex opere operantis, scilicet ipsius iubentis prouenientem: siue postmodum suffragia fiant, siue nunquam. Itaque si ratione illius affectus & iussionis, dignum est vt quatuor ei gradus pœnarum remittantur, nunquam illos in purgatorio patietur. Quod autem respondet operi operato, & affectui exequentis mandatum, non assequetur vsque dum suffragium executioni mandetur. Exempli gratia. Si in suo testamento scripsit, vt decies sacrificium missæ offerretur pro eo: valorem sacrificij, & illum qui deuotioni sacerdotis respondet non consequetur, quousque eadem offerantur sacrificia. Et si iussit eleemosynas erogari in pauperes, qui orarent pro ipso, neque valorem illarum precum obtinebit, quousque fiant. Quapropter non est eadem ratio quæ de restitutione: nam hæc sunt suffragia quæ oblata prosunt, & secus minimè. Quo fit multum referre quod statim demandata suffragia opere compleantur.

3. Concl.

Tertia conclusio. Suffragium pro multis oblatum, nulli eorum tantùm prodest, quantum si pro illo duntaxat offerretur. In eleemosynarum exemplo clarissima est conclusio, quippe quæ ex superioribus colligitur. Dictum enim est, suffragia & ex radice charitatis prodesse, & ex intentione ad certam personam relata. Ex radice charitatis nascitur gaudium & oblectatio iustorum, sed ex intentione pullulat satisfactio. Igitur si quis decem aureos in satisfactionem decem defunctorum distribuat, scilicet pro singulis singulos: certum est pro nullo tantum satisfacere, quantum si pro illo decem omnes largiretur.

Valor sacrificij missæ.

De sacro sancto verò sacrificio missæ supra dist. 13. q. 2. ar. 1. latè discussum reliquimus. Vtrùm oblatum pro pluribus, tantum pro singulis satisfaciat, quantum si pro singulis offerretur. Et tenui iudicio nostro pars negatiua probata fuit. Quamuis offerentes, nempe adstantes, qui omnes suo ordine offerunt, non quo plures sunt, eo quisque minus percipit fructus. Quoniam singuli totum sacrificium offerunt.

D. Thom.

Et eandem opinionem hic D. Thomas edocet. q. 2. art 4. quæstiuncula. 5. in solutione secundi, dicens: Quod quamuis virtus Christi quæ continetur sub sacramento eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur. Vnde non oportet quòd per vnum altaris sacrificium, tota pœna eorum qui sunt in purgatorio expietur: sicut etiam nec per vnum sacrificium quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis. Qua de causa, quandoque plures missæ in satisfactionem vnius peccati iniunguntur. Quibus verbis manifestè D. Tho. confitetur opinionem hanc, quæ tandem more & vsu ecclesiæ confirmatur: quippe quæ pro singulis personis singulas missas offerre consueuit: testata non tantum prodesse singulis, si in genere pro multis offerrentur. At quoniam loco citato etiam emunctiùs, quàm libr. 9. De iusti. & iure. q. 2. art. 2. hanc quæstionem discussam decidimus: molestum esset eandem impræsentiarum repetere.

De orationibus ergo & psalmis eadem est ratio, quòd si pro vno particulari offerantur, vt defunctorum vespertini & nocturni, & collectæ, plus illi prosunt quam in genere pro multis oblatæ.

Hieron.

Vnum autem Hieron. verbum de consec. d. 5. can: Non mediocriter. offert arg. in contrarium. Ait quippe: Cum pro cunctis animabus psalmus vel missa dicitur, nihil minus quàm si pro vnoquolibet diceretur, accipitur. Ad hoc autem respondimus loco citato De iusti. & iure. per dist. quam hic secundùm S. Tho. secuti sumus. Nempe quòd ex radice charitatis non minus meretur, qui pro pluribus psalmum offert, quàm qui pro vno: imò maius præbet charitatis indicium. Et singuli eorum qui sunt in charitate, æquale obiectamentum & gaudium percipiunt. Sed tamen ratione intentionis quæ ad vnum dirigitur, non tantum satisfactionis applicatur singulis quàm si peculiariter pro vno offerretur.

Quæstio tertia,

DE ORANDIS SANCTIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sancti sint à nobis orandi.

TERTIA hæc quæstio, de orandis sanctis, adhiberi hic solita est, vt simul cum suffragiis quibus nos existentes in purgatorio iuuamus, orationes componamus quibus nobis vicissim sancti suffragantur. At verò quoniã materia hæc de oratione nõ est loci huius propria, sed ad materiam spectat religionis, de qua ideo D. Thomas. 2. 2. q. 83. locupletissimè disseruit: Solam hanc particulam de orandis sanctis hic breuiter disputabimus. Est ergo primus articulus, vtrùm sancti sint orandi. Et arguitur à parte negatiua. Vanum est illos orare qui nostras non audiunt orationes: sancti verò nec nobiscum conuersantur, nec nos exaudire possunt: ergo vanum est cum illis nos orando colloqui. Minorem Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda, multis id videtur probare. Inducens enim illud Isaiæ. 63. Pater noster es, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: hoc pacto colligit. Si tanti patriarchæ quid erga populum ab eis procreatum ageretur ignorauerunt, quomodo mortui viuorum rebus atque actibus cognoscendis adiuuandisque miscentur? Quasi dicat, nullo modo. Idemque confirmat ex historia iusti Iosiæ. 4. Regum 22. quem Deus morte præuenit, ne mala gentis suæ videret.

Partis negatiuæ. 1. arg.

Secundò arguitur. Non opus est amicos principis adire, qui pro nobis interpellent, nisi quia eos aut clementiores arbitramur quàm principem ipsum, aut in nos magis propensos: Deus autem in infinitum clementior est in nos quàm omnes sancti, & paratior nobis suppetias ire: quippe qui, vt habetur Apocalypsis tertio, ad ostium nostrum semper assistit pulsans: ergo nihil opus est sanctos inter ipsum & nos interponere: imò videmur iniuriam illi irrogare, dum per alios impetrare cogitamus, quod ipse paratissimus est nobis conferre.

2. Arg.

Tertiò arguitur. Alium quemuis mediatorem inter nos & Deum agnoscere, hæresis est contra illud Pauli primæ ad Timoth. secundo: Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Quicunque autem diuum aliquem precatur, qui pro

3. Arg.

Digitized by Google

ipso apud Deum intercedat, videtur diuum illum facere mediatorem: ergo illud hæreticum est, tantum abest, vt sit licitum. Et confirmatur ex verbo ipsius Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Non dicit, in nomine alius cuiuspiam, sed in nomine meo.

4. Argu. Quartò arguitur. Sancti iam sunt extra viam merendi aut demerendi: ergo quamuis iusti in hac vita mutuis se inuicem apud Deum orationibus iuuare queant, tamen postquam sunt in patria, minimè eandem habent potestatem.

Pars affirmatiua. In contrarium autem est illud Iob. 5. Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Super quo loco ait Gregorius. Vocare nostrum, est humili Deum prece deposcere: ergo ad propitiandum Deo, sanum est sanctos interponere.

Hæresis orationes negantium. De hac quæstione vetustissima est hæresis orationes negantium, quibus sanctorum charitatem pulsamus. Fuit enim vetustissimus Eustachius, qui primus reperitur huius hæreseos autor, de qua fuit in concilio Gangrensi condemnatus. Quæ subinde hæresis per Vigilantium reuixit, & contra ipsum de eadem re bis scripsit abunde Hieronymus. Postmodum verò Vualdenses eandem hæresim suscitarunt: ac subinde Vuitcleff protegit. Atque illa tandem hæreticorum progenies vsque ad Lutherum propagata fuit. Et est hæresis hæc illius germana, quæ contra veneratioñ sanctorum oblatrat. Bona enim pars venerationis sanctorum est, illos ceu patronos nostros apud Deum agnoscere. Quare qui sanctos orant, non possunt non eos venerari, neque qui eos non venerantur, possunt precationibus adire. Summa argumentorum quibus vtuntur, est illa quadrifida, quam inter proponendum attulimus. Sed est hæresis etiam ipsa, quadruplici nomine damnanda. Est, inquam, in sanctos contumeliosa, impia, blasphema, & temeratia, quippe quos negat & miserias nostras cognoscere, & earum misereri, & illo esse apud Deum tum honore, tum etiam facultate, vt pro nobis apud ipsum interueniant.

Conclusio. Ad quæstionem igitur vnica conclusione respondetur. Sanctos tanquam patronos nostros orare, quapud Deum nobis suffragentur, religio est christiana, cui qui reclamat, hæreticus est. Ad intellectum conclusionis notandum orationem bifariam aliquo offerri. Vno modo, vt quasi per ipsum sit implenda: atque alio, quasi per ipsum impetranda. Et primo quidem modo constantissimum est, soli Deo vniuersas orationes nostras esse porrigendas. Et ratio est hæc. Omnes orationes ad gratiam & gloriam obtinendam relatas esse oportet. Quicquid enim Deum poscimus, aut hic finis esse debet, aut medium ad huius consequutionem relatum: hoc quippe est quod spiritus sanctus orare nos docet, vt ad Roma. 8. ait Apostolus, & de quo ait ipse: Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, quoniam gratia & gloria sunt, quas per suam nobis passionem mercatus est. Vnde Iacobus non ait. Si quis vestrum re quacunque indiget postulet à Deo, sed si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans. Vbi nomine sapientiæ intelligit virtutem & gratiam Dei, quam absque hæsitatione petere debemus. Nam si quid aliud diuersum petamus, nescimus quid petamus. Gratiæ autem & gloriæ solus Deus est autor, iuxta illud Psalmi: Gratiam & gloriam dabit dominus: ergo vniuersæ orationes, si rectæ sint, soli Deo sunt porrigendæ ac dirigendæ, tanquam per ipsum adimplendæ. Quocirca de hoc orandi modo non loquitur nostra conclusio, sed de altero, quo preces ad quempiam dirigimus, tanquam per ipsum impetrandas. Quo sensu probatur hæc veritas, nempe quod religio sit sanctos orare: non vt per ipsos orationes nostræ Deo innotescant, veluti aulicos precamur, vt petitiones nostras in regis notitiam deferant, sed vt Deus qui illas prius agnoscit, precibus & meritis ipsorum annuens, id quod poscimus largiatur nobis. Ordo namque diuinæ sapientiæ secundum Dionysium, capit. 4. de cæsti hierarchia est, vt per superiora inferiora dispenset & gubernet. Quocirca, vt per cælestes orbes terrena ista fœcundat, ita & per superiores angelorum hierarchias, mysteria inferioribus reuelat: & per angelos docebat prophetas, qui populum erudirent: &

Duplex oratio.

Solus Deus quomodo orandus.

Iacobi 1.

Probatio conclusio.

Dionysius.

in ecclesia per superiores prælatos influit in populum sacramenta gratiæ. Eadem ergo ratione per angelos & fœlices animas, quæ in patria triumphantes requiescunt, res nostras, qui inde in hoc seculo peregrinamur, nobis sæpe dispensat. Et cum per eandem viam, qua à Deo gubernamur, debeamus in ipsum reduci: consentaneum est, vt ad eosdem sanctos angelos atque animas, qui diuina nobis tanquam Dei famuli afferunt, per nostras orationes recurramus.

Honor Dei. In qua re non modo nihil honoris Deo detrahitur, imò multum ei defertur: quippe qui eo honore seruos suos dignatur, vt quæ sua ipse autoritate facturus est, per ipsos, tanquam per veros amicos, velit dispensare. Id ipsum Dauid contemplatus aiebat: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Et Christus: Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Et si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui in cælis est, Ioannis. 12. Non enim ob id solum gloriosus est Deus in sanctis suis, quod ab eo gloriam recipiunt, & ei vicissim gloriam decantant: verùm & quod talis eos honore extulit, vt tanquam nostros intercessores & aduocatos in suum conspectum admittat. Pollicitus est illis Christus, qui relinquentes omnia sequuti sunt ipsum, quod assessuri essent illi in regeneratione, & iudicaturi cum eo tribus Israel. Quos ergo admissurus est, vt causas nostras secum iudicent, cur non admittet vt apud ipsum eas tractent: vt qui futuri sunt postea iudices nostri, sint prius nostri patroni?

Testimonia sacra. Secundò aliis sacris testimoniis arguitur, legimus enim Gene. 20. quod Abraham pro rege Abimelech Deum deprecatus, veniam illi obtinuit. Et Moyses, vt Exod. 32. legitur, veniam populo de conflato vitulo precatus obtinuit. Vnde illud citatum verbum, Eliphat, amici Iob. Ad aliquem sanctorum conuertere: indicat in more fuisse celeberrimo, vt iusti homines pro aliis orarent.

Hæreticorũ cauillus. Cauillabatur autem hæreticus ille Vigilantius seu Dormitantius, veluti nunc Lutherani faciunt, dicens posse viros sanctos in hac lubrica vita orare pro aliis, quia sunt in via & statu merendi, cognoscendique alienas miserias: cæterum postquàm sunt in paradisum recepti, quoniam iam tunc iustum præmium suorum meritorum adepti sunt, nostra neque cognoscere, neque curare: quia neque vindictam sui sanguinis martyres impetrare possunt, quamuis, vt Apocalyp. 6. legitur, clament: Vindica domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Egregiè tamen Hieronymus in altero duorum librorum quos *Hieron.* in ipsum edidit, sic eum redarguit. Dicis in libello tuo, quod dum viuimus, mutuò orare possumus: sed dum mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cum martyres vltionem sui sanguinis orantes impetrare nequiuere. Si Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post victorias, coronas, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à domino veniam: & Stephanus imitator domini sui, & primus martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum domino esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus Actuum 27. ducentas sexaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis qui in toto orbe ad suum euangelium crediderunt, mutire non poterit? melior̃que erit Vigilantius canis viuens, quam ille leo mortuus? Hactenus Hieronymus.

Argum. Sic ergo argumentum contra istos instruitur. Radix mutuarum orationum inter amicos est charitas, illa autem in beatis, non solum permanet (quia charitas, vt ait Paulus, nunquam excidit) verùm est in *1. Cor. 13.* perpetuum confirmata: ergo non est cur non multo illic instantius quam hic orent pro nobis. Atque adeo cum possint Deo reuelante nostras percipere petitiones, commodum est & congruum, vt illas nobis offeramus.

Iacob. Genes. 48. Accedit & illud Iacob, Genes. 48. qui sic nepotibus benedixit, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac. Vbi docemur tam angelos quàm sanctos defunctos, inuocato eorum nomine, nobis esse

subsidio. Eadem enim ratione Moyses loco supra citato merita Abrahæ, Isaac, & Iacob, ante Dei oculos proposuit vt populo indulgeret. Et Danielis. 3. *Azarias Dan. 3.* Azarias positus in fornace: Ne quæsumus, inquit, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum. Si ergo sanctorum merita nobis præsidio sunt & auxilio, cur & eorum orationes non magnopere conferant? Huc pertinet visio Iudæ Machabæi 2. Machab. 13. qua vidit Oniam sanctum sacerdotem, *Macha. 2.* in limbo orantem pro omni populo Iudæorum: ac subinde Ieremiam, de quo Onias dixit. Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei.

Aliud ar. Præterea & ad honorem diuinæ maiestatis accedit, vt quas ipse nouit petitiones nostras, sancti angeli, ac perinde animæ illis insertæ easdem eidem maiestati offerant. Vnde Apocalyp. 5. Ioannes vidisse refert quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, qui ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et Apocalyp. 8. ait vidisse angelum stantem ante altare, habentem thuribulum aureum, & data illi esse incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium, super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et subdit, quod ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram Deo.

Sanctorum testimonia. Testimonia sanctorum huc percensere immensum opus esset: ab antiquissimo enim Dionysio Areopagita, qui cap. 7. de cælesti hierarchia, de veneratione & oratione sanctorum religiose scripsit, longa patrum series eandem veritatem contestata est. Et Hieronymus aduersus Vigilantium. Et Cyrillus lib. 6. aduersus Iulianum apostatam. Et Bernardus sermone. 66. super Cantica, eos ceu hæreticos obiurgant, qui orandos sanctos denegant.

Ecclesiæ consuetudo. Sed præ omnibus eiuscemodi testimoniis rem stabilire sufficit ecclesiæ consuetudo celeberrima, plurimis concilijs constabilita. Non enim solum inter sacra missarum solennia, sanctorum merita commemorat, qui pro nobis assistant apud Deum, verùm & in solennibus litaniis, postquam sanctam trinitatem tanquam primum gratiæ & gloriæ omniumque bonorum fontem precatur vt misereatur nostri: diuorum subinde ordinem subiungit, quos tanquam nostros aduocatos obsecrat, vt orent pro nobis. Quo verborum discrimine, Miserere nobis, & Ora pro nobis, declarat diuersos modos & gradus quibus Deum debeamus ac sanctos orare. Vnde in concilio Gangrensi capit. 20. condemnantur, qui basilicas martyrum, earumque memorias contempserint. Et in concilio Aurelianensi, & in concilijs Toletanis. 3. & 6. & in concilio Bracharensi, eiusmodi litaniarum, hoc est, rogationum ritus sancitur. *Concilia.* De consecratio. distin. 3. canon. Rogationes. Accedit tandem & festorum obseruatio in honorem sanctorum, quæ tum in eorum venerationem, tum ob eorum quibus iuuamur patrocinia sanctè instituta sunt, vnde sancta consideratione duo sunt quotannis dies coniuncti: quorum altero sanctorum omnium qui nobis suffragantur, altero verò animarum quæ nostris suffragiis expiantur, memoria celebraretur. *Festa omniũ san. & animarum.*

Sol. 1. ar. Ad primum igitur argum. iam supra responsum est, quod si natura tantum animarum separatarum consideretur, nequeunt quæ apud nos fiunt agnoscere. Si tamen naturam diuinæ essentiæ, quam intuentur contemplemur, illic vident quæ ad suum attinent statum. Essentia quippe diuina speculum est suapte natura omnia repræsentans. Ob idque Deus ipse, qui se comprehendit, vniuersa in seipso conspicit. Creaturæ autem quæ ipsum non comprehendunt, non cuncta quæ in eo sunt vident: sed est illis voluntarium speculum, eis scilicet repræsentans quicquid eis nosse congruit. Condecet autem sanctos orationes quæ ad ipsos legitime offeruntur intelligere, quas ideo illic perspiciunt. Vnde Gregor. super illud Iob 14. Siue nobiles fuerint filij siue ignobiles, non intelligent. Hoc de animabus, inquit, sanctis sentiendum non est quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quod sit foris a- *Gregor.* liquid quod ignorent. Ad eorum scilicet statum pertinens. Patres verò in limbo, quia non videbant, non cognoscebant de rebus nostris, nisi quæ Deus illis in proprio genere reuelabat. Et ideo Iosias illic existens mala gentis suæ non videbat.

Sol. 2. ar. Ad secundum respondetur, quod quamuis clementissimus Deus paratissimus sit nobis opem ferre, non inde colligitur superfluum esse orare sanctos. Alioqui nec nobis opus esset pro nobis ipsis orare. Vult enim ea quæ nobis largiri percupit, vt ab ipso supplices flagitemus. Quia hoc & ad gloriam suam confert: & ad nostram vtilitatem, vt in eius amorem excitemur, & nostras miserias cõfitentes humiliemur. Et eadem ratione vult, vt ad sanctos recurramus, qui in sua sunt amicitia confirmati. Nam per hoc & indignitatem nostram humilius confitemur: & eum non solum in se, verùm in suis sanctis glorificamus.

Quòd si redarguas. Oratio est religionis cultus, qui soli Deo debetur. Respondetur, quod per hoc ei soli impendimus latriæ cultum, quod ad eum duntaxat orationes fundimus, tanquàm ad eum qui solus potest illas implere. Interponere autem sanctos, qui pro nobis interpellent, non est eos colere, vt Deum, sed cultu duliæ, vt Dei amicos.

Collectas Deo suas omnes dirigit ecclesia. Et ideo ecclesia vniuersas collectas, etiam illas quibus in sanctorum celebritatibus vtitur, non ad ipsos, sed ad Deum ipsum dirigit: quia non sunt illi vnde nobis auxilia proueniunt: sed Deus qui ob eorum patrocinia nobis succurrit. Ob idque non in sanctis, sed in Deo solo, in quem fides ac perinde spes nostra tendit, collocanda est nostra fiducia. Vnde *August.* Augnst. super illud psal. 120. Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Nulli, inquit, præsumant de montibus, quia ipsi montes non à se lucent, sed ab illo de quo dictum est: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Montes possunt intelligi homines clari, ceu Ioannes Baptista, quo nemo surrexit maior, & tamen confitetur quod nos omnes atque adeò montes ipsi de plenitudine Christi accepimus.

In sola misericordia Dei confidendum. Sic ergo sancti sunt orandi, vt tamen non in ipsis, sed in misericordia Dei, vnici salutis nostræ autoris confitendum nobis sit: ipsum enim non sanctos precamur, vt misereatur nostri. Quare abusus loquendi est: parcat mihi Deus & beata virgo, hoc est enim ipsam Deo æquare. In solum namque Deum peccamus, iuxta illud psal. Tibi soli peccaui, & ideo solus ipse est, qui peccata dimittit, vt Pharisæi, Marci 11. cõfessi sunt.

Sol. 3. ar. Ad tertium respondetur: quod si mediatoris nomen proprio significatu vsurpetur, solus Christus est, vt ait Paulus, mediator Dei & hominum, eò quod solus ipse de condigno sic nobis gratiam & gloriam meruit, vt quicunque eius membrum fiat, sit patri ad vitam æternam acceptus. Quo pacto nulla creatura esse potest mediatrix. Et ideo sancti potius dicuntur nostri vel patroni, vel aduocati, vel intercessores. Quod si dicantur mediatores, in hoc sensu est nomen intelligendum. Quapropter Christum non vt cæteros sanctos oramus, vt oret pro nobis, sed vt nostri eum misereat. Vt enim ad patrem & spiritum sanctum dicimus, Kyrie eleyson, ita dicimus Christe eleyson, hoc est, Christe miserere.

At verò licet, quia ipse est propriè mediator, nomine eius debeamus Deum orare, vt exoratum habeamus: qua vtique ratione ecclesia omnes collectas concludit dicens. Per dominum nostrum Iesum Christum: Nihilominus, vt Deus gloriatur in sanctis filiis suis, per quos vult orari: ita & Christus gloriatur in membris suis, vt etiam suo ordine, & loco à nobis orentur, vt apud patrem, & apud ipsum, & apud spiritum sanctum pro nobis intercedant. Nam etsi merita Christi, nostrorum sint causa, nihilominus & nostra quæ fauore suo & gratia nituntur, verè sunt merita: quibus in hac vita gloriam meremur, & sancti meruerunt, vt in patria sint quoque interpellatores pro nobis.

Sol. 4. ar. Et per hoc solutum restat quartum argumentum, quod nobis hæretici obijciunt, colligentes, quod cùm sancti in patria mereri non valeant, nequeant pro nobis orare. Respondemus, inquam, collectionem nullam esse. Eodem enim pacto colligerent, quod neque eorum merita nobis prosunt. Igitur licet illic non mereantur, meruerunt tamen in hac vita, vt in

patria

patria tum sua merita nobis prodessent, tum pro nobis orarent.

Obiectio. Quod si redarguas eadem ratione eos qui sunt in purgatorio, orandos à nobis esse: negatur consequentia. Quia cùm non sint beati, orationes nostras non audiunt. Et fortasse tormenta quibus affliguntur, facultatem eis non faciunt orandi pro nobis. Sicut illi qui erat in limbo, credendi sunt orasse pro suis. Quanquam cum in purgatorio sint in charitate, fortasse non impediuntur quin orent pro nobis. Sed hoc est tenuissimis coniecturis agere.

Deuotio in Christum cõmendatur. Vnum autem hic admonere non præteribo, sic, inquam, in sanctos esse debemus affecti, vt in Dominum Iesum Christum, per quem ipsi sunt sancti, præcunctis debeamus esse deuoti. Videas in repentinis necessitatibus sacrosanctam virginem (quod sanctissimum est) atque alios diuos inuocare, nomen verò Iesus quam rarissimè. Cum tamen illud sit in quo nos oporteat saluos fieri, & in quo omne sit genu flectendum. Non enim sanctorum vllus, sed ipse pro nobis mortuus est, à quo subinde cuncta nobis bona prouenunt, quare nomen hoc, Iesus, deberet in cordibus nostris esse sculptum, vt aspirando & respirando nunquam illud proferre desineremus, atque hanc religionem deberent concionatores plebes, & Magistri scholas, & parentes suos natos docere, & omni cura ac diligentia admonere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sanctorum preces, quas pro nobis Deo fundunt, semper exaudiantur.

CVm de nostris orationibus ad sanctos dictum sit, subsequitur, vt de illis, quas ipsi pro nobis fundunt, inuagemus, vtrum semper exaudiantur. Et arguitur a parte negatiua. *Partis negatiuæ arg. 1.* Primo ex illo loco Apocalyp 6. quem supra diximus Virgilantium allegare. Si diui pro nobis orantes exaudirentur, citius quę pro se postulant impetrarent: clamant tamen ad Deum martyres, vt vindicet eorum sanguinem, quod tamen non obtinent: ergo neque pro nobis exaudiuntur.

2. Argu. Secundò, Ieremiæ 15. ait dominus. Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ergo sancti pro nobis orantes non exaudiuntur.

3. Argu. Tertiò Angeli in patria & animæ, vt Matth. 22. legitur, pares sunt: sed angeli non semper exaudiuntur: legitur enim Dan. 10. quod angelus captiui populi venerat ad prophetam propter sermones eius, sed tamen princeps regni Persarum restitit ei viginti vno diebus.

Pars affirmatiua. In contrarium tamen est illud 2. Machabæ. vlt. Postquam Onias dixit, Hic est qui multum orat pro populo Ieremias Propheta Dei: subditur, quod extendit Ieremias dexteram, & dedit Iudæ gladium dicens, accipe sanctum gladium munus à Deo, quasi exaudita esset eius oratio.

Conclusio. Ad quæstionem vnica bimembri conclusione respondetur. Sanctorum orationes suapte ratione semper exaudiũtur: sed nihilominus ex parte nostra sæpe euenit, vt non exaudiantur.

Bifariam diui orant. Ad intelligentiam huius notandum, bifariam diuos Deum pro nobis orare (nam pro se ipsis nihil habent quod petant.) Vno modo oratione expressa, dum votis suis, vt ait D. Tho. autes diuinæ clementiæ pro nobis pulsant. Sed alio modo oratione interpretatiua, per sua merita in hoc seculo præstita, quę licet ipsi nullam orationem ad Deum dirigant, sunt tamen semper in conspectu Dei. Non solum in suam gloriam cedentia, verùm & tanquam suffragia nos adiuuantia. Veluti sanguis Christi sine aliqua voce, aut clamore, nobis ingitet suffragatur.

Probatio cõclusio. Igitur quod vtroque modo illius modi orationes suapte natura nisi a nobis effectus impediatur, semper exaudiantur: probatur. Quoniam ipsi semper suam habent voluntatem diuinæ conformem, neque quippiam in votis habent, nisi quod iustum esse nouerunt, atque adeo Deum velle, quicquid autem Deus vult, voluntate consequenti & beneplaciti fit: quicquid ergo illa ratione sancti postulant, dum voluntatem diuinam norunt impetrant. Nos enim ideo non quicquid petimus impetramus, quia ignoramus & quid nobis expediat, & quæ sit voluntas beneplaciti Dei. Non autem quicquid Deus vult voluntate antecedenti impletur: vult enim omnes homines saluos fieri, cum ad id assequendum & leges, & consilia, & cętera requisita nobis prouiderit, & tamen non omnes salui fiunt: quia in nostra voluntate & arbitrio positum est, eisdem diuinis auxiliis non vti. Eadem ergo ratione, possunt sancti aliquid erga nos velle, nobisque optare, quod non impleatur.

Argum. Arguitur autem contra hoc. Sancti nihil vanè & inaniter possunt optare aut petere: si autem sciunt quempiam non assecuturum quod petit, vane & inaniter pro illo orarent: ergo nihil volunt aut petunt, quod non sint impetraturi. Vnde colligitur quod pro præscitis & reprobis non orant, vt salui fiant.

Responsio. Ad hoc respondetur in primis, non esse necessarium, vt beati in verbo numerum omnium prædestinatorum ac reproborum videant. Et ideo possunt petere etiam absoluta petitione salutem pro reprobo parente suo aut filio, quousque illi Deus illius reprobationem detegat. Secundò, quia reprobi crebrò in gratiam Dei in tempus recipiuntur, possunt pro illis ista ratione orare. Tertiò, possunt etiam reprobis bona temporalia impetrare, quæ cedere possunt in bonum reipublicæ, & gloriam ipsius Dei. Quartò denique respondetur, quod etiam reprobis ipsis possunt antecedenter velle & optare salutem: si quidem reprobi etiam possunt saluari, quia non sunt damnati, vt infernales, atque adeò sub conditione velle, vt Deus illis auxilietur nisi per eos steterit. Quæ quidem est conditionalis voluntas, & quam appellant velleitatem. Et ista ratione possunt quoque sub conditione orare, neque oratio est vana & inanis: nam pertinet ad auxilia ipsa quæ Deus reprobis offert, si vellent illis vti. Quippe cum & Christus sub conditione orauerit, vt transiret a se calix: licet oratio eius non fuerit exaudita. *Nota de oratione Christi.*

Imò verò quando in cruce orauit dicens, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: non est necessarium dicere sic fuisse orationem absolutam, vt in omnibus sortiretur effectum. Sed quod pro aliquibus esset quasi antecedens, nisi per eos stetisset. Absolutè enim & voluntate beneplaciti & consequenti, nihil orare potuit quod non illico impleretur. Et ideo Ioan. decimoseptimo, vbi pro Apostolis rogauit patrem: de quibus ait, Tui erant, & mihi eos dedisti, ad significandum pro eis absoluta voluntate rogare, subiunxit. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt. Vbi nomine mundi, reprobos denotauit, & obstinatos, qui precio sui sanguinis potituri non erant. Pro quibus ideo absolutè non rogabat, ne inanis & quassa sua esset precatio.

Sol. 1. ar. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod verbum illud, Vindica sanguinem, &c. non significat martyrum desiderium, quo malum aliorum cupiunt: sed consentum in diuinam iustitiam, quam in voluntate Dei conspiciunt, qui decreuit obstinatam tyrannidem occidentium martyres æternis supplicijs vlcisci. Significatque adeò desiderium, vt aduenientę suprema vindicta malorum, & retributione bonorum, secunda stola gloriæ resumptis corporibus vestiantur, & pleno fruantur sanctorum contubernio.

Sol. 2. ar. Ad secundum respondetur, quod illic Prophęta de Moyse & Samuele, secundum statum vitę presentis, quo solebant ad placandam Dei iram. pro populo orare, nec ium temporalibus bellis & calamitatibus affligeret & castigaret: & tamen quandoque tam iusta erat vltio, vt Deum non deceret eorum precibus omnino flecti. In quibus casibus beati non orant pro nobis.

Sol. 3. ar. Ad tertium, nonnulli respondent, certamen illud angelo custodi populi Israelitici non accidisse cum angelo bono Persis præsidente, sed cum malo. Historia enim erat, quod Daniel precabatur Deum, vt populus à captiuitate Babylonica eriperetur. Et dæmon persuadebat eidem populo, vt mallet illic manere, propter voluptates & delicias indecentes, quibus illic fruebantur: vel persuadebat Persis, ne populum dimitteret. Sed tamen Gregorius. 17. lib. moralium capi. 7. non interpretatur pugnam illam nisi inter angelos bonos. Enimuerò vt singulis personis deputatur custos Angelus ex infima hierarchia, *Angelorum pugna.*

chia, ita & singulis prouincijs præferuntur principes angeli ex illa hierarchia, quæ inde nomen principatus sortitur. Quare Michael generalis erat princeps totius synagogæ, sicut nunc est ecclesiæ Christianæ. Sed sub illo erat alius princeps illius plebis quæ tenebatur in Babylone captiua. Cum ergo Daniel pro liberatione populi deprecaretur, princeps Persarum orabat sub conditione Deum contra, ne populum à Babylone & Persida dimitteret, quia non satis expiata ei videbatur eorum iniquitas, vt ait Gregorius, vel sicut alij dicunt, propter factum quem illic populus faciebat, eo quod multi ex gentib. conuertebantur ad fidem: quæ quidem lis inter principem captiui populi, & principem Persarum viginti & vno dieb. durauit. Sed tandem quia expedientior erat liberatio populi, Michael princeps synagogæ partes egit angeli liberationem procurantis, & obtinuerunt. At verò principes illi litigantes, non erant inter se simpliciter dissidentes: sed quia in diuina voluntate non nouerant, quid esset expedientius, vterque arbitrabatur causam agere meliorem. Cum autem eandem Dei voluntatem intellexerunt, ambo consenserunt. Vnde Greg. Sublimes, inquit, spiritus gentib. principantes, nequaquam pro iniusta agentibus decertant: sed eorum facta rectè iudicantes examinant: cumque vniuscuiusque gentis vel culpa, vel iustitia ad supernæ curiæ solium ducitur, eiusdem gentis præpositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium vna victoria est, sui super se opificis voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nequaquam volunt, vnde neque petunt. Ex quo sequitur quod illa quæ absolutè petunt semper obtinent: sed quæ hęsitantes sub conditione poscunt, non est necesse vt consequantur.

Argum. Et per hoc aliud soluitur argumentum huiusmodi. Sancti semper habent suam voluntatem diuinæ conformem: quare neque volunt nisi quę Deum velle noscunt: quod autem nobis largiri Deus vult sine suis orationibus conferet: ergo superuacanea & sine fructu est eorum oratio. Respondetur, inquam, quod etsi sanctorum voluntas semper sit diuinæ conformis, nihilominus quia non cuncta cognoscunt quæ Deus vult, quia nec numerum prædestinatorum sciunt, possunt aliqua sub conditione postulare. Præterea & quæ norunt Deum nobis statuisse donare etiam ab ipso efflagitant, quia intelligunt per suas orationes ea velle donare. *Augusti.* Ait quippe Augustin. in lib. de prædestinatione sanctorum, orationes etiam prædestinatis prodesse, quia fortè prędestinatum est, vt orationibus intercedentium saluentur.

Vltima dubitatio. Vltima tamen hic restat dubitatio, vtrum sancti pro his orent qui sunt in purgatorio. Apparet enim non minus pro illis quàm pro nobis orare: quandoquidem eos vident in charitate firmatos: quos subinde percipere videntur in suo ipsorum consortio esse recipiendos. Sed tamen ex altera parte arguitur. Quòd tunc non pro quibusdam, sed pro cunctis iuges funderent preces: & cum Ecclesia illa triumphans citius audiatur & efficacius quàm militans, eorum orationes ad euacuãdum purgatorium sufficerẽt. Respondetur, quòd sancti non sunt in statu satisfaciendi sicut viui: & quia suffragia existentibus in purgatorio non prosunt, nisi per modum satisfactionis, fit vt pro illis sancti non orent.

DISTINCTIO QVADRAGESIMASEXTA.

De Antichristo, & iudicij signis.

Textus Cap. 1. POST hæc de supremo tremendoque iudicio sermonem inituri, de Antichristo reliquisque signis ac portentis, quæ diem illum sunt antecessura, mentionẽ præmittamus oportet. Enimuerò, vt Apostolus Thessalonicensium ecclesiam *2. Thessalonicen. 2.* admonuit, nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, non veniet dies domini. Expedit enim, vt in consummatione præsentis seculi, antequam dominus rationem à nobis absolutæ militiæ nostræ reposcat, supremum nobis bellum idemque acerrimum acerbissimumque permittat, quo puri mortalium ab impuris dignoscantur, illique ceu per ignem excolati ad triumphum assumantur: atque isti fidem defringentes in ignem mittantur æternum. Quod Ioanni in Apocalypsi reuelatum est, nempe quòd post mille annos, scilicet post peractum ecclesiæ tempus ab orbe redempto vsque ad mundi finem, quo Satan colligatus est, dissoluetur de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. Sed tandem, vt Apostolus ait, eundem Antichristum diaboli antesignanum dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. *Apocalypsis. 20.*

Eundem tamen aduentum, vt dominus ipse ait, astrorum signa præcedent, sol enim obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. Vnde Lucas Euangelista: Erunt, inquit, signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi, nam virtutes cælorum mouebuntur: & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. *Cap. 2.* *Matth. 24.* *Luc. 21.*

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ SEXTÆ,

Quæstio prima,

DE SIGNIS QVÆ SVNT iudicio antecessura.

ARTICVLVS I.

Vtrùm expediens sit, vt aduentui Christi ad iudicium Antichristus antecedat.

IN hac dist. 46. Magister Sententiarum tractare constituit de misericordia Dei, vtrum in damnatis etiam luceat, vt citra condignum puniantur. Atque huius occasione materiam de iustitia & misericordia Dei hic commiscuit. At verò cùm de pœnis damnatorum præpostera sit hic tractatio, ineptum quoque est de misericordia Dei hic disputare. Distinctione enim. 49. enarrandum est, quemadmodum beatis Deus vltra cõdignũ prẽmia largiatur: & in quinquagesima, quemadmodũ damnatos citra condignum puniat. De misericordia verò & iustitia Dei, quę eius sunt attributa, non est hic proprius dicendi locus. Est enim materia primi sententiarũ, vbi de diuinis attributis disputatur. Quam idcirco speculationem D. Thomas 1 parte collocauit, quæstione 21. De his ergo, vt legitimũ teneamus ordinem, nullus hic à nobis habendus est sermo. Sed cùm resurrectionis tractatum in tria fue-

rimus

Digitized by Google

rimus membra partiti, & primum de Resurrectione & eius forma, & animarum receptaculis, deque eorum connexis hactenus fuerit expeditum : iam modo secundum, quod est de finali iudicio, aggrediamur oportet. Hoc autem membrum tribus distinctionibus absoluetur. In hac namque de antecedentibus iudicium, & in subsequenti de iudicio ipso, & in 48. de habitu & forma mundi, in qua post iudicium relinquetur, est differendum. Cæterùm distinctio præsens duas exigit quæstiones, primam de Antichristo, & secundam de signis iudicium præeuntibus.

Partis negatiuæ arg. 1.

Quæritur ergo primum. Vtrum expediens sit vt aduentui Christi ad iudicium, Antichristus antecedat. Et arguitur à parte negatiua. Quo homines debiliores sunt & ad virtutem magis languentes, minus expedire videtur, vt eos Deus acrioribus tentationib. concuti sinat, senescente autem mundo, propter maximam elongationem à primo aduentu Christi, abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, vt Matthæi vigesimoquarto ait Christus, & Lucæ 18. Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? persecutio verò Antichristi, vt ibidem ait dominus, erit qualis non fuit ab initio mundi. Ergo non videtur expediens vt illo temporis articulo fiat.

2. Argu.

Secundò arguitur. Non minus videtur congruere, vt Christus veniens ad iudicium præmitteret ante se nuncium, qui orbi pœnitentiam prædicaret, quàm dum venit ad redimendum nos : tunc autem præmisit Ioannem Baptistam prædicantem fructus pœnitentiæ : ergo venturus ad iudicandum, similem debuit præmittere nuncium, nempe qui Christi fidem non impugnare, sed persuadere contenderet.

Pars affirmatiua.

In contrarium est illud 2. ad Thessaloni. 2. Nisi venerit discessio primum : & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, & cætera. Scilicet non veniet dies domini.

Conclusio.

De aduentu Antichristi aliquid est certum, quod firma fide tenendum est, sed alia coniecturis colliguntur. Respondetur ergo ad quæstionem vnica conclusione. Aduentum Christi præcessurus est Antichristus : idque Deo optimè disponente. Atqui Antichristus, vt nomen sonat, & August. super epistolam Ioannis tractatu tertio interpretatur, idem est Latinè quod contrarius Christo. Non enim quia ante Christum venturus est illud sortitur nomen, sed quia aduersarius illi futurus est. Sicuti ἀντα γωνιστὰς qui alteri contrapugnat. Vnde pseudo Prophetæ, & quicunque fidei Christi aduersantur Antichristi dicuntur. Veruntamen quia ille omnium membrorum diaboli acerrimus erit Christi hostis, per antonomasiam dicitur Antichristus. Et quidem conclusio hæc catholica est : cuius negatio esset hæretica, quoniam assertio est Pauli loco citato. Sed quoniam Deus omnia suauiter disponit, congruentiam tam ingentis persecutionis illo tempore futuræ exploramus.

Antichrist⁹.

Conclusio Catholi.

Tria aduentum domini antecedentia.

Ad plenum autem intellectum percipiendum, animaduertendum est, Apostolum duo signa posuisse præcedentia diem domini. Scilicet discessionem primum, & reuelationem Antichristi. At verò cum Christus Matth. 24. tertium aliud constituerit, scilicet & prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio, necessarium est tria hæc certo ordine docere. De reliquis namque cælorum astrorumque signis & portentis, quæ sunt sub id temporis appatitura, quæstione 2. futurus est sermo. Et cum discessio, vt ait Paulus, sit proximè Antichristum antecessura, aut cum ipso simul ventura, operæpretium est, vt prædicatio euangelij primum consummetur : mox discessio fiat, ac demum Antichristus reueletur.

Prædicatio euang. in toto orbe.

Necessitas autem promulgandi euangelij in vniuersum orbem ante diem iudicij fuit, quod cum vniuersi, qui illum non receperint sint à regno excludendi, iuxta illud : Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei : necesse est vt vniuersi tunc mortales omni sint excusatione nudati, ne quicquam causari possint cur illum non receperunt. At quoniam, vt ait ad Roman. decimo Paul. nulli possunt credere nisi audiant, neque audire sine prædicante, necesse est vt ante mundi consummationem sit prædicatum euangelium in vniuerso orbe. Chrysost. autem arbitratur illic consummationem referri ad destructionem Hierosolymitanam, antequam prædicandum erat euangelium, ob idque ait Paulum loco citato ad auferendam Iudæis excusationem, citare illud Psalmi. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum : quasi tunc iam esset vbique euangelium prædicatum. At verò vt quæst. 2. videbimus, negari non potest, illic Christum de consummatione quoque seculi habuisse sermonem, antequam euangelium in vniuerso orbe euulgandum est. Et ideo August. super eundem Psalmum, & in epistola ad Esichium ait, Apostolum citasse prophetiam, vt iacebat de præterito, propter certitudinem futuri : nihilominus nondum esse omnino completam, sed certissimè implendam : quæ quidem opinio vero similior est. Et in illo sensu intelligitur illud verbum, Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium, scilicet per vos, vel per successores vestros. Nam profectò, vt super eundem locum Pauli scripsimus, si Æthiopiam & Indiam, & Europam, atque alias regiones in quas apostoli dispersi sunt consideres, non omnem orbem peragrarunt, sed vix quartam eius partem. Quæ tunc in vsu erat appellari vniuersum orbem, vt Luc. 2. Exijt edictum a Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Et ad Coloss. 1. ait Apostolus, veritatem euangelij esse in vniuerso mundo. Et tamen non est vero simile, quod toto transmisso pelago in omnem mundi angulum peruolassent. Ad intentionem namque Pauli volentis obtendiculum excusationis Iudæis adimere, & cognitis gentibus, satis erat quod tunc euangelica tuba in Europam, Asiam & Africam intonuisset. Et quamuis Hieronymus super Matthæum opiniones sic conciliet : quod tempore Apostolorum nulla remansisset gens quæ Christum ignorasset. Nam saltem rumor & fama, à gente in gentem delata, totum orbem compleuerat : non tamen hoc satis est ad intentionem Christi : sed requiri videtur, ante supremam diem mundi, sic euangelium vbique gentium audiri, vt omnis eis tunc tollatur excusatio, qui ipsum non fuerint professi : licet modo in opinione versetur, an quipiam excusentur ignorantia inuincibili. Ad quod non satis est rumor & fama, sed oportet vt in præsentia prædicetur, & explicetur, & eatenus suadeatur, vt nisi audientium culpa obstiterit, persuaderi valeat.

August.

Hieron.

Haud ergo prædicationem euangelij in vniuerso orbe Christus tamquam signum posuit, post quod statim futura est consummatio seculi, vt ad Esichium ait August. Hoc enim duntaxat sibi voluit, quod non veniet finis mundi, antequam euangelium prædicetur in vniuerso orbe. Hic namque sensus ad hanc quam explicuimus rationem satis est. Atque hoc sonant illa verba. Prædicabitur euangelium & cætera, in testimonium omnibus gentibus, id est, in testimonium veritatis, ne sibi mortales excusationem prætexant. Et tunc, id est, postea tandem erit consummatio.

Eadem de causa Elias & Enoch, qui in paradiso terrestri esse dicuntur, ad illud ministerium euangelicæ promulgationis explendum, tunc ante aduentum Antichristi, comparebunt iuxta prophetiam Malachiæ capit. quarto, vbi de aduentu domini vaticinatus ait, Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula : & inflammabit eos dies veniens, quę non relinquet eis radicem & germen. Et subdit. Ecce ego mittam ad vos Eliam prophetam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum (scilicet reliquias Israel ad legem quam eorum patres expectabant) ne fortè veniant, & percutiant terram anathemate. Quod eodem loco Hierony. & August. vigesimo de ciuitate Dei, cap. vigesimonono ad literam interpretati sunt, de prædicatione Elię, qui Antichristum sunt anteuersuri. Ante. n. quàm Deus filium illum perditionis permittat in ecclesiam grassari, præmittet Eliam, qui eandem ecclesiam illustret, atque irroboret. Quocirca verbo illo Christi Matth. vndecimo de Ioanne baptista : Ipse est Elias, qui venturus est : non insinuatur illum fuisse verum Eliam, sed eius imaginem. Credebant enim Iudæi Eliam aduentui Christi præuenturum : nescientes de secundo aduentu id intelligendum. Et ideo ait illis dominus : Ipse est qui idipsum officium quod Elias in secundo meo aduentu, facit in primo, nempe mundum ad pœnitentiam inuitare.

Elias & Enoch.

Hiero. & August.

Matth. 11.

Chrysost.

Atque

tiecitas con Cgit, &c.

Atque huc illud pertinet Pauli ad Roma. vndecimo. Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Primitiæ enim Israel conuersi fuerunt, vt apostoli, & nonnulli alij, illico priusquam gentes euangelio auscultarent, reliquo verò populo excæcato gentes in ecclesiam ingressę sunt: sed in fine mundi, dispersi per orbē Iudęi ad prędicationem Elię conuertentur. Neque verò Iudæi soli, verùm & gentes, alijs quibuscunque sectis infectę.

Vtrum sit totus orbis conuersurus.

Imò verò sunt, qui autument vniuersos tunc moratales Christianum nomen professuros: sic illud intelligentes Ioan. 10. vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. Nulla tamen apparet necessaria ratio quę hoc conuincat. Sensus enim illius, vt fiat vnum ouile, non est alius, quàm quod nemo extra ecclesiam Christi seruari potest. Quod autem omnes re vera sint ouile ingressuri, non est concessu necessarium: neque quod ait Paulus, plenitudinem gentium fidem posessum ire, aliter intelligitur, quàm quòd vniuersi, qui prædestinati sunt per fidem Christi seruandi, intrabunt iuxta illud Danie. 12. In tempore illo (loquitur enim de fine mundi) saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Fit autem coniectura, Eliæ prędicationem tribus annis cum dimidio, veluti quam fecit Christus, duraturam.

Discessio.

Peracta ergo Euangelica prędicatione, ait Paulus non venturum diem domini, nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati. Siue discessio præcessura sit Antichristum, siue per ipsum facienda. Atqui receptissimum est, atque inter omnes constantissimum, de discessione ab imperio Romano verbum esse accipiendum: nisi quod inter quosdam ambigitur, intelligatur ne de discessione ab imperio temporali & ciuili, an verò de discessione à potestate spirituali & ecclesiastica, cuius Romanus pontifex caput existit. Sed re penitus pensata, de vtraque intelligitur, imò de spirituali potissimum. Rationem enim huius August. eod. 20. lib. de ciuita. Dei, cap. 23. à visione Danielis bestiarum quatuor deducit. cap. 7. quæ quatuor futura regna designabant. Nempe Chaldęorum, quibus Nabuchodonosor tunc regnabat: & Medorum ac Persarum: ac subinde Grecorum, ac tandem Romanorum. Quæ itidem regna idem sanctus Propheta in quadriformi statua illa, ex auro, argento, ære, & ferro conflata prędiderat: vt cap. 2. legitur. Vbi ait, quod lapis de monte sine manibus abscissus eam percussit, & comminuit, ac subinde lapis factus est mons magnus, & implenit vniuersam terram. Ille enim fuit Christus, sine homine genitus, qui quatuor illos potentatus diabolica potestate subactos dissipauit: sed in imperio postremo, nempe Romanorum, quod Propheta appellat terribilem atque admirabilem bestiam, ferream & fortem nimis, & omnia conculcantem, vicarium suum constituit, qui ceu caput ecclesię suę illic sederet, fidem suam docens & protegens. Vnde quamuis ciuile Romanorum imperium iam cessauerit, non subinde finitus est mundus: quoniam temporale illud, vt in sermone de Apostolis ait Leo Papa, in spirituale fuit commutatum. Quapropter quanto tempore est duratura euangelica fides, tabit Romana sedes. Atque adeò absessio & defectio totius orbis ab illa sede signum erit consummationis seculi. Nam cum mundus, non nisi propter homines conditus fuerit, & homines non nisi propter cœlestem gloriam, quam nemo nisi per euangelicam fidem valeat adipisci: fit vt mundus non sit amplius duraturus, quàm fides: nec fides quàm obedientia Romano pontifici debita. Huius exemplum in templo Hierosolymitano præcessit. Illud enim Deus extrui iussit, vt locus esset quo sacrificia & oblationes, & celebritates synagogæ fierent: quod ideo non erat amplius quàm lex illa duraturum. Atque hac de causa cum primum euangelium sanguine Christi confirmatum fuit, templum illud vbi sanguis animalium fundebatur destructum est, & velut vmbra in præsentia veritatis abolitum. Pari ergo modo, quia euangelium Christi non in vno templo aut angulo, sed in vniuerso orbe debet suscipi, & eius ecclesia coli, eiusque sacramenta celebrari, extincta fide per discessionem ab Apostolica sede, totus mundus vanus erit, ac deinceps incassum processurus. Quapropter ceu deserta domus tunc protinus corruet. Et hęc fuit pollicitatio Christi, dum dixit Petro, Orabo pro te, vt non deficiat fides tua, scilicet vsque ad mundi terminum.

Visio Danielis.

Quadriformis statua.

Romana sedes.

Templum Hierosolymitanum.

Atqui rationem illius discessionis, nostris moribus tribuit Paul. 2. ad Timot. 3. videlicet, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, &c. Duas quippe ciuitates Dei, & Babylonis, quas in libris de ciuit. Dei descripsit Augustinus, duo amores diuidunt in homine, nempe amor Dei vsque ad contemptum suum, & amor sui vsque ad contemptum Dei. Expaueścant ergo mortales quam sit pestilens amor sui. Inde enim dimanat elatio & superbia: quę sub ducatu tandem Antichristi ciuitatem Dei labefactabit. Sed tamen huius amoris cultores eo mittentur, vbi perpetuas pœnas pendant.

2. Tim. 3.

Probatio conclusionis.

Tum demum, vt ad constitutam conclusionem respiciamus, reuelandus est, vti ait Apostolus, filius perditionis. Conclusio ergo præter autoritatem Pauli, probatur testimonio Christi Matth. 24. Erit tribulatio magna, &c. quem locum quæstione sequenti enarraturi sumus. Sed commonstratur præterea ex loco illo Apocalyp. 20. quem distinctione. 43. enarrauimus. Vidit enim Ioannes angelum descendentem de cælo, nempe Christum: habentem clauem abyssi, scilicet potestatem infernorum: & catenam in manu sua, nempe euangelium fidei, legibus, consilijs, & sacramentis, ceu nodis quibusdam consertam, qua draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, ligauit per annos mille, ne scilicet tantò impetu grassaretur in orbem, quanto illuc vsque in gentes & synagogam sæuiebat, sed sineret euangelicam fidem propagari. Quo quidem annorum perfecto numero, tempus totum ab orbe redempto vsque ad finem mundi designatur. Vnde sequitur. Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super omnes quatuor angulos terræ, nempe super vniuersum orbem, quas nominib. illis, Gog & Magog signant, vt eodem lib. c. 11. ait August. Et congregabit, inquit, eos in prælium quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuiuerunt castra sanctorum & ciuitatem dilectam, nempe ecclesiam. Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos: & diabolus, qui subducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris: vbi & bestia (videlicet Antichristus) & pseudoprophetæ (eius administri) cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Hic ergo graphicè bestia illa diabolico spiritu inuecta depingitur, quæ Christianam ecclesiam demoliri perget.

Visio Apocalypsis.

Ratio persecutionis Antichristi.

Quod si roges. Quæ ratio sapientissimam clementiam diuinam adducere potuit, vt tam atrocem ac diram dæmonis rabiem in suam familiam debacchari sinat? Re vera ratione non caret. Primam ergo, de similitudine duorum aduentuum Christi venari possumus. Quando enim ad suam prædicandam fidem sub habitu humilitatis contectus de cælo venit, decuit vt Baptista ceu eius angelus, præiret faciem eius pœnitentiam reis prędicando, per quam idonei fierent ad eius suscipiendam misericordiam: sed illico nascente fide in ecclesia, hæreticorum tyrannorumque & pseudoprophetarum impetus irruit, qui illam debellarent, vt probarentur electi: congruentius ergo quando venturus est ad exigendam factorum rationem ab hominib. quemadmodum indultam sibi misericordiam moribus excoluerint, quósque fructus ex illo diuino semine protulerint, trucem illam fidei persecutionem permittet priori truculentiorem, qua rursum selectissimi examinentur, & quasi aurum in fornace excolentur, nempe vt qui de fide deciderint, & ab eius militia defecerint, planè conuincantur quàm sint igne æterno digni, in quem sunt demergendi: & qui in eadem fide perstiterint & charitate, summo honore triumphum de parta victoria illico percipiant. Vnde 2. ad Thessal. 2. Aduentus, inquit, Antichristi erit secundum operationem Satanæ, in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Ratio. 2.

Secunda ratio sumitur ex parte dæmonum. Nam cum tunc coniecturis sint percepturi finem mundi properare, post quem nullus eis relinquendus est lo-

cus

cus suum virus euomendi, suamque aduersus Deum exercendam tyrannidem, nouos assument animos, nouaque exacuent arma, vt homines possint à cælo cohibere, quibus sua tartara impleant.

Ratio. 3. Ad hæc & ex parte Christi accedit, quod cum militia Christiana illuc vsque sit sustinenda, tunc Christus, dum receptui canere iubebit, exercitus recensebit suos, hostemque lacesset, vt supremo conserto prælio, de summa aut fœlicitate, aut miseria decertetur: vt coronatis victoribus victos cum suo duce Lucifero, suoque antesignano Antichristo, in infernorum baratrum igne & sulphure conuolutos in perpetuum obtrudat.

August. Quapropter vt eodem li. 20. c. 8. ait Aug. non solum quam plurimi tunc persistent in viua fide, verùm & multi constantiam martyrum aspicientes, eandem suscipient fidē, vt actus ille postremus ecclesiæ Christianæ suis primordijs respondeat, quando cruentati martyres plures persecutorum Christo lucrifaciebant. Raros tamen credendum est tunc euasuros Christianos, qui non martyrio coronentur.

Argumenta igitur contraria per ea quæ dicta sunt dissoluuntur. Nam etsi propter mundi senium homines tunc fore credantur spiritu debiles, tamen ex altera parte clementissimus Deus tum præuia Eliæ prædicatione, tum & singulari subsidio & auxilio corroborabit suos, vt possint contra hostilia tela persistere. Præsertim quod eam ob rem non sinet diu persecutionem prolatari, iuxta verbum Christi Matthæ. 24. Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur. Quemadmodum in primo aduentu ante tyrannorum persecutionem, Ioan. Baptistam & subinde Apostolos misit, qui fidem propugnarent.

ARTICVLVS II.

Vtrum Antichristus futurus sit omnium malorum caput.

QVONIAM Antichristum fore constitutum est, expedit eius ingenium & mores nosse: ob idque interrogamus vtrùm futurus sit omnium malorum caput. Et arguitur à parte negatiua. Vnius corporis non sunt diuersa capita, malorum autem omnium diabolus est caput, qui primum primis hominibus suggessit crimen, ergo Antichristus non est futurus ipsorum caput.

Partis negatiuæ 1. argum.

Secundò caput influit in membra, sed Antichristus nullā influxit malignitatem in eos qui eum præcesserunt & sunt præcessuri: ergo non est omnium malorum caput: sed vnum præcipuè inter illos membrum diaboli.

2. Argu.

In contrarium est glossa super illud Iob. 21. Interrogate vnum de viatoribus, &c. quæ ait: Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput Antichristum verba conuertit.

Pars affirmatiua.

Quæstiunculam hanc D. Thom. 3. par. q. 8. ar. 8. mouit, quam breuissimè expediuit. Nos autem ea ratione proponimus, vt locum illum Pauli. 2. Thes. 2. enarremus, vbi Antichristum suis lineis effigiat. At ne morem deseramus nostrum, tribus conclusionibus respondetur. Prima iuxta quæstionis titulum sit. Antichristus modo quodam futurus est omnium malorum caput. Quatuor enim sunt quæ in capite respectu membrorum considerantur. Primum temporis antecessio, & secundum influxus, influit enim caput in membra: & tertium est excessus & perfectio rei illius, secundum quam est caput. Ac demum quartum, quòd omnia membra ad se ipsum veluti ad finem refert. His igitur quatuor modis Christus fuit caput ecclesiæ. Fuit enim primum angularis lapis eius, in quam virtutum charismata intrinsecis inspirationibus influit, eandemque exterius gubernat: & dona quę ecclesię ad mensuram largitur plenissima redundantia in se continet: ac tandem membra sua ad se trahit. Atqui eisdem quodammodò rationibus diabolus est caput omnium malorum: nam & antiquior fuit hominibus, quibus iniquitatem iutus suggessit; & continenter suggerit, licet non eo modo quo Deus virtutes, quia non est nostræ dominus voluntatis. Et quodam pacto iniquos homines gubernat: quare Iob. 41. appellatur rex super omnes filios superbię. Et ad suum proprium finem homines inducit: nempe vt auertantur à Deo, iuxta illud Ier. 2. A seculo confregisti iugum, rupisti vincula: dixisti, Non seruiam.

1 Conc. *Christus caput ecclesiæ.* *Diabolus malorum caput.*

Antichristus malorum caput. Antichristus ergo duobus prioribus modis nequibit esse malorum caput: quoniam neque vniuersis mortalibus antecessit, neque suos antecessores ad malum instigauit: duobus autem posterioribus rationibus hoc potest nomen sortiri: nempe quia malignitate & scelerum immanitate iniquos omnes superabit: & cunctos quos poterit ad suam pertrahet nequitiam, vt à Deo deficiant. Vnde super illum locum 2. ad Tess. 2. Ostendens se tanquam sit Deus, ait glossa: Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichristo omnis malitiæ plenitudo. Non quidem ita, quod humanitas eius sit assumpta a diabolo in vnitatem personæ, sicut humanitas Christi à filio Dei: sed quod diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo, quàm omnibus alijs. Qua vtique ratione & respectu precedentium iniquorum fuit quadommodo caput. Nam sicut omnes sancti & prophetæ imaginem quandam suis virtutibus Christi præferebant: ita & omnes pseudoprophetæ & tyranni, quasi quandam effigiem & vmbram Antichristi præmonstrabant: iuxta illud eiusdem apostolici loci: Mysterium iam operatur iniquitatis: quasi Nero iam tunc atque alij subinde tyranni mysterium essent Antichristi.

Antichristi natiuitas. Quo autem ingenium bestiæ apertius perpendatur, fertur, vt Hiero. ait super Dan. ca. 11. ex Iudaica gente in Babylone nasciturum, atque alij addunt, ex tribu Dan. quia verba patris eius Gen. 49. plurimum ad rem alludunt. Dan coluber in via, cerastes in semita. Etenim sicut antiquus hostis sub forma colubri primos parentes adortus est, sic & Antichristus per fraudes & technas vias sepiet, vt vix se possint homines ab eius laqueis extricare. Est enim cerastes, vt ait Solinus, serpentis genus callidissimum. Vnde subditur in prophetia: Mordens vngula equi, vt cadat ascensor eius retro, scilicet vt à Deo recedat. Qua propter truculentiam persecutionis contemplatus Iacob concludit. Salutare tuum expectabo domine. Atque eam ob rem, suspicantur nonnulli Ioan. in Apoca. c. 7. vbi tribus Israel recensuit quibus signantur electi, silentio præteriisse tribum Dan.

In Babylone. Quod autem à Babylone sit venturus, coniectura sit non leuis, quod sicut Nembrot ædificans Babylonicam turrim, vt Gene. 11. legitur, bellum indixit Deo, à quo proinde Heber, pater Hebræorum populi Dei segregatus fuit, ita ab eadem Babylone sit supremus ecclesiæ hostis reuelandus. Erit autem vilibus despectisque parentibus ortus: quod verbo illo Dani. 11. de Antiocho Epiphane significatur. Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia. Antiochus enim ille, qui, vt libris Machabæorum memoriæ proditum est, populum Dei atrocissimis bellis deuexauit, figura, vt nostri tradunt, fuit Antichristi. Quapropter sicut ille, ita Antichristus Ægyptum prius sibi suppeditabit, ac subinde potentissima inuadet Romanorum brachia.

Vilis. *Antiochus.*

Nero. Non autem defuerunt, vt loco citato ait Hiero. & 20. de ciui. Dei. c. 19. Aug. qui opinati fuerint Neronem fuisse qui resurrecturus est: vt sit Antichristus, propter verbum Pauli loco citato. Qui tenet nunc (scilicet Romanum imperium) teneat donec de medio fiat: hoc est, eius auferatur regnum, quæ quidem illic verba Aug. & in epistola ad Esichium ait non intelligere. Attamen sensus est, quòd qui tenet imperium Romanum, & tenebit spirituale, teneat quousque in fine mundi ab eo tollatur. Quare satis est dicere Neronem fuisse Antichristi vmbram & præsagium, in quo mysterium, hoc est, figura iniquitatis operabatur.

2. Concl. Secunda conclusio. Antichristus pessimus omnium futurus est mortalium qui hactenus fuerunt, & qui posthac futuri sunt. At ne quis peccatum siue Adæ siue Iudæ obiciat, non conferimus peccatum cum peccato: sed cum personis personam. Fuit enim peccatum Adę tum ex aliis circunstantiis graue, tum ratione vniuersalis detrimenti, quod generi humano intulit, grauissimum: & peccatum Iudę, & eorum qui Christum crucifixerunt ex obiecto sceleratissimum simul ac impientissimum, quia fuit occisio Dei. Sed tamen nullum illorum fuit infinitę malitiæ: sed

illa com-

Digitized by Google

illa communi ratione omnium peccatorum, qua auersio à Deo dicitur infinita. Quocirca possunt tot scelera, sacrilegia, & impietates in vno homine accumulari, vt personam peiorem faciant illis qui illa peccata Adæ & Iudæ commiserunt. Hanc conclusionem affirmat Apostolus, vbi eum ait fore hominem peccati & filium perditionis: sunt enim Hebraismi, quibus significatur malignitatis exundantia. Neque tamen asserimus futurum infinitè malum: quia malum nequit totum bonum corrumpere. Quapropter non quomodo in Deo plenitudo virtutis, ita in eo plenitudo iniquitatis abundabit. Attamen vt Christus omnium fuit bonorum optimus, ita & ipse erit omnium malorum pessimus.

Conceptus Antichristi.

Vnde vt ab eius statim conceptu contrarius Christo videatur, aiunt quòd sicut Christus opera spiritus sancti conceptus fuit, ita cum spiritu diabolico ab vtero matris suæ occupandum: quin verò a diabolo ipso arreptum iri. Non quod eum prorsus vt reliquos arreptitios dementet, sed sano iudicio quo peccare possit seruato, voluntatem eius omni replebit spurcitia & iniquitate. Et ideo fertur, vel per incestum grauissimum, vel per sacrilegium, ex sacris parentibus concipiendum. Hoc autem nulla fulcitur autoritate, tamen cum Apostolus eum hominem peccati, & filium perditionis appellet, certum est in hoc solum concipiendum, vt omnium sit scelerum ac flagitiorum sentina.

Superbia Antichristi.

Et primùm eo superbiæ, quæ initium est omnis peccati, eleuabitur, vt non solum Deo aduersetur, vt ait Paulus (quod nomen eius sonat) sed extollatur supra omne quod dicitur Deus, siuè verè sit Deus, vt qui est in cælo, siue falso nomine colatur, vt Dij gentium: siue per adoptionem sic nominetur. Quemadmodum ait sanctis viris Dauid. Ego dixi, Dij estis & filij excelsi omnes. Similia enim de illo prophetauit Daniel sub figura Antiochi. Ait quippe. ca. 11. Eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica. Quod certe de solo Antichristo dici potuit, cuius ideo figura præcessit in Cæsare, qui fertur statuam suam in templo adorandam posuisse: & in rege Tyri, de quo legitur Ezechi. 28. Dixisti quia Deus ego sum. Nam vt Apostolus ait, sedebit in templo, ostendens se tanquam sit Deus. In quo videbitur, non solum superbiam Adæ, qui voluit esse, vt Deus, transcendere, verùm & Luciferi, qui voluit esse æqualis Deo. Nam ob hoc potissimum nomen habebit Antichristi, quod Christum prædicabit fuisse falsum Deum, falsamque prædicasse fidem, & iniquas condidisse leges, verumque se esse Messiam illum filium Dei, qui fuerat Abrahæ patribusque subinde promissus. Et re vera hoc est expauescendum mortalium monstrum, quod homini impuro, tamque insolenter absurdo, & impudico, possit quispiam vllam adhibere fidem, dicenti se esse aut Deum, aut probum hominem.

Dani. 11.

3. Concl.

Tertia conclusio. Antichristus erit omni arte fallendi instructus, omnique potestate huius seculi coarmatus, vt humanas mentes possit seducere, humanasque voluntates, tum quantum ad vim concupiscibilem allicere, tum & quantum ad irascibilem exterrere: vt alios per fallacias, aliosque blanditiis, sed alios metu & pauore commoueat. Hac enim de causa in bestia illa Apoca. 13. quæ Cosdroe filium designabat, delineatus fuit, quæ capita habebat septem, & cornua decem, s. regna plura & potentatus plurimos, & nomina super capita blasphemiæ. Eratque similis pardo versicolori: nam erit omnimoda vitiorum varietate intinctus, & habebit vngulam vrsi ad conculcandam ecclesiam, & Leon s os ferocissimum: cui draco, id est, diabolus, virtutem suam magnam collaturus est.

Bestia Apocal. c. 13.

Non faciet vera miracula.

Haud tamen virtutem vllam supernaturalem habebit, quare nec vera miracula edere poterit. Miracula enim sola Dei virtute fieri possunt: quam nunquam neque ipse exercuit, neque vlli creaturæ commisit, nisi ad fidem catholicam asserendam, multo ergo minus illam Antichristo tribuet ad illam labefactandam. Erit tamen prompto paratissimoque dæmonum satellitio constipatus, quo possit ficta seductoriaque miracula ostentare: vel aerem immutando, vt præstigiatores faciunt, vel phantasticas species commouendo, vt res quę non sunt, aut quales non sunt appareant, quod diabolus facere potest: imò & pernicissimo motu poterit agentia naturalia passis admouere, vt quàm citissimè res fiant naturales, quę possint æstimari miracula. Quod in Magis Pharaonis secundum Augu. vsu venit, qui fecerunt serpentes & reliqua.

Paulus.

Vnde eodem loco Apostolus: Erit, inquit, aduentus eius secundum operationem Satanę, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt. Atque illis apparentibus mirabilibus, homines vanos & ad credendum faciles dementabit, auaros verò opibus, & superbos honoribus, & voluptuosos voluptatibus, & meticulosos terroribus. Pleroſque tamen immanitate tormentorũ, exquisitissimaq; trucidandi arte euincet. Nam alia via quomodo poterit tam turpe tamque nefandum hominis monstrum quempiam allicere, quem in suam amicitiam conciliet?

Tempus persecutionis Antichristi.

Dies autem persecutionis eius, vt Christus ait, breues erunt propter electos. Durabit enim illius persecutionis truculentia, vt supra diximus, & August. 20. de ciuit. ca. 8. refert, tribus annis cum quarto dimidiato. Tantum enim ferè durauit prædicatio Christi, processuraque est prædicatio Elię, ac subinde Antichristi calamitas, de qua Daniel ca. 12. vaticinatus est. Visio autem fuit, quod cum interrogasset Angelum vsque quo finis illorum mirabilium? respondit quia in tempus & tempora & dimidium temporis: scilicet, in vnum annum atque alteros duos & dimidium quarti: idemque inferius repetit dicens, A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium. s. ecclesiæ, & cum posita fuerit abominatio. s. Antichristi, in desolationem dies mille ducenti nonaginta: qui idem ferè tempus reddunt.

Visio Danielis.

Finis Antichristi.

Finis autem eius erit, quod Michael ecclesiæ princeps, qui diabolicum de cælo deiecit exercitum, illum extinguet, & vt fertur in monte Oliueti, vnde Christus ascendit. Id enim Daniel in initio eiusdem capitis insinuat dicens: In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud: & multi ex his qui dormiunt in terræ puluere cuigilabunt, alij in vitam ęternam, alij in opprobrium, &c. Et hoc est quod ait eodem loco Paulus. Tunc reuelabitur ille iniquus, quę dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, &c.

Solu. argumentorum.

Ad primum igitur argumentum respondetur. Diabolum & Antichristũ non esse duo, sed vnũ caput, quoniam Antichristus virtute diaboli vtetur. Veluti Deus est caput Christi: & Christus caput ecclesiæ in virtute Dei. Et summus Pontifex dicitur caput ecclesiæ tanquam Christi vicarius, cuius virtute & autoritate fungitur. Atque adeò nihil obstat, quominus sit & membrum diaboli, & malorum caput.

Quæstio secunda,

DE SIGNIS IVDICIVM ANTECESSVRIS.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm iudicio finali aliqua sint signa antecessura.

Partis negatiua 1. argu.

SECVNDA quæstio est de signis iudicij, & ideo quæritur primò, vtrùm aliqua sint illud præcessura. Et arguitur à parte negatiua. Dies iudicij, vt supra constitutum reliquimus, sic est nobis occulta, vt eam nosse minimè nobis expediat: iuxta illud Pauli primæ Thessal. quinto: Ipsi diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Rei autem occultæ non congruit indicium antecedere: ergo nulla sunt antecessura signa.

2. Arg.

Secundò arguitur. Aduentum primum in carne, quamuis fuerit plurimis prophetarum oraculis præ-

nuncia-

Digitized by Google

nunciatus, nulla tamen antecesserunt signa: ergo neque præcedent secundum aduentum. Nam cum in primo occultus venit, quare à suis ipsis fuit ignoratus: & in secundo, vt ait Psaltes, manifestè veniet: si signa aliqua necessaria essent, potius deberent primum antecedere.

Anceps quæstio.

In contrarium, est illud Lucæ. 21. Erunt signa in sole & luna & stellis, &c.

Quæstionem hanc ancipitem reddunt euangelica verba apud Matth. capit. 24. & apud Lucam, capitul. 21. vbi de signis Christus sic amphibolè locutus est, vt vix oculatissimus dignoscere queat, vtrum de illis loquatur quæ excidij Hierosolymitani indicia fuerunt: an de illis quæ aduentum vltimum domini indicabunt. Vnde nonnulli, ex quibus est Abulensis super Matthęum, contendunt non nisi de euersione Hierosolymorum accipienda. At verò hæsitari non debet quin de ambabus simul consummationibus, scilicet ciuitatis illius & totius orbis, intelligantur: nempe partim de vna, & partim de altera: vt in epistola ad Esichium ait August. & 20. de ciuit. Dei cap. quinto. Hoc certè Matth. 24. palam fit. Sermo enim obortus illic de clade Hierosolymitana fuit. Prospiciens enim structuram templi ait Christus. Nónne videtis hæc omnia? amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Et tunc accesserunt ad eum discipuli seorsum, secreto interrogantes duo: primum quando futura esset ciuitatis subuersio. Dic nobis quando hæc erunt (quæ tu dicis) scilicet templi subuersio: & quod signum aduentus tui & consummationis seculi, id est, dic præterea hoc quod subtices, quæ signa erunt aduentus tui. Præsupponebant enim aduentum eius & consummationem seculi eodem tempore fore. Et hoc erat quod ipsi omnium potissimum scire cupiebant, quod ideo identidem illum interrogabant, vt Actuum primo legitur. Commiscuerunt autem ambas interrogationes, vel arbitrati excidium vrbis non fore vsque ad seculi consummationem venturum, vel fortè mysterium illud docti, cuius articulo præcedenti meminimus: videlicet quod sicut templum illud sacrificiis illius legis dedicatum erat: ita & totus mundus templum erat futurus, in quo euangelium erat colendum. Ac perinde quod euersio Hierosolymitana, quæ in abolitione illius legis erat futura, prognosticum esset consummationis seculi, quæ deficiente fide & cultu euangelij expectatur. Ob idque Christus vtrusque signa promiscuè posuit. Quocirca non solum quædam ad Hierosolymam referuntur, & quædam ad finem mundi, vt Aug. autor est, verùm aliqua vtrumque simul sensum referunt.

De signis Matt. 24.

Duo interrogata.

Primum responsum.

Illud ergo quod primum omnium respondit: Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, audituri estis prælia, &c. oportet hæc fieri, sed nondum finis: manifesta responsio est ad secundum interrogatum de consummatione seculi. Non enim ait restrictè, nondum finis templi & vrbis: sed simpliciter nondum finis. Vbi planè insinuatur finis mundi: At verò non ponit illic signa propria finis mundi, sed communia: quæ ab eius passione vsque ad illum finem sunt processura, tam in pseudoprophetis & hæreticis, quàm in tyrannis, qui prælijs & falsis dogmatibus afflicturi sunt ecclesiam. Atque hunc sensum explicatius refert Lucas cap. 21. dicens: Injicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes vos in synagogas & custodias, &c. Et propterea dicit: Nondum finis. Tametsi in fine mundi illa erunt omnibus præcedentibus acerbiora. Nam quamuis hæreses semper fuerint, & modò ob nostrorum peccatorum merita augeantur, & magna ex parte discessionem à Romana sede in hæreticis nostri seculi conspiciamus, quod est mysterium iniquitatis, vt ait Paulus, Antichristi: & quamuis prælia & seditiones, vt ait Aug. semper fuerint: & quanquam multi se nominauerint Antichristos, vt Mahometus atque alij, hæc tamen quædam figura sunt illius veritatis quæ in Antichristo cumulatius complebitur. Quare hæc non sunt signa, quæ punctim indicent finem mundi, sed prognostica illius temporis: quæ quanto auctius succreuerint, tanto tempus illud properantius aduenire proclamant. Et ideo concludit Christus: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Item quod continuo subsequitur. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio, palam ad finem mundi refertur. Non enim ait, tunc erit consummatio templi, aut ciuitatis, sed simpliciter consummatio.

Et prædicabitur hoc euan. &c.

At quod subinde subiungitur: Cùm ergo videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele propheta: reuersio esse videtur ad respondendum primo interrogato de subuersione templi. Nam licet hoc Matthæus non tam planè explicet: Lucas tamen explicatiùs eodem loco illud commemorat, dicens: Cùm autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius, tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, & qui in medio eius, discedant, & qui in regionibus non intrent in eam, quia dies vltionis hi sunt. Et ideo vterque euangelista subiungit: Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus: quia scilicet non poterunt fugere. Atqui si in hoc sensu sumantur Matthæi verba, scilicet, de Hierosolymorum clade, necesse est prophetiam ibidem allegatam Danielis referri ad cap. 9. non quidem ad 79. hebdomadas illic relatas, quæ proculdubio in primo aduentu Christi fuerunt completæ: sed ad præcedentia ibidem verba, quibus vrbis subuersionem per Romanos faciendam prænunciauit. Quamuis & in eadem strage finis mundi fuerit prefignatus, quem diem Propheta etiam descripsit cap. 12. vt supra distinct. 43. quæ. 2. art. 2. explicuimus. Nihil ergo vetat vtrumque sensum Christum insinuasse: idcirco enim subiunxit: Qui legit intelligat. Extat autem verbum ab ipso allegatum apud Danielem ca. 9. vbi post enarratam occisionem Messiæ subdit. Et erit in templo abominatio desolationis. Quam quidem abominationem nonnulli, vt etiam August. meminit, referunt ad idolum quod Antiochus tempore Machabæorum, vt libro eorum. 1. ca. 1. scriptum est, in templo erexit super altare Dei: quod nominauit idolum desolationis. Et propterea aiunt dixisse Christum abominationem stantem in loco sancto. Sed re vera verbum Christi non alludit nisi ad desolationem quæ Romanorum impetu post eius passionem facta fuit, de illa quippe prophetauit illic Daniel dicens, nunquam sub omni cælo tam magnum fuisse malum. Vel ad desolationem mundi illic designatam. Et ideo non ait, Idolum desolationis, sed abominatio. Dixit autem Christus, stantem in loco sancto, vt alluderet ad verbum Danielis, in templo, quod per Romanorum abominationem desolatum fuit.

Abominatio desolationis.

Daniæ. 9.

Idolum Antiochi.

At quod apud eundem Matth. ab illo verbo subsequitur. Erit enim tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet: certè ad propria signa consummationis seculi regressio est. Quare ad quæstionem hac conclusione respondetur. Signa futura sunt aduentus domini prænuntia, atque ipsi proxima. Et primum quidem verbum ipsum postremò citatum hoc denotat: quare particula, enim, non refertur ad proximam orationem præcedentem, saltem si de excidio intelligatur Hierosolymitano, sed ad aliud superius antecedens verbum. Et tunc erit consummatio, scilicet mundi. Nam quod de illo redeat illic sermo, patet ex prædicto verbo: Erit tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Daniel namque de clade Hierosolymitana locutus, non ait nisi quòd erit magnum malum, quale non fuit sub omni cælo, scilicet vsque ad subuersionem vrbis & templi: non tamen inclusit futurum sub Antichristo: Christus verò adiecit, neque fiet illucusque. Tametsi Græca lectio non habeat nisi, neque fiat, deprecatiuè: sed consonantior est Latina.

Responsio de fine mundi.

Cont. principalis. Ratio. 1.

Secundò id constat ex subiuncto verbo: Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Non dicit cum modo, omnis caro, Hierosolymitana, aut Iudaica, sed omnis caro simpliciter. Quare abbreuiando ait propter electos, scilicet totius ecclesiæ. Quocirca id quod subditur. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia: palam de Antichristo, & de eius auxiliaribus ducibus intelligitur. Quare subinfert. Ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Atque id ipsum subsequens particula confirmat. Sicut fulgur exit ab oriente, & patet vsque in

Ratio. 2.

Digitized by Google

occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vel forsan legendum est, fulgor, vt referatur ad solem, qui subito dum oritur, videtur in occidente. Quamuis Luc. 17. Sicut fulgur, inquit, coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget, ita erit filius hominis in illa die. Et subdit apud Matth. Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ: fit enim alluſio ad illud Pauli: Rapiemur in nubibus obuiam domino in aera: aquilarum namque volatu, sanctorum merita diuino numine suffulta denotantur. Super omnia demum rem confirmat conclusio illa. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis in cælo, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate. Et tandem subdit, de die illa nemo scit, &c. Et similia ferè verba habentur Marci. 13. & Lucæ. 21. proculdubio ergo certissima est conclusio, quòd ante diem iudicij apparebunt in cælis expauescenda signa.

Præcipua cõfirmatio.

Et confirmatur præterea ratione ex his vltimis verbis collecta. Est enim Christus dominus cum potestate magna & maiestate venturus: ad autoritatem autem iudicis confert, aliqua signa præcedere, quæ iudicandos ad reuerentiam & terrorem commoueant, vt supplices in eius tribunali sistantur. Cùm ergo maiestas Christi, & potestas sit supercælestis, condecet, vt signa quoque cælestia eius aduentum repræsentent.

Quindecim signa.

Hieronymus autem quindecim continuis diebus iudicium præcedentibus, quindecim signa refert futura: dicens, quòd prima die maria omnia exaltabuntur. 15. cubitis super montes. Secundò omnia æquora prosternentur in profundum, ita vt vix videri possint. Tertiò redigentur in antiquum statum. Quartò belluæ omnes & alia quæ mouentur in aquis, congregabuntur & leuabuntur super pelagus, more contentionis inuicem mugientes. Quintò omnia volatilia cæli congregabuntur in campis inuicem plorantes, non gustantes, neque bibentes. Sextò flumina ignea surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti vsque ad ortum corruentia. Septimo, omnia sydera errantia fixa spargent ex se igneas comas sicut cometæ. Octauò, erit magnus terræmotus, & omnia animalia prosternentur. Nonò, omnes lapides tam magni quàm parui diuidentur in quatuor partes: vnaquaque aliam collidente. Decimò, omnes plantæ sanguineum fluent rorem. Vndecimò, omnes montes, & colles & ædificia in puluerem redigentur. Duodecimò, omnia animalia venient ad campos de siluis & montibus rugientia, & nihil gustantia. Tredecimò, omnia sepulchra ab ortu solis vsque ad occasum patebunt cadaueribus ad resurgendum. Quartodecimò, omnes homines de habitaculis suis recedent non intelligentes, neque loquentes, sed discurrentes. Quintodecimò, omnes morientur, & resurgent cum mortuis longè antè defunctis. Hæc autem Hieronymus non tanquam ex propria sententia constituit: sed dixit se in annalibus Iudæorum inuenisse. Sunt autem, vt apparet, conficta. Posuit enim Christus signa illius diei, & tamen nullius istorum meminit: neque omnia videntur rei esse conuenientia.

Sol. 1. ar.

Ad primum igitur argumentum respondetur, bifariam huiusmodi signa posse intelligi antecedere. Vno modo, quod aliquantulo tempore aduentum domini præueniant: ita vt non monstrent diem certum neque mensem, imò forsan quod antecedant per annum vel amplius. Et tunc, vt ait ad Esichium Augusti. erit inter probos & improbos dissensio & discrimen: quod homines ventri & luxui dediti erunt, vt ait Paulus, in pace & securitate velut mortales illi, dum arcam Noe fabricabat: sed cordatiores & Dei cultores non erunt in illa tranquillitate, imò de illis ait Lucas, quod arescent præ timore. Quare non obstat diem iudicij fore sic occultam, vt planè non constet, & nihilominus antecedere signa, quæ diem illam comminentur.

Atque huc alludere videtur similitudo Christi: Ab arbore fici discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, scitis quia prope est æstas: ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. At verò similitudo illa non videtur signis iudicio proximis apposita, sed cunctis à tempore passionis Christi illucusque procedentibus. Prædicationem enim suam & mortem comparauit germinantibus arboribus, & virescentibus: nam illic iacta sunt semina spiritualium fructuum. Dixit autem prope esse ætatem, sicuti ait in sua Canonica Ioannes, nunc esse nouissimam horam.

Secundo ergo modo & melius dicendum signa illa ventura esse in eadem nocte vel die præcedente iudicio: vt quod ait Paulus, Dicturos tunc homines, pax & tranquillitas, referatur ad tempus antequam signa eos conterritent, & quod ait, repentinum superuenturum interitum, sicut dolorem in vtero habentis, referatur ad signorum præsentiam, quæ non permittet eis ad cor redire. Et de illo tempore ait Lucas, quòd tunc arescent præ timore. Et tunc, quod ait Christus diem illam esse occultam, intelligendum est, quousque signa illam diem iam præsentem demonstrent: & ideo dicitur ventura sicut fur. Etenim quòd iste modus dicendi sit rei congruentior, probatur. Nam secundum priorem dicendum esset, obscuritatem solis & lunæ non duraturam vsque ad articulum & momentum iudicij: non enim credibile sit, tanto tempore in summis tenebris totum fore mundum: sed secundum hunc modum posteriorem, tenebræ durabunt, quousque ignis præcedens faciem Domini, & splendor ipsius iudicis, cælum serenet.

Sol. 2.

Ad secundum respondetur. Quod primus aduentus Christi debuit esse per prophetas, quantum ad tempus prænunciatus: ipse tamen debuit venire occultus: & vtraque ratione non decuit, vt signa præcederēt: præsertim quod primus aduentus fuit pacificus, secundus verò erit terrificus.

Sol. 2. ar.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Sol & Luna circa iudicium, secundum rei veritatem contenebrescent, & virtutes cælorum mouebuntur.

CONSTITVTO quòd aduentum iudicis debent signa cælestia præuenire, quæritur quemadmodum illa debeant contingere signa. Quæritur ergo primò vtrum prope iudicium, obscurabitur Sol & Luna, & virtutes cœlorum mouebuntur. Et arguitur à parte negatiua. Sol & Luna simul priuari sua luce nequeunt, nam luna eclipsatur per interpositionem terræ inter ipsam & solem, quare debent esse in oppositis cæli punctis. Sol verò obscuratur per interpositionem lunæ inter ipsum & nos: ad quod requiritur esse luminaria coniuncta.

Pars negatiua 1. argum.

Secundò arguitur. Sicut dicitur, quòd Sol & Luna obscurabuntur, subiungitur, quòd stellæ cadent de cælo: stellæ autem cum sint cæli partes, ac perinde incorruptibiles, cadere inde non possunt: ergo omnia per metaphoram intelligenda sunt, & non secundum rei veritatem.

2. Argu.

Tertiò, virtutes cælorum intelligi nequeunt nisi angeli: illi autem moueri non possunt, primò quia sunt beati, quibus mutari repugnat: secundò, quia neque timere possunt neque admirari, cum admiratio ex ignorantia causarum proueniat, quæ in angelis esse nequit: tertiò, quia circunstabunt domino in iudicio, iuxta illud Apocalypsis 7. Omnes angeli astabunt in circuitu throni.

3. Argu.

In contrarium est textus euangelicus. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem quatuor conclusionib. respondetur. Operæpretium autem est primum de tempore distinguere, scilicet ante aduentus Christi articulum, aut in ipso articulo, aut post. In ipso enim temporis articulo non solum nulla erit obscuritas solis & lunæ, verùm multò fulgentiùs quàm modò splendescent: quia adueniente domino totus innouabitur mundus. Iuxta illud Isaię. 30. Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter. Quæ etiam luminaria peracto iudicio lucentia permanebunt, luna scilicet, in occidente opposita soli. De qua re dist. 48. recurret sermo. Loquimur ergo de tẽpore, quod erit iudicio proximum, vt articulo præcedenti expositum est.

Decisio articuli.

Sub tempus iudicij non erit obscuritas.

Sit ergo prima conclusio. Sol tunc & luna obscu-

1. Concl.

rabitur

rabitur. Conclusio habetur in euangelio, & ideo probari nõ indiget: sed tamen de modo dubitatur, qui potest vnus esse triũ, scilicet aut per eclipsim aut per subtractionem radiorũ, aut per interpositam nubem. Nam quod Hieronymus præsenti loco insinuat, videlicet luminaria tunc non esse absolutè remissura lumen, imò quòd debent fulgentius promicare, sed quòd respectu eximij splendoris iudicis, dicentur obscurari, textui euangelico non vsque adeo consonat, vbi tanquam exhorrendum signum obscuritas illa denotatur. Idque iudicio antecedens: cùm tamen claritas solis non sit vsque ad iudicij momentum augenda. *Eclipsis non erit.* Per eclipsim autem obscuritas illa non fiet, primò propter rationem factam, quia Sol & Luna simul eclipsari non possunt. Item quia sol tunc erit in oriente, & luna in occidente. Deinde quia obscuratio illa erit in vniuerso orbe, tamen vniuersales eclipses esse non possunt: & ideo obscuritas solis, qui expirante Christo tenebras fecit in vniuerso mundo, non potuit esse eclypsis.

Tertiò ad rem propriè arguitur. Eclipses sunt res naturales, quæ cùm per naturam accidant, non dicuntur signa, neque verò terrorem incutiunt, neque admirationem generant: at verò obscuritas tunc solis & lunæ commemorantur tanquam signa supernaturalia aduentus domini, qui etiam supernaturalis erit, terrore & admiratione plena: ergo non per causas naturales, sed supernaturaliter contingent. Et confirmatur, quia similiter dicitur de stellis, quòd cadent, scilicet à suo lumine: & tamen hoc fieri non potest per eclipsim.

Per radiorũ subtractionem. Potest ergo obscuritas illa fieri per radiorum subtractionem: nimirum per hoc quòd Deus concursum generalem suspendat, ne cum illis luminaribus ad lucendum concurrat: sicuti solem in tempore Iosue suspendendo eundem concursum ne moueretur sistere gradum fecit. Atque hoc pacto sole nondum mittente radios, luna & reliqua astra, quippe quæ solo fulgore solis lucent, contenebrescent. Quapropter modus hic non est nisi valde conueniens. Veruntamen quia in miraculis id quod minoris admirationis existit asserendum est, fortasse obscuritas non nisi obtensa nube aliqua fiet, quæ totum orbem obnubilet.

2. Concl. Secunda conclusio. Pari modo vniuersa astra obscurabuntur: vel quia sol ad illa fulgorem nullum mittet, vel quia nubes totum cælum contegent. Atque hoc pacto dicuntur cadere: quia suum cessabit lucendi officium. Iuxta illud Ioelis. 3. vbi de eadem die propheta locutus ait: Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Sic enim sol dum sub terram cadit obscurari videtur: & quando manè astra occultantur, cadere vulgo apparent. Quocirca quamuis verborum varietate euangelista vtatur dicens: Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent: eandem obscuritatem significat, nisi quòd varietas illa maiorè emphasim habet ad incutiendum terrorem.

Dubitatio. Hæsitabit autem quispiam, esto oporteret apparere cælestia signa iudicij, cur hæc potius quam alia poterant namque vel stare, vel retrocedere, vel augere lumen. Respondetur, illa esse congruentissima. Primò, quia crementum luminis non erat ad terrorem & mœrorem aptum: & statio solis & retrogressio tempore Iosue, & Ezechiæ, vt 4. Regum. 20. legitur, accidit. Oportet autem vt in fine mundi signa dentur insolita, & inaudita. *Ratio potissima.* Sed potissima ratio est, quòd cùm ille futurus sit obitus quidam mundi, & potissimus effectus luminarium sit lucere, condecet vt astra luctus & mœroris documenta subtracto lumine præbeant. Illa enim ratione sol quasi necem sui cratoris lugens in momento passionis Christi lumen subduxit orbi.

Astrorum obscuritas. Ex his colligitur obscuritatem illam astrorum, non esse qualemcunque futuram: vt in noctis crepusculo, aut in tempore eclipsis, sed omnimodam, absque vllo prorsus splendore, ac si nullum esset astrũ in cælo.

3. Concl. Tertia conclusio. Non solum in cælo, verùm in elementis, vt in aere, & in mari, & in terra erunt signa. Sic enim legitur Lucæ. 21. Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum. *Exemplum.* Quemadmodum enim dum fabrica quædam & moles magna minatur ruinam, columnæ omnes & tigna stridere concutiuntur. Sic tunc elementa quæ sunt mundi columna contremiscent, quasi sint à suo ordine diuellenda. Quare & mare immodicis, eisdemque insuetis fluctibus intumescet & fremet, vnde & terræ motus insurget, & animalia cuiusque generis conterrita expauescent: & arbores conuellentur, & ædificia corruent. *Homines arescent.* Quapropter homines, vt ait Lucas, arescent: neque id tamen vna tantum causa. Primùm, scilicet, quia deficiente solis lumine, quod in hæc influit terrestria, viuentium virtus deficiet. Secundò, ob nimiam animi angustiam, ac mœrorem præsentium malorum. Et tertio propter timorem futurorum, quæ præsens calamitas comminabitur. Erunt enim sensibus ad torpori, pauoreque & stupore attoniti, quod arescentium nomine designatur.

Quod si arguas, luminaria per suum lumen, quòd in hunc mundum influunt ipsum conseruant: ergo si ante diem iudicij illud lumen subtrahunt, ante cessabit mundus. Respondetur, quod non solo lumine, sed motu & alijs influentijs occultis mundum sustentant. Et ideo licet tunc viuentia marcescent, non tamen prorsus res cunctæ peribunt.

4. Concl. Quarta conclusio. Quod cælorum virtutes commouebuntur, duobus modis intelligi potest. Etenim quod moueantur, euangelica assertio est. Modus autem non est ita certus. *Virtutes.* Primò enim potest sententia illa esse quasi præcedentium repetitio vt virtutes cælorum sint ipsa luminarium natura. Quasi dicat sol & luna, & stellæ obscurabuntur: quia virtutes ipsorum quæ sunt illuminare mutabuntur. Sicut dum sol tempore Iosue gressum tenuit, virtus cæli dici potuit moueri. Cui sensui applaudit litera causalis apud Lucam, Erunt signa in sole & luna, &c. *Luc. 21.* Nam virtutes cælorum mouebuntur: ac si causa tam obscuritatis astrorum, quam fluctus maris, & pressuræ gentium, sit futura mutatio virtutum influxuumque cælestium.

Nihilominus secundo modo possunt virtutum nomine angeli subintelligi. *Angeli.* Cui sensui germanior est textus copulatiuus apud Matthæum. Et virtutes cælorum mouebuntur. Quasi alia sit res noua præter præcedentia signa. Et Marcus significantius ait. Et virtutes quæ sunt in cælo mouebuntur. *Chrysost.* Imò Chrysostomus videtur ad quendam eorum metum verbum referre. Ait quippe. Virtutes cælicæ mouebuntur, quamuis conscię non sint: videntes enim infinitas multitudines condemnari, non intrepidè stabunt illic. Quibus verbis non insinuat, timore propriæ damnationis concutiendos. Nam cùm sint beati, nequit eiuscemodi timor eos tangere. Sed quòd trepidabunt tantam mortalium cladem aspicientes. Neque vero ille erit propriè timor, qui est de malo futuro: neque verò admiratio, quæ ex ignorantiæ causa nascitur: quia res istæ non possunt in angelos illos fœlices cadere, quippe qui diuino conspectu fruantur. Sed ad exaggerandam rei magnitudinem, dixit more nostro illos trepidaturos. At verò Christus non loquebatur de illo iudici momento, sed de antecedenti tempore. Ob idque ad Efichium Augustinum sic *Augustin.* inquit. Non solum mortales fluctuabunt cùm alterabitur mundus, sed & angeli stupebunt in tam terribilibus mutationibus vniuersi: hoc est, stabunt immoti, sicut solent qui stupore corripiuntur. Cui alludit illud Iob. 26. Columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius. *Iob 26.* Vnde colligit Beda. Quid ergo facient tabulæ, hoc est, mortales homines, cùm tremunt columnæ? Et re vera sola lectio & contemplatio tam terribilium rerum, tamque exhorrendi spectaculi, deberet nos modò commouere, ne tunc aspectus pauidos obrueret.

Alius sensus. Fortasse verò non ad commotionem mentis angelorum, sed ad mutationem eorum operationum, hoc significantius refertur. Vnde aliqui dicunt cessationem angelorum ab operibus consuetis, in quibus requiescunt, appellari hic motiones. Cessabunt enim iam inde tum orbes mouere, tum & homines custodire, atque alia erga nos officia exhibere. Attamen cessatio illa non tam aptè dicitur angelorum motio: præsertim quòd illa requies ab articulo temporis iudicij debet incipere. Et tamen Christus loquitur de tempore præcedenti. Dicendum ergo, angelos tunc sic mouendos, quòd insueta opera & officia exercent: tam in collectione puluerum, quam *Sententia Autoris.*

Digitized by Google

in aliis ministeriis illic necessariis. Vnde virtutum nomen vel vniuersos angelos designat, qui dicuntur virtutes, hoc est, spiritus, qui non sunt corpora sed meræ virtutes. Vel fortasse significatur quintus angelorum ordo, scilicet medius secundæ hierarchiæ, qui ob id virtutes dicuntur, quòd sunt miraculis edendis tanquam ministri deputati: proferentur enim illic miracula maxima.

Per hæc ergo argumentorum solutiones liquidò constant.

DISTINCTIO QVADRAGESIMASEPTIMA,

De finali iudicio.

Textus Cap. 1. HIS itaque de Antichristo & de signorum consideratione prę iactis, ad meditationē generalis iudicij descendamus, quod in consummatione seculi nos manet. Hanc enim catholicam veritatem sacra nos oracula docēt, vt illud Iohannis, Sermo quem locutus sum, *Ioan. 12.* ille iudicabit eum in nouissimo die. Et apud Matthæum Væ tibi Corozain. Dico vobis, *Matth. 11.* Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quàm vobis. Et rursus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Vnde 20 de ciuit. Dei Augustinus: Euidentissimè, inquit, testimonia *Aug. 20. de ci. Dei cap. 5.* sacra diem iudicij prædicant esse venturam. Enimuerò vt in rerum conditione primò cōsideratur generalis illa qua mundus fuit conditus, præterea vniuscuiusque hominis alia singularis: ita præter peculiare iudicium, quo vnusquilibet dum vita defungitur iudicatur, congruit aliud in fine seculi celebrari, quod primæ vniuersali creationi respondeat.

In illo verò iudicio Christus dominus *Cap. 2.* quatenus homo, cui qua ratione humanitatem assumpsit pater contulit, vt rex esset regni cælorum, iuxta illud Lucæ 1. Dabit ei dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, sedebit iudex, iuxta illam eius confessionem apud *Ioann. 5.* Ioannem. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Et rursus. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Alij nihilominus beatorum, qui relictis omnibus sequuti sunt ipsum, ei erunt assessores iudices: ait quippe *Matth. 19.* apud Matthæum discipulis suis. Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Hoc est, gentium vniuersitatem. Super quæ verba Aug. libr. 20. de ciuit. Dei, ait, *Aug. 20. de ci. Dei cap. 5.* Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, solos duodecim homines cum illo iudicaturos putare debemus: alioqui Matthias, qui in locum Iudæ apostolatum accepit, & Paulus, qui plus aliis laborauit, vbi ad iudicandum sedeant non habebunt. Vnde duodenario numero significata est vniuersa iudicantium multitudo, eorum scilicet qui Apostolorum fuerint sectatores. Hos insinuauit Isaias, dicens: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. Et Iob. 36. *Isaiæ 3.* Non saluat impios, & pauperibus iudicium tribuit.

Atqui in illo generali iudicio vniuersi *Cap. 5.* mortales comparebunt, iuxta verbum Christi apud Matthæum. Et congregabuntur ante eum omnes gentes. Et ad Romanos Paulus. Omnes stabimus ante Tribunal Christi, *Matth. 25.* vniuersique iudicio vel approbationis, vel condemnationis iudicabuntur, vel illam sententiam audientes. Venite benedicti patris mei, percipite regnum: vel illam. Ite maledicti in ignem æternum. Iudicio tamen discussionis neque omnes electos, neque verò cunctos reprobos opus erit iudicare. Imò, vt Gregorius 26. libro Moralium ait. Cum duæ *Greg. 26. lib. Mora. ca. 24* sint iudicandorum partes, electorum scilicet & reproborum, bini ordines in singulis continentur vt quatuor resultent ordines. Alij enim iudicantur, & pereunt, nempe iniqui Christiani, quibus dicitur. Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. Alij iudicantur, & regnant vt boni Christiani, qui non omnia reliquerunt, quibus tamen dicitur. Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Alij non iudicantur & pereunt: nempe infideles, quibus ait Christus. Qui non credit iam iudicatus est. Alij verò non iudicantur & regnant, vt qui non solum quod lex præcipit implere contenti sunt, sed & quod ad perfectionem consulitur, adhibere studeant. Iudicium autem, vt Iohelis. 3. assertum videtur, in valle Iosaphat futurum existimatur, ait enim Propheta. Congregabo omnes gentes, & deducam eos in valle Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis.

Apparebit ergo dominus ad iudicandum in forma humana, sed tamen dotibus gloriæ fulgentissima. Videbunt enim filium hominis, vt legitur apud Lucam (id est, in forma humana) venientem in nube cum potestate magna, & maiestate Et apud Matthęum. *Luc. 2.* Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, *Matth. 25.* & omnes angeli cum eo, &c. Videbitur autem ab vniuersis, tam bonis, quàm malis. At verò pij non solùm formam serui, verùm & formam Dei conspicient. Iniqui verò, vt 1. de trinitate ait Augustinus, proculdubio eum *Aug. 1. de trini. c. 13.* videre non poterunt, nisi secundam formam, qua filius hominis est: sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est. Cæterum illam Dei formam, in qua æqualis est patri, non videbunt. Non enim sunt mundi corde, & beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Tunc ergo, vt est apud Danielem, in iu- *Cap. 5.* dicium sedebit, & libri aperientur, in quib. *Daniel 7.* vnusquisque propria corporis quæ gessit, vti ait Paulus, legat: vt iustitiam intelligat sententiæ quam est auditurus. De quibus libris in Apocalypsi. Et vidi mortuos magnos & *Apocalypsis 20.* pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ

scripta

scripta erant in libris secundum opera ipso cum : liber autem vnicuique propria erit conscientia, quæ, vti ait ad Romanos Paulus, testimonium reddet ipsis, inter se inuicem cogitantibus, accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit dominus occulta hominum. Credibile namque est iudicium illud aut totum, aut plurima ex parte, mentis potius significationibus, quàm externis vocibus celebrandum.

Rom. 2.

Tandem rex, vt ipse apud Matthæum ait, separabit gentes ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet quidem oues à dextris suis: hœdos autem à sinistris. Ac subinde his qui à dextris existent, dicet. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, &c. His autem qui à sinistris. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: esurijui enim & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum, &c.

Cap. 6. Matth. 25.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆSEPTIMÆ,

Quæstio prima,

DE IVDICANTIBVS & iudicandis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm iudicium finale sit futurum.

POSTQVAM superiori distinct. eorum quæ iudicium antecedent tractatum absoluimus, subsequitur, vt in hac quadragesimaseptima de iudicio ipso dicamus. Cuius duæ erunt quæstiones: prior, de iudicantibus & iudicandis: ac posterior de eiusdem iudicij forma & modo.

Quæritur ergo primò tanquam omnium fundamentum, vtrum generale iudicium sit futurum. Et arguitur à parte negatiua. Legitur enim Naum. 1. Non resurget duplex tribulatio. Et secundum septuaginta interpretes. Non iudicabit dominus bis in idipsum. Vnusquisque autem in suo obitu iudicatur, & secundum merita retributionem suscipit. Dixit quippe dominus latroni, Hodie mecum eris in paradiso. Et de epulone, vt vna habet lectio, Mortuus est diues & sepultus est in infernum: ergo nihil alio generali iudicio opus est. Præsertim cùm iudicium debeat sententiam antecedere: quæ tamen in particularibus iudiciis ad singulos proferitur.

Pars negatiua arg. 1.

Secundò arguitur. Si necessarium esset generale iudicium, id maximè propter corpora quæ tunc resurgent: ad corpora verò non pertinent meritum & demeritum, quia non sunt nisi animarum instrumenta: ergo cum iudicium futurum sit, vt pro meritorum ratione præmia, aut supplicia reddantur, non est vsque ad corporum resurrectionem dilatandum. Quod per illud Ioannis 12. Nunc iudicium est mundi: confirmatur.

2. Arg.

In contrarium autem est illud Ioannis eodem capite. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.

Pars affirmatiua.

Nomen iudicij vno modo vsurpatur pro intellectus assensu vel dissensu, quo enunciationem cognoscimus esse veram, vel falsam: atque hoc modo impræsentiarum non accipitur. Sed altero, vt est actus iustitiæ, quemadmodum secunda secundæ quæstione. 60. ait Diuus Thomas. Est enim recta definitio iusti, quæ perpensis rei causis colligitur. Vnde Philosophus quinto Ethicorum, Homines, inquit, ad iudicem sicuti ad quandam animatam iustitiam confugiunt. Et ideo quæstio præsens est de iudicio quo Deus de meritis nostris iudicat, seu bonis, seu malis, vt vnicuique secundum opera sua retribuat.

Iudicij nomen.

Et quidem Philaster in suo hæreticorum catalogo quosdam refert Barbaronos, atque alios Floranos, qui iudicium vilum fore negabant. At verò Augustinus in libro de hæresibus, vbi illorum meminit hæreticorum, hunc errorem non commemorauit. Quicunque tamen illo fuerint commaculati, indigni sunt quorum mentio fiat: adeò est eiuscemodi hæresis absurda. Præsertim si & particularia singulorum iudicia negabant. Cùm enim diuinis legibus subditi simus, quis tam mentis inops esse potest, qui neget eidem nos Deo rationem nostrorum morum exhibituros? Sed quæstio præsens non est nisi de generali iudicio, quod post cuiusque singulare expectamus.

Hæresis Barbarorum.

Hac ergo catholica conclusione, quam negare hæreticum esset, respondetur. In seculi consummatione venturus est Christus, qui generali iudicio iudicaturus est viuos & mortuos. Hunc etenim inter alios articulum in symbolo confitemur. Et est assertio Christi loco citato apud Ioannem, Ille iudicabit eum in nouissimo die. Et Ioannis tertio, Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vbi duos subnotauit suos aduentus. Primum, scilicet ad saluandum per misericordiam mundum: & secundum, ad iudicandum ipsum rigore iustitiæ. Et ideo subdit. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Quasi illa sit futura materia iudicij, quemadmodum homines fidem susceperint & coluerint. Et Ioannis quinto. Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Et Isaiæ tertio. Dominus ad iudicandum veniet cum senioribus populi sui. Et 1. ad Corinth. quarto Apostolus. Nolite ante tempus iudicare, quo adusque veniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Et secundæ ad Corinthios quinto. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum Vnde Augustinus 20. de ciuitate Dei cap. quinto, Euidentissimè, inquit, testimonia sacra diem iudicij prædicant esse venturum. Vt illud apud Matthæum capit. 11. Væ tibi Corozaim. Dico vobis: Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicij quam vobis. Et rursus ad Capharnaum. Dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam vobis. Et Matthæi. 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic. Et regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic. Et Matthæi. 13. in zizaniorum parabola, ait, quod in consummatione seculi mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno suo omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. Hic, vt ait Augustinus, iudicium, vel diem iudicij non nominauit, sed multo eum clarius ipsis rebus expressit: & in fine seculi futurum esse prædixit. Et Matthæi. 19. discipulis ait: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Est ergo conclusio, sacris eisdemque manifestis oraculis constabilita. Vnde idem Augustinus eodem libro capit. 10. recensitis id genus diuinis oraculis, sic concludit. Nullus igitur vel negat, vel dubitat, per Iesum Christum tale quale istis sacris literis prænunciatur, futurum esse nouissimum iudicium, nisi qui eisdem literis incredula animositate seu cæcitate non credit.

Conclusio.

Testimonia sacra.

Ioann. 5.

1. Cor. 4.

2. Cor. 5.

Augustin.

Alia testimonia sacra.

Digitized by Google

Rationes. Neque vero rationes desunt optimæ, quibus conclusio congruenter demonstratur. Enimuerò homo bifariam æstimari potest: vno modo, vt singularis persona: atque altero, vt pars Christianæ Reipublicæ. Rursus & quatenus est singularis persona, considerari potest aut in se præcise, aut in effectibus suarum actionum, qui quotidie inserpunt: & ad alias ac subinde alias personas profunduntur.

1. Ratio. Ex his ergo quatuor colliguntur rationes. Prima, finis rei suo debet congruere principio: in hac autem mundi machina consideratur tum vniuersalis eius creatio, tum & vniuscuiusque hominis generatio: singulari autem cuiusque generationi respondet peculiare vniuscuiusque iudicium dum moritur: ergo congruens est, vt præter hæc particularia iudicia fiat in seculi consummatione vnum generale, quo de toto humano genere iudicetur: cui & angeli, qui nostri fuerunt custodes, ceu nostri patroni compareant, & dæmones, qui fuerunt nostri hostes, vt criminatores assistant.

2. Ratio. Secunda ratio est Sancti Thomæ tertia parte, quæstione quinquagesimanona, articulo quinto. Quamuis homo secundum suam personam per animæ separationem moriatur, permanet tamen ex rebus futuris, pluribus modis dependens. Vno modo in filiis, secundum illud Ecclesiastici. 30. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. Et similiter persistit in sua familia & in suis subditis, quos debuit integris moribus instituere. Secundo modo, etiam permanet in suis effectibus seu bonis, seu malis. Perseuerant enim & martyrum aliorumque sanctorum exempla, & sapientium doctrina, quibus homines in dies proficiunt & promouent. Rursus hæreticorum dogmata quotidie germinant, vt modo Lutheranorum, quorum pestem vtinam Deus nostris seculis restinguat. Item manent in suis effectibus quæ in rebus istis caducis & lubricis defixerunt, amplificando res suas, suaque perpetuando nomina. Tertiò, & quantum ad corpora, quæ vel honorifice fuerunt sepulta, vel nulla sepultura donata. In summa permanent in hominum memoria. Cùm ergo vniuscuiusque iudicium ex his omnibus pendeat, quæ quamuis Deus antequam fiant nouerit, hominibus tamen ante finem mundi innotescere satis nequeunt, quàm maximè congruens est, vt tunc Deus mortalium vniuersitatem, eodem tribunali iudicet: vt qualis vnusquisque fuerit, non solum per eius actus, sed per omnes subsequentes effectus & per fructus quos in alias personas protulit, aut per damna quæ illis intulit, vniuersis palam fiat.

3. Ratio. Tertia ratio inde sumitur, quod legitimum operum pretium, ex intentione quæ intus in corde latet æstimatur, ex quo, vt ait Christus, exeunt cogitationes, siue bonæ, siue malæ. Quo fit, vt quamplurimum subsit fallaciæ in iudicandis hominibus de externa facie & operibus. Sunt enim plurimi, qui lupinum pectus ouina pelle contegunt: & vice versa multi pectoris sanctimoniam externè dissimulant. Est ergo rei maximè consentaneum, vt in generali hominum angelorumque conuentu, abdita cordium propalentur, vt legitimum personarum iudicium notum fiat vniuersis: atque adeo hypocritæ summo confundantur opprobrio, & Dei filij publicis honorib. honestentur. Vnde Paulus 1. ad Corint. 4. Nolite, inquit, ante tempus iudicare, quousque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. *1. Cor. 4.*

4. Ratio. Quarta demum ratio sumitur ex similitudine sementis & messis. Tempus enim præsentis seculi tempus sementis est, vbi grana cum paleis mixta concrescunt, & zizania cum tritico. Conuenit enim, vt ait super Psalmum 54. Augustinus, probos in hoc seculo cum reprobis commixtim viuere, vt mali consiliis exemplisque bonorum in viam redeant: & boni peruersa iniquorum opera caueant. Est ergo operæpretium, vt dominus messis, quemadmodum ait Baptista Matthæi. 2. ventilabro suo, hoc est, discretionis iudicio, permundet aream suam, triticumque in horreum suum congreget, & paleas igne comburat inextinguibili.

Sol. 1. ar. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod Deus non iudicat bis in idipsum, contra sensum prophetæ, hoc est, pro eodem delicto non congeminat pœnas. Attamen secundum rationes diuersas iudicia duplare, scilicet vt qui occultè tanquam singularis persona iudicatus fuit, publicitus, quasi pars Reipublicæ iterum iudicetur, & præmium aut supplicium quod secundum animam suscepit, suscipiat etiam in corpore, nihil iniustitiæ præ se fert, sed plurimum sapientiæ lumen. Et ideo ad postremam argumenti particulam respondetur, non quemadmodum illi, quorum errorem distinctione quadragesimaquinta refutauimus, quod animæ ante diem iudicij nec donentur præmiis, nec suppliciis plectantur: monstratum enim illic reliquimus, quàm hoc sit falsum. Sed respondetur primo, quod licet sententia in iudicio particulari præcedat generale in parte, nihilominus per iudicium postmodum generale non solum confirmatur, verùm ampliatur. Vt deinceps boni aliis accidentariis præmiis fruantur, tum in corporibus, tum sanctorum auctiori consortio. Et pariter damnati truculentius cruciabuntur.

Sol. 2. ar. Ad secundum respondetur, quod corpus non est vt instrumentum animæ separatum, sed coniunctum, tanquam pars suppositi: & ideo sicut fuit particeps laboris & voluptatis, debet esse & præmij & supplicij. Atq; adeò licet anima, quæ per se subsistit, in ipso statim exitu à corpore suam suscipiat retributionem, corpus tamen, quia manet mutabilitati obnoxium, in fine mundi est illam recepturum.

Verbum Christi Ioan. 12. Verbum autem illud Christi Ioannis duodecimo: Nunc iudicium est mundi: non accipitur in eo, quem nunc tractamus sensum, sed vt tractatu. 52. super Ioannem ait Augustinus, loquebatur de iudicio quod fecit dum per suam passionem, de diabolica tyrannide liberauit genus humanum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christo sint alij assessuri iudices.

Pars negatiua arg. 1. CONFITEMVR iudicium futurum, exploremus ergo de iudicibus, vtrum alij sint assessuri Christo. Et arguitur à parte negatiua, ex illo Ioannis quinto. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Igitur cum honore illo filij nulla sit creatura digna, sit vt nullus sit cum eo futurus iudex.

2. Arg. Secundò arguitur. Quicunque sessurus est de re aliqua iudex, debet potestate in id quod iudicat fungi: illa autem de quibus ineundum est iudicium illud, sunt merita demeritaque humana, quæ soli diuinæ subsunt autoritati & cognitioni: ergo nullus alius erit iudex. Præsertim si (quod quæstione sequenti probabilius censebitur) forma illa iudicij tantum in mente sit perficienda, consequi videtur, quod solus Christus, cui patula sunt hominum corda, debeat totum iudicium absoluere.

Pars affirmatiua. In contrarium est illud, Matthæi decimonono, quod Christus est Apostolis pollicitus. In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel. Cui illud consonat, Isaiæ. 3. Dominus ad iudicandum veniet cum senioribus populi sui.

1. Concl. Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Christus etiam quatenus homo, & inquantum redemptor humani generis, constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Verba sunt Petri Apostoli, Actuum. 10. Neque conclusionem hic præfigimus ceu ex professo locupletius ampliandam, pertinet n. ad tractatum de vita Christi. Quare de iudiciaria eius potestate disserunt D. Th. 3. parte. q. 59. Sed eam tamquam reliquarum caput præponimus. *Notandum.* Vbi notandum, quod si loquamur de Christo quatenus Deus est, & de iudicio diuino vniuersarum rerũ, non dixisset Christus, Pater non iudicat quenquã. Quia per proprietatem idem est iudicium omnium trium personarum, licet per attributionem quodammodo competat filio iudicare. Nam etsi ad iudicium requiratur potestas, quæ attribuitur patri, & rectitudo, attribuitur spiritui sancto: tamen quantum ad formam qua formatur iudicium, requiritur sapientia. Iuxta illud ecclesiastici. 10. Iudex sapiens iudicabit populum suum, sapientia verò attribuitur filio. Christus autem non loquebatur, nec nos loquimur de illo iudicio,

dicio, sed de generali, quod facturus est in forma humana. De hoc ergo asseruit, quod pater non iudicat quenquam, sed hanc potestatem dedit filio, quia filius hominis est.

Chrysost. Quamuis Chrysostomus arbitratus Christo hanc iudicis facultatem, non quatenus homini, sed quatenus Deo per generationem æternam esse communicatam: non sic legit, sed interiecto puncto, Omne iudicium dedit filio. Vt alia oratio sit. Quia filius hominis est nolite mirari hoc. At verò profectò lectio hæc non tam textui consonat quàm alia Augustini, quæ est communis. Alioqui non negasset patrem illo modo iudicare, quo iudicat filius. Est ergo sensus, quod in iudicio generali pater non iudicabit, sed filio hoc dedit, quatenus homo est: tametsi primæua iudicandi autoritas in patre ipso resideat. Et ratio est, quia iudicium illud futurum est in forma visibili, vt etiam damnati, qui diuinitatem conspicere nequeunt, videant nihilominus ipsum iudicem. Vnde cum pater non sit homo, quia neque humanitatem assumpsit, non iudicabit. Ait enim Augustinus in libro de verbis domini. Rectum erat, vt iudicandi viderent iudicem, tam boni, quàm mali Et ideo formam serui iudex ostendit malis: bonis verò, etiam formam Dei.

Contra Chrysost.

Ratio.

Altius tamen ratio huius contemplanda est. Eo enim quod Christus dominus nostram sibi vnitatem vniuit, ratione illius ineffabilis vnionis, competit ei esse regem regni cælorum, iuxta illud Lucæ 1. Dabit ei dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Hunc ergo tunc titulum absque meritis ratione diuini suppositi obtinuit. Sed præterea & quatenus suo nos pretioso sanguine redemit, ius suis meritis acquisiuit, vt esset caput nostrum ac subinde iudex. Nempe vt qui pro Dei iustitia pugnauit & vicit, & iniuste iudicatus est, secundum Dei iustitiam iudex esset. Vnde Iob 36. Causa tua quasi impij iudicata est: iudicium causamque recipies. Et Augustinus in libro de verbis domini. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice, damnabit verò reos, qui falso factus est reus. Et super autoritatem quam tractamus Ioannis quinto. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, ait. Non quidem propter conditionem naturæ: alioqui omnes homines eandem haberent potestatem: sed propter gratiam capitis, quam Christus in humana accepit natura.

Iob. 36.

Augusti.

Ioan. 5.

2. *Concl. Multiplex 1. dicendi modus.* Secunda conclusio. Alij etiam cum Christo iudicabunt. Vbi adnotandum est, iudicare multifariam contingere. Vno modo, quis dicitur iudicare tanquam causa & obiectum, cuius comparatione iudicium alterius accipitur. Qui enim iustorum opera intuetur, iudicat quam sint impij culpandi. Atque hoc pacto Matth. 12. ait Christus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic. Pluris enim illi Ionę comminationem æstimarunt, quam Iudæi disciplinam Christi. Et similiter Reginam Austri plus mouit Salomonis fama quàm illos præsentia Christi. Sed isto modo non solùm sancti, verum & nequam homines iudicabunt. Iuxta illud Matth. 11. Væ tibi Corozain, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quę factę sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et ideo per comparationem erunt illi reprobi causa condemnandi Iudæos obstinatiores illis.

Matt. 11.

Modus. 2. Secundo modo dicitur quis iudicare, quia iudicanti consentit, quasi ei sententia placeat. Atque hoc pacto iusti omnes ac soli quodammodo iudicabunt, Christi sententiam approbantes. Iuxta illud Sapient. 3. Iudicabunt sancti nationes. Sed illud nondum est propriè iudicare, quasi per actionem & facultatem quæ illis competat. Quare conclusio nostra aliam asserit iudicandi modum, quo Christus non iustis vniuersis, sed peculiariter Apostolis, qui relinquentes omnia secuti sunt eum, pollicitus est. De quibus legitur Isaiæ cap. 3. Dominus ad iudicandum veniet cum senioribus populi sui. Et Proueib. 31. ait Salomon de ecclesię sponso, Nobilis in portis vir eius quando sederit cum senatoribus terræ. Et Iob 26. Non saluat impios, & pauperib. iudicium tribuit. Et Apoca 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum patre meo in Throno eius.

Testimonia sacra.

Quamuis hoc ad vniuersos iustos referri videatur, qui sedebunt in Throno cum Christo, non in throno iudicandi, sed regnandi.

Hanc verò apostolicam iudicandi actionem, Magister Sententiarum non putat ante posse sciri, quàm videatur, nisi per reuelationem. Nihilominus sunt, qui non aliter interpretentur, quàm quod iudicabunt per honorabilem confessionem prope Christum: veluti assessores iudicare dicuntur, quia superiores ceteris apparebunt in iudicio, occurrentes Christo obuiam in aëra. At profecto hoc non sufficit, vt propriè dicantur iudicare. Nam magnates assidentes Regi dum iudicat, si nihil aliud vel in causæ cognitione, vel in sententiæ prolatione operentur, neutiquam appellantur iudices. *3. Modus.*

Et ideo Ricardus de sancto Victore plusculum eis tribuit dicens, quòd viri eximiæ sanctitatis, qui diuinæ contemplationi assistunt, ea quæ in libro Sapientiæ quotidie legunt, veluti in cordium voluminibus transcribunt. Vnde subdit: Quid verò sunt iudicantium corda diuinitus in omnem veritatem edocta, nisi quædam canonum decreta? Itaque iudicare non sit nisi in corde tanquam in libris habere scriptam Dei sapientiam. *Ricardus. 4 Modus.*

Hæc autem speculatio egregia est: non tamen satis vim munusque iudicandi exprimit. Et ideo, vt impræsentiarum ait D. Thom. dicendum tandem, quod cum iudicare propriè sit sententiam in alium ferre, hoc bifariam contingit. Vno modo per propriam autoritatem, & hæc est propria Christi functio, qui ex meritis iudicandorum mente sententiam colliget. Sed altero modo contingit sententiam proferre, autoritate illius qui id munus ministro committit. Et hoc modo iudicabunt Apostoli & apostolici viri, sententiam. s. Christi autoritate latam in notitiam iudicandorum proferendo. Quod est quasi illam pronunciare, hoc est, eos docere quid cuique iustitia Dei pro suis meritis retribuat. Atque hoc inferius videtur idem Ricardus his verbis explicare. Iudices coram iudicandis decretorum suorum libros aperite, est ad cordium suorum inspectionem interiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in his quæ ad iudicium pertinent reuelare. Debet enim illa esse locutio aut vocalis, aut mentalis, vt quęst. sequenti videbimus. *Verus sensus iud. cõdi.*

Tertia conclusio. Honorificum hoc iudicandi munus non quibuslibet sanctis ob quæcunque merita, sed solis apostolis eorumque sequacib. propter perfectum paupertatis statum concedendum est. Duplex namque est consideranda paupertas. Vna quidem communis, quæ sepè solet esse coacta: & illa non nominatur status paupertatis, quamuis si æquo animo per Dei gratiam toleretur, suo non careat egregio merito. Sed alia est paupertas, de qua impręsentiarum loquimur, videlicet dum quis cuncta quæ habet, vt Christum sequatur, relinquit, & trino voto religionem profitetur: firmitas enim voti status dicitur. Probatur ergo conclusio ex verbis Christi, eodem Euangelico loco, vbi præmissa historia illius adolescentis, cui scisciranti quid ageret, vt vitam æternam possideret, affirmantique subinde seruasse mandata, respondit dominus, vt si vellet perfectus esse, cuncta quæ haberet relinqueret, & sequeretur ipsum: mirantibusque discipulis quisnam posset saluus esse, percontatus est Petrus. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Cui dominus. Amen dico vobis. Quia supremum erat, quod pollicebatur præmium, credituque subinde difficile, vt affirmatius illud assereret, ait: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim. Id est, non stabitis inter illos qui iudicandi sunt: sed assidebitis iuxta sedem maiestatis meę. Non promiscuè in vno communi sedili, sed singuli in sedibus singulis, quod ad maiorem honoris cumulum accedit. Nec tamen sedebitis honoris gratia, vt prope me sitis: sed quod mea ego autoritate facturus sum, id vos tanquam mei ministri facietis: iudicabitis, inquam, duodecim tribus Israel, id est, totam iudicandorum vniuersitatem. Quanquam, quia ex illo populo erant assumpti, cui Christus peculiariter fuerat promissus, illum solum populum nominauit. Et quo rem explicatius doceret subiunxit. Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut a- *3. Concl. Duplex paupertas. Probatio conclusio. Matth. 19.*

Digitized by Google

bros, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Quasi dicat, propter singularia merita peculiaria recipiet vnusquisque præmia. Sed propter omnimodam omnium bonorum abiectionem, vt liber se homo totum obsequio meo tradat iudex erit.

Paupertatis dignitas.

Et re vera huic altissimo paupertatis statui accommodatissima est iudicandi facultas. Primò propter congruitatem. Nam qui de rebus quibuslibet iudicaturus sedet, ab eorum prorsus affectu debet esse purus: qua vtique ratione Philosophus 2. & 3. de anima, ait quod visus debet esse omni colore nudus, alias nequiret colores omnes percipere: veluti lingua amaro humore infecta, gustare sapores nequit. Eadem ratione intellectus probatur esse incorporeus, quia omnia cognoscit corpora. Iudices ergo, qui Reipublicę oculi sunt & lumina, rerum omnium affectione debent esse nudi & purissimi. Hac ergo congruentissima ratione statum paupertatis, quo omnia prorsus abijciuntur iudicandi de omnibus potestas accommodatur. Vnde quia spiritualis homo per corporalium spoliationem fit, ait 1. ad Corint. 2. Apostolus, quod spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Quocirca, vt infideles, quia sunt manifestarij Reipublicæ hostes non iudicabuntur iudicio discussionis, sed condemnationis, quia qui non credidit iam iudicatus est: ita per alterum extremum, quia iudicium de operibus misericordiæ explicandum est, Esurijui & dedistis mihi manducare, &c. illi qui per erogationem omnium bonorum statum paupertatis elegerunt, quia manifestum est vno religionis actu, & voto cuncta misericordiæ opera exoluisse, non iudicabuntur, sed alios iudicabunt, qui partem dederunt, & partem retinuerunt: atque eos præcipuè qui nihil dederunt.

1. Cor. 2.

Secundò, id etiam conuenit ratione meriti. Abiectio enim & contemptus mundi excellæ humilitatis officium & indicium est: præmium autem humilitatis est exaltatio, iuxta illud: Qui se humiliat exaltabitur. Cùm ergo qui statum paupertatis profitentur, ab omnibus suppeditentur, despectique cunctis habeantur, æquissima sapientia diuina est, vt super omnes exaltentur. Nulla verò est exaltatio maior quam alios iudicare.

2. Ratio.

Tertiò, & potestas hæc pauperrati, tanquam proprio ipsius præparamento congruit. Ob id enim, vt paulò ante dicebamus, conuenit sanctorum quibusdam iudicare, quod per contemplationem cor habent diuinam veritatem edoctum, quam alijs valeant enunciare. Prima autem omnium dispositio ad statum perfectionis, ac perinde contemplationis est paupertas, quæ ideo in capite beatitudinum à Christo est collocata: ob idque pauperibus iudicare congruit. Vnde in verbis illis Christi, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, hoc mihi intuicere videor. Promittitur, inquam, pauperibus regnum cælorum, non ea tantum generali ratione qua iustis omnibus propositum est: sed singulari qua regum est ciuium causas iudicare ac definire. Et ideo post consiliorum narrationem concluſit Christus dicens: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, magnus vocabitur. Consilia namque etsi quantum ad necessitatem sint minima, tamen mandatis adiecta sunt maxima. Et ideo qui mandata absque illis seruauerit, erit quidem in regno cælorum, sed tamen ratione status erit ex minoribus, nisi aliunde crementum fecerit charitatis. Qui verò consilia mandatis adiecerint, erunt magni, nempe proceres & magnates apud Deum, atque adeo assessores iudices.

3. Ratio.

Beati pauperes spiritu, &c.

Consilia.

In hoc ergo iudicantium ordine omnes professione pauperes vtriusque sexus includuntur, in quo sacratissima virgo principatum obtinebit. Omnes, inquam, etiam si in sanctorum canonem non fuerint per ecclesiam adscripti, dummodo instituta suæ religionis legitimè seruauerint, vel si pro humana fragilitate lapsi fuerint, per diuinam clementiam fructus egerint pœnitentiæ, & tandem in sua professione vitam absoluant.

Nota.

Ex his colligitur angelos non esse futuros assessores iudices Christi. Scit enim pater quia inuisibilis est, non iudicabit, sed filius in humana natura, vt ab omnibus tam malis, quam bonis conspiciatur: ita neque inuisibiles angeli. Debent enim iudices omnes in eadem apparere natura, atque adeò homines esse, quamuis iudicabunt, vt cæteri iusti, sententiam approbando.

Præterea quia angeli non sunt à terrenorum affectu liberi & puri suapte sponte per meritum, sed suapte natura absque vllo merito. Quapropter nullum inconueniens est, licet illo priuentur honoris titulo, quo donantur apostolici homines, sicut & aureolis quibus virgines donantur, propter spontaneam virginitatem, & martyres propter victoriam martyrij. Item quia illic mero ministrorum officio fungentur, quos, vt habetur Matthæi. 13. mittet filius hominis ad colligenda scandala. Item apparebunt tanquam testes, vt ait glossa super illud Matthęi. 25. Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo. Ministrorum autem & testium nō est iudicare.

Ad primum igitur argumentum respondetur, illum honorem iudicandi propria autoritate neminem esse consecuturum præter Christum, cui conuenit propter eminentiam capitis. Et per hoc itidem respondetur ad secundum. 1. quod soli Christò subsunt nostra merita & demerita tanquam retributori. Sed aliis iudicib. per eius reuelationem innotescent. Et quamuis iudicium sit mente citra vocem transigendum, nihil obstat quominus quibusdam specialiter sanctis illa fiat sententię reuelatio, quę non fiat omnibus.

Sol. 1. ar.

At verò contra tertiam conclusionem supersunt nonnulla dubiola dissoluenda. Arguitur ergo quod nō omnes professione pauperes iudicaturi die illa sint: quoniam Christus duodecim præcise apostolis duodecim spopondit iudiciales sedes.

Contra tertiam conclusionem.

Sed & quod non eis duntaxat eadem potestas congruat, arguitur secundò. Qui dignitate & merito inferior est, non debet superiorem iudicare: sunt autem complures, qui quamuis paupertatem professi non fuerint, cumulatiora tamen habent apud Deum per eius gratiam merita: præsertim candidati martyres, qui licet bona externa non abiecerint, propriam tamen vitam quę diuitijs cunctis pretiosior est, Deo sacrificarunt, in quo & Christum ipsum imitati sunt, qui ob id quod iniustè iudicatus est, iudex esse meruit.

Et tandem arguitur. Qui verbis & doctrina exhortatur cæteros ius habet contemptores verbi iudicandi, iuxta illud Ioannis 5. est qui accusat vos Moyses in quo vos speratis, nempe quia eius documentis (vt ait glossa) non creditis: & iuxta illud iam citatum Ioannis. 12. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: ergo citra paupertatis professionem erunt sancti iudices.

Ad primum respondet Augusti. 20. de ciuita. Dei cap. 5. his verbis: Ne quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, solos duodecim homines cum illo iudicaturos putare debemus. Alioqui quoniam in locum Iudæ traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, & Paulum, qui plus alijs laborauit postmodum apostolatu donatum, vbi ad iudicandum sedeant non habebunt. Vnde duodenario numero significata est vniuersa iudicantium multitudo, propterea quod duodecim apostolis loquebatur, in quorum persona hoc omnib. eorum sectatoribus promittebat.

Solutiones.

Ad secundum respondetur, quod qui meritis superiores fuerint, perfectius præmium essentiale, quod in Dei visione consistit, obtinebunt: nihil tamen obstat quominus vltronei pauperes illo accidentario fungantur honore iudicandi etiam superiores, autoritate sibi à supremo iudice indulta.

Ad id autem quod de martyribus obiectum est, non desunt qui arbitrentur, vt Abulensis super Matt. cap. 25. q. 324. quod vniuersi sancti, qui in catalogum & sanctorum canonem ecclesiæ autoritate relati sunt, sint cum apostolis iudicaturi, eo quod ecclesiæ testimonio iam iudicati sunt. Veruntamen hoc quamuis probabilitate non careat, tamen euangelio non satis consonat, quo Christus non nisi illis qui reliquerunt omnia, hanc dignitatem pollicitus est. Nisi dicas etiam martyres simul cum vita reliquisse omnia. Nihilominus opinio communis, quam sustinet hic S. Tho. est, quod non iudicabunt nisi pauperes. Et ideo respondetur, quod martyrio non vsquè adeo rationes supra factæ coaptantur, vt sint iudices. Quamuis ob feruorem charitatis præmium essentiale cumulatius assequantur & aureolas quibus alij non donantur. Qui autem secundum aliam opinionem dixerint fore iudices, cum probabilitate etiam loquentur. De Chri-

De martyribus.

sto verò

ſto verò diuerſa eſt ratio. Primò, quia tanquam capiti conuenit ei iudicare. Secundò, quia heroicè ſtatum paupertatis ſeruauit. Et tertiò, quia non ſolum iniuſtè iudicatus eſt, ſed per eminentiſſimam humilitatem humiliauit ſemetipſum vſque ad crucem: & in actu humilitatis profeſſores paupertatis ſimilius eum imitantur. Virgines verò per ſolēne votum ſtatum etiam paupertatis, vt dictum eſt, profitentur.

Sed rogas nunquid ex ſanctis patribus antiquę legis aliqui iudicabunt: argues namque inde à parte negatiua, quod tunc non vigebat votum ſolenne paupertatis. Nihilominus affirmatiua probabilior eſt, multi enim tunc ſic vitam inſtituebant, vt omnia prorſus abijcientes ſolitariam vitam monachali ſimilem ducerent, vt Eſſenorum collegium, qui, vt refert Ioſephus, eremum colebant, in quo fuit Ioannes Baptiſta, & prophetæ, atque alij, de quibus ait ad Hebręos Paulus, quod erant in ſolitudinibus errantes in montibus, & in cauernis terræ, melotis induti & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

Sol. 3. ar. Ad tertium reſpondetur, quod qui aliis aut leges ponunt, aut exhortatione aut conſilio auxilio ſunt, iudicabunt illos per modum cauſæ, ſcilicet oſtendendo in iudicio quemadmodum eos iuuerint, neque quicquam profecerint.

ARTICVLVS III.

Vtrùm mortales vniuerſi debeant in iudicio comparere, vt iudicentur.

TErtiò, quæritur de iudicandis, vtrum tota mortalis vniuerſitas debeat ante tribunal Chriſti ſiſti. Et arguitur à parte negatiua. Tota vniuerſitas diuiditur in duo, ſcilicet in infideles, qui non crediderunt, & in eos qui crediderunt: ſed vt Ioannis. 3. ait Dominus, qui credit in eum non iudicatur: qua autem non credit iam iudicatus eſt: ergo nulli iudicabuntur. Atque adeo neque opus habent illic comparere. Quòd ſi prius membrum de fide viua intelligatur, ſaltem conſequitur nullos iuſtorum eſſe iudicandos. Idque præterea inde confirmatur, quod cum ſint certi de ſua beatitudine, & quod certum eſt in iudicium non reuocetur, non videntur iudicandi.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Argu. Secundò arguitur. Legitur in Pſalmo primo: Non reſurgent impij in iudicio: ſed omnes iniqui Deum aut fide aut moribus non ſunt confeſſi, impij cenſentur: ergo nulli mali iudicabuntur, atque adeò neque comparebunt. Et præſertim arguitur de pueris ante vſum rationis defunctis, qui cum nulla propria merita aut demerita habuerint, nihil habere videntur de quo iudicari poſſint.

3. Argum. Tertiò arguitur. Si homines tam beati quàm damnati reſurgent in iudicio, vt iudicentur, eadem ratione conſequitur angelos tam bonos quàm malos fore iudicandos: angeli verò non iudicabuntur, quia boni non habent quid plus recipiant, & de malorum principe ait Dominus, Ioann. 16. Princeps huius mūdi iam iudicatus eſt: ergo neque homines iudicabuntur.

Pars affirmatiua. In contrarium autem eſt illud 2. ad Cor. 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis quæ geſſit, ſeu bona, ſeu mala.

1. Concl. Ad quæſtionem quatuor concluſionibus reſpondetur. Prima. Vniuerſi mortales nemine excepto comparere habent in iudicio: hoc enim affirmauit Chriſtus Matt. 25. Et congregabuntur ante eum omnes gentes. Idque ipſum reſonat verbum Pauli ad Romanos. 14. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim (ſcilicet Iſaiæ. 45.) Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Et ratio concluſionis eſt, quod Chriſtus fuit vniuerſalis omnium redemptor: eo quod quantum ad ſufficientiam vniuerſo humano generi pretio ſui ſanguinis mercatus eſt gratiam & gloriam apud patrem, licet redemptio illa non fuerit in omnibus efficaciam ſortita, propter obicem humanæ voluntatis. Et ideo, quia ſe vſque ad ignominiam crucis humiliauit, datum eſt illi nomen, vt ait Paulus ad Philippenſes. 2. quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Atque hæc fuit viſio Ioan. Apoc. 19. vbi ait quod agnus habebat in veſtimento & in femore ſcriptum: Rex regum, & dominus dominātium. Ob idque totum humanum genus comparebit, vt exaltatione illam redēptoris ſecundum humanitatem aſpiciant, alij in gaudiū, atque alij in confuſionem. Imò & Angeli, quorum etiam dominium acquiſiuit, tanquam miniſtri, vt illico dicemus.

Duplex iudicium. Veruntamen quatenus ad iudicium res attinet, diſtinguendum eſt duplex. Eſt enim aliud diſcuſſionis, quo ſcilicet merita & demerita, vt vnicuique iuſta fiat retributio, æſtimantur. Alterum verò eſt iudicium ſen approbationis, ſeu condemnationis, nempe ſententia, qua vel præmium confertur ad gaudium, vel infligitur ſupplicium ad confuſionem.

2. Concl. Subijcitur ergo ſecunda concluſio. Vniuerſi homines abſque vlla exceptione iudicabuntur: approbationis iudicio, aut reprobationis, per ſententiam quæ Chriſto tanquam proprio iudici competit. Venite benedicti patris mei, percipite regnum; aut, Ite maledicti in ignem æternum. Atque hanc ob rem iudicium illud dicetur, eritque vniuerſale & generale. Quoniam quotquot ab orbe condito homines ſaluti facti ſunt, non niſi per eius fidem & gratiam ſeruati ſunt, iuxta illud Actuum 4. Non eſt aliud nomen datum ſub cælo in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vnde Paulus ad Romanos 3. Quem præpoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſcitatione Dei, &c. Itaque tam præcedentes ipſum quàm ſubſequentes, per eius viuam fidem ſeruati ſunt. Quocirca & qui illam neglexerunt, in eundem ipſum fuerunt iniurij: atque adeò iudex, vt ait Petrus, factus eſt viuorum & mortuorum: Quare & qui ante vſum rationis in baptiſmo gratiam ſuſcipiunt, per eum admittuntur ad regnum: & qui ſine illa moriuntur, qui in Adam peccauerunt, per eum excluduntur.

Roma. 3.

3. Concl. Tertia concluſio. Iudicio diſcuſſionis neque vniuerſi iuſti, neque omnes iniqui iudicabuntur. Diſcuſſio enim locum non habet, niſi vbi quædam eſt meritorum cum demeritis commixtio. Vnde illi, qui quemadmodum. 1. ad Corinthios. 3. ait Paulus, ſuper fundamentum fidei ædificant aurum, & argentum, & lapides pretioſos, nempe qui mundo & omnibus eius pompis & rebus abrenunciantes, crucem ſuam tulerunt, & ſe prorſus addixerunt Chriſto: quia notabilem non habent admixtam malitiæ partem, ratione ſtatus quales ſint oſtendunt, non indigent diſcuſſione iudicari, ſed approbatione: vt quemadmodum articulo præcedenti diximus, alios iudicent. Illi verò, qui ſuper idem fidei fundamentum, lignum, fœnum, & ſtipulam extruunt, videlicet qui terrenis negotiis non prorſus extricantur, ſed nihilominus ſic res ſeculares tractant, vt earum cupiditas vel à Dei gratia non deiiciat, vel ſinat in ea tandem ab hac luce decedere, illi quidem diſcuſſione meritorum præmiſſa, ſuo præmio donabuntur. Itaque in iſtis vtrumque iudicium, ſcilicet diſcuſſionis & approbationis exercebitur: quia licet commixtionem habuerint bonorum ac malorum operum, eleemoſynis tamen peccata ſua expiarunt, iuxta illud: Eſuriui & dediſtis mihi manducare, & cætera. Vel per ignem expurgati ſunt. Haud tamen huiuſmodi diſcuſſionem ſic intelligas, vt tunc ſint culpas cum meritis ſimul habituri permixtas: nam iam tunc omnino erunt perpurgati: ſed diſcutietur quemadmodum pœnitentiam egerint, & de Deo fuerint benemeriti.

1. Cor. 3.

De reprobis. Simili ergo modo & de reprobis dicendum: iudicio ſiquidem condemnationis vniuerſi tam infideles, quam fideles iudibabuntur. Diſcuſſionis verò non item omnes, ſed tantum fideles. Etenim cùm nullum opus niſi ſupra fidem extructum, rationem habeat boni meriti apud Deum, illi quibus fides Chriſti vel explicita, vel ſaltem implicita non illuxit, nullum præſtiterunt bonum opus, ſed omnia ſua opera vel mala fuerunt, vel nullius pretij apud Deum. Quare abſque vlla diſcuſſione inter bonum & malum, tanquam manifeſtarij Reipublicæ hoſtes, expellentur in tenebras exteriores. Fideles autem abſque charitate defuncti, quia fundamentum fidei ſuo vitæ inſtituto iecerunt, qui ſaltem actus laudabilis quodammodo eſt, & ad meritum ratione ſua ordinatus, tametſi abſque charitate non ſit meritorius, iudicabuntur iudicio diſcuſſionis, non quod eorum opera ſi qua fecerunt bona, referantur vt præmientur, quia per finale

peccatum

peccatum mortua fuerunt: sed reddetur eis condemnationis ratio. Quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Ille enim mos obtinuit in republica, vt exteri hostes inaudita causa damnentur, cuius autem non nisi audita & discussa. Egregia ergo est Gregorij diuisio. 26. libro mora. capit. vigesimoquarto, vbi ait, duas fore tunc partes, scilicet electorum & reproborum, sed & binos ordines eisdem singulis contineri, ita vt quatuor resultent membra. Alij namque iudicantur & pereunt, vt mali Christiani. Alij non iudicantur (nimirum discussione) & pereunt, vt infideles. Alij iudicantur & regnant, vt boni Christiani, qui apostolicam vitam non duxerunt. Sed alij non iudicantur & regnant, vt viri apostolici.

Gregoriana diuisio.

4. Concl. Quarta conclusio. Angeli neque boni, neque mali sententia Christi iudicabuntur, quantum ad præmium vel supplicium essentiale: scilicet neque iudicio discussionis, neque approbationis, aut reprobationis. Ad cuius intellectum adnotandum, quod Christus non fuit angelorum redemptor: & ideo Lucifer cum sua caterua nulla expectata redemptione, quia non erant pœnitentiæ, ac perinde nec redemptionis capaces, in infernum detrusus fuit. Et hoc est quod ait ad Hebre. 2. Apostolus: Nunquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Confessio est eiusdem Christi, Lucæ. 19. Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat: nempe humanum genus, quod alibi appellat ouem, quam relictis nonaginta nouem in cœlo, quæsitum venit ad terras. Quare in symbolo confitemur: Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis.

Quam ob rem, vt Diuus Thomas docet, si homo non peccasset, Christus carnem non assumpsisset. Ait quippe Apostolus. 1. ad Timoth. 1. Venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Vbi August. Nulla causa veniendi fuit Christo domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa. Quocirca illud ad Coloss. 1. Pacificans per sanguinem crucis eius siue quę in terris, siue quę in cęlis sunt: non intelligitur quasi angelos redemerit, sed quod pacem inter homines & angelos composuerit.

August.

Hinc ergo fit, ad Christum, inquantum homo est & redemptor, non spectare angelorum merita discutere, aut præmium essentiale, aut supplicium eis rependere, sed inquantum Deus. Ab initio enim antequam homo conderetur, & boni angeli donati sunt gloria, & mali supplicijs addicti. Ea propter dæmonibus non dicitur: Ite in ignem æternum, sed hominibus, ite in ignem æternum, qui ab initio mundi paratus est diabolo & angelis eius. Et pariter electis hominibus, Venite benedicti, percipite regnum, quod scilicet angeli ab initio possident. Vnde fit angelos illic potissimum in ministerium comparituros. Hoc enim ministerium debetur Christo etiam inquantum homini & redemptori. Acquisiuit namque virtute vnionis humanitatis ad verbum, eatenus angelorum dominium, vt illos quemadmodum ad Hebræ ait Paulus, mittat in ministerium hominum propter eos qui hæreditatem capient salutis. Et propterea ait ipse datam ei potestatem in cœlo & in terra. Comparebunt ergo tunc angeli: vt scilicet boni administrent ei, vt dictum est, in præparatione iudicij & in patrocinium iustorum: mali verò vt accusatores & executores aduersus iniquos.

Christus acquisiuit angelorum dominium.

Quomodo angeli iudicabuntur.

Nihilominus & quantum ad accidentarium præmium, aut supplicium, iudicabuntur autoritate Christi, non quidem pro meritis proprijs, aut demeritis, sed quod alienorum causa fuerint. Boni scilicet, custodiendo protegendoque nos, & mali nobis infestando. Quare & boni amplius tunc gaudebunt de salute eorum, quibus causa promerendi fuerint. Ac perinde mali multiplicata iniquorum ruina atrius torquebuntur.

Iudicium ad homines pertinebit.

Colligitur ergo ex his omnibus iudicium illud generale tam ex parte iudicantium quàm iudicandorum ad homines duntaxat directè pertinere: consequutiuè tamen ad angelos tanquam ad ministros.

Sol. 1. ar. Pacilè ergo ex his argumentorum solutio colligitur. Quod enim ait Christus, qui credit in eum non iudicatur: intelligitur de fide viua, & de iudicio condemnationis. Nam cum præmiatio effectus sit misericordiæ, & punitio effectus iustitiæ, sæpè nomen iudicij pro condemnatione vsurpatur. Est ergo sensus, quod qui fide viua credit, non condemnatur. Nihilominus multi eorum, licet non omnes, iudicabuntur iudicio discussionis. Illa tamen discussio non minuet certitudinem ipsorum, quippe qui iam beatitudine tuto fruantur, quam citra summam certitudinem habere non possent. Quapropter neque vllo metu concutientur, sed intrepidè stabunt.

Quòd si obiicias verbum Gregorij super illud Iob. 40. Cùm sublatus fuerit tremebunt angeli: dicentis, Consideremus quomodo tunc iniquorum conscientia concutitur, quando etiam iustorum vita turbatur. Respondetur Gregorium loqui de iustis in hac vita, qui consideratione illius diei vehementissimè turbantur. Vnde colligit quanta erit tunc damnatorum concussio. *Gregor.*

Ad secundum respondetur. Quòd si resurgere intelligatur ad iudicandum, vel ad suscipiendum præmium, nulli impij resurgent, quamuis impiorum nomen ad omnes iniustos extendatur. Si autem vt iudicentur, & nomine impiorum intelligantur infideles, non resurgent, vt iudicentur iudicio discussionis. *Sol. 2. ar.*

Redarguet quis forsan. Ergo remissiùs agetur cum infidelibus quàm cum fidelibus: nam infideles secundum hanc rationem & concessionem Gregorij loco citato, lib. 26. super Iob, Infideles non audient iudicis vocem, neque eius increpationem, sed iniqui fideles: vox autem iudicis, atque increpatio perquàm terribilis erit: ergo terribilius erit iudicium aduersus fideles quàm aduersus infideles. Negatur consequentia. Nam etsi fideles increpatione terreantur, nonnihil tamen increpatio illa remissioris rigoris habet quàm neglectus infidelium. Tum quòd Christus non dedignabitur eos alloqui & eorum demerita discutere, in quibus saltem fidem sibi quodammodo placentem inueniet. Cum infideles eo vsque despectui sit habiturus, vt rationem ab illis non exigat, præterquam quod & sententiam damnationis in eos crudelius est probaturus. Similiter respondetur de pueris ante vsum rationis defunctis, quòd non iudicabuntur discussionis iudicio, sed vel approbationis, vel condemnationis. *Redargutio.*

Ad tertium denique iam responsum est, vbi rationem perhibuimus cur angeli non iudicentur. At vero illud quis fortè obijciat. 1. ad Corinth. 6. & illud Marc. 1. vbi dæmon à Christo depulsus exclamasse legitur: Venisti ante tempus perdere nos: vbi glossa ait, quod dæmones in terra dominum cernentes, se continuo iudicandos credebãt. Et 2. Pet. 2. Deus angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferno detractos in Tartarum tradit cruciandos in iudicium reseruari. *Sol. 3. ar.* *Dubitatio.*

Respondetur ad primum, Paulum illic loqui de iudicio per respectum & comparationem: quoniam quidam homines, vt Apostoli & alij, quibusdam angelis superiores erunt in gloria. Ad secundum verò respondetur, quod quantum ad essentiale supplicium, dæmones non mittentur, vt dictum est, tunc in infernum, quoniam de cælo illuc fuerunt præcipitati: sed quantum ad accidentale tormentum mittentur cum vniuersa damnatorum turba cum maiori ignominia: & sic mittentur, vt non amplius illis liceat ad seducendos debellandosque homines, aut ad negotium aliud inde exire. Et eodem pacto intelligitur verbum, quod est apud Petrum. *Solutio.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrum iudicium in valle Iosaphat sit futurum.

IVdicandorum considerationi annexum est quærere quo loco ille celebrandus sit celeberrimus conuentus. Nam de tempore & hora, quæ est altera rei circunstantia, distin. 43. dictum est. Vtrum in valle Iosaphat. Et arguitur à parte negatiua. Iudicandorum vniuersitas longè auctior erit & copiosior quàm vallis vna possit tantam multitudinem capere: præcipuè damnatorum, quorum corpora non habebunt subtilitatis dotem qua se valeant penetrare, neque dotem agilitatis, vt eleuentur in aera, sed omnes stabunt in terra: non ergo illic erit iudicium. *Pars negatiua 1. arg.*

Secundò. Videtur ibi Christus iustè iudicaturus vbi iniustè iudicatus est: sed in prætorio Pilati fuit morti adiudicatus, & in Caluariæ loco eidem passio- *2. Arg.*

ni ac-

Digitized by Google

ni addictus : ergo illic iudicabit.

Pars affirmatiua. In contrarium est illud Iohel. 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eos in valle Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis.

Cum de loco non sit in Euangelio expressum testimonium, solis est coniecturis agendum. Vnde Magister senten. dist. sequenti referens quandam glossam in locum citatum Iohelis, quæ ait, puerliter eundem locum à quibusdam sic intelligi, quòd in valle Iosaphat sit celebrandum iudicium : cùm tamen dominus non in terra, sed in aeris spatio ad iudicandum sedebit, opinatus est cum illa glossa locum Prophetæ non esse intelligendum in sensu literali de illa valle, sed secundum nominis etymologiam. Iosaphat quippe interpretatur domus iudicij. Et ideo tantum sonat : Deducam eos in valle Iosaphat, acsi dixisset, in domum iudicij, quicunque ille fuerit locus.

Conclusio principalis. Hac tamen non obstante opinione, tanquam longè probabilior statuitur conclusio, quòd iudicium celebrandum sit in valle illa Iosaphat, quæ iacet ad pedem montis Oliueti versus vrbem. Et primò, quòd illa opinio qua Magister refert sit magis friuola quàm hęc nostra quę a cunctis suscipitur, patet ex ratione sua. Ex eo enim quòd Christus sessurus sit in aere, colligit non fore in valle illa : hæc autem collectio infirmissima est. Nam etsi Christus sit appariturus in aere, damnati verò stabunt in terra : quippe quorum corpora grauia erunt, vt modò. Secundò, quamuis concederetur omnes eleuandos in aera, nihilominus super aliquo terrę loco eleuabuntur, quare dicentur esse in valle, sicut aues dicuntur per vallem volare.

Probatio conclusionis. Probatur ergò conclusio ex loco citato Prophetæ : nam quando locus quicunque scripturæ in sensu literali sustineri valet, non est ad metaphoram, vel etymologiam distrahendus. Propheta verò loquebatur illic quasi futuram historiam prænuncians : quare videtur non vsurpasse nomen generaliter secundum commune significatum, quo significat domum iudicij, sed singulariter pro illo loco. Alioqui non fuisset opus latinè transscribere, In valle Iosaphat, sed in domo iudicij. Et certè verborum ipse contextus : Congregabo eos, & deducam in vallem : admonet singularem locum designari.

Ratio. 1. Mox & ratio hæc id videtur suadere. Christus de Monte Oliueti ascendit in forma gloriosa, & maiestate, quo ascendente angeli admirantibus Galilæis dixerunt : Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cęlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cęlum. Si ergo in illa forma venturus est, coniectura fit magna, quòd in eundem sit quoque locum descensurus.

Ratio. 2. Et re vera, quòd in illa Hierosolymitana prouincia sit venturus, nemo cum aliquo probabilitatis colore negare potest. Nam cùm illam terram Deus venturo Messiæ destinauerit, & ad illum populum fuerit peculiariter promissus, ibidemque adeo natus fidem suam & legem promulgauerit, cunctaque ecclesiæ mysteria peregerit, ac demum illic passus, inde fuerit in cælum eleuatus, quàm maximè fit probabile illuc fore ad iudicandum remigraturum. Quòd si in eadem regione est iudicaturus, vbi congruentius, quàm ad muros Hierusalem vbi fuerat templum, atque adeò iuxta locum vnde ascendit? Inde enim, vt ait Apostolus, ascendens, captiuam duxit captiuitatem : illuc ergo reuersurus est, vt reliquam captiuorum partem inde sursum ducat.

Argum. Sed ais, mons Oliueti & vallis Iosaphat, non sunt idem locus. Respondetur, quòd cum vallis ad pedem monticuli extendatur, conijcitur, quòd Christus in latere, vel in cacumine montis in aere sedebit, vnde a cunctis electis conspici possit : qui itidem circa ipsum in aere sublimes erunt, & in valle subtus erunt damnati in terra.

Sol. 1. ar. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quantum ad electos nulla est difficultas, cùm enim per dotem agilitatis sint in aerem subleuandi, poterunt alij alijs sublimius eleuari. Qua vtique ratione in paruo spatio respectu terræ possunt omnes aerem replentes existere. Damnatos verò non est necesse omnes intra vallis spatiũ intercludi, sed erit vallis plena, & circumiacentia loca quanta illis capiendis sufficiant. Nam etsi humanitatem Christi visuri sint omnes, tãtus tamen erit splendor supernaturalis Christi, vt à quam maxima distantia videri possit.

Sol. 2. ar. Ad secundum respondetur, quod Christus passus est in forma passibili & humili, & venturus tamen est cum maiestate & gloriæ splẽdore : & ideo non descendet in locum quo passus est & condemnatus, sed ad illum vnde glorioſus ascendit.

Quæstio secunda, DE FORMA IVDICII.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus in forma humana gloriosa iudicabit.

HANC quæstionem Petrus Lombardus in distinctionem sequentem reiecit. Non tamen satis videtur lucem ordinis obseruasse : ob idque nos in hac distinctione cũcta quę in iudicio fiẽt absoluemus, vt in subsequenti subsequentia ipsum subijciamus. Cõstitutis ergo iudicatibus, & iudicandis, & loco, quęritur in hac secunda quæstione de forma iudicij, & primò de aduentu Christi : vtrum scilicet aduenier in forma humana, eademq; glorioſa. Et arguitur a parte negatiua Iudicium, & potissimè illud supremum, summam autoritatem in iudice requirit, iuxta illud Ecclesiastici. 7. Noli fieri iudex nisi valeas virtute rumpere iniquitatem : ergo iudicabit in forma supremi domini. Forma autem humana est forma serui, iuxta illud ad Philipp. 2. Formam serui accipiens : ergo non iudicabit nisi in forma Dei, quæ est inuincibilis. *Partis negatiuæ 1. argu.*

Secundò Pater, vt Ioan. 5. legitur, omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrem : honor autem æqualis non debetur patri & filio nisi secundum diuinitatem filij : ergo iudicabit non in forma humana, sed in diuina. Quo illud Daniel. septimo alludit. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, nam throni iudicandi potestatem significant, & dierum antiquitas Deo ratione æternitatis, vt in libro de diuinis nominibus ait Dionysius, competit. *2. Argu.*

Tertiò arguitur, quòd non veniet in forma glorioſa. Legitur enim Ioan. 19. Videbunt in quem transfixerunt. Et Matth. 14. habetur quod apparebit signum filij hominis in cælo, id est, signum crucis. Vbi ait Chrysostomus, quod veniet non solum vulnerum cicatrices, sed etiam ipsam mortem exprobratissimam ostendens. Quæ omnia minimè videntur formæ glorioſæ cohærere. Præsertim quòd est etiam à malis contuendus, & tamen oculus non glorificatus ineptus videtur, vt splẽdorem glorioſi corporis cernere valeat. *3. Argu.*

In contrarium est illud Lucę. 21. Videbunt filium hominis (id est, in humanitate) venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Quod vtique maiestatis nomen fulgorem glorię importat.

Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Christus veniet ad iudicium in forma humana. Conclusio partim articul. secundo probata est, vbi monstrauimus ipsi inquantum homini & redemptori, atque adeo ecclesiæ capiti competere iudiciariam potestatem : iuxta illud Ioan. quinto : Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Etenim cum maximè sit congruens, vt in ea forma iudicet, secundum quam ei conuenit esse iudici, fit vt in eadem sit forma ad iudicium sessurus. Qua vtique à cunctis tam malis quàm bonis perspici valeat. Præsertim quòd cùm iudicandi, vt dictum est, præcipuè non sint nisi homines, conueniens est, vt ab homine humanis oculis visibili iudicentur. *1. Concl.*

At verò ratio potissima quę legitimam exprimit causam, est hęc. Iudicium quodcunque dominium in iudice præsupponit, aut domini facultatem, iuxta illud ad Roman. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum ? Et ideo Christus in illa forma secundum quam est dominus humani generis, iudicatum veniet. Est autem inquantum Deus iure creationis dominus vniuersorum quę condidit, iuxta illud psalmi. Dominus ipse est. Deus : ipse fecit nos, & non *Legitima ratio.*

ipsi

ipsi nos. Obtinuit tamen & in quantum homo iure redemptionis dominium in totum humanum genus. Vnde eodem citato loco Paulus. In hoc Christus mortuus est & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Quare Petrus Actu. 2. illud psalmi. *Actuum 2.* Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis: in Ascensione domini impletum testatur. Et Marcus: Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Itaque virtute vnionis humanitatis ad verbum conuenit Christo esse dominum: sed nihilominus & merito passionis id ipsum ei debetur. At verò beneficium creationis, bonaque naturalia quæ per ipsum acquisiuimus, non sunt nobis ad præmium vitæ æternæ, quod supernaturale est, sufficientia: præsertim postquam in Adam peccauimus, per quod peccatum ingrati facti sumus Deo. Sunt ergo ad huiusmodi præmium assequendum nobis necessaria bona quæ per beneficium redemptionis donata sunt nobis. Igitur cùm iudicium illud generale eo referatur, vt electi ad præmium illud cælestis regni assumantur, reprobi verò inde excludantur, congruum est, vt Christus in ea forma iudex tunc sedeat, secundum quam redemit nos, illisque bonis donauit, quibus regnum illud promereremur: quæ quidem est forma humana. Nempe vt illis, qui ejusmodi beneficijs & donis bene vsi sunt, causam illic suæ salutis adorent: reliquis verò opprobrio & improperio detur, quòd eadem beneficia neglexerint. Et eam ob rem non solum in forma humana venturus est, verum & cum crucis insignibus: tunc enim, inquit, patebit signum filij hominis in cælo: nempe vexillum crucis, cum reliquis improperij signis, & vt ait Chrysostom. cicatricibus, quibus coronatus & flagellatus & despectui habitus ius nobis regni mercatus est. Quę quidem insignia electis immenso gloriæ fulgore rutilantia apparebunt, reprobis verò pauore & terrore plena.

Alia ratio. Accedit quod eius est, iudicium morum exigere, cuius est leges viuendi condere: Christus autem quatenus redemptor, fuit etiam legislator noster: ergo eadem ratione futurus est iudex. Vnde Augustin. tract. 23. super Ioannem. Iudicat, inquit, & suscitat corpora non pater, sed filius secundum dispensationem humanitatis. In eo quod est filius Dei, est vita quæ viuificat animas: in eo quod est filius hominis, iudex.

2. Concl. Secunda conclusio. Christus tunc apparebit iudex in forma gloriosa. Vnde Augusti. loco citato de trinita. Mali, inquit, non videbunt Christum nisi secundum formam, qua filius hominis est: sed tamen in claritate, in qua iudicabit, non in humilitate, in qua iudicatus est. Hoc Christus Matth. 24. illis nos verbis docuit, dicens. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate.

Ratio conclusionis. Et ratio conclusionis ex discrimine ducitur inter primum & secundum aduentum. Est enim, vt supra diximus, Dei & hominum mediator: nempe quia pro nobis quoad sufficientiam satisfecit, & continuo interpellat ad patrem, & vicissim ea quæ patris sunt nobis impertitur. Iuxta illud Ioann. 17. *Ioan. 17.* Claritatem quam dedisti mihi dedi eis Atqui his muneribus secundum duas quas habet naturas fungitur. Nam secundum humanam qua nobiscum communicat, pro nobis apud patrem intercedit: secundùm verò diuinam, qua communicat cum patre, eius nobis dona rependit. Igitur cum in primo aduentu in hoc apparuerit, vt pro nobis apud patrem satisfaceret, in forma nostræ infirmitatis & miseriæ cui subuentum venerat apparuit. At quia in secundo aduentu descensurus est, vt iustitiam patris atque adeò eius potestatem in nos exerceat, necesse est vt suam humanitatem diuina maiestate vestitam iudicandorum oculis obijciat.

Matth. 26. Atque hoc est, quod vt Matt. 26. legitur, principem illum sacerdotum docere voluit. Fuit enim hallucinatio illius populi, Messiam non nisi cum regio maiestatis splendore venturum, nimirum nescientes inter primum & secundum aduentum discernere. *Ioan. 3.* Cuius discriminis illos Ioann. 3 admonuit, dicens. Misit Deus filium suum in mundum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Igitur cum sub articulum passionis iam Iudæi trepidassent, suspicantes illum esse Messiam, adiurauit eum princeps, vt responderet si esset Christus filius Dei viui. Cui respondens Christus. Tu dixisti: subiunxit, Veruntamen dico vobis. Amodo (id est postmodum) videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & vēnientem in nubibus cæli. Quasi diceret. Propterea non me cognoscitis, quia sub habitu infirmitatis humanæ me cernitis: videbitis me tamen postea in eo habitu, vt in filio hominis filium Dei latere confiteamini.

3. Concl. Ex his sequitur tertia conclusio. Non solum in corporis glorioso splendore demonstrabit se Deum quo præ cæteris eminentius splendebit, verùm in virtute se esse filium Dei. Hoc enim designat verbum, Sedentem à dextris virtutis Dei. *Dextera duo significat.* Dextera enim Dei duo significat. Primùm beatitudinem ipsius, iuxta illud psalmi. Delectationes in dextera tua vsque in finem. Et sedere est illic requiescere: atque hoc pacto Christus inquantum Deus sedet ad dexteram Dei patris: quia eadem cum ipso beatitudine immutabili æternitate fruitur. Et inquantum homo etiam sic dicitur ibidem sedere: quia secundum animam in eadem requiescit beatitudine, licet non æquali per essentiam deitatis, neque ab æterno, sed per creatam in tempore visionem. Veruntamen alio modo accipitur dextra Dei, pro regia virtute, & iudiciaria potestate, quæ plenissimè data est Christo in cælo & in terra. Et isto modo inquantum homo dicitur sedere à dextris Dei, quia omne iudicium dedit filio. Et de ista sessione ait Marcus: Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Et sic eum sedentem vidit Stephanus in agone. *Stephanus.* Et Dauid. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Illud enim, donec, significat tempus ab ascensione vsque ad diem iudicij, quando omnes qui Christo in hoc seculo aduersantur, subiecti erunt pedibus eius. Et ideo in symbolo tres ex ordine articulos confitemur. Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris, & inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Quasi secundus ad primū, atq; ad secundum tertius consequantur. Igitur venire cum potestate & maiestate, est venire cum virtute Dei.

Maiestas. Quòd si roges quænam est illa maiestas & virtus, respondet Remigius, nihil aliud quàm deitas ipsa. At verò plus voluit Christus asserere: nempe quod veniet cum illo exteriori habitu & apparatu, vt intelligatur esse filius Dei. Simile enim dixit apud Matth. cap. 16. veniet filius hominis in gloria patris sui, id est, omnipotentem patris virtutem repræsentans, per absolutum imperium, & promptissimum obsequium, quo cuncta obedient ei tanquam pedibus suis subiecta. Hoc enim est quod ipse precatus est patrem, Matt. 17. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Hoc est, In carne mortali passus sum cuncta quæ opus erant, vt te clarificarem, id est, vt fidem promulgarem tuam, ostendens te esse patrem meum, vt tibi orbem lucrifacerem. In cuius testimonium nunc mortalis mori adorno. Tu ergo deinceps clarifica me apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te. Id est, ostende me esse verum Deum naturalem filium tuum, vt illa potestate resurgam, & in cælum ascendam, & ad dexteram tuam sedeam, & tandem ad iudicium reuortar.

Omnes angeli venient. Ad hanc ergo maiestatem accedet tunc & angelorum comitatus, quorum dominium, vt dictum est, acquisiuit Christus, tam vnione humanitatis ad verbum, quàm merito redemptionis. Vnde loco citato Matth. 16. Veniet, inquit, filius hominis in gloria patris sui cum angelis suis, id est, suo ipsius obsequio mancipatis.

Neque verò aliquantus eorum numerus eum circundabit, sed vniuersi in eius venient comitatu. Sic enim legimus, Matth. 25. Cum venerit filius hominis in maiestate sua & omnes angeli cum eo. Vbi nomen, omnes, non licet coarctare ad omnes huius aut illius hierarchiæ, sed in sua amplitudine relinquere. Tota ergo cælestis curia tam animarum quæ iudicandæ sunt, quàm angelorum, qui iudici famulatum debent, illic aderunt. Quare eo ordine quo eorum hierarchiæ dispositæ sunt, in cęlo venient angeli vt iudicium enuncient. Principatus, vt cęteris pręsint. Throni, vt veluti iudiciaria sedes sint Christo, quibus quasi subnixus veniat: illis enim proprium est iudicij sententiam pręsertim erga electos exequi. *Angelorum officia.*

Veniet in nube. Veniet autem in nube, vt ait Lucas, aut in nubi-

bus.

bus, vt ait Marcus, quia etiam sancti venient in nubibus. Tametsi disceptatio sit inter interpretes, tum de substantia nubium, an erunt naturales ex vaporibus, an vero supranaturales, quam de necessitate & officio eius. Et re vera quamuis qui miraculum excusare contenderint, asserere cogitauerint nubes illas fore naturales, vix tamen id defendi potest. Nam in illo resurrectionis momento, motus cali cessabunt: quare neque vapores eleuari poterunt. Item quia cum conuentus ille supernaturaliter celebrandus sit, cunctaque illic supra naturam peragenda, nubes illas verisimilimum est virtute supernaturali condensandas, vt diuina filij Dei virtus euidentius appareat, & maiori sit spectantibus admirationi. Sic enim tum in transfiguratione nubes lucida, quæ, vt Matth. 17. legitur, obumbrauit eos: & in ascensione, vt Actuum primo relatum est, nubes quæ suscepit Christum ab oculis discipulorum, supernaturalis creditur: siue ex nimio splendore corporis Christi fuerit genita, siue angelorum ministerio. Fuit enim Christo, eritque tunc solenne eximiam gloriæ maiestatem in nube demõstrare. Vnde Actuum primo aiunt angeli. Hic Iesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Et vt. 1. Thessal. quarto ait Paulus, electi tunc etiam rapientur in nubibus obuiam Christo in aera.

Supernaturales nubes. Matt. 17. Actuum. 1.

1. Thess. 4.

Necessitas nubium.

Necessitas ergo eiuscemodi nubium non est sustinere aut euehere seu Christi seu aliorum sanctorum corpora, quippe quæ per dotem agilitatis propria virtute per aerem mouentur: imo virtus Christi nubes ipsas sustinuit & sustinebit. Sed in transfiguratione vnum nubis officium fuit, temperare eminentem corporis Christi splendorem, vt posset mortalibus oculis intuerii. At verò in Ascensione non dicitur simpliciter, quod nubes susceperit eum, sed, quod susceperit eum ab oculis eorum. Videbant enim eum cùm eleuaretur de terra, sed post a longa distantia non videbant nisi lumen splendoris eius: sicuti ex nimio splendore quem sol reliquit, apparet in nocte via lactea in cælo. At vero in die iudicij oculi glorioſi beatorum non egebunt temperamento nubis ad cernendum Christi corpus, quandoquidem in cælo sine nube illud conspicient: sed reprobi illa indigebunt. Quocirca illæ nubes non erunt ex solo splendore Christi manantes, sed condensatione aeris factæ, vt sint quodammodo sedilia iudicantium honoris gratia, & quasi vehicula eorum qui assurgent Christo obuiam in aera.

Sol. 1. arg.

Primum igitur argumentum solutum illo loco restat, vbi ostendimus, quod licet Christus inquantum Deus primæuum, idemque naturale habeat vniuersarũ rerum dominium, nihilominus & quatenus homo inest sibi participatum acquisitumque dominium, quia, vt primæ Corinth. duodecimo, & Hebræ. secundo ait Apostolus, omnia subiecta sunt pedibus eius, & eadem ratione habet inexpugnabilem iudicandi potestatem, quam nemo detrectare valet.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur: Ex hoc quod Christus genus humanum fuit redimere sufficiens, documentum suæ diuinitatis exhibuit, quia purus homo id præstare nequiuisset: & ideo quia iudicaturus est tanquam redemptor, æqualis debetur ei honor cum patre.

Ordo iudicij apud Danielem.

Ordinẽ verò rei huius graphicè Daniel loco citato expressit. Ait quippe, Aspiciebam donec throni positi sunt: nempe patris & filij, quatenus homo est. Et antiquus dierum sedit; nempe pater primum, qui est prior origine, & in quo tanquam in fonte luminum primum residet iudicandi autoritas. Quæ ideo à patre emanat in filium, tum inquantum Deus est per generationem æternam, tum inquantum est homo tam virtute vnionis, quàm merito passionis. Quare subdit Propheta. Aspiciebam ergo in visione noctis (nempe appetente aurora qua celebrandum est iudicium) & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem (scilicet pater filio) & honorem & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient (scilicet inquantum redemptori) & potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & cætera.

Sol. 3. arg.

Ad tertium respondetur, quòd quamuis crucifixores Christi visuri sint formam quam transfixerunt, non tamen in illa ignominia qua illam affecerunt: sed in gloria per quam confusione repleantur. Et idem est de signo crucis & cicatricibus sentiẽdum. Est enim in potestate habentis corpus glorioſũ, & præsertim Christi, illud quibus voluerit ostendere, etiam damnatis, qui dotibus illis gloriæ carent, vt videntes, quemadmodum Isa. 26. scriptum est, confundantur, & ignis eos inuidiæ deuoret. Gloria enim quæ amicos delectat, inimicos contristatur. Igitur dum asseritur Christus in eadem forma iudicaturus, qua iudicatus est, non accipitur forma pro eadem qualitate, sed pro eadem natura, qualitate mutata.

Ad augmentum tum repræsentationis maiestatis iudicis, tum & spectantium admirationis, accessionem faciet tunc ignis, qui, vt est in psalmo, ante ipsum iudicem præcedet: de quo locus præsens alterum articulum videbatur exigere. Attamen quia illius ignis duplex erit effectus, vnus quidem mundum expurgare, quare dicitur ignis conflagrationis, quod quidem faciet ante ipsum iudicij momentum: alter verò effectus erit conuoluere dæmones cum vniuersis condemnatis hominibus, in infernumque eos obtrudere: qui quidem effectus subsequetur iudicium tanquam sententiæ exe cutio, vt de ambobus simul luculentius dicamus tota huius ignis disputatio in subsequentem distinctionem reponitur. In qua de habitu & aspectu orbis, quo post iudicium in perpetuum relinquẽdus est, conuenit disputare.

ARTICVLVS II.

Virum diuinitas Christi ab iniquis tunc sit conspicienda.

QVONIAM dictum est Christum in forma visibili venturum, subsequitur, vt inquiramus vtrùm eius diuinitatem etiam reprobi sint conspecturi. Et arguitur à parte affirmatiua. Primò. Damnati cognoscent Christum esse Dei filium: ergo videbunt eius deitatem postquam erit eis præsens. Probatur consequentia: quia si reprobi diuinitatem videre non poterunt, ratio est quia illa sine beatifico gaudio videri nequit: hæc autem ratio non videtur solida: quoniam quæ sunt in affectu non de necessitate ad ea quæ sunt in intellectu consequuntur. Solet enim, vt ait August. præcedere intellectus, vbi sequitur aut tardus, aut nullus affectus. Imò videntur, posse illam videre & de visu tristari: nam vt sensus ad sensibile, ita se habet intellectus ad intelligibile: sed in sensibus, vt inquit Aug. palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis: ergo pari modo damnati deitatem intuentes possunt ob eius odium tristari: quicquid enim recipitur ad modum recipientis aptatur: quare licet visio per se sit effectrix lætitiæ: potest in odiente ipsam mœstitiam gignere: nulla ergo est ratio cur non illam videant.

Partis affirmatiuæ. 1. argu.

Secundò arguitur. Damnati videbunt humanitatem Christi glorioſam, quæ suapte natura ingentissimæ voluptatis est causa, & tamen nullam inde voluptatem capturbunt: ergo similiter res dispensari possunt, vt diuinitatem intuentes nulla afficiantur lætitia: imò ingentiori mœrore, quàm solam humanitatem videntes. Si quidem maiori odio Christum quatenus Deum prosequantur iniqui, quàm quatenus hominem. Vnde colligitur diuinitatem visuros.

2. Argu.

In contrarium est, quòd in visione diuinæ essentiæ beatitudo consistit, iuxta illud Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, &c. sed de essentia beatitudinis est, vt delecter, & illa delectatione damnati sunt indignissimi: ergo diuinitatem non videbunt.

Pars negatiua.

Quæstio hæc duo videtur implicare membra scilicet vtrùm diuina essentia absque gaudio videri possit: & secundum, vtrùm damnati eam videbunt. Et posterioris solutio ex prioris decisione colligitur. Tribus ergo conclusionibus respondetur. Prima. Reprobi non videbunt deitatem in se ipsa. Conclusio est Augustini. 1. de Trinita. cap. 13. vbi ait, quòd cum boni & mali visuri sint iudicem bonorum & mortuorum, mali tamen eum videre non poterunt, nisi secundum formam qua filius hominis est. Cæterùm illam Dei formam in qua æqualis est patri, proculdubio non videbunt. Non. sunt mundicordes, & tamẽ beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt. Et in libro de verbis Domini. Rectum, inquit, erat vt iudicandi viderent iudicem: iudicandi autem erant boni & mali: restabat vt in iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur, forma verò Dei solis bonis seruaretur.

Deci. ar.

1 Conc.

Ratio tamen prima conclusionis est, quòd deitas naturaliter videri non potest, sed lumen gloriæ re-

Ratio conclusionis.

Digitized by Google

quiritur quo eleuetur potentia, vt ad id fiat idonea: nam ad tã excelsam veritatẽ contuendam habet se intellectus noster, veluti ad lumẽ solis oculus noctuæ. Etsi aliqui lumen illud gloriæ negant, exigi saltem fatentur concursum aliquem diuinum supra naturam: damnatis verò non est cur illud donetur, aut gloriæ lumen, aut singulare auxilium.

Ratio. 2. Secundò arguitur, quia cùm beatitudo, vt argutum est, in illo deitatis conspectu consistat, nequirent miseri deitatem conspicere, nisi tunc saltem per modum transitus essent beati, vt Paulus in raptu: quod perditos illos maximè dedecet. Ait enim Ioan. cap. 3. suæ canonicæ. Cùm apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum sicuti est. Tanta ergo similitudinis excellentia non nisi illis conuenit: qui mundo sunt corde.

Ratio. 3. Tertiò arguitur. Diuina essentia absque gaudio suapte natura videri nequit: iniqui autem nullo vnquam potientur gaudio, tantum abest, vt diuino illo sint digni, ergo minimè deitatem videbunt. At verò ad intellectum maioris animaduertendum, id quod est per participationem delectabile, quia potest habere aliquid admixtum quod nõ sit tale, posse quidem quandoque sine delectatione possideri, vt sunt diuitiæ, honores, & reliqua temporalia bona, quæ plurimum laboris & periculi, & anxietatis habent admixtum: sicut aqua calida potest frigefieri. Id autem quod per se ipsum sic est delectabile, vt sit ipsa delectationis ratio, nequit absque delectatione possideri: sicut ignis non potest non esse calidus. Essentia verò diuina, quia adeò per se est bona & per se vera, vt sit ratio ipsa bonitatis & veritatis, cuius participatione quæcunque bona & vera illam habent qualitatem, fit adeò esse delectabilẽ, vt sit ipsa delectationis ratio: atque adeò sine delectatione possideri nequeat. Secus in hac vita obscurè & sub ænigmate apprehensa. Potest enim quispiam quia adeptu difficilis est, & alias cohibet seculares voluptates, eam non appetere.

Quòd si arguas. Deus potest concursum suspendere ne visio in vidente vllum gignat gaudium, hoc minimè inficiamur: esset tamen illud supernaturale miraculum de potentia eius absoluta procedens, quod in damnatis non est affirmandum. Loquimur ergo de ipsa rei natura, secundum quam visio adeo est voluptatis ac lætitiæ genitrix, vt nullam secum tristitiam admittat, sed omnem omnino procul pellat.

2. Concl. Secunda conclusio. Damnati videbunt dotes gloriæ humanitatis Christi, nempe claritatem & reliquas. Probatur, quoniam, vt supra dictum est, videbunt Christum in forma humana: quia videbunt in quem transfixerunt: sed humanitas, vt articulo præcedenti constituimus, apparebit cum dotibus gloriæ, ergo talem eam videbunt. Nam, vt supra diximus, in potestate habentis corpus glorioſum est illud oculis etiam non glorioſis subdere, & dum voluerit, subducere. Quemadmodum de Christo post resurrectionem legitur, dum discipulis se ostendere volebat.

3. Concl. Tertia conclusio. Non solùm per excellentiam claritatis corporis, vt dictum est, verùm & per maiestatem imperandi, & promptitudinem in angelis & sanctis obsequendi, per alium que apparatum ac terrifica signa agnoscent illum esse verè filium Dei. Ad quam vtique cognitionem vsque adeò erunt conuicti, vt id neutiquam negare valeant. Angelos autem non videbunt, quia visui corporeo non patent, nisi fortè Deus dispensauerit, vt intellectu eos percipiant, sicut videbunt dæmones. Sed satis est dicere, quòd per rerum circunstantias intelligent esse præsentes.

Sol. 1. arg. Primum igitur argumentum solutum restat. Consequentia namque nulla est, quòd si damnati Christum cognoscent esse filium Dei, videbunt ipsius diuinitatem. Conceditur que illam sine gaudio videri non posse. Quod enim ait Augustin. intellectum quandoque præuolare quem affectus non subsequitur, intelligitur in bonis temporalibus, quæ licet sub aliqua ratione delectabilis apprehendantur, habent nihilominus alias propter quas non delectant. Præterea respectu bonorum temporalium sæpè potentia proportione caret, vt illa possit satis percipere: & ideo palatum non sanum nequit dulce gustare. Sed tamen dispositio damnatorum praua non tollit proportionem ad essentiam diuinam quæ est per se bona, ad quam idcirco natura inclinatur: ob idque si illam viderent, non possent non oblectari: neque odium quo illam prosequuntur vim tunc haberet ad generandum tristitiam, quia odium est finitæ efficaciæ, essentia verò diuina infinitæ ad illud deuincendum.

2. Argu. Ad secundum demum respondetur, non esse rationem parem de visione glorioſæ humanitatis: tum quod sine lumine gloriæ potest naturaliter videri, tum quòd cùm non sit per se ratio ipsa delectationis sicut diuinitas, neque sit infinitæ actiuitatis, sed res participata & finita, non est necessarium vt odium damnatorum extinguat. Et ideo ipsam videntes inuidia & liuore contabescent: & vehementius contristabuntur, quòd eum quem oderunt, in tanta honoris & gloriæ sublimitate perspiciant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm tunc vnusquisque, tam electorum, quàm reproborum, vniuersa bona & mala, tam propria quæ fecit, quàm aliena videbit.

Partis negatiua 1. argu. CVM ad iudicium merita causæ sint cognitu necessaria, quæritur vtrùm omniũ opera tam bona quàm mala erunt tunc vniuersis patẽtia, vt singuli & propria videant & aliena. Et arguitur à parte negatiua. Quicquid factorum cognoscimus, aut per sensum præsens accipimus, aut de thesauro memoriæ depromimus, tunc autem peccata præterita, quia elapsa sunt, non poterunt sensu percipi, neque verò quæ memoria exciderunt cognosci: ergo non tunc cuncta videbunt.

2. Argu. Secundò, Resurgentium cognitio non erit tunc perspicacior quàm nunc est angelorum, quippe cum hominibus Matthæi. 22. æqualitas cum angelis promittatur: angeli verò non possunt alienas conscientias scrutari & cognoscere ipsis inuitis, imò aliorum locutione opus habent, vt eorum corda cognoscant: ergo multò minus illic vnus quispiam poterit alterius conscientiam inspicere.

3. Argu. Tertiò arguitur. Aut omnia quisque vno intuitu videbit, aut sigillatim: non sigillatim, vt facta sunt, quia id immensum exigeret spatium temporis: neque verò simul vno contuitu, nam vt 2. Topicorum ait Philosophus, non possumus simul plura intelligere: adeò vt neque angeli possint simul intelligere nisi quæ per vnam speciem intelligunt: ergo nullus tunc cuncta videbit.

Pars affirmatiua. In contrarium est illud. 1. ad Corinthios. 4. Nolite ante tempus iudicare quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

1. Concl. Ad quæstionem quatuor conclusionibus gradatim respondetur. Prima capitalis. In illo articulo futuri illius iudicij libri aperientur quibus causarum merita legantur vt cunctis iusta appareat sententia. Sic enim de illa die vaticinatus est Daniel, capit. 7. post illa verba supra relata. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum, &c. Et continuo subsequitur. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Et Apocalypsis. 20. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni. & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Huiusce modi autem libros Augu. 20. de ciui. Dei c. 14. sic interpretatus est, vt libri priore loco positi intelligantur sancti & veteres & noui, vt in illis ostendatur, quæ Deus fieri sua mandata iussisset: in alio autem libro vitæ, intelligatur vita vniuscuiusque, quid s. horum quisque non fecisset siue fecisset. Est hic tamen animaduertendum, quod isti libri, vt ibidem subiungit Aug. non possunt esse materiales, quia eorum magnitudinem & longitudinem vix vllus posset locus capere, aut tempus sufficere vt legerentur. Et respondendum esset, quando essent scripti, aut vbi, aut cuius opera. Item quia Dei omnipotentia hac rerum mole non indiget, vt iudicium peragat suum: sunt ergo spiritualiter intelligendi scripti, vel in mente Dei, vel in mentibus hominum. Præterea meminisse oportet in iudicio binam esse cognitionem necessariam: nempe iuris & facti. Cogitauit ergo August. sanctos diuinarum legum custodes scriptas habere in pectore diuinas leges & iura, quæ per eorum opera aliis innotescunt: de quibus supra citatus Ricardus ait, eorum corda esse quasi quædam canonum decreta, qua vtique ratione librorum imaginem præ se ferent. Sed præterea Librum vitæ in-

Dan. cap. 7. *Apoc. 20.* *Aug. 20. de ciuit. Dei ca. 14.* *Liber vitæ.*

terpre

terpretatur Augu. morum cuiusque relationem, in quo eius gesta scripta sint: atque hanc intellexit quandá vim esse diuinam qua fiet, vt cuiq; opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita in simul & omnes & singuli iudicentur.

Sententia autoris.

At vero quamuis sancti quodammodo libri dici possint: tamen liber vitæ, vt in Apocalypsi subiungitur, non potest intelligi scientia quæ in memoria cuiusque erit, eius conscientiam accusans vel excusans. Primò, quia liber vitæ nunquam inter sanctos & Theologos accipitur nisi pro libro prædestinationis: notitia n. ipsa Dei, qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ Secundò quia Icānes illic non dicit in libro scripta esse opera cuiusque, sed nomina, & ideo subdit. Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Quare non dicitur liber vitæ, quia scripta in eo sint acta & gesta vitæ, sed quia in eo scripti sunt omnes prædestinati ad vitam Et ita idem Aug. illico ca. 25. exponit librum vitæ.

Dicendum ergo quod libri aperiendi in iudicio sunt tum sanctorum officia & merita, in quibus ius effulget, ad cuius normam cuncti deberent officia sua exigere: tum etiam singulorum memoriæ, quibus vnusquisque gestorum suorum recordabitur, vt opera cum legibus conferantur, & cuius retributionis digna fuerint, appareant. De quibus libris ait Paulus: Testimonium reddente illis conscientia eorum, cogitationibus inter se accusantibus, aut defendentibus, in die cùm iudicabit Dominus occulta hominum. Itaque cogitationes memoriæ sunt libri, qui conscientiam aut ream tunc facient, aut absoluent. Et quia illæ cogitationes erunt Christo & sanctis eius patulæ, per illas dicetur vnusquisque referre propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum: vt 2. Corinth. ait Paul. Sed præter hos libros expandetur & in mente iudicis liber vitæ, vbi conscripti sunt prædestinati, vt constet quemadmodum per Dei gratiam quæ prædestinationis effectus est, ipsam prædestinationem compleuerint, & suam vocationem, vt ait Petrus, certam fecerint: & quemadmodum reprobi in illo libro nunquam scripti supplicia fuerint commeriti.

2. Petri 2.

Exurgit tamen ex hoc interrogatio, quæ nam sunt & quanta quæ in suis conscientijs tam electi quàm reprobi cernent. Quare subiungitur secunda conclusio. In reproborum conscientia tam ipsi quàm alij vniuersi cuncta eorum crimina & demerita inspectabunt, imò & bona etiam si qua fecerint opera, omnia inquam virtute diuina, de qua loquitur Aug. subito eis in memoriam reuocabuntur, atque alijs in eorum conscientijs manifesta fient. Probatur conclusio. Iudicium illud erit, vt rectissimum, ita & prudentissimum: ad rectitudinem autem iudicij spectat, vt non nisi conuicto reo sentētia proferatur: conuinci autem nequit nisi vniuersa de quib. accusatur ei ob oculos proponātur vt perinde merita suæ causæ cognoscātur: omnia ergo cuiusque reprobi erunt ei peruia, ne de iudice conqueratur, quod vel ex odio vel alio extrà causam affectu eum iudicauerit. Quare non solum mortalia crimina, sed etiam veniales culpæ, quæ momentum aliquod ad suppliciorum cumulum afferunt, erunt ei præsentes. Imò neque sola opera aut verba externa, verum & cordium cogitationes in publicum prodibunt, iuxta illud 1. Corinth. 4. Dominus tunc illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et ratio est: quoniam licet iudicium humanum, quod idcirco imperfectum est, non fiat nisi secundum externa opera quæ sensibus patent, illud tamen perfectissimum secundum penitissimas causas & in pectore recōditissimas faciendū est. Nam cùm ex corde, vt ait Christus, exeant cogitationes, scilicet opera, ex intentione quæ intus latet sunt opera perpendenda. Quod si aliqua bona fecerint ex gratia procedentia, vt Christiani, etiam illa præsentia reum ipsum accusabunt propter ingratitudinem qua Deo terga vertit: imò & naturæ dotes illic clamabunt quod gratias pro ipsis suo creatori non rependerit, At verò quia iudicium illud non priuatim inter iudicem & tantum reum fiet, sed publicitus in conspectu totius Reipublicæ humani generis, non sat erit vt rei se ipsos agnoscant: sed operæpretium est, vt eorum conscientię vniuersis sint compertæ, quibus & sententiæ innotescent.

2. Cond.

Probatio conclusio.

Ratio.

Meditetur ergo cordatissimus quisque quanto pudore & opprobrio suffundentur in conspectu Dei, angelorum, & hominum, hypocritæ: qui mortalium oculos tanquam dealbata sepulchra fefellerint: nempe qui putida pudenda quæ corda & pectora intus gestantes, execranda opera fucato externo habitu cōtegerint. Certè quando nullus nos alius inferuus spectaret, hæc satis esset meditatio, vt tales esse contenderemus, quales Deo & hominibus apparere cupimus.

Meditatio.

Interrogabit autem hic quispiam, si omnia opera etiam infidelium sunt eis in memoriam reuersura: quomodo dictum est, quòd non iudicabuntur iudicio discussionis? Respondetur, non negari quin per suas sint conscientias conuincendi, quanto sint supplicio digni sanè cum inter ipsos sint alijs alij lōgè peiores, sed tamē eorum peccata cum suis virtutibus non conferentur, neque causa eis sententiæ reddetur. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.

Interrogatio.

Tertia conclusio. Omnia opera iustorum bona, tam sibi quàm vniuersis alijs illic propalabuntur: reuocabuntur, inquam, in eorum memorias, & in aliorum notitiam reducentur, non solum opera & verba, sed etiam cogitationes.

3. Concl.

Et ratio est, quia licet præmia adultis ætate propter illa merita conferantur, quæ ex diuina misericordia & gratia dimanarunt, tamen quia suppositā gratia verè sunt merita, retributio illa erit actus iustitiæ, iuxta illud Pauli. 2. Timot. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Iustitia autem in præmio cognosci non potest, nisi per meritorum pretium: cunctis ergo illorum merita explicabuntur.

Ratio cond.

Accedit autem secunda ratio, quod quamuis essentiale præmium in Dei possessione consistat, tamen ratio ipsa præmij hoc ipsum sonat, vt propter meritum conferatur, alioqui non esset actus iustitiæ. Et ideó maxima honoris accessio inde fiet tunc iustis, quod ineffabile illud præmium non prorsus gratus absque vllo eorum merito, sed pro suis meritis de diuino subsidio profectis suscipiant. Inter homines enim præstantius est meruisse, quod non habes, quàm non meruisse, quod habes. Dignitas enim honoris æstimatur, non nuda possessio. Quare Christus Ioan. 12. Si quis, inquit, mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Videlicet, ostendendo publicitus vniuersis quēadmodū mihi ministrauerit. Et Lucæ 12. Qui me confessus fuerit coram hominibus (tanquam amicū & Dominum) & filius hominis confitebitur illum corā angelis Dei, vbi longè erit cumulatissimus honor, tanquam fidelem seruum. Qui autem negauerit me coram hominibus negabitur coram angelis Dei, vbi ingentius erit opprobrium.

2. Ratio.

Ioan. 12.

Luca. 12.

Veruntamen de electorum delictis per pœnitentiam deletis, dubium est vtrum sint in memoriam reuersura. Extant enim oracula sacra parti negatiuæ fauentia: vt illud Isa. 65. Ego creo cælos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis in æternum. & rursus, Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & absconditæ ab oculis nostris. Vbi Hier. Obliuioni, inquit, tradētur priora mala, quia forsitan in futuro pristinæ cōuersationis memoria omnino delebitur, succedentibus bonis æternis, ne sit pars malorum prioris angustiæ memorari. Et psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et 1 Petr. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum.

Dubium.

Isa. 65.

Psal. 31.

1. Pet. 4.

Quæsitum hoc bipertitur distinctio. 43. Magister senten. Concedit enim electorum delicta in memoriam eis reditura. Sed præfata testimonia hoc contestari, quod memoria illa contristabit electos, nec beatitudinem offuscabit. Vtrùm verò proditura sint in aliorum notitiam, ait se non legisse expressum in scriptura: vnde non irrationabiliter, inquit, putari potest, peccata hic per pœnitentiam tecta & deleta, illic etiam tegi alijs. Et re vera vulgus hominum facilè hanc sibi sententiam persuadebit hoc argumento. Vix n. ingenium plebis percipere valet quo pacto fieri possit, vt crimina, flagitia & scelera, quæ nonnunquam nefanda esse contingit & quàm maximè depudenda, quæ hic fuerunt occulta, in notitiam illic purgatissimarum mentium prodire possint absque maximo pudore & opprobrio illius qui illa commisit. Præsertim si hic semper fuerit vt iustus & honestus æstimatus Cùm ergo beatitu[dinis]

Argumen. vulgi.

Digitized by Google

omnis turpitudinis pudor & verecundia repugnet, colligitur electorum delicta non esse tunc in aliorum notitiam prodenda.

4. Concl. Nihilominus subnectitur quarta conclusio. Cuncta etiam electorum crimina vniuersis erunt aperta. Neque hoc loco tenetur sententia Petri Lombardi. Probatur. Primò ex illo Pauli. 1. Corint. 4. asserentis, quod tunc Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: quæ quidem indefinita assertio vim habet vniuersalis: quia illud erit vniuersale iudicium, non solum vniuersorum hominum, verùm & vniuersorum operum. Et ideo ait illic glossa, quod gesta cogitata bona & mala, tunc aperta & nota erunt omnibus.

Probatio conc. Et secundò arguitur, quod aliquorum iustorum delicta erunt illic manifesta: sicut Dauidis, & Petri, & Magdalenæ, & eadem est omnium ratio.

Egregia ratio. Tertiò id præsertim comprobatur. Iudicium illud ad hoc potissimum celebrabitur, vt gratiæ & virtutes, quæ nobis diuina ope proueniunt, vniuersis ad Dei gloriam innotescant, inter has verò egregium locum obtinet pœnitentia: expedit ergo, vt eius vis & efficacia sit cunctis manifesta. Nequiret autem satis cum sua laude cognosci nisi cuncta electorum delicta quantumuis ingentia & fœda, quæ illa sunt virtute deleta, omnibus esset comperta: quo enim grauiora erunt, eo pœnitentiæ potestas diuino fauore suffulta maiori splendore fulgebit. Huic enim quodammodo accommodari potest verbum Pauli, Roma. quinto. Vbi abundauit delictũ, superabundauit & gratia. Absit autem, quemadmodum illico nos Apostolus admonet, vt peccatis complicemur, vt gratia abundet, sicut illi blasphemi aiebant, Faciamus mala, vt inde veniant bona. Neque enim nos Deus condidit, nec Christus redemit, vt pœnitentes essemus, sed vt eius mandata sic obseruaremus, vt nulla nobis opus esset pœnitẽtia. Quare cæteris paribus longè copiosior laus erit innocentibus quàm pœnitentibus, nisi pœnitentia, quemadmodum in Magdalena, excellentes fuerit vires sortita.

Rom. 5.

Sol. argm. Ad argumentum ergo populare respondetur, quod delicta iustorum, quia non erunt tunc patentia Deo ad vindictam, sed tanquàm materia pœnitentiæ, nulla in oculis iustorum erunt opprobrij, aut pudoris causa, sed laudum, quibus Deum efferant, qui tantam virtutem pœnitentiæ, & fidei, spei, & charitati, quibus nititur, tribuit, vt deleta peccata nullo sint amplius vituperio aut exprobratione digna. Quamuis fuerit vel peccatum Adæ, si pœnitentiam egit, vel persecutio Pauli, vel turpitudo Magdalenæ, vel negatio Petri, vel impietas crucifigentium Christum: imò & proditio Iudæ, si eum facti pœnituisset, non esset tunc fœdum. Hunc ergo sensum exhibent testimonia illa citata apud Isaiam, & Dauidem, & Petrum. Sunt enim iustorum peccata contecta apud Deum, quia quantum ad vltionem obliuioni ea tradit, iuxta illud Ezechiel. 18. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.

Chrysost. Obijciet verò quispiam illud Chrysost. hom. 2. in psal. 50. Nunc si recorderis peccatorum tuorum, & pro eis depreceris, citius illa delebis: si verò obliuiscetis, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur in conspectu omnium amicorum, & inimicorum, sanctorumque angelorum: ergo illa sola peccata tunc proferentur in publicum, quæ propter negligentiam non fuerunt hic remissa.

Item si omnium delicta essent cunctis iniquis comperta, inde solatium aliquod reciperent: nam solatium est, plures habere delictorum socios, indeque eis verecundia & pudor minuitur.

Respondetur ad primum, Chrysost. id docere, quod peccata quæ hic non fuerint deleta, proferenda tunc erunt ad ignominiam: quæ verò fuerint extincta, proferentur ad gloriam.

Ad aliud negatur quod aliquod sint inde solamen, aut verecundiæ remissionem damnati habituri. Illud enim in iudicio hominum accidit, inter quos propter multitudinem delinquentium sit leuior pudor. Secus in æstimatione Dei, quæ tunc erit omnibus manifesta, qua scilicet res æstimantur secundum veritatem, secundum quam nihilo est peccatum minus, propterea quod pluribus sit in consuetudine: imò ob id est peius.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod omnium mortalium opera quamuis memoria exciderint, manent in suo effectu, vt bona manent in acceptatione ad præmium. Et si fuerint per peccatum mortificata, manẽt in ingratitudine. Et quæ non fuerunt per pœnitentiam deleta manent in reatu æterni supplicij. Et si fuerint deleta, in virtute pœnitentiæ. Quocirca quia cuncta ex his effectibus pendent, perinde habent, vt valeant in memoriam remigrare. At verò, vt citatus Aug. ait, tam repentina tantorum operum recordatio diuinæ tunc virtuti tribuenda est, qua Christus per iudicandi potestatem in omnium memoriam reuocabit.

Sed redarguitur contra. Aucta causa effectus crescit, charitas in hac vita est causa doloris peccatorum & gemitus: charitas autẽ illic erit cõfirmatior & perfectior: ergo si tunc peccata memoriæ iustorum recurrerent, non possent non dolere: contra illud Apocalyp. 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & non erit vltra gemitus, neque clamor, neque dolor. Respondetur, quod licet illud sit charitatis ingenium in hac vita, lætitia tamen in patria erit potentior, vt omni dolori obsistat, ne occupare animum possit beatis: imò potius de diuina clementia gaudebunt, per quam ab illis malis liberati sunt. Sicut solent post prælium milites lætari de illis quæ euaserunt periculis atque illi qui post grauissimos morbos conualuerunt. Veluti è contrario damnati, bonorum memores quæ fecerunt, nullum inde oblectamentum suscipient: imò plus eis augebitur mœstitiæ. Iuxta illud Boetij 2. de consolatione. Summum infortunij genus est, fuisse fœlicem.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quod cum & bona iustorum opera, & iniustorum iniqua, aliquod illic incrementum gloriæ & miseriæ efficiant, inde poterunt alij aliorum merita, aut demerita, saltem in genere perspicere: speciatim verò per virtutem diuinam, vt dictum est, singulorum conscientiæ cunctis pandentur, vt ab omnib. legantur. Quapropter non solum in suis effectibus, vt dictum est, sed in seipsis merita demeritaque cuiusque deprehendentur.

Sol. 3. arg. Ad tertium bipertitus est respondendi modus. Quidam n. aiunt, eodem instanti tunc omnes singulorum merita & demerita visuros. Quod quidem quantum ad beatos facile est creditu, si illa sunt visuri in verbo. Secus in proprio genere, puta in singulorum conscientijs. De damnatis verò, qui non in verbo, sed in proprio genere videbunt, non ita facile creditur. Et ideo alij opinantur, quod non videbunt sigillatim cuncta, sed in genere. Hoc tamen est contra verbum Aug. loco supra citato. 20. de ciui. Dei, vbi ait, quod omnia mentis intuitu cernentur, & quasi in lib. recitabuntur. Imò ad conditionem illius iudicij non satis est cuncta in genere cognoscere, sed & singula perpendere. Alioqui nõ æstimarentur personæ ad iustum quales essent. Dicendum ergo, vt ait D. Thom. quod singula considerabuntur in proprio genere, non tamen in instanti, cum non sint videnda per eandem speciem. Sed tamen subitò per diuinam virtutem, hoc est, in exiguo tempore. Et vt ait ibidem Augustin. mira celeritate cernentur. Vnde super illud Iob. 8. Induetur confusione: ait glossa. Viso iudice omnia mala ante oculos mentis versantur, hoc est, singula quemadmodum commissa sunt occurrunt.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm iudicium illud, scilicet, tam disceptatio, quàm sententiæ prolatio, sit vocaliter, an non nisi mentaliter repræsentanda.

Partis negatiua arg. 1. AD hæc quæ dicta sunt attinet, vt breuiter exploremus vtrum iudicium illud sit externo verbo, an sola mentis locutione perficiendum. Et arguitur, quod fiet voce. Ait quippe Augustin. 20. de ciuit. Dei. Per quot dies hoc futurum iudicium tendatur incertum est: non autem incertum esset nisi vocis prolatione esset celebrandum. Et Gregor. libro etiam citato 26. Moral. ait, quod illi saltem verba iudicis audient, qui ejus verbo fidem tenuerunt.

Pars affirmatiua. In contrarium autem videtur stare Pau. Rom. 2. vbi ait. Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, &c.

De hac quæstione nihil habetur sacris literis compertum. Et ideo hoc Magist. senten. tanquam problema vtrinque anceps relinquit. Dicebant enim quidam quod iudicium mentaliter sit faciendum propter

verbum

Digitized by Google

verbum Apost. 1. Cor. 15. In momento, & in ictu oculi. Illud autem non ad iudicium, sed ad resurrectionem refertur: & ideo alij dixerunt vocaliter exprimendum. Ricardus verò hic art 1. quæstione secunda ait, quod sicut Christus est Deus & homo, ita partim mentaliter, & partim vocaliter iudicabit.

1. Concl. Duas autem conclusiones possumus ex coniecturis & vero similibus rationibus colligere. Prima sit. Discussio & examinatio operum, & accusatio aut excusatio, quæ ad conuincendum iniquos, & ad præmiandum iustos sententiam antecedet, mentaliter duntaxat perficietur. Conclusio est cunctis receptissima. Et ratio est, quia accusatio illa, & singulorum operum enarratio, & examinatio, si voce seriatim esset peragenda, immensum temporis spacium exigeret, & ferè esset in illud absurdum recidere quod Augu. de libris repellit, qui apud Daniel. & in Apocalyp. commemorantur. Nempe, quod si essent materiales, vix tempus sufficeret vt legerentur. Idem enim propemodum accideret, si omnia essent voce percensenda. Vnde eodem lib. cap. 26. ait, quod conscientias reproborum conuincet sine vlla sermonis prolixitate. Et sapien. 4. dirumpet illos inflatos sine voce. Accedit, quod cum illa Deus noverit, & sua virtute sit cūctis reuelaturus, nihil vocali prolixitate opus erit. Et certè hoc videtur Rō. 2 Paulus illis verbis docere, Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Dominus occulta hominū. Quibus vtique verbis insinuat, nullos fore accusatores aut testes præter conscientiæ cogitatus, qui omnibus erunt in propatulo. *Rom. 2.*

2. Concl. Secunda conclusio. Quamuis non omnino cum certitudine, tamen neque absque probabilitate affirmari potest sententias illas Christi, quæ Matt. 25. referuntur, Venite benedicti, & Ite maledicti, sensibili voce esse proferendas. Opinio fuit Abulensis super eundem locum, q. 333. Et quæ me ratio in hoc inducit est illa, quæ solet, nempe quod vbicunque Euangelicus textus admittere sensum potest literalem quem sonat, secundum illum est audiendus: possumus autem sententias illas ad literam vt vocales interpretari: nam licet accusatio & examinatio intelligi nequeat nisi cum magno temporis decursu, sententiæ tamen illæ citissimè enunciari valent: quoniam non ad singulos singulatim sunt proferendæ, sed vna ad electorum chorum, qui erunt à dextris, atque altera ad reproborum turbam, qui erunt à sinistris, non ergo est cur negetur voce esse proferendas.

Ratio. 2. Secundò arguitur. Christus iudicare debet in quantum homo, venturusque est in forma humana visibili, & vniuersi in eundē locum in suis corporibus sunt conuocandi: & quod probabilius supra diximus, voce, & sono tubæ: & reuera sunt ad dextram, & ad sinistram, loco separandi: ergo pari ratione audibili voce sunt per sententiam approbandi vel reprobandi. Etenim si omnia in mente duntaxat perficienda essent, non tanta appareret ratio celebritatis illius concilij.

Ratio. 3. Præterea & Christo ad honoris excellentiam vox illa. Venite benedicti, percipite regnū & Ite maledicti in ignem æternum, accedet & iustis ad augmētum gaudij, & iniquis ad terroris vehementiam causa illa eius voce prolata, Esuriui, & dedistis mihi manducare, &, Esuriui, & non dedistis mihi manducare: ergo sono vocis enuntiabuntur. Neque necessarium est, vt quidá arguunt, sententiam hac ratione examinationi & accusationi respondere: nam accusationi & examinationi sufficiunt singulorum conscientiæ cunctis mente perspectæ, sententia verò debet maiestatem iudicis secundum humanam vocem repræsentare.

Sol. arg. Argumenta ergo in capite obiecta, quatenus probant sententiam voce esse proferendam, conceduntur. Si autem ita ad probandum examen quoque & testificationem, similiter esse exprimendam. Respondetur ad primum, propterea Augustin. incertum dixisse quanto tempore iudicium sit protendendum, quod neque cōpertum habebat sit ne voce an verò mente exprimendum. Gregorius autem sententiam nostram tenuisse videtur. Ait quippe, quòd vniuersi Christiani, tam beati, quàm damnati, audiēt: vocem iudicis: sententiam videlicet illam, Esuriui & dedistis mihi manducare, & Esuriui, & non dedistis mihi manducare: quia infidelibus illa suæ condemnationis ratio minimè reddenda est.

ARTICVLVS V.

Vtrum electi & reprobi sunt ad dextram, & ad sinistram Christi separandi.

POST hæc quæritur de dispositione iudicandorū vtrum sint separandi ad dextram & ad sinistram Christi. Et arguitur à parte negatiua. Videtur separatio illa nec fine magno negotio fieri posse, neque esse tam necessaria: ergo non nisi per metaphoram intelligenda est, vt iusti dicantur esse ad dextram, quia sunt ad beatitudinem destinati, & reprobi ad sinistram, quia sunt destinati ad supplicium. *Partis negatiuæ arg. 1.*

Secundò Paulus dicit. Omnes stabimus ante tribunal Christi, ergo omnes erunt ante faciem eius, electi quidem sursum in aere, vt ait idem Apostolus: miseri verò in terra, grauedine suorum corporum pressi: ergo non erunt à dextris, neque à sinistris. *2. Arg.*

In contrarium est illud Matth. 25. Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit in sede maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ad inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, & hœdos à sinistris. *Pars affirmatiua.*

Locus iste euangelicus erunt fortè à quibus non nisi per metaphoram exponatur, vt sedere Christum, quia in aere nequibit esse sedes: & separari bonos à malis. Imò Origenes super Matth. in eundem locum videtur huc alludere, quòd dextra nihil aliud sit quam beatorum cognitio, qua videbunt se, miserante Deo, seruatos. Et sinistra, iniquorum notitia, qua suis se delictis supplicia meruisse intelligent. Ait quippe, quod quamdiu iniqui, nempe in hac vita, neq; se cognoscunt neque Christum, & iusti per speculum & in ænigmate vident, tamdiu non sunt segregati boni a malis cùm autem propter manifestationem filij Dei omnes ad intellectum venerint suum, tunc saluator segregabit bonos à malis, quia peccatores cognoscent sua delicta, & iusti manifestè videbunt semina iustitiæ suæ ad qualem eos perduxerint finem. Quare per dextram, & sinistram non videtur intelligere nisi differentiam præmiorum & suppliciorum. Sancti enim, inquit, qui dextera opera operati sunt, acceperunt mercedem suorum laborum, dextram regis, in qua requies & gloria est: multi verò propter opera sua pessima & sinistra ceciderunt in sinistram & in tristitiam tormentorum. *Origenes.*

Quicquid autem vel Origenes, vel alij quicunque senserint, ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Credibile est Christum iudicatum ire in forma sedentis. Nam postquam hoc ipse asserit, & potest ad literam sustineri, non tam caste & sincerè seruatur assertio per metaphoram: præsertim cùm non solum dicat sessurum se in sede maiestatis suæ, verùm & discipulis, vt dictum est, duodecim pollicitus fuerit sedes in quibus tunc sedeant. *1. Concl.*

Secundò, quia cùm in quantum homo, atque in forma humana sit iudicaturus, consequitur, vt etiam sit ostensurus formam iudicis, quæ est sessio. Hoc enim plurimum ad maiestatem confert. Et ideo ait, quod sedebit in sede maiestatis suæ, sicut dum nos redemit, pependit in cruce ignominiæ suæ. Sedes enim non solum honorem contra ignominiam, verum & requiem à laboribus significat: vt sicut stans ipse à sedentibus pontificibus & iudice ludibrio habitus fuit, & iniustæ neci adiudicatus: ita sedens stantes suos hostes ante scabellum pedum suorum, iudicio iusto condemnet. *2. Ratio.*

Sedes autem illa non est existimanda fore aut ex terra, aut ex aliqua terrena materia, quia non sunt absque necessitate cumulanda miracula: sed erit nubes illa in qua se ipse asseruit venturum. Itaque quòd alibi se dixit venturum in nube, hic dixit in sede maiestatis suæ. Aër enim virtute diuina condensabitur in nubem lucidam sub forma sedis. Et pari modo de alijs iudicantibus dicendum. Præterquam quod throni ipsi angelici apparebunt, ipsum non necessitatis, sed honoris gratia venientes. *Sedes ex nube.*

Secunda conclusio. Tunc re vera inter fœlices & miseros segregatio fiet localis. Nam postquàm assertio Christi in hoc literali sensu optimè audiri potest, sic est auscultanda. Enimuerò cùm Christus vtrumque dixerit, scilicet, Congregabuntur ante eum omnes gētes & segregabit oues ab hœdis: differri realem nequeunt *2. Concl.*

segregationem, nisi qui pariter congregationem negauerint, quod esset negare iudicium in forma visibili per congregationem in eundem locum. Præsertim cùm iniqui igne ardebunt: fœlices verò minimè, vt dist. sequenti videbimus

Congrega. & segre.

Et est præterea æquitatis ratio quæ eandem segregationem persuadet. In hac enim seculari militia, quia prædestinati & reprobi non planè discernuntur, neque constat quinam sint in vno, qui ve in altero ordine permittuntur permixtim viuere vt sint quasi triticum inter zizania. In illo verò resurrectionis momento, luce plusquam meridiana illa manifestabitur differentia. Quare non est æquitati consentaneum, vt simul filij lucis cum filijs Belial commisceantur. Non ergo congregatio omnium gentium, & segregatio ouium ab hœdis sic intelligendæ sunt, ac si prius tempore fiat congregatio, quàm segregatio, sed quemadmodum ait Christus Ioan. 5. quod resurgent alij in resurrectionem vitæ, atque alij in resurrectionem iudicij, sic in ipso regenerationis articulo, exurgunt electi ad dextram, & reprobi ad sinistram: vt congregatio sit simul segregatio. Sed propter faciliorem humanum modum intelligendi, dictum est, congregabuntur, & segregabit. Terribilior namque erit, longeque plus nobis pauoris offeret meditatio, si quemadmodum hic viuimus, quando nostræ salutis aut perditionis incerti sumus, meditemur nos esse sicut in diebus Noë, securè comedentes & bibentes, ac lubricis huius seculi voluptatibus fruentes. Tunc enim si de repente apparenti ad iudicium Christo præsentati, audiremus ipsum segregare iubentem bonos à malis, quoniam pauore & stupore vnusquilibet corriperetur, hæsitans vtrius nam esset sortis? Igitur quod Matth. decimotertio ait Christus, in consummatione seculi exituros angelos, qui separabunt malos de medio iustorum: de hac separatione à dextris ad sinistram, intelligendum est, vt inde illico mittantur in caminum ignis.

Meditatio.

Dextra & sinistra.

Nomine dextræ in Deo, misericordia eius intelligitur, & sinistræ, iustitia. Enimuerò vbi membra hæc non inueniuntur, ratione virtutis dignoscuntur. Vnde Atisto. in orbe cælesti, illic dextrum posuit, vnde motus eius inciperet, si post quietem moueretur, nempe in oriente. Proprius autem primusque motus Dei est per misericordiam. Non quod iustitiæ virtus non sit etiam ei propria, sed quod misericordiæ actio non habet in nobis propriè causam, sed à solo ipso dimanat. Dum enim vniuersum condidit, nullum erat in rebus illius beneficij meritum, quia neque vlla res erat: neque verò in impio dum illum iustificat: iustitia verò eius propter nostra merita aut demerita operatur in nobis: & ideo dum in iniquos animaduertit, à sinistris operatur, quia ex eorum delictis vltio illa procedit. Atque hic est sensus Ecclesiasticæ illius collectæ. Deus cui proprium est misereri semper & parcere. Quasi illud sit proprium ingeniu eius & prima beneficiorum radix. Hac ergo ratione electi collocandi sunt à dextris Christi, & reprobi à sinistris.

2. Ratio.

Præterea quia dextra prosperitatem designat, atque adeò sempiternam fœlicitatem, sicut sinistra extremam miseriam. Igitur electi tum propter merita quæ ex misericordia procedunt, tum propter præmium quod recepturi sunt collocabuntur à dextris: iniqui verò, & propter demerita quæ ex sua sinistra voluntate processerunt, & propter iustum supplicium quo sunt plectendi, statuentur à sinistris.

Christus pastor, &c. Pruden. & imprud. virg.

Cæterùm quia Christus pluribus se muneribus functum asseruit in Euangelio, pluribus modis segregationem hanc explicare possumus. Est enim ecclesiæ sponsus, iuxta illud Pauli. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo, prudentes virgines, præparatæ ad nuptias constituentur à dextris, & fatuæ quæ in hoc seculo, dum oleum misericordiæ gratis venderatur, maliguè illud emerunt, depellentur ad sinistrã. Et quia regnum cælorum cum sagena contulit missa in mare, boni pisces custodientur à dextris, & mali eijcientur in sinistram. Et quia se quoque comparauit agricolæ permundanti aream suam, illi qui sunt in horreum condendi, vt grana, siti erunt à dextris, paleæ verò & zizania semouebuntur ad sinistram, vt inde proijciantur in ignem.

Oues & hœdi.

Inter omnes autem similitudines illa Christo maximè placuit, vt se pastorem prædicaret, & suam familiam ouium gregem. Descendit enim de cælo ouem quæsitum, quam perdiderat, & ideo ait. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Ob idque ait impræsentiarum, quòd statuet oues quidem à dextris suis: hædos autem à sinistris. Ouis etenim obedientissimum animal est, & in grege sub cura pastoris semper viuens: ex cæteris enim animalibus siluestria feraque inuenias etiam capros, oues verò minimè: ob idque maximè Christianam ecclesiam repræsentant. Sunt & inter animalia maximè frugiferæ, lana quippe, lacte, & caseo, & assiduo fœtu, carnibus ipsis sunt nobis frugi, & vberes. Et tales debent in spiritualibus esse Christiani. Sunt humillimæ, paucissimis contentæ, inermesque, & nulla fallendi arte instructæ, & mansuetudine insignes. Quam ob rem Dominus discipulos suos ceu oues in medio luporum esse iussit. Sunt denique innocentiæ candore præstantissimæ, adeò vt Christum ipsum quasi agnum dominatorem terræ expectarent Prophetæ, & velut agnum tollentem peccata indicaret Ioannes, & tanquam agnum coram tondente se obmutescentem se ipse tradiderit in sacrificium.

Capri.

Capri verò contrà infructuosi, cornibus & mento feritatem superbiamque præ se ferunt, & cum oues demisso capite tenellis herbis contentæ pascantur, capri in duos semper pedes erecti dumorum cacumina decerpunt. Sic enim filij huius seculi ad summos semper honores inhiant, vixque pastoribus obsequuntur. Atqui ad maiorem emphasim, oues fœmineo genere expressit, quia mitiores sunt frugalioresque quam arietes: hœdos verò, nempe barbatos caprosque, genere masculino, quoniam ferociores sunt quam capræ.

Dæmones.

Hinc fit, vt dæmones nunquam formam ouium, sed semper caprorum induant. Atqui ea propter in lege veteri capri pro delictis populi sacrificium erant, & ideo quasi ipsa peccata foras emittebantur. Agnorum verò sacrificium innocentiam Christi præsignabat.

Copiosior numerus à sinistris.

Tandem & hoc consideratione dignum est, quanto scilicet copiosior numerus à sinistris erit quàm à dextris. Si enim ab orbe condito sub lege naturæ oculos ad gentes conijcias, quibus fides Messiæ non effulsit: deinde ad gentes quæ modo euangelium non agnoscunt, incomparabilis est infidelium numerus respectu anguli quo verus Deus colitur. Imò si infidelium multitudine prætermissa, Christicolarum Ecclesiam contemplemur, vtinam tot dextram quot sinistram occuparent.

Duo in agro, &c.

Quod enim ait Christus, tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur: duo in lecto, vnus assumetur. & alius relinquetur: non significat electorum ac reproborum paritatem, sed quod ex omni statu, sexu, ætate, conditione, officio, & arte, erunt prædestinati & reprobi. Nam quia præmiserat aduentum iudicis de repente futurum, sicut in diebus ante diluuium, quando securi erant homines, comedentes, bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, ne quis cogitaret non esse tunc plures saluandos, quàm illic in arca, dixit ex quocunque statu aliquos seruandos, aliosque reijciendos, videlicet vt neque in vllo quispiam statu & conditione, aut officio tutò se viuere arbitretur, nisi Dei gratia præsidio ei fuerit, neque verò desperet si eius voluerit fauore vti. Ob id namque dixit. Vnus assumetur, & alius relinquetur: ne quis suis viribus naturalibus suam salutem adscribat, sed præuenienti Dei gratiæ. Non enim ex operibus, vt ait Paulus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Vnus assumetur.

Ad primum igitur argumentum negatur, aut magno negotio opus tunc fore, vt separentur ab iniquis electi, aut non esse necessarium: imò resurgendo separabuntur, & erit operæpretium, vt beandi sicut meritis, ita & loco sint ab iniquis disgregati

Sol. 1. arg.

Ad secundum respondetur, nihil situi obstare quominus omnes sint ante faciem iudicis, electique in aëre reprobique in terra: & nihilominus illi sint à dextris, & isti à sinistris.

Sol. 2. arg.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrùm generale iudicium per sententiam iudicis concludetur.

POSTREMVS actus iudicij est sententia, & ideò tandem quæritur, vtrùm per sententiam iudicium generale concludetur. Et arguitur à parte negatiua. Si aliqua esset illic sententia futura, maximè illa, Venite benedicti patris mei, &c. aut, Ite maledicti, &c. illæ verò non habent sententiarum formam, quæ est, absoluo aut condemno vos, aut quid simile, imò potius habẽt executionis sententiæ figuram. *Partis negatiuæ arg. 1.*

Secundò potissimum arguitur. Sententiam debet examinatio causæ antecedere, vt secundum merita proferatur, illis verò verbis non exprimitur tota causa legitima approbationis aut condemnationis: ergo non est sententia. Probatur minor. Regnum cælorum pro legis & mandatorum obseruatione confertur, & pro eorum transgressione aufertur, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: & copiosior eius possessio illis promissa est, qui consiliorum vota obseruantiæ mandatorum adiecerint: iuxta illud Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites. Beati qui lugent, &c. quorum custodibus promittitur, quod erunt magni in regno cælorum: illic autem nulla fit aut mandatorum, aut consiliorum mentio: ergo non est legitima sententia. *2. Arg.*

Tertiò arguitur. Nemo à regno nisi propter vel originale, vel mortale crimen excluditur: opera verò misericordiæ genere suo rarò, nimirum propter extremam, aut grauem necessitatem obligant sub reatu mortalis criminis: ergo non videntur tot condemnandi, quia esurientem non pauerunt, aut non potarunt sitientem. Potissimum, quod opera misericordiæ spiritualia præstantiora censentur, quorum tamen illic nulla habetur memoria. *3. Arg.*

In contrarium est Christi autoritas, cuius nulla in iudicio alia referuntur verba quàm illa, Venite benedicti &, Ite maledicti, &c. quæ cùm sint iudicij conclusio, eius habent imaginem sententiæ. *Pars affirmatiua.*

Ad quæstionem hac vna catholica conclusione respondetur. Verba illa Christi, Venite, & Ite, legitima est sententia, eademque iudicio illo accommodatissima. Vbi adnotandum est, quod cùm ad iudicium, vt supra diximus, tria sint potissimum requisita, nempe potestas in persona, sapientia in intellectu, & rectitudo in voluntate: quæ quamuis per proprietatem in tribus personis existant, attribuitur tamen primum patri, secundum filio, tertium spiritui sancto: hæc omnia in summo gradu relucent in illo iudicio: quia Christus quantum ad potestatem, vt ait Petrus, constitutus est iudex vniuersalis viuorum & mortuorum: est autem ipse vt summa bonitas, & ex vno falli non potest, & ex altero nec potest fallere, neque alicui iniuriam irrogare. *Conclusio catholica.* *Tria ad iudicium requisita.*

Sapientia autem iudicis duplex est, scilicet iuris & facti, inde ergo primum tum extimescendum est illud iudicium, tum cum primis adorandum, quod iudex neque per testes falli poterit in facto, neque per aduocatos in iure, quia omnia sunt, etiam cordium intima, suis oculis patentia: & leges, secũdum quas iudicaturus est, ipse condidit. Itaque ipse simul est & legum summus conditor, & factorum oculatissimus testis, ac perinde omnium æquissimus iudex. Nam quemadmodum secundum intellectum falli non potest, ita neque secundum voluntatem flecti, neque prece, neque pretio, neque (quod expauescẽdum in Deo est) vllo cõmiserationis affectu. Etenim tempus miserẽdi illucusq; protenditur, illic verò sola iustitia dominabitur meritorum iudex, quæ hic vel de misericordia eiusdem Dei processerunt vel de nostra peruersa voluntate. Misericordia ergo & benignitas Dei, & lõganimitas, qua homines hic ad pœnitentiam adducit, dum per duritiam cordis excluditur, in iram tum ipsius iudicis conuertetur. Iuxta illud Pauli Roman. secundo, Per duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ. Hoc ergo grauius erit miseris, multoque tremendum, nempe diuinum pectus sic occlusum videre, vt nullus eis pateat ad eius clementiam aditus. Et quemadmodum neque secundum intellectum decipi, neque secundum voluntatem flecti, ita neque præ eius omnipotentia poterit *Sapientia iudicis duplex.* *Rom. 2.*

vllo pacto superari. Quare nec ad alium superiorem locum habebit appellatio, neque executio moram: sed sicut in mundi fabrica ipse dixit & facta sunt, ita in illo iudicio ipse iubebit, & facta erunt.

Quo ergo ad primum argumentum respondeamus, negatur verba illa, Venite & Ite, non esse sententiæ Dei aptissima. Homines quippe dum iudicant, quia non semper prolata sententia protinus executioni mandatur, mitiorem aliam pronuntiandi formam habent: in Christo autem, quia sententiam proferre est ipsam executioni mandare, appositissimè electis dicet. Venite, percipite regnum. & reprobis, Ite in ignem æternum.

Et quia in Deo benedicere est benefacere, & summum beneficium est collatio regni cælestis, ait. Venite benedicti, hoc est, summa benedictione donati. Adijciet autem, patris mei, quia cùm iudicaturus sit inquantum homo per potestatem quam a patre recepit, illam præmij collationem patri adscribet. Præsertim cum ille sit supremus prædestinationis effectus, quæ quidem prædestinatio fuit æterna, quæ Christo non secundum humanitatem, sed secundum diuinitatem, quam per generationem habet à patre, competit. Quibus de causis filijs Zebedæi, Matthæi vigesimo ait, Calicem quidem meum bibetis, nempe meritum meam baiulando crucem præstabitis: præmium verò scilicet sedere ad dextram, & ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Miseros autem reprobos maledictos appellans, non adijciet patris mei, quia peccatorum, quæ sunt condemnationis causa, Deus non est autor, sed nostra deprauata libertas. *Benedicere.* *Matt. 20.*

Possidete regnum, nam quamuis iam tunc omnes electi sint illud possessuri secundum animas: percipient tamen illud tunc secundum corpora, & cum omnium beatorum consummato consortio. Quamuis fortasse explicet illud Christus ad nostrum intelligẽdi modum: quasi tunc primum, vt fit in cuiusque particulari iudicio, recepturi essent regnum. Ait autem possidete, hoc est, percipite, quasi illud electi concupiuerint, & corda inclinauerint, vt ait Dauid, ad faciendas iustificationes propter illam retributionem. Quocirca damnatis non ait, Ite, percipite aut possidete ignem: quia sua intentio non fuerat illud adipisci, sed ex transuerso inuiti in illud malum impingent. *Percipite regnum.*

Et quoniam meritum regni consistit in appropinquatione ad Christum, ait, Venite. Nam quamuis tunc non erit in cælo empyreo, quod sedes est beatorum, ait tamen, Venite mecum, quo ego sum remigraturus: sicut alibi dixit. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et quia peccata consistunt in recessu à Christo, ait iniquis. Ite, sicut Matthæi septimo. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. *Venite.*

Vnum autem hic se offert dubium circa intellectum illius verbi, Percipite regnum: percipere namque regnum non est nisi regis, cuius est regni dominium & gubernatio: rex autem regni cælorum non est nisi Deus secundum primam autoritatem, & Christus secundum eam quæ sibi collata est. Respondetur autem, quod regni possessio per ius dominandi & regendi non est nisi regis: sed nihilominus & ciuibus, qui ius habent viuendi in regno, & in pace & tranquillitate possessiones suas ibidem possidẽdi, & iuribus eius fruendi, competit etiam regni possessio. Itaque regnum est regis tanquam regentis, & ciuium tanquam eorum qui reguntur. Et isto secundo modo Christus traditurus est vniuersis electis regnum cælorum. Quanquam emineat quædam excellentia in cælestibus ciuibus præterrarum incolis, videlicet quod ciues in hoc seculo non ad nutum toto vtuntur regno, sed per partes: in quo ideo multa illis aduersa contingunt, vt paupertas, infirmitas, atque aliæ calamitates, per quas non licet eis animum suum concupitis explere. Fœlices autem cælicolæ non per partes, sed totum possident regnum, vniuersi, inquam, diuinam essentiam vident, qua ratione Deum possident, qui est totum regnum. Atque adeò quicquid optant, obtinent: nec quicquam est quod illis aduersetur, sed omnia pro votis sunt eis subdita. Atque hac ratione regum etiam nomen suo gradu illis adscribitur. Iuxta illud Apocalyp. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. & cap. quinto. Redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et cap. vigesimosecundo. Dominus *Dubium de regno.* *Regni possessio.* *Regnum cælorum.*

Digitized by Google

Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum.

Paratum vobis, &c. Paratum vobis regnum à constitutione mundi. Nam etsi paratum, hoc est, prædestinatum, non à constitutione mundi, sed ab æterno fuerit tamen quia à constitutione mundi angeli illud possidere cœperunt, & tunc homines ad illud possidendum fuerint conditi, ait paratum à constitutione mundi. Quasi diceret. Inde nam vos expectat. Differentibus autem verbis ait damnatis. In ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. De regno namque non dixit, quod paratum est angelis, quoniam æqua sorte præparatum est hominibus cum angelis Neque merita quibus regnum homines promerentur, contingunt eis per angelorum gratiam & fauorem, sed per auxilium & gratiam Dei, quæ æqualiter hominibus atque angelis opitulatur: peccatum verò primum hominis diaboli suggestione ingressum est in orbem, quod causa est condemnationis in ignem æternum: & ideo ad maiorem exprobrationem ait. Qui paratus est diabolo & angelis eius. Quasi homines per peccatum facti sint Satanæ angeli. Præterea, vt alibi diximus, quia infernus propriè non videtur nisi angelis decretus, eo quòd nequeant per pœnitentiam à peccatis liberari: hominibus namque ad terrorem deberet infernus seruire, vt inde se per pœnitentiam eriperent. Quocirca humanum quidem est peccare, sed diabolicum in peccato perseuerare.

Qui paratus est diabolo.

Sol. 2. arg. Secundum verò principale argumentum, difficillimum vulgo existimatur: tanquam miraculum enim ducitur, quod in causam præmij & supplicij æterni, non nisi impletio operum misericordiæ, & eorum omissio afferantur. Veruntamen qui de hoc mirantur, supponunt nullum aliud illic futurum meritorum, demeritorumque examen, eo quòd non aliud illic Christus verbo expressit, sed est ipsorum præsuppositum falsum. Nam, vt iam satis expositum est, vniuersa merita ac demerita vnicuique in memoriam redibunt, eademque erunt cunctis comperta: vbi quemadmodum iniqui mandata defregerint vniuersis constabit: atque adeò palam erit vnusquisque conuictus, quanto sit supplicio dignus. *Matt. 12.* Nam, vt ait Christus Matth. 12. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ob idque Matth. decimooctauo assimilauit regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. In qua vtique parabola conciusit, quòd vnusquisque reddet omne debitum vsque ad nouissimum quadrantem, vt ait alibi. Imò & in illo mentali iudicio aggrauabitur eorum culpa qui pœnitentiam non egerunt. Niniuitarum exemplo, qui in prædicatione Ionæ illam fecerunt: cùm tamen Christus longissimè maior fuerit quàm Ionas, quippe qui speciale supernaturale auxilium continenter offert peccatoribus, instigando eos ad pœnitentiã. Et infidelium cæcitas itidem exprobrabitur comparatione reginæ Austri, quam fama Salomonis ad ipsum perduxit.

Simili modo & iustorum merita erunt cunctis propatula, tam in consilijs quàm in mandatis, vt cunctis compertum fiat, quam sit vnusquisque fœlici illa retributione dignus.

Cur mentio operum misericordia facta. Hinc autem emergit dubium, cur mentio duntaxat operum misericordiæ, quæ aut completa sunt aut neglecta, singulariter fuerit facta. Aliqui forsan cogitabunt illam esse causam, quòd nonnunquam opera misericordiæ vim obtinent præcepti, nempe ingruente extrema aut graui necessitate. Sed re vera causa hæc non apparet legitima: quoniam alia sunt præcepta maiora, quæ efficaciori ratione deberent exprimi. Præterea omissio illa & impletio misericordiæ in casu necessario, inter alia merita & demerita, per mentale conscientiarum examen in illo iudicio liquebit. Adde, quòd commendatio illa impletorum operum misericordiæ, & omissorum improperatio non habet in verbis Christi illam effigiem, vt solùm ad casus extremæ aut grauis necessitatis referatur, sed vt protendatur ad omnes supererogationis misericordias.

Duæ causæ. Duæ ergo sunt causæ, ob quas illa misericordiæ mentio fiat, quæ propemodum in eandem incidunt. Prior hoc habet fundamentum, quod adulti Christiani ratione vtentes, ad quos illa commemoratio refertur, vix communi lege possunt sine peccato viuere, imò si confirmatos excipias, rarò sine aliquo mortali. Inter fructus autem pœnitentiæ egregium locum habet eleemosyna: nam licet oratio ex obiecto sit præstantior, eleemosynas tamen necessitas publica pauperum commendatiores reddit. Enimuerò ieiunium macerationi potius proprij corporis confert. Vnde Tobiæ quarto: Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat. Et capite duodecimo: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosynam magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. Quo alludit illud Christi Luc. decimosexto: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et Ecclesiast. tertio. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius qui reddidit gratiam. Et Luc. vndecimo: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Plurima sunt quæ Christus in hanc pietatis commendationem contulit. Et certè illud primæ Petri quarto: Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habete, quia charitas operit multitudinem peccatorum: eleemosynæ potissimum coaptatur. Dum ergo Christus opera misericordiæ allegat iustis in causam suæ beatitudinis, non vult negare quin impletio mandatorum fuerit causa potissima, sed demonstrare, quemadmodum si peccata commiserint, pœnitentiam tamen egerint, eademque peccata, vt Daniel. quarto habetur eleemosynis redemerint, suaque perinde merita per gratiam Dei illis beneficentiæ muneribus auxerint: quippe quibus egregium amorem erga Deum, qui pauperum personam agebat, declarauerint. Et è conuerso reprobis omissionem operum misericordiæ improperans, non vult negare quin propter delicta mortalia in supplicium ignis mittantur, sed ostendere, quemadmodum peccata sua per pœnitentiam delere neglexerint, & per illos pœnitentiæ fructus amorem eius colere, ipsumque adeò sibi reconciliare.

Eleemosynarum commendatio.

Pauperum commendatio. Secunda causa, illius misericordiæ commemorationis, & quasi eadem est commendatio pauperum. Demonstrat enim Christus quanta ei cura sit pauperum, quantaque eius gratia per eleemosynarum beneficium concilietur: primùm in hoc quòd in die iudicij nullam se habiturum memoriam expresserit aliorum mandatorum, aut consiliorum, aut sacramentorum, aut denique officiorum quàm benignitatis & largitatis in pauperes. Deinde, & in hoc præsertim, quòd non satis dixisse putauit, Quod vni de his feciſtis, pro me feciſtis. Sed ingentissimæ emphasis gratia, quandiu feciſtis, inquit, vni, de his fratribus meis, mihi feciſtis. Stupenda Dei clementia. Dum sederit in sede maiestatis suæ cum angelis Dei, tunc vt eleemosynarum merita eximio extollat honore, nihil cunctabitur se pauperem fuisse & egenum confiteri: nempe qui in persona pauperis ad ianuas esurierit nostras, illic plagas nobis ostenderit, & ærumnas cum rubore detexerit. Igitur quibus mendicus Christus nobis in pauperibus præsens, viscera aperire non sufficerit, eosdem saltem sufficiat vel ad illum inenarrabilem incitare honorem, quando coram angelis Dei confitebitur, se pauperem ab ipsis alitum, potatum, vestitum, vel illo maledicto absterreat, quando exprobraturus est illis seipsum mendicum, esurientem & nudum, à suis ianuis abactum, expulsumque fuisse.

Extollitur diuina clementia.

Ecce ergo secundum argumentum solutum. Antecessura enim est meritorum, hoc est, præceptorum mentalis examinatio sententiam. At verò sententia, vt supra diximus, fortè sono vocis propter causas iam relatas exprimetur.

Solut. 3. argu. Ad tertium denique respondetur, quòd quamuis nemo nisi propter peccatum vel originale, vel mortale à regno sit excludendus, nihilominus quia potuit vnusquisque illud per pœnitentiam delere, & per misericordiæ fructus extinguere, datur miseris improperio, quod eadem misericordiæ opera neglexerint.

Opera misericordia spiritualia missa. Missa autem fecit opera misericordiæ spiritualia, eo quòd licet sint ratione obiecti cumulationis meriti, non sunt tamen tam omnibus nota quàm corporalia, neque ad tam multa hominum genera se extendunt. Non enim tam multi sunt, qui consilio, aut doctrina, aut correctione alios iuuare possint, neque tam frequentes, qui illis indigeant. Imò verò (quæ potissima causa est) neque sunt illa auxilia tam necessaria. Illa quippe spiritualia opera, quæ ad salutem sunt homini necessaria vsque adeò sunt cunctis peruia, vt quicunq;

possit,

Digitized by Google

possit, nisi sua culpa obstiterit, sibi sufficere, licet ab alio non corripiatur, neque emendetur. Sed tamen corporalia subsidia non cunctis suppetunt, & ideo maiori obligatione ligant. Hoc autem examinare non est præsentis loci, sed illud admonere, vt timorem aduentus Domini Christiana exultaque nobis vita adimat, eiusque amorem ingeneret. Ait enim Paulus: Coronam iustitiæ illis esse propositam, qui aduentum Domini diligunt: nempe qui non tam supplicia timent, quàm præstolantur præmia. Vnde ad Titum 2. Sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo, expectãtes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. *1. Tim. 4.*

DISTINCTIO QVADRAGESIMAOCTAVA,

DE PVRGATIONE ET INNOVATIONE MVNDI.

Textus Cap. 1.

POST hæc quemadmodum sit mundus in sempiternum speciosior permansurus, rimandum nobis superest. Enimuerò cum non nisi in hominis obsequium conditus fuerit, quippe cui, vt Genes. primo legitur, dominium eius fuerit concessum, consentaneum est diuinæque prouidentiæ condecens, vt humano generi perpurgato, & per gloriam innouato, mundus quoque lustretur, purgatusque innouetur. Illud autem ministerium ignis, qui eidem muneri accommadatam habet naturam, exhibebit. Vnde in Psal. In conspectu eius exardescet ignis, & in circuitu eius tempestas valida. Atque cum duos sit habiturus effectus, nempe & mundum expiare, & damnatos cum dæmonibus conuolutos in infernum obtrudere, prioremque ante, posteriorem verò post iudicium, consequẽs sit vt faciem iudicis sit anteceſſurus. Vnde in alio Psal. Dauid. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et Iohelis. 2. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma. *Genes. 1. Psal. 49. Psal 96. Ioelis. 2, Cap. 2.*

Primum igitur electos, quos viuos reperierit purgationis egentes, citissima morte perpurgabit: deinde elementa tria nobis antigua, quæ nobis subinde vsui sunt: nempe terra, aqua & aer, eodem igne conflagrantia expurgabuntur: ac perinde ignis, qui apud nos in aliena ardet materia. Hoc nos Petrus Apostolus docuit dicens, quod cæli, qui prius erant, & terra & aqua, aquarum inundatione perierunt. Vbi palam cælorum nomine, vt. 20. lib. de ciui. Dei ait August. ventosi aëreique cæli intelliguntur, non ætherei cælestes. Quos subinde cælos ait igni reseruatos in diem iudicij. Ac demum de eisdem subdit, quod cum venerit dies domini vt fur, cæli cum magno impetu transibunt, & ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent, & opera, nempe mista, quæ in terra sunt, exurentur. Ascendet ergo vt *2 Pet. 3. Aug. l. 20. de ciu. Dei. c. 28.*

inde colligitur, ignis ille, veluti aqua diluuij, cubitos quindecim super montium cacumina: quare ad elementum ignis, quod purgatione non indiget non pertinget. Tandem prolata sententia iudicij complicatos cum dæmonibus miseros homines in infernum rapiet,

Eiusmodi ergo purgatione peracta speciosior mundus innouatus permanebit: iuxta illud Apocalyp. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abijt. Vnde diuus Petrus, nouos, inquit, cælos, & terram nouam secundum ipsius promissionem expectamus, in quibus iustitia inhabitet. Nempe vt secundum hominis gloriam, cuius gratia mundi machina fabricata est, mundus ipse noua pulchritudine donetur. Et creatura, quæ, vt ait ad Roma. Paul. reuelationem filiorum Dei expectat, liberetur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ ipsorum. *Cap. 3. Apoc. 21. Roma. 8.*

Igitur cum cæli non in aliud moueantur officium, quàm vt humano generi propagando alendoque seruiant, illa tunc necessitate cessante â suo motu requiescent, vt nec dies amplius noctesque distinguant aut menses & annos: lucem autem non amittent: imò iuxta verbum Esaiæ Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter: non autem diei & noctis vicissitudine. Ac perinde elementa suo ordine & gradu cælorum amœnitatem imitabunturs. Nempe vt terræ superficies peruia vt vitrum sit: aqua sicut crystallus: aër veluti cælum: ac denique ignis ceu luminaria cæli. Animalia verò & mixta, quia suapte natura corruptibilia etiam in totum existunt, non innouabuntur, sed prorsus & ignis conflagratione, & cælorum motu cessante interibunt: vt quemadmodum homo, qui corpus seminat corruptibile in incorruptionem resurget, ita cunctis corruptibilibus peremptis soli cæli, qui suapte natura incorruptibiles sint, atque elementa que in totum non sunt corruptioni subiecta, perseuerent. *Cap. 4.*

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆOCTAVÆ,

Quæstio prima.

DE IGNE CONFLAGRATIONIS, ET EIVS EFFECTIBVS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm aliqua sit futura mundi purgatio per ignem.

AD tractatum iudicij pertinet mũdi purgationem, & innouationem, quæ post diem illum in æternum est permansura, speculari. Quare præsens distinctio duas habebit quæstiones, vnam de purgatione mundi, atque alteram de eius innouatione.

Partis negatiua 1. argu.

Quæritur ergo primum, vtrum mundus sit per ignem purgandus. Et arguitur à parte negatiua. Purgatio rei vel ab eo fit quod impurum, suæque naturæ commistum habet, vt expurgatur aurum: vel secundum diuinam iustitiam, ad abstergendum culpæ sordes, cui muneri locus purgatorij destinatus est: at verò in elementis huius mundi nil immundum commistum est, iuxta illud Actu. 10. Quod Deus creauit, tu ne commune (id est, immundum) dixeris neque in rebus inanimis vlla existere potest culpa: ergo neque vllà indigent purgatione.

2. Argu.

Secundò arguitur, quod etiam si mundus sit purgandus, id non sit per ignem faciendum: tum quòd aqua non minoris virtutis est ad purgãdum quàm ignis, imò plura aqua quàm igne permundantur. Et prima mundi emundatio per diluuij inundationem facta fuit: tum etiam quod si per ignem mundus purgaretur, ille esset eiusdem speciei cum elemento ignis: hoc autem inde apparet falsum: quod omnia quatuor elementa illo sunt igne consumenda, vt. 2. Petri 3. illo verbo secundum glossam significatur. Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent: ignis autem non potest se ipsum concremare.

Pars affirmatiua.

In contrarium est illud 2. Petri. 3. Adueniet dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.

Quæstio hæc quatuor conclusiones quæ argumentis propositis insinuantur exposcit. Prima. Mundus in die iudicij purgandus est. Conclusio hæc, quamuis sub his terminis in sacra pagina non inueniatur expressa, sic tamen ex illa colligitur, vt sit seu catholica suscipienda. Legitur enim Apocal. 21. Vidi cælum nouum, & terram nouam Primum enim cælum & prima terra abijt, & mare iam non est. Et loquitur de vltima mundi consummatione: omnis autem rei innouatio per aliquam fit purgationem, vt in metallorum purificatione conspicitur. Cui alludit Paul. 1. Corinth. 7 vbi ait. Præterit figura huius mũdi. Præterire namque figuram, est per purgationem immutari.

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Ratio verò conclusionis sic colligitur. Mundus propter hominem conditus est, nam vt Aristot. 2. Physi. habet, licet mundum factum negauerit, cognouit tamen esse propter hominem. Vnde Genes. 1. post mundi fabricationem ait Dominus. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, &c. Et Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Locus autem debet locato proportionari: ergo quando homo secundum corpus est ad statum gloriæ assumendus, condecet, vt & mundi corpora in statum meliorem mutentur, vt scilicet locus cõuenientior sit ad gloriam, & aspectu pulchrior. Immundicies autem quæ hominis gloriam impedit, est culpa. Nam vt. 1 Corinth. 15. ait Paulus, corruptio incorruptelam non possidebit. Et Apocal. vlt. in ingressu ciuitatis gloriæ, foris, inquit, manent venefici, impudici, homicidæ, &c. Quare homines quousque & ab omni culpa, & ab omni reatu pœnæ inde relictæ purgentur, gloriam non possidebunt. Creaturæ verò corporales homine inferiores, quamuis res non sint, quæ culpa sic infici possint, vt eam committant, tamen quatenus sunt hominum seruitium, quandam incongruitatem atque indecentiam ex eorum culpis contrahunt: qua ideo indecentia & sordibus expurgari debent, vt gloriq fulgore resplendeant: quemadmodum basilicæ dum aliqua fœditate polluuntur, non sunt sacris faciendis idoneæ, quousque iustrentur. Res verò quæ hominibus delinquentibus seruiunt, ac perinde eorum delictis contaminantur, sunt mixta, & elementa, quæ generationibus atque alijs humanis vsibus polluuntur, sunt ergo omnia elementa purganda: nam mixta omnia peribunt.

Roma. 8.

Hanc veritatem Paul. Roma. 8. quem locum illic locupletius enarrauimus, edisserit. Etenim postquam gloriam quæ reuelabitur in nobis, longè passiones nostras superaturam adstruxit, subiunxit. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quo loco, vt bene ait Chrisostom. omnem copoream creaturam designauit, quæ cum in seruitium hominis cõdita fuerit, cui si in originali iustitia perstitisset, absque aliqua turpitudine inseruiret, postquam ab eadem iustitia per præuaricationem diuini mandati homo cecidit, duplici vanitati subiecta fuit non volens. Primæ 1. quia terra cœpit tribulis, spinetisque, & id genus herbarum nocumentis syluescere, aerque nobis esse inclemens, & animalia nobis esse infesta, omnisque perinde creatura nobis cœpit mortem intentare, quam ante peccatum posset homo non experiri. Et quia vanum est, quod suo frustratur fine, dictus est homo, ac perinde omnis creatura illi vanitati humanæ mortis subiecta, non volens, quia non fuit illa eius primæua institutio. Sed & alteri peiori vanitati, nempe culpæ, ab illo vsque peccati momento subiectus fuit mundus, quia homini in suis patrandis sceleribus inseruit. Lux quippe solis ei seruit, vt illa videat quæ ipsum turpiter alliciant: seruit & noctis vmbra, vt impudenter eadem perpetret: seruiunt & elementa, quæ fructus ei proferunt, atque alia temporalia bona, quibus ad ambitionem, luxum atque alia id genus flagitia & scelera vtatur. Est autem creatura illi seruitio subiecta, propter eum (scilicet Deum) qui subiecit eam in spe, id est, qui iussit rebus huius mundi, vt homini ad nutum seruirẽt, quousque in eiusdem mundi innouatione ab ac seruitute liberarentur. Hæc ergo ratio futura est compurgationis mundi, vt deinceps innouatus permaneat, statuique gloriq sit idoneus. Quomodo autem purgabitur, articulus sequens declarabit. Nam sunt elementa à mixtione depuranda, & à contagione per humanos vsus contracta expianda.

Sol. 1. arg.

Primum igitur argumentum partim solutum restat. Nam etsi per se elementa non sint culpæ subiecta, ex hominum tamen flagitijs quodammodo contaminantur. Et ad priorem partem respondetur, eo pacto nullam esse creaturam immundam: quo Manichæi dicebant, bonum & malum esse duas substantias, alteram à bono, alteramque à malo Deo creatas, & in vnaquaque re permixtas: in quo sensu illud allegatum intelligitur Actuum. 10. Nihilominus elementum quod sua natura est purum, habet quamdiu generationes durant aliquid admixtum extraneæ & peregrinæ naturæ, à quo debet purificari & defecari, vt arti. proximo monstrabitur.

2. Concl.

Secunda conclusio. Purgatio illa faciendà est per ignem. Probatur primo ex illo Psal. 49. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Et quod loquatur de extremo iudicio probant & præcedentia, & subsequentia verbà. Ait quippe, Deus manifestè veniet, id est, non occultè, sicut in primo aduentu. Ignis in conspectu eius exardescet, &c. Aduocauit cælum de sursum (hoc est, vt angeli & animæ de superno cælo descendant) & terram decernere populum suum, id est, vt iudicet populum suum. Quamuis August. 20. lib. de ciuitat. Dei, cap. 2 non legat nisi, Aduocauit cælum sursum, id est, vt sursum ascendat. Quare nomine cæli intelligit iustos, qui, vt ait Paulus, ascensuri sunt Christo obuiam in aera. Et nomine terræ intelligit damnatos. Sed prior lectio congruentior est. Et super illud. 1. Corinth. 7. Præterit figura huius mundi, ait August. 20. de ciuita. Dei cap. 16. Pulchritudo

huius

huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit. Sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij. Et subdit inferius. Vt scilicet mundus in melius innouatus apertè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis. Et. 2. Pet. tertio. Mundus, inquit, aqua inundatus perijt: cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo (hoc est, eadem sententia) repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis hominum. Et subiungit verba illa quæ iam supra citata sunt, scilicet quòd elementa & cæli ardentes soluentur. Nouos autem cælos & nouam terram & promissa expectamus in quibus iustitia habitat.

Ratio conclusionis.

Ratio autem conclusionis ex effectu & modo quo ignis purgabitur sumitur. Tria enim sunt, ad illam mundi purgationem pertinentia: nempe expurgatio ab illa indignitate, &, vt sic loquamur, irregularitate, qua mundus per humana delicta infectus est, vt idoneus maneat beatorum gloriæ. Mox purificatio & defecatio elementorum ab impuritate & commixtione aliarum rerum, ac denique dispositio ad gloriæ perfectionem. His autem operibus perficiendis aptissimus est ignis. Primum propter suam nobilitatem, quia est qualitatibus gloriæ similimus, præsertim in luce. Atque hac ratione accommodatus est ad abstergendas sordes ex delictis humanis relictas: vt sicut ignis purgatorij pœnas peccatorum delet: sic & reliquias illorum in elementis admistis ille ignis extinguat, & mundum suo creatori conciliet. Secundò propter suam puritatem, quoniam ob eximiam efficaciam actiuæ suæ virtutis, nullam extranei permixtionem admittit, sed citissimè illud absumit. Qua præterea virtute potentissimus est impuritatem elementorum extrahere. Nam vt. 2. de genera. tex. 8. autor est Philoso. calidum congregat homogenea, hoc est similia, ab æterogeneis ea segregando. Est quippe ad rarefaciendum & extenuandum efficacissimus. Qua vtique ratione metalla per ignem excolantur. Tertiò ignis dignitas est, quòd inter elementa à nostris est vsibus semotissimus: qua de causa minimè inter omnia ipsis inficitur. Quartò, quia purgatio illa citissimè facienda est: non sicut pristina quæ per aquas diluuij quadraginta diebus durauit, ignis autem velocissimæ actiuitatis est.

Deinde & propter alterum eius effectum, qui est damnatos in inferorum tapere, non potuit aliud organum ad illam exequendam sententiam commodius assumi: quandoquidem igneis cruciatibus sunt perpetuò torquendi. Præterea, quia eodem igne illi iusti, qui aliquid pœnarum habebunt purgandum, expurgabuntur, vt articu. proximo explicabitur. Adde quòd & ad maiestatem iudicis efferendam, splendoremque gloriæ iustis, terroremque inferni iniquis repræsentandum apta est ignis demonstratio.

Sol. 2. arg.

Ad secundum igitur argumentum respondetur, quòd quamuis aqua aptior sit ad sordes abluendas, non tamen ad eorum purificationem, quæ de extraneis naturis sunt commixta. Ob idque cum sub ætatem Noe, non fuisset orbis postrema expurgatione innouandus, sed tantùm à peccatorum sordibus, & præsertim à carnalibus flagitijs, quibus tunc mundus potissimum sordebat, expiandus, aquarum officio mundatus fuit, illo flagitiorum ardore restincto: instar quodammodo baptismi quo peccata suffocantur. Et quemadmodum in mari rubro submersi fuerunt Ægyptij: & veluti in antiqua lege panni, & vasa quæ sine sui consumptione mundari per ignem nequiuerant, aqua abluebantur. In die autem iudicij expurgandus est mundus non modo ab infectione peccati, verum & à commixtione & impuritate elementorum per separationem alienæ naturæ, quam habent admixtam. Cui quidem negotio accommodatissimus est ignis, quo liquescunt, excolanturque metalla: præterea, vt proximè dicebamus, tum & damnatorum supplicio, tum & iustorum gloriæ similis. Præterquam quòd tunc propter nimiam cupiditatem, & proprium amorem refrigescet charitas, vt Matt. 24. legitur, cuius frigoris antidotum est ignis.

Inundatio diluuij.

Ad secundam verò partem eiusdem argumenti respondetur, quòd ignis, qui purgatione tunc indigebit, est iste, qui in nostros venit vsus: qui quidem est in aliena materia, puta in carbone & flamma, cuius esca & fomentum est lignum, & aër: qui ideo ignis poterit ab his alienis materijs per illum alium purissimum expurgari. Ligna n. & aer, & omnia illo conflagrabunt igne. Quare non fit consequens, vt ille se ipsum aut purificet, aut consummat.

Quòd si rursus arguas. In prima mundi fabrica rerum distinctio & segregatio non fuit per aliquod corporeum instrumentum facta, sed à Deo ipso immediatè. Vnde illa forte philosophorum dimanauit opinio, qua fuit Anaxagoras imbutus: nempe quòd rerum segregatio esset actus diuinæ mentis: ergo eodem modo condecet, vt illa elementorum purificatio per segregationem fiat à solo Deo. Negatur consequentia. Quoniam illa prima rerum distinctio fuit per productionem formarum in distinctis materijs, quas solus Deus, vt autor naturæ, producere tunc potuit, cùm non essent alia agentia quæ sibi similia gignerent. Purificatio verò elementorum in fine mundi, erit rerum reductio ad illam puritatem in qua conditæ sunt. Ad quod opus perficiendum poterit ignis Deo ministerium exhibere.

Aliud arg.

Responsio.

Tertia conclusio. Ignis ille erit eiusdem speciei cum elementari & nostro. De hac enim re tres circunferuntur opiniones. Prima fuit, quòd elementum ipsum in illud sit tunc officium descensurum. Non quòd locum suum debeat vacuum relinquere, quia hoc rerum naturæ aduersatur, sed quòd per combustionem aëris multiplicabitur vsque ad terram propter excrescentem tunc eius virtutem. Pugnare autem cum hac opinione videtur testimonium Petri, insinuantis, quòd quantum aqua ascendit mundum emundans, tantum sit ignis ille ascensurus: vnde Doctores colligunt prope nos fore generandum.

3. Concl.

Prima opinio.

Et ideo alij cogitant ignem illum vehementibus solis radijs in nubes densas congestis progignendum: quemadmodum in speculo eorum reuerberatione solet ignis accendi. Veruntamen neque opinio hæc cõueniens est: quoniam tam ingens radiorum congestio nequiret, nisi ex certo situ & aspectu astrorum fieri: qui ideo aspectus & situs posset astrologis esse compertus: cum tamen prorsus sit ignotus, quia non erit nisi supranaturalis veluti cætera quæ illa die sunt euentura.

2. Opinio.

Rei ergo veritas est quam D. Petrus insinuare, & Aug. loco proximè citato explicare videtur: nempe quod eiusmodi ignis sit veluti olim diluuium futurus. Aquæ verò diluuij per causas fuerunt naturales genitæ: sed tamen causæ illæ virtute supernaturali Dei fuerunt coadunatæ. Fecit enim Deus, vt vniuersæ causæ aquarum genitrices, tam cælestes quàm terrenæ tunc præter suum naturalem ordinem coirent. Simili ergo modo vniuersæ causæ quæ sunt caloris ignisque effectrices tam quæ in cælo quàm quæ in terra existunt, conuenient ad inflammandum omnia quę possunt esse ignis materia. Quocirca ignis ille vt genituram habebit supernaturalem, ita & eadem virtute erit purissimus, atque adeo reliquis rebus expurgandis aptissimus.

Vera respõsio.

Hinc ergo colligitur nostra conclusio. Ignis enim ex quacunque materia genitus, eandem tamen speciem seruat: vt patet in igne ex radijs solaribus prolato, qui eiusdem speciei est acsi ab altero generetur igne, & vterque eiusdem speciei est cum elemento. Nisi quod iste quo nos vtimur, ratione crassioris materiæ non est tam purus.

Probatio conclusio.

Atqui per hęc liquet argumenti solutio, quòd supra insinuauimus, scilicet, quòd cum omnia elementa, etiam ignis purganda sint, non sit purgatio facienda per ignem. Respondetur, inquam, quòd ille ignis tanquam vehemẽtior & purior purgabit ignem qui nobis est vsui: experimur enim, ardentem facem admotam exiguæ candelæ, illam extinguere: quia aërem quo eius flamma nutritur, ocyus consumit. Elementum verò ignis nil habet admixtum extraneum, quod sit purgandum, vt articulo proximo videbimus.

Verum tamen aliud existit fortius argumentum. Virtus indicat rei naturam: virtus autem illa diuersa apparebit à virtute ignis elementarij & nostri, quia mundum, nempe aquam, terram & aerem purificabit, quod facere nequibit noster ignis. Litera responsionis huius apud D. Tho. mendosa est, vbi legitur non esse inconueniens, quòd ignis ille sit alterius speciei: cuius contrarium & in quæstio. docuit, & in responsione ad 1. Legendum ergo, quod virtus illius ignis, eum sit supernaturalis specię differet à virtute ignis nostri & elementi, licet ignes ipsi omnes sint eiusdem speciei. Et ideo quia virtus illa non fluet ex principijs substantiæ ipsius ignis, non indicabit naturam eiusdem ignis, qui eiusdem speciei est cum nostro: si quidem illa virtus ampliorem effectum habebit adeò vt sit admirabilis

quem-

quemadmodum inundatio diluuij. Quapropter non tolum ascendet secundum naturam ignis, sed circumquaque inserpet sequendo combustibilem materiam: veluti in igne totam inflammante aut domum aut syluam conspicimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ignis ille ante iudicium veniet.

QVAERITVR subinde de aduentu illius ignis, præcedet ne an verò subsequetur iudicium. Et arguitur, quod non præcedet. Deus enim dicitur orbem per ignem iudicaturus: ergo executio sententiæ erit, vt impetu illius damnati cum dæmonibus rapiantur in infernum, atque adeo erit iudicium subsecutus. *Partis negatiuæ. argum.*

Secundò arguitur. Si esset antecessurus, nulli in aduentu Domini reperirentur viui, quia omnes concremaret: contra illud Apostol. 1. ad Thessa. 4. Nos qui viuimus, &c. rapiemur obuiam Christo in aera. *2. Argu.*

Tertiò arguitur. Si veniret ante iudicium, illud in medio eiusdem ignis celebraretur, quo fieret, vt sanctorum corpora cum corporibus damnatorum tunc arderent. *3. Argu.*

In contrarium est illud Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet. *Pars affirmatiua. Conclusio.*

Ad quæstionem vnica conclusione respondetur. Ignis ille iudicium præueniet: nempe faciem aduenientis iudicis antecedens, vt in psal. citato ait Dauid. Et in alio. Ignis in conspectu eius exardescet. Et Ioelis. 2. Ante faciem eius ignis vorans. Ratio autem conclusionis est, quòd ignis illius duo erunt effectus. Vnus mundi purgatio, atque alter complicatio damnatorum in infernum. Primus autem antecedet iudicium, & secundus subsequetur sententiam iudicis: quia erit eiusdem sententiæ executio: fit ergo consequens, vt iudicem antecedat. Quòd autem prior effectus præueniet iudicium. Probatur. Resurrectio mortuorum præcedet iudicium: nam vt 1. Thess. 4. ait Apostolus, illi qui tunc reperientur viui, rapientur obuiam venienti Christo, atque adeò iam tunc mortui erunt & excitati. Beati verò resurgent in gloria: itaque terminus & finis resurrectionis erit gloria animarum & corporum. Iuxta illud. 1. ad Corinth. 15. seminatur in ignobilitate: surget in gloria, ergo in illo temporis articulo innouabitur mundus: quandoquidem innouatio illa fit propter hominum innouationem: nimirum, vt quemadmodum ait loco supra citato Aug. nouus mundus innouato homini seruiat. Quod verbo illo Paul. ad Rom. 8 confirmatur. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei. Igitur cum orbis conflagratio ad eius expiationem & innouationem referatur, fit vt subito ante iudcium sit futura. *Ratio. 1.* *Ratio. 2.*

Veritas hæc præterea hinc colligitur, quòd in momento resurrectionis, vt supra diximus, cessabit tempus, ac proinde cæli motus, quæ quidem cessatio ad eandem mundi innouationem spectat. *Ratio. 3.*

Augustinus. Augustinus verò loco citato lib. 20. de ciui. Dei, recensens illa quæ tunc contingent, conflagrationem mundi post iudicium connumerat: imò post missos damnatos in ignem æternum: non tamen cogitabat eo ordine illa referre, quo sunt euentura. Et ideo subdit Quæ omnia quidem ventura esse credendum est: quibus autem modis & quo ordine veniant, magis tunc rerum experientia docebit, quàm nunc ad perfectum hominis intelligentia valeat consequi. *Augustin.*

Primum igitur argumentum solutum est: quoniam solum probat quòd ille ignis aliquem sit effectum post iudicium habiturus. Cæterum circa solutionem secundi & tertij adnotandum, quòd ignis ille in illo momento quo resurrectionem antecedet, virtutem naturalem exercebit in omnes quos viuos reperiet, tam probos quam reprobos, vniuersos in cineres resoluendo. Quapropter opinio tenentium quòd iusti tunc viui non morientur, sustineri nequit, nisi dicendo quòd Deus virtutem illius erga prædestinatos suspendet, quòd non est vero simile. At verò quamuis omnes hac ratione interficiat, cum aliquo tamen discrimine. Iniquos namque exurendo cruciabit: electos verò si qui tunc inueniantur, qui nihil prorsus purgandum habeant, nullum, vt ait hic D. Thom. & Doctores, in illa combustione habebunt doloris sensum, Deo sic sua virtute disponente: quia nulla est ratio cur crucientur. *Solut. argumentorum.* *Discrimen inter probos & reprobos.*

Sed profectò hoc non est dictu necessarium. Etenim cum mors illa sit per causam naturalem futura, non est cur non habeat suum doloris effectum: quandoquidem aduenient viatoribus in termino viæ, sicut martyres in hac vita habent, & sanctissimi viri si comburantur. Et sicuti illi sancti, si arescentes præ timore, vt ait Lucas, exanimarentur, sentirent mortis aculeum. Augustinus namque lib. 20. de ciuita. Dei, cap. 18. dicens, quod ille ignis nil tunc nocebit iustis, intelligit postquam resurrexerint. At qui voluerit dicere, quòd præseruabuntur à dolore, veluti tres pueri in camino ignis, cum probabilitate loquetur. Ricard. dist. præsenti arbitratur illos qui viui reperientur, non esse ab illo igne interficiendos, sed morituros propter cessationem cælestis motus, quam putat illi igni antecessuram. Sed profectò opinio nõ videtur veritati germana, quoniam motus & tempus non cessabunt, vt supra diximus, nisi in momento quo angeli officium absoluent colligendi cineres: quare iam omnes erunt per ignem in cineres resoluti. *Admonitio autoris.*

Iusti autem qui aliquid habebunt purgandum, cruciabuntur illo igne non solum in obitu, verum secundum animas in illo perexiguo tempore quo erunt mortui. Cruciabuntur, inquam, veluti in purgatorio plus minusve pro qualitate & quantitate pœnarum quarum rei sunt, vt Aug. & patres docent. *Iustorum purgatio.*

Quod si redarguas, mors illa non nisi tantillum temporis tenebit animas à corporibus separatas: quomodo ergo tam citò purgari poterunt omnes?

Respondetur triplicem esse causam. Prima est, quod terroribus & persecutionibus præcedentibus adeò erunt electi purgati, vt perparum eis fiat reliquum expurgandum. Secunda, quia cum viui & vltronei illam inflictam mortem patiantur, permultum erit eis satisfactoria Veluti de Cypriano martyre ait Aug. quòd passionis falce fuit citissimè perpurgatus. Tertia denique causa est, quòd tormentum illud tanto erit intensione truculentius, quanto minus protensum.

Per hæc ergo solutum restat argumentum secundum. Intelligit n. Paulus aliquos tunc viuos reperiendos dum ignis aduenerit: quo consumpti resurgent, assurgentque obuiam Christo. *Sol. 2. arg.*

Ad tertium verò respondetur, quòd ignis ille statim post resurrectionem virtutem exercebit supernaturalem, qua ideo damnatos in suis corporibus cruciabit, electis verò nullatenus nocebit. Ob idque hanc inter alias superiori dist. causam adduximus, cur in ipso resurrectionis articulo fiet separatio, vt iniqui resurgant ad sinistram, iusti verò ad dextram. Quapropter licet omnes sint in igne, alij tamen ardebunt: alij verò minimè. Tametsi Augu. loco citato. c. 18. hæsitando dixerit. quòd fortè iusti altius erunt in aëra subleuati quàm vt possit ignis ille illos attingere. Sed non est necessarium. *Sol. 3. arg.*

ARTICVLVS III.

Vtrum ignis ille & cælos & omnia elementa perpurgabit.

SVBSEQVITVR de illius ignis duobus effectibus. Quorum prior est mundi purgatio. Et ideo quæritur vtrum totum sit orbem purgaturus. s. cœlos & elementa & mixta. Et arguitur quòd sit purgaturus cœlos. Ait enim Dauid. Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes. Et Petrus. 2. c. 3. Cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent, cœli autem ab elementis distincti sunt orbes cælestes. *Partis affirmatiuæ 1. argum.*

Secundò arguitur, quòd non purgabit quatuor elementa Ait quippe Beda super illud citatum verbum Petri. Quod ex elementis duo prorsus ille maximus ignis consumet, duo vero in meliorem restituet faciem. *2. Argu.*

Tertiò arguitur, quòd nec omnia mixta purgabit. Quoniam tam infernus, quàm terrestris paradisus in terra continetur, & tamen neuter purgabitur: quandoquidem nec aquas diluuij illucusque ascendisse fertur. *3. Argu.*

In contrarium est, quòd cœli non sunt ignis recipiendi capaces, atque adeò nec sunt per ignem expurgandi, sed illa elementa & mixta quæ vsui nobis fuerunt. *Pars negatiua.*

Ad

Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima est. Cælestes orbes ab igne non attingentur, atque adeo nec per ipsum purgabuntur. Ad cuius intellectū meminisse illius oportet quod supra diximus, nempe binam fore corporalium rerum purgationem, videlicet & ab extranea permixta natura, & à fœcibus & contagione delictorum. Quod autem priori purgatione cæli per ignem non indigeant, probatur. Quia in ipsis nil est extraneæ naturæ admixtū: imò neque contrarium quidquam habent quod ipsis aut inhærere aut nocere possit: sed solo motu locali nobis seruiunt, & influentijs quæ ad eundem consequuntur motum: nulla ergo purgatione indigent, qua eorum substantia aut intrinseca quantitas aut qualitas demutetur, sed sola motus cessatione vt requiescant. Motus autem illa cessatio non fiet per aliquam agentis applicationem, sed Dei numine & nutu cessantis orbes illos mouere: quæ ideo quies supernaturalis erit eis. Quo fit vt neque à contagione & infectione peccati alio sint modo expiandi: quia non peccamus in illis, sicut in loco, quemadmodum in terra, aëre & mari. Quare nullas inde contraxerunt sordes: nempe aut cruorem per violentiam & iniuriam infusum, aut aliud quippiam quo terram, aërem vel aquam tangentes inficimus. Sed solo illo motu nobis seruiunt, a quo cessabunt.

1. Concl.

Cælum empyreum.

Quod si de cælo Empyreo nos redarguas, in quo angeli deliquerunt, respondetur, nullius egere purgationis, eo quod protinus inde fuerunt deiecti. Præterquam quod vbi Deus se beatis ostendit, nulla est alia opus lustratione.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum, scilicet ad locum psalmi respondetur, vel quod cælorum nomine intelliguntur non cælestes orbes, sed pars illa aëris, vt 20. libro de ciuit. ait Aug. quæ ignis quoque conflagratione purgabitur. Vel si designentur orbes, dicuntur perire quantum ad suas actiones in hæc inferiora: quia eorum motus peribit. Petrus autem appellatione cælorum aërem significauit, vt se ipse in verbis antecedentibus exponit. Dicens enim quod cæli erant priùs & terra quæ per aquæ innundationem perierunt, planè cælos nominat regionem aëris, in qua significatione dicitur cœli pluuia, & rorare cœlos. Et ideo dicens quòd cœli igni reseruati sunt in diem iudicij, eundem aërem designauit: & vbi subiungit arsuros cœlos.

2. Concl.

Secunda conclusio. Tria elementa, nempe terra aqua & aër citra sui corruptionem ignis conflagratione in sua substantia permanentia purgabuntur. Quo autem conclusio intellectu percipiatur, duæ sunt differendæ de hac re opiniones. Prior illorum, qui arbitrati sunt omnia quidem elementa suam retentura materiam, mutanda verò quantum ad imperfectionem, diuersimode tamen. Quoniam duo eorum, nimirum aërem & terram, aiebant suas conseruatura formas substantiales, alienis naturis, quæ sibi commiscentur, abiectis. Sed ignis & terra, vt putabant, in formam cœli transibunt: quoniam ignem propter suam lucem, & aquam propter suam diaphanitatem facilè censebant posse in cælestes substantias transformari. Qua vtique ratione fieret, vt non nisi cælum & terra permanerent. Nam aër, licet suam retineat formam, cœlum tamen nuncupatur. Hanc sibi opinionem illo verbo persuadebant Apoca. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam. Vbi duntaxat cælum & terram permansura notantur.

Reprobatio opinionis.

Est tamen opinio, & rei Physicæ, & Theologicæ omnino dissona: quoniam neque cælum corruptibile est aut generabile, cum non habeat contrarium, neque elementorum materia potentiam habet cælestem formam suscipiendi. Item cum Ioan. loco citato, & secundum eum Aug. nos doceant totum mundum in cælis & in elementis innouandum, consequens fit vt debeant elementa secundum substantiam cum suis formis perdurare. Quare super verbum Pauli præterit figura huius mundi, non ait Aug. quod substantia, sed quod pulchritudo eius peribit. Adde quod cum mundus sit tūc purgandus per ignem, sicuti olim per aquā, fit vt sicut tunc omnia elementa seruata fuere, ita & in fine mundi salua consistant.

Præterea totus orbis debet permanere perfectus, duobus tamen elementis secundum substantiam de medio sublatis, non esset perfectus, sed truncus. Iam denique absurdum est in loco aquæ verum esse cælum, & ipsi eminere sursum aërem, suam retinentem formam.

Ioannes ergo in Apoca. nomine terræ quicquid sub orbe lunæ continetur comprehendit. Veluti Genes. 1. In principio creauit Deus cælum & terram. Et in psal. Laudate dominum de terra, Ignis, grando, nix, glacies, &c.

1. Opinio.

Posterior opinio, aliorum fuit, qui aiebant, quatuor elementa secundum substantiam permansura, remouendas tamen esse qualitates ab illis actiuas & passiuas. Et adducebantur verbis Aug. 20. de ciut. cap. 1. 6. vbi ait conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus conueniebant, interituras.

Reprobatio opinionis.

Veruntamen neque hæc opinio cum veritate conuenit: quoniam cum tunc elementa sint perficienda, nihil quod ad eorum perfectionem & naturam attinet, amittent: qualitates verò illæ quatuor sunt propriè elementorum passiones, eorum naturalibus principijs ingenitæ, atque adeò ad eorum secundam perfectionem pertinentes, veluti risibile conuenit homini. quapropter elementa persistentibus eorum substantijs, nequeunt illis qualitatibus denudari. Cuius nobis testimonium perhibet aqua, quæ quantocunque calore ferucat, dum fuerit ab igne semota se ipsam in suam natiuam frigiditatem reducit.

Probatio conclusionis.

His ergo opinionibus depulsis, consequens fit nostra conclusio: nempe quòd elementa & in suis substantijs, & cum suis 4. qualitatib. perdurabunt: expurgabuntur tamen ab alienis naturis quæ fuerint cum ipsis commistæ. Videlicet ab impuritate, quam per mutuam actionem & passionem contraxerant: vtpote per vapores & exhalationes, perque rigorem æstus & frigoris. Cessante enim motu cæli, omnia illa cessabunt. Atque hic est sensus August. dicentis qualitates illas penitus interituras.

Purgabuntur que per eundem ignem ab impuritate & infectione nostrorum delictorum. Hæc autem purgatio nil aliud erit quàm quædam per illum ignem reconciliatio, vt Deo homine reconciliato, mundus etiam sit ei gratus, atque adeò statui beatorum idoneus Quemadmodum quæ immunda sūt aqua & igne & hysopo lustrantur, vt antiquitus vasa, & nunc violata templa.

Sol. 2. arg.

Ad secundum igitur argumentum respondetur, quod dicuntur elementa absumenda propterea quòd aliquo modo purgabuntur. Ait verò Beda quòd duo ex toto consumentur, Non quod secundum substantiam sint corrumpenda, sed quod cum sint plus alienis substantijs permista, penitius sunt purificanda. Hæc autem quidam dicunt esse ignem & aquam, quæ qualitatibus actiuis, scilicet calore & frigore, reliqua exuperant. Etenim cum actiones istæ tunc sint penitus cessaturæ, dicuntur illa elementa prorsus consumpenda. Sed alij dicunt esse aquam & aërem propter varios motus & impressiones cælestes, quibus præ alijs elementis alterantur, vt patet in fluxu & refluxu maris, & in ventorum commotionibus. Et hæc opinio verisimilior est: quoniam elementum ignis nullas habet fæces quibus emundetur. Quamuis & terra profecto cum in centro subsideat, vbi tam crebro generationes & corruptiones fiunt, non minus quàm reliqua elementa purgatione indigebit.

Similiter respondetur ad illud Apocal. 21. primum cælum & prima terra abijt, & iam mare non est. Vbi cælum quia componitur, non solum cum terra, sed etiam cum aqua, videtur vsurpare pro aere, vt loco citato ait Aug. Respondetur, inquam, quòd solum significatur eorum innouatio.

Dubitatio.

Sed aliter forsan quis de illa purgatione sic ambigat. Natura ignis est materiam quæ ei admouetur prorsus corrumpere & in suam substantiam conuertere ergo non potetit resaliter mundare, quàm illas in cineres aut in seipsum transformando. Et confirmatur. Elementa tunc sunt in nobilissimum statum efferenda: ignis autem est omnium nobilissimus, & reliqua possunt in illum conuerti: ergo ita fiet.

Solutio.

Respondetur ad primum, quòd ignis ille aget, vt instrumentum diuinæ virtutis & prouidentiæ. Et ideo non aget vsque ad elementorum consumptionem, sed vsque ad purificationem. Præsertim cùm neque virtute naturali quicquid purificat consumet, vt in metallorum eliquatione & putificatione experientia docet.

Ad secundum verò respondetur elementa esse perficienda: res autem dum corrumpitur non perficitur: quia non est superstes. Præterquam quòd sunt perficiendæ non in se tantum, sed veluti mundi partes, qui vno elemento extincto, imperfectus esset.

3. Concl. Tertia conclusio. Ad elementum ignis in suo proprio loco existens ille purgatorius ignis non pertinget. Non defuerunt qui huic conclusioni aduersarentur, adstruentes illum ignem vsque ad summitatem quatuor elementorum ascensum ire: nam D. Petrus absque exceptione ait, quod eius ardore elementa contabescent. Nihilominus probatur conclusio autoritate eiusdem apostoli & interpretamento. Aug. lib. 2. de ciui. c 18. Conferunt enim purgationē finis mundi cum illa quæ per diluuium facta fuit: igitur cum illæ tunc aquæ non ascenderint nisi cubitis quindecim super montium cacumina, vt Gen. 7. refertur, fit vt neque ignis ille altiùs sit progressurus, vt ait glo. super illud 2. Thess. 1. In flamma ignis dantis vindictam: quam magist. sent. & theologi amplexi sunt.

Ratio conclusionis. Præterea & ratione id comprobatur: quoniam elementum ignis, vt supra diximus, non habet permixtiones aliquas à quibus purgetur, & à nostris vsibus & iniquitatibus semotissimum est: elementa ergo lustranda & emundanda sunt terra aqua & aer, vsque ad mediam regionem, quæ nomen sortitur cæli: hæc enim & eiusmodi commixtionibus subiecta sunt, & nostris vsibus polluuntur. Vnde Petrus Apo. cum nomine ardentium cælorum aërem intellexerit, fit vt subiuncta elementorum appellatione quæ eodem calore tabescent, duo inferiora subinde designauerit. vnde Aug. eodem loco cælos, inquit, ardētes Petrus istos imos aëreos, non illos supremos æthereos appellat. Quocirca loco citato Apocal. non fit nisi tantum commemoratio. s. cæli terræ & maris: ignis. n. non nisi existens in aliena materia, apud nos purgabitur.

4. Conclusio Quarta conclusio. Mixta non purgabuntur, sed cuncta illo igne consumentur. Eninuerò quamuis cessante cælorum motu generationes cessabunt, nihilominus tamen mixta quæ tunc genita erunt, vt plantæ, metalla, & saxa, atque id genus reliqua, non illico deperirent, nisi illo igne cuncta cum animalibus inflammante absumerentur.

Sol. 3. arg. Ad tertium igitur argumentum conceditur infernum non esse purgandum, imò erit omnium purgamentorum sentina, quo ignis ille cuncta conijciet. De paradiso autem terrestri, quem in lib. 2. sentent. dist. 17. Magist. sent. & reliqui Bedam & Strabonem secuti aiunt esse in loco eminentissimo sub æquinoctiali, quò aquæ diluuij non ascenderunt, dicendum subinde est, neque purgatorium ignem illucusque euolaturum. At verò quamuis necessarium sit dicere, contrà quàm Origenes sensit, paradisi locum fuisse in terra arboribus consitum: tamen quòd modo sit sub æquinoctiali superstes, non vsque adeò certum est Etenim cum iam per omnem ventum totum pelagus fuerit tranatum, neque talis fuerit repertus locus, in dubium vertitur vbi nam fuerit. Fortasse fuit in terra, quæ post fuit promissionis. Nil ergo de hoc hic definitur, nec de loco vbi Elias & Enoch latitant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ignis ille inuoluet reprobos in infernum.

Secundus effectus, qui illi adscribitur igni, est damnatos in infernum post latam sententiam rapere. Et ideo quæritur vtrùm hoc verum sit. Et arguitur à parte negatiua. Super illud Malach. 3 purgabit filios Leui, ait glossa: Duos ignes legimus futuros: vnum, quo purgabit electos, & præcedet iudicium: alterum, qui reprobos cruciabit. Hic autem est ignis inferni, qui vt habetur Matth. 25. ab initio paratus est diabolo & angelis eius: ergo conuoluere damnatos non erit illius ignis, quia ille non fuit ab initio: sed alter, qui animas nunc cum dæmonibus cruciat.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Argum. Secundò. Ignis ille purgatorius erit instrumentum Dei honorificum, quippe qui eius virtute mundum perpurgabit: ergo non est cum infernali commiscendus.

Pars affirmatiua. In contrarium illud est citati psalmi. 96. Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Concl. Ad quæstionem breuissimè conclusionē affirmatiua respondetur. Ignis ille, lata sententia iudicij, protinus damnatos corripiet, & conuolutos in infernum obtrudet. Propterea namque in altero psal. 49. dicitur: In conspectu eius ignis exardescet & in circuitu tempestas valida. Et Dan. 7. Igneus fluuius rapidus qui egrediebatur à facie eius. Vbi ait vna glossa: vt bonos purget & malos puniat: atque altera, vt peccatores trahat in gehennam. Et loco proximè citato. 2. Thess. 1. ait Apostolus, in reuelatione Domini Iesu de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam his qui non nouerunt Deum, &c.

Ratio conclusionis. Ratio autem conclusionis sic colligitur. Tota mundi purgatio & renouatio propter hominis purgationem & renouationem, vt prædiximus, est facienda: purgatio autem humani generis fiet per separationem electorum à reprobis, quemadmodum grana à paleis segregantur: iuxta illud Matth. 3. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: ergo quia officium illius ignis erit purgare orbem ac subinde mortalium genus, reprobos seu paleas à iustis quæ fœlicia sunt grana, separabit, proijcietque in tenebras exteriores. Vnde Basilius super illud psalm. Vox domini intercidentis flammam ignis. Quoniam in igne (inquit) & calidum vtiuumque & grossum reperitur, & præterea subtile & lucidum, in illa die sic ille ignis intercidetur, vt quod vtiuum est & grossum, ad inferos in pœnam damnatorum descendat, quod autem in eo subtile est & lucidum, superius ad gloriam electorum remaneat. Igitur vbi primum Christus protulerit illud, Ite maledicti, & dæmones homines surripient, & ignis vtiosque in tartara concludet. Prudentissimè ergo simul ac sanctissimè D. Petrus post illum cælorum ardorem, elementorumque calorem, ac mixtorum exustionem concludit dicens: Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei domini.

Basilius. 2. Pet. 2.

Meditatio egregia. Re vera nunquam aut de auribus nostris cadere illa verba deberent, Venite benedicti. &, Ite maledicti: aut ab oculis spectaculum illud dimoueri pientissimi simul ac seueriissimi iudicis. ventilabro permundantis aream suam. Fac mortales vniuersos in aceruo, veluti in hoc seculo sumus ceu grana cum paleis commixta, congestos esse, & terribilem Dei maiestatem manu ventilabrum tenentem ad eundem ventilandum aceruum: atq; à dextris horreum situm, quo immittenda sunt grana, & à sinistris hiantem inferni voraginem, flammas expirantem, paleas voraturam. Contemplare tunc ergo domino ventilante quot in illo aceruo latitent, ceu grana in hoc seculo æstimati, quos in altum ventilatos ventus aquilo, à quo pandetur omne malum, ab ira Dei insufflatus, in illas inferni flammas tanquam paleas miserandas subripiet. Videas illuc euolantes magnates, antistites, reges, sacerdotes, monachos, doctores, ac magistros cum summa ignominia aërem sua multitudine densantes, & flammis ardentes, in illam tartarorum voraginem præcipites. Videasque contra quàmplurimos in hoc seculo nullo pretio habitos velut grana prodituros, suorum meritorum pondere, quæ per Dei gratiam compararunt, ad dextram cadere, vnde in supercælestibus horreis recondantur. O nimium stupendum, miserandumque biuium, quo fratres à fratribus, à parentibus liberi, & mariti ab vxoribus dissecabuntur, cunctisque id genus arctissimis vinculis dissolutis, alij ibunt in vitam æternam, atque alij in ignem æternum.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur. eundem fore ignem conflagrationis mundi, & qui damnatos conuoluet: dicuntur tamen duo, tum propter officia diuersa: quia purgabit electos, eisque lucebit: & cruciabit iniquos: tum subinde propter quandam substantiæ vel qualitatum diuisionem, quia vt ait Basilius, quod grossum est cadet in infernum, quod verò lucidum & subtile, manebit in aëre. Qua vtique ratione ignis ille sic non carebit honore suo, vt etiam cum infernali commisceatur.

Et per hoc respondetur ad secundum, quod sicut electorum gloria post iudicium erit per accidens

Solut. 2. arg.

cumula-

cumulatior, tum propter corporum resumptionem, tum propter plenum beatorum consortium, ita & damnatorum cruciatus erunt eadem ratione truciores: quapropter non inconuenit dicere, quod igni quo ab initio cruciabantur dæmones, & animæ torquebantur, alius adhibeatur nouus.

Quæstio secunda,

DE MUNDI INNOVATIONE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm mundus sit innouandus.

POST mundi purgationem sequitur de eius innouatione quæ erit eius affectus. Quæritur ergo vtrùm sit innouandus. Et arguitur à parte negatiua, Legitur Genes. 1. quòd Deus die septimo requieuit ab omni opere quod patrarat. Vbi sancti interpretes requieuisse aiunt à nouis condendis creaturis: mundus autem innouatus noua videtur creatura, quod esset incidere in dogma illud Empedoclis, quem secutus fertur Origenes, quod videlicet post hunc mundum futurus sit alius.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. Dispositio quam nunc mundus habet est ei naturalis: ergo si in alteram pòst innouandus est, illa dispositio erit innaturalis, ac perinde violenta: violentum autem vt 1. cæli ait Philosophus, nequit esse perpetuum.

2. Argum.

Tertiò arguitur. Innouatio creaturæ est propter gloriæ præmium: creaturæ autem homine inferiores non sunt gloriæ capaces: ergo non sunt innouandæ.

3. Argum.

In contrarium est illud Apocal. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abijt.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem hac vnica conclusione affirmatiua respondetur. Mundus est innouandus, vt perpetuò maneat innouatus. Vnde Isa. 66. Ecce ego creo nouos cælos, & nouam terrã, & non erunt in memoria priora. Id quod differit Diuus Petrus loco citato dicens. Nouos cælos & terram nouam secundum ipsius promissionem expectamus, in quibus iustitia inhabitet. Vbi rationem ipsius conclusionis insinuat, videlicet vt mundus aptus fiat beatorum gloriæ, quam per opera iustitiæ, ex diuina misericordia profecta meruerunt. Enimuerò cum mundus, vt supra dictum est, propter homines fuerit conditus, congruens est, diuinæq; sapientiæ condecens, vt secundum varios humani generis status variè disponatur: quãdiu autem vita hæc humana mortalis durat, duplex nobis mundus obsequiũ exhibet: seruit enim nobis primo ad alendum propagandumq; genus nostrum per terræ nascentia & animalium auxilia: præterea ad Dei cognitionẽ: per hæc enim visibilia, vt ait Paul. sempiternam Dei virtutem contemplamur: ergo his transactis necessitatibus, humanoque genere innouato, congruit vt mundus quoque innouetur. Iam enim inde à resurrectione carnis, neque homo mundo indigebit ad viuendum, neque ad Deum contemplandum, quippe cùm in illa æternitate Deum facie ad faciem contemplabitur. At verò cùm corporeus oculus diuinam essentiam contueri nequeat, oblectabuntur beati visu, tum corporis imprimis Christi, ac subinde aliorum beatorum, tum & aspectu diuinorum operum, atque hac de causa oportebit totum orbem speciosum esse & aspectu pulcherrimum. Quocirca innouatio mundi non erit solum purificatio, sed nobilitatio, tam in perspicuitate elementorum quàm in lucis cremento astrorum cæli, vt illico articulo 4. videbimus.

Conclu.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur respondetur, quod Deus quieuit die septimo à creatione nouarum specierum, imò neque deinceps indiuidua creauit præter animas rationales: innouatio autem mundi non erit creatio, quandoquidem cæli & elementa secundum substantiam permanebunt, quemadmodum in sex diebus creata fuerunt, quod si arguas, ad minus erit res noua, aontra illud Eccles. Nihil sub sole nouum. Quid est quod fuit, ipsum quod futurum est. Respondetur, sapientem ibi de ijs rebus loqui, quæ orbium circulationi subiectæ sunt: propterea enim dixit, Nihil sub sole nouum. Quæ quidem res in circulo secundum eandem speciem, numero differentes continenter per generationes reuertuntur. Illa autem mundi innouatio non fiet per causas naturales quæ solis orbiumque circumlationibus gubernantur, sed super naturam, & ideo nihil mirum si futurum fuerit nouum.

Sol. 2. arg.

Et per hoc ad secundum respondetur. Innouationem illam non fore naturalem, sed tamen neque innaturalem, seu contra naturam, atque adeò neque violentam, sed supernaturalem, qualis est gratia, & gloria. Quapropter erit perpetua, quemadmodum & Dei virtus.

Sol. 3. arg.

Ad tertium denique respondetur, quod quamuis mundus illam innouationem non fuerit commeritus, homo tamen per Dei gratiam illam meruit, quippe qui ad eius gloriam pertinebit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm motus cælestium orbium per illam innouationem sit cessaturus.

VT innouatio illa per partes melius innotescat, quæritur primum de cælis, vtrum ad eorum innouationem attineat, vt à motu requiescant. Et arguitur à parte negatiua. Motus cæli est finis creationis eorum: etenim propter motum conditi sunt: frustra ergo erunt superstites, si sunt à motu cessaturi: ea siquidem sunt frustra, quæ suo orbantur fine: nihil autem tunc erit frustra, ergo perseuerabũt in suo motu. Præsertim cum illa innouatio sit rerũ perfectio, & de perfectione cælorum sit moueri.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò arguitur. Sol indifferens est, vt hac vel illa plaga mundi persistat, ergo nulla est signabilis ratio cur potius in vna parte debeat gradum sistere quam in alia, atque adeò in nulla quiescet. Eo vel maximè, quod si in oriente perstiterit, pars terræ occidentalis orizõtis erit in perpetuis tenebris, quod illi fœlici statui orbis minimè congruit.

2. Argum.

In contrarium est, quod cum tempus sit mensura motus, quamdiu durabit motus, durabit tempus: sed Apoc. 10. iurauit angelus per viuentem in secula, quod postquàm septimus angelus tuba cecinerit, scilicet vt mortui resurgant, tempus amplius non erit, ergo neque erit amplius circulatio cæli.

Pars affirmatiua.

Quæstionis huius solutio propemodum ex superioribus colligitur: bimembri ergo conclusione respondetur. Motus cæli in mundi innouatione cessabit non quidem suapte natura, sed per Dei voluntatem motrices causas suspendentis. Duæ namque per extremum sunt de hac re errantium opiniones. Prior Philosophorum, tam eorum qui Peripatetici sunt, Aristot. sequuti, quàm Academicorum sub Platone philosophantium. Isti enim cum non nisi causas naturales fuerint perscrutati, nullam in cælis causam quietis rimati sunt, quia cum sint substantiæ incorruptibiles, lassari motu illo nequeunt, aut deteri. Rursus cum eorum motus sit orbicularis, non habet terminum, quo debeat finiti. Quod autem Deus suo arbitratu motum illum interrumpere valeat, minimè cognouerũt. Alij verò Philosophi per aliud extremum somniarunt, mundum iufinities posse & interire, & redire.

Conclu.

Dua opiniones.

Contra hæc vero dogmata statuitur nostra conclusio. Disciplina enim illa Philosophorum theologæ veritati è diametro contra pugnat. Est enim certus finitusque prædestinatorum numerus, qui scripti sunt in libro vitæ, vt in libro de correctione & gratia ait August. qui quidem numerus neque augebitur, neque minuetur. Iuxta illud Paul. ad Rom. 8. Quos præscinit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Si autem mundus esset perpetuus, numerus ille certus esse non posset.

Probatio conclusio.

Rom. 8.

Altera verò opinio rei physicæ aduersatur: quoniam neque in cælis, neque extra vlla est naturalis potentia, quæ eis esse valeat quiescendi causa, fit ergo consequens, quod cessabunt suspendente Deo concursum, qui est ad illum motum necessarius, interdicenteque intelligentijs mouendi munus, ob ra-

tiones supra expositas, scilicet quoniam finis illius motus est humanum genus, quamdiu corruptibile est conseruare. Quapropter cum diuina opera non sint frustra, illa necessitate cessante, cessabit motus. Vnde palam fiet nobis propter nos mundi machinam esse fabricatam.

Ratio 2.

Secundò luminaria cæli, vt Gene. 1. refertur, edita sunt, vt sint in dies menses, & annos, quibus nostras nos metimur actiones: post diem verò iudicij non alia vtemur mensura, quàm diuina æternitate: neque opus erit dierum noctiumque vicissitudine.

Ac per hoc respondetur, ad illud Genes. 8. Cunctis diebus terræ frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent, Intelligitur enim de terra, quamdiu vicissitudine illarum rerum indigebit: nam

Disputatio.

post iudicium ait Isa. cap. 60. Non occidet vltra sol tuus, & luna tua non minuetur. Circa illam verò insinuatam rationem, quod cum finis cœlestium motuum sint generationes horum infernorum, cessante illo fine frustra permanebit motus: solet hic disputari vtrum cessatio motus cæli sit sufficiens causa, vt generationes cessent. Ricardus enim, atque alij arbitrantur non consequi, neque sufficere cælestis motus cessationem, vt generationes cessent: quoniam, vt Iosuæ 10. legitur, Sole motum sistente, minimè generationes cessarunt, imò pugnauit ille cum suo exercitu strenuè.

Ricardus.

Deinde arguitur. Cæli non tantum per motum, verum & per lucem, atque alias occultas influentias in hæc agunt inferiora: ergo cessante motu non fit consequens vt generationes cessent.

Accedit verbum August. 11. confessionum. dicentis, quod si corpora cælestia starent, adhuc figuli rota posset moueri. Quare Stephanus Parisiensis Episcopus hunc anathemate condemnauit articulum, dicentium, quod si cælum staret, ignis in stupam non ageret.

Art. Parisiensis.

Responsio.

Ad hæc autem primum respondemus, potissimam causam cessationis generationum fore post diem iudicij, quod Deus ad id nullum generale præstabit auxilium, atque hæc ad nostrum propositum sufficiens est responsio: nam inde fit consequens motum cæli fore deinceps superuacaneum. Sed respondetur secundò, & eiusmodi motus cessationis causam esse sufficientem, non quidem vt omnia mixta illico interirent: quare, supra diximus cuncta esse, vt ait Petrus Apostolus, exurenda per ignem: sed tamen vt nulla fieri postea posset naturalis generatio: imò neque actio: quamuis de actionibus liberis, de quibus loquitur August. non id omnino consequatur. Et rationem docet, primo de generat. Aristoteles, nempe quod per accessum & recessum solis ad nos, alternantur hyems & ver. æstas & autumnus, atque adeò cuncta generantur.

Responsio.

Quocirca ad argumentum respondetur, quod etsi cæli per alias quoque influentias & lucem in hunc mundum inferiorem operentur, tamen per motum fit illarum influentiarum applicatio. Quocirca saltem hoc manifestè sequitur, quod sine motu cæli fructus terræ nec crescere, nec matuescere possent. Imò neque animalia, neque plantæ vllo temporis spatio possent viuere, quippe quorum vita consistit in continuo motu, & præcipuè animalium vita in actione caloris inhumidum: quapropter illico animas expirarent. Secus de lapidibus & metallis. Quod autem August. ait, est quod si aliquis impelleret rotam figuli, moueretur.

Episcopus autem Parisiensis non est Romanus Pontifex.

Ad miraculum Iosue.

Ad illud autem miraculum tempore Iosuæ non desunt qui respondeant: quod etsi orbis solis quieuerit non tamē primum mobile motum pausauit suum, quo generationes fiunt. Responsio tamen hæc non est conueniens: nam tunc sequeretur motum solaris orbis proportionem aspectumque amisisse, quem habet ad alios orbes. Quare conuenientius est dicere, omnes tunc orbes pausam fecisse: sed tamen Deus qua virtute id fecit, subsequenter curauit rerum generationes seruare, vicem supplendo cælorum.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum in capite propositum respondetur. Cælorum finem alterum esse proximum, qui est motus: alterum verò superiorem, qui est homo: iuxta illud Deutero. 4. Ne fortè oculis eleuatis ad cælum videas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea quæ fecit dominus Deus tuus in ministerium gentibus quæ sub cælo sunt. Iudicium ergo ex superiore fine sumendum est. Quamobrem cum quiescentes orbes seruiāt Deo, & beatorum gloriæ, non erunt frustra, quamuis careant motu.

Et eodem modo respondetur ad aliud, quod motus cæli non est de perfectione eius essentiali, sed quatenus causa est influendi in hæc inferiora. Imò verò simpliciter requies præstantior est motu, quia similior est Deo. Ob idque quiescens cælū, quicquid philosophi dixerint, digniorem statum habebit, gloriam referens beatorum.

Requies præstantior motu.

Ad secundum respondetur, quod quamuis secundum naturam particularem solis indifferens ei sit punctum quodcunque cælestis circuli, tamen secundū illum finē, qui est hominis gloria; propter quam quiescit, aptus est in nobilissimo puncto quiescere: illud autem secundum Aristot. est Oriens, & luna quiescet in opposito puncto occidentis. Non quidem in linea ecliptica, vt eclipsim patiatur, sed vt sit lumine plena. In illo enim aspectu luminaria illa creata esse censentur. Sic ait Isidorus super illud Esaiæ 60. Non occidet vltra sol tuus. Ait quippe, quod post diem iudicij sol recipiet mercedem laboris sui, & non veniet ad occasum. Nomen autem illud laboris cælorū, quo vtitur etiam Ambrosius super illud ad Roma. 8. Omnis creatura ingemiscit, nō accipitur propriè, quoniam cæli vt incorruptibiles sunt, ita nullam possunt lassitudinem pati, sed intelligitur per metaphoram, vt quod Paulus ait, ingemiscere: quia cùm motus cæli ordinatione diuina referantur ad complendum electorum numerum, censentur illud desiderare: ac perinde per similitudinem fatigari, expectantes mundi innouationem.

Sol. 2. arg.

Orient.

Isidorus.

Labor cæli.

Alia verò obiectio, quod tunc plaga occidentalis erit sub perpetuis tenebris, negatur: quoniam luna quæ tunc lucebit vt sol, in illo erit aspectu. Præterea beati quorum statui luminaria tunc seruient, cùm sint fulgore gloriæ rutilantes, neque emendicato illo lumine indigentes, aspectu illius varietatis oblactabuntur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm astris corporibusq; cælestibus lux in illa innouatione sit augenda.

QVAERITVR de altera cælorum qualitate quæ est lux. Et arguitur à parte negatiua. Orbes illi natura sua nullius sunt mutationis capaces, neque purgatorius ignis ad illos vsque pertinget, vt aliquam inde valeant mendicare lucem: ergo non augebitur eorum lux.

Pars negatiua arg. 1.

Secundò arguitur. Quemadmodum motus cæli, ita & lux in obsequium nostrum propter generationes condita est: non enim solùm motu, sed etiam luce cælum ad easdem generationes concurrit: ergo qua ratione cessabit motus, cessatura est lux. Quòd si dicas seruituram tunc ad gloriam beatorū, in contrarium est quòd ipsi nulla egebunt tali luce: iuxta illud Isa. 9. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque splendor lunę illuminabit te. Et Apocalyp. 21. scriptum est. Quod ciuitas illa beatorum non egebit sole, neque luna, vt luceant in ea.

2. Argum.

In contrarium est illud Isaiæ 30. Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem Rabbi Moyses negatiuè respondet, haud enim sibi persuadere potuit sapientissimum Deum tantam orbis machinam innouaturum, cælorumque splendorem auctum ire propter vnam exiguam creaturam, qualis est homo. Negat tamen Hebræus ille mundum factum propter hominem, non intelligens ipsum qui ad imaginem Dei effictus est, & ipsius diuinę glorię capacem, ea dignitatis excellentia pollere, vt mundus propter ipsum fuerit conditus, & ideo testimonium illud Isaię & similia, quę de mundi innouatione loquuntur, per metaphoram exponit, sed nulla est in hac parte autoritate dignus.

Respondetur ergo ad quæstionem breuissima conclusione. Astra corporaque cælestia cremento lucis in illa innouatione decorabuntur. Probatur. Innouatio mundi eo refertur, vt illic gloriam repræsen-

Conclusio.

tent,

tent, & cognitione qua beati Deum videntes fruentur: mundus autem propter decorem speciei, quæ luce resplendet, inaccessam illam Dei gloriam præ se ferunt: iuxta illud Sapientiæ 13. A magnitudine speciei & creaturę, cognoscibiliter poterit creator horum videri: ergo congruentissimum est, vt completo beatorum numero lux cæle'tium orbium augeatur: luce namque species decorque mundi refulget: iuxta illud Ecclesiastici 43. Species cæli gloria stellarum mundum illuminans in excelsis Dominus.

Dubium de calorum luce.

Dubium autem, crementum illud lucis vnde corporibus cælestibus sit prouenturum: nam purgatorius ignis neque illuc pertinget, neque tam lucidus erit, vt cælorum lumen augere valeret. Nonnulli, quorum est Ricardus distinct. præsenti arbitrati sunt augmentum illud lucis cælorum ex radiatione multitudinis corporum beatorum effluxum iri: neque verò probabilitate carent. Quamuis tunc sequeretur, quòd nunc etiam per radiationem corporis Christi influxum aliquem lucis recipiant, quod non habet tantum probabilitatis, sed responderi posset quod vnum corpus, quantumuis lucidum, non potest tantum effundere lumen, secùs vbi innumera fuerit multitudo. Vel dicendum, quòd augebitur diuina virtute, qua reliquæ partes orbis innouabuntur, quod significant illa prophetica verba, Lux Lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter.

Ricard.

Erit luna, &c.

Sensus autem verborum non est cunctis omnino peruius: sunt enim qui autumant ob delictum Adæ solem & lunam plurimum suæ lucis amisisse, imò glossa eiusdem loci ait, quòd cùm omnia facta sint propter hominem, in eius lapsu peiorata fuere, solque & luna in suo lumine minorata. Atque eadem ratione in mundi consummatione debet eis lumen restitui: quare illud septempliciter solaris lucis dictum putant, quia restituetur ei lux qua septem illis diebus ante hominis casum promicuit.

Reprobatio

At verò minimè credendum est, quippiam reale luminis illis luminaribus fuisse ademptum: quoniam per naturam id fieri nequiuerat: quod autem Deus propter peccatum Adæ illorum lumen extenuaret, non est credibile, vt toto mundi cursu præter suam essent naturam quodammodo truncata.

Ratio. 2.

Adde quod lumen hoc, quo nunc lucet, est totum, quod suæ naturæ conuenit, alioqui astra non essent idonea & sufficentia ad conseruandum humanum genus. Quod si hoc est naturale, non habuissent in statu naturæ integræ aliud vehementius. Nam alias illud fuisset supranaturale: esset̃que nimium excellentius, quàm vt homines illud ferre possent, neque ad aeris temperamentum esset idoneum. Imò sequeretur, quod luna tunc, vt ait Propheta, tantum luceret sicut modo sol, atque adeò quando esset in oppositione solis, in nullo hemisphærio fieret nox: contra illud

Genes. 1.

Genes. 1. luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Igitur nullo modo illa fuerunt propter peccatum minoris lucis. Sed in gratiam illius glossæ, intelligendum est respectu humani vsus, quia inclementia aëris quæ propter frigus vel æstus accidunt, sunt nobis in pœnam peccati, quæ antea fuisset naturalis. Quemadmodum terra maledicta fuit in opere suo, vt spinas & tribulos germinaret. Non quod eosdem antea non germinasset, quia sunt naturales, sed quia non essent in pœnam peccati hominibus molesti. Fit ergo ex his consequens, quod augmentum lucis, quod habituri sunt cæli in die iudicij, non erit restitutio illius quod perdiderunt, sed ornamentum illius innouationis Quocirca non consequitur, quod si nihil propter peccatum astra illa perdiderunt, nihil sit eis accessurum propter gloriam. Vnde fit illud, quod Propheta ait, septempliciter, non habere aliud mysterium, quam quòd ingens eis luminis accessio fiet: quoniam septenarius numerus perfectionem denotat. Et fortè in illa septenaria proportione super lunam fiet illud crementum. Etenim si tunc luna erit sicut sol, nihil mirum si in illa proportione lumen solis excrescat.

Hinc consequitur, quod lumen lunæ non erit tunc aliud quàm quod veluti modò à sole recipiet: quamlibet ipsa per se fiet amplioris luminis capax.

Solus. 1. arg.

Ad primum igitur iam responsum est, quod illud lucis incrementum non fiet actione purgatorij ignis, sed virtute Dei: nam quamuis cælestes orbes non sint per naturam mutabiles, sunt tamen omnipotentiæ Dei obedientes, eiusque supranaturales effectus capaces. Neque illa erit propriè mutatio, quia non machinabitur eorum corruptionem, sed potiùs erit eorum perfectio, sicuti beatorum gloria.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quod motus suapte natura non pertinet ad rei perfectionem, cùm sit actus imperfecti, quamuis esse causam generationum, perfectionem dicat: lux autem secundum naturam suam dicit perfectionem: & ideò cessante generationis necessitate cessabit simpliciter motus, non tamen lux, quamuis fuerit generationis causa: nam licet desinat esse causa, permanebit tamen quatenus est cælorum perfectio.

Nulla erit beatis creatura necessaria.

Ad id autem quod obijcitur, quod tunc beati non indigebunt lumine aut solis, aut lunæ. Respondetur bifariam aliquid posse in vsum hominum venire. Vno modo ob necessitatem, & isto modo beati nulla vtentur creatura: quia Deus erit eis sufficientissimus, nam sicut ait primæ ad Corinth. 3. Paulus, erit omnia in omnibus. Sed alio modo creatura potest venire in vsum hominis propter eius honorem & accidentariam perfectionem: & isto modo tunc seruient cæli hominibus, nam etsi essentiale eorum gaudium futurum sit, essentiam Dei videre, oblectabuntur tamen in contemplatione operum eius tanta pulchritudine refulgentium. Siue in essentia diuina opera illa contemplentur, siue in proprio genere: quandoquidem à cœlo empyreo poterunt omnes orbes prospectare. Imò forsan corporalibus oculis, saltem virtute diuina. Et quando illos visu corporeo non cernerent, ipsi tamen illa pulchritudine canerent gloriam Dei qua suam curiam beat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm elementa per aliquod claritatis augmentum sint innouanda.

POST cælorum considerationem subsequitur de elementis etiam explorare, an sint per aliquam claritatem innouanda. Et arguitur à parte negatiua Sicut claritas est cælorum propria, ita & calidum, frigidum, humidum, & siccum sunt elementorum qualitates: ergo sicut cæli per claritatis, ita elementa per istarum qualitatum augmentum sunt innouanda.

Partis negatiuæ argu. 1.

Secundò. Rarum & densum sunt qualitates elementorum propriæ, quæ ideo in ipsis permanebunt: claritas verò aëris, quia non habet opacitatem, non est apta ad recipiendum claritatem per modum relucentis corporis: neque verò densitas terræ propter nimiam eius impuritatem introrsum claritatem admittit.

2. Argum.

Tertiò. Si elementa aliqua erunt claritate donanda, eadem ratione deberent & plantæ atque alia mista innouata, & claritate ornata permanere: tum quod ad ornatum eorundem elementorum attinent, tum quod, sicut elementa, ita & mista propter hominem facta sunt, cui etiam seruiunt: quare par illis, vt elementis, debetur honoris gratia innouatio: atque adeo si mista non innouabuntur, fit vt neque elementa sint innouanda.

3. Argum.

Quartò. Elementa si permansura sunt, superuacanea tunc videbuntur, nisi aliqua rationalis creatura illis ceu domicilio vtatur: nulla autem rationalis creatura in illis habitabit: nam beatis cæli sufficient. Nisi cum quibusdam opinemur, pueros qui absque baptismo decesserunt, de limbo esse tunc educendos, qui super faciem terræ spacientur, cælorum aspectu fruentes. Hæc autem opinio non est rationi consentanea: ergo elementa non permanebunt, claritate illustrata.

4. Argum.

In contrarium est illud sæpe citatum Apocalyp. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam.

Pars affirmatiua. 1. Concl.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Elementa per receptionem amplioris claritatis innouabuntur. Probatur. Cum corporalis creatura propter spiritualem sit condita, per illamque adeò gubernetur, oportet vt perinde atque spiritualis disponatur: sit ergo consequens, vt sicut ordo se habet spirituum terrenorum ad cælestes, ita se habeat & corporũ terrestriũ ad cælestia: In illa autem vltima rerum innouatione spiritus terrenorum hominum ad honorem & dignitatem angelorum pro-

mouebuntur: quia vt Matth. 22. legitur, homines erunt sicut angeli Dei, quatenus humanus spiritus cum angelicis conuenit, nempe in intellectu & voluntate: ergo simili modo substantia corporea nempe elementa, in eo quod cum cælestibus conueniunt, ad cælorum exemplum innouabuntur: illud autem, vt 2. de anima ait, Philosophus, est natura lucis & diaphani: ergo huiusmodi corpora ampliore claritate donabuntur. At quia non omnia eandem habent lucis capacitatem, quoniam non sunt æquè diaphana, illa eorum claritas non erit in omnibus æqualis, sed suis cuiusque gradibus distincta. Nempe, vt terra secundum exteram superficiem sit vt fertur, peruia sicut vitrum: aqua etiam in partibus interioribus, veluti crystallus: aër tanquam nunc est cælum: & ignis qualis est modo luna. Quocirca crementum illud lucis elementorum nihil auferet de proportione vniuersi, nam sicut modo in luce & qualitatib. quas continent, proportionem habent, eandem seruabunt, propterea quod singula in suo gradu & ordine respectu altetius augmentum suscipient. Hæc non sunt sacris oraculis tam exactè secundum has differentias constituta: nihilominus sancti interpretes optimis coniecturis illa colligunt. Ex illo Esaiæ 65. Ecce ego creo nouos cælos, & nouam terram. Et ex Apocalyp. Vidi cælum nouum, & terram nouam Et ex diuo Petro, Nouos cælos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus: nomine enim terræ illa quæ sub cælo sunt elementa comprehenduntur.

Diuersa elementorum claritas.

Ratio 1.

Accedunt & testimonijs rationes. Nam cum elementa in hac mortali vita sua obsequia hominibus exhibuerint, à qua seruitute, vt ad Rom. 8 ait Paulus, in illa reuelatione filiorum Dei liberabũtur, congruẽs est, vt aliquo præmio donentur, quo illam referant glorificatorum corporum claritatem, nempe vt ampliore splendore fulgeant.

Ratio. 2.

Ad hæc tandem cum humana corpora ex elementis constent, fit vt partes quæ in electorum corporibus latitant, cumulata luce innouentur: ergo cum eadem sit ratio totius & partium, tota ipsa elementa simili modo innouabuntur.

2. Concl.

Secunda conclusio. Mista non innouabuntur, sed prorsus interibunt. Hanc conclusionem quæst. præcedenti præmisimus, inter loquendum de purgatione, nunc tamen iterum comprobatur. Mundus vt propter hominem plasmatus est, ita & propter ipsum, atque adeò instar ipsius est innouandus. Innouatio autem hominis ea erit, vt de statu corruptionis in incorruptionem, perpetuamque quietem transcendat, iuxta illud primæ ad Corinthios decimoquinto Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: ergo illa quoque erit innouatio mundi, vt omni abiecta corruptione, illa duntaxat quæ ordinem habent ad incorruptionem, incorrupta maneant: hæc autem sunt cæli, quæ suapte natura sunt incorruptibiles & perpetui, tam secundum partes, quàm secundum totum: mox elementa, quæ licet secundum partem corrumpantur, sunt tamen secundum totum incorruptibilia: deinde homines, qui quamuis sint generabiles, & corruptibiles, hoc tamen habent secundum materialem partem: nam anima incorrupta manet, quæ tandem, cum corpus propter ipsam conditum fuerit, ipsum resumet incorruptibile. Reliquæ verò brutæ animantes, ac subinde plantæ, & inferiora mista, vt metalla & lapides, & id genus reliqua, nihil in se continent incorruptibile, sed simpliciter sunt corruptibilia, tam ex parte formę, quàm ex parte materiæ. Quapropter cum nullum habeant ad incorruptionem ordinem, sunt prorsus absumenda.

Ratio 3.

Item si animalia & plantæ deberent permanere, cum par sit omnium ratio, deberent & illa quæ corrupta sunt resurgere, quod est concessu absurdum Nam cum anima bruti dum moritur, in nihilum abeat, non posset animal illud resurgere nisi eius anima crearetur.

Quod si dicas, illa saltem quæ in illa die reperientur viua, fore permansura, hoc nulli rationi congruit: nam igne conflagrationis omnia exurentur, vt diuus ait Petrus. Item quia cum tunc cælorum motus cessare debeat, protinus illa interirent, neq; alia procrearentur.

Ad hæc tandem cum plantę, & animalia, vt Genes. 1. legitur, in subsidium vitę animalis hominum producta fuerint, cessante illo fine omnia disperibunt.

Solut. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod cum mundus sit propter hominem innouandus, debet illa innouatio eiusdem hominis glorię accommodari, scilicet vt sensu etiam in corporibus indicia diuinitatis percipiat, Omnium autem sensuum præstantissimus est visus, cuius obiectum est lux: od idq; luce elementa innouabuntur: qualitates verò primæ quæ sunt actiuæ & passiuæ non seruiunt nisi generationibus, & fomento & recreationi sensus tactus. Generationes autem tunc cessabunt, sensusque tactus non habebit vsum circa elementa, & quamuis haberet, qualitates illæ essent molestę, quare illæ cessabunt.

Quòd si redarguas. Multiplicatio lucis etiam est caloris causa: ergo elementa erunt intemperatè calida. Respondetur, quod lux illa non erit caloris genitrix, sicut feruentes radij solis, sed sicut lux cęlestium corporum, quę ipsa non alterat.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quod aër non fiet clarus quasi radios emittens, sed sicut illuminatum diaphanum. Terra verò virtute diuina fiet in superficie lucis capax. In inferno tamen nulla erit lucis innouatio, quamuis fiat ignis multiplicatio, per accessionem ignis conflagrationis: ille quippe non erit lucidus, sed tenebrosus, vt sit damnatis tenebrę exteriores, quæ hoc habent nomen respectu culparum, quæ sunt in anima interiores tenebræ.

Sol. 3. arg.

Ad tertium verò respondetur. Quod mixta non pertinent ad elementorum ornatum, nisi quatenus actiuę & passiuę elementorum qualitates ad particulares actiones contrahuntur in mixtis, quibus ideo actionibus cessantibus, mixta non sunt amplius elementis ornamento. Et ad aliud membrum respondetur, quod neque elementa, neque mixta innouationem merentur, sed hominis meritum est, vt innouentur. At quia mixta non sunt innouationis capacia, non cadunt sub eodem merito.

Redargutiones aliæ solumtur.

Sed arguitur rursus. Ad perfectionem vniuersi pertinent etiam mixta, & vniuersum debet manere perfectum, ergo & mixta debent perdurare. Secundò. Animalia, & plantæ nobiliores formas habent, quàm elementa, cum sint viuentia: ergo fortior ratio persuadet, vt sint permansura. Iam verò & mixta omnia habent naturalem perpetuitatis appetitum, qui per generationes impletur: naturalis autem appetitus non debet frustrari: ergo permanebunt.

Ad primum respondetur. Quod perfectio vniuersi, sicuti & hominis, alia est, quamdiu hoc seculum durat, atque alia secundùm statum gloriæ. Ad perfectionem ergo vniuersi secundum hunc statum pertinent mixta, non tamen secundùm illum futurum.

Responsio.

Ad secundum respondetur, quod & si formæ viuentium mixtorum sint illa ratione perfectiores, quàm elementorum, nihilominus ab illis in hoc deficiunt, quod nihil habent in se perpetuitatis.

Ad tertium denique respondetur. Quod appetitus perpetuitatis mistorum determinatus est & taxatus secundum cælorum motum, quo fiunt generationes. Illo ergo cessante motu non frustratur mixtorum appetitus, licet intereant.

Sol. quærit de pueris limbi.

Ad quartum principale argumentum nonnulli respondent, post diem iudicij pueros qui sunt in limbo, solo originali maculatos educendos in fine mundi in superficiem terræ, qui ideo elementorum amœnitate fruentur. Imò arbitrantur, fore scientijs naturalibus infigniter illustrandos. At verò vt libro 1. de natur. & grat. capit. 14. dicebamus, in primis nulla ratio videtur suadere, quod sint tunc resumptis corporibus scientijs naturalibus imbuendi, quas nunc ignorant. Enimuerò cum in hac vita nullam acquisiuerint scientiam, neque suis meritis debeatur, vt eiusmodi disciplinis diuinitus infundantur, non solum vanum, sed temetarium est asserere, quod tunc scientijs pollere debeant: alioqui & nunc illis potirentur, quod non est opinabile. Neque verò vlla apparet causa affirmandi, quod sint tunc à limbo in lucem prodituri. Quòd enim nunc sint in limbo, atque adeò in tenebris, receptissima, vt supra explicuimus, est patrum omnium sententia, & præcipuè Augu. in lib. de baptismo paruulorum. Et refertur de consec. distinct. 4. can. Nulla præter. Si ergo nunc sunt in tenebris, quænam ratio fingi potest, vt inde post eruantur in lucem: quandoquidem verè sint Dei inimici, quia in Adam peccauerunt, atque adeò in perpetuum ad illud

ergastu-

ergastulum sint perinde condemnati, atque illi qui sunt in inferno, licet pœnas sensus non patiantur. Quare Ioannes Papa in suo decreto, Ad lumina 50. quæstio. prima, statum illorum perpetuam mortem appellat. Adde quod cùm cæli immoti sint permansuri, in nullum viuentium vsum permanebunt, præterquam in testimonium gloriæ beatorum. Quare Augustinus hypognosticon quinto, nullum tertium post finem mundi ponit locum, sed duo, scilicet vitæ perennis supra cælum, & mortis æternæ sub terra, nempe infernum, & paruulorum limbum.

DISTINCTIO QVADRAGESIMANONA, DE STATV BEATORVM.

Textus. Cap. 1. FOeliciratem verò & gloriam Beatorum lingua non valet humana referre, de quorum nihilominus statu, & habitu non decet omnino silere. Beatitudinem ergo hominis palam constat in assecutione, possessioneque supremi eius finis sitam esse: tunc si quidem res vnaquæq; perficitur, dum ad suum redit principiũ: est autẽ Deus, vt est in Apocalypsi, α & ω, principium & finis, Deus verò qui intelligibilis substantia est, non nisi mentis oculis percipitur, & possidetur. Vnde fit consequens in visione illa qua Deus facie ad faciem conspicitur, nostram esse beatitudinem collocatam. Vnde Ioannes. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et veritas ipsa: Pater venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, &c. vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Vita enim æterna vna est, quæ hic per fidem inchoatur, & in cælo per visionem confirmata perficitur. Atque adeò, vt spe & amore in hac seculari militia ad illum conspectũ per fidem in ænigmate properamus, ita & illic apprehenso obtentoq; Deo amore inhæremus, atq; in illo sic possesso per summum gaudium conquiescimus, illoq; perinde fruimur. Iuxta illud Aug. 10. confes. Beatitudo est gaudium de veritate, quia scilicet gaudiũ est beatitudinis consummatio. Vbi. n. ait Paulus, Sic currite vt comprehendatis: insinuat, per fidem nos in hac vita spe currere, sed per visionẽ eum postmodum cõprehendere, ac perinde in ipso, quem amamus, cõprehenso, per gaudium conquiescere. Est enim, vt idem ait Augustinus, ille beatus, qui habet quicquid vult, & nihil mali vult.

Cap. 2. Ad hanc verò fœlicissimam beatitudinem etsi homines naturali inclinatione ferantur & pondere, iuxta illud Augustini. Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec veniat ad te, minimè tamen per nostras naturæ vires illam consequi sine speciali Dei fauore & auxilio valemus, secundum illud Apostoli primę ad Corinthios secundo, Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Quasi diceret. Nulla homini facultas à natura suppetit illam fœlicitatem vel corde cogitandi. Quinuerò nisi lumine gloriæ mentis nostræ oculus diuinitus subleuaretur, ad visum illum non sufficeret. Vnde Dauid, Gratiam, inquit, & gloriam dabit dominus. Et alibi. In lumine tuo videbimus lumen. Rationem etenim fœlicitatis in genere nemo non appetit. Rem verò illam in qua verè consistit naturale lumen, ostendere non sufficit. Vnde 13. de trinit. Augu. Si vnus dixisset, omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret voluntate. Ob idque cum capessendæ beatitudinis vna sit omnium voluntas de ipsa tamen beatitudine magna est voluntatum diuersitas: non quod eam aliquis nolit, sed quod non eam omnes norint.

Cap. 3. Igitur cum Deus fœlicibus illis cælicolis speculum sit, non naturale, sed spontaneum, quanquam omnes iuxta verbum Pauli eum sic comprehendant, vt visu teneant, nemo tamen sic vt se ipse comprehendit, sed plura pauciorave in ipso contuentur, vt secundum singulorum merita per eius misericordiam comparata iustitia requiret. Erit ergo cunctis Deus, vt in parabola vineæ ait Dominus, denarius vnus, & veluti ait Paul. Omnia in omnibus: quia vnusquisque voluntatem explebit suam. Sed tamen non omnes parem gloriam sortientur: nam in domo patris mei (ait idem redemptor) mansiones multæ sunt: quia multæ erunt præmiorum differentiæ. Domus ergo vna, sed mansiones multæ. Sicuti & claritas vna, sed tamen, vt ait Apostolus, stella differt à stella in claritate. Post diem verò iudicij amplior erit electis accidentaria gloria: tum propter resumpta corpora, tum & propter amplificatum electorum numerum. Vnde super Oseam Hierony. illud explicans verbum, Viuifica nos post tres dies. Peracto, inquit, iudicio ampliorem gloriam suæ claritatis Deus demonstrabit electis.

Cap. 4. Cæterùm vt animæ tribus dotibus, secundum numerum Theologarum virtutum ditabuntur, nempe visione quæ respondet fidei, comprehensione, firmaque per eandem visionem tentione, quæ terminus est spei, stabiliique dilectione, & delectatione, quæ consummatio est charitatis, ita & in corpora quatuor inde effluent dotes, quæ sunt impassibilitas contra corruptionem, subtilitas contra animalem naturam, corporis agilitas contra eius grauedinem, & claritas contra obscuritatem. Iuxta illud Pauli primæ Corint. 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.

His demum aureis beatitudinis coronis, quibus per diuinum conspectum beati om-

2. Cor. 5. Psal. 83. Psal. 35. Aug. 13. de trinit. cap. 3. Matt. 20. Ad Colos. sens. 3. Ioan. 14. 1. Cor. 15. Hierony. 1. Cor. 15.

Apoc. 20. 1. Ioan. 3. Ioan. 17. Augu. 10. confess. 2. Cor. 9. 13. de tri. cap. 5.

Digitized by Google

nes decorantur, iuxta illud Apocalypsis quinto: Feçisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, adhibentur & Aureolæ, illis propositæ, qui per quasdam singulares virtutes, Dei numine adiuti de nostris hostibus, nempe de carne, mundo, & diabolo, triumpharunt. His namque per quandam excellentiam illud Pauli de his qui in agone certant accommodatur: Non coronabitur nisi qui légitimè certauerit. Virginibus ergo ob insignem aduersus carnem victoriam, & martyribus, quia strenuè contra mundi turbulẽtam rabiem depugnantes morti occubuerunt, atque adeò catholicæ veritatis Doctoribus, qui succincti gladio spiritus, qui, vt ait Apostolus, est verbum Dei, tentamenta diaboli non solum à se ipsis, verùm ab alijs propulsarunt, eiusmodi aureolæ decretæ sunt.

2. Tim. 2.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆNONÆ,

Quæstio prima,

IN QVO BEATITVDO CONSISTAT.

TERTIA tandem, postremaque pars tractatus, de statu resurgentium in disputatione versatur, de statu beatorum ac damnatorum: quæ ideo duas continet distinctiones. Hæc ergo quadragesima nona in contemplatione beatitudinis posita est: digna profectò materia quæ quartum hunc librum sententiarum concludat, atque adeò quæ attentissima speculatione disseratur. Exposcere autem videtur quæstiones quinque. Prima enim interrogabit, in quo beatitudo consistat. Secunda, quibusnam viribus eam adipiscamur. Tertia, de visione, quæ essentia est beatitudinis. Quarta, de beatorum omnium dotibus. Ac demum quinta de quorundam aureolis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm beatitudo in aliqua re corporea, aut sensibili consistat.

CVM res primum in spirituales & corporeas diuidantur, inde initium huius præsentis speculationis sumendum est, vt videamus, vtrum beatitudo in re aliqua corporea aut sensibili consistat. Et arguitur à parte affirmatiua. Id quod pluribus in opinionem est, non videtur falsum esse omnino: nam vox populi vox naturæ videtur. &. 7. Ethic. ait Phipilosophus, quod opinio non perditur, quam populi multi famant. Sed populi opinio in rebus corporeis fœlicitatem collocare videtur: nempe aut in diuitijs, aut in voluptatibus, vt. 1. Ethicorum ait idem Philosophus: quippe quas & auidissimè cupiunt, & solertissimè insectantur, & elegantiores in honoribus: ergo in illis beatitudo consistit.

Partis affirmatiua arg. 1.

Secundò arguitur. Beatitudo consistit in illo bono quod optimum est, bonum autem corporale videtur optimum: quia quo aliquod bonum communius est, eo diuinius, vt. 1. Ethic. ait Philosophus: corporale autem bonum videtur communius quàm spirituale: nam spirituale non conuenit nisi homini secundum animam, corporale verò ad alias etiam inferiores creaturas protenditur. Imò spirituale non potest esse corpori commune: corporale verò potest esse commune animæ, vtpote quæ de rebus corporeis voluptatem capit: ergo videtur beatitudo in bonis corporalibus esse posita.

2. Argum.

Tertiò, sicut prima causa inter efficientes est illa quæ in omnes influit, ita & vltimus finis in quo beatitudo consistit, est illud quod primum omnium affectum mouet: illud autem est esse, quod vt ait Aristoteles, in viuentibus est viuere: ergo beatitudo hominis consistit in vita, quam totam sine salute corporis seruare nequimus: ergo in ijs quæ ad corporis conseruationem attinent collocatur beatitudo. Vnde Ecclesiastici trigesimo. Non est census supra cẽsum salutis corporis.

3. Argum.

In contrarium est, quòd beatitudo hominis consistit in eo quod sibi quatenus animali rationali est peculiare, & proprium, vt 1. Ethicorum. cap. 7. ait Philosophus, quo scilicet cunctis animantibus præstat, quippe quibus beatitudo propriè non conuenit: corporea verò bona sunt brutis communia: ergo in illis beatitudo non consistit.

Pars negatiua.

Primum omnium hoc est de nomine adnotandum, quod hominis beatitudo idem est, quod vltimus eius finis, quo cuncta suà desideria refert, & in cuius consecutione conquiescit. Quocirca distingui solet inter beatitudinem, seu fœlicitatem, obiectiuè & formaliter. Obiectiuè nãque est res ipsa, quam homo possidere cupit, sed formaliter est ipsa possessio. Vt fœlicitas auari obiectiuè est pecunia, formaliter verò eius possessio. Et fœlicitas gulosi est cibus, formaliter verò est gustatio, qui est actus gustus. Quare obiectum illud dicitur bonum hominis extrinsecum, actio verò qua possidetur, intrinsecum, & inhærens homini.

Beatitudo.

At verò quamuis tam finis vltimi quàm beatitudinis nomen promiscue pro vtroque vsurpari soleat, vt tam res quam possessio dicatur beatitudo, & vtrũque dicatur vltimus finis. Deus. s. extrinsecus & visio intrinsecus, tamẽ ad hãc amphibologiam cauendã, si nominũ proprietatẽ obseruemus, dũ simpliciter dicimus, vltimus finis, rem ipsam quam consequi cupimus significamus: sed dicimus beatitudo, vbi possessio rei illius intelligitur. Nam beatitudo est abstractum huius quod est, beatus, atque adeò nominat inhærentem formam, qua homo est beatus, sicut albedo est forma albi: finis verò vltimus dicitur bonum quod propter se amamus & cupimus. Quare vltimus finis est res quæ nos per sui possessionẽ beat. Igitur cũ quærimus in quo beatitudo cõsistat, exploramus rẽ illam quæ vltimus finis est, cuius possessione beamur.

Adnotatio autoris.

Quæstionis sensus.

Atqui si res à prima linea exordienda hic nobis fuisset, debuissemus seriatim per singula bona corporalia discurrere, vt Diuus Thomas fecit. 1. 2. quæstione secunda, nempe vtrùm consisteret in diuitijs, aut in voluptatibus, aut in honoribus, &c. Illa tamen disputatio ad moralem philosophiam spectat, & rationibus naturalibus secundum Aristotelem. 1. Ethico. procedit: & ideo non curamus hic peculiariter de singulis illis rebus singulos constituere articulos. Nihilominus quia rei etiam Theologicæ præsenti inseruit, summatim hoc primo articulo cuncta complecti instituimus.

Ad quæstionem ergo vnica conclusione respondetur. Beatitudo in nulla re corporea consistit, Bonum enim si ratione suæ formæ & naturæ diuidatur, triplex est scilicet honestum, vtile, & delectabile. Honestũ n, est quod propter se est expetibile, vt Deus imprimis, ac subinde virtutes. Diciturque honestum, quia honore dignum: quoniam honor est virtutis præmium. Vtile verò bonum est, quod habet bonitatem ad alterius boni consecutionem accommodam. Vt sunt medicinæ respectu sanitatis. Bonum autem delectabile est, quod de rei concupitæ consecutione dimanat. Itaque honestum bonum, vt vtile antecedit, ita & delectabile subsequitur.

Conclo.

Triplex bonum.

Si verò bonum ex parte subiecti discernatur, tunc alia ratione est etiam triplex. Est enim bonum animæ, vt scientia & virtutes, & bonum corporis, vt sanitas, ac bona denique externa, vt pecuniæ & aliæ facultates. Quam vtique distinctionem Ioannes in 1. Canonica insinuauit dicens, Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.

1. Ioan. 2.

His ergo suppositis conclusio hac ratione sub compendio probatur. Beatitudo hominis, vt nomen ipsum iam à nobis expositum admonet, est id quod ab hominibus vniuersis secundum suam bene institutam naturam, tanquam vltimus eorum finis concupiscitur: finis autem rei est vel operatio ipsius, nam res est propter operari, vel assecutio finis vltimi per

1. Ratio Conclusio.

suam

ſuam operationem: operatio verò hominis propria eſt quæ à propria forma eius emanat: nam res per formam, à qua recipit eſſe, habet operari: forma verò propria hominis per quam eſt rationalis, eſt anima: ergo beatitudo hominis in operationibus animæ conſiſtit, & in illo vltimo fine quem per illas operationes conſequitur: nempe in operatione formaliter, & in re obiectiuè. Operationes autem animæ propriæ non ſunt corporales, ſed ſpirituales: ergo beatitudo minimè in rebus corporis conſtituitur. Quòd ſi arguas, Homo conſtituitur ex anima & corpore: ergo finis debet eſſe vtrique commune: ſpirituale autem non eſt commune corpori. Reſpondetur, quod quia corpus eſt propter animam, ſicut materia propter formam, vt ait 2. de anima. Ariſtot. Beatitudo conſiſtit in bono animæ, quod redundat in corpus.

2. Ratio. Secundò, quod eodem ferè recidit, Beatitudo non niſi in bono honeſto conſiſtit, quod, vt diximus, per ſe eſt expetibile, quoniã propriũ beatitudinis eſt animum, omni expleto deſiderio, quietare, quod non faceret ſi propter aliud concupiſceretur: bona autem corporalia non ſunt honeſta, ſed vtilia, quia vt corpus eſt propter animam, ita & omnia bona corporis ad animam referuntur, propter quam condita ſunt.

3. Ratio. Tertiò, & id præterea ſic demonſtratur, tam homo quàm angelus ad imaginem Dei fuit fabricatus, vt Gene. 1. legitur: ergo vltimus finis vtrique eſt idem communis: beatitudo autem angeli eſſe nequit corporalis: ergo neque finis hominis. Atqui rationes iſtæ non ſolum theologæ ſunt, ſed etiam morales ex principijs naturalibus depromptæ. Quamuis tertia plus theologiæ redoleat.

Beatitudo in diuitijs non conſiſtit. Quòd verò iſtæ ſub compendio demonſtrant, aliæ ſigillatim de rebus quibuſcunque creatis oſtendunt. Enimuerò quod in bonis externis temporalibus, nempe diuitijs & facultatibus, quas Ioannes nominauit concupiſcentiam oculorum, beatitudo ſita non ſit, probauit Ariſtoteles, ex eo quòd diuitiarum aliæ ſunt naturales, atque aliæ artificiales. Naturales autem exquiruntur, non propter ſe, ſed ad ſuſtentandam hominis naturam, & vitam, vt cibus, indumenta, vehicula, & cætera. Non ergo poſſunt eſſe vltimus finis. Artificiales verò, vt nummi, quippe qui propter naturales expetuntur, multò minus ſunt vltimus finis.

Præter quàm quòd beatitudo conſiſtit in rei poſſeſſione firma, & ſtabili: bonum autem diuitiarum non eſt poſſeſſio, ſed earum vſus & cõſumptio: ſunt enim bona non per ſe honeſta, ſed vtilia. Adde, quod beatitudo, ſi naturalem rationem conſulas debet propria virtutis operatione acquiri, diuitiarum autẽ comparatio temeritati potiùs, atque aleæ fortunæ ſubdita eſt, quàm prudentiæ & virtuti. Quod ſi illud Ariſtote. obijcias. 2. Phyſic. vbi ait, quòd fœlicitas & fortuna circa idem eſſe videtur. Reſpondetur, quod intelligit fœlicitatem & fortunam ſubiecto conuenire: nam ſolus homo qui eſt fœlicitatis capax, eſt fortunæ ſubiectus: non tamen verſantur circa idem obiectum & materiam: nam fortuna eſt eorum quæ referuntur ad alium finem: eſt namque eorum quæ accidunt præter intentionem finis. Beatitudo verò eſt illius reique ab omnibus amatur & intenditur tãquam finis. Ob idque fortuna res eſt à fœlicitate diuerſa. Licet nonnunquam illi ſeruiat: nam res quæ præter intentionem accidunt, tum proſperæ tum præſertim aduerſæ conferre quandoque homini aſſolent ad emendandam vitam.

Felicitas & fortuna. Iam verò cum beatitudinis ſit appetitum ſatiare, nulli hoc minus rei quàm diuitijs conuenit: nam vt Eccleſiaſtici. 5. admonemur, auarus non implebitur pecunia. Qua de cauſa quandam infinitatem eius aniditas habet: ratione beatitudini contraria. De vera quippe beatitudine ait ipſa ſapientia Eccleſiaſtici 24. Qui edunt me adhuc eſurient: nam quanto perfectiùs poſſidetur, tanto eius perfectio ſuauiùs guſtatur, atque adeò tanto vehementius amorem ad ſe rapit: diuitiæ verò contra, quo plures poſſidentur, eo illarum inſufficientia euidentiùs percipitur, & ideo illis contemptis, aliæ affectantur. Vnde Ioannes 4. Dominus ait, Qui biberit ex hac aqua, ſcilicet, ex temporalibus bonis, ſitiet iterum.

In honore non conſiſtit. Neque vero in honore, quod eſt bonum animæ appellatum à Ioan. ſuperbia vitę conſiſtere poteſt beatitudo. Eſt enim honor virtutis præmium, qui idcirco non expetitur, niſi tanquam virtutis teſtimonium: hac enim ratione homines à ſapientibus honori haberi percupiunt. Quocirca virtus præſtantior res eſt, quàm honor.

Præterea beatitudo in poteſtate hominis ſaltem per Dei auxilium eſſe debet: honor autem non eſt in honorato, ſed in honorante, hoc eſt. In poteſtate cuiuſcunque eſt per Dei fauorem dignum fieri honore: honorari verò minimè, ſed in aliorum poteſtate. Quocirca, vt ſupra diximus, præſtantior eſt honoris dignitas, quàm ipſa honoratio. Atque adeo non debemus honorem, vt aiebat Cato, quia vmbra virtutis eſt, inſequi, ſed virtutem, vt honor nos ſubſequatur. Fac virtutem ſolem eſſe. Verſus virtutem ire perge, & te fugientem perſequetur vmbra, ſicuti illum, qui verſus ſolem graditur. At ſi terga virtuti vertas, quamtumuis honorem inſequaris, nunquam legitimum conſequeris, ſed vanum. Ob idque verus honor, qui expeti à nobis debet, eſt ille quem Dominus Lucę 12. ſuis dilectoribus pollicitus eſt. Quicunque me confeſſus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.

Optima ſimiliſtuão.

In voluptatibus non conſiſtit fœlicitas. Multo autem minus collocanda fœlicitas eſt in bonis corporis, nempe in voluptatibus, quas Ioannes nuncupauit concupiſcentiam carnis. Oblectatio namque non eſt per ſe bona, ſed alteri bono tanquam accidens, adiuncta, ad alliciendum affectum. Delectatio inquam ciborum non eſt per ſe bonum, ſed nutritio, cui ſagax natura delectationem adiunxit propter illius neceſſitatem. Delectatio ergo, vt. 1. & 10. Ethicorum autor eſt Philoſophus, non eſt per ſe aut bona aut mala, ſed id à re illa ſortitur, ad quam conſequitur. Vt ſi cibatio eſt iuſta & bona, delectatio erit laudabilis, ſin minus, vituperio digna. Igitur bonũ illud à quo voluptas bonitatem ſortitur præſtantius eſt ipſa. Quare in voluptate non poteſt beatitudo conſiſtere, & longè minus in voluptate ſenſus. Nam bonum quod ſenſu percipitur, non eſt perfectum hominis bonum: vtpote cuius propria ſpecies ſit eſſe animal rationale, quod vtique habet ab anima. Ex quo fit quod bonum corporis non attingit hominis perfectionem: atque adeò ſenſibilis voluptas multum ab hominis fœlicitate degenerat. Quapropter eos, qui in honoribus fœlicitatem collocabant, elegantiores appellauit Philoſophus: nam ſenſualis voluptas cum brutis animantibus communis eſt homini.

Matth. 5. Tres iſtas ſectas abſurdas viſus eſt profligaſſe Chriſtus dominus Matthæi 5. quaſi mundus totus eis eſſet imbutus, vt legi ſuæ viam ſterneret. Beati pauperes ſpiritu. Beati mites. Beati qui lugent. Acſi dixiſſet. Tantum abeſt, vt beatitudo in jis bonis quæ mundus admiratur, ſit collocanda, vt in eorum prorſus abiectione ſit poſita.

In gloria nõ conſiſtit beatitudo. Neque verò beatitudo conſiſtit in gloria aut fama humana. Gloria enim, vt ait Ambroſius, eſt clara cum laude notitia: at verò notitia humana, quia ſumitur à rebus apparentibus, fallax eſt, & ideo dicitur vana, ſed pendet noſtra fœlicitas ex notitia Dei, quæ cum ſit cauſa rerum, non fallit. Quare illa eſt vera gloria noſtra, quod merita noſtra per eius gratiam nobis comparata, & ipſe laudet, & alijs manifeſtet. Iuxta illud Pſal. Eripiam eum, & glorificabo eum.

Epilogus. Colligamus ergo in bonis corporalibus non conſiſtere beatitudinem: imò quatuor habere qualitates beatitudini contrarias. Eſt etenim vera beatitudo, ſummum bonum, quod ideo nullum ſecum compatitur malum: eſtque per ſe ſufficiens, quæ idcirco nullius extrinſecus indiget. Et præterea perfectum bonum quod propterea nulli poteſt nocere. Atque adeò comparatur ex principijs ipſius beati diuinitus adiuti. Bona verò temporalia, & multa habent ſibi mala permixta, neque vllum illorum per ſe ſufficit, imo neque omnia ſimul, & crebro ipſis poſſeſſoribus ſunt pernicioſa, ac demum extrinſecus nobis obueniunt. Fit ergo ex his conſequens neque beatitudinem hominis in aliqua operatione corporali conſiſtere, neq; eius vltimum finem aliquam rem eſſe corporalem.

Solut. 1. arg. Ad primum igitur capitale argumentum reſpondetur, non ſemper multorum opinionem eſſe in totum veram, ſed in partem. Populi autem opinio huic nititur ſyllogiſmo. In eo conſiſtit fœlicitas quod optimum eſt: bona autem temporalia ſunt optima.

At qui in istarum priori præmissa non fallitur, quia id natura magistra vniuersi docti sunt: in illa tamē subsumpta æstimatione, nil mirum, si vulgus fallatur eo quod sensu de rebus iudicat.

Et eadem ratione soluitur argumentum fieri solitum. Id enim videtur esse summum bonum, quod prius concupiscitur: & tamen ab amore rerum corporalium incipit affectus noster, & inde, vt ait Gregorius, ad amorem inuisibilium manu ducimur. Sed negatur inde consequi esse summum aut præstantius: sed quoniam cognitio nostra, vt. 1. Physicorum habetur, ab vniuersalioribus inchoatur, fit vt quod primum amamus, sit in genere id quod nobis videtur optimum: ob idque primum omnium amamus nos ipsos, deinde corporalia quæ ad nostram conseruationem & quietem attinent. Sed tamen inde assurgimus ad spiritualium amorem, quæ cognoscimus esse perpetua & ad animam propriè pertinere.

Solut. 2. arg. Ad secundum respondetur, quòd bonum corporale est quidem communius in genere per prædicationem: tum quòd corporalia plura sunt quàm merè spiritualia: tum quod & corporalia etiam ab angelis cognoscuntur: spiritualia verò non percipiuntur sensu. Sed tamen si loquamur de re vna singulari, res spiritualis est bonum communius per participationem & continentiam plurium bonorum. In re enim spirituali virtute continentur corporalia, vt in speciebus ad intelligendum & in affectu ad amandum. Et omnium potissimum in Deo quia eminenter continet omnia, ac perinde est finis omnium supremus. Et eadem ratione virtus quæ est res spiritualis se extendit ad corporalia quantum ad finem suæ operationis: per virtutem siquidem temperantiæ & fortitudinis homo se protegit à nocumentis etiam corporum, quia omnia illa sunt materia virtutis: sed tamen finis intentionis, quo virtus tendit, & in quo homo quietatur, non est nisi bonum animæ, quæ nobilior est corpore.

Sol. 3. arg. Ad tertium denique respondetur, quòd esse simpliciter acceptum præstantius est rebus cæteris vniuersis: quia omnia fundantur in esse rei: sed tamen esse participatum in hac vel illa re particulari, vt esse hominis in corpore, licet sit præstantius rebus alijs corporalibus, non tamen est perfectius, quàm esse spirituale, quod in Dei possessione & contemplatione consistit. Vnde Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus, Esse, inquit, est melius quàm viuere (quia vniuersalius) sed viuentia sunt meliora existentibus: & intelligentia viuentibus sine intellectu.

ARTICVLVS II.

Vtrum beatitudo consistit in aliqua operatione.

DVo ex superioribus habemus collecta, & definita, nempe finem vltimum hominis non esse bonum aliquod corporale, neque verò eius beatitudinem in operatione eius corporali consistere, vnde fit consequens, quod sit bonum animæ: sed restat explorare, Vtrum beatitudo saltē in aliqua consistat operatione, secundum sensum; voluntatem, vel intellectum. Et arguitur à parte negatiua. *Pars negatiua argu. 1.* Ait Paul. ad Rom. 6. Habetis fructum vestrū in sanctificatione, finem verò vitam æternam: vita autem non est operatio, sed ipsum viuentium esse: ait. n. 2. de anima, tex. 37. Philosophus, quòd viuere viuentibus est esse: ergo beatitudo non consistit in operatione.

2. Argum. Secundò. Boetius 3. de consolatione. Beatitudo inquit, est status omnium bonorum congregatione perfectus, status autem non dicit operationem sed esse. Quod si operationem includeret, comprehenderet etiam sensitiuam, à qua intellectiua dependet, & per quam multa cognoscimus, sine qua ideo non posset omnium bonorum congregatio consistere: sensitiua autem cognitio cùm sit temporalis, non potest ad essentiam beatitudinis pertinere.

Pars affirmatiua. In contrarium verò est illud Arist. 1 Ethico. c. 7. quòd fœlicitas consistit in operatione secundum virtutem.

1. Conclusio. Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Beatitudo consistit in aliqua operatione. Ad cuius intellectum illa semper habeatur præ oculis supra explicata distinctio inter vltimum finem, & beatitudinem, quod beatitudo sit assecutio vltimi finis: & ideo si quis interroget. Vtrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono creato, & consistere in aliquo bono dicat rationem obiecti, in quo homo quietatur, quem sensum in rigore facit eiusmodi propositio, negatiuè respondendum est, vt. 1. 2 q. 2. art. 8. respondet D. Thom. quoniam illud bonum in quo beatitudo sic consistit, est vltimus finis, atque adeò Deus. Vnde Aug. 19. de ciuit. Vt vita, inquit, carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est, de quo dicitur. Beatus populus cuius dominus Deus eius. Nihil enim voluntatem quietare valet, eiusq; desideria pleuè complere, nisi sit bonū vniuersale quod est propriū voluntatis obiectum: bonum autem vniuersale omnia bona continens, quæ affectari possunt, solus Deus est. Quando ergo dicimus beatitudinem in operatione consistere, loquimur in sensu (vt aiunt) identico: nam beatitudo est ipsa operatio, qua homo formaliter est beatus.

Probatio concl. Probatur ergo in hoc sensu conclusio, scilicet quod beatitudo sit operatio hominis. Est enim in homine considerare primum omniū, esse & vitam, & præterea in anima potentiam, habitum & actum, vt secundo Ethicorum ait Philosophus: beatitudo autem non potest esse nisi operatio. Quod sic probatur. Beatitudo est vltima hominis perfectio: nihil autē perficitur quatenus est in potētia, sed quatenus est in actu, quippe cùm potētia sine actu imperfecta sit: quoniam vt. 2. de cælo tex. 17. ait Philosophus, vnumquodque cuius est aliqua operatio, fit propter eius operationē, vt cæli sunt propter generationem, & oculus propter visionem: consistit ergo beatitudo in actu hominis. Philosophus autem. 2. de anima, tex. 2. &. 5. duplicē actum ponit in anima, nempe habitum, & actum. Habitus verò non est purus actus, sed medium quid inter potentiam & actum, nempe perfectio potentiæ ad operandum: sed quia per habitus denominamur sapientes, studiosi, prudentes, &c appellauit habitum, actum primum: operationem verò, actum secundum. Igitur si perfectio rei in actu consistit, necesse est, vt vltima perfectio consistat in vltimo actu. Quo enim domus cùm ædificatur plus habet de actu, eo forma domus perfectior est, & quo fœtus in vtero plus habet de vita. Quocirca Aristoteles. 1. Ethicorum ca. 7. fœlicitatem in operatione collocauit, quæ est secundum virtutem. *2. De anima actus 1. & 2.*

Quòd si arguas. Bonum quo diuturnius, vt. 1. Ethicorum habetur, eo perfectius, habitus diuturnior est actu, ergo perfectior, atque adeò in ipso consistit beatitudo. Ad primam præmissam respondetur comparationem faciendam esse in eadem specie, vt. 10. Metaphysic. textu. 13. ait Philosophus: habitus verò & actus sunt diuersæ speciei: & ideo quia cætera non sunt paria, habitus non est perfectior: quoniam est propter actum. Præsertim quòd actus beatitudinis, vt infra videbimus, est magis diuturnus: nempe perpetuus. At verò cùm operatio, vt 9. Metaph. ait Philosophus, duplex sit: vna scilicet transiens vt vrere & siccare, quæ in externam transit materiam, atque altera permanens, vt intelligere & velle, beatitudo non potest esse illa transiens: quippe cùm non sit forma perficiens subiectum, sed perficiens opus effectum. Est ergo operatio permanens. Omnis quidem operatio perficit operantem: illa verò quæ transit in exteram materiam, vt ædificatio, perficit quidem operantem in ratione finis ipsius artis: sed permanens perficit ipsum in ratione formæ, vt amor & cognitio, in qua ergo consistit beatitudo. *Beatitudo est actio immanens.*

2. Concl. Eadem conclusio demonstratur apud Arist. loco proximè citato. 9. Metaph. tex. 15. &. 16. ex eodem principio, quòd res est propter suam operationem: vnde concludit fœlicitatem esse vitam, quæ consistit in operatione perfectissima. Idemque concludit. 10. Ethi. c. 7. & 12. Meta. tex. 39. Hæc autem conclusio perspectior fiet articulo proximo inter disputandum de visione beatifica, vtrum sit operatio ipsius intellectus.

Secunda conclusio. Operatio sensitiua siue fit potentiæ apprehensiuæ, siue appetitiuæ, non potest esse beatitudo: quamuis sit beatitudinis accidentaria. Tripliciter namque ad beatitudinem quippiam attinet. Nempe aut essentialiter, aut accidentaliter, aut consequenter. Atqui essentialiter operatio sensus beatitudo esse non potest. Beatitudo etenim nostra,

ſtra, vt dictum eſt, conſiſtit in conſecutione vltimi finis, qui, vt modò dicebamus, eſt bonum increatum, nempe Deus. Senſu autem, quippe qui materialis eſt, nequimus Deum, puriſſimum actum percipere, atque adeo neque ipſum appetitu ſenſitiuo concupiſcere.

Sed contra. Contritio nonnunquam ſenſu percipitur, adeò vt & lachrymas exprimat, ergo appetitu ſenſitiuo timere poſſumus Deum, atque adeo aliquo modo amare. Reſpondetur, quod ſenſu non poſſumus Deum videre, vt quæſtione tertia monſtrabitur, Sed nihilominus ſuppoſita cognitione intellectus abſtractiua Dei poteſt ſenſus interior, nempe æſtimatiua, aliquam rationem amicitiæ vel timoris Dei percipere, ſicut auicula & matris amicitiam & lupi inimicitiam percipit. Et per illam poteſt appetitus dolere vſque ad lachrymas. Poſſunt præterea operationes ſenſus beatitudinem tum antecedere, tum etiam ſubſequi: quoniam in hac vita intellectualis cognitio a ſenſu proficiſcitur, quare per hæc viſibilia, vt ait Paulus, inuiſibilia Dei contemplamur. Et corporibus per reſurrectionem reſumptis, vt ad Diocorum ait Auguſtinus, fiet in æterna beatitudine quædam redundantia beatitudinis animæ in corpus, & in corporeos ſenſus, vt quæſtione quinta peramplius explicabitur.

3. Concl.

Fit ergo ex hac proxima concluſione conſequens beatitudinem in operatione duntaxat ſecundum animæ partem rationalem, nempe intellectum & voluntatem conſiſtere. Adhibetur nihilominus tertia concluſio. Beatitudo non conſiſtit in operatione hominis, quæ in hac vita caduca haberi poteſt. Probatur. Beatitudo eſt vltima hominis perfectio: ergo vnicuique ſecundum modum ſuæ naturæ, quo perfici poteſt, contingit. In Deo namque quia eſſe & eſſentia & operari idem ei ſunt, beatitudo eſt eius eſſentia, nequealio quam ſe ipſo fruitur, ſed alia propter ſe ipſum diligit. Angeli verò per vnicam operationem qua Deo coniunguntur fiunt beati: per illam namque operationem qua ſe cum Deo per eius gratiam coniunxerunt meruerunt beatitudinẽ, quam in termino illius operationis adepti ſunt. Quare in via vnicum tantum habuerunt meritorium actum. In homine verò, quia diutius eſt in via, multæ ſunt operationes quibus ſempiternam beatitudinem promeretur: nulla tamen eius eſſe poteſt beatitudo. Fœlicitas namque, vt Ariſtot. 1. & 10. Ethicorum autor eſt, in duas diſtinguitur: altera enim eſt actiua quæ conſiſtit in operatione ſecundum virtutem, atque altera ſpeculatiua, quam in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum collocauit. Haud enim naturali duntaxat lumine affuſus ad veræ notitiam beatitudinis pertingere valuit, quæ in intuitiua Dei contemplatione conſiſtit.

Fœlicitas contemplatiua & actiua.

At verò quod in hac vita neutra eſſe valeat perfecta, atque adeò nec rationem induere beatitudinis, inde conſtat quod continua eſſe nequit, neque firma & ſtabilis: quoniam neceſſe eſt, tum ſopore, tum & alijs officijs, quibus interdum vacare neceſſe eſt, interpollari. Neque contemplatio euidens eſſe poteſt, quia neque Deum, in quo beatitudo conſiſtit, præſentem habemus. Quocirca Philoſophus 1. Ethico. Beatitudinem huius vitæ imperfectam cenſuit, neque nos ſimpliciter beatos efficere, ſed beatos vt homines: nempe qua ratione eſſe poſſumus in hac vita fœlices.

Probatio concluſio.

Contemplatio verò proprius veræ beatitudini appropinquat, quæ erit in cælo: quoniam fœlicitas ſecundum virtutem moralem, tum circa res corporeas & temporarias ſæpè verſatur: tum præſertim in plures operationes diſpergitur, neque in altero ſeculo eius neceſſitas perdurabit. Attamen contemplatio & digniſſimæ potentiæ eſt, nimirum intellectus, & obiectorum magis nobilium, ſcilicet rerum ſpiritualium. Et eſt actio magis vna, quia veritatis ſpeculationi incumbit. Vnde Chriſtus: Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. Et quandam habet perpetuitatis imaginem, eo quod in promptu ſemper homo habet contemplationis materiam: & ſi quando illam ſomno vel alia recreatione interrumpit, id facit vt organa vegetiora ſint, & animus plus ad ipſam inſtaurandam vigeat. Nihilominus quamuis contemplatio genere ſuo & obiecto excelſior ſit, tamen proximorum neceſſitas ſæpiſſimè efficit, vt officia actiuæ vitæ ſint cumulatioris meriti. Veram ergo beatitudinem in vnica Dei præſentis contemplatione conſiſtere neceſſe eſt.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quòd vita vno modo accipitur pro eo quod eſt eſſe viuentis: & ſic beatitudo non eſt vita, niſi in Deo, cuius eſſe eſt operari. Sed alio modo accipitur pro operatione: ſicut diuiditur in actiuam & contemplatiuam: & dicimus viuere ſapientis eſt ſtudere. Et iſto modo beatitudo eſt vita: iuxta illud Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum, &c. vt illico explicabimus. Et ideo Pau. contulit meritum tum præmio dicens: Habetis fructum, &c. quoniam in hac vita per opera ex fide & gratia per liberũ arbitrium germinantia debemus ſanctificare, hoc eſt, purificare cor. Et illi ſunt ſpirituales fructus: iuxta illud ad Galath. 5. Fructus ſpiritus ſunt, charitas, pax, gaudium, &c. Atq; hoc pacto promeremur præmium, quod eſt vita æterna. Vnde Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

Sol. 1. arg.

Rom. 6. Habetis, &c.

Ad ſecundum reſpondetur Boetium nil aliud docere voluiſſe quàm beatitudinem eſſe bonum perfectum, atque omnium bonorum complementum: ob idque operationem illam per quam illud bonum poſſidetur appellauit ſtatum. Sed tamen de eſſentia illius non eſt operatio ſenſus ſed hoc probat argumentum, quod operatio ſenſus: antecedit ſubſequiturque beatitudinem. Vt in ſecunda concluſione expoſitum eſt.

Sol. 2. arg.

ARTICVLVS. III.

Vtrum beatitudo ſit potius intellectus quàm voluntatis operatio.

HVcvsqve rem hactenus deduximus, quod beatitudo eſt actus animæ ſecundum partem rationalem. Subſequitur ergo indagatio inter duas potentias rationales, quæ ſunt intellectus & voluntas, in cuius illarum actu conſiſtat. Et arguitur, quod in actu voluntatis. Beatitudo hominis, vt 9. de ciuita. Dei ait Auguſt. in pace conſiſtit: iuxta illud Pſalmi: Qui poſuit fines tuos pacem: pax autem in voluntate conſiſtit: nam eſt charitatem conſequens: ſecundum illud ad Galat. 5. Charitas, gaudium, pax, &c. ergo beatitudo conſiſtit in actu voluntatis.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. Beatitudo eſt ſummum bonum: ſed bonum eſt obiectum voluntatis: ergo beatitudo eſt eius operatio.

2. Argum.

Tertiò. Beatitudo, vt nomen inſinuat, eſt operatio omnium nobiliſſima: hæc autem eſt charitas: iuxta illud 1. ad Corinth. 13. Horum autem maior eſt charitas: ergo in illa beatitudo conſiſtit.

3. Argum.

In contrarium eſt illud Ioannis 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: vita namque æterna eſt finis vltimus vbique in euangelio, tanquam ſummum præmium nobis propoſitus: ergo beatitudo hominis in cognitione Dei conſiſtit, quę eſt actus intellectus.

Pars affirmatiua.

Quæſtio hæc multum eſt in ſcholis celebrata, atq; eam ob rem compluribus opinionibus frequentata. Sunt enim tria in vera beatitudine coniuncta, nempe viſio Dei, qui vltimus eſt finis noſter, & eiuſdem Dei amor, ac demum delectatio, quæ inde conſequitur. Vnde opiniones quot modis poſſunt variantur, adeò vt ſint quinque. Quidam enim dicunt in nullo illorum actuum beatitudinem conſiſtere, ſed in omnium aggregatione. Alij in delectatione. Atq; alij in amore, & alij in cognitione.

Tria in beatitudine.

Quinque opinones.

Prima opinio fuit Henrici Gandenſis, quam Scotus diſtinctione præſenti, quæſtione prima, refert ex eius quodlib. 13. q. 12. Commentus enim ille fuit neſcio quam meditationem, quæ olim fuit celebris, nẽpe quod beatitudo conſiſteret in quadam circuminceſſione, & illapſu Dei in eſſentiam animæ beati, ad modum quo ignis circumincedit illabiturq; in eſſentiam candentis ferri, quod trãsformatur in ipſum. Qui quidem illapſus fiebat ex vi amoris. Nam vt Dionyſ. cap. 7. de cæleſt. hierar. contemplatur, amor eſt virtus transformatiua & conuerſiua amantis in amatum: quaſi à ſe exeat, & in alio eſſe incipiat: iuxta illud euãgelicum. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. At quia creatura non poteſt naturæ diuinæ illabi, è conuerſo Deus ipſe & beatum diligens, & ab ipſo dile-

Henrici prima opin.

Digitized by Google

ctissimus per illũ amoris feruorem fit tanquam ignis, quo in flãmatus beatus fit sicut Deus. Quapropter secũdũ illum doctorẽ beatitudo non est operatio perficiẽs potentiam, sed illapsus dei, primò perficiens essentiã, atque inde redundans in potentias. Tametsi illapsus ille per operationem fiat voluntatis.

Et probabat suam opinionem primò, quòd cùm beatitudo sit nobilissima perfectio, debet in nobilissimo subiecto recipi: essentia antem animæ perfectior est quàm potentia.

Secundò. Quia cùm beatitudo sit vltima perfectio rei debet esse perfectissima coniunctio beati & beantis: perfectissima verò coniunctio fieri non potest per operationem, cùm sit accidens, alioqui beatitudo esset accidentaria: ergo debet illa coninnctio fieri per essentias ipsas, vt Deus essentiæ beati illabatur, quam in se transformet. Item, quia gloria quæ est beatitudo, est gratia consummata: gratia autem, vt sanctus Thomas docet, est in essentia animæ, gratum reddente Deo. Et potissimè arguitur. Beatitudo nostra consistit in vltimo fine, qui est Deus, & non in aliquo accidente: ergo non erimus beati quousq; ipse Deus sit nobis per essentiam coniunctus, & non per operationem. Et ideo Philosophi, aiebat Henricus, quia non cognoscebant rationem veram beatitudinis consistere in Deo, ipsam in operatione collocabant.

Reprobatio opin. Hæc autem opinio licet quandam præ se ferat imaginem veri, quia certè ita est, quòd amor quodammodo transformat amantem in amatum, illa tamen transformatio non est, quia vnum simpliciter fiant, sicut ex materia & forma fit suppositum, sed quia amor infigit amantem in amatum: & ideo per metaphoram dicitur, & exaggerationis causa transformatio. Quare illa coniunctio non potest esse immediatè per essentias, sed per illam amoris actionem. Illo enim pacto ait Christus Ioan. 17. Pro eis qui crediturí sunt in me rogo, vt omnes vnum sint. Sicut tu pater in me, & ego in te. vt & ipsi in nobis vnum sint. Non enim rogabat, vt essemus vna essentia cum Deo, sicut filius est cum patre, sed quòd quemadmodum pater & filius se mutuo amore diligunt, ita & nos semper essemus cum ipsis per amorem conglutinati.

Ioan. 17.

Potissima ergo reprobatio opinionis est. quòd illa circumincessio, & illapsus per essentiam non est intelligibilis: duæ enim essentiæ nunquam fiunt vna nisi per infirmationem, quod Deo est impossibile, neque immediatè coniunguntur, nisi per vnionem hypostaticam, qualis fuit in Christo.

2. Argum. Et ideo benè arguit Scotus. Deus cùm sit beatis præsens, non aliter se habet quàm prius, si essentiam vtriusq; consideres: ergo non potest coniunctio aliter intelligi, quàm per operationem seu intellectus, seu voluntatis, quæ ideo operatio erit forma creaturæ qua fit beata.

3. Argum. Item creatura non potest Deum, vt formam recipere à quo ipsa denominetur beata, quia Deus non est in subiecto receptibilis, ergo recipit eum per accidens, scilicet per operationem qua ei coniungitur.

Argum. Postremò arguitur. Deus ipse, quanuis sit beatus per suam essentiam, ratio tamen est, quia essentia & operatio, nempe comprehensio, qua se comprehendit, sunt idem, atque adeò ratione saltem differt beatitudo ab essentia: ergo in creatura similiter beatitudo est eius operatio.

Quòd si arguas. Ergo anima facit se beatam. Negatur consequentia. Si intelligatur, vt tota aut prima causa, quia non potest illam operationem nisi Deo autore elicere: iuxta illud Psal. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Præterea ipsa sibi videtur opinio contradicere, dicens illapsum fieri per amorem, & nihilominus prius fieri in essentia.

Solut. arg. Ad eius ergo primum argumentum respondetur quòd etsi beatitudo sit nobilissima perfectio, tamen quia formaliter accepta, non est nisi operatio, non potest primum recipi in essentia, sed in nobilissima potentia, quam infra monstrabimus esse intellectum.

Et eodem pacto respondetur ad secundum. Conceditur namque beatitudinem esse coniunctionem perfectissimam cum vltimo fine, possibilem tamen, non autem est possibilis nisi per operationem.

Ac perinde conceditur quòd beatitudo nostra consistit in vltimo fine, qui est Deus tanquam in obiecto: formaliter tamen in operatione perfectissima, qua nobis coiungitur.

Secunda opinio. Secunda opinio est Ricardi distinctione præsenti artic 1. quæst. 6. quòd beatitudo consistit complexim, & aggregatim in actu iutellectus, simul & voluntatis. Quocirca nominales, vt Maioris quæst. 3. dicit quòd beatitudo accipitur dupliciter, vno modo collectiuè, & sic consistit in aggregato visionis amoris & delectationis: & alio modo diuisiuè, quo pacto in quolibet illorum actu consistit: nam, vt ait quæstio. 5. tanquam problema sustineri potest, quòd actus intellectus sit præstantior vel actus voluntatis.

Durandus. Durandus verò quæstio. 4. ait, quod si beatitudo accipiatur pro eo quod omnem beati perfectionem includit, supponit aggregatiuè pro omnibus perfectionibus animæ & corporis quæ sunt in ipso, iuxta illud Augustini. 13. de Trinita. capit. 5. Beatus est ille qui habet quicquid vult, & nihil mali vult. Et iuxta illud citatum Boetij. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Si autem accipiatur pro eo quod est omnium optimum, beatitudo est visio.

Reprobatio opin. At verò iste modus loquendi de aggregatione, quanquam prima facie quidpiam referat qualitatis, non tamen neruum rei attingit. Nomine enim beatitudinis non nisi coniunctiõ cum vltimo fine designatur: quapropter vnicam nominat, eandemque consummatissimam operationem, qua quidem vnica actione omnia beatus possideat quæ vult, quia in ipsa omnia aggregantur bona. Enimuerò vt rerum omnium vnica est operatio, qua cum suo fine coniungitur, vt descensus grauis, & ascensus leuis, & ignitio ignis, & visio oculi, &c. Ita & vnica esse debet actio, per quam homo suum vltimum finem possideat, quæ idcirco eius sit perfecta per essentiam beatitudo, cui actiones aliæ sint annexæ: atque hæc est quam indagamus. Ineptum est ergo dicere, quòd beatitudo consistat in plurium aggregatione.

3. Opinio. Tertia opinio fuit Aureoli, qui collocauit beatitudinem in gaudio & delectatione. Ait quippe Augustin. 10. confess cap. 1. quòd beata vita est gaudiũ de veritate. Et re vera opinio hæc nonnullum habet probabilitatis colorem: quia beatitudo videtur esse quies beati, & fructus eius vltimus: gaudium autem est vltimum quod consequitur ex visione & amore, in quod ideo beatus quiescit in Deo viso & amato atque adeo est fructus quem ex illa visione capit.

4. Opinio Scot. At verò Scotus quæstio. 4. ait beatitudinem consistere in amore, qui est actus voluntatis, quem ipse putat esse fruitionem: ob idque occasione ab eodem doctore sumpta, solet quæstio sub his terminis proponi. Vtrùm beatitudo consistat in visione, an verò in fruitione. At vero Diuus Thomas & antiqui non interrogant, nisi vtrum cosistat in actu intellectus an verò in actu voluntatis, & sic certè est disputandum: nam de fruitione, quinam actus sit, alia est quæstio. Et ideo nos claritatis gratia in duas quæstiones eam partiti sumus.

Principalis concl. Ad præsentem ergo vnica conclusione respondetur, quæ est Sancti Thomæ. 1. 2. quæstio. 3. articul. 4. Beatitudo est actus intellectus, nempe visio Dei. Ait quippe, quòd essentia beatitudinis in actu intellectus consistit, sed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens, Quod dialecticorum more sic explicare possumus. Nomen beatitudo supponit pro visione connotando amorem & delectationem: est enim visio Dei quem amamus, quam delectatio consequitur. Probat. Primò sententia illa Christi citata: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te &c.

Beatitudinis explicatio.

Scotus. Hunc tamen locum sic cauillatur Scotus dicens, quòd illic non accipiatur vita æterna pro vita beata, hoc est, pro vita in qua consistit beatitudo, sed est sensus, quod cognitio Dei est quædam vita quæ nunquam finitur, sed in perpetuum durat. Philosophus namq; 12. Metaphys. tex. 39. ait quòd cognoscere est viuere, & ideo si cognitio est æterna, qualis est Dei visio, erit vita æterna, non tamen inde sequitur, quòd illa sit beatitudinis essentia.

Improbatio opin. Hanc tamen interpretationem, vt cum bonâ venia egregij doctoris loquamur, textus non gratanter admittit: eadem enim ratione damnatorum cognitio, quippe quæ perpetua est, diceretur vita æterna. Adde, quòd Christus non simpliciter dixit, vt cognoscant te, sed vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum: vbi Deum ipsum qua ratione est finis noster, expressit, vt explica-

ret co-

ret cognitionem illam esse perfectissimam cum illo coniunctionem, tanquam cum vltimo fine. Et ideo adiecit, & Iesum Christum: qui inquantum Deus est eiusdem beatitudinis obiectū, & inquantum homo causa & medium ipsius consequendæ.

Vita æterna. Sed quid pluribus opus est? Nomine enim vitæ æternæ, vbicunque in euangelio memoratur, designatur summum illud præmium cultoribus Dei, primò positum, quod à morte inferni distinguitur. Iuxta illud Pauli ad Romanos 6. Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Vnde Matth. 16. Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Et infra, Qui reliquerit patrem aut matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et Marc. 9. Bonum est tibi claudum intrare in vitam æternam, quàm duos habentem pedes mitti in gehennam ignis. Et Ioannis 3. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Vnde ante illa citata verba apud Ioannem, ait Christus, Clarifica filium tuum, &c. vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est enim vita æterna, &c. Ecquis ergo colore vllo ambigere valeat, quin illic vita æterna pro æterna beatitudine vsurpetur?

Alius cauillus. Aliter tamen solent Scoti discipuli locum illum interpretari, vt à sensu sancti Thomæ illum diuertant: nempe quòd ibi cognitio non accipiatur pro visione beatifica, sed pro cognitione fidei, quæ dicitur vita æterna, eò quòd sit primum fundamentum quo itur ad vitam æternam.

Redargutio. At verò cùm nulla illic fiat cognitionis restrictio, sed simpliciter Christus dixerit, vt cognoscant, planè denotauit totam Dei cognitionem, quæ est vita æterna. Illa etenim vita hic incipitur per ænigmaticam fidei cognitionem, & in patria perficitur, & consummatur per visionem, & nihilominus est vna, nisi quòd in hoc seculo non est confirmata. Nam vita gratiæ quæ hic fundatur in fide, suapte natura & ingenio, nisi nostra obstet culpa, perpetua est: quippe quæ neque per corporis mortem interrumpitur, sed permanet in anima, in qua loco fidei succedit visio, eandem perpetuans vitam. Dicens ergo Christus: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te: non solam fidem, verum & præcipuè visionem significauit, per quam Christus clarificaturus est patrem, cùm offerat ei in patria beatorum regnum, quod hic acquisiuit, nempe sponsam suam ei reddens sine macula & sine ruga, qualis vniuscuiusque anima de fonte baptismatis resurgit. Quocirca August. lib. 1. de Trini. Et Magister sententiarum, in hoc sensu tanquam certissimo & receptissimo tractant hunc locum de vita æterna.

Ratio sancti Thom. At verò ratione sancti Thomæ profectò conclusio planè dilucidata constabilitur, quæ est hæc, Beatitudo (quod nemo negare potest) est consecutio vltimi finis, qua scilicet Deum possidemus, & comprehendimus: iuxta illud Matthæi 25. Venite benedicti patris mei, possidete regnum. Et secundum illud Pauli 2. ad Corinthios 9. Sic currite, vt comprehendatis: Deum autem non per actum voluntatis, sed per visionem consequimur, possidemus, & tenemus, &c. ergo visio est beatitudo. Probatur minor. Voluntas fertur in finem, & absentem, dum ipsum desiderat, & præsentem, dum in ipso quiescens delectatur: desiderium autem finis absentis constantissimum est non esse finis consecutionem, sed motum in ipsum, quod idcirco desiderantem cruciat: delectatio verò quæ habetur, dum finis est præsens, non potest esse eius consecutio: imò potius illum iam obtentum & possessum supponit: non enim finis possidetur ex eo quod delectat, sed ex eo potius quod possidetur, delectat: non ergo consecutio finis est actus voluntatis. Ex quo fit vt sit actus intellectus.

Impugnatio. Hæc tamen ratio sancti Thomæ nonnullis videtur lubrica, & manca, quia cum de solis desiderio & delectatione probet non esse consecutionem finis, infert consecutionem non esse actum voluntatis: & tamen deberet probare non esse amorem dei præsentis, in quo eam Scotus constituit. Veruntamen si ratio penitus inspiciatur, est profectò efficacissima. Supponit enim quòd actus voluntatis, qui est amor, cùm sit indifferens ad rem præsentem & absentem, non est rei comprehensio: quia consecutio rei est actus per quem res habetur præsens: & ideo excluso desiderio, quod est rei absentis, si aliquis actus voluntatis deberet esse assecutio dei, ille deberet esse delectatio, quæ non est nisi rei præsentis: cum ergo illa non sit, fit, vt neque vlla voluntatis operatio sit finis adeptio & possessio.

Redargutio. Sed arguis. Pariter cognitio Dei est indifferens ad absentem & præsentem, & nihilominus per cognitionem consequimur Deum. Respondetur, id verum esse de cognitione in genere, tamen visio non est indifferens, sed natura sua est rei præsentis, imò Deus per visionem fit præsens, atque adeò apprehenditur.

Confirmatio. Et per hoc confirmatur superior ratio. Si aliquis amor esset consecutio Dei maximè esset ille qui est rei præsentis: ille autem præsupponit iam Dei præsentiam per visionem: ergo visio ipsa per quam Deus fit nobis præsens, est Dei assecutio, apprehensio, & tentio. Imò amor, vt dictum est, idem erat, licet non tam firmus antea rei absentis, visio verò minimè. Itaque idem argumentum, quod probat de delectatione, probat & de amore, quod non sit consecutio Dei. Ob idque Diuus Thomas 3. contra gent. ca. 26. vtrumque probat, sed in Summa, quia vtrumq; idem erat omisit, tanquam superfluum de amore multiplicare argumenta: quinuero quia non suspicabatur aliquem constituere finis consecutionem in amore. Nam vt aliud instruamus argumentum profectò quamuis deberet beatitudo in actu voluntatis constitui, non esset in amore collocanda, sed in delectatione, quæ est visionis fructus atque adeò fruitionis terminus, vt illico artic. proximo monstrabimus: est enim frui, voluptatem de re obtenta capere.

S. Tho. 3. contra Gentes. *Aliud arg.* *Scoti cogitationes refutantur.* Sed ait nihilominus Scotus, quòd beatitudo non consistit simpliciter in amore, sed in amore Dei visi. At verò profectò tantum est dicere, in amore Dei visi, acsi dicas in amore Dei habiti, vt præsentis, non ergo amor est actio per quam Deum habemus, sed illa visio quæ præsupponitur ad illum amorem, & in eius obiecto includitur, cùm dicitur, in amore Dei visi.

Sententia Scot. Ait vero rursus per vtramque potentiam nos consequi Deum, scilicet per visionem, & per amorem: sed visio præcedit, & ideò amor, qui subsequitur, est perfectior, iuxta doctrinam Arist. 9. Metaphysi. text. 15. dicentis, quòd posteriora sunt perfectiora.

Sensibilium exempla. Veruntamen hoc quod affirmat non probat, scilicet, quòd amor sit consecutio: imò contrarium, vt ait Diuus Thomas, circa fines sensibiles compertum est. Cupidus namque pecuniæ nequaquam per eius amorem illam consequitur, sed illo amore incitatur ad conquirendum illam, quam tandem manu assequitur, vel alio possessionis genere. Et auidus cibi certè non consequitur per amorem cibum, sed per gustum: & auidus musicæ per aurem, & amicus pulchri per visum. Et dum per illos sensus rem possidet, tunc delectatur in re habita & obtenta. Simili ergo modo in Deo à principio per desiderium cupimus ipsum consequi: consequimur autem per hoc, quod sit nobis præsès: fit autem præsens per actum intellectus, eo quòd res est intelligibilis, quæ aliter nō potest attingi. Et tunc voluntas quæ illam possessionem optabat, illum firmiùs diligit, atque adeò iam in ipso habito delectatur. Igitur ineptum est duas fingere consecutiones, nam postquam rem semel consequimur, non opus est alia consecutione, sed subsequitur in re amata & habita delectatio: quis enim rem adeptam adipiscitur.

August. Atqui hic est sensus verbi Augustini supra citati 10. confessio. quod beatitudo est gaudium de veritate, hoc est, beatitudo est consecutio veritatis, quam consequitur gaudium.

Optimum argumen. Præterea ad maiorem horum explicationem arguitur. Hoc differt cognoscitiua potentia ab appetitiua, quod cognoscitiua est apprehensiua rei quippe cuius actus consistit in eo quod est obiectum recipere: per species enim quas recipit ab obiecto ipsum cognoscit, & cognoscendo apprehendit, appetitiua vero potentia non est apprehensiua, sed eius agendi modus est ferri in obiectum, ergo certè per amorem non apprehendimus Deum, sed per visionem: & cùm beatitudo sit Dei comprehensio, vt ait Paulus, atque adeò eius possessio, fit vt non sit amor, sed visio.

Aliud argumentum. Item beatitudo est sufficiens bonum: hoc autem consistit in hoc quòd Deus ostendat se nobis secundum illud Ioan. 14. Qui diligit me, ego diligam eum & ostendam meipsum illi. Et Philippus: Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Manifestum autem est

Deum non se nobis ostendere per amorem nostrum, sed certè per visionem. Glossat autem Scotus dictum Philippi, quòd loquebatur de sufficientia quantum ad credendum per fidem, si ostenderetur ei pater. At profectò in hoc quod ait, ostende, non significat nisi desiderium videndi ad quod ducimur per fidem, & ideo Augustinus lib. 1. de Trinit. per illam ostensionem, visionem intelligit, vt statim videbimus.

Præterea Beatitudo consistit in eo per quod efficimur Deo similes: nam ratio filij in similitudine constitit, iuxta illud 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus: quia cùm apparuerit, inquit, similes ei erimus: per quid autem efficiamur similes, declarat subdens: Videbimus eum sicuti est. Eodemque alludit Paulus 2. Corinth 5. dicens: Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem: sed habemus voluntatem peregrinari a corpore, & esse præsentes ad Dominum, &c. ergo esse præsentes, est videre facie ad faciem: atque adeò id ipsum est illum consequi, habere, tenere, & possidere.

Præterea. Beatitudo est præmium quod Deus nobis confert in patria, id autem quod nobis confert est visio: ad quam non modò concurrit speciáliter, vt ad amorem, sed in ratione speciei, vniendo se intellectui nostro, ipsumque subinde per lumen gloriæ eleuando, vt ipsum conspiciamus: amor verò ille firmissimus consequitur illam visionem, quasi voluntas in Deum visum naturaliter feratur. Adde denique, quòd summa miseria, & pœna damnatorum est pœna damni, quæ est carentia diuinæ visionis: ergo in visione consistit beatitudo.

Aug. testimonia.

At verò quoniam Augustinum Scotus & sui in suam ipsorum sententiam cogere contenduat, consulatur ipse vbique, & potissimùm lib. 1. de Trinit. & constabit multò euidentius hanc suam fuisse sententiam, quàm S. Thomæ. Etenim cap. 8 tractans illud ad Colossen. 3. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria Ante, inquit, quàm id fiat, videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Hæc enim, inquit, nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum. Vbi visionē appellat contemplationem finis, & præmium nostrorum operum. Vnde subdit illud Ioannis iam à nobis citatum, Scimus quia cùm apparuerimus, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et subdit: Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum: de qua contemplatione & visione intelligit illud Pauli: Cùm tradiderit regnum Deo & patri: quasi illa sit regni possessio: quid clarius? Et cap. 9. In Dei, inquit, visione merces tota promittitur delectationis & desiderij nostri. Nunquid non merces idem est quòd meritorum præmium? Glossat tamen Scotus, quòd visio sit merces intelligentiæ non tamen hominis. At verò Augustinus non ait quòd sit nisi merces quæ promittitur omnium nostrarum actionum & desiderij nostri præmium. Et cap. 10. In illa contemplatione Deus erit omnia in omnibus: quia nihil ab illo aliud homo requirit, sed solo ipso illustrati perfruique sufficiet Mirandum est, quomodo Scotus hunc locum pro se afferat, cùm apertè dicat in illa contemplatione Deum esse omnia in omnibus, quod est esse omnium præmium. Sed & cap. 13. pluries quàm quinquies id explicatissimè inculcat. Beati enim inquit, mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt: qua summum præmium promittitur iustis. Et rursus: Hæc vita æterna est illa visio, quæ non pertinet ad malos. Et rursus. Visio formæ Dei solis pijs exhibebitur, quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia seipsum ostēdet eis. Et vt alia missa faciamus, circa finem enarrans illud Ioan. 14. Qui diligit me, ego diligam eum, & ostendā meipsū illi: Visio, inquit, ista est summum bonum nostrum, cuius adipiscendi causa præcipimur agere quicquid rectè agimus. Perspice quod vbi dixit Philippus, Ostende nobis patrem & sufficit nobis: de visione loquebatur, quæ est sufficiens bonum. Et lib. 13. cap. 5. Beatus, inquit, non est nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè. Non ergo ait beatitudinem esse velle seu amare ea quæ habes, vt Scotus glossat, sed habere & possidere ea quæ vis & amas: ergo visio per quam Deū quē amamus habemus, est beatitudo. Sed nihil malè velle requiritur ad beatitudinē, sicut quædam dispositio voluntatis, nā qui mala vult, infœlicior est possidendo, quàm si ea consequi nequiret. Certè qui hanc veritatem negant, non tam Diuo Thomæ, quam Diuo Augustino bellum indicunt.

Scoti argumentum.

Accersit verò Scotus in suum patrocinium Augustinum lib. 1. de doctri. cap. 32. dicentem, quod hæc est summa merces, vt Deo perfruamur. Hunc autem locum tractabimus articulo proximo.

Augustin.

Sed nunc dicimus visionem ipsam qua Deus possidetur, esse fruitionem, nempe actionem qua capitur delectatio Ait namque idem Augustin. in lib. de moribus Eccles. c. 3. Quid est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis?

Arguit præterea Scotus, quod beatitudo debet esse nobilioris potentiæ, voluntas autem est nobilior & præstantior, quia obiectum eius est bonum. Verumtamen quamuis hic locus non vacet ad amussim disputandi de collatione hac voluntatis cum intellectu, certum est tamen Philosophum 10. Ethico. capit. 7. ex professo probare intellectum esse potentiarum perfectissimam ac diuinissimam: qua de causa summam hominis fœlicitatem in vita contemplatiua collocauit: quò nihil potuit euidentius in nostrum fauorem asserere, licet religione Christiana non esset imbutus. Ecqua enim est summa contemplatio, nisi illa Dei visio?

Omnis homo naturaliter scire desiderat.

Imò illud primi Metaph. Omnis homo naturaliter scire desiderat, ad id ipsum pertinet. Haud enim desiderium illic naturale hominis qualecunque insinuat, vt est desiderium comedendi, ambulandi, &c. Sed summum desiderium, quod est hominis suprema fœlicitas. Quemadmodum grauis appetitus est quiescere in centro, & leuis sursum. Nempe quia est rationale animal, & rationis est sapere. Ob idque in visione illa qua summa veritas conspicitur, ex quo fonte veritates omnes quæ in hac vita sciuntur deriuantur, beatitudo consistit.

Intellectus est præstantior potentia.

Quapropter ait 10. Metaph. tex. 29. Præstantissimam omnium diuinissimamque operationem esse contemplationem, quam ait esse deorum vitam. Quinuerò ideò videre Deum est vita æterna, quia est visio, ac perinde possessio vitæ æternæ,

Atqui quod intellectus sit præstantior potentia quàm voluntas, inde D. Thom. 1. par. q. 82. art. 3. demonstrat, quòd ratio obiectiua intellectus, nempe verum, spiritualior sit, quàm ratio boni: nam verum cognoscimus abstrahendo à materia, vt 3. de anima docet Philosophus. Bonum autem sumitur per respectum ad subiectum, quia alicui est conueniens Et ideo intelligere abstrahit ab existentia rei: intelligimus enim simpliciter res quæ non sunt, nec sub ratione existentiæ. At verò licet velimus ea quoque quæ non sunt, non tamen ea cupimus & amamus nisi referendo ad existentiam, quia cupimus ea habere: quod autem abstractus est à materia & ab existentia, altius est & purius.

Fallax ergo est ratio Scoti, quod intellectio, quia prior est amore sit imperfectior. Non enim est prior in genere causæ materialis, de quibus loquebatur 9. Metaphy. Philosophus, sicut imperfectior est anima sensitiua qua prius viuit embrio, quàm intellectiua qua viuit posterius, sed est prior in genere causæ efficientis, & ideo est perfectior, sicut causa prima quàm secunda. Lumen enim rationis est voluntatis lux, & intellectus dux eius, quare certè intellectio natura sua præstantior est, vt Aristoteles docuit.

Obiectio Scoti.

Contra hæc autem obijcit Scotus illud Pauli 1. ad Corinth 13. Horum autem maior est charitas. & dictum Anselmi lib. 2. Cur Deus homo cap. 1. Peruersus ordo est, velle amare propter intelligere, imò intelligendum est, vt amemus. Tertio, quia corruptio actus voluntatis, nempe velle malum, peruersius est quàm corruptio actus intellectus, nam intelligere malum non est malū: ergo velle bonum perfectius est, quam intelligere bonum.

Argumentorum dilutio.

Ad hæc autem respondetur primum, quod hoc arguendi genus est res ab vno proposito in aliud diuertere. Cùm enim ratione naturali probamus actum intellectus esse perfectiorem, non loquimur in genere moris, sed in genere entis, quare indifferens est huic proposito quod. velle bonum sit magis meritorium, quàm intelligere, & quod charitas, sit hoc pacto præstantior. Secundo. Paulus non comparauit charitatem ad actum perfectissimum intellectus, sed

ad fidē

ad fidem & spem, quæ sunt actus vitæ, & non manent in patria. Non autem dixisset, quod charitas patriæ est præstantior visione Dei, per quam Deum comprehendimus, & ei similes efficimur, & per quam se nobis ostendit, & ad sui amorem nos necessario trahit.

Alius ordo in via quàm in patria.

Tertiò denique annotandum est maximè, quod alius est ordo in via inter charitatem & cognitionem Dei ænigmaticam, atque alius in patria inter visionem & confirmatam charitatem. In via namque perfectior est charitas, quàm fides & spes, vt ait Paulus: nam fides ordinatur ad charitatem, vt ait Anselmus, imò omnes naturales scientias ad hoc debemus referre, vt per visibilia, quemadmodum ait Paulus, Deum cognoscamus, ac subinde amemus: sed tamen visio beata non ordinatur ad amorem tanquam medium ad finem, imò ipsa visio est finis, in qua voluntas conquiescit. Igitur vita beata incipit à cognitione fidei, & progreditur per amorem ad Deum, qui est per visionem possidendus. Itaque debemus Deum hic intelligere, & intelligendo, vt ait Augustinus, amare, & amando possidere. Hoc est, sicut per intellectionem promouemur ad amorem, ita per amorem perducamur ad comprehensionem.

Alia Scoti argumenta.

Tandem, vt finem faciamus, arguit Scotus. Vltimus finis intrinsecus hominis est, illud quod est summè volendum, sed velle ipsius voluntatis magis est volendum quàm intelligere, quia vnaquæque res plus appetit suam perfectionem, quàm alterius: velle autem est perfectio voluntatis, & intelligere perfectio intellectus.

Item velle voluntatis propinquius est sibi quàm intelligere, ergo propinquius per velle tendit in suum finem, quàm per intelligere.

Item tertiò arguunt discipuli eius. Vltimus finis est summum bonum, sed bonum est obiectum voluntatis: ergo immediatius per actum voluntatis assequimur finem quàm per actum intellectus.

Ad primum respondetur, non esse loquendum de voluntate & intellectu acsi essent duo suppositа distincta, quia non sunt nisi duæ potentiæ eiusdem suppositi, & actiones propriè sunt suppositorum, vt 1. de anima ait Philosophus, & ideò respondetur legitimè, quod voluntas non appetit magis suum bonum quàm bonũ intellectus, sed homo per voluntatem appetit summum sui ipsius bonum, puta Deum possidere, & quia id non possumus nisi per visionem, illud est quod summè per voluntatem appetit. Imò id ipsum est summum bonum voluntatis.

Ad secundum verò respondetur, primò, quod siue voluntas immediatius vniatur Deo per suum velle, quàm per intelligere, siue secus: nihil ad rem, quia ille actus voluntatis non est assecutio obiecti, qua scilicet homo vel anima ipsum comprehendit. Quin verò ille amor præsupponit consecutionem. Secundò respondetur, quòd non est ad hoc attendendum, an velle sit immediatior actus voluntatis, sed quod sit immediatior actus fini, per quem anima finem ipsum consequitur, & ille est visio quæ ponitur in obiecto amoris: nam amor patriæ est Dei prius visi.

Verum & bonum.

Pro solutione tertij notandum est, quòd verum & bonum, cùm sint transcendentia, de se mutuo prædicantur: omne enim bonum est verum, & omne verum est bonum: voluntas autem beati non fertur in rationem boni in abstracto, sed in bonum hoc singulare: bonum igitur summum voluntatis est Deus visus. Est ergo sophisticum argumentum. Conceditur enim quòd vltimus finis est summum bonum, & quòd bonum sit obiectum voluntatis, negatur verò consequentia cùm infertur: ergo consequimur præstantius vel immediatius ipsum per actum voluntatis: quoniam illa ratio boni, quod homo per voluntatem appetit, consistit in Deo, quem homo vel anima tanquam intelligibilem veritatẽ per intellectum assequitur.

Aliud argumentum.

Aliter arguunt alij. Si ille qui Deum videt non haberet amorem eius, & gaudium Dei, non esset beatus: ergo beatitudo non in visione sola, sed in omnium congregatione consistit. Respondebitur ar. proximo. Quoniam res hæc (& vt arbitror sine causa) nimium est apud quosdam in controuersia posita, boni consulat lector quòd tam multis eam tractauerim.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis positum respondetur, quòd pax non est essentia beatitudinis, sed ipsam antecedens, & consequens quia omnia perturbantia in hac vita pacem per Christũ, qui fuit princeps pacis, remota sunt, & forsan de hac pace Ecclesiæ militantis vaticinabatur Psalmista. Sed nihilominus est pax alia cœlestis, de qua ait Paulus, quòd exuperat omnem sensum, & illa est consequens beatitudinem: est enim tranquillitas & quies animæ in Deo viso.

Sol. 2. arg.

Ad secundum negatur consequentia, quòd si beatitudo est summum bonum, & bonum est obiectum voluntatis, beatitudo consistat in actu voluntatis. Nam si consistere accipiatur tanquam in obiecto & vltimo fine, potius, vt ait S. Tho. sequitur contrarium: nam actus voluntatis non potest esse eius primum obiectum, sicuti obiectum primum visus non est visio. Si autem consistere accipiatur tanquàm in operatione per quam assequimur vltimum finem, iam monstratum est, quomodo bonum illud vltimum quod voluntate cupimus, non per eius operationem consequimur.

Aliud argumentum.

Quod si quis sic redarguat; primo mouenti respondet vltimus finis, veluti vltimus finis exercitus est victoria, quæ est finis ducis mouentis omnes: primum autem mouens est voluntas, quæ omnibus viribus vtitur: ergo beatitudo est operatio voluntatis. Respondetur ad maiorem, quod si intelligas vltimum finem respondere primo mouenti, id est, quod per actum primi mouentis apprehendatur, falsum est: sed respondet ei, quia primum mouet ad illum assequendum. Potentia enim quæ primò ostendit finem est intellectus: sed voluntas mouet & intellectum & reliquas potentias ad illum assequendum, & tandem homo assequitur ipsum per alias potentias, vt dulce per gustum, & Deum per visum. Veruntamen voluntas vt fuit primum mouens, ita postea in obiecto comprehenso quietatur, ipsoque fruitur.

Tertium vero argumentum iam solutum est, vbi ostendimus, quòd intellectio, in genere entis est præstantior, quia est præuia dilectioni, & lux eius, & ideo per ipsum primò attingimus rem, quia nihil diligimus nisi præcognitum vt decimo de trinit. ait Augustinus. Quanquam velocio sit nobilior in mouendo, præstantius tamen est simpliciter dirigere & attingere, quàm mouere.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm fruitio sit actus appetitiuæ potentiæ.

QVONIAM constitutum est beatitudinem in actu intellectus consistere. Quæritur de fruitione quæ est fructus perceptio, quam habeat cum beatitudine connexionem. Vtrum scilicet. sit actus appetitiuæ potentiæ. Et arguitur à parte negatiua. Frui, vt nomen ipsum planè sonat, est fructum de re capere: sed fructus humanæ vitæ, idem esse videtur, quod eius beatitudo & finis, quem per intellectum, vt dictum est, assequimur, in cuius actu beatitudo formaliter, vt ostensum est, consistit: ergo frui non est appetitiuæ potentiæ, sed intellectus.

Partis negatiua arg. 1.

Secundò. Quælibet potentia habet proprium finem, qui est eius perfectio sicut finis visus est videre: & finis auditus sonos percipere, & sic de alijs: sed finis rei est fructus eius: ergo frui est potentiæ cuiuslibet, & non solius appetitiuæ.

2. Arg.

Tertiò arguitur. Fruitio est delectationis perceptio, sed delectatio sensibilis pertinet ad sensum apprehensiuum, vt delectatio cibi ad gustum, & delectatio pulchri ad visum: ergo eadem ratione delectatio intellectualis (qualis de Deo percipitur) pertinet ad intellectum.

3. Arg.

In contrarium est sententia illa celebris Aug. 1. de doctri. c. 4. & 10 de Trinit. Frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam, sed amor est actus voluntatis, ergo & fruitio, imò videtur fruitio idem esse amor.

Pars affirmatiua.

Quæstionem hanc ad literam cum istis arg. proponit & tractat D. Tho. 1. 2. q. 11. artic. 1. Quam sic mouendam duximus, vt eius mentem pro captu nostro exponeremus, imò ni fallor, vt planissimam veritatem vix intellectam curaremus explicare, quæ plurimum ad beatitudinis notitiam refert. Respondetur ergo ad quæstionem quinque conclusionibus. Prima statuitur sub eodem verborum tenore, quo illam statuit

Decis. art.

1. Concl.

Fruitio.

S. Th. Fruitio est actus appetitiuæ potentiæ. Ad intellectum autem huius conclusionis, videlicet ad intelligendum quomodo sit actus voluntatis, elicitus ne, an imperatus, supponenda est nominis significatio Latina ab illis qui de nominibus tractant. Apud Latinos enim (vt omnes consulenti compertum fiet) frui est voluptatem de re captare: nomine autem voluptatis intelligitur delectatio & gaudium. Enimuerò vt D. Th. 1 2 q. 31. disertè docet, quies delectatio & gaudium differunt, vt magis commune & minus commune. Quies enim est generale nomen ad res vniuersas. Est enim perfectio, quam res consequitur ex eo quod suum finem vltimum attingit: vt cum terrea moles descendit ad centrum, & ignis ad locum sui elementi. Et dicitur illa quies, hoc est, naturalis cessatio motus, & consecutio loci ad quem naturalis appetitus rei propendet. Res autem cognitione pollentes hoc differunt ab alijs cognitione carentibus, quod cognoscunt & sentiunt illam finis adeptionem, & ex illa cognitione resultat in eorum appetitu motus qui dicitur delectatio, quæ est passio eiusdem appetitus. Itaque delectatio est res inferior quàm quies: omnis enim delectatio est quies, quando est cum cognitione: non autem omnis quies est delectatio, vt patet in rebus insensibilibus.

Quies delectatio & gaudium.

Rursus quia cognitio alia est sensitiua, & alia intellectiua & rationalis, cognitionem sensitiuam consequitur mera delectatio, quæ non habet altius nomen: cognitionem verò rationalem consequitur delectatio quæ sortitur nomen gaudij. Vnde Auicenna lib. suo de anima: Gaudium, inquit, est quædam delectationis species. Et Damascenus & Grego. Nicenus aiunt. Delectamur in his quæ naturaliter etiam secundum corpus concupiscimus, ea adipiscentes, & in his quæ concupiscimus secundum rationem. Gaudium verò illa sola delectatio est, quæ rationem sequitur. Ex quo fit quod dum homo secundum appetitum sensitiuum de re aliqua delectatur, quam, quia mala est, auersatur ratio, delectatio illa nomen gaudij non sortitur.

Auicenna.

Hinc fit quod gaudium propriè non in appetitu sensitiuo, sed in intellectiuo, nempe in voluntate suscipitur. Est ergo motus voluntatis quæ non est volitio, sed passio seu affectus. Nam etsi dicatur passio, profectò non tam propriè hoc nomen meretur, quàm delectatio sensualis. Quoniam in appetitu sensitiuo fit delectatio cum aliqua transmutatione corporali, vt eadem quæst. art. 4 ait D. Tho. sicut dum aqua calefit. Delectatio verò appetitus rationalis nihil aliud est quàm simpliciter motus voluntatis, nempe passio: sine aliqua tamen corporali transmutatione. Vnde August. lib. 4. de ciuit. Dei: Cupiditas, inquit, & lætitia nihil aliud est, quàm voluntas in eorum consecutione quæ volumus.

August.

Gaudium & lætitia.

Veruntamen inter gaudium & lætitiam secundum nominum proprium significatum hoc interest, quod gaudium est affectio animi dum ad mensuram rationis exhilaratur, neque vltra modum foras effunditur. Lætitia verò cùm ita moueatur vt exterius, præcipuè in vultu immodicè egrediatur. Quare Stoici passiones repellentes, gaudium sapienti permittebant, non tamen lætitiam. Vnde Cicero 4. Tuscul. Cùm ratione, inquit, animus mouetur placidè atque constanter, tunc gaudium dicitur: cùm autem inaniter & effuse exultat, tunc illa lætitia, gestiens vel nimia dici potest, quæ est animi elatio, sine ratione. At verò in sacris hæc non obseruatur differentia, Imò illa gaudij beatorum exuberantia, & delectatio & lætitia etiam nuncupatur: iuxta illud Psalm Delectationes in dextera tua vsque in finem. Et rursum: Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.

Cicero.

Psal. 15.

Igitur quo ad rem reuertamur. Frui est voluptatem seu delectationem & gaudium captare de re. Id quod D. Tho. pro constantissimo supponit. Ait quippe quod fruitio & fructus ad idem pertinent, & quia nomina ab ijs quæ sensui patent imponuntur rebus, & fructus est sensui patentior, fruitio dicitur à fructu, sicut cibatio à cibo, & ædificatio ab ædificio. Est enim fruitio per quam percipitur fructus, sicut cibatio, actio qua sumitur cibus. Et ideò sub distinctione concludit, quod frui pertinere videtur ad amorem vel delectationem quam aliquis habet de expectato, quod est vltimus finis: non ait esse amorem, sed pertinere ad ipsum. Imò quamuis sub defunctione dicat, videtur, affirmare tamen apparet fructum non esse nisi delectationis captionem, quam aliquis percipit de vltimo fine expectato, & possesso. Nam certè nomine fructus id intelligitur: iuxta verbum Augustini loco citato 10: de Trinit. c. 10. Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis propter se ipsa delectata conquiescit. Et ideo idem Diuus Thomas quæstione 4. articul. 4. vbi definiuit beatitudinem consistere in visione, subdidit, sed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens: iuxta verbum Augustini, beatitudo est gaudium de veritate: quia gaudium est consummatio beatitudinis. Frui ergo profecto non est nisi voluptatem capere de fine expectato, & obtento. At quia finis, ait D. Thomas, & bonum est obiectum appetitiuæ potentiæ, manifestum est quod fruitio est actus appetitiuę potentię. Hactenus Diuus Thomas.

Fruitio.

August.

Ex his subsequitur secunda conclusio. Fruitio, si accipiatur effectiuè pro actione, per quam captatur voluptas & delectatio, non est actus elicitus voluntatis sed intellectus, nempe ipsa visio, qua ratione est obiectum voluntatis: sed si accipiatur formaliter pro ipsa receptione gaudij, est motus voluntatis.

2. Concl.

Prior pars patet imprimis apud S. Thomam in verbis proximè præcedentibus. Colligit n. fruitionem esse actum voluntatis, quia finis, vnde captatur voluptas, est obiectum voluntatis, obiectū autem voluntatis est visio nempe Deus visus: ergo non aliter intelligit fruitionem esse voluntatis, nisi quia per illam visionem quam expectauit voluntas, & præsentem amat, capit voluptatem & gaudium: illa autem visio non est actus elicitus voluntatis, sed volitus: ergo operatio per quam voluntas capit voluptatem, non est actus eius elicitus, sed intellectus.

Probatio.

Eandem verò veritatem palam absque vllo enigmate affirmat in solutione primi argumenti. Erat enim argumentum, quod cum frui sit fructum capere, & fructus humanæ vitæ, quæ est beatitudo, accipiatur per intellectum, frui est non potentiæ appetitiuæ, sed intellectiuæ. Et sic respondet. Nihil prohibet vnum secundùm diuersas rationes ad diuersas potentias pertinere. Ipsa igitur visio Dei, inquantum est visio, est actus intellectus, (nempe elicitus) inquantum autem est bonum & finis, est voluntatis obiectum, & hoc, inquit, modo est eius fruitio. Ecce visio elicita ab intellectu, sed volita à voluntate, est fruitio, & subdit. Finem hunc intellectus consequitur tanquam potentia agens, voluntas autem tanquam potentia mouens ad finem, nempe quia mouet intellectum: & tanquam fruens fine iam adepto, id est, tanquam percipiens fructum & gaudium ex illa visione. Ecce ergo quomodo fruitio est actus elicitus ab intellectu, sed volitus, & imperatus à voluntate, quare expresè quæst. de potentia Dei, quæst. 5. art. 1. ad 15. ait, quod visio est fruitio.

Secunda eadem, sed plana probatio.

Hanc doctrinam explicuimus, super illud ad Roma. 6. Habemus fructum in sanctificationem, sed visa fuit noua, & nonnulli Diui Thomæ discipuli propterea existimant duram, quia cum Diuus Thomas in capit. quæstionis 8. proponat prius agere de actibus voluntatis immediatè ab ipsa elicitis: & in eorum numero quæstione 11. collocet fruitionem, nequeunt sibi aliud persuadere, quàm quod est actus elicitus à voluntate. Cùm tamen verba eiusdem doctoris modo relata expressissima & planissima maius afferant pondus ad probandum esse actum elicitum intellectus, nempe visionem quatenus obiectum est voluntatis mouentis intellectum.

Rom. 6.

Ratio autem ob quam fruitionem inter actus voluntate elicitos collocauerit, est, quam in secunda parte conclusionis explicuimus: quoniam licet per visionem in genere causæ efficientis percipiatur delectatio, illa tamen, vt supra explicuimus, est motus voluntatis: & ideò delectatio recipitur tanquam in subiecto in voluntate, quippe quæ potentia est per quam formaliter gaudemus, tristamur, eo quod isti sint voluntatis affectus, & quodammodo passiones. Quare captatio voluptatis formaliter sumpta est, (non dicam actus elicitus) sed motus voluntatis, quia non est propriè actio, sed passio: licet fiat, vt diximus, sine transmutatione, & ideo dicatur affectus. Actio verò per quam suscipitur est visio, sicut per actionem ignis calefit aqua. Illi autem qui de voluntate & intellectu sic diuisim existimant, acsi duo essent suppositа, non possunt intelligere quemadmodum per actum intel-

Exponitur D. Thom.

lectus

lectus in voluntate percipiatur delectatio: qui verò veritatem penetrant, atque adeò intelligunt esse potentias eiusdem suppositi, & actiones esse suppositorum, facilè subinde intelligent quemadmodum homo vel anima per vnam potentiam delectationem recipiat quæ est passio alterius.

Probatio alia.

Hæc verò doctrina, ne videar illam duntaxat tanquam S. Th. sustinere, probatur ratione Physica. Voluntas enim est per quam res appetimus: atque adeò ipsa est primum mouens potentias omnes & corporis organa ad suos consequendos fines. Vtitur enim intellectu ad huius vel illius rei contemplationem & studium: oculis ad videndum, pedibus ad ambulandum: manibus ad capiendum, &c. ergo eadem ratione per illas potentias, quibus vtitur, fines eosdem adipiscitur: & in ipsis adeptis delectatur & quiescit: vt cibum quem gulosus affectat, adipiscitur per gustum: & pulchrum per visum: atque adeò per easdem sensuum actiones voluptatem captat, quæ est eiusdem voluntatis affectus & passio. Simili ergo modo anima voluntate cupiens Deum assequi, per intellectum assequitur: atque adeò per eius visionem delectatur, hoc est, delectationem capit, licet in voluntate recipiatur. In summa neque Augustinus, neque vllus vnquam priscorum patrum aliud nomine fruitionis intellexit, quam adeptionem rei concupitæ. Et in hoc sensu dicimur rebus frui & amplexibus concupitis. Quocirca vsque ad Scotum nemo legitur amorem existimasse fruitionem. Quare mirandum est, quomodo illa opinio vsque adeò inserperit, & increbuerit in scholis.

Fruitio.

Sed arguis. Nunquid non August. idem clarè adstruxit, dicens. Frui esse amore inhærere alicui? Respondetur, Illud non inde colligi. Nam eodem testimonio vtitur D. Thom. & tamen non inde colligit, quòd fruitio sit amor. Sed quod ad ipsum pertineat. Sensus ergo ille non est quem vocant identicum, quasi amor sit fruitio: sed est causalis. In hoc sensu, quòd non fruimur nisi illis rebus quas propter se ipsas amamus. Itaque amore inhærere non est formaliter ipsa fruitio, sed causa requisita, vt re aliqua fruamur. Posuit enim illam definitionem ad differentiam huius quod est vti. Est enim vti rem vsurpare ad id obtinendum quod amamus. Quare res quibus vtimur, amamus propter illas quibus fruimur. Sed illas quibus fruimur amamus propter se. At quia frui contingit non solum rebus præsentibus, quæ est perfecta fruitio, sed etiam absentibus in spe, quæ quidem fruitio, est imperfecta, vt ambas complecteretur, dixit in genere, frui est amore inhærere, id est, requiritur sic eas amare, vt vltra non progrediamur. Si autem perfectam fruitionem definiret, quæ non est nisi de re obtenta & possessa, certè dixisset, vti est, de re, cui amore propter se ipsam inhæremus, dum possidetur, delectari. Iuxta verbum eius citatum lib. 10. de Trinita. cap. 10. Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis propter se ipsas delectata conquiescit. & capit. 11. Frui est vti cum gaudio: non adhuc spei, sed etiam rei. At locus ille supra citatus lib. de moribus Eccles. cap. 3. mentem August. aperit. Quid est quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? Non ait, frui est amare; habere quod amas, quod sit in Deo per visionem.

Amore inhærere.

Scotus 1. senten. distin. 1. quæst. 3.

Et re vera Scotus primo senten. distinct. 1. quæstio. 3. multum vacillando hæsit ambigens amor ne an delectatio esset fruitio: plura hinc inde August. testimonia conferens. Sed tandem ob id decreuit esse amorem, quod frui construitur cum ablatiuo significante obiectum ex vi transitionis. Quasi idem sit frui Deo, quod amare Deum. Veruntamen, vt probè artic. præsenti 1. 2. Caiet. annotauit, constructio illa id non suadet, imò dissuadet: frui enim Deo non est amare Deum, sed conspectu Dei delectari. Nam illud Prouerb. Veni & fruamur cupitis amplexibus: non est, vt amemus amplexus: quoniam in hoc quod ait concupitis, præsupponit iam amari absentes. Sed est re ipsa amplexando delectari. Et quod ait in Adelphis Terentius, Agellum huic demus, qui fruatur; non est sensus, Qui amet, sed qui possidendo fructum capiat, quo delectetur.

3. Concl.

Tertia conclusio. Beatitudinem in visione consistere & in fruitione, adeo non sunt res diuersæ, vt sint idem, Non quod consistat in amore, quem Scotus arbitratur fruitionem, sed quod consistit in visione quæ in sensu iam exposito est fruitio, nempe actio per quam voluntas in se delectationem recipit. Hanc conclusionem expresè docuit August. Ait quippe 1. de Trinit ca. 9. quod in visione patris & filij, ac subinde Spiritus sancti merces tota promittitur delectationis, & desiderij nostri, & nihilominus lib. 1. de doctri. Christiana cap. 32. Hæc, inquit, summa merces est vt Deo fruamur. Hoc secundum testimonium affert pro se Scotus, sed discipuli Sancti Thomæ obijciunt aliud: & glossant hoc, quod sit propositio causalis, nempe quod visio sit causa fruitionis. Ita tamen controuersia inde nascitur, quod supponitur amorem esse fruitionem. Augustinus verò planè loquitur de visione & fruitione, quasi sint idem. Quod illo bis citato loco lib. de mor. Eccles. cap. 3. confirmatur. Quid est aliud quod dicitur frui, quam præsto habere quod diligis? Non dicit quam diligere, sed quam habere. Vnde cùm Diuus Thomas hic & quæstione quinta, de potent. Dei, citata, concedat quod fruitio est ipsamet visio, per quam voluntas capit voluptatem, nunquam negasset beatitudinem consistere in fruitione.

August.

Ob idque 1. 2. quæst. 4. art. 2. non confert visionem cum fruitione, sed cum delectatione, interrogans vtra sit præstantior. Quam vtique quæstionem Arist. 10. Ethic. insolutam relinquit. Apparet enim delectationem esse digniorem, eo quod est perfectio ipsius operationis. Sed tamen respondet D. Th. operationem esse perfectiorem, atq; adeò visionem, eo quod totum bonum delectationis in quo voluntas quietatur, est ipsa operatio. præstantius autem bonum est illud in quo voluntas quietatur, quam quietatio ipsa quæ est delectatio.

Respondetur illis qui beatitudinem ponūt in delectatione.

Atque hæc est responsio qua Aureolo sit satis, atque alijs qui tenent beatitudinem consistere in delectatione: delectatio quippe perficit operationem, non quidem in genere causæ efficientis, imò è conuerso hic operatio perficit delectationem, sed tanquam consequēs & concomitans: veluti decor perficit, hoc est, adornat & decorat iuuentutem: cùm tamen iuuentus sit perfectior.

4. Concl.

Quarta conclusio. Fruitio est duplex, quædam in re, atque altera in spe: iam enim constitutum est fruitionem non esse nisi vltimi finis, quem propter se ipsum diligimus: alioqui non esset de se sufficiens voluntatem satiare & explere. Qua vtique de causa, vt August. lib. 83. quæstionum q. 30. ait. Omnis humana peruersio est fruendis vti velle, atque vtendis frui. Non ait, quod velle sit fruitio, vt Scotus colligit, sed quòd vel frui vtendis, est voluntatis peruersio. Est enim amare creaturas propter se: vt auari videntur amare pecunias, & voluptuosi voluptates: quia amant illas sine vlio aut termino, aut modo, quasi esset finis vitæ. Atque alia peruersio est vti fruendis, vt si quis Deum non propter ipsum, sed propter aliud bonum diligeret, quod nō protinus in Deum ipsum referret: igitur sicut in ordine temporalium rerum medicinis non fruimur, sed vtimur, sanitate verò fruimur, quam propter se diligimus, & propter ipsam medicinas: ita in ordine simpliciter rerum solo Deo fruendum est, & creaturis vtendum, quas propter ipsum à quo eas recepimus, debemus diligere.

August. Frui vtendis & vti fruendis.

Probatur ergo conclusio. Frui, vt ait August. est alicui amore propter se inhærere, hoc autem contingit non solum dum res habetur sed dum speratur. Vnde idem Aug. lib. 9. de Trinit. ca. vlt appetitus, inquit, inhiantis sit amor fruentis: ergo in spe etiam possumus Deo frui. Id quod Christus Matth. 5. edocet, dicens, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, &c. Vocat enim ibi pauperes beatos in spe, qui postea futuri sunt in re. Et idem sentiendum de alijs beatitudinibus ibidem subiunctis: iuxta illud Psal. 29. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius. Et ad Roma. 5. Gloriamur in spe gloriæ eius. Et cap. 13. Spe gaudentes. At verò fruitio illa in spe imperfecta est, & illa duntaxat perfecta, quæ vt ait 10. de Trini. cap. 10. August. est vti cum gaudio, non adhuc spei, sed iam rei. Vtraque verò fruitio solis creaturis rationalibus, nempe angelis, & hominibus propriè conuenit, quippe qui possunt media in finem referre, quod à brutis animantibus alienum est.

Probatur conclu.

Matth. 5.

Psal. 29.

Ex his demum colligitur quinta conclusio, Beatitudo est intellectus cognitio speculativa per se sufficiens: est enim Dei contemplatio, vt monstratum est. In hoc enim seculo Philosophus, vt 1. & 10. Ethic.

5. Concl.

Digitized by Google

docuit, duas distinxit fœlicitates, practicam scilicet, quæ consistit in operatione secundum morales virtutes, & speculatiuam, quæ consistit in contemplatione substantiarum separatarum. Et hanc dixit esse dignioremn, & præstantiorem. Primo, quia est optimæ potentiæ & optimi obiecti. Licet inter intelligentias non expresserit Deum qui est omnium summum. Secundò, quia quæritur propter se, nam operatio virtutum moralium creberrimè posita est in ope egenis ferenda. Tertiò, quia per ipsam communicamus Deo, eique assimilamur. At verò visio Dei, quam Aristoteles non agnouit, simpliciter est contemplatio speculatiua, quia nullatenus circa mores versatur, imò per ipsos iam exactos comparatur. Tametsi quia per illam actionem elicitur, dirigiturque amor in Deum quo omnes beatæ voluntatis affectus componuntur, dici quodammodo potest practica. Quod autem sit sufficientissimum bonum simili ratione sit notum. Ad vtramque enim huius vitæ beatitudinem corpus requiritur, ac perinde bona eius valetudo, & habitudo, atque adeò in eius subsidium requiruntur exteriora bona, ac subindè amicis, non quibus indigeat, sed apud quos fœlix sua beneficia collocet. Quamuis plus sit indigna fœlicitas actiua, quàm contemplatiua. At verò beatitudo patriæ corporibus ex necessitate non indiget, vt supra diximus: cùm visio illa non per abstractionem à phantasmatibus corporalibus producatur: requirit tamen corporum resumptionem tanquam accidens, veluti pulchritudo aduenit iuuenturi. Illam verò corporum resumptionem cum optima eorum valetudine, & pulchritudine, & ornamento, visio in seipsa quodammodo continet: quoniam ratione illius status Deus resuscitabit corpora nostra. At verò externorum bonorum ad eorum corporum perpetuitatem, nequaquam. Amicos autem habet eadem fœlicitate fruentes, atque ista ratione visio illa beata & beans, status est omnium bonorum aggregatione perfectus, perque illam adeò vnicam beatus habet quicquid vult, & per eandem nihil malè vult: nam inde detiuatur in voluntatem amor, qui summa est eius rectitudo: & delectatio, quæ est omnium desideriorum expletio, atque adeò summa requies.

Beatitudo practica, & speculatiua.

Respondetur illis qui fœlicitatem ponunt in aggregato.

Et per hoc illis respondetur qui fœlicitatem in aggregato visionis & contemplationis collocant. Concediturenim, quòd si videns Deum per absolutam Dei omnipotentiam, ipsum non amaret, aut eius visione non oblectaretur, non esset beatus, sed tamen ex natura rei ex visione fluunt & amor firmus, & delectatio plena: & ideo quia visio virtute continet reliqua, ipsa est bonorum omnium aggregario, atque adeò vera beatitudo.

Sol. 1. arg.

Primum igitur argumentum satis solutum est, vbi explicuimus quemadmodum fruitio sit quodammodo ipsa visio, quia est actio per quam percipitur voluptas & delectatio. Quamuis recipiatur in voluntate, tanquam motus, hoc est, passio vel affectio eius.

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quòd cùm sola voluntas sit appetitus rationalis, per illam appetit homo & anima separata omnia sua bona, ac proinde omnes fines aliarum potentiarum comprehenduntur & continentur sub obiecto voluntatis, quæ appetit intelligere, audire & videre, &c. Ob idque omnes potentias ad eosdem fines consequendos mouet. Ex quo sequitur visionem ipsam esse obiectum & finem voluntatis: quare ipsa est quæ consequitur finem, quoties quælibet aliarum potentiarum suum proprium attingit: verba sunt in forma S. Tho. Quibus idcirco docet voluntatem per visionem intellectus consequi suum vltimum finem.

Sol. 3. arg.

Ad tertium denique ipse respondet, quòd in delectatione sunt duo, scilicet perceptio conuenientis boni, nempe finis, & hæc pertinet ad apprehensiuam potentiam, atque adeò ad intellectum in delectatione cælesti, & complacentia eius quod offertur, vt conueniens. Et hæc pertinet ad appetitiuam potentiam: vbi ratio delectationis completur: quia illa delectatio est motus (vt diximus) hoc est, passio vel affectus eius.

Quæstio secunda.

DE ADEPTIONE BEATITVDINIS.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm omnis homo appetat beatitudinem.

IN hac quæstione de beatitudinis cõsecutione ordinem D. Th. præter meum ingenium. 1. 2 q. 5. non seruo. Imò postremo eius articulo primum locum tribuo: quia cum assecutionem rei motus præcedat, quo ad ipsam tenditur, & primum fundamẽtum motus sit appetitus, hic ordo naturæ videtur germanior, vt ab appetitu beatitudinis exordiamur. Et ideo primo quæritur, vtrum omnis homo appetat beatitudinem. Et arguitur à parte negatiua. Nullus id appetere valet quod ignorat, cùm vt 3. de anima autor sit Philos. bonum apprehensum sit appetitus obiectum: multi autem sunt, qui beatitudinem ignorant. Vnde vt Aug. 13. de trin. c. 4 adnotauit, tanta diuersitas censendi de beatitudine oborta est: alijs scilicet in voluptatib. corporis eam collocantibus, atq; adeo in virtute animæ, & alij in rebus alijs: ergo non omnis homo beatitudinẽ appetit.

Partis negatiuæ argum. 1.

Secundo. Essentia beatitudinis est visio essentiæ diuinæ (vt iam cõstitutũ est) sed aliqui opinãtur hoc esse impossibile, alijque illud existimant difficile & laborepleum, quia necesse est illius gratia à voluptatibus huius vitæ abstinere, quibus inescantur mortales: ergo non omnes illam appetunt.

2. Argu.

Tertiò arguitur. Beatus est (vt ait Aug.) qui habet quicquid vult, & nihil malè vult: complures autem malum etiam consulto volunt: ergo non omnes beatitudinem appetunt.

3. Argu.

In contrarium autem est illud Augustl. lib. 13. de trini. c. 3. Si mimus ille dixisset: Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non cognosceret voluntate.

Pars affirmatiua.

Hæc quæstio multa digna scitu in hac materia continet. Ad quam ideo tribus præmissis distinctionibus quinque conclusionibus respondetur. Dist. quippe impræsentiarum opus est, & ex parte beatitudinis, & ex parte appetitus, ac denique ex parte appetitionis. Beatitudo namque bifariam considerari potest. Non dico duplicem esse beatitudinem: quoniam non est nisi vnica vera, nempe visio illa beata, sed illa inquam bifariam consideratur. Vno modo secundum eius generalem rationem, nempe secũdum nomen hoc, beatitudo: atq; altero modo secundum specialem singularemq; eius rationẽ, videlicet, Hæc beatitudo, vt visio illa designetur.

Distinctio prima.

Item appetitus alius est naturalis, atque alius liber seu electiuus. Atqui naturalis ille, qui est in rebus inanimis & in animatibus brutis, nihil ad nostrum attinet propositum: quoniam ille non fertur in vltimum finem per eius cognitionem, eo modo quo hic loquimur, sed in solo appetitu rationali s. voluntate distinguuntur rationes duæ. Est enim in ea quædam inclinatio naturalis, quatenus res quædam est naturalis, atq; alia inclinatio libera, quatenus est indifferens ad vtrũlibet. Quocirca dum percontamur, vtrum omnis homo appetat beatitudinem, potest appetitio alterum duorum significare: videlicet aut inclinationem duntaxat naturalẽ voluntatis, quæ est propensio & pondus in rem aliquam ante actũ elicitum: quæ nimirũ inclinatio à natura homini ineſt, ceu rebus vniuersis, etiam cognitione carentibus, quæ actum elicitum habere nequeunt. Veluti grauitas ineſt lapidi, atq; igni leuitas: quæ cùm cognitione careant, actus non habeãt elicitos, sed motus naturales per modum passionis, vt ascensum & descensum. Aut potest nominare actum elicitum appetendi, nempe amorem. His præhabitis, vt ab eo quod natura altius imprimit, exordiamur. Quæritur primò de appetitu, videlicet de inclinatione ante actum elicitum, vtrum naturalis nobis insit ad vltimum finem. Et ne omnia in litem deferamus, compertissimum omnib. & confessimũ est, naturalem in nobis ineſſe appetitum ad beatitudinem generaliter

Appetitus duplex.

Appetitio duplicater.

Quæstio.

cone-

consideratam, nempe ad bonum, quod homini optimũ est iuxta illud Philosophi in fronte 1. Ethi. Bonum est quod omnia appetunt. Sed ambiguitas nostra est. Vtrum naturalis appetitus hominis in illam tendat beatitudinem veram, quæ est videre Deum. Huius enim partem affirmatiuam tenet Scotus in prologo sententiarum, vbi ait, quòd Deus est finis naturalis hominis, & in 4. d. 49. q. 9. quo loco ait naturale desiderium ferri ad videndum Deum. Et cum Scoto sentit Durand. q. 8. Partem verò negatiuam amplexus est Caiet. in 1. par. q. 1. art. 1. & q. 12. art. 1. Ait quippe, quod si natura & volũtas humana cõsideretur in puris naturalib. lumine fidei destituta, non habet naturale desiderium videndi Deum, sed si cõsideretur lumine fidei illustrata, præsuppositis scilicet cognitione, quod beatitudo consistit in visione, naturaliter illam desiderat. Fundamentum eius est hoc. Finis naturalis hominis est, quem naturaliter potest attingere: nequimus autem Deum naturaliter, vt art. proxi. monstrabimus, videre ergo Deus visus non est nobis naturalis, sed supernaturalis finis: atque adeò neque appetitus ipsius est nobis naturalis.

Scotus.

Secundò. Naturale desiderium & appetitus est ille qui naturaliter potest actum elicere circa suum obiectum: sed non possumus naturaliter actu elicito appetere visionem Dei, quia, vt ait Augustinus, Nihil est volitum nisi præcognitum: & cognoscere illum finem non possumus naturaliter, quia est reuelatio fidei: ergo neque appetitus est naturalis.

Nihilominus prima conclusio huius articuli sit affirmatiua. Homini inest appetitus naturalis ad illam veram beatitudinem quæ in Dei visione consistit. Non dico appetit per actum elicitum: sed habet appetitum, hoc est, inclinationem naturalem & pondus naturæ quo in illum finem propendet: sicut est grauitas in lapide, & pondus in centrum. At Durand. ait hunc naturalem appetitum & inclinationem non esse voluntatis, sed intellectus, cuius est finem cognoscere & apprehendere. Sed profectò potius est voluntatis, nam homo est, qui beatitudinem appetit, & proprius appetitus hominis non est intellectus, neque alia potentia sed sola voluntas. Non negamus intellectui suam inclinationem ad cognoscendum, sed tamen hominis per voluntatem est appetere, finem vltimum videre, apprehẽdere, & possidere.

1. Concl.

Conclusio imprimis est S. Thom. in suo prologo super 1. senten. vbi ait. Vnumquodque suauiter est dispositum, quando collocatur in suo fine, quem naturaliter desiderat, & hoc, inquit, nobis collatum est per Christum, quando nos in gloriam æternam induxit. Inductio ergo in gloriam æternam per visionem est finis quem naturaliter homo desiderat. & prima par. q. 12. art. 1. ait inesse nobis naturale desiderium ad cognoscendum causam cognito effectu: quare per cognitionem creaturarum naturaliter appetimus cognoscere causam, nempe Deum.

S. Thom.

Respondet autem Caiet quod intelligit de desiderio cognoscendi causam sub ratione causæ, nempe cognoscere quomodo hæc efficit: non autem de desiderio videndi essentiam. At verò hoc planè est mentem D. Thom. detorquere. Quærit enim illic, vtrum intellectus creatus naturaliter possit videre Deum per essentiam. Cùm ergo partem affirmatiuam per illud medium concludat, manifestum est intelligere de desiderio videndi essentiam. At verò 1. 2. q. 3. artic. 8. absque ænigmate hoc explicatissimè affirmat. Probatur enim illic, quod vera beatitudo non potest consistere nisi in visione diuinæ essentiæ: quia vnusquisque perfectio attenditur secundum rationem sui obiecti, obiectum autem intellectus, vt 2. de anima ait Philos. est quod quid est, id est, essentia rei: & ideo ex cognitione effectuũ Dei remanet, inquit, naturaliter homini desiderium, vt cognoscat de causa quod quid est, scilicet essentiam ipsius Dei, sicut cognita eclypsi habet naturale desiderium cognoscendi essentiã causæ: essentia autem Dei non potest nisi per visionem cognosci: iuxta illud Ioannis: videbimus eum sicuti est: ergo homo ex creaturis naturale colligit desiderium videndi Deum.

Caietanus.

Sed probatur præterea conclusio ex communi animi conceptione. Nemo enim est mortalium cuiuscunque religionis aut sectæ, qui interrogatus an cupiat Deum videre, non respondeat, se id percupere.

Alia ratio.

Mox arguitur autoritate Augustini. in lib. de prædest. sancto. vbi ait, Posse habere fidem & charitatem, naturæ hominis est: habere autem, gratiæ Dei. Respondet autem Caiet. quod posse habere est naturæ, id est, homo est illius cognitionis capax. Sed profectò plus aliquid voluit Aug. tribuere naturæ, nempe inclinationem ad fidem, charitatem, & gloriam.

Augustin.

Et vt arguit Scotrinus est appetitus, nempe naturalis & violentus & neuter. Tametsi de appetitu neutro nihil modo approbemus quia forsan nullus est, nisi dicas oculum corporalem habere appetitum neutrum ad videndum Deum, quem certè potiùs appellarem repugnantem. Appetitus autem noster ad videndum Deũ non est violentus, neque verò neuter: ergo est naturalis. Ait Caie. esse tantum obedientialem, sed re vera plus quippiam videmur habere. Cadauer enim solum habet obedientialem potentiam, vt animam resumat: quòd verò homo recipiat gloriam, aliquid superaddere videtur.

Potissima verò ratio quæ me persuasum habet, est hæc. Quòd homo sit imago & similitudo Dei, est naturale: nam quando dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, naturam ipsam nostram designauit. Similitudo autem & imago Dei certè non solum capacitatem dicit Dei videndi, sed naturalem etiam inclinationem: nam simile naturaliter appetit suum simile. Atque hinc alia colligitur ratio. Appetitus naturalis hominis in nulla re mundi, quam obtineat, quiescit, sed semper in aliud fertur, quousque ad illum fœlicissimum Dei conspectum perueniat: iuxta illud Augustini. 1. confess. Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te: ergo hoc manifestum indicium est eundem appetitum naturalem in illum finem tendere: siquidem extra illum non satiatur. Hac enim ratione probatur, quòd materia omnem appetit formam: nempe quia nulla satiatur. Nisi quod ille appetitus est vagus ad omnem formam: noster verò est determinatus & destinatus in rem aliquam.

Ratio potissima.

Præterea arguitur. Vnaquæque res suapte natura in rem aliquam determinatam fertur: sicut terra ad centrum, & ignis ad concauum lunæ: at verò nulla res potest designari in quam naturalis appetitus hominis, ceu in vltimum finem tendat citra illam visionem: ergo illa est noster naturalis finis in quem ideo naturaliter ferimur. Nam si dixeris, quod naturaliter illam desideramus in genere desiderando bonum, nequaquam rei satisfeceris: quoniam hoc vagum desiderium in bonum, necesse est in rem illam naturaliter tendat, in qua summum hominis bonum situm sit. Et tandem conclusio confirmatur ex illo. 33. Ostende faciem tuam & salui erimus: vbi certè inclinatio naturalis exprimitur. Cui illud consonat Ioan. 14. Ostende nobis Patrem & sufficit nobis: vbi insinuatur quod citra illud nihil appetitui sufficit naturali.

Alia ratio.

Tandem arguitur ex dictis Caiet. Si cognito illo fine vltimo per fidem tunc naturaliter homo illum appetit, colligitur illam inclinationem naturalem semper esse natura insitam, etiam ante illam cognitionem: nam cognitio illa non attulit inclinationem, sed fecit eum potentem elicere actum suum.

Respondetur ergo ad argumenta Caietani, non bene definisse finem naturalem, esse illum quem potest homo naturaliter consequi, neque appetitum naturalem illum qui naturaliter potest habere actum elicitum: quoniam appetitus naturalis non debet definiri per effectum, sed per causam. Est ergo appetitus naturalis quem nobis natura inseruit: & eo ipso quod creati sumus ad imaginem Dei, insitum habemus appetitum naturalem ad ipsum videndum. Atque adeo finis naturalis est quem naturaliter appetimus: licet consecutio eius & adeptio non sit nobis naturalis. Hæc enim fuit nostræ magnificatio naturæ, quod ad illum finem fuerit condita, quem nisi per auxilium speciale Dei consequi non valeamus.

Solumntur argu. Caietæ.

Et per hoc respondetur ad aliud eius argumentum ex 2. Cœli. vbi ait Phil. quòd si astra haberent vim progressiuam, natura dedisset eis organa opportuna, nempe pedes: sed quia non dedit talia organa, signum est quod neque dedit vim. Similiter namque arguit Caiet. quod postquam non habemus naturalia instrumenta ad videndum naturaliter Deum, non habemus naturalem inclinationem. Respondetur autem quòd Arist. non dixit si haberent inclinationem, sed si haberent vim, haberent instrumenta. Nos autem non dicimus, quòd natura nostra habet vim. id

est, potestatem naturalem videndi Deum, sed inclinationem. Præterea Arist. nil de supernaturalibus nouit: & ideo non concederet rem aliquam habere naturalem inclinationem ad aliquid, nisi haberet potestatem & naturales vires ad illud assequendum: nos autem concedimus naturam nostram adeo esse sublimem, vt ad illum finem naturaliter inclinetur, quem non nisi per auxilium Dei assequi possumus. Est tamen paratissimus nobis subuenire: & quæ per alios possumus, per nos ipsos posse censemur.

2. Concl.

Hoc supposito de appetitu, qui est potentia, subsequitur, vt de appetitione dicamus, quæ est actus elicitus. Beatitudo ergo, vt dicebamus, considerari potest, aut sub generali ratione, aut sub speciali & singulari. Sit ergo secunda conclusio. Beatitudinem sub generali ratione omnis homo suapte natura appetit, non solum naturali inclinatione, sed etiam actu elicito dum illi mente offertur. Probatur. Beatitudo sic considerata nil aliud est quàm bonum perfectum: bonum autem est obiectum voluntatis, atque adeo bonum eius perfectum est illud quod eam satiat, eiusque desideria complet, eique perinde satisfacit: ergo beatitudinem appetere id ipsum est quod appetere in genere vt voluntas expleatur, eiusque desiderijs fiat satis. Hoc autem nemo est qui non appetat, quantumuis sit corruptæ vitæ. Nam etiam iniqui dum voluptates suas explere volunt, eas sub ratione boni apprehendunt, quamuis in rei veritate à vera beatitudine sint alienæ, imò ei sint aduersæ. Atque hoc est quod Augustinus loco citato docuit, vbi facetiam mimi cuiusdam refert. Qui cum in theatro pollicitus esset enuntiaturum se quid quisque habeat in animo, cunctis magna expectatione suspensis cupiētibus miraculum audire, quomodo scilicet posset arcana cordium detegere, tandem dixit, vili vultis omnes emere, & carè vendere. Irridet verò meritò Augustinus scenici illius ineptam facetiam. Quamplurimos enim videas, qui vt suis animis obsequantur, & fruantur concupitis voluptatibus, cariſſimè emunt, & viliſſimo pretio vendunt, atque adeò sua bona dilapidant. At verò si quispiam ille esset ex sapientibus, dixisset. Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis: & tunc certò coniectasset, quid quisque in animo gereret. Scot. in 1. sent. q. 4. non vult Augustinum loqui de actu elicito, quo. s. omnes appetant beatitudinem, sed de inclinatione naturali. Sed hoc illico monstrabimus non esse menti Augustini consonum.

Mimi inepta facetia.

Ratio conclusionis. Explicatio concl.

Ratio autem conclusionis est, quam D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 1. sapienter docuit. Quicquid enim rei non necessariò competit, fundatur in eo quod sibi à natura est necessarium. Intellectui namque prima principia cognitionis sunt per se naturaliter nota, vt quodlibet est vel non est: atque inde deducuntur alia plus minúsve nota, quæ cum non sint tam euidentia, necessitatem intellectui non inferunt, vt eis assentiat. Quod autem in intellectu est primum principium respectu omnium conclusionum, est in voluntate vltimus finis, ad quem omnium referuntur electiones mediorum: ergo æqua ratione in vltimum finem sub illa generali ratione cognitum sic fertur naturaliter, vt nequeat illud nolle, sed necessario, si aliquem illius actum habeat, sit volitio.

At verò quamuis conclusio hæc sub hoc verborum generali tenore nequeat legitima ratione negari, maiori nihilominus indiget explicatione. Est siquidem dubium, vtrùm beatitudo, & summum bonum sub hoc genere cognitum sic voluntas naturaliter appetat, vt nequeat non velle, an verò duntaxat sic, vt nequeat nolle. Tractant n. quæstionem Scotus in 1. d. 1. q 4 & impræsentiarum. q. 9. & Duran. q. 8 Ad cuius intellectum annotandum, quòd voluntatem ferri naturaliter in bonum bifariam potest intelligi, videlicet aut quantum ad specificationem actus, aut quantum ad exercitium. Quantum ad specificationem sensus est, quòd voluntas non potest nolle beatitudinem sub generali ratione cognitam summi boni, sed si aliquem actum habeat, ille necessariò est volitio, & appetitio. Appetere autem naturaliter quantum ad exercitium, est non id solum, sed quòd oblato obiecto sub illa cognitione, necessariò voluntas habet volitionem. Itaque non valeat ab exercitio cessare.

Et quidem Henricus Gandensis quodlibet. 3. q. 7. opinatur voluntatem necessitari respectu vltimi finis sic cogniti, non solum quantum ad specificationem, sed etiam quantum ad exercitium, vt non possit illam in genere cognitam non velle. Quæ quidem sententia in beatis euidenter cognoscentibus beatitudinem in particulari verissima est, vt q. seq. monstrabitur, non n. possunt ab amore desistere.

3. Concl.

Veruntamen de eadem beatitudine in via in genere cognita solum sub ratione summi boni statuitur tertia conclusio. Beatitudo sic in genere cognita necessitatem infert voluntati quantum ad specificationem, non tamen quantum ad exercitium.

Probatio.

Probatur prior pars primum ratione iam facta. Quia inclinatio naturalis voluntatis est ad bonum quo latiare eam possit.

Secundò, sic planiùs explicatur. Obiectum proprium voluntatis est bonum. Itaque sicut intellectus non potest alicui assentiri nisi appareat ei verum, neque visus quidpiam nisi sub ratione coloris videre, ita & voluntas nullam valet rem appetere aut amare, nisi ei offeratur sub ratione boni, atque adeo nec potest quidpiam nolle & respuere, nisi sub aliqua ratione mali. Veluti intellectus, nulli potest propositioni dissentiri, nisi appareat ei falsa. In beatitudine autem sub illa ratione generali cognita nulla apparet ratio mali: ergo neque potest voluntas eam odisse aut nolle.

Neoterica opinio.

At verò nonnulli ex neotericis, quorum est Maior, d. præsenti. q. 7. quia cuncta contendunt in litem euocare, inficiantur illam maiorem, nempe solum bonum esse obiectum voluntatis. Imò potest, inquit, velle aliquid sub ratione mali, ac proinde nolle sub ratione boni. Et probat. Quia possunt damnati voluntatem suam diuinæ voluntati accommodare, & (vt aiunt) conformare: potest autem Deus eis præcipere, vt suam ipsius nolint beatitudinem: quia nec eis vult ipsam conferre: ergo possunt eam nolle, atque adeò sub ratione boni, quia in beatitudine nulla apparet ratio mali. Idemque asserunt de illo cui Deus suam reuelaret damnationem: posset enim eam velle, beatitudinemque subinde nolendo respuere.

Reprobatio.

Nescio tamen quisnam possit hoc quod isti contendunt persuasum habere. Profectò tam impossibile est voluntatem id velle in quo nulla apparet ratio boni, aut nolle in quo nulla apparet ratio mali, quàm est impossibile visui id videre quod nullo indutum est colore. Sciscitarer enim ab istis, cùm vnicuique potentiæ suum sit proprium natiuumque obiectum, quodnam consignare possunt voluntati, si bonum non est eius obiectum?

Obiectio.

Sed forsan quis fingat, quod quemadmodum obiectum intellectus sit hoc disiunctum verum vel falsum, ita & obiectum voluntatis sit bonum vel malum. At verò responsio hæc vera est, si quæ latet fallacia detegatur. Intellectus quippe est potentia tum apprehensiua, tum iudicatiua, & ideo apprehendit quidem æqualiter verum & falsum, sed tamen iudicatiuus assensus non est nisi veri, & dissensus non nisi falsi. Voluntas verò non est nisi tantum appetitiua, cuius ideo tantum bonum est obiectum respectu volitionis, ac subinde malum respectu nolitionis.

Dilatur obiectio.

Ad argumentum ergo eorum respondetur, quòd damnati nolunt quidem beatitudinem, non vt voluntatem suam diuinæ subijciant, imò quamuis eis præciperet, nollent obtemperare, sed illam respuunt, propter odium quo Deum prosequuntur, quem ideo videre nolunt, atque id sub aliqua ratione mali nolunt, scilicet sub ratione inimicitiæ. Atque adeò eius inimicitias sub ratione boni appetunt: nempe quia se volunt de suo hoste vindicare. Ille verò cui in hac vita reuelaretur sua damnatio (quod de lege ordinaria fieri non potest) non ideo illam cuperet. Sed si Deus ei præciperet, vt eam vellet, & ei obtemperaret, id faceret sub illa ratione boni, quæ est obedire Deo.

Augustinus.

Eadem conclusio confirmatur autoritate Augustini in Enchir. 104. vbi ait: Neque voluntas non est, aut non libera dicta est, qua sic beati esse volumus, vt miseros nos esse velle non possimus.

Scotus.

Veruntamen Scotus quamuis loco citato fatetur nobiscum, quòd circa vltimum finem oblatum sub illa ratione nequeamus actum elicere voluntatis nisi velle, non tamen omnino nobiscum conuenit, quòd ille amor beatitudinis in genere cognitæ sit naturalis.

turalis. Naturale enim vno modo dicitur, vt distinguitur contra liberum, atque alio modo, vt sit ex inclinatione naturali, quamuis liberè. Scotus ergo non concedit esse naturalem primo modo, sed secundo, scilicet quia oritur ex inclinatione naturali, & fit absq; electione. At verò S. Thom. intelligit voluntatem moueri naturaliter, id est, non libere, vt 1. 2. quæstione 10. artic. 2. se planè exponit, dicens, quòd voluntas ab aliquo obiecto mouetur naturaliter, vt ab vltimo fine, ab alijs non, scilicet à medijs.

S. Thom.

Argumen. Scoti.

Argumentum autem Scoti, quo vtitur in primo di. 1. quæstio. 4. est, quòd vnius potentiæ non potest esse nisi vnus modus agendi: cùm ergo voluntas suapte natura sit potentia libera non potest habere alium modum, vt scilicet aliquando respectu alicuius finis moueatur naturaliter: quoniam agere libere & naturaliter sunt contraria. Item quia si est actus voluntatis, est voluntarius: omne autem voluntarium est liberum.

Reprobatio Scoti.

At profectò eadem ratione probaret, quòd cùm intellectus respectu aliquarum conclusionum non moueatur necessariò naturaliter ad assensum, inde consequatur, vt neque respectu primorum principiorum moueatur necessario. Respondetur ergo, quod licet libertatis arbitrium idem sit quod voluntas, ratione tamen differunt: quicquid enim est a voluntate, potest dici voluntarium, sed tamen ratio libertatis addit indifferentiam ad vtrumlibet. Et ideo quamuis voluntas suapte natura sit libera, nihilominus respectu finis vltimi mouetur, vt natura quantum ad specificationem ita vt respectu illius non possit habere actum nisi volendi. Itaque sicut graue suapte natura descendit quia est talis natura, ita voluntas suo pondere fertur in beatitudinem sibi in genere cognitam, vt non possit eam respuere.

Contra Scotum.

Alioqui si sua argumentatio efficaciam haberet concluderet subinde nec beatos posse Deum visum amare per modum naturæ, vt ibidem concedit: quod est falsissimum. Imò eum non amant liberè licet per voluntatem, sed naturaliter: vt quæstio. sequenti videbimus. Et est quodammodo exemplum in Deo, licet non sit omnino æquiparatio. Amat quippe se ipsum, spiratque spiritum Sanctum certè non liberè, sed naturaliter, tametsi Scot. distin. 10. videatur illud subobscurè negare. Nihilominus quanquam spiratio illa sit spontanea & voluntaria, non tamen est libera, sed tam naturalis quàm generatio filij: quia non potest se Deus non amare, aut non spirare spiritum sanctum, quamuis omnia extra se amet libere. Respondetur ergo, quòd voluntas amat vltimum finem non propriè, quia libere vult, sed quia est talis naturæ, quia non est in sua potestate, si habet erga ipsum actionem, non amare.

Secundum membrum conclusio. Probationes Henrici.

Secundum conclusionis membrum contra Henricum assertum est, qui censet beatitudinem sub illa generali ratione cognitam necessitatem voluntati inferre, etiam quoad exercitium. Id quod primo sic probat. Sicut prima principia in intelligibilibus, sic & in operabilibus vltimus finis: prima autem principia necessitate intellectum mouent ad assensum: ergo & vltimus finis voluntatem ad eius amorem. Secundò, voluntas necessario illud amat, cuius gratia cætera cupit: cuncta verò quæ concupiscit in vltimum finem refert: ergo illud necessario amat. Tertiò, voluntas nequit quippiam non velle nisi, in quo sit vel aliquis defectus boni, vel aliqua apparentia mali: in vltimo autem fine sic cognito neutrum istorum inest: ergo non potest ab amore vltimi finis cessare.

Scotus.

Scotus verò inter alias impugnationes, istas vt præcipuas ponit. Primum arbitratur contradictionem involuere vltimum finem sub ratione generali cognitum necessitate trahere voluntatem, & tamen cognitum sub ratione particulari, nempe visionis Dei, non idem facere, quamuis abstractiuè & ænigmaticè, vt in hac via noscitur. Huius autem rationis infirmitatem illico monstrabimus.

Reprobatio Scoti.

Secundò id redarguit. Potentia inferior nequit superiorem vincere: ergo intellectus ostendens vltimum finem nequit voluntatem sic vincere, vt necessario illum amet. Hæc verò ratio pluribus errat modis. Primò supponens intellectum esse voluntate inferiorem: cuius contrarium supra demonstrauimus. Secundò, quia maior illa in sensu ipsius falsa est: imò sensus ostendens prima principia intellectui, vt à quolibet puncto in quodlibet punctum lineam ducere, ipsum vt assentiat euincit. Tertiò, quia hæc victoria non est potentiæ ostendentis obiectum; sed ipsius obiecti. Etenim dum intellectus ostendit vltimum finem voluntati, non est, ipse qui voluntatem pertrahit, sed obiectum ipsum cognitum: intellectus enim non facit nisi obiectum applicare, veluti qui ignem stupæ admouet non exurit, sed ignis ipse. Et hac ratione quæst. seq. commonstrabimus Deum clarè visum voluntatem non modò allicere, verum necessitate ad amorem mouere, etiam quoad exercitium.

Augustin.

Aliter probatur conclusio ex illo Aug. 1. Retract. Nihil tam est in potestate voluntatis quam ipsamet voluntas: sed tamen hæc autoritas non reprobat voluntatem quoad specificationem necessitari in hac vita, & in futura etiam quoad exercitium: & ideo non est tam efficax.

Legitima Ratio.

Ratio ergo legitima est, quòd beatitudo in hac vita sub illa generali ratione cognita non est potens voluntati necessitatem imponere, vt sit illi obiecto attenta: nam cùm ipsa sit reliquarum potentiarum motrix, potest quæcunque cognitio in intellectu existat, ad aliud se diuertere. Imò & intellectum ab illa cogitatione repellere. Solus namq; Deus, qui est autor naturæ, potest necessitatem voluntati inferre quoad exercitium: id quod in patria per suam ipsius visionem facit.

Durandus.

Durandus autem in allegata quæst. 8. hanc sic moderatur conclusionem, quòd saltem homo cognita beatitudine in genere necessitatur quoad velleitatem, quæ non est voluntas efficax, scilicet vellem. Sed re vera ratio facta hoc etiam falsum esse demonstrat: quia cùm voluntas possit existente illa cognitione illam amouere, ad nullum actum necessariò mouetur.

Contra Scotum.

Non tamen propter hoc debuisset Scotus mentem Augustini detorquere, dicens, quòd illis verbis, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis: solum appetitum designauerit qui est naturalis inclinatio, nam etiam actum ipsum elicitum significauit. Non quòd necessariò quantum ad exercitium semper habeatur, vt patet in dormiente, sed quantum ad specificationem, vt expositum est.

4. Concl.

Quarta conclusio. Veram beatitudinem in particulari cognitam, sub illa scilicet ratione quæ est visio, apprehensio, & possessio Dei, nemo naturaliter potest appetere actu elicito, nisi supernaturali cognitione præsuppositа. Conclusio est liquida, quia nil est volitum nisi præcognitum: cognitio verò hæc beatitudinis, sicuti & res ipsa, vires excellit naturæ: quia supernaturalis est. Non nego, quin per vires naturales possit talis appetitio elici, suppositа reuelatione supernaturali in ipso qui appetit, vel in alio. Enimuerò si Christianus lumine fidei perfusus infidelem doceret, veram beatitudinem in solo Dei conspectu & possessione consistere, posset quidem illi veritatem hanc persuadere; atque adeò posset infidelis ille assensum præbere, atque adeò eundem Dei conspectum appetere & concupiscere, quamuis nollet alios fidei articulos recipere. Illa tamen appetitio non esset grata Deo, quia non dimanaret à fide catholica, neque finem illum sine tali fide posset consequi: posset nihilominus appetere.

5. Concl.

Quinta conclusio. Cognitio fidei obscura, qualis est in via, non imponit voluntati necessitatem, neque quoad exercitium, neque verò quoad specificationem. Prior pars iam satis probata est. Sola enim clara visio vim illam habet necessitatem inferendi voluntati quoad exercitium. Posteriorem verò contra rationem Scoti supra relatam statuimus. Nam ista obscura cognitio beatitudinis in particulari non tantum vigoris habet ad trahendam voluntatem, vt bene ait quæstio. citata Durandus, quantum cognitio in genere. Nam cùm in genere nil aliud sit quàm si dicas, bonum & optimum nullam præ se fert appetendi difficultatem: quoniam & iniqui hoc cupiunt, cum quicquid afficient, sub ratione boni eis apparentis concupiscant. Si verò alicui proponatur beatitudo vera in particulari, ostendaturque via ad ipsam perueniendi, quæ est ab illicitis voluptatibus abstinere, & diuina mandata officijs colere, profectò difficultatem corruptis hominibus offert: adeò vt illam nolint, imò malint suis voluptatibus oblectari. Fateor neminem non habere velleitatem quandam, nempe vellem illa beata vita angelorum potiri, nisi tanti mihi constaret: sed tamen quod omnes habeant efficacem absolutumque

Contra Scot.

amorem

amorem eius & desiderium, experientia docet esse falsum.

Aduersus Lutheran. Atque hoc est aduersus Lutheranos ineluctabile argumentum. Tribuunt. n. eam vim virtutemque & energiam fidei, quam habet visio in patria. Sicut enim illa fœlices voluntates absorbet, vt nequeant non Dei amore conflagrare: ita contendunt fidem necessariam habere connexionem cum charitate, vt qui credit non possit non amare, atque adeo inferunt, quòd perquodcumque peccatum mortale, quo amittitur charitas, perdatur fides: quæ quidem hæresis absurdissima est.

Diluitur arg. Scoti. Quo ergo Scoto respondeamus, negatur vllam conuolvere contradictionem beatitudinem in genere cognitam necessitatem imponere voluntati quoad specificationem: non autem si speciatim cognoscatur in particulari. Imò ambo hæc sunt sibi cohærentia. De visione autem Dei, qua etiam negat beati voluntatem necessariè moueri quoad exercitium, quæstione sequenti disputabimus.

Sol. 1. arg. Primum igitur argumentum in capite propositum iam dilutum est. Probat enim eos qui ignari sunt veræ beatitudinis, non posse illam appetere, quemadmodum quarta conclusione explicatum est. Illam verò sub ratione generali nullus ignorat: atque adeò nemo non appetit. Quamuis possit voluntas aliorsum attendens ab actu appetendi desistere, vt secunda & tertia conclusio demonstrabant.

Sol. 2. arg. Ad secundum verò per quintam conclusionem responsum est, qua ostendimus cognitionem vltimi finis in particulari adeò nulla necessitate mouere voluntatem, vt possit propter difficultates quæ in illa obtinenda offeruntur, eius consecutionem non appetere, imò renuere.

Sol. 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd illi etiam qui malè aliqua appetunt, concupiscunt illa sub generali ratione boni, vt in secunda conclu. dicebamus, & ideo appetunt beatitudinem in genere, nempe bonum sub illa ratione apprehensum. Ille tamen appetitus non est naturalis, sed corruptus: quia non est veræ beatitudinis. Neque ille homo est verè beatus, imò adeò à vera beatitudine deflexus, vt eius impedimenta appetat. Quapropter sapienter Augustinus, addens, nihil malè vult, vulgarem plebis opinionem condemnauit, existimantium illum esse beatum, qui habet quicquid vult, & cui omnia pro votis succedunt: imo malè volens miserior fit dum ei pro votis succeditur. At vero qui diceret beatum illum esse, qui habet omnia quæ vult appetitu naturali, veritatem pronuntiaret, licet nil aliud adderet. Quoniam appetitus naturalis in ea duntaxat fertur, quæ ad normam rectæ rationis expetibilia sunt. Sed Augustinus explicatius loquitur.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm homo naturalibus viribus possit beatitudinem consequi.

POSTQVAM de appetitu beatitudinis dictum est, subsequitur, vt de eius assecutione dicamus. Quæritur ergo primò, vtrum homo per suam naturalem facultatem possit beatitudinem assequi. Et arguitur à parte affirmatiua. Natura nunquam in necessarijs deficit: nihil autem tam necessarium homini est, quàm in suo vltimo fine conquiescere: ergo à natura illi sic prospectum est, vt possit per eius vires suum adipisci finem.

Partis affirmatiuæ 1. argum.

2. Argu. Secundo. Homo irrationabilibus creaturis nobilior est & præstantior, atque adeo plus sibi sufficiens: irrationales autem creaturæ proprijs viribus suos fines attingunt: ergo & homo id ipsum potest.

3. Argu. Tertiò. Beatitudo (vt 1. & 10. Ethi. autor est Philosophus) est operatio perfecta, & cuius est rem incipere, est ipsam perficere: officia verò, quæ vocant moraliter bona, naturalis hominis potestati subduntur, iuxta illud Pauli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & illa sunt perfectæ vitæ inchoationes: ergo & ad illam vitam pertingere, in hominis positum est naturali facultate.

Pars negatiua. In contrarium est illud Esaiæ. 64. Oculus non vidit Deus absque te (id est, nisi te autore) quę præparasti expectantibus te. Et 1. ad Cor. 2. addidit Paulus, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit. Quasi nulla naturalis potētia hac vigeat virtute ac facultate.

Decl. art. Quæstio præsens alia præsupponit, atque alia quærit. Ob idque ad omnia quinque conclusionibus respondetur. Supponit enim, quòd homo suam possit supremam beatitudinem & fœlicitatem consequi, & quærit subinde quibus id viribus valeat. Cui & alia adiungitur quæstiuncula, vtrùm in hoc seculo id sit Deo possibile.

Notandū. Adnotandum tamen in quæstionis vestibulo, quòd nihil hic de merito scisitamur, vtrùm scilicet homo suis viribus naturalibus valeat beatitudinem promereri: hæc enim alia quæstio est, ad tractatum de gratia Dei pertinens: quo aduersus Pelagianos pars negatiua, ceu catholica veritas definitur. Gratia enim Dei (vt ait ad Ephesios Paulus) sumus saluati per fidem, & hoc non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur: sed scisitamur vtrùm secluſa ratione meriti homo possit illam obtinere, scilicet vtrùm secluſa ratione meriti homo possit illam obtinere, scilicet vtrum postquam beata virgo vel alius quispiam meritus est beatitudinem, vel si per impossibile daretur sine meritis nostris aut Christi, posset beatitudinis suæ fieri compos.

Ad Ephe. 2.

1. Concl. In hoc ergo sensu statuitur prima conclusio. Homo potest suam consequi beatitudinem. Nihil modò asserimus, quibus viribus id possit, sed absolutè, quòd possit. Conclusio est de fide, iuxta illud 1. Ioan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. & 1. ad Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ratione verò naturali probat conclusionem hanc duobus locis D. Thomas; prima enim par. quæst. 12. art. 1. quæsiuit, vtrùm homo possit Deum per essentiam videre: absque disputatione vtrùm in illa visione beatitudo consistat: hic verò scilicet 1. 2. q. 5 disputat vtrùm possit homo suam beatitudinem consequi, quæ est illa visio. Et vtrobique assertiuè respondet. Probatio est illa quam articulo præcedenti explicuimus. Cognito enim effectu desiderium homini naturale inest cognoscendi causam, non quomodocunque, sed per eius essentiam: ergo cognitio huius machinæ mundi desiderium naturale nobis ingenerat cognoscendi causam in sua ipsius essentia, quod nisi per visionem fieri non potest: naturale autem desiderium non est frustra: ergo ad illum finem potest homo peruenire.

1. Conclusionis ratio.

2. Ratio. Secunda ratio est. Beatitudinis nomen adeptionem perfecti boni significat: ergo quicunque capax est perfecti boni, ad eandem beatitudinis adeptionem peruenire potest: homo autem est illius capax: ergo potest illue pertingere. Minor verò probatur. homo suapte natura ad imaginem & similitudinem Dei, vt Genes. 1. legitur conditus est: imago autem & similitudo Dei capacitatem quandam & aptitudinem designat eius essentiam cognoscendi, amandique, ac perinde ea fruendi. Est enim similitudo illa veluti cælatura, in annullo aureo instar lapilli figuræ excauata, qui illic cælandus est: sic enim intellectus & voluntas capaces sunt, quibus Dei visio & amor imprimatur.

Confirmatio. Et confirmatur hac ratione physica. Intellectus, quia immaterialis est, potest bonum vniuersale apprehendere, abstrahendo ab hoc & ab illo bono naturali, atque adeò illud sic in genere cognitum amare & appetere: ergo suapte natura est capax consequēdi rem illam quæ eminenter continet vniuersa bona. Cuius indicium, vt supra diximus, est, quòd citra illius consecutionem naturalis noster appetitus nequaquam sedatur & conquiescit.

Obiectio. Veruntamen aduersus hanc conclusionem videntur militare argumenta hæc. Sicut natura rationalis est supra sensibilem, ita rationali præeminet intellectualis, qualis est Deus, vt Dionysius ait in lib. de diuinis nomi. sed brutæ animantes, solo sensu pollentes nequeunt ad finem rationalis creaturæ, nempe hominis peruenire: ergo neque homo ad supremam beatitudinem naturæ intellectualis,

Item infinitum, vt 3. Phys. ait Arist. non est cognoscibile: Deus autem est infinitus: ergo non potest à nobis cognosci.

Respons. Propter primum argu. non defuerunt, qui negarent posse Deum à creatura rationali videri, propter eius excellentiam & eximiam puritatem. Veluti sol qui est maximè visibilis, à vespertilione cerni non potest, vt Arist.

Digitized by Google

1. Met. ait, nempe quòd sicut oculus noctuæ ad lumen solis, ita & intellectus noster ad manifestissima naturæ. Igitur si recondita naturæ intelligere non possumus, multò minus inaccessum splendorem Dei, qui totius est fons naturæ, conspicere valemus.

Notandū. Veruntamen adnotandum est, quòd aliter intellectualia excedunt sensum, quam supernaturalia, & Deus intellectum nostrum. Intellectualia namque sic excedunt sensus omnes, vt sub eorum obiecto non comprehendantur: nam obiectum sensus non est nisi materiale & corporeum, quemadmodum obiectum visus est coloratum.

2. Concl. Atque hinc colligitur secunda conclusio. Neque Deus, neque angelus corporalibus oculis videri possunt, vt 1.par.q.12 ar.3. ait D. Tho. Imò neque per absolutam Dei omnipotentiam id fieri potest, plusquam quòd aut per aures videas, aut per oculos audias. Quoniam licet Deus se solo possit producere entitatem illam quæ est visio sui, non tamen est in oculo aut in sensu corporeo receptibilis eo modo, vt per ipsam valeant immutari: eo quòd res intelligibilis non est obiectum eius, veluti coloratum non est obiectum auditus. *Augusti.* Vnde Aug. in lib. de videndo Deum ad Paulinam, Deum, inquit, nemo vidit vnquam, & in hac vita sicuti ipse est, & in angelorum vita, sicut visibilia illa quæ corporali visione cernuntur. Quocirca illud Iob 19 In carne mea videbo Deum saluatorem meum: non sic intelligitur, quòd oculo carneo possit videri essentia Dei, sed quod homo existens in carne post resurrectionem videbit Deum, & per oculum carnis videbit Christum. Illud autem cap. 42. Oculus meus videbit te: de oculo mentis intelligitur.

Obiectio. Quod si arguas. Saltem per sensum interiorem imaginatiuæ potentiæ potest Deus videri: legitur. n. Esa. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c. illæ autem propheticæ visiones imaginariæ erant. Respondetur. Per illam visionem Deum non fuisse à Propheta conspectum secundum eius essentiā, sed sub aliqua forma corporea, imaginationi oblata, Deum per similitudinem repræsentante: vt puta sub imagine regiæ maiestatis in throno sedentis. *Supernaturalia sunt à nobis intelligibilia.* Supernaturalia vero, qualis est Deus, non vsque adeo intellectū nostrum excedunt, vt intra lineas obiecti eius non comprehendantur. Imò cùm obiectum intellectus sit ens, Deum ipsum suo ambitu continet. Sed solùm excedit captum nostrum quantum ad modum cognoscendi, propter eius excellentiam, ad quam intellectus in puris naturalibus non habet proportionem. Hoc enim pacto sol exuperat vespertilionis visum. Comprehenditur enim sub obiecto visus, quia est lucidum, sed tamen excellentia lucis obstat ne ipsum possit vespertilio intueri. Quare per Dei potentiam posset eius sensus sic roborari & acui, vt eundem posset solem conspicere. Pari ergo modo intellectus noster eleuari per lumen gloriæ potest (vt artic. 4. videbimus) vt Deum intueri queat. Nam etsi anima mortali corpori immersa species intelligibiles à phantasmatibus abstrahat, tamen ad videndum Deum (vt artic. proximo videbimus) Deus ipse in ratione speciei intelligibilis erit fœlicibus intellectibus coniunctus.

Ad aliud verò respondetur. Quòd Aristot. quando ait infinitum non esse cognoscibile, intelligit de infinito ratione materiæ, scilicet quod est in infinitum in potentia, vt numerus partium continui & moles in infinitum protensa: quia non habet formam, aut certum numerum per quam cognoscatur, & res non est cognoscibilis, nisi quatenus per formam fieri potest in actu & in propria specie. Deus autem est infinitum in actu infinitaque subinde perfectio, atque adeo non solum est cognoscibilis, verùm & infinite cognoscibilis, vt à se ipso cognoscitur.

3. Concl. Tertia conclusio. Homò in hac vita nequit supremam suam fœlicitatem consequi. Duplex enim est beatitudo: quædam scilicet imperfecta, atque alia perfecta. Imperfecta vero beatitudo duplex etiam est. Alia, quæ, vt ait Aristoteles, consistit in operatione secundùm virtutem: qua (vt ipse ait) beati sumus, vt homines. Quæ quidem est dispositio quædam ad cælestem fœlicitatem obtinendam. At vero charismata ipse supernaturalia non cognouit, atque adeo neque infusam charitatem, per quam solam officia nostra nomen & rem obtinent virtutum. Et ideo alia est, licet non omnino perfecta & confirmata, beatitudo, quæ consistit in spe futuræ gloriæ. Et illa quidem (vt supra diximus) potest esse in hac vita. *Ad Tit. 2.* Quippe qua sancti viri abnegantes, vt ait Paulus, impietatem & secularia desideria, sobrieque & iustè & piè viuentes in hoc seculo, quodā modo fruuntur, expectantes beatā spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi.

Probatio. Veruntamen quòd perfectam beatitudinem in hac vita consequi homo non valeat, probatur argumento primum sumpto à peculiari ratione veræ beatitudinis. Dictum quippe est in visione Dei esse positam. Quæ vtique visio in hac vita obtineri non potest. Nisi quis obiiciat, illam Deum posse ex peculiari priuilegio alicui concedere, vt fecit Paulo. Attamen loquimur secundum ordinariam legem. Præterea illa, nisi firmum haberet perpetuumque statum, ratione completa veræ beatitudinis careret. Imò, vt tuo appendice ornamento decora esset, corpus etiam immortalitate & reliquis dotibus insignire deberet.

Augusti. Probatio concius. Conclusionem verò ob id impræsentiarum statuimus, vt eam quoque ex generali ratione beatitudinis deduceremus. In quo locupletando argumento Diuus Augustinus librum totum decimumnonum de ciuit. Dei expendit. Perfecta namque beatitudo (vt nomen ipsum auribus suggerit) perfectum bonum est, atque adeò sufficiens: sufficientia autem eius hæc est, vt omne malum excludat, omneque desiderium expleat: neutrum verò istorum in hac fieri vita possibile est. Nam & intellectus noster multis ignorantiæ nebulis obducitur, & voluntas subinde prauis corruptisque affectionibus est peruia, à quibus nisi magna cura & labore eripi nequit. Et præterea corpus creberrimis est ærumnis & calamitatibus subditum. Hæc enim speculatio Academicos dementauit, qui disquirentes in hac vita vbinam fœlicitatem collocarent, inuenire nequiuerunt. Imò Marcus Varro sectas fermè tercentum de re hac recensuit. Quod etiam argumentum in Academicis & in de Finibus bonorum & malorum Cicero, aurea sua lingua disseruit, tamen punctum non attigit. *Meditatio.* Quoniam in hac vita summum bonum non erat reperibile: imò neque in altera, quemadmodum ipsi citra Deum illud indagabant. Enimuerò cùm homo ex anima & corpore constet, vtrumque partem necesse est beatitudo perficiat. Corpus autem quod mors tam multis morbis, doloribus & cruciatibus vexat, & in suum vrget interitum, constantissimum est non posse in hac vita ab illis eripi, quousque ad illam perueniat, in qua non erit luctus, neque clamor.

De animi bonis. Sed vt ad animi bona conuertamur, in quibus omnes huius seculi sapientes fœlicitatem statuebāt, in tribus vitæ generibus illam arbitrabantur esse positam, *Tria vitæ genera.* scilicet aut in contemplatione & inquisitione veritatis, aut in gerendis rebus humanis: quorum prius genus otiosum est, posterius verò negotiosum, aut in quadam vita ex vtroque genere commista & temperata. Si verò virtutes morales in quibus negotium actiuæ vitæ versatur, contemplemur, nulla in hoc seculo sine labore suum finem consequitur.

Temperantia. Temperantia namque, qua carnales frenantur libidines, in perpetuo conflictu laborat, quia spiritus (vt ait Paulus) concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus spiritū. Et ideo hæc virtus vix euitare valet, quo minùs ratio nonnunquam carni succumbat. Absit ergo (vt inquit Augustin.) vt dum in hoc intestino bello sumus, beatitudinem adeptos nos esse credamus: cum ad ipsam pugnando peruenire contendamus.

Prudentia. Mox prudentia, quæ reliquis virtutibus medium constituit, crebris erroribus obnubilatur.

Iustitia. Deinde iustitia, cuius munus est sua cuique tribuere, in hoc munere perfoluendo quam plurimum laborat, tantum abest, vt beatitudinis requie fruatur. Imò hæc virtus est inter omnes quæ à Repub. maxime exulat. Adeo proprius vniuscuiusque amor, propriorumque bonorum cupido iura alijs debita soluere vetat.

Fortitudo. Tandem fortitudo, metus audaciæque moderatrix patientiæ parens, qua mala huius vitæ tolerantur, tam multa malorum turba nonnunquam concutitur, vt etiam Stoici, qui docebant nullam passionem in virum sapientem cadere, dicere cogerentur, quòd quando eo vsque mala illa succrescerent, vt sapiens vel non posset, vel non deberet ea sustinere, tunc

mortem

mortem, si neque naturaliter aduenirent, neque aliunde accederet, deberet ipse sibi inferre, vt ab illis eriperetur. Vide quò cæcitatis illi sapientes existimati præcipitarentur, qui vt vitam quam beatam dicebant, fugerent, mortis auxilium implorabat, strenuamque fortitudinis virtutem homicidam faciebant.

Misericordia. Adde quòd nonnullæ virtutes, vt pietas in parentes atq; in ciues misericordia, in condolendis miserorum aduersitatibus laudem merentur suam. Cùm tamen dolor a legitima beatitudine alienissimus sit.

Contemplatio. Neque verò suprema fœlicitas, quam in contemplatione veritatis collocabant, quietem suam & otium nanciscì in hoc seculo valet: quippe cùm multis rerum turbis perturbetur, quousque in cœlestem Hierusalem conscendamus, cuius setas portarum nullus malorum impetus abrumpere valet, sed posuit Deus suos fines pacem: vbi adipe frumenti per illam beatam visionem perfruemur. Præterquam quòd qui in hac vita addit scientiã addit sibi laborem & indignationem: quia indignatur videns indignos magistratus administrare.

4. Concl. Quarta conclusio qua superior confirmatur sit. Perfecta beatitudo semel acquisita amitti non potest. Origenes fertur quorundam Platonicorum errores sequutus, asseruisse de vltima beatitudine hominem posse in miseriam recidere. Quod veræ beatitudini quàm maximè repugnat. Enimuerò cùm sit bonum sufficiens, oportet (vt diximus) vt omne malum excludat, omneque desiderium expleat, inter alia verò fœlix præcipuè desiderat bonum quod obtinet, securè & tutò retinere, alioqui amittendi metu angeretur, & si amitteret, doleret. Requiritur ergo ad beatitudinem, vt possidens certam habeat, opinionem nunquam suam amittendi fœlicitatem. Si autem opinio est vera, inde fit consequens beatitudinem amitti non posse. Si verò falsa, falsitas ipsa rationem veræ beatitudinis tollit. Igitur cùm in hac vita, quæ caduca & labilis, atque adeò peritura est, nihil sit perpetuum, fit vt nec insit in ea perfecta beatitudo. Sed illa tantùm eius inchoatio, quæ in spe consistit, de qua Rom. 8. ait Paulus: Spe salui facti sumus. Quæ quidem beatitudo quamuis genere suo perpetua sit, sicuti diuinus amor, nihilominus ratione subiecti, quia in hoc seculo nondum sumus confirmati in gratia, per liberum arbitrium nostrum est amissibilis, nisi in beata Virgine & Apostolis, qui ex priuilegio fuerunt confirmati. Dum verò rationem veræ beatitudinis in particulari quæstione sequenti speculemur, altiorem rationem, eandemq; legitimam contemplabimur, cur illa beatitudo amitti nequeat.

5. Concl. Quinta demum conclusio, quæ ad titulum quæstionis respondet, est. Quamuis beatitudo imperfecta, quæ in hac vita per cultum virtutum moralium obtinetur, viribus naturalibus possit acquiri, non tamen perfecta & suprema. Imò visio Dei in qua consistit, super naturam non solum hominis, verum & omnis creaturæ existit. Prior pars per ea quæ dicta sunt demonstrata est. Duas enim distinximus in hac vita imperfectas beatitudines. Vnam secundum Philosophos, vel actiuam, quæ consistit in operatione secundum virtutem, & contemplatiuam substantiarum separatarum. Atque ad has asserit prior pars nostræ conclusionis viribus naturalibus posse hominem pertingere, scilicet per opera moraliter bona. Quamuis opera illa nec digna sint absque charitate infusa proprio nomine virtutum. Alterum vero beatitudinis genus, quod in spe cælesti beatitudinis positum est, absque speciali Dei concursu consequi homo non potest. Veruntamen impræsentiarum de officijs quibus beatitudinem promeremur, non habetur sermo. Sed de eius consecutione, quæ habet rationem præmij.

Bigardorũ error. Quod autem visio illa beata sit nobis atque Angelis supranaturalis, est catholica veritas, cuius contrarium fuit Bigardorum hæresis, in concilio Viennensi sub Clemente quinto, clementi. ad nostrum de hæret. inter octo illorum errores condemnata. Assertio enim eorum erat, quod intellectualis natura in se ipsa est beata: neque indiget lumine gloriæ ipsam eleuante, atque adeo neque alia supranaturali virtute ad videndum Deum. Imò aiebant phrenetici, illi & stupidi, quod cum Deus vbique sit præsens atque adeo quantum est de se semper sit intellectui nostro applicitus, solum delictorum nostrorum obstaculum est nobis impedimento, ne eum cernere valeamus. Ex quo subinferebant, vsqueadeò posse hominem in hac vita cor à culparum sordibus emundare, vt [in hoc mortali corpore Deum valeat (quemadmodum de Paulo fertur) per essentiam videre.

Testimonia sacra. Sed erat illa insignis dementia. Contrarium nos enim fides Catholica docet. Legitur enim in Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Hoc est, sicut gratia, quæ est semen gloriæ, ita & gloria ipsa solo Deo sit autore. Cui concinit ad Roma. 6. Apostolus, dicens: Gratia Dei vita æterna. Quę quidem vita (vt monstratum est) in illa Dei beata visione consistit. Accedit & locus citatus Esaiæ, Oculus non vidit absque te quæ præparasti expectantibus te. Cui 1. ad Cor. 2. concors Paulus: Oculus, inquit, non vidit, &c. Et Matth. 11. Nemo nouit Filium nisi Pater, & Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Vbi simpliciter de Dei cognitione loquebatur, vt doceret tam fidem, qua cognoscitur in via, quàm visionem, qua comprehenditur in patria, opera esse Dei supernaturalia. Eodemque illud alludit Ioan. 14. Siquis diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam illum, & manifestabo me ipsum illi. Quasi munus proprium eius sit manifestare se amicis suis, quod fiet per eius intuitum in cœlo. Est ergo Catholica fides.

Ratio conclusionis illegitima. Rationem verò, qui rem in cortice duntaxat cernunt, non aliam referunt, quàm quòd cùm creatura sit finita, Dei verò substantia infinita, nulla sit proportio, vt homo naturaliter possit videre Deum. At verò ratio hæc minimè satisfacit. Aliud enim est quærere de proportione rerum quatenus sunt res naturales, atque aliud de proportione obiecti & potentiæ in ratione cognoscendi. Enimuerò cùm ens sit intellectus obiectum, cuius amplitudine comprehenditur Deus, disproportio inter eius infinitatem & nostram capacitatem, non est sufficiens causa tollendi proportionem in ratione potentiæ & obiecti, ne cognoscatur à nobis. Nam per hæc visibilia, vt ait Paulus, potest ipse cognosci inquantum causa. Vnde posset quis argumentum ducere, quod si Deus fieret nobis præsens, possemus ipsum naturaliter videre, saltem anima à corpore separata in puris naturalibus absque peccato & gratia existens.

Ratio legitima. Rationem ergo, quæ certè sola inter naturales legitima est, exponit Diuus Tho. 1. 2. q. 5. artic. 5. Sed explicatiùs 1. part. q. 12. artic. 4. Ratio verò fundatur in hoc, quod cognitio fit per abstractionem à materia secundum diuersos gradus: eo quod cognitio est spiritualis actio saltem modo aliquo. Supponit autem alia fundamenta tria.

Primum fundamentum. Primum cognitio cuiuscunque rei fit ad modum cognoscentis: eo quod est receptio in potentia. Nam vt 2. & 3. de anima ait Philosophus, cognoscere atque adeò intelligere est quoddam pati. Et ideo veluti aqua dum vasi infunditur, eius figuram suscipit, ita cognitio recipitur iuxta naturam cognoscentis. Vnde (vt in libro de causis habetur) intelligentia cognoscit tam ea quę sunt supra se quàm ea quę sunt infra se secundùm modum suę substantiæ. Homo enim quia habet intellectum materię infusum, non cognoscit angelos qui sunt supra se, per species tam puras tamque spirituales quàm sunt angelicæ, sed per illas intelligibiles, quas de phantasmatibus materialibus deducit, & per easdem itidem genera & species intelligit naturarum materialium, quæ sunt infra se.

Secundum fundamentum. Hac ergo suppositа veritate, quòd cognitio fit ad modum cognoscenti, tanquam secundum fundamentum distinguenda sunt, tam potentiæ cognoscitiuæ quàm obiecta cognoscibilia. Et quidem potentiæ quanquàm non sint nisi duæ, nempe intellectus & sensus, reperiuntur tamen in creatura in triplici differentia. Angeli enim solo intellectu vigent: bruta verò solo sensu, sed homines vtroque. Obiectorum verò cognoscibilium tria similiter sunt genera. Infimum est eorum quorũ natura non habet esse nisi in hac in diuiduali materia. Vt sunt omnia mere corporalia. Alia vero sunt, quorum natura nec materialis est, nec receptibilis in materia, vt Angeli. Homo verò est medius, quia licet habeat formam, nempe animam immaterialem, recipitur tamen illa in materia.

Sensus ergo siue hominis, siue brutorum, nequeunt nisi singularia materialia & corporea cognoscere. Tametsi, vt in eorum patet speciebus, nonnihil præ se ferant immaterialitatis & spiritualitatis: eo

quod

quod quodammodo sunt à materia abstractæ: ob id namque species visibiles tam subitò mouentur, nec videntur ipsæ, nec sentiuntur. Intellectus verò noster, quia in se est immaterialis, potest quidem cognoscere naturas & quidditates rerum, sed tamen quamdiu est in materia, nequit illas cognoscere nisi per species à materialibus phantasmatibus abstractas. Quare proprium eius munus est cognoscere naturas in vniuersali, nempe genera & species, atque earum quidditates: quod facultatem sensus excedit Angelico verò intellectui connaturale est quidditates & substãtias creaturarum spiritualium cognoscere. Quod quidem facultatem intellectus humani pro isto statu excedit, qui illas substantias non nisi abstractiuè cognoscit ex corporalibus ratiocinando.

Tertium fundamentum sit, quòd esse creaturarum non est de intrinseca ratione substantiæ, & quidditatis, & essentiæ ipsarum. Nam antequam mundus esset, verum erat hominem esse animal rationale, & angelum esse substantiam spiritualem, licèt non existerent. Quare omnes creaturæ habent esse receptum. Quod quidem vel per creationem, vel per generationem recipiunt. Deus autem est suum esse: nam de intrinseca ratione eius quidditatis est existere: quoniam nisi esse, suæ essent naturæ intrinsecum, nullatenus esse posset, quia non posset illud ab alio recipere. Ex quo fit, quòd cùm omnis creatura habeat esse receptum, siue in materia corporali, siue in indiuiduo, vt angelus, omnis est quodammodo materialis. Nam id ipsum quod est recipi est materialis conditio. Solus autem Deus est purissimus actus.

Colligitur ratio. Ex his ergo colligitur propria ratio quare Deus nequeat à creatura per essentiam cognosci. Sensus ob id nequit spiritualia cognoscere, quòd est potentia materialis, & spiritualia sunt immaterialia: & intellectus noster pro isto statu ob id nequit angelos per essentiam cognoscere, quòd ipse est in materia receptum, & angeli habent esse actu à materia semotum. Sed in hac spiritualitatis ratione Deus plus omnem creatam cognoscitiuam potentiam exuperat, quàm vel spiritualia sensum, vel angeli mortalium intellectum: ergo nullus intellectus creatus potest naturaliter Deum per essentiam cognoscere, atque adeò nec videre.

Sed statim hoc loco quis ambiget, cùm quæstio sit an Deus possit naturaliter videri, quidnam referebat probare, quòd non possit per essentiam cognosci? Respondetur, quòd sicut in creaturis tunc res per essentiam cognoscitur, quando cognoscitur per eius definitionem quidditatis, ita Deus, quia cùm sit infinitus, definiri non potest, cognoscitur per essentiam dum videtur: quia tunc cognoscitur sicuti est, vt ait Ioannes, atque adeo in sua essentia.

Obiectio Scoti. Scotus distinctione præsenti quæstione 11. quamvis conclusionis veritatem confiteatur, rationem tamen negat esse istam sancti Thomæ: quia nullus in ea informatur syllogismus, sed solum huic innititur collectioni, quod quia Deus excellentioris naturæ est quàm creatura, non possit ab ipsa naturaliter videri, quæ tamen collectio nulla est. Quoniam angelus inferioris speciei videre potest superiorem. Ratio ergo, inquit, non est alia quàm quòd nulla creatura virtutem habet faciendi Deum sibi præsentem in ratione obiecti.

Reproba. Sed profecto ratio hæc nullius est prorsus energiæ. Imò hæc aliam priorem causam desiderat: nam cùm Deus sit vbique præsens, quæritur ratio cur animæ separatæ sine culpa & gratia in puris naturalibus existenti fieri nequeat præsens in ratione obiecti. Scotus ergo suique affectæ ob id Diuum Thomam redarguunt, quod mentem eius inspectam non habent. Diuus enim Thomas non inde argumentum ducit quod Deus sit altior, imò infinitus in genere rei. Haud enim negat quin brutum possit videre hominem, aut angelus inferior superiorem: sed inde quod Deus sit immaterialior. Nec verò inde colligit, quod non possit naturaliter cognosci à creatura, sed quod non possit per suam quidditatem & essentiam à creatura cognosci, quod est ipsum videre. Et quamuis Diuus Thomas non fuerit solicitus syllogismum struere, intendit tamen illam gradationem facere quam nos in forma eliquidauimus.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondet optimè Diuus Thomas, quod sicut natura homini non ideo fuit deficiens, quòd non dederit ei naturalia tegumenta & arma, sicut tauris & leonibus, quia tribuit ei rationem qua illa sibi conquireret: ita nec fuit maligna & insufficiens, quamuis ei principia non suppeditauerit, & facultatem veniendi per se ad beatitudinem, quia non erat possibile: dotauit tamen eum libero arbitrio, quo per Dei fauorem adiuto, qui nobis semper est fauere promptissimus, ad eandem posset beatitudinem promoueri. Nam quæ per amicos possumus (vt 3. Ethicorum Philosophus autor est) per nos ipsos possumus.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quod nobilitas naturæ (vt 2 de cœlo ait Philosophus) ex dignitate supremi finis, ad quem instituta est, debet perpendi: & ideo præclarius cum natura intellectuali & rationali actum est, quòd ad tam excelsum finem fuerit creata, vt vires eius excedat, quam cum alijs naturis, quæ ad inferiores tendunt fines, quos suis viribus assequi valent. Quemadmodum melius est ad sanitatem dispositus, qui perfectam potest medicorum ope consequi, quàm qui non nisi imperfectam absque alieno auxilio valet comparare.

Sol. 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd quando rei inchoatio & dispositio est eiusdem speciei cum forma perfecta introducenda, eiusdem est potentiæ illam incipere & perficere. Illa autem dispositio, quæ fit per opera moraliter bona non est in genere moris eiusdem speciei cum illa quæ fit per auxilium speciale Dei, & est ad beatitudinem requisita. Et ideo homo habet prioris facultatem, non autem posterioris.

ARTICVLVS III.

Vtrùm essentia Dei ab intellectu creato per aliquam creatam similitudinem videri valeat.

EX determinatione superioris articuli nascitur alia quæstio: vtrum Deus, licet non nisi supranaturaliter sit à nobis cognoscibilis, videri tamen per aliquam creatam speciem possit. Et arguitur à parte affirmatiua. Intellectus in actu (vt docet Philosophus 3. de anima) est intelligibile in actu, hoc est, obiectum fit actu intelligibile per species sui, quæ in intellectu recipiuntur, per quas ipse fit etiam intellectus in actu, nempe in potentia propinqua ad intelligendum. Igitur cùm hic sit intellectui naturale, pariter ad videndum Deum requiritur species, quæ sit ipsius similitudo in intellectu recepta. *Pars affirmatiua arg. 1.*

Secundò id probatur ex illo 1. Ioann. 3. scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, videbimus eum sicuti est. Cui consonat Aug. 9. de Trinit. dicens, quod cùm Deum nouimus, fit aliqua Dei similitudo in nobis. *2. Arg.*

In contrarium est Augustinus 15. de Trinit. vbi ait, quod cùm Apostolus ait, Videmus nunc per speculum & in ænigmate, speculi & ænigmatis nomine quæcunque similitudines ab ipso significatæ intelligi possunt, quæ accommodatæ sunt ad intelligendum Deum: visio autem Dei per essentiam non est specularis, & ænigmatica, sed contra eam diuisa: ergo diuina essentia non videtur per similitudines. *Pars neg.*

De ista quæstione variæ sunt opinionum differentiæ: ad quam tribus conclusionibus respondebitur. Primum autem adnotandum est duas esse quæstiones similes, vna est, vtrum homo possit per actionem alicuius creaturæ beatitudinem consequi, quam disputat D. Thom. 1.2. qu. 5. art. 6. Hic autem altera peculiariter inquiritur, vtrum per aliquam creatam speciem possit Deus videri, quam disputat 1. part. q. 12. art. 2. Prior, inquam, quæritur, vtrum in genere causæ efficientis creatura possit hominem beare. *Duæ similes quæstiones.*

Ad quam, quia facillimæ expeditionis est, respondetur prima conclusione. *1. Concl.*

Nulla creatura potest hominem vel angelum in genere causæ efficientis beatum facere. Et loquimur de perfecta beatitudine, nam de illa imperfecta huius vitæ, quam diximus viribus naturalibus posse acquiri, quæ talis est operatio moraliter bona secundum virtutem moralem, diuersa est ratio. Quoniam virtus moralis non solum naturaliter ab ipso studioso, verùm & aliorum ope, qui eum consilio aut doctrina iuuant, potest comparari. Sed de perfecta probatur conclusio. Illud quod totam naturam creatam excedit, nequit actione propria fieri alicuius creaturæ, quemadmodum suscitatio *Probatio.*

mortui, & cæci illuminatio, atque id genus alia miracula. Consecutio autem perfectæ beatitudinis, quæ in Dei visione consistit, quia supranaturalis est, totam excedit naturam, vt articulo proximo monstrauimus, ergo nullius actione creaturæ potest attingi, sed solius Dei immediatè agentis.

Duo ad cognoscendū requisita.

Nihilominus peculiaris quæstio est de specie, quæ propriè concurrit in ratione obiecti, per quam scilicet recepta in intellectu obiectum illi vnitur ad producendam notitiam. Duo enim ad cognitionem tam sensitiuam quam intellectiuam sunt necessaria, scilicet & virtus potentiæ, & vnio obiecti cum ipsa. Et ideo de visione Dei duo sunt disputanda. Vnum ex parte intellectus, nempe vtrùm lumen eius naturale sufficiat ei ad videndum Deum, an verò aliud altius exigatur gloriæ lumen, quo ad illud opus eleuetur: de quo articulo proximo subsequens erit quæstio. Disputatio verò præsens est ex parte obiecti de specie qua coniungitur intellectui.

Okam.

Atqui Okam 1. sentent. dist. 1. quæst. 2. & in 4. q. 13. vsque adeò beatificam visionem existimat esse supranaturalem, vt arbitretur nequaquam ab intellectu, sed à solo Deo produci: quare neque vllo opus est gloriæ lumine, neque verò specie. Probatio eius potissima est, quod cum visio illa sit supremum præmium quod à Deo expectamus, ab ipso solo immediatè confertur: nam sicut meritum à merente, ita præmium est à præmiante. Alias creatura se ipsam bearet, atque adeò per nullam speciem producitur. Item quia cùm visio Dei sit supernaturalis (vt proximè probatum est) à nulla potest creatura produci, atque adeò neque ab intellectu ipso.

1. Concl.

Hæc autem opinio nullius habet probabilitatis specimen: & ideo statuitur prima conclusio. Intellectus beatus ad Dei visionem concurrit. Quoniam adeò naturale est potentiæ cognoscitiuæ non cognoscere nisi eliciendo suam cognitionem, vt id ipsum sit cognoscere, quod cognitionem producere. Quid enim aliud est videre, quam visum visionem rei in se producere? Veluti amare idem est quod amorem elicere. Nam quamuis Philosophus dicat intelligere esse quoddam pati, hoc propterea dixit, quod fit per receptionem specierum ab obiecto, per quas vtique intellectus fit in actu primo, vt potens sit notitiam proferre, quæ est actus secundus. Ob idque idem Philosophus intellectionem appellat actionem immanentem, quia scilicet in eadem potentia permanet, à qua ingignitur. Vnde August. 2. de doctrin. Christiana tanquam axioma ab omnibus receptissimum asserit, quòd à cognoscente & cognito paritur notitia. Atque hac ratione Pater in diuinis per intellectum generat Filium. Potest quidem Deus alias formas se solo in subiecto producere, vt calorem, & alborem, &c. Et tamen notitiam per quam potentia cognoscat, aut amorem per quam appetitus amet, nequit sine concursu ipsius potentiæ.

Camillus.

Sed dicet Okam, Quamuis visio à Deo solo producatur, satis est vt intellectus cognoscat quod ab eo conseruetur. At verò visionem tanquam actum vitæ, videndo conseruare, est agere. Quare non est cur negetur ab intellectu produci.

Redargutio.

Nihilominus rursus quis redarguat: non potest creatura producere charitatem aut gratiam, aut aliquam ex virtutibus infusis, quia sunt supranaturales, ergo eadem ratione nequit intellectus visionem producere. Negatur consequentia. Quia habitus, qui sunt supranaturales potentiæ & facultates ad agendum, creatura non valet, sed solus Deus producere: illis tamen potentia informata producit actus. Sicut intellectus non producit species, sed per ipsas producit notitiam. Et ideo lumen gloriæ non potest produci ab intellectu, quia est quidam habitus & facultas ad videndum, sed postquam suffunditur potest Deum videre.

Respondetur arg. Okam.

Ad argumentum igitur Okam superius factum respondetur, quod quamuis præmium sit à præmiante, sicut meritum à merente, non tamen inde subsequitur quòd visio non producatur ab intellectu, aut quòd ipse seipsum beet, vel animam. Quoniam visio illa non producitur nisi speciali auxilio Dei supranaturaliter infundentis lumen gloriæ, & concurrentis cum intellectu in ratione speciei: veluti si Deus in præmium alicuius meriti conferret cæco visum, per ipsum ille visionem eliceret.

Supposito ergo, quod visio beata ab intellectu ipso eliciatur, quæritur quæstione præsenti per quid Deus ipsi in ratione obiecti vniatur, vtrum scilicet per aliquam speciem. Dum enim coloratum aliquod videtur, non per se, sed per suam speciem recipitur in visu.

2. Concl.

Subiungitur ergo secunda conclusio. Nulla creata species potest Deum per essentiam repræsentare. Sententia est S. Tho. loco citato 1. par. quæst. 12. ar. 2. Creaturæ quidem per modum vestigij aut imaginis repræsentant Deum abstractiuè, non eius essentiam, sed in se ipsis eius virtutem. At loquimur de specie quæ repræsentet Deum sicuti est: velut species visiuæ obiectum tanquam eius similitudo.

Probatio illegitima.

Et quidem prima facie satis inde videtur probari, quod essentia est infinita, species autem creata est finita. Sed iam supra diximus huiusmodi rationem non esse efficacem, vtpote quæ de proportione loquitur creaturę ad Deum inquantum sunt res naturales: quod non sufficit ad excludendum proportionem creaturæ in repræsentando essentiam Dei. Et ideo ex proprijs arguitur, primò authoritate Dionysij 1. cap. de diuinis nomi. dicentis per similitudines inferioris ordinis nullatenus posse superiora cognosci: veluti per species sensibiles non cognoscitur essentia rei in corpore: multo ergo minus per speciem creatam essentia Dei.

Probatio legitima.

Sed ad rem etiam propius probatur conclusio eadem ratione, quam articulo præcedenti faciebamus. Species quæ repræsentat obiectum, debet esse plus spiritualis & immaterialis quàm obiectum ipsum repræsentatum, vel saltem tam immaterialis, vt patet, quia species seu sensibiles, seu intelligibiles magis sunt spirituales quàm obiectum corporale per ipsas cognitum: & ideo species intelligibiles nostræ in hac vita non possunt angelorum essentias repræsentare, ob id quod cùm sint à phantasmatibus abstractæ, non sunt tam spirituales. Nulla autem species aut similitudo creata esse potest tam spiritualis quàm Deus: quia omnis creatura eo ipso quod habet esse receptum, est quodammodo materialis: Deus autem quia non habet esse receptum, sed est de sua essentia, est purissimus actus. Quocirca nulla species in ratione similitudinis potest ipsum repræsentare. Tertiò. Omnis creatura in suo genere est limitata: etenim species humana ad certam perfectionem limitatur, ita & virtus, vt fortitudo ad certam materiam, & prudentia ad aliam, & similiter quæcunque scientia aut sapientia ad certum rerum genus, vt species albedinis ad videndam albedinem, & species nigredinis ad nigredinem, &c. essentia verò diuina non est limitata, imò eminenter continet quicquid per omnem speciem creatam significari potest. Atque adeo nulla ad id pertingit, vt eum per essentiam repræsentet. Quinetiam (vt aliud adhibeamus argumentum) Deum videri per speciem, est non videri per essentiam.

Accedit ijs tandem, quod si aliqua creata species Deum posset intuitiuè repræsentare, sequeretur quod aliqua creatura virtutem haberet faciendi Deum præsentem intellectui, atque adeo quodammodo beandi hominem in genere causæ efficientis. Nam licet species concurrat in ratione obiecti, & formaliter fit in intellectu, nihilominus concurrere ad notitiam est quodammodo agere. Etenim licet Scotus dicat propterea naturaliter hominem non posse Deum videre, quia non potest creatura Deum facere præsentem, non tamen supremam rei causam affert, quæ certè est hæc, quod nulla species creata potest eum repræsentare. Nam sicut non stat species visibiles esse in oculo, quin obiectum ei præsentent, idem de illa specie fieret consequens.

Obiectiones.

Quo verò conclusio explicatius elucidetur, arguitur primò contra rationem Dionysij. Creaturæ (vt ad Rom. 1. ait Paulus) repræsentant Deum, & tamen sunt ipso inferiores. Secundò, species intelligibiles significant substantias, substantiarumque naturas, & tamen cum sint accidentia, sunt inferioris ordinis, quàm substantia. Tertiò, species quæ sunt in Angelo inferiori repræsentant superiorem: ergo nihil obstat quominus species inferioris hominis possint superiora repræsentare, atque adeo species creata Deum.

Solutiones.

Hæc verò argumenta per ea quæ facta sunt facilè diluuntur. Cuncta enim in hoc peccant, quod mentem Diui Thomæ detorquent. Res enim esse inferioris ordinis stat dupliciter, vno modo in essendo: atque alio

Digitized by Google

in repræsentando. Nihil enim obstat quominus res inferiores in essendo superiores repræsentent. Quo pacto creaturæ repræsentant Deum, tametsi non eius essentiam, sed eius virtutem, per quam est rerum causa. Et pariter species intelligibiles quæ sunt accidentia, repræsentant substantias, & species inferioris angeli superiorem. Veruntamen hoc nihil ad rem. Nos enim non dicimus nisi quod species inferioris ordinis in repræsentando, quæ illa ratione debent esse immateriales, non possunt repræsentare res superioris ordinis: puta minus materiales & magis spirituales, & hac ratione creatura Deum repræsentare nequit, vt satis superque expositum est.

Potissimū arg. de visi. Potissimum autem argumentum est de visione ipsa. Illa enim, cum sit creatura, habet esse receptum, atque adeò quidpiam immaterialitatis, & nihilominus repræsentat Deum. De lumine gloriæ dicemus articulo proximo.

Capreolus. Capreolus distinct. præsenti quæstio. 5. huic argumento succumbens, negat visionem esse Dei similitudinem, sed ait nomen similitudinis obiecti soli speciei competere. Et arbitratur esse opinionem S. Thom. eo quod hic in solutione ad primum illud Ioann. 3. Cum apparuerit similes ei erimus, non de visione, sed de similitudine, quæ est per participationem luminis gloriæ, interpretatur.

Reprobatur Capreolus. At verò profecto minimè negandum est visionem esse similitudinem. Imò ob id requiritur species, quæ est similitudo obiecti per modum habitus, vt potens sit intellectus notitiam producere, quæ est actualis (vt aiunt) eiusdem obiecti imago. Vnde August. 14. de Trinit. cap. 17. Tunc, inquit, perfecta erit Dei similitudo in mente, quando Dei perfecta erit visio. Vbi visionem appellat similitudinem. Et Anselmus Monologion 38. nulla, inquit, ratione negari potest cognitionem rei esse imaginem eius. Glossa autem Capreoli, scilicet quòd dicatur imago in suo principio, nempe in specie à qua producitur, est verborum mentem inflectere. Imò verò Ioannes, vbi ait: Similes ei erimus, de visione loquitur. Atque illam Diuus Thomas appellat participationem luminis gloriæ. Præterea Capreolus nequit vim argumenti declinare. Nam gratis admisso visionem non esse similitudinem, saltem euitari non potest, quin repræsentet Deum: & tamen est creatura, atque adeò minus spiritualis quàm Deus.

Solutio legitima. Respondetur igitur aliter ad argumentum, quòd aliter species quàm visio est similitudo obiecti ipsum repræsentans. Nam repræsentare speciei, est efficere rei cognitionem: modus autem repræsentandi notitiæ non est efficere, sed esse cognitionem ipsam & repræsentationem formaliter. Et sanct. Thomas non contendit creaturam non posse esse repræsentationem Dei. Sed quod non posset creatura sic repræsentare Deum, vt eius cognitionem efficiat, qua cognoscatur per essentiam.

Discrimen inter speciem & notitiam. Quod si discriminis differentiam scisciteris, respondetur planam esse. Quoniam species tenet se ex parte obiecti, vicem eius gerens. Et ideo impossibile est, quod illa, quæ est magis materialis suppleat vicem obiecti minus materialis. Visio verò non se tenet ex parte obiecti, sed est ipsa eius apprehensio. Et ideo licet nequeat esse species creata Deum repræsentans, nihilominus Deus ipse concurrens in ratione speciei producit visionem sui quæ est ipsa repræsentatio.

Et similiter respondetur ad aliud argumentum supra factum, quod creatura posset beare hominem. Si enim daretur species Deum repræsentans, hominem beare in ratione causæ efficientis: visio autem non beat nisi formaliter, quod est esse ipsam beatitudinem, per quam Deus qui illam producit, creaturas facit beatas.

3. Concl. Tertia conclusio. Deus in ratione speciei vnitur intellectibus beatis ad producendum eius visionem. Probatur conclusio ex superiori. Intellectus solus nisi ei obiectum vniatur, vt constituat eum in actu primo, hoc est, in potentia proxima ad intelligendum, intelligere ipse aut videre nequit. Quemadmodum neque visus corporeus, nisi obiectum ei per species visibiles coniungatur. Hæc enim veritas adeò fuit semper vniuersis philosophis perspicua, vt quemadmodum primo de anima, ait Philosophus, propterea priscorum scholæ philosophorum docerent intellectum esse omnia, nempe ferrum, terram, &c. vt omnia posset intelligere. Neque illos aliter potuit idem Philosophus refutare, quàm docendo obiectum vniri intellectui, non per se realiter, sed per suam speciem quæ est eius similitudo. Igitur cùm, vt iam probatum est, nulla esse possit creata species Deum repræsentans, consequens fit vt Deus ipse eidem intellectui in ratione speciei vniatur.

Explicatio conclu. Sed ad rei huius explicationem arguitur. Vniri in ratione speciei, est recipi in intellectu, aut in quacunque alia apprehensiua potentia. Deus autem non est receptibilis formaliter, per seipsum in aliquo: nam sicut non habet esse receptum, ita nec potest in alio recipi, alioquin non esset simplicissimè immaterialis.

Ad hoc autem respondetur, illo negato quod assumitur. Negatur, inquam, vniri in ratione speciei esse recipi in potentia: hoc enim non conuenit per se speciei, sed per accidens speciebus creatis, quia sunt accidentia: per se enim ratio speciei non dicit aliud quàm vniri potentiæ, & facere cum ea vnum principium ad cognoscendum faciendo potentiam cognoscitiuam in actu primo: verùm quia creaturæ non possunt per se hoc pacto vniri potentijs, accedit eis, vt per species quas in potentia proferunt, ei vniantur. Deus autem quia eminenter continet vniuersalem rationem essendi, à quo ideo esse omnium rerum deriuatur, per seipsum vnitur intellectui, esto ipsi non inhæreat, quia est completissima substantia. Itaque cùm dicimus, Deum vniri in ratione speciei intellectui, non solum asserimus quod concurrat in genere causæ efficientis, veluti cùm omnibus causis secundis concurrit ad agendum: sed quòd concurrit peculiari ratione speciei, faciendo intellectum intelligibilem in actu primo.

Sol. 1. arg. Et per hoc solutum restat argumentum primum. Concedimus enim quòd intellectus & sensus non fit in actu, nisi quando obiectum illi vnitur: sed tamen obiecta creata vniuntur potentijs per accidentales species, quæ in ipsa recipiuntur, Deus autem se ipso.

Redargutio de visione. Sed redarguitur hæc solutio. Sequeretur inde quòd etiam Deus ipse posset vniri intellectui in ratione notitiæ & visionis, atque adeò nulla opus esset alia creata. Negatur consequentia: quoniam visio de intrinseca ratione sua dicit formam inhærentem oculo, & notitia formam inhærentem cognoscenti. Nam cognoscere & intelligere, vt ait Arist. est quoddam pati: quare intellectum videre, est in se habere visionem: sicut aquam calefieri, est recipere calorem: & papyrum esse albam, est in se habere alborem. Imò in omnibus actionibus simile est exemplum. Etenim sicut hominem scribere, est actionem illam ab homine emanare: ita & hominem ambulare, est ambulationem (vt sic loquamur) facere & recipere. Et idem est de nutrire, atque adeo de videre & intelligere.

Ad autoritatem verò Ioannis: Similes ei erimus. Respondet S. Thom. quòd non intelligitur de similitudine speciei, quæ recipiatur in intellectu, sed de participatione luminis gloriæ, quo eleuatur potentia ad producendum visionem, quæ est similitudo Dei. Et eodem modo intelligitur Aug. si loquatur de intellectione beata. Videtur tamen loqui de intellectione in via per quam quodammodo assimilamur Deo.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo creato lumine supranaturali indigeat.

QVONIAM dictum est duo ad cognoscendum esse necessaria, & virtutem potentiæ, & vnionem obiecti per speciem, & ab hoc secundo expediti sumus, subsequitur vt de priori inquiramus. Vtrum requiratur lumen supranaturale ad videndum Deum, præter naturale quo intellectus viget. Est quæstio S. Thom 1. part q. 12. artic. 5. Et arguitur à parte negatiua. In rebus creatis, id quod per se lucidum est (vt sol) alio non eget lumine quo videatur: Deus autem est ipsissima intelligibilis lux: ergo alio, vt videatur, non indiget lumine.

Partis negatiuæ arg. 1.

Secundò. Quando Deus per aliquod medium videtur, vt puta per creaturas, non videtur per essentiam:

2. Arg.

Digitized by Google

quia videri per essentiam, est videri immediatè, hoc est, sine alio medio.

3. Arg. Tertiò. Quicquid est creatum, non repugnat alicui creaturæ esse naturale: igitur si essentia Dei per lumen creatum videri potest, posset lumen illud alicui creaturæ esse naturale, atque adeò Deus esset naturaliter à creatura visibilis, cuius contrarium constitutum est. Nulla ergo luce opus est supranaturali ad Deum videndum.

4. Arg. Quartò redarguit Durand. D. Thomam contradictionis. Ait enim dist. præsenti q. 2 artic. 7. quod in hac vita miraculosè fieri potest divina virtute, quod intellectus creatus non habens nisi dispositionem viæ eleuetur ad videndum Deum per essentiam: ergo & in patria id fieri potest.

Pars affir. In contrarium autem est illud Psalm. 35. In lumine tuo videbimus lumen.

Decis. art. In introitu quæstionis huius adnotandum est, quod cùm vniuersalis sit omnium consilio Deum à creatura non posse naturaliter per essentiam cognosci, atque adeò nec videri. De modo tamen quo supernaturaliter videatur, variant doctores, suntque perinde in triplici differentia. Opinio enim ferè communis est, quod neque vlla requiritur species ex parte obiecti, neque verò lumen ex parte potentiæ. Hæc enim sententia nominalibus perplacet. Enimuero vt sunt Metaphysicæ scientiæ parum amici, ita neque in huiusmodi speculationibus multum insudant. Veruntamen in eandem sententiam videtur & Scotus declinare distinctione præsenti quæstione 11. eandemque affirmat Durandus quæstione 2. Alij dicunt requiri speciem supernaturalem ex parte obiecti, quæ Deum faciat potentiæ præsentem. Hæc tamen opinio satis articulo præcedenti explosa fuit. Quo autem ad priores reuertamur, si ab illis scisciteris cur nequeat Deus à creatura naturaliter videri. Nam si naturaliter videri non potest, supernaturalis virtus ad id requiritur. Respondet Scotus, non aliam requiri virtutem præter Deum qui se faciat præsentem intellectui.

Triplex opinio.

Scoti impugnatio. Sed primum non satis respondet nisi addat, quod vniatur in ratione speciei obiecto. Nam hoc est se facere præsentem. Præterea non satis est respondere ex parte obiecti quomodo se vniat intellectui, verùm & ex parte intellectus, vtrum virtutem habeat sufficientem concurrendi cum Deo naturalem: nam certè corporeus oculus illam virtutem non habet.

Durand. Quocirca Durandus respondet, non aliam virtutem ex parte intellectus requiri, quam status mutationem. Nempe quòd corpus hoc mortale exuat, in quo nequit intelligere nisi per species à phantasmatibus abstractas. Anima n. inquit, separata quæ illis phantasmatibus non indiget, Deum potest naturaliter videre.

At verò opinio hæc generalem confessionem diffitetur tenentium Deum non posse naturaliter videri. Nam si anima separata id suis viribus naturalibus assequitur, cùm status ille, quo separata est, sit ei naturalis, colligitur, quòd possit Deus à creatura per naturam videri, contra illud Psalmi: Gratiam & gloriam dabit Dominus, & contra id genus recitata testimonia.

Conclusio. Est ergo tertia opinio S. Thomæ, secundum quam ad quæstionem vnica conclusione affirmatiua respondetur. Ex parte intellectus non sufficit lumen naturale, sed requiritur eius eleuatio per lumen gloriæ, vt Deum cernere & videre possit. Quo verò rationis ius euidentior fiat, arguitur statim contra. Deus (vt dictum est) in ratione speciei intellectui coniungitur ad visionem ipsius eliciendam, ergo lumen gloriæ vt superfluum redundat. Probatur consequentia. Quia vt intellectus intelligat, sufficit vt per species obiecti fiat in actu primo. Imò Deum vniri intellectui in ratione speciei, est cum ipso vna concurrere: ergo hoc absque alio lumine satis est.

Obiectiones. Et confirmatur ratio. Lumen ad id solùm ponitur necessarium, vt eleuetur potentia. Sed per Deum ipsum in ratione speciei concurrentem satis eleuatur: ergo nullo opus est lumine.

Fundamentum. Ad rei ergo huius intelligentiam illud fundamentum pro fixo habendum est quod articulo præcedenti, tanquam ab omnibus receptissimum, præiecimus. Nempe duo esse ad cognitionem necessaria, scilicet virtutem potentiæ, & obiecti vnionem. Atqui prius requiritur virtus potentiæ quàm vnio obiecti. Imò ad hoc requiritur virtus, vt possit species obiecti recipere. Etenim quia potentia sensitiua non habet virtutem cognoscendi spiritualia & vniuersalia, nequit species intelligibiles recipere: per quas obiecta illa vniantur ei. Et quia oculus vespertilionis virtute non viget cernendi solem, fit vt neque eius visibiles species suscipere valeat.

Probatio conclusionis Hoc supposito probatur conclusio. Visio beatifica est intellectui supranaturalis (vt supra probatum est, tum sacris oraculis, tum etiam ratione) ergo lumen naturale non est ad illum intuendum sufficiens. Cùm ergo intellectus ipse (vt supra probatum est) debeat concurrere ad eliciendam visionem, lumine alio supranaturali indiget, quo fiat videndi potens, hoc est, idoneus cui Deus in ratione speciei vniatur. Lumen enim gloriæ non concurrit ex parte obiecti veluti species, sed ex parte potentiæ, vt eius acies quodammodo acuatur.

Ratio 2. Et confirmatur ratio ex illo Aristot. 1. Metaphys. Sicut oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster ad manifestissima naturæ. Etenim cùm inter prima principia naturæ, quæ Aristoteles appellat manifestissima, Deus sit supremus, multò minus intellectus noster lumine naturali videre Deum potest quàm oculus noctuæ solem. Non solùm pro isto statu quo anima est corpori colligata, verùm & simpliciter. Cùm ergo Deus mentis oculis sine aliquo intellectuali lumine cerni nequeat, veluti nec coloratum videri sine sensibili, subsequitur vt supernaturali lumine sit ad id muneris illustrandus. Profectò posita illa veritate, quòd Deus à creatura naturaliter videri nequit, planè colligitur nostra conclusio. Nam inde consequitur, quòd intellectus non habet talem virtutem, neque sufficiens lumen (nam lumen nil aliud est quàm intellectus virtus) atque adeò quòd indigeat alio supranaturali.

Ratio 3. Ad hæc accedit exemplum fidei. Nam quia in hac vita lumen naturæ ad cognoscendum Trinitatis mysteria nobis non sufficit, lumine fidei supranaturali donamur: eadem ergo ratione si lumen naturale nobis ad videndum Deum non est satis, consequens fit, vt per aliud debeamus diuinitus ad id muneris eleuari.

Solut. arg. Vnde ad argumentum proximè factum respondetur, quòd si Deus posset vniri intellectui creato in ratione speciei sine lumine gloriæ, non esset illud necessarium, sed tamen non potest sicut oculus noctuæ recipere lumen solis nisi supranaturaliter acutior fiat: & ideo lumen prærequiritur, vt Deus illi vniatur; & cum Deo ad visionem concurrat. Cur autem non eleuet intellectum Deus absque lumine, sicut per se concurrit in ratione speciei, liquida est ratio. Quia lumen eleuans tenet se ex parte potentiæ: est enim virtus ei superaddita: & ideo debet in ipso esse formaliter inhærens ei: species autem tenet se ex parte obiecti. Hinc facile quisque vsum luminis gloriæ colliget. Haud enim ponitur, vt sit dispositio merè passiua ad suscipiendum visionem, quemadmodum dispositiones ad suscipiendam formam. Sed tanquam actiua virtus cum Deo concurrente in ratione speciei ad eandem eliciendam visionem coagat.

Vsus luminis gloriæ.

Nota discrimen. Quocirca non est ceu similitudo aut imago obiecti quemadmodum species, aut notitia, sed potiùs simile est habitibus quibus potentia perficitur ad agendum. Tametsi quodammodo ab illis discriminetur, quod apprimè est animaduertendum. Nam habitus naturalis non ponitur simpliciter ad agendum, sed ad bene & facile agendum: potest enim intellectus sine habitu scientiæ aliqua rerum habere iudicia, non tamen ita bene & facilè, quàm per habitum. Et ideo dicitur dispositio perfecti ad optimum. Lumen verò gloriæ non ponitur solum ad bene videndum Deum, sed simpliciter ad videndum, vtpote sine quo intellectus nullatenus ipsum videre valet: ob idque potiùs assimilatur illi speciei qualitatis, quæ est potentia, quàm illi quæ est habitus. Quanquam & similis quoque sit habitui fidei infuso, sine quo supranaturalia credere non possumus.

Decretum clementinæ. Sententia hæc S. Thom. Vel est determinatio Ecclesiæ, vel ei quàm simillima & proxima in Clementina supra citata, Ad nostrum de hæreticis. Vbi error condemnatur dicentium quòd anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum & ipso beatè fruendum. Quocirca qui sub his verbis hoc negaret, in hæresim impingeret.

Est tamen adnotandum, quòd de lumine gloriæ bifariam sentire possumus. Vno modo, quod sit qualitas

distincta

Bifariam de lumine gloriæ loquuntur.

distincta sicut lumen in aëre, atque altero modo, vt sit Dei concursus intellectum eleuantis, atque hoc secundo modo gloſſant Scot. Durandus, & Nominales clementinam. Scilicet quod ſpecialem Dei concurſum appellet lumen gloriæ. Priori verò modo ſentit de illo lumine Diuus Thomas. Atque in hoc ſenſu cenſet Caietanus illic eſſe ab Eccleſia decretum. Et profectò eſt quàm maximè vero ſimile. Similiter enim in eodem concilio Vienneńſi ſub eodem Clemente definitum eſt habitus per baptiſmum infundi, etiam paruulis: qui cum non poſſint actu à Deo moueri, conſequens fieri videtur definiri, quòd infundantur habitus, qui ſunt qualitates à potentijs diſtinctæ. Item cùm lumen in creaturis ſit qualitas, videtur idem ibidem decerni.

Obiectio.

Quod ſi arguas. Lumen naturale intellectus non eſt neceſſe, vt ſit ab ipſo diſtincta qualitas: ergo nec de lumine gloriæ id aſſerere conſtringimur. Reſpondetur primum antecedente negato. Nam lumen naturale eſt virtus intellectus agentis, qui eſt qualitas. Et præterea conſequentia non valet. Nam cùm lumen ſupranaturale ſit virtus naturæ ſuperaddita, vrgentius ratio conuincit diſtingui à potentia quàm lumen naturale.

Arguit veruntamen Scotus contra, Quicquid Deus poteſt facere cum cauſa ſecunda, poteſt facere ſe ſolo: ergo ſi per lumen gloriæ eleuat intellectum, poteſt abſque illo id ipſum efficere.

Caietan.

Caietan. quidem loco præſenti, & Capreolus qu. 2. nihil cunctantur negare Deum per ſuam omnipotentiam efficere poſſe, vt intellectus abſque lumine gloriæ ipſum videat. Et quamuis eorum olim opinionem nimis rigidam cenſebam, iam verò modo mollior & verior mihi cenſetur. In illo n. conſuetiſſimo ſyllogiſmo cauendum eſt ne variatio appellationis, quam ſic vocant, deliteſcat: nam & ſi quamcunque entitatem quam Deus per cauſam ſecundam profert, poſſit & ſe ſolo proferre, non tamen ſine cauſa ſecunda efficere poteſt, vt ipſa faciat. Poteſt, inquam, entitatem quæ eſt meritum, nempe orationem, ſine me proferre, non tamen poteſt ipſe ſe ſolo mereri: quia mereri eſt actio creaturæ. Sicuti poteſt entitatem, quæ eſt viſio, ſine oculo meo producere: facere tamen non poteſt vt ego videam, niſi virtutem mihi videndi tribuerit. Quemadmodum nec facere valet, vt lapis videat, aut quod aqua abſque calore aut alia ſimili virtute calefaciat. Ad propoſitum ergo lumen gloriæ eſt virtus & facultas intellectus ad videndum Deum: ergo quamuis poſſit illam entitatem ſe ſolo producere, imò producit, non tamen poteſt abſque illa facere, vt intellectus videat viſione beata: quia hoc eſſet facere, vt intellectus ſine virtute videndi videret. Sicut poteſt viſionem ſolis ſe ſolo producere, non tamen intelligitur quomodo poſſit facere, vt noctua videat ſolem, niſi altiorem illi virtutem ſuppeditauerit quàm modo habet. Profectò vix poteſt intelligi quomodo poſſit facere quod intellectus ipſum videat, niſi tribuendo illi virtutem quam nos vocamus lumen gloriæ.

Deus ſine lumine gloriæ videri nequit.

Obiectio.

Quod ſi arguas. Deus poteſt conſeruare formam ſubſtantialem, puta ignis, ſine diſpoſitionibus in ſubiecto, veluti è conuerſo conſeruat in ſacramento altaris qualitates panis ſine eius ſubſtantia, ergo ſimiliter poteſt viſionem in intellectu conſeruare ſine lumine gloriæ. Negatur conſequentia, nam diſpoſitiones ſolum concurrunt ad conſeruandam formam, quam Deus ſine illis conſeruare poteſt. Lumen verò (vt dictum eſt) non eſt diſpoſitio paſſiua ad recipiendam viſionem, ſed virtus actiua. Et ideò licet entitatem illam poſſit Deus ſe ſolo conſeruare, non tamen facere, quod intellectus abſque illa videat: ſicut non poteſt facere, vt aqua abſque calore calefaciat.

Bonum arg.

Validius tamen argumentum, quod aduerſus hoc obijci poteſt, eſt de auxilio ſpeciali, quo Deus mouet peccatorem ad ſui conuerſionem: quod quidem eſt ſupranaturale: & tamen non eſt qualitas, ſed motus Dei.

Reſponſio.

Attamen neque hoc concludit. Eſt enim ratio diuerſa: quoniam liberum arbitrium quantum ad ſubſtantiam operis facultatem habet naturalem mouendi ſe in Deum ſaltem ſuppoſita cognitione fidei: ſed indiget à Deo ſpecialiter moueri, vt ſit diſpoſitio ad eius gratiam aſſequendam. Et ideo poteſt moueri à Deo, vt ſe diſponat, ſine alia qualitate gratiam præcedente. Veluti ſerra, quia formam in ſe habet ſecandi, non indiget alia forma ab artifice impreſſa ad arcam fabreſaciendam, quàm vt ab ipſo ſecundum artem moueatur. Videre autem Deum per eſſentiam omnino excedit naturales vires, etiam quantum ad ſubſtantiam operis. Et ideo ſine virtute ſupranaturali intellectui inhærente non videtur quomodo poſſit concurrere ad viſionem.

Sufficiens reſponſum.

Sed quo ſupremum reſponſum adhibeamus, quamuis gratis largiremur Scoto, Deum per ſuam omnipotentiam intellectum poſſe abſque lumine eleuare: nulla tamen inde fit conſecutio, vt ſic faciat. Non enim ſolam abſolutam Dei omnipotentiam rimari decet, ſed quid debitus rerum ordo depoſcat. Diſponit n. Deus (vt eſt apud Sapientem) omnia ſuauiter. Igitur cùm res naturales ſuis potentijs & virtutibus inſtruxerit, & reſpectu ſupranaturalium nos etiam habitibus infuſis donauerit, quibus debitas valeamus actiones exercere, cur negandum eſt cùm intellectus naturaliter Deum videre nequeat, lumine aliquo & virtute ſupranaturali ad id muneris diuinitus perfici?

Solut. 4. arg.

At quamuis ſententia hæc de lumine gloriæ, & rationibus ſuffulta, & Eccleſiæ autoritate ſit ſubnixa, à pluribus ceu peculiaris S. Thom. impugnatur. Et primò arguit Scotus argumento quod nos primo loco propoſuimus, quod quia Deus per ſe lucidus eſt, imò & totius fons luminis, non indigeat alio vt videatur. Ad quod optimè Diuus Thom. reſpondet, quod lumen illud non requiritur ex parte Dei, vt per illud fiat ipſe intelligibilis, ſed vt potentia fiat potens: per modum quo potentia fit potentia ad operandum per habitum. Quamuis, vt diximus, non ſolum requiritur, velut habitus acquiſitus, vt potentia ſit potentior, ſed vt ſimpliciter ſit potens. Hunc enim in modum lumen corporale neceſſarium eſt viſui, nempe vt medium actu tranſparens fiat, vt poſſit à colore moueri, qui per ſe eſt viſibilis.

Deus vt ſol.

Quod ſi arguas, Sol per ſuum lumen videtur ergo & Deus. Conceditur argumentum: pari enim modo & Deus videtur per illud lumen ab ipſo emanans, iuxta illud citati Pſalm. In lumine tuo videbimus lumen.

Sol. 1. arg.

Ad ſecundum verò itidem reſponſum eſt, lumen illud non requiri, vt Dei ſimilitudinem, in qua videatur, ac ſi eſſet eius ſpecies: tunc enim non videretur per ſuam eſſentiam, ſed per medium. Sed ponitur quaſi intellectus perfectio, ipſum corroborans, atque eleuans, quare non per ipſum tanquam per medium videtur Deus, ſed ſub ipſo, id eſt, virtute ipſius, quod non tollit, quin per eſſentiam videatur.

Redarguit verò Durandus, interrogans quomodo lumine illo corroboretur intellectus: aut enim virtus eius intenditur, & hoc non: quia virtus illa non eſt intenſibilis, neque ſuſcipit magis & minus, aut veluti duo agentia imperfecta inuicem ſe adiuuant, vt duo pondus aliquod importantes cui neuter per ſe ſufficeret, & neque hoc eſt verum: quia non eſt dicendum, quod intellectus faciat partem, & lumen aliam partem. Reſpondetur autem, quod neutro illorum modo, ſed quia eſt virtus intellectus ipſius ſicut habitus fidei.

Solut. 3. arg.

Ad tertium denique reſpondetur quod quamuis lumen illud ſit creatum, nequit tamen connaturale eſſe creaturæ, niſi creatura eſſet naturæ diuinæ, cuius lumen illud eſt participatio, ſicut ſplendor ſolis non poteſt eſſe connaturalis niſi ſoli, neque calor niſi igni.

Dubitatio.

Dubitatur hic autem, vtrùm ſaltem intellectui per lumen illud ſibi infuſum ſit naturale videre Deum? nam & hoc Scotus ex opinione Sancti Thomæ ceu abſurdum elicit, quod quidem Caietanus illi concedit, ſcilicet quod ſuppoſito lumine intellectus naturaliter videat. Crediderim tamen hoc eſſe falſum, & contra mentem Sancti Thomæ: nam negans lumen illud poſſe fieri naturale creaturæ, negare videtur, & videre ipſum eſſe naturale. Quocirca dicendum, quòd nunquam actus ſit naturalis, niſi quando potentia eſt naturalis, licet ſit ſupranaturaliter recepta. Cæcus, inquam, per viſum ſupranaturaliter receptum, naturaliter videret, quia natura eius eſt habere viſum, ſed tamen quia non eſt naturale intellectui habere illud lumen, ſit vt neque videre ſit ei naturale.

Aliud arg.

Aliud verò fieri ſolitum argumentum, nempe quod pari modo Deus poſſet viſum corporeum per lumen eleuare, quo ipſe videretur, iam ſupra artic. 2. ſolutum

est. Vbi diximus, quod quia Deus (licut neque vlla res spiritualis) non comprehenditur sub obiecto sensus, nequit per Dei potentiam eleuari, vt spiritualia videat, Deus tamen comprehenditur sub obiecto intellectus, quod est ens, sed tamen propter eius excellentiam nequit à creatura per essentiam videri aut cognosci. Nihilominus quemadmoduni Deus potest vespertilionis oculum acuere, & perficere vt possit solem videre, potest & intellectum per lumen subleuare, vt ipsum videat.

Durand. Et per hoc soluitur argumentum quod hic obmolitur Durandus. Quando virtus potentiæ se ad aliquod obiectum extendit, illo præsentato statim illud cognoscit sine alio iuuamine: obiectum verò intellectus est ens quo comprehenditur Deus: ergo sine alio iuuamine potest illum anima separata videre vel in corpore glorioso. Negatur inquam maior, quando excellentia obiecti superat virtutem potentiæ, vt patet in sole respectu oculi noctuæ.

Argument celebre. Aliud verò item argumentum facit idem Durandus, quod ceu Achilles existimari solet, neque solutum satis videas, quia ex falso intellectu procedit. Arguit quippe hoc pacto. Lumen gloriæ ob id ponitur à Diuo Thoma, vt intellectus, qui per se cum Deo non habet proportionem, altius eleuetur, & fiat ei proportionabilis: at verò tam sine proportione manet lumine illo donatus, quàm sine illo: ergo lumen illud est superuacaneum Probatur minor, quia disproportio illa in hoc cõsistit, quod Deus est infinitus, intellectus verò est finitus: lumen autem illud, cùm sit creatura, non vsqueadeò intellectum eleuat, vt Deo adæquetur, quoniam semper manet finitus.

Solutio. Argumentum verò re perspecta nullius est roboris. Respondetur enim ad minorem, nempe quòd etiam cum lumine illo intellectus non habeat cum Deo proportionem: si enim intelligatur de proportione rerum in esse naturæ, eam confitemur, sed nihil ad rem. Non enim Diuus Thomas intelligit, quod intellectus per illud lumen efficiatur infinitus, quia neque est necessarium nec possibile, sed quòd fit proportionabilis Deo in ratione cognoscendi: quemadmodum potentia proportionatur obiecto. Videlicet, quòd cùm per lumen naturæ non possit Deum intelligere, per illud, lumen supernaturale efficiatur ad id potens, quamuis sit finitum.

Red. argutia. Quod si redarguas. Propterea intellectus naturaliter non erat potens videre Deum: quia infinitum Deus excedit creaturam: ergo ad videndum ipsum deberet fieri infinitus, vt tolleretur ille excessus. Negatur consequentia: nam ex hoc quòd Deus est infinitus, solum sequitur quod intellectus ipsum naturaliter non potest videre: nullatenus tamen subsequitur quòd id non possit supernaturaliter, etiam si maneat finitus. Quare cùm illud lumen sit virtus supernaturalis, per quod intellectus acquirit esse supernaturale, & quandam Dei participationem, satis est. Exemplum est in habitu fidei. Enimuerò quia mysteria fidei sunt supernaturalia & infinita, non potest illa homo satis credere naturaliter, sed supernaturaliter per habitum infusum, licet non faciat hominem infinitum. Euidentiusque id inspicitur in gratia. Nequimus enim viribus naturalib. opera exhibere quæ Deo sint grata: sed quia per gratiam eleuamur, &, vt ait Petrus, efficimur diuinæ consortes naturæ eadem possumus opera præstare.

Aliud arg. Aliud adhibet idem Durand argumentum, nempe quòd lumine gloriæ posito sterneretur via processui in infinitum: nam qua ratione illud requiritur, ceu dispositio ad suscipiendam visionem, cùm ipsum sit etiam forma supernaturalis, alia requireretur ad ipsum suscipiendum dispositio, & sic in infinitum. Ad hoc autem respondetur primum, quòd lumen non requiritur tanquam dispositio ad eam suscipiendum, sed tanquam virtus ipsam producendi: & quia lumen non producitur ab intellectu, non exigitur alia virtus ad ipsum producendum. Secundò respondetur, quod etiam si consideraretur, vt dispositio ad suscipiendum visionem, vt Durandus falso opinatur, argumentum eius nullum est: quia ad formam quæ est vltimus terminus actionis, requiritur dispositio, vt ad formam ignis, sed ad illam quæ est via, & inchoatio alterius, vt ad calorem non requiritur alia dispositio. At prior solutio est magis legitima.

Sol. 4. arg. Circa quartum argumentum quod fuit Durandi, tria sunt notanda. Primum, quòd in hac vita lege communi nemo potest Deum videre, quæ quidem catholica veritas est in Clement. ad nostrum, de hæreticis contra Bigardos, quos superius retulimus, decreta, secundum illud Exod. 32. Non videbit me homo, & viuet. Vbi glossa, quamdiu hic mortaliter viuitur, per quasdam imagines Deus videri potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest. Et 2. ad Corinth. 5. Apostolus: Per fidem ambulamus, & non per speciem: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum, scilicet per visionem.

Ratio. Rationem verò affert Diuus Thomas 1. par. quæstio. 12. art. 11. quòd cognitio sequitur rei naturam: anima autem in hac vita, quia est corpori alligata, cuius cognitio, vt ait Philosophus, à sensu incipit, nihil cognoscere valet, nisi per species à materia abstractas, atque adeò non cognoscit nisi formas quæ sunt in materia, aut substantias separatas, quatenus per has possunt abstractiuè cognosci. Deus autem, vt monstratum est, non est secundum suam essentiam per aliquam speciem cognoscibilis, & multò minus per speciem abstractam à materia, cognoscitur ergo in hac vita non per se, sed per suos effectus, vt ad Rom. 1. ait Paulus.

Ex priuilegio viator potest Deũ videre. Veruntamen lege hac ordinaria non obstante potest Deus in hoc seculo ex priuilegio singulari visionem sui suis dilectis impartiri: vt Aug. 12. super Genes. ad literam, & ad Paulinam de videndo Deum. & D. Thom. 2. 2. quæst. 175. artic. 3. de Moyse & Paulo affirmant, Idque congruentissima ratione: nam vt ille doctor fuit synagogæ, ita & Paulus Ecclesiæ. Quibus ideo sese Deus suaque arcana expandit. Præter hos autem nemini concessum legitur. Prophetis namque solum per imaginarias similitudines fuit ostensus: iuxta illud Esaiæ 6. Vidi Dominum sedentem super solium. Aut per extasim & mentis excessum in contemplatione. Quemadmodum ait Psalmista: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Et Act. 10. de D. Petro legitur, quòd cecidit super eum mentis excessus. Et sic intelligendum est illud Gen. 32. de Iacob, Vidi Deum facie ad faciem. Dixit enim facie ad faciem, non quòd videret sicuti est, vt ait Ioann. sed ad exaggerandam suæ contemplationis eminentiam.

Lumen gloriæ in via necessariũ. Tertiò denique nosse oportet, quòd neque in hac vita per priuilegium Paulus aut quinis alius videre potuit Dei essentiam, nisi lumine gloriæ perfusus. Vt rationibus superius probatum est: quoniam licet Deus entitatem quæ est visio se ipso producere queat, facere tamen quòd intellectus ipse videat, non potest, nisi tribuendo ei virtutem supernaturalem: quandoquidem naturaliter non potest. Virtus autem illa supernaturalis est lumen. Potest tamen lumen hoc dupliciter inesse, scilicet, aut per modum habitus permanenter, & hoc ad beatitudinem requiritur, qualis est in patria: aut per modum transeuntis dispositionis, atque hoc pacto fuit in Paulo. Sententia est D. Tho. loco citato 2. 2. in solut. ad 3. Quare tandem ad argumentum factum respondendum, quòd S. Thom. præsenti distinctione dicens, quòd in hac vita potest miraculosè diuina virtute intellectus creatus non habens nisi dispositionem viæ eleuari ad videndum Deum per essentiam, non negauit requiri lumen, vt non solum Durandus arbitratur arguendo contra sanctum Thomam, verùm & Capreolus respondendo. Quare ait, quòd postea se retractauit & correxit in 2. 2. Sed certè non opus habuit retractatione: quia hic non negauit requiri in via. Imò in hoc quòd dixit, Virtute diuina, intellexit lumen gloriæ per modum transeuntis requiri. Quod quidem lumen simul esse potest cum dispositione viæ, nempe cum habitu fidei. Quinetiam lumen ipsum per modum transeuntis est dispositio viæ ad videndum Deum.

* *
*

Digitized by Google

Quæstio tertia.

DE VISIONE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant.

TERTIA quæstio additur, de qualitate & potestate visionis. Atqui Diuus Thomas 1. parte quæstione 12. aliam rationem secutus, prius disputat vtrum videntium Deum alius alio perfectius videat, ac deinde vtrum ipsum comprehendant. At verò quia si comprehenderent, omnes æqualiter viderent: si verò non comprehendunt, possunt videre inæqualiter, à comprehensione initium sumimus. Vtrùm scilicet omnes beati Deum comprehendant. Et arguitur à parte affirmatiua ex illo Apostoli ad Philippenses 3. Sequor autem si quo modo comprehendi. Et 1. ad Corinth. 9. inducto exemplo in stadio currentium, vbi omnes quidem currunt, sed non omnes accipiunt brauium, admonet Corinth. dicens: Sic currite, vt comprehendatis. Et de seipso subdit: Ego igitur sic curro non quasi in incertum. Quasi diceret, Sed vt comprehendam.

Partis affir. 1 Arg.

2. Argu.

Secundò arguitur. Augustinus in epist. 112. de videndo Deum ad Paulinam cap. 9. Illud, inquit, comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem; sed si Deus per essentiam videtur, cùm sit simplex, necesse est vt totus videatur, neque quippiam eius lateat: ergo comprehenditur.

Pars neg.

In contrarium autem est illud Hieremiæ 32. Fortissime, magne, potens, Dominus Exercituum nomen tibi, & incomprehensibilis cogitatu.

Okam quinque modis accipit cõprehensionis nomen.

Inter respondendum ad hanc quæstionem multis Okam in quartũ, quæstione decimatertia, & sui sequaces distinctionibus vtuntur, ad rem non ita multum pertinentibus. Quinque enim, inquit, modis comprehensionis nomen vsurpatur. Primò scilicet idem est comprehendere, quòd rem taliter videre, vt nihil eius videntem lateat. Et secundo modo idem est, quòd singulas rei partes distinctè cognoscere. Et tertiò est rem perfectissima cognitione qua cognoscibilis est cognoscere. Quartò est rem cognoscere sub omnibus prædicatis ei conuenientibus. Ac denique quintò tunc res comprehenditur, quando talis est proportio cognitionis illius ad cognitiones aliarum rerum, quanta est inter rem ipsam & alios. Tunc igitur dicit, quod primo modo beatus comprehendit essentiam, quia cùm Deus nullas habeat partes, nulla latet videntem. Et eadem ratione neque à se, neque à creatura potest comprehendi. Reliquis verò tribus comprehenditur à se ipso, sed non à creatura.

Reprobatio.

Is verò modus coaceruandi distinctiones, profectò neque theologus est, neque ad scientiam admodum conducens. Nomina enim non sunt ad libitum distinguenda, nemo quippe nescit, quòd si capiatur hoc modo, vt vnicuilibet placet, Deus comprehendatur. Si vero aliter vt alteri lubet, non comprehendatur. Sed certa ratio docendi est ex proprijs nominum significatis doctrinam instituere, & rerum veritates rimari.

Comprehendere dupliciter.

Duobus ergo duntaxat modis vsurpatur in sacro eloquio comprehensionis nomen. Rem enim cognitione comprehendere primo eodemque proprio, & perfectissimo modo, est ipsam tantum cognoscere, quantum est suapte natura cognoscibilis. Verba sunt sancti Thomæ præsenti articulo. Dixerim, Quantum suapte natura est cognoscibilis: vt cognoscibile dicat conditionem obiecti, non autem conditionem subiecti cognoscentis, puta quantum potest ab alio cognosci, vt in tertia acceptione fingit Okam, scilicet, quòd comprehendere sit rem perfectissima notitia cognoscere qua potest cognosci. Tunc enim fieret consequens, quòd nulla creatura posset ab alia creatura comprehendi: puta quòd angelus non posset formicam comprehendere: quia nulla creata cognitio est perfectissima, qua res potest cognosci, cum à Deo perfectius cognoscatur. Quod quidem consequens licet Okam concedat, est nihilominus absurdum, & rei physicæ contrarium: nam cùm quæcunque natura creata sit finita, gratis negatur posse ab alia creatura comprehendi. Imò verò sequeretur tam incomprehensibilem esse creaturam, quàm Deum: nam sicut Deus à seipso solo comprehendi potest, ita neque creatura posset nisi ab ipso comprehendi: consequens tamen est concessu longè absurdissimum: quandoquidem solum ipse prædicatur incomprehensibilis, eo quòd est infinitus.

Contra Okam.

Ratio comprehensionis.

Igitur comprehensio in hoc stat, quòd notitia sit obiecto adæquata: nempe quod quantum est in ipso cognoscibile, per tantum ipsa cognoscatur. Hoc enim planè nominis significatio admoner. Neque verò satis est rem totam cognoscere ad comprehensionem, siue partes habeat, siue indiuisibilis sit, sed requiritur præterea, vt doctè ait Diuus Thomas, quòd ea notitia cognoscatur, qua res ipsa secundum naturam suam est cognoscibilis. Quocirca si quod per scientiam demonstratiuam scibile est, opinione duntaxat cognosceretur, non esset comprehensum. Quare omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, nemo comprehendit, nisi qui id per demonstrationem cognoscit: nam qui solum sapientibus mathematicis citra demonstrationem id dicentibus fidem adhiberet, veritatem illam non comprehenderet. Atque adeò nec sufficit ad rem comprehendendam illam in alio cognoscere, sicut cognoscitur Deus per creaturas, sed debet per essentiam cognosci, qualiter est cognoscibilis. Vnde Aug. epist. citata: Aliud, inquit, est videre, aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præsens vtcunque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circunspici possunt, & 12. de ciuit. Dei, c. 18. Quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.

Augustin.

1. Concl.

Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima. Deus est simpliciter incomprehensibilis. Veritas est catholica, vt patet oraculo illo prophetico citato, & Iob 11. Forsitan vestigia dei comprehendes? & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Quasi dicat, nequaquam. Cuius vtique rationem subdens, ait: Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari. Vbi graphicè rationem explicat cur sit incomprehensibilis: nempe quia infinitus, cuius infinitatem describit ad sensum per excessum super omnes creaturas, quæ sunt oculis subiectæ. Eadem enim phrasi ait Salomon 3. Regum 8. Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui? Idem Paulino confirmatur eloquio ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Et 1. ad Timoth. 6. Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, id est, incomprehensibilem.

Ratio verò conclusionis colligitur ex definitione. Deus est substantiæ & essentiæ infinitæ, nempe quæ non limitatur ad aliquod certum genus, vt homo, leo, equus, &c. Sed eminenter omnia continet, atque adeò eius esse est infinitum. Sed vnumquodque ea est ratione cognoscibile, qua habet esse naturale: quia, sicut ait Arist. sicut res se habent ad esse, ita & ad cognosci; ergo suapte natura est infinitè cognoscibilis, nulla autem notitia creata potest esse infinita: ergo à nulla creatura potest comprehendi: quia nec eius fines, vt ait Aug. possunt ab eo circunspici.

Atqui eadem ratione & vnumquodque eius attributorum est incomprehensibile: nam qua ratione essentia Dei, eadem & bonitas, & sapientia, potentia, & iustitia sunt infinita.

Et confirmatur ratio ex ijs quæ art. præcedenti definita sunt. Intellectus siquidem creatus non potest per sua naturalia Deum videre, nisi virtute supernaturali luminis gloriæ sibi donati; illud autem cùm sit creatura, est finitum, neque adæquatur Deo: ergo nullus potest beatorum ipsum comprehendere.

Hinc fit quòd se ipse sua sapientia comprehendit:

Deus se cõprehendit.

nam sicut habet infinitam essentiam, ita infinitam sapientiam, quæ adæquatur essentiæ, atque adeò quantum est cognoscibilis & intelligibilis, tantum se ipsum intelligit.

Interreg.

Sed percontaris, cur si se ipsum comprehendit, simpliciter dicatur incomprehensibilis? Respondetur, quòd hæc attributa per ordinem ad creaturas cognoscuntur à nobis: & ideo quia est à creatura incomprehensibilis, simpliciter dicitur incomprehensibilis.

Anima Christi verum Deum cõprehendit

Sed arguitur, quod saltem anima Christi essentiam Dei comprehendat, licet sit creatura. Gloria quippe respondet gratiæ: sed gratia Christi fuit infinita, vt 3. par. q. 7. art. 11. docet D. Tho. ergo & eius gloria & beatitudo est infinita, atque adeò visio essentiæ diuinæ, in qua, vt supra dictum est, beatitudo consistit. Si verò est infinita, nihil vetat quominus sit diuinæ essentiæ comprehensoria.

Gratia Christi infinita.

Respondetur, quòd gratia vnionis in Christo fuit infinita simpliciter ratione termini, nempe quia fuit assumptio humanitatis ad diuinam personam: gratia verò gratum faciens non fuit infinita, inquantum ens, quia fuit res creata: sed tamen in genere gratiæ fuit infinita, non quidem simpliciter, vt essentia diuina, sed quodammodo non limitata: quia habuit quicquid ad rationem gratiæ pertinere poterat: quoniam non fuit ei data gratia ad mensuram, sicuti lux solis potest dici infinita, quia habet quicquid ad rationem lucis attinet. At verò per illam gratiam non meruit suam gloriam, sed nostram, si per eius auxilia & nostra opera nobis applicetur, quare gloria ei collata est non per merita, sed ratione vnionis, sicuti & gratia ipsa. Non ergo argumentum vincit, visionem qua anima Christi fruitur Deo, esse simpliciter infinitam, quod requiritur ad comprehendendum, sed est quodammodo infinita, vt gratia, quia continet quicquid ad rationem creatæ visionis pertinere potest: infinita enim simpliciter neque per Dei omnipotentiam esse potuit, quandoquidem est creatura.

2. Concl.

Secunda conclusio. Esse incomprehensibile, hoc perfecto modo est proprium attributum Dei, nulli competens creaturæ. Et ratio est liquida. Quoniam incomprehensibile est attributum ad id consequens, quod est infinitum & immensum: nulla autem creatura est infinita: nulla ergo est incomprehensibilis. Imò omnis potest non solum à Deo, verùm & ab alia creatura comprehendi. Potest enim angelus naturas rerum creatarum cognoscere, quantum in se sunt cognoscibiles. Tametsi à Deo perfectius comprehendantur. Dum enim ego auellanam, aut nucem, totam manibus aut ore concludo, vt nihil eius appareat, re vera illam comprehendo, licet alio ampliori vase melius concluderetur.

Secunda acceptio comprehensionis.

Secundo verò modo rem comprehendere idem est quod attingere, & tenere, & cõsequi, quæ quidem consecutio est insecutionis terminus. Dum enim rapax accipiter auem, quam insequitur, vnguibus tenet, & canis leporem, prædam verè dicuntur comprehendere, quamuis totam neque vnguibus, neque ore ambiant.

3. Concl.

Et secundum hanc acceptionem subnectitur tertia conclusio. Creatura intellectualis & rationalis, nempe angelus & homo Deum videntes, eum hoc secundo modo comprehendunt, quia attingunt ipsum, tenent & possident, licet non totam eius essentiam cognoscendo circunscribant. Hoc probatur testimonijs illis citatis Pauli, & Cantic. 3. ait sponsa: Tenui eum, neque dimittam. Et Ioannes 1. can. c. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus, videbimus eum sicuti est. Id est, non videbimus solum sub humanitatis velamine, quemadmodum nobis apparuit, sed in se ipso quatenus Deus est, quod est ipsum attingere & comprehendere. Et August. eadem epistola citata, comprehendere, inquit, Deum impossibile est cuicunque intellectui creato, attingere verò mente Deum qualitercunque magna est beatitudo.

Videbimus eum sicuti est.

Non sat est videre ad comprehendendum.

Hinc fit ad comprehendendum hoc modo Deum non sat esse Deum videre, sed oportet ipsum tenere, hoc est, cum perpetuitatis securitate eum videre. Quapropter Paulus licet Deum viuens viderit, non tamen comprehendit, quia non per modum perpetui habitus, sed transcursim eum fuit intuitus. Est enim comprehensio, spei terminus: spes autem non solùm dicit amorem rei, sed motum ad ipsum consequendum. Quocirca vbi per visionem tutò tenetur, spes cessat, atque, hoc est, quam vehementissimum argumentum contra Scotum tenentem, beatitudinem consistere in amore. Beatitudo enim non est nisi comprehensio obiecti in quod spe tendimus: non autem comprehenditur per voluntatem, quia non est potentia apprehensiua, sed per intellectum. Quapropter visio quatenus est clara notitia, actusque ab intellectu elicitus est dos animæ respondens fidei, sed quatenus est tentio obiecti per voluntatem concupita, est comprehensio, atque adeò dos quæ est spei terminus: delectatio verò fruitio, & quies in ipso comprehenso, est tertia dos respondens charitati. Sed de hoc quæstione sequenti latius.

Contra Scotum.

Primum igitur argumentum Pauli testimonijs instructum solutum est. Accipit enim illic comprehendere Deum, secundo modo, quo tertia conclusio asserit posse à creatura comprehendi.

Sol. 1. arg.

Ad secundum verò, quod ex autoritate Augustini colligitur, respondetur, quòd non ideo Deus incomprehensibilis est à creatura, quòd aliquid eius sit quod non videatur: quicunque enim beatus, vt artic. sequenti videbimus, omnia attributa Dei intuetur, sanè cùm omnia sint ipsa simplicissima essentia, sed ob id quòd non adæquatè videtur, vt visibilis est, hoc est, cum illa claritate & euidentia, qua ipse se cognoscit: quemadmodum diximus de conclusione demonstrabili, si non nisi per probabilem rationem cognosceretur, tunc enim cognosceretur tota, sed non perfectè. Sic enim & beatus cognoscit & essentiam Dei, & sapientiam, potentiam, &c. Sed nullum perfectè. Qua vtique ratione duo posuit Augustinus in comprehensionis definitione, nempe quòd sic res tota videatur, vt nihil eius videntem lateat, aut cuius fines circunspici & circunscribi possunt. Tunc n. & fines rei circunspiciuntur, quando in modo cognoscendi ad finem peruenitur, quod creatura non potest respectu Dei.

Sol. 2. arg.

Aug.

Et hoc est quod solent antiqui dicere, Deum videri à beatis totam, sed non totaliter. Ad huius autem intelligentiam arguitur, quòd non possit videri totus, quin totaliter. Aut enim id quod dicitur totaliter, significat modum rei visæ, aut modum videntis. Si modum rei visæ, certum est videri totaliter, quia cernitur totus. Si autem significet modum videntis, itidem appareret totaliter videri, quia quicunque beatus tota sua virtute eum videt.

Deus videtur totus, sed non totaliter.

Respondetur, quòd illud totaliter dicit conditionem obiecti, non quidem quòd modus obiecti non cadat totus sub cognitione, sed quòd modus obiecti non sit modus cognoscentis. Quod est dicere: Quicunque beatus videt Deum esse infinitum, eiusque potentiam & sapientiam esse infinitam, infinitæq; perfectionis, & ideo quale est obiectum, tale cadit sub cognitione, iuxta verbum Ioan. Videbimus eum sicuti est. Tamen modus obiecti non est modus cognoscentis, hoc est, cognoscens non cognoscit infinitè perfectè, sicut ipse est cognoscibilis. Quemadmodum potest quis per rationem probabilem, & per fidem quam adhibet mathematico cognoscere illam veritatem, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, esse demonstrabilem, licet non cognoscat ipsum demonstratiuè, sicuti ipsa est cognoscibilis.

ARTICVLVS II.

Vtrum videntium Dei essentiam vnus alio perfectius videat.

POSTQVAM visum est, videntes Deum ipsum non comprehendere, subsequitur, vt exploremus vtrùm omnes æqualiter videant: an verò vnus alio perfectius. Et arguitur, quòd omnes videant æqualiter. Omnes, vt ait proximè citatus Ioannes, Videbimus eum sicuti est: ipse autem non est nisi vno tantum modo: ergo omnes eodem modo eum videbimus, atque adeo nullus alio perfectius.

1. Argum.

Secundò. Vna res, vt August. lib. 83. quæstionum autor est, non potest ab vno plusquam ab alio intelligi. Nam intelligere est totam rem intus legere: quare aut tota intelligitur, aut nihil eius, omnes autem

2. Argum.

videntes

videntes deum intelligunt eius essentiam, quoniam intellectu, vt dictum est, videtur: ergo nullus alio perfectius videt.

3. Argu. Tertiò. Quòd aliquid ab vno quàm ab alio perfectiùs videatur, aut prouenit ex parte obiecti, quod non se æqualiter repræsentat, aut ex parte potentiæ visiuæ, quæ non est in omnibus æqualis: ex parte quidem Dei id non videtur accidere. Nam cùm non videatur per aliquam speciem creatam, vt dictum est, quæ sit in vno perfectior quàm in alio, non apparet quomodo inæqualiter repræsentetur. Si autem id proueniat ex parte potentiæ, tunc consequitur, vt cuius intellectus naturaliter sit sublimior, perfectiùs videat, atque adeò angeli, qui sunt sublimioris naturæ, perfectiùs quàm homines viderent, quod videtur Euangelio contrarium Matth. 22. vbi hominibus pollicetur Christus, quòd erunt sicuti angeli Dei in cælo.

In contrarium autem est. Quòd si omnes æqualiter viderent, cùm visio illa sit vita æterna, iuxta illud apud Ioannem supra expositum: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c. consequens fieret, vt omnes essent æquales in vita æterna: contra illud 1. ad Corinth. 15. Stella differt ab stella in claritate.

1. Concl. Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Inter beatos vnus alio perfectiùs videt diuinam essentiam. Et quidem conclusio omnibus est in confesso. Imò quamuis non sit in sacra pagina expressa, est tamen habenda tanquam catholica secundùm illud Pauli citatum. Ait enim: Stella differt ab stella in claritate. Et subdit, sic & resurrectio mortuorum. Enimuerò quemadmodum astra omnia lumen à sole secundum cuiusque naturam recipiunt, ita beati in Dei præsentia eius gloria secundum diuersa merita promicant.

Mansiones. Et Christus ipse Ioan. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vbi non solum loquitur de Ecclesia militanti, in qua sunt diuersæ functiones, vt Episcoporum, sacerdotum, &c. sed de locis quibus beati collocabuntur in cælis, vt patet ex subiunctis continuo verbis: quia vado vobis parare locum. Ibat autem per mortem ad patrem. Cælum enim, vbi requies est beatorum, optimè aptissimeque dicitur, & est domus per metaphoram. Imò verò ad rei proprietatem videtur accedere. *Domus patris.* Domus namque hoc distinguitur à diuersorio, quòd in diuersorio peregrini in transitu recipiuntur: domus autem est in qua permanenter habitatur. Vnde 2. ad Corinth. 5. Apostolus: Scimus, quòd si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est, superindui cupientes. Dicitur ergo cælum vbi sedes est Dei, domus, id est, perfecta habitatio, ad differentiam huius seculi, quod est diuersorium in quo peregrinamur à Domino. Igitur qua ratione receptaculum illud quo vniuersi beati recipiuntur, ob id dicitur vna domus, quod omnes sub eodem patrefamilias, vnius Dei visione, & hæreditate, ceu eius filij fruuntur, ita & propter diuersos gradus beatitudinis dicuntur in eadem domo multæ esse mansiones. Vnde Lucæ 16. pluratiuè dixit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui recipiant vos in æterna tabernacula.

Ratione probatur conclusio. Ratione autem probatur conclusio, non solum esse veram, sed esse catholicam. Non erunt omnes æqualiter beati: beatitudo autem consistit in visione: ergo visio illa non erit in omnibus æqualiter perfecta, atque adeò nec secundum eandem perfectionem omnes Deum videbunt. Posterior quidem præmissa non est de fide, licet, vt monstratum est, sit verissima opinio: ad nostrum autem propositum nil refert vtrùm in visione, an in amore, vel in delectatione beatitudo consistat. Satis quippe est veritatem esse fidei quod non omnes erunt æquè beati: & visionem ad beatitudinem pertinere: inde enim planè colligitur non omnes æqualiter videre, aut amare, aut delectari: quandoquidem in illis actibus vel in eorum aliquo beatitudo consistit.

Aduersus Lutheranos Quòd autem catholica sit veritas non omnes esse æquè beatos probauimus aduersus Lutheranos lib. 2. de natura & gratia, cap. 20. Gloria enim respondet gratiæ quæ illius est seminarium & arrha. At verò quod non omnes iusti sint pari modo grati Deo, neque eundem apud ipsum habeant locum, probatur: quia non omnes de Deo æqualiter bene merentur.

Lutherani. Sed vide Lutheranorum errorem. Quia putant nullam in nobis inesse iustitiam, sed per solam iustitiam Christi nos iusti ficari, quæ vna fuit, colligunt omnes esse Deo æquè gratos, pariterque amicos, atque adeò æquali sanctitate pollere. Audi quàm sit absurdum, quod Lutherus inde elicuit, nempe omnes esse tam sanctos, quàm fuit sanctissima Virgo. Certè animus audire exhorret. Veritas autem catholica est, quod etsi Christus quo ad sufficientiam omnibus plenissimè satisfecerit, applicatur tamen nobis illa satisfactio & meritum quoad efficaciam per sacramenta, perque nostra opera liberi arbitrij, eius ope & fauore suffulti. Quapropter licet infantes ante vsum rationis ex fonte baptismatis, vbi Christo commorientes eius efficimur membra, in gratia æquali resurgant, tamen postmodum rationis luce adueniente tanquam Dei filij per eius gratiam merita nostra accumulamus, plus minusve secundum curam & diligentiam quàm eius cultui impendimus, iuxta illud Apocal. 22. Iustus iustificetur adhuc.

Ratio colligitur. Colligamus ergo rationem. Deus, vt ad Roma. 2. ait Paulus, reddet vnicuique secundum opera eius: opera autem non sunt æqualia, neque in viris probis, neque in reprobis: ergo sicut alijs inæqualia supplicia, & ita iustis imparem gloriam est redditurus. Gloria verò & beatitudo in visione Dei consistit, ergo non æqualiter, sed cum quadam disparitatis æqualitate ipsum videbunt.

Huc accedit illud Matth. 5. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Cor namque per charitatis officia, quæ ex fide procedunt, emundatur. De corde enim exeunt cogitationes prauæ, Matth. 15. ac perinde aliæ mundę: ergo quo quisque mundius habuerit cor, perspicacius Deum videbit.

Redargutio. Sed redarguet quis fortè hanc veritatem ex illa Christi parabola Matth. 20. de operarijs vineæ, qui quamuis non paribus diei horis, neque pares operas impendissent, nihilominus paterfamilias eundem cunctis rependit denarium diurnum. Respondetur per illam parabolam id tantum Christum admonitos nos curasse, vt intelligeremus quod in Dei cultu tantum solertissimus quisque potest in breui tempore proficere, quantum segnis in maiori. Item docere voluit, quòd omnia nostra merita ex sua voluntate & gratia valorem sortiuntur. Et ideo dixit: Quia huic volo dare. Cæterùm in suprema retributione gloriæ quamuis cunctis idem conferatur denarius, qui erit Dei essentia ab omnibus clarè conspecta & possessa, nihilominus visio illa & possessio non erit in omnibus æqualis: atque adeò licet Deus in se denarius sit infinitæ æstimationis, non tamen in omnibus erit eiusdem pretij. Mirabile auditu, quòd sit in hominis potestate per Dei gratiam positum, vt possit suis meritis pretium immutabilis Dei sibi augere: & tamen non sit eis tantæ curæ illud procurare, cordisque oculos exacuere & purificare, quibus ipsum euidentius videant.

Denarius diurnus.

Contemplatio.

De modo varietatis visionum. Conclusio igitur catholica est, & à catholicis confessa, sed inquirendi ratio inde exurgit, quonam modo & per quid varientur beatorum visiones, vt sint aliæ alijs perfectiores. Enimuerò qui rationibus de superficie ductis contenti sunt, non aliam tribuunt quàm quòd cùm Deus sit speculum, non naturale sed (vt in epistola ad Paul. ait August.) spontaneum, id est, quo gradu se sibi placet repræsentans, ostendit se vnicuique pro cuiusque meritis. At verò quamuis hoc verissimum sit, non tamen per hoc redditur causa quam hic exploramus. Non ambigimus diuersos beatitudinis gradus Deum sua sponte pro ratione distributiuæ iustitiæ distribuere, sed cum illa beatitudo in visione consistat, quærimus causam & modum ex natura rei eius varietatis, vt in vno sit in repræsentando perfectior, quàm in alio. Illa enim differentia non potest nisi aut ex obiecto prouenire, aut ratione potentiæ.

Ratio. Diuus ergo Th. 1 par. q. 12. ar. 6. supponit in primis, vt conclusum est, non id euenire propter speciem & similitudinem creatam, quæ in vno sit perfectior, quàm in alio, cùm non sit visio illa per talem speciem gignendam, atque adeò nec euenire ex parte obiecti. Nec sufficit quidem in causam reddere quod Deus perfectius cum vno intellectu quàm cum alio concurrat: quoniam cum intellectus etiam ipse concurrat, necesse est in ipso etiam intellectu perfectiorem confiteri virtutem qui perfectius concurrit. Varietas ergo illa, ait D. Thom. inde proueniet, quod intellectus vnius

maiorem habebit facultatem ad videndum Deum quàm alius. Facultas verò illa non competit intellectui secundum suam naturam: quandoquidem, vt dictum est, non potest Deus à creatura naturaliter videri. Accidet ergo per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Dei formitate constituit. Quo fit, vt quo vnusquisque intellectus plus illius luminis erit participans, perfectius Deum videbit: plus autem ille participabit, qui plus habuit in via charitatis, qua, vt diximus, permundatur cor. Nam vbi maior fuerit charitas, ibi est maius desiderium potiundi re amata: desiderium autem paratiorem reddit desiderantem ad susceptionem rei concupitæ, & vt exuberantius gaudium de eius possessione capiat.

Quanta est charitas, tantum lumen.

Collige ergo, quod cum charitas mentis obtutum purificet, fit vt quemadmodum qui oculorum aciem acutiorem habet, perfectius lumine ad videndum requisito illuminatur, quam qui lippitudinem oculorum patitur: ita qui feruentiori charitate flagrant, clariori perfundentur lumine ad videndum Deum. Igitur si scisciteris in quo consistat mansionum diuersitas, respondetur, quòd in varia perfectione visionum maiorum & minorum: nam mansio dicit terminum viæ ac perinde requiem. Et ex varietate visionis, subinde eadem consequitur varietas in amore & in delectatione Si verò causam rursus inquiras huius varietatis. Respondetur, Proximam esse lumen quod est facultas videndi maior vel minor. Primitiuam verò in ratione meriti charitatem viæ.

Quòd si contra arguas, Matth. 25. legitur: Quod dedit vnicuique secundum propriam virtutem. Et in Psal. & apud Paul. quod reddet vnicuique secundum opera sua. Respondetur, quòd quia opera non sunt meritoria secundum substantiam operum solius liberi arbitrij, sed quatenus à charitate procedunt, idem est reddere secundum opera, quod secundum mensuram charitatis: atque idem etiam est reddere secundum propriam virtutem. Non n. accipitur hic virtus pro naturali, sed pro illa quæ nobis particulariter donatur auxilio Dei.

Et re vera hoc egregium est arg. in fauorem luminis gloriæ. Siquidem illo secluso vix reddi causa potest proxima variæ perfectionis beatitudinum. Nam dicere satis esse, quòd Deus plus concurrit cum beata Virgine quàm cum beato Petro, non satis rei facit, vt supra dictum est; sanè tum non solum Deus, verùm & intellectus ipse creatus ad visionem concurrat, cui ideo necesse est vt clarius & perfectius videat, perfectiorem habeat in se virtutem: nam re vera in hac vita non potest Deus facere quod lippus oculis tam perfectè videat quàm linx, nisi tantam ei virtutem tribuerit: & cum in beatis illa virtus non sit naturalis, consequitur quòd tota differentia consistat in lumine gloriæ.

Bona ratio.

Et confirmatur hæc ratio. Aut beata virgo perfectius ad suam visionem eliciendam concurrit, quàm D. Pet. aut secus: sed solus Deus est, qui plus concurrit cum illa. Hoc secundum non est probabile: tum quia non est intelligibile quomodo perfectiùs videat, nisi perfectius concurrat cùm videre sit actus vitæ, tum etiam quòd hoc derogaret dignitati virginis. Nam cum fœlicitas & meritorium præmium consistat in elicienda visione Dei; vbi maior est dignitas, & cumulatius meritum, perfectior debet esse concursus ad eliciendam visionem. Si autem concesseris, vt concedendum est, beatam Virginem perfectius concurrere, consequitur vt perfectiorem habeat supernaturalem virtutem, quæ alia nequit excogitari, quàm lumen gloriæ.

Vtrum visiones sint eiusdem speciei.

Scisciabitur hic tamen fortè quispiam, vtrùm visiones omnes angelorum & hominum sint eiusdem speciei. Videntur n. specie differre. Primum, quia à potentijs producuntur differentibus specie, qualiter homines ab angelis differunt.

Secundò, quia nec sunt omnes eiusdem adæquati obiecti, quoniam vt articu. proxi. videbimus, non omnes eadem prorsus in verbo vident.

Tertiò denique, quoniam vt omnium est Theologorum confessio, vnus est alio essentialiter beatior, siquidem visio in qua essentialiter beatitudo consistit, perfectior est in vno quàm in alio: ergo eadem ratione ipsa erit essentialiter perfectior, atque adeò omnes, vel saltem illæ quæ sunt inæquales, sunt specie differentes.

His tamen non obstantibus respondetur omnes esse eiusdem speciei essentialis. Et primò de visionibus animarum res est constantissima: quandoquidem sunt & eiusdem obiecti, & à potentijs eiusdem speciei productæ. Sed etiam si illas cum visionibus angelorum conferas, idem probatur. Nam omnes sunt eiusdem obiecti & fiunt per eandem speciem: nempe per Deum concurrentem in ratione speciei, & à lumine eiusdem speciei: neque differunt nisi sola claritate, quę non est differentia specifica, sed accidentaria.

Omnes sunt eiusdem speciei.

Vnde ad primum argumentum respondetur. Primùm, quòd esto producantur à potentijs diuersarum specierum, scilicet angelicis & humanis, non inde consequitur ipsas differre specie: quoniam ignis à sole productus, & productus ab igne eiusdem sunt speciei: & visio leonis, & visio equi eiusdem obiecti: quare si visio vnius poneretur in alterius oculo, videret per ipsam. Secundò respondetur, quòd cùm visiones illæ producantur non virtute naturali, sed virtute luminis, & speciei quæ est Deus, & omnia lumina sint eiusdem speciei, vt de verit. q. 9. art. 1. ait D. Thom. hoc sufficit vt sint eiusdem speciei.

Solut. arg.

Et confirmatur. Si omnes, vt ait Okam, à solo Deo producerentur, essent eiusdem speciei: eædem autem sunt prorsus, licet intellectus creatus simul concurrat, ergo & nunc sunt eiusdem speciei.

Ad secundam igitur obiectionem per distinctionem respondetur. Sunt enim omnes eiusdem obiecti proximi, & quod aiunt immediati, nempe essentiæ diuinæ, quod sufficit vt sint eiusdem speciei: licet non sint eiusdem adæquati mediati, & remoti: quia non omnes eosdem vident effectus Dei in ipso, vt artic. subsequenti videbitur, Tertia demum obiectio sophisticæ nititur consequentiæ. Non enim sequitur. Vnus beatus in ratione beati est essentialiter perfectior alio; ergo eius beatitudo est essentialiter perfectior. Dicitur enim vnus beatus essentialiter perfectior, quia essentialis eius beatitudo est perfectior, sed non quia ipsa est essentialiter perfectior. Quare melius diceretur, beatus secundum beatitudinem essentialem perfectior, quam essentialiter perfectior.

Secunda conclusio, quæ ex prima elicitur. Quemadmodum visio, ita & amor, ac subinde delectatio non est in cunctis beatis æqualis, sed quo quisque beatior est, eo & ardentiùs diligit, & suauiùs delectatur. Probatur planè conclusio: quoniam amor visioni & antecedens est, & subsequens. quo enim in via auctior est charitas, vt dictum est, subsequetur & perfectior visio, ex qua subinde proueniet, vt eadem confirmata charitas copiosior sit ac perinde delectatio: nam quo quisque perfectiùs id possidet, quod flagrantius diligit, suauiori ampliorique gaudio perfunditur.

2. Concl.

Ad primum igitur argumentum principale respondetur, quòd vbi ait Ioan. videbimus Deum sicuti est, aduerbium illud, sicuti, determinat visionis modum ex parte rei visæ. vt sit sensus: Videbimus eum ita esse, sicuti est: quia ipsum eius esse videbimus, quod est eius essentia. Quare videbimus eum actum purum, simplicissimum, infinitum, &c. Non tamen determinat modum visionis ex parte videntis: vt sit sensus, quod tam perfectus erit modus videndi quàm est in Deo perfectus modus essendi.

Sol. 1. arg.

Et similiter respondetur ad secundum, quod erat verbum Aug. Dum enim ait, quòd rem vnam non potest vnus alio melius intelligere, veritatem continet, si ad modum rei intellectæ referatur: quia quicunque intelligit rem aliter quàm sit, non verè intelligit: non autem si referatur ad modum intelligendi. Nam etsi duo rem intelligant qualis est, vnus tamen potest eam perfectius quàm alius intelligere.

Sol. 2. arg.

Ad tertium denique respondetur, vt dictum est, quòd illud visionum discrimen non prouenit ex parte obiecti, quod per species diuersas repræsentetur: sed ex parte potentiarum, quæ non habent pares intelligendi facultates. Illa tamen facultas non est naturalis, sed luminis gloriæ: & ideo non est maior in angelo, quàm in anima eiusdem meritis cumulata.

Sol. 3. arg.

Contra hanc tamen sententiam exiſtit argumentum, quòd vis naturalis intellectus aliquid conducat, vt cum eodem lumine perfectiorem producat visionem. Nempe, quod angelus qui naturali lumine vigore intellectus sublimior est, perfectius cum eodem lumine Deum videat, quàm anima humana, vt beatæ Virginis, aut Petri.

Vtrum vires naturales aliquid ad visionem conferant.

Caieta-

Digitized by Google

Cajetan.

Caietanus namque 3.par.q.10.art.4. sic opinatus est. Et videtur cum aliqua probabilitate locutus. Quoniam cùm intellectus creatus concurrat ad visionem, etiam per suam naturalem virturem eleuatam per lumen, videtur qui perspicaciorem habet intellectum, perspicacius Deum cernere. Quocirca subsequenter concedit, quòd si lumen gloriæ quo donata est anima Christi, tributum esset angelo, perfectius ille videret quàm anima illa. Et eadem ratione perfectius videret Christus si assumpsisset naturam angelicam cum eodem lumine.

Sententia autoris.

Crediderim tamen, partem contrariam longè probabiliorem. Videtur enim imprimis sententia S. Tho. qui totam facultatem videndi tribuit lumini. Et ratio præterea huic parti patrocinatur. Nam cùm actus videndi sit supernaturalis, videtur solam proportionem naturalis virtutis insequi. Aqua siquidem quia non habet natiuum calorem, sed extraneum, non calefacit secundum proportionem suæ naturalis virtutis, sed secundum proportionem caloris, vel maioris, vel minoris. Idem confitemur in meritis de condigno. Nam licet producantur per liberum arbitrium, tamen quia tota ratio meriti inest eis ex gratia & auxilio Dei, secundum illius proportionem æstimatur ratio meriti.

2. Ratio.

Secundò arguitur. Visio non est maior aut perfectior, nisi secundum concursum Dei quo in ratione speciei concurrit: non tamen plus minúsve concurrit quàm est quantitas luminis gloriæ: ergo naturale lumen perfectionem visionis non auget.

3. Ratio.

Tertiò arguitur Concessa contraria opinione, fieret consequens, quòd lumen non conferretur beatis secundum meritorum proportionem. Etenim si angelus & homo æqualia habent merita, æquale consequuntur præmium, quod est visio. Si autem æqualibus infunderentur luminum radijs, perfectius videret angelus: ergo necesse est, vt minus ei lumen donetur, quod non est probabile.

Respondetur ergo ad rationem obiectam, quòd quamuis intellectus creatus concurrat ad visionem, non tamen nisi in virtute luminis gloriæ, & ideo maior virtus naturalis non auget visionem.

Vtrum beati conatu videant.

Contra hoc tamen arguitur Omnes beati toto quo possunt conatu visionem Dei eliciunt, sed vbi auctior est virtus naturalis, vehementior erit conatus: ergo & visio perfectior.

Ad hoc plurimi respondent omnes beatos æqualiter conari. Quare visionum disparitatem non arbitrantur ex diuersis conatibus prouenire, sed ex diuersitate luminum, si opinionem teneas D. Thom. vel secundum Scotum & Nominales ex diuerso concursu Dei.

Sententia autoris.

At verò vbi nulla est resistentia, profectò vix est intelligibile duos æqualiter conari, vbi effectus non sunt æquales, aut vbi sunt æquales, inæqualiter conari. Quoniam conatus non est aliquid antecedens applicationem potentiæ, sed applicatio ipsa: & ideò certè quanta est applicatio, tantus erit effectus. Quod vt exemplo explicemus, fertur communiter maiori conatu opus esse ad dilectionem inimici, quàm ad æqualem amici. Attamen si id verum est, prouenit quidem ex resistentia inimicitiæ, quæ obstat amori: quapropter difficiliùs sese applicat voluntas ad eius dilectionem, quàm ad dilectionem amici. At verò in Dei visione, vbi nulla est resistentia, re vera quantus erit conatus, erit & applicatio potentiæ ac subinde visio. Item cùm conatus sit actio, & nullus intellectus agat nisi quantum Deus cum ipso concurrit, profectò fieri non potest, vt omnes beati æquali conatu ad videndum applicentur, & tamen Deus plus cum vno quàm cum alio concurrat.

Dicendum ergo non omnes æqualiter conari, sed eo quisque plus quo beatior est. Conatus autem sequuntur non naturæ vires, sed luminum quantitatem. Quanto enim quisque lumine donatur, tantum ad videndum conatur, tantamque perinde visionem elicit.

Cum ergo assumitur quòd omnes summo conatu vident, distinguitur. Etenim si intelligatur de conatu secundum naturales vires, negatur: si verò secundum luminis modum, conceditur. Quare supremus angelus, quamuis sit sublimioris naturæ, non tamen tantum conatur quantum sacratissima Virgo, quæ ampliori gloriæ lumine fulget.

Ex his fit consequens quòd ille conatus non potest intendi aut remitti sicut neque lumen: atque adeò licet simul cum visione beatus alia plura in proprio genere intelligat, non ideo vllo pacto remittitur visio.

ARTICVLVS III.

Vtrum videntes Deum omnia in ipso videant, eademq; simul.

ARTICVLO præcedenti, quo concluſum est vnum alio videre perfectiùs, annectitur præsens, vtrùm illa visionum varietas etiam extendatur obiectis, vt vnus in Deo plura videat quàm alter, an verò omnia omnes contueantur. Et arguitur à parte affirmatiua, s. quòd omnes videant omnia. Ait n. 4. Dialogorum Gregorius. Quid est quod non videant qui videntem omnia vident? cùm ergo Deus omnia videat, cuncta itidem vnusquisque beatorum videt.

Partis affir. 1 Arg.

2. Arg.

Secundò. Quicunque videt speculum, videt omnia quæ in ipso resplendent; sed in Deo qui omnia eminenter continet, vniuersa resplendent: ergo cuncta in eo omnes aspiciunt.

3. Argu.

Tertiò. Si non omnia viderent omnes, sequeretur quòd posset beatus successiuè in Deo nunc pauciora & pòst plura videre. Nil enim obstat quominus Deus ei qui non omnia videt, ea in ipso reuelet quæ illum antea latebãt. Consequens autem est contra sententiam Aug. vlt. de Trin. Vbi ait, quod omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus in Deo: ergo omnia omnes simul vident.

Pars neg.

In contrarium est, quòd angelorum Deum videntium inferiores (vt 7. cap. de cœlesti hierarchia ait Dionysius) à superioribus purgantur, quod est illuminari: atque adeò inferiores non tot quot superiores vident.

Decis. art.

Quæstio hæc præcipua est. Ad quam decem conclusionibus respondebitur. Est enim inter ea quæ sunt in Deo distinguendum. Sunt, inquam, quædam in ipso formaliter, nempe essentia eius & esse, personæque, & vniuersa attributa, quæ sola ratione ab essentia distinguuntur. Sunt & alia eminenter, nempe vniuersæ possibiles creaturæ. Quæ quidem non tantum sunt in illo vt effectus in causa. Quemadmodum effectus quos sol producere potest, sunt in ipso tanquam in virtute & principio; sed quia Deus qua ratione est infinitus, eminenter est omnia. At quia res est profundæ speculationis, tot de illa sunt sensus quot capita. Sunt n. opiniones non pauciores quàm quinque.

Quinque opiniones.

In ingressu verò statim adnotandus est vsitatus Theologorum sermo, s. videre in verbo Etenim quæ in essentia Dei, ceu in speculo vniuersali videntur, dicuntur videri in verbo. Et ratio est, quia verbum est in quo quasi in imagine videtur obiectum. Et quamuis nomen verbi propriè conueniat filio in diuinis, qui tanquam expressa notitia per modum intellectus gignitur, nihilominus quia essentia ipsa est per eminentiam species & speculum creaturarum, illa quæ videntur in ipsa, dicuntur videri in verbo: quoniam, vt dictum est, in ratione speciei Deus ad sui visionem concurrit. Ob idq; dicuntur videre in verbo ad differentiam eorum quæ beati vident per proprias species, quæ ideo dicuntur cognoscere in proprio genere.

Quid sit aliquid videre in verbo.

Igitur quia opiniones omnes in primam conclusionem consentiunt, illam antè earum recitationem præmittamus.

Conclusio est. Vniuersi beati vident omnia quæ sunt formaliter in Deo. Imprimis sententia est S. Thom. in 1. part. q.12. artic. 7. in solut. ad 2. vbi ait, quòd non propterea Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit quod non videatur, sed quia non tam perfectè à creatura videtur, quàm est ipse visibilis. Imò Ioannes vbi ait: Videbimus eum sicuti est; Id nos ipsum docet: videre enim sicuti est, vt supra explicuimus, est videre quicquid ipse est.

1. Cond.

Sed ratione id probatur. Quicquid est in Deo, formaliter est ipsissimus Deus: relationes enim diuinæ & attributorum quodcunque est ipsissima essentia: ergo nequit videri Deus quin cuncta quæ in ipso sunt formaliter videantur. Etenim Deus tam sua est sapientia, quàm ego sum mihi idem.

Item desiderium naturæ, vt diximus, est cognoscere causam per essentiam: quare visio est cognitio Dei per

essen-

essentiam, qua, vt ait Ioannes, cognoscitur sicuti est: cognoscere autem per essentiam, est cognoscere omnia quæ in diuina essentia includuntur: hæc autem sunt illa quæ formaliter sunt in ipso.

2. Concl. Ad hæc visio illa est clara notitia quæ respondet fidei, & tentio quæ respondet spei. Sed per fidem omnia quæ in Deo sunt credimus, & per speciem omnia illa possidere concupiscimus: ergo per visionem cuncta videmus & possidemus.

Quod si arguas, Deus, vt ait August. est speculum voluntarium: ergo potest illa quæ voluit reuelare, alia celando. Negatur consequentia, de illis quæ in ipso sunt formaliter & intrinsecè. Naturaliter enim illa sic repræsentat, vt se ipsum repræsentare sit omnia illa repræsentare.

Dubium de omnipotentia Dei. Scotus. Dubium hic tamen emergit. Vtrùm esto omnia illa videant quæ sunt formaliter in Deo, possint de potentia Dei absoluta quædam eorum absque alijs videri? Scotus namque in pri. dist. 1. q. 2. & in 4. dist. præsenti tenet, quòd potest quis videre essentiam non videndo personas, ac perinde vnam personam sine alia, saltem patrem sine Spiritu sancto. Quoniam de patre & filio, qui relatiua sunt, maior difficultas ei occurrebat, eo quòd vnum relatiuum includit reliquum. Probatio eius est. Essentia est quid absolutum, & persona quid relatiuum. Imò essentia, vt putat, & relatio formaliter distinguuntur. Absolutum autem non includit relatiuum: ergo potest vnum absque alio videri. Et eadem ratione potest pater sine Spiritu sancto videri.

Secundò. Si essent personæ distinctæ, per absoluta posset vna videri sine alia: ergo quamuis distinguantur per relatiua, saltem pater sine Spiritu sancto: quia pariter distinguitur realiter, & vnus non refertur ad alium.

Atqui si ratio hæc efficax est, similiter concludit quòd attributa distinguantur ab essentia & inter se: quia pariter secundum ipsum distinguuntur formaliter.

2. Concl. Contra hanc tamen opinionem asseritur secunda conclusio. Quamuis per notitiam iudicatiuam essentia possit sine persona cognosci, atque vna persona sine alia: apprehensiua tamen intuitiua, neque per diuinam omnipotentiam est possibile. Intuitiua, inquam, quoniam per notitiam abstractiuam, vt modo in via, nil vetat quominus quisque possit Deum apprehendere, nil cogitando de trinitate, aut de omnipotentia, aut de alio quolibet attributo. Atqui de iudicio illico dicemus.

Sed de apprehensiua intuitiua probatur conclusio. Visio Dei est notitia ipsius existentis atque præsentis; sed non existit nisi in persona: ergo non potest essentia videri nisi videatur persona, & eadem ratione quin videantur omnes tres. Atque hinc colligitur quòd nec potest videri vna sine alia: quoniam pater non potest videri nisi in essentia, & essentia non potest videri nisi videatur filius & Spiritus sanctus: ergo vnà persona non potest absque alia videri.

Ratio 2. Secundò arguitur ostendendo primam conclusionis radicem. Persona & attributa non distinguuntur ab essentia ex natura rei: imò essentia tam idem est pater, & filius, & Spiritus sanctus, & iustitia, & misericordia ex natura rei, &c. quàm Petrus est Petrus, & Michael angelus ipsemet: imò magis quia Deus est magis simplex, eo quod natura angelica habet esse receptum in individuo per creationem, & in Deo nihil prorsus compositionis aut distinctionis excogitari potest, nisi quemadmodum, ait Anselmus, vbi est relationis oppositio, vt pura inter personas: ergo quemadmodum angelus non potest videre iuuitiuè naturam alterius angeli existentis coram ipso nisi videndo personam, neque personam nisi videndo essentiam, ita nullus potest videre Deum nisi videndo trinum, omnipotentem, sapientem, &c. nam videre est cognoscere per essentiam, & essentia includit perfectiones omnes illas & prædicata.

Distinctio formalis Scoti. Scio quidem Scot. in 1. dist. 8. tenere personas diuinas distingui formaliter ab essentia. Attributa verò & ab essentia & inter se. Propterea, quòd qui diffiniret, inquit, iustitiam Dei, aliam assignaret definitionem quam misericordiæ aut omnipotentiæ, & similiter si definiret essentiam aliam constitueret quàm definiendo personam.

Impugnatio. Sed profecto hęc differentia est falsa ex natura rei. Imò apertè diuinæ simplicitati repugnat. Nam primum in Deo nulla est propria definitio: hoc est enim esse infinitum actum quod non coarctari ad genus aliquod, ac perinde nec definiri posse. Secundo admisso quòd aliquo modo sit definibilis, falsum est quòd ex natura rei alia definitio daretur iustitiæ & alia sapientiæ diuinæ. Iustitia enim & sapientia creatæ diuersas habent definitiones, quia sunt res diuersæ. In Deo tamen quia vnaquæque illarum perfectionum est infinita, & omnes sunt vnus simplicissimus Deus, quicquid essentialiter includitur in sapientia, includitur in essentia, & sic de omnibus attributis. Quare non potest dari definitio vnius differens à definitione alterius, nisi sola ratione. Quę quidem definitio sumitur per comparationem ad nostram sapientiam, iustitiam, & misericordiam. Sed in hoc fallitur, nisi nos fallimur, Scotus, quòd ex eo quod in Deo existit potentia & iustitia sine operatione intellectus, infert esse duo secluſa operatione intellectus: & tamen non sequitur. Imò licet secluſa operatione intellectus sit potens & iustus, non tamen illa sunt plura, sed intellectus comparans illa ad, nostras qualitates cognoscit ea vt plura. Et hoc est sola ratione differre ratiocinata: quia habet fundamentum in re. Et idem est prorsus de essentia & persona.

Periculosa opin. Scot. Profectò si Scotus plus quam nomine à D. Thom. differat: nomine, scilicet distinctionis formalis intelligat aliam distinctionē à parte rei præter distinctionem rationis, fateor me intelligere non posse quomodo summam Dei simplicitatem tueri valeat. Quod si non ponat aliam planissimè fit consequens, quod nec per Dei omnipotentiam fieri possit vt quis videat essentiam non videndo personas & omnia attributa.

Aliud arg. Præterea arguitur. Si Deus esset vnica persona sicut Michael, non posset videri essentia sine persona, nec è conuerso. Nunc autem tam simplex est Deus quàm esset tunc, & tam idem sunt essentia & pater quantum essent essentia & illa persona: ergo non potest vnum sine alio videri: quia nullatenus ex natura rei sunt vnum & aliud. Imò explicatissima contradictionis implicatio est videri essentiam non visa persona, aut è conuerso. Id quod Christus Ioann. 14. expressit dicens: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Quod non dixit propterea quòd pater relatiuè dicitur ad filium, sed quia sunt vnica & simplicissima essentia. Et ideo subiecit: quia ego in Patre & Pater in me est.

Optimum argum. Et quod supremum argumentum est. Si posset essentia videri aliquo attributorum non viso, eadem ratione posset videri essentia nullo viso, quod est manifesta contradictio: nam qui non videret in Deo omnipotentiam, sapientiam, & iustitiam, &c. quidnam videret?

De notitia iudicatiua. At verò si de iudicio perconteris. Respondetur possibile esse vt quis iudicium formet de Deo quod sit vnus, non aduertendo quemadmodum gignat filium aut spiret spiritum sanctum. Quinetiam potest Deus concurrere cum vno beato ad producendum vnum iudicium & non ad producendum aliud. Si modo loquamur de iudicio quod sit assensus in proprio genere quos potest etiam habere beatus: nam de visione ipsa secus est. Quippe quæ, vt illico videbimus, non solum notitia apprehensiua est, verum & iudicatiua naturaliter repræsentans: & ideo non intelligitur quomodo quis per illam possit iudicare de re aliqua, quæ est formaliter in Deo, non iudicando de omnibus.

Solut. arg. Scoti. Clara ergo est solutio argumenti Scoti: nam quamuis essentia in creaturis non includat relatiuum. Secus tamen in diuinis. Sunt enim de essentia diuina tum relationes personales, tum & vniuersa attributa: quare nullum potest nisi cum alijs videre.

Opinio Henrici prima. Hac supposita conclusione hinc incipiunt opiniones variari. Henricus enim Gandensis quodlibet. 6. q. 4. opinatur nullum beatum in verbo videre nisi omnia, solaque illa quæ sunt formaliter in Deo. Itaque de creaturis nihil vident nisi forsan in proprio genere. Ratio verò eius potissima est, quod si quis videret simul etiam illa quæ in Deo eminenter continentur, comprehenderet ipsum: quia cognosceret Deum, non solum in ipso absolutè, sed in ratione principij quatenus est rerum causa. Et ideo nihil eius lateret videntem, vt ait Augustinus.

Quod si dicas alium alio clarius videre & ideo neminem comprehendere, non potest ipse intelligere, eum clarius videre qui non plura videt: nam in crea

turis

turis in tabella depicta quicunque melius videt, plura videt.

Okam. Okam in 4. d. 13. aliter negat non posse eadem visione videri essentiam & creaturas. I. quia tunc non esset intuitiua creaturarum, sed solius Dei in quo viderentur creaturæ tanquam in imagine, atque adeo non esset visio earum. Sed vel dicendum, inquit, est, quod visio terminatur collectiuè ad essentiam & creaturas immediatè, sicut cùm quis videt plures homines simul. Vel dicendum cum Henrico quod visio solum significat essentiam & Deus producit alias visiones quas ei placet quibus beati viderent creaturas.

2. Opinio. Secunda opinio est quam Durand. d. præsenti q. 3. recitat, nempe quod omnes vsque ad minimum beatorum vident omnia quæ sunt in Deo, tam quæ sunt eminenter quàm quæ sunt formaliter Ratio quam hæc sibi opinio posset obtendere, est quod Deus, vt supra diximus, tam naturaliter repræsentat ea quæ sunt eminenter in ipso, quam quæ sunt formaliter.

3. Opinio Durandi. Tertia opinio est ibidem Durandi inter ambas media, quæ duo asserit. Primum. Quicunque beatus videt in verbo omnes creaturas quantum ad quod quid est, nempe quid est homo, quid lapis, &c. Omnes, inquit, non solum quas naturaliter per causas secundas producere potest, verum & quas potest supranaturaliter. Secundum eius assertum est nullam creaturam quispiam beatorum in Deo cognoscit quantum ad existentiam. Itaque in verbo nemo cognoscit angelum aut hominem existere: neque beatos, neque nos, neque nostras orationes, aut quæ apud nos accidunt, sed eiusmodi existentias solum noscunt per creatas à Deo species & visiones, vt aiunt Henri. & Okam.

Probatio eius est, quia eo modo cognoscuntur creaturæ in Deo, quo in ipso repræsentantur. Verbum autem repræsentat quidditates naturaliter & de necessitate, existentias verò liberè: ergo respectu quidditatum non est voluntarium speculum, sed solum respectu existentiarum: quare non est possibile videre Deum quin videantur quidditates. Secus autem de existentijs. Et probatur illa minor: quoniam Deus quidditates eo repræsentat quod illas potest producere, sed non est in potestate Dei quin possit illas producere: ergo de necessitate illas repræsentat. Existentias verò non repræsentat, nisi quia in sua mera voluntate est producere si libuerit: ergo non repræsentantur de necessitate, atque adeò nec per visionem beatificam videntur.

4. Opinio Scoti. Quarta denique opinio est Scoti in 3. d. 14. q. 2. Vbi licet de anima Christi loquatur, de omnibus tamen beatis id ipsum sentit. Cuius duo itidem sunt asserta. Primum anima Christi (ac perinde quicunque beatus) vnica visione videt in verbo habitualiter quæcunque in ipso eminenter continentur quantum ad essentias & existentias. Secundum est, quod non actu videt omnia. Cognoscere habitualiter est quod habet virtutem repræsentandi quicquid Deus voluerit, & quando voluerit, quare illa visio successiuè repræsentat nunc pauciora, nunc plura.

3. Concl. His ergo opinionibus ob oculos obiectis ad enarrandam quintam opinionem quæ est S. Th. & eruendam pro captu nostro veritatem subijciuntur aliæ conclusiones. Sit ergo ordine tertia circa primam opinionem. De potentia Dei absoluta non repugnat beatum in Deo illa præcisè videre, quæ sunt formaliter in ipso. Conclusio est Durando contraria q. 3. nihilominus probatur ex art. præcedenti Dictum enim est quod quanto lumen gloriæ maius minusve est, tanto beatus plura pauciorave videt in verbo: hoc autem de his quæ sunt in ipso formaliter intelligi non potest: ergo de alijs intelligitur, quæ in ipso sunt eminenter: igitur si quis potest pauciora illorum videre quàm alius, tam remissum esse potest lumen, vt nihil eorum videat in verbo. Et hucusque pertingit, quod Deus sit speculum voluntarium.

Visio verbi omnium minima. Ex quo fit illam visionem esse omnium imperfectissimam, vt ait inibi Duran. quæ posset haberi de Deo: quandoquidem nulla potest pauciora repræsentare, quàm quæ sunt in ipso formaliter. Sed ait quod talis visio non est admittenda: & ratio eius est, quia tunc Deus non videretur perfectè: causa enim non cognoscitur nisi cognoscatur eius potestas ad effectus. Cùm ergo Deus sit omnium causa, non potest videri perfectè nisi eius videantur effectus. Et quo eius argumentum maius habeat robur, sic confirmatur. Inter alia attributa Dei hoc est vnum, quod est eminenter omnia continens: dictum autem est, quod non potest videri nisi videantur omnia quæ formaliter sunt in ipso: ergo videns Deum videt Dei eminentiam, & creaturarum continentiam, atque adeo creaturas.

Item Deus est obiectum tam naturaliter repræsentans creaturas, quàm se: quia est eminenter omnes.

Respondetur autem hoc argumentum concludere non posse visionem Dei non repræsentare in ipso creaturas in vniuersali & in ratione generica: quoniam videns Deum videt eius omnipotentiam & cunctæ sapientiam, atque adeò quòd possit cuncta possibilia producere. Sed tamen tam remissum potest esse lumen, vt non videat creaturas in particulari, puta Angelum, hominem, equum, &c. Quocirca conceditur non esse illam perfectissimam visionem: quia non solum non est comprehensiua, verùm nec tam perfecta quàm visiones quæ nunc sunt beatorum. Sed nihilominus si talis daretur visio, esset tam perfecta quantum sufficeret ad beandum videntem. Iuxta illud verbum Augustini 5. confessionum. Beatus qui te scit, etsi alia nesciat.

Ad postremum verò respondetur, quod Deus naturaliter quantum est de se repræsentat creaturas sicut se ipsum. Sed inde solum sequitur, quod qui eum comprehenderet sicut se ipsum comprehendit, non posset non videre cũctas creaturas in ipso Secus ille qui eum non comprehendit. Veluti qui non comprehendit principium, non in eo videt omnes conclusiones.

Quarta conclusio contra eandem primam opinionem. Secundum legem ordinariam nulla est beatorum visio qua illa præcisè videantur, quæ sunt formaliter in Deo: nam primùm de anima Christi, non est dubium quin omnia illic videat quæ ad mysterium redemptionis attinent. Imo & beatus Petrus illa etiam quæ attinent ad suam ecclesiam. Et singuli beatorum ea quæ cuiusq; statui competunt, vt illico explicatius elucidabitur.

Aduersus Okam. Sed probatur prius conclusio etiam aduersus Okam. Essentia diuina non solùm, vt dictum est, existit creaturarum causa, verum eminenter omnes illas continet. Neque verò, vt ipse cum suis nominalibus censet, continere eminenter, est esse excellentioris naturæ. Ista enim ratione etiam homo continet creaturas se inferiores, quia illas excedit. Imò continere eminenter omnia est proprium Dei, quia quatenus est infinitus, est eminenter omnia. Et inde prouenit, vt sit omnium fons & origo. Quocirca creaturæ perfectius in ipso repræsentantur quàm in seipsis. Vnde quamuis Augustinus & reliqui patres appellent Deum speculum creaturarum, non tamen est omnino, vt creata specula, quæ species à rebus suscipiunt, quas reflectunt Deus enim non suscipit à rebus species, imò prius perfectiusque creaturæ sunt in Deo quam in seipsis. Quocirca creaturæ potius sunt specula Dei: nempe ipsum tanquam ipsius effectus repræsentantes. Quemadmodum 1. Cor. 13. ait Paulus: Videmus nunc per speculum in ænigmate, sed dicitur Deus speculum eo solo quòd repræsentat creaturas, vt causa. Hinc ergo colligitur argumentum: Deus est omnia: ergo videns ipsum videt creaturas, quatenus secundum proportionem sui luminis plus minusve perspicuè videt Deum. Et ideo negatur visionem illam non esse notitiam intuitiuam tam creaturarum quàm ipsius Dei. Enimuerò Deus in seipso intuetur creaturas: ergo visio sui ipsius est visio creaturarum, atque adeò notitia earum intuitiua.

Deus speculum. Sed redarguis. Speculum creatum non videtur per easdem species per quas videntur res in ipso: ergo nec Deus & res in ipso eadem specie videntur, Negatur cõsequentia: nam res in speculo creato non videntur nisi per proprias earum species, quæ in ipso reflectuntur: speculum verò per propriam ipsius. Sed tamen in Deo videntur creaturæ per ipsum Deum, qui est earum species: & ideo eadem visione videntur qua ipse. Atq; hoc modo intelligendum est verbum D. Tho. 1. par. q. 12. art. 9. scilicet quòd per vnam speciem videtur speculum & ea quæ in ipso apparent.

Gregor. Et confirmatur illo verbo Gregorij supra citato. Quid non vident qui videntem omnia vident? Sensus enim est, quòd quemadmodum ipse in seipso omnia videt, Ita beati in ipso ea vident quæ ad cuiusq; mensuram attinent.

Cognitio matutina & vespertina.

Tertiò & conclusio probatur ex illa celebri sententia Aug. 12. de Genesi ad literam, atque alijs locis. Ait enim, quòd beati creaturas duplici visione vident, nempe matutina & vespertina. Matutinam notitiam creaturarum appellat illam qua videntur in verbo, & vespertinam, qua videntur in proprio genere; scilicet per species creatas, quas in via acquisierunt, vel Deus illis infundit quando opus est orationes nostras vel aliud quippiam eis quod non videbant reuelare. Imò & angeli superiores, vt diximus, aliquando reuelãt aliqua interioribus per nouas species.

Ad hæc cum Deus sit secundum Aug. speculum voluntarium, & nõ respectu eorum quæ in ipso sunt formaliter, vt dictum est, sit vt sit respectu creaturarũ quæ ideo per Dei visionem videntur in ipso.

Solutio Okam.

Sed vide lepidam solutionem Okam. Ait quippe quòd quamuis per visionem Dei nulla videatur creatura, nihilominus quia simul cum illa visione Deus producit creaturarum notitias in beatis, dicitur speculum voluntarium, & per illas visiones quatenus ab ipso productę sunt dicuntur creaturæ videri in verbo atque adeò censentur matutinæ cognitiones.

Hæc verò, vt bona venia dixerim, ineptiora sunt, quàm vt sint impugnatione digna. Enimuerò ratio speculi est esse obiectum, nihil ergo videtur in verbo, quin videatur tãquam in obiecto, atq, adeo per eandẽ visionem qua ipsum videtur. Neque alia dici potest matutina notitia, quandoquidem matutina non sit nisi illa in qua essentialiter consistit beatitudo, nempe quæ est notitia ipsius lucis in seipsa, nam visio quæ fit per species creatas, non est de essentia beatitudinis, & ideo dicitur vespertina. Negari ergo nõ potest beatam Dei visionem creaturas in ipso repræsentare. Cuius cõtrarium toti theologiæ aduersatur.

Fortissimũ arg.

Et quando aliud non esset argumentum, hoc certè satis esset, quod Christus in quantum homo, & quatenus redemptor, ac perinde iudex viuorum & mortuorum, cognoscit omnia opera nostra, etiam cordium cogitationes, vtpote de quibus debet iudicare, quinuerò & creaturas omnes, quibus benè aut malè vtimur: cognoscere autem tam multa in proprio genere per species diuersas, atque adeò simul ad omnia aduertere, cùm anima eius sit finita, quæ habere nequit species infinitas, non est creditu possibile. Cognoscit ergo illa per beatam visionem in verbo. Atque hac ratione D. Tho. 1. part. q. 12. artic. 9. probat, quod videntes Deum non videntur per aliquas creatas similitudines sed per ipsam essentiam intellectui præsentem, quæ est, omnia eminenter.

D. Thom.

Vtrum omnia videantur.

Supposito ergo quod beati non solum illa quæ in ipso sunt formaliter, verum & illa quæ in ipso sunt, eminenter vident, subsequitur vt examinemus vtrum videant omnia, vt dicebat secunda opinio. Nam tunc argumentum Henrici videtur energiam habere concludendi intellectum creatum posse comprehendere Deum.

5. Concl.

Statuitur ergo contra secundam opinionem quinta conclusio. Nullus fœlicium illorum cælicolarum intellectus videt in Deo distinctè omnia quæ in ipso eminenter continentur. Hæc est sententia & conclusio S. Thom. 1. part. quæst. 12. artic. 8. Imò videtur testimonijs sacris satis firmari. Angeli namque apud Esa. ca. 63. Christum intuentes ascendentem de terris hæsitantes leguntur interrogasse. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Vbi fatentur mysteria redemptionis non prorsus in verbo vidisse. Et 1. Corinth. 2. Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Vnde colligitur beatos non nosse cogitationes nostras aut aliorum beatorum, & multo minus penetrant spiritum Dei, vt eius cũcta cogitata sint eis peruia. Et Mat. 24. De die illa (scilicet iudicij) nemo scit, neque angeli de cælo, nisi solus pater. Secundò, cum supra citatus Augustinus dicat Deum esse voluntarium speculum, non omnia omnibus quæ in ipso sunt detegit, & tamen secundum istam citatam opinionem omnia quæ sunt in ipso tam eminenter quàm formaliter essent cunctis naturaliter patula.

Vnde denique consequeretur, quod Deus nemini beatorum posset nouas facere reuelationes aut orationum nostrarũ quas ad ipsos fundimus, aut aliarũ rerum quæ nobis accidunt: sed omnia in Deo perinde ac in seipso perspicerent, quod fas non est opinari.

Ratio Conclus.

Rationem autẽ ex rerum natura (quod suum fœlix ingenium est) deducit loco citato D. Thom. hoc modo. Si beatus cuncta quæ in Deo sunt, non modo formaliter, sed eminenter conspiceret, fieret inde consequens eiusmodi intellectum comprehendere Deum. Et probatur. Illa quæ eminenter sunt in Deo, continentur in ipso tanquam effectus in causa, & tanquam conclusiones in aliquo principio. Sunt enim omnes creaturæ sicut radij illius lucis, quam, vt ait Paulus, Deus habitat inaccessibilem. Vnde Iacobus Apostolus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum Quãto verò principium aliquod luculentius perfectiusque videtur, tanto plures ibidem effectus conspiciuntur. Qui enim acumine ingenij & perspicacitate posset in vno sibi principio proposito, subitò plurium conclusionum inspicit veritates, quas si hebetioris esset ingenij, non antea intelligeret, quàm sibi singulæ explicarentur. Ille igitur intellectus, qui viso principio omnes effectus omnesque effectuum rationes contueretur, illud comprehenderet: nullus autem intellectus creatus, vt dictum est, plenè valet Deum comprehendere: nullus ergo ipsum cernendo omnes eius perspicit effectus, qui in ipso eminenter continentur. Sed eorum quæ facit & facere potest eo quisque plura cognoscit, quo eum perfectius cumulatiori lumine gloriæ videt.

Obiectio.

At verò contra hanc conclusionem non pauci insurgunt: & primò videtur ad comprehendendum ipsum Deum neutiquam requiri quod omnes eius effectus cognoscantur in ipso, nec verò sufficere. Etenim ad comprehendendam creaturam, vt ad comprehendendum solem, non est necesse omnes eius possibiles effectus distincte & in particulari cognoscere. Angelus enim profectò videtur solem posse comprehendere, & tamen difficile est creditu quod omnes eius effectus in indiuiduo distinctè cognoscat.

Secundò dictum est art. 1. non sat esse ad comprehensionem, vt res tota cognoscatur, sed præterea exigi, quod clarissima notitia, qua ex sua natura est cognoscibilis, cognoscatur. Quare enuntiatio per demonstrationem scibilis nõ comprehenditur dum opinione cognoscitur.

Solutio.

Ad primum respondetur, quod S. Tho. non dicit illud esse requisitum, vt omnes effectus cognoscantur, sed quod illud sufficit, nempe quod qui illos cognosceret, comprehenderet causam. Secundò respondetur, quod diuersa est ratio in Deo quàm in creaturis: quoniam in causa creata non relucent omnes effectus possibiles in indiuiduo, sed in confuso, videlicet in potentia producendi res huius vel illius speciei: quare ad illam comprehendendum satis est illa eodem modo effectus in ipsa cognoscere. In Deo autem, quia est eminenter omnia, vniuersa distinctè & in indiuiduo, relucent: & ideo ex natura sua est sic cognoscibilis, vt distinctè in eo cognoscantur: atque adeò non antea comprehenditur, quàm sic in eo cognoscantur omnia. Imò & principium intelligibile in creaturis forsan non comprehenderetur nisi cognoscerentur omnes conclusiones distinctè, saltem illæ quæ proximè & immediatè ex illo eliciuntur, ob idque hoc D. Tho. exemplo vsus est.

Notanda solutio.

Secundum verò argumentum multis scholæ D. Tho. difficile apparet, arbitrantibus sibi se esse contrarium, cùm prius dixerit non satis esse totam rem cognoscere ad comprehendendum, & pòst contrarium. At verò S. Doctor minimè secum pugnat, imò docte sibi constat. Etenim si contingere posset, vt quis omnia videret quæ sunt in Deo formaliter & eminenter, & tamen non id infinita claritate notitiæ cognosceret, profectò minimè ad comprehendendum sufficeret. Sed tamen adeò sunt ambo connexa, vt neutrum absque altero esse valeat: imò qui distinctè sic omnia cognosceret, infinita notitia & claritate Deum cognosceret, qui adeo solus potest esse ipse Deus. Et idem esset de principio creato, si quis in eo omnes eius conclusiones inspiceret.

Scotus.

Nihilominus Scot. in 3, dist 13. q. 2. rationem D. Tho. inficiatur. Ait quippe quod quanquam qui perfectius cognoscit causam, plures cognoscit effectus, non tamen conuertitur, vt qui plures cognoscit effectus, perfectius cognoscat causam. Primò, quia causa ab effectu nullam recipit perfectionem, atque adeo nec cognitio principij perficitur ex plurium conclusio-

num

num cognitione. Quare neque exemplum, inquit D. Tho. legitimum est: quia potest quisque cognito principio in aliquo gradu cognoscere postmodum aliam conclusionem, quam prius in ipso non nouerat, non aucta eiusdem principij cognitione.

Cognoscere effectus dupliciter.

Respondetur argumenta æquiuocatione laborare: cognoscere namque effectus stat dupliciter: vno modo in se ipsis, atq; altero in suo principio. Ex cognitione ergo effectuũ in se ipsis non augetur cognitio principij & hoc est quod probat Scotica ratio: quia causa ab effectu non perficitur. Et hoc modo potest cognito principio in vno gradu nouus effectus cognosci non aucta cognitione principij, sed tamen quando effectus cognoscuntur in suo principio, quanto plures illic cognoscuntur, tanto perfectiùs cognoscitur principium. Neque potest nouus postmodum in eodẽ principio cognosci, quin perficiatur cognitio principij. Hoc enim non est causam ab effectu perfectionem recipere, sed penitiùs per cognitionem virtutem eius penetrari.

Alia obiectio.

Arguit præterea contra. Quando duæ perfectiones vni rei competunt, & secunda ratione prioris, tunc si res illa non comprehenditur cognita priori perfectione, non comprehendetur etiam si posterior cognoscatur: in Deo autem ratione infinitatis & omnipotentiæ conuenit vt creaturæ sint eminenter in ipso: videntes autem infinitatem, & omnipotentiam Dei ipsum non comprehendunt: ergo nec quanquam in ipso videant distinctè creaturas.

Solut.

Respondetur, quòd si infinitas & omnipotentia comprehenderentur, non visis distinctè creaturis, satis esset ad comprehensionem Dei: sed tamen quod nos dicimus est, quòd neque infinitas, neque omnipotentia, neque aliquod attributum quod habeat ordinem causæ ad extra, comprehenditur, nisi in ipso cognoscantur omnia quæ eminenter continet.

6. Concl.

Igitur si videntes Deum vident ea quæ in ipso sunt non tolum formaliter, verum eminenter, inuestigare restat quænam vident, & quæ non vident. Sit ergo sexta conclusio circa tertiam opinionem quæ fuit Durandi. Vniuersi beati vident in verbo omnes quidditates rerum naturalium, non tamen rerum supernaturalium, vt arbitratus Durandus. Hæc etiam est conclusio D. Th. eod. art. citato in solu. ad 4. Et probatur vtraque pars. Illa beata visio satiare omne debet naturale desiderium: omnes autem naturaliter scire desiderãt species & genera rerum naturalium, & rationes earum, quia horum cognitio ad perfectionem intellectus naturalem, pertinet: ergo omnia illa cuicunque beato sua demonstrabit visio. Veruntamen quia naturale desiderium ad supranaturalia mysteria & arcana Dei non exurgit, non opus est vt videntes Deum illa quæ supranaturaliter producere valet, inspiciant, sed sicut Deus voluerit reuelare. Falsum ergo est Duran. assumptum, nempe quòd beati videant in Deo res quemadmodum naturaliter repræsentantur: nam ex creaturis non vident nisi secundum luminis quantitatem, quod Deus beatis pro ratione iustitiæ distributiuę ad metitur.

7. Concl.

Septima conclusio aduersus eundem autorem. Quamuis non omnes beati omnium existentias in verbo videant, quorum quidditates inspiciunt, nihilominus multa vident, etiam quoad existentiam. Hæc conclusio satis in quinta fuit demonstrata. Negari enim non potest, quin Christus non modo quidditates, verum existentias rerum in verbo videat, de quibus iudicaturus est: nam peccata & merita non sunt in quidditatibus. sed in ipsis operibus, & tam innumerabilem rerum numerum non potest per proprias species videre. Fallax ergo est consequentia Duran. quod propterea quod rerum existentiæ non sunt nisi in voluntate & libertate Dei, beati illas non videant: nam & voluntas ipsa quam vident, voluntarium speculum illarum rerum est. Quocirca quemadmodum Deus in se ipso non modo rerum quidditates, verùm & existentias intuetur: ita & beati in ipso. Vident ergo beatorum singuli in diuina essentia, eadem ratione qua naturalium quidditates, existentias quoque rerum, quæ ad suos cuiusque status attinent.

8. Concl.

Sed tamen ad huius pleniorem intelligentiam subiungitur aduersus Scotum octaua conclusio. Visio beata, siue animæ Christi, siue alius cuiusliber, non repræsentat per modum habitus, sed per modum actus. Inest quidem eatenus per modum habitus quod est perpetuo permanens velut res incorruptibilis. At vero repræsentatio eius non est nisi per modum actus.

Opinio Scoti.

Opinatur Scotus, quòd quemadmodum habitus scientiæ, nunc pauciorum, nunc plurium actuales assensus producit: ita & per eandem visionem, seu anima Christi, seu quicunque alius beatus, nunc pauciora videt, & postea plura, & postea pauciora. Itaque dum Deus reuelat beato orationes, quæ in hac vita ad ipsum funduntur, non id facit aliam illi infundendo notitiam vel speciem, sed quia est speculum voluntarium, per illam visionem incipit tunc beatus in illo illas orationes videre. Et sic de alio quocunque apud nos euentu, quem ad statum beati nosse pertineat. Contra hanc ergo opinionem statura est nostra conclusio, quæ est S. Tho. 1. part. q. 12. artic. 10. Vbi docet, visionem beatam simul omnia quæ in verbo videt cognoscere: imò hoc tanquam notum supponit, quæ etiam sententia fuit Augustini. vlt. lib. de Trinit. vbi ait, Non erunt volubiles nostræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes: sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus. Quare D. Tho. solum possibilitatis modum exponit. Nam quod conclusio sit verissima, patet: quoniam visio illa non est habitus, sed certè actualis notitia, sicut visio corporalis in oculo, & iudicium in intellectu. Imò est notitia intuitiua, vt nomen ipsum visionis admonet: impossibile ergo est cogitatu, cum sit actualis notitia obiecti semper præsentis, quomodo nunc plura, post vero pauciora, & è conuerso, repræsentet.

Ratio conclusionis.

Secundò ad id arguitur. Visio illa est actualis notitia per Deum in ratione speciei genita: ergo habet naturam ipsius Dei, tãquam eius participatio. Atque adeo sicut Deus actu in se omnia videt, ita & beatus in ipso illa quæ per eandem visionem intuetur.

Ratio 2.

Ad hæc. Visio illa in ratione notitiæ est incorruptibilis: ergo eadem ratione est inuariabilis, nam omne variabile est corruptibile. Si autem in ratione notitiæ est inuariabilis, profecto non potest diuersa successiuè repræsentare.

Ratio 3.

Neque cogitare possum, quænam ratio mouit Scotum, quam quòd beatis Deus in diuersis temporibus recentes reuelationes inspirat. Veruntamen respondetur, illas nouas reuelationes non facere in verbo, sed per proprias species: sanè cum ad essentiam beatitudinis non pertineant, sed sint illi accidentariæ, & aduentitiæ. Imò & inferioribus angelis ministerio superiorum, vt ait Dionysius, multa reuelat: & eadem fortè ratione, animabus inferioribus ministerio superiorum: quæ ideo reuelationes non possunt fieri in verbo. Quocirca orationes nostras ad sanctos effusas, Deus illis non in verbo, sed per proprias species reuelat.

Ratio Scoti.

Postrema dubitatio.

Aliud dubium, neq; dignum quod silentio prætermittatur, ex his quæ dicta sunt, emergit. Vtrum visio beata sit simplex, an complexa, sitque tantum apprehensiua.

9. Concl.

Subiungitur ergo nona conclusio. Visio quæcunque beata est notitia simplicissima, eademque apprehensiua, & simul iudicatiua. Probatur. Primo ex nomine ipso visionis. visio enim in creaturis simplex notitia est, pariter & notitia apprehensiua intellectus: cur ergo in beato non erit simplex? Et confirmatur. Notitia enim simplex perfectior est cæteris paribus, quàm complexa, quippe quæ propiùs ad vnitatem, & simplicitatem Dei accedens, quamuis in creaturis per accidens notitia complexa, sit perfectior, eo quod iudicium non haberetur nisi per enunciationis compositionẽ, sed est propter imperfectionem status, quia non possumus complexa enunciationum nisi pluribus notitijs apprehendere. Cum ergo visio beata sit Dei participatio, consequens sit esse simplicissimam.

Visio iudicatiua.

Quod autem sit etiam iudicatiua, probatur. Nam constantissimum est, beatum cognoscere quæ in verbo videt, cognitio autem non est perfecta nisi sit iudicium.

Alia ratio.

Item visio illa cuncta explet beatorum desideria, desiderium autem nostrum non est tantum videre Deũ, sed iudicare quis, quantus, qualisque sit, ergo beatus illa omnia iudicat.

Cauillus.

Ad hæc. Visio illa, vt diximus, correspondet fidei. fides autem, non solum apprehensiua cognitio est, verũ & iudicatiua omnium articulorum, talis ergo est visio.

At verò forsan quis rationes has eludere sic contendet, quod licet beatus omnia illa iudicet, non tamen per visionem quæ solum est simplex apprehen-

sio, sed per iudicia, quæ ab eadem visione dimanant.

Hic autem elusorius cauillus est: quoniam beati tam multa iudicia diuersa simul habere non possunt, nec valerent per omnia simul aduertere: ergo non iudicant nisi per visionem. Præterea. Illa producta iudicia essent creata, atque adeò non pertinerent ad essentiam beatitudinis, neque essent cognitiones in verbo: planum ergo est per eadem visionem cuncta beatum iudicare. Vnde D. Th. articulo illo 10. citato hoc tacitus præsupponens, declarat quomodo sit possibile. Nos enim, inquit, in hac vita ob id non possumus plura simul intelligere, vt ait Philosophus, quod per plures species illa cognoscimus, & intellectus non potest simul pluribus speciebus informari, & actuari, ad intelligendum plura, sicut vaum corpus non potest pluribus coloribus simul pingi.

D. Thom.

Non possumus plura simul intelligere.

Sed obiter huius Aristot. axioma, quod multis negotium facessit, exponam. Ait enim quod contingit plura scire, intelligere verò non. Hoc est, plures simul habere scientiarum habitus, non tamen per omnes simul intelligere. Vnde aliqui eliciunt, quod licet corporalibus oculis plura simul videamus, nempe homines, libros, & sedes, atque alia suppellectilia, quæ in eadem sunt aula: illa tamen intellectus non simul intueri valet per diuersas illorum species. Sed hoc tamen est negare experientiam & sensum, ad quod neque Aristoteles, neque vlla doctorum auctoritas non potest cogere. Sententia ergo Arist. non fuit nisi quod cùm intelligere sit rem intus atque adeò perfectè cognoscere, non possumus ad plura simul attendere perfectè: imò attentio tunc remittitur quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Nihilominus sicut corpus in gradib. remissis potest recipere qualitates contrarias: ita potest intellectus ad plura remisse simul attendere. At verò quando illa plura cognoscit per eadem speciem, vt plures partes per speciem totius, aut conclusionem per suum principium, non remittitur attentio, quin possit perfectè simul & principium & conclusio intelligi. Eodem ergo modo in beati visione: quia omnia videntur per vnicam speciem, quæ est Deus, atque intuitu eiusdem visionis, beatus simul plura perfectissimè intelligit, ac de omnibus simul iudicat, omnibusque simul fruitur. Nec temporis vllam successionem expectat, sed est velut stella actuali Dei lumine semper plena semperque absque vllo fastidio satiata.

Colligamus ergo in epilogum quæ dicta sunt, decimam adhibentes conclusionem. Omnes beati vident in verbo, quantum ad rerum existentias, quotquot ad ad suum cuiusque statum pertinent. Hoc n. est beatitudo, vt diximus, Status omnium bonorum aggregatione perfectus.

10. Concl.

Anima Christi.

Igitur anima Christi, qui est primogenitus in multis fratribus, quinetiam vnigenitus patris, videt in verbo omnia quæ Deus videt scientia visionis. Conclusio est S. Tho. 3. par. q. 10. art. 2 Illa dicitur Deus videre scientia visionis, quæ secundum aliquam temporis differentiam existunt, Nempe omnia quæ sunt vel fuerunt, vel erunt, sed illa cognoscit simplici intelligentia, quæ esse possunt, licet nunqam erunt. Quare scientia visionis non auget supra scientiam intelligentiæ nisi præsentiam rerum, non solum in verbo, sed in seipsis.

S. Thom.

Probatur conclusio. Quia quatenus est iudex viuorum & mortuorum, debet inquantum homo cognoscere mortales vniuersos, suaq; omnium opera & cogitatus. Vnde illud Ioan. 2. Ipse n. sciebat quid esset in homine, non solum inquantum Deo, verū inquantum homini ei tribuendum est. Et cùm mundus corporeus propter hominem factus sit, & in opere redemptionis Angelorum etiam ministerio fuerit vsus, ad ipsum, cui subiecta sunt omnia, spectat præterita, præsentia & futura cognoscere in verbo. Fuit n. agnus (vt Apoca. 5. legitur) qui dignus est accipere diuinitatem & sapientiā, hoc est, omnium cognitionem, vt explicuit glossa. Nō tamen nouit omnia quæ Deus facere potest, alioquin diuinam essentiā visione creata comprehenderet.

Beatissima virgo.

Post ipsum etiam beata virgo in verbo videt tanto plura quocunque alio, quanto maiori lumine gloriæ perfunditur. Et D. Petrus, qui fuit Ecclesiæ vicarius, præcipua gesta eorum quæ in Ecclesiastica administratione fiunt: & D Dominicus ea quæ ad suum attinent ordinem: & D. Franciscus ea quæ ad suum spectant: & sic de vnoquoque dicendum. Tametsi quamuis nemo nisi Deum præcisè videret, id ei ad æternam fœlicitatem sat esset: iuxta illud Aug. 7. Confess. Infœlix homo, qui scit omnia illa, scilicet creaturas, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui verò te & illa nouit, non propter illa beatior est, sed propter te solum beatus.

Vnde quantumuis dignitate & præmijs beati dispares sint, summa tamen concordia fruuntur, non solum singuli sua propria gloria, verùm & aliorum tanquam proprijs. Vnde Aug. lib. de virginitate cap. 26. super illud: In domo patris mei mansiones multæ sunt, glossat, id est, variæ præmiorum dignitates: sed erit etiam par gaudium, vt quod habebunt singuli commune, sit omnibus par, inquit, ad hunc sensum, quòd quilibet suo erit plenus & contentus. Bona enim seculi huius, quia curta sunt & angusta, possideri ab omnibus simul nequeunt in pace Quocirca quia cupidines, appetitusque mortalium nimium exorbitant naturæ legibus, decalogique mandatis, ceu quibusdam lineis & limitibus intercluduntur, vt quisque iure suo contentus, alienum ne violet: hæreditas verò illa cælestis, quia infinita est, omnium desideria complet: quare nemo alijs quod possident inuidet. Quinuerò quo plures illa fruuntur, eo se singuli fœliciores existimant. Est enim illic Deus omnia in omnibus, vt ait Apostolus. Super quo verbo Aug. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 30. Ipse, inquit, finis erit desideriorum nostrorum. & subdit. Cæterum qui futuri sint pro meritis etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quantò magis dicere? Quòd tamen futuri sint non est ambigendum. Atque id etiam beata ciuitas illa, magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori nullus inferior inuidebit: sicut nunc non inuident archangelis angeli cæteri, neque in corpore esse vult oculus, qui est digitus: quia nemo illic vult esse quod non accepit, sed pacatissimo concordiæ & charitatis vinculo ei qui accepit erit obstrictus.

Nota de bonis huius seculi.

Augus.

Argumenta in capite quæstionis proposita contra quintam conclusionem militare videntur: contendunt enim probare quòd videntes Deum per essentiam, vniuersa videant quæ in ipso sunt, tam eminenter quàm formaliter, vt secunda tenebat opinio. Illud ergo Gregorij: Quid non vident, qui videntem omnia vident? non sic intelligitur, quòd omnes videāt quicquid Deus videt, sed quòd cùm ipse quantum est de se sufficientissimum sit obiectum, quicunque in ipso quantum desiderat, videt: quia nemo plusquam pro sua dignitate videre desiderat.

Sol. 1. arg.

Ad secundum verò negatur, quòd videns speculum videat omnia quæ in ipso resplendent, nisi ipsum comprehendat.

Sol. 2. arg.

Sed aliter arguitur. Plus est videre Deum quàm omnia alia præter ipsum. etiam illa quæ Deus potest facere: qui autem videt maius, videt minus si in ipso includitur: ergo videntes Deum, omnia contuentur in ipso. Respondetur autem, quòd licet maioris perfectionis sit videre Deum quàm omnes creaturas in seipsis, perfectius tamen est sic videre ipsum vt in eo videantur omnes, quàm solum videre ipsum.

Aliud arg.

Hinc autem exurgit aliud argumentum. Cognoscere omnia quæ Deus potest producere in seipsis, profectò nemo posset nisi vel infinitis notitijs vel vna infinita: sed visio quæcunque beata est perfectior quàm esset illa, aut omnes illæ: ergo quæcunque visio Dei est infinita, atque adeò ipsius comprehensoria.

Quicquid sit de priori præmissa, quæ fortasse est vera, licet sit impossibile tot notitias, aut tantam haberi, conceditur minor: nempe quòd licet tales notitiæ aut notitia dari posset, quæ esset infinita, non esset tam perfecta quàm visio Dei: quia perfectio notitiæ attenditur ex parte obiecti, & infinitæ creaturæ, si essent possibiles in actu, non essent tam perfectæ quàm Deus. Sed nihilominus visio Dei creata est finitæ perfectionis, per quam ideò Deus non comprehenditur.

Ad tertium verò principale responsum est conclusione octaua: vbi ostendimus beatam visionem non repræsentare per modum habitus nunc plura, nunc pauciora, sed per modum actus simul omnia.

Sol. 3. arg.

Digitized by Google

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm visio Dei per essentiam omnia eminenter & in virtute contineat, quæ ad beatitudinem pertinent.

QVAMVIS ex superioribus facilè quisque colligere id posset quod hic interrogamus. Nihilominus vt explicatius contemplationem beatæ visionis concludamus, quæritur vtrum eminenter & in virtute contineat quicquid est ad supremam fœlicitatem expediens. Et arguitur ad partem negatiuam. Inter alia ad beatitudinem requiritur quod sit adeo perpetua quod amitti nequeat: illa autem visio est ex natura sua amissibilis. Omnis enim perfectio inest perfectibili secundum modum ipsius: cùm ergo homo, qui eius subiectum est, sit suapte natura mutabilis: illa etiam visio erit mutabilis.

Pars negatiua. 1. argum.

2. Argu.

Secundò. Ad beatitudinem requiritur recta voluntas, etiam perpetua: iuxta illud Augustt. Beatus est qui habet quicquid vult, & nihil male vult: illa autem beatitudo non continetur in illa visione, quoniam illa existente cum voluntas sit libera, potest ab amore Dei cessare Vel dicendum est, quod visio tollit libertatem voluntatis, quod esset illam sua perfectione denudare. Quod si potest cessare ab amore, potest etiam cessare a gaudio, quod tamen est de beatitudinis essentia: nam qui quod habet non amat, non oblectatur, in illo.

3. Argu.

Tertiò arguitur Si visio qua nunc animæ fruuntur cuncta contineret quę ad beatitudinem pertinent, consequeretur, vt post corporum resurrectionem nequirent plura videre in verbo quàm modò vident aut intensius: consequens tamen esse videtur aduersus illud Aug. 12. super Genes. c. 15. dicentis quod anima separata appetitu administrandi corpus retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in summum cœlum. i. in visionem essentiæ diuinæ. Vnde omnes inferunt sanctos resumptis corporibus fore beatiores.

Pars affirmatiua.

In contrarium est, quod beatitudo, vt dictum est, consistit in illa visione: & tamen beatitudo, vt ait Boetius, est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Duo ad fœlicitatem requisita.

Ad veram & legitimam fœlicitatem, duo Aug. 13 de Trin. cap. 5. & 6. exigi docet, scilicet & habere quod vis, & nihil malè velle. Beatus est enim, inquit, qui habet quicquid vult, & nihil malè vult. Horum autem primum potiusque est nihil malè velle: nempe rectitudo voluntatis. Quare primum omnium, vt in cæteris actionibus præfigendum est obiectum beatitudinis, vt sit bonum, quod est proprium voluntatis obiectum. Vnde mala, inquit, voluntate, vel sola, quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malè voluntatis impletur. At peruersitas naturæ nostrę est, vt cùm hæc duo ad beatitudinem requirantur, magis eligant homines, vt omnia quę volunt habeant, quàm vt omnia bene velint, etiam si non habeant: cùm hoc posterius sit primum fundamentum, atq; omnium præstantissimum in beatitudine.

Igitur ad cælestem, quæ vera est, beatitudinem tantùm tria, quæ sint de eius essentia, requiruntur, scilicet visio, amor & gaudium. Nam per visionē habemus quod amamus, & per amorem amamus quod optimum est. Et ideo per eius possessionem gaudium suscipimus, quod est honestissimum, atque adeo illud suscipere, est summa fruitio. De qua ideo fœlicitate ait 12. super Genes. ad literam Augustt. Vna & tota virtus est amare quod videas, & summa fœlicitas habere quod amas. Non dixit, summa fœlicitas est amare, sed habere quod amas. At verò sicut amare illic rectitudinem dicit voluntatis: ita & habere firmitatem & possessionis perpetuitatem. Huic autem beatitudinis essentiæ inseparabilia accidentia sunt honor & gloria, quæ Deo sunt attributa necessaria: iuxta illud 1 Tim. 1. Soli Deo honor & gloria. Quod & de sanctis per participationem conuenire canitur nempe in illo versiculo Psal. 8. Gloria & honore coronasti eum.

Honor & gloria.

Corpora verò in quæ animarum beatitudo per dotes effluat & amicos: nimirum sanctorum consortium, accidentia sunt beatitudini accedentia. Sed tamen bona alia externa, quæ in hac animali vita ad fœlicitatem petinent, vt bonorum possessio, &c. nequaquam ad illam fœlicitatem spectant, vt supra diximus: quia illa bona vel requiruntur ad sustentationem corporis animalis, vel ad operationes aliquas & officia, quę per huiusmodi corruptibile corpus exercemus. in illa autem vita (vt 1. ad Corinth. 15. ait Paulus) non erit corpus animale, sed spirituale.

Propositum præsentis articuli.

Proponimus ergo præsenti articulo ostendere cuncta, quæ ad rationem veræ beatitudinis attinent, in visione tanquam in primo fundamento eminenter contineri, vt sit ipsa in virtute status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hoc autem sex conclusionibus explicabitur. Prima. Illa visio est possessio omnium quæ rectè desiderari possunt. Hæc iam supra. q. 1. art. 3. est asserta, vbi monstratum est, quòd per visionem Deum apprehendimus: cùm intellectus sit potentia apprehensiua, non autem voluntas: & Deum cùm sit intelligibilis, per aliam potentiam attingere & consequi non possimus. Per voluntatem enim amore eum quærimus, & per visionem adipiscimur. In quo subinde amantis voluntas conquiescit: iuxta illud Cantic. 3. Quæsiui quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Cum vero Deus, vt sæpè dictum est, sit eminenter omnia quæ rectè desiderari possunt, per illam visionem beatus habet quicquid recta ratione vult. Vt qua phrasi ait Gregorius: Quid non vident, qui videntem omnia vident? dicere quoque possumus: Quid non habet & possidet, qui eum qui omnia est possidet? Vnde Aug. loco supra citato lib. 22. de ciui. Dei, c. 30. super illud Esaiæ: Ego ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs, ait. Quid hoc est, nisi ego ero vnde satientur, ego ero quæcunque a bonis honestis desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona?

1. Concl.

2. Concl.

Secunda conclusio. Visio beatrix suapte natura est perpetua. Hæc conclusio aduersus priscos imprimis hæreticos, sed & quodammodo aduersus quosdam catholicos constituitur. Fuerunt enim Origenianistæ ab Origene Adamantio dicti, inter quorum alios errores Epiphanius, & secundum eum Aug. in lib. de hæresibus c. 43. vnum hoc referunt, cuius supra dist. 45. q. 2. art. 2. meminimus, & ficut damnati possunt quandoque liberari, & ad fœlicitatē transire: ita & beati possunt de sua fœlicitate in miseriam incidere. Sed hæc hæresis adeò est demens, vt vix credatur in illa Origenem permansisse. Quamuis illius etiam meminerit D. Tho. 1. 2. q. 5. art. 4. At verò inter catholicos quamuis nullus sit, qui non fateatur visionem illam esse perpetuam: dicunt tamen nonnulli id non suapte habere natura. Sed quia Deus pro suo (vt aiunt) beneplacito vult illam perpetuò conseruare. Contra quos asserimus hoc ex sua ipsius habere natura. Etenim qui aliter loquuntur, non satis visionem illam pro sua dignitate æstimant. Illo enim pacto & ego, & corruptibilium quodcunque posset esse perpetuum. Conclusio verò nostra asserit, quod visio illa est perpetua, veluti angeli & cœlorum orbes. Angelum enim, quamuis Deus supra naturam creando condiderit, dedit nihilominus ei substantiam & esse natura sua perpetuum. Itaque sine speciali auxilio Dei perpetuò est duraturus: sicuti animæ nostræ & cœli, quæ ideo res miraculum essent si finem haberent: quia nequeunt nisi per annihilationem finiri. Homines verò & corruptibilia mixta vice versa, quia corruptibilia sunt, nequeunt per concursum Dei generalem perpetuò subsistere, sed supranaturaliter per specialem Dei concursum. Igitur sicut angelus, sic & visio beata, quamuis supranaturaliter sit producta: nihilominus (sicut lumen ipsum gloriæ) suapte natura est incorruptibilis. Itaque naturale est ei semper existere, & si corrumperetur, esset supranaturale miraculum. Probatur conclusio. Illa visio est vita æterna: ergo sicut natura sua est esse vitam, ita & suapte natura est æterna.

Visio beata suapte natura perpetua.

Probatio.

Secundò. Quia visio naturam insequitur speciei per quam producitur: illa autem producitur a Deo concurrente, non solum vt concurrit ad propagationem corruptibilium, sed in ratione speciei: ergo & visio illa inde incorruptibilitatis sortitur naturam.

Ratio. 2.

Tertiò ad idem arguitur cum D. Thom. loco citato 1. 2. q. 5. art. 4. Si illa esset natura sua corruptibilis, aut ex parte Dei id proueniret, aut ex parte libertatis subiecti, nempe videntis, aut ex parte alicuius agentis contrarij. Non ex parte Dei: quoniam subtrahere visionem illam esset pœna, postquam illa confertur in præmium: pœna autem à Deo equissimo

Ratio. 3.

Non est corruptibilis ex parte Dei.

iudice non nisi propter culpam infligitur: culpa verò illic, cùm voluntatis rectitudo, vt statim dicemus, sit ex illa visione necessario consequens non potest accidere: ergo Deo cessante illam conseruare non est corruptibilis. Quinimò in sensu composito, vt illam postquam contulerit auferat, bonitati Dei, ac perinde fidei, qua fidelis est, apertè repugnat. Quapropter si omnipotentia Dei infinita bonitati eius, fideique & constantiæ dictorum alligata consideretur, non potest per talem potentiam illa visione beatos expoliare.

Ex parte subiecti non est corruptibilis.

Quod autem nec ex parte libertatis subiecti illa sit corruptibilis, probatur. Quoniam qui bono carere optat quod possidet, aut hoc facit quia bonum illud insufficiens iudicat, aut aliquod habens annexum incommodum, propter quod illud fastidit: visio autem diuinæ essentiæ animam bonis omnibus complet: quippe quam summo fonti totius bonitatis coniungit. Vnde in psal. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et Sapien. 7. Venerunt mihi cuncta bona pariter cum illa, nempe cum illa diuinitatis contemplatione Quòd autem nihil habere queat incommoditatis annexum, probatur. Nam in fonte illo bonitatis vt omnis est bonorum sufficientia, ita neque potest quippiam incommodi apparere. Vnde Sapien. 8. Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus eius, sed lætitiam & gaudium. Quapropter nullum ex illa satietate potest fastidium suboriri. Vnde Ecclesiastici 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient: quoniam quanto magis eius dulcedo cognoscitur, tanto auidius percipitur. Vnde Aug. lib. illo pluries citato 22. de ciuita. Dei c. 30. Ipse, inquit, finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

Quorundam obiectio.

Sunt verò qui dicunt voluntatem ob id solum, vt suam experiatur libertatem, posse ab illa visione desistere, nisi Deus supranaturaliter illam retineret, atque adeò colligunt illam visionem suapte natura non esse perpetuam.

Attamè isti non animaduertunt libertatis amplitudinem, quantumuis magnam, infra limites obiecti voluntatis esse intercluſam, neque foras egredi posse: obiectum autem voluntatis respectu volitionis est bonum, saltem apparens, & respectu nolitionis malum. Quapropter nisi experientia libertatis sub ratione boni repræsentetur, neutiquam voluntas eadem potest vti libertate: voluntati autem videntis Deum sub nullius potest ratione boni repræsentari, ab illa visione cessare, atque adeò nec libertatem in hoc experiri: quare neq; ab illa visione desistere potest.

Visio beata nulli subdi-tur contrario.

Cæterum neque vllius tertij agentis virtute potest eadem visio vel mutari, vel deperire. Probatur. Mens per illius visionis celsitudinem Deo coniuncta super omnes eleuatur creaturas, atque adeò ab omnibus eximitur periculis, quæ ab illis existere possunt. Quare absurdum est beatitudinem illam, vt Origeniani Hæ contendebant, alternationibus subijcere: quæ quidem non nisi temporis successione & vicissitudine contingunt, cùm visio illa tempori, quod motus mensura est, non subiaceat, sed sit æterna, atque adeò omni motu & vicissitudine exempta. Vnde Dauid. Lauda Hierusalem (hoc est visio pacis) DOMINUM: lauda DEUM tuum. Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum (scilicet, ne quippiam illuc aduersi penetrare possit, quod ineffabilem illam requiem perturbare valeat) sed benedixit filijs tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem (sine vllo bellorum periculo) & adipe frumenti satiat te. Nempe DEI ipsius cõspectu, qui radix est fructuum omnium prima, atque adeò per nullam inopiam beata illa vita deficere potest.

Lauda Hierusalem, &c.

3. Concl.

Huic conclusioni annectitur tertia. Visio illa suapte natura habet certum, securumque facere beatum suæ perpetuitatis. Probatur. Visio illa est beatitudo, ac perinde bonum sufficiens, cunctis, scilicet rectis desiderijs satis faciens. Inter desideria autem humana hoc est vnum, vt supra diximus: scilicet non carere bono quod possidet, atque huius certitudinem habere: nam si illa certitudine careret, non posset non anxiari, sicut si bonum illud perderet, non posset non tristari: per illam ergo visionem iudicat in verbo beatus tutum se esse, & perpetuitatis illius beatitudinis certum.

Atque hoc est recens aliud argumentum, quòd visio suapte natura sit perpetua: nam si illud iudicium quo id iudicat est verum, perpetua est: sin falsum, visio illa non esset beatitudo: nam fallitas, quia malum est, beatitudini aduersatur.

Recens argumen.

Quarta conclusio. Visio beata in sua natura & essentiali virtute includit voluntatis rectitudinem, quæ est ad beatitudinem necessaria. Et ratio est. Quia visio illa necessitatem voluntati infert amandi Deum, non solum quoad specificationem, vt actum contrarium habere nequeat, verùm & quoad exercitium, vt ab eodem amore cessare non valeat. Hanc conclusionem negat Scotus distin. præsenti, quæst. 9. Sed latiùs in primo Senten. distin. 1. quæst. 4. Negat inquam voluntatem beati necessitari quoad exercitium ad amandum.

4. Concl.

Scotus.

Nihilominus antequam eius argumenta referamus, probatur plane conclusio. Finis vltimus, in quem homo suapte natura fertur, & ad quem humana natura, cùm ad imaginem Dei fabricata est, fuit instituta, & ad quem per fidei cognitionem fuit illustrata, & diuino gloriæ lumine eleuata, est perspicua illa Dei visio: sed omnis natura dum ad finem suum naturalem peruenit, naturaliter ibi conquiescit: vt patet de graui quando est in centro, & de vnoquoque elemento dum in suo proprio est loco: atque ita in eo quiescit, vt nullus ei fiat reliquus appetitus inde abscedendi: ergo & voluntas clarè videntis Deum, sic ei amore infigitur, adeoque in eo conquiescit, vt nullus ei relinquatur appetitus, aut potentia ab illa visione, amore, ac fruitione euellendi sese. Imò sicut graue corpus in centro, sic spiritus illi fœlices in illo suo supremo fine immobiles suapte natura consistunt.

Probatio conclusionis aduersus Scotum.

Secundò id probatur. Voluntas, vt supra dictum est, ad suam beatitudinem sub generali ratione boni cognitam appetendum, quo ad specificationem necessitatur, quoad exercitium verò non item: sed ratio est, tum quòd beatitudo sic cognita non nihil difficultatis voluntati offert ad illam insequendam, propterea quod ab alijs voluptatibus est ei abstinendum: tum etiam quòd homini in hac vita opus est alijs vacare negotijs, necesse est ei vt ab illis actibus cognoscendi & appetendi finem distrahatur. Vbi autem Deus præsens est, euidenterque conspectus, nil prorsus difficultatis aut laboris in eo amando apparere potest: imò summa facilitas & fœlicitas. Neque illic alia negotia possunt voluntatem interpellare, vt ab illo visionis splendore & amoris dulcedine cesset.

2. Ratio.

Tertiò denique arguitur. Voluntas nunquam ab amore rei cessat, nisi vel quia potentia fatigata lassatur, & somno forti sopitur, vel ad aliud se amandum transfert, quod pluris æstimat. Illic autem neque vlla potest esse lassitudo, aut somnium, neque vlla res offerre se potest præ Deo ipso diligenda, ad quam se voluntas conuertat: ergo non potest ab illo amore cessare. Nam quod vt suam experiatur libertatem id facere possit, iam reprobatum est: quoniam id non potest voluntati sub aliqua ratione boni præsentari.

3. Ratio.

Sed ait Scotus, quòd nondum satis probatum est non posse volũtatem velle aliquid nisi sub ratione boni, aut nolle nisi sub ratione mali. At verò hoc satis superque supra demonstratum est. Quinetiam adeò est per se notum, vt probatione non egeat.

Cauillus.

Argumenta verò Scoti iam supra diluta sunt. Vnum enim est, quòd potentia inferior, qualem putat esse intellectum, non potest superiorem vincere, nempe voluntatem. Veruntamen præterquam quod falsum est intellectum esse potentiam inferiorem, vt supra satis ostendimus, vis illa non est in intellectu, sed in obiecto clarè viso, & per intellectum voluntati applicato.

Respondetur argũ. Scoti.

Alia eius ratio est. Eadem est potentia quæ vult finem, & media propter finem: eadem autem potentia non habet contrarios modos agendi, nempe naturaliter & liberè, qui sunt modi oppositi: cùm ergo liberè velit media, liberè etiam vult finem.

Respondetur autem ad minorem. Quod modi agendi naturaliter & liberè non sunt in eadem potentia contrarij respectu diuersorum: & ideo voluntas vult finem optimè applicatum de necessitate scilicet tanquam natura, & medium libere. Quæ quidem diuersitas consistit in ipsis obiectis diuersimodè

, mouen-

mouentibus, scilicet in fine clare viso, qui necessitatem infert voluntati, & in medijs, quæ ad id non sufficiunt. Vt patet respectu intellectus, qui ad assensum primorum principiorum necessariò mouetur: non tamen ad conclusiones, quæ inde non necessaria consequentia inferuntur.

Aliud arg. Sed arguit rursus. Diuersa applicatio obiecti non mutat id quod intrinsecum est voluntati: Deus autem obscure visus in hac vita non necessitat ad sui amorem: ergo neque clarè visus in patria. Negatur maior. Imò cùm Deus in se vim habeat trahendi ad amorem sui voluntatem ex necessitate, si in via id non facit, est, quia imperfectè applicatur per intellectum. Et præterea quia voluntas est in via labilitudini subdita, & ideo in patria, vbi perfectè per visionem applicatur, nec voluntas fatigari potest, Deus trahit ipsam ad se plena virtute, atque adeò ex necessitate.

Aliud arg. Et per hoc soluitur aliud Scoti argumentum. Arguit quippe. Non potest voluntas, quæ antea liberè mouebatur, nunc ex necessitate moueri, nisi aliquod intrinsecum ei recens adueniat: per visionem autem nihil intrinseci voluntas acquirit: ergo non ex necessitate mouetur. Respondetur enim ad maiorem: Non opus esse vt voluntas aliquod principium intrinsecum nouum acquirat: quia hoc est ei perpetuò natiuum & naturæ suæ intrinsecum, vt ad suum finem non perfectè applicatum non moueatur, de necessitate quo ad exercitium, & tamen si applicetur perfectè, feratur in ipsum tanquam mera natura.

Amor in patria non est liber. Hinc fit beatificum amorem non esse liberum libertate contradictionis aut contrarietatis, sed necessarium, veluti est ille quo se ipse Deus amat: licet Deo insit à natura, imò ipse sit sinus amor: & in beato producatur à Deo ipso clare viso. Est nihilominus actus voluntarius, hoc est, à voluntate procedens. Non tamen meritorius noui præmij, licet sit optimus.

Non est coactus. Sed argues. Ille amor est necessarius: ergo est coactus. Negatur consequentia. Quoniam necessitas solum tollit libertatem contrarietatis aut contradictionis, scilicet aut ponendi contrarium actum, aut nullum habendi. Coactio verò addit insuper, vt actus fiat contra inclinationem suppositi, atque adeo voluntatis, quæ eius est appetitus: & tamen amor ille est ipsissima voluntatis inclinatio.

Libertas. Imo vero quamuis libertas vno proprioque modo accipiatur, vt dictum est, vsurpatur tamen etiam à sanctis patribus pro actu voluntatis, ad quem maximè inclinatur: qua phrasi vtentes aiunt summam in beatis inesse libertatem, eo quod adeo summo bono inhæreant vt neque ab illo diuelli possint, nec peccare queant, nam peccandi non est potentia, sed impotentia potius. Absit enim vt Deum impotentem dicamus, eo quod peccare non possit, eùm peccare potius sit deficere. Quocirca Augustinus eodem citato cap. 30. lib. 22. de ciuitate Dei. Neque ideo, inquit, liberum arbitrium non habebunt (scilicet beati) quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libratum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare. Hoc autem nouissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Aliud est n. esse Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest, particeps vero Dei ab illo accipit, vt peccare non possit. Hæc ille. Igitur cum voluntatis inclinatio sit in bonum secundum rationem, quando ei immobilis hæret, summa censetur libertate frui. Præsertim quod in beatis, quamuis eorum voluntas sit ad bonum per Dei amorem determinata, nihilominus non prorsus est ad vnum singulare constricta, quin possit vnum & aliud bonum, atque diuersa in proprio genere velle, quæ in Deum ipsum referantur. Quemadmodum & Christi voluntas libera fuit, tametsi nequaquam peccatrix.

5. Concl. Ex his planè colligitur quinta conclusio. In eadem beante visione eminenter continetur perpetuum, idque honestissimum gaudium & fruitio. Quinimo, vt supra monstratum reliquimus, visio ipsa est per quam voluntas voluptatem captat. Quæ quidem lætitiæ captatio est viso Deo frui.

Constitutum denique satis habemus in visione beatifica cuncta eminenter contineri quæ in essentia beatitudinis includuntur. De accidentibus ergo quæ ei propria sunt & inseparabilia, quasi ex eadem visione fluentia, subiungitur sexta conclusio. *6. Concl.* Ex eadem visione dimanant gloria & honor. Differt autem inter hæc, quòd gloria (vt ait Ambrosius) est clara cum laude notitia. Honor autem (vt 1. Ethicorum autor est Philosophus) est reuerentia cuipiam propter aliquam eius excellentiam exhibita, & potissimum propter virtutem. Est enim honor virtutis præmium. Vnde ipsa nomen sortitur boni honesti. Quapropter gloria ex natura sua antecellit honorem. Nam quia merita, & excellentia personæ nota est, digna existimatur honore.

Gloria. Gloria verò, vt super ca. 2 ad Romanos annotauimus, bifariam potest intelligi. Primò gloria ipsa Dei, quæ per illam visionem in beatos exundat. Notitia enim illa ineffabilis, qua seipsum, suarumque perfectionum abyssum cognoscit, & comprehendit, quatenus per eam ipse sibi ab æterno innotuit, dicitur, estq; gloria Dei. Et quia per beatrices illas visiones beatis itidem innotescit, per illam eis gloriam suam communicat, qua beatorum desideria explet. Quo ideo modo psalmista nomen gloriæ vsurpauit, vbi dixit: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Atque in hoc eodem significato Iacobus appellauit Deum, patrem luminum. Quin verò (vt enarrat Origenes) cùm pater fons gloriæ sit Christus (vt ad Hebr. 1. ait Apostolus) fuit vnigenitus eius splendor. Ait quippe, Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Idem. n. est, & splendorem esse gloriæ, & figuram substantiæ. Vnde Dauid psal. 109 In splendoribus sanctorum ante Luciferum genui te, id est, In illis splendoribus ab æterno, qui in tempore erant cum sanctis cõmunicandi. Et ideo idem Christus, qui splendor est vnigenitus patris & tanquam homo, primogenitus in multis fratribus eiusdem nos facit gloriæ participes. Iuxta illud Esaiæ. 68. Requiem tibi dabit dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit. Atq; hæc est essentialis beatorum gloria. Quo ideo consuetissimo nomine fœlicitatem vitæ æternæ significamus. *Essentialis gloria.*

Gloria secundo modo. Sed potest nihilominus in præsentiarum gloria, pro illa clara notitia vsurpari, quam de dignitate & meritis vniuscuiusq; beati, tum Deus, tum etiam per ipsum reliquorum beatorum cœtus maxima cum laude habebunt. Hoc enim significatu opulentiæ dignitatisque amplitudo, quæ latissime patet, & cunctis nota est, gloria nuncupatur. Vnde vt Genes. 45. legitur, Ioseph fratribus ait: Ite, annuntiate patri meo omnem gloriam meam. Christus autem, cordium etiam inspector, in illo supremo iudicio sanctorum merita, per eius gratiam cumulata, quæ in hac vita magna ex parte latent, cunctis propalabit, vt magna cum laude fiant manifesta. Esuriui & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere, &c. *Genes. 45.*

Honor duplex. Atqui quemadmodum gloria, ita & honor duplex impræsentiarum censeri potest, scilicet & ille inæstimabilis, quo Deus fœlicissimos suos amicos honestabit. Nominibus scilicet honorificis, non iam seruos, sed amicos appellando, imò & Dei filios: iuxta illud Ioannis, Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus. Quare & in suam hæreditatem admittens, Venite, inquiet, benedicti patris mei, percipite regnum. Meritò ergo Psalm. ait: Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Secundus honor. Secundus etiam illic erit honor mutuus, quem sibi inuicem beati sunt delaturi. Qui quidem honor summo pretio æstimandus est. Nam si (vt ait Aristot.) ob id à sapientibus honorari cupimus, quod illi sunt certiores virtutis nostræ testes, quanto pluris habendus est honor ab illis exhibitus, qui & optimi sunt, & falli nequeunt?

Corpora & amici. Accidentaria verò, quæ essentiæ beatitudinis adhærescunt, sunt corpora, quæ gloriæ dotibus donantur, ac demum amicorum contubernium, vt eadem in omnes diffusa gloria singulos fœlicius delectet. Et hæc quoque iure illius beatæ visionis beatis accedunt: quæ ideo viso status est omnium bonorum aggregatione perfectus.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quamuis homo secundum suam naturam sit mutabilis,

tamen quia virtute diuina in illa superna beatitudine per lumen gloriæ subleuatur, capax sit illius beatitudinis, quæ cùm sit sufficientissimum bonum, immobiliter inhæret, facitque suum ipsius subiectum immutabile.

Sol. 2. arg. Secundum autem iam solutum est, vbi monstrauimus, quòd voluntas respectu amoris Dei viti, non est libera libertate contradictionis aut contrarietatis, vt possit ab illo bono desistere, aut contrarium committere peccatum. Neque hoc est, sua perfectione priuari: imò illa est summa libertas, summo bono immobiliter adhærere, atque illa requie & pace Dei frui, quæ exuperat omnem sensum.

3. Argu. Tertium argumentum offert quæstionem illam quæ hic solet per se latius disputari, vtrum beatitudo sanctorum post corporum resurrectionem sit futura maior, quam sit modo: sed tamen quia breuissimæ facilli mæque expeditionis est, non opus habet singulari articulo. Dissoluitur ergo sub distinctionibus duabus. Sermo enim haberi potest aut de beatitudine essentiali, scilicet de visione, aut de accidentali & aduentitia. Item augeri beatitudinem, bifariam intelligi potest, videlicet aut extensiue (quod aiunt) aut intensiuè. Atqui beatitudo sanctorum post resurrectionem extensiuè amplior erit, non solum quia plures erunt beati: verùm quia vniuscuiusq; beatitudo latius diffundetur, tum propter ampliorem societatem fruentium Deo: tum etiam quia dilatabitur ad corpus: nam ex visione animæ deriuabuntur dotes in corpora, ac subinde gaudium accidentarium accumulabitur propter satiatum appetitum naturalem, quem anima habet ad corpus.

Beatitudo post resurrectionem extensiuè maior.

Vtrùm verò visio ipsa intensiuè augeatur, respondet hic D. Thom. quæstione prima, artic. quarto affirmatiuè. Et ratio eius est, quia anima perfectius habet esse (simpliciter loquendo) in corpore, quoniam est actus corporis, quàm separata. Sed accidit ei quando corpus est corruptibile, vt minus bene habeat: quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Sublata ergo illa mole & grauedine, vt aufertur à corpore glorioso, perfectius erit anima in corpore illo quam separata: ex perfectiori autem esse prouenit perfectior operatio, vt patet, in corpore sano respectu ægri: ergo anima tunc perfectius videbit: quod est intensius augeri visionem. Et hoc est (inquit) quod sonat autoritas allegata Augustini.

D. Thom.

Durandus. Durandus verò distin. præsenti quæstione 7. contrariam tenet sententiam, quia anima in corpore glorioso non habet, inquit, perfectius esse, vt perfectius sit nomen adiacens huic quod est esse, licet perfectiori modo sit in corpore. Et reuera quicquid sit de argumento Durandi, non video quomodo visio hoc modo intensiuè augeatur: nam si in genere visionis intensior est, erit clarior, et si clarior, plura repræsentabit: nam clarius videre aliquod principium in ratione principij, est plures effectus seu conclusiones in ipso videre. Etenim simili modo argumentabatur superius D. Th. quod qui omnia in verbo videret, quæ eminenter continet ipsum comprehenderet. Præterea quicunque picturam clarius videt, plura in ipsa videt: nam distinctius videt.

Visio post resurrectionem non erit intensior.

Maximum argument. Atqui omnium argumentorum maximum est, quod resumpto corpore non augebitur lumen & totus conatus, vt supra diximus, est secundum luminis quantitatem, & non secundum vires naturales: & ideo licet appetitus animæ in corpore esset liberior, non ideo esset vegetior ad Deum videndum. Igitur D. Thom. in summa nempe 1. 2. q. 4. artic. 5. hanc deseruit opinionem, dicens quod resumptis corporibus solum augebitur gloria extensiuè: quia derivabitur ad corpus per dotes. Et argumento quarto obiecit autoritatem illam Aug. quòd appetitu corporis anima separata retardatur ne tota intentione feratur in Deum, & respondet non aliter intelligi, quàm quòd licet quiescat in Deo, tamen vellet vt ad participationem suæ beatitudinis corpus per dotes pertingeret. Et sic solutum restat argumentum. Videlicet quod animæ beatæ resumptis corporibus non videbunt plura in verbo, neque illud clarius aut intensius, sed erunt beatiores accidentaliter, quo ad corpora, & quo ad plenum beatorum numerum & consortium.

S. Tho. se correxit.

Quæstio quarta,

DE DOTIBVS GLORIÆ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm aliqua sint in beatis dotes.

DE beatitudine & gloria essentiali hactenus dictum est, subsequitur nunc de dotibus sermo, quæ inde promanant. Quæritur ergo primo in genere. Vtrum sint aliquæ dotes. Et arguitur à parte negatiua: dos est id quod sponso pater sponsæ, sed onera sustinenda matrimonij iure cõsignat: sancti autem non gerunt figuram sponsi, nec Deus figuram patris sponsæ, imò patris sponsi, nempe Christi: ergo dos non habet locum in beatis.

Pars negatiua 1. arg.

2. Argu. Secundò arguitur. Dos est ornatus animæ & corporis: beatitudo autem est ipse idem animæ ornatus: ergo dos non distinguitur à beatitudine.

Pars affirmatiua. In contrarium est, quod ad Ephesios 5. referens Apostolus matrimonium primorum parentum ait: Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo & Ecclesia. Vbi matrimonium spirituale animæ per illud designari docet: in matrimonio autem carnis sponsa non nisi dotata traducitur in domum sponsi: ergo similiter anima in cælum assumitur.

Dos nomē. Dos à dando dicitur: nullibi tamen est nisi recipiatur. Vnde pro quocunque dono seu munere generaliter vsurpatur: siue à Deo donatum sit, vt Gen. 30. dotauit me Deus dote bona: siue à natura, secundum animam vel corpus: quemadmodum dicimus hominem scientia & virtute dotatum, & pulchritudine, & viribus. Et Ouidius. Et quacunque potes dote placere, place. Atque hoc pacto nonnulli arbitrantur doti s nomen in præsentia vsurpari. Sed tamen ratio non consentit: quoniam tunc non possent dotes sub certo numero comprehendi: quippe cùm vniuersa dona, quibus diuinitus donamur, hanc habeant rationem dotis. Accipitur ergo in præsentia dos, secundum acceptionem & vsum iuris, instar illius quo sponsa dotatur, vt possit maritus onera matrimonij sustinere. Vnde dos (vt definiri assolet) est perpetuus ornatus animæ, & corporis ratione spiritualis matrimonij, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine iugiter perseuerans.

1. Cond. Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respõdetur. Prima. Dotes quibus anima in ingressu cæli, & corpus in resurrectione dotantur, patrum traditione, quæ in sacro eloquio fundamentum habet, receptissimæ in ecclesia sunt. Dixerim traditione patrum. Quoniam sub hoc nomine dotium, talis assertio non extat expressè in sacra scriptura. Nihilominus in ea fundamentum habet. Enimuerò quia natiuum nobis est, eò quòd cognitio nostra à sensu incipit, spiritualia similitudine corporalium intelligere, copulatio animæ cum Deo desponsationis & matrimonij nomine nobis significatur: potissimum coniunctio Christi per amorem cum ecclesia, quando nostram naturam assumpsit, qua Deus factus est homo. Hanc enim loco citato ait Paulus, sub mysterio in illo primorum parentum matrimonio fuisse designatam. Vnde in Psal. 18. vbi eius incarnatio denotatur, tanquam sponsus prænuntiatur procedens de thalamo suo. Et ad Ephes. 5. Apostolus: Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, &c. vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Etenim quemadmodum per carnale matrimonium, vt legitur Genes. 2. fiunt duo in carne vna, ad propagationem humani generis secũdum carnem: Ita per vnionem, qua sibi Christus humanitatem vniuit, facti sunt Deus & eius ecclesia duo in vno spiritu, ad propagationem filiorum, quos sibi Deus adoptare constituit.

Desponsatio Christi cum ecclesia.

Desponsatio in baptismo. Quocirca per baptismum, quod est ecclesiæ sacramentum, virtute passionis Christi institutum, dum cum ipsò morientes, & cum ipso sepulti membra eius efficimur, fide formata renascimur filij Dei: iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. Igitur qua ratione ecclesia est sponsa Christi, eadem quicunque in eius gremio in gratia Dei

existens

existens, est filius Dei illo matrimonio genitus. Nihilominus & quicunque nomen etiam sponsæ retinet. Nam illa copulatio per gratiam in baptismo, vt respectu Dei adoptio in filium est, & respectu Christi incorporatio membri in suum corpus. Ita est & desponsatio, qua ratione est coniunctio cum Deo in vno spiritu. Illic enim Deus animam ceu sponsam amplexatur: iuxta illud Cantic. secundo: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Vnde Paulus secundæ ad Corinth. vndecimo: Desponsi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Itaque nomen sponsæ, vt totæ collectioni ecclesiæ, ita & singulis eius membris adapratur. Vnde cuicunque animæ per gratiam Deo coniunctæ, ait sponsus Cantic. 4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. Etenim quia Dei nascitur filia, soror est Christi: sed nihilominus propter amplexus gratiæ ad edēdos spirituales fructus & fœtus, etiam sponsa est. Et ideo subdit: Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa.

Collectio nominis dotis.

Hinc ergo meritissimò sancti patres nomen dotium collegerunt: Deum scilicet considerantes sponsam suam, cùm eam domo receperit, dotatum ire. Legitur enim Esa. 61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Et Psalm. 44 Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Et Cantic. 1. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

Dotes non nisi in gloria dantur.

At verò quoniam vt tt. de iure dotium. l. Dotis. habetur, dotis appellatio non refertur ad matrimonium quo ad vsque sit omnino confirmatum, dotes non sunt, nisi quæ in ingressu gloriæ conferuntur. Quapropter gratia, per quam in hoc seculo desponsamur Deo, nomen dotis non obtinet, neque verò habitus infusi fidei & charitatis: quoniam nondum in hoc seculo sic confirmatur matrimonium, vt in domum sponsi traducamur, sed possumus ab illa dignitate decidere, ac subinde matrimonium dissoluere. Dicitur autem gratia pignus seu potius arrha gloriæ: nam arrha est quæ postea perseuerat in matrimonio. Dotes ergo sunt illæ, quæ ad sufficientiā æternæ vitæ conferuntur in domo Dei, vbi mansiones multæ sunt.

Gratia est arrha gloriæ.

Et per hoc soluitur argumentum, si quis arguat. Dos matrimonij causa confertur: sed per fidem desponsamur Christo: iuxta illud apud Ioan. citatum. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius: ergo fides est dos. Respondetur, inquam, quod per fidem non confirmatur matrimonium, vt non sit dissolubile. Et ideo non dotantur animæ nisi in introitu cæli. Quamdiu enim vita hæc durat (vt 2. ad Cor. 5. ait Paulus) peregrinamur à domino.

Arg. sol.

Hinc ergo colligitur antequam Christus humanitatem indutus Ecclesiam sibi desponsasset, neminem vnquam neque sub lege naturæ, neque sub lege scripta, quantuis sanctimonia ab hac luce demigraret, dotibus fuisse ornatum: quia neque vllus fuit illueusque cælum ingressus.

Ante orbem redemptū, non fuerunt dotes.

Redarguet autem quis forsan contra hanc dotium assertionem. Dotes, vt dictum est, ad ferenda onera matrimonij conferuntur, vt scilicet facilius tolerentur: sed in patria nulla sunt onera, nec difficultas in illa sustinenda vita: ergo inepte illa dona dicuntur dotes. Præsertim cùm dotes ad externa fortunæ bona pertineant: & tamen beatorum præmia intus animæ conferantur.

Obiectiones.

Ad primum verò respondetur, quòd doti aliud per se inest, aliud verò per accidens. Per se inquam est matrimonij solatium, & vitæ emolumentum & subsidium. Per accidens autem habet, ab onere & molestia matrimonij animum leuare. & inopiam supplere. Dotes ergo congruunt beatis secundum priorem rationem: nam posterior non habet illic locum. Neque verò omnimoda extat similitudo in bonorum genere huius seculi: nam in matrimonio carnali decore opus est, & ornamento exteriori, ob idque sponsa bonis fortunæ dotatur. In matrimonio verò spirituali decor intrinsecus est in anima: iuxta illud psal. 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis: & ideo dotes exigit spirituales.

Solutiones.

Ad primum igitur capitale respondetur. Quod quamuis dos sponso assignetur, cuius durante matrimonio est eius possessio & vsus: tamen eius dominium non est nisi sponsæ: quæ ideo dicitur dotata, vel si dote caruerit, dicitur indotata. Quapropter dissoluto matrimonio tale dominium penes ipsam iure permanet. Pari ergo modo dotes, quæ ecclesiæ & singulis eius membris conferuntur in patria, quantum ad vsum sunt sponsi, scilicet Dei, in cuius gloriam & honorem cedunt, sed quantum ad dominium sunt sponsæ, quæ huiuscemodi dotibus ornatur.

Sol. 1. arg.

Ad aliud verò membrum respondetur, quod quamuis in more sit, vt patentes puellę illam de suis bonis dotent, quæ quidem dos, quia à patre proficiscitur, dicitur profectitia. ff. de iure dotium. l. profectitia. Hoc autem non est de intrinseca ratione dotis, sed accidentarium: potest enim à quocunque alio dotari, nempe vel ab eo qui eam violauerit: iuxta illud Exodi. 22. Si seduxerit quis virginem, necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem. Vel potest dotari à patre sponsi, vt de Sychem legitur Genes. 34. Qui cùm optaret Iacobi filiam filio suo in vxorem tradere, dixit ad Iacob, & fratres eius: Augete dotem, & munera postulate. Quin verò & sponsus ipse amore ductus sponsæ illam dotat, vt senes solēt puellas virgines. Ad propositum ergo. Quamuis pater in diuinis sit pater sponsi ecclesiæ, nempe Christi: pater tamen sponsæ, scilicet ecclesiæ, & eius membrorum est tota trinitas: nempe Deus quatenus vnus in tribus personis: & quia effectus ad extra totius sunt trinitatis, pater potius sponsæ secundum proprietatem eam dotibus exornat quam pater sponsi, nempe Deus potius quàm prima persona trinitatis. Quamuis per appropriationem & attributionem eadem dotatio secundum diuersas considerationes aliæ atque aliæ personæ adscribatur. Attribuitur enim patri: quia in ipso est respectu creaturarum prima autoritas & paternitas. Et sic eidem patri, qui per proprietatem est pater sponsi, & per attributionem est pater sponsæ, conuenit ipsam dotare. Filio autem eadem attribuitur dotatio: quia propter ipsum, & per ipsum cuncta nobis donantur. Ac demum Spiritui sancto, quatenus in ipso & secūdum ipsum donatur nobis charitas Dei, quæ est vniuersæ donationis ratio.

Quomodo Deus dotet animam.

Secunda conclusio. Dotium aliquæ sola ratione differunt à beatitudine. Aliæ verò differunt re. D Thom dist. præsenti. q. 4. art. 2. refert opinionem tenentium quòd solùm differunt à beatitudine ratione, atque illa reiecta tenet quòd differunt re. Sed tamen si in particulari considerentur, vt ex dictis eius in alijs locis & ex rei veritate colligitur, fortasse non tam vniuersaliter absolutè respondendum est: quòd omnes differant realiter, vt suis singularum articulis examinabitur saltem dotes animæ. Dotes namque corporis planum est realiter differre à visione, quæ est in anima, in qua beatitudo collocatur. Sunt enim corporum perfectiones & ornatus, ex animæ beatitudine deriuati. vt infra monstrabitur.

2. Concl.

Ad secundum igitur argumentum respondetur, quòd beatitudo, cum sit animæ operatio, non tam propriè dicitur ornatus, quàm operatio ex qua ornatus dimanant, qui sunt dotes, vt agilitas, subtilitas, &c.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christo vel angelis dotes competant, an verò solis hominibus.

Post considerationem dotium secundum suam essentiam quæritur de eius subiecto: nempe vtrum sint in Christo & in angelis, an verò in solis hominibus. Et arguitur quòd competant Christo. Primo. Quia per dotes corporis conformabimur Christo: iuxta illud ad Philip. 3. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: ergo in ipso sunt dotes quibus nostræ debent esse conformes.

1. Argu.

Secundò arguitur. Quod etiam sint in angelis. Spirituale matrimonium in spirituali coniunctione consistit cum Deo per gratiam & gloriam: hæc autem non minus in angelis est quàm in hominibus: ergo non minus eorum ecclesia est sponsa Dei quàm nostra.

2. Argu.

Digitized by Google

In contrarium.

In contrarium est. Quod inter sponsum & sponsam exigitur discretio personarum, in Christo autem non sunt duo suppositi, ipse verò est sponsus: iuxta illud Ioan. 3. Qui habet sponsam sponsus est: ergo nullatenus est sponsa. Et de angelis idem patet. Quia Christus desponsauit sibi ecclesiam per incarnationem, & passionem, in cuius mysterium prædictum fuerat Exod. 4. Sponsus sanguinum tu mihi es: angeli verò tunc non aliter fuerunt Deo coniuncti quam erant antea: nam vt ad Hebr. 2. ait Apostolus Nusquam angelos apprehendit, ergo ipsi non sunt sponsa, atque adeo neque habent proprie dotes.

Triplex vnio in Christo.

Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Primum enim Christo, vt hic refert D. Thom. nonnulli dotes etiam conuenire arbitrati sunt. Aiunt quippe, triplicem in ipso discerni vnionem: vnam, scilicet, qua per amorem coniungitur patri, quam vocant consentaneam: quia idem eis est velle. Atque hanc videtur Christus Ioan. 17. significasse, vbi ait: Claritatem quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus. Secunda vnio est, quam appellant dignatiuam, nempe qua dignatus est naturam nostram sibi vnire in vnitatem suppositi.

Tertia est, qua Christus per amorem vnitur ecclesiæ, & vicissim ecclesia ei per fidem charitate formatam. Aiunt ergo secundum primas duas vniones propriè conuenire Christo habere dotes: quia quatenus vnitur per amorem patri, est eius sponsa, & pariter humanitas quatenus vnita verbo est sponsa Christi. At verò secundū tertiam vnionē non habet propriè dotes secundum proprium nomen, & rationem dotium: quia non est sponsa, sed sponsus: quamuis dona illa quæ in alijs beatis habent rationem dotis, sint in illo per excellentiam.

Prima conclusio de Christo.

Huius autem opinionis duæ priores partes refutantur, & solum tertia recipitur. Et ideo statuitur hic prima conclusio. Dona quæ in beatis nomen habent & rationem dotis per excellentiam sunt in Christo: nomen autem & ratio dotium secundum nullam eius vnionem illi competunt. Prior pars liquida est, quoniam in anima Christi ab instāti suæ conceptionis fuit visio, comprehensio, & fruitio eminentissimo modo, & in eius corpore post resurrectionem incorruptibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas.

In Christo non fuerūt dotes sub tali ratione.

Secunda verò pars itidem probatur. Secundum vnionem amoris qua Christus secundum diuinitatem fuit ab æterno, eique patri coniunctus, non potest dici patris sponsa. Quippe cum sponsa respectu sponsi subiectionem quandam & participationem gratiæ dicat. Filius autem in diuinis non est subiectus patri, nec particeps proprie dicitur: cum vnica simplicissima essentia sit tribus personis æqualiter communis. Neque verò secundum vnionem humanitatis ad verbum humanitas dicitur sponsa verbi: quoniam distinctio inter sponsum & sponsam est personalis tanquam inter duo suppositā, eo quòd actiones sunt suppositorum: in Christo autem non sunt duo suppositā. Secundò, quia desponsatio debet esse inter personas natura similes, & ideo Christus per vnionem humanitatis, factus est sponsus non humanitatis: quia non est similis naturæ diuinæ, sed ecclesiæ cui per eiusdem humanitatis assumptionem factus est similis. Tertiò denique, quoniam dos datur (vt dictum est) sponsæ quando in domum sponsi introducitur, humanitas autem nunquam fuit à diuinitate separata, neque ab eius visione comprehensione & fruitione. Secundum denique coniunctionem, qua sibi ecclesiam per gratiam adiunxit & desponsauit, ipse fuit sponsus qui ecclesiam dotauit, neutiquam tamen sponsa: quia eiusdem non est dare & recipere. Dona igitur illa Christus in anima vel in corpore non recepit per modum sponsæ ab sponso, sed virtute vnionis humanitatis ad verbum, qua factus fuit sponsus. Atque adeò neque rationem habent dotium, neque verò nomen.

Sol. 1. arg.

Respondetur igitur ad primum argumentum, quòd quamuis Christo conformabimur secundum illa dona quæ sunt in illo & in nobis: imò in ipso per excellentiam tanquam in capite, non tamen in illo habent rationem dotium, sed in nobis in quibus sunt tanquam in eius membris.

Obiectio.

Potest autem quis obijcere ad probandum, quòd humanitas vnita verbo dicatur eius sponsa, glossam super illud Psalmi, In sole posuit tabernaculum suum: quæ contrarium dicit. Item Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana ait, quòd Christus secundum regulam Tychonij propter vnitatem corporis mystici quæ est inter caput & membra, nominat ie etiam sponsam & non solum sponsum. Nam de ipso sub vtroque nomine intelligitur illa prophetia Esaiæ. 61. Quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Solutio.

Ad primum respondetur, quòd natura humana non dicitur propriè sponsa verbi: quia non est persona. dicitur autem quodammodo desponsata, id est, verbo indissolubili nodo tanquam superiori inferior coniuncta & ab ipso gubernata.

Et simili modo respondetur ad secundum: non enim Christus dicitur sponsa, quia verè sit, sed quia suscipit prædicatum, quod conuenit Ecclesiæ. Dicitur, inquam, sponsa non in se, sed in suis membris. Et eodem modo dici potest habere dotes: quia Ecclesia illas habet.

Alia obiectio.

Quòd si redarguas. Christus ipse dicitur membrum Ecclesiæ 1. ad Corinth. 12. Vos estis corpus Christi & membra de membro. Omne autem membrum habet dotes, etiam sub ratione & nomine dotium. Respondetur. Quòd quandoque nomen Ecclesiæ vsurpatur pro reliquo corpore quod distinguitur à capite, quod est Christus, & hoc modo Christus non est membrum Ecclesiæ. Sed alio modo vsurpatur nomen pro toto corpore compacto ex capite & membris, & isto modo Christus potest dici membrum, sicut caput est membrum. Sed inde non sequitur, quòd habeat dotes sub ratione dotium: quia eius officium non est recipere, & dotari, sed influere & dotare. Et ideo non est propriè membrum Ecclesiæ, vt Ecclesia est nomen sponsæ sed Ecclesiæ, vt dicit coniunctionem ex sponso, & sponsa, quia ipse est sponsus.

2. Concl.

Secunda subnectitur conclusio. Quamuis dona illa quæ sunt dotes animæ, nempe visio, & comprehensio, & fruitio sint in angelis, tamen in illis neque rationem tam propriè habent dotium, neque nomen, quàm in hominibus. Prior pars notissima est. Quandoquidem eadem beatitudine fruuntur, qua homines secundùm animam. Secunda verò probatur, si desponsatio intelligatur cum Christo qui est sponsus Ecclesiæ. Primò. Inter sponsum & sponsam debet esse similitudo secundùm aliquam naturam: Christus autem, vt dictum est, naturam non assumpsit angelicam, sed humanam, & ideo angeli non sunt ei similes.

Potissima ratio.

Sed potissima ratio est. Quòd angeli, vt distinctio. 47. dicebamus, non receperunt gratiam per modum redemptionis ex passione Christi: quippe qui non nisi propter peccatum Adæ factus est homo. Ante cuius casum creati à Deo fuerant in gratia, & ideo non propriè dici possunt sponsa Christi. Atque adeò nec habere eius dotes. Quare Origenes super Cantica quatuor dignouit personarum differentias, videlicet, sponsum & sponsam, qui sunt Christus & Ecclesia, & adolescentulas, quæ sunt animæ, quæ ab sponso in gremio sponsæ lactantur, & sponsi sodales, qui sunt angeli. Sed nihilominus respectu Dei atque adeo Christi, qua ratione est Deus potest eorum Ecclesia dici sponsa, licet non sint eiusdem naturæ: quia sunt Deo per gratiam coniuncti, quam ab illo receperunt, atque adeò gloriam: eadem ergo ratione eorum dona dici possunt Dei dotes.

Quatuor personarum genera.

3. Concl.

Ex his fit consequens tertia conclusio. Dotes propriè, quatenus sponsæ Christi, solum sunt in hominibus, tam secundùm corpus, quàm secundùm animam. De quibus nos subsequentes articuli docebunt.

Sol. 2. arg.

Ad secundum igitur argumentum respondetur. Quod quamuis angeli sint per gratiam coniuncti, cum Deo, qua ratione aliquo modo possūt dici eius sponsa, non tamen sunt desponsati cum Christo: quia non sunt illius naturæ quam assumpsit.

Sed contra secundam conclusionem videtur pugnare glossa super illud Cant. 6. Vna est columba mea. Quæ ait. Vnam esse ecclesiam in hominibus & angelis. Et super illud Lucæ. 12. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, &c. ait alias, quòd ad nuptias dominus ibit cùm post resurrectionem nouus homo angelorum multitudinem sibi copulabit. Quibus locis angeli censentur sponsa Christi tan-

Digitized by Google

sti tanquam pars ecclesiæ. Item quia maior requiritur similitudo inter caput & membra quam inter sponsum & sponsam: Christus autem propter conformitatem & excellentiam gratię & glorię videtur esse caput angelorum: ergo & sponsus.

Respondetur ad primum, quòd licet angeli hoc modo pertineãt ad vnitatem ecclesiæ Dei, quòd eisdem donis participant, non tamen sunt pars ecclesiæ Christi tanquam eius membra.

Ad secundum autem respondetur. Quod quamuis dicat glossa, quòd nouus homo Christus angelorum multitudinem sibi copulabit non tamen dixit sibi desponsabit propriè, sed quia copulabit ecclesiam suam cum angelorum cœtu in gloria.

Ad tertium denique respondetur, quòd Christus, vt non est sponsus angelorum, ita neque est caput: quia neque est eiusdem naturæ, neque influxit per passionem gratiam in illos. Sed est eorum caput inquantum Deus: nam illa ratione fuit autor eorum gratiæ, & gloriæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum tres sint tantum animæ dotes, scilicet, visio, delectatio, & fruitio.

POSTQVAM in generali de dotibus dictum est, consequitur, vt in particulari singulas exploremus. Quæritur ergo vtrum tres sint tantum animæ dotes, scilicet visio, dilectio, & fruitio. Et arguitur à parte negatiua. Anima Deo coniungitur secundum mentem, in qua est Trinitatis imago, nempe memoria, intelligentia, & voluntas. Dilectio verò pertinet ad voluntatem, & visio ad intelligentiam: ergo debet aliqua dos respõdere memoriæ: illa autem non est fruitio: quippe, quæ vt supra dictum est, ad voluntatem attineat: ergo numerus non conuenit.

Partis negatiuæ 1. argu.

Secundò. Dotes animæ tribus dicuntur virtutibus theologicis respondere, nempe fidei, spei, & charitati, quarum Deus obiectum est. Dilectio autem respondet charitati, & visio fidei: ergo tertia deberet respondere spei: illa verò non est fruitio, vtpote quæ ad charitatem pertinet: ergo alia deficit dos.

2. Argu.

3. Argu.

Tertiò. Ad beatitudinem requiritur comprehensio iuxta illud 1. ad Corinth. 10. Sic currite vt comprehendatis, ergo hæc debet constitui dos quarta.

Pars affirmatiua.

In contrarium autem est. Quod dotes animæ respõdent virtutibus, quarum Deus ipse est proximum obiectum, vt præmium correspondeat meritis: illæ autem sunt virtutes theologicæ quibus tres illæ dotes optimè coaptantur.

Septem dotes.

De hac quæstione vniuersi doctores consentiunt esse tres animæ dotes, vt quemadmodum septem sunt virtutes, scilicet, tres theologicæ, & quatuor morales cardinales. Ita & septem sint dotes, scilicet, tres animæ, respondentes virtutibus theologicis: & quatuor corporis, quæ cardinalibus adaptari possunt. Secundò & omnes consentiunt quòd prima illarum sit visio, seu ornatus & claritas quæ sit dos visionis. Item quòd aliæ duæ sint ex numero harum trium, quæ sunt, dilectio, fruitio & comprehensio. Dissentiunt tamen inter illas.

Opinionum varietas.

Quidam enim dicunt, quòd sunt visio, dilectio, & fruitio. Alij verò, aiunt quod sint visio, comprehensio, & fruitio, quæ ponitur loco dilectionis. Alij quod sint visio, dilectio, & comprehensio quæ ponitur loco fruitionis. Tametsi Ricardus dist. præsenti artic. 3. quæst. 7. loco comprehensionis non ponat nisi securitatem, neque dilectionem distinctam à fruitione: quia habendo, inquit, rem amatam, illa fruimur, illamque tenemus, & sic dicit quòd dotes sunt visio, fruitio, & securitas.

Secundum tamen dubium quod hic includitur, est vtrum dotes istæ sint operationes illæ videndi. fruendi, & diligendi. An verò qualitates per modum habitus eisdem operationibus antecedentes, quæ sunt animæ ornatus per modum habitus.

1. Concl.

Ad quæstionem ergo quinque conclusionibus respondetur. Prima fundamentalis sit. Dotes animæ sic assignandæ sunt, vt tribus virtutibus theologicis respondeant. Probatur ratione proximè insinuata. Quoniam dotes pertinent ad beatitudinem, vel tanquam actus, vel tãquam habitus & ornatus animæ: nam dotes sunt quibus sponsa in ingressu liminum sponsi dotatur, nempe quando beata illa fœlicitate donatur: & quia beatitudo essentialiter est in anima, dotes animæ accommodari debent ad illam beatitudinem, qua Deum consequimur, illoque fruimur, & quia in via per tres virtutes theologicas, vt quæ Deum habent pro proximo obiecto, ad ipsum tendimus, debent dotes eisdem respondere virtutibus.

2. Concl.

Hinc sequitur secunda conclusio. Prima dotium est clara visio seu habitus claritatis ad videndum, vt inferius explicabimus. Hoc patet, quia prima virtutum theologicarum est fides, quæ visioni respondet, tanquã meritum præmio. In præmium enim quod nunc ea credimus quæ non videmus, videbimus eadem postea, quæ nunc credimus.

Hoc docet Paul. 1. ad Corinth. 13. Ex parte enim, inquit, cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Et subdit: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: visio ergo est præmium fidei.

3. Concl.

Tertia conclusio. Spei respondet dos, quæ est comprehensio. Hoc patet ex illo citato 1. ad Cor. 10. Sic currite, vt comprehendatis. Spes enim dicit non quæcunque amorem, sed desiderium, per quod tendimus in rem: igitur sicut terminus credendi est videre, ita terminus spei est tentio, & comprehensio. Vnde quamuis per visionem Deum teneamus, & comprehendamus: tamen est diuersa ratio: nam quatenus est clara cognitio respondet, fidei, sed quatenus est consecutio Dei cum securitate, & perpetuitate, correspondet spei. Et ideò sicut per illam visionem, quatenus est clara cognitio, euacuabitur fides, id est, cessabit in patria Ita per eandem quatenus est tentio, euacuabitur spes.

4. Concl.

Quarta conclusio. Si comprehensio connumeretur secunda dos, quæ optime, aptissimeque connumerari potest, tunc tertia, quæ correspondet charitati, ponitur fuitio, ea ratione, qua includit dilectionẽ ceu proximam causam: nam dilectio patriæ, quia est iam boni præsentis per visionem, & cum securitate possessi per comprehensionẽ, causa est proxima fruitionis, quæ ideo erit terminus charitatis viæ. Est enim frui, de re possessa, quam propter ipsam amamus, delectationem capere Et hæc certè est satis apta & concinna dotium distinctio, quã D. Th. amplectitur 1. 2. q. 4. art 3. Nihilominus eadẽ ratione qua dilectio includit fruitionem, possunt etiã designari visio, dilectio, & comprehensio, vt dilectio patriæ, quæ est firma & immobilis, sit terminus dilectionis viæ. Tandem quia comprehensio includitur tam in dilectione patriæ quàm in fruitione tanquàm vtriusque causa, possunt etiam designari visio, dilectio, & fruitio. Quæ quidem distinctio videtur D. Th. impræsentiarum magis placere: quia & hæc est etiam rei satis accommoda. Tunc autem fruitio quatenus comprehensionem includit, est terminus, non charitatis, sed spei. Et hoc etiam satis apte: quoniam terminus sub spe laborantis, est rem consequi vt ea fruatur. Perparui ergo refert, primam ne, an tertiam malueris rationem insequi. Quamuis illa prima quam in summa D. Th. sequutus fuit, sit præferenda.

Vtrum dotes sint habitus.

Restat nihilominus dubium, quod in capite quæstionis insinuauimus, quomodo dotes distinguantur à beatitudine. D. Tho. hic, & Ricardus loco citato, & reliqui antiqui dotes omnes tam corporis quàm animę distinctas arbitrantur à beatitudine, nempe à visione, amore, & delectatione, quæ sunt actiones vel passiones, Vt sint dotes tanquam habitus & ornatus animæ huiuscemodi operationibus præuij, & tanquàm potentiæ ad easdem operationes eliciendas: quamuis appellentur nominibus eorundem actuum. Itaque dos visionis est habitus ad eliciendam visionem, quæ quidem dos dicitur visio, & pariter dos dilectionis est habitus charitatis, ex qua elicitur dilectio.

Atqui si ad amussim velis analogiam seruare dotium matrimonij carnalis, sic dicendum apparet. Nam dotes nuptiarum non sunt operationes vitæ, scilicet, sumptus facere ad sustinendam vitam, sed facultas & potestas eosdem faciendi, nempe nũmi & possessiones, & reliqua. Pariter ergo censendum apparet de dotibus animæ.

Impugnatio.

At vero profecto difficile est istos habitus illic in patria perscrutari. Et S. Tho. in 4. sequebatur opinionem communem reseruando exactiora examina ad summam quam dictare cogitabat. Haud n. intelligi potest visionis dos ad visionem præuia, nisi sit lumen

gloriæ, quod certè non tam apte dicitur visio, neque D. Tho huc videtur alludere quod dos sit lumen illud. Alias ipse se explicuisset. Itē ad videndum non alius requiritur habitus præter speciem, cuius vicem gerit illic Deus. Præterea quamuis habitum charitatis possimus vtcunque appellare dotem dilectionis, ex quo elicitur actus diligendi, non tamen omnes consentiunt, vt dilectio ponatur dos. Imo D. ipse Tho. loco proximè citato 1. 2. non poni dilectionem, sed fruitionem ait respondere dilectioni viæ. Præterea dos comprehensionis profecto non potest intelligi alia quam ipsa visio, qua ratione est obiectum voluntatis, & terminus spei: qua ratione est consecutio obiecti cum securitate, & perpetuitate. Præterea respectu fruitionis nō potest signari habitus præcedens, nam fruitio est captatio delectationis, quæ licet sit affectus voluntatis, suscipitur tamen ex visione, vt supra ex S. Thom. 1. 2. q. 11. artic. 1. collectum reliquimus.

Sententia autoris.

Crediderim igitur quod si D. Th. ad hunc locum dotium in Summa peruenisset, non alias hoc nomine intellexisset qualitates quam actus ipsos videndi, comprehendendi, amandi, & fruendi. Neque opus est rationem similitudinis dotium matrimonij carnalis ad vnguem in spirituali seruare. In matrimonio enim carnali dotes sunt facultates sustinendi vitam: in patria verò sunt actus ipsi, ad quos præter lumen gloriæ & habitū charitatis nullis alijs opus est habitib. sed Deus in ratione speciei producit visionē quæ est comprehensio.

5. Concl.

Si ergo opinio hæc placet, statuenda est quinta cōclusio. Dotes animæ tota ratione à beatitudine distinguuntur: visio namque quatenus clara est cognitio elicita ab intellectu, est dos respondens fidei, sed quatetenus est obiectum voluntatis concupitum, per quam scilicet voluntas consequitur & tenet finem suum, in quod per spem tendebat, est comprehensio respondens spei. Iam enim diximus, quod voluntas vtitur alijs potentijs ad consequendum fines suos quos appetit: nam quia actiones sunt suppositorū, & voluntas est proprius appetitus suppositi, ipsa est quæ mouet alias potentias per quas & suos consequitur fines. Atque adeò vt ait S. Th. 1. 2. q. 11 artic. 1. ad 1. eandem visionem, qua ratione est obiectum voluntatis per quam de bono concupito delectatione capitur, fruitionem censet.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, quod memoriæ & intelligentiæ non respondēt duo sed vna dos quæ est visio: eo quod memoria non est nisi intelligentiæ thesaurus, nempe specierum apotheca. Neque verò opus est dotes illis potentijs ad iustū respondere, sed theologicis virtutibus.

Sol. 2. arg.

Secundum autem iam solutum est, vbi diximus comprehensionem vel fruitionem, quatenus comprehensionem includit, respondere spei.

Anselmus.

Anselmus verò dicit ad beatitudinem animæ pertinere sapientiam, amicitiam, concordiam, potestatem honorem, securitatem & gaudium. Et Boetius tertio de cōsolat. enarrat quinque, quæ sunt, sufficientia, quam promittunt diuitiæ, iucunditas, quam promittit voluptas: celebritas, quam promittit fama; securitas quam promittit potentia; reuerentia quam promittit dignitas. Hæc autem ab istis patribus non tanquam dotes connumerantur, sed tanquam beatitudinis comites. Sapientia enim pertinet ad sponsum: amicitia verò & concordia ad ipsum respectu membrorū, & ad membra ipsa inter se: nam amicitia refertur ad effectum, & concordia ad assensum in agendis, & potestas est in sponso ad gubernandum, & honor in inferioribus, quem ei deferunt. Boetius verò aliam sequutus rationem explicuit quemadmodum in beatitudine ea sint quæ homines in hac vita concupiscunt. Homines n. ab incommodis securos esse cupiunt & tutos, & illa securitas est in patria. Cupiuntque bonum sibi conueniens quod est iucunditas, vel bonum perfectum & optimum, quod est sufficientia, vel excellentiæ manifestationem, quæ est celebritas & gloria. Ac denique sibi cupiunt honorem deferri & reuerentiam.

Boetius.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum corporibus glorioſis ſint futura dotes quatuor.

POST dotes animæ subsequitur de dotibus corporis disputatio. Et ideo quæritur primò de earum numero, sed primò arguitur, quod in corporibus nullæ sint futuræ dotes. Animuerò dotes ad statum attinēt spiritualem, qui est in mente, corpora verò ad illum non petinent statum, quippe cùm illic mentis operationes à corporib. non pendeant: ergo nullæ erunt corporibus dotes.

1. Argu.

Secundò arguitur contra numerum, quod non erūt præcisè quatuor s. impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas. Anselmus siquidem ponit septem, quæ sunt pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, & diuturnitas.

2. Argu.

In contrarium verò est illud 1. ad Corint. 15. Seminatur in ignobilitate, resurget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.

In contrarium.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Congruentissimum ad fœlicitatem, imò secundum diuinam bonitatem, sapientiam, & iustitiam Dei necessarium, vt sanctorum corpora suis dotibus exornet. Conclusio primū catholica est (vt patet autorite Pauli inducta, & Sapient. 3.) fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Vbi in fulgore claritas designatur, & in igne, quatenus elementum vehementissimæ actionis est, qui omnia subitò deuorat, impassibilitas: & qua ratione velocissimum habet motum (vt libro 3. super Genesim exponit Augustinus) Agilitas, & scintillarum significatione subtilitas.

1. Concl.

Sed & ratione præterea probatur. Dotes sunt ornamenta, quibus exornatur sponsa, vt in conspectu sponsi dignè decenterque compareat. Debet autem non solum secundum animam, sed etiam in corpore comparere: ergo non solum in anima dotari homo debuit, verum & in corpore ornari. Neque obstat si obijcias, quòd cum oculo corporeo Deus videri non possit, non sit corpori Deus præsens: quoniam licet visio non sit nisi in anima, condecet tamen, cùm sit actus corporis, vt in corpore quo Deum videbit appareat illis ornamentis dotato, quæ fœlicem animam condecent.

Ratio conclusionis.

Secundò id etiam probatur. Homo quatenus factus est ad imaginem & similitudinem Dei, est beatitudinis capax: & quamuis illa imago in animæ potentijs existat, nihilominus corpus eidem animæ adaptatum est, quod eius dignitati & vsibus congrueret: ergo eadem ratione in beatitudine necessarium est, vt ex animæ beatitudine, quæ est vita æterna, deriuētur in corpus dotes, quibus ad vsus eiusdem vitæ aptum sit & idoneum.

2. Concl.

Secunda conclusio. Dotes corporis congruentissimè tantum quatuor designantur, scilicet nec pauciores, nec plures. Hunc numerum possumus ad virtutes Cardinales referre, veluti tres dotes animæ ad Theologas retulimus. Iustitia namque, quæ, quia perpetuò seruat Reipub. pacem, immortalitatis titulum obtinuit, respondet impassibilitas: temperantiæ, quæ corpus extenuat, subtilitas, Fortitudini verò agilitas. Vnde Paulus loco citato, *Seminatur*, inquit, in infirmitate (scilicet in grauedine qua motus retardatur) surget in virtute. Sed prudentiæ propter cognitionis lucem respondet claritas.

Ratio numeri dotiū.

Hæc autem coaptatio quamuis concinna sit, non tamen rei causam enucleat. Numerus ergo dotium inde sumendus est, quòd per illas corpus glorioſum disponitur & exornatur, vt idoneum sit animæ coniunctioni in vitam æternam. Nempe, vt ei ad vsus illius vitæ absque impedimento & mora inseruiat. Anima verò vnitur corpori & vt forma & vt motor, tribuens ei & esse & operari: & quidem ex hoc fundamento diuus Thomas sic hunc numerum colligit, quòd inquantum corpus sit idoneum animæ informanti, requirit dotem subtilitatis: nam quod subtile est, facilè alienam formam suscipit, & inquantum ab eadem anima recipit formas accidentales, conuenit ei dos claritatis. In quantum verò subditur ei vt motori, conuenit ei dos agilitatis, & inquantum ab anima conseruatur, dos impassibilitatis. Atqui distributio hæc fortè est legitima. Attamen non deerit cui alia magis arrideat. Videlicet vt quatenus anima velut forma dat corpori esse, conueniat ei dos prima impassibilitatis, quæ est omnium fundamentum. Subtilitas verò impassibilitati annexa est: si sit dos, vt quidam autumant, dos qua se corpus glorioſum cum alio corpore solido penetret, quod est quoddam in-

D. Thom.

Alia collecto numero dotium.

corrupti-

corruptibilitatis & impassibilitatis genus, nempe alteri corpori in eodem loco non cedere. Quamuis hoc suo proprio loco examinandum & corrigendum est. Qua verò ratione corpus animæ ceu motori subijcitur, reliquis duobus dotibus opus habet: videlicet quantum ad motum localem, & reliqua corporalia opera dote agilitatis, vt animæ ad nutum obsequatur, sed sensuum operationibus congruit claritas propter visus dignitatem inter alios sensus. Tametsi & eæundem voluntati seruiat quoque agilitas. De singulis autem in suis proprijs locis fiat explicatior sermo.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum negatur corpus glorioſum nullatenus pertinere ad ſtatum ſpiritualem animæ: ſtatus enim animæ (vt dictum eſt) per aſſumptionem corporis perficitur. Præterquam quod ad eundem ſtatum ſpiritualem pertinet vt corpore vtatur ſibi per dotes accommodato: nam operationes ſecundum corpus pertinent ad gloriam accidentalem illius ſpiritualis ſtatus.

Sol. 2. arg. Ad ſecundum reſpondetur, illa ſeptem quæ numerauit Anſelmus, ad hæc quatuor reduci. Nomine enim claritatis, pulchritudo continetur. Velocitas verò libertas & fortitudo ſub agilitate comprehenditur: veluti ſanitas & diuturnitas ſub impaſſibilitate. Voluptatem forſan Anſelmus non poſuit tanquam dotem, niſi ſubtilitati adaptetur, eo quòd ſubtile facilè & abſque vllo labore formam recipit, in qua quieſcit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm impaſſibilitas inter dotes corporis glorioſi ſit connumeranda.

Partis negatiuæ arg. 1. VT de ſingulis dotibus dicamus, primum ſe offert impaſſibilitas. Quæritur ergo vtrum ſit inter dotes animæ connumeranda. Et arguitur à parte negatiua. Primò, quia quod eſt rei definitioni intrinſecum, pertinet ad eius eſſentiam: ſed homo in corpore glorioſo erit animal rationale mortale: ergo paſſibile.

2. Argum. Secundò, quia cùm conſiſtat ex forma & materia quam moriens reliquerat: materia autem intrinſeca, ſi erit in potentia ad alias formas, ſit vt ſit paſſibile.

3. Argum. Tertiò. Patientur homines in corporibus ſecundum ſenſus: non enim ſolum videbunt, ſed audient. & tangent cælum.

Pars affirmatiua. Impaſſibilitas. In contrarium eſt illud citatum 1. ad Corinth. 15. Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione. Dos hæc prima conſultò non appellatur incorruptio: tametſi ad illam conſequatur, ſed impaſſibilitas. Et ratio eſt, quod eſſe incorruptibile non eſt corporibus glorioſis proprium, ſed & corporibus damnatorum cum ipſis cõmune: impaſſibilitas verò eſt beatis propria. Corpora (inquam) damnatorum ſic ſunt incorruptibilia, vt tamen ſint paſsibilia paſſione etiam propriè dicta, vt caloris & frigoris: quæ quidem paſſiones corpora, niſi Deus in perpetua ſupplicia illa conſeruaret, corrumperent. Quocirca incorruptibilitas illa non dicitur dos, veluti incorruptibilitas beatorum quæ paſsibilitatem habet annexam.

Paſſio duplex. Accipitur autem paſſionis nomen dupliciter: vno modo pro quacunque qualitatis receptione, ſiue ſit rei perfectiua, ſiue corruptiua. Quemadmodum generatio habituum ſcientiarum & virtutum, atq; adeò cognitiones ipſæ dicuntur generali nomine paſſiones: quamuis hoc non ſit propriè pati, ſed perfici. Secundo modo accipitur nomen pro paſſione propriè dicta, quam Damaſcenus libr. 2. de fide ait eſſe motum præter naturam: tunc enim res propriè patitur, quando à ſua naturali diſpoſitione ad naturam agentis trahitur, vt quando aqua calefit. Vnde immoderatus cordis motus, paſſio eius eſt: quando verò cum moderamine mouetur, potius eſt actio, in qua eius vita conſiſtit.

Damaſce.

1. Conclu. His ſuppoſitis ad quæſtionem tribus concluſionibus reſpondetur. Prima. Corpora glorioſa ſunt impaſsibilia paſſione hac propriè dicta. Hanc aſſeruit Paul. loco citato, dicens: Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Et rurſum: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Imò eſt aſſertio Chriſti vbicunque de vita æterna loquitur, vt Matth. 16. Omnis qui reliquerit patrem vel matrem, &c. vitã æternam poſsidebit. Et Matth 25. Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. Enimuerò cum vita æterna poſt corporum reſurrectionem non ſolum animæ, ſed toti homini promittatur, tam perfectum erit ſuo gradu corpus, tamque incorruptibile quàm anima. Vnde Paul. ad Roma. 2. Deus reddet vnicuique ſecundũ opera eius, ijs quidem qui gloriam & honorem & incorruptionẽ quærunt, vitã æternam.

Concluſio ergo confeſsio eſt catholica, ſed de modo, nempe quænam res ſit dos hæc impaſsibilitatis, controuertitur. Etenim cum ad paſsionem requiratur & principium paſsiuum (eſt enim potentia paſsiua ſecundum Ariſto. 5. Meta. principium transmutandi ab altero (& præterea agentis virtus, poteſt impaſsibilitas aſsignari, aut per hoc quod in corpore glorioſo nullum ſit principiũ paſsiuum, aut per hoc quod in eo ſit virtus impediens actionem agentis. Et vterque modus ſub opinionibus verſatur. Quidam enim hanc dotem ſtatui & conditioni elementorum glorificati corporis adſcribunt, dicẽtes quod etſi corpora illa ex elementis conſtent, non tamen in eis qualitates erunt actiuæ & paſſiuæ, atque adeo in eis non erit principium patiendi. *1. Opinio.*

Sed iſti veritatem tollunt, & naturam veri corporis. Illæ enim qualitates ſunt de perfectione elementorum ad diuerſam complexionem membrorũ pertinentes, erunt enim illic vera caro, vera oſſa & ſanguis, hæc autem diuerſas habent complexiones, quæ non niſi ex diuerſa mixtura & temperamento illarum qualitatum, ſcilicet caloris & frigoris, conſtant.

Et eodem pacto refutatur alia opinio dicentium in illis corporibus fore illas qualitates: cohibitas tamen virtute diuina ne agant. Hæc enim opinio qualitates illas poneret otioſas. Mox & eaſdem tolleret complexiones, quippe quæ temperata actione earum qualitatum ſeruantur. Adde quod ſi corpora glorioſa tangantur, ſentientur temperatiſſimè illæ qualitates: vt quando dixit diſcipulis ſuis Chriſtus, Palpate & videte. Quanquam ab illa temperatiſsima actione exorbitari non poſsint, neque vlla futura ſit illic actio caloris naturalis in humidum naturale. Huiuſmodi enim actio non ſuſtinet niſi vitam mortalem. Præterea iſti non ponunt dotem, quæ ſit res aliqua poſitiua, niſi ſola prohibitio actionum naturalium: quod non eſt congruens naturæ corporis glorificati. *2. Opinio.*

Tertia ergo opinio finxit in corporibus glorioſis quandam naturam quintæ eſſentiæ: quam autumant in compoſitionem venire humani corporis ad conciliandum elementa in harmoniam quandam, vt materia fiat incorruptibilis, conſona incorruptibili animæ. Hæc enim, inquiunt, quinta eſſentia in hoc ſeculo dominio vincitur naturæ elementalis: ſed poſt corporum reſurrectionem victoriam ſuper eadem elementa obtinebit, atq; adeò glorioſa corpora ſuapte natura faciet incorruptibilia, inſtar cæleſtiũ corporum. Hæc autem opinio & rei phyſicæ aduerſa eſt, & theologæ veritati. *3. Opinio.*

In compoſitionem enim mixtorum corporum ſecundum Ariſtotelem in libris de generatione & de cælo, & ſecundum omnes qui vero nomine philoſophorũ cenſentur, duntaxat veniunt elementa quatuor quæ ſunt ſub orbe lunæ. Quare nomine quintæ eſſentiæ ſolam cæleſtem ſubſtantiam intelligunt. Ob idq; illã in mixtis aſſerere, conficitum cõmentum eſt. *Aduerſus quintam eſſentiam.*

Præterea dotem impaſsibilitatis virtuti naturali tribuere, fide reclamante, non licet. Apoſtolus namque loco citato, virtuti Chriſti dotes illas adſcribit. Ait quippe, Factus eſt primus Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Qualis terrenus, tales & terreni. Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Et ad Philippenſes 3. Ipſe reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

Ad hæc corpus humanum ad proprietatem cæleſtis gloriæ ſubleuari, virtutis certe Dei ſupernaturalis eſt. Virtus enim naturalis, quantumcunque fingatur quinta eſſentia, non vtiq; ſic poſſet naturam elementorum euincere, vt corpus in naturam cæleſtem tranſmutaret.

Adde quòd cùm alias dotes, quæ corpori glorioſo conueniunt, ad rationem beatitudinis pertineant, atque adeò virtuti Dei propter modum retributionis ei præmij conferantur. Idem neceſſum eſt de impaſsibilitate ſentire.

Digitized by Google

Ratio S. Thom.

Ratio ergo quinta est, quam diuus Thomas in præsentiarum constituit. Causa enim impassibilitatis corporis glorioſi ex illo perfecto modo deducit, quo anima tunc corpus informabit. Nihil enim patitur passione propriè dicta nisi ab agente, quod alsimilare sibi passum intendit, euincatur & superetur, vt patet in aqua dum ei admouetur ignis. Hæc autem victoria contingere nequit nisi forma ipsius passi debilitetur, atque eius attenuetur virtus. Post resurrectionem verò, sicut anima beata erit omnino Deo subiecta, ita & corpus sic erit animæ ipsi subditum, atque ab ipsa perfectum, vt nullum ei naturale agens dominari valeat, vt possit ipsum ab animæ dominio & informatione diuellere.

Cæterùm hanc diui Thomæ sententiam & eius contrarij impugnant, & eius discipuli eo modo glossant, quem diuus Thomas non explicat.

Paludan.

Paludanus namque distinctione 44. quæst. 2. & Capreolus imitatur, sic glossant diuum Thomam, quasi intellexerit dotem impassibilitatis esse quandam qualitatem, qua corpus sit animæ subditum, vt non possit ab alio agente contra voluntatem ipsius animæ vinci: quoniam anima, dicunt, non potest supra corpus excellentius habere dominium quàm antea, nisi corpus ipsum aliquo modo mutetur: mutatio autem terminatur ad aliquam qualitatem: ergo illa est in beatis.

Impassibilitas an sit qualitas.

Præterea dotes corporis debent correspondere dotibus animæ: animæ verò dotes sunt qualitates, vt expositum est, nempe dispositiones actibus antecedentes, vel actus ipsi.

Tertiò id patet ex Augustino in epist. ad Dioscorum, vbi ait, quòd in corporibus glorioſis erit perpetua sanitas & incorruptionis vigor. Et propter hãc autoritatem ait Paludanus posse teneri dotem illam esse in corpore: quauis dicat fortasse esse in anima, vt per illam qualitatem dominiũ obtineat in corpus, vt nihil ei præter suam voluntatem accidat.

Atque hoc potest confirmari similitudine status naturæ integræ: erat enim tunc corpus eatenus immortale, vt posset non mori, idque habebat per iustitiam originalem quæ erat in anima. Cùm ergo in gloria maior sit immortalitas, quia est non posse mori, id fiet per aliquam qualitatem. Et hæc fuit antiquior opinio Ricardi distinctione præsenti quæst. 2. art. 4.

Scotus & Durand.

Scotus verò distinctione præsenti, quæstione 13. & Durandus distin. 44. quæst. 4 non aliam agnoscũt rationem dotis impassibilitatis, quàm Dei assistẽtiam suæ voluntate impedientis actionem contrarij agentis corporaque subinde illa conseruantis. Arguit enim Scotus contra illam qualitatem: quia illa non potest esse de natura cœlesti cùm sit in corpore mixto. Si verò sit materialis, vt durities, quæ incisioni resistit, tunc non posset esse contraria omnibus qualitatibus actiuis: ergo non omnem posset contrariam actionem cohibere.

Secundò, quia quando aliquid est pluribus commune, eadem ratione omnibus inest: esse autem incorruptibile, est corporibus damnatorum cum beatis commune: damnatorum verò corpora non sunt incorruptibilia per aliquam inhærentem qualitatem: ergo nec corpora glorioſa. Sunt ergo omnia per hoc tantum incorruptibilia quia Deus vult illa conseruare. Atque ad hanc sententiam annuere videtur in epistola ad Consentium 146. Augustinus dicens, quod sicut ab igne fornacis Chaldæorum abstulit Deus virtutem comburendi, quantum ad aliquid, quia corpora puerorum seruata sunt: sed mansit quantum ad aliquid, quia ille ignis comburebat ligna, ita auferet à corporibus beatis corruptionem, licet manebunt quantum ad alia vera corpora.

Alij demum impassibilitatem glorificatorum corporum solùm tribuunt cessationi cœlestis motus: sine quo nihil potest aut generari, aut corrumpi.

Reprobatio illius quod impassibilitas nõ sit nisi conseruatio Dei.

Ex his autem postremis opinionibus, vt tres priores velut reprobas relinquamus, hæc profecto Scoti & Durandi non satis videtur rei facere. Cùm. n. corpus glorioſum dicatur sitque incorruptibile, necesse est sic ipsum incorruptibile asserere, vt hoc intrinsecus habeat. Veluti Angelus (vt supra dicebamus) natura sua est incorruptibilis & pariter cœlum. Item cùm corpus resurget in vitam æternam, necesse est, quod suppoſita supranaturali virtute Dei illud resuscitantis, per seipsum naturam habeat incorruptibilitatis: sicut dicebamus de vitione. Si autem non aliter esset incorruptibile quam per Dei conseruationem, id profectò nõ haberet ex se, sed prorsus ab extrinseco. Quare nõ posset simpliciter incorruptibile aut impassibile esse. Etenim licet hominem modo Deus, vel quidpiam aliud naturaliter corruptibile perpetuo statueret conseruare, non aliter quam cohibendo omnia agentia ne illud corrumperent, certè nec incorruptibile propriè diceretur, nec impassibile, neque diceretur homo immortalis. Quoniam hæc sunt prædicata rei intrinseca, sed tolum diceretur res diuinitus conseruata: veluti in statu naturæ integræ conseruarentur homines per lignum vitæ.

Præterea sequeretur, quod corpora glorioſa non aliter essent incorruptibilia, quàm corpora damnatorum: quia nihil plus in se haberent incorruptibilitatis quàm illa: sed solum quia omnia per solam Dei assistentiam seruarentur, licet corpora glorioſa seruarentur insuper à passionib. cõsequẽs autẽ est falsum: quia dotes corporis glorioſi deriuantur à beatitudine quæ est in anima: atque adeò impassibilitas est in corpore.

Ad hæc dicere corpus Christi nõ aliter esse incorruptibile in cælo, quam quòd Deus illud supernaturaliter conseruat, est eius dignitati plurimũ derogare: si autem est in se incorrupubile, talitèr etiam reliqua erunt: quippe cùm vt ait Paul. ei sint configuranda.

Impassibilitatis causa.

Igitur impassibilitatis corporũ glorioſorum præter causas quæ sunt ab extrinseco signanda est causa intrinseca. Ab extrinseco quidem causa vna est cessatio motus cælorum. Item quia post diem iudicij nulla erunt agentia extrinseca quæ possint corpus corrumpere, qua ratione nec elementa tunc corrumpentur. Adde & circunstantiam cælestis loci. Nam esto vlla essent agentia contraria, non possent illi loco, sicuti neque modò applicantur, applicari. Sed tamen nulla istarum causarum meretur nomen dotis. Signanda est ergo causa intrinseca prohibens ne corpus à calore naturali & alijs qualitatibus elementalibus corrumpatur: atque adeò ipsum reddens, simpliciter incorruptibile & impassibile.

Quod dos impassibilitatis sit qualitas.

Hæc autem non absque probabilitate potest constitui qualitas (vt ait Paludanus) corpori inhærens vel animæ: nam sic significantius seruatur, quod dotes corporis deriuentur ex anima. Quare tunc sicut lumen gloriæ eleuat animam vt possit videre Deum, ita & dos impassibilitatis cum reliquis disponeret corpus, vt perfectissimè possit tum informari, tum etiam moueri ab anima.

Quod non sit qualitas.

Veruntamen quicquid sit de alijs, profectò impassibilitatem non est necesse sic asserere distinctam qualitatem. Nec diuus Thomas talem insinuat qualitatem, sed ait potius, quòd ipsa animæ informatio perfecta, & indissolubilis quæ dat corpori esse perpetuum, et dos impassibilitatis. Contemplatur enim, & re vera doctè, quod anima, quia per visionem & amorem Dei est Deo omnino subdita, æterna vita fruens, est potens corpus resurgens sic indissolubiliter informare: ad modum quo forma cæli suam informat materiam, atque adeo alligat sic potentiam materiæ, vt non sit amplius vlli alterationi atque passioni peruia quæ à sua natura corpus distrahat.

Explicatio veritatis.

At vero propterea huic sententiæ non tanta adhibetur fides, quod putant nonnulli diuum Thomam hoc in voluntatem animæ retulisse: nempe quod sicut ipsa subdita est Deo, ita habeat corpus suæ voluntati subiectum, vt nihil ei præter eius arbitrium accidere possit nocumenti: hoc autem non esset facere corpus impassibile, sed animam omnipotentem respectu corporis cui posset omnia nocumenta cauere. Et tamen sanctus Thomas illud non tribuit voluntati, sed naturæ informationis. Itaque licet beatus se in ignem proijceret, suapte natura corpus non posset magis comburi, quàm cælum vel angelus. Neque ad hoc, vt Paludanus arbitratur, opus est aliqua qualitate existente in corpore. Atqui ad hunc sensum intelligitur dotem hanc deriuari ex animæ beatitudine. Et certè hoc est illud, quod ait Augustinus loco citato ad Dioscorum: Tam potentem fecit animam Deus, vt ex eius plena fœlicitate redundet in corpus sanitas perpetua & vigor incorruptibilis. Imò hoc sonat verbum Apostoli: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Certè non aliter quam per animæ informationem. Atque idem est. Seminatur in corruptione,

August.

ruptione, resurget in incorruptionem. Resurget namque per animæ informationem.

Et hoc constituitur discrimen inter gloriosa corpora & damnatorum: hæc enim non sunt incorruptibilia per dotem quæ deriuetur ab animæ beatitudine: alioqui essent etiam impassibilia. Quamuis vt in sum. con. gen. lib. 4. ca 89. ait S. Tho. non sint transmutabilia in alias formas, diuina virtute corpus animæ rotaliter subijciente.

Quocirca non est æquale exemplum in iustitia originali, per quam vires inferiores erant rationi subditæ: illud quippe tantum fiebat per gratiam Dei, quam credo fuisse illam iustitiam quæ præterquam quod reddebat hominem Deo gratum, faciebat pro illo statu illam rectitudinem. Neque erat similis immortalitatis illius status, quæ erat potestas non moriendi ab extrinseco per lignum vitæ proueniens. Immortalitas enim corporis glorioſi est tam intrinseca quàm incorruptibilitas cæli: quamuis super naturam ei adueniat.

Augusti. Neque Augustinus ad Consentium citatus, vbi exemplum ad hoc propositum induxit de tribus pueris, qui in camino ignis illæsi seruati sunt, huic sententiæ refragatur: imò ei patrocinatur. Ait enim illic carni illorum non esse additam incorruptionem, sed igni detractam corrumpendi facultatem. Infert tamen inde quod qui virtutem igni detraxit comburendi, potuit carnem post resurrectionem facere vt non possit corrumpi. Hoc est, quod sit per se incorruptibilis.

Alia ratio. Adde quod anima tunc informans corpus ad quẽdam spiritualitatis gradum illud eleuabit, vt sibi ad nutum seruiat. Ait enim 13. de ciuitate Dei Augustinus exponens illud Pauli. Seminatur corpus animale, surget spirituale. Non quod caro in spiritum conuertetur, sed quia spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur vsque ad implendam mortalitatis indissolubilem securissimam voluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate detracta. Itaque non erit aliud incorruptibilitas quàm indissolubilis informatio, & coniunctio animæ cũ corpore.

Vnde ad illud argumentum, quod debent dotes corporis illis quæ sunt in anima conuenire, respondetur, non opus esse, vt sint perinde qualitates atque illæ: sed sicut illæ sunt vel dispositiones ad operandum, vel operationes ipsæ, ita impassibilitas est perfectissima animæ informatio ad perpetuum esse corporis.

Omnes dotes æquales. Hinc fit dotem impassibilitatis secundùm se consideratam nullatenus esse maiorem in beata virgine quàm in infimo beato: quia incorruptibilitas est ipsum esse rei non aptum corrũpi: negatio verò hæc aut priuatio, non suscipit magis aut minus. Atque id asserit Glossa super illud primo ad Corinth. 15. Surget in incorruptione, Nempe quod æquale omnes habent quod pati non possint. Erunt tamen inæquales ex parte causæ. Quod est dicere, Habebunt causas inæquales: quoniam dotes dantur propter merita præcedentia ex fide per charitatem operante: quæ quidem merita non sunt in omnibus paria.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondet Anselmus in libro illo citato de similitudinibus, quod mortale in definitione hominis à Philosophis adiectũ est: qui non nouerunt immortalem vitam totius hominis in anima & corpore: de quo ideò secundum hanc vitam præsentem philosophati sunt. Vel potest dici, quod secundùm Philosophum 8. Metaphysic quia differentiæ essentiales sunt nobis incognitæ, vtimur quandoque differentijs accidentalibus, ad significandum essentiales quæ sunt accidentalium causæ: & ideo nomine mortalis explicantur qualitates contrariæ homini essentiales, quæ sunt mortis causæ.

Sol. 2. arg. Ad secundum respondetur, quod quamuis in corporibus glorioſis eadem permaneat materia quæ in istis inferioribus quantum ad substantiam quæ suapte natura est in potentia ad alias formas: est tamen illa potentia ligata per animæ informationem perfectam, vt nequeat amplius illas recipere: quod quidem ligamen non est in via, propterea quod non ita perfectè dominatur corpori anima, nec tam perfectè illud informat.

Aliud argumentum. Et per hoc respondetur ad aliud argumentum, quod quispiam hoc pacto posset adijcere. Contraria vt ait de genera. ait Philosophus, suapte natura inuicẽ agunt & patiuntur, in corporibus autem glorioſis erunt qualitates contrariæ, vt dictum est, ergo agent inuicem, & patientur secundum summi vltimam potentiam, atque adeò temperamentum vitæ corrumpere. Respondetur, inquam, quod cum elementales qualitates, vt 2. de anima ait Philosophus, sint animæ instrumenta (eius enim virtute gubernatur calor naturalis in nutriendi opere) & vbi agens principale perfectum est, & in instrumento nullus eu defectus, nequeat actio instrumenti regulam transgredi à principali agenti præscriptam, perfecta illa animæ informatio qualitates moderatur, ne possint à debito temperamento exorbitari Doctrina est Augustini loco citato ad Consentium, dicentis quod Deus qui ignẽ fornacis trium puerorum earenus compescuit, ne illorum corpora cõmbureret: seruãdo in eo tamen naturam, qua posset vrere ligna, potest de ista visibili & tractabili natura corporũ, quibusdã manentibus qualitatibus, alias auferre, atq, adeò efficere, vt qualitates maneant cõtrariæ, sine facultate distemperãdi corpus. *Augusti.*

2. Concl. Secunda conclusio. Corpora sanctorum patientur passione perfectiua, nempe recipiendo species sensibiles in sensorijs organis ad sentiendum. Negari enim non potest quin sentiant, quia corpora glorioſa resurgent, vt distinct. 44 dicebamus, perfecta absque aliqua labe aut vitio, ergo habebunt organa sensus: si autem illa essent omnia perpetua otiosa, tunc vita sanctorum quantum ad corpora somno potius similis esset quam vigilantium vitæ, quod opinari non decet. Secundò, quia vis sensitiua propinquior est & vicinior spirituali virtuti animæ quam reliquũ corpus, sed corpus sanctorũ sua suscipiet præmia pro meritis, veluti & corpora damnatorum sua pro demeritis supplicia: ergo & vis sensitiua corporis glorioſi non frustrabitur, veluti in damnatis suas paterur tristitias, delectatio verò sensus non nisi per eorum vsus percipitur.

Tertiò, sancti mouebuntur motu animali, nam (vt habetur Sapient. 3.) tanquam scintillæ in arundineto discurrent: motus vero animalis non fit sine ducatu sensus. Certissimum ergo est beatorum sensus suis potiri vsibus. Neque de hoc vllus ambigit. Quoniam huiusmodi passio adeo corruptionem corporum non machinatur, vt sit eius perfectio. Veruntamen de modo est controuersia. Nam quoniam solent cum sensorijs speciebus qualitates materiales in organis recipi, quæ eorum temperamentum lædunt, vt in auditu patet & in odoratu, & spotissimum in gustu & tactu, nonnulli negarunt sensationes in corporibus glorioſis per susceptionem fieri ab obiecto, sed extra mittendo. Alij vero dixerunt sensus externos ab internis suscipere species vice versa qua modo interiores ab exterioribus eas modo suscipiunt. *Duo modi errandi de beatorum sensationib.*

Neuter tamen istorum modorum rationi consentaneus est. Quoniam potentiæ sensitiuæ non mutabunt naturam suam: sunt autem potentiæ non quidem actiuæ vt extra mittant, sed passiuæ vt intus suscipiant: idque respectu suorum obiectorum. Igitur neque sentire nisi per susceptas species possunt, neque illas nisi à suis proprijs obiectis suscipere. Attamen cum corpora illa non sint susceptiua qualitatum materialium, recipient species spirituales, eo gradu quem vnusquilibet sensus exigit.

Sed maior ambiguitas est, vtrum omnes sensus suos illic habebunt vsus. De hoc adhibetur tertia conclusio. Certum est quod visus suo fungetur officio. In hanc. n. conclusionem vnanimi consensu omnes conueniunt. Augustinus quidem 22. de ciui. Dei, cap. pen. differit vtrum corporeo visu tunc videbunt, propterea quod oculus erit spiritualis. Nihilominus certum est illa non posse videre. Quia spiritualia sub nullo cadunt obiecto sensus, atque adeò neque sub facultate potentiæ aut sensorij organi. Proculdubio tamen videbunt sancti cælestia corpora, & simili ratione se inuicem. Est. n. visus sensuum dignissimus. cuius species inter omnes sensibiles plurimum spiritualitatis habet: nulla ergo ratio vetat quominus beati illo fruantur dignissimo sensu. Illius n. medium ad videndũ est lumen, quod est cælestis qualitas: & inter corporum dotes vna est claritas eidẽ sensui accommoda: videbunt ergo amœnissimum cælorum splendorem, & sanctorum fulgentia corpora. Quinimò & hunc inferiorem elementorũ orbem, quæ ideò (vt supra diximus) fore claritate illustranda. Et accedit ra- *3. Concl. Augusti.*

tio potissima, quod omnes oculis corporalib. videbunt Christum ad iudicium in forma humana venientem: iuxta illud Apoc. 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, atque adeò ipsum perpetuò aspicient in gloria. Imò illa inter accidentales potissima erit fœlicitas.

Argu. contra conclusionem.

Vnum tamen argumentum poterit fortè quẽpiam ancipitem tenere. Cũ species visibiles non possint nisi per aërem multiplicari, aut per corpus diaphanum, quod sit transparens, & sanctorum locus sit interna pars cæli quæ solida est & opaca, vt stellæ testantur, quæ nisi opacitatem haberent, non possent solis radios quos suscipiunt, reuerberare, non apparet quomodo per medium cælum multiplicabuntur, vt possit beatus distantem alium videre? Respondetur, quod etsi cælum adeo esset opacum, vt penetrari speciebus non posset, tamen ratione status penetraretur. Nam & penetrabitur cum corporibus gloriosis. Sed tamen miraculum hoc non erit necessarium, quia cælum empyreum est vsque adeo transparens & lucidum, vt multo melius per ipsum quàm per purissimam crystallum visibiles species diffundantur. Non enim est sicut astra quæ foras emittunt lucem, vt supra diximus, sed sicut illuminatus aër. Quinimò hinc aliud emergit argumentum in contrarium. Eximium enim lumen in speculo, vt experientia docet, impedit ne per species obiecti in ipso receptas ipsum earum obiectum videatur: ergo tam ingens splendoris vehementia obstaculo erit, tum ne obiecta possint species diffundere, tum ne pupilla tanta claritate suffusa possit illas suscipere.

Argum.

Aliud argumentum.

Præterea beati non poterunt ad tantam distantiam videre: præsertim si, vt par est, omnes visu corporeo intueri habent Christum.

Responsa.

Veruntamen respondetur ad primum, quòd vehementia luminis nil per se obstat visui, quinimò quo splendidius est, melius ad videndum seruit: nisi visus debilitas obstet, vt in vespertilione respectu solis. In speculo enim ob id non videtur obiectum per species in ipso reflexas, quòd ipsas reflectere nequit, nisi dorsum opacum habeat, qua ratione illi à tergo adhibetur plumbum, quòd obscuritatem faciat; & quia nimius radiorum solarium fulgor illam obscuritatem contegit, obstat ne in speculo videatur obiectum. In cælo verò quia nulla erit potentiæ debilitas, nil luminis vehementia obstabit visui, quinetiam limpidissimæ erit visionis causa. Et pariter respondetur ad secundum, quòd acutissima illic erit acies & acumen visus: & ideo tenuissimo cono & angulo specierum immutabitur, atque adeò à quàm longissima distantia videbunt.

Et re vera siue hoc sic fiat ex natura oculi & luminis, siue supernaturali virtute: piè tamen credendum est omnes semper visuros Christi humanitatem. Imò & ex beatis se inuicem multos, præsertim quòd, vt infra videbimus, moueri poterunt ad videndum nunc alios, tunc verò & alios.

Secundus sensus ordine & spiritualitatis & eminentiæ in cerebro est auditus, quem nonnulli negant vsum illic habiturum, dicentes quòd solus visus & tactus suis officijs fungentur. Statuitur nihilominus quarta conclusio Auditus etiam in illa fœlicitate habebit vsum fœliciſsimum. De huiusmodi sensationibus, vt August. 22. de ciuita. Dei cap. vltimo ait, nihil temerè definire debemus: quia nec excogitare illa quæ illic euenient possumus. Sunt namque, vt est apud Sapientem, cogitationes mortalium timidæ, incertæque prouidentiæ nostræ. Veruntamen de illis modulo nostro possumus vtcunque coniectari.

Quarta conclusio dicitur de auditu.

Coniectura conclusio.

Coniectura autem est, vt quicquid ad gloriam Dei sanctorumq; attinet; quæ in alia æternitate æstimari crediq; facilè possit, affirmetur. Soni verò & harmonia, quæ perfectum est auditus obiectum, nil illius æternitatis vetat quominus intonari possint & audiri. Illa enim quatuor animalia quæ Ioanni Apocaly. 4. apparuisse referuntur, ait Ioannes, quod requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotẽs Quod ecclesia quotidie in sacris referens, Deum ipsum precatur, vt cum ipsis angelis qui quotidie clamare non cessant, nostros cantus admittat. Cùm ergo musica hæc ad literam possit absque vlla absurditate intelligi, nulla est ratio cur sic non intelligantur. Vnde vt super illud Psalmi penultimi: Exultabunt sancti in gloria, & exultationes Dei in gutture eorum, ait Augustinus, quod sanctorum corda & linguæ non cessabunt laudare Deum.

Secundò. Cùm vsus linguæ ad exprimendum humanos conceptus natura hominibus ea ratione concesserit, quod homo est animal politicum, & natum in societate viuere: quæ quidem societas per huiusmodi conceptuum communicationem colitur, & vegetatur, ratio non permittit quòd sancti in cælo vbi natura perficienda est, illo dono frustrentur. Nam etsi ad beatitudinem essentialem sat beatis sit in verbo ea videre, quæ illos fœlices faciunt, erit tamen perquam iucundum fratribus habitantib. in vnum colloquia se cum inuicem nectere, & multo fœlicius laudes Dei, quas mente concipiunt linguis efferre: quandoquidem & in hac Ecclesia militanti illis vocalibus laudibus Deus colatur, & in illa triumphanti corpora etiam habebunt sancti.

2. Ratio.

Tertiò. Sicut pulchrum delectat visum, ita & auditum suauitas musicæ, adeò vt Pythagoras cælestes orbes suis motibus cogitaret harmoniam facere: ergo sicut oculi illic suo non frustrabuntur gaudio & lætitia, ita neque aures.

3. Ratio.

Accedit illud quod supra diximus. Nempe sententiam illam, Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Et: Venite benedicti patris mei, sonora voce pronuntiatum iri. Quod si ita fiet, nil mirum si contemplemur Christum nonnunquam beatissimæ matri, & reliquis sanctis eius laudantibus vicissim locutum ire. Illa enim vita erit in corpore & anima iucundissima, non ergo est cur vel Christum, vel reliquos sanctos mutos fore credamus. Quòd si non erunt muti, certè neque surdi.

4. Ratio.

Notæ.

At verò quamuis loco citato in Apocalyp. dicatur quod requiem non habent clamantia, fortasse non tam ad rigorem literæ intelligitur, sed quod clamabant ordine quodam & per vices cantus quandoque pausando.

Tota verò difficultas in hac suscipienda sententia huc incumbit, quod vocalis sermo quomodo fiat non intelligitur, nisi aëris verberatione, qui in cælo non est, item neque fieri potest in corpore solido, quod inscindi nequeat. Nam vox multiplicatur per motum: at verò corpus cæleste discindi non est possibile,

Magnum argu. contra conclusio.

Ad hoc D. Thom. in secundo sentent. distinct. 2. quæst. 2. art. 2. bifariam respondet. Vno modo, quod soni illi & voces multiplicabuntur per sonoras species sine motu, atque adeò sine incisione corporis: ad modum quo species visibiles multiplicantur sine incisione aëris. Nihilominus adhibet solutionem secundam, quod possunt multiplicari soni per incisionem partium cæli empyrei, quod eius ignobilitati non est tribuendum: eo quod factum sit propter beatorum statum, & scinditur impulsione beatæ linguæ. Et Ricardus distinctione præsenti art. 4. quæst. 3. hanc secundam, amplectitur opinionem, quæ ideo videtur fuisse antiqua. Neque inde infertur, ait D. Thom. cælum illud esse corruptibile: quoniam raritas, inquit, & densitas illius cæli non sunt eiusdem rationis cum eiusmodi qualitatibus quæ sunt apud nos. Ob idque licet partes, dum discinduntur, condensentur, & dum concurrunt, rarefiant, non ideo corpus est corruptibile.

Ricardus.

At verò profecto non est facile sic de incorruptibili cælo sentire, cùm scindi corruptio sit. Præterea est argumentum, ex qua materia voces illæ fiant. Nam si dicas fieri ex aëre quod in pulmone latet, cùm illo expirato, qui finitus est, non posset alius inspirari, facilè materia illarum vocum absumeretur. Et ideo fortasse voces illæ per species spirituales, ceu visibiles, modo nobis occulto efformantur.

Tres alij sensus plus habent materialitatis, inter illos verò minus olfactus: cuius ideo organum in cerebro eminentius est organo gustus, de quo statuitur 5. conclusio. Odor illic suauissimus sentietur. Est tamen hic adnotandum, quod in illa fœlicitate nullum erit prorsus corpus nisi cælum, & corpora glorioſa. Quare nullus illic potest esse odor extraneus, sicuti apud nos florum, aut fructuum, aut pigmentorum. Quocirca illud Apoc. 5. de senioribus illis habentibus singulis phialas aureas plenas odoramentorũ, quæ sunt orationes sanctorũ, & quicquid simile in sacris literis reperiatur, per metaphoram intelligendum est. Orationes n. vt est in Psalm 140. sicut odoriferum incensum diriguntur in conspectu Dei. Veruntamẽ corpo-

5. Conclu.

ra ipsa

ra ipsa glorioſa erunt odorifera ob temperatiſſimam primarum qualitatum complexionem: ſtomachus, inquam, ſubſtantia erit odorifera plenus, & reliqui humores odorem mittent. Etenim ſi ſanctorum cadauera in terris odore fragrant, nihil mirum, ſi eadem reſurgentia corpora in cæleſti beatitudine cæleſtibus odoribus recreentur.

Argum. Quòd ſi arguas odorem non emitti niſi per effumationem, vt apud nos apparet. Reſpondetur hoc accidere propter humiditatem quæ odoris ſedes eſt, quæ vt illum emittat, igne eſt reſoluenda. Non tamen hoc de eſſentia odoris cenſetur. Nam vultures à remotiſſima diſtantia cadauera olfactu præſentiſcunt, ad quam fœtoris fumus pertingere nequit.

Reliqui duo ſenſus, nempe guſtus & tactus, omnino ſunt materiales: guſtus enim pars quædam eſt tactus. *6. Concl.* De tactu ergo ſubiungitur ſexta concluſio, quæ cunctis eſt receptiſſima. Vſus tactus erit in patria: nam beati per orbes cæleſtes tranſeuntes, & in empyreo exiſtentes, tactum cælorum ſentient, quamuis per illos penetrent, & poterunt ſe inuicem manu tangere & amplexari: tactus enim ille nihil ad corruptionem corporum machinabitur, ſed erit ſenſus perfectio: quoniam ſpecies tangibiles non ſecum deferent reales qualitates, ſicuti in nobis caloris & frigoris, iuſto temperamento humano corpori aduerſæ: quia illa beata corpora non patientur paſſione propriè dicta diſtemperante corpus, ſed recipient illas ſpecies ſpirituali modo vt viſibiles. Quinimò & homines non glorificati poterunt glorificatum corpus tàgere: nam qui per eundem locum quo ipſum eſt vellet tranſire, non poſſet.

Quinetiam corpora glorioſa non ſolum tangibilia ſunt, verùm & palpantur. Cuius teſtimonium exhibuit Chriſtus Lucæ vltimo, dicens diſcipulis: *Palpate & videte.* *Palpare.* Palpare enim plus quippiam addit ſuper id quod eſt tangere. Primæ enim qualitates, vt caliditas & frigiditas, tangibiles ſunt, & ideo elementa in quibus exiſtunt, tanguntur, vt aër, aqua, & ignis, non tamen palpantur, quia non ſunt conſiſtentia & ſolida, requiritur enim ad hoc quòd res ſit palpabilis, vt ſuo proprio termino conſiſtat.

De guſtu verò adhibetur ſeptima, poſtremaque concluſio. *7. Concl.* Guſtus proprium vſum non habebit per ſaporem extrinſecum. Certum enim eſt, quod illic, vt ait Chriſtus, neque nubent, neque nubentur, atque adeò nullus erit cibi potúsve vſus, quia neque erit animalis vita. Etenim cùm ſapor non propter ſe à natura fuerit animalibus tributus, ſed propter neceſſitatem cibi & potus, nulla erit frustratio, ſi illa neceſſitate ceſſante nullus illic ſit ſapor. Nihilominus probabilitate non caret ex optimo qualitatum temperamento perinde humorem aliquem perpetuum ineſſe illic linguæ, vt diximus odorem etiam in corpus diffundi: nempe vt beati nullo vtu ſenſus corporei fruſtrentur: humor autem ille ſaporem faciet omnium ſuauiſſimum, qui eſt in hac vita mortali.

Iudicium ſenſus. Circa huiuſmodi autem ſenſationes omnes poterit quis dubitare, vtrùm per illas beatus noua concipiet rerum iudicia. Reſpondetur autem quòd recipiet noua iudicia ſenſus communis, quæ ſunt noua experimenta, non autem noua iudicia intellectus: quoniam beatus omnia quæ ad ſuum ſtatum attinent, ſcit, licet ſit poſtea experturus. Quemadmodum Aſtrologus ſciens futuram eclypſin, poſtea illam experitur. Vnde quod ait ſupra citatus Auguſtinus, illic non fore cogitationes volubiles, intelligitur de intellectualibus iudicijs.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſubtilitas ſit inter dotes corporis glorioſi connumeranda.

SECVNDA dos eſt ſubtilitas, quam diximus impaſsibilitati eſſe annexam, & ideo de illa quæritur vtrum ſit inter dotes dotes corporis glorioſi connumeranda. Et arguitur à parte negatiua. Dotes corporis glorioſi excedunt ſimiles omnes qualitates naturales: vt claritas claritatem ſolis: & agilitas perniciſſimum ventorum volatum: ergo ſi illic erit ſubtilitas, debet ſubtilitates omnium corporum naturalium excedere, vt aëris in tanta verò ſubtilitate nequit humana natura ſeruari. *Partis negatiua arg. 1.*

Secundò arguitur. Si ſubtilitatis dos erit in corpore glorioſo, effectus eius, vt fertur, erit vt glorificatum corpus cum alio ſe corpore in eodem loco penetrare valeat. Reformabitur enim corpus humilitatis noſtræ, vt ad Philippenſes. 3. ait Paulus, configuratum corpori claritatis Chriſti. & Chriſtus poſt reſurrectionem, vt refertur Ioannis 20. ianuis clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt: conſequens tamen videtur falſum. Nam dos ſubtilitatis nequit à corpore corpulentiam qua locum repletauferre: illa verò permanente non poteſt ſe cum alio corpore penetrare. *2. Argum.*

Tertiò. Si ſubtilitas ad dotes corporis glorioſi pertineret, faceret ipſum non eſſe palpabile, tum quod Gregorius in homilia octauæ paſchæ: Corrumpi, inquit, neceſſe eſt quod palpatur, tum quòd ſi palpabile eſſet, reſiſteret alteri corpori eundem ſecum intrantem locum, atque adeò non valeret ſe cum illo penetrare. Quòd autem non faciat corpus impalpabile, docuit Chriſtus Lucæ vlt. dicens diſcipulis poſt reſurrectionem, Palpate & videte: nulla ergo erit dos ſubtilitatis. *3. Argum.*

In contrarium eſt verbum citatum Apoſtoli primæ ad Corint. 15. Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale, id eſt, ſpiritui ſimile: ſubtilitas enim corporis ſpiritualitatem deſignat. *Pars affirmatiua.*

Ad hanc quæſtionem quatuor concluſionibus reſpondetur. Eſt tamen primum animaduertendum, quod ſubtilitatis nomine ſpiritualitas corporis glorioſi deſignatur, vt in verbo apoſtoli citato innuitur. Nomen autem ſubtilitatis, vt patet in aqua, & præcipuè in aëre, à penetratiua virtute ſumptum eſt. Nam vt 2. de gener. ait Philoſ. ſubtile eſt, quod eſt partibus ac partium partibus ſubintrandis aptum. Ob naturam enim humidi, quod malè termino proprio terminatur, bene tamen alieno, vt in aqua conſpicimus, corpus quod tangit vſque ad minimam partem influit: & ideo figuram vaſis in quo recipitur facile ſuſcipit, non proprio, ſed alieno termino contenta. *Subtilitatis nomen.*

Hæc autem penetrandi virtus quæ ſubtilitas dicitur, aut ex tenuitate quantitatis prouenit, vt in acus cuſpide, aut ex raritatis qualitate, vt in aëre. Tenuitas namque materiæ ſecundum latum & profundum, licet res ſit longa, vt acus, facit vt facilè penetret. Et hæc ſubtilitas dicitur acuties. Similiter paucitas materiæ, vnde raritas naſcitur, eundem habet effectum: & ideo aqua, & plus aër, & plurimum ignis nomen ſubtilitatis obtinent, in quibus forma materiæ propter eiuſdem materiæ paucitatem optimè dominatur. At quia ſubtilitate primi generis ratione acutiei quantitatis tranſlatum eſt nomen ad res alias quæ virtutem habent penetrandi, ſiue corporeæ ſint, vt Sol, cuius virtus ad intima rerum penetrat: ſiue ſpirituales, vt eſt intellectus, qui rerum veritates penitiſsimas ſcrutatur. Et pariter dicitur ſubtiliſsimus viſus, qui vſque ad minima videnda penetrat: & pari modo tactus, atque alius quiuis ſenſus. *Duplex ſubtilitas.*

Subtilitatem ergo trifariam corporibus glorioſis diuerſi tribuerunt hæretici: namque quos Auguſtinus refert, opinati ſunt corpus glorioſum conuertendum eſſe in ſpiritum ſecundum ſubſtantiam, qualis eſt ipſa anima. Quem errorem confutat libr. 13. de ciuitate Dei capite 24. *Tres modi dicendi.*

Conuincitur enim illorum error, vt lib. de duabus naturis oſtendit Boetius. Primo, quia tranſitus vnius in alterum fieri nequit, niſi in materia communicent: materia autem corpori & ſpiritui communis eſſe non poteſt, quandoquidem ſpiritualia immaterialia ſunt.

Secundò, quia tunc corpora mortua non eadem reſurgerent, neque homo poſt reſurrectionem conſtaret ex corpore & anima. *Hæreſis reprobata.*

Tertiò, quia ſi corpora conuertenda eſſent in ſpiritum, conuerterentur in animam, & ſic Apoſtolus non dixiſſet, reſurget ſpirituale, ſed animale: & tamen non dixit niſi quod ſeminatur animale, reſurget ſpirituale, hoc eſt, ſeminatur terrenum, & graue, tanquam vitam habens animalem & mortalem: & reſurget ſpirituale, id eſt, ad modum ſpiritus animæ obtemperans.

Alij deinde hæretici dixerunt, quod corpora reſurgent ſpiritualia propter materiæ paucitatem & raritatem. Itaque erunt aërea, vt lib 14. Mora. c. 31 refert. Fuit. n. Euthicius Conſtantinopolitanus Epiſco- *Alij hæretici.*

pus, cum quo Gregorius de hac re congressus fuit. Aiebat. n. quòd non resurget corpus palpabile. Hæresis autem hæc condemnatur verbo illo Christi, Lucæ vltimo: Palpate & videte. Quæ quidem verba blasphemus ille aiebat Christum dixisse, non quia palpabile habebat corpus, sed vt discipulis resurrexisse se persuaderet. At verò si verum non dicebat, quomodo verum persuadebat? Præsertim cùm subiunxerit: Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere? Si enim corpora resurgentium essent aerea, sicut phantasmata, vt Apostoli putabant esse corpus Christi, neque ossibus, neque vera carne compacta, quia os & caro tantam non ferunt raritatem, & tamen Iob capit. 19. In carne mea, inquit, videbo Deum.

r. Concl. His ergo erroribus reiectis sit prima conclusio. Corpora glorioſa habebunt subtilitatis dotem propter completissimam eorum perfectionem & aptissimam complexionem, qua erunt animæ dominio instar spiritus subdita. Quemadmodum aër & aqua formam continentis vasis promptissimo obsequio suscipiunt.

Contra quintam essentiam. Hanc autem corporis perfectionem quidam, vt supra retulimus, quintæ essentiæ adscribebant, quæ elementis tunc maximè dominabitur. Sed iam diximus hanc quintam essentiam locum in elementis non habere, neque posse illà sic euincere, vt in naturam cælestem vertant: sed quintam essentiam solùm esse cælorum naturam. Non ergo aliunde dos subtilitatis conuenit corporibus quàm ex dominio animæ perfectissimè dominantis, actuantisque corpus. Quo fit, vt hæc dos non antecedat, sed subsequatur animæ informationem: per quam corpori tribuit esse, vt diximus, incorruptibile & impassibile, atque adeò aptitudo illa & facilitas, vt perfectissimè obtemperet. Nam forma suas secum affert dispositiones tanquam proprias eius passiones, vt patet de forma ignis cùm in materia inducitur.

Constitutio S. Tho. Differentiam autem impassibilitatis à subtilitate & agilitate Diuus Thomas sic constituit, quòd subtilitas sit omnium prima, videlicet per quam corpus aptè & idoneè suscipit formam sub ratione informantis ipsum, dantisque ei esse perpetuum: instar aëris & aquæ, quæ propter suam subtilitatem facillimè suscipit vasis continentis formam. Sed agilitas conuenit ei quatenus subijcitur eidem animæ ceu motori: & claritas, quatenus subijcitur ad alias operationes: impassibilitas verò, quatenus anima illud conseruat. Quocirca impassibilitas secundum Sanctum Thomam non erit prima, sed vltima dotium.

Alia ratio distinguendi dotes. Durandus verò distinctione 44. quæstione 5 quem Paludanus sequitur quæstione 3. aliam rationem affert, nempe quod dos impassibilitatis conueniat corpori omnium prima, scilicet quatenus subditur animæ in ratione formæ dantis ei esse perpetuum: subtilitas verò sit secunda, qua scilicet subditur eidem animæ, vt motori quantùm ad reliquas operationes præter localem motum, quales sunt sensationes & appetitiones appetitus sensitiui. Sed agilitas, quatenus animæ obediens est in motu locali. At verò tunc non restaret ratio, qua claritas ei conueniret: & ideo si impassibilitas ponatur prima, quod reuera eo quod esse perpetuum actiones præcedit, congruentissimum est, sic videtur ordo istarum dotum constituendus. Sunt enim in omnibus tria, scilicet esse, quod est omnium fundamentum. Et potentiæ ad operandum, quæ inde proximè effluunt: ac denique operationes. Impassibilitas ergo est dispositio corporis recipientis perfectum esse. Subtilitas verò potest ei annecti secundum eorum opinionem, qui aiunt ratione illius posse corpus glorioſum penetrari cum alio corpore: quia hoc est genus incorruptibilitatis, non cedere alteri in eodem loco. Si verò cum S. Thoma id negetur, dicendum fortè, quod per subtilitatem corpus sit idoneum: obtemperatque animæ in suscipiendis facilè potentijs, & organis, & viribus, ac demum debitis complexionibus corporis quæ proximè fluunt ex essentia hominis, vt aptum fiat ad operandum: veluti subtilia, vt aër & ignis maximè mobilia sunt. Claritas verò pertinet ad operationem sensuum, & maximè visus: ac demum agilitas ad localem motum.

Sententia aliorum.

Sol. r. arg. Et per hoc solutum restat primum argumentum. Subtilitas namque corporis glorioſi non prouenit ex acumine quantitatis, vt in acu, aut ex paruitate & raritate materiæ, vt in aqua vel aëre. Nam tanta est materia in corpore glorioſo, quanta ad debitam hominis compositionem necessaria est: sed dos subtilitatis est habilitas, vt corpus debitè ab anima vel informetur, vt ait D. Thomas, vel vt potentias & organa, & debitas vires suscipiat ad operandum.

Hinc ambiguitatis colligitur solutio de essentia huius dotis, sit ne qualitas distincta à corpore. Scotus enim distinctione præsenti quæstione 16. negat esse qualitatem, cui Durandus adstipulatur distinctione 44. quæstione quinta. Sed Paludanus quæstione 3. probabile existimat esse qualitatem. At verò diuus Thomas id non insinuat. Neque verò opus est has qualitates absque necessitate multiplicare. Vnde sicut de impassibilitate diximus, ita & de subtilitate dicere possumus, quod non sit aliud quàm habilitas corporis propter animæ informationem, vt facilè vires & potentias accipiat operandi quæ ex ipso esse perpetuò effluunt. Tametsi non magni referat dicere quòd sit qualitas.

De effectu autem huius dotis etiam controuertitur. Vtrum scilicet virtute illius possit corpus glorioſum cum alio se penetrare: hæc autem quæstio aliam præsupponit. Vtrùm scilicet id sit siue possibile virtute dotis, siue alia diuina.

Primum omnium opinari quis forsan posset nulla opus esse corpori glorioſo virtute penetrandi se cum cælo empyreo: sed quod cælum posset diuidi sicuti aër vel aqua. Dixit enim (vt paulò ante retulimus) Sanctus Thom. 2. sententiarum quæstione 2. articulo 2. quòd diuiditur ad formandas beatorum voces, idque ipsum opinatur Ricardus distinctione præsenti quæstione 3. articulo 4. At verò hoc certè non est benè opinabile. Tum quòd nec voces videntur illic formari ex aëre, tum quòd non est intellectu facile quomodo corpus illud sit incorruptibile, & tamen sit diuisibile. Vnde Iob. 37. Cæli velut ære solidissimi fundati sunt. Quare nec diuus Thomas, nec Ricardus fateri audent, quod diuidantur ad motum corporum glorificatorum quicquid de sono dixerint. Præsertim quod de alijs sphæris cælestibus inferioribus suspicatur nemo esse diuisibiles, per quas tamen ascendit Christus, ascendentque beati resumptis corporibus. *Cæli non sunt diuisibiles.*

Quò ergo ad penetrationem redeamus, eam Philosophi constanter negabunt. Enimuerò, vt Philosophus, & Commentator 4. Physic. cap. de vacuo, docent, impossibilitas essendi duo corpora in eodem loco ex eorum mathematicis terminis prouenit: vocant autem mathematicos terminos dimensiones quantitatis. Quare dicunt, quod si cubus, nempe quadrata quantitas, absque physico corpore esset in loco, non posset secum aliud corpus ibidem compati, secus si sint duo corpora vnicam habentia quantitatem, vt materia & forma: materia enim & forma ligni in eodem sunt loco adæquato. Hinc ergo lumine naturali colligitur duo corpora non posse penetratiuè in eodem existere loco. Quinuero Durandus in 4. distinctione 44. quæstione sexta, cui Paludanus adstipulatur quæstione tertia, tanquam probabilem opinionem sustinet, quòd per nullam potentiam Deus potest facere, vt duo corpora in eodem loco se penetrent simul. Et ratio eius est, quoniam non minus necesse est duo corpora distingui ab inuicem situ & loco quam partes eiusdem corporis situ inter se distare: nam cùm ante diuisionem necesse erat partes distare loco, id ipsum necesse erit postquam sunt duo: partes autem eiusdem corporis non possunt esse simul: quia de intrinseca ratione cuiusque corporis est habere partem extra partem situ & loco distantes: ergo & duo corpora necesse est sic distare. *Durand. & Paludanus.*

Et confirmatur eadem minor propositio: quoniam si non esset necesse partes eiusdé corporis distare, posset secunda medietas poni in eodem loco cum prima: & rursus si illic consideres duas medietates, posset poni secunda vbi est prima: atque adeò sic conduplicando posset cælum poni in loco vnius grani milij, quod non est opinable.

Tertium argumentum sumitur ex Boetio libro primo de trinitate cap. 1. vbi ait, quòd differentia individualis sumitur ex accidentibus: duo enim homines nō genere aut specie, sed accidentibus distant: potissimū autem est locus, & ideo fingere (inquit) duo corpora *Boetius.*

in vno

in vno loco non possumus. Alia afferunt minoris efficaciæ argumenta.

2. Concl.

His tamen nihil obstantibus subiungitur secunda conclusio. Per diuinam omnipotentiam fieri potest, vt duo corpora in eodem loco simul consistant. At verò cùm hoc per naturam fieri nequeat, non potest conclusio ratione naturali monstrari, neque vllus merè philosophus eam reciperet: sed tatis est supposita fide rationes quæ contrariæ apparent dissoluere. Est ergo conclusio de fide saltim secundùm communem scripturæ sacræ interpretationem. Sanè cùm Christus illæsis conclusisque virgineis claustris natus fuerit, & occluso sepulchro resurrexerit, & ad discipulos obseratis ianuis ingressus fuerit, & per cælorum corpora ascendens ad patrem absque eorum incisione penetrauerit, & similiter in die iudicij ascendent cum eo beati in corporibus glorioſis, & cum cælo se Empyreo penetrabunt.

Sacra testimonia.

Durandi responsa.

Durandus quidem & Paludanus ad omnia ista respondere nituntur. quasi non sint de fide. Aiunt quippe, quod fortè latera vasis intemeratæ virginis absque ruptione poterant dilatari: & cœli scindi virtute diuina. Neque expresse habetur, vt aiunt in euangelio quod Christus clauso sepulchro resurrexit, aut quod per fores claustas fuerit ingressus, sed quod erant claustæ dum venit.

Reprobatio.

Sunt autem cauillationes istæ minimè tutæ: imò videntur sacris textibus inimicæ. Quare Damascenus libro 3. cap. vltimo: Corpus, inquit, glorioſum erit spirituale, quale fuit corpus domini post resurrectionem, clausis ianuis pertransiens.

Ratio ergo possibilitatis huius, vt ait Diuus Tho. est quod necessitas: vt quodcunque corpus vnum sibi proprium vendicet locum neque eundem duo simul naturaliter replere valeant, est diuersitas materiæ, quæ distinctionem situs exigit: vnde prouenit, vt cùm duo per mixtionem in vnum coëunt, nequeat id fieri, nisi vtroque destructo vnum fiat tertium: vt dum aqua infunditur vino. Igitur cùm esse cuiusq; corporis à suis intrinsecis principijs: ceu à causa secunda pendeat: à Deo verò tanquã à causa prima, & quicquid Deus facit cum causa secunda, facere se solo possit præter ordinem eiusdem causæ, potest duo corpora, vtroque in suo esse conseruato, in eodem loco ponere. Quemadmodum accidens, quod naturaliter mediante subiecto conseruat, potest subiecto destructo se solo conseruare: vt fides nos in sancto Sacramento docet.

Secundò id probatur. Sicut forma & materia lapidem componentes sunt per eandem quantitatem in eodem loco, potest Deus eodem loco supernaturaliter seruare separatas, suam vtrique quantitatem tribuendo.

Redargutio Scoti.

Scotus verò loco citato distin. præsenti quæstio 16. hanc rationem D. Thom. refutat. Impossibile enim, inquit, est, quòd Deus rem aliquam absque suis principijs intrinsecis conseruet, cuius contrarium hic Diuus Thomas affirmare videtur. At verò Diuus Thom. nunquam id somniauit: nam quando duo corpora virtute diuina sunt in eodem loco, vtriusque principia intrinseca illic seruantur. Sed vult dicere, quòd cùm duo esse distincta duorum individuorum pendeant à distinctione materiæ, & distinctio materiæ ex distinctis sitibus in diuersis locis, facit Deus, vt quamuis non sint in diuersis locis, nec habeant diuersos situs, habeant esse distincta in eodem loco.

Alia ratio.

Alij probant eo quòd quantitatis duo sunt officia, scilicet, facere corpus quantum: nempe in suis partibus extensum: & extendere in ordine ad locum, & ipsum occupare. Primum autem habet in genere causæ formalis: & posterius in genere causæ efficientis. Potest ergo Deus seruato priori, secundum effectum impedire, vt corpus non occupet locum. Hæc verò ratio non est, vt iacet admittenda. Quantitas enim corporis se penetrantis cum alio non impeditur, quin occupet locum: imò vtrumque eundem locum occupat ne aliud naturaliter subintret sicut solum absque alio occuparet, etiam si esset glorificatum: sed solùm fit, vt vtraque quantitas alteram secum virtute diuina admittat. Neque verò naturaliter illam repellit in genere causæ efficientis, sed quia locum occupat.

Soluitur argumentum Durand.

Vnde ad argumentum Durand. negatur tam intrinsecum esse quantitati extendere corpus in ordine ad locum, quàm ordinare partes in se. Christus enim cum sua quantitate est in sacramento, quod certè Durand. sine periculo negare non potest: & tamen non extenditur in ordine ad locum, & hoc certè maius est miraculum quàm ponere duo corpora in eodem loco: vbi neutra impeditur quantitas, quominus sit extensa in ordine ad locum. Et ad aliud conceditur, quòd potest tota quantitas cæli poni in tanto loco quantum est granum milij. Imò in minori, nam & quantitas corporis Christi est in sacramento sub quocunque puncto specierum: nec hoc licet Theologo negare. Atque adeò nec ambigere quin Deus possit duo corpora in eodem loco collocare.

Solutio rationis Philosophorum.

Vnde ad rationem Philosophorum respondetur. Dimensiones corporum solùm obstare ne naturaliter duo corpora in eodem simul loco esse possint, non autem quin Deus supranaturali virtute id valeat efficere.

Ad arg. Boetij.

Et similiter respondetur ad Boetium, quòd loquebatur mera rerum natura pensata, Principia enim individuationis naturalia sunt tempus, & locus: duo namque homines non differunt numero, nisi quia vnus hoc tempore & loco productus fuit, alius alio nequeunt enim naturaliter duo in eodem adæquato loco & tempore simul produci; secùs autem virtute Dei, qui non dependet in operando ex loco & tempore. Et ex eodem principio soluuntur aliæ rationes plurimæ, quæ à diuersis doctoribus in fauorem Philosophorum fieri consueuerunt.

Duo de subtilitate errores.

Veruntamen hac supposita veritate hoc Theologum inde exurgit dubium. Vtrum possibilitas hæc penetrandi se vnum corpus cum alio in eodem loco glorificato corpori virtute huius dotis subtilitatis competat. Duo enim de hac re fuerunt errores. Vnus quem supra retulimus illius Euthicij Constantinopoli, quod corpora glorificata virtute dotis subtilitatis erunt aërea atque adeò poterunt per poros cuiuscunque alterius corporis penetrare. Hæc tamen absurda hæresis est quæ veritatem humani corporis tollit. Sanè cùm corpus tunc non esset palpabile, nec veram haberet carnem & ossa, cuius contrarium Christus discipulis persuasum curauit. Nam caro, & ossa aëream raritatem non ferunt.

Secundum error.

Sed alius fuit error paulo minus absurdus, quòd virtute subtilitatis habet corpus glorificatũ posse suã figuram variare & in quamcunque paruissimam quantitatem contrahere, vt possit per quemcunque porum quantumuis paruum sese colare. Et ita dicunt natum fuisse Christum, intrasseque ianuis clausis per orificium exiguum, & rimulas. Atque ita dicunt posse penetrare per cælum.

Reprobatio.

Sed tamen & hæc cogitatio veritatem tollit humani corporis salua enim corporis consistentia non potest quantitas nisi per condensationẽ minui, vt quando aqua gelatur, corpus autem humanum tantam condensationem non suffert, & multo minus glorioſum, quod cum sit incorruptibile, non est condensabile. Imò licet fieret vel per condensationem, vel per subtractionem: alia via, quantitatis, non posset humana figura sub tam exigua quantitate seruari, imò fieret monstrum hominis, vt formica, quod decentiam corporis glorioſi absurdissimè dedeceret. Præterquam quod cæli non habent poros, per quos corpus posset beati transire:

Sunt ergò huiusmodi figmenta deridicula: & ideo aliter inter Theologos variatur opinio suppositæ veritate, quòd possit se corpus glorioſum penetrare, cum alio. Scotus enim quæst. 16. citata ait penetrationem hanc ratione subtilitatis prouenire. At verò S. Tho. d. 44. id negat, cum quo Durand. consentit, & Ricard. d. præsenti, arti. 4. q 5.

3. Conclusio

Arbitror tamen dissidium potiùs in verbis consistere, quàm in re. Nihilominus rigore propriè loquẽdi seruato subiungitur tertia conclusio. Quod se corpus glorioſum cum alio penetret, virtute dotis subtilitatis non habet, sed sola id virtus diuina facit. Probatur prior pars. Nulla virtus quæ in corpore glorioſo existat, potest illud facere cum alio penetrabile, nisi tollendo penetrationis impedimentum quod est quantitatis dimensio: hoc autem virtus subtilitatis efficere non potest: nam si ponatur esse qualitas, siue corporalis, siue spiritualis, non est actiua, vt sic illam valeat quantitatem, corpulentiamque tollere, ratione cuius nequit cum alio se penetrare.

Item quia illam tollere non posset nisi corpus corrumpendo: nam quantitas illa compositionē corporis insequitur: est enim conditio materiæ, quæ verè est in corpore glorioso, corpus autem illud non est corruptibile

Præterea quamuis fingeretur posse citra corruptionem corporis quantitas tolli, nihilominus ablatio illa defectus esset potius corporis, quam perfectio, dos autem subtilitatis ad perfectionem spectat. Et rationes istæ, quamuis quomodolibet de hac dote loquamur, energiam habeant, efficaciorem tamen si huiusmodi dos non ponatur esse qualitas & virtus adiecta corpori, quod Scotus concedit. Sunt qui simulitudinem huius penetrationis ex coexistentia luminis cum aëre & ignis cum ferro ducunt. Hæc verò exempla licet ad explicandum rem vulgò conferant, non tamen re vera sunt legitima: quoniam lumen non est corpus. Neque in ferro ignito est substantia ignis: quippe quæ tam densam materiam non secum permittat. Quapropter neque illic est tam intensus calor quàm in flamma candelæ, quia tanta intensio non est nisi cum forma ignis. Veruntamen propter multitudinem & densitatem materiæ ferri imbibitum illic est plus caloris, ob idque vehementius vrit, quàm flamma candelæ.

Alia opinio Alij fingunt, vt ipse Scotus refert, quòd dos subtilitatis quamuis quantitatem à corpore non adimat, facit tamen vt non occupet locum, & ideo potest cum alio se penetrare: hæc tamen fictio vana est, tum quòd natiuum est quantitati, & ab illa inseparabile, locum occupare: tum quòd vanissimum est dicere corpus glorioſum non occupare locum, tunc enim quodcunque aliud corpus posset naturaliter eundem locum intrare. Neque illa esset in corpore glorioso penetrationis virtus, sed euacuandi locum. Cum tamen corpus glorioſum locum repleat, quare quando aliud est secum in eodem loco, vtrumque per se illud replet.

Item sequeretur, quòd vnum corpus glorioſum posset se penetrare cum alio glorioso, quod nullus Theologorum admittit, nec admittendum est: quia est contra illorum corporum decentiam & decorem.

Alius dicendi modus. Alium modum refert Ricardus, neque omnino reputat improbabilem, nempe quòd impossibilitas penetrationis non solum ex dimensionibus proueniat, sed ex debilitate virtutis ad subintrandum corpus alterius. Corpora autem non glorioſa sunt ad hoc debilia: & ideo se nequeunt penetrare. Corpus verò glorioſum habet illam virtutem subtilitatis, & ideo intrat locum corporis non glorioſi, quod resistere non potest, non tamen locum alterius corporis glorioſi: nam si vnum habet virtutem intrandi, aliud habet virtutem resistendi.

Hæc autem inanis fictio est: nam se penetrare cum alio corpore non est agere, & quantitas natura sua resistit, non tanquam virtus actiua, sed quia locum replet.

Opi. Scot. Si ergo quæras ab Scoto, quomodo corpus glorioſum virtute subtilitatis cum alio se penetret, respondet hoc habere quatenus ab hac anima informatur. Hoc autem maiori indiget explicatione, si n. intelligat talem virtutem inesse corpori, falsum est: si autem intelligat esse hoc debitum illi statui, est verum.

Conclu. 4. Ob idque adhibetur hic quarta conclusio. Quamuis corpora duo se penetrare, siue alterum illorum glorificatum sit, siue neutrum, aut vtrumque sola virtute diuina supra rerum naturam fiat, nihilominus corpori glorificato ratione sui status hoc debetur. Atque hoc ait loco citato Ricard. & fortè vult dicere Scotus, neque D. Tho. negat, imò insinuat, & in solutione tertij argumenti quæstiuncula secunda explicat, dicens, quòd corpus glorioſum transibit sphæras cælorum sine earum diuisione, non ex vi subtilitatis, sed ex diuina virtute, quæ eis ad nutum in omnibus subueniet. Quasi diceret, Propter id quod illi statui ex pacto diuino debitum est. Itaque penetratio illa corporis glorioſi cum non glorioso quamuis sit supranaturalis, non tamen est miraculosa, sicut si duo corpora non glorificata se penetrarent, sed potest dici naturalis illius status. Etenim sicut ratione status naturæ integræ homo virtute diuina tanquam illi statui debitum seruabatur ne ei aliquod incommodum posset accidere: ita ratione status beatorum conuenit corpori glorificato cum alio se penetrare, quamuis hoc fiat virtute diuina, quæ non est in corpore. Et quia illi statui non necessarium est, neque verò condecens, vt corpus glorificatum cum alio glorificato se penetret, non est eis hoc debitum ratione status, Et hoc ait S. Tho. d. 44. q. 2. art. 2. q 4. Et ideo dicitur, quòd corpus glorificatum potest se penetrare cum non glorificato, non tamen cum alio glorificato.

Glorioſum corpus cum non glorioſo non se penetrat virtute subtilitatis. Quod si roges vtrum hoc quod ratione status possit se penetrare cum corpore non glorioſo, possit aliquo modo virtuti subtilitatis adscribi, respondetur eatenus id posse concedi, quòd cum virtus subtilitatis sit illa habilitas corporis, qua subijcitur animæ in suscipiendis potentijs, & viribus ad operandum & ad existendum in loco, dicere possumus illa ratione Deum pepigisse, quotiescunque opus esset, concurrere, vt beatus se posset cum cælo penetrare, & cum illo existere. Nam penetratio cum corpore subtilitatem designat, qualis est in aëre & in igne, atque adeò spiritualitatem: quo ideo nomine Apostolus hanc designauit dotem, dicens, Seminatur animale, resurget spirituale.

Sol. 2. arg. Et per hoc solutum restat secundum argumentum in ca. 4 propositum. Non. n. effectus subtilitatis est penetratio, sed subiecto ad animam modo ex posito.

Discrimen in penetrationibus. Est tamen annotandum discrimen inter penetrationes corporis Christi ante resurrectionem, & post: nam penetratio illa dum exiuit ex clauso vtero matris, nullatenus fuit ratione dotis, quia corpus tunc neque erat impassibile, neque habebat dotem: sed fuit simpliciter miraculosa, veluti ambulatio super aquas, & claritas transfigurationis. Etenim neque illa fuit dos agilitatis, neque hæc claritatis, sed ambo fuerunt miracula. Resurrectio autem clauso sepulchro, & ingressio ianuis clausis fuit ratione corporis glorificati, atque adeò ad sensum expositum per dotem subtilitatis. Quamuis in Christo, vt supra diximus, non fuerit ratio dotium. Vnde quod in homilia paschali ait Gregor. Corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quòd ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt vtero virginis, non ex eadem prorsus ratione euenisse affirmat.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm corpus glorioſum dotem habebit agilitatis.

Pars negatiua argu. 1. TERTIA dos est agilitas, de qua ergo quæritur, Vtrùm in corporibus beatorum sit futura. Et arguitur à parte negatiua: Id quod de se est ad motum agile, nullo indiget deferente vehiculo: corpora verò resurgentium, vt 1. ad Thessal. cap. 4. ait Paulus, deferentur obuiam Christo in nubibus: ergo non habebunt agilitatis dotem.

2. Argum. Secundò arguitur. Si agilitas esset in beatis futura, id esset propter localem motum: ille autem non erit in beatis, tum quòd, vt 3. Physic. ait Philosophus, motus est actus imperfecti, & illic nulla erit imperfectio: tum quod ille motus nunquam est nisi propter indigētiam adipiscendi aliquid quod non est in omni loco: & tamen illic nulla erit indigentia, imò, vt ait 22. lib. de ciuit. August. ibi erit quicquid voles, & non erit quicquid noles.

3. Argum. Item. Tertiò, quia si illic futurus esset aliquis motus, fieret in instanti: quoniam nulla erit resistentia, & vt 4. Physic. insinuat Philos. vbi non est resistentia, motus fit in instanti: vt in vacuo si daretur. Et Aug. ait ibidem de illo statu, quòd vbicunque voluerit spiritus, ibi erit & corpus. Vbi insinuat quod erit motus sicut spiritus voluerit qui non dependet à loco: motus autem instantaneus non est possibilis: ergo illic non erit motus, atque adeo nec agilitas.

Pars affirmatiua. 1. Concl. In contrarium est verbum supra citatum Apostoli 1. ad Corinth. 15. Seminatur in infirmitate, surget in virtute.

Ad quæstionem iuxta numerum argumentorum tribus conclusionibus respondetur. Prima. Beati in resumptis corporibus dotem habebunt agilitatis.

Hanc

Hanc enim Apostolus appellauit virtutem, infirmitati contrariam: quam homo in hoc corpore corruptibili sentit, quod aggrauat animam. Est autem dos hæc ordine tertia, corpori congruens in ordine ad motum, ac subinde in ordine ad alias operationes, quibus animæ ad nutum tunc seruiet. Tria n. art. præcedenti distinximus in corpore, s. esse, posse, & operari. Cùm igitur impassibilitas, sit dos corporis, qua subditur animæ tribuēti ei esse: & subtilitas, qua ei subditur, vt idoneè in ipsum potentias vitesque ad operandum & dubitas complexiones perfectius influat, agilitas erit dos ad obediendum, vt sit facilè mobile: tum motu locali, tum subinde in alijs operationibus.

Augusti. Tunc enim anima vt spiritus mouebitur. Vnde Aug. li. 16. de ciui. Dei, c. 27 Imperabit Deus animo: animus corpori tanquam obedienti: ibi erit suauitas & facilitas, quanta regnandi vinendique fœlicitas. Et lib. 22. cap. vlt. Qui, inquit, motus illic talium corporum sint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus, & status, sicut ipsa species, decens erit. Quicunque enim erit, vbi quod non decet non erit: certè vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus.

Quod si quæras, vtrum hæc dos sit qualitas à corpore distincta. Respondetur, quòd neque necessitas talis qualitatis apparet, nec D. Th. expressè eam ponit, veruntamen neq; superflua videbitur si inesse corpori asseratur, tanquam motiua virtus & perfecta sanitas. Vnde S. Thom. ait, quòd est perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, qua fit habile, vt subijciatur animæ. *Augusti.* Et Augusti. 13. de ciui. c. 18. dotem hanc graphicè exponens virtuti animæ tribuit. Ait n. hoc Deum animis illis perfectissimis tribuere, vt sua corpora quamuis terrena, tamen incorruptibilia, vbi voluerint ponant, & quo voluerint agant, motu, situque facillimo: nam si angeli quælibet animalia rapere possunt, & vbilibet constituere, cur sanctorum perfecti spiritus diuino munere sine vlla difficultate non poterunt, quo voluerint sua sistere corpora? Subditque aptissimum exemplum à corpore sano. Membra enim suæ carnis leuiora portat anima, cum in sanitate robusta sunt, quàm in languore, cum macra sunt. Et cum alijs gestantibus onerosior sit sanus & validus, quàm exilis & morbidus, ipse tamen ad suum corpus mouendum atque portandum agilior est, cum bona valetudine plus habet molis, quàm cum in peste, vel in fame minimum roboris.

Adde quod caro, vt ait ad Galat. Apostolus, in hac vita concupiscit aduersus spiritum, non solum in moribus, vt suis seruiat voluptatibus, verùm in quacunque actione, & obsequio. Corpus enim quod corrumpit aggrauat animam. Et ideò tanquam præmium beatorum corporibus, quæ in hac vita fuerint iustis animis obsecuta, retribuet Deus agilitatis dotem qua in illis fœlicibus motibus ad nutum illi perpetuò obtemperent. Est ergo agilitas perfecta quædam sanitas ex perfectissima animatione proficiscens, vt expeditè obsequi ad nutum valeat voluntati beati.

2. Concl. Secunda conclusio. Beati in corporibus glorificatis mouebuntur locali motu. Primò enim id probatur testimonio Esaiæ 40. Current, & non laborabunt: volabunt, & non deficient: vbi non solum citissimus eis motus nomine cursus tribuitur, verum & *Tanquam scintilla.* perniciissimus, tanquam volatus. Et Sapien. 3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Nomine enim fulgoris claritas significatur, & scintillarum cursu motus. Et est profectò aptissima allusio. Arundinetum namque propter arundinum tenuitatem, & siccitatem paratissima est ignis esca, & ideo cùm primum minimam scintillam capit, illa perniciissimo motu exilit quasi promicans ab vna in aliam arundinem. Qua ratione & fulgentissimus splendor ignis, & velocissimus eius motus designatur, qui fulgor & motus specimen dotium beatorum præ se fert.

Ratio conclusionis. Ratio præterea ijs accedit testimonijs. Quemadmodum enim, vt supra diximus, illum statum fœliciissimum non condecet, vt beati tanquàm muti sint, aut surdi, sed vsu illorum sensuum fruantur: ita neque videtur consentaneum, vt cùm pedes habeant, & manus, dignissima corporis organa, veluti lapides sint immobiles, sed quandoque spatientur, vt sua fruantur libertate, aliosque beatos visitent, & per eorum mansiones discurrant. Imò & nonnunquam, si libuerit, hunc sublunarem orbem visere possint. Quinetiam credibile est cõa Christo genua flectere.

Vtrum gradientur. Dubium autem est, vtrum mouebuntur pedibus gradiendo, an verò auium more, aut leuissimi corporis quod vento rapitur. Respondetur, quòd ascendentes in cælum per aëra, aut descendentes, si forsan huc aliquando reuertantur, non ambulabunt, quia elementa aëris & ignis, non sunt firma ad ambulandum, sed mouebuntur volantium instar: per cælum autem Empyreum mouebuntur pedibus gradiendo: quoniam corpus cæli est solidum. Mouebuntur autem sine cælestis corporis incisione, sed penetrando se per illud, vt se, quando quiescunt, penetrant. Mouebuntur autem etiam ascendendo absque vllo prorsus labore & lassitudine, quia corpus glorioſum vt non est corruptibile, ita neque graue, onerosum, aut fatigabile, sed æqualiter ad omnem differentiam positionis mouebitur. Augusti. enim 22. de ciuita. Dei cap. 11. Deus, inquit, à corporibus beatis auferet graue pondus.

Multiplex opinio. De hoc autem multiplex est opinio. Sunt enim qui dicant, quòd mouebit se beatus ad modum voluntatis & spiritus ab vno loco in alium, non transeundo per medium, sicut possumus cogitationem & affectum transmittere à terra in cælum sine medio. Ad quod propositum illud supra citatum Augustini afferunt, Vbi spiritus erit, erit & corpus.

Reprobatio. Hoc tamen credibile non est: tum quòd corpus non potest vsque ad spiritus naturam & nobilitatem transcendere: tum quòd dum intellectus & voluntas cogitatione aut affectu mutatur, non transmigrat essentialiter, quia non continetur his loeis, de quibus cogitat, sed dicuntur transire, quia suos actus ab vno loco in alium dirigunt.

Alij verò aiunt, quod corpus glorioſum quamuis natura sua non possit transire de extremo in extremum sine medio, atque adeò moturum se fore in tempore: virtute tamen gloriæ suæ ratione status mouetur in instanti, non transeundo per medium.

3. Conclu. Aduersus hanc autem conclusionem statuitur tertia conclusio. Corpus glorioſum neque mouetur, neque moueri potest in instanti, sed mouetur subito, hoc est, breuissimo tempore, & quasi modo nostro imperceptibili. Priorem partem super 4. Physi. in materia de vacuo q. 3. latè probauimus. Angelus enim qui est substantiæ incorporeæ, atque adeò à loco non pendens, potest quidem transire à loco, A, vsque ad locum C, & non per medium B, atque adeò potest moueri in suis instantibus, vt nunc sit in C, cum immediatè ante hoc fuerit in A, & nunquam in B, corpus verò glorioſum in suo motu pendet à loco, atq; adeò non potest transire ab A in C, nisi per medium B, vnde sequitur quòd nec possit moueri in instanti. Detur enim quod moueatur ab A in C. tunc aut quãdo mouetur totum est in A, aut totum in C: & vtrumlibet dederis, non mouetur. Nã si totum est in A, nõdum cœpit moueri, si verò in C, iam est motum: debet ergo esse partim in A, & partim in C, aut in medio B. Si est partim in A, & partim in C, necesse est, quòd partim sit etiam in medio B: alioquin pars quæ est in C, non esset continua cum ea quæ est in A: aut debes dare, quod totum sit in medio, puta in B. Si verò dederis quod est partim aut totum in B, consequitur aut quod est simul in pluribus locis, quod est impossibile, aut quod priùs totum transiuit per B quam peruenit ad C, atq; adeò non poterit in instanti Quod si contenderis quòd per potentiam diuinam ponetur simul in pluribus locis, tunc non mouebitur, sed quiescet. Fit ergo consequens quod corpus glorioſum mouetur in tempore nobis imperceptibili, scilicet velociùs quàm velociissimi venti flatus: si tamen voluerit. Nam poterit vt libuerit moueri.

Nihilominus non est necesse quòd omnes beati æqualem habeant virtutem mouendi se. Nam quodcunque tempus quantumuis paruum, est in infinitũ diuisibile, & ideo quantulocunque paruo tempore moueatur vnus, potest in minori moueri alius secundum meritorum rationem. Quamuis fortasse non sit necesse tam exactam meritorum rationem in motu sequi, quàm in visione.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, vt supra diximus, quod corpora glorioſa non subleuabuntur in nubibus propter necessitatem, sed propter reuerentiam & honorem.

Ad

Sol. 2. arg.

Ad secundum respondetur, quod motus localis nihil rei intrinsecum variat, quia non dicit ordinem nisi ad externum locum: quare id quod tali motu mouetur (vt. 8. Physicorum ait Philosophus) nihil in se habet imperfectum, sicuti quod mouetur motu alterationis aut augmenti. Neque verò mouebuntur propter indigentiam rei necessariæ quæ illis ad suam perfectionem desit, sed tum vt sua vtantur libertate, tum vt eorum potentiæ suis vsibus decorentur.

Neque obstat quod ait Philoso. 2. Cæli. t. quòd ea quæ diuinam bonitatem sine motu participant, facilicius illam participant quam cum motu. Illud enim intelligitur quando nequeunt illam sine motu participare, quod non est in beatis.

De mansionibus.

Quòd si argnas. Quo quisque erit beatior sublimiori erit mansione, quare Christus (vt 2. ad Hebræos ait Paulus) excelsior cælis erit factus, gloria & honore & dignitate. Respondetur, quòd mansiones tribuuntur beatis secundum præmium accidentale, & ideo non est necessarium vt illam nemo mutet. Nam inde descendens nec variabitur essentialis visus Dei, nec decidet de dignitate quam habet manēdi in sua mansione. Quare nihil vetat quominus & existentes in inferioribus mansionibus nonnunquam ascendant: quoniam neque per hoc augebitur eorum dignitas.

Sol. 3. arg.

Ad tertium verò respondetur (vt prædicta 3. q. super 4. Physic. respondimus) quòd Aristoteles de vacuo non arguit ostensiuè, vt probare contendat, quod si daretur vacuum, motus fieret in instanti, sed arguit ad impossibile, supposita illorum Philosophorum opinione, qui nullam resistentiam immobili intrinsecam agnoscebant. Tunc enim cum in vacuo nulla esset extrinseca, sequeretur illud impossibile quòd motus fieret in instanti. Aristoteles verò, quia mobile quodcunque finitæ actiuitatis est, secluſa resistentia medij intellexit successionem motus. Sic ergo de corporibus beatorum dicendum, quòd licet medium non resistat, mouentur nihilominus successiuè. Non quidem in tempore vero, quia post diem iudicij nullum erit. Sed erit secundum rationem prioris & posterioris. At quia motus ille erit imperceptibilis, ait August. quod vbi voluerit spiritus, ibi erit & corpus scilicet quàm citissimè.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in corporibus beatorum erit claritas.

Partis negatiuæ arg. 1.

QVARTA postremaque inter corporum dotes est claritas, de qua ideo quæritur vtrum sit in eis futura. Et arguitur a parte negatiua. Corpus luminosum, vt ait Auicen. 6. de naturalibus, est peruium, hoc est pellucens, transparens vt crystallus: corporis autem glorioſi non omnes partes possunt esse peruiæ & transparentes, quippe quæ sunt terrenæ, vt caro & ossa: ergo non erit lucidum.

2. Argum.

Secundò. Lux & color contrariam dispositionem exigunt in subiecto: quoniam, vt lib. de sensu & sensato Philosophus ait, lux est extremitas perspicui in corpore non terminato, sed color in corpore terminato: corpora verò beatorum erunt colorata: ergo non erunt lucida.

3. Argum.

Tertiò. Si corpora glorioſa essent clara & lucida, non esset in potestate beati, non videri à quocunque oculo etiam non glorificati corporis, quia lux omnibus est peruia: consequens tamen est falsum: quia Christus postquam resurrexit, vt Lucæ vltimo legitur, occultauit se discipulis euntibus in Emaus: ergo corpora beatorum nulla erunt claritate fulgentia.

Pars affirmatiua. 1. Concl.

In contrarium est verbum Apostoli primæ ad Corinth. cap. 15. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Beatorum corpora erunt clara & lucida Conclusio est de fide Matth. 13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Et loco citato Sapientiæ tertio: Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ, &c. Atque illam claritatem Paulus appellauit gloriam. Vnde cum beatos astris comparasset, dicens aliam esse claritatem solis, aliam lunæ, aliam stellarum, subiunxit: Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Enimuerò gloria nihil aliud est quàm nobilitatis splendor, quo excellentia personæ omnibus publicitus innotescit. Et ad Philippenses 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Atqui (vt Matth. 17. legitur) quo corporis gloriam & claritatem suis discipulis indicaret, transfiguravit se in monte ante eos. Vnde Iob cap. 28 de sapientia loquens (quo nomine beatitudo intelligitur.) Non adæquabitur, inquit, ei aurum vel vitrum, neque topazion de Æthiopia. Super quæ verba Gregorius 18. Moral. cap. 31. ait, quod in auro claritas fulgentium beatorum designatur: & in vitro perspicuitas cordium.

Illi quintæ essentiæ fautores eidem claritatem veluti impassibilitatem & reliquas dotes ascribunt. Sed hanc iam supra opinionem reiecimus. Est ergo claritas nihil aliud quam fulgor, qui ex animæ beatitudine in corpus influit. Id enim quod recipitur, non ad modum influentis, sed ad modum recipientis suscipitur: quare nihil obstat quominus ex spirituali gloriæ splendore, qui est in anima, corporalis claritas resultet in corpus: vt sicut gloria animæ participatio est gloriæ diuinæ: ita & gloria corporis sit participatio illius quæ est in anima. Vnde si qua dotium qualitas est corpori infusa, id de hac potissimum claritatis dote sentire congruit, ab ipso distincta. Haud enim claritas hæc solùm est intelligenda, vt Durandus distinctione quadragesimaquarta quæstione 8 refert, metaphoricè scilicet, quod sit manifestatio illius gloriæ. Aut sic tantum, quòd illa corpora sint tersa & polita, vt sicut speculum alieno lumine lucet. ita vt solo illo lumine luceant, quod à sole, vel à cælo Empyreo suscipiunt. Sed quod in se habeant inhærentem lucem: veluti sol ipse, & pretiosi lapides, qui etiam in tenebris lucent.

Quomodo anima claritatem corp. efficiat. Ricardus.

Veruntamen non ita planus est intelligendi modus, quo corporalis claritas ab illa spirituali animæ deriuetur, vtrum. s. anima concurrat in genere causæ efficientis. Non. n. satis intelligitur quomodo anima efficere possit claritatem illam. Et ideo contra hanc opinionem Sancti Tho. arguit Ricardus dist. præsenti artic. 4. q. 6. Anima quippe beata non potest illam claritatem de nihilo facere: quia creare non potest, neque illam valet de claritatis suæ visione efficere, quia sicut corpus nequit in spiritum transmutari, ita nec spiritus in corpus. Et ideo Ricardus duos modos excogitauit. Vnum scilicet, quod quemadmodum anima virtute intellectus agentis abstrahit à phantasmatibus species intelligibiles, ita anima de corporali materia corporis virtute beatæ visionis educat illam corporalem claritatem.

Attamen hoc non tam facile intelligitur quàm dicitur, quoniam non est in corpore materia signabilis, vnde illa claritas educatur. Est ergo modus alius quòd claritas illa producitur per creationem à Deo. Et certè si est qualitas, ita dicendum est. Nisi quod, quemadmodum supra diximus, visio in sua virtute eminenter continet dotes istas: quia tanquam illi debitum statui, qui beatis conuenit ratione visionis, & ratione illius perfectissimæ animationis qua anima informat corpus, dotes illæ corporibus obueniunt.

Non in omnibus eadem erit claritas.

Neque verò omnes beati, vt ait Paulus, æquali claritate rutilabunt, sed secūdum iustitiæ distributionem, & pro meritorum cuiusque & dignitatis ratione. Itaq; Christus erit inter omnes sicut sol, atq; omnium beatorum exemplar. Cuius iudicium fuit quod in transfiguratione resplenduit facies eius sicut sol: & vestimenta eius (quorum nomine designantur Sancti) facta sunt alba sicut nix. At verò quamuis euangelista exemplum posuerit in sole nobis noto, credibile tamen est quod beatorum minimus fulgentiùs quàm sol splendebit. Nam si cælorum lux, vt supra diximus) propter statum filiorum Dei augebitur, ratio videtur exposcere, vt beati ipsi micantiùs eluceant. Veruntamen non opus est, quod vnus beatorum tantum luceat quàm sol, propterea quod sol quàm latissimo interuallo maior est beato corpore: sed si daretur tantula particula solis quantum est illud corpus, rutilantius illud esset.

Dubium.

Est autem hic dubium, vtrùm corpora beatorum à corpore non beato naturaliter videri possint. Ricardus namque distinctione præsenti artic. 4. quæstione 6. aduersus Sanctum Thomam partem sustinet negatiuam: duo scilicet asserens. Primùm, quod claritas illa corporum beatorum specie differt à claritate elementorum, & à claritate solis. Vnde quando

dicitur,

ficitur, quod fulgebunt iusti sicut sol, insinuatur æqualitas, imò plus lucebunt iusti, sed similitudo capturi nostro accommodata: quia solis claritas est imitatio quædam illorum beatorum. Secundò ait. Quod nisi beatus temperare lucem illam voluerit, vt quasi sub parua nubecula appareat, nequit propter sui excellentiam & debilitatem oculi non glorificati ab illo videri. Et potest exemplo doceri vespertilionis respectu solis. Et re vera est magnum argumentum, quod si naturaliter posset ab oculo non glorificato videri, consequeretur, quod non esset in facultate beati occultare se non beato dum vellet: quia claritas illa naturaliter repræsentaret, nisi de loco illo beatus abscederet: cùm tamen diuus Thomas & omnes contrarium doceant.

Accedit & Augustini testimonium lib. 22. de ciuit. Dei cap. 19. vbi ait, quod claritas corporis Christi cum resurrexit, ab oculis discipulorũ abscondita fuit: quoniam eam non ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, vt posset agnosci. Igitur opinio hæc Ricardi profectò probabilitate non caret. Neque verò scio quid S. Th. sensisset, si in Summa hucusque peruenisset.

Nihilominus hic licet eandem referat opinionem, illam tamen respuit, & contrarium sentit.

2. Concl. Secundùm quem statuitur secunda conclusio. Quamuis corpus glorioſum videri à non glorioso naturaliter valeat, est tamen in potestate beati illud occultare, ne ab oculo non glorioso videatur. In hanc secundam partem Ricardus & omnes consentiunt. Priorem verò inde D. Th. probat, quod ei non videtur contraria opinio posse defendi, nisi dicendo lucem illam non esse eiusdem rationis cum luce solis. Nam si est eiusdem rationis, cadit sub obiecto visus eiusdem rationis cum nostro, qualis est oculus damnatorum. Quòd autem sit eiusdem rationis probat. Nam cùm in sacris asseritur, quòd fulgebunt iusti sicut sol, lux intelligenda est qualem nos conspicimus: alioqui non intelligimus quid esset.

At verò probatio non est satis euidens: quoniam quicquid sit de sole respectu ignis, cuius claritates fortè, vt calores, sunt eiusdem speciei, sustineri tamen potest, quod claritas illa beatorum sit alterius speciei. Et quamuis sit eiusdem, manere tamen videtur alia ratio in suo rigore, scilicet quod oculus non glorificatus proportionem ad illam luminis excellentiam non habeat, quemadmodum nec vespertilio ad lumen solis. Verùm tamen Diuus Thomas respondet, quod claritas beati corporis licet in essentia sit eiusdem speciei cum claritate solis, nihilominus in modo efficiendi est alterius rationis. Et ideo sicut corpus ipsum non potest pati nisi passiones animalis, scilicet sensus, ita non potest impedire quominus à quocunque oculo naturaliter videatur.

Opinio hæc præterea S. Tho. sacris oraculis fulcitur: vt est illud Apocal. 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, scilicet Christum ad iudicium venientem. & Sapient. 5. de eisdem damnatis legitur, quod gloriam filiorum Dei videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. Item si configurabimur (vt ait Paul.) corpori claritatis Christi, cùm claritatis illius exemplum fuerit illa quæ in transfiguratione Domini in eius facie resplenduit, fit vt & claritas beatorum sit veluti illa visibilis, quamuis negandum non sit, quin humanus oculorum obtutus non posset tam eximium splendorem diu ferre propter allegatam Augustini autoritatem. Et fortasse in die iudicij non apparebit damnatis Christus & reliqui beati, nisi nubibus temperantibus corporum splendorem.

Secunda pars conclusionis probatur, quoniam quando Christus suam celauit claritatem discipulos illos euntes in Emaus, dum cum illis colloqueretur, non censetur nouum miraculum, sed status glorioſi corporis obedientis animæ ad nutum: ergo & omnibus beatis ratione illius status conueniet, vt oculis nõ glorificatis occultare se possint.

Et confirmatur: quoniam claritas illa ob eorum merita illis donata est: ergo suæ est voluntati subiecta. Vnde quando Christus se discipulorum oculis subtraxit, non fuit necesse vt inde abscederet.

Verum est tamen, quod si est qualitas, non est intellectu facile quomodo arbitrio beati possit occultari. Item est argumentum, quod etiam se posset beatus alteri beato contegere, quod concedi non solet.

Respondetur nihilominus, quod cùm illa non producatur nisi ex virtute Dei, ex debito & decentia illius status, non decet vt beati se inuicem occultent: secus respectu aliorum quando voluerint. Adeorum namque nutum Deus illis subuenit, veluti de subtilitate secundum Sanctum Thomam dictum est.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod Auicenna, & Philosophi loquuntur de corpore luminoso, quod ex natura sua claritatem habet, quod non potest esse nisi peruium & transparens vt Crystallus. Corpus autẽ glorioſum non ex natura, sed ex merito.

Dubia tamen est sententia hæc propter verbum illud citatum Gregorij 18. Moral. cap 31 quòd in auro intelligitur beatorum claritas, & in vitro pellucentia seu transparentia. Quod verbum exponens D. Th. credit, quod corpora illa erunt transparentia. Quamuis profectò obscurè loquatur. Nam in solutione primi respondens, vt modo dicebamus, ad Auicennam, ait corpora beata non fore peruia, id est, transparentia. Sed statim exponendo verbum Gregorij contrarium dicit, scilicet quod densitas illorum corporum non contrariatur peruietati. Facit enim argumentum hoc. Omne corpus lucidum occultat illud quod est post se. Vna enim flamma occultat & eclypsat illud quòd à tergo illius est: corpus autem glorioſum non occultat, dicente Gregorio, quòd erit sicut vitrum, ergo non erit lucidum. Et respondet negata consequentia. Imò erit lucidum, quod Gregorius ait significari in auro & simul peruium & transparens, quod significatur in vitro. Quia densitas, inquit, illorum corporum qualem dispositio exigit humani corporis, nõ obstat transparentiæ: Crystallus enim densissima est, & nihilominus transparens.

Ricardum. Ricardus verò inter respondendum ad idem argumentum, negat illa corpora esse transparentia. Nam densitas, inquit, repugnat transparentiæ. Quare res transparentes, vt Chrystallus non sunt, inquit, densæ, sed porosæ, quamuis sint duræ: neque opus, inquit, est, vt maior semper densitas maiorẽ duritiẽ sequatur.

Sententia autorum. Ad hoc ergo dicendum in primis, quod verbum Gregorij non debet nobis tantum negotium facessere. Ipse enim non ait corpora glorioſa fore vt vitrum, eo quod sint pellucentia & peruia respectu oculi corporalis: vt scilicet possit vnus beatus videre tertium qui est à tergo secundi: quasi corpus secundi esset sicut vitrum, sed quia est perlucens oculis mentis nempe quod vnus beatus videt cor alterius sub eius corpore latens. Ait quippe illam beatorum societatem esse, vt aurum & vitrum, quorum corda sibi inuicem & claritate fulgent, & puritate transluceant. Et ideo bene potest opinio Ricardi sustineri. Non tamen propter eius rationem, scilicet quod eorum densitas transparentiæ obstet: nam certè crystallus densissima est: sed quia id neque naturæ corporis humani congruere videtur, nec ad illum statum esse necessarium. Nihilominus & opinio Sancti Thom. est satis probabilis: quia illa corpora erunt veluti spiritualia, animis ad nutũ obsequentia. Et ideo ait, quod sicut in potestate corporis glorioſi est ostendere se non glorioso, vel se occultare, ita & occultare corpus post se existens. Hoc pacto, quod quando ostendit se ipsum, tunc occultabit aliud: quia eius colores impedient ne per ipsum videatur alterum coloratum, eo quòd duo diuersi colores per idem medium non videntur: sicut depicta vitrina non permittit, vt colores alieni trans ipsam videantur. Quando verò non se ostendit, tunc non occultabit aliud, quin possit per ipsum transuideri. Itaque quando Christus ab oculis euntium in Emaus disparuit, si illic permansit, potuerunt discipuli trans ipsum videre alia corpora sicut per lucidam Crystallum. Et propterea in solutione ad primum respondit ad Auicennam. Corpus glorioſum non esse peruium sicut naturale, quia naturale semper transluceat: nec potest corpus trans ipsum existens occultare.

Sol. 2. arg. Ad secundum igitur principale argumentum respondetur, quod gloria naturam non tollit, sed perficit: & ideo corpora glorificata iuxta eorum naturam erunt colorata, eademque pulcherrima. Corporis enim pulchritudo (vt 19. de ciuit. Dei, ait Augustinus) est partium conuenientia cum quadam coloris, suauitate. Quæ profectò pulchritudo beatos maximè condecet: sed nihilominus erunt claritate suffusi: vt quemadmodum vitrina per solares radios suos colo

res demonſtrat, ita & corpora glorioſa ſuam pulchritudinem per ſuam propriam claritatem oſtendant. Quamuis non omnia membra pari fulgore reluceant: quia non omnia ſunt paris lucis capacia, vt os quàm caro.

Sol. 3. arg.

Ad tertium iam reſponſum eſt, quod cùm hoc claritatis donum detur propter meritum, in poteſtate beati erit ipſius effectum impedire.

Obiectio.

Quòd ſi arguas. Qualitas ineſt corpori glorioſo ſicut quantitas: non autem in poteſtate beati eſt quãtitatem minorem facere aut maiorem: ergo neque eſt in eius facultate claritatem illam, quæ eſt qualitas, obtegere. Negatur conſequentia: quia quantitas naturaliter ineſt corpori, quate non poſſet ſine corporis mutatione mutari: neque verò eſt actiua, claritas verò eſt donum ſupranaturale, & eſt actiua: & ideo in poteſtate beati poſitum eſt, non quidem illam tollere, ſed tamen eius effectum impedire.

Quòd ſi redarguas. Ergo pariter poteſt impedire ne videatur à corpore glorioſo. Fortaſſe poſſet ſi expediret: ſed tamen conſequentia non valet, quoniam cùm illa occultatio ſit propter decentiam illi ſtatui debitam, non videtur decere, vt vnus beatus coram altero exiſtens ſe poſſit illius obtutui ſubducere.

Quæſtio quinta,

DE AUREOLIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm aureolæ ſint in beatis futuræ à fructibus diſtinctæ.

VINTA demum quæſtio, quæ hanc diſtinctionem clauſura eſt, inſtituitur de Aureolis, quæ non omnibus beatis, ſed quibuſdam competunt, & ideo quæritur primò, vtrum ſint à fructibus diſtinctæ. Et arguitur, quod nulla ſit aureola illic futura. Aureola nominat præmium accidentale ab aurea diſtinctum, quæ eſt beatitudo eſſentialis: beatitudo autem eſſentialis omnia præmia comprehendit, cum ſit ſtatus, vt ait Boëtius, omnium bonorũ aggregatione perfectus, ergo aureola ab aurea non diſtinguitur.

1. Argum.

Secundò arguitur. Eidem merito non debentur diuerſa præmia, eidem autem merito, ſcilicet virginitati, reſpondet aureola, & pariter fructus centeſimus, ergo aureola à fructu non diſtinguitur.

2. Argum.

In contrarium autem eſt, quod Eccleſia militans cùm à triumphante deſcendat, iuxta illud Apocalyp. 21. Vidi ciuitatem ſanctam deſcendentem de cælo, illam imitatur: in eccleſia verò militante victoribus conferuntur laureæ: ergo & in triumphante.

Nomen aureolæ.

Aureolas, qui ſolam linguam latinam conſuluerit, non ab auro aureolas, ſed à lauro fortè laureolas, nuncupabit: nã in re militari victores, præcipuæ apud Romanos, diuerſis ſertis donabãtur. Erant n. diuerſa coronarum genera. Vt triumphalis ex lauro, eo quod hæc arbor lætitiæ, victoriarumque ſit nuntia: ſicuti oliuæ ramus, quam colũba ad Noe in arcã detulit, fuit miſericordiæ Dei nuntius. Et alia erat obſidionalis ex gramine, quæ donabatur ei, qui obſeſſos ab obſidione liberaſſet. Et ciuica ex quercu, qua inſigniabatur ille qui ciuem ſeruaſſet. Erat etiam & muralis, & nauales, atque aliæ id genus, & ideo videntur illæ coronæ non eſſe dicendæ aureolæ, ſed laureolæ, atque adeo nihil mirum, ſi quis ſuſpicetur, vitio ſcriptorum pereunte prima litera, pro laureola dici aureola.

At verò non ita conijciendum eſt, ſed quòd patres conſulto ab auro aureolam dixerint. Beatitudo namq; aureæ coronæ pluribus de cauſis comparatur. Prima, quòd cùm vita hæc humana, vt Iob 7. legitur, militia ſit ſuper terram, meritorum præmium meritò dicitur corona: iuxta illud primæ ad Timothæum 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Et ſecundæ ad Theſſalonicen. 2. Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Præterquàm quòd circularis coronæ figura, quæ & omnium perfectiſſima eſt, & nec principiũ habeat neque finem, ſed principium in ea coniungitur fini, tũm perfectionem beatitudinis ſignificat, per quam beati ſuo coniunguntur fini, tum etiam & eius perpetuitatem. Dicitur verò aurea non ſolùm propter illius beatæ lucis fulgorem, ſed præſertim quia beati illi poſſeſſores regni cæleſtis, vt reges æſtimantur: eo quòd Deo ſunt ſanctiſſimè ſubditi, cui ſeruire regnare eſt. Iuxta illud Apocalyp. 5. Feciſti nos Deo noſtro regnum. Et ideo Chriſtus Apocalyp. capite 9. refertur habens in capite ſuo coronam auream. Et capitul. 4. viginti illi quatuor ſeniores coronis itidem aureis inſigniti leguntur, quas de capite ſuo adorantes Deum demittebant. Igitur ſi beatitudo eſſentialis aurea corona dicitur, illa accidentalis, quæ quibuſdam beatis ratione alicuius excellẽtiæ peculiariter adhibetur, meritò dicetur aureola, hoc eſt, coronula aureola.

Circularis figura.

Ad quæſtionem ergo quatuor concluſionibus reſponderur. Prima. Congruentiſſimum eſt beatorum ſtatui, vt qui aliquem ſingulari modo excellentem obtinuerit victoriam, ſuper gaudium eſſentialis beatitudinis, quod aurea corona dicitur, aliud ſuperadditur accidentale, quod nomen habeat aureolæ. Concluſio hæc non habetur in ſacris literis expreſſa, meritiſſimò tamen ſancti patres illam docuerunt. Quare eccleſia in ſingulorum ſolemnijs martyrum canit: Corona aurea ſuper caput eius. Et primò figura eius præceſſit in menſa ſanctuarij veteris teſtamenti. Præceptum enim fuit, vt Exo. 25. legitur. Facies menſam de lignis Sethim, &c. & inaurabis eam auro puriſſimo. Vbi menſa cæleſtis regni deſignatur, de qua ait Chriſtus: Ego diſpono vobis regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam. Et ſequitur: Facieſq; ei aureum labrum per circuitum, & ipſo labro coronam interaſilem, id eſt, limatam & politam, altam quatuor digitis: vbi non inepte ſignificatur aurea Sanctorum corona fide quatuor Euangeliorum fulgens in conſpectu Domini. Et ſubditur: Et ſuper illam alteram coronam, aureolam ſcilicet, propter eminentiam quorundam egregiè certantium, qui inſigni potiti ſunt victoria. Ratio ergo concluſionis ex ſimilitudine ciuilis militiæ ducitur, in qua propter ſingularia facinora ſingulares conferuntur coronæ, vt muralis aurea illis qui primum murum ſubirent, & caſtrenſis illi qui hoſtium caſtra primus introiret, atque id genus allæ. Condecet ergo, vt ſimiliter qui ſtrenuè in hac vita pugnarunt, auctuario gaudio ſuper communem menſuram donentur.

1. Concl.

Exo. 25.

Similitudo ciuilis reipublicæ.

De aureolis ergo quidam opinati ſunt nullatenus eſſe ab eſſentiali beatitudine diſtinctas, ſed ipſam eandem viſionem, quæ præmium eſſentiale eſt, & aureæ nomen habet, qua ratione martyrib. virginibus, aut doctoribus confertur, aureolæ nomen ſortiri. Non quod aliquo modo præmium ipſum aut gaudium creſcat, ſed quia illis confertur qui illo ſingulari genere victoriæ potiti ſunt, veruntamen opinio hæc non eſt rei conſentanea, nam aureola, vt habet gloſſa ſuper illud Exodi citato ait, aliquid ſuperpoſitum eſt eſſentiali præmio. Enimuerò vbi meritum egregius præceſſit, cumulatius futurum eſt gaudium

Varia opiniones.

Eſt ergo aureola (vt aliquo modo deſcribatur) accidẽtale gaudium de aliquo inſigni facto, eſſentiali præmio ſuperadditum, corporali decore declaratum. Vbi annotandum eſt, præmium non dici accidentale, quia ſit accidens, nam & viſio ipſa & beatitudo eſſentialis eſt accidens, neque quia poteſt beato deficere: nam ſicut aurea, ita & aureola perpetua eſt, ſed dicitur accidentale, quia eſt gaudium de aliquo creato bono, cum eſſentiale ſit de Deo ipſo viſo, quod abſque alio eſſet ſufficiens. Non autem omne præmium accidentale eſt aureola, quãuis omnis aureola ſit præmium accidentale. Poteſt enim aliquid addi eſſentiali gaudio dupliciter. Vno modo ex natura communi viſionis: quale erit vnio animæ cum reſurgentibus corporibus, per quam acceſſio ei fiet gaudij: & pariter contubernium cõpleti numeri beatorum, & cognitiones affectionesq; creaturarum in proprio genere. Hæc ergo præmia ſunt & gaudia accidentalia, non tamen nomen habent aureolæ, quia omnibus ſunt cõ-

Aureola deſcriptio.

Præmium accidentale.

munia.

munia. Sed alio modo adhibetur aliquid eidem essentiali præmio ratione operis meritorij, quod duplicem habet conditionem honestatis, & laudis. Primam ratione charitatis, quæ meritò est essentialis, cui ideo præmium debetur essentiale, minus: aut maius secundùm augmẽtum charitatis. Quare adiectio illa ad præmium pertinet essentiale quod Deum habet pro obiecto. Sed aliam rationem laudis habet meritum ex genere, & strenuitate operis, quale est martyrium, & virginitas. Gaudium ergo quòd ratione ipsius adhibetur est accidentale: quia de re creata, nempe de illo opere. Et hæc adiectio nomen sortitur aureolæ, quia illi excellentiæ operis respondet ex genere suo.

Diminutiuum nomẽ.

Quod si roges, cur cùm sit adiectio ad præmium essentiale, nomen habeat diminutiuum. Respõdetur. Propterea quod non est essentiale, sed accidentale. Præmium enim essẽtiale quia ratione charitatis æstimatur, maioris pretij est quam aureola: sed aureola illi adiecta facit illud accidentaliter crescere.

Ex quo fit consequens posse aliquos sine aureolis maiori præmio essentiali frui, quam habentes aureolas, vt diua Magdalena: nam vt angelos interim omittamus, possunt etiam & ex hominib. multi cumulatiorem habuisse charitatis gradum, propter longam vitam in qua plura accumularunt merita, quàm sit charitas martyris in vno actu, & quam virginitas. Vnde aureola non est gaudium essentiale intensius, quandoquidem illud intensius esse possit ratione charitatis in eo qui aureolam non habet: sed est accidentale adiectum. Et ideo nec differunt solùm secundum magis & minus in eadem specie: imò differunt specie.

De subiecto aureolæ.

Si verò rursus scisciteris aureola vbi sit, in anima ne, an in corpore, ex dictis colligitur solutio. Est n. eius substantia in anima: quia est gaudium de facto illo egregio quod ex charitate processit, qua ratione erat difficile, & strenuum: nihilominus gaudium illud explicabitur in corpore per modum coronulæ in capite, vel instar palmæ, vt infra explicabitur. Itaq; aureola non supponit, vt dialectico more loquamur, nisi gaudium ipsum animæ connotando: tamen signum quo declaratur in corpore.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quamuis aureola & fructus ambo sint præmia accidentalia, differunt tamen inter se. Hanc distinctionem fructuum ab aureolis diuersi diuerso modo interpretantur. Quidam enim aiunt inter aureolam & fructum non esse discrimen, nisi quòd aureola debetur pugnanti: iuxta illud 1. ad Timoth. 2. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit, fructus verò laboranti: iuxta illud Sapientiæ 4. Bonorum operum gloriosus est fructus. At vero cùm idem sit labor & certamen, distinctio hæc solùm est rationis, cùm tamen distinctio inter aureolam & fructum sit realis. Et eodem modo refutantur alij dicentes, non aliter differre, quàm quòd aureola consistit in gaudio boni creati, quatenus respicit laborem corporis, fructus autem etiam sit gaudium de bono creato, quatenus respicit voluntatem: nam & opus quod corpore exhibetur, ex voluntate procedit: quare sola tunc ratione different.

Distinctio fructuum.

Ad intelligendum ergo discrimẽ hoc notandũ est, quod cùm nomen fructus à corporalibus per metaphoram ad spiritualia transferatur, ex varietate quæ in fructib. reperitur, variæ sumuntur metaphoræ. Fructus autem qui ex terræ nascentibus proueniunt, diuersas habent conditiones, ex quibus subinde diuersimodè ad spiritualia fit translatio. Primum enim cõuenit fructui dulcedo, qua tanquam vltimus qui expectatur finis delectat: & isto modo gaudium de consecutione vltimi finis est fructus: vnde descendit fruitionis nomen, siue in re, quando in patria per consecutionem eiusdem finis illam capimus delectationem, siue in spe, de qua etiam in via gaudemus. Secundo modo accipitur fructus pro eo quod reficit, quamuis non sit vltimum, & isto modo virtutes omnes dicuntur fructus, quos ideo fructus Paulus ad Galat. 5. ad duodecim connumerat, dicens: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, &c. Tertio modo accipitur fructus, pro illo commodo quod ex labore agriculturæ expectatur, & sic omne præmium spirituale, siue sit gratia, siue gloria, dicitur fructus: iuxta illud ad Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificationem. finem autem vitam æternam. Nullo autem horum trium modorum vsurpatur hoc nomen impræsentiarum, sed quarto modo, vt metaphora sumatur ab illa fructus proprietate, qua fructus dicitur id quod ex semine nascitur. Sic enim Christus Matth. 13. verbum fidei appellauit semen, quod in nostris cordibus seminatum facit fructum, aut tricesimum, aut sexagesimum, aut centesimum, secundum terræ benignitatem. Verbum enim ex natura sua efficacissimum est, & ideo quo terra feracior est, id est, cor benignius, vberior est fructus. Benignitas autem & feracitas cordis in hoc consistit, quod à terrenis sese expurget, & in spiritum conuertatur: vt scilicet neque vijs huius seculi sit peruium. Nam quod illic seminatur, voluceres cæli, nempe humana superbia deuorat. Neque sit vt sicut saxum, sed emolliatur, ne quod illic semina tur, facilè arescat. Neque verò inter diuitiarum spinas sit consitum, quæ semen suffocare pergunt. Sed sit terra bona vt verbum in ea terrenos humores possit in spiritum conuertere. Fructus ergo secundum hunc significatum est gaudium ab illo differens, quod est aureola. Vt inter auream, & aureolam & fructum hoc sit interstitium, quod aurea sit visio, seu gaudium essentiale inde de Deo viso perceptum, aureola verò sit gaudium de perfectione operis adhibitum: sed fructus sit gaudium quod de operantis dispositione accumulatur secundùm spiritualitatis gradum, quo per Dei verbum quisque in suo corde seminatum profecit. *Matth. 13.*

Ex quo fit, quòd quemadmodum aureola, ita & fructus ad gaudium pertineat accidentale, essentiali adiectum: nam pari modo de bono creato percipitur. Atque adeò fructus non semper charitatis proportionem & quantitatem insequitur. Potest enim vidua plura charitatis opera & merita facere, quam virgo, imò & coniugatus, atque adeò in beatitudine essentiali excedere.

3. Concl.

Tertia conclusio. Fructus etsi virtuti continentiæ peculiarius tribuatur, omni tamen virtute congruit. Hierony. quidem & aduersus Iouinianum, & in Commentarijs Matthæi 13. tres illas Euangelicorum fructuum differentias soli continentiæ ascripsit: quam ideo opinionem Sanctus Thom. & reliqui Theologi sequuntur. At verò cuiuscunque virtutis est fructum ferre, verbum enim fidei in corde seminatum omnium virtutum vberem frugem profert. Potissimum tamen in virtute continentiæ fructus elucent, qui spiritualitati adscribuntur. Nam cùm spiritualitas ex abstractione à voluptatibus carnalibus exurgat, eo quod caro (vt ait ad Galatas Paulus) concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, illi peculiariter virtuti tribuitur fructus, qua aduersus carnem spiritus pugnat: qualis est virtus continentiæ, quæ in compescendis veneteis insultibus versatur. *Hieronym.*

Cibus & potus.

Quod si scisciteris, cùm actus temperantiæ circa cibum & potum sint magis necessarij quàm circa venerea, cur non tam propriè & æqualiter in ipsis ponitur fructus atque in reliquis? Respondetur, quia non sunt tam vehementes. Sunt enim venerei adeò exorbitantes, & violenti vt quemadmodum ait Hieronymus, in carnali conflictu neque spiritus prophetiæ corda prophetarum tangat, & quemadmodum 7. Ethico. ait Philosophus, in illa delectatione vix sit possibile quidpiam intelligere.

4. Concl.

Ex his demum colligitur quarta conclusio. Tres sunt fructus, tribus virtutis gradibus consignati, illi scilicet qui Matth. 13. referuntur tricesimus, sexagesimus, & centesimus. Hi verò tres gradus generaliter in omni virtute constituuntur, qui sunt gradus continentiæ, quando homo cum passionibus colluctatur: & temperantiæ, quando illas habet sedatas & heroicas, quando nullæ prorsus insurgunt, sed homo pacatè viuit. Et ideo Christus sicut in maligna terra tres distinxit gradus, scilicet incontinentiæ, quando homo est sicut in via quibuscunque corruptis affectibus expositus: imò illos præueniens: & illorum qui verbum virtutis concipiunt, sed præ cordis aridítate humorem non habent, vt crescat: & illorum qui humorem quidem habent, scilicet nonnullum virtutis affectum, sed solicitudine secularium exortum semen suffocant: ita & in terra bona tres distinxit ordines, qui in quacunque virtute reperiuntur: qui sunt incipientium, proficientium, & perfectorum. Nihilominus quia hi tres generales virtutum gradus peculiarius in virtute continentiæ existunt, tres isti fructus eidem virtuti peculiarius adaptantur: vtpote per quam spiritualitas, vt expositum est, comparatur

Fructus tres.

Fructus multipliciter dicatur.

Digitized by Google

Est enim minimus quantum ad meritum, sed maximus quantum ad necessitatem: vt carnis concupiscentia & delectatio aduersùs legem Dei nó exorbitet, sed iustis sit officijs contenta Atque hic est in coniugatis, fidem coniugij legitimè seruantibus. Alius verò est spiritualis gradus paulò minor quoad necessitatem, sed maior quoad meritum: quo scilicet se homo a licitis complexibus abstrahit, non tamen perpetuo vinculo, sed libero, à quo possit abscedere. Atque hic gradus est in viduis. Sed tertius est maximi meriti, quo scilicet homo sic in statu spirituali constituitur, vt à carnis complexibus & voluptatibus perpetuo proposito alienetur. Atque hic est in virginibus, qui propositum habent in perpetuum carnis integritatem seruandi: hoc enim propositum etiam citra votum, ad virginitatis aureolam sufficit. Quamuis status continentiæ, vt paupertatis & obedientiæ, voto firmiori firmetur. Primus ergo dicitur tricesimus, secũdus sexagesimus, & tertius centesimus.

Tricesimus sexage. & centesi.

Rationem autem huiusmodi numerorum forsan non aliam comminisci opus esset, quàm quod tricesimus fructus plurimum esse solet sémini iustus in terra bona: qualis erat tetra illa promissa quam Iordanis interluebat: vt scilicet modius ad triginta proueniat: & ideò adaptatur minori gradui virtutis, quippe qui necessarius est. Solet autem ad duplum benigna gleba illum proferre. Veruntamen quasi per miraculum, vbi solum feracissimum est, ad centesimum prouenit. Legitur enim Genes. 26. quòd cùm Isaac in Geraris sementem fecisset, inuenit in ipso anno centuplum, quasi beneficio diuino. Vnde subditur: Benedixitque ei Dominus.

Rationes numerorũ.

Nihilominus patres qui istorum sunt numerorum obseruatores, ad denarium, qui est numerus mandatorum perfectus, tanquam ad radicem eos referunt. Tricesimus enim numerus ex denario per ternarium ducto consurgit. Ternarius autem, vt 1. de Cœlo & Mundo, ait Philosophus, integrum corpus significat quod longitudine, latitudine, & profunditate constat: & rursus, principio, medio, & fine. Et ideo significat illum spiritualitatis gradum, qui est virtuti necessarius. Sexagenarius autem conflatur ex eodem denario per sex multiplicato: senarius autem, quippe qui ex partibus suis aliquotis, vno, duobus, & tribus constet, duplo perfectior est. Sed centesimus numerus ex eodem denario per se ipsum ducto proueniens perfectissimus est: nempe numerus cubus, hoc est, quadratus omni ex parte æqualis, & talis est in omni virtute gradus heroicus, vt in virtute fortitudinis martyrium, vt in lib. de virginit. ait August. & in virtute misericordiæ omnia abijcere & dare pauperibus, atque in virtutes continentiæ status virginitatis. Quapropter non opus fuit similem proportionem in his excessibus seruare, sed rationem perfecti numeri. Nec aliud Christus dicere voluit, quam quòd fructus ex semine verbi aliquándo ille prouenit, qui iustè solet ex semine prouenire: aliquando verò duplus, sed aliquando consummatissimus.

Ratio sapiendi per digitos.

At quo tandem Bedæ rationem adhibeamus, quæ minimè est contemnenda, numeros illos ad digitorum refert dispositionem, qua apud Romanos in more erat annos supputare tacendo: vt dum depicta imago contractum habebat minimum sinistræ digitum, significabat annum vnum: si verò solum secundum ab illo, contrahebat duos, &c. Numerus verò tricesimus pingebatur in eadem sinistra, pollice & indice molliter se osculantibus. Quæ ideò figura statum coniugalem designat. Numerus verò sexagenarius delineabatur eodem indice pollicem in modum crucis desuper comprimente, quæ ideo figura viduitatis pressuram poterat indicare, sed in numero centenario à sinistra fiebat transitus ad dexteram. Vnde de Nestore, qui centesimum ætatis excesserat annum, canit Iuuenalis:

Iuuenal. Saty. 10.

Atque suos iam dextera computat annos: quemadmodum homines virginitas ab humana in angelicam transmittit naturam.

Sol. 1. arg.

Primi igitur argumenti solutio per ea quæ suprà dicta sunt, liquet. Diximus enim in beata visione eminenter contineri omnia quæ ad eius ornatum attinent: non enim ex illa solum deriuatur amor & gaudium ad beatitudinem essentialiter pertinentia, verùm & fructus omnes & aureolæ. Et in hoc sensu ipsa dicitur status omnium bonorum aggregatione perfectus. Nihilominus formaliter alia alijs beatis accidentaliter adhibentur. Et quamuis nihil adhiberetur, satis ad beatitudinem esset visio, vt 5. de Confess. ait Augustinus.

Ad secundum respondetur nullum esse incõueniens eidem merito, diuersis rationibus diuersa præmia competere. Auream scilicet, quia procedit ex charitate, & aureolam ex genere operis: & fructum ex dispositione personæ. Itaque sanctissimæ Virgini ob nimiam eius charitatem post Christum summa essentialis gloria competit, & propter personæ heroicam dispositionem spiritualis centesimus fructus, idemque super omnes cumulatissimus: nam quamuis in omnibus sit centesimus, est tamen gaudium illud in quibusdam cumulatius, quàm in alijs. Et præterea ratione strenuitatis operis adiecta est ei aureola.

Sol. 2. arg.

E conuersò non in omnibus in quibus est fructus, est aureola, vt patet in coniugatis & viduis. Et si restrictè fructus accipiatur in virtute continentiæ, potest è conuersò in martyre esse aureola sine fructu. Secus si fructus accipiatur pro gaudio quod gradui cuiuscunq; virtutis respondet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm tantùm sint tres aureolæ?

SECVNDÒ quæritur de numero aureolarum, vtrum tantùm sint tres? Et arguitur à parte negatiua. Viduæ, vt Hieronymus autor est, maiorem difficultatem in abstinendo à carnis illecebris patiuntur quàm virgines: vbi autem maior est pugna, æquius debetur præmium: ergo viduis etiam debetur aureola Atque adeò non sunt tres tantùm.

Pars negatiua 1. Argum.

Secundò, Aureola est præmium, quod operibus supererogationis tribuitur: ait enim Beda super illud Exod. 25. Aliam coronam aureolam, &c. Aureolam de eorum præmio rectè intelligi, qui generalia mandata spontaneæ vitæ perfectioris electione transcẽdunt, sed vbi necessitas occurrit confitendi fidem, non est opus supererogationis, iuxta illud ad Romanos 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: ergo illis martyribus non debebitur aureola.

2. Argum.

Tertiò. Omne præmium quod in patria conferendum est, alicui virtutis operi respondet: quod ex Dei dono procedit, imò aureolæ non conferuntur nisi propter opera consilij, quæ ait Beda esse supererogationis: prædicare autem & docere non semper est singulare Dei donum neque opus consilij, imò sæpè fit per scientiam acquisitam humano studio: ergo doctoribus non debentur aureolæ.

3. Argum.

Quartò. Si essent tres aureolæ, non deberent esse æquales, quia nec dignitas operis est æqualis. Neque verò discerni posset quænam esset excellentior, nam ex vna parte virginitas videtur excellere, quippe cùm de virginibus legatur Apocalyps. 7. quod sequuntur agnum quocunque ierit. Sed ex alia parte videtur martyrium excellentius, dicente Augustino in libr. de virginitate, quod nemo ausus fuit præferre virginitatẽ martyrio. Sed & doctrina prædicationis videtur ambobus præeminere ex parte obiecti, nam versatur circa intelligibiles veritates, cùm virginitas & martyrium versentur circa sensibiles affectus: non ergo aptè possunt tres aureolæ distingui.

4. Argu.

Quintò. Si aureolæ essent ponendæ, maximè Christo competerent, quippe qui & virgo & doctor fuit, & mortem pertulit. Item deberentur & Angelis. Nã loquens de virginitate Hieronymus ait: In carne præter carnẽ viuere potius est vita angelica, quàm humana. Item conuenirent & corpori, postquam conueniunt illi dotes, & tamen neque Christo, neque angelis, neque corporibus aureolæ istæ assignantur: ergo non sunt tres.

5. Argu.

In contrarium autem est sanctorum Patrum, & Ecclesiæ autoritas.

Pars affirmatiua. 1. Concl.

Ad quæstionem nouem conclusionibus respondetur. Prima. Tres sunt nec pauciores, nec plures aureolæ, scilicet virginitatis, martyrij, & doctrinæ. Aureola namque, vt modò constitutum reliquimus, est gaudium quod propter singularem victoriam in hac humana militia partem per excellentiam victori confertur. Sumitur autem hic ternarius numerus & secundum hostes contra quos pugnamus, & secundum virtutes quibus dimicamus, & secundum tria quibus

Christo

Christo vincentes configuramur. Hostes namque sunt caro, mundus, & dæmon. In pugna vero quæ est contra carnem, illa est victoria potissima, quæ à venereis insultibus & voluptatibus violentissimè inter omnia delectabilia tactus pugnantibus, per continentiam obtinetur: quæ vtique victoria in virginitate sita est. Et ideo prima debetur virginitati aureola. Contra mundum verò illa est illustrissima, cùm eius infestam persecutionem & tyrannidem vsque ad mortem sustinemus: & ideo secunda aureola debetur martyribus. In pugna vero contra diabolum illa est suprema, cùm quis nō solum à se, verùm & à mētibus hominum quos calumniator ille seducere pergit, propulsat: quod fit per sanam doctrinam, & veritatis lucem, & ideo tertia aureola debetur doctoribus.

Atqui aureolæ istæ tribus præterea animi virtutibus respondent, doctrina scilicet rationali, per quam veritas fidei diffunditur & propagatur: aureola verò martyrij respondet irascibili quæ circa ardua versatur, & præcipuè circa pericula mortis: sed aureola virginitatis respondet concupiscibili, quæ versatur circa delectabilia tactus & præcipue circa venerea.

Rursus per doctrinæ prædicationem assimilantur doctores Christo, quatenus mediatori Dei & hominum, qui quæcunque audiuit à patre fecit nobis manifesta: per aureolam verò virginitatis assimilātur ei virgines, quatenus exemplar fuit & decus totius puritatis, sed & martyres eum imitantur quatenus mortem pertulit crucis.

Obiectio. Quòd si quis arguat, quòd cùm tres illæ aureolæ tribus cardinalibus adaptentur: vt doctrina prudentiæ: & martyrium fortitudini: & temperantiæ virginitas, alia etiam debuit iustitiæ constitui, imò & alia professæ paupertati, atque alia obedientiæ, quæ sunt consiliorum opera. Respondetur, quòd cùm iustitia in omni virtute contineatur, & pariter obedientia non indigebant singulari aureola: & quamuis paupertas sit opus perfectionis, non tamē tantum habet difficultatis in comparanda victoria, quàm pugna carnis, & ideo illi non debetur aureola, sed iudiciaria potestas, vt dictum est.

De virginitate hic non est proprius disputandi locus: pertinet enim ad materiam temperantiæ: de qua ideo virtute disputat Diuus Thomas 2. 2. quæstione 152. sed solum ad hunc locum de ipsius aureola dicere spectat. De qua aliqui sic sentiunt, quod ad aureolam sufficiat actu virginitatem seruasse: dum tamen homo beatitudinem obtineat, etiam si nō habuerit propositum illam perpetuò seruandi. At verò aduersus hanc opinionem statuitur secunda conclusio. *2. Concl.* Ad aureolam virginitatis requiritur propositum perpetuò virginitatis seruandæ. Nam secundum aliam opinionem etiam illa virgo quæ propositum haberet nubendi, obtineret aureolā quod vtique Sancti non approbant. Aureola enim virginitatis præmium est illius singularis virtutis, quatenus rationem habet virtutis. Virtus autem virginitatis ex obiecto est continentia, carnis seu non experiri delectationē illam: ergo non habebit rationem singularis virtutis, nisi per propositum voluntatis illam perpetuò seruandi: atque adeò sine illo proposito virginitati non debetur aureola: neque centenarius fructus, neque verò viduæ sexagenarius, nisi simile propositum perpetuæ continentiæ habeat. Votum autem non est necessarium, quamuis per ipsum fiat virginitas perfectior, & per solenne perfectissima. Vnde Augustinus in libro de nuptijs & concupiscentia: *Virginitas.* Virginitas, inquit, est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, hoc est, propositum perpetuæ conuersationis illius. Et illic rursum: Virginitas, inquit, est continentia, qua integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis vouetur, consecratur, seruatur. Vouetur, id est, offertur. Dicitur enim virgo à carnis virore, qui est in mentis proposito.

Tria in virginitatē. Quòd si arguas. Virgo etiam quæ absque tali proposito ab hac luce migrauerit, gaudio de sua integritate oblectabitur. Conceditur, sed tamen illud nec est aureola, nec tale meretur nomen.

Vnde diuus Thomas quæstione citata art. 1. Tria, inquit, sunt in virginitate consideranda. Primum integritas carnis. Et hoc est illi accidentale. Nam vt 1. de ciuitate Dei idem ait Augustinus, membra illa possunt diuersis casibus vulnerata vim perpeti: & à medicis & ab obstetricibus, & aliunde. Secundum est in experientia voluptuosæ delectationis in resolutione seminis. Et hoc est materiale, scilicet illam non experiri. Tertium verò est formale, nempe propositum, quod est in anima. Integritas enim carnis res naturalis est, atque adeò non est virtus nisi illo sancto proposito induatur. Quando ergo illud materiale perditur, non tamen sponte, sed per vim reluctante virgine, non amittitur virginitas, quippe quæ semper seruatur in mente. Quamuis in illa violentia illecebra carnis voluptasque insurgat, quinetiam siue corrupta concipiat siue vis illa in contumeliam fidei, siue alia de causa inferatur. Vnde beata Lucia: *Si me*, inquit, inuitam violare feceris, mihi castitas duplicabitur ad coronam. Nō quod duas esset obtentura virginitatis aureolas, sed quod illi aureolæ aliud accessurum erat gaudium propter patiētiam toleratæ iniuriæ. Si verò sua sponte & voluntate quis resolutionem seminis voluptuosè experiatur, irrecuperabiliter perdit virginitatem, atque adeò aureola ius. *Hieron.* Et in hoc sensu ait Hierony. Deum non posse virginitatem post ruinam reparare, licet possit per pœnitentiam peccatum tolli: quinetiam deinceps per cumulatos pœnitentiæ fructus præmium essentiale augeri. Cuius Magdalena nobis documentum præbuit. Veruntamen dum qui virginitatem proposuit, delectationes morosas mortales sua sponte sentit, aut mente vel in nuptias, vel in fornicationem consentit, citra vllam tamen seminis emissionem, perdit quidem virginitatem, atque adeò si in illo statu decederet, aureolam non obtineret: potest tamen per pœnitentiam eam recuperare, & integrato eodem proposito perpetuæ continentiæ, sua non frustrabitur aureola.

De frigidis. Percontaris autem vtrum frigidi & eunuchi ad generandum, imò ad coeundum inepti, de quibus supra in materia de matrimonio diximus, valeant virginitatis aureolam promereri. Apparet n. non posse: quia necessitas non est virtus. Hoc tamen non obstante in lib. de sancta virginitate Augustinus affirmando respondet. *Augustin.* Dum enim propositum habent vxorem non ducendi, faciunt de necessitate virtutem. Ait quippe, quibus virile membrum debilitatur vt generare non possint, vt sunt eunuchi cùm Christiani fiunt, & Dei præcepta custodiunt, sufficit propositum non habendi coniugem.

Diuus Thomas impræsentiarum negat ante legem euangelicam virginitatem sub consilio fuisse, atque adeò aureola fuisse dignam. Hoc tamen supra dist. 30. q. 2. artic. 1. disputauimus, in alteram partem sub peritiorum censura inclinantes.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quod quibusdam pensatis rationibus maiorem pugnam sustinent virgines, sed alijs perpensis maiorem viduæ. In virgines namque multa conspirant tentamenta. Concupiscentia namque propter refrenati sanguinis repressionem ardentius exurit, & rem experiundi desiderium ob curiositatem vehementius incitat. Homines enim ad illa quæ experti non sunt, auidius anhelant. Mox & existimatio maioris voluptatis, quàm in rei veritate turpitudo illa habet, ignem insufflat: & minor quàm par est detrimentorum opinio, quæ tamen detrimenta magna secum affert corrupta virginitas, illecebrarum relaxat habenas. Præterquam si prolis cupido inter hæc sese insinuet, atque aliarum voluptatum quæ solent maritis accrescere. Viduas autem ex altera parte præteritarum delectationum memoria valde infestat. Sed tamen quia ab alijs enarratis hostibus liberiores sunt, non acriori sub luntur pugnæ quàm virgines. Quicquid autem sit de pugna, aureola tamen & palma non ei, sed victoriæ decernitur. Laus autem victoriæ est nunquam hosti succumbere, hoc enim est in militia pulcherrimum. Et ideo non viduitati, sed virginitati proposita est aureola.

Sacratissima virgo. Et per hæc diluitur dubitatio de sacratissima virgine, an verè habeat virginitatis aureolam. Haud enim desunt qui id negent, propterea quod uullam sensit pugnam carnis aduersus spiritum. quibus vt alij contradicant, affirmentque habere aureolam, in aliud impingunt extremum dicentes habuisse pugnam carnis: tametsi propter excellentiam temperantiæ & continentiæ, quam habuit in gradu heroico, illam non senserit.

Impugnatio. Sed isti bifariam peccant. Primùm concedentes in Deipara virgine insultum aliquem aut illecebram & tentationem carnis: cùm aut fomitem non habuerit, aut eius inclinationem habuerit prorsus re-

stinctam & ligatam. Secundo, quia si illam non tenuit, nihil ad laudem referebat illam habuisse. Quare non est pium talem luctã in intemerata Virgine admittere. Dicendum, ergo est, quòd etiam si carnis pugnam nullam habuerit, habet tamen aureolam modo excellentissimo. Seruauit enim illam integritatem quæ in membris Ecclesiæ virginitas æstimatur. Et quando virtutes sunt in gradu heroico, quamuis nullus sit passionum insultus, adeò virtus nec perfectionem suam, nec nomen perdit, vt sit etiam perfectior. Præsertim quòd beata Virgo piè creditur si non carnis, Satanæ tamen iacula & tentamenta pertulisse: siquidem Christum etiam ipsum Deum versutus ille adoriri non fuit veritus.

3. Concl. De martyrio, quæ materia est fortitudinis, disputat D. Th. 2.2. q. 124. de cuius igitur tantum aureola affertur hic consideratio. De qua subiungitur tertia conclusio. Martyribus perinde atque virginibus aureola debetur. Dictum enim est aureolam non nisi propter insignem victoriam deberi. Quemadmodum autem in luctamine aduersus carnem insignis victoria est, quæ contra venereorum pugnam obtinetur, quæ acerrima est, ita & in certamine aduersus mundum illa est illustrissima, quæ de tyrannis habetur in causa mortis: quæ (vt ait Philosophus) omnium est terribilium terribilissima. Et ideo martyribus debetur aureola.

Martyrij commendatio. Accedit præterea ad eius meritum quod huiusmodi victoria non solum æstimanda est ex passionis vehementia & magnitudine, verùm ex modo, ac demum ex causa. Ex vehementia, inquam, passionis: quia illa strenuissima patientia est, quæ tolerandæ violentæ morti impenditur: præsertim illis mortis tolerandis generibus, quibus martyres sunt excoriati, aßati, ac dilaniati. Ex modo verò, quoniam (vt Arist. 3. & 7. Ethico. docet) virtus fortitudinis plus laudis in expectando, quàm in aggrediendo meretur: & martyres non solum tormentorum trùculentiam expectabant, verum inermes sese crucibus offerebant, tanquam oues in medio luporum. Non modo neminem offendentes, verùm nec se ipsos defendentes: imò paratiores morti ferendæ, quàm tyranni erant inferendæ. Quod quidem admirabile etiam tyrannis ipsis genus fortitudinis erat: & Christianæ familiæ peculiare, Christi sanguine progenitæ. Causa denique martyrũ in culmine collocat. Non enim tantum in protectionem virtutis aut reipublicæ sese martyres morti exponunt, verùm & in defensionem & confirmationem fidei, quæ omnium est virtutum fundamentum, & spe cælestis retributionis, quæ omnium obtinet præmiorum fastigium: & propter charitatem Dei, quæ est totius perfectionis consummatio, & peculiariter propter Christum ipsum, qui vt nos à Satanica tyrannide liberaret, & in Dei filios adoptaret, mortem pertulit crucis.

Sol. 2. arg. Ex ijs argumentum secundum principale solutum re stat. Nam etsi (vt ait Beda) aureolæ operibus supererogationis debeantur, non tamen ea ratione qua sunt supererogationis, sed ea qua sunt perfectionis: & ideo martyr non solum est aureola dignus, quando extra necessitatem sua se sponte martyrio offert, verùm etiam dum à tyranno captus, necessitas præcepti ingruit confitendi fidem, dum modo tunc voluntate acceptet mortem. Ratio enim & meritum martyrij non consistit in passione mortis quatenus ab alio infertur, sed quatenus à martyre per vltroneam virtutis patientiam suscipitur. Quare qui retinens in patibulum raperetur, non esset martyr.

Martyrij meritum.

Et voluntas & mors ad martyrium requiritur. Veruntamen ad perfectam martyrij rationem, vt mors sine voluntate non sufficit, ita neque sine morte voluntas. Vnde quamuis quis auidissimè martyrium sitiat (vt de Patre nostro & de diuo Francisco, ac de alijs legitur) non est citra perpessionem mortis vere martyr: quamuis feruore charitatis possit præmium essentiale sibi augere, plusquam si esset martyr. Palma enim martyrij propterea non tribuitur nisi susceptæ morti, quòd quantumcunque quis illam affectet, difficultatem tamen non nisi sub ipsum conflictus articulum patitur, vbi ideo ad doloris tolerantiam actus ipsos internos fortitudinis & charitatis intendi necesse est, & nouas acquirere vires: sicuti in actibus impudicis vsuenit: tunc enim affectus vehementius feruet. quod autem meritum voluntatis sine morte sæpe sit maius, constantissimum est. Sunt enim multi sancti in gloria, qui citra martyrium nonnullis martyribus beatitudine essentiali antecellunt, vt Ioan. Euangelista, & Diua Magdalena. Nam & pœnitentiam ipsam D. Gregorius genus arbitratur martyrij. Ait quippe. Quamuis occasio persecutionis desit, habet tamen & pax nostra martyrium suum: quia etsi carnis colla ferro non subijcimus, spirituali tamẽ gladio carnalia desideria in mẽte trucidamus. Hæc ille. quanquam pœnitentiam afflictioni aureola non debeatur: quoniam pœnitentia non dicit vehementem pugnam, sed illam mensuram, quæ ad corpus edomandum idonea est: & ideo excessus non est virtus. *Pœnitentia.*

At citra pœnitentiam cunctis martyribus longissimè antecellit sacratissima Virgo. Tametsi non desint qui eam martyrum catalogo adscribere contendant, propter verbum senis illius Simeonis Lucæ 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. quinetiam in sermone de Assumptione Hieronymus: Rectè, inquit, dixerim, Dei genitrix virgo & martyr fuit, quamuis in pace vitam finiuerit. Vnde etiam ipsius animam pertransiuit gladius, scilicet, dolor de morte filij. At verò (vt diuus Thomas impræsentiarum ait, & certè dicendum videtur) non illa ratione fuit martyr, qua martyrij aureolam habeat. Martyr enim (vt ait Isidorus) idem est Græcè, quod testis, idemque fidei: & Ecclesia non recipit alios vt testes fidei, quàm eos qui mortem in eius testimonium pertulerunt. Appellauit autem eam Hieronymus martyrem, ob quandam similitudinem, scilicet ob vehementissimum doloris sensum, quem in corde habuit de morte filij, quod quædam fuit imago martyrij. *Sacratissima Virgo.* *Martyr.*

Atque hac ratione Bernardus tria distinxit martyrum genera; scilicet voluntate, non nece, vt Ioannes Euangelista: voluntate & nece, vt Stephanus: nece & non voluntate, vt Innocentes. *Tria martyrij genera Bernardi.*

At verò nonnulli intelligentes, quòd vt sola voluntate absque nece, ita neque sola nece absque voluntate ratio martyrij completur, vt facerent Innocentes perfectè martyres, dixerunt acceleratum eis fuisse rationis vsum, veluti Ioanni Baptistæ in vtero matris. Veruntamen hoc non est communi Theologorum autoritate susceptum. Et ideo dicendum (vt insinuare videtur Bernardus) quod sicut Ioannes Euangelista non fuit perfectè martyr, sed sola voluntate, ita neque innocentes nisi sola nece, & ideo neque habent perfectam aureolam, sed quandam eius participationem, nempe gaudium, quòd mortem pro Christo fuerint perpessi. *De innocentibus.*

Dubium tamen est de morte, cuius passio ad martyrium est necessaria. Nam cùm meritum lausque Martyrij, vt dictum est, non tam in violenta illatione, quàm in spontanea acceptatione consistat, videtur ille qui lethale vulnus accepit, licet medicorum postea diligentia, aut fortè miraculo mortem euaserit, esse nihilominus martyrem: & è conuerso, qui minori quàm lethali vulnere læsus fuit propter Deum, si nihilominus incuria & negligentia mortem obijt, non esse martyrem: & tamen Ecclesia neque illum catalogo adscribet, neque istum non adscribet. *Virum requiratur mors.*

Respondetur, quòd qui vulnus accepit lethale, quamuis non illico animam expiret, sed post aliquod temporis spatium moriatur, martyr existimandus est: atque adeò aureola dignus. Vt de beata Cæcilia atque alijs compluribus martyribus memoriæ proditum est, qui in carcere sunt defuncti. Si verò vulnus tale fuerit, vt medicorum iudicio æstimatur lethale, nihilominus tamen aliqua exquisitissima medicina, & diligentia euaserit, non est martyr: quia Ecclesia nullum medicorum iudicium, sed solam mortem, tanquam sufficiens testimonium approbat martyrij. Secùs fortè si manifestè constaret solo supernaturali miraculo fuisse post tale vulnus seruatum: si enim hoc euidens esset, fortasse haberetur pro martyre, postquam illa tanquam mors naturalis reputaretur. quamuis neque hoc certò statuerim, sed iudicio Ecclesiæ relinquendum est. Si vero vulnus non fuit lethale, nihilominus mors subsecuta est, quia nõ potuit medicamẽ adhiberi, martyr ille vere est, imo quãuis adhiberi posset medela, non tamen fuit adhibita, quia ille sic vulneratus, aut cæsus, non tenetur postquam plagam accepit, tantam diligentiam adhiberi, vt curetur. Secus si adesset, qui facile ei mederetur, & ille renueret. Tunc enim videretur mortem plus nimio appetiuisse, & se interemisse, quare non haberetur pro martyre. *Responsio.*

Quod

Propter negligentiam mortuus.

Quòd si roges, quid si propter negligentiam mortuus est? Sunt qui dicant, non esse martyrem, quia nō ex vulnere, sed ex negligentia morti occubuit. Nihilominus certius est, nisi negligentia sit adeò magna, quòd sit mortalis culpa, mortem illam tanquam martyrium ducendam: quoniam negligentia non est causa mortis, sed suppositio vulnere.

De sola carcere.

Quid verò si quis nullam accepit plagam neque verbera: sed sola diuturna carceris afflictione in carceribus pro Christo vita defungitur? D. Thomas impræsentiarum, ait, quòd qui aliquibus verberibus longè ante susceptis, etiam non lethalibus in carcere tandem moriuntur, martyres reputantur, vt Marcellus Papa: sed tamen 2. 2. quæstione 124. articul. ad 3. ait, Quòd pro sola tolerantia carceris, exilij, vel rapinæ diuitiarum martyrium non reputatur: nisi forte secundum quòd ex his sequitur mors. Vbi sola tolerantia carceris, & exilij vsque ad mortem appellat martyrium, quamuis nulla verbera præcesserint. Et certè ita videtur dicendum, dummodo illa tolerantia sit causa mortis. Nam Marcellus licet longè antea fuerat fustibus cæsus, læsio tamen illa nulla fuit eius mortis causa, sed quia post certum tempus stabulo deputatus est ad seruiendum animalibus, & illa fuit afflictione defunctus. Et ratio quoque id persuadet: nam afflictio illa, verberum loco existimatur. Diuturnitas tamen carceris, nisi fuerit vsque ad mortem, non dicitur martyrium, vt legitur de Syluestro.

Alia verò temporalium bonorum amissio citra mortem, etiam si propter Christum fiat, neque martyrium est, neque aureolam mereretur. Quamuis quispiam bona temporalia, scilicet diuitias, vel honorem, vel famam pluris æstimet, quàm vitam: ex genere suo sola vita est, in qua exponenda egregius fortitudinis actus, vt 3. Ethicorum ait Philosophus, locum habet.

Causa martyrij.

Ad hæc tandem notandum, quod neque voluntas appetendi mortem, neque mors ipsa eidem voluntati adiuncta, nisi causa adsit fidei, aut religionis, sufficit ad martyrium. Quamuis, inquam, vita in defensionem Reipublicæ, aut pudicitiæ, aut alius cuiusuis virtutis politiæ exponatur, nisi id referatur in fidem, aut virtutem infusam, quæ aut Christum, aut Deum habet pro obiecto, non censetur martyrium. Itaque vel formaliter, vel virtualiter debet esse confessio fidei, & testimonium eius: hoc enim sonat martyr, quod testis fidei. Beata enim Agnes, quæ pro tuenda virginitate colla gladio submisit, eo celebratur vt martyr, quòd id fecit in testimonium fidei, quia virginitatem, quam Christo vouerat, tueri voluit. Quare quicunque mortem subiret in testimonium alicuius virtutis, nempe ad defendendum esse virtutem, dummodo fide id Christi faceret, verè esset martyr: & pariter qui rempublicam defenderent, vt fidem protegerent, nempe, si illam à Turcis & infidelibus tutarentur, vel ab hæreticis, qui religionem Christianam subuertere contendunt. Secus si ab alio Christiano rege tanquam milites temporales illam defenderent: ibi enim quamuis virtutem fortitudinis exerceant, non subinde martyrij aureolam promerentur.

Ante legem euangelicam fuerunt martyres.

Ex quo sequitur, quòd etiam ante legem euangelicam potuerunt homines aureolam mereri, vt Machabæi, qui pro religione pugnabant: licet illam in limbo quousque eos Christus in cœlum euexit, non obtinuerint. Et idem est de Ioanne Baptista, qui cùm ob zelum propugnandæ iustitiæ capite truncatus fuerit id ad religionem retulit, & fidem, nempe vt ostenderet adulterium peccatum esse, & ideo egregius fuit martyr. Imò si quis fortè lege naturæ pro religione veri Dei cum sola fide implicita morti occubuerit, vt martyr nunc in cœlo aureola insignitur. Et multo æquius Sanson, si Dei nutu in eius amicitia templum, vt hostes religionis occideret, super seipsum coniecit. Sunt enim multi martyres in cœlo, quos Ecclesia, nisi in festo omnium sanctorum, non celebrat. De quibus ad Hebræos 11. Apostolus ait: Per fidem vicisse regna, operatosque fuisse iustitiam, qui obturauerunt, inquit, ora leonum, & extinxerunt impetum ignis, & fortes facti sunt in bello. Alij diuersi, alij verò ludibria & verbera experti, insuper & carceres, lapidati, secti, egentes, angustiati, afflicti in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.

De Sanſon.

De illis qui ſe perimunt.

Postremum denique argumentum soluendum restat, quod, vt Augustinus primo de ciuitate Dei autor est, nemini licet sibi manus inijcere quacunque ex causa, atque adeò multò minus seipsum occidere, & tamen multi martyres leguntur seipsos peremisse, vt metum violandæ pudicitiæ euaderent, atque vt tyrannos præuenirent. Legitur enim Ecclesiasticæ historiæ libro 8. capit 12. de quibusdam fœminis, quæ cum ad sacrificandum ducerentur, & in media via Satanici ministri earum pudicitiam solicitarent, ne polluerentur, aut sacrificare cogerentur, in fluuium se præcipitarunt. Et beata Apollonia, cùm à lictoribus ante rogum comburenda teneretur, eorum manibus elapsa in ignem se eundē proiecit. Respondetur verò id diuino instinctu in exemplum egregiæ fortitudinis fecisse, vt tyrannorum rabies admiratione vinceretur, dum viderent pro Christo sic sexum illum fragilem mortem cōtemnere.

4. Concl.

Tertia demum est doctorum aureola, de qua subnectitur quarta conclusio. Doctorum aureola nec prælatis tantum quibus munus prædicandi incumbit, neq, verò illis nisi munere suo fungantur, sed cuicunq; is qui actum prædicandi & docendi, siue voce, siue scripto exercent, debetur. Aureola enim hæc non debetur ratione status, nempe ratione episcopatus aut præfecturæ cui annexum est officium prædicandi: nec verò propter habitum scientiæ quo quis docere potest, sed propter actum, in quo ratio meriti consistit, iuxta illud 2. ad Timothæum 2. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Imò qui statum habet vel habitum sine vsu maioris, est opprobrij dignus, maioriſque fit criminis reus. Veruntamen non pro vna aut altera concione vel lectione, sed pro professione docendi expectanda est aureola, siue lingua, siue calamo id fiat: dum tamē in obsequium fidei munere illo doctor fungatur. Et potissimum vt incredulos aut hæreticos lucrifaciat, seu vt illos ab ecclesia arceat, diuinoque gregi caueat. Nam docere profanas literas aut humana iura, non est aureolæ meritum.

Sol. 3. arg.

Ad tertium igitur argumentum negatur officium prædicandi non esse opus virtutis & supererogationis, imò est opus misericordiæ: & quāuis doctrina ad prædicandum humano studio acquiratur, est nihilominus opus perfectionis, quinetiam perficientium alios: ad quod munus Deus credendus est illis specialiter opitulari, qui eius gratia id faciunt: nempe, vt fidem eius & lege elucident & persuadeant. Quapropter (vt de martyrio dictum est) non solum quando docere spontaneū opus est & supererogationis, verum & quando necessitas occurrit præcepti cōparatur aureola. Imò tunc cumulatius est meritum: vt puta quando id ex officio & ratione status incumbit, & præsertim quando hæreses pullulant: tunc enim ingruentibus lupis continenter indefesseque debet pastorum sibilus & clamor crebrescere. Est tamen prædicatoribus ac fidei doctoribus solerter inanis aura cauenda, quæ aureolam illis vel aufert, vel deterat. Scientia enim inflat: cùm tamen ad hanc aureolam promerendam potissimum requiratur humilitas.

5. Concl.

Subsequitur vt has inter se aureolas conferamus, meritoq; suo cuiusque perpendamus. Sit ergo quinta conclusio. Quamuis singulæ istarum quæ dictæ sunt aureolæ, alias merito superent, & vicissim ab alijs alia ratione superentur, simpliciter tamen martyrium aureola cæteris antefertur. Probatur prior pars. Si meritum ex pugnæ rigore & acerbitate perpendatur, aureola martyrij quodammodo præeminet aureolæ virginitatis: sed quodammodo ab illa exceditur. Certamen enim in martyrio truculentius est, quod ideo in conflictu celsiorem exigit animum, maiorique fortitudine & charitate robustum: sed ex altera parte diuturnitas pugnæ carnis in virgine patientiam longiorem & longanimitatem requirit. Nihilominus ex genere suo, quia terribilissimum est mors, simpliciter palma martyrij est præstantior. Veruntamen si excellentia ex obiecto & materia perpendatur, aureola doctorum illustrior est: quoniam huiusmodi pugna circa intelligibiles veritates versatur: cum aliæ non nisi circa sensibiles effectus versentur.

Secunda pars.

Posterior verò conclusionis pars probatur: nam etsi in virtute perfectio obiecti, vnde species sortitur, præferatur tamen in aureolis, quæ victoribus decernuntur, potius habenda est ratio difficultatis in vincendo: & quia hæc in martyribus præeminet, eo

Digitized by Google

rum aureola simpliciter est gloriosior. Vnde Christus Matth. 5. in calce omnium beatitudinum quasi omnes vno verbo complexus, Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Ob idque Ecclesia in sanctorum catalogo martyres doctoribus ac virginibus præfert.

Sol. 4. arg. Et per hæc quartum argumentum solutum restat. Vnaquæque enim virtus suum habet priuilegium & excellentiam. de virginibus namque propter eximiam puritatem: & quia cælestem angelorum candorem referunt, legitur Apocalyp. 14. quod cantant canticum nouum, nempe nouum epithalamium, atque sublimiorem hymnum quam solet in thalamis carnalibus cani: & ideo tanquam sponsum sponsæ sequuntur agnum quocunque ierit: quia in pluribus assimilantur Christo (vt in libro de virginitate ait Augustinus) propter eximiam humilitatem, quæ virginitatis candori annexa est, licèt non tam propè eum imitentur quã martyres.

6. Concl. At quoniam non solum vna aureola cum alia alterius speciei, verùm & cum alia secũ simili in specie conferatur, subiungitur sexta conclusio. Aureola virginitatis potest esse in vno virgine cumulatior quam in alio: & similiter aureola martyris & doctoris. At quia statim se offert in contrarium argumentum, quod videtur aureolæ in culmine charitatis existere, & id quod in culmine est nequit maius minúsve esse, adnotandum est, quod præmium in aureolis crescere potest aut ex radice meriti, quæ est charitas, aut ex genere operis. Quando ergo crescit ex radice charitatis, augetur aureola, hoc est, essentiale præmium. Quando verò ratione operis, crescit solum gaudium, quod est aureola Poterit, inquam, fortè martyr vnus feruentiori charitate minores pati cruciatus, atque alius minori charitate subire maiores, tunc ergo præmium essentiale prioris auctius erit, aureola verò posterioris cumulatior Idemque vsu venit, si ex duobus doctoribus vnus cum minori charitate maiorem adhibeat diligentiam prædicandi. Et pariter est de virginibus censendum. Potest enim aliqua quæ in maiori est charitate, solertius occasiones impudicitiæ cauere, atque ab illa cautius elongari quæ ideo maiorem habebit aureolam. Igitur aureola neque semper est in charitatis culmine, neque charitatis insequitur proportionem. In Deipara verò virgine vtraque ratione excellentissima omnium aureola refulget.

7. Concl. Tandem de subiecto aureolæ dicere superest. De quo septima adhibetur conclusio. In Christo Domino nostro, quamuis quicquid in alijs beatis aureolæ nomen habet, eminentissimo modo existat, tamen propter eius excellentiam nec ratio, neque nomen aureolæ inuenitur. Probatur prior pars. Christus & virginitatis fons fuit, & decus eximium, & martyrum firmamentum, & robur, & doctorum fulgentissimum lumen Imò quamuis nulla carnis tentamenta vllum in eo motum habuerint, labores tamen plures hausit, & in passione dolores, ac subinde naturalem legitimamque sensit carnis infirmitatem mortem formidantis: ob quas pugnas & luctas, quas heroicè vicit, quidam ei aureolam martyrij adscribere contenderunt. At verò cùm aureola diminutionem, ac perinde participationem gaudij designet, fas non est illam Christo attribuere, qui non participationem, sed plenitudinem omnium habet gaudiorum, de cuius plenitudine omnes accipiunt. Igitur sicut de dotibus diximus, quæ secundum hanc rationem non sunt in Christo, sed aliquid excellentius cui dotes aliorum assimilantur, ita dicendum est de aureolis. Fuit enim in Christo plena victoriæ ratio, cuius similitudine victores omnes constituuntur, iuxta illud Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Et alibi: Si mundus vos odit, me priorem odio habuit. Et Apocal. 5. Ecce vicit leo de tribu Iuda. & c. 3. Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut ego vici, & sedeo in throno patris mei. Igitur quia ipse est in throno patris, priusquam aureolam habet, sed quia alij merentur thronum eius, fiunt gaudiorum participes, quæ aureolæ dicuntur. Et similiter in doctrina ipse est lux patris, iuxta illud: Quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis, sed alij sunt lucis participes.

8. Concl. De angelis. Octaua conclusio. Neque in angelis est proprie ratio aureolæ: nam aureola præmium est merito respondens, in angelis autem virginitas non meritum, neque victoria pugnæ, sed rei natura fuit. Et in hoc sensu ait lib. de virginit. Hierony. quòd in carne præter carnẽ viuere vita angelica est, id est, meritũ angelicæ naturæ simile, quia virgines per gratiam naturã imitantur angelicam. Et quemadmodum contra carnem non sunt colluctati, ita neque contra mundum dimicarunt, vt mortem oppeterent: pugna enim illa quam contra Luciferum in cœlo habuerunt, metaphorica fuit, quia illos tanquam Dei ministri de illo fastigio deiecerunt: & ideo neque aureolam martyrij meruerunt. Et quanquam Deus per superiores angelos aliqua inferioribus reuelet, illa tamen reuelatio neque explicatio fidei est, quæ non est in beatis neque doctrinæ habet rationem, quæ sit, iuxta verbum Dionysij, purgatio: & ideo neque illa ratione aureolam merentur doctorum. Sed omnes vnico modo, nempe per conuersionem in Deũ, per gratiam & auxilium Dei eodem modo beatitudinem meruerunt, & ideo diuersis aureolis non discernuntur: veluti homines qui ad illam diuersis modis & officijs promouentur.

9. Concl. De corporibus. Nona conclusio. Aureola non est principaliter in corpore, sed in mente: quamuis per quandam redundantiam refulgeat in corpore. Est n. vt dictum est, animi gaudium. At verò quemadmodum essentialis beatitudo, quæ in anima consistit, in corpus per dotes gloriæ refunditur, quæ quidem dotes vniuersis beatis communes sunt. ita & aureolæ, quæ sunt quorundam peculiares, aliqua habent insignia in corpore.

Quòd si quæras vtrum in toto corpore, an in quibusdam membris. Ex sacris literis nihil comperti habemus. Sunt tamen coniecturæ, vt appareant in capite coronulæ figuræ: nam aureola coronulam, vt diximus, significat. Neque probabilitate caret, vt quandam colorum varietatem præ se ferant: nam & corpora ipsa colorata erunt. Non quòd ex commixtione qualitatum quæ in beatis sunt naturales, varietas illa colorum in aureolis oriatur: quippe cùm sint supranaturalia insignia, sed quod claritas ipsa gloriæ in capitibus virginum decorem quendam alboris præferat: & in martyribus subrubeum: & in confessoribus subuiride. Et fortasse in manibus virgines candida lilia gestare apparebunt, & martyres palmam. Arbor enim illa, quam contra impositam sibi molem Philosophi assurgere aiunt, martyrum patientiam & tolerantiam significat: & in doctoribus apparebunt subuirides rami: nihil enim vetat quo minus cœlestis claritas illas repræsentet varietates. At verò alia martyrum insignia, vt Pauli ensem, & Laurentij craticulam, non oportebit illic repræsentari. Cicatrices autem martyrum non reputantur aureolæ, nam multi illic erunt sine cicatricibus martyres, vt qui non gladio, sed submersi, vel inedia confecti martyrio coronati sunt.

Palma.

Per hæc igitur argumentum vltimum solutum restat. Et hæc de amplissima beatitudinis materia ad Dei gloriam dicta sint, qui nos ad eius contemplationem admittere dignetur.

DISTINCTIO QVINQVAGESIMA, DE STATV, ET POENIS DAMNATORVM.

Textus cap. 1. FOEDISSIMÆ beatorum gloriæ miserrimam damnatorũ calamitatem tandem opponamus oportet: quos infernus locus manet, & gehẽnæ perpetua flamma, & exteriores tenebræ. Etenim neq; ignis ille purus est: sed stagnum, inquit Ioan. ignis ardentis sulpbure. Et in Psalm. Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quare & sine luce ardet, & quasi ven-

Apoca. 19. Psal. 10.

Digitized by Google

torũ impetu fremẽs miseros concremare non cessat. Quod si, vt est apud Iob, ab aquis niuiũ transibunt ad calorem nimium, transitus tamen ille omni est refrigerio destituꝛus.

Iob. 33.

Cap. 2.

Tam animæ ergo illic quàm corpora perpetuos sentient cruciatus: is enim sensus est illius verbi Domini. Ite in ignem æternum: nempe vnde nulla est futura redemptio. Fuerunt enim Origenianistæ, vt refert Augustin. de hac hæresi condemnati, qui arbitrabantur finem quandoque genus illud suppliciorum habiturum. Prima autem calamitatum in illo ergastulo illa censetur, quòd à regno cælesti sint in perpetuum relegati, diuinoque priuati conspectu: quam damni pœnam appellant. Vnde Aug. quales illæ sint exteriores tenebræ futuræ, super sextum Psalmum sic enarrat. Ira Dei in iudicio erit, & hic est in cæcitate mentis, cum dantur mali in reprobum sensum. Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus esse extra Deum. Quid est n. penitus esse extra Deum, nisi esse in summa cæcitate? Siquidem inhabitat Deus lucem inaccessibilem. Hæ autem tenebræ hic iam incipiunt in peccante, cum ab interiori Dei luce secluditur, sed non penitus dum in hac vita est. Hæc ille. Itaque in hac vita etiam peccatores extera hac luce corporea fruuntur, sed in illo ergastulo quo cum corporibus damnati detrudendi sunt non solum interioribus animæ tenebris delictorum, verùm & exterioribus corporum caligabunt.

Lib. de hæresib.

Cap. 3.

Secunda nihilo minor animarum pœna est perpetuum eorum odium, quo in diuinam bonitatem continenter exurgunt, nam superbia eorum qui te oderunt, ait Psalmista, ascendit semper. Peius. n. est Dei bonitatem odisse quàm lucem non cernere. Hoc n. pœna est, illud verò culpa. Quamuis odium illud non sit tam nouum peccatum, hoc est, meritum noui supplicij, quàm supplicium mali meriti, quod in hoc seculo perpetrarunt: nam, vt in Enchirid. ait Augustin. neque beatis voluntas, neque damnati facultas poterit vlla esse peccandi: vel vlla conditio moriendi. Itaque vt confirmatissimus ille beatorum amor non est meritum noui præmij, ita neque obstinatissimum illud, pessimumque in damnatis odium Dei, demeritum est noui supplicij: quia vtrique extra viam sunt, statumque bene aut malè merendi.

Cap. 3.

Cap. 4.

Tertia subinde miserorum pœna est sensus: nempe igneus cruciatus, quem etiam animæ antea quàm sua resumant corporea patiuntur. Etenim quamuis lib. de ciui. Dei vigesimo Augu. cuiusmodi ille ignis fuerit, sub iudice reliquerit, postmodum tamen corporeum esse agnouit: eodemque nihilominus spiritus cruciari. Cur enim, inquit, non dicamus quamuis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Hactenus ille. Patiuntur ergo nunc etiam animæ inextinguibilem ignem & vermem viuacissimum, iuxta illud Marc. 9. bonum est tibi claudum introire in vitam, æternam, quàm duos pedes habentem ire in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et in Ecclesiastico: Vindicta impij ignis & vermis. Viuax ergo ignis exurens, stimulansque conscientiæ remorsus de peccatorũ putredine genitus cet vermis affligit. His adhibetur fletus & stridor dentium: ille ob præsentem cruciatum: hic verò ob futurorum metum.

Lib. 21. ca. 10.

Lib. 10. ciuit. c. 16.

Ecclesiastic. 7.

Luc. 13.

Cæterum in postrema carnis resurrectione calamitosi illi corporibus induentur, quæ sint sua grauitate ponderosa, sic tamen in malum suum incorruptibilia, vt tamen sint perennibus tormentis passibilia. Vnde in Apoca. In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab illis. Dolores ergo mortis sine spe moriendi sentiẽt. Infœlix sors & horroꝛe plena: vita mortis imago, vbi nec passionis consolatio vlla, nec liberationis spes reliqua: mors quæ miseros neq; verè permittit viuere, neque ab illa vitæ vmbra vnquam eripere valet. Vtinam ergo nobis Deus illam caueat perpetuam mortem, & donet suam vitam æternam.

Cap. 5.

Apoca. 9.

DISTINCTIONIS QVINQVAGESIMAE,

DE STATV ET POENIS DAMNATORVM.

Quæstio vnica.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ignis inferni sit corporeus.

POSTREMA tandem quinquagesima distinctio in disputatione, De statu & pœnis damnatorum, versatur, quæ vnica erit quæstione contenta. Et quidem à loco inferni inchoandum nobis esset, nisi illum dist. 45. circa centrum terræ reconditum constituissemus: & ideò primum de igne quæritur vtrum sit corporeus. Et arguitur à parte negatiua. Primò autoritate Damasceni lib. 4. c. vlt. Tradetur diabolus & peccatores in ignem æternum: non materialem, qualis est qui apud nos est, sed qualem nouit Deus. Et Aug. 12. super Gene ad literam. c. 32. quærens cùm anima de corpore exierit, vtrum ad aliqua loca corporalia feratur an ad incorporalia, corporalibus similia respõdet, quòd cum spiritualis sit, nõ ad corporalia loca, sed ad spiritualia, aut ad loca pœnalia, similia corporalibus fertur.

Partim negatiua 1. argu.

Secundò arguitur ratione. Ignis corporeus non potest animas, quæ spiritus sunt, cruciare: animæ verò modò sine corporibus cruciantur: ergo ignis ille non est corporeus.

2. Argum.

Digitized by Google

3. Argu.

Tertiò. Ignis corporeus naturali impetu agit: ergo illa combustibilia quæ illi applicantur æqualiter vrit: damnati verò etiam in corporibus non æqualiter, sed pro cuiusque merito tormenta eius patientur. Ait enim quarto Dialogorum Gregor. Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores, vnusquisque quantum exigit culpa, tantum sentiet de pœna: ergo non est corporeus.

Pars affirmatiua. Philosophorum placita.

In contrarium est illud Matth. 25. Ite in ignem æternum.

De illo inferni perhorrendo igne multi in primitiua Ecclesia dubitarint, esset ne corporeus, quæ vtique opinionum ambiguitas ex Philosophorum placitis ortum habuit: nam cùm illi corporum resurrectionem non agnouissent, solius animæ corpus egressæ pœnam aut præmium profitebantur. Et quoniam neque satis intelligebant quomodo spiritus ab igne corporeo pati posset, eiusmodi ignem diffitebantur, affirmantes, vt ait Auicenna, quicquid de animorum pœna euulgatur, per metaphoram esse intelligendum. Vt quemadmodum fœlices animæ non de re aliqua corporea, sed spirituali oblectabantur, quia suum sefinem consequutas vident, ita & afflictionem malorum, spiritualem duntaxat putabant, nempe quia à suo sunt fine semotæ. At quia illa tristitia vulgo non potest nisi per similitudines corporales ostendi, dicuntur per metaphoram igne affligi, & præterea vt metu viuentes exerceantur.

At quoniam alij etiam ex Philosophis eo vsque sunt cognitione progressi, vt crederent separatas animas non solum pœna damni propter auersionem à tuo fine, verùm & sensu affligi, alij commenti sunt animas corporum similitudinibus cruciari, vt homines phantasticis imaginationibus torquentur in somno: de quo visionum genere, 12. de ciuitate Dei meminit Augustinus capit. 21. Veruntamen quoniam neque hoc gaudiorum aut suppliciorum modum satis rei facere alijs videbatur. Tertium Philosophorum placitum, quod & Auicenna refert, fuit, quod animæ hæc corpora mortalia exutæ alijs vniuntur cælestibus corporibus, in quibus perpetuò vel præmijs fruantur, vel afficiantur supplicijs. Hoc autem 1. de anima Aristoteles probat esse falsum: nam anima vt suo est proprio corpori accommodata, quæ non potest in aliud transire, vt Pythagoras comminiscebatur: ita & suis certis vtitur organis, vt alijs vti non valeat. Neque verò soli Philosophi, verùm & patres Sancti de hoc aliquando hæsitarunt. Vnde Augustinus 20. de ciuita. Dei cap. 16. Qui, inquit, Ignis cuiusmodi, & in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit. Subiungit tamen, quòd in postrema die seculi mundanorum ignium conflagratione mundus peribit: insinuans fortè quòd etsi de igne quo nunc torquentur animæ, ambigi possit, sit ne corporeus, an spiritualis, tamen de illo qui damnatos cum suis corporibus in infernum obtruder, quem sunt perpetuò perpessuri, non esse dubitandum fore corporeum.

Augu. 20. de ciui. 19.

His ergo recensitis opinionibus, ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Ignis inferni est corporeus ab initio mundi ibidem creatus. Probatur primò ex regula quam supra pluribus locis commendauimus, nempe quòd quoties verbum sacræ scripturæ, eo præsertim loco, vbi historia narratur, in sensu literali sanè interpretari potest, sic est interpretandum: ait verò Christus dicturum se dilectis suis. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; ac subinde damnatis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo: vbi prior pars ad literam intelligitur de regno quod etiam in corporibus beati possidebunt: ergo non est cur non & ignis nomen ad literam corporeum significet, paratum ab initio diabolo. Mox accedit & ratio. Damnati resumptis corporibus igne sunt corporeo cruciandi: & non est credibile tunc totum esse creandum, quamuis ignis conflagrationis sit illi adhibendus: ergo & nunc est ibi corporeus. Et confirmatur hoc. Si verbum illud: Ite in ignem æternum, corporeum significat, vtpote quo damnati cum suis corporibus mittuntur, & subdit Christus: Qui paratus est diabolo, & angelis eius, consequens sit vt idem corporeus ignis sit ab initio in inferno.

1. Concl.

Ratio conclusionis.

Deinde arguitur. Si non sit verus corporeus ignis non est cur potiùs dixisset, in ignem, quàm in aquam vel aerem æternum: nam quantum ad spirituale tormentum non plus ignis confert, quam aliud elementum quodlibet.

Præterea ob id ignis potiùs quàm res alia prædicatur in inferno torquere miseros, quòd elementum illud propter vehementissimam agendi vim horrendissimum est, ac perinde ad vlciscenda crimina & scelera quæ cõtra Dei omnipotentem bonitatem committuntur, aptissimum: si autem non esset corporeus ignis, neque vehementiorem haberet cruciandi vim, neque significantius terrendi nomen: quod esset religioni Christianæ quoddam deceptionis genus.

De diuite epulone.

Solet illud Lucæ 16. de diuite epulone in huius confirmationem sententiæ accumulari Quia crucior in hac flamma. At verò Augustinus 21. de ciui. Dei capi 10. efficaciam loci huius infirmat. Nam vbi ait ille miser: Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aqua, vt refrigeret linguam meam, neque lingua eius, neque digitus Lazari poterant vsurpari pro corporalibus membris: quoniam neque epulo in inferno, neque Lazarus in limbo corpus habebant. Quare & flamma videtur spiritualiter intelligenda, veluti & aqua. Vnde libr. octauo citato super Genes. Illum, inquit, diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendum non dubito: sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua Iuntis, ille digitus pauperis, &c. vix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquam inuenitur. Verum tamen salua Augustini autoritate dici posset, quòd cum Christus ad normam intelligendi nostram, parabolam admetiretur, ambos induxit ac si in corporibus illic essent. Et ideo non mediocre argumentum inde sumitur, quòd vera sit illic flamma, eadem que adeò terribilis, vt distillantem aquæ guttulam ille miser pro refrigerio duceret. Quare Gregorius quarto lib. Dialogorum, atque alij hoc loco idem confirmant.

Accedit & illud Sapientiæ vndecimo: Per ea quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Peccant enim homines per res sensibiles: igne ergo torquentur sensibili.

Ad hæc & verbum Christi Matthæi quinto: Qui iratscitur fratri suo, reus erit iudicio: qui dixerit Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis: plurimum momenti affert ad probandum corporeum illic esse ignem: quæ grauissimum est supplicium.

Autorit. autorit.as.

Ad hæc tandem accedit autoritas Augustini, qui licet ante ambiguè fuerit de hac re locutus, tamen loco nunc proximè citato de ciuita. Dei affirmantiùs asserit esse ignem corporeum: quo etiam nunc & dæmones & humani spiritus cruciantur. Cuius sententiam Gregorius quarto dialogorum amplectitur cap. vigesimonono dicens. Ob id quod Christus dicturus est: Ite in ignẽ æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: docemur incorporeos dæmones corporeo igni cruciari, atque adeò nihil esse mirum si & animæ antequã accipiant corpora possint corporea sentire tormenta. Hæc ille. Postremum denique argumentum sumitur ex purgatorio, de quo primæ ad Corinthios tertio ait Paulus: Quòd si quis superædificat ligna, fœnum, stipulam, &c. saluabitur quasi per ignem. Vnde eodem libro vigesimoprimo Augustinus capit. vigesimonono sic colligit. Si hoc temporis intercallo donec dies resurrectionis aduenias, spiritus iusti defunctorum ignẽ dicuntur perpeti purgatorium, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in huius corporis vita, vt eorum ligna & fœnum & stipula consummatur.

De purgatorio.

Quòd si quis scisciteur an ille ignis eiusdem sit speciei cum nostro, quamuis hoc nequeat per sacros testes fieri certum, subiungitur tamen secunda conclusio. Ignis ille eiusdem speciei est cum isto quem videmus: quamuis materia sit fortè diuersa. Aqua o nim (vt primo Topicorum ait Philosophus) omni aquæ est idem specie: & eadem ratione ignis omni igni. Quandoquidem nomen ignis specificum est, vnde consequitur, vt qui non est ignis eiusdem speciei cum elemento, non sit verè ignis. Igitur cùm ille infernus verè sit ignis (siquidem sic in euangelio vocatur) colligitur, vt sit eiusdem speciei cum isto quem nos experimur.

2. Concl.

Est tamen notandum, quòd ignis potest esse vel

in ma-

Ignis in propria vel aliena materia.

in materia propria, quemadmodum est in elemento, vel in materia aliena, quemadmodum in nostros vsus venit: & illa ratione potest differre ignis ab igne materialiter, vt ignis carbo differt ab igne flamma. Quamuis in carbone non est verus ignis, sed plurimus calor propter densitatem materiæ, vt de ferro supra diximus. Pari modo ignis ille inferni differt à nostro, & illa ratione supra citatus Augustinus dicit se nescire cuiusmodi est, id est, in qua materia. Nam quamuis in Apocalypsi dicatur ardere sulphure, illud tamen sulphur fortasse non est eiusdem speciei cum eo quod est apud nos. Est enim incorruptibilis materia, & ingenerabilis à solo Deo creata: quo etiam ille ignis à nostro differt. Noster enim ligno aut aëre, atque alijs alimentis nutritur, quæ ab ipso deuorantur. Et ideo Gregorius decimoquinto libr. Moralium super illud Iob vigesimo. Deuorabit eum ignis, qui non succenditur. Ignis, inquit, corporeus vt esse valeat, corporeis indiget fomentis: nec valet nisi succensus esset, & nisi refotus, subsistere. At contra gehennæ ignis, cùm sit corporeus, & in semetipso reprobos corporaliter exurat, neque studio humano succenditur, neque lignis nutritur: sed datus semel durat inextinguibilis.

3. Concl.

Tertia conclusio. Locus ille inferni gehenna ignis dicitur, quasi, ignis fornax, quod in Apocaly. vocatur stagnum ignis ardentis sulphure. Et fuit nomen, quod vt Hieronymus super Matthæum capit. decimo ait, in veteribus libris non inuenitur, sed primùm à Saluatore

Gehenna.

nostro est positum. Est enim gehenna, quasi vallis filiorum Hennon. Iacebat namque prope Hierosolymorum muros, vbi (vt quarti Regum vigesimotertio legitur) filij Hennon, Idolo Moloch filios suos & filias igne sacrificabant. Et ideo Christus nomen gehennæ ad inferni fornacem transtulit, eo quòd vallis illa cadaueribus combustis plena, inferni imaginem referebat.

4. Concl.

Quarta conclusio. Ignis ille est æternus, hoc est, perpetuò crucians, vnde nulla est redemptio. Hæc conclusio non eo constituitur, quòd sit catholicis dubia, sed quòd hæretici olim illam negabant. Nempe Origenianistæ, quos August. post Epiphanium lib. de hæret. capitu. quadragesimotertio refert. Aiebant enim ignem illum etiam inferni quo iniqui torquentur, purgationem esse ipsorum, quemadmodum nos de purgatorio iustorum loquimur, atque adeò diabolum & angelos eius post longissima tempora purgatos, atque liberatos regno Dei luciqué restitui: & rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuò labi & reuerti: & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semperque fore. Quamuis, vt distinctione quadragesimaquinta, quæstione secunda, artic. secundo monstrabamus, non est vero simile Origenem in illa opinione mansisse, etiam si illi Origenianistæ ab eodem Adamantio Origene, vt ait inibi Augustinus, nuncupati fuerint.

Illam autem vanissimam absurditatem à Philosophis, & potissimè à Platonicis didicerunt, contra quos idem Diuus Pater libr. vigesimoprimo de ciuita. Dei disputat capit. decimotertio & decimoseptimo. Non enim sibi persuadere poterant æquissimum Deum irreuocabilibus supplicij quospiam quantumuis sceleratos punire. Quare alij dicebant, in die iudicij prolata damnatorum sententia precibus sanctorum Dei viscera commouenda, vt eis ignoscat.

Sunt autem huiusmodi fabulæ sub pietatis cortice impientissimæ. Vbi enim Christus se dicturum refert, Ite in ignem æternum, confirmatissimam sententiam, atque adeò irreuocabilem designat. Neque solùm dicitur æternus, quia in æternum permanet, sed quia quemcunque semel susceperit, in æternum tenet, perpetuoque cruciat. Et ideo subditur. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Vt quemadmodum vita æterna, veluti Deus ipse, in cuius conspectu consistit, æternum perpetuumque gaudium habet, ita & iniquorum supplicium nullam habere valeat redemptionem.

Accedit & illud Marci 9. Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexinguibilis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extingui tur. Id quod & Ioannis 5. Christus quoque explicuit dicens: Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Hominum vesania.

Adde quòd homines in perpetuo circulo constituentur, vt per vices defuncti, nunc in summa sint miseria, deinde à miseria ad fœlicitatem translati, inde rursus ad eandem relabantur miseriam, manifesta vesania est. Sunt enim animæ perpetuæ creatæ, non ob id, vt perpetua vicissitudine mutabiles sint: sed vt sempiterno Deo in hac vita seruientes, beata requie cum ipso, eademque perinde perpetua perfruantur. Quod si ab infinita illa immutabilique Dei bonitate defciuerint, perpetuis supplicijs abdicantur.

Sol. 1. arg.

Ad primum igitur argumentum respondetur, Damascenum non negasse simpliciter ignem illum esse corporeum quantum ad substantiam: sed esse materialem quantum ad similitudinem effectus ignis qui apud nos est, tum quod animas nunc non materialiter cruciat, quippe quæ non sunt caloris receptiuæ, tum quòd neque corpora sic omnino comburet, & comburendo corrumpat, sicut ignis apud nos facit.

Sol. 2. arg.

Ad illud Augu. respondetur, quòd licet aliquando fuerit ambiguus, tandem tamen dixit esse corporeum ignem. Præsertim quod etiam illic dicens loca pœnalia esse corporalibus similia, ignem etiam corporeum insinuauit nostro non prorsum dissimilem.

Sol. 3. arg.

Ad tertium denique respondetur, quòd cùm ignis ille suapte natura sit instrumentum diuinæ iustitiæ, & instrumentum non agat, nisi vt à principali agente mouetur, ignis ille non prorsus, vt naturalis agit in omnes æqualiter, sed vt iustitia postulat. Præsertim quod, vt ibidem ait Grego. etiam in naturalibus est simile. Non enim omnes qui solis radios suspiciunt æqualiter calescunt, sed secundum cuiusque dispositionem. Nam actus agentium, vt ait Philos. sunt secundum dispositionem patientis.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima separata igne illo inferni corporeo torqueantur.

SI ignis inferni corporeus est, cum anima sit incorporea, meritò quæritur, vtrùm à corpore separata ab illo igne quidpiam patiatur. Et arguitur à parte negatiua illo Aug. citato verbo 12. super Gene. vbi ait, quod animæ non ad corporalia loca, sed aliqua pœnalia corporalibus similia deferuntur. Et rationem ibidem subdit, quod agens debet esse nobilius patiente: corpus autem non est tam nobile quàm spiritus.

Partis negatiua 1. Argum.

Secundo arguitur. Quemadmodum Boëtius in libro de duabus naturis, imò & Aristote. in libris de generatione ait, illa solùm agere in se inuicem, & à se inuicem pati possunt, quæ communicant in materia: corporeus autem ignis & anima illam non participant, ergo nequit anima ab illo pati.

2. Argum.

Tertiò. Quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: anima est spiritus, ergo nihil nisi spirituale recepit, quòd corporeus ignis producere nō potest.

3. Argum.

In contrarium est, quòd eadem est de animabus ratio, quæ de dæmonibus: dæmones autem ab illo igne patiuntur à quo sunt passura damnatorum corpora: iuxta illud Matth. vigesimoquinto: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: ergo & animæ patiuntur ab illo.

Pars affirmatiua.

Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Animæ separatæ neque ab igne inferni quidpiam corporale recipiunt, neque illum sensu aliquo percipiunt. Prior pars per se nota est: quoniam subiectum indiuisibile corpoream qualitatem quæ diuisibilis est, recipere nequit. Secunda etiam probatur, quoniam in anima separata nullæ sunt sensitiuæ potentiæ, atque adeò nec sensationes vllæ. Sentire enim quamuis sit animæ tanquam principij in quo est agendi virtus, non tamen tanquam subiecti quod sentit, sed totius coniuncti. Intelligere enim & velle, quia sunt actiones per se non pendentes ab organo corporali, sunt quidem in anima separata: sentire autem fit mediante organo corporali, & ideo sunt totius subiecti: corrupto autem subiecto, necesse est corrumpi potentiam quæ ipsius est propria: igitur in anima separata non manent sensitiuæ potentiæ nisi tanquam in radice. Perseuerat enim in ipsa eadem efficacia influendi eas dem potentias resumpto corpore. Quare huiusmodi potentiæ non sunt propriæ passiones animæ sicut intellectus, sed potentia illas influendi est eius propria

1. Concl.

passio.

Digitized by Google

passio. Si autem in anima separata non sunt potentiæ, multo minus esse possunt sensationes. Imò verò quamuis potentiæ sensitiuæ remanerent in anima separata, tamen quia sensoria organa non habet, scilicet neque exteriora, quibus species rerum colligere valeat ad videndum, audiendum, tangendum, &c. neque verò interiora potentiæ imaginatiuæ aut æstimatiuæ ad eas species seruandas, quas in via acquisierat, nullas posset sensationes aut internas, aut externas elicere.

Libellus de spiritu & anima.

Circunfertur libellus quidam de spiritu & anima, qui Augustino inscribitur, vbi habetur, quod anima recedens à corpore secum trahit sensum, scilicet imaginationem, & quod ex imaginatione illa & concupiscibilitate afficitur anima beata ad lætitiam, & damnata ad tristitiam. Sed libellus ille apocryphus est, neque Augustiniana autoritate dignus. Vbi verò in libro de ecclesiasticis dogmatibus scriptum est, solum hominem habere animam substantiuam, quæ exuta corpore viuit, & sensus suos atque ingenia viuaciter tenet, nomen sensus pro parte intellectiua vsurpatur.

Modus primus quo anima pati creditur.

Hac igitur prima conclusione præfixa non est intellectu facile, quemadmodum anima separata, cum purus spiritus sit, ab igne corporeo patiatur. Etenim qui dicerent cruciatus illos esse imaginationes in phantasia iam exclusi sunt, quia tales potentiæ sensitiuæ organa non habent. Item quia illæ imaginationes deberent esse per species, quas in hac vita receperunt, atque adeò per illas non dicerentur ab igne pati.

2. Modus.

Et ideo quidam dixerunt, solum per intellectualem visum illius ignis pati, nempe tristari. Ait enim Greg. 4. Dialog. ca. 29. quod anima ignem eo ipso patitur quod videt, & quia cremari se aspicit, crematur.

Hoc autem non sufficit: nam obiectum visus sola ratione qua videtur, non tristitia, sed lætitia afficit. Necesse ergo est, vt contristet, sub ratione disconuenientis, & nocui cerni: atque adeò quod præterquam per visum aliter noceat.

3. Modus.

Alij ergo dixerunt, quod sola apprehensio qua anima apprehendit ignem, vt sibi nocentem, sufficit ad nocumentum & tristitiam, vt in eis impleatur quod ibi trepidauerunt vbi non erat timor. Cui alludere videtur secundum membrum verbi Gregorij. Quia anima cremari se conspicit, crematur. At vero opinio hæc multis nominibus deficit. Primò scilicet, quia tunc passio illa non esset secundum rei veritatem, sed duntaxat secundum apperentiam. Et quamuis secundum August. duodecimo super Genesim ad literam, possit quispiam ex aliqua falsa imaginatione tristari, non tamen per illam tristitiam verè patitur à re ipsa, sed à sola imaginatione. Quare isto modo non dicerentur animæ pati ab igne, sed à sua falsa opinione. Imo qui hoc modo opinantur, plus à veritate passionis recedunt, quàm illi qui per imaginarias visiones dicerẽt animas pati. Nam illi aiunt esse veras imagines quas anima ex hac vita defert: isti vero neque veras imagines confitentur, sed falsas existimationes. Præterea cùm animæ separatæ, & præsertim dæmones, acumine viuacis ingenij polleant, non est credibile eo vsque falli posse, vt ignis eis nocere appareret, si non verè noceret.

4. Modus.

Quartus dicendi modus fuit concedentium verè animam separatam ab igne pati. Nam Gregorius post citata verba subdit. Quod res corporea incorpoream exurit, dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur. Vnde colligit, quod incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur. Quo autem modum exponant, subditur, corporeum illum ignem bifariam posse considerari. Vno scilicet modo, quatenus res quædam est corporea. Et isto modo nequit in animam quidpiam agere: sed alio modo consideratur quatenus est instrumentum vindicis iustitiæ Dei, quæ exigit, vt anima, quæ peccando se rebus corporalibus subiecit, eisdem pœnâ patiendo subdatur. Et quia instrumentum agit in virtute principalis agentis, nihil mirum si ea ratione ignis ille possit realiter agere in animam, calorem scilicet in eam proferendo. quemadmodum Deus per aquam Baptismi infundit gratiam.

Reprobatio.

Veruntamen neque iste modus rationi consonus est. quoniam instrumentum nequit virtute principalis agentis moueri nisi per propriam actionem, quæ sibi natiua est. Nequit enim artifex lanea serra vti sed ferrea, vel alia quæ apta sit ad serrandum. Et ideo Deus nequit creatura vti tanquam instrumẽto ad creandum: quia creatura nequit actionem circa nihilum exercere sed in baptismo. quia aqua realem actionẽ habet circa hominem, illa Deus actione vtitur, vt instrumento ad ipsum sanctificandum: quamuis per gratiam, quæ in anima recipitur. Igitur cùm ignis corporeus nequeat actionem realem exercere in anima, producendo calorem, quia neque anima est capax ipsius recipiendi, fit vt idem ignis, neque tanquam diuinum instrumentum valeat animam illo reali calore afficere.

Opinio communis.

Modus ergo quem ex Augustino & Gregorio schola Theologorum colligit est, quod anima separata cruciatur ab illo igne inferni per hoc quod illic ab illo detinetur. Non potest autem ab illo detineri, nisi anima ei quodammodo vniatur. Per hoc enim quod anima vnitur viuenti corpori ab ipso afficitur. Nam ex sensibili gaudio & dolore anima etiam lætatur atque tristatur. Vnde, vt Sapientiæ nono legitur, Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Anima vero corpori bifariam vnitur. Vno modo vt forma materiæ, vt ex ambobus fiat vnum viuens: quo pacto neque dæmon, neque humanus spiritus corporeo igni valet vniri. Secundò verò modo vnitur ei vt mouens mobili, & locatum loco, eo pacto quo spiritus loco definiri potest. Definitur enim spiritus loco ea ratione qua omnis spiritus creatus res finita est, qua vtique de causa sic est in isto loco, vt simul alibi per naturam esse nequeat. At vero quamuis loco definiatur, non tamen per naturam ab ipso ligari potest & teneri, quominus valeat, dum libuerit, inde exire: quia spiritus non pendet à loco. Veruntamen anima dum corpus informat, non solùm à corpore definitur, verum ei alligatur & tenetur, ita vt nequeat dum voluerit illud exuere, nisi per mortem. Habet ergo teterrimus ille ignis hoc virtute Dei, cuius est instrumentum, vt perinde velut ergastulum animas teneat & coerceat, quamuis ab eis non informetur: veluti corpus tenet animam qua animatur. Et hoc omnes satis existimant, vt ab illo igne cruciari dicantur. Idque inter alios Caietanus in quodam animarum sermone edisserit. Ait quippe animas illic cum dæmonibus libertate priuati, & quasi catenis igneis coerceri, quod suæ naturali dignitati maximè derogat. Dedignantur nempe quod cum sint ipsæ corporibus superiores, vsque adeò sint horrendo illi corpori diroque igni subditæ.

Caietanus.

Sententia autoris.

At verò profectò nequit mihi satis persuasum esse, quòd vt anima verè crucietur ab igne satis sit ipso veluti carcere & compedibus ac manicis detineri. Et ideo statuitur secunda conclusio. Animæ perinde ac dæmones à corporeo igne inferni non solùm veluti in ergastulo & vinculis detinentur, verùm & illa tristitia afficiantur, eiusdemque prorsus rationis, ac si corpora quibus essent vnita concremarentur.

2. Concl.

Enimuerò quòd ab illo igne detineantur (vt communis habet opinio) certissimum est: quia illic tam animæ quàm dæmones velut in carcere detrusæ sunt. Quare infernus per metaphoram portis & ferreis vectibus prædicatur occlusus. vt est in Psalmo. 106. Eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit: quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

August.

Vnde Augustinus decimosecundo de ciuitate Dei capit. decimo. Sicut anima, inquit, iungitur cori, dans ei vitam, & ex illa coniunctione vehementem concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni, vt accipiens ab eo pœnam, & ex illa coniunctione concipit horrorem. Et libro vigesimoprimo, capit. decimo idem repetit. Et Gregorius lib. Dialog. capit. vigesimonono (quod & Iulianus Toletanæ vrbis Archiepiscopus vsurpauit) Si viuentis, inquit, hominis incorporeus spiritus detinetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igni teneatur? Ad cuius confirmationem adducit illud euangelij de epulone, qui cruciabatur in flamma.

At verò ita hoc verum est, vt tamen sufficere non videatur, vt anima peculiariter ab igne cruciari dicatur. Nam vt tantùm esset carcer & vincula, non plus ignis conferret, quàm aqua vel aer. Imò solus Dei iussus sufficeret, vt dæmones & animas illic teneret. Ignis autem peculiariter tanquam crudelius diriusque affligens dæmonibus paratus fuit: ergo alio peculiarimodo illos affligit. Quocirca nec satis est respondere, quòd detinentur animæ in igne, propterea quòd postea sit cruciaturus corpora. Nam & dæmones cruciat, quorum corpora non torquebit. Et epulo apud Lucam. Non solum ait, quia teneor in hac flamma: sed

quia

quia crucior: quasi eius incendium experiens, quod aquæ guttula sedari cupiebat.

Item animæ resumptis corporibus acrius affligentur, quàm per modum detentionis propter sensualem dolorem ignis, qui erit in corpore: ergo & nunc eadem torquentur afflictione: quoniam pœna ignis tunc non crescet in anima.

Sententia autoris. Crediderim ergo, si mea quidpiam valet coniectura, quod quemadmodum anima dum corpus, quod in hac vita viuificat, exuritur, peculiarem afflictionem & tristitiam patitur, aliam scilicet, quàm si tormentum alius generis corpus pateretur, puta si suffocaretur aqua, vel pateretur febrim: ita in inferno exuta corpore, eandem tristitiam & afflictionem sentit, quam passura est dum corpus quod resumpserit, sensualem dolorem patietur. Atque hanc vim habet ille ignis tanquam instrumentũ diuinæ iustitiæ in dæmones atque animas: nempe quòd afflictionem quam in anima mediante dolore corporis resũpti effecturus est, faciat absque illo dolore. Et hoc est, quod ait Augustinus loco citato, quòd quamuis miris, tamen veris modis spiritus affligitur ab illo igne, recipiens ab illo pœnam, non dando illi vitam. Et quod ait Gregorius, scilicet quòd res corporea incorpoream exurit: dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur: & quod incendium anima non solum videndo, sed experiendo patitur. Experiri enim incendium est perinde pati ac si corpus eius combureretur. Imò hoc est quod significat euangelicus epulo petens aquæ guttulam quæ ardorem flammæ ei mitigaret.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur illic Augustinum sub dubio fuisse locutum, sed libro de ciuitate Dei vigesimoprimo capit. decimo planè confessus est incorporeos spiritus ab igne corporeo pati. Nam quamuis anima nobilior sit illo igne, quatenus corpus: est tamen ipse potentior inquantũ instrumentum diuinæ iustitiæ.

Sol. 2. arg. Ad secundum verò respondetur, quod Philosophi loquuntur de actione quæ ad patientis corruptionem pergit. Hæc enim materiam communem agentis & patientis requirit: diuersa tamen est qua anima pati ab igne.

Sol. 3. arg. Ad tertium denique superius responsum est. Et concessum, quod passio animæ à corpore recipitur ad modum ipsius animæ sine receptione caloris: est enim nihil aliud quàm tentio & tristitia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm damnatorum corpora absque vllo vitio incorruptibilia, sed tamen passibilia resurgent.

POST animarum meditationem damnatorum quæritur de eorum corporibus, vtrùm sine vllo vitio incorruptibilia, sed tamen passibilia resurgent. Et arguitur à parte negatiua. Illud quod in pœnã peccati inflictũ est, auferri nisi remisso peccato nõ debet: omnes autem corporum deformitates in pœnam peccati inductæ sunt, quoniam vel originalis culpæ, vel actualis effectus sunt, damnati verò moriuntur in peccatis suis: ergo & corpora cum suis defectibus resurgent.

Partis negatiuæ 1. argu.

2. Argu. Secundò arguitur, quod non erunt incorruptibilia. Omne enim compositum ex contrarijs est corruptibile, nisi dote impassibilitatis seruetur: corpora autem damnatorum erunt ex cõtrarijs composita, omnibusq; gloriæ dotibus destituta, ergo erunt corruptibilia.

3. Argu. Tertiò arguitur, quòd non erunt passibilia. Omnis enim passio, vt in Topicis ait Philosophus, aliquid aufert à substãtia passi: omne autẽ finitum, vt primo Physicorũ habetur, per ablationẽ finiti tandẽ consumitur: ergo si essent passibilia, essent & corruptibilia.

Pars affirmatiua. In contrarium est, quod 1. ad Corinth. 15. ait Paul. Mortui resurgent incorrupti: Vbi glossa ait, quod resurgent omnes sine diminutione membrorum etiam peccatores. Qui tamen non immutabuntur per gloriam impassibilitatis: & nihilominus, vt Apocalypsis 9. legitur, quærent mortem, & non inuenient.

Decis. art. Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. De defectibus namque corporum distinctione 44. plura diximus: & ideo in hunc locum pauca reseruauimus. Atqui Augustinus in Enchiridio capitul. 92. decidere quæstionem recusauit, vtrùm damnati resurgent cum defectibus corporum, quos in hoc seculo habuerant. Durandus verò distinct. 44 quæstione 2. ait, quòd resurgent cum illis vitijs cum quibus orti vel defuncti fuerint, scilicet si mutili nati fuerunt, aut postea sunt mutilati. Quoniam resuscitatio corporum per modum retributionis est futura: damnati verò nulla sunt fœlicitatis retributione digni. Item facienda est per gratiam Christi: & tamen damnati non sunt eius gratiæ capaces: imò omnia eis ad miseriæ cumulũ cessura sunt: ergo cũ suis defectibus resurgent.

1. Concl. Contra hanc autem opinionem statuitur prima conclusio, quam eadem distinctione D. Thom. affirmat. Corpora damnatorum absque vllo vitio naturæ resurgent. Sunt enim huiusmodi vitia in triplici differentia. Quidam siquidem nascuntur truncí, aut etiam monstra, vt cæci, muti, aut alijs membris orbi, aut gibbosi, aut pygmæi, &c. Alij sunt defectus, qui illis viuentibus casu aliquo acciderunt, vt membrorum amputationes. Sed alij sunt ex distemperamento humorum venientes: vt lepra, morbi, &c. Et absque omnibus istis resurgent. Primò, quia mortuorum resuscitatio duplici virtute Christi facienda est, scilicet sanantis naturam, & largientis gratiam. Adam enim duplicem mortem incurrit, nempe animæ & corporis, & vtramque nobis Christus restituit. In restituenda autem corporali morte nullam habuit peccati rationem. Et ideo tanquam naturæ autor illam integrè reparabit, quam integram assumpsit: & in hoc etiam damnatos sibi configurabit. Qua idcirco ratione corpora damnatorum resuscitabit incorruptibilia, & in legitima ætate. Eademque perinde ratione absque vllo vitio: nam hoc totum exigit perfecta restauratio naturæ. Illa verò quæ ad remissionem culpæ, quæ sit per gratiam, consequuntur, solis est prædestinatis donaturus.

Adiecimus autem loco citato rationem egregiam quæ est Sancti Thomæ. Eninuerò nisi culpa obstaret, vniuersi absque vllo vitio resurgerent: & ideo si corpora modo damnatorum vitiosa deberent resurgere, hoc esset in pœnam culpæ. Pœnam verò æquus iudex culpæ debet admetiri: sunt autem inter miseros damnatos, qui minoribus delictis irretiti peiores corporum deformitates habuere, grauioresque infirmitates fuerunt perpessi. Absonum ergo ab æquitate esset, vt cum illis omnibus resurgerent: tunc enim resurgentium supplicia non commissis culpis in hac vita, sed toleratis pœnis responderent.

Præterea neque ratjoni est consonum, vt qui monstrifica corpora habuerunt sic resurgant. Denique consequens fieret, vt deberent cum omnibus febribus, morbis, lepris, & doloribus resurgere, quibus fuerant viuentes subiecti, quod re vera non est vero simile. Accedit ad confirmationem conclusionis verbum Pauli. 1. ad Corinth. 15. Mortui, scilicet omnes, resurgent incorrupti, id est, in corporibus, nec mutilatis, nec vitiosis, sed integris & perpetuis.

Ad argumentum ergo Durandi iam respondimus, quòd licet resuscitatio corporũ sit propter retributionem facienda tamen eorum vitia esse non debent retributio culpæ, imò propterea integra resurgent, vt integra pariantur. Quare integritas illa non ad eorum fœlicitatem, sed potiùs infœlicitatem, ceu incorruptibilitas pertinebit. Neque erit effectus gratiæ gratum facientis, sed gratis date toti naturæ. Resurgent autem cum illis defectibus, qui ex principijs naturæ oriuntur. Resurgent, inquam, grauia, ponderosa, passibilia, tardè mobilia, &c.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd ærumnæ & miseriæ huius seculi ex originali culpa contractæ, quæcunque aliæ ob actualia peccata adhibitæ, omnes sunt temporales cum ipsa via transeuntes: & ideo quamuis culpæ non sint à Deo remissæ, non debent illæ manere, sed aliæ secundum forum futuræ vitæ, quæ sint perpetuæ.

Obiectio. Quod si arguas, iustis nihil deerit quod ad eorum fœlicitatem pertineat, ergo nec damnatis: quidpiam quod eorum miseriam possit augere: integritas autem corporum & vitiositatis ablatio quoddam erit miseriæ leuamen. Respondetur non esse parem rationem. Bonum enim potest esse integrum & perfectum: & ideo iustis quicquid ad eorum perfectionem confert, accumulabitur: malum autem nequit esse per omnes defectus omnino purũ: alioqui (vt ait Philoso. 4. Ethicor.) se ipsum perimeret, & ideo damnatis aliqua boni naturalis consistentia fiet reliqua.

2. Concl. Secunda conclusio. Corpora damnatorum resur-

surgent incorruptibilia. Conclusio est de fide, vt artic. 1. dicebamus. Quoniam sicut beati (vt Matth. 25. legitur) mittendi sunt cum suis corporibus in vitam æternam, ita & damnati in ignem æternum. Ratio ergo cõclusionis est partim naturalis, partim supranaturalis. Naturalis quidem cessatio motus cælestis: non quòd cessatio illa sit naturalis: nam (vt dist. 48 q. 2. art. 2. monstrauimus) naturaliter cessare non possunt quare supranaturaliter quiescent, sed quòd cessante illo motu, naturali consecutione generationes & corruptiones rerum cessabunt, vt eod. art. contra quosdam disputando confirmabamus. Sed tamẽ præter illam causam erit & alia supranaturalis: nempe perfecta animæ informatio, per quam corpori dabit esse incorruptibile, vt D. Tho. 4 libr. contra gentes ca 89. asserit. similiter enim malis, vt bonis, hoc anima tribuet. Quamuis in damnatis (vt supra diximus) non habeat rationem dotis incorruptibilitas: quia illud non deriuatur ex beatitudine & fœlicitate animæ: sed est effectus iustitiæ distributiuæ, vt vltio malorum sit perpetua. In statu enim naturæ integræ qualitates contrariæ humani corporis per Dei gratiam tenerentur, ne possent corpus corrumpere: sed in inferno, per illam id fiet perfectam animationem.

De subtilitate. Dubium autem est, vtrum aliquod specimen dotis subtilitatis habebunt ad penetrãdum per viscera terræ, quando cadent in infernum. Respondetur nihil damnatos per modum dotis habituros. quare tũc terra ipsa aperietur, vt miseros deglutiat, nisi Deus per aliud miraculum illum effecerit transitum. Agilitate autem opus non habebunt, tum quod suo põdere cadent, tum quòd dæmonum impetu rapientur.

3. Concl. Tertia conclusio. Corpora damnatorum non erunt per materialem motum, sed tantum per animalem sensationem & quodammodo spiritualem passibilia. Prior pars eadem probatur ratione, qua præcedens conclusio. Causa enim tam corruptibilitatis quàm impassibilitatis potissima est iustitia Dei, per supplicia perpetua inimicos suos æquissima vltione cruciantis. Vtitur tamen ad id causis secundis: tum extrinseca, nẽpe cessatione cælestis motus: tum etiam intrinseca ipsius corporis. Igitur corpora illa eisdem causis quibus sunt incorruptibilia per materialem motum & receptionem alterantis qualitatis. Cessante inquam motu cæli & anima per perfectam informationem corpori dominante, corpus vt est incorruptibile, ita impassibile. Nam receptio caloris, aut frigoris, & cuiusli bet id genus qualitatis corporis corruptionem molitur, alteriusque subinde generationis: ergo corpora quæ non sunt corruptibilia, non sunt illo modo passibilia.

2. Ratio. Secundò id ipsum probatur. Si corpora illa eiusmodi materiales qualitates contrarias realiter susciperent, intenderentur, & remitterentur, & ideo quando corpora calefieri inciperent, dolorem non sentirent, & si, vt multi opinantur, transirent ad niuium frigora, illo temperamento recrearentur: & tamen pœnæ illæ nec sunt intensibiles, nec remissibiles.

3. Ratio. Tertiò. Supplicium illud non ad corruptionem, sed ad afflictionem institutum est, potest autem ignis ille virtute diuina absque vllius materialis accidentis impressione per sensus homines torquere: ergo sic vsu veniet.

Probatio, secundæ partis. Secunda conclusionis pars explanatur. In hac mortali vita specierum sensibilium aliquæ producuntur sine materia & motu spiritualiter, vt visibiles, & aliæ cum motu, vt audibiles, atque aliæ cum materialibus alterationibus, vt tangibiles: in corporibus autem incorruptibilibus producentur omnes, sicuti visibiles, sine impressione materialis qualitatis: vt de corporibus beatorum supra definitum est: similiter ergo atrox ille ac reterrimus ignis miseros in corporibus cruciabit, vt Caietanus in allegato sermone probe ait. Ingeret, inquam, per sensoria organa tactus species sensibiles caloris vsque ad venas, medullas, & iuncturas, ac denique vsque ad viscera, vbi vehementior fiat doloris sensus, sine aliqua materialis caloris impressione. Tametsi id non secundum æqualem conatum & furorem, sed quantum cuiusque culpa commeruit. Et ideo corpora illa non erunt passibilia passione materiali corruptiua, sed animali sensitiua.

Sol. 2. arg. Secundum igitur argumentum iam solutum est. Contrariæ enim qualitates in mixto nequeunt illud nisi per motum cœli corrumpere, & tunc ille cessabit: quod Philosophi ignorarunt. Præterquam quòd anima (vt dictum est) in corpus dominabitur, dans illi esse perpetuum.

De morte. Quod si redarguas. Mors est miseriarum summa: quia vita est omnium naturalium bonorum fundamentum: damnati sunt in summa miseria: ergo mors non est illis subtrahenda. Respondetur ad maiorem, quòd quamuis simpliciter loquendo, esse, sit naturalium bonorum summum ac subinde mors sit summum malorũ: per accidens mors & non esse est appetibile. Vnde Philosoph. nono Ethic. licet esse constituat maximè delectabile, quia illud omnia appetunt: exponit se tamen, quòd non loquatur de vita mala, & corrupta, & mœroribus plena. Ob idque mori damnatis potiùs esset solatium & ideo ad pœnarum cumulum eis accedit, quòd mori non possunt, si mors accipiatur pro fine: nam si accipiatur pro sensu doloris, quo morientes torquentur, perpetuò moriuntur.

Nolite timere eos, &c. Vnde Christus Matth. decimo (quod meditatè, vt alibi diximus, contemplandum est.) Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Nam si possent corpus semper torquendo nunquam occidere, multo essent plus extimescendi. Si tyrannus, inquam, dum hominem excruciare adornat, posset illi vitam seruare, vt semper ferreis vnguibus carperet, exenteraret, dilaniaret, assaret, & iterum atque iterum in tormenta deuocaret, ille vehementissimè timendus esset: sed tamen quia quo dirius torquere incipit, citius mors quem torquet è suis manibus eripit, minùs timendus est. In inferno ergo hoc est omnium horribilius, quòd nec mors valet pœnis finem imponere.

Sol. 3. arg. Ad tertium respondetur, quòd Philosophus loquitur de passione, per quam patiens mutatur à sua naturali dispositione: illa enim tandem illud consumit. Sed tamen in corporibus damnatorum locum hæc passio non habebit.

Quocirca ignis ille non agit actione vniuoca volendo assimilare sibi passum, hoc, est corpus in ignem conuertere: sed est actio æquiuoca. Quemadmodum enim sol in ista inferiora non intendit producere soles, sed alia mixta: ita ille ignis non intendit corpus in ignẽ resoluere, sed doloribus cruciare.

Dolor non interficit. Quod si redarguas. Dolor solet tandem animalia necare. Conceditur, sed tamen id accidit, quia à sensibili passione mutatur corpus materiali motu eius temperamentum dissoluente, quod illic non accidit.

Exempla. Augustin. lib. vigesimoprimo de ciuitate Dei, aduersus huius rei incredulos nonnulla ex natura rerum accersit exempla. Æthna enim Siciliæ mõs semper ardet, sed nũquam consumitur: & Salamandra in ignibus viuit, & vermes quidam in aqua dum bullit: qui foris extracti illico moriuntur. Sed hæc sic sunt exempla, tamen non omnino sint similia. Ignis enim Æthnæ sulphure, quod continenter gignitur, perpetuò nutritur: & Salamandra non potest in igne perpetuò viuere: quia animal est corruptibile. Vnde Galenus lib. de simplici medicina. Nullum, inquit, corpus est, quod ab igne non consumatur, quamuis in paruo tempore ab illo non lædatur. Præterea Salamandra non dolet in igne, imò recreatur, veluti in aqua pisces. Sed argumentum est. Vt qui animali virtutem dedit qua in igne viueret, nequeab illo lædetetur, nec dolorem sentiret, potuit & ignem & corpora facere, quæ ab illo semper cruciarentur: absumerentur verò nunquam.

Galenus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm damnati sola pœna ignis punientur.

1. Argum. QVONIAM deigne solum hactenus dictum est, quæritur, vtrum alijs præterea pœnarum modis damnati plectantur. Apparet enim non alijs plecti: quandoquidem Matth. 25. de solo æterno igne habeatur mentio.

2. Argum. Secundò arguitur. Vermis qui illos dicitur torquere, videtur fore corporalis, iuxta illud Iudith 16. Dabit ignem & vermes in carnes eorum. Et Eccles. 7. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Et tamen non apparet quomodo possit corporeus illic vermis viuere.

3. Argum. Tertiò fletus & stridor dentium, cuius mentio Lucæ 13. habetur, non videtur quomodo illic fieri possit, quoniam lachrymæ per corporis resolutionem exprimuntur, quæ illic locum non habent.

Quartò

4. Argum.

Quartò & tenebræ exteriores, quæ Matth. 22. memorantur, nequeunt satis intelligi corporales. Ait quippe libro 9. Moralium Gregor. super illud Iob 10. Et sempiternus terror inhabitat. Quamuis illic ignis ad consolationem non luceat, tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet: nam sequaces, quos secum traxerunt de mũdo reprobi, flamma illustrãte visuri sunt

In contrarium est illud Psal. Ignis, sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Et Iob 13. Trãsibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.

Nihil in inferno latum.

In hunc articulum cuncta sunt conferenda quæ ad damnatorum tormenta congeruntur. Est enim in primis animaduertendum nihil calamitosis illis accidere posse, quod quamuis suopte genere sit delectabile, eos valeat delectare. Sed omnia erunt eis potius tristitia & mœrore plena. Atqui eorum pœnæ in duo genera diuiduntur, quæ sunt pœna damni & pœna sensus. Patientur autem resumptis corporibus secundùm omnes potentias, nempe secundum intellectum, voluntatẽ irascibilem, concupiscibilem, denique secundùm omnes sensus. Hæc autem eo ordine, quo beatitudinis bona in beatis sunt, possunt in ipsis considerari.

1. Concl.

Ad quæstionem ergo quinque conclusionibus respondetur. Prima. Quemadmodum in beatis primum omnium bonorum, quin etiam omnia concinens, est visio intellectus, qua Deum habent præsentem: ita & primum malorum in dãnatis est pœna damni, nempe carentia eiusdem visionis, & diuinæ præsentiæ: hoc enim malorum pœnæ summum est. Quia proxima essentialisque pœna est quæ culpæ debetur: nimirum quam inimici Dei eum offendendo merentur, nempe exilium à regno cælesti, quemadmodum iustis, ceu Dei filijs debetur eius hæreditas. Et quemadmodum supra de visione diximus, quòd illa ex qua Dei amor & gaudium subsequitur, absque alio bono sufficeret ad beandum hominem, ita & hæc carentia satis esset ad summam miseriam, ad quam & odium eiusdem Dei & summus mœror consequuntur, quamuis alia mereantur tormenta. Etenim quo pacto qui Deum possidet, cuncta bona possidet, ita qui Deo caret, omni bono priuatur: quod summa miseria est. Vnde Chrysostomus super Matthæum Homil. 23. Duæ pœnæ sunt, ignis gehennæ, & casus gloriæ. Nouimus autem quia multi solam gehennam abhorrent: ego autem casum illius gloriæ multo amariorem gehenna esse aio. Tolerabilis est gehenna, & ille ignis: sed si decem mille gehennas ponas, nihil tale est quàm ab illa beata vita excidere. Hæc ille. Profectò animus contemplari abhorret quid sit Deo carere, ab ipsoque odio haberi, eumque vicissim odisse, idque in perpetuum absque vlla spe in eius gratiam redeundi. Quæri autem hic solet vtrùm pœna

Vtrum pœna damni sit æqualis. Carentia maior & minor.

hæc damni sit in omnibus æqualis, cuius consueta responsio est affirmatiua. Quoniam priuatio nec magis (vt aiunt) recipit nec minus, & carere Deo priuatio est, sicuti orbari visu. At verò quamuis priuatio in se quando pura est, maior minórve esse nequeat, vt summæ tenebræ & summa cæcitas, tamen in ratione causæ augeri potest, vt magis minúsve torqueat. Crediderim ergo cum Abulensi super Matth. vigesimoquinto, quæstione 640. quòd eos qui ob grauiora crimina in maiori sunt inimicitia Dei, relegatio illa ab eius regno, ac perinde Dei ipsius carentia acriùs torqueat. Vehementiùs etenim indignantur, qui à maiori hoste in exilium mittuntur, patriaque & suis bonis expoliantur, quàm qui ab hoste, qui non est eis tam inimicus, priuationem illam patiuntur. Quare carentia ipsa diuini conspectus, quæ est carentia omnium bonorum, quatenus peioris causæ effectus est, & causa maioris tormenti, potest esse maior in vno, ac perinde in alio minor.

Pœna autem sensus est quæcunque sensibilis læsio & quæcunque tristitia, & afflictio voluntatis, quæ ex apprehensione rei nocuæ, vel intellectuali, vel sensuali proficiscitur. Quapropter & in anima separata est etiam sine corporeo sensu pœna sensus.

2. Concl.

Secunda conclusio. Quemadmodum in beatis ex visione Dei subsequitur confirmatissimus ipsius amor, quẽ iustus habuit in via, vnde summa colligitur delectatio, ita secunda damnatorum pœna est obstinatum odium quod habent Dei, quo velut hostem eum perpetuo prosequuntur. Atqui hæc pœna in ratione mali peior est quàm carentia diuinæ visionis, nam est pœna simul & culpa. Quare summam bonitatem odisse aliquid supra priuationem addit, quæ est summo bono carere.

Secunda damnatorũ pœna.

Ratio conclusionis.

Affectus namque voluntatis ex apprehensione obiecti variatur. Deus autem bifariã apprehendi potest. Vno modo in se sicuti est: quemadmodum à beatis, cognoscitur. Et ideo cùm sit fons totius bonitatis nemini potest sic apprehensus non placere. Sed aliter apprehenditur in suis effectib., quemadmodum apprehenditur à beatis in effectu iustitiæ, nempe quia delegati à regno perpetuis cruciatibus ex illo torquẽtur. Atq; isto pacto obstinatissimo eum odio habent. Quòd si arguas. Illi sunt effectus iustitiæ: iustitia verò nequit, rationem vllam mali voluntati offerre: ergo nequit illa ratione Deus odio haberi. Respondetur, quòd iustitia in se ipsa visa non habet nisi rationem boni: ob idque beati de hoc etiam Deum diligunt, quod in reprobos animaduertit. Sed tamen damnati, quia non apprehendunt illam, nisi in suo effectu, non cognoscunt eam sub ratione boni, sed sub ratione cruciantis, quod eis est malum: non solum qua ratione cruciantur, sed quia à suo hoste plectuntur.

Obiectio.

Ad scisciteris, nunquid illud odium sit maius quàm habuerint in via. Respondetur, non esse maius, id est, intensius: quia vbi ceciderit lignum, illic erit: hoc est, in statu & affectu apud Deum quo homo decidit, perpetuò manebit, sed tamen erit peius propter obstinationis statum, atque adeò acrius crucians. Quemadmodum amor in beatis non erit maior quàm in via, sed tamen perfectior, quia confirmatior & maiori gaudio efficiens propter præsentiam rei amatæ.

Hinc fit odiũ illud nec crescere, nec minui. quare verbum Psal. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper, aut intelligitur in hac vita: aut si extendatur ad damnatos, tunc ascendit, idem est, quod stat semper in alto: quod eius ingenium est.

3. Concl.

Tertia conclusio. Neque odium illud, nec vllum damnatorum opus demeritorium est vllus nouæ pœnæ essentialis. De damnatis enim atq; beatis duo distinguuntur tempora, scilicet ante & post diem iudicij. Atqui quòd post diem illum nullum sit, aut in beatis meritum, aut in damnatis futurum demeritum, vnanimis omnium confessio est. Quoniam meritum & demeritum ad aliquod subsequens nouum præmium, aut supplicium refertur, quod tamen post diem illam, neutiquam esse potest: quippe quæ omnium sit bonorum malorumq; consummatio perpetuò duratura. Quare tunc & bona beatorum voluntas non meritum, sed præmium erit, & damnatorum mala non demeritum, sed supplicium. Et hoc erit eis consummatio malorum, sicut & beatis consummatio bonorũ, quod extra statum sint merendi, aut demerendi; quãuis sorte diuersa. Illic enim duæ ciuitates (vt ait Augustinus) Dei & dæmonis consummabuntur.

Ratio conclusionis.

Et eadem ratione respondetur, si quis hoc modo arguat. Peruersus appetitus qui ex voluntate arbitrij processit, etiam si factus sit necessarius, non excusatur quin sit demeritorius, vt patet de ebrio, qui sua se culpa vino immersit, quem tertio Ethic. ait Philosophus duplici pœna plectendum, si in ebrietate peccet: odium autem damnatorum processit ex voluntate in hac vita, ergo non excusat à demerito. Respondetur, inquam, non ideo malam damnatorum voluntatem à demerito excusari, quod libertatem amisit: sed quia ad summum malorum peruenit, & extra viam facta est. Quare totum demeritum illius est quod in termino huius vitæ fuit consummatum.

Ante diem iudicij.

Ante diem verò iudicij possumus aliquod meritum & demeritum in beatis atq; damnatis confiteri, potissimum in angelis bonis, quib. nostra custodia demãdata est, quiq; & nobis inuigilant, vt nos à malis eripiant, & in bonis promoueant, de qua sedula vigilantia gaudium accidentale in die iudicij eis augebitur, dũ frugẽ conspexerint, quam Deo conquisiuerunt. Idẽ erit de fœlicib. animabus, quæ suis nos orationib. & patrocinio iuuant. Et simili ratione dæmones possunt modò demereri, qui homines seducere & suis laqueis irretire procurant, quærentes quos deuorent. Quare serpenti qui Euam decepit, accessio fiet accidentalis mœroris in die iudicij, cum viderit quanta inde fuerint damna subsecuta.

Ecce ergo duas easdemque potissimas damnatorum pœnas, quarum prior intellectus est, nempe carentia diuinæ visionis: Posterior verò, odium Dei in voluntate. Quarum vtraque per se cruciat. Illa scili-

Digitized by Google

cet propter explicationem regni, & hæc propter iram.

Quod si arguas. Carentia non torquet nisi propter appetitum rei, cuius est priuatio, damnati autem non cupiunt videre Deum, quippe quem vt hostem odisse non cessant, ergo propter illam carentiam non cruciantur. Respondetur, quòd licet visionem Dei ex eius amore non appetant, tamen quia cognoscunt bonum esse & voluptatis causa propter amorem sui ipsorum dolent, quod ab illis abdicati sint voluptatib. Odium verò cruciat per iram quam gignit, nempe cupidinē vindictæ de Deo, nam quia nequeunt de ipso vlcisci & vindictam capere, frementes discruciantur.

3. Pœna. Tertiam pœnam tertia mentis potentia patiuntur, nempe eorum memoria, quæ in hac vita gesserint, seu bona, seu mala. Memoria, inquam, bonorum virtutis eo affligit, eos quòd perseuerantia non eos perduxit ad præmium, sed illo frustrati sunt. Præterea memoria eorum quæ in hac vita possederunt caduca bona, qualia sunt facultates, ampla nomina & honoris tituli, miseros pudore suffundit: vtpote quod qui in tanto fuerint pretio habiti, ad tantam fuerint ignominiam delecti. Et super hæc omnia criminum suorum scelerumque memoria conscientias eorum exurit & corrodit.

De damnatorum pœnitentia. Sed arguat quis forsan sic contra. Memoria peccatorum cruciare non potest, nisi propter pœnitentiam: damnatos verò suorum criminum pœnitere non potest, nam vt ait Bernar. in Canticis, Damnatus semper vult iniquitatem, quam fecit.

4. Concl. De hoc ergo statuitur quarta conclusio. Damnati pœnitentiam, quamuis non fructuosam, sterilem tamen & cruciantem habent. Erratorum n. pœnitere bifariam accidit, scilicet per se, & per accidens: per se quidem quando quis peccatum, tanquam Dei offensam detestatur: per accidens verò, quando non ipsum, sed eius abominatur effectum, nempe supplicium. Priori ergo modo pœnitentiam in damnatis locum non habet, quoniā in mala voluntate, qua hinc demigrarunt, perpetua obstinatione perdurant. Atq; hoc modo ait Bernar. iniquitatem semper velle. Et Dama. ait, hoc esse hominib. mortem, quod angelis casum: quia sicut angeli per casum, ita & homines per mortē obstinantur. Posteriori verò modo pœnitentiā agūt perpetuam: iuxta illud Sapien. 5. Intra se pœnitentiam agentes. Et 9. Ethic. ait Philosoph. quod pœnitudine replentur praui: prauitatis enim voluptas transiens tristitiam ingenerat, conscientiam vulnerans.

5. Concl. De vermi. Quinta conclusio. Pœnitentia hæc damnatorum est vermis, eorum conscientiam perpetuò remordens & corrodens. De quo Esaiæ 66. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Quod Christus Marc. 9. etiam astruxit. De hoc enim vermē dubium antiquitus fuit, esset ne pusillum animal, carnem vt tinea terebrans. Propterea quod apud Iudith, & in Ecclesiastico, Vermis carnis nominatur. Nihilominus non sunt credendi corporales vermes in damnatorum esse corporibus, nam post diem iudicij cessante motu cæli nulla erit vita superstes animalium, præterquam hominum. Præterea vermes ex corporis corruptione scaturiunt: corpora verò damnatorum, non erunt corruptibilia. Accedit quod modo in animabus non sunt animati vermes: ergo non est cur pòst crecntur. Remorsus ergo conscientiæ, qui ex peccatorum putredine fit reliquus, vermis nomine censetur, Vnde Aug. 20. de ciui. c. 21. In pœnis, inquit, malorū & inextinguibilis ignis, & viuacissimus vermis ab alijs aliter atque aliter est expositus. Alij quippe vtrūque ad corpus: alij vtrumque ad animam retulerunt: alij propriè ad corpus ignem: vermem verò tropicè ad animam: quod credibilius esse videtur. Quod si obijcias postmodum lib. 21 cap. 9. dixisse vtrumque ad corpus pertinere: quia & ignis & vermis pœna, inquit, carnis erit. Respondetur id dixisse, non quod vermis ille sit animal, sed quod per cruciatum animæ in conscientia corpus etiam maceratur.

Remorsus conscientiæ.

4. Pœna. Post tormenta, quibus per tres mentis potentias damnati premuntur, quartò etiam torquentur per potentiam irascibilem. Primum quidem metu futurorū quoniam quæ patiuntur supplicia, perpetua esse nouerunt. Deinde & rabida iracundia qua in Deum exardent. Vellent n. eū si possent de cælo deturbare, quod quia impossibile vident, dirè torquentur. Et eadē ira dæmones ad impugnandos homines concitātur, quos diuino imperio subducant.

Præterea quintò & concupiscentia, suapte natura voluptatis auida, igne maximè læditur. Sed præterea singuli sensuum suas patiuntur cruces. Tactus, inquam, truci doloris sensu incendium ignis patitur.

5. Pœna. Sensuum cruciatus.

Circa hoc autem dubitatur, vtrum non tolum pœnas ignis, verum & contrarias frigoris experiantur. Et dubitandi ratio nulla est, præter autoritatem illam Iob c. 24. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuiū. Illo enim dūtaxat loco mouentur, quia arbitratisūt vicissitudine illic caloris & frigoris torqueri miseros.

Vtrum sint ollic nimium frigora.

At verò profectò hoc nec facile creditu est, nec assertu necessarium: saltem quod sit frigus niuium, vt contraria opinio inde colligit, aut frigus aquæ, quod quidem ante nos super 25. capitu. Matthæi asseruit Abul. quæst 558. Et primum argumentum est, quòd cū Christus diuersis locis Euangelij vniuersa inferni tormenta recensuerit, nempe, ignem, fletum, stridorem dentium, & tenebras, de frigore nullibi meminit. Imò verò Zacha 9. vbi de inferno extat vaticinium, sic legitur. Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. quasi diceret, sed purus ignis quinuerò Luc. 16. vbi epulo ille guttulā aquæ deposcebat, qua linguā refrigeraret, documentū præbuit, merum ignem absq; vllo frigore illi ardere.

Mox ex ratione loci arguitur Ignis & niues eodem loco esse non possunt: si verò loco distent, non est intellectu facile, quomodo aut quibus interpellatis temporibus transmittantur damnati ab vno in alterum locum, aut quomodo ignis niuibus subintrantibus loco cedat, aut frigori in quacunque sit materia, siue aqua sit, siue alia quacunque.

2. Ratio.

Præterea si verum est, quod supra probabilissimum existimabamus, nempe quod damnati non sunt loco semoti, sed veluti in acerno congesti, non est possibile loca omnes mutare: nec apparet quomodo deuexare eos per vices valeant aqua & ignis.

3. Ratio.

Sed potissimum argumentum est, quòd Christus in ignem æternum illos missurus est: ignis autē æternus est, qui iugiter & perpetuò absq; vlla interpellatione torquet: calor verò & frigus non possunt simul torquere, etiam si per spirituales species id faciant: quoniá sensatio caloris & sensatio frigoris mutuò se expellunt: nulla ergo erit illic frigoris afflictio.

Potissima ratio.

Iam verò tandem arguitur. Si vicissitudo illa illic locum haberet, maximè ad augendam doloris vehementiam: sed illa satis est magna per solum ignem, & augeri potest quantum æquitas iustitiæ poposcerit: ergo officium frigoris superuacaneum est, atque adeò illic ei non datur locus.

Alia ratio.

Igitur ad autoritatem Iob respondetur, non intelligi de vicissitudine quæ sit in inferno. Imò profectò, vt meam ignorantiam sub aliorum censura confitear, miror quomodo ex illo loco talis fuerit collecta sententia. Obiurgat enim illic Iob adulterum dicens. Oculus adulteri obseruat caliginem, & inter eius qualitates ait. Leuis est super faciem aquæ, & maledicens ei subdit. Maledicta sit pars eius in terra. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius. Vbi Grego. nihil de alternatione inferni meminit, sed iniquitatem, adulteri frigiditatis nomine intellexit, à qua solet ad calorem superbiæ conscendere. Aut si hoc magis placet, turpes huius seculi voluptates, quia refrigeria existimantur, & veluti nix liquefiunt, niuium frigori comparauit: à quibus imprecatur adultero, vt ad nimium inferni calorem transeat: quia vix solent concubinati ad cor redire, & ideo explicatius subdit. Et vsque ad inferos peccatum illius. Non ergo intellexit, quod postea futurus esse à calore ignis ad frigus niuium regressus: sed quod esset à niuibus huius seculi ad calorem inferni perpetuus ingressus. quibus vero libuerit opinionem communem sustinere, frigora niuium non debent tam ad literam intelligere, quia ridiculum esset, illic niues comminisci: sed quia tetra ipsa, præsertim in centro frigidissima est. Superest eis tamen hunc labor explicandi, quomodo aut per vices alternentur frigus & calor, aut simul sentire valeāt.

Interpretatio loci apud Iob.

Quinta conclusio. In damnatis erit fletus & stridor dentium, vt patet Lucæ 13. Et Matth. 8. & 13. & 25. In fletu namque duo est considerare, scilicet & fumi ascendentis ad cerebrum resolutionem in lachrymas. Et præterea perturbationem commotionemque capitis & oculorum, qui sanguinolenti monstrantur. Lachymarum autem resolutio illic locum non habet,

5. Concl.

quia

quia corpora erunt incorruptibilia: & tamen si resoluerentur in lachrymas, tandem consumerentur. Et tamen secunda pars fletus in capite, & oculis conturbatis. Ille autem effectus est ingentissimi doloris quem patiuntur ab igne, ac perinde considerationis tam multarum calamitatum, quibus se vident perstringi. Etenim quod lacrymæ illæ fiant ex sulphuris fumo, vana opinio est: quoniam fumus non exhalatur nisi ex resolutione materiæ quæ igne consumitur. At verò illic nec sulphur, nec materia alia in fumum resoluitur.

Stridorem autem dentium in miseris corporibus assumptis per motum etiam realem concedere nulla ratio vetat. Nam stridor solùm dentium motum & strepitum significat, qui absque vlla corruptione fieri potest. Qui aiunt illic esse frigus, dicunt quasi gelatos dentibus stridere. Sed certè (vt dictum est) nescio quomodo igneus dolor id permittat. Stridor ergo ille potest esse voluntarius & necessarius. Voluntarius quidem potest oriri ex iracundiæ rabie, qua aduersus Deum & suam familiam infremunt: vel ob illam seram pœnitentiam delictorum, quæ illos illuc coniecit, & ex bonorum memoria quæ amiserunt. Necessarius verò dentium stridor, ex rigore potest doloris nasci quem patiuntur ab igne.

De auditu. Reliquis præterea sensibus suos cruciatus iniquo animo perferunt. Nempe auditus luctuosos illos clamores & miserorum lamenta, quibus sibi maledicunt, & aduersus diuinam iustitiam reclamant.

Odoratus. Odoratu vero pessimo odore sulphuris, quem absque eius resolutione per spirituales species (vt supra expositum est) emittere potest cruciantur. Imò quemadmodum beatorum corpora odore fragrare diximus: ita & misera, fœtorem expirare credendum est.

Gustus. Et quemadmodum de saporis dulcedine diximus in beatis: ita conijcitur damnatorũ gustum corrupto humore, vel intrinseco, vel extrinseco infectum iri.

Visus. Sed & visus, qui omnium est præstantissimus, tenebris obducetur: nam etsi ignis in sua substantia res sit luminosa, tamen ratione materiæ esse potest tenebrosus. Id autem illic primùm ratione sulphuris accidet: & præterea ratione loci, vbi aer inclusus non habet iustam raritatem.

Tenebræ. At verò neque omnimodæ sunt tenebræ, quales essent in centro terræ, si nullius illic ignis arderet. Sed conijcitur esse lumen quoddam ambiguum quo possint se miseri se mutuo conspectare: idq; ad maiorem tristitiam cùm suas calamitates inuicem conspiciant: nam & solatio destituti sunt, quod esse solet miseris, dum accidit socios habere pœnarum, vt articulo sequenti dicturi sumus. Torquentur verò, præsertim dum eos intuentur, quos vel criminum complices habuerunt, vel sua contagione contaminarũt. Tunc enim malori suffunduntur pudore. Coniectari ergo de illa tenebrosa luce possumus, aut sub lucidis tenebris, ad modum illarum quas somniantes in semiuigilia patiuntur, dum videre sibi videntur, malignè tamen illos cum quibus colloquuntur. Vnde Gregorius quamuis super illud Euangelicũ: Mitte eum in tenebras exteriores, dixisset, quòd si ignis ille lucem haberet, nequaquam in tenebras exteriores mitti dicerentur, tamen loco citato libro Moralium, vt explicaret verbum illud, sempiternus horror inhabitat, adiecit, quòd quamuis ignis ille ad consolationem non luceat, tamen vt magis torqueat lucet.

Tenebræ exteriores. Cur autem dicantur tenebræ exteriores, Abulensis super capitulum 25. Matthæi quæstione 557. ait allusionem esse ad ergastula, quæ erant Hierosolymis. Erat enim, inquit, vnum internum in carcere, quod plusculum habebat lucis, sed aliud foris sub dio extra carcerem, multo maioris horroris plenum: ad cuius similitudinem Christus appellauit infernum tenebras exteriores. Sed hæc tamen interpretatio non habet ita multum autoritatis. Et ideo vel dicuntur tenebræ exteriores respectu interiæ gloriæ, quæ est intra cælum, vbi summa lux fulget, vel respectu internarum tenebrarum, quæ sunt in anima. Quẽadmodum super Psalmum 6. interpretatur Augustinus dicens, quod in hac vita peccatores tenebras interiores, hoc est, mentis cæcitatem patiuntur per absentiam diuinæ gratiæ, quæ est lux animæ, sed tamen quamdiu hic viuunt, luce solis externa, quantum ad corpora fruuntur. In inferno autem externas quoque corporum tenebras patientur, quas per internas delictorum meruerunt.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argumentum respondetur in sententia contra damnatos lata ob id duntaxat mentionem ignis haberi, quòd reliquæ omnes pœnæ in ipso virtualiter continentur.

De illis qui sunt in purgatorio. Sed arguitur contra. Igni eodem quo torquentur damnati (vt supra dictum est) purgantur electi: isti autem non feruntur nisi merum ignem pati, ergo nec damnati alia patiuntur tormenta. Negatur consequentia, quoniam cùm ignis ille non agat ex mera natura ignis, sed diuina virtute: & iustis in purgatorio non infligatur pœna præcipuè ad affligendum per modum vltionis, sed ad purgandum, non plectuntur nisi sola pœna ignis, qui ad id muneris idoneus est.

Sol. 2. arg. Ad secundum de verme iam responsum est, nomen vermis per metaphoram dici de remorsu conscientiæ.

Et pariter dilutum est tertium argumentum, vbi explicatum est, qualis illic sit fletus & stridor dẽtium. Et similiter quartum, vbi conditionem exposuimus illarum tenebrarum, quæ dicuntur exteriores.

ARTICVLVS V.

Vtrùm damnati, aut bona intellectus notitia, aut bona voluntate vti valeant.

POST hæc quæ dicta sunt operæpretium est explorare, vtrum damnati vel bona intellectus notitia, vel bona voluntate vti valeant. Et arguitur à parte negatiua. Scientiarum contemplationi annexa est delectatio: damnati lætari non possunt: ergo nec scientijs, aut cognitionibus vti, quas in hoc seculo habuerunt.

Pars negatiua arg. 1.

1. Argum. Secundò. Si possent intellectus contemplatione vti, possent nonnunquam de Deo cogitare, quando quidem eum odio habere nequeunt, de quo non cogitant: cogitatio autem dei non potest non esse lætifica: ergo non possunt de illo cogitare.

3. Argum. Tertiò arguitur de voluntate, quod non omnis sit in eis mala. Ait quippe Dionysius capite 4. de diuin. nomi. quòd dæmones bonum & optimum concupiscunt, scilicet esse, viuere, & intelligere: homines autem non sunt peioris conditionis quàm dæmones: ergo ipsi possunt rectè bona illa velle, atque adeò bonam voluntatem habere.

4. Argum. Quartò. Beati possunt velle, vt illi qui in hoc seculo superstites sunt, ab illa damnatione liberentur, vt de epulone diuite Luc. 16. legitur, qui optabat fratres suos admoneri, ne in illum locum tormentorum venirent: illa autem est bona voluntas: ergo bonam possunt habere voluntatem.

5. Argum. Quintò. Damnati recta ratione possunt velle potius non esse, quàm in illis miserijs perpetuò esse. Iuxta illud Ecclesiasti. 41. O mors quàm bonum est iudicium tuum homini indigenti! ergo possunt aliquid bene velle.

Pars affirmatiua. In contrarium autem est, quòd recordari rerum possunt, quarum scientiam in hac vita conquisiuerũt: iuxta illud Luc. 16. Recordare quia recepisti bona, &c. Obstinata tamen voluntas in malum, qualis est in damnatis, nequit vnquam esse bona.

1. Concl. Ad quæstionem quinq; conclusionibus respondetur. Prima. Damnati vtuntur eorum memoria & cognitione quæ in hac vita cognouerunt. Hæc enim conclusio articulo præcedẽti monstrata est: quoniam naturales potentiæ integræ in illis erunt, atque adeò præteritorum memoriã. Illa tamẽ cognitio nullatenus eis erit læta, sed mœroris causa: nam de peccatis sterilem pœnitentiam agent, & de bonis quæ fecerũt, dolorem concipient, quòd eorũ fructu fuerint frustrati. Et si quas habuerunt scientias acquisitas naturalium rerum, quamuis ex obiecto earum contemplatio sit iucunda, tamen eos ideo contristabit, quòd illas scientias ad perfectionem non perduxerunt.

Obiectio. Apparet autem contra hoc argum. duplex. Primum, quòd in hac vita experimur, corpus, dum nimium affligitur, contemplationem cohibere. Præterea diuturnum tempus obliuionis causam existere: cùm ergo damnati tum vehementissimæ afflictioni subdantur, tum etiam & tempori diuturno, videntur scientiarum non posse recordari. Respondetur autem, quòd in hac vita, eo quod anima corpori corruptibili coniungitur, corruptione eius & afflictione à suis actionibus præpeditur: damnatis verò corpus non erit cor-

Digitized by Google

ruptibile: & ideo corporis afflictio non obstabit animæ in illis actionibus quæ eius tristitiã & mœrorem augent. Tempus autem non est obliuionis causa per se, sed ratione cælestis motus, cuius est mensura: illic autem motus ille cessabit.

2. Conclu. Secunda conclusio. Damnati de deo nonnunquam in suis affectibus cogitabunt. Dupliciter enim Deum contemplamur, vno modo secundum se, id est, secundum id quod ei est proprium, nempe quatenus est totius bonitatis fons & principium: atque hæc cõtemplatio lætifica est, quam ideo perditi illi non habent. Considerant tamen ipsum secundo modo, videlicet in suis affectibus, quatenus vindex malorum est, quod illis est odij & afflictionis causa. Et qui Christiani fuere, considerabunt trinitatis atque humanitatis Christi mysteria: nam & dæmones credunt & cõtremiscunt. Sed hæc etiam contemplatio dolorem eis & remorsum conscientiæ augebit: eò quòd fides eos ob suam culpam ad visionem non euexit.

Et per hæc duo priora argumenta soluta restant. 3. Conclu. Tertia conclusio. Neutiquam damnatorum deliberata voluntas esse potest bona, id est, bonum elicere actum & laudabilem. Duplex enim est voluntas, scilicet naturalis & deliberata. Naturalis volũtas, vt dist. præcedenti diximus, est inclinatio & pondus naturæ ante actum elicitum, quæ quidem inclinatio non est effectus ipsius creaturæ, sed est à Deo tanquam ab autore naturæ impressa. Quocirca cum in damnatis naturalia maneant integra, illa etiam permanet inclinatio bona ad esse & viuere, quin verò ad beatitudinem, vt supra dictum est: volũtas autem deliberata est actus elicitus à voluntate præuia cognitione. Atque hæc nullatenus in damnatis esse potest bona. Et ratio est quòd omnem deliberatum actum ex illa obstinatione in malum, & obdurato odio in Deum eliciunt, tanquam aduersi ab vltimo fine in quem omnis voluntas formaliter vel virtualiter, vt sit bona, refertur. Quapropter etsi velle possint aliquid quod ratione obiecti est bonum, non tamen illud bene volunt, sed peruerse referendo in malum finem.

Sol. 3. arg. Vnde ad tertium argum. respondetur, quod Dionys. loquitur de concupiscentia, quæ est naturalis inclinatio ad esse & viuere & intelligere. Sed tamen eandem inclinationem per libertatem corrumpunt in actu quem peruerse eliciunt.

Aliud arg. Et per hoc etiam respondebitur, si quis redarguat. Damnati nequeunt malum sub ratione mali velle, vt aiunt Dion. & Aristot. quia ratio mali non est obiectum voluntatis: ergo volunt illud sub ratione boni, saltem apparentis: voluntas autem quæ refertur in bonum sub ratione boni videtur esse bona. Respondetur inquam, non satis esse apparentiam boni, vt voluntas sit bona, quando ob eius malitiam, id quod est malum, apparet ei bonum.

Habitus damnatorũ. Sed arguitur præterea: plurimi damnatorum habitus virtutum politicarum in hac vita comparauerunt, quos credibile est in illis animabus perseuerare: ergo poterunt illic habere actus inde elicitos, qui sint boni. Respondetur, quod habitus infusi in damnatis non permanent, neque verò fides mortua, vtpote quæ est donum Dei. De acquisitis autem politicis virtutibus res est ambigua. Dicere enim possumus quòd cum animam ad vitam politicam perficiant, & illa vita illic non permaneat, fit vt neque illæ virtutes persistant. At verò quamuis persistere ibi aliquamdiu crederentur, erunt tamen otiosæ: quoniam propter obstinatam iniquitatem nequibunt in vsum exire.

4. Concl. Quarta conclusio. damnati nequeunt suis propinquis & necessarijs, quos in hac vita reliquerunt, bonum aliquod optare: atque adeò nec tanquam eorum bonum, salutem eorum cupere, ne damnentur. Et ratio est, quòd veluti beati in charitate Dei, ac subinde omnium proximorum firmati sunt: ita & damnati quoniam in odio Dei suot obstinati, similiter circa omnes tam existentes in hac vita mortali, quàm defunctos, siue beatos, siue damnatos indurato odio affecti sunt.

Solut. 4. de epulone. Ad quartum igitur argumentum de illo epulone primo modo respondeti potest, quòd fortasse Christus verbo illius miseri contendentis suos admonere fratres, ne in illum locum irent, nihil aliud significare voluit, quàm truces acerbissimosque eruciatus inferni. Secundò respondetur, quòd illo verbo significatur inclinatio naturalis, quam vnusquisque erga suos habet: quæ suapte natura tanquam diuinitus naturæ impressa, bona est. Sed tamen actus elicitus epulonis, quia nullatenus fuit in Deum relatus, vitiosus fuit. Sed tertiò respondeti solet: quod quamuis damnati nemini optare possint vel precari salutẽ, plus tamen illam alienis quam suis inuident: & illa ratione epulo admonendos curabat fratres suos.

Interrogatio. Sed rogas nunquid saltem erga illos quos iniquè in hac vita dilexerunt, amicitiam illam seruabunt, per quam illis possunt benè precari. Respondetur secundum Aristotelem 9. Ethicorum, eiusmodi amicitias super bono inhonesto conciliatas facilè rescindi.

Hoc tamen supremum est hic argumentum, quod damnati non sunt existimandi suorum suppliciorum crementum cupere. Quo autem plures habuerint suæ damnationis socios, eo plus augebitur illis accidentale supplicium: ergo non concupiscunt plures illuc detrudere. Respondetur, quod quamuis sciant ex numeri augmento damnatorum accumulandam sibi tristitiam, adeo tamen sunt odio subiecti, vt illam malint pœnam, quàm nostram salutem, præsertim dæmones. Vnde illa glossa Esa. 14. super illo verbo, Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, quæ ait solatium esse malorum socios habere pœnarum, non est perinde, vt de hac vita, de inferno intelligenda. Illic enim dicitur solatium, quia sic explent sua mala desideria, quibus in nos sunt affecti. Nihilominus nulla per hoc fit eis tristitiæ remissio: imo augetur, veluti in angelis gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente.

De vltimo autem argumento, nempe vtrùm melius esset damnatis non esse quàm in illis tormentis esse, disputari solet. Imò sunt qui contendant, nullatenus posse illis esse optabilius annihilari, quàm illic esse perpetuò. Quoniam nihil nisi sub ratione boni, saltem apparentis, potest concupisci: in eo autem quod est simpliciter non esse, nulla potest apparere ratio boni: ergo illud non potest rectè concupisci, imò nec nolitum esse. Probatur minor, quoniam non esse est malorum maximum, atque adeò neque habet vllum apparentis bonitatis fundamentum. Accedit autoritas Augustini libro 3. de libe. cap. 7. & 8. dicentis: Considera quantum bonum est esse, quod & beati & miseri volunt: maius enim est esse & esse miserum, quàm omnino non esse. Imò in eius confirmationem sic ibi arguit. Præelectio (id est, vnum alteri præponere) supponit electionem, nempe quòd vtrumque sit eligibile, sed non esse, non est eligibile: quia cùm nihil sit, non habet vel apparentiam boni.

5. Conclu. His tamen non obstantibus adhibetur quinta conclusio. Non esse melius est, quàm in perpetua miseria esse. Atque adeò recta ratione, si ex parte obiecti perpẽdatur, est appetibile. Esse quippe bifariam consideratur. Vno modo per se absolutè: & sic non est eligibile: quia nec vllam habet rationem boni, nec in illo apparere potest: quoniam est mera priuatio, imò merum nihil. Alio verò modo potest considerari tanquam remedium, per quod homo à miseria eripiatur: & sic non esse accipit illam rationem boni, nempe carere illa miseria. Nam (vt 5 Physicorum ait Philosophus) carere malo, quoddam bonum est. Et sic potest etiam recta ratione optari.

Non esse simpliciter. Est tamen notandum discrimen inter non esse simpliciter per annihilationem, & non esse in hac seculari vita per mortem. Enimuerò non esse, hoc est, mori, licet nemo possit rectè sic velle, vt ipse sibi mortem conscisçat & se interimat, potest tamen sub conditione illud velle fieri à Deo, si ei videbitur expedire. Quemadmodum dicebat Paulus. Cupio dissolui & esse cum Christo. Neque verò illa solùm causa, nempe fruendi Deo, mors optabilis est: verùm tanquam medium. vt homo à miseria huius vitæ liberetur, videlicet à periculis peccandi, dum maxima homini impendunt. Imò & ab alijs ingruentibus malis, & incommodis quæ hominem vehementer perturbant: qualia sunt morbus acerbus, grandis infamia & honoris iactura, iuxta illud citatum Ecclesiastici, 41. O mors quàm bonum est iudicium tuum indigenti. Quamuis sic illorum causa licet quandoque mortem sub conditione, si Deo placuerit, optare, vt tamen frequentius timendum sit, ne vel ex desperatione, vel ex pusillanimitate eiusmodi desiderium procedat, quod tunc esset iniquum. Qui tamen illa prædicta ratione recta mortem desiderant, non cupiunt

Simpli ci-

simpliciter non esse, sed in aliam traduci vitam ab eiusmodi calamitatibus liberam. Conclusio verò nostra non solum hoc asserit, verùm quod damnatis optabile recta ratione sit in nihilum redigi aut natos nõ fuisse, quàm in illis perpetuò tormentis absque vlla liberationis spe viuere. Nam profectò adeo illa sunt vrgentia & horrenda, vt liberari ab illis, etiam per annihilationem eligibile sit. Et quicunque hoc secum perpendat, ita sentiet. Et confirmatur loco illo Apocal. 9. In diebus illis desiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis, & Matth. 26. de proditore Iuda: Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Ecquis enim, quamuis euangelium hoc non diceret, non potiùs eligeret non fuisse natum, quam sic fuisse mortuum? Et Hiero. super illud Ieremiæ. 20. Maledicta dies in qua natus sum. Melius, inquit, est non esse, quàm malè esse.

Solut. arg. Vnde ad argumentum proximè factum respondetur, solùm probare, quod, non esse, quatenus est essendi priuatio, non est eligibile: sed quatenus est miseriæ liberatio. Sicut pharmacum non est per se volitum, sed quia causat sanitatem. Atque id ipsum docet loco citato Augustt. Nempe, quod esse adeò per se bonum est, vt etiam miseri illud cupiant. Loquitur tamen de miseria huius vitæ, quæ non solet esse tanta, quin homines malint eam pati, quàm non esse, & præcipuè arguit contra eos qui se enecant. Sed illud esse, quod tanti facit Aug. vt ab omnibus appetatur, non est intelligendum de esse malo & corrupto (vt 9. Ethic. ait Phil.) sed de bene esse & bona vita.

Sol. 5. arg. Ac per hoc solutum restat quintum argumentum principale Concedimus enim rectè posse damnatos velle non esse, sed tamen illa volitio vitiosa est, propter obstinatam adhæsionem ad vltimum finem, in quem esset, saltem in virtute, refrenda.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm & damnati beatorum gloriam videant, & beati ipsorum miserum.

1. Argum. TANDEM quæritur de mutua inter se beatorum damnatorumque notitia. Vtrùm scilicet se mutuò videant. Et arguitur à parte affirmatiua. Multò maiori interuallo distant à damnatis beati, quàm ea quæ apud nos aguntur, sed damnati nec nos, nec nostra vident, ergo neque vident beatorum gloriam. Mediam propositionem affirmat Greg. 12. Moral. super illud Iob. Siue fuerint nobiles filij eius, &c. Dicens, quòd sicut ij qui adhuc viui sunt, mortuorũ animæ quo loco habeantur ignorant: ita mortui, qui carnaliter vixerunt, vitam in carne positorũ, qualiter post eos disponatur, ignorant.

2. Argum. Secundò arguitur, quod nec beati videant damnatorum miseriam simili argumento. Maiori distantia damnati à beatis absunt, quàm nos viatores, sed beati non omnia quæ apud nos geruntur vident: ergo nec quæ patiuntur damnati. Mediam propositionem affirmat glossa super illud Isaiæ 43. Abraham nescivit vos, dicens: Nesciunt mortui, etiam sancti, quid faciãt viui, etiam eorum filij.

In contra. In cõtrarium autem de damnatis adducitur illud de epulone, qui vidit Lazarum in sinu Abrahæ. Et de beatis Isaiæ vltimo. Egredientur & videbunt cadauera eorum qui prævaricati sunt in me. Vbi ait glossa, quod egredientur beati ad videndum damnatos intelligentia vel visione manifesta.

Decisio art. Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. At de primo membro, vtrùm damnati beatorum gloriam videant, aliquid certum est, atque alia sunt sub iudice. Ex sacra enim scriptura constat, quòd damnati nonnunquam videbunt beatos. Habetur enim Sapient. 5. Quòd stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerũt: illi autem nequam videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. Item fides catholica est, quòd in die iudicij (vt habetur Matth. 25. (Cùm venerit filius hominis, congregabuntur ante eum omnes gentes. Et tunc damnati Christum atque beatos videbunt: iuxta illud Ioan. 19. Videbunt in quem transfixerunt. Et in illa die satis verificabitur illud citatum Sapient. 5. Atque illud vicissim Psalmi. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam peccatorum. At verò, quòd obtrusi in inferno inde visuri sunt existentes in cælo, nullibi in sacra scriptura affirmatur. Et in primis nunc animæ non possunt corporeis oculis illos videre, quia oculos non habẽt. Quòd autem per mẽtis intelligentiam beatas animas videant, nulla est repugnantia: quia animæ separatæ possunt alias animas separatas, sicuti & angelos, intueri. Veruntamen cum sint finitæ limitatæque potentiæ, profectò naturaliter non possunt à tanta distantia mentis aciem protendere. Imò quamuis fœlices illas animas cernerent, nequirent earum gloriam videre, quippe quæ supernaturalis est. Et ideo nemo illam nouit nisi qui possidet, iuxta illud Apoc. 2. Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum: quod nemo scit, nisi qui accipit. Et Paulus, Oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparasti diligentibus te. Sunt autem qui dicant Deum damnatis sanctorum gloriam reuelare, vt acriùs contorqueantur, quod illam amiserint. Sed profectò, quod aliqua supernaturalis reuelatio fiat damnatis, nescio an sit absq; maiori probabilitate asserendum. Augustt. ergo quem Magist Sent. dist. præsenti citat, fuit qui huic opinioni ansam obtulit. Affirmans enim damnatorum animas in tenebris esse exterioribus, nihil videntes eorũ quæ in gloria sunt beatorum, opponit de illo diuite Luc. 16. Qui eleuãs oculos vidit Abraham, & in sinu eius Lazarum. Et respondet, illud ante iudicium factum legitur. Sed post iudiciũ, inquit, in profundioribus tenebris erunt impij, vbi nullam Dei lucem videbunt. Cui subscribens Greg. Hom. 40. super Luc. Infideles, inquit, in imo positi ante diem iudicij fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non poterunt. *Augustt.*

Ob autoritatem ergó horum sanctorum patrum solet affirmari conclusio quam hic nos sub hoc tenore statuimus primam. Damnati, si secluſa reuelatione loquamur, quamuis de inferno intuitiuè non videant sanctorum gloriam, imò fortè nec sanctos ipsos singulariter, eatenus tamen eorum fœlicitatem videre censentur, vt in genere & in confuso intelligant esse maximam: quod ad eorum afflictionem & intimum dolorem satis est. Priorem partem satis credimus probasse. Quia nec naturaliter illuc videndo attingere possunt, nec reuelatione digni sunt, neque ad eorum tormentum est necessaria.

Secunda verò pars probatur: quia dæmones & Christiani bene norũt, licet nõ intuitiuè, quãta sit illa gloria. Et qui in lumine naturali obierunt, videntes illuc vbi ipsi tenentur, non occludi nisi illos qui corruptis moribus Deum offenderunt ex magnitudine tormentorum quæ sciunt sibi tanquam in exilio à regno cæleſti exclusis, per iustitiam Dei distributiuam infligi, intelligunt quanta gloriæ claritate, & gaudiorum magnitudine, & bonorum amplitudine eos remuneret, qui eius regno & præsentia potiuntur. Imò quamuis non aliud intelligerent, quàm Deo esse præsentes, satis esset ad reliqua conijcienda.

Illud autem de epulone diuite non vsque adeò mouet ad probandum quòd beatos videant. Primùm, quòd parabolam non est necesse ad literam in omnibus esse veram. Secundò, quod Abraham & Lazarus nondum tunc erant beati, sed existebant in limbo, vbi poterant ab epulone videri. Quare non subsequitur, vt possint eos videre qui sunt in cælo. Ac demum poterat illud per singulare priuilegium contingere. Discrimen autem quod Aug. ponit inter ante & post diem iudicij, profectò vix intelligitur, nisi diuina admittatur in damnatis reuelatio. Nam tenebræ non erunt tunc spiritualis cæcitatis maiores in inferno. Idemque ignis erit, quamuis auctus per accessionem ignis conflagrationis. Quare si modo non impedit, quin damnatorum animæ beatas videant, nescio quomodo impediat ne postea beatos videant. Nisi dicamus (quia aliter Augu. & Grego. defendi non videntur) quod post diem iudicij solum in damnatis durabit memoria eiusdem diei, in qua vniuersam beatorum gloriam videbunt, quæ quidem memoria sufficiet ad eorum tormentum. Sed quia ante illum diem necesse est vt etiam contemplatione illius gloriæ torqueantur, nunc habent animæ miseræ aliquam illius gloriæ reuelationem, quæ deinde tanquam non necessaria cessabit. *De epulone.* *Augustt. & Greg. exponuntur.*

Quod si arguas. Id quod sanctis in hac vita tanquam singulare priuilegium conceditur, non est affirmandum concedi damnatis, Paulo verò, vt 2. ad

Corint. 12. legitur, tanquam admirabile priuilegium indultum est, vt arcana verba audiret quæ non licebat homini loqui: ergo hoc non est de dānatis credēdum. Respondetur latissimum esse discrimen. Quoniam Paulus ad illam gloriam raptus est, vt spes eius perpetuo possidendi roboraretur, imò vt illo priuilegio tanquam initio futuri præmij donaretur. Damnatis verò reuelatur, vt anxius crucientur.

Sol. 1. arg. Ad primum igitur argu. respondetur, quod quanquam nos minus a beatis quam damnati distemus: non tamen ad eorum cruciatum tanti refert scire quæ nos agimus, quàm sanctorum gloriam. Vnde super Psal 108. Aug. historiam epulonis enarrans, qui suorum fratrum curam habere videbatur, ait quod licet damnati curam viuorum habeant, vtpote quod neque in locis pœnarum, neque in requie beatorum vident: non tamen consequens est eos scire quæ circa charos suos aguntur hic vel læta, vel tristia.

Augustt.

Conclu. 2. Secunda conclusio. Beati damnatorum pœnas vident, quia nihil eis negandum est, quod ad eorum fœlicitatem spectat: conducit autem eis, vt cruces damnatorum intueantur: tum vt plus gaudeant inde esse exemptos: tum vt cumulatiores gratias Deo referant. Possunt autem illas non solum in verbo, verùm & in proprio genere conspicere. Non tamen opus est, vt semper sint illas intuentes, sed sufficit, vt quando voluerint, illo recreentur solatio. Conclusio probatur ex illo citato Esaiæ vlt. cum gloss. Egredientur videre, &c.

Sol. 2. arg. Ad secundum igitur argumentum respondetur, quòd glossa illa sic intelligitur, quod quantum est ex natura rei, mortui non sciunt ea quæ apud nos fiunt. Secùs autem beati ratione sui status. Vnde Gregorius 12. lib. Mora. super illud Iob. Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, nescient, &c. Qui intus (inquit) habent Dei charitatem, nullo modo credendum est, quòd sit foris aliquid quod ignorēt. Scilicet ad suum pertinens statum.

3. Conclu. Tertia conclusio. Beati damnatorum miseriam videntes ad misericordiam non commouentur, imò lætantur. Prior pars probatur: quoniam misereri quandam participationem miseriæ designat, quæ in beatis esse non potest. Ad cuius planiorem intellectum notandum, quòd misericordia duo dicit, nimirum passionem: compatitur enim ille quem alterius miseret. Et hæc in beatis esse nequit, sicut neque in Deo. Sed præterea dicit electionem voluntatis ad tollendam alterius miseriam. Et isto modo tam Deus quàm beati miserentur nostri, dum hic viuimus, quia potest nostra miseria subleuari. Illa verò damnatorum minimè. Et ideo aut modo neutro Deus, aut beati ipsorum misereri possunt.

2. pars conclusio. Secunda verò pars conclusionis sic probatur. Damnatorum supplicia bifariam considerantur. Vno modo per se, in quantum rationem habent mali, nempe damni. Et isto modo lætari de illis est indicium odij. Quare sub hac ratione non delectant beatos: sed per accidens ratione adiuncti: videlicet, quatenus sunt vindicta diuinæ iustitiæ, iuxta illud Psalmi 57. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui nos ad illam perducat lætitiam sempiternam.

OPVS ergo, quod Dei nutu auspicatus sum, eius tandem ductu absolutum est. Hunc meus mihi præsagit animus laborum futurum meorum postremum. Vitam in chartulis prælegendis, exarandis, interlineandis, reuisendisque & lambendis penè insumpsi. Exilitatem ingenij mei pauperiemque prodidi, quare neque ignorātiam excusso. Fidem autem Domini mei IESV CHRISTI, testis ipse esto, quanta cum fide, synceritate & candore seruare, elucidare, protegere, tutari, & pro meo exiguo talento magnificare vbique semperque curauerim. cuius (vt secundum insipientiam meam ad Dei laudem loquar) nonnullum in Concilio Tridentino testimonium perhibui. Igitur qui animum meum Deo meo probatum esse confido, diffidere non possum, quin sicubi hallucinatus in aliquod offendiculum impegerim, misericordiam sim consecuturus, quia ignorans feci. Sancta orthodoxaque eius Ecclesia errata mea, & si oportuerit, meipsum castigare dignetur. Optauerim equidem si quæ dixerim quibus castigatione vel retractatione opus esset, vt cuncta mihi modo memoriæ occurrerent, quæ meo proprio obelisco cōfoderem. Collimare namque & ad iustam normam tam multa exigere, quam esse in meis operibus credo limatu polituque necessaria, non est possibile. Quæ verò mihi occurrunt, hæc pauca sunt, quæ si præsto sunt iterum mandanda corrigantur:

Præter illa quæ in Dialecticam & Philosophiam Aristotelis edidi commentaria, minutioraque alia, in causa pauperum, & de Iuramento, & id genus reliqua, quinque maiora volumina in publicum euulgaui: nempe in epistolam ad Romanos: mox de natura & gratia ad sanctum Concilium Tridētinum tres libros: De ratione tegendi & detegendi secretum tres item idem: De iustitia & iure decem: atque opus hoc in Quartum Sententiarum, in duos Tomos deuisum.

Super epistolam ad Romanos capite 9 in illa percunctatione. Vtrùm reprobationis sit vlla in nobis causa, partem tutatus sum affirmatiuam propter autoritatem Augustini ad Sixtum dicentis: Quærimus meritum indurationis, & inuenimus. Merito namque peccati vniuersa massa damnata est. Vnde colligitur permissionem, qua Deus Adam primum permisit, ac subinde nos delinquere sinit, non esse per se effectum reprobationis, sed per accidens, per se verò nostræ prauæ voluntatis, diuinis inspirationibus resistentiū, iuxta illud Oseæ 13. Perditio tua Israël. At verò quamuis sententia hæc probabilis satis sit, tamen fortasse contraria nonnullis erit probabilior: nempe quod reprobationis nulla sit causa, quemadmodum nulla est prædestinationis: sed quòd permissio peccati Adam ac perinde nostrorum, sit reprobationis effectus. Quamuis non eodem modo, quo eius auxilia sunt effectus prædestinationis. Et nescio si calamum iterum quæstioni admouerem, an mentem mutarem, vt in hanc sententiam irem. Veruntamen illa asserta, opinio (vt sub Ecclesiæ sapientiumque censura id dixerim) adeò non censetur errori tribuenda, vt sit August. germana, & D. Tho. super eundem 9. ca. Pauli, ac subinde sit aliorum probabilis opinio.

In libro 9. De iustitia & iure q. 2. art. 2 illam disputauimus quæstionem insignem, vtrùm sacrificium altaris pro pluribus oblatum perinde singulis ad satisfactionem prōsit, ac si duntaxat offerretur pro vno. Vbi reliqua pro meo captu verè concluſisse arbitror: præterquam quod in responsione cuiusdam celebris argumenti, quod nomine Syluestri intulimus, non satis rem explicuimus. Fuerat namque nostra conclusio, satisfactionem sacrificij, perinde atque gratiam sacramenti sub certo gradu esse taxatam. Et obiectum argumentum erat. Quo plures sunt offerentes sacrificium, eo id ipsum sit auctius: ergo nullus per consortium aliorum suo defraudatur fructu: alias consultius esset illi sacrificio interesse cui pauciores assisterent. Cui vtique argumento respondendum fuisset, omnes sacrificio assistentes idem sacrificium offerre. Et ideo neminem propter aliorum consortium aliqua parte suæ satisfactionis fraudari. Atque illa ratione quo plures sunt offerentes, auctius fit sacrificium. Et ideo in primo Tomo huius quarti, d. 13. quæstio. 2. arti. 1. eandem repetentes quæstionem, hoc & reliqua ad ipsam pertinentia luculentiùs enucleauimus.

In relectione de ratione tegendi & detegendi secretum, nihil modò animaduertendum meminimus.

Sed lib. 1. cap. 15. inter confirmandam sententiam de libero arbitrio, quartum adiecimus argumētum, quòd si in adultorum iustificatione assensione nostra & libero arbitrio non opus esset, non redderetur causa proxima cur vnus conuerteretur, & non alius. Suprema enim & remota causa, prædestinatio quidem est. Vnde August. Quare hunc trahat, & illum non trahat noli dubitare, si non vis errare. Sed tamē causa præterea reddenda est proxima, per quam destinauerit vnumquemlibet in regnum recipere. Hæc ibi. Ad maiorem tamen explicationem addatur: quæ sit ad iustificationem materialis dispositio. Vbi causa per quam, non dicit causam prædestinationis, sed dispositio ad primam gratiam iustificationis, quæ est effectus eius: quæ ideo dispositio est itidem effectus eiusdem prædestinationis. Etenim sicut in paruulis baptismus est causa cur vnus saluatur & non baptizari est causa cur non saluatur, pariter in adulto qui per actum interiorem ante sacramentum conuertitur, cùm Deus paratissimus sit quemcunque convertere, præsentissimumque misericordia ex duobus v-

trumque

t rumque aspiret, cur iste conuertatur & non ille, reddi non potest causa, nisi quia vnus præbet assensum, alter verò minimè.

Quidam verò hoc taxare voluerunt, dicentes, quòd nimium tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa. Et tamen salua semper Catholicæ Ecclesiæ censura, arbitror necessariò hic dicendum. Assensus enim liberi arbitrij non est causa præueniens motionem Dei, sed effectus eiusdem motionis, idem præuenientis liberum arbitrium. Est enim pulsatio & aspiratio Dei ad corda nostra, simílis aëri in fenestram clausam aspiranti. Sed quia non aperit nobis eadem corda ex necessitate, sed nobis liberè consentientibus, quamuis causa prior efficiens, quæ nos cõuertit, sit eius spiratio & motio præueniens, tamen dispositio materialis) quæ hoc modo dici potest causa) est assensio nostra. Sicuti causa efficiens præueniens cur fenestra aperitur est aër intrans, sed causa materialis cur aër intrat, est quia fenestra aperitur Et est exemplum ad propositum necessarium ex Philosophia accersitũ: quæ ideo philosophia non deberet in Theologia nihili fieri. Hæc ergo Theologia non asserit assensum nostrum, vt est à libero arbitrio meritum gratiæ (hic enim fuit Pelagianus error.) Sed vt procedit ab auxilio speciali, est sicut dispositio materialis natura præcedens primam gratiam: & vt subsequens eandem gratiam est meritum de condigno gloriæ. Vnde quamuis Deus apud Ezechielem dicat: Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum: nihilominus Psalmista ait, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corna vestra. Primum, quia ipse aperit: secundum, quia non nisi nobis consentientibus aperit. Et ideo postquam dixit Christus Ioannis 16. Nemo potest venire ad me nisi pater qui me misit, traxerit eum, subiunxit. Qui audit & discit, venit ad me. Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, aut dissentire. Vnde Augustinus, postquam dixit, Quare hunc trahat, illum non trahat noli dubitare, subiunxit. Si non es tractus, ora vt traharis: insinuans quod etsi assensus noster non sit causa prædestinationis, sit tamen aliquo modo materialis causa iustificationis. Et hæc est doctrina Sancti Thomæ. Imò videtur sententia Oseæ capitulo 13. Perditio tua Israël, ex me tantum auxilium tuum. Vbi docemur causam iustificationis in Deum referri: est enim hic aut ille iustus, quia Deus illum iustificauit: sed causa cur homo non iustificatur, referenda est in ipsum hominem. Ob id enim Iudas non est iustificatus, quia inspirationibus diuinis non assensit: iustificatio enim non est prædestinatio, quæ nullam habet causam, sed eius effectus, quæ in nobis habet materialem dispositionem. Eadem ratione causa cur Magdalena fuit ad maiorem gratiam etiam primam conuersa quam alius tepidus pœnitens, licet efficiens fuerit motio ipsa diuina, tamen dispositio materialis fuit feruentior eius motus auxilio diuino præuentus, quod riuulus lachrymarum eius testatus est. Hæc autem subsequenti capitulo 16. & libro. 2 cap. tertio, & 4. & primo tomo huius operis distinctio 14 quæst. 2. articul. 5. & dist. 17. quæst. 2. latius exposita sunt.

Libro 2. eiusdem operis c. 11. in impressione Venera illa mihi visa fuit probabilis sententia, in quam citra pertinaciam descendi, quod in lege naturæ homo per cognitionem naturalem, qua Deum esse nosset, & remuneratorem, adhibito auxilio speciali Dei, voluntatem conuertentis potuisset saluari. Id tamen postea in impressione Parisiensi, ac deinde in Salmantina retractaui; & latius in primo Tomo huius quarti dist. 1. quæst. 2. art 3. sanè necessarium existimans neminem vnquam absque supernaturali reuelatione fidei in gratiam Dei potuisse reconciliari.

In eodem lib. 2. ca. 6 prope finem dixi. Quo quisque gradu credit, eodem & confidit. Dicendum tamen fuisset, & sic est calculis recudendum. Quo quisque gradu credit, fide per charitatem viua. Sic enim illico cap 7. illud expressi dicens. Si solum fidei ingenium spectes (scilicet nisi nostra voluntate impediatur) quo fuerit ipsa maior, maiorem ingenerat charitatem. Et lib. 3. cap. 13. sic multo explicatiùs. Fiducia, licet à fide incipiat oriri, non tamen firmatur nisi ex charitate & rebus gestis.

In primo Tomo huius quarti dist. 1 q. 1 articu. 1. circa finem dixi. Quod sacramenta causa nostræ salutis existant ad necessariam confessionem fidei & religionis minimè pertinet, sed sub disputatione cadit. Nolui negare esse de fide, quod per sacramenta nostra iustificemur: sed quod modus quo sacramenta sunt causa gratiæ, scilicet aut tanquam instrumenta concurrentia in genere causæ efficientis, aut solum tanquam signa, non est expressum in sacra scriptura. Quare, vt quæstione 3. articul. 1. retulimus, omnes ferè Theologi præter Sanctum Thom. opinati sunt non esse causam, sed solùm certa signa. Nihilominus ibidem monstrauimus esse verè causam. Alioqui non differrent à modo quo circuncisio erat signum gratiæ. Idque præsertim ex Concilio Florentino & Tridentino confirmauimus. Et ideo ille noster locus sic est corrigendus. Quod autem sacramenta causæ eiusdem salutis nostræ existant, priuilegium sacramentorum nouæ legis est. Vt duæ lineæ intermediæ deleantur. Eadem dist. quæst. 2. art. 1. circa medium sic scriptum reliqui. Nobis adeò fuit Christus noster mirifice beneficus, vt sacramenta instituerer, per quæ, si modo a nobis digna suscipiantur, non quidem peteremus, sed certo certius consequeremur, &c. gratiam. In quibusdam paucis deest, si modo a nobis digne suscipiantur. Additur. Eadem quæst. art. 3. dixi. Passio Christi fuit causa salutis, tam antiquorum quam nostræ: non solum finalis, verum meritoria & efficiens. quòd planè ait Sanctus Thom. 3 par. q. 49 art. 1. Imò sic necessarium est dicere quoniam per passionem redemit vniuersum humanum genus: redemptio autem fit per gratiam: & redimere dicit efficere. Item quia passio Christi, etiam præuisa, fuit instrumentum diuinitatis efficientis gratiam. Et ideo passio in genere causæ efficientis concurrit ad illam: concurrebatque præuisa. Vnde ad Roma. 3. Paulus ait Christum fuisse propitiatorem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum. Videtur autem huic contrarium, quod eadem distinct. postea quæst. 3. art. 6. dixi, videlicet, quod antiquis applicabatur passio per fidem: & ideo non applicabatur nisi in genere causæ finalis per actum internum, & ideo sacramenta vetera non erant eiusdem passionis instrumenta, vt nostra. Nulla tamen est contradictio, quod passio fuerit causa efficiens instrumentalis gratiæ antiquorum fidei autem & sacramentorum non nisi finalis. Et hoc ait Diuus Thomas quæst. citata in solutione ad primum. Et quæst. 62. art. 6. Et ideo quia non erat antiquitus exhibita, non concurrebat effectiuè per sacramenta ac si sua essent instrumenta, sicut concurrit per nostra sacramenta. Et ideo in prædicto arti. 6. consulto ait D. Tho. Illud quod non est in rerum natura, non mouet secundũ vsum exteriorum rerum. Insinuans quod passio licet non applicaretur per fidem & sacramenta nisi in genere causæ finalis, erat nihilominus causa efficiens gratiæ.

Eodem ipso artic. 3. in solutione secundi, vbi ait S. Thom. quod post peccatum & ante Christum secundum rationem fidei semper vnus & idem status permansit: quia iustificabantur homines per fidem futuri Christi aduentus, Adieci ergo. Per vnam fidem. Vbi vnam non excludit opera subsequentia, scilicet spem & charitatem: sed significat eandem fuisse fidem Christi semper necessariam, sine qua nulla opera legis sufficiebant ad salutem. Et sicubi (quod non memini) dixerim. Per nulla opera vllius legis homines saluari, sed per solam fidem: sola, non excludit motum spei & charitatis, sed opera naturalia. Hoc enim idiomate locuti sunt sæpè sancti: vt D. Tho. 1. ad Timot. 1. Ait quippe, In operibus non est spes iustificationis, sed in sola fide: iuxta verbum Pauli ad Ro. 3. Arbitramur hominem iustificari ex fide, & non ex operibus. Quare in Conci. Florent. verbum, Sola fides, non fuit simpliciter condemnatum, sed cum moderamine. Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit. Sessi 6. Can. 9. Nunc autem propter temporum calamitatem verbum in suspicionem venit. Et ideo melius est in similibus locis dicere. Per nulla opera legis hominem iustificari nisi per fidem, aut per solam viuam fidem quæ per charitatem operatur.

Eodem modo corrigendum verbum est quod eadem dist. q 3. art. 5. circa finem dixi. Virtus Chri-

Digitized by Google

iti impliciter, ſicuti & Chriſtus ipſe, formaliter copulatur nobis per fidem: quod intellexi per fidem concurrentem in genere cauſæ formalis. Iuxta illud Pauli ad Ephe. 3. per fidem habitat Chriſtus in nobis. Sed tamen ad explicandum apoſtolicum ſenſum dicendum eſt. Per viuam fidem quæ per charitatem operatur.

Quod autem diſt. 5. arti. 2. Dixi nimirum, quòd qui ignorantia inuincibili euangelij (ſi qui ſunt) laborant, ſine fide explicita per ſolam implicitã, quemadmodum gratiam, ita gloriam obtinere poſſunt, ſolam non excludit ſpem & charitatem, ſed neceſſitatem explicitæ fidei.

Quaſdam præterea annotationes in Ferrum ſuper Ioannem edidi: virum profectò alias pium, diſertum, & doctum. Sed quia ipſe in prima impreſſione confeſſus eſt multa ab hæreticis, quæ ſibi catholica videbantur, collegiſſe, loca nonnulla, non mihi tantum, verùm alijs doctis & pijs via ſunt, in quibus eſſet lector admonẽdus. Solus zelus fidei (coràm Deo loquor (neſcio an ſecundum ſcientiam, me compulit, honore, vt par erat, religioſi viri ſeruato, & præcipuè religioſiſſimi eius ordinis, qui mihi ſemper fuit reuerendus. Quidam tamen bonus pater conſtituit canos meos neſcio quibus atris floribus reſpergere. Ego verò vt os mihi libentiùs obtruderem, oculos etiam claudere conſtitui, ne apologiam cernerem: idque non ſolùm, ne meam potiùs, quàm publicam cauſam defendere iudicaret, verùm ne bos longo iam iugo decaluatus cum eleganti vitulo corrixari videret. Si aliqua in ipſo ſunt (vt fertur) adnotatu digna, illi quibus ex officio incumbit, viderint: ne quæ ſemel ſata ſunt, contentione, vt fieri ſolet, coaleſcant. Nam illa quæ in me maledicta congeſſit, facilè condono. In multis enim delinquimus omnes, & indigemus gratia dei. Sed ſi hanc mihi veniam religioſus pater dederit, caueat deinceps precor tam amarulenta in quempiam iactare conuitia. Phraſis enim illa tum religionem denigrat, tũ & vim eneruat perſuadendi.

Rudimenta præterea fidei in breui chartula vulgari idiomate ſimpliciſſimoque ſtylo cõſcripſi. Hanc apud Compoſtellam prælo commiſſam impoſtores quidam hæretici commacularunt, calculis nomine meo imprimentes, quod ſacratiſſima Deipara virgo non eſſet tanquã adiutrix & aduocata noſtra implorãda. Cuius contrarium ego in' proxima præcedenti pagina ſecundum Catholicam fidem admonueram. Sed ille chalcographus, ob aliam id genus impoſturam, patibulo fuit ſuſpenſus. Si in cuiuſpiam manus illa chartula inciderit, meminerit blaſphemiam illam falſo mihi ſcriptam.

Complura alia manũ ſcripta nomine meo circunferuntur, quæ dum publicitus prælegebam, auditores in ſuis alueolis excipiebant. Præterea commentarios in Matthæum bona ex parte ſcripſi: nulli tamen iſtorum operum poſtremam manum adhibui. Et ideo ſi poſt quam me Deus ab hac luce elocauerit, quiſpiam eiuſmodi volumina euulgauerit, proteſtor non fore mea. Quia nec collimata ſunt nec polita, & multis ſcaturiunt mendis: multa denique continent examine & cenſura & caſtigatione digna.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM ET VERBORVM MAXIME NOtabilium, quæ in hiſce Commentariis continentur, ordine Alphabetico digeſtus.

A

Abbates & monachi peccant forſan mortaliter, ſi ſuſceptores ſint in baptiſmate. 131.a
Abbates poſſunt iure adminiſtrare minores ordines. 598.b
Abbates an poſſint in bigamia diſpenſare. 648.b
Abbatiſſæ non habent iuriſdictionem ordinariam. 508.a
Abbatiſſæ vel prioriſſæ non habent ſpiritualem poteſtatem ad ſtatuendum præceptum. 508.b
Abbatiſſæ nequeunt moniales benedicere, nec ipſarum confeſſiones audire, nec prædicare. 600.a
Abraham quando actum credendi habuit, iam erat in gratia, quã reputari illi ad iuſtitiã, fuit reputari ad meritũ de cõdigno. 86.a
Abraham quomodo Agar repudiauerit. 700.a
Abraham abſque expreſſa reuelatione & diſpenſatione Dei non potuit cum ſorore contrahere. 839.b
Abrahæ filij immolatio an fuerit per diſpenſationem. 698.a
Abrahæ vera vxor fuit Agar. 693.b
Abrahæ bigamiæ myſterium enarratur. ibidem.
Abſentem nullatenus abſoluere licet. 475.a
Abſentis coniugis quæ certitudo requiratur vt coniux poſſit ſecundò nubere. 733.b
Abſentia coniugis quantumcunque longa, etiam ſi mortuus credatur, non efficit firmum ſecundum matrimonium, ſed illo aduentante ſecundum eſt dirimendum. 733.
Abſolutio à peccatis in mortis articulo à quouis ſacerdote fieri poteſt inte poſitiue. 468.a
Abſolutio quæ fit per ſacramentum, & quæ fit per indulgentias, in quo differant. 521.b
Abſolutio à cenſuris poteſt per litteras obtineri. 451.b
Abſolui poteſt in octo caſibus quis ab excommunicatione Papæ reſeruata per ſuum parochum. 556.a
Abuſus eorum qui dicunt: Parcat mihi Deus & beata virgo. 885.a
Accedere ad Euchariſtiam cum conſciontia peccati mortalis, quod genus peccati ſit. 289.a
Accidentia relinquuntur ſacramento altaris ſine ſubiecto, videlicet ſine ſubſtantia. 250.b
Accidẽtia non ſubſiſtunt in Euchariſtia per naturam ſuam. 251.a
Accidentia quæ remanent in Euchariſtia, ſunt in ſubiecto in quantitate dimenſiua panis vel vini remanente. 252.b
Accidentia etiam quanti prædicabilis manent in Euchariſtia ſine ſubiecto. 231.a.& 250.b
Accidentia alia ex quantitate poteſt Deus ſeruare in Euchariſtia ſine quantitate. 253.a
Accidentium panis & vini eædem habentur notitiæ intuitiuæ ante conſecrationem & poſt, non tamen iudicatiuæ in Chriſtianis. 231.a.b
Accidentis ratio eſt per naturam ſuam eſſe in alio. 250.b. Vide Euchariſtia.
Accuſatio illegitimi matrimonij coram quo fieri debeat, & quibus iuribus. 779.b
Accuſator & teſtis quis eſſe poſſit in cauſa matrimoniali. 780.b
Accuſare matrimonium quæ perſonæ poſſint. 779.b
Acolyti ſiue acoluthi ſignificatio. 582.a
Acolyti officium. ibidem
Actus pœnitendi non eſt ei neceſſarius, qui ſic peccatorum eſt oblitus, vt facta diligenti indagine nequeat vllius reminiſci. 378.b
Actus charitatis quantumcunque egregius nullus valet ad ſalutem exiſtenti in peccato mortali præter martyrium. 378.a
Actus penitentiæ à timore ſeruili procedit ſicut à primo motu noſtri affectus ad hoc ordinato. 367.b
Actus cõiugalis poteſt eſſe apud Deum meritorius gratiæ. 619.a
Actus coniugalis licitus eſt. 618.b
Actus coniugalis obedientiæ & iuſtitiæ aç religionis virtus. 619.a
Actui coniugali peccatum accidere poteſt tripliciter. 619.b
Actus coniugalis non tollit rationis ordinem ſicut fornicatoris, & ideo alter non eſt peccatum ſicut alius. 619.b
In actu coniugali nimia fruitio coniugibus vitanda. ibid.
Actus bifariam excuſatur. 698.b
Adam cum omnes ſcientias infuſas haberet, vtrum vtebatur phantaſmate. 21.b
Adam in qua ætate creatus ſit. 827.b
Adoptare quæ perſonæ poſſint. 788.a
Adoptatio & filiatio legalis habent ſe vt cauſa & effectus. 787.b
Adoptio duplex, Perfecta & imperfecta. ibidem
Adoptio quid ſecundum iuriſconſultos & theologos. 787.b
Adoptio quare inuenta. ibidem
Adorare & ſuſcipere ſacramentum non idem ſunt. 272.b
Aduentus Chriſti duplex. 809.a
Adultera detem amittit deferendam marito eam publica authoritate occidenti. 731.a. Vide Vxoricidium.
Adultera an poſſit debitum à viro exigere. 721.b
Adulteræ pœnæ apud quaſdam nationes. 730.b
Adulteram qui petijt ad diuortium in foro eccleſiæ nequit ad necem ob id poſtea in ſeculari foro petere. 731.a
Adulteram Hiſpani non neceſſaria morte condemnant. ibidem
Adulteram occidens an peccet. 731.a
Adulteram occidendam cur Hiſpani tradant marito. 731.a
Adulteram teſtibus conuictam poteſt vir publica authoritate occidere. 730.b. Et an excuſetur à pœna homicidij. 731.a
Adulteram vxorem num propria authoritate, non expectata eccleſiæ, poſſit maritus deſerere. 721.b
Adulteram retinens an in eius crimen conſentire videatur. 720.a
Adulteram pertinacem nec reſipiſcentem an debeat maritus deſerere. ibidem
Adulteram emendatam conſilium eſt ne vir per diuortium deſerat. ibidem
Adulterij cauſa licitum eſt diuortium petere. 713.b.& ſeq. vide Diuortium
Adulterij crimen eſt mixti fori, vbi diſcrimen fori aſſignatur. 731.a
Ætas idonea ſuſcipiendi ſacramentum Euchariſtiæ. 300.b
Ætas ſponſalibus neceſſaria. 641.b
Ætas ordinandorum de iure antiquo & de nouiori quæ ſit. 601.b
Ætas matrimonio apta quænam ſecundum Philoſophos ſit. 715.a
Ætas immatura matrimonio plurima ſecum fert incommoda. ibidem
Ætas ad matrimonium ſecundum canones & leges exacta. 715.b
Ætas ad matrimonium requiſita, an ſuppleri poſſit malitia, & an prudentia. ibidem
Ætatis defectus non ſolum eſt impedimentum propter impotentiam coëundi, ſed propter defectum vſus rationis. 716.a
Ætatis defectus impedit & dirimit matrimonium. 715.b
Ætate minori fœmina cur maturior ſit viro quam vir fœminæ. 716.b
Affinitas triplex ſpiritualis contrahitur in baptiſmo impediens matrimonium contrahendum & dirimens contractum. 130.b
Affinitas ſpiritualis contrahitur, ſi non baptizatus baptizet, non tamen ſi baptizatum de fonte leuet. 130.a
Affinitas ſpiritualis contrahitur etiam ſi ſuſcipiens puerum in baptiſmo ſit hæreticus. ibidem.a
Affinitas contrahitur in baptiſmo priuato, qui fit in neceſſitate, non in publico catechiſmo, qui in eccleſia fit. 131.b vide Baptiſmus.
Affinitas triplex ſpiritualis impediens matrimonium contrahendum & dirimens contractum contrahitur in confirmatione. 191.b. vide confirmatio.
Affinitas ſponſalibus ſuperueniens ea dirimit. 645.b
Affinitas quæ propriè dicatur. 770.a
Affinitas aliqua an contrahatur. ibidem
Affinitas non contrahitur per coitum nefarium. 772.b
Affinitas quoto gradu prohibita. 774.a
Affinitas non contrahitur per oſculum & impudicos tactus, imò nec per ſeminis effuſionem extra legitimum vas. 772.b
Affinitas omnis vſque ad quartũ gradum impedimẽtum eſt, matrimoniũ contrahendũ impediẽs, & contractũ dirimens. 773.b
Affinitas per illicitum concubitum contrahitur dummodo in vaſe legitimo copula conſummetur. 772.b
Affinitas vel aliquod matrimonij impedimentum vtrum poſt ſponſalia contrahatur. ibidem.a
Affinitas vna an aliam trahat. 770.b
Affinitatis gradus an ſit aliquis iure naturæ vetitus. 774.a
Affinitatis perpetuum eſt vinculum. 772.a
Affinitatem cum patre an contrahat qui filium Iudæi vel gentilis de fonte leuauit. 786.b
Agar vera vxor Abrahæ. 693.b
Agar cum ſuo Iſmaele domo propelli iuſſa eſt. 694.a
Agar quomodo repudiata. 700.a
Alba qua induitur ſacerdos ſacra facturus quid ſignificet. 333.b
Alchimicæ aquæ & ex herbarum ſuccis expreſſæ, æquiuoce dicuntur aquæ. 102.b

Digitized by Google

Alexander VI. Pontifex vtrum commiserit dominium Occidentalium Insularum regibus catholicis. 157.a

Alimentorum vsus non erit post resurrectionem. 829.a

Amentem à natiuitate baptizari posse, & corpus Christi in necessitate recipere posse ait gloss. in cap. recedunt. 26. quæstio. 6. 298.b

Amentibus & furiosis per interualla an sit administrandum sacramentum. ibidem.b

Amicitiæ duo genera. 770.a

Amictus qui imponitur capiti sacerdotis velum significat, quo Iudæi faciem Christi velabant dicentes: Prophetiza nobis, &c. 333.b

Amor & delectatio non est in omnibus beatis æqualis. 918.b

Amor in patria non est liber. 927.a

Altare vnde dicatur. 330.b

Altare quid designet. ibidem

Altare necesse est consecretur Eucharistiæ sacrificio celebrando ibidem, & 332.a

Anabaptistæ quare baptizatos in infantia putent rebaptizandos. 153.a

Anastasius veram intentionem habuit baptizandi, licet iocoid fecerit. 67.b

Ancillam si ducat ingenuus credens liberam, si tamen dicat, quod eam duceret si esset ancilla, matrimonium tenet. 712.b

Ancillam herus si ingenuo locet, tunc & libertate donare censetur, & matrimonium legitimum est. 713.a

Ancillam si ducat vxorem herus, matrimonium stabile est. ibid.

Ancillam si quis ignorans duxerit, an ea postea secretò à domino manumissa conualescat matrimonium. ibidem

Ancillam si quis ducat libertate in tempus donatam, an valeat matrimonium. ibidem

Ancillã si ingenuus duxit, pòst conditionis conscius matrimonũ confirmare cupit, an tunc eadem ipsa consentire debeat. 713.b

Angelus quo pacto Deum comprehendat. 916.a

Angelus & anima in quo differant. 795.a

Angeli animas in cælum euehunt. 888.b

Angeli neque boni, neque mali sententia Christi iudicabuntur, quantum ad supplicium vel præmium essentiale. 870.a

Angelus via ordinaria sacramenta ministrare non potest. 65.a

Angelus non potest Eucharistiam spiritualiter sumere, quia re ipsa sumere non potest. 282.a

Angeli possunt à Christo virtutem accipere ministrandi sacramenta. 65.a.b

Angelorum ruinas per hominum assumptionem reparandas esse, quomodo intelligendum sit. 171.b

Angeli non organizabunt corpus hominis in resurrectione. 811.b

Angelorum bonorum & mal. officia in die iudicij. 805.a

Angariare quid. 213.a

Anima Christi ex vi consecrationis solum est in Eucharistia, qua ratione dat esse corporeum. 232.b

Animæ nonnunquam alibi quàm in purgatorio purgantur. 495.a

Animas à purgatorio eripi tangendo benedictum calculum, vel recitando Aue Maria aut Pater noster, deberet populo dissuaderi. 529.b

Anima Christi videt in verbo omnia, quæ Deus videt scientia visionis. 924.a

Anima separata à corpore eandem naturam & affectionem ad corpus retinet, non è contra corpus ad animam. 817.a

Anima an indigeat organo corporeo. 792.b

Anima fælix, quæ in paradiso inhabitarit, nulla vnquam in hanc vitam reuocata fuit. 841.b

Anima separata à corpore vtrum moueatur localiter. 837.b

Anima nostra & brutorum quibus differentijs distinguuntur. 792.b

Animam esse immortalem firmissima eademque certissima confessio est Christianæ fidei. 771.b

Animam per se subsistere quibus rationibus venandum sit. 792.b

Animam esse immortalem dubitarunt aliqui propter male intellectum Aristotelem. 793.b

Animæ puerorum sine baptismo obeuntium deportantur à dæmonibus in limbum. 838.b

Animæ beatorum secundum beatitudinis positam legem nequeunt è suis receptaculis exire nunquam reuersuræ. 840.b

Animam esse immortalẽ, an sit ratione naturali cognitum. 791.b

Animam non esse corruptibilem quibus rationibus probatur. 793.a

Animæ defunctorum non quidem necessitate, eo quod in sua receptacula conferre se ipsas nequeant, sed aliis de causis deferuntur vel ab Angelis, vel à dæmonibus. 838.a.b

Animæ defunctorum secundum permissionem aut dispensationem è suis receptaculis ad nos possunt reuerti. 840.b

Animæ defunctorum in sinu Abrahæ expectant resurrectionem corporum. 836.b

Animæ nunquam ab inferno aut limbo ita egrediuntur, vt non sint reuersuræ. 840.b

Animæ iudicium mentale. 838.a

Animæ quæ sunt in purgatorio solent apparendo suffragia sibi fieri deposcere. 841.a

Animæ quæ in inferno detinentur, vtrũ aliquando exeant. 841.a

Animæ separatæ qualiter ab igne inferni pati dicuntur. 954.a

Animæ iustorum illico in cælum euolant. 839.a

Animæ damnatorum an fungantur officio dæmonum ad tentandos homines. 841.b

Animarum quinque fuerunt ab orbe condito receptacula. 831.b

Animarum status duplex. ibidem

Animas damnatorum post aliquot mala purgatas regno Dei perfruituras putabat Origenes. 953.a

Animas defunctorum falsò existimabat vulgus in purgatorio detineri quo vsque debitorum restitutio hic fiat. 849.a

Annihilatum non potest idem numero iterato creari secundum D. Thomam. 255.b

Annus probationis an abbreuiari debeat ingredienti religionem post matrimonium ratum. 638.b

Annus integer probationis expectandus est manenti in sæculo, nec interim potest alij matrimonio iungi. 638.b

Annus inceptus an sufficiat ad sponsalia. 642.a

Annus inceptus an sufficiat ad matrimonium. 715.b

Antichristus quare permitteretur persequi familiam Christi. 858.b

Antichristus quanto tempore persequetur Ecclesiam. 860.b

Antichristus vera miracula non edet. ibidem.a

Antichristus aduentum Christi præcessurus est. 857.a

Antichristus quare sic dictus. ibidem

Antichristus pessimus omnium futurus est mortalium. 859.b

Antichristus per Michaelem extinguetur. 860.b

Antichristi natiuitas & mores. 859.b

Antiochus cum subuersionem Hierosolymorum moliretur, quare veniam non obtinuerit. 375.a.&b

Apostata à fide siue clericus siue laicus, irregularis est. 603.b

Apostoli creati sunt a Christo episcopi. 590.a.b

Apostolos resuscitasse gentiles, qui in inferno damnati erant, quomodo intelligendum sit. 847.b

Apostoli etiam post confirmationem habuerunt habitum pœnitentiæ. 370.b

Apostoli an solum per manuum impositionem confirmarint. 184.a

Apostoli post latum præceptum baptismi tenebantur Euangelico sacramento baptizari. 136.b

Apostolos baptizatos fuisse baptismo Christi pro certo tenendum est. ibidem.

Appetitus duplex: vnus naturalis, alter liber. 902.b

Applicatio sacrificiorum vnius ad alterum valet de condigno, similiter ieiuniorum & aliorum operum. 524.b

Aquæ sumptio impedit Eucharistiæ susceptionem. 297.b

Aquæ mistio cum vino non est de necessitate sacramenti Eucharistiæ, sed de necessitate præcepti. 214.b.215.a

Aquam exire de corpore Christi iam mortui miraculum fuit. 102.b

Aqua quæ fluxit de latere Christi pendentis in cruce naturalis fuit. 102.a

Aqua benedicta virtute operis valet contra dæmonem & ad venialium remissionem. 72.a.179.b

Aqua benedicta non est sacramentum. 72.a

Aqua & quodlibet aliud elementum habere potest qualitates secundas, non quidem natiuas, sed peregrinas. 102.a

Aqua benedicta & alia sacramentalia delent venialia peccata sine displicentia actuali ex opere operato virtute clauium. 388.a.391.a.b

Aqua in ea quantitate est miscenda vino ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ, qua facile possit in vinum conuerti. 216.a

Aqua est species atoma, quare non possunt duæ aquæ specie differre. 101.b

Aqua an sit de necessitate sacramenti Eucharistiæ. 215.a

Aqua deficiente an sit paruulus iamiam moriturus in puteum aut proximum flumen proiiciendus ne moriatur non baptizatus. 113.b

Aqua qualicũque transmutatione transmutatur, dummodo non soluatur species aquæ, potest fieri baptismus. 101.b

Arbor affinitatis noua excogitata ab authore. 771.b

Argumentum nullum desumi potest ex veteri lege, nisi quatenus naturam vim naturalis iuris habet. 760.a

Arist. libro secundo de Generatione cap. tertio clarissime dicit animam extrinsecus aduenire & esse diuinam. 795.a

Aristotelem cognouisse animam esse immortalem doctissime comprobatur. 793.b

Aranea in calicem consecratum incidens extrahitur & comburitur, & species sumuntur. 345.a

Articulus mortis quis dicatur. 468.b

Digitized by Google

Astra corporaque cælestia incremento lucis in mundi innouatione decorabuntur. 888.b.889.a
Attritio existimata contritio sufficiens dispositio est ad suscipiẽda omnia sacramenta. 284.b
Atttritio cognita solum sufficit ad baptismum suscipiendum. 285.a
Attritio existimata contritio est sufficiens dispositio ad sumendam Eucharistiam & confirmationem. 284.b.285.a
Attritio cognita non sufficit. ibidem
Attritio duplex. 419.a
Attritio an sic à contritione differat, vt fieri nequeat contritio. 417.b
Attritio sine sacramento non sufficit, etsi contrarium dicat Caietanus. 418.b.
Attritum fieri contritum per sacramentum, non est certum secundum fidem. ibidem
Auditus etiam in corpore glorificato habebit vsum fœlicissimum. 936.a
Auerroes quàm delirè & phreneticè Aristotelem interpretetur loquentem de intellectu agente & possibili. 794.a
Augmentum meriti etiam minimum pluris æstimandum est, quàm liberatio à maxima pœna purgatorij. 527.b
Aureola quid. 944.b
Aureola virginitatis an sit cõcedenda sacratissimę virgini. 947.b
Aureola non est principaliter in corpore, sed in mente, quamuis per quandam redundantiam refulgeat in corpore: aureola non competit Christo domino. 950.a.b
item nec Angelis. 950.b
Aureola doctorum quibus debeatur. 949.b
Aureola Martyrum cæteris anteferenda est. ibidem.
Aureolam virginitatis an valeant promereri frigidi & eunuchi, cæteriq; ad generandum impotentes. 947.b
Ad aureolam virginitatis requiritur propositum perpetuo virginitatis seruandæ. ibidem.a.b
Aureolę tantum sunt tres, scilicet Virginitatis, Martyrij, & doctrinę. 946.b
Aureolę an sint ab essentiali beatitudine distinctę. 944 b
Aureolę vtrum futurę sint in beatis à fructibus distinctę. 945.a
Aureolæ subiectum quod. ibidem.a
Author suorum operum catalogum recensens quædam animaduertit & castigat. 962.b.963.a.b
Auxilium spirituale necessarium est ad infusionem primam gratiæ, ex parte peccatoris, vel vt conuertatur peccator. 369.a per totum, & contra Scotum & alios.
Azymi quo die fiebant apud Iudęos, vbi pulcherrima disputatio de die, qua Christus pascha celebrauit. 211.a.b

B

BAlneari cum parentibus nefas erat filiis apud Romanos 761.a
Balsamum non est necessariò adhibendum in materia confirmationis necessitate sacramenti, sed necessitate præcepti. 183.a
Balsamum ex Christi institutione miscendum est vnguento in materia confirmationis. 183.b
Bannum quid. 649.b
Banna vnde originem traxerint. 650.b
Banna non sunt iusta iure communi sub excommunicationis pœna. 652.a
Bannorum ritus dissimulandus esset, nec absque illis contrahentes excommunicandi. ibidem
Bannorum omissio non est mortalis. 653.a
Baptismus sub conditione est licitus, quoties adhibita diligentia nõ possumus assequi sit ne infans baptizatus nec ne. 116.b
Baptismus minuit in hac vita concupiscentiam, & aufert pœnalitates in resurrectione. 165.b. & 166.b
Baptismus necessarius est & necessitate finis, & necessitate præcepti. 132.b
Baptismus solemnis quando in primitiua ecclesia celebratur, baptizatos statim confirmabat episcopus. 119.a
Baptismus est in genere actionis vel passionis. 8.a.& 96.a
Baptismus multis nominibus nuncupatur à sanctis. 94.b
Baptismus per antonomasiam est, & dicitur sacramentum fidei. 94.b
Baptismus solum supponit pro ablutione passiua, connotando, quod fiat sub tali forma. 8.b.& 95 b
Baptismus Ioannis licè à Ioanne Deo inspirante est institutus ante cessurus Christi baptismum. 88.b
Baptismus Ioannis non fuit sacramentum etiam ad eum modũ, quo legis veteris sacramentum. 89 b
Baptismus Ioannis non fuit in præcepto populo Iudęorum. 89 b
Baptismus Ioannis erat dispositio remota, & quodam modo extrinseca baptismi Christi. 90.b
Baptismus Ioannis non conferebat gratiam. 90.a. b. per totam.
Baptismus institutus fuit cum Christus baptizatus fuit in Iordane. 97 a
Baptismus in nomine Christi tantum, nunc temporis non est validus. 107.b
Baptismus quantum circuncisioni præcellat. 96.b
Baptismus Ioannis partim fuit à Deo, partim ab ipso Ioanne. 88 b
Baptisma triplex in peccati remedium. 119.b
Baptisma verum quantam requirat aquam. 111 b
Baptismus collatus cum nomine genitoris & geniti & procedentis ab vtroque an valeat. 106.a
Vtrùm etiam valeat in nomine Christi & in nomine Trinitatis. 106. vsque 111.
Baptismatum trium assertio & à sanctis celebratur, & à sacris literis fundamentum habet. 120.a
Baptismus imprimit characterem, quem circuncisio non imprimebat. 82.a
Baptismus sub illa forma collatus à pluribus: nos te baptizamus, non videtur esse Sacramentum. 127 a
Baptismus verus etiam si cum periculo mortis paruulus in flumen mergitur & emergitur. 114 a
Baptismus an possit fieri per modum aspersionis. 110 b
Baptismus Ioannis non excusabat baptizatos a baptismo Christi suscipiendo. 92.b
Baptismus nõ erat repetendus à quadam muliere Lusitana, quæ in virum conuersa fuit. 68. b. 69.a
Baptismi definitiones. 94. a.b
Baptismi forma in nomine Patris re instituta est à Christo, quãdo ipse in Iordane baptizatus est. 97.a
Baptismi aqua dicitur à sanctis patribus Christi sanguine rubricata. 101.a
Baptismi præceptum habetur Io.3 Matth.28. Marci vlt. 133.b
Baptismi institutio & vsus præcesserunt Christi passionem. 96.b.
Baptismi suscipiendi tempus præfinire potuit Ecclesia cunctis baptismi notitiam habentibus. 143.a
Baptismi forma & ablutio dicuntur esse simul non Mathematico sed humano more. 113.a
Baptismi sacramentum nemo simpliciter inuitus suscipit, tamen conditionaliter inuitus etiam metu mortis. 148.b
Baptismi proprius effectus est apertio regni cælorum. 169.a
Baptismi par gratia est in paruulis omnibus, in adultis dispar, iuxta variam cuiusque dispositionem. 170.a
Baptismi proprius effectus est condonatio culpæ omnis, & omnis pœnæ. 163.a. b
Baptismus aquæ solus inter baptismata est baptismus proprie. 121.a
Baptismus flaminis præstat simpliciter baptismo aquæ, vtrique tamen præstat baptismus sanguinis. 122.b.123.a
Baptismus flaminis & sanguinis quare sic dicantur, & quid sunt. 120.a
Baptismus flaminis & sanguinis quomodo vicem baptismi suppleant. 121.b. 122.a.& 136.b
Baptismus aquæ solus inter baptismata est simpliciter in præcepto, & similiter necessarius ad originalis remissionẽ. 122.a
Baptismus flaminis & sanguinis quomodo differant. 121.a
Baptismus de iure diuino non est repetendus. 114 b. 115 a
Baptismus in consilio fuit vsque ad Christi passionem, idem tamen in præcepto. 98.a 135.a
Baptismus valet, & si infans inuitis parentibus infidelibus baptizetur. 158.b
Baptismus solus repræsentat passionem Christi. 147.a
Baptismus geminandus est super monstrum, quod est duo supposita. 117 a
Baptismus flaminis & sanguinis non sufficiunt simpliciter ad salutem, neq; excusãt ab alligatione baptismi aquę. 121.a.134.a
Baptismi Christi præceptum habebant Apostoli, quo baptizati sunt viuente Christo. 136.b 137.a
Baptismi præceptum simul cum iure naturæ obligat patres suos baptizare filios.
Baptismi ritus & ceremoniæ explicantur. 177. a. b
in Baptismi forma necesse est vt conferatur sacramentum, quod explicetur actus, qui exercetur à ministro cum inuocatione Trinitatis. 103.a
in Baptismi forma non potest exprimi actus, nisi simul & persona recipiens explicetur. 105.a
Baptismi forma, qua vtuntur Græci, sit ne legitima, & an nostris illa vti liceat, & Græcis nostra. ibidem
in Baptismi forma quid significet dictio, in nomine. 105.b
Baptismi duplex materia: aqua. s. & ablutio. 95.a
Baptismi materiam congruentissimam instituit Christus aquam. 100 b
Baptismi materia potest esse aqua, in quam resoluuntur nix & grando, gelu, & non nix ipsa aut grando. 102 a
Baptismi materia non sunt sudor, lacrimæ, vrina, pituita aquæ

Digitized by Google

Alchimicæ, vel ex pane aut herbis expressæ. 102.b
Baptismi ministri ex officio sunt sacerdotes. 125.a
Baptismi vtendi necessitas inducta fuit hominibus post passionem & resurrectionem. 96.b
Baptismi duo tempora. 118.b
Baptismi tempus ab Ecclesia constitutum expectantes si repentina morte occupentur, in suo desiderio saluantur. 143.a
Baptismi dilatio quando non sit facienda in adultis. 143.a
Baptismi integritas tollitur deficiente aliquo ad plenam inuocationem Trinitatis. 107.a
Baptismum congruentem præcedit Catechismus & Exorcismus. 177.a.b. Vide Exorcismus.
Baptismum suscipere tenetur adultus quisque vbi primum rationis vsum attigerit. 143. b
Baptismum qui non assumpserunt, non ligantur Ecclesiæ præceptis. 352.b
Baptismum vtrum suscipit peccator impœniteus, si cum intentione Ecclesiæ baptizetur. 145.a
Ad baptismum non licet quempiam cogere. 154. a
Per baptismum satisfactio Christi reputatur plenaria nostra. 147.a
Baptismum Ioannis suscipientes quomodo confitebantur peccata. 90.b
Baptismum fieri bina aut trina mersione accidentarium & non necessarium. 112. a
Baptismo peculiari ratione tribuitur quod illuminat intellectũ & fœcundat affectum. 167.a
Baptismo flaminis & sanguinis baptizatus fuit Christus. 121.a
Baptismo flaminis non sunt baptizati sancti innocẽtes, sed baptismo sanguinis. 120. b 121.a
Sine baptismo in re vel in voto nemo potest salutẽ assequi. 135.b
Baptismo Ioannis quare voluerit Christus baptizari. 91. a.b
Baptismo Ioannis baptizari aliquos ante Christum, alios post Christum congruum fuit. 91. b
Baptismo Christi baptizata est virgo Maria. 137. a
Baptismo Christi baptizatus est Ioannes baptista. 137.a
Sine baptismo aquæ affirmare esse aliquod remedium, quod pueris sufficiat ad salutem, error est: temere autem dictum, quod suppleatur in illis effectus baptismi. 137.a
In baptismo solennem sacerdotes seruare tenẽtur ritũ Matricis Ecclesiæ, non Metropolitanæ aut Romanæ. 112.b
Baptizo verbo græco conuenientius vtitur ecclesia in forma baptismi, quam Latino verbo, Abluo. 16. a. b. 104.b
Baptizare se nemo potest. 105.a
Baptizare potest non baptizatus. 126.a
Baptizare solemniter nemo alius quàm plebanus potest in sua parœchia nisi ex priuilegio aut plebani facultate. 124.a
Baptizare licet puerũ iamiam morituru recusãtibus parẽtibus infidelibus, non tamen multum pugnantibus. 160. a
Baptizare simul plures quando liceat, & qua forma tunc vtendum sit. 129.a.b
Baptizare posse mutum nutibus error est.
Baptizare puerum cum intentione ei nocendi in vita temporali aut alio finistro proposito, licet sit peccatum graue, non tamen tollit veritatem Sacramenti. 115.b
Baptizari possunt infidelium filij absque parentum consensu, si ab illis conueniri non possint 159.a
Baptizari possunt infidelium filij ratione tam vtentes. 158.b
Baptizari an possit pars pueri egressa ex vtero materno. 160.b
Baptizari nemo debet inuitus. 148.b
Baptizabant Apostoli ante passionem sub hac forma. In nomine Christi. 98.a
Baptizauerunt semper Apostoli post Christi passionem: in nomine patris, &c. nisi quod forsitan addebat dictioni, filij, Iesu Christi. 109.b
Quod si quando baptizauerunt in nomine Christi, id factum est speciali reuelatione. 109.b
Baptizans domi citra necessitatem castigatur. 126.a.b
Si baptizantes sint simul plures, ille baptizat solum, qui prius formam profert: reliqui vero tanquam sacrilegi sunt rebaptizatores. 117.b
Baptizandi sunt furiosi quidam, alij vero minimè baptizandi sunt. 161.b. 162.a
Baptizandi non sunt ob scrupulum aliquem adulti è christianis inter christianos nati. 116.b
Baptizandi non sunt infidelium filij antequam vsum rationis habeant parentibus inuitis, aut tutoribus, si vtroque parente orbati sunt. 158. a. b
Baptizandi non sunt pueri, si dubitatur an aqua sit vera: quod si baptizentur sub condit one, sunt baptizandi. 102.b
Baptizandi sunt pueri, vt moris est, octauo die. 118.b
In baptizando adulto per se requiritur voluntas. 148.b.149.a
In baptizando peccatore adulto requiritur pœnitentia virtus, non autem pœnitentia sacramentum. 147.b
In baptizandis adultis in insulis vbi noua plantatur Ecclesia, consilium esset vt seruaretur tempus quod in primitiua ecclesia. 144.b
Imò oppositum est peccatum mortale. 144. b
Baptizati quotquot erant baptismo Ioannis, postea erant baptizandi baptismo Christi. 92.b
Baptizati infantes postmodum sunt ad fidem compellendi. 153.a
Baptizatus non maneret si quis ita aspergeretur vt aqua nullam corporis partem tangeret, sed vestes tantum. 112. a
Baptizatus inuitus recipit characterem, non tamen gratiam. 148.a. b
Baptizatus de sacro fonte ab aliquo quasi in instructionem & tutelam suscipiendus est. 130. a
Baptizatis pueris domi in ecclesia sunt adhibendi catechismi & exorcismi. 116.b
In baptizato requiritur recta fides ad suscipiẽdam gratiam baptismi, non characterem. 140.a.150.b
Baptizatos chrismare in fronte nulla ratione licet presbyteris. 119. a
Baptismus est sacramentorum ianua. 816.b
Baptizans vel baptizatus bis est irregularis. 603. b. 117. a. b
Baptizans proprium filium quando debitum petere, & aliud inire coniugium impediatur. 728.a
Beatissima virgo Maria. Vide in verbo Maria.
Beatus non est qui habet quidquid vult, vt vulgus existimat. 906.a
Beati vniuersi vident in verbo omnes quidditates rerum naturalium, non tamen rerum supernaturalium, vt opinabatur Durandus. 923. a
Beati vident creaturas visione matutina & vespertina, quid. 922. a
Beati vniuersi vident omnia quæ sunt formaliter in Deo. 920.a
Beati non omnes equali beatitudine fruentur. 917.a
Beati an possint videre essentiam Dei non videndo personam. 920.a
Beati vident in verbo quantum ad rerum existentias quotquot ad suum cuiusque statum pertinent. 924. a
Beati in corporibus glorificatis mouebuntur locali motu. 941.a
Beati an pedibus gradientur, an vero alio motu mouebuntur. 941.b
Beati damnatorum miseriam & pœnas videbunt. 961. a. b
Beatorum visiones per quid variabuntur vt sint aliæ aliis perfectiores. 917. b. 918.a
Beatitudo in genere cognita necessitatem infert voluntati quãtum ad specificationem, non tamen quantum ad exercitium. 904. a. b
Beatitudo perfecta & suprema naturalibus viribus acquiri non potest. 908. a
Beatitudo vtrum sit potius intellectus quàm voluntatis operatio. 895.b
Beatitudo non consistit in operatione hominis quæ in hac vita caduca haberi potest. 895.a
Beati non sunt ministri sacramentorum, licet potestatem ministrandi sacramenta habeant in cælo. 65.a.b
Beatitudo perfecta semel acquisita amitti non potest.
Beatitudo in nulla re corporea consistit. 892. b
Beatitudo practica & speculatiua. 902.a
Beatitudo quid, & in quo distinguatur à fœlicitate & vltimo fine. 892. b
Beatitudo est intellectus cognitio per se sufficiens. 902. a
Beatitudo est actio immanens. 894.b
Beatitudo post resurrectionem erit extensiuè maior. 928. a
Beatitudinem in visione consistere & in fruitione, adeo nõ sunt diuersa vt sint idem. 901.a. b
Beatitudinem sub generali ratione omnis homo suapte natura appetit, non solum naturali inclinatione, sed etiam actu elicito. 904.a
Beatitudinem in particulari cognitam nemo naturaliter potest appetere actu elicito, nisi super naturalis cognitione præsupposita. ibidem.a
Benedictio ecclesiæ an sit forma matrimonij. 621.a
Benedictio nuptiarum solum est de solennitate, non autem de forma necessaria. 624. a
Benedictiones nuptiales ecclesiæ per consummationem matrimonij præuenire an sit peccatum. 652.b.
Benedicere in Deo est benefacere. 8, 9.b
Benedictio aquæ chrismalis non est de essentia baptismi.
Bigamus quicunque irregularis est. 646. a. b & seq.
Bigamus quis dicatur. 646. a
Bigamus primus in lege naturæ fuit Lamech, qui duabus vxoribus vsus est. 693.a
Bigamus contrahens cum duabus successiue irregularis est, & huiusmodi irregularitas an sit iure diuino. 646.b
Bigamus an sit qui duo matrimonia inualida consummauit. 647.a
Bigamus sit ducens vnam de iure, & alteram de facto. 646.b
Bigamus est qui ab altero cognitam ducit vxorem. 647. a

Digitized by Google

Bigamus non est qui virginem à se constupratam duxit. 647.b
Bigamus sit qui adulteram vxorem scienter post adulterium cognoscit. 646.b. 647.b
Bigamus est qui post solenne castitatis votum matrimonium de facto contraxit. 646.b
Bigami clericali priuilegio non fruuntur. 588.b
Bigami septem modis fiunt. 646.b
Bigamia significationi sacramenti contraria est. 603.a
Bigamia duobus matrimonijs consummatis contrahitur. 646.b
Bigamia in omni lege fuit. 646.a
Bigamiæ duplex genus. 646.b
Bigamiæ irregularitas non tollitur per baptismum. 648.a
Bigamiæ Abrahæ mysterium explicatur. 693.b
Bigamia ante baptismum contracta obstat sacramento ordinis suscipiendo: per tot. art. 648.a
Blasphemia grauius peccatum est genere suo quàm homicidium. 289.a.b
Bonum nullum est quod non præmietur an verificetur in damnatis. 404.a
Bonum triplex. 892.b
Bonum matrimonij sicut & eius finis triplex. 692.a
Bonum solum an sit obiectum voluntatis. 904.b
Bona excusantia matrimonium tria tantum sunt. 680.a
Bona matrimonij duplicia. ibidem. a
Bona huius seculi quare certis limitibus & lineis distincta sint. 924.b
Bona animi in tribus vitæ generibus collocabant sapientes. 907.b
Brutæ animantes secundum Arist. & Plinium etiam maternum congressum exhorrent. 761.b
Brutæ animantes qui cognitione finis carent, non sunt animæ capaces. 756.b
Buccella, quam Christus Iudæ porrexit, fuit vino intincta. 309.b
Bulla cœnæ dominicæ quos casus comprehendat. 555.a
Bulla cœnæ dominicæ cessat cum ipso Papa. 555.b
Bulla cœnæ dominicæ non admodum antiqua. 555.a
Bulla cruciatæ quem intelligat per idoneum. 466.b
Bulla cruciatæ an requirat vt suscipiens sit in gratia. 531.b.532.a
Bulla cruciatæ dat licentiam eligendi confessorem. 466.a
Bullæ cruciatæ antiquitas & origo. 522.b.531.b

C

CAdauera quare hodie non crementur. 850.a
Cadaueris forma fuit in Christo defuncto cõtrà quàm alij existimant. 237.b
Calendarij error in assignatione diei conceptionis Christi. 813.a
Calix quando primum eleuari cœpit discoopertus. 342.a
Capitulum cathedralis ecclesiæ sede vacante non potest indulgentias concedere. 524.a
Cardinales quare sic dicti. 593.a
Cardinalium antiquitas. 593.a
Cardinalium ordo non censetur iure diuino institutus tanquam à presbyteris & episcopis distinctus, sed pontificum iure inuentus ostenditur. 593.a
Carere vsu rationis quis dicitur duplici modo. 298.b
Carthusianorum institutio, vt nocte etiam citra culpam polluti ad gradus altaris non accedant, plus adfert pudoris religiosis, quàm reuerentiæ sacramento. 296.a
Casus cœnæ dominicæ. 447.b
Casus reseruati quando sint tam confitendi quàm absoluendi. 446.a
Casus, quos possit reseruare superior. 446.a
Castrati nunquid matrimonium contrahere possint. 707.a
Castitatis voto an teneatur infans ante vsum rationis ordinibus sacris initiatus. 600.b
Cataphrygæ hæretici mulieres ad sacros ordines admittebant. 600.a
Catharina filia Fernandi & Elisabet regum Hispanię duobus fratribus regibus Angliæ nupsit. 764.a
Catechismus & catechumenus quid sint. 177.a
Catechismus præcedere debet baptismum. ibidem
Catechumenus defunctus ante baptismũm an ingrediatur viam salutis. 136.a
Catechizationis forma ab Apostolis ad nos vsque deriuata. 177.a
Catholicus vir an teneatur vxorem reconciliatam ecclesiæ in suam domum recipere, & an ea inuita possit religionem ingredi. 754.a
Cæremoniæ legales quæ & quot sint. 10.a
Cæremoniæ quæ baptismum ornant in tria diuiduntur. 177.a
Cæremoniæ missæ an congruenter sint institutæ. 339.a
Celebrare in locis non consecratis vel benedictis vtrum sit peccatum mortale. 331.a
Celebrare bis in die quando liceat. 328.b
Celebrare vtrum liceat in ecclesijs violatis. 331.a
Celebrare extra ecclesiam, si contemptus absit, nunquam est peccatum mortale. 331.a
Certitudo moralis quæ sit. 633.b
Certitudo moralis requiritur mortis coniugis vt secundum matrimonium valeat. 733.b
Cessatio à diuinis est ministrorum prohibitio ne sacra faciant. 557.a
Cessatio an sit licita. 559.b
Cessatio potest tolli etiam citra iussum Pontificis partibus concordantibus. 560.a
Character in quo sit tanquam in subiecto. 46.b
Character in quo prædicamento & specie collocetur. 43.44.45
Character non est nomen inuentum Theologorum. 40.b.115.b
Character non est primarius effectus sacramenti. 47.a
Character quam consequentiam habeat cum fide & gratia. 45.a
Character idem per diuersos dicitur respectus potestates. 50.a
Character confirmationis necessariò præsupponit characterem baptismi, sic vt si quis baptizatus confirmaretur nihil reciperet. 187.b
Character an sit res distincta ab anima. 44.b.501.b
Character est res & sacramentum. 94.a
Character est omnino indelebilis. 48.a.b. & 501.b
Character quomodo intelligatur esse dispositio ad gratiam. 47.a
Character significat signum distinctiuum membrorum Christi ab infidelibus. 42.a
Characteris definitio assignatur & examinatur. 43.a
Characterem non imprimebat circuncisio. 82.a
Characterem tria tantum sacramenta imprimunt. 41.b
Charactere assimilamur Christi sacerdotio. 46.a
De charactere tenuissimam opinionem habuit Scotus. 40.b
Character quare in matrimonio non imprimatur. 681.a
Character sacramenti ordinis eo momento imprimitur, quo infunditur gratia, & eo infunditur gratia, quo character imprimitur. 584.a
Character sacerdotalis imprimitur ante manuum impositionem. ibidem
Character superioris ordinis inferiores non præsupponit 587.a
Character nouus non imprimitur in consecratione episcopi, sed extenditur sacerdotalis. 592.a
Charitas perfecta dupliciter dicitur. 496.a
Chrisma confici posse à simplici sacerdote ex episcopi commissione rationi consonum est. 185.a.b
Chrisma conficere edocuit Christus in cœna. 183.b.182.a
Chrisma confirmationis necesse est consecretur ab episcopo. 184.b
Chrisma confirmationis quot rebus constare debeat. 182.b.183.a
Chrismatis nomen quid significet. 182.b
Chrismatis nomen Græcum conuenientius ecclesia latina vsurpauit. 16.b
Chrismatis consecratio est de iure diuino, quo tamen iure nulla est præscripta consecrationis forma. 185.a
Chrismate vtebantur Apostoli dum confirmabant. 184.a
Chrismatio necesse est fiat in forma crucis. 186.a
An sit necesse vt fiat in fronte. 190.b
Christus in cœna ministrauit Iudæ eucharistiam, vt ex euangelio colligitur. 308.b.309.a
Christus post cœnam eucharistiam sumpsit & ministrauit, vt prius impleret figuram, quàm veritatem institueret. 297.a
Christus nullum sibi præmium essentiale meruit gratiæ scilicet gloriæ: cuius animæ cumulatissima debebatur ratione vnionis. 520.a
Christus nobis essentiale præmium promeruit, sibi verò quia redemptor orbis, fuit accidentale, nempe vt in nomine eius omne genu flectatur. 520.a
Christus in sumptione eucharistiæ sentit spiritualem gustum & dulcedinem. 308.b
Christus non tradidit Luc. 22. præceptum communicandi sub vtraque specie, imò verò nec exemplum. 306.b
Christus quare claues reliquit in ecclesia. 500.b
Christus potestatem authoritatis quam habuit in quantum, Deus, nemini communicare potuit, sicut nec suam essentiam. 55.a
Christus an prius fregerit panem quàm consecrauerit. 261.a.b
Christus in quantum homo operatur in sacramentis interiores effectus meritorie & efficienter. 54.a
Christus instituit prælatos per quos suam regeret ecclesiam. 506.b

Digitized by Google

Christus nulla lege ad circuncisionem tenebatur. 81.b
Christus prius proprium corpus sumpsit quam discipulis sumendum daret. 307.b
Christum baptizari baptismo Ioannis quare conuenientius fuerit. 91.b
Christus an fuerit rex temporalis. 608.b. 609.a.b. vbi latissima disputatio.
Christus nunquid rex iure paterno extiterit. 609.b
Christus monarcha totius vniuersi. 609.b
Christus postquam resurrexit vere comedit. 829.b
Christus etiam quatenus homo constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. 866 b
Christus quare primus resurrexit. 803.b
Christus ad iudicium venturus est in forma humana. 871.b
Christus etiam in quantum homo nouit diem iudicij. 810 b
Christum in forma sedentis credibile est iudicaturum. 877.b
Christiani omnes filij Dei adoptiui sunt. 787.b
Cibus & potus ex institutione ecclesiæ impediunt sumptionem sacramenti triplici de causa. 296.b
Cineres quare dicuntur reliquiæ cadauerum. 816.a
Cineres cuiusque particulæ corporis an ad eandem redibunt 824.a
Cinerum nomine intelligitur quidquid sit illud in quod corpus fuerit resolutum. 811.a
Cineribus cadauerum nulla supererit inclinatio animæ resumendæ. 817
Circuncisio per traditionem habebatur ante legem scriptam. 78.a.b
Circuncisio fuit in præcepto Iudæis vsque ad Christi passionem, pòst ne in consilio quidem. 98.b
Circuncisio à Iosue facta quid significet, & quare petrino cultello facta sit. 83.b
Circuncisio instituta est in remedium originalis peccati, quamuis fœminis applicari non possit. 79 b
Circuncisio quo tempore instituta fuerit. 77.b
Circuncisio soli populo Iudæorum est præcepta, licet vniuersis gentibus in remedium sit data. 78.b.79.a
Circuncisio licet ante octauum diem non fieret, tamen pueri in fide parentum saluabantur, quod non idem est de baptismo. 81.a.b
Circuncisio fuit præparatoria figura baptismi. 76.a.b
Circuncisio conuenienter fuit instituta in Abraham. 83.a
Circuncisionis definitiones. 75.b. 76.b
Circuncisioni ritus conuenientes esse explicatur. 80.a.b
Circuncisionis præcepti Genes. 17. edictum explicatur. 78.a
Circuncisionis præceptum quadam ratione dici potest legis naturæ, commodius autem dicitur legis scriptæ. 78.b
Circuncisionis mysteria. 77.a
Circuncisionis instituendæ necessitas. 76.b
Circuncisionem licebat differre per totam vitam, si puero circuncidendo periculum mortis immineret. 81.b
in Circuncisionem applicante nullus fidei habitus requirebatur, sed actus quo circuncisum offerret Deo. 84.b.85.a
ante Circuncisionem non requirebatur aliquod signum sensibile, quo fieret fidei protestatio in remissionem originalem. 85.a
in Circuncisione conferebatur gratia quoad omnes affectus, non tamen virtute circuncisionis, neque tam copiosa quam in baptismo. 82.83.
in Circuncisione etiam actualia peccata condonabantur adultis. 84 a
Circuncisus adultus cum attritione iustificabatur. ibidem.
Circuncisis non patebat aditus regni cælorum, quia tota natura manebat in debito. 83.b
Circuncidere nemo poterat in lege veteri ethnicorum filios ante rationis vsum inuitis parentibus. 159.a.b
Circuncidi tenebantur sanctificati in vtero matris. 81.b
Circuncidi tenebantur Iudæorum pueri, quibus applicatum fuerat remedium naturæ si superstites euasissent. 81.b
Circuncidi voluit Christus multis de causis, quamuis non teneretur. 81.b
Circuncidi non tenebatur inuitus quisquam, qui ex semine Abrahæ non descenderet, siue seruus, siue liber. 79. b
Circunstantiæ quę tollant rationem culpę, vel quę de mortali faciunt veniale, sunt necessario confitendę. 440.a
Circunstantiæ mutant speciem. 440.b
Claritas non erit æqualis in omnibus beatis corporibus. 942.b
Clauium triplex munus. 499.b
Clauium potestas ex quo loco scripturæ colligatur. 505.b
Claues sunt discernendi scientia & potentia iudicandi 500.a
Claues quare sunt in Ecclesia. 500.b
Clauium effectus est remissio culpæ & pœnæ. 510.a.511.a.b
Clauium potestas in solis sacerdotibus Euangelicis posita est. 505.a
Clerici non sunt exempti circa bona, quæ per negotiationem acquirunt. 613.b
Clerici in sacris de facto nuptias paciscentes excommunicantur, & beneficijs priuantur.
Clerici & ecclesię ministri quare à re vxoria debeãt esse alienissimi. 735.b
Clerici etymologia. 588.a
Clerici eo ipso quod corona insigniuntur, non censentur patrimonia aut temporalia bona a se abdicare. 588.b
Clerici neque iure diuino, neque humano sunt omnino à legibus ciuilibus exempti. 613.a
Clerici vendentes frumentum contra pragmaticam. 613.a
Clerici Græci. Vide Græci.
Clericos quare cæsareos appellauerit Witcleff. 587.b
Clericos negare esse exemptos à potestate ciuili, error condemnatus in concilio Constantiensi. 612.b
Clericos Papa potuit ab exactionibus & foro secularium principum merito liberare. 613.b
Clericorum exemptio propter eorum crimina remissius à Prælatis punita frequentius violatur. 613 b
Clericorum res & bona an sint iure diuino à potestate ciuili libera. 613 a
Clerici primæ tonsurę perdũt omnia priuilegia clericalia præter duo. 558. b
Clodouæo Francorum Regi, cum baptizaretur, neque esset copia chrismatis, columba rostro illud aduolando attulit. 65.b
Coactio simpliciter dicta in rebus duntaxat inanimis est, & in membris animatorum. Atque ibi vide, an sit in appetitu rationali vel sensitiuo. 655. b
Coactionis duplex genus. 655.b
Cogere nequit pater filium ad nuptias, inducere tamen potest. 662.a.b
Cogere ad fidem vel ad baptismum neminem licet. 53.b
Cogere potest Respublica opificibus destituta eos qui sibi necessaria videbuntur. 618.a
Cogi num possint aliquo casu sacerdotes aut monachi vel moniales ad matrimonium propter sponsalia iurata. 643.a
Cogi an quæ possit vt consentiat matrimonio. 657.b
Cælum quiescens præstantius erit post consummationem seculi, quam mouens se. 888.a.b
Cæli conflagrationem mundi non perpetientur. 885.a
Cæli non sunt diuisibiles. 938.b
Cœna Domini vtrum facta fuerit quartadecima Luna, an vero tertia decima. 209.a
Cognatio legalis triplex. 788.b
Cognatio spiritualis solum post legem Euangelicã viguit. 782.a
Cognatio spiritualis matrimonium contrahendum dirimit, non autem contractum. ibidem.b
Cognatio spiritualis an oriatur ex illicito coitu. 786.a
Cognatio spiritualis quid. 782.a
Cognatio spiritualis duntaxat per duo sacramenta baptismi & confirmationis contrahitur. 785.b
Cognatio spiritualis solum est ex statuto Ecclesiæ. 782 a
Cognatio spiritualis, quam quis contraxit non per actum proprium, sed per alienum, minimè in eius vxorem transfunditur. 785.b. 786.a
Cognatio legalis, quod impedimentum sit matrimonij 788.b
Cognatio spirituali an duntaxat inter baptizantem & baptizatum contrahatur. 785.a
Cognatio spiritualis non contrahitur per procuratorem. 784.b
Cognatio superius nomen est quàm consanguinitas. 755.b
Coitus nefarius non parit affinitatem. 786.a
Communio sub vtraque specie non est adeo prohibita secularibus, quin possit indulgeri illustribus viris. 305.b
Communio in quibus casibus sit licita absque confessione. 288.b
Communicans Papa cùm excommunicato non peccat, cæteri vero peccant. 548.b
Communicare cùm excommunicatis in quibus casibus sit licitum. 548.b
Communicare cum excommunicato an liceat metu mortis, graue dubium. 548.b 549.a
Compositio debitorum per Pontificem qualiter sit facienda. 534.a
Comprehensionis nomen quot modis accipitur.
Conatus ad copulam citra seminationem non consummat matrimonium. 635.b
Concubitus coniugalis solius voluptatis gratia est tantum veniale peccatum.
Concubinatus semper fuit illicitus sicut & fornicatio. 694.a
Concubinarij possunt se mortuis coniugibus mutuo copulare. 731.b.& seq.
Condensatio absque motu qualiter fieri possit in resurrectione corporum. 812.a
Conditio: si es pulchra, si mecum concubueris, quid operetur. 670.a

Digitized by Google

Conditio impossibilis pro non adiecta habetur. 668.a.b
Conditio, si Papa dispensauerit, si patri placuerit, quid efficiat. 666.a.664.b
Conditio de futuro adiecta verbis de præsenti, an impleta concilier matrimonium absque nouo consensu. 665.a
Conditionum varia genera. 664.a
Conditionatus consensus an sufficiat ad matrimonium. 663.b
Conditionatus consensus copula subsequente redditur purus. 669.b
Conditio turpis habetur pro non adiecta. 670.b
Conditio impossibilis duplex. 670.a
Conditio omnis matrimonio contraria ipsum tollit. 668.b
Conditio honesta de futuro suspendit contractum. 670.b
Confessio quamuis non esset iusta diuino iure, an possit ecclesia de ea sancire, præceptum humanum. 427.b
Confessio an debeat confirmationem præcedere. 189.b
Confessio sacramentalis an necessario debeat præcedere sumptionem eucharistiæ, an verò sit satis domi conscientiam examinare. 287.a.b
Confessio an possit fieri per nutum, nuntium, literas, interpretem. 451.a
Confessio cum absolutione non solum à culpa, verùm & à pœna liberat tam æterna quàm temporali. 453.a
Confessio de iure diuino est necessaria in articulo mortis. 433.a
Confessionis præceptum quo tempore obliget. 432.b
Confessionis materia an sint peccata ante baptismum commissa. 147.b.348.b
Confessionis proprius minister sacerdos est, aut cui ille commiserit. 460.b
Confessionis integritas ex numero mortalium & circunstantiarum pensatur. 438.439.& seq.
Confessionis secretum ex parte sacerdotis quatenus seruandum sit. 469.vsque 475
Confessionis conditiones sedecim. 440.441.436
Confessionem esse secretam non est de necessitate sacramenti. 450.a
Confessionem sacramentalem esse ab orbe redempto ad salutem necessariam, fuit semper catholica veritas. 428.a
Confessio vt est pars sacramenti, potest esse informis. 453.b
Confessio vt est actus virtutis, non potest esse informis. 453.b
Confessio quid sit, quotque illius conditiones. 436.a.b
Confessio integra an requiratur vt eidem fiat sacerdoti de omnibus. 443.b.444.a
Confessio in articulo mortis apud quemlibet sacerdotem catholicum fieri potest iure Pontificio. 467.b.468.a
Confessio informis quot casibus sit iteranda. 455.a.b. & sequent.
Confessio sacramentalis non fuit in lege veteri. 90.b.91.a
Confessio quæ fit sacerdoti non habenti iurisdictionem vel intentionem absoluendi est inualida, atque adeo iteranda. 455.a
Confessio cùm diuiditur vtrum sit vnicum sacramentum, quod ex duabus partibus constat, & vnica conferatur gratia. 448.a
Confessio quam faciebant suscipientes baptismum Ioannis, an esset vocalis. 90.b.91.a
Confessio vbi abest peccatum mortale non est in præcepto iuris diuini aut positiui. 73.b
Confessio multis locis iuris diuini fundatur. 426.b.427.a
Confessio quam non subsequitur absolutio, licet possit vtiliter fieri, neutiquam tamen est valida ad complendum præceptum. 456.a
Confiteri non potest qui nullius actualis culpæ conscius est. 348.a
Confiteri non tenetur peccator iure Ecclesiastico nisi semel in anno. 432.b
Confiteri laico in nullo prorsus euentu necessarium est. 459.a
Confessarij munus. 442.a
Confessarij an teneantur interrogare pœnitentes. 442.a
Confessarij quas qualitates habere debeant. 467.a
Confessarij Regum nunquam deberent coram eis de peccatis Reipub. prædicare. 471.a
Confessus semel in anno si postea recordetur alicuius peccati obliti, an possit differre eius confessionem in sequentem annum. 434.a
Confirmationis forma, Consigno te, &c. vsque ad concilium Florentinum literis expressa non habetur. 186.a
in Confirmationis materia adhibendum est balsamum vnguento ex præcepto Christi, non ex necessitate sacramenti. 183.a. & seq.
Cõfirmationis gratia differt à baptismali, & eam perficit. 74.a.b
Confirmationis characterem necessario debet præcedere baptismus. 187.b
Confirmationis sacramentum instituit Christus non exhibẽdo, sed promittendo in cœna plenitudinem Spiritus sancti. 182.a
Confirmationis minister est episcopus, vel ex commissione solius Papæ simplex sacerdos. 191.& seq.
Confirmationis sacramentum exhibendum est omnibus & solis baptizatis. 188.b
Confirmationis votum includitur in voto baptismi. 187.b
Confirmationis sacramentum à Christo non esse institutum, dicere error est. 181.a.b
Confirmationis sacramentum iterantes, non ideo sunt irregulares. 187.a
Confirmationem necessario debet præcedere contritio in habente peccatum mortale, non tamen confessio. 188.b.189.b
Confirmandi non sunt pueri ante septimum annum. 189.b
Confirmandi an sint muti, surdi, amentes. 190.a
Confirmatio characterem imprimit. 186.b
Confirmatio gratiam confert copiosiorem quàm cætera sacramenta, exceptis Eucharistia, & Ordine forsan sacerdotali. 187.b.188.a
Confirmatio efficit Christianos milites publicos fidei. 188.a
Confirmatio quando dicatur contemni. 190.b
Confirmatio pueris ante rationis vsum exhibita sacramentum est. 189.a
Confirmatio non est necessaria ad salutẽ necessitate finis. 182.a
Confirmatio non est in præcepto diuino aut pontificio. 190.a.b
Confirmandi necessario ab alio teneri debent quasi in pugna spirituali erudiendi. 191.a
Confirmati olim visibiliter Spiritum sanctum suscipiebant, ita vt linguis etiam loquerentur. 188.a
Confirmatis solis sunt conferenda reliqua sacramenta præter baptismum, alioquin peccatum est, licet non mortale. 187.b 190.a. Quid sit character confirmationis. 187.a
Confirmantes iam confirmatum cuius pœnæ sint rei. 187.a
non Confirmatus an possit ordinibus initiari. 189.b.587.a
Concilium non esse supra Papam ostenditur. 506.b.& seq.
Concilium repræsentare vniuersalem ecclesiam quomodo intelligatur. 509.a
Concupiscentia post baptismum non habet prorsus rationem peccati aut reatum culpæ. 166.a
Concupiscentia carnis, quæ est in vno iusto, an sit peccatum. 163.b.164.a
Coniugis congressus an arceat à sumptione Eucharistiæ 295.a.b
Coniux manens in seculo totum annum probationis expectare debet. 638.b
Coniux etiam ante copulam non potest religionem non approbatam altero inuito profiteri. 638.b
Coniugi relicto ante copulam non fit iniuria propter religionis statum. 635.b
Coniuges si incipiant dubitare an matrimonium ab eis contractum sit validum, quid agendum. 634.a
Coniugum potest alter altero inuito religionem ingredi ante copulam. 635.b
Coniugium non meretur palmam sicut virginitas quomodo intelligendum 619.b
Coniugatus quibus modis possit eligi in episcopum. 638.a
Coniugatus de facto aliam ducens nequit cum ea post obitum legitimæ vxoris contrahere. 732.a
Coniugatus si inuita vel ignorante vxore ordinetur, in hæresis suspicionem incidit. 604.b
& ab ordinibus suspenditur. 737.a
Concupiscentia ipsa in baptizatis quantum ad substantiam, nec diminuitur, nec debilitatur. 166.b
Consanguinitas quid. 755.b
Consanguinitas per lineas & gradus quomodo distinguitur. 756.b.757.a
Consanguinitatis noua arbor excogitata ab authore. 758.a.b
Consanguinitatis definitio an sit legitime constituta examinatur. 755.b
Consecrare sine ara consecrata nisi de summi Pontificis licentia, peccatum mortale est. 332.a
Consecrare iterum quando caro & sanguis in Eucharistia appareat, consilium est non præceptum. 316.a
Consecrare sanguinem qui intenderet per illa tantum verba: hic est calix sanguinis mei: conficeret quidem sacramentum, peccaret tamen mortaliter. 263.a.b
Consecrare chrisma an possit simplex sacerdos ex commissione Episcopi, vel Papæ. 185.a
Consecratio non perficitur nisi tota prolata forma Eucharistiæ. 233.a.b
Consensus formalis in carnalem copulam non est ad essentiam matrimonij necessarius. 631.a
Consensus interni etiam de præsenti non sufficiunt, nisi exterius per verba itidem de præsenti vel nutus exprimantur. 631.b
Consensus tacitus quando sponsis præsentibus, & non dissentiẽtibus alij pro ipsis respondent, matrimonium efficit. 632.a.b
Consensus vtriusque contrahentis an simul tempore concurrere debeant. 632.b
Consensus formalis vel interpretatiuus non requiritur ad susceptionem ordinum. 601.a

Digitized by Google

Consensus mutuus de præsenti est causa efficiens, nempe forma & materia sacramenti matrimonij. 621.a
Consuetudo ministrandi paruulis Eucharistiam iure optimo exploſa est. 300.a
Constantinus quod per baptismum fuerit à lepra mundatus, non vsque adeo authenticum est, vt asserit Caietanus. 172.a
Consensus de præsenti in duo matrimonia citra copulam an cõstituat aliquem bigamum. 646.b
Consensus coactus quando matrimonium inualidum reddat. 657.b.658.a
Consensus si absit, nulla verba quoad Deum matrimonium conciliant. 658.a
Consensus coactus an omnes contractus iure naturæ eneruet. 658.b
Consensus in matrimonium & in copulam, sed vterque metu mortis extortus, an efficiat matrimonium. 661.b
Consensus de præsenti sub conditione de præsenti an perficiat matrimonium. 663.b.& seq.
Consensus nouus requiritur post dispensationem Papæ in gradu prohibito. 665.b.666.a
Consensus in interiori iudicio nunquam per copulam præsumitur. 643.b. Vide Copula.
Consentire an possit alter in matrimonium post longum temporis lapsum. 632.b
Consentire simulans an teneatur alteri verè consentienti fidem seruare. 634.b
Consensisse dum alter vel vterque negat, quid agendum. 633.a.b
Constans qui dicatur, & quomodo differat à pertinaci. 656.a b
Consummare matrimonium ante benedictionem ecclesiæ an sit peccatum. 652.b
Contritio per se & suapte natura requiritur singulorum mortalium singularis & specialis. 412.b.413.a
Contritio est maximus dolor non intensiuè sed appretiatiuè. 414.a.b
Contritio specialis singulorum dicitur haberi, quando pro peccatis singulis tempore & loco oblatis dolet homo. 413.b
Contritio non potest esse per se nimia, sed ex adiuncto dolore sensus. 415.a
Contritio non est de originali peccato, sed de actuali. 431.a
Contritio legitima confessionis votum suo tempore faciendæ debet claudere. 350.b
Contritio tanto maior esse debet appretiatiuè quanto maior est culpa. 415.b. Vide Dolor.
Contritio si sit legitima, delet peccata antequam fiat singulorum indagatio. 382.a.b
Contritio potest esse tanta & feruor, vt vnico actu tollatur tota pœna. 384.a
Contritio definitur cuius subiectum est voluntas. 410.b
Contritio generalis peccatorum quatenus sunt Dei offensa sufficit, quando non datur tempus vel commoditas. 413.a
Contritio multis modis differt ab attritione. 417.b.418.a
Contritio non requirit determinatam intentionem neque tempus definitum contra Adrianum & Scotum. 416.b.417.a
Contritio in sacra scriptura qua significatione accipiatur. 410.b
Contritio quæ est pars sacramenti pœnitentiæ, necessaria est de omnibus peccatis mortalibus. 412.a
Contritio peccatorum quæ sit necessaria immemori. 378.b
Contritio non est detestatio actualis aut virtualis. 411.b
Contritio interior sine vocali confessione quare nõ sat sit. 425.b
Contritio nunquam dicitur virtualis. 414.a
Contritio vera an verò attritio sola requiratur à peccatore accedente ad baptismum. 172.b.173.a
Contritionis causa est confessio & absolutio peccatorum.
Continentia ordinibus sacris annexa est, & super ea dispensare potest Papa. 736.a
Conuersio panis & vini in eucharistia instãtanea est. 233.a.& seq.
Conuersio hæc significanti vocabulo transubstantiatio dicitur. 225.b
Conuersio panis & vini est causa præsentiæ corporis & sanguinis in Eucharistia. 223.b.224.a
Conuersio in hoc ordinatur vt corpus Christi contineatur, sicut panis sub speciebus secluſa inhærentia specierũ. 228.b.229.a
Conuersio in Eucharistia tria continet. 260.b
Copula coniugalis est de perfectione secunda matrimonii. 625.b
Copula carnalis licet non sit de essentia matrimonij, potentia tamen coeundi de eius essentia est. 706.a
Copula carnalis post sponsalia de futuro, in foro conscientiæ non est sufficiens causa matrimonij. 643.b
Copula interpretatiuus cõsensus est perficiendi quod per sponsalia fuerat inceptum. 643.b
Copula præcedens sponsalia non efficit ea matrimonium. 644.a
Copula precedens benedictiones ecclesiæ an sit peccatum. 652.b
Copula subsequens conditionales contractus, eos reddit puros. 669.b
Corona optimum & clericis dignum insigne. 587.b
Corona clericalis quomodo debeat attondi. 587.b
Corona clericalis res antiqua. 588.a
Corona clericali plures in Hispania insigniuntur, quo liberius delinquant. 588.b
Corona quare Leuitæ non decorabantur. ibidem.a.588.b
Coronâni nisi aperuerint, qui clericali priuilegio potiuntur, excommunicantur. 588.b
Coronam an teneantur aperire coniugati clerici. 588.b
Coronæ clericalis priuilegio non gaudent bigami. 588.b
Coronæ clericalis & monachalis discrimen. 588.a
Coronæ attonsio quid designet. 588.a
Corpus Christi in Eucharistia per nullã potentiam videri potest oculo corporali multiplicatis speciebus à corpore ipso. 247.b
Corpus Christi in Eucharistia videtur oculis ipsius Christi, per species, quas per se ipsum multiplicat. 248.a
Corpus Christi videtur à dæmonibus non intuitiue sed abstractiue per coactam fidem. 249.a
Corpus & sanguinẽ Christi contineri sub speciebus panis & vini, fides est ad credendum inter quatuordecim prõposita. 216.b vsque 221.
Corpus & sanguis Christi incipiunt esse in Eucharistia per conuersionem totius substantiæ panis & vini in totam substantiam corporis & sanguinis, nulla facta annihilatione aut resolutione. 225.vsque 231
Corpus Christi etiã cum ab indigno sumitur, descẽdit ad stomachum, & ad ventrem, si digestio specierum per morbum in stomacho facta non sit. 182.b.183.a
Corpus Christi in Eucharistia non habet suum proprium motum, sed mouetur localiter per accidens ad mõtum specierum. 245.& seq.
Corpus Christi in Eucharistia est sacramẽtaliter non circumscriptiue aut definitiue. 243.b.244.a
Corpus Christi non potest in Eucharistia alterari vel augeri, etiam per accidens. 246.b.247.a
Corpus Christi quomodo est in Eucharistia, non potest ab vllo intellectu creato, etiam ipsius Christi per naturam cognosci. 248.a.b.249.a
Corpus Christi per accidens & sacramentaliter diuiditur ad diuisionem specierum. 257.a
Corpus Christi aut sanguis per se non frangitur, ac perinde totum est, sub quacunque particula diuisa. 257.a
Corpus quod Christus in specie sacramenti dabat, non erat impassibile. 310.a
Corpus quomodo accipiatur, cum dicitur, corpus esse sub speciebus panis ex vi sacramenti. 236.b.237.a
Corpus Christi in sacramento non est per se ipsum in loco. 243.b
Corpus idem quod corruptum contra Durandum ex ijsdem cineribus resurget. 819.b
Corpus glorioſius non mouebitur in instanti, sed subito. 941.b
Corpora beata vtrum à corpore non beato naturaliter videri possint. 942.a
Corpora electorum cum omnibus suis membris resurgẽt. 814.b
Corpora quæ cum Christo resurrexerunt, an glorificata resurrexerunt. 807.b
Corpora glorioſa qua virtute sese mutuo penetrabunt. 940.a
Corpora omnia humana priusquam resurgant, vsque ad elementa resoluentur. 816.a.b
Corpora obesa, crassa, macilenta, &c. qualia sint resurrectura. 823.a Vide in dictione, Resurgere.
Corpora beata duo poterunt in eodem loco subsistere, licet philosophiæ naturali repugnet. 939.a
Corpora beata quibus dotibus exornabuntur. 932.b
Corpora damnatorum absque vllo vitio naturæ resurgent. 955.b
Corpora damnatorum an donabuntur dote subtilitatis. 956.a
Corpore vitiati suscipiendis ordinibus inepti sunt. 602.b
Corruptio an possit fieri in speciebus sacramentalibus. 254.a.b
Corruptio rei bifariam accidit. 792.b
Corruptum an possit per naturam idem numero redire. 799.b
Creare adeo proprium Dei est, vt hoc nulli creaturæ, nec tanquã creatoris instrumento possit impartiri. 29.b
Custodia hostiæ in die cœnæ in monumentis vnde fluxerit. 328.a
Cyprianus Cartaginensis Episcopus, vt ait Augustinus, Donatistarum errore commaculatus vsque ad mortem perstitit. 58.a
Cyprianus etiam illo errore fuit intinctus, quod hæretici non possent sacramenta conferre. 70.a

D

Dæmones morientibus hominibus adstant. 497.a
Dæmones habent virtutem animam aut corpus mouendi localiter, aut aliqua qualitate afficiendi. 179.b
Dæmones habent virtutem animam aut corpus mouendi localiter, aut aliqua qualitate afficiendi. 179.b
Dæmones quare nonnunquam in hominem potestatem exercere permittantur. 709.b
Dæmones habent virtutem animam aut corpus mouendi localiter,

Digitized by Google

liter,aut aliqua qualitate afficiendi. 708.a
Dæmones quare nunquam formam ouium induant. 878 b
Dæmonum maleficia quibus modis fiant. 708.a
Dæmonum fallacia circa maleficos. 708.b
Damnati an cum omnibus membris suis resurgent. 955.a.b
Damnati aliqui vtrum resuscitati, postea in cœlum euolauerint. 847.a.b
Damnati videbunt dotes gloriæ humanitatis Christi, nempe claritatem & reliquas. 874.a
Damnati quibus pœnis torquebuntur. 957.a.b
Damnati pœnitentiam non fructuosam, sed sterilem & crutiantem habent. 958.a
Damnati an experiantur sensum frigoris. ibidem.b
Damnati vtrum gloriam beatorum videant. 961.a.b. Vide plura in verbo: Corpora,& in verbo, Animæ.
Dalmatica quid significet. 354.b
Dauid an fuerit verus pater Thamar.
Debitum à coniuge petere pridie quàm accedendum sit ad Eucharistiam,irreuerentia est,non tamen mortalis 295.a.296.a
Debitorum compositionem facere potest pontifex, quæ incertis dominis debentur. 535.b
Debitum petere non potest qui vt affinitatem cum coniuge contraheret,propriam prolem baptizauit. 728.a
Debitum ab vxore petere non potest, reddere tamen tenetur incestuosus.728.b. Vide Incestuosus.
Debitum reddere non tamen exigere potest,dubius de morte prioris coniugis. 733.b
Debitum petere non potest, reddere tamen potest, qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxit. 740.b
Debitum denegare potest vir vxori in adulterio deprehensæ 721.b
idem potest vxor viro adultero. 723.a
melius tamen est ne deneget. 720.a.b
Debitum an possit vir denegare vxori propter solam adulterij suspicionem. 721.b
Debitum petere an possit adultera à viro innocenti. ibidem
Debitum exigere siue reddere in loco sacro,mortale est. 689.b
Debitum an teneatur reddere coniux sanus insano & furioso. 710.a
quid etiam an Leproso? 687.a
Debitum reddere tenetur alteruter coniugum de necessitate præcepti. 686.a
Debitum petendi & reddendi, an par sit vtrique coniugum ius. 687.b
Debitum petere aut reddere,an liceat menstruatæ. 688.b
Debitum negare,an liceat causa voti,aut orationis,aut temporis sacri. ibidem
Debitum reddere non tenetur coniux intra duos menses post nuptias. 638.b
Debitum reddere an teneatur coniux, qui dubitat an matrimonium sit validum. 634.a
Decimæ & oblationes in lege veteri habebantur loco sacramentorum. 72.a.b
Detestatio malefactorum virtutis actus est. 359.b
Deuotio an debeat præcedere augmentum gratiæ. 279.a
Deus an possit idē corpus in duobus locis ponere. 244.a.& seq.
Deus nunquam humanum genus sine remedio destituit. 86.a
Deus quemadmodum conuertit panem in corpus,an sic possit quodlibet aliud corpus conuertere. 230.a
Deus solus tanquam principale agens internum sacramenti effectum operatur. 30.a
Deus per legem iubet,& per sacramenta iuuat. 21.a
Deus liberè agit non tamen temere. 20.a
Deus, potest quamcunque rem in alteram conuertere, non tamen in seipsum. 230.a.b
Deus potest in hoc sæculo ex priuilegio singulari visionem sui impartiti dilectis 914.b
Deus in ratione speciei vnitur intellectibus beatis ad producendam eius visionem. 911.b
Deus videri potest totus,sed non totaliter. 916.b
Deus sine lumine gloriæ videri nequit. 914.b
Deus corporalibus oculis videri nequit. 912.a
Deus seipsum comprehendit. 915.b 916.a
Deus simpliciter est incomprehensibilis. 915.b
Dextra & sinistra in iudicio quæ sit. 878.a
Dextra Dei duo significat. 872.b
Diaconus solenniter in peccato officium exercens non peccat mortaliter. 586.a.b
Diaconatus & subdiaconatus ordines sunt partiales cum sacerdotio in vnum coeuntes sacramentum. 72.b
Diaconus corpus Christi dispensare potest vrgente necessitate si absit sacerdos aut si sacerdos non possit,ex illius licentia. 314.b 315.a.b
idem potest ex concessione Papæ 315.b
Diaconus ex officio sanguinem dispensat. 314.b
Diaconi vnde dicti. 124.a
Diaconi & subdiaconi ex commissione episcopi in primitiua ecclesia baptizabant solenniter. 125.b
Diaconum & subdiaconum solennniter ministrantes in peccato mortali Probabilius est non peccare mortaliter quam oppositum. 61.a
Dies computandi ratio tum in veteri, tum in noua lege. 211.a
Dies iudicij omni puræ creaturæ,tam per causas naturales, quam secundum viam Dei ordinariam occulta est. 880.b
Dies conceptionis Christi. 813.a
Dies Danielis & Apocalypsis de die iudicij explicantur. 810.a
Diem iudicij qui prænunciauerunt non sunt audiendi. 809.b
Diem iudicij nosse an expedierit ecclesiæ. 809.a
Dilectionis Dei talem actum, Volo Deo in omnibus placere, potest quis habere ex puris naturalibus. 418.a
Dispensatio in aliquibus tenet quamuis non sit causa, & peccet dispensans, in alijs verò non. 510.a
Dispensatio in gradu prohibito non firmat matrimonium absque nouo consensu. 666.a
Dispensatio nulla ecclesiæ cadit super voto solēni religiōis. 442.a
Dispensatum fuit cum Hebræis super furto, vt Ægyptiorum vasa surriperent. 698.a
item super vxorum multitudine 700.b
Dispensare an possit Papa super gradus in Leuitico prohibitos. 766.a
Dispensare potest Episcopus in omnibus in quibus Papa,nisi expresse sit cohibitus.
Dispensari an possit cum sacerdote occidentali vt nuptias contrahat. 737.a.b
Dispensatio votorum nisi legitima de causa fiat, non tenet. 530.a.b
Dispensationis Pontificis præsumenda est legitima causa, quando non est manifestus error. 530.b
Dispensare non potest ecclesia in præcepto confessionis, quantum ad substantiam præcepti. 434.b
Displicere multipliciter sumitur. 356.a
Dispositio ad suscipiendum sacramentum in Christiano qualis requiratur. 284.b
Dispositiones quas peccati reliquias vocant, nihil prohibet remanere remissa culpa. 384.b
Diuinitas Christi ab iniquis an sit conspicienda in die iudicij. 873.b
Diuinitas non est in Eucharistia ex vi sacramenti. 138.a
Diuitis epulonis historia narratur. 952.b
Diuortium quo ad thorum quibus ex causis fieri possit. 754.a
Diuortium & repudium quid. 699.a.717.b
Diuortium vnde dictum & quotuplex. 717.b.721.b
Diuortium non autem repudium pontificum iure permissum est 699.b
Diuortium ex iure diuino & naturali ortum habet. 717.b
Diuortium fornicationis causa quibus casibus maritus nequit petere. 718.a
Diuortium peti potest propter fornicationem spiritualem, nempe hæresim, Apostasiam,&c. 719.b
Diuortium an concedatur propter alia crimina, quam fornicationis. 719.b
Diuortium petere ab vxore fornicaria in quatuor tenetur maritus. 720.b
Diuortium fieri priuata authoritate non potest. 721.a.b
Diuortium petere an pariter possit vxor sicut vir. 722,a.b
per diuortium an matrimonium quo ad vinculum dirimatur. 723.b
Post diuortium si fornicetur, vir an possit compelli redire ad vxorem.
Diuortio faciendo an satis sit nefandum crimen probare. 718.a
Diuortio celebrato vtrùm possit vir aliud inire matrimonium. 723.a.& seq.vbi elegans disputatio.
Dolor maior esse debet de peccato proprio minus graui, quàm de alieno magis graui. 416.a
Dolor maior esse debet de peccato proprio, quàm de passione Christi. 416.a
Dolor idem in eodem appetitu sensitiuo vtrum habitum generet,sicut detestatio illum generat in voluntate.
Dolor in sensu dupliciter gignitur 414.b
Dolor contritionis qualis esse debeat. 414.b
Dolorem lamentabilem pœnitentibus excitare, saluberrimum est consilium. 415.a
Donatio facta Syluestro Papæ à Constantino Cæsare vere donatio fuit, non tamen restitutio. 610.b
Dormientes an sint baptizandi imminente periculo. 161.a
Dotes quæ futuræ sint in corporibus gloriosis. 931.a
Dotes non nisi in gloria dantur. 929.a
Dotes non erant ante orbem redemptum. ibidem
Dotes vtrum Christo vel angelis competant, an verò solis hominibus. ibidem.a

Digitized by Google

Dotes an sint habitus. 931.b
Dotes animæ qua habitudine à beatitudine distinguuntur. 932.a
Dotes animæ quot à doctoribus assignentur. 931.a
Dotium fidei ussores ex parte viri dari non possunt. 640.a
Dotium obligationem non soluit copula subsequens conditionalia sponsalia. 669.b
Dubium quando quid dicatur. 633.b
Dubium duplex, speculatiuum & practicum. 634.b

E

Ecclesia quibus de causis violetur. 331.b
Ecclesia consecrata si violetur, reconciliatur per solum episcopum, benedicta verò, per simplicem sacerdotem. 331.b
In ecclesia violata violatione publica non licet absque graui necessitate celebrare. 331.b
Ecclesia tempus præscripsit implendi præcepti diuini de sumptione eucharistiæ. 304.a
Ecclesiæ dedicandæ sunt celebrando eucharistiæ sacrificio. 329.a.330.
Ecclesiæ soli Deo non sanctis dicantur. 330.b
Ecclesiæ non necessario sunt consecrandæ eucharistiæ sacrificio celebrando, sed satis est vt benedicantur. 331.a
Ecclesiæ & altaria per consecrationem habent virtutem instrumentalem, vt Deus nostram deuotionem excitet. 332.a
Ecclesia licet habet in potentia iurisdictionem in vniuersum orbem si fidem susceperit, actu tamen vim coactiuam exercere non potest. 154.a.b
Extra ecclesiam catholicam & apostolicam non esse salutem nec remissionem peccatorum, quomodo intelligatur. 140.b
Ecclesiam sufficit hodie benedici, nec requiritur consecratio. 331.a
Effectus sacramenti & sacrificij quantum differant. 276.a
Eleemosynæ pro missa à pluribus recipi non possunt in ordine D. Dominici. 326.a
Eleemosyna quandoque gratior esse potest Deo & acceptior in satisfactionem pro defunctis, quam longa missarum multiplicatio. 849.b
Elementa qualiter innouabuntur. 883.a.b
Elias & Enoch in paradiso terrestri reseruantur ad prædicandum euangelium in toto orbe. 85?.b
Elias & Enoch in resurrectione non morientur cũ cęteris 816.a
Emanuel Rex Portugaliæ duas sorores duxit. 664.a
Episcopus si in peccato mortali conferat indulgentias, an illæ suo frustrẽtur fructu.
Episcopi & prælati tenentur curare quod quotidie missæ conuentualiter dicantur in ecclesiis collegiatis & religiosorum cohuentibus. 32?.b
Episcopi olim ieiuni confirmabant. 194.b
Episcopi qualiter intelligendi sint per alios baptizare. 124.b
Episcopatus non est sacramentum. 591.b
Episcopus vnde dictus 590.b
Episcopi & presbyteri olim promiscue vocabantur. 590.b
Episcopus & sacerdos in quo differant. 589.a.b
Episcopus nequit consecrari antequam sit sacerdos. 592.a
Episcopus licet characterem non susciplat, susciplt tamen indelebilem potestatem sacramenta administrandi 598.a
Episcopus excommunicatus irregularis degradatus sacramentum ordinis vere confert. 598.a
Episcopus dispensat cum illegitimè natis quoad minores ordines. 602.a
Episcopus indignos ordinans peccat mortaliter. 607.a
Episcopus cum quibus dispensare possit. 648.b
Episcopos esse omnes promiscuè sacerdotes ganniebat Lutherus. ?89.a.b
Episcoporum nouem indumenta propria, atque ibi eorum significatio. 593.b
Erasmus in dubium reuocauit an matrimonium sit sacramentum. 621.a
Erasmus de fide iocatur. 538.b
Erasmus errauit asserens tempore Hieronymi non fuisse præceptum pœnitentiæ. 429.b
Erasmus Anabaptistis fauet. 58.b
Erasmus asserit verba hæc: hoc est corpus meum: esse potius verba porrigentis quam consecrantis 261.a
Error pauperum de Lugduno. 58.b
Error qui contingit in intentione an vitiet sacramentum. 66.a.& seq.
Error & conditio in quo differant. 670.a
Error personæ impedit matrimonium. 672.b
Error quando impedit sacramentum. ibidem
Essentia Dei vtrum ab intellectu creato per aliquam creatam similitudinem videri possit. 909.b
Essenorum collegium ante Christi aduẽtum morem nostrorum anachoritarum seruabat. 675.b
Euangelistarum nomine qui comprehendantur. 61.b
Euangelium an debeat etiam per vim infidelibus promulgari. 153.b.& seq.
Euangelij promulgandi vbique terrarum ius est cuique christiano tam diuinum quàm naturale. 154.a
Eucharistia non est sumenda quotidie ab his qui quotidie peccant, rursus pœnitent etiam si sint sacerdotes. 302.b
Eucharistia omnium sacramentorum cõsummatio & finis. 49.a
Eucharistia est sacramentum corporis & sanguinis Christi, quo vita spiritualis nutritur. 195.b
Eucharistia conferebatur infantulis mox à baptismo etiam ante confirmationem, adultis autem post confirmationem, nisi abesset Episcopus qui confirmaret. 73.a.b
Eucharistia efficit attritum, qui se existimat contritum re ipsa contritum, etiam si actualem deuotionem non habeat. 271.& seq.& 286.b 287.a
Eucharistia si porrigatur infantulis, an cõferat illis gratiã. 300.a
Eucharistia an variis nominibus compellatur. 199.b
Eucharistia quãdoque conferre potest primam gratiam. 286.a.b
Eucharistia causa per se est adeptionis gloriæ. 273.a.b
Eucharistia hoc sibi proprium vendicat vt spiritualem vitam perpetuam efficiat. 277.a
Eucharistia consumi debet à sacerdote nõcremari, sicut sacrificia legis veteris. 316.a
In eucharistia & sub singulis speciebus & in singulis partibus specierum totus Christus est. 238.b 239.a.b
In eucharistia sub speciebus panis & ex vi consecrationis corpus Christi siue viuum siue mortuum, pro altera parte compositi connotando formam, à qua recipit esse corporeum. 234 vsq 238.b
Eucharistia non modo sacramentum, sed & sacrificium est christianorum vnicum. 322.a.b
Eucharistia non est vltro offerenda peccatori occulte non petenti. 291.a.b
Eucharistia an sit offerenda peccatori publico in vno loco, petenti tamen illam in alio loco. 291.a
In eucharistia species panis & vini sunt sacramentũ tantũ gratia res tantũ, corpus & sanguis res & sacramentum. 196.b.& seq
Eucharistia quando deneganda sit, quando porrigenda peccatori occulto. 291.b.& seq
Eucharistia nõ habet per se remittere peccata mortalia 274.a.b
Eucharistia & baptismus habent ex sua natura proprie vt venialia condonent. 274.b
Eucharistia non est ministranda amentibus à natiuitate. 298.b
Eucharistia est de necessitate salutis. f. vt homo per gratiam fiat membrum viuum ecclesiæ. 198.a
Eucharistia directe nullam habet vim remittendi pœnam, sed solum ex concomitantia. 275.b
Eucharistia operatur peccatorum remissionem dupliciter. 274.a
Eucharistia an legitimè denegetur damnatis ad mortem apud Hi panos. 304.b
Eucharistia publicis excommunicatis non est administranda, etiam si constet in foro conscientiæ esse in gratia, non idem est iudicium de occultis. 292.a
In eucharistia Christum sumet sacramentaliter non baptizatus, si intendat sumere quod ecclesia confert, non tamen illi proderit tanquam sacramentum. 183.a.b
Eucharistiæ sacrificium effectum consequuntur offerentes per modum meriti, per modum satisfactionis, & per modum impetrationis. 318.a.b.324.b
Eucharistiæ effectus non confertur ei qui adorat sacramentum, aut votum habet illius suscipiendi, sed solum re ipsa suscipienti. 13.a.272.b
Eucharistiæ sumptionem iure diuino præcedat necesse est confessio in eo qui peccauit mortaliter, si confessarius legitimus adsit. 287.b.
Eucharistiæ sacramentum initio nascentis ecclesiæ & Latini & Græci in azymo conficiebant. 210.b.& seq.
Eucharistiæ sacrificium quare quotidie iteretur. 327.a
Eucharistię fructus quib⁹ sit applicãdus. 327.b.328.a. Vide Missa.
Eucharistiæ sumptio aliquando veniale peccatum est aliquando mortale. 284.b
Eucharistiæ materia non terminatur in quantitate penes magnitudinem vel paruitatem. 205.a.b
In eucharistiæ materia conuenientius vtuntur Latini azymis quam Græci fermentato. 208.b.209.a
Eucharistiæ communionem sub vtraque specie sanctissime interdixit ecclesia populo. 305.b. 06.a
Eucharistiæ sacramentũ Christus cõfecit in azymis. 210.211.212
Eucharistiæ manducatores quatuor. 281.a
Eucharistię materia est panis triticeus & solus ille. 206.a.b
Eucharistiæ sacrificium est ipsa oblatione, consecratione, sumptione corporis & sanguinis Christi. 323.b
In eucharistiæ formis verba recipiuntur rectatiuè quasi à Christo dicta: at significatiue tanquam in persona ipsius Christi non sacerdotis. 267.b

Digitized by Google

Eucharistiæ effectum quoad spiritualem dulcedinem impediunt peccata venialia in actu, non tamen quoad augmentum gratiæ. 278.b.279.a
Eucharistiæ formis in est virtus creata ad conuersionem faciendam. 266.a.b
Eucharistiæ sacramentum tunc confert gratiam cùm primum comestum est, non post autem, nec ante. 271.b.272.a
Eucharistiæ sacrificium offerri non potest pro infidelibus & pro excommunicatis. 278.a
Eucharistię sacramentũ est vnũ propriè & simpliciter. 72.b.197
Eucharistiæ sumptio sub mortis articulum est necessaria, si secũdum ecclesiæ ritus sumi valeat. 298.a
Eucharistiæ sumptio sub vtraque specie non est contra ius diuinum: quinimo antiquâ ecclesiæ consuetudine probari videtur. 305.b
Eucharistiæ materia est omne & solum vinum vitis. 213.b
Eucharistiæ effectus est de necessitate salutis: percipitur tamen per votum. 198 a.b
Eucharistiæ reliquias, quas post lotionem reperit sacerdos, sumere debet, nisi sint notabilis quantitatis. 298.a
Eucharistiæ effectus non redit sublata fictione. 272.b
Eucharistiæ materia esse potest mustum ab vuis expressũ. 214.b
Eucharistiæ materia conficranda præsens esse debet sacerdoti. 205.a
Eucharistiæ sacramentum per se non est necessarium in re, sed in voto tantum. 198.a b
Eucharistiæ sacrificium quantumcunque multiplicentur ij pro quibus offertur ex institutione ecclesiæ, non habet in singulis minorem effectum. 325.a.b.326.a.b
Eucharistiæ, qua ratione est sacramentum, effectus differt ab effectu Eucharistię qua ratione est sacrificium. 276.a
Eucharistię sacrificium prodest iis omnibus pro quibus offertur, si tamen in gratia sint, etiam si actu deuotionem non habeant. 277.b
Eucharistiæ materia sunt panis & vinum. 203.a.b
Eucharistiæ sacrificij effectus an augeatur ad augmentum deuotionis ipsius offerentis. 276.a
Eucharistiæ sacramentum trib⁹ de causis appellatur panis. 223.a
Eucharistiæ effectus sunt sex.
Eucharistiæ sacrificium non prodest æqualiter omnibus habentibus æqualem deuotionem, sed illis amplius pro quibus singulariter offertur. 277.b
Eucharistię sacramentum in azimo conficere peccatum est Græcis & Latinis in fermentato. 209.a
Eucharistiæ sacrificium missa dicitur. 324.a
Per eucharistię sacrificiũ plenissima potest fieri remissio omniũ peccatorum, quę quoad culpam condonata sunt. 275.b.276.a
Eucharistiæ sacrificium offerentes sunt in triplici differentia. 324.b
Eucharistiæ sacrificium effectum habet virtute operis operantis & operati. 276.b.324.a
Per eucharistiæ frequentationem quanta gratia sacerdotibus accrescat. 279.b
Eucharistiæ valor, quanto in plures distribuitur ex sacerdotis intentione, tanto singulis euenit. 325.b. Vide de valore missæ. 325. per totum.
Eucharistiæ sacramentum in eo qui cum conscientia peccati mortalis recipit, quid operatur. 274.a
Eucharistiam non sumere in mortis articulo, non est peccatum mortale illi, qui in sanitate hoc sacramentum frequentasset, neque conscius sibi esset peccati alicuius. 304.a
Eucharistiam in primitiua ecclesia quotidie sumebant fideles, deinde singulis dominicis diebus, postea ter in anno, tandem semel in Paschate 301.a.b
Eucharistiam variæ præcesserunt in statu naturæ integræ & legis veteris figuræ. 202.a
Eucharistiam sumere potest quis ante peccati mortalis cõfessionem in quatuor casibus. 288.b
Eucharistiam rite suscipiens gratiam recipit, etiam si minister non habeat intentionem conferendi sacramentum. 50.b
Ad eucharistiam accedere semel in hebdomada debent seculares homines probitate insignes. 302.b
Ad eucharistiam accedentes decet vt confiteantur peccata, quorum fuerant obliti, sacerdoti iam iam in altari existenti. 289.a
Eucharistiam in peccato mortali sumens, si sumendo nõ peccet, semper suscipit primam gratiam. 286.b
Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis sumens sacrilegium committit. 383.b
Eucharistiam negare damnatis ad mortem quod in Hispania fit, non probatur ab authore. 304.b
Eucharistiam sumere in mortis articulum diuinum, sed tantum semel i[n] præceptum ex apostolorum tradit[ione] neque tantum semel in vita obligat. non est fortassis præcedens. 304.a. imò est diuinũ 298.a. ibidem a
Eucharistiam ministrare debet quilibet sacerdos peccatori occulto publice petenti. 292.a
Eucharistiam non potest angelus sumere, quia in re sumere non potest. 282.a
Eucharistiam sumere sine conscientia venialium consilium est, quamuis sumere cum illorum conscientia forsan nec veniale sit. 284.b
Eucharistiam sumpsit Christus non aliud sacramentum, vt eius nobis excellentiam commendaret. 355.b
Eucharistiam sumere cum conscientia peccati mortalis grauius peccatum est genere suo, quàm quodcunque contra creaturas commissum. 289.a.b
Eucharistiã quotidie sumens non statim peccat mortaliter, nisi in peccato mortali communicet. 301.b.302.a
Quotidiana eucharistiæ sumptio quomodo non in sacerdotibus sensibiliorem gratiæ, & charitatis effectum exterius referat. 279.b
Eucharistiam per se manducandi in re duo sũt tantũ modi. 281.a
Eunuchi qui sani se castrauerunt, fiunt irregulares. 602.b
Eunuchi an possint matrimonium inire.
Excellentiæ potestas quatuor rebus continetur. 54.a
Excellentiæ potestatem quoad singula membra quomodo potuerit Christus communicare. 55.a
Excellentiæ potestatem temerarium est affirmare, quod Christus communicauerit. 57.a
Excommunicatio quare dicitur minor, & à quibus priuet. 539.a
Excommunicatio à quo bono priuet, cum bonum sit triplex. 537.a.b
Excommunicatio quæ errorem non habet nisi intentionem pessimam ferentis illam valida est, quando autem sit vel non sit valida. 543.b.544.a
Excommunicatio maior incurritur per omne sacrilegium. 553.b Vide alia per quæ incurritur.
Excommunicatio quando non incurritur propter ignorantiam, quotuplex sit ignorantia, & quæ excusat. 542.b.& seq.
Excommunicatio non potest fieri pro peccato præterito, quod monitio nulla præcessit. 541.a
Excommunicatio minor semper est à iure. 553.b
Excommunicatio priuationem dicit à cœtu fidelium, & communib⁹ bonis spiritualib⁹, orationib⁹ & suffragiis 536.b.537.a
Excommunicatio minor potest sine peccato mortali ferri. 540.b
Excommunicatio an sit ex iure diuino. 538.a
Excommunicatio maior non potest ferri nisi pro peccato mortali. 140.a
Excommunicatio & sententia lata à iudice excommunicato est valida si nescitur esse excommunicatus. 551.a
Excommunicatio minor non transit in tertiam personam. 553.b
Excommunicatio & anathema quid sit, & vnde dicatur. 536.a.b
Excommunicatio in quibus casibus non tenet. 542.a.& seq.
Excommunicationis minoris explicatio. 553.a
Excommunicationis absolutionis reseruatę Papę vide plurimos casus. 555.a.b.& seq.
Excommunicationis error si sententiam non annullat, habet excommunicatio suum effectum, si annullet, non. 554.a
Excommunicationis abusum, & quot modis contingat excommunicatum exterius esse immunẽ in conscientia. 542.a.& seq.
Excommunicationis sententia in vniuersitatem vel collegium nullatenus potest pronunciari. 552.b
Excommunicationi non sufficit mortale peccatum, nisi sit peccatum inobedientiæ contra ecclesiam: inobedientiæ verò non censetur peccatum, nisi admonitio præcesserit vel ab homine, vel à iure. 140.b.541.a
Excommunicationem minorẽ soluere potest quicunque potest à mortalibus peccatis absoluere. 553.b
Excommunicationem trina debet præcedere monitio, vel vna cum interuallis. 541.a
Excommunicationem non incurrit percutiens clericum in casibus septem. 556.a
Ab excommunicatione lata ab homine potest absoluere iudex qui eam tulit. 553.b.554.a
Excommunicatus sacerdos celebrans peccat mortaliter, fitque irregularis. 547.a
Excommunicatus minori excommunicatione non peccat si requisitus conferat sacramenta. 551.a
Excommunicatus potest audire conciones, non tamen potest concionari. 547.b
Excommunicatus nõ est apud Deum, nec ecclesię priuatus suffragiis, qui sibi est conscius nõ fecisse peccatum, pro quo excommunicatio fertur, & si iudicetur esse exterius. 540.b.544.b
Excommunicatus non est irregularis, sed tunc fit irregularis quando excommunicatus celebrat. 599.a.b
Excommunicatus propter omissionem bannorum per bullam cruciatæ potest absolui. 651.a
Excommunicatus an possit absolui à peccatis prius quàm ab excom-

communicatione. 539.a.b
Excommunicatus quando dicatur traditus Sathanæ. 537.b.538.a
Excommunicatus etiam iniuſte debet humiliter obedire. 544.b
Excommunicatus poteſt abſolui in abſentia & inuitus. 556.a
Excõmunicatus maiori excõmunicatione priuatus eſt ſub mortali peccato tam actuali quàm paſſiua electione. 547.a
Excommunicatus à iure cuiuſcunque generis poteſt abſolui à parochiali ſacerdote, niſi ſpecialiter ſit reſeruata vel epiſcopo, vel Papæ. 554.a
Excommunicatus poteſt iterum excommunicari grauiori cenſura, etiam propter idem crimen. 552.b
Excommunicatus qui antequam abſoluatur, conteritur vere, an tunc gaudeat eccleſiæ beneficiis. 539.a
Excommunicatus ab vno Epiſcopo an poſſit abſolui ab alio ſatisfacta parte. 554.a
Excommunicatus pluribus excommunicationibus poteſt ab vna abſolui ſine aliis. 556.a
Excommunicato nullatenus poteſt conferri ſacramentum pœnitentiæ, quia abſolutio eſſet nulla. 546.b
Excommunicato impenſa ſacramenta ſint ne irrita an vera, graue dubium. 559.b
Excommunicato intrante eccleſiam dimitti debet incœpta miſſa quoad expellatur: ſi expelli non poteſt, omnino dimittatur, ſi nondum ſit conſecratio facta. 547.b
Excommunicati quibus priuentur. 547.a
Excommunicatorũm fuerunt figura leproſi in veteri lege. 538.a
Excommunicatis communicare. Vide Communicare.
Excommunicatis non eſt prohibitus ingreſſus eccleſiæ ad orandum. 547.b
Pro excommunicatis an liceat orare, quibus & vbi liceat. 547.a.b
Cum excommunicatis quamuis poſſimus communicare, non tamen poſſumus illis ſacramenta conferre. 546.b
Excommunicatos non tenemur euitare, niſi propter notoriam percuſſionem clerici, vel nominatim ſint excommunicati. 545.b
Excommunicatos nominatim tenemur in quatuor caſibus euitare ſub mortali, & alia vide in quibus non mortaliter peccabimus communicando. 320.a.b.547.b
Excommunicandi authoritas collata fuit Petro in illis verbis Matthæi 19. Sit tibi quaſi Ethnicus, &c. 537.a.b
Excommunicandi authoritatem non habent parochiales aut ſimplices ſacerdotes. 551.a
Excommunicandi poteſtas eſt in epiſcopis ex officio & in omnibus prælatis, non in alijs: poteſtque ita excommunicare ſubditum epiſcopus, vt in tota eccleſia ſit excommunicatus. 550.a.b
Excommunicandi poteſtas vnde dicatur gladius. 538.a
Excommunicat eccleſia, Dei exemplo. 537.a.b
Excommunicauit Paulus inceſtuoſum. 1. ad Corint. 5. 537.b
Excommunicare non poteſt ſuſpenſus vel excõmunicatus maiori excommunicatione. 551.a
Excommunicare an poſſit epiſcopus Salmantinus ſubditum exiſtentem in altera diœceſi. 550.b
Excommunicare poteſt nemo ſeipſum æqualem vel ſuperiorem. 551.a.b
Excommunicari poteſt Papa à concilio. 551.b.552.a
Excommunicari non poteſt defunctus, qui tamen diſcedit è vita excommunicatus, ſic manet defunctus. 552.b
Exequiarum ritus.
Exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia effectus eſt conſecrationis, non ſacramenti. 271.b
Exiſtentia corporis Chriſti in euchariſtia videri poteſt ab intellectu beati.
Exorciſmus quid. 177.b
Exorciſmi conuenienter præcedunt baptiſmum, ibidem. Vide baptiſmus.
Exorciſtæ officium. 582.b
Exorciſmi efficiunt quod ſignificant, multo aliter quàm ſacramenta. 179.a
Exorciſmi baptiſmales ſemper cohibent dæmones, ne ſacramẽti fructum impediant, niſi recipientis nequitia obſtet. 179.b
Exorciſmi non ſemper ſunt efficaces ad expellendos dæmones ab obſeſſis corporibus. 179.b
Exorciſmi & ſacramenta diſtinguuntur, ſicut meritum de congruo & de condigno. 179.b
Exorciſmorum & catechumenorum ordo. 178.a
Exorcizare & catechizare quorum ſit munus proprium. 180.a
Extrema vnctio. Vide vnctio extrema.

F.

Fœlicitas in quibus poſita fuerit rebus à Philoſophis. 24.b
Fœlicitas contemplatiua & actiua.
Fœlicitas & fortuna circa idem eſſe quomodo intelligantur. 893.a
Fœmina, Vide mulier.
Fictio quando impediat effectum ſacramenti. 172.b
Fictio quid ſit. 172.b
Fictionis duo genera. 172.b
Fides quæ ſupernaturale donum eſt, ſemper fuit ad ſalutem neceſſaria. 24.a.b
Fides Chriſti implicita ſemper fuit neceſſaria ad iuſtificationem 23.b
Fides antiquorum & noſtra eadem eſt ex parte obiecti. 27.a
Fides noſtra multo maioris eſt virtutis, quam antiquorum. 139.a
Fides explicita Chriſti neceſſaria eſt tempore legis Euangelicæ ad ſalutem & in præcepto. 140.a
Fides mortua eſt nonnulla præparatio ad gratiam & aliquale fundamentum ad ſalutem.
Fides explicita quæ dicatur. 140.a
Fides explicita an ſit neceſſaria vt quis in gratia Dei conſtituatur. 140.a
Fides aliena non ad ſalutem ſpiritualem, ad corporalem verò valet.
Fides recta in eo qui baptizatur neceſſaria eſt ad cõſequendum vltimum baptiſmi effectum. 150.b
Fides qualis requiratur ad validitatem ſacramenti. 150.b
Fides in lege naturæ vtrum applicabatur per aliquod ſignum extrinſecus neceſſarium ad modum ſacramenti. 85.a
Fidei explicitæ obligatio ante ſufficientem euangelii promulgationem incepit. 142.b
Per fidem ſolam implicitam nemo hodie iam in Deum conuertitur. 142.a
Ad fidem cogere neminem licet. 154.b & ſeq.
Fidem proteſtari quid. 22.a
Sine fide explicita propter inuincibilem ignorantiam multi excuſantur, ac prounde gloriam obtinent. 139 b.140.b
In fide promulganda quæ conſiderari debeant. 154.a & ſeq.
Fides matrimonii pro qua re accipiatur. 680.b
Fides & proles matrimonii bifariam conſideratur. 680.b.681.a
Fides data adulteræ quando matrimonium dirimat. 732.a
Fidelis ſumens euchariſtiam ex odio Dei grauius peccaret, quam infidelis qui eam ſumeret.
Fideles omnes deputantur ad gloriam ſignaculo gratiæ. 46.a
Fideles omnes per aliqua ſacramenta aliquo ſpirituali charactere inſigniuntur. 40.a
Fidelis cum ab infidelium matrimonio diſcedit, non homo ſed Deus illud diſſoluit. 752.a
Figurata dicendi loquutio ex accommodatione vſus retinet in ſacramentis legitimum ſenſum. 18.b
Figuræ in veteri lege quæ fuerint ſacramenti euchariſtiæ. 201.a.b
Filii illegitimi vtriuſque generis, ſiue naturales, ſiue ſpurii, & nothi, honoribus publicis & parentum honoribus priuãtur. 777.a
Filii extra verum matrimonium nati an dicendi ſint illegitimi. 776.b
Filii preſbyterorum peculiaribus legibus Hiſpanorum acrius ab hæreditate paterna pelluntur. 777.b
Filii à parentibus tria ſuſcipiunt beneficia. 615.b
Filii an cogi poſſint à patre vt matrimonium contrahant. 662.a
Filii contrahentes matrimonium inuitis parentibus, quibus pœnis ſubiiciuntur. 663.a
Filij an debeãt conditionẽ patris ſequi, an potius ventris. 714.a
Filij infidelium altero parentum ad fidem conuerſo vtrum ſequi debeant, num infidelitatis tenacem. 749.b.750.a
Filij quibus modis fiant legitimi. 777.b.778
Filiorum quadruplex genus. 776.b
Filiorum illegitimorum ſpecies. 776.b.& ſeq.
Finis ſiue turpis, ſiue honeſtus adiungatur, matrimonium tenet. 673.b.674.a
Finis matrimonii quotuplex. 674.a.693.b
Flagella Iob. 487.a
Flagella naturalia vnde proueniant. 487.a
Flagella ſi æquo animo acceptentur, ſunt patienti ſatisfactoria. 487.a
Fluxum ſeminis an liceat deſiderare ſic, vt naturaliter accidat. 294.b.295.a
Forma abſolutionis ab excommunicatione non eſt certa, ſed poteſt variari, & quomodo. 516.b
Forma non eſt pars ſacramenti. 197.a
Forma Euchariſtiæ. 260.b
Forma, qua nos vtimur in conficiendo euchariſtiæ ſacramento, vſus eſt Chriſtus in cœna. 261.a
Forma euchariſtiæ quatenus eſt vera cauſa cõuerſionis. 270.a.b
Forma euchariſtiæ in genere cauſæ efficientis prius natura eſt, vera, quàm fiat conuerſio contra in genere cauſæ obiectiuæ. ibidem.
Forma altera ſortitur ſum effectum ſine altera, eſſet tamen ſacrilegium prius conſecrare ſanguinem quàm corpus. 270.b
Forma ſacramenti pœnitentiæ. 348.b
Forma baptiſmi Græcorum. 103.b

Forma

Digitized by Google

Forma sacramenti matrimonij non est de iure diuino, nisi quatenus consensus coniugatus exprimit. 19.a
Forma substantialis panis non manet in sacramento. 232.a
Forma sacramenti pœnitentiæ an sit adeo necessaria vt non liceat loco illius alteram æquiualentem sustinere. 351.a
Forma absoluendi ab excommunicatione. 556.b
Formæ sacramentorum an sint de iure diuino. 15 b
Forma sacramenti ordinis potius characterem quàm gratiam designat. 579.a
Forma sacramenti matrimonij sunt verba ipsa contrahentium. 621 a.624.a
Fornicator quare ad ordines admittatur, cùm natus ex fornicatione abigatur. 602.a.b
Fornicatio an sufficiat ad educandas proles. 616.a
Fornicatio est contra ius naturæ. 694.a
Fornicatio Abrahæ cum Agar. 693.b
Fornicationis causa licitum virum ab vxore diuertere. 639.b
Vide in verbo diuortium.
Fornicationis nomen proprie non nisi carnali turpitudini conuenit. 714.b
Fractio specierum subiectatur in quantitate dimensiua, sicut & alia accidentia. 257.a
Frater in infidelitate contrahens cum sorore si ad fidem conuertantur, non sunt separandi.
Fraterna connubia an olim fuerint vetita. 763.b
Frigiditas & maleficium quare impediunt matrimonium. 710.a
Frigiditas quomodo probari possit post triennium elapsum. 705.b
Frigiditas matrimonium dirimit. 704.b
Nisi coniuges cohabitare consenserint. 705.b
Frigiditatis nomine quid intelligatur. 704.b.705.a
Frigidi sunt qui seminare nequeunt, quamuis claustra rumpant. 635.b
Frigidi soluto matrimonio aliud inire nequeunt. 705.b
Frigidi vel impediti iudicati, si secundas nuptias consummmasse reperiantur, ad priores sunt reuocandi. ibidem. & 707.a
Frigidi natura erga omnes fœminas frigent, maleficiati verò non. ibidem
Fructus etsi virtuti continentiæ peculiaris tribuatur, omni tamen virtuti congruit. 945.b
Fructus quotuplex reperiatur. 945.a
Fructus tres tribus virtutis gradibus consignati. ibidem b
Fruitio duplex, vna in re, altera in spe. 901.b
Fruitio apud doctores sacros quid propriè sit. 901.a
Fruitio si accipiatur effectiue pro actione, per quam captatur voluptas & delectatio, non est actus elicitus voluntatis, sed intellectus. 900.b
Funebris pompa, vt pullatæ vestes & lamentationes & planctus immoderati, nihil defuncto prodest. 850.a
Furiosi & amentes perinde baptizari possunt in fide Ecclesiæ, vt pueri ante vsum rationis. 161.b
Furiosi per lucida intervalla baptizari possunt in amentia dum timetur periculum. 162.a
Cum furioso an liceat coniugi sano concubere. 710.a
Furiosos duos an liceat ad carnalem congressum committere. ibidem
Furia an sit impedimentum matrimonium dirimens. ibidem
Furia si matrimonio antecessit, dirimit, si autem successit, minimè. ibidem
Furiæ duplex genus. ibidem
Furtum omne in ecclesia factum an sit sacrilegium. 554.b

G

Gaudium & lætitia in quo differant. 900.a
Gehenna vnde dicta. 834.a.b
Generationum causa post diem iudicij cessabit. 888.a
Germanorum pernicies vnde orta fuerit. 312.b
Glossatores Decretorum quoties in ius diuinum sese emergunt, non possunt non multis erroribus intincti inde sese emergere. 429.a
Gradus consanguinitatis q taliter co mputari debeat. 738.a.b 759.a
Gradus consanguinitatis quid sit. 757.a
Gradus eiusdem ad seipsum esse non potest. ibidem
Gradus primus in linea transuersa in primo ortu dispensationem accepit. 768.a.b
Gradus primus tam in recta linea, quàm transuersali, adeo iure naturæ est prohibitus, vt inter infideles nullus sit. 768.a. 776.a
Gradus secundus consanguinitatis nullo iure sic est prohibitus, quin Papa super eo dispensare possit. ibidem
Gradus quartus hodie solum consanguineos à nexu coniugali prohibet. 768.a
Gradus affinitatis ad normam graduum consanguinitatis exigendi sunt. 771.a.b.774.a
Gradus consanguinitatis an potuerit ecclesia taxare vsque ad quartum gradum. 766.b. & seq.
Graduum prohibitio, Leuitici 18. an duret etiam modò. 761.b
Gratia augetur sine augmento charitatis sumpta in genere gratiæ. 389.b
Gratia confertur resurgenti per pœnitentiam ratione meritorum mortificatorum, præter eam quæ confertur ratione contritionis. 401.a
Gratia gratum faciens confertur in sacramento confirmationis. 187.b. 188.a
Gratia & virtutis actus per baptismũ infunduntur. 167.a. & seq.
Gratia sacramentalis accipitur pro gratia gratum faciente, connotando Dei auxilium ad effectum specialem sacramenti. 34.b
Gratia sacramentalis addit supra gratiam virtutum & donorum. 34.a
Gratia aliter conferebatur in circuncisione quàm in baptismo. 82. a
Gratia solius Euangelicæ legis perfecta est. 87.b
Gratia continetur in sacramento nouæ legis tanquam in signo & causa instrumentali. 35.b
Gratiæ nomen rarò, &c. 88.a
Gratiæ gratum facientes non sunt eiusdem speciei, quatenus faciunt hominem gratum. 188.b
Gratiæ infusio ad remissionem venialium non requiritur. 389.b
Gratiæ infusionem quid appellet D. Th. 390.a
Gratia donum est hominibus gratis impensum absque meritis. 11.b
Gratia generali nomine diuiditur in auxilium speciale, & gratiam gratum facientem. 34.b
Gratia tota deperdita an per baptismum restituatur. 401.b
Gratia non est proprium principium operandi, sed essendi spiritualiter. 33 b
Gratia eadem præcisè confertur sacerdotibus sub vtraque specie, quæ populo sub altera. 307.a
Gratia non operatur per se, sed per virtutes, sicut anima per potentias. 361.b
Gratiæ infusio quomodocunque fiat, an per se sola absque actu charitatis suscipientis, remittit venialia omnia. 390.b
Gratiæ infusio an possit fieri recipienti sacramentum precibus ministri aut astantium. 170.b. & seq.
Gratiam alteri conferre quinque modis accidit.
Gratum esse quempiam Deo quid sit. 31.a
Gratia est arrha gloriæ.
Gratia gratum faciens confertur in sacramento ordinis & matrimonij. 583.b. 622.b
Græci si in azymo conficerent, perinde peccarent, ac nos si in fermentato conficeremus. 213.a. & sequent.
Græci in fermentato consecrantes qua ratione defendi possint. 209.a
Græci post susceptos sacros ordines neminem nuptias conciliare permittunt. 736.a
Græci non habent ordinibus votum castitatis annexum. ibidem.
Guardiani D. Francisci quam potestatem habeant. 508.b
Gustus an vsum habebit in corpore beato. 937.a

H

Hæresis Witcleff & Armachani asserentium vitæ integritatem & ministrorum sanctitatem esse de essentia sacramenti ordinis. 605.b
Hæresis Tatianorum & Encratitarum circa vsum coniugii. 618.b
Hæresis Armenorum asserentium quod si primi parentes non peccallent, nunquam ad generandum coissent. 618.b
Hæresis Lutheri negantis matrimonium esse sacramentũ. 610.a
Hæresis dicentium fidem in baptismo esse satis ad salutem. 145.a
Hæresis pertinax quæ. 555.a
Hæreses variæ negantium veram existentiam corporis Christi in sacramento altaris. 217.a. & seq.
Hæretici qui primum negauerunt confessionis necessitatẽ. 414.a
Hæretici in baptismum blasphemi. 151.b
Hæretici quid de indulgentiis dixerint. 518.b
Hæretici qui seruant formam ecclesiæ, sacramentum quidem conferunt, non tamen gratiam. 69.b
Hæreticus mentaliter tantum non excommunicatus est. 552.a. 555.a
Hæreticus vtrum baptizato characterem imprimat. 41.a
Hæretici, schismatici & præcisi, an possint consecrare. 318.b
Hæretici qui negauerint confirmationis sacramentum. 181.a
Hæretici qui negauerint purgatorium post hanc vitam. 493.b
Hæreticam resipiscentem, si ecclesiæ reconcilietur, vtrum catholicus teneatur reconciliatam in suam domum & thorum recipere. 753.b
Hermaphroditus in sexum fœmineum inclinans ordinum incapax est secus in virilem. 599.a.600.a
Hispani licet ægre proferant M. in fine dictionis, non propterea vitiatur forma verborum in consecratione Eucharistiæ. 18.b

Digitized by Google

Homo nequit in hac vita suam supremam fœlicitatem consequi. 907.a
Homines cur mas & fœmina seorsim conditi. 816.a
Honestas publica quid. 772.b
Honestas publica vtrum ex quocunque sponsaliorum genere, quomodocunque illa comparantur, oriatur. 773.a
Honestatis publicæ, quæ ex sponsalibus oritur, nullus iam, aut vix vllus est vsus. 776.b
Honor quid. 927.b
Hora diei qua futurum sit iudicium an certa dari possit. 812.b
Horas canonicas qui teneantur recitare. 585.b
Hostia nulli suspecto de crimine dari debet ad eius examinationem. 293.a.b
In hostia ante Christi passionem consecrata mansisset in triduo idem corpus sicuti manebat in sepulchro. 237.b
In hostia consecrata in triduo esset ex vi consecrationis forma cadaueris, cui in die resurrectionis succederet anima si seruaretur hostia. ibidem b
In hostia consecrata sanguis est per concomitantiam, in sanguine corpus, nisi in triduo fieret consecratio. 239.a.b
Hostia consecrata si deglutiretur a bruto, non propterea desineret substantia corporis Christi sub speciebus, quamdiu illæ maneant. 283.b
Hostiam consecratam an liceat porrigere volenti peccatori communicare. 383.a.292.b
Hostiam non consecratam sumere aut per simulationem celebrare grauius peccatum est, quàm eucharistiam indignè sumere. 293.a
Humores omnes & humiditates quæ ad vitæ etiam mortalis necessitatem & integritatem spectant, erunt in resurgentibus. 826.a

I

IAcob contraxit cum Lia per consensum nouum in ipsam. 673.b
Ignorantia vincibilis excusat à censuris particularium prælatorum. 612.a
Ignorantia crassa & supina quæ dicatur. 652.a
Ignorantiæ nomine quid intelligatur. 712.b
Ignorantia quæ excuset ab excommunicatione. 555.a
Ignorantia inuincibilis & inculpata quamuis non sufficiat delere peccata præterita, facit tamen hominem securum, vt dignè possit accedere ad sacramentum. 286.a.b
Ignorantia quem excuset ab irregularitate. 117.b
Immolatio quid sit. 324.a
Impassibilitas vtrum inter dotes corporis glorioſi sit connumeranda. 933.a
Impassibilitas solis beatis est propria. ibidem
Impassibilitas an sit qualitas. 934.a
Impassibilitatis dos secundum se considerata nullatenus maior est in beata Virgine quam in infimo beato. 935.a
Impotentia coeundi duplex. 705.a
Impotentia naturalis triplex. 705.a
Impotentia coeundi quomodo post triennium probari possit. 705.b
Impotentia coeundi superueniens matrimonio rato an ipsum dirimat. 705.b
Impotentia perpetua vel temporalis quę dicatur. 706.a
Impedimentum quando sit temporale, quando vero perpetuum. 706.a
Impedimentum fœminę arctæ si sit medicabile matrimonium, non dirimit. 706.a
Impedimentum quòd per magicam amoueri potest, non dirimit. 706.b
Impedimentum dirimens non est fœtor oris. 706.b
Impedimentum maleficij. Vide Maleficium.
Impedimentum seruitutis Vide Seruitus.
Impedimenta sex matrimonium impedientia, & 12. dirimentia 703.a.b.704.a.727.b
Impedimenta matrimonij, alia necessaria, alia voluntaria. 707.a
Impedimenta matrimonij ecclesia potuit statuere. 703.b
Impedimenta quare peculiarius matrimonio quam aliis sacramentis asscribantur. 704.b
Incestus quid & vnde. 728.b
Incestus cum consanguinea vxoris quando impediat, & quando dirimat matrimonium. 727.b
Incestus cum cognata vxoris mortuæ non impedit contrahendum. ibidem
Incestus occultus non impedit matrimonium contractum. 728.a
Incestus cum propria consanguinea an debiti exactionem impediat. 729.b
Incestuosus impeditur ne matrimoniũ vxore mortua inire possit. 727.a.728.a.b
Incubi dæmones possunt semen aliunde euectum in matricem immittere. 729.a
Incomprehensibile perfecto modo est proprium attributum Dei. 916.a
Indulgentias Pontificis pro multis an Deus semper receptas habeat. 850.b.851.a
Indulgentia dupliciter sumitur. 517.b.518.a.b
Indulgentia ecclesiastica est relaxatio pœnę peccato debitę, quę extra sacramentum fit. 518.b
Indulgentia plenaria & plenissima quid sit. 527.a
Indulgentia plenissima debet raro & grauissimis de causis fieri. ibidem
Indulgentia cum causa pia tantum valet quantum sonat. 525.b
Indulgentiæ nihil prosunt existentibus in peccato mortali. 531.a
Indulgentiæ an prosint suscipienti diplomata in peccato mortali, etsi postea conuertatur. 531.b
Indulgentię conferuntur mortuis per modum suffragij, viuis autem subditis per iurisdictionem clauium. 521.a
Indulgentiæ qualiter magis aut minus nobis explicentur. ibidem.
Indulgentiæ qualiter dicuntur tantum valent quantum sonant. 530.b
Indulgentiæ vt valeant prærequirunt authoritatem dantis, charitatem recipientis, & piam causam. 528.a.& seq.
Indulgentiæ habere debent causam proportionatam vt maiores dentur vel minores. 529.a
Indulgentiæ quadraginta dierum non æqualiter prosunt omnibus in purgatorio existentibus. 526.a.b
Indulgentiæ intelliguntur absolutè etiam & non iniunctis pœnitentiis, nisi oppositum sit in ipsa forma. 520.b
Indulgentiæ sine proportionabili causa non valent quantum sonant. 529.b
Indulgentiæ centum aut mille annorum nunquam conceduntur à Papa. 526.a
Indulgentiarum concessio est vera absolutio & remissio pœnæ quę fit virtute passionis Christi & sanctorum. 520.b.& seq.
Indulgentiarum grandium frequentia offuscat authoritatem ecclesiæ. 511.a
Indulgentiarum causas discernendo potest errare illas largiens. 529.b.&570.a
Indulgentiarum valor quantus sit vide plures opiniones. 525.a.b
Indulgentiarum quadragena quid sit. 526.b
Indulgentiarum dies vel anni intelliguntur de diebus iniunctis vel iniungendis in hoc seculo pro peccatis, & de pœnis purgatorij illis respondentibus. 525.b.& seq.
Indulgentiarum dies & anni sumpti sunt ex antiquo iure, quo septem anni pro quolibet mortali peccato iniungebantur, & pro grauissimis decem & plures. 526.a
Indulgentiarum distributio non pertinet ad iustitiam distributiuam, sed est opus misericordiæ. 520.b
Indulgentiarum largitio an non sit aliud quàm applicatio thesauri, vt sit solutio pœnæ, an verò sit vera absolutio. 520.b
Indulgentiarũ largitio est solutio respectu Christi & sanctorũ, qui soluerunt pro illo, qui suscipit indulgentias. 520.b.521.a.b
Indulgentiarum concessio non est ita mera absolutio, quin solutio interueniat. 521.b
Indulgentiarum collatio & satisfactio quam quis facit pro alio, differunt. ibidem
Indulgentiarum nomen inter canonicas scripturas ante quadringentos annos relatum legimus. 522.b
Indulgentiarum nomen quando cœperit, & vnde diplomata cruciatæ nomen sumpserint. ibidem
Indulgentiarum nomen quamuis non sit antiquius, res tamen à tempore Apostolorum est. 522.b
Indulgentiarum assertio est de iure diuino, negatio autem hæresis. 523.a
Indulgentiarum vsus duplici de causa cœpit frequentari. 523.a
Indulgentiarum odium fuit principium hæresum Lutheri. 518.b
Indulgentiarum quæstores deridenda nonnunquam prædicant. 526.a
Indulgentijs non abstulit causam S. Th. 528.b.& seq.
Indulgentias consequitur quicunque in gratia existens facit quod præcipit Pontifex. 532.a.b
Indulgentias ecclesia militans non potest concedere defunctis nisi tantum per modum suffragii. 532.b
Indulgentias conferre est actus iurisdictionis, & ideo non potest nisi erga subditos exerceri. 521.a
Indulgentias conferendi habent authoritatem episcopi ex iure diuino, parochialis autem non. 523.b
Indulgentias conferendi habent authoritatem episcopi, subiecti tantum summo Pontifici. 524.a
Ad indulgentias conferendas non requiritur character sacerdotalis, sed potest eas [illegible] electus in episcopum antequam ordinetur. 524.a
Indulgentias conferens tanquam pars Reipub. eodem potest beneficio frui. 524.b.525.a
Indulgentias pias Ecclesiæ fraudes dixit esse Lutherus. 525.b

Digitized by Google

Indulgentias suscipere non dicit per se imperfectionem religionis. 527.a
Indulgentiąs nullas recipere an esset consilium. 527.b
Infideles propter iniquitates suas an liceat persequi & delere. 153.b
Infideles vtrum ad fidem cogi debeant. 154.b
Infideles an liceat armis subijcere vt postea facilius ad fidem conuertantur. 156 a.b
Infidelis ad fidem conuersus an possit cum pertinaci vna manere. 748.b
Infidelis qui in sua cęcitate primam vxorem repudiauerat, ad fidem conuersus ipsam etiam resipiscentem tenetur admittere relicta ea quam post repudium duxerat. 750.b
Infideles quo iudicio iudicandi sint. 875.b
Infideles qui in gradibus ab ecclesia prohibitis contraxerunt, post conuersionem an debeant separari. 750.b
Infidelium proles si alter conuertatur ad fidem, quem sequi debeat 749.b
Infidelium conuersio multiplex. 748.b
Infantes. Vide Paruuli.
Infernus damnatorum sedes quo loco sit constitutus nondum tanta certitudine compertum. 833.a
Infernus & inferi idem. 835.a
Infernus quare dicatur gehenna. 953.a
Ignis solus nullis adiuuantibus ministris animas in purgatorio castigat. 497.a
Ignis quo mundus expurgabitur, an sit futurus eiusdem speciei cum elementari & nostro. 883.b.952.b
Ignis conflagrationis mundi faciem mundi iudicis antecedet. 884.a
Ignis purgatorius iudicij non pertinget ad elementum ignis in suo proprio loco existens. 886.a
Neque cęlestes orbes perpurgabit. 885.a
Ignis lata sententia iudicij protinus damnatos corripiet,& conuolutos in infernum obtrudet. 886.b
Ignis inferni corporeus est ab initio mundi creatus. 952.a
Ingratitudo peccantis quandoque est speciale peccatum, quandoque autem circunstantia. 397.b
Ingratitudo quę faciat redire priora remissa. 396.a
Innocentiæ triplex genus. 396.b
Innocentes omnes occisi pro Christo ab Herode martyres fuere. 948.b
Insulani Occidentales quo iure capi potuerint à regibus catholicis. 157.a.b
Insufflare non est legendum in manualibus,in quibus exorcismi modus traditur,sed exuffiare. 178 a
Intelligere simul plura non posse quomodo accipiendum sit. 924.a
Intellectus est animæ potentia, eademque inseparabilis. 794.a.b
Intellectus possibilis nullatenus est separatus. 794.b
Intellectus agens & possibilis potentia est animę. ibidem a
Intellectus beatus ad Dei visionem concurrit. 910.a
Intellectus fidelium ciuium nullus videt in Deo distincte omnia,quæ in ipso eminenter continentur. 922.a
Intellectus quod sit actus præstantior quàm voluntas quibus probetur argumentis. 898.b
Intellectus per lumen naturale nequit nisi lumine gloriæ eleuetur,Deum videre. 912,a.b
Intentio habitualis non sufficit ad sacramentum. 68.a
Intentio ex parte baptizandi an sit necessaria. 148.a.b
Intentio actualis functioni sacramenti adesse non requiritur. 68.a
Intentio ministri peruersa an impediat validitatem sacramenti. 70.a
Intentio ministri ad essentiam sacramenti pertinet de iure diuino. 66.a
Intentio ministri qualis esse debeat vt sacramentum conficiat. 66.b.& seq.
Intentio ministri debet esse actus mentis interior. 67.a.& seq.
Intentio ministri si desit, suppleri non potest in infantibus defectus sacramenti,bene tamen in adultis, vt infundatur gratia, non vt imprimatur character. 67. b.68.a
Intentio faciendi quod facit ecclesia Christi, quomodo in sacramentorum ministro requiratur. 66.b.68.a.b
Intentio virtualis requiritur & sufficit in ministro, vt sacramentum conficiat. 68 a
Intentio recta ministri an requiratur in sacramentis. 70.a
Intentio iocosa ministri in sacramento interdum peior est,quam quęcunque alia peruersa. 70.a
Intentio erronea ministri quando to[illegible] sacramentum, quando non. 68.b.69.a.105 a
Interdictum ecclesiasticum est pr[illegible]oitio à sacris. 556.b
Interdictum duplex. 557.a
Interdictum ciuile quod. 556.a
Interdictum à Iudice decretum po[illegible] ab eodem suspendi, relaxari,& tolli in toto & in parte. 558.a
Interdictum à iure manente causa nec suspendi, nec tolli potest nisi per summum Pontificem. 558.a
Interdictum legitime positum res est ecclesiæ gubernaculo necessaria. 557 a
Interdictum duplex: loci scilicet & personarum. ibidem
Interdicti tempore tenentur audire sacra qui sunt priuilegiati. 558.b
Interdicti effectus sunt, diuinis non interesse, certa sacramenta non suscipere,in loco sacro non sepeliri. 557.a.558.a
Interdicti tempore quę sacramenta possint administrari, & quibus,& quæ officia celebrari. 558.a
Interdicto in aliquibus locis Hispanię sępe tota ciuitas obnubilatur minima de causa, quod non esset ferendum. 557.b
Interdicere idem est quod prohibere. 556.b
Interdicere quæ personæ possint. 557.b
Interdictus debet prćmonere excommunicatum monitione canonica in scriptis. 557.b
Interdicendus non est populus pro causa pecuniaria. ibidem
Interpres an teneatur sigillum confessionis seruare, quia est de eo qui casu confessionem alterius non audiuit. 471 b
Intestina vtrum vacua resurgent. 826.a
Ioannes Baptista tantum increpabat Herodem,quod cum vxore viuentis fratris adulteraretur. 775.b
Ioannes Baptista. Vide baptismum Ioannis.
Ioannes Baptista cōfinium fuit prędicatio legis veteris & nouæ, non tantum cessationis vnius & oblationis alterius. 99 a
Ioannes Baptista etiam alios post Christum baptizauit. 91.b
Ioannes baptista vtrum resurrexit cum Christo. 867.b
Ioannes Euangelista vere mortuus fuit, nec resurrexisse constat. ibidem
Ioseph & beatissima virgo Maria vere coniuges fuerunt. 626.a
Irregularitas quid.2.exponitur. 599.a.557.a
Irregularitas est indignitas secundum canones, nequis possit ad ecclesiasticos ordines promoueri, sed si promotus fuerit nequeat in eis ministrare. 556.b.557.a
Irregularitas quæ ob significationem decernitur sine culpa contrahitur,non tamen quæ in pœnam culpæ. 117.b
Irregularitas omnis an tolli possit per absolutionem authoritate bullæ cruciatæ impensam. 557.a
Irregularitas non incurritur propter celebrationem in ecclesia violata,sed solum quando est a iudice interdicta. 331.b
Irregularitas etiam secreto & citra peccatum cōmittitur. 403.a
Irregularitas triplex. 599.b
Irregularitas omnis aboletur per professionem religionis quantum ad ordinum susceptionem,prćter illam quæ vel ex homicidio voluntario,vel ex bigamia contrahitur. 602.a.b
Irregularitas non est pœna iniquitatis. ibidem
Irregularitatis & incapacitatis discrimen. 599.b
Irregularitatem non contrahit qui fœtum in vtero nondum animatum extinguit , nec qui venena sterilitatis propinat. 603.b
Irreguiaritatem quæ personę incurrunt. 604 a
Irregularis fit contrahens cum corrupta. 647.a
Quid autem si ducat corruptam à se prius. 647.b
Irregularis est omnis bigamus. ibidem
Irregularis episcopus vtrum sacramentum ordinis confert. 598.a
Irregularitatem non incurrunt iterantes sacramenta, prćter baptismum. 187.a
Irregularis non est excommunicatus nisi in excommunicatione celebret. 599.a.b
Irregularis quare sit illegitime natus. 602.a
Irregularis est tam qui sibi quam qui alteri membrum amputat. 603.b
Irregularis est non tantum qui occidit vel mutilauit, sed etiam qui fuit causa. ibidem b
Irregulares sunt omnes ministri iustitiæ,etiam notarij. ibidem b
Iubilæi annus quid & vnde. 527.a
Iudas suscepit à Christo eucharistiam in cœna. 308.b.309 a
Iudæi non sunt serui sicut mancipia principum, sed sub tributo illis seruiunt. 159.b
Iudæi non tenentur alio præcepto ad fidem quàm reliqui homines. ibidem
Iudæi eadem nocte Iouis qua Christus agni cœnam fecerunt, videlicet quartadecima luna. 210.a
Iudex non debet procedere ad iniquisitionem rei, quam solum sciuit per viam confessionis. 474.a
Iudex ordinarius & iudex arbiter qui dicuntur, & in quo differunt. 424 b
Iudicium futurum multi hęretici negabant. 865.b
Iudicium finale an sit peragendum summa voce. 803.b.804.a
Iudicium duplex,Discussionis & condemnationis. 798.b
Iudicium nunc est mundi,Ioannis duodecimo, quomodo intelligatur. 866 b
Iudicium generale per sententiam iudicis concludetur. 879 a

Digitized by Google

Iudicium generale tam ex parte iudicantium quàm iudicandorum ad homines duntaxat directè pertinebit. 870.a
Iudicium generale celebrabitur in Valle Ioſaphat, quæ iacet ad pedem montis Oliueti. 871.a
Iudicij extremi ordinem graphice depingit Daniel. 873.a
Iudicij nomen qualiter accipiatur. 865.a.b
Iudicio diſcuſſionis neq; vniuerſi iuſti, neque omnes iniqui iudicabuntur. 869.b
In iudicio libri aperientur quibus cauſarum merita leguntur. 874.b
In iudicio vniuerſi mortales nemine excepto comparebant. 869.b
Iudicare multis modis accipitur. 867.a
Iudicandi munus quibus dabitur in die iudicij. 867.b
Iudicanti Chriſto qui ſint aſſeſſuri. 867.a.b
Iuramentum omnis eſt controuerſiæ finis. 642.b
Iuramentum in ſponſalibus quo animo apponatur. 645.a
Iurans ſponſalia metu mortis an teneatur iuramentum adimplere. 660.b.661.a
Iuriſdictio in ſacerdote an ſit neceſſaria de iure diuino. 509.b
Ius naturæ multiplex. 692.b. & 760.b
Ius naturæ & inſtinctus in quo differunt. 691
Iuris naturæ tres ſunt gradus. 774.b
Iuſti qui à culpa & pœna in hoc ſeculo abſoluti ſunt abſque tranſitu per purgatorium in cælum recipiuntur. 494.b.495.a
Iuſtificationis duplex terminus. 802.b
Iuſtificatus nunquam fuit peccator citra ſacramentum aut contritionem. 587.a

L

LAban quare duas filias Iacob deſponſauerit. 695.a
Laicus an poſſit ſoluere à cenſuris in articulo mortis. 468.b
Laicus vtrum poſſit tangere hoſtiam. 315.a
Laicus citra neceſſitatem baptizãs an peccet mortaliter. 126.a.b
Laico ſacramentaliter abſoluenti quæ pœna imponenda. 460.a
Laicos & præſertim fœminas tangere vaſa aut veſtes ſacras, an ſit ſacrilegium. 332.b
Lamech primus bigamus fuit, qui in lege naturę duabus vxoribus vſus eſt. 693.a
Lectoris officium. 582.b
Lepra ſponſalia dirimit, non tamen matrimonium. 687.a
Lex vetus ſolum perſeuerat quantum ad moralia. 763.b
Lex vetus per Chriſtum antiquata eſt. 760.a
Lex Leuitici nunquam prohibuit coniugium leuiri cum vxore fratris defuncti ſine liberis. 775.b
Lex Leuitici non erat omnino indiſpenſabilis. 775.a
Leges connubiales an poſſint ſtatui per principes ſeculares. 767.a
Leges fidei noxias poteſt Papa abrogare. 612.a
Leges matrimonio adhibitæ iure gentium & ciuili. 622.a
Leges punientes filios contrahentes clandeſtinum matrimonium ſunt iuſtæ. 663.a
Leges & diſpẽſationes futura reſpiciũt nõ præterita. 665.b.666.a
Lex ſimul atque edicitur obligat vniuerſos, licet illi, ad quorum notitiam non peruenerit, excuſentur. 100.a
Lex naturæ non ideo ſic dicta eſt, quia nullum contineret præceptum ſupernaturale. 25.b.26.a
Lex vetus quando ceſſauerit, & quando obligauerit noua. 98.a.b
Lex Euangelica quos quantiſque rebus præſtet Moſaicæ. 87.a
Legis antiquæ patres comparantur iis, qui ob læſæ maieſtatis crimen iuſſi eſſent expectare Regis filium, qui illis veniam à patre impetraret. 87.b
Legis naturæ tempore viguit in omni Repub. in qua fides erat, originalis culpæ cognitio. 85.a
In lege naturæ nullum fuit ſacramentum. ibidem.
In lege naturæ poterat iuſtus quiſque alienũ filium inuitis parentibus infidelibus Deo offerre, vt illi applicaret fidẽ. 159.a
Leges tres diſtinguuntur, naturæ ſcripta & Euangelica. 26.a
Legitima ætas. Vide Ætas.
Legitimandi ſex modi à iuribus ſtatuti. 778.a
Liber de vera & falſa pœnitentia an ſit D. Auguſtini. 492.b
Libellus repudij. Vide Repudium.
Liber de ſpiritu, falſo attributus Auguſtino. 954.a.b
Liber vitæ quis. 874.b
Libri qui in die iudicij aperientur, qui ſint. ibidem
Libertas ad matrimonium iure diuino fundatur. 663.a
Ligamen an ſit impedimentum matrimonium dirimens. 732.b
Limbus puerorum. 831.b
Limbus patrum ſupremus erat inter ſubterranea receptacula. 835.b
Linea conſanguinitatis quæ ſit & quotuplex. 757.b
Lingua materna Theologum ſcribere, vt aliqui noſtra ætate fecerunt, reprobat author. 380.a
Liquor miſtus vino conſecrato, an mutet ſubſtantiam ſacramenti. 257.b
Lites inter Chriſtianos quare magis execrabiles ſunt, quàm inter cæteros homines. 200.a
Loth cum filiabus congreſſus. 693.a
Lumen gloriæ duplex. 912.a. 913.b
Luſitana quædam verſa in virum. 69.a
Lutherus quia negauit ſatisfactionem in pœnitentia, negauit ieiunia, purgatorium, &c. 383.b
Lutherus quid ſenſerit de ſacramento pœnitentiæ, & eius partibus. 407.b
Lutherus non prorſus denegauit veritatem ſacramenti. 297.a
Lutherus ſola fide, nullo autem ſacramento hominem iuſtificari aſſeruit. 28.b
Lutherus quàm abſurdè exiſtimet nos à Deo cogi ad peccandum. 374.a
Lutherus quàm inique aſſeruerit omnes homines eſſe ſacerdotes aptos conficiendo ſacramento. 311.b.312.a
Lutherus adeo fuit Pelagio in aſſerenda originali macula contrarius, vt diceret neutiquam per baptiſmum radicitus deleri. 163.b
Lutheri verba execrandà in Euchariſtiæ figuram. 201.b
Luxuriæ ſeptem ſpecies. 778.b

M.

MAleficium an dirimat matrimonium. 707.b & ſequent.
Maleficium quare peccato ceſſante ipſum non ceſſet 709.b
Maleficij & frigiditatis diſcrimen. 709.a
Maleficio legitimè comprobato vterque coniux libere poteſt aliud inire coniugium. ibidem
Maleficio dimouendo quænam poſſint medicamina admoueri. 708.a
Maleficia dæmonum non deſunt qui negent. 707.b
Maleficia an ſint perpetua. 708.a
Maleficia pluribus modis ex parte dæmonum aut magicorum fiunt. 708.b
Maleficia an liceat per alia maleficia diſſoluere. 708.b
Maleficia cur crebrius circa matrimonium quàm circa quoſuis alios concubitus vagos accidere ſoleant. 709.b
Maleficiati ſi habiles ad primas nuptias poſt ſecundas expenãtur, an ſint ad illas reuocandi. 709.a
Maleficium prece vel pretio rogare licet vt ligaturas diſſoluat. 709.a
Malitia ſupplet ætatem matrimonio requiſitam. 715.b
Mala quædam ſunt quæ dicuntur prohibita, quia mala: alia verò ſunt mala quia prohibita. 653.b.657.a
Manducatio ſacramentalis duplex. 308.b
Manducatio ſpiritualis quadruplex. 281.b
Manducare ſpiritualiter ſolis hominibus conuenit. 282.a
Manducare indgnè quid ſit. 284.a
Manducare & deglutire poteſt brutum ſacramentum, non tamen ſacramentaliter. 283.b
Manducari poteſt corpus Chriſti ſpiritualiter & ſacramentaliter à peccatoribus. 282.b
Manuum impoſitio in veteri lege mutuata. 351.b
Manuum impoſitio non requiritur ad ſacramentum pœnitentiæ, ſicut neque in baptiſmo. 351.b
Manuum impoſitio non eſt pars ſacramenti ordinis, neque verò de eius eſſentia. 584.b
Maria virgo an confiteretur Ioanni Baptiſtæ. 348.a
Maria virgo an fuerit baptizata. 137.a
Maria virgo, ante contractum matrimonium non emiſit abſolutum virginitatis votum. 631.b
Maria virgo an ſit adſcribenda martyrum catalogo. 948.b
Maria virgo an fuit in cælum corpore euecta. 807.b
Maria virgo an habuerit laureolam virginitatis. 947.b
Maria virgo tanto plura videt in verbo, quanto maiori lumine gloriæ perfunditur. 924.a
Marcus Euangeliſta ſibi pollicem abſcidit, ne vlli eccleſiæ præficeretur. 602.b
Martyr tenetur confiteri ſi adſit copia confeſſoris.
Martyr vt quis dicatur quæ requirantur. 948.a.b
Martyres fuere ante legem euangelicam. 949.a
Martyres an ſint dicendi qui ſeſe interemerunt metu violandæ pudicitiæ, vt de beata Apollonia fertur. ibidem.b
Martyrij tria genera. 948.b
Martyrij meritum non conſiſtit in paſſione mortis, quatenus ab alio infertur, ſed quatenus per vltroneam virtutis patientiam ſuſcipitur. ibidem.a
Martyres ſunt omnes infantes pro Chriſto occiſi, fortaſſis exiſtentes etiam in vtero matris veteris. 122.a
Martyrium qualiter delea peccata ſine pœnitentia. 389.a
Martyrium non eſt ſacramentum, neque confert gratiam ex opere operato. 72.b. 122.a
Ad martyrium quid requiratur. 121.b. 122.a
Martyrium ſufficit ſine pœnitentia ad ſalutem, quando eius ſubita oblatio impedit actum pœnitendi, ſecus non. 378.b

Digitized by Google

Martyrium in quo differat à baptismo flaminis. 122.a
Martyrium an suppleat vicem baptismi. 121.b
Martyrium omnem remittit culpam. 122.a
Materia sacramenti pœnitentiæ. 347.b
Materia baptismi duplex. 95.a
Materia & forma in sacramento quid significet. 14.a
Materia sacramenti Eucharistiæ non potuit esse caro. 204.a
Materia consecranda an debeat esse præsens necessario. 204.b
Materia sacramenti ordinis. 579.a
Materia sacramenti ordinis an debeat tangere suscipientē. 579.b
Materiæ sacramenti ordinis contactus non apparet esse de eius essentia. 579.b.580.a.581.b.& seq.
Materia diaconi quare sit Euangeliorum codex. 581.b
Materia matrimonij sunt verba contrahentiū. 621.b. Vide Matrimonium.
Materiæ sacramentorum diuersa ratio. 579.b
Materiam applicandi in sacramentis diuersa ratio. 579.b
Materfamilias vnica duntaxat erat etiam quando Ethnici pluribus vtebantur vxoribus. 694.a
Matrimonium quid. 625.b.628.a.b
Matrimonium vnde dictum. 628.a
Matrimonium quod post in fide Christi contrahitur soluit matrimonium quod prius in infidelitate contractum erat. 752.a
Matrimonium semel legitimè initum nunquā dirimitur quoad vinculum, nisi christianitmi aut religionis gratia. 782.b. 754.a.& 753 b
Matrimonium nullatenus soluitur per hæresim aut apostasiam. 754.b
Matrimonium omne quod cum impedimento dirimente contractum est, dissolui debet. 778.b.779.a
Matrimonium constat ex materia & forma ipsis signis explicantibus consensum. 15.a.b
Matrimonium quatenus sacramentum non est necessarium simpliciter. 74 b & 75.a
Matrimonium institutum est in remedium cōcupiscentiæ: cum tamen in aliorum peccatorum remedium nullum sit institutum sacramentum. 72.a
Matrimonium in peccato contrahere ideo peccatum est, quia contrahentes sunt ministri. 65.a
Matrimonium solum inter sacramenta non confert si error sit personæ. 69.a.105.a
Matrimonium est dignissimum sacramentorum ratione significationis. 74.b
Matrimonium nullum resultat nisi verba de futuro præcesserint, quamuis vtroque mente intrinsecus in matrimonio consentiente sese thoro commisceant. 15.a
Matrimonij forma non alia est a Christo instituta quàm quæ in lege naturæ esset satis. 15.a
Matrimonij formam variare dummodo consensus exprimatur non est peccatum. 15. b
Matrimonij ministri sunt contrahentes ipsi, qui sibi ipsi inuicem gratiam conferunt. 50.b
Matrimonio num Deus aliquos aliquando sociauerit citra ipsorum consensum. 629.b
Matrimonium inter patrem & filiam vtrum sit adeo iuri naturæ repugnans, vt nullam ob causam super eo dispensari possit. 761.b 762.a
Matrimonium illegitimum accusationi obnoxium est, quamuis post ignorantiam à bonam fidem retineatur. 779.a.b
Matrimoniū quibus iuribus aut detēditur aut accusatur. ibid.b
Matrimonium iure naturæ prohibitum inter auum & nepotem. 762.b
Matrimonium duplex, ratum & consummatum. 635.b
Matrimonium & naturæ officium est, & fidei sacramentum. 615 a
Matrimonium quando dicatur consummatum. 635.b
Matrimonium an sit a natura inditum. 615.b.& seq
Matrimonium quo pacto sit naturale, per duas conclusiones explicatur. 615.b
Matrimonium ante peccatum fuit institutum in officium, post verò in remedium. 621.b.616.b
Matrimonium statim post peccatum cœpit prodesse in remedium. 617.a
Matrimonium an etiam nunc maneat sub præcepto. 617.b
Matrimonium an fuerit sub præcepto tempore legis Mosaicæ. 675.
Matrimonium esse sacramentum multis probatur. 620.621.a
Matrimonium non propter eam ea bona inundum est, sed propter virtutem, quæ amicitiæ coniugalis custos est. 622.a
Matrimonium sicut cætera ecclesiæ sacramenta gratiam confert. 622.b
Matrimonium an sit sacramentum quæ non administratur per ministerium ecclesiæ. 624.a
Matrimonium inter absentes per procuratorem vel per literas an sit sacramentum. 625.a
Matrimonium infidelium an sit sacramentum. 625.a
Matrimonium baptizati cum non baptizata an sit sacramentum. 625.b
Matrimonium verum & perfectum fuit inter Ioseph & beatissimam virginem. 626.a.669.b
Matrimonium pro qua re supponat. 628.b
Matrimonium non dicitur consummatum ex copula præcedenti sponsalia. 644 a
Matrimonium an mutuo consensu possit distrahi, 629.a
Matrimonium cur potius sic quā patrimonium dictū. 628.a
Matrimonium ratū per ingressum religionis dirimitur. 635.a.b
Matrimonium consummare ante benedictiones ecclesiæ an sit peccatum. 652.b
Matrimonium ingratum minus malum est quàm mors. 660.b
Matrimonium in gradu prohibito sub cōditione si Papa dispensauerit, post dispensationem nouo eget consensu. 665.b
Matrimonium sub conditione impossibili contractum præsumitur tale, ac si nulla conditio esset adhibita. 667.a
Matrimonium spadonum, castratorum & Eunuchorum an sit stabile. 707 a
Matrimonium contrahere an possint vetuli. 707.a
Matrimonium post votum simplex contractum firmum est. 739.b
An verò sit peccatum illud consummare. 740.a.b
Matrimonium non dirimitur per rœtorem & graueolentiam oris. 706.b
Matrimonium Iudęorum cum pluribus vxoribus dirimitur si ad fidem conuertantur. 696.a
Matrimonium clandestinum bifariam contingit. 649.b
Matrimonium clandestinum & minus solenne in quo differant. 649.b
Matrimonium clandestinum iure optime ab ecclesia vetitum est. 650.a
Matrimonium clandestinū legibus ciuilibus reprobatum. 650.b
Matrimonium clandestinum si modo per verba de præsenti fiat, est validum. 650.b
Matrimonium clandestinum in quibus casibus licitè contrahatur. 651.a
Matrimonium clandestinum contrahentes quam pœnam incurrant. 652.a
Matrimonium clandestinum noua ecclesiæ prohibitione & decisione indiget. 650.b
Matrimonium clandestinum inire, an sit peccatum. 651.a
Matrimonium infidelium dirimitur altero ad fidem catholicam conuerso. 636.b
Matrimonium inter infideles rectè contrahitur, constatque quatenus concupiscentiæ remedium. 744.a
Matrimonium infidelium diuersarum sectarum an fuerit licitum. 745.a
Et quid de matrimonio Israelitici populi cum septem illis gentibus prohibito. 745.a
Matrimonium infidelium diuersarum sectarum an potuerint ipsorum principes irritare. 745.b
Matrimonium inter fideles & infideles graue sacrilegium est, & iure positiuo prorsus nullum. 746.a.b.& sequent.
Matrimonium cum hæretico & apostatà contractum validum est. 748.a
Matrimonium inter infideles legitimè contractum per conuersionem ad fidem non dirimitur. 748.a.b
Matrimonium an sit prohibitum iure naturali vel diuino inter infideles & fideles. 746.a.b
Matrimonium inter leuirum & fratriam & inter sororem vxoris & sororium non est ita iure naturali prohibitum, quin sub eo cadat dispensatio. 774.b
Matrimonij consortium quare inter homines indissolubile. 616.a.744.b
Matrimonij triplex institutio. 616.b.744.a
Matrimonij sacramentum an à Deo immediatè & quibus verbis fuerit institutum. 616.b.617.a
Matrimonij præceptum an fuerit naturale. ibidem b
Matrimonij præceptum consilio castitatis non aduersatur. 618.a
Matrimonij vsum plures hæretici negarunt esse licitum. 618.b
Matrimonij vsus potest esse apud Deum meritorius gratię 619.a
Matrimonij fœdus lege naturę indissolubile. 621 b.697.b
Matrimonii sacramentum qua ratione est sacramētum, in noua lege à Christo institutum est. 622.a
Matrimonij gratia sacramentalis triplici concupiscentię medetur. 623.a
Matrimonii gratia quando infundatur. 623.b
Matrimonii duplex integritas & perfectio. 625.b
Matrimonii duplex significatio. 646.a.b.626.b
Matrimonii contractus nunquam per negationem vim obtinet. 670.b.671.a
Matrimonio illud obstat quod eius fini repugnat. 759.b

Digitized by Google

Matrimonio rato propter professionem religionis soluto liberum est coniugi relicto quam voluerit sibi in matrimonio sociare. 636.b
Matrimonia inter parentes vtrum fuissent prohibita natura stante integra. 762.a
Mathathias. 1. Machab. 2. an potuerit infidelium filios circuncidere. 159 a
Mediatoris nomen si in proprio significato vsurpetur, solus Christus est mediator Dei & hominum. 854.a
Melchisedech sacrificium forsitan fuit sacramentum. 27.a
Mendacium quodcunque in confessione an sit peccatum mortale. 439.b
Menstruatæ accedere vetitum fuit in lege veteri duplici de causa. 688.a
Meritum in charitate fundatur. 520 a.b
Meritum nullum est operantis in peccato. 484.a. Vide Opera.
Meritum vnius alteri prodest: quia sumus vnius corporis membra. 489.b
Meritum est causa præmij. 32.b
Meritum de condigno duplex. 55.b
Meritum de congruo quid sit. 324.b
Meritum de condigno solum apud Deum dicitur suo gradu iustitia. 86.a
Meriti gradus. 392.b
Meruit Christus per quemlibet actum redemptionem nostram quantum ad sufficientiam, sed omnes simul obtulit tanquam plenam satisfactionem. 38.a.b
Meritum de condigno & meritum de congruo quantum differant. 171.a
Metanæa Hesiodi. 412 a
Metaphoras prophanas valde cauere debent sacrarum literarum expositores. 13.b
Metropolitanus idem qui Archiepiscopus. 592 b
Metus mortis à rege Christiano incussus quatenus excusat. 549.b
Metu mortis peccatum veniale committens, vel iciunium aut diem festum violans, non desinit esse constans. 656.b
Metus excommunicationis an censeatur esse iustus. 657.b
Metus vnde oriri debeat, vt censeatur iustus. 660.a
Metus ab intrinseco nõ impedit nec vitiat matrimonium. 660.a
Metus cadens in constantem virum alio fine illatus non impedit matrimonium. ibid.
Metu mortis compulsus sponsalia iurare an teneatur iuramentum seruare. 660.b
Metus coactus matrimonium consummare an censeatur vere contrahere. 661 b
Metus quid. 656.a.b
Metus cadens in constantem virum quis. ibid.
Metus cadens in constantem virum excusat à culpa. 657 a
Metus vt cadere in constantem virum dicatur, ex duobus perpenditur. 656.b
Metus leuis non excusat à culpa. 657.a
Metus leuis consensum non infirmat. 657.b
Meretrix non debet sigillatim omnes suas turpitudines confessori recensere, sed satis est, si dicat decies aut centies. 414.a
Mersio non est de necessitate baptismi, peccat tamen qui illam prætermittit. 111.a.112 a.b
Mersio trina an sit facienda cum periculo mortis illius qui baptizatur. 113.b
Mersio subsequens continuò prolationem formæ baptismi pars est sacramenti. 113.a
Mergere quas sit necesse corporis partes ad ablutionem baptismi. 111.b
Quidam mergit dicit, aspergo, aut contra, peccat, & baptismus ille sub conditione debet iterari. 111.a.b
Mimi cuiusdam apud Augustinum inepta facetia reprehensa. 904.a
Minister debet habere intentionem, per quam id intendat facere, quod per formam significatur. 66.a
Minister si per mutationem verborum intendat alium ritum inducere, qui non sit ab ecclesia receptus, non videtur sacramentum perficere. 17.a
Minister quomodo est instrumentum sacramenti. 50 a
Minister nequam si ab ecclesia toleratur, licet ab illo sacramenta suscipere. 62.a
Minister malus sacramenti bifariam intelligitur. 57.b
Minister gratiam confert. 50.a
Minister qui nefariam intentionem sacramentis adiungit, grauissimum scelus committit, idque duplex. 70.a
Ministri ecclesiæ possunt sacramẽta cõferre etiã si sint mali. 57.b
Ministri præcisi si in extrema necessitate baptizent an peccent 64. b
Ministri an necessario habere debeant intentionem, quam habet ecclesia Romana. 66.b
Ministri an requiratur interior intentio, an verò sufficiat exterior verborum prolatio. 67.a
Ministri matrimonij sunt ipsi contrahentes. 50.b
Ministri intentio si desit, an Christus supplebit in pueris defectum. 67. b
Ministri intentio. Vide in verbo Intentio.
Ministri probitas in moribus ad essentiam sacramenti non pertinet, sed ad decentiam. 57.b.& sequent.
Ministri nequam actioni in sacramento quomodo cooperetur Christus. 59.b
Et quomodo hic intelligatur. ibi.
Ministri qui dicãtur tolerati, qui excõmunicati. 63.b. 64 a. 320.b
Ministrum ad internum sacramenti effectum concurrere negare hæreticum est. 50.a
Ministrum improbum non paratum neque offerentem sacramentum nemini licet ad id inducere. 62.b
Ministrorum qui male sacramenta conferunt quinque gradus. 61. a
Ministris sacramentorum simul cum potestate ministrandi gratiam curat Deus infundere. 59 b
Ministros sacramentorum toleratos ab ecclesia quando etiam non paratos ad conferenda sacramenta, inducere: quando solum a paratis suscipere liceat. 62.b.63.a.b
Et quando hoc ipsum in præcisis. ibidem.
Ministerium sacramentale ab angelis perfici potest, & ratum haberi debet. 65.a.b. quamuis ad solos homines ministrare sacramenta pertineat. ibid.
Ministrare in mortali peccato sacramentum, peccatum genere suo mortale. 60.a
Missa prò pluribus oblata an tantum valeat singulis, ac si pro vno quolibet illorum solum offerretur. 295.b.325.a
Missa boni sacerdotis simpliciter melior est quàm mali. 317.a.b. & sequent.
Missa sacerdotis præcisi & orationes, quas ibi fundit, prosint ne ijs pro quibus offert. 319.a.b
Pro vna missa non sunt plures pitantiæ recipiendæ. 326.a
Missa improbi sacerdotis quantum ad sacramentum non minus valet quàm probi. 317.a
Missa triplex in natali Domini quid significet. 328.a
Missa solemnis vt celebretur, sex sunt requisita. 327.a
Missa certis precibus constat, quarum institutio aptissima demonstratur. 333.b.vsque 337.
Missa celebrari debet ab aurora ad meridiem vsque. 329 a
Missæ sacrificium ter in anno conficere tenentur sacerdotes. 321.b
Missæ quæ à malo sacerdote peragitur valor. 318.b.& 325.a
Missæ valor non variatur propter numerum ac sanctitatem iustorum maiorem aut minorem. 345.b
Missæ canon ab Apostolis ad nos peruenit. 337.a.b
In missæ sacramento vtrum sit sacrificium solum ipsum sacramentum, an verò orationes. 317.b
Missæ triplex effectus. 318.a.b
Missæ partes præcipuæ. 334.b
Missam totam quis dicatur audire, & quæ attentio requiratur in audienda missa. 326.b
Missam propriam diei festi non est necesse audire. 326.b
Missam dicere tenetur parochus, quoties populus audire, in alijs diebus pro ratione stipendij. 327.b
Missam dicuntur instituisse Petrus, Iacobus, Basilius Cęsarienſis, eo quod vnusquisque in sua ecclesia solennem missæ celebrationem instituerit. 334.b
Missam ab alio cœptam an teneatur sacerdos perficere. 342.b
Missam non debet sacerdos celebrare solus, nisi sit vrgens necessitas ex dispensatione. 342.a
Missam priuatam dicere in die parasceues est peccatum mortale. 328.a
Missam absque vasis & vestibus sacris sine ara lapidea, linteolis lineis, lumine dicere, mortale est. Quod excusari potest si absit contemptus. 333.a.b
Missam audiendi domi priuilegio quatenus vti liceat. 331.a.b
Missam non licet dicere super mare aut flumen. ibid.
Missam dicere paulò ante vel post meridiem, si adsit legitima causa, non est mortale. 329.a
Missam celebrare non persolutis matutinis horis non est mortale. 329.b
Missam audire in diebus festis vtrum sit præceptum sub reatu mortali. 326.a.b
In missa non plures sunt dicendæ orationes, quàm instituerit ecclesia. 334.b. & seq.
In missa defectibus euenientibus quomodo occurrendum sit. 342. b. & sequent.
A missa audienda quæ personæ excusantur. 327.a
Missas plures quàm duas nunquam licet dicere, nisi in die natalis Domini. 328.b
Mixta omnia in die iudicij non purgabuntur, sed omnia igne consumentur. 886.a.890.a
Monstrum an debeat geminò baptismo intingi. 117.a

Digitized by Google

Monachi choro addicti quare coronæ tonsura insigniantur. 587.b
Monachi laici seu conuersi cur in modum coronæ non tondeantur. ibid.
Monachi aliquo casu nũ cogi possint matrimonium inire. 618.a
Mortui quare aliquando viuis appareant. 841.a
Moriuntur vniuersi qui in die iudicij superstites fuerint vt cum cæteris resurgant. 813.b
Mos sumendi eucharistiam in die Cœnæ post seculares epulas, vnde ortum habuerit, & quando abrogatus fuerit. 297. a. & seq.
Mos ecclesiæ vt à ieiunis eucharistia sumatur, à Christo deriuatus est. 296.b
Mos tradendi eucharistiam infantibus tempore Diui Dionysij in aliquot ecclesiis viguit. 299.b
Mosayca præcepta an obligent. 760.a
Motus tripliciter potest esse naturalis. 801.a
Motus cœli in mundi innouatione cessabit. 887.b
Mulier baptizare non debet si adsit copia viri. 125.a
Nisi forte sit peritior baptizandi quam vir. 125.b
Mulier an sit capax spiritualis potestatis. 508.a
Mulier ante partum moritura, aut iure ad mortem damnata, non est incidenda, vt baptizetur filius. 160.b
Mulier non dicitur irregularis, sed incapax 599.
Mulier si ordinem sumere præsumeret, nullus est. 600.a
Mulieri nunquam licuit etiam per dispensationem pluribus viris simul nubere. 697.a
Mundus non expurgabitur per aquas quemadmodum tempore Noe. 883.b
Mundus quo die conditus. 813.a
Mundus in die iudicij innouabitur vt perpetuo maneat innouatus. 887.a
Mundi innouatio non erit solum purificatio, sed nobilitatio tam in perspicuitate elementorum, quam in lucis incremento ibidem.
Mutatio verborum an vitiet sacramentum. 104.a.b.& seq.
Mutilatio membri & mutilator. 602.b
Mustum rectè consecrari potest. 214.b
Mysterium incarnationis Christi quare diabolo cælatum. 677.b
Mysteria circuncisionis. 77.a

N.

NEcessitas vrgens requiritur vt quis eucharistiam possit sumere sine confessione mortalium, eo quod non habeat copiam confessoris. 288.b
Necessitas implendi præceptum ecclesiæ, & citra articulum mortis, an faciat ius inducendi peccatorem non paratum vt administret sacramenta. 62.b.63.a b
Necessarium aliquid esse dupliciter intelligitur. 20.a.47.b.& se.
Nero virum duxit in matrimonium. 628.b
Nisi, potest facere sensum conditionalem. 671.a
Nisi manducaueritis carnem, &c. quomodo intelligatur. 303 b
Noe cogere potuit filios suos ad nuptias, & nepotes ad matrimonium. 618.a
Nominis voce quid intelligatur in baptismo. 105.b
Notitia tam intellectiua quam sensitiua panis & vini vtrum maneat post consecrationem. 231.b
Notorium crimen quod dici possit. 290. b.& seq.
Notitia & species in quo differant. 290.a
Nouatiani & Cataphrygæ secundas nuptias condemnabant. 789. b
Nubes in qua venturus est Christus, an erit naturalis. 873 a
Numerus trigesimus, sexagesimus, centesimus quid apud sacros authores denotat. 946.a
Numerandi ratio per digitos quid indicabat. ibid.
Numerus peccatorum est de necessitate confessionis. s. vt singula quisque confiteatur. 437.b
Nuptiæ sunt verum sacramentum conferens gratiam. 790.a
Nuptiæ secundæ vtrum sint licitæ. ibid.
Nuptiæ iure naturæ inter fratres erant veritæ. 764.b
Nuptiæ in quibus gradibus vetitæ erant in lege veteri. 759.b
Nuptiæ vnde dictæ. 628.a
Nuptias quare sua præsentia honestauerit Christus, 622 a
Nuptiarum solennitas & benedictio fieri potest die beatissimæ virginis assumptæ tempore interdicti. 598.a.b
Nuptiarum solennitas quo tempore interdicta. 690 a
Nuptijs contrahendis meritò potuit ecclesia certos præscribere gradus. 767.a

O.

OBlatio Melchisedech an fuerit sacramentum. 10.a b
Oblatio an debeat fieri expresso nomine, an verb satis sit in genere offerre. 275. b
Oblatio quamuis ex sui quantitate sufficiat pro satisfactione totius pœnæ, tamen in re non habet effectum, nisi pro ratione deuotionis & feruoris, tam offerentis, quàm illorum pro quibus offertur. 276.a
Occultum duobus modis quid dicitur. 720.a
Odoris sensus erit perfectissimus in corpore beato.
Offerentes sacrificium sunt in triplici gradu. 324.b
Offerentium numerus non minuit valorem sacrificij. 325.b
Officium Theologorum est ecclesiæ dogmata in sacris eloquiis fundare. 40.b
Officium diaconi, subdiaconi, ostiarii, acolyti, lectoris, exorcistæ. 581.b.582.a.b
Oleum consecratum an sit de essentia sacramenti vnctionis. 566. b
Oleum vnctionis ex commissione Papæ an possit consecrari à presbytero. 567.a
Omnes creaturæ signa sunt sacrarum rerum. 8.a
Omnis homo naturaliter scire desiderat, quomodo intelligendum sit. 898.b
Omnes qui in die iudicii reperientur viui, morientur vt cum cæteris resurgant. 813.b
Ordo quatuor librorum Magistri sententiarum. 5.a
Ordo Diui Thomæ in summa. ibid.
Ordo D Thomæ imitandus. 5.a
Ordo ecclesiast. an impediat, vt sit in ecclesia. 577 a
Ordo quid sit. ibid. b
Ordo gradibus ministrorum per antonomasiam accõmodatur. ibidem.
Ordo ecclesiasticus est sacramentum. ibid.
Ordo duplex: sacer & non sacer. 586.a
Ordo cardinalium an sit de iure diuino. 593. a. Vide in verbo Cardinales.
Ordo exorcistarum & catechismorum. 178 a
Ordinis sacramentum non est vnquam collatum ab Apostolis per solam manuum impositionem. 184.a
Ordo sacer matrimonium non dissoluit. 638 a
Ordo sacer num matrimonio superuenire possit. 736 b
Ordo sacer non diuino sed positiuo iure matrimonium dirimit. 736 a
Ordinis sacerdotalis origo. 578 a
Ordinis materia & forma. 578 b.579.a
Ordinis sacramentum non præsupponit characterem confirmationis. 587.a
Ordinis sacramentum hæreticus quicunque verè conferre potest. 597.b
Ordini suscipiendo ætatem legitimam præuenire peccatum mortale est. 601.b
Ordines quatuor minores non sunt sacramenta. 585. b. neque characterem imprimunt, nec gratiam infundunt, neque impediunt matrimonium. 735 b. neque ad horarum recitationẽ tenentur. 585.b
Ordines minores quare non iterabiles. 586.a
Ordines minores simplex sacerdos potest ex cõmissione Papæ, non autem episcopi conferre, non item maiores. 598 b
Ordines maiores quare dicantur sacri. 586.a.735.b
Ordines per simoniam collati vtrum sint sacramentum. 598.b
Ordines suscipere potest coniugatus post diuortiũ. 639.b.725.b
Ordines duos vno die suscipiens fit irregularis. 604.b
Ad ordines sacros non est admittendus qui patrimonio caret. 606.b
Ordinum septenarius numerus congruentissimus. 580 b. contra Witeleff duos tantum ordines à Christo institutos asserentem.
Ordinum singuli an sint sacramenta. 582 b.585.a
Ordinum tres gradus. 585 a
Ordinum impedimentum non semper est irregularitas 599.a b
Ordinum sacrorum susceptio vtrum matrimonium in infidelitate contractum dirimat 753 a
Ordinibus suscipiendis aptus est hermaphroditus in quo virilis sexus præualet. 600 a
Ordinibus suscipiendis morum integritas non est de essentia, est tamen de præcepto. 605.a
Ordinibus sacris in peccato initiari peccatum est. 606.a
Ordinari quæ personæ possint 599.a b
Ordinatus ante vsum rationis aut per metum an teneatur voto castitatis. 600. b an maneat suspensus ab exequutione ordinum. 601 a
Ordinatus ab episcopo excommunicato est irregularis. 604.a
Ordinatus ab alio episcopo citra licentiam proprii est suspensus. ibidem.
Ordinatus extra tempora est suspensus ibid.b
Ordinandorum ætas iure antiquo & nouo præfinita quę. 601 b
Ordinandorum qualis scientia & prudentia requiratur. 606.a.b
Ordinantis indignos delictum quod sit. 607.b
Originale peccatum radicitus tollitur per baptismum. 164.a
Originali culpa remissa an censeantur remissa actualia. ibidem
Orationes sanctorum qui hæretici negauerunt. 855.a

Digitized by Google

Orationes sanctorum suapte ratione semper exaudiuntur, sed ex parte nostra sæpe euenit, vt non exaudiantur. 855.a
Orare pro damnatis est peccatum. 846.b
Orare sanctos tanquam patronos nostros, qui apud Deum nobis vt suffragentur, religio est Christiana. 853.a
Orandus quomodo solus Deus. ibid.
Orare pro excommunicato an possit sacerdos in Memento & in orationibus communibus. 547.b
Orandum non est pro excommunicato. 537.a
Opera, per quæ satisfactio fieri debet, debēt esse pœnalia. 485.a
Opera omnia satisfactoria ad hæc tria reducuntur, quæ sunt ieiunium, oratio, & eleemosyna. 488.a
Opera omnia Christi fuerunt infinitè meritoria & satisfactoria. 38.a
Opera mortificata quæ dicantur à sancto Tho. 406.a
Opera in peccato facta an minuant inferni cruciatum. 484.b
Opera omnia meritoria generali ratione sunt satisfactoria. ibi.
Opera pœnalia per antonomasiam dicuntur satisfactoria. 485. b.486.a
Opera peccatoris nullius sunt meriti, ne tēporalis quidē. 484.a.b
Opera in charitate facta mortificari dicuntur per sequens mortale peccatum. 404.a
Opera bona quare dicantur per peccatum mortificata, non mortua, & an præmientur, si quis in peccato decedat. ibid.
Opera mortificata per pœnitentiam reuiuiscunt. ibi. b
Opera bona non pereunt, quamuis facienti illa non remunerentur. ibid.
Opera secundum se bona in peccato facta, quæ non possunt viuificari, hæc dicuntur mortua. 405.b
Operum tria genera in lege veteri: moralia, iudicialia, cæremonialia. 82.b
Operam rei illicitæ dare quomodo quis dicatur. 603.b
Opera nostra bona quæ ex gratia procedunt bifariam sunt apud Deum preciosa. 843.a
Opera omnia reproborum in eorum conscientia omnibus in die iudicij patefient. 875.b
Opera omnia iustorum tam sibi quàm alijs vniuersis propalabuntur. 876.a
Operum examinatio, quæ ad conuincendum improbos, & præmiandum sententiam iudicij antecedet, mentaliter duntaxat perficietur. 877.a
Operatio sensitiua, siue sit potentiæ apprehensiuæ, siue appetitiuæ, non potest dici in beatis corporibus esse beatitudo. 894.b
Oseas, cui Deus fornicaria vti vxore iussit, à crimine excusatur. 694.a.& 698.a

P.

PAlingeniasis priscorum philosophorum. 799 a
Panis incoctus non est legitima materia eucharistiæ. 208.b
Panis, qui aqua artificiali commaſſatur, non est materia eucharistiæ. 216.a
Panis triticeus est propria & necessaria materia sacramenti eucharistiæ. 207.a
Panis azymus an necessario requiratur in eucharistia conficienda. 208 b
Panem sine vino aut contra non licet consecrare. 204.a.b
Ex pane fit corpus, an sit propositio falsa. 234.a
Papa potest esse hæreticus. 552.a
Papa an possit filios spurios quantum ad successiones legitimare. 778.a
Papa potest dispensare super omnibus gradibus affinitatis, excepto primo. 776.a
Papa an possit dispensare super vllum casum Leuitici. 775.a.b
Papa vicem gerit Christi in terris, quem ideo ecclesia tollere non potest. 595.b
Papa an debeat esse episcopus Romæ. ibid b.& 596.a
Papa an sit dominus totius orbis in temporalibus. 608. b. & sequentibus.
Papa potest leges ciuiles fidei noxias abrogare. 612 a
Papa an possit mutare sedem ab vrbe Romana. 596 a
Papa an possit dispensare super voto solemni castitatis aut religionis. 742.a
Papam habere vtrumque gladium quomodo intelligendum sit. 611. b
Papa an potuerit concedere priuilegium religiosis audiendi confessiones sæcularium. 464.a.b
Papa dispensare non potest ne quis non confiteatur. 434.b
Papa solus & reliqui prælati an soli possint indulgentias conferre. 523.a.b
Parabola serui suffocantis conseruum pulcherrimè exponitur. 395. b.
Parasceue quid. 212.b
Parœchi qui curam habent animarum, quando obligantur sacrum facere. 327.b
Paruuli ante duodecimum annum non tenētur eucharistiam sumere. 304.b
Paruuli ante vsum rationis an sint confirmandi. 189.a
Paruuli dum baptizantur in voto ecclesiæ suscipiunt eucharistiam. 198.b
Paruuli ante vsum rationis, si baptismi copia non sit, an ingrediantur viam salutis. 137.b
Paruuli qua ratione censentur vsū rationis attingere, quo possint inuitis parentibus baptizari. 158.b
Paruuli in maternis vteris positi nequaquam sunt baptizandi. 160.a.b
Paruulis tempore Dionysij eucharistia administrabatur. 299.b
Paruulis ad salutem sufficere signum crucis cum inuocatione trinitatis, si desit baptismus, asserit Caietanus, quod tamen citra errorem defendi potest. 137.b
Paruulis Iudæorum periclitantibus ante octauum diem circuncisionis applicari poterat remedium legis naturæ, non tamen sanis. 81.a
In paruulis dum baptizantur quomodo reperiatur fides & intentio. 152.b.153.b
Paruulis si sacerdos offerret eucharistiam an esset sacramentum conferens gratiam. 300.a
Paruulos proijcere in flumen absque intentione & arte leuandi, non potest dici baptismus. 113.b
Paruuli absque baptismo mortui resurgent quidem, sed non euigilabunt. 798.b
Paruuli in limbo vtrum post mundi innouationem educendi sint in superficiem terræ.
Pascha fieri quid sit in Euangelio. 210.b
Passio Christi fuit causa efficiens gratiæ, quæ in veteri lege collata est. 23.b. Sed oppositum colligitur.
Passio Christi multò aliter fuit meritoria quàm sanctorū. 57.a.b
Passio Christi non potuit esse antequam esset exhibita causa efficiens gratiæ. 98.a
Passioni Christi specialiter attribuitur nostra redemptio, etiam si per alia opera nobis meruerit. 38.a.b
Pati nonnunquam est perfici. 44.a
Passionis nomen accipitur dupliciter. 995.a
Pater an teneatur alere filium spurium. 777.b
Pater an possit cogere filios ad matrimonium. 661.a
Patientia eorum qui purgantur in purgatorio non potest esse causa accumulandæ gratiæ. 498.a
Patriarchæ in primitiua ecclesia quatuor extitere, hodie vero plures sunt. 592.b
Patriarcharum honore quatuor olim ecclesiæ insignitæ, & quænam illæ fuerint. ibidem
Patriarchæ quare pluribus vxoribus vsi sint. 694.a
Paulus non potuit essentiam Dei videre nisi lumine gloriæ perfusus. 914.b
Paulus non intellexit sua ætate futurum diem iudicij contra quàm multi opinati sunt 814.b
Pauli locus. 1. Cor. 11. declaratur. 297.a
Paupertas duplex. 867.b
Paupertatis dignitas. 868.a
Peccatum mortale sequens non facit redire peccata prius abolita ex parte conuersionis ad bonum creatū, bene tamen quoad conuersionem à Deo. 394.a
Peccatum sequens non necessariò affert tantum reatum quantus fuerat peccatorum dimissorum, sed potest esse minor & maior. 397.a
Peccatum in spiritum sanctum quid sit, quidque peccatum ad mortem. 289.a.b.375.b
Per peccatum læsit homo amicitiam Dei atque iustitiam, quare quamuis per pœnitentiam amicitiam recuperet, debet tamen soluere pœnas ratione iustitiæ. 383.b
Peccatum veniale nullo modo dimittitur quando eius adest cōplacentia. 388.a
Peccatum veniale non pellitur per actum charitatis, quantumcunque feruidum nisi sit sibi contrarius. ibidem
Peccatum mortale atque veniale separant à Deo, illud quidem perfectè, hoc imperfectè, vtrumque autem per pœnitentiam remittitur. 387.a
Peccatum veniale remittitur per displicentiam virtualem, quæ requiritur, non tamen sufficit hæc ad mortalis remissionem. 387.b.& 388.a
Peccatum mortale consequitur reatus pœnæ æternæ ex parte auersionis à Deo. 383.a
Peccatum veniale non remittitur existenti in peccato mortali 391.b
Peccatum gen[illegible]o grauius est peccatum contra Christum in specie propi[illegible]uentem, quam contra ipsum latentem in eucharistia. 289.b
Peccatum irremissi[illegible]ullum. 375.a
Peccatum nullum [illegible]tti potest, nisi per Christum & meritum passionis eius 392.a.b

Digitized by Google

Peccatum actuale mortale cuiplam sine pœnitentia remitti impossibile est. 377.a
Peccatum dupliciter occurrit memoriæ: speculatiuè & practicè 422.a
Peccatum omne per baptismum tollitur. 163.a
Peccatum nullum est, quod per veram pœnitentiam remitti non possit. 374.a
Peccatum vnum non potest per pœnitentiam remitti sine alio. 382.a.b.& sequent.
Peccata venialia an impediant effectum sacramenti eucharistiæ. 278.a
Peccata venialia necessariò confiteri non tenetur homo. 431.a
Peccata dæmonum hominumque damnatorum per nullam pœnitentiam deleri possunt. 373.b
Peccata omnia quæ post baptismum commissa sunt & in memoria habentur, cum omnibus suis circunstantijs sunt de necessitate confessionis. 432.a
Peccata non tolluntur per actum mentis, sed voluntatis. 511.b
Peccata venialia remittuntur quandocunque de nouo gratia infunditur. 389.b
Peccata venialia non sunt obices gratiæ. 278.b
Peccata dimittere in Deo non est nolle punire, sed peccatorem in gratiam reuocare 381.a
Peccata venialia qualiter dimittantur per sacramentalia, vide lucidam disputationem. 390.b.391.a
Peccata præterita speciali quadam ratione facit redire ingratitudo quatuor generum peccatorum. 396.a.b
Peccata venialia vtrum remittantur in purgatorio quo ad culpam. 390.b.498.a
Peccata venialia vtrum remittantur per orationes, eleemosynas & ieiunia. 388.b
Peccatorum præcedentium macula atque reatus quatenus ex ipsis procedebant, per peccatum sequens nullatenus potest redire, bene tamen aliter. 394.a
Peccatum minus committere an liceat ad euitandum maius. 653. a. b
Peccare mortaliter potest homo ante septennium. 642.a
Peccator non statim tenetur agere pœnitentiam nisi tempore necessitatis. 420 b.421.a
Peccator qui sumit in peccato eucharistiam quatenus sacrilegium committat. 283.b
Peccator permanens in peccato, si cum intentione ecclesiæ baptizetur, verum suscipit sacramentum & characterem sine gratia. 145.a
Peccatori publico in alio loco petenti sacramentum an sit ministrandum perscient em sacerdotem. 291.a
Peccatores in eucharistia Christum sacramentaliter manducãt. 282. b
Peccatores publici qui dici debeant. 290. b
Peccatoribus manifestis sacra communio concedi non debet. ibidem.
Non est tamen deneganda post pœnitentiam & ecclesiæ reconciliationem. ibidem.
Pœna contrahentium clandestinas nuptias. 652.a.& 662.b
Pœna legis 49. Tauri non habet locum in masculis. 663.a
Pœnitentia est sacramentum nouæ legis. 344 b 345.a
Pœnitentia publica quatenus iusta sit. 490.b
Pœnitentia in mortis articulo difficilis. 492.b
Pœnitentia consequitur maiorem vel minorem gratiam, secundum quod motus liberi arbitrij est intensior vel remissior. 399.a.b
In pœnitentia est aliquid, quod est sacramentum tantum, res & sacramentum res sacramenti. 347.b
Pœnitentia includit in se quinque. 359 b
Pœnitentia est specialis virtus. 361 b
Pœnitentia non claudit in sua essentia aliquam sensualem passionem vel affectionem. 366 b
Pœnitentia est specialis virtus, quia respicit peccatum quatenus est offensa sub ratione emendabilis propter Dei amicitia. 364.a
Pœnitentia expellit actiuè omnia peccata. 363 a
In pœnitentia non consideratur multum simpliciter, sed secundum quid. 364.
Pœnitentia ab vno sacerdote imposita an possit mutari per alium 517.a
Pœnitentia an possit esse post hanc vitam.
Pœnitentia interior debet durare vsque ad finem vitæ, exterior verò minime. 356.a
Pœnitentia continua esse debet in habitu, non autem in actu. ibi.
Pœnitentia si accipiatur pro passione non est in voluntate, sed in concupiscibili, 366.a
Pœnitentia publica duplex. 491.a
Pœnitentia dilata vsque ad extremum mortis articulum, præsertim in illis qui viram perditè egerun , non est tuta, nisi dum homo egregie compunctus apparet. 492.b
Pœnitentia expressa, actualis & diligens non requiritur ad remissionem venialium. 387 a
Pœnitentia vtrum non solum quantum ad detestationem peccati sit formaliter necessaria, verum quantum ad propositum emendandi vitam. 380.a
Pœnitentia pluries est iterabilis, quamuis contra plures hæretici senserint. 356.b
Pœnitentia in quo differat à cæteris sacramentis. 364.b
Pœnitentia perfectior exigitur ad remissionem mortalis culpæ. 387.a.b
Pœnitentia an sit prima virtutum. 371.a
Pœnitentia est virtus de iure naturæ. 368 a
Pœnitentia an possit dici dolor cum non sit in sensu. 410.b
Pœnitentia est solius peccati proprij. 412.b
Pœnitentia est secunda tabula post naufragium. 353.b.& 354.a
Pœnitentia nomen Latinum est. 359.a
Pœnitentia an sit virtus vel actus virtutis. ibid.
Pœnitentiæ sacramenti formæ non est necesse addere, à peccatis tuis. 351.b
Pœnitentiæ sacramento non est conueniens manuum impositio. 352 a
Pœnitentiæ sacramentum non est absolutio peccatoris contra Scotum. 345 a
Pœnitentiæ sacramentum non est confessio & absolutio contra Durandum. ibidem.b.in fine.
Pœnitentiæ sacramentum accipitur pro actibus pœnitentis connotando formam. 346.a
Pœnitentiæ materia differt ab aliorum sacramentorum materia, quod hæc est supernaturalis. ibi. b
Pœnitentiæ sacramenti materia proxima actus pœnitentis sunt. 347 b
Remota verò materia sunt peccata per pœnitentiam remouenda. ibidem.
Pœnitentiæ forma: Ego te absoluo, conuenientissima est. 348.b
Pœnitentiæ sacramentum maiorem gradum gratiæ tribuit quàm baptismus. 402.a
Pœnitentiam esse remedium peccatorum tripliciter intelligitur. 355.a
Pœnitentiam non possunt habere damnati, quæ illis profit ad remissionem peccatorum. 373.b.374.a
Ad pœnitentiam veram requiritur propositum cauendi in futurum formaliter. 379.b.380.a
Per pœnitentiam simul cum culpa remittitur reatus pœnæ æternæ: potest tamen manere aliqua pœna temporalis. 383.a.b
Per pœnitentiam impossibile est vnum peccatum sine alio remitti. 382.a
Pœnitentiæ præceptum constat diuino iure. 360.b
Pœnitentiæ præceptum metaphoricè dicitur secunda tabula. 353. b
Pœnitentiæ sacramentum conuenienter in noua lege fuit institutum. 354.b
Pœnitentiæ sacramentum quando à Christo institutum. 355 a
Pœnitentiæ sacramentum est necessarium ex suppositione, hoc est, illis qui post baptismum mortaliter peccauerunt, 352.a
Pœnitentiæ virtus præcipitur de iure diuino. 360 b
Pœnitentiæ sacramentum constat ex duabus partibus essentialibus: rebus & verbis. 407.a.b
Pœnitentiæ partes integrales sunt: contritio, confessio & satisfactio. 409.a b
Pœnitentiæ actus procedit à timore seruili, sicut à primo motu nostri affectus ad hoc ordinato, procedit etiam à timore filiali 367. a
Pœnitentiæ habitus immediatè à Deo infunditur, nobis dispositiuè tantum cooperantibus per aliquos actus. ibid.
Pœnitentiæ seræ impedimenta & incommoda. 492.b
Pœnitentiæ iniunctæ si in peccato fiant, nunquam per gratiam viuificabuntur. 483.b
Pœnitentiæ publicæ abusus sublatus à Leone, can. quamuis de pœnit. dist. 450.b
Pœnitentiæ publicæ qualis hodie sit vsus.. 491.a.b
Pœnitentiæ publicæ relaxatio fiut nostrarum indulgentiarum figura. 522.a.523.b
Pœnitentiæ sacramentum concurrit ad remissionem culpæ tanquam instrumentalis, gratia vero tanquam causa magis principalis. 385.b
Pœnitentiæ iniungendæ optimus modus. 516.a
Pœnitentiæ solemnis cæremoniæ. 491.a
Pœnitere quid significet. 359.a
Pœnitere perpetuo actu impossibile est. 356.a
Pœnitere non statim constringitur homo cum sentit se culpæ reum. 420.b
Pœnitens an teneatur acceptare iniunctam pœnitentiam. 515. b. 516. a
Pœnitentes sero se dubiæ aleæ exponunt. 492.b
Pœnitentibus nondum perfectis salubre consilium est tristitiam & lachrymas excitare. 366.b

Digitized by Google

Pœnitentibus satisfacere paratis iniungendæ sunt dignæ pœnitentiæ in satisfactionem. 408.b
Pœna damni an sit eadem in omnibus damnatis. 429.b
Pœna tripliciter remitti potest. 394.b. & 395.a
Pœna, quam patiuntur existentes in purgatorio, an sit maxima earum quæ sit in hoc sæculo. 496.a
Pelagiani licet originis labem in paruulis non agnoscerent, nihilominus tamen eos baptizabant.
Periculum mortis inducit necessitatem confessionis. 433.a
Permutatio verborum in sacramento fit quinque modis. 17.b
Pertinax quis dicatur, & in quo differat à constanti. 656.a
Persarum mos fuit, vt ait August. vt mortuo patre filius nouercam duceret. 776.a
Petri nomen & dignitas enarratur. 594.b
Pignus & arrha in quo differant. 41.a
Plinius scribit Traiano Christianis morem fuisse conueniendi ad capiendum cibum promiscuum & innoxium. 297.b
Platonici quid senserint de corporum resurrectione. 795.b
Polygamia post latam legem Euangelicam illicita. 750.b Vide in verbo Vxores.
Pontifex an solus esse debeat. 595.b Vide in verbo. Papa.
Portæ inferi quæ dicantur. 834.b
Postliminium quid. 753 b
Potentiæ animalis vitæ in resurrectione erunt absolutissimæ & perfectissimæ. 829.a
Pollutio quamuis enormis non impedit de necessitate post legitimam pœnitentiam sumptionem Eucharistiæ. 295.b. 296.a
Pollutio etiam secluso peccato impedit ex congruitate sumptionem Eucharistiæ infra diem. ibi. & 293.b & sequent.
Pollutio in somnis procedens ex causa libera, quę fuit peccatum, est peccatum. 294.a
Pollutio nocturna quanto tempore arceat à communione. 296.a
In pollutione accedente fine cupa an liceat complaceere. 295 a
Pollutum sua culpa irreuetentia esset culpabilis, etiam post pœnitentiam accedere eadem die ad Eucharistiam. 296.a.b
Potestas clauium gratiæ effectrix nulla fuit ante orbem redemptum, aut in lege naturæ, aut in lege scripta. 504.b
Potestas clauium in quibus locis euangelij tradita sit ecclesiæ. 502.b
Potestas clauium se extendit etiam ad remittendam pœnam temporalem. 518. b
Potestas clauium nihil aliud quàm sacerdotalis character. 501.b
Potestas clauium an fuerit commissa tanquam perpetuo in ecclesia duratura. 503.b
Potestas iurisdictionis non residet immediatè in toto corpore ecclesiæ, sed in prælatis. 506.b
Potestas remittendi non est sacramentis alligata. 519.a
Potestas clauium sacramẽtalis in solis sacerdotibus existit 505 a
Potestas spiritualis duplex. 499.b
Potestas iure diuino conuenit ecclesiæ. 506.b
Potestates ecclesiasticæ sunt supranaturales. 504.b
Potestas humana à diuina deriuata est. 610.b
Potestas pontificis maximi non est merè temporalis. 611.a
Potestatem clauium esse circa regem, primum in Anglia orta fuit hæresis. 504.b
Potestatem & imperium populus in principem transtulit. 661 a
Potestas ecclesiastica an sit ita suprema vt ciuilis ab ea tanquam delegata pendeat. 607.a.b
Præceptum pontificium audiendi missam diebus festis est diuino iure fundatum. 326 a
Præceptum pœnitentiæ non statim obligat, vt quis conteratur. 420. b
Præceptum spirituale abbatissæ non possunt ponere. 508.b
Præceptum scriptum nullum fuit ante legem Moysi. 25.b.26.a
Præceptum confessionis obligat tantum fideles qui peccant. 431. a
Præceptum confitendi de iure diuino, determinatio vero temporis est de iure humano. 427.b
Præceptum diuinum in ordine habendi fuit ante Abraham. 25. b
Præceptum eleemosynæ affirmatiuum est. 618.a
Præceptum matrimonij an etiam nunc maneat. 617.b
Præcepta prohibitoria Leuitici an apud nos rigorem retineant. Et an sint omnia iuris naturæ. 760.a.ibi.b
Præceptum diuinum fidei, spei, & charitatis inspiratum fuit Adę, atque in illo toti orbi. 26.a
Præceptum diuinum est de sumenda eucharistia, Luc. 22. & Ioã 6. à Christo edictum. 303.a
Præceptum eucharistiæ quando obliget. 304.b
Ad Elię prædicationem vtrum sit conuertendus vniuersus orbis. 857.b
Preces mali sacerdotis quam vim habeant. 319.b
Preces quæ in sacramento funduntur, nomine ecclesiæ funduntur, quæ licet minister gratus non sit, semper exaudiuntur. 51.b
Prædicare an conueniat omnibus & solis sacerdotibus. 61.b
Prædicare in peccato mortali vtrum sit mortale. ibid. a
Prædicandi actus ex officio conuenit episcopis, ex priuilegio religiosis, committi etiam potest diaconis. 114.b
Prædicatores non mystice explicent profanas fabulas. 13.b
Prædicationem euangelicam si quis nolens cohiberet, iure possemus armis subigere, 154.a
Prægnans coniugalis officio vtens an peccet. 683.a
Prælatus religionis postquam facta sunt sacrificia non potest ea applicare. 524.b
Prælatus qui ad inquisitionem processerat contra religiosum, cuius peccata in scriptis fortè repererat, castigatus fuit, 474 a
Prælati nomine qui intelligantur. 550.b
Prælati religionum non simpliciter sunt ecclesię prælati, & quãuis possunt sacrificia subditorum applicare, cui voluerint, non tamen possunt indulgentias conferre. 524.a
Prælati dum ab eis petitur facultas absoluendi à reseruatis, tenentur ad sigillum. 472.a
Præmium accidentale & essentiale quod dicatur. 944.b
Præscriptio vim habet in iure percipiendi decimas, quamuis spirituale quid habeant annexum. 779.a
Presbyterorum nostrorum figura præcessit Aaron. 391.a
Presbyteri. Vide Sacerdotes.
Principes qui patroni ecclesiæ dicantur. 612.b
Priuilegium confitendi alij quàm parochiano. 464.a.b
Procurare matrimonium pro alio contrahente illud vere sacramentum est. 632.b
Promulgatio Euangelij quibus modis fieri debeat. 154.b
Pronomen hoc & hic in consecratione panis & vini quid demonstret. 268.b
Protestari fidem tripliciter contingit. 22.a
Puerperij tempore an liceat debitum vel petere vel reddere. 688. b
Purgatorium supereſſe post hanc vitam secundum fidem statuitur. 493.b. & sequ.
Purgatorij locus vbi situs sit. 495.a
Purgatorius ignis qualiter agat in animas. 496.a
Purgatorius ignis idem qui inferni. 495.a
Purgatorij pœna an remittatur per pœnitentiam arbitrio sacerdotis iniunctam. 516.b
Purgatorii pœna quanta sit & quantum duret. 497. b. Vide Indulgentia.
Purgatorij pœna voluntaria non est simpliciter, nec meritoria 497.b. 498.a
Purgatorium an omnes post hanc vitam ingredientur, 494.b 495. a
In purgatorio existentes sunt certissimi de salute sua. 495.b
In purgatorio quanto tempore quis esse possit. 497.b
In purgatorio duplex pœna. 496. a b
Purgatorius locus & limbus puerorum nondum satis inter doctores constat quo ordine dispositi sunt. 835 a.b
Pythagorici aiebant in centro terræ elementum ignis conclusum, quem Iouis custodiam appellabant. 834.a

Q.

QValitas quomodo definiatur à Philosopho. 624.a
Qualitates primæ vtrum restituentur corporibus resurgentium. 829.a
Quantitas non est tam intrinsecè diuisibilis, quàm anima indiuisibilis. 242.a
Quantitas res alia est à re quanta. 252.a
Quantitas est subiectum in eucharistia, quod reliquorum accidentium non esse acquisito de nouo. 252.b.253.a
Quantitas panis & vini in eucharistia an debeat esse determinata. 204. b
Quantitas tota dimensiua corporis Christi an sit in sacramento eucharistiæ. 241.a
Quantitatis duplex officium. 241 b
Quantitati panis & vini non solum per se subsistere in consecratione tribuitur, verum etiam vt sit primum subiectum reliquarum formarum accidentalium & substantialium. 255.b
Ex quantitate sacramenti eucharistiæ fit generatio, quia ex illa producitur materia in quam inducitur forma. 256.a
Quies, delectatio & gaudium in quo differant. 900.a
Quinta essentia locum non habet in elementis. 938. a
Quinta essentia an detur in corporibus glorioſis. 933.b
Quotidie ad sacramentum accedere an sit laude dignius quàm abstinere. 301.b

R.

RAbbi Moyses ne[illegible] mundum factum propter hominem 888 b
Raptor matrimonio [illegible]ociare potest raptam. 662 a

Digitized by Google

Raptus alienæ sponsæ matrimonium contrahendum impedit. 727. b
Rationes duæ sacramenti & sacrificij quomodo distinguantur in eucharistia. 325. b
Rationis vsu carentibus an sit denegandum sacramentum. 500. a
Receptacula animarum vtrum in vnica contineantur cauerna. 836. a
Receptacula animarum quare numero quinario terminantur. 832. a
Receptaculorum animarum distinctio. 836. a
Reatus pœnæ an remaneat remissa culpa per pœnitentiam. 383. a
Rebaptizatio non est sacramentum. 115. a
Rebaptizari sub conditione vtrum liceat eum qui iam certissime baptizatus est. 116. a. b
Rebaptizari dupliciter contingit. 114. b
Rebaptizans an excusetur ab irregularitatis pœna ignorantia iuris. 117. b
Rebaptizantis & rebaptizati pœna. ibidem. a
Rebaptizatum excusat ignorantia facti inculpabilis. ibidem. b
Reconciliari cum Deo potest quilibet peccator quotiescunque voluerit. 358. a. b
Reconciliatam vxorem an teneatur vir catholicus in suam domum & thorum recipere. 753. b
Reconciliare vxorem per diuortium dimissam semper potest vir si emendata fuerit. 725. b
Si verò incorrigibilis est, non licet. ibidem.
Recogitare annos apud Esa. 38. cap. quid sit. 413. a
Regnum cælorum vim patitur, quomodo intelligẽdum sit. 363. b
Regni cælorum possessio quæ. 879. b
Reges catholici quomodo acceperint dominium insularum occidentalium. 157. a
Religiosi confessarij esse possunt. 467. a
Religiosi cessationem seruare tenentur sub pœna excommunicationis. 560. a
Religionis Christianæ præstantia. 20. a
Religionem an possit profiteri sponsa vi oppressa à sponso. 638. b. 639. a
Religionem profiteri potest alter coniugum altero inuito ante copulam. 615. b
Reliquiæ post potionem inuentæ consumi debent. 298. b
Remedium contra concupiscentiam duplex. 626. b
Remissio culpæ an infusio gratiæ, motus liberi arbitrij, an gratia prius sit vel posterius, quæ actiue se habeant formaliter seu materialiter. 386. a
Remissio culpæ licet pœnam damni semper tollat, non tamen semper totum reatum temporalis pœnæ condonat. 480. a
Remissionis venialium causa triplex. 390. b
Ad venialium remissionem non requiritur gratiæ infusio, sed sufficit motus eius & charitatis. ibidem.
Ad remissionem culpæ concurrit pœnitentiæ sacramentum instrumentaliter, gratia verò principalior causa. 385. b
Ad remissionem mortalis requiritur, vt homo actualiter detestetur peccatum esse multum, & adhibeat diligentiam singula memorari, vt singula detestetur. 387. a
Remissa culpa an sit necessaria satisfactio. 383. b
Remissæ culpæ crebra cogitatio an sit laudabilis. 356. a. b
Remitti peccatum quid sit. 380. b
Remissio culpę, pœnitentiæ effectus est, principaliter quidem quatenus est sacramentum, sed etiam propriè quatenus est virtus. 385. b
Reprobi non videbunt deitatem in seipsa in die iudicij. 874. a
Reprobi à bonis localiter disgregabuntur in die iudicij. 877. b
Reprobi vtrum cum integritate membrorum resurgent. 825. b
Repudium est contra ius naturæ. 698. a
Repudium nulli gentium licitum fuit sub lege naturæ. 699. a
Repudium ex parte vtriusque coniugis Imperatorum leges concedunt. ibidem. b
Repudium an fuerit Iudæis licitum. ibidem.
Repudium Moyses tanquam minus malum fieri permisit impune. 700. b
Repudium gentilium quas ob causas fiebat. 701. a
Repudium sola fornicationis causa semper fuit licitum, non autem alias. ibidem.
Repudij Iudæorum & Romanorum forma. ibidem.
Repudij libello dato an liceret tam vxori quàm viro aliud inire connubium. 702.
Repudiare vxorem etiam apud Romanos vitio dabatur. 699. b
Requies præstantior est mot. 888. b
Res vt sit definibilis quinque [illegible]. 8. b
Restitutio quantum differat? [illegible]one. 477. a
Resurgens à peccato semper [illegible]aiorem gratiam resurgit, quàm sit quantitas contritionis ratione meritorum mortificatorum. 400. b. 401. a
Resurrectio Christi fuit futura aqu: est causa resurrectionis nostræ. 802. b
Resurrectio an sit futura in instanti. 810. b
Resurrectio finalis nequit rationibus naturalibus probari, imo nec persuaderi. 801. a
Resurrectio corporum celebranda est summo diluculo dum aurora clarere incipiet, sole existente in oriente, & luna in occidente. 812. b
Resurrectio futura vtrum sit aliquo pacto naturalis. 799. a
Resurrectio Christi an fuerit causa resurrectionis damnatorum. 803. a
Resurrectio corporum quàm variè à varijs prodita fuerit, tum philosophis, tum hæreticis. 795. b 796. a
Resurrectio respectu principij actiui est supernaturalis. 801. a
Resurrectio non est simpliciter naturalis, sed secundum quid. ibidem.
Resurrectio omnium in quibus locis fieri debeat. 817. a
Resurrectio electorum fiet cum omnibus membris, quæ ad integritatem naturæ spectant. 824. b
Resurrectionem necessario futuram quibus rationibus demonstrandum. 796. a. b
Resurrectionem carnis futuram nos fides Catholica docet. ibid.
Resurrectiones duas Papias Ioannis discipulus commentus est, cuius errore intinctus fuit Lactantius. 808. a
Resurgere quid sit. 819. a
Resurget quidquid est de veritate humanæ naturæ tam in corpore quàm in anima. 822. a
Resurgent homines in vtroque sexu. 818. b
Resurgent omnes in ætate iuuenili, etiam si senes mortui fuerint. 827. a
Resurrexit nullus cum Christo ratione sanctitatis. 806. b
Resurgemus omnes in eo loco in quo mortui fuerimus. 817. a. b
Qui resurrexerunt cum Christo an iterum mortui sint. 807. a
Qui resurrexerunt cum Christo erant in limbo. 806. b
Resurrecturus in vitam est idem homo, qui per mortem cecidit. 819. b
Resurgentes in corporibus gloriosis vtrum possint vti hac animali vita, comedere scilicet & bibere. 829. b
Resurgentes recipient eundem vultum, colorem & effigiem & quantitatem, quam viuentes retinebant. 827. b. & 818. a
Respublica ciuilis spirituali subseruit. 611. a
Respublica opificibus destituta eos cogere potest, quos sibi necessarios videt. 618. a
Respublica Socratis de habendis vxoribus communibus merito ab Aristot. repudiata. 616. a
Reuelatio quam Christus fecit Ioanni de proditione Iudæ necessaria fuit. 309. b
Roma an sit necessaria sedes Pontificis maximi. 596. a
Roma sedes. Vide Sedes.

S

Sacerdos cui occultus peccator innotescit, an debeat hostiam porrigere. 290. b
Sacerdos proprius qui. 460. b
Sacerdos quod ante confessionem nouit, potest legitimè reuelare. 475. a
Sacerdos si non est absolutus pœnitens, an possit in aliquo casu interrogatus respondere. 471. a
Sacerdos degradatus an possit consecrare. 319. a
Sacerdos concubinarius non tenetur missam prosequi. 342. b
Sacerdos bifariam ligat pœnitentem ad pœnam. 513. b
Sacerdos tanquam minister & instrumentum Dei dum absoluit peccata & dimittit. 511. a
Sacerdos nunquam nisi ieiunus celebrare potest. 328. b
Sacerdos sic potest pœnitentem ad aliquam pœnitentiam obligare, vt nisi manifestus error appareat, teneatur eam acceptare, ac subinde implere sub mortali. 514. a
Sacerdos quicunque tenetur confessionem celare, & quicunque sigillum reserarit, sacrilegus est. 469. b
Sacerdos in pœnitentijs iniungendis quid aduertere debeat. 516. a
Sacerdos post prandium propter necessitatem infirmi an possit consecrare sine vestibus & missa, & an possit porrigere panem fermentatum? Maioris dicit, quod potest: error tamen est. 298. a
Sacerdos est iudex ordinarius & non arbiter in sacramento pœnitentiæ. 515. b
Sacerdos non potest pro suo arbitrio pœnam imponere. 516. a
Sacerdos non potest pœnam ab alio sacerdote iniunctam mutare pœnitenti. 517. a
Sacerdos absque iurisdictione non potest absoluere. 509. b
Sacerdos est necessarius minister confessionis. 458. b
Sacerdos quiuis catholicus in articulo mortis quemuis potest absoluere, non diuino iure, sed Pontificio. 468. a
Sacerdos virtute clauium & absoluere & ligare potest. 513. b
Sacerdos solus minister est eucharistiæ. 311. b. & sequent.
Sacerdos qui in altari meminit se non esse ieiunum, aut excommunicatũ, aut in mortali, an teneatur missam prosequi. 342. b

Digitized by Google

Sacerdos qui eucharistiam conficit, sumere tenetur vtramque speciem. 308.a.315.b.316.a.
Sacerdos venenum in calice deprehendens post consecrationem tenetur iterum consecrare. 316.a.
Sacerdoti non licet per totam vitam à consecratione cessare. 321. a
Sacerdotes qui semel baptizatum etiam sub conditione baptizant, sunt sacrilegi & irregulares. 116.a
Sacerdotes plures tripliciter concurrere possunt ad vnius hostiæ consecrationem. 313.a
Sacerdotes si plures eandem hostiam consecrent, habeat tamen quisque suam per se intentionem, qui primo formam absoluit, solus ille consecrat. 313.b. 314.a
Sacerdotes in primitiua ecclesia quando sacris initiabantur, recitabant canonem cum verbis consecrationis sine intentione consecrandi. 313.b
Sacerdotes noui simul cum Episcopo consecrantes debent paulò morosius quam Episcopus verba consecrationis proferre. 314.a
Sacerdotes soli possunt iure diuino corpus Christi in Eucharistia dispensare. ibid. b. & 315.a
Sacerdotes Ethnicorum cum de templis vbi oracula accipiebant exibant, quare mussitantes ori digitum admouebat. 6.a
Sacerdotes quo tempore obligantur celebrare. 321.b
Sacerdotes etiam si non sint iusti sed peccatores, possunt eucharistiam consecrare. 316.a.b
Sacerdotes illi maximè errant, qui arbitrantur satis esse in genere offerre pro illis, quibus magis tenentur. 277.b
Sacerdotes legis naturæ, veteris & nostræ, in quo differant. 506.a.& 586.b
Sacerdotum potestas. Vide Claues.
Sacerdos non baptizatus absoluere non potest pœnitentem, nec conficere. 586.b
Sacerdos per saltum promotus omnium ordinum functionem exercere potest. 587.a
Sacerdotes an aliquo casu cogi possint vxores ducere. 618.a
Sacerdotium veteris legis non erat spirituale, 42.a.b. & 25.a
Sacramentum quid vbi eius definitio discutitur. 9.a
Sacramentum vtrum sit in genere signi. 5. b
Sacramentum vnde dictum. ibidem.
Sacramentum varie accipitur in sacra pagina. 6.a
Sacramentum in quo prædicamento reponatur. 5. b
Sacramentum non est merum ens rationis, sed in rebus verè realibus consistit. 8.b
Sacramentum nullum institutum est in lege naturæ. 52. a
Sacramentum petere non licet ab eo, quem noui inde in libidinem incitandum. 62.b
Sacramentum signum practicum dicitur, non quia efficit quod significat: sed quia significat rem sanctificantem. 8.b
Sacramentum rectè definitur, sacræ rei signum. 9. b
Sacramentum non vnius tantum rei signum est. 10.b
Sacramentum potissimum significat gratiam, quæ non significat formaliter. 11.a
Sacramentum est signum sensibile. ibid.b
Sacramentum nouæ legis res determinatas requirit ex diuina institutione. 13.a.b
Sacramentum nouæ legis quatenus verba requirit. 13. b
Sacramentum in remissionem peccatorum actualium nullum fuit in veteri lege. 39.a.b
Sacramentum suscipere ab eo non licet, qui nominatim excommunicatus est. 63.b
Sacramentum rectè perficitur per duo nomina eandem significationem habentia. 18. b. 19.a
Sacramentum eucharistię est inter omnia sacramenta potissimum. 73.b
Sacramentum percipere licet à quocunque per simplicem excommunicationem præciso. 63.a
Sacramenti internum effectum tanquam principale agens Deus operatur. 50.a
Sacramenti effectus non datur melior per meliorē ministrū. 51.b
Sacramenti effectus nunquam suppletur vbi sacramentum vel quippiam eius essentiæ deest. 67.b
Sacramenti nomen tripliciter vsurpatur. 6.a
Sacramenti nomine vt Theologi vtuntur, vsi sunt Hieronymus, Augustinus & Lactantius. ibid. b
Sacramenti effectus non impetratur oratione ecclesię aut ministri, sed ex merito passionis Christi. 51.b
Sacramenta imaginem rei gerunt, quam significant. 6.b
Sacramenta sunt remedia & medicamina contra peccati morbum. 7.a
Sacramenta ob id dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretius operatur salutem. ibidem. b
Sacramenta sunt signa practica. 8.b
Sacramenta an fuerint ante legem scriptam. 9.a
Sacramenta non habent aliam virtutem gratiæ effectiuam præter motum actualem diuinæ virtutis. 36. a.b
Sacramenta ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi. 37. b
Sacramenta quare ex latere Christi dormientis in cruce dicantur effluxisse. 38.a.b
Sacramenta tanto plus gratiæ conferunt quanto plura fuerunt opera, quæ pro nobis Christus obtulit. ibidem.b
Sacramenta nouæ legis ante passionem Christi pleniariam suam virtutem non habebant. 39.a
Sacramenta quæ imprimant characterem, vide Character.
Sacramenta tripliciter pertinent ad diuinum cultum. 49.a
Sacramenta nouæ legis à solo Deo tanquam primario authore potuerunt institui. 52.a
Sacramenta quædam negare à Deo instituta hæreticum est, quædam autem temerarium tantum. 53.a
Sacramenta quædam sunt simpliciter necessaria, quędam secundum quid, alia singulis hominibus, alia vniuersitati fidelium. 73.a.b. & 182. a
Sacramenta omnia non remittere venialia, probabilius est quàm oppositum. 275 a. & 279.b
Sacramenta nouæ legis causam esse gratiæ, dogma fidei catholicæ est. 28.b
Sacramenta esse causam gratiæ quibus modis probent Theologi. 29.a
Sacramenta nouæ legis gratiam continent tanquam causa per se instrumentalis. 35. b. & 82.b
Sacramenta veteris legis gratiæ causa non erant. 39.b
Sacramenta in statu naturæ integræ nullatenus essent necessaria. 21.a.b. Necessaria verò semper fuerunt in statu naturæ lapsæ. 23.a.b
Sacramenta nouæ legis ex opere operato gratiam conferre quomodo sit accipiendum. 28.a.b
Sacramenta gratiam conferre an sit de fide. ibidem.b
Sacramenta antiqua non tam commemoratiua præteritorum erant, quàm futurorum prognostica. 11.b
Sacramenta sunt ecclesiæ fundamentum. 53.a
Sacramenta quomodo intelliguntur gratiam conferre. 31.a
Sacramenta quædam institui necesse fuit ante aduentum Christi. 23.a
Sacramenta noua oportuit esse in lege Christi. 27.a
Sacramenta omnia an sint de necessitate salutis. 74.b
Sacramenta quinque certum est à Christo fuisse instituta. 52.b
Sacramenta nulla sunt in cælo. 27.b
Sacramenta quando propter dubium sint iteranda. 18.b
Sacramenta omnia institutione diuina verba habent eatenus determinata, vt planè effectum gratiæ talis sacramenti repræsentent. 15.b
Sacramenta confirmationis & extremæ vnctionis fuisse Christi proprie instituta negare, non vsque adeo constat hæreticum esse. 55.a
Sacramentorum numerus licet ex sacra scriptura non tanta euidentia colligi possit, abunde tamen authoritate ecclesiæ constabilis est. 52.b
Sacramentorum formæ triplices. 15.b
Sacramentorum virtus nihil aliud est quàm motus, quem recipiunt. 36.b
Sacramentorum necessitas ex triplici causa ostenditur. 20 a.b
Sacramentorum veteris legis causa finalis fuit passio Christi: sed ipsius gratiæ eadem passio fuit causa efficiens. 23.a.b
Sacramentorum instituendorum scopus. 7.a
Sacramentorum virtus à diuinitate Christi per humanitatem est deriuata. 37.b
Sacramentorum septenarius numerus optime distinctus colligitur. 70.b.71.a
Sacramentorum ordo. 73.a
In sacramentis nouę legis oportet vti rebus ex diuina institutione determinatis. 13.a
Sacramenti nomen vsurpatur bifariam. 744.b
Sacramentorum defectus num Deus suppleat quantum ad vltimos effectus. 586.b
Sacramentalis gratia addit supra gratiam donorum & virtutum quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. 55.b
Sacramentalis formæ variatio quatenus tollat vel non impediat effectum sacramenti. 15. vsque 20
Sacramentalia an habeant virtutem remittendi venialia. 390 b
Sacrificium & sacramentum in quo differant. 323.b. & 325.b
Sacrificium iniusti ministri quantum valeat. 325.a
Sacrificia aliqua & oblationes in particulari, vt decimę & primitiæ, in quo statu naturæ fuerunt ab vnaquaque bene instituta repub. institutu[m] [illegible]ni posita. 26.a.b
Sacrificia & oblationes in lege naturæ num gratiam conferebant virtute operis operati. ibidem.b
Sacrificia Abel & Cain [illegible]uerunt ex institutione diuina in particulari. 27.a

Digitized by Google

Sacrificiorum veterum tria genera. 322.b
Sagarellorum hæresis dicentium, quod ecclesia consecrata non plus valet ad orandum quam stabulum porcorum. 329.b
Salomon an licite potuerit cum alienigenis prohibitis contrahere. 745.b
Saluari quasi per ignem quomodo intelligatur. 146.a
Sanguis & reliqui humores sunt de integritate corporis. 239.a
Sanguis Christi quare seculari populo non propinetur. 305.a
Sanguinis communicatio vnde considerata consanguinitatis nomen non obtinet. 756.b
Sancti vtrum pro iis orent qui sunt in purgatorio. 854. a. Vide Orare.
In sanctos sic affecti esse debemus, vt in dominum Christum præ cunctis debeamus esse deuoti. 936.b
Sara consobrina fuit Abrahæ. 765.b
Sara an fuerit soror & coniux Abrahæ. ibidem.a
Satanam deligatum à Deo per mille annos quid sit. 808.a
Satisfactio quid sit. 476.b
Satisfactio tripliciter accipitur. ibid.
Satisfactio in diuersis vtrum pensetur solum ad æqualitatem deuotionis. 276.a
Satisfactio propterea quod sit redditio debiti, an minuat rationem meriti. 477.b
Satisfactio an sit ante ingressum gloriæ necessaria. 479.b
Satisfactio quę sit per eucharistia, qualis & quàm egregia. 276.b
Satisfactio est opus iustitiæ, qua parte pœnitentia iustitia dicitur. 477.a
Satisfactio pro pœna fieri non potest nisi remissa culpa. 481.b
Satisfactio nulla est, nisi qui satisfacere nititur vt sit in gratia Dei. 482.a.b
Satisfactio pro pœna non est de congruo. ibidem.a
Satisfactio in inferno nulla esse potest, ne pro veniali quidem. 483.a
Satisfactio non est pœnitentia, sed pœnitentiæ fructus. 359.b
Satisfactio viui pro mortuo an valeat de condigno, id est, de iustitia & lege. 490.a.b
Satisfactio quæ fit in peccato mortali, nunquam per aduentum charitatis obtinebit valorem veræ satisfactionis. 483.a
Satisfactio debet fieri per opera bona & pœnalia. 485.a
Satisfactio fit communi quodam modo per opera meritoria. ibidem. b.
Satisfactio licet possit fieri per opera aliàs debita, tamen non debet ordinario modo imponi, vt per talia fiat. 486.a.b
Satisfactio fit per flagella diuina patienter accepta. 487.a
Satisfactio vnius pro altero an sit de condigno, & non solum de congruo. 409.a
Satisfacere potest quis pro alio. 489.a.b
Satisfacere possibile est homini remissa culpa pro pœna debita. 478.b
Satisfacere pro vno peccato non potest homo quin satisfaciat pro omnibus. 482.b
Scribere peccata ne memoria excidant an sit vtile. 443.b
Scholares tenentur confiteri curato eius parochiæ, in qua habent domicilium. 463.a
Scotus licet non verbis, re tamen negauit sacramenta esse causam gratiæ. 30.a
Sedere a dextris Dei quid significet.
Sedes Christi in iudicio quæ. 877.b
Sedes Romana tanto tempore durabit, quanto duratura est fides euangelica. 858.a
Seminatio extra vas quod sit peccatum. 685.a
Sensationes quas habet Christus in cælo, habet in sacramento per concomitantiam. 247.a
Sensus omnes vtrum habebunt omnes suos vsus in corporibus glorioſis. 935.b
Sensationes in corporibus beatificatis quibus modis fiant. ibid.
Sensationes an erunt in anima separata à corpore. 953.b
Per sensationes vtrum corpora glorioſa concipient noua rerum iudicia. 937.a
Sententia illa: Venite benedicti, & Ite maledicti, an sit vocaliter pronuntianda. 877.a
Sententia ecclesiæ an sit necessaria ad dissoluendum matrimonium cum ancilla ignoranter contractum. 713.b
Sepultura opus est misericordiæ. 850.a
Sepulturæ officium viuis & defunctis vtile. ibidem.
Serpens æneus non fuit suspensus colendæ religionis gratia, & ideo non fuit sacramentum. 10.a
Seruus si ordinetur sacramentum suscipit, ordinum tamen vsu caret. 603.a
Seruus non est heri in his quæ sunt naturalia. 711.b
Seruus de consensu heri contrahen[s] cum ancilla potest eo inuito cum illa habitare. ibidem.& 712.a
Seruus coniugatus in quibus tenetur hero seruire. 712.a
Seruus inuito domino non potest religionem profiteri, potest tamen votum castitatis simplex emittere. ibidem.
Serui an possint inter se matrimonium contrahere absque licentia dominorum. 711.a
Seruum coniugatum an possit herus vendere. 712.a
Serui christianorum infideles an possint cogi ad baptismum. 157.b
Seruitus duplex, naturalis & legalis. 711.b
Seruitus an sit contra naturam. 713.b
Seruitus an matrimonio superuenire possit. ibidem
Seruitus quando matrimonium impediat aut non. 712.a.b
Seruitus impedimentum non est necessarium, sed voluntarium. 712.b. Vide Impedimentum.
Sigillum confessionis etiam venialia comprehendit. 470.b
Sigillum confessionis ob nullum casum reserare licet. ibidem a
Sigillum confessionis potest sacerdos de licentia pœnitentis reuelare. 474.a.b
Sigillum confessionis vnius an possit reserari in alia. 473.b
Sigillum confessionis non solum comprehendit personam pœnitentis, verum & alia quæcunque illic explicita quibus posset fama lædi. 470.b
Sigillum confessionis nunquam occurrit nisi vbi confessio est sacramentalis. 471.b
Sigillum confessionis est de iure diuino. 470.a
Sigillum confessionis in quibus casibus liceat reserare. 472.a.b
Signum Christi ad iudicium aduentantis. 857.b
Signa quindecim diem iudicij antecessura refert D. Hieronymus. 861.a
Signa quęnam sint diem iudicii antecessura. 861.a.& seq.
Signa præcedent diem iudicii non solum in astris, verùm in elementis, vt in aere, in mari, & in terra. 861.b
Signa profana non sunt exponenda mystice. 13.b
Siligo quid, & an sit apta materia sacramenti. 207.b
Sinus Abrahæ est quicunque locus quo animæ compurgatæ requiescunt, qui ideo paradisus cælestis est. 836.a
Sinus Abrahæ secundum Tertullianum locus est non cælestis, sublimior tamen inferis interim refrigerium animarum iustorum. 839.a
Sol & luna circa diem iudicii re vera obscurabuntur. 865.a
In solis quiete tempore Iosue vtrum omnes orbes quieuerint.
Soni quales sunt futuri in die iudicii. 804.b
Species sacramentales in eucharistia corrumpuntur; quemadmodum corrumperentur ad corruptionem subiecti. 254.b
Spelta & far non sunt species tritici, nec idonea eucharistiæ, quamuis senserit Albertus. 207.b
Species sacramentales in eucharistia nutriunt. 256.b
Species panis & vini manent in eucharistia, etiam si caro ibi appareat, saltem secundum id quod principale est eis. 250.a
Species sacramẽti quandiu durant, durat & sacramentum. 254.b
Sub speciebus panis caro simul & sanguis sumitur. 306.b
Spiritus sanctus non secundum se, sed secundum sua dona dicitur gratia. 11.b
Sponsus quare sic dictus. 640.a
Sponsi non coguntur ab ecclesia ad matrimonium, etiamsi iurauerint. 643.a
Sponsa vi à sponso oppressa an eo inuito possit religionem profiteri. 639.a
Sponsa sponsum admittens, putans eum velle matrimonium consummare, excusatur à peccato. 644.b
Sponsalia quid. 640.a
Sponsalia vnde dicta. ibidem
Sponsalia de futuro an alia via quàm per carnalem copulam sine expresso consensu de præsenti censeatur in matrimonium transire. 644.b
Sponsalia quot modis dirimuntur. ibidem
Sponsalia iurans si velit postea religionem ingredi, an teneatur prius contrahere. 645 a
Sponsalia de futuro transfuga sunt in matrimonium de præsenti per superuenientem carnalem copulam. 632.a
Sponsalia neutiquam sufficiunt ad matrimonium nisi nouus de præsenti consensus accesserit. 640.b
Sponsalia non sunt de essentia matrimonii. 641.a
Sponsalia ante septennium non sunt valida. ibidem b
Sponsalia de futuro contrahens cum duabus, & cum secunda fallaciter congressus, cum qua debeat cogi matrimonium inire. 644.a
Sponsalia de futuro iureiurando firmata vim non habent matrimonii de præsenti. 642.b
Sponsalia quot modis contrahantur. 641.b
Sponsalibus de futuro si accedat copula, ecclesia cogit ad matrimonium. 630.a
Spurius non tenetur in conscientia hæreditatem restituere fisco. 777.b
Status temporis in homine triplex. 715.a
Status religionis longe perfectior est quàm status nuptialis. 41.b

Digitized by Google

Status noster quantum præstantior sit quàm fuisset in statu naturæ integræ. 166.b
Stipes affinitatis sunt maritus & vxor. 770.a
Stipes consanguinitatis quis. 756.a
Stoici negabant vllam in hominem sapientem cadere passionem. 360.b
Stuprũ an sit circunstãtia simpliciter distãs à fornicatione. 441.b
Stola quid. 334.a
Subdiaconus ad horarum canonicarum recitationem tenetur. 585.b
Subdiaconi officium. 582.a Vide Diaconus.
Substantia panis & vini in sacramento altaris non remanet post consecrationem. 221.b
Subtilitas in corpore glorioso duplex. 937.b
Subtilitas an sit inter dotes corporis glorioſi connumeranda. ibid.
Subtilitas & impassibilitas in quo differant. 938.a
Subtilitatis dos in beatis corporibus an occupabit locum. 940.a
Subtilitatis dotes. ibid.
Suffragium aut satisfactorium opus nemo potest suo nomine præstare quod sit apud Deum meritorium nisi sit in gratia & amicitia Dei. 844.a
Suffragium pro multis oblatum nulli eorum tantum prodest, quantum si pro illo solo offerretur. 852.a
Suffragia mortuorum quàm antiqua fuerint in ecclesia. 848.b
Suffragia an damnatis prosint variæ opiniones. 845.b
Suffragia quæ quis pro altero offert, vtrum sibi ipsi qui offert, prosint. 844.b
Suffragia quę dicantur. 843.b
Suffragia viuentium non prosunt pueris in limbo. 847.b
Suffragia viuorum non solum viuis prosunt si pro illis offerantur, verum etiam mortuis. 843.b
Suffragia peculiariter oblata pro singulari defuncto licet ratione charitatis in qua fundantur prosint quibusdam in ea existentibus, nihilominus simpliciter plus prosunt illi, pro quo offeruntur. 851.b
Suffragia quæ defunctus fieri iussit, si tot tantaque sint, vt pœnæ purgatorij persoluendæ sufficiant, an postmodum mora & retardatio ea persoluendi defunctum remoretur ne tam cito pœnas euadat. 852.a
Suffragia nostra nihil prosunt beatis animabus. 847.b
Suffragia quę vel ecclesia vel alius offert pro aliquo viuente non prosunt, nisi is quoque pro quo offeruntur sit in gratia. 844.a
Suffragia & preces peccatorum Deus solet exaudire, non quidem ob eorum dignitatem & meritũ, sed si iusta petant. 845.a
Suffragia peccatorum per vitiosum ministrum exhibita nihil valoris amittunt, qui ex opere operato prouenit. 843.b
Suffragia particularia illa magis sunt singularia & plus adiuuantia, quæ ipse defunctus fieri iussit. 851.b
Suffragiis ecclesiæ fruuntur pauperes. 852.a
Suffragiorum tria genera. 849.a
Summa confessorum male definitionem contritionis assignauit. 380.a
Surdi, muti & amentes an sint idonei sacramento confirmationis. 190.a
Susceptor non est de essentia confirmationis. 191.b
Susceptor quid teneatur filium spiritualem docere. 130.b
Susceptor esse iure prohibetur, qui non est baptizatus, non tamen hæreticus. 131.a. & 785.b
Susceptor esse potest filij pater naturalis in extrema necessitate, neque vllum inde matrimonio contracto oritur impedimentum, impeditur tamen contrahendum. ibidem. & b
Susceptor an sit de essentia baptismi. 130.b
Susceptoris munus. ibidem.a.b
Susceptoris vicẽ supplet mater ecclesia, quãdo ille nõ adest. 131.a
Susceptores plures an contrahant cognationem. 784.b
Supputãdi gradus affinitatis in ecclesia qualis vsus. 758.b. & 759.a
Supranaturalia à nobis intelligi possunt. 907.a

T

TActus sensus in beatis corporibus erit vsui poterunt enim se mutuo tangere. 937.a
Teleta Teletorum cur appelletur mysterium eucharistiæ. 199.b
Tempus necessitatis confessionis. 433.b
Tempus præcepti contritionis quod 420.a.b
Temporibus sacris an liceat debitum petere. 698.b
Tenebrarum tria genera. 835.b
Testes in accusando matrimonio necessariò adhiberi debent, quia coniugum assertione nõ debet matrimoniũ dirimi. 780.a
Timor inferni est bonus, & incipientibus plurimum conferens. 367.b
Timor seruilis comparatur setę furoris. ibidem.
Timor Dei præuenientis semper est necessarius ad pœnitentiam 368.b
Tonsura clericorum non est de essentia sacramẽti ordinis. 588.a
Tonsura prima an sit proprie ordo. 589.a. Vide in verbo Corona.
Tonsura prima an possit à parochiano conferri. 598.b
Traianus ab inferis in vitam resuscitatus precibus D. Gregorij in cœlum euolauit. 847.a.b
Transsubstantiationis nomen à tempore Innocentij receptum est: res autem significata antiqua est, & ex euangelio collecta. 226.a
Tristitia moderata de peccatis est actus contra Stoicos & Senecam. 360.b
Tristitiæ vel doloris carentia non est signum impœnitentiæ, quamuis vt plurimũ pullulet ex detestatione peccatorũ. 366.b
Tristari quia alii peccant non est effectus pœnitentiæ. 412.b
Tubam canere in die iudicii quid sit. 804.b
Turpitudo duplex: vna pœnæ, altera culpæ. 619.b
Turpitudo coniugalis officii non est culpæ, sed pœnæ. ibidem.

V

VElaminis nuptiarum ratio optima. 628.b
Venenum si deprehẽsum sit in calice post consecrationem, non tenetur sacerdos sumere. 316.a
Verba non sunt necessaria etiam in valentibus loqui, sed sufficiunt nutus. 632.a
Verba nulla citra interiorem consensum matrimonium quoad Deum perficiunt. 658.a
Verba consensum exterius exprimentia an sint de essentia matrimonii. 632.a
Verba sacerdotis in pœnitentia non sunt minoris efficaciæ, quàm in cæteris sacramentis. 352.a
Verba dum a sacerdote proferuntur significatiuè sumuntur, & non tantum materialiter. 266.b
Verba an sint necessaria in significatione sacramentorum. 13.b
Verba tantum illa: Hic est calix sanguinis mei: spectant ad essentiam formæ consecrationis calicis, quę deinde sequuntur vsque peccatorum, ad solam integritatem. 263.b
Verborum determinata forma multo magis requiritur in sacramentis nouæ legis quàm determinatus rerum vsus. 15.b
Verborum transpositio an vitiet formam sacramenti. 19.b
In verbis formalibus sacramenti eucharistiæ est quædam virtus creata ad eius conuersionem faciendam, instrumentalis tamen. 261.b. 266.a
Verecundia sola non potest esse causa accedendi ad eucharistiã sine præuia confessione mortalium. 289.a
Vestes episcoporum & sacerdotum, quidque earum vnaquæque significet. 593.a.b
Vestes pontificis maximi antiquæ legis. ibidem & 594.a
Vestimenta sacerdotum veteris & nouę legis. 333.a.b. & 594.a
Vetuli & decrepiti senes an iure possint matrimonio coniungi. 707.a
Videre Deum sicuti est quid sit. 916.a
Videre non satis est ad comprehensionem. 916.a
Videre aliquid in verbo, quid sit. 919.b
Vigiliæ Paschatis & Pentecostes erant tempora præfinita pro solenni baptismo. 118.
Vinum vitis solum est materia idonea eucharistiæ. 211.b
Vini vbi non est copia, nullatenus corpus est consecrandũ. 270.b
Vinum nuptiarum coniugalem lætitiam significat. 622.a
Violatio ecclesiæ nisi legitimè constiterit non est à celebratione abstinendum. 690.a
Violentia quid. 655.a
Violentiæ duplex genus. ibidem.b
Violentia conditionata in sola voluntate & brutorum appetitu reperiri potest. ibidem.
Vipera & aliæ serpentes partu non disrumpuntur contra opinionem Plinij & Dioscoridis. 615.b
Vir & vxor æquali iure gaudent æqualitate non quantitatis, sed proportionis. 687.b
Vir potest quæcunque vota vxoris irritare. 689.a
Vir an possit vxore inuita & relicta militare. ibidem.
Vir potest inuita vxore se in seruum vendere, vxor verò non item. 714.a
Vir si adulteretur post diuortium, an posset compelli ad vxorem redire? 726.a.b
Quid in conscientia? ibidem a
Virgo quæ moreretur in proposito nubendi, fortasse non esset virgo. 403.b
Virgo Maria an in cœlum corpore euecta fuerit. 807.b. Vide plura in verbo Maria virgo.
Virgines prudentes & imprudentes. 878.a
Virginitas quid. 947.a
Virginitas post sufficientem hominum propagationem semper fuit matrimonio præstantior. 675.b
Virginitatis aureola forte non dentur in cœlo nisi qui voto illam confirmarunt. 403.b. Vide Aureola.
Virginitati tẽpore Mosayce lex an præferretur coniugiũ. 675.b
In virginitate tria consideranda 947.a.b
Virtus quæ & quomodo sit vna aliis prior, similiter an sit actus vel habitus. 371.a.b

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google